LEXICON TOTIUS LATINITATIS

J. FACCIOLATI, ÆG. FORCELLINI ET J. FURLANETTI

SEMINARII PATAVINI ALUMNORUM

CURA, OPERA ET STUDIO LUCUBRATUM

NUNC DEMUM

JUXTA OPERA R. KLOTZ, G. FREUND, L. DÖDERLEIN

ALIORUMQUE RECENTIORUM

AUCTIUS, EMENDATIUS MELIOREMQUE IN FORMAM REDACTUM

CURANTE

DOCT. FRANCISCO CORRADINI

EJUSDEM SEMINARII ALUMNO

TOM. II.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCLXIV

De littera D.

D est *A)* Littera alphabeti; *B)* Nota abbreviationis; et *C)* Nota numeralis.

A) D est littera Latini alphabeti quarta, ex numero mutarum, quæ et sono et ordine respondet Græcæ Δ (*delta*), nisi quod a Latinis *De* tantum vocabatur, teste *Terentian. p.* 2385. *Putsch.* — *a)* In fine syllabarum, immo etiam quandoque in plurium consonantium conjunctione, *d* mutata est in *t*: hinc olim *haut*, *set*, *aput*, *Alexanter*, *Cassantra*, etc. scriptum fuit; ut *Quintil.* 1. 4. 16. observat; (et contra *quodannis*, *adque*, pro *quotannis*, *atque* legitur in multis veteribus monumentis). Propter hanc duarum litterarum cognationem patet, cur in nonnullis quoque vocabulis ejusdem prorsus etymi sive originis, modo *t*, modo *d* inveniatur, ut in *mentior* et *mendax*, in *quatuor* et *quadraginta* etc. — *b)* In vocabulorum principio, quod ad vocales attinet, dummodo vocabula Latina essent nec aliunde petita, *d* unam tantum vocalem sibi adsciscere solita est: hinc factum est, ut quoties *d* cum *u* seu *v* concurreret, *d* ipsa aut rejiceretur omnino, quemadmodum in *viginti* pro *duiginti*; aut in *b* mutaretur, quemadmodum in *bellum*, *Bellona*, *bis*, *bonus* etc. pro *duellum*, *Duellona*, *duis*, *duonus*. Item d rejecta est, quoties cum *j* (hoc est *i*) concurreret, quemadmodum in *Jovis*, *Janus*, pro *Djovis*, *Dianus*. Aliter omnino accidit in vocabulis a Græca lingua petitis, ut in *Deus* Θεός, etc. — Quod vero ad consonantes attinet, *d* conjungitur tantum cum *r* (*dr*) in quibusdam vocabulis, quæ aut ab aliis linguis in Latinam illata sunt, aut a natura ipsa per onomatopœiam efficta; ut in *Drusus*, *Druida*, *drama*, *drenso*, *drindio*. — *c)* In mediis vocabulis, ac præcipue in compositionibus, potest quidem retineri, sed mutari etiam potest in omnes consonantes, excepto *b*, ut *accedo*, *officio*, *aggero*, *applico*, *assum*, *iccirco*, *quippiam* etc.; quod contingit etiam in iis, quæ contrahuntur, ut in *cette* pro *cedite*, *pelluviæ* pro *pediluviæ*, *sella* pro *sedela* etc. Contra *d* omnino rejicitur primo in iis, quæ ipsius declinationis vi contrahuntur, ut in *frons* pro *frond-s*, *lapis* pro *lapid-s*, *pes* pro *ped-s*, *lusi* pro *lud-si*, *risi* pro *rid-si* etc. (in sequentem vero mutatur in præter. *cessi* a *cedo*); secundo in verbis a littera incipientibus, ut *ascendo*, *aspicio*, *asto* etc.; denique interdum et in iis, quæ *gn* incipiunt, ut *agnatus*, *agnosco*. — *d)* Quod ad finem spectat, una tantum præpositio *ad*, et nullum præterea Latinum vocabulum, littera *d* terminatur. Ceterum *V.* infra sub *f.* — *e)* Ratione habita etymologiæ, *d* sæpe mutatur cum *l*, *r* et *s*, ut *olere* et *odore*, *lacrima* et *dacrima* (δάκρυ), *medius* et μέσος, et *meridies* pro *medidies*, quod illud est suavius, ait *Cic. Orat.* 47. 158. — *f)* Denique hæc littera auxilii aut euphoniæ causa vocabulis addita est. — Et sane, Latini veteres, ut est apud *Quintil.* 1. 7. 12., plurimis in Ablativis *d* ultimam adjiciebant, etiam sine causa hiatus vitandi: quod manifestum est ex ipsa columna rostrata, quæ est C. Duilio in foro posita. In ea enim (apud *Gruter.* 404. et apud *Orell.* 549.) habetur *in altod marid*, *pucnandod* h. e. pugnando, etc. Sic etiam in XII. Tab. *estod* legunt nonnulli. Hæc tamen scribendi ratio brevi obsolevit. — Præterea etiam Accusativis pronominum personalium *me*, *te*, *se* addebatur hæc littera; quod quidem in iis Accusativis casu vocali coeuntibus, ad hiatum vitandum, retinuit unus *Plaut. Amph.* 1. 1. 278. Tu negas, *med* esse? *Id. Bacch.* 3. 6. 42. Tullam ego *ted* in collum. Alia congerit *Muret. l.* 15. *variar. lect. c.* 19., inter quæ illud ejusdem *Plaut. Most.* 1. 1. 20. Ago, i simul *quod* ego cam, *ubi tamen alii leg.* quo. — Porro etiam in vase figlino in Etruria effosso et in *Giorn. Arcad. T.* 42. p. 58. allato, supra tres Amazones legitur Ἀνδρομαχα, Αρτιοπεδ, Ηοδοπυλα, pro Ἀνδρομαχη, Αντιοπη, Ὀδοπυλη. *V.* et *Jo. Labusii* adnotat. ad *Morelli*, *dissert. della Bolla de' fanciulli* R. in *Bibl. Ital. T.* 4. *p.* 225. — Ceterum antiquissima hæc consuetudo *d* litteram adjiciendi verbis, quæ in vocalem desinunt, viguit semper in neutro genere pronominum *id*, *istud*, *aliud*, *quid*, *quod* (quamquam hæc omnia apud Græcos in vocalem desinant); item viguit in particula *se*, hoc est sine, a qua factum est *sed* (*V. Paul. Diac. p.* 336. 4. *Müll.*), ut patet ex v. *se-d-itio*. — Denique euphoniæ gratia, ad hiatum vitandum, vocibus compositis interseritur, ut in *pro-d-ire*, *pro-d-esse*, *re-d-ire*, *re-d-arguere*, *re-d-integrare* etc.; immo interdum et vocalem *i* sibi adsciscit, ut in *re-di-vivus*, *ant-id-ea* (h. e. *antea*), *ant-id-eo* (h. e *anteeo*) etc.

B) D est etiam abbreviationis nota, quæ plura significat. — Sic in prænominibus *Decium* significat, inquit *Diomed.* 2. *p.* 418. *Putsch.* Quod mendosum habendum est; hinc alii rectius *Decimum* interpretantur, quia *Decius* nomen est potius, non prænomen. *V.* DECIMUS in ONOM. — Ceterum D. est etiam *Deus*, *Divus* (ut in titulis Imperatorum), *Dominus*, *Decurio*, etc. — D. M. *signif.* Diis Manibus. — D. O. M. *signif.* Deo Optimo Maximo. — D. N. *signif.* Dominus Noster. — In epistolis D. est idem quod Dabam, Datum, vel Dies. — D. S. P. *signif.* De Sua Pecunia. — D. D. *signif.* Decreto Decurionum vel Dono Dedit. — D. D. D. *signif.* Dat, Dicat, Dedicat. — *V.* plura in Indicibus, quibus Inscriptionum Collectiones instructæ sunt.

C) Denique D. nota numeralis quingenta significat. Latini enim veteres, Thuscorum rationem secuti, ad *mille* significandum scribebant CIↃ, unde hujusce signi dimidium, scilicet IↃ scribebant ad *quingenta* significanda: ex quo factum est, ut duæ illæ litteræ vel descriptorum errore, vel consuetudine sensim irrepente conjungerentur.

DA.

DABLA *vel*

DABŬLA, æ, f. 1. palmæ genus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (34). Juba apud Scenitas Arabas præfert omnibus saporibus, quam vocant dablam. *Alii leg.* dabulam.

DACNADES *vel* Dagnades, sunt avium genus, quas Ægyptii inter potandum cum coronis devincire soliti sunt, quæ vellicando morsicandoque et canturiendo assidue non patiuntur dormire potantes. Hæc *Paul. Diac. p.* 68. 15. *Müll.* Ceterum dictæ videntur a δάκνω *mordeo*.

DĂCRĬMAS pro lacrimas Livius (*Andronicus*) sæpe posuit, nimirum quod Græci appellant δάκρυα. *Paul. Diac. p.* 68. 10. *Müll. V.* LACRIMA.

DACTȲLĬCUS, a, um, adject. δακτυλικός, ad dactylum spectans. *Cic. Orat.* 57. 191. Quod ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiæ sit accommodatior. — Sic *dactylicus versus*, qui meris dactylis constat, ut ille *Virg.* 8. *Æn.* 596. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. *Diomed.* 3. *p.* 494. *Putsch.* — Item qui loco ultimi spondei babet dactylum, ut apud *Virg.* 2. *G.* 69. Inseritur vero ex fetu nucis arbutus horrida. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 449. *Servius* ad *utrumque locum.* — Metra dactylica (quæ scil. principaliter constant dactylo) plurium generum enumerat *Id.* in *Centimetr. p.* 1820. *Putsch.* Hinc *Auson. Epist.* 10. 37. dactylicos appellare videtur versus heroicos, quia certa sede dactylum habent. Dactylicos, *inquit*, elegos, choriambum carmen, epodos, socci et cothurni musicam. — Strophium dactylicum *Prudent.* 3. *Cathemer.* 28. metaphorice vocat sertum ex carminibus, pro rosis, factum. Sic 3. περὶ στεφ. 208. serta Texta feram pede dactylico.

DACTȲLĪNA, æ, f. 1. aristolochiæ genus. *Isid.* 17. *Orig.* 9. Aristolochia longa, quam etiam dactylinam vocant.

DACTȲLĬŎTHĒCA, æ, f. 1. δακτυλιοθήκη. ¶ 1. Stricto sensu est anulorum capsula: a δακτύλιος *anulus*, et θήκη *theca*. *Martial.* 11. 59. Senos Charinus omnibus digitis gerit, Nec nocte ponit anulos, Nec cum lavatur. Causa quæ sit, quæritis? Dactyliothecam non habet. *Al. male leg.* dactylothecam. Adde *eumd.* 14. 123. *in lemmate.* — *Servus a dactyliotheca* fuit inter officia domus Augustæ. *Inscript.* apud *Murat.* 907. 3. C. IVLIO PHILARGYRO AVG. LIB. A DACTYLIOTHECA CAESARIS. ¶ 2. Latiori sensu ita appellatur series multarum gemmarum: nos dicimus *un sortimento di gioje*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 1. 5. (11). Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine dactyliothecam, primus omnium habuit Romæ Scaurus. *et mox.* Hoc exemplo Cæsar dictator sex dactyliothecas in æde Veneris consecravit.

DACTȲLIS, idis, f. 3. δακτυλίς, quæ digiti longitudinem, vel crassitudinem habet, ut dactylides vites, *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (40). Ita dictæ a gracilitate digitali. Has *Colum.* 3. *R. R.* 2. 1. dactylos vocat: et dactylos *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (15). earum racemos, qui prælongis porriguntur acinis. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. *p.* 151.) hæc ait ad h. l. « Ces raisins, comparés aux dattes, rentrent dans des variétés connues, et qui se distinguent des autres par la longueur et la grosseur de leur grain ».

DACTȲLOS *Græca positione, vel sæpius Latina*

DACTȲLUS, i, m. 2. δάκτυλος, Græca vox digitum significans; quæ occurrit in artibus tantum. ¶ 1. Ita appellatur fructus palmæ (It. *dattero*), quia oblonga gracilitate digitum refert. *Apic.* 1. 1., 1. 19. *et alibi.* ¶ 2. Item genus vitis gracilioris. *V.* DACTYLIS. ¶ 3. Item genus graminis, cujus in cacumine aculei sunt plurimum quini. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 119. (182). — Et ejusdem aliud genus, quia digitorum paronychia sanat. *Id. ibid.* Plura tamen ejusdem generа enumerat cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 306.), cujus hæc sunt verba: « Il n'est pas facile d'arriver à la détermination rigoureuse de ces *gramen*; toutefois, voici ce qu'on peut en dire de plus raisonnable: *Dactylon quinis aculeis* Plin. l. c.; *Canaria* Ejusdem 25. Hist. nat. 8. 51. (91).; et Ἀχύνωψ in insula Chio, teste Anguill. sunt *Dactylosa* Hildeg. 2. 134., *Paspalum sanguinale* Lamrk. Illust. gen. et *Panicum sanguinale* L. Spec. plant. 84. Le paspale ou panic sanguin, ou peut-etre aussi le *Cynodon Dactylon* Rich. — *Dactylon aizoo simile* Plin. l. c. Peut-être un *sedum*. — *Dactylon tenue ac murale* Plin. l. c. *Poa rigida* L. Spec. plant. 101. — *Dactylon causticum* Plin. l. c. Quelque plante de la famille des crassulacées. — *Dactylon babylonicum* Plin. l. c. Quelque euphorbe africaine à tige nue. ¶ 4. Item genus piscis, qui et strombus, et onyx. *Id.* 32. *ibid.* 11. 53. (151). ¶ 5. Item conchæ marinæ genus, ab humanorum unguium similitudine. *Id.* 9. *ibid.* 61. 87. (184). ¶ 6. Item gemma in Creta, ferreo colore humanum pollicem exprimens. *Id.* 37. *ibid.* 10. 61. (170). ¶ 7. *Dactylus* denique est pes metricus, constans longa et duabus brevibus, ut hæc ipsa vox: a similitudine digiti, qui tribus articulis constat primo longiore, reliquis brevioribus, ut ait *Capell.* 9. *p.* 332. Dactylus est dictus, quia ordinem syllabarum consimilem digito hominis informat. *Cic.* 3. *Orat.* 47. 182. ubi *heroum pedem* appellat. Adde *eumd. Orat.* 64. 217. et *Quintil.* 9. 4. 81.

DACTȲLŌSA, æ, f. 1. sic appellatur pæonia herba ab *Isid.* 17. *Orig.* 9.

DĀDŪCHUS, i, m. 2. δᾳδοῦχος, qui facem habet, vel fert: a δᾴς, δᾳδός *fax*, et ἔχω *habeo*. *Gloss. Philox.* Δᾳδοῦχοι *facularii*. Hi locum habebant præsertim in festis Eleusiniis, in quibus Cererem imitantes facem præferebant. *Fronto ad Verum Imp. ep.* 1. (edente iterum Romæ *A. Maio*). Eas ego nationes cum dextra lævaque manu mea gestarem, amplior mihi et ornatior videbar daduchis Eleusinæ faces gestantibus, et regibus sceptra tenentibus, et quindecemviris libros adeuntibus. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 676. *n.* 29., quæ est apud *Orell.* 2358. PONTIVS DADVCHVS SPIRARCHES LIBERI PATRIS STIBADIVM *constituit* LOCO *suo*. *V.* LYCOPHORUS, MACISCO et TÆDIFER. — Ceterum hi facularii locum habebant etiam in sacris Mithriacis: V. *Cavedoni*, *Mon. di Atene p.* 8.; et *Memorie R. di ant. e belle arti T.* 4. *p.* 86. — *NB.* de cogn. Rom. *V.* ONOM.

DÆDĀLĒ, adverb. ingeniose. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 86. Ibi demum et fons fletus est, et aquila aurea supersistebat, adeo effigiata dædale, ut pansis alis, etc.

DÆDĀLĬCUS, a, um, adject. δαιδαλικός, idem ac dædalus, artificiosus. *Venant.* 10. 11. 17. Dædalicis manibus nituit textura sororis.

DÆDALUS, a, um, adject. δαίδαλος, artificiosus. ¶ 1. Active ponitur pro ingenioso, solerti, variisque operibus excogitandis et perficiendis apto. *Ennius* apud *Paul. Diac. p.* 68. 6. *Müll.* Minerva dædala. *Virg.* 7. *Æn.* 282. Dædala Circe. *Lucret.* 1. 228. Dædala tellus. — Et cum Genitivo. *Id. Lucret.* 5. 235. quando omnibus omnia larga Tellus ipsa parit, naturaque dædala rerum. *Id.* 4. 551. Verborum dædala lingua. ¶ 2. Passive artificiosum et affabre factum significat. *Lucret.* 5. 1450. Carmina, picturas et dædala signa polire. *Id.* 2. 501. Phœbeaque dædala chordis Carmina. *Virg.* 4. *G.* 179. *de apibus.* Et munire favos, et dædala fingere tecta.

DÆMON, ŏnis, m. 3. δαίμων. ¶ 1. Generatim dæmon est genius sive bonus, sive malus: item lar: quasi δαήμων sciens, peritus: a δαήμων *doctus, sciens* (ut docet *Capell.* 2. *p.* 39. secutus *Platonem* in *Cratyl. p.* 398. ed. Steph.: cf. et *Isid.* 8. *Orig.* 11. 15.); vel potius a δαίω *distribuo*, quia nempe mala et bona hominibus distribuit. Græce *Cic. Tim.* 11. Reliquorum autem, quos Græci δαίμονας appellant, nostri, opinor, lares, si modo hoc recte conversum videri potest. Latine *Apulej.* non semel *de Deo Socrat.*, ut *p.* 19. Dæmones inter terricolas cælicolasque vectores, hinc precum, inde donorum, qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias, ceu quidam utriusque interpretes et salutigeruli. ¶ 2. Speciatim ab Astrologis *bonus dæmon*, ἀγαθοδαίμων, collocatur in undecimo ab horoscopo signo. *Firmic.* 2. *Mathes.* 19. Hic a *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 27. dicitur dæmon melior, de quo multa disputat *Jabloskius Panth. Ægypt. l.* 1. *c.* 4. ¶ 3. Item speciatim apud Ecclesiasticos scriptores dicitur de malis Angelis, igni æterno damnatis, et damnatorum hominum carnificibus, quique virorum ad mala perpetranda auctores atque instigatores assidui sunt. *Lactant.* 2. 14., *Tertull. Apolog.* 22. etc. *Sedul.* 4. 92. Dæmonas ac talem prohibet se pandere testem. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

DÆMŎNĬĂCUS, a, um, adject. δαιμονιακός, ad dæmonem pertinens. *Tertull. Anim.* 46. De oraculis quid pronunciabimus aliud, quam dæmoniacam esse rationem? *Al. leg.* dæmonicam. *Lactant.* 4. 15. Judæi (*miracula Christi*) dæmoniaca fieri potentia arguebant. — Hinc

Dæmoniacus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, ponitur pro eo qui possidetur a dæmone. *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. *post med.* Insanos, dæmoniacos, lunaticos facient. Adde *Sulpic. Sever. in Vita S. Martin.* 18.

DÆMŎNĬCŎLA, æ, m. et f. 1. (dæmon *et* colo) dæmonem colens. *Augustin.* 8. *Confess.* 2. *circa med.* Offendere superbos dæmonicolas. *h. e.* ethnicos.

DÆMŎNĬCUS, a, um, adject. δαιμονικός, idem quod dæmoniacus. *Tertull. Resurr. carn.* 58. Dæmonici impetus. *Prudent.* 6. περὶ στεφ. 36. Aras dæmonicas coli jubebat. *Sedul.* 4. 145. Dæmonico cuneata globo.

DÆMŎNĬUM, ii, n. 2. δαιμόνιον. ¶ 1. Stricto sensu *dæmonium* est deminut. a dæmone. *Tertull. Apolog.* 32. Nescitis, Genios dæmones dici, et inde deminutiva voce dæmonia? ¶ 2. Latiori sensu Ecclesiastici scriptores passim pro malo dæmone ponunt. *Tertull. Apolog.* 21. *Apul. mag. p.* 315. 10. — *NB.* Pro dæmone, in bonam partem usurpari ab antiquis ait *Forcellinus* et adducit illud *Cic.* 1. *Divinat.* 54. 122. Hoc nimirum est illud, quod de Socrate accepimus –, Esse divinum quiddam, quod δαιμόνιον appellat, cui semper ipse paruerit. *Forcellinus* leg. *dæmonion*: et rectius *Orell.* Græcis litteris, inest enim Latina interpretatio.

DÆMŎNĬUS, a *vel græca positione* e, um, adject. δαιμόνιος, divinus. *Manil.* 2. 897. Dæmonien memorant Græci. Adde *eumd. ibid.* 937.

DAGNĀDES. *V.* DACNADES.

DALĪVUM, supinum ait esse Aurelius, Ælius stultum, Oscorum quoque lingua significat insanum. Santra vero dici putat ipsum, quem Græci δείλαιον, id est propter cujus fatuitatem quis misereri debeat. *Paul. Diac. p.* 68. 1. *Müll.* Cf. *Hesych.* Δαλίς, μωρός.

DALMĂTĬCĀTUS, a, um, adject. dalmatica indutus. *Lamprid. Commod.* 8. Dalmaticatus in publicum processit. Adde *eumd. Elagab.* 26.

DALMĂTĬCUS vel Delmaticus, a, um, adject. ad Dalmatiam pertinens. *V.* ONOM. — Hinc

Dalmatica vestis, inquit *Isid.* 19. *Orig.* 22. 9., primum in Dalmatia texta est manicis brevioribus, candida cum clavis purpureis: fuitque primum delicatiorum hominum et effeminatorum: postea mutatis rebus a sacris etiam Ecclesiæ ministris adhiberi cœpta est, paullatimque illorum propria facta.

DĀMA, æ, m. et f. 1. Sunt qui scribant *damma*: ita vero scribitur in *Not. Tir. p.* 175. — Ceterum dama est genus capræ silvestris: a δεῖμα *metus*, quod a δείδω *timeo*, quia timida est. Differt a capreis solis cornibus, quæ in anteriorem partem habet incurvata, ut *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 15. (124). docet. *V.* tamen *Lübker* ad *Horat.* 1. *Od.* 2. 12., ubi hoc animal certius definit. — *a*) Fem. genere. *Horat.* 1. *Od.* 2. 11. Et superjecto pavidæ natarunt Æquore damæ. *Martial.* 3. 58. Aut impeditam cassibus refert damam. Adde *Virg.* 1. *G.* 308. et 3. *ibid.* 410.; *Ovid.* 1. *Met.* 442. et 10. *ibid.* 539. et 3. *Fast.* 646.; *Juvenal.* 11. 121.; *Senec. Hippol.* 62.; et *Plin.* loco superius citato. — *b*) Masc. genere. *Virg.* 3. *G.* 539. timidi damæ, cervique fugaces. Ubi tamen *Servius* notat, poetam genus mutasse, ut ὁμοιοτέλευτον vitaret. Sed et 8. *Ecl.* 28. habet: Cum canibus timidi venient ad pocula damæ. Adde *Stat.* 2. *Achill.* 407. — De nomine propr. *V.* ONOM.

DĂMĂLĬO, ōnis, m. 3. δάμαλος ὁ vel δάμαλις ἡ, juvenca, bucula, vel vitulus, a voce Græca, quæ allata est, quæ a δαμάω *domo*. *Lamprid. Alex. Sev.* 22. Jussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem.

DĂMĂSŌNĬON, ii, n. 2. δαμασώνιον, herba eadem quæ alisma. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 10. 77. (124). *V.* ALISMA.

DAMIATRIX. *V.* voc. seq.

DĀMĬUM sacrificium, quod fiebat in aperto in honorem Bonæ Deæ: dictum a contrarietate, quod minime esset δαμόσιον (*al.* δημόσιον) idest publicum. Dea quoque ipsa D a m i a (*al.* δαμία), et Sacerdos ejus d a m i a t r i x (*al.* δαμιάς) appellabatur. Hæc *Paul. Diac. p.* 68. 8. *Müll.*, cujus etymologia criticis quibusdam non placet. Volunt enim ita dictum *damium*, quia pro δήμῳ, idest populo fiebat. Dores autem δᾶμος dicunt pro δῆμος. Ceterum *Gloss. Placid.* ed. *Mai. p.* 451. D a m i u m, sacrificium, quod in aperto fit, quod Bonæ Deæ mulieres faciunt. *Gloss. Labb.* D a m i u m, θυσίαι ὑπαίθριοι γινόμεναι (*corr.* ὑπαίθριοι γινόμεναι). *Hesychio* teste Δάμια ἑορτὴ κατὰ Ταραντίνους.

DĀMIURGUS. *V.* DEMIURGUS.

DAMNĀBĬLIS, e, adject. dignus qui damnetur. *Trebell. Poll.* XXX. *Tyrann.* 17. *de Mæonio.* Damnabili invidia ductus. *Sidon.* 6. *Ep.* 1. *ad fin.* Ad mea ipse verba damnabilis, cum imperem quæ non impleo. *Salvian.* 4. *Gubern. Dei* 19. Magis enim damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat.

DAMNĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. damnatio. *Gloss. Philox.* Damnabilitas, κατάκρισις, ἐξορία.

DAMNĀBĬLĬTER, adverb. Comp. *Damnabilius.* — Damnabiliter est culpabiliter. *Augustin. Ep.* 23. 5. Non solum simpliciter ignorantium, verum etiam damnabiliter indignorum. *Salvian.* 4. *Gubern. Dei* 12. Sed damnabilius absque dubio senator furatur aliqua, quam infima persona.

DAMNAS, indecl. vel a *damnatus* per syncopen; vel quo modo a primus *primas*, ab optimo *optimas*. Ceterum *damnas* est perantiquum JCtorum vocabulum, idem quod damnatus. — *a*) Cum nominibus singularis numeri. In *lege Aquilia* apud *Caj. Dig.* 9. 2. 2. Quanti id plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas esto. In *vet. S. C. Frontin. Aquæd.* 129. Id omne sarcire, reficere damnas esto. *Quintil.* 7. 9. 12. Heres meus uxori meæ dare damnas esto argenti, quod elegerit, pondo centum. *Inscrippt.* apud *Orell.* 4425. et 4428., et *alia* apud *Kellerm. Vig. laterc. p.* 74. DARE DAMNAS ESTO AERARIO POPVLI ROMANI HS. etc. — *b*) Et cum nominibus pluralis numeri. *Paul. Dig.* 30. 122. L. Titius, et C. Sejus P. Mævio decem dare damnas sunto. Adde *Scævol. ibid.* 32. 34.: ex quibus colligitur hanc fuisse formulam in testamentis et in legibus usurpatam. — *NB. Damnatem furti* est qui legendum putat apud *Gell.* 7. 15., ubi plerique omnes *damnatum*.

DAMNĀTĪCĬUS *vel* damnatitius, a, um, adject. damnatus, vel damnabilis. *Tertull. Præscript. Hæret.* 31. Etsi nihil de damnaticiis participarent, de ætate sola præjudicarentur.

DAMNĀTĬO, ōnis, f. 3. damnandi actus, condemnatio. Mihi ex hoc (inquit *Quintil. Declam.* 320. *circa med.*) quod plerisque criminibus pecuniæ pœna imponebatur, appellata etiam ipsa damnatio videtur *V.* DAMNUM init. (It. *condanna*, *condannazione*; Fr. *condamnation*; Hisp. *condenacion*; Germ. d. *Verurtheilung*; Angl. *a condemning, condemnation*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Absolute. — Singulari numero. *Cic.* 7. *Att.* 3. 5. Omnes damnatione ignominiaque dignos illuc facere. *Id. Cluent.* 20. 55. Quid est illa damnatione judicatum, nisi etc.? *Tac.* 16. *Ann.* 8. Instantem damnationem frustrati. *Sueton. Aug.* 65. Post damnationem. *Id. Tib.* 61. Citati ad causam dicendam, certi damnationis. *Callistrat. Dig.* 48. 19. 28. Summum supplicium esse videtur damnatio ad furcam. — Plurali numero. *Cic. Pis.* 36. 87. Reorum acerbissimæ damnationes. *Tac.* 3. *Ann.* 31. *extr.* In pecuniam atque famam multorum damnationibus et hasta sæviebat. — *b*) Cum addito Genitivo criminis *Cic. Cluent.* 36. 98. Neminem dubitare existimo, quin illa damnatio ambitus nulla ex parte cum causa Cluentii vestroque judicio conjuncta esse possit. ¶ 2. Speciatim apud JCtos *damnatio* est obligatio imposita heredi quippiam præstandi, adhibendo translaticiam illam formulam, *dare damnas esto*. *Paul. Sentent.* 3. *tit.* 6. Si res obligata creditori per damnationem legata sit.

II.) Translate de inanimis. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 45. (116). Apiastrum in confessa damnatione est venenatum in Sardinia. *h. e.* aperte damnatur et rejicitur ab omnibus ut venenatum.

DAMNĀTOR, ōris, m. 3. qui damnat. *Tertull.* 1. *ad Nation.* 3. Neque exquisitio damnatoribus semper consulenda. *Sedul. hymn.* 1. 10. Damnator Christi frater iniquus erat. Adde *Firmic.* 3. *Mathes.* 8. *sect.* 4.

DAMNĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad damnationem pertinens, qui condemnat. *Cic.* 5. *Verr.* 22. 55. Verres in Xenonem judicium dabat illud suum damnatorium de jugerum professione. *Sueton. Aug.* 33. Damnatoria tabella. *Ammian.* 28. 1. ferrum.

DAMNĀTUS, a, um. *V.* DAMNO.

DAMNĀTUS, us, m. 4. idem quod damnatio. In sexto casu sing. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 44. 45. (144). Alieno beneficio vixit a damnatu suo. *Harduin.* leg. ex MSS. *a damnato suo*. *Sillig* lectionem *Harduini* retinuit, multis Codicibus confirmata: at *Ruhnkenius* (ut habet ipse *Sillig* in nota) ad *Vellej.* 1. 11. verba *a damnato suo* corrupta recte dicit, non acquiescens ergo in *Harduin.* explicatione.

DAMNAUSTRA vel dannaustra, vox ignotæ significationis, quæ legitur in quadam precandi formula apud *Caton. R. R.* 160.

DAMNĬFĬCO, as, are, a. 1. (damnum *et* facio) damno aliquem afficio. Occurrit Part. *Damnificans* apud *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 29. Ariani vexabant orthodoxos pecuniis sæpe damnificantes et omnia contra eos facientes importabiliter.

DAMNĬFĬCUS, a, um, adject. (damnum *et* facio) qui damnum infert. *Plaut. Cist.* 4. 2. 62. Imitatur

nequam bestiam et damnificam. *Pallad.* 3. *R. R.* 9. Damnificum expectare seras maturitates.

DAMNIGERULUS, a, um, adject. (damnum *et* gero) idem ac damnificus. *Plaut. Truc.* 2. 7. 1. Ite hac muli æris, damnigeruli, foras gerrones. *Bothe* edidit *mulieridamnigeruli*; sed *Acidalius* conjectat leg. *muneridamnigeruli.*

DAMNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Damnans* sub *B.* 4.; *Damnatus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Damnaturus* et *Damnandus* sub *B.* 1. — Damnare proprie ac generatim significat damnum alicui afferre, damno aliquem afficere, ut apud *Plaut. Trin.* 4. 1. 10. Pauperibus te parcere solitum, divites damnare atque domare. — Sed tamen hoc verbum fere speciatim usuvenit; et quidem *A*) In re judiciali; et *B*) Extra rem judicialem.

A) In re judiciali damnare est reum facere, et pœnam seu multam imponere, condemnare; eique opponitur *absolvere*, ut apud *Cic.* 1. *Orat.* 54. 231. Damnarent, an absolverent (It. *condannare*; Fr. *condamner*, *déclarer coupable*; Hisp. *condenar*, *pronunciar el juez*; Germ. *Imdn wegen eines Vergehens zur Strafe ziehen*, *verurtheilen*, *schuldig erklären*; Angl. *to condemn*). Usurpatur — *a*) Absolute, seu cum Accusativo tantum personæ, vel interdum etiam causæ. *Lucilius* apud *Non. p.* 276. 25. *Merc.* Hunc Tulliu' quidam Judex heredem facit, et damnati alii omnes. *h. e.* exheredati. *Cic. Rosc. Am.* 39. 114. Damnatus per arbitrum. *Id. ibid.* Damnari judicio aliquo. *Domitius Afer* apud *Quintil.* 5. 10. 79. Ego accusavi, vos damnastis. *Cic. Rabir. Post.* 4. 9. Causa judicata atque damnata. *Id. Cluent.* 3. 7. Causa convicta atque damnata. — *b*) Cum casibus criminis, quo quis est reus, aut pœnæ, cui reus addicitur. Quotiescumque autem habet Genitivum, subintelligitur Ablativus *crimine*, *pœna*, aut ejusmodi. — Sæpe cum Genitivo. *Cæs.* 3. *B. C.* 1. Nonnullos ambitus Pompeja lege damnatos. *Id.* 3. *ibid.* 110. Capitis damnatus. *Cic. Flacc.* 18. 43. Furti et pro socio damnatus. *Id. ibid.* Damnatus peculatus. *Id.* 5. *Verr.* 11. 28. octupli. *Id.* 7. *ibid.* 41. 108. injuriarum. *Id.* 1. *Phil.* 9. 23. majestatis. *Id. Senect.* 12. 42. rei capitalis. Cf. *Id.* 7. *Att.* 12. *ad fin.* Damnare aliquem sceleris. *et Plin.* 2. *Ep.* 12. sordium. *h. e.* avaritiæ. *Gell.* 1. 20. *a med.* Damnare aliquem pecuniæ. *Martial.* 7. 55. Damnata tributi mentula. *nempe* Judæorum, qui, recutiti quod essent, jussu Titi Aug. didrachma in singula capita solvere cogebantur Jovi Capitolino pro libero Judaicæ religionis exercitio, testibus *Flav. Josepho l.* 7. *B. Jud. c.* 6. et *Sueton. Domit.* 12. — Raro cum Ablativo sine præpos. *Cic.* 6. *Verr.* 45. 100. Damnari aliquo crimine. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 430. Hos juxta falso damnatos crimine mortis. *Sueton. Oth.* 2. Vir consularis damnatus repetundis. Rursus *Cic.* 7. *Verr.* 3. 11. Damnari nomine sceleris et conjurationis. *Ita plerique*: Orellius *vero pro* nomine *legit* hominis. *Id.* 1. *Tusc.* 22. 50. Capite damnatos morte multant. Adde *eumd.* 4. *Herenn.* 21. 33. *Ulp. Dig.* 1. 5. 18. Damnare aliquem ultimo supplicio. *Justin.* 8. 1. 7. Damnari pecunia. — Sæpius cum Ablativo et præpos. *de*. *Cic.* 2. *Verr.* 13. 39. Damnari de majestate. *Id.* 1. *Phil.* 9. 21. de vi et de majestate. *Id. Cluent.* 41. 116. de pecuniis repetundis. *Tac.* 4. *Ann.* 13. de vi publica. — Interdum cum Ablat. et præpos. *in*, vel Accus. et præpos. *ob*. *Martian. Dig.* 28. 1. 13. et *Papin. ibid.* 34. 9. 13. Damnatus in crimine capitali. Cf. *Ovid.* 7. *Met.* 402. in aliqua re. *Sueton. Tib.* 11. Damnata ob libidines atque adulteria. — Cum Accusativo pœnæ, et præpos. *ad* vel *in*. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 41. Damnati ad pœnam. *Sueton. Ner.* 31. ad opus. *Paul. Dig.* 48. 19. 31. ad bestias. *Martian. Dig.* 49. 18. 3. Nec in metallum damnabuntur, nec in opus publicum, vel ad bestias. *Plin.* 10. *Ep.* 40. Damnare aliquem vel in opus, vel in ludum. Adde *eumd. ibid.* 66. *Id.* 2. *Ep.* 11. in metallum. Cf. *Ovid.* 11. *Met.* 178. Damnari in unam partem. — Denique sequente particula *ut* et Conjunctivo. *Tac.* 2. *Ann.* 67. Accusatus in senatu damnatur, ut procul regno teneretur. — Singulare est illud *Sil. It.* 17. 654. tunc terga dedisse Damnatis (*h. e.* convictis) Siculas longe meritare per oras Impositum.

B) Extra rem judicialem ¶ 1. Generatim damnare est aliquem privatim reum facere et pœnæ addicere; adeoque obligare, obnoxium reddere, destinare: et occurrit fere cum Genitivo, raro cum Ablativo. *Lucret.* 4. 1179. Et meditata diu cadat, alte sumpta, querela; Stultitiaque ibi se damnet (*amator*), tribuisse quod illi Plus videat, quam mortali concedere par est. (Cf. *Cic. Partit. orat.* 38. 134. Cur prudentissimos in scribendo viros, summæ stultitiæ putet esse damnandos?). *Lucret.* 6. 1231. ubi se quisque videbat Implicitum morbo, morti damnatus ut esset, Deficiens animo, mæsto cum corde jacebat. *Forcellino* τὸ *morti* Dativus, recentioribus Ablativus videtur. *Horat.* 2. *Od.* 14. 19. Damnatus longi Sisyphus laboris. Καταγνωσθεὶς πόνου dicunt Græci. *Id.* 3. *ibid.* 3. 23. Ilion mihi castæque damnatam Minervæ. *h. e.* exitio destinatam. Cf. *Senec.* 6. *Benef.* 4. *a med.* Debitori suo creditor sæpe damnatur (*h. e.* damnando addicitur, subjicitur, obligatur), ubi plus ex alia causa sustulit, quam ex crediti petit. *Virg.* 4. *Æn.* 699. Stygioque caput damnaverat Orco. Cf. *eumd.* 12. *ibid.* 727. *Lucan.* 6. 64. mons, quem tristis Erichthu Damnarat sacris. *Id.* 2. 733. Phariæ busto damnantur arenæ. *Id.* 3. 21. semperque potentes Detrahere in cladem fato damnata maritos. *h. e.* destinata, quæ potentium maritorum pernicies esset. *Stat.* 6. *Theb.* 55. Damnatus flammæ torus. *Id.* 7. *ibid.* 239. subeunt campo, qui proximus urbi Damnatus bellis patet. Cf. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 130. quæ linea Phœben Damnet, et excluso pallentem fratre relinquat. *h. e.* deficere cogat. — Huc referri potest et illud *Solin.* 8. Methona oppidum, quod quum obsideret Philippus, damnatus est oculum jactu sagittæ. *h. e.* oculum amisit. Alii leg. *oculo*. — Hinc *damnare homines voti* vel *votis* dicuntur illi, quum ea concedendo, quæ voto petuntur, voti reos faciunt, atque obnoxios reddunt ad ea præstanda, quæ voto promiserint. *Virg.* 5. *Ecl.* 80. tibi sic vota quotannis Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis. V. *Servium* et *Heyne* ad h. l. *Liv.* 27. 45. *a med.* Deos precabantur, ut illis matura ex hostibus victoria esset, damnarenturque ipsi votorum, quæ pro iis suscepissent. — Similiter *damnatus voti* vel raro admodum *voto* dicitur voti reus, *h. e.* qui voti compos factus, præstare tenetur, quod voto promiserat. Sunt qui putant, *damnatos voti* appellatos fuisse, qui a legibus cogebantur votum solvere; *libentes* vero, qui sponte solverent. *Sisenna* apud *Non. p.* 277. 11. *Merc.* Quo voto damnati fetum omnem dicuntur ejus anni statim consecrasse. *Nepos Timol.* 5. Nunc demum se voti esse damnatum. *Liv.* 5. 25. Civitas damnata voti. *Id.* 7. 28. Cujus damnatus voti quum victor Romam revertisset, etc. Adde *eumd.* 27. 35. et 39. 9. ¶ 2. Speciatim, sed raro admodum, damnare ponitur pro testamento aliquem obligare, ut aliquid præstet, et quidem — *a*) Cum Infinito. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 86. Damnati dare populo centum paria gladiatorum. *Pompon. Dig.* 30. 12. Si quis servos testamento heredem mihi dare damnaverit. — *b*) Sequente Conjunctivo cum particula *ut*, vel *ne*. *Ulp. Dig.* 12. 6. 26. *circa med.* Si damnaverit heredem suum, ut venditorem a nexu liberaret. *Cajus ibid.* 8. 4. 16. Potest in testamento heredem suum quis damnare, ne altius ædes suas tollat. ¶ 3. Item speciatim, sed perraro, damnare dicitur etiam accusator, qui reum peragit, et, ut damnetur, obtinet. *Plaut. Rud.* 5. 1. 2. Me ad recuperatores modo damnavit. *Varro* 2. *R. R.* 2. 6. Emptor pote ex empto vendito illum damnare, si non tradet. *Liv.* 7. 16. A Popilio Lænate sua lege decem millibus æris est damnatus. ¶ 4. Denique ponitur pro improbare, rejicere, abhorrere. *Ovid.* 7. *Met.* 643. Damno vigilans mea visa. *Id. ibid.* 831. Damnatura sui non est delicta mariti. *Id. ibid.* 402. facto damnandus in uno. *Id.* 10. *ibid.* 577. Damnare amores. *Id.* 13. *ibid.* 809. moras. *Juvenal.* 1. 85. sævitiam. *Quintil.* 10. 1. 125. Damnare cum et invisum quoque habere. *Id.* 10. 1. 26. Ne damnent, quæ non intelligunt. *Id.* 3. 6. 64. Tullius non dubitavit, aliquos jam editos libros, aliis postea scriptis, ipse damnare. *Id.* 10. 2. 8. Damnamus tempora nostra infelicitatis hujus, ut nunc demum nihil crescat. *Justin.* 19. 2. *ad fin.* Intermissa omnia sacra, omnia privata officia damnata. *h. e.* rejecta, abjecta, derelicta. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 6. (10). Uvæ recentes in febri damnantur. *Id.* 11. *ibid.* 2. 1. (4). Fastidio damnare aliquid. *Id.* 17. *ibid.* 2. 2. (19). Virgilius arbores ad occasus seri damnavit. Adde *Sil. It.* 11. 285. Rursus *Plin.* 20. *ibid.* 8. 32. (77). Damnare quidpiam in totum. *Id.* 8. *ibid.* 45. 70. (179) Boves nigri coloris ad laborem damnantur. *h. e.* rejiciuntur, non putantur ad laborem apti. *Id.* 20. *ibid.* 3. 8. (17). Colocynthides Chrysippus damnabat in cibis. *Id.* 10. *ibid.* 22. 29. (57). Aves damnatæ in cibis. *h. e.* rejectæ, non adhibitæ. *Id.* 16. *ibid.* 26. 15. (108). Arbores damnatæ religione. *Id.* 14. *ibid.* 18. 22. (117). Aspendios uva damnata ab aris. *h. e.* cujus vinum in sacris non adhibetur. *Lucan.* 8. 328. Damnare consilium alicujus. *Id.* cum Part. pass. et Acc. Græco more 9. 363. Et numquam somno damnatus lumina serpens. *h. e.* numquam habens lumina devincta et obligata somno. *Id.* 7. 409. Et damnata diu Romanis Allia fastis. *h. e.* Alliensis pugnæ dies in fastos inter atros relatus. *Id.* 4. 533. stabat devota juventus, Damnata jam luce ferox. *h. e.* abjecta, rejecta cura et spe vivendi. *et ibid.* 359. nec enim felicibus armis Misceri damnata decet. *h. e.* infelicia, tristia, et quasi a diis damnata. *Sil. It.* 16. 536. cavea damnante furorem. *Id.* 8. 496. Lycios damnant hostilibus arcus. *h. e.* usum hastæ sagittandi arti præferunt: improbant arcus et sagittas, hastis pugnare malunt. *Id.* 3. 330. quippe omnis in armis Lucis causa sita, et damnatum vivere paci. *h. e.* vivere sine bello damnatum est, rejectum, reprehensum. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 126. Fortis et Eoas jaculo damnare sagittas. *h. e.* contemnere et superare. *Id.* 5. 61. ales, ceu præscia luctus, Damnavit vesci. *h. e.* respuit, noluit. — Hinc Part. præter. pass.

Damnatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Damnatior* apud *Cic. Pis.* 40. 97. Quis te miserior? quis te damnatior?

DAMNŌSĒ, adverb. cum damno. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 34. Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti. *h. e.* ut convivator damnum sentiat.

DAMNŌSUS, a, um, adject. Comp. *Damnosior* 1. et 3., Sup. *Damnosissimus* 1. — Damnosus est damni plenus; et occurrit ¶ 1. Active pro eo, qui damno est, seu damnum affert. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 9. Quid tibi commercii est cum dis damnosissimis? *Horat.* 1. *Ep.* 18. 21. Damnosa Venus. *Id.* 2. *ibid.* 1. 107. libido. *Liv.* 25. 1. Omnibus malis artibus et reipublicæ et societatibus infidus damnosusque. *Id.* 6. 11. Erat æris alieni magna vis, re damnosissima etiam divitibus, ædificando contracta. *Id.* 39. 9. Consuetudo minime rei, aut famæ damnosa. *Id.* 45. 3. Bellum sumptuosum et damnosum ipsis Romanis. *Ovid.* 10. *Met.* 707. ne virtus tua sit damnosa duobus. *Id.* 3. *Amor.* 6. 99. *de amne*. Damnosus pecori curris, damnosior agris. *Martial.* 4. 18. Alea parva nuces et non damnosa videntur. ¶ 2. Passive damnosus dicitur is, qui damnum patitur. *Plaut. Epid.* 2. 3. 14. Argentum accipiam a damnoso sene. *h. e.* infelici, multis damnis confecto. Alii perperam leg. *danoso*, vel *donoso*. ¶ 3. Mediorum apud Græcos significatione damnosus dicitur qui sibimet ipse damno est, et speciatim prodigus et sumptuosus. *Plaut. Curc.* 4. 1. 24. Damnosi mariti. *Id. Pseud.* 1. 5. 1. Si de damnosis aut de auctoribus dictator fiat nunc. *Ter. Heaut.* 5. 4. 11. Gero, iners, fraus, helluo, ganeo, damnosus. *Sueton. Ner.* 31. Non in alia re damnosior, quam in ædificando.

DAMNUM, i, n. 2. Ratione habita etymi, *Varro* 5. *L. L.* 176. *Müll.* D a m n u m a demptione, cum minus re factum, quam quanti constat. Eadem *Paulus* habet *Dig.* 39. 2. 3. Alii ex δαπάνη ducunt, ex quo *dapnum*, inde *damnum*. — Ceterum damnum est detrimentum, jactura, incommodum, malum; et *lucro* opponitur, ut apud *Cic.* 5. *Fin.* 30. 91. Si in maximis lucris paullum aliquid damni contraxerit (It. *scapito*, *perdita*, *danno*; Fr. *dommage*, *détriment*, *préjudice*, *perte*; Hisp. *lastima*, *daño*, *detrimento*, *perjuicio*; Germ. *die Einbusse*, *der Verlust*, *Schaden*; Angl. *loss*, *hurt*, *harm*, *damage*, *injury*). Occurrit ¶ 1. Abstracto, uti ajunt, sensu. — *a*) Generatim. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 31. Ubi damnis desudascitur, ubi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus. *Id. Asin.* 1. 3. 35. Perdidici, istæc esse vera, damno cum magno meo. *Id. Cist.* 1. 1. 108. Damnum dare. Sic *Ter. Andr.* 1. 1. 116. Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum? *Id. Heaut.* 4. 4. 25. Haud scit, paullum lucri quantum ei damni apportet. *Id. Adelph.* 2. 2. 23. Nisi ad mercatum venio, damnum maximum est. *Cato R. R.* 3. Damni nihil erit ex tempestate. *Cic.* 1. *Fam.* 9. In meis damnis ex auctoritate senatus sarciendis. *Cæs.* 6. *B. G.* 44. Exercitum Cæsar, duarum cohortium damno, reducit. *Curt.* 8. 4. Quæ distributa militem et damno et fame liberaverunt. *Liv.*

7. 4. At quam ob noxam? quia infacundior sit et lingua impromptus. Quod naturæ damnum utrum etc. *Horat.* 4. *Od.* 7. 13. Damna tamen celeres reparant cælestia lunæ. *h. e.* sua decrementa. *Horatium* imitatus est *Claudian.* VI. *Cons. Honor.* 499. *Ovid.* 7. *Met.* 552. Pervenit ad miseros damno graviore colonos Pestis. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 28. et *Trebat.* apud *Paul. Dig.* 39. 2. 25. Damnum accipere. *Pompon. Dig.* 9. 2. 39. capere. *Ulp. ibid.* 10. 3. 6. sentire. *Plin.* 14. *Hist. nat. proœm.* Hoc mihi damno est. *Ovid. Heroid.* 15. 64., 1. *Amor.* 13. 20., 1. *Art. am.* 186., 1. *Fast.* 60. et 3. *Trist.* 8. 34. Damnum ferre. *Id.* 1. *Pont.* 10. 29. Damnum contrahere. *h. e.* morbum. — *b*) Speciatim *damnum facere* est jacturam facere, aliquid amittere. *Plaut. Capt.* 2. 2. 77. Est, ubi profecto damnum præstet facere, quam lucrum. *Cic.* 7. *Fam.* 33. Quod declamationibus nostris cares, damni nihil facis. *Id.* 10. *ibid.* 28. *ad fin.* Magnum damnum factum est in Servio. Sic *Id. Brut.* 33. 125. Damnum illius immaturo interitu res Romanæ Latinæque litteræ fecerunt. — Interdum tamen *damnum facere* est afferre, dare. *Paul. Dig.* 9. 2. 30. *ad fin.* Qui occasionem præstat, ipse damnum fecisse videtur. — *c*) *Damnum infectum* apud JCtos est, quod nondum est factum, sed futurum veremur, ut *Cajus Dig.* 39. *tit.* 2., *qui est* De damno infecto, 3. definit. *Cic. Topic.* 4. 22. Si quis in pariete communi demoliendo, damni infecti promiserit. — *d*) Reperitur etiam *damnum pati* pro jacturam facere, sed rarius. *Seneca* 1. *Ira* 2. Totos populos capitis damna passos. *Ulp. Dig.* 9. 2. 29. Nec æquum esse, damnum me pati, rescissis meis tignis. — Sed in illo *Lucani* 8. 750. paterisque hæc damna sepulcri: *pateris* est æquo animo fers. Sic apud *Liv.* 22. 4. Hannibal id damnum haud ægerrime pati: quin potius credere, velut inescatam temeritatem ferocioris consulis. — *e*) *Damnum injuria*, nempe illatum, formula est legis Aquiliæ, qua cavebatur, ne damnum injuria alicui inferretur: M. vero Lucullus prætor, qui jus inter peregrinos dixit, illud *injuria* ex edicto suo abstulit, quo se audaciam improborum sustulisse putavit. *Cic. fragm. orat. pro M. Tullio* (edente *A. Peyronio*) p. 100. *n.* 11. M. Lucullus necesse putavit illam latebram tollere *damnum injuria*, quod in aliis causis debet valere et valet lege Aquilia. *Id. Rosc. com.* 11. 32. Judicio damni injuria constituto. *Ulp. Dig.* 11. 2. 1. Lex Aquilia omnibus legibus, quæ ante se de damno injuria locutæ sunt, derogavit. — *f*) Denique in re judiciali *damnum* ponitur pro multa. *Cic.* 3. *Off.* 5. 23. Hoc volunt leges, incolumem esse civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, vinculis, damno coercent. Cf. ejusdem *Cic. fragm.* apud *Augustin.* 21. *Civ. Dei* 11. Octo pœnarum genera in legibus continentur, damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exsilium, mors, servitus. *Id. Cic.* 1. *Phil.* 5. 12. Quis unquam tanto damno senatorem coegit? *Liv.* 4. 53. Ferre damnum aliamque coercitionem detrectantibus militiam. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu, damnum — *a*) Est res amissa, res cujus facta est jactura. *Ovid.* 12. *Met.* 16. Quas simul, et matrem circum sua damna volantem, Corripuit serpens, etc. *h. e.* circum sua pignora, quæ cum maximo suo damno devorari a dracone videbat. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 476. et 11. *ibid.* 379. — *b*) Item persona, quæ damnum affert. *Plaut. Men.* 1. 2. 24. Hoc ad damnum (*h. e.* scortum) deferetur.

H o m o n y m. *Damnum*, *jactura*, *detrimentum* idem fere significant, et promiscue a scriptoribus usurpantur: differunt tamen, si proprie et stricte sumantur. *Damnum* enim est deminutio bonorum, quæ alteri quis aufert; *jactura* deminutio, quæ fit jaciendo per impensas vel inutiles, vel necessarias; *detrimentum* deminutio, quæ fit usu et consumptione rerum. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 7. 21. Non queror flagitium hujus j a c t u r æ atque d a m n i. *Id.* 1. *Legg.* 19. 51. Propter d a m n a, aut d e t r i m e n t a. Sic *Id.* 5. *Verr.* 98. 228. Hæc tot d e t r i m e n t a atque d a m n a.

DĀMŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* dama, parva dama. *Apul.* 8. *Met. post init.* Nec ulla capra, nec pavens damula. Adde *Not. Tir.* p. 175., ubi *dammula* legitur.

DAN, *vel* danc *pro* dasne, *V.* DO.

DĂNĂE, es, f. 1. Est hujus nominis herba, cujus mentio est apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (131). Est et Alexandrina (*laurus*), quam aliqui Idæam, alii hypoglottion, alii danaen, alii carpophyllon, alii hypelaten vocant. Adde *Apul. Herb.* 58. De synonymia *V.* LAURUS.

DĂNISTA, æ, m. 1. δανειστής, fenerator, a δάνος *fenus, mutuum*, vel δανείζω *fenori do*. *Plaut. Epid.* 1. 1. 51. Id argentum ab danista sumpsit fenore. *Id. Pseud.* 1. 3. 53. Amabas? invenires mutuum, ad danistam devenires, adderes fenusculum. Adde *eumd. Most.* 3. 1. 6. et *Epid.* 2. 2. 67.; et *Paul. Diac.* p. 68. 14. *Müll.*

DĂNISTĬCUS, a, um, adject. δανειστικός, ad danistam pertinens. *Plaut. Most.* 3. 1. 127. Nullum est genus hominum tetrius, quam danisticum.

DĂNO. *V.* DO.

DANŌSUS, a, um, adject. liberalis: a *dano pro do*. *V.* DAMNOSUS 2.

DĂNUNT *pro* dant. *V.* DO.

DĂPĀLIS, e, adject. ad dapes pertinens, et præcipue ad dapes, quæ in sacris locum habebant. Hinc *dapalis Juppiter* dictus est, cui dapali cœna sacrum fiebat. *Cato R. R.* 132. Jovi dapali culignam vini quantam vis polluceto. — *Dapalis cœna*, quæ plena est amplis dapibus, ut *Non.* p. 95. 4. *Merc.* interpretatur. *Titinius ibid.* Toto fit in foco mihi dapalis cœna. *Mercer.* tamen legit *foco lignis indapalis cœna.* Certa est lectio apud *Auson. epist.* 9. 13.

DAPATICE se acceptos antiqui dicebant, significantes magnifice. *Paul. Diac.* p. 68. 4. *Müll.* Vulgo leg. *daptice.*

DAPATICUM negotium, amplum, magnificum. *Paul. Diac.* p. 68. 5. *Müll.* Vulgo leg. *dapticus.*

DAPHNĒ, es, f. 1. δάφνη, Græca vox laurum significans. *Petron. Satyr.* 131. Et baccis redimita daphne, tremulæque cupressus. Ubi prima in *daphne* (si vera est lectio) corripitur, *n* littera liquescente more Græcorum: quod et in *cycnus* factum est a poetis, in *Tecmessa*, in *Procne*, etc. — Lauream victoriæ significare videtur in nummis Constantini M. apud *Eckhel. D. N. V. T.* 8. p. 82. *V.* CONSTANTINIANUS; et *Acta Soc. Lat. Jen. T.* 1. *p.* 273-312. — In fabulis est Penei fluvii (aliis Ladonis Arcadiæ fluvii) filia, quæ ab Apolline amata, cum ejus vim non posset effugere, implorato paterno numine conversa est in laurum. *Ovid.* 1. *Met.* 452. *et seqq.*, et *Heroid.* 15. 25.; *Hygin. fab.* 203.; et *Servius* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 63. et 2. *Æn.* 513. — Porro etiam sic mutatam Apollo amare pergens, dedit ei arbori, ut semper vireret, coronam ex ea gestare cœpit, sacramque sibi esse perpetuo voluit. *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 91. et *Hygin. loc. cit.* — *NB.* De Daphne vico Syriæ *V.* ONOM.

DAPHNĒA. *V.* voc. seq.

DAPHNĬA, æ, f. 1. gemma comitialibus morbis utilis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 57. (157). *Sillig.* vero legit *daphnea.*

DAPHNIS CASIA apud *Scribon. Compos.* 152. est, quam *daphnitidem casiam* ipse appellat *ibid.* 269., scilicet daphnoides, de qua mox. *Joann. Rhod.* putat, etiam priore *Scribonii* loco *daphnitis* legendum esse.

DAPHNĪTIS. *V.* voc. præced.

DAPHNŌĪDES, æ, f. 1. δαφνοειδής, lauri similis. ¶ 1. Sic appellatur genus casiæ, quæ cortice laurum imitatur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 20. 43. (98). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 42.) hanc exhibet synonymiam: Κασία Hipp. Morb. mul. 1. 609. et Dioscor. 1. 12.; et *Casia* Plin. l. c. et Virg. 2. G. 466. sunt *Laurus Casia* L. Spec. plant. 528. ¶ 2. Item genus lauri, scilicet frutex ramosus, crassiore ac molliore, quam laurus, folio: cujus gustatu os atque guttur accenditur, baccis e nigro rufis. *Id.* 15. *ibid.* 30. 39. (132). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 277.) hæc ait: «Il est convenable de chercher le *daphnoides* parmi les espèces du genre *daphne*. Le *D. Laureola* L. a des fruits noirs, mais des fleurs jaunes; le *D. Mezereum* L. a une variete à fleurs blanchâtres, mais dont les fruits sont rouges; toutefois nous pensons qu'il s'agit de l'une de ces espèces ou de quelque autre moins connue, appartenant au meme genre; Fuchsius s'est prononcé pour la première de deux. Le *daphnoides* de Pline est le Δαφνοειδής de Dioscoride 4. 148., auquel il donne le nom d'*eupetalon* et de *chamædaphne*». ¶ 3. Item clematis, Ægyptia cognomine, folio lauri, longa tenuisque. *Id.* 24. *ibid.* 15. 90. (141). De synonymia *V.* CLEMATIS.

DAPHNŌN, ōnis, m. 3. δαφνών, lauretum, *h. e.* locus lauris consitus: vox Græca. *Petron. Satyr.* 126. Flexit se in eum daphnona, qui ambulationi hærebat. *Martial.* 10. 79. Disposuit daphnona suo Torquatus in agro.

DĂPĬFER, fĕri, m. 2. dapes ferens. In *Inscript.* apud *Murat.* 915. 3. refertur inter officia domus Augustæ. Adde *Gloss. Philox.* Dapifer, σιτοφόρος.

DĂPĬFEX, ficis, m. 3. (dapes *et* facio) qui dapes parandas curat. In *Inscript.* apud *Murat.* 1322. 9. refertur inter officia domus Augustæ.

DĂPĬNO, as, are, a. 1. dapes, seu cibum præbeo: vox plebeja. *Plaut. Capt.* 4. 2. 116. Æternum tibi dapinabo cibum, si vera autumas. *Al. aliter leg.*

DAPS, dăpis, f. 3. stricto sensu significat lautas atque opiparas epulas, quæ festis diebus et in sacris faciendis ad deorum cultum adhibebantur; ut docet *Paul. Diac.* p. 68. 3. *Müll.* hisce verbis: Daps apud antiquos dicebatur res divina, quæ fiebat aut hiberna semente, aut verna: quod vocabulum ex Græco deducitur, apud quos id genus epularum δαίς dicitur (*Vossio* in *Etymol.* placet duci a δαπάνη; vel deducendum a δάπτω, fut. δάψω, *dilaniando voro*). Cf. et *Servium* infra cit. in H o m o n y m.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 132. Dapem pro bubus piro florente facito. *Id. ibid.* 132. Juppiter dapalis, quod tibi fieri oportet, in domo familia mea, culignam vini dapi, ejus rei ergo, macte hac illace dape pollucenda esto. *et ibid.* Daps Jovi assaria pecunia, urna vini Jovi caste. *Id. ibid.* 50. Daps profanato comestaque. *Liv. Andronicus* apud *Priscian.* 7. *p.* 752. *Putsch.* Quæ hæc daps est? quis festus dies? *Liv.* 1. 7. Bove sacrum Herculi, adhibitis ad ministerium dapemque Potitiis ac Pinariis, factum. *et ibid.* Pinarii extis adesis ad ceteram venirent dapem. *Virg.* 3. *Æn.* 301. Solemnes tum forte dapes et tristia dona Libabat cineri Andromache. *Horat.* 1. *Od.* 37. 4. nunc saliaribus Ornare pulvinar deorum Tempus erat dapibus. *Id.* 2. *ibid.* 7. 17. Ergo obligatam redde Jovi dapem. *Tibull.* 1. 5. 28. deo agricolæ Pro segete spicas, pro grege ferre dapem. — Et universim de victimis *Seneca Œdip.* 557. Flamma prædatur dapes, Vivumque trepidat igne ferali pecus.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur de lautiore convivio vel cibo. *Catull.* 64. 304. Large multiplici constructæ sunt dape mensæ. *Virg.* 6. *Ecl.* 79. Parare alicui dapes. *Id.* 7. *Æn.* 109. Instituere dapes. Adde *eumd.* 4. *G.* 133. et 1. *Æn.* 210. *Horat.* 3. *Od.* 1. 18. non Siculæ dapes Dulcem elaborabunt saporem. Et *Id.* 4. *Od.* 4. 12. *de aquila.* Nunc in reluctantes dracones Egit amor dapis atque pugnæ. *Id. Epod.* 5. 32. Quo posset infossus puer Longo die bis terque mutatæ dapis Inemori spectaculo. Adde *eumd. ibid.* 2. 48. et 17. 66., 2. *Sat.* 6. 89. et 1. *Ep.* 17. 51. *Ovid.* 2. *Fast.* 657. Conveniunt, celebrantque dapes vicinia simplex. *Id.* 5. *ibid.* 521. Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyæo. *Id.* 15. *Met.* 75. Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis Corpora. *V.* integr. loc. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 13. et 6. *ibid.* 664. *Id. Heroid.* 9. 68. Efferus, humana qui dape pavit equos. *Martial.* 7. 86. Ad natalicias dapes vocabar. *Id.* 12. 48. Nec Capitolinæ pontificumque dapes. Adde *Tac.* 14. *Ann.* 22. ¶ 2. Interdum ponitur et de simplici ac paupere mensa. *Ovid.* 8. *Met.* 683. Et veniam dapibus nullisque paratibus orant. Cf. *Horat. Art. P.* 198. Ille dapes laudet mensæ brevis. ¶ 3. *Dapes humanas* honesto vocabulo *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (51). merdas hominum dixit.

H o m o n y m. Discrimen tradit ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 710. Qui dapibus mensas onerent et pocula ponant: tradit, inquam, *Servius* hujusmodi, quod *dapes* regum sint, *epulæ* privatorum. Et ad illud *Virg.* 3. *Æn.* 224. dapibusque epulamur opimis; quod *dapes* deorum sint, *epulæ* hominum. Hæc sane conveniunt cum iis, quæ superius retulimus.

DAPSĬLĒ *et* dapsiliter, adverb. δαψιλῶς. Comp. *Dapsilius.* — Dapsile et dapsiliter est large, copiose: vox Græcæ originis. *Pomponius* apud *Non.* p. 512. 7. *Merc.* Quid nunc vis fieri? verrem sume dapsile ac dilocide. *Sueton. Vesp.* 19. Convivabatur assidue, ac sæpius recte et dapsile, ut macellarios adjuvaret. *Al. melius leg.* recta ac dapsili: *subintellige* cœna. *Nævius* apud *Charis.* 2. *p.* 178. *Putsch.* Ultro meretur, quamobrem ametur: ita dapsiliter suos amicos alit. *Lucilius* apud *Non.* p. 321. 29. *Merc.* Scito enim, bene longinquum mor-

talibu' morbum In vino esse, ubi qui invitavit dapsilius se.

DAPSĬLIS, e, adject. δαψιλής. *Pareus* in *Lex. Crit.* ait in omnibus MSS. Plautinis scriptum esse *lapsilis* pro *dapsilis*; ita enim consuevisse veteres *l* pro *d* scribere: quod confirmat *Lips. l.* 1. *Antiquar. lection. c.* 15. — In *Not. Tir. p.* 68. habetur etiam Superl. *dapsilissimus.* — Etiam *dapsilus, a, um,* olim dictum fuisse videtur. *Plaut. Pseud.* 1. 4. 2. Postquam herili filio largitus dictis dapsilis. Potest tamen *dapsilis* et hoc loco esse rectus casus singularis. — Ceterum *dapsilis* a *dapes* est largus, copiosus, abundans; et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Aulul.* 2. 1. 45. Dotes dapsiles. *Id. Most.* 4. 2. 66. Dapsiles sumptus facere. *Id. Pseud.* 5. 1. 21. Coroilas dare dapsiles. *Id. Truc.* 1. 1. 34. Dapsilis lectus, *h. e.* instructus omnibus rebus ad cubandum necessariis. *Colum.* 4. *R. R.* 27. 6. Si continuis superioribus annis dapsili proventu fatigata vitis fuerit, requiescere ac refici par erit. *Apul.* 11. *Met.* Dapsilem copiam facundiæ subministrare. — *b*) Cum Ablativo rei, qua quis abundat. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 27. Spionia vitis dapsilis musto, et amplitudine magis uvarum, quam numero fertilis.

DAPSĬLĬTAS, atis, f. 3. copia, abundantia. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 68.

DAPSĬLĬTER. *V.* DAPSILE.

DAPSĬLUS, a, um. *V.* DAPSILIS.

DAPTĬCĒ. *V.* DAPATICE.

DAPTĬCUM. *V.* DAPATICUM.

DARDĂNĀRĬUS, ii, m. 2. annonæ et aliarum mercium negotiator, qui studio undique coemit, et coempta comprimit, ut annonam incendat, et carius vendat. Putat *Turneb. l.* 9. *Adversar. c.* 17. nomen huic odiosissimo hominum generi inditum a quodam Dardano Phœnici, insigni mago (cujus meminit *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 2. (9)., *Arnob.* 1. 52., *Tertull. Anim.* 57.: et *Dardaniæ artes* pro magicis dicuntur a *Colum.* 10. *R. R.* 358.), quasi magicis artibus annonam in sua horrea convertant, et caritatem inducant, eorum instar, qui in *Legib. XII Tab.* apud *Senec.* 4. *Quæst. nat.* 7. fruges alienas excantare dicuntur. Sed de hac *Turnebi* conjectura alii viderint. *Ulp. Dig.* 47. 11. 6. Annonam attentare et vexare vel maxime dardanarii solent. et *mox.* Debebis custodire, ne dardanarii ullius mercis sint. *Paul. ibid.* 48. 19. 37. In dardanarios, propter falsum mensurarum modum, extra ordinem vindicari placuit. *V.* CAPTATOR et PROPOLA.

DARDĂNĬUS, a, um, adject. ad Dardanum Trojæ regem, item universim ad Trojanos et Trojam pertinens. *V.* ONOM. — Est etiam ad Dardanum Phœnicem pertinens, unde *Dardaniæ artes* sunt magicæ. *V.* DARDANARIUS. — Hinc etiam

Dardanium, ii, n. 2. (subaudi *aurum*) absolute substantivorum more, est brachiorum ornamentum aureum, quo et viri utebantur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 12. (40). Habeant (*aurum*) in lacertis jam quidem et viri, quod ex Dardanis venit itaque et Dardanium vocabatur; viriolæ Celtice dicuntur, viriæ Celtiberice. *Sillig* ex *Cod. Bamberg.* aliisque optimæ notæ *Dardonium* legit: *Forcellinus* autem *Dardanum* cum vett. edition.; affirmatque ita dictum a Dardania Mœsiæ regione.

DARDĂNUS, a, um. *V.* voc. præced., et ONOM.

DĀRĪCUS. *V.* voc. seq.

DĀRĪUS *vel* Darēus, i, m. 2. Tres hoc nomine Persarum reges fuerunt, de quibus *V.* ONOM. — Hinc *darius* apud *Auson.* nomen est monetæ aureæ, quæ XX. denarios valebat, *Epist.* 5. 23. Ergo aut prædictos jam nunc rescribe dārios. Hic alii leg. *Daricos*; nam etiam Græci Δαρεικοὺς vocant, cum prima tamen longa. *Id. ibid.* 19. eosdem Philippos dixerat.

DĀSI. *V.* DO, et initium litteræ S.

DĀSȲPUS, ŏdis, m. et f. 3. δασύπους, genus quadrupedis hirtos et villosos pedes habentis: a δασύς *pilosus*, et πούς *pes. Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 91. (229). Pili dasypodi et in buccis intus et sub pedibus. *Id.* 8. *ibid.* 55. 81. (219). Lepus omnium prædæ nascens, solus, præter dasypodem, superfetat. *Id.* 10. *ibid.* 63. 83. (179). Dasypodes omni mense pariunt, et superfetant sicut lepores. *et ibid.* (182). Superfetant dasypus et lepus tantum. — *Plinius loc. citatis* sibi non constat; nam modo dasypodem vocat cuniculum et distinguit a lepore, modo eumdem ac leporem facit; *Aristoteles* vero, cui, ut diximus in *V.* CUNICULUS, ignotus fuit cuniculus, utroque vocabulo (δασύπους et λαγώς) utitur ad leporem denotandum: itaque cum *Aristotele* potius putamus, *dasypodis* appellationem ad solum leporem pertinere.

DĂSYS, ia *vel* ea, y, adject. δασύς, εῖα, ύ, asper. *Priscian. de accent. p.* 1287. *Putsch.* Sunt autem accentus decem: acutus, gravis, circumflexus, longa linea, brevis, hyphen, diastole, apostrophos, dasia, psile. — Quid est dasia? Flatilis, quæ hac notatur figura ⊢. Quid est psile? Siccitas, quæ notatur ⊣. Hinc patet dasiam lineam esse signum densæ aspirationis, psilem vero tenuis. *Diomed.* 2. *p.* 435. *Putsch.* Ceterum daseam et psilem, apud nos *h*, vocali addita vel detracta, demonstrat; id est, scripta *h* aspirationem, non scripta levigationem significat.

DĀTĀRĬUS, a, um, adject. qui dari potest, vel dandus est. *Plaut. Pseud.* 4. 2. 13. An non prius salutas? AT. Nulla est mihi salus dataria. *h. e.* quam temere aliis impertiam, quum eadem ipse caream.

DĀTĀTIM, adverb. invicem dando, ut *Ludere datatim*, quemadmodum qui pila lusitant, quæ vicissim mittitur et remittitur. *Plaut. Curc.* 2. 3. 17. Tum isti, qui ludunt datatim, servi scurrarum in via. *Novius* apud *Non. p.* 96. 20. *Merc.* In mollis non ludunt raptim pila, datatim morso. — Transfertur et ad obscenum sensum. *Ennius* (corrige *Nævius*) de meretrice loquens, apud *Isid.* 1. *Orig.* 26. quasi in foro pila Ludens datatim dat se, et communem facit. *Pomponius* apud *Non. p.* 96. 18. *Merc.* Datatim in tecto ludere. Adde *Afranium ibid.*

DĀTHĬĀTUM, i, n. 2. Dathiatum appellatur tus rufum, secundæ vindemiæ, viliorisque pretii, quod vere colligitur, incisis hieme arboris turiferæ corticibus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (60)., ad quem locum *Salmasius* in *Solin. p.* 505. vult legi *dadiotum*, a δᾴδιον *facula, parva tæda*, quia in tædiferis arboribus e trunco tædæ fiunt, et quia hujusmodi tus rufum erat, atque adeo tædæ accensæ simile. *Dalecampius* vero deducit ἀπὸ τῆς δᾳδὸς, καὶ τοῦ θείου, a tæda nempe et sulphure, cujus odorem hoc vilius tus imitetur.

DĀTĬO, ōnis, f. 3. actus dandi.

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 9. 21. Remittendum in datione cibi pro portione. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 22. 60. Cujus judicium, legumque datio, captorum agrorum ipsius virtute cognitio tollitur. *Al. leg.* latio. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (202). Ordinem exercitus, signi dationem, tesseras, vigilias Palamedes invenit. In *fragm. legis Mamiliæ p.* 340. *Goesii.* Jurisdictio, judicis datio, addictio. *h. e.* assignatio. *Ulp. Dig.* 37. 8. 1. Datio bonorum possessionis. *Paul. ibid.* 45. 1. 2. Datio partis. *Florentin. ibid.* 34. 4. 11. Datio aut ademptio legati. *Marcell. ibid.* 46. 3. 68. dationem pro solutione dixit.

II.) Translate est jus alienandi, *h. e.* suum cui quis velit vendendi, permutandi, testamento relinquendi, etc. *Liv.* 39. 19. Uti Feceniæ Hispalæ datio, deminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset.

DĀTĪVUS, a, um, adject. qui datur, vel assignatur. ¶ 1. *Tutores* alii sunt *dativi*, seu testamentarii, alii *optivi*, alii vero *legitimi*. *Cajus* 1. *Institut.* (edente iterum *Goeschenio*) 149. Vocantur hi, qui nominatim testamento tutores dantur, dativi. Rectissime autem tutor sic dari potest: Lucium Titium liberis meis, vel uxori meæ tutorem do. *Id. ibid.* 150. In persona autem uxoris recepta est tutoris optio, id est, ut liceat ei, quem velit ipsa, tutorem sibi optare, hoc modo: Titiæ uxori meæ tutoris optionem do: hinc qui ex optione sumuntur, optivi tutores vocantur. *Id. ibid.* 155. Quibus testamento quidem tutor datus non sit, iis ex lege XII. Tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi. *Imp.* tamen *Justinian. Cod.* 1. 3. 52. aperte distinguit testamentariam tutelam a legitima, et dativa. Prior nempe est quæ testamento, secunda quæ lege, tertia quæ a judice datur: quod confirmat *ibid.* 5. 30. 5. ¶ 2. Apud Grammaticos *dativus casus* est tertius, verbis dandi inserviens. *Quintil.* 1. 7. 18. et 7. 9. 13.; et *Gell.* 4. 16., *Priscianus*, *Diomed.* etc.; et *dativus* absolute apud *Quintil.* 1. 4. 26. aliosque Grammaticos passim. Quare et *dandi casus* appellatur a *Varron.* 8. *L. L.* 36. et 10. *ibid.* 21. *Müll.*; et *Nigid.* apud *Gell.* 13. 25. — De cogn. Rom. *V.* ONOM.

DĀTO, as, āvi, are, *frequentat.* a do. *Cato* apud *Fronton. ad Antonin. Imp.* 1. *Ep.* 2. *extr.* (edente iterum *A. Majo*). Numquam ego invectionem datavi, quo amicis meis per symbolos pecunias magnas eaperent. *Plaut. Most.* 3. 1. 73. Tu solus, credo, fenore argentum datas. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 23. (58). Themison (*medicus*) binas non amplius drachmas (*hellebori*) datavit: sequentes et quaternas dedere. *h. e.* dare consuevit. Quidam MS. habet *dedit. Sidon.* 5. *Ep.* 13. Cum tributum annuum datavere. — Obscenum quid latet in illo *Plauti Aulul.* 4. 4. 10. EV. Pone. ST. Equidem pol: te datare, credo, consuetum senex. *V.* DATATIM.

DĀTOR, ōris, m. 3. qui dat. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Truc.* 2. 1. 33. Semper datores novos oportet quærere, qui de thesauris integris demunt, dannnt. *Id. ibid.* 2. 7. 18. Nusquam apparet neque datori, neque acceptrici. *Id. fragm.* apud *Priscian.* 3. *p.* 616. *Putsch.* Datores bellissimi negotioli soletis esse. *Virg.* 1. *Æn.* 738. Adsit lætitiæ Bacchus dator et bona Juno. ¶ 2. Speciatim in ludo pilæ *dator* est, qui pilam ludentibus subministrat: sicut *factor*, qui pilam ferit, et ipsum lusus certamen facit: unde *factiones* dictæ de partibus ludentium. *Plaut. Curc.* 2. 3. 17. Tum isti qui ludunt datatim, servi scurrarum in via, Et datores et factores omnes subdam sub solum. De hoc *Petron. Satyr.* 27. Non eam (*pilam*) amplius repetebat, quæ terram contigerat, sed follem plenum habebat servus, sufficiebatque ludentibus.

DĀTUS, a, um. *V.* DO.

DĀTUS, us, m. 4. datio. In sexto casu singulari *Plaut. Trin.* 5. 2. 15. Is mille numum se aureum meo datu tibi ferre ajebat. *Vulgat. Interpr. Eccli.* 20. 14. Datus fatui non erit utilis tibi.

DAUCUM et daucon, i, n. 2. δαῦκον, herba est e genere pastinacarum, et ipsa plurium generum, sed probatissima Cretica, cujus meminit etiam *Celsus* 5. 23. *n.* 3., feniculi similitudine, candidioribus foliis et minoribus hirsutisque, caule pedali recto, radice suavissimi gustus et odoris, semine milii albo, acri, odorato, ut *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 27. (89). et 25. *ibid.* 9. 64. (110). describit. *Id.* 25. *ibid.* 11. 84. (134). Daucum medetur capitis dolori. *Id.* 26. *ibid.* 7. 25. (41). Cruditates digerunt daucum, vettonicæ farina, plantago decocta. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 350.) hæc ait: « Il n'est pas facile d'arriver à la détermination rigoureuse de ces divers *daucus*, les renseignements donnés étant incomplets. Néanmoins, on peut hasarder le synonymies suivantes, limitées aux trois espèces de Dioscoride, le texte de Pline manquant de clarté et de précision dans la désignation des autres espèces: — I. Δαῦκος Hippocr. in loc. var. et Theophr. Hist. plant. 9. 18.; Δαῦκος κρητικός Dioscor. 3. 83. et Nicand. de Ther. 94. 858. et 939., Alexiph. 199.: Δαῦκος κρητικὴ Sch. Nicand. in Ther. p. 10.; *Daucus creticus* et *achaicus* Plin. 25. l. c.; et *Daucus*, *Daucum* et *Daucium* Latinor. sunt *Daucus creticus* Fuchs. Hist. plant. 231., *Athamantha annua?* L. Spec. plant. 353. — II. Δαῦκος ἕτερος Dioscor. l. c. et *Dauci genus* Plin. l. c. sunt *Laserpitium silaifolium* Murr. teste Spreng. Hist. rei herb. 165., *Athamantha Cervaria* L. Spec. plant. 352. — III. Δαῦκος τρίτος Dioscor. l. c. et *Daucus foliis coriandri* Plin. l. c. sunt *Seseli ammoides* L. Spec. plant. 373. »

DAUTĬA pro *lautia*, quæ scil. dantur legatis hospitii gratia, *Paul. Diac. p.* 68. 10. *Müll.* olim dictum fuisse tradit. Quod quidam durant esse a Græco δῶτια, ut inde *dautia*, post *lautia* factum fuerit. Ceterum *V.* litt. D.

DE

DE, præpositio Ablativo serviens. Quod ad collocationem attinet — *a*) Fere præponitur suo nomini; sed — *b*) Sæpe interseritur eleganter inter adjectivum et substantivum. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 88. Media de nocte. *Cic.* 1. *Orat.* 41. 186. Certis de causis. — *c*) Postponitur etiam relativo. *Ter. Andr.* 1. 2. 13. Qua de re. *Cic.* 1. *Phil.* 5. 12. Quorum de honore agitur. *Id.* 3. *Orat.* 26. 103. Qua de parte. *Id.* 1. *Invent.* 28. 41. Quod simile erit negotio, quo de agitur. *Id.* 4. *Verr.* 12. 31. Fundus, quo de agitur. Adde *eumd.* 2. *Invent.* 11. 37. et 23. 70. *Massur.* tamen *Sabin.* apud *Gell.* 5. 13. *de qua causa* dixit pro *qua de causa.* — *d*) Conjungitur et cum encliticis *que* et *ve. Nepos Lysandr.* 4. Quum - in

bello multa crudeliter avareque fecisset, deque his rebus suspicaretur ad elves suos esse perlatum, etc. Adde eumd. Datam. 11.; et Sueton. Cæs. 11. et Claud. 43. Cajus 1. Institut. § 13. Quibusve stigmata inscripta sint, deve quibus ob noxam quæstio tormentis habita sit, etc. — Ceterum præpositio ablativa de significat separationem, divisionem, abitionem quæ fit a loco aliquo, ac præcipue quæ fit a loco superiore in inferiorem, hoc est deorsum: et usurpatur *A)* De loco; *B)* De tempore; *C)* De aliis rationibus, quæ divisionem atque abitionem significant.

A) De loco usurpatur, et sæpe valet idem, quod *ex*, nisi quod præpositio de motum significat a loco superiore.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, et quidem stricto sensu de loco. Plaut. Cas. 5. 2. 50. Decido de lecto præceps. Ter. Heaut. 4. 1. 38. De digito anulum detraho. Lucret. 2. 1151. Haud, ut opinor, enim mortalia sæcla superne Aurea de cælo demisit funis in arva. Id. 3. 221. Aut aliquo quum jam succus de corpore cessit. Cato R. R. 14. Si de cælo villa tacta siet. Cic. 1. Divinat. 42. 93. Propter aeris crassitudinem, de cælo apud eos multa fiebant. Id. Rabir. perduell. 1. 2. De vita decedere. Id. Amic. 3. 12. et 2. Phil. 5. 12. excedere. Id. Amic. 4. 15. exire. Id. Rosc. Am. 52. 151. De manibus alicujus effugere. Id. 2. Cat. 1. 2. Ferrum de manibus extorquere. Id. Sext. 33. 72. Nomen de tabulis tollere. Cæs. 1. B. C. 18. De muro se dejicere. Cf. Sueton. Cæs. 9. Togam de humero dejicere. Sall. Cat. 61. De castris procedere. Nepos Pausan. 5. De templo efferri. Curt. 8. 1. 51. De convivio exire. Horat. Epod. 2. 55. De ramis olivam legere. Id. 1. Od. 31. 2. De patera liquorem fundere. Adde eumd. Art. P. 257., 2. Od. 7. 23. et 1. Sat. 1. 55. Sueton. Tib. 31. De manu reddere strenam. Forcellinus addit etiam illud Lucilii apud Non. p. 528. 9. Merc. Solus jam vim de classe prohibuit Vulcaniam. At varia potest esse hujusce loci interpretatio. ¶ 2. Latiori sensu ponitur et de personis, ac jungitur Verbis, quæ significant ab aliqua persona aliquid exigere ac sibi acquirere, cujusmodi sunt emere, interrogare, audire, discere, etc. Nepos Eumen. 12. De aliquo supplicium sumere. Cato R. R. 1. Emere de domino bono colono. Cic. Flacc. 20. 46. Fundum mercatus est de pupillo Meculonio. Id. 3. Verr. 50. 130. Ædem tuendam habere de L. Sulla, Q. Metello consulibus. Id. 1. Att. 14. Messala de Pompejo quæsivit, quid de religione sentiret. Adde Horat. 2. Sat. 8. 81. Rursus Cic. 4. Verr. 24. 59. Petere aliquid de aliquo. Ita Cod. Vatican.: cf. Dig. 13. 6. 5. Cic. 1. Att. 11. Verum hæc audies de Philadelpho. Adde eumd. 5. Verr. 33. 133. (*Audire de aliquo* et *audire ab aliquo* in eo differunt, quod *de aliquo* audiuntur, quæ casu ad aures nostras pervenerunt, *ab aliquo* vero quæ de industria nobis dicuntur. Cic. 5. Verr. 57. 130. Non hoc nunc primum audit privatus de inimico, reus ab accusatore. V. Zumpt. ad h. l.). Ter. Eun. 2. 2. 31. Discere de aliquo. Epit. Livii 51. Uxor de marito impetrare non potuerat, ut etc. ¶ 3. Hinc ponitur etiam de iis, quæ a loco aliquo exeunt. Sueton. Ner. 46. De Mausoleo exaudire vocem. — Sæpius vero significat, unde sive a quo loco quis sit. Ennius apud Cic. 1. Divinat. 58. 132. Non de Circo astrologos. Cic. Orat. 15. 47. Non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro quærimus. Id. Cluent. 59. 163. A. Binnius caupo de via Latina. Adde Tibull. 1. 1. 15. Sueton. Aug. 98. Nautæ de navi. Adde eumd. Ner. 37. Juvenal. 14. 131. Aliquis de ponte.

II.) Translate. ¶ 1. Præpositio de usurpatur ad significandam originem, gentem, genus. Plaut. Capt. prol. 30. De summo genere captum esse equitem. Adde eumd. Pœn. 3. 1. 13. Virg. 9. Æn. 284. genetrix Priami de gente vetusta Est mihi. Ovid. 2. Met. 555. Virginibusque tribus gemino de Cecrope natis Hanc legem dederat. Adde eumd. 2. ibid. 469. et 8. ibid. 722.; et Stat. 5. Silv. 3. 126. Sic Sueton. Aug. 17. Liberi de Cleopatra. — Hinc etiam de nominis origine ponitur pro *ab*. Ovid. 1. Met. 446. Instituit sacros celebri certamine ludos, Pythia de domitæ serpentis nomine dictos. Id. 13. ibid. 648. quem dicta suo de nomine tellus Andros habet. ¶ 2. Item usurpatur de scriptis operibus, quorum loci citantur. Cic. 1. Orat. 59. 252. Juris utilitas, ad quamque causam quamvis repente vel a peritis, vel de libris depromi potest. Id. 3. Off. 21. 82. In ore semper Græcos versus de Phœnissis habere. Sic Id. 5. Verr. 53. Recita de epistola reliqua. Quintil. 6. 3. 86. Versus dicere de libro Ennii annali sexto. ¶ 3. Item significat, a qua parte aliquid fit, præcipue quum deorsum fit. Plaut. Asin. 2. 2. 10. De tergo ducentas plagas dabo. Cf. Justin. 20. 5. Magnoque usui ei futuram vel in acie bellanti, vel de tergo intentis in prælium hostibus affirmant. Ter. Andr. 3. 2. 11. Illis, quæ sunt intus, clamat de via. Cic. 7. Verr. 7. 16. Quem – ad se vocari, et de tribunali citari jussit. Id. 6. ibid. 40. 85. Hæc agebantur in conventu palam, de sella et loco superiore. Lucan. 3. 610. Ausus Romanæ Graja de puppe carinæ Injectare manum. Ovid. 2. Fast. 760. Deque viri collo dulce pependit onus. Sic Petron. Satyr. 30. De camera lucerna pendebat. Et Seneca Provid. 2. De genu pugnare. h. e. flexis genibus. — Hinc apud sequioris ævi Jurisconsultos *de plano cognoscere*, *interloqui* etc., ut in Dig. 1. 4. 1., 1. 16. 9. et 27. 1. 13.

B) Refertur etiam ad tempus: qua ratione vel pro *post*, vel pro *in*, aut *per* adhibetur. Plaut. Most. 3. 2. 8. Non bonus somnus est de prandio. h. e. statim post prandium. Cf. Virg. 2. Æn. 662. Jamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus. h. e. post cædem Priami et Politæ filii. Liv. 5. 48. Diem de die prospectans, ecquod auxilium ab dictatore appareret. Adde eumd. 25. 25. et Justin. 2. 15. — Hinc generatim. Ter. Adelph. 5. 3. 55. et Horat. 11. Ep. 2. 32. surgunt de nocte latrones. Adde Cic. Mil. 9. 22.; Sueton. Vesp. 21. et Aug. 97.; et Frontin. 4. Strateg. 3. 7. Cic. 2. ad Q. fr. 15. 2. Viatores, si serius quam voluerunt, forte surrexerint, properando etiam citius quam si de multa nocte vigilassent, perveniunt, quo volunt. h. e. multo ante solis ortum. Adde eumd. Sest. 35. 75. et Plaut. Pseud. 4. 2. 10. Cæs. 7. B. G. 88. De media nocte missus equitatus novissimum agmen consequitur. h. e. post mediam noctem. Adde Horat. 1. Ep. 8. 91. et 2. Sat. 3. 238.; Plaut. Rud. 4. 2.; Juvenal. 14. 190. et Sueton. Cal. 26. Cæs. 2. B. C. 35. extr. De tertia vigilia silentio exercitum reducit. h. e. transacta tertia vigilia. Adde eumd. 1. B. G. 12. et Liv. 9. 44. Catull. 47. 5. Vos convivia lauta sumptuose De die facitis. h. e. mature et multo ante noctem, quum mos esset sero tantum cœnare. Sic Plaut. Asin. 4. 2. 16. De die potare. Ter. Adelph. 5. 9. 8. Apparare de die convivium. Donatus tamen aliter interpretatur. Liv. 23. 8. Epulari de die. Sueton. Domit. 21. Lavabat de die prandebatque ad satietatem. h. e. orto jam die, mane, mature, quum alioquin mos esset circa octavam aut nonam horam balneo uti. Et Horat. 2. Sat. 8. 3. De medio potare die. Id. 1. Ep. 14. 31. media de luce. — Et figurate Cic. 2. Phil. 34. 87. Cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem vivere. h. e. publice; quia supra dixerat, non modo urbem odisse, sed etiam lucem. — Huc pertinent et illa Cic. 2. ad Q. fr. 1. 3. Fac, si me amas, ut considerate diligenterque naviges de mense Decembri. Auct. B. Hisp. 33. Ipse de tempore cœnavit. h. e. in tempore. Rursus Cic. Sull. 21. 69. Etenim de principio studuit animus occurrere magnitudini criminis; nunc etc. h. e. ab initio vel sub initium. Sic legit Orell.; al. *a principio*.

C) De aliis rationibus, quæ divisionem atque abitionem significant: scilicet ¶ 1. Præpositio de ponitur de summa, cujus pars aliqua demitur, ac præcipue si de numeris agitur. Cic. Mil. 24. 65. Ab uno de illis gladio se percussum esse. Id. Rosc. Am. 35. 99. De tribus et decem fundis tres nobilissimos fundos eum video possidere. Id. 16. Fam. 1. extr. De tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratissimum. Cf. Id. Opt. gen. Orat. 4. 9. Habeatur sane orator, sed de minoribus. Id. Brut. 34. 131. Accusator de plebe L. Cæsulenus fuit. Sueton. Cæs. 41. De cetero numero candidatorum. Nepos Datam. 8. De exercitu non amplius mille cecidit. Horat. 1. Od. 1. 20. De solido die partem demere. Cf. Liv. 7. 17.; et adde Sueton. Aug. 101. et Domit. 13.; et Horat. Epod. 13. 4., 3. Od. 11. 38., 2. Ep. 2. 212., 1. ibid. 4. 16. et 16. 55., et 2. Sat. 6. 104. Varro 1. R. R. 38. 2. Stercus optimum esse volucrium: de his præstare columbinum. — Hinc factum est, ut nonnumquam *de* cum Ablativo posita fuerit pro Genitivo: ad rem Cic. 3. Verr. 12. 32. Date hoc et concedite pudori meo, ut partem aliquam de istius impudentia reticere possim. *ubi* tamen *de* cum Ablat. etiam a verbo *reticere* postulatur. Sueton. Aug. 17. Major de duobus. Nepos Themist. 4. De servis fidelissimam. Vopisc. Firm. 3. Tantum habuisse de chartis. Adde Grat. Cyneg. 17.; Sueton. Tib. 54.; Nepot. Trasyb. 2. et Ages. 6.; et Vulcat. Gall. Cass. Avit. 5. ¶ 2. Ponitur etiam de pecunia vel re, nostra, aliena aut publica, qua aliquid fit, seu quæ ex nostro, alieno aut publico thesauro demitur vel exsolvitur. Plaut. Bacch. 1. 1. 65. Et operam dare mihi, et ad eam operam facere sumptum de tuo. Ter. Adelph. 1. 2. 37. Obsonat, potat, olet unguenta? de meo. Cic. ad Planc. post. ep. 16. l. 16. ad Att. A. 5. Atticus pecuniam numeravit de suo. Sic Sueton. Cæs. 19. de suo. Liv. 6. 15. de vestro. Justin. 36. 3. extr. de alieno. Cic. 4. Verr. 46. 113. Nihil ex sacro, nihil de publico attingeres. Sic Liv. 2. 16. et 4. 59.; et Cic. 5. Verr. 44. 105. de publico. Adde Plaut. Truc. 1. 2. 11.; et Sueton. Cæs. 26. et Tib. 20. — Hinc passim in Inscriptt. apud Orell. 4416. D. P. h. e. de peculio, vel de proprio. et n. 767. D. P. P. h. e. de pecunia publica. et n. 66., 3822., etc. D. P. S. h. e. de pecunia sua. et n. 143. D. S. h. e. de suo. Sic n. 291., 1333., 4019, etc. D. S. D. h. e. de suo dedit. et n. 22. D. S. EX V. P. h. e. de suo ex voto posuerunt. etc., etc. — Et figurate Plaut. Mil. glor. 3. 3. 31. At tua præcepta: de meo nihil his novum apposivi. — Hinc etiam Ovid. 2. Pont. 5. 73. Pro quibus ut maneat, de quo censeris, amicus etc. h. e. quem modo possides, qui nunc tuus est et velut pars quædam census tui, sive earum rerum, de quibus censeris. Sic Id. 3. ibid. 1. 75. Hoc domui debes, de qua censeris, ut illam Non magis officiis, quam probitate, colas. h. e. familiæ, de qua numeraris in censu, seu familiæ tuæ. ¶ 3. Usurpatur et ad significandam rem seu materiam, ex qua aliquid efficitur, aut constat: et quidem — 1.°) Proprie. Lucret. 2. 789. ex albis (*coloribus*) quoniam non alba creantur; Nec quæ nigra cluent, de nigris; sed variis de. Id. 1. 413. Usque adeo largos haustus de fontibu' magnis – fundet. Cic. 5. Phil. 7. 18. De templo carcerem fieri. Ovid. 14. Met. 313. Illa mihi niveo factum de marmore signum Ostendit. Adde eumd. 5. ibid. 183. Cf. Id. 1. ibid. 127. De duro est ultima (*ætas*) ferro. Curius apud Cic. 7. Fam. 29. Duo parietes de eadem fidelia dealbare. V. FIDELIA. Plin. 26. Hist. nat. 4. 11. (23). Succus de quinquefolio. Scribon. Compos. 245. Cinis de filice facta. Id. ibid. 16. De calvaria defuncti terna cochlearia sumere per dies. Adde Flor. 2. 6.; Justin. 7. 2.; et Pallad. 1. R. R. 35. 3. — 2.°) Hinc translate significat rem seu materiam, de qua in scriptis vel in sermonibus agitur, et pro *circa*, *super* adhibetur. — *a)* Cum addito Verbo. Cic. Amic. 1. 3. Sermonem de amicitia habere cum aliquo. Id. ibid. 1. 4. Scribere librum ad aliquem de senectute. Id. Fat. 1. Libri qui sunt de natura deorum. Sic Id. 2. Divinat. 1. 2. Primus enim (*liber*) est de contemnenda morte. et Id. 7. Att. 2. sub fin. Uni epistolæ non rescripsi, in qua est de periculis reipublicæ. Plin. 4. Ep. 7. extr. Credas non de puero scriptum, sed a puero. Quintil. 2. 13. 11. De his plenius tractavimus. Horat. 1. Ep. 18. 68. Dicere de aliquo. Id. 1. Sat. 10. 55. De se loqui. Sic De re aliqua dicere, agere, referre, statuere, disputare etc. passim apud Cic. Adde Horat. 1. Sat. 1. 69., 2. Ep. 2. 191., 2. Ep. 1. 245., 4. Od. 7. 21. et 2. ibid. 13. 25.; Quintil. 7. 4. 33., 12. 2. 5., 7. 3. 6., 12. 10. 1. et 8. 6. 35.; Sueton. Cæs. 6., 9., 23. et 35., et Aug. 51. et 55.; Nepot. Cat. 3. et Timol. 4.; Liv. 38. 54.; Sall. Cat. 30., Jug. 13., 27. et alibi. — *b)* Jungitur etiam Substantivis, præcipue quum in ipsis verbalis aliqua inest vis. Cic. Fat. 1. 1. Disputatio de fato. Id. 2. Orat. 31. 134. Quæstio de re aliqua. Id. Quinct. 11. 39. Mentio de pecunia. Id. Mil. 35. 98. Fama de illo. Id. 1. Nat. D. 13. 33. Aristoteles in tertio de philosophia libro. Id. 1. Tusc. 22. 53. In sexto libro de republica. Id. 5. ibid. 11. 52. Quia legi tuum nuper quartum de finibus. Id. 5. Fin. 5. 12. Theophrasti de vita beata liber. Id. 16. Att. 37. Librum tibi celeriter mittam de gloria. Sic Id. 1. Divinat. 27. 56. Somnium de Simonide. subaudi commemoratur *ex præcedentibus*. ¶ 4. Aliquando causam designat, quam motricem vocant, et adhibetur pro *causa*, vel *propter*: immo jungitur et ipsi nomini *causa*, ut apud Cic. 7. Att. 7. 3. Et, quod scribis in urbem introisse, vereor quid sit; nam id nisi gravi

de causa non fecisset. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 41. 186.; et *Quintil.* 1. 6. 86. *Plaut. Cas.* 2. 6. 62. Peril! cor lienosum opinor habeo; jam dudum salit; de labore pectus tundit. *Ter. Eun.* 3. 2. 3. Ecquid nos amas de fidicina istac? *Cic. Dom.* 18. 47. Collegia – tribunorum plebis tota reperientur, – quæ coeant de hominum locupletissimorum bonis, etc. *Id.* 3. *Verr.* 30. 76. Flebat uterque non de suo supplicio, sed pater de filii morte, de patris filius. *Ovid.* 10. *Met.* 49. et incessit passu de vulnere tardo. Sic *Val. Flacc.* 6. 65. Achæmeniæ gravior de vulnere pugnæ. *Curt.* 10. 5. Non de regno, sed de rege fundare sanguinem. Adde *Tac.* 1. *Hist.* 34. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 28. Missi magnis de rebus. *Cic.* 1. *Off.* 13. 39. Regulus de captivis commutandis Romam missus. *Id.* 10. *Att.* 3. Legati de pace. — Hinc de ponitur etiam pro *secundum, juxta. Plaut. Bacch.* 4. 9. 115. De mea sententia. *Cic.* 7. *Verr.* 51. 135. et *Sueton. Tib.* 18. De consilii sententia. *Sueton. Claud.* 11. De sententia judicum. *Id. Tib.* 35. De communi sententia. *Ter. Phorm.* 3. 1. 17. De consilio. *Plaut. Most.* 3. 2. 86., et *Vopisc. Aurel.* 39. De exemplo. *Virg.* 11. *Æn.* 142.; *Ovid.* 12. *Met.* 11.; et *Sueton. Claud.* 42. et *Galb.* 18. De more. *Sueton. Tit.* 5. De more rituque. *Id. Claud.* 29. et 33. et *Galb.* 19.; *Quintil.* 9. 4. 144. et *Liv.* 8. 36. De industria. ¶ 5. *De* adhibetur etiam pro *quod attinet ad, ratione habita* alicujus personæ aut rei. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 121. De istac re in oculum utrumvis conquiescito. *Id. Merc.* 3. 1. 22. De lanificio neminem metuo. *Ter. Adelph.* 2. 1. 50. De argento somnium. *h. e.* quantum ad argentum spectat, procrastinatione et mora evanescet instar somnii. *Varro* 1. *R. R.* 59. 1. De pomis, conditiva mala struthea, cotonea, etc. – hæc omnia in loco arido et frigido supra paleas posita servari recte putant. *Propert.* 2. 14. 33. De me, mi certe poteris formosa videri. *Cic.* 3. *Fam.* 12. 2. De me autem, suscipe paullisper meas partes, et cum te esse finge, qui sum ego. *h. e.* quod ad me attinet. *Id. Sext.* 33. 72. Quæ etiam collegæ ejus moderatio de me. *Id.* 2. *Fam.* 17. De rationibus referendis, non erit incommodum te nullam referre. Similiter *Id. Mur.* 3. 5. Legem de ambitu ferre. et *Quinct.* 9. 33. Judicium est non de re pecuniaria, sed de fama fortunisque Quinctii. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 36.; *Sueton. Cæs.* 10. et 35.; *Liv.* 6. 42. et *Ter. Hecyr.* 2. 1. 36. Similiter *Quintil.* 10. 7. 24. Paullulum de celeritate deperdere. *Nepos Att.* 14. De quotidiano cultu mutare. Adde *eumd. Epam.* 3. et *Ages.* 7. *Sall. Cat.* 35. Conscientia de culpa. Cf. *Cic.* 2. *Att.* 24. 4. Se audisse a Curione his de rebus conscium esse Pisonem. Adde *eumd.* 13. *Fam.* 21. *a med.* — *NB.* Præpositio de cum Adjectivis ponitur pro Adverbiis. *Lucret.* 1. 412. De plano promittere. *Ter. Heaut.* 4. 2. 7.; *Cic.* 12. *Fam.* 30. 2. et 4. *Verr.* 56. 139.; *Liv.* 21. 6.; et *Quintil.* 2. 4. 13. de integro. *Liv.* 29. 35. de novo. *V.* et DENUO. *Ter. Andr.* 2. 2. 23., *Adelph.* 4. 4. 1. et *Phorm.* 5. 6. 41.; *Cæs.* 2. *B. G.* 3. et 5. *ibid.* 22.; *Cic. Rosc. Am.* 52. 151.; *Sall. Jug.* 38.; et *Liv.* 6. 33. de improviso. *Cic.* 15. *Att.* 4. *sub fin.* de transverso. *V.* autem singula hæc et similia suis locis.

In compositione præpositio de — *a*) Vim habet augendi et est idem ac *valde*, sive significat actionem ad extrema usque fieri (*V. Kritz* ad *Sall. Jug.* 5. et *Cat.* 35. et 45.), quemadmodum in v. *desævire* apud *Horat.* 1. *Ep.* 3. 14., *debacchari* apud *eumd.* 3. *Od.* 3. 55., *debellare* apud *eumd.* 1. *ibid.* 18. 9., *decertare* apud *eumd.* 1. *ibid.* 3. 13., et similiter in v. *demirari, defatigare*, etc. — *b*) Interdum simplicium verborum significationem demit vel aufert, ut in v. *decrescere, dediscere, dedocere, denasci*; vel simpliciter negat, ut in *dedecet, demens*, etc. — *c*) Sæpe separationem, remotionem motumque deorsum significat, ut in v. *decedere, demigrare, depromere, dejicere, degredi*, etc.

Homonym. In quo differant præpositiones *de, ab* et *ex*, *V.* A, AB, ABS in fin.

DĔA, æ, f. 1. *Θεά*. — In dativo plurali, ubi opus est distinctione, facit *Deabus*, at *Diis* ubi non est opus. *Cic. Rabir. perduell.* 2. 5. A diis deabusque immortalibus pacem ac veniam peto. Adde *Varron.* apud *Augustin.* 7. *Civ. Dei* 24. et 28.; et *Gell.* apud *Charis. p.* 39. *Putsch.* Contra *Varro* 3. *R. R.* 16. 17. His diis Helicona atque Olympum attribuerunt homines. *h. e.* Musis. *V.* dicta in ASINA sub init. — Ceterum dea est feminin. a Deus. *Ennius* 1. *Ann.* 31. Venus pulchra dearum. *Cic.* 3. *Nat. D.* 18. 45. Qui dea matre est, deus sit necesse est. *Ovid. Heroid.* 15. 108. novem deæ. *h. e.* Musæ. *Id.* 3. *Fast.* 833. Mille dea est operum. *Id.* 2. *Met.* 752. bellica dea. *Id.* 5. *ibid.* 300. miranti sic orsa deæ dea. *Id.* 1. *Pont.* 8. 64., 2. *Met.* 654. et 8. *ibid.* 481. deæ fatales. *h. e.* Parcæ. *Id.* 5. *Met.* 310. Thespiades deæ. *h. e.* Musæ. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 16.; *Virg.* 1. *G.* 21. et *Propert.* 3. 11. 41. Di deæque. *Varro* apud *Gell.* 2. 28. Qua vi et per quem deorum dearumve terra tremeret, incertum. Adde *Ovid.* 1. *Fast.* 236. et 224., et 3. *ibid.* 275.; *Nepot. Timol.* 2.; *Tibull.* 1. 6. 21. et 4. 6. 14.; *Senec. Octav.* 965.; et *Juvenal.* 11. 89. et 10. 366. — Dicitur et de Nymphis, *h. e.* quæ annos quidem innumeros vivere dicuntur, non tamen esse omnino immortales. *Propert.* 2. 23. 92. Atque inter pecudes accubuisse deam. *h. e.* Œnonem, quam alii vel laqueo, vel mœrore, viso cadavere Paridis, vitam finisse tradidere. — Etiam uxores a viris suis dilectæ post mortem deæ nomine insignitæ fuerunt. *Inscript.* apud *Fea, Var. di notiz. p.* 173., quæ est apud *Henzen.* 7348. DEAE SANCTAE MEAE PRIMILLAE MEDICAE, L. VIBII MELITONIS F., M. COCCEIVS APHTORVS CONJVGI OPTIMAE CASTAE ET SIBI. *Alia* apud *Fabrett. p.* 266. *n.* 106., quæ est apud *Orell.* 1647. FL. AVG. LIB. HELPIDI QVAE, CVM VIXIT, DEA ET SANCTISSIMA DICTA EST, CALLISTVS AVG. LIB. HYGINIANVS CONJVGI CARISSIMAE. Adde *aliam* apud *Orell.* 4588. — *Dea Dia* est Ceres, Θεὰ Δηοὶ, ut est apud *Suidam. Inscript.* apud *Gruter.* 120. et 121., et apud *Murat.* 312. et 340. et 341. Idem pluribus confirmat *Marin. Frat. Arv. p.* 10., quem videsis.

DĔĂCĬNĀTUS, a, um, adject. (de et acinus) a quo acini abstersi sunt. *Cato R. R.* 26. *Schneid.* Si bene deacinata erunt dolia.

DĔACTĬO, peractio. *Paul. Diac. p.* 74. 11. *Müll.* Nam *de* aliquando auget.

DĔALBĀTOR, ōris, m. 3. qui dealbat. *Imp. Constant. Cod.* 10. 64. 1. Carpentarii, sculptores, dealbatores, cusores, etc. *ubi* videntur intelligi qui gypsum inducunt, quoniam ii, qui albarium opus parietibus illinunt, supra nominantur, et *albini* dicuntur.

DĔALBĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔALBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et albo). Part. *Dealbatus* etiam in fin. — Dealbo est album facio. *Cic.* 3. *Verr.* 55. 145. Omnes illæ columnæ, quas dealbatas videtis. *Vitruv.* 7. 4. 3. *Schneid.* Tum tegulæ calce ex aqua liquida dealbentur. Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 24. 1.; et *Sueton. Galb.* 9. *Inscript.* optimæ notæ apud *Gruter.* 207. *col.* 2. LITA POLITAQVE, ET CALCE VDA DEALBATA RECTE FACITO. *Curius* apud *Cic.* 7. *Fam.* 29. Dealbare parietes. *V.* FIDELIA. — Hinc Part. præter. pass.

Dealbatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Dealbatior* translate occurrit apud *Augustin.* 7. *Confess.* 6. Dealbatiores vias sæculi cursitabat.

DĔĂMĀTUS, a, um. *V.* DEAMO.

DĔAMBŬLĀCRUM, i, n. 2. locus ad deambulandum. *Mamertin. Grat. act. ad Julian.* 9. Fora, deambulacra, gymnasia lætis populis frequentari.

DĔAMBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus deambulandi. *Ter. Heaut.* 4. 6. 2. Hæc deambulatio me ad languorem dedit.

DĔAMBŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. aptus ad deambulandum. Hinc

Deambulatorium, ĭi, n. 2. absolute, substantivorum more, est idem quod deambulacrum. *Capitolin. Gordian. III.* 32. Medium vero lithostrotum, quod esset deambulatorium, etc. *V.* CHALCIDICUM.

DĔAMBŬLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (de et ambulo). Part. *Deambulans.* — Deambulo est sursum prorsum ambulo, ut fit valetudinis, aut animi causa; ambulo ad lassitudinem usque. — *a*) Activa forma. *Cato R. R.* 127. Ægrotus saliat decies et deambulet. Adde *eumd. ibid.* 156. et apud *Cic.* 2. *Orat.* 63. 256. *Ter. Heaut.* 3. 3. 26. Abi deambulatum. — *b*) Passive impersonaliter. *Cic.* 1. *Legg.* 4. 14. Cum satis erit deambulatum, requiescemus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 2. 1. et 1. *ibid.* 14. 4.; et *Cels.* 1. 3. — *c*) Apud sequioris ævi scriptores ponitur pro ire. *Sueton. Aug.* 83. Mox nihil aliud quam vectabatur, et deambulabat. et *ibid.* 96. Deambulans in littore.

DĔĂMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et amo). Part. *Deamatus* 2. — Deamare ¶ 1. De personis occurrit, et est vehementius amare, ut *Non. p.* 97. 21. *Merc.* exponit. *Afranius* apud *eumd. ibid.* Qui de te, et de illa, pessume quam deamas, promerere. *Plaut. Epid.* 2. 2. 35. Cum illa, quam tuus gnatus annos multos deamat, deperit. — Occurrit etiam ad gratias agendas apud *Ter. Heaut.* 4. 6. 21. Deamo te, Syre. ¶ 2. De rebus est gratum aliquid carumque habere. *Plaut. Truc.* 4. 1. 5. Mea dona deamata acceptaque habita esse apud Phronesium. *Id. Pœn.* 5. 4. 3. Deamavi ecastor illic ego hodie lepidissima munera meretricum. *h. e.* magni æstimavi, valde mihi placuerunt.

DĔARGENTASSERE obsolet. verbum futuri infiniti modi, pro argento spoliaturum. *Lucilius* apud *Non. p.* 97. 8. *Merc.* Depeculassere aliqua sperans me, ac deargentassere. *V.* DEPECULASSERE.

DĔARGENTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔARGENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et argentum) argento inducto tego. Occurrit tantum Part. *deargentatus* apud sequioris ævi scriptores. *Hieronym.* in *Isaiam* 9. 30. 24. Nisi idola deargentata et deaurata fuerint comminuta. *Oros.* 3. 22. Deargentata arma. *Augustin. Ep.* 23. *c.* 5. Deargentata columba.

DĔARGŪMENTOR, āris, ari, dep. 1. valde argumentor. *Claudian. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 7. Super his deargumentabor.

DĔARMĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔARMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et armo). Part. *Dearmatus* 1. — Dearmare ¶ 1. De personis est exarmare, armis spoliare. *Liv.* 4. 10. Prælatis spoliis, quibus dearmatum hostium exercitum sub jugum miserat. ¶ 2. De rebus est arma detrahere. *Apul.* 5. *Met. p.* 172. Pharetram expilet, sagittas dearmet.

DĔARTŬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔARTŬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Deartuatus.* — Deartuare est per artus concidere, ut *Non. p.* 95. 17. *Merc.* interpretatur: ab *artus* pro quo *artua* in plur. num. dictum est. — Occurrit translate tantum et est fallaciis opprimere. *Plaut. Capt.* 3. 5. 13. Tuis scelestis falsidicis fallaciis delaceravisti, deartuavistique opes. *Id. ibid.* 3. 4. 108. Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus sum, miser, hujus scelesti technis.

DĔASCĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔASCĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et ascia). Part. *Deasciatus* I. — Deascio est ascia lævigo, polio, ascia abrado.

I.) Proprie. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 381. Deasciato supplicare stipiti. *Inscript.* apud *Murat.* 1203. 9. SI QVIS HOC MONVMENTVM VIOLAVERIT, AVT TITVLVM DEASCIAVERIT etc. *h. e.* ascia abradens deleverit. *Alia* apud *Henzen.* 7338. QVISQVIS HVNC TITVLVM SIVE MONVMENTVM SIIVA SEPVLCHRVM EST DEASCIAVERIT AVT VIOLAVERIT VENDIDERIT etc.

II.) Translate. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 11. Tibi dixi, miles quemadmodum potis esset deasciari. *h. e.* circumveniri, et aliquid ab eo abradi.

DĔAURĀTOR, ōris, m. 3. qui aurum alicui rei inducit. *Imp. Constantin. Cod.* 10. 64. 1. Musivarii, deauratores, albini.

DĔAURĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔAURO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et aurum). Part. *Deauratus.* — Deauro est aurum illino seu induco. *Seneca Ep.* 76. *ante med.* Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, sed etc. *Tertull. Idolol.* 8. Soccus et baxea quotidie deaurantur. *Imppp. Valentinian., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 10. 22. 1. Cassidas et bucculas et tegerent argento, et deaurarent. *Inscript.* apud *Orell.* 3173., quæ pertinet ad ann. p. Chr. n. 162. M. AVFIDIO M. F. SALVSTIANO IVRIDIC. PROV. CAMPANIAE PROCOS. PRAET. – SIGNVM DEAVRatum ET TITVL. PON. STATVER.

DĒBACCHĀTĬO, ōnis, f. 3. immanis bacchatio. *Salvian.* 7. *Gubern. D.* 4. Fervidæ libidinis debacchatione grassantes.

DĒBACCHO, as, are, n. 1. idem quod debacchor. *Venant. Fortun.* 1. *præfat.* Salute bibentes insana, Baccho judice, debaccharent.

DĒBACCHOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Debacchatus* et *Debacchaturus* sub 1. — Debacchor est valde bacchor, furo, sævio. ¶ 1. Stricto sensu de hominibus. *Ter. Adelph.* 2. 1. 30. Si satis

jam debacchatus es, leno, audi, si vis nunc jam. SA. Egon' debacchatus sum autem, an tu in me? *Hieronym.* in *Isajam* 11. 37. 26. Insaniam cognovi, qua contra me debacchaturus eras. *Porc. Latron.* in *Catil.* 11. Quid hanc desperatorum colluviem, jejunam ac sitientem facultatum nostrarum, quo impetu quave strage esse creditis debacchaturam, si etc. ¶ 2. Latiori sensu ac poetice de rebus. *Horat.* 3. *Od.* 3. 55. Qua parte debacchentur ignes, Qua nebulæ pluviique rores. *h. e.* in zona torrida, et frigida.

DĒBĂTŪO, is, ere, a. 1. (de et batuo) idem quod batuo, verbero. *Petron. fragm. Tragur.* 69. *Burmann.* Ut ego sic solebam ipsum Ammeam debatuere. *Hic* tamen obsceni aliquid intelligitur. *V.* BATUO.

DĒBELLĀTOR, ōris, m. 3. qui debellat, domitor. *Virg.* 7. *Æn.* 651. Lausus equum domitor, debellatorque ferarum. *Stat.* 9. *Theb.* 544. formidabilis ultor Tydeos infandi debellatorque cruenti Gurgitis. *Tertull. Apolog.* 5. Aliquis debellator Christianorum. *et mox.* Vespasianus Judæorum debellator.

DĒBELLĀTRIX, icis, f. 3. quæ vincit et debellat.

I.) Proprie. *Tertull. Apolog.* 25. Græcia Phrygiæ debellatrix.

II.) Improprie. *Lactant.* 1. 9. Libido pudoris et famæ debellatrix. *Cassiod.* 10. *Variar.* 29. *a med.* Contra illam humani generis debellatricem (*podagram*) data sunt opportuna munimina lavacrorum.

DĒBELLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒBELLO, as, āvi, ātum, are, 1. (de et bello). Part. *Debellatus*, *Debellandus* et *Debellaturus* sub *B.* I. 1. — Debellare est *A*) Verbum intransitivum et *B*) Transitivum.

A) Debellare, neutrorum more, est pugnando vincendoque bellum finire; et occurrit — *a*) Activa forma. *Liv.* 9. 16. Aulius cum Ferentinis debellavit. *Epit. Liv.* 33. T. Quintius cum Philippo ad Cynoscephalas in Thessalia acie victo debellavit. — *b*) Sæpius passive impersonaliter. *Liv.* 4. 58. Nondum debellatum esse. *Id.* 7. 28. Prima acie debellatum est. *Id.* 8. 36. Debellari eo die cum Samnitibus potuisse, pro haud dubio habitum est. Adde *eumd.* 2. 26., 3. 70., 26. 37., 33. 20. et 40. 50. *Vellej.* 2. 84. Debellatum apud Actium. *Tac. Agric.* 26. Debellatum foret. Adde *eumd.* 3. *Hist.* 19. Sic *Flor.* 3. 5. Et debellatum foret, nisi de Mithridate triumphare cito, quam vere maluisset. — *c*) Hinc Ablativus *debellato*, eleganter absolute ponitur. *Liv.* 30. 8. Velut debellato jam, quod ad Syphacem attineret. *h. e.* velut jam debellatum esset. Adde *eumd.* 29. 32. et 26. 21.

B) Apud Poetas et apud sequioris ævi scriptores occurrit etiam cum Accusativo; et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Est ad finem usque pugnare. *Horat.* 1. 18. 8. Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero Debellata. *Forcellinus* h. l. accipit pro simpliciter pugnare: at præpos. *de* verbo vim addit. ¶ 2. Item bello non solum vincere, sed omnino domare. *Virg.* 6. *Æn.* 853. Parcere subjectis et debellare superbos. *Id.* 5. *ibid.* 730. gens dura atque aspera cultu Debellanda tibi Latio est. *Ovid.* 4. *Met.* 604. India debellata. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 13. 16. (41). Arbelitis, ubi Darium Alexander debellavit. *Tac. Agric.* 34. Debellare hostem. *Sueton. Ner.* 43. Gallias. *Id. Tib.* 17. Illyricum debellatum. *Curt.* 7. 4. Bessus debellaturus super mensam Alexandrum. Cf. *Stat.* 9. *Theb.* 189. Maura diu populatum rura leonem Pastorum lassæ debellavere cohortes. *Claudian.* IV. *Cons. Honor.* 634. Tyrannus debellatus.

II.) Improprie. *Curt.* 9. 2. 15. Olim fugissemus ex Asia, si nos fabulæ debellare potuissent. *Id.* 3. 5. 6. Debellari fame atque inopia. Adde *eumd.* 4. 9. 8. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 47. (99). Debellat eos fungos et aceti natura, contraria iis. *h. e.* nocendi vi eos exarmat. *Sil. It.* 12. 287. Debellare bonos. *Id.* 14. 634. Debellari morbis.

DĒBĒLUS, i, m. 2. locus pascendo non aptus, non pecoralis, a *de* præposit., seu particula privativa, (*V.* DE) et *bela*, oves, ut dixere veteres Latini, teste *Varrone*. *V.* BELA. *Tabula alimentaria Veleias*, quæ vulgo *Trajani* dicitur, *col.* 3. *lin.* 3. Fundos Avegam, Veccium (cum) debelis. *Ead. col.* 4. *l.* 39. Fundum Metilianum cum casis, silvis, meridibus, et debelis. *Ead. col.* 7. *l.* 37. Saltus Avegam, Veccium, debelos cum figlinis. *Petr. de Lama* in *not.* ad *eamd. p.* 36. varias aliorum refert de hujus vocis significatione sententias: nos vero cum *Barpt. Borghesio* sentimus, qui supra allatam interpretationem nobiscum per litteras communicavit.

DĒBĔO, bes, bŭi, bitum, bere, a. 2. *Debitu iri* pro *debitum iri*, h. e. debendum esse, vel fore ut debeatur, legitur apud *Ulp. Dig.* 12. 1. 10. Quoniam debitu iri non est certum. Adde *Scævol. ibid.* 38.: quamquam et in utroque loco alii legunt *debitum iri*. *V.* PRÆSTO. — Part. *Debens* II. *A.* 1.; *Debitus* in omnibus fere paragr.; *Debendus* II. *A.* 1. 10.; *Debiturus* I. *a.* — Volunt etymologi, *debeo* esse a *de* et *habeo*, quasi *de alio habeo*; quod si verum est, dicetur proprie de eo, qui rem alienam habet et reddere tenetur (It. *essere debitore, dovere*; Fr. *devoir, être redevable, être débiteur*; Hisp. *deber, estar dendor*; Germ. *etwas schuldig sein*; Angl. *to owe, be in debt*).

I.) Proprie usurpatur de pecunia, vel de iis quæ pecuniæ pretio æstimari possunt; et occurrit — *a*) Cum Accusativo rei, quæ debetur. — Activa forma. *Plaut. Trin.* 2. 4. 23. Mille drachmarum, quas de ratione debuisti. *Ter. Phorm.* 4. 3. 50. Qui dissolverem quæ debeo. *Cic.* 13. *Fam.* 61. Ejus filio pecuniam Nicæenses grandem debent ad HS. octogies. Sic *Sall. Cat.* 49. Is privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneribus grandem pecuniam debebat. Rursus *Cic.* 2. *Phil.* 29. 71. Appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas. Adde *Cic.* 5. *Att.* 21. 12.; et *Quintil.* 7. 4. 44. *Paul. Dig.* 45. 2. 17. Pro hereditariis partibus iri totum eos legatum debituros ajunt. — Passive. *Cic.* 1. *Orat.* 37. 168. Ante petitam esse pecuniam, quam esset cœpta deberi. *Id. Quinct.* 12. 41. Satis est argumenti, nihil esse debitum Nævio. *Id. Flacc.* 23. 54. Castricio solverat pecuniam jamdiu debitam. *Id.* 5. *Verr.* 82. 189. Qui, quum frumentum deberetur, pecuniam posceret. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 33. et 3. *B. C.* 31.; *Quintil.* 5. 10. 117. — *b*) Absolute. *Ter. Phorm.* 5. 7. 30. Quodne ego perscripsi porro illis, quibus debui? *Cic.* 14. *Att.* 18. Kal. Januar. debuit: adhuc non solvit. *Nepos Att.* 2. Neque longius, quam dictum est, eos debere passus est. *Sall. Jug.* 96. Ipse ab nullo repetere, magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent. Adde *Cæs.* 3. *B. C.* 20. et *Quintil.* 4. 4. 6. *Plin.* 10. *Ep.* 62. Nec inveniuntur, qui velint debere reipublicæ duodenis assibus. *h. e.* qui pecuniam fenori sumere velint a repubi. — Hinc *Debitum*, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est pecunia debita, æs alienum. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 3. § 10. Solvere alicui debitum. *Id.* 13. *Att.* 23. 3. Ne existimes eos, qui non debita consectari soleant, quod debeatur, remissuros. Et figurate *Id. Opt. gen. orat.* 1. 3. Docere debitum est: delectare honorarium: permovere necessarium. — c) *Animam debere* proverbium est apud *Ter. Phorm.* 4. 3. 56., ex Græco καὶ αὐτὴν τὴν ψυχὴν ὀφείλει. *V.* ANIMA.

II.) Figurate occurrit *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim *debere*, figurate usurpatum ¶ 1. Significat quamcumque obligationem: ad rem *Cic. Marcell.* 9. 27. Quum patriæ, quod debes, solveris. — Porro occurrit — 1.°) Cum addita re, quæ debetur, quæque propterea obligationem ipsam definit. — *a*) Active, seu cum Accusativo ipsius rei. *Ter. Andr.* 4. 1. 52. Ego, Pamphila, hoc tibi pro servitio debeo, conari manibus, pedibus, noctesque et dies, capitis periculum adire, dum prosim tibi. *Catull.* 82. 1. Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum. *Cic.* 13. *Fam.* 75. Obsequor homini familiarissimo, C. Aviano Flacco, cujus causa omnia cum cupio, tum mehercule etiam debeo. *Id.* 1. *Orat.* 26. 121. Hoc summum beneficium Q. Maximo debui, quod etc. *Id.* 2. *Phil.* 11. 27. Quo majorem ei respublica gratiam debet. Sic *Sall. Jug.* 110. Numquam ego ratus sum fore, uti rex maxumus in hac terra privato homini gratiam deberem. Rursus *Cic.* 1. *Att.* 14. *ante med.* Qui mihi laudem illam eo minus deberet, quod etc. *Virg.* 10. *Æn.* 853. Debueram patriæ pœnas odiisque meorum: Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem. *Id.* 11. *ibid.* 51. Nos juvenem exanimum, et nil jam cælestibus ullis Debentem, vano mœsti comitamur honore. Ubi *Servius*: Vivi Superorum sunt, mortui ad Inferos pertinent. *V.* Interpr. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 317. *Horat.* 1. *Od.* 3. 5. Navis, quæ tibi creditum Debes Virgilium. Adde *eumd.* 1. *Sat.* 5. 46. *Ovid.* 4. *Pont.* 5. 31. Debere vitam alicui. *Id.* 14. *Met.* 3. Arva nihil debentia bubus junctis. *h. e.* inarata. *Quintil.* 5. 10. 73. Fidem debet tutor. Adde *Sil. It.* 15. 371. — Præcipue de iis, quæ mortuis debentur. *Ovid. in Ib.* 399. quo sanguine debuit, aras Tinxit. Cf. *eumd.* 14. *Met.* 444. Et *Horat.* 2. *Od.* 6. 22. ibi tu calentem Debita sparges lacrima favillam Vatis amici. — *b*) Passive. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 9. *extr.* Communis fides, quæ omnibus debetur. *Id.* 1. *Cat.* 7. 16. Misericordia, quæ tibi nulla debetur. *Id. Pis.* 37. 91. Pœna, quæ tanto facinori debetur. *Id. Mil.* 31. 85. Vobis seræ, sed justæ tamen et debitæ pœnæ solutæ sunt. Adde *Ovid.* 5. *Fast.* 648. *Cic.* 7. *Phil.* 3. 10. Meritos et debitos honores alicui decernere. Adde *Sall. Jug.* 85. *Cic. Balb.* 26. 59. Justam et debitam gratiam referre alicui. *Virg.* 2. *Æn.* 538. Præmia debita. *Horat.* 1. *Od.* 28. 32. Debita jura. *Id.* 3. *Od.* 27. 30. Debitæ Nymphis opifex coronæ. *Ovid. in Ib.* 182. Debita viscera. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 17. (76). Debetur Chio insulæ inventio amyli. Adde *Quintil.* 2. 11. 1. et *Sil. It.* 1. 481. *Alcim. Avit.* 6. 149. conversio fratrum Exemplo debenda pio. — *Deberi non posse* dicitur, qui præstat, quod debet. *Cic.* 4. *Att.* 2. et 2. *Tusc.* 27. 67. Itaque oratio juventuti nostræ deberi non potest. *h. e.* edenda omnino est. Cf. *Ovid. Heroid.* 16. 103. Nec potui debere mihi spem longius istam, Quin etc. — Hinc *Debitum*, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, pro re debita, præcipue apud sequioris ævi scriptores. *Curt.* 10. 5. Velut omni vitæ debito liberatus, fatigata membra rejecit. *Seneca Phœniss.* 181. Debitum tandem exige: nunc solve pœnas. *Val. Max.* 2. 9. 1. Alligare aliquem debito nutriendorum nepotum. *Eumen. Paneg. Const.* 25. Conscientiæ debitum relevare. *Id. Paneg. Constant.* 11. Debitum perferre. — 2.°) Cum Infinito fere moralem obligationem designat, sive rationem officii significat, oportere, obstrictum esse ad aliquid faciendum. *Plaut. Amph. prol.* 39. Debetis velle, quæ velimus. *Matius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 28. 4. At debeo pro civili parte rempublicam velle salvam. *Id.* apud *eumd. ibid.* § 6. Quod tamen munus et hominis amicissimi memoriæ atque honoribus præstare etiam mortui debui. *Cic. Amic.* 11. 36. Numne si Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuerunt? *Id. Orat.* 21. 70. Magni judicii, summæ etiam facultatis esse debebit moderator ille etc. Cf. *eumd.* 2. *Orat.* 77. 310. Principia et ceteræ partes orationis habere hanc vim magnopere debent, ut etc. *Nepos Epam.* 5. Paritur pax bello: itaque qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. Adde *eumd. Alcib.* 2. *Ovid.* 4. *Fast.* 405. Æs erat in pretio: chalybeia massa latebat: Heu quam perpetuo debuit illa tegi! *Petron. Satyr.* 33. *ad fin.* Hic nescio quid boni debet esse. Adde *Cæs.* 1. *B. C.* 30. et 1. *B. G.* 41.; *Horat.* 1. *Sat.* 4. 43., 1. *Ep.* 3. 30. et 2. *ibid.* 1. 37.; et *Curt.* 3. 4. 5. et 10. 9. 16. — Item imminuta aliquantulum significatione, *debere* ponitur pro aptum esse, decere, consentaneum esse. *Liv.* 24. 25. Nullam earum vivere debere. *Id.* 3. 46. *extr.* Improbum consilium serum, ut debuit, fuit. Adde *eumd.* 37. 6. — Apud Poetas ponitur pro necesse est. *Lucret.* 3. 188. animus constare rotundis Perquam seminibus debet. *Ovid.* 13. *Met.* 877. vox, quantam Cyclops habere debuit. ¶ 2. Item debere — *a*) Ponitur de iis, quæ natura vel fato certissime eventura sunt, qua significatione occurrit fere passive. *Cic.* 14. *Phil.* 12. 31. O fortunata mors, quæ naturæ debita, pro patria est potissimum reddita! *Id. Sext.* 21. 47. Vita necessitati debetur. *Horat. Art.* 6. 63. Debemur morti nos nostraque. *Virg.* 6. *Æn.* 714. animæ, quibus altera fato Corpora debentur. *Id.* 11. *ibid.* 759. fatis debitus Arruns. *Id.* 7. *ibid.* 120. tellus fatis debita. Cf. *Flor.* 1. 2. *Ovid.* 15. *Met.* 444. Urbem et jam cerno Phrygios debere nepotes. *h. e.* Trojanos urbem Romam olim certo condituros. *Val. Flacc.* 2. 571. bis Herculeis deberi Pergama telis. *h. e.* in fatis esse, ut bis oppugnentur. *Id.* 5. 277. Debitus Ægeis dux Thessalus appulit oris. *Stat.* 2. *Achill.* 317. magnæ vastator debite Trojæ. *Id.* 4. *Theb.* 84. debitus hospes. *et* 1. *ibid.* 80. debita vindex. Adde *Lucan.* 6. 530. — Huc referri potest et illud *Propert.* 1. 20. 35. nulli pendebant debita curæ Roscida desertis poma sub arboribus. *h. e.* agrestia, et sponte nullo cultu nascentia. — Hinc *Debi-*

tum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more. *Nepos Reg.* 1. Morbo naturæ debitum reddiderunt. *h. e.* mortui sunt. *Inscript.* apud *Orell.* 3453. VIX. ANN. XLIX. SANCTISSIME ET PROPE DIEM CONSVMMATIONIS PRIMIPILI SVI DEBITVM NATVRAE PERSOLVIT. — *b*) *Debere* interdum ea dicimur, quæ metuenda nobis impendent; quasi obnoxii simus ad ea subeunda. *Horat.* 1. *Od.* 14. 15. Tu, nisi ventis Debes ludibrium, cave. Græci quoque ὀφλισκάνειν γέλωτά τινι (ut *Aristoph. Nub.* 1031.) debere risum alicui, ὀφλισκάνειν δίκην reum esse et damnatione dignum dicerunt; hinc *ludibrium debere* apud *Horat.* est idem ac præbere.

B) Speciatim *debere* grati animi obligationem designat, sive gratiam alicui habere significat: ad rem *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 12. Magna beneficia mihi debet. *Cic.* 10. *ibid.* 12. *ad fin.* Perfice, ut ne minus respublica tibi, quam tu reipublicæ debeas. *Id. Planc.* 28. 68. Non plus me Plancio debere, quam bonis omnibus. *Nepos Epam.* 3. Ut ille, ad quem ea res perveniebat, sciret, quantum cuique deberet. *Ovid. Heroid.* 9. 15. Se tibi pax terræ, tibi se tuta æquora debent. Adde *Senec.* 1. *Benef.* 1. et *Vita beata* 5.; et *Plin. Paneg.* 30. — Hinc *Debens*, *entis*, absolute, substantivorum more, apud *Senec.* 1. *Benef.* 4. Ut qui præstiterint (*beneficium*), obliviscantur; pertinax sit memoria debentium. — Hinc

Debitum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, pluribus usurpatur significationibus. *V.* sub I. *b.* in fin.; sub II. *A.* 1. 1.° in fin. et 2. *a.*

Debens, *entis*, m. 3. absolute, pro debitore: *V.* sub II. *B.* in fin.

DĒBĪBO, is, ere, a. 3. (de et bibo) idem quod bibo, seu multum bibo. *Solin.* 7. *ad fin.* Esse duo flumina, quorum alterum si ovillum pecus debibat, pullum fieri, etc.

DĒBĬLIS, e, adject. — *Debilo*, debilis. *Ennius* 8. *Ann.* Debilo homo. Ita *Non. p.* 95. 32. *Merc.* Sed alii, et quidem jure, corrigunt *debil*, ut dictum sit ea ratione, qua *volup*, *famul*, etc. — Comp. *Debilior* II. *a.*; Sup. *Debilissimus* occurrit tantummodo in *Not. Tir. p.* 12. nullo prorsus auctore. — Ceterum *debilis*, pro *dehabilis*, ut volunt etymologi, a de et *habilis*, est qui facili membrorum artuumque mobilitate caret, membris captus, adeoque infirmus, imbecillus (It. *inabile*, *impotente*, *storpio*, *invalido*; Fr. *faible*, *infirme*, *débile*, *affaibli*, *paralysé*; Hisp. *feble*, *debil*, *quebradizo*; Germ. *unbrauchbar*, *gelähmt*, *gebrechlich*, *schwächlich*, *hinfällig*; Angl. *infirm*, *feeble*, *maimed*, *impotent*, *disabled*).

I.) Proprie usurpatur de corpore; et quidem — *a*) De hominibus, et raro admodum de brutis, qui membro aliquo capti sunt. *Plaut. Merc.* 3. 4. 45. Ad mandata claudus, cæcus, mutus, mancus, debilis. *h. e.*, ait *Forcellinus*, qui brachia, vel pedes distortos et impeditos habet: additque illud *Senec.* 5. *Controv.* 33. Hic cæcus est, hic debilis, hic mutus. *Cato R. R.* 157. Item pueros pusillos, si laves eo lotio, numquam debiles fient. *h. e.* nervis laborabunt. *Cic. Rabir. perduell.* 7. 21. Q. Scævola, confectus senectute, præpeditus morbo, mancus, et membris omnibus captus ac debilis. *Id. Sext.* 10. 24. Gladium si imbecillo seni, aut debili dederis. *Mæc.* apud *Senec. Ep.* 101. Debilis manu, pede, coxa. *Juvenal.* 10. 227. Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis. *Lamprid. Commod.* 1. Debilis pedibus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 28. 29. (104). Cum sacris arceretur (*miles*), ut debilis. *scilicet* cui dextra manus deerat. *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 19. tecto delapsus ab alto Occurrit regi debilis umbra suo. *Al. leg.* flebilis. — Et de brutis. *Liv.* 21. 40. Claudi ac debiles equi. *Phædr.* 4. 1. Mustela annis ac senecta debilis. — *b*) De rebus. *Ter. Adelph.* 4. 4. 3. Membra metu debilia. *Lucret.* 4. 949. Debile fit corpus, languescunt omnia membra. *Ovid.* 12. *Met.* 106. Debilis manus. *Sueton. Vesp.* 7. Quidam debili crure. *Martial.* 10. 65. Os blæsum tibi debilisque lingua. *Seneca* 5. *Controv.* 33. Membra debilia. *Prudent.* 2. *Cathem.* 79. femur. *Virg.* 5. *Æn.* 271. Amissis remis atque ordine debilis uno. Apud *Stat.* 12. *Theb.* 144. *debile iter carpere* dicitur, qui vulnere tardus ac debilis est. Cf. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 67. Cumque ego deficiam, nec possim ducere currum, Fac tu sustineas debile sola jugum. *Virg.* 12. *Æn.* 50. Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra Spargimus. *Martial.* 7. 20. Debilis boletus. *h. e.* caule aut mutilo, aut penitus reciso. *Gronov.* Sic *Stat.* 4. *Silv.* 9. 34. Debilis perna. *h. e.* cui pars abscissa est. Rursus *Martial.* 8. 6. Hoc cratere ferox commisit prælia Rhœtus Cum Lapithis: pugna debile cernis opus. *h. e.* mutilum.

II.) Figurate: ad rem *Cic. Mur.* 25. 51. Duo corpora esse reipublicæ, unum debile infirmo capite; alterum firmum sine capite. Et *Quintil.* 11. 3. 85. Sine manibus trunca esset actio ac debilis. — *a*) De animo. *Cic.* 3. *Cat.* 2. 3. Eos, qui restitissent, infirmos sine illo (*Catilina*) ac debiles fore putabam. Sic *Claudian.* 1. *Rufin.* 317. pars una maneret Debilior facilisque capi. Rursus *Cic.* 2. *Tusc.* 5. 13. Ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus. Ita est utraque res sine altera debilis. *Tac.* 4. *Hist.* 62. Dux Claudius Sanctus effosso oculo, dirus ore, ingenio debilior. *Sil. It.* 8. 261. Arte belligera debiles. — *b*) De abstractis. *Cic. Mil.* 9. 25. Occurrebat, mancam ac debilem præturam tuam futuram, consule Milone. *Pers.* 5. 99. Ut teneat vetitos inscitia debilis actus. *h. e.* ignorantia impotens.

DĒBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (debilis) morbus ejus, qui aliquo membro captus est (It. *storpiezza*; Fr. *faiblesse*, *infirmité*, *débilité*; Hisp. *debilidad*, *enfermedad*; Germ. *die Lähmung*, *Schwäche eines Gliedes*; Angl. *weakness*, *feebleness*, *lameness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) In singulari numero. *Labeo* apud *Gell.* 4. 2. Debilitas pedis. *Cic. Pis.* 1. 1. Debilitas linguæ. *Liv.* 2. 36. Cunctantem ac prolatantem ingens vis morbi adorta est debilitate subita. *Plin.* 8. *Ep.* 18. *a med.* Cum quereretur de contumeliis debilitatis suæ. *Quintil. fere per totam declam.* 2. cæcitatem *debilitatem* vocat. Adde *Tac.* 1. *Hist.* 9.; *Cels.* 5. 26.; *Sueton. Cal.* 26.; et *Juvenal.* 14. 156. — *b*) In plurali numero. *Cic.* 4. *Fin.* 8. 20. A se dolores, morbos, debilitates repellere. Adde *Gell.* 6. 1. ¶ 2. Speciatim est defectio virium, infirmitas. *Seneca Ep.* 55. Debilitatem nobis indixere deliciæ: et quod diu noluimus, posse desivimus.

II.) Improprie. *Cic.* 1. *Fin.* 15. 49. Debilitas animi. *cui mox opponitur* robustus animus. *Martial.* 2. 86. mollis debilitate Galliambus. *h. e.* mollitie effeminatus: et alludit ad Gallos semiviros.

DĒBĬLĬTĀTĒ. *V.* DEBILITER.

DĒBĬLĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus debilitandi, debilitas.

I.) Proprie. *Apul.* 2. *Met. sub fin.* Præmium debilitationis consecutus. *h. e.* detruncationis nasi et aurium.

II.) Improprie. *Cic. Pis.* 36. 38. Debilitatio atque abjectio animi tui.

DĒBĬLĬTĀTUS, a, um. *V.* DEBILITO.

DĒBĬLĬTER, adverb. cum debilitate. *Pacuvius* apud *Non. p.* 98. 18. *Merc.* Miseret me, lacrimis lingua debiliter stupet. *Nonius* exponit *debilitate*: cujus adverbii nulla præterea est, quod sciam, qua fulciatur, auctoritas.

DĒBĬLĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (debilis). Part. *Debilitatus* in omnibus paragr.; *Debilitaturus* I. — Debilitare est debilem reddere (*V.* DEBILIS sub init.), infirmum, invalidum reddere (It. *storpiare*, *rendere inabile*; Fr. *mutiler*, *estropier*, *affaiblir*; Hisp. *mutilar*, *estropear*, *debilitar*; Germ. *verstümmeln*, *lähmen*, *entkräften schwächen*; Angl. to *cripple*, *disable*, *enervate*, *maim*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus ceterisque animantibus. *Liv.* 21. 40. Effigies, immo umbræ hominum, fame, frigore, illuvie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupesque. *Tac.* 4. *Ann.* 63. Quinquaginta hominum millia eo casu (*h. e.* amphitheatri) debilitata vel obtrita sunt. *Sueton. Aug.* 43. Lapsu debilitatus. *Curt.* 4. 3. et 8. 1. Debilitatus vulnere. *Ovid.* 13. *Met.* 102. Debilitaturum quid te petis, improbe, munus? Adde *Cels.* 7. 2. *circa med.* *Seneca* 5. *Controv.* 33. *a med.* Qui debilitabat expositos. *Id. ibid. sub fin.* Plura habet membra, quam debilitatis reliquit. *Arrius Menand. Dig.* 49. 16. 4. *a med.* Qui debilitavit filium, ut inhabilis militiæ sit. *Cajus* 3. *Institut.* (edente iterum *Goeschenio*) § 146. Gladiatores, qui integri exierint, qui occisi, qui debilitati fuerint. — *b*) De rebus. *Lucret.* 6. 1149. manabat lingua cruore, Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu. *Cic. Flacc.* 30. 73. Membra, quæ debilitavit lapidibus, fustibus, ferro. Sic *Auct. B. Alex.* 18. Terror membra debilitat. *Cic. Marcell.* 3. 8. Nulla est tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. Ejusdem *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 105. 10. *Merc.* Cibum etiam sæpe subtrahunt, ut fame debilitetur equuleorum nimis effrenata vis. *Nepos Ages.* 5. Opes adversariorum debilitatæ. Rursus *Cic.* 2. *leg. Agr.* 33. 91. Nervis urbis omnibus exsectis, urbem ipsam solutam ac debilitatam reliquerunt. Et poetice *Horat.* 1. *Od.* 11. 5. Quæ (*hiems*) nunc oppositis debilitat pumicibus mare Tyrrhenum. *h. e.* retundit, frangit.

II.) Figurate: ad rem *Cic.* 5. *Fam.* 13. Nullum membrum reipublicæ, quod non fractum debilitatumve sit. — *a*) De animo. *Varro* apud *Non. p.* 163. 30. *Merc.* Quo metu debilitaret nostros. Cf. *Cic. Dom.* 52. 135. Mens debilitata metu concidit. Et *Quintil.* 1. 3. 6. Metus debilitat. *Cic.* 5. *Phil.* 2. 4. et *Nepos Datam.* 6. Debilitare animos et virtutem militum. *Cic. post redit. in senat.* 15. 36. Frangere, aut debilitare animum alicujus. *Id.* 3. *Cat.* 5. 10. Recitatis litteris, debilitatus atque abjectus, conscientia convictus repente conticuit. *Id.* 2. *Orat.* 47. 195. Afflictus, debilitatus, mœrens. *Nepos Hann.* 1. Domi civium suorum invidia debilitatus. *Cic.* 2. *Orat.* 33. 142. Debilitati a jure cognoscendo. — *b*) De abstractis aliisque. *Cic.* 3. *Att.* 4. Tua profectio spem meam debilitat. *Id. Mur.* 37. 80. Debilitare audaciam alicujus. *Id. Vatin.* 7. 18. Debilitare et reprimere furores tribunicios. *Id. Mur.* 21. 43. studia amicorum. *Id. Cœl.* 24. *extr.* vocem fletu. *Id.* 3. *Orat.* 50. 192. Versus debilitatur, in quacumque sit parte titubatum. *Id.* 5. *Tusc.* 27. 76. Dolor fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam debilitat. *Id. Quinct.* 1. 4. Ut multis incommodis veritas debilitata, tandem æquitate talium virorum recreetur. *Id. Dejot.* 2. 7. Actio causæ maxime debilitatur loco. *Tac.* 3. *Ann.* 67. Metus exercitam quoque eloquentiam debilitat. *Virg.* 9. *Æn.* 610. nec tarda senectus Debilitat vires animi mutatque vigorem. *Quintil.* 6. *proœm fin.* Debilitare vires ingenii.

DĒBĪLO. V. DEBILIS sub init.

DĒBĬTĬO, ōnis, f. 3. actus debendi, debitum. *Cic.* 14. *Att.* 13. 5. Quintus de emendo nihil curat: satis enim torquetur debitione dotis. *Id. Planc.* 28. 68. Dissimilis est pecuniæ debitio et gratiæ. *V. Gell.* 1. 4.

DĒBĬTOR, ōris, m. 3. qui debet, cui opponitur *creditor*.

I.) Proprie. *Modestin. Dig.* 50. 16. 108. Debitor intelligitur is, a quo invito exigi pecunia potest. *Cic.* 2. *Off.* 22. 78. Pecunias creditas debitoribus condonare. Adde *eumd. Pis.* 35. 86., 9. *Fam.* 6., et 7. *Att.* 18. 4.; *Cæs.* 3. *B. C.* 20. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 86. Debitor æris. *Seneca* 6. *Benef.* 2. Non dicam me illius debitorem, nec hoc æs alienum profitebor. Adde *Sueton. Aug.* 32.; *Juvenal.* 16. 40.; *Quintil.* 3. 6. 84., et *Gell.* 20. 1. — Debitores, qui solvendo non erant, olim Romæ in partes secabantur, quæ creditoribus distribuebantur. *Tertull. Apolog.* 4. *a med.* et apud *A. Mai.* in *Vatic. Coll. T.* 2. *p.* 144.

II.) Improprie. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 10. Perpetuusque animæ debitor hujus ero. *Id.* 4. *Pont.* 1. 2. Debitor vitæ. *Plin.* 3. *Ep.* 2. Habebis me, habebis ipsum gratissimum debitorem. *Martial.* 9. 43. debitor voti. *h. e.* reus.

DĒBĬTRIX, īcis, f. 3. quæ debet.

I.) Proprie. *Paul. Dig.* 16. 1. 24. Debitrix mulier a creditore delegata. *Id. ibid.* 49. 14. 47. Debitrix fisci.

II.) Improprie. *Tertull. Anim.* 35. Omnium delictorum debitrix anima est. Adde *Hieronym. Ep.* 130.

DĒBĬTUS, a, um. *V.* DEBEO.

DĒBLĀTĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒBLĀTĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et blatero). Qui scribunt *deblactero*, arguuntur *Lucilii* versu mox cit. — Part. *Deblateratus*. — Deblaterare est stulte loqui, inani loquacitate obstrepere. *Plaut. Aulul.* 2. 3. 1. Ubi tu es, quæ deblaterasti jam vicinis omnibus, me meæ filiæ daturum dotem? *Lucilius* apud *Non. p.* 96. 10. *Merc.* Deblaterat plenus, bonu' rusticu' concinit una. *Non. ibid.* exponit, obloqui, confingere. *Gell.* 9. 15. Sed deblateratis versuum multis millibus finem aliquando fecit.

DĒBRĀCHĬŌLO, as, are, a. 1. ex brachiolis sanguinem detraho. *V.* BRACHIOLUM. Occurrit tantum Part. *Debrachiolandus* apud *Pelagon. Veterin.* 21. *ad fin.* Equus debrachiolandus est, et potionandus caricis cum vino decoctis.

DĔBUCCELLĀTUS, a, um, adject. apud *Plin. Valer.* 1. 6. est ex buccellato factus, vel buccellato conditus.

DĔBUCCĪNO *vel* dēbūcino, as, āvi, ātum, are, n. 1. Idem quod buccino, et translate promulgo. *Tertull. Virg. vel.* 13. Nihil debuccinemus eorum, quæ apud illum mercedem merebuntur.

DĔCĂCHINNO, as, are, a. 1. (de *et* cachinnor) derideo. *Tertull. Apolog.* 47. Gehennam si comminuemur, decachinnamur. *Id.* 1. *ad Nation.* 19. Quo resolutius decachinnetis.

DĔCĂCHORDUS, a, um, adject. δεκάχορδος, decem habens chordas. *Paulin. Nolan. carm.* 28. 221. (*al.* 273). Ut decachorda sonent pulsis psalteria nervis. Adde *eumd. Vit. S. Fel.* 221. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 14. Cum decachorda Apollo pingitur cithara. Adde *Interpr. Vulgat. Psalm.* 91. 4. et 143. 9.

DĔCĂCŪMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. cacuminis præcisio, ut decacuminatio cupressi, piceæ, cedri, apud *Plin.* 17. *Hist. Nat.* 24. 37. (236).

DĔCĂCŪMĬNO, as, are, a. 1. (de *et* cacumen). Part. *Decacuminandus.* — Decacumino est cacumen præcido. *Colum.* 4. *R. R.* 7. 3. Pampinum decacuminare conveniet. *Id.* 5. *ibid.* 6. 12. Ulmus decacuminanda est juxta ramulum.

DĔCĀDA, æ, f. 1. Idem quod decas. *Hieronym. in Ezech.* 41.

DĔCĀDĪVUS, a, um, adject. qui inclinat et cadit. *Auct. Pervigil. Ven.* 17. Lacrimæ micant trementes decadivo pondere. *Ita legit* Wernsdorfius. *Alii* decidivo, *alii aliter.*

DĔCĀGŌNUS, a, um, adject. δεκάγωνος, qui decem habet angulos. *Boeth.* 2. *Geom. p.* 1225. Restat, ut de decagoni embadali dicamus podismo: describatur itaque decagonus denario numero lateraliter limitatus.

DECALANTICO, as, are, a. 1. (de *et* calantica). *V.* DECALVATICO.

DĔCALCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. albo. *Gloss. Cyrill.* Κονιῶ, decalco, albo. *Gloss. Placid.* ed. *A. Mai. p.* 453. Decalcatis, de calce ablatis (*lege* albatis). *Gloss. Isid.* Decalco, dealbo.

DĔCĂLĔFĂCĬO, facis, facere, n. 3. *Gloss. Lat. Gr.* Decalefacio, ἐκθερμαίνω.

DĔCĂLESCO, escis, escere, n. 3. *Gloss. Cyrill.* Ἐκθερμαίνομαι, decalesco.

DĔCĂLĬCĀTOR, ōris, m. 3. *Gloss. Lat. Gr.* Decalicator, καταπύτης.

DĔCĂLĬCĀTUM, i, n. 2. calce litum. *Paul. Diac. p.* 75. 13. *V.* CALICATA.

DĔCĂLŎGUS, i, m. 2. δεκάλογος, decem Legis Divinæ præcepta. Vox Græca. *Tertull. Anim.* 37.

DĔCALVĀTĪCO, as, are, a. 1. calvaticam detraho, et translate aliqua re spolio. *Lucilius* apud *Non. p.* 97. 9. *Merc.* Decalvaticere eburneo speculo, depeculassere. *Editiones omnes habent* decalanticare. *V.* CALVATICA.

DĔCALVĀTĬO, ōnis, f. 3. calvitium. *Hieronym. Ep.* 93. *ad Sabiniam.* Et vocabit Dominus Sabaoth in die illa ad fletum et planctum magnum et decalvationem et accinctionem ciliciorum. Est locus *Isai.* 22. 12., ubi *Interpr. Vulgat.* habet *calvitium.*

DĔCALVĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔCALVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* calvus). Part. *Decalvatus.* — Decalvo est calvum reddo. *Veget.* 3. *Veterin.* 48. 3. *Schneid.* Locum, quem curare volueris, inducto psilothro decalvas. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 23. Sampson a muliere decalvatus.

DĔCĂMĔTER, tra, trum, adject. δεκάμετρος, tres mensuras habens. *Mar. Victorin. p.* 2497. *Putsch.* Igitur cum hexameter versus metrorum omnium finis ac summa sit, hi qui epici non sunt, si per singulos pedes feriantur, excedant necesse est modum hexametri versus, unde per dipodias feriuntur: ut etiamsi decem pedum fuerint, non decametri appellentur, sed pentametri, quinque scilicet dipodiis computatis. *Et paullo post.* Mensura enim, seu modus metrorum hujusmodi accipietur, nam extremum in his atque ultimum, quod monometron dicitur, constat ex uno pede, maximum vero usque ad periodum decametrum porrigetur.

DĔCĀNĬA, ōrum, n. plur. 2. Ita appellantur loca in signis cælestibus ab eorum numero. *Manil.* 4. 298. Quas partes decimas dixere decania gentes: A numero nomen positum est, quod partibus astra Condita tricenis propria sub sorte feruntur, Et tribuunt denas in se coeuntibus astris. *V.* DECANUS sub *B.*

DĔCĀNĪCUM, i, n. 2. custodia, in qua clerici delinquentes concludebantur, carcer ecclesiasticus. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 16. 5. 30. Hæretici noverint, omnia sibi loca hujus urbis adimenda esse, sive sub ecclesiarum nomine teneantur, sive quæ diaconica appellantur, vel etiam decanica. Adde *Julian. epit. nov.* 73. § 266.

DĔCANTĀTĬO, ōnis, f. 3. *Hieronym. Ep.* 106. *n.* 49. ita vertit Græcum ἀδολεσχίαν, quod alii exponunt loquacitatem, garrulitatem.

DĔCANTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔCANTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* canto). Part. *Decantatus* sub *A.* 3.; *Decantandus* sub *A.* 2. — Decantare duo præcipue significat prout *A)* Præpositio *de* est intensiva, aut *B)* Actionis exitum finemque significat.

A) Cum præpositio de est intensiva ¶ 1. Decanto est ad nauseam usque recito rem omnibus notam et risu dignam, aliquid vulgo, publico; et fere in malam partem accipitur. *Cic.* 2. *Orat.* 32. 140. Omnes causas diligentes oratores percursas animo et prope decantatas habere debent. *Id.* 2. *ibid.* 18. 75. Nec mihi opus est Græco aliquo doctore, qui mihi pervulgata præcepta decantet. Adde *eumd.* 13. *Att.* 34. *Quintil.* 12. 8. 3. Decantare multa et diserte. *Seneca Ep.* 24. Decantatæ in omnibus scholis fabulæ istæ sunt. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 1. 64. *Cic.* 1. *Divinat.* 47. 105. Non decantandi augurii, sed divinandi tenuit disciplinam. *Id.* 4. *Fin.* 4. 10. Ne necesse sit iisdem de rebus semper quasi dictata decantare, neque a commentariolis suis discedere. ¶ 2. Item est cantando repræsentare, vel simpliciter cantare. *Horat.* 1. *Od.* 33. 3. neu miserabiles Decantes elegos, cur tibi junior Læsa præniteat fide. *Sueton. Ner.* 38. Ἅλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit. *Lucan.* 5. 394. Decantatque tribus. *h. e.* edicit tribus prærogativas. *Plin.* 24. *Hist nat.* 1. 1. (4). Statim compositiones et mixturæ inexplicabiles decantantur. Adde *Nemes. Cyneg.* 96.; *Aurel. Vict. de vir. ill.* 34.; et *Symmach. Ep.* 3. 5. ¶ 3. Item incantare. *Apul.* 3. *Met.* 55. At ego nullo decantatus carmine. *et supra eod. lib.* Decantatis spirantibus fibris. *h. e.* incantamentu consecratis. Adde *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1.

B) Cum præpositio *de* actionis exitum finemque significat, decanto est cantare desino. *Cic.* 3. *Tusc.* 22. 53. Sed jam decantaverant fortasse. *V.* integr. locum.

DĔCĀNUMMUS, i, m. 2. est denarius nummus, cujus quarta pars sestertius, decima as, apud *Var. Auctor. de limit. Goesii* p. 265.

DĔCĀNUS, i, m. 2. a *decem*, est qui decem præest; et occurrit *A)* De hominibus, et *B)* De rebus.

A) De hominibus. ¶ 1. Decanus in exercitu dicebatur, qui decem præerat militibus, ita ut ipse esset undecimus. Igitur cum in centuria decem fuerint decani, sub uno vexillo centum et decem pedites fuere. Idem *caput contubernii* nominabatur. *Veget.* 2. *Milit.* 13. ¶ 2. In aliis quoque ordinibus decani sunt, cœnobitarum nempe. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 35. Divisi sunt per decurias, ita ut novem hominibus decimus præsit. *Augustin.* 1. *Mor. Eccles. Cathol.* 31. Opus tradunt eis, quos decanos vocant, eo quod sint denis præpositi. ¶ 3. In *Novell. Constitut. Justinian.* 69. et *Cod.* 1. 2. 4. et 9. decani sunt vespillonum genus funeribus inservientes. ¶ 4. Item decani fuerunt quoddam servorum genus in aula imperatorum. *Cod.* 12. 27. 1. et 2.; et *Cod. Theod.* 6. 33. 1.

B) De rebus. A genethliacis usurpabatur pro præside decem partium signi. Cum igitur signum continest gradus triginta, tres decanos in quolibet signo constituebant. Singulis vero decanis terna applicabant numina. *Firmic.* 2. *Mathes.* 4. V. *Mus. Borbon. T.* 8. *tav.* 28. *p.* 7. *Capell.* 2. *p.* 44.-45. Ipsa quoque Philologia lectica desiliens, quum immensos luminis campos æthereæque tranquillitatis verna conspiceret, ac nunc tot diversitates cerneret formasque decanorum, etc.

DĔCĂPĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. decollatio. *Gloss. Cyrill.* Κεφαλῆς ἀποτομή, decapitatio, decollatio.

DĔCĂPRŌTI, ōrum, m. plur. 2. δεκάπρωτοι, a δέκα decem, et πρῶτος *primus*, Latine ad litteram *decemprimi*, quam vocem *V.* infra suo loco. *Ulp. Dig.* 50. 4. 3. § 10. Decaprotos etiam minores viginti quinque annis fieri pridem placuit, quia patrimonii magis onus videtur esse. *Arcad. ibid.* 18. § 26. Decaproti et icosaproti tributa exigentes pro omnibus defunctorum fiscalia detrimenta resarciant. *V.* DECURIO.

DĔCĂPRŌTĬA, æ, f. 1. δεκαπρωτεία, munus decaprotorum, decemprimatus. *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. § 26. Mixta sunt munera decaprotiæ et icosaprotiæ. Adde *Cod.* 10. 41. 8.

DĔCĂPŪLO. *V.* CAPULO.

DĔCARGȲRUS, a, um, adject. qui ex decem argenteis constat: a δέκα *decem*, et ἄργυρος *argentum.* Decargyrus fuit nummus aureus, qui valebat decem ἀργύρους, *h. e.* decem nummos, quorum singuli centum denarios argenteos valebant, *h. e.* talentum aureum. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 9. 23. 2. Centenionalem tantum nummum in conversatione publica tractari præcipimus, majoris pecuniæ figuratione submota. Nullus igitur decargyrum nummum alio audeat commutare, sciens fisco eamdem pecuniam vindicandam, quæ in publica potuerit conversatione deprehendi. *V.* MAJORINUS ibique adnotata.

DĔCARNO, as, are, a. 1. (de *et* caro) carnem detraho. *Veget.* 3. *Veterin.* 42. 1. *Schneid.* Ferramento decarnabis. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 27. 2., 3. *ibid.* 6. 1., et 5. *ibid.* 5. 1. *Apic.* 7. 9. Petasonem, cum elixatus fuerit, decarnas.

DĔCARPO. *V.* DECERPO sub init.

DĔCAS, ădis, f. 3. δεκάς, aliquid decenarium numerum continens. Hinc *Livii* historia in decades distributa est, quæ singulæ decem libros continent. Utuntur hac voce *Tertull. Præscript. hæret.* 49., *Hieronym. in cap.* 41. *Ezech.* et *Capell.* 2. *p.* 25.

DĔCĀSĒMUS, a, um, adject. δεκάσημος, decem temporibus constans: a δέκα *decem* et σημεῖον *tempus. Mar. Victorin.* 1. p. 2492. *Putsch.* Incipiunt et porriguntur tempora in pentasyllabis a quinque usque ad decem, id est a pentasemo ad decasemum, ut sit pentasemus *Philopolemus* e quinque brevibus, decasemus autem e quinque longis, ut *Atroriclides.*

DĔCĀSYLLĂBUS, a, um, adject. δεκασύλλαβος, qui decem syllabis constat. *Mar. Victorin. p.* 2560. *Putsch.* Appellatur metrum Alcaicum decasyllabum, ut est: Laurea Nyctelio corona.

DĔCASTȲLOS, vel *Latina positione*

DĔCASTȲLUS, i, m. 2. decem columnas habens, δεκάστυλος: στῦλος enim *columnam* significat. *Vitruv.* 3. 2. 8. *Schneid.*

DĔCĀTORTHŌMA, ătis, n. 3. δεκατόρθωμα, compositio medicamenti ex decem rebus. Quidam leg. apud *Seren. Sammon.* 24. 449. et 25. 475. Sed alii omnino aliter.

DĔCASCHĒMĂTISTUS, a, um, adject. ad decem schemata pertinens: a δέκα *decem* et σχῆμα *schema*, figura, species. *Plotius de metris p.* 2630. *Putsch.* Decaschematisti dactylici fiunt modis decem. Si primus et secundus dactyli sint, ceteris spondeis, etc. *Et paullo post.* Eadem ratione fiunt decaschematisti spondei, sicut exemplis docebimus.

DĔCATRENSIS *vel* decatressis, e, adject. qui est ex numero eorum, qui tredecim numerantur in aliqua sodalitate aut magistratu: ab inus. δεκάτρειος, ex δέκα *decem* et τρεῖς *tres. Inscript.* apud *Murat.* 702. 2. Q. FLAVIO MAESIO EGNATIO LOLLIANO COLLEGAE V. S. (*h. e.* veteris sodalitii) DECATRESSIVM PATRONO PRAESTANTISSIMO POSVERVNT. Adde *aliam* apud *eumd. ibid.* 3., in qua legitur: DECATRENSES EIVS PATRONO PRAESTANTISSIMO POSVERVNT. Ceterum V. *Bullett. dell' Instit. Archeol. a.* 1847. *p.* 27. seqq.; *Gervasii, Iscriz. di Mavorzio Lolliano p.* 2. et 24.; et *Bullett. arch. Napol. a.* V. *p.* 61. Hæc cl. *Furlanetto* in *Append.* et suis MSS. Hæc etiam *Orellius*, qui easdem *Inscript.* habet *n.* 3162. et 3163. At de *Decatrensibus* verum invenit *Minervinius* (*Mon. ined. di Barone* 1. *p.* 43.; *Nuove osservazioni intorno la voce* Decatrenses, *Napoli* 1852), ad Δεκάτερα Dalmatiæ, quæ *Decadaron* geographo Ravennati, nunc vero *Cattaro* dicuntur, collegium illud referens, quod negotiandi causa Puteolis consistebat. V. *Henzen.*, *Collectionis Orellianæ Supplementa Emendationesque*, *p.* 291.

DĔCAULESCO, escis, escere, n. 3. (de *et* caulis) caulem emitto. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 7. 36. (122). Raphanus utique jucundior detractis foliis, antequam decaulescat.

DĒCĒDO, cēdis, cessi, cessum, cēdere, n. 3. (de

et cedo). Decesse pro decessisse habetur apud Ter. prol. Heaut. 31., et legitur a quibusdam apud Cic. 7. Fam. 1., divisitque per tmesin Lucret. 1. 1104. Nam quacumque prius de parte corpora cesse. Sic decessemus pro decessissemus apud Cic. 5. Fam. 20. a med. Hucusque Forcellinus. At decesse occurrit tantummodo apud Ter. l. c.; apud Cic. enim 7. Fam. 1. Orellius ex optimis Codicibus legit decessisse, quemadmodum et 5. Fam. 20. a med. legit decessissemus. Apud Lucret. vero non est, cur tmesin admittamus; namque cesse est pro cessisse et præpos. de per se regit Ablativum, cui juncta est. — Decederit pro decesserit edidit Torrentin. Dig. 32. 27., ubi Haloander recte habet decederet. — Part. Decedens I. A. 3., I. B. 2., et III.; Decessus I. B. 1. et 2.; Decessurus I. A. 3. — Ceterum decedo est a superiore loco deorsum cedo, discedo, recedo, abeo; et jungitur Ablativo sæpe cum præpos. de, interdum cum præpos. e vel ex, raro admodum cum præpos. ab, frequenter autem occurrit cum Ablativo sine præpos., vel interdum etiam absolute (It. andar giù da un luogo elevato, ritirarsi, andar via, partire; Fr. s'éloigner de, partir, s'en aller; Hisp. apartarse, alejarse, partir; Germ. von einem höheren Orte herabgehen, dann von einem Orte fort-, ab-, weg-, hinweggehen, -trefen, -kommen; Angl. to depart, go away, withdraw, retire, retreat).

I.) Proprie occurrit A) Simplici, vel B) Aucta, sive prægnante, uti ajunt, significatione.

A) Simpliciter, et quidem ¶ 1. Generatim. Cic. 6. Att. 2. ad fin. Ut ex Cypro equites ante certam diem decederent. Id. 2. Fam. 11. Pantheræ constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decedere. Cæs. 1. B. G. 31. De altera parte (agri) Sequanos decedere juberet. Nepos Att. 10. Decedere de foro. Id. Hamilc. 1. Sicilia. Sall. Jug. 28. Italia. Id. ibid. 38. Numidia. Val. Flacc. 2. 207. terra patria. Liv. 6. 29. Decedere præsidio injussu imperatoris. Adde eumd. 24. 37., 38. 42. et 5. 6. Id. 36. 11. de præsidio. Adde Sall. Jug. 28. Liv. 8. 13. Romam ad destinatum triumphum decessere. Asin. Poll. apud Cic. 10. Fam. 32. ad fin. Equites decedentes supplicio afficere. h. e. perfugas. Plaut. Bacch. 1. 1. extr. Nescio qui turbat, qui huc it: decedamus, soror. — Forcellinus pro descendere affert illud Lucret. 6. 736. ubi in campos albas decedere ningues Tabificis subigit radiis sol omnia lustrans. At nunc plerique omnes leg. descendere. ¶ 2. Speciatim in re militari decedere dicitur imperator, qui ab opportuno, quem occupaverat, loco cum exercitu recedit abitque; in quo quidem inest significatio de superiore loco descendendi. Cæs. 1. B. G. 44. Quod si non decedat, aut exercitum deducat ex his regionibus, sese illum – pro hoste habiturum. Id. 1. B. C. 71. Quod suis non subvenissent; quod de colle non decederent, etc. Adde eumd. 5. B. G. 43.; et Auct. B. Alex. 34., 70. et 77. — Interdum occurrit etiam de militibus, qui a statione abeunt. Liv. 3. 17. Postquam arma poni et decedere homines ab stationibus nunciatum est. Al. leg. discedere. Id. 44. 33. Decedere ex statione. ¶ 3. Item speciatim in re civili decedere de aut ex provincia, decedere provincia, et decedere absolute dicuntur magistratus post peractum provinciale imperium. Cic. 4. Verr. 20. 48. Istum reliquit, de provinciaque decessit. Adde eumd. 7. Att. 3. 5. Nepos Cat. 1. Ex provincia decedens. Cic. Brut. 1. 1. ex Cilicia. V. Ellendt ad h. l. Nepos Att. 4. ex Asia. Liv. 22. 34. ex Sardinia. Cic. Ligar. 1. 2. Ut decedens Considius provincia, satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciæ præfecisset. Adde Sall. Jug. 20.; Liv. 29. 19., 4. 29., 28. 32., 37. 7. et alibi sæpe. Cic. Planc. 26. 65. Cui cum respondissem, me a provincia decedere, etc. At hæc lectio admodum incerta est. Orellius legit e provincia; aliis vero corrigendum esse videtur me mea provincia decedere. V. Klotz in Jahn's Jahrbb. Bd. 4. S. 122. Cic. 3. Fam. 6. 7. Te, antequam tibi successum esset, decessurum fuisse. Adde Sall. Jug. 36. extr.; et Liv. 8. 13. et 9. 16. Ceterum V. Herz ad Cæs. 1. B. G. 44., Fabr. ad Liv. 23. 34. et Kühn. ad Cic. 2. Tusc. 25. 61. ¶ 4. Item decedere de via, via, in via alicui, et absolute decedere alicui est locum in via dare, sive honoris, sive odii et contemptus causa id fiat. Plaut. Trin. 2. 4. 80. Decedam illi de via, de semita, de honore populi, verum quod ad ventrem attinet, non hercle hoc unguc. Adde eumd. Amph. 3. 4. 1. Sueton. Ner. 4. et Tib. 31. Decedere via alicui. Ter. Heaut. prol. 31. Servo currenti in via decessit populus. Et passive Cic. Senect. 18. 63. Salutari, appeti, decedi, assurgi. Contra Cæs. 6. B. G. 12. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur: iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt. h. e. eorum occursum vitant. Est qui legit, sed minus recte: ab iis omnes. — Hinc apud Poetas decedere nocti, calori, est cedere, fugere, vitare. Virg. 8. Ecl. 88. nec seræ meminit decedere nocti. h. e. cedere nocti et ad stabulum redire. Adde Varium apud Macrob. 6. Saturn. 2. Confer Liv. 3. 60. Quum per totum diem stetissent intenti ad certamen, nocti cessere. Rursus Virg. 4. G. 23. decedere calori.

B) Aucta, sive prægnante, uti ajunt, significatione. ¶ 1. De animantibus est mori: ad rem Cic. Senect. 20. 73. De præsidio et statione vitæ decedere. — Ceterum hoc sensu occurrit decedere de vita, sæpissime decedere absolute, interdum cum additis morte, morbo etc. Cic. Rabir. perduell. 11. 30. Si eos, qui jam de vita decesserunt, ornabimus. Id. 1. Att. 6. Pater nobis decessit a. d. VIII. Kal. Decembr. Adde Cæs. 6. B. G. 19.; Nepot. Cim. 1., Ages. 1. et 8., et Att. 2.; Liv. 9. 17.; Quintil. 3. 6. 96. et 7. 3. 33.; Sueton. Aug. 101., Ner. 6. et Gramm. 20.; et Inscript. apud Gruter. 602. 4., quæ pertinet ad an. U. C. 775. Capitolin. Anton. Phil. 12. In prætura decessit. Inscript. apud Odericium Dissert. p. 165. VIVENT HOMINES AVAROS, AVDACES, MONVMENTORVM SACRILEGOS, PER QVOS DECESSIS NVMQVAM REQVIESCERE LICET. Sueton. Vitell. 3. Decessit paralysi, altero die, quam correptus est. Id. Ner. 5. extr. Decessit morbo. Nepos Timol. 1. extr. Ex hominum conspectu morte decedere. ¶ 2. De inanimis ponitur pro cessare, deesse, præterire, evanescere: et occurrit — a) De corporeis quibusdam, de sermonum materia, et similibus. Liv. 30. 38. Pompa – deducta in circum est, quum decessisse inde aquam nunciatum esset. Ter. Adelph. 5. 3. 30. De summa nihil decedet. Liv. 3. 55. Quidquid libertati plebis caveretur, id suis decedere opibus credebant. Id. 9. 26. Materia quæstioni decessit. Cic. Cluent. 60. 167. Ut de causa ejus periculi nihil decederet, ad causam novum crimen accederet. — b) De morbis et de animi motibus. Lucret. 2. 34. decedunt corpore febres. Adde Cels. 3. 3. Ter. Hecyr. 3. 5. 55. Decedet jam ira hæc. Adde Curt. 8. 2. 1. Liv. 2. 29. Ea cura decessit patribus. Adde eumd. 2. 31. et 33. 31. extr.; et Horat. 3. Od. 1. 39. Sall. Jug. 41. formido. Id. ibid. 88. invidia. Adde Tac. 15. Ann. 44. Horat. 2. Od. 9. 11. Amores. Adde eumd. 2. Ep. 2. 152.; et Liv. 26. 26. et 33. 11: — c) De sideribus et tempore. Horat. 1. Ep. 6. 3. Hunc solem et stellas et decedentia certis Tempora momentis sunt qui formidine nulla imbuti spectent. Adde Virg. 1. G. 222.; et Ovid. 4. Met. 91. Virg. 4. G. 466. Te veniente die, te decedente canebat. Rutil. 1. Itiner. 313. Necdum decessis pelago permittitor umbris.

II.) Translate occurrit A) Simplici seu stricto, et B) Latiori sensu.

A) Simplici seu stricto sensu ¶ 1. Generatim est cedere, aliquid remittere, et dicitur de jure, possessione, officio, obligatione, dignitate ac similibus, quæ tamquam superiora celsioraque sunt, de quibus quis decedit. Cic. Rosc. Am. 27. 73. Decedere de jure suo. et Liv. 3. 33. extr. jure suo. h. e. aliquid de suo jure remittere, non summo jure agere. V. Drakenborg ad Liv. 28. 28. Cic. 4. Verr. 17. 43. De suis bonis omnibus decedere. Id. 2. leg. Agr. 26. 68. de possessione. Id. 2. Verr. 10. 28. De officio ac dignitate decedere. Et passive impersonaliter Liv. 8. 25. extr. Cogitaret, qua stultitia et temeritate de officio decessum esset. Id. 36. 22. Decedere ab officio. At recentiores editt. præpos. omittunt. Sic Id. 27. 10. officio. Id. 37. 54. instituto suo. Id. 31. 5. extr. et 34. 11. fide. h. e. non stare promissis. Tac. 14. Ann. 49. Non ideo Thrasea decessit sententia. Cic. dixit Balb. 5. 11. Decedere de sententia. Id. Cic. Flacc. 12. 27. Senatus nihil a superioribus continuorum annorum decretis decessit. Sic Justin. 6. 3. 8. A rebus gestis decedere. ¶ 2. Speciatim, quoniam decedere via proprie est a recta via aberrare alioque diverti, ut apud Sueton. Cæs. 31. Cum luminibus extinctis viâ decessisset; (Cæs. 3. B. C. 112. eodem sensu dixit decedere de cursu): ita decedere de via translate est a virtute, ab honestate, a recta vivendi ratione recedere. Cic. Cæl. 16. 38. Cupiditate inductum de via decedere. Eodem sensu Quintil. dixit 4. 5. 3. Decedere via. Similiter Censorin. de die nat. 16. med. Decedere a vero. ¶ 3. Item speciatim decedere de nobilitate generis apud Pallad. 3. R. R. 25. 2. dicuntur plantæ, quæ degenerant. ¶ 4. Denique decedere ponitur etiam pro inferiorem esse, seu locum cedere si translate accipiatur. Horat. 2. Od. 6. 13. Ille terrarum mihi præter omnes Angulus ridet, ubi non Hymetto Mella decedunt. Porphyrion ad h. l.: Decedunt ergo ex contrario cedunt, compositum pro simplici, id est cedunt. Et clarius Ritter: Decedunt est de loco vel de via cedunt, quod quum faciant inferiores superioribus, decedere est etiam inferior esse. Cf. Horat. 2. Ep. 2. 214. Vivere si recte nescis, decede peritis.

B) Latiori sensu decedere ponitur pro succedere, evenire, procedere. Sueton. Cæs. 24. Prospere decedentibus rebus, plurium, quam quisquam unquam, dierum supplicationes impetravit.

DECEDOTTO, ὀκτωκαίδεκα, nomen numerale indeclinab. decem et octo, et octodecim. Inscript. Christiana apud Marin. Inscriz. Alb. p. 193. IRENE DEFVNCTA ANNORVM DECEDOTTO, ET MENSES SEPTEM, DECIMV KAL. MART.

DECEM, nomen numerale indeclinabile a Græca voce δέκα, cujus nota erat X. (It. dieci; Fr. dix; Hisp. dies; Germ. zehn; Angl. ten).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Ter. Phorm. 4. 3. 58. Ob decem minas. Id. Andr. 5. 4. 48. Decem talenta. Cæs. 7. B. G. 21. Hominum millia decem. Id. ibid. 29. Numerus millium centum et decem. Id. 1. ibid. 8. Millia passum decem novem. cf. Juvenal. 7. 142. et 13. 71. Frontin. 1. Strateg. 2. 7. decem millia. Cic. Rosc. Am. 7. 21. Fundos decem et tres reliquit. Id. Cluent. 27. 74. Sententiis decem et sex absolutio confici poterat. Id. 13. Att. 6. Non dubito quin fratri fuerit legatus, sed non in decem. Atque hoc etiam accepi, non solitos majores nostros legare in decem, qui essent imperatorum necessarii. h. e. in decem legatis, qui decerni solebant imperatoribus post gentem aliquam devictam, ut de illorum consilio res subactæ provinciæ ordinarentur: cujus rei exempla habes apud Liv. 33. 24., et 37. 55., et 45. 17. etc. Liv. 37. 30. Decem et tres. Id. 29. 37. Ducenta decem quatuor millia hominum. Id. 24. 15. Decem septem. Priscian. 18. p. 1170. Putsch. Livius frequenter sine conjunctione septendecim et decem septem dixit. ¶ 2. Speciatim de decem primis vel decemprimis, qui sequiori ævo decaproti dicti sunt, V. DECEMPRIMI suo loco.

II.) Metonymice pro numero incerto nec definito ponitur, quemadmodum centum, sexcenti, mille. Plaut. Bacch. 1. 2. 20. Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet. Horat. 1. Sat. 3. 12. alebat sæpe ducentos, Sæpe decem servos. Adde eumd. 1. Ep. 18. 25.

DECEMBER, bris, bre, adject. qui usurpatur de mense, a decem, quod decimum locum teneret a Martio, a quo Romulus annum inchoavit, et imber, quod, ut ait Pontedera AA. Latin. Græc. p. 301., ab imbre vocabantur September, October, November et December, quippe his mensibus, notato intervallo, pluviam ad vindemiam et ad serendum pernecessariam prisca ætas sibi promittebat: a decembre desinunt menses ab imbre vocari, quoniam refert, agricolas hiemes optare serenas. V. Cassiod. loc. cit. in NOVEMBER et Stat. loc. cit. in IMBRIFER. Hucusque Forcellinus. Si tamen de suffixo br aliquid statui potest, probabilior videtur recentiorum sententia, qui putant, suffixum illud esse unum idemque cum με, h. e. μέρος pars; ita ut December sit decima pars anni. Ceterum ¶ 1. December stricte dicitur de mense; et quidem — a) Cum eo nomine jungitur, ac mensis December est, ut diximus, qui decimum locum tenet a Martio, a quo Romulus annum inchoavit. Varro 6. L. L. 34. Müll. Dehinc quintus (mensis) Quintilis et sic deinceps usque ad Decembrem a numero. — Sed apud posterioris ævi scriptores est duodecimus, ut apud Cic. 2. Legg. 21. 54. Sed mensem, credo, extremum anni, ut veteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur. Adde Vellej. 2. 105. 4.; et Senec. Ep. 18. In Genitivo Ovid. 1. Trist. 10. 3. gelidi tremerem cum mense Decembris. Adde eumd. 2. ibid. 191. — b) Interdum december absolute occurrit, substantivorum more. Horat. Epod. 11. 5. Hic tertius December, ex

quo destiti Inachia furere, silvis honorem decutit. *Id.* 1. *Ep.* 20. 27. Me quater undenos sciat implevisse Decembres. *h. e.* annos. Adde *Martial.* 1. 50. ¶ 2. Latiori sensu *December* est qui ad mensem Decembrem quacumque ratione pertinet. *Cic.* 3. *Att.* 22. 4. et 23. 1., et 3. *Phil.* 8. 19.; et *Colum.* 11. *R. R.* 2. 89. Kalendæ Decembres. *Cic.* 3. *Att.* 24. 2. Idus Decembres. Sic *Liv.* 4. 37. Consules Idibus Decembribus magistratum accepere. V. *Drakenb.* ad h. l. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 4. Libertate Decembri utere. *h. e.* Saturnaliorum, quo tempore tota servis licentia permittebatur. Cf. *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. et 11., et *Plin.* 2. *Ep.* 17. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

DĔCEMJŬGIS, e, adject. (decem *et* jugum) qui decem juga habet, ut currus decemjugis, *h. e.* quem decem equi juncti trahunt. *Sueton.* *Ner.* 24. Aurigavit quoque plurifariam, Olympiis vero etiam decemjugem. *subaudi* currum. *Inscript.* apud *Boulenger. de Circo c.* 55., quæ est apud *Henzen.* 6179. M. AVRELIUS POLYNICES, — QVI VICIT PRAEMIA XXXX., PVRA N. XL., OCTOIVG. N. VIII., DEC. N. VIII., SEIVG. N. III. *h. e.* octojuge, decemjuge, sejuge. V. *Visconti Op. var. T.* 2. *p.* 369.

DĔCEMMESTRIS, e, adject. decem mensium spatium continens, ut *Decemmestris partus*, apud *Censorin. de die nat.* 11. Sic *Decemmestris annus, ibid.* 20. *sub fin.* Al. leg. *decimestris.*

DĔCEMMŎDĬUS, a, um, adject. qui decem modiorum mensuram capit. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 8. Corbulæ decemmodiæ. — Hinc *Decemmodiæ*, eodem sensu, absolute, substantivorum more. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 2. Fabricandæ decemmodiæ, et trimodiæ, et fiscellæ texendæ. *Al. leg.* decimodiæ.

DĔCEMNŎVENNĀLIS, e. *V.* DECENNOVENNALIS.

DĔCEMPĔDA, æ, f. 1. (decem *et* pes) mensuræ genus, nempe pertica decem pedes longa, unde et nomen accepit: qua utebantur in mensuris agrorum capiendis. *Cic. Mil.* 27. 74. Cum architectis et decempedis villas hortosque peragrabat. *Horat.* 2. *Od.* 15. 14. Decempedis metata porticus. *Veget.* 3. *Milit.* 8. *a med.* Opus hoc centuriones decempedis metiuntur. *V.* QUINCUPEDA. Adde *Pallad.* 2. *R. R.* 12. *Sueton. Aug.* 24. narrat, inter varias ignominias militares solitum eum (*Augustum*) interdum ita punire milites, ut starent ante prætorium cum decempedis pro hasta, aut pilo.

DĔCEMPĔDĀLIS, e, adject. decem pedes longus. *Cod.* 11. 42. 6. Decempedale spatium.

DĔCEMPĔDĀTOR, ōris, m. 3. terræ dimensor. *Cic.* 13. *Phil.* 18. 37. Qui fuerat æquissimus agri privati et publici decempedator.

DĔCEMPLEX, icis, omn. gen. adject. qui decem partibus superat. *Nepos Miltiad.* 5. In quo tanto plus virtute valuerant Athenienses, ut decemplicem numerum hostium superarent. *h. e.* ipsi decem millia vincerent hostium centum millia.

DĔCEMPLĬCĀTUS, a, um, adject. idem quod decemplex. *Varro* 6. *L. L.* 38. *Müll.* His decemplicatis conjuncto præverbio, ex uno quinque millia numero efficerent.

DĔCEMPRĪMĀTUS, us, m. 4. δεκαπρωτεία, decemprimorum munus. *Hermogenian. Dig.* 50. 4. 1. Munerum civilium quædam sunt patrimonii, alia personarum: patrimonii sunt munera rei vehicularis, item navicularis, decemprimatus; ab istis enim periculo ipsorum exactiones solemnium celebrantur. *Imp. Honor.* in *Cod. Theod.* 6. 24. 7. Cum prorectores ad decemprimatus gradum ordine militiæ temporis prolixitate pervenerint, etc.

DĔCEMPRĪMI, ōrum, m. plur. 2. Scribitur et divisim *Decem primi*, ut in *Cenotaph. Pisano L. Cæsaris*, et alibi. — Decemprimi appellantur Latine, qui Græce δεκάπρωτοι. Hoc nomine vocabantur in municipiis et coloniis, qui inter decuriones majori censu æstimabantur, quique simul cum quattuorviris vel duumviris præerant præcipue sumptibus rei publicæ causa faciendis, et tributi modum in capita et agros definiebant, exigebantque, etc. *V.* DECURIO. *Cic. Rosc. Am.* 9. 29. Itaque decurionum decretum statim fit, ut decemprimi proficiscantur ad L. Sullam, et orent, ut filii innocentis fortunas conservatas velit. *Id. mox* eosdem *decem legatos* appellat. *Id.* 4. *Verr.* 67. 2. Evocat ad se Centuripinum magistratum, et decemprimos. *Id.* 10. *Att.* 13. 1. Antonius evocavit litteris e municipiis decem primos (*sic legit* Orellius; *al.* denos) et IIII. viros. Venerunt ad villam ejus mane. Primum dormiit ad horam III. Deinde, quum esset nunciatum venisse Neapolitanos et Cumanos (his enim est Cæsar iratus) postridie redire jussit. *scil.* (ait *Orell.* hoc loco) evocavit ordinis amplissimi, ut dicebant, seu municipalis decem primos decuriones, et magistratus juri dicundo seu quattuorviros. Sic *Liv.* 29. 15. *denos principes* vocat, quos paullo post cum *legatos*, tum *primores*, quique sunt *decemprimi.* et *Id. Liv.* 22. 61. *decemprimos* vocat decem legatos ab Hannibale Romam profectos, qui de redimendis captivis apud senatum agerent. *Firmic.* 3. *Mathes.* 12. *n.* 7. Publicis muneribus præpositi, ac popularium civitatum principes, seu decemprimi. *Inscript.* apud *Orell.* 1848. FLAVIVS ANTISTIANVS V. E. DE DECEM PRIMIS PATER PATRVM. — Præterea *decemprimi virorum* leguntur in *Cod.* 11. 53. 2.; et *decemprimi lictorum*, *decemprimi denunciatorum* et *decemprimi præconum*, in sing. etiam num., in *Inscript.* apud *eumd. Orell.* 3216. P. AEMILIO P. F. NICODEMI PATRI INCOMPARABILI DECVRIALI DECVRIAE LICTOR. COS. TRIVM DECVRIAR. X. PRIMO, ITEM DECVR. LICTOR. POPVLARIS DENVNTIAT. X. PRIMO, ITEM PRAECON. AEDILIVM CVRVL. X. PRIMO — FILI ET HEREDES FECERVNT. Cf. et *Dionys. Halic.* 6. *p.* 394.: et V. *Klotz* ad *Cic. Rosc. Am.* 9. 29. *V.* et DECAPROTI.

DĔCEMRĒMIS, is, f. 3. (decem *et* remus) navis decem remorum ordinibus instructa. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (208). Sex ordinum navem invenit Xenagoras: ab ea ad decemremem Mnesigiton. *Est qui legit* deciremem, *sed minus recte.* — *Biremis* quidem, et *triremis* ratio facile intelligitur, exhibeturque etiam oculis ab eruditis, ex antiquitatis monumentis desumpta figura, ut de triremi fecit *Scheffer. extr. l.* 1. *de milit. naval.* et *Græv.* ad *Flor.* 4. 11. ex columna Trajana etc., quæ collegit *Montfaucon. antiq. R. T.* 4. *part.* 2. *l.* 2. Verum ubi numerus ordinum in navi crescit, non videtur satis commode intelligi, quomodo aut tot remorum series ad latera navium, sive recto ordine, sive in quincuncem, apte locari possent, aut tot remigantium ordines et consisterent in ipsa navi, et commode se remigando moverent: quamvis doctissimis commentis rem plures litterati viri expedire conati sint. *V.* inter ceteros *Raph. Fabrett. de columna Trajana c.* 5., et *Dissertationem critic. adnexam T.* 7. *Hist. Rom. P. P. Catrou*, et *Rovillé*, et *Montfaucon. loc. cit.* Ceterum *Jac. Palmerius* in *adnotat.* ad *Memnonis Excerpta*, et *Morcell. de stil. Inscript. Latin. T.* 1. *p.* 141. *edit. Pat.* plurium remorum ordines alios aliis superpositos exemplis et rationibus confirmant. Cf. *Liv.* 28. 30., 33. 30. et 45. 35.; *Sil. It.* 14. 424.; et *Lucan.* 3. 529. — *Harduin.* quidem ad *loc. Plin. cit.* perfracte negat, *ordines* hosce significare remorum series alias aliis superpositas; et si qui in antiquis monumentis ita conformati conspiciantur, non omnes esse mobiles, sed solum superiores; immo vero contendit fixos et navi adhærentes fuisse. (quem vero ad usum, non satis, ne ex ipso quidem fortasse intelligas.) Censet autem, cum dicimus *duos, tres, sex, septem,* etc. *remorum ordines, decemremem, undecimremem,* etc. intelligi tantummodo sex, septem, decem, etc. remos in singulis navium lateribus (quasi ideo dicantur ordines, quia singulis remis plures remiges, uti et nunc fit, destinabantur). Verum hæc sententia multas magnasque habet difficultates, quas non est hujus nostri instituti aut proferre, aut expendere.

DĔCEMSCALMUS, a, um, adject. decem habens scalmos. *Cic.* 16. *Att.* 3. 6. Hæc ego (*scripsi*) conscendens e Pompejano tribus actuariolis decemscalmis. *Al. melius leg.* divisum *decem scalmis*, ut sit sententia: tribus actuariolis, et scalmis decem iis impositis. Sunt enim hodieque parvæ naves, quæ cum opus est, pluribus instruuntur scalmis, seu remis, quam fere in usu quotidiano habere soleant.

DĔCEMVIR, viri, m. 3. unus ex decem, ex quibus collegium constabat. — In singulari numero *decemvir* occurrit apud *Cic.* 2. *de republ.* 36. 61., 2. *leg. Agr.* sæpe, et alibi; *Liv.* 1. 3. sæpissime; et in *Inscript.* apud *Orell.* 544. Sed *V.* quæ dicentur in QUINDECIMVIRI sub init. — In usu loquendi *decemvirûm* sæpius dicitur in Genitivo plur., quam *decemvirorum* (V. *Varron.* 9. *L. L.* 85. *Müll.*): quod idem intellige de *triumviris, duumviris* etc. *Cic. Orat.* 46. 156. — Ceterum Romæ ¶ 1. *Decemviri agris metiundis dividundisque*, item dandis, assignandis, judicandis creati sunt, ut est apud *Cic.* 1. *leg. Agr.* 6. 17. et 2. *ibid.* passim; et *Liv.* 31. 4. et 42. 4. Sic *Inscript.* apud *Orell.* 544. X. VIR. A. D. A. *h. e.* agris dandis, adsignandis. ¶ 2. Item *decemviri legibus scribundis* fuerunt magistratus decem virorum, qui anno U. C. 300. vel 301., ut affirmat *Forcellinus*, vel, ut rectius recentiores, ab anno U. C. 303. ad a. 305., per triennium pro consulibus legum ferendarum causa creati sunt, quique leges XII. Tabul. tulerunt. *Cic.* 2. *de republ.* 36. 61. et seqq., 1. *Orat.* 13. 58. et alibi; *Liv.* 3. 32. et seqq.; *Dig.* 1. 2. 2. § 4. et alibi. ¶ 3. *Decemviri litibus* vel *stlitibus judicandis* erant præsides quæstionum privatarum de libertate, de jure civitatis etc., qui creabantur, quum prætor urbanus ad bellum exiret, ut essent pro prætore in jurisdictione exercenda: *V. Cic. Orat.* 46. 156. et *Dig.* 1. 2. 2. § 29. Hi aut initio statim, aut serius profecto cum Centumviris arctissime conjuncti fuerunt. *Cic. Cæcin.* 33. 97. et *Dom.* 29. 78.; *Varro* 9. *L. L.* 85. *Müll.*; *Sueton. Aug.* 36.; et *Plin.* 5. *Ep.* 21.; et *V.* STLITES. *Inscrip.* apud *Orell.* 554. X VIR. STL. IVDIK. *Alia* apud *eumd.* 133. M. CAELI. FLAVI. PROCVLI X VIRI STLITIBVS IVDICANDIS. Adde *aliam* apud *eumd.* 3113. Cf. *Spartian. Hadrian.* 6. ¶ 4. Denique *decemviri sacris faciundis* fuerunt collegium decem sacerdotum, qui postea numero aucti sunt (scilicet prius duumviri, dein decemviri, tum quindecemviri creati fuerunt, ut putat cl. *Furlanetto*: V. DUUMVIR et QUINDECEMVIR), quique fuerunt librorum Sibyllinorum inspectores, ludorum Apollinarium curatores, etc. *Liv.* 6. 37., 10. 8., 25. 12. et alibi. Hi ab eodem *Liv.* dicuntur 43. 13. Decemviri libris inspiciendis; et 6. 42. et 21. 62. Decemviri sacrorum. *Inscript.* apud *Orell.* 554. X. VIR. SAC. FAC. — Ceterum de *decemviris* V. *Pauly's Real-Encyclop. vol.* 2. *p.* 873. et seqq.

DĔCEMVĬRĀLIS, e, adject. In Ablat. singulari in *i* tantummodo desinet, nunquam in *e*, teste *Charis.* 1. *p.* 102. *Putsch.*, quod idem dicendum de *duumviralis*, etc. — Decemviralis est qui ad decemviros spectat, et quidem speciatim ¶ 1. Ad decemviros agris metiundis dividundisque creatos. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 5. 14. Decemviralis pecunia. *Id.* 2. *ibid.* 22. 58. auctio. ¶ 2. Item ad decemviros pertinens legibus scribendis creatos. *Cic.* 2. *de republ.* 37. Decemviralis annus. *Id. Brut.* 19. 54. et *Liv.* 3. 42. invidia. *Liv.* 3. 42. odium. *Id.* 3. 54. certamina. *Id.* 3. 88. et *Tac.* 1. *Ann.* 1. potestas. Rursus *Liv.* 3. 57. Leges decemvirales, quibus tabulis duodecim est nomen, in æs incisas publice proposuerunt. Adde *Gell.* 20. 1. ¶ 3. Item ad decemviros pertinens sacris faciundis creatos. *Cic.* 6. *Verr.* 49. 108. Tum ex amplissimo collegio decemvirali sacerdotes P. R. etc.

DĔCEMVĬRĀLĬTER, adverb. more decemviri. *Sidon.* 8. *Ep.* 6. *ante med.* Ut decemviraliter loquar. *h. e.* ut loquuntur decemviri litibus judicandis præpositi.

DĔCEMVĬRĀTUS, us, m. 4. dignitas et munus decemvirorum. ¶ 1. De decemviris, qui agris metiundis dividundisque creati sunt. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 22. 60. Qui honore decemviratus excluditur prope nominatim. ¶ 2. Item de decemviris, qui litibus judicandis creabantur. *Inscript.* apud *Murat.* 728. 1. POST QVAESTVRAM ET DECEMVIRATVM LITIVM IVDICANDARVM. ¶ 3. Item de decemviris, qui legibus scribendis creati sunt. *Liv.* 4. 15. Consulatibus, decemviratibus, splendore familiarum sustulisse animos. *Sidon.* 23. 440. Claro obscurior (*App. Claudius*) ex decemviratu.

DĔCEMVĬRI, ōrum. *V.* DECEMVIR.

DĔCĒNI, æ, a, numerale distributiv., deni. Extra distributionem usurpat *Cassiod.* 3. *Hist. Eccl.* 12. Singuli eorum per decenos annos imperii sui principes esse constituit. — Etiam sing. num. usurpat *Boeth.* 1. *Geom. p.* 1209. Articuli autem omnes deceno in ordine positi et in infinitum progressi nuncupantur.

DĔCENNĀLIS, e, adject. qui est decem annorum. *Ammian.* 15. 12. *extr.* Gallias post decennalis belli mutuas clades subegit Cæsar. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian.* 48. Europa atque Asia propter unius mulierculæ raptum decennali bello confligunt. — Hinc

Decennalia, ium, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt ludi, qui singulis decenniis imperii sui ab imperatoribus Romanis celebrabantur. Horum decennalium origo repetenda est, teste *Dion.*

l. 53. c. 13., ab Augusto Imp. *Trebell. Salonin.* 3. Decem annos Gallienum imperasse quum constet, decennalia Romæ ab eodem celebrata. *Inscript.* apud *Gruter.* 116. 4. CAESARVM DECENNALIA FELICITER.

DĔCENNIS, e, adject. qui est decem annorum. *Quintil.* 8. 4. 22. Priamus decenni bello exhaustus. *Petron. Trojæ halos.* 8. Huc decenni prælio strata virtus abditur. Adde *eumd. Satyr.* 89. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 41. 69. (171). Equæ neque quadrimis minores, neque decennibus majores. *Flor.* 1. 12. 8. Decennis obsidio. *Martial.* 9. 58. Nec crus compede lubricum decenni. Adde *Pallad.* 4. *R. R.* 14. 1.; et *Dig.* 40. 9. 16. § 3. — Hinc

Decennia, ium, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt decennalia. *Trebell. Gallien.* 7. *extr.* Convocatis patribus decennia celebravit novo genere ludorum.

DĔCENNĬUM, ii, n. 2. decem annorum tempus. *Nazar. Paneg. Constant.* 2. In destinatis decennalis jam vota properantia constiterunt. Adde *eumd. ibid.* 38. et *Apul. de deo Socrat.* — Hinc

Decennia. V. voc. præced. in fin.

DĔCENNŎVĀLIS, e, adject. ad decem et novem annorum spatium pertinens. *Cassiod. Comp. Pasch.* Si vis scire quotus sit annus circuli decem et novem annorum, sume annos Domini, ut puta quingentos sexaginta duo, et unum semper adjice, fiunt quingenti sexaginta tres: hos partire per decem et novem, remanent duodecim. Duodecimus annus est cycli decennovalis: quod si nihil remanserit, nonus decimus annus est. *Isid.* 6. *Orig.* 17. Primus cyclus decennovalis. *Id. ibid.* Continentur autem (*epactæ*) circulo decennovali. Apud *Isid.* legitur *decemnovennalis.*

DĔCENNŎVĬUM, ii, n. 2. spatium novemdecim millium passuum, quale fuit paludi Pomptinæ. *Inscript.* apud *Gruter.* 152. 8. REX THEODORICVS DECENNOVII VIAE APPIAE, ID EST A TRIB. VSQVE TERRACINAM, ITER ET LOCA, QVAE CONFLVENTIBVS AB VTRAQVE PARTE PALVDIBVS PER OMNES RETRO PRINCIPVM INVNDAVERANT, VSVI PVBLICO ET SECVRITATI VIANTIVM ADMIRANDA, PROPITIO DEO, FELICITATE RESTITVIT, OPERI NAVITER INSVDANTE CAECILIO MAVRO BASILIO DECIO V. C. etc. *Cassiod.* 2. *Variar.* 32. 32. Paludem decennovii in hostis modum vicina vastantem, fovearum ore patefacto, promisit absorbere Decius vir magnificus atque patricius. *Id. ibid.* 33. Decio V. C. rex Theodoricus. Vobis igitur desideria justa poscentibus præsenti auctoritate concedimus, ut, stagnis decennovii paludibusque siccatis, sine fisco possideas in solum rura revocata. Apud *Cassiod. locis cit.* mendose *decennonii* legitur in editionibus. V. *Morcell. de stil. Inscript. Lat. T.* 1. p. 222. *ed. Patav.*, et *Marini Difesa* p. 54. et seqq.

DĔCENS, entis. *V.* DECET in fin.

DĔCENTER, adverb. Comp. *Decentius* et Sup. *Decentissime.* — Decenter est decore, convenienter, apte (It. *decentemente, acconciamente, convenevolmente*; Fr. *convenablement, avec bienséance, avec décence*; Hisp. *convenihlemente, convenientemente, decentemente*; Germ. *gebührend, anständig, schicklich*; Angl. *decently, properly, fitly, in a proper, becoming way*). *Cic. Cæcin.* 26. 74. Jura finium decentissime descripta a majoribus. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 216. pulset lasciva decentius ætas. *h. e.* quam magis decet lascivire. *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 44. mœsta decenter erat. *Id.* 3. *Art. am.* 291. Quo non ars penetrat? discunt lacrimare decenter. *h. e.* decore. *Quintil.* 9. 3. 59. Verba decenter pudoris gratia subtrahuntur. *Id.* 9. 1. 21. Ad quædam vel decentius indicanda, vel tutius. Adde *eumd.* 11. 1. 69. et 79. et 11. 3. 80.; *Plin.* 6. *Ep.* 21.; et *Capitolin. Ver.* 2. *Lamprid. Alex. Sev.* 25. Aliquid decenter ornare.

DĔCENTĬA, æ, f. 1. convenientia, aptitudo, decor. *Cic.* 2. *Nat. D.* 58. 145. Colorum etiam et figurarum tum venustatem atque ordinem, et, ut ita dicam, decentiam oculi judicant. *Id.* 3. *Orat.* 52. 200. Verbis quidem ad aptam compositionem et decentiam, sententiis vero ad gravitatem orationis utatur. *Al. leg.* condecentiam.

DĔCEPTĬO, ōnis, f. 3. actus decipiendi, error, fraus, fallacia. *Capell.* 4. *sub fin.* p. 135. Queis falsa captos circuit deceptio. *Augustin.* 8. *Confess.* 2. Scripta philosophorum plena fallaciarum et deceptionum. Adde *Cod.* 11. 47. 6. Affertur et locus *Vitruvii* 2. 8. *sub fin. edit. veter.*, sed incertæ minimeque probandæ lectionis. *V.* DISSÆPTIO.

DĔCEPTĬŌSUS, a, um, adject. idem ac deceptorius. *Ennod. Ep.* 7. Auditurum se deceptiosis et blandis promisit illecebris.

DĔCEPTĪVUS, a, um, adject. qui decipit. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 1. 2. p. 533. Manifestum igitur, quod utrisque falsis (*propositionibus*), et altera solum, erit syllogismus deceptivus in indivisionibus.

DĔCEPTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* decipio. *Gloss. Philox.* Deceptat, ἐνεδρεύει, ἐξαπατᾷ.

DĔCEPTOR, ōris, m. 3. qui decipit. *Seneca Thyest.* 139. Proditus occidit deceptor domini Myrtilus.

DĔCEPTŌRĬUS, a, um, adject. ad decipiendum aptus. *Augustin. Ep.* 155. *ad Macrob.* 2. *extr.* Deceptoria laude fallentis extolli. *Id.* 2. *Doctr. Christ.* 23. Deceptoriæ conjecturæ.

DĔCEPTRIX, icis, f. 3. quæ decipit. *Lactant. Epit.* 6. *sub fin.* Perniciosa est et deceptrix adulatio. *Alcim.* 3. 111. Nec contenta sua deceptrix feminea casu.

DĔCEPTUS, a, um. *V.* DECIPIO.

DĔCEPTUS, us, m. 4. idem ac deceptio. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 6. Humana conditio deceptui obnoxia. *Id. Anim.* 18. Deceptui facilis.

DĔCERIS, is, f. 3. δεκήρης subaudi ναῦς, decem remorum ordinibus acta navis, quæ et decemremis dicitur. Ita enim contendit legendum *Turneb.* 1. 22. c. 31. in *Sueton. Cal.* 37., ubi ait: Fabricavit et deceres Liburnicas gemmatis puppibus etc. Vulgata lectio habet *de cedris.* Tale (inquit *Turneb.*) navium genus amplissimorum tricliniorum et thermarum, de quibus *Sueton.* loquitur, capax fuit.

DĔCERMEN, inis, n. 2. a *decerpo* pro *decerpimen, decerpmen.*

I.) Proprie. *Paul. Diac.* p. 72. 7. *Müll.* Decermina dicuntur, quæ decerpuntur purgandi causa. *Paulus* videtur intelligere frondes sacras, φύλλα καθαρτικά, quibus in lustrationibus uti solebant.

II.) Figurate *decermina Fortunæ* appellat *Apul.* 1. *Met.* miserrimos homines ostiatim mendicantes, quasi fæcem et purgamenta populi.

DĒCERNO, cernis, crēvi, crētum, cernere, a. 3. (de et cerno). In multis temporibus syncopen patitur. *Decrerim, ram, ro* pro *decreverim* etc., et *decresset* pro *decrevisset*, et *decrerunt* pro *decreverunt* in exemplis mox afferendis legitur, et apud *Plaut. Curc.* 5. 3. 25., *Liv.* 3. 45. et *Lucilium* apud *Jul. Rufinian. de Figur.* in *Epagoge*: immo et *decresse* pro *decrevisse* apud *Liv.* 2. 27. — Part. *Decernens* sub *A.* 1.° I.; *Decretus* sub *A.* 1.° I. et II. et in fin.; *Decernendus* sub *A.* 1.° I.; *Decreturus* sub *A.* 2.° II. — Ceterum decernere, a *de* valde et *cerno*, est rem penitus cernendo judicium ferre; de lite, controversia, seu generatim de re dubia aliquid certi statuere; usurpatur autem cum Accusativo rei, aut cum Ablativo et præpos. *de*, aut cum Accusativo et Infinito, aut sequente Relativo, aut denique absolute. Porro occurrit aut *A*) In re publica, aut *B*) In re privata.

A) In re publica vero aut 1.°) Pertinet ad curiam, magistratus, etc.; aut 2.°) Ad bellum.

1.°) Si de re publica agitur, decernere sæpissime pertinet ad curiam, magistratus, sacerdotum collegia, etc.; et significat aliquid jure ac legitime judicare, statuere, constituere, definire, imperare (It. *decretare, sentenziare, leggitimamente definire*; Fr. *juger, décréter, décider*; Hisp. *decretar, juzgar, sentenciar*; Germ. *entscheiden, urtheilen, beschliessen*; Angl. *to decree, give sentence*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Fin.* 9. 22. Quum senatus triumphum Africano decerneret. *Cæs.* 1. *B. C.* 2. Senatus, quæ vellet, decernere auderet. Adde *Sall. Jug.* 40. *Cic.* 4. *Verr.* 67. 161. Centuripinorum senatus decrevit populusque jussit, ut etc. *Id. ad Capiton.* post *ep.* 16. *l.* 16. *Att.* § 11. Consules de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios. *Id.* 3. *Verr.* 46. 120. *de Verre prætore.* Alias revocabat eos inter quos jam decreverat: alias inter alios contrarium sine ulla religione decernebat etc. *Id.* 5. *ibid.* 3. 7. Si qua in re contra rem meam decresset aliquid. *Id. Dom.* 9. 24. Decreta lege sanxit, ut etc. *Id. ibid.* 28. 74. Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani, aut montani, qui non amplissime de mea salute decreverint. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Druides, si cædes facta, decernunt. *Id.* 1. *B. C.* 5. De imperio Cæsaris decernitur. *Nepos Timol.* 3. Neque postea Syracusis res ulla gesta est publica, de qua prius sit decretum, quam Timoleontis sententia cognita. *Cic.* 11. *Phil.* 8. 19. Imperium viro decrevit. *Id. Prov. cons.* 15. 37. Provinciam desponsam, non decretam habere. *Sall. Jug.* 73. Decernere provinciam. *Liv.* 21. 6. Provincias decernentes consulibus. Adde *eumd.* 27. 25. *Cic.* 3. *Fam.* 10. Ego censui, sumptus legatis quam maxime ad legem Corneliam decernendos. *Id.* 7. *Att.* 1. 6. Annuus sumptus mihi decretus. *Sall. fragm. Hist.* 1. 19. Decernere legatos, pacem. *Liv.* 41. 7. et 42. 36.; et *Vellej.* 2. 18. alicui bellum. *h. e.* demandare. *Liv.* 4. 50. quæstionem. *Sueton. Tib.* 4. Cunctis turbarum metu abolitionem facti decernentibus. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 9. Decernere pecuniam ad ludos. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. et *Nepos Miltiad.* 6. Decernere honores aut statuas alicui. *Nepos Alcib.* 7. Omnes alicui decreti honores. Adde *Tac.* 4. *Hist.* 39. Cf. *Cic.* 2. *Orat.* 85. 347. Decreta virtutis præmia. Adde *eumd.* 15. *Fam.* 4. 11.; *Cæs.* 7. *B. G.* 43.; *Sall. Cat.* 30.; *Liv.* 5. 36.; *Quintil.* 10. 1. 29.; et *Sueton. Claud.* 15. et 17.; *Cæs.* 6., 19. et 45., *Tib.* 58. et 61., *Aug.* 52. et *Galb.* 23. — Senator quoque sententiam dicens, *decernere* dicitur. *Cic.* 1. *Fam.* 1. Hortensii et mea sententia tibi decernit, ut regem reducas. *et ibid.* Crassus tres legatos decernit. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. *circa med.* Decrevi, ut in fastis Bruti nomen adscriberetur. *et paullo post.* Bruto decrevi honores, decrevi Planco. *Sall. Cat.* 50. Silanus supplicium sumendum decreverat. Adde *eumd. Jug.* 104.

II.) Translate, *h. e.* metaphora sumpta a curia et magistratibus, *decernere aliquid* est decidere, definire, remota dubitatione in perpetuum terminare. *Plaut. fragm.* apud *Non.* p. 285. 26. *Merc.* Qui nequeas, nostrorum uter sit Amphitruo, decernere. *Ter. Adelph.* 4. 2. 5. Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo satis decernere. *Cæs.* 1. *B. C.* 35. Neque sui judicii, neque suarum esse virium decernere. *Liv.* 5. 55. Sed rem dubiam decrevit opportune missa vox. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 27. Id vitium numquam decrevi esse adolescentiæ. *Cic.* 2. *Fam.* 6. 3. Neque vero cuiquam salutem ac fortunas suas tantæ curæ fuisse umquam puto, quantæ mihi sit honos ejus, in quo omnia mea posita esse decrevi. *Id.* 13. *Att.* 15. 7. Nihil impertisti tuæ prudentiæ ad salutem meam, quod in me ipso satis esse consilii decreras. *pro* decreveras. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 15. Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent. *Liv.* 21. 56. Decernere, qua opes ferrent. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 48. (128). De ratione ventorum menstrua, quarta maxime luna decernit. *h. e.* definit quodam modo, quinam venti eo mense futuri sint. *Id.* 17. *ibid.* 27. 46. (258). Justum existimant, in denos pedes quadratos agri modios tres fimi: id quidem soli natura decernet. *Id. ibid.* 22. 35. (190). De his Catonis præcepta decernent. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 215. Candida Tartareo nuptum Proserpina regi Jamdudum decreta dari.

2.°) *Decernere* a curia et magistratibus translatum est etiam ad bellum pro decertare, dimicare, rem et eventum belli armis decidere, quod Græcis est κρίνειν et διακρίνειν τὸν πόλεμον.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Orat.* 73. 317. Certamen vitæ gladiatorium, quo ferro decernitur. *Nepos Eumen.* 9. *extr.* Diem unum opperitur ad lassitudinem sedandam militum, quo integriore exercitu decerneret. *Cic.* 7. *Att.* 3. *circa med.* Decernere armis. *Virg.* 11. *Æn.* 695. acie, ferro. *Nepos Miltiad.* 4. acie. *Al. leg.* contendere. *Id. Hann.* 10. classe. *Justin.* 13. 8. 4. prælio. *Sueton. Ner.* 26. lapidibus. *Auct. B. Afr.* 14. Decernere contra magnam vim hostium artificio magis, quam viribus. Sic *Virg.* 3. *G.* 218. *de tauris.* Cornibus inter se subigit decernere amantes. *Liv.* 28. 14. Nec ipsa (*pugna*) per se decerni poterat. ubi *decernere pugnam* est decidere, victoria in alterutram partem inclinante. Sic *Id.* 28. 33. Missis levibus telis, quæ irritare magis, quam decernere pugnam poterant, gladios nudant. *Cic.* 10. *Fam.* 10. Quamquam in uno prælio omnis fortuna reipublicæ disceptat: quod quidem, quum hæc legeres, jam decretum arbitrabar fore. *Liv.* 25. 41. Haud magna vis certaminis fuit: primus clamor atque impetus rem decrevit. Adde *eumd.* 10. 19. *Nepos Hann.* 4. Cum eodem de Clastidio apud Padum decernit: saucium inde ac fugatum dimittit. Adde *Liv.* 2. 14., 1. 15. et 36. 17. *Id. Liv.* 21. 41. Trahere (*hostem*) ad decernendum. Adde *eumd.* 37. 13. et 3. 62. *Curt.* 3. 2. 1. Darius statuit ipse decernere.

II.) Translate ponitur generatim pro certare, decertare, præcipue in re forensi. *Liv.* 40. 8. *sub fin.* Decernite criminibus; mox ferro decreturi. *Cic.* 2. *Orat.* 49. 200. Pro sua fama fortunisque decernere. *h.* e. judicio contendere. *Id. Quinct.* 2. 6. Uno judicio de fortunis omnibus decernere. Adde *Quintil.* 12. 7. 5. Rursus *Cic.* 10. *Att.* 9. Utinam meo solum capite decernerem. *Id.* 8. *ibid.* 5. 2. Pendeo animi expectatione Corfiniensi, in qua de salute reipublicæ decernitur.

B) In re privata decernere est proprio consilio ac voluntario statuere, constituere; et usurpatur cum Infinito, aut cum Accusativo et Infinito. *Lucilius* apud *Jul. Rufinian. de Figuris* in *Epagoge*. Situ fluctus tollere decreris. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 73. Quam decrerim me non posse diutius habere. *Cic.* 6. *Att.* 6. Decreram enim cum eo valde familiariter vivere. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Cæsar his de causis, quas commemoravi, Rhenum transire decreverat. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 5. et 53. *Sall. Cat.* 4. Reliquam ætatem a republica procul habere decrevi. *Nepos Miltiad.* 3. Darius, exercitu trajecto, Scythis bellum inferre decrevit. *Id. Alcib.* 4. Decreverunt illud tempus expectandum. Adde *Sueton. Aug.* 38. — Hinc *decretum est*, h. e. certum est. *Plaut. Asin.* 1. 1. 58. Eos me decretum est persequi mores patris. *Id. Aulul.* 3. 6. 33. Mihi bibere decretum est aquam. Adde *eumd. Stich.* 1. 3. 65. *Ter. Heaut.* 3. 1. 56. Sumat, consumat, perdat: decretum est pati. *Liv.* 2. 45. Itaque certum atque decretum est, non dare signum, nisi etc. Adde *Tac. Agric.* 33. — Metaphoricus et singularis est usus in illo *Plinii* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (318). Parvis prelis, et minori torculario, ædificio breviore, malo in medio decreto. *h. e.* statuto, defixo: alii tamen legunt *erecto: Sillig* rectius putat legendum *directo. V.* ibi adnotat. — Hinc a Part. præter. pass. *Decretus, a, um*, cujus superius exempla retulimus,

Decretum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est ¶ 1. Id quod re cognita ac deliberata decernitur; curiæ, magistratuum, sacerdotalis collegii etc. statutum, constitutio, sententia. *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Hoc decreto senatus. *Id.* 6. *B. G.* 12. Stare decreto. *et ibid.* Parere decretis. *Id.* 6. *ibid.* 13. Druidum decretum. *Cic. Mur.* 13. 29. Vestra decreta. *Id. Rosc. Am.* 9. 25. Decurionum decretum statim fit, ut etc. *Id. Dom.* 28. 74. Amplissima atque ornatissima decreta facere. *Id.* 4. *Verr.* 48. 119. Qui Romæ totum edictum atque omnia decreta vendidit. *Id.* 2. *leg. Agr.* 17. 44. Decreto aliquid petere. *Id.* 13. *Fam.* 56. Neque ex edicto, neque ex decreto depositam pecuniam habuisse. *Id. ad Planc.* 2. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Interponere decretum. *et ibid.* Servare decreta. Adde *eumd.* 5. *Phil.* 4. 12. *Horat. carm. sæc.* 17. patrumque Prosperes decreta super jugandis feminis. Adde *Quintil.* 5. 2. 5. et 2. 13. 15.; *Sueton. Aug.* 58., *Galb.* 23., *Claud.* 6. et *Ner.* 33. *Gell.* 6. 10. Sancire decretum. *Propert.* 2. 23. 87. Tyndaris externo patriam mutavit amore, Et sine decreto viva reducta domum. *h.* e. quum in ipsam nihil decerneretur inclementius. ¶ 2. Decreta dicuntur Gr. δόγματα, hoc est principia ac placita philosophorum. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 9. 29. Quoniam id haberent Academici decretum (sentitis enim jam me hoc δόγμα dicere), nihil posse percipi. *Seneca Ep.* 94. Ipsa decreta philosophiæ constitutionem esse summi boni. Adde *eumd. Ep.* 95., ubi plura hac de re.

DĒCERPO, pis, psi, ptum, pere, a. 3. (de *et* carpo). Apud *Caton. R. R.* 112. pro *decerpito* alii leg. *decarpito.* — Part. *Decerpens* et *Decerptus* I. et II. 1.; *Decerpendus* I. — Decerpo est carpendo detraho, ut proprie fit quum poma ex arboribus, vel flores ex plantis manu legimus (It. *tirar giù cogliendo*; Fr. *détacher en cueillant*; Hisp. *desatar cogendo*; Germ. *abpflücken, abpflückend wegnehmen*; Angl. *to pull or pluck off, pull away, crop, gather*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 112. Acina de uvis miscellis decerpito. *Lucret.* 1. 927. juvatque novos decerpere flores. *Horat.* 1. *Od.* 7. 7. Undique decerptam fronti præponere olivam. *Id. Epod.* 2. 19. Decerpere pira et uvam. *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*) 4. 8. Quoties abundantibus pomis arbor onerata est, decerpenda sint aliqua. *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 19. Et magis adducto pomum decerpere ramo, Quam de cælata sumere lance juvat. *Id.* 5. *Met.* 536. Puniceum curva decerpserat arbore pomum. *Id.* 11. *ibid.* 112. Decerpere aristas. *Id.* 1. *ibid.* 645. Decerptæ herbæ. *Id.* 5. *Fast.* 255. Decerpere pollice florem. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 21. folia. Adde *Sueton. Galb.* 1. et *Juvenal.* 14. 253. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 18. (38). Decerpta cotonea. *Id.* 12. *ibid.* 7. 14. (26). Decerptæ siliquæ. *Id.* 23. *ibid.* 7. 71. (138). Decerptus ramus. *Id.* 21. *ibid.* 10. 31. (56). Thymum decerpunt apes. *Id.* 16. *ibid.* 31. 56. (128). E radicibus montani prætenuia fila decerpentes, spectabiles lagenas nectunt.

II.) Improprie. ¶ 1. Metaphora sumpta a super. paragr., decerpi dicuntur ilia, etiam abstracta, quæ pomorum et florum more quasi carpendo alicunde detrahuntur. *Catull.* 68. 126. *de columba*, quæ multo dicitur improbius Oscula mordenti semper decerpere rostro. *Virg. Cop.* 33. Candida formosæ decerpens ora puellæ. *Cic.* 2. *Orat.* 56. 229. Ne quid jocus de gravitate decerperet. *Id. Marcell.* 2. 7. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil rohors, nihil turma decerpit. *Id.* 5. *Tusc.* 13. 38. Humanus animus decerptus ex mente divina. *Quintil.* 12. 10. 79. Omnia, nisi decerpantur, arescunt. *Id.* 4. 1. 23. Decerpere aliquid in usum principii orationis. *Id.* 10. 1. 72. Habent tamen comici, si cum venia legantur, quædam, quæ possis decerpere. Adde *eumd.* 10. 5. 21.; et *Plin.* 8. *Ep.* 24. et 9. *ibid.* 20. ¶ 2. Hinc est etiam percipere, colligere, frui. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 79. unde laboris Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus. *Sil. It.* 4. 138. Dum primæ decus affectat decerpere pugnæ. *Stat.* 6. *Theb.* 165. et voris decerpsit murmura primæ. *Propert.* 3. 7. 49. Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris. ¶ 3. Denique ponitur et pro imminuere, ad nihilum redigere. *Quintil.* 6. *proœm.* 10. Esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat, invidiam. *Val. Max.* 5. 2. 7. De principatu decerpere. *h.* e. imminuere. *Seneca* 1. *Controv.* 2. *circa med.* Illibatam virginitatem decerpere. *h. e.* imminuere, violare.

DĒCERPTĬO, ōnis, f. 3. actus decerpendi. *Non. p.* 187. 9. *Merc.* Demptio, vel decerptio.

DĒCERPTUS, a, um. *V.* DECERPO.

DĒCERTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus decertandi, concertatio, dimicatio. *Cic.* 11. *Phil.* 9. 21. Harum rerum omnium decertatio consulibus optimis et fortissimis commissa et commendata est. Adde *Cod. Theod.* 7. 20. 2. § 2.

DĒCERTĀTOR, ōris, m. 3. qui decertat. *Cassiod.* 3. *Hist. Eccl.* 16. In Dorostolo, insigni Thraciæ civitate, Æmilianus invictissimus decertator a Capitolino, universæ Thraciæ judice, igni traditus est. *Id. ibid.* 34. Invidens decertatoribus veritatis in appellatione martyrii pariter et honoris.

DĒCERTĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad decertationem spectans. *Quintil.* 6. 4. 6. Pugna decertatoria. *h.* e. altercatio. Alii leg. *decertoria*; alii vero rectius *decretoria*.

DĒCERTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒCERTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (de *et* certo). Part. *Decertans* II. 2.; *Decertatus* I. 2.; *Decertandus* II. 1. — Decerto est valde certo, seu certo usque ad finem, certando rem definio; contra *certare* est tantum contendere: usu tamen venit, ut alterum pro altero verbo usurparetur; sic apud *Cæs.* occurrit tantum *decertare*, apud *Sall.* tantum *certare*, apud *Cic.* modo *decertare*, modo *certare* (It. *combattere, guerreggiare sino alla fine*; Fr. *combattre, lutter, vider un différend*; Hisp. *combatir, pelear*; Germ. *einen entscheidenden Kampf bestehen, bis zur Entscheidung, ans Ende kämpfen*; Angl. *to contend vehemently*). Usurpatur ¶ 1. Stricto sensu in rebus bellicis. — *a*) Cum addito Ablativo modi, quo certatur. *Cæs.* 1. *B. G.* 50., 7. *ibid.* 77., item 3. *B. C.* 37. et 51. et 86. Decertare prælio. *Id.* 3. *B. G.* 23. pugna. *Id.* 3. *B. C.* 19. Ne cives cum civibus armis decertarent. *Cic. Dom.* 24. 63. Decertare vi et armis contra vim. *Nepos Hann.* 10. classe. *Liv.* 21. 42. et 6. 3. ferro. Sic *Ovid.* 14. *Met.* 803. Pace tamen sisti bellum, nec in ultima ferro Decertare placet. *h.* e. usque ad internecionem bellum gerere. *Cic.* 1. *Off.* 23. 81. Cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu. *Id.* 10. *Phil.* 10. 20. Pro libertate vitæ periculo decertare. — Huc pertinet et illud *Ovid.* 4. *Fast.* 101. Cum mare trux aries cornu decertat. — *b*) Omisso Ablativo modi. *Auct. B. G.* 8. 7. Ne, miseriore ac duriore postea conditione, cum toto exercitu decertare cogerentur. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Ut potius in suis, quam alienis finibus decertarent. *Id.* 1. *B. G.* 44. Si iterum experiri vellnt, paratum se decertare. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 19.; *Auct. B. Alex.* 16.; *Sueton. Oth.* 9. et *Tac.* 2. *Hist.* 32. Sic *Cic.* 1. *Off.* 23. 80. Quare expetenda quidem magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo. — Passive impersonaliter. *Cic. Amic.* 8. 28. Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum est, Pyrrho et Hannibale. *Auct. B. Afr.* 19. *extr.* In campis planissimis purissimisque ab hora diei quinta usque ad solis occasum est decertatum. — Huc pertinent et illa Poetarum propria. *Claudian.* 1. in *I. Cons. Stilich.* 21. Decertati labores. *h.* e. decertando et belligerando exhausti. *Stat.* 1. *Theb.* 2. Fraternas acies alternaque regna profanis Decertata odiis. *h. e.* usque ad exitium certata. Cf. *eumd. ibid.* 479. ventis ut decertata residunt Æquora. *h.* e. post finem certaminis ventorum tandem residunt. — Et cum Dativo de inanimis. *Horat.* 1. *Od.* 3. 13. Præcipitem Africum decertantem Aquilonibus. ¶ 2. Item de quocumque certamine et contentione civili. *Cic.* 5. *Fin.* 2. 5. Locus, ubi Demosthenes et Æschines inter se decertare soliti sunt. *Id. Planc.* 36. 87. Sed erat non jure, non legibus, non disceptando decertandum. *Id.* 2. *Phil.* 1. 2. An decertare mecum voluit contentione dicendi? — *Gell.* 10. 18. Ἀγῶνα laudibus ejus dicundis facit, ponitque præmia pecuniæ aliarumque rerum bonarum amplissima. Ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio etc. *h. e.* certatim prædicandas.

DĒCERTŌRĬUS. *V.* DECERTATORIUS.

DĒCERVĪCĀTUS, a, um, adject. cui cervix dempta est, decollatus. *Sidon.* 3. *Ep.* 3. *a med.* Quos humari nox prohibuerat, decervicatis liquere cadaveribus.

DĒCESSĬO, ōnis, f. 3. actus decedendi, abitus, discessio (It. *partita*; Fr. *action de s'en aller, départ*; Hisp. *partida*; Germ. *das Abgehen, Weggehen, der Abgang*; Angl. *a departing, departure*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Fam.* 4. 17. Is mecum sæpe de tua mansione et decessione communicat. *Id.* 2. *Divinat.* 15. 36. Hæc decessio capitis jecinoris, aut accessio subito ne fieri potest? ¶ 2. Specialim de discessu magistratus, finito imperio provinciali. *Id.* 6. *Att.* 5. *ad fin.* Mihi decessionis dies λεληθότως obrepiat. *Id. Pis.* 36. 89. Quum sustentare vix posses dolorem decessionis. Adde *eumd.* 1. *ad Q. fr.* 1. 1.

II.) Improprie. ¶ 1. Decessio est idem ac deminutio. *Cic. Tim.* 6. Neque enim ulla decessio fieri poterat, neque accessio. *Id. Rabir. Post.* 11. 30. Decessionem de summa facere. *Terent. Clem. Dig.* 29. 4. 28. *extr.* Decessionem patietur is cui restituta fuerit hereditas. *h.* e. deminutionem, detrimentum. — Et de morbis *Cels.* 3. 3. *ad fin.* Aliæ febres diem noctemque accessione et decessione implent. *Id.* 2. 4. Ut per accessionem increscant, per decessiones molliantur. ¶ 2. Ponitur et pro morte. *Spartian. Did. Jul.* 7. *extr.* Decessio Juliani. ¶ 3. *Gell.* 13. 29. appellat *decessionem verborum*, cum verba ex ea significatione, in qua nata sunt, in aliam longe, vel proximam decesserunt.

DĒCESSOR, ōris, m. 3. qui jam magistratu functus de provincia decessit, et successori tradidit. Usurpatur relative ad successorem: et *decessorem suum* vocat successor, cui ipse in provincia administranda, aut alia quavis re, dignitate, seu officio succedit. *Cic. fragm. orat. Scaur.* (edente *A. Peyronio*) p. 81. *n.* 33. Successori decessor invidit. *h.* e. Scauro consulatum petenti Appius jam consul invidit. *Tac. Agric.* 7. Agricolam vicesimæ legioni præposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur: ita successor et ultor electus etc. *Ulp. Dig.* 1. 16. 4. § 4. Recte faciet, si edictum decessori suo miserit.

DĒCESSUS, a, um. *V.* DECEDO.

DĒCESSUS, us, m. 4. decessio, abitus, discessio.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Nepos Timol.* 2. Post Dionysii decessum. ¶ 2. Specialim pro decessione magistratus ex provincia. *Cic.* 2. *Phil.* 38. 97. An Creta post M. Bruti decessum potuit liberari? *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 10. *sub fin.* Quod ad tuum decessum attinet, me curaturum, ut tibi succedatur. Adde *Cæs.* 8. *B. G.* 49. et *V.* ibi adnotata ab *Herz.*

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur pro deminutione. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Carinæ aliquanto planiores, quo facilius vada ac decessum æstus excipere possent. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 47. (168). Ab Nili decessu serere solitos. — Et de morbis. *Cels.* 3. 12. Sub decessu febris cibum sumat. Adde *Gell.* 4. 2. ¶ 2. Item pro morte. *Cic. Amic.* 3. 10. Angi decessu ami-

corum. *Cenotaph. Pisan.* apud *Orell.* 643. NONDVM QVIETO LVCTV QVEM EX DECESSV L. CAESARIS FRATRIS EIVS – COLONIA VNIVERSA SVSCEPERAT.

DĔCET, cebat, cŭit, cere, impers. 2. Si quis usurpari velit etiam in primis personis, habet in voce *Dedecet* in fin. quo se tueatur. — Part. *Decens* in fin. — Ceterum *decet*, quod v. nusquam occurrit apud *Cæs.*, significat aptitudinem, honestatem, convenientiam, quæ in re quaque inest ratione alterius rei. *Cic.* enim *Orat.* 22. 74. decere declarat, quasi aptum esse consentaneumque tempori et personæ: quod cum in factis sæpissime, tum in dictis valet, in vultu denique et gestu et incessu: contraque item dedecere. Sic *Id.* 3. *Orat.* 55. 210. Nunc quid aptum sit, hoc est quid maxime deceat in oratione videamus. — Etymologi ducunt a δεῖει pro δεῖ *oportet*, c inserto, ut a σπεος est *specus*: et sane *decere* aliquando significat officium, et pro *oportere* ponitur: quamquam et quod decet, oportet ut fiat (It. *è decente, conviene, sta bene*; Fr. *il convient, il est convenable, il sied*; Hisp. *conviene*; Germ. *es ziert, steht wohl an, daher es geziemt, schickt sich*; Angl. *it becomes, is becoming or proper, beseems, behoves, is right, fit, suitable, or meet*). Usurpatur autem — 1.°) Cum Nominativo rei et — *a*) Accusativo personæ aut rei, quæ personæ locum tenet. — In singulari numero. *Plaut. Most.* 1. 3. 10. Contempla, satin' hæc me vestis deceat. *Titinius* apud *Non.* p. 548. 11. *Merc.* Et quem colos cumatilis decent. *Propert.* 4. 4. 53. Te toga picta decet. *Horat.* 3. *Od.* 15. 8. Non si quid Pholoen, satis Et te, Chlori, decet. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 7. 44., 17. 23. et 18. 30. *Ovid.* 2. *Fast.* 757. Hoc ipsum decuit. *Quintil.* 10. 3. 15. Quid personam deceat. *Id.* 11. 1. 14. Quod omnes et semper et ubique deceat. — *Ovid.* 2. *Fast.* 105. capit ille coronam, Quæ possit crines, Phœbe, decere tuos. *Quintil.* 11. 3. 84. Brachii projectio continuos locos maxime decet. *Id.* 11. 1. 93. Simplicitas illa mire tenues causas decet, majoribus – magis convenit. — In plurali numero. *Cic.* 1. *Off.* 31. 113. Experiri, quam se aliena deceant. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 32. quem decuere togæ. *Ovid.* 4. *Fast.* 619. Alba decent Cererem. *Val. Flacc.* 7. 416. Parvum parva decent. *Quintil.* 11. 3. 181. Ut aliquem vel omnia, vel plura deceant. — *Ovid.* 1. *Met.* 457. ista decent humeros gestamina nostros. *Quintil.* 8. 6. 43. Duo verba, uni apposita, ne versum quidem decuerint. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 33. (112). Callainæ gemmæ inclusæ decorantur auro, aurumque nullæ magis decent. — *b*) Omisso Accus. personæ. *Cic. Orat.* 21. 70. Ut enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam quid deceat, videre. *Id.* 1. *Orat.* 26. 120. Non faciendo id, quod non decet, impudentiæ nomen effugere debemus. *Id.* 1. *Off.* 31. 111. Nihil decet invita Minerva. *Quintil.* 8. 3. 20. Casus singularis magis decuit. Adde *eumd.* 11. 1. 14. et 45. — In plurali numero. *Plaut. Pseud. prol.* 20. Ubi lepos, joci – decent. *Quintil.* 11. 3. 150. Neque eadem in voce, gestu, etc. similiter decent. — *c*) Cum Dativo personæ. *Plaut. Amph.* 2. 2. 188. Istuc facinus – nostro generi non decet. — 2.°) Cum Infinito activo et — *a*) Accusativo personæ. *Plaut. Amph.* 1. 3. 24. Non te mihi irasci decet. Sic *Cic.* 4. *Tusc.* 25. Oratorem irasci minime decet. Rursus *Plaut. Rud.* 1. 2. 24. Peculiosum eum esse decet servum et probum, quem etc. *h. e.* oportet, necesse est. *Ter. Eun.* 4. 7. 19. Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet. *Lucret.* 5. 51. nonne decebit Hunc hominem numero divum dignarier esse? *Nepos Att.* 6. Non enim decere se arbitrabatur, quum præturam gerere noluisset, asseclam esse prætoris. *Sall. Cat.* 1. Qui se student præstare ceteris, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant. *h. e.* oportet. *Liv.* 3. 17. Non, quidquid patrum plebisque est, in Capitolium currere, liberare ac pacare augustissimam illam domum Jovis optimi maximi decuit? *h. e.* oportuit. *Ovid.* 3. *Met.* 265. si me sceptra tenere decet. *Quintil.* 11. 1. 22. Ipsos erubescere decet. Adde *eumd.* 11. 1. 59. et 8. 5. 23. *Val. Flacc.* 8. 284. decuit colisse tot vates. — *b*) Omisso Accus. personæ. *Plaut. Amph. prol.* 35. Injusta – impetrare non decet. *Cic.* 3. *Fin.* 19. 64. Ex quo fit, ut laudandus sit, qui mortem oppetat pro republica, quod deceat, cariorem esse patriam nobis, quam nosmetipsos. *Forcellinus* et *Orell.* ita leg.; plerique alii *doceat.* *Horat.* 1. *Od.* 4. 9. Nunc decet caput impedire myrto. *Pers.* 3. 27. An deceat rumpere. — *c*) Cum dativo personæ (*V.* infra sub 3.° *c.*). *Plaut. Capt.* 2. 2. 71. Ne patri decere videatur magis me servire, potius quam etc. Hunc locum attulit *Forcellinus*: sed, bona ejus venia, dativus *patri* pendet, ni fallor, a verbo *videatur*, minime vero a verbo *decere*. *Paul. Dig.* 32. 23. Decet enim tantæ majestati, eas servare leges, quibus etc. Adde *Liv.* 34. 58., cujus verba mox afferentur. — *d*) Et cum Infinito Passivo. *Ter. Andr. prol.* 16. Contaminari non decere fabulas. *Cic.* 1. *Tusc.* 14. 32. Num dubitas, quin specimen naturæ capi deceat ex optima quaque natura? *Id.* 2. *ibid.* 3. 8. Nobis autem videtur, quidquid litteris mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere. Adde *eumd.* 2. *Legg.* 3. 8. et 7. 16. *Virg.* 12. *Æn.* 797. Mortaline decuit violari vulnere divum? — Et cum Dativo *Liv.* 34. 58. Quandoquidem honesta pensamus; sic ut aut sola, aut prima certe, pensari decet principi orbis terrarum populo et tanto regi etc. — Huc pertinet et illud *Sall. Jug.* 53. Quæ ab imperatore decuerint, omnia suis provisa. *subaudi* fieri. — 3.°) Absolute. — *a*) Cum Accusativo personæ. *Ter. Andr.* 2. 5. 10. Facis, ut te decet. *Quintil.* 9. 4. 15. Illum decet: nos *etc.* — *b*) Omisso Accusativo personæ. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 66. Fecisti, ut decuerat. *Id. Eun.* 5. 9. 35. Haud sic decet. *Cic.* 6. *Att.* 3. 8. Quo majorem spem habeo nihil fore aliter, ac deceat. *Id.* 1. *Orat.* 29. 132. Roscium sæpe audio dicere, caput esse artis, decere: quod tamen unum id esse, quod tradi arte non possit. *Virg.* 12. *Æn.* 152. Tu pro germano si quid præsentius audes, Perge, decet. *Quintil.* 8. 3. 42. Probabile Cicero ad genus dicit, quod non plus minusve est, quam decet. — *c*) Cum Dativo. *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 3. 8. 5. hæc habet: Antiqui si addebant statim verbum, Nos decet facere, Nos decet dicere: si non addebant, Nobis decet dicebant. *Plaut. Pers.* 2. 2. 31. Fateor ego profecto me esse, ut decet lenonis familiæ. *Ter. Heaut.* 5. 2. 12. Ubi cui decuit primo. *Id. Adelph.* 5. 8. 5. Hercle ita nobis decet. *Id. ibid.* 3. 5. 45. Hæc ut fiant, deos quæso: ut vobis decet. *Sall. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 8. *Æn.* 127. Locum editiorem, quam victoribus decebat. *Gell.* 9. 15. Adolescens præfatur arrogantius et elatius, quam ætati ejus decebat. Adde *Apul. de mundo* 1. — Hinc Part. præs.

Decens, entis, adjective quoque usurpatur; unde Comp. *Decentior* 1. et 2.; Sup. *Decentissimus* 1. — Decens ¶ 1. Generatim est qui conveniens est, aptus et consentaneus tempori et personæ et rei. *Horat.* 4. *Od.* 13. 17. Quo fugit Venus? heu! quove color? decens Quo motus? Ita *Bentlej.*; *alii* quove color decens? Sic *Quintil.* 11. 3. 29. Corporis motus decens et accommodatus orationi. *Id.* 11. 3. 40. Decentissimus sinus, si aliquanto supra imam togam fuerit. *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 52. Decens amictus. *Quintil.* 11. 3. 156. Decentior amictus. *Tac. Agric.* 44. Si habitum quoque ejus posteri noscere velint, decentior, quam sublimior fuit. *Seneca* 1. *Benef.* 9. Decentissimum sponsaliorum genus, adulterium. *Seneca alter Thyest.* 150. nec dapibus feris Decerni potuit pœna decentior. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 11. Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc sum. *Quintil.* 11. 1. 78. Decentius erit servare pudorem. — Cum Accus. et præpos. *ad.* *Gell.* 6. 11. in *lemmate.* Verba ad officium gravitatis dignitatisque vitæ decentia. ¶ 2. Speciatim refertur ad pulcritudinem. *Propert.* 4. 8. 52. Decens Cynthia. *Horat.* 1. *Od.* 18. 6. Venus. *Id. ibid.* 4. 6. Junctæque Nymphis Gratiæ decentes. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 1. 13. *Ovid.* 1. *Met.* 450. longoque decentia crine Tempora. *Id. Rem. am.* 350. Decens forma. *Id.* 3. *Trist.* 7. 33. facies. *Capell.* 2. p. 30. *de Philologia.* Decentiorque cælitum. *ubi* est comparativum pro superlativo. *Claudian.* VI. *Cons. Honor.* 537. Ipse favens votis solitoque decentior aer. *h. e.* serenior. — Differt tamen a *formoso.* Est enim *decens* pulcher cum honestate et dignitate quadam, decorus. *Sueton. Domit.* 18. Pulcher ac decens, maxime in juventa. *Juvenal.* 6. 161. Sit formosa, decens, dives, fecunda. *Ovid.* 5. *Fast.* 23. placidoque decens reverentia vultu. *Quintil.* 8. 3. 10. Decentior equus, cui adstricta sunt ilia.

DĔCĬBĬLIS, e, adject. decens, qui decet. *Isid.* 10. *Orig. litt.* D. Hinc (*scil.* a vocabulo Decens) et Decorus et Decibilis.

DĔCĬDO, cidis, cidi, cidere, n. 3. (de et cado). Part. *Decidens* I. — Decido est deorsum cado (It. *cader giù*; Fr. *tomber de, tomber, choir*; Hisp. *caer*; Germ. *von oben, von der Höhe herab–, herunter–, abfallen*; Angl. *to fall from, fall down*).

I.) Proprie. *Plaut. Cas.* 5. 2. 42. Decidere præcipitem de lecto. *Id. Pers.* 4. 4. 45. in foveam. *Ter. Phorm.* 4. 4. 27. Anguis decidit de tegulis. *Lucret.* 6. 496. In terras decidit imber. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 14. 29. Rursus *Lucret.* 5. 194. Ut non sit mirum, si (*primordia rerum*) in tales disposituras Deciderunt quoque etc. *ubi nota* decidĕrunt *pro* deciderunt. Adde *eumd.* 3. 645. *Cic. Senect.* 19. 71. Poma ex arboribus, si sunt matura et cocta, decidunt. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. Decidere equo. *Nepos Eumen.* 4. in terram ex equo. *Ovid. Ib.* 259. ab equo in arva. *Horat.* 4. *Od.* 10. 3. et *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 36. Decidunt comæ. *Curt.* 7. 3. 21. Flumina in rubrum mare decidunt. *Frontin.* 8. *Strateg.* 9. 2. aquæ. *Ovid.* 9. *Met.* 345. e flore guttæ. *Id.* 1. *ibid.* 106. arbore glandes. *Id. Heroid.* 14. 46. manu ensis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 59. (164). Glossopetra dicitur cælo decidere. *Id.* 2. *ibid.* 52. 53. (138). Superiora e cælo decidentia obliquos habent ictus. *Sueton. Galb.* 8. Fulmen in lacum decidit. *Phædr.* 1. 3. Pennæ deciderant. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 62. (163). dentes. *Sueton. Galb.* 1. capita statuis. *Id. Domit.* 15. titulus. *Id. Aug.* 95. Tunica ad pedes decidit. *Quintil.* 11. 3. 119. toga. *Ovid. Heroid.* 20. 208. Deciderint pallia. *Id.* 12. *Met.* 339. Decidere in præceps. *Id.* 2. *Art. am.* 2. Decidit in casses præda petita meos. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 42. fugiens hic decidit acrem Prædonum in turbam. *h. e.* incidit. *Petron. Satyr.* 87. Decidere in somnum.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate ponitur pro mori, *h. e.* in terram decidere, in inferna decidere. *Plaut. Trin.* 2. 4. 142. Nemo exstat, qui ibi sex menses vixerit: ita cuncti solstitiali morbo decidunt. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 36. Scriptor abhinc annos centum qui decidit. *Id.* 4. *Od.* 7. 16. Nos ubi decidimus, Quo pater Æneas, quo Tullus dives et Ancus etc. *Stat.* 8. *Theb.* 125. si decidat hostis. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 1. Phœbeo domitus Python cum decidit arcu. — Hinc translate pro deminui, absumi. *Colum.* 12. *R. R.* 20. *sub fin.* Mustum infervefacere, et omnem spumam cum fæcibus expurgare: quo facto decima pars decidet. *Schneiderus* vulgatam hanc lectionem cum *Gesnero* correxit, et *decedet* legit; quod sane probandum. ¶ 2. Metaphorice est de gradu dejici, *h. e.* aliquid amittere. *Ter. Heaut.* 2. 3. 9. Væ misero mihi! quanta de spe decidi! *et ibid.* 4. 8. 11. Quanta spe decidi! *Liv.* 37. 26. Antiochus posteaquam a spe societatis Prusiæ decidit, etc. *Plin.* 5. *Ep.* 10. Labi et decidere ab archetypo. *h. e.* in scribendo multum ab archetypo distare. ¶ 3. Item in mala incidere. *Sueton. Claud.* 9. Decidere ad angustias rei familiaris. *Tac.* 3. *Ann.* 59. Huc decidisse cuncta, ut etc. *Al. leg.* recidisse. ¶ 4. Denique decidere dicitur qui in perniciem, vel maximum infortunium lapsus est. *Nepos Eumen.* 11. *ad fin.* Non virtute hostium, sed amicorum perfidia decidi. *h. e.* victus sum. Cf. *Cic.* 2. *Att.* 21. 4. Nam, quia (*Pompejus*) deciderat ex astris, lapsus, quam progressus, potius videbatur. *V.* integr. locum. *Seneca* 3. *Controv. præfat.* Sæpe illi bene cessit; sæpe decidit. *Tibull.* 3. 1. 20. An toto pectore deciderim. *h. e.* mei oblitus omnino sis. — Huc referri potest et illud *Senecæ* 1. *Controv.* 2. *ad fin.* Unde scimus, an cum convenientibus pro virginitate alio libidinis genere deciderit? *h. e.* virorum libidini succubuerit. *V.* CADO.

DĒCĪDO, cīdis, cīdi, cīsum, cīdere, a. 3. (de et cædo). Licenter secundam syllabam corripit *Capell.* 9. p. 336. Tandem senilem, Martiane, fabulam Sic in novena decidit volumina. Part. *Decisus* I. 1. et 3., et II. 1. — Decido est amputo, abscindo; et de iis fere dicitur, quæ si abscindantur, deorsum cadunt (It. *tagliar giù*; Fr. *couper, retrancher*; Hisp. *cortar*; Germ. *abhauen, eigtl, von oben herab, abschneiden*; Angl. *to cut off*).

1.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Merc.* 2. 2. 37. Decide collum, si falsum est uti loquar. Sic *Curt.* 7. 2. 32. Decisum caput. *Cato R. R.* 45. *Schneid.* Taleas oleaginas, quas in scrobe saturus eris, tripedaneas decidito. *Lucret.* 5. 933. nec altis Arboribus veteres decidere falcibus ramos. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 13. Decidere falce filicem nascentem. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (165). Cum malleolus spargere cœpit caules, deciditur. *Id.* 31. *ibid.* 4. 30. (53). Decisæ silvæ. *Tac.* 12. *Ann.* 14. *ad fin.* De-

cisæ aures. *Sil. It.* 4. 389. improbus ensis Annexam parmæ decidit vulnere lævam. *Seneca Ep.* 90. In quadratum tigna decidere. — Huc pertinet et proverbialis illa dicendi ratio apud *Horat.* 2. *Ep.* 2. 49. Unde simul primum me dimisere Philippi Decisis humilem pennis, etc. ¶ 2. Latiori sensu reperitur et pro valde cædere, hoc est verberare. *Callistrat. Dig.* 47. 21. 2. Si lapides furati sunt, sufficiet eos verberibus decidere. Similis locus est in *Collat. Mos. et Rom. legg.* 6. § 2. Sufficit eos verberibus coerceri. ¶ 3. Item pro incidere. *Calpurn.* 3. *Ecl.* 44. cerasi tua cortice verba notabo, Et decisa feram rutilanti carmina libro. Hæc *Forcellinus*: quamquam et hoc loco *decisa* accipi possit pro *deciso*, h. e. abscisso *libro*.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpissime sumitur pro transigere, componere litem mutuo partium consensu; quia solet in transactionibus et compositionibus decidi, seu detrahi utrimque aliquid ex postulatis contrahentium: fere autem de iis, quæ pro tribunali transiguntur et componuntur; et occurrit — *a*) Cum Accusativo tantum rei, quæ deciditur. *Cic.* 7. *Verr.* 45. 120. Quibus rebus actis atque decisis, producuntur e carcere. *Id. Rosc. com.* 11. 32. Magno tuam dimidiam partem decidisti: magno et tu tuam partem decide. *Id. Quinct.* 4. 17. Decidere et statuere, quid alicui ad denarium solvatur. *Id.* 4. *Verr.* 52. 128. et *Flacc.* 34. 86. Decidere res. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 59. Decisa negotia. *Ulp. Dig.* 42. 1. 56. Res judicata, vel jurejurando decisa. Adde *eumd. ibid.* 9. 4. 22. *Id. ibid.* 18. 3. 4. Decisa quæstio. *African. ibid.* 47. 2. 63. Decidere damnum. Adde *Sueton. Vesp.* 21.; et *Capitolin. Anton. Phil.* 10. — Huc pertinet et illud *Quintil.* 8. 6. 47. Cetera propriis decisa sunt verbis. *h. e.* expressa, explicata. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *Cic.* 4. *Verr.* 32. 79. Qui cum reo transigat, post eum accusatore decidat. *Id. Rosc. Am.* 39. 114. Decidere atque transigere cum aliquo. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 40. 41. (130). Alinnde atque indulgenter fortuna decidit cum eo, qui jure dici non infelix potest. *Ulp. Dig.* 12. 6. 26. *circa med.* Decidere pecunia cum aliquo. — Et passive *Cic.* 3. *Verr.* 48. 125. Dicebat iste, nisi cum muliere decideretur, in possessionem se ire jussurum. — *Cic. Quinct.* 5. 19. Decidere de rebus et rationibus societatis. *Id. Rosc. com.* 12. 35. Qui de sua parte decidit, reliquis integram relinquit actionem. Adde *Justin.* 31. 7. 6. — *c*) Absolute. *Cic.* 5. *Verr.* 48. 114. Ut in singula jugera ternis medimnis decidere liceret. *Al. omittunt præpos.* In. *Seneca Ep.* 95. *ad fin.* Pro libertate decidere. Adde *Aurel. Vict. de vir. illustr.* 55. ¶ 2. Ponitur etiam pro deminuere, imminuere. *Lamprid. Alex. Sev.* 38. Vectigal ad tertiam partem decidere. ¶ 3. Item pro dejicere. *Plaut. Cas.* 2. 4. 18. Ego pol istam jam aliquo vorsum tegulam decidero. *Plerique tamen rectius leg.* dejecero.

DĔCĬDŬUS, a, um, adject. a *decĭdo*, est cadens, caducus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 27. 45. (127). Cornua cervis omnibus annis decidua. *Id. ibid.* 49. 110. (263). Testes pecori ad crura decidui, subus adnexi. *Id.* 2. *ibid.* 20. 18. (82). Ignes decidui ad terras fulminum nomen habet. *Id.* 8. *ibid.* 3. 4. (7). Dentes decidui. *Id.* 2. *ibid.* 8. 6. (28). Decidua sidera. *h. e.* quas stellas cælo labentes vulgus putat, quasque *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 14. appellat *stellas transvolantes*, Itali vero *stelle cadenti*. Rursus *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 60. (226). et *Laberius* apud *Non. p.* 100. 10. *Merc.* Decidua folia. *Prudent.* 3. *Cathem.* 79. imber.

DĒCĪDŬUS, a, um, adject. a *decīdo*, est idem quod *cæduus*, et legitur a quibusdam apud *Ovid.* 8. *Met.* 758. gemitumque dedit decidua quercus. Al. leg. *Dodonia*, alii *de vulnere*, alii rectius *Deoia*. *Plin.* quoque, ubi ait 16. *Hist. nat.* 24. 38. (92). Cato decidua (*folia*) populnea (*al. leg.* a populo) quernaque animalibus jubent dari, non perarida: *cædua* significare videtur: nam si *cadentia* intelligas, ea solent arida esse. Nostri quoque rustici, quam frondem in cibum boum servant, cædere solent, non expectare, dum decidat. Porro locus *Catonis*, unde is desumpsit, videtur esse *R. R.* 5. Frondem populneam, ulmeam, querneam cædito: per tempus eam condito, non peraridam, pabulum ovibus.

DĔCĬES *vel* deciens, adverb. δεκάκις. Quod scribatur et *deciens*, testes sunt *Varro* 9. *L. L.* 88. *Müll.* et *Mar. Victorin. de Orthogr. p.* 2469. *Putsch.* — Decies est decem vicibus (It. *dieci volte*; Fr. *dix fois*; Hisp. *diez veces*; Germ. *zehnmal*; Angl. *ten times*).

I.) Proprie. *Plaut. Stich.* 3. 2. 45. Decies in die mutat locum. *Cic.* 3. *Verr.* 10. 28. Decies centena millia. Adde *Frontin. Aquæd.* 7. et *Liv.* 8. 9. et 33. 42. *Ovid.* 2. *Trist.* 94. Eisque decem decies inspicienda viris. *h. e.* centumviris. *Liv.* 24. 11. Trecenta millia usque ad decies. *Id.* 43. 6. Decies centum millia. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 3. 237. et 240. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 53. 74. (146). Columbæ decies anno pariunt. Adde *Juvenal.* 10. 135. et 14. 28.

II.) Metonymice — *a*) Decies ponitur pro sæpe. *Plaut. Amph.* 2. 1. 27. Equidem decies dixi. *Horat. A. P.* 294. Perfectum decies non castigavit ad unguem. *Id. ibid.* 365. Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit. *Juvenal.* 13. 136. Si decies lectis diversa in parte tabellis. Adde *Catull.* 23. 20.; et *Pers.* 6. 79. — *b*) *Decies centena* pro prægrandi pecuniæ summa usurpabant antiqui, quod priscis illis temporibus minor erat nummorum copia; et nihilominus, etiam crescentibus divitiis, phrasis obtinuit: cf. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10. 47. (131). Non erat apud antiquos numerus ultra centum millia; itaque et hodie multiplicantur hæc, ut decies centena, aut sæpius dicantur. Fœnus hoc fecit nummusque percussus, et sic quoque æs alienum etiamnum appellatur. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 15. Decies centena dedisses Huic parco paucis contento, quinque diebus Nil erat in loculis. — *c*) Dicitur et *decies* absolute pro decies centena millia. *Martial.* 1. 104. Aut vive, aut decies, Scævola, redde deis. Adde *eumd.* 3. 62.

DĔCĬMA, æ, f. 1. *V.* DECIMUS in fin.

DĔCĬMĀLIS, e, adject. ut *Decimales agri*, h. e. decumani, qui decimas solvunt, apud *Tac. Germ.* 29.; ubi alii leg. *decumates* eadem significatione.

DĔCĬMĀNUS *et frequentius* decumanus, a, um, adject. ad decimum pertinens.

I.) Proprie. ¶ 1. Decumanus est pertinens ad decimam, quæ pro vectigali solvebatur: et occurrit — *a*) De rebus. Sic *decumanus ager*, qui decimam partem fructuum pro vectigali solvit reipubl. *Cic.* 5. *Verr.* 6. 13. Omnis ager Siciliæ civitatum decumanus est. — Item *decumanum frumentum* decima pars frumenti, quæ pro vectigali solvitur. *Cic.* 5. *Verr.* 5. 12. et *ibid.* 81. 188. — Eodem sensu *decumanum oleum* dixit *Lucilius* apud *Non. p.* 445. 19. *Merc.*, si modo sana est lectio; quamvis ab aliis accipiatur pro minus puro et viliori; nempe quasi ex decima quaque mensura rejecto et projecto: vel decimando collecto et abjecto. — *b*) De personis. *Decumanus* vel *decumani*, sunt publicani, qui decimas publicas redimunt exiguntque. *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 2. *Verr.* 3. 13. *p.* 130. *Bait.* Aratores frumenti decimam dare populo Romano solent. Hos non una atque altera, sed tribus amplis decimis per mancipes a se subornatos, id est publicanos, qui decumani vocantur, Verres exhausit. Adde *Cic.* 5. *Verr.* 8. 20. — Sic *decumana* absolute, vel *decumana mulier* apud *eumd. Cic. ibid.* 33. 77. et 34. 78. est uxor decumani, quam et mulierculam publicanam *ibid.* vocat. *V.* PUBLICANA. ¶ 2. Decumanus est etiam ad decimam legionem pertinens. Hinc — *a*) *Decumani milites* sunt legionis decimæ, hoc est quæ decimo loco descripta fuit. *Auct. B. Afr.* 16., et *B. Hisp.* 30.; *Tac.* 5. *Hist.* 20.; et *Sueton. Cæs.* 70. *Vopisc. Prob.* 6. Decumanos, fortissimos exercitus sui. *Aurelianus Aug.* apud *Vopisc. Prob.* 6. Ut scias, quanti te faciam, decumanos meos sumo, quos Claudius mihi credidit. Isti enim sunt, qui quadam felicitatis prærogativa præsules, nisi futuros principes habere, non norunt. Adde *Ammian.* 18. 9. 3. et *Frontin.* 1. *Strateg.* 11. 3. et 4. *ibid.* 5. 11. — *b*) In castris *Decumana porta* est ceterarum maxima, aversa hosti. Alii dictam putant a tutela militum decimæ cohortis: ut *Hygin. Gromat. p.* 7. *col.* 2. A cohortibus decimis ibi tendentibus decumana porta est appellata. Adde *Veget.* 1. *Milit.* 23. Per hanc peccantes milites educebantur ad pœnam, teste *eod. Veget. ibid.* Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 24., 3. *ibid.* 25. et 3. *B. C.* 96.; et *Liv.* 3. 5. et 10. 32. ¶ 3. *De limite decumano V.* CARDO.

II.) Improprie *decumanus* accipitur pro magno. Decumana ova, inquit *Paul. Diac. p.* 71. 15. *Müll.*, dicuntur, et decumani fluctus, quia sunt magna: nam et ovum decimum majus nascitur, et fluctus decimus fieri maximus dicitur. *Id. p.* 4. 7. Albesia scuta dicebantur, quibus Albenses usi sunt. Hæc eadem decumana vocabantur, quod essent amplissima, ut decumani fluctus. *Placidi Gloss. ed. A. Mai. p.* 45. Decumanæ, maximæ, a fluctu decimo. — Alii putant ductum hoc a Pythagoreis, apud quos denarius numerus veluti magnificus et sacer fuisse dicitur. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 49. Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes: Posterior nono est, undecimoque prior. *Lucilius* apud *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24. quum omnia in ista Consumis squilla atque acipensere cum decumano. — *Decumana pira* enumerantur a *Colum.* 12. *R. R.* 10. 4. et *Cloatio* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 15. *ad fin.* inter varia pirorum genera: a magnitudine fortasse appellata: nisi malis legere *Decimiana*, quod unice probandum. *Cf. Schneid.* ad *Colum.* l. c.

DĔCĬMĀRĬUS, a, um, adject. ad decimam partem pertinens. Hinc *leges decimariæ* dicuntur, quæ decimas partes hereditatis concedebant uxoribus, pro liberorum numero. *Cod.* 8. 58. in *lemmate*. De infirmandis pœnis cælibatus et orbitatis, et de decimariis (*legibus*) sublatis. — Et *decimarius* dicitur qui decimas pendit, apud *Ambros.* in *Psalm.* 118. *serm.* 8. Sin autem vocatur a Domino, ipse mihi dicitur, hoc est non alii tributarius, non decimarius, non de possessione munificus.

DĔCĬMĀTĬO *vel* decumatio, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est supplicium militare, cum decimus quisque miles sorte lectus occiditur. *Capitolin. Macrin.* 12. Clementem se dicebat, quando eos centesimaret, qui digni essent decimatione atque vicesimatione. *V.* DECIMO. ¶ 2. Pro jure decimas accipiendi exigendique dixit *Vulgat. Ital. Numer.* 18. 21. Filiis Levi ecce dedi omnem decimationem in sortem pro deservitionibus eorum.

DĔCĬMATRUS, dies festi Faliscorum, quod fierent post decimum diem Iduum. *Festus p.* 257. 6. *Müll.*

DĔCĬMĀTUS *vel* decumatus, a, um. *V.* DECIMO, as.

DĔCĬMESTRIS. *V.* DECEMMESTRIS.

DĔCĬMO *vel* decumo, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Decimans* 2.; *Decimatus* 1. et in fin. — Decimare est decimam partem detrahere. Hinc ¶ 1. In re militari decimari legiones dicuntur, quando decimus quisque supplicio afficitur ab imperatore, sorte ducta, cui contingat: cf. *Liv.* 2. 59., et *V.* CENTESIMO. *Sueton. Galb.* 12. Recusantes, atque insuper aquilam et signa pertinacius flagitantes, non modo immisso equite disjecit, sed decimavit etiam. *Id. Aug.* 24. Cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavit. Adde *Frontin.* 4. *Strateg.* 1. 37. *Capitolin. Macrin.* 12. Milites sæpius decimavit. — Et absolute. *Sueton. Cal.* 48. Quin decimare velle perseveraret. — Apud Romanos primus eo supplicio usus videtur App. Claudius, an. U. C. 283., de quo *Liv.* 2. 59. ¶ 2. Præterea *decimare*, seu *decumare* est decimam alicujus rei partem in sacrificium offerre. *Festus p.* 237. 25. *Müll.* Quæ familia, et posteri ejus non defuerunt decumantibus usque ad Appium Claudium censorem. — Hinc Part. præter. pass.

Decimatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Decimatissimus*; et occurrit translate tantum pro electo. *Symmach.* 3. *Ep.* 49. et 51. Vir decumatæ honestatis. Al. utrobique leg. *edecumatæ* eodem sensu. *Id.* 8. *ibid.* 16. Juvenis decimatissimus.

DĔCĬMODIA. *V.* DECEMMODIUS.

DĔCĬMUS et *antiquorum more* decumus, a, um, adject. ultimus ex decem (It. *decimo*; Fr. *dixième*; Hisp. *decimo*; Germ. *der, die, das zehnte*; Angl. *the tenth*).

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 1. 2. 19. Decumo post mense. *Id. Stich.* 5. 4. 26. Decima propinare. *Id. Pseud.* 4. 2. 17. In foro vix decimus quisque est, qui ipsus sese noverit. *Ter. Adelph.* 3. 4. 29. Mensis decimus est. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Hora diei decima. Adde *eumd.* 1. *Invent.* 53. 54. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Cum decima legione. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 23. *Virg.* 6. *Æn.* 155. decumum quos distulit Hector in annum. Sic *Tac.* 6. *Ann.* 27. Decimus annus. *Gell.* 18. 2. *extr.* Ennius in decimo tertio Annalium. *Aurel. Vict. Cæsar.* 12. Mense sexto ac decimo. *Inscript.* apud *Orell.* 2275. LEGIO DECIMA.

II.) Per metonymiam ponitur pro magno. *Ovid.* 11. *Met.* 530. Vastius insurgens decimæ ruit impe-

tus undæ. h. e. fluctus decumanus, Græce τρικυμία. Adde *Sil. It.* 14. 122. et *Val. Flacc.* 2. 54. Eodem sensu *Lucan.* 5. 672. dixit *decimo undæ volumine.* *V.* DECIMANUS. — Hinc

Decimum, adverbii more, est decima vice. *Liv.* 6. 40. Nos reficietis decimum tribunos.

Decimo quoque est adverbium ejusdem significationis: agnosciturque a *Diomed.*, *Priscian.* etc., sed cum eo tamen discrimine, quod est inter *tertium* et *tertio*.

Decima, *æ*, f. 1. (subaudi *pars*) absolute, substantivorum more, ¶ 1. Est frugum, aliarumve rerum pars decima, quam diis ac præsertim Herculi (de qua *V. Bullett. Archeol. a.* 1845. *p.* 74. *et seq.*). vovere solitos veteres, docet *Varro* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 12., unde non solum viscerationem, sed etiam epulum præbere populo mos ditioribus fuit. Adde *eumd.* 6. *L. L.* 54. *Müll.*; ac præcipue *Aurel. Vict. Orig. gentis R.* 6. *Nævius* apud *Priscian. p.* 874. *Putsch.* et *Liv.* 5. 21. *decimam partem* appellant. Sic *Id. Liv.* 5. 23. Ut qui se domumque religione exsolvere vellet, cum sibimet ipse prædam æstimasset suam, decimæ pretium partis in publicum referret, ut ex eo donum aureum dignum amplitudine templi ac numine dei ex dignitate populi Romani fieret. — Absolute. *Cic.* 2. *Off.* 17. 58. Oresti nuper prandia in semitis decumæ nomine, magno honori fuerunt. *Justin.* 20. 3. 3. et 18. 7. 7. Decumas prædæ. *Paul. Diac. p.* 71. 19. *Müll.* Decima quæque veteres diis suis offerebant. — *Decima decimarum* est pars centesima. *Hieronym. Ep.* 64. *n.* 2. Æditui et janitores accipiunt decimas, et rursus decimas decimarum offerunt sacerdotibus, tanto illis minores, quanto ipsi majores populo. ¶ 2. Item quæ pro vectigali solvitur reipublicæ. *Cic.* 5. *Verr.* 10. 25. Quantum decumanus edidisset aratorem sibi decumæ dare oportere. *Id. ibid.* 39. 88. Magnas decumas imponere. *et ibid.* § 89. Vendere decumas. *et ibid.* 41. 97. Frumentum omne in decumas auferre. *et ibid.* 47. 112. Ut quot jugera sunt sata, totidem medimna decumæ debeantur. *et ibid.* 48. 115. Pro singulis decumis ternas decumas dare. *et ibid.* 46. 110. Redimere decumas. *et ibid.* 16. 42. exigere. *et ibid.* Pecuniam pro alteris decumis solvere. — *Decima hereditatium et libertatis*, fuit novum vectigal a Caracalla constitutum pro *vicesima hereditatium* et *libertatis*. Cf. *Collat. leg. Mos. tit.* 16. *in fin.*; et V. *Spanhem. Orb. Rom. p.* 208. ¶ 3. De decimis missilium et tesserarum, quæ populo spargi solitæ dicuntur, apud *Sueton. Cal.* 28. et *Galb.* 15. et *Tac.* 1. *Hist.* 20., consule interpretes ad ea loca. Est enim res satis perplexa. ¶ 4. De decima hereditatis parte. *Quintil.* 1. 6. 19. Decimas uxoribus dari. — *NB.* De prænom. Rom. *Decimus* et de nom. propr. *Decima*, *V.* ONOM.

DĒCĬNĔRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *decinero*, in cinerem redactus. *Tertull. advers. Valentinian.* 32. *ad fin.* Ignis ipse decineratis omnibus in nihilum finietur.

DĒCĬNĔRESCO, is, ere, n. 2. in cineres abeo. *Tertull. Apolog.* 48. *extr.* Ut nullo jam igni decinerescat.

DĒCĬPĬO, cĭpis, cēpi, ceptum, cĭpere, a. 3. (de *et* capio). Part. *Decipiens*, *Deceptus*, *Decepturus* et *Decipiendus*. — Decipere proprie est aves et cetera animalia retibus aliove modo capere: sed occurrit translate tantum pro circumvenire, fallere, capere, in fraudem inducere (It. *ingannare*; Fr. *tromper, duper*; Hisp. *engañar*; Germ. *fangen, bestricken, hintergehen, täuschen*; Angl. *to deceive, beguile*). Porro usurpatur — *a*) De hominibus. *Plaut. Rud.* 4. 7. 9. Fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis. Adde *eumd. Amph.* 1. 1. 268. *Id. Asin.* 2. 4. 94. Neque deceptus est in eo. *Ter. Andr.* 4. 1. 46. Deceptus sum, at non defatigatus. Adde *eumd. Heaut.* 4. 4. 6. *Cic.* 2. *Divinat.* 56. 116. Amphibolia, quæ Crœsum decepit, vel Chrysippum potuisset fallere. *Id.* 13. *Att.* 13. Nisi forte me communis φιλαυτία decipit. *Id.* 1. *Off.* 10. 32. Quæ conatus quis metu, quæ deceptus dolo promiserit. Adde *eumd. ibid.* 6. 18. *Id. Rosc. Am.* 40. 117. Induxit, decepit, destituit, adversariis tradidit. *Cæs.* 1. *B. C.* 85. Homines imperitos et per colloquium deceptos crudelissime interfecisse. *Id.* 1. *B. G.* 14. Sed eo deceptum etc. *Liv.* 1. 9. Per fas et fidem decepti. *Id.* 36. 40. In prima spe decipi. Adde *Nepot. Datam.* 9. et *Auct. B. Alex.* 37. *Virg.* 8. *Ecl.* 18. Conjugis indigno Nisæ deceptus amore. *Id.* 5. *Æn.* 851. cœli deceptus fraude sereni. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 38. Amatorem turpia amicæ vitia decipiunt. *Id. ibid.* 1. 61. bona pars hominum decepta cupidine falso. *Id. Art. P.* 25. Decipi specie recti. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 18. 79. et 19. 17.; et 2. *Sat.* 2. 30. et 1. *ibid.* 2. 65. *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 22. Victima deceptus decipientis ero. *Sueton. Tib.* 65. Decipi spe. *Id. ibid.* 25. fraude. *Id. Aug.* 19. Janitoribus deceptis. Adde *eumd. Vesp.* 15. *Justin.* 24. 2. 6. Decipi perjurio. Adde *Plin. Paneg.* 66.; et *Quintil.* 4. 2. 64., 5. 7. 26.; 10. 1. 128. et 10. 6. 6. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 92. (145). Deceptus similitudine. *Id.* 18. *ibid.* 24. 56. (204). Festinata sementis sæpe decipit, serotina semper. *Stat.* 9. *Theb.* 295. Solus abi, miseros non decepture parentes. *Val. Flacc.* 1. 411. Et quem fama genus non est decepta Lyæi Plejas. *h. e.* non est decepta, divulgans, esse hunc de sanguine Bacchi. — Poetice *Horat.* 2. *Od.* 13. 38. Dulci laborum (*Prometheus*) decipitur sono. *h. e.* dulci sono Sapphus et Alcæi decipitur laborum, obliviscitur pœnarum, nec sentit. *Bentlej.* legit *laborem*, quemadmodum *Virg.* dixit 1. *Æn.* 717. Expleri mentem nescit. — Ubi quis de mortuis loquitur, habet verbum hoc quamdam ex amore querelam, quod nempe superstes se prius vitam finire optasset, atque speravisset. Ita intelligendum illud *Virg.* 4. *Æn.* 17., ubi Dido extinctum Sichæum respiciens, inquit: Postquam primus amor deceptam morte fefellit. *Inscript.* apud *Gruter.* 605. 8. ALCIBIADES AVG. LIB. ALCIBIADI FIL. DVLCISS. ET DESIDERATISS., CVJVS MORS DECEPIT PATREM SVVM. *vixit* ANNOS XX. *menses* VII. *Dies* XI. *Alia* apud *eumd.* 691. 5. MEMORIAE AETERNAE JVLII ZOSIMI JVVENIS INNOCENTISSIMI, QVI VIXIT ANNIS XXX. M. I. D. III., MELIVS (*corrige* JVLIVS) ZOSIMVS PATER INFELICISSIMVS AMISSIONE EJVS DECEPTVS. *h. e.* morte ejus spe deceptus. *Alia* apud *Catalani, Orig. e Antich. Firmane p.* 35. TERENTIO PAVLINO JVBENI PROBISSIMO, QVI VIXIT ANN. XXXV. MES. II. DIEB. XV. VINDIA RESTVTA MATER ET ATILIA TERTIA CONJVX DECEPTA CVM FILIIS POSVERVNT. B. M. *Inscript. Salonitana* apud *Car. Lanza.* VNO FATO DECEPTI. *Alia* apud *De-Lama, Guida al Mus. di Parma p.* 54. HVNC TITVLVM NATAE GENITRIX DECEPTA PARAVI POST TENEROS MANES ET ACERBAE FVNERA MORTIS. — *b*) De inanimis. *Lucret.* 1. 940. et 4. 16. deceptaque (*puerorum ætas*) non capiatur. *Cic.* 2. *Orat.* 71. 289. Exspectationibus decipiendis et naturis aliorum irridendis, risus moventur. *Ovid.* 3. *Pont.* 9. 11. Error decipit judicium. Cf. *eumd.* 3. *Met.* 431. *Quintil.* 6. 3. 64. Quo opinio decipitur. *Id.* 6. 3. 24. In decipiendis inspectationibus *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 114. Sic tamen absumo decipioque diem. *h. e.* curas diei fallo. *Liv.* 8. 7. Specimen virtutis, deceptum vana imagine decoris. *Pers.* 4. 45. Decipere nervos. *Sil. It.* 4. 35. Alpes et saxa. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 84. (233). Sic jubent citrum pretiosius fieri, sic acer decipi. *h.* e. simulari, pingendo testudinem acerno colore, ita ut acer esse videatur. — Et absolute. *Liv.* 22. 4. Id tantum hostium, quod ex adverso erat, conspexit: ab tergo et super caput decepere insidiæ. — *NB.* Decipere proprie significat *deorsum capio:* quo sensu videtur usurpasse *Apul.* 10. *Met. sub fin.* Montem illum ligneum terræ vorago decepit. *h. e.* deorsum traxit, absorpsit. Sed alii aliter legunt.

DĒCĬPŬLA, *æ*, f. 1. *et*

DĒCĬPŬLUM, i, n. 2. genus laquei ad decipiendas aves, mures, etc. Et translate dolus, fraus. — *a*) Feminino genere, et quidem metaphorice. *Sidon.* 8. *Ep.* 10. *a med.* Per decipulam male blandientis eloquii. *Capell.* 4. *p.* 135. Dudum locuta circulatrix indecens Flex decipula, si adstruxeris. — *b*) Neutro genere. *Apul. florid.* 4. *n.* 18. Decipula adversantium, et artificia dicentium perdiscere. *Id.* 8. *Met.* Nactus fraudium opportunum decipulum. Adde *eumd.* 10. *ibid.* — *c*) Incertum utrum feminino, an neutro genere. *Lævius* (de quo *Gell.* 2. 24.) apud *Fronton.* ad *M. Cæs.* (edente iterum *A. Majo*) 1. *Ep.* 4. Nulla decipula tam insidiosa.

DĒCIRCĪNO, as, are, a. 1. idem quod circino, circulum describo. *Manil.* 1. 296. Majoremque Helice major decircinat arcum. *Id.* 3. 353. *de terra.* Quam tereti natura soli decircinat orbe In tumidum etc. *h. e.* in orbem conformat.

DECIREMIS. *V.* DECEMREMIS.

DĒCĪSIO, ōnis, f. 3. actus decidendi: a *cædo:* amputatio, deminutio, adeoque divisio.

I.) Proprie. *Apul. de Mundo.* Incrementis globi sui, decisioneque luminis menstrua tempora luna significat. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 1. *a med.* Visum est mihi bene se habere, in novem decisiones opus omne dividere. *h. e.* capita, sectiones.

II.) Translate est determinatio, transactio, diremptio controversiæ, ut in DECĪDO II. dictum est. *Cic. Cæcin.* 36. 104. Nostra decisio de æquitate. *Id. Flacc.* 36. 89. Decisionis arbiter C. Cæcilius fuit. V. *Klotz* ad h. l. *vol.* 3. *p.* 899. et 900. *Id. Rosc. Com.* 16. 48. Dicat decisionem esse factam, quæ facta non est. *Id.* 3. *Verr.* 54. 140. Negat, eum sibi illa decisione satisfacere posse. *Ulp. Dig.* 5. 3. 25. *a med.* Decisio quæstionis.

DĒCĪSŪRA, *æ*, f. 1. divisio. *Auct. de limit. p.* 286. *Goes.* Si inveneris recte incisas quatuor lineas, cum diligenter tamdiu facies, ut ab umbilico soli emissum perpendiculum supra punctum decisuræ cadat. At *Lachmann.* legendum putat *decusis* seu *decussis cadat.*

DĒCĪSUS, a, um. *V.* DECIDO.

DĒCĬTANS, antis, particip. verbi inusit. *decito*, compositi ex *de* et *cito*, depropero. *Apul.* Victoriæ quatuor simulacra describens *post init.* 2. *Met.* Facies quaqua pinnis explicitis, sine gressu pilæ volubilis, instabile vestigium plantis roscidis decitantes. *Alii leg.* delibantes; *alii* dejicitantes, *h. e.* dejicientes.

DĒCLĀMĀTĬO, ōnis, f. 3. actus declamandi.

I.) Proprie. ¶ 1. In bonam partem declamatio est domestica exercitatio parandæ eloquentiæ causa, qua oratores veteres seriis causis præludere solebant: item exercitatio illa, qua pueris in ludis ficta quædam themata solent præscribi, quibus ad eloquentiam viam sibi sternant. *Cic.* 16. *Fam.* 21. 6. In quotidiana declamatione utilis. *Id.* 1. *Tusc.* 4. 7. Sic hæc mihi nunc senilis est declamatio. Adde 2. *ibid.* 11. 26. et 3. *Herenn.* 12. 20. *Quintil.* 4. 2. 29. Declamatio est forensium actionum meditatio. Adde *eumd.* 5. 12. 17., 8. 3. 23., 10. 5. 21., 2. 11. 1. et 2. 6. 2. — Extant plures apud *Senecam*, et alias *Quintiliani* nomine *Declamationes*. *V.* CONTROVERSIA. ¶ 2. Interdum et in malam partem accipitur pro inanium verborum jactatione. *Cic. Mur.* 21. 44. Non placet mihi inquisitio candidati —, non declamatio potius, quam persalutatio. Cf. *eumd. Planc.* 19. 47.

II.) Improprie ponitur — *a*) Pro ipsa re, de qua declamando dicimus. *Quintil.* 11. 2. 39. Iterare declamationis partem. Adde *eumd.* 10. 2. 12. et 2. 2. 12.; et *Senec.* 1. *Controv. præfat.* — *b*) Item de eo, qui declamationis de se argumentum præbet. *Juvenal.* 10. 167. Ut pueris placeas, et declamatio fias. Adde *Sueton. Rhet.* 1. Sic *historia, fabula, sermo* usurpantur a *Propert.*, *Horat.*, *Plauto*.

DĒCLĀMĀTĬUNCŬLA, *æ*, f. 1. *deminut. a* declamatio, parva declamatio. *Gell.* 6. 8. Hanc utramque declamatiunculam celebraverint etc. Adde *Sidon.* 1. *Ep.* 4.

DĒCLĀMĀTOR, ōris, m. 3. qui domesticis, vel scholasticis meditationibus se exercet, ut postea seriis in causis sit paratior. *Cic. Orat.* 15. 47. Non declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, sed doctissimum et perfectissimum quærimus. Adde *eumd. Planc.* 34. 83. et V. *Klotz* ibid. *Quintil.* 10. 2. 21. Oratores aut declamatores. Adde *eumd.* 9. 2. 32. et 83., 10. 1. 71., 5. 13. 42., 3. 8. 51. et 10. 7. 21.; et *Juvenal.* 10. 23.

DĒCLĀMĀTŌRĬE, adverb. more declamantium. *Hieronym.* More eorum, qui declamatorie solent loqui ad populum. Hæc cl. *Jac. Bailey* in suo *Auctario*, *Hieronymi* loco non laudato.

DĒCLĀMĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad declamandum pertinens. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 3. *extr.* Et ipse puer magis illo declamatorio genere duci et delectari videtur. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 16. 73. *Quintil.* 2. 10. 9. Declamatorium dicendi genus. *Id.* 5. 13. 46. consuetudo. *Id.* 8. 3. 76. licentia. *Id.* 4. 2. 128. res. Adde *Tac. dial. de Orat.* 14.

DĒCLĀMĀTUS, a, um. *V.* DECLAMO.

DĒCLĀMĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* declamo, verbumque novum *Ciceronis* tempore. — Part. *Declamitans* 1. — Declamitare est se exercere dicendo summo studio ac diligentia. ¶ 1. In bonam partem occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Brut.* 90. 310. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) sæpe cum M. Pisone. *Cic. fil.* 16.

Fam. 21. 5. Declamitare Græce apud Cassium institui. *Quintil.* 12. 11. 15. Declamitare in scholis. — *b*) Cum Accus. *Cic.* 1. *Tusc.* 4. 7. Declamitare causas. ¶ 2. In malam partem. *Cic.* 5. *Phil.* 7. 19. Ipse interea XVII. dies de me in Tiburtino Scipionis declamitavit, sitim quærens. *V.* integrum locum, et adde *eumd.* 2. *ibid.* 17. 42., et *V.* DECLAMO 1.

DĒCLĀMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* clamo). — Part. *Declamans*, *Declamatus* et *Declamaturus* 1. — Declamare proprie est valde clamare; sed occurrit ¶ 1. In bonam partem fere apud Rhetores, et est privatim se exercere dicendo eloquentiæ acquirendæ causa. — *a*) Absolute. *Cic.* 5. *Fin.* 2. 5. Ad fluctum ajunt declamare solitum Demosthenem. Adde *eumd.* 14. *Att.* 12. 2. et *V.* *Ellendt.* ad *eumd.* 2. *Orat.* 20. 86. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 1. Trojani belli scriptorem, maxime Lolli, Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi. *Quintil.* 2. 5. 16. An vero declamabit quidem præceptor, ut sit exemplo suis auditoribus? *Id.* 2. 1. 3. Declamandi magister. *Id.* 10. 5. 21. In declamando quam simillimum esse veritati. *Id.* 11. 1. 55. Quod præcipue declamantibus custodiendum est. *Id.* 11. 1. 83. Neque enim nunc declamamus, sed ostendimus nonnumquam posse etc. Adde *eumd.* 11. 3. 27., 1. 2. 23., 6. 3. 73. et alibi sæpe; *Plin.* 2. *Ep.* 14.; et *Juvenal.* 7. 150. *Sueton.* *Aug.* 4. Tiberius declamans. *Id.* *Rhet.* 6. Declamaturo mos erat. Adde *eumd.* *Aug.* 4., *Ner.* 10. et *Gramm.* 10. *Martial.* 2. 7. Declamas belle, causas agis, Attale, belle. Cf. *eumd.* 4. 81. Declamas in febre, Mathon; hanc esse phrenesim Si nescis, etc. — *Forcellinus* affert etiam locum *Cic.* 5. *Phil.* 7. 19., ubi tamen *Orellius* pro *declamavit* legit *declamitavit*. — *b*) Passive impersonaliter. *Quintil.* 9. 2. 81. In eo, quomodo declamatur, positum est etiam, quomodo agatur. — *c*) Cum Accusativo rei, de qua dicimus. *Quintil.* 3. 8. 61. Declamare suasorias. *Lamprid.* *Alex.* *Sev.* 3. Julius Granianus, cujus hodieque orationes declamatæ feruntur. *h. e.* declamationes. ¶ 2. In malam partem significat etiam veras in foro causas orare, sed fere rabulis tribuitur et ineptis causidicis, immo universim est clamore et conviciis invehi in aliquem. *Cic.* 6. *Verr.* 66. 149. Qui pro isto contra me vehementissime declamasset. *Id.* *Rosc.* *Am.* 29. 82. Quæ mihi iste visus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur. *Id.* 3. *Fam.* 11. Ne in quemvis impune declamare liceret. *Quintil.* 8. 3. 54. Declamare in Pansam. ¶ 3. Denique cum de quotidiana vivendi ratione agitur, declamare est idem quod loqui. *Ovid.* 1. *Art.* *am.* 465. Quis, nisi mentis inops, teneræ declamet amicæ?

DĒCLĀRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus declarandi, manifestatio. *Cic.* 10. *Fam.* 5. 2. Declaratio animi tui, quem habes de republica. *Id.* 15. *ibid.* 21. 3. Liber, quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui! Adde *Apul.* *Dogm.* *Plat.* 3.

DĒCLĀRĀTĪVE, adverb. declarativa ratione, eo modo, qui declarando inservit. *Capell.* 4. *p.* 120. Cum dicimus *Cicero disputat*, si accedat huic sententiæ *in Tusculano*, declarative accessit; item si accedat *prudenter et copiose*, declarative; item si dicitur *cum Catone*, declarative accessit. — Quidquid declarative accedit, variis casibus et modis accedit.

DĒCLĀRĀTĪVUS, a, um, adject. declarans, declarationi serviens. *Capell.* 4. *p.* 97. Pars sententiæ declarativa. Adde *eumd.* *ibid.* *p.* 120., 121., 128. et 134. *Apul.* *Dogm.* *Plat.* 3. *p.* 30. *extr.* Altera pars declarativa, ut *disserit*, vel *non disserit*: declarat enim, quid faciat Apulejus. *et mox.* Particulæ subjectiva et declarativa possunt semper servare inter se vices.

DĒCLĀRĀTOR, ōris, m. 3. qui declarat. *Plin.* *Paneg.* 92. Ut idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator existeres.

DĒCLĀRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒCLĀRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* claro). Part. *Declarans* II. *a.*; *Declaratus* I. 1. et 2.; *Declaraturus* II. *e.*; *Declarandus* II. *a.* — Declaro est clarum facio, ostendo, demonstro, manifesto (It. *mostrare*, *manifestare*, *far vedere*, *dichiarare*; Fr. *rendre clair*, *sensible*, *precis en dévoilant quelque chose*, *dévoiler*, *manifester*, *montrer*, *faire voir*; Hisp. *manifestar*, *mostrar*, *exponer á la vista*; Germ. *deutlich* -, *klar machen*, *zeigen*, *zu erkennen geben*, *darlegen*, *offenbaren*; Angl. *to declare*, *sohw clearly*, *make clear*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ac stricto sensu ponitur de iis, quæ ipsâ externâ specie oculis ostenduntur. *Cic.* 2. *Nat.* *D.* 2. 6. Præsentiam sæpe divi suam declarant, ut apud Regillum Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt. *Nepos* *Hann.* 11. Ducis nave declarata suis. *Plin.* 8. *Hist.* *nat.* 32. 50. (116). Sed dentibus (*cervorum*) senecta declaratur. ¶ 2. Speciatim ponitur de creatis magistratibus pro renunciare. *Cic.* *Mur.* 2. 3. Declarare consulem. *Id.* *ibid.* 1. 2. Declaratus consul. Adde *Sall.* *Cat.* 24. et *Jug.* 27.; et *Liv.* 9. 40., 24. 9. et 28. 39. *Liv.* 1. 18. *extr.* et 1. 46. Declarare regem. *Id.* 9. 40. *extr.* prætorem. Adde *Sall.* *Jug.* 63. et *Sueton.* *Cæs.* 80. — Et poetice. *Virg.* 5. *Æn.* 245. Victorem magna præconis voce Cloanthum Declarat.

II.) Improprie declarare est aliquid menti nostræ evidens reddere, manifestare, exponere, voce vel scriptis explicare: vide *Kritz* ad *Vellej.* 2. 109. 1. Sic *Cic.* *Amic.* 24. 88. Quum tot signis eadem natura declaret, quid velit. Et *Quintil.* 10. 1. 11. Ut idem pluribus vocibus declarent. — Porro usurpatur — *a*) Cum Accusativo rei, quæ declaratur. *Cic.* 5. *Fam.* 13. 2. Ipsa consolatio litterarum tuarum declarat summam benevolentiam. *et mox.* Itaque hoc sæpius dicendum, tibique non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror. *Hinc patet* declarare *plus esse*, *quam* significare. *Id.* 1. *Orat.* 42. 190. Propriam cujusque vim definitione declarare. *Id.* *Orat.* 22. 74. Oportere, perfectionem declarat officii. *Id.* 2. *Fin.* 4. 13. Nullum inveniri potest verbum, quod magis idem declaret Latine, quod Græce ἡδονή, quam declarat voluptas. *Id.* 3. *ibid.* 4. 11. Plura vocabula idem declarantia. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 24. 38. *Catull.* 61. 34. Declarare gaudia. *Nepos* *Epam.* 1. Declarare imaginem consuetudinis atque vitæ alicujus. *Id.* *Att.* 18. *extr.* Tantam rem tam breviter potuisse declarari. *Id.* *Iphicr.* 3. Quod cum in aliis rebus declaravit, tum in Amyntæ liberis tuendis. *Gell.* 14. 5. Propter cujus syllabæ sonum declarandum reperta erat nova littera. Adde *Quintil.* 11. 3. 66., 1. 7. 28. et 7. 3. 83. — *b*) Cum Accusativo et Infinito. *Plaut.* *Pseud.* 2. 3. 15. Bene ubi quod consilium discimus accidisse, hominem catum eum esse declaramus. *Lucret.* 6. 466. Nam loca declarat sursum ventosa patere Res ipsa. Adde *eumd.* *ibid.* *v.* 171. et 1. 366. *Curt.* 6. 9. Quod fuisse vanum, Dymni exitus declarat. *Gell.* 7. 8. Delphinos amasios esse historiæ declarant. *Plin.* 31. *Hist.* *nat.* 1. 6. (23). Cujus licentiæ origo nomine ipso in Samothrace id institutum declarat. *Id.* 2. *ibid.* 39. 39. (105). Quum esse eorum nullum minus lunâ tam immensæ altitudinis ratio declaret. Adde *Quintil.* 8. *proœm.* 15. et 9. 3. 5.; et *Sueton.* *Aug.* 1. — *c*) Sequente relativo. *Ter.* *Heaut.* 2. 3. 43. Consuetudo, cujusque ingenium ut sit, declarat maxime. *Lucret.* 6. 220. quali natura prædita constent Fulmina, declarant ictus. *Cic.* 6. *Att.* 1. *circa med.* Declaravit quanti me faceret. *Cæs.* 1. *B.* *G.* 50. Sortibus et vaticinationibus declarare, utrum prælium committi ex usu sit. *Liv.* 32. 40. Concio declaratura quid Argivi vellent. — *d*) Absolute. *Lucret.* 5. 693. Ut ratio declarat eorum, qui etc. *Id.* *ibid.* *v.* 265. Nil opus est verbis; magnus decursus aquarum Undique declarat. *Cic.* 7. *Phil.* 6. 17. Luculentam tamen ipse plagam accepit, ut declarat cicatrix. *Id.* 12. *ibid.* 10. 24. Nemo me minus timidus, nemo cautior. Res declarat. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 16. 43., 1. *Tusc.* 9. 18. et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 16. — *NB.* Declarare pro claritudine spoliare acceperunt nonnulli in illo *Vitruv.* 1. 1. 5. *Schneid.* Oppido capto, viris interfectis, civitate declarata, matronas in servitutem abduxerunt. *Alii*, *inter quos* et Schneider., *rectius leg.* deleta.

DĒCLĀVO, as, are, a. 1. *Turneb.* *l.* 23. *Adversar.* *c.* 20. ita legit illud *Pauli* *Dig.* 47. 7. 5. Cingere est declavare: secare est subsecuisse. *declavare* autem exponit, clavas seu ramos arborum recidere. At. melius leg. *deglabrare*.

DĒCLĪNĀBĬLIS, e, adject. qui declinari potest. *Priscian.* 5. *p.* 670. *Putsch.* Nomina declinabilia. *Id.* *ibid.* *p.* 644. Nomina Abraham, Joachim nulla regula Latina vel Græca sunt moderanda, nisi transferantur in aliquam declinabilem formam, quod quidam historici fecerunt, ut Abrahamus, Abrahami.

DĒCLĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus declinandi, sive actus quo quis a recta se flectit et curvatur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Cat.* 6. 15. Petitiones tuas — parva quadam declinatione — corporis effugi. Sic *Curt.* 9. 7. 21. Lanceam, quam Dioxippus quum exigua corporis declinatione vitasset, etc. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 19. Nam et ipsa (*atomorum*) declinatio ad libidinem fingitur. Adde *eumd.* *Fat.* 10. 22. ¶ 2. Speciatim est terræ polos versus inclinatio, adeoque, idem quod Græcum κλίμα, seu certum cæli spatium, vel regio cæli in eodem climate. *Colum.* 1. *R.* *R.* *præfat.* 22. Sit oportet rerum naturæ sagacissimus, declinationum mundi non ignarus, ut exploratum habeat, quid cuique plagæ conveniat, etc. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 1. 3. et 1. *ibid.* 6. 18. Has *Vitruv.* 1. 1. 10. *Schneid.* *inclinationes cœli*, et 6. 1. 1. *inclinationes mundi* appellat. Rursus *Colum.* 4. *R.* *R.* 21. 2. Vitis quum sit per quatuor divisa partes, totidem cæli regiones aspicit: quæ declinationes quum contrarias inter se qualitates habeant, etc.

II) Translate. ¶ 1. Generatim declinatio est idem ac vitatio, devitatio. *Cic.* *Cluent.* 53. 148. Laboris et periculi declinatio. *Id.* 4. *Tusc.* 6. 13. A malis declinatio, si cum ratione fiet, cautio appellatur. — Hinc *appetitioni* opponit *Cic.* 3. *Nat.* *D.* 13. 33. Nullum potest esse animal, in quo non et appetitio sit et declinatio naturalis. *Gell.* 14. 1. *a med.* Consilia hominum et variæ voluntates appetitionesque et declinationes. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores ponitur pro digressione, ut apud *Cic.* 3. *Orat.* 53. 205. Declinatio brevis a proposito. Adde *eumd.* *Partit.* *orat.* 15. 52.; et cf. *Quintil.* 9. 1. 32. et 34. Porro *Cic.* loco priore enumerat declinationem hanc inter figuras sententiarum: quam differre ait ab *digressione* in eo, quod *declinatio* brevior sit, et citius ad rem redeat. ¶ 3. Item apud Rhetores *declinatio vocis* est ejus mutatio et inflexio. *Quintil.* 11. 3. 16. Ut in iisdem affectibus sint tamen quædam non ita magnæ vocis declinationes. ¶ 4. Item speciatim apud Grammaticos declinatio — *a*) Est nominum inflexio per suos casus, et verborum per sua tempora. *Varro* 8. *L.* *L.* 3. et 21; 10. *ibid.* 11. et 51. *Müll.*; et *Quintil.* 1. 4. 29., 1. 5. 63., 1. 9. 5. et 1. 4. 13. — *b*) Item derivatio, formatio, aut compositio unius vocis ab alia. *Varro* 5. *L.* *L.* 5. *edit.* *vet.* Singulis verbis primigeniis circiter quingentæ species declinationibus fiunt. Adde *Quintil.* 2. 15. 11. et 8. 3. 32.; et *V.* DECLINO. — Hinc a *Cic.* 3. *Orat.* 54. 207. enumeratur *declinatio* inter figuras verborum, quum scilicet verba declinata, hoc est paulum immutata in oratione ponuntur, ut *justus*, *juste*, *justitia*: quæ et *conjugata* appellantur, et ipsa figura *traductio* alio nomine dicitur. — *c*) Denique apud sequioris ævi Grammaticos *declinatio* stricto sensu dicitur substantivorum per suos casus inflexio. *Donat.* *p.* 1744. *Putsch.*

DĒCLĪNĀTĪVE, adverb. ita ut declinationem significent. *Asper.* *Jun.* *p.* 1732. *Putsch.* Adverbia fiunt aut elective, ut *potius*; aut discretive, ut *seorsum*; aut congregative, ut *una*, *pariter*, *simul*; aut declinative, ut *funditus* etc.

DĒCLĪNĀTUS, a, um. *V.* DECLINO.

DĒCLĪNĀTUS, us, m. 4. ¶ 1. Est idem quod declinatio, vitatio. *Cic.* 5. *Fin.* 7. 17. Voluptatis alii primum appetitum putant et primam depulsionem doloris: alii censent primum adscitum, non dolere, et primum declinatum, dolorem. *V.* ADSCITUS et *Madvig* ad h. l. ¶ 2. In re grammatica. *Varro* 7. 8. *L.* *L.* 6. *Müll.* Nominibus novis allatis in consuetudinem, sine dubitatione eorum declinatus statim omnis dicit populus. *Id.* 9. *ibid.* 34. Ego declinatus verborum et voluntarios et naturales esse puto. *Id.* 10. *ibid.* 32. Item sunt declinatuum species quatuor, quæ tempora habent sine personis. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 51. et 53.

DĒCLĪNIS, e, adject. declinans, devitans. *Stat.* 5. *Theb.* 296. Exoritur pudibunda dies, cæliumque retexens, Aversum Lemno jubar, et declinis Titan Opposita juga nube refert. Ubi *Lactant.* *vetus Scholiast.*: quæ declinarent et fugerent. Al. leg. *declivia*, quod minus hoc loco ad rem facit, cum sermo sit de sole surgente, non ad occasum vergente. *Lucan.* 4. 427. Dum se declinibus undis Æstus agat. *Al leg.* declivibus. *V.* et DECLIVIS.

DĒCLĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* clino a Græc. κλίνω). Part. *Declinans* II. 1.; *Declinatus* II. 1. et 3.; *Declinaturus* I. b.; *Declinandus* II. 2. — Declinare est a recta flecti, curvari, deflectere, divertere (It. *piegare dalla retta*, *volgersi*; Fr. *se détourner du droit chemin*, *s'écarter*, *dévier*, *obli-*

quer; Hisp. *desciarse, descarriarse*; Germ. *abbiegen, von der gerade Richtung ab in eine mehr seitwärts liegende, daher ausbiegen, abwenden*; Angl. *to turn aside, turn out of the way*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo. *Lucret.* 2. 250. Sed nihil omnino recta regione viai Declinat sese. *Plaut. Aulul.* 4. 8. 11. Declinavi paullum me extra viam. *Catull.* 64. 91. Non prius ex illo flagrantia declinavit Lumina. *h. e.* torsit. *Liv.* 1. 28. Si quo ego inde agmen declinare voluissem. *Cels.* 8. 5. Nares in alteram partem declinantur. *Virg.* 4. *Æn.* 185. nec dulci declinat lumina somno. *Propert.* 2. 1. 11. Seu cum poscentes somnum declinat ocellos. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 128. pallentes declinant lilia culmos. *Vetus Poeta* apud *Sueton. Aug.* 70. Omnia se a cælo tunc numina declinarunt. — *b*) Absolute. *Cic.* 14. *Att.* 17. 2. Non arbitrantur eum a Capua declinaturum. *Id.* 5. *Fin.* 2. 5. Paullum ad dexteram de via declinavi. *Id.* 1. *Legg.* 21. 56. Huc declinabam nec invitus. *Liv.* 38. 20. Si qua periculosa et prærupta occurrant, non pugnare cum iniquitate locorum –: sed obliquo monte ad se declinare (*jubet*) et suo agmini conjungi. — Et de atomis *Cic.* 1. *Fin.* 6. 20. Nam si omnes atomi declinabunt, nullæ unquam cohærescent; sive aliæ declinabunt, aliæ suo nutu recte ferentur: primum erit hoc quasi provincias atomis dare, quæ recte, quæ oblique ferantur: deinde etc. Adde *eumd. ibid.* § 19. et 1. *Nat. D.* 25. 69.

II.) Improprie: ad rem *Cic. Sext.* 34. 73. Magna rerum permutatione impendente, declinasse me paullulum (*loquitur* Cic. *de exilio suo*), et, spe reliquæ tranquillitatis, præsentes fluctus tempestatemque fugisse. ¶ 1. Generatim, et quidem — 1.° Eadem, qua supra, significatione, sed metaphorice sumpta. — *a*) Cum Accusativo. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 3. Neque declinatam quidquam ab aliarum (*mulierum*) ingenio ullam reperias. *h. e.* recedentem, abhorrentem, dissimilem. *Quintil.* 10. 3. 33. Optimi sensus – memoriæ suæ intentos ab alia inventione declinant. *Id.* 12. 1. 16. Neque spe, neque metu declinatus animus, quo minus optimis se partibus jungeret. *Id.* 12. 17. 23. Cato litteras Græcas ætate jam declinata didicit. *h. e.* senili. — *b*) Absolute. *Cic. Cluent.* 38. 106. Neque enim dubito, quin ii tales viri, suspicione aliqua percussi repentina, de statu suo declinarint. *Id.* 4. *Tusc.* 6. 13. Ut bona naturà appetimus, sic a malis naturà declinamus. *Id.* 1. *Off.* 40. 145. Quæ autem parva videntur esse delicta, – ab iis est diligentius declinandum. *Id.* 5. *Verr.* 1. 2. Declinare in aliqua re a religione officii. *Id. Orat.* 40. 138. Declinare aliquantulum a proposito. Adde *Liv.* 28. 1. *Sall.* apud *Non. p.* 385. 2. *Merc.* Ad hoc rumoribus adversa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 31. (113). Gemma paullum declinans a topazio in aurum. — 2.°) Hinc cum casibus motus ad locum est inclinare, ferri, converti. *Cic.* 2. *Orat.* 38. 157. Ut eo revocetur, unde huc declinavit oratio. *Quintil.* 12. 3. 9. Desperata facultate agendi, ad discendum jus declinaverunt. *Id.* 7. 2. 30. Si deerunt hæc remedia, ad illa declinandum est. *Horat.* 1. *Od.* 33. 6. Cyrus in asperam Declinat Pholoen. *h. e.* aberrante amore fertur in Pholoen. — 3.°) Hinc etiam est deminui. *Ovid.* 9. *Met.* 460. Paullatim declinat amor. *Colum.* 8. *R. R.* 4. 3. Die in vesperum declinante. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 24. (48). Vinum non dandum nisi declinante morbo. — 4.°) Denique est magis magisque a recta deflectere, adeoque distare. *Quintil.* 9. 3. 88. Quædam verborum figuræ paullum figuris sententiarum declinantur. *h. e.* dissimiles sunt, distant. ¶ 2. Translate et cum Accusativo rei est vitare. *Cic. ad Pompej.* post ep. 11. *l.* 8. *ad Att. sub fin.* Neque tam ea pertimui, si subeunda essent, quam declinanda putavi, si honeste vitare possem. *Id.* 2. *Att.* 19. Declinare minas et contentiones. *Id. Orat.* 68. 228. Impetum adversarii. *Id. Planc.* 41. 97. urbem. *Id. Mil.* 15. 40. laqueos. Et passive. *Id.* 3. *Nat. D.* 13. 33. Declinantur contraria. Adde *eumd.* 1. *Off.* 4. 11. *Liv.* 42. 63. Declinare ictum. Cf. *eumd.* 36. 23. Ætoli contra armis se tuebantur: nam, quum ariete quaterentur muri, non laqueis, ut solet, exceptos declinabant ictus; sed armati frequentes etc. *Justin.* 12. 2. 4. fatorum pericula. Adde *eumd.* 26. 2. 7. et 21. 4. 4.; et *Tac.* 13. *Ann.* 4. et 6. *ibid.* 51. ¶ 3. Specialim pertinet etiam ad rem grammaticam: et quidem duplici significatione. — *a*) Primo enim significat nomina per suos casus et verba per sua tempora inflectere. *Varro* 10. *L. L.* 54. *Müll.* Ordo declinatuum, in quo res singulares declinabuntur, ut c i c e r, c i c e r i, c i c e r i s. *Id.* 8. *ibid.* 6. Recto casu accepto in obliquos declinant. *Id.* 10. *ibid.* 79. In verbis, quæ non declinantur. *Quintil.* 1. 4. 22. Nomina declinare et verba in primis pueri sciant. *Id.* 9. 4. 42. Si cadentia similiter et similiter desinentia et eodem modo declinata multa jungantur. — Apud sequioris ævi scriptores nomina tantum declinari dicuntur. *Fronto B. Parth.* (edente iterum *A. Mai.*) p. 203. C. Cæsar atrocissimo bello Gallico inter tela volantia de nominibus declinandis scripsit. Adde *Charis.* 1. *p.* 8. *Putsch.* — *b*) Secundo declinare est vocem aliquam ab alia formare, paullum immutando. *Varro* 8. *L. L.* 14. *Müll.* Nomina declinantur – in eas res extrinsecus, quarum ea nomina non sunt, ut ab e q u o e q u i s o. *Id.* 5. *ibid.* 7. Quemadmodum quodque poeta verbum confinxerit, quod declinavit: hinc Pacuvius *rudentisibilus*; hinc *incurvicervicum pecus*; hinc *chlamyde clupeat brachium*. *Id. Varro* vocat *declinantia verba* ea, quæ vel per tempora, vel per casus, vel per gradus comparationum immutantur et declinantur. *Id.* 8. *ibid.* 3. Duo omnino verborum principia, impositiciorum et declinatorum: alterum, ut f o n s; alterum, ut r i v u s. (Sic legit *Forcellinus*: at *Müllerus*: Duo omnino verborum principia, impositio et declinatio). *Impositicia* vocat, (addit *Forcellinus*), quæ primam positionem ab ipsa natura acceperunt, neque ab aliis verbis formata sunt; quæ et primitiva appellantur: *declinata*, quæ ab aliis verbis paullulum immutata formantur; et *derivativa* etiam dicuntur: v. gr. *rivus*, qui a *Varrone* affertur, declinatur a Græco ῥέω *fluo*; at *fons* a nullo alio declinatur. *Quintil.* 1. 5. 63. Ab antiquis dictos *tonores* comperi, ut videlicet declinato a Græcis verbo, qui τόνους dicunt.

DĒCLĪVIS, e, adject. Alia forma *Declivus, a, um*, occurrit tantum in num. plur. gen. neutr. apud *Ovid.* 2. *Met.* 206. Et modo summa petunt, modo per decliva viasque Præcipites spatio terræ propiore feruntur. — Comp. *Declivior* legitur apud *Vulgat. Interpr. Judic.* 19. 9. Dies ad occasum declivior. — Ceterum *declivis* est deorsum vergens, a *clivus*: cui *acclivis* contrarium est (It. *piegato all' ingiù, declive, chino*; Fr. *qui est en pente, penché, incliné*; Hisp. *inclinado*; Germ. *hügelabwärts, bergabwärts geneigt, schräge*; Angl. *bending downwards, steep, sloping*).

I.) Proprie. *Cæs.* 2. *B. G.* 18. Collis ab summo æqualiter declivis ad flumen Sabim vergebat. *Id.* 4. *ibid.* 33. In declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 83. et 1. *B. C.* 79.; et *Horat.* 3. *Od.* 29. 7. *Ovid.* 1. *Met.* 39. Flumina declivia. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 399. et 487. et 7. 410. *Lucan.* 1. 114. Non habeant omnes declivem ad littora cursum. *Al. leg.* declivum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 50. 76. (203). Sol declivis in occasum. *At* Sillig *ex optimis codicibus legit* declinis. *Prudent. Hamartig.* 819. Declivia pondera. *h. e.* quæ in declive feruntur, et ferentem in declive trahunt. — Hinc *declivia* et *declive* absolute. *Cæs.* 7. *B. G.* 88. De locis superioribus hæc declivia et devexa cernebantur. *Id.* 3. *B. C.* 45. et 51. Recipere se per declive. Cf. *Boeth.* 5. *Metr.* 1. Quos tamen ipsa vagos terræ declivia casus etc.

II.) Translate. *Ovid.* 15. *Met.* 227. Labitur occiduæ per iter declive senectæ. *Plin.* 8. *Ep.* 18. Mulier ætate declivis. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 1. Nondum solis equos declivis mitigat æstas. *h. e.* in autumnum vergens. *Arnob.* 2. 45. Animæ in peccatorum genera universa declives. *h. e.* propensæ. — Hinc

Declive et *Declivia* absolute. *V.* supra sub I. in fin.

DĒCLĪVITAS, ātis, f. 3. inclinatio. *Cæs.* 7. *B. G.* 85. Exiguum loci ad declivitatem fastigium, magnum habet momentum.

DĒCLĪVĬTER, adverb. per declive. Occurrit tantum Comp. *Declivius* apud *Cassiod.* 12. *Hist. Eccl.* 9. Deduxit eos ad quamdam rupem declivius incumbentem, jussitque, ut tomorum schemate semetipsos evolverent.

DĒCLĪVUS, a, um. *V.* DECLIVIS sub init.

DĒCOCTĬO, ōnis, f. 3. actus decoquendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ponitur pro ipso decoquendi actu. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *ante med.* Decoctio lentisci conficitur hoc modo. ¶ 2. Latiori sensu ponitur, præcipue apud Medicos, pro ipsa re decocta, pro decocto. *Apul. Herb.* 77. Harum decoctio potui data urinam movet. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. *ad fin.* Decoctio cantabri. *h. e.* succus cantabricus. ¶ 3. Et pro ciborum in stomacho decoctione, seu digestione. *Cassiod. de anim.* 6. Assumpta retinens, donec ex his utilis decoctio procuretur. *Isid.* 11. *Orig.* 1. Liquor ex cibi decoctione factus.

II.) Translate est consumptio, tabes: sic de ruina fatiscentis fabricæ *Cassiod.* 4. *Variar.* 30. Facilis est ædificiorum ruina, incolarum subtracta custodia; et cito vetustatis decoctione resolvitur, quod hominum præsentia non tuetur. *Id.* 10. *ibid.* 29. Ne membra illa durissima languoris decoctione mollescant. — Et de re aliena dilapidata. *Impp. Theodos. et Valens Cod.* 11. 9. 5. Universi fabricenses veluti in corpore unius formæ, unius decoctioni, si res ita tulerit, respondere cogentur. Ita legit *Cujacius*, et sic interpretatur: si unus eorum decoxerit atque intercepperit, fisco totum fabricensium corpus pro intercepto respondebit. Adde *Cod. Theod.* 4. 9. 3.

DĒCOCTOR, ōris, m. 3. proprie est, qui decoxit; sed occurrit translate tantum et est qui patrimonium per luxum absumpsit, et ad inopiam redactus est. Hujusmodi hominibus lege Roscia certus erat locus ad spectandum in theatro datus, quamvis fortunæ vitio, non suo decoxissent, teste *Cic.* 2. *Phil.* 18. 44. *Id. Cic.* 2. *Cat.* 3. 5. Itaque ego illum exercitum – collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, ex rusticis decoctoribus, etc. V. *Klotz.* ad *Cic. oration. vol.* 3. *p.* 836. et 1108., et *Rein.* in *Pauly's Real-Encyclop. vol.* 2. *p.* 882. et seq. *Catull.* 41. 4. Decoctoris amica Formiani. *V.* CATOMIDIO. — *Decoctor* etiam dicitur consumptor rei alienæ. *Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. Cod.* 10. 31. 40. Quilibet principalium, vel decurionum, si vel decoctor pecuniæ publicæ, vel fraudulentus in adscriptionibus illicitis, vel immoderatus in exactionibus fuerit inventus, plumbatarum ictibus subjiciatur. Adde *Cod. Theod.* 12. 1. 117. et 11. 3. 15.

DĒCOCTUM, i, n. 2. *V.* DECOQUO in fin.

DĒCOCTŪRA, æ, f. 1. idem quod decoctum. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 10. (14). Decoctura vinaceorum veteres dysentericos et cœliacos juvat. Ita editt. veteres. A. 1470. et 1472., aliæ cum *Harduino* decoctum: quam lectionem retinuit et *Sillig.*

DĒCOCTUS, a, um. *V.* DECOQUO.

DĒCOCTUS, us, m. 4. decoquendi actus, decoctio. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 74. (194). Omnes gemmæ mellis decoctu nitescunt.

DĒCOLLĀTĬO, ōnis, f. 3. colli, seu capitis amputatio. *Paul.* 5. *Sentent. recept.* 17. 3. Summa supplicia sunt crux, crematio, decollatio. *Gloss. Cyrill.* Τραχηλοκοπία, decollatio.

DĒCOLLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒCOLLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Decollatus* sub *B.* — Decollare duo diversa significat, scilicet *A*) E collo deponere, et *B*) Caput e collo auferre.

A) Decollare est e collo deponere.

I.) Proprie. *Cæcilius* apud *Non. p.* 97. 25. *Merc.* In tuo collo est: decolles cave.

II.) Translate est privare. *Lucilius* apud *Diomed.* 1. *p.* 361. *Putsch.* Quibus fructibus me decollavi.

B) Decollare est caput e collo auferre; hinc de personis ponitur pro securi cædere. — *a*) Cum Accus. *Fenestella* apud *Diomed.* 1. *p.* 361. *Putsch.* Piratas Cæsar cepit, et decollavit. *Scribon. Compos.* 194. Toxicum cogit exululare, et palpitare lingua, similiter decollatorum capitibus. *Seneca Apocolocynt. ante med.* Decollare homines. *Aurel. Vict. Epit.* 19. Extenta damnatorum modo cervice, decollatur. — *b*) Absolute. *Sueton. Cal.* 32. Miles decollandi artifex. — *NB.* De alia significatione quam nonnulli huic verbo tribuerunt, *V.* voc. seq.

DĒCŌLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* colum) per colum agi, defluere, delabi: sed occurrit translate tantum pro deficere, deesse. *Plaut. Capt.* 3. 1. 36. Est illic mihi una spes cœnatica: si ea decolabit, redibo huc ad senem, ad cœnam asperam. *Id. Cas.* 2. 4. 28. Si sors decolassit, gladium faciam culcitam. *Varro* 1. *R. R.* 2. 8. Duo spectasse videntur colendo, possent ne fructus pro impensa ac labore redire, et utrum saluber locus esset an non. Quorum si alterutrum decolat, et nihilominus quis vult colere, mente est captus. (*Colum.* 1. *R. R.* 3. 1. hanc eamdem sen-

tentiam ex *Catone* referens, memoria lapsus est; nam pro *Varrone* posuit *Catonem*, et verbo *desum* usus est.) Ceterum *Turneb. l.* 29. *Adversar. c.* 22. putat, has loquendi rationes ductas esse ex eo, quod solebant veteres crumenam e collo pendentem gestare, quæ decollabat, cum in collo nusquam erat. *Gronov.* ad *Liv.* 27. 17. vult uno *l* scribi, et *decolare* ab eadem esse origine, qua *percolare*, et vim habere defluendi ac dilabendi: quod sane admittendum est. Contrariam sententiam amplexus videtur *Schneid.* ad *Varron.* l. c.

DĔCŎLOR, ōris, adject. De alia forma *V.* DECOLORUS loco suo. — Decolor est qui colore corrupto, aut contaminato est (It. *di brutto colore*; Fr. *décoloré*; Hisp. *descolorado*; Germ. *dem seine wahre Farbe weggenommen ist, entfärbt, entstellt*; Angl. *that hath lost ist colour, discoloured*).

I.) Proprie. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 8. 20. Jam decolorem sanguinem omnem exsorbuit. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 42. Decolor ipse suo sanguine Rhenus erit. *Propert.* 4. 3. 10. Ustus et Eoo decolor Indus equo. Adde *Ovid.* 5. *Trist.* 3. 24. *Id. Ovid.* 4. *Met.* 21. Decolor India. *Lucan.* 7. 851. Quæ seges infecta surget non decolor herba? *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. (59). Decolor resina. *Id.* 9. *ibid.* 35. 57. (116). Uniones parvi, atque decolores. *Id.* 28. *ibid.* 12. 50. (185). Testas et quæ decolorem faciunt cutem, fimum vituli emendat. Adde *Juvenal.* 6. 600. et *Stat.* 12. *Theb.* 410. — Dicitur etiam *decolor* qui proprium colorem amisit, etiam si bonum alium induerit. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 32. (61). *de fontibus*. Nec decolor species æris, argentive, medicaminum argumentum est. *Val. Flacc.* 5. 564. versis floret via decolor armis. *Al. rectius leg.* discolor.

II.) Translate. *Virg.* 8. *Æn.* 326. Deterior donec paullatim ac decolor ætas, Et belli rabies, et amor successit habendi. *Ovid. Heroid.* 9. 3. Fama Pelasgiadas subito pervenit in urbes Decolor, et factis inficianda tuis. *Sil. It.* 11. 424. et patrias paullatim decolor artes Exuit, occulta mentem vitiante sagitta.

DĔCŎLŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus decolorandi, turpis coloris inductio.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 27. 58. Sed et decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguini similis esse.

II.) Translate. *Vulgat. Ital. Tob.* 4. 14. Fructus stellionatus decoloratio vitæ est. *h. e.* dehonestatio. Sic apud *Vet. Gloss.* ed. *Mai.* in *Class. Auct. T.* 6. p. 519. legendum est *decoloratio* pro *decoriatio*, siquidem ibi explicatur *dehonestatio*.

DĔCŎLŌRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔCŎLŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* coloro). Part. *Decolorans* I.; *Decoloratus* I. et II. — *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 41. tradit discrimen inter *coloro* et *decoloro*. Decoloratur, inquit, id, cujus color vitiatur, non mutatur: coloratur id, cujus alia fit, quam fuit, facies. — Sed consuetudo *decolorare* usurpat pro fœdo colore imbuere, sive proprius rei color mutetur, sive non: item universim pro colorem mutare.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Herenn.* 5. 8. Si tumore et livore decoloratum est corpus mortui, significat eum veneno necatum. Cf. *eumd. ibid.* 27. 44. *Horat.* 2. *Od.* 1. 34. quod mare Dauniæ Non decoloravere cædes? *Cels.* 2. 8. *circa med.* Suppurationes, quæ intus tendunt, sic ut exteriorem quoque cutem decolorent. *Id. ibid.* 6. Pallor labra et nares decolorat. *Colum.* 12. *R. R.* 49. 8. Olivæ quum decolorantur, antequam mitescant, cum petiolo leguntur. *et mox.* Oliva cum primum ex albo decoloratur, fitque luteola. Adde *eumd. ibid.* 49. 2. et 54. 1. *Sueton. Aug.* 4. *extr.* Manus colybo decoloratæ. *Capell.* 6. p. 190. Umbra etiam telluris in cælum quoque perveniens vel Lunæ orbes ac Solis auratos caliganti murice decolorans.

II.) Translate. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 1. 3. 19. Decolorari consortio sororiæ appellationis. *h. e.* dehonestari, infamari. *Quintil. Declam.* 360. Non sumpsisse dotem, ne et filium decoloraret, et dotem quoque perderet. *Capitolin. Anton. Philos.* 19. *a med.* Tantum valet boni principis vita, ut ejus famam nullius proximi decoloret invidia. *Augustin. Ep.* 5. *ante med.* Decolorati corruptique mores. Adde *Cod. Justin.* 1. 3. 19.

DĔCŎLŌRUS, a, um, adject. idem quod decolor, qui colore corrupto, aut contaminato est. *Prudent.* 1. περὶ στεφ. 113. Algidus cum decoloros horror artus concutit.

DĔCOMPŎSĬTUS, a, um, adject. in re grammatica est qui derivatur ex composito. *Priscian.* 5. p. 664. *Putsch.* Figura quoque dictionis in quantitate comprehenditur: vel enim simplex est, ut *magnus*; vel composita, ut *magnanimus*; vel decomposita, quam Græci παρασύνθετον vocant, ut *magnanimitas*. Sic *Id.* 8. *ibid. p.* 829. Alia (*verba*) simplicia, ut *concupio*; alia decomposita, id est a compositis derivata, ut *concupisco*. Et 15. *ibid. p.* 1017. Simplex (*adverbium*), ut *diu*; compositum, ut *interdiu*; decompositum, ut ab imprudente *imprudenter*. Adde *eumd.* 11. *p.* 928.

DĔCONCĬLĬO, as, are, a. 1. adimo, aufero, quemadmodum *concilio* usurpatur pro addicere alicui. *Plaut. fragm.* apud *Festum* p. 217. 28. *Müll.* Nihil deconciliares illi.

DĔCONDO, is, ere, a. 3. idem quod condo. *Seneca Consol. ad Marc.* 10. 4. Alios in alicujus ventrem immensæ beluæ Fortuna decondet. Quod *Lips.* ex optim. lib. confirmat. Al. leg. *detrudet.*

DĔCONSUĒTŪDO, inis, f. 3. idem ac desuetudo. *Impp. Theodos. et Valentin.* in *fragm. Cod. Theod.* (*edente A. Peyronio*) 1. 1. 5. Quæ mandata silentio in deconsuetudinem abierunt.

DĔCONTOR *vel* Decunctor, āris, ari, dep. 1. idem quod cunctor. *Apul.* 10. *Met. post init.* Unde potissimum caperet exordium, decontatur. *Id.* 7. *ibid.* Dum in ista necis meæ decontor electione.

DĔCŎQUO, cŏquis, coxi, coctum, cŏquere, a. 3. (de *et* coquo). Part. *Decoquens* sub *A.* 1. *b.*; *Decoctus* sub *A.* I. *a.*, *B.*, et in fin.; *Decoquendus* sub *B.* I. — Decoquere duo diversa significat, prout præpositio de aut *A*) Deminutionem significat, aut *B*) intensiva est.

A) Quum præpositio *de* deminutionem significat, decoquere est coquendo imminuere, coquendo absumere.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Colum.* 12. *R. R.* 34. 1. Decoquere acetum in ollam ad quartas. *h. e.* ut quarta pars remaneat, ut *Cels.* 4. 9. *a med.* loquitur. Sic *Colum.* 12. *R. R.* 24. 1. Decoquere aquam in dimidiam partem. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 14. 58. (207). a tribus sextariis aquæ ad heminam. *Id.* 22. *ibid.* 25. 69. (141). Cortices decocti ad tertias (*partes*) sistunt alvum. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 2. 26. — Sic *Liv.* 32. 2. Argentum probum non esse, quæstores renunciaverant, experientibusque pars quarta decocta erat. *h. e.* pars quarta argento detracta, et tantumdem æris immistum fuerat. — *b*) Hinc generatim pro absumere. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 17. (31). Crocum in Italia serere minime expedit, ad scrupula usque singula areis decoquentibus.

II.) Translate generatim est imminuere, absumere: atque occurrit — *a*) Cum Accusativo de rebus. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 349. accensam sed qui bene decoquat iram. *Quintil.* 2. 4. 7. Materiam esse volo vel abundantiorem, atque ultra, quam oporteat, fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit. Cf. *Symmach.* 9. *Ep.* 83. *Pers.* 5. 57. Hic campo indulget, hunc alea decoquit. — *b*) Absolute est absumi, perire, re dilapidata ad inopiam redigi. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 14. et 11. *ibid.* 1. 28. Cum emendatur vel imprudentia, vel negligentia, jam res ipsa domino decoxit. *h. e.* absumpta est, periit. Adde *Varron.* 3. *R. R.* 2. 16. *Flor. proœm. l.* 1. *extr.* Imperium inertia Cæsarum quasi consenuit atque decoxit. *Seneca Ep.* 36. Minus turpe est creditori, quam bonæ spei decoquere. *h. e.* deficere, non satisfacere. — *c*) Ponitur et de personis; et decoquere dicuntur qui patrimonium per luxum absumunt. *Cic.* 2. *Phil.* 18. 44. Tenesne memoria, prætextatum te decoxisse? *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10. 47. (133). Qui primus accepit cognomen divitis, decoxit creditoribus suis.

B) Quum præpositio *de* est intensiva, decoquo est bene aut valde coquo.

I.) Proprie. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 73. discincti ludere, donec Decoqueretur olus, soliti. *Cels.* 3. 21. Ex his aliquid, quæ id præstent, erit decoquendum. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 37. (149). Decoquere axungiam fictili novo. *Id.* 37. *ibid.* 7. 25. (78). cyathum aceti in calice novo, leni pruna. *Id.* 22. *ibid.* 25. 71. (147). lentem in vino. *Id.* 18. *ibid.* 13. 34. (126). Rapa decoquuntur aqua. *Id.* 23. *ibid.* 4. 38. (76). folia ex melle. *Id.* 24. *ibid.* 3. 3. (7). Cortex decoctus lacte vaccino. *Id.* 29. *ibid.* 6. 38. (126). Splenium e melle decoctum. *Id.* 20. *ibid.* 21. 84. (228). Folia decocta in oleum. *Id.* 22. *ibid.* 9. 11. (25). Decoctæ ad mellis crassitudinem. *Id.* 28. *ibid.* 9. 33. (124). Lac decoctum innocentius. *Id.* 35. *ibid.* 6. 18. (36). Creta decocta et conspissata. *Id.* 26. *ibid.* 8. 55. (87). Perpressa in aqua decocta e tribus heminis ad unam.

II.) Translate. ¶ 1. Decoquere est maturare. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (226). Sideratioois genus est, quum acini, priusquam crescant, decoquuntur in callum. *Forcellinus* interpretatus est *durescunt*. Similiter *Pallad.* 1. *R. R.* 34. 7. Ita utraque pastinatio decoquetur beneficio algoris aut solis. — Hinc quemadmodum et *maturare*, etiam *decoqui consilia* dicuntur. *M. Porc. Latro Declam. in Catil.* 4. Consilia nefarii facinoris in amplissimi civis M. Lenæ domo decoquebantur. V. *Interprr. ad Liv.* 40. 11.; et *Drak.* ad *Sil. It.* 2. 327.; et COQUERE et EXCOQUERE in hoc Lexico. ¶ 2. *Decocta poma* sunt nimium matura et corruptioni proxima, ut ait *Forcellinus*; seu potius tenera, ut alii arbitrantur: hinc sumptâ metaphorâ *Cic.* 3. *Orat.* 26. 104. Suavitatem habeat orator austeram et solidam, non dulcem atque decoctam. — Hinc Part. præter. pass., cujus superius plura exempla retulimus,

Decoctus, a, um, adjectiva quoque occurrit, unde Comp. *Decoctior* apud *Pers.* 1. 125. si forte aliquid decoctius audis. *h. e.* perfectius, purgatius, limatius: vel quia quæ decoquuntur, purgantur, ut ait *Forcellinus*; vel quia, quæ ad majorem maturitatem pervenerunt, meliora sunt. — Hinc

Decocta, æ, f. 1. (subaudi *aqua*) absolute, substantivorum more, est aqua decocta, postea in vas vitreum defusa, et nive circumdata iterum frigefacta: qua ratione fiebat, ut nivis frigus haberet, non vitium. Inventum Neronis fuisse dicitur a *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 23. (40). *Sueton. Ner.* 48. Aquam e subjecta lacuna potaturus manu hausit, et, Hæc est, inquit, Neronis decocta. *Juvenal.* 5. 49. Si stomachus domini fervet vinoque ciboque, Frigidior Geticis petitur decocta pruinis: Vos aliam potatis aquam. Cf. *Martial.* 14. 116. Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ? Improbat hæc *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 13. V. et *Cocta* in fin. v. COQUO.

Decoctum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est quidquid probe coctum est, et post cocturam remansit; præsertim jus aliquod in usum medicinæ percoctum: et occurrit fere cum Genitivo rei, ex qua constat. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 84. (108). Decoctum cauliculorum ejus in vino austero dentium dolori medetur. Adde *eumd.* 22. *ibid.* 20. 23. (49)., 22. *ibid.* 25. 74. (156)., 23. *ibid.* 8. 74. (142)., 26. *ibid.* 14. 87. (146). et alibi.

DĔCOR, ōris, m. 3. pulcritudo ex honestate et decentia sive rerum sive actionum, qua fit, ut deceat atque honestetur, qui habet illa, vel facit (It. *ornamento, decoro, convenienza, grazia*; Fr. *ce qui sied, ce qui va bien, convenance, parure, ornement, charme*; Hisp. *conveniencia, ornamento, compostura, hechizo*; Germ. *der Anstand, das Geziemende, d. Anmuth, Schönheit*; Angl. *comeliness, gracefulness, grace, elegance*). ¶ 1. Stricto sensu *Horat. Art. P.* 156. Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores, Mobilibusque decor naturis dandus et annis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 290. Est — pars non tenenda decoris. *Quintil.* 6. 3. 12. Inest proprius quibusdam decor in habitu atque vultu, ut eadem illa minus, dicente alio, videantur urbana esse. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 1. *Acad.* (post.) 9. 33. Spoliavit virtutem suo decore. *Id.* 1. *Fin.* 10. 36. Clarorum virorum facta non emolumento aliquo, sed ipsius honestatis decore laudare. *Propert.* 4. 11. 29. Si cui fama fuit per avita tropæa decori. *Ovid.* 2. *Art. am.* 379. positoque decore Fertur, ut Aonii cornibus icta dei. *Id.* 2. *Pont.* 3. 13. Ipse decor, recte facti si præmia desint, Non movet: et gratis pœnitet esse probum. *h. e.* virtus, quæ maxime decora est. *Id.* 13. *Met.* 849. ovibus sua lana decori est. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 11. (44). Feminæ decoris gratia succina gestantes. Adde *Senec.* 2. *Ira* 35., *Vit. beat.* 9. et *Ep.* 12.; *Tac.* 2. *Ann.* 13. et 15. *ibid.* 43.; et *Quintil.* 10. 1. 27. et 72., 10. 2. 22. et 11. 1. 41. — Apud Rhetores de eloquentia ejusque ornamentis. *Quintil.* 5. 12. 6. Firmiora erunt ipsa (*argumenta*) et plus habebunt decoris. *Id.* 9. 4. 145. Non decorem compositionis quærimus, sed facilitatem. Adde *eumd.*

4. 2. 19., 3. 8. 35. et 5. 11. 16. — Et de oratoris actione. *Quintil.* 11. 3. 67. Decor quoque a gestu atque a motu venit. Adde *eumd.* 10. 2. 27. et 6. 3. 20. et *Tac. Dial. de Orat.* 20. et 21. — b) In plur. num. *Lucret.* 4. 980. Scænaique simul varios splendere decores. ¶ 2. Latiori sensu *decor* ponitur et universim pro forma seu pulcritudine corporis. *V.* Homonym. in fine hujus v. *Horat.* 2. *Od.* 11. 5. fugit retro Levis juventus et decor. *Ovid. Heroid.* 12. 12. Cur mihi plus æquo flavi placuere capilli, Et decor, et linguæ gratia facta tuæ? Adde *eumd.* 1. *Met.* 488.; et *Tac.* 2. *Hist.* 1. et 5. *ibid.* 6. ¶ 3. In architectura *decor* est emendatus operis aspectus, probatis rebus compositi cum auctoritate. Is perficitur statione, consuetudine, natura. Statione, cum Jovi Fulguri et Cælo ædificia sub divo constituuntur, etc. Ad consuetudinem decor sic exprimitur, cum ædificiis interioribus magnificis vestibula convenientia et elegantia erunt facta, etc. Naturæ decor erit, si cubiculis et bibliothecis ab oriente lumina capientur, balneis et hibernaculis ab occidente hiberno, etc. Hæc *Vitruv.* 1. 2. 5. et seqq. *Schneid.*

Homonym. *Decor* differt a *forma*, quod hæc est apta membrorum dispositio; ille est ornamentum, et gratus aspectus ex ea dispositione nascens. *Ovid.* 2. *Fast.* 763. Forma placet, niveusque color, flavique capilli, Quique aderat, nulla factus ab arte, decor. *Curt.* 8. 4. 23. Roxane eximia corporis specie, et decore habitus in barbaris raro.

DĔCOR, ōris, adject. Quidam ponunt rectum casum *Decŏris*, unde *Indecoris*. — Decor idem quod decorus, ut *Priscian* 6. p. 699. *Putsch.* docet. *Nævius ibid.* Magnamque domum, decoremque ditem vexerant. *Sallust. fragm. ibid.* Equis et armis decoribus cultus. *Al. leg.* decoris.

DĔCŌRĀMEN, inis, n. 3. vox poetica, et

DĔCŌRĀMENTUM, i. n. 2. ornamentum. *Sil. It.* 16. 268. Vittaque, majorum decoramen, fronte sine ullo Delapsa attactu, nudavit tempora regis. *Auson.* 10. *Edyll.* 320. celsæ fluvii decoramina villæ. *Tertull. Cult. femin.* 12. Matronalia decoramenta. *Arnob. advers. Gent.* 5. Decoramenta canteriorum.

DĔCŌRĀTOR, ōris, m. 3. ornator. *Gloss. Isid.* Fullo, decorator.

DĔCŌRĀTUS, a, um. *V.* DECORO.

DĔCŌRĒ, adverb. cum decōre, ut decet, apte, decenter, pulcre. *Cic.* 1. *Off.* 31. 114. Si necessitas nos ad ea detruserit, quæ nostri ingenii non erunt, omnis adhibenda erit cura, ut ea si non decore, at quam minime indecore facere possimus. *Id.* 1. *Orat.* 32. 144. Præcipitur primum, ut Latine loquamur; deinde ut plane et dilucide; tum ut ornate; post ad rerum honestatem apte, et quasi decore. *Id.* 3. *ibid.* 47. 182. Hi tres heroi pedes in principio continuandorum verborum satis decore cadunt. *Id. carm. de suo consul.* 1. *Divinat.* 12. 20. Ædes formata decore. Adde *Sall. Jug.* 100. *extr. Capell.* 2. *p.* 28. Cum creperum lux alma micat gemmata decore.

DĔCŌRIĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔCŌRĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et corium). Part. *Decoriatus.* — Decorio est corium detraho. *Tertull. Anim.* 33. Perinde juguletur, quia et ipsa jugulaverit: perinde decorietur, quia et ipsa despoliaverit. *Pallad.* 2. *R. R.* 15. *ad fin.* Amygdala decoriata.

DĔCŌRIS, e, adject. *V.* DECOR secundo loco.

DĔCŌRĬTER, adverb. ornate, decore, pulcre. *Apul.* 5. *Met.* Crinium globos decoriter impeditos. *Id.* 11. *ibid.* Palla ad ultimas oras decoriter confluctuabat. Adde *Jul. Val. Res gest. Alex. M.* 1. 20. ed. *A. Mai.*

DĔCŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (decus). De penultima producta *V.* infra sub I. in fin. — Part. *Decorans* I.; *Decoratus* I. et II. et in fin.; *Decorandus* II. — Decorare est decorum facere, ornare (It. *ornare, onorare*; Fr. *décorer, orner, parer, embellir*; Hisp. *decorar, hermosear, adornar*; Germ. *schmücken, verzieren, verherrlichen*; Angl. *to adorn, beautify, grace, embellish, trim, decorate*).

I.) Proprie. — a) Cum addito Ablativo rei, qua aliquid ornamus. *Plaut. Trin.* 1. 2. 1. Decorare larem corona. *Cic.* 4. *Verr.* 46. 112. Qui oppidum non maximum maximis et pecunia sua locis communibus monumentisque decoravit. *Virg.* 6. *Æn.* 217. Decorare pyram fulgentibus armis. *Horat.* 2. *Od.* 15. 20. deorum Templa novo decorare saxo. *Id.* 1. *Ep.* 7. 5. dum ficus prima calorque Designatorem decorat lictoribus atris. *h. e.* comitatu lictorum. Adde *Liv.* 2. 6. et 10. 7. *Sil. It.* 17. 646. auro decoratus et ostro. — b) Et sine Ablativo. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 57. Ab illa, quæ digitos despoliat suos, et tuos digitos decorat. *subaudi* anulis. *Tibull.* 2. 2. 6. Serta decorant comas. Cf. *Horat.* 2. *Od.* 4. 14. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 16. 31. (103). Arbor domos decorans. — Sunt qui putant, dici etiam *decōro*, penult. producta, afferuntque illud *Sil. It.* 12. 743. triumphum Tarpeji clamant Jovis, ac delubra decorant. Sed plerique omnes rectius leg. *coronant.* V. *Drak.* ad h. l. *Inscript.* incertæ ætatis et auctoritatis, apud *Murat.* 54. 4. EXVVIISQVE EIVS TE IPSAM TEMPLVMQVE DECORO.

II.) Improprie. — a) Cum addito Ablativo. *Ennius* apud *Cic. Senect.* 20. 73. Nemo me lacrimis decoret. Cf. apud *eumd.* 1. *Tusc.* 15. 34. *Cic. Balb.* 6. 17. Decorare aliquem singularibus honoribus. *Id.* 1. *Orat.* 43. 194. Quum honestus labor honoribus, præmiis atque splendore decoratur. *Id. Ligar.* 2. 6. O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, litteris, monumentisque decorandam! *Id.* 5. *Tusc.* 41. 119. Omne honestum cassum illi quiddam, et inani vocis sono decoratum esse dicunt. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 266. Nec prave factis decorari versibus opto. Cf. *Sall. Cat.* 12. *Tac. Agric.* 46. Decorare aliquem laudibus. *Virg.* 9. *Æn.* 215. aliquem sepulcro. — b) Et sine Ablat. *Cic. Pis.* 12. 27. Decorare atque augere rempublicam. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 38. bene nummatum. Cf. *Priscian.* 1. *p.* 143. *Krel.* — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla superius retulimus,

Decoratus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Decoratissimus* apud *Boëth. Aristot. Elench. soph.* 1. 12. *p.* 743. Dicunt quidem decoratissimas orationes.

DĔCŌRŌSUS, a, um, adject. decorus, decens. *Seneca Ep.* 93. *sub fin.* Annales Tanusii scis quam non decorosi sint. Al. leg. *decori*: al. aliter. Sed multo plures, inquit *Gronov.*, habent *decorosi* a *decus*, ut a *scelus* fit *scelerosus*. At *Fickert* nunc legit *ponderosi*.

DĔCORTĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus decorticandi. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (236). Quod si angusta decorticatio fuerit.

DĔCORTĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔCORTĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et cortex). Part. *Decorticatus.* — Decortico est corticem detraho. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 74. (188). Cædi tempestivum, quæ decorticentur. *Id. ibid.* 41. 80. (221). Abies decorticata.

DĔCŌRUS, a, um, adject. (decet). Comp. *Decorior* et Sup. *Decorissimus* 2. — Decorus est decens, aptus, conveniens, honestus (It. *decente, decoroso, conveniente*; Fr. *qui convient à, convenable, bienséant, décent*; Hisp. *convenible, conveniente, decente*; Germ. *geziemend, anständig, schicklich, angemessen*; Angl. *comely, graceful, beautiful, decorous, honourable*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu, et 1.°) Adjective. — a) Absolute. *Cic.* 1. *Off.* 20. 66. Nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, expetere oportere. *Id.* 4. *Att.* 16. *ante med.* Homo iis honoribus ut vix satis decorum videretur, eum plures dies esse in Tusculano. *Id. Senect.* 9. 28. Est decorus sermo senis quietus et remissus. *Horat.* 4. *Od.* 1. 35. Silentium parum decorum. *Id.* 3. *ibid.* 2. 13. Dulce et decorum est pro patria mori. *Ovid.* 13. *Met.* 308. an falso crimine turpe Accusasse mihi, vobis damnasse, decorum est? Adde *eumd.* 9. *ibid.* 6.; et *Quintil.* 10. 1. 17. et 5. 10. 40. *Tac.* 1. *Ann.* 1. Decora ingenia. *Id.* 6. *ibid.* 27. genus. — b) Cum Dativo. *Cic.* 2. *Legg.* 18. 45. Color albus præcipue decorus Deo est, tum in ceteris, tum maxime in textili. *Id. ibid.* 8. 20. Quæ cuique divo decoræ grataeque sint hostiæ. *Liv.* 2. 6. Decorum erat tum ipsis. *Id.* 1. 42. Vel paci decorum. *Id. præfat. init.* Poeticis decora fabulis. — c) Cum Ablat. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 25. Facinora tibi objicere neque te decora, neque tuis virtutibus. *h. e.* digna. — d) Cum Accus. et præp. *ad. Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Nos æris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus et ad usum aptas et ad ornatum decoras. — e) Cum Ablat. et præpos. *pro. Tac.* 3. *Hist.* 7. Decorum pro causa ratus. *V. Walch.* ad *eumd. Agric.* 17. *p.* 314. — 2.°) Hinc *Decorum, i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est Græcorum τὸ πρέπον. *Cic. Orat.* 21. 70. Ut in vita, sic in oratione nihil est difficilius, quam quid deceat, videre: πρέπον appellant hoc Græci: nos dicamus sane decōrum. *Id.* 1. *Off.* 28. 97. Sequi et servare decorum. *V. eumd. ibid. c.* 27., ubi duplicis decori descriptionem tradit, et multa præterea docet de hac re. *Quintil.* 10. 1. 71. In omnibus custoditur decorum. *At Spalding. legendum putat decor, et quidem rectius. Tac.* 1. *Hist.* 71. Ad decorum composita. ¶ 2. Latiori sensu sumitur pro pulcro, ornato; et occurrit — a) Absolute. *Lucret.* 2. 352. Decora delubra. *Sall. Jug.* 6. facies. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 87. *Virg.* 11. *Æn.* 480. Oculos dejecta decoros. *Id. ibid.* 194. galeas ensesque decoros. *Id.* 4. *ibid.* 559. membra decora juventæ. *Id.* 5. *ibid.* 343. lacrimæque decoræ. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 392. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 21. os. *Id.* 1. *Od.* 6. 3. palæstra. *Id. ibid.* 30. 3. ædes. *Ovid.* 6. *Met.* 167. caput. *Tac.* 1. *Hist.* 53. juventa. *Id.* 12. *Ann.* 4. arma. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 12. et 15. *ibid.* 69.; *Sall. Cat.* 7.; *Horat.* 1. *Ep.* 7. 27.; *Liv.* 7. 10.; *Curt.* 9. 10. 26. et 7. 3. 14.; et *Senec. Troad.* 946. — b) Cum Ablat. sine præpos. *Virg.* 5. *Æn.* 133. auro Ductores longe effulgent ostroque decori. *Horat. Carm. sæcul.* 61. Phœbus fulgente decorus arcu. *Id.* 2. *Od.* 19. 30. Bacchus aureo cornu decorus. *Id.* 4. *ibid.* 2. 35. Cæsar merita fronde decorus. *Tac.* 2. *Hist.* 80. Satis decorus etiam Græca facundia. — c) Cum Ablat. et præpos. *ab. Colum.* 6. *R. R.* 1. 2. Boves decori ab aspectu. — d) Comp. *Decorius* legitur apud *Auct. Itin. Afr.* 13. *extr.* Item *Decorior* apud *Tertull.* 2. *ad Nation.* 10. Quis Antinoo controversiam divinitatis agitavit, quod decorior Ganymede, aut carior suo amatori? — Sup. *Decorissimus* apud *Apul. de Mag.* Zenonem longe decorissimum fuisse.

DĔCŌTES, togæ detritæ. *Paul. Diac. p.* 72. 1. *Müll.* Si *Vossium* sequimur, qui in *Etymol.* V. *Floccus*, ait, *decotes* quasi *sine cute, h. e.* flocco dictas fuisse, secunda syllaba brevis est: si *Schneiderum*, qui in *Indice Scriptor. R. R. p.* 370. putat, ita appellatas, quia sunt quasi cotibus detritæ atque consumptæ, longa est.

DĒCRĒMENTUM, i, n. 2. actus decrescendi. *Gell.* 3. 10. *a med.* Quasi jam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sunt. *Apul.* 11. *Met. initio.* Luna decrementis imminuitur.

DĔCRĔMO, as, are, a. 1. idem quod cremo. Neutra significatione pro ardere, comburi. *Tertull. advers. Marcion.* 2. v. 100. Omnia mactentur pecora, grex omnis in aras Decremet, ut veniam vel peccati expiet unus.

DĔCRĔPĬTUS, a, um, adject. extremæ ætatis senex. Alii derivant a *creperus*, dubius: unde *crepusculum* extremum diei tempus: et *Non. p.* 13. 17. *Merc.* decrepitos interpretatur in dubio vitæ constitutos. Alii a *crepitus*, quia nullum facere potest crepitum (Duo hæc ponit *Paul. Diac. p.* 70. 12. *Müll.*). Et *Placidi Gloss.* ed. *A. Mai. p.* 454. Decrepiti, non qui a senectute avulsi sunt, sed qui jam crepare desierint, id est loqui cessaverint. Unde in *Glossis* legitur: Decrepitus, ἐσχατόπνοος, qui ultimum flatum emisit. Alii a lucernis, quæ cum extinguuntur, ultimum crepant, etc. *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 2. 3. 11. decrepitos senes dictos ait, quia sunt clamosi. *Id.* ad *Ter. Eun.* 2. 1. 25. quia crepitu et plangore familiæ fuerant jam conclamata eorum funera. Sed hæc sunt nugæ. — a) De hominibus. *Ter. Adelph.* 5. 8. 16. Decrepita anus. *Plaut. Merc.* 2. 2. 20. Acheronticos senex, vietus, decrepitus. *Id. ibid.* 43. Vetulus, decrepitus senex. Adde *eumd. Asin.* 5. 2. 13. et *Cas.* 3. 2. 29. *Seneca Ep.* 26. Inter decrepitos me numera et extrema tangentes. — b) De ætate et brutis. *Cic.* 1. *Tusc.* 39. 94. Decrepita ætate mori. *Prudent. Hamartig.* 561. Decrepitus leo.

DĔCRESCENTĬA, æ, f. 1. actus decrescendi, decrementum. *Vitruv.* 9. 2. 2. *Schneid.* Decrescentia lunæ quotidiana.

DĔCRESCO, crescis, crēvi, crētum, crescere, n. 3. (de et cresco). Part. *Decrescens* et *Decretus* I. 1. — Decresco contrarium significat τῷ cresco, deminuor (It. *scemare, calare, sminuirsi*; Fr. *décroître, diminuer, décliner*; Hisp. *descrecer, disminuir*; Germ. *abnehmen*; Angl. *to decrease, grow less, diminish, decay, wear away*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de iis, quæ naturâ suâ crescunt et decrescunt, cujusmodi sunt luna, dies, anni tempestates, flumina, morbi et

similia. *Livius* vel *Lævius* apud *Priscian.* 9. *p.* 869. *Putsch.* Nocte dieque decretum (*h. e.* deminutum) et auctum. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 33. Ostrea cum luna pariter crescunt, pariterque decrescunt. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 59. 60. (151). Die decrescente. *Plaut. Curc.* 2. 1. 4. Decrescit valetudo. *Cels.* 3. 6. *circa med.* Ubi febris fuit, atque decrevit. *Id. ibid.* 20. *ad fin.* Donec morbus decrescere incipiat. *Ovid.* 1. *Met.* 345. rrescunt loca decrescentibus undis. — Est etiam valde cresco, ut videtur, in illo *Horat.* 4. *Od.* 7. 3. et decrescentia ripas Flumina prætereunt. Alii tamen rectius sic interpretantur: flumina, quæ nivibus liquefactis excreverant, jam decrescunt, et intra justas, ut ante, ripas fluunt: ver enim jam adultum hic describitur. *V.* PRÆTEREO. ¶ 2. Latiori sensu de corporis statura seu magnitudine, et est deminui. *Lucret.* 1. 314. Ferreus occulte decrescit vomer in arvis. *Id.* 5. 531. Terraque ut in media mundi regione quiescat, Evanescere paullatim et decrescere pondus Convenit. *Seneca Herc. Œt.* 1758. tam parvus cinis Herculeus est: huc ille decrevit gigas. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 126. Jam tamen et validi gressus, mensuraque major Cultibus, et visæ puero decrescere vestes. *Plin. Paneg.* 612. Ut corpora decrescant. Huc referri potest et illud *Martial.* 7. 54. Decrevere greges, dum cadit agna frequens.

II.) Improprie. ¶ 1. Transfertur ad orationem et ad animi motus. *Quintil.* 9. 4. 23. Cavendum est ne decrescat oratio, et fortiori subjungatur aliquid infirmius. Adde *eumd.* 5. 12. 11. *Id.* 1. 3. 5. Decrescit admiratio. *Sil. It.* 7. 82. metus. ¶ 2. Poetice *decrescere* dicuntur, quæ, recedentibus nobis, subtrahuntur oculis. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 189. Totaque decrescit refugo Trinacria visu. Cf. *Drak.* ad *Sil. It.* 17. 220. *Stat.* 2. *Achill.* 308. Decrescit Scyros. ¶ 3. Hinc est etiam paullatim se deminuendo evanescere. *Ovid.* 1. *Met.* 740. Cornua decrescunt. *V.* integrum locum.

DĔCRĒTĀLIS, e, adject. ad decretum pertinens, seu pendens a decreto, ut *Decretalis pagina* apud *Sidon.* 7. *Ep.* 9. in *Conc.*; *Decretalis bonorum successio* apud *Ulp. Dig.* 38. 9. 1.; et *Decretalis pœna* apud *Cassiod.* 9. *Variar.* 18. *a med.*

DĔCRĒTĬO, ōnis, f. 3. idem ac decretum. *Capell.* 1. *p.* 12. *in carm.* Cujusque nutu gignitur necessitas, Futura cujus illigat decretio.

DĔCRĒTŌRĬUS, a, um, adject. ad decernendum pertinens, judiciale. *Seneca.* 1. *Clem.* 14. Nisi plus est, quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium stilum. *h.* e. ad ultimam sententiam ferendam, quæ de re tota decernat. *Id. Ep.* 102. *post med.* Intrepidus horam illam decretoriam (*h.* e. mortis) prospice: non est animo suprema, sed corpori. *Id. ibid.* 117. *post med.* Remove ista lusoria arma: decretoriis opus est. *h. e.* quæ serio agant, de victoria decernant ac debellent. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (272). In hoc temporis intervallo res summa vitium agitur, decretorio uvis sidere illo quod Caniculam appellavimus. *h.* e. decernente, uber ne, an nulla vindemia futura sit. *Id. ibid.* 29. 69. (288). Decretorio die florentibus oleis vitibusque, si plenilunium in eum incidat. *Quintil.* 6. 4. 6. Decretoria pugna. *Al. leg.* decertatoria; *al.* decertoria. Adde *eumd.* 10. 5. 20. et cf. *Sueton. Cal.* 54. Battuebat pugnatoriis armis.

DĔCRĒTUM, i, n. 2. *V.* DECERNO in fin.

DĔCRĒTUS, a, um, particip. a decerno. *V.* DECERNO. — Juxta nonnullos *decretus* est etiam qui crevit, seu valde crevit. *Gell.* 19. 12. Stolones proceros atque decretos amputare. *Alii tamen aliter legunt.*

DĒCRĒTUS, a, um, a decresco. *V.* DECRESCO.

DĔCRĪBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. conficere tamquam per cribrum. *Plaut. Capt.* 4. 4. 6. Decribravit totum cum carne carnarium. *Alii plerique rectius leg.* deturbavit.

DĔCŬBO, as, are, n. 1. *Fabius Pictor* de Flamine Diali, apud *Gell.* 10. 15. Pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet: et de eo lecto trinoctium continuum non decubat: neque in eo lecto cubare alium fas est. *h.* e. extra eum lectum non cubat.

DĔCULCO, as, are, a. 1. (de et calco) calcando deprimo. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 11. (60). Alii baccas in qualo pedibus in profluente deculcant, donec auferatur cutis. *Stat.* 1. *Theb.* 622. Proterere exanimes artus, asprosque molares Deculcare genis. *h. e.* de alto illidere, impingere.

DĔCULPĀTUS, a, um, adject. *Gell.* 19. 10. Dehonestum tibi deculpatumque hoc verbum videtur. *h. e.* damnatum. *V.* CULPA.

DĔCULTARUNT valde occultarunt. *Paul. Diac.* p. 75. 12. *Müll.*

DĔCŪMA, æ. *V.* DECIMUS in fin.

DĔCŪMĀNUS, a, um. *V.* DECIMANUS.

DĔCŪMĀTES AGRI apud *Tac. Germ.* 29. *extr.* *V.* DECIMALIS.

DĔCUMBO, cumbis, cŭbŭi, cŭbĭtum, cumbere, n. 3. (de *et inus.* cumbo *a* cubo). Decumbo est idem quod recumbo, jaceo; et ¶ 1. Generatim — *a*) Est verbum jacentium in lecto. *Cato R. R.* 156. Ubi libido veniet nauseæ eumque apprehendet, decumbat purgetque sese. *Plaut. Cas.* 5. 2. 9. Colloco, fulcio, mollio, ut apte decumbam. *Sueton. Ner.* 48. Decubuit super lectum modica culcita. *Id. Cæs.* 49. In aureo lecto decumbere. — *b*) Præcipue est tricliniare verbum. *Plaut. Merc.* 1. 1. 97. Ad cœnam vocat: venio, decumbo. Adde *eumd. Curc.* 2. 3. 72. et *Stich.* 5. 1. 6.; et *Ter. Phorm.* 2. 2. 28. *Cic.* 5. *Verr.* 25. 61. Cum Apronius in triclinio decubuisset. — *c*) Est etiam ægrotantium. *Gell.* 18. 10. Ibi alvo mihi cita, et accedente febri rapida, decubueram. *Seneca. Ep.* 96. Familia decubuit, fenus offendit, domus crepuit. *Inscript.* apud *Gruter.* 926. 8. RELIQVOS (*annos*) SEPTEM ET DIES XIIX. DECVBVIT ET OCCVBVIT. — *d*) Item jacentium in lecto quiescendi causa. *Apul. Mag.* Ex fatigatione itineris affectus, apud Appios amicos meos aliquammultis diebus decumbo. ¶ 2. Speciatim est pugnantium, et ex vulnere cadentium. De gladiatoribus *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 41. Mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quærant, quid velint: si satis his factum sit, se velle decumbere. *Id.* 3. *Phil.* 14. 35. Quod nobiles gladiatores faciunt, ut honeste decumbant, faciamus nos, etc.

DĔCUNCIS, is, m. 3. Rectus casus etiam *decunx* esse potest, ut *deunx, quincunx,* etc. *Priscian. de ponderib. p.* 1348. *Putsch.* — Ceterum decuncis est decem unciarum vel mensura, vel pondus, alio nomine dextans. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 46. At si sextantem retrahas, erit ille decuncis.

DĔCUNCTOR, āris. *V.* DECONTOR.

DĔCŬPLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔCŬPLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Decuplatus.* — Decuplo est decies multiplico. *Donatus* ad illud *Ter. Eun.* 1. 2. 102. Siquidem biduum: verum ne fiant isti viginti dies; *Hæc habet*: facete biduum decuplavit. *Juvenc.* 3. 437. *in Matth.* c. 18. Christus prosequitur: non septem crimina tantum, Sed decuplata super donentur vulnera fratri.

DĔCŬPLUS, a, um, adject. qui rei alicujus quantitatem decies in se continet. *Liv.* 39. 44. Uti ea quoque decuplo tanto pluris, quam quanti essent, æstimarentur. Ita ediderunt *Manut.* et *Scheffer.*; at *Gruter.* et *Gronov.* decem tanto *legunt*: alii aliter. Certior est lectio apud *Boeth.* 2. *Music.* 4. p. 1087. Duplus, triplus, quadruplus, quintuplus, sextuplus, septuplus, octuplus, noncuplus, decuplus. *Id.* 1. *Geom.* p. 1210. Comparatio dupla, tripla, quadrupla, quintupla, sextupla, septupla, octupla, noncupla, decupla. *Interpr. Vulgat. Dan.* 1. 20. Invenit in eis decuplum.

DĔCŪRES, decuriones. *Paul. Diac.* p. 71. 22. et p. 75. 9. *Müll.*

DĔCŪRĬA, æ, f. 1. Quantitas syllabæ antepænultimæ, quæ controversa est, satis innotescit ex iambicis versibus *Plauti* et *Cæcilii* infra sub *C* allatis. — Decuria, Græce δεκάς, est decem hominum aut rerum numerus, unde *Varro* 9. *L. L.* 86. *Müll.* Decuriæ numerorum: et occurrit *A*) Generatim, *B*) Speciatim, et *C*) Jlocaliter apud Comicos.

A) Generatim. — *a*) De hominibus. *Colum.* de operis ruri laborantibus 1. *R. R.* 9. 7. Classes etiam non majores, quam denum hominum faciundæ: quas decurias appellaverunt antiqui. Adde *Gell.* 18. 7. *Vitruv.* 7. 1. 3. *Schneid.* Deinde rudus inducatur, et vectibus ligneis, decuriis inductis crebriter pinsatione solidetur. *Seneca Ep.* 47. Retulit illi gratiam servus, ille in primam decuriam conjectus, in qua vocem præco experitur. *Forcellinus* in allatis *Vitruvii* et *Senecæ* locis *decuriam* dici putat de quavis multitudine, quamvis plures minoresve sint, quam decem: nihil tamen obstat, quominus in his locis *decuria* stricto sensu accipiatur. — *b*) De rebus. *Valerian. Imp. in epist.* apud *Trebell. Claud.* 14. Pellium tentoriarum decurias triginta.

B) Speciatim. ¶ 1. Post Romuli mortem, interregno durante, rem inter se centum patres, h. e. senatores, decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summæ rerum præessent, consociarunt. Decem imperitabant, unus cum insignibus imperii et lictoribus erat: quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat: annuumque intervallum regni fuit. Hæc *Liv.* 1. 17., quocum cf. *Dionys. Halic. l.* 2.; et *V.* plura in *Pauly's Real-Encyclop. vol.* 2. *p.* 884. ¶ 2. Diutissime vere extiterunt judicum decuriæ. Triplex fuit Romæ judicum genus, ut est apud *Sueton. Cæs.* 41. et *Ascon.* ad *Cic. Pis.* 39. 94. p. 16. *Bait.*, senatorum, equitum et tribunorum ærariorum, et proinde totidem decuriæ: sed postremam Cæsar sustulit: legem vero de nova decuria ex alaudis et centurionibus composita, teste *Cic.* 13. *Phil.* 2. 3., tulerat quidem M. Antonius in consulatu, sed hostis judicatus rem non perfecerat: at tertiam tribunorum ærariorum restituisse videtur Augustus, quem *Sueton. Aug.* 32. quartam addidisse narrat, *ducenariorum* appellatam, quæ judicaret de levioribus summis. Quintam decuriam, ut ait *Id. Cal.* 16., ad quatuor priores addidit Caligula, ut levior labor judicantibus esset. Judicibus vero, ut *Id. Galb.* 14. affirmat, sextam decuriam adjici precantibus, negavit Galba. Porro in singulis hisce decuriis singula circiter millia hominum erant, ut *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 7. (30). docet: ubi addit, pluribus ipsas discretas nominibus fuisse, tribunorum æris (ita enim eos ipse appellat pro *tribunorum ærariorum*) selectorum, judicum nongentorum: de quibus *V.* suis locis. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr. extr.* p. 202. *Bait.* discrimen tradit inter *centurias* et *decurias* (quum de judicibus sermo est), quod illæ inferiorum dicebantur, nempe equitum et tribunorum æris; istæ honestiorum, scilicet senatorii ordinis. *Cic.* 4. *Verr.* 32. 79. Hunc hominem in judicum numero habebimus? hic alteram decuriam senatoriam judex obtinebit? *h.* e. ordinem senatorum judicantium. *Sueton. Tib.* 41. Decuriæ equitum. *h. e.* ordo equitum in judicum numerum conscriptorum. Adde *Cic.* 3. *Verr.* 61. 158., 5. *ibid.* 11. 28., *Cluent.* 37. 103. et 1. *Phil.* 8. 19.; *Quintil.* 4. 2. 48.; et *Inscript.* apud *Orell.* 3877. ¶ 3. Etiam in pluribus aliis collegiis decuriæ fuerunt. — *a*) Honoratiorum quarumdam decuriarum emptiones et venditiones fieri solitas legimus in *Inscript.* apud *Reines. cl.* 10. *n.* 3. et apud *Cic.* 5. *Verr.* 79. 184. Nam plebeji homines, præsertim libertini generis, si in aliquam decuriam scribarum, viatorum, accensorum etc. describerentur, conditionem suam nobiliorem facere sibi videbantur, quia ex hujusmodi decuriis, scribarum præcipue, in equestrem ordinem ascendi solebat. De hujusmodi decuriis plura *Reines.* ad *Inscript.* 19. *cl.* 1., et *Orell.* ad *Tac.* 13. *Ann.* 27. *Cic. loc. cit.*, *Liv.* 40. 29. et *Sueton. Claud.* 1. Scribarum decuriæ. — Porro hac ratione *decuria* accipitur tum pro ipsis hominibus, tum pro jure ipsius decuriæ, tum pro loco, ubi illa est constituta, ut *Verrius Flaccus* docet apud *Gell.* 18. 7. *ad fin.* — Quotiescumque veteres lapides tres decurias commemorant, non expresso earum nomine, intelligendæ sunt *Viatoria, Equestris, Consularis.* Id monuit *Marin. Iscriz. Alb.* p. 56. ad hanc *Inscript.* L. LICINIO L. FIL. PAL. HERODI EQVITI ROMANO, DECVRIALI DECVRIAE VIATORIAE, EQVESTRIS, CONSULARIS. At hæc fuit *Cajet. Marini* sententia, quæ falsa deprehensa est a *Jo. Labus.* in *præf.* ad *Visc. Op. Var. T.* 2. p. xi. et a *Barpt. Borghesio* in *Bullett. dell'Instit. di corr. archeol. ann.* 1838. p. 166., ideoque ita legendum est: Quotiescumque in vetustis monumentis trium decuriarum mentio fit, non expresso earum nomine, intelligendæ sunt decuriæ lictorum, viatorum et scribarum. — *b*) Fuerunt quoque decuriæ servorum publicorum, et inter officia domus Augustæ, ut *decuriæ lictorum* apud *Gruter.* 631. 1. et *Reines. cl.* 1. *n.* 19. — *c*) Item eorum, qui sacris publicis ministrabant. *Inscript.* apud *Gruter.* 305. 4. EX QVATVOR DECVRIIS CVRIO MINOR etc. — *d*) Item professorum alicujus artis, ut *decuria scamillariorum* apud *Gruter.* 467. 7. etc. — Ceterum de hujusmodi decuriis *V. Inscriptt.* apud *Orell.* 2204., 2252., 2456., 3217. et alias. ¶ 4. Etiam in re militari decuriæ fuerunt primo a decem militum numero dictæ: et retento eo nomine, etiam postquam numerus auctus est. *Inscript.* apud *Gruter.* 557. 3. et apud *Reines. cl.* 8. *n.* 72.

C) Iocular̃iter de cœtu, sodalicio. *Plaut. Pers.* 1. 3. 62. Atque, nisi gratam tecum huc jam, quantum potest, Adducis, exigam hercle ego te ex hac decuria. *h. e.* ex hoc cœtu sodalium et convivarum. Similiter *Cæcilius* apud *Non. p.* 139. 9. *Merc.* Meritissimo hic me ejecit ex hac decuria.

DĔCŬRĬĀLIS, e, adject. ad decuriam pertinens. ¶ 1. Generatim. *Decurialis numerus* apud *Tertull. Anim.* 37. est denarius. ¶ 2. Speciatim decurialis est ad decuriam pertinens, in decuriam aliquam adscriptus: quà significatione et *Decurialis, is*, absolute substantivorum more occurrit. *Cod.* 11. 3. 2. Decuriales leges. *Inscript.* apud *Gruter.* 36. 6. L. AMATIVS PHOEBVS DECVRIALIS DECVR. IVLIAE. *Reines.* ad *Inscript.* 19. *cl.* 1. legit *Decur. Consularis.* Alia apud *Gruter.* 622. 9., quæ est apud *Orell.* 3985. M. LAELIO SABINIANO DECVRIALI AEDILICIAE POMPAE. Alia apud *Don. cl.* 4. *n.* 43., quæ est apud *Orell.* 2456. DECVRIALES PVLLARII. Alia apud *Fabrett. p.* 86. Q. MARCIVS ITALICVS DECVRIALIS NEGOTIATOR. Adde *alias* apud *Orell.* 157., 874., 976. et 4196.; et *Fragm. Vatic.* § 142. et 235. ¶ 3. Item qui decurio fuit. *V.* CONDECURIALIS.

DĔCŬRĬĀTIM, adverb. per decurias. *Charis.* 2. *p.* 165. *Putsch.*

DĔCŬRĬĀTĬO, ōnis, f. 3. actus decuriandi, descriptio. *Cic. Planc.* 18. 45. Decuriatio tribulium, descriptio populi.

DĔCŬRĬĀTUS, a, um. *V.* DECURIO, as.

DĔCŬRĬĀTUS, us, m. 4. idem quod decuriatio. *Liv.* 22. 38. Ubi ad decuriatum, aut centuriatum convenissent.

DĔCŬRĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Decuriatus* I. 1. et 2. — Decuriare est in decurias adscribere.

I.) Proprie. ¶ 1. In bonam partem occurrit et pertinet ad rem militarem. *Liv.* 22. 38. Sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites conjurabant. ¶ 2. In malam partem decuriare est in decurias vel potius curias adscribere. Dicitur præcipue de iis, qui ambitus causa, curiarum populi descriptionem faciebant, et largitione grassabantur; ut earum voluntate sibi adjuncta, suffragiorum ad se in comitiis majorem partem attraherent, et per vim honores obtinerent. *V.* SODALITIUM. *Cic. Planc.* 18. 45. Hæc doce, hæc profer, Laterensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronuntiasse, divisisse. *Id. ibid.* 19. 47. Decuriare tribules. *Id. Sext.* 15. 34. Servorum delectus habebatur, cum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur. *Id. Dom.* 5. 13. Cum decuriatos et descriptos haberes exercitus perditorum. *V.* DECURIO, onis. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. 5. Senatusconsultum factum est, ut sodalitates decuriatique discederent. Adde *eumd.* 7. *Phil.* 6. 18.

II.) Translate. *Capell.* 1. *p.* 1. Respersus capillis albicantibus vertex, incrementisque lustralibus decuriatus. *h. e.* vertex hominis cani et quinquagenarii, qui scilicet lustra decem compleverit.

DĔCŬRĬO, ōnis, m. 3. qui ad decuriam pertinet, decuriæ allectus. Hinc speciatim ¶ 1. Decurio fuit princeps decuriæ in militia equestri, nam in pedestri decanus vocabatur. — In legione Romana erat, qui decem equitibus præerat, ut docet *Paul. Diac. p.* 71. 19. *Müll. Tac.* 1. *Hist.* 70. Milites instinctu decurionum transiere in partes Vitellii. *V.* integrum locum. — Initio in turma tres decuriones fuere, turma autem erat equitum XXX. sive XXXIII. cum tribus decurionibus. *Varro* 5. *L. L.* 91. *Müll.* — Postea re mutata, pristinum tamen remansit nomen. Nam quamvis unus toti præesset turmæ, h. e. XXXIII. equitibus, nihilominus decurio dicebatur. *Veget.* 2. *Milit.* 14. ¶ 2. *Municipales* vero et *colonici decuriones* ex eo dicti, quod principio, cum deducerentur coloniæ, decima pars eorum, qui deducebantur, consilii publici gratia conscribi solita sit, uti docet *Pompon. Dig.* 50. 16. 239. § 5. At ex *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 96. constat, eos aliquando fuisse quintam duntaxat eorum partem, quem locum *V.* in AUGUR. Ceterum centum numero semper fuisse, apparet ex locis allatis in *V.* CENTUMVIRI (quidquid contra affirmat *Tartarotti, Illustraz.* etc. *p.* 629.), ideoque etiam centumviri sunt appellati, quemadmodum Romæ antiquitus a Romulo centum tantummodo senatores lecti fuerunt (V. *Savigny, Hist. du droit Rom. T.* 1. *p.* 64.). Quandoque tamen imperatorum indulgentia super legitimum numerum adjiciebantur, ut ait *Plin.* 10. *Ep.* 113., vel ab ipso decurionum ordine allegebantur, qui ideo allecti sunt appellati. *V.* ALLECTUS. — Decuriones fiebant ætate annorum XXV. *Callistrat. Dig.* 50. 2. 11. Neque minores XXV. annis decuriones allegi, nisi ex causa, possunt; eoque hi, qui annum quinquagesimum et quintum excesserunt. *Ulp. Dig.* 50. 2. 2. § 8. Majores annis LV. ad decurionatus honorem inviti vocari, constitutionibus prohibentur; sed si et rei consenserint, etsi majores annis LXX. sint, munera quidem civilia obire non coguntur, honores autem gerere debent. — Cum vero mos esset Romæ senatoribus in curiam cum prætextatis filiis introire, ut narrat *Gell.* 1. 23., et ostendit *Tabula Canusina* apud *Fabrett. p.* 599. *n.* 9., in qua præter XXXVIII. patronos et C. decuriones, etiam XXV. prætextati numerantur; paullatim assentationis gratia factum est, ut hi in decurionum numero haberentur; hinc *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 91. DECVRIO ADLECTVS ANNORVM XVII. Alia apud *eumd. ibid. p.* 89. ADLECTO IN ORDINE DECVRIONVM, CVM ESSET ANNORVM IV. Alia, quam ex ipso lapide ipse descripsi Neapoli apud *Andr. de Jorio.* D. M. C. IVLII C. F. CL. HEGEMONIS ADLECTI IN ORDINE DECVRIONVM MISENI, VIXIT ANNOS V. MENSES VI DIES VI. V. *Cardinali, Iscriz. ined. n.* 17. et *not. p.* 8.; et *Inscript.* apud *Orell.* 3745. et 3749. *Paul. Dig.* 50. 1. 21. § 6. Impp. Severus et Antoninus Augg. Septimo Zenoni. Pro infante filio, quem decurionem esse voluisti, quamquam fidem tuam in posterum adstrinxeris, tamen interim onera sustinere non cogeris. *Imp. Constantin. M. Cod. Theod.* 12. 1. 19. Quoniam nonnulli diversarum civitatum curiales (*V.* CURIALIS) intemperanter minores, quibus publica tutela debetur, ad curiæ consortium devocarunt, ut septem, vel octo annorum constitutos nonnullos nominarint, firmiter decernimus, ut omnino nullus in curiam nominationibus devocetur, nec functionum obsequia subire cogatur, nisi qui decimum et octavum annum ætatis fuerit ingressus. — Kal. vero Mart. quinto quoque anno decurionum nominationes fieri solebant a quinquennalibus, uti constat ex *Cod. Theod.* 12. 1. 28., quemadmodum Romæ a censoribus senatores legebantur. — Novi decuriones honorarium alicubi pro introitu, Itali dicunt *entratura*, curiæ dare debebant; singula nempe millia denariorum, vel bina, ut docet *Plin.* 10. *Ep.* 113. Qui vero de republica bene meruissent ob opera publica suis sumptibus condita, vel ob largitiones et munera gladiatoria splendide populo data, hisque similia, gratis allegebantur. *Inscript.* apud *Gruter.* 475. 3. TITIO CHRESIMO OB MERITA PATRIS HONOREM DECVRIONATVS GRATVITVM DECREVIT ORDO DECVRIONVM. *V.* HONORARIUM. Sic *Fronto* 2. *ad Amic.* 6. ed. iter. *A. Mai.* Pensiones plurimas ad quintum usque decurionatum dependit. *Et mox.* Postquam usurpavit honorem, pensionibus inferre pecuniam debuit, quater intulit. — Eorum census erat c. millia sestertiorum, ut CCCC. millia fuit census equitum R., DCCC. millia senatorum. *Plin.* 1. *Ep.* 19. Esse autem tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos decurio es. Igitur, ut te non decurione solum, verum etiam equite R. perfruamur, offero tibi ad implendas equestres facultates CCC. millia nummum. — Decurionum munia plurima et gravia fuerunt, quoniam quidquid ad rei publicæ administrationem pertineret, illorum curæ erat demandatum. Ea vero recenset *Gothofredus* in *Paratitl.* ad *Cod. Theodos. l.* 12. *tit.* 1. — Si decuriones, quibus major census esset, non qui ætate, nobilitate generis, et rerum civilium prudentia eminerent, una cum quattuorviris, vel duumviris sumptibus rei publicæ causa faciendis præerant, tributi modum in capita et agros definiebant, et suo periculo exigebant: hi pro eorum numero vel quatuorprimi, vel quinqueprimi, vel sexprimi, vel decemprimi seu decaproti (seu *decem principes* apud *Liv.* 29. 15., ubi mox *primores coloniarum* vocantur) vel quindecimprimi, vel Græca appellatione icosaproti vocabantur, Itali autem dicunt *li maggiori estimati. V.* has voces suo quasque loco. Hinc *Hermogenian. Dig.* 50. 4. 1. decemprimatum vocat patrimonii munus; et *Ulp. ibid.* 3. § 10. affirmat, decaprotos etiam minores annis viginti quinque fieri consuevisse. Adde, quoties Vprimos, VIprimos, Xprimos, XVprimos, vel tandem XXprimos vetusti scriptores nominant, in iis locis sermonem esse de tributo solvendo, vel sumptibus rei publicæ causa faciendis. — Eadem erant dignitate, qua Romæ senatores; ex iis eligebantur omnes magistratus, et eorum decretum erat, quod Romæ senatusconsultum. *Cic. Sext.* 4. 10. Recita quæso, Sexti, quid decreverint Capuæ decuriones. Hinc etiam in nummis colonicis, et in vetustis lapidibus videre est passim D. D., *h. e.* decreto decurionum, ut Romæ S. C., *nempe* senatus consulto. Eorum porro decreta ita proponebantur, ut est in *Inscript.* Gabina apud *Visconti. Mus. Pio-Clem. T.* 6. *p.* 239. *edit. Mediol.* HOC DECRETVM POST TRES RELATIONES PLACVIT IN TABVLA AENEA SCRIBI, ET PROPONI IN PVBLICO, VNDE DE PLANO RECTE LEGI POSSIT. — Plurima etiam erant decurionum emolumenta; nam quoties natalicia, vel matrimonia, vel parentalia virorum illustrium celebrarentur, aut dedicationes fierent statuarum, vel operum publicorum, aut magistratus inirentur, decuriones ad epulas invitabantur, vel sportulæ iisdem distribuebantur, testantibus id plurimis vetustis inscriptionibus et *Plin.* 10. *Ep.* 117. Qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratus, vel opus publicum dedicant, solent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios, vel singulos dare. — Præterea toga candida laticlavia, et senatoriis calceamentis, atque etiam bisellio, ut Romæ sella curuli utebantur, qui magistratus obiissent. *V.* BISELLIUM. Hæc passim in inscriptionibus vocantur ornamenta decurionalia. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 86. 3. PARCIS AVGVSTIS P. VALERIVS TROPHIMVS ORNAMENTIS DECVRIONALIBVS RESTITVTOR *reipublicæ* VERONENSIVM. *V.* DIVISIO. — Non raro accidit, ut quis pluribus in municipiis et coloniis decurio esset, fortasse quia bona in eorumdem finibus possidebat. *Inscript.* apud *Labusium Dissert. sulla tribù, e suoi decurioni Bresc. p.* 18. *Sex. Valerio Sex. F. Fabio Publicolæ* EQVO PVBLICO, DECVRIONI BRIXIAE, VERONAE, TRIDENTI etc. — Horum plurima, quæ ad decuriones municipales et colonicos pertinent, docte illustravit *Jo. Labusius* in opere supra laudato, quod videsis. — Ceterum decuriones hujusmodi, fere in plurali numero, præterquam in locis hucusque allatis, occurrunt apud *Cic. Rosc. Am.* 9. 25. et 39. 115., *Cluent.* 14. 41. et 6. *Fam.* 18. 1.; *Cæs.* 1. *B. C.* 13. et 23.; *Tabul. Heracl.* v. 11. et seqq.; *Sueton. Aug.* 46. et 100. et alibi. — Denique numina quarumdam civitatum propria et peculiaria iotulariter deos decuriones vocat *Tertull.* 2. *ad Nat.* 8. Satis video etiam deos decuriones cujusque municipii, quibus honor intra muros suos determinantur. ¶ 3. Fuerunt etiam in urbe decuriones, ii nempe qui in aulis Cæsarum erant, ut Decurio cubiculariorum, *h. e.* qui præest cubicularis apud *Sueton. Domit.* 17. DECVRIO LECTICARIORVM BRITANNICI, *Inscript.* apud *Gruter.* 600. 1. Sic DECVRIO CONLEGII FABRVM FERRARIVM, apud *eumd.* 632. 1., et apud *Orell.* 4055. *Alia inscript.* apud *Orell.* 2923. PROCVLVS DECVRIO GERMANORVM TI. GERMANICI. *h. e.* Germanorum, qui corporis custodes erant, quique propterea probe distinguendi sunt a Germanicianis, id est servis Tiberii ex hereditate Germanici Cæs. Hinc in *Tab. Antiat.* apud *Vulp.* et *Guasco Mus. Capit. T.* 2. *p.* 149. habetur D. D., *h. e.* decreta decurionum, qui erant vernæ in villa Augusta Antiatina: eorum etiam *promagister*, et qui in eorum corpus cooptabantur *allecti* dicuntur. — Denique *decurio femina* legitur apud *Orell. Inscript. Lat. T.* 1. *p.* 543.

DĔCŬRĬŌNĀLIS, e, adject. ad decurionem pertinens, senatorius. *Inscript.* apud *Gruter.* 469. 4. SEX. SEXTIO ONESIGENI EXORNATO ORNAMENTIS DECVRIONALIBVS. *V.* et ORNAMENTUM. *Gloss. Philox.* βουλευτικός, decurionalis.

DĔCŬRĬŌNĀTUS, us, m. 4. dignitas et officium decurionis. ¶ 1. De dignitate et officio decurionis in militia equestri. *V.* DECURIO, onis 1. *Cato* apud *Festum p.* 201. 28. *Müll.* Majores paravere bonis atque strenuis decurionatus, optionatus, hastas donaticas. ¶ 2. De dignitate et officio decurionis in municipiis et coloniis. *V.* DECURIO, onis 2. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 114. Honorarium decurionatus inferre. *Inscript.* apud *Murat.* 481. 3., quam vide in *V.* BISELLIATUS. Item *Inscript.* apud *Orell.* 3530. C. COELIO ANICETO — ORDO SANCTISSIMVS DECVR. OB SPEM PROCESSVS EIVS HONOREM DECVRIONATVS GRATVITVM OBTVLIT.

DĔCŬRĬŌNUS est idem quod decurio. *Paul. Diac. p.* 49. 16. *Müll. V.* CENTURIONUS.

DĔCURRO, curris, curri et *aliquando* cucurri,

cursum, currere, 3. (de et curro). In præteritis usitatior forma est decurri sine reduplicatione; immo Servius ad Virg. 11. Æn. 189. negat dici posse decucurri: sed tamen decucurrit legitur apud Cæs. 2. B. G. 21. et Tac. 2. Ann. 7., decucurrerunt apud Cæs. 2. B. G. 19., decucurrerat apud Liv. 1. 12., et decucurrisse apud eumd. Liv. 25. 17. — Part. Decurrens I. 1. 1.°; Decursus I. 1. 3.°, II. 1. 2.°; Decursurus 1. 1. 1.° — Decurro est deorsum curro, vel celeriter deorsum feror (It. correr giù, affrettarsi discendendo; Fr. descendre en courant, se précipiter en descendant; Hisp. descender corriendo; Germ. von einem höhergelegenen Orte nach einem niedrig, gelegenen herablaufen, eilen, überh. von jeder raschen Bewegung, abwärts; Angl. to run down or along).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim; et quidem — 1.°) Neutrorum more. — a) De hominibus et ceteris animantibus, quæ terra decurrunt. Virg. 2. Æn. 41. Laocoon ardens summa decurrit ab arce. Liv. 4. 50. Decurrere de tribunali. Cæs. 2. B. G. 19. Incredibili celeritate ad flumen decucurrerunt. Adde Sueton. Aug. 81. Rursus Cæs. 1. B. C. 28. Qui erant in muro custodiæ causa collocati, eo signo revocantur, notisque itineribus ad naves decurrunt. Liv. 41. 2. Pauci armati, major pars inermes, ad naves decurrunt. Virg. 4. Æn. 153. Capræ decurrere jugis. Plin. 24. Hist. nat. 18. 103. (168). Scarabæus sursum deorsum decurrens. — b) De pomis et similibus, quæ decidunt. Pallad. 10. R. R. 7. de pruno. Si poma decurrant, oleastri epiurum terebratæ infige radici. — c) De fluminibus, quæ deorsum, aut in mare feruntur. Horat. 4. Od. 2. 5. Monte decurrens amnis. Liv. 38. 13. Mæander, ex arce summa Celænarum ortus, media urbe decurrens. Adde eumd. 21. 26. Plin. 6. Hist. nat. 19. 22. (69). Fluvius decurrit inter oppida. — d) De navibus, quæ secundo fluminis cursu, aut per mare celeriter feruntur: cf. Ovid. 14. Met. 50. decurrit pedibus super æquora siccis. Id. 6. Fast. 777. celeri decurrere cymba. Id. 9. Met. 590. Decurrere mari. Tac. 15. Ann. 43. Naves decurrent. h. e. secundo vento feruntur. — Hinc et Cic. 16. Fam. 4. Ego puto, te bellissime cum Mescinio decursurum. h. e. e Græcia in Italiam navigaturum. — Huc pertinet et singulare illud Lucret. 5. 1262. posse hæc liquefacta (metalla) calore Quamlibet in formam et faciem decurrere rerum. — e) Et pro simpliciter currere, percurrere. Nepos Eumen. 5. Decurrere in spatio. Et Horat. 1. Ep. 7. 74. Occultum visus decurrere piscis ad hamum. — f) Denique dicitur etiam de regionibus pro extendi. Plin. 6. Hist. nat. 17. 21. (60). India a montibus tota decurrit in planitiem immensam. Cf. eumd. ibid. 20. 23. (78). Populi eum Indo flumine decurrentes. — 2.°) Passive impersonaliter. Cic. 1. Tusc. 8. 15. Nunc video calcem, ad quem quum sit decursum, nihil sit prætcrea extimescendum. — 3.°) Passive occurrit etiam Part. præter. Decursus pro excursus, confectus, significatione a Circo sumpta. Cic. Quinct. 26. 81. Septingenta millia passuum vis esse decursa biduo? Id. Senect. 23. 83. Decurso spatio, a calce ad carceres revocari. Ovid. 10. Met. 597. Dum notat hæc hospes, decursa novissima meta est. ¶ 2. Speciatim decurrere est etiam verbum militare. Decurrere enim dicuntur exercitus, quum vel ex loco superiore in inferiorem descendunt (ut apud Cæs. 3. B. G. 2. Quum ex ipsis montibus in vallem decurrerent. Adde eumd. ibid. 4.; et locos sub 1. a.), vel sæpius in armis aliquantum spatii conficiunt, vel imaginarias pugnas edunt et in duas divisi partes veri simile prælium, ut paratiores sint cum hostibus congredientes, simulque a duce lustrantur: quod apud Macedonas factitatum narrat Livius 40. 6. Id. 25. 17. Armatum exercitum decucurrisse cum tripudiis Hispanorum, motibusque armorum et corporum suæ cuique genti adsuetis, ipso Hannibale omni rerum verborumque honore exsequias celebrante. Adde eumd. 2. 10., 1. 12., 23. 35. et 24. 48. — Passive impersonaliter. Id. 26. 51. In armis decursum est. ¶ 3. Hinc etiam decurrere dicuntur, qui magna multitudine ac pompa ad sol[...]ne aliquod sacrum ex ordine procedunt, ac pr[...]que qui funera comitantur. Sueton. Claud. 1. Exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret Galliorumque civitates publice supplicarent. Virg. 11. Æn. 188. Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis, Decurrere rogos: ter mæstum funeris ignem Lustravere in equis. Tac. 2. Ann. 7. Restituit aram, honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit. Adde Stat. 6. Theb. 213. et Lucan. 8. 735.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — a) Eadem significatione, quâ dictum est superius sub I. 1., sed metaphorice sumpta: ad rem Justin. 19. 1. 2. Per vestigia paternæ virtutis decurrentes — successerunt. Occurrit — 1.°) Neutrorum more. Lucret. 4. 705. Refrigescit enim cunctando plaga per auras: Nec calida ad sensum decurrunt, nuncia rerum. Plin. 7. Hist. nat. 16. 15. (72). Sed mox plura de hoc, quum membratim historia decurret. Liv. 38. 8. Sententiæ eo decurrunt. — Et passive impersonaliter. Id. 31. 20. Decurrebatur tamen eo, ut ovans urbem iniret. h. e. in eam sententiam devenera etc. Sic Tac. 3. Ann. 59. Eo decursum est, ut pontificis maximi sententiam opperirentur. Rursus Liv. 26. 18. Quum alii alium nominarent, postremum eo decursum est, ut populus — comitia haberet. Inscript. apud Orell. 4395. DECVRRIT POSSESSIO PER GRAVS. — 2.°) Active usurpatur præcipue de vita. Plaut. Merc. 3. 2. 4. Decurso in spatio, breve quod vitæ reliquum est. Id. Stich. 1. 2. 14. Decurso ætatis spatio. Ter. Adelph. 5. 4. 5. Ego vitam duram, quam vixi usque adhuc, prope jam decurso spatio mitto. Priscian. ita legit: al. excurso. Lucret. 3. 1055. Ipse Epicurus obit, decurso lumine vitæ. Propert. 2. 12. 41. et Phædr. 3. 20. Decurrere vitam. Cic. Quinct. 31. 99. Ætas prope jam acta et decursa. Similiter Virg. 2. G. 39. Decurrere inceptum laborem. h. e. persequi. — b) De oratione præcipue ponitur pro tractare, narrare. — 1.°) Neutrorum more. Quintil. 6. 1. 2. In peroratione decurrendum per capita. Id. 10. 3. 17. Decurrere per materiam stilo quam velocissimo. Adde eumd. 5. 8. 2. — 2.°) Active. Cic. 1. Orat. 32. 148. Ista, quæ abs te breviter de arte decursa sunt, audire cupimus. Stat. 5. Silv. 3. 149. equos pugnasque virum decurrere versu. Auct. Paneg. ad Pison. 198. Non mea tot laudes decurrere carmina possunt. — c) Apud Rhetores decurrere dicuntur, quæ fusa sunt, atque ordine nulloque impedimento ad finem decurrunt. Quintil. 11. 1. 6. Circuitus contexto nitore decurrentes. h. e. periodi fusæ ac volubiles. Id. ibid. 3. 84. Brachii moderata projectio continuos et decurrentes locos maxime decet. h. e. ubi oratio decurrit. Id. 9. 4. 55. Versus semper similis sibi est, et una ratione decurrit. ¶ 2. Speciatim decurrere ad aliquid usurpatur pro confugere. Cic. Cæcin. 33. 65. Decurrere ad hortationem. Horat. 3. Od. 29. 53. ad preces, quod Virg. dixit 5. Æn. 782. Descendere in preces. Ovid. 2. Art. am. 99. Decurrere ad artes Hæmonias. Cels. 6. 18. n. 3. Decurrendum est ad medicamenta. Plin. 10. Ep. 97. ad fin. Ad te consulendum decucurri. Justin. 16. 3. 6. Decurrere ad oraculum. Id. 14. 2. 6. ad Alexandri Magni exercitum. Adde Quintil. Declam. 377. ¶ 3. Item speciatim decurro est ad finem usque percurro, adeoque currere desino. Petron. fragm. Tragur. 64. Burmann. Jam quadrigæ meæ decucurrerunt, ex quo podagricus factus sum. ¶ 4. Hinc active est abjicere, deponere. Cælius apud Cic. 8. Fam. 13. 1. Cetera porro, quibus adhuc ille sibi parum utilis fuit, et ætate jam sunt decursa, et consuetudine atque auctoritate tua —, si qua restabunt, confido celeriter sublatum iri. Orellius vero, et quidem rectius, legit decussa.

DĒCURSĬO, ōnis, f. 3. actus decurrendi, h. e. deorsum currendi. ¶ 1. Generatim. Arnob. 2. 59. Aqua natura res labilis, et ad fluorem semper decursionemque tam prona. Veget. 1. Veter. 27. 3. Schneid. Post decursionem sanguinis cretam impones. ¶ 2. Speciatim pro incursione hostili e loco superiore. Brutus apud Cic. 10. Fam. 14. 1. Ut Alpibus se teneat, et decursionibus per equites vastet ea loca, in quæ incurrerit. Auct. B. Alex. 42. Castella locis editis posita, quorum opportunitas castellanos impellebat ad decursiones faciendas. Adde Auct. B. G. 8. 22. ¶ 3. Item speciatim pro exercitatione militari, de qua in DECURRO I. 2. dictum est. Sueton. Ner. 7. Indicta decursione prætorianis, scutum ut manu prætulit. Id. Galb. 6. Campestrem decursionem scuto moderatur. Adde eumd. Cal. 18. Legitur etiam in nummo Neronis et Hadriani apud Eckhel. D. N. V. T. 6. p. 271. et 503. Porro a Veget. 1. Milit. 27., 3. ibid. 4. et alibi campi cursio dicitur. Cf. et Liv. 25. 17.

DĒCURSĬTO, as, are, n. 1. Decursitant legitur apud Apul. de deo Socrat. p. 116. Elmenh. et p. 170. Oudend.; qui tamen, pro hac falsa lectione, meliorem recepit, scil. detrectant.

DĒCURSŌRĬUS, a, um, adject. idem ac cursorius, qui ad cursum pertinet. Innocent. rei agrar. p. 223. Goes. Termini decursorii.

DĒCURSUS, a, um. V. DECURRO.

DĒCURSUS, us, m. 4. actus decurrendi, decursio (It. scorrimento all'ingiù; Fr. action de descendre en courant, course descendant; Hisp. el acto de descender corrriendo, carrera descendiente; Germ. das Ab —, Herablaufen, Herabsturz; Angl. a running down, descent, stream).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ac generatim dicitur de iis, quæ ab alto aliquo loco deorsum feruntur. Lucret. 5. 944. montibus e magnis decursus aquai. Adde eumd. 1. 284. et 6. 610.; et Ovid. 15. Met. 266. Virg. 12. Æn. 523. decursu rapido de montibus altis Dant sonitum spumosi amnes. Liv. 1. 27. extr. Itaque, ne subito ex collibus decursu Albanorum intercluderentur ab oppido, terga vertunt. Petron. Satyr. 138. Evasi tamen, omnibus digitis inter præcipitem decursum cruentatis. Frontin. 1. Strateg. 5. 6. Pondus in proras versum, decursum super catenam dedit navibus. — Huc pertinet et illud Auct. B. Hisp. 29. Cujus (planitiei) decursum antecedebat rivus, qui etc. ¶ 2. Latiori sensu ac speciatim in re militari decursus est — a) Militaris exercitatio. Liv. 42. 52. Mota parumper acies (non justo decursu tamen) ne stetisse tantum in armis videretur. Adde eumd. 44. 9. Tac. 2. Ann. 55. Exercitio equitum, decursibus cohortium interesse. Adde eumd. 12. ibid. 55. et 3. ibid. 33.; et Frontin. 2. Strateg. 2. 2. — b) Item publica militum lustratio. Gell. 7. 3. sub fin. Sed non proinde ut in decursibus ludicris, aut simulacris præliorum voluptariis fieri videmus; non, inquam, distincte nimis nimisque compte ac modulate res acta est. Adde Pers. 6. 61. et V. DECURSIO 3. et DECURRO. ¶ 3. Item terminus, finis cursus. Sueton. Ner. 24. Excussus curru, ac rursus repositus, cum perdurare non posset, destitit ante decursum.

II.) Improprie. Cic. 3. Fam. 2. extr. Si provinciam quam expeditissimam mihi tradideris, facilior erit mihi quasi decursus mei temporis. Id. 1. Orat. 1. 1. Si infinitus forensium rerum labor, et ambitionis occupatio decursu honorum, etiam ætatis flexu constitisset. h. e. posteaquam honores decucurri. Quintil. 9. 4. 115. Versum facientes totum illum decursum, non sex, vel quinque partes, ex quibus constat versus, aspiciunt. Tertull. Anim. 28. Moyses decursus generis humani ab exordio mundi quosque per singulas nativitates nominatim temporatimque digessit.

DĒCURTANS, antis. V. DECURTO.

DĒCURTĀTĬO, ōnis, f. 3. curtandi, seu mutilandi actus. Mar. Victorin. p. 2511. Putsch. At in ultima μείουρος ob decurtationem, ut Græci dixerunt, caudæ, id est extimæ partis etc. V. MICRUS.

DĒCURTĀTUS, a, um. V. voc. seq.

DĒCURTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et curto). Part. Decurtans I. et Decurtatus I. et II. — Decurtare est idem fere quod curtare, mutilare.

I.) Proprie. Arnob. 5. 11. Peniculamenta decurtans cantheriorum. h. e. setas evellens, vel abscindens e cantheriorum caudis, quæ penes vocantur. Seneca 3. Ira 17. Amicum suum undique decurtatum, cum aurea illi nasumque abscidisset, in cavea diu pavit. Plin. 25. Hist. nat. 5. 21. (53). Decurtatæ radices.

II.) Improprie de oratione. Cic. Orat. 53. 178. Mutila sentit quædam, et quasi decurtata.

DĒCURVĀTUS, a, um, adject. idem quod curvatus. Non. p. 80. 20. Merc. Bura dicitur pars aratri posterior decurvata.

DĔCUS, ŏris, n. 3. (decet) quod quamque rem decet, atque adeo exornat, ornamentum, dignitas, decor, honestas, pulcritudo (It. ornamento, lustro, decoro; Fr. ornement, parure, éclat, gloire, dignité; Hisp. ornamento, adorno, esplendor, gloria; Germ. d. Schmuck, Zierde, Herrlichkeit, Würde, Ansehen; Angl. an ornament, grace, beauty, credit, honour, commendation). Occurrit autem A) De externa hominum rerumve specie, et B) De interiore rerum natura.

A) De externa rerum specie usurpatur — a) De hominibus, qui decus afferunt. Catull. 64. 78. Ele-

tios juvenes, et decus innuptarum. *h. e.* puellas decoras. *Virg.* 2. *G.* 40. O decus, o famæ merito pars maxima nostræ. *Horat.* 1. *Od.* 1. 2. *de Mæcenate.* O et præsidium, et dulce decus meum. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 17. 4. et 3. *ibid.* 16. 20. *Cic. Cæcin.* 10. 28. Senator, decus judiciorum. *Id.* 2. *Phil.* 22. 54. Pompejus, qui imperii populi R. decus ac lumen fuit. *Val. Flacc.* 8. 37. *de Medea.* O decus in nostros magnum ventura penates. Adde *Curt.* 6. 1. 8. et 5. 8. 16. *Plin. Paneg.* 23. Decora ordinis equestris. *Tac.* 2. *Hist.* 81. E Judaico exercitu lecta decora. *h. e.* corpora. — *Capuli decus* dicitur per convicium homo morti vicinus, capularis, apud *Plaut. Asin.* 5. 2. 42. — *b*) De rebus. *Cic.* 6. *Verr.* 44. 97. Hostium spolia, monumenta imperatorum, decora atque ornamenta fanorum etc. *Virg.* 2. *Æn.* 448. Auratasque trabes veterum decora alta parentum. *Seneca Thyest.* 701. Regium capiti decus bis terque lapsum est. *h. e.* diadema. *Virg.* 4. *Æn.* 150. tantum egregio decus enitet ore. *h. e.* pulcritudo ac majestas. *Stat.* 1. *Achill.* 290. Eximium formæ decus. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 51. Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis Effluxere decus. *h. e.* aurum. *Cic. Brut.* 15. 59. Ut hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen eloquentia est. *Id.* 1. *Nat. D.* 4. 7. Magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis, res tam graves tamque præclaras (*h. e.* philosophiam) Latinis etiam litteris contineri. *Liv.* 38. 58. Orationem habuit plenam veris decoribus. *h. e.* laudibus. *Tac. Germ.* 11. Decus belli. Adde *Liv.* 1. 34.; *Virg.* 4. *Æn.* 150.; *Horat. carm. sæc.* 48.; *Sall. Cat.* 20. et *Jug.* 72.; *Ovid.* 9. *Met.* 690.; et *Vellej.* 1. 13. 5. et 1. 17. 3. Rursus *Cic.* 1. *Fin.* 10. 36. Decus honestatis. *Id. Brut.* 97. 331. Decus omne virtutis. *Id.* 10. *Fam.* 12. *extr.* Verum decus in virtute positum est. — Porro hac significatione occurrit etiam dicendi ratio *decori est*, ut apud *Lucret.* 2. 641. Ac virtute velint patriam defendere terram, Præsidioque parent decorique parentibus esse. *Virg.* 7. *Ecl.* 32. Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ. *Sall. Jug.* 73. Imperatori nobilitas, quæ antea decori fuerat, invidiæ esse.

B) De interiore rerum natura usurpatur tantum morali ratione de ipsa morali dignitate seu virtute. *Cic.* 2. *Fin.* 11. 35. In decore toto, id est in honestate. *Id.* 2. *ibid.* 14. 44. Epicureos nisi arguimus, omnis virtus, omne decus, omnis vera laus deserenda est. *Id. ibid.* 17. 56. Decus et honestas. *Id.* 1. *Off.* 5. 17. Honestatem et decus conservare. *Id. ibid.* 34. 124. Civitatis dignitatem et decus sustinere. *Id.* 1. *Orat.* 45. 199. Non solum ad usum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis. Adde *eumd.* 1. *Legg.* 21. 55. et 5. *Tusc.* 21. 55.

Homonym. *C. Fronto de differ. verbor. p.* 2191. *Putsch.* discrimen tradit inter *decorem* et *decus*, quod ille sit formæ, hoc honoris. Sed ex locis utrimque allatis satis patet, etiam promiscue usurpari.

DĔCUS, i, m. 2. apud varios Auctores *de Limitib.* p. 231., 243. *et* 265. *Goesii* est figura decussis. Sed vox est Latine scribenti fugienda. *V.* DECUSSIS.

DĔCUSSĀTIM, adverb. in modum decussis, hoc est lineæ transversim sectæ. *V.* DECUSSIS. *Vitruv.* 1. 6. 7. *Schneid.* Circino decussatim describendum, et per decussationem et medium centrum linea perducenda ad extremum. *et paullo post.* Decussatim lineæ ad extremas circinationes perducendæ. *Colum.* 12. *R. R.* 56. 1. *Schneid.* Rapum decussatim ferramento tunato incidito. *Capell.* 1. *p.* 21. Huic (*virgini*) rosis decussatim vinculatis serrata contextio. *V.* REDIMICULUM.

DĔCUSSĀTĬO, ōnis, f. 3. actus decussandi, et locus ubi duæ lineæ decussatim secantur. *Vitruv.* 1. 6. 7. *Schneid.*, cujus verba *V.* in voce præced. *Id.* 10. 6. 2. Faciendæ decussationes, et in decussationibus finita puncta. Adde *eumd. ibid.* § 3.

DĔCUSSĀTUS, a, um. *V.* DECUSSO.

DĔCUSSĬO, ōnis, f. 3. actus decutiendi, projectio, abjectio. *Tertull. Cult. femin.* 9. Vobis curanda est amputatio et decussio redundantioris nitoris.

DĔCUSSIS, is, m. 3. (decem *et* as, assis). De alia forma, *V.* DECUS, i, loco suo. — Decussis ¶ 1. Est denarius numerus, δεκάς: quia nota X tum nummum, tum numerum significat. *Vitruv.* 3. 1. 5. *Schneid.* Ex singularibus rebus, quæ μονάδες dicuntur, perficitur decussis. *V.* et voc. seq. ¶ 2. Item conformatio duarum linearum in modum litteræ X, vel χ, decussatio. *Vitruv.* 10. 6. 2. *Schneid.* Regula figitur in primo decussis puncto. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 34. 77. (331). Ducantur aliæ duæ lineæ in decusses obliquæ. *Sicul. Flacc. de condit. agr. p.* 8. *Goes.* In versuris quæ (*arbores*) notatæ sunt, aut decusses in eis inveniuntur, aut gammæ, ut manifestum sit, versuras suis signis observari debere. ¶ 3. Item nummus, qui decem asses valebat, denarius insignitus littera X. Quam litteram si in duas partes dividas, superior pars erit V, quæ nota est numeri quinarii. *Varro* 5. *L. L.* 170. *Müll.* In denario numero hoc mutat: quod primum est, ab decem assibus decussis. Adde *Lucilium* apud *eumd.* 9. *ibid.* 81. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 9. Liber mihi constitit decussi. *Festus p.* 234. 19. *Müll.* Lege Tarpeja cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus æstimaretur. *V.* CENTUSSIS.

DĔCUSSISSEXIS, n. indeclin. numerus sextusdecimus. *Vitruv.* 3. 1. 8. *Schneid.* Quoniam animadverterunt utrosque numeros esse perfectos, et sex et decem, utrosque in unum conjecerunt, et fecerunt perfectissimum decussissexis.

DĔCUSSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Decussans* et *Decussatus.* — Decussare est ad decussis figuram redigere, hoc est, res aliquas ex ordine collocare, ut inter se litteræ Græcæ χ, aut Latinæ X, speciem præbeant. *Cic. Tim.* 7. *a med.* Hanc conjunctionem duplicem in longitudinem diffidit, mediæque accommodans mediam quasi decussavit. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 8. Quorum singula (*brachia*) spectent decussati jugi partes. *Id.* 4. *ibid.* 27. 6. Decussare jugum in stellam. *Id.* 3. *ibid.* 13. 12. In speciem Græcæ litteræ decussare. *Capell.* 1. *p.* 14. Oblique decussati poli. *Id.* 8. *p.* 277. Qui (*coluri*) alium ab ortu circulum decussantes in quatuor quadras mundi ambitum diviserunt. Adde *eumd.* 2. *p.* 45. *Sicul. Flacc. p.* 5. *Goes.* Decussatæ petræ. *h. e.* decusse signatæ.

DĔCUSSUS, a, um. *V.* DECUTIO.

DĔCUSSUS, us, m. 4. decutiendi actus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 62. (163). Aliqui tum scribunt decidere eum, rursusque recrescere facilem decussu. *Nisi malis esse supinum verbi* decutio.

DĔCUTĬO, cŭtis, cussi, cussum, cŭtere, a. 3. (de *et* quatio). Part. *Decutiens* et *Decussus* I. — Decutio est deorsum quatio, quatiendo dejicio, deturbo (It. *scuotere, gettar giù sbattendo*; Fr. *secouer, abattre en secouant, en frappant*; Hisp. *sacudir, golpear, abatir golpeando*; Germ. *abschütteln, von sich wegschütteln, abwerfen, vertreiben*; Angl. *to shake down, strike or shake off, beat down*).

1.) Proprie. — *a*) De plantis earumve fructibus, et de similibus. *Liv.* 1. 54. Summa papaverum capita dicitur baculo decussisse. *Ovid.* 2. *Fast.* 707. Decussa lilia. *Propert.* 3. 11. 27. Decussa cydonia ramo. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 3. 3. (11). Perticis decutere olivas. *Id.* 18. *ibid.* 7. 14. (73). Spicis decussum hordeum. *Id. ibid.* 6. 8. (45). Rami baculo decussi. *Virg.* 4. *G.* 11. aut errans bucula campo Decutiat rorem et surgentes atterat herbas. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 19. (12). et 34. *ibid.* 15. 45. (152). Decutiens gladio rubiginem a cuspide. *Propert.* 4. 1. 141. Decutere uncum mento. *Val. Max.* 1. 4. 2. Janua egressus ita pedem offendit, ut digitus ei decuteretur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 50. (97). Sagittis decutere nidos avium. — Apud *Ovid.* 5. *Met.* 104. Decutit ense caput. *al. leg.* Demetit. — *b*) De iis, quæ fulmine, aut bellicis tormentis dejiciuntur, deturbantur. *Liv.* 26. 23. In æde fulmine icta decussaque. *Id.* 25. 7. Turres decussæ fulminibus. *Id.* 33. 17. Ariete decussi ruebant muri. Adde *eumd.* 44. 8. et Cf. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 62. (163)., cujus verba *V.* in DECUSSUS, us. *Auct. B. Afr.* 50. *extr.* Collem, decusso Labieni præsidio, occupaverunt. — *c*) De iis, quæ ab alto loco deorsum præcipites aguntur. *Val. Max.* 1. 4. 2. Gracchus decussus Capitolio. — *d*) Denique et de pecunia, quæ ex arca extrahitur. *Plaut. Epid.* 2. 3. 4. Ex occluso armario decutio argenti tantum, quantum mihi lubet.

II.) Improprie. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 13. 1. Cetera et ætate jam sunt decussa. *Orell.* sic legit; al. *decursa.*

DĒDAMNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Tertull. Pudic.* 15. Qui non dedecoris tantum, sed et sceleris manifestum dedamnaverit. *h. e.* a damnatione exemerit, absolverit.

DĔDĔCENS, entis. *V.* voc. seq.

DĔDĔCET, cebat, cŭit, cere, impers. 2. (de *et* decet) minime decet, indecorum est; præpositio enim de negativa est, ut docet *Cic. Orat.* 22. 74. (It. *disconvenire, essere indecente*; Fr. *il ne convient pas, il ne sied pas, il est malséant*; Hisp. *no conviene*; Germ. *es schikt, ziemt sich nicht*; Angl. *it misbecomes, or does not become*). Usurpatur ¶ 1. Stricto sensu, et quidem — *a*) Cum Nominativo rei et Accusativo personæ. *Horat.* 1. *Od.* 38. 7. neque te ministrum Dedecet myrtus. *Ovid. Remed. am.* 409. raræ sibi vera fatentur: Et nihil est, quod se dedecuisse putent. *Id.* 6. *Met.* 689. Admovique preces; quorum me dedecet usus. — In plurali numero. *Ovid.* 3. *Amor.* 15. 4. Nec me deliciæ dedecuere meæ. *Id.* 1. *ibid.* 7. 12. Nec dominam motæ dedecuere comæ. — *b*) Cum Nominativo rei tantum. *Quintil.* 11. 3. 104. Ubi vox vel inter dentes expressa non dedecet. — Huc referri potest et illud *Cic.* 1. *Off.* 41. 146. Ut si quid dedeceat in aliis, vitemus et ipsi. — *c*) Cum Accusativo personæ et Infinito. *Cic.* 4. *Tusc.* 25. 55. Oratorem irasci minime decet, simulare non dedecet. *Horat.* 2. *Od.* 12. 17. Quam (*Licymniam*) nec ferre pedem dedecuit choris, Nec certare joco. *Ovid. Heroid.* 9. 66. Nec te Mæonia = Incingi zona dedecuisse putas? — *d*) Cum Infinito tantum. *Quintil.* 11. 3. 124. Togam removeri non dedecebit. *Id. ibid.* § 176. Extremam oram (*sinus*) rejecisse non dedecet. — *e*) Absolute omnino. *Cic.* 1. *Orat.* 29. 132. Quæ quibus a natura minora data sunt, tamen illud assequi possunt, ut iis, quæ habeant, modice et scienter utantur, et ut ne dedeceat. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro dehonestare. — *a*) Impers. *Tac.* 2. *Ann.* 43. Druso Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur. — *b*) In primis personis. *Stat.* 10. *Theb.* 340. Si non dedecui tua jussa, tulique prementem. *h. e.* si monitus tuos non indecenter effeci, sive non dehonestavi. *Lactant. Scholiast.*

DĔDĔCOR, ŏris, adject. comm. gen. indecoris, infamis, vilis, inglorius. *Sall. fragm.* apud *Priscian. p.* 699. *Putsch.* Dedecores, inultique per terga ab hostibus cædebantur. *Stat.* 11. *Theb.* 760. Dedecorem amplexi vitam, reditusque pudendos. *Auson. Epist.* 9. 5. Quæ viridis muscus, quæ dedecor alga recondit.

DĔDĔCŎRĀMENTUM, i, n. 2. idem quod dedecus. *V.* INHONESTAMENTUM.

DĔDĔCŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. *Tertull. Anim.* 34. Postrema dedecoratio. *Id. Cor. Mil.* 14. Turpitudo et dedecoratio.

DĔDĔCŎRĀTOR, ōris, m. 3. *Tertull. Apolog.* 14. Dedecorator deorum.

DĔDĔCŎRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔDĔCŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* decoro). Part. *Dedecorans* sub *b.*; *Dedecoratus* sub *a* et *b.* — Dedecorare est dedecore afficere; et occurrit — *a*) Cum Accusat. personæ aut rei, et Ablat. *Plaut. Trin.* 2. 2. 23. Dedecorare se moribus turbidis. *Id. Bacch.* 3. 3. 95. se flagitiis. *Sall. Jug.* 90. Ubi se flagitiis dedecoravere turpissimi viri. Sic *Sueton. Ner.* 36. Dedecoratus flagitiis omnibus. *Propert.* 3. 21. 35. Cornua nec valuit curvare in pellice Juno, Aut faciem turpi dedecorare bove. Adde *Tertull. Spectac.* 30. — *b*) Absolute, h. e. sine Ablativo. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 12. An quidquam pro istis factis dignum te dici potest? Quæ me et te et familiam omnem dedecoras, filio luctum paras. *Cic.* 3. *Off.* 2. 6. Dedecorantem et urbis auctoritatem et magistri. *Horat.* 4. *Od.* 4. 36. Dedecorant bene nata culpæ. *Al. leg.* Indecorant. Adde *Cod. Theod.* 6. 14. 2.

DĔDĔCŎRŌSĒ, adverb. turpiter. *Aurel. Vict. Epit.* 5. *de Ner. ad fin.* Dedecorose vixi, turpius peream. *Vetus Scholiast.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 3. 45. Male, *h. e.* dedecorose.

DĔDĔCŎRŌSUS, a, um, adject. Comp. *Dedecorosior.* — Dedecorosus est dedecorus, turpis. *Aurel. Vict. Epit.* 39. *extrem. de Dioclet.* Suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse. *Hieronym.* in *Isajam* 16. 58. 10. Quodque his dedecorosius est muliercularum precibus. *Firmic.* 3. *Mathes.* 8. *n.* 5. Dedecorosa valetudine. Adde *Cod. Theod.* 16. 5. 13.

DĔDĔCŌRUS, a, um, adject. qui dedecori est, qui dedecus parit, infamis. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 73. Age jam id, ut ut est, tametsi est dedecorum, patiar. *Tac.* 3. *Ann.* 32. Sex. Pompejus M. Lepidum, ut socordem, inopem, et majoribus suis dedecorum, incusavit. *Id.* 12. *ibid.* 47. Compede, quod dedecorum barbaris, trahebatur.

DĔDĔCUS, ŏris, n. 3. (de et decus) id omne quod dedecet, turpitudo, infamia, probrum, ignominia (It.

disonore, infamia, vitupero, vergogna; Fr. *déshonneur, honte, ignominie, infamie*; Hisp. *deshonor, verguenza, ignominia, afrenta*; Germ. d. *Entwürdigung, Schande*; Angl. *disgrace, dishonour, shame, infamy*). Occurrit *A*) De externo, et *B*) De interno dedecore.

A) De externo dedecore usurpatur ¶ 1. Generatim ac stricto sensu; et quidem — *a*) Absolute; vel simul cum *probro, infamia, damno*, et similibus. *Cato* apud *Gell.* 3. 10. Injurias, plagas, verbera, – per dedecus atque maximam contumeliam, inspectantibus popularibus suis atque multis mortalibus, te facere ausum esse? Sic *Sall. Cat.* 20. Nonne emori per virtutem præstat, quam vitam miseram – per dedecus amittere? *Cic. Rosc. Am.* 24. 68. Sumptus effusi cum probro atque dedecore. *Id. Cluent.* 21. 62. Tum vero illa judicia senatoria – verâ atque insigni turpitudine notata, atque operta dedecore et infamia, etc. Cf. *eumd.* 1. *Cat.* 6. 13. Quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? V. *Klotz* ad h. l. *Id.* 1. *Fin.* 14. 47. Tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt. *Id.* 2. *Divinat.* 9. 22. Cum ignominia et dedecore perire. *Id. Mur.* 5. 12. Aliquod aut in Asia susceptum, aut ex Asia deportatum flagitium ac dedecus. *Id. Brut.* 34. 130. Dedecus generi vestro. *Virg.* 10. *Æn.* 681. An sese mucrone ob tantum dedecus amens Induat. *Id.* 11. *ibid.* 789. Da, pater, hoc nostris aboleri dedecus armis. *Sil. It.* 13. 99. Dedecus manu defendere. — *b*) Sæpe occurrit dictio *dedecori est*, etiam cum altero Dativo. *Ter. Heaut.* 2. 3. 93. An ea quoque dicetur hujus, si una hæc dedecori est parum? *Cic.* 1. *Off.* 39. 139. Ampla domus dedecori domino sæpe fit, si est in ea solitudo. *Id.* 8. *Att.* 11. Dedecori esse studiis ac litteris. *Id.* 4. *Herenn.* 35. 47. Ne iste sua turpitudine ordini honestissimo maculæ atque dedecori sit. *Plin. Paneg.* 82. Dedecori multis fuit. — *c*) Cum Genitivo. *Justin.* 4. 5. 12. Nicias vero – cladem suorum auxit dedecore captivitatis. ¶ 2. Speciatim ac latiori sensu dedecus dicitur res aut persona, quæ dedecori est. Sic *Phædr.* 1. 21. 11. asinum *naturæ dedecus* appellat. Sic *Ovid.* 11. *Met.* 183. *de Mida, cui asini aures erant.* Viderat hoc famulus: qui, quum nec prodere visum Dedecus auderet, etc. Cf. *Plin. Paneg.* 81.

B) Quod ad interna hominis attinet, dedecus morali sensu — *a*) Est turpis actus, vitium, flagitium, malum: ut docet *Cic.* 1. *Legg.* 21. 55. Decus, quod antiqui summum bonum dixerant –; itemque dedecus illi summum malum. *Id.* 2. *Tusc.* 5. 14. Quid enim minus est dignum, quam tibi pejus quidquam videri dedecore, flagitio, turpitudine? quæ ut effugias, quis est non modo recusandus, sed non ultro appetendus, subeundus, excipiendus dolor? *Id.* 3. *Verr.* 11. 31. Nullo dedecore se abstinere. *Id.* 2. *ibid.* 17. 51. Admittere dedecus. Adde *Cæs.* 4. *B. G.* 25. et 3. *B. C.* 64. *extr.*; *Horat.* 3. *Od.* 6. 32.; et *Sueton. Cal.* 48. et *Aug.* 68. *Ovid.* 2. *Met.* 472. fieretque injuria partu Nota: Jovisque mei testatum dedecus esset. — *b*) Interdum et res infeliciter gestæ hoc nomine appellantur. *Liv.* 3. 51. Siccii cædes decemviris, et Appiana libido, et dedecora militiæ objiciebantur.

DĔDĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus dedicandi. *Cic. Dom.* 39. 103. Nisi quem forte illius castissimi sacerdotis superstitiosa dedicatio deterret. *Liv.* 2. 27. Populus dedicationem ædis dat M. Lætorio. *Id.* 5. 31. Celebrare dedicationem. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (158). Dedicatio theatri. Cf. *Sueton. Claud.* 21. *Trajanus* ad *Plin.* 10. *Ep.* 59. Solum peregrinæ civitatis capax non est dedicationis, quæ fit jure nostro. *Inscript.* apud *Gruter.* 100. 5. OB DEDICATIONEM HONORARIAM VICANIS EPVLVM POPVLO CRVSTVLVM ET MVLSVM DEDIT.

DĔDĬCĀTĪVĒ, adverb. affirmando. *Marc. Capell.* 4. *p.* 128. Et dedicative, et abdicative concludi potest.

DĔDĬCĀTĪVUS, a, um, adject. idem quod affirmativus, ut *dedicativa propositio*, cui opponitur *abdicativa*. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* sæpissime, et *Capella* 4. *p.* 95. et 121.

DĔDĬCĀTOR, ōris, m. 3. qui dicat. *Tertull. Apolog.* 5. *de Nerone.* Tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. *h. e.* inchoatore atque auspice. Adde *eumd. Carn. Christ.* 17.

DĔDĬCĀTUS, a, um. *V.* DEDICO.

DĔDĬCĀTUS, nomen, vel potius supinum. *Apul. Florid. n.* 18. Sermo dedicatu religiosus.

DĔDĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et dico). Part. *Dedicatus* per tmesim dividitur a *Lucilio* apud *Non. p.* 287. 28. *Merc.* cui sit data deque dicata. — Part. *Dedicans* II. 1.; *Dedicatus* et *Dedicaturus* I. *B.* 2.; *Dedicandus* I. *B.* 2. *c.* — Dedicare est dicendo deferre, dicendo dare, attribuere, ut *Paul. Diac. p.* 70. 2. *Müll.* exponit.

I.) Proprie usurpatur *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim est dicendo defero, seu loquor, enarro, affirmo, assero. *Accius* apud *Non. p.* 280. 5. *Merc.* At vereor, quum te esse Alcmæonis fratrem factis dedicat. *Cæcilius* apud *eumd. ibid.* Legati, quo missi sunt, veniunt, dedicant mandata. *h. e.* annunciant. *Lucret.* 1. 366. Ergo quod magnum est æque, leviusque videtur, Nimirum plus esse sibi declarat inanis. At contra gravius, plus in se corporum esse Dedicat. *Id.* 3. 209. Hæc quoque res etiam naturam dedicat ejus. *h. e.* ostendit, confirmat. *Lambin.* legit *deliquat*, ceteris invitis Criticis. *Apul.* quoque 3. *Dogm. Plat.* sæpissime *dedicare* pro affirmare usurpat (ut: Dedicat enim virtuti inesse bonitatem.). Hinc *dedicativus*.

B) Speciatim est verbum, uti ajunt, technicum: sic ¶ 1. *Dedicare in censum* vel *in censu aliquid*, est in censendo dicere, profiteri quod in censu habetur. *P. Scipio Africanus* apud *Gell.* 7. 11. Tu in uno scorto majorem pecuniam absumpsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicasti. *Cic. Flacc.* 32. 79. Prædia etiam in censu (*al. leg.* in censum) dedicavisti: mitto quod aliena, quod possessa per vim, etc. V. *Klotz* ad h. l. Utroque loco est qui aliter legit. ¶ 2. Sæpe sumitur pro diis aliquid ad religionem addicere, tribuere, consecrare, Græce καθιερόω, vel etiam ἀνατίθημι: quia is, cui dedicare contigerat, certa verborum formula, præeunte pontifice maximo, utebatur, qua declarabat, se ei deo, vel homini inter deos relato, id religionis causa attribuere, quod dedicabat: qua de re multa *Brisson. de formulis l.* 1. Si quis itaque sumptibus suis opus aliquod publicum, ceu templum, porticus, thermas, aliaque his similia, fecisset, idem plerumque ipse dedicabat, uti nempe Pompejis Eumachia sacerdos publica, quæ sua pecunia chalcidicum, cryptam et porticus fecerat, eadem ipsa dedicavit. V. *Inscript.* in V. CHALCIDICUS. Si vero opus aliquod publicum publicis impensis extruebatur, tunc ejus dedicandi jus nemini fuit, nisi cui populus concessisset, et Romæ quidem lege curiatis comitiis lata: eratque res magni honoris, dedicatio; quia nomen ejus, qui dedicavisset, incisum tabulæ posteritati commendabatur. Quid vero differant *dedicare* et *consecrare* in CONSECRO dictum est. Ceterum — *a*) *Dedicari* stricto sensu dicuntur *templa, ædes, porticus*, et similia. *Cic. Arch.* 8. 19. Smyrnæi delubrum Homeri (*al. leg.* Homero) in oppido dedicaverunt. *Id.* 1. *Legg.* 1. 3. Romulus templum sibi dedicari in eo loco jussit. *Id. Dom.* 46. 121. Simulacrum aut aram dedicare. Sic *Liv.* 1. 21. et 5. 23.; et *Sueton. Claud.* 2. Aram dedicare. Rursus *Cic.* 6. *Verr.* 55. 123. Marcellus duo templa se Romæ dedicaturum voverat. *Id.* 3. *Nat. D.* 5. 13. Ædes Castori et Polluci in foro dedicata. *Liv.* 9. 46. Dedicare ædem Concordiæ. *Cic.* 1. *Legg.* 22. 59. Qui se ipse norit, aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit. — *b*) Latiori sensu *dedicari* dicuntur ipsa numina. *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 61. Fides et Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus. *Id. ibid.* 31. 79. Majorum institutis Mens, Fides, Virtus, Concordia consecratæ et publice dedicatæ sunt. *Liv.* 5. 32. Juno dedicata. *Horat.* 1. *Od.* 31. 1. Quid dedicatum poscit Apollinem Vates? *h. e.* simulacrum Apollinis dedicatum. *Ovid.* 6. *Fast.* 637. Te quoque magnifica, Concordia, dedicat æde Livia. Adde *Aurel. Vict. vir. illustr.* 16. *extr.* — *c*) Denique *dedicari* dicuntur etiam alia, quæ alicui numini offeruntur. *Sueton. Aug.* 52. Apollini aureas cortinas dedicare. *Id. Vitell.* 10. Pugio Marti dedicandus. Adde *eumd. Tit.* 2. ¶ 3. Dedicare locum aliquem privati juris est sacrum facere, religione obligare. *Cic. Dom.* 46. 120. Ædes Cæpionis essent dedicatæ. — Sic *dedicare aliquid in sacrum* apud *Caj. Dig.* 44. 6. 3. est destinare, addicere, obligare. ¶ 4. *Dedicare aliquem* est sacrum et deum facere apud *Vitruv. præfat.* 2. Cum concilium cœlestium in sedibus immortalitatis eum (*C. Jul. Cæsarem*) dedicavisset.

II.) Improprie. ¶ 1. Jam inde ab Augusti ætate, *dedicare alicui librum* usu venit pro inscribere, nuncupare, et veluti consecrare. *Phædr.* 3. *prol.* 29. Librum exarabo tertium Æsopi stilo, Honori et meritis dedicans illum tuis. *Plin. Hist. nat. præfat.* § 12. Levioris operæ hos tibi dedicavi libellos. *Quintil.* 4. *proœm.* 1. Operis tibi dedicati. ¶ 2. Hinc universim est addicere, attribuere, consecrare, impendere. Sic *Dedicare urbem nomini ac memoriæ alicujus* apud *Curt.* 9. 3. 23., ubi de Alexandro condente oppidum et bucephali sui nomine appellante. — *Dedicare sub ascia.* V. ASCIA. — *Dedicare aliquid libris* est scriptis tradere et posteritati veluti consecrare. *Quintil.* 12. 10. 50. Quod libris dedicatur et in exemplum editur, tersum ac limatum esse oportere. — *Libros alicui operi dedicare* est alicui rei tractandæ integros libros impendere. *Quintil.* 9. 3. 89. Adde *Sueton. Tib.* 70. ¶ 3. Dedicare theatrum, scænam, bibliothecam, thermas, gymnasium, domum, pontem, patinam, apud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 25. (65).; *Plin. alt.* 1. *Ep.* 8.; et *Sueton. Aug.* 43., *Vesp.* 19., *Ner.* 12. et 31., *Cal.* 32., *Vitell.* 13. etc. præter eam, quam diximus, significationem, quia revera hujusmodi res deo alicui sacrabantur, valet etiam, iis uti incipere, encæniare, inchoare. — Sic in *Inscript.* apud *De-Vita A.A. BB. p.* XXI. *n.* 17. OPVS QVADRIGAE DEDICARI CAVIT. — Et *dedicare togam in funus filii* apud *Paul. Dig.* 15. 3. 19. est togа nova in funus uti. ¶ 4. Hinc factum est, ut qui primus ageret aliquid, *dedicare* diceretur. *Tertull. Anim.* 19. Statim infans, ut vitam vagitu salutavit, hoc ipsum se testatur sensisse, quod natus est, omnes simul ibidem dedicans sensus, et lucem visu, et sono auditum etc. *Hieronym. Ep.* 79. *n.* 2. de *Cornel. centur.* Qui primus ab Apostolis baptizatus salutem gentium dedicavit. — Hinc Part. præter. pass., cujus superius plura exempla retulimus,

Dedicatus, a, um, adjective quoque occurrit; unde Sup. *Dedicatissimus*, translate pro addicto, devoto, in *Inscript.* apud *Gruter.* 274. 5., quæ est apud *Orell.* 1007. GALLIENO CLEMENTISSIMO PRINCIPI – ET SALONINAE SANCTISSIMAE AVG. M. AVRELIVS VICTOR DEDICATISSIMVS NVMINI MAJESTATIQVE EORVM.

DĔDIGNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus dedignandi. *Plin. Paneg.* 18. Inertia, et contumacia, et dedignatione parendi. *Quintil.* 1. 2. 31. Tacita dedignatio.

DĔDIGNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (de et dignor). Part. *Dedignans, Dedignatus* et *Dedignandus.* — Dedignor est indignum reputo, contemno; et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Virg.* 4. *Æn.* 536. Quos ego sim toties jam dedignata maritos. *Ovid.* 1. *Pont.* 7. 33. Is me nec comitem, nec dedignatus amicum est. Adde *eumd. Heroid.* 16. 195. et 12. 83. *Curt.* 6. 11. 23. Qui Philippum dedignatur patrem. *h. e.* abdicat. *Plin. Paneg.* 63. Dedignari honorem. *Justin.* 43. 3. 2. connubia. *Sever. Ætn.* 13. 538. nec dedignanda parenti Carmina fuderunt Phœbo. — *b*) Cum Infinito. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 73. Hanc etiam non est mea dedignata puella Molliter admota sollicitare manu. *Tac.* 2. *Ann.* 34. Ut testis in causa quadam venire dedignaretur. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 37. et *Justin.* 7. 3. 8. — *c*) Absolute. *Tac.* 2. *Ann.* 2. Accendere dedignantes.

DĔDISCO, discis, didici, discere, a. 3. (de et disco). Part. *Dediscendus.* — Dedisco est quod didici obliviscor; et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Amph.* 2. 2. 55. Haud æquum facit, qui quod didicit, id dediscit. *Cic.* 9. *Fam.* 20. Dediscendæ tibi sunt sportellæ. Adde *eumd. Brut.* 46. 171. et *Cæs.* 3. *B. C.* 110. *Ovid. Remed. am.* 503. Intrat amor mentes usu, dediscitur usu. *h. e.* deponitur. *Lucan.* 1. 130. longoque togæ tranquillior usu Dedidicit jam pace ducem. *Claudian. præfat.* 1. *Rapt. Pros.* 10. Cordaque languentem dedidicere metum. — *b*) Cum Infinito. *Cic. Brut.* 13. 51. Omnemque illam salubritatem Atticæ dictionis et quasi sanitatem perderet, ac loqui pæne dedisceret. Adde *Ovid.* 3. *Trist.* 14. 46. et 5. *ibid.* 12. 57. *Id. Ovid. Remed. am.* 297. Tu mihi, qui, quod amas, ægre dediscis amare. — *c*) Absolute. *Seneca Troad.* 633. Dediscit animus sero, quod didicit diu. *Cic.* 3. *Orat.* 24. 93. Juventus nostra dedisceret pæne discendo.

DĒDĪTĪCĬUS vel deditiius, a, um, adject. qui se in alterius imperium dedidit, a deditione, ut ait *Isid.* 9. *Orig.* 4. 49., ita nuncupatus. — Duplicis vero generis fuerunt *dediticii.* — *a*) Alii nempe *peregrini*, de quibus hæc *Cajus* 1. *Institut.* (edente ite-

rum *Goeschenio*) § 14. Vocantur autem sic, qui quondam adversus populum Romanum armis suscepis pugnaverunt, et deinde victi se dediderunt. *Cic.* 1. *Brut.* 3. Id S. C. plerique interpretantur ad tuos sive captivos, sive dediticios pertinere. *Liv.* 7. 31. Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra deûm, divina humanaque omnia in vestram, Patres conscripti, populique Romani dicionem dedimus: quidquid deinde patiemur dediticii vestri passuri. *Sall. Jug.* 35. Si Jugurtha dediticius est, profecto jussis vestris obediens erit. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 44., 2. *ibid.* 17. et 2. *ibid.* 32.; *Sueton. Aug.* 15.; et *Curt.* 7. 11. 29. — *b*) De altero *dediticiorum* genere ita *Cajus ibid.* § 13. Lege Ælia Sentia cavetur, ut, qui servi a dominis pœnæ nomine vincti sunt, quibusve stigmata inscripta sint, deve quibus ob noxam quæstio tormentis habita sit, et in ea noxa fuisse convicti sint, quique, ut ferro aut cum bestiis depugnarent, traditi sint, inve ludum custodiamque conjecti fuerint, et postea vel ab eodem domino vel ab alio manumissi, ejusdem condicionis liberi fiant, cujus condicionis sunt peregrini dediticii. *et mox* § 15. Hujus ergo turpitudinis servos quocumque modo, et cujuscumque ætatis manumissos, etsi pleno jure dominorum fuerint, numquam aut cives Romanos, aut Latinos fieri dicemus, sed omnimodo dediticiorum numero constitui intelligemus.

DĒDĬTIM, adverb. dedendo. Enumeratur inter Latina adverbia a *Diomed.* 1. p. 402. *Putsch.* Alia in *im*, ut *gravatim, furtim, deditim, vicissim.* — At nullo confirmatur auctore.

DĒDĬTĬO, ōnis, f. 3. actus dedendi, traditio, subjectio. — *a*) Occurrit fere in re militari. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Reliquos omnes, obsidibus, armis, perfugis traditis, in deditionem accepit. (De discrimine dictionum *in deditionem* et *in fidem accipere* V. *Tzschuckii* notam ad *Eutrop.* p. 232.). Rursus *Cæs.* 1. *B. G.* 27. Legatos deditione mittere. *Id.* 3. *ibid.* 21. Recipere in deditionem. *Id.* 6. *ibid.* 3. Venire in deditionem. *Auct. B. Hisp.* 20. et *Sall. Jug.* 28. Facere deditionem oppidi. *Liv.* 24. 1. et *Quintil.* 3. 8. 23. Facere deditionem ad hostem. *Liv.* 31. 18. hosti. *Sall. Jug.* 66. Impellere aliquem ad deditionem. *Tac.* 11. *Ann.* 19. perlicere. *Curt.* 5. 1. 18. Deditio sui. *Id.* 7. 7. 38. Fame hostes in deditionem subigere. *Id.* 7. 11. 27. Barbaros ad deditionem trahere. *Justin.* 1. 6. Exercitum per deditionem alicui tradere. *Flor.* 3. 7. 5. Alii deditionem suam ad Pompejum absentem mitterent. *h. e.* Pompejo absenti significarent, fore, ut se ipsi dedant. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 23. et 3. *ibid.* 22.; *Liv.* 28. 22., 29. 38., 33. 37., 39. 2. et 40. 33.; *Curt.* 7. 6. 10. et 7. 7. 38.; *Vellej.* 2. 2. 1.; *Sueton. Claud.* 17.; *Justin.* 1. 17. 9., 12. 9. 2., 12. 6. 18. et alibi sæpe; et *Tac.* 11. *Ann.* 19. — Formula deditionis apud priscos Latinos, habes apud *Liv.* 1. 38. et 7. 31., ritum vero et rationem apud *Cæs.* 3. *B. C.* 98. et *Vellej.* 2. 106. et 114. — *b*) Extra rem militarem usurpatur in *Fragm. legis Thoriæ* apud *Gruter.* 202. *lin.* 23. QVOI AB EO AGRVE EIVS IS AGER, LOCVS TESTAMENTO, HEREDITATI DEDITIONIVE OBVENIT, OBVENERIT etc.

DĒDĬTOR, ōris, m. 3. qui se ipsum dedidit. *Tertull. de orat.* 11. Nos Dominum adoramus, non dedimus, imo et adversari debemus deditoris exemplo.

DĒDĬTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒDO, dis, dĭdi, dĭtum, dere, a. 3. (de *et* do). *Dedier* paragoge infiniti passivi pro *dedi* occurrit apud *Liv.* 1. 52. in veteri formula. — Part. *Dedens* I. 2.; *Deditus* in omnibus paragr. et in fin.; *Deditur*us et *Dedendus* I. 2. — Dedo est idem quod do, trado, addico: de autem augendi vim habet, ut significet totum et omnino dare. Hinc *Paul. Diac.* p. 70. 5. *Müll.* dedita exponit valde data (It. *dare*; Fr. *donner, livrer, abandonner, remettre*; Hisp. *dar, librar, entregar*; Germ. *etwas von sich geben, hinweggeben, daher etwas Jmdem übergeben, überlassen*; Angl. *to give, give up, submit*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Absolute. *Vetus Poeta* apud *Cic. Cæl.* 16. 37. Dede ac disjice, per me licebit: si egebis, tibi dolebit. *h. e.* largire, profunde, dissipa. *Alii leg.* Dide ac dissice. — *b*) Cum addito Dativo. *Plaut. Most.* 2. 2. 67. Hic habito: hæc mihi dedita est habitatio. *Lucret.* 4. 993. Cervus fugæ deditus. *Catull.* 64. 370. Dedere nuptam marito. *Id.* 61. 56. *de Hymenæo.* Tu fero juveni in manus Floridam ipse puellulam Matris e gremio suæ Dedis. Rursus *Plaut. Asin.* 3. 3. 18. Dedere aliquem morti. Sic *Lucret.* 6. 1253. jacebant Corpora, paupertate et morbo jam dedita morti. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 20. Dedere aliquem cruci. *Virg.* 4. *G.* 90. neci. *Cic. Mil.* 1. 2. telis militum. *Id. post redit. ad Quir.* 5. 13. aliquem constrictum hostibus. *Id.* 1. *Orat.* 40. 181. Quum eum pater patratus Numantinis dedidisset. *Horat.* 3. *Od.* 27. 46. mihi iratæ infamem juvencum. *Seneca Ep.* 104. et *Colum.* 1. *R. R. præfat. sub init.* aliquem noxæ. *h. e.* dare ad supplicium. — *c*) Cum Accus. et præpos. *ad. Liv.* 9. 4. Dedere aliquem ad necem. *Id.* 1. 5. alicui quempiam ad supplicium. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 32. — *d*) Cum Accus. et præpos. *in. Plaut. Bacch.* 4. 4. 36. et *Cæs.* 7. *B. G.* 71. Dedere aliquem in cruciatum. *Ter. Andr.* 1. 2. 28. aliquem in pistrinum usque ad necem. ¶ 2. Specialim in re militari, significat in potestatem et arbitrium alterius subjicere, tradere, ut quum victi se dant victoribus. *Vetus formula* apud *Liv.* 1. 32. SI EGO INIVSTE IMPIEQVE ILLOS HOMINES ILLASQVE RES DEDIER NVNCIO P. R. MIHI EXPOSCO. *Cic.* 5. *Att.* 20. Pindenissæ se mihi dediderunt. *Cæs.* 5. *B. G.* 20. Pollicentur sese ei dedituros. *Id.* 2. *ibid.* 28. Legatos ad Cæsarem miserunt, seque ei dediderunt. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 27. et 7. *ibid.* 13., et 3. *B. C.* 99. — Et omisso Dativo. *Cæs.* 2. *B. C.* 22. Massilienses – sese dedere sine fraude constituunt. — *Liv.* 27. 15. Iisdem fere diebus et ad Q. Fulvium consulem Hirpini et Lucani et Volcentes – dediderunt sese. — Rursus *Cæs.* 3. *B. C.* 15. *extr.* Dedere se atque oppidum Cæsari. *Id. ibid.* 16. se suaque omnia. *Sall. Jug.* 39. Cirta dedita. *Liv. fragm. l.* 91. (edente *Niebhurio*) p. 91. Ut legati mitterentur ad dedendam urbem. *Plaut. Amph.* 1. 1. 103. Dedere se divinaque omnia in dicionem atque arbitratum hostium. *Liv.* 7. 31. populum, urbem, agros in alicujus dicionem. *Id.* 5. 27. in potestatem. — Hinc *dediti* sunt iidem qui dediticii. *Liv.* 8. 13. Vultis crudeliter in deditos victosque consulere. *Curt.* 5. 6. Nec in deditos gravius consultum. *Tac. Agric.* 16. Quum arroganter in deditos et ut suæ quoque injuriæ ultor durius consuleret. — Et absolute. *Liv.* 24. 35. Marcellus Helorum atque Herbessum, dedentibus ipsis, recipit. Cf. *Cic.* 2. *Invent.* 30. 91. Fœdere autem ab senatu improbato, et imperatore Samnitibus dedito, quidam in senatu eum quoque dicit, qui porcam tenuerit, dedi oportere. *Curt.* 3. 1. 6. Caduceatorem præmisit, qui denunciaret, ni dederent, ipsos ultima esse passuros. — Hinc figurate *dedere manus*, h. e. dare, se victum fateri. *Lucret.* 2. 1042. si tibi vera videntur, Dede manus.

II.) Translate. — *a*) Jam inde ab initio, ut probat *Klotz* ad *Cic. Quinct.* 30. 92. *P.* 1. *pag.* 587., dedi dicebantur servi, qui in dominorum potestatem veniebant, et in quos domini proprietatis jus habebant. *Cic. Quinct.* 18. 59. inferiorem esse se patitur, dumtaxat usque eo, ne cum bonis, fama fortunisque omnibus Sext. Nævii cupiditati crudelitatique dedatur. Cf. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 60. Tibi me mancupo, tuus sum, tibi dedo operam. — *b*) Hinc factum est, ut *dedere* generatim significaret totum aliquid alicui tradere, committere: sic *Ter.* 5. 4. 50. Davo istuc dedam negotii. *h. e.* committam, mandabo. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 31. Senem illum tibi dedo –, lepide ut lenitum reddas. Adde *eumd. Curc.* 5. 2. 28. et *Pseud.* 4. 7. 128. *Ter. Andr.* 5. 3. 26. Tibi, pater, me dedo: quidvis oneris impone, impera. *Id. ibid.* 1. 1. 35. Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati; cum quibus erat cumque una, iis se dedere, eorum obsequi studiis. *Id. Eun.* 5. 7. 2. Dedere se Thaidi. Adde *eumd. Heaut.* 4. 3. 3., et cf. *Tac.* 3. *Ann.* 23. *Cic.* 2. *Fin.* 20. 66. Dedere filiam libidini alterius. *Id.* 2. *Legg.* 2. 5. Patria, pro qua mori, et cui nos totos dedere debemus. *Id.* 6. *Verr.* 42. 90. Ejus religioni te vinctum adstrictumque dedamus. *Lucret.* 3. 113. Dedita somno membra. *Cic. Arch.* 10. 26. Dedere aures suas poetis. *Id.* 9. *Att.* 4. Dedere se totum ægritudini. *Id. Orat.* 43. 148. se desidiæ, aut mœstitiæ. *Id.* 2. *Tusc.* 21. 28. se lamentis muliebriter lacrimisque. V. *Deditus* in fine hujus voc. — *c*) Hinc frequenter ponitur pro applicare, intendere animum alicui rei, incumbere. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 5. Abduco me ab omni reipublicæ cura, dedoque litteris. *Id.* 1. *Orat.* 3. 10. Dedere se musicis et studio litterarum. *Id.* 3. *ibid.* 15. 57. se studio philosophiæ. *Id.* 1. *Off.* 21. 71. se doctrinæ. *Liv.* 1. 31. animum sacris. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 105. Nec studio citharæ, nec Musæ deditus ulli. *Cic.* 1. *Orat.* 21. 95. Dedere se ad audiendum, legendum scribendumque. *Gell.* 2. 21. se ad litteras. — Et absolute. *Quintil.* 9. 8. 45. Dediderim (*al.* dederim) periculis omnibus, obtulerim insidiis, objecerim invidiæ. V. *Deditus* in fine hujus voc. — *d*) Denique *dedita opera* adverbii more usurpatur pro data opera, de industria, consulto. *Plaut. Cist.* 4. 1. 12. Quasi dedita opera in tempore ipso Spes mihi sancta subvenit. Adde *eumd. Trin.* 1. 2. 29. et *Pœn.* 3. 1. 5. *Ter. Eun.* 5. 2. 1. Apud Antiphontem uterque, mater et pater, quasi dedita opera, ut nullo modo introire possem, quin viderent me. *Cic.* 10. *Att.* 3. Hanc epistolam si illius tabellario dedissem, veritus sum, ne solveret: itaque misi dedita opera. Adde *Liv.* 2. 51. et 59.; et *Colum.* 12. *R. R.* 4. 5. — Et *operâ deditâ* apud *Cic.* 3. *Orat.* 50. 193. Ut nec nos id, quod facimus, opera dedita facere videamur. — Demum *deditâ*, subaudi *opera*, apud *eumd.* 15. *Att.* 4. 4.: sic habent MSS. Codd., oratione elliptica. *Glossarium.* Dedita, ἐπιτηδές. *Forcellinus* legebat *dedita opera*: *Orellius* item, quippe qui ait aliter esse contra reliquam *Cic.* consuetudinem; rem tamen examine dignam affirmat. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla superius retulimus,

Deditus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Deditior* et Sup. *Deditissimus*, et ponitur — *a*) Pro toto alicui tradito: *V.* DEDO sub II. *b. Cic. Cæl.* 32. 80. Quem si conservatis, addictum, deditum, obstrictum vobis habebitis. *Id. Mil.* 33. 91. Vir bonorum voluntati et auctoritati senatus deditus. *Id.* 5. *Fam.* 8. *a med.* Hoc sum magis Publio deditus, quod me hoc tempore maxime et observat et diligit. *Dolabella* apud *Cic.* 9. *Fam.* 9. Animus tibi deditissimus. *Tibull.* 1. 5. *in fin.* semper tibi dedita servit Mens mea. *Eutrop.* 10. *Ep.* 15. Uxoribus deditior. — *b*) Est etiam applicatus, inclinatus, intentus, studiosus. — Cum Dativo. *Cic.* 1. *Fam.* 7. *sub fin.* Studiis omnibus a pueritia deditus. *Id. Dom.* 40. 127. Homo religionibus deditus. *Liv.* 1. 57. Lanæ dedita. *h. e.* lanæ nendæ vel texendæ. *Seneca* apud *Gell.* 12. 2. Viri Ennio dediti. *Sueton. Cal.* 55. Prasinæ factioni addictus et deditus. *Cic. Cæl.* 19. 45. Deditus libidini. *Id. Rosc. Am.* 13. 38. Vita vitiis flagitiisque omnibus dedita. *Sall. Cat.* 2. Dediti ventri atque somno. Adde *eumd. Jug.* 85. *Id. Cat.* 13. Animus quæstui atque sumptui deditus. *Sueton. Vitell.* 13. Deditus luxuriæ. *Tac. Germ.* 15. somno ciboque. — Cum Ablativo et præpos. *in. Lucret.* 4. 812. Cur igitur mirum est, animus si cetera perdit, Præterquam quibus est in rebus deditus ipse? *Id.* 3. 648. in pugnæ studio quod dedita mens est. *Catull.* 61. 101. Non tuus levis in mala Deditus vir adultera. — Cum adverbio *eo. Liv.* 1. 9. Ubi spectaculi tempus venit, deditæque eo mentes cum oculis erant. *h. e.* ad spectaculum, *pro* spectaculo.

DĒDŎCEO, dŏces, dŏcere, a. 2. (de *et* doceo). Part. *Dedocendus.* — Dedocea est secus, quam quis doctus est, doceo, contrarium doceo; et occurrit — *a*) Cum duobus Accusativis. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 21. Si a Polyæno geometriam discere maluisset, quam illum etiam ipsum dedocere. *Orell.* ita legit: *al.* τὸ ipsum omittunt. *Stat.* 2. *Theb.* 408. moneo regnorum gaudia temet Dedoceas. — *b*) Cum Accusativo et Infinito. *Horat.* 2. *Od.* 2. 19. Virtus populum falsis dedocet uti. Cf. *Cic.* 2. *Tusc.* 25. 60. — *c*) Cum uno tantum Accusativo. *Cic.* 2. *Orat.* 17. 72. Cum aut docendus est is, aut dedocendus. *Id.* 1. *Fin.* 16. 51. Ut coercendi magis, quam dedocendi esse videantur. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. an.* 14. *ad fin.* Quippe diversum est dedocere noxia, et utilia docere. — *d*) Absolute. *Quintil.* 2. 3. 2. Cum geminatum onus succedentes premat, et quidem dedocendi gravius ac prius, quam docendi.

DĒDŎLĀTUS, a, um. *V.* DEDOLO.

DĒDŎLENTĬA, ἀπαλγησία. *Gloss. Lat. Gr.*

DĒDŎLEO, dŏles, dŏlŭi, dŏlere, n. 2. (de *et* doleo) dolere desino. *Ovid.* 3. *Fast.* 480. potui dedoluisse semel. *Id. Remed. am.* 293. Optimus ille fuit vindex, lædentia pectus Vincula qui rupit, dedoluitque semel.

DĒDŎLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* dolo). Part. *Dedolatus* et *Dedolandus* I. — Dedolo est idem quod dolo, vel valde dolo.

I.) Proprie. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 12. Ridicas findere, et dedolatas utraque parte exacuere. *Id.* 4. *ibid.*

26. 1. Pedamenta post putationem retractanda sunt, partesque eorum putres dedolandæ. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 74. (189). Ne qua dedolanda arbos sternatur ante editos suos fructus. *Martial.* 11. 84. *de chirurgo.* Fractaque fabrili dedolat ossa manu. *Apul.* 6. *Met.* Vasculum crystallo dedolatum. *h. e.* lævigatum, affabre factum.

II.) Improprie. Jocularitor *Plaut. Men.* 5. 2. 105. Securim capiam ancipitem, atque hunc senem exossabo, dein dedolabo assulatim viscera. *Apul.* 7. *Met.* Fustium quoque crebris ictibus dedolabar. *h. e.* verberabar. — Ab eodem *Apul.* 9. *ibid.* adhibetur obsceno sensu, ea ratione, qua *Horat.* permolere dixit.

DĒDŎMO, mas, mŭi, mitum (*raro* māvi, māţum), mare, a. 1. (de *et* domo) idem ac perdomo. Occurrit tantum Part. *Dedomatus* apud *Commodian.* 14. 3. Et tamen invita dematur utilis equa, Minuiturque ferox esse, primum dedomata.

DĒDŪCO, cis, xi, ctum, cere, a. 3. (de et duco). Part. *Deducens* sub *A.* 1.; *Deductus* in omnibus paragr. et in fin.; *Deducturus* sub *C.* 1. et 4.; *Deducendus* sub *C.* 1. — Deduco est e loco superiore in inferiorem duco, detraho, de loco ad locum duco, traduco, obduco (It. *tirar giù, condurre al basso, condur via*; Fr. *conduir loin de, tirer de, faire descendre, emmener, faire passer d'un lieu dans un autre*; Hisp. *hacer descender, conducir, llevar alguna cosa de una parte à otra*; Germ. von *einem Orte nach einem andern ab–, weg–, herab–, fort–führen, – bringen, niederziehen*; Angl. *to bring down, fetch or pull down, to convey, conduct, remove, bring or lead forth*). Occurrit autem *A*) Generatim, *B*) Speciatim in re militari, navali et lanifica et *C*) Item speciatim in jure.

A) Generatim, et quidem

I.) Proprie usurpatur modo cum additis, unde et quo quis aut quid deducitur, modo sine additis. *Plaut. Curc.* 2. 3. 82. Deduco pedes de lecto. *Cæs.* 1. *B. C.* 21. Consul contionari conantem de rostris deduxit. *Id.* 4. *B. G.* 30. Suos clam ex agris deducere cœperunt. *Ovid.* 3. *Met.* 480. Dumque dolet, summa vestem deduxit ab ora, Nudaque marmoreis percussit pectora palmis. Adde *eumd.* 1. *Amor.* 7. 47. *Id.* 6. *Met.* 405. Deducere vestem humero ad pectora. *Petron. Satyr.* 137. tremulo deduxit vertice canos, Consecuitque genas. Adde *Sueton. Cæs.* 82.; *Lucan.* 6. 499.; et *Cic.* 5. *Fin.* 17. 47. *Tibull.* 1. 9. 21. Cantus et e curru Lunam deducere tentat. *Virg.* 6. *Ecl.* 71. Cantando rigidas deducere montibus ornos. *Horat. Epod.* 13. 1. Horrida tempestas cœlum contraxit, et imbres Nivesque deducunt Jovem. *Ovid.* 3. *Fast.* 321. Juppiter huc veniet, valida deductus ab arte. Adde *eumd. Heroid.* 6. 85. et *Propert.* 1. 1. 19. *Liv.* 21. 37. Molliunt anfractibus modicis clivos, ut non jumenta solum, sed elephanti etiam deduci possent. *Ovid.* 15. *Met.* 76. sunt deducentia ramos Pondere poma suo. *Liv.* 38. 26. Equitatum ad pedes deducere. *Ovid.* 15. *Met.* 267. eluvie mons est deductus in æquor. Et *Justin.* 2. 10. 21. Deducere montes in planum. *h. e.* plano æquore. — *Deducere vela* est expandere et vela facere, quia ex antennis, ubi, quum contracta sunt, involuta manent, deorsum ducuntur et explicantur. *Ovid.* 3. *Met.* 663. remorum verbere perstant, Velaque deducunt, geminaque ope currere tentant. *Id.* 11. *ibid.* 477. totaque malo Carbasa deducit, venientesque excipit auras. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 223.; et *Lucan.* 2. 697. — Dicitur et de aquis. *Cato R. R.* 155. Deducere aquas in vias. Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 581. qui, qua tulit impetus illos, In mare deducunt fessas erroribus undas. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 16. 20. (119). Padus deductus in flumina et fossas inter Ravennam Altinumque. *Sed ibi legendum* diductus, *ut* Forcellinus *conjecerat et ex MSS. confirmavit* Sillig. *Cic.* 2. *Divinat.* 32. 69. Aqua Albana deducta ad utilitatem agri. *Virg.* 1. *G.* 269. rivos deducere nulla Religio vetuit. *Macrob.* ad hunc locum 3. *Saturn.* 3. *ad fin.* Quod ait *deducere,* nihil aliud est quam detergere; nam festis diebus rivos veteres sordidatos detergere licet, novos fodere non licet. Idem sentit *Colum.* 2. *R. R.* 21. 1. *Servius* exponit siccare. Huc referri potest et illud *Ovid. Heroid.* 17. 88. Littera deducta mero. — Ponitur quoque de medicamentis. *Cato R. R.* 157. *de brassica.* De capite et de oculis omnia deducet et sanum faciet. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 47. Non domus et fundus, non æris acervus et auri Ægroto domini deduxit corpore febres. Et *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 51. (91). Invenerunt et canes canariam, qua fastidium deducunt. *h. e.* cient vomitum. At *Sillig* v. *canariam* omittit, et pro *deducunt* leg. *vincunt.* — Latissima significatione pro ducere, traducere, abducere. *Cæs.* 6. *B. G.* 9. Ubiis imperat, ut pecora deducant. *scil.* ex agris. *Nepos Hann.* 11. Deducere classem in prælium. *Liv.* 9. 24. vinctos Romam. *Id.* 1. 18. aliquem in arcem. *Sall. Cat.* 55. in carcerem. *Sueton. Cal.* 35. in arenam. *Tac. dial. de orat.* 35. scholas tironum in scenam. *Justin.* 13. 4. 6. corpus (*mortui*) in templum. *Cic. Flacc.* 4. 9. Qui ad hoc judicium deducti non sunt. *Id. Amic.* 1. 1. A patre ita eram deductus ad Scævolam, ut etc. *Tac. dial. de orat.* 34. Deduci ad oratorem. Adde *Ter. Eun.* 4. 4. 10.; *Cæs.* 7. *B. G.* 55.; et *Sueton. Domit.* 17. *Horat. A. P.* 244. Silvis deducti (*h. e.* in scenam) Fauni. — Denique *deducere brachia molli gestu* vel *motu* est choreas ducere: ad rem *Quintil.* 11. 3. 112. Ad imum ventrem deducere manum. *Propert.* 2. 18. 5. Sive aliquis molli deducit candida gestu Brachia. *Stat.* 3. *Silv.* 66. Candida seu molli deducit brachia motu.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim multiplices habet usus. — *a*) Stricto sensu cum Ablativo, aut etiam aliquando absolute, sæpe est a recto in pravum deducere. *Lucret.* 1. 370. Deducere aliquem vero. *h. e.* aberrare facere. *Cic.* 2. *Cat.* 13. 28. Si impendens patriæ periculum me necessario de hac animi lenitate deduxerit. *Id.* 2. *Verr.* 9. 25. Cujus divitiæ me de fide deducere non potuissent. *Id. Brut.* 25. 97. Deduci de sententia. *Q. Cic. Petit. cons.* 10. 40. Deducere de animi pravitate. Rursus *Cic.* 1. *Fam.* 1. 2. Quod instituit referre de religione, ab eo deduci non potest. *Id.* 4. *Verr.* 4. 12. Videamus, quanta ista pecunia fuerit, quæ potuerit Heium – ab humanitate, a pietate, ab religione deducere. — Et absolute. *Cæs.* 7. *B. G.* 37. Celeriter adolescentibus et ratione magistratus et præmio deductis. *h. e.* a recta in pravam sententiam deductis. Cf. *Nepos Alcib.* 8. Sibi autem esse facile Seuthen regem Thracum deducere, etc. — *b*) Latiori sensu cum Ablativo, aut etiam absolute, ponitur pro abducere, abstrahere, etiamsi a malis ad bona quis deducatur. *Cic.* 2. *Tusc.* 25. 60. Homo sane levis Heracleotes Dionysius, quum a Zenone fortis esse didicisset, a dolore deductus est. *h. e.* dolore coactus sententiam mutavit. Alii legunt *devictus*; *Orellius* vero *deductus.* *Id.* 3. *Verr.* 6. 17. Pecunia deducere aliquem ab accusatione. *Id.* 2. *Nat. D.* 59. 148. Eloquentia deducimus perterritos a timore. *Id.* 2. *Orat.* 83. 310. Nihil tam facile, quam multitudo, a tristitia, et sæpe ab acerbitate, commode et breviter, et acute et hilare dicto deducitur. — Et absolute. *Seneca Consol. ad Marc.* 20. Mors juvenile ævum in flore deducit. *h. e.* a vita abstrahit. — Et cum Adverb. *unde. Cic.* 1. *Orat.* 8. 30. Dicendo – mentes allicere, voluntates impellere, quo velit; unde autem velit, deducere. — *c*) Denique latissimo sensu cum Ablativo est trahere. *Ovid.* 6. *Fast.* 803. Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco. *Horat.* 4. *Od.* 4. 19. Mos unde deductus. Cf. *Cic.* 13. *Phil.* 13. 27. Saxa Decidius, homo deductus ex ultimis gentibus, ut eum tribunum plebis videremus. — *d*) Cum Accusativo et præpos. *ad* vel *in* idem valet, quod inducere, adducere. *Cic.* apud *Non. p.* 85. 19. *Merc.* Deduc orationem tuam de eo loco ad hæc citima. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 114. Quæ tandem ea est disciplina, ad quam me deducas, si ab hac abstraxeris? *Id. ad Cæs. post ep.* 11. *l.* 9. *ad Att.* Spe deducebar ad eam cogitationem, ut etc. *Id.* 2. *Orat.* 45. 189. Ut is qui audit, ad fletum et misericordiam deducatur. *Cæs.* 2. *B. G.* 10. Ad eam sententiam, cum reliquis causis, hæc quoque ratio eos deduxit, quod etc. *Id.* 1. *B. C.* 5. Deducere rem ad otium. *Id. ibid.* 4. rem ad arma. *Cels.* 3. 18. *circa med.* Deducere ad cibum non desiderantem. *Quintil.* 12. 9. 13. Species libertatis deducere ad temeritatem solet. *Id.* 9. 2. 103. Plura argumenta ad unum effectum deducuntur. — *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. In eam rationem vitæ nos fortuna deduxit, ut etc. *Id. Opt. gen. Orat.* 7. 18. Causa in judicium deducta. *Id.* 2. *Divinat.* 26. 55. Conjectura omnis, in qua nititur divinatio, ingeniis hominum in multas ac diversas, aut etiam contrarias partes sæpe deducitur. *Forcellinus* ita cum plerisque legebat: at præstat cum *Manut.* et *Orell.* legere *diducitur.* *Cæs.* 7. *B. G.* 54. Quam in fortunam quamque in amplitudinem (*eos*) deduxisset. *Id. ibid.* 63. Deducere rem in controversiam. *Id. ibid.* 50. et *Quintil.* 4. 2. 12. aliquem in periculum. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. in fraudem. *Liv.* 36. 7. in societatem belli. *Id. ibid.* 5. Petebant, ut ne se temere in causam deduceret. *Plin.* 1. *Ep.* 8. in sententiam. — *e*) Item cum Accusativo et præpos. *in*, aut cum Adverbiis *huc, eo,* etc. nonnunquam idem valet ac limitibus circumscribere, redigere. *Cic.* 2. *Orat.* 17. 71. Deduxisti enim totum hominem in duo solum genera causarum; cetera innumerabilia exercitationi et similitudini reliquisti. *Id.* 4. *Fam.* 2. Quem in locum res deducta sit, vides. *Id.* 2. *Cat.* 2. 4. Rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possetis, quum hostem aperte videretis. *Id. Rosc. Com.* 12. 34. Ergo huc universa causa deducitur, utrum etc. Adde *Cæs.* 1. *B. C.* 62. *Justin.* 11. 4. 11. Eo res deducta est, ut, retentis oratoribus, duces in exitium agerentur. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 14. Ne te morer, audi, Quo rem deducam. ¶ 2. Speciatim est protrahere, differre. *Cæs.* 3. *B. C.* 51. Spe conficiendi negotii, prope in noctem rem deduxerant. ¶ 3. Item speciatim pro simplici ducere. *Sueton. Aug.* 42. Atque ita post hanc rem temperavit, ut non minorem oratorum ac negotiantium, quam populi rationem deduceret. *h. e.* haberet. *V.* Interpr. ad h. l.

B) Speciatim in re militari, navali et lanifica; et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. In re militari deducere est exercitum de loco ad locum ducere, traducere, abducere. *Sisenna* apud *Non. p.* 289. 15. Ab armis recedere, præsidia de locis deducere. Adde *Liv.* 25. 25. *Cic.* 7. *Att.* 14. Deducere præsidia de oppidis. *Liv.* 34. 35. præsidia ab oppidis. *Id.* 28. 1. præsidia ab urbibus. *Id.* 34. 35. *ad fin.* præsidia civitatibus. *Justin.* 6. 3. 11. præsidia Athenis. *Id.* 32. 27. exercitum finibus. Adde *Plaut. Amph.* 1. 1. 60. *Cæs.* 7. *B. G.* 20. *ad fin.* exercitum. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 43., et cf. *eumd.* 3. *B. C.* 73. *Id.* 5. *B. C.* 27. Eductos ex hibernis milites ad Labienum deducere. *Id.* 2. *B. G.* 35. legiones in hiberna. *Id.* 4. *ibid.* 22. exercitum in Menapios. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 54. *Liv.* 3. 62. copias in aciem. Adde *Sall. Cat.* 59. *Sall. Jug.* 49. et *Curt.* 6. 1. 12. aciem in planum. *Frontin.* 2. *Strateg.* 5. 18. hostem in campos. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 2. 11., 5. 10., 5. 36. et 7. 3. *Id.* 3. *ibid.* 10. 6. et 7. hostem in insidias. ¶ 2. In re navali *deducere naves* est ex navalibus, vel portu in mare ducere; cui contrarium est *subducere.* *Cæs.* 5. *B. G.* 23. Obsidibus acceptis, exercitum reducit ad mare. Naves invenit refectas. His deductis etc. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 60.; *Liv.* 41. 9., 30. 3. 4. et 9., et 36. 41. Sic *Virg.* 3. *Æn.* 69. vocat auster in altum: Deducunt socii naves et littora complent. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 398.; et *V.* NAVIS. Eodem sensu dixit *Ovid.* 8. *Met.* 104. et *Heroid.* 21. 67. Deducta navis. — Ceterum *deducere* raro admodum occurrit pro *subducere,* h. e. a mari in portum ducere. *Cæs.* 1. *B. C.* 36. et *Petron. Satyr.* 101. Deducere naves in portum. ¶ 3. In arte lanifica *deducere* est ducendo attenuare, subtilem facere, uno verbo fila ducere, nere. *Catull.* 65. 311. Læva colum molli lanâ retinebat amictam; Dextera tum leviter deducens fila supinis Formabat digitis. *Ovid.* 4. *Met.* 34. Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant, Aut hærent telæ, famulasque laboribus urgent. E quibus una levi deducens pollice filum etc. *Tibull.* 1. 3. 85. Hæc tibi fabellas referat, positâque lucernâ Deducat plenâ stamina longa colo. Sic *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 7. Vel pede quod gracili deducit aranea filum Quum leve deserta sub trabe nectit opus. V. *Burmann.* ad h. l. *Id. Heroid.* 9. 77. Crassaque robusto deducis (*Alcide*) pollice fila. Cf. *Ennius* apud *Non. p.* 116. 7. *Merc.* Deducunt habiles radios (*al.* gladios) filo gracilento. — Hinc metonymice pro texere. *Ovid.* 6. *Met.* 68. *de Arachne.* Illic et lentum filis immittitur aurum Et vetus in tela deducitur argumentum. *h. e.* vetus fabula texendo effingitur.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a paragr. proxime superiore, scilicet a nendo, *deducere carmina, poemata,* aut similia est arte multa elaborare, studio facere, componere. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 225. tenui deducta poemata filo. *Propert.* 1. 16. 41. At tibi sæpe novo deduxi carmina versu. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 13. luctor deducere versum: Sed non fit fato mollior ille meo. *Val. Max.* 3. 7. 1. *extern.* Triduo non ultra tres versus deducere. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 1. 4.; et *Colum.* 10. *R. R.* 40. *Quintil.* 4. 1. 60. de

exordio. Neque tamen deducta semper atque circumlata debet oratio, sed sæpe simplici atque illaboratæ similis. *ubi* deducta oratio *est* elaborata, studio facta. *Id.* 3. 6. 59. Commentarios, quos adolescens deduxerat. *h. e.* composuerat. *Seneca Ep.* 95. *sub fin.* Bonorum virorum formam et lineamenta deducere. *h. e.* verbis describere. *Forcellinus* hanc translationem a pictoribus ductam esse putat. Rursus *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 39. Carmina proveniunt animo deducta sereno. *h. e.* composita. *Id. Heroid.* 17. 88. Ipse nec emendo: sed ut hic deducta legantur, Non sunt illa suo barbariora loco. — Huc pertinet et illud *Horat. Art. P.* 129. Rectius Iliacum carmen deducis in actus, etc. quod *Forcellinus* interpretatus est redigere. Item illud ejusdem *Horat.* 3. *Od.* 30. 13. Princeps Æolium carmen ad Italos Deduxisse modos. — Denique huc referri possent et illa, in quibus *Forcellinus* deducere interpretatus est perducere. *Ovid.* 2. *Trist.* 560. In tua deduxi tempora, Cæsar, opus. *Id.* 1. *Met.* 3. primaque ab origine mundi Ad mea perpetuum deducite tempora carmen. Cf. *Juvenal.* 7. 54.; et V. *Drakenb.* ad *Liv.* 21. 55. ¶ 2. Hinc translatione facta ad vocem, *deducere vocem* est subtilem ac tenuem reddere. *Pomponius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba. V. *Deductus* in fin. hujus voc.

C) Item speciatim in jure deducere est reipublicæ nomine aliquem aliquo ducere: et occurrit ¶ 1. De coloniis. Porro usurpatur — *a*) Modo de ipsis colonis. *Cæs.* 1. *B. C.* 11. Deducere colonos Capuam. *Sueton. Cæs.* 81. In coloniam deducti. — *b*) Modo de coloniis, cum addito interdum coloniarum nomine. *Liv.* 10. 1. Coloniam deducere Albam. Adde *eumd.* 39. 44. *Vellej.* 1. 14. 4. Tarracina deducta colonia. *Id.* 1. 14. 8. Colonia Valentia deducta. Cf. *Liv.* 1. 3. et 40. 34. *Cic. Brut.* 20. 79. Quum triumvir coloniam deduxisset. Adde *eumd.* 1. *leg. Agr.* 5. 16. *Sall. Jug.* 42. Triumvir coloniis deducendis. Cf. *Liv.* 9. 28. et *Sueton. Aug.* 46. — *c*) Absolute. *Cic.* 8. *Phil.* 3. 9. Latronibus suis Urbem se divisurum confirmat, deinde omnibus portis, quo velint, deducturum. *h. e.* in quascumque velint colonias missurum. Adde *Nepot. Timol.* 3. Rursus *Cic.* 2 *leg. Agr.* 25. 65. Omnibus legibus, agris publicis privatos esse deductos. *h. e.* in coloniam ex agris publicis ductos. *Id. ibid.* 26. 68. Ne ii quidem, qui publicos (*agros*) possident, decedent de possessione, nisi erunt deducti optima conditione et pecunia maxima. *Tac.* 11. *Ann.* 24. Legiones deductæ. *h. e.* in colonias militares. *Id.* 4. *Hist.* 65. Deductis olim et nobiscum per connubium sociatis. ¶ 2. Deducere est etiam comitari; et quidem — *a*) Usurpatur de iis, qui officii, aut honoris causa candidatum in forum aut præclarum aliquem virum domo in curiam et a curia domum comitabantur. *Sueton. Aug.* 26. Ut Cajum et Lucium filios amplissimo præditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum. *Id. Tib.* 15. Romam reversus, deducto in forum filio Druso, etc. Adde *eumd. Ner.* 7. *Cic.* 10. *Fam.* 12. Quum magna multitudo optimorum civium me domo deduceret. *Id. Senect.* 18. 63. Salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci. (Cur autem hoc verbo uteretur *V.* in DESCENDO). *Liv.* 23. 23. Tempus sedulo terens, ne deducendi sui causa populum de foro abduceret: neque tamen elanguit cura hominum ea mora, frequentesque eum domum deduxerunt. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 9. 59.; *Sueton. Aug.* 29.; et *Tac.* 3. *Ann.* 14. — *b*) Item est magnâ pompâ aliquem comitari. *Sueton. Tib.* 17. Nihilo minus urbem prætextatus et laureâ coronatus intravit: – ac medius inter duos Coss. cum Augusto simul sedit: unde, populo consalutato, circum templa deductus est. *Id. Aug.* 43. Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine, lectica cubans, thensas deduceret. Adde *eumd. Vesp.* 5. Sic *Horat.* 1. *Od.* 37. 30. Invidens Privata deduci superbo Non humilis mulier triumpho. ¶ 3. *Deduci* — *a*) In bonam partem, dicitur etiam nova nupta, quæ paterna in mariti domum ducitur. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 90. Nam bona uxor, si ea deducta est usquam gentium, Ubi eam possim invenire? *Ter. Hecyr.* 1. 2. 60. Uxorem deducit domum. *Catull.* 68. 143. Nec tamen illa mihi dextrâ deducta paternâ Fragrantem Assyrio venit odore domum. *Propert.* 1. 3. 13. Quæ mihi deductæ fax omen prætulit. *Liv.* 10. 23. Deducere virginem. Cf. *Ter. Adelph.* 4. 5. 60. et *Liv.* 42. 12. — *b*) Hinc in malam partem *deducere* est lenonium verbum, et dicitur de concubina pro perducere, conciliare, apud *Plaut. Cas.* 2. 8. 36.; et *Sueton. Cal.* 25. et *Ner.* 27. Sic *Cic.* 5. *Verr.* 31. 78. Qui ad istum deduxerat Tertiam, Isidori mimi filiam. *Idem* jocans in Cæsarem, alludensque ad hanc, et ad eam, quæ infra sub 5. affertur, notionem, apud *Sueton. in ejus vita* 50. Quo melius emptum sciatis, Tertia deducta est. Cf. *Ovid.* 10. *Met.* 462. Cunctantem longæva manu deducit, et alto Admotam lecto quum traderet, etc. ¶ 4. Deducere est etiam expellere, privare; et quidem — *a*) In jure est aliquem ex fundo, de quo lis est, adhibitis testibus abstrahere, ut quis de fundo ipso prætorem jure adire possit: V. *Klotz.* ad *Cic. oration. vol.* 1. *p.* 453. et 481. *Cic. Cæcin.* 7. 20. De fundo Cæcina moribus deduceretur. *Id. Tull.* § 20. Ad villam erat Tullius. Appellat Fabius, ut aut ipse Tullium deduceret, aut ab eo deduceretur. Dicit deducturum se Tullius; vadimonium Fabio Romam promissurum. Manet in ea conditione Fabius. — *b*) Hinc generatim pro expellere. *Liv.* 31. 58. Deducere aliquem ex possessione. *Auct. B. Alex.* 33. Arsinoen deducere ex regno statuit. ¶ 5. Denique deducere est subducere, diminuere. — *a*) Generatim. *Ter. Eun.* 2. 3. 23. Si qua est habilior paullo, pugilem esse ajunt: deducunt cibum. *Cato R. R.* 144. Scalæ – si non erunt redditæ, æque arbitratu deducetur (*scil.* de salario). Si quid redemptoris opera domino damni datum erit, resolvito. Id viri boni arbitratu deducetur. — *b*) Speciatim occurrit de mercatorum computationibus. *Cic.* 1. *Off.* 18. 59. Ut boni ratiocinatores, addendo et deducendo videre, quæ reliqui summa fiat. *Id.* 2. *Legg.* 21. 53. Partitionis caput scriptum caute, ut centum nummi deducerentur. *Liv.* 6. 15. Sed quid ego vos de vestro impendatis, hortor? Sortem aliam ferte. De capite deducite, quod usuris pernumeratum est. *Sueton. Cæs.* 12. Deducto summæ æris alieni, si quid usuræ nomine numeratum aut perscriptum fuisset: qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus,

Deductus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Deductior* sub 2. ¶ 1. Deductus est demissus, submissus. *Ovid. Heroid.* 21. 165. Projicit ipse suas deducta fronte coronas. *Quintil.* 11. 3. 79. Ira enim contractis (*superciliis*), tristitia deductis, hilaritas remissis ostenditur. *Arnob.* 5. 23. Deductus, pallidus, saucius, simulans doloris cruces. *h. e.* humilis, submissus. ¶ 2. Item subtilis, tenuis. *Sueton. Aug.* 79. Nasum habuit et a summo eminentiorem, et ab imo deductiorem. Sunt qui *depressiorem* interpretantur: sed in nummis non ita apparet. Sic eodem sensu *Lamprid. Diadum.* 3. Nasus deductus. — Præcipue de voce dicitur. *Afranius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Verbis pauculis respondit, tristis, voce deducta. *Cornificius ibid.* Deducta mihi voce garrienti. *Lucilius* apud *Non. p.* 289. 16. *Merc.* Deducta tunc voce leo: cur tu ipsa venire Non vis huc? (Alii hic leg. *Deductat hunc voce leo*: ut sit *Deducto, as*, frequentat. a *Deduco*: sed minus recte). Sic *Propert.* 2. 22. 38. Et mea deductâ carmina voce legis. Et *Frontin.* 1. *Strateg.* 5. 26. *Oudend.* Deducto mugitu. — Hinc *Virg.* 6. *Ecl.* 5. pastorem, Tityre, pingues Pascere oportet oves, deductum dicere carmen. *h. e.* tenue, translatione ducta a lana, quæ deducitur in tenuitatem, ut *Servius* hic et *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. exponunt, et *Quintil.* confirmare videtur 8. 2. 9. V., si libet, *Erythræum* in indice *Virg.*

DĒDUCTA, æ, f. 1. *Cic.* 2. *Legg.* 20. 50. Ut si in testamento deducta scripta non sit, ipsique minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur. *h. e.* deductio pecuniæ, quæ fiebat ne legatarius sacris alligaretur; deductis enim a parte sui legati centum nummis, liberabatur a sacris defuncti, quia si tantundem cepisset, quantum ceteri heredes, alligabatur sacris, ut *Cic. ibid.* 21. 52. docet. Sed priore loco alii aliter legunt; immo *Klotz.* rectius putat *deductio* legendum esse: *Orellius* tamen leg. *deducta*. V. DEDUCTIO I. 5. in fin.

DĒDUCTIM, adverb. deducendo: tamquam Latinum agnoscitur a *Diomed.* 2. p. 168. *Putsch.*, sed nullo confirmatur auctore.

DĒDUCTĬO, ōnis, f. 3. actus deducendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Ponitur de aquis, quæ ab uno in alium locum derivantur. *Cic. Topic.* 8. 33. Partium distributio sæpe est infinitior, tamquam rivorum e fonte deductio. *Id.* 1. *Divinat.* 44. 100. Ex quo illa admirabilis a majoribus Albanæ aquæ facta deductio est. ¶ 2. Item est transportatio in colonias. *Cic.* 2. *Phil.* 25. 62. In oppida militum crudelis et misera deductio. *Id.* 1. *leg. Agr.* 5. 16. Quæ erit in istos agros deductio. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 31. 92. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 52. 53. (139). Deductio oppidorum. ¶ 3. Item expulsio. *Cic. Cæcin.* 10. 27. Cum Æbutius Cæcinæ malum minaretur, ibi tum Cæcinam postulasse, ut moribus deductio fieret. *h. e.* de fundi possessione ejectio: et videtur esse verbum forense. V. *Klotz.* ad *Cic. Oration. vol.* 1. *p.* 484. et 453. ¶ 4. Item de sponsa, quæ in domum mariti adducitur. *Pompon. Dig.* 23. 2. 5. Deductio sponsæ in domum mariti. ¶ 5. Deductio est etiam detractio, quæ fit ex alicujus pecuniæ summa, ut illa ostendunt *Cic.* 5. *Verr.* 78. 181. Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant; primum pro spectatione et collybo, deinde pro nescio quo cerario. V. *Klotz.* ad h. l. Adde *Cic. Divinat. in Q. Cæcil.* 10. 32. — Alia vero fuit *deductio*, quæ et *deductio vicesimæ* dicitur, cum nempe heredes extranei ex ea pecunia, quam testatoris jussu in opus aliquod impendere tenebantur, partem vicesimam detrahebant, fisco ex lege Augusti solvendam. *V.* VICESIMUS. Quod si testator integram pecuniæ summam sine ulla detractione ab herede expendendam testamento suo jussisset, vel heres ex liberalitate nullam sibi esse faciendam imminutionem putasset, id in inscriptione significari solitum fuit. *Inscript.* apud *Gruter.* 1. 5. P. NVMERIVS MARTIALIS SIGNVM PANTHEI TESTAMENTO FIERI PONIQVE EX ARGENTI LIBRIS C. SINE VLLA DEDVCTIONE IVSSIT. Alia apud *eumd.* 101. 2. STATVAM PIETATIS EX ARGENTI *pondo* C. HEREDES SINE VLLA DEDVCTIONE XX. *posuere*. *Alia* apud *Murat.* 1096. 1., quæ est apud *Orell.* 3040. L. AEMILIVS SENEX HERES SINE DEDVCTIONE XX. VEL TRIBVTORVM EX CCL. LIBRIS ARGENTI FECIT. V. *Lupoli, Iter Venus. p.* 318. — Hinc illa formula *sine ulla deductione* ortum habuisse videtur apud *Senec.* 2. *Benef.* 4. 2. Ut beneficia tua integra ad eos, quibus promissa sunt, perveniant, sine ulla, ut ajunt, deductione. *Id. Ep.* 58. *a med.* Annum unum atque octogesimum implevit, sine ulla deductione. V. et locum *Cic.* in DEDUCTA.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Invent.* 11. 18. Ex deductione rationis illa summa nascitur controversia, quam judicationem appellamus. *h. e.* ex infirmatione, et depulsione, uti eam vocat *Quintil.* 3. 6. 13.

DĒDUCTĪVUS, a, um, adject. qui ab alio deductus est, idem ac derivativus. *Pompej. Comment. art. Donat. p.* 239. Dixi quia non sunt primigenia pronomina, quæ dicit Varro, sed deductiva.

DĒDUCTO, as, are, *frequentat. a* deduco. *Lucilius* apud *Non.* p. 289. 16. *Merc.* V. *Deductus* in fin. v. DEDUCO sub 2.

DĒDUCTOR, ōris, m. 3. qui deducit. ¶ 1. Est qui deducit aliquem domo, officii vel honoris causa. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. 34. Hujus rei tres partes sunt: una salutatorum, altera deductorum, tertia assectatorum. *Plin.* 1. *Ep.* 17. 6. Hic meus in inchoandis honoribus deductor et comes. ¶ 2. Item qui coloniam deducit. Augustus dicitur *deductor* in nummo coloniæ Apameuæ in Bithynia apud *Sestinium Class. gen. p.* 68. ¶ 3. Item qui adducit, affert. *Tertull. Cor. mil.* 4. Spiritus Dei deductor omnis veritatis. Adde *eumd. advers. Prax.* 2.

DĒDUCTŌRIUS, a, um, adject. ad deducendum et detrahendum pertinens, ut *deductoria medicamenta*, quæ alvum ducunt, apud *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. Et *deductorius cuniculus* in stabulis, per quem lotium animalium foras deducitur, apud *Veget.* 1. *Veterin.* 56. — Hinc

Deductorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, ponitur pro canali, quo humor alio deducitur. *Pallad.* 10. *R. R.* 7. 21. Locus deductoria liquoris accipiat, ne humor insidens limo germen exstinguat.

DĒDUCTUS, a, um. *V.* DEDUCO.

DĒDUCTUS, us, m. 4. deductio. *Cic.* 2. *Off.* 4. 14. Deductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes. *h. e.* deductio. *V.* DEDUCTIO 1. Al. leg. *ductus*, sed minus recte. *Apul.* 1. *Met.* Ut ponderis deductu restis ad ingluviem adstricta, spiritus officia discluderet.

DĒDUX, ūcis, adject. qui deducitur, seu originem trahit, *Symmach.* 8. *Ep.* 68. (*al.* 69.). Nisi forte

Gallia tua dedux Heliconis. *Al. leg.* redux sit ab Helicone. In nummo coloniæ incertæ apud *Eckhel. D. N. V. T.* 4. p. 347. legitur DEDUX, nempe conditor, fundator.

DĒĒBRĬĀTUS, a, um, particip. ab inus. *deebrio*; idem atque inebriatus. *Cassiod. Complex.* 1. *ad Thessal.* 5. Nec deebriati in malis dormiunt, qui præceptis dominicis armati semper adsistunt. *Id. ibid. Act. Apost.* 6. Musto deebriatus.

DĒĔO, is, ire, n. 4. (de *et* eo). Part. præs. *Deiens, euntis*, ad fin. — Deire significat de aliquo loco abire, ut *deire jugis*, h. e. ire de jugis, apud *Stat.* 2. *Theb.* 551. ut ex *MSS.* restituit *Gronov.* et tenuisse videtur *Lactant.* vetus *Scholiast.* Alii *prodire.* — Incertum hujus verbi usum obfirma exemplo apud *Ficoronium, delle maschere* p. 22. Quod meat in stellis, deit hinc quod Pegasus ales, Tot mea natales fata dedere mihi. Vixit igitur annos XXX., nam, teste *Ovid.* 3. *Fast.* 458., quindecim sunt sidera, per quæ meat, et deit, seu remeat Pegasus. *Hygin.* tamen 2. *Astron.* 17. stellas in Pegaso enumerat octodecim. *Sall. fragm.* ed. *A. Majo* in *Class. Auct. T.* 1. p. 418. Neque ex postrema fuga, cum severo edicto juberentur, ullis ad signa deeuntibus, et qui reliqui erant, per summa flagitia detractantibus militiam, quæstorem suum C. Theranium, ex quo præsente vera facillime noscerentur, miserat.

DĒERRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (de *et* erro). Part. *Deerrans* I. 1.; *Deerraturus* I. 2. — Deerrare est de via declinare.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de animantibus. *Cic. fragm.* apud *Lactant.* 6. 21. Iis, qui itinere deerravissent. Sic *Quintil.* 10. 3. 29. Ut obvios non videamus, et itinere deerremus. *Virg.* 7. *Ecl.* 7. Vir gregis ipse caper deerraverat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 66. (175). Deerrare in alienum tramitem. *Id.* 8. *ibid.* 8. 8. (24). Deerrante in foveas aliquo elephante. ¶ 2. Latiori sensu de inanimis. *Lucret.* 3. 873. Deerrarunt passim motus ab sensibus omnes. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (100). Jaculantium ictus deerraturus.

II.) Translate. — *a*) Cum Ablativo. *Lucret.* 1. 712. A vero deerrasse videntur. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 15. Visu et sententia deerrare. *Quintil.* 12. 10. 64. Non deerrare verbis. *Id.* 1. 5. 46. Significatione deerrat. — Passive impersonaliter. *Cic.* 1. *Herenn.* 9. 14. Si non deerrabimus ab eo, quod cœperimus exponere. *Vellej.* 2. 3. 4. Ubi semel recto deerratum est. — *b*) Absolute. *Tac.* 13. *Ann.* 29. Sors deerrabat ad parum idoneos. *Quintil.* 11. 2. 32. Quæ (*signa*) intuentes deerrare non possumus.

DĒĒSIS, is, f. 3. δέησις. *Jul. Rufinian.* 16. p. 208. Deesis, obsecratio, vel obtestatio, qua deos oramus, aut homines. *Cic.* (*Dejot.* 3.) Per dexteram istam tuam ego obtestor, etc.

DĒFÆCĀBĬLIS *vel* defecabilis, e, adject. qui defæcari et purgari potest, ut *defæcabilis cisterna* apud *Sidon.* 1. *Ep.* 5.

DĒFÆCĀTĬO *vel* defecatio, ōnis, f. 3. a fæce purgatio. *Tertull. Anim.* 27. Ex carnis defæcatione.

DEFÆCATUS *vel* defecatus, a, um, *V.* DEFÆCO.

DĒFÆCIS, e, adject. qui est sine fæce. *Sever. Ætn.* 422. Quam levis excocto defæcis robore pumex. *Alii leg.* defecit. *Scalig.* priorem lectionem magis probat.

DĒFÆCO *vel* defeco, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* fæx, fæcis). Part. *Defæcatus* I. 1. et 2.; II. et in fin.; *Defæcandus* II. — Defæco est a fæce purgo, fæcem detraho (It. *purgare, levare la feccia*; Fr. *ôter la lie de, clarifier, soutirer*; Hisp. *clarificar*; Germ. *von Hefen reinigen, läutern*; Angl. *to refine, purify, defecate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Colum.* 12. *R. R.* 33. 1. Defæcatum vinum in amphoras adjicito. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 63. (232). Vina defæcari, etiam diffundi Hyginus suadet. ¶ 2. Latiori sensu atque universim ponitur pro lavare, mundare. *Plaut. Most.* 1. 3. 1. Jampridem ecastor frigida non lavi magis lubenter, nec unde me melius rear esse defæcatam. *Veget.* 1. *Veterin.* 20. 3. *Schneid.* Hæc universa commista atque succensa odore suo morbis tam hominum, quam animalium resistunt, et aerem defæcare dicuntur. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 74. Defæcare membra. *h. e.* lavare.

II.) Translate. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 1. Nunc defæcato demum animo egredior domo. *h. e.* a timore vacuo, tranquillo, sedato. *Id. Pseud.* 2. 4. 69. Quidquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit, nunc liquet, nunc defæcatum est. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 12. Defæcata mens. *Id.* 1. *ibid.* 8. *a med.* Purgatus et defæcatus animus. *Cassiod.* 6. *Variar.* 22. Defæcatus conscientia. *Sidon.* 1. *Ep.* 1. Litteras defæcandas, ut ajunt, limandasque tibi commisi. — Hinc Part. præter. pass.

Defæcatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Defæcatior* apud *Ambros. in Psalm.* 118. *serm.* 8. Unde et cælum et purius et defæcatius ab omni labe peccati est.

DĒFĀMĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *defamo.* Sup. *Defamatissimus.* — Defamatus est fama privatus. *Gell.* 9. 2. *extr.* Ut vocabula quæque eorum defamata atque emortua cum iis videantur. *Id.* 18. 3. Turpitudine pristinæ vitæ defamatissimus. *Id.* 14. 2. *ante med.* Homo spurcissimæ vitæ ac defamatissimæ.

DĒFĀNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *defano*, profanatus, pollutus. *Arnob.* 4. 37. Spatiola defanata. *Inscript.* apud *Romanelli Top. Nap. T.* 3. p. 166., quæ est apud *Orell.* 4352. HVIC OB MERITA DEFANATIS DIS MANIBVS LOCVM CONSACRAVIT. At *Mommsen. Inscript. Neapol.* 5452. pro DEFANATIS legit DE EA NATIS: quam lectionem præfert et *Henzen. Inscriptt. Latin. vol.* 3. p. 473.

DĒFĀRĪNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *defarino*, in farinam redactus. *Tertull. contr. Valentin.* 31. Semen ad molas delatum et defarinatum.

DEFATIGABILIS, e, adject. defatigandus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 118.

DĒFĂTĪGĀTĬO *vel* defetigatio, ōnis, f. 3. actus defatigandi. *Cic. Senect.* 11. 36. Corpora quidem exercitationum defatigatione ingravescunt, animi autem se exercendo levantur. *Id.* 5. *Phil.* 7. 20. Defatigatio et satietas. *Id.* 3. *Tusc.* 28. 67. Defatigatio miseriarum ægritudines facit leniores. Adde *eumd.* 2. *Nat. D.* 23. 59. et *Cæs.* 3. *B. G.* 19. *Auct. B. G.* 8. 27. Sine defatigatione equorum in castra se recipere.

DĒFĂTĪGĀTUS *vel* defetigatus, a, um. *V.* voc. seq.

DĒFĂTĪGO *vel* defetigo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* fatigo). Legitur etiam *defetigo* et *defetigatus* in quibusdam MSS. *Cæsaris*, et *Gell.* 15. 8. Ceterum de mutatione vocalis *a* in *e*, quæ frequenter locum habet in compositis, V. *Mützell.* ad *Curt.* 8. 11. 6. et 9. 7. 11. — Legitur etiam *diffatigo*. *Plaut. Epid.* 1. 2. 15. Edepol clamore diffatigor. *Pleriq. omn. leg.* defatigor. Sed *disfatigat* legitur in *Not. Tir.* p. 118. nullo tamen auctore. — Part. *Defatigatus* I. et II. — Defatigo est lassum reddo (It. *stancare*; Fr. *fatiguer, lasser, epuiser*; Hisp. *fatigar, acosar*; Germ. *Imdn abmatten, müde machen*; Angl. *to weary or tire greatly, tire out, fatigue*).

I.) Proprie. — *a*) Activa forma. *Cæs.* 7. *B. G.* 41. Cum crebro integri defessis succederent, nostrosque assiduo labore defatigarent. *Id.* 3. *B. C.* 85. Exercitum quotidianis itineribus defatigare. *Sueton. Cæs.* 65. Augebatque iter, ut serius subsequentes defatigaret. — Cum Accus. *se*. *Plaut. Trin.* 2. 1. 2. Egomet me concoquo, et macero, et defatigo. *Ter. Adelph.* 4. 1. 3. Ita se defatigarit velim, ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere. — *b*) Passive. *Ter. Eun.* 2. 1. 14. Opus faciam, ut defatiger usque, ingratiis ut dormiam. Cf. *Cic.* 3. *Orat.* 36. 145. Profecto numquam conquiescam, neque defatigabor, antequam percepero etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Galli defatigati diuturnitate belli. *Auct. B. Afr.* 18. et *Cato* apud *Gell.* 3. 7. Jumenta ex nausea recenti, siti, languore, vulneribus defatigata. — Et Part. *Defatigatus* absolute, substantivorum more. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. Ut integri recentesque defatigatis succederent.

II.) Translate. — *a*) Activa forma. *Ter. Phorm.* 5. 3. 11. Ne te adolescens mulier defatiget. *V.* integrum locum. *Cic.* 3. *Legg.* 12. 29. Ille vero non modo censores, sed etiam judices omnes potest defatigare. — *b*) Passive. *Plaut. Epid.* 1. 2. 15. Quin edepol clamore defatigor, differor. *Cic.* 2. *Orat.* 41. 177. Ne qui audit, defatigetur similitudinis satietate. *Id.* 3. *Herenn.* 9. 17. Animi defatigati ab adversariis multitudine verborum. *Id. Marcell.* 6. 20. Noli in conservandis bonis viris defatigari. *Id.* 10. *Fam.* 19. Sed mehercule in ea conservanda jam defatigatus, non multo plus faveo patriæ, quam tuæ gloriæ. *Colum.* 1. *R. R.* 1. *init.* Ubertate nimia prioris ævi defatigatum et effetum solum. — Et sequente infinito. *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 14. *ad fin.* Nec defatigabor permanere non solum in studio libertatis, sed etiam in labore et periculis.

DĒFĂTISCENS, entis, *et*

DĒFĂTISCOR, tiscĕris. *V.* DEFETISCOR.

DĒFĔCĀBILIS, e,

DĒFĔCĀTĬO, ōnis, *et*

DĒFĔCO, as, etc. *V.* DEFÆCABILIS, DEFÆCATIO, DEFÆCO.

DĒFECTĬO, ōnis, f. 3. actus deficiendi: *V.* DEFICIO sub init. Hinc ¶ 1. In re politica est voluntatis studiique alienatio, rebellio. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 4. Multa convenerunt, quæ mentem exturbarent meam: subita defectio Pompeji, alienatio consulum. *h. e.* quod Pompejus se a me repente alienavit, me destituit. *Nepos Datam.* 7. Ad regem transiit et de defectione patris detulit. *Cæs.* 6. *B. G.* 3. Initium belli ac defectionis hoc esse arbitratus. *Liv.* 7. 42. Quæ si omnia concessa sunt plebi, apparet haud parvas vires defectionem habuisse. *Tac.* 2. *Ann.* 8. Defectio a tergo nunciatur. *Cæs.* 7. *B. G.* 54. Defectionem adnaturare. *Curt.* 9. 10. moliri. *Liv.* 23. 15. attentare. *Tac.* 4. *Ann.* 24. captare. *Id.* 6. *ibid.* 36. Ad defectionem trahere. — Et translate. *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 22. Intemperantia, quæ est a tota mente et a recta ratione defectio. ¶ 2. Item est decrementum, deminutio, infirmatio, adeoque privatio; et usurpatur — *a*) Generatim. *Cic. Senect.* 9. 29. Ista ipsa defectio virium adolescentiæ vitiis efficitur sæpius quam senectutis. Et omisso nomine *virium*, quod tamen ex orationis contextu intelligitur, *Tac.* 6. *Ann.* 50. Jam Tiberium corpus, jam vires, nondum dissimulatio deserebat. Idem animi rigor: sermone ac vultu intentus, quæsita interdum comitate quamvis manifestam defectionem tegebat. — *Cic.* 3. *Att.* 18. Quintus frater, qui me tam valde amat, omnia mittit spei plena, metuens, credo, defectionem animi mei. *h. e.* animi mei debilitationem atque abjectionem. — *Cels.* 7. 33. Sæpe in ipso opere vel profusione sanguinis, vel animæ defectione moriuntur. Sic *Sueton. Cal.* 50. Nonnunquam subita defectione ingredi, stare, colligere semet ac sufferre vix poterat. Adde *eumd. Vesp.* 24. Et *Plin.* 23. *Hist. nat. procem.* 3. (4). Pampini mulierum a conceptu defectioni prosunt. — *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. *circa med.* Biennio continuo, Cleopatra regnante, Nilum non ascendisse constat. Significatam duobus rerum potientibus defectionem. Antonii enim Cleopatræque defecit imperium. *Frontin. Aquæd.* 91. Defectio aquarum. *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. *a med.* pecuniæ. — *b*) Speciatim defectio solis, aut lunæ, est eclipsis. *Cic.* 2. *Divinat.* 6. 17. Solis defectiones itemque lunæ, prædicuntur in multos annos. Adde *Senec.* 1. *Quæst. nat.* 12. — *c*) Item speciatim in re grammatica ponitur pro figura ellipsi, vel alia simili, qua verbum aliquod subticetur. *Macrob.* 6. *Saturn.* 8. Respondit Servius, sic hoc dictum esse, ut pleraque dici per defectionem solent. De illo *Virgilii* versu sermo est, 7. *Æn.* 187. Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea. Porro *Macrob.* more suo hæc descripsit a *Gell.* 5. 8., qui hoc eodem sensu usurpat etiam 12. 15.

DĒFECTĬTO, as, n. 1. frequentat. a *deficio*, sæpe deficio. Vox a Lexico expungenda, occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 36.

DĒFECTĪVUS, a, um, adject. mancus, imperfectus. *Tertull. advers. Valentinian.* 14. Defectiva et abortiva genitura. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. Defectiva febris. *h. e.* intermittens. — *Defectiva verba*, aut *nomina* apud Grammaticos sunt, quæ aliquibus modis, aut temporibus, aut personis carent, aut casibus. *Charis.* 3., *Diomed.* 1., *Priscian.* 8., *Phocas*, et alii *Putsch.*

DĒFECTOR, ōris, m. 3. qui deficit. *Sueton. Ner.* 43. Revocatis ad pœnitentiam defectoribus. *Tac.* 12. *Ann.* 50. Adversus defectores et in tempore rebellaturos. Adde *eumd.* 2. *Hist.* 62. et 3. *ibid.* 12.; et *Justin.* 16. 1. 13.

DĒFECTRIX, īcis, f. 3. quæ deficit, ut *Defectrix virtus* apud *Tertull. advers. Valentinian.* 33.

DĒFECTUS, a, um. *V.* DEFICIO.

DĒFECTUS, us, m. 4. idem quod defectio (It. *mancanza, difetto*; Fr. *manque, cessation*; Hisp. *falta, defecto*; Germ. *das Abnehmen, Schwinden, Aufhören*; Angl. *a defect, want, deficiency, weak-*

ness, failing). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 5. 750. Solis item quoque defectus lunæque latebras. *Virg.* 2. *G.* 478. Defectus solis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 50. *de luna.* Ejus species et forma mutatur tum crescendo, tum defectibus in initia recurrendo. *Liv.* 26. 5. Qualis æris crepitus in defectu lunæ silenti nocte cieri solet. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 28. Luna claro repente cœlo visa languescere: igitur æris sono, tubarum cornuumque concentu strepere, prout splendidior obscuriorve, lætari aut mœrere. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 96. (256). Semen decoctum, in lactis defectu (*h. e.* lacte deficiente) potum mammas replet. *Id.* 24. *ibid.* 13. 72. (116). Etiam si citra ceciderit defectu mittentis. *h. e.* deficiente, qui jaculetur. *Id.* 34. *ibid.* 2. 2. (3). Æs velocis defectus. *h. e.* quod brevi defecit. *Id.* 19. *ibid.* 5. 29. (91). Defectus stomachi. *Id.* 20. *ibid.* 2. 6. (12). Defectus animi. *Id.* 37. *ibid.* 9. 40. (123). Quintum genus amethystorum ad vicina crystalli descendit, albicante purpuræ defectu. *h. e.* colore purpuræ deficiente, seu desinente in albicantem. ¶ 2. Speciatim de militibus. *V.* DEFECTIO 1. *Curt.* 7. 19. 39. Magno animo defectum eorum tulit. *Capitolin. Macrin.* 8. Defectu legionum interemptus est.

DĒFENDO, dis, di, sum, dere, a. 3. (Est a præpos. de et obsoleto *fendo*, teste *Priscian.* 8. *p.* 829. *Putsch.* et 11. *p.* 923. *V.* OFFENDO, INFENSUS, INFENDITOR et INFENDO). — Supinum *defensu* habet *Sall.* apud *Charis.* 2. *p.* 176. *Putsch.* Non tu scis, si quas ædes ignis cepit, haud facile sint defensu, quin et comburantur proxumæ. — Part. *Defendens* II. 1.; *Defensus* in omnibus paragr.; *Defensurus* II. 2. *b.*; *Defendendus* I. *a.* — Defendo est arceo, prohibeo, depello, propulso; quæ admodum propria est et Latina hujus verbi significatio, ut ait *Gell.* 9. 1.: hinc fere dicitur de iis, quæ damnum, vel dedecus afferunt (It. *tener lontano, rimuovere, ributtare*; Fr. *écarter de qqn un mal, détourner, éloigner, tenir loin*; Hisp. *alejar, desviar, apartar*; Germ. *abwehren, abwenden, fern halten*; Angl. *to keep or ward off, keep away, repel*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ aut rei, quæ arcetur. *Ennius* apud *Non. p.* 277. 21. *Merc.* Serva cives, defende hostes, quum potes defendere. *Cato R. R.* 141. Mars pater, te precor quæsoque — ut tu morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibessis, defendas averruncesque. *Cic. Senect.* 15. 53. Vitis vestita pampinis nimios solis defendit ardores. *Id. Mil.* 4. 9. Defendere vim illatam. *Id. Mur.* 3. 5. pericula civium. *Id.* 3. *Off.* 18. 74. et *Cæs.* 1. *B. C.* 7. injuriam et propulsare. *Cæs.* 2. *ibid.* 2. jactus ignis et lapides. *Id.* 1. *B. G.* 44. bellum. *Id.* 2. *B. C.* 9. Ad defendendos ictus ac repellendos. *Virg.* 10. *Æn.* 905. hunc, oro, defende furorem. *V. Wagner* ad h. l. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 14. toga, quæ defendere frigus, Quamvis crassa, queat. *Seneca Provid.* 4. imbrem culmo aut fronde defendunt. *Stat.* 1. *Theb.* 409. haud passi sociis defendere noctem Culminibus. *Sil. It.* 7. 170. Defendere sitim fonte et pura lympha. *Id.* 13. 99. dedecus manu. *Stat.* 7. *Theb.* 244. Antigone teneras defenditur atra Veste genas. ubi *defenditur* pro simplici *tegere*, operire positum videtur. — *b*) Cum Accusativo personæ aut rei, quæ arcetur; et Ablat. cum præpos. *ab* personæ aut rei, a qua quid prohibetur. *Claud. Quadrigarius* apud *Gell.* 9. 1. Defendere hostes a pinnis, *h. e.* a muris. Sic *Auct. B. G.* 8. 9. hostem a fossa. *Ovid. Remed. am.* 625. Proximus a tectis ignis defenditur ægre. — *c*) Poetice cum Dativo pro Ablativo. *Plaut. Most.* 4. 2. 20. Defendere injuriam foribus. *Virg.* 7. *Ecl.* 47. Solstitium pecori defendite. *Horat.* 1. *Od.* 17. 3. Faunus igneam defendit æstatem capellis. *Ovid. Heroid.* 5. 15. fœnoque jacentibus alto Defensa est humili cana pruina casa. *Sil. It.* 5. 490. cohors defendere nescia morti dedecus. *Id.* 17. 431. sed gloria Pellæ Non valuit misero defendere Daunia tela. *Stat.* 9. *Theb.* 318. senium defendere famæ. *h. e.* obsistere, ne fama consenescat et pereat.

II.) Translate, quia mala propulsando nos tuemur, defendere ponitur pro servare, tueri, propugnare. ¶ 1. Generatim; et quidem — *a*) Absolute, seu cum Accusativo tantum personæ aut rei, quæ defenditur. *Cæs.* 6. *B. G.* 34. Manus certa nulla, non præsidium, non oppidum, quod se armis defenderet. *Liv.* 42. 41. Defendere se armis adversus aliquem. *Virg.* 12. *Æn.* 437. nunc te mea dextera ferro Defensum dabit. *h. e.* defendet. Rursus *Cæs.* 1. *B. G.* 35. Æduos ceterosque amicos populi Romani defendere. — Et absolute omnino *Id.* 2. *ibid.* 33. Postridie ejus diei, refractis portis, quum jam defenderet nemo, atque intromissis militibus nostris, etc. Cf. *Nepos Themist.* 4. Accessit astu, idque, nullis defendentibus, incendio delevit. — Similiter idem valet ac *tueri* apud *Cæs.* 3. *B. G.* 3. Rei eventum experiri et castra defendere. Adde *eumd.* 3. *B. C.* 67., 94. et 95. *Curt.* 7. 1. 3. Semper alterum in acie cornu defenderat. Immo cum *tueri* conjungitur apud *Tac. Germ.* 14. Illum (*principem*) defendere, tueri — præcipuum sacramentum est. Cf. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 172. Armis prudentiæ causas tueri atque defendere. — Et pro *tegere* apud *Curt.* 10. 9. *extr.* Ne loci quidem religione defensus, occiditur. Cf. *Ovid.* 4. *Pont.* 7. 23. Urbs positu defensa manuque. *Cic. Sull.* 4. 13. Hunc defendunt, huic adsunt. *h. e.* protegunt. *Id.* 11. *Fam.* 27. *a med.* aliquem contra iniquos. *Id. Sull.* 2. 4. Innocentiam alicujus. Cum *v. tegere*, vel *protegere* conjungitur a *Cic. Sull.* 31. 86. Scelus nullum defendere ac tegere. *Id. ibid.* 18. 50. Defendere et protegere jacentem et spoliatum. — Et pro *sustinere*, præcipue apud Poetas. *Horat. Art. P.* 194. Actoris partes chorus officiumque virile Defendat. *Id.* 1. *Sat.* 10. 11. Et sermone opus est modo tristi, sæpe jocoso, Defendente vicem modo rhetoris atque poetæ, interdum urbani. Cf. *Cic.* 8. *Phil.* 4. 11. Semel enim parem defendi? non semper otio studui? Immo cum *v. sustinere* conjungitur apud *Cic. Pis.* 2. 4. Senatus auctoritatem sustinere contra invidiam atque defendere. Item pro *servare*, ut apud *Liv.* 26. 27. Ædes Vestæ vix defensa est. *Cels.* 4. 5. Defendere valetudinem iisdem rebus, quibus reddita est. Cf. *Cic. Quinct.* 13. 42. Ut locum suum, quem adhuc honestissime defendit, obtineat. *V.* integrum locum. — *b*) Sæpius occurrit *defendere aliquem* vel *aliquid ab aliquo*, ut apud *Cic.* 2. *leg. Agr.* 19. 52. Defendi ab aliquo paludibus, itinerum angustiis et altitudine montium. *Cæs.* 2. *B. G.* 31. Defendere se a finitimis. *Sall. Cat.* 45. se a multitudine gladio. *Cic. pro leg. Manil.* 6. 14. provinciam non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis. *Id. Mil.* 2. 6. vitam a telis inimicorum. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. existimationem et dignitatem suam ab inimicis. *Liv.* 39. 24. libertatis causam ab regio præsidio. *Virg.* 7. *Ecl.* 6. teneras defendo a frigore myrtos. *Ovid.* 7. *Met.* 384. ab acutæ vulnere falcis, A pecoris morsu frondes defendere. *Quintil.* 6. 3. 19. orationem a tedio. Et absolute, h. e. sine Accus. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Et ab incendio lapis et ab ariete materia defendit. ¶ 2. Speciatim — *a*) In judiciis *defendere* usurpatur pro oratione tueri, propugnare; cum Accusativo personæ vel causæ quæ defenditur. *Cic. Sull.* 2. 6. Defendere aliquem de ambitu. *Id. Cluent.* 45. 126. aliquem apud prætores. Sic *Nepos Phoc.* 2. Ab eodem in judiciis defensus, aliquoties liberatus discesserat. Similiter *Cic. Cluent.* 27. 74. Defendere causam apud judicem. *Id. Amic.* 25. 96. Ita re magis, quam auctoritate, causa illa defensa est. — *b*) Hinc in judiciis æque atque in disputationibus *defendere* est ratione asserere, contendere, itemque afferre, allegare in defensionem: et occurrit — Cum Accusativo rei, quæ præcipue generatim effertur. *Cic.* 2. *Orat.* 38. 161. Carneades nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnavit, quam non everterit. *Id.* 5. *Fin.* 8. 21. Sex sunt sententiæ: duæ sine patrono, quatuor defensæ. *Id. Rosc. Am.* 47. 136. Sciunt me id maxime defendisse, ut ii vincerent, qui vicerunt. *h. e.* contendisse. *Id.* 5. *Verr.* 37. 85. Sed quid ego ex te quæro, quid defensurus sis, quum etc. *Id.* 7. *ibid.* 58. 151. Cui si etiam id, quod defendit, concedere velim, tamen etc. — Sæpius cum Accusativo et Infinito. *Cic. Tull.* 13. 32. Si — tibi lubitum esset ita defendere, tuam familiam non fecisse, vinceres si id probare potuisses. *Id.* 3. *Fin.* 21. 71. Gravissime et verissime defenditur, numquam æquitatem ab utilitate posse sejungi. *Tac.* 13. *Ann.* 43. Nihil ex his sponte susceptum, sed principi paruisse, defendebat. *Gell.* 10. 19. Id solitum esse fieri defendit. — Et sequente Relativo. *Cic.* 2. *Fin.* 35. 117. Quæ cur non cadant in sapientem, non est facile defendere. — Singulare est illud *Cic.*, ubi *defendere* passive occurrit cum Infinito tantummodo, 2. *Invent.* 32. 98. Quum quadam vi reus id, quod fecerit, fecisse defenditur. *Id. Vatin.* 2. 5. Defendebatur, testibus collegis suis, non recitandi causa legisse, sed recognoscendi. Ita *Orell.* cum veterr. editt.; at nunc *Halm.*, secutus *Madvigium*, legit *defendebat* — se legisse. ¶ 3. Item speciatim, apud sequioris ævi scriptores, defendere ponitur pro aliquid judicio persequi, adeoque vindicare, ulcisci etc. *Ulp. Dig.* 5. 3. 7. Et libertatem et hereditatem ex testamento sibi defendebat. *h. e.* vindicabat. *Id. ibid.* 38. 2. 14. Si patris mortem defendere necesse habuerit. *h. e.* ulcisci. Adde *Macrum ibid.* 48. 2. 11. etc.

DĒFĒNĔRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *defenero*, fenore obstrictus. *Apul. Mag. p.* 322. 21. Pater ejus multis creditoribus defeneratus. *Vet. Scholiast. Bob.* ad *Cic. Sext.* 8. ed. *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 120. Præcipue quod esset ære alieno defeneratus. Adde *Ambros.* 7. *Ep.* 1.

DĒFĒNĔRO, as, are, a. 1. fenoribus faciendis exhaurio. Occurrit Part. *Defenerandus* apud *Cic.* 6. *Parad.* 2. Dimissiones libertorum ad defenerandas diripiendasque provincias. *At plerique alii cum* Orell. *rectius leg.* fenerandas.

DĒFENSA, æ, f. 1. defensio, ultio. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 18. 1. A Deo expectare defensam.

DĒFENSĀBĬLIS, e, adject. qui defendi potest. Occurrit tantum Comp. *Defensabilior* apud *Ambros. Ep.* 10. *n.* 78. Qui eo defensabilior sibi videtur, quod eum relegit Flavianus.

DĒFENSĀTĬO, ōnis, f. 3. actus defendendi, defensio. *Jul. Val. de reb. gest. Alex. M.* ed. *A. Maio* 3. 40. Neque sane a nobis quoque aberit Antigono defensatio.

DĒFENSĀTRIX, icis, f. 3. quæ defendit. Agnoscit hoc nomen *Probus gramm.* 2. *p.* 1452. *Putsch.* Nomina appellativa or terminata, si tracta fuerint a verbo, genus femininum *trix* terminant. Sed excipitur unum, qui quamvis non veniat a verbo, tamen feminino *trix* facit, *genetrix*; nam *balneatrix*, *defensatrix* rationabiliter dici et dici, nisi quoniam male sonant. Ita legit *Lindemannus*: alii *defenstrix*, quam lectionem ipsa *Probi* verba deposcunt. Ceterum *Defensatrix* legitur apud *Ambros.* 6. *Hexæm.* 9. Manus est totius corporis propugnaculum, capitis defensatrix.

DĒFENSĪBĬLIS, e, adject. qui defendere potest. *Cassiod. de anim. ante med.* Anima civitates defensibili muro cinxit.

DĒFENSĬO, ōnis, f. 3. actus defendendi, propugnatio, patrocinium, sive armis, sive verbis fiat (It. *difesa*; Fr. *défense*; Hisp. *defension*; Germ. *die Vertheidigung*; Angl. *a defending, defence*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 2. *B. C.* 7. Apparare omnia ad defensionem urbis. Adde *eumd.* 7. *B. G.* 23. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 2. Propugnatio ac defensio dignitatis tuæ. *Id.* 5. *ibid.* 8. *a med.* Suscipere defensionem alicujus. *Id. Cæl.* 4. 9. Ad istam omnem orationem brevis est defensio. *Id.* 1. *Orat.* 56. 237. Utriusque rei facilis est et prompta defensio. *Id. Mil.* 5. 14. Defensio contra vim. *Id. ibid.* 6. 15. Dare alicui defensionem. *Id.* 1. *Orat.* 57. 242. Arripere patrocinium æquitatis, et defensionem testamentorum. *Id.* 1. *ad Brut.* 12. Quo in judicio recte defensionem non haberet. *Id.* 4. *Verr.* 10. 27. Uti defensione aliqua. *Id. Sull.* 25. 71. In stuprorum defensionibus. ¶ 2. Speciatim pro scripta oratione, qua quis defenditur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (110). Defensionem Demosthenis legit. Adde *Sueton. Claud.* 41. ¶ 3. Item in jure est ultio, vindicta. *Ulp. Dig.* 29. 5. 1. *a med.* Quæstionem sic accipimus, non tormenta tantum, sed omnem inquisitionem et defensionem mortis.

DĒFENSĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat.* a defendo. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 22. 71. Hæc non acrius accusavit in senectute, quam antea defensitaverat. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 45. 139. *Id.* 1. *Off.* 33. 121. Defensitare causas. Adde *eumd. Brut.* 26. 100.

DĒFENSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Defensans* 2. *a.* — Defenso est *frequentat.* a defendo, sed ejusdem fere significationis. — ¶ 1. Stricto sensu est depellere, arcere. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 105. Defensare metus, adversaque tela subisti Pellere. ¶ 2. Latiori sensu est servare, tueri, propugnare vel re, vel oratione. — *a*) Cum Accusativo tantum. *Plaut. Rud.* 3. 3. 50. et *Sall. Jug.* 64. Defensare mœnia. *Ovid.* 12. *Met.* 376. humeros. Adde *Stat.* 2. *Silv.* 8. 14. et *Tac.* 2. *Ann.* 5. *Claudian.* 1. *Eutrop.* 386. Sic armenta suo jam defensante juvenco. *Livio* quoque tribuitur

26. 45.; sed incerta ea lectio est. — b) Cum addito Ablativo rei, a qua quem defensamus. *Sall. Jug.* 102. Defensare se ab hostibus. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 39. Defensare se injuria. *h. e.* ab injuria. — c) Absolute. *Ovid.* 11. *Met.* 373. Pars quoque de nobis funesto saucia morsu, Dum defensamus, leto data est.

DĒFENSOR, ōris, m. 3. qui defendit. ¶ 1. Stricto sensu defensor est qui prohibet, depulsor. *Cic. Mur.* 2. 3. Defensor periculi. *Id. Mil.* 22. 58. Conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis. ¶ 2. Latiori sensu ac generatim est idem ac patronus seu potius propugnator; et occurrit — a) Modo cum Genitivo hominis, aut rei, quæ defenditur. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 244. Paterni juris defensor et quasi patrimonii propugnator sui. *Id. Mil.* 15. 39. Propugnator senatus, defensor vestræ voluntatis, patronus publici consensus. *Id. Rabir. perduell.* 4. 12. Custos defensorque juris et libertatis. *Id. Sext.* 69. 144. Publicæ causæ defensorem, propugnatorem. V. *Manut.* ad h. l. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 16. 54. Nam provincia accusat, cum is agit causam, quem sibi illa defensorem sui adoptavit. — b) Absolute, substantivorum more. *Cæs.* 2. *B. G.* 6. Murus defensoribus nudatus. *Id.* 3. *ibid.* 25. Defensores vallo et munitionibus depellere. *Id.* 7. *ibid.* 15. Defensores idoneos oppido deligere. — In carmine usurpatur a *Virg.* 2. *Æn.* 521.; *Ovid.* 13. *Met.* 274. et 6. *Fast.* 188.; *Horat.* 2. *Sat.* 5. 30.; *Lucan.* 10. 488.; *Juvenal.* 8. 163.; et *Claudian.* 1. *Rufin.* 80. — c) De brutis animalibus. *Varro* 2. *R. R.* 9. 1. Oves et capras lupus captare solet, cui apponimus canes defensores. — d) De inanimis. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. *extr.* Sublicæ ad inferiorem partem fluminis obliquæ adigebantur, ut si arborum trunci, sive naves, dejiciendi operis causa, essent a barbaris missæ, his defensoribus earum vis minueretur. ¶ 3. Item latiori sensu, sed speciatim *defensor reipublicæ*, *civitatis*, *plebis*, *loci*, est appellatio muneris constituti in civitatibus habitantium frequentia celebribus, cujus partes erant unumquemque civium ab improbitatibus insolentium defendere, ut ait *Majorian. Nov. tit.* 5. De his agit *Cod. Theod. l.* 1. *tit.* 11. *Inscript.* apud *Gruter.* 1092. 7. L. CASTRIO L. F. CLV. SPECVLATORI DEFENSORI REIPVBLICAE. Alia apud *Donat.* 225. 6. DEFENSORI REIPVBLICAE BRIXIANORVM. Alia apud *Gruter.* 1080. 6. RESTITVTORI PVBLICAE LIBERTATIS, DEFENSORI VRBIS ROMAE, COMMVNIS OMNIVM SALVTIS AVCTORI, D. N. IMP. FL. VAL. CONSTANTINO PIO FELICI INVICTO, SEMPER AVGVSTO *etc.* Ut privati municipiorum, ita imperatores Romæ defensores dicebantur. Ceterum de hujusmodi defensoribus V. *Savigny, Histoire du droit Rom. vol.* 1. *p.* 88. — Cum genere feminino. *Ulp. Dig.* 16. 1. 2. *extr.* Si mulier defensor alicujus exstiterit. *Al. leg.* defenstrix.

DĒFENSŌRĬUS, a, um, adject. ad defendendum pertinens, ut *Judicia bonorum defensoria* apud *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 14.; et *Defensoria verba* apud *Rufin.* 2. *Invect. in Hieronym.* n. 30.

DĒFENSTRIX, icis, f. 3. quæ defendit. *Priscian. super vers. Æn.* 1220. *Putsch.* testatur, usurpatam esse ab ipso *Cicerone* in *Timæo*. Adde locum *Ulpiani* in DEFENSOR in fin.; et *V.* DEFENSATRIX.

DĒFENSUS, a, um. *V.* DEFENDO.

DĒFĔRO, fers, tŭli, lātum, ferre, a. anom. 3. (de et fero). Part. *Deferens* I. 1. *b.*; *Delatus* in omnibus paragr.; *Delaturus* I. 1. *a.*; *Deferendus* II. 2. — Defero est deorsum fero, aliquid a loco aliquo asporto alioque affero (It. *portar giù*, *portar via*; Fr. *porter, apporter d'un lieu, emporter*; Hisp. *alzar, llevar una cosa de un lugar á otro*; Germ. *etwas von irgendwo her —, herab —, herbeitragen oder — führen, fortbringen, fortschaffen*; Angl. *to carry down or along, to carry, bring, convey*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim; et quidem — a) Cum addito, quo quis aut quid defertur per præpos. *ad*, *in*, etc. et Accus. *Plaut. Trin.* 4. 2. 113. Quod me aurum deferre jussit ad gnatum suum atque ad amicum Calliclem. *Id. Men.* 5. 5. 49. I, arcesse homines, qui illunc (*h. e.* illum hominem) ad me deferant. *h. e.* abripiant. Adde *eumd. ibid.* v. 45. *Cæs.* 5. *B. G.* 45. Hic servo — magnis persuadet præmiis, ut litteras ad Cæsarem deferat. (At *Plaut. Trin.* 4. 2. 107. Hos ego quæro, quibus me oportet has deferre epistolas. *ubi Dativus commodi esse potest, quin a verbo deferre pendeat: ceterum hujusce v. initio lacuna in MSS. adest.*). *Id. Cæs.* 1. *B. C.* 9. Deferre mandata ad aliquem. *Virg.* 9. *Æn.* 604. natos ad flumina. *Ovid.* 8. *Met.* 816. Fames Ad jussam delata domum est. *Liv.* 40. 59. Manantia sanguine spolia Romam ad triumphum delaturus. *Varro* 1. *R. R.* 40. 4. Tertium genus seminis, quod ex arbore per surculos defertur in terram. *Liv.* 9. 37. Deferre aciem in campos. *Id.* 5. 25. aurum in ærarium. *Id.* 5. 47. Ruinaque tota prolapsa acies in præceps defertur. *Virg.* 8. *Ecl.* 59. Præceps aerii specula de montis in undas Deferar. *Ovid.* 6. *Fast.* 227. Tibris defert purgamina in mare. *Quintil.* 1. 12. 10. Corpora infantium casus, quo in terram toties deferuntur, non tam graviter affligit. *Tac.* 1. *Ann.* 35. Ferrum deferebat in pectus. *Ovid.* 14. *Met.* 601. tacito deferre (*hunc*) sub æquora cursu. — Et de navibus, quæ appellunt. *Plaut. Amph.* 2. 2. 69. E portu navis huc nos dormientes detulit. — b) Omisso, quo quis aut quid defertur. *Lucret.* 5. 656. Matuta Auroram defert et lumina pandit. *Ovid.* 8. *Met.* 644. ramaliaque arida tecto Detulit, et minuit, parvoque admovit aheno. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 4. 5. (33). Rhodanus segnem deferens Ararim. *Id.* 6. *ibid.* 27. 31. (136). Amnes plurimum limi deferentes. *Id. Plin.* pro producere, gignere, usurpat 19. *ibid.* 1. 2. (14). Frutex similem barbatæ nucis defert fructum. *Aliquot tamen Codd. hæc verba omittunt.* — Hinc absolute et pro dejicere ponitur a *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 4. Terræ motus defert montes. Et *Stat.* 10. *Theb.* 746. Nullaque tectorum subit ad fastigia, quæ non Deferat hasta virum perfusaque cæde recurrat. ¶ 2. Speciatim usurpatur de maritimo itinere, et dicitur fere passive tum de navibus, tum de hominibus. *Cæs.* 3. *B. C.* 14. Una ex iis (*navibus*) — delata Oricum etc. *Id.* 5. *B. G.* 8. Longius delatus æstu, orta luce sub sinistra Britanniam relictam conspexit. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 15. Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes. *Stat.* 2. *Achill.* 347. terrasque freto delatus Achæas Hospitis Atridæ spoliat thalamos. ¶ 3. Item speciatim mercatores deferre dicuntur, quum quid vendibile exponunt et pretium indicant. *Seneca Ep.* 42. Id itaque in omnibus consiliis rebusque faciamus, quod solemus facere, quoties ad institores alicujus mercis accessimus: videamus, hoc quod concupiscimus, quanti deferatur. *Colum.* 10. *R. R.* 314. cereale papaver anetho Jungite, dumque virent nexos deferte maniplos. *h. e.* venales in forum. Cf. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 269. Deferar in vicum vendentem thus et odores.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est aliquo aliquid ferre, afferre; sed metaphorice sumptum. *Cæs.* 3. *B. G.* 23. Hac re ad consilium delata. *Liv.* 9. 18. Fortunæ pignora in discrimen deferre. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 67. sed ille (*poeta*) Si foret hoc nostrum fato delatus in ævum, etc. *Quintil.* 10. 1. 66. Fabulas in certamen deferre. *Id.* 4. 5. 2. Qui ad agendum nihil cogitati detulerit. ¶ 2. Speciatim est offerre, exhibere, tribuere: ad rem *Cic. Flacc.* 9. 21. Triduo lex ad prætorem tabulas deferri jubet. h. e. allatas exhibere, duabus scilicet significationibus simul conjunctis. Cf. *eumd.* 5. *Fam.* 20. *ante med.* Deferre rationes. *h. e.* allatas accepti et expensi rationes exhibere. — Porro hac significatione occurrit — a) Cum addito per præpos. *ad* Accusativo personæ, ad quam quid defertur. *Cic. pro leg. Manil.* 23. 67. Ad unum deferenda esse omnia non arbitrantur. *Id.* 6. *Fam.* 10. 3. Universum studium meum et benevolentiam ad te defero. *Id. Brut.* 22. 86. Deferre causam ad aliquem. *h.* e. causam agendam alicui committere. *Cæs.* 6. *B. G.* 2. Ad ejus propinquos imperium defertur. *Nepos Hann.* 3. Exercitus summam imperii ad eum detulit. — b) Cum Accusativo rei et Dativo personæ. *Cic. pro leg. Manil.* 24. 69. Quidquid possum, tibi polliceor ac defero. *Id. Flacc.* 6. 14. Omnem ei suam auctoritatem, gratiam, copias, opes ad hoc negotium conficiendum detulit. *Id.* 2. *Orat.* 56. 227. Deferre palmam alicujus rei alicui. *Id.* 1. *Nat. D.* 6. 15. Ad Velleium Epicurei primas et nostris hominibus deferebant. *Id.* 2. *leg. Agr.* 17. 46. Deferre honorem alicui. *Id.* 13. *Fam.* 55. ultro legationem alicui. *cui* ibid. *opponitur* denegare. *Inscriptio Fastorum* apud *eumd.* 2. *Phil.* 34. 87. Cæsari Antonium populi jussu regnum detulisse, Cæsarem uti noluisse. *Cæs.* 6. *B. G.* 2. Deferre regnum civitatis alicui. *Horat.* 2. *Od.* 2. 22. regnum et diadema uni. *Liv.* 23. 13. pacem hostibus. *Id.* 3. 53. Adeo æqua postulastis, ut ultro vobis deferenda fuerint. *Quintil.* 10. 1. 53. Deferre secundas alicui. — c) Cum Accusativo rei tantum. *Nepos Epam.* 4. Ereptum ad me pervenisse, quod delatum accipere noluissem. *Sil. It.* 10. 600. delato consul insignis honore. *Quintil.* 5. 6. 6. Ne unquam jusjurandum deferremus. *h. e.* jurandi conditionem. *Terent. Clem. Dig.* 50. 16. 151. Delata hereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi. — d) Et absolute omnino. *Horat.* 2. *Od.* 2. 22. si quid petet, ultro defer. *Quintil.* 5. 6. 3. Qui nullo deferente jurare sit paratus. *Al. leg.* offerente. — Sequioris Latinitatis tempore, *deferre* absolute est idem atque honorem deferre, unde Itali eodem sensu *deferire* dicunt. *Imppp. Valentinian., Theodos.* et *Arcad. Cod.* 3. 12. 7. His adjicimus natalicios dies urbium maximarum Romæ et Constantinopolis, quibus debent jura deferre, quia et ab ipsis nata sunt. Ita pro *in quibus debent jura differri* legendum apparet ex *Cod.* palimpsesto edito ab *A. Peyronio* in *Fragm. Cod. Theod.* 2. 8. 19., ubi hæc, ut supra retulimus, habentur. ¶ 3. Item est sermone vel scriptis renunciare, referre, narrare. — 1.°) Generatim; et usurpatur modo cum Accusativo rei et Infinito, modo cum Accusativo rei tantum, interdum etiam absolute cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Cic.* 11. *Att.* 7. 5. Multos esse arbitror, qui ad Cæsarem detulerint delaturive sint, me aut pœnitere consilii mei, aut non probare quæ fiant. Sic *Virg.* 4. *Æn.* 298. eadem impia fama furenti Detulit, armari classem cursumque parari. *Cic.* 13. *Fam.* 18. Deferre alicui aliquid per litteras. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. Hæc a compluribus ad Cæsarem deferebantur. *Id.* 3. *B. C.* 59. *extr.* Falsum ab his equitum numerum deferri. *Nepos Datam.* 7. Ad regem transiit, et de defectione patris detulit. — 2.°) Speciatim *deferre* locum habet in jure: et — a) *Deferre ad prætorem* dicitur actor, aut accusator, aut denique index, qui reum aliquem facit. Hac autem significatione usurpatur — Cum Accusativo rei et Infinito, aut cum Accusativo rei tantum. *Cic. Sull.* 19. 54. Quid ergo indicat, aut quid affert, aut ipse Cornelius, aut vos qui ab eo hæc mandata defertis? gladiatores emptos esse — ad cædem ac tumultum. Similiter *Id.* 7. *Verr.* 62. 160. Res ad eum defertur, esse civem R., qui se Syracusis in lautumiis fuisse quereretur. *Id.* 4. *Cat.* 3. 5. Hæc omnia indices detulerunt, rei confessi sunt. *Id.* 3. *leg. Agr.* 1. 1. Commodius fecissent tribuni plebis, Quirites, si, quæ apud vos de me deferunt, ea etc. Sic *Liv.* 42. 11. Ad deferenda de Perseo crimina. Et *Quintil.* 4. 2. 98. Eadem filius detulit de noverca. — *Deferre nomen alicujus*, vel apud sequioris ævi scriptores *deferre aliquem*, addito interdum crimine fere per Genitivum vel Infinitum, similiter significat accusare, reum facere. *Cic. Rosc. Am.* 10. 28. Consilium ceperunt plenum sceleris, ut nomen hujus de parricidio deferrent. *Id. ibid.* 3. 8. Quod si aut causa criminis, aut quælibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine secuti, etc. *Id. Cæl.* 23. 58. Deferre alicui nomen cujuspiam. *Id.* 4. *Verr.* 28. 68. Huic eidem Sopatro iidem inimici ad C. Verrem — ejusdem rei nomen detulerunt. *Tac.* 13. *Ann.* 33. Deferre Capitonem. *Id.* 14. 41. reos ad prætorem. *Quintil.* 12. 7. 3. Ad deferendos reos præmio duci. Cf. *Gell.* 13. 4. Ne deferas me, neque criminere adversus Junonem. *Quintil.* 11. 1. 79. Reos ejusdem criminis detulerunt. *Tac.* 14. *Ann.* 48. A Capitone majestatis delatus est. *Id.* 4. *ibid.* 42. Aquiliam adulterii delatam. *Id.* 6. *ibid.* 47. Impietatis in principem delatus. *Forcellinus* affert etiam *Cic. fragm. contra C. Anton.* (quod in edit. *Orell.* nondum inveni) apud *Ascon.* A. L. Caleno furti delatus. *Tac.* 2. *Ann.* 17. Defertur moliri res novas. *Id.* 6. *ibid.* 19. Sex. Marius defertur incestasse filiam. Et absolute *Quintil.* 4. 1. 22. Et minari et deferre etiam non orator potest. *V.* hac de re *Klotz* ad *Cic. oration. vol.* I. *p.* 592. — 3.°) Item speciatim *deferre aliquid ad ærarium*, vel *aliquid* aut *aliquem* tantum, est profiteri in beneficiis: *V.* BENEFICIUM. *Cic.* 5. *Phil.* 5. 15. Horum nomina ad ærarium detulisset. *Id. Arch.* 5. 11. In beneficiis ad ærarium delatus est. *Id. Balb.* 28. 63. Cæsar in prætura, in consulatu præfectum fabrum detulit. *Gell.* 16. 10. Mille quingentum æris in censum deferre. — Cf. alio sensu *Val. Max.* 2. 5. 6. In ea templa deæ Febris remedia, quæ ægrorum corporibus adnexa fuerant, deferebantur. *h. e.* scripta deponebantur. — 4.°) Denique *deferre se* apud JCtos dicitur is, qui sibi aliquid relictum acquisitumve, quod possidere non possit, ultro magistratui profite-

tur. *Callistrat. Dig.* 49. 14. 3. *extr.* Deferre se nemo cogitur, quod thesaurum invenerit, nisi ex eo thesauro pars fisco debeatur. Adde *Ulp. ibid.* 16.

DĒFERVĔFĂCĬO, facis, fēci, factum, facere, a. 3. (de, ferveo *et* facio). Part. *Defervefactus* I. et II. — Defervefacio est valde fervefacio, coquo (It. *far bollire, cuocere*; Fr. *faire bien bouillir, bien cuire*; Hisp. *hacer hervir*; Germ. *fertigkochen, abkochen*; Angl. *to cause to boil or ferment, boil thoroughly*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 37. et 157. Brassicam macerato bene, postea in aulam conjicito, defervefacito bene. *Vitruv.* 8. 4. 1. *Schneid.* In aheneo si ea aqua defervefacta, et postea requieta et defusa fuerit. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 64. (120). Radis defervefacta in vino. *Id.* 14. *ibid.* 16. 19. (104). Libram in tribus musti congiis defervefaciunt, donec duo supersint.

II.) Translate. *Varro* apud *Lactant. opif. Dei* 17. Anima est aer conceptus ore, defervefactus in pulmone.

DĒFERVĔO, ferves, fervere, n. 2. (de *et* ferveo). Præterita *V.* in voc. seq. — Deferveo est fervere desino, refrigeror. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (85). Mustum in lagenis suis defervere passi.

DĒFERVESCO, fervescis, fervŭi *vel* ferbui, fervescere, n. 3. (de *et* fervesco). Legitur et *deferui*, vel potius *deferxi* in præterito. *Cic. Cœl.* 31. 77. Jam ista deferverint, jam ætas omnia mitigarit. — Defervesco est fervere desino, refrigeror (It. *cessar di bollire, raffreddarsi*; Fr. *cesser de bouillir, de fermenter*; Hisp. *cesar de hervir*; Germ. *ausbrausen, austoben, zu brausen oder toben aufhören*; Angl. *to give over boiling or fermentig, grow cool*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 96. Aquam, ubi lupinus deferbuerit, et fæcem de vino bono commisceto pariter. *Forcellinus* in hoc uno *Catonis* loco verbum *defervescere* accepit pro *fervere aut valde fervere*: sed quum allati loci sensus nihil prorsus mutetur, non video, cur verbo *defervescere* duæ et quidem inter se pugnantes tribuendæ sint significationes. *Varro* 2. *R. R.* 2. 11. Circiter meridianos æstus, dum defervescant, sub umbriferas rupes et arbores patulas subjiciunt oves. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 13. Vasa paucis diebus aperta sint, dum musteus fructus defervescat. *Id.* 12. *ibid.* 38. 3. Quum deinde bis mustum deferbuerit. *Gell.* 19. 1. Deferbuit mare, et ardor ille periculi deflagravit. *Id.* 17. 8. *extr.* Aula deferbuerat.

II.) Translate et quidem eleganter admodum usurpatur, præcipue a *Cic.*, pro remittere, deponere ardorem animi, mitescere, cessare. *Ter. Adelph.* 1. 2. 72. Sperabam jam defervisse adolescentiam. *Cic.* 4. *Tusc.* 36. 78. Si quam habent ulciscendi vim, differant in tempus aliud, dum defervescat ira. *Id. Cœl.* 18. 43. Cum adolescentiæ cupiditates deferbuissent. *Id. Cluent.* 39. 108. Hominum studia deferbuisse intelligebat. *Id. Brut.* 91. 316. Deferbuit oratio. *Id. Orat.* 30. 107. Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum? quæ nequaquam satis deferbuisse, post aliquanto sentire cœpimus. *Id.* 9. *Fam.* 2. 4. Deferbuit hæc gratulatio. *Plin.* 9. *Ep.* 16. Devehemus pro novo musto novos versiculos tibi, quos, ut primum videbuntur deferbuisse, mittemus. *Id.* 9. *ibid.* 13. 4. Deferbuit primus impetus.

DĒFESSUS, a, um. *V.* DEFETISCOR.

DĒFĔTĪGĀTĬO *et*

DĒFĔTĪGO. *V.* DEFATIGATIO et DEFATIGO.

DĒFĔTISCENTĬA, æ, f. 1. defatigatio. *Tertull. Anim.* 43. Anaxagoras somnum defetiscentiam affirmat.

DĒFĔTISCOR *vel* defatiscor, fĕtiscĕris, fessus sum, fĕtisci, dep. 3. — *Priscian.* 10. *p.* 388. *Putsch.* tribuit huic supinum *defessum*, et particip. præteriti *defessus sum*. Alii putant *defessus* esse per se adjectivum, quod a nullo verbo nascatur. — Part. *Defetiscens* II.; *Defessus* I. et II. — Defetisci est lassari, labore deficere (It. *stancarsi*; Fr. *être las, se fatiguer*; Hisp. *estar cansado, fatigarse*; Germ. *abgemattet werden, ermüden*; Angl. *to be weary or faint*).

I.) Proprie. — *a*) Tamquam verbum finitum occurrit tantummodo apud veteres. *Plaut. Amph.* 4. 1. 6. Sum defessus quæritando. *Id. Epid.* 5. 2. 55. Ego sum defessus reperire, vos defessi quærere. *Ter. Phorm.* 4. 1. 23. Neque defetiscar umquam ego experirier, donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero. *Id. Adelph.* 2. 2. 5. Ego vapulando, ille verberando usque ambo defessi sumus. *Id. Eun.* 5. 7. 7. Defessa jam sum misera te ridendo. *Cic.* 3. *Orat.* 36. 147. Nisi forte es jam defessus. *Fronto B. Parth.* (edente iterum *A. Majo*) *p.* 202. Non est essultandum nimia et diutina prosperitate, nec, si quid malæ pugnæ acciderit, defetiscendum. — *b*) Apud Scriptores ætatis aureæ occurrit præcipue Part. *Defessus. Lucret.* 5. 1144. Defessus colere. *Cic.* 10. *Fam.* 28. Languens et defessus. *Id.* 2. *Orat.* 57. 234. Defessus labore atque itinere disputationis. *Id.* 2. *leg. Agr.* 32. 88. Defessus cultu agrorum. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Defessi vulneribus. *Id.* 7. *ibid.* 88. Totius diei labore defessus. *Id.* 2. *B. C.* 22. Massilienses omnibus defessi malis. *Catull.* 55. 30. Defessus tamen omnibus medullis. — Et absolute adjectivorum more. *Virg.* 1. *Æn.* 157. Defessi Æneadæ. *Cæs.* 7. *B. G.* 25. Recentes defessis succederent.

II.) Translate de inanimis. *Cic.* 2. *Verr.* 10. 31. Defessa ac refrigerata accusatio. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (10). Tempestiva frigora plurimum arborum firmitati conferunt, et sic optime germinant, alia qua si blandiantur austri, defatiscentes. *Sil. It.* 1. 565. hortantur et orant, Defessis subeant rebus. *h. e.* afflictis.

DĒFĬCĬENTĬA, æ, f. 1. defectus, defectio, carentia. *Paulin. Nol.* 23. 8.

DĒFĬCĬO, fĭcis, fēci, fectum, fĭcere, 3. (de *et* facio). *Defexit* antique pro *defecerit*, a *faxit*, occurrit in veteri formula apud *Liv.* 1. 21. *ad fin.* Illis legibus populus R. prior non deficiet. Si prior defexit dolo malo etc. — Passive de more est *deficior*: sed *defio* etiam, quemadmodum *fio*, usurpatur a Poetis præcipue et a *Liv.*; quos vide infra sub *C.* Ceterum observarunt critici, in permultis *Tibulli, Ovidii, Statii* etc. locis, in quibus *defit* legendum erat, *desit* ab imperitis librariis scriptum fuisse. — Part. *Deficiens* sub *C.* pluries; *Defectus* in omnibus paragr. et in fin.; *Defecturus* sub *B. a.* — Deficio a de et *facio* proprie est quod factum est destruo, solvo, in partes dissolvo: sed usurpatur *A*) Mediorum apud Græcos significatione pro societatem dissolvere, se amovere, se alienare, destituere; *B*) Active seu cum Accusativo est destituere, deserere, non sufficere; *C*) Denique neutrorum more est desinere, cessare, deesse, fatigari.

A) Mediorum apud Græcos significatione *deficere* est societatem dissolvere, se amovere, se alienare, destituere, fidem mutare et transire ad alium.

I.) Proprie occurrit *a*) Cum præpos. *ab* et Ablativo personæ aut rei, a qua quis deficit. *Cæs.* 2. *B. G.* 14. Bellovacos omni tempore in fide atque amicitia civitatis Æduæ fuisse: impulsos a suis principibus — ab Æduis defecisse et populo Romano bellum intulisse. *Sall. Jug.* 56. Quod oppidum primum omnium post malam pugnam ab rege defecerat. *Cic. Planc.* 35. 86. Consules turpissimi a senatu, a republica, a bonis omnibus defecerant. *Cæs.* 7. *B. G.* 39. Deficere ab amicitia populi Romani. Cf. *Nepot. Con.* 2. — *b*) Cum addito, ad quem quis deficiens transit. *Liv.* 6. 20. Deficere a patribus ad plebem. *Id.* 22. 61. Defecere ad Pœnos hi populi, Atellani, Calatini, etc. *Sall. Jug.* 61. Metellus — in eis urbibus, quæ ad se defecerant, — præsidia imponit. — *c*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. G.* 17. Viridorix summam imperii tenebat earum omnium civitatium, quæ defecerant. — Sic *defectus* est qui rebellionem seu defectionem fecit. *Ovid.* 3. *Fast.* 673. Pace domi facta, signum posuere Perennæ, Quod sibi defectis illa tulisset opem. *h. e.* quod illa plebi Romanæ, quæ in montem sacrum decesserat, liba paravisset.

II.) Translate. *Cic. Amic.* 11. 37. Difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris. *Id.* 2. *Fin.* 24. 79. Quid ages, si utilitas ab amicitia defecerit? *Id.* 2. *Fam.* 16. Ut a me ipse deficerem, et, quod semper fugi, bello civili interessem. *h. e.* naturam et mores mutarem. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 196. dubiis ne defice rebus, Alma Parens.

B) Active ponitur pro destituere, deserere, non sufficere: et occurrit — *a*) Activa forma cum Accusativo personæ et Nominativo rei; numquam vero cum Nominativo personæ. *Cæs.* 3. *B. C.* 99. Vires deficiunt me. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 10. Res eos jampridem, fides deficere nuper cœpit. *Id.* 4. *Verr.* 21. 52. Me dies, vox, latera deficiant, si etc. *Id. Rosc. Am.* 32. 89. Tempus te citius, quam oratio deficeret. *Id.* 1. *de republ.* 23. Ne te deficiat oratio. *Id. Orat.* 24. 82. Prudentia numquam deficit oratorem. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 30. animus si te non deficit æquus. *Virg.* 1. *G.* 290. noctes non deficit humor. *Ovid.* 5. *Trist.* 13. 28. Dies sermonem deficiens. *Id.* 2. *Met.* 382. *de sole.* qualis quum deficit orbem Esse solet. *V.* DEFECTIO et DEFECTUS. *Phædr.* 5. 5. Paullo ante vacua, turbam deficiunt loca. *Seneca Herc. Œt.* 46. Natura cessit, terra defecit gradum. *Grat. Cyneg.* 291. Ille tuos olim non defecturus honores. — Et cum Infinito. *Propert.* 1. 8. 23. Nec me deficiet nautas rogitare citatos. Adde *Tibull.* 4. 1. 192. — *b*) Passive cum Nominativo personæ aut rei, et Ablativo rei, quâ quis destituitur, interdum cum præpos. *ab.* *Cæs.* 3. *B. C.* 64. Quum aquilifer viribus deficeretur. *Al. leg.* a viribus. *Cic. Cluent.* 65. 184. Mulier abundat audacia, consilio et ratione deficitur. *Id. Harusp. resp.* 19. 40. Defici auxilio. V. *Klotz* ad h. l. *Ovid.* 2. *Trist.* 407. Tempore deficiar, tragicos si persequar ignes. *Id.* 10. *Met.* 194. et defectu vigore Ipsa sibi est oneri cervix. *Id. Heroid.* 5. 150. Deficior prudens artis ab arte mea. *Cels.* 2. 8. *ad fin.* Mulier a menstruis defecta. *Tibull.* 2. 5. 75. Sol defectus lumine. *Al. leg.* lumina, *Græca constructione, eodem sensu. Vellej.* 2. 116. Non merito, sed materiâ adipiscendi triumphatia defectus est. *Id.* 2. 120. Magis imperatoris defectum consilio, quam virtute destitutum militum. *Colum.* 3. *R. R.* 8. 4. Agri deficiuntur segetibus. *Id.* 8. *ibid.* 16. 2. Defici copiis. *Id.* 7. *ibid.* 9. 12. memoria. *Plin.* 2. *Ep.* 17. 25. Hæc amœnitas deficitur aqua salienti. *Quintil.* 3. 8. 23. Aqua ciboque defecti de facienda deditione deliberant. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 18. (47). Leones defecti dentibus. *Sil. It.* 3. 301. Africa defecta viris. *Stat.* 6. *Theb.* 798. Defectus genibus. *Scribon. Compos.* 191. Defici animo. *Seneca Ep.* 76. *ante med.* Si quis deficiatur pecunia. — Hinc *defici facultatibus* dicitur debitor, qui solvendo non est. *Ulp. Dig.* 23. 3. 33. Si qui dotem promisit, defectus sit facultatibus. *h. e.* solvendo non est, aut decoxit. Et *defecta nomina*, debitores, qui a solvendo cessaverunt. *Paul. Dig.* 22. 1. 11. *sub fin.* Pro defectis nominibus compensationes majorum usurarum fieri. Denique eodem sensu et *deficere* neutrorum more usurpatur. *Callistrat. Dig.* 49. 14. 3. *a med.* Non aliter fiscum debitorum suorum debitores convenire, nisi principales debitores defecerint.

C) Neutrorum more deficere est desinere, cessare, deesse: et occurrit — *a*) Absolute. *Lucret.* 6. 359. Frigore enim desunt vires, ventique calore Deficiunt, neque sunt tam denso corpore nubes. *Cic.* 2. *Fin.* 14. 44. Nisi memoria forte defecerit. *Id.* 1. *de republ.* 3. Nec vero levitatis Atheniensium exempla deficiunt. *Id. Quinct.* 1. 4. Quod consuevit in ceteris causis esse adjumento, id quoque in hac causa deficit. *Id.* 3. *Verr.* 11. 31. Vererer, ne mihi crimina non suppeterent, ne oratio deesset, ne vox viresque deficerent. *Cæs.* 4. *B. G.* 20. Si tempus anni ad bellum gerendum deficeret. *Id.* 2. *B. C.* 37. Non materia, non frumentum deficere poterat. *Id.* 3. *ibid.* 2. Copiæ hoc infrequentiores imponuntur, quod multi Gallicis tot bellis defecerant. *Id.* 2. *ibid.* 6. Pugnando deficere. *h. e.* fatigari, languere. *Horat.* 4. *Od.* 4. 35. Utcumque defecere mores. *Id.* 1. *Ep.* 4. 11. non deficiente crumena. *Cels.* 2. 17. Neque committendum, ut per æstum anima deficiat. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 12. *de cycno.* Ore deficiente deflere necem suam. *Curt.* 8. 14. Elephantus quoque, qui multa acceperat tela, deficiebat. — Sic dicuntur sol et luna *deficere*, quum obscurantur. *Cic.* 1. *Divinat.* 53. 121. Si luna defecisset in signo leonis. *Id.* 6. *de republ.* 22. Olim deficere sol hominibus exstinguique visus est. *Id.* 1. *Tusc.* 30. 73. Sol deficiens. — Et pro simplici desinere. *Petron. Satyr.* 38. In deficiente porticu. *h. e.* in extrema parte porticus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 10. 7. (47). Talis figura semper mucrone deficit. — *b*) Cum addito Ablativo. *Cic. Rosc. Am.* 4. 10. et *Cæs.* 7. *B. G.* 30. Deficere animo. *h. e.* animo cadere. (Deficere animum *Varro* dixit 3. *R. R.* 16. 34. *de apibus.* Exemptionem neque universam, neque palam facere oportet, ne deficiant animum). Ceterum hoc eodem sensu et *deficere* absolute usurpatur. *Cic.* 1. *Att.* 16. 9. Ne, una plaga accepta, patres conscripti conciderent, ne deficerent. Adde *Cæs.* 2. *B. C.* 31. et *Sall. Jug.* 51. — Similiter *Ovid.* 9. *Met.* 636. tota mente deficere. *h. e.* sensus amittere. Et *deficere vitâ* est mori apud *Plaut. Asin.* 3. 3. 19. Si te intelligam deficere vita, jam ipsa vitam meam tibi largiar. — Hinc et omisso Ablat. *vitâ*, absolute *deficere* est spiritum haud amplius ducere. *Sueton. Aug.* 99. In hac voce defecit.

Curt. 4. 41. 18. Deficere nunciat et vix spiritum ducere. V. *Mützell* ad illud ejusdem *Curt.* 4. 1. 2. Deficientibus equis cursum æquare non poterant. — *c*) Cum addito Dativo personæ, sed — Raro admodum apud optimos prosæ orationis auctores. *Cæs.* 3. *B. G.* 5. Quum non solum vires, sed etiam tela nostris deficerent. V. Interprr. et cf. *eumd.* 2. *B. C.* 41. — Sæpe apud sequioris ævi Poetas. *Sil. It.* 8. 661. jam stragis acervis Deficiunt campi. *Stat.* 1. *Achill.* 445. ipsum jam puppibus æquor Deficit. — Sæpius passive forma *defieri*. Sic *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Mihi fortuna magis nunc defit, quam genus. *Ter. Hecyr.* 5. 2. 1. Nihil apud me tibi defieri patiar. *Virg.* 2. *Ecl.* 22. Lac mihi non æstate novum, non frigore defit. — Ceterum et *defieri* sine Dativo usurpatur. *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 46. Animus per oculos meus defit. *h. e.* deficit et linquitur. *Id. Rud.* 1. 4. 63. Omnia iterum vis memorari, scelus, ut defiat dies? *h. e.* dies nos deficiat. *Id. Men.* 1. 1. 2. Opsonium affer tribus, vide quod sit satis, neque defiat, neque supersit. Similiter *defieri* et *superesse* opponitur apud *Ter. Phorm.* 1. 3. 10. *Liv.* 9. 11. Numquamne causa defiet, cur victi pacto non stetis? *Gell.* 20. 8. Eadem autem ipsa, quæ crescente luna glíscunt, deficiente contra luna defiunt. — *d*) Cum Infinito apud sequioris ævi Poetas. *Germanic. Arat.* 259. Deficiente oculo distinguere corpora parva. *Sil. It.* 13. 358. et domibus deprompta talenta, Pascere longinquum non deficientia bellum. *Id.* 3. 111. gelidos ut scandere tecum Deficiam montes conjux tua? — Hinc Part. præter. pass.

Defectus, *a*, *um*, adjective usurpatur, unde Comp. *Defectior* et Sup. *Defectissimus*, et significat confectum, debilitatum, languentem. — *a*) Cum addito Ablativo. *Phædr.* 1. 21. Defectus annis et desertus viribus Leo. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* § 12. E turba pedisequorum lecticariorumque defectissimum annis et viribus in agrum relegat. *Id.* 5. *ibid.* 6. 37. Arbor senio defecta. *Val. Flacc.* 2. 285. Defectus laboribus. — *b*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. C.* 40. Defectis defensoribus. *h. e.* animo defectis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (28). Sidera – non illa, ut existimat vulgus, singulis attributa nobis, et clara divitibus, minora pauperibus, obscura defectis. *Val. Flacc.* 2. 489. defectaque Pergama monstris Eripe. *Dig.* 7. 1. 12. Defectæ senectutis homo. *Martial.* 13. 77. Dulcia defecta modulatur carmina lingua Cantator cycnus funeris ipse sui. *Apul. de Mag.* Cur in planis speculis ferme pares imagines videantur, in tumidis et globosis omnia defectiora; at contra in cavis auctiora. *h. e.* minora, tenuiora. — *NB. Defectum, i*, absolute apud *Cic. Sext.* 64. 133. Illa ad eos, a quibus audiebatur, quotidie aliquid defecti afferebat. *Al. melius leg.* de me ficti. — *NB.* Apud *eumd. Cic.* 13. *Att.* 23. Libri ad Varronem non morabantur: sunt enim defecti, ut vidisti. *h. e.* confecti, perfecti, *de* hoc loco augente vim significationis. Alii tamen rectius leg. *effecti*.

DĒFĪGO, gis, xi, xum, gere, a. 3. (de *et* figo). Part. *Defigens* apud *Manil.* 5. 594. Gorgoneo tinctum defigens sanguine ferrum.; *Defixus* in omnibus fere paragr.; *Defixurus* II. 1. *a.*; *Defigendus* I. 1. — Defigo est deorsum figo, vehementer figo, infigo, immitto (It. *ficcar giù*, *piantare*, *attaccare*, *conficcare*; Fr. *ficher*, *planter*, *clouer*, *attacher*, *fixer*; Hisp. *fixar*, *hincar*, *clavar*, *introducir*, *fijar*; Germ. *etwas irgendwo hinein – oder hinabschlagen*, *stecken*, *heften*, *fügen*, *stechen*, *bohren*; Angl. *to fix in the ground*, *plant*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a*) Cum Ablativo et præpos. *in* vel *sub*. *Cic. Rabir. perduell.* 4. 11. In campo Martio crucem ad civium supplicium defigi et constitui jubes. *Id.* 1. *Cat.* 6. 16. Defigere sicam in corpore consulis. *Cæs.* 5. *B. G.* 44. verutum in balteo. *Id.* 5. *ibid.* 18. sudes sub aqua defixæ. *Liv.* 1. 58. cultrum in corde. *Id.* 44. 5. asseres in terra. *Cels.* 1. 20. Cucurbitulæ defigendæ in inguinibus. — *b*) Apud Poetas præcipue cum Ablativo tantum, vel cum Dativo. *Varro* apud *Non.* p. 221. 13. *Merc.* Defigere aliquem cruci. *Virg.* 2. *G.* 290. penitus terræ defigitur arbos. *Id.* 12. *Æn.* 130. Defigunt tellure hastas, ubi *Wagner* (*Krit. Anm. zu Virg.* 6. *Æn.* 84.) telluri reponendum censet. Rursus *Virg.* 6. *ibid.* 652. Stant terra defixæ hastæ. *Ovid.* 3. *Fast.* 753. Millia crabronum coeunt, et vertice nudo Spicula defigunt. Cf. *Cels.* 4. 14. Qua dolet, cucurbitulas sine ferro defigere. Rursus *Ovid.* 13. *Met.* 435. capit impius ensem Rex Thracum, juguloque sui defigit alumni. Sic *Liv.* 1. 25. Male arma sustinenti gladium superne jugulo defigit. — Sic figurate *defigere culpam ingenuo ludo* apud *Pers.* 5. 16. est dictis veluti confodere, insectari, reprehendere. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *in*, quum vehemens motus significatur. *Plaut. Pers.* 2. 4. 22. Te, si prehendero, defigam in terram colaphis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 12. 12. (34). Defigere morsus in aurem. — Huc pertinet et illud *Curt.* 7. 11. 13. et 15. Defigere ferreos cuneos inter saxa. *Al. leg.* in saxa. ¶ 2. Latiori sensu, vel metonymice, defigere est etiam aliquid firmum atque immobile reddere: qua significatione occurrit præcipue Part. præter. pass. *Ovid.* 11. *Met.* 76. Sic, ut quæque solo defixa cohæserat harum, Externata fugam frustra tentabat: at illam Lenta tenet radix exultantemque coercet. *Horat. Epod.* 17. 5. Defixa cælo devocare numina. *Al. leg.* refixa *alio* sensu. *Tac.* 13. *Ann.* 16. Trepidatur a circumsedentibus, diffugiunt imprudentes: at quibus altior intellectus, resistunt defixi et Neronem intuentes. Cf. *eumd. Agric.* 34. Quos (*hostes*) quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt; novissimi hæsere, et extremo metu ac torpore defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulcram et spectabilem victoriam ederetis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ac stricto sensu est animum, mentem, aliquo intendere multumque applicare; et occurrit — *a*) Cum Ablativo et præpos. *in*. *Cic.* 14. *Phil.* 5. 13. Omnes suas curas in reipublicæ salute defigunt. *Id.* 2. *Verr.* 3. 7. Et non modo in auribus vestris, sed in oculis omnium sua furta et flagitia defixurus sim. Cf. *Id. Prov. cons.* 4. 8. Urbana hæc audacia, quam ille præsens in oculis vestris mentibusque defixit. *Id. Dom.* 4. 9. Dixi eam sententiam, quam populi sermo in animis vestris defixerat. *Id.* 3. *Orat.* 8. 31. Quid judici probandum sit quum vidit, in eo mentem orationemque defigit. *Id.* 1. *de republ.* 11. Oratione defixa in una republica. *Id.* 3. *Orat.* 5. 17. Defixus in cogitatione. Huc pertinet illud ejusd. *Cic.* 6. *de republ.* 17. Quousque humi defixa tua mens erit? *Curt.* 7. 8. In vultu regis defixerant oculos. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 46. Parum defigunt animos in ea, quæ perspicua sunt. *Id.* 11. *Phil.* 5. 10. In cujus possessiones atque fortunas eum non censetis impudentissimos oculos spe et mente defigere? *Ovid.* 2. *Amor.* 8. 15. Defigere oculos in aliquem. *Quintil.* 11. 3. 158. oculos in terram. *Curt.* 9. 3. Metu attoniti in terram ora defixerant. — Hinc et *defigere oculos* absolute *Tac.* 3. *Ann.* 1. Postquam duobus cum liberis, feralem urnam tenens, egressa navi defixit oculos. *h. e.* adstantium oculos in se convertit, ut interpretatur *Muretus*; alii *in terram*, ut *Virg.* 6. *Æn.* 469. Illa solo fixos oculos aversa tenebat; alii melius *in urnam*. Sic *Virg.* 6. *Æn.* 156. Æneas mæsto defixus lumina vultu Ingreditur. ¶ 2. Item generatim, sed latiori sensu, defigere ponitur pro firmum atque immobilem reddere. *Cic.* 4. *Phil.* 5. 13. Virtus est una altissimis defixa radicibus. *Id. Harusp. resp.* 26. 57. Vitia in aliquo penitus defixa atque hærentia. Cf. *Id. Flacc.* 1. 3. Salus præsentium, spes reliquorum in vestra potestate posita sunt et defixa. ¶ 3. Hinc speciatim ponitur pro immotum stupore reddere, obstupefacere. *Liv.* 21. 33. Utraque simul objecta res oculis animisque immobiles parumper eos defixit. *Id.* 1. 29. Silentium triste ac tacita mæstitia ita defixit omnium animos, ut etc. *Id.* 3. 47. *ad fin.* Stupor omnes admiratione tantæ rei defixit. *Val. Flacc.* 6. 534. Hac tunc attonitos facie defixerat hostes. *Id.* 4. 226. Quum pavor et gelidus defixit Castora sanguis. — Porro hac significatione occurrit sæpius Part. præter. pass. *Virg.* 1. *Æn.* 495. hæret defixus in uno. Sic *Val. Flacc.* 5. 376. hæret defixus in una. *h. e.* oculis in una defixis. Cf. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 51. Persides hospite pulcro defixæ. Rursus *Virg.* 8. *Æn.* 520. defixique ora tenebant. *V.* integrum locum. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 14. Defixis oculis torpet. *Liv.* 8. 7. Quum silentio defixi stetissent. *Tac.* 13. *Ann.* 5. Defixi pavore. *Id.* 14. *ibid.* 10. Modo per silentium defixus, sæpius pavore exsurgens. *Id.* 1. *ibid.* 68. Rarus miles et quasi ob metum defixus. *Forcellinus* hoc loco interpretatus est *remotus*, *abstractus*. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 258. Defixus malis animus. *h. e.* dejectus, vel stupens. ¶ 3. Item speciatim in re sacra *defigere aliquid* in veteri formula apud *Cic.* 2. *Legg.* 8. 21. QVAEQVE AVGVR INIVSTA, NEFASTA, VITIOSA, DIRA DEFIXERIT, IRRITA INFECTAQVE SVNTO. *h. e.* execratus fuerit: vel potius viderit, observaverit, quasi defixis oculis contemplatus. Sic *defigere aliquem* apud *Statium* est intentis oculis aspicere. Sic enim ille de Ulysse loquens tacite contemplante Achillem puellari habitu latentem, 2. *Achill.* 90. Et tamen erectumque genas oculisque vagantem, Nullaque virginei servantem signa pudoris Defigit, comitique obliquo lumine monstrat. Hucusque *Forcellinus*. — Ceterum apud *Cic.* alii pro *defixerit* suspicantur legendum *deixerit*, h. e. dixerit, alii *edixerit*. Sed quum Codices ferme omnes sine ulla varietate legant *defixerit*, recentiores philologi locum ita interpretandum arbitrantur: quæ nefasta, vitiosa, etc. augur pronunciaverit atque firma immutabilique ratione constituerit, ea irrita etc. ¶ 4. Denique locum habet in veneficiis et devotionibus, et significat ligare, obnoxium reddere. Ducta est hæc loquendi ratio ex more sagarum, quæ quos veneficiis obligare vellent, eorum vel imagines cereas effingebant, vel nomina in cera notabant, ferreoque stilo transfodiebant (*V. Voss.* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 80.), additis carminibus et devotionibus. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 29. Sagave pœnicea defixit nomina cera, Et medium tenues in jecur egit acus. *Virg. Cir.* 377. Regis Iolchiacis animum defigere votis. *Seneca* 6. *Benef.* 35. Caput alicujus dira imprecatione defigere. Sic *Apul. Herb.* 7. Si quis devotatus defixusque fuerit, sic eum resolves. *V.* OBCANTO. — Huc referri potest et *defigere amorem*, h. e. fixum, stabilem perpetuumque reddere, apud *Senec. Herc. Œt.* 523. Hoc, inquit, magæ Dixere amorem posse defigi malo. *h. e.* hoc veneficio. *V.* integrum locum usque ad v. 530. — *NB.* Defigere et pro refigere, evellere usurpatum ait *Forcellinus* affertque illud *Curii* apud *Cic.* 7. *Fam.* 29. Quo nostra defigere deportareque tuto possimus. *Orellius* tamen aliique ex antiqua correctione leg. *refigere*, quod et *Forcellino* probari videtur. Præterea de loco *Tac.* 1. *Ann.* 68. superius sub 2. diximus; et locum *Apul. Herb.* 7. (V. supra sub 4.) ipse *Forcellinus* aliter interpretatur. Huic itaque significationi una suffragatur *Inscript.* apud *Gruter.* 19. 6. IOVI OPT. MAX. CVSTODI CONSERVATORI, QVOD IS SCELERATISSIMI SERVI PVBLICI INFANDO LATROCINIO DEFIXA MONVMENTIS ORDINIS DECVRIONVM NOMINA NVMINE SVO ERVIT AC VINDICAVIT etc. *h. e.* quod ærea tabula, in qua descripta erant decurionum nomina, a servo publico detracta ex loco, unde de more prostabat, reperta fuerit. V. *Morcell. de stil. Inscript. Lat. T.* 1. *p.* 51. *edit. Pat.* At bona tantorum virorum venia lapicidinæ, qui *defixa* pro *refixa* scripserit, oscitantiam incusem, potius quam concedam, unum idemque vocabulum duo prorsus contraria secumque pugnantia significare. Id ipsum confirmat *Venulej. Dig.* 48. 13. 8. Qui tabulam æream legis, formamve agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutaverit, lege Julia peculatus tenetur.

DĒFĬGŪRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *defiguro*; idem ac derivatus. *Priscian.* 4. *ad fin. p.* 638. *Putsch.* In ix feminina inveniuntur a masculinis verbalibus, sive denominativis in *tor* desinentibus, defigurata, quæ mutant *or* in *rix*, ut *victor victrix*.

DĒFINDO, is, ere, a. 3. idem quod findo. *Ennius* apud *Non.* p. 114. 7. *Merc.* Malos defindunt, fiunt tabulata, falæque.

DĒFINGO, fingis, finxi, fictum, fingere, a. 3. idem quod fingo. *Cato R. R.* 74. Panem defingere. Cf. *Senec. Ep.* 90. *circa med.* Tunc farinam aqua sparsit, et assidua tractatione perdomuit, finxitque panem. Rursus *Cato ibid.* 121. Mustaceos ubi definxeris. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 37. turgidus Alpinus defingit Rheni luteum caput. *h. e.* versibus describit. Al. leg. *diffingit*, al. *depingit*, al. *defigit*: sed malo poetæ, quem carpit *Horatius*, magis convenit ἰρονικῶς *defingit*.

DĒFĪNĬO, is, ivi vel ii, itum, ire, a. 4. (de et finio). Pro *definio* quidam legunt *diffinio* apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 77. 79. (188). (atque ita *Harduin.* edidit), *Hygin.* 1. *Astron.* 6. et 2. 13., et *Cæl. Aurel. præfat. Acutor.* Apud *Plin.* vero *loc. cit.* lectio *diffiniere* facta esse videtur ex verbis *diem finiere*, ut *Sillig* optim. Codd. auctoritate edidit. — Part. *Definitus* in fin.; *Definiendus* II. 1. — Definio est certos rei, de qua agitur, terminos præscribo

(It. *determinare, segnare i confini*; Fr. *borner, limiter, circonscrire*; Hisp. *amojonar, limitar, poner limites*; Germ. *etwas abgranzen, in Granzen einschliessen*; Angl. *to terminate, bound, limite, define*).

I. Proprie. *Cic. Cæcin.* 8. 22. Ejus fundi extremam partem oleæ directo ordine definiunt. *Id.* 2. *Divinat.* 44. 92. Illi orbes, qui cœlum quasi medium dividunt, et adspectum nostrum definiunt. *Id.* 2. *Nat. D.* 40. 101. Æther, in quo cum admirabilitate maxima igneæ formæ cursus ordinatos definiunt. *h. e.* certis spatiis conficiunt. *Id.* 8. *Phil.* 3. 9. Omnes Caphones, omnes Saxæ, ceteræque pestes, quæ sequuntur Antonium, ædes sibi optimas, hortos, Tusculana, Albana definiunt. — Et figurate. *Cic. Arch.* 10. 23. Res hæ, quas gessimus, orbis terræ regionibus definiuntur. *Id. Marcell.* 8. 25. Hic tu modum vitæ tuæ non salute reipublicæ, sed animi æquitate definies? — *Definire aliquem* est finem vitæ ei afferre, interimere. *Apul.* 8. *Met.* Ad hunc modum definito juvene, etc.

II.) Translate. ¶ 1. Definire est aliquid suis terminis certa ratione repræsentare, declarare, statuere: hinc — *a*) Est explicare verbis, quid res sit, et significat fere idem quod *describere* et *complecti*, quibuscum haud raro conjungitur. *Cic.* 1. *Invent.* 8. 11. Definienda res erit verbis et breviter describenda. *Id.* 1. *Orat.* 15. 64. Si quis universam et propriam oratoris vim definire complectique vult, is orator erit, qui etc. *Id.* 2. *ibid.* 39. 162. Illustrare aliquid, verbisque definire. *Id. Sext.* 45. 97. Universum genus brevi circumscribi et definiri potest: optimates sunt, qui etc. *Id. Brut.* 41. 152. Rem latentem explicare definiendo. *Id. Pis.* 18. 42. Qui mala dolore, bona voluptate definiunt. *h. e.* statuunt mala in dolore consistere, bona in voluptate. *Id.* 1. *Off.* 2. 7. Definire quid sit officium. *Id.* 2. *Invent.* 18. 55. Si res plures erunt definiendæ. — *b*) Est etiam decernere, statuere. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. 32. Definire alicui potestatem in quinquennium. *Cæs.* 1. *B. C.* 82. Inter se palam de præmiis contendebant, in annosque consulatum definiebant. *h. e.* quo quisque anno consul esse vellet, designabant. *Id.* 7. *B. G.* 83. Adeundi tempus definiunt, quum meridies esse videatur. *Id.* 1. *B. C.* 11. Neque ante quem diem iturus sit, definire. *Quintil.* 12. 6. 1. Neque annos ego definiam. *Plaut. Cist.* 2. 1. 42. Perge eloqui: non remittam: definitum est. *h. e.* statutum, certum est. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 114. Quam vitam ingrediar, definias. *Id. Quinct.* 27. 84. Tibi, quid facias, definit. *h. e.* statuit, præscribit. *Id.* 1. *de republ.* 1. Omitto innumerabiles viros, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt: et qui sunt procul ab ætatis hujus memoria, commemorare eos desino etc. — Unum hoc definio, tantam esse necessitatem virtutis generi hominum a natura tantumque amorem ad communem salutem defendendam datum, ut etc. — *c*) Item est circumscribere. *Cic.* 3. *Orat.* 3. 9. Oratio eis fere ipsis definietur viris, qui hoc sermone continentur. *Id. Amic.* 16. 58. Altera sententia est, quæ definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus. ¶ 2. Raro admodum ponitur pro terminare et concludere. *Cic.* 6. *Verr.* 52. 115. Ut aliquando totam hujus generis orationem concludam ac definiam. *Id. Orat.* 19. 65. Sæpissime similiter extrema definiunt. — Hinc part. præter. pass.

Definitus, a, um, adjective usurpatur pro finitus, determinatus; ejque *infinitus, generalis, incertus* opponitur. *Cic. Topic.* 21. 79. Quæstionum duo sunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ὑπόθεσιν Græci, nos causam. *Quintil.* 7. 2. 1. De re et generales quæstiones sunt et definitæ. Rursus *Cic.* 6. *de republ.* 13. Esse in cœlo certum ac definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur. *Id.* 3. *Fam.* 8. Prima duo capita epistolæ tuæ nihil habent, quod aut definitum sit, aut certum. — Hinc

Definita, orum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt decreta principum apud *Cassiod.* 9. *Variar.* 16. Tam definita nostra, quam senatusconsulta tabulis marmoreis præcipimus decenter incidi, et ante atrium B. Petri apostoli in testimonium publicum publicari.

DEFINIS, e, adject. qui habet fines; hinc derivatur definitus, cui nempe dati sunt fines. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 57. Finis, infinis, adfinis, confinis, definis.

DĒFĪNĪTĒ, adverb. definiendo, determinate, distincte, manifeste. *Cic. Balb.* 14. 32. Lex quæ definite potestatem Pompejo civitatem donandi dederat. *Id. Orat.* 28. 99. Partite, definite, distincte dicere. *Id.* 2. *Orat.* 27. 118. Vel separatim dicere solemus, vel definite. *Plin. Paneg.* 88. 6. Nec magis definite distincteque designat, qui Trajanum, quam qui Optimum appellat. *Gell.* 1. 25. Belli ferias festive magis dixit (*Varro*), quam aperte atque definite.

DĒFĪNĪTĬO, ōnis, f. 3. *Diffinitio* legitur a nonnullis in quibusdam libris apud *Hygin.*, *Augustin.* et *Cæl. Aurel.* — Ceterum definitio est finitio, determinatio.

I.) Proprie seu de rebus physicis raro admodum occurrit, et est actus certos rei, de qua agitur, terminos præscribendi. *Inscript.* optimæ notæ apud *Gruter.* 61. 3., quæ est apud *Orell.* 736. HAEC AREA INTRA HANC DEFINITIONEM CIPPORVM CLAVSA VERVBVS, ET AREA, QVAE EST INFERIVS, DEDICATA EST.

II.) Translate sæpius occurrit, et — *a*) Specialim est oratio explicans, quid sit id, de quo disputatur. *Cic.* 1. *Orat.* 42. 189. Est definitio earum rerum, quæ sunt ejus rei propriæ, quam definire volumus, brevis et circumscripta quædam explicatio. *Id. ibid.* 190. Propriam cujusque vim definitione declarare. *Id. Cluent.* 2. 5. Definitio judiciorum æquorum. *Id.* 1. *Off.* 2. 7. Omnis, quæ ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci. *Quintil.* 1. 6. 29. In definitionibus assignatur etymologiæ locus. *Id.* 3. 6. 42. Definitio pars sit translationis. — *b*) Generatim est determinatio. *Cic.* 2. *Divinat.* 54. 110. *de versib. Sibyll.* Callide enim, qui illa composuit, perfecit, ut, quodcunque accidisset, prædictum videretur, hominum et temporum definitione sublata.

DĒFĪNĪTĪVĒ, adverb. definiendo, definite. *Tertull. Car. Christ.* 18. Ipse Dominus sententialiter et definitive pronunciavit: quod in carne natum est, caro est. *Cæl. Aurel. præf. l.* 1. *Acutor.* Definitive loqui. *h. e.* definitione rem explicare. *Pseudo-Ascon.* quoque usurpavit ad *Cic.* 4. *Verr.* 10. 27. *p.* 210. *Bait.*

DĒFĪNĪTĪVUS, a, um, adject. ad definitionem spectans. *Cic.* 2. *Invent.* 17. 52. Cum nominis controversia est, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva nominatur. *Id. Topic.* 21. 92. Causa definitiva. *Capell.* 5. *p.* 145. Definitiva controversia. — Apud JCtos *sententia definitiva* est quæ ultima datur et rem totam absolvit. *Imp. Justinian. Cod.* 7. 64. 10. et 7. 45. 3. — Definitiva materia. apud *Tertull. advers. Hermog.* 38., est quæ terminis circumscribitur, non infinita, definita.

DĒFĪNĪTOR, ōris, m. 3. qui definit, decernit. *Tertull. advers. Marcion.* 10. Habemus illum alicubi unius baptismi definitorem. *Cassiod. de orat.* 1. *ad fin.* Hujusmodi definitores non tam in ratione, quam in ordine erravere verborum.

DĒFĪNĪTUS, a, um. *V.* DEFINIO.

DĒFĪO, fieri. *V.* DEFICIO sub init.

DĒFĬOCŬLUS, i, m. 2. (defit et oculus), cui oculus defit seu deest. *Martial.* 12. 59. 9. Hinc defioculusque et inde lippus. *Al. male legunt* Hinc cæsis oculis. *Alii* cæcis oculis.

DĒFIT. *V.* DEFICIO sub init.

DEFITEOR. *V.* DIFFITEOR sub init.

DĒFIXUS, a, um. *V.* DEFIGO.

DEFLACCO. *V.* DEFLOCCO.

DĒFLĂGRĀTĬO, ōnis, f. 3. combustio.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Fin.* 19. 64. Qui negant se recusare, quo minus ipsis mortuis terrarum omnium deflagratio consequatur. *Id.* 1. *Divinat.* 49. 111. Futura aliquando cæli atque terrarum deflagratio.

II.) Translate ponitur pro ruina, pernicie. *Cic. Planc.* 40. 95. Cum mea domus ardore suo deflagrationem urbi atque Italiæ toti minaretur.

DĒFLĂGRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒFLĂGRO, as, āvi, ātum, are, 1. (de et flagro). Part. *Deflagrans* sub *B.*; *Deflagratus* sub *B.* II. — Deflagro est vehementer comburor, igne consumor (It. *ardere, abbruciarsi*; Fr. *être brûlé entièrement, être consumé, brûler*; Hisp. *abrasar*; Germ. *verbrennen, abbrennen*; Angl. *to burn furiously, be on fire, be burnt*). Porro duo diversa significat, prout præpositio de *A*) Est intensiva, aut *B*) Actiones finem significat.

A) Quum præpositio de est intensiva, *deflagrare* occurrit 1.°) Neutrorum more, et 2.°) Active.

1.°) Neutrorum more, et quidem

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 69. Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 37. 119. Fore tamen aliquando, ut omnis hic mundus ardore deflagret. *Id.* 3. *Off.* 25. 94. Phaeton ictu fulminis deflagravit. *Id.* 2. *Phil.* 36. 91. Faces, quibus incensa domus deflagravit. *Liv.* 5. 53. *extr.* Si ædes nostræ deflagrassent. Adde *Sueton. Tib.* 18. — Et de ardore, qui febre aliove morbo patitur. *Pelagon.* 16. 23. Colla deflagrantia. — Et figurate. *Apul. Apolog.* Crimen magiæ, quod ingenti tumultu ad invidiam mei accensum, per nescio quas aniles fabulas deflagravit.

II.) Translate deflagrare est in perniciem ruere. *Cic. Sext.* 46. 99. Aut qui, propter implicationem rei familiaris, communi incendio malint, quam suo deflagrare. *Liv.* 3. 52. Ruere ac deflagrare omnia passuri estis?

2.°) Active.

I.) Proprie ponitur pro valde calefacere, comburere. *Vitruv.* 6. 1. 3. *Schneid.* Sol quibus locis mediocriter profundit vapores, in his conservat corpora temperata: quæque proxime currendo deflagrat, eripit exurendo (*al.* exsugendo) temperaturam humoris. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Fana flamma deflagrata.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Cat.* 6. 12. In cinere deflagrati imperii collocarent.

B) Quum præp. *de* actionis finem significat, deflagrare translate tantum occurrit de vehementioribus animi affectibus pro defervescere, mitescere. *Liv.* 40. 8. Spes animum subibat, deflagrare iras vestras, purgari suspiciones posse. *Tac.* 2. *Hist.* 29. Deflagrante paullatim seditione. — Et de personis *Lucan.* 4. 280. sic deflagrare minaces Incassum.

DĒFLAMMO, as, are, a. 1. exstinguo. *Apul.* 5. *Met. sub fin.* Pharetram expilet, et sagittas dearmet, arcum denodet, tædam deflammet.

DĒFLĀTUS, a, um. *V.* DEFLO.

DĒFLECTO, ctis, xi, xum, ctere, a. 3. (de et flecto). Part. *Deflectens* sub *A.* I.; *Deflexus* sub *A.* I. et II. — Deflecto est deorsum torqueo, curvo (It. *torcere all' ingiù, piegare*; Fr. *abaisser en ployant, courber, fléchir*; Hisp. *abaxar plegando, plegar, encorvar*; Germ. *von einem Wege, oder einer Richtung ablenken, abbeugen*; Angl. *to bend or turn downwards, bend, bow*). Occurrit *A*) Active et *B*) Neutrorum more.

A) Active, et quidem

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Divinat.* 19. 38. Amnes in alium cursum contorti et deflexi. *Catull.* 62. 51. Deflectens pondere corpus. *Virg.* 10. *Æn.* 329. septenaque tela Conjiciunt; partim galea clipeoque resultant irrita, deflexit partim stringentia corpus Alma Venus. *Liv.* 39. 27. *in fin.* Q. Fabium Labeonem direxisse finem Philippo veterem viam regiam, quæ *etc.* Philippum postea novam deflexisse viam, qua Maronitarum urbes amplectatur. *Cf. Lucan.* 3. 337. Deflectere iter aliquo. *Colum.* 5. *R. R.* 11. 14. Ramum olivæ deflecte, et ad crus arboris ficulneæ religa. *Lucan.* 5. 789. Quolibet infaustam potius deflecte carinam. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (204). Deflexa vitis vel palmes juxta suam arborem. *Manil.* 1. 741. Currus solis deflexus solito cursu.

II.) Translate. *Ovid.* 7. *Met.* 789. dum digitos amentis indere tento, Lumina deflexi. Sic *Val. Flacc.* 8. 76. Deflectere oculos ab aliqua re. *Cic. Orat.* 40. 137. Declinet a proposito deflectatque sententiam. *Id. Cæcin.* 18. 51. Deflectere ad verba rem. *Ovid.* 2. *Trist.* 409. Est et in obscænos deflexa tragœdia risus. *Id. Remed. am.* 325. Quam potes in pejus dotes deflecte puellæ. *h. e.* in malam partem trahe. *Quintil.* 4. 1. 71. Deflectere adversarios in suam utilitatem. *Id.* 7. 2. 24. Deflectere factum in alium, *h. e.* vertere, transferre. *Id.* 10. 1. 91. Germanicum ab institutis studiis deflexit cura terrarum. *Lucan.* 3. 303. furorem indomitum duramque viri deflectere mentem Pacifero sermone parat. *Sueton. Domit.* 3. Virtutes quoque in vitia deflexit. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 59. Aliquem ab ira ardenti in se deflectere. *Id.* 1. *Theb.* 280. belli deflecte tumultus, Et generis miseresce tui. *Cels. præfat.* Asclepiades medendi rationem magna ex parte mutavit. Ex cujus successoribus Themison nuper ipse quoque quædam in senectute deflexit. *h. e.* mutavit. — Et de mutatione sermonis. *Quintil.* 2. 5. 11. Sermo rectus et secundum naturam enunciatus nihil habere ex inge-

nio videtur: illa vero, quæ utcumque deflexa sunt, tamquam exquisitiora miramur. *Id.* 3. 8. 32. Hæc quæ tantum inter se pugnant, plerumque nominibus deflecti solent. *h. e.* mutatis nominibus inter se conciliari. *Id.* 9. 3. 3. Oratio a simplici recto dicendi genere deflexa, virtus est, si habet probabile aliquid, quod sequatur. *h. e.* declinans. *Gell.* 15. 5. Verba deflexa et depravata a recta ratione et consuetudine.

B) Neutrorum more.

I.) Proprie. *Tac.* 2. *Hist.* 70. Vulgus quoque militum clamore et gaudio deflectere via. *h. e.* devertere. *Plin.* 4. *Ep.* 1. 3. Deflectemus in Tuscos. *Sueton. Aug.* 93. In peragranda Ægypto paullum deflectere ad visendum Apin supersedit.

II.) Translate. *Cic.* 7. *Verr.* 68. 176. De omnibus nobis, si quis tantulum de recta regione deflexit, etc. *Id. Harusp. resp.* 19. 41. Deflectere a virtute patris. *Id. Rosc. com.* 16. 46. a veritate. *Id.* 2. *Off.* 3. 9. Consuetudo deflexit de via, sensimque eo deducta est, ut etc. *Id. Amic.* 12. 40. Deflexit aliquantum de spatio curriculoque consuetudo majorum. *Id. ibid.* 26. 100. Ab amicitiis sapientium ad leves amicitias deflexit oratio. — Et de mutatione pronunciationis. *Quintil.* 11. 3. 13. Mala vel imbecilla (*vox*) — aliqua cogit, at intermittere et deflectere, etc.

DĒFLĔO, fles, flēvi, flētum, flere, a. 2. (de *et* fleo). Part. *Deflens, Defletus* et *Deflendus.* — Defleo est idem quod fleo, aut valde fleo, deploro (It. *piangere, deplorare*; Fr. *pleurer, déplorer*; Hisp. *llorar, derramar lagrimas*; Germ. *beweinen*; Angl. *to bewail, lament, deplore*). Usurpatur — *a*) Cum Accusativo tantum personæ aut rei, quæ defletur. *Plaut. Capt.* 1. 2. 36. Egone non defleam talem adolescentem? *Lucret.* 3. 920. Te insatiabiliter deflebimus. *Cic. Brut.* 96. 329. Sæpe inter nos impendentes casus deflevimus. *Id.* 3. *Orat.* 3. 9. Crassi mors a multis sæpe defleta. *Id.* 1. *Tusc.* 35. 86. Liberi defleti. *At* Orellius *pro* defleti, *fortasse rectius, legit* deleti. *Tibull.* 11. 3. 8. In deflenda nece. *Ovid.* 7. *Met.* 388. Deflentem fata nepotis Respicit. *Id.* 10. *ibid.* 12. Quam (*nuptam*) satis ad superas postquam Rhodopeius auras Deflevit vates. *Id.* 1. *Art. am.* 335. Cui non defleta est Ephyreææ flamma Creusæ? *Liv.* 29. 4. In hæc deflenda prolapsus. *Seneca Octav.* 10. Semper genetrix deflenda mihi. *Quintil.* 6. 1. 26. Deflere aliena mala. *Sueton. Cal.* 30. crudelissimam eamdem. *Val. Flacc.* 5. 60. relliquias socii, defletaque miscent Nomina. — Est etiam cum fletu narrare. *Tac.* 3. *Ann.* 49. Post celebre carmen, quo Germanici supremа defleverat. *Vellej.* 2. 119. Ordinem atrocissimæ calamitatis — justis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere; nunc summa deflenda est. Adde *Sueton. Cal.* 20. — *b*) Cum Accus. et Infinito. *Manil.* 4. 748. nimui onus Deflent. — *c*) Absolute sine Accus. *Tac.* 16. *Ann.* 13. Inter conjugum et liberorum lamenta, qui dum adsident, dum deflent, sæpe eodem rogo cremabantur. *Propert.* 1. 16. 13. gravibus cogor deflere querelis. — *d*) Singulare est illud *deflere oculos*, et idem est ac fletu et lacrimis rigare. *Apul.* 5. *Met.* Sorores deflebant oculos, et plangebant ubertim.

DĒFLĒTĬO, ōnis, f. 3. fletus. *Juvenc.* 1. 122. Adveniet jam tunc tristis defletio terris.

DĒFLĒTUS, a, um. *V.* DEFLEO.

DĒFLEXĬO, ōnis, f. 3. idem quod deflexus.

I.) Proprie. *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. *a med.* Solis meatus sursum ac deorsum certa deflexione variando, etc.

II.) Translate. *Nazar. Paneg. Constant.* 5. Omnia ad eumdem gloriæ exitum; nullæ cupiditatum deflexiones, nullus erroris anfractus.

DĒFLEXUS, a, um. *V.* DEFLECTO.

DĒFLEXUS, us, m. 4. curvatio, flexio.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu et abstracte. *Colum.* 4. *R. R.* 26. 3. Palmes leniter curvabitur, ne deflexu frangatur. *At* Schneider *ex optimis Codicibus legit* deflexus. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu deflexus est locus declivis, sinuosus. *Capell.* 6. *p.* 217. In deflexu civitas Œensis et Leptis magna. *Id.* 8. *p.* 287. Quis dubitet Cancrum Geminosque in mundi ardua sublimari, rursumque Sagittarium Capricornumque pererratis deflexibus infimari?

II.) Translate. *Val. Max.* 7. 3. *init.* Factorum dictorumque genus proximo deflexu ad vafri nomen progressum. *Id.* 4. 2. Transgrediamur ad egregium [illegible] si animi ab odio ad gratiam deflexum.

[illegible], as, ātum, are, a. 1. (de et flare). Part. *Deflatus* sub *A.* I. — Ceterum deflare est verbum *A*) Activum et *B*) Neutrum.

A) Active deflo est flando ejicio.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 64. 1. Quod est levissimum ac summum, deflatum ut trajiciant in alia vasa. *hoc Forcellino rectius videbatur, at a* Schneidero *minime probatur. Al. leg.* depletur. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (27). Cibus etiam e manu prolapsus reddebatur, utique per mensas, vetabantque munditiarum causa deflare.

II.) Translate ponitur pro illudere, contemnere. *Sueton. Cal.* 38. Julii et Augusti diplomata, ut vetera et obsoleta, deflabat. *Al. leg.* deflebat; *alii melius* difflabat. *Ambros. Ep.* 7. 45. Aptius videtur propriam manum nostro affligere stilo, ut non tam deflare aliquid videar, quam abscondere. *Id. ibid.* 6. 37. Malo hallucinari tecum verbis senilibus, ne videar artem desisse, quam concitatioribus verbis deflare aliquid jam nec studiis nostris aptum, nec viribus.

B) Neutrorum more deflare pro detumescere, decrescere dixit *Arnob.* 1. 45. Unus fuit e nobis, cujus manus intercutis veternosæ fugiebant undæ, penetrabilis ille vitabat liquor, et turgentia viscera salutari ariditate deflabant?

DĒFLOCCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒFLOCCO, as, ātum, are, a. 1. *Non. p.* 7. 19. *Merc.* Deflocc are est atterere, tractum a vestibus sine flocco. *Plauti* locus est in *Asin.* 3. 3. 110., ubi versum nonnulli inserunt, quo hæc vox confirmetur. *Mercer.* legit *deflaccare.* — Nihilominus *defloccati senes* leguntur apud *Plaut. Epid.* 5. 1. 10., quos intelligere possumus vel attritos, confectos, defectos viribus; vel, ut alii malunt, floccis seu capillis defectos, calvos.

DĒFLŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. florum hinc inde detractio. Translate. ¶ 1. Generatim. *Tertull. advers. Valentin.* 12. Graculus Æsopi ex omnium defloratione constructus. *Cassiod.* 12. *Hist. Eccl.* 5. Deflorationes librorum faciebat. ¶ 2. Speciatim est virginei floris jactura. *Ambros. Ep.* 8. 64. Quid enim est, quod magis publicum sit, quam offensa pudoris et defloratio virginitatis?

DĒFLŌRĀTUS, a, um. *V.* DEFLORO.

DĒFLŌRĔO, res, rŭi, rere, n. 2. (de *et* floreo). Part. *Deflorens* sub II. — Defloreo est florem amitto (It. *perdere il fiore, sfiorire*; Fr. *défleurir, perdre sa fleur*; Hisp. *desflorar*; Germ. *abblühen, verblühen*; Angl. *to shed its blossoms or flowers*).

I.) Proprie. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 36. Vitis cum se multa fronde cooperit, pejus defloret. *h. e.* fructus edit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (120). Faba aquas in flore maxime concupiscit: cum vero defloruit, exiguas desiderat. *Catull.* 62. 43. Idem (*flos*) cum tenui carptus defloruit ungui.

II.) Translate. *Liv.* 38. 53. *ad fin.* In juventa bella assidue gesta: cum senecta res quoque defloruere, nec præbita est materia ingenio. *Lactant. de ira D.* 9. *a med.* Iis temporibus, quibus jam philosophia defloruerat. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 75. Cum forma dilapsus amor: defloruit oris Gratia. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 123. HVNC ANTHO TVMVLVM MALE DEFLORENTIBVS ANNIS PRO PIETATE PARI COMPOSVERE SVO VARISTVS VTERQVE PARENS. *h. e.* annis, quasi flores essent, infeliciter decerptis: nam *parvulus* interiisse *ibid.* dicitur Anthus, ad cujus nomen, quod Græce florem significat, cum aliqua venustate allusum fuisse apparet.

DĒFLŌRESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* Part. *Deflorescens* sub II. — Defloresco est idem fere quod defloreo seu florem amitto.

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 11. 10. Omne frumentum cum totam spicam edidit, octo diebus deflorescit. — Deflorescere, addit *Forcellinus*, est etiam tempestive florescere, ut ait *Varro* 1. *R. R.* 1. 6. *Schneid.* Quarto invoco Robigum ac Floram, quibus propitiis neque robigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 69. (286). Prisci Floralia IV. Kal. Mai. instituerunt, ut omnia bene deflorescerent. *At hoc quoque* Plinii *loco* deflorescere *est* primum florere, ac deinde florem amittere.

II.) Translate. *Cic. Brut.* 92. 317. Hortensius ornatus, acer, at non talis, qualem tu eum, Brute, jam deflorescentem cognovisti, sed verborum et actionis genere commotior. *Id. Cæl.* 19. 44. Amores et deliciæ celeriter deflorescunt. *Id.* 4. *Herenn.* 27. 38. Aut morbo aut vetustate formæ dignitas deflorescit. *Liv.* 6. 23. Cum corporibus vigent et deflorescunt animi. Adde *eumd.* 29. 4.

DĒFLŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* flos) Part. *Defloratus* II. — Defloro est florem adimo.

I.) Proprie. *Dracont.* 1. 588. Deflorat (*ventus*) fructus, et decutit arbore flores. *At hæc lectio omnino dubia videtur.*

II.) Translate. *Gell.* 14. 1. *extr.* Futurum gaudii fructum spes tibi jam defloraverit. *Al. leg.* præfloraverit *et quidem melius. Quintil.* 6. *proœm.* 9. Certos atque defloratos fructus ostendebat. *Al. rectius leg.* deformatos. Adde *Liv.* 37. 58., sed lectione ibi quoque dubia. Nam communiter leg. *præfloratus.* Certior est lectio apud *Ammian.* 20. 11. 28. Puniceа pars tertia (*arcus cœlestis*) cernitur, quod solis obnoxia pulcritudine pro reciprocatione spiritus fulgores ejus purissimi e regione deflorat. *h. e.* quod fulgores solis purissimi repercussis per aera radiis ad se rapit. *Cassiod. de orthograph. præf.* Ex quibus si in unum valuero deflorata colligere. *Id.* 1. *Variar. præfat.* Duodecim libris Gothorum historiam defloratis prosperitatibus condidisti. *Id.* 4. *ibid.* 40. Laborat enim hoc uno malo terris deflorata provincia. Adde *eumd. Instit. divin. Litt.* 28. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Sext.* 51. ab *A. Mai.* editus in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 146. In quantum legem Philippi fratris ejus extulit, in tantum hunc defloravit, qui dissimilis extiterit. *h. e.* infamavit. Cf. edition. *Orell.* et *Bait. p.* 304.

DĒFLŬO, flŭis, fluxi, fluxum, flŭere, n. 3. (de *et* fluo). Part. *Defluens* sub *A.* I. et *B.* I. et II.; *Defluxurus* sub *A.* I. — Defluere duo diversa significat, prout *A*) Præpositio *de* motum a superiore ad inferiorem locum, aut *B*) Actionis finem ac cessationem significat.

A) Quum præpositio de motum a superiore ad inferiorem locum significat, defluo est deorsum fluo (It. *scorrere in giù*; Fr. *couler d'en haut, découler*; Hisp. *fluir de alto, destilar*; Germ. *herunterfliessen, abfliessen*; Angl. *to flow down*).

I.) Proprie de liquidis dicitur. *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 6. *p.* 680. *Putsch.* Flumen Tauro monte defluens. *Horat.* 1. *Od.* 12. 29. Defluit saxis agitatus humor. *Ovid.* 3. *Fast.* 273. Defluit incerto lapidosus murmure rivus. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 18. 22. (126). Anaxum, quo Varamus defluit. *Id.* 24. *ibid.* 18. 105. (160). Sanguis defluit a renibus. *Id.* 33. *ibid.* 5. 26. (86). Humor per venam auri defluens. *Id.* 18. *ibid.* 6. 8. (45). Succus ex filice defluens. *Id.* 34. *ibid.* 13. 37. (135). Æs (*liquefactum*) in catinos defluit. *Gell.* 17. 11. Potus defluit ad pulmones. *Tertull. Resurr. carn.* 61. Cur non magis qua defluxura colentur? — Et poetice cum Accusativo Græcorum more. *Propert.* 2. 15. 7. Nec tantum Niobe bis sex (*al.* bis septem) ad busta superba Sollicito lacrimas defluit a Sipylo. *Ita leg. recentiores.*; *contra vulgata lectio habet* Sollicito lacrimans depluit a Sipylo.

II.) Translate usurpatur de iis, quæ non sunt liquida, pro decidere, descendere, etc. Quæ transitio a propria ad translatam significationem clarius patet ex *Virg.* 3. *G.* 447. Aries mersus secundo defluit amni. *h. e.* defertur. Sic *Curt.* 9. 8. *extr.* Sumptis ducibus amnis peritis, defluxit ad insulam. et *Sueton. Ner.* 27. Quoties (*Nero*) Ostiam Tiberi deflueret. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 62. Jam ipsæ defluebant coronæ. *h. e.* capite decidebant. *Ovid.* 6. *Met.* 146. tristi medicamine tactæ Defluxere comæ. *Tibull.* 3. 1. 18. Defluit color a libro. *h. e.* atteritur et diluitur. *Virg.* 1. *Æn.* 408. pedes vestis defluxit ad imos. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (228). Vitis et oleæ defluit fructus. *Curt.* 4. 6. 11. Glæba, quum regis capiti incidisset, resoluta defluxit. *h. e.* dissipata est. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (197). Mirum fuit, nec defluxisse eas (*prætextas*), nec teredinum injurias sensisse. *Propert.* 1. 20. 2. Id tibi ne vacuo defluat ex animo. *h. e.* excidat. — Præcipue de iis dicitur, qui ex equo descendunt, præsertim si graviter vulnerati. *Virg.* 11. *Æn.* 499. portisque ab equo regina sub ipsis Desiluit: quam tota cohors imitata relictis Ad terram defluxit equis. *Ovid.* 6. *Met.* 228. frenisque manu moriente remissis In latus a dextro paullatim defluit armo. *Curt.* 7. 7. *sub fin.* Corpus ex equo defluxit in terram. Adde *Liv.* 2. 20. *Furius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. lapsusque in humum defluxit, et armis Reddidit æratis sonitum. — Item pro effundi ac dilatari. *Cic. Orat.* 27. 96. Hoc (*elo-*

quentiæ genus) totum e sophistarum fontibus defluxit in forum. Sic, sed magis audacter, *Vellej.* 1. 16. Philosophorum ingenia Socratico ore defluentia. *Forcellinus* interpretatus est: a Socrate venientia: sed rectius dixeris, quæ a Socrate venientia, ab eodem discedendo in majus et quidem in pejus excrevere: V. *Kritz* ad h. l., et cf. *Quintil.* 10. 1. 126. Tantum ab eo (*adolescentes*) defluebant, quantum ille (*Seneca*) ab antiquis descenderat. *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 62. A necessariis artificiis ad elegantiora defluximus. *h. e.* transivimus. *Quintil.* 1. 8. 9. In omnia deliciarum genera vitiaque, dicendi quoque ratione, defluximus. — Item pro derivari, provenire. *Sueton. Aug.* 2. Is Cn. et C. procreavit, a quibus duplex Octaviorum familia defluxit. *h. e.* derivata est. *Horat.* 1. *Od.* 28. 27. multaque merces, Unde potest, tibi defluat æquo Ab Jove. *h. e.* proveniat. — Item perire, perdi. *Cic. Amic.* 16. 58. Ne quid in terram defluat.

B) Quum præpositio *de* actionis finem ac cessationem significat, defluere est fluere desinere.

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 42. Rusticus expectat, dum defluat amnis: at ille Labitur et labetur in omne volubilis ævum. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 3. Quum hiberni defluxere torrentes.

II.) Translate est deficere, cessare. *Cic. Sext.* 32. 69. Ex novem tribunis, quos tunc habueram, unus me absente defluxit. *h. e.* a me alienatus est. Sic *Pseudo-Sall.* 1. *ad Cæs. de republ. ordin.* 2. Ex queis magna pars, ubi neque creditum condonare, neque te rivibus, sicuti hostibus, uti vident, defluxere. Rursus *Cic.* 9. *Fam.* 20. Ubi salutatio defluxit, litteris me involvo. *Sall. Cat.* 1. Ubi per socordiam vires, tempus, ingenium defluxere. *h. e.* abiere, periere. *Tibull.* 3. 4. 81. Ignavus defluxit pectore somnus. *h. e.* abiit: excitatus sum. *Horat.* 3. *Od.* 27. 35. teneræ succus Defluat prædæ. *Id.* 2. *Ep.* 1. 157. Græcia artes intulit agresti Latio; sic horridus ille Defluxit numerus Saturnius. *Lactant.* 5. 22. Disciplina defluens. *h. e.* paullatim deficiens. — *NB.* In illo *Colum.* 12. *R. R.* proœm. 9. Luxu et inertia defluere: *Schneider.* rectius legit *diffluere*.

DĒFLŬUS, a, um, adject. ¶ 1. Activa significatione est qui defluit, aut decidit. *Stat.* 9. *Theb.* 325. levat unda gradus, seu defluus ille, Sive obliquus est. *Id.* 1. *Silv.* 3. 53. Splendor ab alto defluus. — *Deflua cæsaries* est prolixa, promissa apud *Prudent.* 13. περὶ στεφ. 30. Deflua cæsaries compescitur ad breves capillos. ¶ 2. Passiva significatione, ex quo aliquid defluit. *Apul.* 3. *Met.* Vasculum graciliter fistulatum, ac per hoc guttatim defluum. *h. e.* per quod aqua defluit, clepsydra.

DĒFLŬVĬUM, ii, n. 2. (defluo) actus defluendi. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 69. (281). Est in cælo, qui vocatur lacteus circulus. Hujus defluvio, velut ex ubere aliquo, sata cuncta lactescunt. *Id.* 28. *ibid.* 2. 5. (28). Defluvia capitis. *Id.* 29. *ibid.* 6. 34. (108). Defluvia capillorum.

DĒFLUXĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est idem quod defluvium. *Firmic.* 3. *Mathes.* 7. Defluxio seminis. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 18. ventris. *Id.* 2. *Tard.* 5. sudoris ignei. ¶ 2. Hinc et pro corruptione dicitur. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 11. *init.* Phthisis, sive, ut plerique appellant, phthoe, quod corporis faciat defluxionem, sive corruptionem.

DĒFLUXUS, us, m. 4. defluxio. *Apul. de Deo Socrat.* Nubibus omnis exortus terrenus, et retro defluxus in terras est.

DĒFŎDĬO, fŏdis, fōdi, fossum, fŏdere, a. 1. (de et fodio). Part. *Defossus* 1. et 2.; *Defodiendus* 2. — Defodio ¶ 1. Est idem fere quod fodio, vel effodio. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 17. Scrobem defodiamus in limine stabuli et vivam pecudem obruamus. *Virg.* 3. *G.* 376. Ipsi in defossis specubus secura sub alta Otia agunt terra. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 42. Quid juvat immensum te argenti pondus et auri Furtim defossa timidum deponere terra? *Flor.* 3. 21. *ad fin.* Oculis, manibus, cruribusque defossis. *h. e.* oculis erutis, manibus et cruribus discerptis. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 351. Hic coquus, hic leno, defossi verbere terga. *h. e.* lacerati. ¶ 2. Item terrâ effossâ obruo. *Plaut. Most.* 2. 2. 51. Aurumque ei ademit hospiti, Eumque hic defodit hospitem ibidem in ædibus. *Lucret.* 5. 933. nec scibat molirier arva, Nec nova defodere in terram virgulta. *Cic.* 2. *Divinat.* 65. 134. Thesaurum defossum esse sub lecto. *Id.* 1. *ibid.* 17. 33. Cotem illam et novaculam defossam in comitio, supraque impositum puteal, accepimus. *Ovid.* 2. *Fast.* 641. Defodere lapidem in agro. *Id.* 4. *Met.* 239. Ille ferox immansuetusque precantem — et, ille Vim tulit invitæ, dicentem, defodit alta Crudus humo. *Liv.* 8. 10. *ad fin.* Signum septem pedes altum in terram defodi. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 8. Oblitum vas in sterquilinio defoditur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 13. 21. (97). In vasis fictilibus defodere propagines aptissimum. *Id.* 18. *ibid.* 17. 45. (160). Herba defossa in quatuor angulis segetis. *Id.* 19. *ibid.* 8. 42. (150). Defosso semine acervatim, parvulis scrobibus serunt. *Virg.* 2. *G.* 507. Condit opes alius defossoque incubat auro. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (177). Defodere aurum nullo conscio. *Id.* 9. *ibid.* 7. 6. (17). Animalia, quæ semper defossa vivunt, ceu talpæ. Alter *Plin.* 4. *Ep.* 11. Missi pontifices, qui defodiendam necandamque curarent. ¶ 3. Item est idem fere quod condo. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 25. Quidquid sub terra est, in apricum proferet ætas; Defodiet condetque nitentia. *Seneca Consol. ad Marc.* 2. *extr.* Octavia fortunam exosa defodit se et abdidit.

DĒFŎLĬO ἀποφυλλίζω. *Gloss. Cyrill.* Quam vocem confirmat grammaticus *Eutych.* p. 2146. *Putsch.* Folium, defolio, defolias.

DĒFŎMĬTĀTUM a fomitibus succisum, quibus confoveri erat solitum lignum. *Paul. Diac.* p. 75. 10. *Müll.* Sic *Gloss. Labb.* Defomo (corrige defomito) ἀποσπελεκῶ.

DĒFŎRAS, adverb. extra. *Inscript.* apud *Gruter.* 573. 1. IN CAPITOLIO AD ARAM GENTIS IVLIAE DEFORAS PODIO SINISTERIORE. At *Marin.*, qui *Frat. Arv.* p. 485. scripserat in allata Inscriptione conjunctim esse scriptum *deforas*, idem tamen in *Papir. Diplom.* p. 270. n. 51. asseverat, punctum esse inter duas voces, easque sic divisim insculptas DE . FORAS.

DEFORE. *V.* DESUM.

DĒFŎRIS, adverb. a loco exteriore. *Vulgat. interpr. Matth.* 23. 25. Quia mundatis quod deforis est calicis. Adde *eumd. Genes.* 7. 16. et alibi. *Isid.* 19. *Orig.* 22. Exotica vestis est peregrina, deforis veniens. Adde *Theod. Priscian.* 4. 4. *init.*, cujus verba *V.* in DEINTUS. Ceterum hoc a veteribus etiam grammaticis reprehenditur, et quidem recte: sic *Cledon.* p. 1875. *Putsch.* Deintus et deforis non dicimus, quia præpositio adverbiis vocalibus minime sociatur.

DĒFORMA dicuntur exta, quæ dantur calida, decocta; a *formus* calidus. *Paul. Diac.* p. 83. 11. *Müll.*

DĒFORMĀTĬO, ōnis, f. 3. duo diversa significat, prout

A) Particula *de* est intensiva, et deformatio est actus deformandi, delineatio, descriptio, forma. — *a*) Generatim. *Vitruv.* 1. 1. 3. *pr. Schneid.* Venti e quibus regionibus singuli spirent, deformationibus grammicis ostendi. *Firmic.* 1. *Mathes.* 3. *sub fin.* Nondum corporis deformatione completa. — *b*) Speciatim apud Rhetores. *Capell.* 5. p. 172. Diatyposis est descriptio vel deformatio, quum rebus personisque subjectis et formas ipsas et habitus exprimimus. *V.* EFFIGURATIO.

B) Quum particula *de* rei cessationem, vel rem in pejus ruere significat: et deformatio est formæ corruptio, deformitas. *Liv.* 9. 5. *extr.* Ut ab illa deformatione tantæ majestatis, velut ab nefando spectaculo, averteret oculos. *h. e.* ob detracta consulibus insignia magistratus in Caudina sponsione. Adde *Cod. Theod.* 7. 13. 4. et 15. 1. 19.

DĒFORMĀTUS, a, um. *V.* DEFORMO.

DĒFORMIS, e, adject. (de et forma). Comp. *Deformior* et Sup. *Deformissimus* sub 2. — Deformis ¶ 1. Raro admodum dicitur qui forma caret, qui est sine forma, informis. *Ovid.* 2. *Fast.* 554. Perque vias urbis, Latiosque ululasse per agros Deformes animas, vulgus inane ferunt. ¶ 2. Sæpius est qui mala est forma, fœdus, turpis: eique opponitur *formosus* apud *Cic.* 1. *Invent.* 24. 35. Præterea commoda et incommoda considerantur ab natura data aut animo aut corpori, hoc modo: Valens an imbecillis; formosus an deformis; vel etiam *honestus*, ut apud *eumd.* 2. *Orat.* 61. 248. Gravitas honestis in rebus, jocus in turpiculis et quasi deformibus ponitur. — Ceterum hoc sensu usurpatur tum de corpore, tum de animo. — *a*) Cum addito nomine. *Cic.* 5. *Fin.* 12. 35. Motus corporis statusve deformis. *Id. Cæl.* 3. 6. Ut eum pœniteat non deformem esse natum. *Id.* 4. *Fam.* 9. Patria deformior. *Id.* 1. *Off.* 35. 126. aspectus. *Id.* 1. *de republ.* 34. Nec ulla deformior species civitatis. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Hoc cum in speciem varietatemque opus deforme non est. *h. e.* pulcrum. *Liv.* 1. 16. Deforme spectaculum. *Id.* 5. 49. Solum patriæ belli malis deforme. *Ovid.* 3. *Pont.* 8. 15. Deformes campi. *h. e.* inculti et aspectu horridi. *Id.* 5. *Trist.* 2. 63. Deformia litora Euxini æquoris. *Sueton. Vesp.* 8. Urbs veteribus incendiis ac ruinis deformis. *Id. Aug.* 35. Deformis et incondita turba. *Gell.* 5. 11. Deformissima femina. *Frontin. Aquæd.* 93. Deformis ac turbida aqua. *Quintil.* 9. 4. 33. Deforme nomen. *h. e.* absonum. — *Horat. Epod.* 13. 18. Deformis ægrimonia. *Ovid.* 3. *Art. am.* 373. Ira deforme malum. *Lucan.* 8. 81. dolor. *Quintil.* 8. 6. 40. libido. *Stat.* 10. *Theb.* 332. vita. *Id.* 5. *Silv.* 3. 116. ortus. *h. e.* ignobilis, vilis. *Martial.* 11. 99. vitium. *h. e.* turpis morbus, pudendus. *Tac.* 4. *Ann.* 20. obsequium. *Sueton. Vesp.* 23. Deformia lucra. *h. e.* sordida. *Sil. It.* 16. 220. Haud deformis erit vobis ad fœdera versis Pacator mediusque Siphax. *h. e.* pudendus, contemnendus. *Liv.* 45. 44. *in fin.* Orationem non tam honorificam audientibus, quam sibi deformem, habuisse. *h. e.* quæ sibi dedecori fuit. Cf. *Quintil.* 9. 4. 15. — Poetice cum Genitivo. *Sil. It.* 1. 165. Quem postquam diro suspensum robore vidit Deformem leti famulus. *h. e.* dehonestatum infami genere supplicii. — *b*) Absolute, substantivorum more. *Cic.* 1. *Off.* 38. 137. Deforme etiam est, de se ipso prædicare, falsa præsertim. *Quintil.* 1. 3. 14. Deforme et servile est cædi discentes. *Tac. dial. de orat.* 36. *extr.* Mutum et elinguem videri deforme habebatur. *Plin.* 8. *Ep.* 24. *ad fin.* Multo deformius est amittere, quam non assequi laudem.

DĒFORMĬTAS, ātis, f. 3. pravitas, turpitudo, et ¶ 1. Dicitur tum de corpore, tum de animo, et conjungitur cum nom. *pravitas, depravatio, fœditas*, ut apud *Cic.* 3. *Off.* 29. 105. Quæ si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et fœditas animi debet videri? *Id.* 1. *Legg.* 19. 51. An corporis pravitates, si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis; animi deformitas non habebit? *Id.* 2. *Orat.* 59. 239. Deformitas et vitium corporis. Sic *Vellej.* 2. 69. *de P. Vatinio.* In quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii; adeo ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur. Rursus *Cic. Orat.* 17. 56. Diserti deformitate agendi multi infantes putati sunt. *Id.* 1. *Orat.* 34. 156. Intuendi sunt nobis non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus. *Id.* 9. *Att.* 10. Fugæ et negligentiæ deformitas. *Liv.* 2. 23. In tanta deformitate. *Quintil.* 2. 3. 12. Ut amissi oculi deformitas lateret. *Sueton. Ner.* 38. Offensus deformitate ædificiorum. *Gell.* 15. 17. Pudefactus oris deformitate. *Id.* 3. 3. Vitia atque deformitates meretricum. *Inscript.* apud *Orell.* 3316. CIVITATEM BELLAM NVDA ANTE SOLI DEFORMITATE SORDENTEM — ORNANDAM CVRAVIT. ¶ 2. Pro dehonestamento, dedecore. *Nepos Ages.* 8. Naturam maleficam nactus est in corpore, exiguus et claudus altero pede: quæ res nonnullam afferebat deformitatem: atque ignoti faciem ejus cum intuerentur, contemnebant. *Auct. B. Alex.* 19. *extr.* Hostili modo Cordubensium agros vastat. Cujus rei deformitate atque indignitate legiones concurrerunt, etc. *Quintil.* 6. 1. 12. Si judicibus aut gloriæ futuræ est absolutio rei, aut deformitati damnatio.

DĒFORMĬTER, adverb. fœde, turpiter. *Quintil.* 8. 3. 45. Junctura (*verborum*) deformiter sonat. *Id.* 10. 1. 82. Deformiter dicere. *Val. Max.* 8. 1. 6. Ut abjicere se tam suppliciter, aut attollere tam deformiter cogeretur. *Sueton. Ner.* 49. Vivere deformiter ac turpiter.

DĒFORMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et formo). Part. *Deformatus* in omnibus paragr. et in fin.; *Deformandus* sub *B.* II. — Deformare duo diversa significat: aut enim *A*) Præpositio *de* est intensiva (vel juxta nonnullos significat exemplar, a quo quid describitur) et deformare est figurare, delineare; aut *B*) Præpositio *de*, quæ motum a superiore ad inferiorem locum proprie indicat, metaphorice significat aliquid a bono in deteriorem statum delabi, et deformare est formam destruere, corrumpere, fœdare.

A) Quum præpositio *de* est intensiva (vel juxta

nonnullos significat exemplar, a quo quid describitur), deformare est figurare, delineare, formam dare (It. *formare, disegnare, delineare, abbozzare*; Fr. *former, façonner, dessiner, ébaucher*; Hisp. *formar, dibuxar, delinear*; Germ. *abformen, abbilden, darstellen, entwerfen, zeichnen*; Angl. *to form, fashion, describe, delineate, design*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 161. Quum areas deformabis, intervallum facito inter eas semipedem latum in omnes partes. *Varro* 3. *R. R.* 5. 10. Locus deformatus ad tabulæ litterariæ speciem cum capitulo. *Vitruv.* 1. 1. 1. *Schneid.* Architectum graphidos scientiam habere oportet, quo facilius exemplaribus pictis, quam velit, operis speciem, deformare valeat. Cf. *eumd.* 5. 6. 9. *Schneid.* Scænæ tragicæ deformantur columnis et fastigiis et signis reliquisque regalibus rebus. *Forcellinus* h. l. *deformare* accepit pro *ornare*: sed *V.* integrum locum. Cf. *Cic.* 3. *Herenn.* 22. 37. Aut si qua re imaginem deformabimus, ut si cruentam, aut cœno oblitam, aut rubrica delibutam inducemus, quo magis insignita sit forma. *Quintil.* 5. 11. 30. Marmora deformata prima manu. *Id.* 6. *proœm.* 9. Non enim flosculos, sed certos atque deformatos fructus ostenderat. *Alii minus recte leg.* defloratos.

II.) Translate. *Plaut. Pseud.* 2. 3. 10. Jam instituta, ornata cuncta in ordine, animo, ut volueram, certa deformata habebam. *Cic. Cæcin.* 5. 14. Ille, quem supra deformavi. *h. e.* descripsi. Sic *Seneca* 7. *Benef.* 2. Hanc voluptatem numquam sensuram sui tædium, percipit hic, quem deformamus.

B) Quum præpositio *de* significat aliquid a bono in deteriorem statum delabi, deformare est formam destruere, corrumpere, fœdare (It. *difformare, guastare*; Fr. *déformer, défigurer, rendre laid*; Hisp. *desfigurar, desemejar, afear, estragar, ajar*; Germ. *verunstalten, entstellen*; Angl. *to deform, disfigure, mar the fashion of*).

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Verr.* 55. 122. Parietes nudos ac deformatos reliquit. *Id.* 2. *Att.* 21. 3. Hunc omnibus a me pictum et politum artis coloribus, subito deformatum non sine magno dolore vidi. *et paullo supra.* Deformatus corpore, fractus animo. *Sall. Jug.* 14. Homo ærumnis deformatus. *Liv.* 10. 45. Fulminibus complura loca deformata. Adde *eumd.* 37. 3. *Auct. B. Alex.* 24. Patria turpissimis incendiis et ruinis deformata. Cf. *Cic.* 4. *Herenn.* 14. 20. Qui sunt, qui Italiam deformaverunt? Carthaginienses. *Virg.* 4. *G.* 254. horrida vultum Deformat macies. *Id.* 10. *Æn.* 844. Canitiem immundo deformat pulvere. *Ovid.* 1. *Art. am.* 517. Tonsura male deformat capillos. *Sil. It.* 2. 707. Membra deformata veneno.

II.) Translate. *Cic. Cœl.* 2. 3. Ut ad ea, quæ accusatores, deformandi hujus causa (*h. e.* ut hinc infamiam inferrent), detrahendæ spoliandæque dignitatis gratia, dixerunt, primum respondeam. *Id. Sull.* 26. 73. Quæ ita a fortuna deformata sunt, ut tamen a natura inchoata compareant. V. *Halm* ad h. l. *Id. Harusp. resp.* 26. 57. Homo vitiis deformatus. *Liv.* 9. 30. Deformare ordinem prava lectione. *Id.* 3. 71. Victoriam honestam turpe domi judicium populi deformavit. *Id.* 8. 32. Deformata victoria. *Id.* 33. 36. Deformare victoriam clade. Adde *eumd.* 24. 23. *Id.* 30. 14. *extr.* Cave, deformes multa bona uno vitio. *Virg.* 12. *Æn.* 805. Deformare domum et luctu miscere hymenæos. *h. e.* luctu complere. *Quintil.* 11. 1. 3. Monilibus –, quæ sunt ornamenta feminarum, deformentur viri. *Id.* 10. 7. 32. Hæc ipsa fiducia lacerat ac deformat orationem. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus.

Deformatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Deformatissimus.* Translate. *Cic. Harusp. resp.* 12. 25. Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest? *Gell.* 11. 2. Homo probri plenus, spurcissimæque vitæ ac deformatissimæ.

DĔFORMŌSUS, a, um, adject. deformis. Occurrit tantum Comp. *Deformosior* apud *Sidon.* 3. *Ep.* 3. Consilio deformosiore aliquid occulere. *Al. leg.* deformiore.

DĔFORMUS. *V.* DEFORMA.

DĔFOSSUS, a, um. *V.* DEFODIO.

DĔFOSSUS, us, m. 4. defodiendi actus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 48. (163). Area in defossu cavata. *Sillig* legit *defossum.*

DĔFRĂCTUS, a, um. *V.* DEFRINGO.

DĔFRAUDĀTĬO, ōnis, f. 3. actus defraudandi. *Tertull. Anim.* 43. Omnis natura aut defraudatione, aut enormitate rescinditur, proprietate mensuræ conservatur. *h. e.* defectu aut excessu.

DĔFRAUDĀTOR, ōris, m. 3. fraudator. *Seneca* 4. *Benef.* 26. Qui beneficiorum defraudator est. *Correctiores libb. hab.* fraudator. *Cajus* tamen *Instit.* (edente iterum *Goeschenio*) § 65. Quod invicem tibi defraudatoris nomine debet.

DĔFRAUDĀTRIX, icis, f. 3. quæ defraudat. *Tertull. Jejun.* 16. Domus impudens, sacrificiorum carnalium defraudatrix.

DĔFRAUDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔFRAUDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* fraudo). In MSS. Codicibus legitur et *defrudo*, quemadmodum *cludo* pro *claudo*: *V.* DEFRUDO suo loco. — Part. *Defraudans* sub *c*: *Defraudatus* sub *a*. — Defraudo est fraudando intercipio, aufero (It. *defraudare, togliere*; Fr. *enlever par tromperie, frustrer*; Hisp. *frustrar, alzar, quitar engañando, con fraude*; Germ. *betrügen, übervortheilen*; Angl. *to beguile, deceive, impose upon, defraud, chept*). Occurrit — *a*) Cum uno tantum Accusativo. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 91. Defraudare aliquem drachma. *Ter. Adelph.* 2. 2. 37. Colaphis tuber est totum caput: etiam insuper defraudat? *Cic. Orat.* 66. 221. Ne brevitas (*periodi*) defraudasse aures videatur, neve longitudo obtudisse. *Liv.* 36. 40. *extr.* Fructu victoriæ suæ aliquem defraudare. *Paulin. Nolan.* 26. 74. Peculum sanguine defraudatus. — *b*) Et cum altero Accusativo. *Plaut. Asin.* 1. 1. 82. Tune ego defraudem, cui ipsi nihil est in manu? nisi quid tu porro uxorem defraudaveris? *Varro* apud *Non. p.* 24. 33. *Merc.* Eis defraudasse cauponem. *Cic.* 7. *Fam.* 10. Quem ne andabatam quidem defraudare poteramus. *h. e.* retinere a spectaculis andabatis, privare spectaculo andabatarum. *V.* ANDABATA. — *c*) *Defraudare genium suum* (cui recta opponitur *indulgere genio*) est quod *Liv.* 5. 47. dicit, fraudare se victu suo, *h. e.* necessaria naturæ negare, comparcendi causa. *Plaut. Aulul.* 4. 9. 15. Egomet me defraudavi, animumque meum, geniumque meum: nunc eo alii lætificantur, meo malo et damno. *Ter. Phorm.* 1. 1. 10. Quod ille unciatim vix de demenso suo, suum defraudans genium, comparsit miser.

DĔFRĔMO, mis, mŭi, mere, n. 3. (de *et* fremo) fremere desino. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. *extr.* Nondum cuncta thalamorum pompa defremuit. *Id.* 1. *ibid.* 12. Sensim ira defremuit. *Id.* 9. *ibid.* 9. Donec gentium concitatarum procella defremeret. *Fl. Avian.* 28. Cecidit insanum defremuisse pecus. Tribuunt etiam *Plinio* 9. *Ep.* 13. Cum jam satis primus ille impetus defremuisset. *Al. rectius leg.* deferbuisset.

DĔFRĒNĀTUS *vel* Defrenatus, a, um, particip. verbi inusit. *defreno*, sine freno, effrenatus. *Ovid.* 1. *Met.* 282. Et defrenato volvuntur in æquora cursu.

DĔFRENS, in Glossis exponitur ἄρουρα, θερισμός, ager, messis: et Defrensa, ἄρουρα, θερισθεῖσα, ager, vel seges demessa. *Paul. Diac. p.* 74. 17. *Müll.* hæc habet: *Defrensam, detritam atque detonsam*, ubi de veste putant sermonem esse, ducta metaphora ab arvis demessis. *Müller.* ad h. l. recte monet pro *defrensam* legendum *defresam*; namque *frendere* et *Festus* et *Paul. Diac.* sæpe interpretantur *frangere*: unde rectius *Placidi Gloss. p.* 452. ed. *A. Mai.* Defresum, detritum, unde adhuc fresa faba, quæ obtrita frangitur.

DĔFRENSAM. *V.* voc. præced.

DĔFRESUS, *V.* DEFRENS.

DĔFRIĀTUS, a, um. *V.* DEFRIO.

DĔFRICĀTĒ, adverb. Translate *Nævius* apud *Charis.* 2. *p.* 178. *Putsch.* Facete et defricate. *h. e.* salse: quo sensu *Horat.* 1. *Sat.* 10. 4. Lucilius sale multo Urbem defricuit.

DĔFRICĀTĬO, ōnis, f. 3. idem fere ac fricatio. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. ad *fin.* Addenda similiter etiam corporis unctio ac defricatio. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 18. et 20., et 3. *ibid.* 16.

DĔFRICĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔFRĬCO, fricas, fricŭi, fricātum *vel* frictum, fricare, a. 1. (de *et* frico). Part. *Defricatus* et *Defrictus* sub I. — Defrico est idem quod frico, aut valde frico (It. *fregare*; Fr. *frotter*; Hisp. *flotar, estregar ò sobajar*; Germ. *reiben, abreiben, einreiben*; Angl. *to rub, rub hard*).

I.) Proprie. *Catull.* 39. 18. hoc solet sibi mane Dentem atque russam defricare gingivam. *Id. extr.* 37. Et dens Ibera defricatus urina. *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 12. Ut in balneas venit, cœpit, postquam perfusus est, defricari. *Ovid.* 3. *Art. am.* 216. Nec coram dentes defricuisse probem. *Cels.* 5. 28. *n.* 18. Levis papula jejuna saliva defricatur. *Colum.* 12. *R. R.* 58. 1. Radicem diligenter defricare, ne quid terreni habeat. *Id.* 11. *ibid.* 2. 70. Dolia partim picata, partim defricata et diligenter lota. *Id.* 7. *ibid.* 5. 8. Medicamentum scabræ parti illinitur, quæ prius pumice defricta reddulceratur. *Id.* 6. *ibid.* 13. 1. Scabies extenuatur trito allio defricta. *Id.* 6. *ibid.* 7. 4. Defricare vulnera. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 4. 10. (21). Lichenes defricantur pumice. *Id.* 24. *ibid.* 14. 50. (188). Defricatæ maculæ. *Sueton. Vesp.* 20. Ad tuendam valetudinem nihil amplius quam fauces ceteraque membra sibimet ad numerum in sphæristerio defricare. V. *Celsi* loc. cit. in PERFRICO. *Apul.* 3. *Met.* Vigilans somniabar: defrictis adeo diu pupulis, an vigilarem scire quærebam. — *Seneca Ep.* 87. *ante med.* Num omnibus obesis mannis præferres unicum illum equum a Catone defrictum? *h. e.* detritum, ulceratum.

II.) Translate. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 4. *de Lucilio.* idem quod sale multo Urbem defricuit, charta laudatur eadem. *h. e.* acriter reprehendit in satiris suis, cum dolore eorum, qui notabantur. Eodem sensu, et aliis verbis *Pers.* 1. 115. secuit Lucilius Urbem, Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis.

DĔFRICTUS, a, um. *V.* voc. præced.

DĔFRĪGESCO, frigescis, frixi, frigescere, n. 3. (de *et* frigesco) idem quod frigesco. *Colum.* 12. *R. R.* 20. 4. Jubebis rutabulo ligneo agitari quod decoxeris, eo usque dum defrigescit. *Id.* 12. *ibid.* 21. 1. Defrutum, cum defrixit, transfertur in vasa et reponitur.

DĔFRINGO, fringis, frēgi, fractum, fringere, a. 3. (de *et* fringo). Part. *Defractus* et *Defringendus* sub I. — Defringo est deorsum frango, confringo (It. *rompere, spezzare*; Fr. *rompre, briser, casser, détacher en rompant*; Hisp. *romper, quebrar*; Germ. *abbrechen, zerbrechen*; Angl. *to break off, break*).

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 126. Metuerem, ne ibi defregisset crura aut cervices sibi. Adde *eumd. ibid.* 2. 2. 1. *Id. Stich.* 1. 3. 37. Ei hercle ego verbo lumbos defractos velim. *Cato R. R.* 88. Amphora defracto collo. *Varro* 1. *R. R.* 40. 4. Defringere plantas. *Cic. Cæcin.* 21. 60. Qui prætereuntes ramum defringerent arboris. *Id.* 4. *Herenn.* 55. 68. Pedem subsellii defringere. *Id.* 3. *Orat.* 28. 110. Surculus defringendus. *Juventius* apud *Charis.* 2. *p.* 196. *Putsch.* Caput ei testatim defregero. *Virg.* 2. *G.* 300. summas defringe ex arbore plantas. *Id.* 11. *Æn.* 747. tum summa ipsius ab hasta Defringit ferrum. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 18. (38). Hortensiorum quædam non nisi defracta, aut ex attritu olent. *Id.* 26. *ibid.* 8. 39. (63). Defracti rami. *Sueton. Claud.* 11. subsellia.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 92. Id unum bonum est, quod numquam defringitur. *h. e.* deflectitur et decipitur.

DĔFRĬO, as, are, a, 1. (de *et* frio) idem quod infrio. Occurrit tantum Partic. *Defriatus* apud *Pelagon.* 30. 15. Cicatrices oculorum jejuna saliva et sale defriato extenuantur.

DĔFRŪDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. idem quod *defraudo*: ab eo enim est, ut *cludo* a *claudo etc.*, teste *Mar. Victorin. de art. gr.* 1. *p.* 2469. *Putsch.* In *defrudo* apicem secundæ syllabæ imponere debebis, nam defervendo et decoquendo fit tale quod defrudetur, id est fraudetur coctura et minuatur. — Ceterum *Non. p.* 31. 7. *Merc.* loca affert *Terentii* et *Plauti* aliquot, in quibus alii *defraudo* legunt. Sunt qui adducunt locum *Catonis R. R.* 24. Quidquid vini defrudabis. *Sed rectius legendum ibi defrutabis. V.* DEFRUTO. Adducendus potius est locus *Fronton.* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 5. Vide, quæso, ne tenuet ipse defrudes, et detrimentum amoris ultro poscas. Adde *Plaut. Asin.* 1. 1. 81. — Sunt qui *defrudet* legendum censent apud *Caton. R. R.* 5., sed *V.* voc. seq.

DĔFRŪGO, as, are, a. 1. segetem parum frugiferam reddo, subtrahendo scilicet seminis mensuram ceteroquin necessariam. *Cato R. R.* 5. Villicus segetem ne defruget, nam id infelix est. *Schneider.* leg. *defrudet*; sed eum *Plinius* 18. *Hist. nat.* 24. 55. (200), ad hunc locum respexerit, nihil mutandum,

præsertim quia *ibid.* nulla est lectionis varietas, idemque loquitur de modo sementis. Ita vero *Plin. loc. cit.* Huc pertinet oraculum illud magnopere custodiendum: segetem ne defruges. At *Sillig. Schneideri* lectionem retinuit.

DĒFRŪMENTUM, i, n. 2. idem ac detrimentum, a *defruo*. *Plin. Valer.* 5. 24. Omnia alia defrumenta fugienda sunt.

DĒFRŬO, frŭis, frŭi, frŭtum, frŭere, a. 3. absumo. Est a simplici *fruo*, cujus etymon vide in FRUOR. *Cato R. R.* 96. Aquam, quam lupinus defruerit, et fæcem de vino bono inter se omnia commisceto pariter. *h. e.* quam lupinus in ea excoctus ex parte consumpserit. Ita locum scribendum putat *Pontedera Op. posthum. T.* 1. *p.* 279., approbante *Schneidero* ad *Script. R. R. T.* 4. *P.* 2. *p.* 15. Hinc porro deducas, per me licet, verbum *defruto*. — *Defruere* idem esse ac *defervere* affirmat *Klotz*, unde et DEFRUTUM, quod *V.* suo loco.

DĒFRŬOR, fruĕris, frui, dep. 3. *Paul. Diac. p.* 70. 14. *Müll.* Defrui dicebant antiqui, ut deamare, deperire, significantes omnem fructum percipere. *Symmach.* 3. *Ep.* 23. Auctumnitate defruimur.

DĒFRUSTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒFRUSTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* frustum). Part. *Defrustatus* I.; et *Defrustandus* II. — Defrusto est frustatim excerpo, lacero, concido.

I.) Proprie. *Ammian.* 31. 2. *de Hunnis.* Sed semel tunica collo inserta non ante deponitur, aut mutatur, quam diuturna carie in pannulos defluxerit defrustata. *Sidon.* 9. *Ep.* 9. Volumen lectito, excerpo, maxima ex magnis capita defrustans.

II.) Translate. *Ammian.* 20. 2. Defrustandæ Mesopotamiæ proximo vere ne ipse quidem cum exercitus robore omni opitulari poterit præsens. *Alii male leg.* defensandæ.

DĒFRŪTĀRĬUS, a, um, adject. ad defrutum pertinens. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 9. Pars fructuaria dividitur in cellam oleariam, torculariam, cellam vinariam, defrutariam. *Id.* 12. *ibid.* 19. 3. Defrutaria vasa. — Hinc

Defrutarium, ii, absolute, subaudi *vas*. *Colum.* 12. *R. R.* 20. 2. Harum rerum singulæ libræ in defrutarium, — quum jam deferbuerit et expurgatum erit, tum adjici debent.

DĒFRŪTO, as, are, a. 1. Defrutare est defruto condire (It. *conciare col vino cotto*; Fr. *faire cuire le vin nouveaux, faire du vin doux*; Hisp. *hacer cocer el vino nuevo*; Germ. *zu Mostsaft einkochen lassen*; Angl. *to boil new wine till it becomes* defrutum). *Cato R. R.* 24. Quidquid vini defrutabis, partem trigesimam defruti addito. *Colum.* 2. *R. R.* 24. 4. Defrutum quoque facere et defrutare vinum feriis licet. *Id.* 12. *ibid.* 37. 1., ubi docet vinum simile Græco facere, addit quosdam defruti sextarium miscere in musti sextarios XLVIII, nonnullos etiam duos adjicere, si existimant vini notam parum esse firmam: hinc patet, cur solerent veteres Romani defrutum vino miscere.

DĒFRŪTUM, i, n. 2. Apud *Pelagon.* 28. 21. *defritum* scribitur. — Ceterum *defrutum* est vinum coctum. *V.* CARENUM. *Varro* apud *Non. p.* 551. 24. *Merc.* et *Colum.* 12. *R. R.* 20. 8. et 21. 1. Ita vocant mustum decoctum ad tertias: at *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (80). usque ad dimidiam partem: quod vero ad tertias decoquitur, tum *Id. ibid.*, tum *Pallad.* 11. *R. R.* 18. sapam vocant. *V.* SAPA. *Virg.* 4. *G.* 269. igni pinguia multo Defruta. Ubi *Servius*: vina decocta et defraudata proprio sapore: quod confirmat etiam ad *eumd.* 2. *ibid.* 93. *Palladius* vero *loc. cit.* hæc habet: Defrutum a defervendo dictum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit. Hanc etymologiam confirmat *Non. loc. cit.* et quidem ex *Varrone*, ut videtur. At *Pontedera Op. posthum. T.* 1. *p.* 279. *defrutum* ab antiquissimo verbo *defruo* derivandum censet, quod est consumere quid coctura, et ad minorem modum redigere; qui enim mustum coquendo ad tertias redigit, defrutum facit, atque hinc Veneti vernacula lingua dicunt *fruare*, quod est consumere. Porro inde ortum verbum *defruto*, quo significatur vinum defruto condire. *V.* FRUOR. Ceterum clarius deducitur etymon, si *defruo*, a quo *defrutum*, idem est ac *defervo*, ut recte putat *Klotz*. Etiam apud *Plaut. Pseud.* 2. 4. 51. *defrutum* legitur.

DĒFŬAM, as, at, pro *desim, is, it*, usitatum veterib. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 3. Metuo ne defuat oratio. *Al. leg.* defuerit. Ceterum *V.* DESUM.

DĒFŪGA, æ, m. 1. qui defugit, perfuga, transfuga. *Prudent.* 1. περὶ στεφ. 42. Idolis litare nigris, esse Christi defugas. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 12. 19. 3. Curiæ, vel collegii defugæ.

DĒFŬGĬO, fŭgis, fūgi, fŭgere, a. 3. (de *et* fugio). Part. *Defugiendus* sub *a*. — Defugio est effugio, evito, recuso (It. *sfuggire, schivare, ricusare*; Fr. *éviter en fuyant, éviter, fuir*; Hisp. *huir, evitar*; Germ. *davonfliehend vermeiden, ausweichen, fliehen*; Angl. *to shun, avoid, refuse to accept of*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 19. Si auctoritatem postea defugeris. *Ter. Eun.* 2. 3. 98. Numquam defugiam auctoritatem. *V.* AUCTORITAS. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant. *Cic.* 6. *r. p.* 15. munus. *Id. Sull.* 11. 33. auctoritatem consulatus mei. *Id.* 5. *Tusc.* 41. 118. Injurias fortunæ, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. *Id. Planc.* 32. 77. Nullas sibi neque contentiones, neque dimicationes, nec pro republica, nec pro me defugiendas putavit. *Plin.* 1. *Ep.* 8. *ad fin.* Defugere assentationem vulgi et acclamationem. — *Defugere prælium*, vitare, nolle pugnare, apud *Cæs.* 1. *B. C.* 82., ubi alii leg. *diffugere*, sed minus recte. Differunt enim hæc duo, quod *diffugere* est hac illac diversos fugere; et fere de pluribus dicitur: *defugere* est devitare, recedere, recusare, ut dictum est; et de uno etiam usurpatur. — *b*) Cum addita propositione subjunctiva. *Varro* 2. *R. R.* 1. 2. Nec tamen defugio, quin dicam quæ scio de suillo pecore. — *c*) Absolute. *Cæs.* 1. *B. C.* 32. Orat, rempublicam suscipiant, atque una secum administrent: sin timore defugiant. *Liv.* 5. 38. Circa ripam Tiberis, quo totum sinistrum cornu defugit. *Est qui malit* diffugit. *Grat. Cyneg.* 159. Defugere ab sacris.

DĒFŪGO, as, are, a. 1. (de *et* fugo) idem quod fugo. *Theod. Priscian.* 1. 4. Capillos locis propriis defugabis, si etc.

DĒFULGŬRO, as, are, a. 1. (de *et* fulgur) ignem, quasi fulgur, emitto. *Auson. Perioch.* 5. *Iliad.* Undantem clipeus defulgurat ignem.

DĒFUNCTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est actus defungendi, seu perficiendi aliquid. *Salvian.* 1. *Gub. Dei* 8. Immolari sibi Deus filium jussit, pater (*Abraham*) obtulit, et, quantum ad defunctionem cordis, immolavit. *Alii leg.* definitionem. ¶ 2. Est etiam idem ac mors. *Vulgat. Interpr. Eccli.* 1. 13. In die defunctionis suæ. *Gloss. Cyrill.* Τελευτή, decessus, obitus, defunctio.

DĒFUNCTŌRĬĒ, adverb. perfunctorie, leviter, remisse, ita ut defunctus esse officio videare, non acriter et data opera. *Seneca* 5. *Controv.* 31. *sub fin.* Defunctorie causam meam egissem? *Ulp. Dig.* 38. 17. 2. *a med.* Defunctorie aliquid petere.

DĒFUNCTŌRĬUS, a, um, adject. levis, remissus. Defunctorium enim dicitur quidquid ita fit, ut ad defungendum officio satis esse videatur. *Petron. Satyr.* 136. Nec satiatus defunctorio ictu, morte me anseris vindicavi. *Id. ibid.* 132. Apodixin mihi defunctoriam redde.

DĒFUNCTUS, a, um. *V.* DEFUNGOR.

DĒFUNCTUS, us, m. 4. idem quod mors. *Tertull. advers. Valentinian.* 26. Defunctui subjacere.

DĒFUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. (de *et* fundo). Part. *Defusus* sub *a* et *c*; *Defusurus* et *Defundendus* sub *a*. — Defundo est deorsum fundo, effundo (It. *versare, spargere*; Fr. *verser, répandre, jeter*; Hisp. *echar, derramar*; Germ. *hinabgiessen*; Angl. *to pour down, pour out*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 156. Defundere aquam. *Cels.* 6. 6. n. 1. Ovi album in vas defundendum est. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 10. Quod defluxerit in rotundum labrum, protinus capulator depleat, et in fictilia labra defundat. *Silv.* 5. 154. Donec abundanter defusa sanguine late Procubuit moriens. *Stat.* 1. *Theb.* 352. Auster defundit imbres. *Veget.* 2. *Veterin.* 20. 2. *Schneid.* Eo momento, quo potionem defusurus es, per singula animalia singulas heminas aquæ frigidæ et recens sumptæ potioni debet adjungere. — *Defundere vinum* proprie significat in pateram, vel cyathum ex dolio, aut cado fundere bibendi causa. *Diffundere* autem, ex lacu in amphoram, cadum, vel dolium condere servandi causa. Hæc tamen apud scriptores sæpe librarii confundere. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 58. Ac nisi mutatum parcit defundere vinum. *Ovid.* 5. *Fast.* 517. Quæque puer quondam primis diffuderat annis, Prodit fumoso condita vina cado. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 14. 16. (94). Apothecas fuisse et diffundi solita vina, apparet indubitato Opimiani vini argumento. — Contraria ratione *Pallad.* 1. *R. R.* 18. Ex lacubus canales structi per parietes currant, et subjectis lateri suo doliis manantia vina defundant. — *b*) Specialiter apud Poetas dicitur et de iis, quæ magna copia effunduntur. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 29. fruges pleno defundit Copia cornu. *Petron. Satyr.* 5. Sic flumine largo Plenus, Pierio defundes pectore verba. — *c*) Item specialim in sacris usurpatur de libamine faciendo. *Horat.* 4. *Od.* 5. 33. te prosequitur mero Defuso pateris. *Grat. Cyneg.* 174. defusaque Massica prisco Sparge cado. *Val. Max.* 2. 6. n. 8. Defuso Mercurio delibamenta.

DĒFUNGOR, gĕris, ctus sum, gi, dep. 3. (de *et* fungor). Part. *Defunctus* et *Defuncturus*. — Defungor est idem quod fungor, vel omnino et plene fungor, perfungor, officium partesque meas plene exsequor, atque adeo liberor, solvor officio, molestia, periculo (It. *fare, eseguire, compire, sbrigarsi, liberarsi*; Fr. *s'acquitter d'une fonction, accomplir, acquitter, exécuter*; Hisp. *cumplir, executar plenamente*; Germ. *sich einer Sache entledigen, ein Geschäft zu Ende bringen, vollenden, davon, ab- oder loskommen*; Angl. *to discharge, execute, perform, get rid of, be freed from*). Usurpatur — *a*) Cum Ablativo rei, qua quis defungitur. *Lucret.* 4. 959. Et quoi quisque fere studio defunctus adhæret. *Al. leg.* devinctus. *Cic. Rosc. Am.* 8. 21. Quum etiam qui ante metuerant, redirent, ac jam defunctos se periculo arbitrarentur. *Id. Sext.* 34. 71. Defunctus omni populari concitatione. *Id.* 7. *Verr.* 68. 175. Defunctus honoribus. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 21. Neque ego lubenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungor orationis. *Liv.* 3. 8. Defuncta morbis corpora salubriora esse inceperunt. Cf. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 1. Campania toties defuncta metu (*montis Vesuvii*). Rursus *Liv.* 25. 35. Defuncti suo bello. *h. e.* soluti a suo bello. *Id.* 1. 4. Defungi imperio alicujus. *et ibid.* 25. Ille defungi prælio festinat. *Id.* 5. 5. Instare et perseverare defungique cura. *Id.* 29. 21. Libera corpora placere Locrensibus restitui, non levi defuncturum pœna, qui non restituisset. *h. e.* non levi afficiendus pœna. *Horat.* 3. *Od.* 24. 15. Defunctumque laboribus Æquali recreat sorte vicarius. *Curt.* 4. 4. *extr.* Carthago multis casibus defuncta. *Justin.* 1. 5. Defungi somnio. *h. e.* somnii sortem implere. *Id.* 12. 2. Defuncti responso. *h. e.* qui oraculi responsum ac jussa impleverunt. *Seneca Phœniss.* 318. Defungi scelere. *Id. Hippol.* 128. nulla Minois levi Defuncta amore est: jungitur semper nefas. *h. e.* leviter amavit. — *Defunctus vita, morte*, etc. dicitur qui suum vitæ curriculum, quem debuit, implevit et ad plures transiit. *Tibull.* 3. 3. 9. quum permenso defunctus tempore lucis, Nudus Lethæa cogerer ire rate. *Forcellinus* legebat cum Accus. *h. e.* præmensæ defunctus tempora lucis. *Virg.* 4. *G.* 475. Defunctaque corpora vitā Magnanimum heroum. Sic *Horat.* 2. *Ep.* 1. 21. nisi quæ terris semota, suisque Temporibus defuncta videt, fastidit et odit. *h. e.* quæ sua vivendi tempora implevere. *Ovid.* 9. *Met.* 251. Idque ego defunctum terrā cœlestibus oris Accipiam. *h. e.* terrena parte solutum. *V.* locum *Sueton. Cæs.* 89. Neque quisquam sua morte defunctus est. *Curt.* 3. 11. Circa currum Darii jacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti. *h. e.* non modo mortui sunt, verum etiam sævissima sua fata honestā morte impleverunt. V. *Mützell* ad *Curt.* 5. 25., ubi similiter *honesta morte defunctus* legitur. — *b*) Absolute, vel cum casu instrumenti; et est solvi, liberari. *Ter. Phorm.* 5. 8. 32. Cupio misera in hac re jam defungier. *paragoge pro* defungi. *Cic.* 5. *Verr.* 16. 42. Quum tribus decumis pro una defungeretur. *hoc loco* defungi pertinet ad pensitationem: *V.* FUNGOR. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. Hoc mendacio, si qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur, optavi. *Liv.* 10. 29. Vicisse Romanos, defunctos consulis fato. *h. e.* a periculo liberatos consulis morte. Sic *Id.* 1. 52. Defuncta civitas plurimorum morbis, perpaucis funeribus. *h. e.* pestilentia liberata, quum plurimi morbo correpti, perpauci vero mortui fuissent. *Curt.* 8. 1.

Prospero eventu defunctus (*h. e.* periculis) Alexander. *Virg.* 9. *Æn.* 98. Carinæ defunctæ, *h. e.* periculis. *Plin.* 25. *Hist.* nat. 2. 5. (9). Ceteri sermone herbas tradidere: aliqui ne effigie quidem indicata, et nudis plerumque nominibus defuncti. *h. e.* prolatis tantum herbarum nominibus totam rem expedierunt. — Hinc absolute *defunctus* est mortuus. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 108. Ut mea defunctæ molliter ossa cubent. *Flor.* 3. 20. Duces defuncti prælio. *Plin.* 9. *Ep.* 9. Oblivisci defunctorum. *Quintil.* 1. 1. 28. et 12. 10. 61. Defunctos excitare. Adde *eumd.* 5. 5. 2. et 5. 14. 15. *Tac.* 15. *Ann.* 22. Defunctaque virgo Vestalis Lælia. Adde *Sueton.* *Tib.* 6., *Aug.* 99. et alibi; *Martial.* 8. 57.; *Lucan.*; *Tac.* etc. Hinc etiam *Curt.* 4. 10. Mater Darii defuncto assidens corpori. Adde *eumd.* 4. 41. et *V.* ibi *Mützell*; et cf. *Virg.* 4. *G.* 475., cujus verba sub *a* in fine retulimus. Sic *Lucan.* 3. 720. Defunctum cadaver. — Vocem *defunctus*, utpote ominosam, numquam aut raro admodum in antiquis sepulcrorum titulis usurpatam existimarunt nonnulli, easque inscriptiones, in quibus ea legitur, ad Christianos homines pertinere. Utrumque falsum esse citatis exemplis sane pluribus probat *Clem. Biagi* in *Monum. Græc.* et *Lat. Mus. Nanian. p.* 198. — *c*) Passive et quidem — Impersonaliter. *Ter. Adelph.* 3. 5. 63. Utinam hoc sit modo defunctum. *Liv.* 2. 35. Adeo infensa erat coorta plebs, ut unius pœna defungendum esset, patribus. — Part. præter. *Claudian.* *Phœnic.* 40. tunc conscius ævi Defuncti reducisque parans exordia formæ. *h. e.* ætatis transactæ.

DĒFŪSUS, a, um. *V.* DEFUNDO.

DEFUTŪTUS. *V.* DIFFUTUTUS.

DĒGĔNER, nĕris, omn. gen. 3. (de *et* genus) qui a sui generis natura longe abest (It. *tralignante*, *bastardo*; Fr. *qui dégénère*, *dégénéré*, *abâtardi*; Hisp. *degenerado*, *bastardeado*; Germ. *aus der Art schlagend*, *ausgeartet*, *unächt*; Angl. *unlike his ancestors*, *degenerate*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Virg.* 2. *Æn.* 549. Illi mea tristia facta, Degeneremque Neoptolemum narrare memento. *Lucan.* 8. 693. et *Seneca Agamemn.* 387. Degener proles. *Hippol.* 908. sanguis. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (10). Aquila imbellis et degener. *Id.* 17. *ibid.* 5. 3. (33). Atræ et degeneres herbæ. *Id.* 37. *ibid.* 4. 15. (58). Adamantes degeneres. *Id.* 11. *ibid.* 50. 111. (265). Canum degeneres caudam sub alvum reflectunt. — *b*) Cum Genitivo. *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 7. Juvenis patrii non degener oris. *Id.* 11. *Met.* 314. patriæ non degener artis. *Sil. It.* 10. 69. altæ virtutis patrum. *Stat.* 9. *Theb.* 619. sanguinis. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 8. 8. (45). Atlantes degeneres sunt humani ritus, si credimus. Nam neque nominum ullorum inter eos appellatio est.

II.) Translate est, qui a virtute majorum suorum recedit, vilis, ignobilis. *Virg.* 4. *Æn.* 13. Degeneres animos timor arguit. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 40. Neque degenerem ad pericula. *Curt.* 7. 23. 29. Paulatim a domestico externo sermone degeneres. *Lucan.* 3. 149. Degener metus. *Val. Flacc.* 1. 164. questus. *Seneca Herc. Œt.* 1388. clamor. *Id. Hippol.* 492. haud illum niger Edaxque livor dente degeneri petit. *Tac.* 12. *Ann.* 19. Prece haud degenere permotus, *h. e.* non abjecta et indigna illo, a quo adhibebatur. *Id.* 4. *ibid.* 61. Vita non degener. *Id.* 11. *ibid.* 19. Insidiæ non degeneres. *h. e.* quæ non dedecebant Romanos, a quibus fiebant. *Id.* 3. *Hist.* 65. Vultus procul visentibus notabantur, Vitellii projectus et degener, Sabinus non insultans et miseranti propior.

DĒGĔNĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. mutatio in pejus. *Boeth. de unit. et uno p.* 860. Secundum descensum unitatis a superiore ad inferius fit degeneratio.

DĒGĔNĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒGĔNĔRO, as, avi, ātum, are, 1. (de *et* genus). Part. *Degenerans* sub *A* II.; *Degeneratus* sub II. et in fin. — Degenero est degener fio, a mei generis natura discedo, et in pejus declino mutorque (It. *tralignare*, *bastardare*, *degenerare*; Fr. *dégénérer*, *s'abâtardir*; Hisp. *degenerar*, *bastardear*; Germ. *aus der Art schlagen*, *entarten*; Angl. *to degenerate*, *grow worse*, not *to come to*, *to fall short of*). Usurpatur autem *A*) Neutrorum more, et *B*) Active.

A) Neutrorum more; et quidem

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Virg.* 2. *G.* 59. Poma quæ degenerant succos oblita priores. *Id.* 1. *ibid.* 198. Vidi lecta diu (*semina*), et multo spectata labore Degenerare tamen. Adde *Colum.* 3. *R. R.* 10. 17. *Id.* 2. *ibid.* 9. 11. Etiam siccis frumenta degenerant. *Plin.* 18. *Hist.* nat. 17. 44. (149). Hordeum in arenam degenerat. *Id.* 17. *ibid.* 15. 25. (117). Si sativæ (*plantæ*) silvestribus inserantur, degenerant in feritatem. — *b*) Cum addito Ablat. et præp. *ab.* *Cic.* 13. *Phil.* 15. 30. Frater tuus, qui a vobis nihil degenerat.

II.) Translate degenerare dicitur, qui a virtute majorum suorum recedit: et occurrit — *a*) Absolute, aut cum addito *in aliqua re* vel *ad aliquam rem.* *Cic.* 5. *Verr.* 68. 159. Consuetudo eum et disciplina degenerare non sineret. *Liv.* 9. 18. Exercitus degenerans. *Capitolin.* *Macrin.* 7. Solus Marcus nomen illud sanctum (*Antonini*) vitæ genere auxisse videtur, Verus autem degenerasse, Commodus vero etiam polluisse sacrati nominis reverentiam. *Alii pro* degenerasse *legunt* degenlasse. *Tac.* 15. *Ann.* 68. Nec ceteri centuriones in perpetiendis suppliciis degeneravere. *Id.* 14. *ibid.* 21. Honesto loco ortum degenerare ad theatrales artes. — *b*) Sæpius cum Ablat. et præpos. *ab.* *Cic. Flacc.* 11. 25. Ab hoc perenni contestataque virtute majorum degenerare. *Id.* 1. *Divinat.* 3. 6. a Stoicis. *Liv.* 9. 31. Nolo ego istam in te modestiam, ne degeneraveris a familia imperiosissima et superbissima. *Tac. Germ.* 45. Non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerare. *Id.* 3. *Hist.* 28. a forma situque sua. *Sueton.* *Aug.* 17. a civili more. — Et passive impersonaliter. *Val. Max.* 2. 7. *n.* 7. Mars imperii nostri pater, ubi aliqua ex parte a tuis auspiciis degeneratum erat, numen tuum propitiabatur. — *c*) Cum Dativo poetice. *Stat.* 1. *Theb.* 461. et Marti non degenerare paterno. *Manil.* 1. 78. Degenerant nati patribus. *Claudian.* IV. *Cons. Honor.* 366. et patri non degeneraret Achilli.

B) Active, et quidem

I.) Proprie est degenerem reddere. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 11. Si Venus teneris canibus conceditur, carpit vires, animosque degenerat. — Hinc passive. *Solin.* 17. Adulterinis coitibus degenerantur partus leænarum.

II.) Improprie. ¶ 1. Est facere, ut quis a virtute majorum suorum recedat. *Val. Max.* 8. 4. Vitaturum se dicerent degenerati patris conspectum. ¶ 2. Hinc ponitur et pro dehonestare, dedecorare. *Propert.* 4. 1. 81. (*Me*) non degenerasse propinquos. *Ovid.* 7. *Met.* 543. Acer equus quondam, magnæque in pulvere famæ Degenerat palmas. *Id.* 3. *Pont.* 1. 45. Hanc cave degeneres. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 160. Degenerare honorem. *Ubique alii aliter legunt.* *Id.* 4. *Theb.* 149. famam. — Hinc

Degeneratum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, ut *auditum*, *pronunciatum* etc. *Liv.* 1. 53. Nec, ut injustus in pace rex, ita dux belli pravus fuit. Quin ea arte æquasset superiores reges, ni degeneratum in aliis huic quoque decori obfecisset. *V.* Interpp. ad h. l.; ac præcipue consule *Madvig* ad *Cic. de Fin. p.* 631. et *Mützell* ad *Curt.* 7. 23. 29.

DĒGĔNĬO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (de et genius). Part. *Degeniatus.* — Degenio est genio suo privo, hoc est infamo, dehonesto. *V.* GENIUS. *Cassiod.* 5. *Variar.* 5. *ad fin.* Commonemus, ut præpositorum commoda non præsumas, nec quidquid eos potestatis habere reverenda sancit antiquitas, aliqua usurpatione degenies. *Al. leg.* degeneres; *al.* deneges. *Id.* 12. *ibid.* 10. Si ad illum diem arcario nostro, dispunctis rationibus, non aut per te intuleris, aut destinaveris quantitatem, degeniatus in provinciam velociter redides, quæ te male distulisse cognoscis. *V.* et DEGENERO II. *a.*

DEGERE antiqui posuerunt pro expectare. *Paul. Diac. p.* 73. 4. *Müll.*

DĒGĔRO, is, ere, a. 3. (de *et* gero) idem fere quod gero.

I.) Proprie. *Plaut. Men.* 5. 2. 53. Mea ornamenta ad meretrices degerit. *Id. ibid.* 5. 1. 41. Aurum meum domo suppilas uxori tuæ, et tuæ degeris amicæ.

II.) Translate, degerere in pastillos, *h. e.* conformare, pastillos ex aliqua re conficere, est apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 27. 60. (131). Siccata (*uva*) degeritur in pastillos. *Veteres editiones habent* digerere: *quam lectionem retinuit et Sillig.* — Degerere bellum, bellum gerere. *Lucret.* 1. 965. Nautæ contrarium cum ventis degerere bellum. Al. leg. *cernere*, alii rectius *degere.* Si *degerere* retineas, versus est hypermeter, quod in *Lucretio* tamen rarum non est.

DĒGLĂBRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒGLĂBRO, as, ātum, are, a. 1. (de et glabro). Part. *Deglabratus.* — Deglabro est glabrum reddo, glabro, corticem aut pilos detraho. *Paul. Dig.* 47. 7. 5. Arbores cingere est deglabrare. *V.* DECLAVO. *Lactant.* 1. 21. Isidis sacerdotes, deglabrato corpore, sua pectora tundunt. *V.* DIGLUBO.

DĒGLŪBO, bis, ptum, bere, a. 3. (de *et* glubo). Part. *Degluptus* II. 1. — Deglubere est corticem eximere.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 48. 2. Quod eo folliculo deglubitur granum.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro excoriare. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 33. Deglupta mœna. *Marcell. Empir.* 15. *a med.* Mus degluptus. — Hinc illud: *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.* Ita rescripsit Tiberius præsidibus provincias tributis onerandas suadentibus, apud *Sueton.* in *ejus Vita* 32. Sic *Varro* apud *Non. p.* 158. 21. *Merc.* Pellam Medeæ permisisse, ut se vel vivum degluberet, dummodo redderet puellum. ¶ 2. Obsceno sensu. *Auson. epigr.* 71. Deglubit, fellat, etc. *h. e.* masturbat.

DĒGLŪPTUS, a, um. *V.* voc. præced.

DĒGLŪTĬNO, as, are, a. 1. (de *et* glutino) dissolvo, quod glutinatum erat. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 103. (163). Palpebras deglutinat andrachle.

DĒGLUTTĬO *vel* deglutio, is, ire, a. 4. (de *et* gluttio *vel* glutio) est cibum, vel potum per gulam ad stomachum transmittere.

I.) Proprie. *Fronto* 1. *ad amic.* (edente iterum *A. Mai.*) *Ep.* 15. Uvarum avidissimus est: primum denique hunc cibum degluttivit. *Alcim. Avit.* 4. 631. *de balæna Jonæ.* Degluttire virum, fauces implere capaces.

II.) Improprie est patienter vel æquo animo ferre, quod minus probatur, qua significatione *inghiottire* etiam num Itali dicunt. *Boeth. de duabus nat. p.* 918. Nec degluttiebam, quod acceperam, sed frequentis consilii iteratione ruminabam.

DĒGO, gis, gi, gere, a. 3. (de *et* ago). *Degui* præterit. formavit *Auson.* pro *degi*, *epist.* 17. In comitatu deguimus ambo ævo dispari. *Al. tamen leg.* degimus. *Ennod. Paneg. Theodor.* 19. Magistratum, etiam si longe deguerit, exigit qui meretur. et *Idar. præfat. ante med.* Esto, ut in sanctis, quibus deguit (*Hieronymus*) Hierosolymorum locis, quamplurima de his, quæ sunt inserata, subjecerit. — Part. *Degens* et *Degendus.* — Ratione habita etymi, *Non. p.* 278. 16. *Merc.*, eumque secuti *Lipsius* et alii dego poni ajunt pro *demo*, minuo, detraho, quasi deago, confirmantque exemplis ex *Plaut. Epid.* 1. 1. 63., *Men.* 5. 1. 41. et *Aulul.* 2. 1. 43. Item ex *Apul. de Mag.* et *Gell.* 17. 16., in quibus omnibus locis varia ac dubia est lectio. Addi potest et illud *Caton. R. R.* 37. *sub fin.* De vinea et arboribus putatis sarmenta degere et fiscinam facere etc. Sed hic quoque alii aliter. At perspicuus est locus *Fronton.* 4. *ad M. Cæs.* 3. *a med.* Potest æstus per vestis intervalla depelli, potest degi, potest demeare, potest circumduci, potest interverti, potest eventilari. — Rectius tamen *dego* a *de* et *ago* usurpatur de tempore, et *degere vitam*, *ætatem*, etc. est agere; quasi usque ad finem agere, ut de vim habeat τοῦ per: vel quasi deorsum agere, decurrere, ætatem consumere (It. *passare*, *menar la vita*, *il tempo*, *vivere*; Fr. *passer*, *consumer le temps*, *vivre*; Hisp. *pasar el tiempo*, *vivir*; Germ. *eine Zeit zubringen*, *verleben*, *leben*; Angl. *to lead*, *pass*, *or spend one's life*, *to live*, *exist*). Occurrit — *a*) Active cum Accusativo. *Plaut. Most.* 3. 1. 3. Degere a mane ad noctem usque in foro diem. *Ter. Adelph.* 4. 1. 6. diem in lætitia. *Plaut. Cas.* 2. 4. 12., *Cist.* 1. 1. 79. et *Pseud.* 1. 3. 131.; *Ter. Phorm.* 2. 3. 70.; *Lucret.* 3. 508.; et *Cic.* 2. *Fin.* 35. 118. ætatem. *Cic. Rosc. Am.* 52. 150. ætatem inter feras. *Id. Senect.* 1. 2. omne tempus ætatis. *Lucret.* 2. 1092. placidum ævum. *Cic. fragm.* apud *Augustin.* 4. *Trinit.* 2. in beatorum insulis immortale ævum. *Lucret.* 3. 313. vitam. Sic *Cic. Sull.* 27. 75. fœdissimam vitam ac miserrimam cum aliquo. Adde *Virg.* 4. *Æn.* 551. *Horat.* 1. *Od.* 31. 20. senectam turpem. *Catull.* 68. 104. otia. *Lucret.* 4. 969. bellum. *V.* DEGERO. — *b*) Passive. *Lucret.* 2. 15. Qualibus in tenebris vitæ quantisque periclis Degitur hoc ævi quodcumque est. *Cic.* 1. *Nat. D.* 19. 50. Quærere soletis, quæ vita deorum

sit, quæque ab iis degatur ætas. *Id. Amic.* 23. 87. Amicitia nullam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem sui. Adde *Lucret.* 1. 1178. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Sine queis vita degi non possit. — *c*) Absolute pro vivere, durare. *Horat.* 3. *Od.* 29. 41. Ille potens sui, Lætusque deget, cui etc. *Seneca Ep.* 74. *ante med.* Animalia sine nequitia, sine fraudibus degunt. *Curt.* 9. 3. Inter feras serpentesque degentes. *Tac.* 4. *Ann.* 57. Certus procul Urbe degere. *Plin.* 12. *Hist. nat. proœm.* § 1. Etiamnunc gentes sic degunt. *Id.* 6. *ibid.* 17. 19. (50). et 25. 29. (112). Degere ex æquo cum aliquo. *h. e.* concorditer, iisdem legibus atque institutis. *Id.* 31. *ibid.* 7. 41. (88). Vita humanior sine sale non quit degere. *h. e.* subsistere, durare nequit.

DĒGRĂDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒGRĂDO, as, avi, atum, are, a. 1. (de *et* gradus). Part. *Degradatus* sub *a.* — *a*) Active est gradu dignitatis moveo, honore privo. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 1. 31. 3. Verberandi degradandive senatores licentiam denegamus. *Alii rectius leg.* regradandive. Certior est lectio apud *Idac. Chron.* ad *Olymp.* CCCXII. Nunciantes Asparem degradatum ad privatam vitam. — *b*) Neutrorum more est gradu dejicior, amoveor. *Venant. Fort. Vit. S. Radeg.* 3. Ideo, juncta principi, timens ne Deo degradasset, quam mundi gradu proficeret, etc.

DĒGRANDĬNAT, impers. 1. vehementer grandinat. *Ovid.* 4. *Fast.* 755. Da veniam culpæ, nec, dum degrandinat, obsit Agresti fano supposuisse pecus. *Quidam interpretantur* dum grandinare desinit.

DĒGRASSOR, aris, atus sum, ari, dep. 1. (de *et* grassor). Part. *Degrassatus* sub II. — Degrassor

I.) Proprie ac stricto sensu, neutrorum more, est cum impetu et celeri gradu descendo. *Apul. de Deo Socrat.* Quippe si aquæ humore fecundæ sunt, velut ad fœtum edendum, deorsum degrassantur. *Alii leg.* degravantur; Burmann. vero decrassantur *conjecit.*

II.) Translate, quemadmodum et *grassari*, ponitur pro vexare, malis ac damnis afficere. *Stat.* 1. *Achill.* 406. ubi tanta injuria primos Degrassata duces.

DĒGRĂVĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒGRĂVO, as, atum, are, a. 1. (de *et* gravo). Part. *Degravans* et *Degravatus* I. — Degravo est valde premo, aggravo.

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 15. Nervisque et musculis robusta (*boum corporatura*), non adipibus obesa, ut nec sui tergoris mole, nec labore operis degravetur. *Id.* 1. *ibid.* 5. 10. Ædificium paullatim degravatum pondere suo præceps attrahetur. *Phædr.* 4. 21. et *Apul.* 7. *Met. extr.* Degravatus pondere. *Propert.* 3. 7. 58. meum degravat unda caput. *Ovid.* 5. *Met.* 351. Læva, Pachyne, tibi; Lilibæo crura premuntur; Degravat Ætna caput. *Id.* 13. *ibid.* 776. aut gradiens ingenti littora passu Degravat. *Id.* 4. *Fast.* 4. 35. Hæc (*floribus*) implet lento calathos e vimine textos; Hæc gremium, laxos degravat illa sinus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 5. 4. (10). Navigii statim degravari, quas insederit partes, et si diutius permaneat, etiam mergi. *Liv.* 3. 62. Quæ (*duo hominum millia*) ubi, illatis ex transverso signis, degravabant prope circumventum cornu, etc. — Figurate. *Seneca Ep.* 30. *init.* Bassum Aufidium, virum optimum, vidi quassum, ætati obluctantem. Sed jam plus illum degravat, quam quod possit attolli. Magno senectus et universo pondere incubuit. — *b*) Absolute. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (83). Pulverum mole degravante.

II.) Translate ponitur pro molestiis afficere. *Liv.* 4. 32. *extr.* Etiam peritos nandi lassitudo et vulnera et pavor degravant.

DĒGRĔDĬOR, grĕdĕris, gressus sum, grĕdi, dep. 3. (de *et* gradior). Part. *Degrediens* et *Degressus.* — Degredior est gradior: et occurrit — *a*) Cum addito unde et quo quis degreditur. *Plaut. Cas.* 3. 5. 40. Sciens de via in semitam degredere. *Sall. Jug.* 49. Degredi monte. *Liv.* 5. 52. ex arce. *Id.* 8. 35. templo. *Id.* 21. 32. Ubi primum degressos tumulis montanos sensit. *Tac.* 1. *Hist.* 61. Cæcina Penninis Alpibus degredi jussus. *Id.* 4. *Ann.* 49. Degredi castello, tumulis. *Liv.* 7. 21. Alia in campum degressis superérat moles. Adde *eumd.* 44. 5. *Tac.* 2. *Ann.* 54. In specum degressus sacerdos, hausta fontis arcani aqua, etc. *Id. Agric.* 18. In æquum degredi non audebant. *Liv.* 3. 62. *fin.* Peditem ne ad pedes quidem degresso equiti parem esse. Adde *eumd.* 29. 32. — Absolute. *Liv.* 40. 22. Qua triduo ascenderat, biduo est degressus. *Tac.* 13. *Ann.* 14. Degrediente eo magna prosequentium multitudine. *Id. Agric.* 37. Britanni, qui adhuc pugnæ expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paullatim et circumire terga vincentium cœperant. Adde *eumd.* 2. *Hist.* 51.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 21. (58). — Ceterum *V.* DIGREDIOR.

DĒGRĔGO. *V.* DISGREGO.

DĒGRESSĬO, onis, f. 3. actus degrediendi. Translate est figura rhetorum et quidem apud *Cic.* 3. *Orat.* duplex. Nam *c.* 53. 205. unam ponit inter figuras sententiarum, quum pluribus verbis integraque sententia a proposito declinatur. *Cap.* vero *sequenti* § 207. recenset inter ornamenta verborum, et intelligere videtur, quum uno aut altero verbo extra rem itur, rediturque statim ad prius. Utroque loco alii leg. *digressio:* at *Orell.* utrobique legit degressio; quamvis in notis monere videatur, secundo loco vocem *degressio* esse omittenda.

DĒGRESSUS, a, um. *V.* DEGREDIOR.

DĒGRESSUS, us. *V.* DIGRESSUS.

DĒGRŪMOR, aris, ari, dep. 1. in rectum dirigere: a *gruma*, quæ dicitur a *Non.* p. 63. 6. *Merc.* esse mensura quædam, qua flexæ viæ ad lineam diriguntur, ut est agrimensorum. *Ennius ibid.* Degrumari ferrum. *Lucilius ibid.* viamque Vis degrumari, ut castris mensor facit olim. *V.* GROMA.

DEGRUNNIO. *V.* DIGRUNNIO.

DĒGŬLĀTOR, oris, m. 3. qui gulæ omnia consumit. *Apul. Apolog.* Omnia in paucis annis degulator in ventrem condidit, et dilapidavit. *V.* SORBILLATOR.

DĒGŬLO, as, avi, atum, are, a. 1. gulæ dare, ut *Non.* p. 97. 28. *Merc.* exponit. *Suecius*, seu *Suevius*, seu *Succius* vetus poeta (quem citat etiam *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. et alibi) apud *Charis.* 1. p. 80. *Putsch.* Postquam inter se degularunt omnia. *Afranius ibid.* et apud *Non. loc. cit.* Immo jamdudum occubuisse, degulasse oportuit. — In verbis *Afranii* videtur alia inesse sententia, quantum ex brevi fragmento licet conjicere, *h. e.* gulam fregisse, aut quippiam hujusmodi. At *V.* OCCUMBO.

DĒGŪNĔRE, degustare. *Paul. Diac.* p. 71. 21. *Müll.*, ubi Critici varia comminiscuntur, ut monstrum illud verbi expediant; *degunare* alii malient, alii *degumiare:* a *gumia*, gulosus. Rectius *Müllerus* ad h. l.: Apparet voc. *gustus* participium esse antiquioris verbi GUNO. Additque auctoritatem *Gloss. Labb.* Degunere, ἀπογεύσασθαι καὶ σύρφωσαι (lege συγγεῦσαι).

DĒGUSTĀTĬO, onis, f. 3. actus degustandi. *Ulp. Dig.* 18. 16. 1. Periculum vini sustinebit usque ad degustationem. Adde *ibid.* 33. 5. 3. *Inscript.* apud *Kellerm. Vigil. Rom. laterc.* p. 74. DE AMPULLIS PLACUIT, UT POST DEGUSTATIONEm POSSESSORI REDDANTUR.

DĒGUSTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒGUSTO, as, avi, atum, are, a. 1. (de *et* gusto). Part. *Degustans* I.; *Degustatus* I. et II. 1. et 2.; *Degustandus* II. 2. — Degusto est idem quod gusto, delibo, attingo (It. *gustare, assaggiare;* Fr. *goûter, déguster;* Hisp. *gustar;* Germ. *etwas oder von etwas kosten;* Angl. *to taste*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 148. Degustare vinum. *Varro* 2. *R. R.* 5. 15. *de vaccis.* pabulum. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 18. Nec degustanti lotos amara fuit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (119). carnem cervi. *Id.* 21. *ibid.* 12. 42. (72). Degustatus flos corni. *Ulp. Dig.* 18. 6. 1. Degustata vasa, vel dolia. *Ambros. Ep.* 9. 70. Degustato melle, favum prædictis edendum dedit.

II.) Translate. ¶ 1. De inanimis. *Lucret.* igni tribuit 2. 192. subsiliunt ignes ad tecta domorum, Et celeri flamma degustant tigna trabesque. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 5. 73. per veterem dilapso flamma culinam Vulcano, summum properabat lambere tectum. — *Imp. Constantin. M. Cod. Theod.* 16. 10. 1. Si quid de palatio nostro, aut ceteris operibus publicis degustatum fulgore esse constiterit, retento more veteris observantiæ, *Quid portendat*, ab haruspicibus requiratur. *h. e.* tactum, delibatum; vocabulo haruspicinæ, ni fallor, proprio. — *Virg.* 12. *Æn.* 376. Lancea summum degustat vulnere corpus. *h. e.* leviter ferit. Similiter *Sil. It.* 5. 273. leviterque e corpore summo Degustat cuspis generosum extrema cruorem. ¶ 2. Metaphorice ponitur pro aliquid mente tentare, attingere, aliquam sibi cognitionem acquirere. *Cic. proœm. Paradox.* Degustabis genus hoc exercitationum earum, quibus etc. *Id.* 5. *Tusc.* 21. 61. Visne, inquit, Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eamdem degustare? *Id.* 4. *Att.* 8. *extr.* Tu velim e Fabio, si quem habes aditum, odorere, et istum convivam tuum degustes. *h. e.* intimas ejus cordis latebras investiges, quid sentiat cognoscas. *Id. Cluent.* 26. 72. Qui aliquid ex ejus sermone speculæ degustarat. *Id.* 13. *Att.* 40. Degustare aliquid de fabulis. *Tac.* 6. *Ann.* 20. Degustare imperium. *Seneca Ep.* 33. Summatim degustare ingenia maximorum virorum. *Quintil.* 4. 1. 14. Degustanda tamen hæc proœmio, non consumenda. *h. e.* leviter breviterque attingenda. *Id.* 12. 2. 4. Degustare litteras primis labris. *Id.* 10. 1. 104. Nos genera degustamus, non bibliothecas excutimus. *Id.* 10. 5. 23. Una (*materia*) diligenter effecta plus proderit, quam plures inchoatæ et quasi degustatæ.

DEGYRO, as, are, n. 1. ex gyro flecto. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 156.

DĒHĂBĔO, es, ere, a. 2. minus habeo, careo. *Hieronym. Ep.* 22. n. 35. Ille ita universa moderatur, ut nemo quid postulet, nemo dehabeat.

DĒHAURĬO, hauris, hausi, haustum, haurire, a. 4. (de *et* haurio). In aliquot Codicibus legitur et *dehorio.* — Part. *Dehaustus* 1. — Dehaurio ¶ 1. Est idem quod haurio. *Cato R. R.* 66. Cum oleum sustuleris de cortina, amurcam dehaurito. Al. leg. *dehorito*, ut *plaustrum, plostrum*, etc. *Tertull. Resurr. carn.* 11. *sub fin.* Cato quocumque dehausta. ¶ 2. Item devoro. *Tertull. Pall.* 5. *ad fin.* Æsopus histrio margarita pretiosa dehausit.

DĒHAUSTUS, a, um. *V.* voc. præced.

DĒHINC, adverb. (de *et* hinc). *Dehinc* naturâ suâ disyllaba est, et primam corripit. *Virg.* 3. *G.* 167. Cervici subnecte: dehinc ubi libera colla. *Id.* 3. *Æn.* 464. Dona dehinc auro gravia etc. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 722. et 8. *ibid.* 337.; *Horat. Epod.* 16. 65. et *Art. P.* 144.; *Stat.* 3. *Silv.* 3. 63.; *Val. Flacc.* 1. 551. etc. Disyllabam primâ productâ nondum vidimus. — Apud Poetas aliquando synæresin patitur. *Virg.* 1. *Æn.* 135. Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur. Adde *eumd. ibid.* 260., 6. *ibid.* 678., 9. *ibid.* 480.; *Ovid.* 6. *Fast.* 788., etc. et *V. Apul. de Orthogr.* — Ceterum *dehinc* (ex *de et hinc*, haud aliter atque *abhinc, exhinc*, etc.) idem est atque *hinc*, nisi quod præpositio *de*, non modo vim addit, verum etiam in significationem auditorum animos facile convertit (It. *di quà, da questo luogo;* Fr. *d'ici, à partir d'ici;* Hisp. *de acá;* Germ. *von hier an, von hier weg, von diesem Punkte weg;* Angl. *from thence*). Usurpatur autem *A*) Stricto sensu ac raro de loco; et *B*) Latiori sensu ac sæpius de tempore.

A) Stricto sensu ac raro de loco; et quidem

I.) Proprie *dehinc* est ex hoc loco: qua tamen significatione occurrit tantum apud sequioris ævi scriptores. *Mela* 3. 8. 4. Interiora Gedrosii, dehinc Persæ habitant. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (38). Dehinc Italia, primique ejus Ligures. *Tac.* 4. *Ann.* 5. Ceterа Africæ per duas legiones, parique numero Ægyptus: dehinc initio ab Syria usque ad Euphratem quatuor legionibus coercita.

II.) Translate ponitur pro ex hac re, per consequentiam. *Plaut. Cas.* 1. 1. 5. Quin edepol etiam, si in crucem vis pergere, sequi decretumst te; dehinc conjicito ceterum, possisne necne, clam me sutelis tuis præcipere Casinam uxorem etc. *Ter. Andr.* 1. 2. 19. Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat. Dehinc postulo, sive æquumst, te oro, Dave, ut redeat jam in viam.

B) Latiori sensu ac sæpius de tempore usurpatur. ¶ 1. Speciatim de præsenti tempore, quod ratione habita futuri, sub oculos ponere ac præcipue notare volumus; nihil tamen refert, utrum præsens, an futurum aut etiam Imperativum sequatur: et *dehinc* est posthac, deinceps, scilicet a præsenti tempore incipiendo atque in posterum progrediendo. *Plaut. Asin.* 1. 1. 98. Profecto nemo est, quem jam dehinc metuam. *Ter. Andr. prol.* 22. Dehinc ut quiescant, porro moneo, et desinant. *Id. Eun.* 2. 3. 5. Deleo omnes dehinc ex animo mulieres. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 69. At at, scias nunc, dehinc Latine jam loquar. Adde *eumd.* 1. 2. 161. et *Asin.* 1. 3. 8. *Ter. Eun.*

5. 2. 33. At nunc dehinc spero, æternam inter nos gratiam fore. *Liv.* 1. 59. Vos, dii, testes facio me L. Tarquinium Superbum – ferro, igni, quacumque dehinc vi possim, exsecuturum. *Plaut. Asin.* 5. 2. 8. At nunc dehinc scito illum ante omnes minimi mortalem preti. *Id. Pœn. prol.* 125. Dehinc ceterum valete, edeste. — Raro admodum ratione habita præteriti temporis. *Sueton. Tit.* 8. Quum ex instituto Tiberii omnes dehinc Cæsares beneficia – aliter rata non haberent. Adde *eumd. Cal.* 58.; et *Val. Flacc.* 1. 551. ¶ 2. Generatim de quocumque tempore, sive præsenti, sive præterito aut futuro, inter quod et adverbium *dehinc* ratio constituitur: et quidem — *a*) Ut simpliciter significetur actio aliqua alteram subsequi atque excipere; ac propterea *dehinc* est idem ac postea. *Virg.* 1. *Æn.* 135. Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 99. Quum prorepserunt primis animalia terris –, Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro Pugnabant armis –: Donec verba, quibus voces sensusque notarent, Nominaque invenere: dehinc absistere bello, Oppida cœperunt munire, etc. *Id. Art. P.* 143. Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat. *Ovid.* 6. *Fast.* 788. Zona latet tua nunc et cras fortasse latebit: Dehinc erit, Orion, aspicienda mihi. *Cels.* 1. 3. *a med.* Primum cibis utatur: – dehinc, si parum illa proficient, aloen sumat. *Tac.* 1. *Ann.* 34. Sequanos – in verba ejus adigit. Dehinc audito legionum tumulto raptim profectus etc. *Sueton. Aug.* 97. De qua dehinc dicam. Adde *eumd. Ner.* 19., *Cæs.* 35. et *Tib.* 6. et 51. — Aliquando adverbium *dehinc* sequenti propositioni vel membro inducendo inservit. *Virg.* 3. *Æn.* 464. Quæ postquam vates sic ore effatus amico est, Dona dehinc – imperat ad naves ferri. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 337. — *b*) Usurpatur etiam in plurium rerum enumeratione, sive adverbio *primum, primo* vel similibus, sive alio quocumque modo enumerationis initium significetur. *Sall. Cat.* 3. In primis arduum videtur res gestas scribere, primum quod facta dictis exæquanda sunt; dehinc quia plerique – putant etc. Adde *Virg.* 3. *G.* 166. *Sueton. Domit.* 8. Olim absoluta, dehinc longo intervallo repetita. Adde *eumd. Aug.* 49. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 29. Incipiet ergo putrescere, dehinc laxata ire in tumorem etc. *Horat. Epod.* 16. 65. Ære, dehinc ferro duravit secula. *Sil. It.* 8. 472. Huic genus orditur Minos invisaque tauro Pasiphae, clarique dehinc stant ordine patres.

DĒHĬSCO, hiscis, hivi (ii), hiscere, n. 3. (de *et* hisco). *Dehisse* pro *Dehivisse* habet *Varro* 5. *L. L.* 32. *Müll.* — Part. *Dehiscens.* — Dehiscere est valde hiscere, rimas agere, findi (It. *aprirsi, spalancarsi*; Fr. *se fendre, s'entr'ouvrir, s'ouvrir*; Hisp. *abrirse*; Germ. *sich aus einander thun, spalten, aufklaffen*; Angl. *to gape yawn, break open in chinks*). *Varro* 5. *L. L.* 32. *Müll.* In eo loco dehisse terram. *Virg.* 4. *Æn.* 24. Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat. *Id.* 1. *ibid.* 110. his unda dehiscens Terram inter fluctus aperit. *Id.* 6. *ibid.* 52. neque enim ante dehiscent Attonitæ magna ora domus. *Liv.* 29. 2. Immittere equites in dehiscentem intervallis hostium aciem. *Seneca Ep.* 30. Succurri non potest navigio dehiscenti. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (14). Rosa paullatim rubescens dehiscit, ac sese pandit. *Id.* 8. *ibid.* 21. 30. (74). Tauri silvestres rictu ad aures dehiscente. *Id.* 33. *ibid.* 6. 33. (101). Stibium fissuris, non globis dehiscens. *Id.* 35. *ibid.* 15. 52. (186). Alumen dehiscens in capillamenta. *Id.* 9. *ibid.* 15. 20. (53). Thynni pinguescunt in tantum, ut dehiscant. *Cels.* 8. 1. *sub fin.* Atque ea quoque ossa, infra supraque conjuncta, media dehiscunt. *h. e.* distant.

DĒHŎNESTĀMENTUM, i, n. 2. (de *et* honestare) est quod gratiam et honestatem alicui rei adimit; et usurpatur — *a*) Raro admodum de corpore. *Sall.* apud *Gell.* 2. 27. Quo dehonestamento corporis maxime lætabantur. Adde *Taciti* similem locum 4. *Hist.* 13. — *b*) Sæpius de morali, et est contumelia, turpitudo. — Cum addito Genitivo. *Tac.* 2. *Hist.* 87. Scurræ, histriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat. *Justin.* 28. 2. Qui uxores cum propter originis dehonestamenta non invenirent, vi publica rapuerint. *Arnob.* 2. 16. Ab infirmioribus causis ad vitiorum dehonestamenta traduci. — Sine Genitivo. *Tac.* 12. *Ann.* 14. Auribus decisis vivere jubet, ostentui clementiæ suæ, et in nos dehonestamento. *Id.* 14. *ibid.* 21. Sine ullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit. *Seneca Const. Sap.* 19. *in fin.* Contumeliæ, verba probrosa, ignominiæ, et cetera dehonestamenta.

DĒHŎNESTĀTĬO, ōnis, f. 3. dedecoratio, dehonestamentum. *Tertull. Pudic.* 18. Dolores et dehonestationes sustinet.

DĒHŎNESTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒHŎNESTO, as, ātum, are, a. 1. (de *et* honesto). Part. *Dehonestans* et *Dehonestatus.* — Dehonesto est dedecore afficio, honestatem adimo. *Liv.* 41. 6. Famam, quod indignum sit, maculari dehonestarique. *Tac.* 16. *Ann.* 24. Dehonestare famam suam. *Id.* 3. *ibid.* 70. bonas artes. *Id. ibid.* 66. proavum suum infami opera. *Sueton. Claud.* 30. Remisse quid vel serio agentem multa dehonestabant. *Trebell. Gallien.* 16. Romanum dehonestantes imperium. *Augustin.* 3. *contra Crescont.* 53. Restitutus quidam presbyter de domo sua raptus est, luce palam in castellum proximum ductus et fustibus cæsus, in lacuna lutulenta volutatus, amictu junceo dehonestatus. *Arnob.* 6. 21. Oris contumelia lævigati et dehonestati vultus. *h. e.* barba spoliati.

DĒHŎNESTUS, a, um, adject. non honestus. *Gell.* 19. 10. Dehonestum deculpatumque verbum.

DĒHŎNŌRĀRĬUS, a, um, adject. inhonestus. *Tertull. Apolog.* 39. Si quod arcæ genus est, non dehonoraria summa, quasi redemptæ religionis congregatur. *Al. leg.* de honoraria, *alii* de oneraria.

DĒHŎNŌRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒHŎNŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* honoro). Part. *Dehonoratus.* — Dehonorare est honore privare, honorem adimere. *Oros.* 2. 2. Dehonorata Babylon. *Salvian.* 3. *de avar.* 8. Filios religiosos (*h. e.* religioni, seu clericatui deditos) bono a vobis dehonorari animo asseveratis. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. anim.* 11. Non dignitatem causæ impari oratione dehonoravisset. *Cod. Theod.* 11. 39. 8. Nam et persona (*episcopi*) dehonoratur.

DĒHORTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus dehortandi. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 15. *ad fin.* Comminatio dehortationis accessio est.

DĒHORTĀTĪVUS, a, um, adject. ad dehortandum inserviens. *Priscian.* 15. *p.* 1020. *Putsch. Ne,* est dehortativum.

DĒHORTĀTOR, ōris, m. 3. qui dehortatur. *Augustin.* 2. *contra Acad.* 3. Ex dehortatore in adjutorem mira benevolentiæ moderatione conversus es.

DĒHORTĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad dehortandum pertinens. *Tertull. Apolog.* 22. Dehortatorium plane a bono.

DĒHORTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (de *et* hortor). Prima syllaba longa est. *Ennius* apud *Gell.* 7. 2. Hannibal audaci cum pectore dehortatur, Ne bellum faciam. *Non.* 2. 33. legit *de me hortatur*, h. e. me dehortatur: ut sit tmesis. Hæc *Forcellinus*: at locum in edit. *Mercer.* minime inveni. — Part. *Dehortans* et *Dehortatus.* — Dehortari est dissuadeo (It. *sconsigliare, dissuadere*; Fr. *dissuader, détourner de*; Hisp. *disuadir*; Germ. *abrathen, widerrathen*; Angl. *to dissuade, discourage, dehort*). Occurrit — *a*) Cum partic. *ne* et Conjunctivo, aut cum præpos. *ab* et Ablativo. *Ter. Phorm.* 5. 7. 17. Dehortatus est me ne darem. *Sall. Jug.* 33. Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium reipubl. omnia superet. *h. e.* a vobis alienant, deterrentque a vobis defendendis. *Cic.* 3. *Herenn.* 3. 6. Dehortari ab aliqua re. — *b*) Absolute. *Cic. Pis.* 39. 94. Res ipsa et reipubl. tempus aut me ipsum, aut alium quempiam aut invitabit, aut dehortabitur. *Auson. Perioch.* 3. *Iliad.* Alexander frustra Agamemnone dehortante congreditur. — *c*) Sequente Infinito. *Cato* apud *Gell.* 13. 24. Multa me dehortata sunt huc prodire, anni, ætas, vox, vires. *Sall. Jug.* 24. Plura de Jugurtha scribere dehortatur me fortuna mea. *Tac.* 3. *Ann.* 16. M. Piso repetere Syriam dehortatus est.

DĒĬCĪDA, æ, m. 3. (Deum *et* cædo). *Gloss. Placid.* ed. *A. Mai. p.* 455. D e i c i d a est qui Deum occidit, ut homicida.

DĒĬCĬO, is, etc. *V.* DEJICIO.

DĒĬCO, deixi, deictum, etc. *V.* DICO.

DĒĬFĔRUS, a, um, adject. (Deus *et* fero), θεοφόρος, qui Deum fert. *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl. ad fin.* Confiteamur autem a semetipso Deum existentem carnigerum, et hominem deiferum.

DĒĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Deificans.* — Deifico est Deum facio. *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 2. *a med.* Libanius Julianum deificavit. *et deinceps.* Quomodo enim Christus deificetur. *et mox.* Quapropter non erubescunt multos homines deificantes.

DĒĬFĬCUS, a, um, adject. ¶ 1. Active est qui Deos facit. *Tertull. Apolog.* 11. Conredetis, illum Deum deificum justitia præcellere. ¶ 2. Passive est divinitus immissus, sacer; et dicitur de morbo. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 30. Vulgus propria et dominantis magnis nominibus appellat, ut luem deificam epilepticam passionem. — Porro passio epileptica ab eodem *Cæl. Aurel.* etiam *passio sacra* dicitur, et a *Celso* appellatur *morbus sacer* vel *major*, denique ab *Apul. de Mag.* etiam *morbus divinus*, quemadmodum et Græcis ἱερὰ νόσος (*Herod.* 3. 33.). Ceterum *Id. Cæl. Aurel.* hujusce significationis rationem affert 1. *Tard.* 4. hisce verbis: Sive quod divinitus putetur immissa....: sive ob magnitudinem passionis; majora enim vulgus *sacra* vocavit. *V.* plura hac de re apud *C. Karcher, Nachträge zu Forcellini's Latein. Lexicon,* p. 5.

DĒIN. *V.* DEINDE.

DĒINCEPS. In carmine est disyllabum apud *Horat.* 2. *Sat.* 8. 79. Nullos his mallem ludos spectasse. Sed illa Redde age quæ deinceps risisti. Vibidius dum Quærit de pueris, etc. — Ceterum *deinceps*, a *deinde* et *capio*, *A*) Olim adjective, *B*) Postea sæpius adverbialiter usurpatum fuit.

A) Adjective olim fuisse usurpatum *deinceps, deincipis* vel *deincipitis* (ut *princeps, anceps*) testatur *Paul. Diac. p.* 71. 2. *Müll.* D e i n c e p s qui deinde cœpit, ut princeps qui primum cepit. *Id. p.* 75. 4. *Müll.* D e i n c i p e m antiqui dicebant proxime quemque captum. *Apul. Florid. n.* 16. Reliquum sine intermissione deincipiti die perfecturus.

B) Postea sæpius adverbii more usurpatum est, eoque significatur ordo continens unius rei post aliam subsequentis (It. *susseguentemente, successivamente*; Fr. *successivement, en suivant, de suite*; Hisp. *sucesivamente, consiguientemente*; Germ. *aufeinanderfolgend, in aufeinanderfolgender Reihe, der Reihe nach*; Angl. *successively, one after another, after that, besides, moreover, in the next place*). Occurrit autem 1.°) Stricto, et 2.°) Latiori sensu.

1.°) Stricto sensu ponitur ¶ 1. De loco seu spatio. *Varro* 1. *R. R.* 14. 2. Sæpes ex arboribus truncis demissis in terram, deinceps constitutis. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Alius insuper ordo adjicitur, – sic deinceps omne opus contexitur. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 25. *Sall. Jug.* 19. Prima Cyrene est – ac deinceps duæ Syrtæ. *Cic.* 3. *Orat.* 47. 183. Pæon oritur a brevibus deinceps tribus, extrema producta, ut *domuerant.* Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 51. 111. ¶ 2. Item de tempore. *Varro* 3. *R. R.* 9. 2. Gallinæ villaticæ sunt, quas deinceps rure habent in villis. *Cic.* 2. *Fam.* 18. 4. Quos video deinceps tribunos plebis per triennium fore. *Cæs.* 3. *B. G.* 29. Reliquis deinceps diebus Cæsar silvas cædere instituit. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 40. et 3. *B. C.* 56. *Cic. Brut.* 3. 12. Posteaque prosperæ res deinceps multæ consecutæ sunt. *Id.* 2. *Nat. D.* 37. 93. Ut annales Ennii deinceps legi possint. *h. e.* per ordinem a principio ad finem, a primo libro ad ultimum. *Id.* 1. *Herenn.* 9. 14. Ne id, quod semel supra diximus, deinceps dicamus. *h. e.* statim post. *Id.* 4. *Tusc.* 2. 3. Morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibias clarorum virorum laudes. *h. e.* alius post alium. — Hinc cum Adject. *alii* conjungitur. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. Alios alii deinceps exciperent. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 3.; et *Liv.* 27. 39. et 29. 14. — Et cum Adject. *totus* apud *Cic.* 3. *Verr.* 10. 28. Possum deinceps totam rem explicare; deinde ad extremum id, quod accidit, dicere. Adde *Colum.* 2. *R. R.* 4. 3.; et cf. *Liv.* 5. 51. — *Sueton. Tib.* 1. Deinceps procedente tempore. Adde *eumd. Claud.* 21. et 34., et *Galb.* 4. *Quintil.* 3. 6. 31. Plurimi deinceps. ¶ 3. Item de rerum ordine. *Varro* 3. *R. R.* 8. 1. Perge deinceps. *h. e.* per ordinem, ordinem servando. *Cic.* 1. *Off.* 13. 41. De justitia satis dictum est. Deinceps, ut erat propositum, de beneficentia dicatur. *Id. ibid.* 14. 42. Principes sunt patria et parentes: proximi liberi: deinceps bene convenientes propinqui. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 15. 52. et 3. *ibid.* 2. 7. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. Eodem impetu ai-

tera sunt adorti, inde tertia et deinceps reliqua. Adde *Varron.* 2. *R. R.* 4. 2.; *Liv.* 6. 5.; *Quintil.* 12. 6. 15., 9. 4. 14., 9. 2. 35. et alibi; et *Sueton. Aug.* 2., *Ner.* 23., *Tit.* 3. et *Cæs.* 75.

2.°) Latiori sensu usurpatur ¶ 1. Ad varias significandas rationes, ac præcipue in plurium rerum enumeratione. *Cic.* 3. *Fin.* 6. 20. Primum est officium –, ut se conservet in naturæ statu; deinceps ut ea teneat, quæ secundum naturam sint pellatque contraria. – Deinde ea perpetua, tum ad extremum constans etc. *Id.* 1. *Off.* 15. 160. Ut prima diis immortalibus, secunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliquis debeantur. *Quintil.* 9. 4. 68. Duo prima verba, et tria proxima, et deinceps. *Id.* 10. 7. 5. Quid – sit primum et secundum et deinceps. *Id.* 7. 10. 5. Primus, secundus, deinceps. Itali dicunt e così di mano in mano. Adde *eumd.* 10. 5. 1.; et *Tac.* 1. *Ann.* 81. — Sic *deinceps deinde* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 30. 64. Qui primus, qui secundus, qui deinde deinceps moriturus est. *Al. omittunt* deinde. *Id.* 3. *Legg.* 2. 4. Deinde etiam deinceps posteris prodebatur. *Liv.* 2. 47. Funera deinde duo deinceps collegæ fratrisque ducit. — Et *inde deinceps* apud *Liv.* 5. 37. Sed, antecedente fama nunciisque Clusinorum, deinceps inde aliorum populorum, plurimum terroris Romam celeritas hostium tulit. — Et *postea deinceps*. Gr. ἔπειτα ἑξῆς. *Liv.* 45. 14. Æquitate sua postea trium regum bellis deinceps omnibus functum officiis. ¶ 2. Interdum significat fere idem quod *deinde*, postea, exinde. *Quintil.* 1. 7. 15. Ut Lucilius præcipit; – ac deinceps idem etc. *Sueton. Aug.* 84. Nam deinceps neque in senatu locutus est. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 36. Seritur, ut deinceps præcipiemus.

DĔINDĔ *et per apocopen* dein, adverb. Si philologice consideretur, *dein* est minus definitum, quam *deinde*. — Ratione habita quantitatis, *deinde* in carmine fere est disyllabum: passimque occurrunt exempla. Raro trisyllabum, correpta priore. *Sidon. carm.* 9. 272. Nec qui consimili deinde casu Irati fuit histrionis exul. h. e. Juvenalis. *Prudent. Diptych.* n. 1. Eva columba fuit tunc candida, nigra deinde. Adde *Paulin. Nolan.* 24. 45. — Similiter poetæ dein fere monosyllabon faciunt; ut *Horat.* 1. *Sat.* 3. 101., *Catull.* 5. 8. et 10., et *Propert.* 3. 8. 15. et 4. 8. 83. Tamen primam corripit *Paulin. Nolan.* 17. 131. Excita, ut mersum (*Jonam*) caperet, deinque Redderet haustum. — Ceterum *deinde* vel *dein* est idem atque ex eo loco, exinde, et de tempore postea, tum; et continuationem aliquam ordinemque significat (*It. di là, poscia, dipoi, dopo; Fr. d'ici, de là, ensuite, après, puis; Hisp. aqui, despues; Germ. von hier, von da an, darnach, daraus, hierauf, nachher, als dann; Angl. then, after that, afterwards*). Usurpatur autem *A*) Raro admodum de loco seu spatio, *B*) sæpius de tempore et *C*) De eventorum aut sermonum serie.

A) Raro admodum occurrit de loco seu spatio; et quidem

I.) Proprie. *Liv.* 22. 4. Via interest perangusta –, deinde paulo latior patescit campus. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 32. 40. (141). Impetum deinde sumit Hellespontus et mare incumbit, verticibus limitem fodiens, donec Asiam abrumpat Europæ; promontorium illud appellavimus Trapezam. Ab eo x. M. passuum Abydum oppidum, ubi angustiæ vii. stadiorum; deinde Percote oppidum.

II.) Translate. *Cic. Orat.* 63. 213. Hæc quidem duo binis pedibus incisim, dein membratim. *Id.* 2. *Nat. D.* 42. 110. Dein quæ sequuntur. *Tac. Germ.* 42. Juxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomani et Quadi agunt. *Id.* 2. *Ann.* 16. Noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli Germanique in fronte, post quos pedites sagittarii; dein quatuor legiones –; et in totidem aliæ legiones.

B) Sæpius usurpatur de tempore: et quidem — a) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 68. Nos nostras instruximus legiones. – Deinde utrique – exeunt. *Ter. Andr.* 1. 1. 52. Accepit condicionem, dein quæstum occipit. *Id. ibid.* 3. 3. 30. Spero, dein facile ex illis sese emersurum malis. Adde *Caton. R. R.* 32. et 59.; *Sall. Cat.* 40., *Jug.* 31., 23., 29., 5., 13., 18. et alibi sæpe; *Nepot. Miltiad.* 7., *Alcib.* 4. et *Hann.* 7.; *Curt.* 4. 15. 18., 8. 3. 23., 6. 1. 15. et 3. 7. 8.; *Sueton. Ner.* 6. et 33., *Aug.* 89., *Vitell.* 15. et *Cæs.* 42.; et *Juvenal.* 15. 53. *Cæs.* 4. *B. G.* 35. Complures occiderunt, deinde se receperunt. *Virg.* 3. *Ecl.* 58. Incipe, Damœta, tu deinde sequere. *Liv.* 3. 3. In Æquis nihil deinde memorabile actum. — b) Cum adverbiis *primum, primo, prius, inter initia, post, postremo* etc., quæ adverbio *deinde* respondent. *Cæs.* 1. *B. C.* 74. Primum agunt gratias –, deinde imperatoris fidem quærunt. *Id.* 3. *ibid.* 108. Is primum inter suos queri – cœpit –, deinde evocavit etc. Adde *Sueton. Claud.* 9. *Sall. Jug.* 69. Primo, ut erat res, Metellum esse rati, portas clausere; deinde, – Jugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. *Liv.* 9. 31. Et primo nova res trepidationem fecit –: dein, postquam – ad signa undique coibant, – consul – desilit ex equo. *Curt.* 4. 16. 21. Primo inhibuere –, deinde concitaverunt. Adde *Sall. Jug.* 61. et 85.; *Nepot. Alcib.* 4., *Dion.* 6., *Epam.* 1., *Timol.* 3. et *Att.* 21.; *Curt.* 3. 10. 8. et 5. 6. 1.; *Sueton. Cæs.* 74. et *Cal.* 40.; et *Tac.* 1. *Ann.* 73., 11. *ibid.* 2., 1. *Hist.* 15. et alibi sæpe. *Sueton. Tib.* 56. Primum a contubernio removit, deinde etiam ad mortem compulit. *Id. Vesp.* 8. Nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nutantemque rempublicam stabilire primo, deinde et ornare. *Cic.* 2. *de republ.* 33. Plebs montem sacrum prius, deinde Aventinum occupavit. *Curt.* 4. 16. 23. Hasta transfixit proximum, ac deinde plures. *Sueton. Claud.* 44. Nonnulli inter initia consopitum, deinde cibo affluente evomuisse omnia, etc. *Sall. Jug.* 36. Polliceri deditionem ac deinde metum simulare; cedere instanti et paullo post, ne sui diffiderent, instare. *Tac.* 14. *Ann.* 17. Quippe oppidana lascivia in vicem incessentes probra, dein saxa, postremo ferrum sumpsere. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 101. Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus. Et *Plin.* 5. *Hist. nat.* 32. 40. (143). Appellata est Cronia, dein Thessalis, dein Mallanda. *V. infra sub C.* — c) Jungitur particulis *alius, postea, post, porro, postremo, tum, tunc*, etc. *Sall. Jug.* 18. Et quia sæpe, tentantes agros, alia, deinde alia loca petiverant, semet ipsi Nomadas appellavere. *Id. ibid.* 36. At contra Jugurtha trahere omnia, et alias, deinde alias moræ causas facere. *Cic. Mil.* 24. 65. Servos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse de interficiendo Cn. Pompejo conjurasse; deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis. *Liv.* 41. 21. Legati deinde postea missi ab rege. Adde *Cic.* 4. *Tusc.* 1. 2. *Cels.* 7. 8. Trajicere id cavum erleriter; postea deinde imponere id, quod purget. *Ter. Andr.* 3. 2. 3. Primum fac, istæc ut lavet: post deinde etc. Adde *Cic.* 2. *Att.* 23. et *Gell.* 7. 3. *Nepos Eumen.* 5. Deinde post verberibus cogebat exsultare. Adde *Vellej.* 2. 23. 3. Cf. *Nepot. Miltiad.* 5. Deinde postero die etc. *Plaut. Trin.* 5. 2. 103. Deinde porro nolo quidquam prædices. *Cic.* 1. *Invent.* 28. 43. Deinde postremo attendendum est, num etc. *Id. Pis.* 31. 78. Deinde ad extremum neque se, neque generum tribuno plebis defuturum. *Liv.* 2. 8. Quas (*leges*) quum solus pertulisset, ut sua unius in his gratia esset, tum deinde comitia collegæ subrogando habuit. Adde *Quintil.* 12. 10. 11. et 4. 2. 27. *Varro* 6. *L. L.* 12. *Müll.* Actionum trium primus agitatus mentis, quod primum ea, quæ sumus acturi, cogitare debemus, deinde tum dicere ac facere. *Val. Flacc.* 8. 109. Quærenti tunc deinde viam, qua se arduus heros Ferret etc. — d) Jungitur et particulis *postquam, ubi, quum. Liv.* 3. 66. Latinum primum agrum perpopulati sunt: deinde postquam ibi nemo vindex occurrebat, tum vero, exsultantibus belli auctoribus, ad mœnia ipsa Romæ – accessere. Adde *eumd.* 7. 37. et 9. 31. *Sueton. Ner.* 42. Postquam deinde etiam Galbam et Hispanias descivisse cognovit, collapsus – prope intermortuus jacuit. *Sall. Jug.* 68. Metellus, postquam de rebus Vagæ actis comperit, paullisper mœstus ex conspectu abit; deinde, ubi ira et ægritudo permixta sunt, – ultum ire injurias festinat. Adde *eumd. ibid.* 69. et 35., et *Cat.* 45.; et *Liv.* 7. 40. *Liv.* 3. 47. Primo stupor omnes – defixit: silentium inde aliquamdiu tenuit. Dein quum M. Claudius – iret ad prehendendam virginem etc. Adde *Cic.* 1. *de republ.* 12.; et *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 51. (166). *Cels.* 7. *præfat.* Hæc autem pars – magis ab illo parente omnis medicinæ Hippocrate – exculta est. Deinde, posteaquam diducta ab aliis habere professores suos cœpit, in Ægypto quoque increvit. — e) *Nunc deinde* apud *Virgil.* singularem usum habet, 12. *Æn.* 889. Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas? h. e. nunc postquam rursu frustra conatus es certamen evadere, postquam ensem recuperasti, deinde, seu post hæc quid moraris?

C) Denique usurpatur de eventorum aut sermonum serie, sive est particula, qua Rhetores in rerum enumeratione plura simul conjungunt. — a) Absolute. *Cic.* 9. *Fam.* 24. 2. Te ad cœnas itare desisse moleste fero –, deinde etiam vereor. *Id.* 2. *Orat.* 11. 45. Qui laudabit quempiam, intelliget, exponenda sibi esse fortunæ bona. — Deinde, quid sapienter is, quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter – aut fecerit, aut tulerit. *Quintil.* 9. 2. 106. Dicere, quid fieri oportuerit, deinde quid factum sit. Adde *eumd.* 5. 11. 12.; et *Plin. Paneg.* 9. — b) Sæpius adverbio *deinde* respondent *primum, tum, post, postea, postremo, novissime* etc. *Sueton. Gramm.* 6. Philosophiam primo, deinde rhetoricam, novissime grammaticam docuit. *Id. Tib.* 61. Quum primo matris, deinde nepotum et nurus, postremo Sejani familiares atque etiam notos persequeretur. Adde *eumd. Cæs.* 26. et 37., *Ner.* 35. et *Claud.* 1.; et *Plin. Paneg.* 15. et 75. *Quintil.* 1. 12. 6. Grammatico soli deserviamus? deinde geometræ tantum? – mox transeamus ad musicum? et, quum Latinis studebimus litteris, ad Græcas non respiciemus? et, ut semel finiam, nihil faciamus, nisi novissimum? *Id.* 5. 14. 5. Propositio, deinde ratio ejus, tum assumptio, et ejus probatio, quinta complexio. *Id.* 3. 9. 6. Ante omnia intueri oportet, quod sit genus causæ? deinde –, tum –, postremo –. *Id.* 5. 13. 6. Primum omnium non erit res nobis cum adversario –; deinde forma deliberativæ magis materiæ utamur. Adde *eumd.* 7. 9. 11., 9. 2. 106. et 5. 10. 71. *Id.* 2. 13. 1. Utique procemium; proxima huic narratio; quæ lex deinde narrandi; propositio post hanc; tum certus ordo quæstionum, ceteraque. *Cic. Brut.* 88. 301. Quanquam inciderat in Cottæ et Sulpicii ætatem, qui – excellente tum Crasso et Antonio, deinde Philippo, post Julio, cum iis ipsis dicendi gloria comparabantur. Adde *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 39. (145). *Cels.* 2. 18. Aqua levissima pluvialis est; deinde fontana; tum ex flumine; tum ex puteo; post hæc ex nive etc. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 2. 5. Jubent venire agros Attalensium; deinde regios: deinde Corinthium; post autem agros in Hispania; tum vero ipsam Carthaginem. *Id.* 3. *Fam.* 7. Tibi obviam non prodirem? primum Appio Claudio; deinde imperatori; deinde more majorum; deinde, quod caput est, amico. Sic apud *eumd. Rosc. Am.* 45. 130. et *Orat.* 54. 108. pluries; et 2. *Invent.* 19. 145. octies repetitur.

DEINSŬPER, adverb. desuper. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 530. 30. *Merc.* Ad medium evasit, deinsuper astantium manibus in murum attollitur.

DĔINTĔGRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. imminuo, corrumpo. *Cæcilius* apud *Non. p.* 101. 23. *Merc.* Nomen virginis, nisi mirum est, deintegravit. *Alii, fortasse melius, leg.* Novem virgines.

DĒ INTĔGRO. *V.* **INTEGER.**

DĔINTUS, adverb. intra. *Veget.* 4. *Veterin.* 9. 2. *Schneid.* Cultello leniter inter duos ungues aperies, et mundabis deintus. *Theod. Priscian.* 4. 1. *sub. init.* Asperitates vero deintus veteres palpebrarum sanat, sive deforis penna illitus. *Vulgat. interpr. Luc.* 11. 7. Ille deintus respondens dicat. *Cassiod.* 2. *Variar.* 39. Perennitas aquarum influens deintus. *Auct. de Cas.* in *Grom. vet. p.* 329. Super arcam – deintus sextanea parte alia fontana etc. Ceterum *V.* adnotata in **DEFORIS.**

DĔIPĂRA, æ, f. 1. quæ Deum peperit. Ita *Justin. Imp. Cod.* 1. 1. 6. Latine reddit Græcum Θεοτόκος, quod de Virgine Maria Dei Matre dicitur.

DĔIRĀTUS, valde iratus. Tribuitur a nonnullis *Lucretio* 6. 69., ubi alii leg. *delibata*: al. aliter.

DĔĬTAS, ātis, f. 3. divinitas. *Arnob.* 1. 28. A quo ipsam deitatem, ut ita dicam, sortiti se esse sentiunt. *Augustin.* 7. *Civ. Dei* 1. Hisne divinitatem, vel, ut sic dixerim, deitatem: nam et verbo uti jam nostros non piget, ut e Græco expressius transferant, quod illi Θεότητα appellant. *Prudent. Apoth.* 144. In tribus personis Deitas una subsistit. Qui negat intuitu fontem Deitatis adiri. Adde *Hieronym. Ep.* 15. n. 4.

DEJECTĒ, adverb. abjecte. Occurrit tantum Comp. *Dejectius* apud *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 27. *sub fin.* Lenitatem Dei, pro captu mediocritatis

humanæ dejectius conversatam, ut pusillitatem depretiatis.

DEJECTĬO, ōnis, f. 3. actus dejiciendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Nazar. Paneg. Constant.* 12. Dejectio imaginum. *h. e.* qua imagines ad terram sternuntur. Huc pertinet et illud *Firmic.* 2. *Mathes.* 3. Altitudines stellarum et dejectiones. ¶ 2. Speciatim apud Medicos *dejectio* (subintellige *alvi*) est alvi solutio. *Cels.* 1. 3. Dejectio a medicamento petenda est, ubi venter suppressus parum reddit. *Id.* 2. 12. Moliri dejectionem medicamentis. *Id. ibid.* 7. Subita dejectio. *Id. præfat. ad fin.* Laborare dejectionibus. *Seneca Ep.* 120. *a med.* Alias nervi nos, alias pedes vexant: nunc dejectio, nunc destillatio. ¶ 3. Item speciatim in jure est depulsio a possessione. *Cic. Cæcin.* 20. 57. Qui illam vim dejectionemque tuo rogatu, aut tuo nomine fecerit. *h. e.* expulsionem de fundo. Adde *Dig.* 43. 16. 1. ¶ 4. Item in re militari est depulsio a gradu. *Modestin. Dig.* 49. 16. 3. Pœnæ militum sunt militiæ mutatio, gradus dejectio, ignominiosa missio.

II.) Translate. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 59. Honestius judicas dejectione animi perire, quam fulmine? *h. e.* abjectione, demissione.

DEJECTĬUNCULA, æ, f. 1. *deminut. a* dejectio, levis dejectio; et pro alvi solutione occurrit apud *Scribon. Compos.* 52. Faciunt ad dejectiunculas, et ad omnem fluorem.

DEJECTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* dejicio. *Mattius* in *Mimiambis* apud *Gell.* 20. 9. Item coquenti vasa cuncta dejectat.

DEJECTOR, ōris, m. 3. qui dejicit. *Ulpian. Dig.* 9. 3. 5. § 4. In factum dandam esse actionem Labeo ait adversus dejectorem. Plane si locaverit dejectori, etiam ex locato habebit actionem. *h. e.* qui e fenestra in caput prætereuntium quidpiam dejecerit.

DEJECTUS, a, um. *V.* DEJICIO.

DEJECTUS, us, m. 4. dejectio (*It. il gettar in giù*; *Fr. action de jeter, renversement*; *Hisp. el acto de echar por tierra*; Germ. *das Herabwerfen*; Angl. *a throwing down*).

I.) Proprie. *Liv.* 9. 2. Angustias septas dejectu arborum, saxorum ingentium objacente mole, inveniere. *Ovid.* 1. *Met.* 570. *de Peneo flum.* Dejectuque gravi tenues agitantia fumos Nubila conducit, summasque aspergine silvas Impluit. *h. e.* præcipites deorsum aquas agendo. *Seneca Ep.* 56. Dejectus aquæ. *Id. Consol. ad Marc.* 18. *ante med.* Dejectus fluminum.

II.) Translate. ¶ 1. Est injectus. *Stat.* 4. *Theb.* 272. Cornipedem trepidos suetum prævertere cervos, Velatum geminæ dejectu lyncis agebat. *h. e.* injectu pellis e lynce. ¶ 2. Item locus declivis, unde aliquid dejici potest. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Collis ex utraque parte lateris dejectus habebat. *h. e.* declivitates. *Id.* 2. *ibid.* 22. Ut loci natura, dejectusque collis, et necessitas temporis – postulabat. *Vitruv.* 6. 3. 1. *Schneid.* Trabes habeant – asseribus stillicidiorum in medium compluvium dejectus. *At Schneid. rectius legit:* Trabes habeant interpensiva et colliciās ab angulis parietum ad angulos tignorum intercurrentes, item asseribus stillicidiorum in medium compluvium dejectis. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (75). Ad capita dejectus in superciliis montium plerumque cavantur. *h. e.* ubi aqua incipit dejici. *Id.* 2. *ibid.* 70. 71. (179). In dejectu positus.

DEJERĀTĬO *vel* dejūrātio, ōnis, f. 3. juramentum. *Tertull. Pœnit.* 4. Testari sub dejeratione. *Inscript. Fratr. Arv.* apud *Marin.* p. 70. IDEIRCO NIHILOMINVS DEJERATIO FACTA APVD MAGISTROS.

DEJĒRO *vel* dejūro, as, āvi, ātum, are, n. 1. (de *et* juro) valde juro. — *a)* Dejero occurrit apud *Plaut. Men.* 5. 2. 63. Me abstulisse dejerat. *Ter. Hecyr.* 5. 2. 5. Bacchis dejerat persancte. *Propert.* 4. 2. 42. Dejerat hiberni temporis esse moras. *Varro* 5. *L. L.* 66. *Müll.* Quidam negant sub tecto per hunc (*h. e.* divum, seu cælum) dejerare oportere. *Hic pro simplici* juro *ponitur. Nepos fragm.* 12. 2. *Staver.* Verbis conceptis dejerare ausim. Adde *Ammian.* 24. 3.; et *Sueton. Cal.* 24. et 27. — *b)* Dejuro occurrit apud *Plaut. Cas.* 3. 5. 37. Per omnes deos et deas dejuravit, occisurum eum hac nocte. Adde *eumd. Rud.* 5. 2. 49. *Gell.* 1. 3. Dejurare falsum. Adde *eumd.* 7. 18. et 4. 20. — Ad locum cit. *Terentii* subdit *Donatus*, penultima correpta dici *dejero* quum significat deos juro: producta vero, quum valde juro. Cave, homini horum quidquam creduis.

DEJĔROR, āris, ari, dep. 1. idem quod dejero. *Apul.* 10. *Met. circa med.* His et similibus altercati conviciis, dejerantur utrique, nullam se prorsus fraudem, nullam denique surreptionem factitasse. *Ita plerique Codices, iique bonæ notæ: alii* dejerant. *Quoniam vero plura sunt verba, quæ et activorum et deponentium forma promiscue usurpantur, cujusmodi sunt* murmurare et murmurari, somniare *et* somniari, punire *et* puniri, jurare *et* jurari; *nihil sane impedit, quominus, Codicum auctoritate, etiam* dejerari *in Lexicon recipiatur. V. Karcher, Nachträge zu Forcellini's latein. Lex. p.* 23.

DEJĬCIO, jicis, jēci, jectum, jicere, a. 3. (de *et* jacio). Scribitur et *dēicio*: *V.* ABJICIO sub init. — Part. *Dejiciens* I. *A. g.*; *Dejectus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Dejecturus* II. 1. *b.*; *Dejiciendus* I. *A. b.* — Dejicio est deorsum jacio (It. *gettare al basso, lanciare o precipitare all' ingiù*; Fr. *jeter à bas, précipiter, renverser*; Hisp. *echar abaxo, precipitar, abatir*; Germ. *von oben herab nach unten werfen, herabwerfen, -stürzen, -schleudern, nieder, -umstürzen, herabtreiben, vertreiben*; Angl. *to throw or cast down*).

I.) Proprie occurrit *A)* Generatim, et *B)* Speciatim.

A) Generatim. — *a)* De personis. *Lucret.* 3. 1224. Et tamen e summo, quasi fulmen, dejicit ictos Invidia interdum contemptim in Tartara tetra. *Cæs.* 4. *B. G.* 12. et *Liv.* 4. 19. Dejicere aliquem equo. *Cæs.* 1. *B. C.* 18. se de muro. *Id.* 3. *B. G.* 26. se per munitiones. *Nepos Dion.* 4. se de superiore parte ædium. *Ovid.* 2. *Fast.* 353. lecto graviter dejectus ab alto. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Dejectos in inferiorem locum. *Virg.* 4. *Æn.* 152. feræ saxi dejectæ vertice capreæ, Decurrere jugis. *Liv.* 28. 6. Venti a prealtis montibus se dejiciunt. *h. e.* maxima vehementia in valles et planitiem feruntur. — *b)* De vestibus, statuis, arboribus, et similibus. *Sueton. Aug.* 52. Dejicere togam ab humeris. *Id. Cæs.* 9. et *Quintil.* 6. 3. 51. togam de humero. *Cic.* 4. *Phil.* 2. 6. jugum a cervicibus. *Plaut. Stich.* 2. 2. 31. araneas de foribus. *Cic.* 2. *Q. fr.* 14. librum in mare. *Liv.* 1. 40. *extr.* Elatam securim in caput dejecit. *h. e.* delicit. Sic *Id.* 7. 10. *a med.* Vanum cæsim cum ingenti sonitu ensem dejecit. Et *Virg.* 8. *Æn.* 427. Fulmen erat; toto Genitor quæ plurima cælo Dejicit in terras. *Liv.* 2. 63. Tempestas cælo dejecta. *Cic.* 3. *Cat.* 8. 19. et *Liv.* 38. 56. Dejicere statuas. *Liv.* 40. 2. signa. *Nepos Alcib.* 3. Hermas. *Cæs.* 2. *B. C.* 22. Dejecta turris. *Id.* 4. *B. G.* 17. Dejiciendi operis causa. *Auct. B. Hisp.* 13. Ballista dejecit turrim. *Justin.* 5. 8. 5. et 12. 9. 11. Dejicere murum. *Horat.* 1. *Od.* 2. 15. Vidimus Tiberim ire dejectum monumenta regis Templaque Vestæ. *Virg.* 9. *Æn.* 770. caput ictu ensis dejectum. *Val. Flacc.* 8. 289. Dejicere arborem a montibus. *Juvenal.* 11. 119. Ventus dejicit nucem. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 91. Dejicere catillum mensa. *Cato R. R.* 32. vites. *Id. ibid.* 3. oleam. — *c)* *Dejicere crines* est solvere. *Afranius* apud *Non. p.* 511. 2. *Merc.* Propter patruelem tuam Constituit hilare anhelans, dejecta coma. Sic *Tac.* 14. *Ann.* 30. Feminæ in modum Furiarum, veste ferali, crinibus dejectis. — *d)* De navibus. *Cæs.* 4. *B. G.* 28. Tanta tempestas coorta est, ut naves ad inferiorem partem insulæ dejicerentur. *h. e.* impellerentur. *Liv.* 23. 34. A Carthagine in Sardiniam classis missa – foeda tempestate vexata, ad Baleares insulas dejicitur. *Id. ibid.* 40. Quæ tempestate dejecta ad Baleares erat. *Id.* 21. 49. Eam quoque classem ad Ægates insulas dejectam. Contra *Vopisc. Prob.* 21. Dejicere naves in altum. *h. e.* a littore solvere. — *e)* De sortibus. *Cæs.* 1. *B. C.* 6. Dejicere sortes in urnam. *h. e.* in urnam conjicere sortiendi causa. Adde *eumd.* 3. *B. G.* 15. Cf. *Liv.* 23. 47. Dejicere equum in viam. *h. e.* a loco altiore in viam demittere. — *f)* Pro detrahere dixit *Plaut. Stich.* 2. 2. 33. Dejicere pernam et glandium. *h. e.* detrahere e carnario in usum cœnæ. Cf. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 17. 69. (233). Ramenta pellis cervinæ dejecta pumice. *h. e.* abrasa, detracta. — *g)* *Dejicere alvum* est solvere, exonerare. *Cato R. R.* 156. et 158. Alvum si voles dejicere. *V.* DEJECTIO. *Varro* 2. *R. R.* 11. 3. Casei ovilli minimi cibi, et, qui facillime dejiciantur, caprini. *h. e.* qui facillime concoquantur atque egerantur. *Cels.* 2. 12. Si stercoris odorem, nihil dejiciens, æger ex spiritu suo sentit. — *h)* *Aliquod per nares dejicere* est infundere. *Veget.* 3. *Veterin.* 37. *in fin. Schneid.* Croci semunciam cum vino dulci contrito et dejicito per nares. Similiter coriandri viridis succum exprimes et naribus infundes. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 66. 5. et 67. 2. — *i)* Poetice de fluminibus. *Val. Flacc.* 3. 594. Flumina dejecta saxis. *h. e.* quæ a rupibus delabuntur.

B) Speciatim usurpatur 1.°) In re militari, 2.°) in re juridica, et 3.°) in re medica.

1.°) In re militari ¶ 1. *Dejicere* est hostes aggredi atque a loco, quem ipsi obtinent, expellere. *Cæs.* 7. *B. G.* 28. Hostes muro turribusque dejecti. *Id.* 1. *B. C.* 51. Nostros loco dejecerant. *Liv.* 44. 35. Dejicere agmen. *Cæs.* 1. *B. C.* 46. cohortes. *Nepos Thrasyb.* 3. et *Lucan.* 2. 694. hostes. *Cic.* 8. *Phil.* 2. 6. Cujus præsidium Claterna dejecit Hirtius. *Cæs.* 1. *B. C.* 37. Præsidium ex saltu dejicere. *Liv.* 28. 7. Dejectum præsidium. Sic *dejicere præsidium* modo cum Ablativo loci, modo sine Ablativo, occurrit apud *Cic.* 5. *Verr.* 16. 40.; *Cæs.* 1. *B. C.* 51., 2. *B. G.* 27. et 7. *B. G.* 36.; *Horat.* 2. *Ep.* 2. 30.; *Liv.* 4. 53., 44. 39. et 22. 24. *V. Drakenborg.* ad postremum hunc locum. Similiter *Liv.* 41. 2. et *Curt.* 7. 6. 24. Dejicere prætorium. *Liv.* 41. 35. castella. ¶ 2. Interdum *dejicere hostem* est aggredientem repellere. *Liv.* 7. 10. Gallorum agmen ex rupe dejecit.

2.°) In re juridica. ¶ 1. Quod ad consuetudinem forensem attinet, *dejicere* dicuntur, qui de possessione aliquem expellunt. Hac de re multa *Cicero pro Cæcin.* præcipue *cap.* 13., 17. et 18., et *JCti* toto *tit.* 15. *l.* 43. *Dig.* Sic *Liv.* 35. 22. Dejicere aliquem de possessione imperii. Et *Stat.* 5. *Theb.* 47. Dejectus regno. ¶ 2. Item *libellos dejicere* publice propositos, quibus bona alicujus proscribebantur, eorum auctionem certo die futuram edicebatur, est idem ac revellere. *Cic. Quinct.* 6. 27. Libellos Sex. Alfenus, procurator P. Quinctii, familiaris et propinquus Sex. Nævii, dejicit. *Seneca* 4. *Benef.* 12. Spondeo pro judicato, et suspensum amici bonis libellum dejicio, creditoribus ejus me obligaturus; ut possim servare proscriptum, ipse proscriptionis periculum adeo. *V.* LIBELLUS. ¶ 3. Denique *dejici* dicuntur cives Romani, qui morte multati de saxo Tarpejo, aut de ponte præcipites agebantur; in qua pœna plerumque tribuni plebis memorantur, in ceteris suppliciis consules. *Cic. Rosc. Am.* 35. 100. Dejicere de ponte aliquem in Tiberim. *Sueton. Cæs.* 80. e ponte. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 39. Dejicere e saxo cives, aut tradere Cadmo. *Tac.* 6. *Ann.* 19. Sex. Marius saxo Tarpejo dejicitur. Sic *dejicere de saxo* vel *saxo* occurrit apud *Liv.* 5. 47., 6. 20. et 25. 7.; *Tac.* 2. *Ann.* 32.; *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 66.; et *Liv. Epit.* 59.

3.°) Denique ¶ 1. In re medica *dejicere animal* est ejus vires medicamentis frangere, ut a morbo convalescat. *Veget.* 3. *Veterin.* 24. 2. *Schneid.* Dejecto animali. *V.* integrum locum. ¶ 2. Hinc *dejicere* est idem, quod Græcum καταβάλλειν; et — *a)* De hominibus significat prosternere, occidere. *Cæs.* 2. *B. G.* 27. At, quum primi eorum cecidissent, proximi jacentibus insisterent atque ex eorum corporibus pugnarent; his dejectis, et coacervatis cadaveribus etc. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 12. et 3. *B. C.* 51. *Nepos Thrasyb.* 2. *extr.* In prælio cecidit Critias. Hoc dejecto, etc. *Curt.* 3. 5. 5. Non in acie saltem, non ab hoste dejectum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse. Adde *eumd.* 8. 2. 22. *Virg.* 11. *Æn.* 641. Catillus Iolan ingentemque animis, ingentem corpore et armis Dejicit Herminium. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 512.; et *cf.* 6. *ibid.* 581. Titania pubes dejecti fulmine. Adde *Senec. Phœniss.* 536.; *Val. Flacc.* 6. 552.; et *Sil. It.* 15. 467. et 16. 106. — Hinc *Id. Sil. It.* 13. 246. Dejicere caput. *h. e.* occidere. — *b)* De brutis. *Curt.* 8. 1. 19. Quatuor millibus ferarum dejectis, in eodem saltu cum exercitu epulatus est. *Val. Flacc.* 1. 190. Glaucoque bovem Thetidique juvencam Dejicit Ancæus. *h. e.* mactat. Adde *eumd.* 2. 330.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a)* *Dejicere oculos, vultum*, etc. est deorsum vertere. *Cic.* 7. *Verr.* 71. 181. Si tantulum oculos dejecerimus, præsto esse insidias. Adde *Quintil.* 1. 11. 9. *Curt.* 6. 2. Dejecti in terram oculi. *Virg.* 11. *Æn.* 480. Lavinia oculos dejecta decoros. *h. e.* habens oculos dejectos:

Græca constructio. Sic *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 11. Sive aliqua est oculos in se dejecta modestos. Et *Stat.* 3. *Theb.* 367. Dejectus vultum. Similiter *Quintil.* 11. 3. 69. Dejecto capite. Adde *eumd.* 11. 3. 119.; *Val. Flacc.* 7. 514., 2. 470., 1. 132. et 8. 204.; et *Stat.* 11. *Theb.* 495. — Et pro avertere. *Cic.* 6. *Verr.* 15. 31. Pueri oculos de isto nusquam dejicere, neque ab argento digitum discedere. *Id.* 1. *Phil.* 1. 1. Dejicere oculos a republica. — *b*) De rebus ponitur pro removere, summovere. *Cic.* 7. *Verr.* 62. 162. Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur. *Id.* 2. *Tusc.* 5. 14. Multum de terrore doloris dejicere. *h. e.* detrahere, deminuere. *Id.* 4. *ibid.* 37. 80. vitia. *Id.* 7. *Verr.* 49. 130. alicui metum. — *c*) Item de personis ponitur pro removere. *Cic. Orat.* 37. 129. Nos magno semper usi impetu, sæpe adversarios de statu omni dejecimus. *Id.* 9. *Phil.* 4. 8. et 2. *Tusc.* 5. 14. Dejicere aliquem de sententia. *h. e.* facere, ut sententiam mutet. *Id.* 1. *Off.* 23. 80. Dejicere aliquem de gradu. *h. e.* de constantia deducere: ductum ab iis, qui pugnantes retro impelluntur ab adversario. Est autem proverbii genus, ut *Cic. ibid.* admonet. Adde *eumd.* 16. *Att.* 15. — Huc pertinet et illud *Spartian. Did. Jul.* 8. Decreta e senatu dejecta. *h. e.* abrogata. ¶ 2. Speciatim *dejicere* est eripere alicui spem aliquid adipiscendi, aliquem re aliqua privare; et occurrit præcipue de honoribus ac magistratibus. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. Dejectus spe. *Id.* 5. *ibid.* 46. opinione. *h. e.* deceptus. *Cic.* 2. *Verr.* 9. 25. Dejicere aliquem de honore. *Liv.* 39. 41., 4. 44. et 3. 35. honore. *Cic.* 5. *Verr.* 55. 127. aliquem fortunis. *Id.* 5. *ibid.* 51. 120. Unum et quinquaginta aratores ita video dejectos, ut his ne vicarii quidem successerint. *h. e.* veteres domini pulsi sunt ex agris, neque alii in eorum locum successerunt. Similiter *Id. Cic.* 3. *ibid.* 8. 23. Dejicere aliquem ædilitate. *h. e.* efficere ut ædilitatem non obtineat. *Id. Mur.* 36. 76. aliquem prætura. Et *Liv.* 38. 35. Quum M. Æmilium Lepidum inimicum, eo quoque anno petentem (*consulatum*) dejecisset. Adde *eumd.* 40. 46. et 37. 47.; *Cæs.* 1. *B. G.* 8. et 7. *ibid.* 63.; et *Cælium* apud *Cic.* 8. *Fam.* 4. 3. *Virg.* 3. *Æn.* 317. quis te casus dejectam conjuge tanto Excipit? *h. e.* privatam. *Tac.* 11. *Ann.* 29. Dejicere uxorem. *h. e.* matrimonio. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Dejectus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Dejectior* I.

I.) Proprie est humilis, abjectus. *Cæs.* 1. *B. C.* 46. Dejectis atque inferioribus locis. Et figurate *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 6. Quum duo dei pronuntiantur, uno summo magna, necesse est, neutrum altero sit aut sublimius, aut dejectius. *h. e.* abjectius, vilius.

II.) Translate de animo, dejectus dicitur qui animo cadit. *Virg.* 12. *Æn.* 875. quemquam vis alto vulnere tardat, Haud dejectus, equum duci jubet. Eodem sensu *Quintil.* 9. 4. 138. In epilogis plerumque dejecti et infracti sumus. Adde *Stat.* 3. *Theb.* 315. — Hinc

Dejecti, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, dicuntur apud Medicos iisdem ex eo, quod ex alto dejecti sint. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 13. 85. (137). Ruptis, convulsisque, ex alto dejectis, centaurium majus. *Id.* 29. *ibid.* 2. 9. (33). Lanam succidam imponunt incussis, collisis, contritis, dejectis.

DEJĬCITANS. *V.* DECITANS.

DĒJŬGIS, e, adject. *Auson. Edyll.* 10. 163. festinantesque coloni Vertice nunc summo properant, nunc dejuge dorso, Certantes stolidis clamoribus. *h. e.* de jugo montis declivi.

DĒJŬGO, as, are, a. 1. de jugo abstrahere; ac proinde disjungere, amovere. Translate. *Pacuvius* apud *Non.* p. 101. 27. et p. 142. 32. *Merc.* Per nostram egregiam unanimitatem, quam memoria dejugat.

DĒJUNCTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒJUNGO, jungis, junctum, jungere, a. 3. Part. *Dejunctus* I. — Dejungo est idem quod dejugo, de jugo solvo, abstraho.

I.) Proprie. *Veget.* 4. *Veterin.* 15. 25. Qua (*compositione*) utendum est, quum bos ab opere dejungatur. *Al. leg.* disjungatur; *Schneid.* disjungitur. Certior est lectio in *Inscript.* apud *Gruter.* 1003. 2. SI QVIS HAC TRANSEAT IVNCTO DEIVNCTOVE IVMENTO.

II.) Metaphorice. *Plaut. Asin.* 3. 3. 75. Dejungere amantes. *Cic. Tim.* 5. Ita necessitas cogit, ut eadem sint ea, quæ dejuncta fuerunt. *Sed recentiores omnes apud Cic. leg.* disjuncta, *et quidem rectius.* V. DISJUNGO.

DĒJŪRĀTIO. *V.* DEJERATIO.

DĒJŪRĬUM, ii, n. 2. jusjurandum. *Gell.* 7. 18. Quoniam dejurio vincti essent. *Placidi Gloss.* ed. *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. p. 452. Dejurium, jusjurandum certum jurare.

DĒJŪRO, as, etc. *V.* DEJERO.

DĒJŬVO, as, are, a. 1. non juvo. *Plaut. Trin.* 2. 2. 63. Deserere illum, et dejuvare in rebus adversis pudet.

DĒLĀBOR, lābĕris, lapsus sum, labi, dep. 3. (de *et* labor). Part. *Delabens* et *Delapsus* I. — Delabor est deorsum labor, decido; et fere usurpatur ad significandum quemcumque lentum motum a superiore in inferiorem locum (It. *scorrer giù, cadere*; Fr. *tomber de, tomber doucement, glisser d'en haut*; Hisp. *escurrir abaxo, caer*; Germ. *von oben herabgleiten, fallen, sinken*; Angl. *to fall down, slip or slide down*).

I.) Proprie. — *a*) De avibus. *Lucret.* 6. 837. Hic, ubi nictari nequeunt insistereque alis, Scilicet in terram delabi pondere cogit Natura. *Sueton. Aug.* 94. Ex improviso aquila panem ei e manu rapuit; et, quum altissime volasset, rursus ex improviso leniter delapsa reddidit. — *b*) De numinibus. *Ovid.* 3. *Met.* 101. superas delapsa per auras Pallas adest. *Id.* 1. *ibid.* 608. Delabi ab æthere. *Id.* 1. *ibid.* 212. et *Heroid.* 18. 65.; et *Virg.* 7. *Æn.* 620. et 5. *ibid.* 838. Delabi Olympo. Cf. *Cic.* 11. *Phil.* 10. 24. Id signum, quod de cælo delapsum Vestæ custodiis continetur. *h. e.* Palladium. — *c*) De armis, saxis, etc. *Cic.* 1. *Off.* 22. 77. Arma delapsa de manibus. *Cæs.* 2. *B. C.* 11. Cupas tæda ac pice refertas incendunt, easque de muro in musculum devolvunt: involutæ labuntur; delapsæ ab lateribus, longuriis furcisque ab opere removentur. *Sueton. Tib.* 39. Complura et ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt. *Juvenal.* 3. 118. Ad quam Gorgonei delapsa est penna caballi. *Quintil.* 11. 3. 144. sinus ab humero. *Sil. It.* 16. 270. vitta fronte. *Virg.* 6. *Ecl.* 16. Serta delapsa capiti. *Sil. It.* 16. 435. corona capiti. — *d*) De hominibus. *Liv.* 37. 34. Delabi ex equo. *Virg.* 10. *Æn.* 596. curru. *Justin.* 33. 2. 1. equo. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 377. *Tibull.* 2. 7. 21. ab excelsa præceps delapsa fenestra. *Cæs.* 7. *B. G.* 82. In scrobes delapsi defodiebantur. *Ovid.* 15. *Met.* 685. gradibus nitidis delabitur. — *e*) De aqua et fluminibus. *Cic.* 3. *Orat.* 46. 180. Quemadmodum ex utraque parte tecti aqua delaberetur. *Horat.* 3. *Od.* 29. 34. flumen medio alveo cum pace delabens Etruscum in mare. *Val. Flacc.* 2. 127. ad æquoream delabere Lemnon. *h. e.* descende. Adde *eumd.* 2. 62. et 3. 533.; et *Tibull.* 2. 6. 39.

II.) Translate: ad rem *Cic. Partit. Orat.* 4. 12. Aut a minoribus ad majora ascendimus, aut a majoribus ad minora delabimur. — Itaque delabi est a recta via aberrare, aut etiam simpliciter incidere: et occurrit cum Accusativo et præpos. *ad*, *in*, vel cum Adverb. *eo ut*, *eodem*. *Cic. Amic.* 21. 76. A sapientum familiaritatibus ad vulgares amicitias delabi. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 6. Nescio quo pacto ad præcipiendi rationem delapsa est oratio mea, quum id mihi propositum initio non fuisset. *Id.* 1. *Orat.* 21. 96. Insperanti mihi cecidit, ut in istum sermonem delaberemini. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 50. Carneadem audiebamus solitum eo delabi interdum, ut diceret, opinaturum esse sapientem. *Ovid.* 4. *Pont.* 15. 33. Scribere sæpe aliud cupiens, delabor eodem. *Quintil.* 7. 8. 1. Delabi in syllogismum. Rursus *Cic. Fat.* 17. 39. Delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus. *Id.* 2. *Orat.* 60. 246. Nonnumquam in hoc vitium scurrile delabitur. *Id.* 7. *Att.* 5. Delabi in morbum. *Gell.* 14. 3. *sub fin.* in suspiciones. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 14. in insidias. *Tac.* 2. *Ann.* 63. in ambitionem. *Id.* 15. *ibid.* 63. ad impatientiam. *Id.* 2. *ibid.* 38. ad inopiam. *Cic.* 6. *Fam.* 10. 5. Ipse quotidie mihi delabi ad æquitatem et ad rerum naturam videtur. *h. e.* accedere. *Id.* 12. *Att.* 47. De Mustela, ut scribis: etsi magnum opus est. Eo magis delabor ad Clodiam. — Apud *eumd.* 2. *Off.* 18. 64. Rem familiarem delabi sinere. *Alii rectius legunt* dilabi. Item apud *eumd.* 4. *Herenn.* 55. 68. Ille nulla voce delabens, insita virtute concidit tacitus. *h. e.* nullo verbo aut gemitu timorem ostendens: alii aliter legunt.

DĒLĀBŌRO, as, are, n. 1. valde laboro, ad lassitudinem usque laboro. *Afranius* apud *Non.* p. 393. 15. *Merc.* Hic noster delaborat.

DĒLĂCĔRO, as, are, a. 1. valde lacero, conscindo: hinc translate pro ad nihilum redigere apud *Plaut. Capt.* 3. 5. 14. Qui me meamque rem tuis scelestis falsiliciis fallaciis delaceravisti.

DĒLĂCRĬMĀTĬO *vel* delacrymatio *vel* delacrumatio, ōnis, f. 3.

A) Quum præpositio *de* significat motum a superiore ad inferiorem locum, delacrimatio est lacrimarum ex oculis demissio. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 99. (156). Capnos delacrimationem facit. *Id.* 31. *ibid.* 11. 26. (113). Vis ejus collyriis oculorum aptissima, et delacrimationibus mordendo proficiens.

B) Quum præpos. *de* actionis finem et cessationem significat, delacrimatio est cessatio lacrimarum. *Scribon. Compos.* 37. Quum opus fuerit, invertitur palpebra, deinde hoc medicamento suffricatur curiose ad delacrimationem, id est, ubi desierit mordere medicamen.

DĒLĂCRĬMĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad delacrimationem pertinens, ut Delacrimatorium collyrium, *Marcell. Empir.* 8. Hinc *Inscript.* apud *Tochon*, *cachets des oculist.* p. 64. L. SACCII MENANDRI MELINUM DELACRIMATORIUM.

DĒLĂCRĬMO *vel* delacrymo *vel* delacrumo, as, are, n. 1. (de *et* lacrima) lacrimas, vel aquam more lacrimantis demittere. *Colum.* 4. *R. R.* 9. 2. *de vite.* Ut in terram potius devexa, quam in gemmen delacrimet.

DĒLÆVO *vel* delevo, as, are, a. 1. (de *et* lævo) planum et læve facio, lævigo. *Colum. Arbor.* 6. 4. Vitem serrula desecato, et plagam acutissimo ferro delævato.

DĒLÆTOR, āris, ari, dep. 1. (de *et* lætor) valde lætor. *Vulgat. Ital. Sap.* 14. 28. Dum delætantur, insani fiunt. *Ita legit* A. Mai. *in opogr.*, non *delectantur*. Gr. εὐφραινόμενοι.

DĒLAMBO, is, ere, a. 3. (de *et* lambo) idem ac lambo. *Stat.* 2. *Theb.* 681. Molliaque ejecta delambit vellera lingua.

DĒLĀMENTOR, āris, ari, dep. 1. (de *et* lamentor) valde lamentor. *Ovid.* 11. *Met.* 331. et natam delamentatur ademptam.

DĒLĀNĬARE est discindere et quasi lanam trahere, unde *lacinia* et *lanius* dicitur, qui pecus discindit. *Paul. Diac.* p. 73. 12. *Müll.* Al. leg. *dilaniare*.

DĒLĂPĬDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒLĂPĬDO, as, ātum, are, a. 1. (de *et* lapis). Part. *Delapidatus* 2. — Delapido ¶ 1. Est lapides ex aliquo loco eximo, aufero, sive lapidibus purgo. *Cato R. R.* 46. Locum bipalio vertere, delapidare, circumque sæpire. ¶ 2. Item lapidibus sternere. *Paul. Diac.* p. 73. 13. *Müll.* Delapidata, lapide strata. *Isid.* 15. *Orig.* 16. 6. Strata dicta quasi vulgi pedibus trita. Ipsa est et delapidata, id est lapidibus strata. Cf. *Gloss. Labb. Delapidata*, λιθόστρωτα.

DĒLAPSUS, a, um. *V.* DELABOR.

DĒLAPSUS, us, m. 4. declivitas, defluxio. *Varro* 1. *R. R.* 6. 6. Campester locus, qui est ad libellam æquus, quum aquæ non habeat delapsum, fieri solet uliginosus.

DĒLARGĬOR. *V.* DILARGIOR.

DĒLASSĀBĬLIS, e, adject. qui delassari potest. *Manil.* 4. 242. Et faciles motus, nec delassabile pectus.

DĒLASSĀTĬO, ōnis, f. 3. *Gloss. Cyrill.* Κατακόπωσις, delassatio. *Ibid.* Καταπόνησις, delassatio, defatigatio, lassitudo.

DĒLASSĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒLASSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* lasso). Part. *Delassatus* I. — Delasso est valde lasso.

I.) Proprie. *Plaut. Asin.* 5. 2. 22. Delassatus labore. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 14. Cetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem Delassare valent Fabium.

II.) Translate. *Martial.* 10. 5. *extr.* Delasset omnes fabulas poetarum.

DĒLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus deferendi, accusatio; et occurrit — *a*) Cum Genitivo. *Cic. Cluent.* 8. 25. Qui sibi delationem nominis, et capitis periculum ostentarat. Adde *eumd. Divin. in Q. Cæcil.* 20. 64.; *Curt.* 6. 8. 13; et *Tac.* 11. *Ann.* 29. — *b*)

Omisso Genitivo. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 15. 49. Dare delationem alicui. *Tac.* 2. *Hist.* 10. Delationem factitare. — *c*) In plurali num. *Tac.* 2. *Hist.* 84. Passim delationes, et locupletissimus quisque in prædam correpti. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 7.; *Plin. Paneg.* 34. et *ibid.* 45.; et *Capitolin. Anton. Phil.* 11.

DĒLĀTOR, ōris, m. 3. occultus accusator, calumniator: et sæpissime occurrit apud historicos sequioris ævi. *Quintil.* 3. 10. 3. Judicia inter delatores, uter præmium meruerit. Adde *eumd.* 9. 2. 74., ubi *judices* et *delatores* opponuntur. *Plin. Paneg.* 34. Delatorum judicium, quasi latronum. Adde *eumd. ibid.* 35. et 36., et 6. *Ep.* 31. *Tac.* 2. *Ann.* 50. Appulejam Varillam, sororis Augusti neptem, – majestatis delator arcessebat. *Sueton. Domit.* 9. Princeps, qui delatores non castigat, irritat. *Id. Ner.* 10. Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit. Adde *eumd. ibid.* 32., *Tit.* 8., *Tib.* 61., *Domit.* 11. et *Cal.* 15.; *Juvenal.* 1. 33., 3. 116., 4. 48. et 10. 70.; *Tac.* 6. *Ann.* 40. et 4. *Hist.* 6.; *Martial.* 1. *Spectac.* 4.; *Capitolin. Anton. Phil.* 11. etc. Loquuntur autem de certo hominum genere, qui Romæ sub imperatoribus quæstum delationibus faciebant. Hi neque suam, neque suorum injuriam persequebantur, sed sola præmii spe, et, ut principi gratificarentur, deferebant quoscumque reos ad principem, aut magistratum, solo lucri amore, aut gratiæ ineundæ: genus hominum publico exitio repertum, ut ait *Tac.* 1. *Ann.* 30. Hos Urbe tum Domitianus, tum Trajanus expulisse laudantur a *Martial.* et *Plin. loc. cit.* — Ceterum *delator* pro *accusatore* simpliciter occurrit apud *Capitolin. Macrin.* 12. Delatores, si non probarent, capite affecit; si probarent, delato pecuniæ præmio infames dimisit. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 514. VENDITOR TVQVE EMPTOR DABITIS POENAE NOMINE AERARIO POPVLI ROMANI HS. XX. N. DELATOR ACCIPIET QVARTAM PARTEM. Similiter *Inscript.* apud *Henzen* 7337. TVNC POENÆ NOMINE DABIT (*venditor* et *emptor*) REI *publicæ* AQVILEjensi HS. XX. N. DELATOR QVARTAM ACCIPIET.

DĒLĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad delatorem pertinens, accusatorius, ut Delatoria curiositas, *Ulp. Dig.* 22. 6. 6. *Fronto de fer. Als.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 3. Calicem sine delatoria nota quum dico, sine puncto dico. Neque enim me decet, qui sim jam homo doctus, volgi verbis calicem acentetum appellare. *Delatoriam* vero *notam* appellat *Fronto* punctum, quo utebantur veteres in judiciis, cujus meminit *Ascon.* in not. ad *Cic. orat. pro Scauro* p. 21. *Bait.*

DĒLĀTŪRA, æ, f. 1. deferendi actus. ¶ 1. Generatim. *Vulgat. interpr. Eccli.* 38. 16. Fili, in mortuum produc lacrimas, – et ne despicias sepulturam illius. Propter delaturam autem amare fer luctum illius uno die, – et fac luctum secundum meritum ejus uno die, vel duobus propter detractionem. *Tertull.* 5. *contra Marcion.* 18. *sub fin.* Vocabulum diaboli, quæro, ex qua delatura competat creatori. *h. e.* quo deferente. ¶ 2. Speciatim. *Vulgat. Ital. Eccli.* 28. 11. Homo iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos, et in medium pacem habentium immittet delaturam. *Alio tamen loco* delaturam: *Vulgat. commun.* habet *inimicitiam.*

DĒLĀTUS, a, um. *V.* DEFERO.

DĒLĀVĀTĬO, ōnis, f. 3. lavatio. *Gloss. Cyrill.* Ἀπόλουμα, delavatio. *Theod. Priscian.* 3. 5. Post matricis delavationem.

DĒLĀVO, lavas, lōtum, lāvare, a. 1. (de *et* lavo). Part. *Delotus.* — Delavo est idem quod lavo. Affertur *Plaut. Rud.* 2. 7. 21. In mari quod delavi. Sed meliores libri habent *elavi.* *Apicius* tamen 8. 7. Porcellum liquamine delavas. Et *Theod. Priscian.* 1. 1. Alia vero sequenti coqui facias, et ex ea decoctione loca frequentius delavabis. *Id.* 4. 1. Coagulum leporis e vino veteri delutum.

DĒLĒBĬLIS, e, adject. qui deleri potest. *Martial.* 7. 84. Casiius hic nullis, nullis delebilis annis Vivet.

DĒLECTĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Delectabilior.* — Delectabilis est qui delectat. *Tac.* 12. *Ann.* 67. Infusum delectabili cibo boletorum venenum. *Gell.* 1. 11. Præcentio delectabilis. *Id.* 2. 29. Festivi et delectabiles apologi. *Apul. Florid.* n. 17. Vox hominis et lyra concentu variatior, et tibia questu delectabilior.

DĒLECTĀBĬLĬTER, adverb. Comp. *Delectabilius.* — Delectabiliter est delectando, jucunde. *Gell.* 13. 24. Delectabiliter ac decore depicta. *Id.* 15. 1. Declamare delectabiliter et feliciter. Adde *eumd.* 12 67. *Augustin. de dono Persev.* 53. Quid autem meorum opusculorum frequentius et delectabilius innotescere potuit?

DĒLECTĀMEN, inis, n. 3. delectamentum. In quodam epigr., quod inter *Priapeja* referunt; alii tribuunt *Apulejo.* At nobis casso saltem delectamine Amare liceat, si potiri non licet.

DĒLECTĀMENTUM, i, *n.* 2. idem ac delectatio.

I.) Proprie. *Ter. Heaut.* 5. 1. 79. Qui me sibi pro ridiculo et delectamento putat. *Cic. Pis.* 25. 100. Inania delectamenta puerorum.

II.) Figurate. *Nazar. Paneg. Constantin.* 35. Delectamenta pacis adhibere.

DĒLECTĀTĬO, ōnis, f. 3. oblectatio, jucunditas, quam ex re aliqua percipimus: quam sic definit *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 20. Delectatio est voluptas suavitate auditus animum deleniens: et qualis hæc est aurium, tales sunt oculorum, et tactionum, et odorationum, et saporum, quæ sunt omnes unius generis, ad perfundendum animum, tamquam illiquefactæ voluptates. — Occurrit cum et sine Genitivo — *a*) In singulari num. *Ter. Heaut.* 5. 2. 34. Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio, etc. *Cic.* 1. *Off.* 30. 105. Duci delectatione videndi et audiendi. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 16. 8. *Id. Senect.* 14. 45. Delectatio conviviorum. *Id.* 2. *Orat.* 38. 155. Delectatio et jucunditas. *Id.* 1. *ibid.* 43. 193. Suavitas et delectatio. *Id.* 7. *Fam.* 1. 2. Afferre alicui delectationem. *Id.* 9. *ibid.* 24. 2. Magna te delectatione et voluptate privasti. *Id.* 6. *ibid.* 12. *extr.* Litteræ habent delectationem. *h. e.* afferunt. *Id. post redit. in Senat.* 6. 14. Gaudium et delectatio. *Id.* 2. *Legg.* 6. 14. Studii et delectationis causa conscribere aliquid. Adde *Quintil.* 2. 13. 11. et 9. 1. 9. — *b*) In plurali num. *Cic. Mur.* 19. 39. Sed si nosmetipsi, qui et ab delectatione omni negotiis impedimur. Adde *Quintil.* 5. 8. 3., 12. 10. 52., 10. 2. 27., 1. 6. 39., 2. 17. 28. et 11. 1. 48.

DĒLECTĀTOR, ōris, m. 3. duo diversa significat, prout est *A*) A *delectare*, aut *B*) A *deligere*.

A) Delectator a delectare est qui delectat. *Gloss. Cyrill.* Τερπνός, jucundus, amandus, delectator, delectabilis.

B) Delectator a *deligere* vel a *delectus* est qui militum delectum agit, idem ac delector. *Inscript.* apud *Don. cl.* 5. n. 66. L. VALERIO L. F. QVIR. PROCVLO DELECTATORI AVG. PROV..... ET PROVINC. VETERIORIS HISPANIAE. Fortasse tamen *delectori* legendum in lapide mutilo, et lectionis incertæ. Hæc eadem inscriptio legitur apud *Bertol. Antich. d'Aquil.* p. 274. n. 392; qui fatetur, se eamdem in pluribus mendosam dedisse ex *Bened. Ramberti* schedis. Sed tamen *delectator* hoc sensu occurrit in *Inscript.* apud *Rénier, Mélange d'Épigraph.* p. 86. PROC. ALPIVM MARITVMAR. DELECTATOR. Sic in pluribus *Inscript. ibid.* p. 73., mendosa quidem scriptione, legitur *dilectator.*

DĒLECTĀTUS, a, um. *V.* DELECTO.

DĒLECTĬO, ōnis, f. 3. actus delegendi. *Vopisc. Aurel.* 40. Senatus hanc eamdem delectionem (*imperatoris*) in exercitum refudit.

DĒLECTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* delicio. Part. *Delectans* II. *a.*; *Delectatus* II. et in fin.; *Delectandus* II. — Delecto est a recta via alliciendo sive illecebris abduco.

I.) Proprie. *Ennius* apud *Non.* p. 97. 32. *Merc.* Ut me Apollo ipse delectat, ductat Delphicus. *Quadrigarius* apud *eumd.* p. 98. 2. Fabius incepit eum hostem delectare. *Cato R. R.* 30., et qui ab eo exscripsit *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (55). Ubi sementim facturus eris, oves delectato. *Est qui legit delegato, sed minus recte: delectato autem est pascito, detineto.*

II.) Figurate: quoniam quæ grata ac jucunda sunt, nos attrahere solent, factum est, ut delectare sit jucunditate afficere: usurpatur autem — *a*) Active. *Ennius* apud *Gell.* 19. 10. Studet ibi: mentem atque animum delectat suum. *Ter. Eun.* 4. 1. 10. Heus, inquit, puer, Pamphilam arcesse, ut delectet hic nos. *Cic.* 5. *Fam.* 19. Me et superiores litteræ tuæ admodum delectaverunt. *Id.* 1. *ibid.* 7. *sub fin.* Me status hic reipublicæ non delectat. *Id.* 12. *Att.* 5. Cato me quidem delectat. *Id.* 2. *ibid.* 4. Cum Musis nos delectabimus animo æquo. *Id. ibid.* 6. Aut libris me delecto, aut fluctus numero. *Id.* 9. *Fam.* 18. Tu istic te Atheriano jure delectato; ego me hic Hirtiano. *V.* ATHERIANUS in ONOM. *Horat.* 4. *Od.* 12. 9. Dicunt – Custodes ovium carmina fistula, Delectantque deum, cui pecus et nigri Colles Arcadiæ placent. *Id.* 2. *Sat.* 8. 16. Albanum, Mæcenas, sive Falernum Te magis appositis delectat, habemus utrumque. *Plin.* 1. *Ep.* 22. Longis disputationibus otium suum delectare. Adde *eumd. Paneg.* 45.; *Quintil.* 3. 5. 2., 11. 3. 154. et 12. 10. 43.; et *Juvenal.* 8. 132. — Cum Infinito. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 247. Ædificare casas, plostello adjungere mures – Si quem delectet barbatum, etc. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 4. 23.; *Ovid. Rem. am.* 103.; et cf. *Quintil.* 1. 1. 29. — Impersonalium more in epistola *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 13. Me magis de Dionysio delectat. — Absolute. *Seneca Ep.* 39. *extr.* Consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent. *Martial.* 1. 26. Seria quum possim, quod delectantia malim Scribere, tu causa es, lector amice, mihi. — *b*) Passive *delectari* dicitur tum qui jucunditate afficitur seu delectatur, tum qui se delectat: et fere usurpatur cum Ablativo rei. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 3. *ad fin.* Duci et delectari declamatorio genere. *Id. Pis.* 20. 45. His ego rebus pascor, his delector, his perfruor. *Id.* 12. *Fam.* 29. Ad hæc jucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter. *Id. Amic.* 14. 49. Delectari multis inanibus rebus. *Nepos Datam.* 3. Magnopere delectatus facto. *Cæs.* 3. *B. C.* 82. Delectari imperio. *Horat.* 4. *Od.* 1. 23. et 2. *Ep.* 2. 59. carminibus. *Sueton. Aug.* 89. comœdia veteri. *Id. Claud.* 34. bestiariis. *Id. Aug.* 70. poetis. *Justin. præfat.* 1. 4. æmulatione gloriæ. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 8. Matrona amœnitate aliqua delectanda erit, quo patientius moretur cum viro. *Al. leg.* demerenda. Adde *Nepot. Dion.* 2. et *Att.* 14.; *Sueton. Tib.* 40.; *Plin.* 3. *Ep.* 1.; *Quintil.* 4. 1. 57. et alibi; et *Juvenal.* 16. 6. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 13. 14. et *Orat.* 57. 195. Delectari ab aliquo. *Id.* 2. *Legg.* 7. 17. In hoc admodum delector, quod etc. Cf. *Sueton. Aug.* 77. – Cum Infinito. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 32. Vir bonus et prudens dici delector. *Phædr.* 5. 3. Quæ delectaris bibere humanum sanguinem. — *c*) Impersonaliter cum Infinito. *Capitolin. Gord.* 24. *extr.* Delectat sane boni esse principis socerum. *Id. Maxim. duob.* 3. Numquid delectat luctari post cursum? — *d*) Deponentis forma. *Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann.* Deprehensus est, quum dominam suam delectaretur. *Id. ibid.* 64. Nihil narras? nihil nos delectaris? — Hinc Part. præter. pass.

Delectatus, a, um, nominis etiam naturam induit, et gradus habet. *Gell. præfat.* Sermo delectatior in otio. *Alii leg.* delectantior: *alii aliter.*

DĒLECTOR, ōris, m. 3. qui deligit, et speciatim qui militum delectum habet. *Frontin.* 4. *Strateg.* 1. Pyrrhus delectori suo fertur dixisse: Tu grandes elige: ego eos fortes reddam. *V.* DELECTATOR sub *B.*

DĒLECTUS, a, um. *V.* DELIGO et DELICIO.

DĒLECTUS, us, m. 4. Scribitur et *dilectus* æque recte, et in optim. MSS. et libris editis multis legitur frequentissime. — Delectus est actus deligendi, electio (It. *scelta, distinzione;* Fr. *choix, triage, préférence, discernement;* Hisp. *escogimiento, preferencia, discernimiento;* Germ. d. *Wahl, Auswahl,* d. *Unterschied;* Angl. *a choosing, selecting, choice*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 157. Utrimque tibi delectum paro ex multis exquiri illis unam. *Varro* 2. *R. R.* 5. 17. Delectus in gregibus. *Cic.* 3. *Orat.* 37. 150. Habere delectum verborum. *Id.* 5. *Fin.* 30. 90. Adhibere delectum ad aliquam rem. *h. e.* in aliqua re. *Id.* 1. *ibid.* 10. 33. Earum rerum hic tenetur a sapiente delectus, ut aut rejiciendis, etc. *Id.* 1. *Off.* 41. 119. Habere delectum civis et peregrini. *Id.* 1. *ibid.* 14. 45. Ut in beneficentia delectus sit dignitatis. et *ibid.* 15. 49. Delectus beneficiorum. *Id.* 5. *Phil.* 5. 13. judicum. *Id. Cluent.* 46. 128. dignitatis. *Quintil.* 12. 9. 16. verborum. *Id.* 2. 8. 7. studiorum. Adde *eumd.* 1. 5. 4., 8. 5. 30. et 10. 5. 3.; *Tac. dial. de orat.* 22.; et *Capitolin. Max. duob.* 8. Rursus *Cic.* 4. *Verr.* 50. 123. Iste, qui omnia jura pretio exæquasset, omniumque rerum delectum atque discrimen pecunia sustulisset. *Id.* 4. *Fin.* 25. 69. Officia autem tolluntur, delectu omni et discrimine remoto. *Id. Planc.* 4. 9. Populus, si judicat, non delectu aliquo, aut sapientia ducitur ad judicandum, sed impetu nonnumquam, et quadam etiam temeritate. *Spartian. Hadrian.* 11.

Delectum detrectare. — Hinc *sine ullo delectu*, et *sine delectu*, et *nullo delectu*, est nulla habita ratione, confuse, temere: quibus *cum delectu* opponitur. Cic. 2. leg. Agr. 21. 57. Ceteri agri omnes, qui ubique sunt, sine ullo delectu decemviris addicentur. Gell. 20. 5. Aristoteles ἐξωτερικὰς auditiones vulgo juvenibus sine delectu præbebat. Ovid. 10. Met. 324. coeuntque animalia nullo Cetera delectu. Plin. contra 2. Ep. 13. Nuper ab optimo principe trium liberorum ei jus impetravi: quod quamquam parce et cum delectu daret, tamen etc. Plin. 7. Hist. nat. 33. 54. (180). Plurimas prodidit Verrius: nos cum delectu modum servabimus. Cf. Sueton. Claud. 15., Ner. 37., Aug. 74., 31. et 13. ¶ 2. Speciatim sæpissime dicitur de militum delectu. Cic. Prov. cons. 2. 5. Exercitus superbissimo delectu et durissima conquisitione collectus. Id. 15. Fam. 1. 11. Delectus provincialis. Cæs. 1. B. C. 25. Legiones ex novo delectu conficere. Nepos Hann. 6. extr. Novis delectibus multos contrahere. Auct. B. Afr. 36. Delectus libertinorum. Curt. 10. 3. 10. juniorum. Liv. 22. 58. servorum. Cæs. 6. B. G. 1., 7. ibid. 1. et 4., et 1. B. C. 6. et 9.; Cic. 5. Phil. 12. 31.; et Sall. Cat. 36. Delectum habere. Auct. B. Alex. 56. instituere. Plin. 7. Hist. nat. 29. 30. (107). agere. Id. 6. ibid. 19. 22. (66). facere. Liv. 25. 5. conficere. Id. 2. 27. decernere. Id. ibid. 55. edicere. Adde Cæs. 1. B. C. 31.; Liv. 6. 28. et 34. 56.; Flor. 4. 2. 5.; Quintil. 12. 3. 5.; Sueton. Cal. 43., Vitell. 15. et 79.; Tac. 2. Ann. 82., 16. ibid. 13., 3. Hist. 50., 4. ibid. 70. et Agric. 7.; et Sil. It. 7. 43. — Hinc per metonymiam de ipsis delectis militibus Tac. 2. Hist. 57. E Britannico delectu octo millia sibi adjunxit.

DĒLĒGĀTĬO, ōnis, f. 3. actus delegandi, mandatum, quo id, quod facere debemus, alteri committimus.

I.) Proprie. Cic. 12. Att. 3. Nomen illud, quod a Cæsare, tres habet conditiones: aut emptionem ab hasta; aut delegationem a mancipe, annua die; aut Vecteni conditionem semisse. h. e. translationem solutionis, ita ut ea ab aliquo mancipe fiat intra annum. V. Manut. Seneca 6. Benef. 5. Pecuniam dicimus reddidisse, quamvis non intervenerint nummi, sed delegatione et verbis perfecta solutio sit. h. e. quum ab alio solvi credituri curamus, v. gr. creditum aliquod nostrum creditori cedendo.

II.) Translate. Seneca Ep. 27. Ipse necesse est laborem tuum impendas, si effici cupis. Delegationem res ista non recipit. V. PERSCRIPTIO.

DĒLĒGĀTOR, ōris, m. 3. qui delegat. Cassiod. 1. Variar. 18. Si Romanum prædium sine delegatoris cujusdam pittacio præsumptor Barbarus occupavit, illud priori domino, submota dilatione, restituat.

DĒLĒGĀTŌRĬUS, a, um, adject. delegationem continens. Apud Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod. 7. 4. 22. appellantur *delegatoriæ litteræ*, quibus delegatio aliqua continetur. Cassiod. 11. Variar. 35. Delegatoria epistola. Id. ibid. 33. Delegatorius libellus.

DĒLĒGĀTUS, a, um. V. voc. seq.

DĒLĒGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et lego, as). Part. *Delegans* I. 2.; *Delegatus* I. 1. et 2.; *Delegandus* I. 1. — Delego est aliquem aliquo mitto, ut meo nomine aliquid agat; adeoque demando, committo, trado alteri, qui meas vices impleat (It. *delegare, mandare con un incarico, affidare*; Fr. *envoyer, députer, déléguer, confier, renvoyer à*; Hisp. *enviar, diputar, elegir alguno con alguna comision, delegar, confiar*; Germ. *Jmdn wohin senden, absenden mit einem Auftrage, abordnen*; Angl. *to commit, assign, entrust, charge with, delegate, depute*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Cum Accusativo personæ. Plaut. Amph. prol. 67. Delegatos fautores viderint. Id. ibid. v. 83. Qui sibi mandassent, delegati ut plauderent. Tac. Germ. 20. Nec ancillis ac nutricibus infantes delegantur. Id. 4. Hist. 45. Caninefates Batavosque minoribus ducibus delegandos. Ulp. Dig. 38. 5. 1. a med. Delegatus emptori. Cassiod. 3. Variar. 37. Delegatus judex. Colum. 3. R. R. 10. 6. Quis non impudentissimum quemque huic negotio delegat? Sueton. Cal. 57. Cassium Longinum occidendum delegaverat. Liv. 5. 20. Eo delegasse (*homines*) ad senatum. Nepos Cat. 3. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus. h. e. remittimus. Al. leg. *relegamus*. Liv. 29. 22. ad fin. Pleminium conatum per quosdam urbem incendere, ut frangendi carceris haberet occasionem: patefacto dein scelere, delegatum in Tullianum ex senatusconsulto. h. e. translatum. — Apud Caton. R. R. 30. Ubi sementim facturus eris, ibi oves delegato. Alii rectius leg. delectato. — b) Cum Accusativo rei. Cic. Dom. 7. 16. Petebatur a me frumenti copia, etc. – delegavi amico locupletiori. Cælius apud Cic. 8. Fam. 1. Laborem alteri delegavi. Tac. Agric. 2. Delegatum triumviris ministerium. Quintil. 4. procem. 2. Delegare alicui curam alicujus rei. Frontin. Aquæd. init. Omnis res ab imperatore delegata intentiorem exigit curam. Plin. 4. Ep. 28. Imagines describendas pingendasque delegare. Sueton. Gramm. 21. Quo (*Augusto*) delegante curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepit. Adde Liv. 9. 13. et 28. 42.; Colum. 11. R. R. 2. 72.; Sueton. Cæs. 56., Ner. 32. et Claud. 23.; Quintil. 6. procem. 1.; Lamprid. Alex. Sev. 66.; et Capitolin. Anton. Phil. 10. ¶ 2. Speciatim quum de creditoribus ac debitoribus agitur, *delegare*, ut exponit Ulp. Dig. 46. 2. 11., est vice sua alium reum dare creditori. Cic. 13. Att. 46. 3. Quineto delegato. Seneca 7. Benef. 19. Etiam si mihi adulteram, cui numerem, delegaverit, reddam. Id. Ep. 19. Delegabo tibi Epicurum. Sic Id. 4. Benef. 11. Debitores nobis deus delegat, precaturque, pro se gratiam referant. Ulp. et Paul. Dig. 46. 2. 12. et 13. Delegare debitorem. Ulp. ibid. 37. 6. 1. circa med. Delegare nomen paterni debitoris. — Et cum Accusativo pecuniæ. Cato R. R. 149. Donicum pecuniam satisfecerit aut delegarit, pecus et familia, quæ illic erit, pignori sunt. h. e. debitorem constituerit: Forcellinus hoc loco absolute accepit.

II.) Translate. — ¶ 1. Raro admodum ponitur pro committere, tradere. Liv. 6. 28. Fortunæ loci delegaverant spes suas. Apul. de Mag. Magia res est legibus delegata. h. e. tradita legibus puniendi causa. — Singulare est illud Inscript. optimæ notæ apud Marin. Iscriz. Alb. p. 138. lin. antepæn. FRAECVCVARISTI FATO, DELEGASTI MIHI LVCTVM DESIDERIO TVI. h. e. præbuisti, attulisti. ¶ 2. Sæpius est aliquid alicui probro aut laudi tribuere. Cic. Orat. 11. 28. Delegare crimen optimis nominibus. Id. Fontej. 4. 8. crimen alicui. Auct. B. G. 8. 22. causam peccati mortuis. Tac. 13. Ann. 11. scelera alicui. Liv. 10. 19. Eo rem adductam esse, ut omnis rei bene aut secus gestæ decus dedecusque ad Volumnium sit delegatum. Id. 21. 46. extr. Servati consulis decus Cælius ad Servum Ligurem delegat. Cf. Cic. 2. Orat. 28. 125. Hæc ipsa, quæ nunc ad me delegare vis, ea semper in te eximia et præstantia fuerunt. — Hinc

Delegatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, idem est ac delegatio. Ulp. Dig. 44. 44. 126. Quid si debitor, ex delegato pupilli, pecuniam creditori ejus solvit?

DĒLĒNĬFĬCUS, a, um, adject. (delenio et facio) blandus, demulcens, blande capiens. Lucilius apud Fulgent. de prisco serm. p. 567. 24. Merc. Nescio quorsum mihi eveniant tua verba tam delenifica. Turpilius apud Non. p. 278. 2. Merc. Vide mirum ingenium ac delenificum mulierum. Plaut. Mil. glor. 2. 2. 36. Domi habet animum falsiloquum, domi dolos, domi delenifica facta. Fronto ad Verum Imp. (edente iterum A. Majo) Ep. 1. Plane dicta omnia et verba delenifica. Adde Symmach. 7. Ep. 27.

DĒLĒNĪMEN vel delinimen, inis, n. 3. idem quod delenimentum. Symmach. 3. Ep. 11. Spectator veteris monetæ solus supersum, ceteri delenimina aurium capiunt. Al. leg. delenimenta.

DĒLĒNĪMENTUM vel delinimentum, i, n. 2. quidquid ad placandum, blandiendum et mitigandum adhibetur. — a) In bonam partem. Liv. 4. 51. Aptissimum tempus erat, vindicatis seditionibus, delenimentum animis Volani agri divisionem objici. Tac. 15. Ann. 63. Vitæ delenimenta monstraveram tibi: tu mortis decus mavis. Plin. 3. Ep. 15. Videor autem jam nunc posse rescribere esse opus pulcrum, – quantum æstimare licuit ex iis, quæ me præsente recitasti: – legis enim suavissime et peritissime. Confido tamen me non sic auribus duci, ut omnes aculei judicii mei illarum delenimentis refringantur. — b) Sumitur et in malam partem pro illecebra et invitamento ad prava. Afranius apud Non. p. 2. 4. Merc. Si possent homines delenimentis capi, Omnes haberent nunc amatores anus. Ætas et corpus tenerum et morigeratio Hæc sunt venena formosarum mulierum: Mala ætas nulla delenimenta invenit. Liv. 30. 13. Illam furiam omnibus delenimentis animum suum avertisse atque alienasse. Id. 39. 11. Illius excetræ delenimentis et venenis imbutum, nec parentis, nec deorum verecundiam habere. Tac. Agric. 21. Paullatim discessum ad delenimenta vitiorum, porticus et balnea, et conviviorum elegantiam. Maxim. Dig. 5. 2. 4. Novercalibus delenimentis instigationibusque corrupti. — Ceterum adde Liv. 5. 31., 10. 11. et 7. 38.; Justin. 21. 1. 5.; Tac. 1. Hist. 77.; et Pacat. Paneg. Theod. 25.: in quibus modo in bonam, modo in malam partem occurrit.

DĒLĒNĬO vel delinio, is, ivi vel ii, itum, ire, a. 4. (de et lenio). Part. *Delenitus*, *Deleniturus* et *Deleniendus*. — Delenio est idem fere quod lenio, placo, mitigo (It. *mitigare, placare, addolcire*; Fr. *adoucir, apaiser, calmer*; Hisp. *ablandar, amansar, aplacar, mitigar*; Germ. *schmeichelnd beschwichtigen, lindern, besänftigen, gewinnen, einnehmen*; Angl. *to mitigate, sooth, charm*). Occurrit — a) In bonam partem. Titinius apud Non. p. 72. 1. Merc. Verum enim dotibus deleniti, uxoribus ancillantur. In argum. Stichi Plautini. Verbis delenitur commodis, habere ut sineret, quos semel nactæ forent. Cic. Mil. 35. 95. Ut plebem non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deleniret. Id. 2. Off. 14. 48. Ut milites blande appellando deleniant. Id. 1. Orat. 9. 36. Genus hominum in silvis dissipatum, disertorum oratione delenitum. Liv. 7. 38. et 1. 57. Delenire animos. Id. 1. 13. iras. Id. 5. 31. plebem munere. Cf. eumd. 7. 38. Phædr. 3. prol. 44. Remediis dolorem delenire. Horat. 3. Od. 1. 43. Delenire dolentem. Ovid. 11. Met. 162. Barbaricoque Midan (aderat nam forte canenti) Carmine delenit. Auson. Edyll. 4. 9. longum delenitura laborem Intervalla damus. — b) Sumitur et in malam partem pro allicere, et mollem reddere, mentem adimere. Plaut. Asin. 2. 4. 28. Vah! delenire apparas. Id. Cist. 2. 1. 40. Tu me delenis: propter te hæc pecco. Id. Amph. 2. 2. 211. Delenitus sum profecto, ita ut me, qui sim, nesciam. h. e., ut exponit Nonius p. 278. 8. Merc., mente alienatus, nempe, adeo captus atque illectus sum, ut etc. Lucilius apud eumd. ibid. Concedat homini id quod vult, deleniat, corrumpat prorsus ac nervos omnes eligat. Cic. Cluent. 5. 13. Animum adolescentis pellexit iis omnibus rebus, quibus illa ætas capi et deleniri potest. Id. Mur. 35. 74. Tu mihi summum imperium, tu gubernacula reipubl. petas fovendis hominum sensibus, et deleniendis animis, et adhibendis voluptatibus? Id. 15. Fam. 16. Triennium est, quum virtuti nuncium remisisti, delenitum illecebris voluptatum. Id. 1. Fin. 10. 33. Delinitus blanditiis atque corruptus. Quintil. 5. 8. 1. Gustu cujusdam graminis et Sirenum cantu deleniti.

DĒLĒNĪTĬO vel delinitio, ōnis, f. 3. actus deleniendi, delenimentum. Cic. 2. Off. 16. 56. Ipsa delenitio multitudinis sit ad breve tempus. h. e. effusio pecuniæ, quæ fit ad multitudinem deleniendam. Alii, inter quos et Orell., leg. delectatio.

DĒLĒNĪTOR vel delinitor, ōris, m. 3. qui delenit, mitigat, placat. Cic. Brut. 70. 246. Ut etiam cum judice ipso, cujus delenitor esse debet orator, jurgio sæpe contenderet.

DĒLĒNĪTŌRĬUS vel delinitorius, a, um, adject. ad delenimentum pertinens, qui lenit. Cassiod. 10. Variar. 29. a med. Utere aquis illis, primum potu delenitoriis, deinde thermarum exhibitionibus siccativis.

DĒLĒNĪTUS vel delinitus, a, um. V. DELENIO.

DĒLĔO, les, lēvi, lētum, lere, a. 2. *Delesset* syncop. pro *delevisset*, Val. Max. 3. 7. — Part. *Delitus* pro *deletus* habet Calvus apud Diomed. 1. p. 372. Putsch. Prima epistula videtur in via delita. Adde Varron. ibid. Et Cic. apud Priscian. 9. p. 872. Putsch. Tuli moleste, quod litteræ delitæ sunt mihi a te redditæ. h. e. lituris corruptæ. Id. Cic. 3. Verr. 55. 145. Ex qua tantum tectorium vetus delitum sit, et novum inductum. Forcell. et Orell. ita leg.; Codices aliqui *deletum*; et Priscian. p. 1151. Putsch. habet *dejectum*, probante Garaton. Ceterum Forcellinus hæc omnia a *delino* potius, quam a *deleo*, derivanda censebat. — Part. *Delens* sub b.; *Deletus* sub a. et b.; *Deleturus* sub a.; *Delendus*

sub *a*. — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* est a *de* et *leo* ut habet *Priscian*. 9. *p*. 611. *Putsch*., unde est et *lio*: juxta plerosque tamen est ab oleo vel olo (unde et *aboleo*), quasi *deoleo*: hinc *delere* significat impedire, ne quid vivat, adeoque ad nihilum redigere, exstinguere, evertere, destruere (It. *distruggere, disfare, levar via, cancellare*; Fr. *anéantir, détruire, effacer*; Hisp. *aniquilar, destruir, deshacer, borrar*; Germ. *vernichten, zerstören, vertilgen*; Angl. *to overthrow, destroy, to blot out, efface*). Usurpatur — *a*) Præcipue de rebus. — De urbibus ac regionibus. *Lucret*. 5. 747. Quo minus est mirum, si certo tempore luna Gignitur, et certo deletur tempore rursus. *Cic. Rosc. Am*. 45. 131. Urbes delevit, fruges perdidit. *Id*. 4. *Cat*. 10. 21. Qui duas urbes huic imperio infestissimas Carthaginem Numantiamque delevit. *Id*. 2. *leg. Agr*. 32. 88. Delere ædificia. *Id*. 2. *Legg*. 26. 64. sepulcra. *Nepos Themist*. 4. Astu incendio delevit. Adde *eumd. Iphicr*. 2. et *Hamilc*. 2.; *Sall. Jug*. 8.; *Liv*. 1. 61. et 5. 12.; *Curt*. 5. 7. 10. et 9. 4. 7.; *Horat*. 3. *Od*. 6. 14.; et *Ovid*. 13. *Met*. 219. *Cic. Amic*. 4. 13. Magna Græcia, quæ nunc quidem deleta est, tunc florebat. Cf. *Liv*. 3. 8. Ibi Volscum nomen prope deletum est. *h. e*. Volsca civitas. — De aliis. *Horat*. 4. *Od*. 9. 9. Nec, si quid olim lusit Anacreon, Delevit ætas. *Stat*. 1. *Achill*. 60. Pone natant, delentque pedum vestigia cauda. *Id*. 6. *Theb*. 415. delet sulcos iterata priores Orbita. *Colum*. 10. *R. R*. 121. herba (*clepodium*) Deletura quidem fronti data signa rugarum. *Plin*. 25. *Hist. nat*. 13. 110. (175). Stigmata in facie mandragoras illinitus delet. *Ammian*. 16. 12. 46. Alemanni bellum acriter ineuntes, altius anhelabant, velut quodam furoris affectu opposita omnia deleturi. — De scriptis. *Cic*. 15. *Att*. 4. *a med*. Rubeo, mihi crede: sed jam scripseram: delere nolui. *Id. Cluent*. 14. 41. Hac Dinea testamentum faciente, cum tabulas prehendisset Oppianicus, digito legata delevit. Adde *eumd*. 7. *Fam*. 18. 2. *Horat. Ar. P*. 440. Delere versus. Adde *eumd*. 2. *Ep*. 1. 69. *Ovid*. 9. *Met*. 522. scribit damnatque tabellas, Et notat et delet. Adde *Quintil*. 10. 3. 31. et 10. 4. 1.; *Sueton. Cal*. 20. et 38., et *Ner*. 52.; *Justin*. 2. 10. 13.; et *Juvenal*. 12. 123. — De abstractis, et sæpissime de memoria. *Cic. pro leg. Manil*. 3. 7. Delere maculam. *Id. Harusp. resp*. 4. 6. T. Annius ad illam pestem comprimendam, extinguendam, funditus delendam natus esse videtur. *Id*. 3. *ad Q. fr*. 8. Delevit mihi omnem molestiam recentior epistola. *Id. Rosc. Am*. 2. 6. Delere ex animo omnem suspicionem. *Id. Divin. in Q. Cæcil*. 8. 26. Extinguere atque delere omnem improbitatem. *Cæs*. 2. *B. G*. 27. turpitudinem fugæ virtute. *Cic*. 1. *Divinat*. 5. 8. Delere religionem. *Id*. 1. *Att*. 16. *ante med*. omne jus fasque. *Id. Sext*. 26. 56. leges. *Id. Amic*. 25. 92. veritatem. *Petron. Satyr*. 2. ingenium. *Id. ibid*. 80. sacramentum amicitiæ. *Cic. Amic*. 3. 11. et *Nepos Alcib*. 8. *extr*. omne bellum. *h. e*. conficere, finire. *Cic. Flacc*. 25. 60. et *Amic*. 1. 1. Deleta memoria. *Id. Dejot*. 13. 37. Senatus vero judicia tam honorifica, quæ umquam vetustas obruet, aut quæ tanta delebit oblivio? *Id*. 1. *Phil*. 1. 1. Delere omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna. Adde *Nepot. Ages*. 8.; *Liv*. 5. 11. et 27. 11.; *Quintil*. 9. 3. 48.; *Sueton. Aug*. 3.; *Curt*. 3. 10. 9.; *Flor*. 2. 6. 56.; *Justin*. 2. 3. 4., 6. 1. 13. et alibi; *Sil. It*. 3. 616. et 5. 415.; *Juvenal*. 5. 35. et 7. 27.; *Trebell. Poll. Gall*. 3.; et *Capitolin. Macr*. 5. — *b*) Cum Accusativo personæ, ac præcipue de hostibus. *Cic*. 1. *Nat. D*. 15. 38. Homines jam morte deletos reponere in deos. *Sil. It*. 7. 549. pallarne ante ora manusque Civem deleri noveras? *Id*. 1. 514. Dexter ades Phrygiæ delenti stirpis alumnos. *Id*. 9. 39. Milite deleto. *Cæs*. 6. *B. G*. 35. Dispersis ac pæne deletis hostibus. *Id*. 3. *B. C*. 70. Delere omnem exercitum. Similiter in re militari *delere equitatum, copias, cohortes, exercitum* etc. occurrit apud *Cic. pro leg. Manil*. 8. 21.; *Cæs*. 6. *B. G*. 41. et 7. *ibid*. 14.; *Nepot. Pausan*. 1.; *Virg*. 11. *Æn*. 898.; *Curt*. 4. 9. 22.; *Justin*. 2. 5. 2.; *Tac*. 4. *Ann*. 51., 4. *Hist*. 18. et 2. *ibid*. 11. et 26.

DĒLĒTĪCIUS vel deletitius, a, um, adject. ut Charta deleticia, apud *Ulp. Dig*. 37. 11. 4., quo nomine intelligitur ea, in qua scriptum fuit aliquid, et postea deletum, quamque *Cic*. 7. *Fam*. 18. et *Catull*. 22. 5. vocant palimpsestum.

DĒLĒTĬLIS, e, adject. qui delet. *Varro* apud *Non. p*. 96. 14. *Merc*. Parabis spongiam deletilem.

DĒLĒTĬO, ōnis, f. 3. delendi actus, extinctio. *Lucilius* apud *Non. p*. 97. 4. *Merc*. Deletionem nostri ad unum exercitus.

DĒLĒTRIX, icis, f. 3. quæ delet. *Cic. Harusp. resp*. 23. 49. Tum est illa in templo Castoris scelerata, et pæne deletrix hujus imperii sica deprehensa.

DĒLĒTUS, a, um. *V*. DELEO.

DĒLĒTUS, us, m. 4. idem ac deletio. *Tertull*. 2. *contr. Marcion*. 24. Reprobandæ creaturæ, et deletui vindicandæ.

DĒLĒVO, as, etc. *V*. DELÆVO.

DĒLĪBĀMENTUM, i, n. 2. libamentum, libamen. *Val. Max*. 2. 6. 8. Tum defusis Mercurio delibamentis, et invocato numine ejus, cupido haustu mortiferam traxit potionem.

DĒLĪBĀTĬO, ōnis, f. 3. ablatio partis ab aliqua re. *Florentin. Dig*. 30. 113. Legatum est delibatio hereditatis. Cf. *Tertull*. 1. *contra Marcion*. 22. Homo damnatur in mortem ob unius arbusculæ delibationem.

DĒLĪBĀTUS, a, um. *V*. DELIBO.

DĒLĪBĔRĀBUNDUS, a, um, adject. multum deliberans. *Liv*. 2. 45. Consules velut deliberabundi, capita conferunt, diu colloquuntur. Adde *eumd*. 1. 54.

DĒLĪBĔRĀMENTUM, i, n. 2. idem ac deliberatio. *Laberius* apud *Fronton*. 1. *ad M. Cæs*. (edente iterum *A. Majo*) *Ep*. 6. Ad amorem injiciendum delenimenta sunt deliberamenta. *At videtur scribendum* deliramenta.

DĒLĪBĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus deliberandi (It. *deliberazione, consulta*; Fr. *délibération, consultation*; Hisp. *deliberacion, consultacion, consulta*; Germ. *die Ueberlegung, Erwägung, Berathung*; Angl. *a deliberation, consideration, consultation, debate*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic*. 1. *Off*. 3. 9. Triplex igitur est consilii capiendi deliberatio. *Id*. 1. *Phil*. 1. 2. Ad deliberationem alios adhibere. *Id*. 1. *ibid*. 1. 2. Habere deliberationes de republ. *Id*. 1. *Off*. 3. 9. In deliberationem cadit. *Id. pro leg. Manil*. 10. 27. Utinam vivorum fortium tantam copiam haberetis, ut hæc vobis deliberatio difficilis esset, quemnam etc. *Id*. 7. *Att*. 3. 3. Id coram considerabimus, quale sit: habet enim res deliberationem. *h. e*. in deliberationem cadit. *Id*. 3. *Orat*. 53. 204. Deliberatio cum iis ipsis, apud quos dicas. *Id*. 2. *ibid*. 82. 336. Inciditur omnis jam deliberatio. *Liv*. 1. 23. Fuerit ista ejus deliberatio. Adde *Quintil*. 3. 8. 10. *Capitolin. Hadrian*. 8. Ex omnium deliberatione. *Id. Anton. Phil*. 6. Habita deliberatione. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores deliberatio est causa generis deliberativi. *Cic*. 1. *Orat*. 6. 22. Disceptationes forenses deliberationum. *h. e*. causæ generis deliberativi. Adde *Quintil*. 2. 21. 18.

DĒLĪBĔRĀTĪVUS, a, um, adject. ad deliberationem spectans, ut Genus deliberativum: *V*. DELIBERATIO 2. *Cic*. 1. *Invent*. 5. 7. Deliberativum genus est, quod positum in disceptatione et consultatione civili, habet in se sententiæ dictionem. Adde *eumd*. 2. *ibid*. 51. 165. et *Quintil*. 2. 4. 25. Rursus *Cic*. 2. *Invent*. 4. 12. et *Quintil*. 8. 3. 11. Deliberativa causa. *Quintil*. 2. 1. 2., 3. 4. 16. et 2. 4. 25. materia. *Id*. 2. 21. 23., 3. 3. 14. et 3. 8. 6. pars. — Hinc

Deliberativa, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est causa deliberativa. *Quintil*. 3. 8. 1. Deliberativas a quibusdam sola utilitate finitas.

DĒLĪBĔRĀTOR, ōris, m. 3., qui deliberat vel consultat. *Cic. Sext*. 31. 71. Illi interea deliberatori merces, longa interposita nocte, duplicata est. *Capell*. 5. *p*. 143. Auditoris autem sunt tria genera —; aliud ejus, qui honestate vel utilitate incerta dubius alienæ sententiæ persuasionem inexplicabilis deliberator expectat.

DĒLĪBĔRĀTUS, a, um. *V*. voc. seq.

DĒLĪBĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* libra). Part. *Deliberans* I. 1. et 2.; *Deliberatus* I. 1., II. et in fin.; *Deliberandus* et *Deliberaturus* I. 1. — Ratione habita etymi, *Voss*. a *libero* deducit: nam deliberat, cui libertas est eligendi aliquid e duobus. Rectius tamen a *libra*, *libella* deducit *Paul. Diac*. hisce verbis *p*. 74. 1. *Müll*. D e l i b e r a r e a libella, qua quid perpenditur, dictum. Cf. *Quintil*. 10. 7. 22. Deliberare, non hæsitare. — Delibero est rem aliquam animo perpendo, consulto, ut inde statuam decernamque quod optimum factu sit (It. *ponderare coll'animo, consultare, deliberare*; Fr. *peser, examiner, réfléchir mûrement, consulter*; Hisp. *pesar, examinar con atencion, consultar*; Germ. *etwas im Geiste abwägen, daher erwägen, reiflich überdenken, überlegen*; Angl. *to ponder, consider, debate, consult*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim usurpatur — *a*) Absolute, aut cum Accusativo rei, quæ perpenditur. *Ter. Adelph*. 2. 1. 42. Delibera hoc, dum ego redeo, leno. *Id. Hecyr*. 3. 5. 58. Deliberet renuncietque mihi. *Id. Phorm*. 2. 4. 17. Amplius deliberandum censeo. *P. Syrus in Mimis*. Deliberandum est diu quod statuendum est semel. *Cæs*. 4. *B. G*. 9. Legati hæc se ad suos relaturos dixerunt; et, re deliberata, post diem tertium ad Cæsarem reversuros. Adde *eumd*. 1. *B. C*. 10. — *b*) Cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Cic*. 8. *Att*. 3. 6. Quamobrem ut maxima de re æquo animo deliberanti, ita mihi des consilium velim. *Cæs*. 2. *B. C*. 20. Deliberare de summa rerum. *Liv*. 32. 31. De re cum imperatore Romano deliberaturus. Adde *Nepot. Eumen*. 7.; *Quintil*. 3. 8. 16.; *Sueton. Aug*. 55. et *Claud*. 4.; et *Juvenal*. 7. 162. — *c*) Sequente particula *an*, vel *utrum* — *an*. *Nepos Con*. 3. Sed tu delibera, utrum colloqui malis, an per litteras edere, quæ cogitas. *Cic. Rosc. Com*. 15. 45. Tibi — diu deliberandum et concoquendum est, utrum potius Chæreæ injurato in sua lite, an Manilio et Luscio juratis in alieno judicio credas. Adde *eumd*. 1. *Off*. 3. 9.; *Cæs*. 1. *B. G*. 7.; et *Quintil*. 7. 1. 24., 3. 8. 18., 5. 10. 33., 3. 8. 35. et alibi. — *d*) Cum Ablativo personæ et præpos. *cum*. *Cic. Orat*. 40. 138. Ut sæpe cum iis, qui audiunt, nonnunquam etiam cum adversario quasi deliberet. Adde *Quintil*. 9. 2. 21.; et *Curt*. 6. 8. 4. *Plin*. 7. *Ep*. 18. Deliberas mecum, quemadmodum pecunia, quam municipibus nostris in epulum obtulisti, post te quoque salva sit. — *e*) Sequente interrogatione. *Curt*. 5. 5. 9. Græci excesserant vallo, deliberaturi, quid potissimum a rege peterent. Adde *eumd*. 6. 5. 6. — *f*) Passive impersonaliter. *Cæs*. 7. *B. G*. 15. Deliberatur de Avarico in communi concilio, incendi placeret, an defendi. ¶ 2. Speciatim, quum de oraculis sermo est, ponitur pro consulere, quærere. *Nepos Miltiad*. 1. Ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt. *Id. Themist*. 2. Miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit etc. — Similiter figurate *Seneca Ep*. 3. Quum rerum natura deliberatur.

II.) Metonymice est statuere, decernere; et occurrit fere cum Infinito, aut cum Accusativo et Infinito. *Cic*. 3. *Verr*. 1. 1. Iste certe statuerat ac deliberaverat non adesse. Sic *Plin*. 9. *Ep*. 13. Statui ac deliberavi etc. *Horat*. 1. *Od*. 37. 29. *de Cleopatra*. Deliberata morte ferocior. — Sæpius vero passive usurpatur *deliberatum est*, et conjungitur modo cum *certum*, modo cum *statutum*. *Turpilius* apud *Non. p*. 429. 21. *Merc*. Certum ac deliberatum est, me illis obsequi. *Cic. Rosc. Am*. 11. 31. Certum est deliberatumque omnia dicere. *Id*. 5. *Verr*. 41. 95. Sic habuisti statutum cum animo ac deliberatum, omnes judices rejicere. Adde *Afranium* apud *Servium* ad *Virg*. 10. *Æn*. 564. Rursus *Cic*. 1. *leg. Agr*. 8. 25. Mihi deliberatum et constitutum est, ita gerere etc. — Hinc Part. præter. pass.

Deliberatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Deliberatior*, et est certus. *Cic*. 5. *Fam*. 2. 8. Neque illi quidquam deliberatius fuit, quam me evertere. *Gell*. 1. 13. Instructius deliberatiusque fore arbitramur theorematium hoc, si exemplum P. Crassi apposuerimus.

DĒLĪBĪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* delibo. *Cic*. 9. *Fam*. 16. *sub fin*. Solebam antea delibitari oleis et lucanicis tuis. *h. e*. tu delibabas meam famem ac deminuebas illis primis ferculis etc. Sic legit et explicat *Turneb*. *l*. 6. *Adversar*. *c*. 1. et *Parens in Lex. Crit*. Alii melius leg. *debilitari*.

DĒLĪBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* libo). Part. *Delibans* et *Delibatus* II. 1. et 2.; *Delibandus* II. 2. — Delibo est idem fere quod libo, particulam de aliqua re leviter sumo, leviter attingo; et præcipue de cibis usurpatur pro degustare (It. *levar via piccola parte da qualche cosa, toccare leggermente, assaggiare*; Fr. *enlever un peu de quelque chose, entamer, goûter*; Hisp. *alzar, quitar un poco de alguna cosa, gustar*; Germ. *von einer Sache oben etwas abnehmen, abschöpfen, kosten*; Angl.

to taste, take a smack of any thing, touch gently, essay).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 620. quamvis ex unoquoque loco sol Humoris parvam delibet ab æquore partem. *Varro* 2. *R. R.* 2. 16. *de agnis.* Ne toto die cursantes inter se teneri, delibent aliquid membrorum. *h. e.* præstringendo lædant, deterant. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 26. Ne bos extremo jugo truncum delibet, ramumque deplantet. *h. e.* defringat. *Claudian. Nupt. Honor.* et *Mar.* 152. hoc navigat ostro Fulta Venus: niveæ delibant æquora plantæ. *Petron. Satyr.* 136. Paullulum carnis delibare. *Claudian. B. Get.* 351. Delibare cibos. *Favorin.* apud *Gell.* 15. 8. Si proportione luxuria pergit crescere, quid relinquitur, nisi ut delibari sibi cœnas jubeant, ne edendo defatigentur? *h. e.* ut cibi terantur, frangantur. — Hinc est aliquid sanguinis ex humana hostia altari admota detrahere, quam olim Gallis et Germanis immolare fas erat. *Mela* 3. 2. *ante med.* Manent vestigia feritatis jam abolitæ, atque ut ab ultimis cædibus temperant, ita nihilominus, ubi devotos (*homines*) altaribus admovere (*Galli*), delibant.

II.) Translate. ¶ 1. Stricto sensu ponitur pro decerpere, leviter attingere, degustare, sed improprie sumptis. *Ennius* apud *Cic. Brut.* 15. 58. Flos delibatus populi suadæque medulla. *h. e.* eximius, quasi selectus e multis. Est qui vult aliter legi. *Cic. Senect.* 21. 78. Ex universa mente divina delibatos animos habemus. *Id. Sext.* 56. 119. Ut omni ex genere orationem aucuper, et omnes undique flosculos carpam atque delibem. *Virg.* 12. *Æn.* 434. (et *Phædr.* 4. 23.). Summaque per galeam delibans oscula. *h. e.* leviter tangendo osculatus. Sic *Sueton. Aug.* 94. Ejusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisse. *h. e.* ejus prætextati parvum os suaviatum utrimque digitis apprehensum et ori suo admotum. Simile est illud *Apul.* 6. *Met.* Juppiter, prehensa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata, consaviat. Nos vulgo dicimus *bacio alla Fiorentina. Ovid.* 1. *Fast.* 169. Quisque suas artes obiter delibat agendo. *h. e.* leviter attingit. Et *Quintil.* 4. 2. 55. Omnia, quæ probatione tractaturi sumus, narratione delibabimus. *Liv.* 5. 12. *ad fin.* Nec satis constat, cur primus ac potissimus ad novum delibandum honorem sit habitus. *Plin. Paneg.* 54. Honores aut delibare parcissime, aut omnino recusare. Adde *eumd. ibid.* 38.; et *Colum.* 12. *R. R.* 1. 6. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro deminuere, demere. — *a*) Generatim de rebus. *Lucret.* 3. 1109. Nec prorsus vitam ducendo deminus hilum Tempore de mortis, nec delibare valemus. *Plerique tamen leg.* delibrare. *Id.* 3. 21. neque ulla Res animi pacem delibat tempore in ullo. *Cic.* 10. *Fam.* 21. 2. Putabam posse me nec de laude jejuni hominis delibare quidquam, etc. *Alii leg.* deliberare; *alii* delibrare. *Sueton. Aug.* 57. Pro facultate quisque pecunias contulerunt, delibante tantummodo eo summarum acervos, neque ex quoquam plus denario auferente.
b) Præcipue de pudicitia ponitur pro imminuere, violare, corrumpere: nam quæ delibata sunt, integra amplius non sunt. *Sueton. Aug.* 68. Delibata pudicitia. *Gell.* 1. 3. Delibatæ honestatis damnum. *Val. Max.* 9. 1. *extern.* 2. Ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cujus castitatem non ante ex numero ipsorum (*servorum*) aliquis delibasset. *Flor.* 2. 6. 40. Ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur. — *c*) Hinc translate ac poetice de personis. *Lucret.* 6. 68. Quæ nisi respuis ex animo, longe remittis Dis indigna putare, – Delibata deûm per te tibi numina sancta Sæpe aderunt; non, quo violari summa deûm vis Possit, etc.

DĒLĪBRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒLĪBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* liber). Part. *Delibratus* et *Delibrandus* I. — Delibro est librum seu corticem detraho, decortico (It. *scorzare*; Fr. *peler*, *écorcer*; Hisp. *descortezar*; Germ. *abschälen*; Angl. *to take off the bark, peel, bark*).

I.) Proprie. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Itaque truncis arborum aut admodum firmis ramis abscissis, atque horum delibratis ac præacutis cacuminibus perpetuæ fossæ ducebantur. Ita pro *dolabratis* legendum putat *Oberlinus. Colum.* 5. *R. R.* 11. 10. Arborem circumcidito delibratoque diligenter. *Id.* 4. *ibid.* 24. 6. Cortex corpore tenus delibrandus est. *Id.* 3. *ibid.* 11. 1. Pars arboris delibrata. *Id.* 12. *ibid.* 56. 1. Corticem oleris atri delibratum abjicito. *Id.* 5. *ibid.* 11. 1. Delibrare stirpem. *Id.* 5. *ibid.* 6. 9. radicem. *Pallad.* 3. *R. R.* 17. 1. Ramus ad modum foraminis delibratus. — Est etiam aquam sulco derivare, auctore *Paul. Diac. p.* 73. 6. *Müll*; quasi libramento deducere. Alii tamen legunt *delirare* ex *MSS.*, *lira* enim sulcum significat: quod ab *Harduino* improbatur, immo et ab ipso *Müllero*, qui *delibare* ex bonis codicibus legit et a Græco λείβειν derivatum affirmat.

II.) Translate significat auferre, imminuere. *Lucret.* 3. 1100. nec prorsum demimus hilum Tempore de mortis, nec delibrare valemus, Quod minus esse diu possimus morte perempti. (*Quædam editiones habent* delibare.

DĒLĪBŬO, būis, būi, būtum, būere, a. 3. Secundam syllabam producit *Prudent. Psychom.* 312. Delibuta comas, oculis vaga, languida voce. — Part. *Delibutus* I. et II. — Delibuere (quod videtur esse a *de* et *libuo* pro *libo*, ut *creduo* pro *credo*) est madefacere, inungere (It. *ungere, bagnare*; Fr. *frotter d'un liquide, mouiller, oindre*; Hisp. *mojar, humedecer, untar*; Germ. *mit einer Flüssigkeit benetzen, bestreichen*; Angl. *to anoint, besmear*).

I.) Proprie. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 55. Delibutus cœno. *Cic. Brut.* 60. 217. Qui devinctus erat fasciis, et multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus. Cf. *Colum.* 7. *R. R.* 4. 8. Eoque liquamine tonsa ovis imbuitur, atque ubi per triduum delibuto tergore medicamina perbiberit, etc. Rursus *Cic. Rosc. Am.* 16. 135. Composito et delibuto capillo per forum volitare. *Id.* apud *Non. p.* 309. 2. *Merc.* Redimitum coronis et delibutum unguentis emittit ex ea urbe, quam sibi ipse fingit. Adde *Phædr.* 5. 1. 12. Sic *Solin.* 12. Proconsul Africæ Salvianus ipse eum (*delphinum*) contigit, unguentis etiam delibuit. *Tertull. Cor. Mil.* 12. Unguentis delibuitur. *Horat. Epod.* 17. 31. atro delibutus Hercules Nessi cruore. Cf. *eumd. ibid.* 3. 13.

II.) Transfertur ad animum. *Ter. Phorm.* 5. 6. 17. Si te delibutum gaudio reddo. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (90). Senium luxu delibutum. *h. e.* diffluens. *Apul.* 3. *Met.* Delibutus lætitia. *Auct. Declam.* in *Cic.* 2. Uxor sacrilega et perjuriis delibuta. *Al. leg.* debilitata. *Fronto ad Verum Imp.* 1. Verba pietate et fide et amore et desiderio delibuta.

DĒLĬCĀRE ponebant pro deliquare, ut *lacryma* pro *dacryma. Paul. Diac. p.* 73. 7. *Müll.*

DĒLĬCĀTĒ, adverb. Comp. *Delicatius* 1.; Sup. *Delicatissime* 2. — Delicate est ¶ 1. Luxuriose, molliter. *Cic.* 1. *Off.* 30. 106. Diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere. *Id.* 3. *Orat.* 17. 63. Recubare molliter et delicate. *Nepos Alcib.* 2. Multos amavit, in quorum amore odiosa multa delicate jocoseque fecit. *Seneca* 3. *Ira* 9. Mollius delicatiusque tractare iracundos. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 21. Cultam vestitamque familiam utiliter magis habeat, quam delicate. *Trebell. Poll. XXX. Tyr.* 12. *med.* Edendum delicatius. ¶ 2. Item lente, commode. *Sueton. Cal.* 43. Confecit iter adeo segniter et delicate, ut octophoro veheretur. *Marcell. Empir.* 8. § 6. Sanguisugarum in olla combustarum tritus delicatissime cinis, et vulsis pilis palpebrarum impositus vel inspersus, renasci eos non sinit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (179). Vitis delicate se spargit. ¶ 3. Item moderate, cum modo. *Plin.* 9. *Ep.* 10. 2. Itaque Minervæ tantum serviendum est, delicate tamen, ut in secessu et æstate. *h. e.* modice, ita ut tibi parcas atque caveas.

DĒLĬCĀTUS, a, um, adject. (deliciæ). Comp. *Delicatior* et Sup. *Delicatissimus* in omnibus fere paragr. — Delicatus occurrit *A*) Active, et *B*) Passive.

A) Active *delicatus* est qui voluptatem affert, qui sensus delicit et ad se oblectando trahit, adeoque voluptarius, amœnus.

I.) Proprie. *Cic.* 7. *Verr.* 40. 104. Delicatissimum littus. *Id. Mur.* 9. 20. Asia delicata. *h. e.* amœna. *Phædr.* 4. 4. Hortuli delicati. *Sueton. Vitell.* 10. Delicatissima navigia. *Cic.* 2. *Att.* 14. Delicatum convivium. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (220). Cossi delicatiore sunt in cibo. *Cic.* 1. *Fin.* 2. 5. Rudem esse omnino in nostris poetis, aut inertissimæ segnitiæ est, aut fastidii delicatissimi. *h. e.* gustus delicatissimi: ducta a gustu ciborum metaphora. *Quintil.* 11. 3. 146. Sinus delicatus ac solutus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 40. 113. Aspernari molles et delicatas voluptates. Adde *Quintil.* 9. 4. 31. *Cic.* 2. *Tusc.* 11. 27. Umbratilis et delicata vita. *Id.* 1. *Off.* 40. 144. Turpe est, in re severa delicatum aliquem inferre sermonem. *Id. Pis.* 29. 70. Omnes hominis libidines, omnia cœnarum genera delicatissimis versibus expressit. *Catull.* 50. 3. Delicati versiculi.

II.) Translate est tener, dulcis, pretiosus, magnificus. *Catull.* 20. 10. Meis capella delicata pascuis. Cf. *Id.* 17. 15. Puella tenellulo delicatior hædo. *Plin.* 2. *Ep.* 11. *extr.* Oves delicatissimæ. *h. e.* quarum lana est tenuissima. Alter *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 49. (140). Poppæa conjux Neronis delicatioribus jumentis suis soleas ex auro induit. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (146). Oleo delicatior fit acies. *Id.* 19. *ibid.* 8. 41. (137). Delicatior teneriorque cauliculus. *Id.* 4. *ibid.* 12. 20. (62). Delicatior vestis. *Sueton. Aug.* 65. Usum vini omnemque delicatiorem cultum. *Curt.* 5. 2. 9. Choaspes amnis delicatam vehens aquam. *h. e.* levem, mollem, suavem. *Plin.* 8. *Ep.* 17. Anio delicatissimus amnium, ideoque adjacentibus villis velut invitatus retentusque. *h. e.* placide fluens. — Hinc *delicatus* appellatio est blandientis apud *Plaut. Rud.* 2. 5. 8. Sed ubi tu es, delicata? *h. e.* tu mea bella, ut *Id. Plaut. ibid.* paullo superius dixit.

B) Passive *delicatus* est qui voluptatibus captus est, qui voluptatibus totum se dedit, qui delicias sectatur et molliter vivit.

I.) Proprie. — *a*) Cum addito Substantivo. *Cic. Mur.* 35. 74. Delicata juventus. *Id.* 1. *Att.* 19. *a med.* Libidinosa et delicata juventus. *Id. Brut.* 53. 197. Adolescens delicatus. Cf. *eumd. Mil.* 10. 28. Muliebris ac delicatus ancillarum puerorumque comitatus. *Trebell. Poll. XXX. Tyr.* 16. Homo omnium delicatissimus. *Lamprid. Alex. Sev.* 47. Senator antiquæ familiæ delicatissimus. — *b*) Absolute. *Seneca Constant. Sap.* 4. Contumelia delicatis gravis est. *Id. Brevit. vitæ* 12. Audio quemdam ex delicatis, quum ex balneo inter manus elatus et in sella positus esset, dixisse interrogando, jam sedeo? — *c*) Hinc *Delicatus, i,* m. 2. absolute substantivorum more, dicitur qui aut artificii alicujus peritus, aut pulcritudine præstans in deliciis habetur. *Sueton. Tit.* 7. Quosdam e gratissimis delicatorum fovere supersedit. *Spartian. Hadrian.* 4. Curasse delicatos. *h. e.* τοὺς ἐρωμένους. Adde *Stat.* 2. *Silv.* 1. quæ inscribitur, *Glaucias Atedii Melioris delicatus*: quocum confer *eumd. Silv.* 7. quæ est *De amissione pueri delicati.* — *d*) Et *Delicata, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more, eodem sensu. *Sueton. Vesp.* 3. Inter hæc Flaviam Domitillam duxit uxorem, Statilii Capellæ equitis Rom. Sabratensis ex Africa delicatam olim Latinæque conditionis, sed mox ingenuam etc. *Vulgatæ editiones habent* delegatam. — *e*) Hinc sæpissime in *Inscriptionibus delicatus* vel *delicata* dicitur servus vel *serva*, qui in deliciis habebatur. *Inscript.* apud *Orell.* 2801. DIS MANIB. VERECVNDI DELICATI = C. VESIVS MARTIALIS. *Alia* apud *eumd.* 2805. D. M. ET MEMORIAE AETERNAE CALPVRNIAE SEVERAE FEMINAE SANCTISSIMAE. VIVA SIBI PONENDVM PRAECEPIT, CALPVRNIAE DELICATAE ET HEREDI. Adde *aliam* apud *eumd.* 4650. Et *alia* apud *Gruter.* 311. 6. TEJAE EVPHROSYNES V. V. DELICATAE. *h. e.* Tejæ, quæ fuit delicata Euphrosynes Ruffinæ virginis Vestalis. — *f*) Sed et *delicati* dicti sunt infantes filioli, unice a parentibus dominisve dilecti. *V. Fabrett. Inscript. c.* 5. *p.* 362., ubi *delicatus* fuisse etiam vocem honestæ appellationis, adductis exemplis, ostendit.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro effeminato, molli, enervi. *Plaut. Men.* 1. 2. 10. Nimium ego te habui delicatam. *h. e.* nimis leni ac molli genere te tractavi. *Phædr.* 5. 1. Veniebat gressu delicato et languido. *h. e.* fracto, enervi, effeminato. *Quintil.* 9. 4. 113. Equorum cursum delicati minutis passibus frangunt. *Id.* 11. 3. 132. Reclinari ad suos et manibus sustineri, nisi plane justa fatigatio est, delicatum. *Pacat. Paneg. Theodos.* 18. Unum invenire non possumus, cujus spem atque expectationem, non dicam fefelleris, sed, quæ delicatior est querela, distuleris. *h. e.* minus gravis. *Capitolin. Maxim. duob.* 20. Balbinum moribus delicatiorem. *Spartian. Hadrian.* 9. Delicata omnia (*e castris*) undique summovere. *Quintil.* 1. *Declam.* 13. *extr.* Quidnam isto delicatius scelere? *h. e.* quod minori labore, quem delicati fugiunt, perpetratum sit. ¶ 2. Item delicatus dicitur qui facile fastidit. *Plin.* 8. *Ep.* 21. Quid præstant sodales, si conveniunt (*scilicet* ut sua recitantem audiant) voluptatis suæ causa? Delicatus ac similis ignoto est, qui amici librum bonum

mavult audire, quam facere. *Vulgatæ editiones habent* Delegatus. *Quintil.* 3. 1. 3. Delicatæ aures. *h. e.* quæ difficile utilia audiunt et facile fastidiunt. *Cf. Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 38. Vah delicatus. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM. — Hinc

Delicatus, i, m. 2. et

Delicata, æ, f. 1. absolute substantivorum more, *V.* sub *B.* 1.

Delicatus, a, um pro dedicatus. *V.* DELICARE.

DĒLĬCIA, *æ, et sæpius*

DĒLĬCIÆ, ārum, f. plur. 1. Est qui scribit *delitiæ* invitis tamen *Manut., Dausqu.* et *Cellar.* — Est et alia forma *Delicium, ii,* quam *V.* loco suo. — *Delicia* in sing. num. occurrit apud *Plaut. Truc.* 5. 34., *Rud.* 2. 4. 13. et *Pœn.* 1. 2. 152.; *Gell.* 19. 8.; *Non. p.* 100. 26., et in *Inscript.* apud *Gruter.* 1014. 5. et apud *De Vita A.A. Benev. cl.* 8. *n.* 10.: quorum nonnulla *V.* infra sub I. et II. — Ceterum *deliciæ* sunt oblectamenta quælibet, quæ sensibus voluptatem afferunt; a *delicio,* quia deliciunt et ad se trahunt (It. *delizie, piaceri, lusso, voluttà*; Fr. *divertissement, délices, jouissances, volupté, douceurs*; Hisp. *divertimiento, delicias, placeres, deleytes, voluptuosidades*; Germ. *jede die Sinne lockende Ergötzlichkeit, Lust, Freude, Wollust, Liebhaberei, Spielerei*; Angl. *any thing that delights or amuses, delights, pleasures, pastimes*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Rud.* 2. 4. 13. Otium ubi erit, tum tibi operam ludo et deliciæ dabo. *Id. Trin.* 2. 2. 53. Aliquantum animi causa in deliciis disperdidit. *Lucret.* 2. 22. Delicias quoque uti multas substernere possint. *Id.* 5. 1449. Delicias vitæ. *Id.* 4. 1148. turpes videmus Esse in deliciis summoque in honore vigere. *Cic. Rabir. Post.* 10. 26. Deliciarum et voluptatis causa quosdam cum mitella sæpe videmus. *Id.* 1. *Parad.* 2. 10. Argentum ad avaritiam, amœnitas ad delectationem, supellex ad delicias, epulæ ad voluptates. *Id.* 2. *leg. Agr.* 14. 36. Locus multarum deliciarum et magnæ pecuniæ. *Horat.* 4. *Od.* 8. 10. Animos deliciarum egens. *Flor.* 1. 11. 7. Æstivæ deliciæ. *Seneca* 4. *Benef.* 5. Neque necessitatibus tantummodo nostris provisum est (*a Deo*); usque in delicias amamur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 68. (174). Cathedræ supinæ in delicias. *Id.* 2. *ibid.* 63. 63. (157). Quas non ad delicias terra servit homini! *Id.* 10. *ibid.* 22. 27. (54). Eo processere deliciæ, ut etc. *Capitolin. Anton. Phil.* 8. In deliciis vivere. *Cic.* 6. *Verr.* 1. 3. et *Vatin.* 8. 20. Esse alicui in amore et deliciis. *h. e.* esse valde carum. *Id.* 1. *Divinat.* 34. 76., et *Sueton. Vitell.* 12. Habere aliquid in deliciis. Rursus *Cic. Orat.* 12. 39. Herodotus Thucydidesque longissime a talibus deliciis, vel potius ineptiis abfuerunt. *h. e.* argutis verborum ambitibus. — *b*) *Delicias facere* interdum est irridere, ludere. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 83. Enimvero, here, meo me lacessis ludo et delicias facis. Adde *eumd. Men.* 2. 3. 30. Quo pertinet illud *Ovid.* 2. *Trist.* 349. Sic ego delicias et mollia carmina feci. *h. e.* lusi carminibus amorum. — Interdum est nequitias facere. *Catull.* 74. 1. Gellius audierat, patruum objurgare solere, Si quis delicias diceret, aut faceret. Adde *eumd.* 45. 24. Priore loco *delicias dicere* est obscena loqui. Nam *deliciæ* specialim interdum dicuntur de venereis voluptatibus. *Cic. Cæl.* 19. 44. Amores vero et hæ, deliciæ quæ vocantur, numquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. Sic *Colum.* 8. *R. R.* 8. 10. Deliciarum oblectamenta. Et *Trebell. Poll.* XXX. *Tyr.* 17. Præter filii Herodis delicias. — *c*) *Deliciæ* aliquando ponuntur pro mollitie delicati atque effeminati hominis. *Juvenal.* 6. 258. quarum Delicias et panniculus bombycinus urit. — *d*) Aliquando pro levitate et inconstantia, quæ delicatorum hominum propriæ sunt. *Cic.* 1. *Att.* 17. *ad fin.* Ecce aliæ deliciæ equitum vix ferendæ, quas ego non solum tuli, sed etiam ornavi.

II.) Improprie. ¶ 1. Adhibetur in blanditiis amantium. *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 34. At ego ad te ibam. STRAB. ad me, delicia? *Id. Pœn.* 1. 2. 152. Mea voluptas, meæ deliciæ, mea vita. ¶ 2. Hinc Deliciæ dicuntur etiam personæ aut res, quæ nobis caræ sunt ac voluptatem afferunt. — *a*) Generatim. *Plaut. Most.* 1. 1. 14. Urbanus scurra, deliciæ populi. Cf. *Catull.* 3. 4. Passer, deliciæ meæ puellæ. *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 79. Roscius deliciæ tuæ. *Sueton. Tit.* 1. Titus amor ac deliciæ generis humani. *Cic.* 16. *Att.* 6. *extr.* Piliæ salutem dices et Atticæ, deliciis atque amoribus meis. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. Sempronium Rufum, mel ac delicias tuas, calumniam maximo plausu tulisse. *Virg.* 2. *Ecl.* 2. Alexin, delicias domini. — *b*) Specialim pro amico vel amica, etiam si servus vel serva sit. *Cic. Dom.* 24. 62. Cum alter se Catilinæ delicias fuisse diceret. *Catull.* 6. 1. Flavi, delicias tuas Catullo Velles dicere, nec tacere posses. *Amores* quoque hac ratione usurpantur. Quas vero *Stat.* 5. *Silv.* 5. 66. Pharia de puppe loquaces delicias, et *Quintil.* 1. 2. 7. Alexandrinas delicias appellant, sunt pueri Ægyptii, et præsertim Alexandrini, ex more gentis suæ impudice garruli et obscene dicaces, qui in deliciis apud Romanos fuerunt. Simili ratione *deliciæ* dicti sunt pueli festivi et garruli, parentum suorum oblectamenta gratissima. *V.* DELICIUM. Sic *Inscript.* apud *Gruter.* 1014. 5. PRO SALVTE IVLIAE VENERIAE FILIAE DVLCISSIMAE DELICIAE SVAE. *Alia* apud *De Vita A.A. Benev. cl.* 8. *n.* 10. HIC SEPVLTA EST IVCVNDA DELICIA EIVS. — *c*) Item pro ipso homine delicato. *Juvenal.* 6. 47. Delicias hominis! Tarpejum numen (*al.* limen) adora etc. *h. e.* o delicatum hominem! *Id.* 13. 140. Ten' o delicias extra communia censes Ponendum. *h. e.* te delicatum etc. Vulgatæ edit. habent *Te nunc delicias* etc. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 56. (118). Ut tanto magis sui delicias pudeat.

DĒLĬCIA, *æ,* (a *deliquo* juxta *Forcellinum,* a *liquando* juxta *Müllerum*) est tignum, quod a culmine ad tegulas angulares infimas versus fastigatum collocatur; unde *tectum deliciatum,* et *deliciares tegulæ.* Hæc *Paul. Diac. p.* 73. 2. *Müll.* Hujusmodi vero tigna etiam *Vitruv.* 6. 3. vocat *deliquias,* seu *delicias,* quia in quatuor tecti erecti seu displuviati angulis disposita *tegulas deliciares* sustinent, ex quibus hinc inde aqua deliquescat: contra vero *tegulæ colliciæ* ut habet *Paul. Diac. p.* 114. 4. *Müll.,* seu *colliciares* ut est apud *Caton. R. R.* 14. (ubi tamen alii pro *colliciares,* leg. *conciliares,* alii *deliciares*), in tectis dejectis seu compluviatis sunt, quæ duarum tecti partium concurrentium stillicidia, veluti sulco facto, excipiunt, et extra parietem projiciunt, ab Italis vulgo dictæ *coppi canali. V.* DELIQUEO.

DĒLĬCIÆ, ārum, f. plur. 1. *V.* DELICIA primo loco.

DĒLĬCIĀRIS, e. *V.* DELICIA secundo loco.

DĒLĬCIĀTUS, a, um. *V.* DELICIA secundo loco; et DELICIOR.

DĒLĬCIES, ēi, f. 5. idem quod delicia, deliciæ. Tribuitur *Apulejo de Mag.* et *Florid. n.* 23. et *de Deo Socrat.*; sed ubique lectio variat.

DĒLĬCIO, licis, lectum, licere, a. 3. Part. *Delectus.* — Delicere proprie est deorsum trahere: a *lacio, traho, duco.* Sumitur autem pro allicere, illicere. *Titinius* apud *Non. p.* 277. 17. *Merc.* Parasitus, qui illum sciat delicere. *Grat. Cyneg.* 303. Ita perinde suos, ut erit delecta, minores etc. *h. e.* benigne habita, allecta. Ita legendum putat *Wernsdorfius* pro vulgari *ut erit delata,* quod significatione caret. — De præterito *delicui, V.* DELIQUEO.

DĒLĬCIŎLÆ, ārum, f. plur. 1. *deminut. a* deliciæ, *et*

DĒLĬCIŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* delicium. *Cic.* 1. *Att.* 8. *extr.* Tullia deliciolæ nostræ. *Seneca Ep.* 12. Ego sum villici filius, deliciolum tuum.

DĒLĬCIOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Delicians* et *Deliciatus.* — Deliciari est idem quod delectari. — *a*) Neutrorum more. *Vulgat. Ital. Eccli.* 31. 24. Dormiet usque in mane, et anima illius cum ipso deliciabitur. *Ibid. Amos* 6. 4. Qui dormitis in lectis eburneis, et deliciamini super thoros eorum. *Ibid. Jacob.* 5. 5. Et vos deliciati estis super terram et luxuriati estis. *Venant. Fortun.* 11. 25. 2. Et satiat vario delicianie joco. *Alcim. Ep.* 77. *circa med.* Quum tu, in tanta convivii beatitudine, deliciatus maxime, tardissime satiatus, vix te possis probare felicem, etc. *b*) Active, seu cum Accusativo. *Ruricius* 2. *Ep.* 42. Volatilia deliciari. *h. e.* comedere cum delectatione.

DĒLĬCIŌSUS, a, um, adject. deliciis plenus. *Rutil. Itiner.* 1. 378. Stagna placent sæpto deliciosa vado. *Capell.* 7. *p.* 236. *sub init.* Deliciosa mollities. *Sedul. prol.* 8. Divitiasque magis deliciosus amas. *Cassiod.* 7. *Variar.* 9. Deliciosa magis, quam laboriosa militia est, in portu Romano comitivæ gerere dignitatem.

DĒLĬCIUM, ii, n. 2. idem quod deliciæ. *Martial.* 13. 98. Delicium parvo donabis dorcada nato. *Id.* 7. 49. Fons, delicium domus. — Pro puero, qui est in deliciis, tum in bonam, tum in malam partem. *Phædr.* 3. 20. Rogati mox a quodam delicio suo, Quidnam fecissent. *Al. leg.* Rogati mox a quodam, delicio suo Quidnam fecissent: *atque ita de asino sermo est. Inscript.* apud *Gruter.* 661. 14. SEXTILIAE J. L. PRIMIGENIAE ANNORVM XIII. DELICIO SVORVM etc. Adde *alias* apud *Orell.* 680., 1721., 4394. et 4958. — In masculino genere. *Inscript.* optimæ notæ apud *Gorium Columb. Liv. p.* 73. *n.* 4. AMARANTHIO CERVIAE DELICIVS VIXIT ANNIS III. M. III. DAT OLLAM CERVLEVS L. *Alia* apud *Don. cl.* 1. *n.* 132. APRILIVS DELICIVS.

DĒLĬCIUS, ii. *V.* voc. præced. in fin.

DĒLĬCO, as, etc. *V.* DELIQUO, as.

DĒLICTOR, ōris, m. 3. qui delinquit. *Commodian. Instruct.* 52. Refugium regis pete, si delictor fuisti. Adde *Cyprian. Ep.* 59. *in fin.*

DĒLICTUM, i, n. 2. *V.* DELINQUO in fin.

DĒLICTUS, a, um. *V.* DELINQUO.

DĒLĬCŬLUS, a, um, *deminut. a* delicus, qui delinquitur, seu venditur aliis dominis. *Cato R. R.* 2. Vendat boves vetulos, armenta delicula, oves deliculas. Alii leg. *rejicula* et *rejiculas,* ut apud *Varron.* 2. *R. R.* 1. et 5. *V.* REICULUS. Cf. tamen et vox seq. et *Schneid.* ad h. l.

DĒLĬCUS, a, um, adject. Idem ac deliquus, qui nempe a matre grandior factus delinquitur. *Varro* 2. *R. R.* 1. 16. Cum porci depulsi sunt a mamma, a quibusdam delici appellantur, neque jam lactentes dicuntur. *V.* DELIQUUS. *Glossar. Vet.* Delicum. ἀπογαλακτισθέν.

DĒLĬCUUS. *V.* DELIQUUS.

DĒLĬGĀTIO, ōnis, f. 3. ligatio, vinctio. *Gloss. Cyrill.* Ἐπίδεσμος, hæc deligatio.

DĒLĬGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒLĬGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et ligo). Part. *Deligatus* et *Deligandus.* — Deligo est idem fere ac ligo, seu valde ligo (It. *legare*; Fr. *attacher, lier*; Hisp. *ligar, enlazar, liar, atar*; Germ. *verbinden, festbinden*; Angl. *to bind, tie, make fast*). *Plaut. Men.* 1. 1. 13. Apud mensam plenam homini rostrum deliges. *Licinius* apud *Non. p.* 221. 11. *Merc.* Deligare ad palibulos. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. et 4. *ibid.* 29. Naviola deligata ad ripam. *Id.* 5. *ibid.* 9. Naves deligatæ ad ancoras. *Id.* 3. *B. C.* 39. Naves deligare ad terram. *Id.* 5. *ibid.* 48. epistolam ad amentum. *Liv.* 8. 7. aliquem ad palum. *Sueton. Ner.* 29. Deligati ad stipitem. Adde *eumd. ibid.* 45., *Claud.* 34. et *Tit.* 62. *Cic.* 6. *Verr.* 40. 86. In ea statua Sopatrum divaricari et deligari jubet. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 62. 161. *Auct. B. Afr.* 21. Saucios suos jubet in plaustris deligatos Adrumetum deportari. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 71. (184). Deligata linteolo grana. *Cels.* 2. 10. *sub fin.* Deligandum brachium superimposito penicillo. Sic *Quintil.* 2. 17. 9., 2. 21. 17. et 4. 2. 84. Deligare vulnus. *Id.* 2. 17. 19. Sarmentis circum cornua boum deligatis. *Nepos Hann.* 5. Sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit. *Vopisc. Aurel.* 7. Deligare ad pedes. Adde *Justin.* 3. 5. 10.

DĒLĬGO, ligis, lēgi, lectum, ligere, a. 3. (de et lego). Ratione habita scriptionis, pro *deligo* scribitur et *delego*; præterea in MSS. libris frequentissimum est *dilectus* pro *delectus* eodem sensu. — Part. *Deligens, Delectus* et *Deligendus* 1. — Deligo est seligo, delectum habeo; quasi de multis *lego* (It. *scegliere, eleggere*; Fr. *élire, choisir*; Hisp. *elegir, escoger*; Germ. *durch Sonderung ausscheiden, aussuchen, auslesen, auswählen*; Angl. *to choose, make choice of, pick out, select*). Occurrit — ¶ 1. Generatim; et quidem — *a*) Universim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 49. Continuo Amphitruo delegit virus primorum principes. *Lucret.* 1. 87. Ductores Danaum, delecti, prima virorum. *Cic. Dom.* 9. 24. Summus vir sæpe ad extrema reipublicæ discrimina delectus. *Id.* 2. *Off.* 13. 46. Eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum. *Id.* 1. *Legg.* 23. 60. Bona deligere, rejicere contraria. *Id.* 2. *leg. Agr.* 9. 23. Si vobis et omni populo deligendi potestas esset data. *et mox.* Quem unum e cunctis delegissetis. *Virg.* 7. *Æn.* 152. delectus ordine ab omni Centum oratores ire jubet. *Liv.* 1. 40. Deligere aliquem generum. *Id.* 39. 36. *ad fin.* Domicilio sibi deligere maritima oppida. *Al. leg.* domicilium. *Quin-*

til. 12. 10. 19. Hunc exilio delegerat locum. Id. 12. 2. 27. Quam honestissima præcepta rectissimamque viam deliget. Id. 1. 3. 17. In deligendis custodum et præceptorum moribus. Justin. 2. 15. Judicium deligentium. Adde Cic. Mil. 8. 23. et 1. de republ. 34. et 41.; Sall. Jug. 23. et Cat. 6.; Nepot. Pelop. 2., Aristid. 2. et alibi; Cæs. 1. B. G. 3., 7. ibid. 15., 31. et alibi; Liv. 8. 33., 36. 28. et 7. 25.; Sueton. Vesp. 4., Ner. 42. et Galb. 10.; et Tac. 1. Hist. 71. — b) Speciatim de iis, qui ad publica munera eliguntur. Cic. Planc. 25. 62. Sic populus Romanus deligit magistratus, quasi reipublicæ villicos. Id. Mur. 11. 24. Dicendi facultas, quæ sæpe valuit in consule deligendo. Id. 1. ad Q. fr. 1. 3. Quæstorem habes non tuo judicio delectum, sed eum, quem sors dedit. Id. Rosc. Am. 3. 8. Deligere ex civitate aliquos in senatum, ex senatu in consilium judicum. Nepos Epam. 7. et Lysandr. 3. ducem. Id. Ages. 1. et Val. Flacc. 3. 201. regem. Plin. 14. Hist. nat. 22. 28. (145). Piso delectus curæ Urbis. — c) Item speciatim in re militari. Cæs. 1. B. G. 49. et 6. ibid. 10. Castris idoneum locum delegit. Sall. Jug. 46. Ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum et sagittariorum delecta manu apud primos erat. Adde Liv. Epit. 27. Ennius apud Cic. 2. Herenn. 22. 34., apud eumd. 1. Tusc. 20. 45. et apud Priscian. de vers. com. p. 1325. Putsch. Argo, qua vecti Argivi delecti viri. Virg. 4. Ecl. 35. altera quæ vehat Argo Delectos heroas. Id. 2. Æn. 18. Huc delecta virûm sortiti corpora furtim Includunt cæco lateri. Cæs. 1. B. C. 57. Delecti ex omnibus legionibus fortissimi viri. Sall. Jug. 49. Ipse propior montem omni equitatu et peditibus delectis suos collocat. Id. ibid. 54. Ipse cum delectis equitibus Metellum sequitur. Adde Cæs. 4. B. G. 7. et 7. ibid. 21. Tac. 2. Ann. 16. Cum delecto equite. — Et delecti absolute, aut cum Genitivo, Græco more. Virg. 11. Æn. 130. nec tarda sequetur Gloria delectos Latio et Laurentibus arvis. Liv. 38. 1. In Athamaniam se venturum cum delectis Ætolorum – et Nicandro prætore. Cf. eumd. 42. 58. Mixtum genus, delecta plurium gentium auxilia. Curt. 4. 4. Naves admoveri jubet delectosque militum imponit. ¶ 2. Speciatim de fructibus ponitur pro decerpere, colligere. Cato R. R. 144. Deligere oleam. Id. ibid. 112. Uvas relinquito in vinea, sinito bene coquantur: et ubi pluerit et siccaverit, tum deligito. Colum. 5. R. R. 10. 10. Ut ante pluviam fructum deligas. Similiter Ovid. Heroid. 4. 29. Est aliquid, plenis pomaria carpere ramis Et tenui primam deligere ungue rosam. Et Propert. 2. 21. 106. Altaque mortali deligere astra manu. ἀδύνατον. ¶ 3. Item speciatim est legendo secernere, adeoque legendo rejicere. Plaut. Asin. 3. 3. 42. Hinc med amantem ex ædibus delegit hujus mater. h. e. detrusit, ejecit. Virg. 5. Æn. 715. Longævosque senes et fessas æquore matres, Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est, Delige. — NB. Apud Cic. Vatin. 14. 34. Subsellia dissiparit, urnas delegerit, h. e. dejecerit, alii aliter legunt.

DĒLĪMĀTOR, διαρρινητής. Gloss. Cyrill.

DĒLĪMĀTUS, a, um, particip. ab inusit. delimo, elimatus. Plin. 34. Hist. nat. 11. 26. (111). Delimatam æris scobem aceto spargunt.

DĒLĪMIS, e, adject. obliquus, transversus. Varro apud Non. p. 79. 14. Merc. Delime bipennis, ut levis passerculus. h. e. bipennis obliquitas. Al. tamen aliter legunt; et omnium rectissime Fr. Oehler, M. Ter. Varron. Satur. Menipp. Reliq. p. 155. Delumbe, bipennis ut levis passerculus.

DĒLĪMITĀTĬO, onis, f. 3. limitum appositio. Balbus de limit. apud Goes. p. 142.

DĒLĪMĬTĀTUS, a, um. V. voc. seq.

DĒLĪMĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et limito). Part. Delimitatus. — Delimito est limitibus definio, idem ac depalo. Aggen. Urb. in Frontin. de limit. p. 59. Goes. Agrimensor omnis doctus centurias delimitare potest, ac suis redintegrare limitibus, assignare autem nullo modo potest, nisi sacra fuerit præceptione firmatus. Sic Part. Delimitatus occurrit apud Frontin. de agror. qualit. apud Goes. p. 38.

DĒLĪNEĀTĬO, ōnis, f. 3. descriptio. Tertull. advers. Valentinian. 27. In delineationem superioris Christi, etc.

DĒLĪNEO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Etiam delinio scribitur apud Tertull. advers. Valentinian. 4. Acta colubroso viam deliniavit. — Ceterum delineo est designo, et ruditer depingo: ex de et linea, ut cum pictores primum quædam pingui Minerva futuri operis lineamenta ducunt. Plin. 35. Hist. nat. 10. 36. (89). de Apelle. Arrepto carbone exstincto e foculo imaginem in pariete delineavit.

DĒLINGO, lingis, linxi, lingere, a. 3. (de et lingo) idem quod lingo, vel omnino lingo.

I.) Proprie. Cels. 3. 22. Cochleare plenum paullatim delingatur. Lamprid. Ant. Diadum. 5. Leo puerum delinxit.

II.) Translate. Plaut. Pers. 3. 3. 25. Numquam delinget salem. h. e. non habebit, unde cœnet: proverbii more dictum. Adde eumd. Curc. 4. 4. 6.

DĒLĪNĪMEN, inis, n. 3.,

DĒLĪNĪMENTUM, i, n. 2. et

DĒLĪNĬO, is, etc. V. DELENIMEN, DELENIMENTUM, DELENIO.

DĒLĬNO, linis, livi, litum, linere, a. 3. (de et lino). Hoc verbum agnoscitur a Prisciano 9. sub fin. Putsch., caret tamen adhuc auctoritate Latini scriptoris, exceptis particip. Delitus et Delinendus. Cic. 2. Verr. 55. 145. Ex qua tantum tectorium vetus delitum sit, et novum inductum. Orell. ita legit: alii deletum, alii dejectum ex Priscian. p. 1151. Putsch. Id. fragm. apud Priscian. 9. sub fin. Tuli moleste, quod litteræ delitæ sunt mihi a te redditæ. h. e. lituris corruptæ. Calvus apud Diomed. 1. p. 372. Putsch. Prima epistola videtur in via delita. Adde Varron. ibid. Attamen Diomedes hæc a deleo deducit. Cels. 3. 19. Delinendus homo est vel gypso, vel argenti spuma. h. e. ungendus. Apul. 8. Met. Faciem cœnoso figmento deliti, et oculis obunctis graphice prodeunt. h. e. delibuti. — In quo differat delitus a lito, oblito, illito. V. in LINO.

DĒLINQUĀTĬO, ōnis, f. 3. Gloss. Cyrill. Κατάληψις, desertio, delinquatio.

DĒLINQUENTĬA, æ, f. 1. delictum. Tertull. Resurr. carn. 46. et 47.

DĒLINQUO, linquis, liqui, lictum, linquere, 3. (de et linquo). Part. Delictus 1. 1. — Delinquere proprie est idem ac derelinquere, deserere.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. Ennius 4. Ann. 6. apud P. Merul. p. 327. At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est, Corde suo trepidat, delicto Coclite. Alii leg. delicto poplite, h. e. defectis viribus. ¶ 2. Hinc per metonymiam olim usurpatum fuit pro deesse, deficere. Cælius apud Servium ad Virg. 4. Æn. 390. Delinquere frumentum, Sardiniam hostes tenere. Tubero ibid. Num delinquat, aut superet aliquid tibi. — Hinc

II.) Translate significat prætermittere quod non oportet præteriri, ut Paul. Diac. p. 73. 9. Müll. docet: et universim a recta ratione deflecere, flagitium admittere, peccare. Usurpatur autem — a) Neutrorum more, cum addito interdum Ablativo rei, cujus causa quis delinquit. In veteri formula belli indicendi apud Gell. 16. 4. QVOD POPVLVS HERMVNDVLVS HOMINESQVE POPVLI HERMVNDVLI ADVERSVS POPVLVM R. BELLVM FECERE DELIQVERVNTQVE. Adde similem formulam apud Liv. 1. 32. Ter. Hecyr. 4. 4. 41. An quia non delinquunt viri. Cic. Cluent. 46. 128. Ne miles in bello propter hostium metum delinqueret. Id. 2. Tusc. 4. 12. Artemque vitæ professus delinquit in vita. Adde eumd. Mur. 27. 57. Sall. fragm. 111. p. 233. Gerlach. Melius habent mercede delinquere. Id. Cat. 51. Iracundia deliquere. Horat. 1. Sat. 3. 83. Quanto hoc furiosius atque Majus peccatum est! Paullum deliquit amicus, Quod nisi concedas, habeare insuavis, acerbus. Ovid. 2. Amor. 8. 9. ancilla si quis delinquere posset. Al. minus recte leg. in ancillam. Plin. 17. Hist. nat. 12. 19. (94). Multo jam præstat laxitate delinquere. h. e. nimis laxe serendo oleas. L. Ver. imp. apud Fronton. ad L. Ver. imp. 2. p. 187. Delinquere humanum est, et hominis maxime proprium ignoscere. Adde Ovid. 2. Trist. 256.; Quintil. 1. 5. 49.; Tac. 12. Ann. 58., 14. ibid. 14. et 15. ibid. 2.; et Plin. 9. Ep. 21. — b) Cum Accusativo rei. Plaut. Bacch. 3. 3. 14. Dum caveatur, præter æquum ne quid delinquat. Adde eumd. Pseud. 1. 7. 129. Id. Amph. 2. 2. 185. Quid ego tibi deliqui? h. e. contra te. Id. Epid. 3. 3. 9. Quasi quid filius meus deliquisset med erga. Id. Men. 5. 2. 39. Numquam equidem quidquam deliqui. Cic. 2. leg. Agr. 36. 100. Si quid deliquero, nullæ sunt imagines, quæ me a vobis deprecentur. Adde Sall. Jug. 28. Tac. 12. Ann. 54. Damnatusque flagitiorum, quæ duo deliquerant, Cumanus. Adde eumd. 14. ibid. 3.; et cf. Juvenal. 14. 233. Tantum delinquere, quantum permittas. — c) Passive. Papinian. Dig. 48. 5. 38. Adulterium, quod pubertate delinquitur, non excusatur ætate. h. e. admittitur. — d) Impersonaliter. Cic. 9. Att. 10. extr. Ut nihil a me adhuc delictum putem. Gell. 5. 4. Si in una nuspiam littera delictum esset. — Hinc a Part. præt. pass.

Delictum, i, n. 2. est peccatum, erratum. — a) In re morali. Plaut. Amph. 1. 2. 32. Delictum facere. Ter. Adelph. 4. 5. 48. Delictum in se admittere. Cæs. 7. B. G. 4. sub fin. Nam majore commisso delicto, igni atque omnibus tormentis necat. Cic. 5. Fam. 27. sub fin. Homines sapientes delicto suo, non aliorum injuria commoveri. Id. Marcell. 6. 18. Expetere pœnas ab aliquo ob delictum. Adde eumd. 1. Off. 40. 145. et Cæcin. 3. 7. Horat. 3. Od. 6. 1. Delicta majorum immeritus lues, Romane. Adde eumd. 1. Sat. 3. 79. Ovid. 2. Amor. 4. 3. Delicta fateri. Adde Nepot. Alcib. 8.; Sall. Cat. 3. et Jug. 3., 27. et 32.; Quintil. 7. 4. 20.; Sueton. Cæs. 72., Aug. 66., Ner. 29. et Galb. 9.; Tac. Agric. 16., 12. Ann. 54. et 13. ibid. 35.; et Capitolin. Maxim. duob. 13. Fronto Princip. Hist. p. 319. Delicta sua plerique, dum ignorari putant, corrigunt; ubi manifesta sciunt, impudentia obfirmantur. — b) De ingenii errato. Horat. A. P. 442. Si defendere delictum, quam vertere, malles. Id. ibid. 347. Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus. Censorin. de die nat. 20. Quod delictum ut corrigeretur, pontificibus datum est negotium, eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa.

DĒLĬQUEO, ques, et rectius

DĒLĬQUESCO, liquescis, licui, liquescere, n. 3. inchoat. (de et liquesco) liquidus fio, liquefio, dissolvor.

I.) Proprie. Plaut. Cas. 2. 6. 46. Utinam tua quidem, sicut Herculeis prædicant quondam prognatis, ista in sortiendo sors delicuerit! Pausan. l. 4. c. 3. narrat, sortientibus de imperio Messenes Cresphonte, et filiis Aristodemi Herculis nepotibus, conjectisque in urnam aquæ plenam sortibus, factum esse fraude cujusdam Temeni, ut Cresphontis sors ex coctili laterculo, filiorum vero Aristodemi ex argilla sole siccata fieret; cumque esset conditio, ut utra sors exiret, ejus esset imperium, altera soluta et dissipata, Cresphonti imperium adjudicatum fuisse. Ovid. 3. Trist. 10. 15. de nive. Ergo ubi delicuit nondum prior, altera venit. Id. 4. Met. 253. Protinus imbutum cælesti nectare corpus Delicuit. Id. 7. ibid. 380. Hyrie flendo Delicuit stagnumque suo de nomine fecit. Colum. 12. R. R. 41. 2. Hæc ita coquuntur, ut omnia poma deliquescant cum musto.

II.) Translate. Cic. 4. Tusc. 17. 37. Nec sitienter quid expetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat. Lactant. 7. 12. Tam celeriter corpus deliquesceret ac periret, quam celeriter anima secedit. h. e. solveretur.

DĒLĬQUĬÆ, ārum. V. DELICIA primo loco.

DĒLĬQUĬO, onis. V. voc. seq.

DĒLĬQUĬUM, ii, n. 2. duo diversa significat, prout est A) A verbo delinquo, aut B) Aut a v. deliquo.

A) Deliquium a delinquo est defectus. Plin. 2. Hist. nat. 12. 9. (54). Deliquium solis. h. e. defectus. Paul. Diac. p. 73. 8. Deliquium solis a delinquendo dictum, quod delinquat in cursu suo. Adde Cn. Gell. apud Servium ad Virg. 4. Æn. 390. Et Gloss. Labb. Deliquium, ἔκλειψις ἡλίου. Rursus Paul. Diac. p. 73. 9. Müll. Delinquere est prætermittere, quod non oportet præteriri; hinc deliquia et delicta. — Figurate. Plaut. Capt. 3. 4. 92. Hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi et parentum et libertatis apud te deliquium fiet. h. e. caream parentibus et libertate. Al. plures rectius leg. deliquio siet, eo modo, quo dicimus exitio, fraudi esse, etc. Sunt etiam qui putent esse rectum casum deliquio, onis, quod etiam a Cn. Gellio usurpatum quidam citant ex Serv. ad Virg. 4. Æn. 390.

B) Deliquium a deliquo est actio liquandi; et scribitur etiam delicuum: V. DELIQUUS. Prudent. Hamartig. de statua salis, 751. Liquitur illa quidem salsis sudoribus uda: Sed nulla ex fluido plenæ dispendia formæ Sentit deliquio. h. e. liquefacta.

DĒLĬQUO vel dēlĭco, as, are, a. 1. (liquo) est liquorem clarum reddere effundendo, seu ex altero vase in alterum transfundendo.

I.) Proprie. Varro 7. L. L. 106. Müll. Turbida

quæ sunt, deliquantur, ut liquida fiant. *Colum.* 12. *R. R.* 39. 2. Passum in alia vasa deliquare. *Cels.* 5. 20. *n.* 5. Quæ ex vino teruntur, et in ipso usu delinquantur.

II.) Translate est verbis declarare, sive explanare: quo sensu *delicare* fere occurrit. *Titinius* apud *Non.* p. 98. 10. *Merc.* Quid istic sibi vult sermo? mater, delica. *Id. ibid.* 277. 25. Tibi ne comœdiam, quam sciam, non delicem? Adde *Cæcilium* apud *eumd.* 277. 29. et *Lucilium ibid.* *Accius* apud *eumd. ibid.* Qua re alia ex crimine inimicorum effugere possis, delica. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 30. Ut te ipse me dixisse delices, postea sagina ego ejiciar cellaria. *h. e.* statim ac tu indicabis me dixisse.

DĒLĬQUUS *vel* delicuus, a, um, adject. a *delinquo*, ut *reliquus* a *relinquo*, significat deficiens, minor, ut exponit *Paul. Diac.* p. 73. 10. *Müll.*: veteres enim delinquere usurpabant pro deficere. *Plaut. Cas.* 2. 2. 31. Sine amet, sine quod lubet id faciat, quoniam tibi nil domi deliquum' st. *Varro* 7. *L. L.* 106. *Müll.* legit *delicuum*, et statim hæc addit: Delicuum dictum ab eo, quod deliquandum non sit, ut turbida quæ sunt deliquantur, ut liquida fiant. Aurelius scribit delicuum esse ab liquido; Claudius ab eliquato. *V.* DELICUS.

DĒLĪRĀMENTUM, i, n. 2. delirium. *Plaut. Amph.* 2. 2. 64. Hæc quidem deliramenta loquitur. Adde *eumd. Men.* 5. 5. 21. et *Capt.* 4. 4. 67.; *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (17).; *Fronton.* 2. *Ep. ad Cæs.* 1.; et *Prudent. Apotheos.* 200.

DĒLĪRĀTĬO, ōnis, f. 3. a v. delirare (de *et* lira).

I.) Proprie est declinatio extra sulcum, idest a recta via. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 20. 49. (180). Quod vocant lirare, operientes semina, unde primum appellata deliratio est.

II.) Translate. *Cic. Senect.* 11. 36. Ista senilis stultitia, quæ deliratio appellari solet, senium levium est, non omnium. *Cf. eumd.* 2. *Divinat.* 43. 90. *Plin.* 6. *Ep.* 15. 4. Aliena deliratio aliquantum frigoris attulit.

DĒLĪRĬTAS, ātis, f. 3. deliratio: sed occurrit translate tantum. *Laberius* apud *Non.* p. 490. 21. *Merc.* Quænam mens, quæ deliritas vos suppilatores facit cum cano cugio puellitari?

DĒLĪRĬUM, ii, n. 2. occurrit translate tantum, et est alienatio mentis, deliratio. *Cels.* 3. 18. *extr.* Aliquando ex metu delirium nascitur. Adde *eumd.* 2. 8. *ante med.*

DĒLĪRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (de *et* lira). Part. *Delirans* II. — Delirare proprie est a sulco evagari. *V.* LIRO.

I.) Proprie, sed generatim, est a recta linea deflectere. *Auson. Edyll.* 16. 11. angulus æquis Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis.

II.) Translate est a recta mente declinare, insanire. *Plaut. Amph.* 2. 2. 157. Hæc quidem nos delirantes facere dictis postulat. *et ibid.* 96. Nulla res tam delirantes homines concinnat cito. *scilicet* quam atra bilis. *Ter. Phorm.* 5. 8. 8. Delirat miser timore. *Lucret.* 3. 454. delirat linguaque mensque. *Cic.* 1. *Off.* 27. 94. Falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare, et mente captum esse. *Id.* 1. *Nat. D.* 34. 94. Desipere, delirare, dementem esse. *Id.* 1. *Divinat.* 18. 35. Ut rear in extis totam Etruriam delirare. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 14. Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. *Id.* 1. *ibid.* 12. 20. delirat acumen. *Sueton. Vesp.* 5. Quod adhuc se mentis compote deliraret.

DĒLĪRUS, a, um, adject. In *Not. Tir.* p. 97. legitur *delerus*, quia fortasse ad Græcum etymon λῆρος respicitur. — Comp. neutr. gen. *Delirius* in fin. — Ceterum delirus translate tantum occurrit (*V.* DELIRARE ejusque derivata), et est qui a recta mente, quasi sulco seu lira, evagatur, insaniens, mente captus: et dicitur præsertim de senibus, qui ob ætatem desipiunt. *Lucret.* 3. 464. Quin etiam morbis in corporis avius errat Sæpe animus: dementit enim deliraque fatur. *Id.* 2. 985. Quod si delira hæc furiosaque cernimus esse. *Cic.* 2. *Orat.* 18. 75. Multos se deliros senes sæpe vidisse. *Id.* 2. *Divinat.* 68. 141. An tu censes ullam anum tam deliram futuram? *Horat.* 2. *Sat.* 3. 107. Delirus et amens. *Id.* 2. *Ep.* 2. 126. scriptor delirus inersque. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 5. 71. et 3. 293.; et *Sueton. Ner.* 33. *Lactant.* 3. 18. *a med.* Quo quid delirius dici possit, non video. *et ibid.* 19. *a med.* Plane contenderim, numquam quicquam dictum esse in rebus humanis delirius.

DĒLĪTĔO, es, ere, n. 2. (de *et* lateo) abscondor. Occurrit tantum Part. præs. *Delitens* apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Spatia montis in cubiculo delitentia. *Sillig* in novissima edit. legit *dilatantia*, a *dilato*. — Ceterum *V.* voc. seq.

DĒLĪTESCO, litescis, litŭi, litescere, inchoat. n. 3. (lateo). Part. *Delitescens* I. — Delitesco est occultor, lateo (It. *occultarsi, nascondersi*; Fr. *se cacher, se tenir caché, cesser de se montrer*; Hisp. *esconderse, ocultarse*; Germ. *sich verbergen, verstecken*; Angl. *be concealed, sculk, lurk*).

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 2. 5. 9. Delituit mala puella. *Cic. Cœl.* 25. 62. Ut eo mitteret amicos, qui delitescerent, deinde repente prosilirent. *Id.* 2. *Nat. D.* 20. 52. Delitescit stella. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 71. Delituit cælum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 126. Bestiæ in cubilibus delitescunt. *Cæs.* 4. *B. G.* 32. hostes in silvis. *Virg.* 2. *Æn.* 135. Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva Delitui. *Id.* 3. *G.* 416. Sæpe sub immotis præsepibus aut mala tactu Vipera delituit, etc. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 55. *loquitur Elegia.* Quin ego me memini, dum custos sævus abiret, Ancillæ missam delituisse sinu. *Sueton. Claud.* 5. Tiberius in Campaniæ secessu delitescens. Adde *Curt.* 3. 8. 10.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 5. 15. Evertus est Arcesilas, qui constitutam philosophiam everteret, et in eorum auctoritate delitesceret, qui negassent, quidquam sciri, aut percipi posse. *Id. Tull.* § 33. Hi – scopulo atque saxis pro portu stationeque utuntur. Nam in dolo malo volunt delitescere. *Id. Balb.* 2. 5. Non in aliquo impudenti mendacio delituisse – dicitur. *Id. Cæcin.* 21. 61. Cave, in ista tam frigida, tam jejuna calumnia delitescas. Adde *Quintil.* 10. 5. 10. et 12. 10. 15.

DĒLĪTĬGO, as, are, n. 1. vehementer litigo. *Horat. Art. P.* 94. Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

DĒLĪTOR, ōris, m. 3. qui delenit, *h. e.* delet, tollit, oblitterat. *Accius* in *Atreo*, apud *Priscian.* 9. p. 873. *Putsch.* Epularum fictor, scelerum fratris delitor.

DĒLĪTUS, a, um. *V.* DELEO.

DĒLĬTUS, a, um. *V.* DELINO.

DELIXUS, a, um, adject. elixus, sive multum elixus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 151.

DĒLŎCĀTĬO, ōnis, f. 3. luxatio. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. Articulorum delocatio.

DĒLONGE, adverb. de longe, procul. *Vulgat. Interpr. Isai.* 49. 1. Audite insulæ, et attendite populi delonge. Adde *ibid. Exod.* 20. 21., *Deuter.* 29. 22. et alibi. *Isid.* 15. *Orig.* 1. Et delonge venientia contempletur.

DĒLŌTUS, a, um. *V.* DELAVO.

DELPHĬCA, æ, f. 1. *V.* DELPHICUS in fin.

DELPHĬCE, adverb. more Delphici oraculi. *Varro* apud *Non.* p. 141. 5. *Merc.* Quid aliud est, quod Delphice columna litteris suis ἄγαν μηδὲν, etc.?

DELPHĬCUS, a, um, adject. ad Delphos pertinens: *V.* ONOM. Hinc Mensæ delphicæ e marmore apud *Cic.* 6. *Verr.* 59. 131., *h. e.* factæ ad similitudinem ejus, in qua Delphis in templo Apollinis Pythias insidebat oracula faciens. Nam ea forma elaborata mensa donis maxime Apollinis Delphici dicabatur, eratque in pretio in ditiorum ædibus. — Quare et

Delphĭca, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, dicitur. *Martial.* 12. 66. Argentum atque aurum non simplex Delphica portat. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 83. 2. DECIMA C. F. CANDIDA SACERDOS MATRIS DEUM DELFICAM (*ita pro* Delphicam) CVM LABIIS ET CERIOLARIS (*pro* ceriolariis *vel* ceriolaribus) N. XXXVI. *Alia* apud *Orell.* 3094. VNIVERSI TRIBVLES – DONO DELPHICAE AEREAE CVM OMNI CVLTV EXORNATAE – HONORATI SVNT. Hæc inscriptio est apud *Gruter.* 1115. 8. *Procop.* in *Vandalicis l.* 1. *c.* 21. Δέλφικα τὸν τρίποδα καλοῦσι Ῥωμαῖοι, ἐπεὶ πρῶτον ἐν Δέλφοις γέγονε. Delphicam vocant Romani tripodem, qui Delphis primum est factus. Similis omnino est nostris tripodibus, quibus in lavandis manibus quisque utitur domi suæ. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 3. 8. (14). hac eadem ratione cortinas Delphicas dixit.

DELPHĪN, īnis, m. 3. *et* Delphinus, i, m. 2. δελφὶν *et* δελφίς. *Delphis* pro *delphin* in recto singulari usurpatur ab *Avien. Arat.* 1609., et confirmat *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 161. — *Delphina* accusat. Græcæ positionis apud *Ovid.* V. infra I. — *Delphinum* pro *delphinorum* legitur apud *Virg.* 3. *Æn.* 428. et 8. *ibid.* 119.; et *Propert.* 3. 15. 25. — Ceterum Delphin

I.) Proprie est piscis marinus, vel potius bellua omnium animalium velocissima, etiam terrestrium et volucrum, ingentis et ponderosi capitis, pro voce gemitum edens similem humano, ore multum infra rostrum, medio pæne in ventre, lingua mobili, brevi atque lata et suillæ simili, dorso repando, rostro simo. Parit catulos decimo mense, interdum binos, et uberibus nutrit, sicut balæna: adolescit celeriter et tricenos annos vivere traditur. Amica est homini, et musicæ et præcipue hydrauli sono. A *Plin.* 9. *Hist. nat. c.* 8. unde hæc sumpsimus, et *Gell.* 7. 8., et *Plin. altero* 9. *Ep.* 33., et *Solin.* 12. exempla narrantur delphini puerum ardenti amore deperenntis, colludentis, et dorso suo medio mari gestantis ac fideliter referentis ad littus. *Simonis* nomine si appelletur, accurrere et piscatoribus operam suam navare, *Plin. ibid.* tradit: quæ omnia *Solin.* quoque *ibid.* narrat. *Cic.* 2. *Divinat.* 70. 145. Cum viderint delphinos se in portum conjicientes, tempestatem significari putant. *Ovid.* 2. *Met.* 265. nec se super æquora curvi Tollere consuetas audent delphines in auras. *Id.* 3. *Trist.* 10. 43. Pandi delphines. *Id.* 2. *Fast.* 113. tergo delphina recurvo. *Id.* 11. *Met.* 237. Frenato delphine sedens. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 302. et *Virg.* 8. *Æn.* 673. (ubi *delphines*); *Ovid.* 6. *Met.* 120. (ubi *delphina*): *Virg.* 8. *Ecl.* 56. (ubi *delphinas*); *Pers.* 1. 94. et *Val. Flacc.* 1. 131. (in quibus pariter est *delphin, inis*); *Juvenal.* 10. 14., *Curt.* 8. 9. 9. et *Gell.* 7. 8. (in quibus est *delphinus*). — *Delphinum silvis appingere, fluctibus aprum*, proverbii genus apud *Horat. Art. P.* 30. de eo dictum, qui ea dicit, aut facit, quibus nunc non erat locus, ut *Id. ibid.* ait *v.* 19. — In Circo delphinorum simulacra fuere supra columnas conspicuo loco posita, ad omen celeritatis et ad ornatum. *Juvenal.* 6. 589. Consulit ante phalas delphinorumque columnas. V. *Panvin. l.* 1. *de Circensib. c.* 14., et *Mus. Borbon. T.* 8. *tav.* 28. *p.* 5.

II.) Improprie. ¶ 1. Est hoc nomine sidus novem stellis constans, in parte cæli, quæ dicitur zona torrida, inter Aquilam et Pegasum: de quo alii fabulantur, conciliasse Neptuno nuptias Amphitrites: alii unum esse ex iis Tyrrhenis nautis, qui Bacchum abducere conati ab eo in hujus generis pisces mutati sunt (V. *Ovid.* 3. *Met.* 630. *et seqq.*): alii fuisse illum, qui Arionа excepit a nautis in mare projectum. *Ovid.* 1. *Fast.* 457. Interea Delphin, clarum super æquora sidus Tollitur. V. *Hygin.* 2. *Astron.* 17. et 3. *ibid.* 16. Adde *Ovid.* 6. *Fast.* 720. et 471. et *Hygin.* 3. *Astron.* 16. (ubi *delphin, inis*); *Varron.* 2. *R. R.* 5. 13., *Colum.* 11. *R. R.* 2. 45. et *Auson. Ecl. de sign. cæl.* 4. (ubi *delphinus, i*). ¶ 2. Quas *Vitruv.* memorat *delphinas æreas* in machina hydraulica 10. 8. 1. *Schneid.*, creduntur esse pondera quædam similia iis, quæ horologiis appenduntur; ita dicta quia delphinus capite est crasso et gravi, ut dictum est: vel fortasse a figura. ¶ 3. Eadem ratione delphinos vocat *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 53. (147). ornamenta tricliniorum, lectorum, vasorum ex auro, argento, vel ære.

DELPHĪNŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* delphin, parvus delphin. *V.* CARDINULUS, ubi *delphinulus* improprie occurrit eo sensu, quo dictum est in DELPHIN sub II. 3.

DELTĂ, æ, f. 1. vel etiam indecl. δέλτα, nomen quartæ Græcorum litteræ, hac figura Δ. *Auson. Technopægn. Edyll.* 12. *de litt. monosyll.* 14. Non formam, ac vocem deltæ gero Romuleum D. — Ita etiam vocatur pudendum muliebre, quia deltæ figuram habet. *Auson. epigr.* 128. 3. Muliebre membrum quadriangulum cernit: Triquetro coactu delta litteram ducit.

DELTŌTON, i, n. 2. Δελτωτόν, signum cæleste septentrionale supra caput Arietis, tribus præcipuis stellis constans, ita dispositis, ut triangularem formam et Græcæ Δ figuram efficiant (unde et nomen): ita tamen ut una ex tribus lineis brevior sit, ut est apud *Cæs. Germanic. Arat.* 236. et *Manil.* 1. 352. Docet autem idem *Germanicus* hoc sidere significari Ægypti eam regionem, quæ *Delta* dicebatur (*V.* DELTA in ONOM.), vel potius ipsius Nili brachia eam figuram formantia. Alii dicunt esse Si-

rilium, quæ triquetra est, sacratam in cœlo a Cerere: alii esse signum, et veluti ornamentum additum a Jove capiti Arietis, quod obscurius est, ut magis conspicuum appareret. *Cic. Arat.* 5. Deltoton dicere Graji Quod soliti, simili quia forma littera claret. Adde *Hygin.* 3. *Astron.* 18.; et *Auson. Ecl. de sign.* cœl. 4.

DĒLŪBRUM, i, n. 2. sacra ædes, templum. Varia est hujus vocis origo, et prima sententia. Alii dicunt esse fustem *delibratum*, h. e. decorticatum, vel dedolatum, quem venerabantur pro deo. Alii a *deluo* derivant, ut sit fons decurrens ante templum, vel *labrum* in vestibulo positum, in quo adoraturi lavent quo purlores accedant ad deos (V. *Martini Etimol.*, et *Isid.* 15. *Orig.* 4. 9.), ut *pollubrum* est a *polluo*. Alii templum esse docent, in quo dei simulacrum dedicatum sit: ut quemadmodum ubi candela ponitur, candelabrum, sic quo loco deum ponant, *delubrum*. Alii templum esse, ubi plura numina simul sunt constituta, ut Capitolium, quasi *deis pluribus* sacrum, vel quasi locus multarum cellarum seu ædium sub uno tecto a *deluvio* pluviæ munitarum (ita vox definitur ab *Auct. de propr. et differ. Lat. sermonis* apud *Gothofr. p.* 1362.): aut ubi præter ædem *area* sit assumpta *deorum* causa, ut in Circo Flaminio Jovi Statori. *Festus, Varro, Cincius*, et *Massur. Sabin.* apud *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 225. et ad 4. *ibid.* 56.; item *Macrob.* 3. *Saturn.* 4. et *Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 1. Hinc *Cic.* 3. *Nat. D.* 40. 94. Est mihi tecum pro aris et focis certamen, et pro deorum templis atque delubris. Adde *eumd.* 3. *Cat.* 9. 22. Ceterum universim de omni sacra æde occurrit — *a*) Raro admodum in singulari numero. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 2. Delubrum qui hodie ornatum eo visere venit. *Cic. Arch.* 8. 19. Smyrnæi delubrum Homeri in oppido dedicaverunt. *Liv.* 29. 18. Noctu audita ex delubro vox est: Abstinerent manus: deam sua templa defensuram. Adde *Virg.* 2. *Æn.* 410.; *Suelon. Vitell.* 8. et *Juvenal.* 13. 69. — *b*) Sæpius in plur. num. *Lucret.* 2. 352. Nam sæpe ante deûm vitulus delubra decora etc. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 19. Constructa a patribus delubra. *Id.* 2. *Verr.* 5. 14. Delubra sanctissimis religionibus consecrata depeculatus est. *Id. Arch.* 11. 27. Delubra Musarum colere. *Virg.* 4. *Æn.* 56. Principio delubra adeunt, pacemque per aras Exquirunt. Adde *Lucret.* 5. 1200. et 6. 1271.; *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 150. et 3. *ibid.* 34. 84.; *Sall. Cat.* 11. et 12.; *Liv.* 8. 33.; *Virg.* 2. *Æn.* 248. et 8. *ibid.* 716.; *Horat.* 3. *Od.* 5. 19. et 1. *Sat.* 6. 35.; *Val. Flacc.* 7. 179. et 2. 188.; *Juvenal.* 3. 13., 13. 107. et 18. 84.; et *Plin. Paneg.* 3. et 52.

DĒLUCTĀTĬO, ōnis, f. 3. luctatio. Occurrit translate tantum apud *Capell.* 5. p. 139. *loquitur Rhetorica.* Et viribus gloriam deluctationis annixa.

DĒLUCTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* lucto) est idem fere quod luctor, et occurrit

A) Activa forma. *Plaut. Trin.* 4. 1. 20. Quibus ærumnis deluctavi, filio dum divitias quæro! *Al. leg.* quantis cum ærumnis: *alii* eluctavi, *ut vetus editio* Nonii, *sed* Mercer. p. 468. 29. *legit* deluctavi. Rursus *Plaut.* apud *Non. ibid.* Quid multa verba? plurimum deluctavimus. *Mercer.* legit *luctavimus.*

B) Deponentis forma *deluctor* apud *Plaut. Pers.* 1. 1. 4. Cum Aotæo deluctari mavelim.

DĒLUCTOR, āris. *V.* voc. præced.

DĒLŪDIFICO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de, ludus, et facio) est illudo, irrideo, decipio. *Plaut. Rud.* 1. 2. 59. Deludificavit me ille homo indignis modis.

DĒLŪDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (de *et* ludo). Part. *Delusus* sub *A.* I. et II. — Deludere duo diversa significat prout *A*) Præpos. *de* verbi vim simpliciter auget, aut *B*) Actionis finem significat.

A) Si præpos. *de* verbi vim simpliciter auget, deludere est ludere, illudere, decipere.

I.) Proprie de hominibus. *Ter. Andr.* 3. 4. 4. Deludere aliquem dolis. *Id. ibid.* Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier. *paragoge* pro deludi. *Cic. Rosc. Am.* 9. 26. Primo rem differre ac procrastinare cœperunt; deinde aliquanto lentius; nihil agere, atque deludere. *Virg.* 6. *Æn.* 344. Hoc uno responso animum delusit Apollo. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 55. plerumque recoctus Scriba ex Quinqueviro corvum deludet hiantem. *Val. Flacc.* 6. 240. Castor deludit anhelos. *Ovid. Halieut.* 23. Clausus rete lupus, quamvis immanis et acer – in auras Emicat, atque dolos saltu deludit inultus.

II.) Translate de rebus. *Propert.* 2. 12. 31. Terra prius falso partu deludet arantes. *Virg.* 10. *Æn.* 642. Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus. *Ovid.* 8. *Met.* 826. petit ille dapes sub imagine somni Exercetque cibo delusum guttur inani. *Phædr.* 5. 6. Spes me delusit. *Id.* 3. 18. Delusa spes.

B) Quum præpos. *de* actionis finem significat, deludere est ludere desino. *Varro* apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 27. 60. (202). Cinis lixivus potus medetur: licet videre gladiatores, quum deluserunt, hac juvari potione. *h. e.* cum pugnando membrum aliquod ita læserunt, luxaruntve, ut pugnare amplius non possint.

DĒLUMBĀTUS, a, um. *V.* DELUMBO.

DĒLUMBIS, e, adject. (de *et* lumbus) lumbis debilis.

I.) Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 32. 51. (103). Coturnix prægravem, aut delumbem sese simulans.

II.) Translate. *Pers.* 1. 104. summa delumbe saliva Hoc natat in labris. *h.* e. enerve, molle, fractum, μαλακόν. *Sidon.* 8. *Ep.* 16. Dictio exossis, tenera, delumbis. *V.* et DELIMIS.

DĒLUMBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* lumbus). Part. *Delumbatus* I. et II. — Delumbo est lumbos frango, ideoque debilem reddo.

I.) Proprie. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (36). Quadrupede delumbata. Figurate in re venerea, et quidem absolute, *Commodian.* 16. Venus, cui conjuges vestræ delumbant. *h.* e. in cujus honorem luxu lasciviaque fractæ lumborum crispitudine fluctuant.

II.) Translate. ¶ 1. De inanimis est curvare. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 33. (109). Delumbatæ radices. *Vitruv.* 6. 3. 9. *Schneid.* Supra coronas curva lacunaria ad circinum delumbata. *h.* e. curva quidem, sed non ad perfectam rotundationem, humiliter confornicata, ut *Philander* exponit. ¶ 2. De oratione est nervos recidere. *Cic. Orat.* 69. 231. Nec minutos numeros sequens, concidat delumbetque sententias.

DĒLŬO, luis, luere, a. 3. duo significat, scilicet

A) Si est a *de* et *luo* idem est ac lavando detergeo.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 116. Laserpitium aceto deluito. *Al. et ipse* Schneid. *leg.* diluito. *Cels.* 4. 15. *sub fin.* Alvus aqua mulsa delui debet.

II.) Translate. *Liv.* 4. 14. et *Plin.* 2. *Ep.* 11. Deluere crimen. *Al. rectius leg.* diluere. *Gell.* 15. 2. *extr.* Si quid in animo vel frigidæ tristitiæ, vel torpentis verecundiæ fuerit, deluamus.

B) Significat etiam solvere a δειλύω, si creditur *Paul. Diac.* qui ait *p.* 73. 15. *Müll.* D e l u i t, solvit, a Græco δειλύειν. Et *Gloss. Labb.* Deluo, καταλύω, ἀπολύομαι.

DĒLŪSĬO, ōnis, f. 3. actus deludendi. *Arnob.* 4. 1. Delusio numinum.

DĒLŪSOR, ōris, m. 3. qui deludit, vel irridet. *Cassiod. Complex.* ad *ep. Jud.* 4. Memores eos dicit esse debere, ultimis venire temporibus delusores.

DĒLUSTRO, as, are, a. 1. (de *et* lustro) plane ac cum bono eventu lustro. *Apul. Herb.* 84. Si quis malevolus devotaverit hominem, herbæ asparagi agrestis radice sicca cum aqua fontana delustrabis eum, et resolutus erit.

DĒLŪSUS, a, um. *V.* DELUDO.

DELUTAMENTUM, i, *n.* 2. *V.* LUTAMENTUM.

DĒLŪTO, as, are, a. 1. (de *et* lutum) duo diversa significat, scilicet

A) Est luto obducere. *Cato R. R.* 128. Si habitationem delutare vis.

B) Item luto detergere, lavare. *Dictys Cret.* 3. 24. Mandata cura Phœnici super Priamo, ut delutaretur.

DĒMĀDĔO *vel rectius*

DĒMĀDESCO, descis, dŭi, descere, *inchoat.* n. 3. madidus fio. *Ovid.* 5. *Trist.* 4. 40. Et te flente suos demaduisse sinus. *Al. leg.* emaduisse. *Scribon. Compos.* 73. Eodem vase coquuntur, donec demadescant. V. *Catonis* similem locum in COMMADEO.

DĒMĀGIS, adverb. valde magis, ut *Non. p.* 98. 19. *Merc.* interpretatur. *Lucilius ibid.* Novisse ajebat solos se demagis istos Ex nimbo austellos. — Quod apud *Paul. Diac. p.* 71. 9. *Müll.* legitur *Demagis pro minus antiqui dicebant*, quidam suspicantur legendum *nimis* pro *minus*. Sic *Gloss. Labb.* Demagis σφοδρῶς.

DĒMANDĀTĬO, ōnis, f. 3. idem fere ac commendatio. *Tertull. Resurr. carn.* 48. Apostolus summam et sui evangelii, et fidei illorum in dominicæ mortis et resurrectionis demandatione concluserat.

DĒMANDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒMANDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* mando). Part. *Demandatus* I. — Demandare est aliquid in manus alicui tradere (*V.* MANDO sub init.); atque adeo committere, in totum committere, concredere, commendare (It. *commettere, raccomandare*; Fr. *confier, remettre, recommander*; Hisp. *confiar, recomendar*; Germ. *anvertrauen, anempfehlen*; Angl. *to commit, entrust, give in charge*).

I.) Proprie de hominibus. *Liv.* 8. 36. Curam eorum nominatim legatis tribunisque demandabant. *Id.* 5. 27. Plures pueri unius curæ demandabantur. *Sueton. Cæs.* 76. Demandare curam Rufioni. *Id. Tib.* 51. Quibus ea funeris curam demandarat. *Id. Claud.* 23. Demandare alicui jurisdictionem. *Id. Aug.* 10. Demandatum bellum tertio mense confecit. *Id. Cal.* 41. Proxime collusori demandata vice sua. *Id. Cæs.* 83. Demandare testamentum Virgini Vestali. *Id. Tib.* 6. Lacedæmoniis publice demandatus.

II.) Improprie de locis. *Sueton. Cal.* 9. Ablegare aliquem ob seditionis periculum et in aliquam civitatem demandare. Cf. *eumd. Oth.* 3. et *Ner.* 35. *Justin.* 2. 12. Conjuges liberosque, cum pretiosissimis rebus, abditis insulis demandant. *h.* e. recondunt.

DĒMĀNO, as, are, a. 1. (de *et* mano). Part. *Demanans* et *Demanaturus*. — Demano est deorsum mano. *Catull.* 51. 9. Lingua sed torpet, tenuis sub artus Flamma demanat. *Gell.* 17. 11. Potum defluere ad pulmonem, eoque humectato demanare per eum et confluere in vesicam. *Alii leg.* dimanare. *Capell.* 5. *p.* 150. Finitiva superest quæstio de scripti ambiguitate demanans. *Porc. Latro in Catil.* 29. Quantam vim libidinis atque impudicitiæ per omnium civium cubicula esse creditis demanaturam?

DĒMARCHĬA, æ, f. 1. δημαρχία, dignitas et officium demarchi. *Inscript.* inferioris notæ apud *Gruter.* 439. 6., quæ est apud *Orell.* 3801. SINNATII CONCESSIANI DEMARCHIA. *Alia* apud *Murat.* 1989. 4., quæ est apud *Orell.* 3800. HERCVLI INVICTO P. VERG. RESTITVS (*h. e.* Vergilius Restitutus) OB INSIGNEM NVMINIS (*heic profecto vox aliqua deest*) HONORE DEMARCHIAE PERFVNCTVS AEDICVLAM ST. (*h.* e. statuit). — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

DĒMARCHĪSO *vel* demarchizo, as, are, n. 1. δημαρχίζω, demarchiæ dignitate atque officio fungor. Occurrit tantum Part. *Demarchisans* in *Inscript.* apud *Mommsen. Inscript. Neapol.* 2454. c. HERBACIO MAEC. ROMANO DEMARCHISANTI II. VIR. ALIMENTORVM QVAEST. etc. *Orellius Inscript.* 3720. aliter omnino legit: sed cum *Mommsenio* consentiunt *Borghesi* in epistola ad cl. *Furlanetto* d. d. 7 Decembr. 1837., *Augustin. Gervasio, Sopra un'iscrizione sepolcrale osservazioni*, *Napoli* 1837. *p.* 28., et *Henzen Inscript. p.* 106. Contra *Martorelli Thec. calam. p.* XXIX. legit: Herbacio Mæc. Romano Demarcho Neapoli.

DĒMARCHUS, i, m. 2. δήμαρχος, quasi princeps populi, idem fere ac demiurgus: a δῆμος *populus*, et ἄρχων *princeps*: est apud Græcos, qui apud Romanos tribunus plebis, aut huic valde similis. *Plaut. Curc.* 2. 3. 6. Nec agoranomus, nec demarchus, nec comarchus. *Spartian. Hadrian.* 19. Per Latina oppida dictator et ædilis et duumvir fuit; apud Neapolim demarchus. *V.* et voc. præced.

DĒMĀTRĪCĀTUS, a, um, particip. ab inus. *dematrico*, *h. e.* sanguinem e matricali vena emitto. *Veget.* 4. *Veterin.* 7. 3. Admissarii si cohibeantur a venere, nisi dematricati fuerint, cæcari sæpe dicuntur.

DĒMĀTŪRO, as, āvi, are, a. 1. (de *et* maturo) maturo, mature perficio. *Novell. Majorian. tit.* 3. Ut adhibito consilio sibi eligant defensorem, factumque dematurent, ut sub hac solemnitate desideria urbium singularum ad nostram mansuetudinem dirigant.

DĒMEĀCŬLUM, i, n. 2. descensus in loca subterranea. *Apul.* 6. *Met. sub init.* Proserpinæ nuptiarum demeacula.

DĒMEJO χέζουρῶ *Gloss. Lat. Gr.*

DEMEMINI, pro recordor, quidam legunt apud *Martial.* 2. 59. Ipse jubet mortis dememinisse Deus. *Al. leg.* te meminisse. *Alii* dememinisse *interpretantur oblivisci.*

DĒMENS, entis, adject. (de *et* mens). Comp. *Dementior* I.; Sup. *Dementissimus* II. — Demens est amens, insanus (It. *pazzo, stolto, fuor di senno, demente*; Fr. *hors de sens, insensé, fou, furieux*; Hisp.

insensato, insano, fatuo, loco; Germ. *der von der Besinnung entfernt ist, unsinnig, wahnsinnig, toll, bethört, thöricht*; Angl. *out of one's mind, mad, raving, foolish*).

I.) Proprie de hominibus. *Ter. Heaut.* 2. 3. 16. Patria careo demens. *Cic.* 2. *Divinat.* 55. 114. Qua perturbatione animi, quæ, sanus quum esset, timebat ne evenirent, ea demens eventura esse dicebat. *Id.* 1. *ibid.* 34. 94. Summos viros desipere, delirare, dementes esse dicebas. *Id. Pis.* 20. 47. Ego te vecordem, furiosum, mente captum, tragico illo Oreste dementiorem esse putem. *Id.* 1. *Off.* 24. 83. In tranquillo tempestatem adversam optare dementis est. *Id.* 2. *Phil.* 8. 19. Quid est enim dementius, quam, quum reipublicæ perniciosa arma ipse ceperis, objicere alteri salutaria? *Horat.* 1. *Sat.* 6. 97. demens Judicio vulgi, sanus fortasse tuo. Adde *eumd. ibid.* 10. 74.; *Virg.* 2. *Æn.* 94.; *Quintil.* 9. 2. 94.; et *Juvenal.* 15. 1.

II.) Improprie de abstractis et inanimis. *Cic. Harusp. resp.* 26. 55. Plenus inconsideratissimæ ac dementissimæ temeritatis. *Nepos Pausan.* 3. Demens ratio. *Propert.* 1. 13. 20. furor. *Id.* 3. 6. 15. dementia somnia. *Tibull.* 1. 10. 56. Flet sibi dementes tam valuisse manus. Adde *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 101. *Virg.* 6. *Æn.* 280. et *Val. Flacc.* 2. 201. Discordia demens. *Horat.* 3. *Od.* 19. 23. Demens strepitus. *Id.* 1. *ibid.* 37. 7. Dementes ruinæ. *Val. Flacc.* 6. 174. demens alieni cura pericli. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (85). id velle, pæne dementis otii est.

Homonym. Quidam putant *amentem* et *dementem* ita distingui, ut *amens* dicatur, qui omni prorsus ratione careat; *demens* vero sit, qui non est quidem mente integra, retinet tamen aliquid de communi vitæ ratione. Verum hoc discrimen nimis exquisitum videtur. *V.* AMENTIA et DEMENTIA init.

DĒMENSIO, ōnis, f. 3. demetiendi actio, ut Demensio quadrati, *Cic.* 1. *Tusc.* 24. 57.; ubi tamen plerique alii legunt *dimensio*. *Auson. epist.* 5. 11. Millia bis nongenta jubet demensio legum.

DĒMENSUS, a, um. *V.* DEMETIOR.

DĒMENTER, adverb. Sup. *Dementissime.* — Dementer est stulte, dementium more. *Cic.* 3. *Cat.* 9. 2. Tanta res tam dementer credita. *Ovid.* 4. *Met.* 259. Tabuit ex illo dementer amoribus usa. *Seneca* 4. *Benef.* 27. *extr.* Dementissime testabitur, qui tutorem filio reliquerit pupillorum spoliatorem.

DĒMENTĬA, æ, f. 1. (de et mens) amentia, insania (It. *pazzia, follia*; Fr. *démence, folie*; Hisp. *demencia, locura*; Germ. *die Geistesabwesenheit, der Wahnsinn, die Raserei*; Angl. *madness, folly, foolishness*). Occurrit a) Generatim. — In singulari numero. *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 10. Animi affectionem lumine mentis carentem nominaverunt amentiam eamdemque dementiam. *Ter. Adelph.* 4. 7. 40. Hanccine vitam? hoscine mores? hanc dementiam? *Lucret.* 1. 705. Æqua videtur enim dementia dicere utrumque. *Cic.* 1. *Cat.* 10. 22. Homines dementia aliqua depravati. *Cæs.* 4. *B. G.* 13. Exspectare dum hostium copiæ augerentur, summæ dementiæ esse judicabat. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 40. *Auct. B. Afr.* 8. Tanta hominis esse dementia, ut mallent regis esse vectigales. *Sall. Jug.* 3. Neque aliud se fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. *Id. Cat.* 61. In fuga salutem sperare, ea vero dementia est. *Id. ibid.* 43. Inconsulte ac veluti per dementiam cuncta simul agere. *Quintil.* 7. 4. 30. Dementiam rationi obstare. Adde *Nepot. Pelop.* 3.; *Tibull.* 1. 2. 11.; *Virg.* 4. *G.* 488. et 9. *Æn.* 601.; *Horat. Epod.* 17. 45.; *Ovid.* 13. *Met.* 225.; *Justin.* 2. 7. 9.; *Quintil.* 7. 4. 10.; *Sueton. Aug.* 19.; et *Juvenal.* 10. 233. — In plurali numero. *Cic.* 9. *Att.* 9. 1. Sed ejus dementias cave contemnas. — b) Specialiter dicitur de iis, qui rem seu publicam, seu familiarem male administrant ac perdunt. *Cic.* 7. *Verr.* 17. 42. Esse culpas istius maximas avaritiæ, majestatis, dementiæ, libidinis, crudelitatis. *Plerisque tamen suspectum est vocabulum* dementiæ. *Quintil.* 7. 3. 2. Actiones dementiæ. h. e. in quibus curatur petitur male agenti rem suam.

DĒMENTĬO, tis, tire, n. 4. (de et mens) de mente exeo, deliro, insanio. *Lucret.* 3. 464. morbis in corporis avius errat Sæpe animus: dementit enim, deliraque fatur. *Lactant.* 4. 27. *circa med.* Instinctu dæmonis perditus dementit, effertur, insanit. *Apul. de Mag.* Confessa est, se magia in amorem inductam dementire. *Al. leg.* dementare.

DĒMENTĬOR, iris, iri, dep. 4. valde mentior. Tribuunt quidam *Apulejo de Mag.*; sed alii legunt *dementire*.

DĒMENTO, as, are, n. 1. idem quod dementio. *Lactant. Mort. persecut.* 7. *ad fin. de Dioclet.* Ita semper dementabat. Nicomediam studens urbi Romæ coæquare. *V.* DEMENTIO.

DĒMĔO, as, are, n. 1. Part. *Demeans.* — Demeo est deorsum meo, descendo. *Apul.* 6. *Met.* Ad Tartarum Manesque demeare. *Id.* 10. *ibid.* Corpus candidum, quod cælo demeat. *Capell.* 2. *p.* 38. Sphæræ ad solarem circulum demeantes.

DĒMĔRĔO, res, rŭi, ritum, rere, dep. 2. (de et mereo). Est et alia forma *demereor*, quam *V.* sub 2. *b.* — Part. *Demeritus* 1.; *Demerendus* 2. *a.* — Demereo ¶ 1. Cum Accusativo rei est mereo, lucror (It. *guadagnare, meritare*; Fr. *gagner, mériter*; Hisp. *ganar, merecer, meritar*; Germ. *verdienen*; Angl. *to earn, merit, deserve*). *Plaut. Pseud.* 1. 7. 90. Quid mercedis petasus hodie domino demeret? *Id. ibid.* 2. 4. 11. Demeritas dare lætitias. *Gell.* 1. 8. Lais Corinthia ob elegantiam venustatemque formæ grandem pecuniam demerebat. ¶ 2. Cum Accusativo personæ est suo sibi merito aliquem devincire, beneficiis aliquem sibi conciliare, gratiam alicujus inire. — a) Activa forma. *Liv.* 3. 18. Demerendi beneficio tam potentem civitatem, nunquam parem occasionem daturos deos. *Ovid.* 2. *Art. am.* 252. Nec tibi sit servos demeruisse pudor. *Sueton. Aug.* 8. Avunculum in Hispanias adversus Cn. Pompeji liberos subsecutus magnopere demeruit. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 8. Matrona amœnitate aliqua demerenda erit, quo patientius moretur cum viro. *Al. leg.* delectanda. *Plin.* 4. *Ep.* 2. 4. In Regulo demerendo, Regulum imitantur. *Albinov. ad Liv.* 131. Numina cultu demeruisse. — b) Depon. forma. *Quintil.* 9. 2. 29. Hoc eum (*h. e.* Cicero Tuberonem pro Ligar.) demeretur, cujus mala fuerat (*causa*). *Id.* 1. *procem.* 3. Et pleniore obsequio demererer amantissimos mei. *Sueton. Oth.* 4. Aureos excubanti cohorti viritim dividebat; nec eo minus alium alia via militum demerebatur. Adde *eumd. Vitell.* 2., *Claud.* 10. et *Vesp.* 2. *Tac.* 15. *Ann.* 21. Plura sæpe peccantur, dum demeremur, quam dum offendimus.

DĒMĔRĔOR, rēris. *V.* voc. præced.

DĒMERGO, gis, si, sum, gere, a. 3. (de et mergo). Part. *Demergens* 1.; *Demersus* in omnibus paragr. — Demergo est deorsum mergo, in profundum mergo (It. *affondare, sommergere*; Fr. *plonger, enfoncer*; Hisp. *somorgujar, sumergujar, sumergir, hundir, echar á lo hondo*; Germ. *von oben in die Tiefe senken, herabsenken, versenken*; Angl. *to plunge in the water, sink*).

I.) Proprie. — a) Generatim. *Lucret.* 6. 147. Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim Stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem. *Id.* 4. 442. Quæ (*remorum*) demersa liquore obeunt, refracta videntur. *Cic.* 1. *Divinat.* 8. 14. Fuscaque nonnunquam cursans per littora cornix Demersit caput et fluctum cervice recepit. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 474. 26. *Merc.* Siquando enim nos demersimus, ut qui urinantur, aut nihil superum, aut obscure admodum cernimus. *Id.* 2. *Divinat.* 68. 140. Equus una mecum demersus. *Virg.* 9. *Æn.* 119. Delphinumque modo demersis æquore rostris Ima petunt (*naves*). *Ovid.* 14. *Met.* 615. In Tusci demersus fluminis undis. *Lucan.* 3. 40. Titan jam pronus in undas Ibat, et igniferi tantum demerserat orbis etc. *Seneca Thyest.* 1060. Artus in frusta carpere, et ferventibus ahenis demergere. *Pers.* 3. 31. Demersus alto. *Aurel. Vict. Epit.* 40. Demersus in profundum. *Sueton. Tib.* 2. Demergere pullos mari. Adde *Liv. Epit.* 19. *Sueton. Ner.* 25. aliquem cloacis. Adde *eumd. Claud.* 17. *Dig.* 41. 1. 13. *pr.* lapides in Tiberim. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 17. (15). Demergens equos innatantes. Et figurate *Sil. It.* 1. 62. Demergere fœdera Siculo pontu. *Lactant.* 7. 6. Animas into cœnove demergere. — b) Specialiter de navibus, quæ in profundo mari pereunt. *Auct. B. Alex.* 25. Quum Euphranor primus prœlium commisisset, et illi triremem hostium perforasset ac demersisset, etc. *Id.* 31. Constat fugisse ex castris regem ipsum, receptumque in navem, et multitudine eorum, qui ad proximas naves adnatabant, demerso navigio periisse. Adde *eumd.* 64.; *Liv.* 36. 45.; *Curt.* 4. 4. 9., 4. 3. 12. et 10. 1. 12.; et *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 6. (15).; et *V. Mützell.* ad *Curt.* 4. 4. 9.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro demittere, sepelire; præcipue apud Poetas. — a) Generatim. *Liv.* 1. 59. Demergere plebem in fossas exhauriendas. *Ovid.* 15. *Met.* 105. dapes avidam demersit in alvum. *Id.* 6. *ibid.* 664. Cibus demersus pectore. *Plin.* 33. *Hist. nat. præfat.* 1. (3). Terra metalla occultavit atque demersit. *Stat.* 6. *Theb.* 850. Collaque demersere humeris. *h. e.* contracto collo elatisque humeris, caput quodammodo abscondere. *Colum.* 2. *R. R.* 18. 1. Jumenta udo demergunt ungulas. *h. e.* infigunt. — b) Specialiter de arboribus. *Colum.* 3. *R. R.* 18. 2. Prætorto capite et recurvato stirpem demergere. *h. e.* pangere. *Pallad.* 3. *R. R.* 17. 8. Ramum, terræ capite utroque demerso, curvari. *Id. ibid.* § 3. Truncum in medio findere et ibi surculos in modum cunei demergere. *h. e.* ut fiat insitio. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a propria verbi significatione: ad rem *Cic.* 2. *Off.* 7. 24. Quamvis enim demersæ sint leges alicujus opibus, emergunt tamen aliquando. — a) Generatim. *Cic. Sull.* 31. 87. Patriam demersam extuli. *Cf. Nepot. Dion.* 6. Fortuna, quem paullo ante extulerat, demergere est adorta. *Horat.* 3. *Od.* 16. 13. concidit auguris Argivi domus, ob lucrum Demersa excidio. *Cic. Senect.* 21. 77. Est enim animus ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram. — Huc referri potest et illud *Justin.* 43. 2. 2. Amulius Rheam in perpetuam virginitatem demersit. *h. e.* conclusit, custodiæ tradidit, perpetuo virginem esse coegit. — b) Specialiter de ære alieno, quo quis pressus est. *Liv.* 2. 29. Totam plebem ære alieno demersam esse. *Id.* 6. 27. Nolint conspici summam æris alieni, quæ indicatura sit demersam partem a parte civitatis.

DĒMĔRĬTUS, a, um. *V.* DEMEREO.

DĒMERSIO, ōnis, f. 3. demergendi actus.

I.) Proprie. *Solin.* 13. Demersio urbium.

II.) Translate. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 12. *sub fin.* Nec temporali demersione beneficium perpetuitatis eximitur.

DĒMERSO, as, are, a. 1. *frequentat. a* demergo, pro quo promiscue usurpatur. *Capell.* 8. *p.* 285. Ubi solis lumen hæc (*signa*) intravit, quæ cito orta tardius demersantur, diebus exiguis noctes efficit grandiores.

DĒMERSUS, a, um. *V.* DEMERGO.

DĒMERSUS, us, m. 4. idem quod demersio. *Apul. de Mag.* Levia sustentatui, gravia demersui.

DĒMESSUS, a, um. *V.* DEMETO.

DEMETATUS *V.* DIMETO, et voc. seq.

DĒMĒTĬOR, mētīris, mensus sum, mētīri, dep. 4. (de et metior). Part. *Demetitus* pro *demensus* significatione activa quidam tribuunt *Ciceroni* 2. *Nat. D.* 62. 155. illis verbis: Eorum enim cursus demetiti, maturitates temporum et varietates mutationesque cognovimus. *Ubi quidam libri habent* dimetati, *quod et* Orell. *retinuit*; *alii* dimetiti, et *ibid.* 43. 110. Atque ita demetita signa sunt, ut in tantis descriptionibus divina sollertia appareat. *Alii leg.* demetata, *Orell.* dimetata. *Demetitus* tamen legitur apud *Auct. gromat. p.* 322. *Goes.* Alius cubitus est, qui et major dicitur, quo arca Noe demetita esse dinoscitur, qui brachio extenso toto cubito capite prælato se esse demonstrat. — Part. *Demensus.* — Demetior est metior, rem totam, quanta est, maxima cura exactaque mensura definio. *Cic. Orat.* 12. 38. Ut verba verbis, quasi demensa et paria, respondeant. *Quintil.* 5. 10. 121. Nisi inspectis demensisque singulis (*nervis*). *Al. leg.* dimensis. Ceterum *V.* DIMETIOR. — Hinc

Demensum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est id quod demensum fuit, pauris definita cibaria. *Ter. Phorm.* 1. 1. 9. Quod ille unciatim vix de demenso suo, suum defrudans genium, comparsit miser. Ubi *Donatus*: Servi, inquit, quaternos modios accipiebant frumenti in mensem; et id *demensum* dicebatur. *Seneca*, cui magis credo, *Ep.* 80. quinque modios iis tribuit et quinque denarios. *Inscript.* apud *Orell.* 2849. servos svoa pvblicos — demenso adsignato etc. — Hinc jocu lariter *Plaut. Men. prol.* 14. Nunc argumentum vobis demensum dabo, non modio, neque trimodio, verum ipso horreo. *h. e.* non parce aut restricte, sed copiose et abundanter argumentum fabulæ vobis narrabo. *V. Dimensum*, i, in fin. v. DIMETIOR.

DĒMĒTĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

DĒMĔTO, mĕtis, messŭi, messum, mĕtere, a. 3. (de et meto). Part. *Demessus* 1. et 2.; *Demetendus*

1. — Demeto est idem fere quod meto (It. *mietere*; Fr. *moissonner*; Hisp. *segar, recoger las mieses*; Germ. *abmähen*; Angl. *to mow, reap*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu de frumentis. *Cassius Hemina* apud *Priscian.* 10. *p.* 903. *Putsch.* In campo Tiburti, ubi hordeum demessuerunt. *Cæs.* 4. *B. G.* 32. Demesso frumento. Adde *Liv.* 34. 26. *Tac.* 14. *Ann.* 21. Demessæ segetes. *Cic.* 3. *de republ.* 9. Demetere agros. *Catull.* 64. 353. flaventia demetit arva. *Cic. Senect.* 19. 70. Tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 27. 60. (131). et 17. *ibid.* 26. 40. (249). Demetere uvas. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro decerpere, cædere, abscindere; præcipue apud Poetas. *Virg.* 11. *Æn.* 68. Flos demessus pollice virgineo. Sic *Colum.* 10. *R. R.* 304. Demetere flores. *Id.* 9. *ibid.* 15. 12. et 11. *ibid.* 2. 50. et 57. Demetere favos. *h. e.* ab alveis eximere. *V.* FAVUS. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 46. Demetere testes caudamque alicui. Sic *Arnob.* 5. 11. Qui sibi demessuerint has partes. *nempe* genitalia. *Ovid.* 5. *Met.* 104. Demetit ense caput. *Val. Flacc.* 3. 157. hinc rigido transcurrens demetit ense Prothin. *Sil. It.* 5. 236. Demetere dextram. *Id.* 4. 213. colla. *Id.* 16. 101. Tantum acies hominumque ferox discordia ferro Demetit. *h. e.* tot cædes facit.

DĒMĬGRĀTĬO, ōnis, f. 3. demigrandi actus. *Nepos Miltiad.* 1. Cum multi ejus demigrationis peterent societatem.

DĒMĬGRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (de *et* migro). Part. *Demigrans* et *Demigraturus* I. — Demigrare est de uno loco in alium domicilium transferre (It. *andare ad abitare altrove, emigrare*; Fr. *changer de séjour, émigrer*; Hisp. *mudar morada ó habitacion*; Germ. *aus –, ab –, fortziehen, – wandern*; Angl. *to remove, change one's place of residence, migrate, emigrate*).

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 1. 1. 85. Animam amittunt, priusquam loco demigrent. *h. e.* discedant. *Liv.* 38. 23. Omnis generis ætatisque turbam secum traxerant, demigrantium magis, quam in bellum euntium modo. *Cæs.* 4. *B. G.* 19. Demigrare de oppidis. *Nepos Miltiad.* 2. ex insula. *Liv.* 2. 10., 41. 18. et 38. 18. ex agris. Cf. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 4. ecce canoro Demigrant Helicone deæ. *Cic. Dom.* 37. 100. Demigrandum potius aliquo est, quam habitandum in ea urbe, etc. *Id.* 2. *leg. Agr.* 16. 42. Demigraturi in illa loca homines. *Nepos Miltiad.* 3. Athenas. *Liv.* 41. 6. Pydnam. *Cic.* 1. *Cat.* 8. 19. Ad virum optimum, M. Marcellum demigrasti. *Sueton. Tib.* 35. Demigrare in hortos. Adde *Nepot. Alcib.* 4. et *Themist.* 8.; et *Cæs.* 5. *B. G.* 43.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro confugere. *Trebell. Poll. Claud.* 12. Demigrare ad deos atque ad sidera. ¶ 2. Item pro mori. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 74. Vetat enim dominans ille in nobis Deus, injussu hinc nos suo demigrare. *h. e.* a vita discedere. *Id. Rabir. perduell.* 10. 30. Fortissimorum civium mentes, quæ mihi videntur ex hominum vita ad deorum religionem et sanctimoniam demigrasse. Eodem sensu *Id.* 2. *Parad.* 18. Demigrare ab improbis. ¶ 3. Denique metaphorá ductá a propria verbi significatione. *Cic.* 4. *Att.* 16. 10. Multa mihi dant solatia, nec tamen ego de meo statu demigro. *Id. Vatin.* 16. 39. strumæ ab ore improbo demigrarunt et aliis jam se locis collocarunt.

DĒMINGO, ἐξουρῶ. *Gloss. Lat. Gr.*

DEMINISTRO, as, are, a. 1. ex aliqua re ministro. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 41.

DĒMĬNŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. deminutio, jactura. *Vulgat. interpr. Eccli.* 22. 3. Confusio patris est de filio indisciplinato: filia autem in deminoratione fiet. *h. e.* minimi habebitur, exitio erit familiæ.

DĒMĬNŌRO, as, are, a. 1. deminuo, imminuo. *Tertull. de anim.* 33. Hic illic deminoratur. *h. e.* famá.

DĒMĬNŬO, minŭis, minŭi, minūtum, minŭere, a. 3. (de *et* minuo). Quod ad scriptionem attinet, *deminuere* a *diminuere* distinguendum putavimus: namque *deminuere* propter vim præposit. *de* significat rem aliquam minorem facere aliquid ex ea detrahendo; contra *diminuere* est rem aliquam in minutas partes dividere, cædere, ut particula *dis* postulat. *V.* DIMINUO loco suo. — Part. *Deminutus* in omnibus paragr. et in fin.; *Deminuturus* II. 1.; *Deminuendus* I. — Deminuo, ut diximus, est rem aliquam minorem facio aliquid ex ea detrahendo (It. *diminuire, sminuire*; Fr. *diminuer, amoindrir*; Hisp. *disminuir, reducir à ménos*; Germ. *durch Abnehmen eine Sache vermindern, verkleinern*; Angl. *to diminish, lessen, extenuate*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Truc.* 2. 7. 10. De mina una deminui modo quinque nummos. *Lucret.* 5. 321. Quodcumque alias ex se res auget, deminui debet. *Id.* 5. 267. Partim quod validi verrentes æquora venti Deminuunt. *h. e.* humorem inde absorbendo. Adde *eumd. ibid.* v. 390. *Cæs.* 7. *B. G.* 31. Curat, ut simul deminutæ copiæ redintegrarentur. Sic *deminuere hostes* apud *Varron.* 4. *L. L.* 16. *edit. vet.* est carpere, obterere, eorum numerum vicesque minuere. Rursus *Cæs.* 3. *B. C.* 2. Atque eæ copiæ ipsæ hoc infrequentiores imponuntur, quod multi Gallicis tot bellis defecerant, longumque iter ex Hispania magnum numerum deminuerat. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 67.; et *Tac.* 12. *Ann.* 64. *Sueton. Domit.* 12. Deminuere numerum militum. Adde *Liv.* 21. 17. et 39. 19. *Cic.* 5. *Verr.* 55. 127. Deminuta vectigalia. *Sueton. Aug.* 41. Fenore deminuto. *Tac.* 13. *Ann.* 58. Ruminalem arborem – mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam prodigii loco habitum est, donec in novos fetus revivesceret. *Cic.* 3. *Orat.* 19. 189. Ne quid de hoc tam exiguo tempore verbo uno meo deminueretur. — *b*) Speciatim, quum de fundis agitur, est alienare. *In edicto Prætor.* apud *Ulp. Dig.* 28. 8. 7. Si justa causa esse videbitur, bona interea deminui vetabo. *Ulp. ibid.* His verbis prætor non tantum alienationem impedit, verum etiam etc. Sic *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 3. Ne quid de bonis, quæ L. Octavii Nasonis fuissent, cui L. Flavius heres est, deminuerent. *Id. ibid.* 2. 14. Etiam atque etiam rogo, ut et procuratoribus Flavii remittas de deminuendo. *Id. Sull.* 20. 56. Ut quæ causa ceteros ad facinus impulit, cupiditas retinendæ possessionis, ea Sittio non fuerit, prædiis deminutis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim de abstractis: ad rem *Cæs.* 1. *B. C.* 52. Militum vires inopia frumenti deminuerat. *Cic. Brut.* 1. 1. Deminuere dignitatem. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Deminuta potentia. *Sueton. Cæs.* 5. Deminuere potestatem. *Id. ibid.* 11. auctoritatem. *Tac.* 16. *Ann.* 28. lenitatem. *Cic. Sull.* 1. 2. Tantum de hujus præsidiis deminuturum. *Id. Planc.* 38. 91. Aliquid de libertate deminutum putat. *Liv.* 2. 1. Deminuere aliquid ex regia potestate. *Cæs.* 1. *B. G.* 33. Neque ejus calamitate de tanta voluptate quidquam fortuna deminuerat. *Id.* 7. *ibid.* 33. Ne quid de jure aut legibus eorum deminuisse videretur. Adde *Liv.* 8. 34. *Id. Liv.* 4. 31. Jus deminutum. *Cic. Cæcin.* 2. 5. Pars aliqua juris deminuta. *Propert.* 2. 13. 79. Deminuere curam. *In vet. resp. Harusp.* apud *Cic. Harusp. resp.* 19. 40. Ne patres auxilio deminuti deficiantur. *Alii aliter leg.* ¶ 2. Speciatim *capite se deminuere* vel *deminui*, et *capite deminutus*, ut apud *Cic. Topic.* 4. 18., quis dicatur, *V.* CAPUT. ¶ 3. Item speciatim apud Rhetores qua significatione quis dicatur *aliquid deminuere oratione*, *V.* DEMINUTIO II. 2. ¶ 4. In re grammatica *deminuere verbum aliquod* est eam illi formam tribuere, quæ deminutionem significat. *Donatus* p. 21. *Lind.* Quemadmodum comparantur, ita et deminuuntur adverbia, ut *primum primule*, *longe longule*. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Deminutus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Deminutior* 1.: sed translate tantum occurrit. ¶ 1. Generatim. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 9. Transire in aliquam deminutiorem qualitatem. ¶ 2. Speciatim in re grammatica *deminutus* est idem ac *deminutivus* apud *Quintil.* 1. 5. 46. Pro nomine integro deminutum.

DĒMĬNŪTĬO, ōnis, f. 3. De ratione scribendi *V.* DEMINUO init. — Deminutio est actus deminuendi, quo scilicet rem aliquam, detrahendo, minorem facimus (It. *diminuzione*; Fr. *diminution, amoindrissement*; Hisp. *diminucion, apocamiento*; Germ. *die Verminderung, Abnahme*; Angl. *a diminishing*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 68. Accretione et deminutione luminis luna quasi fastorum notis signans dies. *Ita leg.* Orellius: *at* Forcellinus *legebat* fastorum notans dies. *Id.* 1. *leg. Agr.* 7. 21. Deminutio vectigalium. *Id. Harusp. resp.* 19. 40. Deminutio exercitus. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 4. De imperio tanta deminutio facta est. *h. e.* clarissimorum virorum morte. — *b*) Speciatim, quum de bonis agitur, est alienatio. *Liv.* 39. 19. Utique Feceniæ Hispalæ datio, deminutio, gentis enuptio esset. *Ulp. Dig.* 37. 8. 1. *ad fin.* Deminutio ad hos sumptus fieri debet ex pecunia: si ea non fuerit, ex his rebus, quæ etc. *Cic.* 2. *Off.* 21. 73. Ne de bonis privatorum publice deminutio fiat. *h. e.* huic adimendo, alteri assignando. Cf. *eumd. Prov. cons.* 15. 38. Multare imperatorem deminutione provinciæ. *h. e.* detractione, ablatione.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 7. 16. Quo animo libertatis vestræ deminutionem ferre possitis. *Messala* apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 38. (137). Honor aut deminutio familiæ. *h. e.* ignominia. *Tac.* 1. *Ann.* 14. Muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens. *h. e.* famæ suæ. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 1. 2. (5). *de oleo.* Prima unda prœli laudatissima: ac deinde per deminutiones. *Sueton. Aug.* 99. *extr.* Id magis præsagium, quam mentis deminutio fuit. *h. e.* alienatio. ¶ 2. Speciatim *deminutio capitis* apud *Cajum* 1. *Instit.* 159., *Dig.* 4. 5. 1. et seqq., et *Cæs.* 2. *B. C.* 32., quid sit, *V.* in CAPUT. ¶ 3. Item speciatim est genus rhetoricæ exornationis. *Cic.* 4. *Herenn.* 38. 50. Deminutio est, quum aliquid esse in nobis, aut in iis, quos defendimus, aut natura, aut industria dicemus egregium; quod ne qua significetur arrogans ostentatio, deminuitur et attenuatur oratione hoc modo: Nam hoc pro meo jure, judices, dico, me labore et industria curasse, ut disciplinam militarem non in postremis tenerem. Et: Huic quidem pater (nolo nimium dicere) non tenuissimum patrimonium reliquit. Sic *Propert.* 1. 12. 16. Nonnihil aspersis gaudet Amor lacrimis. *h. e.* plurimum. Et *Liv.* 30. 45. Polybius haudquaquam spernendus auctor. *h. e.* magni faciendus. λιτότης Græce est, et μείωσις. *V.* LITOTES. ¶ 4. Denique in re grammatica *deminutio* est peculiaris illa vocabulorum forma, qua eorumdem significationem attenuamus. *Quintil.* 1. 6. 6.; et *Charis.* p. 73. *Putsch. Capell.* 3. p. 79. Hanc rationem declinandi manifestam deminutio facit. Adde *Acronis loc. cit.* in SALSICIA; et *Hygin. fab.* 30. apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 12.

DĒMĬNŪTĪVĒ, adverb. deminutiva forma et significatione; et speciatim tantum ac translate occurrit in re grammatica. *Macrob.* 5. *Saturn.* 21. Cymbia deminutive a cymba dicta. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 2. *Verr.* 2. 6. *p.* 128. *Bait.* D i e s feminino genere tempus, et ideo deminutive d i e c u l a dicitur breve tempus et mora. *Paul. Diac.* p. 101. 6. *Müll.* H i r a, quæ deminutive dicitur h i l l a. Adde *Acronis loc. cit.* in SALSICIA.

DĒMĬNŪTĪVUS, a, um, adject. deminutionem significans; et speciatim tantum ac translate occurrit in re grammatica. *Tertull. Apolog.* 32. Deminutiva vox. *Donatus p.* 1744. *Putsch.* Nomen deminutivum. *Priscian.* 8. p. 827. *Putsch.* Sunt alia verba in *lo* desinentia, quæ deminutiva esse planæ significationis ipse sensus ostendit, ut a *sorbeo sorbillo*, *garrio garrulo*, *calvo cavillo* pro *calvillo*. — Hinc

Deminutivum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est nomen deminutivum. *Priscian.* 2. p. 610. *Putsch.* Deminutivum est, quod deminutionem primitivi sui demonstrat, ut *rex regulus*, id est parvus rex. *Id. paullo post.* Sæpe inveniuntur deminutivorum deminutiva in diversas desinentia formas, ut *homo homuncio, homunculus, homullus, homullulus*.

DĒMĪRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒMĪROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (de et miror). Part. *Demiratus* et *Demirandus* I. — Demiror, quod prima fere persona usurpatur et in familiari quidem sermone, est valde miror (It. *stupirsi, meravigliarsi assai*; Fr. *s'étonner, être surpris, admirer*; Hisp. *espantarse, admirar*; Germ. *sich über etwas verwundern, es nimmt Jemand Wunder, sich sehr über etwas wundern*; Angl. *to admire, wonder at greatly, think strange*).

I.) Proprie. *Plaut. Merc.* 4. 2. 7. Eum demiror non venire. Adde *eumd. Cas.* 2. 3. 3. *Cic.* 15. *Att.* 1. 4. Istam auditum a te esse omnino demiror. Adde *eumd.* 7. *Fam.* 27. *Id.* 2. *leg. Agr.* 36. 100. Hæc vos sperasse, me consule, assequi posse demiror. *Id.* 14. *Att.* 14. Etsi addis Lamiam: quod demiror equidem. Adde *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 32. (59). *Gell.* 3. 7. Demiror! audaciam alicujus. *Id.* 2. 18. responsum. *Id.* 1. 17. Has ejus intemperies in maritum Al-

biades demiratus, interrogavit Socratem etc. Adde eumd. 20. 10. *Id.* 16. 18. Ὄρτυγα facit multa demiranda.

II.) Translate significat admirationem cum ignoratione conjunctam, quia, ut ait *Donatus* ad *Ter. Phorm.* 2. 1. 4., admirationem ignorantia facit: hinc apud Comicos *demiror* est idem ac *scire cupio, scire vellem*, atque ideo cum Relativis jungitur. *Plaut. Asin.* 1. 1. 69. Demiror quid sit. *Id. Men.* 5. 1. 6. Demiror ubi nunc ambulet. *Id. Amph.* 2. 2. 133. Nimis demiror, qui illæc, me donatum esse patera, sciat. Adde *eumd. Stich.* 1. 3. 109. *Ter. Phorm.* 2. 1. 4. Quid mihi dicent? aut quam causam reperiam? demiror. Adde *eumd. Heaut.* 2. 3. 121.

DĒMISSĒ, adverb. Comp. *Demissius* I.; Sup. *Demississime* II. — Demisse est humiliter.

I.) Proprie. *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 23. hic alte, demissius ille volabat.

II.) Translate. *Cic.* 5. *Tusc.* 9. 24. Non est ausus elate et ample loqui, quum humiliter demisseque sentiret. *Id. Dom.* 35. 93. Demisse respondere alicui. *Id. Flacc.* 10. 21. Suppliciter demisseque respondere. Sic *Brutus* apud *Cic. inter ep.* 1. ad *Brut.* 16. Suppliciter ac demisse gratias agere. Rursus *Cic.* 2. *Att.* 18. 3. Demisse se tueri. Adde *Val. Max.* 9. 13. 2. *Cæs.* 1. *B. C.* 84. Hæc quam potest demississime atque subjectissime exponit.

DĒMISSICIUS *vel* demissitius, a, um, adject. longus, demissus: et occurrit de vestibus. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 24. Sane genus hoc mulierosum est, tunicis demissiciis. *h. e.* longis, demissis ad talos. *V. Heind.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 2. 26.

DĒMISSĬO, ōnis, f. 3. demittendi actus.

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Quantum storearum demissio patiebatur, tantum elevabant. *Macrob.* 1. *Saturn.* 22. Barbæ prolixa demissio. — *b*) In plurali numero. *Vitruv.* 5. 10. *extr. Schneid.* Clipeum æneum catenis pendeat, per cujus reductiones et demissiones perficietur sudationis temperatura.

II.) Translate. ¶ 1. In re medica est idem ac remissio. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 4. Passio phreneticorum non semper accessionibus aucta, aut demissionibus minuta. ¶ 2. De animo est abjectio. *Cic.* 3. *Tusc.* 7. 14. Verisimile est, in quem cadat ægritudo, cadere in eumdem timorem, et infractionem animi et demissionem.

DĒMISSITĬUS, a, um. *V.* DEMISSICIUS.

DĒMISSUS, a, um. *V.* DEMITTO.

DĒMITIGO, as, are, a. 1. idem ac mitigo. *Cic.* 1. *Att.* 13. Nosmetipsi qui Lycurgei a principio fuissemus, quotidie demitigamur. *h. e.* remittimus aliquid de nostra severitate.

DĒMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (de *et* mitto). Part. *Demissus* in omnibus fere paragr. et in lin.; *Demissurus* I. 1. c.; *Demittendus* I. 1. e. — Demitto est deorsum mitto, dejicio, deprimo, declino (It. *mandar giù, calar giù, lasciare andar giù*; Fr. *laisser tomber, faire descendre, baisser, abattre*; Hisp. *dexar caer abaxo, hacer descender, baxar, abaxar*; Germ. *einen Gegenstand von oben nach einem andern Orte herabschicken, – lassen, – senken, – bringen*; Angl. *to send down, cast, thrust, or let down, hang down, let fall, lower*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim ac stricto sensu — *a*) Usurpatur de inanimis, quæ a superiore loco in inferiorem infiguntur, cujusmodi sunt arbores quum plantantur. *Cato R. R.* 45. Quum taleam demittes (*h. e.* in terram), pede taleam opprimito: si parum descendet, malleolo aut mateola adigito. Adde *eumd. ibid. paulo post.* Sic *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (81). Nobis adjiciendum videtur ex prædicta arborum natura, ut altius demittantur ea, quæ summa tellure gaudent, tamquam fraxinus, olea; hæc et similia quaternos pedes oportet demitti. — *b*) De inanimis, quæ naturali modo deorsum deponuntur, jaciuntur, impelluntur. *Ovid.* 8. *Met.* 835. Demittere cibum in alvum. Adde *Quintil.* 10. 1. 19. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 175. nummum in loculos. *Ovid.* 15. *Met.* 44. calculum in urnam. *Sueton. Ner.* 21. sorticulam. Adde *eumd. Galb.* 1. — *c*) Sæpius de iis, etiam animatis, quæ per vim deorsum jaciuntur, impelluntur. *Cæs.* 3. *B. G.* 49. et 7. *ibid.* 73. Demittere sublicas in terram. *Id.* 4. *ibid.* 17. Tigna demissa in flumen. *Horat.* 3. *Od.* 1. 33. Contracta pisces æquora sentiunt Jactis in altum molibus; huc frequens Cæmenta demittit redemptor Cum famulis. *Curt.* 5. 1. 31. Triginta pedes in terram turrium fundamenta demissa. *Cf. Virg.* 2. *G.* 230. alteque jubebis in solido puteum demitti. *h. e.* in profundum escavari. *Plaut. Merc.* 3. 4. 28. Demittere gladium in jugulum. *Ovid.* 4. *Met.* 119. et 12. *ibid.* 441., et *Tac.* 4. *Ann.* 50. ferrum in ilia. *Ovid. Heroid.* 11. 5. ferrum jugulo. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 76. (101). offam faucibus boum. *Colum.* 5. *R. R.* 11. 4. cuneum inter corticem et materiam. *Cato R. R.* 101. Fasciculos facito, eos in amurcam demittito, supra stet amurca facito. Sed ea, quæ demissurus eris, sumito paullo acerbiora. *Colum.* 12. *R. R.* 8. 1. Demittere herbas in lacte. *Scribon. Compos.* 132. et 146. Ferrum candens demissum in aqua. Et figurate *Horat. Art. P.* 180. Segnius irritant animos demissa per aures, Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 73. Quum equum demisisset in flumen. Sic *Liv.* 23. 47. Demittere equum e campo in viam cavam. *Horat.* 4. *Od.* 4. 9. mox in ovilia Demisit hostem (*aquilam*) vividus impetus. *Liv.* 23. 41. *extr.* et *Sall. Cat.* 55. aliquem in carcerem. *Cf. Virg.* 12. *Æn.* 884. aliquem ad imos Manes. — Præcipue de iis, quæ a cælo in terram mittuntur. *Lucret.* 6. 257. Ut picis e cælo demissum flumen, in undas Sic cadit, etc. *Id.* 2. 1153. Haud (ut opinor) enim mortalia sæcla superne Aurea de cælo demisit funis in arva. *Virg.* 1. *G.* 23. Dii, qui satis largum cælo demittitis imbrem. *Liv.* 5. 54. et *Sueton. Aug.* 94. Ancilia demissa. *Val. Flacc.* 2. 434. Hiems demissa Jovi. *h. e.* ab Jove. *Cf. Horat.* 3. *Od.* 17. 11. Demissa tempestas ab Euro. *Virg.* 1. *Æn.* 301. Maja genitum demittit ab alto. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 73. et 12. *ibid.* 635.; et *Ovid.* 7. *Met.* 219. — *d*) Item de corporis partibus et de vestibus, quæ deorsum pendere aut cadere ac descendere sinimus. *Quintil.* 2. 13. 9 Demissa brachia. *Val. Flacc.* 3. 41.; *Liv.* 9. 38.; et *Ovid.* 15. *Met.* 612. Demittere oculos. *Liv.* 2. 58. vultum. *Cf. Virg.* 1. *Æn.* 565. Dido demissa vultum. *Quintil.* 11. 3. 78. frontem. *Crassus* apud *Cic.* 2. *Orat.* 66. 267. In forum descendens, caput ad fornicem Fabii demittebat. *Ovid.* 10. *Met.* 192. Demittere caput. Et figurate *Virg.* 3. *Æn.* 320. Demissa voce loqui. Rursus *Ovid.* 6. *Met.* 289, et 6. *Fast.* 441. Demittere crinem. *Propert.* 2. 17. 34. Demissis comis plangere (*in funeribus*). *Ovid. Heroid.* 10. 137. Aspice demissos lugentis in ore capillos. *Lucret.* 5. 673. Demittere barbam. *V.* BARBA. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 95. vestem. *Id. ibid.* 2. 25. tunicam. *Id. ibid.* 2. 99. stolam. *Propert.* 4. 2. 38. Demissis tunicis. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 246. 19. *Merc.*; et *Quintil.* 11. 3. 143. et 5. 13. 39. *Cic. Cluent.* 40. 111. Purpura usque ad talos demissa. *Virg.* 4. *Æn.* 262. Læna demissa ex humeris. *Id.* 7. *ibid.* 278. pectoribus demissa monilia. — *e*) Hinc *demittere se*, vel passive *demitti* sed mediorum apud Græcos significatione, est se inclinare, se curvare, descendere. *Cels.* 1. 3. Demittere se in aquam calidam. *Cf. eumd.* 5. 27. n. 9. Sæpe homo demittendus in solium est. *Cic.* 4. *Verr.* 33. 74. Demittere se ad aurem alicujus. *Cf. Ovid.* 8. *Met.* 334. Concava vallis erat, qua se demittere rivi Assuerant pluvialis aquæ. *Cic.* 2. *Phil.* 18. 45. Demitti per tegulas. *h. e.* descendere. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 47. Nonnullæ de muris per manus demissæ. ¶ 2. Speciatim in re militari *demittere* est præsidia ex superiore in inferiorem locum deducere. *Liv.* 9. 27. Et primo circa saltus – cunctati sunt: deinde Samnites per aperta loca brevi circuitu in loca plana, Campanos campos, agmen demittunt. *Id.* 7. 31. Quoad totum in vallem infimam demitteret agmen. Adde *eumd.* 27. 18., 32. 33. et 38. 2. — Eodem sensu et *demittere se* occurrit. *Cæs.* 5. *B. G.* 32. Quum se major pars agminis in magnam convallem demisisset. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 40. et 1. *B. C.* 79.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate, præcipue apud Poetas. — *a*) Generatim. *Horat.* 2. *Od.* 13. 34. Demittere aures, cui opponitur arrigere: V. *Lübker* ad h. l. *Cf. Virg.* 3. *G.* 500. *de equo ægroto.* Demissæ aures. Rursus *Horat.* 1. *Sat.* 9. 20. Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus Quum gravius dorso subiit onus. *Virg.* 6. *Æn.* 455. Demittere lacrimas. *h. e.* effundere. *Cf. eumd.* 4. *ibid.* 542. sacrum jugulis demitte cruorem. *h. e.* elice, extrahe, defunde. *Val. Flacc.* 1. 94. Demittere robora ferro. *h. e.* cædere et prosternere. *Sil. It.* 8. 524. avem cælo. *h. e.* funda dejicere. — *b*) Speciatim de iis, quæ secundo flumine feruntur. *Frontin.* 3. *Strateg.* 4. 2. Demittere farinam aqua secunda. *Tac.* 1. *Ann.* 45. Igitur Cæsar arma, classem, socios demittere Rheno parat. *Virg.* 5. *Æn.* 29. Quove magis fessas optem demittere naves. *Al. leg.* dimittere. *Liv.* 44. 31. Tertio post die navem eamdem secundo amni Scodram demisit. — *c*) Item speciatim apud *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 9. Demissa antenna. *h. e.* deorsum tracta. *Lucret.* 5. 670. Florescunt tempore certo Arbusta, et certo demittunt tempore florem. *h. e.* abjiciunt, deponunt, exuunt, floribus se spoliant: al. leg. *dimittunt.* *Propert.* 2. 19. 50. magno demissa periclo. *h. e.* liberata, soluta, erepta de periculo. Simile est illud *ibid.* 20. 29. somno demissa recenti. *h. e.* soluta a somno, expergefacta. Utrobique alii leg. *dimissa.* — *d*) Apud Poetas frequenter conjungitur cum Dativo, *demittere morti, neci*, etc. pro occidere. *Virg.* 2. *Æn.* 85. Demittere aliquem neci. *Id.* 5. *ibid.* 691. aliquem morti. *Id.* 2. *ibid.* 398. multos Orco. Sic *Horat.* 1. *Od.* 28. 11. Panthoides demissus Orco. Adde *Virg.* 10. *Æn.* 662. *Ovid.* 3. *Met.* 695. cruciataque diris Corpora tormentis Stygiæ demittere nocti. Similiter apud *Sil. It.* 11. 142. demittere umbris. — *e*) Item *demitti de cælo* dicuntur, quæ non naturali ratione, sed per miraculum, oriuntur. *Liv.* 10. 8. Patricios – non de cælo demissos. Cf. *Quintil.* 1. 6. 16. Non enim analogia demissa cælo. — *f*) Apud *Plaut. Epid.* 3. 4. 16. Fugias demissis manibus domum. *h. e.* contentissimo cursu, quam celerrime. De qua dicendi ratione, qua *Plaut.* usus est etiam *Pœn.* 3. 2. 52. et 55. *V.* Interpp. — *g*) Huc pertinent et illa *Virg.* 3. *Æn.* 535. gemino demittunt brachia muro Turriti scopuli. *h. e.* protenduntur deorsum duobus quasi brachiis. *Cf. Justin.* 5. 8. Demissa Piræeum versus muri brachia. Rursus *Virg.* 9. *Ecl.* 8. Colles demittunt jugum molli clivo. ¶ 2. Translate varios habet usus. — *a*) *Demittere aliquid in pectus* est animo alte infigere. *Sall. Jug.* 109. *extr.* Hoc in pectus tuum demitte, numquam populum Romanum beneficiis victum esse. *Liv.* 34. 50. Ut eas voces, velut oraculo missas, in pectora animosque demitterent. Similiter *Justin.* 8. 5. 11. Dolor hoc altius demissus. — *b*) *Demitti* et sæpius *demittere se in rem aliquam* est in re aliqua implicari vel se implicare. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. Quum in eum casum me fortuna demisisset, ut etc. *Cœlius* apud *eumd.* 8. *ibid.* 16. 5. Ne te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse. *Cic.* 9. *ibid.* 1. Demittere se in res turbulentissimas. *Id.* 7. *Att.* 12. 3. se penitus in causam. Adde *Sueton. Rhet.* 6. — *c*) Item *demittere se* est ad aliquid faciendum descendere, quod ceteroquin inferius sit facultate, aut dignitate. *Quintil. proœm.* 5. Ad minora illa – demittere me non recusabo. *Tac.* 15. *Ann.* 73. Cunctis in adulationem demissis. *Id.* 14. *ibid.* 26. Usque ad servilem patientiam demissus. — Huc pertinet et illud *Quintil.* 1. 2. 31. Est quædam tacita dedignatio, vim dicendi, tantis comparatam laboribus, ad unum auditorem demittere. — *d*) Et a rebus externis translatione ad animum facta, *demittere animum* est despondere, abjicere: ad rem *Ovid.* 7. *Met.* 133. Demisere metu vultum animumque Pelasgi. Cf. *Curt.* 5. 2. 1. Ne desides otio demitterent animos. V. *Mützell.* ad h. l. *Lucilius* apud *Non. p.* 286. 7. *Merc.* Re in secunda tollere animos et in mala demittere. *Cic.* 5. *Fin.* 15. 42. Si vincunt efferunt se lætitia: victi debilitantur animosque demittunt. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 1. § 4. Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas ac demittas animum, neve te obrui, tamquam fluctu, sic magnitudine negotii sinas: contraque erigas ac resistas, sive etiam ultro occurras negotiis. Cf. *Virg.* 12. *Æn.* 609. Demittunt mentes: it scissa veste Latinus, etc. — *Animo se demittere* eodem sensu dixit *Cæs.* 7. *B. G.* 29. Cohortatus est, ne se admodum animo demitterent, neve perturbarentur incommodo. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus.

Demissus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Demissior* I. et II. 1.

I.) Proprie dicitur — *a*) Speciatim de loco, qui depressus est atque humilis. *Cæs.* 7. *B. G.* 72. Campestribus ac demissis locis. *Id.* 3. *B. C.* 49. Demissa ac palustria loca. *Auct. B. Alex.* 29. Demissioribus ripis flumen tranare. Huc pertinet et illud *Ovid.* 8. *Met.* 204. ne, si demissior ibis, Unda gravet pennas; si celsior, ignis adurat. — *b*) Generatim de iis omnibus, quæ deorsum pendent. *Ter. Eun.* 2. 5. 22.

Virgines demissis humeris. *Id. ibid. v.* 44. Senex incurvus, tremulus, labiis demissis. *Propert.* 2. 11. 11. At dum demissis supplex cervicibus ibam, etc. *Cic. Cluent.* 21. 58. Demisso capite discedere. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 32. *Plin.* 1. *Ep.* 10. Demissus capillus. *h. e.* deorsum pendens, ideoque longus. — *c*) Et pro alto, profundo. *Seneca Ep.* 67. *ad fin.* Demissa vulnera.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de animo, et est fractus, debilitatus, abjectus. *Cic. Cluent.* 21. 58. Erigere animum jam demissum et oppressum. *Id. Fontej.* 11. 23. Homines animo demisso atque humili, ut solent ii, qui affecti injuriis etc. *Id.* 1. *Fam.* 9. 16. Fracto animo ac demisso esse. *Liv.* 4. 44. Nihilo demissiore animo, causa pro se dicta. *Al. leg.* remissiore. Cf. *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 47. Est in animis omnium molle quidem, demissum, humile, enervatum quodammodo et languidum. — Etiam homo *demissus* dicitur eodem sensu. *Cic. Sull.* 26. 74. Sulla mærens, demissus, afflictus. *Id. Mur.* 21. 45. Murena tristis et demissus. *Quintil.* 1. 3. 10. Illum tristem semperque demissum. ¶ 2. Ponitur etiam de homine, et est modestus, pudens; cui *elatus* opponitur. *Cic. Mur.* 40. 87. Sit apud vos modestiæ locus, sit demissis hominibus perfugium, sit auxilium pudori. *Id.* 2. *Orat.* 43. 182. Ea omnia, quæ proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, benevolentiam conciliant. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 3. 57. et ibi *Bentlej*; et *Propert.* 4. 8. 9. — Huc referri potest et illud *Cic. Orat.* 24. 81. Orator nec in faciendis verbis audax, et in transferendis verecundus, et parcus in priscis; reliquisque ornamentis et verborum et sententiarum demissior. *h. e.* qui modum servet. ¶ 3. Apud *Sall. demissi* sunt, qui privati vitam agunt, neque capessunt rempublicam, ideoque pauperes sunt, quibus opponuntur qui magno imperio præditi. Ejus verba sunt *Cat.* 51. Qui demissi in obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum pares sunt; qui magno imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. ¶ 4. Denique *demissus* et pro oriundo usurpatur. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 63. ab alto demissum genus Ænea. *Tac.* 12. *Ann.* 58. Romanus Troja demissus. *Stat.* 2. *Theb.* 613. Chromis Tyrii demissus origine Cadmi. Cf. *Virg.* 1. *Æn.* 288. Julius, a magno demissum nomen Iulo.

DĒMĪURGĬĀNUS *vel* demiurginus, a, um, adject. ad demiurgum pertinens. *Tertull. advers. Valentinian.* 27. Super hunc itaque Christum devolasse tunc in baptismatis sacramento Iesum Soterem per effigiem columbæ. Nam in figuram principalis tetradis quatuor eum substantiis stipant, spiritali Achamothiana, animali demiurgiana (*al.* demiurgina), corporali inenarrativa, et illa Soericiana, id est columbina.

DĒMĪURGUS *vel* damiurgus, i, m. 2. δημιοῦργος, a δῆμος *populus* et ἔργον *opus*: idem fere ac demarchus. ¶ 1. Est nomen magistratus apud Græcos, præsertim Achajæ, quasi dicas publicorum operum curatorem. *Liv.* 32. 22. Tum inter magistratus gentis (demiurgos vocant, decem numero creantur) certamen nihilo segnius, quam inter multitudinem esse. *Id.* 38. 30. Sub adventum consulis, demiurgis civitatum, qui summus est magistratus, Ægium evocantibus, Philopœmen (prætor tum erat) Argos conventum edixit. *Optimæ editiones* utrobique habent ex Dorica dialecto *damiurgus*. Porro de demiurgis hæc ait *Trid. Osann.* in *Sylloq. Inscript. ant. Græc. et Latin. p.* 259. Ἑλλαδάρχας, seriori ætate, quum fœdus Achæorum vix adhuc superstes varias mutationes passum erat novasque imperii formas induerat, suspicor in δημιουργῶν et στρατηγῶν, apud quos antea rerum gubernandarum summa fuerat potestas, locum ita cessisse, ut illius fœderis tamquam præsides bello domique essent. Quod ut credam, facit primum quod nulla Helladarcharum antiquiori tempore fit mentio: deinde haud leve conjecturæ nostræ argumentum ex eo accedit, quod demiurgorum nomen post Livii ætatem, apud quem solum memorantur, ubi plane evanuerit. Tituli autem illi, quibus Ἑλλαδάρχαι occurrunt, Livio recentiores omnes sunt. Namque ille, quem *Maffeji* auctoritate excitavi (*Mus. Veron. p.* XLIII. et *Veron. illustr. P.* 1. *p.* 27.) certe non ante Hadrianum propterea inscriptus esse potest, quod in eo T. Statilius ille laudatus præter quod Helladarchæ munere functus sit, simul ἀγωνοθέτης Ἀντινοείων ἐν Ἄργει fuisse perhibeatur. Quid quod fortasse etiam accuratius hujus tituli ætas definiri potest, quandoquidem certo conjicio in verbis πρέσβεις τῆς συνκλήτου καὶ πρὸς βασιλέας M. Antoninum et L. Verum, communi consilio et potestate summum imperium gubernantes dici, quippe ad quos T. Statilius legatus mitteretur? ¶ 2. *Demiurgus* fuit etiam titulus comœdiæ *Turpilii*, cujus meminit *Cic.* 9. *Fam.* 22. et *Nonius* multis in locis. ¶ 3. Item Deus, opifex mundi, quia Athenis demiurgus vocabatur quicumque pretio opus quodlibet faceret, ut legitur in *Etymolog. M.* in V. Δημιουργός. *Tertull. advers. Valentinian.* 24. Molitus enim mundum demiurgus. *Et ibid. mox.* Figulat ita hominem demiurgus. V. *Le-Bas, Inscr. Gr. et Lat. Messen. p.* 26. et 33.

DĒMO, demis, dempsi *vel* demsi, demptum *vel* demtum, demere, a. 3. (de et emo). Part. *Demptus* I. 1. et II.; *Dempturus* II. 1.; *Demendus* I. 1. — Demo est adimo, tollo, aufero (It. *togliere, levar via*; Fr. *ôter, enlever, retrancher*; Hisp. *alzar, quitar*; Germ. *ab* –, *weg* –, *fortnehmen*; Angl. *to take away, take off, subtract, withdraw*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 14. Lubet scire, quantum auri herus sibi dempsit, et quid suo reddidit patri. *Ter. Eun.* 4. 1. 13. Interea aurum sibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam. *Lucret.* 2. 770. ordo Principiis mutatus et addita demptaque quædam. Adde *eumd.* 3. 1100. *Varro* 5. *L. L.* 172. *Müll.* Una dempta uncia, deunx; dextans dempto sextante; dodrans dempto quadrante; bes, ut olim des, dempto triente. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 16. 49. Quum aliquid minutatim et gradatim additur, aut demitur. *Id.* 5. *Verr.* 33. 77. et 35. 80. Demere de capite. *h. e.* de tota pecuniæ summa: *V.* CAPUT. *Cæs.* 5. *B. G.* 48. Tragula casu ad turrim adhæsit: dempta ad Ciceronem defertur. *Liv.* 7. 41. Æque impotens postulatum fuit, ut de stipendio equitum — æra demerentur. *Alii legunt*, demererentur; *alii etiam aliter*. *Id.* 40. 51. Clipea de columnis et signa militaria affixa dempsit. *Id.* 5. 13. Vinctis quoque dempta in eos dies vincula. *Id.* 21. 49. Demere armamenta. *Ovid.* 7. *Met.* 324. Demere juga equis. Adde *Horat.* 3. *Od.* 6. 42. Rursus *Ovid.* 15. *Met.* 610. Corona dempta capiti. *Id. Heroid.* 18. 103. Amictus demptus ex humeris. *Id. ibid.* 20. 9. demptus ab arbore fetus. *Id.* 13. *Met.* 833. demptus cacumine nidus. *Cels.* 8. 4. Ut quam minimum ex osse demtur. *Id.* 6. 6. *n.* 16. Demendum aliquid ex cibo. *Id.* 1. 3. *ad fin.* Demendum paulum cibo, adjiciendumque potioni. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (62). Uvas, demptis forfice corruptioribus acinis, suspendi. ¶ 2. Latiori sensu ac figurate. *Plaut. Truc.* 2. 4. 16. Deme soleas. *h. e.* detrahe: quod fiebat mensæ accubituris. Cf. *Ovid.* 2. *Art. am.* 12. soleam deme vel adde pedi. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 94. Deme supercilio nubem. *Id.* 1. *Od.* 1. 20. Partem demere de solido die. *Q. Cic. Petit. cons.* 2. 9. Demere caput alicujus. *h. e.* abscindere. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 33. Ipsi pridem tonsor ungues dempserat. *Sueton. Cæs.* 67. Demere barbam. *h. e.* radere. Alio sensu *Cic.* 3. *Nat. D.* 34. 83. Æsculapii barbam auream demi jussit.

II.) Translate fere de abstractis. *Lucret.* 3. 922. Multa dies nobis mærorem e pectore demet. *Ter. Adelph.* 5. 3. 33. Demere alicui molestiam. *Id. ibid.* 4. 7. 18. metum. *Lucret.* 2. 21. dolorem. *Cic.* 1. *Att.* 15. *ad fin.* sollicitudinem. *Sall. Jug.* 102. acerbam necessitudinem. *Liv.* 2. 6. ignominiam. Adde *eumd.* 29. 21. *Virg.* 2. *Æn.* 775. et 3. *ibid.* 153. curas. *Ovid.* 3. *Trist.* 2. 25. spem alicui. *Id. Remed. am.* 290. fidem alicui rei. *Id.* 1. *Pont.* 7. 20. Nil demit laudi gloria nostra tuæ. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 140. demptus mentis error. *Liv.* 34. 54. Demere aliquid ex dignitate. *Sueton. Tib.* 42. aliquid ex consuetudine. *Justin.* 39. 3. Adjicit, neque occisa illis se virium quidquam Cyziceno dempturum. *Cic.* 2. *Fin.* 27. 88. Dempta æternitate, nihilo beatior Juppiter, quam Epicurus. *Liv.* 2. 42. Dulcedo agrariæ legis ipsa per se, dempto auctore, subibat animo. *h. e.* sublato auctore, aut etiam sine auctore. *V.* locum. *Ovid. Heroid.* 1. 50. et 3. *Trist.* 11. 2. Virque mihi, dempto fine carendus, abest. *h. e.* sine fine, semper.

DEMOCRATOR. *V.* DEMORATOR.

DĒMŒ, apud Atticos sunt, ut apud nos pagi. *Paul. Diac. p.* 72. 5. *Müll.*, qui tamen pro *demæ* Græcis litteris legit δῆμοι.

DĒMŎLĬO *vel*

DĒMŎLĬOR, iris, itus sum, iri, dep. 4. (de *et* molior). Est alia forma *demolio* ac passive *demolior*, quam *V.* I. et II. sub *b.* — Part. *Demoliens* II. *a.*; *Demolitus* I. *b.*; *Demoliendus* I. *b.* — Demolior est deorsum molior, everto, diruo, destruo (It. *demolire, buttar giù, disfare*; Fr. *jeter à bas, renverser, démolir*; Hisp. *demoler, abatir, derribar*; Germ. *herabwälzen*, – *werfen*; Angl. *to batter, throw or pull down, demolish, destroy*).

I.) Proprie speciatim tantum de ædificiis occurrit; et quidem — *a*) Deponent. forma. *Lucret.* 6. 240. Disturbare domos, avellere tigna trabesque, Et monumenta virûm demoliri. *Lachmann.* legit *Et lamenta virûm commoliri*. *Cic.* 6. *Verr.* 36. 80. et 39. 81. Demoliri simulacrum, signum. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. Columnas neque rectas, neque e regione Diphilus collocarat: eas scilicet demolietur. *Id.* 1. *Off.* 39. 138. Hanc domum Scaurus demolitus, accessionem adjunxit ædibus. *Sall.* apud *Non. p.* 95. 22. *Merc.* Pluteos rescindit ac munitiones demolitur. Adde *Liv.* 43. 3. *Nepos Pausan.* 5. Demoliri tectum. *Id. Timol.* 3. propugnacula tyrannidis. Et figurate *Plin. Paneg.* 55. Aras etiam templaque demolitur oblivio. — *b*) Activa vel passiva forma. *Nævius* apud *Diomed.* 1. *p.* 395. *Putsch.* Hæc demolite. *Varro* apud *eumd. ibid.* Et tamen non demolio astra. *Al. leg.* rostra. *In vet. Lege* apud *Frontin. Aquæd.* 129. Id omne celere demolire damnas esto. *Lactant.* 4. 11. *ex* 3. *Reg.* 19. 14. Altaria tua demolierunt. — *Cic.* 1. *Verr.* 67. 161. Statuas demoliendas locare. *Id. Topic.* 4. 22. In pariete communi demoliendo. *In citata vet. Lege* apud *Frontin.* Ne maceriæ demolirentur. *Ulp. Dig.* 7. 4. 10. Si, demolitis ædibus, testator alias novas restituerit. *Javolen. ibid.* 11. 3. 24. Si demolita est domus. — *NB.* Pro moliri, ædificare, nonnulli afferunt illud *Vellej.* 1. 15. Theatrum facere instituit, cui in demoliendo etc. *Alii tamen aliter leg.*

II.) Translate. — *a*) Deponent. forma. *Plaut. Bacch.* 3. 1. 16. De me culpam hanc demolibor jam. ἀρχαϊσμῷ; pro *demoliar*, h. e. amoliar, avertam. *Liv.* 34. 3. Si quod cuiquam privato officiet jus, id destruet ac demolietur. *Id.* 39. 16. Quum demolientes nos Bacchanalia discutientesque nefarios cœtus cerneretis. *Ovid.* 15. *Met.* 228. Subruit hæc ævi demoliturque prioris Robora. *h. e.* senectus vires juventutis frangit. *Demoliri faciem*, ἀφανίζειν τὸ πρόσωπον, est macie vultum corrumpere apud *Hieronym.* in *Matth.* 6. 16., ubi Vulgata habet *exterminare faciem*. — *b*) Activa vel passiva forma. *Jornand. Get.* 58. Theodericus inde contra Sabinianum Illyricum magistrum militiæ, qui tunc cum Mundone paraverat conflictum, in Mundonis solatia veniens, Illyricianum exercitum demolivit. *Curio* apud *Priscian.* 8. *p.* 793. *Putsch.* Nusquam demolitur, nusquam exoneratur pecunia.

DĒMŎLĪTĬO, ōnis, f. 3. demoliendi actus, eversio.

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Verr.* 67. 161. Dumque ea demolitio fieret etc. *Id. post red. in sen.* 13. 32. Aditus templorum erant non solum præsidiis et manu, verum etiam demolitione sublati. *Vitruv.* 10. 19. *Schneid.* Posteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta.

II.) Translate. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 1. Non poterat ædificare mendacium sine demolitione veritatis.

DĒMŎLĪTOR, ōris, m. 3. eversor. *Vitruv.* 10. 19. *Schneid.* corvum *demolitorem quem nonnulli gruem appellant*, memorat, idest machinam ad demoliendum aptam: de qua tamen nihil præterea constat.

DĒMŎLĪTUS, a, um. *V.* DEMOLIOR.

DEMONEO, es, ere a. 2. moneo, ne facias: a *de* et *moneo*. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 88.

DĒMONSTRĀBĬLIS, e, adject., qui demonstrari potest. *Apul. Dogm. Plat.* 3. Universitas maris, quæ demonstrabilis non est.

DĒMONSTRANTĬA, æ, f. 1. eadem ac demonstratio. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (33). Terram amaram et macram probaverim demonstrantia atræ degenerisque herbæ. *Harduinus* tamen legit: Terram amaram et macram si quis probare velit, demonstrant eam atræ, etc. *Sillig* eamdem lectionem, pauculis immutatis, retinuit.

DĒMONSTRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus demonstrandi

(It. *ostensione*; Fr. *action de montrer*; Hisp. *el acto de mostrar*; Germ. *Handlung des Zeigens, das Zeigen*; Angl. *the act of showing*).

A) Generatim. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 3. *Orat.* 55. 209. Hujus generis demonstratio est et doctrina ipsa vulgaris, usus autem gravissimus. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 59. 142. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (147). *de cane venatico.* Visa fera, quam silens et occulta, quam significans demonstratio est. *Id.* 1. *ibid.* 13. 27. (93). Hanc insulam temporum horum demonstratio a Borysthene cxl. m. ponit. *h. e.* descriptio, qua situs terrarum monstrantur. *Id.* 24. *ibid.* 16. 93. (150). Tertia demonstratio herbæ fuit folio majore etc. *Supra dixerat:* Dracontion triplici effigie demonstratum mihi est. — *b*) In plurali numero. *Cic.* 4. *Fin.* 5. 13. Quam multæ quamque de rebus variis et causæ, cur quidque fiat, et demonstrationes, quemadmodum quæque fiant!

B) Speciatim. ¶ 1. Apud Rhetores demonstratio — *a*) Est genus causæ, in quo quispiam laudatur, aut vituperatur; quod et *genus demonstrativum* dicitur. *Cic.* 1. *Invent.* 9. 12. et *Quintil.* 3. 1. 13. — *b*) Item exornatio rhetorica, hypotyposis Græco nomine, quum ita res verbis exprimitur, ut geri negotium et res ante oculos esse videatur. *Cic.* 4. *Herenn.* 55. 68. Potest ita differre ab hypotyposi, ut *demonstratio* longior sit, *hypotyposis* brevior. — *c*) Item argumentatio, quæ ex rebus perceptis, id, quod non percipiebatur, adducit. Ita rem definit *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 8. 26.; nomine vero utitur *Boeth.* 2. *Consol. philos. pros.* 4. *extr.* et initio *pros.* 5. ¶ 2. Apud JCtos — *a*) Dicitur *demonstratio*, quum persona aut res aliqua ita certis quibusdam ac peculiaribus signis designatur ac veluti depingitur, ut nullus ambigendi locus relinquatur; ut si quis in testamento dicat, *decem, quæ mihi Titius debet, lego.* Constat enim, ea sola decem, quæ debet Titius, non aliam pecuniam legari. *Cajus Dig.* 35. *tit.* 1. *qui est* De conditionib. et demonstrationib. 17. et *Florentin. ibid.* 33. et *Ulp. ibid.* 30. 74. etc. — *b*) Item actio, qua alicujus fundi fines ostenduntur. *Dig.* 8. 1. 13. et 10. 1. 12.; et *V.* DEMONSTRO. — *c*) Denique *demonstratio* dicitur ea ipsa formulæ pars, qua persona, res, aut fundi alicujus fines plane describuntur. *Cajus* 4. *Instit.* 39., 40., 41., et 58.

DĒMONSTRĀTĪVĒ, adverb. demonstrando. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 16. Hunc locum demonstrative terram dicens.

DĒMONSTRĀTĪVUS, a, um, adject. qui ad demonstrandum aptus est. ¶ 1. Generatim. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. Digitus demonstrativus. *h. e.* index. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores *genus demonstrativum* est, quod laudationem alicujus rei continet, aut vituperationem. *Cic.* 1. *Invent.* 5. 7. Demonstrativum est (*genus*), quod tribuitur in alicujus certæ personæ laudem, aut vituperationem. Adde *Quintil.* 3. 4. 14. *Quintil.* 2. 10. 11. et 3. 4. 9. Demonstrativum dicendi genus. Rursus *Cic.* 2. *Invent.* 4. 12. et *Quintil.* 8. 3. 11. causa. *Quintil.* 3. 8. 53. et 11. 1. 48. materia. *Id.* 7. 4. 2. pars. *Id.* 2. 21. 23. pars orationis. — Hinc

Demonstrativa, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est epidicticæ orationis genus. *Quintil.* 3. 8. 63. Aristoteles idoneam maxime ad scribendum demonstrativam putavit: videlicet quoniam – tota esset ostentationis. Cf. *eumd.* 3. 8. 8. In demonstrativis prooemia maxime esse libera.

DĒMONSTRĀTOR, ōris, m. 3. qui demonstrat. *Cic.* 2. *Orat.* 86. 353. Simonides demonstrator uniuscujuslibet sepeliendi. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 20. Demonstrator magis, quam inventor. Adde *Hieronym. Ep.* 61. *n.* 4.

DĒMONSTRĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui demonstrando inservit. *Isid.* 11. *Orig.* 1. Demonstratorius digitus. *h. e.* index.

DĒMONSTRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒMONSTRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* monstro). *Demonstrarier* paragoge pro *demonstrari* est apud *Ter. Phorm.* 2. 1. 75. — Part. *Demonstrans* II. init.; *Demonstratus* et *Demonstraturus* II. *a.*; *Demonstrandus* I. 1. *b.* — Demonstro est aperte monstro, quod digito fit; hinc etiam vultu, vel uno verbo indico, ostendo, describo (It. *mostrare, dimostrare, far vedere*; Fr. *indiquer, montrer avec les doigts*; Hisp. *indicar, mostrar, señalar*; Germ. *durch Hinweisen mit dem Finger etwas angränzend zeigen, daher genau zeichnen, be -, abzeichnen*; Angl. *to show, point out, demonstrate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim usurpatur de via, ædibus, locis et similibus, quæ digito vel alio simili modo indicantur. — *a*) Sequente relativo. *Plaut. Cist.* 2. 3. 36. Ubi habitat, duc ac demonstra mihi. Sic *Ter. Phorm.* 2. 1. 75. Hominem commonstrarier mihi istum volo, aut, ubi habitet, demonstrarier. — *b*) Sæpius cum Accusativo. *Plaut. Trin.* 1. 2. 113. Thesaurum mihi demonstravit in hisce ædibus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 4. 5. (9). Demonstrare viam. *Liv.* 23. 33. itinera. *Cic.* 6. *de republ.* 24. Nec enim tu es quem forma ista declarat, sed mens cujusque is est quisque, non ea figura, quæ digito demonstrari potest. *Id.* 2. *Orat.* 66. 266. Demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto. *Quintil.* 11. 3. 101. Averso pollice demonstrare aliquem. Adde *eumd.* 6. 3. 38. *Id.* 11. 5. 36. Aliud voce, aliud nutu vel manu demonstratur. *Id.* 11. 3. 89. In eum, quem demonstret, manum intendere. *Id.* 11. 3. 87. In demonstrandis locis ac personis. Adde *Sueton. Aug.* 94. — *c*) Absolute. *Sueton. Ner.* 39. Histrio ita demonstraverat, ut bibentem natantemque faceret. *h. e.* suis gestibus ita repræsentaverat. — *d*) Figurate. *Propert.* 3. 14. 15. Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras. ¶ 2. Speciatim apud JCtos *demonstrare fines* est proprium illius, qui fundum alienat, et est extrema auctoris actio: qui enim fines demonstrat, tradit fundum: demonstrantur autem fines aut per dominum, aut per servum villicum domini jussu, ut docet *Pomnon. Dig.* 18. 1. 18. *Cic. fragm. pro Tull.* edente *A. Peyronio p.* 101. *n.* 17. Neque dum fines auctor demonstraverat, *et mox.* Fines Acerronio demonstravit, neque tamen hanc centuriam Populianam vacuam tradidit. Adde *Alfen. Dig.* 21. 1. 45., *ibid.* 50. 1. 36. § 1. et alibi.

II.) Improprie *demonstrare* est verbis vel scriptis aliquid significare, indicare, ostendere: ad rem *Paul. Dig.* 12. 1. 6. Pædius lib. 1. de stipulationibus nihil referre ait, proprio nomine res appelletur, an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demonstretur. *Gell.* 2. 26. Vocabula rufum colorem demonstrantia. — Hinc *demonstrare* est exponere, sub oculos ponere, docere, narrare, explicare, argumentis confirmare, etc.; et dicitur interdum etiam de inanimis: usurpatur autem — *a*) Cum uno tantum Accusativo rei, quæ demonstratur. *Cic.* 9. *Fam.* 21. Spurinna quidem, quum ei rem demonstrassem (*h. e.* narrassem), et vitam tuam superiorem exposuissem, magnum periculum summæ reipublicæ demonstrabat, nisi etc. *Id.* 6. *Verr.* 33. 85. Sopater istius cupiditatem demonstrat. *Cæs.* 5. *B. G.* 37. Re demonstrata. *Cic.* 1. *Orat.* 31. 143. Commoram, conciliandos eorum esse animos, qui audirent, deinde rem demonstrandam. *Quintil. procem.* § 25. Breviter omnia demonstrari. *Al. leg.* demonstrando. *Id.* 1. 10. 49. Quod proximus demonstrabit liber. — Cum v. *ostendere* jungitur apud *Cic.* 1. *Att.* 1. Demonstravi hæc Cæcilio; simul et illud ostendi etc. *Id.* 6. *Verr.* 59. 132. Ut ante demonstrabant, quid ubique esset; ita nunc, quid undique ablatum sit, ostendunt. Cf. *Quintil.* 5. 12. 15. Ego hæc breviter demonstrasse contentus, ita posui, ut – ostenderem etc. — Hinc ponitur et pro *docere*, ut apud *Cæs.* 5. *B. G.* 2. Modum et formam navium demonstrant. Sic *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (121). Amethystos grandinem avertere, addita precatione, quam demonstrant. *Quintil.* 8. 4. 44. Demonstrare vitia. *Id.* 2. 5. 5. virtutes. — Apud *Cæs.* sæpe locum habet in inciso, pro memorare, ut 7. *B. G.* 83. Ad ea castra, quæ supra demonstravimus, contendit. *Id.* 6. *ibid.* 25. Hujus silvæ, quæ supra demonstrata est, latitudo. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 19., 1. *B. C.* 81. et 3. *B. C.* 63. Cf. *eumd.* 4. *B. G.* 27. Cum his Commius venit, quem supra demonstraveram a Cæsare in Britanniam præmissum. — *b*) Cum duobus Accusativis. *Quintil.* 11. 1. 1. Quam virtutem quartam elocutionis demonstrat. *Id.* 6. 2. 13. Eos intolerabiles id ipsum, quod cedimus, demonstrat. *Paul. Dig.* 38. 10. 10. *a med.* Quos ego appello abpatruos, abavunculos, illi demonstrant me fratris abnepotem. *h. e.* appellant, ut ait *Forcellinus*, scilicet verbis declarant. — *c*) Cum Accus. et addito Ablativo instrum. *Quintil.* 8. 3. 71. Et occultis aperta demonstret. *Id.* 7. 10. 7. Quod scriptor demonstrare non possit, nisi certa definitaque materia. *Id.* 6. 5. 6. Demonstrari præceptis. *Id.* 1. 3. 7. Si varietatem criminum narratione demonstraveris. *Gell.* 2. 4. Res argumentis, vel testibus demonstrata. — *d*) Cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 3. *Fam.* 1. Mihi Q. Fabius demonstravit, me a te plurimi fieri. *Cæs.* 5. *B. G.* 1. Se paratos esse demonstrant de injuriis satisfacere. *et ibid.* Nisi ita fecerent, sese bello civitatem persecuturum demonstrat. *h. e.* pollicetur, vel potius minatur. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 11. et 7. *ibid.* 1. — *e*) Cum propositione interrogativa, sed tamen indirecta. *Cæs.* 1. *B. G.* 34. Quanta prædæ faciendæ facultas daretur, demonstraverunt. *Quintil.* 3. 4. 14. Laus ac vituperatio, quale sit quidque, demonstrat. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 106. (169). Nec, quale esset, demonstrant. *Id.* 27. *ibid.* 2. 2. (6). Demonstrare, quomodo venenata sanentur. — *f*) In constructionibus, quæ nunc a grammaticis, attractæ dicuntur *Cæs.* 5. *B. G.* 2. Circiter DC. ejus generis, cujus supra demonstravimus, naves. *Id.* 3. *B. C.* 15. Sed quum esset in quibus demonstravi angustiis, etc. — *g*) Omnino absolute. *Cic.* 5. *Verr.* 63. 141. Id adeo, judices, ut mihi ab iis demonstratum est, sic vos et me cognoscite. *Cæs.* 2. *B. G.* 22. Sepibusque densissimis, ut ante demonstravimus, interjectis. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 19. — *h*) Passive impersonaliter. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Naves xxx., de quibus supra demonstratum est, – leni vento solverunt. *Id.* 1. *B. C.* 39. Erant, ut supra demonstratum est, legiones Afranii III. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 6. et 15. Et cum Infinito, *Id.* 2. *ibid.* 28. Erat in exercitu Vari Sext. Quinctilius Varus, quem fuisse Corfinii supra demonstratum est. Adde *eumd.* 2. *B. G.* 9.

DĒMONTUŌSUS, a, um, adject. valde montuosus: præpositio enim *de* aliquando vim habet augendi. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 70.

DĒMŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. idem fere ac commoratio. *Cic.* 9. *Fam.* 15. Quod autem altera epistola purgas te, non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanæ fuisse, sed auctorem demorationis urbanæ, neque ego aliter accepi. *Ita ex emendatione* Gulielmi *edidit* Schützius: *alii leg.* commorationis: *alii et ipse* Orell. *leg.* moderationis; *V.* Orell. ad h. l. Cæterum *demoratio* certa lectione occurrit apud *Vulgat. interpr. Proverb.* 12. 11. Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. *Text. Græc.* habet ἐν οἴνων διατριβαῖς.

DĒMŌRĀTOR, ōris, m. 3. *Capell.* 1. *p.* 21. *de Vulcano.* Totius mundi ab Heraclito dictus demorator. *Grot.* legendum putat *devorator*; quod Heraclitus ad ignem referret rerum ortum et interitum. Ob eamdem rationem *Fabric.* in *Biblioth. Græca* mavult legere *demiurgator*, h. e. dominus, δημιουργὸς, quod minime probandum. Contra *Koppius* vulgatam lectionem tuetur, quam omnes omnino codices exhibent; quamque *Gloss.* ad antiquum *Cod. Monacens.* ita explicant: *Id est retentor, sive formator totius mundi.* Præterea sequiori ævo *demorare* dicebant pro *regere*. Videsis hæc omnia fusius apud eumd. *Kopp.* ad *l. c.*

DĒMŌRĀTUS, a, um. *V.* DEMOROR.

DĒMORDĔO, mordes, mordi, morsum, mordere, a. 2. (de *et* mordeo). Part. *Demorsus.* — Demordeo est idem fere ac mordeo, vel morsu decerpo. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 11. (45). Et ligno fulgure icto demordere aliquid. *Pers.* 1. 106. Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.

DĒMŎRĬOR, mŏrĕris, mortŭus sum, mŏri, dep. 3. (de *et* morior). Part. *Demortuus* in omnibus paragr. — Demori (juxta *Döderlein*, *Latein. Synon. vol.* 3. *p.* 182.) duo diversa significat, prout præpositio *de* *I*) Propriam ac nativam servat significationem; aut *II*) Vim augendi tantummodo habet, vel actionis finem significat.

I) Quum præpositio *de* propriam ac nativam servat significationem *demori* est ex certo hominum numero certove hominum ordine moriendo exire, ita ut aliquid vacui remaneat. — *a*) Generatim. *Cic.* 16. *Att.* 11. 7. Nostrique familiares fere demortui. *h. e.* ita ut superstites relicti sint soli. Cf. *Liv.* 40. 19. Tantum hominum demortuum esse, ut is numerus militum effici non potuerit. — *b*) Hinc speciatim *demori* vel *demortui* dicuntur, qui quum magistratu vel publico aliquo munere fungerentur, vel ordini collegiove essent adscripti, e vita migrarunt; et *demori* præcipue adhibetur, quum de successore sermo est: V. *Mazocchi*, *Heracl. Tab. p.* 407. *et seq. not.* 33. et 40. *Cic.* 4. *Verr.* 50. 124. Nam quum

esset et veterum numero senator quidam demortuus. *Id.* 1. *Herenn.* 11. 20. Lex jubet augurem in demortui locum qui petat in concione nominare. *Liv.* 5. 31. Nec deinde unquam in demortui locum censor sufficitur. V. *Drakenborg.* ad h. l. *Liv.* 9. 34. Collegam subrogabis, quem ne in demortui quidem locum subrogari fas est. Adde *eumd.* 23. 21. et 22. et 23., 26. 23. et 40. 19.; et *Sueton. Aug.* 10. et 31., et *Cæs.* 41. Similiter *Curt.* 8. 10. 22. Nuper Assaraco, cujus regnum fuerat, demortuo, regnum – præerat mater ejus Cleophis. — Et de mancipiis. *Cic.* 6. *Verr.* 5. 9. Sanxerunt, NE QVIS EMERET (*mancipium*) NISI IN DEMORTVI LOCVM. Cf. *Ulp. Dig.* 1. 1. 11. § 5. Ut demoriantur mancipia, prædia ruant. — c) Interdum de arboribus. *Colum.* 3. *R. R.* 16. 2. In locum demortuæ vitis. Cf. *Paul. Dig.* 7. 1. 18. In locum demortuarum arborum aliæ substituendæ.

B) Quum præpositio *de* augendi vim tantummodo habet, vel actionis finem significat, *demori* est prorsus mori, moriendo excedere, perire.

I.) Proprie. *Plaut. Stich.* 1. 3. 62. Pæne sum fame demortuus.

II.) Translate. ¶ 1. De inanimis. *Plaut. Stich.* 1. 3. 59. Potationes plurimæ demortuæ. *h. e.* periere, ablatæ sunt, amissæ sunt. ¶ 2. Cum Accusativo personæ, ut *deperire*, est alicujus amore ardere. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 23. et 4. 2. 49. Ea demoritur te.

DĒMŎROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (de *et* moror). Part. *Demorans* sub *A.*; *Demoratus* sub *A.* et *B.*; *Demorandus* sub *A.* — Demoravi occurrit *A*) Sæpissime cum Accusativo, et *B*) Raro absolute, neutrorum more.

A) Cum Accusativo personæ aut rei sæpissime occurrit, et est detinere, cohibere, remorari (It. *trattenere, fermare, ritardare*; Fr. *retenir, arrêter, retarder*; Hisp. *detener, retardar, atrasar*; Germ. *Jmdn von seinem Wege oder Ziele ab – und aufhalten, eine Sache verzögern*; Angl. *to stop, detain, retard, hinder, prevent, impede*). Usurpatur — a) Stricto sensu apud prosæ orationis scriptores. *Plaut. Epid.* 3. 2. 40. Sed nimis longum loquor: diu me estis demorati. *Cic.* 2. *Orat.* 58. 235. Ne diutius vos demorer. *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 17. 5. Detinere et demorari aliquem. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 31. Demorari studiosos. *Sil. It.* 10. 290. aliquem vano conquestu. *Tac.* 12. *Ann.* 68. aliquem variis artibus, ne cubiculo egrediatur. *Cæs.* 3. *B. C.* 75. Equitatum præmisit ad novissimum agmen demorandum. *Id.* 3. *B. G.* 6. Nullo hoste prohibente, aut iter demorante. *Id.* 1. *B. C.* 81. Ut quam maxime repentinas eorum eruptiones demoretur. *Cod.* 5. 31. 8. Demorari petitionem. — b) Latiori sensu apud Poetas. *Virg.* 11. *Æn.* 175. sed infelix Teucros quid demoror armis? *h. e.* ab armis contineo: V. *Servium* ad h. l. *Id.* 3. *ibid.* 480. quid ultra Provehor, et fando surgentes demoror austros? *h. e.* quid impedio, quominus surgentibus austris navem e littore solvant: V. *Servium* ad h. l.; et Cf. *Avien. Fab.* 15. 16. qui *Virgilium* imitatus est. Rursus *Virg.* 2. *Æn.* 647. Jampridem invisus divis et inutilis annos Demoror. *h. e.* quasi festinantes diu vivendo detineo: *Servius. Id. Virg.* 10. *Æn.* 30. Et tua progenies mortalia demoror arma. *h. e.* expecto, sustineo. V. *Servium* et *Wagner.* ad h. l.

B) Absolute, neutrorum more, raro admodum occurrit, et est idem quod moror, cunctor, differo, maneo. *Plaut. Rud.* 2. 4. 27. Me hic demoratam tamdiu. *Al. aliter leg. Tac.* 15. *Ann.* 69. Ille nihil demoratus exsurgit. *Ulp. Dig.* 5. 1. 2. § 4. Quamdiu legationis causa ibi demorantur. Adde *Cod.* 11. 47. 23. *pr.*; et *Cod. Theod.* 4. 8. 3.

DĒMORSĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒMORSĬCO, as, ātum, are, a. 1. (de *et* morsico). Part. *Demorsicatus.* — Demorsico est idem ac demordeo, mordendo decerpo. *Apul.* 2. *Met.* Sagæ mulieres ora mortuorum passim demorsicant. *Id.* 3. *ibid.* Rosis tantum demorsicatis exibis asinum.

DĒMORSUS, a, um. *V.* DEMORDEO.

DĒMORTŬUS, a, um. *V.* DEMORIOR.

DĒMOS, i, m. 2. δῆμος, populus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (69). Parrhasius pinxit et demon Atheniensium, argumento quoque ingenioso. Volebat namque varium, iracundum, injustum, inconstantem; eumdem exorabilem, clementem, misericordem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem, fugacemque, et omnia pariter ostendere.

DĒMOSTHĔNĬCĒ, adverb. Demosthenis more. Affertur a *Priscian.* 15. p. 1022. *Putsch.*, sed nullo confirmatur Latini auctoris exemplo.

DĒMŌTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒMŎVĔO, mŏves, mōvi, mōtum, mŏvere, a. 2. (de *et* moveo). Locis inferius allatis et similibus pro *demovere* al. leg. *dimovere*: sed illud est advertendum, ut quoties deorsum movendi ratio aliqua significatur, per *de*; quoties vero in aliam, vel diversas partes, per *dis* scribatur. Hujusmodi enim est harum præpositionum *de* et *dis* vis et sententia: quod et alibi admonuimus; et *Burmann.* ante nos adnotaverat ad illud *Cic. Cæcin.* 15. 42. apud *Quintil.* 7. 3., quod *V.* sub II. init. — Part. *Demotus* I. et II.; *Demovendus* I. — Demoveo est deorsum moveo, loco moveo, deturbo, depello (It. *muover di luogo, levar via, tirar giù, respingere*; Fr. *déplacer, ôter d'un endroit, écarter, éloigner*; Hisp. *quitar, mudar de puesto, alejar, desviar*; Germ. *eine Person oder Sache von etw. herabbewegen, weg – oder fort – schaffen, – bringen, von Personen, vertreiben, verdrängen*; Angl. *to remove, displace, dislodge*).

I.) Proprie. — a) De personis. *Cic. Cæcin.* 17. 49. Demoveri et depelli de loco necesse est eum, qui dejiciatur. *Id. ibid. in fin.* Manu demotus et actus præceps. *Liv.* 6. 32. Quantum Romana se invexit acies, tantum hostes gradu demoti. Cf. *Id.* 9. 29. Traditur inde dictu mirabile, quod demovendis statu suo sacris religionem facere posset. V. *Drakenborg.* ad hæc l. *Cæs.* 2. *B. C.* 32. Pompejus nullo prælio pulsus, vestri facti præjudicio demotus, Italia excessit. *Tac.* 2. *Ann.* 43. Sed Tiberius demoverat Suria Creticum Silanum. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 60. *Id.* 6. *ibid.* 30. Demovere aliquem in insulam. *h. e.* relegare. — b) De inanimis. *Tac.* 1. *Ann.* 79. Fluvius (*Clanis*) solito alveo demotus. *Id.* 11. *ibid.* 38. Censendo, nomen et effigies privatis ac publicis locis demovendas. *Ammian.* 20. 11. Demovere munitiones. — c) Figurate. *Tac.* 13. *Ann.* 20. Demovere aliquem præfectura. *Id. ibid.* 11. Ordine demotum senatui reddidit. *Id. ibid.* 14. Demovere aliquem cura rerum.

II.) Translate. *Ter. Adelph.* 2. 1. 15. Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos. *Cic. Cæcin.* 15. 42. Vis, quæ periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco sæpe et certo de statu demovet. *Id.* 2. *Verr.* 17. 52. Ne quis te de vera et certa possit sententia demovere. *Id.* 2. *Orat.* 51. 208. Odium a nobis demovere. *Id. Dom.* 26. 68. labem a republica. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 39. aliquem lucro. *Tac.* 4. *Hist.* 58. Terrore ac promissis demoveri.

DEMPTĬO *vel* demtio, ōnis, f. 3. actus demendi, detractio. *Varro* 5. *L. L.* 6. *Müll.* Litterarum demptio, aut additio. *Id. ibid.* 176. Damnum a demptione, quum minus re factum, quam quanti constat.

DEMPTUS *vel* demtus, a, um. *V.* DEMO.

DEMTĬO. *V.* DEMPTIO.

DEMTUS, a, um. *V.* DEMO.

DĒMŪGĪTUS, a, um, particip. ab inus. *demugio*, mugitibus completus. *Ovid.* 11. *Met.* 375. sanguine littus, Undaque prima rubent demugitæque paludes.

DĒMULCĀTUS, a, um, particip. ab inus. *demulco*, quod a *mulco*, valde mulcatus. *Capell.* 8. p. 272. Tam tristibus asperisque Saturæ alloquiis tepidulæ verberibus demulcatis. *Ita legit* Kopp, *quem vide*; *vulgati libri habent* demulctatis.

DĒMULCĔO, mulces, mulctum, mulcere, a. 2. (de *et* mulceo). Part. *Demulcens* et *Demulctus* 2. — Demulceo ¶ 1. Est idem ac mulceo, leniter attrecto, tactu blandior. *Ter. Heaut.* 4. 5. 14. Non possum pati, quin tibi caput demulceam: accede huc. *Liv.* 9. 16. *ad fin.* Remitto, ne utique dorsum demulceatis, quum et equis descendetis. ¶ 2. Item blandimentis delenio, allicio. *Gell.* 3. 13. Ita motus et demulctus et captus est, ut Callistratum jam inde sectari cœperit. *Id.* 18. 2. Demulcentes animum jucundis sermonum illectationibus.

DEMULCTUS, a, um. *V.* voc. præced.

DĒMUM, adverb. Antiqui *demus* dixere, teste *Paul. Diac.* p. 70. 8. *Müll.*, ut *prorsus* et *rursus* pro *prorsum*, *rursum*. — Ratione habita etymi, nonnulli, propter antiquam formam *demus*, deducunt a τῆμος *tum*: plerique alii a Græca particula δή, (V. *Hand. Tursell. vol.* 2. p. 250.); recentiores tamen rectius putant, *demum* esse formam superlativam a præpositione *de* effictam, ut *imus* ab *in*, *summus* a *super* etc. Itaque *demum* eamdem prorsus rationem seu relationem significat, quam præpositio *de*, sed perfectam omnino, hoc est ad summum gradum provectam; aliis verbis significat eventum aliquem aut rationem aliquam post plures alios eventus aut rationes, interdum etiam præter expectationem et sero admodum, accidere vel exsistere: hinc et *Paul. Diac.* p. 70. 8. *Müll. demum* poni pro *dumtaxat* adnotavit (It. *ora solamente*, *ora finalmente*: Fr. *seulement à présent*, *finalement à présent*; Hisp. *ahora solamente*, *ahora finalmente*; Germ. *erst*, *jetzt erst*; Angl. *now only*, *now finally*). Quod ad usum attinet, *demum* proprie dicitur de tempore, sed transfertur etiam ad conditionem: semperque arcte conjungitur cum aliquo vocabulo, quod præcedit aut statim, aut alia interposita voce, quæ generatim proprio careat accentu. Itaque, ut rem ad summa capita redigamus, adverbium *demum* jungitur *A*) Cum aliis Adverbiis, quæ tempus aut conditionem significant; *B*) Cum pronominibus *is*, *hic*, *ille* et aliis hujusmodi, quoties hisce dilata vel retardata aliqua ratio seu relatio significatur; denique *C*) Cum aliis particulis, quæ temporis aut conditionis rationem significant.

A) Jungitur cum aliis adverbiis, quæ tempus aut conditionem significant: scilicet — a) *Nunc demum* vel *nunc.... demum* sæpissime occurrunt, et quidem — Nullo alio interposito vocabulo. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 62. Nunc demum scio, me fuisse excordem, cæcum, incogitabilem. Adde *eumd. ibid.* 2. 6. 78., *Capt.* 5. 4. 25., *Rud.* 4. 4. 78., *Pœn.* 5. 3. 39. et *Epid.* 4. 1. 42. *Ter. Adelph.* 5. 3. 19. Nunc demum istæc nata oratio est. Adde *eumd. Heaut.* 2. 3. 3. *Id. Adelph.* 2. 2. 25. Nunc demum venis? cur passus? ubi eras? *Id. Andr.* 4. 1. 58. Hem, nuncine demum? *Cic. Cœl.* 7. 17. Nunc demum intelligo P. Clodii insulam esse venalem. Cf. *Ter. Heaut.* 2. 3. 12. Rursus *Cic.* 16. *Att.* 3. 1. Nunc demum rescribo his litteris, quas mihi misisti. *Nepos Timol.* 5. Dixit nunc demum se voti esse damnatum. Rursus *Cic.* 3. *Cat.* 10. 25. Quod si æquum est, cur tam diu vivo: si injustum, nunc demum occidor? *Zumptius* h. l. aliter omnino interpretatur. *Plin.* 5. *Ep.* 8. Undevicesimo ætatis anno dicere in foro cœpi, et nunc demum, quid præstare debeat orator, adhuc tamen per caliginem video. — Interdum adverbio *nunc* statim additur vocabulum, quod eidem declarando inservit. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 1. Nunc defæcato demum animo egredior domo, postquam perspexi salva esse intus omnia. *Virg.* 10. *Æn.* 849. Heu nunc misero mihi demum exsilium infelix. — Interdum inter *nunc* et *demum* particula interseritur proprio carens accentu, aut pronomen. *Plaut. Cas.* 4. 4. 14. Nunc pol demum ego sum liber. *Id. ibid.* 2. 8. 32. Nunc pol ego demum in rectam redii semitam. — b) *Modo demum* idem est ac *nunc demum* apud *Ter. Andr.* 5. 3. 11. Modone id demum sensti, Pamphile? Olim istuc, olim, quum ita induxti animum etc. — c) *Tum demum* vel *tum.... demum* sæpissime occurrit, ita ut particula *tum* ad tempus aut ad conditionem referatur, sive absolute ponatur, sive cum additis quæ eamdem declarent. *Plaut. Men.* 2. 2. 71. Tum demum sciam recte monuisse, si tu recte caveris. *Id. Mil. glor.* 4. 8. 55. Si id facies, tum demum scibis qui bonus sit, qui malus. *Id. Pœn.* 1. 1. 60. Immo etiam ubi expolivero, magis hoc tum demum dices. *Cic.* 1. *de republ.* 21. 38. Quod si converterit, tum demum decebit. Adde *Atticum* apud *Cic.* 9. *Att.* 10. 4. *Cæs.* 1. *B. G.* 30. Tum demum Ariovistus partem suarum copiarum – misit. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 17. et 51., et 5. *ibid.* 33. *Sall. Jug.* 45. Ac tum demum rerum deditionem facere conatus est. *Liv.* 2. 20. Tum demum impulsi Latini perculsaque inclinavit acies. Adde *eumd.* 3. 12., 10. 13. et 40. 50. *Virg.* 3. *G.* 205. Tum demum crassa magnum farragine corpus Crescere jam domitis sinito. Adde *eumd.* 6. *Æn.* 330. et 573., 9. *ibid.* 815. et 12. *ibid.* 6. *Ovid. Heroid.* 4. 615. Exierat thalamo: tum demum pectora plangi Contigit. *Cels.* 2. 37. *extr.* Et tum demum, ubi jam nihil tale extra fertur, ad cicatricem perduci. *Col.* 11. *R. R.* 2. 7. Ligna denique confici, ut tum demum tepenti jam die putatio administretur. *Plin.* 1. *Ep.* 13. Tum demum ac tunc quoque lente cunctanterque veniunt. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 14., 6. *ibid.* 20. et 8. *ibid.* 20. — Et alio interposito vocabulo *Plaut. Trin.* 3. 3. 52. Tum

tu igitur demum id adolescenti aurum dabis, ubi erit locata virgo in matrimonium. — *d*) *Tunc demum* eodem sensu ac *tum demum* usurpatur. *Curt.* 4. 13. 20. Jamque exire necesse erat: tunc demum intrat tabernaculum etc. *Cels.* 3. 6. Ac si qua nota est, tunc demum dare potui calidam aquam. Adde *eumd.* 3. 10. *Seneca Ep.* 121. Tunc demum intelliges, quid faciendum tibi, quid vitandum sit, quum didiceris quid naturæ tuæ debeas. *Colum.* 1. *R. R. proœm.* 33. Quas ordine suo tunc demum persequar, quum præfatus fuero. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 23. 1.; et *Sueton. Claud.* 5. — *e*) *Ibi demum* dicitur de loco et de tempore. *Plaut. Capt.* 5. 4. 3. Illic ibi demum est locus, ubi labore lassitudo omnis est exigunda ex corpore. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 50. Ibi demum ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem – commiseresceret. *Virg.* 9. *Æn.* 445. Tunc super exanimum sese projecit amicum Confossus, placidaque ibi demum morte quievit. Adde *Quintil.* 10. 3. 13.; et *Stat.* 4. *Theb.* 471. et 2. *Silv.* 3. 14. — *f*) *Igitur demum* apud antiquos tantum occurrit. *Plaut. Amph.* 1. 2. 11. Adeo usque satietatem dum capiet pater illius, quam amat: igitur demum omnes scient, quæ facta. *Id. Most.* 2. 1. 32. Miserum est opus, igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet. Adde *eumd. Rud.* 4. 1. 25. — Similiter *post igitur demum* apud *eumd. Amph.* 3. 1. 16. Post igitur demum faciam, res fiat palam. — Et *demum igitur* apud *eumd. Merc.* 3. 2. 9. Demum igitur quum senex sis, tunc in otium te colloces. — *g*) *Sic demum* habet *Virg.* 3. *Æn.* 795. Sic demum socios consumpta nocte reviso. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 154. — *h*) *Ita demum* est hoc tantum pacto, hac tantum conditione, hac denique conditione. *Cels.* 3. 21. Nam si plus humoris excernitur quum assumitur, ita demum secundæ valetudinis spes est. *Id.* 1. *præfat.* Ita mortui demum præcordia et viscus omne etc. *Plin.* 3. *Ep.* 3. Quibus omnibus ita demum similis adolescet, si imbutus honestis artibus fuerit. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 9.; *Sueton. Claud.* 25. et *Vitell.* 14.; *Justin.* 11. 4. 10.; *Caj.* 2. *Instit.* 60. et 3. *ibid.* 219.; et *Dig.* 2. 2. 3. *pr.* — *i*) *Jam demum* est nunc tandem, nunc primum. *Ovid.* 2. *Trist.* 8. Carmina fecerunt, ut me moresque notaret Jam demum visa Cæsar ab arte meus. *Quintil.* 8. 2. 21. Ut id jam demum eleganter atque exquisite dictum putent. — *l*) *Ut demum* est ut primum, vix dum. *Sueton. Cal.* 6. Ut demum fato functum palam factum est.

B) Jungitur cum pronominibus *is*, *hic*, *ille* et aliis hujusmodi, quoties hisce dilata vel retardata ratio aliqua seu relatio significatur. — *a*) *Is, ea, id demum* est is, ea, id tantum, vel in primis, sive pronomen absoluta ponatur, sive additis declaretur et definiatur. *Plaut. Pers.* 2. 3. 14. Nam id demum lepidum est, triparcos homines, vetulos, avidos bene admordere etc. *Ter. Adelph.* 5. 3. 1. Abs quovis homine beneficium accipere gaudeas: verum enim vero id demum juvat, si quem æquum est facere; is bene facit. *Cic.* 8. *Att.* 8. 1. Sic enim sentio, id demum aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. *Sall. Cat.* 20. Idem velle et idem nolle, ea demum firma amicitia est. *Id. ibid.* 12. Quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti. *Id. ibid.* 2. Verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui etc. *Liv.* 4. 4. Verum enim vero lege id prohiberi –, id demum contumeliosum plebi est. *Curt.* 4. 1. 3. Id demum credens fore ipsius, quod celeriter præcipere potuisset. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 7. 5. (11). Is demum profecto vitam æqua lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanæ memor fuerit. *Quintil.* 7. *proœm.* 1. De inventione satis dictum est. Neque enim ea demum, quæ ad docendum pertinent, executi sumus, verum etiam motus animorum tractavimus. Adde *eumd.* 1. 3. 4.; *Plin.* 1. *Ep.* 8. et 20.; et *Dig.* 3. 1. 9., 28. 6. 34. *pr.* et alibi. — Et interposita alia particula *Cic.* 2. *de republ.* 15. 28. Ea sunt enim demum non ferenda in mendacio, quæ – ne fieri quidem potuisse cernimus. — *b*) *Hic, hæc, hoc demum* eodem modo usurpatur. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 23. Hoc est demum, quod percrucior. *Virg.* 1. *Æn.* 632. Me quoque per multos similis fortuna labores Jactatam hac demum voluit consistere terra. — Huc pertinet et illud ejusdem *Virg.*, ubi *hic* adverbium est, 2. *Æn.* 743. Hic demum collectis omnibus una Defuit. — *c*) *Ille, illa, etc. demum* similiter usurpatur. *Plaut. Capt.* 1. 1. 37. Ille demum antiquis est adolescens moribus, quojus numquam vultum tranquillavi gratiis. *Virg.* 1. *G.* 47. Illa seges demum votis respondet avari Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit. — *d*) Raro cum aliis pronominibus jungitur: quæ tamen aliqua præcedentia admittunt. *Cic.* 3. *Legg.* 17. 38. Vos demum, ut video, legem antiquastis sine tabella. *h. e.* non ego, sed vos tantum etc. *Quintil.* 1. 10. 5. Si ipsa demum æstimes. *h. e.* si ipsa eadem tantummodo æstimes. *Cels. præfat.* Num quæ demum causæ – præstent etc. *h. e.* quæ post multas alias etc.; si tamen certa est lectio. — Apud *Cic.* 5. *Tusc.* 37. 107. Jam vero exsilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quærimus, quantum demum a perpetua peregrinatione differt? *ex Codicum collatione lege* quantum tandem a etc.

C) Jungitur et cum brevibus aliis particulis, quæ temporis aut conditionis rationem significant, et aliquando importat quamdam affirmationem, et, veluti pluribus rebus consideratis, certam ratamque conclusionem rei quæ affirmatur. — *a*) Cum definita temporis aut numeri significatione (hinc *Paul. Diac. p.* 70. 8. *Müll. demum* ait significare etiam *post*). *Plaut. Asin.* 5. 2. 65. Postea demum hunc eres adducam ad lenam. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 31. 4. Unas enim post Idus Martias demum a Pansa litteras accepi. *Sueton. Aug.* 10. Post biduum demum. *Plin.* 9. *Ep.* 36. Post somnum demum lectio nemque. *Ter. Adelph.* 5. 8. 15. Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo fiam. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 23. quartâ vix demum exponimur horâ. *Ovid.* 13. *Met.* 209. decimo demum pugnavimus anno. *Sueton. Aug.* 24. Ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravate hibernisque demum mensibus, permisit uxorem intervisere. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Tantis glebis tenacissimum solum quum primum prosecatur, adsurgit, ut nono demum sulco perdometur. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 2. — *b*) Cum Participio tempus aut conditionem significante. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 37. Damnatus demum, vi coactus reddidit ducentos et mille philippum. — Sæpius cum Ablativo absol. *Virg.* 6. *Æn.* 637. His demum exactis, perfecto munere divum, Pervenere locos etc. *Sueton. Cæs.* 23. Appellato demum collegio. *Id. Aug.* 31. Mortuo demum (*Lepido*). *Id. Galb.* 3. Illitis demum galbano facibus. *Justin.* 1. 7. 3. Depletis demum plerisque. *Id.* 1. 10. 7. Quod et ipsum dissoluta demum alhaitate procedit. — *c*) Cum verbo *esse* tempus aut conditionem significante. *Plaut. Merc.* 5. 2. 68. Servata res est demum, si ipsam videro. *Ovid.* 15. *Met.* 122. Immemor est demum nec frugum munere dignus, Qui potuit etc. — *d*) Cum augendi vi per Comparativum vel Superlativum significata. *Plaut. Most.* 2. 2. 154. Latius demum est operæ pretium ivisse. *h. e.* prius latius sive ulterius provexisse oportuit, ut operæ pretium sit. *Quintil.* 4. 2. 79. Videamus ergo, num expositio hæc longior demum esse debeat, et paullo verbosior præparatione. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 16. Ex libris cognitum castissimæ demum feminæ manu moveri posse. — *e*) Denique generatim cum uno tantum vocabulo, quod, ratione habita totius propositionis, augendi vim aliquam importat. *Tac.* 1. *Ann.* 64. Nox demum inclinantes jam legiones adversæ pugnæ exemit. *h. e.* noctu demum legiones – exemptæ sunt. *Quintil.* 2. 15. 1. Alii malos quoque viros posse oratores dici putant, alii nomen hoc, artemque de qua loquimur, bonis demum tribui volunt. *h. e.* iis demum, qui boni sunt. *Id.* 11. 3. 98. Adeo – suis demum oculis credidit, quod efficeret. *h. e.* tunc tantum, quum suis ipse oculis vidit. *Id.* 1. 4. 11. Quo modo duabus demum vocalibus in se ipsas coeundi natura sit. *Id.* 1. 4. 29. Quædam (*verba*) tertiæ demum personæ figura dicuntur, ut *licet, piget. Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 33. Nobis autem utilitas demum spectanda est. *h. e.* non ceterarum rerum, sed utilitatis tantum ratio habenda est a nobis. Cf. *Quintil.* 8. 3. 3. Docendo judicem tantum, et utiliter demum ac Latine perspicueque dicendo. Et *Rutil. Lup.* 21. Fortiter demum.

DĒMURMŬRO, as, are, a. 1. murmurando dico. *Ovid.* 14. *Met.* 58. Ter novies carmen magico demurmurat ore.

DĒMUS. *V.* DEMUM init.

DĒMUSSĀTUS, a, um, particip. ab inus. *demusso*, quod a *musso*; translate tantum occurrit, et est dissimulatus, patienter et cum silentio toleratus. *Apul.* 3. *Met.* Demussata contumelia. *Ammian.* 30. 1. 3. Injuriis, quas pertulerat, omnibus demussatis. Sic *Ter. Adelph.* 2. 1. 53. Mussitanda injuria est.

DĒMŪTĀBĬLIS, e, adject. mutabilis, omnino mutabilis. *Prudent. Apotheos.* 314. Non convertibilis, nec demutabilis unquam Est Deus. *Tertull.* 2. *Anim.* 1. Demutabilis natura.

DĒMŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. mutatio. *Cic.* 2. *de republ.* (edente *A. Maio*) 4. Est autem maritimis urbibus etiam quædam corruptela ac demutatio morum. Hic *Maius* adnotat ita scriptum primo in *Cod.*, altera vero manu expunctam fuisse præpos. *de*, fortasse quia emendator prope insolitum vocabulum ignoraverit. At *Henrichius, Lehnerus, Steinakerus* et *Orellius* hoc v. in suis edition. receperunt. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (113). Et ideo versicoloris esse demutationis. *Alii multi et ipse Sillig. leg.* mutationis. Certa lectione *Tertull. Resurr. carn.* 55. Demutatio carnis. Adde *eumd.* 4. *advers. Marcion.* 1. et 5. *ibid.* 10. *extr.*

DĒMŪTĀTOR, ōris, m. 3. qui mutat. *Tertull. Resurr. carn.* 32. Argutissimi demutatores ossium.

DĒMŪTĀTUS, a, um. *V.* DEMUTO.

DĒMŪTĬLO, as, are, a. 1. idem ac mutilo. *Colum. Arbor.* 11. 2. Cacumina virgarum, ne luxurientur, demutilato.

DĒMŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et muto). Part. *Demutatus* et *Demutandus* sub *a.* — Demuto est idem quod muto, sed frequenter mutationem in pejus evenire significat: et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Cato* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. Voces demutat, staticulos dat. *Plaut. Mil. glor.* 4. 7. 8. Oratio alio mihi demutanda est mea. *Id. Men.* 5. 2. 118. Imperium tuum demutat. *Tac.* 1. *Ann.* 16. Placitum institutu famulorum nihil demutavi. *Gell.* 7. 1. In aliqua re demutare sententiam. *Tertull. Resurr. carn.* 55. et *Sulpic. Sever. epist.* 3. *ad Bassul. a med.* Caro demutata. Rursus *Plaut. Trin.* 1. 2. 36. Si mores ingenium tuum demutant. *h. e.* corrumpunt. — *b*) Absolute *demutare* est pro *demutari*, et fere dicitur de eo, qui a priore agendi ratione aut sententia discedit. *Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 37. Num quid videtur demutare, atque ubi ego dixi esse vobis hunc militem? *ubi* τὸ *quid vicem Accusativi facere videtur.* Rursus *Plaut. Pseud.* 1. 5. 149. Suspicio est mihi nunc vos suspicarier, me idcirco hæc tanta facinora promittere, qui vos oblectem, hanc fabulam dum transigam, neque sim facturus quod facturum dixeram. Non demutabo. *Apul. de Mag.* Quamquam teterrimum os tuum minimum a Thyesta tragico demutet.

DĒNĀRĬĀRĬUS, a, um, adject. ad denarium nummum pertinens. *Volus. Mæcian. de ass. distrib.* § 64. Ut denariaria, sive sestertiaria ratio conficeretur.

DĒNĀRISMUS, i, m. 2. δηναρισμός, pensio denarii, cujus mentio fit ab *Imppp. Valentinian., Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 12. 1. 107. et 123. § 2.

DĒNĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. sub I. 2.

DĒNĀRĬUS, a, um, adject. Quod ad quantitatem attinet, secunda syllaba longa est. *Martial.* 2. 51. Unus sæpe tibi tota denarius area Quum sit. *Id.* 1. 118. et 9. 101. vocem *denarīŭs* trisyllabam facit; pro duplici enim ii unicam scribebant veteres Romani. — Ceterum

I.) Proprie. ¶ 1. Denarius est decem continens. *Vitruv.* 3. 1. 5. *Schneid.* Denarius digitorum numerus. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 31. (58). Si fistulæ denariæ erunt. *h. e.* quarum laminæ latitudo, antequam curvaretur, digitorum decem erat, ut ipsemet *ibid.* explicat, itemque *Vitruv.* 8. 6. 4. *Schneid.* Nam apud *Frontin. Aquæd.* 25. dicuntur *fistulæ denariæ, senariæ* etc., quæ decem, aut sex quadrantes, h. e. quartas digiti partes in diametro habent. *Paul. Diac. p.* 71. 10. *Müll.* Denariæ cæremoniæ dicebantur et tricenariæ, quibus sacra adituris decem continuis diebus, aut triginta certis quibusdam rebus carendum erat. ¶ 2. *Denarius nummus* et *denarius* absolute fuit nummus argenteus apud Romanos, qui primo decem asses valuit, deinde sedecim, cujus quarta pars *sestertius* dicebatur, qui primo duobus assibus et dimidio, deinde quatuor æstimatus est, ut *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (45)., *Varro* 5. *L. L.* 173. *Müll.*, *Vitruv.* 3. 1. *Schneid.* et *Paul. Diac. p.* 98. 1. *Müll.* docent. *V.* ARGENTEUS. *Liv.* 8. 11. *extr.* Vectigal jussus pendere quotannis denarios nummos quadringenos quinquage-

nos. — Absoluta. *Cic.* 3. *Off.* 23. 92. An emat denario, quod sit mille denariûm. pro *denariorum*; atque ita frequentius, quum certa pecuniæ summa describitur; cf. *Varron.* 8. *L. L.* 71. *Müll.* et *Gell.* 1. 8. Ceterum *denariorum* habet *Sueton. Tib.* 48; et *Cic.* 9. *Fam.* 18. Ollam denariorum implere. *Id. Fontej.* 5. 9. Quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exigere. *Cæs.* 1. *B. G.* 52. Jam ad denarios quinquaginta in singulos modios annona pervenerat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 53. (191). Justum est, singulas vehes fimi denario ire, *h. e.* venire, vendi. Adde *Cic.* 5. *Verr.* 82. 189.; *Liv.* 37. 59.; *Sueton. Aug.* 67.; et *Martial.* 9. 103. et 2. 51. — Neutro genere *Plaut. Rud.* 5. 2. 27. Centum denaria Philippea in pasceolo seorsum. *subaudi* numismata. *Cic. Quinct.* 4. 17. Decidis, statuisque, quid iis ad denarium solveretur. V. *Klotz* ad h. l.; et infra sub II. — Denique *denariæ formæ* apud *Lamprid. Alex. Sev.* 39. sunt ipsi denarii, de quibus modo est dictum. ¶ 3. A medicis Latinis *denarius* adhibetur ad significandum pondus drachmæ Atticæ, ut *Plin.* 21. *Hist. nat.* 34. 109. (185). docet. Drachma autem ipsa continet octogesimam quartam partem libræ, ut apud *Scribon. epist. ad Callistrat. sub fin.* legitur (tametsi aliter apud *Fann. de ponderib.* 35.). Ex quo fit septimam partem ponderis unciæ denarii pondere contineri, ut *Cels.* 5. 17. docet. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 2. 4. (9). Cucumeris semen viginti denariorum pondere in hemina aquæ datum. *Id.* 30. *ibid.* 7. 19. (56). Cochleæ quinæ combustæ cum denarii pondere dimidii acaciæ. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 9. 2. — Hoc denarii pondus dividitur a *Celso loco cit.* in sex partes, id est sextantes, quæ totidem ὀβολοῖς apud Græcos respondent. *V.* de his accuratius fusiusque disserentem *Gronov. de pecun. Vet. l.* 2. *c.* 6. etc. ¶ 4. Fuit etiam denarius aureus, qui valuit aliquando denarios argenteos viginti quinque, sestertios vero centum. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (47). et 34. *ibid.* 7. 17. (37). *V.* AUREUS. ¶ 5. Sequiore vero tempore *denarius* fuit appellata moneta ex ære. Hinc apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. *denarius* appellatur as: *V.* locum in CAPUT. Et apud *Vopisc. Aurelian.* 9. Ipsi autem decernes argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum. — Hujusmodi denariorum æreorum sex millia solidum constituebant ævo *Cassiodori* (1. *Variar.* 10.), qui solidus aureus erat pars septuagesima secunda libræ auri; quum aureus nummus superiori tempore esset pars quadragesima libræ ejusdem. V. *Gothofr.* ad *Cod. Theod.* 12. 1. 107.

II.) Improprie per metonymiam denarius ponitur ad significandam pecuniam. *Cic.* 2. *Att.* 6. *extr.* Equa spes sit denarii, an cistophoro Pompejano jaceamus. *Forcellinus* censuit, hoc loco et *Quinct.* 4. 17. (quem superius retulimus sub I. 2.) denarium poni ad significandam monetam Romanam, quia ceteri populi nummos denarii nomine non habebant. — Hinc

Denarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, sub I. 2.

Denarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, sub I. 2. 3. 4. et 5. et II.

DĒNARRO, as, are, a. 1. (de *et* narro) plene et per ordinem narro, enarro. *Ter. Phorm.* 5. 7. 51. Hæc adeo ego illi jam denarrabo. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 315. matri denarrat, ut ingens Bellua cognatos eliserit. *Gell.* 1. 23. Puer rem, sicuti fuerat, denarrat.

DĒNASCOR, nasceris, nasci, dep. 3. (de *et* nascor) morior. *Cassius Hemina* apud *Non. p.* 101. 29. *Merc.* Quæ nata sunt, ea omnia denasci ajunt. *Varro* 5. *L. L.* 70. *Müll.* Qui denascitur, ignem amittit ac frigescit.

DĒNĀSO, as, are, a. 1. (de *et* nasus) nasum aufero. *Plaut. Capt.* 3. 4. 73. Os denasabit tibi mordicus.

DENATIUM. *V.* THANATIUM et ASCLEPIODOTON.

DĒNĀTO, as, are, n. 1. (de et nato) deorsum nato. *Horat.* 3. *Od.* 7. 28. Nec quisquam citus æque Tusco denatat alveo.

DENDRĀCHĀTES, æ, m. 1. δενδραχάτης, gemma ex achatarum genere, velut arbusculis insignis, a δένδρον *arbor. Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (139).

DENDRĪTES. *V.* voc. seq.

DENDRĪTIS, idis, f. 3. δενδρῖτις, gemma, quæ sub arbore defossa, non permittit securim hebetari. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (192). Apud *Capell.* 1. *p.* 20. legitur Nominativus *dendrites*.

DENDRŎĪDES, æ, m. 1. δενδροειδής, tithymali species, *h. e.* arboreum: a δένδρον *arbor. Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 45. (71). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 397.) hanc exhibet synonymiam: Τιθύμαλλος ὁ ἐν ταῖς πέτραις φυόμενος *Dioscor.* 4. 165. et *Tithimalus dendroides, aliis cobios, aliis leptophyllos* Plin. loc. cit. sunt *Euphorbia dendroides* L. *Spec. plant.* 662.

DENDRŎPHŎRUS, i, m. 2. δενδροφόρος, qui arborem fert: a δένδρον *arbor* et φέρω *porto.* Hinc ¶ 1. Silvanus, quia, ut ait *Virg.* 1. *G.* 20., teneram fert ab radice cupressum, *dendrophorus* cognominatur in *Inscript.* apud *Gruter.* 64. 7., quæ est apud *Orell.* 1602. SILVANO DENDROPHORO SACRVM M. POBLICIVS HILARVS MARGARI*tarius* Q. Q. P. P. (*quinquennalis perpetuus*) CVM LIBERIS MAGNO ET HERMONIANO DENDROPHORIS *magnæ* DEUM *matris* DE SVO FECIT. ¶ 2. Præterea *dendrophori* vocantur, qui in honorem Bacchi, aut Silvani, aut magnæ deum matris arbores stirpitus excisas humeris per urbes portabant in festo, quod Græci δενδροφορίαν vocabant (V. *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 5. *p.* 51. edit. *Mediol.*); constituebantque veluti corpus quoddam religiosorum hominum. V. *Inscript.* supra allatam, et *Reines.* ad *Inscript. cl.* 1. *n.* 40., qui multa habet huc spectantia. Sic in *Inscript.* apud *Orell.* 2385., quæ est apud *Mommsen Inscript. Neap.* 2559. EX S. C. (*h. e.* ex senatus Romani consulto, ut recte *Mommsen. ibid.* interpretatur) DENDROPHORI CREATI (*cerati* mendose *Orell.*; at *creati* leg. *Reines.* et *Mommsen.*) QVI SVNT SVB CVRA XV. VIR. S. F. CENT PATRON L. AMPIVS STEPHANVS SAC. M. DAI (*Mommsen.* suspicatur legendum *matris* DEV pro DEI) QQ. DEND. (*quinquennalis dendrophororum*) DEDICATIONI HVJVS PANEM VINVM ET SPORTVLAS DEDIT. (*Sequuntur nomina* LXXXVI.) — DEDICATA VII. ID. OCT. III. ET SEMEL COS. *h. e.* ann. post Chr. n. 232., *V. Orell.* ad h. l.; et LIGNIFER. ¶ 3. *Dendrophori* vocati sunt etiam artifices, qui materiem et universam rem tignariam ad ædificia exstruenda, et naves ac bellicas machinas fabricandas administrabant. Horum collegium in omnibus fere urbibus erat, et Herculem præcipue ac Silvanum colebat. *Inscript.* apud *Gruter.* 45. 8. HERCVLI COMITI CVSTODI M. CASSIVS AVG. LIB. SOSTRATVS PRAEF. FABRORVM COLLEGII DENDROPHORORVM etc. Adde *aliam* apud *Fabrett. p.* 601. *n.* 21. *Imp. Constantin. M. Cod. Theod.* 14. 8. 1. In quibuscumque oppidis dendrophori fuerint, centonariorum atque fabrorum corpori adnectantur, quoniam hæc corpora frequentia hominum multiplicari expedit. — Negat *Salmas.* ad *Spartian. Carac.* 9., alios unquam fuisse dendrophoros, quam qui aliquorum deorum ministri fuerunt; his similia habet *Murat.* in *Thesaur. Inscript. p.* 514. *n.* 12.: sed uterque fallitur. *V.* CLASSIARIUS; et *Schiassi, Lex. Morcell. T.* 1. *p.* 372. *col.* 1.

DĒNECĀLIS, e. *V.* DENICALIS.

DĒNĔGĀTOR, ōris, m. 3. qui denegat. *Gloss. Cyrill.* Ἀπαρνητής, abnegator, denegator.

DĒNĔGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒNĔGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et nego). Part. *Denegatus*, *Denegaturus* et *Denegandus* 2. — Denegare ad litteram est aliquid negando auferre: hinc ¶ 1. Stricto sensu denego est affirmo rem aliquam minime accidisse, ac, qui aliter sentit, eum mendacem esse ajo. *Plaut. Men.* 4. 2. 12. Datum denegant, quod datum est. *Tac.* 15. *Ann.* 57. Atque interim Nero recordatus Volusii Proculi indicio Epicharin attineri, ratusque muliebre corpus impar dolori, tormentis dilacerari jubet. At illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne a femina spernerentur, pervicere, quin objecta denegaret. ¶ 2. Latiori sensu ac sæpius ponitur pro recusare, dare nolle, non dare; et quidem — *a*) Cum Accusativo rei, quæ recusatur. *Plaut. Trin.* 5. 2. 46. Si tibi denegem, quod me oras. *Cic.* 7. *Verr.* 14. 35. Ut omnia semper, quæ jucunda videntur esse, non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturæ ac necessitati denegarem. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 9. Divinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda. *Id.* 2. *Orat.* 29. 126. Ei nihil a natura denegatum. *Cæs.* 1. *B. G.* 42. Petenti denegare aliquid. *Id. ibid.* 32. Expetita et denegata colloquia. *Auct. B. Gall.* 8. 45. Nulli denegare auxilia adversus Romanos. Adde *Propert.* 1. 6. 9. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* Sexum a natura viris denegatum muliebri motu mentiuntur. *Ovid.* 4. *Met.* 369. Denegare gaudia. *Val. Flacc.* 7. 318. artes. — *b*) Cum Infinito. *Plaut. Stich.* 4. 1. 52. Ubi ille poscit, denegavit, se dare granum tritici. Adde *Ter. Heaut.* 3. 1. 78. *Id. Ter. Andr.* 1. 5. 6. Qui denegarat, se commissurum mihi gnatam suam uxorem. *Propert.* 2. 19. 12. Et nunquam pro te deneget esse miser. Adde *Horat.* 3. *Od.* 16. 38. — *c*) Absolute. *Curt.* 5. 5. Desperare misericordiam, quia ipse alteri denegaturus sit. *ubi tamen Accusativus* misericordiam *ex antecedenti patet.* Cf. *Sueton. Cal.* 23. *Cic.* 1. *Att.* 1. 1. Aquilium non arbitramur, qui denegavit et juravit morbum etc. *Al. aliter leg. Sueton. Cæs.* 1. Satis constat, Sullam, cum deprecantibus amicissimis et ornatissimis aliquamdiu denegasset, atque illi pertinaciter contenderent, expugnatum tandem proclamasse etc.

DĒNI, æ, a, nomen numerale distributivum a *decem*. — In Genitivo plur. num. habet *denum*, ut reliqua fere hujusmodi distributiva. *Cic.* 4. *Verr.* 49. 122. Pueri annorum senum septenumque denum. *Colum.* 2. *R. R.* 11. 26. Facito areas latas pedum denum. — Invenitur tamen et *denorum*, si sana est lectio, apud *Liv.* 43. 5. *extr.* Ut denorum equorum iis commercium esset. — Ceterum *deni* est (It. *a dieci a dieci*; Fr. *dix par dix, dix à dix*; Hisp. *diez á diez*; Germ. *je zehn*; Angl. *ten by ten*).

I.) Proprie. *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Britanni uxores habent deni duodenique inter sese communes.

II.) Improprie, extra distributionem, pro *decem*. — *a*) In plur. numero. *Propert.* 2. 7. 39. Penelope poterat bis denos salva (*h. e.* integrâ castitate) per annos Vivere. *Virg.* 11. *Æn.* 326. Bis denas Italo texamus robore naves. *Id.* 10. *ibid.* 213. Tot lecti proceres ter denis navibus ibant. — *b*) In singulari numero. *Ovid. Heroid.* 11. 45. Jam novies erat orta soror pulcherrima Phœbi, Denaque luciferos Luna movebat equos. V. *Loers* ad h. l. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 23. (80). Omni auro inest argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte. *Sillig* vero legit *alicubi decuma*.

DĒNĬCĀLIS *vel* denecalis, e, adject. *Denecalis* legitur apud *Festum p.* 242. 29. *Müll.* — Denicalis est ad necem pertinens; hinc *denicales feriæ*, quibus hominis mortui causa familia purgabatur, teste *Paul. Diac. p.* 70. 9. *Müll.*: non a *denus*, quia tridunnæ erant, sed a *denico*, quod a *neco*. *Cic.* 2. *Legg.* 22. 55. Neque vero tam denicales, quæ a nece appellatæ sunt, quia residentur mortui, quam ceterorum cælestium quieti dies, feriæ nominarentur, nisi etc. Adde *Cincium* apud *Gell.* 16. 4. *Colum.* 2. *R. R.* 22. 5. Feriis denicalibus mulos jungere non licere.

DĒNĬGRĀTĬO, ōnis, f. 3. nigri coloris inductio. *Theod. Priscian.* 1. 1. Denigratio capillorum.

DĒNĬGRO, as, are, a. 1. (de et niger) Part. *Denigratus* et *Denigrandus* 1. — Denigro est nigrum facio.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 55. 7. Amurca denigrat terram. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 5. 53. (99). Cortex palmæ capillum denigrat suffitu. *Id.* 33. *ibid.* 6. 35. (109). Denigrare lanam. Adde *Scribon. Compos.* 208. *Vulgat. interpr. Job.* 30. 30. Cutis mea denigrata est. *Theod. Priscian.* 1. 10. *in fin.* Glaucos vero oculos si denigrare volueris, sic facies. *Id.* 4. 1. Ad denigrandos capillos.

II.) Translate. *Firmic.* 5. *Mathes.* 10. *sub fin.* Honorem famamque alicujus denigrare.

DĒNĬQUE, adverb. Ratione habita etymi, videtur esse a *denum* et *que* adjectione syllabica, vel *quoque*: cf. *hodieque*. — Significat autem ad extremum (It. *finalmente, alla fin fine, una volta finalmente*; Fr. *enfin, à la fin, au bout du compte, finalement*; Hisp. *enfin, finalmente*; Germ. *am Ende noch, zu äusserst oder zuletzt noch, endlich, am Ende, zuletzt noch, gar noch*; Angl. *in fine, at last, finally, lastly*). Usurpatur autem *A*) Interdum, ut semper *demum*, cum aliis vocibus, quibuscum aliqua ratione seu relatione arcte conjungitur; et *B*) Sæpius, quoniam adjectione *que* vim acquirit augetque, absolute adhibetur, quin ab alio pendeat vocabulo, quocum arcte conjungatur: semperque ultimum vel extremum rerum ordinem significat subjicitque, quamquam aliquando in rerum enumeratione ab adverbio *postremo* excipiatur: *V.* infra sub *B.* 2. 1.° *b.*

A) Usurpatur interdum, ut semper *demum*, cum aliis vocibus, quibuscum aliqua ratione seu relatione

arcte conjungitur: hinc — *a*) *Nunc denique* est idem quod *nunc demum*, sed majori quadam vi. *Cic. Prov. cons.* 13. 33. Nunc denique est perfectum, ut imperii nostri terrarumque illarum idem esset extremum. *Id.* 9. *Fam.* 14. 5. Tantum accessit ad eum amorem, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. *Varro* 3. *R. R.* 1. 2. Nam in hoc nunc denique est, ut dici possit etc. *Ovid.* 3. *Art. am.* 121. Prisca juvent alios: ego me nunc denique natum Gratulor. Adde *eumd. Heroid.* 12. 105. — *b*) *Tum denique* parum differt a *tum demum*; sed tamen fere definitur per particulas *quum*, *si*, *postquam* etc., vel aliis conditionalibus, quæ eidem respondent. *Plaut. Capt.* 1. 2. 39. Tum denique homines nostra intelligimus bona, quum, quæ in potestate habuimus, ea amisimus. *Cic.* 1. *Att.* 6. 2. Nos Tusculano ita delectamur, ut nobismetipsis tum denique, quum illo venimus, placeamus. Adde *eumd. Sull.* 13. 38., *Quinct.* 13. 43., *Planc.* 2. 4., 3. *Orat.* 36. 147., 3. *Fin.* 22. 76., 3. *Tusc.* 31. 77., 2. *Legg.* 4. 10., *Senect.* 23. 82. et alibi. *Id. Cæcin.* 34. 100. Tum amittitur hæc civitas denique, quum is qui profugit receptus est in exsilium. Adde *eumd. Amic.* 22. 84. *Id.* 1. *Fin.* 19. 64. Qui si omnes veri erunt, tum denique poterit aliquid cognosci et percipi. Adde *eumd.* 1. *ad Q. fr.* 1. 10. § 29. et 1. *de republ.* 6. *Id.* 5. *Fam.* 12. 5. Qui tum denique sibi avelli jubet spiculum, posteaquam ei percontanti dictum est clipeum esse salvum. *Liv.* 4. 55. At tum denique desisterent impediendo bello, postquam non cessere nec publicæ tempestati, nec suæ invidiæ. — Et præcedente Ablativo absoluto. *Cic.* 2. *Orat.* 77. 315. Hisce omnibus rebus consideratis, tum denique, quod primum est dicendum, postremo soleo cogitare. — Et præcedente propositione conditionali. *Cic.* 1. *Tusc.* 13. 29. Reminiscere – quæ traduntur mysteria: tum denique quam hoc late pateat intelliges. *Ovid. Heroid.* 10. 43. Jamque oculis ereptus eras: tum denique flevi. — *c*) Præcedente Ablativo absoluto sine particula *tum*. *Cic.* 9. *Att.* 2. A. § 2. Qui enim amisso Corfinio denique certiorem me sui consilii fecit. Adde *eumd. Mil.* 13. 34. et *Fat.* 14. 33. Cf. *Ovid. Heroid.* 16. 215. At mihi conspicieris posita vix denique mensa. — *d*) Cum verbis, quæ definitum tempus, præcipue per Ablativum, significant. *Cic. Quinct.* 31. 99. Ne is – sexagesimo denique anno dedecore – notetur. *Id.* 5. *Att.* 20. 8. Quæ ego diu ignorans ex tuis jucundissimis litteris a. d. V. Kal. Januarias denique cognovi. *Cæs.* 1. *B. G.* 22. Multo denique die per exploratores cognovit etc. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 5.; et *Sall. Jug.* 105. — *e*) *Is, ea, id* cum *denique* junguntur; in quo ratio seu relatio liberior quidem est, non ita tamen, ut adverbium *denique* absolute omnino ponatur. *Cic.* 10. *Fam.* 10. 1. Is enim denique honos mihi videri solet, qui etc. Cf. *Ovid.* 3. *Amor.* 4. 3. Si qua metu dempto casta est; ea denique casta est. Rursus *Cic. Quinct.* 19. 62. Denique is, quem – procuratorem Romæ reliquit. Adde *eumd. Sext.* 11. 38.

B) Sæpius absolute usurpatur, quin ab alio pendeat vocabulo, quocum arcte conjungatur: nec tamen significat *ad hæc, postea*, ut *Handius* (*Tursell. vol.* 2. *p.* 265.) et qui eum secuti sunt plures falso putarunt: sed priorem retinet significationem, et occurrit ¶ 1. Absolute omnino, præcipue apud veteres; ita ut rerum series vel ordo, cujus ultimum vel extremum per adverbium *denique* notatur, ex toto tantum orationis contextu colligi possit. *Plaut. Trin.* 4. 2. 93. Nisi quia lubet experiri, quo evasurus sit denique. *Id. Pers.* 4. 1. 3. Ferme ut quisque rem accurat suam, sic ei procedunt postprincipia denique. *Cato* apud *Paul. Diac. p.* 60. 1. *Müll.* Quid ego cum illo dissertem amplius, quem ego denique credo in pompam vectitatum ire ludis pro citeria, atque cum spectatoribus sermocinaturum? *Ter. Heaut.* 3. 3. 8. Ut equidem – metui quid futurum denique esset. *Id. Andr.* 3. 3. 25. Nempe incommoditas denique huc omnis redit. Adde *eumd. Eun.* 1. 2. 78. *Id. Phorm.* 3. 2. 11. Vereor, ne istæc fortitudo in nervum erumpat denique. *Virg.* 2. *Ecl.* 7. Nil nostri miserere. Mori me denique coges. Adde *eumd.* 2. *Æn.* 70. et 295., et alibi. ¶ 2. Sæpissime, præcipue apud aureæ ætatis scriptores, *denique* usurpatur, quum in oratione longior vel brevior rerum series inducitur, cujus ultimum vel extremum membrum per adverbium *denique* significatur: et quidem — 1.°) Nihil refert — *a*) Utrum, ipsam rerum seriem adverbio *denique* atque alio simul vocabulo, ut puta *ad extremum, ad postremum, postremo, tandem etc.*, quod eidem majorem addat vim, concludamus: quemadmodum apud *Cic. post red. ad Quir.* 7. 16. Primum vos docuit, meis consiliis rempublicam esse servatam, *etc.* – tum me in perorando posuit vos rogari a senatu, – rogari ab Italia cuncta: denique ipse ad extremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit. *Id. Sext.* 47. 100. Boni nescio quo modo tardiores sunt, et principiis rerum neglectis ad extremum ipsa denique necessitate excitantur. Cf. *Sueton. Cæs.* 75. Denique tempore extremo etiam – cunctis in Italiam redire permisit. *Justin.* 12. 16. 12. Victus denique ad postremum est non virtute hostili. Adde *eumd.* 37. 1. 9. *Apul.* 2. *Met.* Et tandem denique devorato pudore ad Milonem ajo. Adde *eumd.* 3. et 4. *ibid.* — *b*) An adverbium *denique*, utpote debilius, penultimo loco; *postremo* vel *ad postremum*, utpote fortius, ultimo loco in rerum serie ponatur. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 23. 62. Omnes urbes, agri, regna denique, postremo etiam vectigalia vestra venierint. *Id.* 3. *Nat. D.* 9. 23. Isto modo etiam disertus, musicus, et quidem mathematicus, magicus, omni denique doctrina eruditus, postremo philosophus erit mundus. Adde *eumd.* 2. *Fam.* 15. 6.; *Varron.* 8. *L. L.* 37. *Müll.*; et *Justin.* 23. 1. 15., et alios. — 2.°) *Denique* usurpatur in serie longiore — *a*) Quæ per asyndeton effertur. *Cic.* 5. *Fin.* 3. 7. Mathematici, poetæ, musici, medici denique ex hac tamquam ex omnium artium officina profecti sunt. *Id.* 1. *leg. Agr.* 4. 11. Provincias, civitates liberas, socios, amicos, reges denique exhauriunt. *Id.* 2. *Cat.* 11. 25. Copia cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 11. 26. et 2. *Verr.* 27. 70. *Id.* 1. *de republ.* 10. Cum de moribus, de virtutibus, denique de re publica disputet. *Id.* 1. *Att.* 14. 5. Si id est convicium, vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis. Adde *eumd. pro leg. Manil.* 11. 40. *Sall. Jug.* 76. Arma, tela, locus, tempora, denique naturam ipsam ceteris imperitantem industria vicerat. *Nepos Reg.* 2. Minime libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius rei denique cupidus. Adde *Quintil.* 6. 3. 9. *Plaut. Merc. prol.* 71. Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis, tibi denique iste pariet lætitiam labos. *Id. Asin.* 2. 2. 56. Pernegabo atque obdurabo, perjurabo denique. *Ter. Adelph.* 3. 4. 51. Nitar, faciam, experiar, denique animam relinquam, potius quam illam deseram. Adde *eumd. Hecyr.* 4. 1. 95. *Cic. Rosc. Am.* 10. 28. Consilium ceperunt plenum sceleris et audaciæ, ut nomen hujus de parricidio deferrent, ut ad eam rem aliquem accusatorem veterem compararent –, denique ut – tempore ipso pugnarent. *Id. Flacc.* 4. 9. Tribuo illis litteras, do multarum artium disciplinam, – non adimo sermonis leporem, – dicendi copiam: denique etiam – non repugno. *Id. Rosc. Am.* 37. 108. Si nihil in ista pugna Roscii, quod operæ pretium esset, fecerant, quam ob causam a Chrysogono tantis præmiis donabantur? Si nihil aliud fecerant, nisi rem detulerunt, nonne satis fuit his gratias agi? denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? *Forcellinus* postremum hunc locum singulari paragrapho distinxit, et *denique* pro *ad summum* interpretatus est. Ceterum adde *Cic. Sext.* 10. 22., *Mil.* 8. 20., 4. *Acad.* (2. *pr.*) 27. 87. et 1. *de republ.* 17. *Cæs.* 1. *B. C.* 72. Cur etiam secundo prælio aliquos ex suis amitteret? cur vulnerari pateretur optime de se meritos milites? cur denique fortunam periclitaretur? *Virg.* 2. *G.* 368. Inde ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde: Ante reformidant ferrum: tum denique dura Exerce imperia. — Seriei membra etiam per particulam *aut* efferri possunt. *Ter. Heaut.* 1. 1. 15. Numquam – tam vesperi domum revertor, quin te in fundo conspicer fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique. *Cic. Arch.* 6. 12. Qui tot annos ita vivo –, ut a nullius unquam me tempore aut commodo aut otium meum me abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 133. Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama. — *b*) Aliquando longior series per varias particulas effertur. *Cic.* 2. *Cat.* 9. 20. Primum omnium me ipsum vigilare, adesse, providere rei publicæ: deinde magnos animos esse in bonis viris –: deos denique immortales invicto populo – contra tantam vim sceleris præsentes auxilium esse laturos. Adde *eumd. post red. ad Quir.* 7. 16., cujus verba superius retulimus. *Nepos Pelop.* 4. Namque in Leuctrica pugna – hic fuit dux delectæ manus, quæ prima phalangem prostravit Laconum. Omnibus præterea periculis adfuit –. Denique hæc fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita ut proxima esset Epaminondæ. *Domitius Marsus* apud *Quintil.* 6. 3. 105. In sermonibus, circulis, conviciis; item in concionibus; omni denique loco. *Quintil.* 6. 2. 15. Nonnumquam etiam lenis caloris alieni derisus ex hac forma venit. – Verum aliquanto magis propria sunt. – Denique hoc omne bonum et comem virum poscit. — 3.°) *Denique* usurpatur etiam in breviori serie, quæ duabus fere partibus constat; harum vero posterior majorem, quam prior, vim habet et majus aliquid significat. Porro — *a*) Duæ partes vel membra arctissime inter se conjunguntur. *Cic. Quinct.* 16. 51. Hæc in homines alienissimos, denique inimicissimos boni viri faciunt. *Id.* 10. *Att.* 8. 4. Quod malum majus, seu tantum denique? *Id.* 2. *de republ.* 26. Qui sibi cum civibus suis, qui denique cum omni hominum genere nullam esse juris communionem velit. *Id. Pis.* 20. 45. Nemo bonus, nemo denique civis est, qui modo se civem esse meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat. *Id.* 4. *Verr.* 23. 55. De hoc, qui, antequam in jus aditum esset, antequam denique mentio controversiæ facta esset, diu essisset, putabant nihil agi posse. *Cæs.* 2. *B. G.* 33. Quod deditione facta nostros præsidia deducturos, aut denique diligentius servaturos crediderunt. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 3. Quum omnia maledicta, versus denique obscœnissimi in Clodium et Clodiam dicerentur. *Id.* 4. *Verr.* 21. 127. Negant id Syracusani per religiones sacrorum ullo modo fieri posse: fas denique negant esse. *Liv.* 4. 56. Qui non civium, non denique hominum numero essent. — *b*) Duæ partes vel membra conjunctionis vinculo soluto admodum ac laxissime tenentur; et tunc *denique* non *deinde* vel *postea*, ut nonnulli putarunt, sed *breviter, paucis, uno verbo* significat. *Ter. Andr.* 1. 1. 119. Ego illud sedulo negare factum: ille instat factum. Denique ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam negat daturum. *Id. Eun.* 3. 1. 42. Risu omnes qui aderant emoriri: denique metuebant omnes jam me. *Cic. Quinct.* 23. 74. Ubi erant ceteri creditores? Denique hoc tempore ubi sunt? *Cæs.* 7. *B. G.* 64. Ille imperat reliquis civitatibus obsides: denique ei rei constituit diem. *Sall. Cat.* 21. At nobis est domi inopia, foris æs alienum; mala res, spes multo asperior: denique quid reliqui habemus præter miseram animam? *Id. orat. Philipp.* 1. Maxume velle rempublicam quietam esse, aut in periculis a promptissimo quoque defendi: denique prava incepta consultoribus noxæ esse. — 4.°) Hinc factum, ut apud sequioris ævi scriptores per adverbium *denique* peculiare aliquod eventum induceretur, quod præcedentibus quidem propositionibus generatim continetur, sed tamen præcedentium significationem auget: et tunc *denique* non pro *consequenter, hinc, igitur* ponitur, ut *Handius* aliique putarunt; sed propriam, quam diximus, retinet significationem, et ad summum pro *immo etiam* aliquando accipi potest. *Justin.* 9. 4. 1. Hujus victoriæ callide dissimulata lætitia est. Denique non solita sacra Philippus illa die fecit, non in convivio risit etc. *Flor.* 1. 16. Pulcherrima Campaniæ plaga est: nihil mollius cælo: denique bis floribus vernat. *Dig.* 3. 1. 1. § 5. Exstat quidem exemplum ejus, qui gessit (*magistratum cæcus*). Appius denique Cæcus consiliis publicis intererat. *Id.* 48. 5. 8. In quæstionibus læsæ majestatis etiam mulieres audiuntur. Conjurationem denique Sergii Catilinæ Fulvia mulier detexit.

DENOMEN, inis, n. 3. nomen derivativum, scilicet a patre, avo et majoribus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 35.

DĒNŌMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus denominandi. ¶ 1. Est hoc nomine figura rhetorica, Græce metonymia et hypallage dicta, Latine etiam *traductio* et *immutatio* a *Cic.* 3. *Orat.* 42. 167., quæ a propinquis et finitimis rebus trahit orationem, qua possit intelligi res, quæ non suo vocabulo sit appellata. Id aut ab inventore conficitur, ut si quis de Tarpejo loquens, eum Capitolinum nominet: aut ab invento, ut si quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem ap-

pellet: aut ab instrumento dominum, ut sarissas pro Macedonibus, materim Transalpinam pro Gallis: aut id, quod fit, ab eo qui facit, ut Martem pro bello: aut id, quod facit, ab eo quod fit, ut cum desidiosam artem dicimus, quia facit desidiosos: aut ab eo, quod continet, id quod continetur, ut Armis Italis non potest vinci, nec Græcia disciplinis: aut ab eo, quod continetur, id quod continet, ut si quis aurum vel argentum aut ebur nominet, quum divitias velit nominare. Hæc *Cic.* 4. *Herenn.* 32. 43. Adde *eumd. Orat.* 27. 92.; *Quintil.* 8. 6.; et *Charis.* 4. *p.* 244. *Putsch.* ¶ 2. Item est ab aliquo vocabulo derivata appellatio. *Boeth.* in *Aristot. Prædic.* 2. *p.* 162. Si vero et *ala* fiet denominatio, ut dicatur *ala dati*, sic conversio manet. *Id. Arith.* 1. 9. *p.* 1301. Semper enim si denominatio fuerit par, quantitas partis erit impar.

DĒNŌMĬNĀTĪVUS, a, um, adject. *Denominativa* a Grammaticis dicuntur, quæcumque ab aliquo vocabulo habent appellationem, a quo differunt solo casu, hoc est solo fine, cujusmodi sunt adjectiva a substantivis deducta, ut a *studio studiosus*, a robore *robustus*. Nomen enim denominativum debet communicare cum nomine univoco in principio, sed differre in fine. A *Cic.* conjugata dicuntur. *Priscian.* 4. *initio p.* 619. *Putsch.* Idem *Priscian.* de XII. *vers. Æn. p.* 1220. *Putsch.* Dic verbum denominativum *armo, as, ai*, quod a nomine *arma* nascitur. *Id. ibid. p.* 1241. Ex hoc (*rex*) quoque fit verbum denominativum, id est a nomine derivatum, *regno, as, ai.*

DĒNŌMĬNĀTĪVĒ, adverb. denominativorum nominum ratione. *Capell.* 1. *p.* 114. Situs omnis denominative dicitur, ut *sedere a sessione, stare ab statione.*

DĒNŌMĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒNŌMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* nomino). Part. *Denominatus.* — Denomino est a re aliqua nomen impono. *Cic.* 4. *Herenn.* 32. 43. Ab eo, quod continet, id quod continetur, hoc modo denominabitur. *Horat.* 3. *Od.* 17. 2. Priores hinc (*h. e.* Lamo) Lamias ferunt denominatos. *V. Lübker* ad h. l. *Quintil.* 8. 2. 4. Multa sunt et Græce et Latine non denominata. *Id.* 1. 5. 71. Propria sunt verba, quum id significant, in quod primum denominata sunt. *Id.* 3. 6. 41. De re denominata (*cui opponitur* de communi appellatione) ubi et factum esse certum est nec dubitatur, quid sit, quod factum est. Adde *eumd.* 12. 10. 34.

DĒNORMĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒNORMO, as, ātum, are, a. 1. (de *et* norma). Part. *Denormatus.* — Denormo est extra regulam et normam esse facio, enormem atque inæqualem reddo. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 9. o si angulus ille Proximus accedat, qui nunc denormat agellum. *Auct. de limit. p.* 252. *Goes.* Linea denormata.

DĒNŌTĀTĬO, ōnis, f. 3. Indicatio, demonstratio. *Quintil. Declam.* 19. 3. Omnium maledictis succlamatus, omnium denotatione damnatus. *Tertull. Cult. femin.* 13. Bonum ipsa denotatione sui exsultat.

DĒNŌTĀTUS, a, um. *V.* DENOTO.

DĒNŌTĀTUS, us, m. 4. idem quod denotatio. *Tertull. Pall.* 4. *a med.* Quantum denotatui passivitas offert.

DĒNŌTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* noto). Part. *Denotans, Denotatus* (etiam in fin.) et *Denotandus.* — Notare est oculis designare, ait *Cic.* 1. *Cat.* 1. 2.: hinc denotare est significare, signis notare, exacte designare (It. *notare, segnare*; Fr. *indiquer exactement, désigner*; Hisp. *designar, señalar*; Germ. *durch Zeichen abgränzen, genau bezeichnen*; Angl. *to marck, signify, point out, appoint, determine*). *Cic. pro leg. Manil.* 3. 7. Qui una die, tota Asia, tot in civitatibus, uno nuncio atque una litterarum significatione cives Romanos necandos trucidandosque denotavit. *Tac.* 3. *Ann.* 53. Denotantibus vobis ora ac metus singulorum. Rursus *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 57. Cum ei res similes occurrant, quas non habeat denotatas. *h. e.* quarum notas vel proprietates minime perspexerit, ut eas internoscere possit. *Tac. Agric.* 45. Quum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus et rubor. *denotare* hoc loco est facere, ut pallores cognoscerentur. *Sueton. Cal.* 56. *ad fin.* Quem, ut mollem et effeminatum, denotare omni probro consueverat. Cf. *Pompon. Dig.* 30. 54. Turpia legata, quæ denotandi magis legatarii gratia scribuntur. *h. e.* infamia notandi. *Colum.* 3. *R. R.* 15. 4. Linea aliquo conspicuo colore denotata. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 17. 58. (199). Denotare creta pedes venalium. — Hinc Part. præter. pass.

Denotatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Denotatior* apud *Tertull.* 1. *advers. nation.* 10. *a med.* Tanto denotatior ad contumeliæ mursum.

DENS, dentis, m. 3. ὀδούς, όντος. — In Genitivo plurali *dentium* habet, non *dentum*: quamvis *Varro* 8. *L. L.* 67. *Müll.* contrarium videatur docuisse. — Dentes sunt ossa omnium durissima in ore animalium, quibus cibus dividitur et teritur: a Græca voce allata, quacum cf. Germ. *zahn* (It. *dente*; Fr. *dent*; Hisp. *diente*; Germ. *zahn*; Angl. *a tooth*).

I.) Proprie. *Arnob.* 3. *p.* 107. Subactionibus ciborum dentes trini generis atque in officia trina compositi. *nempe* 1.°) *primores* dicti a *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. (68)., *adversi oculis* a *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 134. et *præcisores* ab *Isid.* 11. *Orig.* 1. 52., et in pecudibus *rapaces* a *Veget.* 6. *Veterin.* 1. 1. *Schneid.*, Græce τομικοί: 2.°) *canini* a *Varron.* 2. *R. R.* 7. 3. et *Cels.* 8. 1., *columellæ* ab *Isid. loc. cit.*, in equis *columellares* a *Varron. loc. cit.* § 2. et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 64. (168)., Græce κυνόδοντες: 3.°) *molares* ab *Isid. loc. cit.* et *Juvenal.* 13. 212., *maxillares* a *Cels. loc. cit.*, *genuini* a *Cic. loc. cit.* et *Virg. Catal.* 5. 36., Græce γόμφιοι vel μύλαι. *Cic. loc. cit.* Dentibus in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur et molitur cibus. Eorum adversi acuti morsu dividunt escas: intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 61. (160). Dentium tria genera: serrati, pectinatim coeuntes, ne contrario occursu atterantur, ut piscibus; continui, ut homini, equo; exserti, ut apro. Continuorum qui digerunt cibum, lati et acuti; qui conficiunt, duplices; qui discriminant eos, canini appellantur. *Cels.* 8. 1. Ex dentibus quaterni primi, quia secant, τομικοὶ a Græcis nominantur: hi quatuor caninis ex omni parte cinguntur: ultra quos utrimque fere maxillares quini sunt etc. *Plaut. Truc.* 2. 1. 14. Bonis dentibus oportet esse probam lenam. *Vitruv.* 8. 1. *Schneid.* Procumbere in dentes. *Cic.* 3. *Nat. D.* 22. 57. Æsculapius, qui primus dentis evulsionem invenit. *Id.* 4. *Tusc.* 8. 19. Terrorem tremor et dentium crepitus consequitur. *Virg.* 3. *Æn.* 664. Infrendens dentibus. *Cels.* 2. 6. Stridere dentibus. *Virg.* 7. *Æn.* 279. Equi mandunt sub dentibus aurum. *Id.* 3. *G.* 514. Laniare dentibus artus. *Horat.* 1. *Od.* 13. 13. Imprimere dente notam labris. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (180). Colluere dentes. *Id.* 30. *ibid.* 4. 9. (27). fricare. *Id.* 28. *ibid.* 11. 49. (179). scarificare. *Id.* 30. *ibid.* 4. 9. (27). scalpere. *Id.* 28. *ibid.* 11. 49. (178). confirmare dentes mobiles. *Id.* 32. *ibid.* 7. 26. (79). extrahere. *Id.* 30. *ibid.* 3. 8. (25). evellere. *Cels.* 6. 9. eximere. *Juvenal.* 16. 10. excutere. *Val. Flacc.* 6. 437. Dentes Hydri. *Id.* 7. 554. Dens Chlonius.

II.) Translate. ¶ 1. *Dens Indus* est dens elephanti, h. e. ebur. *Catull.* 63. 47. Pulvinar vero divæ geniale locatur Sedibus in mediis, Indo quod dente politum Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 287. Eodem sensu *Propert.* 2. 21. 12. Et valvæ Libyci nobile dentis opus. Et *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 28. Et totum Numidæ sculptile dentis opus. Et *Martial.* 13. 100. Dens Erythræus. Adde *Stat.* 3. *Silv.* 3. 95. Et *dens* absolute apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 25. (81). Scabritia (*papyri*) lævigatur dente conchave, sed caducæ litteræ fiunt. ¶ 2. Figuratæ aliquot dicendi rationes a dentibus sumptæ sunt: — *a*) Dente superbo male tangere cibum, apud *Horat.* 2. *Sat.* 6. 87. est contingere et fastidire. Contra *Martial.* 1. 15. Quam prensus blando toties a dente (*leonis*) rediret, Et per aperta vagus curreret ora lepus. — *b*) Albis dentibus deridere, apud *Plaut. Epid.* 3. 3. 48. est effuso risu, ita ut dentes ostendantur, subsannare. — *c*) Venies sub dentem, apud *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* est incides in me iratum et mordere paratum. ¶ 3. Per metonymiam *dentes* dicuntur quæcumque ita formata sunt, ut dentium similitudinem referant: scilicet — *a*) Cuspis aratri, quia, ut ait *Varro* 5. *L. L.* 135. *Müll.*, eo mordetur terra. *Virg.* 2. *G.* 423. Ipsa satis tellus, quum dente recluditur unco, Sufficit humorem. *Colum.* 2. *R. R.* 4. 6. Respuitur duritiâ soli dens aratri. *Lucan.* 7. 859. Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa. *Forcellinus* hoc *Lucani* loco *dentes* acceperat de cuspidibus rastri, aut sarculi. — *b*) De cuspide irpicis, quo herbæ exstirpantur. *Varro* 5. *L. L.* 136. *Müll.*; et *Paul. Diac. p.* 105. 16. *Müll.* — *c*) De pectine tum capillorum, tum lanæ, quia dentatus est. *Tibull.* 1. 10. 68. Et tenues denso pectere dente comas. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 102. hæc morsu numerosi dentis eburno Multifidum discrimen arat. *Varro* 5. *L. L.* 113. *Müll.*, ubi de pectine lanæ loquitur. — *d*) Item de clavi, quæ dentata esse solet. *Tibull.* 1. 2. 18. Seu reserat fixo dente puella fores. *V.* CLAVICULA. — *e*) Item de ferro, quod venabulo præfigitur. *Grat. Cyneg.* 108. valido primus venabula dente induit. — *f*) Tribuitur et serræ. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 83. (227). Ligna viridia serrarum dentes replent æqualitate inerti. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 246. — *g*) Item de cuspide ancoræ. *Virg.* 6. *Æn.* 3. tum dente tenaci Ancora fundabat naves. — *h*) Item de falce, quæ *Saturni dens* dicitur. *Virg.* 2. *G.* 406. et curvo Saturni dente relictam Persequitur vitem attondens. — *i*) Sunt etiam *dentes* in substructionibus structuræ seriem dentium imitantes. *Vitruv.* 6. 8. 7. *Schneid.* Præterea introrsus contra terrenum uti dentes conjuncti muro serratim struantur, uti singuli dentes ab muro tantum distent, quanta altitudo futura erit substructionis; crassitudines autem habeant dentium structuræ uti muri. ¶ 4. Translate de livore et invidia. *Cic. Balb.* 26. 57. Non illo inimico, sed hoc maledico dente carpunt. *Horat.* 4. *Od.* 3. 16. Dente invido morderi. *Id. Epod.* 6. 15. Atro dente petere aliquem. *Phædr.* 4. 7. Mordaciorem improbo dente appetere. — Huc pertinent et illa *Ovid.* 15. *Met.* 231. Tempus edax rerum tuque invidiosa vetustas Omnia destruitis; vitiataque dentibus ævi Paullatim lenta consumitis omnia morte. *Lucret.* 1. 851. Nam quid in oppressu valido durabit eorum, Ut mortem effugiat leti sub dentibus ipsis? *Petron. Satyr.* 42. Aqua dentes habet. *h. e.* arrodit nos, facit corpus mollius ac fluidius: et hoc habet speciem proverbii. Cf. Hippocraticum illud 6. *Epim.* 4. n. 18. ὕδωρ βορρόν, *h. e.* aqua vorax; et *V.* Interppr. ad h. l.

DENSĀBĬLIS, e, adject. densans. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 3. Densabilis vaporatio. *Id.* 5. *ibid.* 7. cibus. *Id.* 2. *Acut.* 18. Quum sit et hoc (*absynthium*) generaliter acre atque densabile.

DENSĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod coactio, spissatio. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 39. (82). Prima densatio Babylone in bitumen liquidum cogitur. *Theod. Priscian.* 4. *in fin.* Unde et respiratio impeditur oppressione pulmonis, et densatio (*fit*) in vasculis, hoc est venis.

DENSĀTĪVUS, a, um, adject. idem ac densabilis. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Densativæ virtutis esse.

DENSĀTUS, a, um. *V.* DENSO.

DENSĒ, adverb. Comp. *Densius* I. et II.; Sup. *Densissime* I. — Dense est spisse (It. *densamente*; Fr. *d'une manière épaisse, drue, serrée*; Hisp. *espesamente*; Germ. *dicht*; Angl. *thickly, closely, close together*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 5. 12. 5. *Schneid.* Bene et quam densissime calcatum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 67. (173). *de alnis.* Cæsæque densius innumero herede prosint. *Ammian.* 24. 6. Densius se commovere.

II.) Translate usurpatur fere de tempore, et est sæpe, perpetuo. *Cic. Orat.* 2. 7. Idem apud alios densius, apud alios rarius. *h. e.* sæpius. Sic *Ovid.* 1. *Pont.* 9. 11. Nulla tamen subeant mihi tempora densius istis. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. *a med.* Non dense atque semel vinum detrahere, sed paullatim subducere.

DENSĔO, es, ētum, ere, a. 2. *Densere* in libris MSS. sæpissime cum *densare* confunditur, ut et infra dicemus sub I. — Part. *Densetus*, occurrit apud *Macrob.* et *Prudent.*, quorum locos *V.* infra sub I.; et differt a *densatus*, inquiunt Grammatici, quod significat ab alio, *densatus* qui natura sua spissus est. Ubique tamen alii leg. *Densatus.* — Ceterum denseo est spisso, cogo, coagulo (It. *spessire, condensare*; Fr. *condenser, épaissir*; Hisp. *condensar, espesar*; Germ. *dicht machen, verdichten*; Angl. *to thicken, make thick*).

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Od.* 28. 19. Mixta senum ac juvenum densentur funera. Ita legit *Lambinus* et *Bentlej.*, et *densantur* (quod legitur vulgo) curru-

ptum putant. Similiter *densere* pro *densare* tuentur alii in illo *Virg.* 1. *G.* 419. Juppiter humidus austris Denset, erant quæ rara modo, et quæ densa, relaxat. et *Servius* in illo 7. *Æn.* 794. clipeataque totis Agmina densentur campis. et 11. *ibid.* 650. Et nunc lenta manu spargens hastilia denset. *h. e.* denso jacit. V. *Wagner.* ad *Virg.* 1. *G.* 248. et 419. Hinc *addenseo* et *condenseo*: quorum illud ejusdem *Virg.*, hoc *Lucretii* est. Plura etiam in *Ovidio*, *Silio It.*, et *Prudentio* loca restituit hac ratione *Heinsius* ad 3. *Fast.* 820., et in *Lucretio Pareus* in *Indice Lucretiano* etc. Hujusmodi sunt, quæ *Lachmann.* quoque recepit, *Lucret.* 1. 647. denserier aer. *Id.* 1. 647. denserier ignis. *Id.* 1. 656. denseri ignes. *Id.* 1. 661. denseri omnia. *Prudent.* 5. *Cathemer.* 53. densetur turba. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 3. *extr.* Cujus corpus ita natura densetum est, ut etc. *Id.* 7. *Saturn.* 7. Corpus naturali frigore densetum. Adde *eumd. ibid.* 12. et *Prudent. Hamartig.* 908. — Adde quod *Charis.* 1. *p.* 233. *Putsch.* inter alia enumerat etiam *denseo*, cujus Præteritum perf. *densi* esse ait, nullo tamen auctore confirmat. — Porro in neutra significatione pro coire, coagulari (quod quidam scripserunt) nisi certa exempla inveniss, ne usurpaveris: nam quod afferunt ex *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 53. (117). Acescere densereque lac non patitur: in melioribus libris legitur *denserique*.

II.) Translate. *Ovid.* 14. *Met.* 369. Tum quoque cantato densetur carmine cælum, Et nebulas exhalat humus. *h. e.* in nubem cogitur aer. *Tac.* 2. *Ann.* 14. Denserent ictus, ora mucronibus quærerent. *h. e.* ictus crebro admodum vibrarent. — Absolute *Lucret.* 6. 480. Urget enim quoque signiferi super ætheris æstus, Et quasi densendo subtexit cærula nimbis.

DENSESCO, is, ere, n. inchoat. 3. densus fio. *Paulin. Petrocor.* 6. *de Vita Martin.* 234. Vicinum doluit tenebris densescere solem.

DENSĒTUS, a, um. *V.* DENSEO.

DENSĬTAS, ātis, f. 3. crebritas, spissitudo, coarctatio nimia conjunctarum partium.

I.) Proprie. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 51. (178). Limus spissatur et in densitatem coit. *Id.* 11. *ibid.* 3. 2. (6). Densitas humoris. *Id.* 26. *ibid.* 12. 76. (123). tunicarum oculi. *Id.* 13. *ibid.* 12. 24. (78). cicatricæ. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 12. pampini. *Gell.* 2. 6. *ad fin.* Copia et densitas auri in squamarum speciem intexti. — Et figurate. *Cod. Theod.* 9. 17. 5. § 1. Densitas insistentium. *Pacat. Paneg. Constant.* 19. populi. Adde *Ammian.* 19. 2., 24. 2. et 23. 6.; et *Vopisc. Prob.* 13.

II.) Translate. *Quintil.* 8. 5. 26. Densitas sententiarum obstat invicem. *Id.* 9. 2. 72. Densitate ipsæ figuræ operiuntur.

DENSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *V.* DENSEO init. — Part. *Densans* et *Densatus* I.; *Densandus* II. — Denso est spisso, cogo.

I. Proprie. *Virg.* 1. *G.* 248. Densantur nocte tenebræ. *Quintil.* 5. 9. 16. ex *Virg.* Densatus et laxatus aer. *Ovid.* 13. *Met.* 601. Atra favilla volat, glomerataque corpus in unum Densatur. *Lucan.* 4. 76. nubes largos densantur in imbres. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 41. 96. (239). Densare lac in butyrum. *Id.* 26. *ibid.* 7. 25. (40). Succus densatus in cummim. *Id.* 25. *ibid.* 11. 83. (132). Defluentem capillum confirmat et densat. *Id.* 10. *ibid.* 29. 13. (81). Densante se frondium germine. *Liv.* 28. 2. Quæ quum Romani conferti, ut solent, densatis excepissent scutis, etc. *Id.* 20. 34. et 33. 8. Densare ordines militum. *Curt.* 5. 3. *extr.* Densatis agminibus. *Lucan.* 4. 780. densatur globus militum. *Ammian.* 16. 12. Densantes se in cuneos.

II.) Translate. *Ammian.* 29. 14. Densare ictus. *Quintil.* 11. 3. 164. Instandum quibusdam in partibus et densanda oratio: egressiones fere lenes et dulces et remissæ. *Id.* 9. 3. 101. Ne eæ quidem (*figuræ*) quæ recte fiunt, densandæ sunt nimis. — Hinc Part. præter. pass.

Densatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Densatior* tribuitur a quibusdam *Macrobio* 7. *Saturn.* 12. *a med.*, ubi alii plerique leg. *densior*.

DENSUS, a, um, adject. Comp. *Densior* I.; Sup. *Densissimus* I. et II. 1. — Ratione habita etymi, *Varro* 5. *L. L.* 113. *Müll.* docet *densum* esse a dentibus pectinis, quibus feritur lana: quod *Forcellinus* minime probat et deducit a δασύς *hirsutus*, unde primum *desus*, mox *densus*. Ceterum *V. Döderlein*, *Latein. Synonym. vol.* 4. *p.* 435. — Densus est spissus, creber, cujus scilicet partes aliæ aliis arctæ adhærent compactæque sunt; eique *rarus* opponitur, ut apud *Lucret.* 1. 655. nedum variantia rerum Tanta queat densis rarisque ex ignibus esse. (It. *denso*, *spesso*, *gremito*; Fr. *dru*, *dense*, *serré*, *pressé*, *entassé*; Hisp. *espeso*, *denso*, *juncto*, *cerrado*; Germ. *dicht*, *gedrängt*; Angl. *thick*, *close*, *set close*).

I.) Proprie occurrit de toto, quod plurimis ejusdem generis partibus constat; et usurpatur — *a*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. G.* 29. Densiores silvæ. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 38. *Virg.* 2. *G.* 274. si pingues agros metabere campi, Densa sere: in denso non segnior ubere Bacchus. *Lucan.* 2. 640. Densum æquor. *h. e.* gelu strictum. *Horat.* 2. *Od.* 7. 14. aer. *Virg.* 1. *G.* 334. densissimus imber. *Cels.* 1. *præfat.* et 3. 22. Densum cælum. *h. e.* aer crassus. Cf. *eumd.* 1. 3. *extr.* Densus cibus. *Ovid.* 2. *Met.* 576. Densum littus. *h. e.* spissum arenis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (68). Smaragdi densi, nec e liquido translucidi. *Id.* 11. *ibid.* 23. 27. (77). Adversum hiemem tunicas sibi instaurare densas. *Id.* 29. *ibid.* 1. 2. (4). Densissima nox. *Gell.* 18. 1. *extr.* Densiores tenebræ. *Lucret.* 6. 99. Verum ubicumque magis denso sunt agmine nubes etc. Cf. *Ovid. Heroid.* 16. 183. Occurrent denso tibi Troades agmine matres. Adde *Sueton. Cal.* 51. *Tac.* 2. *Hist.* 14. Densi ordines. — *b*) Apud Poetas usurpatur cum Ablativo rerum, quibus aliquid dense tegitur. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 42. 119. Nocturno aditu occulta coluntur Silvestribu' sæpibu' densa. *Ovid.* 13. *Met.* 846. Nec mihi quod rigidis horrent densissima sætis Corpora, etc. *Id.* 3. *ibid.* 29. Est specus in medio virgis ac vimine densus. *Id. ibid.* 155. Vallis erat piceis et acuta densa cupressu. *Id.* 10. *ibid.* 54. trames caligine densus opaca. *Id.* 3. *Art. am.* 691. Densæ foliis buxi. *Id.* 3. *Amor.* 1. 32. Caput densum cæsarie. *Id.* 12. *Met.* 247. Funale densum lampadibus. *h. e.* multas habens lampades.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate ponitur de singulis partibus, quæ totum aliquod constituunt, quæque inter se arcte premuntur. *Cæs.* 7. *B. G.* 46. Inferiore omni spatio relicto, superiorem partem collis usque ad murum oppidi densissimis castris compleverant. Cf. *Tibull.* 1. 10. 68. Aut tenues denso pectere dente comas. *Virg.* 2. *Æn.* 511. densos fertur moriturus in hostes. *Ovid.* 2. *Met.* 717. densi circumstant sacra ministri. Huc referri potest et illud *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 26. Sues densæ. *h. e.* quæ sætas habent densas. ¶ 2. Ponitur etiam de tempore, et densum est quod sæpe se frequenter iti, quod perpetua serie accidit, quod etiam diu perdurat. *Virg.* 5. *Æn.* 459. sic densis ictibus heros Creber utraque manu pulsat versatque Dareta. *h. e.* frequentibus. Cf. *eumd.* 4. *G.* 347. densos divum numerabat amores. Et *Ovid.* 4. *Pont.* 7. 15. Densa pericula. et *ibid.* 3. 15. Densus usus. Et *Val. Flacc.* 5. 169. Densus labor. *h. e.* creber, multus. *Id.* 3. 601. Densa silentia. *Forcellinus* interpretatus est *alta, profunda*; sed rectius fortasse interpreteris *diu perdurantia*, collato *Virg.* 3. *G.* 196. Densus Aquilo. *h. e.* pertinax. ¶ 3. Speciatim transfertur etiam ad orationem apud *Quintil.* 11. 3. 63. Aspera ac densa vox. *Id.* 10. 1. 76. Tam densa omnia (*in Demosthene*). *Id. ibid.* § 73. Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides: dulcis et candidus et fusus Herodotus. *Id. ibid.* § 106. Densior ille, hic copiosior. — Et cum addito Ablativo *Id. ibid.* § 68. Euripides sententiis densus. — *NB.* de cogn. Rom. *V.* ONOM.

DENTĀLE, is, n. 3. a dente. In singulari numero occurrit tantum apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 172.: apud auctores optimæ notæ in plurali numero usurpatur. — Dentale

I.) Proprie est lignum illud aratri, in quod vomer inseritur, ob similitudinem, uti docet *Servius* ad illud *Virg.* 1. *G.* 172. duplici aptantur dentalia dorso. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 24. Exiguis vomeribus et dentalibus terram subigere, quo minoris formæ bubus administrari id possit.

II.) Improprie dentale dicitur ipsum aratrum, per synecdochen. *Pers.* 1. 73. sulcoque terens dentalia. — *Dentalia* etiam dicuntur cuspides rastrorum, quibus eraditur terra atque eruitur. *Varro* 5. *L. L.* 136. *Müll.* Postrema hæc *Forcellinus*: at *Müllerus* pro *dentalis* cum *Turnebo* legit *dentatis*. *Varronis* verba sunt: Rastri, quibus dentatis penitus eradunt terram atque eruunt, a quo ruta rastri dicti.

DENTĀLIS, is, f. 3. ita vocatur herba quædam, de qua *V.* GALLICULANS.

DENTĀRĬUS, a, um, adject. qui ad dentes pertinet. *Apul. Herb.* 4. et 8. vocat herbam *dentariam* hyoscyamon, quia dentium dolorem sanare putatur. *Gloss. Cyrill.* Ὀδονταγρα, forfex dentaria. *Al. leg.* forfex, dentaria.

DENTARPĀGA, æ, f. 1. instrumentum, quo dentes evelluntur; ὀδοντάγρα: a *dens*, et ἅρπαξ, αγος *rapax*. *Varro* apud *Non.* p. 99. 24. *Merc.* Hic bipensiles forcipes dentarpagæ.

DENTĀTUS, a, um, adject. dentes habens.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dentatus est dentibus præditus. *Ovid. Remed. am.* 339. Puella male dentata. *Martial.* 1. 73. Sic dentata sibi videtur Ægle Emptis ossibus Indicoque cornu. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. (68). Quosdam et cum dentibus nasci, sicut M'. Curium, qui ob id Dentatus cognominatus est. (L. Sicinii, vel Siccii Dentati mirum robur in præliis et plurima dona militaria recensent *Varro* apud *Fulgent. Planc. de prisco serm.* p. 560. 2. *Merc.*, *Plin.* 7. *Hist. nat.* 28. 29. (101), *Val. Max.* 3. 2. *n.* 24. et *Gell.* 2. 11., ubi addit appellatum esse Achillem Romanum. *V.* et *Dionys. Halic.* l. 10.). ¶ 2. Latiori sensu, vel figurate *dentata bestia* vel *fera*, seu *dentata* absolute, est leo, tigris, aut elephantus, quæ scilicet bestiæ publicis spectaculis ac certaminibus inserviebant. *Ulp. Dig.* 3. 1. 1. § 6. Bestias accipere debemus ex feritate magis, quam ex animalis genere: nam quid si leo sit, sed mansuetus? vel alia dentata mansueta? *Alii leg.* dentata bestia. *Ammian.* 31. 10. *a med.* Hic quoque intra sæpta, quæ appellant vivaria, sagittarum pulsibus crebris dentatas conficiens bestias. Adde *eumd.* 19. 6. *Inscript.* apud *Gruter.* 484. 6. DIEM FELICISSIMVM III. ID. JAN. NATALIS DEI PATRII NOSTRI VENATIONE PASSERVM, DENIS BESTIIS ET IIII. FERIS DENTATIS ET IIII. PARITER FERRO DIMICANTIBVS CETEROQVE ROBVSTISSIMO APPARATV LARGITER EXHIBVIT. — Hinc jocülariter *Plaut. Pseud.* 4. 4. 3. Non ego te ad illum duco dentatum virum. *h. e.* mordacem: *Forcellinus* tamen cum aliis interpretatus est eum, qui magnos habet dentes.

II.) Improprie. ¶ 1. Per metonymiam *dentata* dicuntur instrumenta, quæ pluribus spiculis ad dentium similitudinem instructa sunt. *Varro* 5. *L. L.* 136. *Müll.* Rastrum dentatum. *Grat. Cyneg.* 92. Dentata pedica. *h. e.* hamis, quasi dentibus, munita. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (173). Dentatæ crates. *Id.* 36. *ibid.* 22. 48. (167). Albus lapis dentata serra seratur. ¶ 2. *Charta dentata* apud *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. 6. est polita et levigata dente apri, aut potius elephanti, ut calamus currat expeditius. Scribit enim *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 25. (81). scabritiam chartæ dente, vel concha lævigari.

DENTEX, *vel* dentix, icis, m. 3. piscis marinus (Italice *dentale*) a dentibus, quos externos habet. In plurali numero occurrit apud *Colum.* 8. *R. R.* 16. 8. et *Apic.* 4. 2.; in singulari *dentix* apud *Isid.* 12. *Orig.* 6. 23.

DENTĬCŬLA. *V.* LENTICULA.

DENTĬCŬLĀTUS, a, um, adject. qui crebros denticulos habet, ut *serra denticulata*, et *herbæ denticulatæ*, quæ foliorum ambitum quibusdam quasi denticulis habent incisum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (97). Bina brachia (*cancri*) denticulatis forcipibus. *Id.* 9. *ibid.* 33. 52. (102). Denticulatæ conchæ. *Id.* 11. *ibid.* 37. 79. (201). Venter denticulatæ asperitatis. *Id.* 26. *ibid.* 15. 93. (164). Denticulatum olus. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 3. Falcibus rostratis, vel denticulatis culmum secare.

DENTĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* dens, parvus dens.

I.) Proprie. *Pallad.* 1. *R. R.* 28. 6. Quum infantibus tumentes gingivas denticuli aperire nituntur. *Apul. de Mag.* Viperæ ritu, niveo denticulo atrum venenum inspirare.

II.) Improprie. ¶ 1. Per metonymiam *denticulus* dicitur ferramentum rusticum denticulatum, demetendis spicis aptum. *Pallad.* 7. *R. R.* 2. 1. Omnis spica in carpentum denticulis comprehensa cumulatur. V. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 3., ubi denticulatam falcem appellat. ¶ 2. Item ornamentum in archi-

tectura, in sophora ordinis Jonici et Corinthii, a similitudine sic dictum. *Vitruv.* 3. 3. *a med. et* 1. 2. et 4. 2.

DENTĬDŪCUM, i, n. 2. (dens *et* duco) idem ac dentarpaga. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. *ad fin.* 'Οδοντάγρα, quod nos dentiducum dicere poterimus, apud Delphos in Apollinis templo propositum. *h. e.* instrumentum extrahendis dentibus aptum.

DENTĬFRANGĬBŬLUM, i, n. 2. (dens *et* frango) instrumentum, quo dentes effringuntur. Hinc lepide *Plaut. Bacch.* 4. 2. 14. Dentifrangibula hæc meis manibus gestiunt. *h. e.* pugni. — *Id. ibid. v.* 23. dentifrangibulum masc. gen. vocat eum qui dentes frangit.

DENTĬFRANGĬBŬLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. in fin.

DENTĬFRĬCĬUM, ii, n. 2. (dens *et* frico) medicamentum, quo dentes fricantur, ut fiant candidi. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 11. (46). Putaminis cinere fit dentifricium. *Id.* 32. *ibid.* 6. 21. (65). Testæ cinis dentifricio placet. *Id.* 28. *ibid.* 11. 49. (178). Capitis leporis cinis dentifricium est. Adde *Scribon. Compos.* 59.; *Apul. de Mag.* bis; *Martial.* 14. 56. in lemmate: et cf. *Hieronym. Ep.* 147. n. 8. Dentes pulvere teris. Item *Seren. Sammon.* 14. 238. Quod vero adsumpsit nomen de dente fricando, cervino ex cornu cinis est. *V.* ibi reliqua.

DENTĬLĔGUS, i, m. 2. (dens *et* lego) dicitur qui ita percussus est, ut ei opus sit suus dentes colligere. *Plaut. Capt.* 4. 2. 18. Dentilegos omnes mortales faciam, quemque offendero. *Alii leg.* dentiloquos, *h. e.* illis dentes excutiam, quos exspuent loco verborum: vulgata tamen lectio est præferenda.

DENTĬLŎQUUS. *V.* voc. præced.

DENTĬO, is, ire, n. 4. Part. *Dentiens* I. et II. — Dentio est dentes emitto.

I.) Proprie. *Cels.* 2. 1. *post med.* et *Plin.* 30. *Hist. nat.* 3. 8. (22). Cinis eorum pueros tarde dentientes adjuvat cum melle. *Theod. Priscian.* 4. 1. *ad fin.* Catuli dens dentientibus infantibus auxilium præstat.

II.) Improprie *dentire* quoque dentes joculariter dicuntur, quum dolent, quia cibo carent. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 34. Venter creat omnes has ærumnas: auribus perhauriendae sunt, ne dentes dentiant. *h. e.* ne crepitent nimium, dum nihilum cibi frangunt. Similiter *Varro* ex emendatione *Scaligeri* apud *Non. p.* 77. 10. *Merc.* Ne jacentem sub dio ambesset algus, dentientem frigore. *h. e.* cui dentes frigore crepitabant. *Freund.* in suo *Lexico* impeditam *Scaligeri* conjecturam secutus est: at *Oehler* (*M. Ter. Varron. Satur. Menipp. Rel. p.* 120.) rectius legendum putat: *Teges, pruina ne jacentem subdealbet algu* (accus.) *dante frigore.*

DENTĬO, ōnis, f. 3. actio dentium emittendorum, idem ac dentitio. *Plin. Valer.* 1. 4. 2. Dentes equi, qui primi cadunt, alligati, facilem dentionem præstant.

DENTISCALPĬUM, ii, n. 2. (dens *et* scalpo) instrumentum quo scalpuntur dentes. *Martial.* 7. 53. Et dentiscalpia septem. Adde *eumd.* 14. 22.

DENTĪTĬO, ōnis, f. 3. dentium emissio. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 78. (257). Infantibus nihil butyro utilius, et in dentitione, et ad gingivas. *Theod. Priscian.* 4. 1. *ad fin.* Ad dentitionem infantium. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 47. (135). Ad dentitiones cerebrum pecoris utilissimum est. Adde *Veget.* 3. *Veterin.* 25. 1. *Schneid.*

DENTŌSUS, a, um, adject. dentes habens. *Ovid.* 6. *Fast.* 229. dentosa crines depectere buxo. *h. e.* pectine buxeo. Alii rectius legunt *detonsos.*

DENTŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* dens, parvus dens, denticulus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 111.

DĒNŪBO, bis, psi, ptum, bere, n. 3. (de *et* nubo). Part. *Denupta* I. 2. — Denubere

I.) Proprie ¶ 1. Stricto sensu dicitur de iis, quæ infra conditionem suam nubunt. Id *Liv.* 10. 23. dixit *enubere. Tac.* 6. *Ann.* 27. Pars mœroris fuit, quod Julia Drusi filia, Neronis quondam uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro simplici *nubere. Ovid.* 12. *Met.* 195. nec Cænis in ullos Denupsit thalamos. *Apul.* 9. *Met.* Filia ejus accurrit e proximo castello, in quo pridem denupserat. *Id. de Mag.* Claro fratri denupta. Adde *eumd.* 5. *Met.*

II. Translate. — *a*) De plantis. *Colum.* 10. *R. R.* 157. Alma sinum tellus jam pandet, adultaque poscens Semina depositis cupiet denubere plantis. — *b*) Obscæno sensu, seu de perversis nuptiis. *Sueton. Ner.* 29. Doryphoro denupsit. Adde *Tac.* 15. *Ann.* 37.; et V. *Ritter* ad h. l.

DĒNŪDĀTĬO, ōnis, f. 3. nudatio: occurrit translate tantum apud *Vulgat. interpr. Eccli.* 11. 29. In fine hominis denudatio operum illius. *Gloss. Cyrill.* Γύμνωσις, denudatio, nudatio.

DĒNŪDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒNŪDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* nudo) Scribitur et *dinudo:* V. infra sub *B.* II. — Part. *Denudatus* sub *A.* I. et sub *B.* I.; *Denudandus* sub *A.* 1. — Denudare *A*) Stricto sensu est idem quod nudare seu vestimentis exuere; *B*) Latiori sensu est aliquem re aliqua et præsertim bonis per vim aut furto spoliare.

A) Stricto sensu est idem quod nudare, seu vestimentis exuere; et usurpatur

I.) Proprie. *Seneca Thyest.* 763. Denudare artus. *Cic.* 7. *Verr.* 13. 32. Ne excitetur Verres, ne denudetur a pectore, ne cicatrices populus Romanus aspiciat. *Sueton. Aug.* 68. Qui matresfamilias et adultas ætate virgines denudarent atque perspicerent, tamquam Thoranio mangone vendente. Cf. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 106. Neu reliquias sic meas siris, denudatis ossibus, Tetra sanie delibutas, fœde divexarier. — Sic *Petron. Satyr.* 103. Capita cum superciliis denudanda tonsori præbuimus. *h. e.* radenda. *Varro* 1. *R. R.* 41. 2. Surculum sic exacuendum, ut non denudes medullam.

II.) Translate. *Liv.* 44. 38. Denudare alicui consilium suum. *h. e.* manifestare. *Id.* 42. 13. judicia. *Seneca Tranquill.* 15. Multa incidunt, quæ invitos denudent. *h. e.* prodant, deprehendant, manifestent.

B) Latiori sensu est aliquem re aliqua et præsertim bonis per vim aut furto spoliare; et occurrit

I.) Proprie. *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 15. Cives crudelissime denudati ac divenditi. *h. e.* bonis suis spoliati.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Orat.* 55. 235. Juris civilis scientiam suo ornatu spoliare atque denudare. Sic *Auson. Eclogar. de signor. effectib.* 10. Et festos ramos denudat flamma Nepai. *Al. leg.* dinudat.

DĒNŬMĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. enumeratio. *Paul. Dig.* 38. 10. 10. *a med.* Eadem hic denumeratio facienda est, quæ in patrui majoris filio, filia. *Torrentin.* habet *dinumeratio.*

DĒNŬMĔRO, as, etc. *V.* DINUMERO.

DĒNUNCĬĀTĬO *vel* denuntiatio, ōnis, f. 3. actus denunciandi, idem ac significatio, indictio, et fere terrendi causa. Usurpatur autem — *a*) Cum Genitivo rei, sive, uti ajunt, objecti. *Cic.* 6. *Phil.* 2. 4. et *Liv.* 21. 19. Denunciatio belli. *Liv.* 45. 3. armorum. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. Quum neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi permovere posset. Adde *Liv.* 3. 36. *Cic. Flacc.* 6. 14. Denunciatione testimonii terrere aliquem. *h. e.* denunciando se evocaturum aliquem invitum ad testimonium dicendum. *V.* DENUNCIO. — Sic est idem ac *significatio* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 25. 54. Denunciatio et quasi significatio calamitatum. — Est idem ac *comminatio* apud *Quintil.* 3. 8. 20. Dedendine fuerint etiam citra hanc denunciationem. *h. e.* Fabii Gallis bellum minitantibus. *Ammian.* 26. 2. Monitu præfecti Sallustii sub exitii denunciatione statutum est, - ne etc. — Est idem ac *delatio* apud *Sueton. Aug.* 66. Gallo quoque et accusatorum denunciationibus et senatusconsultis ad necem compulso. — *b*) Cum Genitivo personæ, vel, uti ajunt, subjecti. *Cic. Sull.* 18. 52. Quid tandem de illa nocte dicit, quum inter falcarios ad M. Læcam nocte ea - Catilinæ denunciatione convenit? Cf. *Vellej.* 2. 70. 1. Territus denunciatione quiescit. *h. e.* significatione in somnio sibi facta; de qua *Lactant.* 2. 7. — *c*) Absolute. *Quintil.* Si, re non ante proposita, securum, ac nulla denunciatione in se conversum, intravit oratio. Adde *Curt.* 6. 17. 19. *Seneca Ep.* 94. *a med.* Denunciatio et castigatio insanos coercuit.

DĒNUNCĬĀTĪVUS *vel* denuntiativus, a, um, adject. derivat. a *denunciatus*, qui denunciat. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Noctibus quidam inquietati antecedentibus signis accessionem fore denunciant; quidam sine ullo denunciativo motu corripiuntur; quo fit, ut magis periclitentur.

DĒNUNCĬĀTOR *vel* denuntiator, ōris, m. 3. qui denunciat. ¶ 1. *Inscript.* apud *Gruter.* 254. 4., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 142. et est apud *Orell.* 2544. IMP. CAESARI - T. AELIO HADRIANO ANTONINO AVG. PIO - SOCII. LICTORES. POPVLARES. DENVNCIATORES PVTEOLANI. *Alia* apud *Orell.* 3216. P. AEMILIO P. F. NICOMEDI PATRI INCOMPARABILI, DECVRIALI DECVRIAE LICTOR., COS. TRIVM DECVRIAR. X. PRIMO, ITEM DECVR. LICTOR. POPVLARIS DENVNTIAT. X. PRIMO etc. In veteri alio monumento apud *Gruter.* 250. et 251., ubi plerique Urbis Romæ vici enumerantur, quinquies cum vicorum curatoribus etiam *denunciatores* recensentur: quod et apud *P. Victor.* legitur, *de regionibus Urbis Romæ*, ubi singulis regionibus denunciatores assignat. Hos volunt sub imperatoribus fuisse qui, deficientibus accusatoribus, graviora crimina magistratibus denunciabant, ne impunita elaberentur. Similes sunt, qui ab Italis dicuntur *capi di contrada.* ¶ 2. *Inscript.* apud *Orell.* 2614., quæ est apud *Mommsen Inscrip. Neap.* 6886. L. MARIVS AVCIVS DENVNTIATOR AB SCAENA GRAECA. *Orellius* habet AVSTVS ENVNTIATOR, haud recte, atque hæc adnotavit: Nusquam præterea hi memorantur. Eratne id genus hominum, quod nunc vocant *souffleurs, suggeritori?* An potius, qui populo Romano, Græce nescienti, Latine breviter exponerent comœdiæ vel mimi Græci argumentum?

DĒNUNCĬĀTUS *vel* denuntiatus, a, um. *V.* voc. seq.

DĒNUNCĬO *vel* denuntio, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* nuncio). Part. *Denuncians* sub *A.* I. *a.* et *b.*, et *B. Denunciatus* sub *A.* I. *a.*, et *B. a.*; *Denunciandus* sub *B. a.* — Denunciare proprie est ab uno ad alterum locum aliquem mittere, qui personæ, ad quam id pertinet, aliquid nunciandum afferat atque hoc reapse eidem significet; hinc generatim est idem ac palam nunciare, significare, declarare, indicere ex ordine et formali quadam ratione, immo etiam frequenter ex lege, sive id fiat inter privatos homines, sive inter privatos et magistratus, sive inter magistratus et populos nationesque (It. *denunziare, far sapere, dichiarare, intimare formalmente;* Fr. *annoncer, déclarer, faire savoir, dénoncer, notifier avec formalité;* Hisp. *anunciar, declarar, hacer saber, denunciar, noticiar formalmente;* Germ. *eine förmliche Meldung, Anzeige, Kundgebung, an ein. M. thun oder thun lassen, in bester Form und Ordnung ansagen, erklären, ankündigen, zu wissen thun, stets mit dem Charakter der förmlichen, sehr oft der officiellen Anzeige;* Angl. *to denounce, intimate, declare, forewarn, foretell*). Occurrit autem *A*) Generatim, et *B*) Specialim.

A) Generatim usurpatur tum pro simpliciter nunciare, tum pro monere vel etiam minari, tum pro præcipere ac jubere, sive id amico, sive inimico animo fiat; et occurrit

I.) Proprie de personis. — *a*) Cum Accusativo rei et Dativo personæ, cum Accusativo rei tantum, raro cum Ablativo rei et præpos. *de*, cum Dativo personæ tantum, aut absolute omnino. — Cum Accusativo rei et Dativo personæ. *Cic.* 3. *Orat.* 36. 144. Plus enim aliquanto attulisti, quam tibi erat attributum a nobis ac denunciatum. *Id.* 5. *Fam.* 11. 2. Cum Sura nostro - locutus sum, ut ei (*Pompejæ*) meis verbis diceret, ut, quidquid opus esset, mihi denunciaret. *Id.* 13. *ibid.* 77. 1. Velim facias eos per litteras certiores, ut, si quid tibi opus sit, ne dubitent mihi jure suo denunciare. *Id. Sext.* 17. 40. Denunciare alicui judicium populi, legitimam aliquam contentionem, disceptationem, causæ dictionem, vim, arma, exercitus, imperatores, castra. Adde *eumd. Mur.* 24. 49. *Id.* 15. *Att.* 20. 2. genus interitus. *Id. Mil.* 19. 53. Mors alicui denunciata et prædicta. *Id.* 1. *Divinat.* 30. 65. Hector moriens propinquam Achilli mortem denunciat. Cf. *Tibull.* 3. 5. 5. Nigram horam denunciat mihi Persephone. Rursus *Cic.* 5. *Phil.* 7. 19. Denunciare alicui inimicitias. *Id.* 5. *ibid.* 8. 21. populo Romano servitutem. *Id.* 14. *ibid.* 3. 8. omnibus pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta. *Id.* 2. *leg. Agr.* 5. 13. omnibus vim tribuniciam. — Cum Accusativo rei tantum. *Cic. Sext.* 20. 46. Denunciare proscriptionem, cædem, direptionem. *Id.* 2. *Att.* 23. 3. Non mediocres terrores jacere et denunciare. — Raro admodum cum Ablativo rei et præpos. de, et Dativo personæ. *Cic. Cæcin.* 32. 95. Postea cur, Æbuti, de isto potius fundo, quam de alio, si quem habes, Cæcinæ denunciabas, si Cæcina non possidebat? — Cum Dativo personæ tantum, et denunciare ponitur pro minari. *Cic.* 2.

Att. 23. 1. Volitat (*Clodius*), furit, nihil habet certi, multis denunciat: quod fors obtulerit, id acturus videtur. Cf. *eumd. Quinct.* 17. 54. Denunciare alicui domum. *h. e.* domi. — Absolute omnino, ita tamen, ut res, quæ denunciatur ex ipso orationis contextu innotescat. *Cic. Rabir. Post.* 6. 15. Moneo et prædico, integra re causaque denuncio: omnes homines deosque testor. Sic *Id.* 4. *Fam.* 3. 1. Multo enim ante – prospexi tempestatem futuram, neque id solum mea sponte, sed multo etiam magis monente et denunciante te. Adde *eumd. Quinct.* 17. 74. Similites *ex denunciato,* hoc est præmisso nuncio. *Seneca Ep.* 79. *sub fin.* Si se non exornavit et pinxit, sed idem semper fuit, sive ex denunciato videbatur, sive imparatus ac subito. Adde *eumd.* 3. *Quæst. nat.* 30. — *b*) Addita re, quæ denunciatur, per Accusativum et Infinitum, aut per pronomen Relativum. — Per Accusativum et Infinitum. *Cic. Quinct.* 6. 27. Sex. Alfenus denunciat sese procuratorem esse. *Id.* 6. *Phil.* 3. 5. Testificor, denuncio, ante prædico, nihil M. Antonium eorum, quæ sunt legatis mandata, facturum. Adde *eumd. Divin. in Q. Cæcil.* 8. 25., 1. *Orat.* 22. 103. et 3. *de republ.* 11. 19. *Cæs.* 1. *B. G.* 36. Quod sibi Cæsar denunciaret, se Æduorum injurias non neglecturum. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 54. *Nepos Chabr.* 3. Quem ante (*diem*) domum nisi redisset, capitis se illum damnaturos denunciarunt. *Liv.* 3. 46. Denunciare se Icilio – neque legi suæ latorem, neque decemviro constantiam defore. *Id.* 45. 1. Denunciavit populo, L. Æmilium collegam – cum rege Perseo pugnasse etc. *Curt.* 10. 3. 5. Denunciantes protinus esse morituros, si rex perseveraret irasci. Adde *Sueton. Cæs.* 30. — Per pronomen Relativum. *Cic. Planc.* 22. 52. Denunciasti homo adolescens quid de summa reipublicæ sentires. — *c*) Denique quum significat mandare, præcipere, jubere, usurpatur cum Conjunctivo et part. *ut* vel *ne,* cum Conjunctivo sine ulla part., cum Infinito, aut absolute. — Cum Conjunctivo et part. *ut* vel *ne. Cic.* 11. *Fam.* 25. Exspectanti mihi quotidie tuas litteras Lupus noster subito denunciavit, ut ad te scriberem, si quid vellem. *Id.* 1. *Tusc.* 49. 118. Si quid tale acciderit, ut a deo denunciatum videatur, ut exeamus e vita. *Cæs.* 2. *B. C.* 20. Gaditanos denunciavisse Gallonio, ut sua sponte excederet Gadibus. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 10. *Liv.* 9. 36. Legati venerant denunciatum Fabio senatus verbis, ne saltum transiret. Adde *eumd.* 7. 31. *Sueton. Cæs.* 75. Denunciare acerbe loquentibus, ne perseverent. Adde *eumd. Tib.* 27. — Cum Conjunctivo sine ulla part. *Cic.* 2. *Verr.* 12. 36. Moneo, prædico, ante denuncio: qui – professi sunt, abstineant in hoc judicio manus oculosque ab hoc scelere nefario. *Liv.* 6. 17. *extr.* Denunciatum senatus verbis, facerent propere ex urbe ab ore atque oculis populi Romani. *Id.* 39. 54. *ad fin.* Denuncient Gallicis populis, multitudinem suam domi contineant. *Curt.* 7. 7. 25. Tibi autem quietius, quam potest, denuncio, ipsi mihi indices quid extis cognoveris. Adde *Sueton. Cal.* 35. — Raro cum Infinito. *Apul.* 9. *Met.* Denunciant hospiti nostro nos – dedere. Adde *eumd.* 10. *ibid.*; et *Tac.* 11. *Ann.* 37. V. et infra sub *B. b.* — Absolute. *Cic. Dom.* 45. 117. Præsertim quum tribunus plebis vel denunciare potueris, vel etiam cogere.

II.) Translate de rebus inanimis. *Cic. Mil.* 1. 3. Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes non periculum nobis, sed præsidium denunciant. ubi ipsi *centuriones* et *cohortes* tamquam res accipiuntur. *Id.* 3. *de republ.* 3. 6. Nam terra continens adventus hostium – multis indiciis et quasi fragore quodam et sonitu ipso ante denunciat. *Virg.* 1. *G.* 453. Cæruleus (*sol*) pluviam denunciat, igneus Euros. *h. e.* portendit. Cf. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 78. (341). Si ante exortum nubes globabuntur, hiemem asperam denunciabunt. *Propert.* 4. 3. 61. Illa dies hornis cædem denunciat agnis. *Curt.* 10. 2. 15. Quid hæc repens consternatio et tam procax atque effusa licentia denunciat? *Cels.* 2. 6. Mors denunciatur, ubi æger supinus cubat. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 38. (118). Arbor – statim pestem denuncians. Adde *Tac. Germ.* 18.

B) Speciatim. ¶ 1. In jure usurpatur — *a*) Pro ex publico jure ac lege, et formali quidem ratione significare, declarare, indicere; et de bello præcipue occurrit cum v. *indicere* conjunctum. *Cic.* 1. *Off.* 11. 36. Bellum denunciatum ante et indictum. Adde *eumd.* 2. *de republ.* 17. et 23. *Id.* 12. *Fam.* 24. Quos senatus ad denunciandum bellum miserat. Adde *eumd. Senect.* 6. 18. — *b*) Item ponitur de imperatoribus pro præcipere, jubere. *Cæs.* 6. *B. G.* 10. Suevos iis nationibus, quæ sub eorum sint imperio, denunciare, uti auxilia peditatus equitatusque mittant. Adde *eumd.* 3. *B. C.* 86. *extr. Liv.* 3. 19. Denunciavit, ut arma caperetis. Adde *eumd.* 8. 30. et 44. 26. *Sueton. Cæs.* 65. Tum maxime exactor gravissimus disciplinæ, ut neque itineris, neque prælii tempus denunciaret. *Id. Claud.* 13. Denunciato ad novum Imperatorem itinere. Adde *Justin.* 42. 2. — Et absolute. *Brutus et Cassius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 2. Denunciare veteranis. — Et cum Infinito. *Tac.* 11. *Ann.* 37. Denunciat centurionibus exsequi cædem. — *c*) *Denunciare testimonium alicui* est vocare aliquem etiam invitum ad judicium, testimonii dicendi gratia. *Cic. Rosc. Am.* 38. 110., 2. *Verr.* 19. 51. et *Flacc.* 6. 14. V. *Klotz* ad *Cicer. Oration. vol.* 2. *p.* 704. — Similiter dicitur *testibus*, vel *alicui denunciare*, ut apud *Cic.* 6. *Verr.* 12. 28. Testes, quibus nos præsentibus denunciavimus, eos vi custodiisque retinere. Adde *Quintil.* 5. 7. 9. et 15.; et *Plin.* 6. *Ep.* 5. 2. — Et absolute omnino. *Cic. Flacc.* 15. 15. Fratres saltem exhibe (*testes*). Non denunciavi. *subaudi* testibus illis, *vel* iis testimonium. — *d*) Item *denunciare* est etiam in judicium de lite vocare (V. *Klotz* ad *Cicer. Oration. vol.* 1. *p.* 482. et *vol.* 2. *p.* 865.), rem ad judicem deferre. *Cic. Cæcin.* 7. 19. Homini Romæ in foro denunciat fundum illum – suum esse seseque sibi emisse. Cf. *eumd. Quinct.* 6. 27. Sic *Id. Rosc. com.* 9. 26. In judicium, *vel* judici denunciare. V. *Pauly's Real-Encycl. vol.* 2. *p.* 678. ¶ 2. In re sacra denunciari est futurum aliquid portendi, et dicitur etiam de inanimis. *Cic.* 1. *Divinat.* 43. 97. Quibus prodigiis magna populo Romano bella perniciosæque seditiones denunciabantur. *Virg.* 3. *Æn.* 365. Sola novum dictuque nefas Harpyia Celæno Prodigium canit et tristes denunciat iras. Adde *Sueton. Cæs.* 81., *Aug.* 91. et 96., et alibi.

DĒNUNTĬĀTĬO,
DĒNUNTĬĀTĪVUS,
DĒNUNTĬĀTOR,
DĒNUNTIATUS *et*
DĒNUNTĬO, as. *V.* DENUNCIATIO, DENUNCIATIVUS, etc.

DĔNŬO, adverb. per syncopen pro *de novo* (V. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr. prol.* 26.) de integro (It. *di nuovo*; Fr. *de nouveau*; Hisp. *de nuevo*; Germ. *von Neuem*; Angl. *again*). Itaque ¶ 1. Stricto sensu ponitur pro de integro, quum scilicet sermo est de rebus, ut puta de ædibus, quæ, prius dirutæ, reædificantur. *Plaut. Most.* 1. 2. 36. Ædificantur ædes totæ denuo. Similiter *Sueton. Aug.* 47. Alias (*urbes*) aut ære alieno laborantes levavit, aut terræ motu subversas denuo condidit. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro iterum, secundo. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 1. Rem omnem, Acroteleutium, tibi, tibique, mea Milphidippa, domi demonstravi ordine. Hanc fabricam fallaciasque minus si tenetis, denuo volo percipiatis plane. *Liv.* 10. 31. Fabius in Etruria rebellante denuo quatuor millia et quingentos Perusinorum occidit. *Justin.* 5. 5. 8. Veritus itaque (*Alcibiades*) multitudinis impetum, denuo in voluntarium exilium proficiscitur. ¶ 3. Item usurpatur pro rursus. *Cic.* 4. *Verr.* 56. 139. Sicilia te prætore censa denuo est. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 14. 37.; *Ter. Eun.* 5. 2. 60.; et *Plaut. Amph.* 1. 1. 238. — Hinc *denuo* sæpe conjungitur cum Verbis, in quibus inest præpositio *re*, quæ adverbio *retro* similem habet significationem. *Plaut. Capt.* 2. 3. 51. Ut redire liceat ad parentes denuo. *Id. ibid.* 3. 5. 108. Nunc intelligo redauspicatum esse in catenas denuo. *Ter. Eun.* 4. 4. 21. Jube mihi denuo respondeat. Similiter adverbium *rursus* usurpat *Auct. B. Afr.* 70. Atque inde quarta die egressus redit rursus ad ea castra, quæ ad Agar habuerat. ¶ 4. Denique, apud *Plautum* et *Terentium,* adverbium *denuo* significat actionem aliquam loco alterius fieri, sive aliquid fieri vel accidere aliter ac volumus. Itali dicunt *invece*, Germani *wieder*. *Ter. Heaut.* 4. 6. 4. Nec quidquam magis nunc metuo, quam ne denuo miser aliquo extrudar hinc. Adde *eumd. ibid.* 3. 2. 32. *Plaut. Trin.* 3. 3. 74. Aperi (*arcam*), deprome inde auri ad hanc rem quod sat est. Continuo operito denuo.

DENUO, is, ere, n. 3. palam, seu valde annuo, a præposit. *de*, et simplici atque inusitato *nuo*. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 127.

DĔOCCO, as, are, a. 1. idem quod occo, glebas agri comminuo. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 15. 37. (137). Vicia non sarritur, non stercoratur, nec aliud quam deoccatur.

DĔŌNĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔŌNĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et onero). Part. *Deonerans* II.; *Deoneratus* I. et II. — Deonero est onere levo, exonero.

I.) Proprie. *Ammian.* 24. 6. Validiores naves deoneratas octogenis implevit armatis. *Arnob.* 6. 16. Deonerati proluvies podicis.

II.) Translate. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 14. 46. Ex alicujus invidia deonerare aliquid, et in alium trajicere. *Arnob.* 7. 42. Immunda fæx aversabili fœditate corpora deonerans.

DĔŎPĔRIO, is, ire, a. 4. (de *et* operio). Part. *Deopertus.* — Deoperio est aperio, detego. *Cels.* 8. 4. *ante med.* Os deoperire tutissimum est. *Ita quædam editiones: sed pleræque aliæ, eæque optimæ,* aperire. *At nihil mutandum videtur: nam etiam* deopertus *habetur* apud *Isid.* 16. *Orig.* 2. Tellure deoperta, smaragdi intermicant. *Gloss. Cyrill.* Περισκέπω, detego, deoperio.

DĔOPTO, as, are, a. 1. (de et opto) idem quod opto, eligo. *Hygin. fab.* 191. Pater Midæ deoptandi dedit potestatem, ut quidquid vellet, peteret a se.

DĔŌRĀTA, perorata. *Paul. Diac. p.* 74. 10. *Müll.*

DĔORSUM, adverb. Vox est in carmine fere disyllaba, ut *deinde*. *Lucret.* 1. 362. Corporis officium est quoniam premere omnia deorsum. *Id.* 2. 205. Pondera quantum in se est, deorsum deducere pugnent. Adde *ibid.* 217., 221. et 230., 4. 630. et alibi. Aliquando tamen est trysillaba. *Id.* 2. 202. Quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur. Adde *eumd.* 3. 1030., ubiquidam leg. *deosum*, ut et 6. 334. et alibi. — *Deorsus* pro *deorsum* dixit unus *Apul.* bis 7. *Met.*, item 9. *ibid. sub fin.* et *de deo Socrat.* et *Florid. n.* 15. — Ceterum *deorsum*, cui opponitur *sursum* (*V.* infra sub I.), a de et *vorsum* seu *versum*, est versus partem inferiorem (It. *verso il basso, rivolto allo ingiù*; Fr. *vers le bas, en bas*; Hisp. *hácia abaxo, alla abaxo*; Germ. *nach unten, abwärts gewandt, abwärts*; Angl. *down, downwards*).

I.) Proprie motum significat versus aliquem locum; et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 5. 1. 56. Devolant angues jubati deorsum in impluvium duo. *Lucret.* 6. 335. naturâ pondera deorsum Omnia nituntur. *Id.* 2. 217. Corpora quum deorsum rectum per inane feruntur. *Cic.* 1. *Nat. D.* 25. 69. Quum pondere et gravitate directo deorsum feratur. *Varro* 3. *R. R.* 5. 4. Deorsum in terram esse aquam, quam bibere possint. *Crescentius* omnia hæc omisit; *Schneiderus* uncis inclusit. *Quintil.* 11. 3. 97. Deorsum spectantibus digitis. *Pallad.* 2. *R. R.* 35. *de malis.* Constat mala sic ponenda, ut pediculorum partes deorsum facias. *h. e.* deorsum colloces. — *b*) Jungitur cum *versus* vel *versum*. *Quadrigarius* apud *Gell.* 9. 1. Lapides deorsum versum mittere. *Varro* 2. *R. R.* 7. 5. Lumbis deorsum versum pressis. — *c*) Item jungitur cum *sursum*; immo *sursum deorsum*, Gr. ἄνω κάτω, sine particula conjunctiva, occurrit apud *Ter. Eun.* 2. 2. 47. Sursum deorsum cursitare. Et apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 33. 84. Sursum deorsum, ultro citro commeare. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 21. Sursum ac deorsum moveri. *Quintil.* 11. 3. 105. Reliqui (*gestus*) et sursum et deorsum aliquid ostendunt.

II.) Translate ponitur de loco et significat infra. *Ter. Adelph.* 4. 2. 34. SY. Nostin porticum apud macellum hanc deorsum? DE. Quidni noverim? SY. Præterito hac recta platea sursum: ubi eo veneris, clivus deorsum versus est.

DĔORSUS. *V.* voc. præced.

DĔOSCŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔOSCŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (de *et* osculor). Part. *Deosculatus* I. *et* II. — Deosculor est idem quod osculor, aut vehementer osculor.

I.) Proprie, et quidem — *a*) Active. *Plaut. Cas.* 1. 1. *v.* 48. Sine, tuos ocellos deosculer. Adde *eumd. ibid.* 2. 8. 33. *Val. Max.* 2. 10. *n.* 2. Scipionis dexteram duo deosculati. *V.* PEROSCULOR. *Apul.* 3. *Met.* Quam amplexus ego et deosculatus. Adde *eumd.* 5. *ibid.* — *b*) Passive. *Apul.* 2. *Met.* Rursum me deosculato. *et ibid.* Me pressim deosculato.

II.) Translate. *Gell.* 1. 23. Senatus fidem atque ingenium pueri deosculatus. *h. e.* impense laudans ac probans.

DĒŌSUM. *V.* DEORSUM init.

DĒPĂCISCOR, păcisceris, pactus sum, păcisci, *vel rectius ac sæpius* dēpĕciscor, pĕcisceris, pectus sum, pĕcisci, dep. 3. (de *et* paciscor). Part. *Depactus* vel *Depectus* I. — Depaciscor est idem quod paciscor, pactione transigo (*It. patteggiare, accordarsi, convenire; Fr. faire un pacte, un accord, transiger; Hisp. hacer pacto, concierto, transigir; Germ. verabdingen, sich ausbedingen, abs. sich vergleichen; Angl. to bargain, agree upon*).

I.) Proprie, fere semper aut de turpi pactione dicitur, aut de ea, quæ paciscenti iniqua sit. *Cic. Rosc. Am.* 58. 110. Cum illo partem suam (*prædæ*) depaciscl. *Id.* 2. *Invent.* 24. 72. Depactus est cum hostibus, ut arma relinqueret. *Id.* 5. *Verr.* 24. 60. Neque ante est dimissus, quam ad conditiones ejus depactus est. — Apud JCtos in Edicto prætoris de calumniatoribus *depectus* dicitur, qui turpiter pactus est, ita interpretante *Ulp. Dig.* 3. 6. 3.

II.) Translate. *Ter. Phorm.* 1. 3. 14. Ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui, jam depecisci morte cupio. *h. e.* mori quoque cupio. Simile est illud *Virg.* 5. *Æn.* 230. vitamque volunt pro laude pacisci. *Cic.* 9. *Att.* 7. 3. In quo non extimesco periculum: quum enim tot impendeant, cur non honestissimo depecisci velim?

DĒPACTUS, a, um. *V.* DEPANGO et DEPACISCOR.

DĒPĀLĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est pali in terram defigendi actio. Mos fuit aliquando terminos agrorum palis terræ defixis designare. Hinc *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 245. *n.* 671., quæ est apud *Orell.* 3689. HI TERMINI XIX. POSITI SVNT AB SCRIBONIANO ET PISONE FRVGI EX DEPALATIONE T. FLAVII VESPASIANI ARBITRI. *nempe* hoc titulo declaratur, lapideos terminos XIX. positos fuisse ab agri dominis, ubi pali erant, quibus defixis Vespasianus, nondum Augustus, arbiter postulatus eumdem agrum limitaverat, finesque statuerat inter Scriboniani et Pisonis Frugi prædia. *V.* DEPALO I. ¶ 2. *Depalatio* est etiam descriptio horarum, quæ ad deprehendendas solis umbras singulis diebus decrescentes ac rursus augescentes facta est et æneis regulis in basi marmorea inclusis circa gnomonem in campo Martio ab Augusto collocatum, ut narrat *Plin.* 36. *Hist. nat.* 10. 15. (72). et probavit *Bandinius* in *Comment. de obelisco Cæs. Aug. p.* 97. et alibi. *Vitruv.* 9. 7. 1. *Schneid.* Separandæ sunt (*horologiorum*) rationes et explicandæ menstruæ dierum brevitates, itemque depalationes. *Turneb. l.* 6. *Adversar. c.* 12. putavit, has esse cuneorum detractiones, quæ in horologio tantum aquatico locum habebant, quod describit idem *Vitruv. ibid.* 8. 6. et 7. *Baldus* vero in *Lex. Vitruv.* suspicatur, *depalationes* dici solis evagationes per Zodiacum: ut sit a palari, *h. e.* vagari. *Schneiderus* ad *Vitruv.* 9. 7. 1. *Turnebi* interpretationem probat: *V.* ibi plura.

DĒPĀLĀTOR, ōris, m. 3. qui palos defigit. Hinc translate *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 5. D. Paulum vocat depalatorem disciplinæ divinæ: *h. e.* qui velut palis defixis Dei disciplinam statuerit: nisi malis a *dēpālo* ducere, ut evulgatorem significet.

DĒPĀLĀTUS, a, um. *V.* DEPĀLO et DEPĀLO.

DĒPALLĬO *vel* depallo, as, are, a. 1. pallio, vel palla spolio apud *Tertull. Pall.* 4.; sed ibi legendum *depilari* pro *depallari*. *V.* locum in DEPILO.

DĒPALMO, as, are, a. 1. (de *et* palma) palma percutere. *Q. Labeo* apud *Gell.* 20. 1. Quemcumque depalmaverat.

DĒPĀLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* palus). Part. *Depalatus* I. — Depalare est palis impactis statuere et circumcludere.

I.) Proprie est agrorum terminos palis defixis designare, ut in DEPALATIO 1. est dictum. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 221. *n.* 533., quæ est apud *Orell.* 3688. ET IVGERA AGRI CVTVLENIANI P. M. IIII. ITA VTI DEPALATVM EST.

II.) Translate. *Tertull. Apolog.* 10. Civitas, quam depalaverat Saturnus, Saturnia usque nunc est. *Id. advers. Hermog.* 29. Depalare mundum.

DĒPĀLO, as, are, a. 1. (de *et* palam). Part. *Depalatus*. — Depalare est aperire, palam facere. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 10. Juste vel Sol Veneris depalat adulterium. *Id.* 3. *ibid.* 6. Lucernam de sub modio ejecit, id est desiderii flammam in pectore absconsam depalat. *Gloss. Isid.* Depalata, manifesta. Adde *Cassiod.* 3. *Hist. Eccl.* 2. *sub init.*

DĒPANGO, pangis, pactum, pangere, a. 3. (de *et* pango). Part. *Depactus* I. et II. — Depango est planto, insero, humi defigo.

I.) Proprie. *Colum.* 3. *R. R.* 16. 1. Malleolum medio spatio, quod vacat inter vites, depangere. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 21. 11. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 96. 98. (211). Depacta in terram non extrahuntur. *Id.* 24. *ibid.* 1. 1. (1). Quercus in scrobe depacta.

II.) Translate. *Lucret.* 2. 1085. Vitæ depactus terminus alte tam manet.

DĒPARCO *vel* deperco, is, ere, a. 3. parco, comparco. *Solin.* 4. Hoc collactaneum depercitur ut sufficiat usui. *Al. leg.* depascitur. *Priscian. p.* 832. *Putsch.* Spargo, respergo; parco, deperco. *Priscian.* tamen nollo lil auctore confirmat.

DĒPARCUS, a, um, adject. nimium parcus, adeoque sordidus. *Sueton. Ner.* 30. Sordidos putabat esse et deparcos, quibus impensarum ratio constaret.

DĒPARTĬO, is, ire, a. 4. *et*

DĒPARTĬOR, iris, iri, dep. 4. (de *et* partior) est idem ac partior, seu divido. *Gloss. Cyrill.* Καταμερίζω, departio. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 2. 14. *p.* 553. Congruum est — departiri genus in atoma specie prima.

DĒPASCO, pascis, pāvi, pastum pascere, a. 3. *et*

DĒPASCOR, pasceris, pastus sum, pasci, dep. 3. (de *et* pasco). Part. *Depastus* I. et II.; *Depascendus* IV. — Depasco est idem quod pasco (*It. pascere; Fr. paître; Hisp. pacer; Germ. abweiden; Angl. to feed upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Dicitur de pastoribus, et est depasci facio. *Ovid.* 5. *Fast.* 283. Venerat in morem populi depascere saltus. *Virg.* 1. *G.* 111. Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus aristis, Luxuriem segetum tenera depascit in herba? *Colum.* 2. *R. R.* 10. 32. Si depascere sæpius voles, usque in mensem Majum sufficit. *Ulp. Dig.* 10. 4. 9. Glandem ego immisso pecore depasco. ¶ 2. Dicitur etiam de pecore, et est pascendo absumere. *Cic.* 2. *Orat.* 70. 284. Ab iis, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 21. Si hœdi roscidas herbas depaverint. *Virg.* 4. *G.* 539. Qui (*tauri*) tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi. Sic *Plin.* 11. *Hist. nat.* 19. 21. (65). Papilio ceras depascitur. — Hinc *depastus* medicorum apud Græcos significatione. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 239. sonipes frondes depastus amaras. — Et passive. Cum Accusativo Græcorum more *Virg.* 1. *Ecl.* 54. sæpes Hyblæis apibus florem depasta salicti. *h. e.* habens flores depastos ab apibus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 45. (161). Depastæ segetes. Aliter *Auct. Laud. Herc.* 77. Depastis juvencis. — Huc pertinent et figurata illa *Virg.* 5. *Æn.* 92. rursusque innocuus (*anguis*) imo Successit tumulo, et depasta altaria liquit. *et* 2. *ibid.* 215. miseros morsu (*anguis*) depascitur artus.

II.) Translate. *Lucret.* 3. 10. tuisque ex, inclute, chartis, Floriferis ut apes in saltibus omnia limant, Omnia nos itidem depascimur aurea dicta. *h. e.* decerpimus. *Cic.* 2. *Orat.* 23. 96. Multo ejus oratio esset pressior, in qua, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quædam, quæ stilo depascenda est. *Id.* 1. *Legg.* 21. 55. Depasci veterem possessionem Academiæ ab hoc acuto homine non sinemus. *Sil. It.* 16. 681. Et potuit Latium longo depascere bello. *h. e.* vastare, depopulari. *Virg.* 3. *G.* 458. artus depascitur arida febris. Adde *Claudian.* 1. *Rufin.* 302. et *Idyll.* 3. 11. *Sil. It.* 6. 50. truncum raptis caput auribus, ipsaque diris Frons depasta modis. *Id.* 12. 153. Depasti flammis scopoli.

DĒPASTĬO, ōnis, f. 3. actus depascendi. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (236). Similem rationem et depastio animalium habet.

DĒPASTUS, a, um. *V.* DEPASCO.

DĒPĀVĪTUS, a, um, particip. ab inusit. *depavio*, percussus, calcatus. *Solin.* 2. 4. Parcius depavita levibus vestigiis inviare.

DĒPAUPĔRO, as, are, a. 1. (de *et* pauper) est facere pauperem. *Varro.* Prius, quam domum depauperasset sumptu suo. *Sic citat* Perottus in Cornucop., *quem pœnes sit fides.*

DĒPĔCISCOR, peclsceris, pectus sum, pecisci. *V.* DEPACISCOR.

DĒPECTĬO, ōnis, f. 3. actus depeciscendi, pactum. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 2. 10. 1. Advocati, qui consceleratis depectionibus suæ opis egentes spoliant atque denudant.

DĒPECTO, etis, xum, ctere, a. 3. (de *et* pecto). Part. *Depectens* I.; *Depexus* I. et II.; *Depectendus* I. — Depecto est deorsum pecto, vel probe pecto (*It. pettinare; Fr. peigner; Hisp. peynar; Germ. herunter-herab-kämmen; Angl. to comb, trim*).

I.) Proprie. *Ovid.* 6. *Fast.* 229. crines depectere buxo. *Id.* 1. *Art. am.* 630. Depexæ jubæ. *Lucan.* 9. 635. Depexus crinis. *Ovid.* 3. *Fast.* 465. Liber depexus crinibus. *Cf. Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 20. (54). Seres depectentes frondium canitiem. *Virg.* 2. *G.* 121. Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. *Colum.* 10. *R. R.* 187. Cypros item Paphio quam (*lactucam*) pingui nutrit in arvo, Punicea depexa coma, sed lactea crure est. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (18). Ars depectendi digerendique lini. *Id.* 12. *ibid.* 14. 32. (59). *de ture.* Quod in arbore hæsit, ferro depectitur. *h. e.* detrahitur.

II.) Translate. *Depexum aliquem dare*, verniliter et ironice est probe mulcare. Nos dicimus *conciar per le feste*. Et *fusti percutere* dixit *Plaut. Capt.* 4. 2. 116. eadem ratione. *Ter. Heaut.* 5. 1. 77. Si vivo, adeo exornatum dabo, adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit semper mei. *Non. p.* 7. 33. *Merc.* exponit *laceratum*: atque ea est quidem sententia; non tamen ex vi nominis, sed ex ironia.

DĒPECTOR, ōris, m. 3. qui pactum facit: a *depaciscor*, ut *Depector litium*, apud *Apul. de Mag.* (ut legit *Elmenh.*), h. e. turpis pactor litium, quem paciscendi modum *Quintil. Declam.* 231. piraticum vocat. Alii minus recte leg. *repertor*.

DĒPECTŌRO, as, are, a. 1. e pectore sanguinem mitto. Occurrit tantum Part. *Depectorandus* apud *Pelagon. Veterin.* 1. 2. Equus primo depectorandus est. Cf. DETEMPORO.

DĒPECTUS, a, um. *V.* DEPACISCOR.

DĒPĔCŪLASSĔRĔ, antiquum verbum. *V.* DEARGENTASSERE et DEPECULOR.

DĒPĔCŪLĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac depeculatus. *Gloss. Cyrill.* Νοσφισμὸς δημοσίων χρημάτων, depeculatio. Adde *Gloss. Philox.*

DĒPĔCŪLĀTOR, ōris, m. 3. qui depeculatur, peculator. *Cic.* 2. *Verr.* 1. 2. Depeculatorem ærarii, vexatorem Asiæ atque Pamphyliæ, prædatorem juris urbani. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 27. 106.

DĒPĔCŪLĀTUS, a, um. *V.* DEPECULOR.

DĒPĔCŪLĀTUS, us, m. 4. defraudatio populi. *Paul. Diac. p.* 75. 11. *Müll.* Depeculatos a pecore dicitur. Qui enim populum fraudat peculatus pœna tenetur.

DĒPĔCŪLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Pænultima longa est, ut in *pecūlium*, *pecūnia*, unde descendit: quod probat etiam *Voss. de Grammat. l.* 2. *c.* 23. — Part. *Depeculatus* I. — Depeculari a *de* et *peculium* composit., significat furari pecuniam, vel pecus (pecora enim antiquis potiores divitiæ erant), et generaliter spoliare, compilare: et fere de furtis publicis dicitur.

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Verr.* 17. 37. Apollonium Drepanitanum omni argento optime facto spoliasti ac depeculatus es. *Id.* 2. *ibid.* 4. 11. In provinciis multas domos, plurimas urbes, omnia fana depeculatus est. *Lucilius* apud *Non. p.* 97. 9. *Merc.* depeculassere aliqua sperans me ac deargentassere, Decalauticare, eburno speculo depeculassere. *Müllerus* ad *Paul. Diac. p.* 75. *col.* 2. ait: *Lucilii* faceti versus apud *Non.* (*loc. cit.*) suadeo, ne sine necessitate immutentur. Bene se habent hi tetrametri, quod attinet ad numeros, et sententia aperta: loquitur mulier de muliere, quæ ipsam poculo, argenteis vasis, calautica, eburneo denique speculo spoliare voluerit. — *Depeculatus* signif. pass. semel legitur in *Plaut. Epid.* 3. 4. 82. Me impune irrisum esse habitum, depeculatum eis. *h. e.* ab eis. Passive *depeculari* habet *L. Cœlius* apud *Priscian.* 8. *p.* 793. *Putsch.* Ubi senatus intellexit, populum depeculari. ἀποσυλεῖσθαι.

II.) Translate. *Cic.* 6. *Verr.* 36. 79. Qui laudem honoremque familiæ vestræ depeculatus est.

DĒPELLO, pellis, pŭli, pulsum, pellere, a. 3. (de *et* pello). *Depultus* pro *depulsus*, antiquo more, quo et *pulto* pro *pulso* dicebant, occurrit apud *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 15. Si præceps in Neptunias depultus erit lacunas. *Orellius tamen aliique leg.* depulsus.

— Part. *Depellens* I. 2. et II; *Depulsus* in omnibus paragr.; *Depulsurus* et *Depellendus* II. — Depello est deorsum pello, dejicio, detrudo (It. *cacciar giù*, *buttar giù*; Fr. *chasser de*, *écarter*, *éloigner*; Hisp. *ecar habaxo*, *alejar*; Germ. *nach unten*, *abwärts*, *hinabstossen*, — *werfen*, — *treiben*; Angl. *to drive, put, or thrust down*).

I.) Proprie usurpatur tum de personis, tum de rebus. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Quintil.* 7. 6. 6. Quum hostes murum ascendissent, peregrinus eos depulit. *Cic.* 3. *Cat.* 8. 19. Simulacra deorum depulsa sunt, et statuæ veterum hominum dejectæ. *Id.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Stomachus agitatione et motibus linguæ quum depulsum et quasi detrusum cibum accepit etc. Cf. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 78. 80. (189). Illis in supera succum revocari naturâ vaporis, his in inferas partes depelli humoris deciduo. — *b*) Sæpe addito loco, a quo quis depellitur. *Nepos Cat.* 2. Aliquem de provincia depellere. *Cic. Cæcin.* 17. 49. Depelli et demoveri de loco. *Id. Harusp. resp.* 27. 58. Qui eum civem vi, ferro, periculis, urbe, omnibus patriæ præsidiis depulit. Sic *Tac.* 3. *Ann.* 24. Depellere aliquem urbe. *Id.* 14. *ibid.* 50. Italiâ. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 78. cursu. *Quintil.* 2. 17. 29. rectâ viâ. — Interdum locus, a quo quis depellitur, omittitur, quia ex ipso orationis contextu facile eruitur. *Tac.* 2. *Ann.* 1. Nam Phraates quamquam depulisset exercitus ducesque Romanos, etc. *h. e.* regno. Sic *Id.* 3. *ibid.* 73. Tacfarinas quamquam sæpius depulsus. *h. e.* finibus provinciæ; minime vero *victus*, ut quidam falso interpretantur. — Rursus *Val. Flacc.* 3. 565. umbrosis arcibus ornos depellere. *Cic. Sext.* 42. 90. Depellere ab aris, focis ferrum flammamque. *Id.* 3. *Cat.* 7. 17. tantam molem (*h. e.* Catilinam) a cervicibus nostris. *Id.* 2. *de republ.* 25. jugum a civibus. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 38. frenum. *Tibull.* 1. 11. 25. At nobis ærata, Lares, depellite, tela. Et poetice *Val. Flacc.* 6. 652. Ictus alicui depellere. *Tibull.* 1. 2. 49. nubila cælo. Adde *Virg.* 8. *Æn.* 78. et 109. *Ovid.* 7. *Met.* 835. depulerant auroræ lumina noctem. — Sæpe dicitur de morte, morbis et similibus. *Ovid. Heroid.* 14. 130. Depellere mortem alicui. *h. e.* ab aliquo. *Virg.* 9. *Æn.* 328. Sed non augurio potuit depellere pestem. *Cic.* 7. *Fam.* 6. *extr.* Depellere morbum. *Cæs.* 6. *B. G.* 17. Apollinem (*credunt*) morbos depellere. Similiter *Cic.* 1. *Fin.* 11. 37. Cibo et potione famem sitimque depellere. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 6. frigus. V. *Di depellentes* infra sub II. in fin. — Figurate *Quintil.* 10. 1. 29. (*Poesis*) depulsa recta via. *Forcellinus* leg. *a recta via.* — Apud *Lucret.* 2. 219. occurrit *depellere* neutrorum more; ubi plerique leg. *decedere*, alii aliter. ¶ 2. Speciatim est militare verbum, et significat hostes a loco, quem occupant, per vim amovere. *Cæs.* 7. *B. G.* 67. Hostes loco depellunt. *Id.* 3. *ibid.* 25. Quum alii, multis telis conjectis, defensores vallo munitionibusque depellerent. Adde *eumd.* 3. *B. C.* 52. *Nepos Timol.* 2. Depellere hostes tota Sicilia. Adde *Sall. Jug.* 58. Rursus *Nepos Pausan.* 2. Ut ex his regionibus Barbarorum præsidia depelleret. *Val. Max.* 3. 2. *n.* 23. Audacissimum quemque depellens. — Hinc figurate *Nepos Themist.* 5. Gradu depulsus est. ¶ 3. Item speciatim *depelli* dicuntur, qui ablactantur. — *a*) Usurpatur sæpe de ferarum catulis. *Varro* 2. *R. R.* 4. 16. Depellere agnos a matribus. *Pallad.* 4. *R. R.* 14. 4. Annicula mula debet a matre depelli. *Virg.* 3. *G.* 187. Atque hæc jam primo depulsus (*equus*) ab ubere matris Audeat. *Id.* 7. *Ecl.* 15. Depulsi a lacte agni. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 82. *Horat.* 4. *Od.* 4. 15. matris ab ubere jam lacte depulsum leonem. *Veget.* 1. *Veterin.* 9. Pulli a matre depulsi. *Virg.* 1. *Ecl.* 22. quo sæpe solemus Pastores ovium teneros depellere fetus. *h. e.* agere. Neque enim placet, quod *Servio*, a lacte removere. — *b*) Raro de hominibus. *Sueton. Tib.* 44. Quasi infantes firmiores, necdum tamen lacte depulsi. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 663. puer depulsus lacte.

II.) Translate ponitur pro impedire, prohibere, removere; et occurrit — *a*) De personis. *Plaut. Trin.* 3. 2. 14. Nec tuis depellor dictis, quin rumori serviam. *h. e.* deterreor. Similiter *Tac.* 11. *Ann.* 34. Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret etc. *h. e.* impedire. *Cic. Rabir. perd.* 6. 17. Te ex illa crudeli actione — meo consilio esse depulsum V. *Klotz* ad h. l. *Id.* 3. *Orat.* 3. 11. Depulsus tribunatu per invidiam. *Nepos Datam.* 7. Depulsus ab aliqua re. Rursus *Cic.* 2. *Cat.* 7. 14. Depellere quempiam de spe conatuque. *Liv.* 31. 25. *extr.* spe quempiam. *Cic. Ligar.* 9. 26. Quem de suscepta causa propositaque sententia nulla vis, nullum periculum posset depellere. *Id.* 1. *Fam.* 7. *a med.* Depulsus de vetere diuturnaque sententia. *Id.* 2. *Tusc.* 6. 16. Depelli sententia. *Cæs. B. C.* 73. Cæsar a superioribus consiliis depulsus omnem sibi commutandam belli rationem existimavit. *Quintil.* 5. *procem.* 1. Judicem a veritate depelli misericordia. *Al. leg.* pelli. — *b*) De rebus et quidem abstractis. *Lucret.* 3. 321. quæ nequeat ratio depellere dictis. *Lachmann.* leg. *nobis*. *Cic.* 2. *Fam.* 16. Magno dolore me affecissent litteræ tuæ, nisi ratio ipsa depulisset omnes molestias. *Id.* 5. *Fam.* 20. *circa med.* Depellere multam alicui. *h. e.* ab aliquo. Sic *Id. post redit. in senat.* 8. 19. Metum bonis, spem audacibus, timorem huic ordini, servitutem depulit civitati. Sic *Nepos Timol.* 1. Depellere servitutem a civibus. Rursus *Cic.* 12. *Fam.* 1. 1. Ut tantummodo odium illud hominis impuri et servitutis dolor depulsus esse videatur. *Id.* 12. *Phil.* 2. 6. Depellere falsam proditionis a se suspicionem. *Id. Prov. cons.* 3. 6. voluntaria morte nefariam turpitudinem. *Id. Cluent.* 6. 17. Amicorum pericula depellenda. *Liv.* 8. 23. Eam se contumeliam ignominiamque — ipsos omni vi depulsuros esse. *Quintil.* 1. 2. 21. Depellere ignominiam. *Tibull.* 1. 6. 1. vino curas. *Sueton. Ner.* 36. ostenta a semet in capita procerum. *Tac.* 5. *Hist.* 4. errorem. *Id.* 4. *Ann.* 11. claro sub exemplo falsas auditiones. — Hinc *Di depellentes* sunt averrunci: *V.* AVERRUNCUS. *Pers.* 5. 167. dis depellentibus agnam Percute. *h. e.* dis insaniæ averruncis et fatuum amorem amoventibus. — Hinc a Part. præter. pass., cujus superius exempla retulimus,

Depulsum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est depulsio. *Val. Max.* 1. 1. *n.* 1. Portentorum depulsa Etrusca disciplina explicari (*majores nostri*) voluerunt. *h. e.* ritus, sacra et preces, quibus portenta expiantur. *V.* DEPULSORIUS.

DĒPENDĔO, es, ere, n. 2. (de *et* pendeo). Part. *Dependens* I. — Dependeo, quod verbum Augusti tantum ætate usuvenit, est deorsum pendeo, de aliqua re pendeo.

I.) Proprie. *Virg.* 1. *Æn.* 730. dependent lychni laquearibus altis. *Id.* 6. *ibid.* 301. ex humeris nodo dependet amictus. *Ovid.* 6. *Met.* 592. lateri cervina sinistro Vellera dependent. *Sueton. Galb.* 11. Dependens a cervicibus pugio ante pectus. *Colum.* 3. *R. R.* 6. 2. Per unumquemque pampinum major numerus uvarum dependet. *Quintil.* 11. 3. 130. Hasta dependens. *Liv.* 42. 28. Laqueo dependentem invenerunt.

II.) Translate. *Ovid.* 1. *Fast.* 611. Hujus et augurium dependet origine verbi. *h. e.* vox *augurium* descendit ab origine verbi *augustus*, de quo hic sermo. *Id.* 3. *Fast.* 356. Discedunt dubii, promissaque tarda videntur: Dependetque fides a veniente die. *Al. leg.* adveniente die.

DĒPENDO, dis, di, sum, dere, a. 3. (de *et* pendo). Part. *Depensus* sub *A.* I. et II. 1.; *Dependendus* sub *A.* 1. — Dependere est *A*) Verbum activum, et *B*) Neutrum.

A) Active dependo est idem quod pendo, seu pondero. *Titinius* apud *Non. p.* 369. 21. *Merc.* Date depensam lanam. Ita legit *Turneb. l.* 30. *Adversar. c.* 9. Al. rectius *Da pensam.* — Hinc *dependere*, quemadmodum et *pendere*, est idem ac solvere, quia mos fuit olim, teste *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (42)., æs non numerare, quia nulli tunc erant signati nummi, sed pendere, ut in ÆS dictum est.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Att.* 8. *extr.* Mi abjurare certius est, quam dependere. *Id.* 1. *Fam.* 9. Dependendum tibi est, quod mihi pro illo spopondisti. *Seneca* 2. *Benef.* 21. Pecuniam pro capite dependere. *Justin.* 22. 8. Cum offensam non depensi stipendii metueret. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 8. Pro quibus nulla merces dependitur. *Apul.* 8. *Met.* Depensum pretium. *Id. de Mag.* Edulia, quæ depenso parantur. *h. e.* depenso pretio. *Cajus* 3. *Institut.* edente *Goeschenio* § 127. Sponsores ex lege Publilia propriam habent actionem in duplum, quæ appellatur depensi.

II.) Figurate. ¶ 1. Quemadmodum et *solvere*, ponitur sæpe de pœnis. *Cic. Sext.* 67. 140. Omnes reipublicæ pœnas aut præsenti morte, aut turpi exsilio dependerunt. *Id.* 4. *Cat.* 5. 10. Ipsum latorem legis Semproniæ jussu populi pœnas reipublicæ dependisse. — Huc referri potest et illud *Apul.* 9. *Met.* Depensæ pro prandio lacrimæ. *h. e.* lacrimæ pro prandii mercede depensæ. Al. leg. *depransæ*, minus recte. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro aliquid in re aliqua impendere, insumere. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 20. Plus in operis servorum avocandis, quam in pretio rerum hujusmodi impenditur. *Id.* 4. *ibid.* 22. 7. Incassum dependitur opera. *Lucan.* 10. 80. tempora dependere amori. *Id.* 8. 100. mallem felicibus armis Dependisse caput.

B) Neutrorum more *dependere* pro parvi ponderis esse jocculariter dixit *Plaut. Asin.* 2. 2. 39. Ad pedes quando alligatum est centupondium, ubi manus manicæ complexæ sunt atque adductæ ad trabem, nec dependis, nec propendis, quin malus nequamque sis. *h. e.* nec minoris, nec majoris es ponderis. Sunt qui legunt *dependes* et *propendes*.

DĒPENDŬLUS, a, um, adject. deorsum pendens. *Apul.* 2. *Met.* Crines cervice dependuli. et 3. *ibid.* Plerique columnis implexi, alii statuis dependuli.

DĒPENNĀTUS, a, um, adject. pennas, seu alas habens. Translate *Varro* apud *Fulgent. de prisco serm. n.* 11. Deum depennato attullam orationis eloquio. *Al. leg.* deplanato, *eod. sensu.* V. *Oehler, M. Ter. Varron. Sat. Menipp. fragm. p.* 168.

DĒPENSĬO, ōnis, f. 3. occurrit pro sumptu in *Cod. Theod.* 6. 4. 29. Ut theatratis per prætores facienda depensio in aquæductus fabricam verteretur. *Gloss. Cyrill.* Ὑπερβατισις, depensio.

DĒPENSUS, a, um. *V.* DEPENDO.

DĒPERCO. *V.* DEPARCO.

DĒPERDĪTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒPERDO, dis, didi, ditum, dere, a. 3. (de *et* perdo). Part. *Deperdens* 2; *Deperditus* in fin. — Deperdere est ex toto aliquid invito animo dare, adeoque perdere, omnino perdere, amittere (It. *perdere una parte di un tutto*; Fr. *perdre une partie d'un tout*; Hisp. *perder*; Germ. *etwas von einem Ganzen weg verlieren*; Angl. *to lose*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu, ita scilicet ut vis præpositionis integra sit, et est ex toto partem aliquam amittere. *Cic. Fontej.* 9. 19. Verebatur, ne quid apud vos de existimatione sua deperderet. *Id. Cæcin.* 35. 102. Nihil de jure civitatis deperdere. *Id.* 4. *Verr.* 30. 73. Deperdere aliquid de libertate. *Quintil.* 10. 7. 24. paullulum de celeritate. *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 40. aliquid ex bonis. *Cæs.* 3. *B. G.* 28. *extr.* Compluribus interfectis, paucos ex suis deperdiderunt. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 32. ne quid Summâ deperdat, metuens. *h. e.* de summa: nam præpositio *de* est in ipso verbo. ¶ 2. Latiori sensu, seu vi præpositionis imminuta, est amittere, omnino perdere: *V.* in fin. hujus vocis locum *Dig.* 41. 2. 21. *Plaut. Epid.* 1. 1. 9. Quam quidem (*gratiam*) jamdiu te deperdidisse oportuit. *Al. leg.* perdidisse. *Cic. Prov. cons.* 5. 11. Non solum bona, sed etiam honestatem miseri deperdiderunt. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 61. Deperdere bonam famam. *Cæs.* 5. *B. G.* 52. *extr.* Tantum se ejus opinionis deperdidisse, ut etc., maxime dolebant. *Cic. Brut.* 82. 283. Deperdere verum sanguinem. *Lucret.* 3. 526. vitalem sensum membratim. *Ovid.* 5. *Met.* 562. usum linguæ. *Tibull.* 1. 4. 29. Quam cito purpureos deperdit terra colores! *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 33. (112). Callainæ oleo et mero colorem deperdunt. *Id.* 16. *ibid.* 22. 34. (82). Arbores folia deperdunt. *Id.* 10. *ibid.* 3. 4. (12). Nihil (*lapis*) igne deperdens. — Hinc Part. præter. pass.

Deperditus, *a*, *um*, adjective occurrit et est omnino perditus: ut ait *Cajus Dig.* 5. 3. 21. Deperditum intelligitur, quod in rerum natura esse desiit. — Hinc fere semper figurate. *Catull.* 64. 119. mater gnatæ deperdita fletu. *h. e.* confecta dolore deflendo gnatam. Alii tamen aliter interpretantur. *Phædr.* 1. 14. Sutor inopia deperditus. Et cum Accusativo, Græca constructione, *Propert.* 1. 3. 11. nondum sensus deperditus omnes. — Morali ratione *Gell.* 5. 1. Quisquis ille est qui audit, nisi ille est plane deperditus, et perhorrescat necesse est et pudeat. *h. e.* plane malus ac scelestus. — Et in re amatoria. *Propert.* 2. 23. 19. *de Jovis amorib.* Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io. Sic *Sueton. Domit.* 2. Domitia Paridis histrionis amore deperdita. — Hinc *in deperdito esse* dicitur id, quod amissum est. *Javolen. Dig.* 41. 2. 21. Quod ex naufragio expulsum est, usucapi non potest, quoniam non est in derelicto, sed in deperdito.

DĒPĔRĔO, pĕris, pĕrii, pĕritum, pĕrire, n. 4.

(de et pereo). Part. *Deperiturus* I. — Depereo est in exitium ruo, omnino pereo (It. *perire, perdersi totalmente*; Fr. *se perdre, périr, dépérir*; Hisp. *arruinarse, perecer, desperecer*; Germ. zu *Grunde gehen, umkommen, sterben, verloren gehen*; Angl. *to perish, be lost, go to ruin, be undone*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 2. 296. Nam neque adaugescit quidquam, neque deperit inde. *Cic.* 1. *Att.* 20. *sub fin.* Enitere, ut scheda ne qua depereat. *Cæs.* 5. *B. G.* 33. Nonnullæ tempestate deperierant naves. *Id.* 3. *B. C.* 87. Magna pars (*exercitus*) deperiit. Sic *Veget.* 1. *Veterin. proœm.* 14. et 6. *ibid. proœm.* 4. *Schneid.* Sanum animal deperit. *Ovid.* 2. *Amor.* 14. 10. Gens hominum vitio deperitura fuit. *Id.* 1. *ibid.* 15. 31. silices et dens patientis aratri Depereunt ævo. Sic *Colum.* 12. *R. R.* 50. 9. Hæc omnia et multo plura esse debent; quoniam usu depereunt et pauciora fiunt. *Sueton. Vesp.* 2. Manente villa, qualis fuerat olim; ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret. *Id. Cæs.* 42. Qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (59). Auro, rerum uni, nihil igne deperit. *Id.* 14. *ibid.* 20. 25. (125). Musto deperit sapor. *Sillig* pro *deperit* legit *defervit*. *Id.* 17. *ibid.* 2. 2. (11). In totum poma depereunt. *Gell.* 3. 9. Ad internecionem deperire. — *b*) Speciatim ponitur pro mori. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 59. Est vetus atque probus centum qui perficit annos. Quid? qui deperiit minor uno mense vel anno, inter quos referendus erit?

II.) Figurate *deperire aliquem*, vel *amore aliquem aut alicujus*, vel *deperire* absolute, est impense amare, ad insaniam diligere; ad litteram enim deperire diceretur qui eo usque amat, ut amore ipso moriatur. *Plaut. Cas.* 1. 1. 19. Uxorem ut istanc ducam, quam tu deperis, bellam et tenellam Casinam, conservam tuam. *Id. Asin.* 3. 1. 21. Qui dant, eos derides: qui deludunt, deperis. Adde *eumd. Curc.* 1. 1. 46. et *Bacch.* 3. 3. 66. *Ter. Heaut.* 3. 2. 11. Minime miror, Clinia hanc si deperit. Adde *Justin.* 1. 7. 15. *Plaut. Cist.* 1. 3. 13. Is amore illam deperit, et illa hunc contra. *Catull.* 35. 12. Illum deperit impotenti amore. *Liv.* 26. 50. et 27. 51. Deperire amore alicujus. *Sueton. Vesp.* 22. Expugnatus autem a quadam, quasi amore sui deperiret, etc. *Curt.* 8. 6. 8. Quum laceratum corpus, in quo deperibat, insueretur. *Plaut. Epid.* 1. 1. 62. Amat ne istam, quam emit de præda? TH. Rogas? deperit.

DĔPESTA, ōrum, n. plur. 2. apud *Varron.* 6. *L. L.* 123. *Müll.* sunt vasa vinaria, quæ in sacris Salinis in deorum mensa collocari solebant (al. *lepasta*, vel *lepesta*) ab inus. δεπάζω *bibo*, quod a δέπας *poculum*, quod dictum est, quia πόμα δέχεται. potum recipit. At *Mullerus* recte conjicit legendum esse *lepesta*. *V.* LEPESTA.

DĔPĔTĪGO, iginis, f. 3. idem atque impetigo, lepra: a *peto*, quia corpus petit et infestat. *Lucilius* apud *Non. p.* 160. 18. *Merc.* Illuvies, scabies oculos huic, deque petigo Conscendere. *tmesis.* Al. leg. *deinque petigo*. *Cato R. R.* 157. Depetigini spurcæ brassicam opponito, sanam faciet. Ita *Schneiderus*; alii leg. *petigini porcæ*.

DĔPĔTO, is, ere, a. 3. (de et peto) idem quod peto, vel valde peto. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 20. Non depetunt ab alio, quod meminissent petendum sibi a Creatore. *Alii rectius leg.* peterent. *Neque majorem habent auctoritatem* Not. Tir. p. 39., *ubi legitur* depetit.

DĔPEXUS, a, um. *V.* DEPECTO.

DĔPICTĬO, ōnis, f. 3. idem ac pictura. *Boeth.* in *Porphyr.* 2. p. 60. Descriptio est ex proprietatibus informatio quædam rei, et tamquam coloribus quibusdam depictio. *Id.* 1. *Geom.* p. 1210. Quidam in hujus formæ depictione ceu litteras alphabeti assumebant sibi hoc pacto, ut littera, quæ est prima, unitati responderet. *Id. ibid.* 2. *p.* 1213. Sit autem prædictorum infra facta depictio.

DĔPICTUS, a, um. *V.* DEPINGO.

DĔPĬLĀTOR, ōris, m. 3. qui dropace pilos e corpore evellit. *Gloss. Philox.* Depilator, δρωπακιστής.

DĔPĬLĀTUS, a, um. *V.* DEPILO.

DĔPĬLIS, e, adject. (de et pilus) qui est sine pilis. *Varro* apud *Non. p.* 530. 25. *Merc.* Pueri glabri ac depiles propter ætatem. *Forcellinus* incertus hærebat, *Varronisne* an *Nonii* hæc verba essent. *Apul.* Depiles genæ. *Capell.* 8. *p.* 271. Depile rubellumque calvitium.

DĔPĬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et pilus). Part. *Depilatus* I. et II. — Depilo est pilos detraho, evello.

I.) Proprie. *Seneca Const. Sap.* 17. Flentem vidimus Cornelium, cum illum Corbulo struthiocamelum depilatum dixisset. *Martial.* 9. 28. Depilati colei. *Spartian. Hadrian.* 4. Corrupisse eum Trajani libertos, curasse delicatos, eosdemque depilasse, opinio multa firmavit. *Ita pro sepelisse recte legit* Arntzenius *ad* Plin. Paneg. 20. *Tertull. Pall.* 4. Revera enim quale est Græcatim depilari magis, quam amiciri? *h. e.* corporis pilos evellere, magis quam Græcorum vestibus uti. Alii male leg. *depalliari*; alii *depallari, a pallio* nempe, vel a *palla*. *Apic.* 6. 3. Perdicem cum pluma sua elixabis, et coctura madefactam depilabis. *Veget.* 1. *Veterin.* 17. 16. *Schneid.* Chiron – asserit catulum lactentem vivum in aqua ferventi missum ac depilatum, ita decoqui, ut ossa separentur a carne. *Apic.* 2. 2. Depilatæ amygdalæ. *h. e.* decorticatæ.

II.) Translate. In illo *Lucilii* apud *Non. p.* 36. 27. *Merc.* Nato quid actum est? (*Alii leg.* Narro, quod actum est:) depilati omnes sumus; *Non.* exponit, rarefacti, ut sit a *dēpĭlo*: rectius dixisset, expilati, spoliati, nempe a *dēpilor*. At *Mercerus* ad h. l. hæc ait: inepte Nonius *rarefacti*. Propria vis verbi de iis, quibus pili velluntur: translate Lucilius de iis, qui spoliati fuerant, aut vapulaverant; nam tale quid in eo libro. Pro *Nato* alii volebant *Narro quod actum est*; mihi placet magis: *Gnatho quid actum est? depilati omnes sumus*; nam ea persona fuit in hac fabula.

DĔPĬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. idem ac compilo, expilo. *Priscianus* 18. *p.* 1205. *Putsch.* Græca hæc verba συλήσας τοὺς Θεοὺς τὰς δεκάτας, καὶ τῶν Θεῶν τὰς δεκάτας, testatur a Latinis sic reddi: *depilatus Deos decumas*, et *Deorum decumas*.

DĔPINGO, pingis, pinxi, pictum, pingere, a. 3. (de et pingo). *Depincti* per syncopen pro *depinxisti* habet *Plaut. Pœn.* 5. 2. 154. — Part. *Depictus* in omnibus paragr. — Depingo idem est ac pingo, vel perfecte pingo (It. *dipingere*; Fr. *peindre, représenter en peinture*; Hisp. *pintar, figurar con el pincel y los colores*; Germ. *abmalen, durch Malen abzeichnen, darstellen*; Angl. *to paint, depict, figure, draw*).

I.) Proprie. *Propert.* 2. 5. 19. Depingere obscænas tabellas. *Nepos Miltiad.* 6. Quum pugna depingeretur Marathonia. *Quintil.* 6. 1. 32. Depictam in tabula sipariove imaginem. *Gell.* 19. 10. Depictæ in membranulis variæ species balnearum. *Sueton. Domit.* 10. Orbis terræ depictus. Adde *eumd. Aug.* 94. *Vitruv.* 4. 2. 2. *Schneid.* Tabellas ita formatas, uti nunc fiunt triglyphi, contra tignorum præcisiones in fronte fixerunt, et eas cera cærulea depinxerunt, uti præcisiones tignorum tectæ non offenderent visum. *Bibaculus* apud *Sueton. Gramm.* 11. Si quis – Depictas minio assulas, et illos Custodes videt hortuli Priapos, etc. — Huc pertinet et illud *Hieronym. Ep.* 130. n. 7. Cerussa ora depingere. *h. e* illinere.

II.) Translate. ¶ 1. Depingere est verbis aut cogitatione aliquid aliis vel sibi magna cum vi repræsentare, adeoque ornare, describere. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 154. Formam quidem (*mulieris*) hercle verbis depinxti mihi. *Cic.* 2. *Fin.* 21. 69. Pudebit te, inquam, illius tabulæ, quam Cleanthes, sane commode verbis depingere (*al.* pingere) solebat. Jubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula Voluptatem. *Id. Rosc. Am.* 27. 74. Depingere vitam alicujus. *Id.* 2. *de republ.* 29. rempublicam in sermone. *Id. Orat.* 12. 39. Multa minuta et versiculorum similia quædam, nimiumque depicta. *h. e.* nimis ornata verbis atque descripta. Hæc tamen lectio nonnullis dubia videtur. *Quintil.* 8. 3. 63. Tota rerum imago quodammodo verbis depingitur. Rursus *Cic.* 1. *Nat. D.* 15. 39. Deum ne conjectura quidem informare possumus, quum mens nostra quidvis videatur cogitatione posse depingere. ¶ 2. Ponitur etiam pro textili opere aliquid ornare. *Sueton. Cal.* 53. Sæpe depictas gemmatasque indutus pænulas. *Val. Flacc.* 6. 226. Auro depicta chlamys. — Hinc illud *Apul.* 10. *Met.* Ver gemmulis floridis cuncta depingit. et 9. *ibid.* Homunculi vibicibus lividinis totam cutem depicti.

DĔPINNĀTUS. *V.* DEPENNATUS.

DĔPLĀCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et placo) multum placo. *Hygin.* (edente *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. p. 80). *fab.* 231. Hostiis eam sibimet deplacare intendebat. *Munkerus* ita legendum monet in loco simili apud *Fulgent.* 3 *Mythol.* 6., ubi ille tamen edidit *placare*.

DĔPLĀNĀTUS, a, um. *V.* DEPLANO.

DĔPLANGO, plangis, planxi, planctum, plangere, a. 3. (de et plango). Part. *Deplangens.* — Deplango, prægnans ac poeticum verbum, est idem quod plango, aut valde plango. *Ovid.* 1. *Met.* 544. Cadmeids palmis Deplanxere domum, scissis cum veste capillis. *h. e.* collisis, ut fit in dolore, palmis deflevere. *Id.* 11. *ibid.* 580. ipsa suis deplangitur Ardea pennis. *h. e.* alas agitando suum excidium deflet. *Seneca Herc. Œt.* 1851. Deflevit mater (*Niobe*), bisque septenos greges deplanxit una. *Hieronym.* 1. in *Isajam* 1. 1. Dum antiqua peccata deplangit. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Mil.* 2. editus ab *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 93. Obviam sororem habuit (*Horatius*) deplangentem Attii Curiatii obitum.

DĔPLĀNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et planus). Part. *Deplanatus* II. 1. — Deplano est planum facio, æquo.

I.) Proprie. *Lactant.* 4. 12. ex *Isaja.* Ego ante ibo et montes deplanabo.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate. *Cassiod. de anim.* 6. Inclinavimus velut sextum collem, ut difficultatis cacumine deplanato inoffense ad reliqua gradiamur. *Veget.* 3. *Veterin.* 22. 1. *et* 2. *Schneid.* Gingivulam, vel cartilaginem, vel os quod excrescere cœperit, ceedito, ut deplanes ad similitudinem partis alterius. Si apte deplanaveris aceto et oleo linteolis vel licinio addito, locum ipsum complies, et fasciabis. *Id. ibid.* 19. Inunges etiam collyrio non valde acri, si vulnus feceris et deplanaveris, ex succo fœnigræci fomentabis, et inunges collyrio leni, quod faciet ad tunicas ruptas, donec se cicatrix cum planitie claudat. ¶ 2. Translate pro explanare adhibuit *Non. p.* 437. 26. *Merc.* et, quod sciam, præterea nemo. *Nonii* verba sunt; Vetustiscere et veterascere quid intersit, Nigidius Commentarior. Grammatices lib. X. deplanavit.

DĔPLANTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔPLANTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et planto). Part. *Deplantatus* sub *A.* 1. et sub *B.* — Deplantare duo diversa significat, prout *A*) Præpos. de detractionem, aut *B*) Motum, qui deorsum fit, significat.

A) Quum præpositio *de* significat detractionem, deplanto est, quod plantatum erat, evello; seu surculos ex arbore detraho.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 4. 40. Tertium genus seminis, quod ex arbore per surculos defertur in terram, est videndum, ut eo tempore sit deplantatum quo oportet: id enim fit ante quam gemmare, aut florere quid incipit: et quæ de arbore transferas, ut ea deplantes potius, quam defringas. *Id. ibid.* 43. 1. De cytiso duriore virgulæ deplantantur, et ita panguntur (*cytisum*) in serendo.

II.) Improprie ponitur pro defringere. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 26. Ne bos extremo jugo truncum delibet ramumque deplantet.

B) Quum præpositio de motum significat, qui deorsum fit, deplanto est idem ac demitto sive deorsum planto. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 20. 33. (146). Seritur (*arundo*) et deplantata pedali sulco, binis obrutis gemmis, ut tertius nodus terram attingat. *Id. ibid.* 16. 26. (121). Fertilissima omnium inoculatio, postea emplastratio, sed utraque infirmissima; et quæ cortice nituntur tantum vel levi aura ocissime deplantantur. *Forcellinus* etiam in his *Plinii* locis priorem significationem inesse affirmat.

DĔPLĔO, ples, plēvi, plētum, plere, a. 2. (de et pleo). Part. *Deplendus* I. — Depleo est quod plenum erat, hauriendo vacuum facio, ex pleno vase in aliud diffundo.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 64. Oleum si poteris, bis in die depleto. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 8. Conchæ ferreæ, quibus depletur oleum, *et paullo post* § 10. Quod primum defluxerit, in rotundum labrum protinus capulator depleat. — Sic *deplere animalia*, apud *Veget.* 1. *Veterin.* 22. et 24. *Schneid.* est iis sanguinem mittere; hinc *Pelagon. Veterin.* 1. 2. equus inter coxas deplendus est (quod aliis verbis *Veget.* 1. *Veterin.* 13. 4. De coxis auferendus est sanguis). *et eodem sensu dixit Plin* 18. *Hist. nat.*

16. 43. (148). deplere sanguinem; *h. e.* sanguinem detrahere.

II.) Translate. *Manil.* 4. 13. Totque supervacuis vitam deplete querelis. *Stat.* 1. *Achill.* 8. Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu, Da fontes mihi, Phœbe, novos.

DĒPLĒTŪRA, æ, f. 1. actus deplendi animalia: *V.* DEPLEO I. in fin., et *locum cit.* in PURGATURA et *Edict. Dioclet. p.* 20., ubi *depletura* ex conjectura tantummodo legitur.

DĒPLEXUS, a, um, particip. ab inusit. *deplector*, pro deorsum complector. *Lucret.* 5. 1320. *de leænis sævientibus.* Et necopinantes a tergo diripiebant, Deplexæque dabant in terram vulnere victos, Morsibus affixæ validis, atque unguibus uncis. Alii volunt *deplexus* esse adject., et idem significare ac non plexus, non ligatus, solutus. *plecto* enim significat etiam implico, necto, πλέκω.

DĒPLŌRĀBUNDUS, a, um, adject. qui valde deplorat. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 38. Homo ad prætorem deplorabundus venit.

DĒPLŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. comploratio, querela. *Seneca Consol. ad Marc.* 9. Unde nobis tanta pertinacia in deploratione nostri? Adde *eumd. Ep.* 74. *ante med.*; et *Tertull. Apolog.* 1.

DĒPLŌRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒPLŌRO, as, āvi, ātum, are, 1. (de *et* ploro). Part. *Deplorans* sub *A.* 1.; *Deploratus* et *Deplorandus* sub *B.* 1. et II.; *Deploraturus* sub *B.* 1. — Deplorare occurrit *A*) Neutrorum more, et *B*) Active.

A) Neutrorum more deplorare est valde plorare, vehementer conqueri ac lamentari (It. *lamentarsi fortemente*; Fr. *gémir, se lamenter beaucoup*; Hisp. *lamentarse, quexarse*; Germ. *heftig weinen, wehklagen, klagen*; Angl. *to deplore, lament, bewail*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Tusc.* 13. 32. Lamentabili voce deplorans. *Id. Sext.* 6. 14. Necessario mihi de iisdem rebus esse arbitror, si non subtilius disputandum, at certe, judices, dolentius deplorandum. *Id.* 5. *Verr.* 18. 45. De alicujus pravitate et injuriis deplorare et conqueri. Cf. *eumd.* 7. *ibid.* 67. 171. Si ad saxa et ad scopulos hæc conqueri ac deplorare vellem. *Id.* 4. *ibid.* 27. 65. Ut iis ne deplorare quidem de suis incommodis liceat. *Id. ibid.* 4. 10. Deplorare apud aliquem de miseriis suis.

II.) Translate de humore, quem vites effundunt. *Pallad.* 3. *R. R.* 30. 1. Vites, quæ lacrimarum nimietate tabescunt, et deplorando vim roboris sui avertunt fructu, etc. Hoc sensu *lacrimare* dixit *Id.* 4. *ibid.* 1. 1. Quum vites non aquato, sed spisso humore lacrimabunt.

B) Active deplorare est vehementer plorare.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Att.* 16. Ita deplorat primis versibus mansionem suam, ut quemvis movere posset. *Id.* 11. *Phil.* 2. 6. Quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? *Id. Cluent.* 24. 65. Deplorare damnationem tacita pietate. *Id.* 5. *Tusc.* 39. 115. cæcitatem suam. *Id.* 4. *Cat.* 2. 4. Nemo ne ad deplorandum quidem reipublicæ nomen – relinquatur. *Liv.* 13. 7. Quum sibi nihil viri reliquum, præterquam linguam, ad deplorandas patriæ suæ calamitates, etc. *Id.* 29. 31. Deplorabant ea apud Syphacem Carthaginienses. *Sueton. Cæs.* 20. Deplorare statum temporum. Adde *eumd. Galb.* 10. *Curt.* 5. 12. 12. Laceratisque vestibus lugubri et barbaro ululatu regem deplorare cœperunt. *Liv.* 1. 40. Ante omnia deplorati erant equites, non privato magis, quam publico luctu. *h. e.* complorati. *Ovid.* 5. *Met.* 62. Postquam exhalantem sub acerbo vulnere vitam Deploravit Athin. *Claudian. B. Get.* 562. deploratumque Timavo Vulnus. *Hieronym. Ep.* 140. *n.* 5. Genus deploraturum humanum. — Singularis est locus *Cassiod.* 1. *Variar.* 16. Deplorata additione conquesti sunt. *h. e.* cum ploratu adeuntes.

II.) Figurate *deplorare aliquid* vel *aliquem* est desperare, et veluti supremo luctu prosequi quod nullo remedio restitui potest. *Liv.* 5. 46. Suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis, exsequentes. *Id.* 9. 7. Quum – deploratum pæne Romanorum nomen in concilio sociorum esset etc. Adde *eumd.* 41. 6. *Id.* 26. 12. Spes deplorata est. *Id.* 3. 38. Libertas deploratur. *Ovid.* 1. *Met.* 272. deplorata coloni Vota jacent. *Flor.* 2. 18. 15. Exitum deplorare. *Id.* 2. 15. 16. Deploratis rebus. *Sueton. Rhet.* 6. Deplorato Italiæ statu. *Ammian.* 15. 8. 1. Galliæ deploratæ. *Quintil.* 10. 3. 28. ideoque non statim, si quid obstrepet, abjiciendi codices et deplorandus dies. *Petron. Satyr.* 123. Ille Penates Occultat gremio, deploratumque relinquit Limen. *h. e.* domum suam, quam eversum iri certo putat, neque se amplius eam revisurum. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (135). Constat, deplorata aurium vitia eo remedio sanari. *Id.* 7. *ibid.* 50. 51. (166). Deploratus a medicis. *Ovid.* 13. *Met.* 481. deploratosque recensent Priamidas.

DĒPLŬIT, pluebat, plūit, plūtum, pluere, impers. 3. (de *et* pluit). Part. *Deplutus.* — Depluit est deorsum pluit; et occurrit — *a*) Neutrorum more. *Tibull.* 2. 5. 72. In terras deplueretque lapis. *Colum.* 10. *R. R.* 207. inque sinus Matris violento depluit (*Juppiter*) imbre. — *b*) Cum Accusativo. *Propert.* 2. 16. 8. Niobe lacrimas depluit. *h. e.* effundit. — Hinc Part. præter. pass. *Deplutus*, h. e. pluvia madefactus. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 2. 13. *p.* 552. Depluta terra, necesse est, vaporem fieri; hoc autem facto, nubem; hac autem facta, aquam; hac vero facta, necesse est terram deplutam esse.

DĒPLŪMIS, e, adject. implumis, sine pennis. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 34. (70). Inventæ sunt hirundines nudæ atque deplumes.

DĒPLŪTUS, a, um. *V.* DEPLUIT.

DĒPŌCŬLASSERE a *depoculare*, h. e. poculo spoliare. *V.* in DEPECULOR.

DĒPŌLĬO, is, īvi, ītum, īre, a. 4. (de *et* polio). Part. *Depolitus* I. — Depolio est idem quod polio, vel valde polio, perficio.

I.) Proprie. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 63. (188). Si pavimentum cote depolitum est. — Jlocaliter *Plaut. Epid.* 1. 1. 81. Ubi senserit, sibi data esse verba, virgis tergum depoliet meum. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 5. 22. caput lumbosque fuste dolare. Sic *Plaut. Capt.* 4. 2. 116. Fuste pectere. Al. leg. *dispoliet* a *dis*, et *polio, is.*

II.) Translate. *Paul. Diac. p.* 71. 20. *Müll.* Depolitum, perfectum, quia omnes perfectiones antiqui politiones appellabant.

DĒPŌLĪTĬO, ōnis, f. 3. actus depoliendi. Politiones agrorum, inquit *Turneb. l.* 29. *Advers. c.* 19., sunt cultus: contra depolitiones. *Varro* (apud *Non. p.* 66. 29. *Merc.*). Quid mirum? et agri depolitionibus ejiciuntur, hic in cœnaculo polito recipiuntur. Hæc *Turneb.*; sed *Varronis* verba incertæ sunt lectionis. *V.* POLITIO et POLIO.

DĒPŌLĪTUS. *V.* DEPOLIO.

DĒPOMPĀTĬO, ōnis. f. 3. spoliatio ornamentorum: et translate opprobrium. *Hieronym.* 1. *advers. Rufin. n.* 31. In depompationem Christianorum.

DĒPOMPO, as, are, a. 1. (de *et* pompa) ornatu spolio: unde translate opprobrio afficio. *Hieronym.* in *Nahum c.* 3. Ante oculos omnium depompatur.

DĒPONDĔRO, as, are, n. 1. (de *et* pondero) deorsum pondero, pondere deorsum premo. *Petron. fragm.* edente *Burmann. p.* 875. *edit.* 2. Sic rate demersa fulvum deponderat aurum. *Al. leg.* vulsam deponderat aurem.

DĒPŌNENS, entis, particip. a *depono*. *Deponentia* absolute, subaudi *verba*, dicuntur a Grammaticis, quæ positione passiva active significant, ut *vereor, meditor*; vel per antiphrasim, inquit *Diomed.* 1. *p.* 327. *Putsch.*, quia *r* litteram numquam deponunt, et, si deponant, Latina non sunt, ut *vereo*; vel quia una significatione deposita (nempe passiva) a *communibus* separantur; vel tandem quia deponunt ambiguitatem sermonis, quæ in *communibus* reperitur. Sed prima harum originum quamvis ponatur etiam a *Charis.* 2. *p.* 113. et *Max. Victor. p.* 1947., est plane ridicula. et vel grammatico indigna. Alteram confirmat *Palæmon p.* 1379., item *Priscian.* 8. *p.* 787., ubi addit etiam quartam, quia deponentia speciem habent simplicem et absolutam, quæ per se ponitur, nec ab activa nascitur, ut in passivis, nec duplicem habet vim, ut in communibus. *Cledonius p.* 1914. et *Augustin. p.* 2003. quintam addiderunt, quod ex quatuor participiis communis verbi, illud, quod in *dus* desinit, a *deponente* deponitur, *h. e.* abjicitur.

DĒPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsitum, pōnere, a. 3. (de *et* pono). Præteritum *deposivi* pro *deposui* habent *Plaut. Curc.* 4. 3. 4. et *Most.* 2. 1. 35., et *Catull.* 34. 8.: *V.* integrum locum infra sub *A.* I. 4. Hinc etiam *Virg. Catal.* 8. Tua in palude deposisse sarcinas. Ubi *deposisse* dictum est pro *deposivisse* per syncopen. — *Depostus* pro *depositus* per syncopen habet *Lucilius* apud *Non. p.* 279. 19. *Merc.* — Part. *Deponens* V. suo loco; *Depositus* in omnibus fere paragr.; *Depositurus* sub *A.* II.; *Deponendus* sub *B.* I. — Depono est deorsum pono, demitto; et usurpatur modo absolute, modo cum addito loco, in quo aliquid deponitur, per præpos. *in.* et Ablat. vel raro admodum Accus. (It. *metter giù, deporre, abbassare*; Fr. *déposer, mettre à terre*; Hisp. *deponer*; Germ. *etwas abwärts –, nach unten legen, ablegen, nieder-legen, setzen, stellen, hinlegen*; Angl. *to lay or put down, set down, lay, put*). Occurrit autem *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim, et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Universim usurpatur de pluribus, quæ deorsum mittuntur vel ponuntur. *Plaut. Curc.* 2. 3. 80. Propino magnum poculum: ille ebibit. Caput deponit: condormiscit. Cf. *Cic.* 13. *Phil.* 11. 23. Deponere mentum in gremio mimæ. Et *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 20. caput terræ. *Lucret.* 1. 258. Hinc fessæ pecudes pingues per pabula læta Corpora deponunt. *Virg.* 7. *Æn.* 108. Corpora sub ramis deponunt arboris altæ. Et *Horat.* 2. *Od.* 7. 19. Fessum latus deponere. Huc referri potest et illud *Virg.* 9. *Ecl.* 61. hic, Mœri, canamus: Hic hædos depone. *Curt.* 6. 1. 13. Ille, ut fugam suorum et proximos hostium conspexit, deponi se jussit. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 39. Ut me deponat vino, eam affectat viam. *h. e.* ut me ebrium amissis sensibus humi sternat. At *Non. p.* 279. 16. *Merc.* exponit *alienare*, et sic est metaphoricum. Rursus *Lucret.* 3. 1071. Quid sibi quisque velit, nescire, et quærere semper; Commutare locum, quasi onus deponere possit. *Cic. Sull.* 23. 65. Depositum onus. *Cæs.* 1. *B. C.* 80. Deponere onera jumentis. *Sueton. Aug.* 76. Deponere lecticam. *Cæs.* 3. *B. C.* 76. Depositis in contubernio armis, vallum relinquebant. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 10. et 4. *B. G.* 32.; *Liv.* 5. 2.; *Curt.* 4. 12. 16.; *Virg.* 12. *Æn.* 707.; et *Quintil.* 3. 8. 17. Sic *Cic.* 3. *Off.* 25. 95. Deponere gladium. *Sueton. Cal.* 18. gladios. *Liv.* 23. 11. coronam in aram. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 25. quo tibi, Tilli, Sumere depositum clavum fierique tribuno? *Ovid. Heroid.* 19. 13. Deponere humeris vestes. *Justin.* 20. 4. 11. vestes auratas. *Juvenal.* 1. 112. amictus. *Sueton. Cal.* 48. braccas. *Martial.* 3. 50. soleas. *Petron. Satyr.* 101. Ungues et capillos deponere. *h. e.* recidere. *Tac.* 4. *Hist.* 61. crinem. *Martial.* 5. 48. comas. *Scribon. Compos.* 207., 210. et 212. Deponere cacabum ab igne. *h. e.* ab igne removere. *Pallad.* 3. *R. R.* 17. 2. Inde quasi cuneum tenuem ferreum vel osseum – inter corticem et lignum tribus prope digitis consideranter deponimus. *h. e.* immittimus, defigimus. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 41. Quid juvat immensum te argenti pondus et auri Furtim defossâ timidum deponere terrâ? *h. e.* defodere, obruere. ¶ 2. Speciatim in re rustica ponitur pro plantare, terræ committere. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 2. Vel scrobe, vel sulco semina deponuntur. *Id.* 3. *ibid.* 10. 19. Deponere malleolum in terram. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 1. 5., 3. *ibid.* 3. 2. et 11. *ibid.* 3. 20.; et *Virg.* 2. *G.* 24. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 32. (103). Cepas semine seri, non deponi, Græci jussere. *Pallad.* 14. *R. R.* 3. Deponere surculum. Adde *Senec. Ep.* 86. *a med.*; et *Stat.* 2. *Silv.* 3. 39. ¶ 3. Item pro exponere, hoc est e navi in littus educere. *Auct. B. Alex.* 31. Cæsar deposuit legiones, equitesque e navibus egressos jubet ex languore reficere. *Justin.* 1. 5. 8. Deponere exercitum in terram. ¶ 4. Item apud Poetas pro eniti, parere. *Catull.* 34. 5. O Latonia maximi magna progenies Jovis, Quam mater prope Deliam Deposivit olivam. *deposivit* antiquum præteritum est, quod legitur etiam apud *Plaut. Curc.* 4. 3. 4. Ceterum *deponere* hac significatione adhibuit etiam *Phædr.* 1. 18. et 19. ¶ 5. Item in sponsionem dare, sive tamquam certaminis premium ponere: Itali dicunt *scommettere*. *Virg.* 3. *Ecl.* 32. ego hanc vitulam – Depono. tu dic mecum quo pignore certes. *v.* De grege non ausim quidquam deponere tecum.

II.) Translate est abjicere, demittere, omittere, relinquere: ad rem *Cic. Quinct.* 13. 45. Petitoris personam capere, accusatoris deponere. Ceterum occurrit — *a*) De magistratibus ac muneribus. Sic *deponere provinciam* dicitur is, qui non incepto, vel non confecto administrandæ provinciæ legitimo

tempore, magistratu abit. *Cic.* 5. *Fam.* 2. Me ut primum in contione provinciam deposuerim, statim, quemadmodum eam tibi traderem, cogitare cœpisse. Adde *eumd. Pis.* 2. 5. *Id.* 2. *Nat. D.* 4. 11. Consules summum imperium statim deponere. *Cæs.* 7. *B. G.* 33. Cotum magistratum deponere coegit. Adde *Liv.* 2. 28. *extr.*; *Cæs.* 2. *B. C.* 32.; *Sueton. Claud.* 36.; et *Justin.* 21. 2. 4. et 28. 3. 15. *Quintil.* 3. 8. 53. et *Sueton. Cæs.* 77. Deponere dictaturam. *Sueton. Aug.* 36. honorem. *Antonius* apud *Cic.* 8. *Phil.* 8. 25. Provinciam remitto, exercitum depono. — *b*) Item de actionibus, quas interrumpentes omittimus. *Sall. Jug.* 83.; *Ovid.* 8. *Met.* 17.; *Tac.* 2. *Hist.* 37.; et *Justin.* 5. 2. 11. Deponere bellum. Cf. *Liv.* 4. 6. et *Ovid.* 11. *Met.* 571. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 1. 3. insidias. *Id.* 13. *Fam.* 1. *ad fin.* ædificationem. *Id.* 7. *Att.* 5. *sub fin.* Conficere negotium, aut deponere. *Liv.* 4. 48. *extr.* actionem. *Auct. B. Alex.* 12. cogitationem reparandæ classis. — *c*) Item de animi affectibus, aliisque. *Cic. Amic.* 21. 77. Deponere amicitiam. *Id. Planc.* 31. 76.; et *Sueton. Cæs.* 73. et *Vesp.* 6. simultates. *Id. Rosc. Am.* 17. 49. studium. Sic *Justin.* 1. 2. 11. studia belli. Rursus *Cic.* 7. *Fam.* 6. desiderium urbis. Cf. *eumd.* 3. *leg. Agr.* 1. 2. Opinio deposita et abjecta. *Id.* 4. *Fam.* 6. 2. Deponere omnes curas doloresque. *Cæs.* 1. *B. C.* 14. memoriam injuriarum. Cf. *Cic. Sull.* 6. 18. ex memoria aliquid. *Auct. B. Alex.* 63. metum. Adde *Justin.* 1. 4. 5., 9. 1. 8. et 7. 5. 3.; et *Sueton. Tib.* 24., *Ner.* 41. et *Cæs.* 15. *Cæs.* 5. *B. G.* 19.; *Horat.* 2. *Sat.* 5. 26.; *Curt.* 10. 9. 7.; *Sueton. Cæs.* 13.; *Seneca Ep.* 33.; et *Quintil.* 9. 2. 97. et 7. 4. 22. spem. *Juvenal.* 1. 133. vota. *Cic.* 2. *Orat.* 52. 210. Omnem gloriam abjicere atque deponere. *Id.* 2. *Off.* 1. 9.; et *Quintil.* 11. 1. 56. molestias. *Horat.* 1. *Ep.* 9. 12. Depositus pudor. *Nepos Hann.* 1. Deponere prius animam, quam odium. Adde *Justin.* 22. 2. 3. Rursus *Nepos Pausan.* 5. vitam. *Ovid.* 6. *Fast.* 530. et 4. *Met.* 98. famem, sitim. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 50. 51. (170). morbum. *Justin.* 43. 4. 1. barbariem. *Id.* 21. 2. 6. Dionysius spondens, se depositurum tyrannidem.

B) Specialim; et quidem

I.) Proprie occurrit pro seponere, in tuto ponere, servandum committere. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 72. Nos apud Theotimum omne aurum deposuimus. *Cic.* 3. *Off.* 25. 95. Deponere pecuniam apud aliquem. *Cæs.* 3. *B. C.* 108. Tabulæ testamenti – apud Pompejum sunt depositæ. Adde *eumd.* 7. *B. G.* 63.; *Sueton. Aug.* 101.; et *Quintil.* 5. 13. 49. et 9. 2. 63. et 92. *Cic.* 6. *Verr.* 12. 29. Habere aliquid depositum apud aliquem. Cf. *eumd.* 2. *leg. Agr.* 16. 41. Pecuniam depositam recuperare. *Nepos Hann.* 9. et *Liv.* 44. 25. Deponere aliquid in templo. *Cæs.* 6. *B. G.* 41. prædam in silvis. *Liv.* 24. 18. *sub fin.* pecuniam in publica fide. *Al. leg.* in publicam fidem. *Cæs.* 1. *B. C.* 23. aurum in publicum. *Id.* 4. *B. G.* 19. Ubi de oppidis demigrarent, liberos, uxores suaque omnia in silvas deponerent. *Varro* 5. *L. L.* 89. *Müll.* Pilani triarii quoque dicti quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur. *Cæs.* 3. *B. C.* 78. Cæsari, ad saucios deponendos, necesse erat adire Apolloniam. *Cic.* 2. *Fam.* 17. 4. Rationes Apameæ deponere. *h. e.* rationes in codice descriptas tradere et committere. *Lucan.* 8. 191. Deponere pignus. — Hinc *depositum, i,* n. 2. substantivorum more, quod *V.* in fine.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur pro credere, committere. *Cic. Cæcin.* 35. 103. Populi Romani jus in vestra fide ac religione depono. *Horat.* 1. *Od.* 27. 18. quidquid habes, age, Depone tutis auribus. *Id.* 2. *Sat.* 6. 46. Et quæ rimosa bene deponuntur in aure. ¶ 2. Specialim *deponere* est desperare, inquit *Non. p.* 279. 17. *Merc.* Unde *depositi* desperati dicuntur. Hoc vero inde ortum putant, quod ægri jam prorsus desperati, aut etiam recens mortui de lectulo humi collocabantur. *Virg.* 12. *Æn.* 395. Ille, ut depositi proferret fata parentis, Scire potestates herbarum usumque medendi Maluit. Ubi *Servius*: Apud veteres consuetudo erat, ut desperati ante januas suas collocarentur, vel ut extremum spiritum redderent terræ, vel ut possent a transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laboraverant morbo. *Lucilius* apud *Non. p.* 279. 19. *Merc.* Symmachu' præterea, jam tum depostu' bubulcus, Exhalans animam pulmonibus æger agebat. *Cæcilius* apud *eumd. p.* 279. 30. Depositus modo sum animo: vita sepultus sum. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 47. Jam prope depositus, certe jam frigidus. *Id.* 3. *Trist.* 3. 40. Depositum nec me qui fleat, ullus erit. *h. e.* mortuum. — Hinc translate *Cic.* 3. *Verr.* 2. 5. Mihi videor magnam et maxime ægram et prope depositam reipublicæ partem suscepisse. — Hinc etiam in inscriptionibus Christianis passim *depositus* dicitur, qui sepultus fuit. *Inscript.* apud *Fea, Framm. consol. p.* 95. DEPOSITVS EST PVER NOMINE EXSVPERANTIVS VII. IDVS MAJAS SVB CONSVLATV MODESTO ET FL. ARINTHE COSS. IN PACE. *nempe* anno 372. a Chr. nat. *Alia* apud *Orell.* 5014., quæ pertinet ad annum post Chr. nat. 377. D. N. GRATIANO HVG. (*lege* AVG.) IIII. ET MARABADE CONSS. XVII. KAL. MA. DEPOSITVS IN PACE FAVSTINVS M. VIII. Adde *aliam* apud *eumd.* 4657. ¶ 3. Item specialim apud sequioris ævi scriptores deponere est ad nihilum redigere, diruere. *Capitolin. Maxim. duob.* 12. Tabulas deponi et exuri. *Spartian. Alex. Sev.* 14. Statuas deponere. *h. e.* dejicere. *Capitolin. Maxim. duob.* 23. Statuæ atque imagines depositæ. — Hinc ponitur et pro deprimere, evertere, destruere, solo æquare; præcipue apud JCtos. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 91. Deposita urbs. *h. e.* capta et eversa. *Val. Flacc.* 5. 34. tunc ipsa cremari Visa ratis, medioque viros deponere ponto. *h. e.* in medio mergere, sive occidere. *Ulp. Dig.* 8. 2. 16. Si deponat ædificium, vel arboris ramos: quo facto locus opacus quondam cœpit esse solis plenus. Adde *eumd. ibid.* 5. 6.; et *Paul. ibid.* 2. 30., et 10. 1. 4. etc. *Jabolen. ibid.* 41. 3. 23. Depositæ ædes. — Hinc a Part. præter. pass.

Depositum, i, n. 2. absolute, substantivorum more,

I.) Proprie ¶ 1. Est res ipsa deposita: *V.* supra sub *B.* I. Depositum, inquit *Ulp. Dig.* 16. 3. 1., est, quod custodiendum alicui datum est: dictum ex eo, quod ponitur. Præpositio enim de auget *positum* etc. *Cic.* 3. *Off.* 25. 95. Neque semper deposita reddenda. *Sueton. Oth.* 3. Reposcere depositum. *Juvenal.* 13. 60. si depositum non inficietur amicus. Adde *eumd.* 13. 178.; et *Quintil.* 7. 2. 50. *Papinian. Dig.* 36. 3. 5. *extr.* Habere aliquid in deposito. *Ulp. ibid.* 33. 88. Pro deposito esse apud aliquem. ¶ 2. Ita quoque appellatur contractus ipse, quo res aliqua ea lege apud alterum deponitur, ut suo tempore reddatur, dolum solummodo, non negligentiam præstando, uti *Cajus Dig.* 44. 7. 1. docet. Hinc *teneri depositi* apud *Ulp. cit. l.* 16. *tit.* 3. *qui inscribitur* Depositi, vel contra, 1. etc.

II.) Translate. *Quintil.* 11. 2. 25. Ut meminerimus omnium quasi depositorum. *Id.* 10. 3. *in fin.* irrumpunt optimi nonnumquam sensus, quos neque inserere oportet, neque differre totum est: ideoque optime sunt in deposito. *h. e.* cum quæ scribentibus extra ordinem occurrunt, subinde notantur.

Deponens, entis, absolute, substantivorum more, *V.* DEPONENS loco suo.

DĒPONTĀNI Senes, inquit *Paul. Diac. p.* 75. 7. *Müll.*, appellabantur, qui sexagenarii de ponte dejiciebantur. Loquitur autem de sexagenariis, qui a cura reipublicæ liberabantur, et suffragiis ferendis abstinebant. Suffragia autem in campo Martio per pontem transeuntibus ferebantur. *V.* SÆPTUM, PONS et SEXAGENARIUS.

DĒPONTO, as, are, a. 1. de ponte dejicio. *Varro* apud *Non. p.* 214. 14. *Merc.* Acciti sumus, ut depontaremur. *Ita etiam* Oehler (*M. Ter. Varron. Sat. Menipp. Rel. p.* 213); *al. aliter leg.*

DĒPŎPŬLĀBUNDUS, a, um, adject. populabundus. *Liv.* 2. 48. In ipsorum Æquorum agrum depopulabundus transit. *Plerique alii melius leg.* depopulandum.

DĒPŎPŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. vastatio, direptio. *Cic.* 5. *Phil.* 9. 25. Totum iter Antonii quid habuit, nisi depopulationes, vastationes, cædes, rapinas? *Id. Harusp. resp.* 2. 3. Excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem meis tectis atque agris intulerunt. *Id. Fontej.* 16. 34. Defendere a depopulatione provinciam. Adde *eumd.* 2. *Verr.* 4. 12. et 2. *de republ.* 11.; et *Liv.* 43. 23.

DĒPŎPŬLĀTOR, ōris, m. 3. vastator, direptor. *Cic. Dom.* 5. 13. Fori depopulator, obsessor curiæ.

DĒPŎPŬLĀTRIX, īcis, f. 3. quæ depopulatur, vastatrix. *Cassiod.* 11. *Variar.* 3. *a med.* Depopulatricem humani generis luxuriam a vestro populo segregate.

DĒPŎPŬLĀTUS, a, um. *V.* DEPOPULO et DEPOPULOR.

DĒPŎPŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Depopulatus* sub *b.* — Cetera Participia *V.* in voc. seq. — Depopulo est idem quod depopulor, sive diripio, vasto, deprædor. — *a*) Activa forma. *Ennius* apud *Non. p.* 471. 19. *Merc.* Agros audaces depopulant servi dominorum domini. *Cæcilius* apud *eumd. p.* 417. 18. Jamdudum depopulat macellum. *Auct. B. Hisp.* 42. Agros vestramque provinciam vestro impulsu depopulavit. *Val. Flacc.* 6. 531. furtis assuetus iniquis Depopulare greges. — *b*) Passive. — Apud optimos Scriptores occurrit tantum Part. præter. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Sese, depopulatis agris, non facile ab oppidis vim hostium prohibere. *Id.* 7. *ibid.* 77. Depopulatā Galliā, magnāque illatā calamitate, etc. *Liv.* 9. 36. Depopulato agro. *Id.* 37. 4. *a med.* Omnis ora maritima depopulata ab Achæis erat. *Id.* 10. 15. Monimenta regionum depopulatarum. *Justin.* 42. 2. Depopulata Parthia, in patriam revertuntur. — Ut verbum finitum, passive *depopulabitur* occurrit apud *Lactant. de ira Dei* 16. *sub fin.* Quasi communi latrocinio terra omnis depopulabitur.

DĒPŎPŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (de et populor). Part. *Depopulans, Depopulatus, Depopulaturus* et *Depopulandus* I. — Depopulor sæpius usurpatur quam depopulo, et est idem quod populor, aut omnino populor, diripio, vasto, deprædor (It. *saccheggiare*; Fr. *ravager, saccager, piller*; Hisp. *asolar, saquear*; Germ. *verheeren, verwüsten*; Angl. *to lay waste, pillage, spoil, ravage, depopulate*).

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Verr.* 36. 84. et 5. *Phil.* 10. 27. Depopulari agros. *Cæs.* 2. *B. G.* 7. Agros depopulati. *Liv.* 37. 21. Ea urbe abstinuit, depopulatus agros. *Curt.* 9. 4. 4. et *Justin.* 6. 5. 6. Ad depopulandos agros. *Cæs.* 6. *B. G.* 33. et *Nepos Ages.* 3. Depopulari regionem. *Liv.* 4. 1. extrema agri Romani. *Id.* 10. 12. et *Tac.* 13. *Ann.* 27. hostium fines. *Liv.* 33. 22. Depopulante vicos eorum atque agros collega. *Id.* 21. 19. Quinqueremes ad depopulandam oram Italiæ missæ. Adde *eumd.* 22. 13. et 45. 3.; et *Auct. B. G.* 8. 24. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 56. hostis Vicinam late depopulatur humum. *Id.* 1. *Fast.* 683. Neve graves cultis Cerealia dona cavete Agmine læsuro depopulentur aves.

II.) Translate. *Afranius* apud *Non. p.* 480. 13. *Merc.* Quos impune depopulatur – dedecus. *Tac.* 16. *Ann.* 13. Omne mortalium genus vis pestilentiæ depopulabatur. *Ulp. Dig.* 47. 4. 1. Depopulari hereditates. *h. e.* consumere.

DĒPORTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus deportandi. ¶ 1. Generatim de rebus. *Cato R. R.* 144. In singulas deportationes. ¶ 2. Specialim de hominibus est relegationis genus, de quo *V.* in DEPORTO sub *B.* 2.° *Ulp. Dig.* 48. 13. 3. In aquæ et ignis interdictionem hodie successit deportatio. Adde *ibid.* 48. 22. 6.; et *Ammian.* 29. 3. 7.

DĒPORTĀTŌRIUS, a, um, adject. ad deportandum pertinens. *Imp. Constantin. Cod.* 12. 47. 1. Nullo munere civili, seu personali, vel deportatorio onere eos affici concedimus.

DĒPORTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒPORTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et porto). Part. *Deportatus* sub *A.*, et sub *B.* 1.° II. 1. et 2.° I.; *Deportaturus* sub *B.* 1.° II. 1.; *Deportandus* sub *A.* — Deportare est deorsum portare, de uno in alium locum portare, transferre, exportare (It. *portar giù, portar via, trasportare*; Fr. *emporter, transporter*; Hisp. *transportar*; Germ. *herunter –, herab –, wegtragen, – schaffen*; Angl. *to carry down, to carry or convey away, transfer from one place to another*). Occurrit autem *A*) Generatim, et *B*) Specialim.

A) Generatim usurpatur tum de hominibus, tum de rebus, ac præcipue de commeatu. *Cato R. R.* 144. De fundo ligna et oleum ne deportato. *Pompejus ad Marcell. et Lentul. Coss.* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. A. *in fin.* Arma Brundisium jumentis deportare. *Cic.* 5. *Verr.* 11. 36. Ut omnes decumas ad aquam deportatas haberent. *Id.* 7. *Fam.* 15. Deportare aliquid ex provincia. *Id.* 16. *ibid.* 5. 1. Mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportares, ut ibi te plane confirmares. *Al. leg.* deportarer. *Sueton. Aug.* 78. *extr.* Deportari lectica per vicos. *Id. Ner.* 31. In Italiam deportari. *Nepos Eumen.* 13. Ossa

ejus in Cappadociam ad matrem deportanda curarunt. *Sueton. Claud.* 6. Deportare corpus (*h. e.* cadaver) Augusti. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (136). Flumina deportant serpentes. *Id.* 2. *ibid.* 103. 106. (234). Urinantes oleum ore spargere, quoniam mitiget naturam (*maris*) asperam lucemque deportet. — Et de navibus. *Cæs.* 1. *B. C.* 27. Naves, quæ exercitum eo deportaverant. Adde *eumd.* 3. *B. G.* 12.; *Liv.* 43. 6.; et *Sueton. Tib.* 18. — Sæpe de annona commeatuque. *Cæs.* 1. *B. C.* 60. Frumentum deportare in castra. *Sueton. Cæs.* 43. Deportare obsonia. *Plin. Paneg.* 31. messes. V. *Bremi* ad *Sueton. Tib.* 18. — Absolute *Sueton. Cal.* 39. Invitatus lucro, quidquid instrumenti veteris aulæ erat, ab urbe repetiit: comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis et pistrinensibus jumentis.

B) Speciatim

1.°) Est ex provincia aliquid domum reducere; et usurpatur

I.) Proprie, præcipue de exercitu. *Cic. pro leg. Manil.* 21. 61. Bellum in Africa confecit; victorem exercitum deportavit. *Liv.* 40. 35. Ut Q. Fabio decedenti de provincia deportare inde exercitum – liceret. Adde *eumd.* 39. 38., 30. 10. *extr.* et 11. 17.; et *Justin.* 31. 2. 1. et 17. 2. 13. Similiter *Curt.* 10. 2. 16. Equidem quum alios (*milites*) dimittere in patriam, alios mecum paullo post deportare statuerim. etc. Adde *Liv.* 38. 50. Cf. *Cic.* 7. *Verr.* 16. 10. Tertia illa tua, quam tecum deportabas. *h. e.* ducebas. Et *Nepos Alcib.* 4. In triremem, quæ ad eum deportandum missa erat, ascendit.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de gloria vel dedecore pro reportare, referre. *Curt.* 9. 10. 24. Igitur – æmulatus Patris Liberi non gloriam solum, quam ex illis gentibus deportaverat, sed etiam famam etc. *Cic. Senect.* 1. 1. Te non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam, intelligo. *Id. Mur.* 5. 12. Aliquod ex Asia deportatum flagitium ac dedecus. *Id.* 1. *Off.* 22. 78. Dicit, se triumphum tertium deportaturum fuisse. Adde *Nepot. Cat.* 2. *Tac.* 2. *Ann.* 26. Qui nullo tum alio hoste nonnisi apud Germanias adsequi nomen imperatorium et deportare lauream posset. ¶ 2. Interdum ponitur pro afferre, parere. *Justin.* 20. 2. 15. Pulvinaria iis (*dis*) in navi componunt, faustisque profecti ominibus, solatia suis pro auxiliis deportant.

2.°) *Deportare in insulam* et *deportare* absolute

I.) Proprie est patria pulsum aliquem in certam insulam relegare, ubi, amissa civitate et testamenti factione, perpetuo sit: quæ pœna dicitur *deportatio*. *Tac.* 4. *Ann.* 13. Vibius Serenus de vi publica damnatus ob atrocitatem morum in insulam deportatur. *Id.* 14. *ibid.* 45. Censuerat, ut liberti quoque Italia deportarentur. Adde *Capitolin. Anton. Phil.* 25. et 26. *Quintil.* 5. 2. 1. In reis deportatis. — *Deportati in insulam* et *deportati* absolute dicebantur exules certæ alicujus insulæ, aut alterius loci limitibus circumscripti, quos, nisi aperto vitæ discrimine, egredi non liceret. *Ulp. Dig.* 48. 22. 7. Hæc est differentia inter deportatos et relegatos, quod in insulam relegari ad tempus, et in perpetuum quis potest; qui et civitatem Romanam retinet, et testamenti factionem non amittit: deportatos autem eos accipere debemus, quibus princeps insulas adnotavit, vel de quibus deportandis scripsit; quæ pœna civitatem adimit et testamenti factionem et reversionis spem. Hæc *Ulp. ibid.* et *leg. præced.*, item *Cajus Dig.* 28. 1. 8. etc. *V.* RELEGATUS in v. RELEGO.

II.) Translate. *Ter. Phorm.* 5. 7. 85. Non hoc publicitus scelus hinc deportarier in solas terras? *deportarier* paragoge pro *deportari*: et significat hic relegari, amandari.

DĒPOSCO, poscis, pŏposci, poscere, a. 3. (de *et* posco). Part. *Deposcens* I. 1.; *Deposcendus* II. — Deposco (præpositio enim *de* vim addit verbo) est magnopere posco, flagito, postulo (It. *dimandare con istanza*; Fr. *demander avec instance*; Hisp. *demandar con instancia*; Germ. *dringend, gleichsam als sein Recht, nachdrücklich, entschieden fordern, verlangen*; Angl. *to require, demand, or request earnestly*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 1. *B. C.* 56. Certas sibi deposcit naves Domitius. *Cic.* 3. *Phil.* 13. 33. Idem non modo non recusem, sed appetam etiam atque deposcam. *Id. pro leg. Manil.* 2. 5. Pompejum unum ab omnibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti. *Id.* 2. *Invent.* 49. 144. Lex est: Quam volet sibi rem a magistratu deposcito. *Et mox.* Hæc filium suum – sibi in præmii loco deposcit. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 2. 70. *Sueton. Galb.* 15. Populo Romano deposcente supplicium. *Id. Claud.* 11. Deposcere suam cædem. *Id. Vesp.* 2. ludos. *Id. Domit.* 2. auxilia ducesque. *Id. Tib.* 55. viginti sibi. *Id. Cal.* 68. pœnam in se. Adde *Plin.* 1. *Ep.* 8. 2.; et *Sil. It.* 3. 706. *Val. Flacc.* 1. 199. fulmen. *Frontin.* 1. *Strateg.* 11. 1., 2. *ibid.* 1. 3. et 4. *ibid.* 7. 6. Deposcere pugnam. Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 5. 15. et 4. *ibid.* 5. 10.; et *Sueton. Oth.* 9. Sic *Sil. It.* 17. 129. deposcens prælia rector. Et absolute eodem sensu *Cæs.* 3. *B. C.* 85. De prælio cogitandum (*est*), sicut semper depoposcimus. Cf. *eumd.* 7. *B. G.* 1. Omnibus pollicitationibus ac præmiis deposcunt, qui belli initium faciant et sui capitis periculo Galliam in libertatem vindicent. ¶ 2. Speciatim *deposci* dicuntur ii, quorum pœna ab aliis efflagitatur. *Cæs.* 3. *B. C.* 110. Regum amicos ad mortem deposcere. *Auct. B. G.* 8. 38. Principem sceleris ipsius et concitatorem belli – ad supplicium deposcit. *Liv.* 21. 6. *extr.* Ducem ipsum in pœnam fœderis rupti deposcere. *Sueton. Tit.* 6. Deposcere aliquem ad pœnam. *Tac.* 1. *Ann.* 23. Deposcere aliquem morti. Et absolute eodem sensu *Cic. post red. in senat.* 13. 33. Altera pars me deposcere, propter inimicitias, videbatur. *h. e.* deposcere ad mortem. *Justin.* 32. 4. 8. Missi a senatu legati sunt, qui utrumque regem in pacem cogerent, Hannibalemque deposcerent. Sed Hannibal, re cognita, sumpto veneno, legationem morte prævenit. *Ovid.* 1. *Met.* 199. studiisque ardentibus ausum Talia deposcunt. *nempe* ad mortem. *Lucan.* 5. 296. Infestoque ducem deposcere vultu. *h. e.* ad pœnam. Adde *Sil. It.* 3. 202. ¶ 3. Item speciatim deposcere dicuntur, qui munus vel magistratum aliquem petunt. *Cic. Rosc. Am.* 31. 45. Te ne potissimum tibi partes istas depoposcisse, ut etc.? Cf. *Sueton. Tib.* 25. Partes sibi tuendas deposcere. Et *Id. Cal.* 56. primas partes. Rursus *Cic. Sull.* 18. 52. Illam sibi officiosam provinciam depoposcit, ut etc. *Cæs.* 1. *B. C.* 57. Centuriones Cæsar ei classi attribuerat, qui sibi id muneris depoposcerant. *Sueton. Aug.* 26. Deposcere consulatum. *Id. Vitell.* 1. coloniam tutandam. Cf. *Cic.* 2. *Cat.* 3. 6. Video – qui sibi has urbanas insidias cædis atque incendiorum depoposcerit. ¶ 4. Item a gladiatoribus sumpta significatione, deposcere est lacessere. *Liv.* 2. 49. Deposcant, Volscos sibi, illa Æquos.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 4. *Val. Flacc.* 5. 535. Et Persen simul et Minyas deposcimus hostes. Et *Tac. Agric.* 11. In deposcendis periculis eadem audacia et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido.

DĔPŌSĬTĀRĬUS, ii, m. 2. proprie est qui ad depositum, seu custodiam pertinet: sed usuvenit apud sequioris ævi JCtos, et ¶ 1. Est qui depositum recipit. *Ulp. Dig.* 16. 3. 1. *a med.* Rem in ædem deponi et omni actione depositarium liberari. ¶ 2. Apud *eumd. ibid.* 7. *extr.*, constat, illum quoque significari, qui pecuniam deponit.

DĔPŌSĬTĬO, ōnis, f. 3. actus deponendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Est actio, qua depositum aliquid apud aliquem intelligitur, idest custodiæ traditum. *Ulp. Dig.* 16. 3. 1. *et* 5.; et *Florentin. ibid.* 17. ¶ 2. Item sepultura in inscriptionibus Christianis. *Inscript.* apud *Fea, Fragm. consol. p.* 89. DEPOSITIO EIVS DIE III. NONAS OCT. NEPOTIANO ET FACVNDO CONSS. IN PACE. *nempe* anno 336. a Chr. nat. *Alia* apud *eumd. ibid. p.* 90., quæ est apud *Henzen.* 7355. DEPOSSIO (*h. e.* depositio) IVNIANI PRI. IDVS APRILES MARCELLINO ET PROBINO CONSS. *h. e.* ann. 341. a Chr. nat. In *aliis* quoque apud *Fea ibid. p.* 100. legitur *deposso*, *depossio* et *depostio*. ¶ 3. Item apud JCtos est demolitio. *Ulp. Dig.* 4. 2. 9. § 2. Ædificii depositio, quam quis coactus fecit.

II.) Translate. ¶ 1. Depositio, ponitur pro testimonio. *Impp. Diocletian. et Maximian. Cod.* 2. 43. 3. Si per testium depositiones, te fuisse minorem, ostenderis. ¶ 2. Item de gradu aliquo dignitatis dejectio. *Ulp. Dig.* 48. 19. 8. Aut damnum cum infamia, aut dignitatis depositionem. ¶ 3. Item periodi clausula, finis et conclusio sententiæ. *Quintil.* 11. 3. 46. Ut in iisdem affectibus sint tamen quædam non ita magnæ vocis declinationes, pro ut sententiarum natura, aut depositio, aut inceptio, aut transitus postulabit.

DĔPŌSĬTĪVUS, a, um, adject. qui depositus est. — *a*) Generatim. *Depositiva pecunia* est thesaurus absconditus apud *Cassiod.* 6. *Variar.* 8. Depositivæ pecuniæ, quæ longa vetustate competentes dominos amiserunt, inquisitione tua nostris applicantur ærariis, ut qui sua cunctos patimur possidere, aliena nobis debeant libenter offerri. Hinc *thesaurus* definitur a *Paul. Dig.* 41. 1. 31. vetus depositio pecuniæ, cujus non exstat memoria. — *b*) Speciatim in re grammatica. *Diomed.* 1. p. 327. *Putsch. de verbis neutris.* Ex hac quoque forma sunt et illa verba, in quibus nec agentis, nec patientis significatio plena dinoscitur, nec effectus ostenditur, ut *sedeo, sudo*, etc. Nescis enim agat quis, an patiatur. Quæ quidam supina dixerunt, alii absolutiva appellant, nonnulli depositiva nominant.

DĔPŌSĬTOR, ōris, m. 3. qui deponit. ¶ 1. Qui simpliciter deponit. *Quintil. Declam.* 167. *in lemmate.* Depositor tyrannidis. ¶ 2. Item qui apud alterum quidpiam deponit, custodiæ causa. *Ulp. Dig.* 16. 3. 1. *a med.* Cf. *Boeth.* 5. *pros.* 1. Nisi eo loco pecuniam suam depositor obruisset, aurum non esset inventum. ¶ 3. Qui evertit aliquem, aut evertere conatur, apud *Prudent. Apotheos.* 179. Jam cede, Sabelli, Depositorque Patris, Natique, insane, negator.

DĔPŌSĬTUS, a, um. *V.* DEPONO.

DĔPOSSĬO pro *depositio* legitur in *Inscript.* apud *Henzen.* 7355., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 341.

DĔPOST, præpos. pro de post, *de* enim apud sequioris ævi scriptores multis præpositionibus jungebatur. *Vulgat. interpr. Psalm.* 77. 70. Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium: depost fetantes accepit eum. *Id. Sophon.* 1. 6. Et qui avertuntur depost tergum Domini.

DĔPOSTŬLĀTOR, ōris, m. 3. qui depostulat. *Tertull. Apolog.* 35. Depostulatores Christianorum. *h. e.* ad supplicium deposcentes; vulgus enim Romæ in Circo clamabat: *Christianos ad leones*: V. *eumd. Apolog.* 50. *ad fin.* Est tamen qui perperam legit *depopulatores*.

DĔPOSTŬLO, as, are, a. 1. (de *et* postulo) vehementer postulo. *Auct. B. Hisp.* 1. Civitates contrariæ Pompejo auxilia sibi depostulabant.

DĔPRÆDĀTĬO, ōnis, f. 3. præda, depopulatio. *Lactant. Epit.* 11. More latrocinii deprædatio et vastatio fiet. *Imp. Constantin. Cod.* 12. 36. 9. Si quis Barbaris scelerata factione facultatem deprædationis in Romanos dederit. *Id. ibid.* 2. 6. 5. Cum gravi damno litigatorum et deprædatione. *h. e.* spoliatione bonorum. *Imp. Majorian. Novell.* 2. § 2. Tolerabilior videtur deprædatio sævientis, quam sub magno observationis incommodo sustinendus impetrandæ ultionis eventus. *Mamertin. jun. Grat. act.* 1. Provincia exhausta deprædatione barbarica. Adde *Augustin.* 22. *Civ. Dei* 22.

DĔPRÆDĀTOR, ōris, m. 3. depopulator. *Augustin. Ep.* 199. et *Marcellin. ad Augustin. inter hujus epist. n.* 1.

DĔPRÆDĀTUS, a, um. *V.* DEPRÆDOR.

DĔPRÆDO, as, āvi, etc. *V.* voc. seq. in fin.

DĔPRÆDOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (de *et* prædor). Part. *Deprædatus.* — Deprædor est idem ac depopulor. *Justin.* 21. 6. Victor Macedoniæ agros deprædatur. Adde *Apul.* 8. *Met.* — Part. *Deprædatus* significatione passiva habet *Dictys Cret.* 2. 16. Agri deprædati et vexati. *Al. leg.* deprædari et vexari. — Ceterum *deprædo* active occurrit apud *Ambros. de Fide* 2. 3. Quia ecce ego injicio manum meam super eos, qui deprædaverunt vos, et erunt in præda qui prædaverunt vos.

DĔPRÆSENTĬĀRUM, adverb. eadem forma dictum, qua *impræsentiarum*, eamdem quoque habet significationem. *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* Alioquin jam tibi depræsentiarum reddidissem. Adde *eumd. ibid.* 74.

DĔPRANDIS, e, adject. impransus. *Nævius* apud *Festum p.* 182. 24. *Müll.* Deprandi autem leoni subdas oreas.

DĔPRANSUS, a, um, adject. signific. passivæ. *Apul.* 9. *Met. V.* DEPENDO.

DĔPRĀVĀTE, adverb. prave, perperam, vitiose. *Cic.* 1. *Fin.* 21. 71. De quibus neque depravate judicant, neque corrupte.

DĔPRĀVĀTĬO, ōnis, f. 3. actus depravandi.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Orat.* 62. 252. Oris depravatio. *Id.* 5. *Fin.* 12. 35. Distortio et depravatio membrorum. *Seneca Ep.* 24. *a med.* Libidines afferunt pedum, manuum, articulorum omnium depravationes.

II.) Translate. *Cic. Partit. orat.* 36. 127. Depravatio verbi. *h. e.* interpretatio in malam partem detorta. Cf. *eumd.* 1. *Herenn.* 6. 10. *Id.* 1. *Legg.* 10. 29. Depravatio consuetudinum. *Id.* 3. *Off.* 29. 105. Depravatio et fœditas turpificati animi. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 67. 136.

DĔPRĀVĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĔPRĀVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et pravus). Part. *Depravatus* I. et II. — Depravo est pravum reddo, distorqueo, corrumpo.

I.) Proprie. *Varro* 9. *L. L.* 11. *Müll.* Ut stulte faciant, qui pueris in geniculis alligent serperastra, ut eorum depravata corrigant crura. Cf. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 17. Ea, quæ corrigere vult, mihi depravare videtur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 55. (150). Uni homini oculi depravantur, unde cognomina Strabonum et Pætorum. *Seneca Ep.* 101. *a med.* Tu vero me depraves licet, dum monstruoso et distorto temporis aliquid accedat. Adde *eumd.* 2. *Clem.* 7.

II.) Translate est vitiare, corrumpere. *Ter. Phorm.* 4. 4. 17. Nihil est, quin male narrando possit depravarier. *paragoge* pro depravari. *Cic.* 2. *Fin.* 11. 33. Bestiæ quamvis depravatæ non sint, pravæ tamen esse possunt (*depravatus* mala disciplina: *pravus* natura). *et mox.* Ferarum natura non est illa quidem depravata mala disciplina, sed natura sua. *Id.* 2. *Legg.* 15. 38. Mores cantus dulcedine corruptelaque depravati. *Id.* 10. *Att.* 4. Puer indulgentia nostra depravatus. *Id.* 2. *leg. Agr.* 35. 97. Campanos nimiæ rerum omnium copiæ depravabant. *Id.* 1. *Phil.* 13. 33. Nihil est tam sanctum quod non soleant domestici depravare aliquando. Adde *eumd. Arch.* 4. 8.; et *Cæs.* 1. *B. C.* 7. *Varro* 9. *L. L.* 18. *Müll.* Depravata consuetudo. *Liv.* 45. 23. Plebem consiliis depravare. *Sall. Jug.* 18. Homines gratia depravati. *Capitolin. Macrin.* 12. Quum quidam milites ancillæ hospitis pudorem depravasse suspecti essent. *Quintil.* 6. 3. 6. Sæpe est industria depravatum dictum. *Id.* 9. 3. 109. Si vel inania verba in hos modos depravarunt.

DĔPRĔCĀBĬLIS, e, adject. qui exorari potest. *Vulgat. interpr. Psalm.* 89. 13. Deprecabilis esto super servos tuos.

DĔPRĔCĀBUNDUS, a, um, adject. qui valde deprecatur. *Tac.* 15. *Ann.* 53. Deprecabundus, et genibus principis accidens.

DĔPRĔCĀNĔUS, a, um, adject. Deprecanea fulmina *Cæcina* apud *Senec.* 2. *Quæst. nat.* 49. dicit, ea esse, quæ speciem periculi sine periculo afferunt. Fortasse intelligit ea, quæ precationibus impetrari solebant, ut est apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 53. 54. (140)., v. gr. ad avertendos eo terrore hostes, vel monstrum regioni infestum, etc. Vel ita vocat, quod facile ea possint homines deprecari.

DĔPRĔCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus deprecandi; et duo diversa significat: aut enim *A*) Particula *de* amolitionem ac depulsionem significat; aut *B*) Particula *de* verbi significationem auget.

A) Quum particula *de* amolitionem ac depulsionem significat, deprecatio est actus aliquid a se per preces amovendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu deprecatio mali aut rei cujuscumque est ejus amolitio ac depulsio per preces. — *a*) Generatim. *Plaut. Capt.* 3. 3. 7. Neque deprecatio perfidiis meis, nec malefactis fuga est. *h. e.* effugium per preces. *Cic. Partit. orat.* 37. 131. Ad ejus facti deprecationem, ignoscendi petenda venia est. *Auct. B. G.* 8. *proœm.* 1. Quum quotidiana mea recusatio non difficultatis excusationem, sed inertiæ videretur deprecationem habere, difficillimam rem suscepi. *Petron. Satyr.* 107. Deprecatio supplicii. *Curt.* 5. 3. 13. Abnuens deprecationem pro illis suæ convenire fortunæ. — *b*) Et pro recusatione rei alicujus faciendæ, quæ tamen recusatio precibus fit. *Quintil.* 1. *proœm.* 2. Qua ego ex causa faciliorem mihi veniam meæ deprecationis arbitrabar fore, hac accendebantur illi magis. — *c*) Et simpliciter pro depulsione sine precibus. *Cic. Rabir. perduell.* 9. 26. Huic quidem afferet aliquam deprecationem periculi ætas illa, qua tum fuit. *Quintil.* 3. 6. 13. Alii statum crediderunt primam ejus, cum quo ageretur, deprecationem. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro ipsa deprecandi formula, adeoque pro detestatione et imprecatione. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (20). Etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur. *h. e.* formulis precum, quibus depulsio incendiorum continеatur. *Cic. Rosc. com.* 16. 46. Qui semel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci consuevit. Quis enim deprecatione deorum, non conscientiæ fide commovetur? *h. e.* quum jurando sibi malum imprecatur, si mentiatur, *si sciens fallo* etc.: hanc vero deorum deprecationem *Id. Dom.* 57. 145. *devotionem capitis* vocat. Sic rursus *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (19). Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit.

II.) Translate. ¶ 1. *Deprecatio* est inter figuras sententiarum a *Cic.* 3. *Orat.* 53. 205. enumerata, quum opem judicis veniamque postulamus, Græce συγγνώμη. Hoc tamen intellige, quum oratio admixta defensioni est, ita ut post multa, quibus alicujus factum defenderis, preces quoque subjicias, quo facilius judex ad condonandum impellatur: quod facit *Id. Mil.* 34., *Ligar.* et alibi. Differt autem ab *obsecratione*, qua aliquid per deos et sacra petimus: *deprecatione* autem malum avertimus. De hac figura agit etiam *Quintil.* 9. 1. 32., 9. 2. 3. et alibi. ¶ 2. Quod si tota causa precibus agatur, quum scilicet nullus est defensioni locus, jam non figura est, sed causæ genus, quod plerique negarunt, in judicium unquam venire. Habet tamen locum in senatu, et apud populum, et apud principem, et ubicumque juris clementia est. Ita *Quintil.* 7. 4., ubi multa hac de re.

B) Quum particula *de* verbi significationem auget, *deprecatio* est vehemens precatio. *Cic. Cluent.* 3. 8. Aggrediar ad crimen cum illa deprecatione, qua mihi sæpius utendum esse intelligo, sic ut me audiatis, quasi hoc tempore hæc causa primum dicatur. *Id. post red. ad Quir.* 3. 7. Non enim ille deprecatione rediit, sed exercitu se armisque revocavit. *Id.* 5. *Phil.* 7. 20. Nullus aditus erat privato, nulla æquitatis deprecatio. *h. e.* nullæ preces, quæ valerent ad æquitatem obtinendam.

DĔPRĔCĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a.* deprecatio, parva deprecatio. *Salvian.* 3. *advers. avar.* 2. Est umbra excusatiunculæ non excusans, dans reo deprecatiunculæ speciem, non reatus necessitatem.

DĔPRĔCĀTĪVUS, a, um, adject. ad deprecandum idoneus. *Capell.* 5. *p.* 147. Ad deprecativam potius admovendum est qualitatem. *Cur. Fortunatian. Schol.* 1. *p.* 64. *Capper.* Venia omnis aut purgativa, aut deprecativa, quum nulla potest esse defensio, sed enim, cui liceat ignoscere, tantummodo deprecamur, quoniam negare non possumus, nos voluntate fecisse id, propter quod arguimur.

DĔPRĔCĀTOR, ōris, m. 3. qui pro alio deprecatur, et prece malum avertit. *Cic. Flacc.* 1. 1. Sperabam honoris potius L. Flacci me adjutorem futurum, quam miseriarum deprecatorem. *Id. Balb.* 18. 41. Deprecatores periculi. *Id.* 11. *Att.* 8. 2. Quintus filium misit, non solum sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei. *Id. pro leg. Manil.* 12. 35. Mittere legatos et deprecatores ad aliquem. Cf. *Liv.* 36. 35. Ego apud consulem deprecator defensorque vobis adero. *Cic. Sext.* 12. 27. Deprecatores salutis meæ. *Id. Planc.* 42. 102. Nec me solum deprecatorem fortunarum tuarum, sed comitem sociumque profitebor. *Id.* 2. *Fam.* 13. 2. Præbere se deprecatorem pro periculo alicujus. *Cæs.* 1. *B. G.* 9. Legatos ad Dumnorigem mittunt, ut eo deprecatore a Sequanis hoc impetrarent. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 4.; et *Tac.* 3. *Hist.* 31.

DĔPRĔCĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui deprecando inservit. *Vulgat. interpr.* 1. *Machab.* 10. 24. Scribam et ego illis verba deprecatoria.

DĔPRĔCĀTRIX, īcis, f. 3. quæ deprecatur. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 5. 14. *p.* 159. *Bait.* Sabinis deprecatricibus parentum bellum maritorumque finitum est. *Baiterus* legit *precatricibus*. Certior est lectio apud *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 12.

DĔPRĔCĀTUS, a, um. *V.* DEPRECOR.

DĔPRĔCĬĀTOR, ōris, *V.* DEPRETIATOR.

DĔPRĔCĬO, as, āvi, etc. *V.* DEPRETIO.

DĔPRĔCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (de et precor). Part. *Deprecans* sub *B.* 1.; *Deprecatus* in omnibus fere paragr. et passive sub *A.* 1. et sub *B.* 2.; *Deprecaturus* sub *A.* 1.; *Deprecandus* sub *A.* 1. et sub *B.* 1. — Deprecari duo diversa significat, prout *A*) Particula *de* amolitionem ac depulsionem significat; aut *B*) Verbi significationem auget.

A) Quum particula *de* amolitionem ac depulsionem significat ¶ 1. *Deprecari* de malo fere usurpatur, et est precando avertere, amoliri, aut recusare (It. *divertire o stornare pregando, intercedere o ricusare pregando*; Fr. *détourner par des prières, prier qu'on détourne, éloigner, écarter*; Hisp. *desviar, alejar rezando*; Germ. von *Imdm durch Bitten etwas abwenden, abwehren, abbitten, verbitten, bitten um Abwendung eines Unglücks, bitten*; Angl. *to deprecate, avert by prayer, pray against, beg to be freed from*). Occurrit autem 1.°) Raro de personis, et 2.°) Sæpissime de rebus. — 1.°) Raro de personis, et quidem — *a*) Cum Accus. tantum. *Cic. Sext.* 12. 27. Quæ quidem tum mutatio (*vestium*) non deprecationis causa est facta, sed luctus. Quem enim deprecarentur, quum omnes essent sordidati etc.? *Liv.* 34. 59. Tum Menippus deprecari et Quinctium et Patres instituit. *Tac.* 3. *Ann.* 24. Nec nisi Tiberio imperitante deprecari senatum ac principem ausus est. — *b*) Cum altero Accusativo communi. *Val. Flacc.* 8. 53. hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes. — *c*) Cum Conjunctivo et particula *ut* vel *ne*. *Cic.* 8. *Fam.* 1. In hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiæ condemnes. *Petron. Satyr.* 30. Dispensatorem deprecati sumus, ut servo remitteret pœnam. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 33. Deos deprecari, ut remittant minas. — *d*) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei, *deprecari aliquem aliqua re* est petere, ut aliqua re abstineat. *Propert.* 2. 25. 17. Lecto te solum, lecto te deprecor uno: Rivalem possim non ego ferre Jovem. — 2.°) Sæpissime de rebus; et quidem — *a*) Cum Accusativo tantum. *Ennius* apud *Gell.* 6. 16. et apud *Non. p.* 290. 17. *Merc.* Quibus nunc ærumna mea libertatem paro; quibus servitutem mea miseria deprecor. *Id.* apud *Gell. ibid.* Ego quum meæ vitæ parcam, letum inimico deprecor. *Gell. ibid.* docet, hisce in locis *deprecari* esse idem atque abigere, depellere, propulsare, etiam sine precibus. *Cic. fragm.* apud *Gell. ibid.* et apud *Non. p.* 290. 14. *Merc.* Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur. *Id.* 1. *Cat.* 11. 27. Ut a me, P. C., quamdam prope justam patriæ querimoniam detester ac deprecer. *Id. Cæcin.* 11. 30. Excusatione summæ stultitiæ, summæ improbitatis odium deprecari. *Id.* 4. *Verr.* 78. 192. Avaritiæ crimina frugalitatis laudibus deprecari. *Id. Fontej.* 12. 26. Orandus erit M. Plætorius, ut suos novos clientes a bello faciendo deterreat, ut eorum iratos animos atque horribiles impetus deprecetur. *h. e.* precibus flectat, molliat, retardet. *Id.* 3. *Verr.* 60. 157. Nullam ab sese calamitatem deprecari. *Id.* 7. *ibid.* 62. 162. Deprecari virgarum vim. *Id. ibid.* 47. *extr.* Deprecari mortem et sanguinem alicujus. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 40. Sic *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 59. Sæpe precor mortem: mortem quoque deprecor idem. Adde *eumd.* 2. *Fast.* 103. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 31. 3. Nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam, aut deprecer. *Nepos Att.* 12. Usus est pecunia in deprecandis amicorum aut periculis, aut incommodis. *Auct. B. Alex.* 57. Nullum periculum deprecaturi. Adde *Cæs.* 1. *B. C.* 5. *Sall. Jug.* 24. Deprecari cruciatus. *Liv.* 39. 35. Filium mittere Romam ad deprecandam iram senatus statuit. *Id.* 27. 20. Deprecari ignominiam. Adde *Frontin.* 4. *Strateg.* 5. 2. *Liv.* 40. 15.; et *Sueton. Aug.* 52. dictaturam. *Curt.* 6. 10. Ne hanc quidem exhibendæ veritatis fidem deprecor. *Sueton. Cal.* 9.; et *Tac.* 4. *Ann.* 41. invidiam. *Sueton. Aug.* 3. pœnam. *Plin. Paneg.* 55. titulos. Adde *Vellej.* 2. 86. 2.; *Justin.* 8. 4. 6. et 11. 9. 14.; et *Quintil.* 4. 1. 52. et 2. 17. 6. — Et *deprecatus* passive apud *Justin.* 8. 5. 4. Sed pactio ejus fidei fuit, cujus antea fuerat deprecati belli promissio. — Rursus *Ovid.* 2. *Met.* 98. Deprecor hoc unum; quod vero nomine pœna, Non honor est. — *b*) Cum Conjunctivo et particula *ne*. *Ovid. Heroid.* 9. 159. Deprecor hoc unum, per jura sacerrima lecti, Ne videar fatis insidiata tuis. Sic *Cæs.* 2. *B. G.* 31. Unum deprecari — ne se armis despoliaret. V. *Herzog.* ad h. l. *Plaut. Asin. in fin.* Deprecari huic seni, ne vapulet. *h. e.* pro hoc sene. Rursus *Ovid. Heroid.* 3. 77. Exagitet ne me tantum tua deprecor uxor. *Sueton. Cæs.* 29. Deprecatus est, ne adimeretur. *Justin.* 23. 2. 7. Uxor diu, ne ab ægro divelleretur, deprecata est. —

c) Cum Conjunctivo et particula *quin*. *Catull.* 44. 18. Nec deprecor jam, si nefaria scripta Sexti recepso, quin gravedinem et tussim etc. ferat. — *d*) Cum Infinito. *Lucan.* 9. 213. non deprecor hosti Servari. *Stat.* 8. *Theb.* 116. nec deprecor umbram Accipere. — *e*) Cum Infinito deprecari ponitur præcipue pro excusare precando. *Sall. Jug.* 112. Legati postquam, errasse regem et Jugurthæ scelere lapsum, deprecati sunt, etc. — Eodem sensu cum Ablativo et præpos. *pro*. *Curt.* 7. 2. 2. Nihil pro me deprecor: modo ne fratrum innocentiæ fuga imputetur mea. Sic *Sueton. Vitell.* 14. Alterius pœnæ duos filios adjecit, deprecari pro patre conatos. — *f*) Absolute. *Cic.* 5. *Phil.* 1. 3. Pacem vult M. Antonius? Arma deponat, roget, deprecetur. *Id.* 11. *Att.* 6. 7. Quintum fratrem audio profectum in Asiam, ut deprecaretur. *h. e.* veniam petitum a Cæsare, quod a Pompejo stetisset. *Id.* 3. *Orat.* 20. 74. Paullulum equidem de me deprecabor, et petam a vobis, ut etc. *Id. Partit. orat.* 39. 137. Erit iisdem æquitatis sententiis contra acerbitatem verborum deprecandum. *Id.* 5. *Tusc.* 19. 56. An quum civili bello victor, iratus, necessariis Catuli deprecantibus, non semel respondit, sed sæpe, *moriatur*? *Cæs.* 4. *B. G.* 7. Quod Germanorum consuetudo hæc sit a majoribus tradita, quicumque bellum inferant, resistere, neque deprecari. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 4.; *Virg.* 12. *Æn.* 931.; *Curt.* 5. 3. 11.; *Quintil.* 5. 13. 2.; *Sueton. Cæs.* 1. et *Aug.* 65.; et *Val. Flacc.* 7. 455. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro imprecari, detestari, exsecrari, ipso *Gell.* 6. 16. teste. *Apul.* 9. *Met.* Diras devotiones in eum deprecata. Et translate *Catull.* 92. 1. Lesbia mi dicit semper mala, nec tacet unquam De me: dispeream, me nisi Lesbia amat. Quo signo? quasi non totidem mox deprecer illi. *h. e.* quasi non totidem illi diras imprecer. Cf. *Val. Max.* 4. 3. *n.* 6. Continuo Pyrrho et Samnitibus istam sapientiam deprecatus sum. ¶ 3. Pro dehortari. *Seneca Phœniss.* 73. dum prior, quo vis, eo: Non deprecor, non hortor.

B) Quum particula *de* verbi significationem auget, ¶ 1. Deprecari est aliquem aut rem aliquam per vehementes preces a periculo liberare; et occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ. *Deprecari aliquem ab aliquo* est ejus salutem ab aliquo petere. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 36. 100. Si quid deliquero, nullæ erunt imagines, quæ me a vobis deprecentur. *Id. Planc.* 42. 108. Non ego meis ornatum beneficiis a vobis deprecor, judices, sed custodem salutis meæ. Adde *eumd. post redit. ad Quir.* 3. 7. — *b*) Cum Accusativo rei, est aliquid precibus assequi. *Cic.* 12. *Fam.* 24. Legati, quos senatus non ad pacem deprecandam, sed ad denunciandum bellum miserat. Adde *Justin.* 7. 6. 16. Rursus *Cic. Sull.* 26. 72. Multorum hic vitam est a L. Sulla deprecatus. *h. e.* consecutus est. Sic *Auct. B. Afr.* 89. Deprecari sibi vitam. Adde *Justin.* 16. 1. 1. Et *Id. Justin.* 20. 3. 1. Crotonienses et ipsi legatos ad oraculum Delphos mittunt, victoriæ facultatem bellique prosperos eventus deprecantes. *Cic.* 3. *Orat.* 3. 9. Quum sibi non incolumem fortunam, sed exsilium et fugam deprecaretur, coactus est, ut vita se ipse privaret. *Id.* 2. *ibid.* 49. 201. Semper pro amicorum periculis, nihil unquam pro me ipso deprecatus sum. ¶ 2. Item pro simpliciter rogare, seu valde precari. *Petron. Satyr.* 133. Posito genu, sic deprecatus sum numina. *Auct. B. Alex.* 32. Veste ea sumpta, qua supplices dominantem deprecari consueverunt, sacrisque omnibus prolatis, quorum religione precari offensos iratosque animos regum erant soliti etc. *Auct. B. Afr.* 85. *extr.* Inspectante ipso Cæsare, et a militibus deprecante, uti eis parcerent. *Apul.* 3. *Met.* Utque mihi prosperis faveret volatibus, deprecatur. *Dict. Cret.* 2. 6. Ut viriliter incommodum ferret, deprecabantur. *Et ibid.* Multis precibus Ulisen deprecatur, uti ad eos acciendos pergeret. Adde *eumd.* 2. 28. et 48. *Justin.* 12. 8. 10. Exercitus omnis, non minus victoriarum numero, quam laboribus fessus lacrimis eum (*Alexandrum*) deprecatur, finem tandem belli faceret. *Apul.* 9. *Met.* Deprecatur, periclitanti sibi ferret auxilium. — Et *deprecatus* passive apud *Apul.* 11. *Met.* Ad istum modum deprecato summo numine.

DEPRĔHENDO *et per syncopen poetis familiarem* deprendo, dis, di, sum, dere, a. 3. (de *et* prehendo *vel* prendo). Scribitur *et Depræhendo.* V. quæ dicta sunt in COMPREHENDO sub init. — Part. *Deprehendens B.* I. *a.*; *Deprehensus* in omnibus paragr.; *Deprehendendus B.* II. *a.* — Deprehendo est idem quod prehendo, capio, incautum aut inopinantem corripio (It. *prendere*, *cogliere*, *cogliere all'impensata*; Fr. *intercepter*, *prendre*, *saisir*, *surprendre*, *arrêter*; Hisp. *interceptar*, *tomar*, *asir*, *prender*, *sorprehender*; Germ. *etwas Jemanden überraschend*, *unerwartet ergreifen*, *erfassen*, *wegnehmen*, *finden*; Angl. *to seize*, *catch*, *take unawares*, *overtake*). Verbum hoc tria præcipue significat, quibus totidem translatæ significationes respondent: scilicet

A) Generatim ponitur pro capere, intercipere, incautum aut inopinantem corripere.

I.) Proprie. *Ovid.* 5. *Met.* 617. Fessa labore fugæ, fer opem, deprendimur, inquam. *Stat.* 6. *Theb.* 568. et *Seneca Herc. fur.* 224. Deprendere cursu feram. *Cæs.* 1. *B. C.* 24. Reducitur ad eum deprehensus ex itinere Cn. Magius. *Id.* 6. *B. G.* 30. Celeriter contraque omnium opinionem confecto itinere, multos in agris inopinantes deprehendit. *Id.* 3. *B. C.* 112. Indicatis deprehensisque internunciis. *Sall. Cat.* 45. Imperat, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendat. *Cassius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 12. Deprehendere tabellarios litterasque intercipere. *Tac. Agric.* 34. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt; novissimi hæsere. Cf. *Juvenal.* 4. 142. et 7. 112. *Liv.* 2. 4. Ut litteræ legatis darentur, quæ deprehensæ rem coarguere possent. — Præcipue ponitur de navibus pro intercipere. *Cæs.* 1. *B. C.* 36. Onerarias naves, quas ubique possunt, deprehendunt atque in portum deducunt. *Id. ibid.* 26. Pompejus naves, quas in portu deprehenderat, adornabat. *Id. ibid.* 28. Duas naves deprehendunt: deprehensas excipiunt. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 101.

II.) Translate ponitur de inanimis; ac — Præcipue de ventis et maris tempestate, quibus naves corripiuntur. *Lucret.* 6. 428. Et quæcumque in eo tum sunt deprensa tumultu Navigia, in summum veniunt vexata periclum. *Catull.* 25. 12. velut minuta magno Deprensa navis in mari vesaniente vento. *Ovid.* 11. *Met.* 663. Nubilus Ægæo deprendit in æquore navim Auster. Sic *Curt.* 7. 4. Si quos ille ventus deprehendit, arena obruit. Similiter *Virg.* 5. *Æn.* 52. Argolicove mari deprensus. *Stat.* 1. *Theb.* 370. Ac velut Ægæo deprensus navita ponto. — De aliis rebus. *Plin.* 8. *Ep.* 17. Viderunt hi, quos excelsioribus terris illa tempestas non deprehendit. *Quintil. Declam.* 268. *sub fin.* Si quem subita deprehenderit valetudo. *Seneca Herc. Œt.* 533. Verba deprendit quies. *h. e.* mors verba loquentis interrupit. *Plin.* 8. *Ep.* 14. Itaque reducta libertas rudes nos atque imperitos deprehendit. *Sil. It.* 15. 42. ortu convivia solis deprensa.

B) Speciatim deprehendere est in ipso actu, præcipue malo, comperire, opprimere aliquem; ita ut infitiari non possit.

I.) Proprie. ¶ 1. Usurpatur de culpis, criminibus, etc. — *a*) Cum Accusativo personæ. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 26. Dolis ego deprensus sum. *Forcellinus cum aliis leg.* doli. *V.* PREHENDO. *Ter. Eun.* 5. 5. 18. Deprehendere aliquem pro mœcho in domo meretricia. Cf. *Cic.* 1. *Att.* 12. Clodius cum veste muliebri deprehensus domi C. Cæsaris. *Id. Cic.* 2. *Orat.* 68. 275. et *Quintil.* 9. 2. 42. Deprehendi in adulterio. *Quintil.* 3. 11. 7. Deprehendere adulteram. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 131. Cruribus hæc metuat, doti deprensa, egomet mi. *Ovid.* 3. *Amor.* 14. 43. Si tamen in media deprensa tenebere culpa. *Cic.* 7. *Verr.* 43. 111. Deprehendere aliquem in manifesto scelere. *Sall. Cat.* 46. et 50. in scelere. *Justin.* 7. 5. 4. In scelere deprehensæ. Adde *Sueton. Cæs.* 75., *Aug.* 19. et *Claud.* 37.; et *Juvenal.* 9. 3., 6. 285. et 6. 640. *Cic. Brut.* 68. 241. Deprehensus in facinore manifesto. *Id.* 5. *Verr.* 2. 4. Accusator ferendus non est is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur. *Justin.* 10. 2. 5. Deprehensus cum sociis. *Liv.* 37. 11. Deprehensus pro speculatore. *Quintil.* 5. 7. 19. Testes deprehensi *h. e.* inconstantes comperti. Huc pertinent et illa *Horat.* 2. *Sat.* 7. 42. quid si me stultior ipso Quingentis empto drachmis deprenderis? Et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (134). Pinxit Achillem virginis habitu occultatum, Ulysse deprehendente. — Huc referri possunt et illa *Tac. Agric.* 7. Igitur ad solemnia pietatis profectus Agricola, nuncio affectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partes transgressus est. *Quintil.* 1. 12. 4. Agendi subita necessitate deprehensi. — *b*) Cum Accusativo rei, *h. e.* culpæ, sceleris, etc. *Cic.* 3. *Cat.* 5. 11. Scelus manifestum atque deprehensum. *Id. Cluent.* 7. 20. Venenum manifesto deprehendere in manibus alicujus. Adde *eumd. ibid.* 17. 48.: et cf. *eumd. Cæl.* 6. 14. Facinora oculis prius quam opinione, manibus quam suspicione deprehendere. *Quintil.* 5. 13. 49. Res furtiva deprehensa. *Sueton. Aug.* 10. Fraude deprehensa. *Id. Ner.* 6. Deprehensis exuviis. *Id. Galb.* 9. Deprehendere mandata de nece sua. *Vopisc. Flor.* 2. mendacia. *Val. Flacc.* 4. 356. culpam. ¶ 2. Apud sequioris ævi scriptores occurrit etiam de rebus præcipue abditis, quæ inveniuntur. *Val. Flacc.* 1. 408. Deprehendere patris reliquias. *Id. ibid.* 463. de *Lynceo*. possit qui rumpere terras, Et Styga transmisso tacitam deprendere visu. *Claudian. III. Cons. Honor. sub fin.* arcanos Nili deprendite fontes. Adde *eumd. B. G.* 103. *Flor.* 2. 17. Deprehendere obrutum aquis ignem. Cf. *Val. Flacc.* 4. 692. — Huc referri potest et illud *Venuleji Dig.* 43. 23. 22. Si vitem meam ex fundo meo in fundum tuum deprehenderis, eaque in fundo tuo coalueris. ubi deprehendere est *deprimere*, quasi prehendendo demittere, ut fit in vite propaganda, cujus brachium deorsum flectitur et terra obrutum alio emittitur.

II.) Translate est mente comprehendere, animadvertere, dignoscere. — *a*) Cum Accusativo rei. *Cic. Orat.* 25. 84. Ne elaborata concinnitas et quoddam aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat. *Ovid.* 2. *Art. am.* 313. Si latet ars, prodest: affert deprensa pudorem. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 75. (197). Deprehendi ars non potest. *Id.* 2. *ibid.* 54. 55. (144). Magna hujus observationis vanitas deprehensa est Scauro consule. *Id.* 37. *ibid.* 13. 76. (198). Demonstrare rationem deprehendendi falsas gemmas. *Id. ibid.* 10. 60. (165). Heliotropium deprehendit defectus solis. *h. e.* aperit ac notos facit. *Id.* 17. *ibid.* 21. 35. (159). Solum male pastinatum deprehendunt scamna inæqualia. *Id.* 12. *ibid.* 9. 19. (36). Genera gummi deprehenduntur odore, colore, pondere. *Id.* 19. *ibid. præfat.* § 1. Conferunt rura deprehendendo cœlo. *h. e.* varias aeris mutationes cognoscendo. *Quintil.* 12. 9. 5. Et quidquid, si deprehenditur, perit. *Id.* 12. 1. 34. Ut ea (*falsa*) facilius deprehendamus et refellamus. Adde *eumd.* 3. 6. 1. et 8. 6. 16. *Id.* 1. 5. 56. Pollio deprehendit in Livio patavinitatem. Adde *eumd.* 5. 13. 23. et 10. 1. 104. *Id.* 1. 12. 8.; et *Flor.* 2. 4. Experimento deprehendere aliquid. *Sueton. Cal.* 60. Deprehendere mentes. *Juvenal.* 9. 18. gaudia — *b*) Cum Accusativo et Infinito. *Sueton. Aug.* 44. Quum quosdam mitti deprehendisset. *Quintil.* 9. 2. 44. Species — diversas esse, facile est deprehendere. — *c*) Et sequente partic. *an*. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 20. (65). Splendor deprehendit, an æs satis recoctum sit.

C) Item speciatim deprehendere est inopinato prehendere, corripere ita ut nullum restet effugium, ad incitas redigere.

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. *Curt.* 7. 4. 4. Hostis inter latebras deprehensus. Cf. *Liv.* 38. 21. Galli erant deprehensi genere pugnæ, in quod minime apti sunt. Rursus *Curt.* 5. 3. 19. In fovea deprehensi. — *b*) Præcipue de brutis animantibus. *Virg.* 5. *Æn.* 273. Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 11. fugax avidis cervus deprensus ab ursis. *Quintil.* 12. 2. 14. Deprehendere parva animalia. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 8. 8. (24). Elephas deprehensus solitarius, vel abactus a grege. Cf. *Id.* 11. *ibid.* 8. 8. (19). Apes noctu deprehensæ in expeditione, excubant supinæ. *Sil. It.* 16. 566. volucresque vagas deprendere nube Assuetus jaculis. *h. e.* occidere. — Huc referri potest et illud *Curt.* 4. 14. 14. Illi vero campi deprehendère paucitatem, quam Ciliciæ montes absconderant.

II.) Translate. — *a*) De hominibus. *Cic.* 6. *Verr.* 12. 29. Se deprensum negare non potuisse. *Quintil.* 6. 3. 100. Deprensi pudorem explicant. *Id.* 5. 7. 30. Si in mendacio deprehendantur. *Cic.* 1. *Orat.* 48. 207. Deprehensum equidem me, inquit Antonius, plane video atque sentio. *Quintil.* 10. 7. 29. Deprehensus orator. *h. e.* inopinato prehensus. — *b*) De rebus. *Curt.* 3. 5. 11. Si me fortuna deprehenderit in articulo rerum. *Id.* 5. 3. 22. Invictus ad eam diem fuerat, nihil frustra ausus: — tunc hæsitabat deprehensa felicitas; nec aliud remedium erat quam reverti qua venerat.

DĔPRĔHENSA, æ, f. 1. *Paul. Diac.* p. 71. 15. *Müll.* Deprensa dicitur genus militaris animadversionis, castigatione major, ignominia minor. *Müllerus* pœnam putat ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensorum.

DĔPRĔHENSĬO, ōnis, f. 3. actus deprehendendi. *Cic. Cluent.* 18. 50. Omnis accusatio ad extremum manifesta veneni deprehensione conclusa est. *Ulp. Dig.* 47. 2. 7. Fur deprehensione fit manifestus. *Id. ibid.* 13. 2. 43. § 12. Deprehensio in adulterio.

DĔPRĔHENSUS, a, um. *V.* DEPREHENDO.

DEPRENSA. *V.* DEPREHENSA.

DĔPRESSĒ, adverb. alte, profunde. Occurrit tantum Comp. *Depressius* apud *Senec. ad Helv.* 9. Quo depressius æstivos specus foderint. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 10. Verior igitur causa est depressius pastinandi.

DĔPRESSĬO, ōnis, f. 3. deorsum pressio, dejectio. *Macrob.* 1. *Saturn.* 20. Sol semper velut a quadam imæ depressionis senecta in altitudinem suam, ut in robur revertitur juventutis. *Vitruv.* 1. 3. Fundamentorum ad solidum depressio. *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. Socratira depressio nasi. *h. e.* nasus simus. *Theod. Priscian.* 2. *part.* 1. 2. *de lethargicis.* Et si adhuc ista veterem capitis depressionem non deponant, etiam sinapismus adhibendus erit. *Paulio ante* gravedinem *dixerat.*

DĔPRESSĬTAS, ātis, f. 3. devexitas, locus depressus, ut Depressitas terræ, *Apul. Trismeg.* ubi alii rectius leg. *densitas.*

DĔPRESSUS, a, um. *V.* DEPRIMO.

DĔPRĔTĬĀTOR *vel* depreciator, ōris, m. 3. qui depretiat. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 29. Depretiator operum.

DĔPRĔTĬĀTUS *vel* depreciatus, a, um. *V.* voc. seq.

DĔPRĔTĬO *vel* deprecio, as. āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* pretium). Part. *Depretiatus* I. et II. — Depretio est ad minus pretium redigo, viliorem ac deteriorem facio (It. *fare scadere di prezzo, deteriorare, render vile*; Fr. *déprécier, dépriser, diminuer la valeur*; Hisp. *despreciar, disminuir el valor*; Germ. *vom Werthe abziehen, ihn verringern*; Angl. *to bring down to a lower price, depreciate*).

I.) Proprie. *Paul. Dig.* 9. 2. 22. Sed et ejus ratio haberi debet, quo cetera corpora depretiata sunt. *Cajus* 3. *Institut.* (*edente Goeschenio*) § 212. Non solum occisi symphoniaci fit æstimatio, sed eo amplius computatur, quod ceteri, qui supersunt, depretiati sunt. *Sidon. carm.* 22. 200. nec tempore longo Depretiata suas turpant pigmenta figuras. *Paulin. Nolan. carm.* 22. 56. Vilescit pretio depretiatus homo.

II.) Translate. ¶ 1. Est moralem alicujus rei existimationem deminuere. *Tertull. Apolog.* 45. Epicurus omnem dolorem depretiat, modicum contemptibilem pronunciando, magnum vero non diuturnum. *Sidon.* 2. *Ep.* 10. *extr.* Neque apud te litterariam curam turba depretiet imperitorum. ¶ 2. Item contemnere. *Tertull. Spectac.* 22. Depretiant, quos probant: artem magnificant, artificem notant. *Sidon.* 1. *Ep.* 7. *a med.* Ille quasi mercaturus (*pretiosa quæque*) inspicere, prensare, depretiare, devolvere.

DĔPRĬMO, primis, pressi, pressum, primere, a 3. (de *et* premo). Part. *Deprimens* I. 2. *a.*; *Depressus* in omnibus paragr. et in fin; *Depressurus* I. 2. *a.*; *Deprimendus* I. 2. *a.* — Deprimo est deorsum premo, demitto, affligo, demergo (It. *abbassare, deprimere*; Fr. *presser de haut en bas, abaisser, déprimer, enfoncer*; Hisp. *abaxar, deprimir, hundir*; Germ. *herab-nach unten drücken, niederdrucken – senken*; Angl. *to press or weigh down, depress, sink*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Merc.* 4. 1. 9. Simul hæc, quæ porto, deprimunt. *Lucret.* 6. 439. Depressit pariter lento cum corpore nubem. *Al. leg.* Deducit. *Cic.* 5. *Tusc.* 17. 51. Tantum propendere illam boni lancem putat, ut terram et maria deprimat. *Id. Senect.* 21. 77. Animus cælestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram. *Id. Pis.* 6. 14. Altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio. *Virg.* 1. *G.* 45. depresso (*in terram*) aratro. *Lucret.* 5. 540. Propterea (*terra*) non est oneri, neque deprimit auras. — Huc referri potest et illud *Petron. Satyr.* 123. Cæsar tumidas iratus deprimit arces. *h. e.* calcat, sive per Alpes iter facit. — Item illud *Ovid.* 12. *Met.* 260. Cumque suis Gryneus immanem sustulit aram Ignibus, et medium Lapitharum jecit in agmen, Depressitque duos. *Al. tamen rectius leg.* Oppressit. ¶ 2. Speciatim — *a*) Usurpatur de arboribus et ædificiis, et est in excavatam terram demittere atque alte infigere. *Cato R. R.* 32. et *Colum. Arbor.* 7. 6. Vitem in terram deprimere. Sic *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (10). Vitis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines (*propagginare* dicunt Itali, nostri vulgo *refossare*). *Colum.* 11. *R. R.* 3. 28. Deprimere plantas in terram. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 16. 13. (71). Deprimente aliquid ad terras. *Colum.* 4. *R. R.* 1. 3. Deprimere semina. *h. e.* serere. Sic *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 3. Semen siccatum deprimere. *Id.* 3. *ibid.* 18. 1., Locum palo antea deprimente. *Cic.* 7. *Verr.* 27. 68. Saxum in mirandam altitudinem depressum. *Ulp. Dig.* 8. 2. 16. Eum quoque qui tollit ædificium, vel deprimit, officere luminibus. *Sall. Cat.* 58. Locus circiter duodecim pedes humi depressus. *Auct. B. G.* 8. 9. Valle intermissa, magis in altitudinem depressa, quam late patente. *Auct. B. Afr.* 51.; et *Plin.* 10. *Ep.* 40. Locus depressus. Cf. *Stat.* 4. *Theb.* 238. depressæ populus subit incola Pisæ. *h. e.* depresso loco sitæ. *Auct. B. G.* 8. 40. Sic enim imis radicibus montis ferebatur (*flumen*), ut nullam in partem, depressis fossis, derivari posset. *Tac.* 15. *Ann.* 42. Navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuri. *Plin.* 10. *Ep.* 60. Enimvero si placeat fossam longius ducere et arctius depressam mari æquare, *etc. Vulgati libri habent* pressam. *Vitruv.* 8. 1. 6. *Schneid.* Quum hæc ita erunt pertentata –, tum deprimendus est puteus in eo loco. *Pompon. Dig.* 8. 4. 11. Deprimere, vel allevare rivum. — *b*) Speciatim est verbum proprium navium, quæ in mare demerguntur. *Cæs.* 2. *B. C.* 6. Quæ proximæ ei loco ex Bruti classe naves erant, in eas impeditas impetum faciunt, celeriterque ambas deprimunt. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 58. et 2. *ibid.* 43. *Nepos Con.* 4. Multas naves capit, complures deprimit. Adde *Tac.* 4. *Hist.* 79.; *Auct. B. Alex.* 11. et 17.; et *Aurel. Vict. vir. ill.* 41. *Sall.* apud *Gell.* 10. 26. Earum (*scapharum*) aliæ deprimebantur. *Auct. B. Alex.* 46. Depressa scapha. *Cic. pro leg. Manil.* 8. 11. Classis superata atque depressa. Cf. *Ovid.* 14. *Met.* 185. Et ne deprimeret fluctusve lapisve carinam. Et *Phædr.* 1. 20. Corium depressum in fluvio.

II.) Translate: ad rem *Cic. Pis.* 18. 41. Vos meam fortunam deprimitis, vestram extollitis. *Lucret.* 6. 52. Efficiunt animos humiles formidine divûm, Depressosque premunt ad terram. Cf. *Plin. Paneg.* 44. Rectos ac vividos animos contundere ac deprimere. *Cic. Cluent.* 65. 183. Multorum improbitate depressa veritas emergit. *Id. fragm.* apud *Lactant.* 3. 19. Deprimi in tenebras. *Id.* 7. *Verr.* 37. 98. Opes civitatis victæ, comminutæ, depressæ. *Liv.* 30. 36. Contemplato Carthaginis situ, non tam noscendi in præsentia, quam deprimendi hostis causa. *Id.* 2. 65., 34. 18. et 37. 53. Deprimere aliquem. *Seneca Ep.* 10. Vide, ne te ulla res deprimat. *Cic.* 3. *Herenn.* 1. 1. Causam admovere, aut deprimere. *Quintil.* 8. 3. 90. Elocutio attollit, aut deprimit. *Nepos Att.* 22. Deprimere preces alicujus. *Plin. Paneg.* 24. Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis. *Lucret.* 4. 549. Quum tuba depresso graviter sub murmure mugit. *Gell.* 1. 11. *a med.* Deprimere et sedare impetum vocis. *Spartian. Hadrian.* 5. Tumultum deprimere. *Ita fortasse legendum est pro reprimere, quod vulgati libri exhibent.* Et *Trebell. Poll. Gall. duob.* 1. Vitam alicujus deprimere. *h. e.* exstinguere. — Hinc Part. præter. pass., cujus superius exempla retulimus,

Depressus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Depressior* I. et II; et Sup. *Depressissimus* II.

I.) Proprie. *Tibull.* 4. 1. 44. Libra alterno depressior orbe. *Plin.* 9. *Ep.* 27. Tutius per plana, sed humilius et depressius iter. *Id.* 10. *ibid.* 58. Ædes multo depressior. *Frontin. Aquæd.* 65. Aquæductus depressior.

II.) Translate: ad rem *Seneca* 2. *Benef.* 13. Quo altius te sublevasti, hoc depressior es. *Cic.* 3. *Herenn.* 14. 24. Sedatissima et depressissima voce uti.

DĔPRĪVO, as, are, a. 1. omnino privo. *Gloss. Cyrill.* Στερίσκω, deprivo, privo, fraudo.

DĔPRŎCUL, adverb. procul, longe. *Plaut. Pers.* 4. 2. 6. Abscede deprocul e conspectu. *Al. rectius leg.* procul.

DĔPRÆLĬANS, antis, particip. ab inus. *deprælior*, valde præliens, decertans. *Horat.* 1. *Od.* 9. 10. ventos æquore fervido Deprælianties.

DĔPRŌMO, prōmis, prompsi *vel* promsi, promptum *vel* promtum, prōmere, a. 3. (de *et* promo). Part. *Depromptus* I. et II.; *Depropturus* et *Depromendus* II. — Depromo est promo, extraho, profero (It. *cavar fuori, spremere*; Fr. *tirer hors ou de, faire sortir de, prendre ou puiser dans*; Hisp. *tirar, sacar á fuera, extraer*; Germ. *aus etwas heraus –, irgend woher nehmen, holen, herbeischaffen, herausnehmen*; Angl. *to draw, take, or fetch out, draw forth*).

I.) Proprie. — *a*) Cum addito Ablat. et præpos., vel sine præpos. *Cic.* 2. *Off.* 15. 52. Pecunia ex arca depromitur. *Id. pro leg. Manil.* 13. 37. Deprompta ex ærario pecunia. *Horat.* 1. *Od.* 37. 5. Depromere cæcubum cellis. *Val. Flacc.* 5. 215. arma puppi. *Virg.* 5. *Æn.* 501. tela pharetris. *Id.* 11. *ibid.* 590. ultricem pharetra deprome sagittam. — *b*) Absolute. *Plaut. Trin.* 4. 2. 104. Depromere cibum. *Id. Truc.* 3. 1. 2. Bubus glandem prandio depromere. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 2. quæ mox depromere possim. *Id.* 1. *Od.* 9. 6. benignius Deprome quadrimum Sabina, o Taliarche, merum diota.

II.) Translate. — *a*) Cum addito Ablat. et præpos., vel sine præpos. *Cic.* 4. *Fin.* 4. 10. E locis, quasi thesauris, argumenta depromere. *Id.* 2. *Off.* 15. 52. Opera ex virtute depromitur. Cf. *eumd. Cluent.* 21. 58. *Id.* 13. *Fam.* 6. 2. Pollicitus sum, me ex intima nostra arte deprompturum mirificum genus commendationis. *Id.* 3. *Phil.* 6. 15. Maledicta deprompta ex recordatione impudicitiæ. *Id. initio Parad.* 1. Ex Stoicorum disputationibus, non ex meo sensu deprompta oratio. *Id.* 1. *Orat.* 46. 201. Depromenda sæpe oratio est ex jure civili. *Id.* 1. *ibid.* 57. 244. Aliquid de jure civili depromptum. *Id. ibid.* 59. 252. Juris utilitas vel a peritis, vel de libris depromi potest. *Id.* 5. *Verr.* 66. 155. Verba domo patroni depromere. *Val. Flacc.* 7. 450. Depromere sinu vires. — *b*) Jculariter *Plaut. Amph.* 1. 1. 4. Quid faciam, si tresviri me in carcerem compegerint? inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum?

DĔPROMPTUS *vel* depromtus, a, um. *V.* voc. præced.

DĔPRŎPĔRO, as, are, 1. (de *et* propero) valde propero, properanter facio, festino; et occurrit *A*) Neutrorum more, et *B*) Active.

A) Neutrorum more. *Plaut. Cas.* 3. 6. 17. Cito deproperate.

B) Active; et quidem — *a*) Cum Infinito. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 108. Prius deproperant sedulo sacrificare. — *b*) Cum Accusativo. *Horat.* 2. *Od.* 7. 24. Quis udo Deproperare apio coronas, Curatve myrto? *Sil. It.* 2. 265. Numidum furibunda cohors miserabile humandi Deproperat munus.

DĔPRŎPĔRUS, a, um, adject. qui deproperat, deproperans. *Cod. Theod.* 7. 1. 13. Ut nullus abluendo equorum sudore deproperus publicos oculos nudatus incestet. Adde *Cod.* 12. 36. 13.

DEPROPINQUO, as, are, n. 1. valde appropinquo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 104.

DEPSITICIUS *vel* depsititius. *V.* DEPSTICIUS.

DEPSO, psis, psui, pstum, psere, a. 3. δεψέω. — Part. *Depstus* I. — Depso est subigo, macero, tractando, premendo et madefaciendo mollem ac tenerum reddo, v. gr. panem: a voce Græca allata (It. *gramolare*; Fr. *pétrir, broyer*; Hisp. *amasar, majar, moler*; Germ. *kneten*; Angl. *to knead or mould*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 90. Id ubi excoxeris, depsito bene: oleo manum unguito, postea magis depses. *Id. ibid.* 76. Ubi depsueris, *etc. Id. ibid.* 135. Coria recentia, quæ depsta sient. *Id. ibid.* 40. Luto depsto stirpem oblinito. Adde *eumd. ibid.* 41. *Varro* apud *Non.* p. 99. 14. *Merc.* Sed tibi fortasse alius molit et depsit.

II.) Translate habuit etiam obscenum sensum, ut significat *Cic.* 9. *Fam.* 22.

DEPSTĪCIUS *vel*

DEPSTĪTĬUS, a, um, adject. *V.* TESTICIUS.

DEPSTUS, a, um. *V.* DEPSO.

DĔPŪBEM porcum lactentem, qui prohibitus sit pubes fieri. *Paul. Diac.* p. 71. 23. *Müll.* Sic *Gloss. Isid.* Depubis, porcus sugens.

DĔPŪDESCO, escis, escere, n. 3. inchoat. a *de* et *pudeo*, idem quod pudere, vel valde pudere. *Apul.* 10. *Met.* p. 253. Priusquam infamia publici specta-

culi depudescerem. *Hieronym. ad Eustoch.* Depudescere infelicitatis. *V.* et DERUBESCO.

DĒPŪDET, pŭdebat, pŭduit, pŭdere, impers. 2. (de *et* pudet) duo diversa significat, prout *A*) Particula *de* intensiva est, aut *B*) Actionis finem significat.

A) Quum particula *de* est intensiva depudet est idem quod valde pudet. *Vellej.* 2. 73. *extr.* Quum eum non depuderet, vindicatum armis patris sui mare infestare piraticis sceleribus.

B) Quum particula *de* actionis finem significat, depudet est pudere desinit. *Ovid. Heroid.* 4. 155. Depuduit, profugusque pudor sua signa reliquit. *Id.* 3. *Amor.* 11. 4. Et quæ depuduit ferre, tulisse pudet. *Seneca Const. Sap.* 17. Assiduis conviciis depudere didicerat.

DĒPŪDĪCO, as, are, a. 1. (de *et* pudicus) violo, stupro, pudicitiam aufero. Enumeratur a *Gell.* 16. 7. inter verba, quæ *Laberius* in *Mimis* prælicenter finxit.

DĒPUGNĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod pugna, certamen, depugnandi actus.

I.) Proprie. *Cato* apud *Non. p.* 204. 32. *Merc.* Una depugnatio est fronte longa, quadro exercitu. *Al. leg.* repugnatio. At *Veget.* 3. *Milit.* 20., ubi eadem Catonis verba recitat, habet non semel *depugnatio.* — A *Tertull. Spectac.* 18. accipitur pro certamine pugnis facto.

II.) Translate. *Firmic.* 4. *Mathes. præfat.* Forensium certaminum depugnationibus liberatus.

DĒPUGNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒPUGNO, as, āvi, ātum, are, 1. (de *et* pugno) — *Depugnarier* paragoge pro *depugnari* est *Plauti Cas.* 2. 5. 36. — Part. *Depugnatus* et *Depugnandus* sub *B*; *Depugnaturus* sub *A.* 1. 2. — Depugno est idem quod pugno, aut acriter pugno, de tota re dimicare sum paratus, certo, contendo (It. *combattere, contrastare*; Fr. *combattre à la vie et à la mort, se battre avec acharnement, lutter*; Hisp. *combatir, pelear, luchar con animosidad*; Germ. *mit Nachdruck heftig kämpfen, fechten, streiten*; Angl. *to fight eagerly, fight it out, contend, engage*). Porro usurpatur *A*) Neutrorum more, et *B*) Active.

A) Neutrorum more; et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. In re militari de exercitibus. *Plaut. Cas.* 2. 5. 41. Collatis signis depugnabimus. *Lucret.* 4. 1012. Multi depugnant. *Cæs.* 7. *B. G.* 28. Acie instructa depugnare. *Cic.* 6. *Fam.* 4. Magnæ utrimque copiæ ita paratæ ad depugnandum esse dicuntur, ut etc. *Nepos Themist.* 1. Hoc eo valebat, ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur. *Liv.* 10. 37. Depugnare haud procul mœnibus. *Id.* 34. 46. Cum Gallis, signis collatis, depugnavit. Adde *eumd.* 6. 3., 27. 48. et 40. 34. *Frontin.* 2. *Strateg.* 4. 6. Adversus Teutonos depugnare. *Plin.* 7. *Hist. Nat.* 56. 57. (209). Classe princeps depugnavit Minos. — Passive impersonaliter. *Plaut. Cas.* 2. 5. 33. Necessum est versis gladiis depugnarier. *Cic.* 16. *Att.* 11. *a med.* Kal. Jan. erit fortasse præsidio: aut quidem ante depugnabitur. *Liv.* 9. 39. Et cum Umbrorum exercitu acie depugnatum est. ¶ 2. De duobus inter se pugnantibus. *Cic.* 4. *Tusc.* 22. 49. Cum Ajax depugnaturus esset cum Hectore. Adde *eumd.* 2. *Fin.* 22. 73.; et *Sueton. Cæs.* 39. et *Cal.* 14. — Hinc etiam de gladiatoribus et bestiariis. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 41. Cum sontes ferro depugnabant. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 32. 3. Cum depressus in ludum bis gratis depugnasset. *In Tab. æn.* apud *Mazoch. Tabul. Heracl. p.* 423. Qui depugnandi causa auctoratus est. Adde *Quintil.* 8. 5. 12. *Ulp. Digest.* 3. 1. 1. § 6. Depugnare cum bestiis. — Occurrit etiam cum Accusat. *Ennius* apud *Festum p.* 317. 13. *Müll.* Nam vi depugnare sues stolidi soliti sunt. *Ulp. Dig.* 3. 1. 1. Depugnare feram, quæ regioni nocet. *Modestin. ibid.* 48. 8. 11. Ad bestias depugnandas servos tradere.

II.) Improprie. *Plaut. Stich.* 4. 2. 47. Depugnare cum fame. *Id. Trin.* 2. 2. 24. Cum animo suo. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 46. 140. Voluptas depugnat cum honestate. *Sil. It.* 10. 475. morti. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 8. 22. (46) *de coloribus.* Paria nunc componuntur, et natura atque luxuria depugnant. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 184. et depugnare parati Si discordet eques etc.

B) Active *depugnare prælium* est prælium ad finem adducere. *Plaut. Men.* 5. 6. 31. Ne sero veniam depugnato prælio. — Alia significatione *V.* supra sub *A.* I. 2. in fin.

DĒPULPO, ἀποσαρκῶ. *Gloss. Lat. Græc.*

DĒPULSĬO, ōnis, f. 3. actus depellendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Fin.* 13. 41. Depulsione mali. Cf. *Nazar. Paneg. Const.* 8. Rursus *Cic.* 8. *Phil.* 4. 12. Quæ causa justior est belli gerendi, quam servitutis depulsio? *Id.* 5. *Fin.* 7. 17. Depulsio doloris. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores est defensio et refutatio, qua quis crimina sibi objecta depellit. *Cic.* 2. *Invent.* 26. 79. Intentio est, injuria sororem occidisti: depulsio est, jure occidi: quæstio est, jure ne occiderit. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 10. 13., *Cels.* apud *Quintil.* 3. 6. 13., *Quintil.* 3. 6. 17., 6. 4. 2., et 8. *proœm.* 9.

II.) Improprie est occasus. *Cic. Tim.* 14. Supina etiam ora cernuntur depulsione luminum; quæ convertens inferiora reddit, quæ sunt superiora.

DĒPULSO, as, are, a. 1. *frequentat. a* depello. *Plaut. Stich.* 2. 1. 13. Cubitis depulsa de via, tranquillam concinna viam.

DĒPULSOR, ōris, m. 3. ¶ 1. Generatim est qui depellit. *Cic.* 2. *Phil.* 11. 27. Depulsor dominatus, quam particeps esse maluit. ¶ 2. Speciatim est epithetum Jovis, ut averruncus, custos, conservator. *Inscript.* apud *Gruter.* 20. 3., ubi perperam legitur *depulsor aul.* pro *depulsor mal.* h. e. malorum, apprime respondet Græcorum ἀλεξίκακος, ut ex *Hagembuchio* recte habet *Orell.* n. 2232., et apud *Murat.* 9. 8. et 1977. 4. et 5.

DĒPULSŌRĬUS, a, um, adject. ad depellendum, seu avertendum pertinens, ut *Depulsoria sacra*, quibus deorum ira placatur et mala avertuntur. *Ammian.* 25. 2. Numinibus per sacra depulsoria supplicans. *Plin.* quoque 28. *Hist. nat.* 2. 3. (11). *depulsoria* hæc sacra commemorat. *V.* DEPELLO.

DĒPULSUS, a, um. *V.* DEPELLO.

DĒPULTUS, a, um. *V.* DEPELLO.

DĒPULVĔRANS, antis, particip. ab inusit. *depulvero.* pulverem excutiens. Occurrit translate tantum *In Supposit. Aulular. Plauti* 3. 25. Luctum depulverans meum. *h. e.* abstergens.

DĒPUNGO, is, ere, a. 3. (de *et* pungo) idem quod pungo. Figurate *Pers.* 6. 79. Depunge, ubi sistam. *h. e.* indica, assigna locum, ubi sistam: ducta metaphora a libra, in qua certum pondus punctis notatur; vel a pictura, in qua spatii seu luci limites punctis æque notantur. Al. leg. *depinge.* — Apud *Tertull.* quoque 2. *advers. Marcion.* 7. legitur a quibusdam (nam alii *depingo*), alia tamen et satis obscura, raraque admodum significatione.

DĒPŪRĀTUS, a, um. *V.* DEPURO.

DĒPURGĀTĬO, ōnis, f. 3. eadem ac purgatio vel expurgatio. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. Synanchicis convenit sanguinis detractio atque ventris depurgatio. *Id. ibid.* 21. Post depurgationem corruptorum.

DĒPURGĀTĪVUS, a, um, adject. ad purgationem pertinens, qui purgat. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 16. Depurgativæ virtutis esse.

DĒPURGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒPURGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* purgo). Part. *Depurgatus* et *Depurgandus* I. — Depurgo est idem quod purgo, aut probe purgo.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 112. Si qua acina corrupta erunt, depurgato. *Id. ibid.* 151. Terram depurgato ab herba graminibusque. *Plaut. Stich.* 2. 2. 35. Depurgare pisces. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 13. Aperire alvos, et depurgare quidquid immundi est. *Id.* 12. *ibid.* 9. 1. Caules lactucæ ab imo depurgati. *Cassiod.* 9. *Variar.* 3. *de auri fossorib.* Rivos (*auri*) de flamma venientes tanto igne depurgant, quousque pulcritudinem suam prodant. *Theod. Priscian.* 2. *part.* 2. 10. Hippocrates vero nucleos cum galbano et melle Attico — ad depurganda vulnera dari præcepit.

II.) Translate *depurgare crimina*, h. e. diluere, aut excusare, est qui legit apud *Liv.* 39. 35., sed plerique alii *purgare.*

DĒPŪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* purus). Part. *Depuratus.* — Depuro est purum facio. Auctorem huic verbo sunt qui attribuant *Frontin. Aquæduct.* 93. Seu quia Anio, lacus altitudine, in quo excipitur, velut depuratur. ubi codices MSS. habent *defæcatur*, teste *Poleno*: sunt qui alium *Frontin. de limit. agror.*, sed hic quoque locus valde suspectæ fidei est. — Certior est lectio Part. præter. pass. *Depuratus* apud *Musam Compos.* 2. Amygdalarum amararum depuratarum drachmæ VII.

DĒPŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. assignatio, destinatio. *Cassiod.* 2. *Variar.* 16. In tertiarum deputatione.

DĒPŪTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒPŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* puto). Part. *Deputatus* sub *A.* 1. et *B.* 2.; *Deputandus* sub *A.* 1. — Deputo duo diversa significat, scilicet

A) In re agraria est idem quod puto, hoc est cædo, seco, amputo, abscindo (It. *tagliar via, potare*; Fr. *enlever en coupant, tailler*; Hisp. *cortar, tajar*; Germ. *beschneiden, abschneiden*; Angl. *to prune cut, or lop off*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 49. Vineam primum deputato, binas gemmas, ne amplius, relinquito. Adde *eumd. ibid.* 50. et *Colum.* 4. *R. R.* 23. 2. *Id. Colum.* 3. *ibid.* 10. 19. Malleolus deputatus et in terram depositus. *Id.* 4. *ibid.* 7. 1. Palmites falce deputandi. *Id.* 11. *ibid.* 2. 32. Deputare arbores.

II.) Translate. *Ovid. de Nuce* 63. Falx deputat umbras. *h. e.* ramos umbrantes.

B) Item est idem quod puto, hoc est censeo, existimo, judico: quam significationem nonnulli translatam volunt a superiore: *V.* PUTO. (It. *pensare, stimare*; Fr. *estimer, calculer, compter, regarder comme, juger*; Hisp. *estimar, reputar, juzgar*; Germ. *abschätzen, für etwas halten, schätzen*; Angl. *to imagine, esteem, consider, think, judge*). Usurpatur ¶ 1. Cum Accusativo, aut cum Accusativo et Infinito — *a*) Et quidem absolute pro censere, judicare. *Plaut. Trin.* 3. 3. 19. Vide si hoc utibile magis atque in rem deputas, ut adeam Lesbonicum. *Ter. Heaut.* 1. 1. 83. et apud *Cic.* 3. *Tusc.* 27. 65. Deputare se dignum quovis malo. Adde *Plaut. Amph.* 1. 1. 6. et *Ter. Hecyr.* 3. 5. 27. *Id. Ter. Hecyr.* 5. 3. 1. Deputare parvi pretii operam alicujus. *Id. ibid.* 1. 1. 9. Tun' virum me, aut hominem deputas adeo esse? *Id. Phorm.* 2. 1. 16. Quidquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 45. Quem tu esse hebetem deputas æque ac pecus. — Apud *Ter. Adelph.* 2. 1. *extr.* pro *deputare secum rationes* plerique leg. *putare.* — *b*) Cum Dativo rei, quemadmodum verbum *ducere* et similia. *Tertull. de Pænit.* 3. Deputare aliquid delicto. *Vopisc. Flor.* 1. omini. *h. e.* pro delicto, pro omine. Rursus *Tertull. Apolog.* 13. Dii veteres vobis contumeliam deputabunt. *h. e.* putabunt contumeliam a vobis accepisse. ¶ 2. Cum Dativo personæ, *deputare aliquem* aut *aliquid alicui*, est destinare. *Pallad.* 12. *R. R.* 11. *extr.* Atque ita solum, quod huic generi deputabis, implere. *Id.* 4. *ibid.* 11. 6. Deputare aliquem laboribus et aratro. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 10. 1. et 8. *ibid.* 12. *Vopisc. Tac.* 10. aliquem sartis tectis. *Sever. Sulpic.* 1. *Hist. sacr.* 53. Turba colendis agris deputata. *Inscript.* apud *Gruter.* 1028. 2., quæ est apud *Orell.* 3100. L. PETRONIO L. F. SAB. TAVRO VOLVSIANO CENTVRIONI DEPVTATO etc. *h. e.* aliquo gradu supra ceteros centuriones ad honoratiora munia exsequenda deputato. Hæc inscriptio pertinet ad ann. a Chr. n. 261. *Alia* apud *Orell.* 3329., quæ pertinet ad ann. a Chr. n. 379.-383. CVRANTE FL. ASTERIO DEPVTATO. *Macrob.* 7. *Saturn.* 14. Ad deputatam sibi a natura sedem proprii sensus recurrunt. *Lamprid. Alex. Sev.* 20. Deputare vectigalia civitatibus. Adde *Vopisc. Prob.* 5. et *Car.* 21.; *Trebell. Poll. Gall. duob.* 9. et *Claud.* 11.; et *Capitolin. Clod. Alb.* 5. — Similiter *Sulpic. Sever.* 2. *Hist. sacr.* 7. Accusatores deputari leonibus præcepit. *h. e.* damnari. Eodem sensu cum Accus. et præpos. *ad. Capitolin. Macr.* 12. Deputare servos ad gladium ludi. Et *Trebell. Poll. XXX. Tyr.* 29. Deputare vitam leonibus. *h. e.* concedere, committere.

DĒPUVĔRE cædere. Lucilius: *Palmisque misellam depuvit me*, id est verberavit me, quod ipsum ex Græco ἀπὸ τοῦ παίειν. Hæc *Paul. Diac. p.* 70. 3. *Müll.* Est autem a *pavio*, unde *pavimentum.* V. etiam OBPUVIAT.

DĒPȲGIS, e, adject. ἄπυγος. Scribitur et *depugis.* — Depygis est qui macras et exiles nates habet: a *de* et *pyga. Horat.* 1. *Sat.* 2. 93. Depygis, nasuta, brevi latere, ac pede longo est. Sic eod. sensu *Id. Epod.* 8. 5. Hietque turpis inter aridas nates Podex.

DĒQUE, adverb. *V.* SUSQUE DEQUE. — Apud veteres *deque* vim habuit minuendi et remittendi, ut docet *Gell.* 10. 29.

DĒQUESTUS, a, um, particip. ab inusit. *dequeror*, valde questus. *Val. Flacc.* 5. 448. omnes secum dequesta labores. *Stat.* 11. *Theb.* 627. Talia dequestus. *Id.* 1. *ibid.* 404. dequestus et imbres.

DĒRĀDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (de *et* rado).

Part. *Derasus* 1. et 2.; *Deradendus* 1. — Derado est radendo aufero, abrado. ¶ 1. Stricto sensu. *Cato R. R.* 121. De virga lauri deradito. *Gell.* 7. 20. Poetam offensum, nomen urbis eorum, quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse. *Id.* 17. 9. 17. Legebamus, eum ceram derasisse, litterasque incolumes ligno incisas legisse. *Cels.* 5. 26. Sed ne illa quidem negligenda, ubi interior pars collisa, aut ubi derasum detritumve aliquid est. *Id.* 8. 4. Atramentum scalpro deradendum. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 24. (75). Humor specillis derasus. *Id.* 20. *ibid.* 2. 6. (12). Derasus cortex. *Alter Plin.* 8. *Ep.* 20. 5. Deradere marginem. *Martial.* 8. 33. An magis astuti derasa est ungue ministri Brattea? ¶ 2. Latiori sensu de capitiis dicitur, et est curtare. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 31. (109). Derasum caput. Cf. *Gell.* 17. 9. 22. Servo suo capillum ex capite omni deradit. — Ceterum *V.* DIRADO.

DĒRĀSUS, a, um. *V.* voc. præced.

DERBIŌSUS, a, um, adject. Idem videtur esse ac gramiosus. *Theod. Priscian.* 1. 10. *ante med.* Derbiosos oculos, quos nos impetiginosos dicimus, asperitatum vitiis laborantes sic curare consuevimus.

DERCĒA, æ, f. 1. herba Apollinaris, solani species, δέρκαια. *Apul. Herb.* 22.

DĒRĔLICTĬO, ōnis, f. 3. actus derelinquendi. *Cic.* 3. *Off.* 6. 30. Sed communis utilitatis derelictio contra naturam est.

DĒRĔLICTUS, a, um. *V.* DERELINQUO.

DĒRĔLICTUS, us, m. 4. derelictio. *Gell.* 4. 12. Sive quis arborem suam vineamque habuerit derelictui.

DĒRĔLINQUO, linquis, liqui, lictum, linquere, a. 3. (de, re *et* linquo). Part. *Derelictus* 1. et 2.; *Derelinquendus* 1. — Derelinquere est prorsus seu in totum relinquere, deserere (It. *abbandonare*; Fr. *abandonner entièrement, délaisser*; Hisp. *abandonar, dexar*; Germ. *etwas oder Jmdn durch gänzliche Trennung verlassen, im Stiche lassen*; Angl. *to abandon, leave, forsake, desert*). ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Truc.* 4. 4. 14. Ut me quasi pro derelicta sis habiturus. *Id. Capt.* 2. 3. 75. Me servum pro te derelinqueris. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Naves ab æstu derelictæ. *Cic. Brut.* 4. 16. Serere in inculto et derelicto solo. *Id.* 5. *Verr.* 51. 120. Totas orationes derelinquere. *Id.* 1. *Cat.* 10. 25. Homines perditi atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelicti. *Id.* 8. *Att.* 1. Hæc oppida atque oram maritimam ille pro derelicto habet. *Id. Cæcin.* 35. 103. Derelinquo jam communem causam. *Liv.* 39. 50. Castra — derelicta. Adde *eumd.* 37. 8. et 10. 17. *Sall. Jug.* 5. Quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum dereliquerat. *Curt.* 9. 4. 8. Arx erat oppidi intacta, in qua præsidium dereliquit. *Capitolin. Ant. Phil.* 18. Derelinquere filium. *Trebell. Poll.* xxx. *Tyr.* 12. Indignos se posteros dereliquit. *Id. ibid.* Utrumque crbus in Oriente derelictis. *Justin.* 8. 5. Loca derelinquenda. — *In derelicto esse. V.* DEPERDO. ¶ 2. Latiori sensu, et apud sequioris ævi scriptores, est relinquere morte, legato, aut testamento. *Arnob.* 5. 8. Varro in liberorum quatuor primo, quos de gente conscriptos R. populi dereliquit. *Hieronym. Ep.* 108. n. 30. Ne unum quidem nummum ab ea filiæ derelictum, sed derelictum magnum æs alienum.

DĒRĔPENTE, adverb. Una vox est, ut *defessus*, neque divisim scribi potest: quia si separaveris, non est Latina, inquit *Donatus* ad *Ter. Hecyr.* 4. 1. 3. infra cit. — Ceterum *derepente* proprie est ab ordinario et consueto rerum cursu ex improviso declinando ac devertendo: hinc repente, desubito. *Ennius* apud *Non. p.* 518. 20. *Merc.* Derepente contulit sese in pedes. *Plaut. Most.* 2. 2. 57. Atque ille exclamat derepente maximum. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 3. Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam. *Id. ibid. v.* 39. Si is posset ab ea sese derepente avellere, quicum tot consuesset annos. Adde *Turpilium, Afranium, Accium, Novium, Pomponium* et *Varron.* apud *Non. p.* 518. 3. et seqq. *Merc. Cic. Ligar.* 5. 14. Si quum hoc domi faceremus, tu derepente irrupisses. Adde *Vet. Poetam* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 36.; et *Liv.* 21. 41. *Tac.* 1. *Hist.* 63. Raptis derepente armis. Adde *Sueton. Tib.* 23. et *Vesp.* 23.

DĒRĔPENTĪNO, adverb., quod rectius tamen divisim scribas, idem quod derepente. *Apul. Florid.* n. 16. Quid derepentino distulerit. *et ibid.* 23. Sententia derepentino oborta est.

DĒRĒPO, pis, psi, ptum, pere, 3. (de *et* repo). Est qui apud *Phædr.* et *Apul.* legit *direpo*, minus recte tamen. — Derepo est deorsum repo. — *a*) Neutrorum more. *Phædr.* 2. 4. Derepit ad cubile setosæ suis. *Varro* apud *Non. p.* 544. 29. *Merc.* Non vides, ipsos deos, si quando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana? Sic *Apul.* 4. *Met.* Ibi cum singuli derepsissent. — *b*) Cum Accusativo. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (130) *de ursis.* Ingrediuntur et bipedes: arborem aversi derepunt.

DĒREPTUS, a, um. *V.* DERIPIO.

DĒRĪDĔO, des, si, sum, dere, a. 2. (de *et* rideo). Part. *Derisus* et *Deridendus* sub *b.* — Derideo est valde rideo, cum contemptu rideo (It. *beffare, deridere*; Fr. *rire, se moquer de, railler*; Hisp. *reir, burlar, burlarse*; Germ. *auslachen, verlachen, verspotten*; Angl. *to laugh at, deride, laugh to scorn*). Occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Epid.* 2. 2. 76. EP. Vos priores esse oportet, nos posterius dicere, qui plus sapitis. AP. Eja vero, age dic. EP. At deridebitis. AP. Non edepol faciemus. — Sic in familiari sermone *derides* est jocaris, mei ludibrium facis: quo sensu occurrit apud *Plaut. Bacch.* 4. 9. 87. et *Amph.* 3. 3. 8.; et *Ter. Adelph.* 5. 3. 66. Cf. *Id. Ter. Eun.* 5. 2. 20. Conservam? vix me contineo, quin involem in capillum. monstrum! etiam ultro derisum advenit. — Similiter *derides* est vox fidem negantis apud *Varron.* 3. *R. R.* 2. 15. Quid? sexaginta! inquit Axius. LX! LX! derides. *Sexaginta*, inquam. — Ceterum *Quintil.* 11. 1. 21. Ambitiosum gloriandi genus est, etiam deridere. *Id.* 5. 13. 2. Cum patronus derideat. — *b*) Cum Accusativo. *Plaut. Bacch.* 3. 4. 7. Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat. *Id. Aulul.* 2. 2. 46. Neque edepol ego te derisum venio, neque derideo. Adde *eumd. Pseud.* 4. 5. 8. et *Bacch.* 5. 2. 8. *Cic.* 3. *Orat.* 14. 54. Quare omnes istos, me auctore, deridete atque contemnite. Cf. *Id.* 5. *Verr.* 92. 215. Derisum beneficium atque contemptum. *Id. Opt. gen. orat.* 4. 11. Quum aut non adhibeantur ad causas, aut adhibiti derideantur. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 51. hoc te Crede modo insanum. nihilo ut sapientior ille, Qui te deridet, caudam trahat. *Id.* 2. *Ep.* 1. 262. Discit enim citius meminitque libentius illud, Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur. *Phædr.* 3. 14. Derisor potius, quam deridendus senex. *Juvenal.* 2. 23. Deridere loripedem. *Sueton. Claud.* 4. Et illum et nos deridendi materia. *Id. Rhet.* 2. Deridens, ut inflatum, ac levem et sordidum. *Justin.* 9. 2. 10. Quibus derisus Philippus.

DĒRĪDĬCŬLUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

DĒRĪDĬCŬLUS, a, um, adject. valde ridiculus. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 14. Is deridiculus est, quaqua incedit, omnibus. *Varro* 1. *R. R.* 16. 5. Sequetur, ut duo villicos et duas villicas habeat: quod est deridiculum. Adde *Lucret.* 3. 778.; et *Liv.* 39. 26. *Gell.* 13. 30. Deridiculum esse in legendo. *Id.* 2. 2. Deridiculos versus facere. — Hinc

Deridiculum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est derisio, irrisio, res deridicula. *Plaut. Amph.* 2. 2. 50. Quid tu me deridiculi gratia sic salutas? *Id. Pseud.* 4. 5. 7. Verba alicui per deridiculum dare. *Ter. Heaut.* 5. 1. 79. Putare sibi aliquem pro deridiculo et delectamento. *Tac.* 3. *Ann.* 57. Esse deridiculo. *Id.* 12. *ibid.* 49. Julius Pelignus ignavi animi et deridiculo corporis juxta despiciendus. *Quintil.* 1. 8. 21. Quod evenit — usque ad deridiculum.

DĒRĬGĔO, es, ere, n. 2. (de *et* rigeo) rigorem tollo, emollio. *Commodian.* 72. 8. Blandus enim sermo, proverbium nosti, deriget. *scilicet* respicit ad *Proverb.* 15. 1. Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem.

DĒRĬGESCO, rigescis, rigui, rigescere, *inchoat.* n. 2. (de *et* rigesco). *Forcellinus* pro *derigesco* legit *dirigesco* vel potius *dirigeo*; variantem tamen lectionem sæpe adnotavit. — Extra præteritum tempus, nullus est, quod sciam, hujus verbi usus. — Derigesco est idem quod rigeo, præ frigore metuve durus, rigidus, immobilis fio. *Virg.* 3. *Æn.* 259. At sociis subita gelidus formidine sanguis Deriguit. *Id.* 7. *ibid.* 446. subitus tremor occupat artus: Deriguere oculi. Adde *Ovid.* 14. *Met.* 754. Est autem hoc mentis extra se positæ, stuporis et insaniæ signum. Hinc apud *Plaut.* medicus eum, quem insanum suspicatur, ita interrogat, *Men.* 5. 5. 24. Dic mihi: solent tibi unquam oculi duri fieri? *Ovid.* 3. *Fast.* 332. hirsutæ deriguere comæ. *Id.* 5. *Met.* 232. conanti sua flectere lumina cervix Deriguit, saxoque oculorum induruit humor. *Id.* 7. *ibid.* 116. Deriguere metu Minyæ. *Id.* 1. *ibid.* 303. Deriguitque malis (*Niobe*). *Id.* 5. *ibid.* 185. inque petendo Dextera deriguit, nec citra mota nec ultra. *Lucan.* 3. 617. Deriguitque manus strictis immortua nervis. *Quintil.* 12. *Declam.* 8. Subiit furor et alienatio mentis, et tota sui arbitrii fames facta est: animus malis deriguerat, etc. *h. e.* obcalluerat, nec amplius sentiebat.

DĒRĬGO, rigis, rexi, rigere, a. 3. deorsum rego. Legitur a nonnullis apud *Lucret.* 6. 823., ubi alii *dirigo*. Apud *Silium* quoque, non uno in loco, eadem lectionis varietas est. At profecto *derexerat* legitur in *Inscript.*, quam vide in DERIVO.

DĒRĪPĬO, ripis, ripui, reptum, ripere, a. 3. (de *et* rapio). Pro *dereptus* ubique alii leg. *direptus*: sed certius leges *dereptus*, quoties deorsum rapiendi actio significatur. — Ceterum Part. *Dereptus* I. et II. — Deripio est deorsum rapio, detraho, et plerumque cum aliqua festinatione (It. *tirar giù, staccare*; Fr. *arracher, enlever, entrainer*; Hisp. *arrancar, tirar con fuerza, alzar*; Germ. *von oben abreissen, herunter —, herab —, fort —, wegreissen*; Angl. *to take or pull down, snatch or take away*).

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 3. 5. 5. Capillo aliquem de ara deripere. Cf. *eumd. Men.* 5. 2. 117. et adde *eumd. Aulul.* 4. 10. 18. *Lucret.* 4. 35. Quæ quasi membranæ summo de corpore rerum Dereptæ volitant ultro citroque per auras. *Ovid.* 9. *Met.* 637. Deripere vestem a pectore. *Id.* 6. *ibid.* 567. velamina ex humeris. *Tac.* 1. *Ann.* 35. ferrum a latere. *Tibull.* 1. 10. 60. e cælo deripit ille deos. *Horat.* 1. *Od.* 9. 23. Pignus dereptum lacertis. Adde *eumd. Epod.* 5. 46. *Id. Epod.* 17. 77. polo deripere lunam vocibus possum meis. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 12. Dereptus cortex. Adde *eumd. ibid.* 5. 13. *Id. ibid.* 18. Derepta acus. *Id.* 3. *Met.* 52. leonis pellis. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 475. et 15. *ibid.* 301. *Sil. It.* 10. 600. arma templis. *Id.* 10. 319. ore frena. *Id.* 12. 308. monilia collo. *Id.* 11. 377. viris exuvias. *Id.* 9. 29. pugnantum dextras. *Val. Flacc.* 2. 160. plaustro derepta nurus. *Tac.* 1. *Ann.* 20. Deripere aliquem vehiculo. *Id.* 2. *ibid.* 45. spolia Romanis. *Horat.* 3. *Od.* 5. 19. et arma Militibus sine cæde, dixi, Derepta vidi. *Id.* 4. *ibid.* 15. 6. Et signa nostro restituit Jovi Derepta Parthorum superbis Postibus. *Virg.* 11. *Æn.* 193. spolia occisis derepta Latinis.

II.) Translate. *Cic. Sull.* 1. 2. Quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum de hujus præsidiis deminuturum. *h. e.* detraxisset. Male qui leg. *diripuisset*. *Id.* 1. *Fin.* 13. 43. Terroribus cupiditatibusque detractis, et omnium falsarum opinionum temeritate derepta.

DĒRĪSĬO, ōnis, f. 3. *Arnob.* 7. 33. Derisionis materia. *Lactant.* 4. 18. ex *Esdra.* Eritis derisio in gentibus.

DĒRĪSOR, ōris, m. 3. qui deridet. ¶ 1. Generatim est qui cum contemptu ridet. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 53. Numquid de Dacis audisti? Nil equidem. Ut tu Semper eris derisor. *Id. Art. P.* 431. Ut qui conducti plorant in funere dicunt Et faciunt prope plura dolentibus ex animo; sic Derisor vero plus laudatore movetur. *Forcellinus* hoc loco pro adulatore accepit, et quidem recte, dummodo adulator intelligatur, qui simul contemnat ac derideat. *Sueton. Cal.* 38. Quum jam et ab ignotis inter familiares et a parentibus inter liberos palam heres nuncuparetur, derisores vocabat, quod post nuncupationem vivere perseverarent. *Quintil.* 3. 8. 51. Denique superstitiosi, timidi, derisores fiunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 52. 114. (275). Supercilia quibus juxta tempora inflexa, derisores significant. *Juvenal.* 6. 534. Anubis derisor populi. — Et latiori significatione pro mimo. *Martial.* 1. 5. Qua Thymelen spectas derisoremque Latinum. *Inscript.* apud *Orell.* 4926. D. M. FLA. CRISERUS COCCEIVS DERISOR SE BIB. COMPAR. SIBI ET SV. *Orellio* τὸ *derisor* histrionis videtur genus. ¶ 2. Speciatim derisores dicuntur conviviorum scurræ. *Plaut. Capt.* 1. 1. 3. Quia invocatus esse soleo in convivio, scio, absurde dictum hoc derisores dicere. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 10. Alter in obsequium plus æquo pronus et imi Derisor lecti. Cf. *Seneca Ep.* 27. Quadratus stultorum divitum arro-

sor, et quod sequitur arrisor, et quod duobus his adjunctum est, derisor. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

DĒRĪSŌRĬUS, a, um, adject. ad deridendum pertinens. *Martian. Dig.* 28. 7. 14. Conditiones, quæ contra bonos mores, vel derisoriæ sunt, pro non scriptis habentur.

DĒRĪSUS, a, um. *V.* DERIDEO.

DĒRĪSUS, us, m. 4. idem quod derisio. *Phædr.* 5. 7. Facile ad derisum stulta levitas ducitur. *Quintil.* 6. 3. 7. A derisu non procul abest risus. Adde *eumd.* 6. 2. 15., 8. 6. 59. et 11. 30. 80. *Seneca præfat. l.* 4. *Controv. Excerpt.* Incidere in ea, quæ derisum fugere non possunt. *Id. Ep.* 76. Mihi contingat iste derisus. *Sueton. Tib.* 70. Maxime curavit notitiam historiæ fabularis, usque ad ineptias et derisum. *Tac. Agric.* 39. Derisui esse.

DĒRĪVĀTĬO, ōnis, f. 3. actus derivandi, deductio rivi.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Off.* 4. 14. Deductus aquarum, derivationes fluminum. *Liv.* 5. 15. Albani lacus derivatio.

II.). Translate. ¶ 1. Generatim. *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Hunc esse fructum legendi, quæ maxime inter aliorum dicta mireris, in aliquem usum tuum opportuna derivatione convertere. ¶ 2. Speciatim apud Grammaticos derivationes nominum et verborum sunt eorum inflexiones, quum v. gr. ex uno nomine fit aliud, ut a *bonus bonitas*, a *lego lectito*. Has septem modis fieri, docet *Diomed.* 1. *p.* 310. *Putsch.*: aut enim nomina, quæ derivantur, patronymica sunt, ut *Peleus Pelides*; aut possessiva, ut *Peleius*; aut paronymica, ut *equus eques*; aut verbalia, ut *dico dictio*; aut comparativa, ut *fortis fortior*; aut superlativa, ut *fortissimus*; aut denique deminutiva, ut *homo homunculus*. *Plin.* apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 706. Derivationes firmas non habent regulas, sed exeunt prout auctoribus placet. *Paul. Dig.* 50. 16. 57. Magistratus per derivationem a magistris cognominantur. Adde *Charis. p.* 73. *Putsch.* ¶ 3. Item speciatim apud Rhetores *derivatio* dicitur quum ab uno sensu ad vicinum et similem oratio deducitur. *Quintil.* 3. 7. 25. Quia est quædam virtutibus ac vitiis vicinitas, utendum proxima derivatione verborum, ut pro *temerario fortem*, pro *prodigo liberalem*, pro *avaro parcum* vocemus.

DĒRĪVĀTĪVUS, a, um, adject. qui ab alio derivatus, vel deductus est. — *a*) Generatim. *Ambros.* 3. *Hexæm.* 2. Quis ignorat, quod plerumque etiam canalibus manu artificis derivativa (*aqua*), quantum descenderit, tantum rursus ascendat? — *b*) Speciatim locum habet in re grammatica, ut derivativum nomen, et verbum. *Priscian.* 2. *p.* 593. *Putsch.* Nomina propria in *ium* desinentia, si faciant derivativa in *us* terminantia, *i* longam habebunt pænultimam, ut *Opitergium*, *Opiterginus*, *Canusium Canusinus*. *Id.* 8. *p.* 824. Species verborum sunt duæ, primitiva, et derivativa. Sunt ergo derivativorum diversæ species, ut inchoativa, ut a *caleo calesco*; meditativa, ut a *pario parturio*; frequentativa, ut a *dico dictito*; deminutiva, ut a *sorbeo sorbillo*. *V.* voc. præced. II. 2.; et adde *Macrob. de differ. Gr. Latiniq. verb. p.* 2740. *Putsch.*

DĒRĪVĀTŌRĬUS, a, um, adject. derivativus, derivatus. *Ambros. de Fide* 2. 4. Sat est enim generationem scire divinam, non divisam, non deminutam, non derivatoriam, non creatam.

DĒRĪVĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒRĪVO, as, āvi, ātum, are. a. 1. (de *et* rivus). Part. *Derivatus* I. et II. 1.; *Derivandus* II. 1. — Derivo est rivi more aquam deduco alioque deflecto (It. *derivare, tirare*; Fr. *detourner un cours d'eau, faire deriver*; Hisp. *derivar*; Germ. *ableiten, leiten*; Angl. *to drain or convey water from its regular course, derive or turn off into a different channel*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Truc.* 2. 7. 12. Derivare sibi aquam de fluvio. *Cæs.* 7. *B. G.* 72. Fossam aqua ex flumine derivata complere. *Auct. B. Alex.* 27. Derivata pars Nili. *Colum.* 2. *R. R.* 8. 3. Omnem humorem in cloacas, atque inde extra segetes derivemus. *Vulgat. interpr. Proverb.* 5. 16. Deriventur fontes tui foras. ¶ 2. Latiori sensu *viam derivare* est a loco ad locum cum aliquo flexu perducere, aperire. Optimæ notæ *Inscript.* apud *Aur. Guarnierium, Dissert. intorno al corso dell'antica via Claudia.* TI. CLAVDIVS DRVSI F. CAESAR. AVG. GERMANICVS VIAM CLAVDIAM AVGVSTAM, QVAM DRVSVS PATER ALPIBVS BELLO PATEFACTIS DERIVAVIT, MVNIIT AB ALTINO VSQVE AD FLVVIVM DANVVIVM M. P. CCCLI. In alia *ibid.* .... VIAM CLAVDIAM AVGVSTAM, QVAM DRVSVS PATER ALPIBVS BELLO PATEFACTIS DEREXSERAT, MVNIIT A FLVMINE PADO AD FLVMEN DANVVIVM PER M. P. CC. ....

II.) Translate. ¶ 1. Generatim: ad rem *Horat.* 3. *Od.* 6. 19. Hoc fonte derivata clades in patriam populumque fluxit. *ubi* nota *fontem*, ejus *derivationem* et *flumen*, quod inde sequitur. *Ter. Phorm.* 2. 2. 9. Derivare in se omnem iram alicujus. *Lucret.* 2. 364. Nec vitulorum aliæ species per pabula læta Derivare queunt animum curaque levare. *h. e.* avocare, avertere. *Cic.* 2. *Att.* 16. Derivata expectatio largitionis agrariæ in agrum Campanum. *Id.* 4. *Verr.* 20. 49. Te tuam culpam non modo derivare in aliquem, sed communicare cum aliquo posse. *Id. Mil.* 10. 29. Dicam enim non derivandi criminis causa, sed ut factum est. *Id.* 11. *Phil.* 9. 22. Rerum natura cogit te partem aliquam in Asiam et Syriam derivare curæ et cogitationis tuæ. *Id.* 5. *Tusc.* 25. 72. Justitiam nihil in suam domum inde derivet. *Id.* 3. *Verr.* 53. 139. Derivare alio responsionem suam. *Id.* 2. *Herenn.* 27. 43. Considerandum est, ne tota causa mutata in aliam causam derivetur. *Quintil.* 2. 17. 40. Alia et minora et tamen ex his fontibus derivata. *Id.* 7. 4. 14. Culpam derivare in rem. ¶ 2. Speciatim apud Grammaticos nomina et verba *derivari* dicuntur ea significatione, qua dictum est in DERIVATIO II. 2. *Quintil.* 8. 3. 32. Nec a verbis modo, sed a nominibus quoque derivata sunt quædam, ut a Cicerone *Sullaturit*, etc. Adde *eumd. ibid.* § 31. et 36., et 1. 6. 68.; et cf. *Diomed. p.* 310. *Putsch.*

DĒRŌDO. *V.* DEROSUS.

DĒRŌGĀTĬO, ōnis, f. 3. deminutio, detractio. — *a*) Generatim. *Cic. Cornel.* 4. Tertium est de legum derogationibus. *Id.* 2. *Herenn.* 10. 15. Cum duæ leges inter se discrepant, videndum est primum, num qua abrogatio, aut derogatio sit. – Fit autem legis derogatio, quum ejus aliqua pars tollitur. *V.* ABROGO. *Cassiod.* 1. *Variar.* 3. Excludens vel querelis auditum, vel derogationibus locum; et unde vix solet reportari patientiæ silentium, voces tibi militaverunt laudantium. — *b*) Speciatim in re grammatica. *Charis.* 2. *p.* 209. *Putsch.* Præpositio *pro* significat etiam – derogationem, id est στέρησιν, quum dicimus *profanus locus*, id est non sacer, quasi porro a fano positus.

DĒRŌGĀTĪVUS, a, um, adject. idem ac detractorius, ut *Præpositio derogativa*, apud *Diomed.* 1. *p.* 325. *Putsch.*, scilicet in privandi vim habet. *Diomed.* loquitur de tempore *imperfecto*, ejusque verba sunt: *In* enim præpositio plerumque derogativa, nonnunquam adjectiva, ut in aliis patebit: quæ addita, actui plerumque derogat; non addita, ad finem perductum significat.

DĒRŌGĀTOR, ōris, m. 3. detractor, qui invide carpit. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Beneficii importunus petendi, derogator negati, æmulator accepti. *Cassiod. Instit. div. litt.* 21. Beatus Hieronymus derogatoribus suis vicem necessaria mordacitate restituens.

DĒRŌGĀTŌRĬUS, a, um, adject. derogativus, ut *Derogatorium edictum*, apud *Julian. Dig.* 25. 4. 2.

DĒRŌGĀTUS, a, um. *V.* DEROGO.

DĒRŌGĬTO, as, are, a. 2. valde rogito. *Plaut. Asin.* 2. 2. 60. Placide ergo unumquodque derogita.

DĒRŌGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* rogo). Part. *Derogatus* I.; *Derogaturus* et *Derogandus* II. — Derogo proprie est aliquid de lege per novam legem detrahere; quemadmodum *abrogo* est legem omnino tollere (It. *derogare*; Fr. *abroger une partie d'une loi, déroger à*; Hisp. *derogar*; Germ. *ein Gesetz theilweise abschaffen, derogiren*; Angl. *to take away some clause of a law by a new one*).

I.) Proprie occurrit cum Ablat. et præpos. *de* vel *ex*, aut cum Dativo. *Cic.* 2. *Invent.* 45. 134. Indignum est de lege aliquid derogari, aut legem abrogari. *Id.* 3. *de republ.* 22. Neque derogari ex hac aliquid licet. *Id.* 2. *Herenn.* 10. 15. Quod ea lex sanciat, cui legi abrogatum vel derogatum sit. *Dig.* 16. 102. Legi derogatur.

II.) Translate est alicui rei in genere aliquid detrahere, deminuere; cui contrarium est arrogare, attribuere: et occurrit — *a*) Cum Ablativo et præpos. *de* vel *ex*. *Cic.* 2. *Invent.* 58. 175. Quare aut de magnificentia, aut de honestate quiddam derogetur. *Id. Cæcin.* 1. 3. Derogare aliquid de testium fide. *Id.* 2. *Invent.* 46. 136. Si quid igitur ex hac ipsa (*æquitate*) accusator deroget, etc. — *b*) Cum Dativo. *Cic. Flacc.* 4. 9. Non ego rationi huic fidem derogo. Cf. *Lucan.* 9. 351. Derogare fidem ævo. Et *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 23. fidem alicui. *V.* et infra sub c. Rursus *Cic. Rosc. Am.* 32. 89. Non enim mihi tantum derogo, tametsi nihil arrogo, ut te copiosius, quam me, putem posse dicere. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 28. 29. (104). M. Sergio nemo quemquam prætulerit, licet pronepos Catilina gratiam nomini deroget. *Tac.* 13. *Ann.* 27. Nihil universorum juri derogandum. *Id.* 15. *ibid.* 2. Derogare aliquid tutelæ sociorum. *Quintil.* 9. 3. 102. Quum cura verborum deroget affectibus fidem. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 8. Derogare aliquid fructibus suis. — *c*) Sine additis. *Cic. Quinct.* 23. 75. Fides hujus multis locis cognita, ne perfidia Sex. Nævii derogetur, laborant. *Hæc loquendi ratio* singularis est: ut eadem utitur *Id. fragm. Flacc.* edente *A. Maio* 2. Hæc ad breve tempus audita longinqui temporis cognitarum rerum fidem derogabunt? *Liv.* 7. 6. Nunc fama rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem. *Auson. Gratiar. act.* 15. Non derogaturos industriam.

DĒRŌSUS, a, um, particip. ab inusit. *derodo*, rosus. *Cic.* 1. *Divinat.* 44. 99. Derosos esse a muribus clipeos. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 62. (164). A cochleis minimis derosa vicia. *Id.* 17. *ibid.* 25. 38. (241). Ficus derosæ a locustis.

DĒRŬBESCO, is, ere, n. 3. pudorem exuo. *Gloss. Cyrill.* Ἀπερυθριῶ, depudesco, derubesco.

DĒRUNCĪNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒRUNCĪNO, as, āvi, ātum, are. a. 1. (de *et* runcino). Part. *Deruncinatus*. — Deruncinare est runcina secare: sed occurrit translate tantum. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 6. Ut lepide deruncinavit militem! *h. e.* decepit. Al. leg. *detruncavit*. *Id. Capt.* 3. 4. 108. Deruncinatus, deartuatus sum miser hujus scelesti technis.

DĒRŬO, ruis, rui, rūtum, rŭere, 3. Part. *Derutus* sub *A.* 1; — Deruo est *A*) Verbum activum et *B*) Neutrum.

A) Quum est verbum activum deruo est deorsum ruo, averto (It. *gettar giù*, *far cadere*; Fr. *jeter en bas*, *renverser*; Hisp. *echar, abatir*; Germ. *herabstürzen in die Tiefe*; Angl. *to pull or take down, take away*).

I.) Proprie. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 27. Hiems immensam vim aquarum ruptis nubibus deruat. *Gell.* 6. 2. *a med.* Lapidem cylindrum si per spatia terræ prona atque deruta jacias, præceps volvitur. *Al. leg.* derupta, *alii* dirupta.

II.) Translate. *Cic.* 16. *Att.* 11. 2. De laudibus Dolabellæ deruam cumulum. *Al. leg.* diruam.

B) Est etiam neutrum, et significat deorsum cadere. *Apul.* 2. *Met.* Nasum prehendo, sequitur: aures pertracto, deruunt. *Id.* 7. *ibid.* Oneris impatientia delapsus deruissem.

DĒRŬO, ōnis, m. 3. a *deruo* verbo, qui deruit et perdit. *Inscript.* apud *Gruter.* 1015. 9. FATIS DERVONIAVS V. S. L. M. M. RVTINVS SAVRAVS. Hujus inscriptionis αὐθεντίαν elevare conatur *Maff. Art. Crit. Lapid. p.* 377.: eamdem tamen confirmat *Labusius Monum. Bresc. p.* 109. *V.* FATUM.

DĒRUPTUS, a, um, particip. ab inusit. *derumpo*. — In locis mox citandis alii leg. ubique *diruptus*: verum, quoniam præceps locus deorsum versus significatur, *deruptus* verior lectio est. — Comp. *Deruptior*. — Deruptus est abruptus, præruptus. *Lucret.* 6. 539. rupes deruptaque saxa. *Tac.* 2. *Ann.* 80. Collis arduus et deruptus. *Liv.* 21. 33. Præcipites deruptæque utrinque angustiæ. *Id.* 39. 2. Ceteri effusi rursus, et pars maxima inermes, per invia et rupes deruptas præcipitantes fugerunt. *Id.* 37. 39. Deruptæ ripæ. *Id.* 38. 2. Altior deruptiorque undique tumulus. Cf. *Gell.* 6. 2. — Hinc

Derupta, ōrum, n. 2. absolute, substantivorum more, sunt *loca* abrupta, prærupta. *Liv.* 38. 2. *extr.* Multi pavore in derupta præcipitati. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 45. et 6. *ibid.* 21.

DĒRŪTUS, a, um. *V.* DERUO.

DĒSĀBŬLO, as, are, a. 1. sabulo sterno, munio, firmo. Translate. *Varro* apud *Non. p.* 99. 3. *Merc.* Unam viam Zenona mœnisse, duce virtute: hanc esse nobilem. Alteram Carneadem desabulasse, bona corporis secutum. Ita *Scalig.* legit atque interpreta-

tur *l.* 2. *lect. Auson. c.* 30. Nam *Nonius* habet *desubulasse*, et interpretatur *perfodisse*. Hucusque *Forcellinus*. At *Oehler, M. Ter. Varron. Sat. Menipp. Rel. p.* 208. hæc recte adnotavit: « Vereor, ut recte conjecerit *Scaliger*. Retineo vulgatum *desubulasse*. Verbum *desubulare* facete formatum a subula, quod non sutorum solum est, sed lapicidarum quoque instrumentum, quo lapides poliuntur. Utuntur vocabulo Gromatici passim, ut *Simplic.* apud *Goes. p.* 88. Si superior tantum pars dolata est et inferior subulis impolita relicta. Et *alius Auct.* apud *eumd. p.* 3. Terminus si superius politus fuerit, at inferius subulis impolitus, monumentalis est; non habet fidem finitionis. *Desubulare* igitur non est *perfodere*, ut explicat *Nonius*, sed potius *polire*; et magnum interest, utrum dicam *viam munio*, an si *viam desubulo*, quod non satis percepisse videtur *Scaliger*. Desubulare enim viam erit viam complanare; contra munire viam lapidum molibus sternere et firmis fundamentis superstruere. Quum de philosophorum scholis sermo est, alterum pertinebit magis ad Academiam, alterum ad Stoam, cujus severior doctrina est ».

DĒSĂCRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒSĂCRO *vel* desecro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et sacrare). Part. *Desacratus* I. 2. et II. — Desacro est idem ac sacro vel consecro.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Stat.* 9. *Theb.* 588. Quercus erat, Triviæ quam desacraverat ipsa, etc. ¶ 2. Latiori sensu est aliquem inter deos referre, Græce ἀποθεόω. *Capitolin. Anton. Phil.* 18. Templum ei constitutum, dati sacerdotes et sodales et flamines, et omnia quæ desacratis decrevit antiquitas. *h. e.* in deos relatis. Al. leg. *de sacratis*.

II.) Translate est destinare. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (112). Chamæleon peculiari volumine dignus existimatus Democrito, ac per singula membra desacratus. *h. e.* variis destinatus consecratusque morbis. *Harduin.*

DĒSÆVIO, vis, vii *vel* vi, vitum, vire, n. 4. (de et sævio). Plusquamperfectum *desævisset* habet tantum *Sueton. Ner.* 29. — Part. *Desæviturus* occurrit tantum apud *Hieronym. in Isajam* 5. 16. 1. In quam desæviturus est leo. — Ceterum desævio duo diversa significat, prout particula de est *A*) Intensiva, aut *B*) Actionis finem significat.

A) Quum particula de est intensiva, desævio est valde sævio. *Virg.* 10. *Æn.* 569. Sic toto Æneas desævit in æquore victor, Ut semel intepuit mucro. *Id.* 4. *ibid.* 52. causasque innecte morandi, Dum pelago desævit hiems, et aquosus Orion, Quassatæque rates, dum non tractabile cœlum. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 14. An tragica desævit et ampullatur in arte? *Lucan.* 6. 540. omnes avide desævit in artus. *Sueton. Ner.* 29. Quum affatim desævisset. *Flor.* 2. 6. 12. Desævit procella. — *Desævire aliquem* activa pro *in aliquem*, allatis aliquot *Tertulliani* locis, probat *Salmas.* ad *Capitolin. Anton. Phil.* 21.

B) Quum particula de actionis finem significat, desævio est sævire desino. *Lucan.* 5. 303. nec, dum desæviat ira, Exspectat.

DĒSALTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒSALTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (de et salto). Part. *Desaltatus*. — Desalto est idem ac salto, seu vehementer salto; et occurrit tantum cum Accusativo pro saltando repræsento. *Sueton. Cal.* 54. Cum palla tunicaque talari prosiluit, et desaltato cantico abiit. *Cyprian. de Spectac. post med.* Ut desaltentur fabulosæ antiquitatum libidines. *V.* SALTO.

DESALUTO, as, are, a. 1. valde saluto. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 105.

DĒSANNĀTĬO, ōnis, f. 3. *Gloss. Cyrill.* Μυκτηρισμός, desannatio, subsannatio.

DĒSANNO, as, are, n. 1. idem ac subsanno. *Porphyr.* ad illud *Horat.* 1. *Sat.* 6. 5. naso suspendis adunco; hæc habet: Quod vulgo dicunt desannas, id est per fastidium quoddam rides. Adde *Gloss. Cyrill.*

DESCAPULATUS, a, um, adject. cui tunica a scapulis demissa est. *Seneca Ep.* 115. Juvenes descapulatos. Ita legit *Scalig.* At multo rectius *Lips.* et *Gruter.* de capsula totos. *V.* CAPSULA.

DESCENDO, dis, di, sum, dere, n. 3. (de et scando). *Descendidi* præteritum antiquum est. *Val. Antias* apud *Gell.* 7. 9. *extr.* Deinde funere locato ad forum descendidit. *Laberius* apud *eumd. ibid.* Ego mirabar, quomodo mammæ mihi descendiderant. — Passive occurrit tantum apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 16. 13. (71). Ab exortu vespertino latitudo descenditur, parcius jam se minuente motu, non tamen ante stationes secundas augente, quum et altitudo descenditur. Et Part. *Descensus* apud *Prudent. Apotheos.* 1075. Descensos nascendo gradus redeundo retexit. — Part. *Descendens* sub *A.* I., sub *B.* a. I. et alibi; *Descensurus* sub *A.* I. — Descendo est ex loco superiore in inferiorem devenio (It. *discendere, scendere, calare*; Fr. *descendre, se rendre dans un lieu moins élevé, s'abaisser*; Hisp. *descender, baxar*; Germ. *von Personen, herabsteigen, von oben nach unten, her-niedersteigen, von Sachen, sich senken, herabfallen, etc. bes. in tiefer liegende Localitäten*; Angl. *to go or come down, descend*).

A) Generatim; et quidem

I.) Proprie occurrit cum addito aut omisso termino, unde aut quo quis descendit. — *a*) Cum additis terminis, unde et quo quis descendit. *Lucret.* 6. 425. Nam fit, ut interdum tamquam demissa columna In mare de cælo descendat. *Ovid.* 12. *Met.* 396. Coma et humeris descendit in armos. — *b*) Cum addito, unde quis descendit. *Liv.* 6. 18. Descendere de cælo. *Juvenal.* 11. 27. e cælo. *Virg.* 8. *Æn.* 423. cælo ab alto. *Virg.* 4. *G.* 235.; *Horat.* 3. *Od.* 4. 1.; et *Ovid.* 5. *Fast.* 551. cælo. *Virg.* 6. *Æn.* 831. aggeribus Alpinis. *Cic. Vatin.* 11. 26. de rostris. *Id. Senect.* 10. 34. ex equo. *Auct. B. Hisp.* 15. et *Liv.* 2. 2. ex equis. *Sall. fragm. Hist.* equo. *Sueton. Tib.* 20. et *Galb.* 18.; et *Juvenal.* 10. 282. e curru. *Val. Max.* 1. 1. n. 10. plaustro. *Sueton. Claud.* 15. e tribunali. *Liv.* 32. 32. præsidium arce. *Val. Flacc.* 3. 652. auster montibus. *Coripp.* 2. 362. undique descendunt turbæ. *Sil. It.* 6. 427. vertice descendens emsaries. Cf. *Petron. Satyr.* 18. Capilli descendentes ab aure. *Id. ibid.* 102. A regione gubernaculorum funis descendit, qui scaphæ custodiam tenet. *h. e.* pendet. — *c*) Cum addito, quo quis descendit. — Per Accusativum et præpos. in. *Lucret.* 6. 401. An simul ac nubes successere, ipse (*Juppiter*) in eas tum Descendit, prope ut hinc teli determinet ictus? *Cic.* 4. *Tusc.* 4. 7. In inferiorem ambulationem descendimus. *Cæs.* 3. *B. C.* 15. in naves hostium. *Liv.* 6. 37. in campos. *Curt.* 3. 5. 2. in flumen. *Sil. It.* 1. 607. in pontum. *Id.* 15. 152. in æquor. *Val. Flacc.* 8. 219. Hister in freta. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 49. (88). in calidam. *scilicet* aquam. *Capitolin. Anton. Phil.* 1. in theatrum. *Juvenal.* 3. 17. in vallem Egeriæ. Cf. *eumd.* 6. 522. *Nepos Arist.* 1. in Græciam. *Id. Alcib.* 6. Civitas descendit in Piræeum. *Sueton. Tib.* 10. Descendere Ostiam. *h. e.* secundo flumine navigare: sic etiam *Propert.* 2. 3. 11.; et cf. *Quintil.* 8. 6. 61. et 8. 3. 31. *Curt.* 9. 9. Mare intumescit et in campos descendit. *scil.* quia mare terris altius est. *Stat.* 11. *Theb.* 195. Rhodope descendit in amnes. *h. e.* nivibus vere solutis demittit torrentes. Cf. *Curt.* 6. 5. 27. Sinus vestis infra genua descendit. — Per Accusativum et præpos. *ad*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 48. 148. ad nostras naviculas. *Curt.* 4. 7. 9. ad Mareotin paludem. *Sueton. Aug.* 16. ad littus. *Id. Ner.* 53. Descensurum se ad Olympia. *h. e.* in arenam. *Curt.* 8. 10. 33. ad regem. *Id.* 4. 6. 2. Bessum quoque, Bactrianorum ducem – descendere ad se jubet. *Juvenal.* 10. 112. Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci Descendunt reges. *h. e.* ad Plutonem, scilicet ad inferos. — Cum Dativo, poetice. *Ovid.* 3. *Met.* 11. antro Castalio. *h. e.* ad antrum. *Sil. It.* 13. 708. nocti. *h. e.* ad noctem, scilicet ad inferos. Sic *Id. ibid.* 759. Erebo. — *d*) Absolute, sine additis. *Ovid.* 1. *Fast.* 263. per clivum. *Auct. B. Alex.* 74. valle prærupta. *Lucret.* 6. 137. Versabundus enim turbo descendit. *Val. Flacc.* 4. 353. Juppiter. *Id.* 1. 686. zephyri. *Id.* 7. 25. flamina. — Sic *descendere* absolute pro ex equo descendere dicit *Plaut. Asin.* 3. 3. 120.; et *Auct. B. Hisp.* 15. — Item de lecto. *Tibull.* 1. 5. 41. Tunc me devotum descendens femina dixit. *Ovid.* de eadem re 3. *Amor.* 7. 11. habet *desiluit*. — *Val. Flacc.* 7. 591. tandem gravius mugire residens Incipit et fesso victus descendere cornu. *scilicet* in terram. *Id.* 8. 332. Itque reditque ratis lapsoque reciproca fluctu Descendit. *Stat.* 10. *Theb.* 644. descendunt vestes. *h. e.* quæ breves erant, deducuntur ad talos. *Id.* 5. *Silv.* 5. 41. umbræ descendentes. Sic *Manil.* 3. 370. descendere dixit solem, qui ad occasum inclinatur. Et *Juvenal.* 10. 58. descendunt statuæ. *h. e.* dejiciuntur.

II.) Translate. *Varro* 2. *R. R.* 1. 3. Necesse est humanam vitam a summa memoria gradatim descendisse ad hanc ætatem. *Id. ibid.* § 4. Ex hac vita in secundam descendisse pastoriciam. *Et ibid.* § 5. Tertio denique gradu a vita pastorali ad agriculturam descenderunt. *Horat. Art. P.* 386. si quid olim Scripseris, in Mæci descendat judicis aures. *Justin.* 1. 1. 1. Post multos deinde reges per ordinem successionis regnum ad Astyagen descendit. Adde *eumd.* 17. 3. 9. *Plin. Paneg.* 85. Descendere in omnia familiaritatis officia. *Quintil.* 1. 4. 7. Grammatici omnes in hanc descendent rerum tenuitatem. *Id.* 9. 3. 55. Priusquam ad aliud descendat (*gradatio*), in prioribus resistit. *Id.* 7. 1. 23. Ut a genere ad extremam speciem descenderem. *Id.* 1. 12. 14. Nec aliqua ad minutissima usque geometriæ opera (*discens*) descendat. Adde *eumd.* 11. 3. 65., 1. 11. 18., 6. 1. 29. et alibi sæpe. — Impersonaliter. *Cic.* 3. *Orat.* 61. 227. Est quiddam in remissione (*vocis*) gravissimum, quo tamquam sonorum gradibus descenditur. *Quintil.* 7. 3. 2. Interim a qualitate ad finitionem descenditur. *Tac.* 15. *Ann.* 1. Eo contemptionis descensum esse, ut etc. *Id.* 14. *ibid.* 7. Eo descensum credebant, ut pereundum esset. — *Descendere regno* apud *Stat.* 1. *Theb.* 396. est regno abire, regni administrationem deponere.

B) Speciatim.

I.) Proprie. Romæ prodeuntes domo in publicum, et præsertim in forum venientes, *descendere* dicebantur, et qui comitabantur, *deducere*; tum quia nobiliores in editioribus locis habitabant; tum quia fora omnia humiliora erant, utpote quæ in montium convallibus sita. *Crassus* apud *Cic.* 2. *Orat.* 66. 267. et *Liv.* 3. 18. Descendere in forum. *Val. Antias* apud *Gell.* 7. 9.; *Cic.* apud *Non. p.* 538. 26. *Merc.*; *Liv.* 34. 1. et 24. 7. ad forum. Sic *Sueton. Cæs.* 13. Descendere ad comitia. — Et absolute eadem significatione. *Cic.* 2. *Phil.* 6. 15. Hodie non descendit Antonius: cur? dat natalitia in hortis. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 38. 92.; *Liv.* 3. 18. et 2. 54.; et *Horat.* 1. *Ep.* 20. 5. *Seneca* 3. *Benef.* 27. Uno consilio, descendenti Cæsari occurrit. — Invenitur tamen et *descendere domum* apud *Cic. Planc.* 14. 33. Consuli P. Nasicæ præco Granius, medio in foro, quum ille, edicto justitio, domum descendens etc. sed ibi respicitur ad curiam, ex qua descendebat in forum consul, domum reversurus. *Manut.* tamen mallet legere *discedens*; *Orellius* vero *decedens*, et quidem rectius.

II.) Translate. ¶ 1. *Descendere in causam* vel *partes* alicujus dicuntur, qui eidem faventes accedunt. *Cic.* 8. *Phil.* 2. 4. Consensus populi Romani, qui jam descendit in causam, etc. *Liv.* 36. 7. Cui si semel in causam descenderit, nihil integri futurum est. *Tac.* 3. *Hist.* 3. Aperte descendisse in causam videbatur. quod *Id.* 15. *Ann.* 50. dixit, descendere in partes. ¶ 2. Ponitur et de inanimis. Sic de regione, quæ ad mare usque declivis extenditur, *Val. Flacc.* 1. 537. Jampridem regio, quæ virginis æquor ad Helles, Et Tanain tenus immenso descendit ab Euro. Similiter de silvis, quæ suas arbores decisas in planitiem demittunt, *Stat.* 7. *Theb.* 114. Si geminos soles ruituraque suadeat astra, Aut nutare solum, aut veteres descendere silvas, Ah miseri vidisse putant. Et de montibus, *Id.* 5. *ibid.* 338. abruptam credas radicibus ire Ortygiam, aut fractum pelago descendere montem. *Alii legunt* decurrere: sed habet *Val. Flacc.* 7. 55. Ante meus cæsa descendet Caucasus umbra, etc. Similiter *Plin.* 10. *Ep.* 48. Theatrum ingentibus rimis descendit et hiat, sive in causa solum humidum et molle, etc.

C) Item speciatim.

I.) Proprie. In re militari *descendere* dicitur exercitus, qui ex collibus aut edito aliquo loco in planitiem, præliandi præcipue causa, ducitur. *Cæs.* 3. *B. C.* 98. Ex superioribus locis in planitiem descendere. *Liv.* 1. 12. in æquum. *supple* locum. *Frontin.* 2. *Strateg.* 5. 18. in plana. — Impersonaliter. *Liv.* 21. 29. Omnibus copiis in campum descensum est. — Et absolute eodem sensu. *Liv.* 44. 5. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina jumentorum sarcinarumque. Adde *Frontin.* 4. *Strateg.* 5. 10.; et cf. *Sall. Jug.* 50. Deinde ipse – sicuti monte descenderat, paullatim procedere. Cf. et *Liv.* 32. 32.

II.) Translate *descendere in aciem, in prœlium,*

in certamen et similia his significant contendere, certare, in discrimen venire: quia velut ex loco superiore ac tuto in planum ac periculosum devenimus. Liv. 9. 14. et 25. 22.; Justin. 14. 3. 1.; et Frontin. 1. Strateg. 11. 11. Descendere in aciem. Cf. Sueton. Aug. 96. Justin. 21. 2. 5. in prælium. Cic. 2. Tusc. 26. 62. in certamen. Justin. 15. 1. 2. in belli pericula. Id. 15. 4. 21. et 38. 8. 1. in bellum. Val. Flacc. 3. 518. et Juvenal. 7. 173. ad pugnas. Sic Cic. 4. Herenn. 42. 51. in magnam vitæ dimicationem. — Et impersonaliter Liv. 8. 8. Descensum in aciem est. — Similiter cum Infinito dixit Stat. 1. Theb. 224. Nunc geminas punire domos, queis sanguinis auctor Ipse ego, descendo.

D) Denique speciatim plures alios habet usus tum proprie, tum translate.

1.) Proprie. ¶ 1. In re medica *descendere* dicuntur, quæ ex alvo fluunt. Cels. 2. 4. ad fin. Si quod descendit, est perliquidum, aut albidum. Id. 1. 6. Olera quæ celeriter descendunt. Plin. 23. Hist. nat. 1. 25. (51). Si cibus non descendat. — Ipsa quoque alvus descendere dicitur, quum excrementa reddit. Cels. 2. 7. Ubi pluribus diebus non descendit alvus. ¶ 2. Prægnante, uti ajunt, significatione *descendere* dicuntur, quæ merguntur, aut infiguntur. Liv. 1. 41. Ferrum haud alte in corpus descendit. Lucan. 2. 616. ferrum in caput descendit. Ovid. 3. Met. 67. toto descendit in ilia ferro. Seneca Consol. ad Helv. 3. Gravissimum est ex omnibus, quæ unquam in corpus tuum descenderunt, recens vulnus, fateor: non summam cutem rupit: pectus et viscera ipsa divisit. Cf. Stat. 12. Theb. 340. quanto descendit vulnus hiatu! Val. Flacc. 6. 244. ac mediam moriens descendit in hastam. Claudian. B. Get. 601. Altius haud unquam toto descendimus ense In jugulum. Sil. It. 16. 544. per pectora adactus Intima descendit mucro. Flor. 3. 10. 13. In jugulos gladiis descendebant. — Item de plantis, quæ in terram radicibus infiguntur. Colum. 11. R. R. 3. 62. Rapæ in altum descendunt. Plin. 17. Hist. nat. 11. 21. (102). Descendit in rimam calamus. Id. 19. ibid. 6. 31. (98). Radix lapathi descendit ad tria cubita. Similiter Id. 2. ibid. 55. 56. (146). Nec unquam fulmen quinque altius pedibus descendit in terram. — Et de inanimis Virg. 5. Æn. 683. toto descendit corpore pestis. h. e. ignis per totum navis corpus penetrat. Cf. Plin. 9. Hist. nat. 30. 49. (94). Voluptas descendit in duo sensu carentia. h. e. cadit et percipitur a duobus etc. — Huc referri possunt et illa Stat. 9. Theb. 261. clipeos arcusque remissos Unda vehit, galeasque vetant descendere cristæ. h. e. immergi. Id. 1. ibid. 133. juvenci, queis nondum vomere multo Ardua nodosos cervix descendit in armos. h. e. contrahitur, reflectitur conatu trahendi.

II.) Translate. ¶ 1. Descendere dicuntur, quæ altius in animum penetrant atque infiguntur. Sall. Jug. 11. Quod verbum in pectus Jugurthæ altius, quam quisquam ratus, descendit. Sic Spartian. Anton. Get. 6. Quod dictum altius in Bassiani pectus descendit. Liv. 3. 52. Curam in animos descensuram. Id. 1. 19. Metus deorum ad animos descenderat. Seneca 1. Controv. præfat. Quæcumque in animum descenderunt. Id. 1. Benef. 1. a med. Ita natura comparatum est, ut altius injuriæ, quam merita descendant. — Huc pertinet et illud Pers. 4. 23. Ut nemo in sese tentat descendere! h. e. in se ipsum, in animum suum penetrare. Sic Seneca Ep. 59. circa med. Nemo nostrum in altum descendit: summa tantum decerpsimus. ¶ 2. Eleganti metaphora *descendere* dicitur, qui ad aliquid se accommodat demittitque, quod alias non faceret. — *a*) Cum Accusativo et præpos. ad. Cic. Mur. 29. 56. Non qui odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderent. Id. Amic. 17. 61. ad calamitatum societates. Id. 1. de republ. 43. ad ludum. Id. 2. Orat. 6. 22. ad omnem animi remissionem ludumque. Cæs. 5. B. G. 29. ad ejusmodi consilium. Id. 7. ibid. 78. ad sententiam alicujus. Id. 6. ibid. 16. ad innocentium supplicia. Id. 7. ibid. 33. ad vim. Id. 3. B. C. 83. ad gravissimas verborum contumelias palam. Id. 1. ibid. 9. ad omnia. Id. 3. ibid. 9. ad extremum auxilium. Pollio apud Cic. 10. Fam. 33. ad extrema. Cælius apud eumd. 8. ibid. 8. sub fin. ad conditionem aliquam. Horat. 1. Ep. 9. 11. ad præmia. Sueton. Vesp. 4. ad mangonicos quæstus. Quintil. 1. 2. 27. ad intellectum audientis. Id. 8. 2. 24. ad planiora verba. Id. 5. 6. 2. et 11. 1. 57. ad accusationes. Id. 4. 2. 15. ad petitionem. Plin. 10. Ep. 40. ad curas alicujus. Vopisc. Firm. 1. ad descriptionem curamque. — *Descendere* apud Plin. significat vicinum esse, similem esse; ita tamen ut res, de qua sermo est, a superiore ad inferiorem speciem gradum faciat. Id. 37. Hist. nat. 9. 40. (122). Alterum genus descendit ad hyacinthos. et paullo post. (123). Quintum genus ad vicina crystalli descendit. Et absolute ibid. (121). Alius ordo purpureis dabitur et ab illis descendentibus. — *b*) Cum Accusativo et præpos. in. Virg. 5. Æn. 782. cogunt me preces descendere in omnes. Justin. 21. 5. 3. in fœdissimum vitæ genus. Adde Quintil. 10. 3. 12., 10. 1. 63., 1. 4. 7. et 1. 11. 8. — *c*) Cum Adverbiis quo, eo, etc. Cæs. 1. B. C. 81. Ut repentinas eorum eruptiones demoretur: quo necessario descensuros existimabat. Cic. Fontej. 1. 2. Videte, quo descendam, judices. — *d*) Absolute. Cic. 4. Verr. 72. 177. Placet mihi ista defensio: descendo; æqua enim conditio proponitur. h. e. acquiesco. ¶ 3. *Descendere ab aliquo* est oriri, venire, proficisci. Ulp. Dig. 1. 9. 12. Descendere a patriciis et consulibus. Hinc *descendentes* apud Paul. Dig. 23. 2. 68. Stat. 5. Silv. 3. 210. cum stirpe tua descendere dixi. Lamprid. Alex. Sev. 43. Genus ejus a Metellis descendit. — Similiter Plin. 22. Hist. nat. 21. 31. (111). Ratio a Platone descendens. Ulp. Dig. 43. 26. 1. Quod genus liberalitatis ex jure gentium descendit. Paul. ibid. 18. 1. 57. extr. Judicium, quod ex bona fide descendit. Rursus Plin. 6. Hist. nat. 28. 32. (142). Arabia a regione Ciliciæ Commagenesque descendit. ¶ 4. In rerum enumeratione descendere est ab initio ad terminum aliquem procedere. Ovid. 11. Met. 754. si descendere ad ipsum Ordine perpetuo quæris, sunt hujus origo Ilus et Assaracus. ¶ 5. Est etiam abesse, deflectere, dissimilem esse. Quintil. 1. 1. 126. Tantum ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. Id. 3. 5. 8. Inde enim finita descendit. ¶ 6. Obsceno sensu *descendere* dicuntur mares, quum ad stuprum patiendum proni inclinantur (V. INCLINO), et *descendere ad terram tremulo clune* puellæ, quæ inter saltandum lumbos natesque lascive agitant. V. CRISPITUDO. Catull. 112. 2. Descendis, Naso, multus es et pathicus. Juvenal. 11. 163. plausuque probatæ Ad terram tremulo descendunt clune puellæ.

DESCENSIO, ōnis, f. 3. descensus.

1.) Proprie. — *a*) Generatim. Liv. 22. 31. Priusquam in continentem descensiones faceret. Al. rectius leg. exscensiones. — *b*) Speciatim de ipso actu descendendi in balineas. Plin. 20. Hist. nat. 17. 69. (178). Heraclium facit ad scabiem, pruriginem, psoras, in descensione balinearum. ἐν λουτρῷ, ut Dioscor. habet l. 3. c. 32. eadem de re verba faciens.

II.) Per metonymiam *descensiones* in balineis sunt loca, ubi in aquam descenditur, solia videlicet, quibus sedentes lavabant. Plin. 5. Ep. 6. circa med. In caldaria cella tres sunt descensiones: duæ in sole, tertia a sole longius.

DESCENSUS, a, um. V. DESCENDO.

DESCENSUS, us, m. 4. a *descendo*. ¶ 1. Est actus descendendi. Sall. Cat. 57. Qua illi descensus erat in Galliam properanti. ¶ 2. Item via, quæ descendit. Virg. 6. Æn. 126. facilis descensus Averni. Auct. B. G. 8. 40. Erat oppidanis difficilis et præruptus eo descensus. et mox. Tormentis contra facillimos descensus collocatis, aqua prohibebat oppidanos. Plin. 16. Hist. nat. 26. 46. (110). Salix (sita) ipso descensu Jovis speluncæ. ¶ 3. Item actus descendendi ad coitum ineundum. Varro 2. R. R. 5. 13. Mas an femina sit concepta, significat descensu taurus, cum iniit.

DESCIO, is, ire, 4. affertur, sed nullo confirmatur auctore, a Priscian. 10. p. 886. Putsch. hisce verbis: Et notandum, quod ab inchoativo *scisco* composita, primitivi, id est *scio*, habuerunt præteritum: secundum rectam vero proportionem debent eorum quoque perfecta a *scio* et *descio* esse.

DESCISCO, sciscis, scivi vel scii, scitum, sciscere, n. 3. (de et scisco). *Descisse* pro *descivisse* habent Liv. 6. 25. et Stat. 2. Theb. 311. — Part. *Desciscens* et *Desciturus* l. d. — Descisco (quasi contrarium aliquid scisco et statuo) est verbum publici juris proprium, quod significat se ab aliquo solutum declarare, ab ejus societate discedere, deficere (It. *dichiararsi sciolto da qualcheduno, partirsi, ribellarsi*; Fr. *se détacher de quelqu'un, abandonner qqn, se ranger d'un autre parti*; Hisp. *separarse, desunirse, rebelarse*; Germ. *sich lossagen von Jemandem, von der Verbindung mit ihm, abfallen, abtrünnig werden, d. h. durch seinen Abfall übergehen*; Angl. *to withdraw himself, stand aloof, revolt*).

I.) Proprie usurpatur — *a*) Cum præpos. ab et Ablativo personæ, a qua quis desciscit. Cæs. 2. B. C. 32. Adsunt, qui vos hortentur, ut a nobis desciscatis. Cic. 11. Phil. 9. 21. Cum a populo Romano pestiferi cives parricidæque desciverint. Liv. 2. 19. Præneste ab Latinis ad Romanos descivit. Nepos Datam. 7. Ab hoc viro filius descilt. Adde eumd. Alcib. 5.; Auct. B. Alex. 7.; Auct. B. Afr. 55.; Liv. 6. 36.; Sueton. Tit. 5.; et Justin. 5. 1. 11. — *b*) Cum præpos. ad et Accusativo personæ, cui quis ab alia desciscens accedit. Liv. 31. 7. a med. Numquam isti populi, nisi quum deerit, ad quem desciscant, a nobis non deficient. Adde eumd. 26. 21. et 9. 16.; et Frontin. 3. Strateg. 5. 6. — *c*) Capitolin. Gord. 13. Desciscere contra aliquem. — *d*) Absolute. Liv. 21. 19. Socii sua sponte desciscentes. Id. 30. 3. Spes ulla desciturum afferebatur. Adde eumd. 24. 45. Sueton. Cæs. 68. Neque in tam diuturno spatio quisquam omnino descivit: plerique capti concessam sibi sub conditione vitam, si militare adversus eum vellent, recusarunt. Id. Ner. 40. Hactenus excanduit, ut majum iis, qui descissent, minaretur. Id. ibid. 42. Postquam deinde etiam Galbam et Hispanias descivisse cognovit. Adde Nepotem Tim. 3. et Hamilc. 2.; et Tac. 1. Hist. 31.

II.) Translate *desciscere* est se subtrahere, discedere, infidum fieri: ad rem Cic. 2. Att. 4. Neque pœnitet, quod a me ipso non desciverim. — *a*) Occurrit cum præpos. ab et Ablativo. Lucret. 1. 104. Tutemet a nobis jam quovis tempore, vatum Terriloquis victus dictis, desciscere quæres? Cic. 1. Fam. 9. 17. Desciscere a pristina causa. Id. 4. Fin. 8. 19. ab antiqua institutione. Id. 3. Tusc. 2. 3. a natura. Id. 4. Acad. (2. pr.) 15. 46. a veritate. Id. 3. Fin. 18. 61. a vita. h. e. vita excedere. Vellej. 2. 81. a disciplina. Plin. 3. Ep. 20. a consuetudine parentum. Gell. 3. 16. a multorum opinionibus. Quintil. 9. 4. 146. a Demosthene. — Passive impersonaliter. Vellej. 2. 1. Præcipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum. — Et de inanimis Tac. dial. de orat. 28. Eloquentia et ceteræ artes descivere a vetere gloria. — *b*) Dicitur et de plantis pro degenerare. Colum. 3. R. R. 2. 13. Vitis, quæ gracili arvo non desciscit. Id. ibid. 10. 18. Compertum habemus, naturali quadam malignitate desciscere interdum quamvis diligenter probata semina. — *c*) Cum Accusativo et præpos. in vel ad, desciscere est inclinari, accedere. Cic. 2. Fam. 16. Ab excitata fortuna ad inclinatam et prope jacentem desciscere. Flor. 4. 3. Dum Antonius varius ingenio aut successorem Cæsaris indignatur Octavium, aut amore Cleopatræ desciscit in regem. h. e. amore Cleopatræ eo descendit, ut rex quoque fiat. Sueton. Domit. 10. Neque in clementiæ, neque in abstinentiæ tenore permansit: et tamen aliquanto celerius ad sævitiam descivit, quam ad cupiditatem. Similiter Plin. 18. Hist. nat. 16. 43. (146). Humidum solum desciscit in pratum. h. e. degenerat.

DESCŌBĪNĀTUS, a, um. V. voc. seq.

DESCŌBINO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Descobinatus*. — Descobino est scobina aufero, abrado, præstringo, lacero. Varro apud Non. p. 492. 11. Merc. Si adversarius supercilia mi cestis descobinarit, num quis vestrum sua mihi est daturus? Id. apud eumd. p. 99. 25. Sin aut delectationis causa venamini, quanto satius est salvis cruribus in Circo exspectare, quam his descobinatis in silva currare? Forcellinus et alii *currere*; at Codd. habent *curare*, et quidem recte, ut ad h. l. adnotavit Oehler, M. Ter. Varron. Sat. Menipp. Rel. p. 160. Arnob. 6. 11. Simulacra grosphis rasa, descobinata de limis. h. e. polita.

DESCRĪBO, bis, psi, ptum, bere, a. 3. (de et scribo). Part. *Describens* I. 2.; *Descriptus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Describendus* I. 2. et II. 1. — Describere

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est de una in aliam chartam scribere, exscribere, transcribere (It. *copiare, trascrivere*; Fr. *transcrire, copier*; Hisp.

transcribir, copiar; Germ. *etwas abschreiben nach der Urschrift, copiren*; Angl. *to write over, copy, transcribe*). *Cic.* 12. *Fam.* 7. 22. Dicam tuis, ut librum describant, ad leque mittant. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 4. 11. Describere librum ab aliquo. *Id.* 13. *Att.* 21. Balbum quintum de finibus librum descripsisse. *Id.* 7. *Fam.* 22. In caput notavi, et descriptum tibi misi. *V.* RECOGNITUS. *Id.* 8. *Att.* 9. Epistolam multis dedi describendam. *Sueton. Cal.* 41. Describere legem. *Id. Domit.* 20. exemplaria. *Id. ibid.* 10. Librariis, qui eam (*historiam*) descripserant, cruci fixis. ¶ 2. Latiori sensu est verbum proprium tum pictorum, tum librariorum, qui penicillo aut stilo aliquid repræsentant, et ponitur pro depingere, delineare. *Plaut. Asin.* 2. 3. 22. Non potuit pictor rectius describere ejus formam. — Hoc sensu mathematicorum quoque proprium est. *Cic.* 5. *Fin.* 19. 50. Archimedes dum in pulvere quædam describit attentius, ne patriam quidem captam esse sensit. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 17. et *Senect.* 14. 49. *Liv.* 25. 31. Archimedes intentus formis, quas in pulvere descripserat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 34. 87. Cum solarium aut descriptum, aut ex aqua, contemplere, intelligere declarari horas arte, non casu. *Varro* 2. *R. R.* 1. 7. In cælo describendo astrologi non appellassent eorum (*pecorum*) vocabulis signa. *Virg.* 6. *Æn.* 850. cælique meatus Describent radio. *Id.* 3. *Ecl.* 41. Descripsit radio totum qui gentibus orbem. *Quintil.* 10. 2. 6. Tabulas mensuris et lineis describere. *Seneca Tranquill.* 10. Exiguæ sæpe areæ in multos usus describentis patuere. — Huc referri potest et translatum illud *Cic.* 1. *Orat.* 49. 214. Crassus vero mihi noster visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus – describere. — Occurrit etiam de iis, quæ in arborum corticibus stilo notabantur. *Virg.* 5. *Ecl.* 14. In viridi nuper quæ cortice fagi Carmina descripsi. Adde *eumd.* 3. *Æn.* 445.; et cf. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 34. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 23. descripti cortice versus. Cf. *Vellej.* 2. 37. Pecunia omnis redacta in quæstoris potestatem ac publicis descripta litteris.

II.) Translate. ¶ 1. Est verbis exprimere, designare, demonstrare: et occurrit — *a*) Cum Accusativo rei, quæ describitur. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 165. Describere malos mores. *Cic. Orat.* 40. 138. hominum sermones moresque. *Id.* 1. *Invent.* 8. 11. Definienda res erit verbis et breviter describenda. *Id.* 2. *Herenn.* 12. 17. Vocabuli sententiam breviter describere. *Nepos Att.* 18. facta alicujus versibus. Cf. *Vellej.* 2. 37. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 34. Si quid Stertinius veri crepat, unde ego mira Descripsi docilis præcepta hæc. *Forcellinus* h. l. interpretatur haurire, sumere: sed potest, fortasse rectius, accipi pro versibus vivide repræsentari. *Tac.* 1. *Ann.* 81. Originem cujuscumque et vitam et stipendia descripsit. *Cic. Cœl.* 20. 50. Si qua mulier sit hujus modi, qualem ego paullo ante descripsi. *Sueton. Vit. Horat.* Qualis a se ipso et in satyris describitur. *Quintil.* 8. 2. 15. Describere pullum equinum. *Horat. Art. P.* 18. quum lucus et ara Dianæ Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros, Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus. *Id.* 2. *Sat.* 1. 15. Describere vulnera Parthi. Adde *eumd.* 2. *Ep.* 1. 154.; et *Quintil.* 3. 4. 3. et 5. 8. 2. — Hinc *Descripta* pro descriptione, *V.* in fin. hujus vocis. — *b*) Cum Infinito. *Ovid.* 2. *Trist.* 415. qui descripsit corrumpi semina matrum. *Gell.* 9. 1. Q. Claudius quum describeret, oppidum a Metello oppugnari. — *c*) Interdum paullo latiori significatione occurrit pro designare, notare. *Cic. Mil.* 18. 47. Videlicet me latronem ac sicarium abjecti homines ac perditi describebant. *Id. Sull.* 29. 82. Sed quia sunt descripti consulares, de his tantum mihi dicendum putavi. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 3. Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur, etc. ¶ 2. Cum addito altero Accusativo et præpos. *in*, *describere* est totum aliquod in suas partes distribuere, dividere, partiri. *Cic.* 2. *de republ.* 8. Populum in tribus tres – descripserat. *Id.* 2. *leg. Agr.* 31. 85. In eo agro duodena describit in singulos homines jugera. *Id. Flacc.* 14. 32. Omnes Asiæ civitates pro portione in provincias descripsit. Adde *eumd.* 16. *Fam.* 11. *Liv.* 1. 19. In duodecim menses describit annum. Adde *Flor.* 1. 2. 2. *Cic.* 2. *de republ.* 9. Describere plebem in clientelas. *Curt.* 5. 2. 6. equites in suam quisque gentem. *Vellej.* 2. 32. Descriptum in omnes recessus maris præsidium navium. — Hoc sensu *describere* absolute est idem atque *in tabulas referre*, conscribere. *Justin.* 9. 5. 4. Auxilia deinde singularum civitatium describuntur. Adde *Flor.* 1. 6. 5. *Liv.* 1. 42. Classes centuriasque describere. *Cic.* 3. *Legg.* 19. 44. populum censu, ordinibus. Adde *eumd.* 4. *de republ.* 2. *Liv.* 39. 38. legiones quatuor. *Cic. Dom.* 5. 13. Decuriatos ac descriptos habere exercitus perditorum. Adde *Liv.* 31. 34. et 34. 56. Cf. *eumd.* 30. 37. Decem millia talentum argenti, descripta pensionibus æquis, in annos quinquaginta solverent. — Rursus *Cic.* 2. *Orat.* 71. 288. Sed hæc ipsa nimis mihi videor multa in genera descripsisse. Sic *Plin.* 2. *Ep.* 6. Vinum lagunculis in tria genera descripserat. — Huc pertinet et illud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (270). Neque est minor ei veneratio, quam descriptis in deos stellis. *h. e.* destinatis, translatis adeoque distributis. Item illud *Senec. Ep.* 108. *circa med.* Non credis animas in alia corpora atque alia describi, et migrationem esse quam dicimus mortem. *h. e.* destinari, transferri adeoque distribui: ductum, ut *Forcellinus* opinatur, a militia, in qua milites in suos quisque ordines describuntur ac distribuuntur. ¶ 3. Hinc *describere*, præcipue cum Dativo personæ, est taxare, imponere, disponere, statuere quid cuique conveniat, jus suum cuique tribuere; quia hoc singulos describendo fit. *Cæs.* 3. *B. C.* 42. Vecturas frumenti finimitis civitatibus descripsit. *Cic.* 1. *Off.* 16. 51. Ut quæ descripta sunt legibus et jure civili, ita teneantur, ut etc. *Auct. B. Alex.* 51. Ut pecuniæ describerentur atque imperarentur. *Cic.* 12. *Fam.* 1. Pecuniæ maximæ describuntur. *Id.* 7. *Verr.* 25. 62. Civitatibus pro numero militum pecuniarum summas describere. *Justin.* 16. 3. 9. Describere tributum Græciæ in tutelam classis. *Cic.* 5. *Phil.* 8. 22. Quorum bona, quantacumque erant, statim comitibus suis compotoribusque descripsit. *Id.* 1. *Cat.* 4. 9. Descripsisti urbis partes ad incendia. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 6. 13. *Q. Cic. Petit. cons.* 14. 57. Suum cuique munus describere. Cf. *Sil. It.* 9. 287. munera pugnæ. *Cic.* 1. *de republ.* 2. Describere jura civitatibus. *Id.* 7. *Verr.* 11. 27. Pretio, non æquitate jura describere. *Id.* 1. *Off.* 34. 124. Magistratus debet servare leges, jura describere. *Id. Quinct.* 14. 45. Quis tandem nobis ista jura tam æqua describit? *Id. Senect.* 17. 59. A quo essent illa dimensa atque descripta. *Tac.* 11. *Ann.* 19. agros. *Horat. Art. P.* 86. vices poetæ. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus,

Descriptus, a, um, adjective quoque usurpatur (unde Comp. *Descriptior*) pro disposito, in ordinem redacto. *Cic.* 2. *Orat.* 34. 145. Materies orationis omnibus locis descripta, instructa ornataque. *Id. ibid.* 59. 200. Descriptus ordo verborum. *Id. Harusp. resp.* 28. 60. Suffragia descripta. *Id.* 3. *Fin.* 22. 74. Natura, qua nihil est aptius, nihil descriptius.

Descripta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, significant descriptionem. *Tac.* 6. *Ann.* 21. Recitari factorum dictorumque ejus descripta per dies jussit. *V.* supra sub II. 1.

DESCRIPTĒ, adverb. disposite, distincte. *Cic.* 1. *Invent.* 30. 49. In præsentia confuse et permiste partes dispersimus, post descripte et electe digeremus. *Alii leg.* discrete.

DESCRIPTĬO, ōnis, f. 3. actus describendi, delineatio (It. *descrizione, disegno*; Fr. *description, dessin, tracé*; Hisp. *descripcion, delineacion, trazo*; Germ. *die schriftliche Abzeichnung, Darstellung*; Angl. *a writing out, copy, transcript, description*).

I.) Proprie. *Cic.* 6. *de republ.* 22. Quum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eamdemque totius cæli descriptionem retulerint, etc. *Id.* 1. *Tusc.* 17. 38. Rationem illi (*antiqui*) sententiæ suæ non reddebant, nisi quid erat numeris aut descriptionibus explicandum. *Vitruv.* 8. 2. 8. *Schneid.* Ergo quum omnia flumina in orbis terrarum descriptionibus (*h. e.* in chartis, quæ a chorographis pinguntur) ab septentrione videantur profluere, etc.

II.) Translate. ¶ 1. Descriptio in eo consistit, ut aliquid verbis, præsertim graphice, exprimatur. *Quintil.* 11. 3. 164. Descriptio Siciliæ. *Id.* 4. 3. 12. regionum. *Id.* 9. 2. 44. Locorum dilucida ac significans descriptio. *Id.* 8. 3. 66. In descriptione convivii luxuriosi. — Speciatim de morali hominum charactere *Quintil.* 4. 2. 123. M. Cœlii in Antonium descriptio. Adde *Vopisc. Firm.* 1. — Hinc *descriptio* est ornamentum oratorium, quo res ad vivum exponuntur et demonstrantur: quæ a *Cic.* 3. *Orat.* 53. 205. inter sententiarum figuras recensetur, et gravissimum augendi lumen appellatur. *Id. Topic.* 22. 83. Additur definitioni etiam descriptio, quam Græci χαρακτῆρα vocant. Descriptio: Qualis sit avarus, qualis assentator, ceteraque ejusdem generis in quibus natura et vita describitur. Adde *Quintil.* 9. 1. 31. et cf. *eumd.* 9. 4. 138. — Hinc descriptio est etiam rei explicatio. *Cic.* 2. *Invent.* 18. 55. Nominis brevis et aperta descriptio. *Id.* 1. *Off.* 29. 101. Hæc est fere descriptio officii. ¶ 2. Item est divisio, conscriptio, distributio. *Cic. Planc.* 18. 45. Decuriatio tribulium, descriptio populi. *Id. Dom.* 50. 129. Celebrare descriptionem servorum vicatim tota urbe. *Sueton. Tib.* 30. Descriptio legionum et auxiliorum. Adde *Liv.* 4. 4. *Cic. Sext.* 65. 137. Nosse descriptionem civitatis a majoribus nostris sapientissime constitutam. *h. e.* magistratuum distributionem atque ordinem. *Id. Flacc.* 14. 32. In quo igitur prætoris est diligentia requirenda? In numero navium et in descriptione æquabili sumptus? *Id.* 1. *Off.* 7. 21. Ex quo fit, ut ager Arpinas Arpinatium dicatur; Tusculanus Tusculanorum: similisque est privatarum possessionum descriptio. *Id. ibid.* 27. 96. Est autem ejus (*decori*) descriptio duplex. Nam et generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honestate versatur, et aliud huic subjectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis. *Id.* 5. *Tusc.* 24. 69. Descriptio expetendarum fugiendarumve rerum. *Id.* 2. *Off.* 4. 15. Ex quo leges moresque constituti; tum juris æqua descriptio, certaque vivendi disciplina. ¶ 3. Item est ipse ordo ac dispositio partium, ex qua pulcritudo existit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 11. 26. Inde Anaxagoras – primus omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitæ vi ac ratione designari et confici voluit. *Id.* 1. *Legg.* 7. 23. Parent huic cælesti descriptioni mentique divinæ et præpotenti Deo. *Id.* 1. *Off.* 39. 138. Usus ad quem accommodanda est ædificandi descriptio. *Id. Senect.* 17. 59. Ego omnia ista sum dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio. *Id.* 2. *leg. Agr.* 16. 40. Urbs et natura et situ et descriptione ædificiorum et pulcritudine in primis nobilis. *Id. ibid.* 35. 95. Campani semper superbi bonitate agrorum et fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulcritudine. *Id.* 2. *Orat.* 15. 63. Rerum ratio (*in historia*) ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 3. 9. Descriptiones temporum. *Colum.* 4. *R. R.* 18. 2. Hortulorum descriptio. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ante med.* Ea varietate, ea descriptione, quocumque inciderint oculi, reficientur.

DESCRIPTIUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a descriptio, parva descriptio. *Seneca Suasor.* 2. *ante med.* Celebres descriptiunculas subtexere.

DESCRIPTĪVUS, a, um, adject. qui definit ac describit. *Boeth. de definit.* p. 65. Quid definitio ὑπογραφική sit, quæ a M. Tullio descriptio nominatur, proposita ratione docebimus. Descriptiva ista dicitur esse definitio, ut, quum quæritur, quid avarus sit, quid crudelis, quid luxuriosus, et universa luxuriosi, crudelis, avari natura describitur.

DESCRIPTOR, ōris, m. 3. qui describit. *Lactant.* 5. 9. *a med.* Seneca morum vitiorumque publicorum et descriptor verissimus et accusator acerrimus fuit.

DESCRIPTUS, a, um. *V.* DESCRIBO.

DESCRŎBO, as, are, a. 1. (de et scrobs) in scrobem insero, immitto. *Tertull. Resurr. carn.* 7. Uti tu quidem Scythicas et Indicas gemmas operosissimo describes auro. *h. e.* in aurum, quasi in scrobem, inseras.

DESCULPO, is, ere, a. 2. (de et scalpo *vel* sculpo). sculpendo describo, sive juxta exemplar effingo. *Tertull.* 1. *advers. Nat.* 12. Simulacrum lapide desculpere.

DĔSĔCO, sĕcas, sĕcui, sectum, sĕcare, a. 1. (de et seco). Part. *Desecans* et *Desectus* I. — Deseco est abscindo, secando separo.

I. Proprie. — *a*) Absolute. *Varro* 1. *R. R.* 41. 3. Desecare vitem. *Colum.* 2. *R. R.* 17. 5. herbam. *Id.* 11. *ibid.* 1. 8. segetes et prata. *Cæs.* 7. *B. G.* 4. Aures desectæ, singuli effossi oculi. *Liv.* 31. 34. Desecare cervicem. *Id.* 42. 64. spicas fascibus. *Virg.* 8. *Æn.* 438. desecto vertens lumina collo. *Auson. Epigr.* 108. 13. Desectos sic fama viros. *h. e.* castratos. — *b*) Cum addito per Ablativum toto, a quo aliquid desecatur. *Cic. Tim.* 7. Partes ex toto dese-

cans. *Horat.* 1. *Od.* 16. 15. Desecare particulam undique. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 85. saxa desecta metallis. *h. e.* excisa e lapicidinis.

II.) Translate. *Cic.* 16. *Att.* 6. 4. Novum procemium exaravi: tu illud desecabis, hoc agglutinabis.

DĒSĔCRĀTUS, a, um, *et* } *V.* DESACRO.
DĒSĔCRO, as, etc. }

DĒSECTĬO, ōnis, f. 3. desecandi actus. *Colum.* 6. *R. R.* 3. 1. Desectio stramentorum. *Est qui legit* dissectio.

DĒSECTUS, a, um. *V.* DESECO.

DĒSĔNEO, es, *vel rectius*

DĒSĔNESCO, sēnescis, sēnui, sēnescere, n. 3. (de *et* senesco) idem ac seneo, senesco. *Sallust. fragm.* apud *Priscian.* 10. *p.* 887. *Putsch.* Nisi cum ira belli desenuisset.

DĒSĔRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *desero, as,* etc., reseratus. *Apul.* 1. *Met.* Januæ, quæ sua sponte deseratæ nocte fuerunt. *Al. rectius leg.* reseratæ.

DĒSĔRO, seris, sevi, situm, serere. *V.* in DESITUS.

DĒSĔRO, sĕris, sĕrŭi, sertum, sĕrere, a. 3. Part. *Deserens* II.; *Desertus* in omnibus paragr. et in fin.; *Deserturus* I.; *Deserendus* I. — Deserere, cui opponuntur *adserere* et *conserere*, est se ab alicujus societate solvere, adeoque *relinquere, derelinquere, prodere*, quibus cum verbis interdum conjungitur (It. *abbandonare, lasciare*; Fr. *abandonner, delaisser, déserter*; Hisp. *abandonar, dexar, desertar*; Germ. *Jemanden oder etwas verlassen, aufgeben, im Stich lassen*; Angl. *to abandon, leave, forsake, desert*).

I.) Proprie usurpatur de hominibus aut rebus, quæ derelinquuntur. — *a*) Generatim. *Plaut. Capt.* 2. 3. 75. Deserere pignus. *Id. Pseud.* 1. 3. 147. et 2. 2. 6. Meus hic est homo, nisi omnes dii me atque homines deserunt. *Id. ibid.* 1. 1. 101. amantem. *Ter. Andr.* 4. 2. 11. Per omnes tibi adjuro deos, numquam eam me deserturum. *Id. Eun.* 2. 2. 7. Quo redactus sum? omnes noti me atque amici deserunt. *Id. Heaut* 2. 3. 64. Mulier telam deserit continuo. *Cod. Bemb.* rectius habet *desinit*: V. DESINO I. *a. Cæs.* 1. *B. G.* 45. Optime meritos socios deserere. *Cic. Planc.* 5. 13. Sitientem me virtutis tuæ deseruisti ac dereliquisti. *Id.* 5. *Verr.* 51. 120. Aratores agros lætos ac fertiles deserunt. *Id.* 2. *leg. Agr.* 30. 84. Agri deserti a plebe atque cultura hominum. *Liv.* 24. 43. Propter conjurationem desecondæ Italiæ ad Cannas factam. *Auct. B. Afr.* 26. *ad fin.* Diruere ac deserere oppida. *Virg.* 10. *Æn.* 600. fratrem ne desere frater. *Id.* 2. *ibid.* 565. Deseruere omnes defessi. *subaudi* me. *Id.* 10. *ibid.* 649. thalamos ne desere pactos. *Curt.* 5. 13. 3. Rex milites insepultos deseruit. V. *Mützell.* ad h. l. *Tac.* 1. *Ann.* 65. Metu an contumacia locum desererent. — Et Passive, cum Ablativo sine præpos. apud poetas tantum. *Ovid. Heroid.* 12. 161. Deseror (amissis regno patriaque domoque) Conjuge, qui nobis omnia solus erat. *Cf. Propert.* 2. 7. 17. abrepta desertus conjuge Achilles. *V.* mox sub *b.* — *b*) Speciatim in re militari *deserere* dicuntur, qui, injussu ducis et sine commeatu signa deserunt, deficiunt, desciscunt: unde *desertor*, *V.* hanc vocem. *Cæs.* 1. *B. C.* 76. Se exercitum ducesque non deserturos, neque proditurus. Adde *Cic.* 7. *Verr.* 42. 110. — Et passive. *Quintil.* 9. 2. 15. A magna parte militum deseri. Cf. *Vellej.* 2. 80. Deseri a militibus. *Justin.* 2. 4. 29. ab auxiliis. Et omissa præpos. *Tac.* 3. *Ann.* 20. *extr.* Neque proelium omisit, donec desertus suis caderet. *V.* paullo sup. sub *a.* — Et absolute eodem sensu *Quintil.* 9. 2. 85. Ire in aciem coactus, deseruit. Adde *Ammian.* 31. 7. 4.

II.) Translate. — *a*) Usurpatur de hominibus, qui officia, jura sua, et cetera hujusmodi omittunt. *Cæs.* 1. *B. C.* 75. Petrejus vero non deserit sese: armat familiam. *Id.* 3. *ibid.* 18. Deserere susceptum officium. *Cic. Senect.* 20. 72. vitam. *Id. Cæcin.* 35. 103. jus suum. *Id. Sull.* 20. 58. et *Fat.* 6. 12. causam. *Id.* 1. *Fin.* 7. 24. ullam officii partem. *Id.* 3. *Att.* 19. Non deseram fratris preces, nec Sextii promissa, nec spem Terentiæ, nec Tulliolæ obsecrationem, et fideles litteras tuas. *Sall. Jug.* 70. Deserere deditionem. *Horat.* 3. *Od.* 29. 9. fastidiosam copiam. *Id. ibid.* 21. 44. viam virtutis. *Id.* 2. *Ep.* 3. 287. vestigia Græca. *Propert.* 2. 15. 49. fructum vitæ. *Quintil.* 12. 2. 8. studia sapientiæ. — *b*) De inanimis, quæ alicui deficiunt. — Active. *Plaut. Merc.* 1. 2. 13. Genua hunc cursorem deserunt. *Cic.* 1. *Tusc.* 46. 110. Multo tardius fama deseret Curium, Fabricium, etc. *Id.* 7. *Att.* 7. *sub fin.* Facerem diutius, nisi me lucerna desereret. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 10. ætas. *Id. Art. P.* 41. Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo. *Tac.* 6. *Ann.* 50. Jam corpus, jam vires, nondum dissimulatio eum deseruerat. *Quintil.* 2. 1. 9. Eam partem rhetorices institutio deserit. — Passive. *Cæs.* 5. *B. G.* 34. Erant et virtute et numero pugnando pares nostri: tametsi a duce et a fortuna deserebantur. Cf. *Vellej.* 2. 80. Deseri a militibus et fortuna. *Cic.* 4. *Att.* 10. A ceteris oblectationibus deseror et voluptatibus propter rempublicam. *Id.* 16. *ibid.* 3. Deserimur ocius a re familiari, quam a republica. *Id.* 3. *ibid.* 15. A mente non deseror. *h. e.* firma mente sum. *Id. Cluent.* 40. 110. Rostra deserta a voce tribunicia. *Id. Amic.* 15. 55. Vita inculta et deserta ab amicis. Et cum Ablativo sine præpos., apud poetas tantum, *Phædr.* 1. 21. Leo defectus annis et desertus viribus. *Stat.* 4. *Theb.* 707. fumant desertæ gurgite valles. — *c*) Absolute omnino *Ovid.* 15. *Met.* 118. Deseret ante dies, quam consequar omnia dictis. *h. e.* tempus me deficiet. *Plin.* 3. *Ep.* 5. Erat sane somni paratissimi: nonnumquam etiam inter studia instantis et deserentis. *Alii pro* paratissimi *leg.* parcissimi, *et pro* deserentis *leg.* differentis. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla superius retulimus,

Desertus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Desertior*, et Sup. *Desertissimus* I. et II.

I.) Proprie — *a*) Quum de loco sermo est, incultum, solitarium et inhabitabilem significat. *Cæs.* 5. *B. C.* 53. Nocturna in locis desertis concilia habebat. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. Urbes dirutæ ac desertæ. *Id. Sext.* 22. 50. Desertissimas Africæ oras. *Id. Cæl.* 18. 42. Via deserta et inculta, atque interclusa frondibus et virgultis. *Plin.* 6. *Ep.* 16. 13. Relictæ desertæque villæ. *Quintil.* 5. 10. 37. Frequens, an desertus locus. Similiter *Tibull.* 1. 1. 17. Nam veneror seu stipes habet desertus in agris, Seu vetus in trivio florea serta lapis. *Brouckusius* h. l. *desertum* interpretatur defixum, depactum; affertque illud simile *Ovid.* 2. *Fast.* 641. Termine, sive lapis, sive es defossus in agro Stipes ab antiquis. At bona tanti viri venia apud *Tibull.* τὸ *desertus* est solitarius, namque eidem mox opponitur trivium, hoc est locus multitudine frequens. Sic *Propert.* 1. 20. 36. Arbores desertæ. *Id. ibid.* 18. 31. resonant mihi Cynthia silvæ, Nec deserta tuo nomine saxa vocant. — *b*) De hominibus et brutis animantibus. *Cic.* 1. *Fam.* 5. *ad fin.* Quum rex intelligat, – nisi per te sit restitutus, desertum se atque abjectum fore, etc. In illo *Propert.* 1. 17. 2. desertas alloquor alcyonas. *desertæ* sunt solivagæ, non gregatim volitantes. Sic *Ovid. Heroid.* 18. 81. Alcyones solæ, memores Ceycis amati.

II.) Translate *Cic.* 7. *Verr.* 67. 171. Desertissima solitudo. *Id. Pis.* 23. 55. Sic iste in urbem se intulit, ut nullius negotiatoris obscurissimi reditus unquam fuerit desertior. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 5. Ad urbem accessit a. d. XII. Kal. Octobr. Nihil turpius, nec desertius. — Hinc

Deserta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt loca deserta. *Virg.* 1. *Æn.* 388. Libyæ deserta peragro. *Id.* 3. *G.* 291. me Parnassi deserta per ardua dulcis Raptat amor. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 4. 1. (26). Vasta deserta. *Id.* 32. *ibid.* 11. 53. (112). Neque enim desertorum novimus feras, aut volucres. — Eodem sensu

Desertum, i, n. 2. in singulari numero occurrit apud sequioris ævi scriptores. *Prudent. Apoth.* 774. Quinque in deserto panes jubet et duo pisces Apponi in pastum populis. *Hieronym. Ep.* 125. n. 2. Quid venenatorum animalium desertum hujus sæculi nutriat.

DĒSERPO, pis, pere, n. 3. (de *et* serpo) deorsum serpo. *Stat.* 6. *Theb.* 585. Deserpitque genis lanugo. *Apul. de Mag.* Quam decenter utrinque lanugo malis deserpat.

DĒSERTĬO, ōnis, f. 3. deserendi actus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Capell.* 6. *p.* 196. Duæ zonæ, quæ axi utrinque confines, algore immensu et frigore damnatæ, desertionis causas pruinis mergentibus præbuere. *Id. ibid. p.* 197. Altera regio transaustrini halitus desertione contrahitur. ¶ 2. Speciatim in re militari est crimen militis desertoris. *Modestin. Dig.* 49. 16. *qui est* de re militari, 3. *et* 5. et *Arrius Menand. ibid.* 4. *etc.*

II.) Translate. ¶ 1. Abstracte. *Liv.* 41. 24. Desertio juris humani. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *ante med.* Nutrimenti desertio. ¶ 2. Abstractum pro concreto, uti ajunt, desertio significat loca deserta. *Capell.* 6. *p.* 223. Profundæ in exordio nives dehinceque longa desertio.

DĒSERTO, as, are, a. 1. frequentat. a *desero*. Afferunt quidam ex *Accio* hæc verba: *Cum me solum uterque parens desertassent.* Sed quam vera, ipsi viderint. — Verbum hoc tamen occurrit passive usurpatum apud *Apponium* scriptorem sæculi sexti *editum* ab *A. Majo Spicil. Rom. T.* 5., qui in *Comment.* in *Cant. Cant.* ait: Paradisi hortus, qui desertatus fuerat per primum Adam.

DĒSERTOR, ōris, m. 3. qui deserit.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Fin.* 19. 64. Communis utilitatis aut salutis desertor. *Id.* 8. *Att.* 9. 3. amicorum. *Virg.* 12. *Æn.* 15. Dardanius desertor Asiæ. *Ovid. Heroid.* 19. 157. socii Amoris. ¶ 2. Speciatim *desertor* dicitur miles, qui injussu ducis, ac sine commeatu signa deserit: ut docet *Isid.*, qui ait 9. *Orig.* 3. 39. Desertores vocati eo quod, desertis militaribus officiis, evagantur. Hi in alios numeros militiæ nomen dare prohibentur; sed si non magni temporis culpam contraxerint, eisi numeris suis restituuntur. Sed et qui deserunt exercitum ad hostes transeuntes, et ipsi desertores vocantur. Ceterum hanc et superiorem significationem conjungit *Vellej.* 2. 85. M. Antonius imperator, qui in desertores sævire debuerat, desertor exercitus sui factus est. Cf. *eumd.* 2. 119. Vala Numonius, legatus Vari, spoliatam equite peditem relinquens non desertis superfuit, sed desertor occidit. *Cæs.* 6. *B. G.* 22. Desertores et proditores. *Liv.* 23. 18. *extr.* Neque aliæ latebræ, quam Capua desertoribus erant. *Id.* 3. 69. Pro desertore futurum cujus non probassent causam. *Curt.* 10. 2. *ad fin.* Desertores et transfugæ. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 21. et 3. *ibid.* 73.; *Sueton. Cæs.* 68. et *Oth.* 11.; *Flor.* 4. 2. 52.; et *Frontin.* 4. *Strateg.* 1. 29.

II.) Translate. *Stat.* 8. *Theb.* 739. odi artus fragilemque hunc corporis usum Desertorem animi.

DĒSERTRIX, icis, f. 3. quæ deserit. *Tertull. Habit. mul.* 1. Tu es divinæ legis prima desertrix.

DĒSERTUM, i, n. 2. *et*

DĒSERTUS, a, um. *V.* DESERO.

DĒSERVĬO, is, ire, a. 4. (de *et* servio). Part. *Deserviens.* — Deservio est diligenter servio, operam do, præsto sum, inservio. *Cic.* 16. *Fam.* 18. Indulge valetudini, cui tu adhuc, dum mihi deservio, servisti non satis. *Id. Sull.* 9. 26. Si labor meus, si sollicitudo, si officia, si operæ, si vigiliæ deserviunt amicis, præsto sunt omnibus. *Id.* 1. *Legg.* 13. 39. Deservire corpori. *Id.* 1. *Off.* 30. 109. Deserviunt cuivis, dum, quod velint, consequantur. *Ovid.* 1. *Amor.* 3. 5. Deservire alicui. *Plin. Paneg.* 77. honoribus. *Id. ibid.* 50. unius oculis. *Id.* 7. *Ep.* 7. studiis. *Quintil.* 1. 12. 6. soli grammatico, deinde geometræ. *Id.* 11. 3. 77. Deserviens his (oculis) ministerium.

DĒSERVĪTĬO, ōnis, f. 3. deserviendi actus. *Vulgat. Ital. Numer.* 18. 21. edente *A. Mai.* Filiis Levi ecce dedi omnem decimationem in sortem pro deservitionibus eorum, quibus deserviunt ipsi in tabernaculo testimonii. *Ibid. Johel* 1. 14. Sanctificate jejunium, prædicate deservitionem, convocate seniores. *In Fragmentis antiquissimis Arrianorum sæc. quarti vel quinti ex palimpsesto ed. Majo* (*script. vet. Tom.* 3. *Part.* 2.) *p.* 235. Quemadmodum sol exhibet tibi deservitionis ministerium.

DĒSES, sĭdis, adject. otiosus, qui nihil agit: a desideo. Est vox, quæ ante *Ciceronem* numquam invenit; et occurrit — *a*) De personis. *Liv.* 1. 32. Desidem Romanorum regem inter sacella et aras acturum esse regnum rati. *Id.* 3. 68. Sedemus desides domi. *Tac.* 1. *Hist.* 88. Longa pace desides. *Id.* 2. *ibid.* 21. Ut segnem ac desidem militem increpabant. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 2. Desidem agricolam ab opere suo reddit. *Gell.* 13. 8. Homines ignari ac desides. — *b*) De rebus præcipue abstractis. *Liv.* 21. 16. Nec rem Romanam tam desidem unquam fuisse atque imbellem. *Lucan.* 9. 436. natura desidis torpet Orbis. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 85. Desidis otia vitæ. *Id. ibid.* 1. 2. Deses annus. *h. e.* in quo nihil agitur. *Id.* 5. *ibid.* 2. 61. passu. *Id.* 6. *Theb.* 147. cura. *Id.* 10. *ibid.* 87. somni.

DĒSICCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒSICCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et sicco). Part. *Desiccatus.* — Desicco est valde sicco, arefacio. *Plaut. Truc.* 2. 7. 30. Vasa nolo auferant: desiccari iubet. *Seren. Sammon.* 48. 900. Præterea chymum stomacho desiccat iniquum. *Apul. Herb.* 49. Herba desiccata, et in pulverem redacta.

DĒSĪDEO, sides, sēdi, sidere, n. 2. (de et sedeo) idem quod sedeo, otiosus sedeo, moror; adeoque sæpe habet in se otii quoque et nihil agendi significationem. ¶ 1. Stricto sensu ac generatim. *Plaut. Pseud.* 4. 4. 7. Quid tu intus, quæso, desedisti? *Id. Bacch.* 2. 3. 3. Meus formidat animus, nostrum tamdiu ibi desidere, neque redire filium. *Ter. Hecyr.* 5. 3. 2. Frustra ibi totum desedi diem. *Phædr.* 2. 4. Aquila desidet ramis. *Seneca Ep.* 7. Desidere in aliquo spectaculo. *Quintil.* 5. 8. 1. amœnioribus locis. — Sic pro otiose agere, nihil agere, apud *Sueton. Cæs.* 4. Ne desidere in discrimine sociorum videretur. ¶ 2. Latiori sensu ac speciatim apud Medicos honeste ponitur pro ventrem exonerare. *Cels.* 2. 7. Cum voluntas desidendi est, venter nihil reddit. *Id.* 4. 17. Tum desideat subjecta calida aqua in pelve. Adde *eumd.* 2. 12. — *NB.* Pro subsidere, mergi, *V.* DESIDO.

DĒSĪDĔRĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Desiderabilior.* — Desiderabilis est expetendus. *Cic.* 1. *Fin.* 16. 53. Nihil enim desiderabile concupiscunt. *Id. Topic.* 18. 69. Desiderabilia anteponentur iis, quibus facile carere possis. *Liv.* 24. 5. Velut suis vitiis desiderabilem efficere vellet avum. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Desiderabilis et magnus princeps. *Sueton. Tib.* 21. Ut tali successore desiderabilior ipse quandoque fieret.

DĒSĪDĔRĀBĬLĬTER, adverb. cupide, ut *Desiderabiliter concupiscere*, apud *Augustin. Ep.* 113. 2.

DĒSĪDĔRANDUS, a, um. *V.* DESIDERO.

DĒSĪDĔRANS, antis. *V.* DESIDERO.

DĒSĪDĔRANTER, adverb. Comp. *Desiderantius.* — Desideranter est cupide. *Cassiod.* 1. *Variar.* 4. Aliquid desideranter appetere. *Fronto ad Ver. Imp.* 12. (edente iterum *A. Majo*). Irasceris enim quanto desiderantius desideras.

DĒSĪDĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus desiderandi. *Cic. Senect.* 14. 47. At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus: credo, sed ne desideratio quidem. Adde *Vitruv.* 2. 6. *a med.* qui in *præf. l.* 8. *ad fin.* in plurali numero usurpat.

DĒSĪDĔRĀTĪVUS, a, um, adject. ad desiderium pertinens, desiderium significans. Hinc *desiderativa* verba dicuntur a grammaticis, quæ desiderium significant, ut *esurio*, *cœnaturio*. *Augustin. Grammat.* p. 2006. *Putsch.* Hæc ab aliis *meditativa* plerumque dicuntur. *V.* MEDITATIVUS.

DĒSĪDĔRĀTUS, a, um. *V.* DESIDERO.

DĒSĪDĔRĬUM, ii, n. 2. cupiditas, studium, sitis (It. *desiderio*, *brama*, *desio*, *voglia*; Fr. *désir ardent*, *envie*, *souhait*, *regret*; Hisp. *deseo*, *anhelo*, *codicia*; Germ. *das Verlangen nach etwas*, *die Sehnsucht*, *der Wunsch*, *das Bedürfniss*; Angl. *a longing for*, *desire*, *love*, *affection*). Usurpatur ¶ 1. Generatim — 1.°) De quacumque cupiditate vel studio; et quidem — *a*) Cum Genitivo rei, quæ desideratur. *Ter. Heaut.* 2. 3. 65. Continuo et lacrumis opplet os totum sibi: ut facile scires desiderio id fieri tuo. *h. e.* tui. *Id. Hecyr.* 1. 2. 13. Te desiderium Athenarum cepit. *Lucret.* 3. 911. nec tibi earum Jam desiderium rerum insidet insuper una. *Id. ibid.* v. 935. Nec desiderium nostri nos attigit ullum. *Cic. post redit. ad Quirit.* 1. 1. Ut desiderium mei vos teneret. *Id. Rabir. perduell.* 5. 11. Relinquere desiderium sui apud aliquem. *Id. Senect.* 10. 33. Teneri desiderio alicujus rei. *Id.* 5. *Att.* 11. Flagrare desiderio alicujus rei. et *Orat.* 10. 33. incendi. *Id.* 2. *Fam.* 12. *extr.* Esse in desiderio rerum carissimarum. *h. e.* desiderare. *Id.* 10. *Phil.* 7. 14. Brutus erat in desiderio civitatis. *h. e.* desiderabatur. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 22. Incutere alicui desiderium urbis. *Liv.* 7. 24. Facere alicui desiderium alicujus rei. *Ovid.* 3. *Trist.* 2. 21. Desiderium locorum. — *b*) Raro absolute. *Ter. Heaut.* 4. 5. 5. Magno desiderio fuit ei filius. *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 21. Desiderium est libido ejus, qui nondum adsit, videndi. *Id.* 1. *Orat.* 47. 105. Ea si paullo latius dixeris, expleris omnem expectationem desiderii nostri. *Id. Amic.* 21. 81. Idque faciunt cum desiderio. *Horat. Epod.* 17. 80. Desiderique temperare poculum. *h. e.* amatorium poculum, φίλτρον. *Sueton. Cal.* 6. Desiderium defuncti. *Quintil.* 8. 4. 29. Demus hoc desiderio jam pæne publico. *Inscript.* apud *Gruter.* 408. 1. *lin.* 40. TAM FELICITER DESIDERIVM PVBLICVM APVD EVM (*Antonium Aug. Pium*) AIT PROSECVTVS, IMPETRANS VT etc. Alia apud *Murat. præfat.* p. 10. RECTE IGITVR FECERIS SI DESIDERIO EJVS ANNVERIS. — *c*) In plurali numero. *Cic. Rabir. perduell.* 9. 24. Qui — desideria imperitorum misericordiā commoveret. *Horat.* 4. *Od.* 5. 15. Sic desideriis icta fidelibus Quærit patria Cæsarem. — 2.°) Desiderium dicitur dolor ipse et molestia, quam affert privatio rei optatæ. *Cic.* 16. *Fam.* 11. Non ignoro, quantum ex desiderio labores. *Id.* 15. *ibid.* 21. Me tanto desiderio afficis, ut unam consolationem relinquas, fore, ut utriusque desiderium crebris epistolis leniatur. et *ibid.* 20. Tolerabilius ferre igniculum desiderii. *Id. Orat.* 10. 33. Confici desiderio. *Id.* 7. *Fam.* 18. æstuare. *Id.* 16. *ibid.* 10. oblanguere. *Id.* 1. *Att.* 3. Aviam tuam scito desiderio tui mortuam esse. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 15. Ut in medio dolore ac desiderio tui lætarer. *Id. Brut.* 1. 2. Triste alicui desiderium relinquere. *Horat.* 1. *Od.* 24. 1. Quis desiderio sit pudor, aut modus Tam cari capitis? *Inscript.* apud *Donat.* 358. 5. POST DESIDERIVM SORORIS SVAE VNA DIE SVPERVIXIT. — Neque solum dicimus *desiderium tui*, h. e. dolorem ex absentia tui; sed etiam *desiderium absentiæ*, *discidii*, et hujusmodi, hoc est dolorem propter absentiam, etc. *Cic.* 2. *Phil.* 18. 45. Ipse autem amore ardens confirmabat, quod desiderium tui discidii ferre non posset, se in exsilium iturum. (Ubi frustra quidam lectionem sollicitarunt). *Seneca Ep.* 40. Imagines amicorum desiderium absentiæ falso atque inani solatio levant. — 3.°) Præterea desiderium dicitur quidquid naturaliter appetitur a re qualibet, quod ei opus sit ad sui conservationem. *Liv.* 21. 4. Desiderium cibi potionisque. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 43. (127). Desideria scabendi tollunt cochleæ. *Id.* 33. *ibid.* 3. 14. (50). Aureis vasis uti in omnibus desideriis obscænis. *Id.* 11. *ibid.* 50. 111. (264). Caudæ omnibus fere animal gignentibus, pro desiderio corporum. *Id.* 23. *ibid.* 2. 29. (61). Oxymeli prodest et anginis, et auribus, et oris gutturisque desideriis. *Id.* 20. *ibid.* 22. 90. (246). Serpyllum ex aqua bibitur ad jocinerum desideria. ¶ 2. Speciatim desiderium dicitur, qui est nostri desiderii causa, vel, uti ajunt, objectum. *Horat.* 1. *Od.* 14. 17. Nuper sollicitum quæ mihi tædium, Nunc desiderium curaque non levis. *Catull.* 2. 5. Cum desiderio meo nitenti Carum nescio quid lubet jocari. — Hinc blanda appellatione *desiderium* dicitur, qui valde nobis carus est. *Cic.* 14. *Fam.* 2. 2. Valete, mea desideria (*h. e.* Terentia et Tulliola), valete. ¶ 3. Item speciatim sub imperatoribus, h. e. apud sequioris ævi scriptores, *desideria* sunt postulata et petitiones. *Tac.* 1. *Ann.* 19. Blæsus multa dicendi arte, non per seditionem et turbas desideria militum ad Cæsarem ferenda ait, neque veteres ab imperatoribus priscis, neque ipsos a divo Augusto tam nova petisse. *Id. ibid.* 26. Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum. *Sueton. Aug.* 17. Donec desideria militum ordinarentur. *Id. ibid.* 53. Tanta comitate adeuntium desideria excipiens. Adde *Plin. Paneg.* 79. *Ulp. Dig.* 25. 3. 5. Singulorum desideria perpendere judicem oportet. *Id. ibid.* 1. 16. 9. *a med.* Ut omnium desideria audiantur. — Hinc *libellus desiderii* est, quod Itali *memoriale* dicunt. *Inscript.* apud *Gruter.* 607. 1. DESIDERII ARRII ALFII FADILLAE LIBERTI LIBELLVM TIBI MISI. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 186. et *Zirardini Lez. Novell.* p. 245.

DĒSĪDĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Ratione habita etymi, certum esse, ait *Paul. Diac.* p. 75. 8. *Müll.*, a sideribus duci: nempe *desiderare* est sidera attente intueri, ut ex iis divines de rebus futuris, quas expetis et cupis: *V.* PRÆSIDERARE. Ceterum nihil obstat, quominus *desiderare*, quemadmodum *considerare* et *sidus*, *eris*, sit ab etymo *sid*, quod a Græco εἴδω *video*; perinde ac si *desiderare* sit percupidos in rem aliquam oculos conjicere. — Part. *Desiderans* 1. et in fin.; *Desideratus* 1. et in fin.; *Desideraturus* et *Desiderandus* 1. — Desiderare est cupere, expetere (It. *desiderare*, *bramare*, *richiedere*; Fr. *désirer vivement*, *souhaiter*, *soupirer après*; Hisp. *desear*, *apetecer*, *anhelar*; Germ. *sich sehnen*, *verlangen*, *wünschen*; Angl. *to desire*, *wish*, *long for*). Occurrit ¶ 1. Generatim — 1.°) De quocumque desiderio. — *a*) Cum Accusativo personæ, aut rei. *Plaut. Capt.* 2. 2. 66. Quam tu filium tuum, tam pater me meus desiderat. *Ter. Eun.* 1. 2. 113. Dies noctesque me ames, me desideres, me somnies, me expectes, de me cogites. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 5. 3. Nec sitio honores, nec desidero gloriam. *Id. Senect.* 9. 27. Ne nunc quidem vires desidero adolescentis, non plus quam adolescens tauri aut elephanti desiderabam. *Id. post redit. ad Quirit.* 1. 4. Sed omnia desiderata magis, quam assidue percepta delectant. *Id. Amic.* 24. 88. Natura declarat, quid velit, anquirat, desideret. *Id. Arch.* 11. 27. Nullam virtus aliam mercedem desiderat, præter hanc laudis. *Cæs.* 3. *B. C.* 74. Desiderare centurionis imperium. *Horat.* 3. *Od.* 1. 25. Desiderantem quod satis est. *Quintil.* 4. 1. 52. Quid desideremus, aut deprecemur. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Ille quidem nobis quærendus et desiderandus est. *Id.* 7. *ibid.* 1. Spero nihil me desideraturum vel pudore, vel pænitentia dignum. — *b*) Cum Infinito. *Plaut. Merc.* 1. 2. 37. Ego bonum, malum quo accedit, mihi dari haud desidero. *Id. Stich.* 4. 1. 10. Mihi gratiam abs te inire verbis desidero. *Quintil.* 12. 10. 62. Nec doceri desiderabit judex. *V.* infra sub e. — *c*) Cum præpos. *ab* vel *in* et Ablativo ad notandam personam, a qua vel in qua aliquid desideratur, requiritur, deest. *Cic.* 3. *de republ.* 8. Ab Chrysippo nihil magnum, nec magnificum desideravi. *Quintil.* 3. 1. 2. Hoc a me præcipue opus studiosos ejus desiderasse. *Id.* 5. 10. 3. Quod non utique ab oratore desideratur. *Cic. Brut.* 31. 118. Unum excipio Catonem, in quo summam eloquentiam non desiderem. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. In milite modestiam et continentiam desiderare. *Cic. Quinct.* 17. 55. Ridet nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officii desideremus et instituta bonorum virorum requiramus. *Quintil.* 7. 2. 55. In foro tantam illam facilitatem olim desideravimus. — *d*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 30. Misere amans desiderat. *Id. Mil. glor.* 4. 6. 29. Quæritet, desideret, exspectet. *Ter. Heaut.* 3. 1. 15. Quanto diutius abest, magis cupio tanto, et magis desidero. — *e*) Cum Nominativo rei. *Cic. Planc.* 5. 13. Te oculi mei desiderant. *Tac. Agric.* 45. Aliquid oculi tui desideraverunt. *Cic.* 5. *Att.* 16. Hæc quæ longiorem desiderant orationem, summatim tibi perscribo. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 4. *a med.* De versibus, quos tibi scribi a me vis, deest mihi quidem opera, quæ non modo tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat. *Quintil.* 6. 2. 53. Quod est frequentius, quam ut exemplum desideret. *Id.* 3. 7. 4. Laus probationem desiderat. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 40. (249). Desiderant rigari arbores. *Id. ibid.* 8. 4. (48). Caix fimi desiderat aliquantulum. — 2.°) Eleganter ponitur, cum significare volumus, abesse, aut deesse aliquid, quod requirimus. Neque enim, nisi quod deest, desiderari quidquam potest. Hac ratione fere adhibetur aut passive, aut cum negatione. — *a*) Generatim. *Plaut. Bacch.* 4. 8. 73. Si non est, nolis esse, neque desideres. *Cic.* 2. *de republ.* 38. Audies, quid in oratione tua desiderem. *Id.* 12. *Att.* 40. Quis aut congressum meum, aut facilitatem sermonis desideravit? *Id.* 7. *Att.* 26. Sic erit bellum, partes meæ non desiderabuntur. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 1. Quinque dies tibi pollicitum me rure futurum, Sextilem totum mendax desideror. — *b*) Speciatim usurpatur de amissis, ac præcipue per euphemismum de morte. *Cic.* 6. *Verr.* 44. 96. Neque quidquam ex fano, præter unum perparvulum signum ex ære, desideratum est. *Cæs.* 5. *B. G.* 33. Ut ex tanto navium numero nulla omnino navis desideraretur. *Id.* 2. *B. C.* 32. Incolumem exercitum, nulla omnino nave desiderata, transducere. *Id.* 7. *B. G.* 11. Perpauci ex hostium numero desiderati. *Id. ibid.* 51. Eo die milites sunt paullo minus septingenti desiderati. *Vellej.* 2. 52. 6. Neminem nisi acie consumptum civem patria desideravit. *Curt.* 3. 29. 27. Ex peditibus triginta omnino et duo desiderati sunt. Adde *eumd.* 4. 16. 26. *V.* ACIES. — *c*) *Fortiter desiderare* est magno animo ferre amissionem alicujus rei. *Seneca Consol. ad Marc.* 16. Tibi si vis referri exempla feminarum, quæ suos fortiter desideraverunt. ¶ 2. Speciatim apud JCtos aliquando ponitur pro petere et postulare in judicio. *Ulp. Dig.* 27. 2. 2. *extr.* Imputabitur ei, cur non adito prætore, desideravit alimenta minui. *Id. ibid.* 37. 10. 5. *sub fin.* Desiderandum a prætore, ne etc. — Hinc Part. præs., cujus exempla superius retulimus,

Desiderans, antis, adjective quoque occurrit, unde Superlativum Desiderantissimus pro desiderandissimus, h. e. maxime desiderandus, mutata scilicet d in t, ut sæpe at pro ad in vetustis monumentis et codicibus, legitur in epist. M. Aur. Antonin. apud Fronton. 1. ad M. Cæs. (edente iterum A. Maio) 5. Magister optatissime, amice desiderantissime. L. Aur. Verus apud eumd. 2. ibid. 8. Vale, desiderantissime homo et tuo Vero carissime. Fronto 5. Ep. 40. Vale, domine dulcissime, desiderantissime. Item legitur in extr. epist. 31. Paulini ad Augustin., et in hujus epist. 5. init. et fin. ad Marcellin.: sæpissime vero in antiquis Inscriptionibus non optimæ tamen notæ: hinc Inscript. apud Murat. 805. 8. L. FLACCVS INFELICISSIMVS PATER FILIO DESIDERANTISSIMO POSUIT. Alia apud Don. cl. 12. n. 62. POMPONIAE ATHENAIDI CONJVGI DESIDERANTISSIMAE M. JVNIVS EVTYCHES. — Idem vero dicendum est de similibus Superlativis, ut nempe amantissimus sit pro amandissimus, V. AMANS, et reverentissimus pro reverendissimus, V. REVERENS. — Hinc etiam Part. præter. pass.

Desideratus, a, um, adjective occurrit, unde Sup. Desideratissimus apud Plin. 30. Hist. nat. 1. 1. (2). Blandissima et desideratissima promissa. — Non raro in vet. Inscriptionibus reperitur Parentes filio desideratissimo, ut apud Gruter. 681. 2., 667. 1. etc. V. quæ paullo superius dicta sunt in Desiderans. — NB. De cogn. Rom. V. ONOM.

DĒSĬDĬA, æ, f. 1. a v. dēsidēre proprie est actio diu sedendi, vel morandi, ut apud Propert. 1. 15. 6. Et longa faciem quærere desidia. h. e. diu ad speculum sedendo faciei venustatem conciliare. Cf. Varro 2. R. R. procem. Qui in oppido sederent, quam qui rura colerent desidiosiores. — Ceterum

A) Desidia apud optimos Scriptores conjungitur cum ignavia, et usurpatur pro inertia, otio (It. pigrizia, poltroneria, accidia, ozio; Fr. oisiveté, paresse, inaction, inertie; Hisp. ociosidad, peresa, inaccion; Germ. d. Unthätigkeit, d. Müssiggang; Angl. sloth, slothfulness, idleness, want of exertion, inactivity). Occurrit — a) Generatim. Plaut. Trin. 3. 2. 24. Corde expelle desidiam tuo. Cic. 2. leg. Agr. 37. 103. Qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in sua turpi inertia capiunt voluptatem. Cæs. 6. B. G. 23. Desidiæ minuendæ causa. Ovid. 1. Amor. 9. 31. desidiam quicumque vocabit amorem, Desinat. Horat. 2. Sat. 3. 14. vitanda est improba Siren, Desidia. Fronto Princ. Hist. p. 18. Cum omnibus artibus, tum præcipue rei militari desidia noxia est. — b) Conjungitur cum inertia apud Cic. Sext. 10. 22. Videbamus genus vitæ, desidiam, inertiam. Ubi Manut. Plus inertia vituperationis habet, quam desidia. Desidem enim appellamus, qui nihil agat: Inertem, qui etiam agendi arte, non modo voluntate careat. Ergo in desidia voluntas; in inertia simul cum voluntate notatur inscitia. Hinc Cic. 12. Fam. 20. Si cessabis, lacessam, ne tua ignavia etiam inertiam afferat. Ceterum adde eumd. Brut. 2. 8. — Item conjungitur cum languore apud eumd. 1. Off. 34. 123. Ne languori se desidiæque dedat. Id. 5. Tusc. 27. 78. Umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum inficere. — Item cum socordia apud Sall. Cat. 4. Non fuit consilium, socordiā atque desidiā bonum otium conterere. — Item cum segnitie apud Sueton. Galb. 9. Primo acer, vehemens —. Paullatim in desidiam segnitiemque conversus est. — c) Industriæ opponitur apud Cic. Sext. 48. 103. Ab industria ad desidiam avocare aliquem. — d) In plurali numero. Lucret. 5. 48. Quidve superbia, spurcitia ac petulantia, quantas Efficiunt clades? quid luxus desidiæque? Virg. 9. Æn. 614. Vobis picta croco et fulgenti murice vestis; Desidiæ cordi: juvat indulgere choreis. — e) Et de agro diu vel per aliquem annum inarato. Colum. 2. R. R. 17. 3. Quia talis ager post longam desidiam lætas segetes affert.

B) Pro actione retro cedendi, recessu, occurrit apud Apul. de Mundo. Regiones desidiis maris pedestri accessu pervias factas. Id. Dogm. Plat. 2. Robur viresque frangit, et verum colorem ad desidiam sanguinis mutat. h. e. ad recessum.

DĒSĬDĬĀBŬLUM, i, n. 2. locus desidiæ aptus. Plaut. Bacch. 3. 1. 8. Ut celem patrem tua flagitia, aut damna, aut desidiabula, quibus patrem, et me, teque, amicosque omnes affectas tuos? Non. p. 75. 8. Merc. legit despoliabula.

DĒSĬDĬĒS, ei, f. 5. idem quod desidia. Lucret. 5. 49. Quid luxus desidiesque? At meliores libri habent in plur. num. desidiæque.

DĒSĬDĬŌSĒ, adverb. otiose. Lucret. 4. 1129. Agere ætatem desidiose.

DĒSĬDĬŌSUS, a, um, adject. Comp. Desidiosior I.; Sup. Desidiosissimus I. et II. — Desidiosus est qui totus desidet ac nihil agit.

I.) Proprie. Varro 2. R. R. procem. Majores nostri, qui in oppido sederent, quam qui rura colerent, desidiosiores putabant. Colum. 12. R. R. 1. 1. Nimia species desidiosum faciet. Ovid. Remed. am. 161. Quæritur, Ægistus quare sit factus adulter? In promptu causa est, desidiosus erat. Plin. 3. Ep. 5. 19. Si comparer illi, sum desidiosissimus.

II.) Translate desidiosum dicitur quidquid otium ac desidiam parit: quo sensu pro deses a Cicerone præcipue usurpatur. Cic. 3. Orat. 23. 88. Desidiosa delectatio. Id. 2. de republ. 4. Illecebræ cupiditatum. Id. 2. leg. Agr. 33. 91. Inertissimum et desidiosissimum otium. Ovid. 2. Amor. 9. 1. O nunquam pro me satis indignate Cupido: O in corde meo desidiose puer! h. e. assidue sedens.

DĒSĪDO, sidis, sēdi, sidere, n. 3. (de et sido). Præteritum a sedeo mutuatur. — Part. Desidens II. — Desido est descendo, subsido.

I.) Proprie. Varro 3. R. R. 9. 11. Ovum inane natat, plenum desidit. Cic. 1. Divinat. 35. 78. Tantos terræ motus factos esse, ut multa oppida corruerint, terræque desederint. Liv. 32. 9. Terra trium jugerum spatio caverna ingenti desederat. Tibull. 4. 1. 19. Qualis in immenso desederit aere tellus. Justin. 4. 1. 10. Undæ in imum desidunt. et mox. Æstus in voraginem desidens. Cels. 2. 7. ante med. Ex urina quod desidit, album est. Id. 7. 18. Tumor ex toto desidit. — Poetice desidere dicuntur montes in sublime volanti. Stat. 1. Theb. 548. Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis: Gargara desidunt surgenti, et Troja recedit.

II.) Translate. Liv. procem. l. 1. Desidentes primo mores. h. e. in pejus ruentes. Al. leg. dissidentes.

DĒSĬDŬO, adverb. diuturne, assidue. Varro apud Fulgent. de prisco serm. p. 565. 3. Merc. Dividiæ mihi fuerunt, tam desiduo afuisse.

DĒSĬDŬUS, a, um, adject. deses, piger. Gloss. Philox. Desiduus, ἐλίγωρος. Adde Gloss. Isid., ubi pro impiger legendum est piger.

DĒSĬGNĀTĒ, adverb. signate, significanter. Gell. 2. 5. in lemmate. Quam lepide designateque dixerit Favorinus, etc.

DĒSĬGNĀTĬO, ōnis, f. 3. signum, forma, figura, descriptio (It. disegno, segno, figura; Fr. désignation, indication, figure, forme, dessin; Hisp. designacion, representacion, figura; Germ. die Bezeichnung, Beschreibung, Angabe; Angl. a designment, appointment, noting).

I.) Proprie. Vitruv. 5. 3. 6. Schneid. Si in stantem aquam lapide immisso nascantur innumerabiles undarum circuli crescentes a centro, et quam latissime possunt evagantes, nisi angustia loci interpellaverit, aut aliqua offensio, quæ non patitur designationes earum undarum ad exitus pervenire. Id. ibid. 5. 2. Designatio cellarum. Cic. 1. Orat. 31. 138. Infinitæ rei quæstio sine designatione personarum et temporum.

II.) Translate. ¶ 1. Est ordinata distributio, dispositio. Cic. 1. Nat. D. 8. 20. Omnem totius operis designationem atque apparatum requiro. Forcellinus h. l. accepit pro notatione. ¶ 2. De munere designatoris: V. DESIGNATOR. In vet. Tab. æn. Heracl. apud Mazoch. p. 415. PRAECONIUM, DISSIGNATIONEM, LIBITINAM FACERE. ¶ 3. Item speciatim pro electione occurrit apud Tac. 2. Ann. 36. et 13. ibid. 21. Designatio consulatus. V. DESIGNO II. 3. — NB. Apud Arnob. 7. 9. legitur dissignatio: et accipitur pro cæde et crudelitate, quasi scissio, laceratio. Simili fere sensu dissigno apud Stat. a quibusdam exponi, diximus in DESIGNO I.

DĒSĬGNĀTĪVUS, a, um, adject. qui designat. Boeth. in Porphyr. Dial. 1. p. 14. Hæc definitio generis, quæ facta est, non a genere tracta est, sed subscriptiva ratio et demonstrativa et designativa quodammodo generis est reddita. Id. ibid. p. 300. Ea – intellectuum designativa sunt. Adde eumd. ibid. p. 360., 558., 560. et alibi.

DĒSĬGNĀTOR et melius dissignator vel dissignator, ōris, m. 3. Scriptionem dissignator, vel dirignator unice probandam putat Lips. de amphith. c. 15. et Mazoch. ad Tab. Heracl. p. 416., cum ita se habeat in omnibus vetustis monumentis tum æreis, tum marmoreis, et in pluribus optimæ notæ codicibus: unica vero etiam s scribitur, ut et dirumpo pro disrumpo. — Ceterum designator est distributor, ordinator; et usurpatur — a) Generatim pro eo, qui loca et res, suo quasque ordine, ex alicujus jussu alicui assignat; a dis particula discretiva, et signo. Ita appellatur qui in theatro loca spectandi disponit, et viros honoratiores, populumque serius venientes, in suum quemque locum, sessum deducit. Plaut. Pœn. prol. 19. Neu dissignator præter os obambulet, neu sessum ducat, dum histrio in scæna siet. V. Heinrich. ad Juvenal. 3. 153. — b) Speciatim Designator Cæsaris Augusti est, qui loca in theatro amicis et libertis Augustorum assignat. Inscript. apud Gruter. 601. 1. C. VERRIS EROS DESIGNATOR CAESARIS AVGVSTI. — c) Item designator operum publicorum est minister illius, qui templa, fontes, statuas, porticus, ædesque publicas in Urbe curabat, quique in vetustis monumentis sæpissime curator operum publicorum appellatur. Inscript. apud Fabrett. p. 302. n. 284. HIEROCLI AVGusti (servo) DISSIGnatori OPERVM PVBLICORVM EROS VICARIVS. — d) Item dissignator scænarum, qui scænis præerat, et curabat, ut ordine quæque suo procederent, et scænici artifices, quando oportebat, prodirent. Inscript. apud Gruter. 270. 6., quæ est apud Orell. 935. STATILIVS MYRO DISSIGNATOR SCENARVM. Adde locum Tertullian. mox citandum. — Item designator funeris est, qui funerum pompæ et funebribus ludis (teste Donato ad Ter. Adelph. 1. 2. 7.) præerat. Horat. 1. Ep. 7. 5. dum ficus prima, calorque Designatorem decorat lictoribus atris. Acron ad h. loc. Designatores dicuntur, qui ad locum Libitinæ funere præstanti conducuntur, ut defuncti cum honore efferantur. Scholiast. Cruq. ad eumd. loc. Dissignatores sunt funerum mancipes et ordinatores: nam dissignare est ordinare. Senec. 6. Benef. 38. Qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quæ designatores et libitinarios, vota? Tertull. Spectac. 10. A templis et aris inter tibias et tubas (ad scænas) itur, duobus inquinatissimis arbitris funerum et sacrorum, designatore et haruspice. Adde Quintil. 6. Declam. 8.; et V. Beckers Gallus 2. 283. — Olim Romæ, et in municipiis coloniisque designatoris munus inter viliora officia habebatur, ut constat ex loco Tab. Heracl. cit. in V. DESIGNATIO; ibi enim, qui præconium, dissignationem, libitinam in municipio, vel colonia fecisset, ne sit decurio, prohibetur; in Inscript. vero apud Gruter. 625. 1. C. Matienus Ovicula dicitur PRAECO, IDEM (h. e. item) DISSIGNATOR: sed tertio a Chr. n. sæculo, imperante nempe Alexandro Severo Aug., multo honoratius fuit; nam — e) Designator in ludis publicis certamini præest, et præmia constituit datque certantibus. Ulp. Dig. 3. 2. 4. Designatores, quos Græci βραβευτάς appellant, artem ludicram non facere, Celsus probat, quia ministerium, non artem ludicram exerceant. Et sane locus iste a principe hodie non pro modico beneficio datur. — Designator vero minime habendus est minister principis, qui decimas per provincias procuraret, ut putavit Forcellinus deceptus auctoritate Ursati de not. Rom., qui perperam ita interpretatus fuerat eas siglas apud Gruter. 106. 6. DESIG. X. P. P.; etenim ex Fabrett. Inscript. p. 104. n. 242. et ex Maff. Mus. Ver. p. 101. n. 1. ita potius legendas esse constat: DESignato X. (decimo) Patre Patriæ, quum mutila ea inscriptio pertineat ad an. a Chr. n. 83., quo Domitianus Aug. consul fuit ordinarius IX. et designatus X., uti etiam constat ex ejus nummis apud Eckhel. D. N. V. T. 6. p. 378. — Ad quodnam vero genus pertineat Decimus designator, de quo mentio est apud Cic. 4. Att. 3. 2., non facile statuerim: ad illud vero, quod diximus de Designatore funeris, inclinat animus. Hæc Forcellinus: sed recentiores plerique apud Cic. l. c. designatorem interpretantur βραβευτήν, de quo paullo ante dictum est.

DĒSĬGNĀTUS, a, um. V. voc. seq.

DĒSĬGNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et signo). Part. Designatus I. et II. — Designare est aliquo signo notare, indicare, deformare (It. segnare, disegnare, abbozzare; Fr. dessiner, désigner, tracer,

marquer; Hisp. *delinear*, *designar*, *trazar*: Germ. *etwas abgränzend*, *im Abrisse etc. abzeichnen*, *bezeichnen*, *anzeigen*, *erklaren*, *darstellen*, *entwerfen*; Angl. *to mark or sketch out, plan.*)

I.) Proprie occurrit cum Dativo finis, ad quem aliquid designatur; aut cum Ablativo instrumenti, quo aliquid designatur. *Liv.* 1. 10. Simul cum dono designavit templo Jovis fines. *Id. ibid.* 35. Tum primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est. *Cic.* 9. *Phil.* 7. 17. Locum sepulcro pedes triginta quaqua versus designat. *Orellius* vero aliique plures rectius legunt *assignat*. *Virg.* 5. *Æn.* 755. Æneas urbem designat aratro. *Ovid.* 4. *Fast.* 825. Designare mœnia sulco. *Tac.* 12. *Ann.* 24. oppidum sulco. *Val. Flacc.* 3. 425. designat littora ferro. *Stat.* 6. *Theb.* 782. ac mediam designat vulnere frontem. *Seneca Ep.* 90. *ante med.* Serra per designata currente, certa manu trabem scindere. — Et pro delineare. *Ovid.* 6. *Met.* 103. elusam designat imagine tauri Europen. *Stat.* 1. *Theb.* 310. *de Mercurio.* sublimes raptim per inane volatus Carpit, et ingenti designat nubila gyro. (Alii legunt *dissignat*, et exponunt, scindit, perrumpit. Apud *Arnob.* quoque *dissigno* legitur 1. 63. et 7. 6.

II.) Translate. ¶ 1. Est verbis similive alia ratione aliquid repræsentare, deformare, notare, indicare: ad rem *Quintil.* 4. 2. 120. Ut affectus velut primis lineis designentur. *Cic.* 1. *Orat.* 23. 109. Sin autem ea, quæ observata sunt in usu ac tractatione dicendi, hæc ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt, etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Hac oratione Dumnorigem designari sentiebat. *Varro* 8. *L. L.* 80. *Müll.* Quum vocabula sint infinita ac res communes designent, ut vir, mulier. *h. e.* significent. *Cæs.* 3. *B. C.* 96. Triclinia strata, magnum argenti pondus expositum, – tabernacula protecta hedera, multaque præterea, quæ nimiam luxuriam et victoriæ fiduciam designarent. *Cic.* 1. *Cat.* 1. 2. Notat et designat oculis ad cædem unumquemque nostrum. *Id.* 2. *Orat.* 58. 236. Hæc ridentur, quæ notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter. *Liv.* 24. 16. Si reputabitis, nulla ignaviæ nota leviore designari vos potuisse. *h. e.* infamia notare. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 19. digito vatem designat euntem. ¶ 2. Interdum distribuendi, disponendi ordinandique significationem complectitur. *Cic.* 1. *Nat. D.* 11. 26. Anaxagoras – primus omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitæ vi ac ratione designari et confici voluit. *Id.* 3. *ibid.* 35. 85. Nec domus, nec respubl. ratione quadam et disciplina designata videtur, si in ea nec recte factis præmia extent ulla, nec supplicia peccatis. ¶ 3. Hinc speciatim *designatus consul*, *tribunus plebis*, etc. est, qui in proximum annum creatus, magistratum nondum iniit. *Cic.* 11. *Fam.* 6. Consul designatus. Adde *Sall. Cat.* 26. et *Vellej.* 2. 58. Rursus *Cic.* 2. *leg. Agr.* 5. 11. et *Sall. Jug.* 27. tribunus plebis. *Vellej.* 2. 111. quæstor. *Varro* 3. *R. R.* 17. 10. Candidatus noster designatus ædilis. Et *Cic.* 2. *leg. Agr.* 10. 26. Ut ii decemviratum habeant, quos plebs designaverit. *h. e.* delegerit. — Item in municipiis et coloniis habebantur magistratus designati. *Inscript.* Tiburtina apud *Gruter.* 485. 6. M. VESERIO M. F. CAL. JUCUNDIANO PRAEF. FABRUM, ACCENSO VELATO, PROC. ALIM. VIAR FLAM., II. VIR. DESIGN. *Alia* Neapolitana apud *eumd.* 1092. 5. L. CALVIDIO L. F. CLEMENTI ANN. XX. II. VIRO DESIGNATO etc. — Et latiori sensu de puero nondum nato *Cic. Cluent.* 11. 32. Heres familiæ, designatus reipubl. civis. *NB.* Apud *Colum. Arbor.* 1. 3. Ager, quem seminario designaveris. *Schneider.* rectius legit *destinaveris*. ¶ 4. Aliquando est rem aliquam insignem moliri, patrare, sed cum nota et ignominia, ut *Non. p.* 96. 6. *Merc.* docet. *Plaut. Most.* 2. 1. 66. Quæ designata sint et facta nequitia. *Ter. Adelph.* 1. 2. 7. Quæ fecta sunt, omitto: modo quid designavit? MI. Quidnam id est? DE. Fores effregit atque in ædes irruit, etc. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 16. Quid non ebrietas designat? operta recludit, etc. Apud *Horat.* nonnulli, ut *Schmid.*, *designare* accipiunt pro signa disrumpere, adeoque pandere, in lucem protrahere.

DĒSĬLĬO, silis, silŭi *vel* silii, sultum, silire, n. 4. (de et salio). Part. *Desiliens.* — Desilio est saltu descendo (It. *saltar giù*; Fr. *sauter en bas*; Hisp. *saltar abaxo*; Germ. *herabspringen*; Angl. *to jump, or leap down, aligh, vault*). Usurpatur — *a*) Cum addito Ablativo, a quo quis desilit, et præpos. *de*, *ex*, vel *a*. *Plaut. Rud. prol.* 75. Desilire de navi in scapham. *Id. ibid.* 1. 2. 84. in terram e scapha. *Cæs.* 4. *B. G.* 24. De navibus desiliendum, et fluctibus consistendum erat. *Id.* 4. *ibid.* 2. Desilire ex equis. *Id.* 5. *ibid.* 17. Ex essedis desiliendi facultatem dederunt. *Cic. Mil.* 10. 29. de rheda. *Virg.* 11. *Æn.* 500. portisque ab equo regina sub ipsis Desiluit. *Ovid.* 12. *Met.* 129. ab alto curru. *Sueton. Ner.* 23. de muro. — *b*) Apud poetas et sequioris ævi scriptores cum Ablativo sine præpositione. *Virg.* 12. *Æn.* 355. Desilire curru. *Horat. Epod.* 17. 70. altis turribus. *Id.* 1. *Sat.* 2. 130. lecto. *Ovid. Heroid.* 15. 172. saxo. *Justin.* 1. 10. 9. equis. — *c*) Cum addito, quo quis desilit. *Cæs.* 4. *B. G.* 12. Equites ad pedes desilierunt. *Ovid.* 3. *Met.* 681. in undas. *Id.* 3. *Art. Am.* 22. in rogos medios. *Sueton. Cæs.* 64. in mare. — *d*) Absolute omnino. *Cæs.* 4. *B. G.* 25. At, nostris militibus cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui X. legionis aquilam ferebat, contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret: Desilite, inquit, milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere. Adde *Ovid.* 10. *Met.* 722. — *e*) Notandum illud *Horat. Art. P.* 134. in arctum desilire. — *f*) De inanimis. *Horat. Epod.* 16. 48. Levis crepante lympha desilit pede. *Ovid.* 4. *Fast.* 427. Uvidus (*locus*) ex alto desilientis aquæ. *Propert.* 2. 16. 50. Fluminaque ætheria desiluisse domo.

DĒSĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. cessatio. *Seneca Ep.* 117. *a med.* Hac desinatione captans. Ita *Scalig.* ad *Festum.* Alii *destinatione*, alii rectius *detestatione*.

DESINO, as, are, n. 1. idem ac *Desino*, *sinis*, apud veteres. *Paul. Diac.* p. 72. 13. *Müll.*, ubi alii leg. *desivare* eodem sensu, et quidem rectius: *V.* DESIVARE.

DĒSĪNO, sinis, sivi *vel* sii, situm, sinere, a. 3. (de et sino). *Desisse* per syncopen occurrit apud *Cic.* 9. *Fam.* 24. 2. et *Sueton. Ner.* 33.; et *desissem* apud *Catull.* 36. 5. — Præteritum *desi* disyllab. legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 1132. 1., et emendatiore apud *Labusium*, *Decur. Bresc.* p. 46. et in *Marm. Taurin. T.* 2. p. 58. QVAERERE CESSAVI NVNQVAM NEC PERDERE DESI. — Part. *Desinens* 2. *b.*; *Desitus* 1. *c.*; *Desiturus* et *Desinendus* 1. *a.* — Desinere est omittere, relinquere, deserere (It. *tralasciare*, *lasciare*, *finire*; Fr. *discontinuer*, *mettre fin à*, *cesser*; Hisp. *descontinuar*, *interrumpir*, *fenecer*, *terminar*; Germ. *von etwas ablassen*, *damit aufhören*, *es zu thun unterlassen*; Angl. *to end, cease, leave off*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu, et quidem — *a*) Cum Accusativo rei, quæ omittitur, vel a qua quis cessat. *Ter. Heaut.* 2. 3. 64. Mulier telam desinit continuo. *Vulgati libri habent* deserit: *at* Cod. Bemb. desinit, *quam lectionem confirmat* Aruss. Mess. p. 222. ed. Lindem. *Cic.* 7. *Fam.* 1. 4. Libenter mehercule artem desinerem. (Sed juxta nonnullos subintelligi potest *exercere*. Et sunt qui aliter legant). Eodem modo *Sueton. Tib.* 36. Deprecantibus (*mathematicis*) ac se artem desituros promittentibus, veniam dedit. *Virg.* 8. *Ecl.* 61. Desine Mænalios, jam desine, tibia, versus. (Sed juxta nonnullos subaudiri potest *dicere*, aut *canere*: ut et in illo 9. *Ecl.* 67. Desine plura, puer.). *Sil. It.* 12. 725. Cede deis tandem, et Titania desine bella. *Gell.* 2. 12. Non ad augendam, sed ad desinendam seditionem, legem hanc esse dicebat. *h. e.* ad sedandam terminandamque. Adde *eumd.* 15. 16. *Apul.* 5. *Met.* Lugubres voces desinite. *Ovid.* 2. *Art. am.* 725. Sed neque tu dominam velis majoribus usus Desine. *Al. leg.* Desere. (quæ lectionis varietas reperitur etiam 3. *Met.* 478., 6. *ibid.* 215., 7. *ibid.* 850., 2. *Pont.* 7. *extr.* et 4. *ibid.* 8. 72.). *Val. Flacc.* 4. 635. Desinite amplexus, propiusque accedite dextræ. *Sed legendum:* Dein, sinite. Hæc *Heins.* congesserat ad primum *loc. Ovidii* allatum. *Inscript.* apud *Murat.* 606. VTI STATIONARII DESINANT INJVRIAM CONDVCTORIBVS GREGVM OVIARICORVM. *h. e.* desinant injuriam facere. — *b*) Cum Infinito rei, quæ omittitur. — Cum Infinito activo, vel deponenti. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 67. Prius hic adero, quam te amare desinam. *Ter. Eun. prol.* 16. Desinat lacessere. *Cæs.* 3. *B. C.* 19. Desinite ergo de compositione loqui. *Cic.* 2. *Fam.* 9. *extr.* Equidem non desinam tua decreta defendere. *Id.* 1. *de republ.* 1. Commemorare eos desino. *Id.* 2. *Orat.* 14. 59. Illud jam mirari desino, quod multo magis ante mirabar. *Inscript.* apud *Gruter.* 607. et apud *Murat.* 572. ROGO, DOMINE PERMITTAS MIHI IN EODEM LOCO IN MARMOREO SARCOPHAGO, QVEM MIHI MODO COMPARAVI, EA CORPORA COLLIGERE, VT, QVANDOQVE ESSE DESIERO, PARITER CVM EIS PONAR. — Cum Infinito passivo. *Lucret.* 4. 402. ubi ipsi Desierunt verti. *Cic.* 6. *de republ.* 25. Solum igitur quod sese movet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit. *Id.* 1. *Att.* 19. *ad fin.* Jamdiu fieri desierunt. *Quintil.* 8. 5. 29. In sole sidera ipsa desinunt cerni. — *c*) Ipsum *desinere* passive usurpatur. *Cic. Brut.* 32. 123. Veteres orationes a plerisque legi sunt desitæ. *Liv.* 42. 49. Persei numquam desitum celebrari nomen. *Sueton. Aug.* 37. Censores creari desitos longo intervallo, creavit. Rursus *Cic.* 2. *Fin.* 13. 43. Jampridem contra eos desitum est disputari. *Gell.* 1. 10. 2. Sermone jam desito. — *d*) Raro cum Ablativo, vel cum Genitivo rei. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. 80. Desine, quæso, communibus locis. *Sed uti subaudiri potest.* Sexto casui præpositionem addidit *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 64. Desine ab unco. — *Horat.* cum Genit. junxit 2. *Od.* 9. 17. Desine mollium tandem querelarum. *quæ constructio Græca est*: παῦσαι τῶν αἰτιάσεων. Sic in frustulis Antiopæ Euripideæ Valckenarius (c. 8. sub finem) dedit παῦσαι δ'ἀοιδῶν. *Ovid.* 6. *Met.* 215. desine querelas dixit. *Sil. It.* 10. 84. et consul non desinit iræ. Cf. *Horat.* 3. *Od.* 27. 69. abstineto irarum calidæque rixæ. Et *Virg.* 10. *Æn.* 441. tempus desistere pugnæ. — *e*) Sæpius occurrit absolute omnino. *Ter. Adelph.* 5. 3. 67. Pergis ne? DE. Jam jam desino. *Cic.* 1. *Off.* 37. 135. Ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus. *Quintil.* 8. 6. 50. Quo ex genere cœperis translationes, hoc desinas. *Sueton. Ner.* 46. In hoc desisse versu. — Absolute usurpatur præcipue in familiari sermone, quum rei cessatio desideratur. *Ter. Andr.* 5. 6. 7. P. Nec mora ulla est, quin eam uxorem ducam. C. Num ille somniat ea, quæ vigilans voluit? *e.* Tum de puero, Dave? D. Ah! desine. Solus est, quem diligunt dii. *Id. Eun.* 2. 3. 55. CH. Verum: parasitus cum ancilla. PA. Ipsa est: ilicet: desine: jam conclamatum est. — Et passive absolute. *Ovid.* 1. *Art. am.* 411. Tunc bene desinitur. Cf. *Cic. fragm. pro Cornel.* apud *Priscian.* 10. p. 899. *Putsch.* Cœptum per eos, qui volebant, desitum est per hunc, qui decessit. ¶ 2. Hinc latiori sensu et neutrorum more usurpatur pro cessare, terminari, finiri. *Sall. Jug.* 83. Omne bellum sumi facile, ceterum ægerrume desinere. *Virg.* 4. *Ecl.* 8. quo ferrea primum Desinet, ac toto surget gens aurea mundo. *Ovid.* 5. *Met.* 285. Desierant imbres. *Id. Heroid.* 3. 89. ira. Adde *eumd.* 4. *Met.* 727. *Horat. Art. P.* 3. atrum Desinat in piscem mulier formosa superne. *Plin.* 2. *Ep.* 10. Fragilia et caduca, non minus quam ipsi homines, occidunt desinuntque. *h. e.* intereunt, pereunt. — Et de coloribus, qui gradatim languescunt. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 40. (121). Gemma hæc in violam desinit. *h. e.* ita colore languet, ut colorem habeat violæ similem. — Et de extrema montis parte. *Flor.* 4. 12. 46. Pyrenæus desinens. *h. e.* Pyrenæi pars extrema. — Denique *similiter desinere* dicuntur a rhetoribus verba, quæ iisdem syllabis eosdem exitus habent, ὁμοιοτέλευτα: quæ *similiter desinentia* tum *Cic.* 4. *Herenn.* 20. 28., tum *Quintil.* 9. 4. 42. appellant. Adde *Cic.* 3. *Orat.* 54. 206.

DĒSĬPĬENTĬA, æ, f. 1. ignorantia. *Lucret.* 3. 500. Desipientia fit, quia vis animi atque animai Conturbatur.

DĒSĬPĬO, pis, pere, 3. (de et sapio). *Forcellinus* Præteritum quoque *desipui* affert, sed nullo confirmat auctore. — Docet *Charis.* 2. p. 210. *Putsch.* in Infinito desipire facere, non *desipere*. Sed cave homini credas. *V.* infra *Horat.* 4. *Od.* 12. 28. — Part. *Desipiens* I. *a.* — Desipere occurrit *A*) Neutrorum more, et *B*) Active.

A) Neutrorum more, et quidem translate, desipere est insipienter agere, delirare, dementem esse (It. *esser pazzo*, *essere sciocco o ignorante*, *impazzire*; Fr. *être depourvou de sens*, *avoir perdu l'esprit*, *agir sottement*, *être fous*; Hisp. *volverse loco*, *perder el juicio*, *estar loco*; Germ. *unsinnig oder thöricht oder albern sein oder handeln*; Angl. *to dote, be foolish, act foolishly*). Occurrit — *a*) Fere absolute. *Lucret.* 3. 753. Desiperent homines, saperent fera secla ferarum. *Id.* 5. 164. cetera de genere hoc affingere et addere, desipere est. *Cic. Planc.* 37. 90. Licet me desipere dicatis. *Id.* 1. *Nat. D.* 34. 94. Tu

summos viros desipere, delirare, dementes esse dicebas. *Id.* 2. *ibid.* 5. 16. Desipientis arrogantiæ est etc. *Id.* 2. *Divinat.* 23. 51. Estoe quisquam ita desipiens, qui etc. *Id.* 2. *Fam.* 9. In quo quum objurgarer, quod nimio gaudio pæne desiperem. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 211. Ajax quum immeritos occidit, desipit, agnos. *Id.* 4. *Od.* 12. 28. Dulce est desipere in loco. — Et de ægro, qui vehemente febri correptus delirat. *Cels.* 3. 18. Interdum in accessione ægros desipere et loqui aliena. *Et mox.* Alii facilius continentur et intra verba desipiunt. — b) Speciatim cum Genitivo. *Plaut. Epid.* 1. 2. 35. Desipiebam mentis, quum illa scripta mitterem. *Sed Græca constructio est.*

B) Active, perinde ac verbum causativum, uti ajunt, proprie pro insipidum facere, habet *Tertull. Pudic.* 13. *et* 18. Fermentum modicum totam desipit conspersionem.

DESIPISCO, is, ere, n. 3. idem ac desipio. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 86.

DĒSISTO, sistis, stiti, stitum, sistere, n. 3. (de et sisto). *Destitĕrunt* pænultima correpta, more poetico dixit *Lucret.* 4. 972. — Part. *Desistens* sub d; *Destiturus* sub b. — Nonnulli *desistere* exponunt manere, morari, consistere in loco aliquo; afferuntque illud *Plaut. Most.* 3. 2. 10. Quid illic, obsecro, tamdiu destitisti? *At alii rectius leg.* restitisti. Itaque *desistere*

A) Neutrorum more est cessare, abstinere, finem facere, desinere, absistere; ita tamen ut significet voluntatis et consilii mutationem. Nam *desinimus* aliquando, licet voluntatem non deponamus: *desistimus* vero et simul voluntatem abjicimus. (It. *tralasciare, cessare, desistere*; Fr. *se désister, cesser, s'abstenir, s'arreter*; Hisp. *desistir, cesar, contenerse, dexar de hacer, abstenerse*; Germ. *von etwas abstehen, ablassen, etwas zu thun aufhören*; Angl. *to cease, give over, desiste from, discontinue, leave off*). Usurpatur — a) Cum addita re, a qua quis desistit — Per Ablativum et præpos. de. *Cic.* 2. *Tusc.* 12. 28. Verbo de sententia destitisti. *Id.* 5. *Fam.* 2. 8. Qui agerent cum eo, ut de illa mente desisteret. *Nepos Timoth.* 2. Desistere de diutina contentione. — Per Ablat. et præpos. *ab. Cic.* 3. *Off.* 3. 15. Desistere a sententia. *Plerique tamen omittunt præpos.* ab. *Cæs.* 2. *B. C.* 12. a defensione. *Sall. Jug.* 25. ab oppugnatione. Sic de persona *Plaut. Men.* 5. 2. 27. Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus destitit? *h. e.* discessit. Similiter *Paul. Dig.* 4. 5. 5. Deficere dicuntur, qui ab his, quorum sub imperio sunt, desistunt. — Per Ablativum sine præpos. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 19. 63. at *fin.* sententia. *Id. fragm.* pro *C. Cornel.* apud *Pseudo-Ascon.* accusatione. *Cæs.* 1. *B. G.* 45. negotio. *Id.* 5. *ibid.* 11. itinere. *Id.* 7. *ibid.* 26. consilio. *Liv.* 37. 57. *extr.* petitione. *Id.* 7. 40. impio bello. *Virg.* 1. *Æn.* 37. incepto. — Per Genitivum. *Virg.* 10. *Æn.* 44. pugnæ. *Al. leg.* pugna. Si *pugnæ* retineas, erit Genitivus, ut *abstinere irarum* apud *Horat.*, et *desinere iræ* apud *Sil. It.* 10. 84., et *querelarum* apud *eumd. Horat.*, quæ Græci moris sunt. — Per Dativum. *Stat.* 5. *Theb.* 273. haud unquam justo mea curæ labori Destitit. *h. e.* defuit. — b) Cum Infinito. *Lucret.* 6. 555. nisi humor Destitit in dubio fluctu jactarier intus. *Cic. Brut.* 91. 314. Quum me medici hortarentur, ut causas agere desisterem. *Id.* 1. *Fam.* 1. 2. Pompejum hortari et orare non desistimus. *Id.* 1. *Tusc.* 49. 117. Homines mortem vel optare incipiant, vel certe timere desistant. *Cæs.* 6. *B. G.* 2. Illi finitimos Germanos sollicitare et pecuniam polliceri non desistunt. *Horat. Epod.* 11. 5. Hic tertius december, ex quo destiti Inachia furere. *Paul. Dig.* 50. 9. 10. Qui datis libertatibus, destiturus est solvendo esse. — c) Cum particula *quin*, præcedente tamen alia particula negativa. *Plaut. Rud.* 1. 4. 9. Neque unquam, quin inveniam, desistam. *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 10. Non desistam, quin illum aliquando eruam. — d) Passive impersonaliter. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 142. Nunc jam istis rebus desisti decet. — e) Absolute. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 81. Desiste: recte ego rem meam sapio. *Lucret.* 5. 824. Sed quia finem aliquam pariendi debet habere, Destitit (*terra*), ut mulier spatio defessa vetusto. *Varro* 6. *L. L.* 97. *Müll.* Quod ad origines verborum hujus libri pertinet, satis multa arbitror positas hujus generis. Desistam; et quoniam de hisce rebus etc. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 3. Injussi numquam desistant. *Id. ibid.* 9. 57. non hodie, si Exclusus fuero, desistam. — Et de voce sive oratione interrupta *Ovid.* 2. *Fast.* 823. Ter conata loqui, ter destitit; ausaque quarto etc. Cf. *eumd. Heroid.* 4. 7. Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit Lingua, ter in primo destitit ora sonus. — Et de fine *Varro* 2. *R. R.* 3. 8. Desistente autumno.

B) Active pro sistere, destituere, ponere. *Apul.* 4. *Met.* Montis in excelsi scopulo desiste puellam. *Nonnulli tamen aliter legunt.*

DĒSĬTŪDO, inis, f. 3. cessatio. *Sulpic. Sever. præf. de vita B. Martini.* Totum id desitudine tanti temporis perdidissem. *At opt. codices, et editiones habent* desuetudine.

DĒSĬTUS, a, um, particip. a *desino*: *V.* DESINO.

DĒSĬTUS, a, um, est etiam particip. ab inus. *desero, a de et sero, ris, vi, rere*; quod occurrit apud *Varron.* 1. *R. R.* 23. 6. In recentibus pomariis desitis seminibus. *h. e.* deorsum jactis. *V.* DISSERO, evi.

DĒSĬTUS, us, m. 4. (desino) cessatio. *Jul. Val. de reb. g. Alex. M.* ed. Rom. *A. Mai.* 3. 54. Colore atro cum desitu spiritus videbatur.

DĒSIVARE desinere. *Paul. Diac. p.* 72. 13. *Müll.* Plerique Codices habent *desinare*, quod e conjectura mutatum esse apparet. Ceterum, addit cl. *Müllerus* ad h. l., a *desinendo* ortum est adjectivum nomen *desivus*, ut *oblivio* ab *oblinendo*; hinc *desivare*. Quod in *Gloss. Labb.* sunt: *Desinator* (scr. *Desivatus*), ἀβλυνθωτος, et *Diesuatur* (*Desivatur* corr. *Scal.*), βονθεῖται (scr. οὐ βονθεῖται): inde conjicere licet, *desivare* dictum maxime esse de sociis a societate deficientibus.

DĒSŌLĀNUS, a, um, adject. *Gloss. Isid.* Desolanus, subsolanus.

DĒSŌLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus desolandi. ¶ 1. Abstracte. *Vulgat. interpr. Jerem.* 7. 34. In desolationem enim erit terra. Adde *eumd.* sæpius alibi. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu pro loco desolato. *Cassiod.* 8. *Variar.* 31. *a med.* Fœdum ergo nimis est nobili, filios in desolationibus educare, quum frequentationi humanæ videat altæ sua pignora commisisse. Hic porro *Cassiod.* nomine regis Athalarici incolas Bruttiorum monet, ut, potius quam agros, urbes velint incolere.

DĒSŌLĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui desolat. *Hieronym. Ep.* 18. *n.* 14. Vere quippe desolatorius carbo, qui linguam puram facit a peccato, sermo divinus est. Hæc ex *Vulgat. interpr. Psalm.* 119. 4. Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.

DĒSŌLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒSŌLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et solus). Part. *Desolatus.* — Desolo est solum relinquo, desertum reddo, adeoque spolio, devasto (It. *lasciar solo, desolare*; Fr. *dépeupler, désoler*; Hisp. *despoblar, desolar*; Germ. *einsam lassen, verlassen, entvölkern*; Angl. *to desolate, lay waste*). Occurrit — a) Absolute. *Virg.* 11. *Æn.* 366. sat funera fusi Vidimus, ingentes et desolavimus agros. *Id. ibid.* 870. desolati manipli. *h. e.* signa relicta: *Servius. Ovid.* 1. *Met.* 319. Desolare terras. *Plin.* 4. *Ep.* 21. 3. Patri nunc unus ex tribus liberis superest, domumque pluribus adminiculis paullo ante fundatam desolatus fulcit ac sustinet. *Id.* 10. *ibid.* 97. 10. Prope jam desolata templa cœpisse celebrari. *Tac.* 16. *Ann.* 30. Viduata desolataque. *Justin.* 1. 7. 3. Victus jam ac desolatus in regnum refugit. *ubi tamen recentiores aliter leg.*: victisque jam de se sollicitus etc. *Colum.* 1. *R. R.* 3. 11. Quos hostis profugiendo desolasset agros. *Stat.* 6. *Theb.* 917. Desolare urbes. *Id.* 1. *ibid.* 653. desolata domorum Tecta vides. *Id.* 2. *Silv.* 1. 233. Desolata soror. *Inscript.* non probæ notæ apud *Don. cl.* 10. *n.* 11. SOLAQVE ME DESOLASTI, VALE VIRGO DVLCISS. — b) Cum addito Ablativo rei, quo quis spoliatur. *Tac.* 12. *Ann.* 26. Desolatus paullatim etiam servilibus ministeriis. *Stat.* 9. *Theb.* 672. desolatumque magistro Agmen. *Petron. Satyr.* 124. ævo jam desolata senectus. *h. e.* annis defecta. *Inscript.* apud *Gruter.* 682. 9. AVRELIA FAVSTINA MATER VNICO FILIO DESOLATA PONENDUM *curavit.* At τὸ *unico filio* potest esse et Dativus. *Apul.* 4. *Met.* Ego misera tali domo, tanta familia, tam sanctis parentibus desolata. — c) Cum Genitivo. *Sil. It.* 8. 590. Desolata virorum.

DĒSŌLŪTUS, a, um, particip. ab inusit. *desolvo. Scævola Dig.* 10. 5. 11. § 9. Reliquorum nomine ii desolutum est.

DĒSOMNIS, e, adject. insomnis. *Petron. fragm. Tragur.* 47. *Burmann.* Quæ soles me nocte desomnem facere.

DĒSORBĔO, es, ere, a. 2. (de et sorbeo). *Part. Desorbens.* — Desorbeo est idem quod absorbeo. *Tertull. Idolol.* 24. Vortex ejus ad inferos desorbet. *Capell.* 8. *p.* 270. Jamdudum laxatus in somnos, forte repente blandum stertens raucæ sonitum desorbentis increpuit. *h. e.* ronchantis. *V.* RONCHUS.

DESPECTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus deorsum spectandi, et locus ipse, unde spectatur deorsum.

I.) Proprie. *Vitruv.* 2. 8. 17. *Schneid.* Pilis lapideis – altitudines extructæ – summas utilitates perficiunt et despectationes. *Schneiderus* vero *legit*: ad summas utilitates proficiunt disparatione. *V. eumd.* in notis ad h. l.

II.) Translate est despectio, contemptus. *Vulgat. vel. Ital.* (ed. *A. Mai.*). *Ezechiel.* 2. 3. Qui me exasperant secundum despectationem (*Codex habet* dispectationem) patrum suorum.

DESPECTĀTOR, ōris, m. 3. qui despectat: sed occurrit translate tantum et est contemptor. *Tertull.* 2. *ad Uxor.* 8. Despectatores divinarum sententiarum.

DESPECTĬO, ōnis, f. 3. despiciendi actus: sed occurrit translate tantum pro contemptu. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 288. 24. *Merc.* Consolabitur eam magnitudo animi, et humanarum opinionum alta quædam despectio.

DESPECTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* despicio. Part. *Despectans* I. — Despecto est sæpe deorsum aspicio.

I.) Proprie. *Liv.* 35. 25. Regionem eam maxime despectat. *Virg.* 1. *Æn.* 400. nunc terras ordine longo Aut capere, aut captas jam despectare videntur. *Id.* 7. *ibid.* 740. quos maliferæ despectant mœnia Abellæ. *Id.* 10. *ibid.* 409. Despectare flammas. *Ovid.* 4. *Met.* 622. ex alto seductas æthera terras. *Id.* 2. *ibid.* 710. humum. *Calpurn.* 7. *Ecl.* 24. Spectacula Tarpejum prope despectantia culmen.

II.) Translate est contemno, despicio. *Tac.* 2. *Ann.* 43. Piso vix Tiberio concedere, liberos ejus despectare. *Id.* 2. *Hist.* 30. Ne ut victi et ignavi despectarentur.

DESPECTOR, ōris, m. 3. qui despicit; sed occurrit translate tantum, et est despectator, contemptor. *Tertull.* 2. *contra Marcion.* 23. Adlegitur Saul, sed nondum despector prophetæ Samuelis.

DESPECTRIX, icis, f. 3. quæ despicit; sed occurrit translate tantum, et est quæ contemnit. *Tertull. Anim.* 23. Virtus despectrix mundi.

DESPECTUS, a, um. *V.* DESPICIO.

DESPECTUS, us, m. 4. (despicio) prospectus ex superiori loco in inferiorem.

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte. *Lucret.* 4. 417. At conlectus aquæ, digitum non altior unum, – Despectum præbet sub terras impete tanto, A terris quantum cæli patet altus hiatus: Nubila despicere et cælum ut videare videre. *Cæs.* 7. *B. G.* 79. Erat ex oppido despectus in campum. *Id.* 3. *ibid.* 14. Loca, unde erat propinquus despectus in mare. *Stat.* 5. *Theb.* 351. pelago despectus aperto. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est locus ipse superior, unde in inferiorem prospicere possumus. *Cæs.* 2. *B. G.* 29. Oppidum ex omnibus partibus altissimas rupes despectusque habet.

II.) Translate est contemptus. *Cic.* 4. *Herenn.* 39. 51. Ludibrio et despectui paternis inimicis erunt oppositi.

DESPĒRĀBĬLIS, e, adject. qui sperari non potest. *Vulgat. interpr. Jerem.* 15. 18. Quare plaga mea desperabilis renuit curari?

DESPĒRANS, antis. *V.* DESPERO.

DESPĒRANTER, adverb. sine spe. *Cic.* 14. *Att.* 18. Quod desperanter tecum locutus est.

DESPĒRĀTĒ, adverb. desperanter. *Augustin. Ep.* 237. *ad Celer.* Non desperate sollicitus. *Cassiod.* 1. *Variar.* 30. Ut desperate persequeretur innoxios servilis furor armatus.

DESPĒRĀTĬO, ōnis, f. 3. est, ut ait *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 18., ægritudo sine ulla rerum exspectatione meliorum (It. *disperazione*; Fr. *action de désespérer, désespoir*; Hisp. *desesperamiento, desesperacion*; Germ. d. *Hoffnungslosigkeit, Verzweiflung*; Angl. *a despairing, despair*). Occurrit ¶ 1. Generatim — a) Et quidem cum Genitivo. *Cæs.* 1. *B. G.* 5. Omnium salutis desperatio. *Id.* 1. *ibid.* 11. Afferre

cuipiam desperationem pacis. *Cic.* 2. *Phil.* 35. 88. vitæ. *Id.* 12. *ibid.* 5. 10. victoriæ. *Id.* 2. *Cat.* 11. 25. Bona spes cum omnium rerum desperatione confligit. *Id.* 4. *Fam.* 3. 2. Tanta est omnium rerum amissio, et desperatio recuperandi. *Liv.* 3. 2. Futuræ sibi postea fidei desperatio. *Juvenal.* 6. 367. barbæ. *Seneca Ep.* 64. Beatæ vitæ desperationem facere. *h. e.* in causa esse, cur beata vita desperetur. *Justin.* 2. 13. 5. Desperatione rerum pacem petere. Adde *Sueton. Ner.* 2. — *b*) Sine Genitivo. *Cæs.* 2. *B. C.* 42. Ad summam desperationem nostri perveniunt. *Cic.* 14. *Att.* 19. Magna desperatione affectus sum. *Id.* 8. *ibid.* 3. Desperatione quærere aliquid. *Id. post redit. in senatu* 9. 24. A desperatione ad spem revocare aliquem. *Nepos Eumen.* 12. Ad desperationem adducti. *Sueton. Aug.* 81. Ad desperationem redactus. *Tac.* 2. *Hist.* 46. Ad desperationem formidine properare. — Γνώμη est illud *Curt.* 5. 4. *ad fin.* Sæpe desperatio spei causa est. Cf. *Veget.* 3. *Milit.* 21. Sed clausis ex desperatione crescit audacia; et, quum spei nihil est, sumit arma formido. — In plurali numero. *Cic.* 2. *Fam.* 16. *ad fin.* Recordor desperationes eorum, qui senes erant, adolescente me. ¶ 2. Speciatim *desperationem* pro desperata audacia posuit *Apul.* 10. *Met.*, ubi ait: Qua mira desperatione truculentæ feminæ repente perturbatus medicus, etc.

DESPĒRĀTUS, a, um. *V.* DESPERO.

DESPERGO, gis, si, sum, gere, n. 3. dispergo, dissipo. *Sil. It.* 9. 167. In vacuas senior vitam desperserat auras. *Al. leg.* dispersserat; *et quidem rectius.*

DESPERNO, spernis, sprētum, spernere, a. 3. (de *et* sperno). Part. *Despretus.* — Desperno est idem ac sperno, vel valde sperno. *Colum.* 10. *R. R.* 298. ne Corydonis opes despernat Alexis. *Paul. Diac.* p. 72. 12. *Müll.* Despretus valde spretus.

DESPĒRO, as, āvi, ātum, are, 1. (de *et* spero). Vetustissimi olim scriptores *desperantur* pro *desperant* deponentis forma dixere, teste *Capro* apud *Priscian.* 8. *p.* 797. *Putsch.* — Part. *Desperans* sub *a*, *b* et *d*.; *Desperatus* in fin.; *Desperandus* sub *f*. — Despero est spem depono, diffido (It. *disperare*; Fr. *ne pas espérer, désespérer, renoncer à tout espoir*; Hisp. *desesperar, quitar á otro la esperanza*; Germ. *an etwas od. Jemandem verzweifeln, die Hoffnung auf etwas aufgeben, etwas nicht hoffen, aufgeben*; Angl. *to despair of, be without hope, despond*). Usurpatur — *a*) Sæpe cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Desperare de officio imperatoris. *Id.* 7. *ibid.* 36. de expugnatione. *Cic.* 8. *Att.* 11. *a med.* de republica. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 21. 3. Desperans de se, de exercitu, de Lepidi fide. *Liv.* 26. 41. de summa rerum. — Cum Ablativo et præpos. *ab*. *Cic. Pis.* 6. 12. Spem habere a tribuno plebis, a senatu desperasse. *h. e.* obtinere a senatu, desperasse. — *b*) Cum Accusativo rei. *Cic. Mur.* 21. 43. Desperare honorem. Adde *eumd.* 2. *Cat.* 9. 19. *Id.* 8. *Att.* 15. 5. pacem. Cf. *eumd.* 7. *ibid.* 20. 1. *Id. Mil.* 21. 56. Servi desperantes vitam domini. *Id.* 6. *de republ.* 23. reditum in hunc locum. *Id.* 1. *Fin.* 18. 61. omnia. *Id.* 1. *Nat. D.* 22. 60. omnem veritatem. *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 14. valde rempublicam. *Liv.* 23. 14. voluntariam deditionem. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 30. membra invicti Glyconis. *Quintil.* 12. 11. 26. Summa desperare et in secundis tertiisque consistere. *Seneca Ep.* 29. Marcellinum nostrum ego nondum despero: etiamnum servari potest. *Id. Med.* 163. Qui nil potest sperare, desperet nihil. *Flor.* 4. 2. 86. victoriam. — *c*) Cum Accusativo et Infinito, quæ tamen simul sumpta accusativi vicem gerunt. *Cic.* 1. *Orat.* 21. 95. Non despero, fore aliquando, qui etc. *Id.* 2. *Divinat.* 21. 48. Non equidem plane despero, ista esse vera. *Horat.* 2. *Ep.* 3. 150. Aut quia desperat tractata nitescere posse. *Ovid.* 9. *Met.* 724. qua posse frui desperat. *Quintil.* 5. 12. 3. Id posse defendi desperat. — *d*) Raro cum Dativo. *Cic. post red. in senat.* 14. 34. et *Cæs.* 3. *B. G.* Suis fortunis desperare. *Cic. Mur.* 21. 45. Sibi hic ipse desperat. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 50. *Cic. Pis.* 34. 84. Thessalonicenses, quum oppido desperassent, munire arcem coegerunt. *Id. ibid.* 36. 89. Tu toties diffidens et desperans rebus tuis. *Id. Cluent.* 25. 68. Desperare saluti suæ. *Flor.* 1. 18. 14. armis. — *e*) Absolute omnino. *Cic.* 1. *Off.* 21. 73. Considerandum est ne temere desperet propter ignaviam. Adde *eumd.* 2. *Fam.* 5.; *Ovid.* 10. *Met.* 371.; et *Quintil.* 2. 4. 10. *Vellej.* 2. 82. 2. Periculis, quibus desperaverat. *h. e.* propter quæ desperaverat. — *f*) Passive. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 7. Sive restituimur, sive desperamur, nihil amplius opus est. *Id.* 2. *Cat.* 5. 10. Essent illi quidem desperandi, sed tamen ferendi. *Id. Rosc. Am.* 10. 27. Hospes oppressus et desperatus ab omnibus. *Id. Amic.* 24. 90. Hujus salus desperanda est. *Horat.* 1. *Od.* 7. 27. Nil desperandum Teucro duce et auspice. *Martial. Spectac.* 22. Desperabantur promissi prælia Martis. *Quintil.* 1. 10. 8. Turpiter desperatur quidquid fieri potest. γνώμη. — Et *desperans* passive pro *desperatus* apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 34. 50. (108). Ulceraque jam desperantia in cicatricem cludit. Ita legit *Sillig.*; alii *cicatrice includit*, alii *cicatricem includit*. — *g*) Hinc Particip. præter. pass.

Desperatus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Desperatior* et Sup. *Desperatissimus*: et est qui spem omnem abjecit, vel de quo spes nulla est. — *a*) Generatim et quidem Participii præteriti pass. significatione. *Nepos Att.* 9. Ut Brutus et Cassius, provinciarum desperatis rebus, in exsilium proficiscerentur. *h. e.* quum desperassent de rebus provinciarum. *Cæs.* 2. *B. G.* 24. Desperatis nostris rebus domum contenderunt. *Id.* 3. *ibid.* 3. Prope jam desperata salute nonnullæ hujusmodi sententiæ dicebantur. *Id.* 7. *ibid.* 86. Campestribus locis desperatis. *Liv.* 42. 25. Postremo rum desperato jam colloquio profecti essent. *Id.* 10. 14. Samnites, desperato improviso tumultu, etc. — *b*) Mediorum apud Græcos verborum significatione. *Cæs.* 7. *B. G.* 3. Ubi ea dies venit, Carnutes, Cotuato et Conetoduno ducibus, desperatis hominibus, Genabum dato signo concurrunt. *h. e.* qui de se ipsi desperabant. — *c*) *Desperato* absolute, adverbiorum more. *Curt.* 6. 17. 21. Desperato regionem, quam occupaverant, posse retineri. *h. e.* quum desperassent. Alii tamen leg. *desperati*. — *d*) Apud *Cic.* adjective omnino. *Cic.* 2. *Cat.* 3. 5. Senes desperati. *Id.* 13. *Fam.* 56. Habere aliquid in rebus perditis et desperatis. *Id. Divin.* in *Q. Cæcil.* 21. 70. Hoc remedium est ægrotæ ac prope desperatæ reipublicæ. *Id. Sull.* 27. 76. Magni et diuturni et jam desperati reipubl. morbi. *Id. Mur.* 20. 42. Pecunias jam desperatas exigere. *Id.* 6. *Fam.* 22. Hæc sunt nunc etiam atque etiam multo desperatiosa. *Id.* 4. *Verr.* 41. 101. Desperatissimo perfugio uti. *Balbus* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Compositionis spem non desperatissimam esse puto.

DESPĪCĀBĪLIS, e, adject. Comp. *Despicabilior.* — Despicabilis est despiciendus; sed occurrit translate tantum, et est contemptibilis. *Ammian.* 26. 8. Dedignatus hominem despicabilem. *Sidon.* 2. *Ep.* 10. Despicabiliorem pronunciare. *Capell.* 6. *p.* 192. Assertio mage despicabilis. *Id.* 8. *p.* 274. Nec despicabilis temnendaque ratio.

DESPĪCĀTĬO, ōnis, f. 3. despiciendi actus; sed occurrit translate tantum, et est contemptus. *Cic.* 1. *Fin.* 20. 67. Ut odia, invidia, despicationes adversantur voluptatibus.

DESPĪCĀTUS, a, um. *V.* DESPICOR.

DESPĪCĀTUS, us, m. 4. despectus; sed occurrit translate tantum, et est contemptus. *Plaut. Men.* 4. 3. 19. Tu me bene merentem habes despicatui. *h. e.* contemtui. *Cic. Flacc.* 27. 65. Quid porro in Græco sermone tam tritum, quam si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur?

DESPĪCĬENTĬA, æ, f. 1. despectus, despectio; sed occurrit translate tantum, et est contemptus. *Cic.* 1. *Tusc.* 40. 95. Totam vim bene vivendi in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia ponamus. *Id.* 1. *Off.* 20. 66. Despicientia rerum externarum. Adde *eumd.* 2. *Off.* 11. 38. *Id. Partit. orat.* 23. 81. Despicientia in contemnendis honoribus.

DESPĪCĬO, spicis, spexi, spectum, spicere, 3. (de *et antiq.* specio). *Despexe* per syncopen pro *despexisse* dixit *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 72. — Part. *Despiciens* I. et II. 1.; *Despectus* II. 1. et in fin.; *Despiciendus* II. 1. — Despicio est deorsum aspicio, despecto (It. *guardare in giù, guardare dall'alto al basso*; Fr. *régarder d'en haut, contempler d'un lieu élevé*; Hisp. *mirar, contemplar de alto*; Germ. *von oben etwas ansehen oder betrachten, auf etwas herabblicken oder heruntersehen*; Angl. *to look down upon*).

I.) Proprie usurpatur — *a*) Sine Accusativo, sed cum addito, quo quis despicit. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 72. Et me despexe ad te per impluvium tuum fateor. *Id. ibid.* 2. 3. 16. Per impluvium huc in proximum despexit. *Ovid.* 11. *Met.* 504. de vertice montis Despicere in valles. *Id.* 2. *Art. am.* 87. a summo cælo in æquora. *Horat.* 3. *Od.* 7. 29. in vias. — *b*) Cum Accusativo rei, quam quis despicit. *Cic. Harusp. resp.* 15. 33. Tollam altius tectum, non ut ego te despiciam, sed etc. *Id.* 3. *de republ.* 9. Nunc autem, si quis, illo Pacuviano invehens alitum anguium curru, multas et varias gentes et urbes despicere et oculis collustrare possit, etc. *Virg.* 1. *Æn.* 224. æthere summo Despexit mare velivolum terrasque jacentes. *Ovid.* 2. *Met.* 178. summo ab æthere terras jacentes. *Lucan.* 5. 251. culmine cuncta. *Sil. It.* 12. 488. e tumulis subjectam urbem. *Spartian. Alex. Sev.* 3. ex altissimi montis vertice orbem terrarum Romamque. *Macrob.* 1. *Saturn.* 6. *a med.* Quum populus Romanus pestilentia laboraret, essetque responsum, id accidere, quod dii despicerentur, anxia urbs fuit, quia non intelligeretur oraculum; evenit, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam superne despiceret, et patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita videret. — *c*) Passive. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 23. Area ita constituenda est, ut a domino despici possit. — *d*) Passive impersonaliter. *Cæs.* 7. *B. G.* 36. Omnibus ejus jugi collibus occupatis, qua despici poterat, horribilem speciem præbebat. *Liv.* 44. 6. Rupes ita abscisæ, ut despici vix possit. Similiter *Ammian.* 19. 5. 4. Turris fuit in sublimitatem exsurgens, sub qua hiabant rupes abscisæ, ut despici sine vertigine horrenda non posset. — *e*) Absolute. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 8. 34. (56). Formare vultus respicientes, suspicientes vel despicientes. — A nonnullis sumitur pro simplici *aspicio* apud *Sueton. Ner.* 19. Tanta oborta caligo est, ut despicere non posset. *At plerique rectius leg.* dispicere.

II.) Translate. ¶ 1. Est contemnere, spernere; nam qui alium contemnit, videtur quodammodo infra se positum aspicere. *Cic. Amic.* 23. 86. Despicere divitias. *Id.* 3. *Fin.* 8. 29. Omnia, quæ cadere in hominem possint, despicere ac pro nihilo putare. *Id. Rosc. Am.* 46. 135. Ut omnes despiciat, ut hominem præ se neminem putet. *Id. fragm.* apud *Non.* *p.* 436. 27. *Merc.* Contemnere, despicere, ac pro nihilo habere aliquem. *V.* CONTEMNO. *Cæs.* 3. *B. G.* 2. Legionem compluribus absentibus, propter paucitatem, despiciebant. *Id.* 1. *ibid.* 13. Despicere alios. *Id.* 3. *B. C.* 111. paucitatem militum. *Id. ibid.* 8. *in fin.* Ipse gravissima hieme in navibus excubabat, neque ullum laborem aut munus despiciens, etc. *h. e.* respuens, recusans. *Virg.* 8. *Ecl.* 32. dum despicis omnes. *Ovid.* 9. *Met.* 438. propter amara senectæ Pondera despicitur. *Id.* 5. *Fast.* 642. Tunc etiam pecori despiciendus eram. — Hinc Part. præs. *Despiciens* cum Genitivo apud *Cic.* 2. *Orat.* 89. 364. Nemo unquam tam sui despiciens fuit, qui desperaret etc. — Et Part. præter. pass. *Cic. Pis.* 41. 99. Abjectus, contemptus, despectus ab omnibus. *Id. Sext.* 40. 87. Despecti et contempti. *V. Halm.* ad h. l. *Nepos Thrasyb.* 2. Et huic despecto saluti fuit. Poetice cum Genitivo. *Sil. It.* 8. 54. Despectus tædæ regnis se imponit Hiarbas. ¶ 2. Singulari significatione ponitur pro attentum non esse, negligere. *Cic. Rosc. Am.* 8. 22. Quum tam multi occupationem ejus observent, tempusque aucupentur, ut simul atque ille despexerit, aliquid hujuscemodi moliantur. *h. e.* alio demittat oculos et attentus non sit. *Forcellinus* huc retulit etiam illud *Nepot. Att.* 6. Honore fuit contentus, rei familiaris despexit fructum. *At hic locus ad paragr. proxime superiorem commode referri potest.* — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla superius attulimus,

Despectus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Despectior* et Sup. *Despectissimus*. *Cic.* 5. *Verr.* 41. 98. Ne contemptissimi ac despectissimi esse videamur. *At recentiores* Zumptium *secuti pro* despectissimi *leg.* despicatissimi. *Boeth.* 3. *pros.* 4. Quos pluribus ostendat despectiores, potius dignitas improbos facit.

DESPĬCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *intensivum a* despicio. — Part. *Despicatus.* — Despicor est valde despicio; sed occurrit translate tantum pro valde contemno. — *a*) Active. *Q. Pompej.* apud *Priscian.* 8. *p.* 793. *Putsch.* Me miserum, quem mille feminæ despicari ausæ sunt. *Aurel. Vict. Vir.*

illustr. 23. Primo ut deos venerati: deinde ut homines despicati, interfecere. — *b)* Passive (Cf. *Priscian. p.* 791. *Putsch.*) occurrit Part. præter.

Despicatus, a, um, quod et adjective usurpatur, unde Sup. *Despicatissimus*: et est contemptus. *Plaut. Cas.* 2. 2. 15. Me habet pessimis despicatam modis. *Ter. Eun.* 2. 3. 92. Quæ nos nostramque adolescentiam habent despicatam. *Cic. Sext.* 16. 36. Cessi tribuni plebis despicatissimi hominis furori. V. *Halm.* ad h. l. *Id.* 5. *Verr.* 41. 98. Ut magistratibus nostris in obtinendo jure nostro ne contemptissimi ac despicatissimi esse videamur. Ita legit *Zumptius*; *Orellius* vero *despectissimi*.

DESPĬCUS, a, um, adject. intentus, contemplans: ut *prospicus*, prospiciens, providus. *Nævius* apud *Non. p.* 155. 26. *Merc.* Sibi prospica ac despica. *Al. leg.* Tibi prospica ac despica, *h. e.* tibi prospice ac despice. Et quod apud *Paul. Diac.* habetur: Prospices, prospice: corrigunt prospica, prospice: ut sit utrumque verbum imperativi modi a *despico* pro *despicio*, et *prospico* pro *prospicio*.

DESPĪNO, as, are, a. 1. per dorsi spinam disseco. *Pelagon. p.* 34. c. 25. Occidis pullum et cito illum despinas. *Vulgati libri habent* despicas; *atque hinc nonnulli putaverunt legendum* depilas. *Sed quum in simili loco* Hippiatr. p. 76. c. 23. *legatur*: Ὄρνιν σφάξας καὶ εὐθέως ῥαχίσας etc., *hoc est* per spinam dissecans, *legendum conjecimus* despinas. *Viderint tamen eruditi.*

DESPLENDESCO, escis, escere, n. 3. (de *et* splendesco) splendere desino, splendorem amitto. *Paulin. Nolan. Ep.* 39.

DESPŎLĬĀBULUM, i, n. 2. locus ad despoliandum aptus. *V.* DESIDIABULUM.

DESPŎLĬĀTĬO, ōnis, f. 3. actus despoliandi. *Tertull. Resurr. carn.* 7. *ex D. Paulo Coloss.* 2. Hinc et Apostolus circumcisionem, despoliationem carnis appellans. Adde *Cod. Theod.* 9. 17. 6.

DESPŎLĬĀTOR, ōris, m. 3. qui despoliat. *Plaut. Trin.* 2. 1. 14. Avarus, elegans, despoliator. Adde *Cod. Theod.* 16. 2. 28.

DESPŎLĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DESPŎLĬO, as, avi, atum, are, a. 1. (de *et* spolio). *Despoliari* deponentis forma pro *despoliare* a vetustissimis olim fuisse usurpatum, testatur *Caper* apud *Priscian.* 8. *p.* 797. *Putsch.* Sic *Afranius* apud *Non. p.* 480. 13. *Merc.* Quos impune depopulatur, et despoliatur dederus. — Part. *Despoliatus* et *Despoliandus* I. — Despolio est idem ac spolio.

I.) Proprie. *Plaut. Men.* 5. 2. 53. Me despoliat, mea ornamenta clam me ad meretrices degerit. *Id. Mil. glor.* 4. 2. 47. Despoliare digitos suos. *Id. Asin.* 1. 3. 52. Aliam nunc mihi orationem despoliato prædicas. *Id. Epid.* 1. 1. 85. Despoliare dorsum virgis. *Alii melius* depolire *leg. Ter. Andr.* 4. 5. 21. ipsam. *Cæs.* 2. *B. G.* 31. se armis. *Cic.* 5. *Verr.* 21. 54. Duo isti ad despoliandum Dianæ templum fuit. *Id.* 7. *Att.* 9. 11. Vulneratus et despoliatus est. *Id.* 14. *Fam.* 2. 3. Illud doleo, quæ impensa facienda est, in ejus partem te miseram et despoliatam venire.

II.) Figurate. *Cæs.* 5. *B. G.* 6. Ut Gallia omni nobilitate despoliaretur, *h. e.* omnes viri nobiles e Gallia abducerentur. *Liv.* 45. 36. Indignum facinus esse, L. Paulum, tanti belli victorem, despoliari triumpho.

DESPONDĔO, des, di, sum, dere, a. 2. (de *et* spondeo). Alterum præteritum *despopondi* legitur apud *Plaut. Trin.* 3. 1. 2. et *Truc.* 4. 3. 51. — Part. *Despondens* I. 1. et 2. — Despondere est promittere, polliceri (It. *promettere, accordare*; Fr. *promettre, accorder*; Hisp. *prometer, asegurar, acordar*; Germ. *etwas von sich losgebend zusagen, versprechen*; Angl. *to promise*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 11. *Att.* 6. 6. Lentulus Hortensii domum sibi, et Cæsaris hortos ad Baias desponderat. *Id.* 1. *ibid.* 16. 8. Desponsam homini jam Syriam ademi. *Id.* 13. *ibid.* 12. Nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν Bruto, ut tibi placuit, despondimus. *Liv.* 4. 13. Plebem trahere consulatum favore ac spe despondentem. *Id.* 26. 37. Despondere imperium Orientis Romanis. *Lucan.* 7. 758. sibi Tarpejas victor desponderat arces. ¶ 2. Speciatim adhibetur in causa nuptiarum, — *a)* Quum puellam pater in uxorem alicui promittit; et vicissim quum adolescentis pater acceptat conditionem propositam, et pro filio spondet, puellam ab eo ductum iri. Neque enim semper est verum, quod docet *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 75. et *Adelph.* 4. 7. 17. *spondere* dici patrem puellæ, a quo illa petitur, *despondere* patrem adolescentis, qui petit: tametsi hac ratione a *Terentio* utroque loco adhibetur. Nam contra *Plaut.* patri puellæ tribuit *Pœn.* 5. 6. 2. Tuam mihi desponde filiam. *Id. Cist.* 2. 3. 57. Alcesimarcho filiam suam despondit in divitias maximas. *Varro* 6. *L. L.* 70. *Müll.* Qui spoponderat filiam, despondisse dicebatur, quod de sponte ejus (*id est* voluntate) exierat. *Ovid.* 9. *Met.* 714. Cum pater, Iphi, tibi flavam despondet Ianthen. *Cic.* 1. *Att.* 3. Tulliolam C. Pisoni L. F. Frugi despondimus. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 5. Tulliam nostram Crassipedi pridie Nonas Aprilis esse desponsam. *Al. leg.* desponsatam, *sed minus recte.* Ceterum *Plaut. Trin.* 5. 2. 9. Despondit sororem in tam fortem familiam. Adde *eumd. Aulul.* 2. 2. 28., *Curc.* 5. 2. 63., *Pœn.* 5. 3. 37., *Rud.* 4. 8. 5. et *Truc.* 4. 3. 51.; *Ter. Heaut.* 4. 5. 36.; *Hecyr.* 1. 2. 49. et *Phorm.* 5. 7. 32.; *Cic.* 1. *Orat.* 56. 239. et *Cluent.* 64. 179.; et *Liv.* 1. 26. et 39., at 26. 50. — Huc pertinet et illud *Vellej.* 2. 79. Cæsar, despondente ei Nerone, cui ante nupta fuerat, Liviam, duxit uxorem. — Passive impersonaliter. *Ter. Andr.* 5. 6. 16. Ne exspectetis, dum exeant huc: intus despondebitur, intus transigetur. — *b)* Ipse quoque uxorem qui ducit *despondere* dicitur. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 7. Cornificius adolescens Orestillæ filiam sibi despondit. — *c)* Joculariter de re *Cic.* 1. *Att.* 10. 4. Bibliothecam cave cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro destinare, devovere. *Cic.* 12. *Fam.* 9. Exigua spes est reipublicæ: sed quæcumque est, ea despondetur anno consulatus tui. *Id. Harusp. resp.* 3. 6. Cui me præripere desponsam jam et destinatam laudem, valde est iniquum. *Val. Flacc.* 7. 509. meritis perjuria pœnis Despondet, *h. e.* destinat pœnas perjuriis, spondet se pœnas perjuriorum exacturum. ¶ 2. Speciatim — *a)* *Despondere animum* vel *animos* est spem omnem abjicere, et desperatione rerum omnium moti decernere. Est autem dictum, inquit *Varro* 6. *L. L.* 70. *Müll.*, eo modo, quo *despondere filiam*: quia quemadmodum qui filiam alteri uxorem promittit, finem statuit suæ sponsis, seu voluntatis, hoc est omnem de filia voluntatem et curam deponit et in sponsum transfert; ita qui despondet animum, omnem deponit spem curamque sui. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 62. Nisi tu illi fers suppetias, jam illa animum despondebit. Adde *eumd. ibid.* 1. 1. 6. et *Merc.* 3. 4. 29. *Varro* 3. *R. R.* 16. 15. Ita uti quum parum sit qua compleant, eas (apes) coangustent, ne in vasto loco et inani despondeant animum. *Liv.* 3. 38. Nec ipsi solum desponderant animos, sed contemni cœpti erant a finitimis. Adde *eumd.* 31. 22. — *b)* Et *despondere* absolute eodem sensu. *Colum.* 8. *R. R.* 10. 1. Turdi caveis clausi plurimi despondent. — *c)* Similiter *despondere sapientiam* est desperare se consequi posse sapientiam. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 11. Quæ probabilis ratio, in socordiam compelli, quia desponderis sapientiam? — *NB.* Nonnulli *despondere animo* exponunt promittere, polliceri in illo *Liv.* 28. 38. Despondebantque animis, id bellum, quod instaret, P. Cornelium finiturum. *At al. leg.* spondebantque.

DESPONSĀTĬO, ōnis, f. 3. actus sponsandi. *Tertull. Virg. veland.* 11. Si autem ad desponsationem velantur. *Vulgat. interpr. Cantic.* 3. 11. In diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius. et *Jerem.* 2. 2. Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam et charitatem desponsationis tuæ.

DESPONSĀTUS. *V.* DESPONSO et DESPONDEO.

DESPONSĬO, ōnis, f. 3. *Desponsio animi et desponsio* absolute apud *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 18. est desperatio. *V.* DESPONDEO.

DESPONSO, as, atum, are, a. 1. *frequentat. a* despondeo. Part. *Desponsatus.* — Desponso est idem fere ac despondeo. *Plaut. Trin.* 5. 2. 32. Filiam meam tibi desponsatam esse audio. *Sueton. Cæs.* 1. Cossutia prætextato desponsata fuerat. Adde *eumd. Claud.* 27. *Aurel. Vict. Orig. Gent. Rom.* 13. Filia jam ante desponsata Turno fuerat. *Ambros.* in *Luc.* 10. 21. In prima ætate desponsatam viro justo.

DESPONSOR, ōris, m. 3. qui despondet. Agnoscitur, ut Latina vox, a *Varron.* 6. *L. L.* 69. *Müll.*

DESPONSUS, a, um. *V.* DESPONDEO.

DESPRĒTUS. *V.* DESPERNO.

DESPŪMĀTĬO, ōnis, f. 3. despumandi actus. *Tertull. Car. Christ.* 19. Despumatione mutatum (*semen*) in coagulum sanguinis feminæ.

DESPŪMĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DESPŪMO, as, avi, atum, are, (de *et* spumo). Legitur et *dispumo* in multis libris, nihil mutato significatione aut usu, tum locis inferius allatis, tum apud *Pallad.* 8. *R. R.* 7.: sed rectius *despumo* scribitur. — Part. *Despumans* sub *A.* I. 2. et *B.* I.; *Despumatus* sub *A.* I. 1. et II. 2. — Despumare occurrit *A)* Active, et *B)* Neutrorum more.

A) Active.

I.) Proprie. ¶ 1. Est spumam adimere, extrahere. *Colum.* 12. *R. R.* 38. 5. Mel Atticum ter infervere facito, et toties despumato. Sic *Cels.* 3. 6. *a med.* Despumatum mel. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (134). Despumatis subinde cerebris. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 10. Aliqui aquam salsam, quum cœperit undare calefacta, despumant. *Virg.* 1. *G.* 296. Et foliis undam trepidi despumat aheni. Et poetice, latiori significatione pro coquere, *Val. Flacc.* 8. 254. Pars verubus, pars ingenti despumat (*animalia venatu capta*) aheno. ¶ 2. Item effundere et quasi spumando emittere. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 53. quantas per Lydia rutila Despumat rutilas dives Pactolus arenas. Similiter, neutrorum more, *Lucan.* 6. 506. de *luna incantata*. Donec suppositas propior despumet in herbas. — Et figurate *Vulgat. interpr. Ep. Judæ* 13. Fluctus feri maris despumantes suas confusiones.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro stomacho concoquere. *Pers.* 3. 3. Stertimus, indomitum quod despumare Falernum Sufficiat. ¶ 2. Item lævigare, polire, detergere, fricare. *Vitruv.* 7. 1. 5. *Schneid.* Summo libramento cote despumato redditur species nigri pavimenti. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 62. (187). Pavimentum diligenter cote despumare. ¶ 3. Despumari dicuntur equi, quibus sanguis detrahitur, apud *Veget.* 1. *Veterin.* 22. 11. Despumantur autem tertio gradu a dentibus caninis. *Id.* 3. *ibid.* 28. 4. Sanguinem non detrahas, nisi forte de palato despumes. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 6. 7. et 34. 2.

B) Neutra significatione.

I.) Proprie est spumas deponere, purgari atque adeo decrescere. *Pallad.* 11. *R. R.* 18. Defrutum a defervendo dictum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit. *Pelagon.* 21. 1. Mel despumans.

II.) Translate despumare dicitur, qui effervescere desiit. *Seneca* 2. *Ira* 20. Ut minuatur, non ut consumatur calor, nimiusque ille fervor despumet. *Id. Ep.* 68. *ad fin.* Hæc ætas optime facit ad hæc studia: jam despumavit. *Id. Ep.* 99. *ad fin.* Quum aliquid lacrimarum affectus effuderit, et, ut ita dicam, despumaverit. Sic *Hieronym.* 1. *in Jovinian. n.* 33. Si enim illas (*viduas*) sera pudicitia post despumatas corporis voluptates erigit contra maritatas, cur non infra perpetuam castitatem esse se noverint?

DESPŪO, spuis, spui, spuere, 3. (de *et* spuo). Part. *Despuens* et *Despuendus* II. — Despuo (quod usurpatur modo neutrorum more, modo cum Accusativo) est idem quod spuo, vel deorsum spuo, exscreo (It. *sputare*; Fr. *cracher*; Hisp. *escupir*; Germ. *ausspeien*; Angl. *to spit, spit down or upon*).

I.) Proprie. — *a)* Generatim. *Nævius* apud *Gell.* 2. 19. Si unquam quicquam filium rescivero argentum amoris causa sumpse mutuum, extemplo illo te ducam, ubi non despuas, *h. e.* sub furcam, ubi obstrictis faucibus, et verberibus ad necem cæsus, ne respirare quidem poteris, nedum spuere; vel in pistrinum, ubi, tamquam mula, capistratus despuere non possis. *Liv.* 5. 4. Sacellum, ubi nunc despui religio est. — *b)* Speciatim ac sæpius de eo dicitur, qui veteri superstitione despuebat ad mala avertenda. *Varro* 1. *R. R.* 2. 27. Hoc ter novies cantare jubet, terram tangere, despuere, jejunum cantare. *Tibull.* 1. 5. 54. Despuit in molles et sibi quisque sinus. *scilicet* ad avertendas fascinationes, et contagia regerenda: quod veteri superstitione ter facere solebant, cum vellent quidpiam amoliri, deprecari, abominari. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (35). Despuimus comitiales morbos, hoc est contagia regerimus: simili modo et fascinationes repercutimus,

dextræque claudilatis occursum. Veniam quoque a deis spei alicujus audacioris petimus, in sinum spuendo. Etiam eadem ratione, terna despuere prædicatione, in omni medicina mos est, atque ita effectus adjuvare. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 23. 33. (69). et *V.* INSPUO. — Hinc

II.) Translate ponitur pro aspernari. *Plaut. Asin.* 1. 1. 26. Teque obsecro hercle, ut, quæ locutus, despuas. *Catull.* 50. 18. precesque nostras, Oramus, cave, despuas, ocelle. *h. e.* despicias, improbes. *Seneca Ep.* 104. *extr.* Despuendæ sunt voluptates, spernendæ opes. *h. e.* contemnendæ. *Pers.* 4. 35. Despuere in mores. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. an.* 9. *a med.* Qui viridis ævi, maturus animi, terræ despuens, cæli appetens, humilis spiritu, arduus merito etc.

DESPŪTĀMENTUM, i, n. 2. sputum. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 6. Scintillantis olei desputamento maritum succendit.

DESPŪTUM, i, n. 2. sputum. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 20. Desputa subalbida.

DESQUĀMĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DESQUĀMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et squama). Part. *Desquamatus* etiam in fin. — Desquamo est squamis exuo; et occurrit ¶ 1. Stricto sensu de piscibus. *Plaut. Aulul.* 2. 9. 1. Desquama pisces. ¶ 2. Latiori sensu dicitur de arboribus et aliis rebus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (227). Subarator imprudens luxavit radices vitis, corpusve desquamavit. *Id.* 23. *ibid.* 7. 70. (134). Summo cortice desquamato. *Id.* 25. *ibid.* 8. 54. (97). Aristolochiæ desquamato terreno servantur. *h. e.* derasa et abstersa terra, qua involutæ sunt. *Id.* 35. *ibid.* 17. 57. (198). Primum abluitur vestis Sarda, dein sulphure suffitur, mox desquamatur Cimolia. *Lucilius* apud *Non. p.* 95. 15. *Merc.* Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor. — Hinc a Part. præter. pass., cujus superius exempla retulimus,

Desquamata, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, apud Medicos in corpore dicuntur loca, ubi injuriâ aliquâ est perstricta cutis et in squamam modum avulsa. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 68. (139). Sitanius panis desquamata cum melle aptissime curat. *Id.* 24. *ibid.* 11. 55. (93). Rhus medetur percussis, lividis, desquamatis. Adde *eumd.* 28. *ibid.* 4. 13. (52). *Dioscorid. l.* 2. *c.* 82. hæc vocat ἀπολέπισματα.

DESTERNO, sternis, strāvi, sternere, a. 3. (de et sterno) stragulum equi, vel ephippia detrahere, ephippiis spoliare. *Vulgat. interpr. Genes.* 24. 32. Et introduxit eum in hospitium: ac destravit camelos, deditque paleas et fœnum. *V.* DISTERNO.

DESTERTO, tis, tui, tere, n. 3. (de et sterto) stertere desino. *Pers.* 6. 10. Postquam destertuit esse Mæonides Quintus pavone ex Pythagoreo. *h. e.* cessavit somniare, se esse Mæonidem, etc.

DESTĪCO, as, are, n. 1. est sonum edere, quale edunt sorices. *Auct. carm. Philom.* 62. Et grillus grillat, desticat inde sorex. *Al. leg.* disticat.

DESTILLĀTIO, ōnis, f. 3. actus deorsum stillandi: sed occurrit specialim tantum in re medica, et est defluxio humoris a capite in fauces, in nares, in pulmones, stomachum, ventrem, etc. Quare rectius per *de* scribitur, qua præpositione melius, quam *di*, ut alibi diximus, descensus significatur (It. *catarro*, *flussione*; Fr. *rhume*, *catarrhe*; Hisp. *fluxion*, *catarro*; Germ. *der Schnupfen*; Angl. *rheum*, *catarrh*). *Cels.* 1. 2. Ne modo frigus, modo calor moveat: quæ res gravedines destillationesque concitat. Adde *eumd.* 4. 2. *n.* 4. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 71. (183). Destillationem narium discutere. *Id.* 22. *ibid.* 13. 15. (35). Destillatio ventris. *Scribon. Compos.* 90. et 93. Destillatio pectoris. *Seneca Ep.* 78. *a med.* Destillationes et vis continuæ tussis egerens viscerum partes. *h. e.* tabes. Adde *eumd. Ep.* 120. *a med.* et *Ep.* 77.

DESTILLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (de et stillo). Malunt critici per *de* scribi, quam per *di*, quia per *de* longe aptius deorsum fluendi motus significatur, quod et in DE et alibi adnotavimus. — Part. *Destillans* et *Destillaturus* sub *b*. — Destillare est stillando defluere, stillatim descendere: et dicitur tum de humore defluente, tum de re ipsa humorem stillatim demittente (It. *discendere stillando*, *distillare*; Fr. *dégoutter*, *tomber goutte à goutte*; Hisp. *gotear*, *caer gota à gota*; Germ. *herabträufeln*; Angl. *to distil*, *drop*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cels.* 4. 2. Destillat humor de capite interdum in nares. *Virg.* 3. *G.* 281. lentum destillat ab inguine virus Hippomanes. *Lucan.* 8. 777. lentum Magnus destillat in ignem *h. e.* cadaver Magni rogo impositum. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 222. *de Tiberi fluv.* Destillant per pectus aquæ. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 12. Anaxagoras ait illum (*ignem*) ex æthere destillare. *Vulgati libri habent* distillari. *Id. Ep.* 78. Succubui, et eo perductus sum, ut ipse destillarem. *h. e.* liquescerem et φθίσει consumerer. — *b*) Cum Ablativo rei, qua quid destillat. *Tibull.* 2. 2. 7. puro destillent tempora nardo. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 31. 36. (198). Destillantibus arboribus odore miræ suavitatis. *Lucan.* 9. 772. destillant inguina tabe. — *c*) Cum Accusativo rei, qua quis destillat. *Varro* 5. *L. L.* 109. *Müll.* Uvidum enim quod humidum, et inde ubi id non est succus abest; et ideo sudando assum destillat humorem. *Müll.* ita conjecit; Codd. habent *calorem* vel *calore*: nimis dubia itaque est lectio. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (82). Ficus senescunt in arbore anusque destillant cummium lacrimas. *Sillig.* ita legit ex optimis Codd.; *Harduin.* edidit *gummium lacrima*. *Vulgat. interpr. Cant.* 5. 13. Lilia destillantia myrrham. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 5. Montes destillaturos dulcorem.

DESTĪMŬLO, as, are, a. 1. (de et stimulo). Part. *Destimulans*. — Destimulare est vehementer stimulare, exercitare. *Symmach.* 4. *Ep.* 26. Exercendi stili amore destimulor. *Alii leg.* distimulor, *alii* extimulor. Adde *Paulin. Nolan. carm.* 27. 27. alta Destimulans ratione homines attendere Christo. — Juxta nonnullos *destimulare bona* est rem familiarem quasi stimulo conficere et dissipare. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 30. Animum fodicant, bona destimulant, facta et famam sauciant. *Al. leg.* distimulant, *alii alia*.

DESTĪNA, æ, f. 1. vinculum, catena, qua aliquid colligatur et continetur: a *destino*, quo colligare significat.

1.) Proprie. *Vitruv.* 5. 12. 3. *Schneid.* Sin autem, propter fluctus, aut impetus aperti pelagi destinæ arcas non potuerint continere. *Al. leg.* destinatæ arcæ non potuerint contineri. *Schneiderus* priorem lectionem prætulit.

II.) Translate. *Arnob.* 2. 69. Atlantem gestatorem, bajulum, tibicinem illum, ac destinam cæli. *Coripp.* 1. *Laud. Justin.* 18. Et Thomas Libycæ mutantis destina terræ.

DESTĪNĀTĒ, adverb. Comp. *Destinatius*. — Destinate est idem quod constanter, obstinato animo. *Ammian.* 18. 2. Florentio et Lupicino destinate certantibus. *Id.* 23. 1. Elemento destinatius repellente, cessavit inceptum. *Id.* 20. 1. Eum ad se prodire destinatius redigentes.

DESTĪNĀTIO, ōnis, f. 3. a translata verbi *destino* significatione est deliberatio, voluntas, certum consilium, determinatio, præfinitio (It. *deliberazione*; Fr. *détermination*, *résolution*; Hisp. *determinacion*, *decision*, *resolucion*; Germ. *die Bestimmung*, *Festsetzung*, *Wahl*, *d. Beschluss*; Angl. *a purpose*, *design*, *resolution*, *determination*, *resolve*). *Liv.* 32. 35. *extr.* Nulli placere partium, quibus cessurus, aut non cessurus esset, destinatio. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 45. 46. (149). Destinatio expirandi, et quatridui inedia major pars mortis in corpus recepta. *Id.* 36. *ibid.* 14. 21. (96). Destinatio mortis suprema. *Id.* 3. *ibid.* 2. 3. (17). Porticum ex destinatione et commentariis M. Agrippæ a sorore ejus inchoatam peregit. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (114). Fecit opus maximum æternitatis destinatione. *Id.* 8. *ibid.* 25. 39. (95). Depascitur segetes, destinatione ante determinatas in diem. *h. e.* cum antea determinaverit et præfinierit, quas sit depasturus. Alter *Plin. Paneg.* 77. Destinatio consulum. *Tac.* 1. *Hist.* 77. Neronis. *Id.* 2. *ibid.* 47. Præcipuum destinationis meæ documentum. *Id.* 2. *ibid.* 79. Haud dubia destinatione discessere. *Stat. epist. præfixæ l.* 3. *Silvar.* Habere destinationem quietis meæ. *Petron. Satyr.* 115. *a med.* Quam longe a destinatione sua jacet! *h. e.* a loco, ad quem pervenire destinaverat. *Ammian.* 16. 12. 37. Sed destinatione nimia dexteræ dexteris miscebantur. *h. e.* pertinacia, obstinato animo.

DESTĪNĀTŌ, adverb. *V. Destinatum* in fine *V.* DESTINO.

DESTĪNĀTOR, ōris, m. 3. qui destinat. *Ennod.* 2. *Ep.* 6. Volo esse paginarum prævius destinator. *h. e.* cupio litteras meas prior ad te mittere.

DESTĪNĀTUM, i, n. 2. *V.* DESTINO in fin.

DESTĪNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DESTĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Destinans* 2.; *Destinatus* in omnibus paragr. et in fin.; *Destinaturus* 3.; *Destinandus* 1. — Ratione habita etymi, *destinare*, præter præpos. *de*, videtur conjungendum cum etymo *sta*, quod inest in v. *sisto* et *sto*, et in Gr. ἵστημι et στάω; fortasse etiam est a *de* et *teneo*, inserto *s* (*V.* OBSTINO); denique a diversis quoque deduci potest etymis, prout diversis pollet significationibus, quas, nullo propterea proprii et translati sensus discrimine, totidem paragr. complectemur. ¶ 1. Itaque destinare est alligare, vincire, continere; et præcipue locum habet in rebus hydraulicis et nauticis. *Vitruv.* 5. 12. 3. *Schneid.* Arcæ stipitibus robustis et catenis inclusæ in aquam demittendæ destinandæque firmiter. *Id. ibid. mox.* Sin autem, propter fluctus, aut impetus aperti pelagi destinatæ arcæ non potuerint contineri. *Alii tamen rectius legunt* destinæ arcas non potuerint continere. *V.* DESTINA. *Cæs.* 1. *B. C.* 25. Rates ancoris destinabat, ne fluctibus moverentur. *Id.* 3. *B. G.* 14. Destinare antennas ad malos. *Id.* 7. *ibid.* 22. falces laqueis. Similiter *Apul.* 4. *Met.* Arreptum me loro ad ansulam quamdam destinatum cædendo confecissent. Et *Sidon.* 1. *Ep.* 7. Captus destinatusque pervenit Romam. ¶ 2. Item est statuere, præstituere, præfinire, deliberare, quasi voluntatem suam ad certum aliquod consilium alligando, si tamen translatio est a superiori paragr. ducta. Hac autem significatione usurpatur — *a*) Cum Accusativo personæ, aut rei, quæ præstituitur. *Liv.* 9. 16. Papirium parem animis Magno Alexandro ducem destinant. *Justin.* 42. 4. 14. Alia sollicitudo miserandum senem invadit, quem ex numero xxx. filiorum in locum Pacori regem destinet. *Sueton. Domit.* 15. Filios etiam tum parvulos successores destinare. *Liv.* 10. 22. Fabius omnium consensu (*consul*) destinaretur. *Tac.* 1. *Ann.* 3. Destinari consules. — Sic *destinatus Cæsar* vel *imperator* idem est ac designatus. *Inscript.* apud *Gruter.* 161. 3. IMP. SEVERVS AVG. ET ANTONINVS CAES. DESTINATVS. *Alia* apud *Murat.* 1088. 2. M. AVRELIVS ANTONINVS CAESAR IMPERATOR DESTINATVS. *Alia* apud *Orell.* 452. M. AVRELIO CAES., IMP. DESTINATO, IMP. L. SEPTIMII SEVERI PERTINACIS AVG. FILIO RESP. AQ. *Nummus* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. *p.* 200. DESTINATO IMPERATORI. Cf. *Tac.* 2. *Hist.* 1. Multos destinare, donec unus eligatur. *Liv.* 33. 28. Palam ab suo comitatu fremebant interfectum: animis autem Zeuxippum auctorem destinabant cædis. Sic *Curt.* 9. 7. *extr.* Conjectum oculorum, quibus ut fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit. *Sueton. Aug.* 8. Cæsare expeditionem in Dacos destinante. *Id. Galb.* 16. Legationem ad prætorianos cum mandatis destinaverunt, displicere imperatorem in Hispania factum. *Id. Cæs.* 44. De ampliando imperio plura in dies destinabat. *h. e.* parabat, moliebatur. *Plin.* 7. *Ep.* 26. Innoxiam beatamque destinat vitam. *Id.* 4. *ibid.* 17. Accedit huc dignitas hominis, atque hic ipse cui destinatus est honor. *h. e.* consulatus. — Sic in re nuptiali locum habet pro *despondere*, ut apud *Plin.* 6. *Ep.* 26. Salinatori filiam tuam destinasti. *V.* infra *Destinatus* sub *A. b.* — *b*) Addita per Infinitum re, quæ destinatur. *Cæs.* 1. *B. C.* 33. Infectis iis, quæ agere destinaverat. *Liv.* 7. 33. Morte sola vinci destinaverant animis. Cf. *Id.* 29. 20. Quem juvenem civitas spe destinaverit, Hannibalem ex Italia detracturum. *Id.* 21. 2. Urbes direpturos se destinaverant. *Nepos Eumen.* 2. Macedoniam præoccupare. *Phædr.* 3. *prol.* 1. Quum destinassem operis habere terminum. *Ovid.* 8. *Met.* 157. hunc thalamis removere pudorem. *Juvenal.* 3. 3. vacuis sedem figere Cumis. *Plin.* 5. *Ep.* 8. has retractare. *Quintil.* 5. 1. 3. communes locos tradere. — Huc minime pertinet illud *Tac. dial. de orat.* 3. Atque ideo maturare libri hujus editionem destino, ut dimissa priore cura novæ cogitationi toto pectore incumbam. *Hic enim ex optimis Codd. legendum est* festino. — Rursus *Liv.* 6. 6. Sibi destinatum in animo esse, Camillo submittere imperium. *Sueton. Tib.* 13. Destinatum ei (*Augusto*) erat, nihil super ea re statuere. — *c*) Cum addito fine, cui quis aut quid destinatur; et quidem — Per Dativum. *Cæs.* 7. *B. G.* 72. Ne tela in nostros operi destinatos conjicere possent. *Cic.* 3.

Off. 10. 45. Quum eorum alteri Dionysius diem necis destinavisset. *Id.* 10. *Fam.* 25. Non est anous hic tibi destinatus. *Id. Harusp. resp.* 3. 6. Desponsa illi et destinata laus. *Virg.* 2. *Æn.* 129. Composito rumpit vocem et me destinat aræ. *Horat.* 2. *Od.* 7. 20. Cados tibi destinatos. *Id.* 2. *Sat.* 3. 83. Destinare Anticyram omnem illis. *Cels.* 3. 4. *ante med.* Ubi ægrum triduo fatigaverat, quartam diem cibo destinabat. *Curt.* 4. 8. Octoginta stadiorum muris ambitum destinat. *Vellej.* 2. 81. Domos publicis usibus destinare. *Liv.* 28. 21. Regnum sibi Hispaniæ destinaverant animis. *Justin.* 20. 1. Omnes Italiam possidentes, hostes sibi destinaverat. *Quintil.* 1. 1. 7. Puer huic spei destinatus. *h. e.* ut orator evadat. — Per Accusativum et præpos. *ad. Liv.* 33. 37. Tempus et locum destinare ad certamen. *Id.* 2. 54. aliquem ad mortem. *Id.* 32. 48. Consilia destinata ad bellum. *Quintil.* 6. 10. 9. Destinare materiam ad scribendum. — Per Accusativum et præpos. *in. Tac.* 4. *Hist.* 53. Destinatus in aliud. *Ammian.* 29. 6. Destinare noctem proximam in fugam. Cf. *Ulp. Dig.* 5. 1. 1. Legatis, qui in provinciam destinati, revocandi domum suam jus datur. ¶ 3. Est etiam verbum jaculantium, et significat scopum præstituere, quem petas. *Liv.* 38. 29. Non capita solum hostium vulnerabant, sed quem locum destinassent oris. Et *destinata* absolute apud *Curt.* 7. 5. *sub fin.* Adeo certo ictu destinata feriebat, ut aves quoque exciperet. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 13. Ex equo, vel de curru, vel de muro hostem destinaturus. Cf. *Curt.* 8. 21. 7. Quem rex ferire destinaverat. — Sic *destinare sagittas* apud *Aurel. Vict. Cæsar.* 42. *sub fin.* est ad scopum certo dirigere. ¶ 4. Item est verbum ementium, et ponitur pro acquirere, suum facere, constituto pretio, præsertim si arrhabo detur: *V.* PRÆSTINARE. *Plaut. Epid.* 3. 1. 112. Ædes quanti destinat? ra. Talentis magnis totidem, quot etc. *Id. Pers.* 4. 4. 111. Qui hanc non properes destinare. *Id. Rud. prol.* 45. Minis triginta sibi puellam destinat, datque arrhabonem et jurejurando alligat. Adde *eumd. Pers.* 4. 3. 72.; et *Lucilium* apud *Non. p.* 280. 30. *Merc. Cic.* 7. *Fam.* 23. 3. Quod tibi destinaras trapezophoron, si te delectat, habebis; sin autem sententiam mutasti, ego habebo scilicet. *Hic tamen destinare accipi quoque potest eo sensu, quem super. paragr.* 2. *exposuimus.* — Hinc Part. præter pass., cujus et superius exempla retulimus,

Destinatus, a, um, adjective quoque usurpatur; et quidem

A) Passiva significatione est definitus, certus, constitutus, propositus. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Tusc.* 2. 5. Certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt. *Id.* 5. *ibid.* 22. 63. Ut vadem suum liberaret, præsto fuit ad horam mortis destinatam. *Id.* 4. *de republ.* 3. Nullam certam aut destinatam legibus disciplinam. *Liv.* 21. 44. Bene fixum omnibus destinatumque in animo. *Id.* 28. 14. Præter opinionem destinatam suorum hostiumque. *Quintil.* 3. 6. 57. Certæ destinatæque personæ. *Justin.* 8. 3. 11. Destinata supplicia. *Id.* 9. 6. 4. dies lætitiæ. *Id.* 21. 1. 6. facinus. *Flor.* 2. 18. 12. loora. Adde *Tac.* 15. *Ann.* 63.; et *Justin.* 20. 3. 1. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (115). A destinato itinere digredi. — *b*) Speciatim *destinata* est eadem, quæ *sponsa*: V. *Rein's röm. Privatrecht p.* 189. *Sueton. Cæs.* 27. Sibique filiam ejus in matrimonium petiit, Fausto Sullæ destinatam. *Plin.* 5. *Ep.* 16. 6. Jam destinata erat egregio juveni, jam electus nuptiarum dies, jam nos vocati. — *c*) Hinc *destinatum est* certum est. *Plin.* 9. *Ep.* 13. 5. Destinatum est mihi, maritum tuum non inultum pati. Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 12. 9. Destinasse Corellium mori.

B) Active quoque occurrit. *Catull.* 8. 19. At tu, Catulle, destinatus obdura, *h. e.* promptus et certo obsequuturus. — Hinc

Destinatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, pro re destinata. *Liv.* 38. 26. *sub fin.* Quo sessiores erant, hoc plura, velut destinatum petentibus, vulnera accipiebant. *Curt.* 3. 8. *extr.* Destinata salubriter, omni ratione potentior fortuna discutit. Adde *eumd.* 7. 5. *sub fin.*, quem locum sub 3. superius attulimus. — Sic *ex destinato* est ex deliberatione, dedita opera, consulto. *Sueton. Cal.* 43. Res bellicas semel attigit, neque ex destinato, sed etc. *Seneca* 1. *Clem.* 6. Peccavimus omnes, alii ex destinato, alii forte impulsi. Adde *eumd.* 6. *Benef.* 10. *extr.*

DESTĪNUS, a, um, adject. *Gloss. Cyrill.* Μενέτονος, perviax, pertinax, destinus. Cf. DESTINA.

DESTĪTOR, ōris, m. 3. qui a re aliqua desistit. *Jul. Epit. nov. c.* 51. § 192.

DĒSTĬTŬO, ŭis, ŭi, ūtum, ŭere, a. 3. (de et statuo). Part. *Destituens* et *Destituendus* 2.; *Destitutus* 1. et 2. præcipue sub *c.* et *d.* — Destituo ¶ 1. Stricto sensu est deorsum statuo, defigo, pono, colloco (It. *piantare, porre, collocare*; Fr. *établir, placer, poser, mettre*; Hisp. *establecer, poner, lugar*; Germ. *Jemanden oder etwas irgend wohin stellen, von sich hinwegstellen, hinstellen, hinthun*; Angl. *to fix, place, or fasten down*). Usurpatur autem *destituere aliquid* aut *aliquem aliquo loco* cum Ablativo et præpos. *in*, vel cum Accusativo et præpos. *ante. C. Gracchus* apud *Gell.* 10. 3. Palus destitutus est in foro, eoque adductus Marius virgis cæsus est. *Nævius* apud *Non. p.* 279. 33. *Merc.* In alto naves jubet destitui ancoris. *Cæcilius* apud *eumd. ibid.* Destituit omnes servos ad mensam ante se. *Plaut. Rud.* 3. 5. 43. Duo destituit signa hic cum clavis senex. *Cic.* 5. *Verr.* 26. 66. Alios in publico custodiri, alios destitui in convivio. *scil.* ad ludibrium. *Liv.* 7. 10. Duos armatos in medio destituit. *Id.* 2. 12. Ante tribunal regis destitutus. *Id.* 10. 4. Cohortes, quæ signa amiserant, extra vallum sine tentoriis destitutas invenit. *Varro* 1. *R. R.* 20. 2. Novellos cum quis emerit juvencos, si eorum colla in furcas destitutas incluserit, diebus paucis erunt mansueti. *Seneca Vit. beat.* 27. Rupes in vadoso mari destituta. ¶ 2. Latiori sensu ac sæpius destituere est se removere, derelinquere, deserere, inducere, decipere, et similia: et occurrit — *a*) Cum Nominativo personæ. *Plaut. Men.* 5. 2. 59. Quid illam iratam abs te destituis? *Cic.* 2. *Phil.* 38. 99. Destituere aliquem in septemviratu. *Id.* 15. *Att.* 18. Ita sum ab omnibus destitutus, ut etc. *Id.* 1. *Off.* 10. 32. Se destitutum queri. *Id. Rosc. Am.* 40. 117. Novem homines honestissimos induxit, decepit, destituit (*h. e.* fefellit), adversariis tradidit. *Cæs.* 3. *B. C.* 93. Destituere funditores inermes. *Liv.* 6. 17. defensores in ipso discrimine periculi. *Ovid. Remed. am.* 110. illic mihi destituendos erit. *Curt.* 5. 13. Barbari tantis ducibus destituti. *Sueton. Galb.* 10. Alarum altera castris appropinquantem destituere conata est. *h. e.* deficere. Sic *Id. Ner.* 40. Talem principem terrarum orbis tandem destituit. Similiter apud *Flor.* 1. 9. 1. Destituere regem. *h. e.* obsequium eidem atque obedientiam denegare. *Liv.* 34. 31. Rem inchoatam turpiter destituere. *h. e.* intermittere. Similiter *Propert.* 1. 20. 46. Dryades solitos destituere choros. Et *Ovid.* 3. *Amor.* 13. 20. Dicitur inceptam destituisse fugam. Rursus *Liv.* 1. 51. Morando spem destituere. Sic *Justin.* 4. 5. 1. Seu pudore male actæ rei, seu metu destitutæ spei civium. *Vellej.* 2. 42. 1. Conata ejus metu suo destituit. *V. Kritz* ad h. l. *Sueton. Cæs.* 9. Destituere consilium. *Id. Claud.* 45. honorem. *Quintil.* 11. 3. 33. partem verborum. — Apud *Tertull. advers. Psych.* 7. *destituere se* est de suo statu ac dignitate descendere. — Cum addito interdum stato seu conditione, in qua quis destituitur. *Cic. Sull.* 32. 90. Quum in hac fortuna miserrima ac luctuosissima destitutus sit. V. *Halm.* ad h. l. *Curt.* 6. 10. 2. Inter optimam conscientiam et iniquissimam fortunam destitutus, ignoro, quomodo et animo meo et tempori paream. *Id.* 7. 3. 12. In hac tamen omnis humani cultus solitudine destitutus exercitus, quidquid malorum tolerari potest, pertulit. Cf. *Cic.* 5. *Phil.* 12. 33. Qui ne sorti quidem fortunas nostras destituit, sed etc. *Alii legunt* destinuit; *Orellius vero* destinavit. — Hinc pro frustrari, fraudare. *Horat.* 3. *Od.* 3. 21. ex quo destituit deos Mercede pacta Laomedon. *V.* DESTITUTIO. — Cum Infinito. *Tibull.* 2. 1. 37. his vita magistris Destituit quernа pellere glande famem. *h. e.* cessavit: at plerique pro *destituit* rectius legunt *desuevit*. — *b*) Cum Nominativo rei inanimæ, vel etiam abstractæ. *Virg.* 1. *Ecl.* 61. freta destituent nudos in littore pisces. Sic *Plin.* 9. *Hist. nat.* 5. 1. (10). Belluas reciprocans Oceanus destituit. Et *Curt.* 4. 8. Itaque mersa navis omnes destituit. *Liv.* 30. 24. Prospero cursu vectum ventus destituit. *Id.* 21. 28. Timentem altitudinem destituit vadum. *Ovid. Heroid.* 15. 136. Tam cito me somnos destituisse queror. *Sueton. Claud.* 30. Ingredientem poplites destituebant. *Curt.* 10. 10. Vigor non destituit vultum. *Id.* 7. 1. 8. Non memoria solum, sed etiam mens eum destituit. *Id.* 4. 5. 29. Primas spes fortuna destituit. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 12. Palmæ submittentur, quæ nec spem vindemiæ destituant. *Vellej.* 2. 69. Quos pronior fortuna destituit. *Plin.* 8. *Ep.* 3. Erevi expectationem tuam, quam vereor ne destituat oratio in manus sumpta. *Auson. Technopægn. de deis* 13. Et numquam in dubiis hominem buna destituens spes. — Et omisso Accusativo. *Liv.* 1. 41. Simul, si spes destituat, alia præsidia molitur. *Tibull.* 1. 1. 9. Nec spes destituat. Cf. *Liv.* 37. 7. Qui, si imperio nostro fidus est, et iter et commeatus et omnia, quæ in longo itinere exercitum alunt juvantque, nobis suppeditabit. Si is destituat, nihil per Thraciam satis tutum habebis. — *c*) Cum Ablativo, addita etiam præpos. *ab*, occurrit præcipue Part. præter. pass. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 8. Quorum ego consiliis, promissis, præceptis destitutus, in hanc calamitatem incidi. *Curt.* 8. 6. Tanta spe destituti, domos abeunt. *Quintil.* 12. 1. 30. Destitutus lenociniis. *Id.* 12. 3. 10. scientia juris. *Justin.* 32. 1. 1. omni auxilio. *Id.* 5. 4. 6. Quibus rebus destitutus. *Liv.* 31. 24. et *Curt.* 1. 3. A spe destitutos. *Liv.* 40. 47. ab unica spe auxilii. *Curt.* 4. 14. 20. ab ingenti spe. *Sueton. Ner.* 10. a re familiari. — *d*) Et *destitutus* absolute. *Cic. Quinct.* 16. 51. Viri boni, quum palam fraudantur, timide tamen istuc descendunt, vi ac necessitate coacti, sæpe illusi ac destituti. *V.* DESTITUTIO. *Sueton. Galb.* 11. Consternatus destitutoque similis, non multum abfuit, qui vitæ renunciaret. *Justin.* 26. 2. 10. Antigonus, transitione militum destitutus, regnum Macedoniæ cum exercitu amittit.

DĒSTĬTŪTĬO, ōnis, f. 3. actus destituendi, derelictio. ¶ 1. Generatim. *Sueton. Domit.* 14. Epaphroditum condemnavit, quod post destitutionem, Nero, in adipiscenda morte, manu ejus adjutus existimabatur. *h. e.* postquam omnes Neronem destituerant, et contra eum defecerant. *Porc. Latro in Catil.* 24. Non consueverat animus prima destitutione fortunæ refrigescere. ¶ 2. Speciatim dicitur cum non præstatur promissi fides, maxime in pecunia. *Cic. Cluent.* 26. 71. Capit consilium, ut pecuniam judicibus polliceatur, deinde eam postea supprimat, ut destitutione iratos Oppianico redderet. *Id. Quinct.* 5. 20. Destitutione illa perculsus Nævius, etc.

DĒSTĬTŪTOR, ōris, m. 3. qui destituit. *Auct. Priap.* 83. 14. Vale, nefande destitutor inguinum. Adde *Tertull.* 2. *Nation.* 18.

DĒSTĬTŪTUS, a, um. *V.* DESTITUO.

DĒSTŎMĂCHOR, āris, ari, dep. 1. valde stomachor: est *Donati* ad *Ter. Andr.* 5. 3. 15.

DESTRANGŬLO, as, are, a. 1. (de et strangulo) idem quod strangulo. Occurrit Part. *Destrangulandus*, et quidem translate apud *Porc. Latron. Declam. in Catil.* 24. Destrangulandam penitus rempubl. ac tollendam cogitavit.

DESTRICTĒ, adverb. Comp. *Destrictius.* — Destricte occurrit figurate tantum, et est aperte, omnino; Itali nunc dicunt *a spada tratta*, quod scilicet a militibus ductum est, qui pugnaturi contra hostem gladium destringunt. *Claud. Imp. in tabula ænea Lugdun.* apud *Gruter. p.* 502. *col.* 2. *lin.* 31. Sed destricte jam comatæ Galliæ causa agenda est. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 3. Veritas Christiana destricte pronunciat, Deus si non unus est, non est. *Ulp. Dig.* 3. 3. 13. Hæc non passim admittenda sunt, neque destricte deneganda. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Sext.* 29. ab *A. Mai.* editus in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 144. Cujus (*Cæsaris*) actionibus Cato nec adversari destrictius volebat. — Ceterum alii ubique legunt *districte* et *districtius*, quæ sane lectio præferenda est.

DESTRICTĪVUS, a, um, adject. vim habens destringendi, discutiendi, purgandi. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 29. Cucurbita cum scarificatione est genus adjutorii destrictivum.

DESTRICTUS, a, um. *V.* DESTRINGO.

DESTRIGMENTUM, i, n. 2. idem quod strigmentum, seu ramentum. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 8. (17). Destrigmentis, vel his impositis, vel seminibus. *Alii leg.* de strigmentis *divisim, et quidem rectius.*

DĒSTRINGO, stringis, strinxi, strictum, stringere, a. 3. (de et stringo). In multis et inferius allatis exemplis, ut et adnotabitur, alii leg. *distringo.* Verum quoties detrahendi ratio aliqua significatur, rectius per *de*; quum stringendi, distinendi, distrahendi etc., per *di* scribetur. — Part. *Destringens* 1. 1.

b.; *Destrictus* in omnibus paragr.; *Destringendus* I. 1. *a.* — Destringere est stringendo detrahere, decerpere, avellere, auferre (It. *stringendo spiccare, strappare, staccare, svellere, tor via*; Fr. *tirer avec frottement un objet d'un lieu, détacher*; Hisp. *desatar, coger*; Germ. *etwas abziehen, abstreifen*; Angl. *to strip, rub, or pull off, scrape or pare off, pluck, snatch, tear off, take from, diminish*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim, ac præcipue de plantis. *Cato R. R.* 37. *sub fin.* Destringere avenam. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 1. Olivam manu destringere. *Id.* 11. *ibid.* 2. 83. Tum et olea destringenda. *Id.* 4. *ibid.* 24. 6. Muscum destringere et eradere. *Id.* 12. *ibid.* 47. 3. Semina fœniculi et lentisci destricta et purgata in urceolo habeto. *Id. ibid.* 52. 8. Destricta bacca. *h. e.* lecta. *Ovid. de nuce* 135. Si licet hoc, oleas destringite, cædite messes. *Quintil.* 12. 6. 2. Destringere frondem. *Id.* 12. *Declam.* 26. Destricti ramis cibi. *Lucan.* 4. 317. Destringere ramos. *Grat. Cyneg.* 119. tenero destrictas cortice virgas. *Martial.* 12. 29. Destringere medios lectos mensarumque pedes. *h. e.* eburneos vel argenteos lectorum mensarumque laminas abradere. *V.* integrum Epigr. — *b*) Speciatim *destringere* est strigili radere, defricare; quod in balneis fiebat post unctionem. *Plin.* 3. *Ep.* 5. *a med.* Dum destringitur tergeturque, audiebat aliquid, aut dictabat. *Martial.* 14. 51., cui lemma *Strigiles*. Pergamus has misit curvo destringere ferro: Non tam sæpe teret lintea fullo tibi. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (55). *de Polycleto*. Fecit et destringentem. et *ibid.* (62). *de Lysippo*. Fecit et destringentem se. *Alii leg.* distringentem. *V.* APOXYOMENOS. — *c*) Hinc ponitur etiam pro extergere. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 31. (96). Horum jus traditur alvum exinanire, interanea destringere, omnia adaperire, renes purgare, etc. — *d*) Sæpius occurrit *destringere ensem, gladium*, etc. hoc est e vagina educere: vel, si malis, vaginam gladio detrahere. *Cic.* 3. *Off.* 31. 112. Confestim gladium destrinxit, juravitque etc. Ita Eruditi plerique *Græv.* et *Gronov. uterque hic*, *Heins.* ad *Ovid.*, *Drackenb.* ad *Sil. It.*, *Bentlej.* ad *Horat.* etc. Alii, qui exponunt, pugno gladium valde stringere, malunt scribi *distringere*. Sic *Liv.* 27. 13. Destrictis gladiis discinctos destituit. Similiter *Cæs.* 1. *B. G.* 25. et 7. *ibid.* 12., 1. *B. C.* 46. et 47. et 75.; *Cic. Sext.* 35. 76. (ubi V. *Halm.*); et *Sueton. Cal.* 56. Destringere gladium. *Horat.* 3. *Od.* 1. 17. Destrictus ensis cui super impia Cervice pendet. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 1. 41.; et *Ovid.* 2. *Fast.* 99. et alibi. *Liv.* 8. 7. Destringere securim. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro leviter perstringere atque abradere. Sic apud *Ovid.* 4. *Met.* 561. *destringere æquora alis* dicuntur aves, quæ aquis super volitantes, adeo pennis perstringunt, ut contingant plausuque particulam dissilire faciant. Similiter *Id.* 8. *Met.* 382. summum destringit arundo Corpus. *h. e.* leviter ferit. *et* 10. *ibid.* 526. Inscius extanti destrinxit arundine pectus. — Similiter *destrictum vulnus* est leve et summam tantum cutem perstringens atque abradens. *Ovid. Heroid.* 16. 275. Non mea sunt summa leviter destricta sagittâ Pectora: descendit vulnus ad ossa meum. Eodem sensu *Grat. Gyneg.* 364. destricto levis est in vulnere noxa. *Alii scribunt per* di. ¶ 3. *Porcellinus* accepit *destringere* et pro deorsum, vel ab inferiore parte stringere; affertque illud *Senec. Ep.* 101. *ad fin.* Patibulo pendere destrictum. Item illud *Phædr.* 2. 5. Tunica ab humeris linteo Pelusio destricta. *Districtus* tamen in his legendum videtur: inest enim distrahendi et stringendi significatio.

II.) Translate. *Plin. Paneg.* 37. Quanto cum dolore laturi essent homines, destringi aliquid et abradi bonis, quæ etc. *h. e.* detrahi, auferri. Similiter *Val. Flacc.* 7. 330. Et quæ sanguinea lunæ destrinxit ab ira. *h. e.* abstulit, derasit, detraxit. Cf. *Paulin. Nolan. Ep.* 36. Destrictus humor. *h. e.* ablatus, adeoque arefactus. — Et metaphorâ sumptâ a destringendo gladio, *Seneca* 2. *Ira* 10. In singulos severitas imperatoris destringitur. *h. e.* exseritur, adhibetur. — Item metaphorâ sumptâ, ut videtur, a superiori parag. 2. *Ovid.* 2. *Trist.* 563. Non ego mordaci destrinxi carmine quemquam. *h. e.* præstrinxi, læsi. *Phædr.* 1. 29. Contumelia destringere aliquem. *Id.* 4. 6. Destringere scripta alicujus. *h. e.* notare, Italice *criticare*. Eodem sensu *destrictus* nota est notatus apud *Ovid.* 2. *Trist.* 466. de *Propert.* Destrictus minima nec tamen ille nota est.

DESTRUCTĪBĬLIS, e, et

DESTRUCTĪLIS, e, adject., qui destrui potest. *Lactant. de ira Dei* 23. 28. Destructibilia sunt omnia, quæ manu fiunt. *Al. leg.* destructilia. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 346. Eadem sibi ipse mente in hominis condidit, Solvi incapacem, posse nec destructilem. *Al. per* di *scribunt utramque vocem*.

DESTRUCTĬO, ōnis, f. 3. destruendi actus, ruina.

I.) Proprie. *Sueton. Galb.* 12. Civitates quasdam murorum destructione punivit.

II.) Translate. *Quintil.* 10. 5. 12. Destructio et confirmatio sententiarum. V. *Herbst* ad h. l.

DESTRUCTĪVĒ, adverb. destruendo. *Boeth. Aristot. Analyt. prior.* 1. 12. *p.* 500. Non esse autem musicum quidquid est homo, destructive monstratur. *h. e.* per negationem.

DESTRUCTĪVUS, a, um, adject. destruens, ad destruendum aptus. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *ante med.* Destructivum adjutorium, *scilicet* morbi. *Boeth. Aristot. Topic.* 1. 1. *p.* 672. Sunt ad utraque genera problematum communia universalia, et constructiva et destructiva.

DESTRUCTOR, ōris, m. 3. qui destruit. *Tertull. Apolog.* 46. Rerum ædificator et destructor. *Cassiod.* 12. *Variar.* 15. Trojæ destructor Ulysses.

DESTRUCTŪRA, æ, f. 1. idem ac destructio. *Lactant. Placid.* (apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 374.) *fab.* 229. Ipsa (*Venus*) post Trojæ destructuram eum (*Diomedem*) cum suis sociis fatigavit, et socios vertit in aves. Heic *Maius* ait: *structura* vocabulum probum est, item *instructura*; quidni accipiatur *destructura*?

DESTRUCTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DESTRŬO, strŭis, struxi, structum, strŭere, a. 3. (de *et* struo). Part. *Destruens* II.; *Destructus* I. et II.; *Destructurus* et *Destruendus* II. — In quibusdam antiquis libris pro *destructus* legitur et *distructus*. — Destruo (cui opponitur *construo*) est quod structum erat, corrumpo, demolior, diruo, everto (It. *distruggere, rovinare*; Fr. *détruire, renverser, abattre*; Hisp. *destruir, arruinar*; Germ. *niederreissen, einreissen, zu Grunde richten*; Angl. *to pull down, destroy, ruin*).

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 20. 72. Ut navem, ut ædificium, idem destruit facillime, qui construxit. *Virg.* 4. *Æn.* 326. Destruere mœnia. *Sueton. Vesp.* 9. Destructum templum prope funditus. *Justin.* 39. 2. 2. Destruere Alexandri regnum. *Id.* 35. 2. 1. Destructus fortunæ impetu. *Stat.* 12. *Theb.* 92. crinemque manumque Destruit. *h. e.* diademate et sceptro spoliat. Contrarium est illud *Juvenal.* 6. 502. Ædificat caput. *Calpurn.* 5. *Ecl.* 36. nec sint compendia tanti, Destruat ut niveos venalis caseus agnos. *h. e.* emaciet, corrumpat.

II.) Translate. *Ovid.* 5. *Fast.* 132. Vetustas multa destruit. *Liv.* 31. 3. Si, quod cuiquam privatim officiet jus, id destruet ac demolietur. *Vellej.* 2. 48. *de Pompejo*. Qui si decessisset in Campania, defuisset fortunæ destruendi ejus locus. *h. e.* de gradu dignitatis et felicitatis dejiciendi. *Curt.* 8. 14. Destruere magnitudinem alicujus. *Plin. Paneg.* 83. Foris claros domestica infamia destruere. *Tac.* 1. *Hist.* 6. Galbam invalidum senem Vinius et Laco contemptu inertiæ destruebant. *h. e.* Galbæ potentiam, nomen ac fidem magis magisque in dies infirmabant. Sic *Quintil.* 8. 3. 21. Sordido nomine contemptum hominis, quem destructum volebat, auxit. *Id.* 5. 7. 26. Destruere testem infamia criminum. *Tac.* 2. *Ann.* 63. hostem. *Petron. Satyr.* 100. Destruens fortuna constantiam meam. *Quintil.* 1. 10. 48. Destruere tyrannidem. *Id.* 11. 1. 2. Ornatus orationis, nisi fuerit accommodatus rebus et personis, non modo non illustrabit eam, sed etiam destruet. *Id.* 2. 4. 18. Narrationibus subjungitur opus destruendi confirmandique eas. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 29. Non quasi destructuri felicitatem sanctitatis. *Justin.* 12. 3. 11. Ne jejuna et destructa luxuria videretur.

DESTRŪSUS pro *detrusus* legitur a quibusdam apud *Tertull. advers. Valentinian.* 20. Alii tamen rectius leg. *de strue*.

DĒSUB, præposit. ablativa, composita ut *desuper, exante* etc., et significat idem quod *sub*, cum motu de loco. *Flor.* 2. 3. 2. Sic desub Alpibus, idest desub ipsis Italiæ faucibus, etc. *V.* SUB. *Veget.* 2. *Veterin.* 19. Desub oculo. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 6. Lucernam desub modio ejecit. V. *Hand. Tursell. vol.* 2. *p.* 282.

DĒSUBĬTO *vel* de subito, adverb. idem quod subito, valde subito, derepente. *Plaut. Most.* 2. 1. 63. Quamvis desubito, facile est facere nequiter. Adde *eumd. Stich.* 5. 4. 39., *Bacch.* 1. 1. 46. et *Capt. prol.* 62. *Ter. Heaut.* 4. 2. 6. Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam desubito e manibus. *Cic. fragm.* (quod est 6. *de republ.* 2.) apud *Non. p.* 501. 1. *Merc.* Funus desubito esse ornatum. Adde *Lucret.* 2. 265. et 3. 641., et quæ multa congerit *Non. loc. cit.* ex *Titin.*, *Enn.*, *Afran.*, *Næv.*, *Cæcil.*, *Quadrigar.*, *Lucil.* etc.

DĒSŪBĪTO, as, are, a. 1. *Firmic.* 3. *Mathes.* 4. *a med.* Etiam si eas artes fuerit largitus, easdem crebra eversione desubitat. *h. e.* subito destruit, obruit, evertit. Lectio tamen valde dubia videtur.

DĒSŪBŬLO. *V.* DESABULO, ubi *desubulo* legendum esse contendimus.

DESUCTUS, a um. *V.* DESUGO.

DĒSŪDASCO, is, ere, n. 3. idem ac desudo. *Desudascitur* impers. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 33. Hujusmodi palæstra, ubi damnis desudascitur. *Al. leg.* dominæ *pro* damnis.

DĒSŪDĀTĬO, ōnis, f. 3. actus desudandi, sudor.

I.) Proprie. *Firmic.* 3. *Mathes.* 1. Corpus hominis nimia desudatione dissolvitur.

II.) Translate. *Capell.* 6. *p.* 189. Desudatio curaque districtior aciem industriæ melioris obtudit. *h. e.* labor.

DĒSŪDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒSŪDO, as, āvi, ātum, are, 1. (de *et* sudo). Part. *Desudans* II. 1.; *Desudatus* I. 2. et II. — Desudo

I.) Proprie ¶ 1. Neutrorum more est valde sudo. *Cels.* 6. 6. *n.* 29. Lavari sæpe, ibique desudare. *Manil.* 5. 110. in lusus agiles, agilemque vigorem Desudant. *Stat.* 3. *Theb.* 277. Perpetuis desudare caminis. ¶ 2. Est etiam verbum causativum et significat sudando defundere. *Claudian.* 2. *Rufin.* 304. morbus Corruptos Stygiam pestem desudat in amoes. *h. e.* veluti sudando defundit. *Apul. de Mag.* Dico Crassum jamdudum ebrium stertere, vinolentum sudorem in balneo desudare. *Prudent.* 5. *Cathemer.* 117. Illic et gracili balsama surculo Desudata fluunt.

II.) Translate. ¶ 1. Neutrorum more est mentis viribus quam maxime *elaborare*, quocum jungitur a *Cic. Senect.* 11. 38. In is desudans atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero. ¶ 2. Activa est summo labore exercere. *Sidon.* 6. *Ep.* 1. Post desudatas militiæ Lirinensis excubias etc. *Claudian. Paneg. Mall. Theod.* 11. Desudata judicia. *h. e.* summo labore exercita. *Id. B. Get.* 280. Alio Marte cohortes desudare.

DĒSUĒFĂCĬO, facis, fēci, factum, facere, a. 3. (de, suesco *et* facio). Part. *Desuefactus*; et Passivum *Desuefio*. — Desuefacio est a consuetudine abstraho. *Cic. Cluent.* 40. 110. Multitudinem jam desuefactam a concionibus, ad veteris consuetudinis similitudinem revocaverat. *Varro* 2. *R. R.* 9. 12. *de catulis*. Sed minutatim desuefiant. *Tertull.* pro deponere usurpavit *Pall.* 4. Indices custodesque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta, sedulo quædam desuefecerant. *h. e.* fecerant, ut in desuetudinem abirent.

DĒSUĒFACTUS, a, um, et

DĒSUĒFĪO, fis, fieri. *V.* voc. præced.

DĒSUESCO, suescis, suevi, suetum, suescere, 3. (de *et* suesco). Part. *Desuetus* sub *A.* et *B.*; *Desuescendus* sub *A.* — Desuesco usurpatur *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active est a consuetudine abstraho, abduco. *Titinius* apud *Non. p.* 95. 1. *Merc.* Parasitos amovi, lenonem ædibus absterrui, desuevi, ne quo ad cœnam iret extra consilium meum. *Liv.* 3. 38. Cur ex tanto intervallo rem desuetam usurparent. *Virg.* 2. *Æn.* 509. Diu desueta arma. *Ovid.* 5. *Met.* 503. desuetaque sidera cerno. *Id.* 7. *ibid.* 646. voces jam mihi desuetas. *Id.* 5. *Trist.* 7. 63. desueta verba retracto. *Quintil.* 3. 8. 70. Ne aliter quam dicturi sint, exerceri velint, et morari in desuescendis. *Apul. Florid. n.* 15. Non in totum ævum desuescebant vocem. *h. e.* silentium servabant. Loquitur de discipulis Pythagoræ. — Et Part. præter. *desuetus* cum Accusativo more Græcorum. *Stat.* 5. *Theb.* 231. Ut fera, quæ placido rabiem desueta magistro, Tardius arma movet.

B) Neutrorum more est desuefio, consuetudinem amitto. *Liv.* 8. 38. Jam pridem desueto Samnite clamorem Romani exercitus pati. *Virg.* 6. *Æn.* 814. desueta triumphis Agmina. *Id.* 1. *ibid.* 726. resides animos desuetaque corda. *Sil. It.* 3. 576. paullatim antiquo patrum desuescit honori.

DĒSUĒTŪDO, inis, f. 1. actus desuescendi. *Liv.* 1. 19. Mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus. *Ovid.* 14. *Met.* 436. resides et desuetudine tardi Rursus inire fretum, rursus dare vela jubemur. *Id.* 5. *Trist.* 7. 57. En pudet, et fateor; jam desuetudine longa Vix subeunt ipsi verba Latina mihi. *Callistrat. Dig.* 11. 1. 1. Actiones in desuetudinem abierunt. *Julian. ibid.* 1. 3. 32. Leges per desuetudinem abrogantur.

DĒSUĒTUS, a, um. *V.* DESUESCO.

DĒSŪGO, gis, ctum, gere, a. 3. (de *et* sugo). Part. *Desuctus.* — Desugo est idem quod sugo, vel exsugo. *Pallad.* 1. *R. R.* 9. 4. Carbones, si qua fundentur ex poculis, velociter rapta desugent. *Id.* 1. *ibid.* 37. 2. Arbores, quibus nulla amaritudo respondet, flore desucto.

DĒSULCO, as, are, a. 1. (de *et* sulco) maxime vel totum sulco. *Avien. Perieg.* 1137. super impiger ampla Æquora desulcat glæbæ ditis Catabanus. *nempe amplam planitiem terræ fertilis.*

DĒSULTO, as, are, n. 1. *frequentat. a* desilio, salio. *Tertull. Anim.* 32. Desultare maris.

DĒSULTOR, ōris, m. 3. qui ex uno in alium locum desilit. Itaque

I.) Proprie desultores dicebantur, qui arte et usu assueverant ex uno in alium equum, non intermisso cursu, desilire, ut spectatoribus in ludis voluptatem præberent. Desultorum originem *Hygin. fab.* 80. a Castore et Polluce deducit. *Id.* addit *ibid.* Unde etiam Romani servant institutum, quum desultorem mittunt; unus duos equos habet, pileum in capite, de equo in equum transilit. V. *Dempster., Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom.* 5. 21. *p.* 212. et seq. *Varro* 2. *R. R.* 7. 15. Peritus belli alios equos eligit ac docet, aliter quadrigarius, ac desultor. Cf. *Propert.* 4. 2. 35. Est etiam aurigæ species Vertumnus, et ejus, Trajicit alterno qui leve pondus equo. *Liv.* 23. 29. Numidæ, quibus, desultorum in modum, binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat: tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus est. *Id.* 44. 9. Et semel quadrigis, semel desultore misso, vix unius horæ tempus utrumque curriculum complebat. *Manil.* 5. 85. Nec non alterno desultor fidere dorso, Quadrupedum et stabilis poterit defigere plantas Per quos vadat equos. *Mutator equorum* dicitur a *Val. Flac.* 6. 161. — Desultores nudi equitabant: V. *Cavedoni, Correz. all'Append. p.* 2. Ceterum desultoris figuram videsis apud *Morell.* in nummis gentis Marciæ *tab.* 2. *n.* 3., 4. etc. et gentis Sepulliæ; ejusque descriptionem apud *Eckel. D. N. V. T.* 5. *p.* 246. et apud *Cavedoni, Saggio sulle medaglie, p.* 161.

II.) Translate. *Ovid.* 1. *Amor.* 3. 15. Non mihi mille placent: non sum desultor amoris. Tu mihi, si qua fides, cura perennis eris. *Seneca Suasor.* 1. *circa med.* Dellius, quem Messala Corvinus desultorem bellorum civilium vocat, quia ab Do' bella ad Cassium transiturus, etc. et a Cassio deinde transivit ad Antonium, novissime ab Antonio transfugit ad Cæsarem. *V. Salmas.* ad *Vopisc. Carin.* 19.

DĒSULTŌRĬUS, a, um, adject. ad desiliendum aptus, ut in voce præced. dictum est.

I.) Proprie. *Sueton. Cæs.* 39. Circensibus quadrigas, bigasque, et equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes. *Cassiod.* 3. *Variar.* 51. Equi desultorii, per quos Circensium ministri missos denunciant exituros, Luciferi præcursorias velocitates imitantur.

II.) Translate. *Cic. Mur.* 27. 57. Qui mihi videtur prætorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum, incurrere. *Apul.* 1. *Met. init.* Desultoria scientia. *h. e.* magia, per quam homines ex una in aliam formam transmutantur, et quasi desiliunt. Cf. *Capell.* 1. *p.* 21. Tunc etiam omnium garrula puellarum et contrario semper fluibunda luxu, levitate pernix desultoria gestiebat. *h. e.* Fortuna, quæ, ut ait *Auson. Epigr.* 137. numquam sistit in eodem statu; semper movetur, variat et mutat vices. — *Desultorius* inscribitur una ex *Saturis M. Ter. Varron.* apud *Non. p.* 503. 22. et *p.* 534. 22. *Merc.*; qui *Varro* (ait *Oehler, Sat. Menipp. Rel. p.* 100.) significat fortasse eo vocabulo suum ipsius ingenium in Saturis componendis expeditum illud ac semper paratum, non solum de quavis materia proposita disputare, sed etiam ipsum dicendi genus variare et quasi desultorum more a pedestri oratione in versus ac poemata transilire.

DĒSULTRIX, icis, f. 3. quæ desilit, et translate instabilis, ut Desultrix virtus, *Tertull. advers. Valentinian.* 38.

DĒSULTŪRA, æ, f. 1. actus desiliendi. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 9. Ne hodie maximum in malum cruciatumque insiliamus. PA. Tu sali solus, nam ego istam insulturam et desulturam nihil moror.

DĒSUM, dĕes, dĕfui, dĕesse, n. anom. (de *et* sum). Si post de aliud e sequatur, sæpe a Poetis contrahuntur. *Virg.* 10. *Æn.* 378. Deest jam terra fugæ; pelagus Trojamne petemus? *Ovid.* 1. *Met.* 77. Deerat adhuc, et quod dominari in cetera posset. *Sil. It.* 7. 185. et *Lucan.* 9. 858. Deesse tuos latices, etc. *Virg.* 7. *Æn.* 262. Divitis uber agri, Trojæve opulentia deerit. Adde *Sil. It.* 6. 10. — Aliquando dissolvuntur, prima etiam producta. *Stat.* 10. *Theb.* 236. Nec deest cœptis: unde hæc tam sera repente. *Id.* 8. *ibid.* 236. Harmonien: nullis deest sua fabula mensis. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 276. — *Defuĕrunt*, penultima correpta, occurrit apud *Ovid.* 6. *Met.* 584. Verbaque quærenti satis indignantia linguæ Defuerunt; nec flere vacat: sed fasque nefasque Confusura ruit. — Futurum Infiniti est *Defore*, et Particip. *Defuturus*. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 33. 90. Arbitrabantur, non defore, qui illa restituerent. *Id.* 13. *Fam.* 63. 2. Nec mihi superesse verba putes, quæ dixeram defutura. — Pro *Desim, sis, sit,* dixere olim *Desiem, sies, siet. Cato R. R.* 8. Ne fœnum Desiet. — Item *Defuam, as, at,* ut *Plaut. Bacch.* 1. 1. 3. Metuo, ne defuat oratio. *At plerique alii leg.* defuerit. — Ceterum *desum,* a *de* privativa et *sum,* est idem ac deficio, absum (It. *non esservi, mancare*; Fr. *être absent, ne pas être présent, être de moins, manquer*; Hisp. *estar ausente, faltar*; Germ. *weg, fort, nicht da sein, fehlen*; Angl. *to fail, be wanting*). Occurrit

¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Sæpe cum Dativo personæ, cui res deest. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 3. Mihi oratio, lusciniolæ cantio deest. *Cic.* 1. *Orat.* 17. 79. Quibus etiam si ingenium non maxime defuit, doctrina certe et otium defuit. *Id. Mil.* 36. 100. Tibi nullum a me amoris officium defuit. *Id.* 1. *Divinat.* 29. 61. Sive deest naturæ quidpiam, sive abundat atque affluit. *Id. Brut.* 67. 237. Ei paucæ centuriæ ad consulatum defuerunt. *Cæs.* 1. *B. G.* 26. Hoc unum ad pristinam fortunam Cæsari defuit. *Id.* 2. *B. C.* 31. Quantum alteri sententiæ deesse animi, tantum alteri superesse. *Sall. Cat.* 20. Illis divitias superare; nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse. *Horat.* 1. *Od.* 36. 15. desunt epulis rosæ. *Id.* 1. *Ep.* 1. 58. Si quadringentis sex septem millia desunt. *Seneca* 2. *Benef.* 10. Deesse sibi in sumptum ad necessarios usus. — *b*) Interdum cum Ablativo personæ aut rei et præpos. *in. Cic.* 3. *Orat.* 4. 16. Ut neque in Antonio deesset hic ornatus orationis, neque in Crasso redundaret. Cf. *Id.* 13. *Fam.* 63. 1. Non putavi fieri posse, ut mihi verba deessent: sed tamen in C. Lænio commendando desunt. — *c*) Sæpe absolute. *Ter. Phorm.* 2. 1. 69. Non ratio, verum argentum deest. *Lucret.* 6. 360. Frigore enim desunt ignes. *Cæs.* 6. *B. G.* 43. Semper paullum ad summam felicitatem deest. *Liv.* 45. 19. Numquam causas seditionum et certaminis deesse. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 52. quod non desit habentem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 109. 112. (248). Nec defuerunt geometræ, qui interpretarentur, etc. *h. e.* fuerunt quidam. Similiter *non deest*, licet, potest. *Sil. It.* 6. 10. nec cernere deerat Frustra semineœum quærentia lumina cœlum. — *d*) Sequente alio Verbo; scilicet — Particula *quominus* cum Conjunctivo. *Cic.* 3. *de republ.* 30. Duas sibi res deesse, quominus in vulgus et in foro diceret. *Tac.* 14. *Ann.* 39. Nec defuit Polycletus, quominus ingenti agmine Italiæ gravis incederet. — Cum part. *quin* et Conjunct., præcedente tamen alia particula negativa. *Sueton. Ner.* 45. Nihil contumeliarum defuit, quin subiret. — Cum Infinito. *Propert.* 1. 16. 7. Et mihi non desunt turpes pendere corollæ Semper, et exclusi signa jacere faces. *Sil. It.* 11. 50. nec desunt deposcere primi imperia. *Tac.* 4. *Hist.* 11. Ecentissimus quisque prodere ultro dites dominos defuit. — Cum part. *ut* et Conjunct. *Capitolin. Gordian. III.* 31. Nec defuit, ut senatus de his rebus falleretur. *h. e.* accidit hoc quoque, ut etc. ¶ 2. Latiori sensu — *a*) *Deesse alicui* est non opitulari, non defendere quum possis aut debeas, deserere. *Cic. Mur.* 4. 10. Ipse me existimarem nefarium, si amico; crudelem, si misero; superbum, si consuli defuissem. *Id.* 4. *Att.* 15. Bruto certe meo nullo loco deero. *Id.* 1. *Fam.* 9. 17. Ut neque amicis, neque etiam alienioribus opera, consilio, labore deessem. *Nepos Timoth.* 4. Timotheo de fama dimicanti non defuit. — *b*) Eodem sensu *non deesse communi saluti, officio suo,* etc. est satisfacere. *Cæs.* 5. *B. G.* 33. Communi saluti nulla in re defuit. *Cic.* 7. *Att.* 17. 4. Sin bellum geretur, non deero officio, neque dignitati meæ. *Liv.* 3. 50. Nec illius dolori, nec suæ libertati defuit. *Cæs.* 2. *B. C.* 41. Non deesse negotio. Cf. *Cic.* 2. *Phil.* 29. 71. Cur ei bello propter timiditatem tuam defuisti? *Id.* dixerat 2. *ad Q. fr.* 6. Huic convivio puer tuus defuit. — *c*) Similiter *non deesse sibi, non deesse occasioni,* est opportunitatem rei bene gerendæ non prætermittere. *Cic. Rosc. Am.* 36. 104. Mihi ausculta: vide, ne tibi desis. Adde *eumd.* 5. *Fam.* 12. *post init. Horat.* 1. *Sat.* 9. 56. Haud mihi deero. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 25. 30. (87). Nullo momento meditari cessat, ne quando desit occasioni. — *d*) Et omisso Dativo. *Cic. Brut.* 34. 130. Non deerat in causis.

Homonym. De discrimine inter *absum* et *desum* ita *Cic. Brut.* 80. 276. Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit; si opus erat, defuit.

DĒSŪMO, sūmis, sumpsi *vel* sumsi, sumptum *vel* sumtum, sūmere, a. 3. (de *et* sumere) idem quod sumo, assumo, suscipio. *Liv.* 4. 55. Duo singuli singulos sibi consules asservandos desumunt. *Id.* 7. 20. et 38. 45. Populum R. sibi hostem desumera. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 81. Ingenium, sibi quod vacuas desumsit Athenas, Et studiis annos septem dedit. *Plin.* 8. *Ep.* 20. 8. Desumere cursum certamenque. *Tac. Dial. de orat.* 37. sibi pugnas.

DĒSŬO, is, ere, a. 3. (de *et* suo). *Cato R. R.* 21. Cupam, qua fini in modiolos erit, utrinque secus imbricibus ferreis quatuor desues. *h. e.* colligabis, adstringes, firmabis.

DĒSŬPER, adverb. e loco superiore. *Cæs.* 1. *B. C.* 79. Suos desuper ascendentes protegebant. *Id.* 1. *B. G.* 52. Qui phalanges insilirent, et desuper vulnerarent. *Virg.* 1. *Æn.* 420. adversas adspectat desuper urbes. *Id.* 2. *ibid.* 47. ventura desuper urbi. *Id.* 4. *ibid.* 122. nigrantem commixta grandine nimbum Desuper infundam. *Id.* 1. *ibid.* 169. tum silvis scena coruscis Desuper horrentique atrum nemus imminet umbra. *Ovid.* 3. *Fast.* 530. ubi pro rigidis calamos statuere columnis, Desuper extentas imposuere togas. *Colum.* 12. *R. R.* 16. 4. Terram congerito et modice desuper calcato. *Tac.* 2. *Ann.* 16. Ut prœliantibus Romanis desuper incurrerent. *Sueton. Tib.* 72. Aprum jaculis desuper petiit. *Id. Ner.* 31. Ut unguenta desuper spargerentur. *Flor.* 3. 2. 6. Desuper exornata armis hostilibus tropæa fixere. *Lucan.* 1. 688. nunc desuper Alpis Nubiferæ colles atque aeriam Pyrenem Abripimur.

DĒSŬPERNE, adverb. idem quod desuper. *Vitruv.* 10. 16. 10. *Schneid.* Temperavit aliena aquæ ferventis, et picis, desuperne contra capita hostium cadentis. *Prima, altera, tertia editio habent* desuper.

DĒSURGO, gis, gere, n. 3. (de *et* surgo) idem quod surgo. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 5. 702. Qui faciant solem certa desurgere parte. *Vulgati libri habent* certa de surgere parte. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 77. vides, ut pallidus omnis Cœna desurgat dubia? ¶ 2. Specialim apud *Scribon. Compos.* 142. usurpatur pro ventris exonerandi causa surgere ac sessum petere. Ejus verba sunt: Tenesmus est irritatio ultimæ partis intestini directi, in quo sæpius jubet desurgere. *Id. ibid.* 140. Cum cœperit desurgere, aqua calida supponatur.

DĒSURRECTĬO, ōnis, f. 3. actus surgendi de lecto, ventris exonerandi causa. *Marcell. Empir.* 27. Si torminosi, vel cœliaci propter frequentes desurrectiones viribus deficientur. Adde *Scribon. Compos.* 37. et 142.; et *V.* voc. præced. 2.

DĒSURSUM, adverb. de parte superiori. *Tertull. Præscript.* 46. Quia splendor quidam luminis desursum in inferioribus refulsisset. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 19. Consuunt tunicas, qui inconsultam desursum tunicam perdiderunt. *Vulgat. interpr. Joann.*

3. 31. Qui desursum venit, super omnes est. Adde eumd. sæpe.

DĒTACTUS, a, um, particip. ab inusit. *detango*, tactus. *Lucret.* 3. 226. neque detactum de pondere quidquam. *Al. rectius leg.* detractum.

DĒTECTĬO, ōnis, f. 3. actus detegendi. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 36. *ad fin.* Descendisse Jesum ad detectionem creatoris. *Ulp. Dig.* 29. 5. 1. § 25. Quæstionem sic accipimus, non tormenta tantum, sed omnem inquisitionem et detectionem mortis. *Plerique omn. leg.* defensionem.

DĒTECTOR, ōris, m. 3. qui detegit. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 36. *a med.* Detector creatoris. *Id. advers. Valentinian.* 3. conscientiæ.

DĒTECTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒTĔGO, tĕgis, texi, tectum, tĕgere, a. 3. (de et tego). Part. *Detegens* I.; *Detectus* I., II. et in fin.; *Detegendus* II. — Detego est quod tectum erat, aperio, retego, denudo (It. *scoprire*; Fr. *découvrir, mettre à nu*; Hisp. *descubrir, destapar*; Germ. *abdecken, aufdecken, entblössen, sichtbar machen*; Angl. *to lay open, uncover, expose, disclose, detect, discover*).

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 1. 1. 3. Detexit ventus villam. *h. e.* tectum abstulit. Joculari translatione *Id. Most.* 1. 3. 7. Tempestas mihi modestiam omnem detexit, tectus qua fui. *h. e.* detraxit. *Id. Epid.* 1. 1. 63. Detegetur corium de tergo meo. *h. e.* detrahetur. Alii tamen leg. *degetur*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 122. Patefacta et detecta. *Auct. B. Alex.* 13. Porticus, gymnasia, ædificia publica detegere. *Virg.* 8. *Æn.* 241. Detegere regiam Caci. *Id.* 10. *ibid.* 133. Dardanius puer caput detectus honestum. *Ovid.* 9. *Met.* 169. laceros artus et grandia detegit ossa. *Id.* 2. *Fast.* 301. Nunc quoque detecti referunt monumenta vetusti Moris. *h. e.* nudi. *Nepos Att.* 20. Cum ædes Jovis vetustate atque incuria detecta prolaberetur. *Liv.* 33. 7. Juga montium nebula detegere. *Lucan.* 3. 128. ferrum. *Tac.* 13. *Ann.* 38. corpora. *Sueton. Cæs.* 57. Capite detecto. *Id. ibid.* 81. Detegere ossa alicujus. *Id. Oth.* 12. Modo celans, modo detegens plagam. *Sil. It.* 13. 168. strictum propere vagina detegit ensem.

II.) Translate. — *a*) Fere de abstractis. *Ovid.* 2. *Met.* 516. Detegere latentem culpam. *Id.* 2. *Art. Am.* 428. furta. *Liv.* 27. 16. insidias. cf. *eumd.* 10. 4. *ad fin. Id.* 27. 45. consilium. *Id.* 22. 43. Detecta fraus. *Curt.* 6. 9. Conjuratio impiorum civium detegenda. *Seneca Ep.* 96. Intimos affectus suos alicui detegere. *Lucan.* 5. 322. Detegit imbelles animos nil fortiter ausa Seditio. *Tac. Dial. de Orat.* 25. Simpliciter et ingenue detegere judicium animi sui. *Sueton. Cæs.* 17. Detegere consilia conjuratorum. *Capitolin. Ver.* 6. Multa in ejus vita ignava et sordida deteguntur. *Quintil.* 1. 3. 12. Mores quoque se, inter ludendum, simplicius detegunt. — *b*) De personis. *Curt.* 7. 5. 32. Pridie quam Philotas detectus est. *Tac.* 1. *Hist.* 81. Formidine detegi. *Ulp. Dig.* 48. 5. 2. Detectus uxorem deprehensam retinuisse. V. *Dirksen, Man. lat. p.* 276. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus.

Detectus, a, um, adjective quoque occurrit. unde Comp. *Detectior* apud *Solin.* 30. *sub fin.* Hyacinthus propensa perspicuitate detectior.

DĒTEMPŎRO, as, are, a. 1. sanguinem ex temporibus detrahere. Occurrit tantum Part. *Detemporandus* apud *Pelagon. Veterin.* 1. 2. Equos, si necessitas fuerit, et detemporandus est. Cf. DEPECTORO.

DĒTENDO, dis, sum, dere, a. 3. (de et tendo). Part. *Detensus*. — Detendo est relaxo, remitto: cujus contrarium est *tendo*. *Cæs.* 3. *B. C.* 85. Signo profectionis dato, tabernaculisque detensis. *Liv.* 41. 3. Nautici tabernacula detendunt.

DĒTENSUS, a, um. *V.* voc. præced.

DĒTENTĀTĬO, ōnis, f. 3. idem fere quod detentio, possessio. *Ulp. Dig.* 25. 1. 5. Manebit maritus in rerum detentationem, donec ei satisfiat. Ita *Torrentin.*; at *Haloand.* detentionem. *V.* DETENTIO.

DĒTENTĀTOR, ōris, m. 3. detentor. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.* 11. 58. 2. Si quispiam fuerit detentator juventus, capitali sententia plectetur. *Imp. Justin. ibid.* 7. 39. 7. Extranei possessores vel detentatores.

DĒTENTĀTUS, a, um. *V.* DETENTO.

DĒTENTĬO, ōnis, f. 3. detinendi actus. *Ulp. Dig.* 43. 25. Dare alicui detentionem servitutis. *Id.* 4. 6. 15. Bonæ fidei possessoris detentio. *Torrentin.* hic habet *detentatio*.

DĒTENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* detineo. Part. *Detentatus*. — Detento est arcte detineo. *Imppp. Arcad., Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 7. 13. 16. Servi, quos militia armata detentat. *Impp. Valentinian. et Valens ibid.* (edente *A. Peyronio*) 5. 15. 2. Si minorem modum professi sunt, quam ratio detentatæ possessionis postulat, etc. *Venant.* 11. *carm.* 21. Nec volo nunc absens una detenter ut hora.

DĒTENTOR, ōris, m. 3. qui detinet, idem ac detentator. *Imp. Zeno Cod.* 8. 4. 10. Possessionis alienæ detentores.

DĒTENTUS, a, um. *V.* DETINEO.

DĒTĔPESCO, is, ere, n. 3. (de et tepesco) teporem amitto. *Sidon.* 5. *Ep.* 18. Non primo frigore autumnalis auroræ detepescebat.

DĒTERGĔO, ges, si, sum, gere, a. 2. *Detergis* pro *deterges*, quasi a detergĕre 3. conjug., occurrit apud *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 191. — Part. *Detergens* I. *a.*; *Detersus* I. *b.* et II. 1.; *Detergendus* II. 1. — Detergere est idem fere quod abstergere, tergere, tergendo auferre (It. *astergere, levar via asciugando, forbire*; Fr. *enlever en essuyant, essuyer*; Hisp. *quitar enxugando, enxugar*; Germ. *abwischen, wegwischen*; Angl. *to wipe off or away, brush, scour*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Ovid.* 13. *Met.* 746. lacrimas detersit pollice virgo. *Sueton. Ner.* 24. Sudorem frontis brachio detergere. *Claudian.* 2. *in Eutr.* 375. teneros fletus stamine. *Auson. Perioch. Od.* 28. Lacrimas aut vultu dissimulans, aut veste detergens. — *b*) Latiori sensu poetice. *Cic. Arat.* 246. Quum neque caligans detersit sidera nubes. Nec pleno stellas superavit lumine Luna, etc. *Horat.* 1. *Od.* 7. 15. Albus ut obscuro deterget nubila cælo Sæpe Notus. *Claudian.* VI. *Cons. Honor.* 539. et solis radiis detersa removit Nubila. *Id. Epithal. Pallad.* et *Celer.* 27. Et reliquum nitido detersit pollice somnum. *h. e.* ocellos leviter detergens excussit. *Colum.* 8. *R. R.* 10. 5. Detergere fastidia. — *c*) Familiaris sermonis proprium est illud *Cic.* 14. *Att.* 10. Quod quæris, jam ne ad centena Cluvianum: adventare videtur; sed primo anno octoginta detersimus. *h. e.* quod quæris, an Cluvianum prædium ad centena ss. fructum reddiderit, primo anno octoginta inde retulimus, decerpsimus, percepimus.

II.) Translate. ¶ 1. Est abstergendo purgare, adeoque generatim purgare; et occurrit — *a*) De inanimis. *Plaut. Cas.* 2. 3. 20. Detergere caput pallio. *Liv.* 39. 44. Detergendæ, qua opus esset, cloacæ. *Colum.* 6. *R. R.* 9. 2. Spongia labra detergeri, et aquam frigidam præberi. *Id.* 7. *ibid.* 4. 5. Detergere et refrigerare oves. *Schneiderus*, qui *Gesner.* secutus est, detegere leg. *Sueton. Aug.* 18. fossas oblimatas longa vetustate. *Petron. Satyr.* 135. Detersis curiose manibus. *Id. ibid.* 22. Detersis paulisper oculis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 28. 47. (265). Falces, quum sint excussæ, fibrina pelle detergent. Adde *Colum. Arbor.* 15. *Sil. It.* 7. 534. longo detergere situm ferro. *Id.* 4. 12. detersa rubigine sævus Induitur ferro splendor. *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. *circa med.* Perticæ, quibus araneæ deterguntur. — Joculariter *Plaut. Men.* 1. 1. 1. Juventus nomen fecit Peniculo mihi, ideo quia mensam, quando edo, detergeo. *h. e.* omnia prorsus edendo purgo. — *Detergere venenum* est inditum venenum visceribus dejicere et intestina detrahendo purgare. Legitur in lemmate *cap.* 16. *p.* 17. *Gellii.* — *b*) Morali significatione. *Petron. Satyr.* 88. Helleboro animum detersit. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 191. et fœdo detergis sæcula victu. ¶ 2. Est etiam frangendo evellere, frangere. *Cæs.* 1. *B. C.* 58. Pluribus navibus adoriri singulas, aut remos transcurrentes detergere contendebant. Adde *Liv.* 28. 33. *extr.*, 36. 44. et alibi; et *Flor.* 2. 2. 8. *Liv.* 38. 5. Arietibus muros quatiebat, asseribus falcatis detergebat pinnas. *Colum.* 4. *R. R.* 26. 3. Vitis leviter curvabitur, ne deflexus frangatur, neve jam tumentes gemmæ detergeantur. *Id.* 5. *ibid.* 5. 13. Supervacuos palmites detergere.

DĒTĔRĬÆ Porcæ, idest macilentæ. *Paul. Diac. p.* 73. 5. *Merc.*

DĒTĔRĬOR, ius, et *Superl.* Deterrimus, a, um, adject. inferior, vilior, pejor. Caret positivo, et ducitur a *detero, is*, ut docet *Priscian. p.* 597. *Putsch.*, quia quæ detrita sunt, viliora et pejora fiunt (It. *inferiore, peggiore*; Fr. *inférieur, pire, plus mauvais*; Hisp. *inferior, peor*; Germ. *schlechter, schlimmer, ärger, geringer*; Angl. *worse, inferior*). Usurpatur tum de personis, tum de rebus. — *a*) Comp. *Deterior, ius*, apud *Plaut. Bacch.* 5. 2. 61. Vidi ego nequam homines, verum te neminem deteriorem. *Id. Epid.* 3. 4. 10. Strenuiori deterior si prædicat suas pugnas. *Id. Merc.* 5. 1. 9. Mores deteriores increbrescunt in dies. *Attius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 5. 13. In segetem sunt deteriorem datæ fruges. *Lucret.* 4. 1272. Deteriore fit ut forma muliercula ametur. *Cæs.* 1. *B. G.* 36. Magnam Cæsarem injuriam facere, qui suo adventu vectigalia sibi deteriora faceret. *Cic.* 13. *Phil.* 19. 40. Deteriores jugulari cupio, meliores vincere. *Id.* 14. *Att.* 11. 2. Ruina rem non fecit deteriorem, haud scio an jam fructuosiorem. V. *Klotz* ad *eumd. Harusp. resp.* 25. 53. *Id. Cæcin.* 7. 18. Deteriore jure esse, quam ceteros cives. *Id. ibid.* 16. 46. In judiciis deterior causa est eorum, qui etc. *Id. Quinct.* 5. 20. Deteriore tempore auctionari. *Id. Harusp. resp.* 28. 61. Deteriore statu esse. *Id.* 2. *Legg.* 6. 15. Theophrastus auctor haud deterior. *Nepos Eumen.* 3. *extr.* Ut equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quam peditatu, quo erat deterior. *Virg.* 8. *Æn.* 326. deterior ac decolor ætas. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 44. Muræna deterior post partum carne futura. *Ovid.* 1. *Pont.* 4. 1. deterior ætas. *Liv.* 25. 6. Deteriore conditione esse. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 10. 22. (102). Deterior color. *Id.* 31. *ibid.* 10. 18. (115). Opsonia deteriora. *Id.* 19. *proœm.* 1. (6). Linum deteriorem terram facit. *Quintil.* 2. 4. 21. Uter melior, uterve deterior. *Sueton. Cal.* 10. Nec servum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuisse. — Et absolute substantivorum more. *Horat.* 3. *Od.* 5. 29. Nec vera virtus, quum semel excidit, Curat reponi deterioribus. *Liv.* 39. 27. Inhonoratus et deterioribus obnoxius. *Tac.* 15. *Ann.* 64. Vulgus ad deteriora promptum. *Id.* 4. *Hist.* 68. Cuncta in deterius audita. *Id.* 3. *Ann.* 10. Vera aut in deterius credita. *Id.* 13. *ibid.* 43. Deferre aliquid in deterius. *Id.* 15. *ibid.* 61. Mutatus in deterius. — *b*) Sup. *Deterrimus, a, um*, apud *Cic.* 4. *Verr.* 16. 40. Homo deterrime et impudentissime. *Id.* 2. *de republ.* 36. Genus rei publicæ ex bono in deterrimum conversum. *Id. Harusp. resp.* 26. 56. Unus omnium mortalium deterrimus. *Virg.* 3. *G.* 82. deterrimus color. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 107. deterrima causa belli. — Et absolute *Quintil.* 12. 1. 4. Cogitare optima simul et deterrima. — Hinc neutrum

Deterius adverbialiter usurpatur: unde Sup. *Deterrime*. — *Plaut. Capt.* 3. 5. 79. Ita velle me, dicite, curarier, ne qui deterius huic sit, quam cui pessime est. *h. e.* ne qua in re hic pejus tractetur, quam qui pessime tractatur. *Cic.* 1. *Fin.* 3. 8. Quædam de malis Græcis Latine scripta deterius. *Lucceius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 14. Valeo, ut soleo; paullulo tamen etiam deterius quam soleo. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 90. doliturus, si placeant spe Deterius nostra. *h. e.* minus. Sic *Ascon. proœm. Milonianæ ante med. p.* 34. *Bait.* Petebatque nihilo deterius consulatum. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 19. Deterius olere, aut nitere. — *Apul.* 2. *Met.* Deterrime versipelles. *Al. leg.* deterrimæ.

DĒTĔRĬŌRO, as, are, a. 1. Part. *Deterioratus*. — Deterioro est deteriorem facio. *Imp. Theodos.* II. in *Novell.* 1. edita ab *Amadut.* Eloquentia non, ut aliæ res, serio deterioratur. Iber autem pertinet ad ann. a Chr. n. CCCCXXXIX. *Cassiod.* 1. *Variar.* 38. Quod res patris ejus non meliorandi causa, sed deteriorandi voto detineas. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 3. Quidquid deteriorari potest, corrumpi profecto potest. *Symmach.* 4. *Ep.* 69. Habita rei deterioratæ æstimatione.

DĒTĔRIUS, adverb. *V.* DETERIOR in fin.

DĒTERMĬNĀBĬLIS, e, adject. qui determinari potest, ut *Determinabilis materia* apud *Tertull. advers. Hermog.* 41.

DĒTERMĬNĀTĒ, adverb. definite. *Vet. Scholiast.* ad *Lucan.* 1. 11. Tangit hoc quod dicebant philosophi, animam illius, cujus corpus insepultum erat, determinate errare usque ad centesimum annum. *V.* et DETERMINATIVE.

DĒTERMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. terminus, finis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 101. Extrema ora et determinatio

mundi. *Id.* 1. Invent. 52. 98. Exitus et determinatio totius orationis. — Item sententia, qua fines inter populos constituuntur. Inscript. apud Murat. 595. VOCABVLA REGIONVM, QVAE HIERONYMIANA DETERMINATIONE CONTINEBANTVR, VIX JAM NOTA PROPTER TEMPORIS SPATIVM.

DĒTERMĬNĀTĪVĒ, adverb. definite. Boeth. in Aristot. libr. de interpr. ed. pr. p. 249. Sicut ipsa natura rerum evenientium est varia, ita quoque altera pars contradictionis habet variabilem veritatem, et semper quidem vera vel falsa est, non tamen una definite, ut hoc verum sit determinative aut illud, sed utrumlibet. Al. leg. determinate.

DĒTERMĬNĀTOR, ōris, m. 3. qui determinat et definit. Tertull. Pudic. 11. Spiritus S. disciplinæ determinator.

DĒTERMĬNĀTUS, a, um. V. voc. seq.

DĒTERMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et termino). Part. Determinatus I. et II.; Determinaturus II. — Determino est terminos assigno, definio (It. porre, o prescrivere i termini, determinare; Fr. borner, limiter, marquer les limites; Hisp. alindar, terminar, poner limites; Germ. abgränzen, begränzen, die Gränzen bestimmen; Angl. to determine, limit, appoint or prescribe limits or bounds).

I.) Proprie. Plaut. Pœn. prol. 48. Determinate regiones, limites, confinia alicujus rei. Liv. 1. 18. Augur regiones ab oriente ad occasum determinavit. Plin. 5. Hist. nat. 27. 28. (102). Asiam determinavit ab oriente Armenia minore, ab occidente Phrygia. *Id.* 4. *ibid.* 12. 24. (77). Mensuram Ponti alii quatuordecim centena septuaginta octo millia quingenta determinavere. *Id.* 28. *ibid.* 2. 4. (15). Imago templi scipione determinata in solo.

II.) Translate. Lucret. 6. 403. ut hinc teli determinet ictus. Cic. 3. Orat. 41. 175. Imperitus dicendi incondite fundit, quantum potest, et id quod dicit, spiritu, non arte determinat. Tac. dial. de orat. 16. Ætatem oratorum significatione ista determinavit. Plin. 8. Hist. nat. 25. 39. (95). Depascitur segetes destinatione ante determinatas in dies. Sueton. Galb. 15. Officia senatoria biennii spatio determinaturus. Tertull. advers. Psychom. 2. Dies jejuniis determinati. Cf. Cic. 1. Divinat. 12. Pseudo-Ascon. ad Cic. Divin. in Q. Cæcil. 1. 12. p. 104. Bait. Judicium est res, quæ causam litemque determinat. Inscript. apud Murat. 598. 1. QVAM (sententiam) REGIONES EX AVCTORITATE MARII ACILII DETERMINAVERVNT SEQVENDAM ESSE. *h. e.* judicaverunt.

DĒTĔRO, tĕris, trīvi, trītum, tĕrere, a. 3. (de et tero). Part. Deterens I. 1.; Detritus in omnibus paragr.; Deterendus I. 1. — Detero est terendo deminuo, usu consumo (It. logorare, consumare; Fr. user, broyer, écraser; Hisp. usar, gastar, consumir, machacar; Germ. abreiben, zerreiben, abtreten, zerstossen; Angl. to wear, consume by wearing).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est terendo deminuere, abradere, adeoque consumere. Plaut. Merc. 5. 2. 111. Clementer, quæso: calces deteris. Lucret. 1. 315. Strata viarum vulgi pedibus detrita. Tibull. 1. 10. 16. Deteret invalidos et via longa pedes. Phædr. 3. 7. Collum canis a catena detritum. Ovid. 13. Met. 792. Lævior assiduo detritis æquore conchis. Tac. 1. Ann. 18. Hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes. Plin. 8. Hist. nat. 48. 73. (191). Vestis usu detrita. *Id.* 33. *ibid.* 3. 19. (60). Aurum quam minimum usu deteritur. *Id.* 27. *ibid.* 3. 2. (10). Vis, quæ cotibus (est) in ferri acie deterenda. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (188). Oculos vitis deculi, tractuque intrantium deteri. *Id.* 6. *ibid.* 22. 21. (87). Jubas arborum gubernaculis deterentibus. — Huc referri possunt et illa, in quibus deterere ponitur pro terendo auferre. Plin. 36. Hist. nat. 26. 65. (190). Fluctibus volutatæ nitescunt, detritis sordibus. Nigidius apud Gell. 10. 5. Avarus appellatur, qui avidus æris est: sed in ea copula e littera detrita est. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro tundere. Colum. 1. R. R. 6. 23. Area optima est silice constrata, quod celeriter frumenta deteruntur. *Id.* 2. *ibid.* 20. 5. In area detrita frumenta. *Id.* 6. *ibid.* 12. 4. Milium detritum conspersumque aqua mulsa imponendum est. Plin. 27. Hist. nat. 13. 110. (137). Herba quum inaruit, deteritur.

II.) Translate est vires imminuere, auferre. Horat. 1. Od. 6. 10. Musa vetat Laudes egregii Cæsaris et tuas Culpâ deterere ingeni. Cf. Sil. It. 7. 247. Quantum detritum est famæ! Rursus Horat. 1. Sat. 10. 78. de Lucilio. Si foret hic nostrum fato dilatus in ævum Detereret sibi multa, recideret, etc. Tac. 2. Hist. 76. ad fin. Si quid ardoris ac ferociæ habuit (miles), popinis et comissationibus deteritur. Quintil. 2. 4. 7. Aliquid velut usu ipso deteretur. Plin. 9. Ep. 35. Nimia cura deterit magis quam emendat. — Hinc etiam Part. præter. pass. Detritus translate usurpatur. Gell. 15. 30. Qui ab alio vitæ genere detriti jam et retorridi, ad litterarum disciplinas serius adeunt. Quintil. 7. 6. 51. Illa in agendis causis jam detrita. *h. e.* ab omnibus usurpata. — NB. Apud Plaut. Merc. 1. 1. 56. Ea, quæ ipsus optima omnes labores invenisset perferens amoris vi diffunditari ac deteri. nonnulli exponunt absumi: at plerique alii pro deteri legunt didier.

DĒTERRĔO, terres, terrŭi, territum, terrere, a. 2. (de et terreo). Part. Deterrens sub f.; Deterritus sub a. d. e. et f.; Deterrendus sub e. — Deterreo est terrendo, vel dehortando revoco, avoco, deduco, averto (It. distogliere col timore, sconsigliare, dissuadere, rimuovere, sgomentare; Fr. écarter, éloigner, détourner en intimidant, dissuader; Hisp. alejar, desviar, disuadir intimidando; Germ. Jemanden zurückschrecken, abschrecken, abbringen, abwehren, abhalten; Angl. to deter, frighten, scare, dismay, discourage). Usurpatur — a) Cum Accusativo personæ et Ablativo cum præpos. ab rei, a qua quis deterretur. Cic. 1. ad Brut. 15. ad fin. Sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrere. *Id.* Harusp. resp. 9. 18. Litteræ, quæ nostros animos deterrent atque avocant a religione. *Id.* 1. ad Brut. 9. Auctoritas tua me a nimio mœrore deterruit. *Id.* 1. Fam. 7. ante med. Te ut ad certam laudem adhortor, sic a dimicatione deterreo. *Id.* Brut. 75. 262. Deterrere sanos homines a scribendo. *Id.* 1. Orat. 25. 117. adolescentes a dicendi studio. *Id.* 1. ad Brut. 11. Nulla re a proposito deterreri. Cælius apud Cic. 8. Fam. 6. Nemo necessitudine et amicitia te deterritum ab officio dicet. Liv. 22. 42. Deterrere animos a cupiditate. Quintil. 2. 2. 3. ferociores annos a licentia. — Et omisso Accusativo personæ, qui tamen facile subaudiatur. Horat. 1. Sat. 4. 112. a turpi meretricis amore Quum deterreret. — b) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei cum præpos. de. Plaut. Trin. 2. 4. 159. De agro hunc senem deterrui. Cic. 2. Divinat. 39. 81. Deterrere Stoicos de sententia. Brutus apud Cic. 11. Fam. 11. maledictis quempiam de suo statu. — c) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei sine præpos. Horat. Art. P. 391. Silvestres homines sacer interpresque deorum Cædibus et victu fœdo deterruit Orpheus. Adde Lucan. 10. 375. Cf. Claudian. B. Get. 140. Pœnnm Compressit Fabius: campo post ausus aperte Marcellus vinci docuit: sed tertia virtus Scipiadæ Latiis tandem deterruit oris. *h. e.* ejecit, expulit. — d) Addita re, a qua quis deterretur, per Conjunctivum et partic. ne vel quominus, vel etiam, si tamen negatio præcedat, partic. quin. Plaut. Amph. 2. 1. 9. Quin loquar hæc, numquam ullo modo me potes deterrere. *Id.* Mil. glor. 2. 3. 61. Me nemo deterret, quin ea sit in his ædibus. *Id.* Truc. 5. v. 37. Deterrere aliquem, ne amet. Ter. Phorm. prol. 3. Maledictis deterrere, ne scribat, parat. Cic. 11. Att. 8. Neque te deterreo, quominus id disputes. *Id.* 1. Tusc. 38. 91. Non deterret sapientem mors, quominus in omne tempus reipublicæ suisque consulat. *Id.* Quinct. 4. 16. Hominem multis verbis deterret, ne auctionetur. Cæs. 2. B. G. 3. Ut ne Suessiones quidem deterrere potuerint, quin cum his consentirent. Liv. 26. 48. Non munitissima arx deterruisset, quominus transcenderent. Tibull. 1. 3. 13. Cuncta dabant reditus; tamen est deterrita nunquam, Quin fleret, nostras respiceretque vias. — e) Cum Accusativo personæ tantum. Cic. 10. Att. 15. Se pudore deterritum ad me non venisse. Cæs. 3. B. C. 8. Deterrere reliquos magnitudine pœnæ. Sic Auct. B. G. 8. 44. Exemplo supplicii deterrendos reliquos existimavit. Liv. 10. 9. Deterritis tribunis. Ovid. 14. Met. 296. Deterrere pavidam ense. *Id.* 10. *ibid.* 600. Deterritus eventu. Justin. 14. 1. 13. Labantium animos deterrere. Cic. 2. Off. 18. 63. In deterrenda liberalitate. *h. e.* abstractum pro concreto, uti ajunt, μετωνυμικῶς, sive in deterrendo liberali homine, ne benigne largiatur. Al. minus recte leg. deterenda. — f) Absolute omnino. Ter. Adelph. 1. 2. 64. Adversor sedulo et deterreo. Cic. 2. Legg. 4. 8. Lex est ratio ad jubendum et deterrendum idonea. Sueton. Cæs. 70. Neque adire cunctatus est, quamquam deterrentibus amicis, neque dimittere. — g) Denique cum Infinito tantum, eamdemque vim habet, quam v. prohibere, defendere. Cic. 2. Verr. 5. 14. Nefarias ejus libidines commemorare pudore deterreor. Liv. 4. 24. extr. Populi tanta indignatio coorta dicitur, et vis a censoribus nullius auctoritate, præterquam ipsius Mamerci, deterreri quiverit. — Et cum Accusativo rei pro impedire, avertere. Ovid. 8. Met. 765. aliquisque ex omnibus audet Deterrere nefas sævamque inhibere bipennem.

DĒTERRĬMĒ, adverb. V. DETERIOR in fin.

DĒTERRĬTUS, a, um. V. DETERREO.

DĒTERSUS, a, um. V. DETERGEO.

DĒTESTĀBĬLIS, e, adject. Comp. Detestabilior. — Detestabilis est abominabilis, detestatione dignus; et dicitur tum de personis, tum de rebus. Cic. 2. Phil. 26. 65. Non te exsecratum populo Romano, non detestabilem, non omnes tibi deos, non omnes homines et esse inimicos et futuros scias? *Id.* Amic. 8. 27. Caritate, quæ est inter natos et parentes, quæ dirimi nisi detestabili scelere non potest. *Id.* Senect. 12. 41. Nihil esse tam detestabile tamque pestiferum, quam voluptatem. *Id.* 2. Off. 5. 16. Nulla tam detestabilis pestis est, quæ non homini ab homine nascatur. *Id.* 1. *ibid.* 17. 57. Quo est detestabilior istorum immanitas, qui etc. *Id.* 1. Phil. 14. 33. Laudari, coli, diligi gloriosum est; metui vero et in odio esse, invidiosum, detestabile. Liv. 31. 44. Loca quoque, in quibus positum aliquid inscriptumve honoris ejus causa fuisset, detestabilia esse. *Id.* 28. 48. Detestabile exemplum. Sueton. Vitell. 10. voce. Vulgat. interpr. Sapient. 19. 13. Detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt.

DĒTESTĀBĬLĬTER, adverb. detestabili ratione. Lactant. 5. 10. Quod nefarie, quod detestabiliter fecit.

DĒTESTĀTĬO, ōnis, fem. 3. duo diversa significat, prout A) Est a de et v. testari, aut B) A de et nomine testes.

A) Detestatio a præpos. de et v. testari ¶ 1. Est invocatio Dei in testem cum exsecratione et imprecatione malorum, ni fiat quod promittitur. Liv. 10. 38. Primoribus Samnitium ea detestatione obstrictis. *Id.* *ibid.* 41. vocat hoc idem diram exsecrationem, ac furiale carmen detestandæ familiæ compositum. Huc pertinent quæ habet Paul. Diac. p. 184. 15. Müll. Obtestatio est cum Deus testis in meliorem partem vocatur, detestatio cum in deteriorem. Sic apud Senec. Ep. 117. a med. dicitur detestatio qua sibi quis mortem imprecatur. Cf. Horat. Epod. 5. 89. Diris agam vos: dira detestatio Nulla expiatur victima. ¶ 2. Item exsecratio, abominatio. Cic. Dom. 55. 140. Detestatio scelerum. Gell. 2. 7. Ea tamen quæ obsequi non oportet, leniter ac verecunde ac sine detestatione nimia declinanda sunt. *Id.* *ibid.* 6. Detestatione exsecrationeque totius generis humani dignus esset. *Id.* 12. 1. Publica detestatione communique odio dignus. *Id.* 2. 6. Hominis scelerati detestationem facere. ¶ 3. Item actus avertendi mala precando ac vovendo. Plin. 15. Hist. nat. 30. 40. (135). Laurus manifesto abdicat ignes crepitu et quadam detestatione. ¶ 4. In jure est denunciatio facta cum testatione, ut Ulp. Dig. 50. 16. 40. definit. — Hinc detestatio sacrorum (cujus meminit Gell. 15. 27. ubi eam olim comitiis calatis fieri solitam fuisse docet) aliis dicitur denunciatio facta heredi, ut ea sacra suscipiat, quæ hereditati adnexa sunt: aliis enumeratur inter modos interimendi sacra, hoc est quibus liberabatur heres a sacris iis suscipiendis, quæ alligata essent hereditati, quæ ipsi obvenerat: aliis creditur esse consecratio alicujus rei, vel loci rite et solemniter facta, teste et adsentiente populo et pontificibus adprobantibus. Harum trium opinionum auctores quibusdam tantummodo conjecturis ducuntur, neque certum ullum habent idonei scriptoris locum, quo suam quisque certo confirment. Hucusque Forcellinus. Recentiores tamen philologi alteram tuentur sententiam, ac detestationem enumerant inter modos interimendi sacra, hoc est quibus aliquis a privatis suæ gentis sacris, adeoque ab ipsa gente liberabatur. V. Pauly's Realencycl. in v. Sacra.

B) Detestatio a præp. de et nomine *testes* est testium *abscisio*. *Apul.* 7. *Met.* Multos ego scio equos ferocissimos, adhibita tali detestatione, mansuetos factos. *V.* INTESTABILIS.

DĒTESTĀTOR, ōris, m. 3. qui detestatur. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 27. Detestator legis. Adde *eumd. advers. Psychom.* 2. et *Spectac.* 15. *Cassiod.* 1. *Variar.* 4. Detestator sceleris.

DĒTESTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒTESTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (de et testor). Part. *Detestans* 1.; *Detestatus* 1. et 2.; *Detestaturus* 1.; *Detestandus* 2. et 3. — Detestari ¶ 1. Est malum alicui imprecari, deos testes ciendo, adeoque universim exsecrari, vel potius abominari (It. *detestare, abominare, maledire*; Fr. *détester, exécrer, maudir*; Hisp. *detestar, abominar, maldecir*; Germ. *unter Anrufung e. Gottheit verwünschen, verabscheuen*; Angl. *to curse, execrate, detest, abominate*). Occurrit — *a*) Activa significatione. *Liv.* 10. 41. Araque sanguine conspersæ et dira exsecratio ac furiale carmen detestandæ familiæ stirpique compositum. *Cæs.* 6. *B. G.* 30. Omnibus precibus Ambiorigem detestatus, qui etc. *Cic.* 8. *Phil.* 2. 7. Proximi belli civilis ignoro causam, detestor exitum. *Id. Vatin.* 16. 30. Quum viderunt (*te*), tamquam auspicium malum detestantur. *Nepos Timol.* 1. Eum fratricidam impiumque detestans. Cf. *Hieronym.* 1. *in Rufin.* 8. Qui Arianorum principem detestaturi erant. *Liv.* 39. 10. In caput alicujus detestari minas et pericula. Similiter *Plin.* 2. *Ep.* 20. Iram deorum in caput infelicis pueri. *Ovid.* 15. *Met.* 505. Hostilique caput prece detestatur euntis. *Sueton. Claud.* 3. Tam iniquam sortem populi Romani detestari. *Tac.* 2. *Hist.* 35. Detestari causam et auctorem cladis. — *b*) Passive occurrit Part. *Detestatus* apud *Cic.* 2. *Legg.* 11. 28. Araque – Febris, et altera – Malæ Fortunæ, detestataque omnia ejusmodi repudianda sunt. *Horat.* 1. *Od.* 1. 24. Bella matribus detestata. — Et Infinitum *detestari* apud *Apul. de Mag.* Neque gravius est in cubiculo despui, quam in splendidissimo cœtu detestari. Adde *Augustin. Ep.* 255. *ad Macrob.* ¶ 2. Item est amoliri, avertere, deos invocando; idem quod deprecari, quocum interdum conjungitur, ut apud *Cic.* 1. *Cat.* 11. 27. Ut a me quamdam prope justam patriæ querimoniam detester ac deprecer. *Id.* 4. *Phil.* 4. 10. O dii immortales, avertite et detestamini, quæso, hoc omen. *Id. Pis.* 40. 96. Omnes memoriam consulatus tui, facta, mores, faciem denique ac nomen a republica detestantur. *Id.* 1. *Nat. D.* 44. 123. Quæque dixerit de dis immortalibus, invidiæ detestandæ gratia dixisse. ¶ 3. Apud JCtos *detestandi* actus enumerabatur inter modos interimendi sacra, hoc est quibus liberabatur heres a sacris iis suscipiendis, quæ alligata essent hereditati, quæ ipsi obvenerat. *V.* DETESTATIO. 4. Hoc sensu de sacris *detestandis* librum scripsit *Servius Sulpic.*, teste *Gell.* 6. 12. ¶ 4. Item apud JCtos detestari est absenti, testibus adhibitis, denunciare. *Paul. Dig.* 50. 16. 39.; ubi alii legunt *attestari*. Certior videtur locus *Caj. ibid.* 50. 16. 238., ubi docet. *detestatum* esse testatione denunciatum. — *NB.* Detestari pro testari, aut valde testari, obtestari, accipiunt nonnulli in illo *Plaut. Men.* 5. 2. 61. Summum Jovem deosque detestor. *At recentiores plerique pro* detestor *leg.* do testes.

DĒTEXO, xis, xui, xtum, xere, a. 3. (de et texo). Part. *Detexens* II.; *Detextus* I. et II.; *Detexendus* I. — Detexo est idem quod pertexo, vel texendo absolvo (It. *tessere, finir di tessere*; Fr. *faire ou achever un tissu, tisser, tresser*; Hisp. *texer, acabar un tenido*; Germ. *etwas fertig weben oder flechten, abweben*; Angl. *to weave, plait*).

I.) Proprie. *Titinius* apud *Non. p.* 406. 18. *Merc.* Quæ inter decem annos nequisti unam togam detexere. Allegorice *Plaut. Pseud.* 1. 4. 6. Neque exordiri primum, unde occipias habes, neque ad detexundam telam certos terminos. *Id. Amph.* 1. 1. 138. Illic hoc homo denuo vult pallium detexere. *allegorice pro* a textrino auferre, furari. *Virg.* 2. *Ecl.* 72. Viminibus et molli junco aliquid detexere. *Tibull.* 2. 3. 15. fiscella levi detexta est vimine junci. *Hygin. fab.* 126. Cum telam detexuero, nubam. *Ulp. Dig.* 32. 70. § 11. Lino legato tam factum, quam infectum continebitur, quodque netum, quodque in tela est, quod est nondum detextum. *Id. ibid.* 34. 2. 22. Vestimentum id est, quod detextum est, etsi desectum non sit; idest si sit consummatum. Quod in tela est, nondum pertextum, vel detextum, contextum appellatur. Quisquis igitur vestem legaverit, neque stamen, neque subtemen legato continebitur.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Orat.* 38. 158. Reperiunt ea, quibus ante exorsa, et potius detexta prope retexantur. *h. e.* perfecta. *Id. Arat.* 250. Hic non perpetuum detexens conficit orbem. *Vetus Poeta* apud *eumd.* 2. *Herenn.* 27. 42. Nunc ego te ab summo jam detexam exordio. *h. e.* describam verbis te et mores tuos. *M. Aurel.* apud *Fronton. ad M. Cæs.* 1. 3. Vespere hæc ad te detexui. *h. e.* scripsi, elucubravi. *Sulpicia Satyr.* 2. Fabellam permitte mihi detexere paucis. *h. e.* narrare, describere.

DĒTEXTUS, a, um. *V.* voc. præced.

DĒTĬNĔO, tines, tinui, tentum, tinere, a. 2. (de et teneo). Part. *Detinens* 1. *b.*; *Detentus* 1. *a.*; *Detinendus* 1. *b.* — Detinere ¶ 1. Stricto sensu est idem quod tenere, morari, continere, arcere (It. *trattenere, ritardare, rattenere, tener lontano*; Fr. *retenir, arrêter, empêcher*; Hisp. *retener, detener, impedir*; Germ. *Jemandem oder etwas abhalten, zurückhalten, fernhalten, hinhalten, aufhalten*; Angl. *to detain, stay, keep, hold*). Occurrit — *a*) Cum additis. *Plaut. Cist.* 2. 1. 13. Ita pater apud villam detinuit me hos dies sex ruri continuos. *Id. Pœn.* 1. 2. 190. Ne incommodus nobis sit: nam detinet nos de nostro negotio. *Cæs.* 2. *B. C.* 17. Quum Cæsarem ad Massiliam detineri cognovit. *Id.* 3. *ibid.* 75. Consecutus equitatus novissimos prælio detinebat. *Id.* 3. *B. G.* 12. Nostræ naves tempestatibus detinebantur. *Virg.* 2. *Æn.* 788. Sed me magna deum genetrix his detinet oris. *Horat.* 1. *Od.* 33. 14. Me grata detinuit compede Myrtale. *Liv.* 27. 12. Ut quam acerrimo bello detineret Hannibalem. *Tac.* 6. *Ann.* 23. Drusus deinde extinguitur, quum se miserandis alimentis – nonum ad diem detinuisset. *Id.* 2. *ibid.* 69. Abire Syria statuit: mox Germanici valetudine detentus, etc. *Sall. Cat.* 4. A quo incepto studio me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani perscribere. Sic *Pseudo-Sall. orat.* 1. *ad Cæs. de republ. ordin.* 7. Uti plebes habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur. *Ovid.* 3. *Art. am.* 311. Monstra maris Sirenes erant; quæ voce canora Quamlibet admissas detinuere rates. *Id.* 1. *Met.* 682. et euntem multa loquendo Detinuit sermone diem. — *b*) Sine additis. *Plaut. Rud.* 1. 2. 5. Eo vos amici detinui diutius. *Ter. Eun.* 2. 2. 49. Detineo te: fortasse tu profectus alio fueras. *Id. Phorm.* 4. 1. 8. Pol me detinuit morbus. *Lentulus ad consul.* etc. apud *Cic.* 12. *Fam.* 15. *circa med.* Detinere quempiam et demorari. *Liv.* 4. 55. Nunc detinenda, nunc concienda plebs. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 5. Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi. *Seneca Ep.* 88. Utilia, si præparant ingenium, non detinent. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (69). Detinentibus terras nivibus. ¶ 2. Latiori sensu est occupare, adeoque in re aliqua occupare: ad rem *Plin.* 15. *Hist. nat.* 3. 3. (12). Detinere locum. *h. e.* occupare. — Hinc *Cic.* 2. *Invent.* 45. 132. Detineri in alienis negotiis. Cf. *eumd.* 3. *Herenn.* 24. 40. Quum aliquo majore negotio detinemur. *Ovid.* 5. *Fast.* 386. Detinere manus in modis lyricis. *Id.* 2. *Trist.* 529. poemata mea sæpe oculos detinuere tuos. *Id.* 5. *ibid.* 7. 39. Detineo studiis animum falloque dolores. *Id.* 4. *Pont.* 10. 65. Si roget hæc aliquis, cur sint narrata Pedoni, Quidve loqui certis juverit ista modis; Detinui, dicam, tempus curasque fefelli. *Sueton. Ner.* 52. A cognitione veterum oratorum Seneca præceptor (*eum avertit*), quo diutius in admiratione sui detineret. *Tac.* 13. *Ann.* 36. Præfectus militesque tendere extra vallum jussit. Inque ea contumelia detenti, nec nisi precibus universi exercitus exsoluti sunt. *Plin.* 14. *Hist. nat. procem.* (4). Circa alia mentes hominum detinentur. *Alter Plin. Paneg.* 28. Mœstos sermones materia lætiori detinere. *Quintil.* 10. 5. 17. Adulescentes non debent nimium in falsa rerum imagine detineri; et inanibus simulacris assuescere. *Id.* 9. 2. 63. Oculi diversarum aspectu rerum magis detinentur. *Justin.* 29. 2. 8. Itaque ne eodem tempore multis bellis detineretur, pacem cum Ætolis facit. — *NB.* Apud *Cic.* 10. *Att.* 1. 2. Suspensum me detines. *Orellius* et plerique alii rectius *leg. tenes*.

DĒTŎNAT, tŏnabat, tŏnuit, tŏnare, impers. 1. (de et tono) duo diversa significat, prout *A*) Præpositio *de* est intensiva; aut *B*) Actionis finem significat.

A) Quum præpositio *de* est intensiva, detonat est vehementer tonat.

I.) Proprie. *Ovid.* 2. *Trist.* 35. ubi detonuit strepituque exterruit orbem, Purum discussis aera reddit aquis. *Alii interpretantur* tonare cessavit. *Flor.* 1. 17. Captisque superioribus jugis, in subjectos suo jure detonuit. *Id.* 2. 6. Ac primi quidem impetus turbo valido statim fragore detonuit. Adde *eumd.* 3. 21. et 4. 2.

II.) Translate. *Hieronym.* in *vita Paul. erem.* Et quum persecutionis procella detonaret. *Id. Ep.* 47. *ad Furiam.* Adversus epistolam meam turba patricia detonabit.

B) Quum præpositio *de* actionis finem significat, detonare est tonare cessat: quo sensu occurrit translate tantum. *Virg.* 10. *Æn.* 809. Æneas nubem belli, dum detonet, omnem Sustinet. *h. e.* impetum pugnantium Sustinet, donec deferveat. *Servius. Val. Flacc.* 1. 294. furentemque Œbalidem prima refugit, dum detonet ira. *Quintil.* 12. 9. 4. Nam cum illa dicendi vitiosa jactatio inter plausores suos detonuit, resurgit veræ virtutis fortior fama. *Petron. Satyr.* 17. Ut ergo tam ambitiosus detonuit imber, retexit caput. *h. e.* ut cessavere lacrimæ.

DĒTONDĔO, tondes, tondi vel tŏtondi, tonsum, tondere, a. 2. (de et tondeo). De forma *detotondi V.* infra sub I. 2. — Part. *Detonsus* I. et II. — Detondeo est idem quod tondeo, vel probe tondeo, cædo, seco (It. *tosare, tagliare*; Fr. *tondre, tailler, couper*; Hisp. *esquilar, tundir*; Germ. *abscheeren, scheeren, beschneiden*; Angl. *to clip, shear, or cut off*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de ovibus et similibus. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 10. Altera (*ovis*) bis jam detonsa certo est. *Cato R. R.* 96. Postea cum detonderis oves, unguito totas. *Varro* 2. *R. R.* 1. 28. Oves ac capras detondent aut vellunt. *Al. leg.* detondunt. *Id.* apud *Non. p.* 182. 16. *Merc.* Hæc lanigeras detonderi docuit tunicareque homullum. *detonderi* est mediali sensu accipiendum. *Colum.* 7. *R. R.* 4. *ad fin.* Considerare tempestates, quibus ovis neque frigus, si lanam detraxeris, neque æstum, si nondum detonderis, sentiat. *Id. ibid.* Ovis detonsa. *Ovid.* 6. *Fast.* 229. Detonsi crines. *Propert.* 4. 8. 15. Detonsi manni. *h. e.* pexi et ornati. ¶ 2. Hinc latiori sensu de arboribus. *Varro* apud *Priscian.* 9. *p.* 868. *Putsch.* Detotondeat forcipibus viticarpiferis. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 18. Quidquid e tenero processit, parcius detondetur; quoniam fere conjunctam gerit ab latere gemmam. *Ovid.* 3. *Fast.* 237. Arboribus redeunt detonsæ frigore frondes. *Nemesian.* 1. *Ecl.* 16. dum salices hædi, dum gramina vaccæ Detondent. *h. e.* carpunt, depascuntur. *V.* DETUNDO.

II.) Translate. *Ennius* apud *Priscian.* 9. *p.* 868. *Putsch.* Et detondit agros lætos atque oppida cepit. *h. e.* vastavit. Al. leg. *Et detotondit*: alii rectius *deque totondit* per tmesim.

DĒTŎNO, as, etc. *V.* DETONAT.

DĒTONSĬO, ōnis, f. 3. eadem fere ac tonsio. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 3. Convenit quoque capitis detonsio. *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 1. c. 2. Juvat interea multum et detonsio capillorum.

DĒTONSO, as, are, a. 1. *frequentat. a* detondeo. *Fabius Pictor* apud *Gell.* 10. 15. Capillum dialis, nisi qui liber homo est, non detonset.

DĒTONSUS, a, um. *V.* DETONDEO.

DĒTORNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒTORNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et tornus). Part. *Detornatus* II. — Detorno est ex materia quapiam torno aliquid efficio.

I.) Proprie. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 9. 18. (62). Lignum, ex quo velares detornant anulos.

II.) Translate. *Gell.* 9. 8. Hanc sententiam memini a Favorino detornatam inclusamque verbis bis paucissimis.

DĒTORQUĔO, torques, torsi, tortum, torquere, a. 2. (de et torqueo). Part. *Detorsus* pro *detortus* habet *Cato* apud *Priscian.* 9. *p.* 871. *Putsch.*, cujus verba *V.* infra II. 1. — Part. *Detorquens* II. 1.; *Detortus* I. 1. et II. 1. 2. — Detorquere est deorsum, vel in aliam partem torquere, deflectere, curvare (It. *torcere, piegare, volgere*; Fr. *détourner, tourner d'un autre côté*; Hisp. *volver, dar vuelta*; Germ. *etwas ab-oder hinwegdrehen, verdre-*

hen, wegwenden; Angl. *to turn aside, bend, direct*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 59. Eum ipsum ponticulum, quum forem cubiculi clauserat, detorquebat. *Id. Tim.* 7. Detorquere aliquid a latere in dextram partem. Absolute *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (93). Si hyæna in lævam detorserit, deficientis argumentum est. Ceterum *Id.* 8. *ibid.* 51. 77. (207). Cauda in dexterum, in lævum detorta. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 9. Paullatim ramuli ejus manu detorquentur. *Virg.* 5. *Æn.* 832. una ardua torquent Cornua (*antennarum*) detorquentque. *Id.* 9. *ibid.* 745. Detorquere hastam. *h. e.* aliorsum deflectere hastam jactatam. *Id.* 11. *ibid.* 765. habenas. *Id.* 5. *ibid.* 165. proram ad undas. *Id.* 4. *ibid.* 196. cursum ad aliquem. *Horat.* 2. *Od.* 12. 25. cervicem ad oscula. *Ovid.* 6. *Met.* 515. et nusquam detorquet lumen ab illa. *Val. Flacc.* 1. 120. Detorquere oculos ad undas. *Id.* 4. 681. valido qui robore tauros Sub juga, et invito detorquet in ilia cornu. ¶ 2. Speciatim *detorqueri* dicuntur membra, quæ a recta figura in pravam distrahuntur, vel contrahuntur. *Cic.* 3. *Fin.* 5. 17. Est nemo, quin aptas malit et integras omnes partes corporis, quam imminutas, aut detortas. *Tac.* 15. *Ann.* 31. Vatinius corpore detorto. Cf. *Apul.* 8. *Met.* Nare detorta. *h. e.* nares torquendo. — Hinc

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiori paragr. 2., detorqueri dicuntur quæ bona quum sint, in mala vertuntur. *Liv.* 42. 42. Calumniando detorquendoque omnia, suspecta et invisa efficere. *Plin.* 1. *Ep.* 8. Recte facta detorquere et carpere. *Id. Paneg.* 70. Detorquere sincera rectaque ingenia. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 22. Prave detorta et inveterata opinio rusticorum. *Tac.* 1. *Ann.* 7. Verba et vultus in crimen detorquens. *Quintil.* 8. 3. 44. In obscœnum intellectum sermo detortus. *Seneca Ep.* 13. *a med.* Detorquere in pejus verbum aliquod dubiæ significationis. — Similiter *Cato* apud *Priscian.* 9. *p.* 871. *Putsch.* Marrucini vocantur, de Marso detorsum nomen. Et *Horat. Art. P.* 52. Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si Græco fonte cadent, parce detorta. ¶ 2. Generatim est idem ac *flectere*, quocum etiam conjungitur apud *Cic. Cæl.* 9. 22. Flectere et detorquere voluntatem. *Id.* 2. *Off.* 10. 37. Voluptates, blandissimæ dominæ, majores partes animi a virtute detorquent. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 54. frustra vitium vitaveris illud, Si te alio pravus detorseris. *Tac.* 13. *Ann.* 3. Nero puerilibus statim annis viridum ingenium in alia detorsit. *Plin. Paneg.* 82. Quem copiæ principales ad segnitiem luxumque non detorquent.

DĒTORRĔO, torres, torrui, torrere, n. 2. (de *et* torreo) idem quod torreo, aut valde torreo. *Sidon.* 1. *Ep.* 7. Invidia nuper conflata cujus me paullo incautiorem flamma detorruit.

DĒTORSUS, a, um, *et*

DĒTORTUS, a, um. *V.* DETORQUEO.

DĒTRACTĀTĬO, ōnis. *V.* DETRECTATIO.

DĒTRACTĀTOR, ōris. *V.* DETRECTATOR.

DĒTRACTĀTUS, a, um. *V.* DETRACTO.

DĒTRACTĀTUS, us, m. 4. tractatus. *Tertull. Spectac.* 3. Convertamur magis ad nostrorum detractatus. *h. e.* tractatus de hac re.

DĒTRACTĬO, ōnis, f. 3. detrahendi actus, ablatio (It. *il togliere, sottrazione*; Fr. *action de retrancher, retranchement, suppression*; Hisp. *rebaxa, defalco*; Germ. *d. Abziehen, Hinwegziehen, die Entziehung, Wegnahme*; Angl. *a drawing or taking away, detraction*). Occurrit ¶ 1. Generatim; et quidem cum Genitivo rei, quæ detrahitur. *Cic.* 3. *Off.* 6. 30. Non magis est contra naturam morbus aut egestas, quam detractio aut appetitio alieni. *Id.* 12. *Att.* 35. 1. Certiorem me velim facias, – cujus loci detractionem fieri velit. *Cels.* 4. 4. et *Quintil.* 2. 10. 6. Detractio sanguinis. *Cic.* 3. *Off.* 33. 118. Detractio doloris. — *b*) Absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 21. 48. Imagines in marmore efficiuntur detractione. ¶ 2. Speciatim est medicorum verbum, quo significatur vitiosi humoris excrementorumque vel vomitu, vel per alvum, vel alia ratione dejectio, aut etiam sanguinis missio. — *a*) Cum Genitivo. *Cic. Tim.* 6. Detractio confecti et consumpti cibi. *h. e.* per inferna dejectio. — *b*) Absolute. *Cels.* 2. 10. Facilius itaque illi detractionem ejusmodi sustinent. *h. e.* sanguinis detractionem. *Vitruv.* 1. 6. 3. *Schneid.* Tussis, pleuritis, phthisis, et cetera, quæ non detractionibus, sed adjectionibus curantur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 41. 92. (214). et 22. *ibid.* 25. 61. (133). Datur in vino dulci ad detractiones. *Scribon. Compos.* 101. Detractione ipsa levat. ¶ 3. Item speciatim apud Rhetores est ellipsis: et inter figuras etiam enumeratur. *Quintil.* 1. 5. 38. Barbarismus fit adjectione, detractione. *Id.* 9. 3. 18. Detractiones, quæ in complexu sermonis aut vitium habent, aut figuram. *Id.* 9. 3. 58. Quæ per detractionem fiunt figuræ, brevitatis novitatisque gratiam petunt. Adde *eumd.* 9. 2. 37. et alibi. ¶ 4. Item speciatim est obtrectatio. *Cassiod.* 3. *Hist. Eccl.* 2. *a med.* Suspicata est veram esse detractionem. *V.* DETRAHO II. 1. *c.*

DĒTRACTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* tracto). Part. *Detractatus*. — Detracto est idem quod tracto. *Fronto* 3. ad *M. Cæs. Ep.* 8. (edente iterum *A. Maio*). Non inutile erit eadem nos denuo detractare. *Tertull. Virg. vel.* 8. Nec detractamus, quare non et puerum nominarit. *Id.* 2. *ad Uxor.* 2. Ut detractata et exserta sententia. — *Detrectare* apud *Paul. Diac.* V. in DETRECTO.

DĒTRACTOR, ōris. m. 3. qui detrahit, obtrectator, maledicus. *Tac.* 11. *Ann.* 11. Ipse, haudquaquam sui detractor, unam omnino anguem in cubiculo visam narrare solitus est. *V.* DETRECTATOR.

DĒTRACTUS, a, um. *V.* DETRAHO.

DĒTRACTUS, us, m. 4. detractio. In Abl. casu. *Seneca Suasor.* 7. *ad fin.* Detractu aut adjectione syllabæ.

DĒTRĂHO, trăhis, traxi, tractum, trăhere, a. 3. (de et traho). *Detraxe* pro *detraxisse* est *Plaut. Trin.* 3. 3. 15. — Part. *Detrahens* II. 1.; *Detractus* in omnibus paragr.: *Detracturus* I. 1. et II. 1.; *Detrahendus* I. — Detrahere est deorsum trahere, deducere, adimere, auferre, amovere (It. *tirar giù, tor via, levare, detrarre, allontanare, rimuovere*; Fr. *tirer à bas, tirer de, amener à, retrancher, enlever*; Hisp. *tirar abaxo, traer, llevar, cercenar, quitar*; Germ. *Jemanden oder etwas herabziehen, fortziehen, abnehmen, entfernen*; Angl. *to draw or drag down, pull or pluck away, take off, take or remove away*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a*) Cum additis, hoc est *Detrahere aliquid alicui, aliquid vel aliquem de vel ex raro ab aliqua re aut loco, aliquid aliqua re*. Sic *Plaut. Asin.* 1. 1. 79. Detrahere alicui vestimenta. *Ter. Hecyr.* 5. 3. 31. alicui anulum. *Cæs.* 2. *B. G.* 21. Ut ad tegumenta scutis detrahenda tempus defuerit. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 23. torquem hosti. *Liv.* 4. 33. frenos equis. *Virg.* 5. *Æn.* 260. loricam Demoleo. Similiter *Colum.* 12. *R. R.* 44. 2. uvam viti. *Petron. Satyr.* 12. laciniam humeris. τὸ *humeris* potest esse et Ablat. — Et absolute *Colum.* 8. *R. R.* 9. 3. Turtures prohibeantur volare: quoniam, si id faciant, corpori detrahunt. *h. e.* macrescunt. — *Plaut. Truc.* 3. 1. 7. sibi crumenam de collo. *Ter. Heaut.* 4. 1. 38. anulum de digito. *Cæs.* 7. *B. G.* 45. stramenta e mulis. *Cic. Cæl.* 14. 34. patrem triumphantem de curru. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. aliquem ex cruce. *Id. Prov. cons.* 1. 1. homines ex provinciis. Cf. *eumd. ibid.* 8. 19. Illum inimicum ex Gallia sententiis suis non detrahebant. *Liv.* 39. 20. Spe destinaverit Hannibalem ex Italia detracturum. *Sueton. Rhet.* 6. aliquem pedibus e tribunali. *Gell.* 2. 10. Detracta ex verbo littera. *Cic. Harusp. resp.* 13. 28. sacerdotem ab ipsis aris pulvinaribusque. *Liv.* 22. 47. Vir virum amplexus detrahebat equo. *Cæs.* 1. *B. G.* 42. Equites detracti equis. *Auct. B. Afr.* 10. Naves, quas potuit, Cæsar ad terram detrahit. *Curt.* 5. 4. *sub fin.* Detrahere aliquem ad terram. *Sueton. Claud.* 21. tauros ad terram. *Flor.* 1. 21. 3. totam dominationem in carcerem et catenas. *Seneca Ep.* 102. *a med.* philosophiam ex sua majestate in angustias. *Cic. Mil.* 14. 38. aliquem in judicium. *Al. leg.* attrahere. *Id. Cluent.* 64. 179. Ut hunc Oppianicum aliud agentem, ac nihil ejusmodi cogitantem, ad hanc accusationem detraheret. Sic *Liv.* 22. 13. Irritat etiam de industria ducem, si forte accensum tot indignitatibus cladibusque sociorum detrahere ad æquum certamen possit. *Lucan.* 3. 22. Detrahere in cladem fato damnata maritos. — *NB.* Apud *Cic.* 5. *Fam.* 2. 6. Est cum uxore, ut cum ab illa injuria detraheret. *rectius legendum est* deterreret. — *b*) Cum Accusativo tantum rei, quæ detrahitur. *Ter. Heaut.* 1. 1. 72. Accurrunt servi, soccos detrahunt. *Cic. Brut.* 75. 262. Detracta veste. *Cæs.* 3. *B. C.* 96. Detractis insignibus imperatoris. *Justin.* 38. 8. 12. Tunc populus statuas et imagines ejus detrahit. ¶ 2. Latiori sensu est per vim rapere, auferre; et occurrit — *a*) Cum additis, hoc est *detrahere aliquid alicui, ab aliquo, de vel ex aliqua re*. Sic *Lucret.* 3. 513. Detrahere de summa bilum. *Cic.* 5. *Verr.* 78. 181. de tota summa binas quinquagesimas. Cf. *eumd.* 10. *Att.* 5. Rogavi, ut, si quid posset, ex ea summa detraheret. *Id. Flacc.* 37. 91. Dat de lucro: nihil detrahit de vivo. Cf. *Nepot. Timoth.* 4. Multæ novem partes detraxit. Rursus *Cic. Amic.* 16. 57. De suis commodis multa detrahere. Cf. *eumd.* 3. *Verr.* 9. 25. aliquid de jure et commodo suo. *Id.* 1. *Fin.* 9. 30. Detracti de homine sensus. *Id.* 3. *Off.* 7. 30. Si quid ab homine utilitatis tuæ causa detraxeris. *Id.* 2. *Divinat.* 37. 79. Cæsar Dejotaro detraxit Armeniam a senatu datam. *Id.* 3. *Off.* 5. 23. Numquam committet, ut alienum appetat, et id, quod alteri detraxerit, sibi assumat. *Cæs.* 6. *B. G.* 5. Detrahere alicui auxilia. *Id.* 2. *ibid.* 25. Scutum militi detractum. *Id.* 3. *B. C.* 89. ex tertia acie singulas cohortes. *Liv.* 38. 47. coronam capiti. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 34. fasces indigno. — Et aliquando in bonam partem. *Cic.* 3. *Tusc.* 31. 76. Chrysippus autem caput esse censet in consolando, detrahere illam opinionem mœrenti, si se officio fungi putet justo atque debito. Similiter *Id. post redit. ad Quir.* 2. 6. Non solum calamitatem mihi detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videmini. Similiter *Sall. orat. Philipp. in Lepid.* Vobis dignitas, illi metus detrahitur. *Curt.* 8. 4. *ad fin.* Pudorem victis, victoribus superbiam detrahere. *V.* infra sub II. 1. *a.* — *b*) Cum Accusativo tantum rei, quæ detrahitur. *Cic. post redit. ad Quir.* 8. 19. Mihi quod potuit vis et injuria detrahere, eripuit, abstulit, dissipavit. *Lucret.* 5. 978. Nec diffidere, ne terras æterna teneret Nox, in perpetuum detracto lumine solis. — *c*) Absolute. *Quintil.* 10. 4. 1. Hujus operis est adjicere, detrahere, mutare.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim est auferre, deminuere. *Cic. Cæl.* 2. 3. Ut ad ea, quæ accusatores, deformandi hujus causa, detrahendæ spoliandæque dignitatis gratia, dixerunt, primum respondeam. *Id.* 6. *Verr.* 11. 25. Senatorem populi Romani si non invitaverunt, honorem debitum detraxerunt, non homini, sed ordini. *Quintil.* 6. 5. 10. Detrahere auctoritatem Cottæ. *Id.* 2. 17. 15. fidem sibi. *Id.* 5. 7. 8. fidem dictis. Rursus *Cic.* 5. *Fam.* 2. 10. Citiusque amore tui fratrem tuum odisse desinam, quam illius odio quidquam de nostra benevolentia detraham. *Id. Brut.* 67. 236. Quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria. — Absolute. *Nepos Eumen.* 1. Multum ei detraxit inter eos (*Macedonas*) viventi, quod alienæ erat civitatis. *h. e.* multum ei obfuit, nocuit, detrimento fuit. — *b*) Speciatim *detrahere de re quapiam* est auferre eamque deminuere. *Cic.* 3. *Fam.* 8. Detrahere de fama alicujus. *Id.* 1. *Orat.* 9. 35. de gloria cujuspiam. *Nepos Timol.* 5. de rebus gestis alicujus. — *c*) Item *detrahere de aliquo* est famam ejus obloquendo deminuere, auferre de existimatione, obtrectare, famam lædere. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 5. 15. Socrates autem de se ipse detrahens in disputatione, plus tribuebat iis, quos volebat refellere. *Id.* 11. *Att.* 11. Hic in Achaja non cessat de nobis detrahere. Adde *eumd. Pis.* 29. 71. *Nepos Chabr.* 3. Ut libenter de his detrahant, quos eminere videant altius. — Et absolute eodem sensu *Cic.* 1. *Off.* 37. 134. Detrahendi causa maledice dicere. *Quintil.* 8. 6. 55. Laudis simulatione detrahere, et vituperatione laudare. Cf. *Id.* 12. 9. 7. Tamquam detractura sit opinioni minus liberalis materia. ¶ 2. Speciatim est medicorum verbum, et significat vitiosum humorem excrementaque vel vomitu, vel per alvum, vel alia ratione dejicere, aut etiam sanguinem mittere. *Colum.* 6. *R. R.* 14. 3. Ex auricula sanguinem detrahere. *Id.* 7. *ibid.* 5. 11. sub oculis et de auribus sanguinem. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 42. (151). Sanguis detractus. *Cels.* 2. 10. *extr.* Si sanguis rubere cœpit, satis materiæ detractum est. *Scribon. Compos.* 135. Detrahere materiam per alvum. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (48). Absinthium bilem detrahit, urinam ciet.

DĒTRĀMEN, inis, n. 3. (de et trama) linamentum carptum. *Pelagon. Veterin.* 11. 6. Si altiora erunt ulcera, rubricam cum melle miscebis, et cum detramine pannorum vulneribus inseris.

DĒTRECTĀTĬO *vel* detractatio, ōnis, f. 3. actus detrectandi. *Liv.* 6. 38. Romani ad edictum sine detrectatione convenere. *Id.* 7. 28. Sine detrectatione se certamini offerebant. *Id.* 3. 69. Detrectatio militiæ. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (37). heredis. *h. e.* hereditatis. *Tertull. Patient.* 3. Detractatio fidei.

DĒTRECTĀTOR, ōris, *vel* dētractator, ōris, m. 3. qui detrectat, hoc est ¶ 1. Qui detrahit, imminuit. *Liv.* 34. 15. Cato haud sane detrectator laudum suarum. *Jac. Gronov.* testatur in MSS. esse *detractor*. *Auson. Edyll.* 2. 51. Ipse nec affectans, nec detrectator honorum. Apud *Petron.* infra cit. et *Liv.* alii leg. *detractator*. ¶ 2. Qui recusat, refugit, devitat. *Petron. Satyr.* 117. Mercenarius Coras detrectator ministerii.

DĒTRECTO *vel* detracto, as, āvi ātum, are, a. 1. (de et tracto). Quod ad scriptionem attinet, in locis *Ovidii* inferius allatis al. leg. *detracto*, quod apud *Tac.* quoque *Dial. de orat.* non semel, et apud *Lactant. Mort. persecut.* 9. et 10., item apud *Tibull.* 1. 7. 44. et *Propert.* 2. 2. 14. eadem variatione legitur. V. *Loers* ad *Ovid.* 2. *Trist.* 337. — Part. *Detrectans* et *Detrectandus* sub *A.* Detrectare duo diversa significat, prout *A)* Præpositio *de* remotionem significat; aut *B)* Actionem significat in deterius accipiendam.

A) Quum præpositio *de* remotionem significat, *detrecto* est tractare sive agere recuso, adeoque universim recuso, defugio, devito (It. *rifiutare, ricusare*; Fr. *refuser, se refuser à, repousser*; Hisp. *rehusar, negarse, rempujar*; Germ. *die Beschäftigung mit etwas ablehnen, verweigern, von sich weisen, sich weigern*; Angl. *to decline, refuse*). Occurrit — *a)* Fere cum Accusativo rei, quam quis tractare, vel agere recusat, aut devitat. *Cæs.* 7. *B. G.* 14. Detrectantes militiam. Sic *Ovid.* 13. *Met.* 36. detrectavitque furore Militiam ficto. Adde *Flor.* 22. 2. *Liv.* 3. 60. Consul instructa acie ultro hostem lacessit. Ubi illi (*hostes*), conscientia quid abesset virium, detrectavere pugnam, crevit extemplo Romanis animus. *Virg.* 3. *G.* 57. juvencus juga detrectans. *Ovid.* 3. *Pont.* 7. 15. taurus detrectat aratrum. *Tibull.* 1. 7. 43. non sæva recuso Verbera; detrecto non ego vincla pedum. *Curt.* 3. 8. et *Tac.* 4. *Hist.* 67. Detrectare certamen. *Justin.* 13. 5. 8. prælium. *Curt.* 10. 10. imperium. *Sueton. Cæs.* 54. imperata. *Curt.* 8. 11. munus. *Sueton. Aug.* 32. judicandi munus. *Quintil.* 2. 1. 5. officia sua. *Sueton. Tib.* 25. Quidam etiam detrectabant principem non a se datum. *Id. Aug.* 24. Causa detrectandi sacramenti. *Gell.* 20. 1. *circa med.* Detrectare fidem. *h. e.* nolle præstare. Et Passive *Macrob.* 2. *Saturn.* 3. Cum Laberius in fine ludorum anulo honoratus a Cæsare, e vestigio in XIV. ad spectandum transisset, et cum detrectatus est eques Romanus, et cum minus remissus. — *b)* Absolute. *Liv.* 2. 45. Instruitur acies: nec Vejens hostis Etruscæque legiones detrectant. *Id.* 3. 38. Postquam citati non conveniebant, dimissi circa domos apparitores, simul ad pignera capienda, sciscitandumque, num consulto detrectarent? referunt, senatum in agris esse. Adde *eumd.* 23. 44.; et *Sueton. Ner.* 47. — *c)* Sequente Infinito, apud sequioris ævi scriptores. *Paul. Dig.* 37. 14. 19. Tutelam administrare detrectans. *Arnob.* 6. 15. Stupiditas quæ tanta est (detrecto enim dicere cæcitatem) rerum existimare naturas formarum qualitate mutari.

B) Quum præpositio *de* significat actionem in malam partem esse accipiendam, detrectare est detrahere, obtrectare, deminuere: quo sensu fortasse dixit *Paul. Diac.* p. 74. 2. *Müll.* Detrectare est male tractare. — *a)* Fere cum Accusativo rei. *Sall. Jug.* 57. *extr.* Adversæ res etiam bonos detrectant. *Liv.* 38. 49. Invidia detrectat virtutes, et corrumpit honores et præmia earum. *Ovid.* 5. *Met.* 246. Detrectare laudes alicujus. *Id.* 4. *Trist.* 10. 123. Livor detrectat præsentia. *Id. Remed. am.* 365. Ingenium magni livor detrectat Homeri. *Fronto ad M. Cæs.* 4. 12. Si quis alius eodem te convicio audiente me detrectaret, æquo animo audire non poteram. *Tac. dial. de orat.* 11. Fore enim arbitrabar, ut a laudatione eorum (*oratorum*) digressus detrectaret poetas atque carminum studium prosterneret. *Flor.* 4. 2. 9. Cato, adversus potentes semper obliquus, detrectare Pompejum actisque ejus obstrepere. — *b)* Absolute. *Ovid.* 2. *Trist.* 336. Et tamen ausus eram (*scribere, Cæsar, res actas*), sed detrectare videbar: Quodque nefas, damno viribus esse tuis. *h. e.* tractando imminuere. — *c)* Cum Dativo. *Forcellinus* affert illud *Sueton. in vita Persii.* Sibi primo, mox omnibus detrectaturus. At *H. Doergens* ex Codice Florent. rectius legit: Lectoque Lucilii libro decimo vehementer satiras componere studuit, cujus libri principium est imitatus sibi primo, mox omnibus. Inde sectans cum tanta etc.

DETRIBUO, is, ere, a. 3. aliquid ex attributis detraho, seu similiter tribuo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 86.

DĒTRĪMENTŌSUS, a, um, adject. qui affert detrimentum. *Cæs.* 7. *B. G.* 33. Etsi a bello atque hoste discedere detrimentosum esse existimabat.

DĒTRĪMENTUM, i, n. 2. (est pro *deterimentum* a *detero*) actus deterendi, abradendi, deminuendi.

I.) Proprie. *Apul.* 6. *Met.* Currus limæ tenuantis detrimento conspicuus et ipsius auri damno pretiosus.

II.) Translate sæpius usurpatur pro damno, amissione, jactura: ut docet ipse *Cic.* 3. *Fin.* 21. 69. Et emolumenta et detrimenta (quæ ὠφελήματα et βλάμματα appellant) communia esse voluerunt: quoniam altera prosunt, nocent altera. (It. *scapito, perdita, danno*; Fr. *détriment, dommage, perte*; Hisp. *detrimento, daño, perjuicio, menoscabo*; Germ. *d. Abbruch, Verlust, Schaden, Einbusse*; Angl. *detriment, disadvantage, damage, loss, harm*). Occurrit — *a)* Generatim. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua hæc sunt. *Nepos Att.* 2. et *Cæs.* 1. *B. C.* 82. et 3. *ibid.* 72. afferre. *Cæs.* 2. *B. C.* 2. inferre. *Cic.* 6. *Verr.* 9. 20.; *Nepos Cat.* 2.; et *Seneca Tranquill.* 11. *a med.* facere. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 38. importare publicis rebus. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. esse alicui ornamento et præsidio, non detrimento. *Cic.* 10. *Fam.* 18. 2. capere. *Id. pro leg. Manil.* 6. 15. et 5. *Phil.* 12. 34.; et *Cæs.* 5. *B. G.* 52. et 6. *ibid.* 34. accipere in aliqua re. *Cæs.* 1. *B. C.* 45. et 3. *ibid.* 67. acceptum sarcire. *Id.* 2. *ibid.* 15. reconcinnare. *Id.* 3. *ibid.* 73. in bonum vertere. — Sine Verbis. *Cic. Brut.* 1. 4. Nostro incommodo detrimentoque doleamus. *Id.* 1. *Legg.* 19. 51. Propter damna, aut detrimenta. *Auct. B. G.* 8. 83. Cum detrimento repulsi. *Auct. B. Alex.* 49. Jacturæ et detrimenta rei familiaris. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 121. Detrimenta, fugas servorum, incendia etc. *Augustus* apud *Sueton. in ejus vita* 71. Ex magnis detrimentis præter spem paullatim retractus est. *h. e.* ex jacturis, quas aleis fecerat. *Curt.* 5. 18. 13. Ergastuli detrimenta. *Quintil.* 10. 1. 41. Detrimentum temporis. *Justin.* 5. 4. 16. Explent detrimenta muneribus. *h. e.* damna ex bonis in fiscum relatis. — *b)* Speciatim in re militari detrimentum est clades. *Cæs.* 7. *B. G.* 10. Edocet, quanto detrimento et quot virorum fortium morte necesse esset constare victoriam. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 34. et 5. *ibid.* 52. — *c)* Item speciatim. *Videant Consules, Prætores, etc. ne quid respublica detrimenti capiat* vel *accipiat*, formula fuit senatusconsulti in re subita maximeque periculi, et, ut ait *Liv.* 3. 4., ultimæ semper necessitatis, qua magistratibus permittebatur vocare ad arma populum, exercitum conscribere, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives, domi militiæque imperium atque judicium summum habere, ut *Sall. Cat.* 30. docet. *Cic.* 5. *Phil.* 12. 34., 16. *Fam.* 11., 1. *Cat.* 2. 4. et alibi; *Cæs.* 1. *B. C.* 5. et 7.; et *Liv.* 6. 19. et alibi. V. *Götling rom. Staatswerf.* p. 282.

Homonym. In quo *detrimentum* differat a *damno*, *V.* in fin. v. DAMNUM.

DĒTRĪTUS, a, um. *V.* DETERO.

DĒTRĬUMPHĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒTRĬUMPHO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et triumpho). Part. *Detriumphatus*. — Detriumpho est idem quod triumpho; nisi quod de vim addit significationi. *Tertull. Apolog.* 27. Dæmones numquam magis detriumphamus, quam cum pro fidei obstinatione damnamur. Adde *Cyprian. de spectac. ad fin. Minuc. Fel. Octav.* 25. Quos post cladem detriumphatos colere cœperunt. Adde *Tertull. carm.* 1. *advers. Marcion.* 2.

DĒTRŪDO, dis, si, sum, dĕre, a. 3. (de et trudo). Part. *Detrudens* et *Detrusus* I.; *Detrudendus* II. — Detrudere est vi deorsum trudere, depellere, dejicere, deturbare (It. *cacciar giù per forza, respingere, espellere*; Fr. *pousser violemment en bas, chasser, repousser, déloger*; Hisp. *pujar violentamente abaxo, echar fuera, rempujar*; Germ. *Jemanden oder etwas herabstossen, wegstossen, wegdrängen, vertreiben*; Angl. *to thrust down by force, drive or push from*).

I). Proprie. — *a)* Generatim. *Plaut. Pœn.* 5. 3. 33. Quos ego jam detrudam ad molas. *Id. Merc.* 1. 2. 6. Qui adversum eunt, aspellito, detrude, deturba in viam. *Id. Trin.* 2. 4. 150. Detrude istos maleficos. Cf. *eumd. Aulul.* 2. 5. 8. Huccine detrusisti nos ad cenam parcissimum. *h. e.* compulisti. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 46. Detrudere et compingere in pistrinum. *Id.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Stomachus agitatione et motibus linguæ depulsum et quasi detrusum cibum accipit. *Id. Tim.* 14. Detrudere aliquid in lævam partem oculorum. *Id.* 5. *Fam.* 10. *sub fin.* Ex arce me nives, frigora, imbres detruserunt. *Auct. B. Alex.* 76. Quam in proclive detruderentur hostes. *Liv.* 42. 66. *a med.* Detrudere impedimenta per præceps. *Virg.* 1. *Æn.* 149. detrudunt naves scopulo. *h. e.* totis viribus a scopulo demovent avelluntque. *Id.* 7. *ibid.* 773. aliquem Stygias ad undas. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 27. Stygias detrusus in oras. *Id.* 12. *Met.* 522. corpus sub inania Tartara detrusum. *Id.* 11. *ibid.* 72. Detrudere pedum digitos in terram. *Tac.* 2. *Hist.* 8. Vi tempestatum Cythnum insulam detrusus. *h. e.* compulsus. *Sueton. Cal.* 32. Aliquos scutis remisque detrudere in mare. — Huc referri potest et illud *Claudian. Cons. Mall.* 316. magna levi detrudens murmura tactu. — *b)* Speciatim in re militari *detrudere* est fugare, in fugam vertere. *Liv.* 2. 10. *de Horat. Cocl.* Jam impetu conabantur detrudere virum. *Id.* 22. 28. Acies pulsa detrusaque. Adde *eumd.* 33. 7. *Virg.* 7. *Æn.* 469. detrudere finibus hostem. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 510.; et *Tac.* 6. *Ann.* 35. Sic *Lucan.* 6. 175. Detrudere hostem muris. — *c)* Item speciatim in re juridica est ex possessione depellere. *Cic. Quinct.* 6. 28. Quinctius de agro communi vi detruditur. *Id. Cæcin.* 17. 49. Statu detrusus. V. *Klotz.* et *Jordan.* ad h. l.

II.) Translate. — *a)* Generatim. *Plaut. Men.* 1. 3. 21. Detrudere se ad mendicitatem. *Cic.* 14. *Fam.* 16. Detrudere aliquem de sententia. *Id.* 1. *Off.* 31. 114. Si necessitas nos ad ea detruserit, quæ nostri ingenii non erunt. *Id.* 1. *Orat.* 28. 130. Hunc ad id, quod facere posset, detrudendum puto. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. In luctum et laborem detrudi. *Id. Flacc.* 38. 94. Detrudere aliquem in pœnam. *h. e.* vi et contra leges punire. *Nepos Timol.* 2. Ut cerneretur, quem ex quanto regno ad quam fortunam detrusisset. *Sueton. Cæs.* 29. Difficilius se a primo ordine in secundum, quam ex secundo in novissimum detrudi. *Id. ibid.* 24. Detrudere aliquem. *h. e.* petitione honoris depellere. *Tac.* 13. *Ann.* 43. Detrudi ad necessitatem belli civilis. *Id.* 14. *ibid.* 54. Me in paupertatem ipse detrusi. *Id. Dial. de orat.* 32. In paucissimos sensus et angustas sententias detrudere eloquentiam. — *b)* Speciatim est differre, producere, vi tamen et contra morem. *Cic.* 14. *Att.* 17. 2. Putantur detrudi comitia in adventum Cæsaris. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 13. 3. in mensem Martium.

DĒTRUNCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus detruncandi. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 37. (57). Detruncatio ramorum. Adde *eumd.* 17. *ibid.* 24. 37. (237). *Cassiod.* 7. *Variar.* 13. Detruncatio membrorum.

DĒTRUNCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒTRUNCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et trunco). Part. *Detruncatus*. — Detrunco est a trunco abscindo, truncando dejicio, amputo, seco. *Liv.* 31. 37. Arboribus detruncatis struem lignorum facere. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 13. Sat erit novem pedes a terra relinqui, et superiorem partem detruncari. *Ovid.* 8. *Met.* 770. Detruncare caput bipenni. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 17. (54). Si quis regi apum alam detruncet, non fugiet examen. *Liv.* 31. 34. Gladio Hispaniensi detruncata corpora, brachiis abscisis, aut tota cervice desecta. *Flor.* 4. 12. 11. C. Marcius Dalmatas, incensa urbe Delminio, quasi detruncaverat. *scilicet* quia Delminium eorum caput erat. *Val. Flacc.* 3. 145. prensumque manu detruncat Amastrum. *h. e.* capite plectit.

DĒTRŪSĬO, ōnis, f. 3. actus detrudendi deorsum. *Hieronym.* 8. *in Isajam* 24. 22. Didicimus subversionem terræ, et detrusionem in tartarum, et custodiam carceris.

DĒTRŪSUS, a, um. *V.* DETRUDO.

DETUDES esse detunsos, deminutos. *Paul. Diac.*

p. 73. 11. *Müll.* Et *Gloss. Labb.* Detudes, μασ-θέντες, quod μασθέντας fuisse conjecit *Vulcanius.*

DĒTŬMEO, es, *vel rectius*

DĒTŬMESCO, mescis, mŭi, mescere, a. 2. (de *et* tumeo *vel* tumesco) tumorem depono, tumere desino. Occurrit translate tantum. *Stat.* 5. *Theb.* 468. Detumuere animi maris. *Petron. Satyr.* 109. Odia detumescunt.

DĒTUNDO, tundis, tunsum, tundere, a. 3. (de *et* tundo). Part. *Detunsus.* — Detundo est deorsum tundo, dejicio, decutio. *Lucilius* apud *Non. p.* 496. 32. *Merc.* Proras despoliate, detundite guberna. *Alii rectius leg.* et detondete. Ita *Forcellinus*; recentiores tamen vulgatam lectionem tuentur. *Apul.* 2. *Met. sub fin.* Digitis pedum detunsis ob lapides. Ceterum Part. *Detunsus* habet etiam *Paul. Diac.* p. 73. 11. et *p.* 74. 17. *Müll.*

DĒTUNSUS, a, um. *V.* voc. præced.

DĒTURBĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒTURBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* turbo). Part. *Deturbatus* I. et II.; *Deturbandus* I. — Deturbare est magno impetu aut per vim detrudere, expellere, proprie idem ac dejicere (It. *gettare o cacciar giù a via con impeto o per forza, abbattere*; Fr. *jeter violemment à bas, emporter, renverser*; Hisp. *echar violentamente abaxo, abatir*; Germ. *stürmisch oder heftig etwas herunter werfen oder treiben, forttreiben, niederstürzen, umwerfen*; Angl. *to tumble, beat, cast, or throw down, overthrow, demolish*).

I.) Proprie. — a) Generatim. — Cum additis. *Plaut. Merc.* 1. 2. 5. Eos aspellito, detrude, deturba in viam. *Id. Mil. glor.* 2. 3. 63. Ego illum de pugnaculis deturbam. *Id. Rud.* 1. 1. 5. Ventus omnes de tecto deturbavit tegulas. *Lucret.* 5. 401. Phaetonta repenti fulminis ictu Deturbavit equis in terram. *Cic.* 12. *Fam.* 25. 2. Certa re et possessione deturbari. *Id. Quinct.* 14. 47. De fortunis omnibus P. Quinctius deturbandus est. *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Deturbare aliquem de tribunali. *Liv.* 35. 35. tyrannum transfixo equo. *Virg.* 5. *Æn.* 175. In mare præcipitem puppi deturbat ab alta. *Id.* 10. *ibid.* 555. Deturbare caput orantis terræ. *h. e.* in terram. — Cum Accusativo tantum. *Cic.* 6. *Verr.* 41. 90. Statuam deturbare, affligere, comminuere, dissipare. Adde eumd. *Pis.* 38. 93. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 9. 7. Deturbare ædificium. — b) Speciatim in re militari cum Accusativo significat de loco aliquo expellere. *Cæs.* 5. *B. G.* 12. *extr.* Ex omni parte lapidibus conjectis, deturbati. *Id.* 3. *B. C.* 67. Deturbare Pompejanos ex vallo. *Liv.* 31. 39. *extr.* milites ex præsidiis et stationibus. Adde *eumd.* 10. 41., 25. 13. et alibi. *Auct. B. G.* 8. 81. hostes de vallo. *Curt.* 6. 5. Deturbati ex collibus Barbari profugiunt. Adde *eumd.* 3. 17. 7. *Sall.* apud *Non. p.* 101. 16. *Merc.* Mœnibus deturbat. Cf. *Pallad.* 7. *R. R.* 7. Apes fucos a sedibus suis deturbant. — Et absolute omnino. *Tac.* 4. *Ann.* 51. Miles contra deturbare telis, pellere umbonibus, congestas lapidum moles provolvere.

II.) Translate. *Plaut. Most.* 1. 2. 58. Ignavia deturbavit mihi verecundiam. *Cic. Pis.* 20. 46. Sua quemque fraus, suum scelus de sanitate ac mente deturbat. *Id.* 5. *Fam.* 5. Ex magna spe deturbatus. *Id.* 12. *ibid.* 25. Deturbari spe.

DĒTURGENS, entis, particip. ab. inusit. *deturgeo*, detumescens. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 58. 84. (189). Deturgente Nilo, musculi reperiuntur etc. *Al. leg.* decedente, *Harduin.* detegente, *quam lectionem retinuit et* Sillig.

DĒTURPO, as, are, a. 1. (de *et* turpo). Part. *Deturpans.* — Deturpo est turpem ac deformem reddo. *Sueton. Cal.* 35. Pulcros et comatos occipitio raso deturpabat. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 16. 18. (59). Aquilonis afflatus poma rugis deturpans.

DĒUNGO, is, ere, a. 3. idem quod ungo. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 85. Tu oleum haud magni pendis: vino te deungis. *Al. leg.* devincis; *alii* ted ungis.

DĒUNX, uncis, m. 3. undecim unciæ: a *de* et *uncia*, quasi ab asse, seu libra, dempta uncia, ut *Varro* 5. *L. L.* 172. *Müll.* docet. Dicitur autem — a) Tum de pondere, quando ad libram uncia deest. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 45. Uncia nam libræ si deest, dixere deuncem. — b) Tum de toto aliquo, cui una ex duodecim pars demitur. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 12. Partes duæ tertiæ et una quarta habent pedes viginti sex millia et quadringentos: hoc est deunx. Jugerum habet pedes viginti octo millia, et octingentos: hoc est as. *Cic. Cæcin.* 6. 17. Facit heredem ex deunce et semuncia Cæcinam. *Pers.* 5. 149. Quid petis? ut nummi, quod hic quincunce modesto Nutrieras, pergant avidos sudare deunces. *h. e.* immodicum tibi fœnus afferre, 11 pro 100. — c) Tum de vase, quod undecim cyathos continet: quia si his unum addas, sextarius fit. Nam cyathus est sextarii pars duodecima. *Martial.* 12. 28. Poto ego sextantes: tu potas, Cinna, deunces: Et quereris, quod non, Cinna, bibamus idem. Adde *eumd.* 6. 78.

DĒŪRO, ūris, ussi, ustum, ūrere, a. 3. (de *et* uro). Part. *Deustus.* — Deurere est idem quod urere, vel penitus urere (It. *abbruciare*; Fr. *brûler, incendier*; Hisp. *quemar, abrasar*; Germ. *verbrennen, abbrennen*; Angl. *to set on fire, burn*). Occurrit — a) De igne. *Cæs.* 7. *B. G.* 25. Deustos turrium pluteos videbant. *Liv.* 40. 11. Vineæ cæsæ, frumenta deusta. *Id.* 10. 4. Vici per vastationem agrorum deusti. *Id.* 39. 2. Agros virosque deurere et depopulari. *Auct. B. Hisp.* 27. Deurere oppidum. *Tac.* 4. *Ann.* 64. montem Cælium. *Id.* 6. *ibid.* 15. Deusta pars Circi. *Colum.* 6. *R. R.* 18. 1. Deusti cimicis nidor. *Gell.* 1. 19. Tres libros ex novem deussit. — b) Tribuitur et urinæ, quæ ardorem excitet. *Colum.* 6. *R. R.* 30. 1. Hæc eadem remedia adhibentur, si urina genitalia deusserit. *Ita* Ald.; Brem. *habet* deusserint: *vulgata lectio* decusserit, sed *caret sensu*: Schneider. *ex* Hippiatricis *corruptum locum emendari posse censet omittendo v.* urina, *ut omittunt optimi libri*, et *legendo* si genitalia prociderint; *quæ conjectura si est admittenda, rectius legas* si genitalia deciderint. — c) Etiam frigori ac vento tribuitur. *Liv.* 40. 45. Arbores, quæ obnoxiæ frigoribus sunt, hiems deusserat cunctas. *Curt.* 8. 9. Quæ propiora sunt mari, aquilones maxime deurunt. *Al. leg.* aquiloni decurrunt. V. *Mützell.* ad *eumd.* 7. 13. — d) Et serpentum afflatibus. *Seneca Clem.* 15. Ubi serpens fontes potu infecit, et si afflavit, deurit obteritque, quacumque incessit, ballistis petitur.

DĔUS, i, m. 2. Θεός. In Vocativo singularis numeri est *Deus*, *V.* BONUS: *Dee* vero rarum et recentis Latinitatis est. *Prudent. Hamartig.* 939. O Dee cunctiparens, animæ dator, o Dee Christe. — In plur. num. habet *dii*, *diis*, et aliquanto rarius *dei*, *deis*. *Plaut. Trin.* 2. 4. 89. Dei sunt divites. *Id. Cas.* 2. 5. 4. Omnes mortales deis sunt freti. *Liv.* 27. 25. Certis deis. *Codicum* tamen vel optimorum lectiones maxime variant in prosa quoque oratione, et *di*, *dis* frequenter exhibent. — Fere autem *dei* et *deis* dicunt poetæ disyllabon facturi prima correpta: *dii* et *diis* monosyllabon. *Virg.* 2. *G.* 101. dis et mensis accepta secundis. *Id.* 2. *Æn.* 428. Dis aliter visum. *Catull.* 4. 22. Neque ulla vota littoralibus deis. *Al. leg.* diis. *Val. Flacc.* 7. 29. captasque deis accendere prædas. *Lucan.* 4. 519. Victurosque dei celant. *et ibid.* 493. Constituere dii. *Al. leg.* dei. — In Genitivo plurali pro *deorum* habet et *deûm*, tum apud poetas passim, tum apud historicos. *Liv.* 8. 13. Deum benignitate ad finem venit. *Tac.* 12. *Ann.* 43. Magna deum benignitate. *Curt.* 3. 10. *sub fin.* Deum templa. *Sall. Cat.* 21. Pro deum atque hominum fidem! *Cic.* quoque *fragm.* apud *Priscian.* 7. *p.* 743. *Putsch.* Deum fide. — *Dibus* pro diis occurrit in *Inscript.* tantum. *Inscript.* apud *Gruter.* 24. 6. IVNONI REGINAE, MINERVAE, NEPTVNO, LIBERO PATRI, DIANAE CETERISQVE DIBVS. *Alia* apud *eumd.* 46. 8. HERCVLI INVICTO ET DIBVS OMNIBVS DEABVSQVE. Adde *alias* apud *eumd.* 98. 5. et 618. 3. Etiam *diibus* legitur in alia *Inscript.* apud *eumd.* 2. 9. Verum hæc imitanda non sunt. — Ceterum *Deus* est supremum numen, conditor, dominus et rector rerum omnium: a voce Græca allata (Θεός), eo modo, quo *perdo* a πέρθω, vel ab Æolico Δεύς pro Ζεύς. Sed plura de etymo *Voss.* in *Etymol.* (It. *Dio, Iddio*; Fr. *Dieu*; Hisp. *Dios*; Germ. *Gott*; Angl. *God*).

1.) Proprie. — Generatim de Deo multa pro captu suo *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5., et *Cic.* 1. *Tusc.* 27., 1. *Nat. D.* 22. et 2. *Divinat.* 72. etc. Verum vix quicquam Deo dignum sentire potuere Gentiles, qui deos plures posuerunt: *V.* mox sub 2.° a. — 1.°) In singulari numero; et quidem — a) De supremo numine, conditore, domino et rectore rerum omnium. *Cic.* 1. *Legg.* 7. 22. Homo præclara quadam conditione generatus a supremo deo. *Id.* 1. *Nat. D.* 13. 33. Modo mundum ipsum deum dicit esse —, tum cœli ardorem. *Id.* 1. *Tusc.* 27. 66. Nec vero deus ipse alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam et libera. *Id.* 3. *de republ.* 22. Unus erit communis quasi magister et imperator omnium deus. — b) De fato. *Grat. Cyneg.* 350. Nec expertos fallet deus. — c) De vi naturali indefinita. *Horat.* 1. *Od.* 18. 3. Siccis omnia nam dura deus proposuit. *Grat. Cyneg.* 513. juxta vitium posuit deus. — d) De justitia, quæ malos pœnis afficit. *Grat. Cyneg.* 455. deus ultor pone sequens. — e) De divina potentia generatim. *Virg.* 1. *Ecl.* 6. deus nobis hæc otia fecit; Namque erit ille mihi semper deus. *Ovid.* 2. *Fast.* 780. audentes forsque deusque juvant. *Stat.* 2. *Theb.* 340. audenti deus et fortuna recessit. Sic *deus aliquis viderit* dicitur in re maxime obscura, aut difficili, *Cic.* 1. *Tusc.* 11. 23. Harum sententiarum quæ vera sit, deus aliquis viderit. — f) Latini poetæ Græcos imitati, quibus ὁ καὶ ἡ θεός dicitur, *dei* nomen in singulari numero etiam deabus aliquando tribuunt. *Virg.* 2. *Æn.* 632. Descendo, ac ducente deo etc. *h. e.* Venere. *Calvus* apud *Servium ibid.* et *Macrob.* 3. *Saturn.* 8. pollentemque deum Venerem. *Virg.* 7. *Æn.* 497. Nec dextræ erranti deus abfuit. *h. e.* Alecto. *Q. Catulus* apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 28. 79. Mortalis visus pulcrior esse deo. *h. e.* Aurora. *Plaut. Pœn. a.* 2. *v.* 10. Deum esse indignam credidi. *Al. alit. leg.* Simile quiddam habet *Cic.* 6. *Verr.* 49. 107. — 2.°) In plurali numero. — a) Gentiles, qui deos plures, ut diximus, posuere, in duo etiam genera divisere, ut alii essent *majorum gentium*, antiqui scilicet et semper tales; quos duobus versiculis complexus est *Ennius* (*V.* CONSENTES in ONOM.): alii *minorum*, quasi allecti et adscititii; quo numero complectebantur Faunos, Nymphas, eosque omnes, quos ex hominibus in deos referebant. *Cic.* 1. *Tusc.* 13. 29. De his *Ovid. Ib.* 81. Vos quoque plebs Superum, Fauni, Satyrique, Laresque, Fluminaque, et Nymphæ, Semideumque genus. — Hinc *excedere* vel *transgredi ad deos* dicebantur, qui post mortem in deorum numerum referebantur. *Vellej.* 1. 2. et 2. 75. — b) Ceterum in plurali numero sæpius quam in singulari hoc nomen usurpatum est. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 19. Neque solum dixi, sed etiam sæpe facio, diis hominibusque approbantibus. *Sall. Cat.* 15. Namque animus impurus, deis hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat. *Liv.* 3. 17. Quidquid patrum plebisque est, consules, tribunos, deos hominesque omnes armatos opem ferre. *Id. ibid.* 19. Pudet deorum hominumque. *et paulo post.* Et hi postulant, ut sacrosancti habeantur, quibus ipsi dii neque sacri, neque sancti sunt? Adde *eumd.* 9. 26., 40. 12. et alibi. — c) Communes formulæ *dis volentibus*, *si dii volent*, etc. huc pertinent. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 41. Agite; ite cum diis bene volentibus. *Id. Pers.* 3. 1. 4. Sequere hac, mea gnata, me cum diis volentibus. *Sall. Jug.* 14. Virtute ac deis volentibus magni estis et opulenti. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 88. Quin hercle collibertus meus faxo eris, si di volent. *Id. Capt.* 2. 3. 94. Expediri ex servitute filium, si dis placet. *V.* infra, ubi formula *si dis placet* est ironice loquentis. Contra *Cic. Vatin.* 16. 38. Te, dis hominibusque invitis, amore in te incredibili quodam C. Cæsaris, omnia quæ velis, consecuturum. Adde *eumd.* 3. ad *Q. fr.* 2. 1. — Consimili ratione *dis iratis natus* dicitur, qui infelix est et cui nihil succedit. *Phædr.* 4. 19.; *Horat.* 2. *Sat.* 3. 8.; et *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 43. et *Pers.* 4. 27. — d) Exclamandi et admirandi sunt formulæ, quæ sequuntur. *Plaut. Amph.* 2. 2. 190.; et *Ter. Adelph.* 3. 4. 1. et *Phorm.* 5. 8. 19. Proh dii immortales. *Plaut. Amph.* 1. 1. 299., *Epid.* 5. 1. 21. et *Pœn.* 4. 2. 101.; et *Ter. Eun.* 2. 2. 1. Dii immortales. Sic *Cic.* 2. *Fin.* 28. 93. Quos ille, dii immortales, cruciatus perferebat! *Ter. Andr.* 2. 2. 1. et *Heaut.* 2. 3. 13.; et *Plin. Paneg.* 10. Dii boni. Sic *Cic.* 6. *Att.* 6. 4. At te apud eum, dii boni, quanta in gratia posui! De formula *Bone Deus!* V. in BONUS. *Ovid.* 6. *Fast.* 187. Quam bene, di magni! pugna cecidisset in illa Defensor solii, Juppiter alte, tui! *Ter. Andr.* 1. 4. 5. et *Phorm.* 5. 1. 13. dii. Sic *Cic.* 9. *Att.* 19. Reliqua, o dii, qui comitatus! *Plin. Hist. nat. præfat.* § 24. At quum intraveris, dii deæque, quam nihil in medio invenies! *Plaut. Trin.* 2. 1. 190.; et *Ter. Eun.* 3. 1. 28. Di vostram fidem. Et addito obsecro apud *Plaut. Amph.* 5. 1. 72. Sed quid hoc? quam valide tonuit! di ob-

secro vestram fidem! Ter. Andr. 1. 5. 2. et 11., et Hecyr. 2. 1. 1. Proh deum atque hominum fidem! Et omisso fidem apud Ter. Phorm. 2. 3. 4. Pro deum immortalium, negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho? hanc Demipho negat esse cognatam? — e) Formulæ jurantis, obsecrantis, avertentis, malum deprecantis, et meliora a diis optantis sunt fere sequentes. Ter. Andr. 3. 3. 6. Per te deos oro. Cic. 2. Off. 2. 5. Quid enim est, per deos, optabilius sapientia? Id. 3. Phil. 14. 34. Hanc igitur occasionem oblatam tenete, per deos immortales, patres conscripti. Cœlius apud Cic. 8. Fam. 14. ad fin. Curre per deos atque homines. Plaut. Trin. 2. 4. 101. et Ter. Phorm. 3. 3. 19. et Heaut. 1. 1. 109. Di bene vortant. Plaut. Amph. 2. 1. 85.; Ter. Hecyr. 3. 2. 19. et Eun. 2. 3. 98.; et Cic. 14. Fam. 3., 7. Verr. 13. 33. et 5. ibid. 35. 81. Dii faxint; Dii faciant; Utinam dii faxint, ut vel ne etc. Ter. Andr. 3. 3. 36.; et Cic. 9. Att. 2. et 3. Phil. 11. 35. Dii prohibeant, averruncent, omen avertant. — Similia sunt Dii melius duint, faciant, meliora ferant, velint, etc. Sic Plaut. Pseud. 1. 3. 81. Di melius faciant. Ter. Phorm. 5. 8. 16. Uxorem duxit. N. mi homo, dii melius duint. Tibull. 3. 4. 1. Di meliora ferant, nec sint insomnia vera. Ovid. 7. Met. 37. Di meliora velint. Quamquam non ista precanda, Sed facienda mihi. Et absolute di meliora vel melius eodem sensu. Cic. 8. Phil. 3. 9. Quid nos? numquid tale habemus? Dii meliora. Adde eumd. Senect. 14. 47.; et Liv. 39. 10. Ovid. Heroid. 17. 29. Quæ tua nequitia est, non his contenta fuisset: Di melius! similis non fuit illa tui. Id. Remed. am. 439. Di melius, quam nos moneamus talia quemquam! Adde eumd. 3. Amor. 7. 19.; et Propert. 4. 6. 65. Val. Max. 6. 1. extr. Dii melius, quod hunc animum viris earum in acie non dederunt. h. e. benignius egerunt cum populo Romano, quod etc. Seneca Ep. 98. post init. Dicito, quoties aliquid aliter, quam cogitabas, evenerit, dii melius. — Plaut. Asin. 3. 3. 46. et Trin. 2. 2. 103. Di te servassint. Similiter di vel ita di me ament, amabunt, etc. sæpe occurrunt, ut apud Plaut. Aulul. 2. 2. 6. et Pœn. 1. 3. 30. Sic Ter. Heaut. 2. 3. 67. Præ gaudio, ita me di ament, ubi sim, nescio. h. e. ita me dii servent. Id. Adelph. 4. 7. 31. Ita me di ament, ut video ego tuam ineptiam. Id. Hecyr. 2. 1. 9. Ita me di bene ament. Id. ibid. 1. 2. 31. Ita me di amabunt, haud propterea te rogo, sed etc. Sic di te ament est salutantis apud Plaut. Most. 1. 4. 27., Men. 2. 2. 6. et Pœn. 3. 5. 6. etc. — Contra di te perduint, perdant, etc. sunt imprecantis apud Plaut. Pœn. 3. 2. 9.; Ter. Hecyr. 1. 2. 59., et Cic. Dejot. 7. 21. Similiter Plaut. Most. 3. 1. 153. Di te denique omnes funditus perdant. Ter. Andr. 4. 4. 22. et Heaut. 3. 3. 28. Di te eradicent. Id. Phorm. 2. 3. 47.; et Cic. 11. Fam. 21. 1. Dii tibi male faciant. Et omisso verbo Cic. 15. Att. 20. Di illi mortuo, qui unquam Buthrotum! — f) Si diis placet est ironice loquentis et simul indignantis. Ter. Adelph. 3. 5. 30. Ille bonus vir nobis psaltriam, si diis placet, paravit. Cic. Pis. 16. 38. Appellatus est hic vulturius illius provinciæ, si diis placet, imperator. Adde Liv. 6. 40., 34. 32., 40. 13. et alibi: Quintil. 8. 3. 44.; et Flor. 4. 4. 4. Cf. Plin. 34. Hist. nat. 18. 50. (166). Nero, quoniam ita diis placuit, princeps. — g) In diis est, quod Græci Ἐν γὰρ τῷ Θεῷ τὸ τούτου τέλος ἦν, idem est atque in potestate deorum est. Ovid. 7. Met. 24. vivat, an ille Occidat, in diis est. Id. Heroid. 20. 44. Exitus in dis est. — h) Qui putant Christianum hominem Latine deos de uno Deo posse dicere, afferunt illud Taciti de uno Deo Judæorum loquentis, 5. Hist. 13. Audita major humana vox excedere deos. Verum Tacitus non Judæorum, sed Latino more loquitur.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice deus est oraculum et responsa dei. Sil. It. 12. 338. vulgique deus pervenit ad aures. ¶ 2. Figurate hoc nomen tribuitur aliquando ei, qui ceteros quomodocumque antecellit: hinc ei qui dives ac felix est, qui in aliqua re excellens et singularis est, qui valde beneficus est et servator. Plaut. Curc. 1. 4. 11. Sum deus. Ter. Hecyr. 5. 4. 3. Deus sum, si hoc ita est. Id. Adelph. 4. 1. 19. Laudarier te audit libenter: facio te apud illum deum: virtutes narro. Cic. 2. Nat. D. 12. 32. Platonem quasi quemdam deum philosophorum. Id. 1. Orat. 23. 106. Te in dicendo semper putavi deum. Adde eumd. 2. ibid. 12. 179. Id. Marcell. 3. 8. Non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo judico. V. Klotz ad h. l. Id. Sext. 69. 144. Lentulum deum ac parentem fortunæ ac nominis mei. V. Halm. h. l. Id. post redit. ad Quirit. 5. 11. Lentulus, parens, deus, salus nostræ vitæ. Virg. 5. Ecl. 392. deus ille magister Eryx. Horat. 2. Sat. 6. 52. deus (h. e. Cæsarem Octavianum, Mæcenatem, etc.) quoniam propius contingis. — In Inscriptionibus et Nummis deus dicitur imperator. Inscript. apud Orell. 609. et 1800. DEO AVG. T. LAPPONI DOMITIA CASSIA V. S. L. M. L. D. D. D. Alia apud eumd. 1336. NEPTVNO DEISQ. AVG. T. ABIDIVS VERVS POST. SVBPRAEFECTVS CLASS. RAVEN. TEMPLO RESTITVTO etc. Sic Nemes. venat. 71. Ipso pæne prior genitore deo. Et de imperatore adhuc vivo Calpurn. Ecl. 7. deus ipse canatur, Qui populos urbesque regit pacemque togatam. — Ceterum quod ad Inscriptiones attinet, V. Labus in Morcelli Dissert. sull'Apoteosi p. 20.

DEUSTUS, a, um. V. DEURO.

DEUTER, ra, rum, adject. δεύτερος, secundus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 9. — NB. De cogn. Rom. V. ONOM.

DEUTERIAMBUS, i, m. 2. genus pedis, apud Capell. 5. p. 169. At ibi legendum est dithyrambus, ut recte adnotat Kopp.; qui addit etiam, totam illam Capellæ phrasin a codice Monacensi abesse.

DEUTĔRĬUS, a, um, adject. δευτέριος, secundarius. Plin. 14. Hist. nat. 10. 12. (86). Non possunt jure dici vina, quæ Græci deuterias appellant, Cato et nos loram, maceratis aqua vinaceis. Id. 14. ibid. 9. 11. (81). secundarium passum appellat. Harduin. legit deuteria, ut sit neutr. plur., cui subaudiatur vina. Si Græco adhæreas, nos; si Latina positione efferendum putes, ille rectius legisse videtur. Sillig. lectionem Harduini retinuit.

DĒŪTOR, ūteris, ūti, dep. 3. (de et utor) idem quod abutor, male utor. Nepos Eumen. 11. Non convenire Antigoni prudentiæ, ut sic deuteretur victo. Al. leg. se uteretur.

DEUTĔRŎNŎMĬUM, ii, n. 2. δευτερονόμιον, secunda lex, vel potius repetitio legis. Vox Græca, a νόμος lex et δεύτερος secundus. Est nomen unius ex libris Sacræ Scripturæ. Lactant. 1. 17. et Sidon. 9. Ep. 9.

DĒVĂGO, as, are. V. voc. seq. ad fin.

DĒVĂGOR, āris, ari, dep. 1. quasi de via decedens vagor. Justinian. præfat. 2. ad Digest. a med. Ne a venditionibus ulterius devagentur, et ibid. ad fin. Audivimus in Alexandria et in aliis civitatibus quosdam imperitos homines devagari. Adde Cod. Theod. 1. 10. 5., et V. DIVAGOR. — Olim et devago, dictum est. Accius apud Non. p. 467. 26. Merc. Deinde omnes stirpe cum incluta Cadmeide, Tumultu perculsæ matronæ vagant. Ita, ut versuum ratio constet, legit Bothe; alii Cadmi devagant matronæ tumultu perculsæ: quod improbandum videtur, nam ibi Non. de vago, non de devago sermonem habet.

DĒVASTĀTOR, ōris. m. 3. qui devastat. Cassiod. 6. Hist. Eccl. 45. Ferus sacræ vineæ devastator (Julianus Aug.) pœnas exactus est vastationis suæ, jacetque mortuus terroribus minisque frustratus.

DĒVASTĀTUS, a, um. V. voc. seq.

DĒVASTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et vasto). Part. Devastatus et Devastandus. — Devasto est depopulor, deprædor. Liv. 2. 9. Marrucinos et Pelignos devastat. Id. 4. 59. Tripartito ad devastandos fines discessere. Auct. B. G. 8. 24. Ad devastandos depopulandosque fines Ambiorigis proficiscitur. Ovid. 13. Met. 255. Agmina ferro devastata.

DĒVASTUS, a, um, adject. valde vastus. Apul. 9. Met. Jamque miles, inversa vite, devastiore nodulo cerebrum suum diffindere. Al. leg. de vastiore: et quidem recte, nam miles, inversa vite, quam manu tenebat, ex parte crassiore cerebrum hortulani percussit atque diffidit. Amandanda itaque est de Latio vox devastus.

DĒVECTO, as, are, a. 1. frequentat. a deveho. Solul. 5. 345. Solvere contectum, quam devectare ligatum.

DĒVECTUS, a, um. V. voc. seq.

DĒVĔHO, vĕhis, vexi, vectum, vĕhere, a. 3. (de et veho). Part. Devectus I. in fin. (V. et DEVEXUS, a, um, loco suo); Devehendus I. — Devehere est deorsum vehere, avehere, transferre, abducere, seu navi, seu jumento, seu curru (It. portar già, portar via, trasportare; Fr. porter, transporter, charrier, voiturer; Hisp. llevar, traer, transportar, acarrear, conducir; Germ. hinweg- oder fort-tragen, -führen oder -bringen; Angl. to carry down, convey).

I.) Proprie. Plaut. Pœn. prol. 86. A Magaribus eas qui surripuit, in Anactorium devehit. Cæs. 5. B. G. 47. Frumentumque omne, quod eo tolerandæ hiemis causa devexerat. Id. 1. ibid. 43. Legionem Cæsar equis devexerat. Id. 1. B. C. 54. Curribus junctis naves millia passuum viginti duo a castris devehere. Nepos Dion. 4. Navem ei dedit, qua Corinthum deveheretur. Liv. 4. 52. Maximos commeatus, summo Etruriæ studio, Tiberis devexit. Id. 5. 54. Quo fruges ex mediterraneis locis deveherat. Id. 36. 2. Devehere frumentum in Græciam. Id. 10. 33. saucios in oppidum. Id. 21. 10. ad fin. Devehendum Hannibalem in ultimas maris terrarumque oras censeo. h. e. asportandum. Virg. 2. G. 408. Primus humum fodito, primus devecta cremato Sarmenta. Curt. 4. 3. Syracusis id simulacrum devexerant. Id. ibid. 7. Aqua, quam utribus cameli devexerant. Id. 10. 1. Materia devecta ad urbem. Id. 9. 8. In fines Malliorum secundo omine devehitur. Justin. 12. 8. Devehi per fluvium in oceanum. Val. Flacc. 1. 114. Huc devecta puppis. — Hinc Part. præter. pass. Devectus sæpe de persona usurpatur secundo flumine iter facientibus; quo sensu verbo subvehere opponitur. Cic. 1. Phil. 4. 9. Ego celeriter Veliam devectus Brutum vidi. Sueton. Tib. 72. Misenum usque devectus. Tac. 3. Ann. 9. Nave ac mox Tiberi devectus. Adde Juvenal. 7. 121. Rursus Tac. 4. Ann. 72. Utrumque exercitum Rheno devectum Frisiis intulit.

II.) Figurate. Propert. 4. 1. 110. Hactenus historiæ: nunc ad tua devehor astra. h. e. transeo, gradum facio.

DĒVELLO, vellis, velli, vulsum vel volsum, vellere, a. 3. (de et vello). Part. Devulsus et Devellendus. — Devellere est idem quod vellere, vel potius valde vellere, depilare. Plaut. Pœn. 4. 2. 50. Nullo edepol develtisse (pennas): jam his duobus mensibus volucres alæ tibi erunt hircinæ. Fronto ad Verum Imperatorem (edente iterum A. Maio) Ep. 1. ad fin. A sedilibus equitum pluma, quasi anseribus, devolsa. Pallad. 4. R. R. 10. 1. Malus punica seritur plantis de matrum radice devulsis. Sueton. Domit. 22. Eratque fama, quasi concubinas ipse develleret. Capitolin. Pertin. 8. Vasa Samnitica calfactandæ resinæ ac pici devellendis hominibus ac levigandis. Sunt qui apud Sueton. et Capitolin. loc. cit. perperam legunt divelleret et divellendis.

DĒVĒLO, as, are, a. 1. velum aufero, detego. Ovid. 6. Met. 604. Oraque develat miseræ pudibunda sororis.

DĒVĔNĔROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (de et veneror). Part. Deveneratus et Devenerandus. — Deveneror est idem quod veneror. Ovid. Heroid. 2. 18. Sæpe deos supplex, ut tu scelerate valeres, Sum prece turicremis devenerata focis. Tibull. 1. 5. 13. Ipse procuravi, ne possent sæva nocere Somnia, ter sancta deveneranda mola. h. e. precibus amolienda, avertenda: ubi devenerari est idem ac deprecari, detestari.

DĒVĔNĬO, vēnis, vēni, ventum, vēnire, n. 4. (de et venio). Part. Deventurus II. — Devenire est deorsum venire, venire, pervenire (It. scendere, giungere, pervenire; Fr. aller, se rendre, arriver; Hisp. ir, andar, hallarse, llegar, arribar; Germ. irgend wohin kommen, gelangen, gerathen; Angl. to descend, come, arrive, reach).

I.) Proprie. Plaut. Most. 4. 2. 52. Ne ad alias ædes perperam deveneris. Id. Mil. glor. 2. 1. 18. ad hunc in servitutem ab eo, cui servivi prius. Id. Epid. 3. 2. 28. ad lenonem. Id. Pseud. 1. 3. 53. ad danistam. Id. Rud. 4. 3. 17. ad furem. Id. Asin. 1. 1. 92. et Men. 1. 2. 27. in insidias. Lucret. 6. 1131. Nec refert, utrum nos in loca deveniamus Nobis adversa, et cæli mutemus amictum. Cic. 7. Fam. 3. 3. Devenire in victoris manus. Sic Id. 1. Att. 9. Nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus devenire. Et figurate pro confugere, Id. 7. Verr. 48. 126. Ad senatum devenirent, qui de Verre supplicium sumat? non est usitatum. Ad populum

B. confugient? facilis est causa populi. *Nepos Pelop.* 3. Exsules in urbem deveniunt. *Cæs.* 2. *B. G.* 21. Quam quisque in partem ab opere casu devenit, quæque prima signa conspexit, ad hæc constitit. *Id. ibid.* Cæsar – ad legionem decimam devenit. *Liv.* 9. 31. Devenire in aliquem locum. *Ovid.* 8. *Met.* 796. Illa dato subvecta per aera curru, Devenit in Scythiam. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 27. Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus. — Et poetice cum Accusativo sine præpos. *Virg.* 4. *Æn.* 165. Speluncam Dido dux et Trojanus eamdem Deveniunt. *Val. Flacc.* 1. 84. silvas et amœna piorum Deveniunt.

II.) Translate. — *a)* Generatim. *Ter. Heaut* 4. 5. 2. Miseret me, tantum devenisse ad eum mali. *Cic.* 1. *Orat.* 1. 3. Nam prima ætate incidimus in ipsam perturbationem disciplinæ veteris: at consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen. Contra *Colum.* 2. *R. R.* 11. 10. *Schneid.* Omne frumentum et hordeum – his diebus post florem ad maturitatem devenit. *Al. leg.* venit. *Sueton. Vesp.* 5. Non defuerunt, qui interpretarentur quandoque rempublicam in tutelam ejus ac velut in gremium deventuram. — *b)* Speciatim ponitur pro descendere, seu accommodare se ad aliquid, quod alias quis non amplecteretur. *Cic. Mur.* 13. 29. Nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris studium devenire. *Id. Quinct.* 17. 54. Dici vix potest, quam multa sint, quæ respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem devenire.

DĒVĔNUSTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒVĔNUSTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* venustus). Part. *Devenustatus.* — Devenusto est deformo, deturpo. *Gell.* 12. 1. Tamquam pulcritudinis sibi insignia devenustet. *Auson. præf. ad monosyll. tantum in fin. posita.* Quæ omnis insuavis materia devenustat. *Sidon.* 1. *Ep.* 7. *ad fin.* Usque ad inimicorum dolorem devenustatus. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 2.

DĒVERBĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒVERBĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* verbero). Part. *Deverberatus.* — Deverbero est valde verbero. *Ter. Phorm.* 2. 2. 13. Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem? *Lactant.* 2. 7. *ad fin.* Deverberatum servum sub furca medio circo ad supplicium duxerat. *Al. male leg.* diverberatum.

DĒVERBĬUM. *V.* DIVERBIUM init.

DĒVERGENTĬA, æ, f. 1. devexitas, declivitas. *Gell.* 14. 1. Ex devergentia et convexionibus mundi.

DĒVERGO, gis, gere, a. 3. (de *et* vergo) idem quod vergo, deorsum inclinor. *Apul. de Deo Socrat.* Terrena devergunt pondere.

DĒVERRO, is, rere, a. 3. (de *et* verro). Part. *Deverrendus.* Deverro est de loco verro, sive probe verro. *Colum.* 7. *R. R.* 4. 5. Humorque omnis urinæ deverrendus est. *Al. leg.* diverrendus. *Augustin.* ex *Varron.* 6. *Civ. Dei* 9. Tres homines noctu circuire limina domus, et primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deverrere scopis. — Translate accipiendum videtur, si tamen sana est lectio, in illo *Lucilii* apud *Non. p.* 420. 6. *Merc.* Devorare se omnia ac deverrere.

DĒVERSĬTO, as, are, n. 1. *frequentat. a* deverto. *Gell.* 17. 20. Ad verborum venustates deversitandum. *Al. leg.* diversitandum.

DĒVERSĬTOR, ōris, m. 3. Scribitur et *diversitor*, sed minus recte. — Deversitor est idem quod deversor. *Petron. Satyr.* 79. Anus inter deversitores diutius ingurgitata. *et ibid.* 95. Deversitor cum parte cœnulæ intervenit.

DĒVERSOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (de *et* versor). Quæ sequuntur, omnia alii per *di* scribunt. — Ceterum diversor est in itinere hospitio utor alicujus, de via decedens apud aliquem maneo. *Cic.* 5. *Tusc.* 8. 22. Cum Athenis apud eum deversarer. *Id.* 6. *Att.* 1. 25. Deversari Laodiceæ apud Pomp. Vindullum. *Id.* 3. *Verr.* 25. 64. Rubriam parum laute deversari dicit. *Liv.* 44. 9. *extr.* Tecta ædificari, ubi deversari portantes commeatus possent. — Hinc simpliciter pro habitare, manere. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 68. Hac te in domo tamdiu deversari non pudet? *scilicet* quia domus non sua Antonii erat, sed Pompeji. *Apul.* 8. *Met.* Mariti mei facies in meis deversatur oculis. *h. e.* versatur ante oculos meos. — Figurate *Capell.* 3. *p.* 52. Verum in litteris gemina quæstio deversatur.

DĒVERSOR, ōris, m. 3. qui apud aliquem devertit itineris causa. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 15. Caupo cum quibusdam deversoribus eum, qui ante exierat, consequitur. *Al. leg.* diversoribus. *V.* DEVERTO init.

DĒVERSŌRĬĀRĬUS, ii, m. 2. *Gloss. Cyrill.* Πανδοχεύς, deversoriarius, stabularius, caupo. *Ibid.* Ἀπαντητής, deversoriarius.

DĒVERSŌRĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* deversorium, parvum deversorium. *Cic.* 12. *Fam.* 20. Sinuessanum deversoriolum contempsisti. Adde *eumd.* 14. *Att.* 8. *Utrobique alii, sed minus recte, leg.* diversoriolum: *V.* DEVERTO init. *Deversoriolum* ex conjectura legitur etiam apud *Sueton. Cæs.* 72.: *V.* ibi *Bremi*; et DEVERSORIUS.

DĒVERSŌRĬUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

DĒVERSŌRĬUS, a, um, adject. ad deversandum, seu hospitii causa commorandum pertinens. *Plaut. Men.* 2. 3. 81. et *Truc.* 3. 2. 29.; *Varro* 1. *R. R.* 2. 23.; et *Sueton. Ner.* 27. Deversoria taberna. *Alii minus recte leg.* diversoria. Juxta Codices MSS. *deversorio loco* legitur etiam apud *Sueton. Cæs.* 72.; ubi alii ex conjectura leg. *deversoriolo.* — Hinc

Deversorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est hospitium, locus, in quem non habitandi, sed ad tempus commorandi causa devertimus (ut fit in itinere, aut quum amicos visimus et apud eos commoramur) sive publicus sit, sive privatus; sive meritorius, sive non. *Cic.* 6. *Fam.* 19. Nam et villa, et amœnitas illa, commorationis, non deversorii. *Id.* 2. *Orat.* 57. 234. Defessus jam labore atque itinere disputationis, requiescam in Cæsaris sermone, quasi in aliquo peropportuno deversorio. *Id.* 7. *Fam.* 23. 3. Libentius emerim deversorium Tarracinæ, ne semper hospiti molestus sim. *Liv.* 21. 63. Deversorium hospitale. Rursus *Cic. Rosc. Am.* 46. 134. Si domus hæc habenda est potius, quam officina nequitiæ et deversorium flagitiorum omnium. *Id.* 2. *Phil.* 41. 104. Studiorum, non libidinum deversorium. *Sueton. Ner.* 38. monumentorum bustorumque. Ad de *Cic. Senect.* 23. 84. et 4. *Att.* 12.; *Liv.* 1. 51.; *Sueton. Vitell.* 7.; et *Petron. Satyr.* 9., ubi de meritorio hospitio sermo est. *Ubique autem alii per de scribunt*: *V.* DEVERTO init.

DEVERSUS, dicebant, deorsum versus. *Paul. Diac. p.* 71. 1. *Müll.*

DĒVERTĬCŬLUM, i, n. 2. Multis placet scribi *diverticulum*, ut et in DEVERTO init. dicitur. — Deverticulum, a *deverto*, est semita transversa, quæ a latere est viæ militaris, locus, ubi iter deflectimus (It. *strada, che porta fuori della maestra*; Fr. *chemin écarté, voie détournée, détour*; Hisp. *camino alejado*; Germ. d. *Abweg, Nebenweg, Seitenweg*; Angl. *a bye-road, bye-path, sideway, lane*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, eo scilicet quem supra exposuimus. *Cic. Pis.* 22. 53. Quos tu Mæandros, dum omnes solitudines persequeris, quæ deverticula flexionesque quæsisti? *Sueton. Ner.* 48. Ut ad deverticulum ventum est, – per arundineti semitam – ad adversum villæ parietem evasit. *Frontin. Aquæd.* 5. Concipitur Appia via Prænestina, deverticulo sinistrorsum passuum septingentorum octoginta. — Similiter deverticulum fluminis est, ubi a recto alveo deflectit, vel ubi pars aquarum ejus alio derivatur. *Martian. Dig.* 44. 3. 7. et *Papinian. ibid.* 41. 3. 44. *extr.* ¶ 2. Latiori sensu deverticulum dicitur locus, in quem e via devertimus, deversorium, hospitium. *V. Deversorium* in *V.* DEVERSORIUS. *Ter. Eun.* 4. 2. 7. Ubi ad ipsum veni deverticulum, constiti. *Liv.* 1. 51. *ad fin.* Cum gladii abditi ex omnibus locis deverticuli protraherentur. *Paullo supra deversorium dixerat. Tac.* 13. *Ann.* 25. Nero itinera urbis et lupanaria et deverticula veste servili pererrabat.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. *Liv.* 9. 17. Ut plus justo ab rerum ordine declinarem, et legentibus velut deverticula amœna quærerem. *Quintil.* 9. 2. 78. Rectum genus approbari, nisi maximis viribus non potest: hæc deverticula et anfractus suffugia sunt infirmitatis. *Id.* 10. 1. 29. Depulsi a recta via, necessario ad eloquendi quædam deverticula confugiunt. *Val. Max.* 9. 1. 4. Quum nominis et animi excellentes viros in hoc priscæ continentiæ ignotum deverticulum prolapsos videam. *h. e.* in hunc errorem, sive in hanc declinationem a recta priscæ continentiæ via. — Similiter est declinatio a proposito in dicendo. *Juvenal.* 15. 72. A deverticulo repetatur fabula. *Rutil. Itiner.* 2. 61. Sed deverticulo fuimus fortasse loquaces: Carmine proposito nunc repetamus iter. — Item *deverticulum significationis* dicit *Gell.* 4. 9. quum a nativa propriaque significatione ad aliam in voce quapiam usurpanda transitur. — Denique *aquarum calidarum deverticula* vocat *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (23). artes medicorum, qui per varias aquarum et medicamentorum vias sanitatem corporibus quærunt, quæ simplici rectaque via parari potest. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2., deverticulum ponitur pro suffugio, asylo, latibulo. *Plaut. Capt.* 3. 3. 8. Nec confidentiæ usquam hospitium est, nec deverticulum dolis. *Cic. Partit. orat.* 39. 136. Ne deverticula peccatis darentur. *Id. Rosc. com.* 17. 51. Hoc quum sentit Saturius esse apertum, resistere et repugnare contra veritatem non audet: aliud fraudis et insidiarum in eodem vestigio deverticulum reperit. *Quintil.* 12. 3. 11. Ad deverticula desidiæ confugere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 50. 71. (140). Deverticulum inventum in fraudem legis.

DĒVERTO *vel* devorto, tis, ti, sum, tere, 3. (de *et* verto *vel* vorto). Quod ad scriptionem attinet, hæc habet *Forcellinus* in v. DIVERTO: Malunt critici sane multi, hoc verbum ejusque derivata per *de* scribere, quod ita habeatur in optimis MSS. plurimis, et quod quædam deflectendi et deorsum tendendi actio significetur. Verum quia etiam separatio et disjunctio et discessio quædam a recto itinere in eo inest, quæ rectius per *di*, quam per *de* exprimitur; per di quoque recte scribetur. Tu neutrum damnaveris, neutrum prætuleris. Idem tamen *Forcellinus* in v. DEVERTO hæc ait: In omnibus allatis exemplis (et sunt ea quæ hic exhibentur) alii scribunt *diverto*: sed *deverto* ex optimis MSS. plures eruditi tuentur: quod et de ceteris eadem compositione conflatis dictum puta. Postremam hanc *Forcellini* sententiam et recentiorum philologorum auctoritatem sequi voluimus. — Part. *Devertens* I. 2.° *a.* — Itaque *devertere*

I.) Proprie, et quidem — 1.°) Active, hoc est cum Accusativo rei est alio flectere, vertere, mutare. *Lucan.* 2. 469. victor cedentibus instat, Devertitque acies. *Id.* 6. 316. Arma secuturum soceri, quacumque fugasset, Tentavere suo comites devertere Magnum Hortatu. *h. e.* ut via deflecterent. *Cf. eumd.* 6. 591. Quæque suo ventura potes devertere cursu. *Aurel. Vict. Cæsar.* 38. Arduum fatalia devertere. — 2.°) Sæpius neutrorum vel mediorum apud Græcos more usurpatur, perinde ac si accusativum *me, te, se* habeat, qui fere omittitur ac subauditur; et significat de via deflectere, commorandi paullisper causa ab recto itinere decedere; apud aliquem hospitari: porro hac significatione modo activa, modo passiva forma occurrit. — *a)* Activa forma. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 56. Devertere apud suum paternum hospitem. *Id. ibid.* 3. 1. 145. in amici hospitium. *Id. Pseud.* 2. 2. 63. huc in tabernam. *Id. ibid.* 4. 2. 6. in id angiportum. *Cic.* 1. *Divinat.* 27. 57. Quum duo una iter facerent et Megaram venissent, alter ad cauponem devertit, ad hospitem alter. *Id.* 2. *Off.* 18. 64. Ut omnia præberentur, quicumque Laciades in villam suam devertisset. *Id. Dejot.* 6. 17. Devertere domum regis hospitis. *Id. Mil.* 19. 51. ad se (*h. e.* ad villam suam) in Albanum. *Id.* 10. *Att.* 36. *ad fin.* Hortensius venerat, et ad Terentiam salutatum deverterat. *Id.* 13. *Phil.* 6. 13. Nunciant se devertisse Massiliam. *Curt.* 4. 9. Devertere ab Ægypto in Africam. *Gell.* 12. 1. Devertere ad domum. *Id.* 3. 9. In Syriam proficiscens Argos devertit. *Paul. Dig.* 4. 9. 6. In cauponam gratis devertere. *Liv.* 41. 43. Cum perpaucis maxime fidis via devertit. Adde *Plin. Paneg.* 52. *extr.* — Et absolute. *Cic.* 3. *Att.* 7. Itineris causa ut deverterem, primum est devium, etc. *Al. leg.* ut devertar. *Quintil.* 2. 3. 9. Recto itinere lassi, plerumque devertunt. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 7. Hæc (*via militaris*) prætereuntium viatorum populationibus et assiduis devertentium hospitiis infestat rem familiarem. *Curt.* 4. *in fin.* Longius devertere. — *b)* Passiva forma. *Cato* apud *Festum p.* 234. 25. *Müll.* Quum Romam veniebant, prorsus devertebantur pro hospitibus ad amicos suos. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 60. Ut devortatur ad me in hospitium optimum. *Id. Mil. glor.* 2. 2. 85. Devortier hospitio apud aliquem. *Ter. Phorm.* 2. 1. 81. Deos penates hinc salutatum domum devertar. *Cic. Fontej.* 5. 9. Si qui Cobiamacho deverterentur, neque Tolosam ire vellent. *h. e.* a Cobiamacho

deflecterent. *Liv.* 42. 1. *a med.* Deverti apud aliquem. — Et poetice. *Virg.* 3. *G.* 292. juvat ire jugis, qua nulla priorum Castaliam molli devertitur orbita clivo. Et *Stat.* 3. *Theb.* 45. haud aliter saltu devertitur orbes Pastor ab agrestum nocturna strage luporum.

II.) Translate. ¶ 1. Est a re proposita deflectere. *Cic.* 12. *Fam.* 25. 4. Sed redeamus ad illud, unde devertimus. *Liv.* 35. 10. Consulibus designatis (inde enim deverteram) Quinctius et Domitius in provincias profecti sunt. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (27). In hæc devertisse non fuerit alienum. *Sillig.* tamen legit *divertisse.* ¶ 2. Item ponitur pro confugere. *Id.* 9. *Met.* 62. Inferior virtute meas devertor ad artes. *Id.* 2. *Art. am.* 425. quid ad magicas, Erato, deverteris artes?

DĒVESCOR, sceris, sci, dep. 3. (de *et* vescor) idem quod vescor, depasco. *Stat.* 1. *Theb.* 603. animas a stirpe recentes Abripere altricum gremiis, morsuque cruento Devesci.

DĒVESTĪO, is, ire, a. 4. (de *et* vestio) vestem exuo. *Apul.* 3. *Met.* Jam primum omnibus laciniis se devestit. *et ibid.* 4. Statim se se devestiunt, nudatique etc.

DĒVESTĪVUS, a, um, adject. qui nulla veste, hoc est facie et forma, potest se tegere. *Tertull. advers. Valentin.* 14. Certe nec forma, nec facies ulla; devestiva scilicet et abortiva genitura.

DĒVĔTO, as, are, a. 1. idem quod veto. Affertur ex *Quintil.* 1. *Declam.* 13. Summam calamitatem corporis occurrere delicatis uxoris oculis devetaret. *Sed plerique alii leg.* vetaret.

DĒVEXĀTUS, a, um. *V.* DIVEXO.

DĒVEXĬTAS, ātis, f. 3. declivitas. *Plin.* 8. *Ep.* 8. *de Clitumno fonte.* Inde non loci devexitate, sed ipsa sui copia et quasi pondere impellitur. *Plin. alter.* 2. *Hist. nat.* 65. 65. (165). Aquæ feruntur quo longissime devexitas passa sit.

DĒVEXO. *V.* DIVEXO.

DĒVEXUS, a, um, adject. Comp. *Devexior* I. — Devexus a v. *deveho,* quasi deorsum vectus, est declivis, inclinatus, qui in declivi positus est, qui deorsum fertur (It. *pendente all' ingiù, declive, chino;* Fr. *qui penche, qui va en pente, incliné;* Hisp. *inclinado;* Germ. *herab oder vorwärts hangend, sich neigend, gesenkt, abschüssig;* Angl. *bending, hanging, or inclining, downwards, sloping*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Divinat.* 45. 101. Lucus Vestæ, qui a Palatii radice in novam viam devexus est. *Id.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Sol paullum a meridie jam devexus videtur. Cf. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 57. quodcumque dies devexior ambit. *h. e.* sol ad occasum inclinatior. *Cæs.* 7. *B. G.* 88. De locis superioribus hæc declivia et devexa cernebantur. *Liv.* 44. 35. Degressus ad imam partem castrorum, veluti per devexum in mare brachium transitum tentaturus. *Virg.* 1. *G.* 241. mundus Libyæ devexus in Austros. *Id.* 3. *ibid.* 524. Ad terramque fluit devexo pondere cervix. *Id.* 4. *ibid.* 293. *de Nilo.* Usque coloratis amnis devexus ab Indis. *Horat.* 1. *Od.* 28. 21. Devexus Orion. *Ovid.* 6. *Met.* 334. marzo. *Id.* 8. *ibid.* 330. arva. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 21. Sterquilinium more piscinarum devexum leni clivo. *Id.* 1. *ibid.* 2. 4. Celsiores agri quam mollissime devexi esse debent. *Id.* 4. *ibid.* 24. 16. Devexam resectionem facere post gemmam. *Val. Flacc.* 3. 687. Devexi montes. *Juvenal.* 4. 118. Rheda devexa. *Capell.* 3. *p.* 63. Inflexi accentus signum est sigma super ipsas litteras devexum. Et absolute *Seneca* 3. *Quest. nat.* 3. Aqua in devexo fluit, in plano continetur et stagnat.

II.) Translate. *Cic.* 9. *Att.* 10. 3. Ætas jam a diuturnis laboribus devexa ad otium. *Seneca Ep.* 12. Jucundissima est ætas devexa jam, non tamen præceps. *Id. Ep.* 114. *a. med.* Quid de illa compositione dicam in exitu lenta, qualis Ciceronis est, devexa et molliter desinens? *Val. Flacc.* 3. 398. Stygiæ devexa silentia noctis. *h. e.* ima silentia, vel potius imus profundusque locus silentii, tenebris Stygiis circumdatus. — Et absolute *Seneca Vita beat.* 25. *sub fin.* Manifestum est, per devexum ire liberalitatem, mansuetudinem. *h. e.* procliviter exerceri. — Hinc.

Devexum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est locus devexus. *V.* supra sub I. et II. in fin.

DĒVICTĪO, ōnis, f. 3. victoria. *Tertull. carm.* 1. *advers. Marcion.* 108. Falsa resurrectio, mortis devictio falsa. *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 3. Tunc gratias pro devictione persolvens. *Id.* 6. *ibid.* 1. Dæmones suæ recordati devictionis repente disparuerunt. *h. e.* recordati se devictos fuisse.

DĒVICTOR, ōris, m. 3. *Inscript. M. Antonini* apud *Gruter.* 258. 6. DEVICTORI OMNIVM GENTIVM BARBARORVM. Hanc tamen inscriptionem pro commenticia habet *Smetius Inscript.* 155. 6.; at *Finestres Syll. Inscr. Rom. p.* 48. Antonino Caracallæ tribuendam putat.

DĒVICTUS, a, um. *V.* DEVINCO.

DĒVĪGESCO, is, ere, n. 3. (de *et* vigesco) marcesco, vigorem amitto. *Tertull. Anim.* 27. Marcescimus et devigescimus cum lucis detrimento.

DĒVINCĪO, cis, xi, ctum, cire, a. 4. (de *et* vincio). *Devinxti* pro *devinxisti* dixit *Plaut. Asin.* 5. 1. 21. — Part. *Devinctus* in omnibus paragr. et in fin.; *Devinciendus* II. — Devincire est idem quod vincire, vel potius arcte vincire; præpos. enim de vim addit (It. *legare stretto;* Fr. *lier;* Hisp. *ligar, enlazar.;* Germ. *festbinden, verbinden;* Angl. *to bind, tie*).

I). Proprie. *Plaut. Men.* 5. 2. 92. Devincire servum domi. *Id. Pseud.* 1. 2. 65. Dircem duo gnati Jovis devinxere ad taurum. *Cic. Brut.* 60. 217. Devinctus fasciis. *Liv.* 40. 29. Devincire opercula plumbo. *Tibull.* 2. 5. 5. Devinctus tempora lauro. *Sil. It.* 11. 117. colla catenis. *Plin.* 7. *Hist. nat. procem.* (3). Manibus pedibusque devinctis. *Id.* 8. *ibid.* 16. 21. (51). Leonem non repugnantem devincire. *Id.* 36. *ibid.* 22. 49. (160). Silex ad structuram infelix, nisi multa suffrenatione devinctus.

II.) Translate: ad rem *Cic.* 1. *leg. Agr.* 5. 16. Totam Italiam omnibus vinclis devinctam et constrictam tenere. — *a*) Generatim. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 85. Devincire se vino. *h. e.* nimio potu obrui. *Al. leg.* deungere. *Lucret.* 4. 455. Denique cum suavi devinxit membra sopore Somnus. *Sueton. Aug.* 16. Arcto somno devinctus. *Ter. Heaut.* 1. 2. 34. Ubi animus se cupiditate devinxit mala. *Cic. Harusp. resp.* 3. 5. Se scelere devincire. *Seneca Ep.* 83. *circa med.* Non est animus in sua potestate, ebrietate devinctus. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 92. Animus uxoris misericordia devinctus. *Cic.* 3. *Fam.* 13. 2. Ea studia, quibus uterque nostrum devinctus est. *h. e.* deditus. *Id. Fat.* 9. 20. Mentem hominis voluntate libera spoliatam, necessitate fati devincire. *Id.* 2. *leg. Agr.* 31. 86. Calenum municipium complebunt, Theanum oppriment, Atellam, Cumas, Neapolim suis præsidiis devincient, Puteolos occupabunt. *Id. Brut.* 12. 45. Nec in impeditis ac regum dominatione devinctis nasci cupiditas dicendi solet. *Id. Pis.* 13. 29. Qui in Italia omnium gentium partes tribus triumphis devinxerat. *Id. Prov. cons.* 8. 19. Nationes nondum legibus, nondum jure certo, nondum satis firma pace devinctæ. *Id.* 2. *Nat. D.* 59. 148. Eloquentia nos juris, legum, urbium societate devinxit. *Id.* 1. *de republ.* 26. Homines inter se reipublicæ societate devincire. *Id. Brut.* 26. 98. Affinitate sese devincire cum aliquo. *Id.* 3. *Off.* 31. 111. Fœdera quibus etiam cum hoste devincitur fides. *Id. Brut.* 37. 140. In verbis collocandis et comprehensione devinciendis. *h. e.* apte colligandis, ut suaviter concurrant. Sic *Id. Orat.* 25. 85. Nec acervatim multa frequentans, una complexione devinciet. *Plin.* 7. *Ep.* 9. *ad fin.* Metri necessitate devinctus. *Cic. Dom.* 51. 131. Locum aliquem religione devincire. *h. e.* consecrare, dedicare. — Sequente Infinito. *Cic. Sext.* 7. 15. Hunc Pompejus omni cautione, fœdere, exsecratione devinxerat, nihil contra me esse facturum. — *b*) Specialim ac sæpe refertur ad officia, quibus adstringimur, obnoxii reddimur, conciliamur et obligamur alicui. *Plaut. Asin.* 5. 1. 21. Istoc me facto tibi devinxti. *Ter. Andr.* 3. 3. 28. Spero consuetudine et conjugio liberali devinctum. *Id. Heaut.* 1. 4. 13. Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini. *Cic.* 13. *Fam.* 7. *extr.* Homines honestissimos summo beneficio in perpetuum tibi tuisque devinxeris. *Id.* 2. *Phil.* 45. 116. Cæsar suos præmiis, adversarios clementiæ specie devinxerat. *Id.* 1. *Fam.* 7. 3. Vir tibi tua præstanti in eum liberalitate devinctus. *Id.* 1. *Off.* 17. 54. Sanguinis conjunctio benevolentia devincit homines et charitate. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. Hermippum non solum sermone, sed etiam familiaritate devinxi. *Id. Arch.* 3. 6. Totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine tenere. *Id.* 6. *Fam.* 11. Devinctus beneficio. *Id. ibid.* 10. Devincti magnis meis veteribus officiis. *Id. Cluent.* 64. 179. Nuptiis alligatus, et testamenti spe devinctus. *Id. Planc.* 18. 45. Suffragia largitione devincta. *Nepos Att.* 1. *extr.* Quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior. *Cæs.* 1. *B. C.* 39. Pignore devincire animos centurionum. *Liv.* 22. 22. Beneficio et gratia devinciendus. *Curt.* 6. 4. Devinctus meritis alicujus. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Devinctus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Devinctior* et Sup. *Devinctissimus;* eodem sensu, quem supra sub II. exposuimus. *Cæs.* 1. *B. C.* 29. Quarum altera (*Hispania*) erat maximis beneficiis Pompeji devincta. *Sueton. Domit.* 22. Domitiæ nuptiis devinctus. *Tac.* 11. *Ann.* 28. Reputantes hebetem Claudium et uxori devinctum. Cf. *Stat.* 9. *Theb.* 808. juveni devinctus amore pudico. — Et absolute. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 42. animæ, quales nec candidiores Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter. *Q. Cic. Petit. cons.* 5. 20. Fac, ut plane iis omnibus, quos devinctos tenes, descriptum ac dispositum suum cuique munus sit. Sup. *Devinctissimus* legitur apud *Alcim. Ep.* 33. *sub init.*

DĒVINCO, vincis, vici, victum, vincere, a. 3. (de *et* vinco). Part. *Devictus* et *Devincendus,* — Devinco est omnino vinco, supero. *Plaut. Pseud.* 2. 3. 12. Centum doctum hominum consilia sola hæc devincit dea Fortuna. *Cic. Senect.* 13. 44. Qui Pœnos classe primus devicerat. *Id.* 2. *Nat. D.* 2. 6. Crotoniatas Locri maximo prælio devicerunt. *Cæs.* 7. *B. G.* 34. Devincere Galliam. *Nepos Hann.* 1. Multorum obtrectatio devicit unius virtutem. *Seneca Herc. Œt.* 53. Devincere feros. *Justin.* 25. 4. Ad devincenda regna invitus habebatur. *Stat.* 5. *Silv.* 5. 63. fugientia ripas Flumina devincunt. — Hinc Part. præter. pass. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 33. 90. Capua devicta et capta. *Nepos Con.* 2. Athenienses devicti. *Id. Themist.* 5. Classis devicta. *Auct. B. G.* 8. 36. Gallia devicta et subacta. *Horat.* 1. *Od.* 4. 39. Hasdrubal devictus. *Id.* 1. *ibid.* 29. 3. Non ante devictis Sabææ regibus. *Virg.* 10. *Æn.* 370. Bella devicta. *Ovid. Heroid.* 6. 37. Serpens devictus. *Sall. Jug.* 25. Bonum publicum privata gratia devictum. *Catull.* 64. 120. Devictus lumina somno. *Al. leg.* devinctus.

DĒVINCTĪO, ōnis, f. 3. quidquid devinciendo inservit. *Tertull. Spectac.* 2. Homicidium magicis devinctionibus perficere. *h. e.* incantamentis.

DĒVINCTUS, a, um. *V.* DEVINCIO.

DĒVĬO, as, āvi, are, a. 1. (de *et* via). Part. *Devians* II. — Devio est de via decedo, a recta via deflecto, discedo.

I.) Proprie. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 22. Si a medio deviaverit. *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 1. *c.* 1. Advertendum est itaque, ex urinis naturalibus et consuetis, quantum in contrariam partem natura deviaverit. Adde *Augustin.* 1. *Doctr. Christ.* 36. *in fin.*

II.) Translate est abire. *Macrob.* 5. *Saturn.* 15. Paullulum a gravitate Homerica deviare. *Symmach.* 9. *Ep.* 121. (*al.* 131.). A quorum definitione non decet deviare. *Auson. Profess. n.* 5. *extr.* Fitia non devians.

DĒVIRGĬNĀTĪO, ōnis, f. 3. primus virginis concubitus. *Scribon. Compos.* 18. Illud non oportet ignorare, liberari hoc vitio (*morbo comitiali*) pueros vel virgines post complexum et devirginationem.

DĒVIRGĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒVIRGĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* virgo). Part. *Devirginatus* 1. et 2. — Devirginare ¶ 1. Est virginitate privare, virginem vitiare. *Petron. Satyr.* 25. et *Hygin. fab.* 23. *Paul. Dig.* 1. 18. 21. Devirginata ancilla. ¶ 2. *Devirginati* olim pueri dicebantur, cum ex ephebis exibant. *Varro* apud *Non. p.* 458. 25. *Merc.*

DĒVĪTĀTĪO, ōnis, f. 3. actus devitandi. *Cic.* 16. *Att.* 2. 4. Facilior devitatio legionum fore videtur, quam piratarum.

DĒVĪTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒVĪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de *et* vito). Part. *Devitans* et *Devitatus.* — Devito est declino, valde vito, ut *Paul. Diac.* p. 71. 8. *Müll.* exponit (It. *schifare, sfuggire;* Fr. *éviter, échapper à;* Hisp. *evitar, huir;* Germ. *meiden, vermeiden, fliehen;* Angl. *to avoid, shun*). *Plaut. Rud.* 1. 2. 70. Devitare illos fluctus. *Ter. Phorm.* 1. 4. 3. et *Andr.* 2.

5. 3. mala. *Lucret.* 3. 1092. letum. *Cic.* 2. *Verr.* 3. 8. Ut procellam temporis devitaret. *Id.* 2. *Tusc.* 26. 62. Devitare dolorem. *Id.* 9. *Att.* 7. *ante med.* Eru in Formiano, ne devitatum se a me putet. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 43. vides exiguum censum turpemque repulsam Quanto devites animi capitisque dolore. *Seneca præfat. l.* 1. *Excerpt. controv. a med.* Non minus devito supervacua dicere, quam contraria. *Sueton. Tib.* 11. Devitare suspicionem æmulationis. *Id. Aug.* 92. Nihil in hoc quidem aliud devitans, quam δυσφημίας nominis. *Scribon. Compos.* 199. Ut et ipse devitet, ne per ignorantiam sumat.

DĒVĬUS, a, um, adject. (de et via) qui de via deflectit, qui procul est a via, qui de via decedit, qui procul a via habitat (It. *che è fuori di strada, fuor di mano o lontano dalla strada maestra*; Fr. *écarté, éloigné de la route, qui est situé de côté*; Hisp. *desviado, alejado de lo camino*; Germ. *vom Wege abführend, von der Strasse entfernt, seitwärts befindlich*; Angl. *out of the way, that lies or dwells out of the way, retired, sequestered, devious*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur tum de locis rebusque, tum de personis. — *a*) De locis rebusque. *Cic. Pis.* 36. 89. Devium oppidum. *Id.* 14. *Att.* 10. Ut Trebonius itineribus deviis proficisceretur in provinciam. *Id.* 2. *ibid.* 4. *sub fin.* Si nos amas, in Pompejanum venito; id et nobis erit perjucundum, et tibi non sane devium. *Liv.* 3. 13. In devio tugurio vivere. *Id.* 26. 8. *in fin.* Ut commeatus ex agris deviis in viam proferret. *Id.* 22. 14. Devii calles. *Id.* 41. 19. saltus. *Propert.* 2. 15. 2.; et *Ovid.* 1. *Met.* 676. rura. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 27. procul hæc regio est, et ab omni devia cursu. *Sueton. Aug.* 16. Devii tramites. — Et absolute. *Tibull.* 4. 3. 2. devia montis. *subaudi* loca. Sic *Lucan.* 4. 161. devia terrarum. et *Val. Flacc.* 3. 49. per devia. Similiter *Sueton. Tib.* 60. aspera ac devia. — *b*) De hominibus et brutis animantibus. *Cic.* 2. *Phil.* 41. 106. Anagnini quum essent devii, descenderunt, ut consulem salutarent. *Liv.* 34. 16. Devii montani. *Id.* 34. 20. Lacetani, devia et silvestris gens. *Horat.* 1. *Od.* 17. 6. Deviæ olentis uxores mariti. *h. e.* capræ, quæ via aberrare delectantur. *Stat.* 9. *Theb.* 801. Equus devius. *h. e.* qui saltu de loco deflectit. *Ovid. Heroid.* 2. 118. Et cecinit mæstum devia carmen avis. *h. e.* parte cœli sinistra et ominosa. ¶ 2. Latiori sensu ac poetice. *Propert.* 4. 9. 27. Devia puniceæ velabant limina vittæ. *h. e.* impervia, clausa, quæ adiri non poterant. *Horat.* 2. *Od.* 11. 21. Devium scortum. *h. e.* non vulgare, neque omnibus expositum.

II.) Translate dicitur de eo, qui a recta ratione deflectit. *Cic.* 15. *Phil.* 13. 37. Homo amentissimus atque omnibus consiliis præceps ac devius. *Id. Amic.* 25. 93. Quid potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur? V. *Seyffert* ad h. l. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ad fin.* Nihil inductum et quasi devium loqui. *h. e.* abs re. *Lactant.* 7. 7. Nullam sectam fuisse tam deviam, quæ non viderit aliquid ex vero. *Cic.* apud *eumd. Lactant.* (si tamen *Ciceronis* verba sunt) 6. 24. Si liceret, ut iis, qui in itinere deerravissent, sic vitam deviam secutos corrigere errorem pœnitendo. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 29. tantummodo femina non sit Devia, nec scriptis discat amare tuis. *h. e.* non declinet ab honestate vitæ, non discedat in vitia. Cf. *Claudian. Epist.* 1. 7. Me timor impulerit, me devius egerit ardor. — Poetice cum Genitivo jungitur. *Sil. It.* 1. 4. 57. exsuperans astu, sed devius æqui. *Id.* 8. 318. devia recti pectora. *Capell.* 3. *init. in carm.* Devius promissi es. — Hinc

Devia, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, *V.* supra sub I. 1. *a.* in fin.

DĒVŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et voco). Part. *Devocaturus* II. — Devocare est vocando deducere, sive inde, aut deorsum vocare (It. *chiamar e a basso, o da un luogo*; Fr. *rappeler, faire venir en appelant, appeler*; Hisp. *llamar abaxo*; Germ. *herab, von etw. weg, wohin rufen*; Angl. *to call down, fetch down by calling*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 5. *Tusc.* 4. 10. Socrates primus philosophiam devocavit e cœlo. *Horat. Epod.* 17. 5. Refixa cœlo devocare sidera. *Liv.* 6. 20. Capitolium spectans, Jovem deosque alios devocasse ad auxilium fortunarum suarum. Sic *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (14). Sacrificio Jovem cœlo devocare. Rursus *Liv.* 4. 39. *ad fin.* Devocare suos ab tumulo. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro vocare, invitare. *Cic. Prov. cons.* 12. 29. Devocare aliquem de provincia, ad gloriam, ad triumphum. *Nepos Cim.* 4. Quotidie sic cœna ei coquebatur, ut quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret. *Val. Max.* 3. 2. *n.* 21. Devocare aliquem in certamen. *Id.* 6. 5. *n.* 5. aliquem in judicium. ¶ 3. Singulare est illud *Plin.* 30. *Hist. nat.* 14. 43. (125). Vermes terreni lac devorant poti cum mulso. *h. e.* detrahunt, eliciunt.

II.) Translate fere in malam partem occurrit. *Cic. pro leg. Manil.* 14. 40. Non avaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem. *h. e.* revocavit, deflexit, avocavit, abduxit. *Id.* 2. *Herenn.* 3. 4. Devocare quempiam in suspicionem. *Cæs.* 6. *B. G.* 7. Loquitur, sese suas exercitusque fortunas in dubium non devocaturum. *h. e.* in discrimen adducturum. *Phædr.* 1. 20. et 3. 5. Stultum consilium ad perniciem mortales devocat. *h. e.* pertrahit. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (89). *de Perillo.* In hoc a simulacris deum hominumque devocaverat humanissimam artem. *h. e.* ut taurum æneum faceret. *Seneca* 6. *Benef.* 27. Vis, illum subjici tibi jactura rerum suarum, et status mutatione in id devocari, ut etc. *h. e.* eo redigi, ut etc. *Val. Max.* 2. 7. *n.* 8. Coactus est rem ad populum devocare. *h. e.* deferre, et ad populum confugere.

DĒVŎLO, as, ātum, are, a. 1. (de et volo, as). Part. *Devolaturus* I. — Devolo est ex loco superiori in inferiorem volo.

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 5. 1. 56. Devolant angues jubati deorsum in impluvium. *Liv.* 7. 12. *ad fin.* Qui nihil agenti sibi de cœlo devolaturam in sinum victoriam censeat. *Ovid.* 3. *Art. am.* 420. Et Jovis in multa devolat ales aves. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 10. turdus, Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc, Res ubi magna nitet. *Virg.* 4. *Æn.* 700. Iris croceis per cœlum roscida pennis Devolat, et supra caput adstitit.

II.) Translate est — *a*) Celeriter descendo, decurro, festino. *Liv.* 3. 15. Præcipites pavore in forum devolant. *Id.* 2. 29. Devolant de tribunali, ut lictori auxilio essent. *Lucret.* 6. 203. mobilis ille Devolat in terram liquidi color aureus ignis. *Cic. Quinct.* 30. 93. Ab afflicta amicitia transfugere atque ad florentem aliam devolare. *h. e.* celeriter transire. — *b*) Item accurro. *Petron. Satyr.* 105. Raptimque ad puerum devolat. — *c*) Item avolo, discedo. *Cic.* 4. *Herenn.* 17. 24. Simul ac fortuna dilapsa est, devolant omnes.

DĒVŎLŪTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒVOLVO, volvis, volvi, vŏlutum, volvere, a. 3. (de et volvo). Tmesin esse volunt in illo *Catulli* 68. 59. Qui (rivus) quum de prona præceps est valle volutus. — Part. *Devolvens* I. 1. *a.*; *Devolutus* in omnibus paragr. — Devolvere est deorsum volvere, volvendo dejicere, ex loco superiore depellere (It. *voltolare, buttare in giù, gettar giù rotolando*; Fr. *rouler d'en haut, précipiter, faire rouler*; Hisp. *rodar abaxo, precipitar*; Germ. *herab oder niederwärts wälzen oder rollen*; Angl. *to roll or tumble down.*)

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu; et quidem — *a*) Activa forma. *Cæs.* 2. *B. C.* 11. Oppidani saxa quam maxima possent, vectibus promovent, præcipitataque muro in musculum devolvunt. *et mox.* Cupas de muro devolvere. *Curt.* 4. 3. *extr.* clipeos æneos e muris. *Virg.* 2. *Æn.* 448. Auratasque trabes, veterum decora alta parentum, Devolvunt. *Quintil.* 12. 10. 61. Amnis saxa devolvens. *Ovid.* 7. *Met.* 573. *de pestilentia affectis.* si prohibent consistere vires, Corpora devolvunt in humum. *h. e.* prosternunt. *Val. Flacc.* 1. 234. seque toris misero luctamine trunci Devolvunt. — *b*) Passive, seu mediorum apud Græcos significatione, devolvi est decidere, præcipitem cadere. *Liv.* 21. 33. Inde ruinæ maximæ modo jumenta cum oneribus devolvebantur. *Curt.* 7. 11. Quum ii, quos instabilis gradus fefellerat, ex præcipiti devolverentur. *Id.* 5. 3.; et *Colum.* 1. *R. R.* 5. Huic proxima fluens aqua e montibus oriunda, si præceps inter saxa devolvitur. — Part. præter. pass. *Devolutus* similiter occurrit. *Liv.* 28. 6. *a med.* Velut monte præcipiti devolutus torrens. *Curt.* 9. 4. *extr.* Devoluti scalis. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 106. (129). Datur decoctum ejus ad rupta, et devolutis ex sublimi. *Catull.* 59. 4. Devolutum ex igne prosequens panem. *h. e.* qui ex igne decidit. *Phædr.* 5. 7. Devoluta tonitrua. *h. e.* saxa, aliave pondera, quæ post scænam devolvebantur, ut fragorem strepitumque tonitruum imitarentur. *V.* CLAUDIANUS, a, um, in ONOM. ¶ 2. Latiori sensu, et quidem poetice, — *a*) Ponitur pro simplici volvere, seu volvendo deducere. *Virg.* 4. *G.* 348. dum fusis mollia pensa Devolvunt. — *b*) Et pro abscindere ac projicere. *Catull.* 63. 5. Devolvit ilia acuto sibi pondera silice. — *c*) Et pro festinanter deorsum ducere. *Lucan.* 1. 491. Devolvit rapidum necquidquam mœnibus agmen.

II.) Translate. *Horat.* 4. *Od.* 2. 18. *de Pindaro.* Seu per audaces nova dithyrambos Verba devolvit. *h. e.* torrentis more profundit. *Plaut. Men.* 5. 5. 5. Quem ego, si quidem vivo, vita devolvam sua. *h. e.* vita privabo. Sic *Apul. de Mag.* Ampliuscula fortuna devolutus. *Liv.* 1. 47. Facesse hinc Tarquinios, aut Corinthum: devolvere retro ad stirpem, fratri similior, quam patri. *h. e.* redi, reverterc. *Id.* 5. 11. Eo devolvi rem, ut aut patricii, aut patriciorum assectæ habendi tribuni plebis sint. *h. e.* eo paullatim redigi. *Cic.* 7. *Phil.* 4. 14. Postridie ad spem estis inanem pacis devoluti. *Colum.* 1. *R. R. proœm.* 29. Ad otium et inertiam devolvi. *h. e.* dare se otio. *Seneca* 2. *Controv.* 9. *post init.* Ex summis opibus ad egestatem devolutus. *Sueton. Vita Lucani.* Devolutus ad humillimas preces. *Val. Max.* 3. 4. *n.* 1. in dedecus. *Paul. Dig.* 40. 14. 45. *ad fin.* Bona ad fiscum devoluta. *Ulp. ibid.* 43. 23. 13. *ante med.* Prædii dominium ad aliquem devolutum.

DĒVŎMO, is, ere, a. 3. (de et vomo). *Cæcilius* apud *Gell.* 2. 23. Ut devomas vult, quod foris potaveris.

DĒVŎRĀBĬLIS, e, adject. qui devorari potest. *Alcim. Ep.* 77. *ante med.* Appetitum interioribus inhiantem devorabili tegmine pavos isicio conclusus exclusit, et trepidans accensis faucibus gula aliquantula temporis mora sub docti incisoris pependit arbitrio.

DĒVŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. devorandi actus. *Tertull. Resurr. Carn.* 54. Devorationem ad perditionem carnis arripiunt.

DĒVŎRĀTOR, ōris, m. 3. qui devorat. *Tertull. Resurr. carn.* 32. De ipsis devoratoribus exactio indicitur. *V.* DEMORATOR.

DĒVŎRĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad devorandum pertinens. *Tertull. Idolol.* 1. Crimina devoratoria salutis.

DĒVŎRĀTRIX, īcis, f. 3. quæ devorat. *Acron* ad *Horat.* 1. *Ep.* 13. 10. Lamiæ quoque dicuntur devoratrices puerorum.

DĒVŎRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĒVŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (de et voro). Part. *Devorans* I. 1. 2. et II. 1. et 3.; *Devoratus* I. 1. et II. 4.; *Devoraturus* II. 4.; *Devorandus* II. 3. — Devorare est cibum ex ore in stomachum demittere, vorare, deglutire (It. *inghiottire, ingojare, mandar giù, divorare*; Fr. *dévorer, avaler, engloutir*; Hisp. *devorar, tragar, engullir*; Germ. *hinabschlucken, verschlucken, verschlingen*; Angl. *to devour, eat up, swallow greedily, gulp down, ingurgitate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cato R. R.* 71. Bos si ægrotare cœperit, dato ei ovum gallinaceum crudum: integrum facito devoret. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Stomachi partes, quæ sunt infra id, quod devoratur, dilatantur; quæ autem supra, contrahuntur. *Cels.* 2. 8. Qui devorare salivam suam non potest. *Id.* 1. 4. *n.* 4. Laseris paullulum devorare opus est. *Plin.* 24. *ibid.* 19. 113. (171). St. anguiari pullos avidius devorantes. *Id.* 17. *ibid.* 14. 22. (99). Semine raptim avium fame devorato. *Id.* 10. *ibid.* 1. 1. (2). Devorata concoquere. *Id.* 20. *ibid.* 23. 98. (261). Succus devoratus. *Id.* 26. *ibid.* 6. 16. (30). Fumus per arundinem haustus et devoratus. ¶ 2. Latiori sensu est absorbere, dehiscendo excipere, exsugere. *Plaut. Truc.* 2. 7. 16. Meretricem ego item esse reor, mare ut est: quod des devorat, nec unquam abundat. *Vitruv.* 10. 2. 11. *Schneid.* Propter viarum mollitudinem non confisus carris, ne rotæ devorarentur. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 74. vel me Zanclæa Charybdis Devoret. *Id. Heroid.* 3. 63. Devorer ante, precor, subito telluris hiatu. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 91. 93. (205). Terra devoravit Cibotum, altissimum

montem, cum oppido Curite. Id. 31. ibid. 1. 1. (2). Terras devorant aquæ. Id. 20. ibid. proœm. (1). Sol aquas devorans. h. e. exsiccans. Solin. 52. Gangis altitudo, ubi vadosissimus est, mensuram centum pedum devorat.

II.) Translate. ¶ 1. Devorare est avide aliquid accipere sive oculis, sive mente, etc. Plaut. Asin. 3. 3. 59. Auscultate, atque operam date, et mea dicta devorate. Id. Pœn. 5. 2. 9. Quam orationem hanc aures dulcem devorant. Cic. Sext. 10. 23. Verbum ipsum voluptatis omnibus modis animi et corporis devorabat. Id. 7. Att. 3. Quid enim tibi faciam, qui illos libros devorasti? h. e. tam cupide legisti: sic apud eumd. 3. Fin. 2. 7. Cato dicitur helluari libris, si modo recta est ibi lectio. Id. 1. ibid. 16. 10. Ille regis hereditatem spe devorabat. Id. 3. Verr. 51. 135. Spe et opinione illam prædam devorabat. Id. Dom. 23. 60. Omnium locupletum fortunas spe et avaritia devorasses. Id. Flacc. 24. 57. Spe devoratum lucrum. Justin. 21. 5. 6. Quod emere non poterat, oculis devorare. Martial. 1. 97. Oculi devorantes. ¶ 2. Devorare orationem alicujus aliquando est audire et non intelligere: ducta translatione ab iis, qui integros cibos vorant, neque, quem habeant gustum, percipiunt. Cic. Brut. 82. 283. Ejus oratio nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus erat illustris: a multitudine autem et a foro devorabatur. ¶ 3. Item est sustinere, ferre, tolerare. Ad rem facit translatio illa apud Quintil. 11. 3. 33. Verborum pars devorari, pars destitui solet. ubi devorare verba est non explicate proferre, sed intus et in gula continere. Adde Senec. 3. Ira 14. ad fin. — Hinc Cic. 6. Phil. 6. 17. Exspectate legatorum reditum, et paucorum dierum molestiam devorate. Id. Brut. 67. 236. Hominum ineptias et stultitias, quæ devorandæ nobis sunt, non tulit. Quintil. 11. 2. 41. Devoret initio tædium illud, scripta sæpius revolvendi. Ovid. 13. Met. 538. obmutuit illa dolore, Et pariter vocem lacrimasque introrsus obortas Devorat ipse dolor. Adde eumd. 4. Fast. 846. Seneca Ep. 66. a med. Animi firmitas sub tortore gemitus devorans. Sic Tertull. Resurr. carn. 54. Bilem et dolorem dicimur devorare, id est abscondere ac tegere et intra nosmetipsos continere. ¶ 4. Item est consumere, absumere, exhaurire; et occurrit — a) De pecunia, vel patrimonio. Cf. Plaut. Rud. 2. 6. 60. Jam postulabas, te totam Siciliam devoraturum insulam. V. et locum Plauti superius allatum sub I. 2. Cic. 5. Verr. 76. 177. Non reperietis hominem timide nec leviter hæc improbissima lucra ligurientem: devorare omnem pecuniam publicam non dubitavit. Id. Pis. 37. 90. Accepta et devorata pecunia. Id. ibid. 21. 48. Partem ejus prædæ effusæ libidines devorarunt. Id. 13. Phil. 2. 3. Beneficia Cæsaris devorata. Sic Quintil. docet 8. 6. 25. hominem devorari metaphorice dici, cujus patrimonium consumitur. — b) De aliis. Justin. 14. 4. 14. Devorent vos arma vestra, quibus plures vestros, quam hostium duces absumpsistis. Nonnulli huc referunt illud Accii apud Non. p. 98. 13. Merc. Animam devorabo hostibus. At ibi rectius legendum devotabo. Plin. 10. Hist. nat. 3. 4. (15). Aquilarum pennæ mixtas reliquarum alitum pennas devorant. — Similiter devoratur vox est dissipatur, evanescit. Plin. 11. Hist. nat. 51. 112. (270). In theatrorum orchestris, scobe, aut arena superjecta, vox devoratur. — Devorasse nomen alicujus apud Plaut. Trin. 4. 2. 63. dicitur is, qui oblitus est. — Apud Apul. 2. et 9. Met. Devoratus pudor. est abjectus, depositus. ¶ 5. Devorare videtur nonnullis habere obscœnum sensum apud Plaut. Asin. 2. 2. 71. (eum nempe, quem habet vorare apud Catull. 33. ad Vibenn. etc. et 80. ad Gell.); aliis non item videtur.

DĒVORTĬUM, ii, n. 2. pro divortium quidam scribi malunt, leguntque apud Tac. Agric. 19. et Tertull. Anim. 19. et Apolog. 37. et alibi, quia est a deverto seu devorto, de quo supra suo loco.

DĒVŌTĀMENTUM, i, n. 2. anathema, devotio. Tertull. advers. Gnost. 2. Ut devotamenta fierent universa ejus urbis incolæ.

DĒVŌTĀTĬO, ōnis, f. 3. supplicatio. Vulgat. interpr. 3. Reg. 8. 38. Cuncta devotatio et imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israel.

DĒVŌTĀTUS, a, um. V. DEVOTO.

DĒVŌTĒ, adverb. Superl. Devotissime. — Devote est devovendo et addicendo atque obligando se, obnoxie, atque adeo pie, religiose, si de Deo sermo sit. Cod. Theod. 6. 24. 10. Devote ac strenue militando. Lactant. 2. 6. et 6. 9. extr. Deo pareamus: huic devotissime serviamus. Augustin. Ep. 86. cap. pænult. Sabbati jejunium devotissime celebrare.

DEVOTICIUS, a, um, adject. qui ex devotis, seu promissis est. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 79.

DĒVŌTĬO, ōnis, f. 3. actus devovendi; et variam habet significationem, prout est A) A verbo devoveo, aut B) A Participio devotus.

A) Devotio a verbo devoveo ¶ 1. Generatim est votum, destinatio, oblatio, consecratio, dedicatio (It. oblazione, consecrazione; Fr. vœu, dévouement; Hisp. voto, el acto de dedicar; Germ. das Geloben, die Weihung, das Gelübde; Angl. a devoting, consecrating). Cic. post redit. ad Quirit. 1. 1. Ejus devotionis me esse convictum, maxime lætor. h. e. ejus voti, quo me diis pro salute populi Romani obtuli. Id. Dom. 57. 145. Hanc ego devotionem capitis mei, quum ero in sedes meas restitutus, tum denique convictam esse et commissam putabo. h. e. votum, quo objeci caput meum pro republ. Id. Rabir. Post. 1. 2. In devotione vitæ imitatus est P. Decium filius. Id. 3. Nat. D. 6. 15. Tu autem etiam Deciorum devotionibus placatos deos esse censes. — Aliquando adhibetur pro voto ac fausta precatione atque omine. Apul. 11. Met. Donec muneribus largis et devotionibus faustis completa navis pelago redderetur. ¶ 2. Speciatim est dira imprecatio, exsecratio, qua iræ deorum et ultioni aliquem addicimus et veluti sacrum caput malis omnibus destinamus (It. imprecazione, maledizione; Fr. imprécation, malédiction; Hisp. imprecacion, maldicion; Germ. d. Verwünschung, Verfluchung; Angl. fealty, allegiance, devotedness). Nepos Alcib. 6. Iidem illi Eumolpidæ sacerdotes rursus resacrare sunt coacti, qui eum devoverant: pilæque illæ, in quibus devotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Adde eumd. ibid. 4. Petron. Satyr. 103. Dissimulata nauseantis devotione. Hujus devotionis exemplum habes apud Macrob. 3. Saturn. 9. ¶ 3. Item speciatim hujusmodi sunt etiam incantamenta, queis sagæ quempiam diris defigunt et fascinationibus corrumpunt, carminibus adhibitis exsecratione plenis. Sueton. Cal. 3. et Tac. 4. Ann. 52. Veneficiis et devotionibus impugnari se comperit. Tac. 3. ibid. 13. Devotionibus et veneno perimere. Id. 12. ibid. 65. Petere conjugium principis devotionibus. h. e. principis conjugem incantamentis fascinare. Cf. Apul. 1. Met. Devotionibus sepulcralibus in scrobem procuratis. h. e. feralibus imprecationibus.

B) Devotio a Part. devotus — a) Apud sequioris ævi scriptores est etiam dedita fides, et addictum studium ac voluntas, qua alicui addicimur et veluti consecramur. Nemesian. Cyneg. 86. et milite multo Agmina, queis fortes animat devotio mentes. Veget. 1. Milit. 28. Hæc fidei ac devotionis intuitu, Imperator invicte, de universis auctoribus congessi. Id. 3. ibid. 4. Devotionem et moderationem custodire. Trebell. Poll. Gall. 14. Ducis erga rem publicam devotio. Capitolin. Maxim. et Balb. 11. Non tacenda hoc loco devotio est Aquilejensium pro Romanis. — b) Hinc a Christianis scriptoribus sumitur pro pietate atque observantia in Deum. Lactant. 2. 11. a med. Deo Patri summa devotione servire. Adde eumd. Mort. persecut. 16. — c) Item sumitur pro ratione cultus et religione. Lamprid. Elagab. 3. Dicebat præterea, Judæorum religiones et Christianorum devotionem illuc transferendam. — d) Denique devotio dicitur etiam tributorum solvendorum facilitas et obsequium, ut indevotio dicitur difficultas vel tarditas eorumdem solvendorum: V. INDEVOTIO. Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod. Theod. 1. 2. 7. In fraudem annonariæ rei ac devotionis publicæ elicitum damnabili subreptione rescriptum, manifestum est jure non posse vires sortiri. Cassiod. 12. Variar. 16. Quapropter magna est quolibet tempore monstrata devotio, sed tunc acceptior redditur, quando necessaria plus habetur. Præbeant igitur possessores stipendia suæ gratiæ profutura.

DĒVŌTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. frequentat. a devoveo. Part. Devotans 3.; Devotatus 2. — Devoto ¶ 1. Est omnino aut solemniter voveo. Cic. 1. Parad. 2. 12. Quæ vis patrem Decium, quæ filium devotavit atque immisit in armatas hostium copias? Al. leg. devovit. Cf. Accius apud Non. p. 98. 11. Merc. Minuc. Fel. Octav. 28. Asinos in stabulis cum vestra Epona consecratis, et eosdem cum Iside religiose devotatis. Al. leg. decoratis. ¶ 2. Item est incantamentis ligare. Plaut. Cas. 2. 6. 36. Credo, hercle, devotabit sortes, si attigerit. Apul. Herb. 7. Si qui devotatus defixusque fuerit in suis nuptiis. ¶ 3. Item votis vocare, invocare. Apul. 9. Met. Cuncta cæli numina, quæ dejerando temere devotasti. Id. 11. ibid. Et verba devotans, ajo.

DĒVŌTOR, ōris, et

DĒVŌTRIX, icis, f. 3. sola auctoritate Servii grammatici adhuc fulciuntur. Scribit enim ad Virg. 4. Æn. 607. Jam utitur imprecationibus, hoc est devotionibus: unde et devotor et devotrix dicitur, qui imprecatur.

DĒVŌTUS, a, um. V. voc. seq.

DĒVŎVĔO, vŏves, vōvi, vōtum, vŏvere, a. 2. (de et voveo). Part. Devotus in fin.; Devoturus I. 1. — Devovere est idem quod vovere, vel omnino aut solemniter vovere, sancte promittere, diis sacrare (It. votare, promettere in voto, consacrare alla divinità; Fr. vouer, consacrer à une divinité; Hisp. votar, dedicar, consagrar a dios; Germ. einer Gottheit geloben oder weihen; Angl. to vow).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est, ut diximus. — a) Idem quod vovere, solemniter vovere, sancte promittere. Ennius apud Cic. 1. Divinat. 48. 107. Hinc Remus auspicio se devovet. Cic. 3. Off. 25. 95. Agamemnon quum devovisset Dianæ quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno etc. Cæs. 6. B. G. 16. Marti ea, quæ bello ceperint, plerumque devovent. Horat. 2. Sat. 3. 219. devovere gnatum pro muta agna. — b) Sæpius devovere se diis vel devovere se occurrit, et est prævio voto morti se dare, malis et diris omnibus objicere, quod fiebat certo quodam carmine (hujus exemplum habetur apud Macrob. 3. Saturn. 9.), quo se, qui devovebantur, tradebant iræ numinum, et quæcumque casura essent mala civitati aut reipublicæ, pro qua devovebantur, in caput suum voto ac precibus transferebant, simulque morti et omnibus infortuniis dedebant hostium exercitus resque omnes et singula quoque interdum eorum capita: ut fecere Decii pater et filius, de quibus V. Liv. 8. 9. et 10. 28. Ritus et formulam de hac ratione devovendi idem Liv. cit. 8. 9. describit. Cic. 2. Nat. D. 3. 10. Quidam imperatores etiam se ipsos diis immortalibus, capite velato, verbis certis, pro republica devoverunt. Adde eumd. 1. Divinat. 24. 51. et 2. Fin. 19. 61.; et Virg. 12. Æn. 234. Cf. Quintil. 5. 6. 2. Causa litis, propter quam devoturus se ipse non fuerit. h. e. pejeraturus. — c) Hinc latiori sensu ponitur pro polliceri, destinare, objicere se, vitam, bona pro salute alterius; itemque se alicui dare, addicere, sacrare, obstringere. Cic. post redit. ad Quirit. 1. 1. Quum me fortunasque meas pro vestra incolumitate, otio concordiaque devovi. Virg. 11. Æn. 440. vobis animam hanc soceroque Latino Turnus ego devoveo. Flor. 1. 14. 3. Devovere se diis Manibus. Capitolin. Gord. tr. 11. Maximum diis inferis. Cæs. 3. B. G. 22. Cujus se amicitiæ devovissent. Ovid. 14. Met. 683. suos annos soli tibi devovit. Curt. 9. 6. extr. In excolenda gloria, cui me nui devovi. Justin. 11. 4. 7. Toties vos sacramento mihi devovistis. h. e. obstrinxistis. — Et de re inanima. Petron. Satyr. 82. Dum frequentius manum ad capulum, quem devoveram, refero. h. e. sacraveram, destinaveram. ¶ 2. Speciatim mos etiam quibusdam civitatibus fuisse legimus, ut unum aliquem quotannis miserum hominem in vinculis haberent, omnibusque deliciis saginarent, denique lapidibus obruerent, omnibus oneratum imprecationibus, rati, omne sic malum quod civitati immineret, in infelix illud caput translatum iri, et rempublicam calamitatibus defunctam prosperam futuram. De Abderitis hoc innuit Ovid., ubi ait, Ib. 469. Aut te devoveat certis Abdera diebus, Saxaque devotum grandine plura petant. Cf. Liv. 18. 18. ad fin. Quos sacerdotes ad mortem devovissent. — Hinc devovere aliquem sæpe est detestari, abominari, exsecrari, diras alicui imprecari. Nepos Alcib. 4. Postquam se capitis damnatum, bonis publicatis audivit, et sacerdotes a populo coactos, ut se devoverent, etc. Ovid. Ib. 55. Nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin, Hoc ego devoveo

teque tuosque modo. *Id.* 6. *Fast.* 738. Devovere natum suum. *Id.* 5. *Met.* 102. scelerata arma. *Justin.* 5. 1. 3. aliquem diris per omnium sacerdotum religiones. *Flor.* 3. 11. 3. ducem hostilibus diris. *Petron. Satyr.* 141. Quibus animis devovent spiritum meum, eisdem etiam corpus consumant. ¶ 3. Item speciatim est incantamentis et veneficiis defigere et ligare: præsertim vero magicis artibus ad amorem impellere, vel ab eo retrahere (V. et *Devotus* infra sub 3.). *Tibull.* 1. 9. 17. Num te carminibus, num te pollentibus herbis Devovit tacito tempore noctis anus? *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 79. Aut te trajectis Æaea venefica lanis Devovet. — Hinc Part. præter. pass.

Devotus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Devotior* et Sup. *Devotissimus* sub 4. Usurpatur autem omnibus, quibus verbum, significationibus: hinc ¶ 1. Est voto promissus, consecratus, destinatus. *Horat.* 3. *Od.* 23. 10. Victima devota. *Cic. Harusp. resp.* 3. 6. T. Annio devota et constituta ista hostia videtur. *Catull.* 66. 62. Devotæ flavi verticis exsuviæ. *Propert.* 2. 21. 1. Ara devota. *Liv.* 9. 17. Devota corpora. *Id.* 10. 39. Ancipiti deûm iræ devotus. *Id.* 8. 9. Decius devotus pro exercitu. *Horat.* 1. *Od.* 14. 18. Devota morti pectora. *Lucan.* 4. 513. stabat devota juventus, Damnata jam luce ferox, securaque pugnæ. *h. e.* juventus parata ad subeunda discrimina, ut qui se devoverunt. Cf. *Id.* 3. 311. Accipe devotas externa in prælia dextras. Et *Curt.* 8. 6. Omnium devotis capitibus, qui sanguine contigissent eos. *h. e.* proscriptis, ad necem damnatis, morti sacris. *Virg.* 1. *Æn.* 716. Phœnissa infelix, pesti devota futuræ. *Propert.* 2. 21. 23. Andromede monstris devota marinis. *Cic.* 1. *Cat.* 6. 16. Quæ quidem sica quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio. *Martial.* 6. 63. *loquitur Priapus.* Nec devota foris inguinis arma geram. *Auson. Parent.* 6. 8. Devota virginitas. Adde *eumd.* 26. 3. ¶ 2. Item diris et imprecationibus petitus, exsecrationibus oneratus, deorum iræ et malis objectus, maledictus. *Macrob.* 3. *Saturn.* 9. Devotam facere civitatem. et *ibid.* In antiquitatibus hæc oppida inveni devota, Tonios, Fregellas, Gabios, etc. *Horat.* 3. *Od.* 4. 27. Me devota non extinxit arbor. *Id. Epod.* 16. 9. Impia devoti sanguinis ætas. *Tibull.* 2. 3. 36. Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus. *Ovid. Heroid.* 6. *extr.* Vivite devoto femina virque toro. *Id. ibid.* 9. 153. Devota domus. *Justin.* 9. 3. Scythica, velut devota, spolia pæne luctuosa Macedonibus fuere. *Id.* 14. 4. Devota capita. *Catull.* 64. 135. devota domum perjuria portas. *h. e.* propter quæ malis omnibus objicieris. *Ovid. Heroid.* 12. 45. semina jubens Spargere devota lata per arva manu. *h. e.* destinata exitio: tu enim ipse certo periturus eras, illa semina spargendo, nisi ego opem tulissem. ¶ 3. Item veneficis incantamentis defixus. *Tibull.* 1. 6. 5. Tunc me devotum descendens femina dixit. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 27. Corpora Thessalico languent devota veneno. ¶ 4. Præterea devotus — *a*) Cum Dativo rei est impense studiosus. *Phædr.* 4. 4. Devota vino mulier. *Sueton. Cal.* 30. Devotus scenæ arenæque. — *b*) Cum Dativo personæ apud ethnicos scriptores est fide, voluntate, obsequio alicui addictus, uno verbo *deditus*, quocum aliquando jungitur, ut apud *Senec.* 3. *Benef.* 5. Nemo non deditum se et devotum professus est. Et apud *Juvenal.* 9. 71. Deditus tibi devotusque cliens. *Seneca* 5. *Benef.* 17. Respublica ingrata fuit in optimos et devotissimos sibi. *Tiberius* apud *Sueton. in ejus Vita* 67. Si quando de moribus meis devotoque vobis animo dubitaveritis. *Claudian. B. Gild.* 289. quando non ille jubenti Paruit? an quisquam nobis devotior exstat? *Inscript.* apud *Gruter.* 259. 1. IMP. CAESARI M. AVRELIO ANTONINO etc. A. FELICINVS DEVOTISSIMVS NVMINI EJVS. *Alia* apud *eumd.* 263. 3. NEPESINI OPTIMO FORTISSIMOQVE PRINCIPI DEVOTI. Hinc illæ notæ D. N. M. Q. EJVS, quæ habentur *ibid.* 7. et alibi sæpe, leguntur que *devoti numini majestatique ejus*, ut expressæ habentur *ibid.* 267. 5. et alibi. — *c*) Apud scriptores Christianos est pius in Deum, religiosus. *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 2. Devota Christo filia. *Prudent.* 2. *advers. Symmach. in fin.* Sit devota Deo Roma. *Auson. Edyll.* 1. 2. devota pii celebrant jejunia Mystæ. — Hinc

Devoti, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, pro deditis, addictis, apud *Cæs.* 3. *B. G.* 22. Cum sexcentis devotis, quorum hæc est conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiæ dederint, etc.

DĒVULSUS vel devolsus, a, um. *V.* DEVELLO.

DEXTANS, antis, m. 3. decem unciæ, cum scilicet assi deest sextans, ex *de* nempe et *sextans*, sicut *deunx*, cum assi una deest uncia. *Varro* 5. *L. L.* 172. *Müll.*; et *Paul. Diac.* p. 73. 11. *Müll.* — Dicitur et de decem partibus cujuscumque rei, quæ in duodecim dividatur. Sic *dextans jugeri* apud *Colum.* 5. *R. R.* 1. 12. et in mutila *Inscript.* apud *Murat.* 1553. 10., quam ita supplevit *Petrin. Mem. Prenest.* p. 363. CVM AGRO IVGERIBVS DVOBVS DEXTANTE SEMVNCIA, SICVT TERMINIS QVOQVE DISPOSITIS SIGNIFICAT. — Sic etiam *dextans horæ* apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 32. 75. (325). *V.* DECUNCIS. — Item de crassitudinis mensura *Vitruv.* 3. 4. 4. *Schneid.* Crassitudines autem eorum graduum ita finiendas censeo, ut neque crassiores dextante, neque tenuiores dodrante sint collocatæ. — Item usurpatur de partibus alicujus hereditatis. *Sueton. Ner.* 32. Instituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse dextans ei cogeretur.

DEXTELLA, æ, f. 1. *deminut.* a dextera, parva dextera. *Cic.* 14. *Att.* 20. 5. Quintus filius, ut scribis, Antonii est dextella. *h. e.* utitur eo tanquam parva dextera.

DEXTER, tĕra, tĕrum *vel per syncopen* tra, trum, adject. — Poetæ modo integra hac voce utuntur, modo per syncopen contracta, pro metri ratione: prosæ vero scriptores frequentius videntur syncopen adhibere. — *Dextrabus* in femin. antique. *Livius* in *Odyss.* apud *Non.* p. 493. 20. *Merc.* Deque manibus dextrabus. — Comp. *Dexterior* I. *b.*; Sup. *Dextimus* I. *c.* — Ratione habita etymi, est a δεξιτερός, ρά, ρόν, poetice pro δεξιός, ά, όν, unde per syncopen Latinorum *dexter, tera, terum*; quod justa *Forcellinum* est a δέχομαι Jonice pro δέχομαι *accipio*; nam plerumque dextera manu utimur ad aliquid accipiendum: *dexter* itaque est, qui est ab ea parte, quæ respectu humani corporis aptior est atque agilior; cui *sinister* opponitur (It. *destro*; Fr. *qui est du côté droit, droit, à droite*; Hisp. *derecho*; Germ. *rechts, zur Rechten befindlich*; Angl. on *the right hand*).

I.) Proprie. — *a*) Positiv. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 22. EV. Novi sycophantias: age! rursum, ostende huc manum dexteram. ST. Hem! EV. Nunc lævam ostende. ST. Quin equidem ambas profero. Adde *eumd. Capt.* 2. 3. 82.; et *Lucret.* 1. 318. Sic *Cic.* 1. *Divinat.* 23. 46. Patera, quam dextra manu tenebat. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 50. et *Curt.* 3. 11. Dextrum femur. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 6.; et *Ovid.* 13. *Met.* 370. latus. *Cæs.* 7. *B. G.* 50. Dextris humeris exsertis. *Nepos Hann.* 4. Numquam dextro oculo æque bene usus est. *Lucret.* 4. 293. Dextera pars membrorum. *Ter. Eun.* 4. 7. 5. Tu, Simalio, in sinistrum cornu, tu, Syrisce, in dexterum. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 52. *Liv.* 27. 48. Dextra acies. *Id.* 31. 21. ala. *Cæs.* 7. *B. G.* 49. Ab dextro latere hostium. *Id. ibid.* 45. Ab dextera parte. — Apud *Horat.* 1. *Sat.* 2. 125. et 2. *ibid.* 3. 38. dicitur *dexter*, qui ad dexteram alterius partem situs est: et apud *Virg.* qui in dexteram partem declinat, 5. *Æn.* 162. Quo tantum mihi dexter abis? *V.* INTERIOR. — Et neutr. plur. absolute. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (99). Dextra fluminis accolunt Deximontani. *subaudi* loca. *Flor.* 3. 2. 2. Omni igitur tractu violentus hostis; a dextris atque lævis, et medio Septentrionis, erupit. — *b*) Comparativus ad significationem positivi nihil addere videtur. *Varro* 9. *L. L.* 34. *Müll.* In dexteriore parte. *Galba* apud *Cic.* 10. *Fam.* 30. Dexterius cornu aciei. Adde *Justin.* 31. 8. 6. *Ovid.* 2. *Met.* 138. Dexterior et sinisterior rota. *Id.* 12. *ibid.* 303. saucius armo Dexteriore Medon. *Sueton. Claud.* 7. Dexterior humerus. *Id. Galb.* 21. latus. *Justin.* 2. 4. 11. mammæ. — *c*) Superl. *Varro* apud *Non.* p. 94. 30. *Merc.* Dextimam viam munire. *Sall. Jug.* 105. Sulla cum equitatu apud dextimos.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro apto, commodo, idoneo, facili. *Virg.* 4. *Æn.* 293. et quæ mollissima fandi Tempora, qui rerum dexter modus. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 18. nisi dextro tempore, Flacci Verba per attentam non ibunt Cæsaris aures. *V.* DEXTERE. — Sic *dexter homo* dicitur, qui novit in tempore rem agere. *Liv.* 8. 36. Rem per se popularem ita dexter egit, ut medendis corporibus animi imperatori reconciliarentur. *h. e.* tanta egit dexteritate. ¶ 2. Item pro favente, propitio. Hoc autem ex more Græcorum ductum est, quibus dextra auguria felicia habebantur, sinistra improspera. Nam apud Latinos res contra se habuit, ut in AUGURIUM et alibi dictum est. *Paul. Diac.* p. 74. 4. *Müll.* Dextra auspicia prospera. *Virg.* 8. *Æn.* 302. Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo. *Ovid.* 1. *Fast.* 69. Dexter ades patribusque tuis populoque Quirini. *Id.* 5. *Trist.* 3. 57. dextro faciatis Apolline carmen. *Pers.* 5. 114. prætoribus ac Jove dextro. *Quintil.* 4. *proœm.* 5. Dextrum ac volens adsit (*numen*). *Stat.* 3. *Silv.* 4. 63. o sidere dextro Edite. *Val. Flacc.* 1. 245. Dextrum omen. *Sil. It.* 1. 172. pes dexter et hora. — Hinc

Dextera vel *dextra, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more, est manus in homine aptior et commodior ad agendum (It. *la mano destra, la destra*; Fr. *main droite*; Hisp. *la mano derecha*; Germ. *die rechte Hand*; Angl. *the right hand*).

I.) Proprie. ¶ 1. De manu. — *a*) Generatim. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 102. Cedo sis dexteram. *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 59. Prehendisse eum dexteram tuam, et bono animo te jussisse esse. *Tac.* 15. *Ann.* 28. *extr.* Miscere dextras. *h. e.* dare sibi invicem dextras. Eodem sensu *Justin.* 11. 15. 13. Dexteram ferre. *Paul. Diac.* p. 74. 5. *Müll.* Dextrarum tibiarum genus est quæ dextra tenentur. *Sall. Cat.* 58. Vos libertatem atque patriam in dextris vostris portare. *Ovid. Heroid.* 10. 115. Dextera crudelis, quæ me fratremque peremit. *Val. Flacc.* 6. 530. Conserere dextram. *h. e.* prælium inire. et *Stat.* 1. *Silv.* 6. 60. Eduut vulnera, conseruntque dextras. Sic *Ovid.* 1. *Fast.* 569. Dextra collata movere prælia. — *b*) Salutantes mutuo dextras contingere mos erat, quia maxima hominis vis et virtus in dextra. *Virg.* 1. *Æn.* 412. cur dextræ jungere dextram Non datur? *Servius ibid.* ex *Varron.* et ad 8. *Æn.* 467. — *c*) Fuit etiam *dextera* amicitiæ et fidei pignus, et Fidei deæ sacra, ut frons Genio, et genua Misericordiæ. *Cic.* 11. *Phil.* 2. 5. Dexteræ, quæ fidei testes esse solebant. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 103. (250). Dextera osculis aversa appetitur: in fide porrigitur. *Virg.* 3. *Æn.* 610. dextram Anchises Dat juveni, atque animum præsenti pignore firmat. Adde *eumd. ibid. v.* 83., 8. *ibid.* 467. et 4. *ibid.* 307.; et *Servium* ad *eumd.* 3. *ibid.* 607. — Hinc est insigne concordiæ, aut hospitii. *Tac.* 1. *Hist.* 54. Miserat civitas Lingonum, vetere instituto, dona legionibus, dexteras hospitii insigne. *h. e.* duas aureas aut argenteas manus. Sic *Id.* 2. *ibid.* 8. Centurio dextras, concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine ad prætorianos ferens. — *d*) Obsecrantes quoque dexteram tendere in more fuit; et jurantes obtestantesque per dexteram jurare. *Ter. Andr.* 1. 5. 54. Te per hanc dextram oro. *Cic. Dejot.* 3. 8. Per dexteram te istam oro, etc. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 94. Quod te per Genium dextramque deosque Penates Obsecro et obtestor. *Sil. It.* 2. 113. Æneam pulsum pelago, dextraque precantem Cernere erat. — *e*) *Dexteram tendere, porrigere* aliquando est opem ferre, aut polliceri. *Cic.* 10. *Phil.* 4. 9. Græcia tendit dexteram Italiæ, suumque ei præsidium pollicetur. *Id. post redit. in senat.* 9. 24. Mihi primus afflicto et jacenti consularem fidem dextramque porrexit. — *f*) Ponitur etiam pro viribus, potentia, virtute militari. *Horat. Epod.* 7. 21. ut sua Urbs hæc periret dextera. Cf. *eumd. ibid.* 2. Suis et ipsa Roma viribus ruit. *Ovid.* 13. *Met.* 175. mea concussa putata Procubuisse solo Lyrnesia mœnia dextra. *Virg.* 2. *Æn.* 291. si Pergama dextra Defendi possent, etiam hac defensa fuissent. *Sil. It.* 1. 77. dextra spectatus Hamilcar. Adde *eumd. ibid. v.* 304. — *g*) Et pro copiis, seu militibus. *Sil. It.* 16. 17. proque omnibus armis Et rastrorum opibus dextrisque recentibus unum Hannibalis sat nomen erat. *Id.* 12. 351. pugnæque avidas accendere dextras. *Id.* 15. 107. Bebrycia populos frenabat Parnus in aula, Metexandi dextras largus. Adde *Claudian.* 2. *in Rufin.* 262. ¶ 2. Speciatim sæpe ponitur pro parte seu loco, qui dextræ hominum respondit. Hac autem significatione occurrunt formulæ — *a*) *A* vel *ab dexterâ*, ut apud *Plaut. Amph.* 1. 1. 89. Equites parent citi: ab dextera maximo cum clamore involant. Adde *eumd. Asin.* 2. 1. 12. et *Mil. glor.* 3. 1. 13.; *Ter. Andr.* 4. 3. 19., et *Sall. Cat.* 59. Sic *Cic.* 1. *Divinat.* 39. 85. Cur a dextra corvus, a sinistra cornix ratum faciat.

Ovid. 3. *Amor.* 2. 21. et 2. *Met.* 25. Esse a dextra. — b) *Dexterâ* vel *dextrâ*, ut apud *Plaut. Amph.* 1. 1. 88. Illico equites jubet dexterâ inducere. Adde *eumd. ibid.* v. 177. *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Miles dextra ac sinistra muro tectus. *Sall. Jug.* 107. Circumventus ab equitibus dextra, sinistra. *Liv.* 21. 43. Dextra lævaque duo maria claudunt. *Curt.* 4. 10. Dextrâ Tigrim habebat; a læva montes. — Hic Ablativus *dextera* aliquando post se Accusativum habet. *Vitruv.* 10. 10. 3. *Schneid.* Regulæ, quæ dextra ac sinistra canalem figantur. *Sall. Jug.* 11. Dextra Adherbalem adsedit. *Nisi malis esse casum verbi adsedit: et apud* Vitruv. loc cit. *legendum esse* adfiguntur. — c) *Ad dexteram*, ut apud *Plaut. Pœn.* 3. 4. 1. Quid est? quid vultis, testes? AD. Specta ad dexteram. Adde *eumd. Rud.* 1. 2. 67; et *Ter. Andr.* 4. 4. 12. et *Adelph.* 4. 2. 44. *Cic. Tim.* 13. Ante et pone; ad lævam et ad dextram. ¶ 3. Poetice aliquando accipitur pro alterutra manu. *Horat.* 3. *Od.* 3. 52. Omne sacrum rapiente dextra. *Id.* 2. *Sat.* 1. 51. Nil faciet sceleris pia dextera.

II.) Figurate ponitur pro fœdera amicitiaque. *Tac.* 2. *Ann.* 58. Inter quæ ab rege Parthorum Artabano legati venere. Miserat amicitiam ac fœdus memoraturos, et cupere renovari dextras. *h. e.* fœdus amicitiamque instaurari, cujus jungendæ præcipuus ritus erat dextras jungere, ut supra diximus I. 1. c.

DEXTĒRA *vel* dextra, æ. *V.* voc præced. in fin.

DEXTĒRĒ *vel* dextre, adverb. Comp. *Dexterius.* — Dextere occurrit translate tantum pro feliciter, apte, cum quadam dexteritate. *Liv.* 1. 34. *ad fin.* Liberaliter dextreque obeundo officia. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 55. Nemo dexterius fortuna est usus.

DEXTĒRĬTAS, ātis, f. 3. occurrit translate tantum, et est ¶ 1. Virtus ejus, qui prudenter, et in tempore omnia agendo, tum rem suam agit sibique prodest, tum aliorum in se benevolentiam conciliat. Quare comitati valde est affinis: nisi quod comitas officium præcipue spectat, dexteritas officium simul et utilitatem. *Liv.* 28. 18. Tanta inerat comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenii dexteritas, ut hostem infestissimum, facunde alloquendo sibi conciliaret. *Id.* 37. 7. *sub fin.* Multa in eo et dexteritas et humanitas visa. *Gell.* 13. 16. Humanitas a Græcis φιλανθρωπία dicitur, et significat dexteritatem quandam benevolentiamque erga homines. *Auson. Parental.* 14. 7. bonus ingenio, facundus, et omni Dexteritate vigens. ¶ 2. Item prosperitas, felicitas, favor. *Arnob.* 7. 19. Superis diis atque ominum dexteritate pollentibus color lætus acceptus est: at vero diis lævis sedesque habitantibus inferas color furvus est gratior.

DEXTĪMUS, a, um. *V.* DEXTER.

DEXTRĀLE, is, n. 3. idem quod dextrocherium. Est *Isidori* in *Gloss.* et *Cypriani de habitu Virgin. a med. ex Isajæ c.* 3. *Vulgat. interpr. Exod.* 35. 22. Viri cum mulieribus præbuerunt armillas et inaures, annulos et dextralia.

DEXTRĀLĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* dextrale, parvum dextrale. *Vulgat. interpr. Judith* 10. 3. Assumpsitque dextraliola et lilia et inaures et annulos.

DEXTRĀLIS, e, adject. ad dexteram pertinens. *Isid.* 19. *Orig.* 19. *in fin.* Dextralis (*h. e.* securis) dexteræ habilis.

DEXTRĀTĬO, ōnis, f. 3. corporis circumactio a sinistra in dextram, quod in adorando usurpabatur, ut in ADORO est dictum. *Solin.* 45. *a med.* Tarpejum Jovem terna dextratione lustravit.

DEXTRĀTUS, a, um, adject. ad dexteram situs, ut *Dextratus ager, pars dextrata,* apud *Auctor.* de *Limit. Goes. p.* 298.

DEXTRŎCHĒRIUM, ii, n. 2. brachiale, armilla, ornamentum dextri brachii, viris et mulieribus commune. Est autem vox hybrida ex latino *dexter* vel *dextra*, et Græco χεὶρ *manus*, *brachium* conflata. *Capitolin. Maxim.* 6. Pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo. Adde *eumd. Maxim. jun.* 1. *extr. Vetus Scholiast.* ad *Juvenal.* 9. 50. Dextrocheria gemmata.

DEXTRORSUM *et* dextrorsus, *vel*

DEXTRŌVERSUM *et* destrōvorsum, adverb. (*dexter et versus*) ad dexteram. *Plaut. Curc.* 1. 1. 69. Quo me vortam nescio. PA. Si deos salutas, dextrovorsum censeo. *Id. Rud.* 1. 2. 87. Dextrovorsum avorsa it in malam crucem. *Id. ib.* 2. 8. 38. Nos cum scapha tempestas dextrovorsum differt ab illis. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 44. Dextrorsum orbem flammeum etc. *Liv.* 6. 31. Furius dextrorsus maritimam oram atque Antium, Servilius læva ad montes Ecetram pergunt. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 50. Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit. *Lactant.* 6. 7. *ad fin.* Semitæ, quæ videntur dextroversum separari.

DI

DI præpos., quæ solum in compositione reperitur. *V.* DIS.

DĪA, æ, f. 1. idem quod dea, θεία, θεά. *Inscript.* apud. *Gruter.* 86. 4. DIAE AVGVSTAE. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

DĪAARTŶMĀTON, διὰ ἀρτυμάτων, medicamentum constans condimentis, sive iis, quæ ad condiendos cibos accommodata sunt: memoratur a *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 117.

DĪĂBĂSIS, is, f. 3. διάβασις, transitio. Occurrit tantum ut nomen proprium una cum *Conopon*, quam vocem. *V.*

DĪĂBĂTHRA, ōrum, n. plur. 2. διάβαθρα (unde Italorum *ciabatta*) est genus soleæ Græcanicæ, ut *Paul. Diac. p.* 74. 9. *Müll.* docet: a διαβαίνω, *gradior. Hesych.* et *Eustath.* ad *Homer. Odyss. l.* 5. *v.* 9. docent, muliebre calceamentum esse: sed perperam *Pollux l.* 7. *c.* 22. commune viris et feminis facit: nam homo effeminatus, qui muliebriter ornatus incedebat, sugillatur a *Nævio* apod *Varron.* 7. *L. L.* 53. *Müll.* Diabathra in pedibus habebat, et erat amictus epicroco. *V.* SABATENUM.

DĪĂBĂTHRĀRĬUS, ii, m. 2. qui diabathra facit, aut vendit. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 39. Calceolarii, sutores, diabathrarii, solearii adstant.

DĪĂBĂTHRUM, i, n. 2. In sing. numero effert *Forcellinus*, nullo tamen auctore. *V.* DIABATHRA.

DĪĂBĒTES, æ, m. 1. διαβήτης, sipho, fistula, per quam aqua transit. Vox Græca a διαβαίνω *transeo.* In multis *Columellæ* editionibus Latinis litteris scriptum legitur 3. *R. R.* 10. 2. Quasi quædam anima per medullam trunci, veluti per siphonem, quem diabeten vocant mechanici, trahitur in summum.

DĪĂBŎLE, es, f. 1. διαβολή a διαβάλλω *calumnior, criminor*: sic dicitur figura rhetorica, quam Latini *criminationem* appellarunt, a *Jul. Rufinian. de fig. p.* 209. ed. *Ruhnk.*

DĪĂBŎLĬCUS, a, um, adject. διαβολικός, ad diabulum pertinens. *Paulin. Nolan. Ep.* 29. (*al.* 10.) 11. Seditio diabolicis facibus inflammata. Adde *Ambros. Ep.* 82.

DĪĂBŎLUS, i, m. 2. διάβολος. Metrica necessitate secundam produxit *Paulin. Nolan. carm.* 26. 523. ne forte Diabolus illa, Qua solet invidia. — Diabolus est calumniator, criminator, a διαβάλλω, *calumnior, criminor*: aut significat transgressorem; unde *Alcim.* 2. 120. Hujus (*serpentis*) transgressor de cunctis sumere formam Elegit. Cognomen proprium est principis dæmonum. *Tertull. Anim.* 35. et 2. *advers. Marcion.* 10.; et *Lactant.* 2. 8. et 12.

DĪĂBŎRYSTHENIS. *V.* DIALEXANDRIAS.

DĪĂCANTHES, διὰ ἀκάνθης, medicamenti genus ex acantho. *Plin. Valerian.* 1. 3. Trochiscus diacanthes ad hæmoptoicos.

DĪĂCĂTŎCHĬA, æ, f. 1. διακατοχή, possessio: a διακατέχω, *possideo, detineo. Imppp. Gratian., Valentin.* et *Theodos. Cod.* 11. 58. 7. et *Cod. Theod.* 5. 13. 30.

DĪĂCĂTŎCHUS, i, m. 2. possessor. *V.* vocem præced. *Impp. Valentinian.* et *Valens Cod. Theod.* 10. 16. 1.

DĪĂCĒCAUMĒNĒ, es, f. 1. διακεκαυμένη, scilicet γῆ *terra*: a διακαίω *peruro*; hinc particip. præter. pass. διακεκαυμένος *perustus.* Ita appellatur ea terræ pars, quæ alias *zona torrida. Hygin.* 1. *Astron.* 8. Itaque quæ finis est ab æstivo circulo ad hiemalem, ceterra a Græcis διακεκαυμένη vocatur; quod neque fruges propter exustam terram nasci, neque homines propter nimium ardorem durare possunt. *Solin.* 32. § 37. Egyptium limitem, qua ad diacecaumenen tendit, incolunt populi, qui etc. — In quibusdam editionibus etiam apud *Hygin.* litteris Latinis *diaceraumene* legitur. *V.* CECAUMENUS.

DĪĂCENTAURĒUM, i, n. 2. διὰ κενταυρείου, medicamentum ex herba centaurea, seu Chironio (*V.* CENTAUREUM), quod memorat *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 11.

DĪĂCĔRĂSŌN, διὰ κεράσων, malagma quoddam ex cerasis. *Plin. Valerian.* 4. 50. Fit ex his (*cerasis*) diaceraseon (*lege* diacerason), quod omnibus notum est.

DĪĂCĔRĀTOS. *V.* voc. seq.

DĪĂCHERĀLE, is, n. 3. nomen collyrii. *Inscript.* apud *Tôchon, cachets des oculist. p.* 63. C. STAT. SABINIANI DIACHERALE. *Visc. Op. var. T.* 3. *p.* 331. putat, heic *Diacherale* scriptum fuisse pro *diaceratos lene*, h. e. collyrium διὰ κέρατος lene, scilicet ex cornu cervino compositum; aspirationem vero perperam additam esse vitio sæculi, aut ignorantia hominis, qui hujusmodi collyrium divendere passim solebat.

DĪĂCHĒTON, i, n. 2. *V.* DIAXYLON.

DĪĂCHORTON, i, n. 2. διὰ χόρτων, medicamentum ex feno vel gramine confectum *Theod. Priscian.* 4. 1. p. 312. *Ald.* Chalcitide trita si linteolum in cortinæ extremitate tetigeris et intra nares miseris, statuisti (*sanguinis fluxum*). Hoc et si de diachorto feceris, idem valet. *Editio Aldina* habet *diacharto*; pro quo *diachorto* legendum conjeci; nisi forte *diaceratos* vel *diacerato* aut quid simile præstet. Viderint eruditi.

DĪĂCHRISMA, ătis, n. 3. διάχρισμα, inunctio. *Plin. Valerian.* 1. 50. Quod si cervix dolet, de diachrismate calido oportet inungere.

DĪĂCHŶLŌN, διὰ χυλῶν, genus quoddam malagmatis, alias ignoti. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 18. *ad fin.* Apponendum malagma, quod diachylon vocant. *Id. ibid.* 29. *ante med.* Post cerotarium apponimus, quod appellatur diachylon. *Id.* 3. *Tard.* 2. *ante med.* Utendum etiam malagmate, quod diachylon appellamus. *Id.* 5. *ibid.* 1. *ante med.* Tum adhibenda malagmata partibus in passione constitutis, ut diachylon.

DĪĂCHŶTON, i, n. 2. διαχυτόν, hoc est *diffusum*: a χέω *fundo.* Est genus vini, quod fit uvis in sole siccatis, loco clauso per dies septem, in cratibus, totidem pedes a terra alte, noctibus a rore defensis, octavo die calcatis: ita fit optimi odoris saporisque. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (84).

DĪĂCISSŌN, διὰ κισσῶν, quod ex κισσοῦ, seu hedera componitur: ita appellatur collyrii genus, quod a *Theod. Priscian.* 4. 1. *ante med.* dicitur *acopon diacisson.* V. ACOPUM.

DĪĂCĪTREUS *vel*

DĪĂCĪTRĪUS, a, um, adject. Diacitrium acopum, quod est medicamenti genus ex citro confectum, memorat *Theod. Priscian.* 4. 1.

DĪĂCĪTRĪUM, ii, n. 2. διὰ κιτρίων, subaudi μήλων, acopum ex pomo citrino, cujus conficiendi rationem tradit *Theod. Priscian.* 4. 1. *p.* 312. *ed. Ald.*

DĪĂCŎCHLĒCON, διὰ κοχλήκων, medicamenti genus constans lacte et exustis cochleis, quas Latini lapides marinos vel fluminales appellabant; quod pluribus describit *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. 56. et seqq., quodque Hippocrates vocat διακεπυρωμένον. Apud *Cœl. loc. cit.* bis male legitur *diacochleon*, *diacocleon*: correxit *Almelov.* et probavit *Kärcher.*

DĪĂCŌDĪON, διὰ κωδειῶν, *h. e.* per capita papaveris. Ex duabus Græcis vocibus facta est una, qua significatur medicamentum, in quo præter cetera miscentur capita papaverum. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 18. 76. (200). et *ibid.* 19. 79. (207).; et *Isid.* 4. *Orig.* 9. 9.

DIACON, onis. *V.* DIACONUS.

DĪĂCŌNA, æ, f. 1. eadem quæ diaconissa. *Venant. Vit. S. Radeg.* 12. Consecravit diaconam.

DĪĂCŌNĀTUS, us, m. 4. munus et dignitas diaconi. *Hieronym. Ep.* 22. n. 28. Diaconatum et presbyteratum ambire. Adde *Nov. Majorian.* 4. 7. 1. § 7.

DĪĂCŌNĬCUS, a, um, adject. διακονικός, ad sacrum ministerium pertinens. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 16. 5. 30. Cuncti hæretici procul dubio noverint, omnia sibi loca hujus urbis adimenda esse, sive quæ diaconica appellantur, vel etiam decanica, sive in privatis domibus, vel locis privatis, fisco nostro adcorporandis. *diaconica* hoc loco sunt idem ac secretarium; atque ita appellatur, quia ibi vasa sacra, vestes et alia hujusmodi sacro ministerio destinata servabantur.

DĬĀCŌNISSA, æ, f. 1. διακόνισσα, mulier ministrans. *Imppp. Valentinian., Theodos. et Arcad. Cod.* 1. 3. 9.; *Hieronym. Ep.* 51. n. 2.; *Cod. Theod.* 5. 3. 1. et alibi; et *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* p. 179.

DĬĀCŌNĬUM, ii, n. 2. διακονεῖον, idem ac diaconatus, officium diaconi. *Sulpic. Sev. de Vit. Martin.* 5. Tentavit idem Hilarius imposito diaconii officio sibi eum arctius implicare. *Cyprian. Ep.* 49. Nicostratus vero diaconio sanctæ administrationis omisso etc. *Ennod.* 4. *Ep.* 21. Hunc, si mereor, ad diaconii sacramenta perducite.

DĬĀCŌNUS, i, m. 2. διάκονος, Jonice διήκονον *minister.* — Apud *Paulin. Petroc.* 5. 659. et 669. prima syllaba producitur. — *Diacnus* per syncopen dictum est a *Venant.* 4. *carm.* 15. 3. — Etiam *diacon, onis,* effertur a *Cassiod. Complex.* 1. *ad Timoth.* 3. Adjiciens, quales episcopi, diacones, vel subdiacones esse debeant. *Vulgat. interpr.* ad *Philipp.* 1. 1. Qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus. — In Christiana Ecclesia diaconus locum tenet sacerdoti proximum, ejusque minister est in magno sacrificio. *Tertull. Præscript.* 3.; *Imppp. Valer., Valens et Gratian. Cod.* 1. 3. 6.; et *Hieronym. Ep.* 51. n. 1.; et *Cod. Theod.* 12. 1. 49. et alibi. — Adde hujus vocis vetustius exemplum, in quo est cognomen Romanum. *Inscript.* apud *Gruter.* 709. 6. M. TITIVS DIACONVS.

DĬĀCŌPĒ, es, f. 1. διακοπή, *intercisio.* ¶ 1. Ponitur pro figura thmesi, seu hyperbato grammaticali, ut in illo *Virg.* 3. *G.* 381. septem subjecta trionis. *Charis.* 4. p. 246. *Putsch. Jul. Rufinian.* p. 39. Diacope vel diastole est, quum inter duo eadem verba diversum ponitur aliquid medium, ut: Duc age, duc ad nos. *V.* HYPERBATON. ¶ 2. Item pro figura rhetorica, eadem quæ *diastole,* apud *eumd. Jul. Rufinian.* 10. p. 234.

DĬĀCŌPRĒGĬAS, n. διὰ κόπρου αἰγός, medicamentum vel emplastrum ex caprino stercore, a Græcis vocibus allatis, quod hydropicis utile memorat *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 115. Vulgati libri non recte leg. *diacopregias.*

DĬĀCŌPUS, i, m. 2. διάκοπος. Diacopi sunt in aggeribus meatus intercisi, per quos rivus transmittitur in arva remotiora: a διακόπτω *intercido. Ulp. Dig.* 47. 11. 10. *extr.*

DĬĀCȲMĪNŌN, διὰ κυμίνων, quod ex cumino fit. Ita oxyporii genus quoddam appellatur a *Plin. Valerian.* 2. 3. *V.* OXYPORIUM.

DĬĀDAPHNĬDŌN, διὰ δαφνίδων, malagma ex lauris, quod inter recorporativa recenset *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 1. *ad fin.*

DĬĀDĒMA, ătis, n. 3. διάδημα. Est etiam *diadema, æ,* f. 1. *Pomponius* apud *Priscian.* 6. p. 679. *Putsch.* Cujusvis leporis liber diademam dedit. *Apul.* 10. *Met.* Caput stringebat diadema candida: ferebat et sceptrum. — Ceterum diadema est regium insigne capitis, candida fascia, vitta, qua regum frons præcingebatur: a διαδέω *circumligo. Cic.* 2. *Phil.* 34. 85. Diadema ostendis, gemitus toto foro. *Juvenal.* 13. 105. Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema. Adde *Cic.* 3. *Phil.* 5. 12. et 10. *ibid.* 3. 7.; *Horat.* 2. *Od.* 2. 21.; *Sueton. Cæs.* 79. et alibi; *Quintil.* 9. 3. 61.; *Tac.* 6. *Ann.* 37.; *Juvenal.* 8. 259.; et *Martial.* 8. 55. — *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (191). docet esse inventum Liberi Patris. — *Isid.* 19. *Orig.* 31. definit *diadema*, ornamentum capitis matronarum ex auro et gemmis contextum, quod, in se circumactis extremitatibus, retro adstringitur.

DĬĀDĒMĀLIS, e, adject. diademate instructus. *Dracont. Satisf.* 33. *de Nabuchodon.* Et diademalem turparunt cornua frontem.

DĬĀDĒMĀTĬCUS, a, um, adject. ad diadema pertinens. *Livii fragm.* apud *Non.* p. 207. 29. *Merc.* Pisis diadematico foro præstatur virtuti laus. *Turneb.* l. 15. *Adversar. c.* 5. ideo dictum putat, quod ibi victoribus in ludis diademata et coronæ donabantur. Ceterum verba *Pisis diadematico* ex conjectura tantum eruuntur; Codices habent *Pisiadiacematico.*

DĬĀDĒMĀTUS, a, um, adject. diademate ornatus. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (79). Diadematus Apollo. ¶ 2. Speciatim — *a*) *Diadematus* cognominatus est L. Metellus Dalmaticus, filius Q. Metelli Macedonici, quia ulceris tegendi causa diademate diu caput cinctum habuit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 44. 45. (144). Et hoc dicebat jam Balearicis, Diadematis, jam Macedonicus ipse. Ita *Harduin.* ex consensione *Mss.*; alii *Dalmaticis. Silligius Harduini* lectionem tuetur: et quidem recte, nam ipse *Cic.* habet *post red. ad Quir.* 3. 6. L. Cæcilius Metellus Diadematus. Cf. et *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* p. LVII. edit. 1. — *b*) Antonius quoque, imperatoris Macrini filius, primum *Diadematus*, deinde *Diadumenus* cognominatus est. *Lamprid. Anton. Diadum.* 4. *V.* DIADUMENUS.

DĬĀDICTAMNŎN *vel*

DĬĀDICTAMNUM, i, n. 2. διὰ δικτάμνου, medicamentum ex dictamno herba confectum (*V.* DICTAMNUM), quod memorat *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 114., et 2. *ibid.* 3.

DĬĀDŎCHOS *vel Latina positione*

DĬĀDŎCHUS, i, m. 2. διάδοχος, gemma beryllí similis: ita dicta, quasi succedens in locum berylli. Nam διάδοχος *successor* est. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 57. (157). — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

DĬĀDŎTA, æ, m. 1. διαδότης, idem quem Latini *divisorem* vocant. *V.* DIVISOR. *Cod. Theod.* 7. 4. 28. *pr.*

DĬĀDŪMĔNUS, a, um, adject. idem quod diadematus, diademate ornatus, διαδούμενος: a διαδέω *cingo, redimio, corono.* ¶ 1. Generatim. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (55). Polycletus diadumenum fecit molliter juvenem. ¶ 2. Speciatim — *a*) *Diadumenus* cognominatus est Antoninus R. imperator, filius Opilii Macrini, quia cum natus est, pelliculam in modum pilei habebat in capite, diademati similem; vel, quod vero propius est, a nomine avi materni, ut narrat *Lamprid. in ejus Vita* 4. *V.* DIADEMATUS 2. *b.* — At in *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 214. 2. appellatur M. OPELIVS ANTONINVS DIADVMENIANVS, ut et in ejus nummis omnibus, ut probat *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 241. — *b*) Item est nomen pueri pulcherrimi apud *Martial.* 3. 65.

DĬÆRĔSIS, is, f. 3. διαίρεσις, divisio, a διαιρέω *divido.* ¶ 1. Apud grammaticos figura est, qua una syllaba in duas dividitur, ut *aquai* apud *Virg.* 7. *Æn.* 464. pro *aquæ*, et *evoluam* quadrisyllabon pro *evolvam* apud *Catull.* 66. 74. — Vox ipsa Græca est, et Græce adhibenda, quod faciunt *Charis.* 4. p. 249. et *Diomed.* 2. p. 437. *Putsch.*; Latine tamen *Servius* ad *loc. Virg. cit.*, ubi hæc habet: Hanc diæresin Tucca et Varus fecerunt: nam *Virgil.* reliquerat *aquæ vis*, quod satis asperum fuit. Notandum quod in toto Virgilio non reperiuntur, nisi quatuor diæreses hoc loco; et in tertio (*v.* 354.) *aulai in medio*; et in sexto (*v.* 747.) *aurai simplicis ignem*; et in nono (*v.* 26.) *pictai vestis.* Hæc *Servius.* Adde *Isid.* 1. *Orig.* 34. 1. ¶ 2. Est etiam figura sententiarum, seu rhetorica, quæ Latine *distributio* dicitur, apud *Jul. Rufinian.* 21. p. 242. ¶ 3. Aliter interpretanda est vox apud *Veget.* 3. *Veterin.* 43. 1. Si loci conditio patitur, diæresin dabis, ut foras per plagam humor emanet. *h. e.* plagam per dissectas partes interpretatur *Gesnerus* et comprobat *Schneiderus.*

DĬÆTA, æ, f. 1. δίαιτα. Per syncopen scribitur *zeta* vel *zeta* apud *Lamprid. Elagab.* 29. et 30. — Ceterum ¶ 1. Diæta est ratio et regula in iis, quæ ad victum pertinent, modus victus a medicis præscriptus: sub quo continentur non solum cibus et potus, sed etiam exercitatio, somnus, cetera, quæ ad valetudinem conferunt. Allegorice *Cic.* 4. *Att.* 3. 3. Ipse occidi potuit: sed ego diæta curari incipio; chirurgiæ tædet. *h. e.* nolo amplius ferro et aperta vi cum Clodio contendere: moderatione ac tolerantia uti malo. ¶ 2. Item pars seu membrum ædium ad habitandum idoneum, conclave, cubiculum. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *a med.* Cœnatio cingitur diætis duabus a tergo, quarum fenestris subjacet vestibulum villæ et hortus. *et paullo supra.* Turris erigitur, sub qua diætæ duæ, totidem in ipsa. *Id.* 7. *Ep.* 5. Quibus horis te visere solebam, ad diætam tuam ipsi me pedes ducunt. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 83. Una tamen cunctis procul eminet, una diætis. *Petron. Satyr.* 115. diætam magistri vocat cubiculum, in quo navis gubernator versatur. *Ulp. Dig.* 32. 55. § 3. Lignis legatis, quod comburendi causa paratum est, continetur: sive ad balnei calefactionem, sive ad diætarum hypocausta, sive ad calcem, sive ad aliam rem coquendam solebat uti. *Alii male leg.* sive diætarum hypocaustarum. *Inscript.* apud *Gruter.* 961. 2. PRAECEPIT, VT AD ID SEPVLCRVM HORTVS, QVI EST CINCTVS MACERIA, ET DIAETA ADIVNCTA IANVAE, CVSTODIAE CAVSA SEPVLCHRO CEDAT. *Alia* apud *Donat.* 348. 9. DIAETA QVAE EST IVNCTA HVIC MONVMENTO. — Plura quoque cubicula, seu membra varii usus, quorum ab altero in alterum sit transitus, diætæ nomine veniunt. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Est in hac diæta dormitorium cubiculum, etc. *et post nonnulla.* Hac adeuntur diætæ duæ, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria. Adde *Sueton. Claud.* 10. — Quod *Ulp. Dig.* 7. 1. 13. *sub fin.* et *Scævola ibid.* 24. 1. 66. et *Paul. ibid.* 30. 47. diætam memorant in hortis, putarunt quidam, in hortis tantummodo deliciarum causa ædificatas habitationes *diætas* vocari. Neque verum est quod alii tradidere, diætam esse cœnaculum, in quo æstate ad umbram, hyeme ad solem cœnaretur. Potest quidem cœnaculum diæta dici, ut apud *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.*, et videtur intelligi posse apud *Ulp. Dig.* 20. 5. 4. *a med.* et alibi fortasse. Verum non omnis diæta cœnatio est, ut singula, quæ attulimus, loca perpendenti patebit. Falsum præterea omnino est etymon, quod perperam *Varroni* tribuitur, *diætam* dici, quod in ea *per diem edatur*: quod et *Voss.* admonet in *Etymol.* Est enim pura puta Græca vox.

DĬÆTARCHA, æ, *vel*

DĬÆTARCHUS, i, m. 2. διαιτάρχης, διαίταρχος, qui præest diætæ, hoc est cubiculis, seu servis in diæta ministrantibus. *Inscript.* apud *Murat.* 896. 8., quæ est apud *Orell.* 2912. DEXTRO CAESaris SERVO DIAETARCHO DOMVS AVGustæ. Alia apud *Orell.* 2913. PHYRRVS (*lege* Pyrrhus) CAESARIS N. SERVOS DIETARCHA (*h. e.* servus diætarcha) FECIT.

DĬÆTĀRĬUS, ii, m. 2. servus, qui in diæta administrat: sive hæc cubiculum, sive cœnationem significet. *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. § 42. Ostiarii autem, topiarii, diætarii, aquarii, domui tantum deservientes, legato continebuntur. — In navi diætarii sunt, qui curam habent earum rerum, quas vectores in navium cubiculis custodiendas iisdem tradiderunt. Nauphylaces vero sunt, quibus vectores eas res asservandas tradunt, quæ in aliqua navium parte, minime autem in cubiculis, reponuntur. *Ulp. Dig.* 4. 9. 1. § 3. Sunt quidam in navibus, qui custodiæ gratia navibus præponuntur, ut ναυφύλακες et diætarii. *Haloander* hæc duo postrema verba omittit.

DĬÆTĒTA, æ, f. 1. διαιτητής, Græca vox, quæ *arbitrum* significat; et occurrit in *Cod.* 2. 13. 27. et 7. 62. 38.; et apud *Julian. epit. nov.* 76. § 285.

DĬÆTĒTĬCĒ, es, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

DĬÆTĒTĬCUS, a, um, adject. διαιτητικός, ad diætam, seu rationem victus pertinens. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. *a med.* Diætetici libri. *et ibid.* Diætetica curatio. — Hinc

Diætĕtĭce, es, vel Latina positione

Diætĕtĭca, æ, f. 1. διαιτητική, absolute, substantivorum more, est ea medicinæ pars, quæ tum medicamentis, tum ratione victus præscripta morbos curat: cui respondet *chirurgia.* Cf. *Cic.* 4. *Att.* 3. 3. in v. DIÆTA 1. *Scribon. Compos.* 200. Neque chirurgia sine diætetica, neque hæc sine chirurgia perfici possunt. *Cæl. Aurel. l. cit.* Diætetices scriptores libris, quos diæteticos vocant, etc. *Celsus præfat. lib.* 1., diæteticam distinguit ab ea, quæ medicamentis curat: ipsa tamen voce Græce utitur.

Diætĕtĭci, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt qui victus ratione præscribenda medentur. *Scribon. loc. cit.* Quamvis magna ex parte ad diæteticos pertinentes compositiones exhibuimus, tamen nisi eas quoque, quæ ad chirurgos pertinent etc.

DĬÆTŬLA, æ, f. 1. parva diæta. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ad fin.* Mox diætula refugit quasi in cubiculum idem, atque aliud. *Al. leg.* zetecula, *al.* zothecula.

DĬĂEUPHORBĬUM, ii, n. 2. vox composita ex Græco διά et Lat. *euphorbia*, malagma ex euphorbia herba confectum, quod inter recorporativa recenset *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 1. *ad fin.*, ubi ed. Aldina pro *diaeuphorbium* legit *diaeuphorbio.*

DĬĀGINGĬBERRŎS, διὰ ζιγγιβέρεως, medicamentum ex gingibere. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 7. Item Cassii ex gingibere confectum, quod diagingibereos appellatur.

DĬĀGLAUCĬŌN, διὰ γλαυκίου, *et Latina positione*

DĬĀGLAUCĬUM, ii, n. 2. duabus vocibus in unam coalescentibus, ut de *Diacodion* dictum est. Significat autem collyrium, quod glaucii herbæ succo et foliis temperatur. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 59. (83).;

al *Scribon. Compos.* 23. et *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 3. *diaglaucium* Latina positione habent.

DĬĀGŌNĀLIS, e, adject. ut *Diagonalis linea*, de qua *V.* in DIAGONIOS. *Vitruv.* 9. *præfat.* § 5. *Schneid.* Ad lineæ diagonalis longitudinem, locos quadratus describatur. *Frontin. de colon.* p. 167. *Goes.* Termini ab oriente et occidente diagonales appellantur.

DĬĀGŌNĬCUS, a, um, adject. idem quod diagonalis. *Vitruv.* 9. *præfat.* § 5. *Schneid.* Duo trigona linea – diagonica fuerint designata. At *Schneiderus* rectius legit *diagonio*.

DĬĀGŌNĬOS, on, adject. διαγώνιος, dicitur de linea, quæ in quadrata figura διὰ γωνίας, h. e. per angulos, seu ab angulo ad angulum ducitur. *Vitruv.* 9. *præfat.* § 5. *Schneid.* Linea ab angulo ad angulum diagonios perducatur. *Id.* 4. 1. 11. *Schneid.* Abaci latitudo ita habeat rationem, ut quanta fuerit altitudo, tantæ duæ sint diagonio (*al. leg.* bis tanta sit diagonios) ab angulo ad angulum. *Id.* 6. 3. 3. *lineam diagonii* appellat. — *Id.* 6. 8. 7. Diagonios structura. *h. e.* quæ secundum diagonalem lineam ab angulo ad angulum procedit.

DĬĀGRAMMA, ătis, n. 3. διάγραμμα, a διαγράφω *describo*, significat cujuscumque rei imaginem ac descriptionem. *Vitruv.* 5. 4. 1. *Schneid.* Aristoxeni diagramma subscribam. Adde *eumd.* 5. 5. 6. et 6. 1. 7. *Schneid.*

DĬĀGRĂPHĬCE, es, f. 1. διαγραφική, ars delineandi. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. Hujus auctoritate effectum est in tota Græcia, ut pueri ingenui omnia ante diagraphicen, hoc est picturam in buxo docerentur, reciperetur que ars ea in primum gradum liberalium. Sed MSS. omnes, ut animadvertit *Harduinus*, habent *graphicen*, eodem tamen sensu. *Harduini* lectionem retinuit *Sillig.*

DĬĀGRȲDĬUM, ii, n. 2. succus scammoniæ: ita fortasse vocatus a δακρύδιον *lacrimula*, deminut. a δάκρυ *lacrima*: rectius tamen affirmes, vocem esse corruptam ex Græco δακρύδιον, quod valet *scammonia*: probe igitur *dacrydium* dictum scriptumque esset. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 12. Si venter non fluit, diagrydii obolum dabimus. *Id. ibid.* 29. *a med.* Addit etiam succum scammoniæ, quam diagrydium appellamus. *Id.* 3. *ibid.* 16. Alii diagrydio potandos jubent, alii elaterio, alii lacte. *Veget.* 5. *Veterin.* 32. 3. *Schneid.* Diagrydii uncia una.

DĬĀHELLESPONTE. *V.* DIALEXANDRIAS.

DĬĀHERPYLLŎN *vel*

DĬĀHERPYLLUM, i, n. 2. διὰ ἑρπύλλου, acopum serpyllo constans. *Theod. Priscian.* 4. p. 312. *Ald.* Diaherpyllum acopum. Serpyllum, fœnum græcum, junci radices, roris marini libras singulas etc. *Et paullo post.* Facit ad ea, ad quæ et diaherpyllon, id est podagricis, arthriticis, spinæ dolori et ischiadicis.

DĬĀĬTRŎN. διὰ ἰτεῶν, genus emplastri ex succo salicum; nam Græce ἰτέα est *salix*. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. § 170. Si solutio perseverarit, addendum diaeteon (*lege* diaiteon) emplastrum quod vehementer stringit, superimpositis spongiis aqua posca infusis.

DĬĀLECTĬCA, æ, f. 1. *V.* DIALECTICUS in fin.

DĬĀLECTĬCA, ōrum, n. plur. 2. *V.* DIALECTICUS in fin.

DĬĀLECTĬCĒ, adverb. διαλεκτικῶς, more dialecticorum. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 8. Multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice. *Id.* 2. *Fin.* 6. 17. Rhetorice nos mavis, quam dialectice disputare. *Quintil.* 1. 10. 37. Probare aliquid dialectice.

DĬĀLECTĬCE, es, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

DĬĀLECTĬCUS, a, um, adject. διαλεκτικός, ad dialecticam pertinens. *Cic.* 2. *Divinat.* 59. 122. Si velim physicum quidam, aut dialecticum explicare. *Id.* 2. *Fin.* 6. 17. Dialecticæ captiones. *Quintil.* 12. 2. 13. Hæc pars dialectica, sive illam dicere malumus disputatricem. *Id.* 5. 11. 27. Dialecticæ disputationes. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (180). Dialecticæ sapientiæ professor. *Seneca Ep.* 82. Redigere aliquid ad legem dialecticam. *Id. Ep.* 121. Omnia animalia dialectica nasci oporteret, ut etc. *h. e.* perita rerum dialecticarum. — Dialecticus mordaci et obscœno sensu accipitur de cunnilingo apud *Cic. Dom.* 18. 17., ubi Sex. Clodius acerbe carpitur: *V.* integrum locum, ibique a *Manut.* adnotata. — Hinc

Dĭălectĭcus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, est peritus in dialectica, dialecticæ professor. *Cic.* 2. *Fin.* 6. 17. Latius loquuntur rhetores, dialectici autem compressius. Cf. *Id. Fat.* 6. 12. Diodorus valens dialecticus. *Quintil.* 2. 4. 41. Assumpta a dialecticis argumentandi ratione. *Id.* 7. 3. 41. Ad morem dialecticorum formata conclusio. Adde *Cic.* 3. *Orat.* 15. 38., *Orat.* 32. 113. et 2. *Divinat.* 4. 11.; *Gell.* 18. 13.; et *Dig.* 35. 2. 88. *pr.*

Dĭălectĭca, æ, vel Græca positione

Dĭălectĭce, es, f. 1. (subaudi *ars*) διαλεκτική, absolute, substantivorum more est ars disserendi, cujus finis est verum a falso discernere: quæ, ut ait *Cic.* 5. *Tusc.* 25. 72., per omnes partes sapientiæ manat et funditur, rem definit, genera disponit, sequentia adjungit, perfecta concludit, vera et falsa dijudicat: a διαλέγομαι *dissero*. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 91. Dialectica veri et falsi quasi disceptatrix et judex. *Id.* 2. *Fin.* 6. 15. Rhetoricam palmæ, dialecticam pugno similem esse dicebat Zeno. — De hujus studii ratione *V. Gell.* 16. 8. — Ceterum *dialectica* Latina positione occurrit, præter loc. cit. apud *Cic.* 3. *Fin.* 12. 41.; et *Quintil.* 1. 10. 37. et alibi: *dialectice* vero Græca positione apud *Quintil.* 1. 10. 42., 2. 17. 14. et alibi. Et *Capell.* 4. p. 97. (*loquitur ipsa Dialectice*). Ac prius illud compertum volo, mihi Romanos togatamque gentem vocabulum nondum notare potuisse, ac dialecticen, sicut Athenis sum solita, nuncupari.

Dĭălectĭca, *ōrum*, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, τὰ διαλεκτικά, sunt ipsæ res dialecticæ. *Cic.* 14. *Att.* 12. *extr.* Homo remotus a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatus. Adde *eumd. Brut.* 31. 119. et 3. *Fin.* 12. 41.

DĬĀLECTOS, *vel Latina positione*

DĬĀLECTUS, i, f. 2. διάλεκτος, forma quædam et peculiaris ratio loquendi apud varios populos una eademque lingua utentes. Sic in Græca quinque sunt celebres dialecti, communis, Attica, Dorica, Jonica, Æolica. *Sueton. Tib.* 56. Cum interrogasset, quænam illa tam molesta dialectos esset; et ille respondisset, Doridem.

DĬĀLEMMA, ătis, n. 3. διάλειμμα et διάλημμα, intermissio, intervallum. *Theod. Priscian.* 2. 21. Tunc, velut per dialemma, dropacibus, sinapismis et ceteris causticis imminendum est.

DĬĀLĔPĬDOS, vox composita ex διὰ *per*, et λεπίς, ίδος, *squama*: ita appellatur collyrium quoddam, in quo præter cætera miscetur squama æris, quam, ut ait *Celsus* 2. 12., λεπίδα χαλκοῦ Græci vocant. *Marcell. Empir.* 9. Collyrium dialepidos accipiet hæc: croci ✕. III. etc. *Inscript.* apud *Tôchon, cachets des oculist.* p. 22. TI. IVLII CLARI DIALEPIDOS AD ASPRITUDINES. *Alia ibid.* p. 56. L. IVNII PHILINI DIALEPIDOS AD ASPRITVDINEM ET CICATRICES. *Alia* apud *Murat.* 507. 2. G. SVLPICII HYPNI CROCODES DIALEPIDOS AD ASPRITUDINES. Adde *alias* apud *Orell.* 4231. et 4234., et apud *Henzen.* 7248. *Alia* apud *Henzen.* 7250. DIALEPIDOS BALSAMATUM AD OMNE VITIUM OCULORUM EX OVO.

DĬĀLEXANDRĬAS. δι' Ἀλεξανδρείας, ita vocatur unum ex octo climatibus, quæ hisce verbis memorat *Capell.* 8. p. 296. Minimus autem anni dies brumalis est, qui habet horas novem; maximus autem solstitialis habet horas quindecim, licet hoc pro climatum rationibus varietur. Nam climata octo sunt: sed proximum solstitiali Diameroes; deinde alterum Diasyenes; tertium Dialexandrias, quod decitur per Cyrenas in Africam Carthagini ab austro adjacentem; quartum et medium ex omnibus Diarhodo, quod per mediam Peloponnesum Siciliamque ductum ad ostium Bætis pervenit; quintum est Diarhomes per Macedoniam et alteram partem per Gallias et Lusitaniam ad Tagum descendens; deinde sextum per Hellespontum Thraciamque et confinem Germaniæ Galliam; septimum Diaborysthenis per Ponticum mare et ab altera parte Germaniam Britanniamque præcidens; ultimum est ultra Mæotis paludes et infra Rhipæos montes. *Id. ibid.* p. 296. *in fin.* sextum clima vocat *Diahellesponto*, octavum *Diarhipheon*. Cf. *eumd. ibid.* p. 290., ubi pariter memorantur climata Diameroes, Diaborystheois et Diarhodu.

DĬĀLEUCOS, on, adject. διάλευκος, albo colore intermixtus: a λευκός *albus*. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 17. (32). *de croco*. Est per se genus sativi blandissimum vulgo, cum sit mediocre; dialeucon vocant.

DĬĀLĬBĂNUM, i, n. 2. διὰ λιβάνου, collyrium ex libano, hoc est ture confectum, quod oculorum morbis utile memorat *Theod. Priscian.* 1. 10. *Idem* non multo post, de sanguineis oculorum maculis depurgandis quum agit, hæc ait: Postea ture masculo et aphita æquis ponderibus, carbonibus impositis, fumigandi sunt.

DĬĀLĬON, ii, n. 2. διάλιον vel διήλιον, heliotropium. *Apul. Herb.* 49.

DĬĀLIS, e, adject., qui aut est *A*) A Διός Jovis, aut *B*) A die.

A) Dialis a Genit. Διός *Jovis* (quorum cf. *Dius*, *Divus*) est ad Jovem pertinens. ¶ 1. Generatim. — *a*) Dialis est ad Jovem pertinens fulminum jaculatorem. *Apul.* 8. *Met.* Diale fulmen. — *b*) Significat etiam ætherium, aerium, quia Juppiter est aer. *Apul.* 6. *Met.* Aquila alti culminis diales vias deserit. ¶ 2. Specialim *Dialis flamen* apud *Varron.* 5. *L. L.* 84. et 6. *ibid.* 16. *Müll.*; *Cic.* apud *Macrob.* 7. *Saturn.* 3.; *Liv.* 5. 52. *extr.* et 31. 50.; *Vellej.* 2. 34.; et *Caj.* 1. *Instit.* 112.; et *dialis sacerdos* apud *Sueton. Domit.* 4.; et denique *dialis, is*, m. 3. absolute apud *Ovid.* 3. *Fast.* 397.; *Tac.* 3. *Ann.* 58.; et *Fabium Pictorem* apud *Gell.* 10. 15. erat flamen, qui Jovis sacro ministerio a Numa rege assignatus est. Hic maxime dignationis erat inter quindecim Flamines, ut *Festus* docet p. 151. 28. *Müll.* Multa de cæremoniis ad eum pertinentibus *Gell. loc. cit.* — Hinc ¶ 3. *Dialis* est etiam ad flaminem dialem pertinens. Sic *dialis sancta conjux* est uxor flaminis dialis apud *Ovid.* 6. *Fast.* 226. — *Dialis apex* erat gestamen capitis flaminis dialis. *Liv.* 6. 41. *ad fin.* Cuilibet apicem dialem, dummodo homo sit, imponamus. — *Dialia sacra* erant ea, quæ a flamine diali fiebant. *Tac.* 3. *Ann.* 58. Sæpe pontifices dialia sacra fecisse, si flamen valetudine aut munere publico impediretur. — *Diale Flaminium* apud *Sueton. Aug.* 31. *V.* FLAMINIUM. — *Dialis cœna* lautissima erat, quæ præbebatur a flamine diali, quo die sacerdotium inibat. *Seneca Ep.* 123. Hæc qualiscumque cœna, diali jucundior erat. *Alii tamen leg.* aditiali. *V.* ADITIALIS.

B) Dialis potest etiam a *die* derivari (Cf. tamen *Dis*, *Dies* et *Diespiter*). Hinc jocus *Cic.* in eum, qui unum tantum die consul fuerat, apud *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. (quem tamen *Id.* 2. *ibid.* 2. M. Otacilio tribuerat). Solent esse flamines diales: modo consules diales habemus. *Inscript.* apud *Cajetan. Migliore, Curæ poster. ad M. Junii Pudentis inscript.* p. 21. BAEBIOLO FILIO DIALIQ. BAEBIVS NEGOTIATOR HISPANUS PATER, nempe Q. Bæbius pater filiolum suum Bæbiolum dialem appellat, quod is uno eodemque die et in lucem prodierit et fato concesserit.

DĬĀLLĀGE, es, f. 1. διαλλαγή *conciliatio*, figura est, cum multa argumenta ad unum effectum deducuntur. *Quintil.* 9. 2. 103. sed Græce. Latine enim *consummationem* vocat.

DĬĀLŎĒS. δι' ἀλόης, malagma ex aloe, quod inter recorporativa recenset *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 1. *ad fin.* et 2. *ibid.* 1.

DĬĀLŎGISMUS, i, m. 2. διαλογισμός *sermocinatio*. Enumeratur inter figuras sententiarum, cum orator vel se ipse cum alio, vel alios inter se colloquentes inducit: cujus habes exemplum apud *Cic.* 9. *Att.* 18. et 13. *ibid.* 42. Ipsa vox Græca est, et Græca positione. Latinis tamen litteris legitur apud *Jul. Rufinian. de figur.* 20. p. 211.

DĬĀLŎGISTA, æ, m. 1. διαλογιστής, disserendi peritus, disputator. *Vulcat. in Avid. Cass.* 3. Addens, futurum ac Sergium (*scilicet* Catilinam), si dialogistam occidisset: Antoninum (*h. e.* M. Aurelium) hoc nomine significans, qui tantum enituit in philosophia, et in pueritia dialogos scripserat.

DĬĀLŎGUS, i, m. 2. διάλογος, disputatio, colloquium duorum, vel plurium inter se. *Cic. Brut.* 60. 218. Cum disputatio esset inter eos, ut est consuetudo dialogorum. *Id.* 1. *Fam.* 9. *ad fin.* Scripsi etiam tres libros in disputatione ac dialogo, de Oratore. Adde *eumd.* 13. *Att.* 12., ubi et dialogi familiaris exemplum habes; *Quintil.* 5. 14. 27. et alibi; et *V.* voc. præced.

DĬĀLŪTENSIS, e, adject. ut *purpura dialutensis* ex genere pelagiarum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 37. 61. (131). Est longe optimum purpuris dialutense, idest vario soli genere pastum. *Salmas.* legit *dialocense*; *Sillig.* vulgatam lectionem tuetur. *Forcellinus* vocem deducit ex Gr. διάλυτος *dissolutus*: sed videtur potius esse vox hybrida ex διά et *lutensis*, ita ut *dialutense purpuræ genus* sit medium inter *luten-*

se et *algense*, quæ a *Plinio ibid.* memorantur. *V.* integrum locum.

DIĂLŸSIS, is, f. 3. διάλυσις *dissolutio*. Ita appellatur species hyperbati, cum ordo orationis, interposita sententia, diducitur, ut (*Virg.* 11. *Æn.* 12.). Tum socios (namque omnis eum stipata tegebat Turba ducum) sic incipiens hortatur ovantes. *V.* HYPERBATON. *Rutil. Lup.* p. 5. Hoc schema contrarium est superiori (*scilicet* polysyndeto). Nam, demptis omnibus articulis, sententiæ divisæ (*rectius fortasse* divise) pronunciantur.

DIĂLŸTON *vel* dialuton, i, n. 2. διάλυτον, est species hyperbati, qua conjunctiones omittuntur, ut (*Virg.* 4. *Æn.* 12.) ite, Ferte citi flammas, date vela, impellite remos. Hæc *Charis.* 4. *p.* 246. et 251. *Putsch.* et *Diomed.* 2. *p.* 442. et *Donat. de schematib. p.* 1774., omnes tamen Græce. Latine occurrit apud *Isid.* 1. *Orig.* 25. 20. Dialyton, vel asyndeton figura est, quæ e contrario sine conjunctionibus solute ac simpliciter effertur, ut: Venimus, vidimus, placuit. Adde *Jul. Rufinian. de figur. p.* 240.

DĬĂMANNÆ, διὰ μάννης, malagma ex manna compositum. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 18. *in fin.*

DĬĂMASTĪGŌSIS, is, f. 3. διαμαστίγωσις *flagellatio*, a præpos. διά et μάστιξ, ιγος, *flagrum*, *scutica*, *vibex*, unde μαστιγόω *flagello*. Est vox *Tertull. ad Martian.* 4. Cf. *eumd. Apolog.* 50.

DĬĂMĔLITŌN, διὰ μελίτων, h. e. medicamentum ex melle præcipue compositum. *Theod. Priscian.* 4. 1. *sub init.* Postea diameliton solves cum ceroto, et pones: deinde junges in ipsa diameliton etiam aliquantum diaspermaton, et, quum melius habere cœperit, das potionem athanasiam in aqua calida et cochlear unum mellis.

DĬĂMĔLĬLŌTŌN, διὰ μελιλώτων, malagma ex meliloto. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 3. Tum malagmata apponenda, ut diachylon, aut diamelilotum (*lege* diameliloton), aut diasampsucum. *Id.* 2. *ibid.* 1. Utimur etiam acopis, ut est diasampsucum et diamelilotum (*lege* diameliloton).

DĬĂMĔRŌES. *V.* DIALEXANDRIAS.

DĬĂMĔTER *vel*

DĬĂMĔTROS, on, adject. διάμετρος, ad diametrum pertinens. *Firmic.* 4. *Mathes.* 1. *a med.* Si luna istum cursum diametra radiatione respexerit. *Boeth. Aristot. Analyt. pr.* 1. 23. *p.* 487. Quoniam diameter est asymmeter. *Id. ibid. p.* 660. Diameter incommensurabilis. Adde *eumd. ibid. p.* 494., 515., et alibi sæpe. — Sic *Capell.* 7. *p.* 240. Hunc numerum (*quinque*) quis neget esse diametrum? Nam decadis perfectio circulusque hujus hemisphærio dissecatur. *h. e.* quinque est pars dimidia numeri decimani. — Hinc

Dĭămĕtros, i, f. 2. διάμετρος, scilicet γραμμή, est recta linea figuram ex æquo secans; ut *diametros orbis* est linea, quæ sic a summo ad imum tenditur circulum, ut per centrum eat, a διαμετρέω *dimetior*. *Colum.* 5. *R. R.* 2. 7. Esto area rotunda, cujus diametros habeat pedes septuaginta. *Vitruv.* 10. 9. 1. *Schneid.* Per mediam diametron. Adde *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 20., ubi diametron diligenter describit. *Firmic.* 4. *Mathes.* 1. De diametro respicere.

Dĭămĕtrum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, dicitur id, cui ad justam mensuram aliquid deest τὸ ἐλλεῖπον ἀπὸ τοῦ δικαίως μετρηθέντος, v. gr. cum aliqua species certa mensura tradita in minori quantitate redditur. Hoc sensu est quod τῷ μέτρῳ abest, ut *epimetrum* quod supra mensuram additur, *symmetrum* quod secundum mensuram datur; et usurpant *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 13. 5. 38. *et ibid.* 9. 5.

DĬĂMĔTRĀLIS, e, adject. qui ad diametrum pertinet. *Lib. Colon.* in *Grom. vet. p.* 225. Ab oriente ad occidentem qui in groma sunt designati, qualis diametralis appellatur.

DĬĂMĔTRUS *et*

DĬĂMĔTRUM. *V.* voc. præced.

DĬĂMICTON, διὰ μικτῶν, *h. e.* per res admixtas; vox ejus generis, quo *diacodion*, etc. Architecti medios parietes farcire fractis cæmentis, diamicton vocant, *Plin.* teste 36. *Hist. nat.* 22. 51. (172)., ut quidem legendum esse contendit *Harduin.* Itali dicunt *murare a cassa*, nostrates vulgo *a cassella*. *V.* EMPLECTON. Ceterum *Schneiderus* in adnot. ad *Vitruv.* 2. 8. *init.* in loco *Plinii* mox cit. pro *diamicton* legendum putat Græcis litteris δικτυωτόν; at *Sillig.* legit *diatoichon*, διὰ τοίχων, *h. e.* ex parietibus vel muris.

DĬĂMIRTON, διὰ μύρτων, decoctio myrti. *Kärcherus* recte putat *diamirton* legendum esse pro *diamirrhion* (quod exhibent vulgati libri) apud *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. 18.; namque ipse *Cæl. ibid.* § 17. rem ita esse aperte declarat.

DĬĂMĪSŸOS *et minus recte*

DĬĂMĪSUS, διὰ μίσυος. Vox composita ex διά *per* et μίσυ, υος. *V.* DIALEPIDOS. Ita appellatur collyrium, de quo ita *Marcell. Empir.* 9. Collyrium diamisyos quod facit ad aspritudines oculorum tollendas, et ad lacrimas substringendas, componitur sic: misy comburés hoc more etc. *Inscript.* apud *Tôchon, cachets des oculist. p.* 22. TI. IVLII CLARI DIAMISVS AD VETERES CALIGINES. *Alia ibid. p.* 55. L. IVNII PHILINI DIAMISVS AD DIATHESES TOLLENDAS.

DĬĂMÆRĬE, es, f. 1. διαμοιρία, divisio, seditio, factio. *Plin.* 10. *Ep.* 117. *et Trajanus* apud *eumd. ibid.* 118., ubi alii legunt *dianome*, quæ vox distributionem significat, Græce διανομή, ut notet largitionem seditionis movendæ causa institutam, quæ alias *sportularum distributio* appellatur. Recentiores philologi posteriorem lectionem, h. e. *dianome*, tuentur.

DĬĂMŌRŌN *et minus recte*

DĬĂMŌRON, i, n. 2. διὰ μόρων (*V.* DIACODION) compositio ex succo mori agrestis et melle concocto: ut docet *Theod. Priscian.* 1. 15. *sub init.* Similiter et diamoron juvat; quod sic conficere consuevimus, ut ad duas partes succi mororum una mellis adhibeatur. — Ceterum *diamoron* indecl. occurrit apud *eumd. Theod. Priscian.* 1. 11. et *Isid.* 4. *Orig.* 9. 9.; et *diamoron, i,* 2. apud *Pallad.* 10. *R. R.* 16.

DĬĂMYGDĂLŌN, δι᾽ ἀμυγδάλων, malagma ex amygdalis. *Plin. Valerian.* 4. 51. Fit medicamentum ex amaris amygdalis, quod Dioscorides diamygdalon appellat. *Rectius fortasse Græce scribenda est vox.*

DĬĀNA, æ, f. 1. Jovis filia, quæ venando silvas incoluisse fertur. *V.* ONOM. — Hinc metonymice ponitur pro venatione. *Martial. Spectac.* 12. Inter Cæsareæ discrimina sæva Dianæ Fixisset gravidam cum levis hasta suem.

DĬĀNĀRĬUS, a, um, adject. ad Dianam pertinens. *Veget.* 2. *Veterin.* 67. Caput ejus purgabis radice Dianaria, quam Artemisiam dicimus. *Id.* 3. *ibid.* 33. *extr.* Radicem Dianariam, id est herbæ Artemisiæ, in pulverem rediges.

DĬĀNĀTĬCUS, i, m. 2. sacerdos Dianæ cultui addictus. *Maxim. Taurinens.* qui obiit post ann. a Chr. n. CCCCLXV., apud *Murat. Anecd. Lat. T.* 4. *p.* 100. Cum videris saucium vino rusticum, scire debes, quoniam, sicut dicunt, aut dianaticus, aut haruspex est: insanum enim numen amentem solet habere pontificem; talis enim sacerdos parat se vino ad plagas deæ suæ, ut, dum est ebrius, pœnam suam miser ipse non sentiat.

DĬĀNĪTIS, idis, f. 3. myrrhæ genus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 16. 35. (69). Tertia myrrha Dianitis. *Harduin. ibid.* putat ita appellatam a Dia insula: alii leg. *Tamnatis* a Tamna oppido Sabæorum in Arabia, de quo *Plin.* 6. *ibid.* 28. 32. (153). *Sillig.* vulgatam lectionem retinuit: in postremo autem loco pro *Tamna* legit *Thomna.*

DĬĀNITRUM, i, n. 2. διὰ νίτρων, medicamentum, de quo ita *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 113. Et similis virtutis (*h. e.* recorporativæ curationis) epithema, ut est quod appellatur dianitrum, ex fico atque nitro atque absinthio confectum.

DĬĀNĬUM, ii, n. 2. locus Dianæ sacer, Dianæ templum, apud *Liv.* 1. 48. et *Paul. Diac. p.* 71. 12. *Müll.*

DĬĀNŒA, æ, f. 1. διάνοια *cogitatio*, apud Rhetores est figura, quum factum vel eventus ad mentis cogitationem significandam proponitur. *Jul. Rufinian. de figur.* 18. *p.* 210.

DĬĀNŌME, es, f. 1. διανομή. *V.* DIAMÆRIE.

DĬĀŎRĪGĀNUM vel dioriganum, i, n. 2. δι᾽ ὀριγάνων, medicamentum ex origano herba (V. *Origanum*) memoratum a *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 114.

DĬĂPANTŌN, διὰ πάντων, per omnia, in omnibus. *Inscript.* apud *Murat.* 759. 1., quæ est apud *Orell.* 2627. M. AVRELIO AVGG. LIB. ACILIO SEPTEMTRIONI PANTOMIMO SVI TEMPORIS PRIMO, HIERONICAE SOLO IN VRBE CORONATO DIAPANTON AB IMPP. DD. NN. SEVERO ET ANTONINO AVGG. *h. e.* qui in omnibus certaminibus coronam accepit. *Alia* apud *Orell.* 2628.... AVREL. APOLAVSTO HIERONICO BIS CORONATO ET DIAPANTON PARASITO ET SACERDOTI APOLLINIS AVGVST. CAPVAE MAXIMO. Hic a *Mommsenio* refertur inter paucos lapides Amerinos certo genuinos (*Ber. d. S. Ges. d. Wissensch.* 1849. p. 260.); nihilo tamen minus *Henzenio* certe suspicionem movent nonnulla verba, quæ ibid. leguntur. *Alia* apud *Gruter.* 313. 8., quæ est apud *Orell.* 2160. L. AVRELIO APOLAVSTO MEMPHIO AVGG. LIB. HIERONICAE CORONATO ETTON DIAPANDON. nempe τῶν διαπάνδων (Græci enim vulgo in hac voce aliisque δ pro τ pronunciabant), h. e pentathlus. V. *Schiassi*, *Lex. Morcell. t.* 1. *p.* 385.

DĬĀPASMA, ătis, n. 3. διάπασμα, flos, aut herba, aut quippiam aliud odoriferum siccatum, tritumque in pulverem, aut in pastillos redactum, quod corpori inspergitur, aut ore manditur ad varios usus seu medicinæ, seu luxus: a διαπάσσω *inspergo*. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 2. 3. (19). Siccis odoribus constant, quæ diapasmata vocantur. *Id.* 21. *ibid.* 19. 73. (125). *de rosis.* Diapasmata inde fiunt ad sudores coercendos, ita ut a balineis inarescant corpori, dein frigida abluantur. *Id. ibid.* 19. 77. (133). Bacchar tunditur in diapasmata: vestibus odoris gratia inseritur. *Martial.* 1. 88. Quid, quod olet gravius mixtum diapasmate virus? etc.

DĬĀPĀSŌN, διὰ πασῶν, *h. e.* per omnes vel ex omnibus. — *a)* Sunt duæ voces ejusdem generis, acuta et gravis, symphoniam constituentes, quæ septem tonis constat, seu sex integris vocibus et duabus dimidiatis, ita dicta, quia complectitur universitatem concentus, ut *Plin.* 2. *Hist. nat.* 22. 20. (84). loquitur. Adde *Vitruv.* 5. 4. *ad fin.* et *Capell.* 9. *p.* 316. et 322. — *b)* Disdiapason, δὶς διὰ πασῶν, *h. e.* bis per omnes, continet bis symphoniam modo dictam, seu tonos quatuordecim. *Vitruv. loc. cit.* — c) Diapente, διὰ πέντε, *h. e.* per quinque, seu ex quinque; est symphonia quatuor integris vocibus constans et semitonio. *Vitruv. loc. cit.* Hanc *Capell.* 9. *p.* 316. symphoniam quinariam, et *ibid. p.* 325. *pentachordum* vocat, et *Censorin. de die nat.* 10. *n.* 9. eam inveniri ait, ubi ponderum chordarum discrimen in sesquitertia est proportione, quam duo faciunt ad tria collata, quod ἡμιόλιον appellant. Cf. et *Capell.* 9. *p.* 322. — *d) Diatessăron* διὰ τεσσάρων, *h. e.* per quatuor, seu ex quatuor, complectitur tonos tres et dimidium. *Vitruv. ibid. V.* etiam *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. et 2. *ibid.* 1. et *Capell.* 9. *p.* 321. — Hæ voces ejus generis sunt, cujus *diacodion*, *diaglaucion*, etc.

DĬĀPĒGĂNON, διὰ πηγάνου, antidotum e ruta confectum. *Plin. Valerian.* 4. 3. Unam (*antidotum*) adhuc diapeganon dictum.

DĬĀPENTE. ¶ 1. *V.* DIAPASON sub c. ¶ 2. *Diapente* est etiam potio apud *Veget.* 1. *Veterin.* 10. 6. *Schneid.*, quæ ex quinque rebus constat, myrrha nempe, gentiana, aristolochia, baccis lauri, rasura eboris. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 3. 36. et 6. *ibid.* 8. 6. et 8.; et *Pelagon. Veterin.* 1. 1. et 31. 1.

DĬĀPHŌNĬA, æ, f. 1. διαφωνία. *Isid.* 3. *Orig.* 19. 3. Cujus (*symphoniæ*) contraria est diaphonia, id est voces discrepantes et dissonæ.

DĬĀPHŎRA, æ, f. 1. διαφορά, differentia: *a* διαφέρω *differo*. Est hoc nomine schema rhetoricum, quod fit, cum verbum iteratum aliud significat, ac significavit primo dictum. Hæc *Rutil. Lup. de fig. sent. et eloc.* 1. 11. Cujus ærumnæ quemvis extrariorum hominem, modo hominem, commovere possent. Est vero correctionis affinis. *V. Correctio.* Vox Græca est, et Græce scribenda.

DĬĀPHŎRĒSIS, is, f. 3. διαφόρησις, apud Medicos ¶ 1. Est evacuatio, seu evaporatio, quæ fit per poros corporis; a διαφορέω *dissipo, digero, discutio*. *Theod. Priscian. de diæta* 14. ¶ 2. Item solutio, defectio virium. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 15.

DĬĀPHŎRĒTĬCUS, a, um, adject. διαφορητικός, discutiendi, evaporandi, digerendi vim habens. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 17. Diaphoretica solutio. *et* 2. *ibid.* 10. Effectus diaphoreticus. — Hinc

Diaphoreticus, i, m. 2. est idem ac cardiacus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 32. Est etiam gravius diaphoreticum delirare. *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 1. *c.* 13. Cataplasmata vero omnia adhibenda sunt, quæ diaphoreticis ordinata sunt.

DĬĀPHRAGMA, ătis, n. 3. διάφραγμα: a διὰ *in-*

ter et φράγμα sæptum; membrana quæ cor et pulmones a jecore et liene distinguit, sæptum transversum. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. Et magis si ex diaphragmate, quod nos jamdudum discretorium dicimus. *V.* INTERSÆPTUS.

DĬĂPŎRĒSIS, is, f. 3. dubitatio, διαπόρησις: a διαπορέω dubito. *V.* ADDUBITATIO.

DĬĂPŎRĒTĬCUS, a, um, adject. ad diaporesin, hoc est dubitationem pertinens, in quo dubitatio est. *Cur. Fortun. Art. rhet. schol.* 1. p. 59. Diaporeticum genus.

DĬĂPRĂSŎN, διὰ πράσων, medicamentum ex porris, quæ Græce πράσα; cujus meminit *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 8. Ita pro *diapresion* legendum esse conjeci.

DĬAPSALMA, ătis, n. 3. διάψαλμα. *V.* PSALMA.

DĬAPSŌRĬCUM, i, n. 2. ex διὰ per et ψωρικός psoricus, *V.* DIALEPIDOS: collyrium ad oculorum caliginem dissipandam, cujus meminit *Marcell. Empir.* 9. *Inscript.* apud *Tôchon cachets de oculist. p.* 56. L. IVNII PHILINI DIAPSORICVM AD GENARVM SCISSVRAM ET CLARITATEM. *Alia* apud *eumd. ibid. p.* 61. C. CAP. SABINIANI DIAPSORICVM AD CALIGINEM. *et p.* 66. FRONIMI DIAPSORICVM OPOBALSAMATVM AD CLAR.

DĬAPSȲCHON epithema, διαψύχον ἐπίθεμα, apud *Plin. Valerian.* 1. 6. (ubi perperam *diapsicon* scribitur) est medicamentum refrigerans: ex διὰ *per* et ψῦχος *refrigeratio.*

DĬĀRHŎDŪ. *V.* DIALEXANDRIAS.

DĬĀRHŎDON, i, n. 2. διάῤῥοδον, collyrium a *Galeno* aliisque vetustis Græciæ medicis memoratum: a διὰ *per* et ῥόδον *rosa*, quia ex rosis præcipue componitur. *V.* DIALEPIDOS. *Inscript.* apud *Tôchon, cachets des oculist. p.* 22. TI. IVLII CLARI DIARHODON POST IMPETVM. *Alia* apud *Maff. Antiq. Gall. p.* 81. M. IVLII CHARITONIS DIARHODON AD FERVOREM. Adde *Marcell. Empir.* 8. n. 3. et *Theod. Priscian.* 1. 1. — *NB.* De alia hujus vocis significatione. *V.* ONOM.

DĬĀRĪCES, is, n. 2. collyrii nomen: ex διὰ *per*, et ἐρείκη *erice*, compositum. *Tôchon, cachets des ocul. p.* 61. M. VLPII HERACLETIS DIARICES. V. *Spon. Miscell. ant. p.* 237.

DĬĀRĬPHÆON. *V.* DIALEXANDRIAS.

DĬĀRHŎŌN, διὰ ῥοῶν, medicamentum ex malis punicis (a ῥοά *malus punica*) constans. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. Dandum quoque medicamen confectum, quod dioporon appellamus: item diamoron, sive diarhoon, et iis similia. *Vulgati libri habent* diaroos *vel* diarhoos: *ipse* diarhoon *legendum conjeci, præcipue quod* Cæl. Aurel. ibid. *paullo ante dixerit* sive mali punici dulcis, vel acidi succus. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 4. *ad fin.*

DĬĀRĬUM, ii, n. 2. De num. sing. *V.* quæ dicta sunt infra sub 2. — Ceterum ¶ 1. *Diaria, orum,* sunt victus quotidianus, id est quod in unius diei cibum servis et ancillis demensum datur. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 40. Cum servis urbana diaria rodere mavis. *Martial.* 11. 108. puerique diaria poscunt. *Petron. Satyr.* 136. Anseres, qui medio die solebant ab anu diaria exigere. Adde *eumd. ibid.* 75. *Cic.* 8. *Att.* 14. Cæsar iis diariis militum celeritatem incitat, ut timeam, ne citius ad Brundisium, quam opus sit, accesserit. *nempe* stipendia majora in singulos dies militibus promittendo. — Etiam alimenta, quæ quotidie dabantur carcere inclusis, *diaria* dicuntur. *Seneca* 4. *Controv.* 27. *ad fin.* Cum introductus esset ex carcere in senatum, postulaturus ut diaria acciperet. — *Post asellum diaria non sumo* proverbium est apud *Petron. Satyr.* 24. *extr.*, de quo *V.* in ASELLUS. ¶ 2. *Charis.* 1. p. 21. *Putsch.* recenset inter ea nomina, quæ singulari numeru carent. Alio tamen sensu habet singulare, nempe cum significatur libellus, in quo acta singulorum dierum perscribuntur. *Sempron. Asell.* apud *Gell.* 5. 18. Annales libri, quod quoque anno gestum sit, id demonstrant, quasi qui diarium scribunt, quam Græci ἐφημερίδα vocant. Adde *Isid.* 1. *Orig.* 43. 1.

DĬĀRRHŒA, æ, f. 1. διάῤῥοια, ex διὰ et ῥέω, profluvium ventris. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 19. Huic passioni (*rheumatismo*) similis ac vicina est diarrhœa, in qua ultimarum partium est profluvium. *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 1. *c.* 13. Est etiam hoc simile in diarrhœa periculum. Adde *Isid.* 5. *Orig.* 7.

DĬĀRRHŎĬCUS, i, m. 2. qui diarrhœa laborat. *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 13. *init.* Est etiam hoc simile in diarrhœa periculum. Sed eo distat, quod diarrhoici sola ventris molestia – fatigantur. *In edit. Ald. legitur* diarrhœci; *pro quo* diarrhoici *legendum putavi ex analogia cum v.* hæmorrhoicus.

DĬAS, adis, f. 3. *V.* DYAS.

DĬĀSAMPSŪCUM, i, n. 2. διὰ σαμψύχου, medicamentum ex majorana herba, vel amaraco, memoratum a *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 117. Sic *Id.* 3. *ibid.* 2. *ante med.* Si ventositate fuerit stomachus affectus, adhibendum diasampsucum, sive diaspermaton. Ad *locc.* ex eodem *Cæl. Aurel. cit.* in DIAMELILOTON.

DĬĀSCILLĒS, διὰ σκίλλης, electarium e scilla confectum, cujus meminit *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 1.

DĬĀSCILLĬU, quasi διὰ σκιλλίου, a σκίλλα. *Marcell. Empir. de Medic. p.* 116. *Ald.* et 20. *a med. in aliis edit.* Confectio aceti diascillitu ad digestionem et stomachi vitia. Est *acetum scillinum*, ut vocatur a *Plin.* in *Hist. nat. V.* SCILLINUS.

DĬĀSCHISMA, ătis, n. 3. διάσχισμα; vox ad musicam pertinens, cujus de significatione *Boeth.* 3. *Music.* 8. p. 1115. Schisma est dimidium commatis: diaschisma vero dimidium dieseos, id est semitonii minoris. Adde *eumd. ibid.* sæpe.

DĬĀSMYRNES, διὰ σμύρνης, *vel*

DĬĀSMYRNON, i, n. 2. διασμυρνον, ex διὰ *per*, et σμύρνα, ης *myrrha*. *V.* DIALEPIDOS. Collyrium diasmyrnes a *Marcell. Empir.* 9. et *Scribon. Compos.* 26. memoratum. *Inscript.* Hubiliaci in Gallia reperta prope *Châlons - sur - Saône*, edita vero in *Magaz. Encyclop. an.* 1809. *Mars. p.* 105. REGINI DIASMYRNES POST LIPPITVDINES EX OVO PRIMVM. *Alia* apud *Tôchon, cachets des oculist. p.* 31. Q. IVNII TAVRI DIASMYRNVM POST IMPETVM. Adde *aliam* apud *Murat.* 508. 3.

DĬĀSŌSTES, æ, m. 1. διασώστης, a præpos. διὰ et σώζω *custodio, tueor*, fuit militum genus, cui civitatum custodia tradita erat, ne quis contra principem aliquid conaretur. *Julian. Epit. nov.* 123. § 532. et 537.

DĬĀSPERMĀTION. *V.* voc. seq.

DĬĀSPERMĀTŌN, διὰ σπερμάτων, medicamenti genus, a διὰ *per* et σπέρμα *semen*, quia, ut ait *Isid.* 4. *Orig.* 9. 9., ex seminibus componitur. *V.* DIAMELITON et POLYARCHION. — Apud *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. *ante med.* legitur et *diaspermation*, nisi forte mendum sit. *V.* locum cit. in DIASAMPSUCUM.

DĬĀSTĀCŌN, δι' ἀστακῶν, collyrii genus stypticum ex astaria, h. e. canceris marinis. Memoratur a *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 9. *a med.* ed. *Ald.*, qui *diastheacon* legit: ipse vero *diastacon* legendum conjeci: viderint eruditi.

DĬĀSTĒMA, ătis, n. 3. διάστημα. Corripuit pænultimam, sed non est imitandus *Sidon. carm.* 15. 64. Sic placidam Paphien servare diastema quintum. — Ceterum diastema est spatium, intervallum, distantia: a διΐσταμαι *disto, separor, seorsum sto.* — *a*) Verbum est mensorum. *Frontin. in exposit. formar. p.* 33. *Goes.* Quoties ex uno duorum punctorum diastemate duo partes circuli exeunt. *et mox.* Si tres circuli pares fuerint inter se æquali diastemate connexi. — *b*) Item astronomorum. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *post med.* In diastemate Zodiaco. *Id. epist. præfixa carm.* 14. Mentiu centri, proportionis, diastematum, climatum. — *c*) Item musicorum. *Capell.* 9. p. 321. *de Musica.* Diastema est vocis spatium, quo acuta et gravior includitur. et *Isid.* 2. *Orig.* 19. 5. Diastema est vocis spatium, ex duobus, vel pluribus sonis aptatum. *Censorin. de die nat.* 13. Intervallo musicis diastematis congrua. — *d*) Item medicorum. *Veget.* 1. *Veterin.* 22. 3. Pridie quam vena pulsetur, sustententur jumenta levioribus et parcioribus cibis, ut per diastema composito corpore sint, non turbato per indigestionem.

DĬĀSTĒMĀTĬCOS, e, on, *vel Latina positione*

DĬĀSTĒMĀTĬCUS, a, um, adject. διαστηματικός *divisus*, ut *diastematica vox* apud *Capell.* 9. *p.* 318., cui opponitur *continua*. Sic *Boeth. Music.* 1. 12. p. 1379. Diastematice autem est ea (*vox*), quam canendo suspendimus.

DĬĀSTŎLĒ, es, f. 1. διαστολή *dilatatio*, a διαστέλλω *diduco, laxo, aperio.* — Diastole ¶ 1. Dicitur dextera pars circuli ad imas litteras apposita (quam nos Itali *virgola* vocamus) qua nota male cohærentia scribendo discernuntur, ut in illo *Virg.* 2. *Æn.* 413. Tum Danai, gemitu, atque ereptæ virginis ira. *et* 8. *ibid.* 83. Procubuit, viridique in litore conspicitur sus. Hæc *Diomed.* 2. *p.* 430. *Putsch.*; *Priscian. de accentib. p.* 1287.; et *Isid.* 1. *Orig.* 18. 7. ¶ 2. Item diastole est, cum epithrton aliquod nomini apponitur distinguendi causa, ut si dicas *dolum malum*, ut distinguas a *bono*. *V.* in hanc rem verba *Donati* in voce DOLUS. — *NB.* Diastole Græca quoque vox est, Grammaticis familiaris; et ita dici solet figura, quo syllaba natura brevis producitur, vel simpliciter, vel geminatione ejusdem consonantis; quæ etiam *ectasis* dicitur. *Virg.* 1. *Æn.* 6. Italiam fato profugus, Lavinaque venit Litora. *Id.* 2. *ibid.* 745. Religione patrum multos servata per annos.

DĬĀSTŎLEUS, ei, m. 2. διαστολεύς. Idem quod *diasostes*; a præpos. διὰ et στέλλω *mando, mitto.* Occurrit in *Cod.* 4. 69. 4.

DĬĀSTȲLOS, on, adject. διάστυλος, columnas habens rariores: a διὰ (quod separationem aliquando significat) et στῦλος *columna*. Species ædium sunt quinque: Pycnostylos, idest crebris columnis (a πυκνός *densus, spissus*). Systylos, paullo remissioribus (a σύν, *cum, simul*). Diastylos, amplius spatiis intercolumniorum patentibus: rarius quam oporteat inter se diductis, Aræostylos (ab ἀραιός *rarus*). Eustylos, intervallorum justa distributione (ab εὖ *bene*). Ergo Pycnostylos est, cujus intercolumnio unius et dimidiatæ columnæ crassitudo interponi potest: Systylos, in qua duarum columnarum crassitudo: Diastylos, in qua trium: Aræostylos, in qua plurium. Eustylos eam habet rationem, ut in intervallis spatia duarum columnarum et quartæ partis crassitudo intersit, etc. Hæc *Vitruv.* 3. 3. 1. et seq., et 3. 4. 3. et seq. *Schneid.* — De quantitate pænultimæ in his vocibus, *V.* in STYLUS.

DĬĀSȲCĀMĬNON, *vel*

DĬĀSȲCĀMĬNUM, i, n. 2. διὰ συκαμίνου, medicamentum ex sycomoro, apud *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. 115., et 2. *ibid.* 7. et 13., quibus postremis locis *diasycaminon* legitur.

DĬĀSȲĒNES. *V.* DIALEXANDRIAS.

DĬĀSYRMOS, i, m. 2. διασυρμός *elevatio*, *h. e.* depressio: est figura sententiarum, in qua laudantes, quæ dicuntur ab adversariis dissolvimus; qualis est in Murœniana totus ille in Sulpicium locus de jure civili. Ita *Capell.* 5. p. 172. Adde *Aquilam Rom. p.* 19. *Capper.*; *Jul. Rufinian. de fig.* 5.; et *Isid.* 2. *Orig.* 21. 42.

DĬĀSYRTĬCĒ, per diasyrmum, seu irrisionem. *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 193.

DĬĀSYRTĬCUS, a, um, adject. διασυρτικός, ad diasyrmon pertinens. *Diasyrticum dictum* est, quo laudantes aliquid simul elevamus et carpimus. *Spartian. Carac.* 10. Non ab re est, diasyrticum quiddam in eum dictum addere. Nam cum Germanici, et Parthici, et Arabici nomen adscriberet, Pertinax dicitur joco dixisse: Adde, si placet, etiam Geticus Maximus: quod Getam occiderat fratrem, et Gotti Getæ dicerentur. *Hieronym.* 1. *advers. Rufin. n.* 1. Diasyrtica prædicatio.

DĬĀTESSĀRON, διὰ τεσσάρων. *Xeron diatessaron* est medicamentum ex quatuor speciebus constans. *V.* XERON. — De alia significatione, *V.* DIAPASON.

DĬĀTHĒCA, ōrum, n. plur. 2. a διαθήκη: testamentum, vel hereditas ex testamento proveniens. *Martial.* 12. 2. O quantum diathœa valent, et quinque comisti! *Al. melius leg.* diatreta.

DĬĀTHĒRĬĀCŌN, διὰ θηριακῶν, medicamentum ex theriacis constans, memoratum a *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 8. *V.* THERIACUS.

DĬĀTHĒSIS, is, f. 3. διάθεσις, oculorum morbus. *Inscript.* apud *Tôchon, cachets des oculist. p.* 55. IVNII TAVRI CROCOD. DIAMISYS AD DIATHESES ET R. E. *V.* aliam in DIAMISUS.

DĬĀTHȲRUM, i, n. 2. διάθυρον idem ac πρόθυρον *prothyrum*: a præpos. διὰ *per*, vel πρό *ante*, et θύρα *janua*. Sunt qui putant esse repagulum ligneum versatile, quod januis præfigitur ad arcenda vehicula et jumenta, Italice *sbarra*: alii rectius arbitrantur, hoc nomine significari parvum illud tectum quadratum, vel rotundum, arcuatum, vel pyramidatum, binis, vel quatuor columnis suffultum, quod etiamnum exstat Romæ, et alibi ante januas quarumdam basilicarum. *Guil.* vero *Bechi* in *Mus.*

Borb. T. 8. *Scavi di Pomp. p.* 4. probat, diathyrum fuisse spatium illud domus, quale in monasteriis inter binas januas positum Itali nunc vocant *porteria*, et in quo morantur adeuntes eadem monasteria, antequam interius admittantur. Græce legitur apud *Vitruv.* 6. 7. 5. *Schneid.* Prothyra Græce dicuntur, quæ sunt ante januas vestibula: nos autem appellamus prothyra, quæ Græce dicuntur διάθυρα. — Aliquando prothyra dicuntur vela ante januas cubiculorum in ædibus, Italice *portiere*. *Pompon. Dig.* 50. 16. 245. Labeo ait, prothyrum, quod in ædibus interdum fieri solet, ædium esse. *Ulp. ibid.* 33. 7. 12. § 23. Prothyrum domus, si velamen est, instrumento domus continetur.

DĬĀTOICHON, i, n. 2. διάτοιχον. *V.* DIAMICTON.

DĬĀTŎNĬCUS, a, um, adject. ut *Modulatio diatonica*, apud *Capell.* 9. p. 321. et 325.

DĬĀTŎNUM. *V.* voc. seq. in fin.

DĬĀTŎNUS, a, um, adject. διάτονος *distentus*, extentus: a διατείνω *extendo*. In architectura *lateres* διάτονοι dicuntur a *Vitruv.* 2. 8. 7. *Schneid.* (quos Latine *frontatos* dici ait ibidem) qui duplici fronte totam muri crassitudinem complectuntur. Al. perperam leg. διάτοροι, hoc est *penetrantes*, a διατορέω *perforo, penetro*. — Hinc

Diatonum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, in musicis est genus modulationis, quod διὰ τόνους *per tonos* procedit: et distinguitur ab harmonico et chromatico. In eo intervalla faciliorem habent, quam in ceteris, distantiam. Tetrachordon diatoni duos habet continuatos tonos cum hemitonio. *Vitruv.* 5. 4. 3. *Schneid.*; et *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 4. *ad fin.* — Definitur a *Capell.* 9. p. 323. quod tonis copiosum est: ejusque tetrachordos constare ait hemitonio duobus tonis subsequentibus. *V. Petr. Gassend. in manuduct. ad Theor. Musices* c. 3.

DĬĀTRĒTĀRĬUS, ii, m. 2. qui diatreta facit, seu perforat margaritas, gemmas, lapillus. *Imp. Constantin. Cod.* 10. 64. 1.; et *Cod. Theod.* 13. 4. 2.

DĬĀTRĒTUS, a, um, adject. διάτρητος *torno factus, tornatus*, vel in quo tessellato opere aurum, argentumve, aut gemmæ insertæ sunt: a διατιτράω *perforo, terebro*. *Ulp. Dig.* 9. 2. 27. *ad fin.* Si calicem diatretum faciendum dedisti; si quidem imperitia fregit, damni injuria tenebitur, etc. — Hinc

Diātrēta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more sunt vasa affabre facta, toreumata. *Martial.* 12. 71. O quantum diatreta valent! *Al. leg.* diatheca.

DĬĀTRĪBA, æ, f. 1. διατριβή, locus in quo disputantes, et scholam agentes versantur: itemque ipsa disputatio, dissertatio. *Gell.* 17. 20. Recens in diatribam acceptus. *Id.* 1. 26. Interrogavi in diatriba Taurum, an sapiens irasceretur. *Id.* 18. 13. Quidam Dialecticus ex Platonis diatriba.

DĬĀTRĪTÆUS, a, um, et

DĬĀTRĪTOS, e, on, adject. διατριταῖος et διάτριτος, tertianus. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 3. Allenatio intra diatritæum, vel post diatritæum tempus. — Et absolute *Id.* 3. *ibid.* 16. In diatrito (*h.* e. in febre tertiana) vero erunt primo perungendi. Cf. *Id.* 1. *Tard.* 4. In tertium diem, sive, ut Græci vocant, diatritnn differantur. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 1. et 3., et 2. *ibid.* 1.

DĬĀTRĪTOS *vel Latina positione*

DĬĀTRĪTUS, i, f, διάτριτος. *V.* voc. praeced. in fin.

DĬĀTȲPŌSIS, is, f. 3. διατύπωσις, figura oratoria: a διατυπόω *informo, instituo*. *Capell.* 5. p. 172. Diatyposis est descriptio, vel deformatio, cum, rebus personisque subjectis, et formas ipsas et habitus exprimimus.

DĬAULA, æ, f. 1. est nomen cujusdam plantæ, quam memorat *Apul. Herb.* 93.

DĬAULOS, i, m. 2. δίαυλος, spatium duorum stadiorum in cursu Olympico, vel Circensi, ut *Vitruv.* 5. 6. 7. *Schneid.* docet. *Hygin. fab.* 173. His ludis vicerunt Zethus dolichodromo, Calais diaulo, Castor stadio. — Ceterum qui in diaulo currebant, quum a carceribus ad metam decurrerint, iterum in carceres redibant. V. *Alberti* adnotat. ad *Hesych.* in v. Δίαυλος, et *Pausan. Eliac.* c. 17. in v. *Dolichus* in adnotat.

DĬAXȲLON, i, n. 2. διάξυλον, lignum interius, sive optimum: a διὰ *intra* et ξύλον *lignum*. Ita vocatur ea planta, quæ et erysisceptrum et adipsatheon dicitur, quæque eadem videtur esse atque aspalathus, quam vocem vide. *Plin.* ex *Dioscoride*, 21. *Hist. nat.* 13. 69. (112). Sed at frutex humilior, æque spinosus, in Nisyro et Rhodiorum insulis, quem alii erysisceptrum, alii adipsatheon, sive diaxylon vocant. *Alii perperam legunt* diacheton, *vel* diatirum: sed ex *Dioscoridis* loco simili, ubi διάξυλον dicitur, *diaxylon* item dicendum probant nuperrimi editores Parisienses.

DĬAZEUGMĔNON, διαζευγμένον *disjunctum*, *disjunctio*: a διαζεύγνυμι *disjungo*. *Capell.* 5. p. 176. Diazeugmenon disjunctum appellamus, cum diversis redditionibus verborum cola disjungimus, sive duo, sive plura, hoc modo: (*Cic.* 2. *leg. Agr.* 31.) Capuani colonis deductis occupabunt; Atellam præsidio communient; Nuceriam obtinebunt; cetera oppida præsidiis devincient. *V.* ANTIZEUGMENON. Est itaque *diazeugmenon* figura rhetorica et oratoria, quam *Cic.* 4. *Herenn.* 27. 37. *disjunctionem* appellat. Porro quæ ex *Cic.* 2. *leg. Agr.* 31. afferuntur, memoriter tantummodo citantur, aliter enim *ibid.* leguntur. Denique pro *diazeugmenon* legendum est *diezeugmenon*, quemadmodum *Koppius* et reliqui recentiores legunt etiam apud *Aquilam Rom. de figur. sentent.* 43. p. 167. *Ruhnk.*, ubi eadem figura eodem vocabulo memoratur. — Porro *diezeugmenon* locum habet etiam in musicis, sed Græcis tantum litteris occurrit apud *Capell.* p. 315. et init. 316. Tertius decimus (*sonus*) τρίτη διεζευγμένων, id est tertia divisarum; quartus decimus διεζευγμένων διάτονος, quod est divisarum extenta; quintus decimus νήτη διεζευγμένων, id est ultima divisarum.

DĬAZEUXIS, is, f. 3. διάζευξις *dissolutio*; figura est metri, eadem quæ diæresis. *Valer. Prob.* 1. *Grammat.* p. 1438. *Putsch.*

DĬAZŌGRĂPHUS, i, m. 2. διαζωγράφος, ita inscribitur liber secundus *Aggeni Urbici*, quia constat variis figuris in ære incisis, quas videre est in editione *Guil. Goesii*, Amstel. 1674. 4.° *V.* et p. 49.

DĬAZŌMA, ătis, n. 3. διάζωμα, *cingulum, cinctus intermedius*: a διαζώννυμι *cingo, præcingo*. *Vitruv.* 5. 6. 7. *Schneid.* Sunt res, quas in pusillo et in magno theatro necesse est eadem magnitudine fieri, propter usum, uti gradus, diazomata, pluteos, itinera, ascensus. *V.* BALTEUS.

DĬBĂLO, as, are, a. 1. a *balo* compositum. *Cæcilius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 103. *Müll.* Tantam rem dibalare, ut pro nilo (*h.* e. nihilo) habuerit. *Scalig.* in *Conjectan.* Dibalare pro deblacterare, non inepte dictum videri posset. Ego puto, dibalare rem, καταφαγεῖν τὴν οὐσίαν, bona consumere. Hæc *Scalig.* Sed *Cæcilius* malus est auctor Latinitatis, teste *Cic.* 7. *Att.* 3. Ceterum *dibalare rem* videtur idem esse ac deblacterando rem imminuere, sive contemptam reddere.

DĬBĂPHUS, a, om, *vel*

DĬBĂPHUS, um, adject. δίβαφος, *bis tinctus*: a δὶς *bis*, et βάπτω *tingo*. Porro purpura *dibaphus*, nempe bis tincta, dicitur, quia prius cocco, deinde purpura tingebatur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 39. 63. (137). *de purpura.* Successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. *et mox.* Dibapha tunc dicebatur quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pæne commodiores purpuræ tinguntur. Adde *eumd.* 21. *ibid.* 8. 22. (45). Hanc *iteratam purpuram* vocat *Stat.* 3. *Silv.* 2. 140.: *Horatio* vero hæ purpuræ sunt *Epod.* 12. 21. Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ. et 2. *Od.* 16. 35. bis Afro murice tinctæ lanæ. — Hinc

Dibăphus, *i*, f. 2. subaudi *vestis*, absolute, substantivorum more, est vestis bis tincta, seu purpura. Quia vero purpura utebantur magistratus, hinc allegorice *Cic.* 2. *Fam.* 16. *sub fin.* Curtius noster dibaphum cogitat, sed eum infector moratur. *h. e.* sperat, cupit honores in republ., sed res ei non procedit. V. *Guarini, Continuaz. de' Fast. duumv.* p. 46. — Proverbii species est in illo *ejusdem* 2. *Att.* 9. *ad fin.* Faciant, quos volent, consules: etiam Vatinii strumam sacerdotii διβάφῳ vestiant. Et dici potest de iis, qui turpem vitam, scelera, aut sordes, magistratuum ornamentis occultare nituntur.

DĬBATUO, is, ere, a. 3. hinc inde batuo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 113.

DĬBRĂCHYS, y, adject. δίβραχυς, pes metricus idem ac pyrrichius, et pariambus, duabus constans brevibus syllabis, ut *deu*; a δὶς *bis* et βραχὺς *brevis*. *Mar. Victor.* 1. *Grammat.* p. 2486. *Putsch.* et *Diomed.* 3. p. 471.

DĬBRĔVIS, e, adject. idem quod *dibrachys*, duabus syllabis brevibus constans: vox hybrida, a δὶς *bis*, et *brevis*. *Diomed.* 3. p. 472. *Putsch.* Utique dem hunc cursum sibi reperisse testificantur, quo nomine dibrevem pedem nuncupant.

DĬBUCCĬNO *vel* dibucino, as, are, a. 1. idem quod buccino, et translate divulgo, edo, in vulgus spargo. Agnoscitur ut Latinum a *Vel. Longo de Orthogr.* p. 2237. *Putsch.* et a *Cassiod. ibid.* p. 2294.; sed caret exemplis.

DĬBUS pro diis. *V.* DEUS.

DĬCA, æ, f. 1. δίκη judicium, causa, actio: a voce Græca allata, quæ primo jus et justitiam significat, deinde hanc etiam, de qua loquimur, significationem habet. Usurpatur autem in lingua Latina in iis tantum casibus, quos subjecta exempla demonstrant. — *a*) *Scribere dicam alicui* est actionem intentare, litem movere, in jus vocare *Cic.* 4. *Verr.* 14. 37. Scribitur Heraclio dica. *Ter. Phorm.* 2. 2. 15. En unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam? Ubi *Donatus*: Dice causa est Græce, quæ fit Latina dica, ut Acte Acta, Calliope Calliopa. *Ter. ibid.* 4. 3. 63. Sescentas scribito mihi dicas, nihil do. Adde *eumd. Adelph.* 1. 2. 77.; *Cic.* 4. *Verr.* 17. 42.; et *Plaut. Aulul.* 4. 10. 30. *Id. Plaut. Pœn.* 3. 6. 5. Cras subscribam homini dicam. *Quintil.* 6. 3. 83. eodem sensu dixit *formulam scribere*. — *b*) *Dicam alicui impingere* eodem sensu dicitur. *Ter. Phorm.* 2. 3. 91. Si tu illam attigeris, dicam tibi impingam grandem. — *Sortiri dicam* et *dicas* est sortiri judices, qui de causa cognoscant. *Cic.* 4. *Verr.* 15. 37. Quo die sese, ex instituto ac lege Rupilia, dicas sortiturum iste edixerat: paratus ad hanc diram sortiendam venerat. *et mox.* Quod lex Rupilia vetaret diebus triginta sortiri dicam, quibus scripta esset. et *paullo post.* Ista omnibus dicis (*al.* judiciis) diem distulit, et eam diem constituit, ut hanc Heraclii dicam sortiri ex lege posset. — Est autem advertendum, *Ter., Plaut., Cic.* ideo præcipue hoc loquendi genere uti a Græcis ducto, quia fere de Græcis rebus forensibus agunt. Nam hi duo poetæ a Græco sermone ac moribus Fabulas suas transtulerunt: et *Cicero* de Siculis loquitur, qui Græca consuetudine et sermone utebantur. — De dicendi ratione *dicis causa* vel *gratia* etc., *V.* DICIS suo loco.

DĬCABŬLA *vel* dicibula, ōrum n. plur. 2. a *dicax*, nugamenta, fabulæ pueriles. *Capell.* 8. p. 273. Inter vatum tumores dicabulis cavillantibus saleque contenta Satyra. *Tertull. advers. Valentinian.* 20. Meminerat Ptolemæus puerilium dicibulorum, in mari poma nasci, et arbore pisces. — Etiam *dicibile* legitur in *Gloss. Philox.* Dicibile, λεκτόν, ῥητόν. Hinc tamen a *dico*, is derivatum videtur.

DĬCĀCĬTAS, ātis, f. 3. proprie significat sermonem cum risu alios lacessentem, ut *Quintil.* 6. 3. 21. docet: eminet autem maxime in quadam veluti jaculatione verborum, et inclusa breviter urbanitate, qua salsa et civiliter simul ingenueque aliquis præstringitur. Ejus duo sunt genera: alterum quod modo dictum est: alterum scurrile et scænicum. *Cic.* 2. *Orat.* 54. 218. Duo genera sunt facetiarum: alterum æquabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve: illa a veteribus cavillatio, hæc dicacitas nominata est. *et ibid.* 60. 244. Scurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda est. Adde *eumd. Orat.* 26. 87. *Sueton. Vesp.* 22. Erat dicacitatis plurimæ; et sic scurrilis ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abstineret. *et ibid.* 23. Affectare dicacitatem. Adde *Apul.* 1. *Met.*

DĬCĀCŬLĒ, adverb. dicacula ratione, acute, mordendo. *Apul.* 1. *Met.* In eam dicacule probrum dixerat. *Id.* 8. *ibid.* Sic præco lurconem tractabat dicacule.

DĬCĀCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* dicax, loquax, garrulus, acute mordax in dicendo. *Plaut. Asin.* 3. 1. 8. Satis dicacula es amatrix. *Apul.* 2. *Met.* Lepida et dicacula puella. *Id.* 3. *ibid.* Dicaculus sermo.

DĬCÆŎLŎGĬA, æ, f. 1. δικαιολογία, est hoc nomine figura rhetorica, qua rei alicujus justitia plene in luce collocatur: a δίκαιος *justus* et λέγω *dico*. *Rutil. Lup.* 3. p. 81.

DĬCASSIT dixerit. *Paul. Diac.* p. 75. 15. *Müll.* Est qui putat pro *dixerit* legendum esse *dicaverit*.

DĬCĀTĒ, adverb., cujus Superl. translate tantum occurrit in *Inscript.* apud *Rénier.* 3455. DICATISSIME DEVOTI NVMINI EIVS FECERVNT. *h. e.* omnino addicti ac devoti.

DĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus dicandi. ¶ 1. Dicatio est actus tradendi, addictio. *Cic. Balb.* 11. 28. Duarum civitatum civis esse nemo potest: non esse hujus civitatis civis, qui se alii civitati dicarit, potest. Neque solum dicatione, sed etiam postliminio potest civitatis fieri mutatio. V. *Klotz* ad *h. l. vol.* 3. *p.* 1053. ¶ 2. Est etiam titulus honoris. *Imp. Licinius* apud *Lactant. Mort. pers.* 48. *ante med.* ad *præsidem Bithyniæ*. Quare scire dicationem tuam convenit, etc. *et mox*. Intelligit dicatio tua etc. *Cassiod.* 11. *Variar.* 7. Per diœcesin dicationis tuæ, solemni moderamine custodito, possessorem te præcipimus admonere, ut etc. *Id. ibid.* 9. Quapropter dicatio tua per loca celeberrima proponi faciat destinata. Adde *Cod. Theod.* 11. 30. 1. et 21. ¶ 3. Item pro laudatione occurrit in *Cod. Theod.* 9. 34. 2.

DĬCĀTŪRA, æ, f. 1. dicatio, dedicatio. *Plin. præf. Hist. nat.* (19). Nec fiducia operis hæc est: sed in dicatura multa valde pretiosa ideo videntur, quia sunt templis dicata. *Al. rectius leg.* Hæc fiducia operis, hæc est indicatura. Multa valde etc.

DĬCĀTUS, a, um. *V.* DICO, as.

DĬCAX, ācis, adject. (dico). Comp. *Dicacior* et Sup. *Dicacissimus*. — Dicax est qui risus causa, ad salsa dicta facilis ac promptus est, acute mordax in dicendo, maledicus. *Plaut. Truc.* 3. 2. 14. Jam postquam in urbe crebro commoveo, dicax sum factus; jam sum cavillator probus. *Cic. Orat.* 26. 90. Demosthenes non tam dicax fuit, quam facetus. Est autem illud acrioris ingenii, hoc majoris artis. *Id.* 2. *Orat.* 60. 244. Granio nemo dicacior. Adde *Liv.* 22. 34. Rursus *Cic.* 2. *Phil.* 31. 78. Populum etiam in te dicacem reddidisti. *Id. Cæl.* 28. 67. In conviviis faceti et dicaces. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 54. 221. et alibi. *Catull.* 22. 2. Homo est venustus et dicax et urbanus. *Petron. Satyr.* 113. Homo dicacissimus. *Horat. Art. P.* 225. Satyri dicaces. Adde *eumd.* 1. *Sat.* 4. 83; *Cælium* apud *Quintil.* 6. 3. 61; *Quintil.* 6. 3. 14. et 21., et alibi. *Gell.* 12. 2. Dicax argutia. *Seneca Med.* 113. Festa dicax fundat convicia Fescenninus.

DĪCE *et*

DĪCĔBO. *V.* DICO, is.

DĬCHALCON, i, n. 2. δίχαλκον, genus monetæ æreæ minutæ, quæ valebat quartam partem, et, secundum *Plin.* 21. *Hist. nat.* 34. 109. (185)., quintam partem oboli. *Vitruv.* 3. 1. 7. *Schneid.* Quadrantes obolorum, quæ alii dichalca, nonnulli trichalca, dicunt. Ex his *Vitruvii* verbis videtur obolus habuisse chalcos octo, quandoque etiam duodecim, quod postremum quidam Siculis tribuunt. *V.* CHALCUS.

DĬCHŎMĒNĬON, ii, n. 2. Ita vocat *Apul. Herb.* 64. pæoniam herbam, quod ea similis sit lunæ semiplenæ, quæ Græce διχομηνία appellatur.

DĬCHŎNEUTUS, a, um, adject., a δὶς *bis*, et χωνεύω *conflo*, bis conflatus, adulteratus, et adventicia etiam forte materia commixtus. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theod.* 11. 21. 1. Æs quod dichoneutum vocatur, de usu penitus et conversatione tollatur, ac nemini publice hoc habere liceat.

DĬCHŎRĒUS, i, m. 2. διχόρειος, pes metricus ex duobus constans choreis, ut *audiamus*, *civitate*: qui et *ditrochæus* appellatur. *Cic. Orat.* 64. 212. *Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit.* Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset. Adde *Quintil.* 9. 4. 95. et 103.

DĬCHŎTŎMOS *vel*

DĬCHŎTŎMUS, um, adject. διχότομος. *Dichotomos luna*, eadem ac medilunia, dicitur, cum dimidio apparet orbe. Græca vox, quæ aliquando latine scripta reperitur apud *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. et *Firmic.* 4. *Mathes. præf. ad fin.*: a δίχα *bipartito*, et τέμνω *seco*.

DĬCRŎNUS, a, um, adject. δίχρονος a δὶς *bis*, et χρόνος *tempus*: qui duplicis temporis, seu quantitatis est. *Dichronas* vocales appellat *Mar. Victorin. p.* 1966. *Putsch.*, quæ duo tempora habere possunt, et longæ esse, aut breves. *Terentian. de syllab. p.* 2411. *Putsch.* Ceteras tres (vocales *a*, *i*, *u*), quæ supersunt, dichronas cognominant (*Græci*). *Id. de metr. p.* 2391. *Putsch.* Omnibus sed quinque (*vocalibus*) semper utitur (*nostra lingua*) ceu dichronis. Cf. *Pompej. Comment. art. Donat. p.* 23. Omnes vocales dichronæ sunt apud Latinos.

DĬCĬBĪLA *et*

DĬCĬBŬLA. *V.* DICABULA.

DĬCĬMŌNĬUM, ii, n. 2. idem ac dica. *Varro* 6. *L. L.* 61. *Müll.* Hinc antiqua illa: d i c i m o n i u m et d i c i s c a u s a et a d d i c t u s. Ita pro mendoso *dius immo*, quod vulgo legitur, *Müllerus* ex conjectura edidit et ad analogiam vv. *mœchimonium* et *mendicimonium*, quibus *Laberius* gaudebat.

DĬCĬO, ōnis, f. 3. Negant Grammatici, *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 744., *Diomed.* 1. *p.* 288. *Putsch.* et *p.* 316., *Priscian.* 11. *p.* 924. et alii, hujus vocis rectum casum singularem in usu esse; adduntque occurrere tantum casus obliquos singularis numeri, *dicionis*, *dicioni*, *dicionem* et *dicione*: hinc posterioris ævi scriptores videntur, non nativam vocabuli significationem respexisse, sed formulas tantum ac phrases ab antiquis usitatas, in quibus nullus erat Nominativo locus, usurpasse. — Ratione habita etymi, *Voss.* in *Etymol.* a *dite* pro *divite* perperam derivat, quum potius a δίκη *jus*, *judicium*, quod quis alicubi exercet, derivanda vox sit: hinc in *Gloss. Cyrill.* et in *Fragm. jur. Antejustin.* editis ab *A. Maio p.* 60. scribitur *dicio*, et nempe sit a *dica*, quam vocem videsis suo loco: hoc etymon confirmat quantitas penultimæ. Hæc *Forcellinus*; qui tamen *ditio*, non *dicio* exhibet. Rectius vero juxta recentiores philologos *dicio*, ut *postulio*, *religio* etc. (quas voces *V.*) est a verbo *dicere*; nihilque obstat quantitas ipsa penultimæ, quum et *maledĭcus* et *dĭcare* ab eodem etymo deriventur: itaque *dicio*, non *ditio* scribendum est: *Wagner. Orthogr. Vergil. p.* 432. et *Zumpt.* ad *Curt.* 4. 1. 14. — Hinc *dicio* est id quod quis potest vel debet dicere, præcipere, jubere; sive ad litteram est jus dicendi atque imperandi vel jubendi. ¶ 1. Stricto sensu dicio est jus dicendi atque imperandi. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 8. Loquere: aures meas profecto dedo in dicionem tuam. *Cic. Quinct.* 30. 94. Si fas est respirare P. Quinctium contra nutum dicionemque Nævii. *Id.* 2. *Legg.* 7. 15. Dicione atque numine deorum geruntur res. *At hic cum* Orellio *et plerisque recentioribus legendum est* judicio ac numine. *Plin. Paneg.* 4. Cujus dicione nutuque maria, terræ, pax, bellum regerentur. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 15. 39. Hoc capite – omnes gentes – regna decemvirum dicioni, judicio potestatique permissa et condonata esse dico. Cf. *Liv.* 4. 8. Ut decoris dedecorisque discrimen sub dicione ejus magistratus esset. *Cic.* 3. *Verr.* 38. 97. Itaque M. Scaurus – istum in sua potestate ac dicione tenuit. Cf. *eumd.* 2. *leg. Agr.* 27. 74. Ipsum populum Romanum coerceas, opprimas, redigas in istam decemviralem dicionem ac potestatem. *Id.* 6. *Verr.* 27. 60. Abalienati scelere istius a nobis omnes reges amicissimi, nationesque, quæ in eorum regno ac dicione sunt. *Sall. Cat.* 20. Postquam respublica in paucorum potentium jus atque dicionem concessit. *Sil. It.* 7. 508. sed enim dicione carere Virtutem, et pœnas viocentibus esse repostas. *h. e.* imperandi jure. Sunt verba vulgi obtrectantis Fabio cunctatori, qui Minucium magistrum equitum pugnare, se absente, vetuerat. *Sueton. Claud.* 25. Omnes (*servos*) liberos esse sanxit, nec redire in dicionem domini. *Gell.* 5. 19. Tutoribus in pupillos tantam esse auctoritatem – fas non est, ut caput liberum fidei suæ commissum alienæ dicioni subjiciant. ¶ 2. Speciatim dicio est politica nationis regnive alicujus in aliam nationem vel regnum potestas, imperium, dominium. *Plaut. Amph.* 1. 1. 103. Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem et liberos in dicionem atque in arbitratum cuncti Thebano populo. *Cic.* 3. *Verr.* 21. 85. Qui – urbes Achajæ Bœotiæque multas sub imperium populi Romani dicionemque subjunxit. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 20. 66. Ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi Romani dicionemque essent. *Cæs.* 2. *B. G.* 34. Certior factus est, omnes eas civitates in dicionem potestatemque populi Romani esse redactas. *Id.* 1. *B. G.* 31. Neque recusaturos, quominus perpetuo sub illorum dicione atque imperio essent. *Liv.* 26. 21. Civitates omnes, quæ defecerant, in dicionem redegit. *Id.* 21. 53. Pœnum, quod inter Alpes Apenninumque agri sit, suæ dicioni fecisse. *Ovid.* 14. *Met.* 609. Inde sub Ascanii dicione binominis Alba Resque Latina fuit. *Curt.* 4. 4. *extr.* Tyros mare suæ dicionis fecit. *Id.* 4. 1. 26. Regionem urbi appositam dicioni ejus adjecit. — Similiter *Liv.* 21. 61. In jus dicionemque populum recipere. *Id.* 32. 31. Venit in dicionem gens. *Cic. Fontej.* 1. 3. Provinciæ ceciderunt sub populi Romani imperium dicionemque. *Id. Prov. cons.* 13. 32. Totam Galliam in nostram dicionem esse redigendam. *Curt.* 6. 5. Se permittere dicioni alicujus. *Cæs.* 1. *B. C.* 33. Æduos in servitute atque in dicione Germanorum teneri. *Virg.* 1. *Æn.* 240. et 626. Dicione tenere aliquam regionem, aut populum. *Liv.* 30. 7. Voluntate concedere in dicionem. *Virg.* 7. *Æn.* 737. Late dicionem premere populos. *Sueton. Vesp.* 8. Commagenem, dicionis regiæ usque ad id tempus, in provinciarum formam redegit. *h. e.* quæ regia consuetudine ac legibus ab uno regebatur.

DĬCIS causa *vel* gratia, est peculiaris Genitivi forma, Genitivus sui generis, ut docet *Charis.* 1. *p.* 23. et 73. *Putsch.*, a Genit. Græco δίκης, qui a Nom. δίκη (*V.* DICA): fallitur autem *Varro*, qui 6. *L. L.* 61. *Müll.* a verbo *dicere* deducit. Itaque *dicis causa* vel *gratia*, est νόμου χάριν, ut Glossæ recte interpretantur; scilicet — *a*) Significat primo, juris seu justitiæ causa, hoc est servandi causa speciem justitiæ et æquitatis. *Cic.* 6. *Verr.* 24. 53. Tamen, ut posset dicere emisse, Archagatho imperat, ut aliquid illis quorum argentum fuerat, nummulorum dicis causa daret. *nempe* ut aliqua esset imago emptionis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (27). Si pontifici accidat, dicis causa epulanti. *h. e.* rite peragendæ expiationis causa. *Sillig* vero pro *dicis* legit *Ditis*. — *b*) Deinde moris, consuetudinis causa, non serio, sed perfunctorie et ad speciem; neque ut officio plene fungamur, sed ad vitandam solummodo reprehensionem. *Nepos Att.* 8. Ita ut Brutus et Cassius provinciarum, quæ iis dicis causa datæ erant a Coss. desperatis rebus, in exsilium proficiscerentur. *h. e.* ut viderentur habere justam causam discedendi Roma. *Cic.* 1. *Att.* 18. *a med.* Imminuit auctoritatem suam, quod habet dicis causa promulgatum illud idem de Clodio. *Al.* habere dicit causam *legunt*. *Ulp. Dig.* 29. 5. 1. § 34. Si finxit se quis auxilium ferre, vel dicis causa tulit, nihil hoc commentum ei proderit. *Cajus ibid.* 13. 6. 4. Sæpe ad hoc commodantur pecuniæ, ut, dicis gratia, numerationis loco intercedant. *Id.* 2. *Institut.* 252. Dicis causa nummo uno venire. *Id.* 2. *ibid.* 103. Dicis gratia emptor adhibetur. *Arnob.* 3. 10. Alias quidem esse diis formas, sed honoris et dicis causa species vos eis accommodavisse mortalium. — *Varro* quoque 6. *L. L.* 61. *Müll.* bis usurpat, et antiquam esse formam dicendi testatur. Porro priore loco etiam *dicis imo* legitur, quod idem esse videtur, si integra est lectio: pro quo et *dicis ergo* dici notat *Scalig.* cujus ego exempla nondum vidi. Hæc *Forcellinus*. At pro *dicis imo* legendum *dicimonium* conjecit *Müll. V.* DICIMONIUM.

DĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Dicans* sub *B.* 1.; *Dicatus* sub *B.* 1. 3. et in fin.; *Dicaturus* sub *B.* 2. et 3.; *Dicandus* sub *B.* 3. — Quod ad etymon attinet, hæc *Forcellinus*: Videtur esse a *liquo*, *as*, pro *liquo*, *as*, liquidum seu planum facio, aperio, aliis videndum trado, mutata nempe *l* in *d*: nam, teste *Festo* (seu rectius *Paul. Diac. p.* 70. 1. *Müll.*) delicata antiqui dicebant, quæ deinde dedicata. *V.* DELICO. Recte tamen verbum *dico*, *as* deducas licet ex δικάω pro δικάζω, unicuique, quod ei debetur, tribuo, trado; ut *amo* est ab ἀμάω: quod etymon confirmat etiam quantitas syllabæ penultimæ. Hucusque *Forcellinus*. Rectius vero recentiores plerique omnes *dicare* deducunt a *dicere*, ut *appellare* ab *appellere*; unde ipse *Paul. Diac. p.* 75. 15. D i c a s s i t dixerit. Hinc *Leg. XII. Tabul.* QVI FALSVM TESTIMONIVM DICASIT, SAXO TARPEJO DEJICITOR. Cf. quæ dicta sunt in v. EXPATARE. Quod autem ad quantitatem penultimæ syllabæ, *V.* quæ dicta sunt in v. DICIO init. — Hinc *dicare* *A*) Latiori sensu est rem aliquam notam facere, indicare, nunciare; et *B*) Strictiori sensu ac sæpius est tradere, attribuere, deferre, dedere, dedicare, consecrare.

A) Latiori sensu est rem aliquam notam facere, indicare, nunciare. *Lucilius* apud *Non. p.* 287. 30. *Merc.* sicubi ad aures Fama tuam pugnam clarans allata dicasset. *Catull.* 64. 225. Inde infecta vago suspendam lintea malo, Nostros ut luctus nostræque incendia mentis Carbasus obscurata dicet ferrugine Ibera. Ita leg. *Vossius* et *Vulpius*; at melius *Döringius* obscura dicat ferrugine Ibera. *h. e.* ostendat, monstret.

B) Strictiori sensu ac sæpius est tradere, attribuere, deferre, dedere, dedicare, consecrare (It. *dare, offerire, dedicare, consecrare*; Fr. *dedier, consacrer, vouer*; Hisp. *ofrecer, dedicar, consagrar*; Germ. *weihen, widmen, überlassen, übergeben, hingeben*; Angl. *to give, offer, give up, set apart, dedicate, devote, consecrate, vow*). Occurrit ¶ 1. Generatim — *a*) De iis fere, quæ dicantur hominibus. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 72. Ubi lubet, recita: aurium operam tibi dico. Sic *Ter. Phorm.* 1. 2. 12. Hanc operam (*scilicet audiendi*) tibi dico. Ubi *Donatus*: Plus est *dico*, quam *do*: *dicatur* perpetuo, *datur* ad tempus. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Dicare se alicui in clientelam. *Id.* 6. *ibid.* 12. se alicui in servitutem. *Cic.* 3. *Orat.* 3. 11. Qui tum adolescentes Crasso se dicarant. *h. e.* dediderant disciplinæ atque institutionis gratia. *Id.* 2. *legg.* 3. 7. Ordire igitur: nam hunc totum tibi dicamus diem. *h. e.* assignamus, tribuimus, tuum esse volumus. *Id. Balb.* 11. 28. Dicare se alii civitati. et *ibid.* 12. 30. in aliam civitatem. *h. e.* nomen suum alii civitati dare. *Virg.* 1. *Æn.* 76. Deiopeam Connubio jungam stabili propriamque dicabo. Adde *Val. Flacc.* 3. 535. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 10. 57. (177). Dicavit librum Mæcenati. *Id. Præfat. Hist. nat.* (6). Similis est conditio publicantium et nominatim tibi dicantium. *Id.* 37. *ibid.* 10. 66. (178). Carmen dicatum Veneri. *Vopisc. Prob.* 8. Dicare equum Probo. *Sil. It.* 5. 675. huic fata dicarint imperium. — *b*) De rebus, quibus aliquis se aut alias res dicat. *Cic.* 2. *Fam.* 6. 4. A te peto, ut huic meæ laudi, vel prope saluti tuum studium dices. *Id. Orat.* 13. 42. Genus epidicticum pompæ, quam pugnæ aptius, gymnasiis et palestræ dicatum, pulsum foro. *Seneca Hippol.* 231. Annos dicare vitæ cœlibi. *Id. ibid.* 487. Dicare se jugis montium. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 15. (75). Ptisanæ laudibus volumen dicavit Hippocrates. *Id.* 20. *ibid.* 9. 33. (78). Chrysippus brassicæ volumen dicavit. *Id.* 12. *ibid.* 22. 47. (105). Dicamus et de junco, quamvis alio herbis dicato volumine. *Id.* 34. *ibid.* 4. 9. Olympiæ omnium, qui vicissent, statuas dicari mos erat. *Id.* 34. *ibid.* 3. 8. (14). (*Mensæ*) Delphicæ sic dictæ, quoniam dona maxime Apollinis dicabantur. *h. e.* destinabantur sustinendis donis Apollini Delphico oblatis. *Capitolin. Anton. Phil.* 5. Dicare Circenses natali suo. *Lamprid. Alex. Sev.* 50. uniones inauribus. ¶ 2. Speciatim ponitur pro primum adhibere, encæniare. *Tac.* 5. *Hist.* 16. Nova signa novamque aquilam dicaturos. ¶ 3. Item speciatim est verbum sacrum seu religiosum, et significat alicui numini dedicare, consecrare. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 73. Cygni Apollini dicati. *Id.* 7. *Verr.* 72. 184. Donum Jovi dicatum atque promissum. Adde *Liv.* 1. 7. Ara condita atque dicata. *Ovid.* 1. *Fast.* 706. Ledæis templa dicata deis. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 704. *Curt.* 4. 4. Dicare urbem Herculi. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 3. 8. (14). lychnuchum Apollini. *Id.* 7. *ibid.* 26. 27. (97). delubrum Minervæ ex spoliis. *Tac. Germ.* 40. vehiculum numini. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 38. 39. (126). In templo tabulas dicaturus. *Id.* 16. *ibid.* 4. 4. (10). Dicandæ in templo coronæ. Alter *Plin. Paneg.* 11. Dicare cœlo Augustum. — Hinc ¶ 4. Est etiam inter deos referre. *Tac.* 1. *Ann.* 59. Augustus dicatus inter numina. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 16. (33). Janus geminus a Numa dicatus. Adde *eumd.* 36. *ibid.* 5. 4. (27).; et *Curt.* 8. 5. 11. Rursus *Plin.* 8. *ibid.* 48. 74. (197). Signum Fortunæ ab eo dicatæ. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima in omnibus paragr. exempla retulimus.

Dicatus, a, um, adjective quoque occurrit: unde Sup. *Dicatissimus* in *Inscript.* apud *Gruter.* 258. 6. IMP. CAES. MARIO ANTONINO VERO VALERIUS JULIANVS NVMINI MAJESTATIQVE EJVS SEMPER DICATISSIMVS. Adde *alias* apud *eumd.* 273. 5., 246. 3., 270. 4. et 271. 1.; et apud *Orell.* 1083. et alibi.

DICO, cis, xi, ctum, cere, a. 3. Antiquæ hujus verbi formæ sunt: — *Dixti* pro *dixisti* apud *Plaut. Men.* 5. 9. 39. et *Mil. glor.* 2. 4. 12.; *Ter. Andr.* 3. 2. 38. et 3. 1. 14.; et *Cic. Cæcin.* 29. 82. et apud *Quintil.* 9. 3. 22. — *Dixis* pro *dixeris* apud *Plaut. Capt.* 1. 2. 46. et *Asin.* 5. 1. 12.; et *Cæcilium* apud *Gell.* 7. 17. — *Dixe* pro *dixisse* apud *Varron.* apud *Non.* p. 451. 16. *Merc.*; *Arnob. sub init. lib.* 5.; *Auson. in VII. Sap. in Lud. de Cleobul.* 8.; et *Plaut. fragm.* apud *Non.* p. 105. 23. *Merc.*, ubi tamen alii *Dixisse*. — *Dicem* futurum pro *dicam* apud *Catonem* teste *Quintil.* 1. 7. 23. — *Dicebo* pro *dicam* habet *Novius* apud *Non.* p. 507. 4. *Merc.* Primum quod dicebo recte; Secundum quod dicebo eo melius. — *Dice* Imperativum pro *dic* apud *Plaut. Capt.* 2. 2. 109., *Curc.* 1. 2. 43., *Bacch.* 4. 4. 65., *Merc.* 1. 2. 47. et *Rud.* 1. 2. 36.; et *Quintil.* 1. 6. 21. Usus est etiam *Virg.* si fides habenda *Q. Rehmn. Palæmoni de Grammat.* p. 1382. *Putsch.*, item *Nævius* apud *Paulum Diac.* — *Dicier* paragoge est pro *dici*. *Pers.* 1. 28. — Denique *dixĕre* penultimâ correptâ pronunciare præconem affirmat *Quintil.* 1. 5. 43. — Part. *Dicens* I. 1. 1.° *a.*; *Dictus* I. 4. et 5.; *Dicturus* et *Dicendus* I. 1. 1.° *a.* — *Dico*, ratione habita etymi, est a ΔΕΙΚΩ pro δείκνυμι *ostendo*; atque hinc in vetustis monumentis tum æreis, tum marmoreis *deico, deicis, deixi* (vel etiam *deixsi*), *deictum, deicere* pro *dico* etc. legitur. Itaque *dicere* proprie est ostendere, demonstrare; hinc verbis ostendere, verbis proferre; atque adeo loqui, narrare, referre, declarare (It. *dire, parlare, riferire, narrare*; Fr. *dire, parler, déclarer, raconter, faire mention, donner avis, exposer*; Hisp. *decir, hablar, pronunciar, declarar, exponer*; Germ. *sagen, berichten, erzählen, erklären*; Angl. *to speak, say, tell*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Activa forma; et quidem — *a*) Cum Accusativo rei, quæ dicitur. *Plaut. Amph.* 1. 1. 13. Mendacium dicere. Sic *Q. Cic. Petit. cons.* 12. 47. Dicere mendacium alicui. Rursus *Plaut. Amph.* 1. 1. 238. Vera dicere. *Ter. Heaut.* 5. 4. 19. Dicere verbum turpe. *Id. Adelph.* 3. 5. 32. Pro certo dicere aliquid. — *Dicere testimonium, salutem, delicias*, etc. *V.* in illis nominibus. — *Cic.* 3. *Orat.* 12. 45. Ut ille, quem dixi. *h. e.* memoravi. — Præcipue cum pronomin. *Ter. Heaut.* 3. 2. 9. Quod dici solet. *Id. Adelph.* 1. 1. 3. Profecto hoc vere dicunt. *subaudi* homines, sive profecto verum est quod dici solet. *Cic.* 1. *Parad.* 1. 6. Dicam, quod sentio. *Id. Quinct.* 22. 70. Unum illud dico: si etc. *Id. Brut.* 97. 333. Cotta, Sulpicius, Hortensius: nihil dico amplius; tantum dico, si mihi etc. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 11. 36. Nihil dico de meo ingenio, neque est, quod possim dicere; neque si esset, dicerem. *Liv.* 21. 18. Adversus quod nihil ego dicturus sum. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 72. Ut ventum ad cœnam est, dicenda tacenda locutus. *Nepos Alcib.* 8. Id vere dictum Philocles animadvertebat. *Liv.* 23. 22. *ad fin.* Id omnium maxime tegendum, obliviscendum, pro non dicto habendum. — *b*) Cum Accusativo et Infinito. *Lucret.* 1. 691. Dicere porro ignem res omnes esse, neque ullam Rem veram in numero rerum constare, nisi ignem, etc. Adde *eumd.* 1. 862., 3. 664. et alibi sæpe. *Cic.* 1. *Cat.* 4. 8. Dico, te priori nocte venisse inter falcarios in M. Leccæ domum. *Id. Dom.* 36. 95. Dico igitur, et quam maxima possum voce dico: quum omnium perditorum — vis — in me impetum faceret — me vidisse etc. Adde *Sall. Cat.* 48.; et omnes fere, præcipue prosæ sciptores, passim. Sic *Nepos Miltiad.* 3. Ne conficeretur, obstitit, dicens, non idem ipsis — expedire. Part. *Dicens* occurrit etiam apud *Plin.* 4. *Ep.* 9. — Huc pertinet et illud *Plaut. Curc.* 4. 2. 27. Bene dictum hi esse dico. *c*) *Dictu* frequenter occurrit. *Ter. Heaut.* 5. 1. 68. Ita dictu opus est. *Liv.* 30. 34.; et *Curt.* 4. 2. 10. Parva dictu res. *Liv.* 1. 23. et *Curt.* 5. 1. 8. Speciosa dictu. *Nepos Hann.* 6.; *Sall. Jug.* 64.; *Liv.* 26. 15.; *Vellej.* 2. 45. 2. Incredibile dictu. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 2. (1). Mirum dictu. — *d*) Absolute; et quidem — Cum additis per aliam atque integram propositionem. *Cic.* 13. *Att.* 25. Etiam atque etiam dico: tuo periculo fiet. *Id.* 15. *ibid.* 19. Dic mihi. C. Antonius voluit ne etc. *Modestin. Dig.* 38. 10. 4. *a med.* Sic enim Helena ad Hectorem dicit: Δᾶερ ἐμεῖο κυνός etc. ubi nota *dicere ad aliquem* pro *alicui*. — Sequente part. *ut*, vel *utrum — an*. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 3. 11. Dicam, ut res est. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 24. Utrum plus dignitatis an voluptatis sit allaturus, non facile dixerim. — Sæpe *ut dico, ut ita dicam*, vel *dicam*, etc. interseruntur. *Lucret.* 4. 1205. Quare etiam atque etiam, ut dico, est communi' voluptas. *Cic.* 3. *Verr.* 52. 137. Venit ad Chelidonem C. Mustius etc., venit M. Junius etc., venit P. Potitius tutor etc., veniunt, ut dico, ad Chelidonem: domus erat plena etc. *Sall. Cat.* 58. Postquam, uti dixi, senatus in Catonis sententiam discessit. *Cic. Brut.* 70. 246. Celeriter sane verba volvens, nec hebes in causis: vel dicam, plus etiam quam non hebes. *Petron. Satyr.* 2. Grandis et, ut ita dicam, pudica oratio non est. — Sine additis. *Plaut. Rud.* 1. 2. 25. Dicere inclementer homini libero. *h. e.* verbis eum lædere. *Ter. Eun.* 2. 3. 45. Heus, heus, tibi dico. *h. e.* tecum loquor. *Cic.* 3. *Verr.* 55. 143. Dic, dic, quæso, clarius. — *e*) *Quid enim dicam?* est nolentis aliquid gravius dicere. *Cic.* 10. *Att.* 11. Itaque habet hæc quoque, quæ nascuntur ex indulgentia: sed ea sunt tolerabilia: quid enim dicam, hac juventute? *Id.* 1. *Nat. D.* 44. 124. Si maxime talis est Deus, valeat. quid enim dicam, propitius sit? — *f*) *Volui dicere* est se corrigentis. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 6. Sorbet dormiens. PA. Quid sorbet? LV. Illud, stertit, volui dicere. Adde *eumd. Pseud.* 3. 2. 55. — *g*) *Dicet aliquis*, et *dices* adhibentur in occupationibus. *Cic.* 3. *Tusc.* 20. 46. Dicet aliquis: quid ergo? tu etc. *Id. Rosc. Am.* 33. 94. Dices, quid postea? — *h*) *Diceret*, dicere posset, excusando se. *Ter. Andr.* 1. 1. 111. Nec satis ad objurgandum causæ: diceret quid feci? etc. — *i*) *Diceres*, putares, crederes. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (124). Cornua erecta, rugarumque ambitu contorta, et in leve fastigium exacuta, ut liras diceres, strepsiceroti. — *l*) *Dixit, dixerat*, a Poetis passim ponuntur, quum quis dicere desiit. — Præterea *dixi* formula est forensis. Moris enim fuit veterum, quum satis visum esset fluxisse verborum, hanc sibi necessitatem finiendæ orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, *dixi*: quod etiam, ab utraque parte oratione consumpta, ut in consilium judices dimitterentur, præco (*al.* prætor) soleret pronunciare *dixerunt*. Hæc *Ascon. in fin. Verr.* 2. p. 152. *Bait.* et *ad* 3. *Verr.* 9. 26. p. 165. *Bait.* — *m*) Eleganter aliquando hoc verbum omittitur, et facile subintelligitur, quum aliquem loquentem inducimus. *Liv.* 1. 9. Legatos misit, qui connubium peterent: urbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci, etc. *Phædr.* 1. 29. Repressit iram, et, facilis vindicta est mihi. Adde *eumd. ibid.* 30. et 4. 23. *Petron. Satyr.* 34. Ut audivi veterem convivam: hic nescio quid boni debet esse. Persecutus putamen manu, pinguissimam ficedulam inveni. — 2.°) Passive. — *a*) Cum Nominativo et Infinito, quemadmodum et *videor*, *dicor* est habeor, putor, censeor. *Plaut. Rud.* 1. 2. 72. Illi socius esse diceris. *Id. Asin.* 2. 3. 2. Demænetus ubi dicitur habitare. *Ter. Phorm.* 5. 2. 2. Dum nimium dici nos bonos studemus. *Cic.* 3. *Nat. D.* 22. 57. Æsculapius, qui specillum invenisse, primusque vulnus obligavisse dicitur. *Id. ibid.* 18. 45. Aristæus olivæ dicitur inventor. *Horat.* 3. *Od.* 30. 10. Dicar — Princeps Æolium carmen ad Italos Deduxisse modos. *Id. Art. P.* 393. Dictus ob hoc (*Orpheus*) lenire tigres rabidosque leones. Dictus et Amphion, Thebanæ conditor arcis, Saxa movere sono testudinis. *Id.* 2. *Od.* 19. 26. *de Baccho*. Choreis aptior et jocis dictus. *Quintil.* 4. 4. 6. A quo accepisse mutuam dicor. Adde *Sueton. Tit.* 9., *Ner.* 32. et *Aug.* 27. et 28. — *b*) Interdum Nominativum et Infinitum excipit Accusativus et Infinitus. *Auct. B. Afr.* 28. *in fin.* Petisse dicitur major Titus a centurionibus, uti se priorem, quam fratrem, interficerent: idque ab eis facile (*scilicet* eum) impetrasse, atque ita esse interfectos. Sic *Sueton. Oth.* 7. Dicitur ex nocte per quietem pavefactus gemitus maximos edidisse: — postridie quoque in augurando tempestate orta graviter prolapsum (*eum*), identidem obmurmurasse etc. — *c*) Impersonaliter; et quidem — Pronominibus junctum. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 150. Vere enim etiam illud dicitur, perverse dicere homines perverse dicendo facillime consequi. *Quintil.* 11. 3. 177. Vere hoc dictum est, caput esse, decere, quod facias. — Cum Accusativo et Infinito sine pronominibus. *Ter. Andr.* 4. 5. 1. In hac habitasse platea dictum' st Chrysidem. Cf. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano. *Quintil.* 6. 1. 27. Nec sine causa dictum, nihil facilius quam lacrimas inarescere. *Cæs.* 1. *B. G.* 46. Tamen committendum non putabat, ut, pulsis hostibus, dici posset, eos a se per fidem in colloquio circumventos. *Liv.* 42. 53. Tantum jussis ad iter parare (jam enim dici, movere castra ab Nymphæo Romanos) concione dimissa, etc. *Tac.* 1. *Ann.* 10. Dicebatur contra, pietatem erga parentem et tempora reipublicæ obtentui sumpta: ceterum cupidine dominandi concitos per largitionem veteranos, etc. *Nepos Pausan.* 5. Dicitur, eo tempore matrem Pausaniæ vixisse. *Cic.* 3. *Fin.* 18. 60. Sed quum ab his omnia profi-

ciscantur officia, non sine causa dicitur, ad ea referri omnes nostras cogitationes. *Quintil.* 7. 2. 44. Vulgo dicitur, scelera non habere consilium. — *Ut dicitur, ut dictum est* sæpius interseritur. *Cic.* 3. *Orat.* 40. 162. Quamvis sphæram in scænam, ut dicitur, attulerit Ennius. *Nepos Dion.* 9. Hic, sicut ante sæpe dictum est, quam invisa sit singularis potentia – cuivis facile intellectu fuit. — Formula etiam *de quo dictum est* huc referri potest. *Nepos Epam.* 10. Hujus de virtutibus vitaque satis erit dictum, si hoc unum adjunxero. *Id. Reg.* 3. De quibus quoniam satis dictum putamus, etc. Cf. *eumd. Hann.* 5. Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit. *Id. Att.* 2. Ita ut neque usuram unquam ab iis acceperit, neque longius, quam dictum esset, eos debere passus sit. — *d*) Hinc proverbium *dictum factum* et *dictum ac factum*, quod celeritatem significat et post verba rem statim secutam, Gr. ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον, λεχθὲν καὶ πραχθέν. *Ter. Andr.* 2. 3. 7. Dictum ac factum, invenerit aliquam causam, quamobrem ejiciat oppido. *Id. Heaut.* 5. 1. 31. Dictum factum, huc abiit Clitipho. *Id. ibid.* 4. 5. 12. Dictum ac factum reddidi. *h. e.* statim feci. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 5. AESCVLAPIO DICTV ET FACTV ISOCHRYSVS. *h. e.* statim atque Æsculapius in somniis admonuit, Isochrysus fecit. ¶ 2. Speciatim *dicere* est affirmare, aliquid pro certo affirmare, certum contendere. *Ter. Eun.* 2. 2. 20. Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque. *Cic.* 3. *Fam.* 8. 5. Disputabant; ego contra disserebam: dicebant; ego negabam. *Id.* 1. *Tusc.* 6. 12. Quem esse negas, eumdem esse dicis. *Justin.* 24. 49. Actum de Macedonia dicens. Hinc ¶ 3. Item sæpius apud Rhetores et Jurisprudentes est orationem recitare, causam agere, referre. — *a*) Cum Accusativo. *Cic. Planc.* 30. 74. Oratio – quæ dicta de scripto est. *h. e.* recitata. Cf. *eumd.* 2. *Invent.* 48. 142. de scripto et contra scriptum. *Id. Orat.* 56. 189. Dicere versus. *Quintil.* 11. 3. 161. exordia. *Id.* 3. 8. 51. controversias. *Id.* 2. 4. 41. materias. *Cic. Rosc. Am.* 5. 12. et *Sext.* 8. 18.; et *Quintil.* 8. 2. 24. causam. *Cic.* 2. *Orat.* 8. 32. causas. *Id. Flacc.* 3. 6. jus. — *b*) Sine Accusativo; et quidem — Absolute omnino. *Cic. Brut.* 49. 182. In tam vetere republica maximis præmiis eloquentiæ propositis, omnes cupisse dicere (*h. e.* causas), non plurimos ausos esse, potuisse paucos. — Ceterum in re oratoria aliud est *loqui*, aliud *dicere*; illud, breviter et sine ornamentis verba facere; hoc, copiose, ornate et ex arte. *Cic. Orat.* 32. 113. Aliud videtur esse oratio, nec idem loqui esse, quod dicere: disputandi ratio et loquendi dialecticorum sit; oratorum autem dicendi et ornandi. *Id. ibid.* 39. 136. Nec aliud quidquam est dicere, nisi omnes, aut certe plerasque illuminare sententias. *Id.* 1. *Off.* 1. 2. Est oratoris proprium apte, distincte, ornate dicere. *Id.* 1. *Tusc.* 4. 7. Aristoteles quum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam cœpit, etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 43. 134. Diserte copioseque dicere. *Id. ibid.* 47. 146. eleganter. *Id.* 1. *Off.* 1. 4. gravissime et copiosissime. *Id. Brut.* 14. 57. Dicitur etiam C. Flaminius ad populum valuisse dicendo. *Id.* 1. *Off.* 1. 1. Exercitatio dicendi. *Id. Partit. orat.* 1. 3. Doctrina dicendi. Adde *Sueton. Cæs.* 55., *Aug.* 36., *Gramm.* 10., *Rhet.* 4., *Galb.* 3. et *Claud.* 4.; et *Quintil.* passim. *Sueton. Gramm.* 4. Dicere aut scribere. *Id. Cæs.* 4. Dicendi magister. Adde *eumd. Aug.* 89. et *Plin. Paneg.* 47. — Hinc ars dicendi est rhetorica. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 5. Nullam artem esse nec dicendi, nec disserendi putant. — Cum additis. *Quintil.* 11. 3. 156. Dicere de causa. Adde *eumd.* 2. 21. 8. et 7. 7. 10. Sic *Cic. Opt. gen. Orat.* 4. 10. de re privata ad unum judicem. Cf. *Cic.* 5. *Phil.* 19. 53. Dixi ad ea omnia, Coss., de quibus retulistis. *h. e.* dixi de omnibus, vel respondi ad omnia. — *Cic.* 11. *Att.* 12. acerbe in aliquem. *Quintil.* 11. 1. 63. et 4. 1. 11. in aliquem. Sic *Capitolin. Anton. Phil.* 25. in Marcum pro Cassio. — *Cic.* 2. *Orat.* 23. contra quempiam pro aliquo apud centumviros. *Quintil.* 11. 1. 57., 9. 3. 50. contra aliquem. — *Id.* 10. 1. 22., 4. 3. 17. et 9. 2. 88. pro aliquo. — *Cic. Dom.* 11. 27. apud populum. *Id. Brut.* 20. 80. ad populum. *Quintil.* 4. 1. 3. et 11. 3. 134. apud aliquem. *Seneca* 4. *Contror. procem.* populo. *h. e.* apud populum. — *Cic. Dom.* 11. 27. senatui. *h. e.* in senatu. *Quintil.* 5. 13. 59. in foro. *Id.* 11. 3. 27. in sole. *Id.* 12. 5. 6. in basilica Julia. — *c*) *Dicere sententiam* est senatoris, in senatu de republica quid sentiat exponentis: pro quo etiam *dicere* absolute usurpatum legitur. *Plin.* 9. *Ep.* 13. Jam censendi tempus: dicit Domitius consul designatus, dicit Fabricius, Fabius, Vectius, etc. — Hinc illa formula consulis senatorem ad sententiam dicendam excitantis *dic*, *M. Tulli*: cujus meminit *Cic.* 7. *Att.* 1. et 3. ¶ 4. Item narrare, describere, laudare scriptis versibus, aut aliquando oratione. *Tibull.* 1. 3. 31. tibi dicere laudes. *Virg.* 10. *Ecl.* 6. Galli dicamus amores. *Id.* 4. *ibid.* 54. tua dicere facta. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 8. Ennius nunquam, nisi potus, ad arma Prosiluit dicenda. *Id.* 1. *Od.* 21. 1. Dicere Dianam. *Id. ibid.* 12. 25. Alciden. *Id.* 1. *Ep.* 1. 1. Prima dicte mihi, summa dicende Camena, – Mæcenas. *Id. ibid.* 16. 26. bella. *Id.* 2. *ibid.* 1. 66. antiqua dure. *Id.* 3. *Od.* 11. 7. modos. *Id.* 1. *ibid.* 32. 3. carmen. *Val. Flacc.* 2. 244. non ulla meo te carmine dictam Abstulerint, durent Latiis modo sæcula fastis. *Nemesian.* 1. *Ecl.* 22. Dicat honoratos prædulcis tibia Manes. *Sueton. Vitell.* 11. Ut citharœdus aliquid de Domitio diceret. *h. e.* caneret. *Trebell. Poll. Gall.* 11. Poetæ epithalamium dixissent. *Lamprid. Elagab.* 31. Ad tibias dixit. *h. e.* cecinit. *Plin. Hist. nat. præfat.* (19). Patrem, te, fratremque diximus opere justo, temporum nostrorum historiam orsi. *h. e.* de patre, te, et fratre diximus. *Id.* 35. *ibid.* 11. 40. (146). Sunt etiam non ignobiles quidem, in transcursu tamen dicendi, Aristocydes, Anaxander, etc. *h. e.* commemorandi. *Vellej.* 2. 18. Mithridates, vir neque silendus, neque dicendus sine cura. *Vopisc. Firm.* 1. Dictis Aureliano, Tacito, etc. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 40. (138). Nunc dicemus silvestrium naturas. *Trebell. Poll. Claud.* 13. Dicere res bellicas. — Hinc ¶ 5. Quemadmodum *canere* et similia, etiam *dicere* a Poetis usurpatur pro prædicere, vaticinari. *Propert.* 4. 1. 49. tremulæ cortina Sibyllæ Dixit, Aventino rura pianda Remo. *Tibull.* 1. 7. 61. Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, pœnas. Multa *Heins.* in hanc rem congessit ad illud *Ovid. Heroid.* 5. 33. Illa dies fatum miseræ mihi dixit. *Horat. Art.* 6. 403. dictæ per carmina sortes. *Id.* 3. *Od.* 3. 57. Sed bellicosis fata Quiritibus Hac lege dico. *ubi tamen dico potest etiam esse* indico, præfinio. Adde *Ovid.* 4. *Trist.* 8. 43. ¶ 6. Aliquando *dicere* est pronunciare. *Cic.* 1. *Orat.* 61. 260. Quum Demosthenes ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere. *Id.* 2. *Divinat.* 46. 96. Quum rho dicere nequiret. Adde *Quintil.* 1. 7. 21. et 12. 10. 29. *Curt.* 6. 9. 36. Sermonem dicere. *h. e.* dialectum: V. *Mützell* ad h. l. ¶ 7. Item assignare, statuere, constituere, indicere, jubere. — *a*) Fere cum Accusativo. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 113. Bona mea morte cognatis dico. *Afranius* apud *Non. p.* 280. 26. *Merc.* Cui dicat dotis paullulum. *Pomponius* apud *eumd. ibid.* Nummos certos dicas: dico quinquaginta millia. *Cic. Flacc.* 35. 86. Dicere pecuniam omnem dotis. *Sall. fragm. ibid.* Pecunias dictas coegit. *Horat.* 4. *Od.* 8. 12. Dicere pretium muneri. *h. e.* statuere, imponere. *Nepos Eumen.* 2. Data est Eumeni Cappadocia, sive potius dicta, nam tum in hostium erat potestate. *h. e.* assignata. *Plaut. Men.* 4. 2. 16. Dicere diem juris. *Cic.* 3. *Verr.* 57. 149. diem operi. *Ter. Andr.* 1. 1. 75. diem nuptiis. *Liv.* 36. 8. diem exercitui ad conveniendum. *V.* et DIES. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 438. 12. *Merc.* Quum omnes ad id tempus, quod erat dictum, postero die venissemus. *Afranius* apud *eumd. p.* 280. 24. *Merc.* Quoniam inter nos nuptiæ sunt dictæ. *Liv.* 33. 12. Dicere leges pacis. *Id.* 34. 57. leges victis. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 18. legem tibi. *Plin.* 2. *Ep.* 16. legem sibi. *Justin.* 2. 3. 8. et 30. 3. 9. legem parendi. *Cic.* 1. *Orat.* 39. 178. in mancipii lege dicenda. *Liv.* 25. 16. Dicere locum. Similiter *dicere dotem*, *multam*, *condiciones* etc. *V.* in illis nominibus. — Poetica sunt illa *Virg.* 6. *Æn.* 138. Ramus aureus Junoni infernæ dictus sacer. *h. e.* sacer constitutus, adeoque consecratus, dicatus. *Ovid.* 4. *Met.* 95. dictaque sub arbore sedit. *h. e.* constituta. *Id.* 3. *Trist.* 14. 9. Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta Camenis. *h. e.* indicta. — *b*) Sequente infinito. *Pacuvius* apud *Non. p.* 280. 28. *Merc.* Prius data est, quam tibi dari dicta. — *c*) Absolute. *Sall. Jug.* 113. Eodem Numida cum plerisque necessariis suis inermis, ut dictum erat, accedit. *h. e.* ut pactum, statutum erat. Huc referri potest et illud *Ter. Adelph.* 5. 3. 10. Dictum inter nos fuit, ne tu curares meum, neve ego tuum. *h. e.* constitutum, pactum. — *d*) Dicere est etiam unum e tribus solemnibus prætoris verbis. V. ADDICO. — Hinc ¶ 8. Dicere est etiam constituere aliquem magistratum, hoc est creare. *Cic.* 9. *Att.* 15.; et *Liv.* 5. 9., 7. 26. et 8. 29. Dicere dictatorem. *Liv.* 24. 9. consulem. *Id.* 6. 39. magistrum equitum. *Id.* 5. 13. Alios tribunos militum omnes fere centuriæ dixerunt. Adde *eumd. ibid.* 19. *Horat.* 2. *Od.* 7. 26. Dicere aliquem arbitrum bibendi. Similiter *Ovid.* 4. *Met.* 541. Lenothoeque deum cum matre Palæmona dixit. *h. e.* fecit, in deum mutavit. ¶ 9. Hinc etiam ponitur pro nomine vocare, appellare. *Quintil.* 8. 1. 1. Latine dicimus elocutionem. *Virg.* 3. *Æn.* 335. Qui Chaonios cognomine – dixit. *Liv.* 1. 1. *extr.* Cui Ascanium parentes dixere nomen. Rursus *Virg.* 2. *Æn.* 678. uxor – tua dicta. *Id.* 7. *ibid.* 411. locus Ardea quondam Dictus avis. Cf. *eumd.* 4. *G.* 355. et te crudelem nomine dixit. *Horat.* 1. *Od.* 2. 50. Dici pater atque princeps. *Juvenal.* 8. 244. Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. ¶ 10. *Dicere alicui*, præcipue in familiari sermone, est idem atque admonere; ac — *a*) Propterea habet interdum Conjunctivum cum part. *ut* vel *ne*. *Plaut. Truc.* 4. 3. 75. Dicam, ut aliam condicionem filio inveniat suo. *Cic.* 11. *Att.* 7. Illum Dolabellæ dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quamprimum venirem. *Nepos Datam.* 5. Misit, qui diceret, ne discederet. — *b*) *Dicebam*, sequente part. *ut* vel *ne*, aut alia propositione, formula est increpantis quempiam, cui contigit malum, quod ut exveret, jam ante admonuimus. *Plaut. Asin.* 5. 2. 88. Dicebam pater tibi, ne matri consuleres male. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 1. Dicebam, medicare tuos desiste capillos. *Seneca Apoloc. a med.* Dicebam vobis, non semper Saturnalia erunt. Adde *Propert.* 1. 9. 1.; et *Stat.* 4. *Silv.* 3. 124. — *c*) *Dico tibi*, *dixi tibi*, præcipue apud Comicos, est admonentis simulque minitantis, et se ita facturum, ut minatus fuerit, confirmantis. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 61. Vigila: tibi ego dico. au, feriatus ne sis. Cf. *eumd. Bacch.* 4. 9. 95. Eadem istæc verba dudum illi dixi omnia. *Id. Cist.* 2. 1. 50. Dixi quæ volui. vale. Adde *eumd. Pœn.* 5. 5. 26. et *Men.* 4. 3. 22. *Ter. Eun.* 2. 3. 45. Heus, heus, tibi dico Chærea, inquit, restiti. *Id. Phorm.* 2. 3. 89. Nisi properas mulierem abducere, ego illam ejiciam: dixi, Phormio. PHORM. Si tu illam attigeris secus, quam dignum est liberam, dicam tibi impingam grandem: dixi, Demipho. Adde *eumd. Hecyr.* 4. 3. 6. et *Andr.* 1. 2. 33. *Ovid.* 9. *Met.* 120. Quo te fiducia, clamat, Vana pedum, violente, rapit? tibi, Nesse biformis, dicimus. Adde *Phædr.* 4. 29.

II.) Translate. ¶ 1. Hoc verbum declarandæ rei aliquando inservit, et *hoc est*, *id est* significat. *Plaut. Asin.* 1. 1. 30. DE. Nam quousque? LI. Usque ad mortem volo. DE. Cavesis malam rem. LI. Uxoris, dico, non tuam. *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 86. Nec quemquam vidi, qui magis ea, quæ timenda esse negaret, timeret; mortem dico et deos. *Id.* 1. *Att.* 19. 5. Tum autem beatos homines (hos piscinarios dico, amicos tuos) non obscure nobis invidere. Cf. *Justin.* 18. 7. 12. Quid, quod paullo ante vocatus, non dico patrem, ducem certe civium tuorum superbe sprevisti? ¶ 2. Apud Comicos *nullam causam dico, non causam dico* est non recuso, non deprecor. *Plaut. Capt.* 3. 4. 92. Hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi et parentum et libertatis apud te deliquio fiet. *Ter. Phorm.* 2. 1. 40. Si est patrue, culpam ut Antipho in se admiserit, – non causam dico, quin, quod meritus sit, ferat. — Hinc

Dictum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Generatim est verbum, vox, sermo. — *a*) Universim. *Ennius* 8. *Ann.* 32. Haud doctis dictis certantes, sed maledictis. *Plaut. Trin.* 2. 2. 99. Multa ego possum docta dicta et quamvis facunde loqui. *Id. Asin.* 3. 1. 21. an tu tibi verba blanda esse aurum rere? dicta docta pro datis? *Lucret.* 5. 114. Multa tibi expediam doctis solatia dictis. Rursus *Plaut. Pœn.* 3. 2. 3. Fac modo ut condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam. *Lucret.* 1. 29. Quo magis æternum da dictis, diva, leporem. *Plaut. Asin.* 2. 4. 1. Meum dictum magni facere. *Ter. Phorm.* 3. 3. 8. Dictum sapienti sat est. *a buon intenditor poche parole*, ut Itali dicunt. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 24. ne fidos inter amicos Sit qui dicta foras eliminet. *Id.*

1. *Sal.* 4. 121. Puerum dictis formare. *Metellus* apud *Cic.* 5. *Fam.* 1. Oppugnare aliquem ob dictum. *Quintil.* 5. 7. 8. Moveri dictis alicujus. *Sueton. Gramm.* 23. Dictum infacetum. Adde *eund. Cæs.* 76., *Aug.* 12. et 16., *Ner.* 32. et 34. et 39., *Tib.* 28., *Cal.* 12., et *Claud.* 11.; et *Juvenal.* 1. 154. — *b*) *Dicto citius* proverbium est, quo significamus aliquid quam celerrime fieri, seu celerius quam quis idem verbis pronunciet. *Virg.* 1. *Æn.* 116. et *Horat.* 2. *Sat.* 2. 80. Sic *Liv.* 23. 47. Dicto prope citius. Cf. *Dictum factum* in v. DICO sub I. 1. 2.° d. — c) Similiter *cum dicto* est statim, nulla post dictum mora interposita. *Apul.* 2. *Met.* Cum dicto facesso. Adde *Capell.* 9. *p.* 302. — d) Sæpe adverbiis jungitur. *Plaut. Most.* 1. 3. 103. lepide dictum. *Ter. Eun.* 2. 2. 57. facete. *Plaut. Capt.* 1. 2. 73.; et *Curt.* 7. 1. 21. maligne. *Lucret.* 5. 1223. fœde. *Horat. Art. P.* 449. ambigue. *Nepos Alcib.* 8. vere. — e) Interdum dicta *factis* opponuntur. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *post med.* Nullum meum minimum dictum, non modo factum, pro Cæsare intercessit, quod ille non illustri gratia exceperit. *Sall. Jug.* 52. Dicta cum factis componere. Cf. *Plaut. Cas.* 5. 4. 17. Feci ego istæc dicta, quæ vos dicitis. *h. e.* feci, quæ vos dicitis. Simile est illud *Ter. Heaut.* 4. 5. 12. Dictum factum reddidi. — *f*) Illa poetica sunt *Virg.* 4. *Æn.* 54. Inflammare aliquem dictis. *et ibid.* 219. Talibus orantem dictis etc. *et ibid.* 394. Dictis avertere curas. et 5. *ibid.* 387. Castigare dictis aliquem. *Id.* 1. *ibid.* 667. Dictis affari quempiam. *Id.* 4. *ibid.* 92. Aggredi dictis aliquem. *h. e.* quod dixit *Val. Flacc.* 7. 451. Compellare dictis. *Virg.* 10. *Æn.* 368. Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris. *Id.* 3. *ibid.* 379. Expedire dictis. *h. e.* narrare, docere, exponere. *Id.* 2. *ibid.* 790. Hæc ubi dicta dedit. *h.* e. postquam hæc locutus est. Sic *Ovid.* 4. *Fast.* 664. Edere dicta. *Id.* 8. *Met.* 717. Mutua dicta reddere. *h.* e. colloqui. *Val. Flacc.* 2. 601. Reddere alicui dicta. *h. e.* referre, nunciare. *Ovid.* 2. *Fast.* 375. et 3. *ibid.* 513. Dicta facere. *h.* e. exsequi. — *g*) *Forcellinus* pro convicio, maledicto, contumelia accepit apud *Plaut. Pseud.* 1. 3. 125. Jam ego te differam dictis meis, impudice. *At illa significatio pendet a verbo* differre, *minime vero a nomine* dictum. ¶ 2. Speciatim est proverbium, sententia. *Lucret.* 3. 12. Depasci aurea dicta e chartis. *Id.* 6. 23. Veridicis igitur purgavit pectora dictis. *Cic. Flacc.* 29. 72. Catonis est dictum, pedibus compensari pecuniam. *Nepos Dion.* 6. Non posse bene geri rempublicam multorum imperiis. Quod dictum magna invidia consecuta est. Cf. *eund. Miltiad.* 2. Sic *Sueton. Cæs.* 56. narrat, Cæsarem, inter alia, scripsisse librum, qui *Dicta collectanea* inscribebatur, *h.* e. quæ ex pluribus excerpta in unum collecta sunt. ¶ 3. Sæpe *dictum* ponitur pro *facete dictum;* et est brevis, faceta, salsa et acuta vox, qua cum risu aliquem perstringimus ac pungimus: et generatim quidquid bene dicitur et urbane, ut est apud *Quintil.* 6. 3. 36., jocus, dicterium, sales. *Cic. fragm.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 1. Nostri, quæ facete et breviter et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicta voluerunt. *Id.* 2. *Orat.* 54. 222. Bona dicta, quæ salsa sint, ea dicta appellantur proprio jam nomine. *Id.* 2. *Phil.* 17. 42. Materia facilis est in te et in tuos dicta dicere. *Trebonius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 16. *a med.* Dictum, cum magno nostro honore a te dictum, conclusi et tibi infra subscripsi. Adde *Liv.* 7. 33.; et cf. *Horat. Art. P.* 273. *Quintil.* 6. 3. 16. Potius amicum, quam dictum perdere. *Più tosto l'amico, che la botta*, ut vulgo dicunt Itali. ¶ 4. Item est responsio oraculi, vaticinatio. *Lucret.* 1. 103. Tutemet a nobis jam quovis tempore vatum Terriloquis victus dictis desciscere quæres. *Virg.* 2. *Æn.* 115. ex adytis hæc tristia dicta reportat. Adde *Ovid. Heroid.* 4. 33.; *Liv.* 8. 24.; et *Val. Flacc.* 2. 325.; et *V.* DICO et DICTIO. ¶ 5. Item est jussum, præceptum. *Liv.* 3. 61. Dicta dare. Adde *eund.* 8. 34., 9. 11. et 7. 33. *Ovid.* 8. *Met.* 814. Peragere dicta. *Virg.* 3. *Æn.* 189. Parere dicto. Adde *Liv.* 9. 41.; et *Curt.* 7. 1. 9. *Cato R. R.* 142. Villicus domino dicto audiens sit. Adde *Nepot. Lys.* 1., *Iphicr.* 2., *Datam.* 2. et *Ages.* 4.; *Liv.* 1. 41., 4. 26., 8. 7. et 29. 20.; et *V.* AUDIO. ¶ 6. Item est promissum. *Furius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Nomine quemque ciet, dictorum tempus adesse Commemorat. ¶ 7. Apud *Ennium* accipitur pro dicendi facultate, pro poesi. Ita enim ille apud *Cic. Brut.* 18. 71. Cum neque Musarum scopulos quisquam superaret, Nec dicti studiosus erat. Cf. *Propert.* 4. 1. 61. Ennius hirsuta cingat sua dicta corona, Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua. *Ubi* Forcellinus: *Aliquando ipsi libri dicta vocantur.*

DĬCRŎTA, æ, f. 1. subaudi *navis*, et sæpius

DĬCRŎTUM, i, n. 2. subaudi *navigium*, δίκροτον πλοῖον, est genus navis, quæ duos remorum ordines habet, Græcis usitata, ut ex ipso nomine colligitur: a δὶς *bis*, et κροτέω *pulso*, quia duplici remorum pulsu impellitur. Sunt qui putant, ita dictum, quod duplici gubernaculo, scilicet a prora et a puppi regeretur. Hoc autem probabilius videtur, ita enim statuunt *Græc. Scholiast.* ad *Lucian. Amor. c.* 6. et *Pollux Onomast. l.* 1. *c.* 9. § 82. Cf. et *Tucyd.* 4. 67. Vox est adjectiva, et subintelligitur aut *navigium* aut *navis*. *Cic.* 5. *Att.* 11. Ἄφρακτα Rhodiorum et dicrota Mytilenæorum habebam. *et* 16. *ibid. ep.* 4. Domitius bona plane habet dicrota. *Auct. B. Alex.* 47. Capit ex eo prœlio triremes duas, dicrotas octo. — In *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 366. *n.* 122. legitur *bicrota* eodem sensu. V. *Cardinali, Diplom. imp. p.* 284.

DĬCTĀBŎLĀRĬUM, ii, n. 2. idem ac dicterium. *Laberius* apud *Fronton. de orat.* (edente iterum *A. Maio*) 1. Ut Laberius dictabolaria, immo dicteria potius eum, quam dicta, continere ait *Franc. Orioli* in *Effem. lett. T.* 10. *p.* 12. putat, *Dictabolarium* fuisse titulum fabulæ unius a *Laberio* conscriptæ. *Edit. Taurinenses Lex. Lat. Ital.* leg. *dicta abollaria.*

DICTAMNUM, i, n. 2. et *sæpius*

DICTAMNUS, i, f. 2. δίκταμνον et δίκταμνος. Legitur et *dictămus* vel *dictămum*, et Græce δίκταμος et δίκταμον. At *Heynius* ad *Virg. loc. infra cit.* vitiose scriptum putat. *Seren. Sammon. Medic.* 31. Reliquias partus dictami detrahit herba. *Al. aliter leg.* — Ceterum dictamnus herba est a Dicte Cretæ monte ita appellata, pulegio similis, flore purpureo, caule foliis contecto, radice et ramis tenuibus, fervens et acris gustu: vim habens in solis foliis extrahendi sagittas, ut *Virg.* 12. *Æn.* 412. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (97). et 25. *ibid.* 8. 53. (92). docent. *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. 120. Feras in Creta herbam quærere, quæ dictamnus vocaretur, quam etc. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 53. (93). Veram dictamnum non nisi in asperis nasci. *et ibid.* (92). Dictamnum ramis prætenue, pulegio simile. — *Id.* 26. *ibid.* 11. 87. (112). Dictamnum pota sagittas pellit. *pota* dixit ad *herbam* respiciens. *V.* CENTAURUS. — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 343.) hanc exhibet synonymiam: Δίκταμνον κρητικὸν Hipp. in variis locis et Theophr. Hist. plant. 9. 16.; Δικτέν Nicand.? teste L. Mallotes; Δίκταμνος Dioscor. 3. 37. et Democr. apud Galen. 5. 10.; Στοματοχόρτον Cret. recent.; et *Dictamnus* vel *Dictamnum* Virg. et Plin. ll. citt. sunt *Origanum Dictamnus* L. Spec. plant. 823. *V.* plura *ibid.*

DICTĀTA, ōrum, n. plur. 2. *V.* DICTO in fin.

DICTĀTIO, ōnis, f. 3. dictandi actio. *Symmach.* 6. *Ep.* 4. Dictatione properata magis sollicitudini meæ, quam consuetudini satisfeci. *Paul. Dig.* 29. 1. 4. Titius miles notario testamentum scribendum notis dictavit. Quæro, an hæc dictatio valere possit? Adde *Sidon.* 9. *Ep.* 9. *a med.*; et *Cassiod.* 6. *Variar.* 12.

DICTĀTIUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* dictatio, brevis dictatio. *Hieronym. advers. Vigilant. n.* 3. Auctores sunt hujus dictatiunculæ meæ sancti presbyteri.

DICTĀTOR, ōris, m. 3. duo diversa significat, prout est *A*) a *dico*, vel *B*) a *dicto*.

A) *Dictator* a *dico* (*V.* infra sub I. 2.) fuit summus apud Italicas civitates magistratus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim apud Italicas civitates, multo ante quam Romæ, dictator in usu fuit, et quidem alicubi etiam ordinarius, ut Lanuvii, teste *Cic. Mil.* 10. 27.; Cæritum, *Inscript.* apud *Gruter.* 214.; Ariciæ, *Inscript.* apud. *Gruter.* 41. 7.; Nomenti, *Inscript.* apud *Orell.* 208.; Albanorum, *Liv.* 1. 20. Adde *eund.* 3. 18.; *Spartian. Hadrian.* 18.; et *Inscript.* apud *Orell.* 2293. aliasque. Ceterum de his dictatoribus consule *Henzen* in *Annal. dell' Instit. Archeol. a.* 1846. *p.* 261. et seqq. Fidenis vero duo erant dictatores, uti constat ex *Inscript.* apud *Amadutium*, *Anecd. litter. T.* 1. *p.* 463. ¶ 2. Speciatim apud Romanos dictator (olim *magister populi* et *prætor maximus* dictus) summus fuit magistratus, sed extraordinarius, qui periculosissimis reipubl. temporibus creabatur, et jus vitæ necisque habebat, sine provocatione, quemadmodum reges habuerant: a *dico*, quod a consule diceretur (*Varro* 6. *L. L.* 61. *Müll.* Hinc d i c t a t o r magister populi, quod is a consule debet dici. Et *Cic.* 1. *de republ.* 40. Dictator quidem ab eo appellatur, quia dicitur; sed in nostris (*auguralibus*) vides eum magistrum populi appellari. Cf. *Seneca Ep.* 108. *n.* 30.): vel a *dictum*, seu *edictum*, quod ejus dicto audientes omnes essent: vel fortasse ab officio magistri in scholis dictantis litteras discipulis, unde et *magister* populi appellatus est. Hinc jocus C. Julii Cæsaris apud *Sueton.* 77. Sullam nescisse litteras, qui dictaturam deposuerit. et *Juvenal.* 2. 28. In tabulam Sullæ si dicant discipuli tres. — Quod sine provocatione esset, satis ostendunt duo *Livii* loca, 2. 29. *sub fin.* Agedum dictatorem, a quo provocatio non est, creemus. et 3. 20. *extr.* Dictatore opus esse reipubl., ut qui se moverit ad sollicitandum statum civitatis, sentiat, sine provocatione dictaturam esse. Adde *eund.* 2. 13. Legimus quidem apud *eund.* 8. 33. provocatum esse adversus L. Papirium Cursorem, dictatoria severitate Q. Fabium Max. Rullianum magistrum equitum suum punire volentem: sed ea provocatio precaria magis fuit, quam legitima, ut colligitur præcipue *c.* 35. Quo sensu intelligendus videtur *Festus*, qui scribit p. 198. 5. *Müll.*, provocationem ab eo magistratu ad populum aliquando datam esse. — Quo anno, quibus consulibus, quis primum creatus sit, non satis constat. Apud veterrimos auctores *Livius* 2. 18. scribit se invenisse, primum dictatorem fuisse creatum T. Lartium, qui erat consul cum L. Posthumio Cominio, anno U. C. 253. (Id confirmat *Cic.* 2. *de republ.* 32. His temporibus dictator etiam est institutus, decem fere annis post primos consules, T. Larcius. Et *Eutrop.* 1. 12. *in fin.* Dictator Romæ primus fuit Lartius, magister equitum primus Sp. Cassius). Alii ponunt M. Valerium M. filium, Volusi nepotem, ut *Festus loc. cit.*: quam sententiam *Liv. ibid.* rejicit. At *Morcell. de stil. Inscript. Lat. T.* 1. *p.* 262. *edit. Patav.* (adstipulante *Barpt. Borghesio*, *N. Framm. de' Fast. cons. T.* 1. *p.* 44.) ex inscriptione *ibid.* allata probat, primum Romæ dictatorem fuisse an. U. C. 260. *NV.* Valerium Volusi F. Maximum, ut etiam constat ex *Liv.* 2. 30.: *V.* hac de re insignem *Mülleri* locum ad *Festum p.* 389. *col.* 2. Prius non nisi e patriciis dictatorem legi fas fuit, postea etiam ex plebe, sed semper vir consularis eligebatur. Primus de plebe dictator creatus est C. Marcius Rutilus anno 398. bello cum Faliscis et Tarquiniensibus: qui etiam magistrum equitum primum de plebe C. Plautium dixit, ut *Liv.* 7. 17. narrat. — Dicebatur a consule tantummodo, nec poterat a populo creari, nisi prodictator, teste eodem 22. 8. et 31. *V.* et 27. 5. Dicebatur autem captatis auspiciis, oriente nocte, et silentio, ut *Id.* docet 9. 38. et 8. 23. et 4. 21. *extr.* Sed tamen cum aliquando Vejentes castra Romana cepissent, A. Cornelius Cossus tribunus militum Mamercum Æmilium dictatorem dixit. Scil. quia tribuni militum erant potestate consulari. *Id.* 4. 31. — Duæ secures cum viginti quatuor fascibus dictatorem præcedebant. *V.* LICTOR. — Designabat sibi ministrum, qui magister equitum vocabatur, et erat dictatori, ut tribunus Celerum regi, præfectus prætorio Cæsaribus. — Designato dictatore, omnes magistratus, ut consules, prætores, etc., suam amittebant potestatem, præter tribunos pl., et magistratus illos, qui regum tempora fuerant. — Hoc imperium semestre tantum esse voluerunt, ut est apud *Cic.* 3. *Legg.* 3. 9. (cujus verba sunt: AST QVANDO DVELLVM GRAVIVS DISCORDIAEVE CIVIVM ESCVNT, OENVS (*h.* e. unus), NE AMPLIVS SEX MENSES, SI SENATVS CREVERIT, IDEM IVRIS, QVOD DVO CONSVLES, TENETO. Cf. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 18. Hunc magistratum (*dictaturam*), quoniam summam potestatem habebat, non erat fas ultra sextum mensem retinere.) et apud *Liv.* 9. 34. et 23. 23., ne in tyrannidem verteretur: nisi aliter reipubl. necessitas exigeret. Nam quod L. Sulla, et C. Jul. Cæsar diutius detinuere, leges palam contempserunt. — Equo vehi vetabatur; idque ob eam causam, quod cum militiæ R. robur præcipuum esset in pedestribus copiis, debebat in legione permanere, ne locum dese-

reret: vel quod cum in ceteris maxima esset, et prope tyrannica auctoritas, in hoc voluerint, eum populo inferiorem videri. Hæc *Plutarch.* in *Fabio.* Ex *Livio* tamen colligimus, 23. 14. solitos fuisse dictatores, ad bellum exeuntes, ferre ad populum, uti liceret equum conscendere: quod ita eis concedi solitum, ut solius belli causa equo uterentur: in omni alia jurisdictione equum habere prohiberentur. — Præter imminens reipubl. grave bellum, aliæ quoque fuere causæ dictatoris creandi, ut comitiorum consularium habendorum, *Liv.* 7. 26. et 8. 16. et 23. et 27. 5. etc.; clavi figendi tempore pestilentiæ, vel secessionis, aut seditionis causa, *Id.* 4. 13. et 7. 3. et 8. 18.; exercendæ extraordinariæ quæstionis, *Id.* 9. 26.; ludorum faciendorum, *Id.* 8. 40. et 27. 33.; legendi senatus, *Id.* 23. 22. et 23.; feriarum constituendarum, *Id.* 7. 28. (*V.* etiam 30. 24); denique ut esset, qui ludis Romanis signum mittendis quadrigis daret, prætore ægrotante, quod tamen in dubio relinquit *Id.* 8. *in fin.* Hæc fere omnia habentur etiam in *fragm. Capitolin.* apud *Gruter.* 290. et seqq., ubi *dictator rei gerundæ causa* dicitur, quoties gravis belli imminentis causa creatus est. — Ceterum adde *Cic.* 9. *Att.* 15. et 1. *de republ.* 40.; *Nepot. Hann.* 5.; *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 13.; *Sueton. Tib.* 2.; *Vellej.* 2. 28.; *Val. Max.* 3. 8. 17., aliosque.

II.) Translate dicitur — *a*) Etiam de summo magistratu apud alios populos. *Inscript. Columm. rostr. Duil.* apud *Orell.* 549. CVMQVE EIS NAVEBOS CLASEIS POENICAS *omneis et* MAXSVMAS COPIAS CARTACINIENSIS PRAESENTED *sumod* DICTATORED OLOROM IN ALTOD MARID PVGNAD *vicet.* Sic *Cato* apud *Gell.* 10. 24. Igitur dictatorem Carthaginensium magister equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum; die quinti in Capitolium tibi cœna cocta erit. Adde *Frontin.* 2. *Strateg.* 1. 4. et *Justin.* 13. 1. 7. — *b*) Et generatim *Fronto de fer. Als.* (edente iterum *A. Mai*) ep. 1. Numa epulorum dictator, carnarum libator, feriarum promulgator.

B) *Dictator* a *dictando* est qui scribenda dictat scribenti. *Salvian. Ep.* 9. *a med.* Tam imbecilla sunt judicia hujus temporis, ac pæne tam nulla, ut qui legunt, non tam considerent quid legant, quam cujus legant; nec tam dictionis vim atque virtutem, quam dictatoris cogitent dignitatem.

DICTĀTŌRIUS, a, um, adject., ad dictatorem pertinens. *Liv.* 4. 14. Dictatoria majestas. *Id.* 6. 39. Dictatorium fulmen intentatum in aliquem. *h. e.* quod apud *Vellej.* 2. 68. Dictatoria animadversio. *Cic. Cluent.* 44. 123. Dictatorius gladius. *Liv.* 7. 4. juvenis. *h. e.* dictatoris filius. *Id.* 22. 26. Dictatoria invidia.

DICTĀTRIX, icis, f. 3. quæ dicit agenda, præcipit, imperat: hoc nomen jeculariter a *dictatore* effinxit *Plaut. Pers.* 5. 1. 18. Tu hic eris dictatrix nobis.

DICTĀTŪRA, æ, f. 1. est *A*) Aut a dictatore; aut *B*) A dictando.

A) Dictatura a *dictatore* est dictatoris dignitas et potestas. — *a*) Apud Romanos. *Cic.* 2. *Off.* 31. 112. Dictaturam gerere. *Id.* 1. *Phil.* 2. 4. Antonius dictatoris nomen, – propter perpetuæ dictaturæ recentem memoriam, funditus ex republica sustulit. Similiter *Id.* 2. *ibid.* 36. 91. Optimum vero, quod dictaturæ nomen in perpetuum de republica sustulisti. *Liv.* 6. 39. Dictatura abdicata et inita. *Id.* 7. 3. *extr.* Abire dictatura. Adde *eumd.* 2. 30. *et* 8. 12.; *Cæs.* 3. *B. C.* 2.; *Sueton. Cæs.* 76., *Aug.* 52. et *Tib.* 3.; et *Quintil.* 3. 8. 53., 5. 10. 71. et 9. 3. 95. — *b*) Apud Carthaginienses. *Justin.* 19. 1. 17. Cujus (*Hasdrubalis*) mortem cum luctus civitatis, tum et dictaturæ undecim et triumphi quatuor insignem fecere. — Pro dictatoris veste legunt nonnulli apud *Pers.* 1. 73. sulcoque terens dentalia, Quinti (*Cincinnate*), Quem trepida ante boves dictaturam induit uxor, Et tua aratra domum lictor tulit. *At plerique pro* dictaturam *leg.* dictatorem, *quod præstat.*

B) Dictatura est etiam a dictando; quo sensu jocus est Cæsaris apud *Sueton. Cæs.* 77. Sullam nescisse litteras, qui dictaturam deposuerat. *Dictatura* hic duplici significatione accipitur, et pro dignitate magistratus et pro ministerio magisterii.

DICTĀTUS, a, um. *V.* DICTO.

DICTĒRĬUM, ii, n. 2. δεικτήριον, jocus. dictum salsum et acutum, breviter et acute dictum. *Martial.* 6. 44. Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 101. 3. *Merc.* Addunt alii et locum *Cic. fragm. epist.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 1., sed ibi *dicta* legendum est.

DICTĬCUS, a, um, adject. δεικτικός, demonstrativus. Ita appellatur a *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. digitus index, quia eodem solemus res aliis indicare seu demonstrare.

DICTĬO, ōnis, f. 3. actus dicendi (It. *il dire*; Fr. *action de parler, de dire*; Hisp. *el acto de hablar, de decir*; Germ. *das Reden, Vortragen, der Vortrag*; Angl. *a speaking or uttering*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu pro ipso dicendi actu. *Ter. Phorm.* 2. 1. 63. Dictio testimonii. *h. e.* actus, quo quis testimonium dicit. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 12. Dictio sententiæ. — Sic *dictio causæ* est causæ actio, ejus præsertim, qui defendit. *Cic. Quinct.* 10. 35. Totam causæ meæ dictionem certas in partes dividam. *Liv.* 7. 5. Remittere alicui dictionem causæ. Adde *eumd.* 2. 34.; *Cic. Sext.* 17. 40. et 2. *de republ.* 7.; et *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Et omisso nomine *causæ* apud *Cic. Brut.* 73. 256. Malim mihi L. Crassi unam pro M. Curione dictionem, quam castellanos triumphos duos. *Id.* 2. *Orat.* 67. 270. Dictio oratoria. *Id.* 1. *ibid.* 33. 152. Hæc sunt, quæ clamores et admirationes in bonis oratoribus efficiunt; neque ea quisquam, nisi diu multumque scriptitarit, etiamsi vehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur. *Id. ibid.* 15. 64. Is orator erit, mea sententia – qui, quæcumque res inciderit, quæ sit dictione explicanda, etc. *Forcellinus* in his duobus postremis *Cicer.* locis *dictionem* pro *oratione* accepit; quod improbavit *Fronto* 5. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 3. Unum verbum de oratione ablega, et quæso, ne unquam eo utaris, dictionem pro oratione. At *dictio* in allatis *Cicer.* locis est causarum actio; quemadmodum et apud *eumd.* 2. *Tusc.* 3. 9. Dictioni operam dare. — Huc referri potest et illud *Cic.* 1. *Orat.* 6. 22. Græcos – partitionem quamdam artium fecisse video, neque in universo genere singulos elaborasse, sed seposuisse a ceteris dictionibus eam partem dicendi, quæ in forensibus disceptationibus judiciorum aut deliberationum versaretur, et id unum genus oratori reliquisse. *Forcellinus* hoc loco accepit pro genere dicendi, ratione et forma orationis. ¶ 2. Specialim ponitur pro declamatione seu recitatione. *Quintil.* 2. 2. 6. Dictio discipulorum. *Id.* 2. 4. 27. Extemporales dictiones. ¶ 3. Item est vox, verbum, loquendi modus, phrasis. *Quintil.* 9. 1. 4. Tropus, ut plerique grammatici finiunt, est dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est. Figura est conformatio quædam orationis etc. Addunt et verba *Catonis* in *Originib.* Neque dictio Herculis est Græca, sed Egyptia. Sed *Cellar.* in *Cur. post.* non *Catonis*, sed *Annii Viterb.* illa esse contendit: in loco etiam Quintiliani lites excitat; quas refellere conatur *Andr. Borrich.* in *Vindic. Latin.* Ceterum *dictionem* hoc sensu adhibuere veteres grammatici. *Quintil.* 1. 5. 2. Verborum duplex intellectus est, alter, qui omnia, per quæ sermo nectitur, significat; alter, in quo est una pars orationis, lego, scribo: quam vitantes ambiguitatem, quidam dicere maluerunt, voces, dictiones, locutiones. *Id.* 9. 2. 71. Interrupta silentio dictio. *h. e.* phrasis. *Scaurus* apud *Diomed.* 1. *p.* 275. *Putsch.* Oratio est compositio dictionum, consummans sententiam, remque perfectam significans. *Gell.* 7. 9. post allata antiqua præterita *memordi, poposci*, etc. Ratio dictionum hæc esse videri potest, quoniam Græci in quadam specie præteriti temporis secundam verbi litteram in e vertunt, γράφω, γέγραφα. *Id.* 11. 3. *dictiones* vocat, quum dicitur *pro collegio, pro testimonio*, etc. *Tiro Tullius* apud *eumd.* 10. 1. Cicero persuasit, ut neque *tertio*, neque *tertium* scriberetur, sed ad secundum usque *i* fierent litteræ, ut res quidem demonstraretur, sed dictio tamen ambigua verbi lateret. ¶ 4. Specialiter sumitur pro oraculi responso. *Pacuvius* apud *Non. p.* 237. 4. *Merc.* Non falsa autumare dictio Delphis solet. *Accius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 26. 42. Aperta fiatur dictio, si intelligas etc. *Liv.* 8. 24. Alexandro accito ab Tarentinis in Italiam data dictio erat, caveret Acherusiam aquam. ¶ 5. *Dictio multæ* est idem atque irrogatio, indictio multæ. *Cic.* 2. *de republ.* (edente *A Mai*) 9. Multæque dictione ovium et boum, – non vi et suppliciis plebem Romulus coercebat. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 70. SI SEMEL, SI SAEPIVS VOLET, DICTIO ESTO A. I. *h. e.* libra una.

DICTĬŌSUS, a, um, adject. dictis abundans, dicax, facetus. *Varro* 6. *L. L.* 61. *Müll.* Hinc (*h. e.* a *dico*) appellatum d i c t u m in mimo, ac d i c t i o s u s.

DICTĬTO, as, āvi, ātum, are, 1. *intensivum a* dicto. — Part. *Dictitans.* — Dictito est sæpe dico (It. *andar dicendo, dire espressamente*; Fr. *dire souvent*; Hisp. *decir frequentamente*; Germ. *etwas nachdrücklich oder oft behaupten, aussprechen, sagen*; Angl. *to speak or tell often, give out, say commonly*). Usurpatur ¶ 1. Generatim. *Ter. Phorm.* 5. 1. 16. Quid? non, obsecro, es, quem semper te esse dictitasti? *Id. Heaut. prol.* 22. Quod vetus poeta dictitat. *Lucret.* 2. 658. Concedamus ut hic terrarum dictitet orbem Esse deûm matrem. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 16. 22. et 2. *ibid.* 1. 27. *Cic.* 3. *de republ.* 9. Et Lacedæmonii suos omnes agros esse dictitarint. *Id.* 2. *Verr.* 2. 4. Qui ita dictitat, iis esse metuendum, qui quod ipsis solis satis esset, surripuissent. *Id. Dom.* 6. 15. Meo adventu annonæ vilitatem fore, boni viri dictitabant. *Id.* 1. *Fam.* 9. Dictitare in sermonibus. *Cæs.* 3. *B. C.* 22. Cœlius profectus, ut dictitabat, ad Cæsarem, pervenit Thurios. Adde *Auct. B. Alex.* 58.; *Liv.* 3. 20. et 8. 31.; *Sall. Cat.* 22.; *Quintil.* 10. 7. 14.; *Tac.* 3. *Ann.* 16. et 1. *ibid.* 72.; *Sueton. Cæs.* 30., *Tib.* 43., *Claud.* 3., *Cal.* 8. et *Ner.* 49. — Passive imperson. *Plaut. Trin.* 1. 2. 62. Male dictitatur vulgo tibi in sermonibus, *h. e.* sæpe tibi maledicitur. — Sæpe est ejus, qui facto suo excusationem prætendit. *Cæs.* 3. *B. C.* 32. In singulos conventus pecuniæ imperabantur: mutuasque illas ex S. C. exigi dictitabant. *et paullo supra.* Dictitabant enim, se domo expulsos etc. *Liv.* 1. 49. Socerum sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum periisse dictitans. Adde *Nepot. Lysandr.* 1. ¶ 2. Specialim apud juris peritos *dictitare causas* est agere, in foro oratorem versari. *Cic.* 2. *Orat.* 13. 56. Ne hunc quidem ex numero accepimus eorum, qui causas dictitarunt.

DICTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* dictio, parva dictio. *Apul. gramm. Diphthong. p.* 144. edente *Osann.* Sunt qui dicant hanc dictiunculam a Græco esse ortam.

DICTO, as, āvi, ātum, are, *frequentat. a* dico. a. 1. Part. *Dictans* I. 2. et II.; *Dictatus* I. 2. et in fin.; *Dictandus* I. 2. — Dictare est dictitare, pluries vel sæpius dicere, declarare (It. *dire più volte, ripetere, esporre di frequente*; Fr. *dire souvent, répéter, déclarer*; Hisp. *decir frequentamente, repetir, declarer*; Germ. *zu wiederholten Malen, oft sagen, behaupten, erklären*; Angl. *to speak or tell often, give out*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Amph.* 2. 2. 38. Decumo post mense, ut rationem te dictare intellego. *h. e.* dicendo, loquendo computare. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 50. Mercemur servum, qui dictet nomina. *Gell.* 4. 1. Et *hoc penus*, et *hæc penus*, et *hujus peni* et *peneris* veteres dictaverunt. ¶ 2. Specialim est dicere et lente enunciare, quæ alius excipiat.

a) De eo præcipue, cui excepta scribenda sunt. *Cic.* 13. *Att.* 9. Non modo Tironi dictare, sed ne ipse quidem auderem scribere. *Id.* 7. *ibid.* 13. *extr.* Si scriberem ipse, longior epistola fuisset: sed dictavi propter lippitudinem. *M. Aurel.* ad *Fronton.* 4. *ad Cæs. ep.* 7. edente iterum *A Maio.* Epistolis prope ad XXX. dictandis spiritum insumpsi. *Sueton. Ner.* 52. Versus dictante aliquo excepti. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 49. et *Liv.* 2. 65.; et adde *Plin.* 9. *Ep.* 36. et 40.; *Quintil.* 2. 4. 12., 1. 1. 28., 10. 3. 18. et 10. 3. 22.; et *Sueton. Tit.* 6. et *Domit.* 13. Hinc *Vopisc. Carin.* 1. Qui ad memoriam dictabat. — *b*) Et simpliciter pro lente enunciare. *Juvenal.* 6. 390. dictataque verba Protulit. *Id.* 11. 59. pultes Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas. *Id.* 8. 82. Dictare perjuria. Cf. *Val. Flacc.* 1. 685. miseris dictat pia vota sacerdos. — *c*) Sæpe est magistrorum proponentium pueris, quæ addiscant. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 69. delendave carmina Livi Esse reor, memini quæ plagosum mihi parvo Orbilium dictare. *Id.* 1. *Sat.* 10. 82. an tua demens Vilibus in ludis dictari carmina malis? ¶ 3. Item specialim quoniam auctores, quæ composuerant librario ipsi de more dictabant, factum est ut *dictare* significaret etiam componere, facere. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 9. in hora sæpe ducentos, Ut magnum, versus dictabat (*Lu-*

ciltus) stans pede in uno. *Id.* 2. *Ep.* 1. 110. Dictare carmina. *Pers.* 1. 52. elegidia. — Hinc *dictare testamentum*, *codicillos*, et similia est facere: et dicitur tum de testatore ipso, tum de alio quovis, qui nomine testatoris tabellioni scribenti præeat. *Sueton. Ner.* 32. et *Plin.* 2. *Ep.* 20. 14. Dictare testamentum. *Sueton. Tib.* 22. codicillos. Sic *Mæcian. Dig.* 32. 93. Fidei ejus committo, ut det quantas summas dictavero, dedero. Et *Sueton. Rhet.* 2. Hunc Cœlius dictitabat dictasse Atratino accusatori suo actionem. *h. e.* Atratino in jure petenti orationem scripsisse, qua jus suum persequeretur. — Hinc est etiam instituera, statuere. *Juvenal.* 6. 217. Non unus tibi rivalis dictabitur heres. *scilicet* heres in testamento dictando scribebatur. — Similiter *Horat.* 2. *Sat.* 3. 75. Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli Dictantis quod tu nunquam rescribere possis. *h. e.* dictando pecuniam credentis. ¶ 4. Apud JCtos dictare *actionem*, *judicium* est instituere, inferre. *Papinian. Dig.* 15. 1. 50.; *Scævola ibid.* 41. 9. 3.; et *Paul. ibid.* 9. 4. 22. etc. Cf. *Capitolin. Anton. Phil.* 11. Dictare jura. ¶ 5. Denique est præscribere, præcipere, itemque suadere. *Quintil.* 11. 3. 131. Nonnunquam ad librarios suos ita respiciunt, ut sportulam dictare videantur. *Sil. It.* 10. 448. Jurare sacramenta dictata. *Id.* 6. 362. Dictare sonitum remis. *Id.* 10. 273. dolor verba aspera dictat.

II.) Translate ponitur pro suggerere, docere, velle. *Quintil.* 8. *proœm.* 26. Quibus sordent omnia, quæ natura dictavit. *Id.* 3. 4. 11. Et tutissimum est auctores plures sequi, et ita videtur ratio dictare. Sic *Plin.* 26. *Hist. nat.* 4. 9. (20). Adjiciemus herbas, ut quasque ratio dictaverit. Rursus *Quintil.* 2. 15. 16. Recordatio meritorum, vel facies aliqua miserabilis sententiam dictat. Adde *eumd.* 1. 13. 16.; *Colum.* 4. *R. R.* 24. 4.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 20. 1. *Pomp. Dig.* 1. 2. 2. *ante med.* Ipsis rebus dictantibus. — Hinc a Part. præter. pass. *Dictatus, a, um*, cujus exempla superius retulimus,

Dictata, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt ea, quæ magistri in ludo pueris dictant addiscenda. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. Orationem eam pueri omnes, tamquam dictata perdiscant. Cf. *Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 14. Dictata pueris præbere. Rursus *Cic.* 1. *Nat. D.* 26. 72. ista a vobis quasi dictata redduntur, quæ etc. *Id.* 4. *Fin.* 4. 10. Iisdem de rebus semper quasi dictata decantare, neque a commentariolis suis discedere. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 55. hæc recinunt juvenes dictata senesque. *Pers.* 1. 29. Ten' cirratorum centum dictata fuisse, Pro nihilo pendas? *Sueton. Cæs.* 26. Dare dictata tironibus gladiatoribus. *h. e.* præcepta artis gladiatoriæ. *Juvenal.* 5. 122. Saltantem spectes, et chironomonta volanti Cultello, donec peragat dictata magistri Omnia. *h. e.* omnia præcepta et gestus carptoris magistri. Adde *Tertull. ad Martyr.* 1. et *Hieronym. præf. l.* 13. *commentar. in Ezech.*

DICTOR, ōris, m. 3. qui dicit. *Augustin.* 4. *Doctr. Christ.* 19. Cum doctor iste debeat dictor esse rerum magnarum. *Id.* 16. *contra Faust.* 26. O hominem se cogitantem dictorem, at alium non cogitantem contradictorem!

DICTRIX, icis, f. 3. agnoscitur tamquam Latina vox a *Cledon. Grammat. p.* 1892. *Putsch.*; nullo tamen confirmatur exemplo.

DICTUM, i, n. 2. *V.* DICO in fin.

DICTURĪO, is, ire, n. 4. *desiderat.* a dico, dicere cupio, dicere molior. *Macrob.* 2. *Saturn.* 2. Fortiter a se facta semper dicturiunt: et tamen tacent arrogantiæ metu. *Id.* 2. 3. *extr.* Ne ultra te dicturientem retardem.

DICTUS, a, um. *V.* DICO.

DICTUS, us, m. 4. idem ac dictum, dicterium. *Sex. Aur. Victor. Epit.* 14. Hadrianus acer nimis ad lacessendum pariter et respondendum seriis, joco, maledictis: referre carmen carmini, dictum dictui, prorsus ut meditatum crederes adversus omnia.

DĬDASCĂLĪCE, es, f. 1. *V.* voc. seq.

DĬDASCĂLĪCUS, a, um, adject. διδασκαλικός, ad docendum pertinens: a διδάσκαλος *magister*, quod a διδάσκω *doceo*. *Auson. Epist.* 17. Ut ad te didascalicum aliquod opusculum, aut sermonem protrepticum mitterem. *Servius* ad *Virg.* 1. *G. proœm.* Hi libri didascalici sunt. — Hinc

Didascălĭcă, ŏn, vel *ōrum*, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt opera didascalica. *Ateius* philologus libros suos quosdam *Didascalicôn* inscripsit, teste *Gell.* 3. 11. et *Priscian.* 6. p. 709. *Putsch.* etc.

Dĭdascălĭcē, *es*, f. 1. nempe *ars*. *Diomed.* 3. p. 180. *Putsch.* Exegetici vel enarrativi (*poematis*) species sunt tres, angeltice, historice, didascalice. — Didascalice est, qua comprehenditur philosophia; ut libri Varronis, Empedoclis et Lucretii. Item astrologia, ut Φαινόμενα Arati et Ciceronis et Georgica Virgilii, et his similia.

DĬDĪTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĪDO, didis, didĭdi, dĭdĭtum, dĭdere, a. 3. (a *di* seu *dis*, et do, *das*, quasi huc illuc do, vel a *divido* per syncopen). Scribitur et *disdo*: V. *Caton.* sub I. *a*) — Part. *Diditus*. I. et II. — Dido est distribuo, spargo, dissemino.

I.) Proprie. — a) Cum Accusativo. *Cato* apud *Fronton.* 1. *ad M. Antonin. Aug.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 2. Nunquam ego argentum pro vino congiario inter apparitores atque amicos meos disdidi. *Lucret.* 2. 1134. Diditur in venas cibus. *Id.* 4. 623. Inde (*h. e.* a cibo), quod exprimimus, per caulas omne palati Diditur. *Id.* 3. 703. cibus in membra. *Id.* 3. 477. cur hominem, cum vini vis penetravit Acris, et in venas discessit diditus ardor, Consequitur gravitas membrorum? *Id.* 6. 1. Primæ frugiferos fetus mortalibus ægris Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ. — *b*) Absolute. *Cæcilius* apud *Cic. Cæl.* 16. 37. Dide, disjice, per me licebit. Si egebis, tibi dolebit.

II.) Translate. *Plaut. Merc. prol.* 58. Amoris vi diffunditari ac didider. *Lucret.* 5. 2. Solatia didita per gentes. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 67. hic neque servis, Albuci senis exemplo, dum munia didit, Sævus erit. *Virg.* 7. *Æn.* 144. diditur Trojana per agmina rumor. *Id.* 8. *ibid.* 132. Tua terris didita fama. *Sil. It.* 1. 181. Fama in populos jurati didita belli. *Tac.* 11. *Ann.* 1. Didita fama per provincias. *Al. aliter leg.*

DĬDŌROS, i, δίδωρος, qui est duorum palmorum. Græca vox a δίς *bis*, et δῶρον *palmus*. Græci enim antiqui ita appellarunt, testibus *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. 49. (171). et *Vitruv.* 2. 3., unde et munera eodem nomine dixere, quia palma manus darentur, ut *Id. ibid.* docet. Est autem *didoron* epitheton laterum coctilium. *Vitruv. ibid.* Laterum genera tria: unum quod Græce δίδωρον appellatur, id est quo nostri utuntur, longum pede, latum semipede. *Plin.* eadem habet *loc. cit.*, sed utroque loco quædam editiones Latinis litteris didoron exhibent. *Harduin.* vero apud *Plin.* quidem ex MSS. legit Lydion: eodem modo putat legendum esse in *Vitruvio*, ideoque *Schneiderus* ita etiam edidit. — Ex eadem origine sunt *pentadoron*, a πέντε *quinque*; et *tetradoron* a τετράς *quaternio*, nempe lateres quinque, aut quatuor palmorum. *Vitruv.* et *Plin. loc. cit.* — *Schelius* ad *Hygin. Gromat.* p. 122. putat, apud *Plin.* et *Vitruv. loc. cit.* legendum *longum sesquipede*, *latum pede*, *altum semipede*, scilicet ex *Veget.* 3. *Milit.* 8. Cæspes fit altus semissem, latus pedem, longus pedem semis.

DĬDRACHMA, æ, f. 1.

DĬDRACHMON, i, n. 2. *vel*

DĬDRACHMA, atis, n. 3. δίδραχμον, nummus duas drachmas continens. *Sedul.* 3. 316. Hamum ferre jubet, gerulum didrachmatis aurei. *Tertull. Præscript.* 11. Perdiderat unam ex decem didrachmis anus illa. Sic *Vulgat. interpr.* 2. *Machab.* 4. 19. Portantes argenti didrachmas trecentas. *Hieronym.* 3. in *Matth.* 10. Stater dicitur, qui duo habet didrachmata.

DĪDŪCO, cis, xi, ctum, cere, a. 3. (dis *et* duco). Part. *Diductus* in omnibus paragr.; *Diducendus* I. 1. et 2. — Diducere est in diversas partes ducere, *h. e.* trahere, distrahere, dirimere, separare, dividere, aperire: cui contrarium est conducere, contrahere, jungere (It. *trarre in parti opposte*, *distaccare*, *dipartire*, *separare*, *aprire*, *dividere*; Fr. *désunir*, *disjoindre*, *écarter*, *étendre en divisant*, *diviser*, *séparer*; Hisp. *desunir*, *apartar*, *separar una cosa de otra*, *dividir*, *partir*; Germ. *auseinanderziehen*, *zertrennen*, *zertheilen*; Angl. *to lead or draw aside*, *separate*, *sever*, *part*, *divide*, *set open*, *stretch wide*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim; et quidem — *a*) Absolute. *Lucret.* 6. 214. Nam cum ventus eas (*nubes*) leviter diducit euntes. *Cic. Orat.* 32. 113. Digitos diducere et manum dilatare. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. 14. (36). Os diductum. *h. e.* per vim aperto: quod *Sueton.* dixit *Tib.* 53. Diducto per vim ore. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 7. risu diducere rictum auditoris. Adde *Juvenal.* 10. 230. Similiter *Sil. It.* 3. 194. Serpens immani fauces diducit hiatu. *Quintil.* 11. 3. 81. Labra male – et astringuntur et diducuntur. *Id.* 11. 3. 80. Diducere nares. *Cels.* 7. 7. *n.* 4. Diducendus quotidie oculus est, ne cicatrice inter se palpebræ glutinentur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 57. (157). Supercilium vulnere aliquo diductum non coalescit. *Quintil.* 11. 3. 159. Status sit rectus, æqui et diducti paullulum pedes. *et paullo post.* Stare diductum (*h. e.* diductis pedibus), vel rigidum, vel supinum. *Id.* 2. 15. 9. Tunica diducta. *h. e.* nodis solutis. *Ovid.* 13. *Met.* 264.; at *Juvenal.* 13. 132. Diducere vestem summam. *Ovid.* 2. *Met.* 560. nodos manu. *Colum.* 7. *R. R.* 4. 5. lanam. *Id. ibid.* 6. 5. lacinias. *Id.* 5. *ibid.* 11. 7. Diducere arborem cuneo. *Tac.* 12. *Ann.* 69. Foribus palatii repente diductis. *Id.* 2. *ibid.* 47. Diductis terris hauriebantur. *h. e.* terræ motu diductis. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 69. *Petron. Satyr.* 26. Rima diducta. *Ovid.* 8. *Met.* 587. fluctus continuam diduxit humum. *Virg.* 3. *Æn.* 417. et undis Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes Littore diductas angusto interluit æstu. *Juvenal.* 10. 153. *de Hann.* Diducit scopulos et montem rumpit aceto. *Lucret.* 2. 315. Præsertim cum, quæ possimus cernere, celent Sæpe tamen motus, spatio diducta locorum. Cf. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 51. nostro diducta Britannia mundo. *Cels.* 2. 8. *ante med.* Quantoque magis mixtos, neque inter se diductos colores (*sputum*) habet. *h. e.* divisos adeoque discretos. *Propert.* 2. 6. 4. diducere amantes Non queat invitos Juppiter ipse duos. *Id.* 1. 13. 19. Diducere complexus. — Diducere cibum *Celso* 3. 4. *sub fin.* est digerere et in omnes corporis partes dividere. — *b*) Cum præpos. *in* et Accusativo. *Cels. præfat.* Nihil enim concoqui, sed crudam materiam, sicut assumpta est, in corpus omne diduci. *Id.* 8. 22. Pedem et crus in diversa diducere. *Quintil.* 11. 2. 18. Domus in multos diducta recessus. *Id.* 5. 13. 13. Si maxima flumina in rivos diducuntur. *Forcellinus* huc retulit etiam illud *Caton. R. R.* 155. Incilia aperire, aquam diducere in vias. *At ibi rectius cum Schneid. legas* deducere. *V.* DEDUCO. Absolute dixit *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (120). Sunt qui tradunt, Euphratem Gobaris præfecti opere diductum ubi eum diximus findi. ¶ 2. Speciatim in re militari est exercitum in varias diversasque copias dividere; atque hac significatione occurrit etiam in malam partem. *Cæs.* 6. *B. G.* 33. Dimittendæ plures manus, diducendique erant milites. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 40. *Id.* 2. *B. C.* 6. Diductis nostris navibus. Rursus *Id.* 3. *ibid.* 23. Suas copias diduci. Adde *eumd. ibid.* 40. et 111. *Frontin.* 2. *Strateg.* 3. 8. Diductis in latera viribus. *Liv.* 31. 21. et 21. 55. Diducere cornua. Cf. *Lucan.* 7. 506. *Frontin.* 2. *Strateg.* 3. 12. ordines. *Lucan.* 3. 584. robur. *Liv.* 26. 41. Diduxarunt exercitus. *paullo ante dixerat:* Duces – trifariam exercitum in diversissimas regiones distraxere. Adde *Frontin.* 4. *Strateg.* 7. 31. Similiter *Sall. Jug.* 25. Exercitu circumdato, summa vi Cirtam irrumpere nititur, maxume sperans, diducta (*h. e.* distracta) manu hostium, aut vi aut dolis sese casum victoriæ inventurum. Sic *Tac.* 2. *Ann.* 11. Distantibus locis invecti, ut hostem diducerent. *h. e.* ut hostium exercitum in diversas partes distraherent. Adde *Liv.* 5. 38. et 6. 15., et *Nazar. Paneg. Constant.* 24. Rursus *Tac.* 4. *Ann.* 2. Lascivire diductum militem. *h. e.* dispersas per urbem cohortes, ut supra dixerat. Cf. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 20. (64). Diducta multitudo. *h. e.* quæ diversa abiit et dispersa est. — Poetica sunt illa *Virg.* 5. *Æn.* 580. atque agmina terni Diductis solvere choris, rursusque vocati Convertere vias infestaque tela tulere. *Sil. It.* 13. 187. trinis diducunt agmina castris. *Id.* 9. 610. turmas diducere. *Id.* 9. 645. In certamina Paulo avia diducto. *Id.* 6. 468. alternasque feram diducit in iras.

II.) Translate, et quidem — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Invent.* 55. 109. Quum diducaris ab eo, quicum libentissime vixeris. *Quintil.* 14. *Declam.* 6. Diducere maritos a conjugum caritate. Apud *Quintil.* 1. 4. 20. Vocabulum ab appellatione diducere. *rectius legas* deducere. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. Ab inimicis diductum at depravatum Pompejum queritur. *h. e.* alienatum:

al. leg. deductum. *Tac.* 4. *Ann.* 19. Diducta civitas. *h. e.* in factiones divisa. *Seneca* 2. *Ira* 29. Diducere amicitias. *Sueton. Oth.* 3. matrimonium. *h. e.* dissolvere. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 12. litem. *h. e.* dirimere. *Quintil.* 4. 2. 82. Diducta argumenta leviora sunt. *Id.* 6. 3. 17. Quæ (*nomina*) si diducas, suam quamdam propriam vim ostendunt. *Plin. Paneg.* 66. Diducere eamdem speciem. Apud *Cic.* 3. *Orat.* 6. 23. Rivis est diducta oratio, non fontibus. *al. leg.* deducta. — *b*) Cum præpos. *in* et Accusativo. *Cic.* 2. *Invent.* 16. 50. Diducere communes locos in contrarias partes. *h. e.* trahere, pertrahere. *Horat. Art. P.* 325. Romani pueri longis rationibus assem Discunt in partes centum diducere. *h. e.* dividere. *Cels. præfat.* medicinam in tres partes. *Quintil.* 7. 10. 1. In duas partes diducitur intellectus nominis. *et mox.* Diducere causam universam in quæstiones ac locos. *Id.* 2. 14. 5. aliquid in species. *Id.* 11. 1. 53. argumenta in digitos. Sic *Id.* 4. 5. 24. Divisio diducta in digitos. *Id.* 10. 7. 9. Diducere animum in multiplex officium. *Justin.* 15. 4. 23. Diduci in duas factiones. Eodem sensu *Colum.* 9. *R. R.* 9. 6.; et *Petron. Satyr.* 108. Diducere turbam in partes. *Curt.* 9. 1. 20. Seditio in diversa consilia diduxerat vulgum. *Tac.* 4. *Hist.* 6. Ea ultio, incertum major an justior, senatum in studia diduxerat. *Id.* 2. *Hist.* 68. Diducti in studia, qui ad spectandum convenerant. — *c*) Hinc etiam *diducta* absolute, substantivorum more. *Nazar. Paneg. Constant.* 27. Nam, quæ diducta ferre nequeas, iis congregatis, etc.

DĬDUCTĬO, ōnis, f. 3. actus diducendi, apertio. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 8. Ostendit intensionem spiritus velocitas ejus et diductio. *Id.* 3. *ibid.* 13. Humor in diductione rerum ad quartas redactus est. *Caper p.* 2241. *Putsch.* Si *majestas* scribas, *stas* in diductione vocis esse debet, non *tas*, sic in similibus.

DĬDUCTUS, a, um. *V.* DIDUCO.

DĬĔCHĬDNŎN, δι᾽ ἐχιδνῶν, idem ac theriaca: a διὰ ἐχιδνῶν *ex viperis. Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. *ad fin.* Dandum medicamen theriacum bibendum, quod diechidnon appellamus.

DĬĒCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* dies. *Ter. Andr.* 4. 2. 27. Non satis habes, quod tibi dieculam addo? Adde *Cic.* 5. *Att.* 21. *sub fin.*; *Plaut. Pseud.* 1. 5. 99.: et *Apul.* 1. et 6. *Met.*

DĬĒLECTRŎN, δι᾽ ἠλέκτρων, medicamentum ex succinis: a διὰ *ex* et ἤλεκτρον *succinum. Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. Utendum etiam trochiscis confectis ex eo, quod appellatur dielectrum (*leg.* dielectron).

DĬENNĬUM, biennium. *Gloss. Isid.*

DIEPHEBUS, i, m. 2. a διὰ *trans*, et ἔφηβος *ephebus*, ephebicam ætatem prætergressus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 133.

DĬĔRECTĀ et

DĬĔRECTĒ, adverb. in malam rem, in malam crucem. *Plaut. Trin.* 2. 4. 58. Abin' hinc dierecte? Adde *eumd. Most.* I. 1. 8. et *Pœn.* 1. 2. 134., ubi pariter eadem formula est *abi dierecte*. Ceterum *V.* voc. seq. *Id. Rud.* 4. 4. 126. I dierecta cum sucula et cum porculis. *Plerique tamen hic leg.* I dierectus.

DĬĔRECTUS, a, um, adject. *Paul. Diac. p.* 69. 11. *Müll.* docet, dictum esse per antiphrasin, ad significandum malum diem: quasi sit a *dies* et *rectus*. *Salmas.* (quocum sentit et *Döderlein, lat. Synon. T.* 6. *p.* 102.) putat esse a Græco διαῤῥηκτον, *a* mutato in *e*, *h. e.* disruptus. Confirmari videtur hoc illis *Plauti* verbis *Curc.* 2. 1. 29. Lien dierectus est. *PA.* ambula: id lieni optimum est. *h. e.* ita est inflatus, ut disruptus esse videatur. Quidam codd. teste *Lambin.* habent: *Lien disruptus est:* quæ videtur esse explicatio prioris lectionis. Alii ducunt a *dio* et *rectus*, quasi sub dio erectus, et idem esse ajunt, quod in crucem sublatus: sed etymon a Græca lingua probabilius videtur, ut in aliis multis apud *Plautum*. Recentiores philologi *dierectus* accipiunt tamquam particip. præter. pass. ab inusit. *dierigo*, quod a *di* et *erigo*; ut *dierectus* sit erectus et in contrarias partes extentus, qua ratione qui cruci fixi sunt.

I.) Proprie. Quidquid sit de origine, certe Latinis eo sensu usurpatur in imprecationibus, ut in malam rem, in malam crucem. *Plaut. Pœn.* 1. I. 32. et *Merc.* 4. 4. 16. Abi dierectus. *Id. Merc.* 1. 2. 72. I hinc dierectus a me. *Id. Men.* 2. 3. 87. Ducit lembum dierectum navis prædatoria. *h. e.* ducit in malum, in exitium: et est allegoria. *Id. Capt.* 3. 4. 103. Quin quiescis dierectum cor meum? I, ac suspende te. — Hinc per attractionem, ut Grammatici ajunt, *abi dierecte*: *V.* DIERECTE suo loco.

II.) Translate. *Plaut. Curc.* 2. I. 29. Lien dierectus est. *V.* sub init. *Varro* apud *Non. p.* 49. 26. et *p.* 122. 27. *Merc.* Apage in dierectum a domo nostra istam insanitatem.

DĬĔRŸSĬMŎN, δι᾽ ἐρυσίμων, medicamentum ex erysimo (*V.* ERYSIMON) herba confectum, quod memorat *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 14.

DĬES, diēi, m. et f. 5., sed in plur. num. m. tantum. — Antiqua Genitivi forma triplex occurrit, *dii, die* et *dies*. Olim *dies, dii*, declinatum fuisse, ut et *fames, mi, acies, cii*, etc. *Gell.* 9. 14. docet. *Q. Cic.* apud *Auson. Eclogar.* 16. 2. Curriculumque Aries æquat noctisque diique. Similiter *Gell. loc. cit.* legendum putat apud *Virg.* 1. *Æn.* 640. Munera lætitiamque dii. Ubi alii leg. *dei*, h. e. Liberi patris; alii *die* itidem pro *diei*, ut docuit *C. Cæsar.* 2. *de analog.* apud *Gell. ibid.* Sic *Sall. ibid.* Vix decima parte die reliqua. Cf. et *Priscian. p.* 780. *Putsch. Servius* ita legit et illud *Virg.* 1. *G.* 208. Libra die somnique pares ubi fecerit horas: Non est, inquiens, apocope pro *diei*, sed secundum antiquos regularis Genitivus est. *Charis.* 1. *p.* 101. *Putsch.* hic quoque legit *dii*. At *Gell. loc. cit.* legit *dies* pro *diei*, confirmans testimonio eorum, qui scripserunt, idiographum librum *Virgilii* sese inspexisse: et auctoritate *Cæselii*, qui *Ciceronem* quoque dixisse testatur *Sext.* 12. 28. Daturos illius dies pœnas. at *Ennii*, Postremæ longinqua dies confecerit ætas. et *Q. Claudii*, qui *facies* dixit pro *faciei*. Similiter *Diomed.* 1. *p.* 281. *Putsch.* docet, *hujus pernicies* dictum a quibusdam pro *perniciei*. Sic *scabies* pro *scabiei* in illo *Lucilii* 30. apud *Non. p.* 100. 21. *Merc.* Tristem et corruptum, scabie et porrigini' plenum. Ceterum incertum est, utrum *die*, an *diei* legendum sit apud *Cæs.* 7. *B. G.* 11. (V. *Oudendorp.* ad *Cæs.* 2. *B. G.* 23.) et 1. *B. C.* 14. et 3. *ibid* 76.; et *Justin.* 2. 11. 17. Cf. *Caton.* apud *Quintil.* 9. 4. 39. — Etiam in Dativo casu *die* dixit *Plaut. Amph.* I. 1. 120. Neque non quoque concedit die. Cf. *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 208. et *Plaut. Amph.* 1. 3. 48. *Lucilius* quoque apud *Gell. loc. cit. facie* pro *faciei* in tertio casu usurpavit: primam facie quod honestas Accedit. *et ibid.* Qui te diligat, ætati facieque tuæ se Fautorem ostendat. — De antiqua Ablativi forma *diu*, *V.* in DIU loco suo. — Ceterum dies est spatium temporis, quo sol terras illuminat: fortasse a Διός *Jovis:* Juppiter enim auctor lucis habetur, ut ait *Macrob.* 1. *Saturn.* 15., unde et *Lucetius* et *Diespiter* dictus est, quasi diei pater (It. *giorno, dì*; Fr. *le jour*; Hisp. *dia*; Germ. *der Tag*; Angl. *a day*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Mascul. gen. *Leges XII. Tabul.* apud *Gell.* 20. 1. AERVS IVRE IVDICATIS TRIGINTA DIES IVSTI SVNTO. *Ennius* 8. *Ann.* 76. multa dies in bello conficit unus. *Plaut. Capt.* 3. 3. 3. Hic est ille dies, quum nulla vitæ meæ salus sperabilis est. *Id. ibid.* 3. 5. 73. Diu ego hunc cruciabo: non uno absolvam die. *Id. Bacch.* 5. 2. 84. It dies. *h. e.* præterit. *Id. Trin.* 3. 3. 78. Diem conficere. *h. e.* quod *Cicero* dicit 1. *Fam.* 2. consumere. *Id. Plaut. Aulul.* 1. 1. 34. Domi sedet totos dies. Cf. *Cic. post red. in senat.* 6. 11. Dies totos de virtute disserit. *Ter. Heaut.* 4. 5. 4. Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 10. Festo die. Adde *eumd. Cas.* 1. 49. et *Pœn.* 5. 3. 14.; et *Lucret.* 5. 1166. *Id. Lucret.* 5. 732. dies privos. *Cic.* 2. *Att.* 11. Dies nullus erat, Antii quum essem, quo die non melius scirem Romæ quid ageretur. (adverte eam repetitionem, quæ *Ciceroni* et *Cæsari* est familiaris. In hoc autem notanda illa 3. *B. C.* 105. Repetitis diebus, quo die etc. et 1. *ibid.* 36. Diebus triginta, a qua die materia cæsa est. et 1. *B. G.* 6. Diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani conveniant: is dies erat a. d. V. Kal. Apr. Cf. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. Nam mihi uno die tres sunt redditæ (*litteræ*): una pluribus verbis, in qua primum erat, quod antiquior dies in tuis fuisset adscripta litteris, quam in Cæsaris). *Cæs.* 7. *B. G.* 5. Paucos dies ibi morati, neque flumen transire ausi, etc. *Id.* 2. *ibid.* 6. Ægre eo die sustentatum est. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 11. et 5. *ibid.* 15. *Plin.* 9. *Ep.* 36. Ita variis sermonibus vespera extenditur, et, quamquam longissimus dies, cito conditur. Sic *Id. Paneg.* 80. Diem condere. *Id.* 6. *Ep.* 20. Præcesserat per multos dies tremor terræ. — *Dies civilis* multiplici ratione accipiebatur a veteribus. *V.* CIVILIS. — *Dies atri, legitimi, fasti*, etc. quære in his adjectivis. — *Cels.* 1. 1. et 3. Et qui semel et qui bis die cibum assumit. *h. e.* uno die, per diem. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 3. similesque meorum Mille die versus deduci posse. Sic *Quintil.* 10. 3. 8. Paucissimos die versus facere. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (22). Sæpius in die. *Id.* 18. *ibid.* 7. 17. (76). Quinquies in die. *Id.* 11. *ibid.* 25. 30. (88). Medio die. *Cæs.* 1. *B. G.* 22. Multo denique die per exploratores cognovit, etc. *h. e.* quum jam dies multum processisset. *Cic.* 13. *Att.* 9. Multus sermo ad multum diem. Cf. *Liv.* 23. 27. Ad multum diei cæduntur. *Cic.* 2. *Cat.* 3. 6. Hesterno die. *Curt.* 9. 10. 1. Altero die. *Cic.* 4. *Verr.* 17. 41.; *Nepos Miltiad.* 5.; *Sall. Jug.* 39. et 50. et 112.; et *Curt.* 6. 11. 27. Postero die. *Cæs.* 1. *B. C.* 65. In posterum diem. *Id.* 1. *B. G.* 23. et 48. Postridie ejus diei. *Cic.* 8. *Att.* 7. Post diem tertium ejus diei alias litteras attulerunt. Adde *Liv.* 27. 35. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 19. (26). Tertio die, quam etc. *h. e.* tribus diebus post quam etc. — *Diecrastini, quarti, quinti, septimi*, pro crastino, quarto, etc. adverbia quodammodo sunt et copulate dicta, secunda syllaba correpta, ætate *Cicer.* et supra eam, teste *Gell.* 10. 24., ubi plura adscribit exempla. Quin et *diequarte, quinte* dictum fuisse, *ibid.* docet. Consule etiam *Macrob.* 1. *Saturn.* 4., ubi more suo eadem fere descripsit. Apud *Liv.* quoque 10. 25. *diecrastini* pro *die crastino*, et 22. 51. *diequinti* quidam legunt pro *die quinto*. Addunt *Gell.* et *Macrob.* discrimen esse inter *diequinti* et *die quinto*. Illud enim de futuro dici, hoc de præterito. — *Leg. XII. Tabul.* apud *Gell.* 20. 1. Endo dies. *h. e.* quotidie. *Plaut. Men.* 3. 1. 10. Affatim est hominum, in dies qui singulas escas edunt. *h. e.* in singulos dies. *Cæs.* 5. *B. G.* 58. Quum majore in dies contemptione Induciomarus ad castra accederet, etc. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 30. *Cic. Topic.* 16. 62.; et *Vellej.* 2. 52. 2. Vitium in dies crescit. Adde *Sall. fragm.* 1. 13. *Gerlach.* et *Jug.* 74.; *Nepot. Att.* 21.; et *Liv.* 21. 11. *Id. Liv.* 34. 11. Magna vis hostium, cum qua mox signis collatis dimicandum sibi in dies expectet. *Plin.* 7. *Hist.* 2. 2. (32). Singula, quæ facit in dies ac prope horas. *h. e.* in singulos dies. *Lucilius* apud *Non. p.* 496. 19. *Merc.* Cui sæpe imposui mille plagarum in diem. *h. e.* quotidie. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 47. subjectior in diem et horam invidiæ. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 17. 15. (73). In diem ex æquo convenarum turba renascitur. *Liv.* 22. 39. Hannibal nihil usquam sui videt: in diem rapto vivit. *h. e.* singulis diebus. Alio sensu *Ovid.* 2. *Met.* 47. Currus rogat ille paternos In diem. h. e. per unum tantummodo diem. Similiter *Plin.* 21. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Natura flores in diem gignit. *h. e.* uno tantum die, seu brevi duraturos. *Trebell. Gallien.* 17. Lavit ad diem septimo æstate, hieme tertio. *h. e.* septies unoquoque die. *Vopisc. Firm.* 4. Struthionem ad diem comedit. *h. e.* uno die. *Justin.* 6. 7. 7. Pauci igitur sustinuere senes aciem, cui par ante diem universa juventus esse non potuit. *Liv.* 41. 16. Latinæ feriæ fuere ante diem tertium Nonas Maji. *et paullo post.* Comitia in ante diem tertium Nonas Sextiles, Latinas in ante diem tertium Idus Sextiles edixit. Adde 43. 16. *Id.* 45. 3. Latinæ edictæ a consule sunt in ante quartum et tertium et pridie Idus Novembres. *Id.* 45. 2. *extr.* Supplicatio indicta ex ante diem quintum Id. Octobr. cum eo die in quinque dies. Adde *Cic.* 3. *Att.* 17. *Nepos Hann.* 10. Classe paucis diebus erant decertaturi. *h. e.* post paucos dies. *Fronto* 5. ad *M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 46. Spero in paucis diebus me recte fore. *Jabolen. Dig.* 50. 16. 217. In diebus. *h. e.* paucis diebus. *Nepos Hann.* 5. et *Att.* 21. Non ita multis diebus. *Sall. Jug.* 66. Milites palantes, inermes (quippe in tali die) ac sine imperio aggrediuntur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 27. 67. (253). *de lampyridib.* In certis diebus eæ proveniunt. *Liv.* 5. 48. Diem de die prospectans, ecquod auxilium appareret. *Id.* 25. 25. Diem de die differre. Adde *Justin.* 2. 15. 6. *Cic.* 7. *Att.* 26. Diem ex die expectabam, ut statuerem. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. Diem ex die ducere. Adde *Liv.* 7. 26.; et *Tac.* 6. *Hist.* 42. *Cic.* 2. *ad Brut.* 1. Omnia in diem ex die dilata. *Ulp. Dig.* 7. 3. I. Usum fructum ex die, et in diem.

h. e. post illum diem, et futuro illo die. — b) Femin. gen. Lucret. 3. 902. Omnia ademit una dies infesta. Varro apud Gell. 3. 2. Una die nati. Cic. Rosc. Am. 44. 128. Esse in lege, quam ad diem venditiones fiant, nimirum ad Kal. Jun. Liv. 34. 35. Ex qua die scriptæ condiciones forent, ea dies ut induciarum principium esset; et ut ex ea die intra decimum diem etc. Sall. Jug. 68.; Curt. 4. 3. 13., 4. 5. 20. et 10. 8. 5.; et Plin. 20. Hist. nat. 18. 76. (199). Postera die. Cæs. 3. B. C. 19. Altera die. Adds eumd. 3. ibid. 26., ubi tamen alii altero legunt. Sueton. Gramm. 9. et Cæs. 73. eadem die. Id. Domit. 11. illa die. Ovid. 1. Met. 346. et 4. Trist. 6. 38. longa dies. Horat. 1. Od. 36. 10. pulcra. Virg. 6. Æn. 429. atra. — Die cæca emere, V. in CÆCUS. — c) Dierum computandorum ratio in epitaphiis veterum præcipue apparet ex Inscript. apud Fabrett. p. 347. n. 8. L. ANNAIO FIRM. VIXIT ANNIS V. M. II. D. VI. H. VI. QVI NATVS EST NONIS JVLIIS DEFVNCTVS EST IIII. ID. SEPTEMBRIS ANNAIA FERVSA VERNAE SVO KARISSIMO. Hinc porro patet, Romanos primum vitæ annos, deinde ex omnibus diebus simul junctis, si plures quam triginta fuissent, tot menses ex solis diebus triginta constantes, mox reliquos dies mensem minime complentes, quandoque etiam horas postremi vitæ diei numerare solitos fuisse. Etenim si in allata Inscriptione dies viginti quinque mensis Julii, unum et triginta mensis Augusti, et decem mensis Septembris simul jungas, habebis dies sexaginta sex, nimirum menses duos, dies vero sex. Hoc minime attendens Fabrettus, ut animadvertit Orellius n. 4311., falso putavit, hanc inscriptionem trium dierum errorem continere. Aliter tamen se res haberi videtur in Inscript. apud. Guasco Inscr. Capitol. T. 1. p. 135. — d) Denique Dies Saturni, Solis qui et Dominicus, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris appellati sunt vulgo a Romanis, ex Chaldæorum et Hebræorum instituto, septem dies hebdomadis: V. singulas eas voces. Locus vero datus est huic appellationi, quia e septem planetis, quibus, ut ait Tac. 5. Hist. 4., mortales reguntur, altissimo orbe et præcipue potentia stella Saturni feratur; ac pleraque cælestium vim suam et cursum septimos per numeros conficiant. V. Auson. Eclogar. 5. De nomin. VII. dier.; Seldenum de jure nat. et gent. apud. Hebr. l. 3. c. 10. et seqq.; Gothofred. ad Cod. Theod. 2. 8. 1.; Pitture d' Ercolano T. 3. tav. 50.; Marini in Giorn. de' Letter. di Pisa T. 6. p. 3. 30., et Lupi in Epit. S. Sev. § XII. ¶ 2. Speciatim dies et nox sæpe invicem opponuntur. — a) In singulari numero. Quintil. 5. 8. 7. Ut dies est, nox non est. Curt. 4. 16. 18. Dies tempus præceps in noctem. Lucret. 2. 579. Diem nox nulla secuta, quæ etc. Horat. Epod. 17. 25. Urget dies noctem. Cf. eumd. 1. Ep. 1. 21.; et Tibull. 3. 6. 54. Catull. 61. 116. Gaudia, quæ vaga Nocte, quæ media die Gaudent! Cic. 2. Nat. D. 9. 24. Quin is (cibus) die et nocte concoquatur. Adde Liv. 25. 39. Plin. 29. Hist. nat. 6. 36. (113). Si inclusus abstineatur die ac nocte. Cic. 13. Att. 26. Credibile non est, quantum scribam die; quin etiam noctibus. Nepos Themist. 8. Diem noctemque navem tenuit in ancoris. Adde Cæs. 1. B. C. 62.; et Liv. 22. 1. Similiter Cæs. 7. B. G. 42.; et Quintil. 9. 4. 23. diem ac noctem. Cæs. 5. B. G. 38. neque diem, neque noctem. Auct. B. Hisp. 38.; Liv. 27. 45.; et Val. Flacc. 5. 602. et 8. 175. diem et noctem. — b) In plurali numero. Lucret. 2. 12. dies atque noctes. Nepos Datam. 4. Dies noctesque iter faciens. Adde Plaut. Rud. 2. 3. 49.; et Ter. Eun. 1. 2. 13. Quintil. 6. proœm. 2. diebus ac noctibus. Id. 12. 6. 5. dierum ac noctium. Eumen. Paneg. Constant. 9. Longissimæ dies — noctes. Cic. 1. Fin. 16. 51. Noctes atque dies estuduntur. Adde Lucret. 3. 62.; et Virg. 6. Æn. 129. Rursus Cic. Brut. 90. 308. et 1. Orat. 61. 260. noctes et dies. Id. Arch. 11. 29. noctes ac dies. Ter. Eun. 5. 8. 49. noctesque et dies. Cic. 3. Verr. 17. 52. et 7. ibib. 43. 112. noctes diesque. — c) Huc pertinent et illa Ovid. 13. Met. 677. Surgere cum die. h. e. oriente die. Plaut. Asin. 4. 2. 16.; Curt. 5. 7. 2. et 8. 3. 8.; et Sueton. Cal. 37. de die. h. e. in ipsa diei luce. Liv. 25. 23. De die epulari. Horat. 2. Sat. 8. 3. De medio potare die. — Diem aliquando dici de tempore noctis adnotavit Servius ad illud Virg. 1. Æn. 736. Hunc lætum Tyriisque diem etc.; cui addunt alii locum Ovidii 5. Fast. 492. At apud Virg. l. c. dies latiori tantum significatione accipitur. ¶ 3. Item speciatim in re forensi diem dicere significat in judicium vocare et diem præstituere, qua die reus ad causam dicendam præsto sit: quod solis magistratibus facere licuit, et tribunis plebis, quando publice et apud populum citabant reos. Cic. Harusp. resp. 4. 7. Diem dixisset, ut fecerat; fecissem, ut ei statim tertius a prætore dies diceretur. Id. Divin. in Q. Cæcil. 20. 67. Domitius Silano diem dixit propter unius hominis injurias. Val. Max. 6. 1. n. 7. 8. et 11. Dicere diem alicui ad populum. — Hinc etiam extra rem forensem. Cæs. 1. B. G. 6. Diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani conveniant. Et Cic. 3. Verr. 57. 149. Dicere diem operi. h. e. præstituere; determinare, aut indicere. — Similiter dare diem idem est, ac diem præstituere, dicere. Pacuvius apud Non. p. 522. 8. Gnatam despondit: nuptiis hanc dat diem. Cic. 1. Att. 10. extr. Tulliola tibi diem dat: sponsorem appellat. Dixerat ibid. 8. Tulliola tuum munusculum flagitat, et me ut sponsorem appellat. Id. 3. Nat. D. 40. 94. Dabis aliquem diem, ut contra ista dicamus. h. e. assignabis, præstitues. Alio sensu Id. 4. Att. 17. Nam Vestorio dandi sunt dies. h. e. ponendi sunt in suavissima consuetudine Vestorii. — Hinc tum in re forensi, tum extra rem forensem, frequentes illæ formulæ, in quibus — a) Dies mascul. aut femin. gen. Leg. XII. Tabul. apud Cic. 1. Off. 12. 37. Plaut. Curc. 1. 1. 5.; et Cincius apud Gell. 16. 4. Status condictusve dies. Plin. 9. Ep. 39.; Flor. 1. 13. 16.; et Sueton. Claud. 1. status. Ter. Andr. 1. 1. 75.; et Cæs. 1. B. G. 45. et 5. ibid. 27. dictus. Cæs. 5. B. G. 57.; et Sueton. Claud. 12. dicere diem. Curt. 3. 6. 8.; et Sueton. Ner. 13. destinatus. Sall. Jug. 13. constitutus. Liv. 3. 22. et 35. 3.; Cic. 13. Att. 19. 2. et 16. Fam. 10. 4.; et Cæs. 5. B. G. 37. præstitutus. Gell. 16. 4. præfinitus. Sall. Jug. 79. certus. Phædr. 4. 11. adscriptus. Cæs. 1. B. G. 16. et 6. ibid. 35.; et Liv. 35. dare diem. Sueton. Claud. 42. diebus statutis. — b) Feminin. gen. Plaut. Pseud. 1. 3. 140.; Ter. Phorm. 3. 2. 28.; Cic. 1. Tusc. 39. 93.; Liv. 45. 11.; et Curt. 3. 1. 8. præstituta. Liv. 7. 28. et 3. 11. dicta. Cæs. 1. B. C. 2.; et Nepos Chabr. 3. certa. Liv. 27. 23. stata. Id. 31. 29. statuta. Cæs. 3. B. C. 33. certa — constituta. Cic. Cæcin. 11. 32. ad constitutam diem temposque venire Plaut. Epid. 4. 1. 18. longa. — Cum addito Dativo. Cæs. 1. B. G. 42. Dies colloquio dictus est, ex eo die quintus. Adde Sall. Jug. 113. Liv. 3. 37. judicio. Id. 31. 6. pecuniæ. Et in malam partem Id. 35. 35. facinori patrando. — Cum Genitivo. Cic. 10. Att. 5.; et Colum. 1. R. R. 7. 2. Dies pecuniarum. h. e. tempus præstitutum ad pecunias solvendas. Sueton. Aug. 101. solvendi. Liv. 25. 21. frumenti. Cf. Cic. 8. Att. 10. Alios non solvere, aliorum diem nondum esse. — Et similiter absolute Id. 7. Fam. 2. Plus annua die postulare. Et Ulp. Dig. 33. 1. 3. Si legatum sit relictum annua, bima, trima die. h. e. solvendum intra annum, vel biennium, vel triennium. ¶ 4. Item speciatim per ellipsim — a) Dies est notus dies, natalis dies. Cic. 13. Att. 42. 2. Sed heus tu, diem meum scis esse III. Non. Jan. Aderis igitur. h. e. diem meum natalem. Sic Plin. Paneg. 92. illum diem. Incertus Auct. Paneg. in Const. 16. diem natalis sui. Lucret. 3. 712.; et Sueton. Aug. 94. et 100., Tib. 53., Domit. 10. et Claud. 11. Dies natalis. Cf. Manil. 1. 55. Nascendi quæ cuique dies, quæ vita fuisset. h. e. quæ dies natalis. Inscript. apud Gruter. 99. 1. et apud Visconti Op. varie T. 1. p. 77. M. AELIVS M. F. RVSTICVS IN DIEM VITAE SVAE (h. e. die natali suo) MENSORIB. MACH. F. P. (h. e. mensoribus machinariis fori piscarii) CASTORES DD. ET OB DEDICATIONEM DEDIT SINGVLIS ✕ II. SATVRNINO ET GALLO COS. h. e. ann. post Chr. n. 189. — b) Item dies mortis. Tac. dial. de orat. 13. fatalis et meus dies. Curt. 8. 9. 33. diem leti. Capitolin. Anton. Phil. 6. Diem tuum claudas. Nepos Miltiad. 7., Dion. 2., Alcib. 10. et Reg. 1.; Sulpicius apud Cic. 4. Fam. 12.; Sueton. Claud. 1.; et Plin. 2. Hist. nat. 109. 112. (248). Diem supremum, vel Diem suum obire. h. e. mori. Tac. 3. Ann. 16. Diem supremum exigere. Id. 3. ibid. 76. explere. Sueton. Tib. 4., Vesp., 1. et Gramm. 3. Diem obire. Capitolin. Anton. Phil. 18. Diem ultimum claudere. Cic. Senect. 21. 78.; et Sueton. Aug. 61. supremus vitæ dies. Sueton. Tib. 67. supremus dies. Justin. 19. 1. 1. Diem fungi. h. e. mori. — c) Dies est etiam dies, quo quis febri corripitur. Cic. 9. Att. 2. Etsi Nonis Mart. die tuo, ut opinor, exspectabam epistolam a te longiorem. — d) Genialis dies est lætus et voluptarius. Juvenal. 4. 66. — e) Dies lustricus erat nonus a nativitate pueri. Sueton. Ner. 6.; at Macrob. 1. Saturn. 16. a med. V. LUSTRICUS.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro tempore, quocum interdum etiam jungitur. Liv. 2. 45. Diem tempusque forsitan ipsum leniturum iras sanitatemque animis allaturum. Cf. Turpilium, Ter. et Cic. infra sub a. init. Rursus Liv. 42. 50. Si possessio haud ambigua regni maneret, multa diem tempusque afferre posse, quibus non amissa modo reciperare, etc. Cf. Cic. post redit. ad Quirit. 9. 23. Neque æquum est tempore et die memoriam beneficii definire. — Porro hac significatione occurrit — a) Generatim, de temporis cursu. Turpilius apud Non. p. 522. 7. Merc. Amorem ipse lenivit dies. Ter. Heaut. 3. 1. 13. Dies adimit ægritudinem hominibus. Cic. 3. Att. 15. Dies non modo non levat luctum, sed etiam auget. Virg. 11. Æn. 425. Multa dies variique labor mutabilis ævi Rettulit in melius. Adde Sall. Cat. 51.; et Liv. 22. 39. Horat. 2. Ep. 1. 34. Si meliora dies, ut vina, poemata reddit. Id. 1. Od. 11. 7. dum loquimur, fugerit invida Ætas: carpe diem, quam minimum credula postero. Cf. eumd. 2. ibid. 7. 6. et Epod. 13. 4. Cic. 3. Verr. 12. 34. Quæstor Cn. Papirio consuli fuisti abhinc annos quatuordecim. Ex ea die ad hanc diem quæ fecisti, in judicium voco. Plin. 7. Hist. nat. 39. 40. (128). et 2. ibid. 25. 22. (89). Ad hanc et ad hunc diem. h. e. usque ad hoc tempus. Similiter in eam diem est usque ad illud tempus apud Justin. 8. 5. 13. Miserantes nunc vicem suam, quod in eam diem vixissent; nunc filiorum, quod non post eam diem nati essent. — Cato R. R. 150. Die lanam et agnos vendat. h. e. in tempore, tempore opportuno. — De tempore futuro. Plaut. Mil. glor. 3. 2. 45. et seqq. Perii, excruciabit me herus, domum si venerit, quum hæc facta scibit, quia sibi non dixerim. Fugiam hercle aliquo, atque hoc in diem extollam malum. h. e. in futurum differam. Ter. Eun. 5. 7. 19. Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minare. Donatus ad h. l.: In longam dilationem; unde dilatio est dicta diei prolatio. Id. Phorm. 5. 5. 2. Præsens quod fuerat malum, in diem abiit. h. e. producitur, protrahitur: locum affert Forcellinus; ipse non inveni. Cic. Cæl. 24. 59. Dii præsentis fraudis pœnas in diem reservant. h. e. in incertum diem, sed certo futurum. Q. Cic. Petit. cons. 12. 48. Id, si promittas, et incertum est in diem et in paucioribus. Cf. Nepos Att. 9. Fundum emere in diem. h. e. ea conditione, ut certo sed futuro tempore solveretur. — Cic. 2. Phil. 31. 87. Non solum de die, sed etiam in diem vivere. de die, h. e. magno luxu apparatuque cœnarum (ut ex Catullo in v. DE dictum est, ubi et alia in hanc rem. Adde Curt. 8. 3.); in diem, h. e. nulla cogitatione et cura futuri, ut in illo 2. Orat. 40. 169. Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. Adde Plin. 5. Ep. 5. 4.; et Colum. 3. R. R. 3. 6. — Pseudo-Ascon. ad Cic. 2. Verr. 2. et Varro apud Charis. 1. p. 85. Putsch. et alii multi ex grammaticis, hac significatione diem feminini generis esse voluerunt. Verum tum ex allatis, tum ex afferendis scriptorum locis falsum id apparet; videruntque Charis. loc. cit. et Non. p. 522. init. Merc. — Ceterum hac significatione jungitur et pluribus Adjectivis. Cic. 2. Verr. 2. 6. Quum ego diem perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi diem breviorem postularet. Sic Liv. 41. 10. brevis dies. Id. 37. 1. brevem induciarum diem. Cf. eumd. 4. 30. et 42. 47. Ovid. 4. Met. 372. nulla. Plin. 8. Ep. 5. longa. Stat. 1. Theb. 638.; at Lucan. 3. 139. longus. Lucan. 7. 845.; et Curt. 6. 3. 8. longior. Et poetice Stat. 1. Silv. 1. 93. stabit dum terra poIusque Et Romana dies. h. e. tempus Romani imperii: quod æternum futurum passim jactabant. — Hinc illa Liv. 25. 23.; et Sueton. Cal. 6. et Aug. 75. Dies festus. Juvenal. 3. 172. dierum festorum. Sueton. Domit. 21.; et Lucret. 5. 1166. profesti. Sueton. Claud. 14. diebus solemnibus. Ovid. 2. Fast. 569. dies ferales. Id. ibid. 558. dies puri. Id. 13. Met. 589. dies sacrificii. Id. 5. Trist. 5. 62. dies Pylii. Sueton. Claud. 3.; et Tac. 6. Ann. 36. Latinarum diebus. Sueton. Aug. 43. citra spectacu-

lorum dies. Id. Cæs. 81. dies cædis. Id. Claud. 11. dies necis. Pacat. Paneg. Theod. 37. Accensis funalibus auctus dies. — b) Speciatim dies ponitur pro eventu, qui illo die locum habuit, pro actis diei. Liv. 6. 1.; et Sueton. Vitell. 11. dies Alliensis. Flor. 4. 12. 35. Cannensis. Cic. 10. Att. 8. 7. Sullanus. Id. Sext. 12. 28. Equites Romanos daturos ejus diei pœnas. Seneca 3. Ira 36. Excutere totum diem. et mox. Totum diem meum scrutor. V. Duk. ad Flor. 2. 6. 158. Liv. 42. 67. Hic dies Persea perculit. Justin. 36. 2. 14. Quoniam illa dies (h. e. Sabbatum) famem illis (Judæis) erroremque finierat. Plin. 10. Ep. 60. et 103. dies imperii. Capitolin. Anton. Phil. 4. dies senatus. Spartian. Hadrian. 5. sub primis imperii diebus. Adde Vellej. 2. 35. et 86.; et Justin. 9. 3. Tac. Agric. 34. Transigite cum expeditionibus; imponite quinquaginta annis magnum diem, adprobate reipublicæ numquam exercitui imputari potuisse aut moras belli, aut causas rebellandi. Id. 3. Hist. 84. Vitare diem. h. e. periculum diei. Nepos Att. 4. Remigravit Romam: — quem diem (h. e. discessum) sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut etc. — Pro commentario seu ephemeride volunt nonnulli posuisse Arnob. 7. 9. Quanta vix explicari decem millibus queant vel annalium, vel dierum. At Grævius rectius putat legendum diurnorum. — c) Item speciatim dies ponitur pro mensura itinerum. Liv. 38. 69. Hanc regionem, dierum plus triginta in longitudinem, decem inter duo maria in latitudinem patentem, etc. Cic. 5. Att. 16. Nos in castra properabamus, quæ aberant bidui. et ibid. 17. Quum in castra proficiscerer, a quibus aberam bidui. Et Justin. 36. 2. 14. Quo septem dierum jejunio, per deserta Arabiæ, — quum tandem venisset, etc. ¶ 2. Aliquando ponitur pro luce diei, ac propterea est etiam idem ac sol. Ovid. 7. Met. 411. contraque diem radiosque micantes. Id. 13. ibid. 601. nigrique volumina fumi Infecere diem: veluti cum flumina natas Exhalant nebulas, nec sol admittitur infra. Plin. 6. Ep. 20. 6. Dubius et quasi languidus dies. h. e. quum nondum plene illuxit. Id. 9. ibid. 36. 2. Die admisso (h. e. fenestris patefactis), quæ formaveram dicto. Adde Lucan. 4. 68. Alter Plin. 33. Hist. nat. 4. 21. (70). Multis mensibus dies non cernitur. Incert. Auct. Paneg. Constant. 22. Ipse dies noctibus acquiescit. Tac. 16. Hist. 31. Dies vesperascit. Id. 4. ibid. 64. Quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Adde Colum. 7. R. R. 3. 25. Val. Flacc. 3. 258. Dies orta. Cf. Lucret. 5. 1189. Per cælum volvi quia nox et luna videntur; Luna, dies, et nox, et noctis signa severa. Solin. 1. Venire in diem. h. e. nasci. Stat. 1. Theb. 236. de Œdipo. Ille tamen superis æterna piacula solvit, Projecitque diem. h. e. se luce privavit erutis oculis. Et latiori significatione Id. 2. ibid. 657. nunc arma diemque Projice. h. e. vitam. — Et metaphorâ a luce sumpta. Id. 1. ibid. 49. Illum indulgentem tenebris etc., tamen assiduis circumvolat alis Sæva dies animi scelerumque in pectore Diræ. h. e. cognitio suorum facinorum, inmen conscientiæ. ¶ 3. Interdum et pro cæli plaga occurrit. Lucan. 7. 189. Sub quocumque die, quorumque est sidere mundi, Mæret, et ignorat causas, animumque dolentem Corripit. Adde eumd. 8. 217. Stat. 1. Theb. 200. effusa sub omni Terra atque unda die. Cf. eumd. 4. ibid. 66. teretes pars vertere fundas Assueti, vacuoque diem præcingere gyro. h. e. aerem. ¶ 4. Interdum sumitur pro tempestate, seu pro aere, aut qualitate diei. Plin. 11. Hist. nat. 10. 10. (20). de apib. Universæ provolant, si dies mitis futurus est. Id. 2. ibid. 45. 44. (115). Tranquillo die. Id. 22. ibid. 23. 49. (104). Dies pestilentes. Quintil. 11. 3. 27. Ventoso, humido, calido die. Val. Flacc. 1. 845. totumque per annum Durat aprica dies. Calpurn. Ecl. 4. 4. levatque diem vicini spiritus amnis. h. e. æstum et calorem diei. ¶ 5. In fabulis Dies inter deas numeratur. Plaut. Bacch. 2. 3. 61. et Cic. 3. Nat. D. 22. 56., ubi Mercurii, et ibid. 23. 59., ubi Veneris matrem fuisse tradit. Hygin. præfat. facit filiam Chao et Caliginis, uxorem Ætheris, matrem Terræ, Cæli et Maris.

DĪĔSIS, is, f. 3. δίεσις, a διΐημι trans mitto. In veteri musica est toni pars quarta: ita in hemitonio duæ dieses sunt collocatæ: quæ Vitruvii 5. 4. 3. Schneid. verba sunt. Confirmat Macrob., qui ait 2. Somn. Scip. 1. ad fin. Semitonium Pythagorici veteres diesim nominabant: sed sequens usus sonum semitonio minorem diesim constituit nominandum.

DĬEZEUGMĔNON, i, n. 2. διεζευγμένον. V. DIAZEUGMENON.

DIFFĀMĀTĬO, ōnis, f. 3. divulgatio. Augustin. 3. Civ. Dei 31. Si Christianæ religionis receptionem et diffamationem vel irruptio illa Gallorum, vel civilia bella sequerentur.

DIFFĀMĀTUS, a, um. V. DIFFAMO.

DIFFĀMĬA, æ, f. 1. bonæ famæ deletio. Est Augustin. 3. Civ. Dei 31.

DIFFĀMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Diffamans et Diffamatus 1. — Diffamo ¶ 1. Fere occurrit in deteriorem partem, et est malam famam spargo: et quidem cum Accusativo tantum. Ovid. 4. Met. 230. Vulgat adulterium, diffamatumque parenti Indicat. Tac. 14. Ann. 22. Subtrahere se prava diffamantibus. Id. 1. ibid. 72. Illustres viros procacibus scriptis diffamare. Apul. 1. Met. Diffamare aliquem probris. ¶ 2. Raro admodum simpliciter pro divulgare. — a) Cum Accusativo tantum. Augustin. de morib. Eccles. Cathol. 14. Deus quanto melius atque diffusius diffamatur, tanto diligitur et amatur ardentius. — b) Cum Accusativo et Infinito. Apul. 4. Met. Diffamat, incendio repentino domum suam possideri.

DIFFARRĔĀTĬO. V. CONFARREATIO.

DIFFĂTĪGO, as, are. a. 1. Plaut. Epid. 1. 2. 15. Clamore diffatigor, differor. h. e. ex hac illaque parte fatigor. Al. rectius leg. defatigor. V. DEFATIGO.

DIFFENSUS. V. DIFFINDO II. 2.

DIFFĔRENS, entis. V. DIFFERO.

DIFFĔRENTER, adverb. cum differentia. Solin. epist. ad Advent. Inseruimus pleraque differenter congruentia.

DIFFĔRENTĬA, æ, f. 1. (differo) diversitas, discrimen; et occurrit — a) Cum Genitivo. Cic. 1. Off. 27. 94. Differentia honesti et decori. Id. ibid. 31. 112. Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, ut etc. Sueton. Aug. 40. Differentia eorum, qui manu mitterentur. Petron. Satyr. 84. morum. Quintil. 12. 10. 70. personarum. Id. 9. 1. 4. utriusque rei. Adde eumd. 11. 3. 16. Tac. dial. de orat. 33. desidiæ. — b) Cum præpos. in et Ablativo. Cic. 5. Fin. 7. 19. Ut, quanta differentia est in principiis naturalibus, etc. Plin. 9. Hist. nat. 35. 56. (113). In candore ipso magna differentia est. Adde Quintil. 3. 7. 25., 3. 8. 37., 12. 10. 7. et 7. 2. 48. — c) Absolute. Quintil. 5. 10. 25. Etiam civitatum leges, instituta, opiniones habent differentiam. Id. 11. 3. 8. Facies infinitam habet differentiam. Adde eumd. 9. 4. 45. — In plurali numero. Cic. Topic. 7. 31. Genus est notio ad plures differentias pertinens. Quintil. 11. 2. 30. Quinque Græci sermonis differentias. Gell. 4. 1. Definire genere proposito et differentiis appositis, quid sit penus.

DIFFĔRĬTAS, ātis, f. 3. idem quod differentia, ejusdemque originis. Lucret. 4. 637. Tantaque in his rebus distantia differitasque est. Arnob. 2. 16. Non plurima differitate distans. et 7. 27. Sine ulla differitate. Id. 5. 36. Nec inest in re signum, quo differitas judicari ambiguorum possit simpliciterque dictorum.

DIFFĔRO, differs, distŭli, dilatum, differre, 3. (dis et fero). Differier auctum per paragogen pro differri est Lucretii 1. 1086. — Disque tulissent per tmesin dixit Plaut. Trin. 4. 1. 14. — Differris pro differeris legunt nonnulli apud Quintil. 5. Declam. 13. sub fin. — Part. Differens sub A. I. et in fin.; Dilatus sub A. II. et 3.; Dilaturus sub A. II. 3.; Differendus sub A. II. 3. — Differre usurpatur A) Active, et B) Neutrorum more.

A) Active differre est huc illuc ferre, in diversa ferre, dissipare, disjicere, discerpere, distrahere (it. portare quà e là, dissipare, lacerare; Fr. disperser, porter en tous sens, répandre, disséminer; Hisp. esparcir, derramar; Germ. auseinander tragen, bringen, trennen, verurtheilen; Angl. to carry hither and thither, carry up and down, scatter, disperse, tear in pieces).

I.) Proprie. — a) Generatim. Lucret. 2. 675. Scintillasque (ignem) agere ac late differre favillam. Id. 6. 691. Vorritque ardorem longe longeque favillam Differt. Cf. Cæs. 2. B. C. 14. ignem operibus inferunt: hunc sic distulit ventus, uti uno tempore agger, plutei, testudo, turris flammam conciperent. Lucret. 1. 272. Principio, venti vis verberat incita pontum, Ingentesque ruit naves et nubila differt. Sic Virg. 3. G. 197. Aquilo differt nubila. Lucret. 1. 108. Et calidos simul a medio differier ignes. Id. 6. 231. Curat item (fulmen), vasis integris vina repente Diffugiant; quia nimirum facile omnia circum Conlaxat — Adveniens calor ejus; et, insinuatus in ipsum, Mobiliter solvens differt primordia vini. Plaut. Trin. 4. 1. 14. In alto distraxissent disque tulissent satellites tui me miserum. Id. Rud. 2. 3. 38. Dum illi timent, nos cum scapha tempestas dextrovorsum differt ab illis. Id. Curc. 4. 4. 20. Te faciam, ut hic formicæ frustillatim differant. Horat. Epod. 5. 99. Insepulta membra different lupi. Id. ibid. 10. 5. Niger rudentes Eurus inverso mari Fractosque remos differat. Virg. 8. Æn. 642. Mettum in diversa quadrigæ Distulerant. Adde Lucret. 2. 725. et 4. 651. Liv. 6. 42. Passim eos simul pavor terrorque distulerant. Vellej. 2. 79. 2. Classem adorta vis Africi laceravit ac distulit. Tac. 5. Hist. 23. Castra vi fluminis differebantur. Seneca Thyest. 8. membra celeri differens cursu rota. — b) Speciatim in re rustica differri dicuntur plantæ, quæ huc illuc serendi causa transferuntur. Varro 1. R. R. 43. Cytisum seritur in terra bene subacta tamquam semen brassicæ: inde differtur et in sesquipedem ponitur. Adde Colum. 11. R. R. 3. 30. et 31. et 38. et 42. Sic Plin. 17. Hist. nat. 10. 11. (62). de myrti seminario. Parietem fore densitatis, ex quo virgulæ differantur. Quo sensu Virg. 4. G. 144. in versum distulit ulmos. — Et de germinatione Pallad. 4. R. R. 10. 23. Steriles creduntur (plantæ), quæ nitidæ sunt et oculos suos per longa internodia distulerunt.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur fere de animo, qui vehementi aliquo affectu correptus hac et illac quodammodo fertur ac distrahitur. Plaut. Cist. 2. 1. 5. Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior. Id. Mil. glor. 4. 4. 27. Differri amore alicujus. Id. Pœn. 1. 1. 28. cupidine. Id. Truc. 4. 1. 3. lætitia. Cf. eumd. Epid. 1. 2. 15. Clamore defatigor, differor. Ter. Adelph. 3. 5. 40. Miseram me! differor doloribus: Juno Lucina fer opem. h. e. scindor, laceror. Et paullo aliter Id. Andr. 2. 4. 5. Orationem sperat invenisse se, qui differat te. h. e. turbet et transversum agat. ¶ 2. Differre est etiam infamare, seu malam de aliquo famam hac illac disseminare: ad rem Plaut. Pseud. 1. 3. 425. Te differam dictis meis. h. e. carpam, lacerabo. Hinc — a) Pro infamare: et quidem Cum Accusativo tantum. Plaut. Aulul. 3. 2. 32. Nisi mihi reddi vasa jubes, pipulo te differam ante ædes. Propert. 1. 4. 21. Et te circum omnes alias irata puellas Differat. Adde Phædr. 2. 5. Rursus Propert. 1. 16. 48. æterna differor invidia. Tac. 3. Ann. 12. Differri etiam per externos, tamquam veneno interceptus esset. — Cum additis sermone, rumore, vel similibus. Cæcilius apud Gell. 2. 23. Differor sermone miser. Lucilius apud Non. p. 284. 16. Merc. Et male dicendo multis sermonibu' (ista) differs. Liv. 34. 49. Qui male commissam libertatem populo Romano sermonibus distulerint. Tac. 1. Ann. 4. Pars multo maxima imminentes dominos variis rumoribus differebant. Sueton. Aug. 14. Rumore ab obtrectatoribus dilato, quasi eumdem necasset. — Cum Infinito. Plaut. Trin. 3. 2. 63. Ne mihi hanc famam differant, me sororem in concubinatum tibi dedisse. Ter. Heaut. prol. 16. Rumores distulerunt malevoli, multas contaminasse Græcas. Nepos Dion. 10. Celeri rumore dilato, Dioni vim allatam. Val. Flacc. 1. 753. regemque fragor per mœnia differt Mille ciera manus. — b) Et latiori sensu pro divulgare etiam in bonam partem. Sueton. Cæs. 33. Promissum jus anulorum fama distulit. Et absolute Tac. 4. Ann. 25. Differtur per manipulos: Tacfarinatem omnes consectentur. ¶ 3. Præterea sæpe significat in aliud tempus transferre, proferre, rejicere, prorogare; et occurrit — a) Cum Accusativo — Personæ. Cic. 5. Fam. 12. extr. Sin autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar. Liv. 25. 25. Per frustrationem dilatus. Cf. Justin. 9. 6. 8. (Pausanias) quum variis frustrationibus non sine risu differretur. Ovid. 13. Met. 619. Quid dii crudeles, nisi quo nova funera cernam, Vivacem differtis anum? Id. Remed. am. 93. Sed propera, nec te venturas differ in horas. Cf. Martial. 13. 55. propera, caros nec differ amicos. Rursus Ovid. 12. Met. 76. Differre Hectora in

decimum annum. Tac. 4. Ann. 19. Dilato Sabino. Adde eumd. 2. ibid. 11. Id. 12. ibid. 20. Differre Neronem. Id. 2. Hist. 71. Valerium. Cf. eumd. 3. ibid. 51. Quintil. 10. 1. 125. Senecam. Sueton. Tib. 32. venientem in septimum diem. Id. Vesp. 23. petentem. Adde eumd. Cæs. 82. Id. Vitell. 12. Dilatus ad finem muneris. Adde eumd. Aug. 41. et Ner. 13.; et Plin. Paneg. 26. — Cum Accusativo rei. Cic. 2. Fam. 3. ad fin. Omnem disputationem in adventum tuum differo. Id. 8. Phil. 8. 23. Differre tempus. Adde Liv. 3. 16.; et Ovid. 9. Met. 766. Sic Ovid. 1. Met. 724. tempora iræ. Cic. Dejot. 7. 21. In posterum diem (facinus) distulit. Cf. eumd. 3. Verr. 32. 81. Id. 2. Att. 7. Differre vadimonium cum aliquo. Id. 2. ad Brut. 1. Omnia ex die in diem dilata. Id. Rosc. Am. 9. 26. Differre rem quotidie. Id. 10. Fam. 12. Res in posterum dilata. Adde eumd. 2. de republ. 4. Brutus apud Cic. 1. ad Brut. 11. Differre tempus petitionis. Cels. 4. 5. ad fin. Ideoque vini usus in longius tempus differendus est. Cæs. 3. B. C. 85. Differre iter. Id. 1. ibid. 86. aliquid in aliud tempus. Adde eumd. 7. B. G. 11. Nepos Pelop. 3. reliqua in crastinum. Liv. 25. 25. diem de die. Horat. Art. P. 44. pleraque. Adde eumd. 1. Ep. 2. 39. Ovid. 6. Met. 366.; et Plin. 1. Ep. 22. 7. sitim. h. e. tolerare; differre potum. Seneca Ep. 8. Differre aliquid in diem. Justin. 3. 7. 4. injuriam in tempus ultionis. Adde eumd. 6. 1. 5.; Quintil. 10. 3. 33. et 9. 3. 58.; Curt. 5. 11. 8.; Flor. 4. 12. 25.; Sueton. Cæs. 59., Tib. 62., Ner. 21. et 17.; Tac. 12. Ann. 66., 3. ibid. 52. et 2. Hist. 62.; Juvenal. 3. 213., 14. 130. et alibi; et Val. Flacc. 5. 460. et 4. 78. Plin. 21. Hist. nat. 20. 79. (135). Res in hunc locum dilata. Id. 18. ibid. 21. 58. (201). Quæstio huc dilata. Propert. 1. 6. 82. Differat in pueros ista tropæa suos, h. e. suis pueris reservet. — b) Cum Infinito. Horat. 4. Od. 4. 21. Quærere distuli. Liv. 12. 2. Nec ultra ad arma ire dilaturum. Curt. 6. 9. 9. Metron ne momentum quidem temporis distulit exonerare se, ut etc. Sueton. Cæs. 81. An quæ proposuerat, differret agere. — c) Cum part. quin. Liv. 6. 22. in fin. In aciem procedunt, nihil dilaturi, quin periculum summæ rerum facerent. Sueton. Cæs. 4. Expositus in litore, non distulit, quin e vestigio classe deducta persequeretur abeuntes. — d) Cum præpos. ad. Cic. Vatin. 11. 28. Te id, quod promulgasses misericordiæ nomine, ad crudelitatis tempus distulisse. Liv. 41. 8. Postero die legati Sardorum, qui ad novos magistratus dilati erant, etc. Tac. 3. Ann. 52. Consulti patres integrum id negotium ad principem distulerant.

B) Neutrorum more ponitur de iis, quæ simul convenire nequeunt, et est in diversa ferri, adeoque dissimilem diversumque esse, distare, discrepare (It. essere differente; Fr. se distinguer, différer, être différent; Hisp. diferir, distinguirse, ser diferente; Germ. sich unterscheiden, von einander verschieden sein; Angl. to be different). Usurpatur — a) Cum Ablativo rei, quâ duo inter se differunt; at sæpe addito nihil, multum, etc. Cic. 2. Orat. 23. 94. Itaque et illi, Theopompi, Ephori, Philisti, Naucratæ multique alii naturis differunt: voluntate autem similes sunt inter se. Id. Cæcin. 14. 39. Differre ex aliqua parte. Id. 2. leg. Agr. 31. 85. paullum. Id. Brut. 40. 150. nihil. Horat. 2. Sat. 3. 186. quid enim differt, barathro ne dones quidquid habes, an numquam utare paratis? Adde Quintil. 12. 10. 52. Id. Quintil. 5. 11. 30. Differre ætate. Id. 2. 4. 33. jure. Id. 10. 2. 16. numeris. — b) Cum præpos. ab et Ablativo rei, a qua res alia differt. Plaut. Truc. 3. 2. 18. Ut (id) pausillum differat a cavillulis. Cic. 8. Phil. 11. 32. Non differre vestitu ab aliquo. Id. Orat. 23. 76. Ab indisertis re plus, quam opinione differens. Id. 1. Off. 27. 96. Differre a reliquis animantibus. Id. pro leg. Manil. 5. 13. ab hostili expugnatione. Cæs. 6. B. G. 18. ab reliquis. Quintil. 5. 11. 44. a syllogismis. Id. 2. 17. 41. ab ea specie. Adde eumd. 3. 1. 13. — c) Cum Dativo rei, a quâ res alia differt. Horat. 1. Sat. 4. 48. Comœdia pede certo differt sermoni. Id. Art. P. 236. tragico differre colori. Plin. 9. Hist. nat. 35. 51. (107). Concha haud multum ostrearum conchis differens. Id. ibid. 8. 7. (23) de delphinis. Lingua est his brevis, haud differens suillæ. Quintil. 2. 21. 10. Vasa statuis differunt. — d) Cum præpos. inter. Lucret. 2. 318. Invenies tamen (hæc) inter se differre figuris. Cic. 4. Tusc. 11. 24. Hæc cogitatione inter se differunt, re copulata sunt. Id. Orat. 32. 114. Hoc differunt inter se, quod hæc latior est, illa contractior. Id. 1. Nat. D. 29. 80. Nihil inter deum et deum differt. Id. Divin. in Q. Cæcil. 19. 61. Vide, quid differat inter meam opinionem ac tuam. Id. 1. Off. 28. 99. Est quod differat inter justitiam et verecundiam. Id. 1. de republ. 43. inter privatum et magistratum. Id. 2. Off. 8. 30. inter summos et mediocres viros. Adde Cæs. 6. B. G. 11.; et Quintil. 12. 10. 22. — e) Cum præpos. cum. Cic. 1. Invent. 27. 40. Occasio cum tempore hoc differt: nam etc. Id. ibid. 44. 82. Quid res cum re differat, demonstrabitur. Adde eumd. 2. ibid. 30. 92. — f) Cum præpos. in et Ablativo rei, quâ quis ab alio differt, et Genitivo alterius, a quo differt. Nepos Ages. 7. Ut nulla in re differret cujusvis inopis. Et omisso Genit. Lucret. 3. 315. Inque aliis rebus multis differre necesse est Naturas hominum varias moresque sequaces. — g) Absolute. Cic. 2. Divinat. 36. 76. Dii immortales, quantum differebat! ut quædam essent etiam contraria. — Hinc Part. præs., cujus et superius exempla retulimus.

Differens, entis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. Differentior; et est dissimilis. Cic. 1. Legg. 10. 30. Doctrina differens, facultate par. et ibid. 13. 38. Re congruentes, genere docendi differentes. Id. 1. Orat. 42. 189. Similes communione quadam, specie autem differentes. Id. Fat. 4. 8. Has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas. Vulgat. interpr. ep. Paul. ad Hebr. 1. 4. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. — Hinc

Differens, entis, n. 3. absolute, substantivorum more, est idem ac differentia. Quintil. 5. 10. 55. Finitioni subjecta videntur genus, species, differens, proprium.

DIFFERTUS, a, um, particip. præter. pass. ab inus. differcire, fartus, impletus. Cæs. 3. B. C. 32. Provincia differta exactoribus. Horat. 1. Sat. 5. 4. Forum Appi differtum nautis. Id. 1. Ep. 6. 59. Differtum transire forum. Tac. 16. Ann. 6. Corpus differtum odoribus conditur, tumuloque infertur.

DIFFĪBŬLO, as, are, a. 1. (dis et fibulo) fibulam resolvo, discingo, aperio. Stat. 6. Theb. 570. Emicat, et torto chlamydem diffibulat auro. Sidon. 3. Ep. 3. a med. Alii de concavo tibi casidis exturo flexibilium laminarum vincula diffibulant.

DIFFĬCĬLĔ, adverb. Comp. et Sup. V. in DIFFICULTER. — Difficile est cum difficultate, ægre, vix. Cic. 2. Invent. 56. 169. Difficile fieri dicimus, quod etc. Hic locus citatur a Forcellino: sed τὸ difficile est adjectivum: V. integrum locum. Vellei. 2. 63. 3. Sibi difficile consentiens. Plin. 27. Hist. nat. 12. 91. (120). Semen inter folia durum, et quod difficile vellatur. Bibaculus apud Sueton. Gramm. 11. Omnes solvere posse quæstiones, Unum difficile expedire nomen. Adde Justin. 27. 3. 2.; et Pallad. 2. R. R. 7. Spartian. Hadrian. 8. Difficile faciens senatores. Trebell. Poll. xxx. Tyr. 30. in æce difficile loqui.

DIFFĬCĬLIS, e, adject. (dis et facilis). Difficul pro difficilis habet Varro apud Non. p. 111. 25. Merc. Quod utrum sit magnum an parvum, facul an difficul. — Comp. Difficilior 1.; Sup. Difficillimus 1. et 2. — Difficilis est qui non est facilis, qui facile fieri vel perfici nequit, adeoque laboriosus, operosus, arduus (It. difficile, malagevole; Fr. difficile, pénible, malaisé, périlleux; Hisp. dificil; Germ. schwer zu thun, zu vollbringen, auszuführen, daher schwer, schwierig, rauh, beschwerlich; Angl. hard, difficult). Occurrit ¶ 1. Generatim de rebus; et quidem — a) Sine additis. Plaut. Trin. 3. 2. 20. Tu fecisti, ut (facilis via) difficilis foret. Cf. Cæs. 2. B. G. 27. Quæ facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat. Ter. Heaut. 4. 6. 1. Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet, quam invitus facies. Cic. 2. de republ. 14. Sacrorum autem ipsorum diligentiam difficilem, apparatum perfacilem esse voluit. Id. 5. Phil. 13. 36. Bruti opera, consilio, virtute, reipublicæ difficillimo tempore esse subventum. Adde eumd. Cæcin. 1. 11. Sic Cæs. 1. B. C. 48. Tempus anni difficillimum. Id. 3. B. C. 15. Difficilioribus usi tempestatibus. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 11. 36. Scopuloso difficilique in loco versari. Adde Sall. Jug. 83. et 92. Hursus Cic. 1. Orat. 58. 250. Contortas res et difficiles percipere. Id. 2. Invent. 54. 163. Res arduæ ac difficiles. Id. 3. Nat. D. 39. 93. Natura deorum est obscura et difficiles explicatus habet. Cæs. 1. B. G. 6. Iter angustum et difficile. Id. 2. B. C. 1. Longa et difficilis oppugnatio. Id. 7. B. G. 36.; et Horat. 1. Sat. 9. 56. Difficilis aditus. Cæs. 3. B. G. 44. ascensus. Id. 6. ibid. 7. transitus. Juvenal. 13. 213. cibus. Plin. 22. Hist. nat. 13. 15. (33). venter, h. e. adstrictus. Id. 24. ibid. 5. 13. (23). partus. Id. 23. ibid. 9. 83. (165). urina. — b) Difficile est cum Infinito. Ter. Andr. 1. 3. 6. Cui verba dare difficile 'st. Cic. Amic. 8. 26. Studiis enim generorum, præsertim in re bona, quum difficile est, tum ne æquum quidem obsistere. Cæs. 1. B. G. 14. Qui si alicujus injuriæ sibi conscius fuisset, non fuisset difficile cavere. Nepos Att. 16. Ut judicari difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus. — c) Difficile est cum Accusativo et Infinito. Plaut. Trin. 3. 1. 20. Nimium difficile' st reperiri amicum, — cui tuam rem credideris, sine omni cura dormias. Lucret. 3. 360. Dicere porro, oculos nullam rem cernere posse, Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis, Difficile est. Cic. 2. Invent. 45. 130. Non fuisse ei grave, nec difficile eam causam excipere. Adde Lucret. 1. 138.; et Horat. Art. P. 128. — d) Difficile cum Supino. Cic. Tim. 11. Difficile factu est, a diis ortis fidem non habere. Adde eumd. 1. de republ. 43., 3. Nat. D. 1. 1. et 1. Off. 21. 71. Id. 1. Fam. 7. Difficile dictu est de singulis. Adde eumd. Amic. 7. 23. Sall. Jug. 91. extr. Difficile aditu. Liv. 10. 34. migratu. — e) Cum præpos. ad et Accusativo. Liv. 3. 5. Difficile ad fidem est, quot ceciderint, exacto affirmare numero. Lucret. 2. 1025. Res difficilis ad credendum. Cic. 1. Off. 35. 126. Decorum illud est difficilius ad eloquendum. Id. 10. Fam. 5. ad judicandum. Id. Orat. 55. 181. ad inveniendum. Quintil. 8. proœm. 4. ad percipiendum. — f) Cum Dativo. Plin. 23. Hist. nat. 8. 79. (151). Cibus difficilis concoctioni. V. Drakenb. ad Liv. 45. 29. — g) In difficili esse est difficile esse. Liv. 3. 65. sub fin. Adeo moderatio tuendæ libertatis in difficili est. Adde Cels. 5. 26. n. 1.; et Scævola Dig. 28. 2. 29. ad fin. — h) Absolute. Curt. 6. 2. 20. Difficillima poscere. Quintil. 2. 8. 8. Difficiliora discenti. Id. 11. 2. 42. Difficiliora debent esse, quæ exercent, quo sit levius ipsum illud, in quod exercent. Id. 5. 10. 93. Exempla ex difficiliore. Et cum Genit. Id. 1. 1. 30. Difficillima quæque syllabarum. ¶ 2. Speciatim de morali charactere ponitur; et difficilis homo dicitur, qui aspera natura est et durioribus moribus, et facile offenditur consuetudine aliorum. Accius apud Cic. 3. Nat. D. 29. 72. Parens illepidus, in liberos difficilis. Ter. Heaut. 3. 2. 21. Difficilis senis. Cic. Orat. 29. 101. Difficilem ac morosum esse. Adde eumd. Senect. 18. 65. et 1. Fin. 18. 61.; et Horat. 2. Sat. 5. 90. Id. Horat. 3. Od. 10. 11. Difficilis Penelopes. Ovid. 2. Art. am. 566. Rusticum et difficilem esse alicui. Id. 2. Pont. 2. 20. precibus alicujus. Horat. 3. Od. 7. extr. et te sæpe vocanti Duram difficilis mane, h. e. ne sinas te exorari. Nepos Att. 5. Homo difficillima natura. Horat. 1. Od. 13. 4. meum Fervens difficili bile tumet jecur. h. e. aspera ira.

DIFFĬCĬLĬTER, adverb. idem ac difficile. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 16. 50. Cur deinde non, ut difficiliter a vero internosceatur? Colum. 5. R. R. 3. 1. Difficiliter mensuras imbibimus agrorum. Adde eumd. 5. ibid. 7. 1.

DIFFĬCUL. V. DIFFICILIS init.

DIFFĬCULTAS, ātis, f. 3. arduitas, labor, negotium (It. difficoltà, malagevolezza; Fr. difficulté, obstacle, incommodité, fatigue, situation difficile, critique; Hisp. dificultad, embarazo, obstaculo; Germ. die Schwierigkeit, schwierige Lage, Noth, Mangel, d. Beschwerligkeit; Angl. difficulty, trouble). Usurpatur ¶ 1. Generatim; et quidem — a) Absolute. Plaut. Epid. 2. 2. 105. Ne qua difficultas eveniat. Ter. Hecyr. 4. 4. 45. Neutra in re vobis difficultas a me erit. Cic. Brut. 6. 25. Hoc habet magnam difficultatem. Id. 4. Fam. 2. ad fin. Incurrere in magnam difficultatem. Id. Fat. 17. 39. In difficultates delabi. Id. Topic. 25. 93. Aut omnino fieri non possunt, aut sine summa difficultate non possunt. Id. Quinct. 2. 10. Tot tantisque difficultatibus affectus atque afflictus. Id. 1. ad Q. fr. 1. 11.; et Cæs. 7. B. G. 10. Afferre difficultatem alicui ad aliquid faciendum. Cæs. 3. B. C. 15. Res est in ma-

gua difficultate. Id. 7. B. G. 35. In magnis difficultatibus esse. Quintil. 11. 1. 68. Difficultas et labor. Adde Curt. 4. 2. 9., t. 11. 17. et alibi: Sueton. Jug. 40.; et Plin. Paneg. 3. et 91. Alter Plin. 15. Hist. nat. 13. 13. (45). Persicæ arbores sero et cum difficultate transiere. Id. præfat. 5. Vincere difficultates. Id. 8. ibid. 23. 35. (87). Perrumpere omnes difficultates. Pacat. Paneg. Theod. 19. Difficultatis artem adhibere. scilicet in aula. — b) Cum addito — Genitivo rei, in qua difficultas inest. Cic. 7. Verr. 20. 51. Summa difficultas navium. Id. Dom. 5. 12. et Sueton. Aug. 41. Difficultas annonæ. Cic. 5. Verr. 82. 190. vecturæ. Cæs. 7. B. G. 56. viarum. Id. ibid. 17. Difficultate rei frumentariæ affectus exercitus. Auct. B. Alex. 43. Pressus difficultate omnium rerum. Sall. Cat. 57.; et Sueton. Tib. 21. rerum. Sic Cic. Divin. in Q. Cæcil. 12. 40. Magnitudo rerum ac difficultas. Sall. Jug. 98. loci. Trebell. Poll. xxx. tyr. 26. et Gall. duob. 10. locorum. Colum. 2. R. R. 4. 10. Difficultatem acclivitatis infringere. Sueton. Ner. 41. Difficultas organi hydraulici. Spartian. Hadrian. 6. ærarii. — Cum eodem Genitivo refertur aliquando ad morbum. Cels. 2. 2. sub fin. Considerandum est, num cui sæpius horum aliquid eveniat, neque ideo corporis ulla difficultas subsequatur. Id. 3. 1. Difficultas morbi. Id. 2. 1. urinæ. et ibid. in fin. spirandi. — Cum Genit. Gerund. Cic. 1. Divinat. 47. 105. Difficultas laborque discendi. Id. 1. Orat. 18. 82.; et Cæs. 3. B. G. 12. navigandi. Cic. 1. Orat. 26. 120. dicendi. Cæs. 4. B. G. 17. pontis faciundi. Id. 3. ibid. 10. belli gerendi. Vopisc. Carin. 20. plumandi. — Cum Genitivo personæ, quæ difficultate premitur. Cic. 7. Verr. 20. 51. Quod recentibus suis officiis, integra re, nullis populi Romani difficultatibus assequi non potuerunt. — c) Cum Adjectivis, quæ Genitivi seu rei vicem gerunt. Cic. 1. Cat. 6. 11. Difficultas domestica. h. e. inopia. Id. 1. Verr. 28. 69.; et Sueton. Tib. 48. Esse in summa difficultate nummaria. — d) Cum præpos. in et Ablativo rei, in qua inest difficultas. Quintil. 6. 3. 1. Quanta sit in ea (virtute) difficultas. Cf. Id. 11. 1. 68. In his minor est labor, illic plus difficultatis. Id. 2. 3. 2. Difficultas in eluendis vitiis. ¶ 2. Speciatim pro moribus difficilibus, asperis, duris. Cic. Mur. 9. 19. Sulpicius multorum stultitiam perpessus est, arrogantiam pertulit, difficultatem exsorbuit.

DIFFICULTER, adverb. Comp. *Difficilius* et Sup. *Difficillime*. — Difficulter est idem quod difficile et difficiliter, sed majoris usus. — a) Posit. Cic. 2. Invent. 56. 169. Quid difficulter fieri, et quid facile possit. Sic legunt optimi Codd.; al. difficile. Cæs. 1. B. C. 62. Difficulter atque ægre facere aliquid. Auct. B. Alex. 48. Difficulter dissimulare odia. Sall. Cat. 14. Dolis haud difficulter capiebantur. Liv. 1. 52. Haud difficulter persuasum Latinis. Tac. 12. Ann. 35. Amnem haud difficulter evadit. Curt. 7. 6. Haud difficulter concitaverunt ad arma. Adde Sueton. Vitell. 1. et 4. et Claud. 41.; et Quintil. 1. 3. 3. — b) Compar. Cæs. 7. B. G. 58. Postquam id difficilius confieri animadvertit, etc. Plin. 22. Hist. nat. 21. 28. (56). Difficilius concoquitur. Adde Sueton. Cæs. 25., Ner. 49. et Rhetor. 1.; et Quintil. 1. 12. 8. et 11. 2. 28. — c) Superl. Cic. Amic. 17. 64. Veræ amicitiæ difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus reque publica versantur. Plin. 19. Hist. nat. 7. 35. (117). Omnium difficillime apium nascitur.

DIFFIDENS, entis. V. DIFFIDO.

DIFFIDENTER, adverb. Comp. *Diffidentius*. — Diffidenter est cum diffidentia. Cic. Cluent. 1. 1. Timide et diffidenter attingere rationem veneficii criminum. Liv. 32. 21. Miramini, cur diffidenter Cleomedon legatus Philippi, ut pro rege arma caperemus adversus Romanos, modo egerit. Justin. 38. 7. 4. Timidius ac diffidentius ingredi bella.

DIFFIDENTĬA, æ, f. 1. actus diffidendi, sive ut ait Cic. 2. Invent. 54. 165. Fidentiæ contrarium est diffidentia (It. *sconfidenza*, *diffidenza*; Fr. *défaut de confiance*, *défiance*; Hisp. *desconfianza*, *desfidencia*; Germ. *das Fehlen des Vertrauens*, *Misstrauen*; Angl. *mistrust*, *distrust*, *diffidence*). Usurpatur — a) Cum Genitivo rei. Cic. 4. Tusc. 37. 80. Metus quoque et diffidentia expectati et impendentis mali. Sall. Jug. 60. Diffidentiam rei simulare. Id. ibid. 100. Diffidentia causæ. Sic Plin. 5. Ep. 1. Coheredes transigere cupiebant, non diffidentia causæ, sed metu temporum. Sueton. Oth. 9. Moriendi impetum cepit, magis pudore, quam desperatione ulla, aut diffidentia copiarum. Quintil. 11. 3. 112. Fateri diffidentiam memoriæ. Tac. 1. Hist. 72. Diffidentia præsentium mutationem pavens. — b) Sine Genitivo. Ovid. Remed. am. 543. Fit quoque longus amor, quem diffidentia nutrit. Fronto 4. ad M. Cæs. 3. Diffidentia profecto audaciam prohibet. Quintil. 9. 2. 72. Nec pudor videtur, quod non palam objicias, sed diffidentia. Adde eumd. 8. proœm. 27. Id. 5. 7. 1. Pro diffidentia premitur (Signatorum) absentia. Justin. 1. 8. 10. Quippe simulata diffidentia propter vulnus acceptum etc. — c) Sequente Infinito. Sall. Jug. 100. Vigilias ipse circumire, non tam diffidentia futurum quæ imperavisset, quam uti etc.

DIFFĪDO, fidis, fisus sum, fidere, n. 3. (dis et fido). Præterit. *diffidi* pro *diffisus sum* est Quintil. Declam. 287. Causæ patris diffidit vir fortis. Alii leg. diffidisset. — Part. *Diffidens* (etiam in fin.) et *Diffisus*. — Diffidere est non fidere (It. *diffidare*, *diffidarsi*, *non avere fidanza*; Fr. *ne pas se fier à*, *avoir de la défiance*, *ne pas compter sur*, *douter*; Hisp. *desconfiar*, *recelarse*, *temer*; Germ. *misstrauen*, *kein Vertrauen haben*, *verzweifeln*; Angl. *to distrust*, *mistrust*, *despair*). Recta verbo *confidere* opponitur apud Cic. Cluent. 23. 63. Eum potius, qui sibi aliqua ratione diffideret, quam qui omni ratione confideret. — Usurpatur — a) Sæpissime cum Dativo. Plaut. Rud. prol. 82. Valete, ut hostes vestri diffidant sibi. Lucret. 5. 1347. Ipsique perire, Qui numero diffidebant armisque vacabant. Id. 1. 268. Ne qua forte tamen cœptes diffidere dictis. Adde eumd. ibid. v. 331. Cic. Prov. cons. 16. 38. Homines diffisi ipsi sibi. Id. Mur. 30. 63. Me diffisum ingenio meo quæsisse adjumenta doctrinæ. Id. 2. Fin. 27. 86. Qui diffidet perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est. Id. 2. Fam. 10. Parthos times, quod diffidis copiis nostris. Id. 2. Divinat. 3. 8. Dubitans et mihi ipse diffidens. Id. Pis. 36. 89. Diffidens et desperans suis rebus. Adde eumd. pro leg. Manil. 9. 23. Sic Sall. Jug. 32. et 75. Diffidere suis rebus. Id. Cat. 31. sibi patriæque. Id. ibid. 45. Diffidens vitæ. Id. Jug. 47. veteri exercitui. Id. ibid. 54. armis. Cæs. 6. B. G. 38. suæ atque omnium saluti. Id. 3. B. C. 94. summæ rei. Sulpicius apud Cic. 4. Fam. 5. sub fin. Plura de hac re scribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Ovid. 1. Met. 397. monitis. Adde Curt. 8. 2. 27. Tac. 15. Ann. 36. Defensioni diffisus. Id. ibid. 55. Diffidere testamento. h. e. non sperare, locum et vim fore testamento. Justin. 4. 3. 4. viribus suis. Id. 16. 4. 14. viribus propriis. Quintil. 6. 1. 2. et 1. 1. 33. memoriæ. Val. Flacc. 5. 593. comptis capillis. — b) Cum Accusativo et Infinito. Cato R. R. 157. a med. Quod diffidas sanos facere, facies. Lucret. 5. 1156. Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 3. 7. Invenire se posse quod cuperent, diffisi sunt. Cf. eumd. Orat. 1. 3. Desperatione debilitati, experiri id nolunt, quod se assequi posse diffidunt. Adde eumd. Quinct. 24. 77. Cæs. 6. B. G. 35. Diffidens, Cæsarem fidem servaturum. Quintil. 10. 1. 126. Quum placere se in dicendo diffideret. — c) Raro et apud sequioris ævi scriptores cum Ablativo. Sueton. Cæs. 3. Cum ingenio ejus diffisus, tum occasione. Alii tamen leg. occasioni. Tac. 2. Hist. 23. Diffidere paucitate cohortium. Al. leg. paucitati. Certior est lectio apud Lactant. 5. 20. Diffidere potestate. Et Eumen. Paneg. ad Constantin. 12. Inopinantes adortus es, non quo aperto Marte diffideres, sed etc. — d) Passive impersonaliter. Tac. 15. Ann. 4. Amnis partem murorum ambit: et ducta ingens fossa, qua fluvio diffidebatur. τὸ fluvio est Dativus. — e) Absolute. Plaut. Merc. 5. 2. 15. Eumdem ex confidente actutum diffidentem (facis) denuo. Id. Epid. 1. 2. 9. Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis. Cic. Mur. 21. 45. Vides ne tu illum tristem? jacet, diffidit, abjecit hastas. Id. 1. Divinat. 25. 53. Ita graviter æger fuit, ut omnes medici diffiderent. — Interdum additur præpos. de cum Ablativo; at de idem est ac quod attinet ad, ut apud Cic. 12. Att. 13. De Othone, diffido, fortasse quia cupio. Similiter Auct. Paneg. ad Constantin. 1. Cur ego in me de tuo favore diffidam? h. e. quod ad tuum in me favorem attinet, cur etc. — Hinc Part. præsens, cujus plura superius exempla retulimus, *Diffidens*, *entis*, adjective quoque occurrit. Sueton. Claud. 35. Nihil æque, quam timidus ac diffidens fuit. Id. Tib. 65. Sic quoque diffidens tumultumque metuens.

DIFFINDO, findis, fidi, fissum vel fisum, findere, a. 3. (dis et findo). *Diffisus* pro *diffissus* legitur apud Fronton. ad Verum Imp. Ep. 8. — Part. *Diffindens* I.; *Diffissus* I. et II. 2. — Diffindere est in diversas partes findere (It. *fendere*, *spaccare*, *dividere*; Fr. *fendre*, *séparer*, *diviser*; Hisp. *hender*, *dividir*, *rajar*; Germ. *zerspalten*, *zertheilen*; Angl. *to cleave or part asunder*, *split*).

I.) Proprie. Ennius 15. Ann. 1. Diffindere malos. Lucret. 6. 583. Ventus (subterraneus) diffindens terram. Cato R. R. 41. Vitem mediam diffindito per medullam. Varro 1. R. R. 40. 6. Diffissus ramus. Catull. 97. 7. cunnus. Horat. 1. Sat. 8. 47. natis. Cic. 1. Divinat. 13. 23. saxum. Id. Senect. 15. 51. Deinde (terræ vis ac natura) tepefactum vapore et compressu suo diffindit (semen) et elicit herbescentem ex eo viriditatem. Alii minus recte leg. diffundit. Virg. 9. Æn. 589. tempora plumbo Diffidit. Fronto ad Verum Imp. (edente iterum A. Mai) Ep. 8. Sicut in extis diffisa plerumque minima et tenuissima maximas significant prosperitates. V. FISSICULO.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Cic. Tim. 7. Hanc omnem conjunctionem duplicem in longitudinem diffidit. Horat. 3. Od. 16. 13. Diffidit urbium portas vir Macedo muneribus. Apul. 9. Met. Rigentem servi tenacitatem diffindere. ¶ 2. Speciatim *diffindere diem* in re forensi est actionem illius diei interrumpere et in posterum differre. Liv. 9. 38. sub fin. Ei legem curiatam de imperio ferenti, triste omen diffidit diem. Gell. 14. 2. Jussi igitur, diem diffindi, atque inde a subsellio etc. Ulp. Dig. 2. 11. 2. § 3. Lex duodecim Tab., si judex vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, jubet, diem judicii esse diffisum. Hinc dies diffisus volunt nonnulli legi etiam in fragm. legg. xii. Tab. apud Festum p. 273. 26. Müll. At ipse cl. Müll. recte ibi legit: EO DIE DIFFENSVS ESTO; et in Supplem. adnotat. p. 401. hæc ait: «Quod in Festi Cod. habetur diffensus, Ursin. mutavit in diffinsus, quia apud Ulpianum in eadem lege diffisus legitur. Quidam, sed minus boni, Digestorum libri habent diffusus, unde Scalig. suum diffunsus duxisse videtur. Omnium autem aptissimum est illud diffensus, neque aliud quidquam in xii. Tab. fuisse existimo, quum significatus verbi FENDO, unde offendo, defendo, infensus, infestus, confestim, festino descendunt, quibus illud ostenditur synonymum fere fuisse feriendo et trudendo, melius huic rei conveniat, quam findendi aut fundendi notio. Quod posteriorum temporum usu diceretur: eam ob causam dies differetur: majore cum vi nec sine emphasi quadam sic pronunciabatur: EO DIES DIFFENSVS ESTO.» ¶ 3. Metaphorā sumptā a re forensi (V. paragr. 2. proxime super.) dixit Varro 1. R. R. 2. 5. Diem si non diffinderem meo insiticio somno meridie. h. e. nisi diem meridiano tempore, interposito somno, dividerem. V. MERIDIATIO et MERIDIO.

DIFFINGO, gis, gere, a. 3. (dis et fingo) proprie est reformare, deformare quod fictum est et in aliam formam mutare. — Præter Horat. qui hoc verbo uteretur, inveni adhuc neminem.

I.) Proprie. Horat. 1. Od. 35. 38. O utinam nova Incude diffingas retusum in Massagetas Arabasque ferrum. Al. leg. defingas, sed minus recte.

II.) Translate est corrumpere, labefactare, destruere quod fictum et formatum est. Horat. 3. Od. 29. 47. Neque diffinget infectumque reddet, Quod fugiens semel hora vexit. Klotz addit etiam illud ejusd. 2. Sat. 1. 79. equidem nihil hinc diffingere possum. At hic præstat legere diffindere, h. e. decernere: V. Ritter. et Bentlejum ad h. l. Præterea nonnulli hoc verbum legunt etiam 1. Sat. 10. 37. Diffingit Rheni luteum caput. At hic certe legendum est defingit.

DIFFINIO. V. DEFINIO sub init.

DIFFINĪTĬO. V. DEFINITIO sub init.

DIFFISSĬO, ōnis, f. 3. actus diffindendi. Translate *Diffissio rerum* est prorogatio actionis in diem posterum, ut in DIFFINDO dictum est. Gell. 14. 2. 10 rerum diffissionibus et comperendinationibus. Est qui aliter legit.

DIFFISSUS, a, um. V. DIFFINDO.

DIFFĪSUS, a, um. *V.* DIFFIDO et DIFFINDO.

DIFFĬTEOR, ēris, eri, dep. 2. (dis *et* fateor) non fateor, non concedo, nego. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. *a med.* Nunquam diffitebor, multa me simulasse et dissimulasse. *Ovid.* 3. *Amor.* 14. 28. Et pudor obscœnum diffiteatur opus. *Auson. Cæsar.* 11. Quem fateare bonum, diffiteare parem.

DIFFLĀTUS, a, um. *V.* DIFFLO.

DIFFLĀTUS, us, m. 4. actus flandi in partes diversas. *Ammian.* 15. 11. 18. Hinc Rhodanus aquis advenis locupletior, vehit grandissimas naves, ventorum difflatu jactari sæpius adsuetas.

DIFFLĒTUS, a, um, particip. ab inusit. *diffleo*, flendo corruptus. *Apul.* 1. *Met.* Uxor mœrore deformata, diffletis pæne oculis suis, etc. Sic *Id.* 5. *ibid.* Deflebant oculos *eodem sensu dixit.* Et *Quintil.* 6. *Declam.* 4. Cognita clade, uxor totos efflevit oculos.

DIFFLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis *et* flo). Part. *Difflatus.* — Difflo est flando disperdo, dissipo. *Lucilius* apud *Non. p.* 97. 12. *Merc.* Pars difflatur vento, pars autem obrigescit frigore. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 17. Cujus tu legiones difflavisti spiritu, quasi ventus folia. *Auson. Ephem. sub fin.* Irrequieta vagi qua difflant nubila nimbi. *Id. ibid. n. ult.* purgantibus Euris Difflatæ liquidum tenuentur in aera nubes. *Prudent. Hamartig.* 388. Excitas difflato pulvere ventus. *Auson. Edyll.* 11. 19. Forsitan unus odor, sed celsior ille, per auras Difflatur. *Al. leg.* diffluit.

DIFFLŬO, is, ere, n. 3. (dis *et* fluo). Part. *Diffluens* in omnibus paragr. — Diffluere est in diversas partes fluere (It. *scorrere qua e là o da ogni parte*; Fr. *couler de côté et d'autre, se répandre en divers sens, s'étendre en coulant*; Hisp. *correr, distilar acá y allá*; Germ. *auseinanderflissen*; Angl. *to flow on all sides, flow or un over, overflow*).

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 436. quassatis undique vasis Diffluere humorem, et laticem discedere cernis. *Id. ibid.* 195. Ab summo tibi diffluat altus acervus. Cf. *eumd.* 6. 971. Diffluat ambrosia quasi vero et nectare tinctus. *Al. tamen rectius leg.* Effluat. *Cic. Brut.* 91. Fluvius extra ripas diffluens. *Cæs.* 4. *B. G.* 10. Rhenus, ubi Oceano appropinquavit, in plures diffluit partes.

II.) Translate. ¶ 1. Diffluere est corrumpi, dissipari, solvi. *Lucret.* 1. 1036. privata cibo natura animantum Diffluit amittens corpus. *Phædr.* 4. 24. Repente duo quum juvenes, sparsi pulvere, Sudore multo diffluentes corpora. Sic *Plin.* 21. *Hist. nat.* 13. 44. (75). Qui edère (*hanc herbam perniciosam*), abjiciunt se humi, refrigerationem quærentes, nam et sudore diffluunt. *Seneca Ep.* 91. Juga montium diffluunt, totæ desedere regiones. — Similiter *Cic. Orat.* 70. 233. Si alicujus inconditi arripias aliquam sententiam, eamque, ordine verborum paullum commutato, in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffluens ac solutum. ¶ 2. Ponitur et pro abundare, sed fere in malam partem. *Ter. Heaut.* 5. 1. 72.; et *Cic.* 1. *Off.* 30. 106. Quam turpe sit diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere. Adde *Vulcat. Gall. Avid. Cass.* 5. *Liv.* 7. 29.; et *Colum.* 12. *R. R. proœm.* 9. Diffluere luxu. *Prudent.* 1. *Symmach.* 125. In luxum. Rursus *Cic. Amic.* 15. 52. Diffluere deliciis. *Id.* 3. *Orat.* 32. 131. Græci diffluentes otio. *Apul.* 3. *Met.* Totus populus risu cachinnabili diffluens. *Gell.* 1. 15. Diffluere verbis humidis. *Capitolin. Anton. Phil.* 23. Diffluentes matronarum mores. *h. e.* effrenati. *Spartian. Æl. Ver.* 5. Voluptates aliquatenus diffluentes.

DIFFLUVIO, as, are, a. 1. divido in duas partes, diffindo. *Colum. Arbor.* 7. 5. Sin autem vitis exiguam materiam habebit, et in diversos ordines diducenda erit, neque aliter potuerit palos, ad quos perducitur, pertingere, quam ut diffluvietur, curabis, ut quam acutissima falce ab ea parte, qua bifurca est, findas eam, et eodem ferro acuto plagam emendes. *Alii perperam legunt* diffluat *vel* diffluctur. *V. Schneid.* ad *Pallad.* 12. *R. R.* 15. 3.; et cf. FLUVIATUS et QUADRIFLUVIUM.

DIFFLŬUS, a, um, adject. diffluens. *Mattius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. Sumas ab alio lacte diffluos grossos.

DIFFLUXĬO, ōnis, f. 3. fluxus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 18.

DIFFORS, ortis, adject. (dis et fors). *C. Jul. Victor* (editus ab *A. Mai.*) *Art. rhet.* 3. § 3. Si neque de facto, neque de persona negamus, superest, ut confessi commisisse nos, quod objicitur, negemus id, quo accusator vult nomine vocandum, ut sit finis. Ut, *dives inimici pauperis statuam verberavit; reus est injuriarum.* Hic enim non negat a se dives, quod intenditur, factum; sed difforte se tuetur, idest non hanc esse injuriam. Diffors enim est oratio, quæ id, quod diffinit, explicat, quid sit: et ideo in hoc nomine controversia est, quia quum de facto conveniat, quæritur, quo id, quod factum est, nomine appelletur. Infirmatur diffors eo, quod deest. *Id. ibid.* § 5. Pragmatica controversia fit modis pluribus. Nam et deliberativum est quæstionis genus. Sed si modo res apud judicem agatur, persuasoria est controversia negotialis; quo in genere sunt omnes diffortes.

DIFFRACTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DIFFRINGO, fringis, fractum, fringere, a. 3. (dis *et* frango). Part. *Diffractus.* — Diffringo est in varias partes frango. *Plaut. Asin.* 2. 4. 68. Crura hercle diffringentur, ni etc. *Sueton. Aug.* 17. Diffringere gubernaculum. *Id. Cæs.* 37. Pæne curru excussus est, axe diffracto. *Vitruv.* 10. 6. Colossici Apollinis basis a vetustate diffracta.

DIFFŬGĬO, fūgis, fūgi, fŭgere, n. 3. (dis *et* fugio). Part. *Diffugiens.* — Diffugere est in diversas partes fugere; et ponitur etiam pro simplici fugere, aut profugere (It. *fuggire chi in quà, chi in là*; Fr. *fuir çà et là, se disperser en désordre, se dissiper*; Hisp. *huir acá y allá*; Germ. *auseinanderfliehen, auseinanderstieben, verschwinden*; Angl. *to fly different ways, flee or run away*). Usurpatur — *a*) Stricto sensu de animantibus; et quidem — Absolute. *Lucret.* 5. 1337. Diffugiebat enim varium genus omne ferarum; Ut nunc sæpe boves Lucæ ferro male mactæ Diffugiunt. *Virg.* 3. *G.* 150. silvis diffugiunt armenta. *Cic.* 2. *Phil.* 42. 108. Metu perterriti repente diffugimus. *Horat.* 1. *Od.* 35. 26. diffugiunt cadis Cum fæce siccatis amici. *Virg.* 4. *Æn.* 123. Diffugient comites, et nocte tegentur opaca. *Ovid.* 7. *Met.* 257. Diffugiunt jussi. *Sueton. Cæs.* 82. Diffugientibus omnibus. Adde *eumd. Ner.* 47., *Cal.* 57. et *Claud.* 10. *Claudian. Epith. Pall. et Celer.* 110. et raucæ stagna Padusæ Diffugiens nudavit olor. — *NB.* Apud *Cæs.* 1. *B. C.* 82. Videri prœlium diffugisse, magnum detrimentum afferebat. *al. rectius leg.* defugisse. Eadem lectionis varietas est etiam apud *Cic.* 3. *Off.* 32. 114., ubi V. *Orell.* — Cum addito, quo quis diffugit. *Auct. B. G.* 8. 35. Perterriti diffugiunt ad sua præsidia. *Virg.* 2. *Æn.* 399. ad naves. *Liv.* 28. 2. Celtiberi in proximas dilapsi silvas, inde domos diffugerunt. *Id.* 21. 28. Diffugere in vicos suos. Adde *eumd.* 5. 38. et 21. 36. *Virg.* 5. *Æn.* 676. Ast illæ diversa metu per littora passim Diffugiunt. *Val. Flacc.* 3. 255. versi per agros diffugiunt. — *b*) Poetice ponitur etiam de abstractis et inanimis, quæ cessant, aut ab oculis evanescunt. *Lucret.* 3. 16. Diffugiunt animi terrores. Adde *eumd.* 1. 1096. et alibi. *Horat.* 1. *Od.* 18. 3. neque Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines. *Id. ibid.* 7. 1. Diffugere nives. *Ovid.* 2. *Met.* 114. stellæ. *Val. Flacc.* 4. 644. maria ante ratem, maria ipsa repente Diffugere. — Et cum additis. *Lucret.* 3. 223. Spiritus unguenti suavis diffugit in auras. Et *Id.* 4. 566. In multas igitur voces vox una repente Diffugit, in privas quoniam se dividit aures. *h. e.* dispertitur.

DIFFŬGĬUM, ii, n. 2. fuga. *Tac.* 1. *Hist.* 39. Proximorum diffugia languentibus jam studiis.

DIFFULGŬRO, as, are, a. 1. fulgura spargo. *Sidon. carm.* 11. 20. Postes chrysolithi fulvus diffulgurat ardor.

DIFFULMĬNO, as, are, a. 1. fulmine disjicio. *Sil. It.* 5. 275. diffulminat omnem Obstantum turbam.

DIFFŪMĬGO, as, are, a. 1. idem fere ac fumigo. *Theod. Priscian.* 4. 1. Primo diffumigatur mulier sedens de storace.

DIFFUNDĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* diffundo. Part. *Diffunditans.* — Diffundito est vehementer, aut sæpe diffundo. *Plaut. Merc. prol.* 56. Rationem pessimam esse, ea, quæ ipsus optima omnes labores invenisset perferens, amoris vi diffunditari ac deteri. *h. e.* prodige profundi atque absumi. *Ammian.* 18. 5. Diffunditare pretium per domos. *Id.* 16. 12. Ubique sese diffunditans. *Id.* 21. 1. Sol mens mundi nostras mentes velut scintillas ex sese diffunditans.

DIFFUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. (dis *et* fundo). Part. *Diffusus* in omnibus paragr. et in fin. — Diffundere est in diversas partes fundere, spargere, effundere (It. *diffondere, versare o spargere qua e là*; Fr. *étendre en versant, verser, répandre*; Hisp. *echar, verter, vaciar acá y allá*; Germ. *durch Ausgiessen verbreiten, auseinandergiessen, ergiessen*; Angl. *to pour out or scatter all over, pour out, spread, scatter, disperse, diffuse*).

I.) Proprie dicitur de liquidis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Nisi eadem (*aqua in glaciem concreta*) se admixto calore liquefacta et dilapsa diffunderet. *Ovid.* 1. *Met.* 36. Tum freta diffundi rapidisque tumescere ventis Jussit. *Catull.* 61. 354. Unda quæ diffunditur Hellesponto. *Curt.* 8. 13. 8. Flumen quatuor in latitudinem stadia diffusum. Adde *eumd.* 6. 4. 6. *Id.* 3. 1. 3. Amnis diffusus. *Lucan.* 1. 654. Diffusum æquor. — Et cum additis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 138. Sanguis per venas in omne corpus diffunditur. Sic *Ovid. Ib.* 607. Cruor diffusus in artus. Similiter *Juvenal.* 3. 226. Hortulus hic, puteusque brevis, nec reste movendus, In tenues plantas facili diffunditur haustu. *Pallad.* 1. *R. R.* 18. 2. Ut etiam si ignorata se cupa diffuderit, lacu subdito excipiantur non peritura vina quæ fluxerint. *h. e.* vitium fecerit et vinum effuderit. — *Diffundere* vinum quid sit, *V.* in DEFUNDO. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 4. Vina bibes iterum Tauro diffusa. *Juvenal.* 5. 30. Ipse capillato diffusum consule potat. Adde *Lucan.* 4. 379.; et *Colum.* 12. *R. R.* 28. 3. et 3. *ibid.* 2. 26.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de rebus physicis, quæ non sunt liquidæ, et facile in varias partes dispergunt ur. *Lucret.* 1. 9. Placatumque nitet diffuso lumine cælum. Adde *eumd.* 3. 22. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 95. Lux toto cælo diffusa. *Val. Flacc.* 6. 56. Diffundere radios fulminis. *Id.* 3. 559. Phœbus jubar diffundit equis. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 9. jam nox inducere terris Umbras, et cælo diffundere signa parabat. *Ovid.* 9. *Met.* 239. Flamma in omne latus diffusa. *Val. Flacc.* 6. 745. Diffundere nebulam. *Martial. Spectac.* 2. Diffusæ umbræ. Sic *Petron. Satyr.* 131. æstivas platanus diffuderat umbras. *Lucret.* 5. 470. Æther late diffusus in omnes undique partes. *Virg.* 10. *Æn.* 908. Undantique animam diffundit in arma cruore. *Lucret.* 4. 570. pars vocum diffusa per auras. Sic *Sil. It.* 13. 283. vox. *Cic.* 3. *Orat.* 52. 199. Color diffusus sanguine. *Ovid.* 10. *Met.* 24. in quam calcata venenum Vipera diffudit. *Id.* 9. *ibid.* 162. vim mali per artus. *Veget.* 1. *R. R.* 45. 4., 2. *ibid.* 6. 9. et 3. *ibid.* 15. 14. medicamentum per nares. *Sil. It.* 17. 93. pestem. *Plin.* 4. *Ep.* 22. *extr.* Gravissimus morbus est, qui a capite diffunditur. *Lucret.* 1. 353. Quod cibus in totas usque ab radicibus imis Per truncos ac per ramos diffunditur omnes. *Virg.* 1. *Æn.* 323. dederatque comas diffundere ventis. *Ovid. Heroid.* 10. 47. Diffusi capilli. Adde *eumd. ibid.* 5. 114. *Cæs.* 6. *B. G.* 26. Rami quam late diffunduntur. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 10. Vitem totam omni parte in orbem diffundi. *Varro* 1. *R. R.* 37. 5. Aliæ enim (*arbores*) radices angustius diffundunt. *Val. Flacc.* 2. 104. Venus sidereos diffusa sinus. *h. e.* soluta ad sinum veste. *Lucret.* 1. 202. Per totum cœli spatium (*corpuscula rerum*) diffundere sese. Adde *eumd. ibid. v.* 53. *Sueton. Cal.* 42. Per immensos aureorum acervos patentissimo diffusos loco. *Virg.* 11. *Æn.* 465. Diffundere equitem latis campis. Sic *Val. Flacc.* 6. 388. juga sociorum. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Via modo coarctatur, modo diffunditur. *h. e.* dilatatur. Sic alter *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 8. (25). Glans iligna suem angustat, nitidam facit, quærna diffusam. *h. e.* pinguedine tumentem. Similiter apud *Aurel. Vict. Epit.* 45. *extr.* Intemperantia cibi diffundere artus. *h. e.* distendere nimio cibo et obruere. *Pacat. Paneg. Theod.* 20. Diffundere imperium. — Apud *Cic. Senect.* 15. 51. Terra semen compressu suo diffundit. *rectius legas* diffindit: V. DIFFINDO. ¶ 2. Item de abstractis et similibus. *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 79. Dii vim suam longe lateque diffundunt. *Id.* 1. *Legg.* 12. 34. Quum hanc benevolentiam tam late longeque diffusam vir sapiens in aliquem pari virtute præditum contulerit. *Id.* 2. *Fin.* 34. 115. Error longe lateque diffusus. *Horat. Epod.* 14. 1. Diffundere oblivionem sensibus. *Ovid. Heroid.* 8. 61. flendo diffundimus iram. *Id.* 9. *Met.* 142. flendo dolorem diffundere. *Lucret.* 3. 438. animam. *Id.* 3. 582. animæ vim. *Cic. Balb.* 5. 13. Pompeji longe lateque diffusa laus. *Horat.* 1.

Ep. 3. 8. Bella quis et paces longum diffundit in ævum? *Virg.* 4. *Æn.* 195. Hæc passim dea fœda (*h. e.* Fama) virûm diffundit in ora. *Curt.* 6. 11. Terror diffusus per tota castra. *Plin. Paneg.* 56. In immensum diffunditur oratio. *Quintil.* 7. 10. 12. Per totam orationem diffundere affectus. *Ovid.* 3. *Art. am.* 9. Parcite paucarum crimen diffundere in omnes. *Cic. Sext.* 45. 97. Numerus optimatium late et varie diffusus. *Virg.* 7. *Æn.* 708. Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens. *h. e.* descendit ac propagatur. ¶ 3. Speciatim dicitur de animo, et est recreare, solvere a curis, hilarem ac lætum reddere. *Cic. Amic.* 13. 48. Neque enim sunt isti audiendi, qui virtutem duram et quasi ferream quamdam volunt: quæ quidem est quum multis in rebus, tum in amicitia tenera atque tractabilis, ut et bonis amici quasi diffundatur et incommodis contrahatur. V. *Klotz.* ad h. l. *Petron. Satyr.* 10. Diffusus in risum. Adde *eumd. ibid.* 71. *Arnob.* 7. 4. Diffundi lætitia. *Ovid.* 3. *Met.* 318. Jovem memorant, diffusum nectare, curas Seposuisse graves. *Id.* 4. *ibid.* 761. epulis functi generosi munere Bacchi Diffudere animos. *h. e.* hilaritatem solverunt. *Id.* 14. *ibid.* 272. et 4. *Pont.* 1. 9.; et *Seneca Ep.* 106. Diffundere vultum. *h. e.* explicare frontem, quod fit in lætitia. Sic *Stat.* 4. *Silv.* 2. 54. sacro diffusus nectare vultus. Et *Id.* 2. *Theb.* 213. diffuderat Argos Exspectata dies. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus,

Diffusus, a, um, adjective quoque occurrit, onde Comp. *Diffusior* 1. et 2. — Translate ¶ 1. De rebus physicis, quæ non sunt liquidæ, et disperguntur, vel extenduntur. *Cic.* 1. *Orat.* 7. 28. Platanus patulis diffusa ramis. Sic *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 28. (70). Genus buxi diffusius. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 7. Diffusiora consæpta. *h. e.* latiora. *Martial.* 3. 31. Diffusus campus. *h. e.* patens, latus. *Plin.* 7. *Ep.* 17. 9. Corona diffusior. *h. e.* auditorum turba numerosior. ¶ 2. De abstractis et similibus. *Cic.* 2. *Orat.* 33. 142. Jus civile diffusum et dissipatum in certa genera cogere. *Plin. Paneg.* 53. Amplius ac diffusius meritum. *h. e.* ad plures pertinens. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 10. Rusticationis magna et diffusa materia est. *Plin.* 3. *Ep.* 5. 6. Naturæ historiarum triginta septem (*scripsit libros*), opus diffusum, eruditum, nec minus varium, quam ipsa natura. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 10. Diophanes – Dionysium, Pœni Magonis interpretem, per multa diffusum volumina, sex epitomis circumscripsit.

DIFFŪSĒ, adverb. Comp. *Diffusius.* — Diffuse est disperse, fuse; et occurrit translate tantum. *Cic.* 1. *Invent.* 52. 98. Enumeratio est per quam res disperse et diffuse dictæ unum in locum coguntur. *Id.* 3. *Tusc.* 10. 22. Hæc dicuntur a Stoicis contortius, sed latius aliquando dicenda sunt et diffusius. *Avien. Perieg.* 260. Latus hoc terræ diffusius explicat agros.

DIFFŪSĬLIS, e, adject. qui se diffundit. *Lucret.* 5. 468. levis ac diffusilis æther.

DIFFŪSĬO, onis, f. 3. dispersio, dilatatio.

I.) Proprie. *Boeth.* in *Cic. Topic.* 2. *p.* 787. Solum quod tecti diffusione tegeretur.

II.) Translate. *Seneca Vita beat.* 5. Comitasque et diffusio animi. *Arnob.* 7. 4. Voluptatum diffusione mollescere. — Et de oratione *Boeth.* in *Aristot. lib. de interpr. edit. sec.* 4. *p.* 379. Ut quasi inter textus brevitatem commentationisque diffusionem medius ingrediatur stilus.

DIFFŪSOR, ōris, m. 3. qui diffundit. *Inscript.* apud *Gruter.* 466. 7., quæ est apud *Orell.* 1077. AEBVLLIANO EQ. R. DIFFVS. OLEARIO etc. *h. e.*, ut opinor, qui oleum in cados diffundit servandi causa.

DIFFŪSUS, a, um. *V.* DIFFUNDO.

DIFFŬTŪTUS, a, um, particip. ab inusit. *diffutuo*, futuendo exhaustus. *Catull.* 29. 14. — Affertur et alius locus ejusdem *Catull.* 11. 1.; sed ibi rectius legendum est *defututa* pro *diffututa*.

DĪGĂMĬA, æ, f. 1. διγαμία, conditio ejus, qui duas uxores vel simul, vel unam post mortem alterius duxit. *Tertull. Monog.* 6.; et *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 37.

DĪGAMMA, atis, n. 3., vel

DĪGAMMON, i, n. 2., *vel denique*

DĪGAMMOS, i, f. 2. δίγαμμα, δίγαμμος, est ¶ 1. Stricto sensu nota aspirationis, quæ ab Æolibus tum præponebatur vocibus incipientibus a vocali, tum ipsis vocalibus inserebatur in medio dictionis, ad hiatum vitandum. Quod et Latini aliquando sunt imitati, a quibus olim, teste *Paul. Diac. p.* 84. 5. *Müll.*, *fedum* pro *hedum*, et *fostiam*, *fostem* pro *hostiam*, *hostem* dictum est: et *Formiæ* oppidum olim *Hormiæ* fuit, teste *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (59). Est a δὶς *bis*, et γάμμα, quia ex duplici Γ conflata erat, referebatque figuram Latini F. Itaque Æoles scribebant Ϝοῖνος pro οἶνος, et ταϜὶς pro ταὶς, et ὠϜὸν pro ὠὸν, et δᾶϜος pro δᾶος: quos Latini imitati, *vinum*, *pavo*, *ovum*, *davus* dixere. Quare usum litteræ *V* consonantis paullatim præstare cœpit, Βαῦ, seu Ϝαῦ, vau etiam appellata, teste *Varron.* et *Didymo* apud *Priscian.* 1. *p.* 545. *Putsch.*; et a quibusdam grammaticis credita est necessaria ad exprimendum crassiorem illum sonum, qui hodieque a Germanis exprimitur in eadem *w* consonante pronuncianda; qui simplici illa *v* non satis exprimi a Romanis videbatur. Et Claudius quidem imperator, qui tres Latino alphabeto litteras adjecerat (*V.* II litt.), ut *Tac.* 11. *Ann.* 14. et *Sueton.* in *ejus Vita* 41. narrant, ex iis unam hoc digamma invexerat, teste *Quintil.* 1. 4. 7., atque passim usurpari appingique jusserat, figura tamen inversa, hoc modo Ⅎ. Scribi itaque volebat *serℲus*, *Ⅎulgus* pro *servus*, *vulgus*: et similiter in quibusdam antiquis inscriptionibus eo vivo exaratis, ut videtur, apud *Gruter.* 118. 2. legitur *Ⅎitellius* Vitellius, 191. 4. *ampliaℲit terminaℲitque*, ampliavit terminavitque, 236. 9. *DiℲi*, et *XV ℲIR*, Divi et XV VIR, etc. Verum post Claudii mortem oblitterata est, ut *Tac. loc. cit.* scribit, et Latini ad suam *v* consonantem redierunt. Sed etiamsi forma (inquit *Quintil.* 12. 10. 29.) a nobis repudiata est, vis tamen nos ipsa persequitur. Duras et illa syllabas facit, quæ ad conjungendas demum subjectas sibi vocales est utilis, etc. Hæc *Quintil.* Grammatici quoque vel litteram ipsam, vel ejus nomen (*v* consonam intelligentes) usurpare aliquandiu non destiterunt, ut *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 455. Quartæ conjugat. præteritum perfect. vel in *ivi* exit, vel sublata digammo, in *ii*, pro nostro arbitrio, ut *lenivi lenii*, *audivi audii*. *V.* plura apud *Voss. l.* 1. *de Gramm. c.* 16. et 17. et *Lips. de recta pronunc. L. L. c.* 12. — Ceterum forma *digamma* occurrit apud *Priscian. p.* 542. et 709. *Putsch.*; forma *digammon* apud *Quintil.* 1. 4. 7., *Donat. p.* 1736. *Putsch.* et *Cassiod. p.* 2292. *Putsch.*, necnon apud *Cic.* loc. cit. sub 2.; forma *digammos* apud *Servium* loc. cit., *Terentian. p.* 2387. *Putsch.*, et *Pompej. ad Donat. p.* 21. *Lind.* ¶ 2. Latiori sensu et joculariter legitur apud *Cic.* 9. *Att.* 9. Tuum digamma videram. ubi alii fundum significari putant, figura ejus litteræ: alii fenus, alii rectius codicem, in quo præscriberentur fundorum reditus.

DĪGĂMUS, a, um, adject. δίγαμος, qui bis uxorem duxit, vel simul ambas, vel alteram post mortem prioris: a δὶς *bis*, et γάμος *nuptiæ*. *Tertull. Monog.* 6. Abraham digamus. *Hieronym. Ep.* 52. *n.* 16. Viduam hortatur, ut digama sit.

DĪGĔRĬES, ei, f. 5. (digero). ¶ 1. Generatim est in ordinem digestio. *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. *post med.* Si digeries (*anni et dierum*) morsum reprehensionis evasit. *Id. præfat. l.* 1. Quæcumque hausimus, non patiamur integra esse, sed in quamdam digeriem concoquantur. ¶ 2. Speciatim est ciborum concoctio. *Impp. Valentin.* et *Valens Cod. Theod.* 14. 4. 1. §. 2. Animal (*porcus*) a possessore tradendum, ob digeriem prius unius noctis tantum, jejunitate vacuetur.

DĪGĔRO, gĕris, gessi, gestum, gĕrere, a. 3. (dis et gero). Part. *Digestus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Digerendus* II. 1. et 2. — Digerere est quasi in diversas partes gerere (unde *Cels.* 1. 7. Quod si satis valet, (*oportet*) gestando ægrum digerere: si parum, intra domum tantum dimovere. *digerere* est huc illuc in diversa loca gestare), adeoque suo quamque rem loco disponere ac distribuere (It. *trarre o portare in parti opposte, distribuire, disporre*; Fr. *porter çà et là, distribuer*; Hisp. *traer acá y allá, distribuir, disponer*; Germ. *auseinander tragen*, – *bringen, vertheilen*; Angl. *to carry hither or thither, distribute, dispose*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 18. Stercus in prata digerere. *h. e.* huc illuc per prata gerere ac distribuere. *Veget.* 1. *Veterin.* 14. 5. Humor per ventrem digeritur. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Conceptum vaporem huc illuc digerit et ministrat. *Id.* 8. *ibid.* 20. 6. Interdum junctæ copulatæque sunt (*nubes*); interdum discurdantibus ventis digeruntur. Sic *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 22. Nubes modo congregantur, modo digeruntur. Apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 41. (101). *digerere uvam* dicitur vitis, quum in grana dividit. *Id.* 21. *ibid.* 17. 102. (161). Radix digesta in pastillos. Sic *Id.* 12. *ibid.* 27. 60. (131). Uva immatura teritur, siccataque in sole postea, digeritur in pastillos. *Pallad.* 7. *R. R.* 7. 4. Digerere mel in formas. *Ovid. Heroid.* 9. 93. Inque canes totidem trunco digestus ab uno Cerberus. *h. e.* in totidem capita canina. *Id.* 9. *Met.* 773. Nilus in septem cornua digestus. Cf. *eumd. Heroid.* 10. 67. Crete centum digesta per urbes. *h. e.* distributa, divisa. *Flor.* 1. 6. 4. Populus Romanus digestus in classes. Cf. *Ovid.* 6. *Fast.* 83. populum digessit ab annis Romulus. *h. e.* distribuit, divisit ratione ætatis. — Huc pertinet et illud *Veget.* 5. *Veterin.* 65. 5. *Schneid.* Occisum pullum palpitantem aperies, et tollis ejus ventriculum, quem – in melle convolves et per canalem digeres. *Al.* degeres. — In illo *Nemesiani Cyneg.* 303. Linea quin etiam, magnos circumdare saltus Quæ possit, volucresque metu concludere prædas, Digerat innexas non una ex alite pinnas. *Digerat* est gerat, habeat pinnas huc illuc innexas et dispositas ad terrendas feras. — *Digerere senium*. h. e. senectutem agere, dies senectutis unum post alium transigere, est *Val. Flacci* 8. 102. Alii aliter interpretantur: alii aliter legunt. ¶ 2. Speciatim est rumpendo in diversas partes gerere, adeoque dissecare, dividere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 61. (160). Continuorum dentium qui digerunt cibum, lati et acuti; qui conficiunt duplices. — Hinc *digerere cibos* est stomacho exceptos in venas artusque distribuere alimenti causa. *Quintil.* 10. 1. 19. Cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur. *Id.* 11. 2. 35. Illud ediscendo scribendoque commune est utrique conferre bonam valetudinem, digestum cibum, etc. Adde *Senec. procem.* 1. *Controv. a med.* ¶ 3. Item speciatim est verbum medicorum. *Digerere malum aliquod* est ita dividere, resolvere, discutere ac dissipare, ut paullatim absumatur et evanescat. *Cels.* 5. 18. *n.* 1. Quædam digerunt materiam, quædam extrahunt, et *ibid. n.* 21. Abscedentia digerit murex combustus. *Id.* 2. 17. Quoties humor intus nocet, isque digerendus est. *Id. præfat. prope fin.* et 1. 9. *extr.* Sudore digerere aliquid. *Id. præfat. a med.* Si corpus adstrictum est, digerendum esse; si profluvio laborat, continendum. *h. e.* solvendum, molliendum. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 25. (41). Digerere cruditates. *Id.* 20. *ibid.* 7. 26. (64). Lactucæ lentitiam pituitæ digerunt. *Cels.* 3. 4. In morbo, qui plus virium aufert, celerius cibus dandus est; itemque eo cælo, quo magis digerit. *h. e.* absumit, ut *Forcellinus* interpretatur; alii tamen aliter. *Id.* 2. 15. Genera gestationis plura sunt: quæ adhibenda sunt pro viribus cujuscumque, et pro opibus, ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili desint. *h. e.* solvant infirmentque. *Veget.* 1. *Veterin.* 21. et *ibid.* 14. 6. Digerere morbum. ¶ 1. Item est ordinando distribuere, adeoque in ordinem disponere, ordinare. *Cic.* 3. *Verr.* 23. 60. Tabulas accepti diligentissime legere atque digerere. *Id. Rosc. com.* 3. 9. Cetera nomina in codicem accepti et expensi digesta habes. Cf. *Id.* 1. *Orat.* 41. 186. Res artificiose digestas componere. *Sueton. Cæs.* 44. Comparare et digerere bibliothecam. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (18). Digerere linum. *h. e.* crassum a subtiliori dividere, quod pectendo fit, atque ita in ordinem disponere. *Virg.* 3. *Æn.* 446. Digerere aliquid in numerum. *h. e.* ita disponere, ut secunda primis, tertia secundis, ac deinceps protinusque collocentur. *Plin.* 9. *Ep.* 18. 2. Digerere libellos. *Quintil.* 10. 1. 1. Inordinata digerere. *Id.* 11. 1. 6.; et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (15). aliquid in partes. *Ovid.* 5. *Fast.* 213. Digesti colores. *Id.* 1. *Amor.* 7. 11. Capilli digesti. Sic *Colum.* 10. *R. R.* 166.; et *Martial.* 3. 63. crines ordine digerere. — Dicitur et de plantis. Sic *digerere asparagum* est ad lineam atque ordine serere. *Cato R. R.* 161.; et *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (149). — Huc referri possunt et figurata illa *Cic. Rabir. Post.* 9. 23. Optime digerere rem publicam. *At lectio hæc non sine causa est suspecta. V.* Orell. ad h. l. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 14. Mandata alicujus digerere, persequi, conficere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim digerere est ali-

quid distribuere, dividere. *Ovid.* 12. *Met.* 21. Atque novem volucres in novem digerit annos. *h. e.* volucrem in unumquemque annum distribuendo, novem annos ait significari. *Id.* 14. *ibid.* 469. Digerere pœnam in omnes. *h. e.* ita distribuere, ut omnes luant. *Virg.* 2. *Æn.* 182. Sic digerit omina Calchas. *h. e.* disponit, distribuit atque interpretatur. Rursus *Ovid.* 1. *Fast.* 27. Digerere tempora. *Id.* 1. *Pont.* 4. 9. mala per annos longos. *h. e.* distribuere, dividere. *Tac. Germ.* 26. annum in totidem species. *h. e.* tempestates. ¶ 2. Speciatim in re litteraria ponitur pro distribuere, disponere, ordinare. *Cic.* 1. *Invent.* 30. 49. In præsentia tantummodo numeros et modos et partes argumentandi confuse et permixte dispersimus, post discrete et electe in genus quodque causæ, quid cuique conveniat, ex hac copia digeremus. *Id.* 1. *Orat.* 42. 190. Omne jus civile digerere in genera. Sic *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 18. (65). Res digesta in genera. et 29. *ibid.* 1. 8. (15). Digerere commentarium per genera usus sui. *Id.* 18. *ibid.* 24. 56. (202). Siderum exortus et occasus digerendi in suos dies. *h. e.* distribuendi, demonstrando dies, quibus eorum quodque exoritur atque occidit. *Liv.* 2. 21. Tanti errores implicant temporum, ut nec qui consules, nec quid quoque anno actum sit, digerere possis. *h. e.* ordine enarrare. Sic *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 10. (17). Reliquos usus ejus suo loco digeremus. *h. e.* ordine enarrabimus, tractabimus. *Trebell. Poll. Claud.* 1. In litteris digerendus. *h. e.* litteris enarrandus. *Vopisc. Aurel.* 1. Bella charactere historico digesta. *h. e.* historicis coloribus descripta, enarrata. *Justin. præfat.* 3. Digesta rerum serie. *h. e.* secundum ipsorum eventuum ordinem disposita. *Quintil.* 11. 2. 37. In digerendis quæstionibus. *Id.* 10. 7. 30. In libros digesti. *Id.* 11. 3. 114. Digerere argumenta in digitos. *Id.* 7. *procem.* 1. res in ordinem. ¶ 3. Denique metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 3., sive a re medica. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 4. 30. (53). Silva continere nimbos ac digerere consuevit. *h. e.* in plures parvos rivos diducere, nec pati, ut aquæ in torrentem colligi et confluere possint. *Lucan.* 6. 88. Corpora dum solvit tabes et digerit artus. *h. e.* dissolvit, corrumpit, labefactat. *Id.* 10. 260. unde plus, quam quod digerat aer, Tollitur. *h. e.* exsiccando consumat, absumat, dissipet. *Seneca Thyest.* 285. Nec luna graves digerit umbras. *h. e.* dissipat. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Digestus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Digestissimus* apud *Marcell. Empir.* 22. *a med.* Observet, ut illo triduo purissimus et digestissimus sit. *Id. ibid.* non semel *digestum* vocat hominem qui cibum digessit. — Hinc

Digesta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, appellantur libri Pandectarum, quia legum habent divisiones et decisiones, ut *Justinian.* loquitur *Cod.* 1. 17. 1. Cæterum hac appellatione usi fuerant ante *Justinian.* multi JCti, ut *Julian., Alphen., Varus* (teste *Gell.* 6. 5.), *Juventius, Celsus, Ulpius, Marcell.* et alii, qui suos de Jure libros *Digesta* inscripserunt.

DĪGESTA, ōrum. *V.* voc. præced.

DĪGESTĪBĬLIS, e, adject. qui digeri et concoqui potest, ut *Cibus digestibilis* apud *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. *ante med. Apic.* 1. 34. *in lemmate.* Oxygarum digestibile. *h. e.* digestionem adjuvans. *Theod. Priscian.* 1. 32. Cibis digestibilibus et dulcioribus frequenter juvantur. Adde *eumd.* alibi sæpe.

DĪGESTĪLIS, e, adject. qui egestioni inservit: *V.* EGESTIO. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 32. Fimum non per meatus digestiles emittebat, sed scelestum os, quod blasphemiis ministraverit, organum hujus egestionis est factum.

DĪGESTIM, adverb. Occurrit translate tantum, et est ordinate, disposite. *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 129. Digestim aliquid scribere.

DĪGESTĬO, ōnis, f. 3. actus digerendi. ¶ 1. Generatim est distributio, dispositio. *Cic.* 5. *Phil.* 7. 19. Ut digestio potius, quam declamatio videretur. *h. e.* nudus quidam ordo rerum dicendarum. Sunt qui merito hæc verba *Ciceroni* abjudicant. — *Digestio ciborum* non est quidem concoctio, sed distributio cibi stomacho excepti in venas et membra corporis, sive concoctus fuerit, sive non. *Cels. præf. a med.* Neque ad rem pertinere, quomodo, sed quid optime digeratur; sive hac de causa concoctio intercidat, sive de illa; et sive concoctio sit illa, sive tantum digestio. *Quintil.* 11. 3. 19. Facilis ciborum digestio. *Capitolin. Ver.* 4. Somni fuit permodici, digestionis facillimæ. V. *Macrob.* 7. *Saturn.* 4., ubi quatuor digestiones ponit et exsequitur. Adde *Pallad.* 8. *R. R.* 6. 2.; et *Veget.* 2. *Veterin.* 12. 1. ¶ 2. Speciatim est ordinata series. *Vellej.* 2. 53. *extr.* Digestio annorum. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. Italiæ (16). *h. e.* ordinata descriptio. ¶ 3. Item speciatim. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 205. enumerat digestionem inter figuras rhetoricas sententiarum, et videtur intelligere partitionem ac distributionem, qua pluribus positis, suum singulis redditur membrum, Græce μερισμὸν, vel διαίρεσιν. Hanc designare videtur *Id. Orat.* 40. 137., ubi ait, *ut dividat in partes.* Cf. *Quintil.* 9. 1. 31. et 9. 2. 2.

DĪGESTĪVUS, a, um, adject. ad digestionem pertinens, digestioni inserviens. *Macer carm.* 1. 18. Vis digestiva. Adde *Constant. Afrum* 7. 1.

DĪGESTŌRĬUS, a, um, adject. digerendi, discutiendi et dissipandi vim habens, ut in DIGERO I. 3. dictum est: ut *Digestorium medicamentum* apud *Plin. Valer.* 2. 8.; et *Digestorium embamma* apud *Marcell. Empir.* 20.; et *Digestoriæ viæ* apud *Theod. Priscian.* 4. *sub fin.*

DĪGESTUS, a, um. *V.* DIGERO.

DĪGESTUS, us, m. 4. distributio, dispositio. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 86. jam creditur uni Sanctarum digestus opum, partæque per omnes Divitiæ populos. *h. e.* administratio et distributio fisci principis. *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. Quæro, simplex, an multiplex cibus digestu sit facilior.

DĪGĬTĀBŬLUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

DĪGĬTĀLIS, e, adject. qui habet mensuram digiti. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 20. 23. (48). Anchusæ radix in usu est, digitali crassitudine. *Id.* 14. *ibid.* 3. 4. (40). Digitalis gracilitas. — Hinc

Digitale, is, n. 3. absolute, substantivorum more, est digitorum tegumentum. *Varro* 1. *R. R.* 55. 1. Olea, quæ digitis nudis legitur, melior, quam illa, quæ cum digitalibus. *Schneiderus* et alii melius leg. *digitabulis*, nempe instrumentis ligneis, in effigiem digitorum divisis, quibus comprehensæ bacchæ stringerentur. Sic *Gloss. Philox.* Digitabulum, δακτυλήθρα. Porro vocem δακτυλήθρα habet *Xenophon Cyrop.* 8. 8. 17.

DĪGĬTĀTUS, a, um, adject. qui digitos habet. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 47. 107. (256). Avium aliæ digitatæ, aliæ palmipedes.

DĪGĬTELLUM, i, n. 2. *deminut. duplex a* digitus. Hoc nomine dicitur herba quædam, quæ alio nomine sedum, aizoon, sive sempervivum majus appellatur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 45. (159)., 25. *ibid.* 13. 102. (160)., 26. *ibid.* 15. 92. (163).; et *Colum.* 12. *R. R.* 7. 1. De synonymia *V.* AIZOON.

DĪGĬTŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* digitus, parvus digitus.

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 3. 1. 15. Agedum ergo, tange utramvis digitulo minimo modo. Adde *eumd. Pœn.* 3. 1. 63. *Ter. Eun.* 2. 2. 53. Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus. *Turpilius* apud *Non. p.* 427. 28. *Merc.* Sandalio innixa digitulis primoribus. *Cic. fragm. orat. Scaur.* (*edente A. Peyronio*) *p.* 76. Ut illi aniculæ non ille quidem vim adferret, sed collum digitulis duobus oblideret, resticula cingeret, ut illa periisse suspendio putaretur. *Varro* apud *Non. p.* 135. 22. *Merc.* Sigilla impressa in mentu Amoris digitulo Vestigio demonstrant mollitudinem. *Hieronym. Ep.* 125. *n.* 18. Testudineo Grunnius incedebat ad loquendum gradu, adducto supercilio, contractisque naribus, ac fronte rugata duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos provocans.

II.) Improprie. *Apul.* 2. *Florid. n.* 12. Cujus (*psittaci*) in pedibus, ut hominis, quini digituli numerantur.

DĪGĬTUS, i, m. 2. est *A*) Membrum manus, et *B*) Nomen sacerdotum.

A) Digitus, ratione habita etymi, videtur esse a δείκω (δείκνυμι) *dico, ostendo, monstro, indico* (unde fortasse et δάκτυλος), ita ut digitus sit membrum manus, quo aliquid ostendimus et indicamus (It. *dito;* Fr. *doigt;* Hisp. *dedo;* Germ. *d. Finger;* Angl. *a finger*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu usurpatur de membro manus; et quidem — 1.°) Generatim. *Plaut. Stich.* 5. 4. 24. Quot digiti tibi sunt in manu. Adde *eumd. Most.* 5. 1. 69. et *Mil. glor.* 4. 2. 57. *Lucret.* 2. 412. Nec Musæa mele, per chordas organici quæ Mobilibus digitis expergefacta figurant. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 150. Digitorum enim contractio facilis facilisque porrectio propter molles commissuras et artus nullo in motu laborat. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 145. Quum paullum digitos constrinxerat. Adde *Cels.* 6. 19.; et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 17. 17. (77). et 11. *ibid.* 43. 99. (244). et alibi. — Digitorum primus *pollex* dicitur, quod eo maxime pollet manus; secundus *index*, quod eo utimur ad aliquid ostendendum, qui et *salutaris;* tertius *medius*, qui et *summus* et *infamis* et *impudicus* (*V.* singulas has voces); quartus *minimo proximus* et deinde *anularis* a ferendo anulo nomen habuit (qui et *medicinalis;* V. hanc vocem); quintus *minimus* dicitur. — 2.°) Speciatim hoc vocabulum locum habet in quamplurimis dicendi formulis, quorum præcipuæ sunt quæ sequuntur. — *a*) *Attingere aliquem digito* est vel leviter attingere. *Plaut. Pers.* 5. 2. 15. Ne sis me uno digito attigeris, ne te ad terram, scelus, affligam. *Ter. Eun.* 4. 6. 2. Atqui si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur. *Cic.* 5. *Tusc.* 19. 55. Lætius, si digito quem attigisset, pœnas dedisset. Adde *Licinium* apud *Gell.* 19. 9. *ad fin.* Eodem sensu *tangere* dixit *Plaut. Rud.* 3. 5. 30. Si hercle istic illas hodie digito tetigerit invitas –, peristis ambo. Et *Cic. Cœl.* 12. 28. Primoribus labris gustare, et extremis, ut dicitur, digitis attingere aliquid. *h. e.* vel leviter gustare. — Contra *tangere aliquem digito* est puerum aliquem medii digiti ostentatione ad stuprum sollicitare, apud *Martial.* 1. 93. Sæpe mihi queritur non siccis Cestus ocellis, Tangi se digito, Mamuriane, tuo. Non opus est digito etc. — *b*) *Digito cœlum attingere* est summe beatum ac velut diis proximum se putare. *Cic.* 2. *Att.* 1. 7. — *c*) *Summis digitis colere* modus est loquendi a Gentilium more ductus, qui quas res sacrificaturi erant, summis digitis, quantum res patiebatur, accipiebant offerebantque. *Lactant.* 1. 20. Colunt enim ture ac summis digitis, quæ sensibus intimis colere debuerunt. *Id.* 5. 19. *ad fin.* In qua (*superstitione*) nihil aliud video, quam ritum ad summos digitos pertinentem. Hinc illa *Ovidii* 2. *Fast.* 573. Et digitis tria tura tribus sub limine ponit. Et *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 122. Exiguum turis eminulis digitis tangere. — *d*) *Liceri digito* est ejus, qui in auctione licetur. Nam manu sublata et elato digito significabat quis, se emptionis, aut redemptionis auctorem esse, ut docet *Paul. Diac. p.* 151. 9. *Müll. Cic.* 5. *Verr.* 11. 27. Utrum æquius sit – eum, qui manu quæsierit, an eum, qui digito licitus sit, possidere? – Idem dicitur etiam *digitum tollere*, ut apud *Cic.* 3. *Verr.* 54. 141. Accurrunt tamen ad tempus tutores: digitum tollit Junius patruus. Confer *Vet. Scholiast.* ad *Horat.* 2. *Sat.* 8. 26. — *e*) *Digitum* etiam *tollere* dicuntur, qui se victos fatentur; tractum a gladiatoribus, qui victi, ostensione digiti, veniam a populo postulabant, ut ait *Vet. Scholiast.* ad *Pers.* 5. 119. Hinc *Sidon.* 5. *Ep.* 7. Hi sunt, quorum comparatione digitum tollerent Narcissus, Asiaticus, Massa, etc. Hinc *pugnare ad digitum* apud *Martial. Spectac.* 29. est sine spe missionis, donec alter e gladiatoribus digitum tollat et victum se fateatur. Alii exponunt, donec præses certaminis digitum pollicem vertat et mori alterutrum jubeat. *V.* infra sub *q.* — *f*) *Digito monstrare aliquid* est significare, notare, designare. *Lucret.* 5. 1029. atque ipsa videtur Protrahere ad gestum pueros infantia linguæ, Quum facit, ut digito, quæ sint præsentia, monstrent. *Cic.* 6. *de republ.* 24. Mens cujusque is est quisque, non ea figura, quæ digito monstrari potest. *Orell.* legit *demonstrari.* Similiter *Sueton. Aug.* 45. Et Pyladem urbe atque Italia submoverit, quod spectatorem – monstrasset digito conspicuumque fecisset. *Hic quoque alii leg.* demonstrasset. *Nepos Datam.* 10. *in fin.* Quem (*locum*) quum digito monstraret, et ille conspiceret, etc. — *g*) Contra *digito monstrari* dicitur, qui aliqua re insignis est. *Horat.* 4. *Od.* 3. 22. Totum muneris est tui, Quod monstror digito prætereuntium, Romanæ fidicen lyræ. Adde *Pers.* 1. 28. Eodem sensu *Tac. Dial. de Orat.* 7. Quos (*oratores*) sæpius vulgus quoque imperitum – transeuntes nomine vocat et digito demonstrat. — *h*) *Digitis* etiam *computare* mos fuit, varia eorum positione, inflexione, aut

actu omnem numerum distincte significando, a manu sinistra initio facto: quam rationem fusius *Beda in lib. de loquela per gestum digitor.* persecutus est; et ab eo exscripsit *Marian. in Schol. ad lib.* 1. *Hieronym. contra Jovinian.* Hinc *Auson.* 7. *Epist.* 6. Quot ter luctatus cum pollice computat index. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 16. (33). Janus geminus digitis ita figuratis, ut CCCLXV. dierum nota se temporis deum indicaret. *Apul. de Mag.* Posses videri pro computationis gestu errasse, et quos circulare debueris digitos, aperuisse. Quum vero quadraginta, quæ facilius ceteris porrecta palma significantur, dimidio auges, non potes gestu digitorum errasse. *Juvenal.* 10. 248. tot per sæcula mortem Distulit, atque suos jam dextra computat annos. *scil.* sinistra numerabant usque ad centum; majorem illo numerum dextra supputabant. — Hinc illa *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 51.; et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (88). Computare digitis. Sic alter *Plin.* 2. *Ep.* 20. 2. Digitos agitat, computat. *Sueton. Claud.* 21. Digitis numerare. *Ovid.* 3. *Fast.* 123. Numerare per digitos. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (37). Venire ad digitos. *h. e.* quod *Id.* dixit 6. *ibid.* 33. 38. (209). venire in computationem. *Ubi tamen* Sillig *legit* in comparationem. *Cic.* 5. *Att.* 21. 13. Hinc quid intersit, si tuos digitos novi, certe habes subductum. *h. e.* si tuam in computando dexteritatem celeritatemque novi. — Huc referri potest et illud *Quintil.* 11. 3. 114. Digerere argumenta in digitos. — *i*) *Digito caput scalpere* est mollis et delicati hominis indicium. *Juvenal.* 9. 133.; *Seneca Ep.* 52. *ad fin.*; et *Ammian.* 17. 11. qui dicit, ita notatum fuisse Pompejum. Hinc *vel. Poeta* (*Calvus*) apud *Scholiast. Lucani* 7. 726. Magnus, quem metuunt homines, digito caput uno Scalpit: quid dicas hunc sibi velle? virum. Ipse autem *Scholiast.* docet esse indicium superbiæ: sed melius dicas luxus et deliciarum, quasi qui ita scalpebant, metuerent turbare comam diligentius compositam. — *l*) *Percoquere aliquid digitis* proverbii genus de re, quæ fieri nequit, apud *Plaut. Rud.* 4. 1. 10. Ut tempestas est nunc, atque ut noctu fuit, in digitis hodie percoquam quod cepit. *h. e.* nulla erit piscium præda, quam percoquam. — *m*) *Concrepare digitis* vel *digitos* est pollice et medio inter se collisis crepitum edere, Itali dicunt *far iscoccare le dita*, quo signo lautiores homines apud Romanos ad villora ministeria servos vocare solebant. *Cic.* 3. *Off.* 19. 75. Si vir bonus habeat hanc vim, ut, si digitis concrepuerit, possit in locupletium testamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur. *h. e.* metaphorice nullo labore, nullo negotio, facillime. Cf. *eumd. ibid.* §. 78. si dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset hæres; in foro, mihi crede, saltaret. Ceterum *concrepare digitis* vel *digitos* habet *Petron. Satyr.* 27.; et *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 53. *V.* DIGITULUS 1. et CONCREPO. Eodem sensu *Martial.* 3. 82. Digitus crepans. *Id.* 14. 119. Digitorum crepitus. *Quintil.* 9. 4. 55. Ad strepitum digitorum. — *Concrepare digitis* nonnulli falso putant illud etiam significare, quod Itali dicunt *far iscrosciare le nocca*. V. CONCREPO et CONTERO. — *n*) *Digitum porrigere, exserere, proferre*, etc. dicitur de re, aut actione minima. *Cic.* 3. *Fin.* 17. 57. Chrysippus ne digitum quidem ejus causa porrigendum putabat. *Pers.* 5. 119. digitum exsere, peccas. *Cic. Cæcin.* 25. 71. Quid agat, quomodo aggrediatur judicem, qua denique digitum proferat, non habet. — *o*) *Digitum intendere ad aliquid* est proferre ac porrigere ad aliquid ostendendum. *Cic.* 1. *Orat.* 46. 203. Ut commonstrarem viam, et, ut fieri solet, digitum ad fontes intenderem. — *p*) *Loqui digitis nutuque*, hoc est gestu, dixit *Ovid.* 2. *Trist.* 453. Utque refert, digitis sæpe est nutuque locutus. Et tacitam mensæ duxit in orbe notam. *Tibull.* 3. 4. 41. Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti, etc. Eodem pacto *Cassiod.* 4. *Variar.* 51. vocat gesticulatorum *loquacissimas manus, linguosos digitos.* Rursus *Tibull.* 1. 2. 31. Non labor hic lædet, reseret modo Delia postes, Et vocet ad digiti me taciturna sonum. — Similiter *Lucret.* 4. 588. et 5. 1383. querelas, Tibia quas fundit digitis pulsata canentum. — *q*) De digitis in oratorio gestu plura disserit *Quintil. lib.* 11. 3. Inter alia, duobus infimis digitis conclusis, ceteris vero explicatis et erectis exprimebatur gestus ille oratorum proprius loqui incipientium, qui et *parificator* a *Quintil.* 11. 3. 119. vocatur; hoc vero utuntur, qui apud nos jusjurandum publice dant. *Quintil. loc. cit.* Fit et ille habitus, qui esse in statuis parificator solet, qui, inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenso, manum infesto pollice extendit. *Apul.* 2. *Met.* Suberectus in torum porrigit dexteram, et ad instar oratorum conformat articulum, duobusque infimis conclusis digitis, ceteros eminentes (*al. leg.* eminulos) porrigens et infesto pollice clementer subridens infit. *Fulgent. Contin. Virg. ante med.* Itaque compositus in dicendi modum, erectis in notam duobus digitis, tertium pollicem comprimens, ita verbis exorsus est. *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 1. *p.* 108. *edit. Mediol.* legendum putat *pollice*, ita ut ille gestus significetur, qui proprius est pontificum, dum populo *benedictionem* impertiuntur. *V.* POLLEX. — Similiter *Quintil.* 11. 3. 80. Digito nares inquietare. *Id.* 11. 3. 120. Qui sententias vibrantes digitis jaculantur. *Id.* 8. 5. 20. Ad digitum pugnare. *h. e.* χειρονομεῖν. V. *Drakenborg.* ad *Liv.* 2. 7. 10. Cf. *Furlanetto* in prima *Append.* hunc *Quintiliani* locum cum *Martialis* loco superius cit. sub *a* conjunxit; hæc tamen addidit: at utrobique incerta admodum est hujus locutionis interpretatio, ut probat *Spaldingius* ad *Quintil. loc. cit.* — *Micare digitis.* V. MICO. — *r*) Proverbii genus est illud *Plauti* 2. 2. 5. Equidem si scis tute, quot habeas hodie digitos in manu, eo dem pignus tecum. *scil.* de eo, qui illa quoque ignorat, quæ ceteri omnes sciunt. — Simile est illud *Juvenal.* 7. 231. Ut legat historias, auctores noverit omnes, Tamquam ungues digitosque suos. ¶ 2. Latiori sensu etiam pedum digiti dicuntur. *Lucret.* 3. 653. Quum digitos agitat propter moribundus humi pes. *Id. ibid. v.* 527. In pedibus primum digitos livescere et ungues. *Virg.* 5. *Æn.* 426. Constitit in digito extemplo arrectus uterque. Cf. *Quintil.* 2. 3. 8. Statura breves in digitos eriguntur. *Seneca Ep.* 111. Ambulare summis digitis. Adde *Cels.* 2. 7.; *Sueton. Domit.* 18.; *Petron. Satyr.* 132.; et *Quintil.* 11. 3. 125.

II.) Translate. ¶ 1. Tribuitur *digitus* etiam pedibus avium. *Lucilius* apud *Non. p.* 427. 26. *Merc.* Gallinaceus quum victor se gallus honeste Sustulit in digitos primoresque erigit ungues. *Varro* 3. *R. R.* 9. 4. Gallinæ nigris pinnis, imparibus digitis, magnis capitibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 59. (119). Quini digiti in pedibus picarum. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 2. 8. ¶ 2. Et per similitudinem ramulis quoque arborum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 1. 3. (12). Vites puro perductæ dracone in palmam ejus, inde in subrectos ramorum digitos flagella dispergunt. Adde *eumd.* 17. *ibid.* 24. 37. (224). ¶. 3. *Digitus Veneris* appellatur ab *Apul. Herb.* 67. nymphæa herba. ¶ 4. Est etiam mensuræ nomen, *h. e.* sextadecima pars pedis. Alius est quadratus, alius rotundus: quadratus tribus quartis decimis suis rotundo est major: rotundus tribus undecimis suis quadrato minor est, scilicet quia anguli deteruntur. Hæc *Frontin. de Aquæduct.* 24. Consule ibi *Polenum*, qui figuram exhibet *p.* 73. *Inscript.* apud *Gruter.* 475. 3. UT AQVAE DIGITVS IN DOMO EJVS FLVERET. *Alia* apud *eumd.* 947. 1. IN FRONT. LATVM PED. XX. ET DIGIT. II. — Ceterum Cf. *Lucret.* 4. 416. At conlectus aquæ, digitum non altior unum, Qui lapides inter sistit per strata viarum, etc. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Digitus patens. *h. e.* digiti latitudo. Contra *digitus transversus* est digiti crassitudo: *Cato R. R.* 45. Taleæ ne plus quatuor digitos transversos emineant. *Id. ibid.* 48. Terram altam digitum transversum. Cf. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 17. Si hercle tu ex istoc loco digitum transversum aut unguem latum excesseris, etc. — *Digitus crassus*, V. CRASSUS. — Similiter *Cato R. R.* 21. Inter cupam dextra sinistra pertundito late digitos primores IIII., alte digitos primores tres. *primores* tenues et crassis oppositos interpretatur *Turnebus* XI. 13. hic et infra *c.* 40.: summos, eminulos, primas partes digitorum *Popma*. Galli: *larges de quatre points de doigts.* — Hinc proverbii genus apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 58. Ab hac (*regula*) mihi non licet transversum, ut ajunt, digitum discedere, ne confundam omnia. Item *Id.* 6. *Verr.* 13. 33. Oculos de isto numquam dejicere, neque ab argento digitum discedere. Et omisso per ellipsin verbo, *Id.* 7. *Att.* 3. 11. Mihi certum est, ab honestissima sententia digitum nusquam. *supple* discedere. Cf. *Juvenal.* 12. 58. digitis a morte remotus Quatuor aut septem. — *In digito mori* est levi vulnere aut morbo. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 2. 2. (4). Hinc atrox illa peroratio ejus: in digito eas mortuas. Ita refert et explicat hæc verba *Cæl. Rhod. l.* 23. *c.* 13., atque ex eo plures lexicographi. At *Harduin.* et alii leg. *peroratio ejus in digitum.* V. apud *Plin.* reliqua, unde colliges diversum omnino sensum; ac præcipue ibi adnotata a *Sillig.*

B) *Digiti Idæi* sunt iidem qui *Dactyli Idæi*, h. e. sacerdotes Cybelis, de quibus *V.* in CORYBANTES. *Cic.* 3. *Nat. D.* 16. 42.

DĬGLĂDĬĀBĬLIS, e, adject. de quo gladiis certare possumus, idemque translate de quo contendere possumus. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 147. Hoc erat aspidis atque hominis Digladiabile dissidium.

DĬGLĂDĬOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (dis et gladius) gladiis vel armis certare.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Legg.* 9. 20. Iis sicis, quas Gracchus se projecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives.

II.) Improprie ponitur pro verbis contendere. *Cic.* 1. *Off.* 9. 28. De quibus inter se philosophi digladiari solent. Adde *eumd.* 4. *Tusc.* 21. 47. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 63. 14. *Merc.* Quid Antipater digladietur cum Carneade tot voluminibus. *Id. ibid.* Digladiari et depugnare cum facinorosis.

DĬGLOSSOS, i, f. 2. δίγλωσσος, herba eadem atque hypoglossa. *Apul. Herb.* 58.

DĬGLŪBO, as, pro Deglubo, is, quidam legunt apud *Tertull. Pall.* 3. Mercurium autumant mollitie delectatum diglubasse oviculam. *Alii rectius leg.* deglabrasse, *nempe* detondisse. *V.* DEGLUBO.

DĬGMA, atis, n. 3. δεῖγμα, indicium, specimen: a δείκνυμι *ostendo*. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 14. 4. 9. Eligatur qui custodiam portuensium suscipiat conditurum, clandestinum ad collegas digma missurus, ne quid ex specie fraus occulta vectorum imminuat. Adde *Veget.* 2. *Milit.* 18., ubi tamen *Græce* scribitur.

DĬGNĀBĬLIS, e, adject. qui dignatur, benevolus. *Alcim. Ep.* 10. *ad fin.* Obsecro, ut dignabili beatitudinis vestræ rescripto desiderantibus scribendi aditum doceatis esse communem. *Id. Ep.* 72. Prosperitatem piissimi domni nostri dignabili alloquio præstolamur agnoscere.

DĬGNĀBĬLĬTER, adverb. dignanter, non fastidiose. *Venant. Vit. S. Radeg.* 38. Quod sancta in vicum ejus dignabiliter accessisset.

DĬGNANTER, adverb. Sup. *Dignantissime.* — Dignanter est comiter. *Vopisc. Tacit.* 8. Loquentem dignanter audite. *Symmach.* 5. *Ep.* 63. Dignanter impertias. *Auct. Itin. Alex. M.* (edente *A. Majo*) 24. Ab eaque se filium dici dignantissime pactus est.

DĬGNĀTĬO, onis, f. 3. dignandi actus.

I.) Proprie est actus existimandi aliquem honore dignum. *Sueton. Cal.* 24. Aliquem magna dignatione diligere. *h. e.* honores ei impertiendo. *Justin.* 28. 4. 10. Ad Ptolemæum proficiscitur, a quo honorifice susceptus, diu in summa regis dignatione vixit. *Plin. Paneg.* 77. Tantum dignationis in honore ponere. *Id. ibid.* 47. Quam dignationem sapientiæ doctoribus habes. *Eumen. Paneg. Const.* 23. 1. Tua dignatione.

II.) Translate est qualitas, qua quis dignus habetur, honor, amplitudo, existimatio, gloria, decus ex virtutum ornamentis, honoribus, magistratibus, oris majestate, rerum peritia nascens: unde gratia et favor oritur. Differre videtur a dignitate, quod *dignitas* prior est, et in eo sita, qui habet: *dignatio* respicit opinionem aliorum. Quare illa in eo tantum, qui revera habet; hæc etiam in indigno, dummodo vulgo dignus esse credatur, esse potest. Confunduntur tamen non raro. *Cic.* 10. *Att.* 9. *a med.* Nec quidquam nisi de dignatione laborat. *Est qui malit* dignitate. *Liv.* 2. 16. Appius inter patres lectus, haud ita multo post in principum dignationem pervenit. *Al. leg.* dignitatem. *Id.* 10. 7. *extr.* Eos non esse spero, qui sacerdotiis non minus reddamus dignatione nostra honoris, quam acceperimus. *Vellej.* 2. 69. 3. M. Brutus Vatinium dignatione obruerat. *Id.* 2. 59. 2. Cum ei dignatio Atiam conciliasset uxorem. *h. e.* honor ac dignitas præturæ. *Curt.* 7. 1. 27. Parmenionis filium omnes pæne amicos tuos dignatione vincentem. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (88). Apelles dignationem primus Rhodi constituit. *Id.* 34. *ibid.* 8. 19. (93). Tot certaminum, tanta

dignationis simulacrum id fuit. Id. 36. ibid. 5. 4. (26). In maxima dignatione est Neptunus et Thetis. scil. duo signa Scopæ. Id. 33. ibid. 11. 53. (150). Petere dignationem ex aliqua re. Tac. 4. Ann. 52. Is recens prætura, et modicus dignationis, et quoquo facinore properus clarescere. Id. 3. ibid. 75. Dignatione præterire aliquem. Sueton. Vesp. 4. Sortitus Africam, integerrime, nec sine magna dignatione administravit. Id. Gramm. 5. Dicendo ad famam et dignationem pervenire. Adde eumd. Galb. 7., Domit. 2. et Aug. 46.; Vellej. 2. 52.; Tac. 1. Hist. 52. et 3. ibid. 80. et Germ. 13. et 26.; Pacat. Paneg. Theod. 20.; Mamertin. Gen. Max. 1. 2.; et Eumen. Restit. Schol. 6. 2.

DĬGNĀTUS, a, um. V. DIGNO et DIGNOR.

DĬGNĒ, adverb. Comp. Dignius et Sup. Dignissime. Digne est honeste, pro meritis, ut decet. Plaut. Mil. glor. 3. 2. 58. Quam digne ornata incedit, haud meretricie! Cassius apud Cic. 12. Fam. 13. Malim tuo judicio digne, ac mereor, commendatus esse. Cic. Senect. 1. 2. Nunquam satis laudari digne poterit philosophia. Id. post redit. in Senat. 8. 19. Quis de tali cive satis digne unquam loquetur? Horat. 2. Sat. 7. 47. Peccat uter nostrum cruce dignius? Adde eumd. 1. Od. 6. 14. et 2. Ep. 1. 64.; Vellej. 2. 67.; Quintil. 2. 13. 13.; et Sueton. Aug. 66. Cassiod. 8. Variar. 22. Ut nos augmentatores dignissime reperiret.

DIGNĬTAS, ātis, f. 3. id, quo quis re aliqua dignus est, meritum (It. merito; Fr. dignité, capacité, mérite; Hisp. dignidad, mérito; Germ. das Würdigsein, die Würdigkeit; Angl. merit, desert).

I.) Proprie. Cic. 2. Invent. 53. 160. Justitia est habitus animi, suam cuique tribuens dignitatem. h. e. suum cuique tribuens, prout quisque dignus est. Id. 2. leg. Agr. 2. 3. Vester honos non ad alienæ petitionis occasionem interceptus, nec precibus efflagitatus, sed dignitate impetratus. h. e. meritis impetratus. Id. 11. Fam. 17. Intelligunt nec dignitatem ei deesse, nec gratiam. Id. Rosc. Am. 12. 33. Quem pro dignitate ne laudare quidem satis possit. h. e. prout dignus est, pro meritis. Id. Brut. 1. 1. Juratus judicium dignitatis meæ fecerat. h. e. me dignum duxerat. Id. Mur. 13. 28. Dignitas consularis. h. e. merita ad consulatum obtinendum. Sueton. Cæs. 13. Competitores multum – dignitate antecedentes.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, quum agitur de personis, dignitas est — a) Honestas, honorabilis conditio, amplitudo, splendor vitæ, quo quis communi opinione dignus habetur existimationis et observantiæ. Cic. ita definit 2. Invent. 55. 166. Dignitas (est) alicujus honesta auctoritas et cultu et honore et verecundia digna. Id. 4. Fam. 14. Si dignitas est, bene de republica sentire et bonis viris probare quod sentias, obtineo dignitatem meam: sin autem in eo dignitas est, quod sentias, aut re efficere, si possis, aut denique libera oratione defendere, ne vestigium quidem ullum reliquum est nobis dignitatis. Id. 3. ibid. 9. Tua dignitas atque amplitudo mihi est ipsa cara per se. Id. 10. ibid. 6. Adeptus es amplissimos dignitatis gradus. Id. Sull. 2. 5. Ascendere in celsissimam sedem dignitatis atque honoris. h. e. consulatum. Id. 1. Off. 34. 124. Sustinere dignitatem et decus civitatis. Id. Dom. 35. 91. Alicujus facti egregii splendorem verbis dignitatemque retinere. Id. fragm. pro Cornel. apud Ascon. C. Cornelii virtus ac dignitas. Id. Mur. 9. 21. Summa est in utroque honestas, summa dignitas. Sall. Cat. 36. Obtinere statum dignitatis. Phædr. 1. 21. Amittere dignitatem pristinam. Cic. 1. Fam. 2. Tueri dignitatem suam. Id. 2. Orat. 54. 221. Servare dignitatem. Id. Amic. 19. 70. Esse honori et dignitati alicui. Id. ibid. 3. 12. Ex tam alto dignitatis gradu. Id. 1. Orat. 31. 142. Agere cum dignitate et venustate. Cæs. 1. B. G. 43. Gratia, dignitate, honore augere aliquem. Id. 7. ibid. 39. Aliquem ex humili loco ad summam dignitatem perducere. Id. 6. ibid. 11. Amplificare dignitatem alicujus. et ibid. 12. Excidere dignitate. Id. 7. ibid. 66. spoliare. Id. 6. ibid. 12. Secundum locum dignitatis Remi obtinerent. Quintil. 11. 3. 153. In senatu conservanda auctoritas, apud populum dignitas. Flor. 1. 26. Dignitas natalium. Id. 3. 19. Ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret. — b) Item honestum, honestas, virtus, rectum. Cic. 3. Fin. 1. 1. Voluptatem quidem, Brute, si ipsa pro se loquatur, nec tam pertinaces habeat patronos, concessuram arbitror, convictam superiore libro, dignitati: etenim sit impudens, si virtuti diutius repugnet etc. — c) Item honestas, decorum. Cæs. 4. B. G. 17. Navibus transire, neque suæ, neque populi Romani dignitatis esse statuebat. Id. 6. ibid. 7. Neque suam pati dignitatem, ut tantis copiis tam exiguam manum adoriri non audeant. Cic. Orat. 42. 144. Docere non habet dignitatem. Nepos Att. 2. Vivere pro dignitate. Id. ibid. 6. Servire dignitati. h. e. honori atque existimationi consulere. Quintil. 6. 3. 35. Salva dignitate ac verecundia. Cic. 5. Fam. 8. a med. Statuere aliquid ex dignitate. Quintil. 4. 2. 64. et 5. 10. 54. cum dignitate. Id. 2. 13. 12. pro dignitate. Id. 12. 7. 6. contra dignitatem. — d) Item pulcritudo, sed digna viro, h. e. non quæ libidinem eliciat, sed quæ admirationem parit et auctoritatem conciliat. Cic. 1. Off. 36. 130. Quum pulcritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas; venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. Id. 2. Invent. 1. 2. Ei pueros ostenderunt multos, magna præditos dignitate: etenim multum omnibus Crotoniatæ corporum viribus et dignitatibus antesteterunt. Vellej. 2. 29. Forma fuit excellens, non ea, qua flos commendatur ætatis, sed ex dignitate constanti. Plin. Paneg. 4. Dignitas oris. Laberius apud Macrob. 2. Saturn. 7. quid ad scænam affero? Decorem formæ, an dignitatem corporis? μορφῆς ἀξίωσιν. — Ceterum adde Nepot. Themist. 8., Att. 19. et 21., Alcib. 11., Eumen. 11. et Dion. 1.; Liv. 2. 2. et 33. 47.; Sueton. Claud. 30., 5. et 21. et Galb. 3.; Quintil. 7. 4. 18.; Tac. 12. Ann. 51. et 13. ibid. 31.; et Justin. 5. 3. 4. — e) De brutis. Varro 2. R. R. 5. 10. Qui (boves) sine dubio ad res divinas propter dignitatem amplitudinis et coloris præponendi. Id. 1. ibid. 21. init. Canes potius cum dignitate et acres paucos habendos, quam multos. Id. 2. ibid. 6. 3. Eligendi et mas et femina (onagrus), cum dignitate ut sint. ¶ 2. Speciatim usurpatur de magistratibus, officiis. Cic. apud Quintil. 7. 3. 35. Majestas – in omni populi Romani dignitate. Justin. 2. 9. 15.; Mamertin. Gratiar. act. 2. 1.; et Capitolin. Pertin. 1. Dignitas imperatoria. Nepos Miltiad. 2. regia. Tac. 16. Ann. 17. et 1. Hist. 1. senatoria. Nepos Att. 1.; et Sueton. Aug. 27., Claud. 24. et Ner. 15. equestris. Sueton. Vesp. 1. prætoria. Id. Aug. 31. sacerdotum. Cic. 2. Fam. 9. Lætor cum præsenti, tum sperata tua dignitate. Id. 3. Phil. 9. 22. Esse cum dignitate. h. e. magistratu fungi. Nepos Phoc. 1. Ad hanc dignitatem perduxit. Symmach. orat. pro Synes. (e lente iterum A. Maio) 3. Pater huic juveni est Julianus adscitus senator, quæ res de merito venit: siquidem dignitas innata felicitatis est, delata virtutis. — In plurali numero dignitates apud Quintil. 1. 11. 67., Plin. 21. Hist. nat. 7. 21. (44). et alterum Plin. Paneg. 61. sunt honores, magistratus. Sic Lamprid. Alex. Sev. 26. Omnibus dignitatibus genus vestrum proprium dare. — Et abstractum pro concreto dignitates dicuntur etiam ipsi illi, qui in magistratu sunt. Plin. 5. Hist. nat. 1. 1. (12). Dignitates, quum indagare vera pigeat, ignorantiæ pudore mentiri non piget. ¶ 3. Item speciatim usurpatur de rebus. Plaut. Bacch. 1. 2. 23. Satis ut commode pro dignitate obsonii hæc concuret cocus. Cic. 3. Orat. 46. 180. Columnæ et templa et porticus sustinent: tamen habent non plus utilitatis, quam dignitatis. Id. 1. Off. 39. 138. Plena dignitatis domus. Id. 3. ad Q. fr. 1. 1. Summam dignitatem pavimentata porticus habet. Nepos Themist. 6. Portus Piræei urbem ipsam dignitate æquiparabat. Sueton. Cal. 41. Dignitas loci. Quintil. 12. 1. 8. debita rerum. Gell. 17. 20. Rerum pondera et dignitates. Plin. 35. Hist. nat. 5. 11. (29). Dignitas artis. Id. 37. ibid. 1. 3. (6). gemmæ. Id. 33. ibid. 3. 12. (39). Qui primus auro dignitatem per annulos fecit. Id. 14. ibid. 2. 4. (23). Principatus datur amminéis uvis: proxima dignitas Nomentanis. Cic. 3. Herenn. 13. 23. Dignitas est oratio cum aliqua gravitate et vocis remissione. Id. 4. ibid. 13. 18. Dignitas est, quæ reddit ornatam orationem varietate distinguens. et ibid. 11. 16. Omne genus orationis dignitate afficiunt exornationes. Id. Prov. cons. 11. 27. et Quintil. 11. 3. 46. at 8. 3. 24. Dignitas verborum. Tac. 1. Ann. 11. Plus in oratione dignitatis, quam fidei erat. Petron. Satyr. 106. extr. Dignitas pudoris.

DĬGNĬTŌSUS, a, um, adject. ἀξιωματικός ut Gloss. Philox. exponit Petron. fragm. Tragur. 57. sub fin. Homo dignitosus, cui pluris erat unguis, quam tu totus es. h. e. in dignitate constitutus, vel multa dignitate præditus.

DĬGNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Dignatus et Dignandus sub 2.° — Digno est dignum judico: et usurpatur — 1.°) Activa forma, et quidem — a) Cum Accusativo tantum. Pacuvius apud Non. p. 98. 15. Merc. Quis deos infernos, quibus cælestes, dignet decorari honoribus? — b) Cum Accusativo et Ablativo. Calvus apud Servium ad Virg. 11. Æn. 169. Hunc tanto munere digna. Cic. Arat. 34. Æterno cunctas ævo qui nomine dignant. — c) Cum Infinito. Pacuvius apud Non. p. 470. 20. Merc., et apud Serv. loc. cit. et apud Diomed. 1. p. 395. Putsch. Cum neque me aspicere æquales dignarent meæ. Accius apud Non. p. 470. 19. Merc. Exuvias dignavi Atalantæ dare. — 2.°) Passive. — a) Cum Ablativo. Accius apud Non. p. 281. 7. Merc. Ego ne Argivum imperium attingam, aut Pelopis digner domo? Cic. 3. Orat. 7. 25. Natura nulla est, quæ non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quæ tamen consimili laude dignentur. Id. 1. Acad. (post.) 10. 36. Quæ autem secundum naturam essent, ea sumenda, et quadam æstimatione dignanda docebat. Id. 2. Invent. 2. 39. Qui apud majores nostros tali honore dignati sunt. Virg. 3. Æn. 475. Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo. — b) Cum Infinito. Lucret. 5. 51. nonne decebit, Hunc hominem numero divum dignarier esse? Sil. It. 13. 569. Styx divis regique deorum Jurari dignata palus.

DĬGNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. Dignans sub b. et in fin.; Dignatus. — Dignor est dignum duco, judico: et usurpatur — a) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei. Virg. 1. Æn. 339. haud equidem tali me dignor honore. Id. 1. Ecl. 63. Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est. Ovid. 3. Trist. 14. 51. venia dignare libellum. Adde eumd. 1. Met. 194., 8. ibid. 569. et 14. ibid. 130. Sueton. Vesp. 2. extr. Dignari aliquem honore cœnæ. Adde eumd. Aug. 45. Lucan. 8. 113. sociosque lares dignare vel una Nocte tua. h. e. dignos puta, in quibus semel pernoctes. Val. Flacc. 1. 57. tantis temet dignare periclis. Adde eumd. 4. 168., 1. 811. et 2. 50. — b) Cum Infinito. Lucret. 2. 1039. Jam nemo – suspicere in cæli dignatur lucida templa. Virg. 10. Æn. 732. fugientem haud est dignatus Orodem Sternere. Id. ibid. 866. neque enim fortissime, credo, Jussa aliena pati et dominos dignabere Teucros. Horat. 2. Ep. 2. 86. Verba lyræ motura sonum connectere digner? h. e. congruum putem? Id. 1. ibid. 19. 39. Non ego nobilium scriptorum auditor et ultor, Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor. Curt. 6. 5. sub fin. Quos eximia specie donare natura dignata est. Flor. 1. 13. Nihil respondere dignantes mactant. Sueton. Vesp. 13. Neque assurgere, neque salutare se dignantem, satis habuit canem appellare. — c) Cum altero Accusativo. Ovid. 8. Met. 326. et: O felix, si quem dignabitur, inquit, Ista virum! Curt. 6. 10. 28. Interim, qui regem nostrum dignatus est filium, etc. Similiter Id. Curt. 6. 11. 23. Dedignari Philippum patrem. — d) Cum uno tantum Accusativo. Stat. 1. Silv. 4. 46. Dignarique manus humiles et verba precantum. Id. 12. Theb. 785. Dignarique domos. subaudi visere. Sic Justin. 11. 1. 1. Nullo Macedonum dignante Parthorum imperium, externo socio traditur. subaudi accipere. — Hinc Part. præs.

Dignans, antis, adjective quoque occurrit, unde Sup. Dignantissimus apud Salvian. 1. Gub. D. 1. Munus dignantissimæ visionis.

DĬGNŌRANT, signa imponunt, ut fieri solet in pecoribus. Ita Paul. Diac. p. 72. 16. Müll. Quare quod legitur in Gloss. Philox. Dicorat, διαγινώσκει: corrigendum censent eruditi, dicnorat, seu dignorat. Ad confirmandum hujus verbi usum facit et illud, quod legitur in iisdem Gloss. Dignorat, ἀναπτύσσει. h. e. explicat, declarat.

DĬGNOSCENTĬA vel dinoscentia, æ, f. 1. discernendi scientia. Augustin. de mor. Eccl. Cathol. 24. Ad prudentiam dignoscentia pertinet appetendorum et vitandorum. Id. 2. de Gen. contra Manich. 9. extr. Ex ligno, ex quo est dignoscentia mali et boni, non edat. Id. 14. Civ. Dei 17. Unde et ipsum lignum, eo quod istam faceret dignoscentiam, si ad vescen-

dum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum scientiæ boni et mali. — Scribitur et *dinoscentia* apud *Jul. Val. res gest. Alex M.* (edente *A. Maio*) 1. 21.

DĬGNOSCĬBĬLIS, e, adject. qui dignosci potest. *Itiner. Alex. M.* (edent. Rom. *A. Mai*) 20. Arenis æqualibus diu non dignoscibile est. *Codex habet* dinoscibile.

DĬGNOSCO *vel* dīnosco, noscis, noscere, a. 3. duas diversas res cum suo discrimine cognosco, discerno; a *dis* et *nosco*: unde et *dinosco* alicubi (ut apud *Tertull. advers. Hermog.* 15. *extr. et* 39. et *Resurr..carn.* 15.) scriptum legitur. — Usurpatur — a) Cum addito Ablativo et præpos. *ab*, vel sine præpos. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 29. non qui civem dignosceret hoste. *Id.* 2. *ibid.* 2. 44. curvo dignoscere rectum. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 20. Dignoscere aliquid sapore. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 36. (72). Vix ut dignosci possit a vera. *Quintil.* 11. 3. 31. Sonis homines, ut æra tinnitu, dignoscimus. *Tac. Germ.* 20. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. *Lamprid. Alex. Sev.* 26. Dignoscere aliquem a vestitu. — b) Cum Accusativo tantum. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 7. Dignoscere suos. *Pers.* 5. 105. speciem veri. *Juvenal.* 10. 2. pauci dignoscere possunt Vera bona, atque illis multum diversa. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 30. (119). Dignoscere differentiam. — c) Absolute. *Ovid.* 13. *Met.* 834. Inveni geminos - Inter se similes, vix ut dignoscere possis. *Sueton. Oth.* 12. Ut nemo dinosceret. — d) Sequente relativo. *Pers.* 5. 24. Dignoscere cautus, quid solidum crepet.

DĬGNUS, a, um, adject. Comp. *Dignior* et Sup. *Dignissimus.* — Ratione habita etymi, *Forcellinus* ait esse a particip. δεικνὸς verbi δείκνυμι, nempe qui ostendi potest: contra recentiores philologi *dignus* quasi *dic-nus* cum gr. δίκαιος conjungunt; et fortasse rectius, dignus enim est is, cui aliquid debetur sive boni, sive mali, sive is qui sui pretii ratione æquus est, conveniens, decens, justus: et usurpatur etiam de rebus (It. *degno, condegno, conveniente, giusto*; Fr. *digne, qui mérite, convenable, juste*; Hisp. *digno, convenible, justo*; Germ. *gleichmässig, hinsichtlich seines Werthes, daher würdig, werth, entsprechend, angemessen*; Angl. *worthy, convenient, meet, fit, suitable, proper*). Usurpatur — a) Cum Ablativo. *Plaut. Amph.* 2. 2. 227. Dignus domino servus. *Id. Mil. glor.* 2. 3. 71. verberibus multis. *Id. Bacch.* 4. 3. 9. Quæ (*probra*) improbis viris digna sunt. *Id. Pœn.* 5. 4. 4 venustissima Venere. *Id. Aulul.* 1. 1. 4. et *Rud.* 3. 2. 23. te. *Ter. Andr.* 5. 4. 37. odio. Adde *eumd. Eun.* 5. 2. 27. *Lucret.* 3. 323. Ut nil impediat dignam dis degere vitam. Adde *eumd.* 5. 1., 3. 13. et 3. 421. *Cic. Arch.* 3. 5. Eum omnes cognitione et hospitio dignum existimarunt. *Id. Dom.* 5. 11. Omni laude dignus. Adde *Horat.* 4. *Od.* 8. 28. *Cic.* 3. *Phil.* 10. 25. Vir patre, avo, majoribus suis dignissimus. *Id.* 2. *Fam.* 18. Præbere se dignum majoribus suis. *Id. Amic.* 1. 4. omnium cognitione. *Id. ibid.* 19. 67. amicitia. *Id.* 3. *de republ.* 17. omni fortuna. *Id. ibid.* 13. auribus. *Id.* 7. *Att.* 8. Quid docto homine et amico dignum fuerit. *Id.* 1. *Divinat.* 52. 118. Quod nec decorum est, nec dis dignum. *Id.* 2. *Fam.* 11. Negotium non est dignum viribus nostris. *Nepos præfat.* Genus scripturæ leve, et non satis dignum summorum virorum personis. *Id. Epam.* 1. Res dignæ memoria. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 25. *Nepos Arist.* 1. Dignus pœna. Adde *eumd. Timoth.* 4. et *Chabr.* 1.; et *Sall. Cat.* 51. et 54. *Horat.* 1. *Od.* 27. 20. flamma. *Id.* 1. *Ep.* 9. 4. mente domoque Neronis. *Id.* 1. *ibid.* 4. 5. sapiente bonoque. *Id.* 3. *Od.* 13. 2. mero. Adde *eumd. Art. P.* 191., 2. *Sat.* 3. 4., 1. 85. et 2. 40., 1. *Ep.* 6. 63. et 2. *Od.* 13. 29. *Ovid.* 11. *Met.* 828. pulvinaribus altis. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 251. et 5. *ibid.* 345. *Petron. Satyr.* 81. Sua quoque confessione dignus exsilio. *Id. ibid.* 91. Dignus hac injuria fui? *Val. Flacc.* 5. 473. prima carina. Adde *eumd.* 5. 658. *Quintil.* 11. 1. 40. eo viro. *Sil. It.* 12. 81. fama. *Tac.* 13. *Ann.* 14. suscipiendo imperio. Adde *Curt.* 8. 5. 23. et 4. 4. 11.; *Val. Max.* 9. 2.; *Sueton. Aug.* 43., *Oth.* 4., *Ner.* 19., 22. et 23.; et *Juvenal.* 7. 29. *Inscript.* apud *Smet.* 44. 5. MVLIER DIGNISSIMA VITA QVAEQVE TVIS OLIM PERFRVERERE BONIS. — b) Cum Genitivo. *Plaut. Trin.* 5. 2. 29. Dignus salutis. *Balbus* apud *Cic.* 8. *Att.* 15. A. Suscipe curam et cogitationem dignissimam tuæ virtutis. *Liv.* 4. 37. memoriæ. Adde *eumd.* 36. 17.; et *Phædr.* 4. 20. Plura ex *Ovid., Sil. It., Tac., Senec. Trag.* etc. congerunt eruditi, et præsertim *Heins.* ad *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 57.; quæ omnia sunt dubiæ lectionis. — c) Singulare est illud cum Dativo *Plaut. Pœn.* 1. 2. 44. Diem pulchrum et celebrem, dignum Veneri pol. *nisi forte* Veneris *legendum sit.* — Item illud *ejusd. Mil. glor.* 4. 1. 21. Ad tuam formam illa una digna est. — d) Cum Accusativo communi. *Plaut. Capt.* 5. 2. 6. Non me censes scire, quid dignus siem? Cf. *Ter. Phorm.* 3. 2. 34. Di tibi omnes id, quod est dignum, duint. Rursus *Plaut. Pseud.* 4. 1. 25. Tantum tibi boni di immortales duint, quantum tu tibi optes. Nam si exoptem, quantum dignus, tantum dent, minus nihilo est. — e) Cum Relativo. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 17. Dignus, qui liber sies. Adde *eumd. Rud.* 2. 6. 38. *Ter. Heaut.* 4. 4. 19. Dignam me putas, quam illudas. *Id. Hecyr.* 2. 1. 15. Dignum decrerunt, cui liberos suos committerent. *Id. Eun.* 5. 9. 22. Nihil est hac dignius, quod ametur. Cf. *eumd. Eun.* 2. 3. 20. Digna res est, ubi tu nervos intendas tuos. *Cic.* 3. *Legg.* 2. 5. Qui aliquando imperet, dignus esse. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 18. Homines digni, quibuscum disseratur. *Id.* 1. *Tusc.* 1. 1. Quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent. V. *Klotz* ad h. l. *Liv.* 4. 3. Dignus, qui viveret. *Curt.* 6. 5. 30. Dignam, ex qua generaret. Adde *eumd.* 5. 8. 9., 3. 12. 24., 9. 2. 27., 10. 2. 22. et 10. 5. 17. *Petron. Satyr.* 20. Dignus non sum qui bibam? *Quintil.* 10. 1. 131. Digna natura, quæ meliora vellet. Adde *eumd.* 6. 2. 3. et 10. 1. 115.; *Justin.* 38. 3. 11.; et *Juvenal.* 4. 117. — f) Sequente part. *ut. Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 4. Non sum dignus præ te, ut figam palum in parietem. *Liv.* 24. 16. *in fin.* Digna res visa, ut simulacrum celebrati ejus diei Gracchus - pingi juberet in æde Libertatis. *Quintil.* 8. 5. 12. Eras dignus, ut haberes integram manum. Adde *eumd.* 12. 11. 24. — g) Cum Infinito; et quidem — Active. *Catull.* 68. 131. concedere digna. *Ovid.* 4. *Trist.* 8. 14. ponere annos. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 48. digna sequi. *Ovid.* 1. *Met.* 241. perire. Adde *Tibull.* 2. 6. 43.; *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 32. et 10. *Met.* 633.; et *Juvenal.* 6. 50. — Sæpius passive. *Virg.* 5. *Ecl.* 54. Et puer ipse fuit cantari dignus. *Id. ibid.* v. 89. dignus amari. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 3. describi. *Id. ibid.* 10. 72.; et *Quintil.* 10. 1. 96. legi. *Liv.* 8. 26. *extr.* credi. Adde *Horat.* 3. *Od.* 21. 6., *Art. P.* 183. et 285. et 1. *Sat.* 4. 25.; et *Ovid.* 2. *Met.* 42., 4. *ibid.* 320. et 10. *ibid.* 336. *Val. Flacc.* 2. 121. digna tuis adjungier armis. — Active et passive. *Plin. Paneg.* 7. Dignus alter eligi, alter eligere. — h) Absolute. — *Dignus homo* absolute est qui meretur aliquid, in utramque partem. *Plaut. Curc.* 4. 2. 27. Si dignis maledicitur, bene dictum est. *Id. Pœn.* 4. 2. 39. Nostrorum nemo dignus est. *Cic. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 611. Dignis largiendum est. *Sall. Cat.* 35. Quod non dignos homines honore honestatos videbam. *Horat.* 2. *Od.* 14. 25. Absumet heres Cæcuba dignior. *Justin.* 6. 2. 3. Tanto exercitui deerat dignus imperator. Adde *Trebell. Gallien.* 11. Rursus *Justin.* 12. 15. 8. Dignissimo imperium reliquit. Adde *Plin. Paneg.* 2. *Val. Flacc.* 7. 280. hospitibus succurrere dignis. *Plaut. Asin.* 1. 3. 94. Dignos indignos adire, atque experiri certum est mihi. Similiter *Liv.* 24. 16. *med.* Omnes, ait, malle laudatos a se, dignos indignosque, quam quemquam eo die castigatum esse. Cf. *Sall. Cat.* 51. Novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. V. *Kritz* ad h. l. — *Cic.* 3. *Phil.* 9. 22. reprehendit *M. Antonium*, qui dixerat: *Nulla contumelia est, quam facit dignus.* Dignus? (inquit) nam etiam malo digni multi, sicut ipse. An quam facit is, qui cum dignitate est? *Antonius* hoc intelligebat: non est habenda contumelia, quam facit is, qui ita facere debuit, sive quia lacessitus, sive quia jure potuit, sive quia iis est moribus, ut nihil aliud ab eo expectandum fuerit. Confirmant hoc quæ sequuntur: *nec timor, quem denunciat inimicus.* Eadem ratione *Seneca* 3. *Ira* 18. Dignus erat Marius, qui illa (*crudelia et nefanda*) pateretur; Sulla, qui juberet; Catilina, qui faceret: sed indigna respublica, quæ etc. Et in *Senatus consulto* apud *Gruter.* 499. 12. NEQVE VOS DIGNOS ESSE QVI EA FACERETIS. Plura leges apud *Gronov.*, cujus hæc interpretatio est, *lib.* 3. *Observation. c.* 8. *sub fin.* Nam *Quintil.* 9. 3. 13. aliter accepisse videtur, ut in CONTUMELIA dictum est. — *Dignum habere* est dignum putare. *Plaut. Merc.* 1. 2. 7. Properanti haud quisquam dignum habet decedere. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 12. Posteaquam illum, ne cui satis faceret quidem, me dignum habere, sensi. — De rebus. *Cic. Quinct.* 30. 94. Qui mœror dignus inveniri in tanta calamitate potest? *Auct. B. Alex.* 32. Dignum fructum virtutis tulit. *Sall. Cat.* 51. Dignam pœnam pro factis eorum reperire. *Id. Jug.* 66. Ex mala conscientia digna timere. *Liv.* 21. 6. Digna causa. *Virg.* 1. *Æn.* 604. grates persolvere dignas. Adde *Liv.* 5. 23. et 4. 49. Rursus *Virg.* 1. *Æn.* 609. Præmia digna. *Quintil.* 12. 6. 7. Dignum operæ pretium. *Pacat. Paneg. Theod.* 6. Dignum hospitium. — *Dignum est*, fas est, par est, conveniens est, decet. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 129. Huic homini dignum est divitias esse, qui rem servat. *Ter. Phorm.* 2. 3. 55. Cujus de stultitia dici, ut dignum est, non potest. *et* 91. Si illam attigeris secus, quam dignum est liberam. *Cic.* 6. *Phil.* 7. Venit tempus, serius omnino, quam dignum populo Romano fuit. *Virg.* 3. *G.* 391. Munere sic niveo lanæ, si credere dignum est, Pan deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit. — Ceterum adde *Horat.* 1. *Ep.* 7. 22. et 18. 78.; *Virg.* 1. *G.* 507.; *Ovid.* 10. *Met.* 356.; *Curt.* 10. 8. 20.; *Quintil.* 11. 3. 48., 1. 5. 6. et 7. 4. 39.; *Val. Flacc.* 1. 6., 4. 588., 8. 345. et 7. 280.; *Tac.* 1. *Ann.* 3. et *Germ.* 13.; et *Sil. It.* 15. 33.

DĬGRĔDĬOR, grĕdĕris, gressus sum, grĕdi, dep. 3. (dis et gradior). Part. *Digrediens* 1.; *Digressus* in omnibus paragr. — Digredi est in diversa abire, alio abire, discedere (It. *dividendosi andare in parti opposte, andar altrove, partirsi, scostarsi*; Fr. *s'éloigner, s'écarter, s'en aller, se séparer*; Hisp. *apartarse, alejarse, desviarse*; Germ. *durch Trennung auseinandergehen, sich trennen, weggehen*; Angl. *to go somewhere, else, go or step aside, turn aside, depart*).

I.) Proprie, et quidem — a) Universim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 103. Luna tum congrediens cum sole, tum digrediens. *Sall. Jug.* 22. Ita utrique digrediuntur. *Virg.* 4. *Æn.* 80. Post, ubi digressi, etc. *Auct. B. Afr.* 37. Parvulam proclivitatem digressus, sinistra parte campi legiones ducit. — b) Sæpe cum præpos. *ab* vel *ex* et Ablativo personæ aut loci, a quo quis digreditur. *Cic. Sull.* 12. 34. Omnibus rebus illis interfuit: numquam est a me digressus. *Al. leg.* degressus. *Id.* 12. *Fam.* 18. Etsi periniquo patiebar animo te a me digredi, tamen eo tempore me consolabar, quod et in summum otium te ire arbitrabar et ab impendentibus magnis negotiis discedere. Similiter *Cæs.* 1. *B. C.* 57.; *Sall. Jug.* 18.; et *Sueton. Cæs.* 43. Digredi ab aliquo. *Auct. B. Afr.* 7. Cæsar non digredi a mari, neque mediterranea petere. *Liv.* 39. 35. Digredi a colloquio. *Curt.* 5. 12. 8. a rogo. *Id.* 6. 10. 12. a mensa. *Cæs.* 1. *B. C.* 72. Paululum ex eo loco digreditur, ut timorem adversariis minuat. *Liv.* 35. 38. Digredi ex colloquio. — c) Cum Ablativo sine præpos. *Sall. Jug.* 79. Digredi domo. *Liv.* 38. 13. via. *Al. leg.* degredi. *Sueton. Ner.* 43. triclinio. *Val. Flacc.* 6. 754. muris. *Spartian. Hadrian.* 5. Antiochia digressus est. — d) Cum Adverbio *inde*. *Auct. B. Afr.* 86. Statim inde digressus. Adde *Sueton. Tib.* 6. — e) Cum Accusativo loci, quo quis digreditur, aut finis. *Sall. Jug.* 109. Digredi in sua castra. *Liv.* 2. 31. et 38.; et *Tac.* 2. *Ann.* 30. domum. *Curt.* 3. 8. 3. in diversa. *Tac. Agric.* 6. in urbem. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (43). Obliquitas in latus digredi videtur. *Id.* 18. *ibid.* 28. 68. (264). Sol digreditur ad Austrum. *At rectius legas* degreditur. *Ovid.* 10. *Met.* 2. per aera digreditur. *Al. leg.* degreditur. *Tac.* 4. *Ann.* 73. ad sua tutanda. — f) Absolute. *Sall. Jug.* 94. Quæ dubia nisu videbantur potissumus tentare, ac sæpius eadem escendens descendensque, dein statim digrediens, ceteris audaciam addere. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 27. et 3. *Hist.* 69.; et *Nepot. Datam.* 11. *Justin.* 2. 9. 13.; et *Sueton. Aug.* 74. Eu digresso. *Juvenal.* 16. 47. Digredimur parati.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro abire in diversa, sed metaphorice sumptum; ac præcipue de oratione usurpatur. — a) Cum additis. *Ter. Phorm.* 4. 5. 10. Digredi officio. *Cic. Brut.* 93. 322. paulumper a causa. *Orellius vero, nulla variante lectione prolata, leg.* degredi. *Id.* 5. *Verr.* 69. 163. Huc longius,

quam voluntas fuit, ab epistola Timarrhidis digressa est oratio mea. *Al. leg.* degressa. *Id.* 3. *Orat.* 77. 311. Digredi ab eo, quod proposueris. *Rectius legas* degredi. et *mox* §. 312. Sæpe datur ad commovendos animos digrediendi locus. *Hic quoque rectius legas* degrediendi. *Similiter* degredi de causa, *non* digredi *legendum est* apud *eumd.* 1. *Invent.* 51. 97. *Quintil.* 10. 6. 5. Digredi ex aliquo, et in id redire. *Cic.* 3. *Nat. D.* 23. 60. Sed eo, unde huc digressi sumus, revertamur. Sic *Quintil.* 2. 4. 15. Ut eo revertar, unde digressus sum. *Al. leg.* egressus. *Id.* 11. 2. 11. Digressus in laudes Castoris ac Pollucis exierat. *Al. leg.* degressus. — *b*) Absolute. *Cic. Harusp. resp.* 2. 3. Dolore elatus et iracundia longius prope digressus. *Orellius legit* progressus. *Quintil.* 3. 11. 26. Ut intueamur semper (*causam*), aut certe, si digressi fuerimus, saltem respiciamus. *Id.* 4. 3. 17. Ciceroni in prooemio digredi fuit necesse. ¶ 2. Item de muliere, quæ divortium facit. *Sueton. Cæs.* 43. Digressam feminam a marito post biduum statim duxerat.

DĬGRESSĬO, ōnis, f. 3, actus digrediendi, discessus.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 4. Congressio et digressio nostra.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Gell.* 1. 3. *ante med.* Cujusmodi declinatio ista esse debeat, qualisque ad adjuvandum digressio, non dicit. *h. e.* discessus a recto, ab honestate, ab æquo. ¶ 2. Sæpe adhibetur in re oratoria; et inter figuras sententiarum a *Cic.* 3. *Orat.* 53. *et* 54. enumeratur. *V.* DEGRESSIO. *Cic. Brut.* 85. 292. Ista mihi tua fuit perjucunda a proposita oratione digressio. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 77. 312.; sed utrobique al. leg. *degressio. Quintil.* 10. 1. 33. Licet tamen nobis in digressionibus uti vel historico nonnunquam nitore. Adde *eumd.* 4. 2. 19. et 9. 3. 90.

DĬGRESSĪVUS, a, um, adject. qui digressionem continet. *Cassiod. Instit. div. litt.* 4. Nullam causam digressiva relatione miscuimus; sed in vicem annotationum breviter de singulis locis diximus, quod textus ipsius qualitas expetebat.

DĬGRESSUS, a, um. *V.* DIGREDIOR.

DĬGRESSUS, us, m. 4. idem quod digressio.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 4. Congressus nostri lamentationem pertimui; digressum vero non tulissem. *Id. Senect.* 23. 85. Non longinquum inter nos digressum et discessum fore. *Id.* 1. *Att.* 5. 4. Ut primum a tuo digressu Romam veni. *Id.* 2. *Nat. D.* 19. 50. Lunæ tenuissimum lumen facit accessus ad solem, digressus plenissimum. *Id. Pis.* 26. 63. Digressum meum, et absentiam, et reditum etc. *Al. leg.* degressum *eodem sensu. Sueton. Ner.* 34. Matrem in digressu exosculatus. Adde *eumd. Tib.* 10. *Juvenal.* 2. 1. Digressu amici. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 35. (107). Tardus digressus. — In plur. numero. *Val. Flacc.* 3. 4. Æneidæ caris sociûm digressibus hærent.

II.) Translate pro digressione oratoria. *Quintil.* 10. 1. 47. Similitudines, amplificationes, exempla, digressus. Adde *eumd.* 4. 3. 14. et 10. 5. 17.

DĬGRUNNĬO, is, ire, n. 4. idem quod grunnio. *Phædr.* 5. 5. 27. Scurra digrunnit prior. *Alii rectius leg.* degrunnit.

DĬGUSTO, as, are, a. 1. hinc inde gusto. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 160.

DI, deorum. *V.* DEUS.

DII, deorum. *V.* DEUS.

DII pro diei. *V.* DIES sub init.

DIIAMBUS, i, m. 2. διίαμβος, pes metricus ex duobus iambis constans, ut *amœnitas, quiescerent. Diomed.* 3. *p.* 477. *Putsch.* et *Donat.* edit. 1. *p.* 1739. Sic *Terentian. p.* 2415. Hunc rite vocant, quis geminatur, diiambon. V. *Boeckhium* in *Pind. T.* 1. *Part.* 1. p. 41., ubi affertur locus *Capell.* 9. *p.* 331. Sunt autem numero duo, quorum alter diiambi figuram respicit, etc.

DIJŪDĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus dijudicandi. *Cic.* 1. *Legg.* 21. 56. Nam ista quidem magna dijudicatio est.

DIJŪDĬCĀTRIX, icis, f. 3. quæ discernit et dijudicat. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Virtus spectatrix et dijudicatrix omnium rerum, prudentia.

DIJŪDĬCĀTUS, a, um. *V.* DIJUDICO.

DIJŪDĬCĬUM, ii, n. 2. idem ac dijudicatio. *Cic. fragm. orat. pro Tull.* (ab *A. Mai.* edit. in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 329.). 1. Itaque tum vestrum difficilius dijudicium, mea facilis defensio fore videbatur. *Cod.* habet *diudicium.* Sed *Orellius* legendum putat *judicium.*

DĪJŪDĬCO, as, avi, atum, are, a. 1. (dis *et* judico). Part. *Dijudicatus* et *Dijudicaturus* sub *A.* — Dijudicare duo diversa significat, prout *A*) Verbi, aut *B*) Præpositionis vis præstat.

A) Quum verbi vis præstat, dijudicare est judicando decernere, certo judicio definire; et occurrit — 1.°) De judicio, quod ratione, aut verbis fit; et quidem — *a*) Cum Accusativo rei, quæ dijudicatur. *Ter. Heaut.* 5. 2. 33. Ego dicam quod mihi in mentem venit, tu dijudica. Adde *eumd. ibid.* 2. 2. 8. et 3. 1. 98. *Quintil.* 7. 1. 37. Utra pars deberet prior dicere? quod in foro vel atrocitate formularum, vel modo petitionum, vel novissime sorte dijudicatur. *Id.* 12. 7. 8. Quod et prima statim fronte dijudicare, imprudentium est. *Cic. Cæcin.* 17. 49. Verbis controversias, non æquitate dijudicare. Adde *eumd.* 3. *Fin.* 2. 6. *Liv.* 40. 16. Pronuntiavit, se causam eorum dijudicaturum. *Horat.* 3. *Od.* 5. 54. Dijudicata lite. *Sueton. Vesp.* 10. Qui judicia – dijudicarent. *Al. leg.* judicarent. — *b*) Cum Accusativo et Infinito. *Plaut. Amph.* 2. 2. 41. Amphitruo uxorem salutat lætus speratam suam, quam omnium Thebis vir unam esse optimam dijudicat. — *c*) Sequente Relativo. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. *extr.* Neque dijudicari posset, uter utri virtute anteferendus videretur. — 2.°) De judicio, quod armis fit. *Cæs.* 2. *B. C.* 32. Dijudicata belli fortuna. *Vellej.* 2. 3. 3. Discordiæ civium ferro dijudicatæ.

B) Quum præpositionis vis præstat, dijudicare est duas vel plures res diversas judicando discernere, dignoscere, distinguere. *Cic.* 3. *Orat.* 50. 195. Tacito quodam sensu, quæ sint in artibus recta ac prava, dijudicare. *Id.* 1. *Legg.* 16. 44. Dijudicare jus et injuriam. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 33. 107. vera et falsa. *Id.* 9. *Fam.* 16. Non facile dijudicatur amor verus et fictus. *Id. Partit. orat.* 40. 139. Vera a falsis dijudicare et distinguere. *Gell.* 2. 7. Tres sententias subtilissime dijudicare. *Cic.* 1. *Tusc.* 11. 23. Dijudicare inter duas sententias. — Et sequente Relativo. *Plin.* 9. *Ep.* 26. 6. Arri intentione dijudicandum est, immodicum sit, an grande, etc.

DIJŪGĀTĬO *vel* disjugatio, ōnis, f. 3. separatio. *Arnob.* 2. 14. Animarum a corporibus dijugatio.

DIJŪGĀTUS *vel* disjugatus, a, um. *V.* voc. seq.

DIJŪGO *vel* disjugo, as, are, a. 1. (dis et jugo). Part. *Dijugatus* II. — Dijugo est duo jugo copulata sejungo, separo.

I.) Proprie. *Sever. Sanct.* 47. Tristem continuo dijugo conjugem. *h. e.* bovem cum altero jugo junctum.

II.) Translate. *Arnob.* 5. 9. Quem pietas dijugare ab infando non valuit appetitu, effusa libido dijunxit. *Id.* 7. 1. Aut eis existimet dandas (*hostias*), qui sunt ab his longe natura et beatitudine disjugati.

DIJUNCTE *vel* disjuncte, adverb. separatim. *Festus p.* 293. 4. *Müll.* Nec (*conjuncte*) appellari debere ait Verrius, sed dijuncte, ut referat vias Flaminiam, Appiam, Latinam: ut ne Novamviam quidem, sed Novam viam.

DIJUNCTĪBĬLIS vel disjunctibilis, e, adject. qui dijungi potest. *Simplicius* in *Gromat. vet. p.* 81. *Goes.* Dijunctibilis est effectus, quum etc.

DIJUNCTIM *vel* disjunctim, adverb. separatim, seorsum. *Modestin. Dig.* 35. 1. 49. Sub diversis conditionibus disjunctim positis liber esse jussus. Adde *Paul. ibid.* 28. 7. 5. et alibi. Apud *Cajum* 2. *Instit.* 199. et 205. et 223. disjunctim *opponitur* conjunctim. — Ceterum in omnibus locis hucusque citatis *disjunctim*, non *dijunctim* legitur.

DIJUNCTĬO *vel* disjunctio, ōnis, f. 3. Quod ad scribendi rationem attinet, *V.* DIJUNGO init. — Dijunctio proprie est actus dijungendi, sive separatio: sed occurrit translate tantum; et quidem ¶ 1. Generatim. *Cic. Sext.* 21. 47. An erat mihi in tanto luctu meorum, tanta disjunctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omnium rerum – vita retinenda? *Id. Amic.* 21. 76. Ut – nec fieri possit, ut non statim alienatio disjunctioque facienda sit. *Id. Prov. cons.* 17. 40. Postea – ita dissensi ab illo, ut in disjunctione sententiæ conjuncti tamen amicitia maneremus. *Id.* 2. *leg. Agr.* 6. 14. Animorum disjunctio dissensionem facit. *Arnob.* 3. 35. Dijunctionis differentia conservata. ¶ 2. Speciatim apud Dialecticos est enunciatio, in qua membra disjunctive ponuntur: quæ et *disjunctum* dicitur. *Cic.* 1. *Nat. D.* 25. 70. In omnibus disjunctionibus, in quibus *aut etiam, aut non* poneretur, alterutrum verum esse. Adde *eumd. Topic.* 14. 56., 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 97. et *Fat.* 16. 37. Sic *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 91. Quæ conjunctio, quæ dijunctio vera sit, quid ambigue dictum sit, etc. *h. e.* quæ propositio duo quædam conjungens, quæ dijungens; quam vocant propositionem disjunctivam. ¶ 3. Item speciatim apud Rhetores est figura verborum (ἀντίζευγμα Græcis, quia opponitur τῷ ζεύγματι: item sæpius διεζευγμένον, et Latine *disjunctum*: V. DIJUNGO in fin.), in qua eorum, de quibus dicimus, aut utrumque, aut unumquodque certo concluditur verbo, sic: Populus Romanus Numantiam delevit, Carthaginem sustulit, Corinthum disjecit, Fregellas evertit. Ita *Cic.* 4. *Herenn.* 27. 37. V. *Klotz* ad h. l. in *proœm.* p. xiii. *Id. Cic.* 3. *Orat.* 54. 207. inter ornamenta verborum disjunctionem recenset, quemadmodum et *Quintil.* 9. 1. 35. Huc pertinet et illud *Gell.* 2. 7. *extr.* Deest dijunctioni isti tertium. ¶ 4. Item pro συνωνυμία. *Quintil.* 9. 3. 45. Hoc alii συνωνυμίαν, alii disjunctionem vocant.

DIJUNCTĪVUS *vel* disjunctivus, a, um, adject. qui disjungendi vim habet; sed occurrit translate tantum in artibus; scilicet ¶ 1. In Dialectica *disjunctivum proloquium* apud *Gell.* 5. 11. *ad fin.* est enunciatio ipsa, quæ *dijunctio* dicitur a dialecticis: *V.* DIJUNCTIO 2. Similiter *African. Dig.* 45. 1. 63. Disjunctivæ conditiones. *h. e.* disjunctivo modo adscriptæ. ¶ 2. In re grammatica, *disjunctivæ conjunctiones* sunt *aut, vel, nec, sive, etc. Ascon.* in *orat. Cic. pro Scauro p.* 23. 17. *Bait. Neque* est conjunctio disjunctiva, et semper postulat, ut rursus inferatur. *Charis.* 2. *p.* 199.; et *Diomed.* 1. *p.* 409. *Putsch.* et alibi. Conjunctiones disjunctivæ. Sic *Papinian. Dig.* 35. 1. 76. Disjunctivo modo conditiones adscriptæ. *h. e.* cum particulis *aut si, vel si, etc.* — Et absolute *Procul. ibid.* 50. 16. 124. Disjunctivum est, veluti quum dicimus, *aut dies, aut nox est:* quorum posito altero, necesse est tolli alterum; item sublato altero, poni alterum.

DIJUNCTUM *vel* disjunctum, i, n. 2. *V.* DIJUNGO in fin.

DIJUNCTUS *vel* disjunctus, a, um. *V.* voc. seq.

DIJUNGO *vel* disjungo, gis, xi, ctum, gere, a. 3. (dis *et* jungo). Quod ad scriptionem attinet, veteres Grammatici, qui in orthographia statuenda rationem etymi semper habebant, plerique ducunt scribendum esse *disjungo*: in multis tamen Codicibus antiquis et recentioribus, iisque optimis etiam *dijungo* legitur. — Scribitur et diiungo prima syllaba longa. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 712. NEQVE VLLA VNQVAM NOS DIIVNXISSET NISI HIC TVVS FATALIS DIES. — Part. *Dijungens* I. 1.; *Dijunctus* in omnibus paragr. et in fin.; *Dijungendus* II. — Dijungere, cui recta opponitur *conjungere*, est in diversa separare, sejungere (It. *disgiungere, disunire, separare*; Fr. *disjoindre, détacher, délier, séparer*; Hisp. *desunir, separar*; Germ. *losbinden*; Angl. *to separate, part, divide*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de armentis dicitur, et est a jugo solvere. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 36. 77. Dijungere jumenta. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 28. bovemque Disjunctum curas et strictis frondibus exples. *Ovid.* 11. *Met.* 628. Disjungere fessos juvencos. *Juvenal.* 5. 119. boves. *Colum.* 6. *R. R.* 14. 7. *disjungere* absolute omnino usurpavit. — *b*) Cum additis. *Varro* 2. *R. R.* 6. 4. Marem (*asinum*) non dijungunt ab opere, quod remissione laboris fit deterior. *Colum.* 2. *R. R.* 3. 1. Boves quum ab opere disjunxerit, substrictos confricet. *Id.* 6. *ibid.* 14. 5. Quum bos disjungitur ab opere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 27. 67. (251). Disjungenti boves ab opere. — Et omissa præpos. *Colum.* 6. *R. R.* 15. 2. Armenta opere disjuncta. — *c*) Huc referri potest et illud *Varron.* 2. *R. R.* 1. 20. Agnos dijungere a mamma matris. *h. e.* ablactare. *Id. ibid.* 7. 12. Pulli dijuncti a matribus. Adde *eumd. ibid.* 9. 12. ¶ 2. Latiori sensu præpositionis vis præstat, et disjungere ponitur de personis et rebus inanimis, quæ aptio in diversa separantur. — *a*) Absolute; quum sermo est de pluribus. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 18. Quum ego servus, quando aspicio hunc, lacrumem quia dijungimur. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 1. Quoniam intervallo locorum et temporum disjuncti sumus. *Sall.*

Jug. 47. Quod (*flumen*) Jugurthæ Bocchique regnum disjungebat. *Val. Flacc.* 2. 562. Quamquam longis disjungimur oris. — *b*) Cum addito, a quo quis vel quid disjungitur. — Per Ablativum et præpos. *ab. Cic.* 3. *Verr.* 59. 154. Quum ab Italia freto disjunctus esses. *Id.* 6. *ibid.* 53. 118. Nisi munitione ac mole lapidum disjunctus esset (*fons*) a mari. *Id.* 16. *Att.* 3. 4. Multa me movent in discessu, in primis mehercule, quod dijunger a te. *Sall.* apud *Non. p.* 535. 17. *Merc.* Qua in parte Cappadocia ab Armenia disjungitur. *Liv.* 42. 59. Equitatus a lævo cornu brevi spatio disjunctus. — Per Ablativum sine præpos. *Virg.* 1. *Æn.* 256. Italis longe disjungimur oris.

II.) Translate est personas aut res, quæ aliquo inter se vinculo conjungebantur, alteram ab altera alienare, separare. — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Orat.* 35. 143. Sin eos (*oratorem et philosophum*) disjungent. *Id.* 7. *Verr.* 72. 182. Quasi natura et genere disjuncti sint, ita dissident a nobis animo et voluntate. Adde *eumd.* 2. *de republ.* 37. — Speciatim apud Dialecticos *disjungi* dicuntur ea, quæ efferuntur per *disjunctionem*, ut in ea voce § 2. explicatum est. *Gell.* 16. 8. a *med.* Ex omnibus, quæ disjunguntur, unum esse verum debet, cetera falsa. Adde *eumd.* 5. 11. — *b*) Cum addito, a quo quis aut quid disjungitur. — Per Ablativum et præpos. *ab. Ter. Hecyr.* 1. 2. 85. Atque ea res multo maxime disjunxit illum ab illa. *h. e.* alienavit. *Cic.* 2. *Phil.* 10. 23. Opera mea Pompejum a Cæsaris amicitia esse disjunctum. *Id. Amic.* 12. 41. Populus a senatu disjunctus. *Id. Sull.* 21. 60. Disjungere Pompejanos a colonis. *Liv.* 42. 46. Quod veterem amicitiam sibi disjungeret ab Romanis. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 23. Ab orationibus dijungo me fere, referoque ad mansuetiores Musas. *Id.* 1. *Tusc.* 31. 75. Disjungere se a corporibus. *Id.* 1. *Nat. D.* 7. 16. Qui honesta a commodis non nomine, sed genere toto disjungerent. *Id.* 3. *Tusc.* 5. 11. Disjungere insaniam a furore. *Varro* 1. *R. R.* 2. 21. Dijungamus igitur pastionem a cultura. *Id. ibid.* 3. 1. Quæ dijungenda essent a cultura. *Id. ibid.* 23. 4. Quæ ab agri utilitate sunt dijuncta. *Quintil.* 2. 15. 2. Disjungere artem a scientia. — Per Dativum. *Auson. Epist.* 24. 34. Pirithoo disjungere Thesea posses. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus,

Dijunctus vel *disjunctus, a, um,* adjective quoque occurrit, unde Comp. *Disjunctior* sub II. 1.; et Sup. *Disjunctissimus* sub I.; et est separatus, divisus, sejunctus, remotus.

I.) Proprie et quidem latiori sensu. — *a*) Absolute. *Cic.* 6. *Verr.* 53. 117. Insula mari disjuncta angusto. *Id. pro leg. Manil.* 4. 9. Duobus in locis disjunctissimis maximeque diversis. *Id. pro Marcell.* 2. 5. Nec vero disjunctissimas terras citius passibus cujusquam potuisse peragrari. *Cf. Plin. Paneg.* 15. Disjunctissimas terras lustrare. — *b*) Cum addito, a quo quid disjunctum est, per Ablativum et præpos. *ab. Cic. Pis.* 37. 91. Ætolia procul a barbaris disjuncta gentibus.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 3. 802. Quid enim diversius esse putandumst, Aut magis inter se disjunctum discrepitansque, Quam mortale quod est immortali – junctum etc. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 20. 66. Nihil est enim ab ea cogitatione – errore, levitate, temeritate disjunctius. *Id. Pis.* 1. 3. Ac tamen ea, quæ sunt longissime disjuncta, comprehendam. *Id.* 3. *Orat.* 15. 57. Neque disjuncti doctores, sed iidem erant vivendi præceptores ac dicendi. *Id. Sext.* 67. 141. Homines Græci longe a nostrorum hominum gravitate disjuncti. *Id. Cæl.* 21. 53. Mores alicujus longissime a tanti sceleris atrocitate disjuncti. *Id. Rosc. Am.* 14. 39. Vita maxime disjuncta a cupiditate et cum officio conjuncta. *Id. fragm.* apud *Hieronym. Ep.* 52. n. 8. Quorum ætates non annis, sed sæculis scimus esse disjunctas. *Id. Harusp. resp.* 25. 53. Quorum mentes et res sunt perditæ, longeque a communi salute disjunctæ. *Id.* 1. *Orat.* 3. 12. Quod sit longissime ab imperitorum intelligentia sensuque disjunctum. ¶ 2. Speciatim *disjuncta* dicitur oratio, quæ non est colligata et connexa. *Cic. Partit. orat.* 6. 21. Concursus disjuncti atque hiantes. — Hinc *disjunctus orator* apud *Tac. Dial. de orat.* 18. est is, qui conciso dicendi genere utitur, neque longis comprehensionibus colligato et connexo. Sic enim ibi *loc. cit.* Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum, Brutum autem otiosum atque disjunctum. *Alii leg.* discinctum. ¶ 3. Item speciatim apud Dialecticos *disjuncta* dicuntur, quæ sibi invicem opposita sunt. *Cic.* 2. *Fin.* 14. 45. Disjuncta conjungere. — Hinc *enunciatio disjuncta*, quæ et *disjunctio* dicitur, apud eosdem Dialecticos est, quæ effertur per particulas disjunctivas *aut, vel,* etc. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 97. Omne, quod ita disjunctum sit quasi *aut etiam, aut non*, etc. — Eadem dicitur etiam *disjunctum* apud *Gell.* 5. 11. Non ratum id, neque justum disjunctum esse ait. — Hinc etiam apud JCtos *disjuncti* dicuntur, quibus eadem res separatim et diversa oratione relicta fuit, hoc modo: *Titio hominem Stichum do, lego: Sejo Stichum lego*, ut *Justinian. Institut.* 2. *tit.* 20. docet. His opponuntur *conjuncti*, quibus eadem oratione eadem res legatur. *Ulp. Dig.* 30. 34. Si conjuncti disjunctique commisti sint, conjuncti unius personæ potestate funguntur. — Hinc

Dijunctum vel *disjunctum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, apud Rhetores est ea dicendi figura, quæ Græce διεζευγμένον, Latine vero *disjunctio* appellatur. *Cic.* 4. *Herenn.* 27. 37.; et *Capell.* 5. *p.* 176. *V.* DIJUNCTIO 3.

DĪLĀBĬDUS, a, um, adject. qui facile dilabitur, dissolvitur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 55. 81. (219). Vestes leporino pilo facere tentatum est, tactu non perinde molli, ut in cute, propter brevitatem pili dilabidas. *Sillig.* vulgatam hanc lectionem tuetur: alii aliter legunt.

DĪLĀBOR, lābĕris, lapsus sum, lābi, dep. 3. (*dis et labor*). Part. *Dilabens* I. 1. et 3.; *Dilapsus* in omnibus paragr.; *Dilapsurus* I. 2. — Dilabi est in diversas partes labi, diffundi, diffluere (It. *scorrere in parti opposte*; Fr. *s'écouler de côté et d'autre, se fondre*; Hisp. *correr, colar acá y allá*; Germ. *auseinanderfallen, zerfallen, zerfliessen*; Angl. *to slip or glide different ways*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ac generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Glacies admisto calore liquefacta et dilapsa se diffundit. *Liv.* 21. 36. Ut vero tot hominum jumentorumque incessu (*nix*) dilapsa est, per nudam infra glaciem fluentemque tabem liquescentis nivis ingrediebantur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 65. (163). Humor in poculis repletis cumulo eminente infusus dilabitur. *Liv.* 41. 2. Qua nebula dilabente ad primum teporem solis. *Tac.* 14. *Ann.* 32. Jam Oceanus cruento aspectu, in sicco dilabente æstu humanorum corporum effigies relictæ. *Plerique tamen hic leg.* labente. *Virg.* 4. *Æn.* 705. omnis Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit. *Ovid.* 1. *Met.* 742. Unguleque in quinos dilapsa absumitur ungues. — Dicitur et de fluminum cursu. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 6. Amnis divisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideque dilapsus, cito in unum confluit. *Curt.* 5. 4. 8. Quippe obumbratus amnis presso in solum dilabitur alveo. V. *Mützell.* ad h. l. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 11. (32). Padus dilabitur ad insulas. *At Sillig. ex Cod. Bamberg. rectius leg.* delabitur. ¶ 2. Item stricto sensu, sed speciatim, dilabi dicuntur milites, qui hac illac palantes abeunt seu domum redeundi, seu fugiendi, seu depopulandi causa. — *a*) Absolute. *Sall. Jug.* 18. Exercitus ejus, compositus ex variis gentibus, amisso duce –, brevi dilabitur. *Id. Cat.* 57. Sed postquam in castra nuncius pervenit, Romæ conjurationem patefactam, de Lentulo et Cethego – supplicium sumptum, plerique, quos ad bellum spes rapinarum – illexerat, dilabuntur. *Nepos Eumen.* 3. Intelligebat, copias suas simul cum nuncio dilapsuras. Adde *eumd. Lysand.* 2.; et *Liv.* 9. 45. *Curt.* 5. 13. 9. Tum vero custodiæ ejus assueti, quos regis salutem vel periculo vitæ tueri oportebat, dilapsi sunt. Sic *Id.* 3. 11. 14. Jamque una sic ipso impetu proculcata erat: quum Thessali strenue circumactis equis dilapsi, rursus in prælium redeunt. Adde *eumd.* 7. 2. 31.; *Sueton. Vitell.* 16.; et *Frontin.* 2. *Strateg.* 5. 18. — *b*) Cum addito, a quo quis dilabitur, per Ablativum et præpos. *ab* vel *ex. Liv.* 23. 18. Per omne æstivorum tempus magna pars sine commeatibus ab signis dilabebantur: neque aliæ latebræ, quam Capua, desertoribus erant. Adde *eumd.* 35. 38. *Id.* 24. 46. Imber, ab nocte media coortus, custodes vigilesque, dilapsos e stationibus, subfugere in tecta coegit. Cf. *eumd.* 6. 17. — *c*) Cum addito, quo quis dilabitur, per Accusativum et præpos. *in. Liv.* 38. 31. Auxiliares in agros dilapsi. *Id.* 40. 33. Extemplo in vicos castellaque sua omnes dilapsi. Adde *eumd.* 41. 5. et 11. 43.; *Justin.* 13. 5. *extr.* et 16. 4. 17.; et *Curt.* 7. 4. 20. — *d*) Cum addito, quem ad finem quis dilabitur, per Accusat. et præpos. *ad. Liv.* 4. 55. Dilapsis ad prædam militibus, qui in præsidio erant. *Sueton. Cal.* 48. Dilabi ad arma resumenda. *Justin.* 2. 12. 19. ad sua tuenda. — Poetice de feminis *Val. Flacc.* 3. 357. Jamque solutus honos cineri: jam passibus ægris Dilapsæ cum prole nurus. — Hue referri possunt et illa, in quibus *dilabi* ponitur pro effugere. *Val. Flacc.* 7. 399. inde Venus dextræ dilapsa tenenti. *Justin.* 2. 12. *in fin.* In qua trepidatione multæ captæ naves, multæ mersæ; plures tamen minus sævitiam regis, quam hostem timentes, domum dilabuntur. ¶ 3. Latiori, seu prægnante, uti ajunt, significatione, est corrumpi, dissolvi, destrui, absumi. *Lucret.* 5. 312. Denique non monimenta virûm dilapsa videmus Cedere proporro subitoque senescere casu? *Liv.* 35. 26. Navis putris et vetustate dilabens. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 6. Ne supellex condita situ dilabatur. *Virg.* 3. *G.* 557. dilapsa cadavera tabo. — Et de ædificiis. *Liv.* 4. 20. Ædem Jovis Feretrii vetustate dilapsam refecit. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 43. Segestani, ædem Veneris – vetustate dilapsam restaurari postulavere. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 414. n. 365. *Imp.* CAES. T. AELIVS HADRIANVS ANTONINVS AVG. PIVS VIAM AEMILIAM VETVSTATE DILAPSAM OPERIBVS AMPLIATIS RESTITVENDAM CVRAVIT A ROMA M. P. CLXXXVIII. *Seneca Ep.* 12. Ædificium dilabens. *Tac.* 1. *Hist.* 86. Corrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta, dein remeante flumine dilapsa. *Inscript.* apud *Orell.* 56. IMP. T. CAESAR DIVI F. VESPASIANVS AVGVSTVS – AQVAS CVRTIAM ET CAERVLEAM – CVM A CAPITE AQVARVM A SOLO VETVSTATE DILAPSAE ESSENT NOVA FORMA REDVCENDAS SVA IMPENSA CVRAVIT.

II.) Translate. ¶ 1. Dilabi ponitur pro in pejus, vel in exitium ruere, evanescere, dissipari, disperdi. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 66. Ut est apud poetam nescio quem: *Male parta, male dilabuntur* (proverbium), pro quo Italorum quidam vulgo dicunt: *ciò che vien di ruffa in raffa, se ne va di buffa in baffa. V. Partus* in v. PARIO. Rursus *Cic.* 2. *Off.* 18. 64. Rem familiarem dilabi sinere flagitiosum est. *Id.* 7. *Fam.* 28. *ad fin.* Ita rem communem esse dilapsam, ut ne spes quidem, melius fore aliquando, relinquatur. *Sall. Jug.* 2. Præclara facies, magnæ divitiæ, vis corporis et alia hujuscemodi brevi dilabuntur. *Liv.* 33. 46. Vectigalia partim negligentia dilabebantur, partim etc. *Cic.* 4. *Herenn.* 17. 24. Simul ac fortuna dilapsa est, devolant omnes. *Id.* 2. *Off.* 23. 80. Præclarissime constituta respublica dilabitur. *Id. Marcell.* 8. 23. Omnia, quæ dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. *Sall. Jug.* 10. Concordia res parvæ crescunt, discordia maxumæ dilabuntur. *Cic.* 13. *Phil.* 5. 11. Sunt alii plures fortasse: sed memoria mea dilabuntur. *Id.* 4. *Tusc.* 5. 10. Intento opus est animo, ne omnia dilabantur, si unum aliquid effugerit. *Sall. Jug.* 36. Sed postquam dilapso tempore comitiorum dies adventabat, etc. *Id. ibid.* 29. Omnis invidia, prolatandis consultationibus, dilapsa foret. *Ovid.* 4. *Pont.* 4. 21. dilapsæ curæ inter nova gaudia. *Claudian.* 1. *Eutrop.* 75. Cum forma dilapsus amor. *Justin.* 6. 2. 14. Queritur opulentissimi regis bella inopiâ dilabi. *Lamprid. Alex. Sev.* 52. Dilapsa disciplina. ¶ 2. Item dissolvi. *Virg.* 4. *G.* 410. *de Proteo.* aut in aquas tenues dilapsus abibit. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 73. Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam Vulcano summum properabat lambere tectum. — *NB.* Pro descendere, devenire, transire. *Cic.* 1. *Off.* 29. 104. In aliquam turpitudinem dilabi. *Id. Amic.* 21. 76. A sapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio dilabitur. *Rectius tamen in melioribus libris* delabi *legitur his et similibus locis, in quibus descendendi ratio aliqua subest.*

DĪLĂCĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. artus dilacerandi. *Arnob.* 2. 45. Morbi, quos infelix mortalitas diversarum sustinet dilaceratione pœnarum.

DĪLĂCĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĪLĂCĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*dis et lacero*). Part. *Dilaceratus* I. et II.; *Dilacerandus* I. — Dilacero est idem quod in diversas partes lacero, dilanio, discerpo (It. *lacerare*; Fr. *déchirer, mettre en pièces*; Hisp. *desgarrar, rasgar, despedazar*; Germ. *zerreissen, zerfleischen*; Angl. *to tear or rend in pieces, dilacerate*).

I.) Proprie. *Catull.* 64. 152. Dilaceranda feris dabor. *Ovid.* 3. *Met.* 249. mersisque in corpore rostris Dilacerant falsi dominum sub imagine cervi. *Id. Heroid.* 11. 111. Nate, dolor matris, rapidarum præda ferarum, Hei mihi! natali dilacerate tuo. *Tac.* 15. *Ann.* 57. Tormentis dilacerare aliquem. *Cels.* 7. 5. *n.* 2. Spicula, ne quid dilacerent, sic evellenda sunt.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Nat. D.* 11. 27. Non vidit distractione humanorum animorum discerpi et dilacerari Deum. *Pleriq. omnes leg.* lacerari. *Id. Mil.* 9. 24. Dilacerare rempublicam. *Sall. Jug.* 41. Respublica dilacerata. *Ovid. Heroid.* 1. 90. Viscera nostra, tuæ dilacerantur opes. *Al. leg.* dilaniantur. *Tac.* 6. *Ann.* 6. Ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceratur. *Id.* 2. *ibid.* 71. Acerbitatibus dilaceratus.

DILACRYMO, as, are, n. 1. idem ac lacrymo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 121.

DĪLĀMĬNO, as, are, a. 1. (dis *et* lamina) in duas laminas divido. *Ovid. de Nuce* 73. Has (*nuces*) puer aut certo rectas dilaminat ictu. *h. e.* in duas partes dividit. Alii aliter legunt.

DĪLANCĬNĀTUS, a, um. particip. a *dilancino*, dilaniatus, discerptus. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 155. Cum membra morti obnoxia Dilancinata interficis. *Ammian.* 22. 15. Oris aditum penetrat alite prævia patefactum, et populato ventre vitalibus dilancinatis erumpit.

DILANCINO, as, are, a. 1. hinc inde lancino, in frusta disseco. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 117. Ceterum *V.* voc. præced.

DĪLĀNĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĪLĀNĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis *et* lanio). Part. *Dilaniatus* I. et II.; *Dilaniandus* I. — Dilanio est in diversas partes lanio.

I.) Proprie. *Cic. Mil.* 13. 33. Tu P. Clodii cruentum cadaver nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. *Id.* vertens carmen *Æschyli*, 2. *Tusc.* 10. 24. aduncis lacerans unguibus Jovis satelles, pastu dilaniat fero. *Tac.* 11. *Ann.* 22. Tormentis aliquem dilaniare. *Id. ibid.* 36. Dilaniata vestis. *Claudian.* 2. *Rufin.* 407. fodiunt hastis, artusque trementes Dilaniant. *Prudent. Psychom.* 424. Lingua dilaniata. — Part. præter. pass. cum Accusativo Græcorum more. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 52. Inornatas dilaniata comas.

II.) Translate. *Lucret.* 3. 540. Dilaniata (*anima*) foras dispergitur.

DĪLĀPĬDĀTĬO, ōnis, f. 3. actus dilapidandi. Translate *Imppp. Gratian.*, *Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 4. 20. 1. Dilapidatio bonorum.

DĪLĀPĬDO, as, ātum, are, a. 1. Vetustissimi, teste *Capro*, dixere *dilapidor, aris*, deponentis forma. *Priscian.* 8. *p.* 796. *Putsch.* — Part. *Dilapidans* et *Dilapidatus.* — Dilapido est disperdo, dissipo, disjicio, quasi more lapidum huc illuc temere jacio: vel quasi jactis lapidibus decutio, discutio, corrumpo. Pro priori etymologia stare videtur *Donatus* mox citandus. Ad posteriorem alludere videtur *Colum.* 10. *R. R.* 329. Sæpe ferus duros jaculatur Juppiter imbres, Grandine dilapidans hominumque boumque labores. — Translate. *Ter. Phorm.* 5. 7. 4. Priusquam dilapidet nostras triginta minas. *Donatus:* disperdat. *Firmic.* 6. *Mathes.* 10. Dilapidare paternæ substantiæ facultates. *Cod. Theod.* 14. 3. 11. Si postea is eandem (*uxorem*) dilapidatis facultatibus consortio putaverit eximendam.

DĪLAPSĬO, ōnis, f. 3. actus dilabendi; et translate consumptio, absumptio. *Augustin.* 22. *Civ. Dei* 12. Corruptiones et dilapsiones corporum mortuorum.

DĪLAPSUS, a, um. *V.* DILABOR.

DĪLARGĬOR, iris, itus sum, iri, dep. 4. (dis *et* largior). Part. *Dilargitus* sub 1.° et 2.° — Dilargiri est varie, aut diversis largiri, vel valde largiri. — 1.°) Activa significatione. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 29. 81. Qui omnia sine ulla religione, quibus voluit, est dilargitus. *Tac.* 3. *Hist.* 55. Fœdera sociis, Latium externis dilargiri. *Id.* 16. *Ann.* 30. Pecuniam Magis dilargita. Adde *Sueton. Cæs.* 20. — 2.°) Passiva significatione. *C. Gracchus* apud *Priscian.* 8. *p.* 793. *Putsch.* Ærarium dilargitur populo R. *Al. leg.* delargitur. *Sall.* apud *Gell.* 15. 13. Dilargitis proscriptorum bonis.

DĪLARGUS, multum donans. *Gloss. Isid.*

DILASSO. *V.* DELASSO.

DĪLĀTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus dilatandi. *Tertull. Anim.* 37. *sub fin.* Lamina major efficitur per dilatationem. Adde *eumd. Præscript.* 47.

DĪLĀTĀTOR, ōris, m. 3. qui dilatat. *Cassiod. Instit. div. litt.* 21. Beatus etiam Hieronymus Latinæ linguæ dilatator eximius.

DĪLĀTĀTUS, a, um. *V.* DILATO.

DĪLĀTĒ, adverb. late. *Gloss. Cyrill.* Διαπλατέως, dilate.

DĪLĀTĬO, ōnis, f. 3. temporis prorogatio, sive extensio (It. *dilazione*, *prolungazione*; Fr. *delai*, *remise*, *ajournement*; Hisp. *plazo*, *dilacion*; Germ. d. *Verschiebung*, *Verzögerung*; Angl. *a putting off*, *delaying*, *deferring*, *a delay*). Occurrit — *a*) Cum addito Genitivo. *Cic.* 3. *Phil.* 1. 2. Quæ est igitur exspectatio, aut quæ minima dilatio temporis? *Id. pro leg. Manil.* 1. 2. Dilatio comitiorum. *Liv.* 9. 4. belli. *Tac.* 6. *Ann.* 4. Quærere alicui dilationem exitii. — *b*) Absolute. *Cato R. R.* 5.; et *Colum.* 1. *R. R.* 8. 14. et 11. *ibid.* 1. 28. Dilatio in re. *Liv.* 7. 14. Res dilationem non recipit. *Id.* 35. 25. *extr.* Metuens, ne dilationem res non pateretur. *Vellej.* 2. 50.; *Eumen. Paneg. Const.* 5.; et *Curt.* 6. 7. 18. Sine dilatione. *Sueton. Gramm.* 22.; et *Plin.* 1. *Ep.* 18. Petere dilationem. *h. e.* in re forensi. Rursus *Plin.* 10. *Ep.* 85. 5. et *Quintil.* 3. *Declam.* 19. Dilationem dare alicui. Adde *Senec.* 3. *Ira* 12. et *Sueton. Ner.* 15. — *c*) In plurali numero. *Liv.* 5. 5. Molliter, et per dilationes bellum gerere. *Vellej.* 2. 79. Vir per omnia extra dilationes positus, consultisque facta conjungens.

DĪLĀTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis *et* lato). Part. *Dilatans* I.; *Dilatatus* I. et II.; *Dilatandus* II. — Dilato est latum facio (It. *allargare*, *dilatare*; Fr. *élargir*, *étendre*, *dilater*; Hisp. *dilatar*, *extender*, *alargar*; Germ. *ausbreiten*, *erweitern*; Angl. *to dilate*, *make broad or wide*, *extend*, *enlarge*).

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 107. *Müll.* Globus farinæ dilatatus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Ipsius autem partes eæ, quæ sunt infra, dilatantur, quæ autem supra, contrahuntur. *Id. Orat.* 32. 113. Dilatare manum. *Id.* 3. *Fin.* 15. 48. fundum. *Ovid.* 6. *Met.* 378. patulos rictus. *Liv.* 27. 46. castra. *Id.* 31. 21. aciem. *Colum.* 12. *R. R.* 15. 5. Ficum arundine vel digitis divisam dilatare. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 32. 40. (141). Propontis, ubi se dilatat mare. *Id.* 11. *ibid.* 24. 28. (81). Araneus texere a medio incipit, maculas ex angusto dilatans. *Id.* 17. *ibid.* 27. 42. (128). Dilatata cicatrix. *Id.* 33. *ibid.* 9. 45. (251). Dilatari in immensum. *Vopisc. Aurel.* 21. Dilatare muros urbis Romæ. *Id. Prob.* 21. solum patrium.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Legg.* 14. 32. Hæc lex dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potuit. *Id. Brut.* 90. 309. Eloquentia, quam dialecticam dilatatam esse putant. *Id.* 1. *Off.* 22. 76. Dilatatum imperium. *Plerique tamen leg.* datum. *Id. Brut.* 74. 259. Se valde dilatandis litteris a similitudine Græcæ locutionis abstraxerat. *h. e.* dilatanda pronunciatione, tum voces ipsas, tum litteras late et distincte proferendo. *Id. Flacc.* 5. 12. Sed non dilatabo orationem meam, etenim posset esse infinita. *Id. Partit. orat.* 7. 23. Ut aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio. *h. e.* ex verbo in plura verba diducatur. *Id.* 2. *Nat. D.* 7. 20. Hæc, quæ dilatantur a nobis, Zeno sic premebat. *Id. Parad. procem.* § 2. Nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum. *Id.* 6. *de republ. in fin.* Cernis quantis in angustiis vestra gloria se dilatari velit. *Quintil.* 2. 3. 8. Quo quis ingenio minus valet, hoc se magis attollere et dilatare conatur. Adde *eumd.* 8. 4. 14.

DĪLĀTOR, ōris, m. 3. qui differt. *Horat. Art. P.* 172. Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri (*senex*).

DĪLĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad differendum et procrastinandum pertinens. *Cajus Dig.* 44. 1. 3. Exceptiones aut perpetuæ sunt, aut dilatoriæ. *Id.* 4. *Instit.* 120. Dicuntur exceptiones aut peremptoriæ, aut dilatoriæ.

DĪLĀTUS, a, um. *V.* DIFFERO.

DĪLAUDO, as, are, a. 1. varie, vel valde laudo. *Cic.* 6. *Att.* 2. 9. Aut attingere eos libros, quos tu dilaudas. *Orellius* ita edidit ex *Cod. Medic.*; alii *quos studi laudas*; al. *quos studiose laudas*; denique *Cod. Medic.* secund. m. *quos tu laudas.*

DĪLAXO, as, are, a. 1. idem quod laxo, dilato. *Lucilius* apud *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 2. 125. cruribu' crura Dilaxat.

DĪLECTĬO, ōnis, f. 3. amor. *Quintil. Declam.* quæ inscribitur *Tribunus Marianus* 3. Cœlibatus sancti pura dilectio. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 27. Dilectio Dei.

DĪLECTOR, ōris, m. 3. amator. *Apul. Florid. n.* 9. Atque ego me dilectorem tuum profiteor. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 23. Parvulorum dilector. Adde *Augustin. Ep.* 32. et 144. *a med.* et 3. *de consens. Evangelist. c. ult. ad fin.*

DĪLECTUS, a, um. *V.* DILIGO.

DĪLECTUS, us, m. 4. delectus. *Paul. Diac. p.* 73. 16. *Müll.* Dilectus militum, et is, qui significatur amatus, a legendo dicti sunt. *Id. p.* 121. 15. *Müll.* Ut in dilectu, censuve primi nominantur Valerius, Salvius, Statorius. *Fronto* 2. *ad amic.* 7. Quos ego non temere, nec sine dilectu audio. *Müllerus* ad priorem *Paul. Diac.* loc. hæc ex A. Aug. retulit: *Dilectus.* Ita semper, non *delectus* in veteribus libris est. Sic in *Pandect. Florent.* titulo de re militari, cap. 4. Ita enim scribendum est, titulo communi divid. cap. 20., ubi *delictum* scripserunt. (Plura exempla e Digestis affert *Goth.*). Vide *Lacus Lucrinus* (apud *Paul. Diac.* altero loco superius cit.; sed ibi res incerta est; et *Neclegens* apud *Festum p.* 162. 12. *Müll.*). Ipse *Müllerus* hæc addit: Etiam apud *Varron.* 6. *L. L.* 66. *p.* 243. ed. Speng. boni libri habent *dilectus. Glossar. Labb.* Dilectus, ἀγαπηθεὶς καὶ στρατολογία, plane ut *Festus.* Ceterum *V.* DELECTUS, us.

DĪLEMMA, atis, n. 3. (δίλημμα) est argumentatio, in qua utrinque adversarius capitur, sive in qua utra pars ab adversario concessa fuerit, reprehenditur: ut *Si implacabiles sunt iracundiæ, summa est acerbitas; sin autem exorabiles, summa lenitas.* A *Cic.* 1. *Invent.* 29. 45. appellatur *complexio*, ab *Hieronym. Ep.* 69. *n.* 2. dicitur *syllogismus cornutus*, quia sic argumentationis cornua in eo disponuntur, ut qui alterum effugerit, in alterum incurrat. Est autem a δίς *bis*, et λῆμμα, quod apud dialecticos *propositionem* significat. Nam in dilemmate duæ sunt propositiones, quarum alterutra rem conficit. Utitur Latine *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 675. et ad *eumd.* 10. *ibid.* 419.

DILENIMENTUM. *V.* DELENIMENTUM.

DILENIS, e, adject. multum lenis: *di* enim in compositione sæpe augendi vim habet. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 129.

DILIBERO, as, are, a. 1. rebus omnibus hinc inde perpensis statuo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 57.

DĪLĬGENS, entis. adject.; sed proprie Part. præs. a *diligo.* — Vult *Charis.* 1. *p.* 101. *Putsch.* rectius in sexto casu singulari in e terminari, quam in i. — Comp. *Diligentior* I. 1. et II.; Sup. *Diligentissimus* I. 1. et 2. — Diligens proprie est qui diligit, amans: sed quia qui diligit, libenter curam impendit, diligens dictus est studiosus, accuratus, sedulus (It. *diligente*; Fr. *attentif*, *soigneux*, *diligent*; Hisp. *cuidadoso*, *despachado*; Germ. *sich e. Sache befleissigend*, *aufmerksam*, *sorgfältig darin*, *oder in Bezug darauf*; Angl. *attentive*, *diligent*, *mindful*, *heedful*, *careful*, *studious*, *industrious*, *earnest*).

I.) Proprie usurpatur de hominibus. ¶ 1. Generatim; et quidem — *a*) Absolute. *Cic.* 5. *Verr.* 21. 53. Homo navus et industrius, experientissimus ac diligentissimus arator. *Cæs.* apud *Charis.* 1. *p.* 101. *Putsch.* Neque pro cauto ac diligente se castris continuit. *Quintil.* 1. 4. 24. Nec diligentem eum putare, qui promiscua ostenderit. *Id.* 2. 15. 10. Diligentiores sunt visi sibi. *Id.* 8. 3. 55. Ut a diligenti curiosus distat. — *b*) Cum Genitivo. *Cic. Cœl.* 30. 73. Castissimus vir atque omnis officii diligentissimus. *Nepos Epam.* 3. Adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. *Id. Con.* 1. Diligens imperii. *Vellej.* 1. 6. Cujus disciplinæ quamdiu Sparta diligens fuit, excelsissima floruit. *Plin. Paneg.* 79. Tam diligens temperamenti, ut nec consulis officium princeps, nec principis consul appeteret. Alter *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (31). Arboribus utrumque sexum esse, diligentissimi naturæ tradunt. *h. e.* qui diligentissime scrutantur naturas rerum. *Id.* 32. *ibid.* 3. 13. (26). Sextius diligentissimus me-

divinæ. *Id.* 25. *ibid.* 2. 3. (5). Mithridates diligentissimus vitæ. *h. e.* servandæ et producendæ. *Quintil.* 9. 4. 77. Diligens compositionis. *Gell.* 4. 11. Vir litterarum veterum diligentissimus. *Id.* 2. 26. et 13. 24. Cicero verborum diligentissimus *h. e.* magnam adhibens curam in verbis seligendis et usurpandis. Adde *Liv.* 7. 3.; *Nepot. Att.* 1.; *Phædr.* 5. *prol.* 1.; et *Quintil.* 5. 10. 61. et 8. 5. 19. *Fronto Laud. negl. p.* 329. edente *A. Mai.* Texendi araneas diligentiores esse, quam Penelopen ullam, vel Andromacham. — c) Raro admodum cum Dativo. *Cic.* 2. *de republ.* 20. Publicis equis assignandis diligentes. — d) Cum præpositione *ad* et Accusativo. *Cic.* 1. *Cat.* 8. 19. Quem tu et ad custodiendum te diligentissimum, et ad suspicandum sagacissimum fore putasti. *Id.* 6. *Verr.* 3. 6. Ut illis benignis usus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum. *Quintil.* 1. 1. 7. Diligens ad cætera. — e) Cum præpositione *in* et Ablativo. *Cic.* 12. *Att.* 33. Et medici assiduitas, et tota domus in omni genere diligens. *Id. Amic.* 17. 62. Diligens in rebus omnibus. *Id.* 1. *Divinat.* 42. 94. in ostentis animadvertendis. *Id.* 2. *de republ.* 14. in exquirendis temporibus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (58). Myron numerosior in arte, quam Polycletus, et in symmetria diligentior. *Quintil.* 10. 1. 63. Diligens in eloquendo. *Id.* 3. 1. 18. in tradendo Latine. ¶ 2. Specialiter dicitur de eo, qui curam habet rei familiaris, parcus, studiosus rei servandæ. *Cic.* 6. *Verr.* 18. 39. Homo frugi ac diligens, qui sua servare vellet. *Id.* 4. *Herenn.* 34. 46. Si quis hominem prodigum et luxuriosum, parcum et diligentem appellet. *Plin.* 4. *Ep.* 13. *a med.* Qui de alieno negligentes, certe de suo diligentes erunt. *Quintil.* 9. 3. 65. Cum te pro astuto sapientem appelles, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem. *Sueton. Gramm.* 23. Rei familiaris diligentissimus. Adde *Nepot. Att.* 1.; *Plin.* 2. *Ep.* 6. 1.; et *Capitolin. Anton. Phil.* 5.

II.) Translate ponitur de rebus. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 150. Assidua ac diligens scriptura. *Id.* 5. *Att.* 4. *extr.* Litteras Pomptinio de omnibus rebus diligentes dabis. *Vellej.* 1. 4. Diligentior ritus patrii custodia. *Seneca Ep.* 95. *ante med.* Ne opus quidem adhuc erat remediis diligentibus. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (15). Si quis id diligenti subtilitate exigat. *Id.* 6. *ibid.* 22. 24. (84). Diligentior notitia. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

DILIGENTER, adverb. Comp. *Diligentius* et Sup. *Diligentissime.* — Diligenter est cum amore et cura, sedulo, accurate, studiose, sollicite; adeoque cum delectu (It. *diligentemente, accuratamente, con scelta*; Fr. *attentivement, soigneusement, avec circonspection*; Hisp. *atentadamente, cuidadosamente*; Germ. *sorgfältig, genau*; Angl. *diligently, carefully, attentively, earnestly, with nice distinction*). *Plaut. Capt.* 2. 1. 30. Accurate hoc agatur, docte et diligenter. *Ter. Eun.* 2. 3. 47. Ut diligenter muneres patri. *Cic.* ad *Planc. post Ep.* 16. *Att.* 16. *extr.* Studiose diligenterque curare aliquid. *Id.* 6. *Fam.* 5. Legere librum diligenter, et diligentissime custodire. *Id. Brut.* 22. 86. Multo diligentius meliusque dixit. *Id.* 1. *Phil.* 15. 38. Benigne ac diligenter audire. *Id.* 1. *Divinat.* 4. 7. Diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus. *Id.* 1. *Orat.* 26. 118. Diligenter et prope fastidiose judicare. *Forcellinus* hoc in loco et quatuor proxime sequentibus *diligenter* interpretatus est *cum delectu. Id.* 2. *Off.* 15. 9. Sæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum, sed diligenter atque moderate; multi enim patrimonia effuderunt, inconsulte largiendo. *Id. Brut.* 45. 166. Latine et diligenter loqui. *Id.* 2. *Divinat.* 72. 148. Nec vero (id enim diligenter intelligi volo) superstitione tollenda religio tollitur. *Varro* 6. *L. L.* 78. *Müll.* His magis promiscue, quam diligenter consuetudo est usa. *Nepos Con.* 5. Diligenter celare. *Id. Thrasyb.* 4. agere vigilias. *Id. Datam.* 11. notare. *Cæs.* 5. *B. G.* 35. Diligentissime observare præceptum. — *Id.* 6. *ibid.* 12. Diligentius cognoscere aliquid. — *Diligenter errare*, apud *Martial.* 7. 31., est graviter errare et quasi data opera. — Ceterum adde Positiv. apud *Cic.* 2. *Off.* 15. 54. et 16. *Att.* 16.; *Cæs.* 2. *B. G.* 5. et 5. *ibid.* 40.; *Nepot. Eumen.* 9. et *Att.* 18.; *Sueton. Cæs.* 48. et *Gramm.* 4.; et *Quintil.* 12. 3. 3.: Comparat. apud *Cic.* 1. *de republ.* 22.; *Cæs.* 6. *B. G.* 13. et 3. *B. C.* 8.; *Quintil.* 6. 2. 23.; et *Pacat. Paneg. Theod.* 29.: Superl. apud *Cic. Amic.* 2. 7. et 2. *de republ.* 34.; *Cæs.* 2. *B. G.* 28.; *Quintil.* 2. 2. 2.; et *Vopisc. Aurel.* 28. et *Car.* 4.

DILIGENTIA, æ, f. 1. studium, cura, sedulitas. Differt ab *opera*, et *cura*, quia *diligentia* ad corpus et ad animum refertur, *cura* ad animum tantum, *opera* ad corpus. Præterea *diligentia* est ejus, qui sponte et cum amore facit; *opera* et *cura* etiam inviti et coacti. Denique *diligentia* latius patet et reliqua complectitur. *Cic.* 2. *Orat.* 35. 150. Ars demonstrat tantum, ubi quæras, atque ubi sit illud, quod studeas invenire: reliqua sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore: complectar uno verbo, quo sæpe jam usi sumus, diligentia, qua una virtute omnes virtutes reliquæ continentur. (It. *diligenza, accuratezza*; Fr. *soin, attention, empressement, exactitude, zèle*; Hisp. *cuidado, apresuramiento, zelo*; Germ. d. *Aufmerksamkeit, Sorgfalt, Umsicht*; Angl. *diligence, carefulness, attention, earnestness*). Usurpatur ¶ 1. Generatim; et quidem — a) Cum pluribus Verbis. *Plaut. Rud.* 3. 5. 40. Curare aliquid magna diligentia. *Id. Capt.* 1. 2. 6. asservare. *Ter. Hecyr.* 2. 2. 21. Laches, et diligentiam vestram et benignitatem novi. *Cic.* 1. *Orat* 61. 260. Impedimenta naturæ diligentia industriaque superare. *Id.* 1. *Invent.* 39. 70. Magna cum cura et diligentia scribere aliquid. *Id.* 2. *Att.* 15. *ad fin.* Assiduitas tua et diligentia Terentiæ est pergrata. *Id.* 10. *Fam.* 1. 3. Ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus. *Id. Amic.* 24. 89. Hac in re habenda ratio et diligentia. *Id.* 1. *Off.* 29. 103. Excitanda est animadversio et diligentia, ut ne quid temere agamus. *Id. Cæcin.* 2. 5. Præstare eidem et diligentiam. *Id. Quinct.* 1. 4. Comparare sibi diligentiam. *Id.* 16. *Fam.* 9. Adhibere diligentiam ad aliquam rem. Cf. *Id. ibid.* in aliqua re. *Colum.* 3. *R. R.* 4. 3. alicui rei. *Q. Cic. Petit. cons. initio.* Diligentia consequi aliquid. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. *sub fin.* Nihil de diligentia remittere. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Aut cur de sua virtute, aut de ipsius diligentia desperarent? Adde *eumd.* 3. *ibid.* 25. *Nepos Att.* 13. Potius diligentia, quam pretio parare, non mediocris est industriæ. Adde *eumd. ibid.* 9. et *Cat.* 3.; *Colum.* 11. *R. R.* 1. 13.; *Sueton. Aug.* 33.; et *Quintil.* 2. 5. 14., 10. 3. 11. et alibi. — b) Jungitur et nonnullis Adjectivis. *Cic.* 2. *Divinat.* 6. 6. et 1. *Off.* 6. 19.; et *Cæs.* 6. *B. G.* 34. magna. *V.* et supra sub *a. Quintil.* 10. 1. 113. summa. *Id.* 3. 11. 22. et 12. 1. 6. nimium sollicita. *Id.* 5. 11. 30. inanis. — Hinc aliquando in malam partem sumitur cum addito tamen. *Ter. Andr. prol.* 21. Obscura diligentia. *Plin.* 7. *Ep.* 28. Sinistram hanc diligentiam ad alios conferant. — c) Cum addita re, cui diligentia adhibetur, — Per Genitivum. *Cic. Topic.* 1. 5. Ut mea diligentia mandatorum tuorum te quoque excitarem, *h. e.* in mandatis tuis perficiendis. *Id.* 1. *Off.* 39. 138. Diligentia dignitatis. *Id.* 2. *de republ.* 14.; et *Liv.* 7. 3. sacrorum. *Quintil.* 4. 5. 6. divisionis. *Id.* 8. *proœm.* 18. rerum. *Id.* 10. 1. 3. et 10. 3. 27. scribendi. *Id.* 1. 5. 24. partiendi. — Per Præpos. *in*, *erga*, *circa*. *Nepos Att.* 21. Quantam curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim etc. *Quintil.* 4. 2. 117. In verbis summa diligentia. *Id.* 10. 1. 86. Curæ ac diligentiæ in hoc plus est. *Tac.* 4. *Ann.* 20. Ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. *Quintil.* 1. 8. 15. Circa glossemata non ultima ejus professionis diligentia est. *Id.* 8. 3. 87. Diligentia circa proprietatem significationemque. ¶ 2. Specialiter ponitur pro frugalitate, seu cura servandi rem familiarem. *Cic.* 2. *Off.* 24. 87. Res familiaris conservatur diligentia et parcimonia. *Id.* 4. *Herenn.* 20. 28. Diligentia comparat divitias. *Id. ibid.* 25. 35. Diligentia est accurata conservatio suorum. Adde *Sueton. Galb.* 12. *sub fin.* — *NB. Forcellinus* hac quoque addit: Pro amore. *Symmach.* 1. *Ep.* 31. (*al.* 37.) In amicitia stabili diligentia perseveras. *et Ep.* 35. (*al.* 41.) Ut in nostri diligentia perseveres. *Al. aliter leg.* Huc quis fortasse trahat illud *Cic. Mur.* 40. 86. Pro mea summa in rempublicam diligentia. — Videtur etiam sumi pro delectu, discrimine, in illo *Cic. Planc.* 4. 9. Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia. *At hæc omnia aut dubiæ sunt lectionis, aut incertæ interpretationis, ut ex ipsius* Forcellini *verbis aperte patet, aut saltem facile ad eam significationem referri possunt, quam superiori* § 1. *exhibuimus.*

DILIGO, ligis, lexi, lectum, ligere, a. 3. (di et lego). Part. *Diligens* vide loco suo; *Dilectus* I., II. et in fin.; *Diligendus* II. in fine. — Diligere, a *di* et *lego*, quasi sit eligere aliquem e multis, quem benevolentia prosequaris: quod *Cic.* 1. *Fam.* 9. *judicio diligere* dixit (It. *amare, stimare*; Fr. *aimer, estimer*; Hisp. *amar, estimar*; Germ. *lieben, achten, verehren*; Angl. *to love, esteem higly*).

I.) Proprie dicitur de personis. — a) Generatim. *Cic. Amic.* 8. 28. Nihil est enim amabilius virtute; nihil, quod magis alliciat ad diligendum: quippe quum propter virtutem et probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus. *Id. ibid.* 14. 50. Bonos boni diligunt. Adde *eumd. ibid.* 20. 74. *Id.* 1. *de republ.* 15. Et ipse hominem diligebam, et patri meo Paullo probatum et carum fuisse cognoveram. *Id. Balb.* 26. 59. Diligere aliquem et carum habere. *Id.* 5. *Fam.* 8. Me sicut alterum parentem et observat et diligit. *Id.* 3. *Legg.* 2. 5. Aliquem colere et diligere. *Id.* 1. *Fam.* 9. *post init.* Eum non solum beneficio, sed amore etiam et perpetuo quodam judicio meo diligebam. *Id.* 1. *Nat. D.* 44. 122. Dii inter se diligunt, et hominibus consulunt. pro *diliguntur*, ut et in AMO observatum est. *Cæs.* 1. *B. C.* 61. Quæ in amicitia manserant (*civitates*), Pompeji magnis affectæ beneficiis eum diligebant. *Virg.* 9. *Æn.* 430. Tantum infelicem nimium dilexit amicum. *Id.* 4. *ibid.* 31. o luce magis dilecta sorori. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 247. Dilecti tibi Virgilius Variusque poetæ. *Id.* 2. *Od.* 20. 7. Dilecte Mæcenas. *Cic. Orat.* 1. 1. Aliquem unice diligere. *Id.* 12. *Att.* 33. mirifice. *Plin. Paneg.* 84. effusissime. *Curt.* 3. 6. 1. eximia caritate. *Id.* 5. 5. 12. fideliter. *Plin.* 2. *Ep.* 13. arcte familiariterque. *Juvenal.* 14. 139. Quantus erat patriæ (*amor*) Deciorum in pectore, quantum Dilexit Thebas, si Græcia vera, Menœceus. *Val. Flacc.* 7. 208. fas tunc mihi manes Dilexisse viri, tumuloque has reddere curas. *Virg.* 12. *Æn.* 391. Phœbo ante alios dilectus Iapix. *Ovid.* 10. *Met.* 107. puer ante deo dilectus ab illo. *Val. Flacc.* 2. 316. Tunc etiam vates Phœbo dilecta Polyxo. Adde *Nepot. Hamilc.* 3., *Dion.* 2., *Att.* 16. et 5., *Epam.* 4. et *Alcib.* 7.; *Liv.* 3. 33. et 37. 51.; *Sueton. Cæs.* 67, *Aug.* 57. et *Cal.* 4.; et *Pacat. Paneg. Theod.* 17. — b) Specialim de amore virorum in mulieres et mulierum in viros. *Plaut. Amph.* 1. 3. 11. Satin' habes, si feminarum nulla est, quam æque diligam? *Virg.* 1. *Æn.* 344. magno miseræ dilectus amore. *Horat. Epod.* 12. 23. Ne foret æquales inter conviva, magis quem diligeret mulier sua, quam te. Adde *eumd.* 2. *Od.* 4. 18. et 5. 17., et 2. *Ep.* 1. 69.; *Sueton. Cæs.* 50., *Aug.* 62., *Cal.* 24. et *Oth.* 2.; *Juvenal.* 6. 72. et 10. 318.; et *Mamertin. Grat. act.* 24. — Similiter de amore in pueros. *Nepos Pausan.* 4. Quem puerum Pausanias amore venereo dilexerat. — c) Item speciatim *quem di diligunt* est modus bona verba dicendi, quum de florenti statu, et bona valetudine alicujus loquimur, usurpatus. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 18. Quem di diligunt, adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit, hunc senem etc. *Ter. Andr.* 5. 6. 8. *P.* Tum de puero, Dave? D. Ah! desine: solus est, quem diligunt dii. *Id. Phorm.* 5. 6. 14. Nam sine controversia, a dis solus diligeris, o Antipho. — d) Denique ponitur etiam aliquando de brutis animantibus. *Cic.* 2. *Orat.* 40. 167. Feræ partus suos diligunt. Similiter *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 59. (118). de picis. Adamant verba, quæ loquantur: nec discunt tantum, sed diligunt.

II.) Translate ¶ 1. Generatim usurpatur — a) De amore hominum in res inanimas. *Horat.* 1. *Od.* 30. 1. O Venus regina Cnidi Paphique Sperne dilectam Cypron. *Val. Flacc.* 3. 342. galeam dilectaque cingula regi injicit. *Id.* 6. 598. Thessalim felices opes dilectaque Phrixo Rura petens. *Sil. It* 1. 167. Diligere ensem. Similiter *Pallad.* 4. *R. R.* 6. 11. Vitis novella, ut facile incrementum dilecta consequitur; ita interitum celerem, si negligatur, incurrit. *h. e.* culta maximo studio curaque. — b) De amore hominum in abstracta. *Cic. Prov. cons.* 10. 25. Diligere consilia alicujus in republica. *Id. Balb.* 28. 63. alicujus officia observantiamque. *Horat.* 2. *Od.* 10. 6. Auream quisquis mediocritatem diligit, etc. *Sueton. Vesp.* 2. aviæ memoriam. — c) De

inanimis in inanima. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (74). Montes et valles diligit abies, robur, castaneæ. ¶ 2. Speciatim pro curare cum infinito occurrit apud *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 1. Nasci (*pira*) tali solo maxime diligunt, quale vinctis diximus convenire. — *NB.* Pro eligere. *Nepos Att.* 12. Ut potissimum ejus diligeret affinitatem. *Cic.* 2. *de republ.* (edente *A. Maio*) 12. Lycurgus regem non diligendum duxit, sed habendum qualiscumque is foret. *Utrobique tamen pro diligere rectius legas* deligere. — Pro dividere, ut *Non. p.* 290. 5. *Merc.* docet hisce verbis: Diligere manifestam habet significationem, ut plerumque. Diligit, dividit. *Plaut.* in *Curc.* (*a.* 3. *v.* 51.). Clipeatus elephantum ubi machæra diligit. *Titinnius Prælia.* Pernam totam diligit. *At apud* Non. *ubique pro diligere legendum est* dirigere: *V.* DIRIGO I. 2. — Ceterum Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus,

Dilectus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Dilectior* I. et II.; et Sup. *Dilectissimus* I.

I.) Proprie. *Stat.* 8. *Theb.* 99. Augur Apollineis modo dilectissimus aris. *Id.* 2. *Silv.* 4. 32. quo tu, Melior dilecte, recluso Numquam solus eras. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 1. Luce mihi dilectior fili.

II.) Translate. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 74. Laurus luco dilectior omni. — Hinc etiam

Dilectus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, ὁ ἐρώμενος, amasius. *Sueton. Aug.* 98. Unus ex dilectis.

DĪLŎGĬA, æ, f. 1. διλογία, figura, cum ambiguum dictum duas res significat: a δὶς *bis* et λόγος *sermo*. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 2. *Verr.* 9. 26. p. 139. *Bait.*

DĪLŎPHOS, i, m. et f. 2., ut *Forcellinus* effert; at rectius

DĪLŎPHOS, a, on, adject. δίλοφος, duplicem, seu bipartitam cristam habens. *Capell.* 2. *p.* 22. Sed dilofon (*lege* dilophon) alitem, quæ sit oscinum mitior, in certaminis tentamenta (*Mercurius*) pulsabat. *nempe* gallum gallinaceum, qui, quod ejus cantu quisque ad negotia peragenda excitatur, apte Mercurio lucrorum potenti consecratur. V. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 21. et *Albric.* 6.

DĪLŌRĪCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĪLŌRĪCO, as, ātum, are, a. 1. (dis *et* lorica). Part. *Diloricatus.* — Diloricare proprie est loricam ante pectus diducere, et translate vestem aperire, laxare, solvere. *Cic.* 2. *Orat.* 28. 124. Diloricare tunicam, et cicatrices adversas ostendere. *Apul.* 7. *Met.* Diloricatis statim pannulis, in medium profudit duo millia aureorum. et 6. *ibid.* Involat eam, vestemque plurifariam diloricat.

DĪLŌRIS, e, adject. duo lora habens: vox hybrida a Græco δὶς *bis*, et Latino *lorum*. *Tunicæ dilores* sunt virgatis similes, quæ duo lora, seu segmenta lorum referentia intexta habent, quemadmodum *clavatæ*, quæ clavos: *Monolores* eadem dictæ, quæ unum tantum haberent adsutum lorum, a μόνος *solus*: *Trilores* quæ tria: *Pentelores* quæ quinque, a πέντε *quinque*. *Vopisc. Aurel.* 46. Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit, cum ante non nisi rectas purpureas accepissent: et quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, et usque ad pentelores, quales hodie lineæ sunt. *V.* ibi plura disserentem *Salmas.*; et adde *Vopisc. Bonos.* 15.

DĪLŪCĔO, es, ere, n. 2. (dis *et* luceo) idem quod lucere, seu distincte lucere: sed occurrit translate tantum, at est apparere, clare videri. *Liv.* 8. 27. Dilucere fraus cœpit. Adde *eumd.* 25. 29. *Id.* 3. 16. Dilucere res magis patribus atque consulibus. *Id.* 25. 29. *extr.* Dilucere id quod erat, cœpit. *Gell.* 7. 10. Per quod satis dilucet, hanc capionem dici posse. *Id.* 16. 8. *sub fin.* Tum denique et emolumentum ejus in animo tuo dilucebit.

DĪLŪCESCO, lūcescis, luxi, lūcescere, n. 3. *inchoat.* a diluceo, distincte lucere incipio; et fere refertur ad lucem diei.

I.) Proprie. — *a*) Personal. *Lucret.* 5. 175. An, credo, in tenebris vita ac mœrore jacebat, Donec diluxit rerum genitalis origo? *Horat.* 1. *Ep.* 4. 13. Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. (Alii leg. *tibi illuxisse*. V. dicta ad litteram D). *Gell.* 3. 2. Eo die, qui post eam noctem diluxerit. — *b*) Imperson. *dilucescit* est lux incipit, dies oritur. *Cic.* 3. *Cat.* 3. 6. Ad me cum jam dilucesceret, deducuntur. *Liv.* 36. 24. Jam dilucescebat, cum signum consul dedit.

II.) Translate. *Cic.* 12. *Phil.* 2. 5. Discussa est illa caligo, quam paulio ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia.

DĪLŪCĬDĀTĬO, ōnis, f. 3. illustratio. *Cassiod. Complex.* 1. *ad Corinth.* 6. Quando in judicio Dei cuncta sint posita, ubi actus omnium manifesta dilucidatione cognoscitur. *Id. de anim.* 19. *a med.* Ut ad animæ dilucidationem hæc supputatio adhiberetur.

DĪLŪCĬDĒ, adverb. Comp. *Dilucidius* I. et II.; Sup. *Dilucidissime* II. — Dilucide est lucide, clare, perspicue.

I.) Proprie. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 12. (48). Succina flagrant dilucidius diutiusque.

II.) Translate est aperte, plane. *Ter. Phorm.* 2. 3. 52. Dilucide expedire. *Cic.* 2. *Herenn.* 20. 31. Dilucide intelligere. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 14. 41. et *Quintil.* 8. 6. 52. Dilucide perspicere. Rursus *Cic. Vatin.* 15. 37. Lex dilucide vetat. *Id. Orat.* 23. 79. Dilucide planeque dicere. *Id.* 1. *Divinat.* 51. 117. Aliquid explicare dilucide. *Liv.* 37. 47. Dilucide docere. *Cels.* 2. 4. Latius et dilucidius Asclepiades præcepit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (274). Dilucide atque perspicue. *Quintil.* 8. 6. 52. Dilucide judicare. *Gell.* 1. 10. Dilucide fabulari. et 11. 16. demonstrare. *Augustin. ad Hieronym. Ep.* 29. 2. Dilucidissime convincere.

DĪLŪCĬDĬTAS, ātis, f. 3. idem ac dilucidatio. *Boeth. Aristot. Topic.* 1. 14. *p.* 671. Utile ipsum quidem, quod quotupliciter dicitur, considerasse, ad dilucriditatem autem maxime quis sciet, quid ponatur, manifesto facto quotupliciter dicitur. *Id. ibid.* 8. 2. *p.* 725. Ad dilucriditatem autem exempla et similitudines afferendum.

DĪLŪCĬDO, as, āvi, are, a. 1. (dis *et* lucidus). Part. *Dilucidandus.* — Dilucido est illustro: et translate planum facio, declaro. *Cic.* 3. *Herenn.* 4. 8. Rei dilucidandæ causa dolum appellavimus. *Cassiod. Instit. div. litt.* 26. Quod forsitan priores nostri in commentis suis minime dilucidaverunt.

DĪLŪCĬDUM, i, n. *V.* voc. seq. in fin.

DĪLŪCĬDUS, a, um, adject. Comp. *Dilucidior* II. — Dilucidus est lucidus, perspicuus.

I.) Proprie. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (70). Smaragdi in sole dilucidi ac liquidi.

II.) Translate est planus, apertus. *Cic.* 3. *Fin.* 1. 3. Dilucida oratio. *Id. Orat.* 5. 20. Omnia docere et dilucidiora facere. *Id.* 1. *Invent.* 20. 29. Dilucidis verbis uti. *Id.* 2. *Herenn.* 2. 3. Simplex et dilucida expositio. *Quintil.* 8. *proœm.* 26. verba. *Id.* 11. 1. 53. et 5. 14. 33. sermo. *Id.* 9. 2. 44. descriptio. *Id.* 11. 3. 33. pronunciatio. Adde *eumd. ibid.* 7. 3. 2. et 7. 1. 6. *Gell.* 2. 26. Color dilucidior. *Priscian.* 1. *p.* 535. *Putsch.* Tibi ergo hoc opus devoveo, ut te comite, quasi sole, dilucidius crescat. — Hinc

Dilucidum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est idem quod diluculum apud *Boeth. Aristot. Topic.* 7. 4. *p.* 714. Nam primo dilucido facto, et reliqua quodammodo dilucida fiunt. *Mendum tamen esse videtur.*

DĪLŪCŬLAT, ābat, impers. dilucescit. *Gell.* 2. 29. Die crastini, ubi primum diluculabit. *Id.* 7. 1. Priusquam dilucularet.

DĪLŪCŬLO. *V.* voc. seq.

DĪLŪCŬLUM, i, n. 2. (dis *et* lux) prima lux diei, aurora, crepusculum matutinum. — *a*) In sexto casu (nam in aliis rarum est). *Plaut. Amph.* 2. 2. 111. Abs te abii hinc hodie cum diluculo. *Cic. Rosc. Am.* 7. 19. Primo diluculo nuncius Ameriam venit. *Sueton. Vitell.* 15. Primo diluculo. — Duplex est, inquit *Censorin. de die nat.* 24. primum, cum, sole nondum orto, jam lucet: secundum, quod et *mane* vocatur, cum lux videtur solis. Præter *Censorin.* etiam *Macrob.* 1. *Saturn.* 3. *ad fin.* habet *diluculum* in recto casu. — *b*) Absolute in sexto adverbii vicem præstat. *Cic.* 16. *Att.* 13. Cum ante lucem surrexissem, venissemque diluculo ad pontem, etc. — *c*) In plur. num. *Fronto* 1. *ad Antonin. Imp.* 5. (edente iterum *A. Mai*). Tu me ad pristinam illam mensuram luciscentis amoris tui revocas, et jubes matutina dilucula lucere meridie.

DĪLŪDĬUM, ii, n. 2. intermissio et dilatio ludi. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 47. Displicet iste locus, clamo, et diludia posco. Ubi *Acron*: Diludia tempora sunt, quæ gladiatoribus conceduntur, ut intra quinque dies pugnent. Hæc ille, cui si fides est habenda, translate *Horat.* pro quacumque ludorum intermissione posuit.

DĪLUMBĀTUS. *V.* DELUMBATUS.

DĪLŬO, ŭis, ŭi, ūtum, ŭere, a. 3. (dis *et* luo). Part. *Diluens* I. 1. et 2.; *Dilutus* I. 1., 2. et in fin.; *Diluendus* II. 2. — Diluere est idem quod luere, h. e. lavare, eluere, lavando madefacere, lavando auferre, abstergere, purgare (It. *lavare, bagnare, levar via lavando*; Fr. *laver, détremper, dissoudre*; Hisp. *lavar, limpiar con agua, remojar, empapar, embeber, disolver*; Germ. *auseinanderwaschen, spülen, abwaschen, auflösen*; Angl. *to wash, wash off or away, cleanse, purify*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu et generatim. *Cæs.* 3. *B. C.* 10. Supra lateres coria inducuntur, ne canalibus aqua immissa lateres diluere posset. *Virg.* 1. *G.* 325. ruit arduus æther, Et pluvia ingenti sata læta boumque labores Diluit. *Furius Antias* apud *Gell.* 18. 11. Sanguine diluitur tellus. *Curt.* 8. 10. Terra humore diluta considit. *Catull.* 99. 7. multis diluta labella guttis. *h. e.* saliva aspersa. Cf. *Val. Flacc.* 3. 556. artus et pectora sudor Diluerat. *Petron. Satyr.* 136. Diluere vulnus cruris aceto. Cf. *Caton. R. R.* 69. *Scribon. Compos.* 24. Diluere ulcus ovi albore. *Pallad.* 6. *R. R.* 8. 2. Si in mediis terris pascimus, aqua cælestis cum sale paullulum decocta sub dio debebit pecorum tonsa et uncta membra diluere. *Id.* 12. *ibid.* 22. 5. Legis olivas ex arbore nigras et compositas muria diluis. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 42. (91). Qui fucus aqua deprehenditur, diluente facticium colorem. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 62. Cæruleus vix est diluiturque color. *Gell.* 17. 15. Helleboro alvum diluere. ¶ 2. Latiori sensu et speciatim est miscere, temperare; diciturque fere de iis, quæ humore addito solvuntur, liquefiunt et macerantur. *Lucret.* 6. 929. dilutaque contra Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror. Adde *eumd.* 4. 224. *Liv.* 40. 4. *ad fin.* Diluere venenum. *Martial.* 1. 107. Diluti bibis unciam Falerni. *h. e.* aqua mixti. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 15. mella diluta Falerno. *Virg.* 1. *G.* 344. Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho. Rursus *Horat.* 2. *Sat.* 3. 241. aceto Diluit insignem baccam. *Cels.* 5. 20. Diluere medicamentum aceto. Adde *Curt.* 3. 6. 8.; et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 16. 56. (191). *Scribon. Compos.* 247. medicamentum ex aqua. *Colum.* 6. *R. R.* 4. 2. rutam cum mero. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 38. (60). Diluitur circæa in vino. *Id.* 32. *ibid.* 9. 30. (93). Conchæ dilutæ in vini sextariis duobus. *Id.* 30. *ibid.* 14. 48. (124). Fimum murinum aqua pluvia dilutum. *Id.* 25. *ibid.* 12. 91. (143). Diluere aliquid in pastillos. *Id.* 15. *ibid.* 17. 18. (64). Diluentes cretam. *Pers.* 5. 100. Diluere helleborum. *h. e.* potandum præparare.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorā ducta a superiori paragr. 1., diluere est discutere. *Sil. It.* 5. 57. Diluerat nebulas Titan. *h. e.* discusserat. Huc referri potest et illud *Plin.* 31. *Hist. nat.* 4. 29. (52). Mutant saporem (*amnium*) et influentes rivi, victique diluuntur. *h. e.* majore aquarum copia superati, gustum suum amittunt. ¶ 2. Sæpius morali significatione de malis dicitur ac præcipue de criminibus et est refellere, refutare. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Invent.* 42. 78. Reprehensio est, per quam argumentando aliorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut elevatur. *Id. Rosc. Am.* 15. 42. Ego res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum. *Quintil.* 9. 2. 80. Confirmare id ipsa defensione, quod diluendum est. *Gell.* 12. 12. Cicero id, quod infitiari non poterat, urbano facetoque dicto diluit. *Id.* 2. 7. Refutare ac diluere aliquid. *Id.* 18. 13. Diluere ac refellere sophisma. — *b*) Speciatim *diluere crimen* est purgare, refellere, criminibus respondendo et accusationes refutando. *Cic. Mil.* 27. 72. Si nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen etc. *Id. Cæl.* 15. 35. Quæ (*crimina*) tu aut diluas oportet et falsa esse doceas. *Id.* 6. *Verr.* 20. 43. Dilue sane crimen hoc Calidianum, dum ego tabulas adspicere possim. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 30. 77. et *Brut.* 80. 278. *Liv.* 4. 14. Serviliusque causam dicendam esse proponeret, crimenque, a Minucio delatum ad senatum, diluendum. Adde *eumd.* 45. 10. *Curt.* 3. 6. 11. Crimen parricidii, quod mihi objectum est, tua salus diluet. Adde *eumd.* 7. 1. 31. et 7. 2. 12. *Plin.* 2. *Ep.* 11. Commune crimen ab utroque defendi, et, si dilui non posset, in utroque punire. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 9. 32.; et *Quintil.* 9.

2. 53. Similiter Quintil. 4. 2. 26. Causæ crimine faciles ad diluendum. Id. ibid. et 9. 2. 93. Objecta diluere. Et Ovid. 2. Amor. 2. 37. Tu contra objiciens, quæ tuto diluat illa, In verum falso crimine deme fidem. Id. Remed. am. 695. Nec peccata refer, ne diluat: ipse favebis, Ut melior causa causa sit illa tua. Ceterum Drakenborg. ad Liv. loc. cit. 4. 14. multis disserit, utrum hoc sensu deluere, an diluere scribendum sit. — c) Item et de abstractis dicitur pro minuere, auferre, abstergere. Cic. 3. Tusc. 16. 31. Quæ cogitatio molestias omnes extenuat et diluit. Propert. 3. 15. 6. Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo. Ovid. 1. Art. am. 238. Cura fugit, multo diluiturque mero. Id. Heroid. 19. 14. Diluitur posito serior hora mero. h. e. tædium more abstergetur. Sueton. Vesp. 23. Diluere invidiam aliqua cavillatione. Seneca Ep. 29. auctoritatem. h. e. minuere. Quintil. 11. 1. 52. vires affectuum. h. e. infirmare, extenuare. Val. Max. 9. 2. 1. memoriam. h. e. delere. Spartian. Carac. 8. facinus. Et Claudian. 2. in Eutrop. 22. quis vos lustrare valebit Oceanus? tantum crimen quæ diluet ætas? Similiter Gell. 20. 1. post med. Injurias ære pauco diluere. h. e. solvere, satisfacere. Forcellinus hunc locum singulari paragr. distinxit. ¶ 3. Item pro dissolvere, hoc est declarare, explicare. Plaut. Rud. 4. 4. 64. Abstine maledictis, et mihi, quod rogavi, dilue. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus,

Dilutus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. Dilutior I. et II.; et Sup. Dilutissimus I.

I.) Proprie, et quidem speciatim (V. DILUO I. 2.) dilutus est mixtus, temperatus. Cels. 1. 3. Aqua, vel certe diluta potione esse contentus. (cui potio meraca opponitur ibid. paullo post). Id. ibid. ad fin. Vinum dilutius pueris, senibus meracius. et mox. Potio quam dilutissima. V. et Dilutum, i, infra. — Sic pro liquido. Plin. 31. Hist. nat. 8. 44. (95). Garum ad colorem mulsi veteris, adeoque dilutam suavitatem, ut bibi possit. — Similiter dilutus color dicitur, qui velut aqua adhibita, minus intensus est. Plin. 22. Hist. nat. 22. 46. (92). Rubor dilutus. Id. 37. ibid. 9. 41. (125). Fulgor dilutus in hyacintho. Id. ibid. 9. 40. (122). Amethystus dilutior. Pers. 4. 14. Dilutas queritur geminet quod fistula guttas. Cels. 2. 6. Urina diluta. — Similiter odor dilutus est tenuis, lævis, remissus: cui opponitur acutus, gravis. Plin. 15. Hist. nat. 28. 33. (110). Malis odor est acutus, persicis dilutus.

II.) Translate. ¶ 1. Dilutum de homine, qui vino madet, dixit Auson. Epist. præfixa Gripho (quod est Edyll. 11.). Sed tu quoque hoc ipsum paullo hilarior et dilutior lege: namque injurium est, de poeta male sobrio lectorem abstemium judicare. ¶ 2. Metaphorá sumptá a coloribus (V. Dilutus sub 1.), ponitur pro claro, evidente. Ammian. 20. 3. Et si contigua iisdem juncturis præstrinxerint spatia, dilutior erit (solis) defectus. ¶ 3. Denique pro remisso, levi, parum austeritatis habente dixit Gell. 20. 1. Nonne tibi quoque videtur nimis esse dilutum, quod ita de injuria punienda scriptum est? — NB. Translata non dilutus homo, apud Senec. 1. Benef. 13., est non imminutus, non obsolefactus vulgando. Al. tamen rectius leg. delutum sine partic. non. — Hinc etiam

Dilutum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est liquidum illud, in quo aliquid dilutum et maceratum fuit. Plin. 27. Hist. nat. 7. 28. (46). Bibitur et madefacti absinthii dilutum. — Et generatim pro liquido Cels. 2. 29. Alvum movent tepida, dulcia, pingula, elixa, juruleata, salsa, diluta.

DĪLŪTĒ, adverb. diluendo, lavando. Macrob. 7. Saturn. 13. Sordidatum pallium in mari dilute lavi. Plerique alii, et quidem rectius leg. dilutule. — Comp. Dilutius certa lectione habet Cic. fragm. apud Ammian. 15. 12. 4. Gallos post hæc dilutius esse poturos. h. e. minus acriter; sive, ut alii putant, vinum aqua miscendo. Porro si vinum subaudias, dilutius erit adjectivum: V. Dilutus sub 1. in fine v. DILUO.

DĪLŪTUS, a, um. V. DILUO.

DĪLŪVIĀLIS, e, adject. ad diluvium pertinens. Solin. 9. Quas solas (montium altitudines) diluvialis irruptio inaccessas reliquit. Capell. 8. p. 274. Post diluvialis consternationis concursum.

DĪLŪVĬES, ēi, f. 5. Idem quod diluvium, inundatio. Horat. 4. Od. 14. 27. Aufidus horrendam cultis Diluviem minitatur agris. Adde eumd. 3. ibid. 26. 40.; Lucret. 6. 291.; et Plin. 9. Hist. nat. 4. 3. (8).

DĪLŪVĬO, as, are, a. 1. diluvie, seu aquarum inundatione obruere. Lucret. 5. 387. Tantum suppeditant omnes, ultroque minantur Omnia diluviare ex alto gurgite ponti.

DĪLŪVĬO, ōnis, f. 3. diluvium. Censorin. de die nat. 18. a med. Κατακλυσμὸς, quam nostri diluvionem vocant. Adde Tertull. Anim. 46.

DĪLŪVĬUM, ii, n. 2. inundatio aquarum ab immodicis imbribus, marisque, aut fluviorum incrementis terras operiens: a diluo, lavo.

I.) Proprie. Virg. 12. Æn. 205. si tellurem effundat in undas Diluvium miscens, cælumve in tartara solvat. Seneca 3. Quæst. nat. 39. Ut conflagrationi et diluvio tempus assignet. Plin. 8. Ep. 17. Hic assidue tempestates et crebra diluvia. Juvenal. 6. 411. Diluvio magna arva teneri. Adde Flor. 4. 2. 3. Mamertin. Paneg. ad Maximian. 7. Diluvia Rheni. — Diluvii universalis descriptionem habes apud Ovid. 1. Met. a vers. 262. et Senecam 3. Quæst. nat. 27. et 29. Ejusdem mentio fit his verbis apud Tertull. Pall. 2. Mutavit et totus orbis aliquando aquis omnibus obsitus: adhuc maris conchæ et buccinæ peregrinantur in montibus, cupientes Platoni probare etiam ardua fluitasse.

II.) Translate. Virg. 7. Æn. 228. Diluvio ex illo diversa per æquora vecti. h. e. vastitate et excidio Trojæ. Flor. 4. 2. Cæsaris furor atque Pompeji Urbem, Italiam, gentes, quodam quasi diluvio et inflammatione corripuit. Val. Flacc. 6. 394. Diluvio tali, paribusque Ariasmenus urget Excidiis. h. e. numero atque impetu copiarum suarum et curruum falcatorum. Pacat. Paneg. Theod. 3. 3. Barbaris nationibus Romano nomini velut diluvio quodam superfusis.

DĪMĂCHÆ, ārum, m. plur. 1. διμάχαι, οἱ, genus equitum apud Macedonas, qui gravi armatura instructi, cum opus erat, etiam pedites pugnabant, ut qui apud nos dragoni appellantur: a δὶς bis, et μάχη pugna, quasi duplicem pugnam ineuntes. Curt. 5. 13. 8. V. Salmas. ad Vopisc. Car. 19. et cf. Val. Flacc. 6. 160. et seqq.

DĪMĂCHÆRUS, i, m. 2. διμάχαιρος, gladiator, qui duobis ensibus in pugna utitur. V. Lipsium Saturn. l. 2. c. 12. Inscript. apud Murat. 613. 3., quæ est apud Orell. 2581. D. M. ET MEMORIAE AETERNAE HYLATIS DYMACHERO (lege dimachæro), SIVE ASSIDARIO (lege essedario) PVGNARVM VII. Vide vocem præced., et RUDIS.

DĪMĂDĔO, es, a. 2. vel rectius

DĪMĂDESCO, madescis, madui, mădescere, n. 3. idem quod madesco, aut valde madesco. Lucan. 6. 478. Solibus et nullis Scythicæ, cum bruma rigeret, Dimaduere nives h. e. solutæ sunt et diffluxere.

DĪMĀNO, as, are, n. 1. (dis et mano) diverse, sive diversim mano, diffundor. Catull. 51. 8. tenuis sub artus flamma dimanat. h. e. ignis amoris permanat.

DĪMENSĬO, ōnis, f. 3. actus dimetiendi, mensura.

I.) Proprie. Cic. 1. Tusc. 24. 57. Dimensio quadrati.

II.) Improprie. Quintil. 9. 4. 46. Dimensio vocum. Id. 48. 52. 85. versuum.

DĪMENSTRŬUS vel dismenstruus, a, um, adject. bimenstruus. Occurrit, si sana est lectio, in Cod. Theod. 11. 5. 3. Per dismenstruum tempus.

DIMENSUS, a, um. V. DIMETIOR.

DĪMERSUS, a, um, particip. ab inusit. dimergo, demersus. Tertull. Cult. fem. 13. Extare inter dimersos. Rectius tamen leges demersos.

DĪMĔTER vel dimetrus, tra, trum, adject., qui duo diversa significat, scilicet

A) Aut est Græca vox δίμετρος (V. BIMETER) et est duo habens metra. Sidon. 9. Ep. 13. in carm. Opus editum tenemus, Dimetra quod arte texens, etc. Diomed. 3. p. 506. Putsch. Dimeter versus. — Scribitur et dimetrus in nominat. Terentian. de metr. p. 2437. Putsch. Nec non dimetrus ex trimetro redditur.

B) Aut est vox hybrida, ex particula dis, quæ divisionem seu dimidium significat, et metrum; hoc est dimidium versus, sive hemistichium. Mar. Victorin. 1. p. 2498. Putsch. His quidam adjungunt stichum, id est versum, sub hujusmodi differentia, ut sit versus qui excedit dimetrum, unde et hemistichium: colon autem et comma intra dimetrum.

DĪMĒTĬENS vel demetiens. V. voc. seq. in fin.

DĪMĒTĬOR, mētiris, mensus sum, mētiri, dep. 4. (dis et metior). Part. Dimetiens in fin.; Dimensus sub b., c. et in fin. — Dimetior est metior, mensuram capio, adeoque metiendo dispono (It. misurare, misurando distribuire; Fr. mesurer; Hisp. medir; Germ. etwas messen nach der Entfernung seiner Theile, ausmessen; Angl. to measure). Usurpatur — a) Active. Cic. Senect. 14. 49. Studium dimetiendi cæli atque terræ. Id. ibid. 17. 59. Mirari solertiam ejus, a quo essent illa dimensa atque descripta; et ei Cyrum respondisse: atqui ego omnia ista sum dimensus, etc. Id. Orat. 43. 147. Dimetiri et dinumerare syllabas. Virg. 12. Æn. 116. Campum ad certamen Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant. Quintil. 12. 11. 10. Dimetiri mundum. Adde eumd. 9. 4. 112. Sueton. Cal. 21. Ad dimetiendum opus. Id. Ner. 49. Dimensus ad corporis sui modulum. — b) Passive. Cic. Senect. 17. 59. A quo essent illa dimensa. V. integrum locum superius sub a. Virg. 1. G. 231. certis dimensus partibus orbis Per duodena regit mundi sol aureus astra. Cæs. 4. B. G. 17. Tigna dimensa ad altitudinem fluminis. Plin. 4. Ep. 30. 2. Dimensis momentis. Vitruv. 3. 3. Columnæ altitudo dimetiatur in partes duodecim. Adde eumd. 5. 9.; et Quintil. 8. procem. 27. et 9. 4. 27. — c) Part. præter. pass., cujus exempla superius attulimus sub b,

Dimensus, a, um, occurrit etiam apud Virg. 2. G. 284. Omnia sint paribus numeris dimensa viarum. Adde Cæs. 2. B. G. 19. — Hinc

Dimensum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. Spartian. Hadrian. 7. sub fin. Senatoribus plerisque in diem vitæ suæ dimensum sine ditatione præstitit. Adde Pacat. Paneg. Theod. 13.; et V. Demensum, i, in fin. v. DEMETIOR.

Dimetiens vel demetiens, entis, 3. subaudi linea, absolute, substantivorum more, est diametros medium circulum recta secans. Plin. 2. Hist. nat. 23. 21. (86). et (87).

DĪMĒTĪTUS. V. DEMETITUS.

DĪMĒTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. metas, seu fines describo, dimetior. Cic. 2. Nat. D. 43. 110. Atque ita dimetata signa sunt, ut in tantis descriptionibus divina solertia appareat. Al. leg. demetata, alii demetita. Id. ibid. 62. 155. Siderum cursus dimetati. Hic quoque eadem est lectionis varietas. Liv. 8. 38. Tum dictator postquam sine magno incommodo progredi non potest, cum ipsum, in quo constiterat, locum castris dimetari jussit.

DĪMĒTRĬA, æ, f. 1. carmen ex iambis dimetris compositum. Auson. Epist. 16. 101. Volucripes dimetria. V. TRIMETRIUS.

DĪMĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus dimicandi, prælium, pugna, certamen; adeoque discrimen, periculum, quod prælio subitur (It. battaglia, combattimento, pericolo nel combattere; Fr. combat, bataille; Hisp. combate, batalla; Germ. der Kampf, bes. der heftige; Angl. a fight, skirmish, struggle).

I.) Proprie. — a) Sine addito; et quidem — in singulari numero. Cæs. 3. B. C. 111. Longe maximam ea res attulit dimicationem. Auct. B. G. 8. 18. Nullam dimicationem recusare. Id. ibid. 11. Oppugnare castra dimicatione perniciosa. Auct. B. Alex. 25. Dimicatio maritima. Liv. 2. 13. Subeunda dimicatio toties, quot conjurati superessent. Sueton. Aug. 17. In serum dimicatione protracta. Id. ibid. 10. In media dimicatione. Adde Liv. 25. 6., 31. 35. et 22. 32.; Curt. 9. 1. 1.; Sueton. Domit. 6. et Frontin. 2. Strateg. 2. 9. — In plur. numero. Cæs. 7. B. G. 86. Omnium superiorum dimicationum fructum in eo die doret consistere. Adde Auct. B. Alex. 11. 3.; et Frontin. 1. Strateg. 11. 12. — b) Cum Genitivo. Cic. 1. ad Q. fr. 1. 1. § 5. Nullas insidias hostium, nullam prælii dimicationem pertimescimus. Liv. 1. 38. Dimicatio universæ rei. Plin. 36. Hist. nat. 5. 4. (18). Dimicationem deorum et gigantum cælavit Phidias.

II.) Translate dicitur de quacumque contentione et discrimine. — a) Sine addito. Cic. 2. Fam. 6. 5. Quanto opere mihi esset in hac petitione Milonis omni non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum. Id. Orat. 13. 42. Jam in aciem dimicationemque veniamus. Quintil. 5. 7. 3. Ingens dimicatio est. Adde eumd. 6. 4. 4. et 8. 3. 13.; et Liv. 10. 21. — b) Cum Genitivo. Cic. Sull. 28. 77. In extremo discrimine ac dimicatione fortunæ

deserere aliquem. *Id. Planc.* 32. 77. Nullas sibi ille neque contentiones, neque inimicitias, neque vitæ dimicationes pro me defugiendas putavit. *Id. Rabir. perduell.* 2. 5. In tanta dimicatione capitis, famæ fortunarumque omnium. *Id. Prov. cons.* 9. 23. Subvenire impendentibus periculis cum dimicatione capitis.

DĪMĬCO, micas, micāvi *vel* micui, micātum, micare, n. 1. (dis *et* mico). Præter. *dimicavi* est *Nepotis, Cæsaris, Vellejs,* etc.; alterum *dimicui* habet *Ovid.* 2. *Amor.* 13. 28. Hac tibi sit pugna dimicuisse satis. — Part. *Dimicans* II.; *Dimicaturus* I. — Dimicare est præliari, pugnare, certare, contendere: a *dis* et *mico*, quia sicut micando digitis controversiæ dirimi solent, ita micando fulgentibus gladiis; qua ratione *cernere ferro* dixit *Virg.* V. CERNO (It. *combattere, far battaglia*; Fr. *combattre, lutter, se battre*; Hisp. *combatir, pelear*; Germ. *mit geschwungenen, leuchtenden Waffen kämpfen, streiten*; Angl. *to fight, skirmish, encounter, contend, struggle*).

I.) Proprie. — 1°.) Generatim de prælio inter duos populos vel inter duas partes. — *a*) Cum additis *armis, acie,* etc. *Cæs.* 1. *B. C.* 20. Tantaque inter eos dissensio exstitit, ut manum conserere atque armis dimicare conarentur. *Nepos Miltiad.* 1. Dimicare armis cum aliquo. *Liv.* 2. 49. *ad fin.* acie cum hoste. *Cæs.* 7. *B. G.* 64. in acie. *Id.* 5. *ibid.* 16. et 7. *ibid.* 6. et 3. *B. C.* 43. prælio. Sic *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 6. Quum Postumius dictator cum Mamillo Tusculano prælio dimicaret. *Auct. B. Alex.* 28. Dimicare navibus in flumine. *Nepos Eumen.* 3. equitatu. *Id. Miltiad.* 4. exiguis copiis. — *b*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. G.* 24. Se tuto dimicaturos existimabant. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 17., 6. *ibid.* 7. et 5. *ibid.* 49. *Sueton. Cæs.* 60. Nec nisi tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus est. *Nepos Miltiad.* 4. et *Reg.* 3.; et *Justin.* 6. 1. 2. Dimicare adversus aliquem. *Curt.* 7. 4. *ad fin.* viritim. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. magno cum periculo. *Auct. B. Alex.* 48. magno periculo. *Auct. B. G.* 8. 29. cum summa contentione. *Cæs.* 5. *B. G.* 57. Iniquo loco. *Curt.* 4. 4. 11. ex turre. Cf. *eumd.* 7. 6. 3. — Et addita causa. *Cic.* 4. *Tusc.* 19. 43. Convenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. *Curt.* 4. 3. 19. et 4. 7. 33. pro imperio. *Nepos Hann.* 8. de summa imperii. *Curt.* 4. 14. 1. de victoria. *Vellej.* 2. 85. in ruinam urbis terrarum. — Latiori sensu est bellum facere. *Nepos Agesil.* 2. Satius esse in Asia, quam in Europa dimicare. *Flor.* 2. 17. In Hispania prope ducentos per annos dimicatum est. — *c*) Cum Accusativo. *Colum.* 9. *R. R.* 9. 7. *de apibus.* Sin autem aciem dimicantes notaveris, duces seditionum interficere curabis. *Schneider.* tamen et alii leg. *acie.* — *d*) Passive impersonaliter. — Cum additis. *Cæs.* 3. *B. C.* 63. Duplicem eo loco fecerat vallum, ut si ancipiti prælio dimicaretur, posset resisti. *Id.* 1. *ibid.* 41. Cæsar, ubi cognovit per Afranium stare, quo minus prælio dimicaretur etc. *Justin.* 2. 7. 7. Dimicari armis prope usque interitum. — Absolute. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. Toto hoc in genere pugnæ quum sub oculis omnium ac pro castris dimicaretur. Adde *eumd.* 3. *C.* 85. *Cic.* 1. *Off.* 12. 38. Cum Latinis de imperio dimicabatur. *Nepos Themist.* 3. In terra dimicari magis placebat. Adde *eumd. Eumen.* 10. *Vellej.* 2. 85. 4. Desperata victoria dimicabatur in mortem, *h. e.* ut morerentur quidem, at non inulti. Adde *Curt.* 4. 14. 1. et 5. 3. 8.; et *Sueton. Domit.* 6. — *e*) Cum Nominativo rei. *Plin.* 7. *Hist. nat. proœm.* (5). Leonum feritas inter se non dimicat, serpentium morsus non petit serpentes. — 2.° Speciatim de gladiatorum pugnis. *Sueton. Cæs.* 26. Gladiatores notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos reservandosque mandabat. Adde *eumd. ibid.* 39., *Cal.* 27. et 30. et *Claud.* 21.

II.) Translate. — 1.°) Generatim — *a*) Ponitur pro contendere. *Liv.* 6. 40. *a med.* Inter dimicantes competitores. *Cic.* 2. *Fin.* 17. 56. Sic vester sapiens magno aliquo emolumento commotus, cum animi causa, si opus fuerit, dimicabit. *Alii, ut Orell., leg.* animi causa. — *b*) Sæpius de periculo ponitur, et est discrimen subire. *Nepos Timoth.* 4. Dimicare de fama, *h. e.* judicio contendere pro fama servanda. *Cic. Arch.* 10. 23. et 11. 29. de vita, gloriæ causa. *Id.* 1. *Off.* 24. 83. de vita. Cf. *Liv.* 21. 26. Rursus *Cic. Sext.* 1. 1. de capite, de fama, de civitate. *Pompejus ad Domit.* apud *Cic.* 8. *Att.* 13. D. Neque eorum militum voluntati satis confido, ut de omnibus fortunis reipublicæ dimicem. *Liv.* 6. 40. De repulsa dimicare, h. e. repulsæ discrimen subire. *Id.* 2. 12. *a med.* In hoc discrimen accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 22. 72. Quos ut incolumes tueri possimus, omni ratione erit dimicandum. — 2.°) Speciatim metaphorâ a gladiatoribus sumptâ *Tertull. Pudic.* 6. Ad hanc jam lineam dimicabit nostra congressio. Adde *eumd.* 1. *advers. Marcion.* 7.

DĪMĬDĬĀTIM, adverb. pro media parte. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 167. Sed procellunt se, et procumbunt in mensam, dimidiatim dum appetant. Ita legit *Turnebus l.* 7. *Adversar. c.* 6., sed communius ac rectius legitur *dimidiati.*

DĪMĬDĬĀTĬO, ōnis, f. 3. divisio in duas partes æquales. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 21. Dimidiatio salutis.

DĪMĬDĬĀTUS, a, um. *V.* DIMIDIO.

DĪMĬDĬĔTAS, atis, f. 3. dimidium. *Pompejus Comm. art. Donat.* 1. n. 8. p. 63. Sescupla est, quotiens altera pars alteram non duplo vincit, sed dimidietate dupli. Adde *Sergium* in *Donat.* in *Anal. gramm.* p. 412. *Eikenf.* Sic *Boeth. Aristot. Analyt. pr.* 1. 26. p. 489. Erunt autem et conclusiones dimidietas propositionum. *Id. Music.* 3. 1. p. 1117. Sed (*arbitrabatur*), sicut semitonia dicuntur, ita esse dimidietates tonorum.

DĪMĬDĬO, as, ātum, are, a. 1. (*dimidium*) medium divido, in duas æquas partes divido. — *a*) Apud optimos Scriptores occurrit tantum Part. præter. pass. *Dimidiatus*; de quo ad rem *Varro* apud *Gell.* 3. 14. D i m i d i a t u m nisi ipsum, quod divisum est, dici haud convenit; d i m i d i u m — quæ ex dimidiato pars altera est. *Cato* apud *Gell. l. c.* Homines defoderunt in terram dimidiatos. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 167. Hospites procellunt se, et procumbunt dimidiati, dum appetant, *h. e.* convivæ inhiantes toto corpore in epulas mensæ appositas procumbunt. *V.* DIMIDIATIM. *Cato* apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 75. (194). Luna dimidiata. *Ennius* apud *Gell. l. c.* Porcus dimidiatus. *Plaut. Men.* 1. 2. 45. dies. *Cic.* 4. *Verr.* 52. 129. Eximunt ex anno unum dimidiatumque mensem. *Id.* 5. *Tusc.* 23. 66. Versiculi dimidiati. *Sueton. Tib.* 34. aprum. *Cæs.* apud *Sueton. Ter.* 4. O dimidiate Menander, *h. e.* ipse *Terentius*: quia dimidia parte, h. e. puritate et suavitate sermonis Menandrum æquasse creditus est; altera dimidia, h. e. vi comica inferior est habitus. *Capitolin. Pertin.* 12. Dimidiatæ lactucæ. — *b*) Ceterum occurrit *dimidias* apud *Tertull. Car. Christ.* 5. Quid dimidias mendacio Christum? totus veritas fuit. Et *dimidiet* apud *Vet. Poetam* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 595. *Burmann.* Zeleris nimium cur mea, Marcie, Tamquam si pereas, limina, nescio, Quum sis proximior una velut domu, Et nostros paries dimidiet lares.

H o m o n y m. *Dimidiatum*, et *dimidium* hoc differunt, quod illud dicitur de re in duas partes divisa: hoc de parte altera rei ipsius bifariam divisæ. *Varro loc. cit.* D i m i d i a t u m ergo nisi ipsum quod divisum est, dici haud convenit: d i m i d i u m vero est, non quod ipsum dimidiatum est, sed quæ ex dimidiato pars altera est. Cum igitur partem libri dimidiam legisse volumus dicere, aut partem dimidiam fabulæ audisse, si *dimidiam fabulam*, aut *dimidium librum* dicimus, peccamus. Totum enim ipsum quod dimidiatum atque divisum est, *dimidium* dicis. Hæc et alia multa in eamdem sententiam ex *Varrone* docet *Gell. loc. cit.* Sunt tamen contra hæc exempla non una. *V.* DIMIDIUS.

DĪMĬDĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

DĪMĬDĬUS, a, um, adject. (dis *et* medius) per medium divisus, medius, dimidiatus (It. *dimezzato, mezzo*; Fr. *demi*; Hisp. *medio*; Germ. *in der Mitte getheilt, halb*; Angl. *halved, diveded into two equal parts, half*). Dimidius — *a*) Fere ab optimis auctoribus cum *pars* conjungitur. *Plaut. Curc.* 3. 77. Dimidiam partem nationum usque omnium subegit solus intra viginti dies. Adde *eumd. Rud.* 4. 4. 76. *Lucret.* 1. 614. Quippe ubi dimidiæ partis pars semper habebit Dimidiam partem, nec res prefiniet ulla. Adde *eumd.* 5. 740. *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 103. Luna est major, quam dimidia pars terræ. *Id.* 13. *Fam.* 29. 4. Testamento heres ex parte dimidia et tertia est Capito. *Cæs.* 3. *B. C.* 101. Dimidiæ parti classis præerat Sulpicius, dimidiæ Pomponius. Adde *eumd.* 6. *B. G.* 31. *Curt.* 8. 8. 10. Veni enim in Asiam, non ut funditus everterem gentes, nec ut dimidiam partem terrarum solitudinem facerem. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 43. At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo, Dimidia certe parte superstes ero. Adde *Sall. Jug.* 64.; et *Sueton. Cæs.* 42., *Aug.* 101. et *Tib.* 23. — *b*) Quomodo *dimidius* a *dimidiatus* differat, in voce DIMIDIO ad fin. dictum est. Illud tamen discrimen non ab omnibus est observatum scriptoribus, iis præsertim, qui post auream ætatem fuere. *Dimidiatus* enim in locis mox citandis dicendum fuit ex sententia *Varronis*, vel *dimidium* cum Genitivo, *dimidium clepsydræ, dimidium formæ*, etc. *Nepos Eumen.* 9. Dimidium spatium. *Manil.* 3. 303. annus. *Juvenal.* 8. 4. Dimidios Curios. *Id.* 13. 95. crus. *Id.* 15. 5. Memnone. *Id.* 14. 132. siluro. *Plin.* 6. *Ep.* 2. clepsydræ. Alter *Plin.* 2. *Hist. nat.* 50. 60. (150). Dimidia circuli forma. *Martial.* 2. 37. mullus. — *c*) *Dimidio labro basia dare* apud *Martial.* 2. 10. et 22. est summis tantum labris basiare; Itali dicunt *a fior di labbro.* — *d*) *Dimidius*, quum de statuis sermo est, effigiem indicat hominis umbilico tenus, quam Itali *busto* vocant. *Martial.* 11. 19. Vix est dimidio locus Priapo. Huc etiam pertinet jocus *Ciceronis*, qui, teste *Macrob.* 2. *Saturn.* 3., quum vidisset clipeatam imaginem Quinti fratris ingentibus lineamentis usque pectus ex more pictam, (erat enim Quintus ipse staturæ parvæ) ait: Frater meus dimidius major est quam totus. — *e*) De natis ex promiscuis plebis patrumque connubiis, *Liv.* 4. 2. Ut, qui natus sit, ignoret, cujus sanguinis, quorum sacrorum sit; dimidius patrum sit, dimidius plebis, ne secum quidem ipse concors. — Hinc

Dimidia, iæ, f. 1. subaudi *pars*, absolute, substantivorum more, occurrit tantum apud *Plin.* 26. *Hist. nat.* 12. 73. (120). Verbenaca decocta in aqua ad dimidias, *h. e.* usque ad dimidium. — Sæpius

Dimidium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more usurpatur, et est pars altera alicujus rei in duas æquales divisæ (It. *la metà*; Fr. *la moitié*; Hisp. *la mitad*; Germ. *die Hälfte*; Angl. *the half*). Occurrit — *a*) Cum addito Genitivo rei. *Lucilius* apud *Gell.* 3. 14. Dimidium horæ. *Plaut. Amph.* 5. 1. 73. boni. *Id. Aulul.* 2. 4. 12. obsonii. *Id. Bacch.* 5. 2. 67. auri. *Cato R. R.* 108. acetabuli. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 4. pecuniæ. *Id.* 2. *Orat.* 86. 352. Se dimidium ejus, quod pactus esset, pro eo carmine daturum. *Liv.* 35. 1. Vix dimidium militum, quam quod acceperat, successori tradidit. *Horat.* 1. *Od.* 3. 8. Et serves animæ dimidium meæ. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 72. (150). Cicer nigrum cum gallæ dimidio tritum. — *b*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 85. CH. Eo ego nescio quantum attulerit; verum haud permultum attulit. NI. Etiam dimidium censes? CH. Non edepol scio. *Id. Pers.* 1. 2. 17. Sed legirupam qui damnet, det in publicum dimidium. Cf. *eumd. Pseud.* 4. 7. 68. Dare alicui dimidium de præda. Sic *Quintil.* 5. 10. 105. Dimidium ex eo, quod debebant. — *c*) Sæpissime occurrit Ablat. *dimidio* cum Comparativo. *Plaut. Asin.* 2. 4. 35. SA. Dromo mercedem retulit? LI. Dimidio minus opinor. *Cic. Dom.* 44. 115. Emit domum prope dimidio carius, quam æstimabat. *Id.* 13. *Att.* 29. Dimidio minoris constabit. *Id.* 9. *ibid.* 9. Recte non credis de numero militum: ipso dimidio plus scripsit Clodia. *Id. Flacc.* 20. 46. Habebat rhetor iste discipulos, quos dimidio redderet stultiores, quam acceperat. Adde *eumd.* 5. *Verr.* 33. 77. *Cæs.* 5. *B. G.* 13. Hibernia dimidio minor, quam Britannia. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 318. Dimidio major. *Curt.* 4. 9. 3. Dimidio major exercitus. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 16. Dimidio maturius. *Juvenal.* 14. 200. pares quod vendere possis Pluris dimidio. — Et sine Compar. *Quintil.* 1. 10. 42. Jugeri mensuram ducentos et quadraginta longitudinis pedes esse, dimidioque in latitudinem patere. — *d*) Γνώμη est illud *Plaut. Pseud.* 1. 5. 37. Bonus animus in mala re dimidium est mali. — Proverb. est illud *Horat.* 1. *Ep.* 2. 40. Dimidium facti, qui cœpit, habet. *Itali dicunt*: chi ben comincia è alla metà dell' opre. Sic *Auson. Epigr.* 81. Dimidium facti est cœpisse. *Forcellinus* affert etiam proverb. Græcum, quo mediocritas laudatur: πλέον ἥμισυ παντός, *h. e.* dimidium plus toto.

DĪMĬNŌRO, as, etc. *V.* DEMINORO.

DĪMĬNUO, minŭis, minŭere, a. 3. (dis et minuo) in varias partes minuere, comminuere, h. e. frange-

re, secare. *Lucret.* 1. 607. Unde neque avelli quidquam, neque diminui jam Concedit natura reservans semina rebus. *Plaut. Men.* 2. 2. 30. Illi homini diminuam caput. *h. e.* in frusta concidam. Adde *eumd. Most.* 1. 3. 109.; et *Ter. Eun.* 4. 7. 33. Eodem sensu *Ter. Adelph.* 4. 2. 32. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum. — Ceterum *V.* DEMINUO.

DĪMĬNŪTĬO, ōnis, f. 3. pro *deminutio* legitur tantum apud *Hygin. fab.* 30. ed. *A. Mai.* in *Auct. Class. T.* 3. *p.* 13. Ceterum *V.* DEMINUTIO.

DĪMĬNŪTĪVĒ. *V.* DEMINUTIVE.

DĪMĬNŪTĪVUS, a, um. *V.* DEMINUTIVUS.

DĪMĬNŪTUS, a, um. *V.* DEMINUTUS in DEMINUO.

DĪMISSĬO, ōnis, f. 3. actus dimittendi. ¶ 1. Generatim est actus aliquem huc illuc mittendi. *Cic.* 6. *Parad.* 2. 46. Dimissiones libertorum ad fenerandas diripiendasque provincias. — *Dimissio sanguinis*, h. e. detractio, legitur apud *Gell.* 10. 8. *in lemmate.* ¶ 2. Speciatim est actus, quo abeundi copia datur. *Cic.* 7. *Verr.* 33. 86. Propter dimissionem propugnatorum atque remigum.

DĪMISSOR, ōris, m. 3. qui dimittit; et translate qui veniam dat. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 10. *sub init.* Dimissorem peccatorum Christum recognosce. Adde *Augustin. serm.* 23. et *Hom.* 50. 4.

DĪMISSŌRĬÆ litteræ, inquit *Modestin. Dig.* 50. 16. 106., sunt, quæ vulgo *apostoli* dicuntur, quod per eas causa ad eum, qui appellatus est, dimittitur. Adde *Dig.* 49. 6. 1.; et *V.* APOSTOLUS.

DĪMISSUS, a, um. *V.* DIMITTO.

DĪMISSUS, us, m. 4. dimissio: quod apud Latinos in usu fuerit, ostendunt illa *Charisii* verba 2. p. 170. *Putsch.* Inter adverbia, quidam hæc posuerunt, quæ etiam apud veteres observata sunt, *translatui, dimissui, receptui, ostentui*, etc. Hinc *Madvig.* hanc vocem legit in *Cic. Rosc. Am.* 5. 11. Omnes hanc quæstionem te prætore e manifestis maleficiis cotidianoque sanguine dimissui sperant futuram. *Orell. leg.* remissiori; *alii aliter.*

DĪMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (dis et mitto). Part. *Dimittens* II. 3.; *Dimissus* I. 1. et in omnibus fere paragr.; *Dimissurus* I. 1.; *Dimittendus* II. 2. — Dimittere est in diversas partes mittere (It. *mandare in diverse parti, spedire*; Fr. *envoyer de divers côtes, envoyer dans tous les sens, dépêcher*; Hisp. *enviar en todas partes, por todas partes*; Germ. *auseinanderschicken, fortschicken, nach verschiedenen Seiten hin, wegschicken*; Angl. *to send different ways, send off or away, dispatch*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu seu generatim est in diversas partes mittere. *a*) Cum Accusativo personæ, aut rei, quæ dimittitur. *Lucret.* 6. 494. Nunc age, quo pacto pluvius concrescat in altis Nubibus humor, et in terras dimissus ut imber Decidat, expediam. *Cic. Quinct.* 6. 25. Nævius pueros circum amicos dimittit. *Cæs.* 3. *B. C.* 42. Dimittere litteras circum municipia. Cf. *Sueton. Aug.* 49. *Cæs.* 4. *B. G.* 19. et 34. nuncios in omnes partes. *Id. b. ibid.* 49. speculatores in omnes partes. Cf. *Ovid.* 3. *Met.* 381. aciem (*oculorum*) partes dimisit in omnes. Rursus *Cæs.* 3. *B. G.* 7. præfectos in finitimas civitates. *Sall. Cat.* 28. Mallium Fæsulas, Septimium in agrum Picenum, Julium in Apuliam dimisit. *Liv.* 37. 45. Dimittere milites in hiberna. *Id.* 38. 1. litteras passim in alias urbes. *Id.* 27. 10. Alias naves in propinquos portus se dimissurum. *Cæs.* 5. *B. G.* 39. nuncios ad Centrones. *Id.* 3. *B. C.* 102. Nuncii dimissi ad eos, qui etc. *Id.* 3. *ibid.* 79. Ut pluribus dimissi itineribus a Cæsare ad Domitium, a Domitio ad Cæsarem, nulla ratione iter conficere possent. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 52.; et *Sueton. Cæs.* 4. *Cæs.* 3. *B. C.* 79. Dimittere litteras per provincias. *Sueton. Galb.* 10. edicta per provincias. *Plin.* 4. *Ep.* 7. Librum in exemplaria transcriptum mille, per totam Italiam dimisit. *Virg.* 1. *Æn.* 580. per littora certos Dimittam, et Lybiæ lustrare extrema jubebo. *Cæs.* 3. *B. G.* 23. Dimittere legatos quoquoversus. *Id.* 5. *ibid.* 45. litteras alicui. *h. e.* alicui perferendas. *Id.* 7. *ibid.* 38. nuncios tota civitate. *Id.* 1. *B. C.* 80. Equites dimissi pabulandi causa. Adde *Sueton. Cæs.* 81. Rursus *Cæs.* 7. *B. G.* 71. Dimittere equitatum ab se. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 31. et alibi; et *Sueton. Aug.* 64. — *NB.* Apud *Ovid.* 2. *Met.* 310. imbres dimittere cælo. *alii rectius leg.* demittere. — *b*) Sine Accusativo. *Liv.* 29. 37. Per provincias dimiserunt censores, ut civium Romanorum in exercitibus, quantus ubique esset, referretur numerus. *Cæs.* 6. *B. G.* 43. Cæsar, ad vexandos rursus hostes profectus, magno coacto numero ex finitimis civitatibus, in omnes partes dimittit. *Id.* 3. *B. C.* 112. Quibus est rebus effectum, uti toto frumentum auxiliaque navibus ad eum supportari possent: dimisit enim circum omnes propinquas regiones: atque inde auxilia evocavit. *Curt.* 4. 11. 22. Dimissi nunciant etc. Adde *eumd.* 7. 11. 13. ¶ 2. Latiori sensu, seu speciatim pro abire permitto usurpatur de pluribus, sive de conventu senatus aut populi, de exercitu, de conviviis et similibus; in quibus particula *dis* vim suam retinet. *Plaut. Rud.* 4. 8. 15. Dimittere delectum. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. Non prius duces ex concilio dimittunt, quam ab his sit concessum etc. *Cic.* 6. *Verr.* 65. 146. Dimittere senatum. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. et 31. et 2. *ibid.* 32.; et *Cic.* 2. *Legg.* 12. 31. et 4. *Verr.* 30. 73. Dimittere concilium. *Sall. Cat.* 21. conventum. *Liv.* 21. 54. prætorium. V. *Drakenborg* ad h. l. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. et 11.; *Justin.* 2. 4. 15.; *Vellej.* 2. 52. 4.; et *Sueton. Cæs.* 29. et 70. et *Aug.* 24. et 99. legiones. *Sueton. Cæs.* 16. lictores. *Liv.* 36. 29.; *Sueton. Aug.* 76.; et *Tac.* 15. *Ann.* 30. convivium. ¶ 3. Item speciatim pro abire permitto usurpatur etiam de singulis, aut de pluribus, quæ tamen tamquam totidem unius corporis partes putentur: qua significatione plurimos eosque varios habet usus. *Plaut. Rud.* 3. 5. 10. Verum, senex, si te unquam in urbe offendero, numquam hercle quisquam me lenonem dixerit, si non te ludos pessimos dimisero. *h. e.* nisi te pessime ludificatum dimisero. *Cic. Orat.* 28. 100. Manu si prehendissem, ne ipse quidem sua eloquentia mihi persuasisset, ut se dimitterem. *Id.* 12. *Att.* 18. Discedentem te non sine magno dolore dimittam. *Id.* 1. *Orat.* 28. 126. Non patiebatur eos, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud se perdere dimittebatque. *h. e.* abire jubebat. Sic *Id. Sull.* 20. 57. Familiarissimum suum ab se dimittere et mandare in ultimas terras. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 9. *sub fin.* Ciceronem dimitto a me, ut magistris ne abducam. *Nepos Att.* 3. Aliquem ab se numquam dimittere. *Sueton. Oth.* 10. Ab amplexu et osculo suo dimisit omnes. Adde *eumd. Tib.* 63. et 66. — Similiter dicitur *febris, dolor hominem dimittere*, quum desinit. *Cels.* 2. 7. et 4. 22. — *Cæs.* 1. *B. C.* 21. Dimittere milites in oppidum. *Justin.* 3. 6. 3. milites a bello. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 4. Milites veterani dimissi ab imperatoribus. Eodem sensu *Cic. Pis.* 20. 47. Dimittere exercitum. et § 48. familiam. *Curt.* 4. 1. 35. Qui (*prætor*), quamquam plerosque militum ad regem dimiserat; tamen, barbaris spretis, in aciem suos eduxit. Adde *eumd.* 9. 7. 10. Sic figurate *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 4. 11. Philosophia, quæ nunc prope dimissa revocatur. Cf. *Quintil.* 11. 2. 44. Memoria tamquam dimissa discedit. *Curt.* 6. 7. 16. Ab hoc sermone dimissus Nicomachus etc. *Cic. Orat.* 30. 105. Demosthenem totum diligentissime cognovisti, neque eum dimittis e manibus. *h. e.* Demosthenis orationes. *Cæs.* 1. *B. C.* 64. Totis vero castris milites conturbari, et dolere, hostem ex manibus dimitti, bellum necessario longius duci. *Virg.* 10. *Æn.* 366. Aspera queis natura loci dimittere quando Suasit equos. *h. e.* ab equis descendere et peditum more pugnare. Sic *Sueton. Cæs.* 60. Ancipiti prælio equos dimittebat, et in primis suum, quo major permanendi necessitas imponeretur, auxilio fugæ erepto. At ad fugam capiendam *Cæs.* 3. *B. C.* 69. Quum Cæsar signa fugientium manu prehenderet, et consistere juberet, alii, dimissis equis, eumdem cursum conficerent; alii etc. (Contra *Id.* 2. *ibid.* 34. Quorum impetum equites hostium non tulerunt; sed, admissis equis, ad suos refugerunt. *h. e.* quum equos adscendissent). *Nepos Themist.* 7.; et *Frontin.* 1. *Strateg.* 1. 62. Dimittere legatos. *Liv.* 4. 52. legationes. Cf. *eumd.* 38. 13.; et *Curt.* 7. 9. 2. et 4. 2. 6. *Sueton. Aug.* 97. Tiberium. *Id. Tit.* 8. aliquem sine spe. *Cic. Fat.* 4. 7. Posidonium, sicut æquum est, cum bona gratia dimittamus. *Id. Orat.* 10. 34. Ut eos ipsos, quos contra statuas, æquos placatosque dimittas. *Nepos Hann.* 3. Cum omnibus incolis conflixit: neminem nisi victum dimisit. *Id. ibid.* 4. Cum Scipione decernit: saucium ac fugatum dimittit. *Sall. Cat.* 51. Dimittere aliquem impunitum. *Sueton. Domit.* 11. securum hilaremque. Cf. *eumd. Ner.* 2. et *Aug.* 26. *Cæs.* 1. *B. C.* 23.; et *Justin.* 7. 6. 6. incolumes. *Vellej.* 2. 74. 4. inviolatum. *Capitolin. Maxim. duob.* 11. privatum. — Similiter *dimittere debitorem* est debitum ei remittendo ab onere solvendi liberare. *Ulp. Dig.* 50. 9. 4. Ambitiosa decreta decurionum rescindi debent, sive aliquem debitorem dimiserint, sive largiti sint. Neque aliter *Papinian. Dig.* 38. 1. 41. Libertus dimissus obligatione operarum. *h. e.* liberatus, obligari desiitus. — *Dimittere creditores* apud JCtos est, soluta pecunia iis debita, dimittere, uno verbo solvere. *Papinian. Dig.* 31. 73. Si proprios creditores ex ea pecunia dimiserit. *Scævola ibid.* 32. 36. Dimissus creditor. *h. e.* cui pecunia debita persoluta fuit. Adde *Plin.* 2. *Ep.* 4. 2. — *Quintil.* 5. 7. 21. Est oratoris suspectum testem, quum prodest, dimittere. *Justin.* 11. 11. 5. Olympiadem repudio dimiserat. *Id.* 39. 3. 3. Uxorem divortio dimittere. *Sueton. Aug.* 62. Coegit prægnantem uxorem dimittere. Adde *eumd. ibid.* 63. et 69., *Cæs.* 1., *Ner.* 35., *Domit.* 8. et *Tib.* 7. et 35. *Id. Tib.* 49. Femina dimissa e matrimonio. — Absolute sine Accusativo. *Quintil.* 11. 3. 86. His (*manibus*) vocamus, dimittimus, etc. Adde *Plaut. Trin.* 4. 2. 106.; et *Juvenal.* 1. 125. ¶ 4. Speciatim dimittere *est* aliquem magistratu, vel officio privare. *Sueton. Claud.* 11. Quum decurias rerum actu expungeret, eum qui dissimulata vacatione quam beneficio liberorum habebat, responderat, ut cupidum judicandi dimisit. Adde *eumd. Cal.* 44.; et *Lamprid. Alex. Sev.* 52. ¶ 5. Apud serioris ævi scriptores ponitur etiam pro relinquere. *Lamprid. Elagab.* 30. Facultates dimissæ. *h. e.* post mortem relictæ. *Capitolin. Ver.* 9. Dimittere Lucium in urbe. *Pallad.* 9. *R. R.* 5. 3. Majores (*raphani*) fieri creduntur, si sublatis omnibus foliis, et solo tenui caule dimisso, sæpe terris operiantur. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 7. 2. et 3. *ibid.* 9. 9.

II.) Translate. ¶ 1. Dimittere est facere, ut quis vel quid in diversa feratur, penetret, vel etiam mittatur. *Ovid.* 8. *Met.* 188. ignotas animum dimittit in artes. V. *Bach* ad h. l. *Val. Flacc.* 1. 396. *de apibus.* dum plenas nectare cellas Pandit, et in dulcem reges dimittit Hymetton. *Seneca Ep.* 31. *a med.* In populos nominis dimissa notitia. *Sil. It.* 7. 257. murmura venti Dimittunt. *Quintil.* 11. 3. 81. Vocem tantum altera parte (*labra*) dimittunt. *Sil. It.* 12. 406. Dimittere tela in ventos. *Val. Flacc.* 5. 692. noctem Olympo. — *NB.* Illa quoque a *Forcellino* afferuntur. *Ovid.* 12. *Met.* 491. ferrum capulo tenus dimisit in armos. *Id.* 4. *Pont.* 16. 51. extinctos ferrum dimittere in artus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 17. (62). Manus in ferventem aquam dimittere. *Cic.* 7. *Att.* 12. Dimittere se penitus in causam. *Sueton. Rhet.* 6. In comparationem alicujus dimittere. *At in his omnibus locis, ut monet ipse Forcell., alii et quidem rectius leg.* demittere. — Et in varias partes emittere. *Lucret.* 3. 340. Non enim (*corpus*), ut humor aquæ dimittit sæpe vaporem. *Id.* 6. 841. Rarescit quia terra calore, et semina, si qua Forte vaporis habet, propere dimittit in auras. *Id.* 2. 924. Quod si forte suum dimittunt corpora sensum, Atque alium capiunt, etc. *Id.* 5. 757. Solque suos etiam dimittere languidus ignes Tempore cur certo nequeat, etc. *h. e.* diffundere. *Id.* 5. 669. florescunt tempore certo Arbusta, et certo dimittunt tempore florem. Similiter *Pallad.* 2. *R. R.* 19. Et ubi diu ferbuerint (*baccæ*), olei, quod ex se dimiserint, undam etc. *Id.* 3. *ibid.* 25. 12. *de liquamine ex piris.* Suspensæ eæ carnes liquorem dimittunt saporis jucundi. *Est qui legit* demittunt. Item *Varro* 2. *R. R.* 1. 23. Dimitti sanguinem, maxime e capite. Adde *Gell.* 10. 8.; et *V.* DIMISSIO. ¶ 2. Dimittere est etiam sponte aliquid omittere, non arripere; et occurrit præcipue de occasione, et animi affectibus. *Cæs.* 1. *B. C.* 26. Ita sæpius rem frustra tentatam (*h. e.* pacem) Cæsar aliquando dimittendam sibi judicabat, et de bello agendum. *Id.* 7. *B. G.* 52. Exploratam victoriam dimittere. *Nepos Miltiad.* 3. A fortuna datam occasionem liberandæ Græciæ dimittere. Adde *Cæs.* 5. *B. G.* 57. et 3. *B. C.* 25. *Curt.* 4. 4. 1. Maximarum rerum dimissa opportunitas. *Cic.* 2. *Orat.* 21. 89. Dimittere tempus. *Cæs.* 3. *B. C.* 97. rei gerendæ facultatem. *Id.* 1. *ibid.* 73. spem. *Id.* 1. *ibid.* 20. conditiones pacis. *Nepos Timol.* 2. imperium. *Id. Hann.* 12. vitam alieno arbitrio. *Lucret.* 3. 397.; et *Martial.* 1. 78. animam. *Val. Flacc.* 6. 19. exu-

vias. *Id.* 8. 104. moras. *Juvenal.* 5. 20. ligulas. *Tac.* 3. *Hist.* 55. His tributa dimittere, alios immunitatibus juvare. *Plin.* 9. *Ep.* 18. 2. priora debitoribus. *Val. Flacc.* 7. 240. timorem. *Id.* 5. 173. Vota dimissa retentare. *Cic. Planc.* 39. 94. Libertatem neque dimisi unquam, neque dimittam. *Id.* 4. *Verr.* 30. 71. Si dimisisset eo tempore quæstionem, post illis adhibitis, quos ablegarat, absolutum iri Sopatrum videbat. *Id. Rosc. Am.* 5. 11. Omnes hanc quæstionem te prætore, manifestis maleficiis cotidianoque sanguine dimissam, sperant futuram. *Ita legit* Klotz; *alii aliter. Id.* 3. *Off.* 26. 99. Sed dimittamus fabulas et externa: ad rem factam nostramque veniamus. *Ita cum veterib. editionibus* Forcellinus: *at* Orellius: *leg.* omittamus. *Id.* 9. *Fam.* 1. 2. Dimittere usum librorum. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 96. Qui semel aspexit, quantum dimissa potitis Præstent, mature redeat repetatque relicta. *Cic. Cæcin.* 26. 75. Dimittere patrimonium. *Virg.* 11. *Æn.* 706. et *Sil. It.* 7. 408. fugam. *Cic.* 14. *Att.* 11. Non dimitto istam curam. *Tac. Dial. de orat.* 3.; et *Sueton. Tib.* 11. curam. *Liv.* 30. 3. Dimittere curam ex animo. *At plerique leg.* mittere. *Cæs.* 3. *B. C.* 73. oppugnationem. *Cic. Balb.* 13. 31. Sui quemque juris et retinendi et dimittendi esse dominum. *Id. Amic.* 21. 76. Dimittere amicitias. *Id.* 9. *Fam.* 12. Cælum et terras vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere. *Id.* 13. *Phil.* 1. 2. Si quid de summa gravitate Pompejus, multum de cupiditate Cæsar dimisisset. *Ita* Forcellinus *cum veter. editionibus: at* Orell. *legit* remisisset. Sic corrigendum videtur et apud *Senec.* 1. *Controv. procem.* Dimittere (*lege* remittere) se. *h. e.* remittere animum et ab opere laxare. *Sueton. Cal.* 35. Matrimonia contraxerit turpius, an dimiserit, non est facile discernere. *Quintil.* 11. 2. 24. Dimittere auctionem. *Id.* 3. 11. 16. Causam in aliquam rem dimitti, quæ non sit propria quæstionis. *Id.* 12. 7. 6. litem. *Sil. It.* 10. 330. Martem. *h. e.* prælium. *Ovid.* 11. *Met.* 140. cursus. *Cæs.* 1. *B. C.* 8. Cæsarem quoque pro sua dignitate debere studium et iracundiam suam reipublicæ dimittere. *Id.* 6. *B. G.* 37. fortunam. *Liv.* 33. 33. ludos. *Tac.* 3. *Hist.* 36. Præterita, instantia, futura pari oblivione dimiserat. *Vellej.* 2. 52. Neque prius, neque antiquius quidquam habuit, quam omnes partes (militari et verbo et consuetudine utar) dimitteret. *h. e.* missas faceret, deponeret, odium partium ex animo ejiceret, factiones oblivisceretur: militare verbum est *dimitto*, qua significat missionem dare militibus, quum vel bello, vel stipendiis exactis, domum dimittuntur. ¶ 3. Item dicitur de locis, possessionibus, armis etc., et est alteri cedere, relinquere, sed iniquo animo ac per vim. *Cæs.* 1. *B. C.* 44. Ipsi autem suos ordines servare, neque ab signis discedere, neque sine gravi causa eum locum, quem ceperant, dimitti censuerant oportere. *Id.* 5. *B. G.* 19. Ut hostes impetum legionum atque equitum sustinere non possent, ripasque dimitterent. *Auct. B. G.* 8. 5. Devicti complura oppida dimiserant. *Ovid.* 13. *Met.* 226. Dimittere Trojam. *Justin.* 38. 5. 6. Phrygiam. *Seneca Ep.* 66. *sub fin.* Succisis poplitibus in genua se excepit, nec arma dimisit. Sic *Lucan.* 3. 367. dimissis degener armis. Similiter *Plin.* 13. *Hist. nat.* 10. 19. (64). Ibi et prunus Ægyptia, — maturescens bruma, nec folia dimittens. *Cæs.* 3. *B. C.* 69. Dimittere signa ex metu. *Id.* 6. *B. G.* 11. principatum. *Lucan.* 9. 290. sumpta et dimissa potestas. *Liv.* 40. 43. provinciam. *Sueton. Cæs.* 18. *extr.* Coactus est triumphum, ne consulatu excluderetur, dimittere. *Val. Flacc.* 5. 540. decus belli. *Cæs.* 6. *B. G.* 8. prædam. ¶ 4. Pro liberare hæc a *Forcellino* afferuntur. *Paul. Dig.* 48. 19. 31. Ad bestias damnatos favore populi præsides dimittere non debent. *Id. ibid.* 3. 10. Ne quis receptam custodiam sine causa dimittat. *Petron. Satyr.* 13. Fortuna me a turpissima suspicione dimiserat. *Cajus Dig.* 1. 7. 28. Dimittere filium potestate. *h. e.* potestate patria liberare. *Al. leg.* de potestate. Hæc tamen omnia commode ad superiora referri possunt.

DIMŒRUS, a, on, adject. δίμοιρος, duas partes habens. *Mar. Victorin. p.* 2610. *Putsch.* Quod metrum vocatur dimœron epicon, ideo quod duos pedes heroos accipiat, dactylum, spondeum. Quidam pentasyllabon epodon dixerunt a numero syllabarum; alii trimœron epicon; est pars tertia epici versus, ut *Arma virumque cano, Trojæ qui terruit urbem.* Ita *Gaisford.*; at *Putsch.* dimetron et trimetron. Adde *p.* 2616., ubi eadem lectionis varietas.

DĪMŌTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĪMŎVEO, mŏves, mōvi, mōtum, mŏvere, a. 2. (dis *et* moveo). Part. *Dimotus* I. 1. et II. 1.; *Dimovendus* I. 2. — Dimovere est hinc inde movere, in diversas partes movere, separare (It. *muovere qua e là, separare di qua e di là*; Fr. *separer, diviser, fendre*; Hisp. *separar, dividir, hender*; Germ. *auseinanderbewegen, – trennen, zertheilen*; Angl. *to move, move about, stir*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est hinc inde movere, in diversas partes movere, adeoque separare, dividere. *Virg.* 2. *G.* 513. Agricola incurvo terram dimovit aratro. Sic *Ovid.* 5. *Met.* 341. Prima Ceres unco glæbam dimovit aratro. *Virg.* 9. *Æn.* 644. ab alto Æthere se mittit, spirantes dimovet auras, Ascaniumque petit. *Lucret.* 6. 890. Quod genus endo mari spirat fons, dulcis aquai Qui scatet, et salsas circum se dimovet undas. *Cf. Ovid.* 4. *Met.* 707. Sic fera dimotis impulsu pectoris undis etc. Et *Id. Heroid.* 18. 80. murmur aquæ corpore dimotæ. *Id. Halieut.* 23. dimotæ cauda arenæ. *Id.* 8. *Met.* 641. Inde foco tepidum cinerem dimovit, et ignes Suscitat hesternos. *Horat.* 1. *Od.* 23. 6. seu virides rubum dimovere lacertæ. — *Dimovere os* est hinc inde motis labiis os aperire et loqui. *Ovid.* 5. *Fast.* 638. Raucaque dimovit talibus ora sonis. — Poetice *Lucret.* 6. 869. Inde ubi sol radiis terram dimovit obortis. *h. e.* aperuit et calore suo penetravit. ¶ 2. Latiori sensu est ad diversas partes movere. *Cels.* 3. 27. *n.* 3. Pila similibusque superiores partes dimovendæ. *Id.* 2. 14. *ad fin.* Dimovere manus. *Id.* 1. 24. Inambulatione leni se dimovere.

II.) Translate. ¶ 1. De inanimis est aliquid ex pluribus constans loco hinc inde movere, dispellere, removere: (quomodo autem a *demoveo* distinguatur, in eo verbo adnotavimus). *Virg.* 3. *Æn.* 589. et 4. *ibid.* 7. Humentemque Aurora polo dimoverat umbram. Sic *Id.* 5. *ibid.* 838. delapsus Somnus ab astris Aera dimovit tenebrosum et dispulit umbras. *Horat.* 3. *Od.* 5. 51. Dimovit obstantes propinquos Et populum reditus morantem. *Tac.* 3. *Hist.* 31.; et *Sueton. Galb.* 19. Dimovere turbam. *Tac.* 2. *Hist.* 49. Dimotis omnibus, paullum requievit. Sic *Lactant.* 6. 1. *ad fin.* Stipati familiarium gregibus per dimotum populum incedant. *h. e.* lictore turbam submovente. *V.* SUBMOVEO. Et *Senatusconsult. de Bacchan. ad fin.* BACANALIA – DIMOTA SIENT. *Horat.* 3. *Od.* 8. 10. Corticem adstrictum pice dimovebit Amphoræ fumum bibere institutæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (23). Elephanti tanta narratur clementia contra minus validos, ut in grege pecudum occurrentia manu dimoveat, ne quod obterat imprudens. — *Forcellinus* huc retulit et illa *Ter. Adelph.* 2. 1. 16. Cave, oculos a meis oculis quoquam dimoveas tuos. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 29. 81. Dimovere aliquem ex possessione. *At utrobique legendum est* demovere, *ut monuit ipse* Forcellinus; *V.* Criticos. ¶ 2. Cum Ablativo et præpos. *ab*, vel cum Ablat. sine præpos., vel denique absolute, *dimovere* ponitur pro removere, amovere. *Tac.* 6. *Ann.* 24. Ut tamquam dimotis parietibus ostenderet nepotem sub verbere centurionis. *Al. leg.* demotis. *Sueton. Tit.* 10. Suspexisse dicitur dimotis plagulis cælum. *Plin. Paneg.* 49. Dimovere custodias. *Sall. Jug.* 42. Quos spes societatis a plebe dimoverat. *h. e.* alienaverat. *Horat.* 1. *Od.* 1. 11. Gaudentem patrio findere sarculo Agros, Attalicis conditionibus Nunquam dimoveas, ut etc. *Id.* 1. *Sat.* 1. 38. quum te neque fervidus æstus Dimoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum. *Alii leg.* demoveat. *Capitolin. Maxim. duob.* 4. Quod virum fortissimum ab exercitu dimoveret. *Trebell. Poll. Gall. duob.* 14. Ut labem improbissimam – a gubernaculis humani generis dimoveret. *Id. XXX. Tyr.* 12. Pestem illam a legum gubernaculis dimovere. *In postremis hisce duobus locis rectius fortasse legas* demovere. — Similiter *demovere* pro *dimovere* Critici legunt in sequentibus, quæ a *Forcellino*, lectionis tamen varietate adnotata, afferuntur. *Cic. Sext.* 47. 101. De civitate maluit, quam de sententia dimoveri. et *mox.* Quem neque periculi tempestas, neque honoris aura potuit unquam de suo cursu aut spe, aut metu dimovere. *Id. Planc.* 22. 53. Dimovere aliquem loco suo. *h. e.* a constantia removere. *Id. Parad.* 1. 3. 15. Voluptas mentem e sua sede et statu dimovet. *Id.* 2. *Orat.* 51. 208. Odium in alios struere, atque a nobis dimovere. *Id.* 2. *Invent.* 29. 86. Remotio criminis est, quum ejus intentio facti in alium dimovetur. *h. e.* transfertur. — Denique *dimovere moras* apud *Senec. Hippol.* 587. est removere, tollere, rumpere; si tamen salva est lectio. ¶ 3. Pro distinguere, separare. *Pseudo – Sall. orat.* 1. *ad Cæs. de republ. ordin. circa med.* Considera, quale sit id, de quo consultas: ita, bonis malisque dimotis, patenti via ad verum perges.

DĪMUS, bimus. *Gloss. Isid.*

DINGUA, æ, f. 1. lingua. *Mar. Victor. p.* 2470. *Putsch.* Communionem habuerunt litteræ hæ (*l* et *d*) apud antiquos, ut *dinguam* et *linguam*, *dacrimis* et *lacrimis*. V. litt. D et L.

DĪNDȲMĀRĪUS, ii, m. 2. qui Cybelen Dindymi dominam colunt. *Commodian.* 17. 6. Vidistis sæpe Dindymarios, quali fragore luxurias ineunt, dum furias fingere quærunt. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 14. 7. 2. Collegiatos et viturlarios (*lege* Dindymarios) et Nemesiacos, signiferos, cantabrarios, et singularum urbium corporatos simili forma præcipimus revocari.

DĪNE, es, f. 1. Græca vox δίνη *vortex. Apul. de Mundo.* Vortex ille est vel, uti dicitur, dine, quum torquetur humus arida et ab infimo erigitur ad summum.

DĪNEUO, is, ere, a. 2. Græca vox δινεύω, instar vorticis circumago. *Pelagon. Veterin.* 25. *a med.* Ad vulnera, item ad scabiem clausam æruginem Campanam cum aceto decoquis, quam dineusis et teris diligenter et uteris. *dinespis* legitur in *Cod.*, quæ vox videtur esse futuri secunda persona pro δινεύσεις Græcorum, vel *dinesis* pro δινήσεις circumages.

DĪNŌSIS, is, f. 3. Græca vox δείνωσις *indignatio.* Inter figuras rhetoricas recensetur a *Capell.* 5. p. 186. hisce verbis: Epilogus enim tres habet partes, enumerationem prædictam, indignationem, quam δείνωσιν dicimus, miserationem, quam οἴκτισμα vel ἔλεον memoramus. Sed dinosis est ex locis argumentorum; nam his non tantum res probamus, verum etiam augemus. Adde *Cur. Fortunat. p.* 89. *Capper.*; et *Quintil.* 8. 3. 88. qui Græce usurpat. Cf. etiam hac de re *Cic.* 1. *Invent.* 53. 100.

DĪNOSCENTĬA,

DĪNOSCĬBĬLIS,

DĪNOSCO. *V.* DIGNOSCENTIA, DIGNOSCIBILIS, DIGNOSCO.

DĪNUDO. *V.* DENUDO.

DĪNUMĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus dinumerandi. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *de republ.* 2. Dinumeratio noctium ac dierum. *Paul. Dig.* 38. 10. 10. § 16. Eadem dinumeratione hic quoque octo personas computabimus. *Id.* 5. *Sentent. tit.* 33. Dinumeratio dierum. ¶ 2. Speciatim inter figuras verborum recensetur a *Cic.* 3. *Orat.* 54. 207., fitque cum multa singillatim enumerantur. *Quintil.* tamen 9. 3. 91. et 9. 3. 35. omnino figuram non esse docet. Græsa ἀπαρίθμησις, et συναθροισμός dici videtur.

DĪNUMĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis et numero) Part. *Dinumeratus* 1. — Dinumero est distincte numero. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 43. 154. Dinumerare stellas. *Id.* 2. *de republ.* 15. annos. *Virg.* 6. *Æn.* 691. tempora. *Ovid.* 11. *Met.* 574. noctes. *Id. Heroid.* 14. 80. generos. *Id.* 2. *Fast.* 622. generis gradus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 73. 75. (185). horas. *Quintil.* 6. 1. 8. spoliata templa. *Capitolin. Gord. tert.* 25. Ne omnia dinumerem. *Boeth.* in *Porphyr.* 2. *p.* 59. Illam prius a se dinumeratam significationem dicere videtur. ¶ 2. Speciatim apud Comicos *dinumerare* dicitur de pecunia, et est numerando persolvere. *Plaut. Epid.* 3. 1. 31. Dinumerare argentum. *Ter. Adelph.* 5. 7. 17. minas. Adde *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 74. et *Epid.* 1. 1. 68.; et *Cic.* 7. *Verr.* 45. 120., ubi tamen rectius legas *numerare.*

DĪNUMMĬUM *vel* dinummium, ii, n. 2. vox hybrida a Græco δίς et Lat. *nummus*, duo nummi, seu duo ceratia, *h. e.* denarius. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 14. 27. 2. Quingentos solidos ex dinummio vectigali, etc.

DĪNUPTĪLA, æ, f. 1. herba eadem, quæ bryonia. *Apul. Herb.* 66.

DĪŎBŎLĀRIS, e, adject. Diobolares meretrices, quæ duobus obolis conducuntur, inquit *Paul. Diac. p.* 71. 6. *Müll.* et *Varro* 7. *L. L.* 64. *Müll.*, a διω-

βολον, pars tertia drachmæ Atticæ. Hinc *Plaut. Pœn.* 1. 2. 58. Servulorum sordidorum scorta diobolaria. *Id. Pseud.* 2. 2. 61. Apud anum illam diobolarem, cludam, crassam. *Id.* apud *Varron. loc. cit.* Diobolares, schœniculæ, miraculæ.

DĬOCMITÆ. *V.* DIOGMITÆ.

DĬŒCĒSĀNUS, a, um, adject. ad diœcesin pertinens. *Cod. Theod.* 16. 2. 23. Convocatis ab episcopo diœcesanis præsbyteris.

DĬŒCĒSIS, is, f. 3. διοίκησις. ¶ 1. Est gubernatio, administratio, jurisdictio: a διοικέω *administro, rego, guberno.* Item locus, in quo quis jurisdictionem exercet. Græca quidem vox est, et non semel Græce a *Cicer.* usurpata, ut 13. *Fam.* 53. et 67. Aliquando tamen etiam positione Latina, cum de Græcorum provinciis loqueretur, ut 3. *ibid.* 8. *circa med.* Ut me omnium illarum diœcesium, quæ cis Taurum sunt, omniumque earum civitatum magistratus legationesque convenirent. *Diœcesis* vero dicitur portio quædam provinciæ, cujus administratio et jurisdictio proprætori permissa est. Ita *Cicero* præter Ciliciam tres diœceses in Asia habebat, Cybariticam, Apamensem, et Synnadensem. — Posterioribus temporibus *diœcesis* dicta est plurium provinciarum administratio, quæ simul collectæ parebant præfecto prætorii, vel ejus vicario. *Ammian.* 17. 7. Aristænetus affectatam recens diœcesim curans vicaria potestate. *Imppp. Valens, Gratian.* et *Valentinian. Cod. Theod.* 7. 6. 3. Per Asianam et Ponticam diœcesim. — Latine *jurisdictio*, et *præfectura* dici potest. ¶ 2. Apud Ecclesiasticos scriptores — *a)* Est locus jurisdictionis episcopalis. *Sidon.* 7. *Ep.* 6. *a med.* Nulla in desolatis cura diœcesibus parochiisque. *Sever. Sulpic. dial.* 2. 3. Visitare diœceses. — *b)* Aliquando sumitur pro parochia. Ex multis autem parochiis diœcesis episcopalis constat. *Sidon.* 9. *Ep.* 16.

DĬŒCĒTES, æ, m. 1. διοικητής, dispensator, seu qui curationem et quasi dispensationem rerum ac bonorum regis, vel alicujus a magnatibus ac ditioribus suscepit: a διοικέω *administro, rego.* Græca vox, quæ Latine scripta reperitur apud *Cic. Rabir. Post.* 8. 22. et 10. 28. cum de rebus ad Ægypti regem pertinentibus (ubi hoc nomen muneris erat in usu) verba facit. Adde *Cod. Theod.* 14. 17. 1.

DĬOGMĪTÆ, ārum, m. plur. 1. levis armaturæ milites, quos maxime ad infrenandas latronum incursiones in provinciarum finibus constituebant imperatores. *Ammian.* 27. 9. Adhibitis semiermibus paucis, quos diogmitas appellant. *Capitolin. Anton. Phil.* 21. Armavit et diogmitas. — Scribunt aliqui *diocmitæ*. Dicti sunt autem a διωγμός *persecutio*, quod a διώκω *persequor*, quia armatura levi instructi, ad persequendos hostes idonei erant.

DĬOMPHĂCĬOU, δι' ὀμφακίου, medicamentum ex omphacio (*V.* OMPHACIUM) oleo, quod memorat *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. *in fin.*, ubi pro *diomphacion* legendum est *diomphaciou.*

DĬŌNȲMA, ōrum, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt quæ duplex nomen habent, διώνυμα. *Priscian.* 2. *p.* 580. *Putsch.* Synonyma sunt quæ, sicut diximus, diversis nominibus idem significant, ut *ensis, mucro, gladius.* In propriis quoque hanc vim habent dionyma, vel trionyma, vel tetraonyma, ut *Publius Cornelio Scipio Africanus.*

DĬŌNȲSĬA, æ, f. 1. *V.* DIONYSIUS.

DĬŌNȲSĬA, ōrum, n. plur. 2. Διονύσια, τά, festa in honorem Dionysii, seu Bacchi, quæ in plerisque Græciæ urbibus triennio quoque celebrabantur, ut docet *Donatus* ad illud *Ter. Heaut.* 1. 1. 110. Dionysia hic sunt hodie: apud me sis volo. Adde *Plaut. Curc.* 5. 2. 45. et *Pseud.* 1. 1. 57. *V.* TRIETERICUS.

DĬŌNȲSĬAS, ădis, f. 3. διονυσιάς, nomen gemmæ nigræ ac duræ, mixtis rubentibus maculis: quæ ex aqua trita saporem vini facit, et ebrietati resistere putatur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 57. (157). *V.* voc. seq. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

DĬŌNȲSĬUS LAPIS fuscus et rubentibus notis sparsus. Vocatur autem ita, quia, si aquæ mixtus conteratur, vinum flagrat; et quod in illo mirum est, ebrietati resistit. Hæc *Isid.* 16. *Orig.* 4., qui *ibid. c.* 11. hunc eumdem lapidem vel gemmam *dionysiam* absolute appellat.

DĬŌNȲSŎNYMPHAS, ădis, f. 3. διονυσονυμφάς, herbæ genus apud *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (165). *V.* CASIGNETE.

DĬŎPĔTES, is, m. 3. διοπετής, genus ranæ, quam per imbres cœlo delabi vulgus putat: a Ζεύς, Διός *Juppiter, aer,* et πέτομαι *volo, as. Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 21. Ranæ, quas diopetes et calamitas vocant. et *ibid.* 10. 50. Jecur ranæ diopetis. — Sunt qui utroque loco leg. *dryophytes*, ut intelligatur ranæ genus in arboribus nascens, atque habitans: a δρῦς *quercus, arbor,* et φύω *nascor.*

DĬŎPŌRON, δι' ὀπωρῶν, medicamentum ex fructibus constans, diarrhœa aliave simili passione laborantibus utile, apud *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. 18. et 2. *Tard.* 13. 170., ubi vulgati libri male *diaporon.* Apud *Galen.* dicitur σκευασία δι' ὀπωρῶν vel ὀπωρική: V. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 14. 79. (129).; et *V.* OPORICE in hoc Lexico.

DĬOPTRA, æ, f. 1. διόπτρα, geometris est instrumentum, quo turrium montiumque altitudines et intervallo dimetiuntur: a διόπτομαι *perspicio.* Ejus usus est etiam in librandis aquis, hoc est ad investigandam altitudinem, aut profunditatem fontis, unde aqua alio per aquæductum ducenda est. *Vitruv.* 8. 5. 1. *Schneid.* Libratur autem dioptris, aut libris aquariis, aut chorobate: sed diligentius per chorobaten, quod dioptræ libræque fallunt. — Item in perspiciendis solis umbris, unde cognoscatur recta earum linea in æquinoctiis ante et post meridiem, aut altitudo et depressio in solstitiis, etc. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 69. 69. (176). Nisi terra in medio mundi esset, æquales dies noctesque haberi non posse, deprehendunt et dioptræ, cum æquinoctiali tempore ex eadem linea ortus occasusque cernatur, etc.

DĬŎRĪGĂNUM. *V.* DIAORIGANUM.

DĬŌRYX, ȳgis, f. 3. διῶρυξ, fossa, canalis: a διορύττω *perfodio. Mela* 3. 8. *a med.* Manu factus amnis, ideoque referendus, quod ex Nili alveo dioryge adductus. *V.* DIORYCTOS in ONOM.

DĬOS BĂLĂNUS, f. Διός βάλανος, *h. e.* Jovis glans, castanearum genus, quas nos *marroni*, ut opinor, dicimus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 23. 25. (93). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 260.) hæc ait ad h. l.: « Il s'agit ici du marron, fruit du châtaignier cultivé, *Castanea sativa, grandis,* Cord. *in Diosc.* »

DĬOSPNEUMA, ătis, n. 3. Διός πνεῦμα, *h. e.* Jovis spiritus. Ita a nonnullis dicitur rorismarini quoddam genus. *Apul. Herb.* 79.

DĬŌTA, æ, f. 1. διώτη, vas, seu dolium fictile duas ansas habens, ad servandum vinum accommodatum: a δίς *bis*, et οὖς, ὠτός *auris. Horat.* 1. *Od.* 9. 8. Deprome quadrimum Sabina, O Thaliarche, merum diota. — Sunt qui scribunt *dyota* a δύο *duo.*

DĬOX, genus piscis frequens in Ponto. *Paul. Diac. p.* 75. 3. *Müll.*

DĪPHĬLĬUS, a, um, adject. ad Diphilum pertinens. *Diphilium metrum* memorat *Mar. Victorin.* 3. *p.* 2558. *Putsch.* hisce verbis: Chœrilium seu Diphilium metrum ex eodem pentametri ortum esse genere res ipsa indicat, est enim e dactylica specie derivatum, suprema tantum versus syllaba, qui sex pedibus profluat brevius. Incipit autem a duobus dactylis, tertia regione spondeo semper manente, et rursus ex duobus dactylis et syllaba una.

DĪPHRȲGES, is, f. 3. τὸ διφρυγές, metallicum excrementum, quod tum ex lapide pyrite fit cremato in caminis, donec excoquatur in rubricam; tum ex luto cujusdam specus in Cypro, arefacto prius, deinde sarmentis usto; tum in fornacibus æris fæce subsidente. Differentia est, quod æs in catinos defluit, scoria extra fornaces, flos supernatat, diphryges remanet. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 37. (135). Facile ab ea discernitur, quam in officinis diphrygem vocant, etc. Deinde subdit ea, quæ modo dicta sunt. Est autem a δίς *bis*, et φρύγω *torreo. Cels.* 5. 7. enumerat inter ea, quæ corpus exedunt. Habet enim usus aliquot in quibusdam medicamentis, ut videre est apud *eumd. ibid.* 22. et *Scribon. Compos.* 227. et 247.

DIPHTHONGUS, i, f. 2. δίφθογγος, duas habens voces: a δίς *bis*, et φθόγγος *sonus.* Græca vox est, et adjectiva; et usurpatur a grammaticis, cum duæ vocales, quæ singulæ suam vocem habent, in unam contrahuntur, ut *æ, au, œ. Capell.* 3. *p.* 63., *Priscian.* 1. *p.* 561. *Putsch.* etc. — Reapse est vox adjectiva: etenim subintelligitur syllaba. Hinc *Capell.* 3. *p.* 63. Quum monosyllaba unaquæque vocalis est, aut quum diphthonga reperitur. Immo *Terentian. de metr. p.* 2392. *Putsch.* Alpha et e et a valebit esse diphthongi soni. *Isid.* 1. *Orig.* 16. Diphthongæ syllabæ Græco nomine dictæ, quod in eis binæ vocales jungantur. — Hæ vero binæ vocales divisim pronunciabantur, nam *Martial.* 1. 72. Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur. *V.* BIBO.

DĪPHȲES, is, f. 3. διφυής, duplicem naturam habens: a δίς *bis*, et φύω *nascor, sum:* unde *Hieronym.* in *Chronic. ad ann. CCCCLX.* Dicebatur Cecrops diphyes, id est duabus naturis, sive ob longitudinem corporis, sive idcirco, quod, quum esset Ægyptius, utramque linguam sciebat, Græcam et Ægyptiacam. Apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 57. (157). (ut quidem legit *Harduin.*) nomen est gemmæ duplicis, candidæ et nigræ, maris et feminæ, genitale utriusque sexus distinguente linea.

DĪPLANGĬUM, ii, n. 2. διπλαγγεῖον a διπλοῦν *duplex*, et ἀγγεῖον *vas*, h. e. vas fictile quoddam, in aliud æneum immissum, quo prunis imposito, liquor calore vaporatus, mox frigescens stillatim defluit, quod vulgo Itali dicunt *bagnomaria*, Græci vero etiam δίπλωμα. Hinc *Scribon. Compos.* 73. Deinde per duplex vas coquitur, donec mellis habeat spissitudinem. *Reines. Variar. lect. l.* 3. *c.* 11. hæc verba citat *Theod. Priscian.* 1. 19. Amurca diplangio cocta. Adde *eumd. Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 2. *c.* 18., ubi male legitur *dyplongio*, et *V.* DUPLEX.

DĪPLĂSIS, is, f. 3. ratio dupli. *Capell.* 9. *p.* 322. Quod diastema ex omnibus et ex quatuor dicitur, est in diplasi et diametri regula, at sunt octo ad tria. *Fortasse hic legendum* diplasia *pro* diplasi. *Hæc. cl.* Furlanetto. *At* Kopp *vulgatam lectionem* diplasi *retinuit.*

DĪPLĂSĬUS, a, um, adject. διπλάσιος, duplex, duplo major. *Capell.* 9. *p.* 330. Per genus, cum diplasium, aut hemiolium simul jungimus, vel quod ex pluribus æqualiter copulatur. *Id. ibid. p.* 322. Diapason autem sonos habet octo, spatia septem, tonos sex; hemitonia duplicat, diesis quadruplicat, atque in diplasia ratione versatur, quæ est unus ad duo. *Id. ibid. p.* 316. Constat ex ratione diplasia, id est dupli. Adde *eumd.* 2. *p.* 26.

DĪPLE, es, f. 1. διπλῆ, scilicet γραμμή, linea: ita appellatur signum criticum, duplici linea formatum sic >, vel <, in margine apponi solitum, ad aliquid majoris momenti legentibus indicandum, de cujus signi forma et significatione multa habet *Isid.* 1. *Orig.* 21. Græce vero scribit *Cic.* 8. *Att.* 2. Vibullii res gestæ sunt adhuc maximæ. Id ex Pompeji litteris cognosces: in quibus animadvertito illum locum, ubi erit διπλῆ.

DĪPLINTHĬUS, a, um, adject. διπλίνθιος, constans duorum laterum ordine, ut diplinthius paries, apud *Vitruv.* 2. 8. *Schneid.* a δίς *bis*, et πλίνθος *later.* Sic triplinthius paries. *Vitruv. ibid.*

DĪPLŌIS, idis, f. 3. διπλοΐς. ¶ 1. Est vestis genus amictui aptum, non indutui. Videtur autem esse pallium ita involutum corpori, ut altera ejus pars alteri super injecta duplici amictu tegat: a διπλόος *duplex:* quamquam et universim pro quocumque superiori vestimento accipi potest. *Sulpic. Sev.* 1. *Hist. sacr.* 35. David diploidem ejus (*Saulis*) abstulit. *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 24. 5. de eodem *præcidit oram chlamydis* habet. *Novius* apud *Non. p.* 316. 5. *Merc.* Cretanus si me diploide a recta grassatur via. Hic *Bothe* conjicit legendum *si me dediploidat, recta*, etc., *h. e.* si me diploide spoliat. *Acron.* ad illud *Horat.* 1. *Ep.* 17. 25. Quem duplici panno patientia velat; hæc habet: Cum Plato invenisset illum naufragum diploide, id est panno duplici, involutum etc. Ex his patet, pallium philosophorum, et chlamydem regiam, diploidem appellari. Ceterum hanc vocem habet etiam *Vulgat. interpr. Psalm.* 108. 29. Induantur, qui detrahunt mihi, pudore: et operiantur, sicut diploide, confusione sua. et *Baruch.* 5. 2. Circumdabit te Deus diploide justitiæ, et imponet mitram capiti honoris æterni. ¶ 2. Est etiam id, quod *Cato R. R.* 76. solum placentæ appellat, nempe *la sfoglia* seu *crosta di sotto*, ita vocata, quia ceteris tractis crassior esset debet. *Apic.* 4. 2. Ita ut per singula coria substernas diploidem in (*lege*, inde) laganum.

DĪPLŌMA, ătis, n. 3. δίπλωμα. Est qui scribit *duploma*, quod a διπλοῦ fiat *duplus.* — Diploma sunt litteræ senatus, magistratus, aut principis, quibus aliquid alicui conceditur (*V.* discrimen in fine hujus voc.): ita dictæ a forma, quia formabantur in

modum tabellarum duplicium, de quibus *V.* DUPLEX. Est etiam vox Græca διπλόω *duplico. Cic.* 6. *Fam.* 12. 3. Diploma statim non est datum. et mox. Perceleriter se ablaturum diploma. *h. e.* quo Cæsar Balbo, qui a Pompejo steterat, reditum concedebat. *Id.* 10. *Att.* 17. De diplomate admiraris. *h. e.* facultate excedendi Italia. *Modestin. Dig.* 48. 10. 27. Qui falso diplomate usus commeavit. *h. e.* facultate discedendi e castris. *Sueton. Ner.* 12. Quibus post editam operam diplomata civitatis R. singulis obtulit. *h. e.* litteras, quibus jus civitatis concedebatur. *Plin.* 10. *Ep.* 121. Neque cuiquam diplomata commodavi, neque in rem ullam, nisi tuam. *h. e.* facultatem utendi in itinere cursu publico; quæ et evectio dicitur. *Id. ibid.* 14. Festinationem tabellarii diplomate adjuvi. Sic *Venulej. Dig.* 45. 1. 37. *post init.* Diplomate diebus et noctibus iter continuare. et *paullo post.* Si diplomate usus, aut felici navigatione, maturius pervenerit Ephesum. Eod. sensu a *Seneca* 1. *Clem.* 10. *extr.* usurpatur. *Sueton. Aug.* 50. In diplomatibus, libellisque, et epistolis signandis sphinge usus est. — *A diplomatibus* est inter officia domus Augustæ: cujus munus erat diplomata scribere. *Inscript.* apud *Murat.* 885. 4., quæ est apud *Orell.* 2795. T. AELIVS AVG. LIB. SATVRNINVS A DIPLOMATIBVS. *V.* DUPLOMUM. — Hucusque *Forcellinus.* Interest tamen discrimen inter diplomata senatus, et diplomata principis vel magistratus: illa erant litteræ, quibus aliquis iter faciens commendabatur; hæc vero decreta, quibus aliquid concedebatur: ad priora pertinent loca omnia *Cic.* et *Plin.*, quibus adde *Capitolin. Pertin.* 1.; ad posteriora vero pertinent loca omnia *Sueton.* et *Senec.*, quibus adde *Tac.* 2. *Hist.* 54.

DĬPLŌMĀRĬUS, a, um, adject. ad diploma pertinens, ut *tabellaris diplomarius*, qui nempe principis diplomata ferebat ad cursum publicum usurpandum. *Inscript.* in tessera ænea apud *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 421. *edit. Pat.*, quæ est apud *Orell.* 2917. THOANTIS TI. CAESARIS AVG. DISPENSATORI (*pro* dispensatoris) AB TVBIS (*pro* tubis) DE STATIONE CAESARIS AVG. TABELLARIS DIPLOMARI DISCEDE. *Id. ibid.* hæc addit ad inscriptionem illustrandam. *Tabellarem* et *tabellarium* dixisse veteres, verisimile est, ut *tabularem* et *tabularium* dixerunt. *Diplomari* vocativo casu scriptum vel ex usu, vel quod littera e deest, ut s in *dispensatori.* Extremo verbo *discede* viam tabellarius inire jubebatur. Hic vero Thoans *tabellaris de statione Cæsaris* dicitur, quod fortasse in ea statione maneret, in qua princeps morabatur, et, tuba signo dato, ubi ad municipia is stationesque appropinquaret, se ex tabellariorum principalium numero esse prænunciaret. *V.* DIPLOMATARIUS in *Verb. Barb.*, h. e. qui diplomata conficit et vendit.

DĬPŌDĬA, æ, f. 1. διποδία, conjunctio duorum pedum parium. *Mar. Victorin. art. gramm.* 1. p. 2488. *Putsch.* Græco sermone duorum pedum copulatio basis dicitur, veluti quidam gressus pedum; qui, si ejusdem generis, id est pares jugati fuerint, dipodian, aut, ut quidam, tautopodian; sin dispares, ut trochæus cum iambo, syzygian efficiunt, in qua basis unum, alterum thesis pedem obtinebit: quamquam in his nonnunquam syllaba pro integro pede, in ultima dumtaxat versus parte accepta, propriam impleat thesin. *Id.* 2. p. 2514. Dactylicum hexametrum recipit pedales figuras tres: nam aut in sex partes dividitur per monopodian, aut in tres per dipodian et fit trimetrus, aut in duas per κῶλα duo, quibus omnis versus constat, dirimitur. *Id. ibid.* p. 2521. Percutitur versus anapæsticus præcipue per dipodian, interdum et per singulos pedes. *Diomed.* 3. p. 501. *Putsch.* Basis, syzygia, dipodia in tetrasyllabis; sed basis in epitritis et pæonibus fit, syzygia in contrariis, sed dipodia in paribus. *Plot. de metr.* p. 2641. *Putsch.* Notandum, cetera omnia metra, excepto dactylico et ejus speciebus, per dipodian et syzygian scandi.

DIPONDĬĀRĬUS *vel* dupondiarius *vel* dispondiarius, a, um, adject. De scriptione *V.* voc. seq. sub init. — Dipondiarius est ad dipondium pertinens.

I.) Proprie. *Colum.* 4. *R. R.* 30. 4. Perticæ cacuminum, modicæ plenitudinis, quæ tamen dipondiarii orbiculi crassitudinem non excedat, optime panguntur. *h. e.* circuli tam lati, quam est moneta duorum assium, quam *dipondium* vocabant. — *Dupondiarius as* idem est, quod dupondius. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 2. Æs Marianum aurichalci bonitatem imitatur in sestertiis dupondiariisque.

II.) Translate. *Dupondiarius dominus* apud *Petron. fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* et *dupondiarius homo ibid.* 74. est dominus et homo diobolaris, nullius pretii, qui dupondii est æstimandus. Hinc *Id. ibid.* 58. ait: Dupondii non facio matrem.

DĬPONDĬUS *et* dipondium, *vel* dupondius *et* dupondium, *vel* dispondius *et* dispondium, m. *aut* n. 2., sed m. usitatius. — Ad scriptionem quod attinet, magis Latinum videtur si per *du* scribatur, nempe a *duo*, quam si per *di*, quod Græco δίς *bis*, proxime accedit. — Ceterum *dipondius*

I.) Proprie ¶ 1. Est moneta Romana duos valens asses. Pondo enim libram significat: porro asses initio libræ pondo facti sunt, et *assipondia* dicti: cusa est etiam moneta, quæ duos asses valeret; hæc est *dipondius*: quæ, procedente tempore, ad deminutionem assis ipsa quoque deminuta est. *Varro* 9. *L. L.* 81. *Müll.* Dicitur a multis duobus modis, hic dupondius, et hoc dupondium. et *paullo post* 83. Dupondius fictus, quod duos asses pendebat. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 169. *Müll. Petron. Satyr.* 11. Præter unum dupondium, nihil ad manum erat. ¶ 2. Per catachresin sumitur pro mensura duorum pedum. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 17. Solum defoditur in altitudinem dipondii semissis, operis quinquaginta. *Id.* 3. *ibid.* 13. 5. Sulcus altus dupondio et dodrante. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 1. 3. ¶ 3. Item pro simplici numero binario. *Capell.* 7. p. 241. Sexies septuagesies dipondius facit quadrigentos tricies dipondius. Similiter octies septuagesies dipondius quingentos septuaginta sex. *h. e.* $6 \times 72 = 432$. et $8 \times 72 = 576$.

II.) Figurate *dupondius* dicebatur ridiculi causa auditor seu discipulus jurisprudentiæ anni primi, quemadmodum etiam nunc apud nostrates vulgo *matricolino* appellatur. *Imp. Justinian.* in *epist.* 2. præmissa libris *Digestor.* § 2. Cujus (*anni primi*) auditores non volumus vetere tam frivolo, quam ridiculo cognomine dupondios appellari, sed Justinianeos novos nuncupari. Cf. *Petronii* locum cit. in voc. præced. sub II.

DIPSĂCOS *vel Latina positione*

DIPSĂCUS, i, f. 2. δίψακος, herba est folia habens lactucæ, bullasque spinosas in dorsi medio, caulem duum cubitorum, iisdem spinis horridum, genicula ejus binis foliis amplectentibus, concavo alarum sinu, in quo subsistit ros salsus. Hæc *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 47. (71). Inde nomen traxit a δίψα *sitis*, quia tamquam sitibunda humorem in ejus foliis colligit. Eadem ab *eod.* 25. *Hist. nat.* 13. 108. (171). labrum Veneris, ab Italis *labbro di Venere* appellatur. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 371.) hanc exhibet synonymiam: Δίψακος Dioscor. 3. 13.; Σκουλταρα ἤ μαρσκρατης Græcor. recent.; *Dipsacus* et *Labrum venereum* Plin. locc. citt.: *Cardones* Carol. Mag. Capitul.; et *Labrum, lavacrum* et *conchæ Veneris* Latinor. sunt *Dipsacus fullonum* L. Spec. plant. 140. *V.* plura ibid.

DIPSAS, ădis, f. 3. διψάς, genus viperæ, cujus morsu icti siti perire dicuntur, quod ipsa quoque semper sitire creditur: a δίψα *sitis. Lucan.* 9. 610. in mediis sitiebant dipsades undis. et *ibid.* 718. torrida dipsas. *et ibid.* 754. fatique minorem Famam dipsas habet, terris adjuta perustis. *Sil. It.* 3. 312. rabidas effervescente veneno Dipsadas immensis horrent Garamantes arenis. Adde *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 80. (152). — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

DIPTĔROS, on, adject. δίπτερος, duas alas habens: a δίς *bis*, et πτερόν *ala*. A *Vitruv.* 3. 2. 7. *Schneid.* dicitur *ædes dipteros*, quæ duas habet veluti alas columnarum, quibus aspectus ipse ædis formatur. Dipteros, inquit, octastylos et pronao et postico, sed circa ædem duplices habet ordines columnarum, uti est ædes Quirini, etc. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

DIPTŌTA, ōrum, n. plur. 2. δίπτωτα, dicuntur nomina duos tantum casus habentia, ut *suppetiæ, suppetias.* Sic triptota, tetraptota, pentaptota, quæ tres, quatuor, quinque casus habent: a δίς *bis*, et πτῶσις *casus. Diomed.* 1. p. 288. *Putsch.* et *Priscian.* 5. p. 672. — In singulari numero diptotos, triptotos, tetraptotos forma, dicitur a *Consent. in Arte, ibid.* p. 2034. *V.* HEXAPTOTA.

DIPTȲCHUS, a, um, adject. δίπτυχος *plicatus, duplicatus*: a πτυχή *plicatura*. — Qui *dypticus* scribunt, male scribunt. — Ceterum ¶ 1. *Diptychum* absolute dicitur, quod duas valvas habet. *Ambros.* 5. *Hexæm.* 8. Explorat (*cancer*) si quando ostreum remotis in locis ab omni vento contra solis radios diptychum illud suum aperiat. ¶ 2. *Diptycha*, δίπτυχα, absolute, substantivorum more (qua forma sæpius occurrunt), sunt tabellæ plicatiles, quæ panduntur et clauduntur, habentque usum litteris, præsertim amatoriis, conscribendis: et Latina appellatione *duplices* appellari possunt. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 9. 36. Quamvis blandis te epistolis et diptychis sollicitet. — Diptycha consulum, quæstorum, etc. erant tabellæ eorum nominibus inscriptæ, et imaginibus adornatæ, quas ipsi ad amicos mittebant apophoreti vice, et in vulgus spargebant ipso die magistratus initi. *Symmach.* 2. *Ep.* 80. (*al.* 81.) et 5. *ibid.* 54. (*al.* 56.) et 9. *ibid.* 109. (*al.* 119.); et *Cod. Theod.* 15. 9. 1. — Ea tacito nomine designare videtur *Claudian.* III. *Laud. Stilich.* 346. *et seqq.* — Fuerunt et episcoporum diptycha, de quibus *Venant.* 10. *carm.* 7. 35. Nomina vestra legat patriarchis atque prophetis, Cui hodie in templo diptychus edit ebur. — *Diptychon* inscribitur libellus *Prudentii*, quo tetrastichis vetus et novum testamentum ille complectitur: quæ sunt veluti duæ tabulæ, quibus universa divina lex et institutio continetur.

DĬPȲROS, on, adject, δίπυρος, bis ustus: a δίς *bis*, et πῦρ *ignis. Martial.* 4. 47. Encaustus Phaeton tabula depictus in hac est. Quid tibi vis, dipyron qui Phaetonta facis? — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

DĪRĂDĬO, as, are, a. 1. radios hinc inde emitto. Translate *diradiare vitem* apud *Colum.* 5. *R. R.* 6. 36. est eam in ramos diducere, et traducibus dispergere in modum radiorum. Al. melius leg. *disrarare.*

DĪRĀDO, rādis, rāsi, rādere, a. 3. (dis *et* rado) vix leviter tango. *Cassiod.* 11. *Variar.* 40. Cujus (*lini*) ut superducta retia ejus (*piscis*) tergum frustra diraserint, alacer in undas exsilit, et vitati periculi gaudia liberatus agnoscit.

DĪRÆ, ārum. *V.* DIRUS in fin.

DĪRĂPĬO, rapis, pro *diripio*, dixit *Apul. de Deo Socrat. sub fin.* De quo quidem nescio qua ratione dirapimur. *h. e.* distrahimur, avellimur. Al leg. *disrapimur.*

DĪRĀRO *vel* disraro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis *et* rarus). Part. *Diraratus* sub *b.* — Dirarare est castrare, et diversis modis, quod densum erat, rarum facere. — *a*) Specialim in re agraria. *Colum.* 4. *R. R.* 32. 4. *de arundineto.* Potest intercidi et dirarari, quod opus rustici castrationem vocant. *Id.* 5. *ibid.* 6. 36. Dirarare vitem. *Al. leg.* diradiare. — *b*) Generatim. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 15. Non aliter et vinum plurimam nutrimenti partem resolvere ac dirarare et tenuem facere. *Id. ibid.* Aliqui phreniticorum, dirarato corpore motus causa, deficiunt. *h. e.* nimis transpirante. Adde *eumd. ibid.* 11.

DĪRĒ, adverb. sæve. *Seneca Thyest.* 315. Agique dire credis et nimium impie. *Al. aliter leg.*

DĪRECTĀ, adverb. (subaudi *via*) recta, directe. *Lucret.* 2. 197. nam quam magi' mersimus altum Directa, et magna vi multi pressimus ægre, etc.

DĪRECTĀRĬUS, ii, m. 2. qui furandi causa in alienas domos se dirigit, idest ingreditur. *Ulp. Dig.* 47. 11. 7. Item qui directarii appellantur, hoc est ii, qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo, plus quam fures puniendi sunt. *Paul.* 5. *Sent. tit.* 4. Quoties alicujus domus introitur ab iis, qui vulgo directarii appellantur.

DĪRECTĒ, adv. Comp. *Directius V.* in DIRECTO. — Directe est recta, directo: et occurrit translate tantum. *Cic. Partit. orat.* 7. 24. Ut cum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa tulerit, inveniatur ordo, et idem quasi sursum versus retroque dicatur.

DĪRECTĬANGŬLUS, a, um, adject. directum habens angulum. *Capell.* 6. p. 230. Εὐθύγραμμος itemque τετράπλευρος quinque species habet: primam, quæ quatuor æqualibus lineis et directis angulis sustentatur, quod schema tetragonum dicitur: secunda species, quæ directiangula est, non æquilatera, et dicitur ἑτερομήκης: tertia æquilatera est, non tamen directiangula, et dicitur ῥόμβος.

DIRECTILINEUS, a, um, adject. directam habens lineam. *Capell.* 6. *p.* 220. Quando autem æque intra se tenent angulum lineæ et directæ fuerint, directilineus dicitur angulus et Græce εὐθύγραμμος.

DIRECTIM, adverb. directe, recta.

I.) Proprie. *Macrob.* 7. *Saturn.* 14. *circa med.* Oculorum profluvium per lucem directim pergit, quamdiu corpus offendat. *et ibid.* 12. *ad fin.* Maris inundatio directim in Ægeum pergit. *Apul. Florid.* n. 23. Lapis directim cæsus. *Auct. de limit. p.* 315. *Goes.* Cardo nominatur, quod directim ad cardinem coeli est.

II.) Translate. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* Directim dico inferri, cum eadem partitura subjecta est tam in conjugatione, quam in ipsa illatione: reflexim vero, cum hoc fit viceversa.

DIRECTIO, ōnis, f. 3. actus dirigendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte. *Vitruv.* 7. 1. 4. *Schneid.* Coagmentorum compositio planam habeat inter se directionem. ¶ 2. Concrete, uti ajunt, sensu est linea directa. *Apul. de Mundo.* A polis, veluti a cardinibus, directio quædam profecta, axis est dictus. *Al. perperam leg.* discretio.

II.) Translate. *Quintil.* 3. 6. 30. Conjectura dicta est a conjectu, id est directione quadam rationis ad veritatem.

DIRECTO, adv. Comp. *Directius.* — Alias formas *directa, directe, directim* V. loco suo. — Directo est idem quod directe, recta (It. *direttamente, a dirittura*; Fr. *directement, en ligne droite*; Hisp. *directamente, en derechura*; Germ. *gerade*; Angl. *directly, straightway*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Nat. D.* 25. 69. Atomum pondere et gravitate directo deorsum ferri. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 20. 66. Phœnices eo directius gubernant, quod eam tenent, Quæ cursu interiore, brevi convertitur orbe. *h. e.* Ursam minorem. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Supra ea tigna directo transversas trabes injecerunt. *Auct. B. Alex.* 64. Quum neque flectere navem propter vim fluminis, neque directo tantis fluctibus tenere posset, demersa navi periit. *Vulgati libri habent* directam.

II.) Translate. *Cic. Partit. orat.* 13. 46. Argumentandi duo sunt genera, quorum alterum ad fidem directo spectat, alterum se inflectit ad motum. *Seneca Ep.* 66. *post init.* Quædam prima bona sunt, tamquam gaudium, pax, salus: quædam secunda, tamquam tormentorum patientia, etc. Illa directo optamus nobis; hæc si necesse erit. *h. e.* illa absolute, hæc sub conditione, uti loquuntur Scholæ. *Martian. Dig.* 40. 5. 55. Directo libertas data ancillæ. *h. e.* immediate, et non per alium. *Scævola ibid.* 32. 1. 103. Non directo, sed per successionem ad filium hereditas patris pervenit. *Paul. ibid.* 9. 4. 26. Directo agere cum aliquo. *Liv.* 1. 11. *extr.* Directo arma petiisse. *h. e.* plana explicitis verbis. Alii tamen aliter legunt: *V. Drakenb.* ad h. l.

DIRECTORIUS, a, um, adject. Directoriæ litteræ sunt, quibus quippiam aliquo dirigitur mittiturque. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 14. 15. 3. Frumenta attingere nullus audeat, aut mutatis directoriis, quoquam, præter sacram urbem, transmittere.

DIRECTURA, æ, f. 1. directio, opus directe structum. *Vitruv.* 7. 3. 5. *Schneid.* Quo fundatior erit ex arenato directura, eo firmior erit ad vetustatem soliditas tectorii.

DIRECTUM, i, n. 2. et adverb. et

DIRECTUS, a, um. *V.* **DIRIGO.**

DIREMPTIO *vel* diremtio, ōnis, f. 3. divisio, separatio: item productio temporis, vel rei in aliud tempus, etc. a *dirimo*. *Cic. Planc.* 6. 14. Nihil est, quod populo supplicetur, nihil, quod diremptio, nihil, quod supplicatio magistratuum exspectetur. *V.* **DIRIBEO** I. *Orellius* pro *diremptio* legit *diribitio*. Certior est lectio apud *Val. Max.* 4. 7. *init.* Itaque celerius est sine reprehensione propinquum avertere, quam amicum: quia altera diremptio iniquitatis, altera utique levitatis crimini subjecta est.

DIREMPTUS *vel* diremtus, a, um. *V.* **DIRIMO.**

DIREMPTUS *vel* diremtus, us, m. 4. diremptio. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. Est enim interitus quasi discessus et secretio ac diremptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur. *Al. leg.* direptus.

DIREPO. *V.* **DEREPO.**

DIREPTIO, ōnis, f. 3. actus diripiendi. *Cic.* 4. *Fam.* 1. 2. Urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine fide relictam direptioni et incendiis. *Id. ibid.* 13. Direptiones bonorum. *Id.* 1. *Cat.* 7. 18. Vexatio direptioque sociorum. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 4. 52. Syracusarum. *Sueton. Claud.* 21. *a med.* Expugnatio et direptio oppidi. *Flor.* 1. 12. urbis. *Quintil.* 8. 3. 69. sacrorum. Adde *Cæs.* 2. *B. C.* 12.; et *Liv.* 44. 1.

DIREPTOR, ōris, m. 3. qui diripit. *Cic.* 3. *Phil.* 11. 27. Urbis direptor et vexator Antonius. *Id.* 2. *Cat.* 9. 20. Prædatores et direptores. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 33.

DIREPTUS, a, um. *V.* **DIRIPIO.**

DIREPTUS, us, m. 4. direptio. *Spartian. Sever.* 19. Invadentibus multis rempubl. res Romana prædonibus direptui fuit. *V.* etiam **DIREMPTUS**, us.

DIRIBEO, bes, bui, bitum, bere, a. 2. divido, distribuo. De etymo alii alia: *V. Voss.* in *Etymol.* Ceterum videtur esse a *dis*, et *ribeo*, quod a ῥίπω, unde ῥίβω, mox ῥίπτω *jacio*. P. Manutius: *Diribere*, et *dirimere*: illud tabellarum, hoc suffragiorum video proprium verbum fuisse, neutrum autem satis fuisse manifestum. At juxta recentiores philologos *diribeo* est a *dis* et *habeo*, mutato *dis* in *dir*, ut in *dirimo* a *dis* et *emo*, aliisque.

I.) Proprie. Diribere tabellas significat distribuere. Diribebantur autem iis, qui suffragium laturi essent. Nec dubito quin legendum sit *diribeantur*, non *diripiantur*, apud *Cic. Pis.* 40. 96. An exspectas, dum te quinque et septuaginta tabellæ diripiantur? Ita hoc verbum non in comitiis solum, verum etiam in judiciis usurpatum patebit. Nam hoc proximum exemplum satis plane judicium, quod Pisoni Cicero minatur, significat. *Plinius* autem ad alias res transtulit hoc verbum. Ait enim 36. *Hist. nat.* 15. 24. (118). *Hic est ille domitor orbis populus, qui gentes et regna diribet.* Quod autem in oratione pro *Planc.* 6. 14. vir diligens et eruditus legendum putat pro *direptio, diribitio*, rectius, opinor, sensisset, si *diremptio* reponere maluisset. Cum enim populus, aut judices tabellas, voluntatis indices, in cistas deposuerant, tum, ut intelligeretur, quæ tabellæ legem probarent, quæ rejicerent, aut quæ reum absolverent, quæ condemnarent, omnes dinumerari et separari necesse erat. Id autem *dirimere*, eaque actio *diremptio* vocabatur. Id ita esse plane demonstrat *Varro* 3. *R. R.* 2. 1. *Comitiis*, inquit, *æditiciis, cum ego atque Axius suffragium tulissemus, Axius mihi, Dum diribuntur, inquit, suffragia, vis potius Villæ publicæ utamur umbra?* Sic enim scriptum est in veteribus libris, non, ut a quibusdam hujus verbi vim ignorantibus nimis temere est intrusum, *diribentur*. *Cic.* quoque 3. *ad Q. fr.* 4. 1. *Cato*, inquit, *diruptis tabellis de circulo se subduxit*, ubi *diremptis* legi malim. Perspicue autem hujus verbi sententiam demonstrat *Lucan.* 5. 392. *fingit solemnia campus, Et non admissæ dirimit suffragia plebis*, pro *dinumerat et discernit*. Hæc *Manut.*, cujus sententiæ confirmandæ facit et illud *Cic. fragm. pro C. Cornel.* apud *Ascon.* Dum tabellæ diribentur, dum sitella differtur, dum æquantur sortes, etc. Et absolute *Varro* 3. *R. R.* 5. 18. Narrat, ad tabulam, cum diriberent, quemdam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum. Alii leg. *cum dirimerent*. Et *Val. Max.* 9. 12. *n.* 7. Licinius Macer repetundarum reus, dum sententiæ diriberentur, in Mœnianum conscendit. Hic quoque rectius alii leg. *dum sententiæ dirimerentur*. Itaque, ut *Garatonius* ad *Cic. Planc. loc. cit.* dicit, *diribere tabellas* est eas distribuere judicibus suffragium laturis; *dirimere sententias*, vel *suffragia* est ea separare, et ad candidatorum numerum dispertiri, ut quot ad quemque pertineant, innotescat. Diribitorum vero proprium fuit munus utrumque. — Hucusque *Forcellinus*. At *Wunder, Var. Lect. e cod. Erf. enot.* etc. in omnibus prorsus superius citatis *diribere*, non *dirimere*, legendum esse contendit; atque ait *diribere* proprie significare id, quod *Forcellinus* ad verbum *dirimere* transtulit. Quum enim populus aut judices tabellas, voluntatis indices, in cistas deposuerant, tum, ut intelligeretur, quæ tabellæ legem probarent, quæ rejicerent, aut quæ reum absolverent, quæ condemnarent, omnes dinumerari ac *separari* necesse erat. Id autem *diribere* vocabatur, hoc est, a *dis* et *habeo*, in varias partes habere ac tribuere, adeoque dividere.

II.) Translate *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (118), cujus verba superius retulimus sub I.

DIRIBITIO, ōnis, f. 3. distributio. Affertur locus ex *Cic. Planc.* 6. 14. Sed dubia est lectio. *V.* vocem præced. et **DIREMPTIO**. *Gruterus* quoque ex omnibus MSS. et vett. editionib. reponit *direptio*. At certa est lectio apud *Symmach. Laud. in patres* (edente *A. Mai*) 3. Abest cera turpis, diribitio corrupta clientelarum cuneis, sitella venalis.

DIRIBITOR, ōris, m. 3. distributor.

I.) Proprie. *Diribitores* in comitiis et in judiciis erant, qui tabellas dividebant. Idest singulis civibus, vel judicibus distribuebant, deinde peractis suffragiis tabellas omnes secernebant ex. gr. in tres ordines, ut constaret, ex. gr. plures ne absolverent, an condemnarent, an ampliandum putarent. *Cic. post red. in Senat.* 11. 28. Quando illa dignitate tot rogatores, diribitores, custodesque vidistis? Cf. *eumd. Pis.* 15. 36. Hoc certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabellarum. *Alii habent* distributores, quod *aperte glossema est*. *Auson. Grat. act.* 5. Nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nihil pepigi.

II.) Translate. In conviviis dicti sunt, qui scutellas disponerent, et cibos distribuerent carperentque. *Apul.* 2. *Met.* Diribitores plusculi, splendide amicti, fercula copiosa. — Alio sensu *Ammian.* 18. 5. Dum hæc in castris Constantii quasi per lustra aguntur et scænam, et diribitores venumdatæ subito potestatis pretium per potiores diffunditant domos, etc. *Diribitores* hic videntur esse fere iidem qui *divisores*, scilicet qui pecunia inter tribules divisâ suffragia emebant candidatis.

DIRIBITORIUM, ii, n. 2. videtur fuisse locus, in quo recensebatur exercitus, et stipendia numerabantur: a *diribendo*, idest distribuendo. *Sueton. Claud.* 18. et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (201). Hujusmodi diribitorium ab Agrippa fuit inchoatum, ab Augusto autem perfectum, ut narrat *Dion. l.* 55. *c.* 8. V. adnotat. ad *Sueton. loc. cit.*, et *Nardini Rom. ant. T.* 2. *p.* 119. Ceterum *Dion. Cass.* 59. 7. διριβιτώριον ait Caligulam usitasse pro theatro tempore æstivo, ne sedentes ardore vexarentur.

DIRIGESCO, ges, gui, gere. *V.* **DERIGESCO.**

DIRIGO, rigis, rexi, rectum, rigere, a. 3. (*dis et rego*). *Direxti* syncope pro *direxisti* est apud *Virg.* 6. *Æn.* 57. — In *Inscript.* allata in *V.* **DERIVO** *derexserat* legitur pro *direxerat*. — Part. *Dirigens* I. 1. *b.*; *Directus* I. 1. et 3. et in fin.; *Dirigendus* II. 2. — Dirigere est rectum aliquid collocare, recta linea struere (It. *dirizzare, porre a dirittura, disporre in linea retta*; Fr. *aligner, mettre, placer, élever en ligne droite, dresser*; Hisp. *delinear, tirar, poner las cosas de modo que esten sobre una misma linea, enderezar*; Germ. *auseinander, d. i. gerade richten, in oder nach gerader Linie richten, errichten*; Angl. *to direct, place straight*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ac generatim est rectum aliquid collocare, recta linea struere. — *a*) Cum Accusativo. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 10. Coronam si diviseris, arcus erit; si direxeris, virga. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Tigna – non sublicæ modo directa ad perpendiculum, sed prona. *Id.* 3. *B. C.* 46. Quibus ad recipiendum crates directæ longuriique objecti et institutæ fossæ magno impedimento fuerunt. *Id.* 7. *B. G.* 72. Fossam ducere directis lateribus, ut ejus solum tantumdem pateat, quantum summa labra distant. *Catull.* 22. 7. Membrana directa plumbo. *Quintil.* 5. 13. 11. Toto corpore obniti, et, ut sic dixerim, directa fronte pugnare. Adde *eumd.* 2. 13. 3. *Liv.* 37. 23. Directæ in frontem naves. *Id.* 31. 27. *extr.* Dirigere aciem. *h. e.* rectis ordinibus instruere. *Auct. B. Afr.* 13. aciem mirabili longitudine. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 8.; *Liv.* 21. 47. et 34. 28.; *Virg.* 2. *G.* 281.; *Quintil.* 2. 13. 4.; *Tac.* 2. *Ann.* 45.; et *Frontin.* 1. *Strateg.* 12. 3., 2. *ibid.* 2. 7. et 2. *ibid.* 3. 1. Sic *Vellej.* 2. 47. Sæpe directa acie, sæpe in agminibus, sæpe eruptionibus. *h. e.* acie instructa et versa in hostem et signis justo prælio collatis. *Liv.* 37. 31. Dirigere naves ante portum. *Id.* 22. 19. et 37. 27. Dirigere naves in pugnam. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 30. Romulus lituo regiones direxit tum, cum urbem condidit. *h. e.* descripsit. *Liv.* 39. 27. Dirigere fines. *h. e.* recta linea ducere vel signare. *Liv.* 5. 55. Festinatio curam exemit vicos dirigendi. *h. e.* recta linea exstruendi. *Cæs.* 7. *B. G.* 27. Postero die Cæsar promota turri, dire-

rtisque operibus, quæ facere instituerat, etc. *Flor.* 4. 12. Per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit. *Val. Flacc.* 2. 49. Dirigere pinum. *h. e.* navem. — *b*) Absolute. *Auct. B. Hisp.* 29. Hinc dirigens proxima planities æquabatur. *h. e.* recta se extendens et dilatans. *Tac.* 4. *Hist.* 58. *ad fin.* Quum Romanæ legiones contra direxerint. *supple* aciem, *vel* se, et steterint acie instructa, paratæ ad pugnandum. ¶ 2. Ratione præcipue habita præpos. *dis*, quæ divisionem significat, dirigere est discindere, diffindere, in duas partes dividere. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 51. Clipeatus elephantum ubi machæra dirigit. *h. e.* ictu discindit, ut effuso sanguine belluæ moles dissolveretur. Quo respexisse videtur *Paul. Diac. p.* 69. 15. *Müll.* D i r i g e r e apud Plautum invenitur pro d i s c i d e r e. Locus tamen *Plauti* valde a criticis vexatus est, ut et illud *Nigidii* apud *Gell.* 7. 9. Gallina dirigitur. et *Albinov.* 2. 109. Directus aries. Sic ubi *Non. p.* 290. 6. *Merc.* habet: Diligit, dividit. Titinnius: Pernam totam diligit; critici utroque loco legunt *dirigit*. ¶ 3. Speciatim cum addito loco vel fine, importat motum aliquem et progressionem rei, quæ contra aliud recta tendit. — *a*) Generatim. *Cæs.* 3. *B. C.* 25. Dirigere cursum ad littora. *Vellej.* 2. 19. cursum in Africam. Adde *Justin.* 22. 5. 1. *Nepos Miltiad.* 1. Cursum direxit, quo tendebat. Adde *Vellej.* 1. 4. *Justin.* 32. 1. 5.; et *Val. Max.* 7. 4. 5. cursum ad aliquem. *Virg.* 6. *Æn.* 195. cursum per auras. Cf. *Cic.* 2. *Nat. D.* 53. 131. Ab Etesiis maritimi cursus celeres et certi diriguntur. *h. e.* recto cursu naves impelluntur. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 11. Quum iter ad Mutinam dirigerem. Adde *Liv.* 35. 31.; et cf. *Cæs.* 3. *B. C.* 30. Dirigere iter terra secundum naves hostium. *Virg.* 1. *Æn.* 405. qua te ducit via, dirige gressum. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 162.; et *Curt.* 10. 1. 17. *Liv.* 2. 6. Dirigere equum in consulem. *Frontin.* 1. *Strateg.* 6. 1. cohortes in dextram partem. *Nepos Chabr.* 4. navem aliquo. *Sueton. Claud.* 20.; et *Frontin.* 3. *Strateg.* 13. 6. navigia. *Cæs.* 2. *B. C.* 25. vela ad castra Corneliana. *Catull.* 63. 56. aciem oculorum ad aliquem. *Gell.* 2. 1. Ore atque oculis eumdem in locum directis. *Ovid.* 8. *Met.* 400. Aper direxit in inguina dentes. *Juvenal.* 1. 89. brachia contra torrentem. *Quintil.* 11. 3. 105. In posteriora gestus non dirigitur. *Gell.* 2. 22. Ventus directus in Austrum. *Sueton. Cal.* 19. Aggere directo in Appiæ viæ formam. *Curt.* 4. 3. Molem in adversum ventum, non latere, sed recta fronte direxit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (47). Occæcare fossas, et in alias majores patentioresque dirigere. *Id.* 4. *ibid.* 23. 37. (122). Certior mensura ad occasum solis æstivi, per castra legionum Germaniæ ab iisdem dirigitur Alpibus. *Id.* 11. *ibid.* 37. 45. (125). Cornua in terram directa. — Dirigere se in aliquem locum est contendere, ire. *Apul.* 6. *Met.* Sume istam pyxidem, usque ad Inferos te dirige. Adde locum *Ulpiani* in *V.* DIRECTARIUS. — Absolute. *Seneca Ep.* 53. Protinus per altum ad Nesida direxi. *subaudi* cursum, aut navem. *Apul.* 2. *Met.* Comminus, si vir es, dirige. *subaudi* te. — *b*) Speciatim de telis. *Horat.* 4. *Od.* 9. 18. Arcu tela dirigere. Adde *Quintil.* 9. 4. 8. *Sueton. Domit.* 19. sagittas. *Virg.* 11. *Æn.* 654.; *Ovid.* 12. *Met.* 606.; et *Sil. It.* 3. 273. spicula. *Ovid.* 8. *Met.* 66. hastam. *Virg.* 12. *Æn.* 490. hastile. *Val. Flacc.* 6. 541. missile. *Virg.* 10. *Æn.* 140.; *Sil. It.* 2. 92.; et *Tac.* 2. *Hist.* 35. vulnera ferro. *Val. Flacc.* 1. 568. facem per inane. *Sil. It.* 4. 678. vires (*ignis*). *Curt.* 4. 9. 25. Præfectum directa in gutture hasta transfixit. V. *Mützell.* ad h. l. *Virg.* 6. *Æn.* 57. qui Paridis directi tela manusque Corpus in Æacidæ. *Curt.* 7. 4. 37. Dirigere hastam in os adversarii. *Id.* 3. 11. 5. mucrones in ora. *Seneca Herc. Œt.* 160. vulnera alicui. *h. e.* in aliquem. ¶ 4. Item speciatim usurpatur in re rustica de plantis. *Cic. Senect.* 17. 59. Ordines arborum in quincuncem directi. Sic *Id. Cæcin.* 8. 22. Oleæ directo ordine definiunt. Et *Colum.* 3. *R. R.* 15. 2. Ita paribus spatiis (*vitium*) ordines diriguntur. Similiter *Pallad.* 3. *R. R.* 13. 2. Ne alter ramus sub alterius linea dirigatur. Cf. *Varro* 1. *R. R.* 40. 6. Ejus ramuli, quem inseret, cacumen ut directum sit ad cælum, curat. — Sic figurate *Id. Varro* 1. *ibid.* 4. 1. Hinc profecti agricolæ ad duas metas dirigere debent (*subaudi* operam), ad utilitatem et voluptatem. Adde *eumd. ibid.* 18. 1.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est in ordinem distribuere. *Quintil.* 2. 6. 1. Materias, quas discipulis ad dicendum dabant, non contenti divisione dirigere, latius dicendo prosequebantur. ¶ 2. Speciatim est recta convertere; et occurrit — *a*) Cum addito Accusativo et præpos. *ad*, qua *versus* significat. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 20. 66. Meas cogitationes dirigo ad rationes has latiore specie, non ad tenue elimatas: eo fit, ut errem et vager latius. *Colum.* 3. *R. R.* 12. 4. Ad quæ contemplationem suam dirigat, qui vineas instituet. *Quintil.* 10. 2. 1. Ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Rursus *Cic. Topic.* 23. 89. Ad animi bona vel mala omnis dirigenda oratio est. *Quintil.* 4. 1. 68. Directo ad Ciceronem principio. Adde *eumd.* 2. 13. 5. et 4. 1. 64. *Id.* 10. 1. 127. Seneca placebat propter sola vitia: et ad ea se quisque dirigebat effingenda, quæ poterat. *h. e.* ferebatur, conabatur accedere ad ea imitanda. — Absolute sine Accusativo. *Cic.* 1. *Divinat.* 14. 25. Divinatio fallit nonnunquam; sed tamen ad veritatem sæpissime dirigit. — *b*) Cum præpos. *in* et Accus. *Curt.* 8. 5. Haud perplexe in Callisthenem dirigebatur oratio. *Quintil.* 10. 3. 28. Si tota mente in opus ipsum (*intentionem*) direxeris. *Id.* 2. 1. 11. Communes loci, qui sunt in vitia directi. Adde *Frontin.* 3. *Strateg.* 2. 2. — *c*) Cum Adverbiis motus. *Cic. Orat.* 71. 237. Nec quidquam adhuc inveni firmius, quo judicium meum dirigerem, quam etc. — *d*) Cum Accus. et præpos. *adversus*. *Quintil.* 5. 7. 6. Adversus singulos dirigitur actio. — *e*) Cum Ablat. et præpos. in. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *sub fin.* Si fleverit adversus alios judicium suum, quod tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio. — *f*) Sine additis. *Ovid.* 6. *Fast.* 484. Bacche, dirige vatis opus. *Al. leg.* navis iter. *Id.* 1. *Amor.* 6. 7. Ille (*Amor*) per excubias custodum leniter ire Monstrat: inoffensos dirigit ille pedes. *h. e.* regit. ¶ 3. Item est conformare, disponere, regere, metiri; et occurrit — *a*) Cum Accusativo et præpos. *ad*, qua *secundum* significat. *Cic. Mur.* 2. 3. Cato vitam ad certam rationis normam dirigens. *Id.* 2. *Legg.* 5. 13. Illa antiquissima et rerum omnium princeps expressa natura, ad quam leges omnes diriguntur. *Id. Brut.* 37. 140. Nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat. *Id. Orat.* 2. 9. Ad similitudinem alicujus rei artem et manum dirigere. *Liv.* 8. 32. Dirigere sententiam suam ad voluntatem alterius. *Curt.* 8. 9. *extr.* Idcirco breviores habent menses, qui spatium eorum ad hunc lunæ modum dirigunt. *Antonius* apud *Cic. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* Me sine ad hanc opinionem dirigere puerum, et tenero ejus animo persuadere, non esse tradendas posteris inimicitias. *Quintil.* 12. 3. 8. Dirigere se ad id, quod est optimum in natura. *Tac.* 4. *Ann.* 40. Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. — *b*) Cum Ablativo sine præpos. *Cic.* 3. *Orat.* 49. 190. Non sunt hæc rhythmicorum et musicorum acerrimâ normâ dirigenda. *Id.* 5. *Fin.* 20. 57. Quos utilitate, aut voluptate dirigunt. *Id.* 2. *ibid.* 22. 71. Voluptate omnia dirigentes Epicurei. *Id.* 3. *Off.* 21. 83. Honestate dirigenda utilitas est. ¶ 4. Apud sequioris ævi scriptores *dirigere aliquid* occurrit pro mittere. *Aurel. Vict. Epit.* 34. Ad quem Ticini positum, per Gallonium Basilium, indumenta regia direxerat. *Claudian. epist. ad Olybr.* 1. Quid rear, affatus quod non mihi dirigis ullos, Nec redit alterno pollice ducta salus? Adde *Sidon.* 7. *Ep.* 9. Et absolute *Capitolin. Clod. Alb.* 2. Epistolam dirigo. *subaudi* ad te. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus,

Directus, a, um, adjectivo quoque usurpatur, unde Comp. *Directior* I.

I.) Proprie est recto ordine positus, rectus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 144. Auditus flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex et directum pateret. *Id.* 6. *Verr.* 48. 107. Enna urbs directa. *Klotz* ita legit: *Orellius* vero et alii *dirempta*. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Directæ trabes. *Id.* 2. *B. C.* 21. jugum. *Ovid.* 1. *Met.* 98. Non tuba directi, non æris cornua flexi. *Id.* 2. *ibid.* 129. arcus. *Sil. It.* 6. 228. directo pectore. h. e. recto corpore. *Cæs.* 3. *B. C.* 79. A directo itinere. *Tibull.* 4. 1. 93. Directo cursu contendere. *Quadrigarius* apud *Gell.* 9. 1. Ut ictus directiores fiant. — *Directus paries* est, qui parieti communi extrema sui parte ita adhæret, ut figuram referat litteræ ⊢ prostratæ; ita ut linea transversa sit paries communis, recta vero directus, qui cum communi angulos rectos faciat. Ita *Hotoman. in Lex. Juris. Cic. Topic.* 4. 22. Omnibus est jus parietem directum ad parietem communem adjungere. — *Directus locus* est in rectum abruptus et præceps. *Cæs.* 1. *B. C.* 45. Præruptus locus erat, utraque ex parte directus. — Hinc *directum, i*, absolute, substantivorum more in quibusdam formulis usurpatur. *Varro* 7. *L. L.* 15. *Müll.* In directo pedum octo esse, in anfracto sexdecim. Adde *Cic.* 2. *Divinat.* 61. 127. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 22. 18. (80). Altitudo montis per directum quatuor millia passuum est. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 20. Cadere in directum. — Hinc etiam *directum* adverb. pro directe. *Capell.* 5. *p.* 297. Zodiacus circa Cancrum Capricornumque flexior æquinoctialem pæne directum secat.

II. Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Cic.* 1. *Fin.* 18. 57. O præclaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam! *Id. Cæl.* 17. 41. Iter directum ad laudem. *et ibid.* 18. 42. Non semper superet vera illa et directa ratio: vincat aliquando cupiditas, etc. — *b*) Speciatim *directa actio* apud JCtos dicitur, quæ legitima est, et recta ex verbis legis descendit: item quæ in solidum alicui competit: item quæ contrariæ opponitur. *Paul. Dig.* 3. 5. 46. Nec refert, directa quis, an utili actione agat. Adde *eumd. ibid.* 19. 4. 26.; et *Ulp. ibid.* 3. 5. 19. etc. — *c*) Item *directa oratio* dicitur a *Justino* 38. 3. 11., quæ directa loquendi ratione tribuitur illi, qui loquens inducitur: cui opponitur quæ per infinitum modum perpetuo effertur. Utriusque exempla passim apud *Livium*. V. OBLIQUUS. — *d*) *Directa verba* sunt, quæ missis ambagibus, directo et simpliciter aliquid significant. *Liv.* 21. 19. Hæc directa percunctatio ac denunciatio belli magis ex dignitate populi Romani visa est, quam etc. — Apud JCtos *directa verba* sunt *heres esto, do, lego, præcipio* et hujusmodi: quibus opponuntur verba fideicommissi, vel precaria et inflexa. *Imp. Constantin. Cod.* 6. 23. 15. etc. Sic *directæ et fideicommissariæ* libertates opponuntur. *Ulp. Dig.* 29. 1. 12. et *Terent. Clem. ibid.* 28. Sic *institutio directa* et *precaria* apud *Ulp. Dig.* 29. 1. 19. ¶ 2. Aliquando ponitur pro rigido, severo, et qui nulla ratione flecti potest. *Cic. Cæl.* 16. 38. Huic tristi ac directo seni responderet. *Ita ex optimis Codicibus legit* Orell.; *al. leg.* decrepito. *Id. Rosc. Com.* 4. 11. Quid est in judicio? directum, asperum, simplex. Quid est in arbitrio? mite, moderatum. — Hinc

Directum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, V. *Directus, a, um*, I. in fin.

Directum, adverb. V. *Directus, a, um*, I. in fin.

DĪRĬMO, imis, ēmi, emptum *vel* emtum, imere, a. 3. (a *dis* et *emo*, mutata *s* in *r*, ut *s Fusius Furius*, ut *Voss.* docet). Part. *Dirimens* I. 1.; *Diremptus* I. 1. et II. 2.; *Diremturus* et *Dirimendus* II. 1. — Dirimere est rem unam separatim ab alia prehendere, adeoque separare, dividere (It. *separare, spartire*; Fr. *désunir, diviser, séparer, partager*; Hisp. *desunir, apartar, separar*; Germ. *auseinander nehmen, trennen, theilen*; Angl. *to part, divide, separate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est separare, dividere. *Lucret.* 6. 1072. color conchyli (*h. e.* purpureus) mergitur una Corpore cum lanæ, dirimi qui non queat unquam. *h. e.* elui et a lanæ corpore separari. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 29. Individuum corpus, quod dirimi distrahive non potest. *Liv.* 22. 15. Urbs Vulturno flumine dirimitur. *Id.* 32. 10. Quia dirempti medio amne fuerant. *Id.* 42. 39. Postquam in congressu steterunt, dirimente amne, paullisper internunciando cunctatio fuit, utri transgrederentur. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (53). Tiberis agrum Fidenatem Latinumque a Vaticano dirimens. *Lucan.* 4. 33. qui – castris dirimebat Ilerdam. *Plin. Paneg.* 32. Dirempta mari gens. *Id.* 6. *Ep.* 8. Oppida nostra unius diei itinere dirimuntur. *Val. Flacc.* 7. 540. nox una dirimit undis Æsonidem. Adde *eumd.* 1. 284., 8. 365. et 3. 188. (quo postremo loco alii pro *diremptam* leg. *direptam*); et *Justin.* 4. 1. 1. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 477. pertentat crimina Minos, Et justis dirimit sontes. *Colum.* 4. *R. R.* 18. 1. Omnem modum agri in semijugera dirimere. *Stat.* 5. *Theb.* 482. Spumea porrecti dirimentes terga profundi. *h. e.* nave mare secantes. ¶ 2. Latiori

sensu pro coercere dixit Sil. It. 4. 101. Dirimere aliquem ab ictu.

II.) Translate. ¶ 1. Dirimere est impedire, ne qua res progrediatur, adeoque interrumpere, abrumpere, dissolvere; et occurrit — a) Generatim. Val. Flacc. 4. 664. lux noctem dirimit. Cf. Plin. 4. Ep. 9. 9. Id. Plin. 8. ibid. 14. 19. Dirimere sententias occidentis et relegantis. Tac. 2. Hist. 53. Diremptl moderatione meliorum. Id. 3. ibid. 57. Dirimere æmulationem. Id. 4. ibid. 76. diversitatem consiliorum. — b) De actionibus, quæ interrumpuntur. Plaut. Amph. 1. 1. 99. Prælium dirimit nox. Sic Liv. 31. 17. Cum nox prælium diremptura esset. Cæs. 1. B. C. 40. extr. Legionum adventu prælium dirimitur. Sall. Jug. 60. Prælium non diremit. Adde Frontin. 2. Strateg. 10. 1. Liv. 27. 30. et 40. 52. Dirimere bellum. Adde Juvenal. 6. 164. Ovid. 5. Met. 314. certamina. Tac. 3. Hist. 81. belli commercia. Liv. 1. 13. infestas acies. Frontin. 1. Strateg. 8. 6. seditionem. — c) Item de colloquio aut concilio. Cic. 1. de republ. 11. Num sermonem vestrum aliquem diremit noster interventus? Cæs. 1. B. G. 46. Dirimere colloquium. Liv. 1. 26. ad fin. Ut concilia populi, exercitus vocati, summa rerum, ubi aves non admisissent, dirimentur. Id. 40. 49. Dirimere comitia. Varro 3. R. R. 2. 1. et 5. 18. suffragia. Quid autem sit dirimere suffragia, V. in DIRIBEO. — Absolute Cic. 2. ad Q. fr. 13. 2. Actum (in senatu) eo die nihil: nox diremit. — d) Item de societate, amicitia, etc. Cic. 3. Off. 5. 23. Dirimere conjunctionem civium. Id. Sull. 2. 6. omnium officiorum societatem. Liv. 8. 23. hostibus societatem auxilii mutui. Cic. Cæl. 14. 34. Appius pacem Pyrrhi diremit. Adde Liv. 9. 8.; et Quintil. 2. 16. 7. Liv. 4. 6. Dirimere connubium. Juvenal. 7. 79. cœptum conjugium. Sueton. Cæs. 43. Diremit nuptias prætorii viri, qui digressam a marito post biduum statim duxerat. Tac. 12. Ann. 4. Dirimere affinitatem. Id. 6. ibid. 29. amicitias. — e) Item de lite, controversia, etc. pro decidere, terminare. Cic. 3. Off. 33. 119. Dirimere controversiam. Ovid. 1. Met. 21. Hanc Deus et melior litem natura diremit. Id. 6. Fast. 98. Res est arbitrio non dirimenda meo. Adde Liv. 6. 36. ¶ 2. Item ponitur pro abolere, delere, irritum reddere. Lucret. 1. 114. an anima nascentibus insinuetur, Et simul intereat nobiscum morte dirempta. Sall. Cat. 18. extr. Ea res consilium diremit. Cic. 2. Legg. 12. 31. Quid gravius, quam rem susceptam dirimi, si unus augur alium dixerit? Id. 1. Divinat. 39. 85. Quid habet haruspex, quum pulmo incisus, etiam in bonis extis, dirimat tempus et proferat diem? h. e. diem diffindat et in aliam diem proroget. Liv. 8. 23. ad fin. Videre, aut audire aliquid, quod auspicium dirimat. — NB. De illo Cic. 3. ad Q. fr. 4. Cato diremptis tabellis etc. V. DIRIBEO.

DĬRĬPIO, ripis, ripui, reptum, ripere, a. 3. (dis et rapio). Dirapio aut Disrapio leg. quidam apud Apul. de Deo Socrat. V. suo loco. — Part. Diripiens I. 3.; Direptus I. 1., 2., 3. et 4. Direpturus et Diripiendus I. 2. — Diripere est in diversas partes rapere, discindere, distrahere, lacerare (It. rapire qua e la, stracciare, lacerare; Fr. tirer de différents côtés, mettre en pièces; Hisp. tirar acá y allá, desgarrar, rasgar; Germ. auseinander-zer-reissen; Angl. to snatch or tear different ways, tear asunder or in pieces).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ac generatim. Plaut. Cist. 2. 1. 5. Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior. Id. Merc. 2. 4. 1. Pentheum diripuisse ajunt Bacchas. Lucret. 5. 1318. adversum venientibus ora petebant, Et nec opinantes a tergo diripiebant — Morsibus adfixæ validis atque unguibus uncis. Ovid. 5. Fast. 310. et 1. Art. am. 338. Hippolyte infelix, velles coluisse Dionem, Quum consternatis diriperetis equis. Id. Ib. 601. Diripiantque tuos insanis unguibus artus Strimoniæ matres Orpheos esse ratæ. Id. 3. Met. 371. membra viri manibus direpta nefandis. h. e. lacerata. Val. Flacc. 1. 813. Diripere senem. Id. 2. 240. Thressas. Virg. 12. Æn. 283. Diripuere aras. h. e. disjecerunt, diruerunt, everterunt. Al. tamen leg. deripuere. Similiter Vopisc. Prob. 6. vallum. h. e. diruere. — Et poetice Stat. 5. Theb. 366. lacerant cava nubila venti Diripiuntque fretum. h. e. huc illuc rapiunt impelluntque. — Figurate. Tibull. 3. 6. 28. venti temeraria vota, Aeriæ et nubes diripienda ferant. ¶ 2. Latiori sensu et speciatim ponitur pro auferre, detrahere, demere. Curt. 7. 5. 24. Direpto regio insigni. V. Mützell. ad Curt. 4. 2. 6. Forcellinus addit etiam figuratum illud Val. Max. 3. 3. n. 2. extern. Ut speraverit, et tyranno et Phalaridi vesanæ mentis feritatem a se diripi posse. Al. vero rectius leg. deripi. ¶ 3. Item in re militari est prædari, auferre, depopulari, quum plures simul hinc inde rapiunt et asportant. — a) De rebus et locis. Cic. pro leg. Manil. 9. 22. Res bello et tota Asia direptas in suum regnum congesserat. Sall. Jug. 41. Diripere prædas bellicas. Sic Lamprid. Alex. Sev. 34. Præda, quam Persis diripuit. Cf. Vopisc. Prob. 5. Trebell. Poll. XXX. Tyr. 2. Magna parte auri direpta. Sueton. Aug. 98. Diripiendi licentia. Lucan. 6. 116. plurima miles diripiens. Cæs. 7. B. G. 3. Diripere bona. Adde eumd. ibid. 42. et 43. Id. ibid. 38. magnum numerum frumenti. Id. 2. ibid. 17. Legio pulsa et impedimenta direpta. Liv. 23. 16. Diripere impedimenta et sarcinas. Sil. It. 17. 500. Ire direptum alicui aliquid. Cic. post redit. in senat. 7. 18. Domus mea diripiebatur, ardebat. Virg. 2. Æn. 563. Direpta domus. Liv. 5. 41. Diripere tecta. Id. 32. 12. et 2. 14. castra. Id. 6. 4.; Cæs. 3. B. C. 80.; et Sueton. Cæs. 54. et Ner. 39. oppidum. Cic. 5. Att. 20. ante med. Direpto et vastato Amano. Liv. 24. 2. Urbes direpturos se destinaverant. Adde eumd. 37. 32. Cic. pro leg. Manil. 19. 57. Expilare socios, diripere provincias. Sueton. Ner. 43. Galliæ diripiendæ. Cic. 8. Att. 2. Patriam diripiendam et inflammandam reliquimus. Cæs. 3. B. G. 31. Diripere civitates. — b) De personis. Nepos Cat. 3. diripere Lusitanos. Cæs. 6. B. G. 34. et 35. Eburones. Id. 7. ibid. 8. Obsecrant, ut suis fortunis consulat, neu se ab hostibus diripi patiatur. Id. 2. B. C. 12. Quo minus, quum venisset, si imperata non facerent, ad nutum e vestigio diriperentur. Tac. 13. Ann. 43. Diripere socios. — c) Poetice diripi amnis dicitur a Stat. 4. Theb. 817., ex quo ab exercitu siti jamdiu laborante avide hauritur et bibitur. ¶ 4. Item aliquando pro furari, per vim auferre. Virg. 3. Æn. 227. de Harpyis. Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant. Val. Flacc. 4. 454. de iisdem Harpyis. Diripiunt verruntque dapes, fœdataque turbant Pocula. Sueton. Ner. 11. Concessumque, ut scænici ardentis domus supellectilem diriperent. Id. Cæs. 17. Direpta supellectile. Id. Ner. 47. Unde (a cubiculo) jam et custodes diffugerant, direptis etiam stragulis. — Poetice Sil. It. 15. 730. colla diripit ense Mosæ. h. e. cædit; ubi rectius fortasse legas deripit. — NB. Pro extrahere, educere affertur a nonnullis illud Ovid. 10. Met. 475. Pendenti nitidum vagina diripit ensem. Al. leg. deripit rectius: quod idem dicito de simili loco Virg. 10. Æn. 475., item 3. ibid. 267., ubi deripere funem littore rectius est quam diripere. Item de illo 4. Æn. 593. Deripientque rates alii navalibus. h. e. deducent. His enim locis deorsum trahendi significatio aliqua inest, quæ per de, non per di exprimitur, ut et in DERIPIO dictum est. Similiter apud Cic. Sull. 1. 2. Quantum de mea auctoritate deripuisset: non diripuisset legendum est. Et Prov. cons. 6. 13. Hos vos de provinciis deripiendos non putaretis? non diripiendos.

II.) Translate diripi dicuntur, quæ cara omnibus sunt et quæsita, quæque omnes propterea sibi adipisci contendunt. — a) De rebus. Quintil. 6. 1. 47. Talos —, quos illi diripere cœperant. Sueton. Vit. Pers. sub fin. Editum librum continuo mirari homines et diripere cœperunt. — b) De hominibus. Seneca 3. Ira 23. Timagenes historiarum scriptor in contubernio Pollionis Asinii consenuit ac tota civitate direptus est. Alii leg. dilectus; alii aliter. Rursus Seneca Brevit. vitæ 7. Diripitur ille toto foro patronus. h. e. omnes eum sibi patronum adsciscunt. Est qui malit dirumpitur. Sic Martial. 7. 76. ad Philomusum scurram. Quod te diripiunt potentiores Per convivia, porticus, theatra. Stat. 5. Silv. 3. 139. de Homero. aliæ quem aliis natalibus urbes Diripiunt, cunctæque probant. (V. Cic. Arch. 8. 19.). Id. 5. Theb. 722. matremque avidis complexibus ambo Diripiunt flentes.

DIRITAS, ātis, f. 3. abstracta qualitas, qua aliquid terribile est, seu terrorem injicit; et occurrit ¶ 1. De fato, et est calamitas, infortunium. Cic. convertens locum Euripidis 3. Tusc. 14. 29. Ut si qua invecta diritas casu foret, Ne me imparatum cura laceraret repens. Gell. 4. 9. a med. Dies religiosi dicti, quos propter ominis diritatem relinquimus. — Sic diritas diei est dies improsperus et mali ominis auspicia captantibus et grande aliquid aggredientibus. Sueton. Ner. 8. Inter horam sextam septimamque processit ad excubitores, quum ob totius diei diritatem non alius auspicandi tempus accommodatius videretur. V. Tac. 12. Ann. sub fin., unde Sueton. illustratur. ¶ 2. De hominum, uti ajunt, charactere, et est sævitia, crudelitas, feritas. Cic. Vatin. 3. 9. Quamquam sis omni diritate atque immanitate teterrimus. Id. Senect. 18. 65. Quanta in altero diritas, in altero comitas. Ita legit Non. p. 100. 27. et p. 30. 20. Merc.: alii duritas. Sueton. Tib. 21. Diritas morum ejus. Mamertin. Grat. act. 26. Diritas hilaris. Id. ibid. 4. accusatoria.

DIRODIUM, ii, n. 2. rota, ex duobus radiis invicem decussatis constructa: vox hybrida, a δίς et rodium pro radium. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 81. hisce verbis: Rota, radius, dirodium, birodium, trirodium, quatrirodium.

DIRRHITHMUS, a, um, adject. διῤῥυθμος, qui duobus rhithmis constat. Mar. Victorin. p. 2543. Putsch. Bacchiacum dirrhithmus, sive dimetrum acatalectum hujusmodi est: Amicos vocantis, trirrhithmum quoque acatalectum ita: Ut Echo sub antris canebat; tetrarrhithmum etiam acatalectum tale est: Volabat superbas per auras Cupido.

DIRUDIS, e, adject. valde rudis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 123.

DĪRUMPO vel disrumpo, rumpis, rūpi, ruptum, rumpere, a. 3. (dis et rumpo). In multis ex allatis exemplis plerique legunt disrumpo. — Part. Diruptus in omnibus paragr. et in fin. — Dirumpere est in diversas partes rumpere, diffindere, scindere (It. rompere, scindere in parti opposte; Fr. séparer en brisant, déchirer, rompre; Hisp. romper, rasgar; Germ. auseinanderreissen, zerreissen, zerbrechen; Angl. to break, break in pieces).

I.) Proprie. Plaut. Curc. 2. 1. 6. Geminos in ventre habere videor filios; nihil metuo, nisi ne medius disrumpar miser. Id. Bacch. 3. 3. 37. Puer pædagogo tabula dirumpit caput. Cic. 2. Divinat. 9. 44. Quum autem (venti) se in nubem induerint, ejusque tenuissimam quamque partem cœperint dividere atque disrumpere, etc. Petron. Satyr. 96. Foramen valvæ, quod ansa ostii disrupta laxaverat. Apul. 1. Met. Putris et vetus funus dirumpitur. Tac. 1. Hist. 55. Quarta ac duoetvicesima legiones — dirumpunt imagines Galbæ. (Hinc nonnulli apud eumd. Tac. 1. Hist. 41. Diruptam Galbæ imaginem solo adflixit. leg. pro dereptam.). Inscript. apud Gruter. 163. 6. PONTEM BELLORVM INJVRIA ET AMNIS VIOLENTIA DIRVPTVM RESTITVIT. — Similiter Cic. 13. Phil. 12. 26. Homo diruptus dirutusque Q. Cælius. h. e. cui intestina rupta sunt, herniosus, aut saltem morborum vi fractus.

II.) Improprie. ¶ 1. Generatim ponitur de societate vel conjunctione aliqua pro abrumpere, dirimere, dissociare. Cic. 3. Off. 5. 21. Dirumpere humani generis societatem. Id. Amic. 22. 85. Repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus. — Huc aliqua ratione pertinet et illud Plauti Pœn. prol. 117. Cave dirumpatis. scil. metaphorâ ductâ a ludo puerorum, qui ducebant sparteam restem, et tamdiu trahebant, donec aut rumperent, aut alteruter, omissa funis prehensione, in nates caderet. V. integrum locum, ibique Interpp. ¶ 2. Speciatim in familiari sermone dirumpi dicitur, qui nimio gaudio aut dolore ita afficitur, ut medius crepare videatur. — a) Hac significatione fere passive usurpatur. Ter. Adelph. 3. 4. 4. SY. Collaudavit filium: mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias. DE. Disrumpor. h. e. ira, indignatione, dolore. Cic. 12. Fam. 2. 2. Infinito fratris tui plausu dirumpitur. h. e. invidia rumpitur. Sic Id. 4. Att. 16. a med. Unum omnia posse, dirumpuntur ii, qui me aliquid posse doluerunt. Adde eumd. Dom. 37. 99. Id. 7. Att. 12. Dirumpor dolore. Apul. 3. Met. sub init. risu. — b) Active. Cic. 7. Fam. 1. 4. Dirupi me pæne in judicio Caninii. (Sic Horat. 1. Ep. 19. 15. Rupit Iarbitam Timagenis æmula lingua. V. et Phædr. 1. 24.). Ceterum juxta Forcellinum apud Cic. τὸ dirupi me est

fere medius crepui, vel pæne herniosus factus sum. ¶ 3. Item obscænam latentem sententiam habet apud *Plaut. Cas.* 4. 3. 10. (Perii, hercle, ego miser, dirumpi cantando Hymenæum: licet, illo morbo, quo dirumpi cupio, non est copia. *h. e.* coeundo: nam hic nondum advenit sponsa, cujus latera dirumpam.), et fortasse etiam *Pæn. prol.* 117., quem locum etiam supra sub II. 1. citavimus. *V.* RUMPO. Aperte autem obscæno sensu *Apul.* 7. *Met.* Mulier misera illa compavita atque dirupta. *scil.* ab asino proculcata et vehementer stuprata. *Id.* 9. *ibid.* Puer nates candidas illas diu noctuque diruptus, mærens profugit. Græca constructio: *nates diruptus*, h. e. refereus nates noctu quidem a stupratoris sui mentula divisas, diu vero seu mane ab eodem ferula obverberatas. — Hinc Part. præter. pass., cujus plura superius exempla retulimus,

Diruptus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Diruptior* apud *Liv.* 38. 2. *ad fin.* In altiorem diruptioremque tumulum concessere. *At ibi rectius legas* deruptiorem: V. *Drakenborg.* ad h. l. et DERUMPO.

DĪRUNCIUNT depurgant. *Paul. Diac. p.* 69. 16. *Müll.*, qui leg. *deruncinant*. Ceterum *deruncinant* in Comment. ut legatur jubet *Lind.*; recte fortasse, addit *Müller.*, quum minus credibile sit, præter verba *runcare* et *runcinare*, fuisse etiam tertium aliquod *runcire*.

DĪRŬO, rŭis, rŭi, rŭtum, rŭere, a. 3. (dis *et* ruo). Part. *Diruens* et *Diruendus* I.; *Dirutus* I. et II. — Diruere est rem alteram ab altera avellendo dejicere, evertere, destruere (It. *rovinare, disfare, demolire*; Fr. *défaire, renverser, détruire, démolir*; Hisp. *deshacer, derribar, abatir, demoler*; Germ. *auseinanderreissen, durch Einstürzen zertrümmern, zerstören*; Angl. *to pull down, overthrow, destroy, demolish*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accusativo tantum rei, quæ diruitur. *Ter. Adelph.* 5. 7. 10. Diruere maceriam in horto. *Nepos Con.* 4. Muros dirutos reficiendos curat. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. § 25. Urbes dirutæ ac pæne desertæ. Sic *Id.* 1. *Invent.* 40. 73.; *Liv.* 4. 61.; *Ovid.* 12. *Met.* 461.; et *Sueton. Cæs.* 54. Diruere urbem. *Vellej.* 1. 13. M. Cato perpetuus diruendæ Carthaginis auctor. *Juvenal.* 4. 60. Diruta Alba. *Id.* 14. 196. Diruere castella. *Auct. B. Afr.* 20. atque delere oppida. *Liv.* 1. 29. Fragor tectorum, quæ diruebantur. *Id.* 42. 3. Eum diruentem templa vagari dixerunt. Adde *Sueton. Cal.* 6. *Liv.* 4. 60. Diruere domum. *Auct. B. Hisp.* 16. casas. *Horat.* 3. *Od.* 30. 4.; et *Sueton. Domit.* 8. monumentum. *Sueton. Cæs.* 46. villam. *Id. Ner.* 25. arcam. *Spartian. Hadrian.* 9. cryptas et topia. *Propert.* 4. 9. 14. fores. *Id.* 2. 21. 54. Priami diruta regna senis. — *b*) Cum additis. *Sueton. Aug.* 72. Diruere prætoria ad solum. *Curt.* 3. 10. 7. urbem ad solum. Cf. *Seneca* 1. *Ira* 16. Tecta diruere et solo exæquare. — *c*) Absolute. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 100. Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. Cf. *Sall. Cat.* 20. Nova diruunt, alia ædificant.

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Horat.* 4. *Od.* 14. 29. Ut barbarorum Claudius agmina Ferrata vasto diruit impetu. *h. e.* perrupit. *Liv.* 39. 18. Diruere omnia Bacchanalia. *h. e.* aras atque ædes Bacchanalibus destinatas, ut *Forcellinus* interpretatur, vel potius Bacchanalia tollere. *Id.* 7. 41. Postulatum fuit, ut de stipendio equitum (merebant autem triplex ea tempestate) æra diruerentur, quod adversati conjurationi fuissent. *Alii tamen leg.* demerentur. Hyperbole est in illo *Auctoris B. Hisp.* 42. Decem habere legiones populum Romanum, quæ non solum vobis obsistere, sed etiam cælum diruere possent. — *b*) Speciatim *ære dirutus* dicebatur miles, cui stipendium esset ademptum ignominiæ causa, vel quod, ut ait *Paul. Diac. p.* 69. 17. *Müll.*, æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum: vel quod ære deciderat, ut *diruo* hic pro simplici *ruo*, cado, sumatur: vel simplicius ære aversus et spoliatus, quemadmodum dicitur *fortunis aliquem evertere* etc. *Varro* apud *Non. p.* 532. 4.; *Cic.* 7. *Verr.* 13. 33.; et *Liv.* 24. 18. et 40. 41. — Hinc omisso ære et generatim de eo, qui ære alieno oppressus solvendo non est. *Cic.* 13. *Phil.* 12. 26. Homo diruptus dirutusque Q. Cælius.

DĪRUPTĬO, ōnis, f. 3. fractura, discissio. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 15. Aer necessario vastum, in tam magnorum corporum diruptione, reddit sonum.

DĪRUPTUS, a, um. *V.* DIRUMPO.

DĪRUS, a, um, adject. Comp. *Dirius* I.; Sup. *Dirissimus* II. *a.* — Ratione habita etymi, *Voss.* deducit a δεινός *gravis*. *Paul. Diac.* vero *p.* 69. 12. *Müll.* ita dirum putat, quasi *Dei ira natus*: et *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 235. Sabini, inquit, et Umbri, quæ nos mala, dira appellant. Ceterum dirus est horribilis, terribilis, visu vel auditu horrendus, quidquid horrorem incutit et a quo oculi abhorrent (It. *orribile, terribile, dal cui aspetto noi rifugiamo*; Fr. *terrible, affreux*; Hisp. *terrible, que causa miedo, horror, espantoso*; Germ. *furchtbar, schrecklich, Grausen, Entsetzen erregend*; Angl. *horrible, terrible, dreadful, ghastly*).

I.) Proprie locum habet in auguriis, et est ominosus, tristis, gravia atque ingentia mala portendens. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 21. Quæ augur injusta, nefasta, vitiosa, dira defixerit, irrita infectaque sunto. *Id.* 2. *Divinat.* 15. 36. Tristissima exta sine capite, quibus nihil videtur esse dirius. *Ovid.* 5. *Met.* 550. Bubo, dirum mortalibus omen. *Tac.* 3. *Hist.* 56.; et *Sueton. Aug.* 92. et *Tib.* 1. et 3. et 17. Dirum omen. *Sueton. Claud.* 22.; *Val. Flacc.* 4. 79.; et *Tac.* 12. *Ann.* 43. aves. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (4). alites. *Virg.* 1. *G.* 488. cometæ. *Val. Flacc.* 3. 59. somnia. *Cic. carm. de suo consul.* 1. *Divinat.* 11. 18. dirum in tempus cecidere Latinæ. Sic *Juvenal.* 4. 80. et 10. 15. Dira tempora. *Horat.* 3. *Od.* 24. 6. necessitas. Cf. *Virg.* 8. *Æn.* 349. Jam tum religio pavidos terrebat agrestes Dira loci: jam tum silvam saxumque tremebant. *h. e.* religio vel superstitio magna, venerabilis, horrorem incutiens et timore animos percellens. *Ovid. Ib.* 85. Carmina dum capiti malefido dira canuntur. *h. e.* dirum malum imprecantia. Sic *Horat. Epod.* 5. 89. Dira detestatio. *Liv.* 40. 56.; et *Sueton. Claud.* 12. exsecrationes. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (19). Diris precationibus aliquem defigere. *Tac.* 16. *Ann.* 8. diri sacrorum ritus. *Juvenal.* 15. 104. dira atque immania. *V.* integrum locum. — Hinc — *a*) *Diræ, arum*, f. plur. 1. (subaudi res) absolute, substantivorum more dicuntur obscœnæ volucres, vel potius generatim omnia tristia signa mali ominis. *Cic.* 1. *Divinat.* 16. 29. M. Crasso quid acciderit, videmus, dirarum obnunciatione neglecta. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (17). In augurum disciplina constat, neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, observasse ea negaverint. *Id. ibid.* 2. 5. (26). Sternutamento revocari ferculum, inter diras habetur. *Servius* quoque hoc sensu dixit, in singulari numero, si tamen salva est lectio, ad *Virg.* 5. *Æn.* 7. — Hinc *diræ, arum* sunt etiam exsecrationes et imprecationes, quæ horrende in aliquem effundebantur, deos quosdam inauditos compellando, quibus quisquis devotus erat, credebatur maximo affici infortunio: in quo *diræ* nihil omnino differunt a significatione proxime superiori. *Tibull.* 2. 7. 35. Tunc tibi, lena, precor diras. *Horat. Epod.* 5. 89. Diris agere aliquem. *Tac.* 6. *Ann.* 24. Meditatas compositasque diras imprecari. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (21). Ut diras Pompejo, quas ille mox luit, imprecaretur. *Flor.* 2. 6. Saguntinorum ultimæ diræ. Sic *Diræ ad Battarum* est titulus carminis exsecratorii *Valerii Catonis*, de quo vide *Indic. scriptor. Latin.* huic *Lexico* præmissum. — *b*) Denique *Diræ, arum*, absolute sunt etiam deæ, Noctis filiæ, eædem quæ Furiæ et Eumenides Jovis ministræ, quarum opera morbos, letum, bellum et cetera mala mortalibus immittit. Sed priori vocabulo vocantur in cælo, altero in terris, tertio apud inferos: quamvis hoc perpetuum non est. *Virg.* 12. *Æn.* 845. Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ, Quas, et Tartaream Nox intempesta Megæram, Uno eodemque tulit partu etc. *V.* ibi quæ sequuntur. *Val. Flacc.* 1. 803. mors sera viam tentataque claudat Effugia, et nostras ne queat præcurrere Diras. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 8. 15. (31). *de Orco amne.* Pœnales aquæ Dirisque genitæ. *Virg.* 7. *Æn.* 324. et 454. Diræ sorores. *Id.* 4. *ibid.* 473.; *Val. Flacc.* 5. 446.; et *Parat. Paneg. Theod.* 42. Ultrices Diræ. *Aurel. Vict. Epit.* 21. Fratrem suum interemit: ob quam causam furore pœnas dedit Dirarum insertatione; quæ non immerito ultrices vocantur. — *c*) *Dira* quoque absolute sunt mala, infortunia. *Tibull.* 2. 5. 115. Dira precari alicui. *Seneca Troad.* 423. prosperis rebus locus ereptus omnis: dira, qua veniant, habent.

II.) Translate est sævus, crudelis, atrox, infestus, et similia. Usurpatur autem — *a*) De personis. *Varro* apud *Non. p.* 100. 30. *Merc.* Scæna, quæ senem Latina vidit dirissimum. *Non. ibid.* exponit severum, asperum, rigidum. *Virg.* 3. *Æn.* 235. dira bellum cum gente gerendum. *Id.* 2. *ibid.* 261. dirus Ulixes. *Horat.* 3. *Od.* 6. 36.; et *Juvenal.* 7. 161. Hannibal. (Nonnulli *dirum Hannibalem* legunt etiam apud *Horat.* 2. *Od.* 12. 2.; sed ibi *durum* legendum est: V. *Ritter* ad h. l.). Rursus *Horat.* 4. *Od.* 4. 42. (ut legit etiam *Quintil.* 8. 2. 9.). Afer. *Id.* 2. *Ep.* 1. 10.; et *Val. Flacc.* 7. 623. Hydra. *Ovid.* 4. *Fast.* 53. Amulius. *Id.* 14. *Met.* 278. dea. *h. e.* Circe. *Id.* 1. *Art. am.* 331. victima. *Id. Heroid.* 12. 188.; et *Val. Flacc.* 3. 610. noverca. *Id.* 2. *Met.* 651. serpens. *Val. Flacc.* 4. 148. Amycus. *Id.* 6. 151. Choatræ. *Id.* 2. 237. conjux. *Juvenal.* 4. 116. satelles. — *b*) De inanimis et abstractis. *Lucret.* 4. 1040. Dira cupido. Cf. *eumd.* 4. 1083. Sic *Virg.* 1. *G.* 37. Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido. *h. e.* magna et vehemens, ut etiam *Servius* exponit, adeoque sæva. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 721. *Lucret.* 5. 942.; et *Val. Flacc.* 4. 106. Dira pabula. *Virg.* 2. *Æn.* 519. quæ mens tam dira, miserrime conjux, Impulit his cingi telis? Inepte *Servius*: modo proprie. *dira* enim deorum ira. ergo *quæ mens dira*, infusa ex deorum ira. *Id.* 11. *ibid.* 217. Dirum bellum. *Id.* 8. *ibid.* 194. *de spelunca Caci.* facies quam dira tenebat. Cf. *Ovid.* 1. *Fast.* 553. *de Caco.* Dira viro facies. Rursus *Virg.* 3. *Æn.* 228. Dira vox. *Id. ibid.* 593. illuvies. *h. e.* tætra, *Servius. Id.* 4. *ibid.* 563. nefas. *Catull.* 25. 5. hiems. *Horat.* 2. *Od.* 2. 18. hydrops. *Id. Epod.* 5. 61. et 1. *Sat.* 9. 31. venena. *Id.* 1. *Od.* 2. 2. grando. *Id. Epod.* 13. 10. sollicitudines. *Ovid.* 9. *Met.* 179. cruciatus. *Id.* 3. *ibid.* 625. cædes. *Id.* 11. *ibid.* 371. fames. *Id.* 10. *ibid.* 300. Dira canam. *nempe* dicturus de amoribus Myrrhæ, quos *ibid.* 426. dirus amores vocat. *Id.* 2. *ibid.* 590. Dirum crimen. *h. e.* Nyctimenes, quæ cum patre coiit. *et* 6. *ibid.* 664. Diræ dapes. *h. e.* Terei, qui suos natos comedit. *Id.* 3. *Trist.* 3. 5. Dira regio. *h. e.* aspera, horrida. *Id.* 3. *ibid.* 354. superbia. *Sueton. Claud.* 25. immanitas. *Tac.* 4. *Hist.* 62. os. *Id.* 1. *Ann.* 62. quies. *Seneca Hippol.* 131. spes. *h. e.* qua res diræ et nefandæ sperantur, qualis fuit Phædræ insanientis amore Hippolyti. *Val. Flacc.* 2. 235. tædæ. *Id.* 7. 552. cruores. *Id.* 8. 352. lingua. *Id.* 2. 291., 4. 426. et 6. 399. lues. *Id.* 3. 132. lumen. *Id.* 7. 206. arva. *Id.* 2. 172. conjugia. *Id.* 5. 660. jussa tyranni. *Id.* 3. 172. scelus. *Id.* 6. 591. fraudes. *Id.* 6. 683. vis durum. *Sil. It.* 3. 315. cruor. *Id.* 8. 831. laus. *Juvenal.* 4. 14. persona. *Id.* 15. 32. feritas. *Id.* 15. 96. egestas. *Id.* 13. 193. factum. *Id.* 8. 119. et 13. 106. culpa. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 11. 12. (30). et 7. *ibid.* 13. 15. (64). Dirus odor. *h. e.* teter. *Id.* 5. *ibid.* 15. 15. (71). Asphaltites lacus natura dirus. *h. e.* noxius. Sic *Id.* 11. *ibid.* 29. 35. (104). Diræ messibus locustæ. *Id.* 4. *ibid.* 11. 18. (51). Scopulus dirus ac pestifer. *h. e.* periculosus, infestus. Sic *Id.* 5. *ibid.* 4. 4. (26). Sinus syrtibus et vadoso mari dirus. *Id.* 37. *ibid.* 11. 73. (192). Dira mendacia. *h. e.* monstrosa et portenti similia. — Sequente Infinito. *Sil. It.* 4. 284. Conturquet nodis et obusto robora diram Vel portas quassare trabem. Sic Græci δεινὸς λέγειν, δεινὸς γράφειν. — Hinc

Diræ, ārum, f. plur. 1. absolute, *h. e.* res diræ, sive omnia tristia signa mali ominis, vel etiam exsecrationes et imprecationes, *V.* supra sub I. *a.*

Diræ, ārum, f. plur. 1. absolute pro Furiis, *V.* supra sub I. *b.*

Dira, n. plur. 3. pro malis, infortuniis, *V.* supra sub I. *c.*

Dirum, adverbii more ponitur. *Seneca Œdip.* 961. et *Herc. Œt.* 1679. Dirum fremens.

DĪRŬTĬO, ōnis, f. 3. ruina. *Inscript.* apud *Gruter.* 3. 9. DOMVM TERTIANAM EX DIRVTIONE RESTITVERVNT DEDICARVNTQVE. *Vetus Scholiast.* ad *Lucan.* 1. 379. Senones Galli paullatim ingressi omnia vastarunt octo integris diebus dirutione et incendio, solo remanente Capitolio.

DĪRŬTUS, a um. *V.* DIRUO.

DIS est præpositio vel particula, quæ solum in compositione reperitur; et per apocopen facta videtur a διά, quæ composita idem significat, ut in διαφέρω *differo*. — *a*) Quod ad compositionem attinet, *dis* præponitur verbis incipientibus per *c*, *p*, *q*,

l et *s*, ut *discepto, dispono, disquiro, distermino, dissolvo*; excipe tantum *disertus* pro *dissertus*: ante *f* in aliud *f* mutatur, ut *diffindo*: aliis consonantibus *di* et quidem longa pro *dis* præponitur, ut *diduco, digredior, diluo, dimitto, dinumero, dirigo, discindo, diverto*: *dir* et quidem brevis pro *dis* præponitur in *dirimo* et *diribeo*, sed *dis* immutata manet in *dishiasco*: denique ante *i* loco consonantis modo *dis*, modo *di* legitur, ut *disjicio, disjungo* et contra *dijugo, dijudico*. Hæc fere omnia *Priscian. in fin. l.* 11. — *b*) Quod ad significationem attinet, *dis* significat divisionem totius in partes, ut *diduco, distraho, diffugio, dirumpo, disjicio*: aliquando etiam divisionem alterius rei ab altera, ut *digredior*: interdum etiam habet vim augendi, ut in *discupio*: denique aliquando vim habet negandi, præcipue si jungatur verbis, quæ cum particula *cum* composita contrarium significent, ut *discors, diffiteor*, quibus opponuntur *concors, confiteor*; quamquam interdum composita ex part. *dis* ipsis quoque simplicibus opponuntur ut *difficilis, discingo*, quæ *facilis* et *cingo* opponuntur.

DIS, dite, adject. *V.* DIVES.

DIS, ditis, *idem quod* dives. *V.* DIVES. — De Plutone *V.* DIS in ONOM.

DĪSĀMO, as, are, a. 1. valde diligo, a *dis* et *amo*, ut *discupio* et *dispereo*. *Fronto* 3. ad *M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 3. Ego vero etiam litterulas tuas disamo; quare cupiam, ubi quid ad me scribes, tua manu scribas. *Cod.* habet *dis amo*, at *Maius* legendum putat *dissuaviari cupiam*. *Ubi* etc. Fortasse nihil mutandum.

DISCALCEĀTUS, a, um. *V.* vocem seq.

DISCALCEO, as, ātum, are, a. 1. calceos detraho. *Gloss. Philox.* Discalceor, ἀπολύομαι. — Ceterum occurrit tantum Part. *Discalceatus* apud *Sueton. Ner.* 51. Ut prodierit in publicum sine cinctu et discalceatus. — Scribitur et *discalciatus*. V. CALCEAMEN.

DISCĂPEDĪNO, as, āvi, are, a. 1. disjungo, laxo: a *capedo*. *Apul. Florid.* 3. Primus Hyagnis in canendo manus discapedinavit: primus duas tibias uno spiritu animavit. *h. e.* manus et digitos alterum ab altero disjunxit, claudendo et aperiendo foramina inter se distantia: vel quod est veri similius, manum alteram ab altera disjunxit, duas simul tibias inflando, quarum unam dextera, sinistra alteram tenebat et moderabatur.

DISCĂRĪCANS, antis, particip. ab inus. *discarico*, Italis nunc *discaricare*: a præpositione separativa *dis* et *carrus*, cui altera ex duabus consonis, ut solet vulgus, adempta est. *Venant. Vit. S. Menard.* 7. Et data oratione discaricantes, quæ tulerant, lassati pergunt itinera. Hucusque cl. *Furlanetto* in *Append.* Nihil tamen obstat, quominus legamus *discarricantes*, h. e. onera e carro detrahentes.

DISCĂVĔO, es, ere, n. 2. diligenter caveo. *Plaut. Men.* 2. 1. 24. Dictum facessas doctum, et discaveas malo.

DISCĒDO, cēdis, cessi, cessum, cēdere, n. 3. (dis et cedo). *Discesti* pro *discessisti* syncope est apud *Plaut. Asin.* 2. 1. 3. — Part. præter. pass. *Discessus* habet *Cæl.* vel *Cæcil.* apud *Priscian.* 8. p. 860. *Putsch.* Custodibus discessis, multi interficiuntur. Part. *Discedens* sub *B. a.* et *b.*; *Discessurus* sub *C.* 1. 4. *c.* — Ceterum discedere tria præcipue significat, scilicet

A) Est hinc inde cedere, in diversas partes cedere; et dicitur proprie de iis, quæ in partes dividuntur.

I.) Proprie. — *a*) De hominibus; et quidem — Absolute. *Senatuscons.* apud *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 3. 5. Senatusconsultum factum est, ut sodalitates decuriatique discederent: lexque de iis ferretur, ut qui non discessissent, ea pœna, quæ est de vi, tenerentur. *h. e.* dissolverentur, dirimerentur. *Sall. Jug.* 34. Ita populus ludibrio habitus ex contione discessit. Sic *Liv.* 3. 11. Initium erat rixæ, quum discedere populum jussissent tribuni. *Sisenna* apud *Non.* p. 99. 6. *Merc.* Armati dextera ducti magisque in latitudinem discedunt. *Sueton. Oth.* 11. Ut eos qui discedere et abire cœptabant, corripi quasi desertores detinerique sensit, etc. Huc pertinet locus *Asconii* ad *Cic. orat. pro C. Corn. circa med.* de discedentibus ad suffragium ferendum. — Cum additis. *Sall. Jug.* 13. In duas partes discedunt Numidæ: plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bello meliores. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 49. Non prælio, non adversis e castris, sed iisdem e cubilibus, quos simul vescentes dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes, ingerunt tela. *Id. ibid.* 31. Adsistentem contionem, quia permixta videbatur, discedere in manipulos jubet. *Nepos Eumen.* 8. Hiberna sumpserant, non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam, longeque inter se discesserant. *Id. Datam.* 11. Hic quum aliquamdiu in colloquio fuissent, et diversi discessissent, etc. — *b*) De rebus inanimis. *Lucret.* 3. 437. Et nebula ac fumus quoniam discedit in auras etc. *paullo post est* dissolvi. Adde *eumd.* 2. 832. Similiter *Id.* 3. 401. anima discedit in auras, Et gelidos artus in leti frigore linquit. *Id.* 2. 711. cibis ex omnibus intus in artus Corpora discedunt. *Cic.* 3. *Off.* 9. 38. Quum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit. *Id.* 1. *Divinat.* 43. 97. Quum cælum discessisse visum est. Adde *eumd. ibid.* 44. 99.; et *Senec.* 7. *Quæst. nat.* 20. Similiter *Virg.* 9. *Æn.* 20. medium video discedere cælum, Palantesque polo stellas. Sequor omina tanta. *Lucan.* 6. 380. discedit vomere sulcus. Poetica sunt illa *Virg.* 3. *G.* 24. Vel scæna ut versis discedat frontibus. *Val. Flacc.* 4. 641. maria ipsa repente Diffugere, adversosque vident discedere montes. *Id.* 1. 281. dirimique procul non æquore visa Cœperat a gemina discedere Sestus Abydu. *Justin.* 4. 1. 16. Credentibus (*antiquis*), coeuntibus in se promontoriis, ac rursum discedentibus, solida intercipi absumique navigia. *Sil. It.* 6. 37. faciem discedere terram. *h. e.* aperiri atque hiscere ad homines sepeliendos. Huc referri potest et illud *Propert.* 2. 6. 7. citius paterer caput hoc discedere collo.

II.) Translate. *Quintil.* 12. 10. 58. Altera est divisio, quæ in tres partes et ipsa discedit. *Id.* 3. 6. 86. Hæc quattuor velut proposita – in duo genera discedunt. *Al. leg.* descendunt.

B) Discedere, quum particulæ vis præstat, est sejungere vel separare se ab aliquo et in diversa abire. — *a*) Generatim. *Cic. Amic.* 20. 75. Et sæpe incidunt magnæ res, ut discedendum sit ab amicis. *Cæs.* 1. *B. C.* 12. Diffisus municipii voluntati Thermus cohortes ex urbe educit ac profugit: milites in itinere ab eo discedunt ac domum revertuntur. *Id.* 3. *ibid.* 60. Discedere a nobis, et novam tentare fortunam novasque experiri amicitias constituerunt. *Liv.* 43. 6. Discedere a Perseo. *Nepos Alcib.* 8. Ab hoc discedens Alcibiades etc. Cf. *eumd. ibid.* 10. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 25. Quod si me noles usquam discedere, etc. *V.* integrum locum. — Et passive impersonaliter. *Tac.* 6. *Ann.* 44. Fugæ specie discessum: – donec Tiridates cum paucis in Suriam revectus pudore proditionis omnes exsolvit. — *b*) Specialim discedere dicitur uxor, quæ a viro sejungitur seu divortium facit. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. 1. Inter postulationem et nominis delationem uxor a Dolabella discessit. Cf. *Val. Flacc.* 7. 107. Visus et heu miseræ tunc pulchrior hospes amanti Discedens.

C) Discedere, quum vis verbi *cedere* præstat, significat ab uno loco abire, proficisci.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Cum addito, a quo quis discedit — *a*) Per Ablat. et præpos. *ab*. *Plaut. Asin.* 3. 3. 13. Næ iste hercle ab ista non pedem discedat, si licessit, qui nunc festinat atque ab hac minatur sese abire. *Cic.* 6. *Verr.* 15. 33. Pueri Sisennæ ab argento digitum non discedere. *Id.* 7. *Att.* 2. *ad fin.* Chrysippus discessit a puero, insciente me. *Id.* 7. *Att.* 21. Eo die Capua discessi. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Discedere a Cæsare. *Id.* 7. *ibid.* 9.; *Nepos Datam.* 5. et *Sueton. Cæs.* 29. ab exercitu. *Cæs.* 5. *B. G.* 3. ab suis. *Id.* 5. *ibid.* 8. a littore. *Id.* 3. *B. C.* 37. a vallo. *Id.* 5. *B. G.* 1. ab hibernis. *Nepos Dion.* 9. a foribus. *Quintil.* 5. 11. 9. ab urbe. Adde *Justin.* 20. 5. 1. — Et passive impersonaliter. *Cæs.* 7. *B. G.* 2. Ab concilio disceditur. — *b*) Per Ablat. et præpos. *e* vel *ex*. *Cic.* 8. *Phil.* 7. 21. Illum e Gallia non discessisse. *Cæs.* 2. *B. C.* 33. ex contione. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 85. e patria. *Al. leg.* a patria. *Sueton. Cæs.* 1. e medio. *h. e.* ex urbe, seu civium aspectum vitare. Adde *Ammian.* 14. 6. *med.* — *c*) Raro per Ablat. et præpos. *de*. *Cic.* 6. *Verr.* 65. 117. De foro, quum jam advesperasceret, discessimus. — Et passive impersonaliter. *Liv.* 32. 40. De colloquio discessum. — *d*) Per Ablativum sine ulla præpos. *Ovid.* 1. *Met.* 381. discedite templo. *Id.* 1. *Trist.* 3. 5. finibus Ausoniæ. Sic *Sil. It.* 7. 93. signis. Et *Id.* 3. 88. periclis. — *e*) Per Adverbia. *Ovid.* 1. *Fast.* 365. procul hinc discedite. — 2.°) Absolute. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Petebat, ut ejus voluntate discedere liceret. *Id.* 2. *B. C.* 14. Meridiano tempore, quum alius discessisset, alius ex diutino labore in ipsis operibus quieti se dedisset, etc. *Virg.* 10. *Æn.* 246. et dextra discedens impulit altam Puppim. Adde *Cic.* 6. *de republ.* 26.; et *Horat.* 1. *Sat.* 9. 8. — 3.°) Cum addito loco, ad quem quis discedit — *a*) Per Accusat. sine ulla præpos. ratione habita nominum. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. et 1. *B. C.* 13. ex castris domum. *Nepos Themist.* 4. domos suas. *Tac.* 6. *Ann.* 20. Capreas. — *b*) Per Accus. et præpos. *in*. *Cæs.* 1. *B. C.* 83. Inde utrique in castra discedunt. *Sall. Jug.* 54. in colles. Cf. *eumd. ibid.* 56. *Cæs.* 7. *B. G.* 88. in civitates. *Id.* 5. *ibid.* 1. in Italiam. — *c*) Per Accus. et præpos. *ad*. *Virg.* 12. *Æn.* 184. Convenit Euandri victos discedere ad urbem. Sic *Ammian.* 14. 6. ad tranquilliora vitæ. *Id.* 25. 5. ad Persas. *h. e.* ad Persarum partes transire. *Curt.* 4. 15. 20. ad opprimenda impedimenta. — *d*) Cum Supino. *Cic.* 6. *de republ.* 10. Discedere cubitum. ¶ 2. Specialim in re militari discedere est castra movere, una cum exercitu abire atque alio proficisci. — *a*) Cum additis. *Cæs.* 7. *B. G.* 43. Consilia inibat, quemadmodum ab Gergovia discederet, ac rursus omnem exercitum contraheret. *Sall. Jug.* 61. ab Zama. *Cæs.* 2. *B. C.* 21. Tarracone. *Id.* 3. *ibid.* 24. a Brundisio. *Nepos Chabr.* 2. inde. *Id. Themist.* 3. ab Artemisio. *Cæs.* 3. *B. C.* 44. a mari. *Id.* 5. *B. G.* 28. ex hibernis. *Id.* 3. *B. C.* 30. ex eo loco. — *b*) Absolute. *Cæs.* 6. *B. G.* 35. Quibus in locis sit Cæsar, ex captivis quærunt: profectum longius reperiunt, omnemque exercitum discessisse cognoscunt. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 33. et 5. *ibid.* 58.; *Nepot. Datam.* 5.; et *Auct. B. G.* 8. 49. ¶ 3. Item specialim in re militari *discedere ab armis* est belli finem facere, arma deponere. *Cæs.* 5. *B. G.* 41. Non esse consuetudinem populi Romani ullam accipere ab hoste armato conditionem: si ab armis discedere velint, se adjutore utantur, legatosque ad Cæsarem mittant. *Id.* 3. *B. C.* 10. Debere utrumque (*h. e.* Cæsarem et Pompejum) pertinaciæ finem facere et ab armis discedere, neque amplius fortunam periclitari. Adde *Cic.* 8. *Phil.* 11. 33.; *Liv.* 9. 14.; *Sall. Cat.* 34. et 36.; et *Justin.* 6. 6. 1. — Passive impersonaliter. *Cæs.* 1. *B. C.* 26. Ut æquis conditionibus ab armis discedatur. — Similiter *discedere ab signis* est signa deserere, profugere. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. Propter gravitatem armorum, quod neque insequi cedentes possent, neque ab signis discedere auderent. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 41.; et *Liv.* 25. 20. Eodem sensu *Frontin.* 1. *Strateg.* 5. 3. Discedere ab ordinibus signisque. Et *Liv.* 3. 17. a statione. ¶ 4. Denique in re militari *discedere* est etiam a pugna desistere vel abire, quod fere additis innotescit; et occurrit — *a*) Simpliciter pro a pugna desistere vel abire. *Nepos Miltiad.* 7. Accusatus ergo proditionis, quod, quum Parum expugnare posset, a rege corruptus, infectis rebus a pugna discessisset. *Id. Themist.* 3. Pari prælio discedere. *Liv.* 2. 40.; et *Justin.* 3. 6. 9. æquo Marte. *Cæs.* 3. *B. C.* 112. æquo prælio. *Sall. Cat.* 39. æqua manu. *Cæs.* 3. *B. C.* 46. sine detrimento. — Et passive impersonaliter. *Justin.* 6. 7. 12. A prælio disceditur. — *b*) Interdum cum addito adjectivo *discedere* dicitur, qui prælio confecto quidpiam aut obtinuit, aut perdidit; adeoque *discedere* pro *esse* poni videtur. *Sall. Cat.* 49. Discedere victum. *Id. ibid.* 61. vulneratum. (Cf. *eumd. Jug.* 110. Repulsus abibis.). *Id. Cat.* 39. superiorem. *Cæs.* 3. *B. C.* 47. victorem. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 37. victorem ab hoste. Cf. *Nepot. Eumen.* 10. — *c*) Hinc extra rem militarem, præcipue in re forensi. — Cum Adjectivis. *Nepos Phoc.* 2. Ab eodem in judiciis, quum capitis causam diceret, defensus aliquoties, liberatus discesserat. *Cic. Cæcin.* 1. 2. Se, quo impudentius egerit, hoc superiorem discessurum. *Id. Brut.* 64. 229. Eorum, qui affuerunt, judicio discessit probatus. *Id.* 6. *Verr.* 30. 68. Si istius hæc tanta injuria impunita discesserit. Cf. *eumd.* 4. *Fin.* 19. 52. Hæc qui audierit, discedet tamen nihilo firmior, quam venerat. Et *Curt.* 4. 4. 2. Ceterum tam discedere irritum, quam morari pudebat. — Cum Adverbiis. *Plaut. Stich.* 2. 2. 70. Hercules sane, qui deus sis, discessisses non male. *Ter. Phorm.* 5. 8. 58. Satin' tibi est? P. Immo vero pulcre discedo et probe. —

Cum adverbialibus locutionibus. *Cic.* 2. *Att.* 21. *in fin.* Spero nos aut certe cum summa gloria, aut sine molestia etiam discessuros. *Nepos Epam.* 8. *extr.* Sic a judicio capitis maxima discessit gloria. — Absolute. *Cic.* 2. *Att.* 16. *sub fin.* Si possum discedere, ne causa optima in senatu pereat, ego satisfaciam publicanis.

II.) Translate. — *a*) Generatim *ab aliqua re discedere* est eam deserere, ab ea removeri. *Accius* apud *Cic.* 13. *Att.* 20. In omni vita sua quemque a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere. *Cic.* 3. *Off.* 20. 79. Discedere a fide justitiaque. *Id.* 1. *ibid.* 20. 67. nihil a naturæ statu, nihil a dignitate sapientis. *Id.* 2. *Divinat.* 55. 114. Magnitudine timoris a constantia atque a mente atque a se discedere. Adde *eumd.* 5. *Fin.* 11. 33. et *Brut.* 79. 273. *Id. Fontej.* 1. 2. A consuetudine et cautione et diligentia longe discedere. Cf. *Cæs.* 1. *B. C.* 2. a sua sententia. (Apud *Cic.* 4. *Fin.* 19. 52. pro *discedere de sententia* plerique rectius leg. *decedere*). *Cæs.* 2. *B. C.* 31. ab oppugnatione castrorum. *Cic.* 2. *Orat.* 33. 144. a judiciis causisque. *Id. Orat.* 19. 65. a re. *Quintil.* 12. 2. 26. a suscepta persuasione. Adde *eumd.* 8. 6. 23. et 28. *Id.* 12. 2. 14. a cavillatione. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 30. a qualitate. *Tac.* 1. *Ann.* 13. a contactu. — Passive impersonaliter. *Ter. Phorm.* 5. 2. 8. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat. *Cic.* 9. *Fam.* 16. Omnia sunt incerta, quum a jure discessum est. — Huc pertinent et illa *Plin.* 11. *Hist. nat.* 23. 27. (78). In tantum discessere mores a lorica gerenda, ut oneri sit etiam vestis. *Tac. Agric.* 21. Paullatim discessum in delinimenta vitiorum, porticus, balnea. — *b*) Speciatim *discedere in sententiam alicujus* est verbum curiæ, et significat in alicujus senatoris sententiam ire, alia relicta. Unde et *discessionem facere* eodem sensu, et *discedere in alia omnia*, h. e. alias omnes amplecti sententias præter eam, quæ dicta ab aliquo est. Mos enim fuit, ut, quum nimis longum esset singulorum senatorum sententias audire, duabus tribusve dictis, reliqui a subselliis suis discedentes, in illorum, quorum sententiæ assentiebantur, subsellia transirent. *Liv.* 3. 41. et 28. 45. *V.* PEDARIUS. Similiter *Cæs.* 1. *B. C.* 5. Decurritur ad istud extremum atque ultimum SC., quo (*h. e.* ad quod), nisi pæne in ipso urbis incendio atque desperatione omnium salutis, – nunquam ante discessum est: Dent operam consules, – ne quid resp. detrimenti capiat. *Cic.* 6. *Fam.* 14. Ex oratione Cæsaris in hanc opinionem discessi, ut mihi salus tua dubia non esset. — Contra *dissentire, discedere* apud *Plin. Paneg.* 76. Interrogavit quisque quod placuit: dissentire, discedere et copiam judicii sui reipublicæ facere, tutum fuit. *V.* integrum locum. — *c*) Item speciatim et eleganter *discedere ab aliquo* ponitur pro excipere. *Cic.* 1. *Fam.* 9. Sic enim te existimare velim, quum a vobis salutis meæ auctoribus discesserim, neminem esse, cujus officiis me esse devinctum confitear. *h. e.* exceptis vobis etc. *Id.* 1. *Att.* 17. 5. Amoris erga me, quum a fraterno amore domesticoque discessi, primas defero. Adde *eumd.* 6. *Fam.* 12. et 1. *Orat.* 43. 191. — *d*) Item ponitur interdum præcipue de abstractis pro cessare. *Cic.* 8. *Att.* 6. Modo audivi quartanam (*scil.* febrem) a te discessisse. Similiter *Id.* 6. *de republ.* 9. Numquam ex animo meo discedit illius optimi viri memoria. *Liv.* 4. 52. Prætesquam ab morbo annonaque, nihil eo biennio intestini externive incommodi fuit. At ubi hæ sollicitudines discessere, etc. *Justin. præfat.* 6. Sufficit enim mihi in hoc tempore judicium tuum, apud posteros, quum obtrectationis invidia discesserit, industriæ testimonium habituro. *Al. leg.* decesserit. *Cæs.* 2. *B. G.* 7. Et Remis cum spe defensionis studium propugnandi accessit, et hostibus eadem de causa spes potiundi oppidi discessit. V. *Herzog* ad h. l. — *e*) Pro *decedere e vita*, h. e. mori, occurrit quidem cum additis apud *Cic. Senect.* 23. 84. Ex vita, tamquam ex hospitio discedere. Et apud *eumd.* 1. *Tusc.* 34. 84. et 2. *Fam.* 2. A vita discedere. *In hoc tamen postremo loco al. leg.* e vita decedere. Absolute vero *Ammian.* 29. 5. Dilatato vulneris hiatu discessit.

DISCENS, entis. *V.* DISCO.

DISCENTĬA, æ, f. 1. actio discendi. *Tertull. Anim.* 21. Discentiæ reminiscentiæ fiunt. Adde *eumd. ibid.* 23.

DISCEPTĀTĬO, ōnis, f. 3. disputatio, contentio, lis, causa (It. *disputa, contesa*; Fr. *dispute en paroles, discussion, débat, contestation*; Hisp. *disputa, contienda, debate*; Germ. *der Streit mit Worten, Wortstreit, d. Discussion*; Angl. *a disputation, debate, discourse, contending, reasoning*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 72. 150. Cum quibus omnis fere nobis disceptatio contentioque est. *Id. Dejot.* 2. 5. Tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione versata est. Adde *eumd.* 2. *leg. Agr.* 21. 57. *Liv.* 38. 32. Magna ibi non disceptatio modo, sed etiam altercatio fuit. *Id.* 38. 13. Disceptationem discutere. Adde *eumd.* 32. 40., 37. 56., 41. 22. et 21. 31. *Quintil.* 7. 5. 2. Duplex ejus disceptationis condicio. *Sidon.* 2. *Ep.* 7. In disceptationem venire. — *b*) Cum addito Adjectivo. *Quintil.* 7. 4. 31. Domestica disceptatio. *Id.* 5. 11. 44. Præsens disceptatio. *Gell.* 20. 5. Disceptationes dialecticæ. Adde *Ammian.* 15. 5. — *c*) Cum Genitivo. *Cic. Flacc.* 10. 21. Disceptatio et cognitio veritatis. *h. e.* disputatio instituta ad veritatem investigandam. *Id.* 1. *Orat.* 6. 22. Forenses disceptationes judiciorum aut deliberationum. Sic *Quintil.* 2. 4. 24. Disceptatio judiciorum. *Id.* 3. 6. 82. Neque ulla juris disceptatio, nisi finitione, qualitate, conjectura potest explicari. *Liv.* 21. 19. Disceptatio verborum. — *d*) Disceptatio est etiam judicatio, *h. e.* quæstio, quæ oritur ex ratione rei, et infirmatione accusatoris. *Cic. Partit. orat.* 30. 101. *V.* JUDICATIO. ¶ 2. Speciatim apud JCtos est cognitio, judicium. *Ulp. Dig.* 2. 15. 8. § 24. Hæc omnia habent disceptationem prætoris. *Quintil.* 11. 1. 43. Nec eodem sono publica judicia et arbitrorum disceptationes aguntur.

DISCEPTĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a disceptatio. *Gell. præfat. sub fin.* Tempus ad colligendas memoriarum disceptatiunculas conferre. *Alii aliter leg.*

DISCEPTĀTOR, ōris, m. 3. qui de re, de qua disceptatur, sententiam fert. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 8. Juris disceptator, qui privata judicet, judicarique jubeat, prætor esto. *Id. Partit. orat.* 3. 10. Aut auscultator est qui audit, aut disceptator, id est rei sententiæque moderator. *Id. Cæl.* 15. 35. Severissimi disceptatores. *Id.* 13. *Fam.* 26. 2. Ut omnibus in rebus, quæ in aliquam controversiam vocarentur, te arbitro, et, quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore uterentur. *h. e.* ut tu suas controversias cognosceres, non ad alium rejiceres. Adde *eumd.* 5. *de republ.* 2. *Liv.* 35. 45. Reconciliatore pacis, et disceptatore de iis, quæ in controversia cum populo Romano essent, utendum censebat. Cf. *Val. Max.* 2. 10. *n.* 4. Disceptator de pace. Rursus *Liv.* 1. 50. Disceptator sumptus inter patrem et filium. *Quintil.* 11. 1. 144. Dicere de re aliqua apud disceptatorem. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 37.; *Liv.* 8. 23. et 42. 42.; *Quintil.* 9. 4. 132.; et *Tac.* 16. *Ann.* 22. *Id. Tac.* 11. *ibid.* 18. Disceptator agrorum.

DISCEPTĀTRIX, icis, f. 3. quæ disceptat, judicat.

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 91. Dialecticam inventam esse dicitis veri et falsi quasi disceptatricem et judicem.

II.) Translate. *Lamprid. Commod.* 5. Cum trecentis puberibus exoletis, quos æque ex plebe ac nobilitate nuptiisque, forma disceptatrice, collegerat, in Palatio per convivia et balneas bacchabatur.

DISCEPTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis *et* capto, *quod a* capio). Part. *Disceptans* I.; *Disceptaturus* II. *a.* — Disceptare ad litteram est eos, qui litem inter se agunt, sejungere; ideoque proprie est verbum judiciale, quod significat pensatis utriusque partis rationibus cognoscere, judicare (It. *giudicare, decidere, dar sentenza*; Fr. *décider, juger un procès*; Hisp. *decidir, juzgar, sentenciar*; Germ. *eine Rechtssache entscheiden*; Angl. *to judge, decide, determine*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Liv.* 41. 20. Sella eburnea posita jus dicebat disceptabatque controversias. Adde *eumd.* 38. 38. *Cic. Dejot.* 2. 6. Hanc, C. Cæsar, causam si in foro agerem, eodem audiente et disceptante te. *Id. Mil.* 9. 23. Et electi judices, et isti præpositus quæstioni, qui hæc juste sapienterque disceptet. *Id.* 2. *Legg.* 9. 21. Feciales bella disceptanto. *h. e.* cognoscant de justitia, aut injuria bellorum suscipiendorum. *Liv.* 34. 62. 15. Missuros se in Africam, qui inter populum Carthaginiensem et regem in re præsenti disceptarent. Adde *eumd.* 1. 50. et 39. 24.; *Plin.* 7. *Ep.* 15.; et *Ammian.* 15. 7. — *b*) Generatim. *Cic.* 4. *Tusc.* 3. 6. Quum Academici Stoicorum controversias disceptarent. V. *Kühn* ad h. l.

II.) Translate de litigantium partibus ponitur pro disputare, contendere: V. *Herzog* ad *Sall. Cat.* 5. (unde *Voss.* disceptare, inquit, est a *dis* et *capto*, quia utraque contendentium pars aliquid capiat ad sui defensionem). Hoc sensu occurrit — *a*) Cum Ablat. rei et præpos. *de*. *Sall. Jug.* 21. Velle et censere, eos ab armis discedere, de controversiis suis jure potius, quam bello disceptare. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 107. Ostendit sibi placere –, de controversiis jure apud se potius, quam inter se armis, disceptare. *Cic.* 4. *Fam.* 14. Disceptare armis de jure publico. *Liv.* 21. 19. Disceptare de fœderum jure. *Cæs.* 7. *B. G.* 37. Ædui de legibus ad Cæsarem disceptaturi. *Sall. Jug.* 11. Disceptare de cunctis negotiis inter se. *Cic. Balb.* 28. 64. de crimine. *Liv.* 21. 19. de jure verbis. *Cic. Brut.* 85. 292. de sapientia. *Liv.* 34. 62. 5. de jure vectigalium. — Et passive impersonaliter. *Cic.* 6. *Fam.* 1. 5. Dolebamque pilis et gladiis, non consiliis et auctoritatibus nostris de jure publico disceptari. *Cæs.* 1. *B. C.* 21. Quum per alios conditiones ferantur, ac si coram de omnibus conditionibus disceptetur. *Liv.* 31. 62. 8. De agro deinde cum regis legatis disceptari cœptum. — *b*) Cum Accusativo rei et præpos. *ob*. *Tac.* 6. *Ann.* 5. Cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat. — *c*) Cum Genitivo rei. *Callistrat. Dig.* 48. 19. 24. *ad fin.* Disceptari damni. *supple* actione de damno, ut furti agere. — *d*) Cum Accusativo personæ et præpos. *ad*. *Liv.* 8. 23. Quum Romanus legatus ad disceptandum eos ad communes socios atque amicos vocaret, etc. *h. e.* apud communes socios. Sic *Id.* 38. 35. Ad consulem inter Achæos Lacedæmoniosque disceptatum est. *ubi tamen vulgo editur* apud consulem. *Ita* ad prætorem reus fieri, accusari *sæpius occurrit apud* Liv. — *e*) Absolute. *Cic.* 4. *Verr.* 15. 38. Disceptare æquo jure cum aliquo. *Id. Planc.* 36. 87. Sed erat non jure, non legibus, non disceptando decertandum: armis fuit dimicandum. *Auct. B. G.* 8. 55. Disceptare jure potius quam bellum gerere. *Tac.* 2. *Ann.* 65. armis. Adde *Sueton. Aug.* 54. et 93.; et *Quintil.* 12. 7. 6. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 3. 1. (23). Tarracone disceptant populi XLIII. *h. e.* eo conveniunt ad jura petenda et judicio experiendum. Sic *Id.* 5. *ibid.* 29. 29. (109). Longinquiores eodem disceptant foro Orthonienses, Aliudienses etc. — Et passive impersonaliter. *Liv.* 26. 33. Inter Marcellum Siculosque disceptatum fuerat. — *f*) De rebus. *Cic.* 10. *Fam.* 10. Quamquam in uno prælio omnis fortuna reipublicæ disceptat.

DISCERNENTER, adverb. cum discrimine. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *n.* 81. Alii vero discernenter adjunt hoc adjutorii genus sic adhibendum etc.

DISCERNĬBĬLIS, e, adject. qui discerni potest. *Augustin. Enchir.* 90. Ut in effigie sua cujusque proprietas et discernibilis similitudo servetur.

DISCERNĬCŬLUM, i, n. 2. a *discerno*,

I.) Proprie est acus quæ capillos mulierum ante frontem dividit. *Lucilius* apud *Non. p.* 35. 31. *Merc.* Explicamo digitos, discerniculumque capillo. *Varro* 5. *L. L.* 129. *Müll.* Discerniculum quo discernitur capillus.

II.) Translate est discrimen. *Gell.* 17. 15. Duas species hellebori esse, discerniculo coloris insignes, candidi et nigri.

DISCERNO, cernis, crēvi, crētum, cernere, a. 3. (dis *et* cerno). Part. *Discernens* I.; *Discretus* I. et II.; *Discreturus* II.; *Discernendus* II. — Discernere est rem unam ab alia separare, dividere (It. *separare, dividere*; Fr. *séparer, diviser, distinguer*; Hisp. *separar, apartar una cosa de otra*; Germ. *verschiedene Dinge von einander sondern, scheiden, daher absondern, trennen, scheiden*; Angl. *to seperate, divide*).

I.) Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 7. 10. Inter singulas (*equas*) a præsepibus interjicere longurios, qui eas discernant, ne inter se pugnare possint. *Sall. Jug.* 79. Mons, qui fines eorum discerneret. *Virg.* 12. *Æn.* 898. Limes agro positus, litem ut discerneret arvis. *h. e.* ut arva separando, lites dirimeret. (Absolute *Nemesian. Ecl.* 1. 52. ruricolum discernere lites. *h. e.* dirimere et componere). *Plin.* 1. *Ep.* 8. *sub fin.* Quum plebem ipsam limine curiæ pariet-

busque discreverim. *Alter Plin.* 4. *Hist. nat.* 22. 35. (116). Ana fluvius, quo Lusitaniam a Bætica discrevimus. *Id.* 13. *ibid.* 4. 7. (33). Multis ligneum hoc a carnibus discernitur tunicis. *Ammian.* 29. 5. Manibus repens et pedibus longius sese discrevit. *Liv.* 34. 54. Omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur, et concordiæ et libertatis æque minuendæ esse. *Tac.* 1. *Ann.* 34. Jubet – vexilla præferri, ut id saltem discerneret cohortes. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 364. Spatiis discernens gaudia parvis. *Cels.* 7. 3. Sed ut hæc ipsa fortuna huc illucve discernit, sic medici partium est eniti ad reperiendam sanitatem. *h. e.* dividit et alia in aliis veluti distribuit. — Hoc sensu occurrit præcipue Part. præter. pass. *Liv.* 29. 39. *ad fin.* Duæ urbes magno inter se maris terrarumque spatio discretæ. *Curt.* 4. 11. 13. Terræ lugenti spatio intervalloque discretæ. V. *Mützell.* ad h. l. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 11. 8. (50). Sol tanto discretus intervallo. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 16. 30. (103). et 13. 27. (92). et 2. *ibid.* 6. 4. (12).; et *Ammian.* 19. 11. et 14. 8. Rursus *Plin.* 5. *Hist. nat.* 14. 15. (70). Peræa a ceteris Judæis Jordane amne discreta. *Stat.* 5. *Theb.* 559. saxum, quo discretus ager. *Plin.* 4. *Ep.* 19. Eadem (uxor), si quando recito, in proximo, discreta velo, sedet. *Ovid.* 5. *Met.* 324. septem discretus in ostia Nilus. Sic *Quintil.* 6. 1. 1. Partitio est singulorum in partes discretus ordo. *Plin.* 2. *Ep.* 6. Quæ quum sint turpissima discreta ac separata, turpius junguntur. *Id. Paneg.* 32. Discretis bonis omnium. *Lucret.* 5. 1440. Et divisa colebatur discretaque tellus. *Horat.* 2. *Od.* 13. 23. Sedes discretæ piorum. *Ovid.* 2. *Fast.* 194. discretas insula rumpit aquas. *Tac.* 13. *Ann.* 41. Quod mœnibus cingebatur, ita atra nube coopertum fulguribusque discretum est, ut etc. *Id.* 3. *Hist.* 27. Mox vallum portasque legionibus attribuit, ut discretus labor fortes ignavosque distingueret. *Sueton. Gramm.* 4. Jam discretis professionibus. *h. e.* grammaticorum et rhetorum. *Ammian.* 17. 12. Discretum consortium. — Etiam de hominibus. *Curt.* 10. 10. 7. Regis ministri – a ceteris sui quisque imperii regione discreti. Adde *eumd.* 10. 9. 18. *Val. Flacc.* 7. 12. Quos ego cur iterum demens iterumque recordor, Tam magno discreta mari. *Tac. Germ.* 16. Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est; ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi. Cf. *Ammian.* 14. 9. Milesque semper et militum ductor, sed forensibus jurgiis longe discretus.

II.) Figurate est rem unam ab alia internoscere, distinguere, dijudicare: quo sensu sæpe refertur ad animum; et occurrit — *a*) Cum Accusativo duarum rerum, quæ internoscuntur. *Cic.* 5. *Tusc.* 39. 114. Democritus, luminibus amissis, alba et atra discernere non poterat. *Horat.* 1. *Od.* 18. 10. Fas atque nefas exiguo fine discernere. *Liv.* 40. 10. Insidiatorem et petitum injuriis. *Quintil.* 2. 2. 11. probanda atque improbanda. *Tac.* 2. *Ann.* 66. Jus et injuriam discreturi. — *b*) Cum Accus. unius rei, et Ablat. alterius cum præpos. *ab. Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 8. 25. Quod fieri non potest, si id, quod visum erit, discerni non poterit a falso. *Id. Fontej.* 6. 13. Stultum auditorem a sapienti judice discernere. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 23. (63). Pantheras a pardis solo candore discernunt. *Quintil.* 8. 6. 35. Discernendum est hoc a ceteris. *Id.* 1. 1. 6. Consonantes a vocalibus discernere. *Ammian.* 14. 7. *ad fin.* Nec discernente a societate noxiorum insontes. Cf. *Paulin. Nolan. carm.* 23. 204. Inter iniquos Condemnatus (*Christus*) obit, nos ut discernat iniquis. — *c*) Cum addito Ablativo modi. *Quintil.* 2. 4. 39. Utilitas interim natura discernitur, interim tempore. *Id.* 10. 2. 10. Res simplicissimæ, quæque pares maxime videantur, utique discrimine aliquo discernantur. *Id.* 11. 2. 13. Ut membra – nullà notà possent discernere. Adde *eumd.* 8. 3. 18., 9. 3. 65. et alibi. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 18. (40). Discernere aliquid visu. *Id.* 33. *ibid.* 2. 7. (31). Decuriæ pluribus discretæ nominibus. *Vitruv.* 5. 8. *sub fin.* Vox ingreditur ad aures discreta verborum claritate. Sic per Adverbium *Lucret.* 4. 556. verba quoque ipsa Plane exaudiri discernique articulatim. — Huc referri potest et poeticum illud *Virg.* 1. *Æn.* 261. et tenui telas discreverat auro. *h. e.* distinxerat, ornaverat, aurum telæ intexendo. Item illud *Calpurn. Ecl.* 2. 27. Nec mora, discernunt digitis: prior incipit Idas. *h. e.* digitorum sorte dijudicant, qui primus loqui debeat: nisi forte pro *discernunt* legendum sit *decernunt*. — *d*) Absolute. *Cæs.* 7. *B. G.* 75. Ne, tanta multitudine confusa, nec moderari, nec discernere suos – possent. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 19. (45). Nec facile discernuntur in fronde etiam a peritis. *Tac.* 2. *Ann.* 83. Neque enim eloquentiam fortuna discerni. *Quintil.* 3. 8. 3. Apud imperitos hæc discernenda sunt. Adde *eumd.* 8. 3. 11. — *e*) Sequente Conjunctivo. — Cum Relativis. *Cic. Tim.* 8. Animus discernit, quid sit ejusdem generis et alterius, et cetera dijudicat. *Liv.* 7. 9. Prælia de occupando ponte crebra erant; nec qui potirentur, incertis viribus, satis discerni poterat. Adde *eumd.* 21. 4. *Quintil.* 2. 8. 3. Discernat, cui sit quisque certamini præparandus. *Cæs.* 1. *B. C.* 35. Neque sui judicii esse discernere, utra pars justiorem habeat causam. — Cum part. *utrum – an. Sall. Cat.* 25. Pecuniæ, an famæ minus parceret, haud facile discerneres. *Sueton. Cal.* 25. Matrimonia contraxerit turpius, an dimiserit, an tenuerit, non est facile discernere. *Tac.* 3. *Hist.* 28. Hormine id ingenium, ut Messala tradit, an potior auctor sit C. Plinius qui Antonium incusat, haud facile discreverim. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (133). Non satis discernitur, an etc. — Et omissa dubitandi particula. *Liv.* 8. 34. *ad fin.* Neque discernatur, interdiu nocte, æquo iniquo loco, jussu injussu imperatoris pugnent.

DISCERPO, pis, psi, ptum, pere, a. 2. (dis et carpo). Part. *Discerptus* I. et II. 2.; *Discerpendus* I. — Discerpo est in diversas partes carpo, dilanio, diripio (It. *squarciare, sbranare, stracciare*; Fr. *déchirer, mettre en pièces*; Hisp. *desgarrar, rasgar*; Germ. *zerpflücken, zerstückeln, zerreissen, auseinanderpflücken*; Angl. *to pluck or tear in pieces, rend, mangle*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accusativo tantummodo rei, quæ discerpitur. *Lucret.* 4. 93. At contra, tenuis summi membrana coloris Dum jacitur, nihil est, quod eam discerpere possit. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. Animus nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest. *Id.* 4. *Nat. D.* 11. 27. Pythagoras, qui censuit, animum esse per naturam rerum omnium commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit distractione animorum discerpi et lacerari Deum. *Id. fragm.* apud *Augustin.* 3. *contra Acad.* 7. Quem incomptis unguibus bacchantes discerpant. Cf. *Virg.* 4. *G.* 522. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 86. Mazonomo pueri magno discerpta ferentes Membra gruis. *Liv.* 1. 16. Qui discerptum regem patrum manibus arguerent. *Curt.* 6. 11. Clamant discerpendum esse parricidam manibus eorum. *Sueton. Domit.* 15. Ut semiustum cadaver discerperent canes. Adde *eumd. Cæs.* 17. et 81., *Cal.* 2. et 28., et *Ner.* 47.; *Flor.* 1. 1. 17., et *Ammian.* 14. 7. et 11. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in* dixit *Lucret.* 2. 828. In parvas partes discerpitur aurum.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro dissipare, disjicere. *Virg.* 9. *Æn.* 312. Multa patri portanda dabat mandata, sed auræ Omnia discerpunt. *Catull.* 61. 142. Quæ cuncta aerii discerpunt irrita venti. ¶ 2. Per metaphoram pro dividere. *Cic. Topic.* 5. 28. Cum res, quæ proposita est, quasi in membra discerpitur. *Id.* 3. *Orat.* 6. 24. Quæ complecti tota nequeunt, hæc facilius divulsa et quasi discerpta contrectant. ¶ 3. Speciatim. *Catull.* 66. 73. Discerpere aliquem dictis. *h. e.* maledictis proscindere, lacerare.

DISCERPTIM, adverb. disjunctim. *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. edit. pr. p.* 260. Homo plura significat, sed ita, si ea, quæ significantur, discerptim dicantur.

DISCERPTUS, a, um. *V.* DISCERPO.

DISCESSĬO, ōnis, f. 3. actus discedendi. ¶ 1. Stricto sensu est actus in duas diversas partes abeundi, adeoque partium discidium. — *a*) Generatim. *Gell.* 2. 12. Seditio et discessio populi in duas partes. — *b*) Speciatim est divortium. *Ter. Andr.* 3. 3. 36. Incommoditas huc omnis redit, si eveniat, quod dii prohibeant, discessio. ¶ 2. Latiori sensu est discessus, abitus. *Tac.* 1. *Ann.* 30. Desolatus aliorum discessione, necessitate prævenit. Similiter *Gell.* 14. 1. Stellarum motus et vias et discessiones et cœtus intuentes. ¶ 3. *Facere discessionem* frequens est curiæ dictum, cum senatores alicujus sententiam secuti ex suis in ejus subsellia discedebant, ut in DISCEDO dictum est. *Gell.* 14. 7. Varro docet, senatusconsultum fieri duobus modis, aut per discessionem, si consentitur; aut si dubia res esset, per aliorum sententias exquisitas. *Cic. Sext.* 34. 74. Cum omnes certatim alius alio gravius atque ornatius de mea salute dixisset, fieretque sine ulla varietate discessio. *Id.* 14. *Phil.* 7. 21. Has in sententias meas si consules discessionem facere voluissent, istis latronibus arma cecidissent. *Auct. V. G.* 8. 53. Sententiis dictis, discessionem faciente Marcello, senatus frequens in alia omnia transiit. *Sueton. Tib.* 31. Cum senatusconsultum per discessionem forte fieret, transeuntem eum in alteram partem secutus est nemo. Adde *Tac.* 6. *Ann.* 12. et 3. *ibid.* 69. *Plin.* 9. *Ep.* 13. 20. Discessionem peragere. *Seneca Vita beat.* 2. Non est, quod mihi illud discessionum more respondeas; hæc pars major esse videtur.

DISCESSUS, a, um. *V.* DISCEDO.

DISCESSUS, us, m. 4. discedendi actus: ac duo præcipue significat, scilicet

A) Stricto sensu est hiatus, apertio: *V.* DISCEDO sub *A. Cic.* 2. *Divinat.* 28. 60. Terræ fremitus, cœli discessus, lapideus imber etc. Cf. *eumd.* 1. *Tusc.* 29. 71. Est enim interitus quasi discessus et secretio ac direptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.

B) Quum verbi *cedere* vis eminet, ¶ 1. Generatim discessus est abitio, recessio. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 12. *Att.* 50. Ut me levarat tuus adventus, sic discessus afflixit. *Atticus* apud *eumd.* 9. *ibid.* 10. *a med.* Subitus discessus et præceps profectio. Rursus *Cic. Senect.* 23. 81. Existimans non longinquus inter nos digressum et discessum fore. *Id.* 5. *Phil.* 11. 30. Discessus latronis. *Cæs.* 7. *B. G.* 5. legatorum. *Justin.* 2. 11. 1. Xerxis. *Id.* 23. 2. 7. suus. *Virg.* 8. *Æn.* 215. Discessu mugire boves. *Cic.* 8. *Att.* 3. Discessus ab urbe. *Id.* 1. *Divinat.* 23. 47. e vita. — *b*) In plurali numero. *Cic.* 2. *Nat. D.* 7. 19. Solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognosci. ¶ 2. Speciatim in re militari est receptus, sive actus recipiendi et subducendi exercitum ex aliquo loco. *Cæs.* 5. *B. G.* 53. *in fin.* Sed, nuncio allato de victoria Cæsaris, (*Gallorum copias*) discessisse, adeo ut fugæ similis discessus videretur. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 4. et 7. *ibid.* 41.; *Frontin.* 1. *Strateg.* 5. 25; et *Tac.* 2. *Ann.* 44. ¶ 3. Item speciatim pro exsilio. *Cic.* 2. *Legg.* 17. 42. Omnia tum perditorum civium scelere, discessu meo, religionum jura polluta sunt. Adde *eumd. Sext.* 20. 60. et *Dom.* 32. 85.; qui tamen unus *discessum* pro exsilio usurpavit de se ipse locutus, ut ipse ab Urbe discessisse sponte sua, non exsilio multatus videretur: *V. Klotz* ad *Cicer. Oration. vol.* 3. *p.* 959.

DISCEUS, ei, m. 2. disyllab. δισκεύς, genus cometæ latæ rotunditatis et disco similis. Nam δίσκος discum significat. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (89).

DISCĬBĬLIS, e, adject. Comp. *Discibilior.* — Discibilis est qui disci potest. *Boeth.* in *Aristot. Categ.* 4. *p.* 201. Hujus philosophi (*Aristotelis*) sapientia est virtutes non esse scientias, ut Socrates ait, neque, ut Stoici, naturaliter eas esse, sed discibiles, et per quamdam boni consuetudinem hominum mentibus inseri. *Id. de Syllog. categor.* 1. *p.* 580. Græci veteres priusquam ad res densa caligantes obscuritate venirent, quasi quadam intelligentiæ incitatione præludunt, hinc per introductionem est facilior discibiliorque doctrina.

DISCĬDĬUM, ii, n. 2. a *discindo*, ut *excidium* ab *excindo*, est duarum vel plurium rerum ante inter se conjunctarum dilaceratio, direptio, atque adeo violenta separatio ac disjunctio (It. *violenta separazione e disgiunzione*; Fr. *déchirement, division violente*; Hisp. *desgarro, violenta division*; Germ. *d. gewaltsame Trennung oder Zertheilung*; Angl. *a separation, disjunction*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Lucret.* 3. 851. Sic ubi non erimus: ubi corporis atque animai Discidium fuerit, quibus e sumus uniter apti. Adde *eumd.* 3. 343., 348. et 580. *Id.* 1. 220. Nulla vi foret usus enim, quæ partibus ejus (*corporis*) Discidium parere et nexus exsolvere posset. Adde *eumd.* 1. 250. — Sic *concilia* et *discidia* opponuntur apud *eumd.* 2. 119. Conciliis et discidiis exercita (*corpora*) crebris. — *b*) Cum Genitivo. *Lucret.* 6. 292. Tantus discidio nubis ventique procella Mittitur ardenti sonitus quum provolat ictu. *Solin.* 1. *a med.* Quum elata flumina vi terras rupissent, post discessum fluctuum

inter plurima humi discidia corpus repertum etc. *Ammian.* 27. 4. Cui (*freto*) undosius ab Euxino Ponto labenti, pergentique fluctibus reciprocis ad Ægæum, discidium panditur terrarum angustum. *Id.* 31. 4. Discidium maris. *Symmach.* 6. *Ep.* 70. Domi corruptorum parietum discidia sarciuntur.

II.) Translate est discordia et dissensus animorum: qua significatione plerique pro *discidium* maluerunt scribere *dissidium*, quod a *dissideo* derivatum putabant; non tamen recte, ut jamdiu demonstraverat *Faerni* ad *Ter. Andr.* 4. 2. 14., cujus verba nemo animadvertit, et nuper demonstrarunt *Madvig* et *Wesenberg* in *Excurs.* 11. ad *Cic. Fin. p.* 812. 815. ed. *Madvig*: itaque recentiores plerique omnes *dissidium* tamquam monstrosum vocabulum rejecerunt, et *discidium* ubique receperunt pro morali animorum disjunctione, quum agitur de civili societate, sanguinis vinculis, amicitia, ac præcipue de matrimonio et amore. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 59. Neque per vinum unquam a me oritur discidium in convivio. *Id. Pseud.* 1. 1. 68. Harum voluptatum omnium atque itidem tibi distractio, discidium, vastities venit. *Ter. Andr.* 4. 2. 14. Valeant qui inter nos discidium volunt. Adde *eumd. Hecyr.* 3. 5. 26. *Cic.* 1. *Att.* 17. 7. Ut quod una non estis, non dissensione ac discidio vestro, sed voluntate ac judicio tuo factum esse videatur. Sic *Id. Sull.* 21. 60. Disjunxit, inquit, eos a colonis, ut hoc discidio ac dissensione facta, oppidum in sua potestate posset ac Pompejanos habere. *Id.* 1. *Nat. D.* 16. 42. Deorum – odia præterea, discidia, discordias. *Id. Balb.* 13. 30. Nullam esse gentem – neque tam dissidentem a populo Romano odio quodam atque discidio, neque tam fide benevolentiaque conjunctam etc. Adde *eumd.* 1. *Fin.* 13. 44., *Amic.* 8. 23., 2. *leg. Agr.* 6. 14. et *Cæl.* 13. 31. *Id. Ligar.* 6. 19. Hostile odium, civile discidium. *Id. Amic.* 21. 78. Ne qua amicorum discidia fiant. *Id. Cluent.* 67. 190. Divortia atque affinitatum discidia. Cf. *Sueton. Domit.* 3. Uxorem repudiavit: intraque breve tempus, impatiens discidii, reduxit. Adde *Cic. Dom.* 36. 96., 11. *Att.* 22. et 15. *ibid.* 29.; *Propert.* 1. 11. 8. et 2. 24. 32.; *Ovid.* 5. *Met.* 530. et 14. *ibid.* 79.; *Tac.* 2. *Ann.* 86., 12. *ibid.* 2. et 46., et 14. *ibid.* 1. et 60.; et *Justin.* 23. 2. Rursus *Cic.* 4. *Att.* 1. 1. Eumdem te acerbissime discidium nostrum tulisse. *Id.* 2. *Phil.* 18. 45. Quod desiderium tui discidii ferre non posset. Et de philosophorum scholis *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 12. 43. Quod et qua de causa discidium factum sit. *Seneca Constant. Sap.* 8. *sub fin.* Locorum commutationes, orbitates, discidia. *Liv.* 25. 18. Ratus colloquium amicum ac familiare quæri, manente memoria, etiam in discidio publicorum fœderum, privati juris, paullum a ceteris processit.

DISCĪDO, cidis, cīdere, a. 3. (dis et cædo) in diversas partes cædere, dividere. *Lucret.* 3. 658. Serpentis caudam procero corpore, utrimque Sit libitum in multas partes discidere ferro. *Vulgati libri plerique haud recte leg.* discindere. Sic *Id.* 3. 668. quapropter mortale utrumque putandum est, In multas quoniam partes disciditur æque. *Forcellinus* addit etiam illud *Lucilii*: Zopyrion labias discidit utrumque secutus. A *Nonio p.* 210. 28. *Merc.* hic versus corrupte refertur.

DISCINCTUS, a, um. *V.* DISCINGO.

DISCINDO, scindis, scidi, scissum, scindere, a. 3. (dis et scindo). *Discisset* pro *discidisset* legunt nonnulli apud *Sil. It.* 11. 455., ubi alii aliter. — De loco *Lucret.* 3. 678. *V.* DISCIDO. — Part. *Discindens* I.; *Discissus* I. et II.; *Discissurus* I.; *Discindendus* II. — Discindo est aperio, findo, dilacero (It. *aprire*, *fendere*, *squarciare*, *stracciare*; Fr. *déchirer*, *fendre*, *couper*; Hisp. *desgarar*, *rasgar*, *hender*; Germ. *aus-*, *von einandertheilen*, *reissen*, *zerspalten*, *zerreissen*; Angl. *to rive or cleave open*, *hew or cut asunder*, *rend in pieces*, *tear*, *cut*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 436. Quam (*nubem*) quum discidit, hinc prorumpitur in mare venti Vis. *Cato R. R.* 40. Salicem Græcam discindito. *Ter. Adelph.* 4. 2. 20. Istam psaltriam usque occidit: vide, ut discidit labrum. *Asper gramm.*, teste *Donato*, pænultimam hic *longam* accipit a *cædendo*. Rursus *Ter. Adelph.* 1. 2. 39. Fores effregit? restituentur: discidit vestem? resarcietur. Adde *eumd. Eun.* 4. 3. 4.; et *Sueton. Ner.* 12., *Cæs.* 84. et *Vitell.* 17. *Cic.* 2. *Orat.* 47. 195. Ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem. *Virg.* 3. *G.* 514. Discissos nudis laniabant dentibus artus. *Curt.* 10. 9. Discissæ canis viscera. *Ammian.* 28. 4. *extr.* Discindere pecudes. Et de sacra cæremonia *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 32. Cos discissa novacula. Similiter *Liv.* 1. 31. Te novacula cotem discissurum. *Ammian.* 28. 4. Discindere exta pecudum. *Id.* 29. 1. reum fœderis. *Cæs.* 7. *B. G.* 8. Etsi mons Cebenna –, durissimo tempore anni, altissima nive iter impediebat; tamen discissa nive VI. in altitudinem pedum, atque ita viis patefactis, etc. *Plerique tamen leg.* discussa nive. *Gell.* 15. 16. Immissis in cavernas arboris digitis diducere et rescindere quercum conatus est, ac mediam quidem partem discidit divellitque. *Tac.* 5. *Hist.* 6. *extr.* Discindere trabes aut saxa securibus cuneisque. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 11. neque discissis cepissent Pergama muris. Adde *Virg.* 12. *Æn.* 602.; *Sueton. Cal.* 53.; et *Quintil.* 1. 11. 9. — *Descindere* seu *discindere* carmen idem valet ac versus in numerum canere, et sonum vocis pulsu pedum modulari, quod *Ovid.* 1. *Trist.* 10. 50. *ferire carmen pede* dixit. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 598. IBI SACERDOTES CLVSI, SVCCINCTI, LIBELLIS ACCEPTIS, CARMEN DESCINDENTES TRIPODAVERVNT IN VERBA HAEC. *V.* TRIPODO.

II.) Translate. — *a*) Passive, de inanimis. *Lucret.* 3. 640. Discissa vis animai. *h. e.* disjecta, separata. *Cic. Amic.* 21. 76. Tales amicitiæ sunt remissione usus eluendæ et, ut Catonem dicere audivi, dissuendæ magis, quam discindendæ. *h. e.* repente præcidendæ, ut *Id.* 1. *Off.* 33. 120. loquitur. *Seneca Ep.* 89. *a med.* Omnis oratio aut continua est, aut inter respondentem et interrogantem discissa. *h. e.* divulsa, divisa. — *b*) Med. significatione de personis. *Ammian.* 25. 5. *init.* Discissi studiis turbulentis. *Id.* 22. 5. Cum plebe discissa. *Id.* 28. 4. *extr.* Discissi votorum studiis.

DISCINGO, cingis, cinxi, cinctum, cingere, a. 3. (dis et cingo). Part. *Discinctus* in omnibus paragr.; *Discingendus* II. 2. — Discingere est cinctum solvere (It. *scingere*, *sciogliere*; Fr. *ôter la ceinture*, *dessangler*; Hisp. *descinchar*; Germ. *ab-los-gürten*, *auch aufgürten*; Angl. *to ungird*, *unloose*, *untie*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 132. Discincta tunica fugiendum est et pede nudo. *Servius* ad illud *Virg.* 8. *Æn.* 724. *discinctos Mulciber Afros*: vel habitum eorum ostendit, qui usque in talos fluebat; neque enim hodieque utuntur zonis: vel inhabiles militiæ etc. Quod ait *Servius* zonis eos non uti, confirmat *Sil. It.* 3. 235. Quare discinctus Libyas ipse quoque appellat 2. 56., et discinctos equites Numidas memorat *Liv.* 35. 11., et discinctam Carthaginem *Auson. Grat. act.* 11. — *b*) Speciatim de militibus, qui proprio cinctu utebantur. *Vellej.* 2. 41. *extr.* Neque unquam aut nocte, aut die, aut excalcearetur, aut discingeretur. *Justin.* 19. 3. 1. Inter hæc procedit inops a navi sua imperator, sordida servilique tunica discinctus. Sic *Sueton. Aug.* 100. Reliquias (*Augusti*) legerunt primores equestris ordinis, tunicati et discincti pedibusque nudis. — *c*) Item speciatim *discinctus miles* est, cui cinctus est ademptus, qui est insigne militiæ: *V.* CINCTUS. *Liv.* 27. 13. Centuriones manipulorum, quorum signa amissa fuerant, destrictis gladiis discinctos destituit. *Sueton. Aug.* 24. Pro cetero delictorum genere (*milites*) variis ignominiis affecit: ut stare per totum diem juberet ante prætorium, interdum tunicatos discinctosque, nonnunquam cum decempedibus, vel etiam cæspitem portantes. Cf. *Sil. It.* 8. 34. jam discingitur armis. *h. e.* cinctum militarem atque arma deponit. — Et pro exauctorare. *Vulcat. Gallic.* in *Avid. Cass.* 6. Ut si quis cinctus inveniretur apud Daphnen, discinctus rediret. *V.* DAPHNENSIS in ONOM. — *d*) Hinc *Martial.* 9. 102. *de gestis Herculis.* Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo. *h. e.* devicit et armis spoliavit. Cf. *Flor.* 2. 4. 3. Victos enim Æmilius in Capitolio discinxit. Et *Juvenal.* 8. 120. Quum tenues nuper Marius discinxerit Afros. *h. e.* arma deponere coegerit: vel ita spoliaverit, ut tantum non vestes adimeret: vel usque ad zonam spoliaverit; in zona autem pecuniam portabant. Cf. *Tac.* 2. *Hist.* 88. Incuriosos milites – quidam spoliavere, abscisis furtim balteis an accincti forent rogitantes.

II.) Translate. ¶ 1. Discingere ponitur pro negligere. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 13. Mihi crede, in sinu est, neque ego discingor. *h. e.* non abjicio, non negligo, dilabi non patior. Hic *Cicero* loquitur de Cæsare, et fortasse per jocum tangere videtur laxiorem, qua Cæsar uti solebat (*Sueton. Cæs.* 45.), cincturam. — Hinc *discinctus* est negligens, segnis, mollis, otiosus, dissolutus, luxu diffluens, sive quia molles demissis discinctisque vestibus uti solent; strenui vero et industrii, quo sint ad opus paratiores, succinctis: seu potius alludendo ad eos, qui ob segnitiam militiâ privantur. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 71. ubi se a vulgo et scenâ in secreta remorant, Nugari cum illo et discincti ludere, donec Decoqueretur olus, soliti. *h. e.* otiosi atque omni cura liberi. *Forcellinus* hoc loco propria significatione accepit. *Id. Epod.* 1. 34. Discinctus nepos. *Ovid.* 1. *Art. am.* 421. Institor ad dominam veniet discinctus emacem. *h. e.* vestium et ornamentorum muliebrium venditor, qui ideo discinctus dicitur, quia, ut matronis puellisque suas vestes divenderet, tunica molliter eleganterque dimissa esse solebat. *Pers.* 3. 31. Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ? *Id.* 4. 21. Verna discinctus. *Seneca Ep.* 114. *de Mæcenate.* Non oratio ejus æque soluta est, quam ipse discinctus? *Id. Ep.* 92. *in fin.* Diserte Mæcenas ait: *Nec tumulum curo: sepelit natura relictos.* Alte cinctum putes dixisse: habuit enim ingenium et grande et virile, nisi illud secum discinxisset. *h. e.* molle et dissolutum reddidisset. *Ovid.* 1. *Amor.* 9. 41. Ipse ego segnis eram, discinctaque in otia natus. ¶ 2. Ponitur etiam pro dissolvere. *Sil. It.* 7. 153. Discinxit ratione dolos fraudesque resolvit. *h. e.* detexit dissolvitque. Sunt qui malunt aliter legi. *Sidon.* 2. *Ep.* 7. Obsecro, ut inter Alethium et Paulum, quæ veniunt in disceptationem, discingas. *h. e.* solvas, dirimas, dijudices. *Inscript.* apud *Gruter.* 361. 3. TER VICE QVI SACRA DISCINXIT IVRGIA IVDEX. *Fragm. Cod. Theod.* 1. 16. 3. (edita a *Clossio*). Pandatur, quis judicum, et in quibus discingendis causis fidelem operam præstitit. V. *Zirardini*, *Leg. Novell. p.* 80.

DISCĬPLĪNA, æ, f. 1. Est syncope a *discipulina*; quæ vox legitur in quodam nummo Hadriani apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. *p.* 503., ubi de disciplina militari sermo est: item in *Inscript.* ann. 1825. in ruinis Locrorum in Italia reperta, et cum cl. *Furlanetto* communicata a *Mich. Ang. Macri*. D. M. S. ALIMMA QVAE IN VITA SVA SVMMAM DISCIPVLINAM SERVAVIT VIXIT ANN. XXI. etc. Videtur autem vox composita a verbo *discere* et *plenus* a *pleo*. — Ceterum occurrit *A*) Objective, uti vulgo ajunt; et *B*) Subjective.

A) Objective, uti vulgo ajunt, et quidem

I.) Proprie disciplina est ratio vivendi et discendi, quæ discipulis traditur, institutio, educatio (It. *disciplina*, *instituzione*, *scuola*, *educazione*; Fr. *instruction reçue*, *apprentissage*, *éducation*, *discipline*, *école*; Hisp. *instruccion*, *educacion*, *amaestramiento*, *disciplina*, *escuela*; Germ. d. *Unterweisung*, *Belehrung*, d. *Unterricht*; Angl. *discipline*, *instruction*, *learning*, *education*). *Cic. pro leg. Manil.* 10. 28. E ludo atque pueritiæ disciplina. Sic *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Ad hos (*Druidas*) magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit. *Id. ibid.* 14. Sua sponte multi in disciplinam conveniunt, et a propinquis parentibusque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur: itaque nonnulli annos vicenos in disciplina permanent. Rursus *Cic.* 1. *Divinat.* 41. 92. Tradere filium alicui in disciplinam. *Id.* 2. *Phil.* 2. 3. Tradere se in disciplinam alicujus. *Id.* 5. *Verr.* 69. 161. In alicujus disciplina educatus. *Id. Cæl.* 17. 39. Dicet aliquis: Hæc est igitur tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? *Id. Brut.* 67. 236. Piso quidquid habuit, habuit ex disciplina. *Id. Orat.* 59. 200. Bona disciplina exercitatus. *Id.* 4. *de republ.* 3. Principio disciplinam puerilem ingenuis nullam certam aut destinatam legibus, aut publice expositam, aut unam omnium esse (*majores nostri*) voluerunt. *Id.* 1. *Fam.* 7. 11. Lentulum eximia spe summæ virtutis adolescentem quum ceteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum in primis imitatione tui fac erudias: nulla enim erit hac præstantior disciplina. Adde *Liv.* 24. 14.; *Quintil.* 12. 9. 20. et 12. 2. 2.; *Sueton. Cæs.* 26., *Ner.* 7. et *Gramm.* 15.; et *Colum.* 7. *R. R.* 12. 6. et 1. *ibid.* 8. 20.

II.) Improprie, seu per metonymiam est ipsa facultas, doctrina, scientia, uno verbo quidquid educando ac docendo traditur. — *a*) Generatim sine additis.

Cato R. R. 1. Caveto, alienam disciplinam temere contemnas. Cum *præceptis* jungitur apud *Cæs.* 3. *B. C.* 10. Satis esse magna utrimque incommoda accepta; quæ pro disciplina et præceptis habere possent, ut reliquos casus timerent. Cum *præceptis* et *institutis* jungitur apud *Cic.* 5. *Verr.* 68. 157. Neque ego hujus fugitivi, judices, epistolam recitassem, nisi ut ex ea totius familiæ præcepta et instituta et disciplinam cognosceretis. Cum *artibus* jungitur apud *eumd. Cæl.* 30. 72. Cujus prima ætas dedita disciplinis fuit, iisque artibus, quibus instruimur ad hunc usum forensem, ad capessendam rempublicam, etc. Cum *scientia* jungitur apud *eumd.* 1. *Divinat.* 41. 91. Magorum disciplinam scientiamque percipere. *Nepos Epam.* 1. Quare dicemus primum de genere ejus, deinde quibus disciplinis et a quibus sit eruditus. *Edictum censorium* apud *Sueton. Rhet.* 1. Renunciatum est nobis, esse homines qui novum genus disciplinæ instituerunt, ad quos juventus in ludum conveniat. Eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetores. *Justin.* 11. 7. 7. Ex disciplina parentum. *Cic.* 2. *Divinat.* 3. 10. Res, quarum est disciplina, ut litteræ. *Liv.* 1. 28. *ad fin.* Adhibere alicui disciplinam. *Plaut. Most.* 1. 2. 75. Parsimonià et duritià disciplinæ aliis eram; optumi quique expetebant eam doctrinam sibi. *h. e.* aliis eram exemplo et doctrinæ. *Auct. B. Alex.* 24. Disciplinis fallacissimis eruditus. *h. e.* falsis principiis ac sententiis imbutus. — *b*) Cum additis Adjectivis, vel Genitivis, quæ disciplinam ipsam definiunt. *Sueton. Cal.* 53. Disciplinæ liberales. *Cic. pro lege Manil.* 18. 54. Disciplina navalis. *Ammian.* 27. 6. Studii disciplinarum solertium potiri. *Quintil.* 1. 10. 15. Disciplina musices. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 6. ruris. *h. e.* studium rei rusticæ. *Nepos Iphicr.* 1. et 2. militaris. *h. e.* disciplina τῶν στρατηγημάτων, quæ *imperatoriæ artes* dicuntur à *Justin.* 6. 5. 5. Adde *eumd. Justin.* 12. 11. 9. et 19. 1. 1. *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 161. bellica. *Id. pro leg. Manil.* 10. 28. militiæ. *Id. Mur.* 10. 23. et 1. *Orat.* 39. 180. juris civilis. *Id. Brut.* 44. 163. dicendi. *Id.* 5. *Fin.* 1. 2. memoriæ. *Gell.* 15. 17. tibiis canendi. *Ammian.* 21. 1. Cujus disciplinæ. *h. e.* haruspicinæ. *L. Verus imp.* apud *Fronton.* ad *L. Ver. imp.* 2. *p.* 186. A quo ego prius multo simplicitatem verumque amorem, quam loquendi polite disciplinam didicisse me prædico. (Ceterum adde *Varron.* 3. *R. R.* 2. 18.; *Colum.* 4. *R. R.* 3. 2., 1. *ibid.* 1. 16. et 5. *ibid.* 5. 15.; *Pallad.* 7. *R. R.* 5. 2.; *Quintil.* 8. 3. 75. et 2. 17. 38.; *Tac. Agric.* 16. et *Sueton. Aug.* 89. et *Gramm.* 11., ubi pluralis numerus occurrit). Rursus *Cic.* 1. *de republ.* 33. et 2. *ibid.* 38., et 1. *Orat.* 34. 159. Disciplina reipublicæ. *h. e.* reipublicæ administrandæ atque ordinandæ. — *c*) Hinc disciplina dicitur etiam specialis ratio et modus, quo aliquid alicui traditur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 3. 7. Quod gravius feremus, si quisquam ullam disciplinam philosophiæ probaret, præter eam, quam ipse sequeretur. *h. e.* specialia philosophiæ placita, vel, uti vulgo ajunt, systema. Adde *eumd.* 3. *Off.* 4. 20., *Brut.* 25. 94., et 5. *Tusc.* 32. 90. *Id.* 1. *Nat. D.* 7. 16. Tres enim trium disciplinarum principes convenistis. *Id. Brut.* 76. 263. Hermagoræ disciplina inops ad ornandum, sed ad inveniendum expedita. Adde *eumd.* 3. *Fin.* 11. 36. — *d*) Speciatim accipitur pro legibus et ratione vivendi, cui subjiciuntur milites. *Liv.* 8. 7. *ad fin.* disciplinam militarem solvere. *et paullo post.* restituere. Adde *eumd. ibid.* 32., 34. et 35. *Auct. B. Alex.* 65. Dissolvere disciplinam et severitatem. Adde *Curt.* 3. 2. 15., 4. 6. 6. et alibi sæpe; *Sueton. Cæs.* 65.; *Tac. Germ.* 35., 1. *Ann.* 16. et 35. et 1. *Hist.* 60.; et *Flor.* 1. 3. 2. Eodem sensu *Plin. Paneg.* 6. Disciplina castrorum. Et per similitudinem *Sueton. Cæs.* 48. Domesticam disciplinam in parvis ac majoribus rebus diligenter adeo severeque rexit, ut pistorem, alium quam sibi panem convivis subjicientem, compedibus vinxerit. — *Forcellinus* in fine hujus vocis hæc addidit: Hæc, quæ varia significatione claritatis gratia distinximus, adeo inter se affinia sunt, ut ad unum omnia facile referri possint. Omnia enim institutio et educatio, quatenus est in puero et discipulo, *disciplina* dicitur; quatenus in docente et educante, doctrina, facultas, etc.: idem tamen ubique est.

B) Subjective, uti ajunt, disciplina est consuetudo, qua quis ex disciplina imbutus est. *Plaut. Asin.* 1. 3. 48. Quum a pistore panem petimus, vinum ex œnopolio, si æs habent, dant mercem. Eadem nos disciplinâ utimur. *Id. Merc.* 1. 2. 6. Hæc hic disciplina pessima est: currenti, properanti, haud quisquam dignum habet decedere. *Ter. Heaut.* 2. 3. 59. Disciplina est eisdem, munerarier ancillas primum, ad dominas qui affectant viam. *Curt.* 6. 2. 3. Tenaces disciplinæ suæ. *Cic.* 5. *Verr.* 60. 161: Instituere atque erudire liberos ad disciplinam civitatis. *h. e.* ad consuetudinem vitæ civilis. Hinc cum *consuetudine* jungitur apud *eumd. Rabir. perduell.* 10. 28. Ignarus disciplinæ et consuetudinis nostræ. *Et* 5. *Verr.* 68. 159. Ut etiamsi natura puerum a paternis vitiis abduceret, consuetudo tamen eum et disciplina degenerare non sineret. Et cum *moribus* jungitur apud *eumd. Dejot.* 10. 28. Imitari mores et disciplinam avi.

DISCĬPLĪNĀBĬLIS, e, adject. qui disciplina percipi potest. *Cic.* 3. *Herenn.* 3. 4. Cujus rei aliquam disciplinabilem scientiam poterimus habere. *Alii vero leg.* disciplinam, aut scientiam. Certa est lectio apud *Cassiod.* 4. *Variar.* 33. Quid enim melius, quam ut conventus multorum disciplinabilium sit adunatio voluntatum?

DISCĬPLĪNĀBĬLĬTER, adverb. ex arte et disciplina, artificiose. Est *Cassiodori præfat. in Psalter.* 4. Chordarum fila religata, disciplinabiliter plectro percussa, suavissimam dicuntur reddere cantilenam.

DISCĬPLĪNĀRIS, e, adject. ad disciplinam pertinens. *Boeth. Aristot. Topic.* 1. 1. *p.* 682. Non enim oportet in disciplinaribus principiis inquirere propter quod, sed secundum unumquodque principiorum ipsam per se esse fidem.

DISCĬPLĪNĀRĬTER, adverb. ex disciplina. *Boeth. de Trinit. p.* 258. In naturalibus igitur rationaliter, in mathematicis disciplinariter, in divinis intellectualiter versari oportet.

DISCĬPLĪNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *discipline* quod adjective occurrit, unde Comp. *Disciplinatior*; et est bonis moribus per disciplinam præditus. *Alcim. Avit.* 4. 46. *de arbore degenerante.* Disciplinatos dissuescit promere fructus. *Tertull. Fuga in persecut.* 1. *ad fin.* Disciplinatior in jejuniis.

DISCĬPLĪNŌSUS, a, um, adject. qui facile discit. Vox est *M. Catonis*, teste *Gell.* 4. 8. *ad fin.* et *Non. p.* 463. 5. *Merc.*, similis aliis ejusdem auctoris, *consiliosus, victoriosus*.

DISCĬPŬLA, æ, f. 1. quæ discit.

I.) Proprie. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 20. Si respexis, dedam te discipulam cruci. *h. e.* ut ab ea castigere, ut a magistris discipuli. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 91. Discipularum inter jubeo plorare cathedras. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (43). Irene Cratini pictoris filia et discipula.

II.) Translate. *Quintil.* 12. 10. 27. Latina facundia similis Græcæ ac prorsus discipula ejus videtur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (83). *de luscinia.* Audit discipula intentione magna, et reddit.

DISCĬPŬLANS, antis, particip. ab inus. *discipulo*, qui docet, vel præcedit. *Dracont. Satisf.* 154. Cinctus apostolica discipulante manu. — Sic

DISCĬPŬLĀTI, edocti. *Gloss. Isid.*

DISCĬPŬLĀTUS, us, m. 4. idem fere quod disciplina. *Tertull. Præscript. Hæret.* 22. In disciplinatu, in convictu. *Cassiod.* 5. *Variar.* 40. Ita, quod efficacissimum discipulatus genus est, agendo potius instructus es, quam legendo.

DISCĬPŬLUS, i, m. 2. qui disciplinam ab alio percipit.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de litteris ac scientiis. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 44. Magistron' quemquem discipulum minitarier? Nihil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis. *Cic.* 1. *Off.* 1. 3. Orator dulcis, ut Teophrasti discipulum possis agnoscere. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 3. 6. et alibi. *Liv.* 37. 20. Ipse dux summi imperatoris discipulus. Adde *Sueton. Domit.* 10., *Ner.* 33., *Gramm.* 9. et *Rhet.* 4.; *Juvenal.* 11. 137.; et *Quintil.* 2. 2. 6. ¶ 2. Latiori sensu *discipuli* etiam dicuntur, qui in tabernis, vel officinis mercatorum serviunt, et eorum disciplinam addiscunt. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. 3. Chilonem (*architectum*) arcesseram Venafro: sed eo ipso die quatuor ejus conservos et discipulos Venafri cuniculus oppresserat. *V.* et *Inscript.* in TRALLIS. Hinc discipulos coquorum *Plaut.* memorat *Pseud.* 3. 2. 76. et 96. et *Aulul.* 3. 1. 4. Hinc *Paul.* 2. *Sentent. tit.* 8. Quod cum discipulis eorum, qui officinis et tabernis præsunt, contractum est, in magistros vel institores actio dabitur.

II.) Translate. *P. Syrus* in *Mim.* Discipulus est prioris posterior dies.

DISCISSĬO, ōnis, f. 3. discidium, disjunctio. *Augustin. de fide et Symbolo* 10. Schismatici discissionibus iniqui a fraterna caritate dissiliunt. *Id. Epist.* 261. Plebis discissione.

DISCISSŪRA, æ, f. 1. disjunctio. *Ambros. Serm.* 13. Maria ita concepit Dominum, ut toto corpore hauriret, nec ejus discissuram corporis pateretur.

DISCISSUS, a, um. *V.* DISCINDO.

DISCITO, frequentat. a *disco*, agnoscitur a *Priscian. de* XII. *vers. Æn.* 1. *p.* 1221. *Putsch.*; sed nullo confirmatur auctore.

DISCLŪDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (dis et claudo). *Macrobium*, qui 6. *Saturn.* 4. hoc verbum novum esse et ferire aures scribit, post tantos scriptores, qui illo usi sunt, nihil moror. Hæc *Forcellinus*. Videtur tamen *Macrobii* tempore hoc verbum obsolevisse. — Part. *Disclusus* in omnibus paragr. — Disciudere est seorsim claudere, alios ab aliis separatos claudere (It. *chiudere separatamente*, *chiudere in luoghi separati*; Fr. *enfermer, serrer à part*; Hisp. *encerrar, cerrar a parte, separadamente*; Germ. *aus-von einander schliessen*; Angl. *to shut up apart*).

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 17. 4. Ubi dispares disclusos habeant pisces. *h. e.* in piscinis clausos ac separatos.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro separare, disjungere in partes. *Lucret.* 5. 438. Diffugere inde loci partes cœpere, paresque Tum paribus jungi res, et discludere mundum, Membraque dividere et magnas disponere partes. *Virg.* 6. *Ecl.* 35. Tum durare solum et discludere Nerea ponto. Rursus *Lucret.* 3. 171. Si minus offendit vitam vis horrida teli, Ossibus ac nervis disclusis intus adacta etc. *h. e.* discissis, diffisis. Sic *Id.* 6. 238. *de fulminibus.* et impete tanto Fiant, ut possint ictu discludere turres, Disturbare domos, avellere tigna, etc. *h. e.* diffindere turres. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Quibus (*tignis*) disclusis atque in contrariam partem revinctis etc. *h. e.* disjunctis etc. ¶ 2. Hinc est etiam dividere, locum a loco distermlnare. *Varro* 5. *L. L.* 11. *Müll.* Aventinus (*mons*) olim paludibus ab reliquis disclusus. *Cæs.* 7. *B. G.* 8. Mons, qui Arvernos ab Helviis discludit. — Similiter de rebus *Cic.* 1. *Tusc.* 10. 20. Duas separare voluit, iram et cupiditatem, quas locis disclusit: iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit. *Id. ibid.* 33. 80. Quas (*perturbationes*) is (*Plato*) — semotas a mente et disclusas putat. *Virg.* 12. *Æn.* 782. valuit discludere morsus Roboris Æneas.

DISCLŪSĬO, ōnis, f. 3. separatio, disjunctio. *Apul. de Deo Socrat. initio.* Non modo loci disclusione, verum etiam etc.

DISCLŪSUS, a, um. *V.* DISCLUDO.

DISCO, discis, didici, discitum, discere, a. 1. *Disciturus* est *Apuleji fragm.* apud *Priscian.* 10. *p.* 887. *Putsch.* — Part. *Discens* I. *e.* et II. 3.; *Discendus* I. *a.* — Ratione habita etymi, recentiores plerique volunt esse a *dic*, unde *dic-sco*, quasi dicere incipio; quidam conjungunt cum Gr. διδάσκω. — Ceterum discere est rem ignotam, aliquo docente, percipere, vel etiam meditando assequi (It. *imparare*; Fr. *apprendre*; Hisp. *aprender*; Germ. *lernen, erfahren, einsehen*; Angl. *to learn, acquire the knowledge of a thing*). Occurrit autem *A*) Stricto, et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto sensu — 1.°) De hominibus; et quidem — *a*) Cum Accusativo rei, quæ discitur, addita interdum persona, a qua discimus. *Plaut. Truc.* 4. 2. 22. Litteras didicisti: quando scis, sine alio discere. *Lucret.* 5. 1041. Discere vocabula prima. *Ter. Eun.* 2. 2. 30. Cœpit me obsecrare, ut sibi liceret discere id de me. *Cic. Senect.* 8. 26. Qui Græcas litteras senex didici. *Id.* 9. *Fam.* 10. Discere litteras apud aliquem. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 98. dialecticam ab aliquo. *Id.* 2. *de republ.* 21. artes. *Id.* 3. *Verr.* 45. 115. jus civile. *Virg.* 12. *Æn.* 435. Disce, puer, virtutem ex me, fortunam ex aliis. *Quintil.* 5. 10. 121. Discere palæstram. *Id.* 3. 1. 10. A quo didicisse artem dicitur. *Id.* 2. 4. 1. Cujus aliquid simile apud grammaticos puer didicerit. *Id.*

12. 8. 6. Causato discere ex suis litigatoribus. Adde *eumd.* 12. 11. 20.; *Sueton. Gramm.* 23. et *Rhet.* 1.; *Juvenal.* 14. 209.; et *Val. Flacc.* 1. 772. et 6. 291. *Veget.* 1. *Milit.* 1. Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit. — *Discere* dicuntur actores fabularum, sicut poetæ ipsi comici *docere*, aut *scribere fabulas*. *Ter. Hecyr. prol.* 48. Date silentium, ut lubeat scribere aliis mihique ut discere novas expediat. — Passive. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 49. Muliebres mores discendi, obliviscendi strationici. *Quintil.* 12. 11. 9. Tot artibus discendis. Adde *eumd.* 12. 11. 20. *Id.* 12. 3. 9. Discendum jus. *Cic.* 2. *Orat.* 33. 143. Haudquaquam id est difficile Crasso, qui et, quod disci potuit de jure, didicit; et etc. *Nepos Epam.* 3. Studiosus audiendi; ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. — *b*) Cum Accusativo et Infinito. *Plaut. Pseud.* 2. 3. 15. Bene ubi quod consilium discimus accidisse, hominem catum eum esse declaramus. *Cic.* 3. *Fam.* 5. 1. Didici ex tuis litteris, te omnibus in rebus habuisse rationem, ut mihi consuleres. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 101. Deos didici agere ævum. *Phædr.* 1. 2. Exemplis discimus, a feminis spoliari viros. — *c*) Cum Infinito tantum. *Plaut. Aulul.* 4. 1. 9. Quasi pueri qui nare discunt. *Cic.* 4. *de republ.* 5. Ut Spartæ, rapere ubi pueri et clepere discunt. *Sall. Jug.* 107. Didicerat Latine loqui. *Virg.* 3. *G.* 414. Disce et odoratam stabulis accendere cedrum. *Horat.* 3. *Od.* 27. 74. bene ferre magnam Disce fortunam. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 3. 299. et *Art. P.* 326.; et *Colum.* 3. *R. R.* 8. 5. *Phædr.* 4. 18. Ne quis discat prodesse improbis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 315. Discant cantare puellæ. *Quintil.* 11. 2. 45. nobis ignoscere. *Val. Flacc.* 1. 410. conscendere naves. *Sueton. Galb.* 6. militare. *Id. Rhet.* 5. nihil sapere. Adde *Juvenal.* 5. 154. Similiter *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (83). Araneus discit texere. — Huc pertinet et illud *Virg.* 5. *Æn.* 222. et fractis discentem currere remis. *Non. p.* 397. 2. *Merc.* interpretatur *tentare*; et sane qui discit, tentat, seu conatur. — Hinc *didici* aliquando est soleo, assuetus sum: nam quod didicit quis, sæpe facere consuevit. *Plaut. Amph.* 2. 2. 55. Vera dicere didici. *Lucan.* 4. 239. Feræ hominem didicere pati. *Pareus* affert etiam *fragm. Q. Hortensii.* Contra caput non didici dicere. — *d*) Cum Relativis. *Ter. Heaut.* 5. 2. 18. Disce, quid sit vivere. *Cic. Amic.* 12. 41. Plures discent, quemadmodum hæc fiant. *Liv.* 10. 25. A quo disceret senatus, quantum belli esset. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 1. Quæ virtus et quanta, boni, sit vivere parvo – Discite. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 17. 3. *Phædr.* 4. 3. Didici, quam sis utilis. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 1. 27.; et *Quintil.* 12. 1. 45. — Huc referri potest et illud. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. Se ita a majoribus didicisse, ut magis virtute, quam dolo contenderent. — *e*) Absolute. *Cæs.* 6. *B. G.* 14. Neque eos, qui discunt, litteris confisos, minus memoriæ studere (*volunt*). *Cic.* 2. *Off.* 1. 1. Cui (*philosophiæ*) quum multum adolescens discendi causa temporis tribuissem. *Id.* 1. *ibid.* 1. 2. Quam ob rem disces tu quidem a principe hujus ætatis philosophorum, et disces quamdiu voles. *Id. Brut.* 71. 249. Vehementer placet, nec vero sine causa. Nam et didicit, et, omissis ceteris studiis, id unum egit. *h. e.* didicit litteras et artem oratoriam. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 3.; *Curt.* 8. 8. 13.; et *Tac.* 1. *Ann.* 11. *Quintil.* 3. 1. 6. Nemo non didicisse mavult, quam discere. Adde *eumd.* 10. 1. 15., 8. *procem.* 12. et alibi sæpe. Sic *Id.* 1. 2. 3. Optime discendi ratio. *Id.* 1. 1. 1. Promptus ad discendum. *Id.* 12. 3. 2. In discendo. — Hinc Part. præs. *Horat.* 2. *Od.* 19. 1. Bacchum in remotis carmina rupibus Vidi docentem (credite posteri) Nymphasque discentes. — Porro *discens* absolute est discipulus seu litterarum, seu artis cujuspiam illiberalis. *Quintil.* 1. 3. 14. Cædi vero discentes, quamquam receptum sit, minime velim. *Id.* 2. 3. 7. Submittere se ad mensuram discentis. *Id.* 2. 5. 1. Discentium profectus. *Id.* 11. 1. 5. Non solum scientibus ista, sed etiam discentibus tradimus. Adde *eumd.* 7. 10. 9. et alibi sæpe; et *Sueton. Gramm.* 7. *Inscript.* apud *Murat.* 940. 3. M. AVRELIO JANVARIO CONJVX ET DISCENTES FECERVNT. *et ibid.* 4. AVRELIVS SABI AVRELIA ALII SIBI *et* AVRELIO CARABO DISCENTI SVO FECERVNT. *h. e.* discipulo in re coquinaria; nam in eo lapide infra inscriptionem quatuor instrumenta cocorum propria insculpta sunt. *V.* DISCIPULUS I. 2. Adde aliam apud *eumd.* 968. 7. *Alia* in *Bullett. dell' Instit. archeol. a.* 1847. *p.* 25. DISCENS AVGVSTIANI STVDII AMORE RETIARIVS. — *f*) Per ellipsin. *Cic. Senect.* 8. 26. Discebant enim fidibus. *h. e.* discebant canere fidibus. — 2.°) De rebus inanimis. *Plaut. Amph.* 1. 1. 159. Nequiter ferire malam male discit manus. *Virg.* 4. *Ecl.* 42. varios discet mentiri lana colores. *Plin.* 16. *Hist. nat. procem.* 1. (1). Arbores sive ultro, sive ab homine didicere blandos sapores.

B) Latiori sensu. ¶ 1. Ponitur pro cognoscere, intelligere, rescire: quæ cum priore significatione tam arcte cohærent, ut quædam superius allata huc ab aliis referantur, et vice versa. *Cic.* 2. *Orat.* 24. 100.; et *Quintil.* 12. 9. 21. Discere causam. *Nepos præfat.* Hi si didicerint, non eadem omnibus esse honesta, – non admirabuntur, etc. *Virg.* 2. *Æn.* 66. crimine ab uno Disce omnes. *Id.* 6. *ibid.* 755. et venientum discere vultus. *Horat.* 2. *Od.* 20. 19. Me ultimi noscent Geloni, me peritus Discet Iber. *Id.* 4. *ibid.* 14. 7. Quem legis expertes Latinæ Vindelici didicere nuper Quid Marte posses. *Ovid. Heroid.* 21. 228. Et discas sponsæ languida membra tuæ. *h. e.* cognoscas, videas. *Justin.* 14. 2. A quo quum auxilia Eumeni missa Antigonus didicisset, ab obsidione recessit. *Flor.* 2. 10. 3. Captum se didicit. *Ammian.* 16. 4. Ideo confidentes, quod ei nec Scutarios adesse, et quidem monentibus perfugis didicerant, nec etc. *Id.* 27. 2. Rector eximius speculatione didicit fida, direptis propius villis vastatoriam manum quiescere prope flumen. ¶ 2. Occurrit et pro ducere, quemadmodum etiam Gr. μανθάνειν. *Ammian.* 14. 1. Falsa discentes. *Nisi forte mendum sit pro* dicentes. *V.* integrum locum. — Hinc Part. præs.

Discens, entis, m. 2. absolute quoque occurrit, substantivorum more, pro discipulo. *V.* sub *A.* 1.° e.

DISCŎBŎLUS, i, m. 2. δισκοβόλος, qui discum jacit: a δίσκος *discus*, et βάλλω *jacio*. Fuit hoc nomine signum Myronis celebris statuarii, eo statu positu que corporis, quem describit *Stat.* 6. *Theb.* 680., cujusque figuram habes apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 1. *tab.* A. III. *edit. Mediol.*, memoratum vero a *Quintil.* 2. 13. 10. et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (57). — Item Naucydis. *Plin. ibid.* (80)., cujus figura extat apud *Visc. ibid. T.* 3. *tab.* XXVI., accuratam vero habes illustrationem *ibid. p.* 119. — Item tabula Taurisci. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (144).

DISCOCTUS, a, um. *V.* DISCOQUO.

DISCŎĪDES, e, adject. δισκοειδής, qui disci figuram habet: a δίσκος *discus* et εἶδος *figura*. *Theod. Priscian.* 1. 2. *ad fin.* Quum ex corde sensifica virtus, limpida atque splendens ad oculos provenit infuse per humorem vitreum, quem Græci hyaloidem vocant, exinde rursus redit ad sphæram, hoc est oculi ultimam inferius tunicam, quam Græci crystalloidem vocant, seu phacoidem, aut disaidem (*lege* discoidem); tunc tenuans atque splendificans sphæram, ad ejus centrum ac mediam partem, quam appellamus phacoidem, confugit.

DISCŎLĬUS, ii, m. 2. pes metricus, idem ac duplex scolius: a δίς *bis* et σκολιός. *V.* SCOLIUS. Hujusmodi pedis, qui et amphibrachys appellatur, et constat iambo pyrrhichio et trochæo, mentio est apud *Atil. Fortunat. p.* 2687. *Putsch.*

DISCŎLOR, ōris, adject. (dis *et* color). Recentiores formæ sunt *discolorius* et *discolorus*, quæ *V.* suis locis. — Discolor, cui recta opponitur *concolor*, est qui est diversorum colorum, colore differens, dissimilis (It. *di diversi colori*; Fr. *de couleur différente, diversement coloré*; Hisp. *diferentemente colorado*; Germ. *verschiedenfarbig*; Angl. *of various colours*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Varro* 3. *R. R.* 17. 4. Arculas, ubi discolores sint ceræ. *Cic.* 2. *Verr.* 13. 40. Ut discoloribus signis juratorum hominum sententiæ notarentur. *Ovid.* 2. *Trist.* 477. Discolor ut recto grassetur limite miles, Quum medius gemino calculus hoste perit. *h. e.* calculus tuus diversi coloris. Nam calculi seu latrones olim fiebant ex vitro, et in duas partes diversi coloris divisi, alii milites, alii hostes appellabantur. Sic *Martial.* 14. 17. Discolor hic gemino calculus hoste perit. Rursus *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 78. Evolat admissis discolor agmen equis. *h. e.* aurigæ quatuor, quorum tunicæ diverso erant colore. *V.* FACTIO. — *b*) Cum addito Dativo. *Ovid.* 5. *Trist.* 5. 8. Vestis alba discolor fatis meis. *scil.* quæ nigra ac tristia sunt. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 2. Una eademque ratio est in erythræis et nigris arietibus, quorum similiter, ut dixi, neutra pars esse debet discolor lanæ.

II.) Improprie. ¶ 1. Discolor est multis coloribus præditus. *Virg.* 6. *Æn.* 204. Discolor unde auri per ramos aura refulsit. *Val. Flacc.* 5. 565. variis floret via discolor armis. *Flor.* 1. 12. 7. Fidenæ, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum facibus armatæ, et discoloribus, serpentum in modum, vittis, furiali more processerunt. *Id.* 1. 16. 7. Discolori veste. *Id.* 2. 3. 5. Rex ipse – discoloribus in armis argenteoque carpento. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 2. 2. (3). Discolores aves. ¶ 2. Translate est differens, diversus. — *a*) Cum Dativo. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 3. Ut matrona meretrici dispar erit atque Discolor, infido scurræ distabit amicus. *Stat.* 9. *Theb.* 338. pelago nec discolor amnis. — *b*) Absolute. *Pers.* 5. 52. Mille hominum species et rerum discolor usus: Velle suum cuique est etc. *h. e.* varius. *Val. Flacc.* 6. 120. Discolor hastatas effudit Hiberia turmas.

DISCŎLŌRĔUS *et*

DISCŎLŌRĬUS, a, um, adject. idem quod discolor. *Petron. Satyr.* 97. Discoloria vestis. *Cassiod.* 1. *Variar.* 6. Discolorea crusta marmorum gratissima picturarum varietate texantur.

DISCŎLŌRUS, a, um, adject. idem ac discolor. *Capell.* 4. *init.* Discolora venustate florentibus. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 302. Quos lana terret discolora in stipite. *Al. leg.* discolor. Adde *Symmach. laud. in Valent.* 2. 1.

DISCŎLUS. *V.* DYSCOLUS.

DISCONCINNUS, a, um, adject. idem atque inconcinnus. *Fronto de Orat.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 2. Straboni oculi dispares sunt: potuisse te pares aut impares dicere; disconcinnos hos, illos concinnos dici potuisse; convenientes multo melius.

DISCONDŪCIT, impers. non conducit, non prodest. *Plaut. Trin.* 4. 2. 85. Sed nihil disconducit huic rei.

DISCONVĔNĬENS, entis. *V.* DISCONVENIO.

DISCONVĔNĬENTĬA, æ, f. 1. quod convenientiæ contrarium est vel opponitur, ut apud *Tertull. Testim. anim.* 6. Suspectam habe convenientiam prædicationis in tanta disconvenientia conversationis.

DISCONVĔNĬO, nis, nire, n. 4. (dis *et* convenio). Part. *Disconveniens*. — Disconvenio est non convenio, dissentio; et occurrit — *a*) Personaliter. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 99. Æstuat et vitæ disconvenit ordine toto. — *b*) Impersonaliter. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 18. Disconvenit inter me et te. Adde *Frontin. de limit. p.* 43. *Goes.* — *c*) Particip. *Disconveniens* apud *Lactant. Ira D.* 3. Est disconveniens Deo, ut ejusmodi potestate sit præditus.

DISCŎŎPĔRĬO, ŏpĕris, ŏpĕrŭi, ŏpertum, ŏpĕrīre, a. 4. (dis *et* cooperio). Part. *Discoopertus*. — Discooperio est aperio, quod apertum est resero. *Vulgat. interpr. Levit.* 18. 7. Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est. Adde *ibid. Num.* 5. 18., 2. *Reg.* 6. 20., *Isai.* 47. 2., *Ezech.* 22. 10. et alibi sæpe. *Hieronym. in Isaiam* 7. 20. 4. Tunc discoopertæ sunt nates eorum. Adde *Vet. Scholiast. ad Lucan.* 8. 789.

DISCŎPHŎRUS, i, m. 2. δισκοφόρος, discum ferens. *Hieronym. præfat. in Daniel. ad fin.* vocat *discophorum* Habacuc, qui prandium Danieli, per aera ab Angelo sublatus, portavit, ut habetur *Dan.* 14. 32. Discus enim etiam vas escarium significat. Adde *Hieronym.* 2. *in Jovinian.* 15.; et *V.* DISCUS.

DISCŎQUO, cŏquis, coxi, coctum, cŏquere, a. 3. (dis *et* coquo) Part. *Discoctus*. — Discoquo est valde et diu coquo; hinc est plusquam decoquo. Significat enim aliquando coquendo resolvere. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 72. (150). Discoquere cicer in aqua cum sale. *et ibid.* 74. (156). lupinos aqua cælesti. *Id.* 32. *ibid.* 7. 26. (81). Ranarum corda in olei veteris sextario sub æreo testo discoquere, ut infunderent per aurem. Cf. *Plin. Valer.* 3. 14. *a med.* Mittes ranas in sportellam palmiceam, et coques in oleo, donec discoquantur ossaque pura remaneant. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 60. (113). Radix decocta succum emittit etc., eadem discocta in aqua etc. *h. e.* ita cocta, ut resolvatur et deliquescat. *Id.* 22. *ibid.* 25. 70. (142). Lens alvum sistit in cibo, ma-

gisque discocta cælesti aqua; eadem solvit minus percocta. *et mox* (143). Lens ex aceto discocta. Adde *Cels.* 6. 9. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 34. Ubi discocta ficus fuerit in vas fictile conditur. *et* 1. *ibid.* 29. 2. Discocto farre pascentur pulli. *Al. leg.* decocto. *Theod. Priscian.* 4. 1. *post init.* Succus ptisanæ fortiter discoctæ. *Vulgat. interpr. Ezech.* 24. 1. Efferbuit coctio ejus et discocta sunt ossa illius.

DISCORDĀBĬLIS, *e*, adject. discors, dissentiens. *Plaut. Capt.* 2. 3. 42. Inter nos fuisse ingenio haud discordabili.

DISCORDĀTĒ, adverb. cum discordia. *Gloss. Philox.* Discordale (*lege* discordate), διχονοητικῶς.

DISCORDĬA, æ, f. 1. (dis *et* cor, cordis) cordium seu voluntatum discidium, dissensio, odium (It. *discordia, dissensione*; Fr. *discorde, désaccord, désunion*; Hisp. *discorde, disencion, desunion*; Germ. d. *Zwietracht, Uneinigkeit*; Angl. *discord, discordance, dissension, disunion*).

I.) Proprie. *Plaut. Truc.* 2. 4. 65. Facile inveniam, quomodo divortium et discordiam inter nos parem. *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 21. Discordia est ira acerbior, intimo odio et corde concepta. *Id.* 1. *Fin.* 13. 44. Ex cupiditatibus odia, discidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur. *Id. Amic.* 7. 23. Dissensiones atque discordiæ. *Id.* 1. *Off.* 25. 86. Inducere seditionem atque discordiam in civitatem. *Id. Mur.* 39. 83. Seditionem ac discordiam concitare. *Id.* 1. *Phil.* 1. 1. sedare. *Id. Amic.* 7. 24. Amicitia res contrahit, discordia dissipat. *Sall. Jug.* 10. Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. *Horat. Epod.* 4. 2. Tecum mihi discordia est. *Vellej.* 2. 3. Sanare discordias. *et ibid.* ferro dijudicare. *et ibid.* 126. summovere discordiam. *Tac.* 4. *Hist.* 50. Componere discordias. *Flor.* 4. 9. 3. Discordiæ civiles. Adde *Cic. Mur.* 23. 47. et 1. *de republ.* 32.; *Sall. Cat.* 5.; *Liv.* 4. 26.; *Curt.* 10. 8. 11. et 10. 9. 11.; *Virg.* 7. *Æn.* 545.; *Horat.* 1. *Sat.* 4. 60. et 7. 15.; *Sueton. Aug.* 62. et 90., *Cæs.* 5., *Tib.* 37., *Cal.* 26. et *Claud.* 25.; *Justin.* 8. 4. 8. et 5. 10. 11.; *Tac.* 1. *Hist.* 60., 4. *ibid.* 37. et 43., et 12. *Ann.* 44.; *Flor.* 3. 22. 8. et 4. 2. 62.; *Val. Flacc.* 7. 468.; et *Ammian.* 15. 4. et 25. 10. — De sententiarum discrepantia. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (213). Eorum (*auctorum*) unam discordiam ponemus exempli gratia.

II.) Translate. ¶ 1. De inanimis. *Lucret.* 6. 366. Discordia rerum. *Ovid.* 1. *Met.* 60. Discordiæ ventorum. *Id.* 9. *ibid.* 629. Discordia incertæ mentis. *h. e.* pugna et discidium variorum affectuum. *Lucan.* 5. 646. Discordia ponti. *Manil.* 1. 140. Discordia concors. (quæ *Ovidio* 1. *Met.* 433. est discors concordia). ¶ 2. In fabulis est Dea, Noctis et Erebi filia, ut *Hygin.* docet *præfat. fabular.*, Bellonæ et Martis comes, belli, rixæ, seditionis, et similium præses. Narrat *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 31., cum ad nuptias Pelei dii plurimi convenissent et Discordiam secum non admisissent, iratam illam pomum aureum jactavisse, in quo scriptum erat: *hoc est donum deæ pulcherrimæ*: ex quo jurgium ortum inter Junonem, Minervam et Venerem cum sibi quæque postularet; causamque belli Trojani multorumque malorum exstitisse. *Virg.* 8. *Æn.* 702. Et scissa gaudens vadit Discordia palla. *Petron. Satyr.* 124. scisso Discordia crine Extulit ad Superos Stygium caput; hujus in ore Concretus sanguis, contusaque lumina flebant: Stabant ærati scabra rubigine dentes, Tabo lingua fluens obsessa draconibus ora, Atque inter toto laceratam pectore vestem Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra. Adde *Val. Flacc.* 6. 401. et 2. 204.; et *Stat.* 5. *Theb.* 74. *Justin.* 12. 15. 11. Hac voce veluti bellicum inter amicos cecinisset aut malum Discordiæ misisset, ita omnes in æmulationem consurgunt. *h. e.* μῆλον τῆς Ἔριδος. *Augustin.* 3. *Civ. Dei* 25. Eo igitur modo non tantum Concordiæ, verum etiam Discordiæ templum constitui debuit. *V.* totum caput.

DISCORDĬĀLIS, *e*, adject. discordiam pariens, discordiosus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (142). Hyænæ pelli similem achatem abominantur, discordialem domibus. *Sillig* autem rectius legit: Hyænæ (*jubæ*) ad ilitæ (*achatis*) abominantur discordiam domibus. *h. e.* avertunt discordiam.

DISCORDĬŌSUS, a, um, adject. qui discordias et lites serit. *Sall. Jug.* 70. Vulgus Numidarum seditiosum atque discordiosum erat. *Sidon.* 6. *Ep.* 2. *in fin.* Discordiosa domus.

DISCORDIS. *V.* **DISCORS** sub init.

DISCORDĬTAS, ātis, f. 3. idem ac discordia, apud veteres. *Pacuvius* apud *Non. p.* 97. 1. *Merc.* Ex discorditate cladem importare familiæ.

DISCORDO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (dis *et* cor). Part. *Discordans* in omnibus paragr. — Discordare est discordem esse, dissidere, dissentire, discrepare (It. *essere discorde o in discordia*; Fr. *être en désaccord, ne pas s'accorder*; Hisp. *estar desacorda di*; Germ. *in Zwietracht, Uneinigkeit sein, uneinig sein, nicht übereinstimmen*; Angl. *to be at variance, disagree*).

I.) Proprie, seu stricto sensu. — *a*) Cum Accusativo *se* et præpos. *inter*. *Ter. Andr.* 3. 3. 43. Qui scis nos nunc discordare inter se? *Cic.* 1. *Fin.* 13. 44. Intus in animis cupiditates inclusæ, inter se dissident atque discordant. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *ab*. *Quintil.* 81. 3. 18. A sermone tenui sublime (*verbum*) discordat. *Id.* 11. 3. 45. Ne ab oratione (*vox*) discordet. *Vellej.* 2. 53. 3. Fortuna a se discordans. *h. e.* conversa et mutata, ac priori dissimilis. *Forcellinus* postrema hæc cum præpos. *ab* translate accepit. — c) Cum Accus. et præpos. *adversus*. *Quintil.* 5. 11. 19. Nota illa de membris humanis adversus ventrem discordantibus fabula. — d) Cum Ablat. et præpos. *cum*. *Cic.* 1. *Fin.* 18. 58. Animus a se ipse dissidens secumque discordans. *Tac.* 12. *Ann.* 28. Ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quis æternum discordant, etc. *Ammian.* 22. 9. Inimicum quidam suum, cum quo discordabat asperrime, etc. — *e*) Absolute. *Plaut. Merc.* 2. 1. 7. Neu discordarent, si ambo in uno essent loco. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 184. et depugnare parati si discordet eques. *Auct. B. Hisp.* 34. Oppidani – discordare cœperunt usque eo, ut etc. *Tac.* 1. *Ann.* 9. Non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regerentur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 35. (72). Jumenta discordantia. Adde *Pallad.* 9. *R. R.* 5. 3.; et *Sil. It.* 16. 20. *Plin.* 8. *Ep.* 20. 6. Discordantibus ventis. Adde *Ammian.* 26. 1. et 27. 3. — Hinc *discordantia* absolute sunt quæ rectâ invicem opponuntur apud *Colum.* 2. *R. R.* 2. 3. Qualitatum inter se dissidentium conjunctiones, quas Græci συζυγίας ἐναντιοτήτων, nos discordantium comparationes tolerabiliter diximus.

II.) Improprie, seu latiori sensu ponitur pro differre, distare, dissimilem esse. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 193. Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti Discrepet, et quantum discordet parcus avaro.

DISCORS, cordis, adject. (dis *et* cor). In gen. fem. *discordis* pro *discors* dixit *Pomponius* apud *Priscian.* 6. *p.* 726. *Putsch.* Blanda, fallax, impotens, superba, discordis. — Discors est qui corde, h. e. voluntate dissidet, dissentiens, contrarius (It. *discorde, diverso*; Fr. *qui est en désaccord, en mésintelligence, qui ne s'accorde pas*; Hisp. *discorde*; Germ. *zwieträchtig, nicht übereinstimmend, uneinig, disharmonisch*; Angl. *discordant, jarring, disagreeing*).

I.) Proprie. — 1.°) De personis. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 33. 91. Homines contentione et ambitione discordes. *Tac.* 2. *Hist.* 10. In civitate discordi – parvæ quoque res magnis motibus agebantur. *Liv.* 21. 31. Discors gens. *Curt.* 3. 8. 26. exercitus. *Ovid.* 4. *Fast.* 788. discordes ignis et unda dei. *Tac.* 1. *Ann.* 38. legiones. *Id.* 1. *Hist.* 11. Provincia superstitione ac lascivia discors et mobilis. *Id.* 3. *Ann.* 38. Thracia discors agebat. Adde *eumd.* 2. *Hist.* 5.; *Senec. Med.* 774; et *Sil. It.* 1. 773. Huc pertinet et illud *Horat.* 3. *Od.* 29. 28. Discors Tanais. *h. e.* accolæ Tanais ad discordias et bellum propensi. — *b*) Cum addito Ablativo et præpos. *cum*. *Liv.* 2. 23. Civitas secum ipsa discors. — *c*) Cum Dativo. *Vellej.* 2. 37. 2. Filius discors patri. *Tac.* 11. *Ann.* 6. Discors Suillio Silius. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 38. — *d*) Singulare est illud *Liv.* 1. 26. Ad alia discordes, in uno consensisse, ne etc. — 2.°) De rebus. *Lucret.* 5. 891. Centauros –, Scyllas, et cetera de genere horum, Inter se quorum discordia membra videmus. *Tibull.* 2. 3. 37. et *Virg.* 2. *G.* 459. Discordia arma. *Ovid.* 9. *Met.* 403. bella. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 174. vesania. *Id.* 1. *Ep.* 22. 19. et *Ovid.* 1. *Met.* 433. rerum concordia discors. *h. e.* quatuor elementorum, ex quibus res cunctæ constant. *Virg.* 10. *Æn.* 356. et *Ovid.* 4. *Met.* 620. venti. *Tac.* 1. *Hist.* 2. opus. *Lucan.* 1. 589. natura. *Sil. It.* 8. 285. frena. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 19. (32). Discordes medicorum sententiæ. — Et cum Dativo. *Paulin. Nolan.* 28. 485. discors agno lupus, et tenebris lux.

II.) Translate est diversus, dissimilis, non conveniens, discrepans. *Curt.* 4. 13. Homines discordes moribus et linguis. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (39). Discordes tot populorum linguæ. *Id.* 2. *ibid.* 97. 99. (218). Æstus marini tempore discordes, *h. e.* qui non statis, sed incertis temporibus fiunt. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (187). Mixtura generum vini discors. *Horat. Art. P.* 374. Symphonia discors. *h. e.* dissona.

DISCRĒBĬLIS, *e*, adject. qui discerni potest. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 42. Acuta quædam vox; sed enim discrebilis et intelligenda.

DISCRĒDO, dis, dere, n. 3. non credo. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 58. Quos at cursum agere opinarere et moveri omnia non discrederes. *Commodian. præfat.* 3. quod discredunt inscia corda. *Id. Instr.* 23. Aut quia discredis, Deum judicare defunctos. Adde *eumd.* 25. 17. et 29. 15.

DISCRĔPANS, antis. *V.* **DISCREPO**.

DISCRĔPANTĬA, æ, f. 1. dissensio, discordia. *Cic.* 3. *Fin.* 12. 41. Majorem multo inter Stoicos et Peripateticos rerum esse discrepantiam, quam verborum. Adde *eumd.* 1. *Off.* 11. 31. *Id. Topic.* 25. 96. Discrepantia scripti et voluntatis.

DISCRĔPĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod discrepantia. *Liv.* 10. 18. Ea ipsa inter consules discrepatio fuit. *Justin.* 32. 2. Romæ, quum multæ Græciæ civitates questum de injuriis Philippi regis Macedonum venissent, et discrepatio in senatu inter Demetrium Philippi filium, quem pater ad satisfaciendum senatui miserat, et legatos civitatium esset, etc. *Vulgati libri plerique omnes habent* disceptatio: *sed rectius* discrepatio *legendum esse videtur, quoniam id totius capitis sententia postulat, præsertim quum* disceptatio *et* discrepatio *in MSS. sæpissime confundantur.* V. Criticos *ad Liv.* 21. 31. 7. et ad *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 10.

DISCRĔPĬTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* discrepo. Part. *Discrepitans* — Discrepitare est sæpe aut valde dissonum esse: sed occurrit translate tantum apud *Lucret.* 2. 1016. Verum positurâ discrepitant res. *Id.* 3. 804. Quid enim diversius esse putandum est, Aut magis inter se disjunctum discrepitansque Quam etc.?

DISCRĔPO, crĕpas, crĕpui (*et* crĕpāvi) crĕpitum, crĕpare, n. 1. (dis *et* crepo). Part. *Discrepans* I. et II. — Discrepare est diverso modo sonare, dissonum esse (It. *essere dissonante, discordare*; Fr. *différer par le son, rendre un son différent, n'être pas d'accord, manquer d'harmonie*; Hisp. *ser desacordado, diferir en sonido*; Germ. *von einander verschieden tönen, schallen, disharmonisch tönen*; Angl. *to differ in sound, give a different sound, sound differently*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Off.* 40. 145. In fidibus, aut in tibiis, quamvis paullum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet. Sic *Id.* 2. *de republ.* 42. Ut enim in fidibus, aut tibiis, atque ut in cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, etc.

II.) Translate est non convenire, discordare, dissentientem, dissimilem, diversum esse: ad rem *Cic.* 3. *Off.* 21. 85. Ut hæc duo verba inter se discrepare, re tamen unum sonare videantur. — Occurrit — 1.°) Cum Nominativo rerum discrepantium — *a*) Addito interdum *inter se*, et sæpius Ablativo rei, qua ipsæ inter se discrepant. *Cic.* 4. *Fin.* 27. 75. Sic peccata, quia discrepant, æque discrepant. *Liv.* 26. 41. Tres duces discrepantes, prope ut defecerint alii ab aliis. *Virg.* 10. *Æn.* 434. nec multum discrepat ætas. *h. e.* sunt fere æquales. Adde locum *Cic.* 3. *Off.* 21. 85. paullo ante allatum. *Id. Cic.* 1. *Legg.* 10. 30. Oratio verbis discrepans, sententiis congruens. *Id.* 7. *Verr.* 46. 122. Eadem dicit, nulla in re discrepat. *Id.* 4. *Tusc.* 28. 61. Philosophi de ceteris rebus discrepantes. — *b*) Cum addito Ablativo rei, a qua altera discrepat, et præpos. *ob*. *Cic.* 3. *de republ.* 9. Ut intelligatis, discrepare ab æquitate sapientiam. *Id.* 3. *Orat.* 30. 118. Si qua in re discrepuit ab Antonii divisione nostra partitio. *Non. p.* 480. 9. *Merc.* legit *discrepuit*; plerique codices

discrepavit. Et *Id. initio Parad.* Quæ non multum discrepant ab opinione populari. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 4. *ad fin.* Neque unquam a tuis consiliis discreparem. *Ammian.* 14. 6. *med.* A gregariis militibus discrepantes. — *c*) Cum Dativo. *Cic.* 3. *Orat.* 50. 196. Ipsi sibi singuli discrepantes. *Horat.* 1. *Od.* 27. 5. Vino et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat. *Id.* 1. *Sat.* 6. 92. longe mea discrepat istis Et vox et ratio. *Id.* 2. *Ep.* 2. 193. quantum simplex hilarisque nepoti Discrepet. *Id. Art. P.* 219. Sortilegis non discrepuit sententia Delphis. *Id. ibid.* 152. Primo ne medium, medio ne discrepet imum. Adde *Pers.* 6. 18. — *d*) Cum Ablativo et præpos. *cum. Varro* 9. *L. L.* 102. *Müll.* Quo circa non si genus cum genere discrepat, sed in suo cujusque genere si quid deest requirendum. *Cic.* 2. *Fin.* 30. 96. Facta cum dictis discrepant. *Id.* 4. *ibid.* 22. 60. Quid attinuit cum iis, quibuscum re concinebat, verbis discrepare? *Colum.* 1. *R. R.* 1. 6. Quæ propter disciplina ruris nostrorum temporum cum priscis discrepat. — 2.°) *Res discrepat* est idem ac dubia, incerta est. *Ovid.* 6. *Fast.* 571. Servius est; hoc constat enim: sed causa latendi Discrepat, et dubium me quoque mentis habet. *Vellej.* 1. 7. 2. Res multum discrepans auctorum opinionibus. — 3.°) *Discrepat* impersonaliter est idem ac non constat, dubium atque incertum est, ambigitur. — *a*) Absolute. *Liv.* 9. 46. Ceterum (id quod haud discrepat) contumacia adversus contemnentes humilitatem suam nobiles certavit. *Sueton. Vitell.* 2. Sed quod discrepat, sit in medio. Rursus *Liv.* 3. 31. Quum de legibus conveniret, de latore tantum discreparet; missi legati Athenas etc. Sic *Sueton. Claud.* 44. Et veneno quidem occisum convenit: ubi autem et per quem dato, discrepat. — *b*) Cum addito *inter auctores*. *Liv.* 22. 61. Mirari magis, adeo discrepare inter auctores, quam, quid veri sit, discernere queas. Adde *eumd.* 38. 56. — *c*) Sequente part. *quin*. *Liv.* 8. 40. Nec discrepat, quin dictator eo anno A. Cornelius fuerit. Id ambigitur, belline gerendi causa creatus sit, an etc. *Id.* 25. 28. Quum haud ferme discreparet, quin, quæ ubique regum fuissent, Romanorum essent, etc.

DISCRESCO, crescis, crēvi, crētum, crescere, n. 3. valde cresco: *dis* enim auget, ut in *disamo*, *discrucio*, *discupio*, *distædet*. *Lactant. Mort. persecut.* 33. *sub fin.* Inferior corporis pars, sine ulla pedum forma, in utrium modum inflata discreverat.

DISCRĒTĒ, adverb. separate, distincte. *Cic.* 1. *Invent.* 30. 49. Post discrete et electe in genus quodque causæ, quid cuique conveniat, ex copia hac digeremus. *Al. rectius leg.* descripte. *Priscian.* 16. *p.* 1029. *Putsch.* Subdisjunctivæ (*conjunctiones*) sunt, quæ voce disjunctivarum, utrumque tamen esse significant, vel simul ut copulativæ, vel discrete. – Discrete, utrumque tamen esse significant, ut tota die vel legit iste, vel cogitat. — *Cassiod. Amic.* 9. Vir prudens discrete in affectum transeat. *h. e.* circumspecte.

DISCRĒTIM adverb. separatim, distincte.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 3. Quoniam discretim de his rebus dicendum est. *Scaliger* tamen legit *discretum*; quod rectius videtur si ejus interpunctionem sequamur. Habet autem *Apul.* 6. *Met. initio.* Singula Psyche curiose dividit et discretim remota rite componit. *Id. Florid. n.* 9. Sigillatim ac discretim.

II.) Improprie ponitur pro discordi animo. *Ammian.* 29. 6. Sed dum discretim grassatores adoriri festinant, ortis inter se discordiis de honore certabant et dignitate. *Id.* 28. 1. *med.* Mucianum Barbaruamque apparitores aliquoties discretim tradi jubebat. *V.* integrum locum.

DISCRĒTĬO, ōnis, f. 3. (discerno). ¶ 1. Est separatio. *Lactant.* 7. 12. Quæ discretio mors vocatur. *Triphonin. Dig.* 7. 1. 62. Ne per singula animalia facultatis fructuarii, propter discretionem difficilem, jus incertum sit. Adde *Prudent. Hamartig.* 26. ¶ 2. Item discrimen, delectus. *Ammian.* 19. 9. Quæ (*mortuorum corpora*) paullo postea per Discenen tribunum et Notarium numerata sunt hac discretione facilius, quod nostrorum cadavera mox cæsorum fatiscunt et defluunt –: interfectorum vero Persarum inarescunt in modum stipitum corpora. *Pallad.* 8. *R. R.* 4. 5.; et *Ammian.* 17. 1., 23. 6. et 26. 6. Sine discretione. *Ammian.* 30. 5. Absque discretione. *Jul. Exsuperant.* 4. Legem tulit, ut novi cives cum veteribus nulla discretione suffragium ferrent. *Terentian. p.* 2385. *Putsch.* Neu discretio falsa sit rerum. ¶ 3. Item signa discernendi. *Veget.* 1. *Veterin.* 16. 1. *Schneid.* Elephantiasis morbi discretio superius est indicata, cui talis est adhibenda medicina. ¶ 4. Item moderatio. *Auct. declam., quæ inscrib. Trib. Marian.* 5. Patere, C. Mari, patiatur tua divina virtus, et Romanæ ceterum militiæ pia discretio.

DISCRĒTĪVĒ, adverb. cum discretione et separatione. *Donatus* ad *Ter. Eun.* 1. 2. 43. Nunc discretive dictum est.

DISCRĒTĪVUS, a, um, adject. discernendi et separandi vim habens. *Priscian.* 15. *p.* 1021. *Putsch.* Discretiva adverbia, *seorsum*, *secus*, etc. *Id.* 17. *p.* 1061. et 1062. Discretiva pronomina. *Id.* 16. *p.* 1030. Discretivæ conjunctiones. *Id.* 18. *p.* 1165. Discretiva verba.

DISCRĒTOR, ōris, m. 3. qui discernit, seu judicat. *Vulgat. interpr. Paul. ep ad Hebr.* 4. 12. Est enim sermo Dei discretor cogitationum et intentionum cordis.

DISCRĒTŌRĬUM, ii, n. 2. discrimen, id quod discernit et separat. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. Fluores difficiles curatione judicantum, at magis, si ex diaphragmate, quod nos jamdudum discretorium dicimus.

DISCRĒTUS, a, um. *V.* DISCERNO.

DISCRĪBO pro *describo* scribi volunt nonnulli apud *Cic. Senect.* 2. etc. quoties distributionem ac divisionem notat. Ita etiam legitur in *Not. Tir. p.* 10.; et in *Inscript.*, quæ pertinet ad Augusti Cæsaris tempora, quæque Venafri reperta habetur in *Bullett. dell' Instit. di corr. archeol. a.* 1846. *p.* 165. EAM AQVAM DISTRIBVERE, DISCRIBERE VENDVNDI CAVSA CONSTITVERE.

DISCRĪMEN, inis, n. 3. quasi *discernimen* vel potius *discerimen* a *discerno*, est id quo res una ab alia discernitur, divisio, separatio (It. *ciò che serve a separare*, *intervallo*, *divisione*, *separazione*; Fr. *ce qui sépare*, *ce qui divise*, *intervalle*, *distance*, *ligne de démarcation*; Hisp. *intervalo*, *distancia*, *separacion*; Germ. d. *Sondernde*, *Scheidende*, *Ausscheidende oder Ausgeschiedene*, d. *Unterscheidende*, d. *gemachte Unterschied*, d. *Spalte*, d. *Zwischenraum*; Angl. *a division*, *separation*).

1.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 5. 688. Nam medio cursu flatus aquilonis et Austri Distinet æquato cælum discrimine metas. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 32. 87. *de Corintho.* Ut duo maria pæne conjungeret, quum pertenui discrimine separarentur. *h. e.* brevi intervallo Isthmi, quo Ionium ab Ægæo mari separatur. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 61. minimum quos inter et hostem Discrimen murus clausaque porta facit. *Lucan.* 5. 75. *de Parnasso.* Hoc solum, fluctu terras mergente, cacumen Enituit, pontoque fuit discrimen et astris. *Virg.* 5. *Æn.* 154. post hos æquo discrimine Pistris Centaurusque locum tendunt superare priorem. *h. e.* pari intervallo et spatio, atque adeo æquali celeritate. *Id.* 3. *ibid.* 684. Contra jussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim Inter utramque viam, leti discrimine parvo, Ni teneant cursus. Sic *Ovid.* 7. *Met.* 426. Attonitus tantum leti discrimine parvo Committi potuisse nefas. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 578. et 1. *ibid.* 291.; *Senec.* 3. *Quæst. nat.* 29.; et *Claudian. Gigant.* 62. — *b*) Speciatim dicitur de intervallis dentium. *Quintil.* 12. 10. 29. *de F littera.* Inter discrimina dentium efflanda est. — *c*) Et de fissura ungulæ in quadrupedibus. *Colum.* 5. *R. R.* 15. *extr.* et 7. *ibid.* 5. 11.; et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 105. (254). — *d*) Item de divisione capillorum. *Ovid.* 2. *Art. am.* 302. Compositum discrimen erat, discrimina lauda. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 102. hæc morsu numerosi dentis eburno Multifidum discrimen arat. — *e*) Et de sulcis et areolis, quibus terra culta dividitur. *Colum.* 10. *R. R.* 95. puro discrimine pectita tellus, Deposito squalore nitens sua semina poscit. — *f*) *Medium discrimen luci* apud *Grat. Cyneg.* 486. est medium in luco spatium arboribus vacuum, quo una veluti pars silvæ ab altera dividitur. — *g*) Et de divisionibus aciei. *Curt.* 4. 12. 20. Caligo agminum discrimina atque ordinem prohibuit perspici. — *h*) Et de variis lyræ chordis, quæ singulæ diversum sonum edunt. *Virg.* 6. *Æn.* 646. Obloquitur numeris septem discrimina vocum. — *i*) Denique de diaphragmate. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 11. Ex diaphragmate, quod jamdudum discrimen vocavimus. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 10. *ad med.*; et *V.* DISCRETORIUM.

II.) Translate occurrit *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim ponitur pro quacumque diversitate ac differentia. — *a*) Sine additis. *Lucilius* apud *Non. p.* 282. 27. *Merc.* Et amabat omnes; nam discrimen non facit. Sic *Quintil.* 7. 2. 14. Ætas discrimen facit. *Cic.* 4. *Fin.* 25. 69. Officia autem tollebantur, delectu omni et discrimine remoto; quæ enim esse poterant rebus omnibus sic exæquatis, ut inter eas nihil interesset? Sic *Id.* 4. *Verr.* 50. 123. Omnia jura pretio exæquavit, omniumque rerum delectum atque discrimen pecunia sustulit. *Id. Planc.* 4. 9. Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia. *Virg.* 1. *Æn.* 578. Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur. *Sueton. Aug.* 32. Rapti per agros sine discrimine. *Quintil.* 5. *Declam.* 13. Facere aliquod discrimen de liberis. *Ovid.* 6. *Met.* 61. Illic et Tyrium quæ purpura sensit aenum Texitur, et tenues parvi discriminis umbræ. *h. e.* umbræ gradatim per colorum varia discrimina declinantes. — *b*) Cum addito Accusativo et præpos. *inter*. *Cic. Balb.* 21. 49. Sit hoc discrimen inter gratiosos cives atque fortes, ut illi vivi fruantur opibus suis, horum etiam mortuorum vivat auctoritas. Cf. *Curt.* 4. 1. 40. Sed leviora inter illos fuere discrimina. — *c*) Sæpius cum Genitivo. *Sall.* apud *Non. p.* 282. 22. Nullo, ut in terrore solet, generis aut imperii discrimine. *Liv.* 5. 46. Adeo regebat omnia pudor, discriminaque rerum, prope perditis rebus, servabant. *Id.* 5. 40. Salvo etiam tum discrimine divinarum humanarumque rerum. *Id.* 5. 55. Omisso sui alienique discrimine. *Sueton. Cal.* 8. Sine ullo sexus discrimine. *Quintil.* 12. 10. 44. Servare discrimen personarum. *Id.* 12. 3. 7. Discrimina recti pravique. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 77. (201). Facere discrimen rerum. *Flor.* 1. 6. 3. Patrimonii, dignitatis, ætatis discrimina. — *d*) Sequente part. *an*. *Liv.* 28. 3. Timor inde oppidanos incessit, ne, si hostis urbem intrasset, sine discrimine, Pœnus an Hispanus esset, obvii passim cæderentur.

B) Speciatim. ¶ 1 Discrimen dicitur actus, quo inter duas res controversas decernitur, adeoque decernendi actus, decernendi tempus, deliberatio. — *a*) Sequentibus particulis *utrum*, *an*. *Cic. Quinct.* 30. 92. Res in discrimine versatur, utrum ne possit se defendere, an etc. *Al. leg.*, *sed minus recte*, discrimen. *Id.* 3. *Phil.* 11. 29. Res in id discrimen adducta est, utrum ille pœnas luat, an nos serviamus. *Liv.* 29. 17. In discrimine est nunc humanum genus, utrum vos, an Carthaginienses principes orbis terrarum videat. *Id.* 8. 35. Disciplina, – majestas, quæ in discrimine fuerunt, an ulla post hanc diem essent. Cf. *Id.* 10. 28. Nec dum discrimen fortuna fecerat, qua datura vires esset. *Curt.* 4. 9. *sub fin.* Audaciæ quoque ratio minui potest, quia numquam in discrimen venit, an temere fecisset. Cf. *Tac.* 11. *Ann.* 28. Sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque clausæ aures etiam confitenti forent. — *b*) Cum Genitivo rei. *Liv.* 44. 23. Postquam intrasse saltum Romanos, et adesse discrimen ultimum belli animadvertit. *Justin.* 29. 2. *extr.* Facere bello discrimen imperii. *h. e.* bello id efficere, ut videatur, utrum imperium majus ac potentius sit. *Curt.* 4. 16. 28. Quum in ipsa acie summum rei videret esse discrimen. *Tac.* 5. *Hist.* 13. Ejus prælii eventus utrumque ducem, diversis animi motibus, ad maturandum summæ rei discrimen erexit. Adde *eumd.* 11. *Ann.* 28. *Val. Flacc.* 6. 545. in medio duri discrimine belli. *Id.* 7. 500. Atque per has nostri juro discriminis horas. Sic *Id.* 5. 312. certi tandem discriminis horæ. Adde *Lucan.* 4. 770. — Huc referri potest et illud *Inscript.* apud *Gruter.* 823. 8. L. IVNIVS AVITVS OPTVMAE CONIVGI CVM QVA VIX. AN. IX. DVLCITER SINE VLLO DISCRIMINA. *h. e.* dissensione. ¶ 2. Hinc sæpissime ponitur pro periculo: nempe, ait *Forcellinus*, quia illud omne significat, quo ab exitio, morte, gravi damno exiguo intervallo dividimur; vel quia quidquid in deliberationem venit, in periculum quoque adducitur. Hinc etiam cum *periculo* conjungitur. *Liv.* 8. 24. *a med.* Quid in tanto discrimine periculi cunctaretur, interrogans. *Cic.* 1. *Off.* 43. 154. Periculum discrimenque patriæ. *Id.* 7. *Phil.* 1. 1. Adducta est res in maximum periculum et in extremum pæne discrimen.

Id. pro leg. Manil. 5. 12. Salus sociorum summum in discrimen ac periculum vocatur. Adde *Liv.* 3. 18. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 68. Ante discrimen feroces, in periculo pavidi. — *a*) Cum additis nominibus. *Cic. Sull.* 28. 77. In extremo discrimine ac dimicatione fortunæ. *Id. Dom.* 9. 24. Summus vir, sæpe ad extrema reipublicæ discrimina delectus. *Curt.* 3. 8. 20. Ceterum, ut fieri solet, quum ultimi discriminis tempus adventat, in sollicitudinem versa fiducia est. *Id.* 4. 9. 4. Sine ullo Martis discrimine, sine sanguine orbem terræ ab illis capi. *Sueton. Cæs.* 4. In discrimine sociorum. *Quintil.* 7. 2. 9. Quæ (*persona*) extra discrimen judicii est. *Id.* 6. 1. 47. Discriminis sui ignorantia. *Id.* 7. 2. 51. Quod plerumque duorum discrimen est. *Id.* 10. 5. 17. Ne ab illa umbra vera discrimina reformident. *Val. Flacc.* 1. 714. Jamque dolos circumque trucis discrimina leti Mille vides. *Id.* 1. 37. Ira maris vastique placent discrimina ponti. *Id.* 5. 689. Hic labor, amborumque hæc sunt discrimina fratrum. *Id.* 2. 579. miseræ flebant discrimina Trojæ. — *b*) Cum verbis. *Cic. Rosc. Am.* 6. 16. Quum omnium nobilium dignitas et salus in discrimen veniret. *Id.* 1. *Orat.* 1. 3. Devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen. *Id.* 7. *Att.* 1. *circa med.* Incidere in discrimen. *Id.* 7. *Fam.* 2. Quum omnis respublica in meo capite discrimen esset habitura. *Id.* 11. *Phil.* 1. 3. Totius belli discrimen in hujus viri fortissimi vita positum est. *Id. Sext.* 1. 1. Se et salutem suam in discrimen offerre pro aliquo. *Cæs.* 6. *B. G.* 37. Res est in summo discrimine. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 12. Maximo in discrimine respublica versatur. *Liv.* 29. 7. In majori discrimine rem verti. *Id.* 8. 32. Committere rem in discrimen. *Justin.* 41. 2. 9. et *Curt.* 8. 11. Discrimen subire. *Curt. ibid.* 10. tentare. *Id.* 5. 4. experiri. *Id.* 8. 14. Ruere in medium discrimen. *Sueton. Cæs.* 17. In discrimen cecidit. *Id. Tit.* 6. Discrimen urget. *Tac.* 2. *Hist.* 60. Adire discrimen. *Id. ibid.* 40. mittere. *Id.* 2. *Ann.* 11. Dare in discrimen. — Similiter *Cic. Dejot.* 1. 2. Adducere aliquem in discrimen capitis. et *Tac. Germ.* 12. Discrimen capitis intendere. *h. e.* capitis reum facere. Rursus *Cic. Sext.* 20. 45. Adducere aliquem in discrimen vitæ. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 21. 71. existimationis. Adde *Quintil.* 11. 1. 49.; *Plin.* 2. *Ep.* 9.; *Sueton. Tib.* 6. et *Cal.* 4.; et *Juvenal.* 14. 258. — Generalim vero adde *Nepot. Datam.* 5. et *Ages.* 6.; *Sueton. Oth.* 9., *Domit.* 9., *Tib.* 2., *Cal.* 45., *Claud.* 1. et alibi sæpe; *Plin.* 8. *Ep.* 11.; *Juvenal.* 6. 500. et 10. 311.; et *Ammian.* 17. 4., 19. 9., 15. 10. et 31. 6.

DISCRĪMĬNĀLIS, e, adject. *Discriminalis acus* apud *Hieronym.* 3. *in Rufin.* 42. est discerniculum. — Hinc

Discriminalia, *ium*, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt discernicula. *Vulgat. interpr. Isai.* 3. 20. Auferet Dominus armillas et mitras et discriminalia et periscelidas.

DISCRĪMĬNĀTIM, adverb. cum discrimine. *Varro* 1. *R. R.* 7. 7. Sunt quæ non possunt vivere nisi in loco aquoso, aut etiam in aqua: et id discriminatim, ut alia in lacubus, alia in fluminibus, alia in mari.

DISCRĪMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. discretio, divisio. *Diomed.* 1. *p.* 306. *Putsch.* Nomen est, quo Deus, aut homo propria discriminatione pronunciatur.

DISCRĪMĬNĀTOR, ōris, m. 3. qui discernit. *Augustin. Tract.* 20. *in Joann.* 12. Ipse (*animus*) considerator istorum omnium, discriminator, distinctor, et quodammodo appensor in libra sapientiæ. *Apul. de Mundo.* Axis divisor et discriminator mundi. *Alii rectius leg.* disterminator. *V.* DISTERMINATOR. Idem esse videtur ac criminator. *Tertull.* 1. *ad Nation.* 10. *ad fin.* Nam etsi idcirco damnatus est Socrates, cum pœnituerit Athenienses damnationis, discriminatores quoque impenderit (*corrige* impenderint): restituitur testimonium Socrati. Hæc eadem aliis verbis habet *Id. Apolog.* 14. Tamen cum pœnitentia sententiæ Athenienses criminatores Socratis postea afflixerint, etc. *At posterior* Tertulliani *locus*, *nisi fallor*, *docet priore quoque* criminatores *legendum esse*, et discriminatores *librarii errorem fuisse.*

DISCRĪMĬNĀTRIX, icis, f. 3. quæ discriminat et discernit. *Nazar. Paneg. ad Constantin.* 7. Illa vis fandi ac nefandi discriminatrix, quæ omnia meritorum momenta perpendit.

DISCRĪMĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISCRĪMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (discrimen). Part. *Discriminatus* et *Discriminandus*. — Discrimino est discrimine separo, discrimen facio, distinguo. *Varro* 9. *L. L.* 104. *Müll.* Cum analogiæ sui cujusque temporis verba debeant discriminare. *Id.* 1. *R. R.* 23. 4. Nec minus ea discriminanda in conserendo, quæ sunt fructuosa, propter voluptatem, ut quæ pomaria ac floralia appellantur. *Cic.* 12. *Phil.* 9. 23. Cassia via Etruriam discriminat. *Virg.* 11. *Æn.* 144. lato discriminat agros. *al. leg.* disterminat. *Liv.* 21. 4. Vigiliarum somnique nec die, nec nocte discriminata tempora. *Seneca Ep.* 95. *ad fin.* Notæ, quibus inter se similia discriminentur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 61. (160). Continuorum dentium qui digerunt cibum, lati et acuti; qui conficiunt duplices; qui discriminant eos canini. *h. e.* separant duplices a latis. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 89. nodus qui sublevat ensem, Album puniceo pectus discriminat ostro. *Ammian.* 28. 5. Ordines discriminare. *Id.* 18. 8. Capite discriminato.

DISCRĪMĬNŌSĒ, adverb. cum discrimine. Occurrit tantum Comp. *Discriminosius* apud *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 2. 31. In Cydnum una cum armis præcipitat ponte, ac natabundus exit; valetudinem tamen discriminosius viceat.

DISCRŬCĬĀTUS, a, um. *V.* DISCRUCIO.

DISCRŬCĬĀTUS, us, m. 4. cruciatus. *Prudent. Hamartig.* 836. Vermibus et flammis et discruciatibus ævum immortale dedit.

DISCRŬCĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis *et* crucio). Part. *Discruciatus* 1. — Discruciare est valde cruciare, torquere (It. *tormentare*, *cruciare*; Fr. *tormenter*, *torturer à outrance*; Hisp. *atormentar*, *martirizar*; Germ. *zermartern*, *daher heftig peinigen*, *quälen*, *martern*; Angl. *to torment grievously*, *torture*, *distract*).

I.) Proprie de corpore. *Cic.* 13. *Phil.* 18. 37. Si posset, etiam Brutum, Cassium discruciatos necaret. *Ammian.* 29. 12. *sub init.* Discruciatus cecidit, ferro pœnali.

II.) Improprie de animo. — 1.°) Activa forma *Plaut.* apud *Non. p.* 143. 3. *Merc.* Quid murmurillas tecum et te discrucias? — 2.°) Sæpius tamen passive usurpatur *discrucior* mediorum significatione; et quidem — *a*) Cum addito *animi*. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 27. Discrucior animi, quia ab domo abeundum est mihi. *Ter. Adelph.* 4. 4. 1. Discrucior animi, hoccine de improviso mali mihi objici. — *b*) Cum addito *miser*. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 155. Mene ego illæc patiar præsente dici? Discrucior miser. *Id. Cas.* 2. 3. 58. Ego discrucior miser amore. Adde *eumd. Bacch.* 3. 3. 31. — *c*) Cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 14. *Att.* 6. Discrucior, Sextilii fundum a verberone Curtilio possideri. *Catull.* 65. 76. Abfore me a dominæ vertice discrucior. Adde *Ter.* loc. cit.; et *Plaut. Bacch.* 3. 3. 31. — *d*) Sine additis. *Cic. Rosc. Com.* 11. 31. Quod enim ipse celeriter arripuit, id quum tarde percipi videt, discruciatur.

DISCŬBĬTĬO, ōnis, f. 3. locus, in quo discumbitur epulandi causa, idem atque accubitum. *Inscript.* apud *Murat.* 1985. 2., quæ est apud *Orell.* 2106. PRO SALVTE DOMINI NOSTRI IMP. L. SEPTIMII SEVERI AVG. TOTIVSQVE DOMVS EIVS AVFANIIS MATRONIS ET MATRIBVS PANNONIORVM ET DALMATARVM TI. CLAVDIVS POMPEIANVS TRIB. MIL. LEG. I. MIN. LOCO EXCVLTO CVM DISCVBITIONE ET TABVLA *votum solvit.* *V.* ACCUBITUM et STIBADIUM.

DISCŬBĪTUS, us, m. 4. discumbendi actus. In sexto casu singulari. *Val. Max.* 2. 1. *n.* 9. Ne senioris adventum discubitu præcurrerent.

DISCŬBO, as, ui, itum, n. 1. legitur apud lexicographos, sed exempla, quæ afferuntur, ad *discumbo* referri possunt, cum quo commune habet præteritum.

DISCULPTUS, a, um, particip. ab inusit. *disculpo*, laceratus. *Tertull. Pall.* 4. *de Alex. M.* Pectus squamarum signaculis disculptum, textu pellucido tegendo, nudavit. *Alii leg.* discalptum.

DISCUMBO, cumbis, cŭbŭi, cŭbitum, cumbere, n. 3. (dis et cubo). Particip. *Discumbens* 1.° — Discumbere ¶ 1. Est mensæ accumbere; quo de more in ACCUMBO dictum est: et occurrit: — 1.°) Activa forma; et quidem — *a*) De pluribus. *Lucret.* 3. 925. Hoc etiam faciunt, ubi discubuere, tenentque Pocula sæpe homines et inumbrant ora coronis. *Cic.* 5. *Att.* 1. 4. Discubuimus omnes præter illam, cui tamen Quinctus de mensa misit. *Virg.* 1. *Æn.* 712. toris jussi discumbere pictis. *Ovid.* 12. *Met.* 211. positis ex ordine mensis, Arboribus tecto discumbere jusserat antro. *Stat.* 4. *Silv.* 2. 33. Discumbere mensis. *Tibull.* 2. 5. 95. In herbis. *Petron. Satyr.* 22. Alii circa pedes discumbentium sparsi jacebant. Adde *Ovid.* 6. *Met.* 566.; *Quintil.* 11. 2. 13.; et *Sueton. Cæs.* 48., *Aug.* 70. et *Cal.* 45. — *b*) De una tantum persona, quæ tamen cum aliis vel inter alios accumbat. *Curt.* 8. 5. 9. Cum quibus quum discubuisset rex, paulisper epulatus, convivio excessit. *Tac.* 3. *Ann.* 14. Quum in convivio – Piso discumberet. *Id.* 6. *ibid.* 50. Ultra solitum discumbere. Adde *Sueton. Aug.* 74. et *Vit. Terent.* 3.; et *Juvenal.* 5. 12. Huc pertinet et illud *Nepot. fragm.* 6. 2. *Staver.* Temperius discumbere. 2.°) Passive impersonaliter. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. Discumbitur: fit sermo inter eos et invitatio, ut Græco more biberetur. *Virg.* 1. *Æn.* 704. stratoque super discumbitur ostro. *Gell.* 3. 19. Apud cœnam Favorini cum discubitum fuerat etc. ¶ 2. Item dormiendi causa decumbere. *Plaut. Merc. prol.* 99. Discubitum noctu ut imus, ecce etc. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 14. Simul cœnare et in eodem loco somnum capere voluerunt; cœnati discubuerunt ibidem.

DISCŬNĔĀTUS, a, um, adject. apertus ac patens: a *cuneus*. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (90). Conchæ se contrahunt, sed frustra, discuneatæ. *h. e.* quasi immisso cuneo diductæ et patefactæ. Loquitur de conchis quum polypi iis insidiantes lapillum injiciunt, quo cancri securi extrahant.

DISCŬPĬO, pis, pere, a. 3. (dis *et* cupio) valde cupio. *Plaut. Trin.* 4. 2. 87. Discupio dicere. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 15. 2. Te videre et omnia intima conferre discupio. *Catull.* 103. 2. Discupio vendere.

DISCURRO, curris, curri vel cŭcurri, cursum, currere, 3. (dis *et* curro). Præter. perf. *discucurrerant* habet *Liv.* 25. 25. et *discurrisse* habet *Curt.* 4. 15. 10.; *discucurrit* habet *Sueton. Cal.* 32. — Part. *Discurrens*, *Discursus* et *Discursurus* 1. — Discurrere est huc illuc currere, in diversas partes currere, palantes huc illuc currere (It. *correre qua e là*, *discorrere*, *correre in diverse direzioni*, *sparpagliarsi correndo*; Fr. *courir de différents côtés*, *courir çà et là*, *courir en différents sens*, *se disperser*; Hisp. *correr acá allá*, *esparcirse*; Germ. *nach verschiedenen Richtungen auseinanderlaufen*, *sich zerstreuen*, *zerstreut umhereilen*, *laufen*; Angl. *to run different ways*, *to and fro*, *this way or that*, *up and down*, *hither and thither*).

I.) Proprie. — 1.°) De personis. — *a*) Cum præpos. *circa*. *Liv.* 26. 9. Circa deûm delubra discurrunt. *Id.* 25. 9. circa vias. — *b*) Cum præpos. *per*. *Ovid.* 14. *Met.* 418. famuli populusque per omnes Discurrunt silvas, atque obvia lumina portant. *Sueton. Cal.* 19. per Bajanum sinum. *Ammian.* 24. 1. per varia. Adde *eumd.* 16. 3. *Id.* 25. 5. *med.* per agmina. — *c*) Cum præpos. *in* et Ablat. *Cæs.* 3. *B. C.* 105. Ut in muris armata civitas discurreret. *Ovid.* 2. *Fast.* 285. in montibus altis. — d) Cum Ablat. sine præpos. *Sueton. Ner.* 57. Tantumque gaudium publice præbuit, ut plebs pileata tota urbe discurreret. — e) Cum præpos. *ad* vel *in* fere ad finem significandum. *Curt.* 9. 7. 8. Græci milites, incertum ob quam causam, lymphatis similes ad arma discurrunt. Cf. *Liv.* 25. 36. infra sub *g*. *Virg.* 12. *Æn.* 577. Discurrunt alii ad portas. Adde *Liv.* 25. 37. *Id. Liv.* 1. 9. Signo dato, juventus Romana ad rapiendas virgines discurrit. *Curt.* 4. 15. 10. Victores Persas ad prædam discurrisse. *Petron. Satyr.* 114. Discurrunt nautæ ad officia trepidantes. *Apul.* 7. *Met.* Arbitror puellam istam nec in similem fugam discursuram. *Auct. B. Alex.* 31. Trepidantes in omnes partes discurrere cœperunt. Et in re militari *Curt.* 3. 3. 14. Obsistere, circumire, discurrere in cornu, mutare pugnam. V. *Mützell.* ad h. l. Similiter *Liv.* 28. 14. Neque in cornua, ut adjuvarent pugnantes, discurrere auderent. Adde *eumd.* 7. 33. Sic *Frontin.* 2. *Strateg.* 3. 10. Discurrere in latera. Alio sensu *Justin.* 13. 6. 17. Sic Macedonia, in duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera armatur. — *f*) Part. *Discursus* pass. *Ammian.* 29. 5. Discursis magnis itineribus. *Id.* 25. 10. Tramite discurso. Sic *Id.* 28. 1. Negotiis discursis. — *g*) Passive impersonal. *Virg.*

11. *Æn.* 468. ilicet in muros tota discurritur urbe. *Liv.* 25. 36. Accensis utrimque animis ad arma discurritur et prœlium conseritur. *Id.* 27. 16. Tum ab cæde ad diripiendam urbem discursum. *Seneca Ep.* 95. *ante med.* Turba ministratorum, per quos signo dato, ad inferendam cœnam discurritur. — *b*) Absolute. *Liv.* 21. 31. Perversis rupibus juxta invia ac devia adsueti discurrunt. *Curt.* 3. 8. 25. Festinatio discurrentium. *Sueton. Cal.* 32. Victor cum palma discurrit. Adde *eumd. Claud.* 10. et *Tib.* 75. *Val. Flacc.* 6. 203. Viderat Hyrcanos paribus discurrere fratres Castor equis. — 2.°) De rebus, et quidem — *a*) Corporeis. *Virg.* 4. *G.* 292. *de Nilo.* Et diversa ruens septem discurrit in ora. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 69. (182). Ex hoc fonte duæ grandes venæ in priora et terga discurrunt. *Ammian.* 23. 6. fluvii per hæc loca. *Id.* 26. 1. *extr.* Per siderum domicilia sol discurrens. *Sil. It.* 7. 347. discurrunt tessera castris. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 12. (40). Discurrant catenæ circa latera. *Id.* 37. *ibid.* 1. 3. (5). Discurrentes maculæ in gemma. *Id.* 13. *ibid.* 21. 37. (117). Rugosæ incisuræ discurrunt per tota folia. — *b*) De abstractis. *Curt.* 4. 1. 24. Fama strenue tota urbe discurrit. *Ovid. Remed. am.* 443. Secta bipartito quum mens discurrit utroque.

II.) Improprie ponitur pro disserere, loqui, ut διελθεῖν apud Græcos. *Ammian.* 17. 1. Super quo nunc, quia tempestivum est, pauca discurram. Adde *eumd.* 26. 1. *init.* et 30. 4.

DISCURSĀTĬO, ōnis, f. 3. actus discursandi, discursus. *Seneca Brev. vitæ* 3. Officiosa per Urbem discursatio. *Al. leg.* discursitatio. *Frontin.* 1. *Strateg.* 5. *extr.* Magna discursatione. *Lactant. Opif. Dei* 3. *extr.* Avium per aerem libera discursatio. *V.* et DISCURSIO.

DISCURSĀTOR, ōris, m. 3. qui discurrit. *Ammian.* 16. 12. Iisdem sparsim miscuere pedites discursatores et leves. *Id.* 11. 2. Hoste discursatore ruptum abscisa volvente superne. *Id.* 29. 5. Hostis discursator et repentinus.

DISCURSIM, adverb. discurrendo. *Macrob.* 7. *Saturn.* 1. *initio.* Discursim variantibus poculis. *Al. leg.* discursum. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 65. Ipse vero cum mille funditoribus totidem obire discursim.

DISCURSĬO, ōnis, f. 3. idem ac discursus. *Lactant. Opif. Dei* 3. Totos dies in discursione consumunt. *Al. rectius leg.* discursatione.

DISCURSĬTĀTĬO. *V.* DISCURSATIO.

DISCURSO, as, are. 1. *frequentat.* a discurro. Part. *Discursans.* — Discursare est sæpe huc illuc currere. *Flor.* 3. 18. 10. Duce et auctore belli discursante Popedio. *Quintil.* 11. 3. 126. *de oratoris gestu et actione.* Discursare ineptissimum. *Id.* 6. 3. 51. Multum in agendo discursans. *Ammian.* 14. 4. Saraceni — ultro citroque discursantes, quidquid inveniri poterat, momento temporis parvi vastabant. — Et cum Accus. *Ammian.* 15. 5. Memorato itaque duce Gallias ex re publica discursante Barbarosque propellente, etc.

DISCURSUS, a, um. *V.* DISCURRO.

DISCURSUS, us, m. 4. actus discurrendi, discursatio (It. *il correre qua e là, discorrimento*; Fr. *action de courir çà et là*; Hisp. *el acto de correr acá allá*; Germ. d. *Hin-und Herlaufen, Umhereilen, — schwärmen*; Angl. *a running to and fro*).

I.) Proprie. — 1.°) De personis. — *a*) Generatim. *Auct. B. G.* 8. 29. Magno clamore discursuque passim se fugæ mandant. *Ovid.* 2. *Fast.* 223. Sic Fabii latis vallem discursibus implent. *Val. Flacc.* 5. 128. discursibus et jam deficit. *h. e.* nimium currentem vires deficiunt. *Quintil.* 8. 3. 69. Efferentium prædas repetentiumque discursus. *Id.* 2. 12. 9. Declamantes multo discursu, anhelitu etc. furentes. Adde *eumd.* 4. 12. 10. et 4. 2. 3. *Ammian.* 14. 7. Eosque conjunctos per ampla spatia civitatis acri raptavere discursu. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 5. (13). Lupus piscis ut hæsit in hamo, tumultuoso discursu laxat vulnera. — *b*) Speciatim in re militari. *Liv.* 25. 25. Timens, ne, si frequentia intrasset loca, contineri ab discursu miles avidus prædæ non posset. *Ammian.* 27. 10. et 25. 8. Hostiles discursus. — *c*) Item speciatim ponitur pro discursatione, conatu, labore ad opes aut dignitates adipiscendas. *Juvenal.* 1. 85. Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas, Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli. *Plin.* 8. *Ep.* 23. 5. Quo discursu, qua vigilantia hanc ipsam ædilitatem, cui præreptus est, petiit! Adde *eumd.* 1. *ibid.* 9. — 2.°) De rebus, et quidem — *a*) Corporeis. *Val. Max.* 3. 1. n. 1. Discursus telorum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (13). Vites improbo reptatu, pampinorumque projecta in scamna discursu atria media complentes. *Id.* 17. *ibid.* 20. 33. (144). Inter se radices serpunt mutuoque discursu necantur. *Id.* 34. *ibid.* 12. 29. (118). Lapis gracili venarum discursu. *Id.* 16. *ibid.* 15. 26. (66). Acer arbor crispo macularum discursu. *Alter Plin.* 6. *Ep.* 20. 9. Ab altero latere nubes atra et horrenda ignei spiritus tortis vibratisque discursibus rupta. — *b*) De anima. *Lucan.* 3. 640. Discursus animæ diversa in membra meantis.

II.) Improprie ponitur pro sermone, dissertatione: *V.* DISCURRO II. *Macrob.* 7. *Saturn. init.* Mensis post epulas jam remotis, et discursum variantibus poculis. *Al. leg., et quidem rectius*, discursim. Certior est lectio apud *Cod. Theod.* 9. 24. 1. Redempti discursus. *h. e.* collocutiones cum puella.

DISCUS, i, m. 2. δίσκος.

I.) Proprie est orbis rotundus, lenticulari forma, lata et plana figura (et, ut quidam falso docent, in medio perforatus) ferreus vel æneus, aut lapideus, gravis ponderis, quem in altum manibus jactantes, se exercebant, ludebantque victore, qui altius, seu potius longius projecisset: quod genus exercitationis a Græcis et præcipue Spartanis Latini sumpserunt. *V. Hieron. Mercurial. l.* 2. *art. gymnast. c.* 12. et *Petr. Fabri Agonist. l.* 2. *c.* 1. *Horat.* 1. *Od.* 8. 11. sæpe disco, sæpe trans finem jaculo Nobilis expedito. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 2. 13. *Propert.* 3. 12. 10. Missile nunc disci pondus in orbe rotat. *Ovid.* 10. *Met.* 177. Inire certamina disci. *Martial.* 14. 164. Splendida cum volitent Spartani pondera disci, Este procul pueri: sit semel ille nocens. Adde *eumd. ibid.* 173. Innuit autem utrique loco fatum Hyacinthi pueri, ab Apolline imprudente, jactu disci interempti: de quo *Ovid.* 10. *Met.* 162. *et seqq.* Certamen disci describit *Stat.* 6. *Theb. a vers.* 646. *V.* DISCOBOLUS. — *Discum audire malle quam philosophum*, proverbium est apud *Cic.* 2. *Orat.* 5. 21. de iis, qui ludum et levia rebus gravissimis anteponunt. *V.* infra sub II. 1.

II.) Improprie. ¶ 1. Est tintinnabuli genus, quod ligneus est discus duobus ferreis atque versatilibus pessulis hinc inde instructus. *M. Aurel.* inter *epist. Fronton. ad M. Cæs.* 1. *Ep.* 6. (edente iterum *A. Maio*). Dum ea fabulamur, discus crepuit, id est pater meus in balneum transisse nunciatus est. Huc spectat locus *cit. Cic.* sub I. in fin., in quo hæc habentur: Quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire, quam philosophum malunt, qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt. Hæc cl. *Furlanetto* in *Append.* Ne quis vero putet, *discum* apud *M. Aurel.* et apud *Cic.* idem omnino significare. ¶ 2. Item a figuræ similitudine *discus* est apud *Vitruv.* 9. 8. 1. *Schneid.* id, quod Franci dicunt *cadran.* ¶ 3. Item lanx disci figura similis, cibis continendis. *Apul.* 2. *Met.* Cœnarum reliquiis discus ornatus. *Augustin. enarr. in Psalm.* 96. discum appellat linteum illud, quod per visum Petro oblatum fuit, variis animalibus refertum.

DISCUSSĒ, adverb. (discussus) cum examine. Occurrit tantum Comp. *Discussius* apud *Capell.* 9. p. 302. Ab ipsa virgine explorandæ discussius.

DISCUSSĬO, ōnis, f. 3. actus discutiendi, concussio.

I.) Proprie. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 19. In dolio cantantis vox per totum cum quadam discussione percurrit et resonat.

II.) Translate est scrutatio, examen. ¶ 1. Generatim. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 16. sequitur illa discussio, quid sit, etc. ¶ 2. Speciatim est publicarum expensarum examen. *Symmach.* 5. *Ep.* 74. (*al.* 76.). Bonoso optimo viro discussionem pontis ac basilicæ novæ præceptio Augusta mandavit. *Impp. Valens, Valent. et Gratian. Cod.* 10. 30. 1. Inique discussionem fuisse confectam. Adde *Firmic.* 3. *Mathes.* 12. *n.* 6.; *V.* vocem sequent. 2.; et Cf. *Juvenc.* 1. 144. Sed tum forte novus, capitum discussio, census Cæsaris Augusti jussu per plurima terræ Describebatur Syriæ, quam jure regebat Cyrinus. *V.* QUIRINIUS.

DISCUSSOR, ōris, m. 3. qui discutit, sed occurrit translate tantum, et est qui scrutatur, perpendit, examinat. ¶ 1. Generatim. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 21. Diligens rerum discussor inveniet, quod requirat. *Ennod.* 4. *Ep.* 13. Novit Deus, discussor sensuum. ὁ καρδιογνώστης. *Cassiod.* 7. *Variar.* 7. *de præf. Vigil.* Discussor obscurus, arbiter silentiosus. ¶ 2. Speciatim. In *Cod.* 10. *tit.* 30. *discussores*, Græce λογισταί, sunt ii qui rationes fisci, vel reipubl. in provinciis per alios tractatas recognoscebant, exigebantque, ne quid fraudis committeretur. *Cassiod.* 9. *Variar.* 10. Quidquid a discussoribus novi census per quintam indictionem probatur affixum. Adde *Symmach.* 5. *Ep.* 76. et 10. *ibid.* 54.

DISCUSSŌRĬUS, a, um, adject. qui discutit. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 8. 22. (75). Cinis inanium cochlearum discussoriam vim habet. *V.* infra DISCUTIO, quomodo a medicis adhibeatur, sub *A.* 2.

DISCUSSUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISCŬTĬO, cutis, cussi, cussum, cŭtere, a. 3. (dis et quatio). Part. *Discutiens* sub *B.* 1. *b.*; *Discussus* in omnibus paragr.; *Discussurus* sub *B.* I. *b.*; *Discutiendus* sub *A.* 1. 2. — Discutere duo præcipue significat, quæ tamen arctissime inter se connectuntur; scilicet *A*) In varias partes concutere, huc illuc jacere, disjicere; et *B*) Dispellere, removere, dissipare separando in duas vel plures partes.

A) Discutere est in varias partes concutere, huc illuc jacere, disjicere. ¶ 1. Generatim. *Lucilius* apud *Non. p.* 455. 18. *Merc.* atque im Percutio dentesque adversos discutio omnes. *h. e.* excutio, huc illuc disjicio. *Lucret.* 6. 417. *de Jove.* delubra suasque Discutit infesto præclaras fulmine sedes. Sic *Liv.* 42. 20. Columna rostrata fulmine discussa est. *Ovid.* 15. *Met.* 70. Discussæ nubes. *Id.* 5. *ibid.* 292. ossa oris. *Id.* 2. *ibid.* 625. dextra libratus ab aure Tempora discussit claro cava malleus ictu. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Ne saxa ex catapultis latericium murum discuterent. Sic *Liv.* 21. 12. Tribus arietibus aliquantum muri discussit. *Juvenal.* 10. 145. sterilis mala robora ficus Discutiunt saxa. *h. e.* diffindunt, laxant et disjiciunt. *Auct. B. Alex.* 46. Naves adversæ rostris concurrunt adeo vehementer, ut navis Octaviana, rostro discusso, ligno contineretur. *Virg.* 9. *Æn.* 810. Discussæque jubæ capiti. *Sil. It.* 6. 283. Discutere caput. Huc pertinet et illud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 84. (358). Contectus ignis e se favillam discutit. ¶ 2. Speciatim frequentis est usus apud Medicos, quibus *discutere* est collectum aliquid in corpore digerere, dissolvere, exinanire, antequam ad suppurationem veniat. *Cels.* 5. 11. Ad discutienda ea, quæ in corporis parte aliqua coierunt, maxime possunt abrotonum, helenium, etc. *Scribon. Compos.* 261. Malagma discutit vomicas, aut aperit. *Id. ibid.* 13. Discutere parotidas. *et* 214. coritem. *et* 263. strumas. Adde *Plin.* qui *Hist. nat.* mille pæne locis hoc sensu usurpat. Huc et illa pertinent *eusd.* 20. *ibid.* 6. 21. (47). Discutere ebrietates. *Id.* 23. *ibid.* 1. 27. (54). fastidia. *Id.* 35. *ibid.* 15. 51. (181). concretum sanguinem. *Id.* 30. *ibid.* 15. 47. (135). coagulationem lactis. *Id.* 23. *ibid.* 4. 40. (82). sudores. *Cels.* 3. 15. *ad fin.* febrem. *Id.* 2. 17. Discussæ febres. Sic *Id.* 4. 2. dolorem.

B) Est etiam dispellere, removere, dissipare separando in duas vel plures partes: ad rem *Lucret.* 4. 342. nigras discutit umbras. Sic *Virg.* 3. *G.* 357. sol discutit umbras. *et* 12. *Æn.* 669. Discussæ umbræ. Ad rem etiam *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (118). Percussam aquam discuti, ut, quæ intus sint, omnia appareant.

I.) Proprie. — *a*) De rebus. *Cic.* 12. *Phil.* 2. 5. Discussa est illa caligo, quam paullo ante dixi: diluxit. Adde *Liv.* 22. 6. et 26. 17.; et *Curt.* 4. 12. 23. *Ovid.* 11. *Met.* 522. Discutere tenebras. *Lucan.* 5. 700. noctem. *Val. Flacc.* 5. 175. nivem. *Cic.* 3. *Orat.* 57. 215. Discutienda sunt ea, quæ obscurant, et ea, quæ sunt eminentia et prompta, sumenda. — *b*) De personis. *Liv.* 2. 28. Momento temporis discussurum illos cœtus fuisse. Cf. *eumd.* 42. 44. Discutere consilium Bœoticum. *Vellej.* 2. 12. Gladiis quoque et cæde comitia discutientes. *Flor.* 3. 18. 13. Cato discutit Etruscos, Gabinius Marsos. *Ammian.* 25. 1. Hostiles turmæ discussæ. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 282. Discussa plebs.

II.) Translate elegantes habet usus dispellendi, removendi, tollendi. *Propert.* 3. 8. 13. pura somnum

tibi discute lympha. Adde *Ammian.* 19. 6. *Curt.* 6. 8. 22. et 8. 6. 26. Animi corporisque sopore discusso. *Apul.* 8. *Met.* crapulam. Cf. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 34. (84). *Curt.* 8. 2. 1. ebrietatem. Adde *Petron. fragm. Tragur.* 73. *Burmann. Propert.* 2. 18. 20. mihi discussit talia visa metus. *Lucret.* 1. 148. Discutere terrorem animi. *Id.* 4. 991. Discussi terrores. Adde *eumd.* 3. 93. et 6. 41. *Val. Flacc.* 4. 700. Discussa formido. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (84). Discutere metum. *Cels.* 3. 18. *med.* tristes cogitationes. *Quintil.* 6. 1. 46. miserationem. *Colum.* 6. *R. R.* 35. 2. mentis errorem. *Quintil.* 8. 2. 23. obscuritatem. Cf. *eumd.* 6. 1. 49. *Ammian.* 15. 5. fallaciarum nubem. *Cic. Mur.* 39. 84. Periculum consilio discutere et comprimere. Adde *Liv.* 2. 52. et V. *Drakenborg* ad h. l.; et *Frontin.* 2. *Strateg.* 11. 4. *Cic.* 2. *Att.* 24. *ad fin.* Modo cædem timueramus, quam oratio fortissimi senis discusserat. *Liv.* 35. 45. Discutere apparatum belli. *Vellej.* 2. 75. 1. Bellum sepelire atque discutere. *Id.* 2. 81.; *Liv. epit.* 28.; et *Frontin.* 1. *Strateg.* 9. 1. Discutere seditionem. *Frontin.* 4. *Strateg.* 7. 31. consilia hostium. *Justin.* 2. 15. 16. consilia proditionis. *Flor.* 3. 18. 9. Nefas proditione discutere. *h. e.* detegere et irritum reddere. *Quintil.* 4. 2. 18. crimen. *Curt.* 3. 8. *extr.* Destinata salubriter, omni ratione potentior fortuna discussit. *h. e.* turbavit, impedit, irrita reddidit. *Vellej.* 2. 48. Coalescentis conditiones pacis discutere ac rumpere. *Tac.* 2. *Hist.* 9. Gliscentem in dies famam fors discussit. *Val. Max.* 5. 6. *extern.* 4. Discutere injuriam. *Sueton. Cæs.* 79. Infamiam affectati regii nominis. *Curt.* 7. 1. 4. et *Seneca Ep.* 56. otii vitia. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 33. 2. Si ad Lepidum venissem, omnem ejus cunctationem discussissem. *Cic. Dom.* 21. 54. Eorum advocationem manibus, ferro, lapidibus discussisti. *Liv.* 39. 10. Orare deinde atque obsecrare, ut eam rem quocumque discuteret modo. *h. e.* removeret. Adde *eumd.* 42. 12.; et *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 12. Sic *Sueton. Domit.* 2. Discussa res est. *h. e.* evanuit, irrita fuit. Similiter passive impersonaliter *Liv.* 4. 49. Tentatum ab L. Sextio tribuno plebis, ut rogationem ferret, qua Bolas quoque, sicut Lavicos, coloni mitterentur, per intercessionem collegarum discussum est. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 18. (58). Dimicatio apum injectu pulveris, aut fumo discutitur. *h. e.* dirimitur, separatur. *Liv.* 38. 13. Discussa ea quoque disceptatio est constantia duris. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 46. Ut occurrere possimus interrogationibus eorum captionesque discutere. *Id.* paullo ante *captiones dissolvere* dixerat. *Paul. Dig.* 24. 1. 2. Discutere matrimonia. *h. e.* dissolvere. *Al. tamen leg.* distrahere. *Cajus ibid.* 2. 2. Discutere sponsalia. *Lucan.* 1. 119. Morte tua discussa fides. *h. e.* dissoluta. *Paulin. Nolan. Ep.* 41. Nec carneos tactus et amplexus illicitos delicatis male palpata tegminibus membra discutiant. *Alii leg.* disquatiant. — *NB. Forcellinus* in fin. addidit: Si quis velit uti hoc verbo pro examinare, habet aliquid, quo se tueatur, in *Discusse, Discussio* et *Discussor.*

DISDĪĀPĀSON. *V.* DIAPASON.

DISDO, dis, etc. *V.* DIDO, dis.

DISDŌNO, as, are, a. 1. diversa diversis dono, ut *dilargior, dispertior,* distribuo. *Isid. Gloss.* Disdonat, diversa distribuit. Legitur et in *Not. Tir.* p. 69.

DĪSĒMUS, a, um, adject. δίσημος, duo signa, seu duo tempora habens. *Capell.* 9. *p.* 330. Disemus appellatur pes, qui per arsim et thesim primus constare dicitur, ut est *leo.* *Id. ibid. p.* 331. Pes disemus, id est qui duobus temporibus impletur, proceleusmaticus quidem, sed brevior nominatur. — Hinc *trisemus, tetrasemus, pentasemus,* tres, quatuor, quinque tempora habens. *Id. ibid. p.* 330.

DĪSERTĒ, adverb. Comp. *Disertius* 2.; Sup. *Disertissime* 1. — Diserte ¶ 1. Generatim est distincte, expresse, plane. *Plaut. Amph.* 2. 1. 30. Satin' hoc plane, satin' diserte, here, nunc videor tibi locutus? *Liv.* 21. 19. In Lutatii fœdere diserte additum est, id ita ratum fore, si etc. *Id.* 39. 28. *ad fin.* Disertissime planissimeque in eo scriptum est. Adde *eumd.* 34. 59.; et *Afranium* apud *Non. p.* 509. 23. *Merc.* ¶ 2. Speciatim apud Rhetores est facunde, eloquenter. *Cic.* 1. *Orat.* 10. 44. Ut prudenter diserte, stultis etiam vere dicere videaris. Adde *Nepot. Epam.* 3. *Martial.* 3. 38. Caussas, inquis, agam Cicerone disertius ipso. *Quintil.* 6. 2. 26. Disertissime quædam exclamare. *Id.* 12. 1. 30. Nec quidquam non diserte, quod honeste, dicitur. Adde *eumd.* 12. 8. 3.; et *Tac. Dial. de orat.* 9.

DĪSERTIM, adverb. idem quod diserte, plane, expresse: sed vocabulum antiquorum proprium, teste *Paul. Diac.*, qui *p.* 72. 17. *Müll.* ait: Disertim pro diserte dixerunt antiqui. *Livius Andronicus* apud *Non. p.* 509. 25. *Merc.* Mihi narrato omnia disertim. *Plaut. Stich.* 1. 3. 87. Disertim id fuit nomen tibi. Adde *Titinium* et *Accium* apud *Non. loc. cit.*

DĪSERTĪŌNES, divisiones patrimoniorum inter consortes. *Paul. Diac. p.* 72. 8. *Müll.*, ubi notat *Scalig.* antique dictum esse pro *dissortiones.*

DĪSERTĪTŪDO, inis, f. 3. facultas diserti hominis, facundia, eloquentia. *Hieronym. Ep.* 50. *n.* 5. Det nobis occasionem respondendi disertitudini suæ. *Id. advers. Joann. Jerosol.* 13. Nisi tibi disertitudinis tuæ fluvius inundasset. Adde *eumd.* 3. *in Rufin. n.* 6. Ubique autem per irrisionem et contemptum loqui videtur. — At sine irrisione et contemptu usurpatur a *Cassiod.* 8. *Variar.* 12. *ante med.* Sicut perniciosum est, doctos prava suadere; sic salutare munus, quum veritatis terminos disertitudo nescit excedere. *Id.* 9. *ibid.* 21. Hinc cunctos proceres nobilissima disertitudo commendat. *Id. ibid.* 25. Trahebat regnantis animum disertitudo dictorum. *et mox.* Patrem quoque clementiæ nostræ in ipsa curia libertatis qua disertitudine devotus asseruit!

DĪSERTUS, a, um, adject. Proprie est particip. præter. pass. pro *dissertus* a *dissero* (V. DIS), teste *Paul. Diac. p.* 72. 15. *Müll.* Disertus a disserendo dictus. Et *Varro* 6. *L. L.* 64. *Müll.* Quod dicimus *disserit,* item translatitio atque ex agris verbo; nam ut olitor disserit in areas sui cujusque generis res, sic in oratione qui facit, disertus. — Comp. *Disertior* et Sup. *Disertissimus* I. et II. — Disertus est facundus (It. *facondo, eloquente, chiaro nel dire*; Fr. *habile à traiter un sujet, disert, éloquent*; Hisp. *discreto, eloquente*; Germ. *wohlredend*; Angl. *eloquent, copious, clear, expressive*).

I.) Proprie. — *a*) Disertus differt ab eloquente. Nam *disertus* est ille (inquit *M. Anton.* apud *Cic.* 1. *Orat.* 21. 94.) qui potest satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere; *eloquens* vero, qui mirabilius et magnificentius augere potest atque ornare quæ velit, omnesque omnium rerum, quæ ad dicendum pertineant, fontes animo ac memoria continet. Hinc M. Antonius in quodam suo libello scripsit, disertos se cognosse nonnullos, eloquentem adhuc neminem, ut *ibid.* et *Orat.* 5. 18. habetur. *Quintil. proœm. l.* 8. disertis satis putat dicere quæ oporteat; ornate autem dicere proprium esse eloquentissimi. *V.* et *Kritz.* ad *Sall. Jug.* 85. — *b*) Neque tamen semper id servatur religiose discrimen: sed non raro universim pro facundo, copioso, eloquenti, eleganti ponitur. *Cic.* 2. *Phil.* 43. 111. Disertissimum novi avum tuum, at te etiam apertiorem in dicendo. *Cic.* hic loquitur de M. Antonio, qui suo ipsius judicio summus orator fuit; et simul significat propriam notionem verbi (qua notat eum qui plane et aperte et dilucide loquitur, ut dictum est) subdendo *apertiorem.* Sic *Id.* 1. *Orat.* 54. 231. Disertissimus orator Lysias. Ita *Catull.* 49. *ad Cicer.* Disertissime Romuli nepotum, Quot sunt quotque fuere, Marce Tulli. — *c*) Promiscue sæpe usurpatur. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 36. Diserti et ornate dicentes. *Id.* 3. *ibid.* 32. 129. Eloquentior fuit et disertior Socrates et copiosior et melior orator. *Id.* 1. *de republ.* 3. Illo vero se loco copiosos et disertos putant, quum calamitates clarissimorum virorum injuriasque iis ab ingratis impositas civibus colligunt. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 19. Fecundi calices quem non fecere disertum? Adde *eumd. ibid.* 19. 16. et *Art. P.* 370. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 21. in causa facili cuivis licet esse diserto. Adde *eumd.* 13. *Met.* 228. *Nepos Alcib.* 2. Hipponicus omnium Græcæ linguæ eloquentia disertissimus. Adde *eumd. Timoth.* 1.; *Quintil.* 2. 3. 7., 6. 2. 3. et alibi sæpe; *Plin.* 6. *Ep.* 17.; et *Juvenal.* 7. 31. — *d*) In illo *Terentii Eun.* 5. 6. 10. At etiam primo callidum et disertum credidi hominem. *disertum* ingeniosum, astutum: neque enim eo loco facundus, aut dilucide loquens ad rem faceret. — *e*) Cum Genitivo. *Catull.* 12. 8. *ad Asin.* est enim leporum Disertus puer ac facetiarum.

II.) Translate dicitur — *a*) De ipsa oratione. *Cic.* 1. *Orat.* 54. 231. Illam orationem disertam sibi et oratoriam videri; fortem et virilem non videri. *Id. Brut.* 26. 101. Historia non ineleganter scripta, quæ neque nimis est infans, neque perfecte diserta. Adde *Quintil.* 1. 8. 4., 2. 11. 5. et 8. 2. 21. Rursus *Cic.* 7. *Att.* 2. *extr.* Tuæ disertissimæ epistolæ non rescripsi. *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 8. Dicta tibi pleno verba diserta foro. *Martial.* 6. 14. Versus disertos scribere. *h. e.* elegantes. *Seneca Ep.* 21. Apertior ista sententia est, quam ut interpretanda sit; et disertior, quam ut adjuvanda. *h. e.* copiosior. — *b*) De aliis, quæ tamen ad orationem referuntur. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 19. Et tamen est aliquis, qui vulnera cruda retractet, Solvat et in mores ora diserta meos. *Martial.* 4. 55. Arpos vocat disertos, quia in ejus urbis finibus natus est Horatius.

Homonym. In quo *disertus* differat ab *eloquente,* V. sub I. *a.*

DISFATIGABILIS, e, adject. in diversa fatigabilis: *et*

DISFATIGO, as, are, a. 1. in diversa, vel diversis modis fatigo. Voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 118.

DISGLŪTĪNO, as, are, a. 1. (dis *et* gluten) disjungo, dissolvo. *Hieronym. Ep.* 66. *n.* 12. Conjuncta disglutinamus, unita dissuimus.

DISGRĔDĪOR, grĕdĕris, grĕdi, dep. 3. (dis *et* gradior) idem ac digredior. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 2. 11. *p.* 551. Contingit id et gratia cujus esse, et ex necessitate, ut per lucernæ pellem lumen egredi, etenim ex necessitate disgreditur, quod in parva est partibilius, et per majores poros, si quidem lumen fit disgrediendo, et gratia cujus, ut non offendamus.

DISGRĔGĀTĪO, ōnis, f. 3. separatio. *Boeth. de divis. p.* 643. Oportet secundum naturam divisionis et secundum definitionem in proprias species semper fieri generis disgregationem. Adde *eumd. ibid. p.* 670.

DISGRĔGĀTĪVUS, a, um, adject. qui disgregatur, vel disgregari potest. *Boeth.* in *Porphyr.* 3. *p.* 96. Omnia individua disgregativa sunt et divisiva. *Id. Aristot. Topic.* 7. 2. *p.* 721. Ut de albo et nigro; nam illud quidem disgregativum, hoc autem congregativum visus est.

DISGRĔGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISGRĔGO, as, are, a. 1. (dis et grex). Part. *Disgregatus.* — Disgrego est quæ congregata sunt separo, sejungo, divido. Translate *Capell.* 3. *p.* 71. probabilis Hic ordo rebus, quique disgregabitur In bina demum. *Boeth. de syllog. hypothet. p.* 607. Ita igitur propositionibus disgregatis, ex enunciationum proprietate syllogismi quoque vocabulum perceperunt. *Id.* 5. *Music.* 5. Unisonarum vocum aliæ sunt continuæ, aliæ disgregatæ.

DISGRĔGUS, a, um, adject. dissimilis, dispar. *Capell.* 6. *p.* 302. Puellæ nec dispares numero, nec disgregæ venustate.

DISGREX, segregus. *Gloss. Isid.*

DISHĪASCO, is, ere, n. 3. hio, finditur, scinditur. *Cato R. R.* 12. Confibulas ligneas, qui arbores comprimat, si dishiascent.

DISJECTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* disjicio, in varias partes totis viribus jacio. *Lucret.* 2. 553. Disjectare solet magnum mare transtra, guberna, Antennas, proram, etc. *Id.* 2. 560. Sic tibi si finita semel primordia quædam Constitues, ævum debebunt sparsa per omne Disjectare æstus diversi materiai. *Id.* 3. 498. vis animi atque animai Conturbatur, et, ut docui, divisa seorsum Disjectatur, eodem illo distracta veneno. *Ammian.* 16. 3. Ut conspiratas gentes in noxam Romani nominis disjectaret. *Id.* 19. 7. Quorum in verticibus celsis aptatæ ballistæ propugnatores agitantes humilius disjectabant.

DISJECTUS, a, um. *V.* DISJICIO.

DISJECTUS, us, m. 4. dissipatio. *Lucret.* 3. 941. Major enim turbæ disjectus materiai Consequitur leto.

DĬSJĬCIO, jĭcis, jēci, jectum, jĭcere, a. 3. (dis *et* jacio). Part. *Disjectus* in omnibus paragr.; *Disjecturus* I. 1. *b.* — Disjicere est in diversas partes jacere, dispergere, dissipare (It. *gettare qua e là, dissipare, sbaragliare, dispergere*; Fr. *jeter çà et là, disperser*; Hisp. *echar acá allá, esparcir*; Germ. *auseinanderwerfen, streuen, zerstreuen, auseinanderjagen, zertheilen*; Angl. *to cast asunder, overthrow, disperse, discomfit, put to flight*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, et quidem — a) Generatim. — De rebus. *Lucret.* 1. 651. Acrior ardor enim conductis partibus esset; Languidior porro disjectis. *Cf. Cic.* 4. *Herenn.* 2. 3. Res varias et dispares in tot poematibus sparsas et vage disjectas. Rursus *Lucret.* 2. 939. Materies disjecta. *Id.* 5. 404. Disjectosque redegit (*Phœbus*) equos junxitque trementes. *h. e.* post Phaetontis casum. *Ovid.* 10. *Met.* 179. oppositas (*Phœbus*) disjecit pondere nubes. *Id.* 1. *ibid.* 328. Disjicere nubila. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 49. 50. (131). Procella fit, disjecta nube verius, quam rupta. *Ovid.* 12. *Met.* 252. disjectisque ossibus oris, Acta retro naris medioque infixa palato est. *Id.* 3. *ibid.* 724. Trunca sed ostendens disjectis corpora membris. *Al. aliter leg.* Adde *Val. Flacc.* 4. 167.; et *Senec. Hippol.* 1257. Sic *Virg.* 12. *Æn.* 306. Ille securi Adversi frontem mediam mentumque reducta Disjicit et sparso late rigat arma cruore. *Varro* apud *Gell.* 3. 14. Scyphus in duas partes disjectus. *Val. Flacc.* 4. 412. Apparent sparsæque faces, disjectaque longe Verbera, et abrupti excussi crinibus hydri. *h. e.* Tisiphones flagella. *Liv.* 30. 24. Ventus — passim naves disjecit. Sic *Tac.* 2. *Ann.* 23. Auster rapuit disjecitque naves in aperta oceani. Et *Virg.* 1. *Æn.* 47. Disjecitque rates evertitque æquora ventis. *et* 74. disjicere corpora ponto. *Ovid. Heroid.* 12. 63. Disjecta comas. Sic *Sil. It.* 5. 203. crinem disjecta Venus. Adde *eumd.* 2. 558. Rursus *Ovid.* 11. *Met.* 386. Disjicere capillos. *Liv.* 24. 2. Mœnia disjecta. *h. e.* in varias admodum partes huc illuc procurrentia. *Tac.* 2. *Ann.* 61. Disjectasque inter et vix pervias arenas instar montium eductæ pyramides. *Sil. It.* 6. 185. disjecta tellure (*serpens*) extulit caput. *h. e.* tellurem huc illuc jaciens, spargens. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 38. Si qua præterea in vineis fossor disturbavit, — diligens vinitor restituere debet, — disjectos palos reponere etc. — De hominibus. *Ovid.* 3. *Fast.* 525. Plebs venit, ac virides passim disjecta per herbas Potat et accumbit. *Pompejus ad Domit. post Cic. ep.* 12. 1. 8. *ad Att.* Nos disjecta manu pares adversariis esse non possumus; contractis copiis spero etc. Cf. *Auct. B. G.* 8. 7. *extr.* Pabulatio propter anni tempus cum exigua, tum disjecta. Ceterum *Tac.* 2. *Ann.* 45. Diriguntur acies, pari utrimque spe, nec, ut olim apud Germanos, vagis incursibus, aut disjectas per catervas. *Id.* 6. *ibid.* 41. Disjecti et longo itinere fessi. Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 32. Quod neque disjecti, vel paucorum instinctu, sed pariter ardescerent. *h. e.* non divisim. — b) Speciatim in re militari disjicere est hostes perfringere, huc illuc dispergere ac dissipare. *Varro* 2. *R. R.* 4. 1. Dixit, celeriter se hostes, ut scrofa porcos, disjecturum. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Milites — facile hostium phalangem perfregerunt: ea disjecta, gladiis destrictis, in eos impetum fecerunt. *Nepos Miltiad.* 2. Barbarorum copiæ disjectæ. *Sall. Cat.* 61. Pauci, quos medios cohors prætoria disjecerat, paullo diversius conciderant. Adde *eumd. Jug.* 50. et 53.; *Liv.* 44. 41.; et *Cæs.* 3. *B. G.* 20. *Pseudo-Sall. orat.* 2. *ad Cæs. de republ. ordin.* Inimicorum arma inermis disjecit. *Tac.* 1. *Ann.* 65. Disjicere obvios, proterere jacentes. *Id. Agric.* 37. hostes in fugam. *Liv.* 39. 39. et 21. 49. classem. *Val. Flacc.* 3. 162. agmina. *Ammian.* 29. 4. Hostium disjecta frangere. *h. e.* hostes disjectos, dispersos. Cf. *Sueton. Galb.* 12. — Hinc poetice *Val. Flacc.* 3. 110. duplicatque ora securi Disjecit cervice tenus. Cf. *Ovid.* 12. *Met.* 366. fœdo disjectus vulnere. ¶ 2. Latiori, vel prægnante, uti ajunt, significatione est diruere, ad nihilum redigere. — a) Absolute. *Cæcilius* apud *Cic. Cæl.* 16. 37. Dide, disjice, per me licebit. Si egebis, tibi dolebit. — b) Cum Accusativo. *Auct. B. Alex.* 63. Postulat, ut munitiones disjicerentur, sibique liber exitus daretur. *Nepos Timol.* 3. Arcem a fundamentis disjecit. *Id. ibid.* Urbium mœnia disjecta reficere. Adde *eumd. Hann.* 7.; et *Ovid.* 12. *Met.* 109. et *Heroid.* 1. 19. Sic *Sueton. Cæs.* 81. Disjicere sepulcra. *Virg.* 8. *Æn.* 290. urbes. *Sil. It.* 9. 538. arces. *Id.* 12. 184. portas. *Sueton. Claud.* 11. tropæa. *Id. Cæs.* 75. et *Cal.* 31. statuas. *Id. Ner.* 25. partem muri. *Id. Tib.* 48. Civitates terræ motu disjectæ. Cf. *Liv.* 38. 56. et 22. 50.; et *Tac.* 2. *Ann.* 7.

II.) Translate est disturbare, dissolvere, irritum reddere. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 198. *Putsch.* Item uti ab Thermopulcis atque ex Asia maximos tumultus maturissime disjeci atque consedavi. *Virg.* 7. *Æn.* 339. Disjice compositam pacem, sere crimina belli. Sic *Sil. It.* 2. 291. Oppida quassantur, longeque in mœnia nostra Æneadum adrectæ mentes, disjectaque pax est. *Liv.* 8. 9. Ob iram disjectæ pacis. *Al. leg.* diremptæ; *alii aliter.* *Nepos Att.* 8. Sic ille consensionis globus hujus unius dissensione disjectus est. *Liv.* 2. 35. Primo tentata res est, si dispositis clientibus, absterrendo singulos a coitionibus disjicere rem possent. *Id.* 25. 14. Disjicere consilia ducis. *Vellej.* 1. 10. Cogitationem regis Romana constantia disjecit. *Sueton. Cæs.* 42. Disjicere expectationem novarum tabularum. *Id. Tib.* 63. oracula. — *Disjicere pecuniam* pro dilapidare dixit *Val. Max.* 3. 5. *n.* 2. *extr.*

DISJUGĀTĬO, ōnis,

DISJŪGĀTUS, a, um, et

DISJŪGO, as, etc. *V.* DIJUGATIO, DIJUGATUS, DIJUGO.

DISJUNCTĒ, adverb.,

DISJUNCTĪBĬLIS, e, adject.,

DISJUNCTIM, adverb.,

DISJUNCTĬO, ōnis, f. 3.,

DISJUNCTĪVĒ, adverb.,

DISJUNCTĪVUS, a, um, adject.,

DISJUNCTUS, a, um, *et*

DISJUNGO, gis, xi, etc. *V.* DIJUNCTE, DIJUNCTIBILIS, DIJUNCTIM, DIJUNCTIO, DIJUNCTIVE, DIJUNCTIVUS, DIJUNCTUS *et* DIJUNGO.

DISJURGĬUM, ii, n. 2. idem fere ac jurgium, contentio, et levis quædam lis etiam inter cognatos et amicos. *Inscript.* optimæ notæ apud *Marin. Frat. Arv.* p. 712., quæ est apud *Orell.* 3023. et 4777. A. MEMMIO CLARO A. MEMMIVS VRBANVS CONLIBERTO IDEM CONSORTI CARISSIMO SIBI: INTER ME ET TE SANCTISSIME MI CONLIBERTE NVLLVM VNQVAM DISJVRGIVM FVISSE CONSCIVS SVM MIHI.

DISLŎCENSIS. *V.* DIALUTENSIS.

DISMŌTUS, a, um. *V.* DIMOVEO.

DĬSŌMUS, a, um, adject. δίσωμος, duorum corporum capax a δὶς *bis*, et σῶμα *corpus*. *Inscript.* apud *Gruter.* 751. 11., apud *De-Vita* AA. ab. *cl.* 9. *n.* 2., ubi multa hac super re, et apud *Orell.* 4518. P. AELIVS VENERIANVS HOC VAS DISOMVM SIBI ET FELICITATI SVAE POSVIT. *V.* BISOMUS.

DISPĀLĀTUS, a, um. *V.* DISPALOR.

DISPĀLESCO, is, ere, n. 3. errantium instar dispergor, item divulgor, palam fio. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 123. Perisse suavius est, quam illud flagitium vulgo dispalescere.

DISPĀLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Dispalans* I.; *Dispalatus* I. et II. — Dispalor est in omnes partes palor, huc illuc vagor, erro. *Nonius* p. 101. 5. *Merc.* (si tamen salva est lectio) ponit *dispalo, as,* activum, quod separare significet. Sed cum simplex *palor* deponens in usu sit, satius est, compositum ei esse simile.

I.) Proprie. *Sisenna* apud *Non. l. c.* Tanto plures passim dispalantur. *Id.* apud *eumd. ibid.* Dispalati ab signis, digressi omnes ac dissipati. *Nepos Lysand.* 1. Dispalati in agris, in hostium venerant potestatem. Adde *eumd. Hann.* 5.; *Varron.* 3. *R. R.* 16. 7.; et *Gell.* 1. 11. *Ammian.* 15. 3. Incomposito agmine milites huc et illuc dispalantes. *Id.* 31. 2. Omnes sine sedibus fixis, absque lare vel lege aut ritu stabili dispalantur. Adde *eumd.* 16. 12., 24. 7. *in fin.* et 20. 4. *extr.*

II.) Translate. *Pseudo-Sall. Orat.* 2. *ad Cæs. de rep. ordin. ante med.* Multitudo primum malis moribus imbuta, deinde in varias artes vitasque varias dispalata, nullo modo inter se congruens.

DISPANDO *vel* dispendo, pandis *vel* pendis, pansus *vel* pensus *vel* passus *vel* pessus, pandere *vel* pendere, a. 3. (dis *et* pando). Part. *Dispansus*, *Dispensus*, *Dispassus* et *Dispessus* I. — Dispandere vel dispendere est expandere, extendere.

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 7. Dispessis manibus patibulum habebis. *Gell.* 15. 15. docet, Part. *dispessus esse a dispando.* Sic *Sueton. Domit.* 19. Palma dextræ manus dispansa. *Lucret.* 1. 306. dispansæ vestes in sole arescunt. *Al. leg.* dispensæ. *Id.* 6. 598. Neu distracta suum late dispandat hiatum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 4. 3. (8). Arbor vastis dispansa ramis. *V.* et DISPENNO. — Nonnulli legunt et apud *Lucret.* 3. 1002. novem dispensis jugera membris Obtinent. *At ibi alii, et quidem rectius, leg.* dispersis. Item apud *Cic. Arat.* 105. et ed. *Orell.* 316. Taurus in cælo late dispensus. *Orell.* vero Codicum auctoritate fretus legit *dispersus*: V. ibi adnotata.

II.) Translate. *L. Verus imp.* inter *epist. Fronton. ad Verum imp. ep.* 3. An igitur debeas illa omnia corripere, an vero paulo altius dicere, nec tamen ita, ut mox nostra dispandere, ipse dispicies. *h. e.* pluribus verbis aperire, nota facere, amplificare.

DISPANSUS, a, um. *V.* voc. præced.

DISPAR, păris, adject. (dis *et* par) inæqualis, dissimilis (It. *disuguale, dissimile*; Fr. *inégal, dissemblable, different*; Hisp. *desigual, desemejable, diferente*; Germ. *verschieden, ungleich, verschiedenartig*; Angl. *unequal, dissimilar, unlike, different*). Occurrit — a) Absolute. *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 87. Disparibus temporibus eadem spatia conficere. *Id. Amic.* 20. 74. Dispares enim mores disparia studia sequuntur. *Id.* 2. *Fin.* 3. 10. Dispares colores. *Id. Mur.* 21. 43.; *Sall. Jug.* 52.; et *Cæs.* 7. *B. G.* 39. fortuna. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. prælium. *Liv.* 30. 28. habitus animorum. *Ovid.* 1. *Met.* 711. calami. *Id.* 2. *ibid.* 582. fistula. *Id.* 8. *ibid.* 192. avenæ. *Horat.* 1. *Od.* 17. 25. male dispar. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 11. 31., 1. *Sat.* 7. 16. et *Epod.* 7. 12. *Quintil.* 10. 1. 67. vis dicendi. *Sueton. Vitell.* 5. voluntas. *Ammian.* 21. 12. animi. — *Et* cum addito *inter*, aut Ablativo rei, qua qui dispares sunt. *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 68. Dispares inter se motus. *Liv.* 1. 24. Fratres nec ætate, nec viribus dispares. — b) Cum Genitivo. *Cic. Senect.* 21. 78. Dispar sui atque dissimile. *Sil. It.* 8. 570. Bruttius haud dispar animorum. *h. e.* pari animo. *Id.* 5. 196. sortis. — c) Cum Dativo. *Lucret.* 2. 736. Nullus enim color est omnino materiai Corporibus, neque par rebus, neque denique dispar. *Cic.* 1. *Off.* 30. 109. Sunt his alii multum dispares. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 3. Ut matrona meretrici dispar erit. — d) Cum Ablativo rei, a qua quis differt. *Curt.* 7. 7. 4. Quæ ad Tanaim et Bactra spectant, humano cultu haud disparia sunt. *h. e.* non sunt humani cultus expertia, coluntur seruntur que. *Claud. Mamertin. Gen. Max.* 7. Dispares ætatibus. — e) Cum Ablativo et præpos. *in.* *Ammian.* 16. 12. *ad fin.* Utque nativo more sunt barbari humiles in adversis, disparesque in secundis: etc.

DISPĂRĀBĬLIS, e, adject. idem ac separabilis. *Alcim. Ep.* 16. *sub init.* Juvenis virtute, senex fide, ævo friget, adulterio calet. Quid multis? optandum est, ut per voluntatem disparabilem, non quam libet perire, tam liceat. Nam quum adhortatorie plus, quam aspere pro incesti facinora culparetur, severitatem nostram sola præscriptione tarditatis accusans, sero nos illicitæ jurgationis triennale consortium damnasse causatus est.

DISPĂRASCO, is, ere, n. 3. dispar sum. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. anim.* 9. *ante med.* Nempe testimonium, quod a nobis disparascere arbitrabaris, animadvertis nobiscum profectu disputationis unescere. *Alii pro* disparascere *legunt* dispar asserere; pro unescere *legunt* bene stare. At utrumque verbum *disparasco* et *unesco* videtur retinendum, donec alio loco Latini alicujus auctoris suffultum in Latinæ linguæ usum admitti facile possit.

DISPĂRĀTĬO, ōnis, f. 3. separatio. *Vitruv.* 2. 8. 1. *Schneid.* Ab disparatione procreationis liberatum. *h. e.* fetus ejectione. *Ammian.* 21. 12. Disparatione brevi civitatem Natisone amni præterlabente.

DISPĂRĀTUS, a, um. *V.* DISPARO.

DISPĂRENS, entis, particip. ab inusit. *disparеo.* *Lactant.* 3. 10. Feræ mala cavent, pericula vitant, latibula sibi parant in plures exitus disparentia. *h. e.* aperta et patentia. In edit. an. 1468. habetur *differentia,* h. e. in varias partes ferentia. Meliores tamen editiones *Heumanni* puta, *Bunemanni, Cellarii, Walchii* habent, et quidem rectius, *dispatentia.*

DISPARGO, gis, si, sum, gere. *V.* DISPERGO.

DISPĂRĬLIS, e, adject. idem quod dispar. *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 79. Et ex disparili aspiratione terrarum. *Varro* 2. *R. R.* 11. 4. Propter loca et pabulum disparile, non usquequaque idem fit. *Id.* 9. *L. L.* 40. *Müll.* Disparilis formæ. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 17. vites. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 45. 45. (116). Disparilis ictus siderum errantium. *Gell.* 5. 1. Disparilis sensus. *Ammian.* 22. 8. Gentes sermonum varietate disparilis. Adde *Prudent.* 2. *in Symmach.* 273.

DISPĂRĬLĬTAS, ātis f. 3. dissimilitudo. *Varro*

10. *L. L.* 36. *Müll.* Disparilitas vocis. *Gell. præfat.* rerum. *Id.* 7. 3. collationis. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 1.

DISPĀRĪLĪTER, adverb. dissimiliter. *Varro* 1. *R. R.* 6. 6. Hæc ad colendum dispariliter habent momentum. *Id.* 9. *L. L.* 89. *Müll.* Ut in casus et tempora dispariliter declinetur.

DISPĀRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis et paro). Part. *Disparatus* et *Disparandus*. — Disparo est separo, sejungo (It. *separare*; Fr. *séparer, désunir*; Hisp. *separar, dividir*; Germ. *auseinander-schaffen, -bringen, trennen, zertheilen*; Angl. *to separate.*) Occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Rud. prol.* 10. Juppiter nos per gentes alium alia disparat. *h. e.* separat et dimittit. *Cic.* 2. *de republ.* (edente *A. Maio*) 22. Eosque (*seniores a junioribus*) ita disparavit, ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent. *Cæs.* 7. *B. G.* 28. Disparandos deducendosque ad suos curavit. *Ammian.* 14. 8. Disparare regiones orbe Eoo monte Amano. *Id.* 14. 3. ab Euphrate. *Id.* 22. 16. *med.* a civitatis littore. Adde *eumd.* 16. 2., 15. 11., 17. 13., 20. 3., 16. 12., 18. 7. et 24. 1. *Arnob.* 3. 10. Ab omni turpitudinis labe disparata atque abjuncta divinitas. *Gell.* 11. 11. Varie et lepide tot sententias in eamdem rem disparavit. *h. e.* distinxit. *Fragm. Vatic.* § 35. Disparare quantitatem. *V.* et DISSEPARATUS. *Capell.* 1. *p.* 10. Sed nunquam longe velle disparamus. *h. e.* sed nullo unquam tempore magis disparo (*h. e.* amoveo) velle meum, etc. *V.* ibi *Kopp.*, qui vulgatam lectionem jure tuetur. — *b*) Speciatim apud Rhetores. *Cic.* 1. *Invent.* 28. 11. Disparatum est id, quod ab aliqua re per oppositionem negationis separatur hoc modo; sapere et non sapere. *Quintil.* 5. 11. 31. Disparata, ut dura non duris. *Al. leg.* separata.

DISPARTĪBĬLIS, e, adject. divisibilis. *Tertull. advers. Hermog.* 39. Demutabilis et dispartibilis.

DISPARTIO, et **DISPERTIOR**. *V.* DISPERTIO.

DISPĀTENS, entis. *V.* DISPARENS.

DISPECTĬO, ōnis, f. 3. actus dispiciendi. *Tertull. Resurr. carn.* 19. Hæc dispectio tituli et præconii ipsius. *Terentian. p.* 2418. *Putsch.* Vim propriam pedibus fida cito reddito mente, Ne dum requiris, tarda sit dispectio. *Putsch.* male habet *despectio.*

DISPECTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* dispicio. *Arnob.* 1. 25. Non ex gratia, sed ex vero disceptationis hujus dispectare momenta. *Orellius* vero legit *disceptare.*

DISPECTOR, ōris, m. 3. qui dispicit et discernit. *Tertull. Anim.* 15. Dispector cordis Deus. *Id.* 2. *ad Uxor.* 8. Dispectores divinarum sententiarum.

DISPECTUS, a, um. *V.* DISPICIO.

DISPECTUS, a, um, particip. præter. Passiv. pro *dispactus* ab inusit. *dispango* (*V.* PACTUS), hinc inde defixus. *Var. auct. de limit. p.* 270. *Goes.* Est, ubi dispectas lapides posuimus, quas dispectas in rigore et in latere limitis constituimus.

DISPECTUS, us, m. 4. actus dispiciendi, ratio. *Seneca* 2. *Ira* 9. Quod neglecto dispectu officiorum, ad lusus et ineptos æqualium jocos spectent. *Id. Ep.* 109. *ad fin.* Quibus dispectum utilitatis timor excutit. Adde *eumd. Ep.* 94. *a med.*

DISPELLO, pellis, pŭli, pulsum, pellere, a. 3. (dis et pello). Extra præteritum rarioris est usus. — Part. *Dispellens* I.; *Dispulsus* I. et II. — Dispello est huc illuc pello, disjicio, discutio, removeo (It. *cacciare qua e là, rimuovere*; Fr. *séparer en poussant, dissiper, disperser, jeter çà et là*; Hisp. *disipar, esparcir*; Germ. *auseinandertreiben, -jagen, zerstreuen*; Angl. *to drive this way and that, to drive up and down, disperse, dispel, remove*).

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 1016. Nam dispulsa suo de cœtu materiai Copia ferretur magnum per inane soluta. *Cic.* 7. *Att.* 7. 7. Pecudes dispulsæ, sui generis sequuntur greges. *Virg.* 1. *Æn.* 515. ater quas æquore turbo Dispulerat. *Id. ibid.* 512. Perque undas, superante salo, perque invia saxa Dispulit. *Id.* 5. *ibid.* 839. Aera dimovit tenebrosum, et dispulit umbras. *Liv.* 5. 33. Cum equitem passim liberi frenis dispulissent equi. *Val. Flacc.* 6. 530. Dispulit Colchos. *Id.* 3. 88. densis thoracibus horrens Stat manus, ægisono quam nec fera pectore virgo Dispulerit. *Flor.* 3. 5. Cum Eubœa atque Bœotia præsidia regis dispulisset. *Stat.* 5. *Theb.* 335. ærata dispellens æquora prora Pelias.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Tusc.* 26. 64. Philosophia ab animo, tamquam ab oculis, caliginem dispulit. *Phædr.* 3. 10. Tenebras dispulit calumniæ. *Liv.* 26. 17. *ad fin.* Dispulsa sole nebula aperuit diem. *Al. leg.* depulsa. Adde *eumd.* 22. 6. *Seneca Troad.* 452. Dispelle somnos. *Sil. It.* 7. 328. somnum. *Id.* 8. 164. curas. *Ammian.* 14. 7. metum.

DISPENDĬŌSUS, a, um, adject. qui dispendium et damnum affert. *Colum.* 2. *R. R.* 20. 1. Cum matura fuerit seges, celeriter demetatur; nam dispendiosa est cunctatio. *Cod. Theod.* 11. 2. 4. Dispendiosæ occasiones. *Nazar. Paneg. ad Constantin.* 5. Dispendiosa revocatio. *Cassiod.* 3. *Variar.* 53. Dispendiosus labor. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 9.

DISPENDĬUM, ii, n. 2. cui recta opponitur *compendium*, est detrimentum, sumptus, damnum, ut docet *Varro* 5. *L. L.* 183. *Müll.* Dispendium igitur, quod in dispendendo solet minus fieri. *h. e.* dispendium est a *dispendo* (ducta locutione a more Romanorum, qui ante cusam monetam æs pendebant, non numerabant), quum ponderi detrahitur cum damno nostro; V. *Cassiod. loc. cit.* in COMPENDIUM (It. *danno, spesa, discapito, dispendio*; Fr. *dépense, frais, perte, dommage*; Hisp. *gasto, costas, perdidad, daño*; Germ. d. *Abgang, Verlust*; Angl. *expense, cost, charge, detriment, loss, damage*).

I). Proprie. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 35. Sine damno et dispendio. *Id. Men.* 3. 2. 20. Minore nusquam bene fui dispendio. *Ter. Hecyr.* 5. 2. 29. Ut gratiam ineat sine suo dispendio. *Id. Eun.* 5. 4. 7. Sine molestia, sine sumptu, sine dispendio. *Ennius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 111. *Müll.* Neque dispendi facit hilum. *Lucret.* 2. 1125. Et plus dispendi faciunt, quam etc. *h. e.* majorem jacturam. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 1. et 2. *ibid.* 41. 1. Afferre dispendium alicui. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 6. 9. (53). Quod dispendium pauci intelligunt. *Cod. Theod.* 12. 1. 190. Dispendia pecuniaria. *Ammian.* 20. 6. Dispendio alicui esse. *Id.* 17. 13. Absque dispendio. *Id.* 16. 12. Cum dispendio. Cf. *Prudent.* 1. περὶ στεφ. 23. Deum fateri sanguinis dispendio.

II.) Improprie. ¶ 1. Speciatim dicitur de via longiori ac difficiliori. *Lucan.* 8. 2. Hæmoniæ petens dispendia silvæ. *h. e.* viam longiorem ac difficiliorem, qua iter longius magno temporis dispendio fit: cui contrarium est *compendium.* Sic *Martial.* 9. 100. Tu qui longa potes dispendia ferre viarum. *Rutil.* 1. *Itiner.* 321. Vix circumvehimur sparsæ dispendia rupis. *h. e.* anfractus et flexus viæ sinuosæ et obliquæ, quibus illa longior fit. V. *Zumpt.* ad h. l. ¶ 2. Generatim. *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 25. In mea vesanas habui dispendia vires. *h. e.* in mea damna. *Virg.* 3. *Æn.* 453. Hic mihi ne qua moræ fuerint dispendia tanti. *Auson. Grat. act.* 32. Sine dispendio disciplinæ esse lenissimum. *Ammian.* 29. 6. fortunæ. *Id.* 14. 5. salutis. *Claudian.* vi. *Cons. Honor.* 452. somni. — Huc referri potest et illud *Apul. de deo Socrat. sub init.* Luna mensem suis auctibus, ac dehinc paribus dispendiis æstimans. *h. e.* decrementis.

DISPENDO, dis, sum, dere, a. 3. (dis et pendo) Part. *Dispensus* I. et II. — Dispendere proprie significat hinc et illinc pendere et ponderare, ut fit in lancibus libræ.

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 183. *Müll.* Dispendium igitur, quod in dispendendo solet minus fieri. *V.* voc. præced. init. Hinc *Auson.*, vel ut quidam putant *Q. Cic. in Eclogar. Auson. de signis mensium* 8. (*M. T. Cic. Oper. vol.* 4. *Part.* 2. *pag.* 572. ed. *Orell.*). Auctumni reserat portas æquatque diurna Tempora nocturnis dispenso sidere Libra. *V.* et voc. seq. — Huc referri potest et illud *Prudent.* 1. *in Symmach.* 584. Et quos panis alit gradibus dispensus ab altis. *h. e.* quasi pendendo distributus.

II.) Translate. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 7. Parandi modus est ducentorum capitum, quæ pastoris unius curam dispendant. *h. e.* distineant. At *Gesner.* et *Schneider.* ex bonis Codic. leg. *distendant.*

DISPENNO, is ere, a. 3. est expandere: tractum a pennis et volatu avium. *Plaut. Mil. glor. a.* 5. *v.* 14. Dispennite hominem divorsum et distendite. Hæc *Non. p.* 9. 29. *Merc.* Alii dictum putant pro *dispendo*, d in n converso, a *dis* et *pando*, et locum *Plauti* ita legunt: *Distendite hominem divorsum et dispendite.* Ut ut sit de origine, *dispennere hominem* videtur esse, expansis brachiis alligare, ut se movere amplius non possit. Ceterum *V.* DISPANDO.

DISPENSĀTĬO, ōnis, f. 3. actus dispensandi; et occurrit *A*) Abstracto, et *B*) Concreto, uti ajunt, sensu.

A) Abstracte. ¶ 1. Generatim est distributio. *Liv.* 4. 12. *ad fin.* Revolutus ad dispensationem inopiæ, profiteri cogendo frumentum, et vendere quod usui menstruo superesset. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 15. 14. (35). In eximendis favis necessaria est dispensatio, quoniam inopia cibi desperant. *Frontin. Aquæd.* 78. Hæc dispensatio per nomina aquarum et regiones Urbis partienda est. *h. e.* erogatio et distributio aquæ. ¶ 2. Speciatim est publici ærarii aut annonæ administratio atque distributio. *Cic. Vatin.* 15. 36. Eripueras senatui ærarii dispensationem. *Liv.* 10. 11. Ni ejus viri (*Fabii Maximi ædilis*) cura, qualis in bellicis rebus multis tempestatibus fuerat, talis domi tum in annonæ dispensatione, præparando ac convehendo frumento, fuisset. *Id.* 7. 21. Dispensatio pecuniæ.

B) Concreto, uti ajunt, sensu est ipsum dispensatoris munus et officium: Græce διοίκησις. *Cic. Rabir. Post.* 10. 28. Si curationem et quasi dispensationem regiam suscepisset. Adde *eumd.* 15. *Att.* 15. 3. *Sueton. Oth.* 5. Servo Cæsaris pro impetrata dispensatione decies sestertium expresserat. *Id. Vesp.* 23. Dispensationem petere. *Inscript.* apud *Gruter.* 597. 7., quæ est apud *Orell.* 834. NARCISSVS, QVI VIXIT ANNOS XXVI., MORATVS EST IN DISPENSATIONE BOJONIAE PROCILLAE ET AVRELII FVLVI.

DISPENSĀTĪVĒ, adverb. per dispensationem. *Hieronym. Ep.* 112. *n.* 14. *a med.* Ex quo apparet, qui sub lege est, non dispensative, ut nostri voluere majores; sed vere, ut tu intelligis, eum Spiritum Sanctum non habere.

DISPENSĀTĪVUS, a, um, adject. qui dispensat. *Isid.* 2. *Orig.* 24. 16. Philosophia actualis dicitur, quæ res propositas operationibus suis explicat, cujus partes sunt tres, moralis, dispensativa et civilis. Dispensativa dicitur, quum domesticarum rerum sapienter ordo disponitur.

DISPENSĀTOR, ōris, m. 3. servus, qui domus urbanæ rationes curat, et domini pecuniam administrat, expendit, exigit, collocat, nomina facit, rationes conficit etc.: Græce διοικητής (It. *spenditore, fattore, economo*; Fr. *intendant d'une maison, econome, trésorier*; Hisp. *intendente, economo*; Germ. d. *Verwalter, Oekonom, Verwaltungsbeamte, Schatzmeister*; Angl. *a steward, manager, dispenser, director*). Porro — *a*) Ita primum dicti sunt, teste *Paul. Diac. p.* 72. 9. *Müll.* et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (43). et *Varron.* 5. *L. L.* 183. *Müll.*, qui æra pensantes expendebant, non adnumerabant. Postea cusa pecunia, nomen mansit. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 193. 10. *Merc.* Quid tu inquam, soles, cum rationem a dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare? *Sueton. Vesp.* 22. Cum perductæ sestertia quadraginta donasset, admonente dispensatore, quemadmodum summam rationibus vellet inferri, etc. *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. *in fin.* Dispensatorem Cæsar vocavit, et sestertium mille numerare Græculo jussit. *Martial.* 11. 39. te noster villicus horret, Te dispensator, te domus ipsa pavet. *Hieronym. Ep.* 52. *n.* 16. Optimus dispensator est qui sibi nihil reservat. — *b*) Etiam qui rusticarum rerum rationes dispensat, ibique habitat, et non multum abest a villico, dispensator esse potest, uti docet *Pompon. Dig.* 50. 16. 166. — *c*) Inter officia domus Augustæ sæpissime *dispensatores* leguntur in antiquis inscriptionibus (V. *Inscript.* apud *Orell.* 790., 2911., 3209. aliasque) et alibi: ex quibus aliquot etiam publicam pecuniam jussu imperatorum curasse videntur, quos appellare possis *cassieri* vel *tesorieri*, ut apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 39. 40. (129). Dispensator Armeniaci belli. et 33. *ibid.* 11. 52. (145). Hispaniæ citerioris. et *Inscript.* apud *Reines. cl.* 6. *n.* 86. Illyrici. et *cl.* 9. *n.* 99. Augusti dispensator ad census provinciæ Lugdunensis etc. et apud *Don. cl.* 17. *n.* 17. C. Æmilius Aug. L. Epaphroditus decurio dispensatorum. Hi nimirum non solum pecunias privatas fisci principis curabant, sed etiam stipendia militum, (quod munus olim tribunorum ærariorum et quæstorum fuit) aliasque belli impensas administrabant. Horum alii fuerunt ordinarii, alii extraordinarii, ut constat ex *Sueton. Galb.* 12.,

ubi ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti Galba paropsidem leguminis pro diligentia porrexisse narratur. Hujusmodi dispensatoris officium videtur describere *Stat.* 3. *Silv.* 3. 86. et seqq. — *d*) Dispensatores pro ratione muneris magna lucra fecisse patet ex *Plinii* locis citatis: unde et pecunia talia officia emere solebant, quod discimus ex *Sueton. Oth.* 5. et *Vesp.* 23. — *e*) Dispensatoris, qui servus non fuerit, aut libertus, sed ingenuus, exemplum habes in *Inscript.* apud *Murat.* 907. 8. M. IVLIO M. F. FRONTONI TI. CLAVDII CAESARIS AVGVSTI GERMANICI DISPENSATORI. V. *eumd.* 883. 6., ubi plura affert in hanc rem. Quin immo T. Flavius Agricola et ingenuus, et tribui Tromentinæ adscriptus, et summis honoribus in pluribus municipiis et coloniis functus, dicitur etiam *dispensator municipii Riditarum* in *Inscript.*, quam videsis in *V.* RIDIT.E in ONOM.

DISPENSĀTŌRĬUS, a, um adject. ad dispensationem pertinens. *Hieronym.* 14. *in Isajam* 53. 12. Qui dispensatoriam inter Petrum et Paolum contentionem vere dicunt jurgium fuisse atque certamen.

DISPENSĀTRIX, icis, f. 3. quæ rationes pecuniæ curat. Est apud *Hieronym. Quæst. Hebr.* in 1. *Paralip.* et in *Inscript.* apud *Murat.* 968. 9. PANDORAE BONAE DISPENSATRICI Q. CAMERIVS CATVLINVS VT AENE SIT.

DISPENSĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISPENSO, as, āvi, ātum, are, a. I. *frequentat.* a dispendo. — Veteres olim usurparunt etiam *dispensor, aris,* deponentis forma, teste *Capro* apud *Priscian.* 8. *p.* 796. *Putsch.*; qui tamen id nullo confirmat auctore. — Part. *Dispensans* II. 1.; *Dispensatus* II. 1. et 2.; *Dispensandus* I. 2. et II. 1. 2. — Dispensare proprie dicitur de pecunia et est pendendo solvere, ducta locutione a more Romanorum, qui ante cusam monetam æs pendebant, non numerabant.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 47. Ducentis (*philippeis*) usus est, qui dispensentur filio capto, ut etc. ¶ 2. Latiori sensu est domus rationes curare, pecuniam et rem familiarem administrare: *V.* DISPENSATOR init. *Cic.* 11. *Att.* 1. De domesticis rebus acerbissime afflictor, quod qui eas dispensavit, neque adest, neque etc. *Nepos Con.* 4. Eligere aliquem ad dispensandam pecuniam. *h. e.* quem ταμίαν Græci vocant, pecuniis cogendis administrandisque præfectam. *Juvenal.* 7. 216. et tamen ex hoc Quodcumque est (minus est autem, quam rhetoris æra) Discipuli custos præmordet Acœnitus ipse, Et qui dispensat frangit sibi. *h. e.* Acœnitus ipse pædagogus arrodit, rescindit etiam sibi œconomus. Cf. *Ammian.* 17. 3. Tributi ratiocinia dispensavit. *Inscript.* in *Giorn. Arcad. T.* 49. *p.* 292. M. LICINIVS EVTYCHVS QVI DISPENSAVIT VOLTSIO TORQVATO LVCII FILIO. *h. e.* qui fuit ejus dispensator.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est ordinare, distribuere. *Ovid.* 6. *Met.* 278. ordine nullo Oscula dispensat natos suprema per omnes. *Juvenal.* 3. 286. breve lumen Candelæ, cujus dispenso et tempero filum. *Liv.* 1. 19. *de Numa.* Quem (*annum*) —, intercalaribus mensibus interponendis, ita dispensavit, ut etc. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 9. Vitis æqua portione succum proli suæ dispensat. *Frontin. Aquæd.* 9. Aqua per vicem in dies modulosque certos dispensata. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 22. 51. (188). Fons certis horarum spatiis dispensatur inter incolas. *Id.* 13. *ibid.* 13. 27. (89). Factumque jam, Tiberio principe, inopia chartæ, ut e senatu darentur arbitri dispensandæ. *Alter Plin. Paneg.* 35. Quæ singula quantum tibi gratiæ dispensata adjecissent! at tu simul omnia profudisti. *h. e.* singillatim diversis temporibus concessa. *Alcim.* 4. 201. quo dispensante ministro Res geritur. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a paragr. proxime superiore. *Cic.* 1. *Orat.* 31. 142. Inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque judicio dispensare atque disponere. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 74. si modo recte Dispensare velis, ac non fugienda petendis Immiscere. *Justin.* 7. 6. 4. Bella, quæ velut conspiratione quadam ad opprimendam Macedoniam, multarum gentium ex diversis locis uno tempore confluebant, quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda ratus; alia interposita pactione componit, alia redimit, facillimis quibusque aggressis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 44. (107). Quo mense nux ea decerpitur, eodem maturescit alia: et sic dispensatur, ut nullo non mense maturescant. *Liv.* 38. 47. Dispensare victoriam. *h. e.* constituere, quo jure et qua ratione victoriâ utendum sit erga singulos ex victis hostibus. *Id.* 27. 50. *ad fin.* Dispensare lætitiam inter aliquos. *h. e.* ordine et sine tumultu atque effusione. Alii aliter legunt sed minus recte. *Sil. It.* 9. 244. Dum Libys incenso dispensat milite vires. (Sic apud *eumd.* 16. 342. *indispensatus nisus* est sine modo et temperamento vires effundentis). *Seneca* 1. *Benef.* 10. In petulantiam erumpet male dispensata liberalitas. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 74. pistasque per omnes Dispensata modos. *Ovid. Heroid.* 12. 3. quæ dispensant mortalia fata sorores. *Al. leg.* fila. *Albinov.* 1. 371. Fortuna arbitrii tempus dispensat iniquis. *Pacat. Paneg. ad Theodos. sub fin.* Quæ reversus urbibus Galliarum dispensabo miracula! *h. e.* singillatim narrabo. *Seneca Consol. ad Marc.* 10. *extr.* In metus et in dolores humanum pectus dispensandum. *h. e.* animi virtus ita distribuenda est, ut ad plures metus doloresque ferendos sufficiat.

DISPENSUS, a, um. *V.* DISPENDO.

DISPERCŬTĬO, cŭtis, cŭtere, a. 3. percutiendo disjicio, dissipo, diffringo. *Plaut. Cas.* 3. 5. 18. Jam tibi istuc cerebrum dispercutiam, excetra tu.

DISPERDĬTĬO, ōnis, f. 3. destructio. *Cic.* 5. *Phil.* 12. 31. Ad interitum nostrum et ad disperditionem urbis.

DISPERDĬTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISPERDO, dis, didi, ditum, dere, a. 3. (dis et perdo). Part. *Disperdens, Disperditus* et *Disperdendus.* — Disperdo est omnino perdo, male perdo, absumo, dissipo (It. *mandar a male, gettare o perdere miseramente*; Fr. *dissiper, détruire, ruiner*; Hisp. *disipar, destruir, desperdiciar*; Germ. *zerstören, zu Grunde richten, vernichten*; Angl. *to throw away, lose, spend, consume, waste, destroy*). Usurpatur — *a*) De rebus. *Plaut. Cas.* 2. 3. 32. Disbibe, disperde rem. *Lucret.* 2. 831. Disperditur omnis color. *Virg.* 3. *Ecl.* 27. solebas Stridenti miserum stipula disperdere carmen. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 1. 2. Ut a majoribus nostris possessiones relictas disperdat et dissipet. *Plin.* 7. *Ep.* 12. Libellum formatum a me — misi tibi ideo tardius, ne tempus emendandi eum, id est disperdendi haberes. Habebis tamen, an emendandi, nescio; utique disperdendi, — optima quæque si detraxeris. *Gell.* 15. 31. Imaginem, incendio ædium facto, disperdere. *Ammian.* 15. 3. Tætra venena serens vasisque disperdens. — *b*) De personis. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 96. Dii hunc disperditum lenonem volunt. *Id. Trin.* 2. 2. 53. Animi causa aliquantum in deliciis disperdidit. *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 10. 1. Qui tot cives R. occidit, arripuit, disperdidit. *Ovid.* 2. *Amor.* 10. 21. Me mea disperdat nullo prohibente puella.

DISPĔRĔO, is, ii, ire, n. 4. (dis et pereo) omnino pereo (It. *perire, andar a male, perdersi*; Fr. *périr entièrement, se perdre, être perdu*; Hisp. *perecer, arruinarse, perderse*; Germ. *völlig verloren, zu Grunde gehen*; Angl. *to perish, go to ruin, be utterly lost or undone*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 86. Quin prius disperibis, faxo. *Lucret.* 3. 701. Ut cibus in membra atque artus quum diditur omnes Disperit. *Id.* 5. 1421. vestis. *Id.* 4. 641. serpens hominis quæ tacta salivis Disperit. *Varro* 1. *R. R.* 11. 1. Minora cum sunt tecta, quam postulat fundus, fructus solent disperire. Adde *Colum.* 12. *R. R.* 46. 2. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 29. 80. Unum ne fundum pulcherrimum populi R., caput vestræ pecuniæ, fundamentum vectigalium disperire patiemini? *Catull.* 14. 11. Dispereunt tui labores. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 22. Male partum male disperit, *dilabitur* diceret *Cic.* (V. 2. *Phil.* 27. 66.). Est autem proverbium. ¶ 2. Speciatim *disperii* apud Comicos exclamatio est desperantis, ut *perii, interii*, actum est de me. *Ter. Heaut.* 5. 2. 17. Disperii! scelestus quantas turbas concivi insciens! Adde *eumd. ibid.* 2. 4. 24. et *Adelph.* 3. 3. 1.; et *Plaut. Cas.* 5. 3. 2., *Most.* 2. 1. 28. et *Aulul.* 2. 2. 65. *Id. Plaut.* dixit etiam *dispereo* in præs. temp. *Stich.* 5. 5. 12. ¶ 3. Item speciatim *dispeream si vel nisi* jurantis est et malum sibi imprecantis. *Propert.* 2. 17. 9. Dispeream, si quidquam aliud, quam gloria, de te Quæritur. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 47. Dispeream ni summosses omnes. Adde *Catull.* 90. 2. et 4.

DISPERGO vel dispargo, gis, si, sum, gere, a. 3. (dis et spargo). *Dispargo* legitur non modo apud *Tertull. advers. Gnost.* 5. et *Sidon.* 1. *Ep.* 2. *ad fin.*, ut docet *Forcellinus*; verum etiam apud classicos auctores in bonis Codic. — *Dispergier* paragoge pro *dispergi* est *Prudent. Apoth.* 512. — Part. *Dispersus* in omnibus paragr.; *Dispergendus* I. — Dispergere est in diversas partes spargere (It. *spargere in diverse parti. sparpagliare*; Fr. *repandre çà et là, jeter de côté et d'autre, disperser, disséminer*; Hisp. *derramar acá allá, esparcir*; Germ. *auseinanderstreuen, aus-verbreiten, zerstreuen*; Angl. *to scatter on all sides, scatter different ways, disperse*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 5. 254. nubesque volantes, Quas validi toto dispergunt aere venti. *Varro* 2. *R. R.* 3. 9. Capræ lascivæ et quæ dispergant se: contra oves, quæ se congregant et condensant in locum unum. *Ter. Adelph.* 5. 2. 7. An tibi mavis cerebrum dispergi? (*Id.* poetice *ibid.* 3. 2. 18. Capite in terram statuerem, ut cerebro dispergat viam. Sic *Seneca Herc. fur.* 1007. Cerebro tecta dispersa madent. *Al. leg.* disperso). *Cic. pro leg. Manil.* 9. 22. Fratris sui membra in iis locis — dissipavisse, ut eorum collectio dispersa etc. *Id.* 3. *Nat. D.* 26. 27. *ex poeta.* membra articulatim dividit, Perque agros passim dispergit corpus. *Sueton. Tib.* 54. Amborum sic reliquiis dispersis, ut via quandoque colligi possent. Rursus *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 38. 120. Cur mortifera tam multa perniciosa terra marique disperserit. *Sil. It.* 4. 646. flumen rivis dispergere per rura. *Ovid.* 11. *Met.* 35. jacent dispersa per agros Sarculaque rastrique. Cf. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 3. 6. (12). Mummius Corinthum quidem diruit, sed e compluribus Achajæ oppidis simul æra dispersit. *Lucret.* 3. 1001. Qui (*Tityos*) non sola novem dispersis jugera membris Obtineat. *h. e.* distentis: alii leg. *dispensis.* *Cels.* 2. 6. Brachia et crura inæqualiter dispergere. *h. e.* distendere, adeoque jactare, agitare. — Hinc Part. præter. pass. præcipue occurrit de personis, quæ sint variis locis diffusæ. *Lucret.* 4. 579. Palantes comites quum montes inter opacos Quærimus et magna dispersos voce ciemus. *Cic. Flacc.* 13. 30. Prædones toto mari dispersi vagabantur. *Id. Sext.* 42. 91. Homines fusi per agros ac dispersi vagabantur. *Val. Max.* 9. 2. n. 1. Dispergenda per agros quinque millia Prænestinorum. *Sueton. Tib.* 37. Cohortes per hospitia dispersæ. — Similiter de militibus. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Dispersos hostes adoriri. *Id.* 3. *ibid.* 28. Dispersis in opere nostris, subito ex omnibus partibus silvæ (*hostes*) evolaverunt et in nostros impetum fecerunt. *Id.* 6. 35. Multos ex fuga dispersos excipere. *Id.* 2. *B. C.* 38. Hos oppressos somno et dispersos adorti magnum eorum numerum interficiunt. Adde *eumd.* 5. *B. G.* 58. et 3. *B. C.* 92.; *Sall. Jug.* 98.; *Liv.* 29. 32.; *Curt.* 8. 2. 22., 8. 4. 9. et 8. 11. 22.; *Tac.* 4. *Hist.* 16.; et *Ammian.* 14. 2. et 15. 4. Cf. *Curt.* 9. 10. Primum collegere vires, deinde disperserunt. *h. e.* divisere. — Hinc etiam cum præpos. *in* et Accus. *Cæs.* 6. *B. G.* 33. In omnes partes dispersa multitudo. *Tac.* 3. *Ann.* 74. Tunc tripertitum exercitum plures in manus dispergit. *h. e.* dividit. Cf. *Lucret.* 2. 1134. (*Res*) quo latior est, in cunctas undique partes Pluria eo dispergit et a se corpora mittit. Adde *eumd.* 1. 310. — Et cum præpos. *ad.* *Lucret.* 4. 893. Et dispergitur (*aer*) ad partes ita quasque minutas Corporis. Similiter *Juvenal.* 15. 151. Dispersos trahere in populum. *h. e.* homines silvestres atque adeo dissipatos congregare in civitatem. — Item *dispersi* opponuntur *universis*, ut apud *Nepot. Themist.* 4. Universos esse pares ajebat; dispersos testabatur perituros. (Eodem sensu *Tac.* dixit *Agric.* 12. Ita dum singuli pugnant, universi vincuntur). *Sall. Jug.* 51. Dispersi a suis, pars cedere, alii insequi. *Sil. It.* 15. 480. in colles ferantur dispersi.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de rebus corporeis; et quidem — *a*) De regionibus, locis et similibus pro distribuere. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (117). Mesopotamia vicatim dispersa. *h. e.* in vicos divisa. Sic *Tac.* 5. *Hist.* 8. Magna pars Judææ vicis dispergitur; habent et oppida. Similiter *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 53. (121). Arbor in plures dispersa ramos. *Id.* 11. *ibid.* 37. 89. (220). Venæ in prætenues fimbrias subter totam cutem dispersæ. — *b*) Item de arboribus, et est serere, plantare, distribuere. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 30. Vitem in ramos diducere et tradu-

cibus dispergere. Cf. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 4. 9. (20). Arbor tota India dispersa. Rursus *Colum.* 11. *R. R.* 3. 25. Lactuca – locis quidem apricis et maritimis optime auctumno ponitur –: hieme non æque commode dispergitur. *h. e.* disponitur. Cf. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 53. (193). Dispergere fimum, priusquam arescat. — c) Poetice dicitur et de aliis rebus. *Lucan.* 1. 384. Aries (*militaris*) dispergit saxa. *h. e.* disjicit. *Id.* 10. 84. lacerus dispersa capillos. Sic *Claudian.* 1. *Rapt. Proserp.* 55. Incultas dispersa comas. ¶ 2. Per metaphoram ponitur pro diffundere, huc illuc spargere. *Cic. pro leg. Manil.* 12. 35. Bellum longe lateque dispersum. *Sall. Jug.* 41. Plebis vis soluta atque in multitudinem dispersa. *Flor.* 3. 6. 7. Pestis toto mari dispersa. *Cic.* 1. *Orat.* 42. 187. Quæ nunc conclusa sunt artibus, dispersa et dissipata fuere. Cf. *Quintil.* 9. 3. 39. Ut hæc (*schemata*) in unum congeruntur, ita contra illa dispersa sunt, quæ a Cicerone dissipata dici puto. *Q. Cic. Petit. cons.* 1. 1. Ut ea, quæ in re dispersa atque infinita viderentur esse, ratione et distributione sub uno aspectu ponerentur. *Cic.* 1. *Invent.* 30. 49. In præsentia tantummodo numeros et modos et partes argumentandi confuse et permixte dispersimus: post descripte et electe in genus quodque causæ, quid cuique conveniat, ex hac copia digeremus. *Id.* 4. *Herenn.* 23. 32. Exornationes in causa tota varie dispergere. *Id.* 1. *Invent.* 21. 30. Dispergere partes vel gestæ in causam. *Virg.* 11. *Æn.* 795. voti Phœbus succedere partem Mente dedit, partem volucres dispersit in auras. *Id. ibid.* 67. vitam dispergit in auras. Sic *Sil. It.* 9. 167. in vacuas vitam disperserat auras. *Id.* 7. 712. nullos ignes agris dispersit. *h. e.* agros non vastavit ignibus. *Val. Flacc.* 6. 53. cælataque gestat Tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes. *h. e.* sparsos, diffusos. Sic *Id.* 2. 76. Phœbus diem dispersit in undas. *h. e.* diffudit. *Claudian. Cons. Mall.* 73. dispergit revocatque diem. *Al. leg.* deum. *Id.* 1. *Rapt. Proserp.* 8. claram dispergere culmine lucem. *Id.* 3. *Laud. Stilich.* 139. parvaque a sede profectas Dispersit cum sole manus. *Calpurn.* 3. *Ecl.* 47. excusso dispergit lumina somno. *h. e.* huc illuc oculos circumfert. *Lucret.* 4. 909. grumum clamor dispersus in nubibus. *Tac.* 4. *Ann.* 21. et 2. *Hist.* 96. Dispergere rumorem. *h. e.* famam divulgare. Et cum infinito *Id.* 2. *Hist.* 1. Vulgus fingendi avidum disperserat, accitum in adoptionem. Eodem sensu *Quintil.* 5. 3. Sermo dispersus. Rursus *Tac. Dial. de orat.* 9. Dispergere libellos. *h. e.* divulgare atque omnibus distribuere.

DISPERNO, spernis, sprētum, spernere, a. 3. (dis *et* sperno) valde sperno. Occurrit Part. *Dispernens* apud *Juvenc.* 2. 257. Dispernens veterum Samaritum jussa. — Hinc Particip. *Dispretus. Gell.* 7. 18. *ad fin.* Ut contempti vulgo dispretique sint. *Al. rectius leg.* discerpti, *h. e.* conviciis et probris lacerati.

DISPERSĒ, adverb. diversis in locis, huc illuc. *Cic.* 6. *Verr.* 52. 116. Quæ disperse a me multis locis dicentur, ac dicta sunt. *Id.* 1. *Invent.* 52. 98. Res disperse et diffuse dictæ.

DISPERSIM, adverb. idem ac disperse. *Varro* 1. *R. R.* 1. 7. Qui Græce scripserunt, dispersim alius de alia re. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 2. 13. *Sueton. Cæs.* 80. Consilia dispersim antea habita in unum omnes contulerunt.

DISPERSĬO, ōnis, f. 3. dispersus, dissipatio. *Tertull. advers. Jud.* 10. Dispersio vobis obvenit. *Id. ibid.* 13. In dispersione gentium. *Veget.* 3. *Milit.* 8. Noctis obscuritas, necessitas somni, pascentium equorum dispersio occasionem superventibus præstat.

DISPERSUS, a, um. *V.* DISPERGO.

DISPERSUS, us, m. 4. dispersio. *Cic.* 9. *Att.* 9. Dispersu enim illorum actio de pace sublata est. *Al. leg.* dispersione; *al., quos inter et* Orell., discessu.

DISPERTĬO *vel* dispartio, is, ivi *vel* ii, itum, ire, a. 4. (dis *et* partio). Deponentis forma *dispertior* occurrit apud *Cic.* 2. *Legg.* 19. 47. Sed jureconsulti – sæpe, quod positum est in una cognitione, id in infinita dispertiuntur. — *Dispertirier* pass. paragoge pro *dispertiri* legitur apud *Plaut. Pseud.* 1. 5. 26. — Part. *Dispertitus* I. et II.; *Dispertiendus* I. — Dispertire est in diversas partes dividere, distribuere (It. *partire, dividere*; Fr. *distribuer, partager, partir*; Hisp. *partir, repartir, distribuir*; Germ. *vertheilen, eintheilen, zertheilen*; Angl. *to divide, distribute, give part to one and part to another*).

I.) Proprie. — a) De personis. *Lucret.* 3. 588. Dispertita animæ natura. *h. e.* plurimas in partes divisa. *Plaut. Amph.* 1. 1. 65. Dispertiti viri, dispertiti ordines: nos nostras more nostro et modo instruximus legiones. *Atticus* apud *Cic.* 9. *Att.* 10. *a med.* Satius esse existimo, vos dispertitos et in speculis esse. *Cic.* 4. *Cat.* 4. 7. Conjuratos municipiis dispertiri jubet. *Auct. B. Afr.* 67. Trinis castris dispertitæ copiæ. *Sall. Jug.* 16. Dispertire auxiliarios equites tribunis legionum. *Liv.* 29. 1. exercitum per oppida. *Sall. Jug.* 49. funditores inter manipulos. *Auct. B. Afr.* 46. tirones inter legiones. Sic *Tac.* 13. *Ann.* 37. Exemplo hostium circumferre bellum coactus, dispertit vires, ut legati præfectique diversos locos pariter invaderent. Huc referri potest et illud *Liv.* 3. 10. Consules belli administrationem inter se dispartiri jussi, alteri ut Volsci, alteri ut Æqui provincia esset. — b) De rebus. *Cato* apud *Charis.* 2. p. 197. *Putsch.* Interea ad socios nostros sedulo dispertieram alio frumentum, alio legatos, alio litteras, alio præsidium usquequaque. *Afranius* apud *Non.* p. 374. 33. *Merc.* Dispartiuntur patris bona pariter. *Nepos Dion.* 7. Dispertire bona militibus. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 3. obsonium hilariam. Sic *Id. ibid.* 2. 5. 5. Injuria dispertivisti: pinguiorem agnum isti habent. *Nepos Ages.* 8. Dispertire unguenta, secundam mensam servis. *Sueton. Vitell.* 13. epulas. *Cic. Cluent.* 25. 69. Dispertienda pecunia judicibus. *Id.* 2. *Off.* 11. 40. Dispertire æquabiliter prædam. *Nepos Datam.* 10. suis partem prædarum. *Sall. Jug.* 59. portas tribunis. *Cic.* 5. *Tusc.* 25. 72. Rem definit, genere dispertit, sequentia adjungit. *Id. Mur.* 35. 74. Qui tempora voluptatis laborisque dispertiunt. *Boeth.* 2. *Geom.* p. 1228. Cujus agros per actus, per perticas dispertissent. *vulgati libri habent* dispersissent. — Passive. *Nepos Eumen.* 2. Regna familiaribus dispertiuntur. *Cic.* 3. *Nat. D.* 39. 93. Iidem vultis a diis immortalibus hominibus dispertiri ac dividi somnia. Sic *Id.* 7. *Verr.* 72. 187. A quibus (*diis*) initia vitæ atque victus, legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus et civitatibus data ac dispertita esse dicuntur. — Mediorum apud Græcos more ac vi *Plaut. Curc.* 1. 3. 33. Etiam dispertimini? *h. e.* vos etiam ab amplexibus sejungitis? — c) De finibus singulare videtur illud *Caton.* apud *Probum* ad *Virg.* 5. *Ecl.* p. 3. edente *Keil.* In eorum agro fluvii sunt sex, septimus finem Rheginum atque Taurianum dispertit.

II.) Translate. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 25. Quod damni et quod fecisti flagitii, populo viritim potuit dispertirier. *Varro* apud *Non.* p. 92. 16. *Merc.* Quæ ad mortales pertinent, quadrifariam dispertierim, in homines, in loca, in tempora, in res. *Cic.* 3. *Orat.* 29. 114. Conjecturam in quatuor genera dispertiunt. *Id.* 5. *Fam.* 2. Mihi tecum dispertitum officium fuisse.

DISPERTĬOR, iris etc. *V.* voc præced. init.

DISPERTĪTĬO, ōnis, f. 3. dispertiendi actus. Est *Tertull. advers. Hermog.* 31.

DISPERTĪTĪVUS, a, um, adject. distributivus. *Priscian. de figur. numer.* p. 1353. *Putsch.* Habent ex omnibus numeris Romani dispertitiva, quæ Græci vocant ἐπιμεριζόμενα, quæ naturaliter semper pluralia sunt, quippe in multos distribui eundem significant numerum: ut *singuli, bini, terni* vel *trini, quaterni, quini*, etc.

DISPERTĪTUS, a, um. *V.* DISPERTIO.

DISPESCO, pescis, pescui, pestum, pescere, a. 3. Præteritum *dispescui* agnoscitur a *Priscian.* 10. p. 885. *Putsch.*; nullo tamen ibi confirmatur auctore: sed legitur apud *Augustin.* 9. *Civ. Dei* 12. Quanta intercapedine summa ab imis dispescuit! — De supino *Dispescitum*, *V.* COMPESCO sub init. Ceterum occurrit Part. *Dispestus*, et *Dispescens*. — Dispesco proprie est, teste *Paul. Diac.* p. 72. 11. *Müll.*, pecus a pastione deducere: vel ut alii volunt, in diversa pascua diducere: a *dis* et *pasco*. Translate est dividere, sejungere, separare, dirimere. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (53). Nilus Africam ab Æthiopia dispescens. *Id.* 2. *ibid.* 68. 68. (173). Mare Africam, Europam Asiamque dispescit. *Apul. Florid.* n. 15. Samos est exadversum Mileto, nec ab ea multo pelagi dispescitur. *Id. de deo Socrat.* Cum habitacula summa ab infimis tanta intercapedo fastigii dispescat. Apud *Priscian.* 10. p. 885. *Putsch.* hic locus ita legitur: Cum habitacula summa ab infimis tanta intercapedine fastigii dispescant. *h. e.* distent, neutrorum more. Rursus *Apul.* 4. *Met.* Sed ad instar Athracidis, vel Protesilai dispestæ disturbatæque nuptiæ. *Alii leg.* dispectæ *ab inusit.* dispericor *pactum divello.*

DISPESSUS, a, um. *V.* DISPANDO.

DISPESTUS, a, um. *V.* DISPESCO.

DISPETO, is, ere, a. 3. valde peto. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 39.

DISPĬCĬO, spicis, spexi, spectum, spicere, 3. (dis *et ant.* specio). Part. *Dispiciens* sub *B.* II. 2.; *Dispectus* sub *B.* I.; *Dispecturus* sub *A.*; *Dispiciendus* sub *B.* II. — Dispicere occurrit *A*) Neutrorum more, et *B*) Active.

A) Neutrorum more dispicere est oculos per obscuritatem atque caliginem intendere, adeoque diligenter inter multa intueri. *Plaut. Cist.* 4. 2. 25. Hoc age, ad terram aspice et dispice; oculis investigans attente augura. *Sueton. Ner.* 19. Tanta oborta caligo est, ut dispicere non posset. Cf. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 45. Præcipue vero fruentur ea, qui tum etiam, quum has terras incolentes, circumfusi erant caligine, tamen acie mentis dispicere cupiebant. Et proprie *Id.* 2. *Fin.* 30. 97. Quum gravi vulnere exanimari se videret (*Epaminondas*), ut primum dispexit, quæsivit etc. *h. e.* ut primum oculos aperuit et circumspexit. *Id.* 4. *ibid.* 23. 64. Catuli, qui jam dispecturi sunt, cæci æque, et ii qui modo nati sunt.

B) Active est aliquid per obscuritatem videre.

I.) Proprie. *Tac. Agric.* 10. Dispecta est et Thule, quam hactenus et nix et hiems abdebat. *Lucret.* 3. 564. avolsus radicitus nequit ullam Dispicere ipse oculus rem.

II.) Translate de animo. ¶ 1. Est clare ac distincte percipere, mente comprehendere. *Ter. Andr.* 3. 5. 16. Sine, paullum ad me redeam: jam aliquid dispiciam. *h. e.* videro, providebo, excogitabo. *Tac.* 3. *Ann.* 22. Haud facile quis dispexerit illa in cognitione mentem principis: adeo vertit ac miscuit iræ et clementiæ signa. *Id.* 13. *ibid.* 27. Dispiceret quisque merita, tardeque concederet quod datum non adimeretur. Adde *eumd.* 4. *Hist.* 55. *Cic.* 2. *Divinat.* 39. 81. Imbecilli animi verum dispicere non possunt. *Liv.* 44. 6. Quorum nihil quum dispexisset cæcata mens. *Cic.* 2. *Att.* 20. Si dispicere quid cœpero, scribam ad te apertius. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 2. *ad fin.* In ea re Pompejus quid velit, non dispicio. *Plin.* 1. *Ep.* 5. 10. Dispicies ipse, quid renunciandum Regulo putes. *Colum.* 9. *R. R.* 13. 1. Morborum autem facilius in his et causæ dispiciuntur et inveniuntur medicinæ. *Quintil.* 2. 8. 6. Proprietates ingeniorum dispicere. *Id.* 10. 7. 20. Ad ea dispicienda, quæ dicturi sumus. Adde *eumd.* 7. 1. 9. *Ammian.* 26. 3. Dispicere causas. Adde *eumd.* 14. 4. et 9. ¶ 2. Hinc per metaphoram ponitur pro considerare, examinare; et occurrit — a) Cum Accusativo. *Cic.* 6. *Att.* 8. Nunc velim dispicias res Romanas, videas, quid etc. *Liv.* 40. 10. Dispice insidiatorem et quæsitum insidiis. *Ammian.* 29. 1. Cujus linguam non infrenem, sed dispicientem quæ loqueretur, nullius clandebat periculi metus. — b) Cum Accusativo et Infinito. *Ammian.* 15. 2. Nec defuere deinceps et his emergentia casibus, quæ dispiceres secundis avibus contigisse. — c) Cum Ablativo et præpos. *de*. *Cajus* 1. *Instit.* 143. Prius dispiciamus de his. Adde *Ulp.* 14. 1. 1. — d) Absolute omnino. *Plaut. Pers.* 2. 3. 16. Virtus est, ubi occasio admonet, dispicere. Cf. *Lucret.* 6. 647. Hisce tibi rebus late est alteque videndum, Et longe cunctas in partes dispiciendum, Ut reminiscaris, summam rerum esse profundam. *Ammian.* 15. 5. Dispicientibus consistorianis. — e) Sequente Conjunctivo cum part. *ne, an, num*. *Plin.* 2. *Ep.* 10. 5. Dispice, ne sit parum providum, sperare etc. *Id.* 1. *ibid.* 18. 5. Proinde dispice, an tu quoque sub hoc exemplo somnium istud in bonum vertas. *Id.* 7. *ibid.* 33. 5. Dispice, num peractas putes partes nostras senatus cognitione finitas.

DISPLĀNO, as, are, a. 1. (dis *et* plano) complano. *Varro* apud *Non.* p. 18. 25. *Merc.* Rutro caput displanat.

DISPLĬCĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *displico*, dispalatus, disjectus. *Varro* 3. *R. R.* 16. 7. Apes si quando displicatæ sunt, cymbalis et plausibus redeunt in locum unum.

DISPLĬCENTĬA, *æ*, f. 1. animi affectio, qua quis sibi displicet. — *a*) Generatim. *Seneca Tranquill.* 2. Hinc illud tædium et displicentia sui. — *b*) Speciatim in re medica est conditio ejus, qui non bene valet: *V.* DISPLICEO sub *b. Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 6. *sub fin.* Parvo cibo utendum, si non ex accessione, sed ex aliqua causa manifesta temporalis acciderit corporis displicentia, quam Græci diarescesin (*lege* δυσαρέστησιν) vocant. *Cf. eumd.* 5. *ibid.* 10. *in fin.* Os odore fœtant, retro stomachum liniant, et ipsum hominem sibimet faciunt displicere; nam Græci δυσαρέστησιν vocant.

DISPLĬCEO, es, ŭi, ĭtum, ere, n. 2. (dis *et* placeo). Part. *Displicens* sub *a* et *b.*; *Displicitus* sub *c.*; *Displiciturus* sub *a.* — Displiceo est non placeo (It. *dispiacere*; Fr. *déplaire*; Hisp. *desplacer*; Germ. *missfallen*; Angl. *to displease*). Occurrit — *a*) Generatim, et quidem — Cum Nominativo rei tantum. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 19. Quod — displiceat mihi. Adde *eumd. Men.* 4. 2. 107. *Ter. Heaut.* 5. 2. 19. Vita displicet. *Cic. Brut.* 57. 207. Mihi placebat Pomponius maxime, vel dicam minime displicebat. *Id.* 13. *Att.* 21. Hoc vehementer displicet. *Tibull.* 1. 9. 79. nunc displicet illi Quæcumque opposita est janua dura sera. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 49. securus famæ, liber, ire memento, Nec tibi sit lecto displicuisse pudor. *Id.* 8. *Met.* 492. Displicet mortis auctor. *Nepos Themist.* 3. consilium. *Quintil.* 12. 9. 6. Qui, displicente causa, placet. *Id.* 6. 3. 2. Non displicuisse illi jocos, sed non contigisse. *Seneca Brevit. vitæ* 2. Inconstans et sibi displicens levitas. *Justin.* 2. 7. Si quid pro altero tulisset alteri displiciturum videretur. — Cum Infinito. *Cic.* 1. *Orat.* 34. 157. In ea exercitatione non sane mihi displicet adhibere istam rationem. — Cum Accusativo et Infinito. *Quintil.* 2. 5. 17. Utinam tam non pigeat facere istud, quam non displicebit. Adde *Sueton. Galb.* 16. — Ceterum adde *Horat.* 1. *Od.* 38. 2. et 1. *Ep.* 19. 47.; *Nepot. Dion.* 1. et 10. et *Pausan.* 5.; *Sueton. Cal.* 20. et *Cæs.* 19.; et *Juvenal.* 13. 2., 13. 215. et 14. 65. — *b*) Speciatim *displicere sibi* dicitur, qui non bene valet. *Cic.* 1. *Phil.* 5. 12. Cum de via languerem, et mihimet displicerem. *Id.* 2. *Att.* 18. 3. Displiceo mihi, nec scribo sine summo dolore. *Hoc loco refertur ad animum:* quemadmodum et apud *Ter. Heaut.* 5. 4. 20. Eheu quam ego nunc totus displiceo mihi! quam pudet! *Scribon. Compos.* 188. Aconitum potum protinus facit corpus grave et displicens. — *c*) Item *displicitus est* pro *displicuit. Gell.* 1. 21. Cum ei displicita esset insolentia et insuavitas illius.

DISPLĬCĪNA, *æ*, f. 1. displicentia. *Plaut. Cist.* 1. 1. 18. Nec hæc displicina apud te quidquam fuit. *Ita legit et tuetur* Meursius: *alii rectius ita:* Nec, nisi disciplina, fuit apud te quidquam ibi, quin mihi placeret.

DISPLĬCĬTUS, a, um. *V.* DISPLICEO.

DISPLŌDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (dis *et* plodo). Part. *Displosus* I. et II. — Displodo est cum sonitu hinc inde diduco, cum sonitu et fragore dirumpo.

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 284. displosa repente Cœli templa. *Id. ibid.* 129. plena animæ vesicula parva Sæpe ita dat pariter sonitum displosa repente. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 46. Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi.

II.) Translate significat ad exteriora flectere, extrorsum vergere. *Varro* 2. *R. R.* 5. 8. *de bubus.* Pedibus non latis, neque ingredientibus qui displodantur. *Id. ibid.* 9. 4. *de cane.* Pedibus magnis, qui ingredienti ei displodantur. — Hinc *displosæ nares*, sunt apertæ ac dilatatæ. *Arnob.* 3. 14. Illos displosis naribus, illos resimis. *Id.* 6. 10. Potest fieri, displosas ut gestitet nares, quem esse vos facitis figuratisque nasicam. — Ceterum cf. *Ammian.* 23. 4. Asini feri — ita eminus lapides post terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ipsa displodant.

DISPLŌSUS, a, um. *V.* voc. præced.

DISPLŬVĬĀTUS, a, um, adject. qui pluviam hinc inde disjicit et dispergit: *cavædium* vero *displuviatum* dicitur, quod tectum erectum, et quadrifariam fastigiatum habet, in quo stillicidia per delicias deliquescunt, ut apud nos usuvenit: opponitur autem *cavædio compluviato*, quod quadrifariam depressum est, in quo semper stillicidia per collicias colliquescunt. Ita statuit *Josephus Rica* in nuperrimo opere, cui titulus: *Dei cavedj, degli atrj ecc. degli antichi Romani*, quod consulesis. At *V. Orioli Sep. edif. di Etrur. p.* 55. *Vitruv.* 6. 3. 1. *Schneid.* Displuviata cavædia sunt, in quibus deliciæ arcam sustinentes stillicidia rejiciunt. *V.* DELICIA.

DISPOLIABULUM. *V.* DESIDIABULUM.

DISPŎLĬĀTĬO, ōnis, f. 3. spoliatio. *Paul. Nolan. Ep.* 29. (*al.* 10.) 1. Primorum patrum dispoliatio. Adde *Imppp. Gratian.*, *Valentinian. et Theodos. Cod. Theod.* 9. 17. 6. Affectus dispoliatione quinque librarum auri. — Rectius tamen utrobique leges *despoliatio:* V. DISPOLIO in fin.

DISPŎLĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISPŎLĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis *et* spolio). Part. *Dispoliatus.* — Dispolio est omnino spolio. *Cic.* 6. *Verr.* 20. 43. Ut etiam una cum ceteris Siculis dispoliaretur. Adde *Ter. Andr.* 4. 5. 21.: sed utroque loco alii leg. *despoliare*, quod est quidem certe usitatius. *Seneca Consol. ad Marc.* 24. Dispoliatus oneribus alienis. *Apul. de Mag.* Pudore dispoliato. *h. e.* deposito. *Lactant.* 6. 11. Hominis se appellatione dispoliat. — Ceterum ubique rectius leges *despolio, as*, etc.; id enim postulat vis particulæ *de*, respuit vero particulæ *di* vel *dis* significatio.

DISPOLIO, is, etc. *V.* DEPOLIO.

DISPONDĒUS, i, m. 2. δισπόνδειος, pes constans ex duobus spondeis, ut *oratores*, et *contendebant*. *Diomed.* 3. *p.* 475. *Putsch.*, et *Donat. p.* 1739. *Putsch.*

DISPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum *vel* postum, pōnere, a. 3. (dis *et* pono). *Dispostus* pro *dispositus* per syncopen dixit *Lucret.* 1. 47. Ne mea dona tibi studio disposta fideli etc. Adde *eumd.* 2. 613. — Part. *Disponens* I. 1.; *Dispositus* in omnibus paragr. et in fin.; *Disponendus* I. 2. — Disponere est res coacervatas vel res plures aliam ab alia sejunctam ponere, collocare, ordine ponere, ordinare, distribuere (It. *porre o collocare l'una divisa dall'altra un mucchio o una grande quantità di cose, distribuire, disporre, ordinare*; Fr. *séparer avec ordre, distribuer, mettre en ordre, disposer*; Hisp. *separar con órden, distribuir, disponer las cosas, repartirlas y colocarlas por órden*; Germ. *einen Haufen, eine Menge auseinanderstellen, – bringen, – legen, – setzen durch Ordnen derselben, vertheilen, aufstellen*; Angl. *to place here and there, place or set in order, dispose, order, arrange, distribute*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est dividendo vel distribuendo ordinare: et occurrit — *a*) De plantis. *Cato R. R.* 47. *Schneid.* Harundinem sic serito; ternos pedes oculos disponito. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 27. Est et (*brassica*) Cypriі generis —, quæ usque in Idus April. commode disponitur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 15. (78). In disponendis arboribus quincuncialis ordinum ratio necessaria. Cf. *Colum.* 12. *R. R.* 2. 3. Præparatis igitur receptaculis (*h. e.* terris), oportebit suo quidque loco generatim, atque etiam specialiter nonnulla disponere. — *b*) De libris et similibus, quæ plurimis constant partibus. *Cic.* 3. *Orat.* 34. 137. Pisistratus primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. *Id.* 3. *Verr.* 19. 51. Signa ad columnas et omnibus intercolumniis disposita sub dio vidimus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Disponere expressos cera vultus singulis armariis. *Juvenal.* 6. 163. avos porticibus. *Ovid.* 2. *Art. am.* 45. Remigium volucres disponit (*Dædalus*) in ordine pennas. *Id.* 3. *Pont.* 3. 16. Dispositæ comæ. Adde *Martial.* 12. 83. Rursus *Ovid.* 1. *Amor.* 11. 35. Disponere capillos. *Juvenal.* 6. 490. crinem. *Quintil.* 10. 7. 23. rudentes. — *c*) De ædificiis et similibus. *Quintil.* 7. *procem.* 1. Ut opera extruentibus satis non est, saxa atque materiam et cetera ædificanti utilia congerere, disponendis eis collocandisque artificium manus adhibeatur. *Sueton. Tib.* 43. Disponere cubicula plurifariam. *Id. Ner.* 27. tabernas deversorias per littora. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. cippos obliquis ordinibus. *Virg.* 3. *Æn.* 236. tectosque per herbas Disponunt enses et scuta latentia condunt. *Seneca Hippol.* 1257. Disponere membra in ordinem. *Sueton. Tib.* 11. Disponere ægros per valetudinum genera. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 37. mentastrum inversis caculminibus. *Id.* 2. *ibid.* 15. 7. Fundus dispositus surculo, segetibus. *Juvenal.* 14. 305. Dispositis hamis. *Id.* 7. 44. magnas comitum disponere voces. *h. e.* altas assectarum acclamationes procurare. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 9. 9. (27).; et *Tac.* 2. *Hist.* 41. Disponere aciem. *Ammian.* 23. 1. Procinctus Parthici disponendi. *Id.* 21. 2. Incidentia cuncta disponens. — *d*) Poetica sunt illa *Propert.* 3. 5. 9. Corpora disponens mentem non vidit in arte. *h. e.* quum ordinaret, quum figuraret. *Id.* 1. 4. 57. Mœnia namque piu conor disponere versu. *h. e.* describere, canere, repræsentare. Sic cum v. *fingere* apud *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 64. Quos ego non finxi disposuique modos. *Coripp.* 2. 317. Disponunt cantus, modulos et cantibus addunt. ¶ 2. Speciatim locum habet in re militari, et est milites, stationes, etc. ponere, collocare, distribuere opportuno ordine, atque interdum etiam certis intervallis; et occurrit — *a*) Cum Accusativo tantum. *Cæs.* 1. *B. G.* 8., 7. *ibid.* 65., 4. *ibid.* 4. et 3. *B. C.* 15. Disponere præsidia. *Id.* 3. *B. G.* 8. custodias. *Id.* 7. *ibid.* 35. et 61. exploratores. *Nepos Iphicr.* 2. Milites dispositi. *Cæs.* 3. *B. C.* 101. Nuncii allati per dispositos equites. *h. e.* variis in stationibus collocatos. Adde *eumd.* 7. *B. G.* 56. *Liv.* 37. 7. et 10. 56. Disponere equos. *h. e.* in stationibus. *Cæs.* 5. *B. G.* 33.; et *Sueton. Ner.* 13. cohortes. *Liv.* 3. 15. Disponendæ stationes. Adde *Sueton. Aug.* 32. et *Tib.* 37.; et *Cæs.* 1. *B. C.* 73. *Liv.* 26. 51. captivos obsidesque. *Frontin.* 2. *Strateg.* 5. 29., et 9. 7. et 12. 2. insidias. Cf. *Quintil.* 4. 2. 48. *Sueton. Cal.* 16. ballistas. *Id. Tib.* 38. commeatus. Cf. *eumd. ibid.* 11. — *b*) Cum addito loco, in quo milites disponuntur, per Ablat. et præpos. *in*, vel per Ablat. sine præpos., vel per Accus. et præpos. *ad* vel *per*. *Cæs.* 7. *B. G.* 27. Custodiæ in muro dispositæ. Adde *ibid.* 78. et 1. *B. C.* 83.; et *Sueton. Aug.* 43. *Cæs.* 1. *B. C.* 14. Legiones in Apulia hibernorum causa disposuerat. *Id.* 7. *B. G.* 34. milites in præsidiis. *Id.* 3. *B. C.* 24. naves in littore. *Id.* 1. *ibid.* 17. tormenta in muris. *Id.* 1. 7. *B. G.* 81. sudes in opere. *Flor.* 3. 10. 8. insidias in valle. *Cæs.* 1. *B. C.* 37. legiones Narbone. *Id.* 3. *B. C.* 88. cohortes castris præsidio. *Id. ibid.* 5. classem omni ora maritima. *Id.* 7. *B. G.* 55. præsidia custodiasque ad ripas Ligeris. *Id.* 3. *B. C.* 21. et *Sueton. Aug.* 49. equites per oram. *Cæs.* 3. *B. C.* 111. cohortes per vias. *Liv.* 39. 14. vigilias per urbem. — *c*) Absolute omnino. *Curt.* 6. 11. 3. Ne in vicina quidem deversorii quemquam commilitonum receptum esse; sed per dispositos, quos ad somnum habebat, omnes procul relegatos etc. — *d*) Singulare est illud *Stat.* 5. *Theb.* 7. Dispositi in turmas.

II.) Translate. ¶ 1. Est in ordinem distribuere; sic apud rhetores est res inventas in ordinem distribuere: *V.* DISPOSITIO. *Cic.* 2. *Orat.* 42. 180. Mihi videris ante tempus a me rationem ordinis et disponendarum rerum requisisse. *Quintil.* 8. *procem.* 1. Ratio inveniendi atque inventa disponendi. *Id.* 3. 3. 10. Non tantum inventa tenere, ut disponamus, nec disposita, ut eloquamur, — debemus. *Id.* 5. 10. 54. Recte disponendi scientia. Adde *eumd.* 10. 1. 1. et alibi sæpe. *Id.* 10. 7. 5. Quæstionum ordinem recte disponere. — Similiter *Cic. Mur.* 14. 30. Studia ad honorem disposita. *h. e.* quæ honori adipiscendo inserviunt. Al. tamen aliter leg. *Quintil.* 11. 3. 110. Ad hæc gestum disponere. *Id.* 6. 2. 30. Divitiarum usum disponere. *Sueton. Ner.* 39. Bona mala disponere. *h. e.* distribuere. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 58. Ministeria principatus in equites Romanos disponere. *Id.* 16. *Ann.* 8. Tamquam disponeret jam imperii curas, præfereretque rationibus et libellis et epistolis libertos. *Q. Cic. Petit. cons.* 5. *ad fin.* Ut iis, quos devinctos tenes, descriptum ac dispositum suum cuique munus sit. *Cf. Plin.* 22. *Hist. nat.* 12. 14. (30). Divinitas disponit auxilia in genera, in causas, in tempora. *Liv.* 12. 29. Consilia autem in omnem fortunam ita disposita habebat: si penes Romanos victoria esset, suas quoque in eodem statu mansuras res —; si fractæ essent opes Romanorum, etc. *Martial.* 5. 20. Disponere tempus. *h. e.* distribuere. Sic *Plin.* 9. *Ep.* 36.; *Sueton. Tib.* 11.; *Seneca Consol. ad Polyb.* 25.; et *Tac. Germ.* 30. diem. Sic *Pers.* 5. 43. opus et requiem. *Plin.* 1. *Ep.* 23. otium. *Id.* 3. *ibid.* 19. facultates. ¶ 2. Apud sequioris ævi scriptores, h. e. sub imperatoribus disponere usurpatum est pro jubere, statuere, consilium inire, etc. — *a*) Sequente Relativo. *Plin.* 1. *Ep.* 19. Disponit, qui nuncient, quem assensum tulerim. *Am-*

mian. 16. 5. Disponens, quid impendi deberet. *Ulp. Dig.* 43. 29. 3. *a med.* Non alienum erat disponi, apud quem puer interim educetur. — *b*) Cum Infinito. *Pallad.* 5. *R. R.* 2. 1. In qua scrobe disponemus inserere. *Id.* 11. *ibid.* 11. 2. De quo semen legere disponis. *Ammian.* 25. 6. Quos loca servare dispositos securitas placido vinxerat somno. *Id.* 24. 1. Exploratores præire disposuit. *Frontin.* 3. *Strateg.* 2. 10. Thebani – apparere paucos disposuerunt. V. *Oudendorp.* ad h. l. — c) Sequente part. ut et Conjunctivo. *Jabolen. Dig.* 10. 3. 18. Ut fundus hereditarius non hereditario serviat, arbiter disponere non potest. *Ammian.* 16. 12. Quum prope fossas armatorum refertas venisset, unde dispositum erat, ut abditi repente exorti cuncta turbarent, etc. — *d*) Cum Accusativo. *Ammian.* 14. 7. *init.* Nec disponi quidquam statuit. — e) Absolute. *Ammian.* 30. 2. Sed ni Sauromaci præsidia militum impertita principio sequentis anni, ut dispositum est, impræpedita reverterint, etc. *V.* infra *Dispositum, i.* — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Dispositus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Dispositior* et Sup. *Dispositissimus* I.

I.) Proprie. *Lactant. Ira D.* 10. *a med.* Mundo nihil potest esse nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad utilitatem. *Boeth.* 4. *pros.* 1. Patrisfamilias dispositissima domus. Cf. *Seneca præfat. Quæst. nat. ad fin.* Animo nec formosius est quidquam, nec dispositius.

II.) Translate. *Plin.* 2. *Ep.* 11. *a med.* Vir subtilis, dispositus, acer, disertus. *h. e.* qui in dicendo ordinem servat. *Id.* 3. *ibid.* 1. Vita hominum disposita. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 15. Nec tamen sic mente dispositus, velut summam totius rei sententiis eorum consecuturus. — Hinc

Dispositum, i, n. 2. absolute, substantivorum more occurrit tantum in formula *ex disposito,* h. e. ex composito. *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. An altius quiddam, cui remotis arbitris opus sit, cogitaturi ex disposito convenistis?

DISPORTO, as, are, a. 1. hinc inde porto. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 11.

DISPŌSĬTĒ, adverb. Superl. *Dispositissime.* — Disposite est distincte, apte, ordinate, commode. *Cic.* 6. *Verr.* 40. 87. Non possum disposite istum accusare. *Quintil.* 10. 7. 12. Disposite dicere. *Lactant.* 3. 17. Ordinate et disposite mundus effectus est. *Sidon.* 5. *Ep.* 11. Dispositissime ædificare.

DISPŌSĬTĬO, ōnis, f. 3. ordinatio, rerum in ordinem collocatio (It. *disposizione, ordinata collocazione*; Fr. *disposition, ordre, arrangement*; Hisp. *disposicion, colocacion y distribucion ordenada*; Germ. *die Aufstellung an verschiedenen Punkten*; Angl. *a putting in order, disposition, arrangement*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Veget.* 3. *Milit.* 26. Dispositionem (*militum*) mutare. *Ammian.* 24. 6. Imperator catervis peditum infirmis medium inter acies spatium secundum Homericam dispositionem præstituit. Adde *Quintil.* 5. 12. 14. — *b*) Specialim in architectura est idem ac Gr. διάθεσις. *Vitruv.* 1. 2. 1. *Schneid.* Architectura autem constat ex ordinatione, quæ Græce τάξις dicitur, et ex dispositione: hanc autem Græci διάθεσιν vocant. – Dispositio est rerum apta collocatio elegansque in compositionibus effectus operis cum qualitate. Species dispositionis, quæ Græce dicuntur ἰδέαι, hæ sunt: ichnographia, orthographia, scænographia. *Isid.* 19. *Orig.* 9. Dispositio ædificiorum. — *c*) Item specialim in pictura est ordo et situs figurarum, quæ in tabula fiunt. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (80). Apelles cedebat Melanthio de dispositione, Asclepiodoro de mensuris.

II.) Translate. ¶ 1. Dispositio usurpatur — *a*) De oratione, et est secunda pars officii oratoris. *Cic.* 1. *Invent.* 7. 9. Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio. *Id.* 1. *Herenn.* 2. 3. Dispositio est ordo et distributio rerum, quæ demonstrat, quid quibus locis sit collocandum. *Id.* 2. *Orat.* 42. 179. Ordo et dispositio argumentorum. Adde *Quintil.* 3. 3. 1. et alibi sæpe. — *b*) Generatim. *Colum.* 12. *R. R.* 2. 4. Quis dubitet nihil esse pulcrius in omni ratione vitæ dispositione atque ordine? ¶ 2. Apud sequioris ævi scriptores, h. e. sub imperatoribus accipitur pro administratione aut regimine, seu potius pro jussione, mandato, etc. *Capitolin. Gordian. III.* 27. *in orat. ipsius Gord.* Cujus ductu et dispositione et hæc transegimus et cetera transigemus. Adde *Sidon.* 3. *Ep.* 6. *extr.*; et *Capitolin. Maximin.* 9. *Ammian.* 16. 12. Negotiis difficillimis sæpe dispositio tempestiva prospexit. *Id.* 20. 6. Statimque ne turbandæ dispositioni consultæ tempus saltem breve concederetur, etc. *Cod.* 6. 23. 28. *pr.* Ultima dispositio. *h. e.* testamentum.

DISPŌSĬTOR, ōris, m. 3. qui disponit. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 18. Dispositor ille mundi Deus aera ventis exercendum dedit. Adde *Lactant.* 4. 9. *Coripp. Laud. Just.* 4. 3. Consultor legum libertatisque tuendæ Dispositor (*præfectus urbis*).

DISPŌSĬTRIX, īcis, f. 3. quæ disponit et administrat. *Venant. Fortun.* 7. *carm.* 6. 22. Floret et egregia dispositrice domus.

DISPŌSĬTŪRA, æ, f. 1. dispositio, ordo. *Lucret.* 1. 1025. Tandem deveniunt in tales dispositturas. *Id.* 5. 193. in tales dispositturas Deciderunt.

DISPŌSĬTUS, a, um. *V.* DISPONO.

DISPŌSĬTUS, us, m. 4. idem ac dispositio. In sexto casu sing. *Tac.* 2. *Hist.* 5. Disposítu provisuque rerum civilium peritus. *Auson. de urb.* 11. Distinctas interne vias mirere domorum Dispositu, et latas nomen servare plateas.

DISPOSTUS, a, um, *per syncopen pro* dispositus, *V.* DISPONO.

DISPRĒTUS, *V.* DISPERNO *in fin.*

DISPŬDET, dēbat, dŭit, dere, impers. 2. (dis *et* pudet) valde pudet. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 77. Alia memorare dispudet. Adde *eumd. Most.* 5. 2. 44. *Ter. Eun.* 5. 1. 16. Dispudet, mihi sic data esse verba.

DISPULSUS, a, um. *V.* DISPELLO.

DISPULVĔRO, as, are, a. 1. (dis *et* pulvis), in pulverem redigo. *Nævius* apud *Non. p.* 95. 28. *Merc.* Saxa, silvas, lapides, montes disjicis, dispulveras.

DISPŪMO. *V.* DESPUMO.

DISPUNCTĬO, ōnis, f. 3. dati et accepti collatio, recognitio.

I.) Proprie. *Ulp. Dig.* 42. 5. 15. Utrum recognitio et dispunctio concedenda sit creditoribus.

II.) Translate. *Tertull. Apolog.* 18. Suscitatis omnibus et recensitis ad utriusque meriti dispunctionem. *h. e.* examen et judicium. *Id.* 5. *advers. Marcion.* 12. Dispunctio boni et mali operis. — Dispunctio vitæ apud *eumd. Testimon. anim.* 4. et *de anim.* 33. *ad fin.* est vitæ consummatio, *h. e.* ipsa mors.

DISPUNCTOR, ōris, m. 3. qui dispungit, examinat, æstimat. *Gloss. Isid.* Dispunctores, qui dona militibus erogant. *Inscript.* apud *Renier.* 3581. COLONIAE PATRONVS DISPVNCTOR. Adde *alias* apud *eumd.* 3578. et 3844. *Gloss. Cyrill.* Ἐκλογιστής, dispunctor. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 17. *a med.* Judex et dispunctor meritorum. *V.* REPUNCTOR.

DISPUNCTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISPUNGO, gis, xi, ctum, gere, a. 3. (dis *et* pungo). Part. *Dispunctus* II.; *Dispungendus* I. — Dispungere, quasi punctis hinc et inde notare, est supputare, rationes examinare, conferre et recognoscere, ut docet *Papin. Dig.* 50. 16. 56. Dispungere est conferre accepta et data (It. *computare, esaminare, rivedere i conti*; Fr. *vérifier, régler, balancer des comptes*; Hisp. *verificar, regular, balancear los mentas*; Germ. *eine Rechnung durchgehen, vergleichen, revidiren, ausgleichen*; Angl. *to calculate,* to *examine or adjust his accounts*).

I.) Proprie. *Seneca* 4. *Benef.* 32. *extr.* Dispungere rationes expensorum et acceptorum. *Ulp. Dig.* 40. 7. 6. § 6. Ad examinandas rationes et dispungendas atque excutiendas factum habet. Similiter *Colum.* 3. *R. R.* 3. 12. Neque id cuiquam dubium esse debet, quum et nostram et Julii Attici rationem dispunxerit.

II.) Translate. *Seneca Brevit. vitæ* 7. Dispunge et recense vitæ tuæ dies. *Vellej.* 1. 13. 3. Neque quisquam Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit. *h. e.* distribuit, distinxit, quasi diligentem iniens rationem horarum et temporis. V. *Cic.* 3. *Off. initio. Tertull. Apolog.* 44. Qui sententiis elogia dispungitis. *h. e.* examinatis et quasi collatis rationibus perpenditis. *Id. advers. Jud.* 9. *ad fin.* Dispungere ordinem cœptum. *h. e.* absolvere, quasi rationes jam collatas conficere. *Id.* 4. *advers. Marcion.* 10. Specialis medicinæ dispuncta prophetia. *h. e.* comprobata, confirmata, quasi collatis rationibus probata et recognita. *Id. de anim.* 57. Animæ prompta hunatione dispunctæ. *h. e.* separatæ, remotæ a corpore.

DISPŪTĀBĬLIS, e, adject. qui disputari potest. *Seneca Ep.* 88. *sub fin.* An omnis res in utramque partem disputabilis sit.

DISPŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus disputandi. ¶ 1. Stricto sensu est computatio, supputatio (It. *computo, calcolo*; Fr. *supputation, compte*; Hisp. *suputacion, computo ó cuenta*; Germ. *die Ueberrechnung, der Ueberschlag*; Angl. *a computing, calculating, reckoning*). *Colum.* 5. *R. R.* 1. 13. Diversæ agrorum formæ veniunt in disputationem. *V.* integrum locum, ubi de agrorum mensuris agitur. ¶ 2. Hinc latiori sensu ac generatim est actus disserendi, certandi cum alio in dicendo, vel etiam solum tractandi de aliqua re; ac præcipue dicitur de rebus ad rationem vivendi pertinentibus. *Cic.* 2. *Orat.* 21. 101. Nihil est enim, quod inter homines ambigatur, sive ex crimine causa constet, ut facinoris, sive ex controversia, ut hereditatis, sive ex deliberatione, ut belli, sive ex persona, ut laudis, sive ex disputatione, ut de ratione vivendi; in quo etc. *Id.* 1. *ibid.* 2. 5. Soleque nonnumquam hac de re a me in disputationibus nostris dissentire. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 16. 61., et *Amic.* 1. 5. et 4. 14. *Id.* 5. *Fin.* 26. 76. Hæc omittamus: habent enim et bene longam et satis litigiosam disputationem. *Id.* 4. *Att.* 16. Instituere disputationem de republica. Sic *Id.* 1. *de republ.* 7. Hæc plurimis a me verbis dicta sunt ob eam causam, quod his libris erat instituta et suscepta mihi de re publica disputatio; quæ ne frustra haberetur, etc. V. *Creuzer* ad h. l. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. Habere disputationem in utramque partem. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 33. *Quintil.* 3. 6. 80. Tria esse, quæ in omni disputatione quærantur, an sit, quid sit, quale sit. *Id.* 11. 1. 70. Inter eos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem incidisse. Adde *eumd.* 6. 3. 22. et alibi sæpe: et *Justin.* 22. 4. 11. — Pro sacro sermone dixit *Augustin.* 6. *de sanct. struct.* 89.

DISPŪTĀTIUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* disputatio, brevis disputatio. *Seneca Ep.* 117. *a med.* Disputatiunculis inanibus subtilitatem vanissimam agitare. Adde *Gell.* 1. 3. *sub fin.*

DISPŪTĀTĪVĒ, adverb. idem ac disputatorie. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 42. Tunc disputative atque veraciter Sylvanus ait: Si ex non exsistentibus non est, nec creatura, nec ex alia substantia Deus Verbum etc.

DISPŪTĀTĪVUS, a, um, adject. ad disputationem pertinens, concertativus. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 19. Quapropter dedit consilium, ut disputativas fugeret intentiones.

DISPŪTĀTOR, ōris, m. 3. qui disputat. *Cic.* 1. *Off.* 1. 3. Disputator subtilis (*Demetrius Phalereus*), orator parum vehemens. *Val. Max.* 8. 12. *init.* Suæ artis unumquemque auctorem et disputatorem.

DISPŪTĀTŌRĬĒ, adverb. disputando. *Sidon.* 9. *Ep.* 9. Scripseras argumentosa disputatorie.

DISPŪTĀTŌRĬUS, a, um, adject. de quo disputari potest, controversus. *Ambros.* 1. *Hexæm.* 6. Non disputatoriis me libramentis committo atque mensuris.

DISPŪTĀTRIX, īcis, f. 3. quæ disputat. *Quintil.* 2. 20. 7. Dialectica etiam disputatrix virtus erit. Adde *eumd.* 12. 2. 13.

DISPŪTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISPŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis et puto). Part. *Disputans* 2.; *Disputatus* 1. et 2.; *Disputaturus* et *Disputandus* 2. — Disputare, quasi hinc et inde putare, ¶ 1. Stricto sensu est computare, data et accepta conferre: *V.* DISPUTATIO 1. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 55. Ubi disputata est ratio cum argentario. *h. e.* collatis cum argentario rationibus. Sic *Id. Cas.* 3. 2. 25. *dixit* putare rationem. ¶ 2. Latiori sensu et universim sumitur pro mente perpendere, examinare, disserere, dicendo certare cum alio, vel etiam solum tractare de aliqua re, sermonem habere: et fere de rebus dicitur ad rationem vivendi pertinentibus, ut ex *Cic.* 2. *Orat.* 21. 101. (cujus verba *V.* in DISPUTATIO 2.) colligimus. *Varro* 6. *L. L.* 63. *Müll.* a *putus* pro *purus* deri-

vat. Sic, inquit, is sermo in quo pure disponuntur verba, ne sit confusus atque ut diluceat, dicitur disputare. *V.* PUTO. Hac autem significatione occurrit — *a*) Pro mente perpendere, examinare. *Plaut. Most.* 1. 2. 4. In meo corde eam rem volutavi et diu disputavi. *h. e.* perpendi. Sic *Ammian.* 20. 8. Conditionum æquitatem, quam propono, bona fide suscipito, cum animo disputans, hæc statui Romano prodesse nobisque. — *b*) Sæpius pro verbis perpendere, adeoque disserere, etc. ut diximus; et quidem — Cum Accusativo rei, de qua disputatur, sed fere per pronomina *hæc*, etc. *Cic.* 1. *Off.* 2. 4. Multa accurate copioseque a philosophis disputata. *Id.* 1. *Orat.* 25. 117. Neque hæc in eam sententiam disputo, ut etc. *Id.* 3. *Fam.* 8. Idque me arbitror pro tribunali multis verbis disputavisse. *Id.* 3. *Nat.* 40. 95. Ea, quæ disputavi, disserere malui, quam judicare. — Sæpissime cum Ablativo rei et præpos. *de. Cic.* 13. *Phil.* 10. 22. Dum de singulis sententiis breviter disputo. *Id.* 1. *de republ.* 10. Disputare de virtutibus, de republica. *Id.* 1. *Orat.* 34. 158. de omni re in contrarias partes. *Id.* 11. *Fam.* 27. *ad fin.* de re aliqua in utramque partem. *Cæs.* 6. *B. G.* 14. de sideribus. *Plin.* 1. *Ep.* 8. de nostra munificentia. *Quintil.* 11. 1. 77. Apud alium nos judicem disputaturos de illius sententia non fuisse. Cf. *Id.* 7. 1. 49. In commune de jure omni disputandum semper, nec unquam satis judicatum est. — Cum Accus. et præpos. *circa. Quintil.* 1. 5. 34. Circa hoc quoque disputatum est. — Cum adverb. *contra*, vel præpos. *ad* et Accus. *Cic.* 1. *de republ.* 3. His rationibus tam certis tamque illustribus opponuntur ab his, qui contra disputant, primum labores etc. Adde *Quintil.* 2. 15. 26. et 2. 17. 4. *Cic.* 3. *Tusc.* 9. 18. Non inscite Dionysius ad ea disputat, quæ etc. — Absolute. *Ter. Andr. prol.* 15. In eo disputant. *Id.* 5. *Tusc.* 10. 28. Acute autem disputantis illud est. *Id.* 7. *Verr.* 3. 7. Durum hoc fortasse videatur; neque ego ullam in partem disputo: tantum intelligo etc. *Quintil.* 12. 2. 14. In disputando mire callidus. — Passive impersonaliter. *Cæs.* 1. *B. C.* 67. Disputatur in concilio a Petrejo et Afranio, et tempus profectionis quæritur. *Quintil.* 7. 3. 12. De his disputatur, non litigatur. — *c*) Et simpliciter pro verbis exponere. *Plaut. Most.* 3. 2. 16. Age, disputa. *h. e.* eja age, dic, rem enarra. Sic *Id. Men. prol.* 50. Ut hanc rem vobis examussim disputem. *h. e.* enarrem. Similiter *Martial.* 9. 78. Quod optimum sit disputat convivium Facunda Prisci pagina. *h. e.* pertractat ac docet. — Ceterum generatim adde *Cic.* 1. *Tusc.* 4. 7.; *Nepot. Epam.* 3.; et *Sueton. Tib.* 32. et *Gramm.* 16.

DISQUĀMO. *V.* DESQUAMO.

DISQUĪRO, ris, rere, a. 3. (dis *et* quæro) per omnes partes quæro, perquiro, inquiro. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 7. Verum hic impransi mecum disquirite.

DISQUĪSĪTIO, ōnis, f. 3. disceptatio, inquisitio. *Cic. Harusp. resp.* 7. 13. Quamquam ad facinoris disquisitionem interest, adesse quamplurimos. *Id.* 2. *Herenn.* 26. 41. Vitiosum est pro argumento sumere quod in disquisitione positum est. Adde *eumd. Sall.* 28. 79. *Liv.* 26. 31. In disquisitionem venit, quid ego fecerim. *Id.* 8. 23. Vitio ne dictator creatus esset, in disquisitionem venit. *Sueton. Ner.* 2. Ad disquisitionem senatus vocavit. *h. e.* accusavit. Adde *eumd. Cæs.* 15.; et *Tac.* 3. *Ann.* 60. et 5. *ibid.* 11.

DISRĂPĬO. *V.* DIRAPIO.

DISRĀRO, as, etc. *V.* DIRARO.

DISRUMPO. *V.* DIRUMPO.

DISSÆPIMENTUM *vel* dissepimentum, i, n. 2. id quo aliquid dissæpitur et dividitur, ut membranula in nuce. *Festus p.* 166. 12. *Müll.*

DISSÆPIO *vel* dissepio, pis, psi, ptum, pire, a. 4. (dis *et* sæpio). Part. *Dissæptus* I. et II. — Dissæpio est sæpiendo dirimo, discludo, distermino.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 998. Aer dissæpit colles atque aera montes. *Varro* 5. *L. L.* 162. *Müll.* Circum cavum ædium erant uniuscujusque rei utilitatis causa parietibus dissæpta, ubi etc. *Ovid.* 1. *Met.* 69. Vix ea limitibus dissæpserat omnia certis. *Al. leg.* discreverat, *alii* descripserat, *alii aliter. Sil. It.* 11. 458. ut liquidi dissæpset stagna profundi, *pro* dissæpsisset: *alii leg.* discisset.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorā sumptā a paragrapho proxime superiori. *Cic.* 4. *de republ.* 4. Tenui sane muro dissæpiunt id, quod excipiunt. *Seneca Med.* 335. Bene dissæpti fœdera mundi Traxit in unum Thessala pinus. ¶ 2. Item dissæptus est non sæptus, disjectus, discissus, eversus, apud *Stat.* (si tamen sana est lectio) 10. *Theb.* 880. dissæptoque aggere rursus Utitur, et truncas rupes in templa domosque Præcipitat.

DISSÆPTĬO *vel* disseptio ōnis, f. 3. idem quod dissæptum. *Vitruv.* 2. 8. 20. *Schneid.* Nonnullos celeritas aut inopia, aut in pendenti loco dissæptio cogit. *h. e.* paries craticius in loco pendenti ducendos dissæpiendi gratia. Ita legitur locus hic in principe editione, et in omnibus ferme MSS. Alii tamen leg. *impendentis loci.* V. *Schneid.* ad h. l.

DISSÆPTUM *vel* disseptum, i, n. 2. ¶ 1. Generatim est id, quo aliquid dissæpitur et discluditur, ut paries, qui cubicula in ædibus dividit, etc. *Lucret.* 6. 951. Denique per dissæpta domorum saxea voces Pervolitant, permanat odos, frigusque, vaposque. ¶ 2. Speciatim membrana dividens cor et pulmones a cetero ventre, sæptum transversum. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *a med.*, ubi alii leg. *dissiptum*, ea ratione, qua *consiptum* pro *consæptum* dixit *Ennius*, teste *Paul. Diac.* p. 62. 10. *Müll.*

DISSĀVĬOR. *V.* DISSUAVIOR.

DISSĔCO, sĕcas, sĕcui, sectum, sĕcare, a. 1. (dis et seco). — Scribitur et *dissico.* — Part. *Dissectus.* — Disseco est in duas partes seco, divido. *Sueton. Cal.* 27. Medios homines serra dissecuit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 70. (185). Lacedæmonii pectus dissecuere causa videndi. *Id.* 29. *ibid.* 4. 21. (69). Caput viperæ dissecant inter aures ad eximendum lapillum. *Id.* 30. *ibid.* 9. 23. (76). Mures dissecti impositi. *Id.* 32. *ibid.* 9. 36. (111). Ranas dissectas imponere. *Id.* 9. *ibid.* 35. 58. (121). Unio dissectus. *Id.* 7. *ibid.* 2. 2. (30). Pisces unguibus dissectos sole torrere. *Apul.* 8. *Met.* Ancipiti ferro sua quisque brachia dissecant. *h. e.* concidunt, exsecant.

DISSECTĬO. *V.* DESECTIO.

DISSECTUS, a, um. *V.* DISSECO.

DISSĒMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus disseminandi. Translate. *Apul.* 11. *Met. sub fin.* Nec extimescerem malevolorum disseminationem. — In bonam partem. *Tertull. Fuga in persecut.* 6. Disseminatio Evangelii.

DISSĒMĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISSĒMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis *et* semino). Part. *Disseminans* et *Disseminatus.* — Dissemino est semen in diversas partes spargo; sed occurrit translate tantum pro divulgo, pervulgo. *Cic. Arch.* 12. 30. Omnia, quæ geruntur, jam tum in gerendo spargere ac disseminare in orbis terræ memoriam. *Id. Planc.* 23. 56. Disseminatus dispersusque sermo. *Id.* 4. *Cat.* 3. 6. Malum latius opinione disseminatum. *Apul.* 5. *Met.* Venus passim cupidines populis disseminans. *Justin.* 12. 13. 10. Amici causam morbi intemperiem ebrietatis disseminaverunt. *Ammian.* 20. 2. Disseminare susurros. *Id.* 29. 6. et 31. 4. rumorem.

DISSENSĬO, ōnis, f. 3. actus dissentiendi, seu voluntatum et sententiarum contrarietas; ut docet *Cic.* 2. *leg. Agr.* 6. 14. Animorum disjunctio dissensionem facit (It. *dissensione, discordia*; Fr. *dissentiment, dissension, désaccord, désunion, discorde*; Hisp. *desunion, disencion, discorde*; Germ. *die Sinnes –, Meinungs – verschiedenheit, Streit, Uneinigkeit, Dysharmonie*; Angl. *a disagreement, dissension, difference, variance*).

I.) Proprie de hominibus; et quidem — 1.°) In singulari numero. — *a*) Cum præpos. *inter. Cic.* 1. *Off.* 25. 87. Qualis fuit inter P. Africanum et Q. Metellum sine acerbitate dissensio. *Id.* 1. *Orat.* 56. 238. Quibus in causis fuit inter peritissimos homines summa de jure dissensio. Sic *Nepos Dion.* 6. Orta dissensione inter eum et Heraclidem. Adde *Justin.* 2. 12. 18.; et *Quintil.* 9. 1. 10., 11. 2. 14. et 3. 6. 22. — *b*) Cum præpos. *cum. Cic. Brut.* 19. 185. Nunquam de bono oratore doctis hominibus cum populo dissensio fuit. — *c*) Cum Genitivo, vel Adjectivo Genitivi vicem gerente. *Tac.* 3. *Ann.* 27. Nam leges – sæpius dissensione ordinum et apiscendi illicitos honores – aliaque ob prava per vim latæ sunt. *Quintil.* 3. 1. 7. Infinita auctorum dissensio. *Nepos Att.* 8. Sic ille consensionis globus hujus unius dissensione disjectus est. *Sall. Jug.* 41. *extr.* Moveri civitas et dissensio civilis quasi permixtio terræ oriri cœpit. *Sueton. Galb.* 7. Provincia et intestina dissensione et barbarorum tumultu inquieta. Cf. *Cic. Amic.* 21. 77. — *d*) Absolute. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 2. 4. Commovere dissensionem. *Id.* 1. *Nat. D.* 1. 2. Qui deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut etc. *Id. Sull.* 21. 60. Hoc discidio ac dissensione facta. Adde *Cæs.* 5. *B. G.* 31. et 3. *B. C.* 98.; et *Sueton. Cæs.* 3., *Ner.* 3., *Tib.* 3. et *Claud.* 10. — 2.°) In plurali numero. *Cic. Amic.* 7. 23. Quanta vis amicitiæ concordiæque sit, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. *Cæs.* 3. *B. C.* 1. Timor novarum tabularum, qui fere bella et civiles dissensiones sequi consuevit. Adde *eumd.* 7. *B. G.* 33. et 6. *ibid.* 22. *Auct. B. Alex.* 42. Provincia finitimo bello et dissensionibus vastata. *Tac. Agric.* 32. Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt.

II.) Improprie dicitur de rebus, et est discrepantia, dissimilitudo. *Cic.* 3. *Off.* 13. 56. Hæc est illa, quæ videtur utilium fieri cum honestis sæpe dissensio. *Seneca Ep.* 20. Ut ipsa inter se vita unius, sine actionum dissensione, coloris sit.

DISSENSUS, a, um. *V.* DISSENTIO.

DISSENSUS, us, m. 4. idem quod dissensio, cui in *Dig.* 46. 3. 80. *consensus* opponitur. *Virg.* 11. *Æn.* 454. hic undique clamor Dissensu vario magnus se tollit in auras. *Stat.* 10. *Theb.* 558. Urbem scindunt dissensu vario. *Claudian. B. Gild.* 300. Dissensus acerbus. *Id.* 2. *Laud. Stilich.* 86. mediis dissensibus aulæ. *Paul. Dig.* 17. 2. 65. Dissensu solvitur societas.

DISSENTĀNĔUS, a, um, adject. dissentiens, contrarius. *Nigidius* apud *Non.* p. 100. 7. *Merc.* Eum locum facit dissentaneum. *Cic. Partit. orat.* 2. 7. Similia aut dissimilia, consentanea aut dissentanea.

DISSENTIO, sentis, sensi, sensum, sentire, n. 4. (dis *et* sentio). Olim et *dissentior* deponentis forma usurpatum fuit, ut *assentior. Cælius* apud *Priscian.* 8. p. 801. *Putsch.* Qui intelligunt, qui faciunt, dissentiuntur. — Part. *Dissensus* habet tantum *Censorin. de die nat.* 4. Hæc eadem opinio etiam in Parmenide fuit, pauculis exceptis ab Empedocle dissensis. *h. e.* in quibus aliter sentit Empedocles. — Part. *Dissentiens* I. et II. 2.; *Dissensurus* I. — Dissentio, cui recta opponitur *consentio*, est aliter atque alii sentio, discors sum, dissideo, discrepo (It. *essere di contrario parere, discordare, dissentire*; Fr. *être d'un avis, d'un sentiment différent, être en désaccord*; Hisp. *desconvenir, desconformar, no convenir con otro*; Germ. *nicht übereinstimmen, verschiedener Meinung sein, uneinig sein*; Angl. *to be of a contrary opinion, dissent, disagree*).

I.) Proprie de hominibus; et occurrit — 1.°) Absolute. *Cic.* 1. *Nat. D.* 2. 5. Res enim nulla est, de qua tanto opere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant. *Id.* 5. *Fin.* 11. 33. Concedo, ut qui de hoc dissentiunt, existiment quod velint. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 61. Tres mihi convivæ prope dissentire videntur Poscentes vario multum diversa palato. *Nepos Timol.* 2. Quem (*Dionysium*) non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit etc. *Quintil.* 10. 1. 17. Pudet dissentire. *Id. ibid. procem.* 18. Quamquam sint, qui dissentiant. *Plin.* 8. *Ep.* 14. Nec contra absolventes mox dissensuri congregarentur. — Cum Accus. Pronom. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 78. nisi quid tu, docte Trebati, Dissentis. — Passive impersonaliter. *Gell.* 3. 11. *a med.* De patria Homeri multo maxime dissensum est. — 2.°) Cum addito a quo, vel a qua re quis dissentit. — *a*) Cum *inter se. Cic.* 2. *Fin.* 6. 19. Illi inter se dissentiunt. — *b*) Cum Dativo. *Horat.* 3. *Od.* 5. 14. mens provida Reguli Dissentientis conditionibus Fœdis et exemplo trahenti Perniciem venientis in ævum. *Colum.* 3. *R. R.* 3. 8. Sed ego plurimorum opinioni dissentiens pretiosum vinitorem in primis esse censeo. *Quintil.* 1. 5. 37. Huic opinioni neque omnino accedo, neque plane dissentio. — *c*) Cum Ablativo et præpos. *cum. Quintil.* 3. 11. 18. Paullum in his secum etiam Cicero dissentit. *Cic. Harusp. resp.* 25. 54. Dissensit cum Mario L. Sulla. *Seneca Ep.* 98. *prope fin.* Dissentiamus cum Epicuro, ubi dicit etc. Cf. *Cic.* 1. *Herenn.* 11. 19. Quum videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dissentire. — *d*) Cum Ablativo et præpos. *ab. Cic. Orat.* 63. 214. Quem Aristoteles ut optimum probat, a quo dissentio. *Id.* 1. *Orat.* 2. 5. Soles nonnunquam hac de re a me in disputationibus nostris

dissentire. *Id.* 4. *Fin.* 1. 2. Non verbis Stoicos a Paripateticis, sed universa re et tota sententia dissentire. *Id. Amic.* 9. 32. Longe dissentire ab aliquo. Adde *eumd.* 2. *Fin.* 25. 80. et 1. *de republ.* 19.; et *Nepot. Cat.* 1. *Quintil.* 2. 4. 19. Alii ab aliis historici dissentiunt. *Id.* 7. 4. 28. A quo dissensuros scio. Adde *eumd.* 3. 11. 16., 7. 3. 8. et alibi sæpe. *Sall. Cat.* 3. Quum ab reliquorum malis moribus dissentirem. *Quintil.* 1. 2. 2. Qui ab hoc prope publico more privata quadam persuasione dissentiant. Cf. *Cic. Fontej.* 9. 20. Hæ nationes a ceterarum gentium more ac natura dissentiunt. — 3.°) Cum addita re — *a)* *De* qua quis dissentit. *Quintil.* 11. 3. 123. De fronte dissentio. Adde *alia* superius allata. — *b)* *In* qua quis dissentit. *Quintil.* 3. 3. 13. In eo plures dissenserunt. *Id.* 4. 2. 42. Dissenserit parte in una. *Id.* 9. 4. 2. In quibusdam paulum fortasse dissentiam.

II.) Translate. ¶ 1. Dissentire dicuntur, qui reapse inimicitias capiunt, aut exercent; adeoque est etiam in seditionem ire. *Cic.* 12. *Phil.* 11. 27. Civas gravissime dissentientes. *Cæs.* 5. *B. G.* 29. Cottæ quidem atque eorum, qui dissentirent, consilium quem haberet exitum? *V.* integrum locum. *Id.* 1. *B. C.* 20. Ab his primo Marsi dissentire incipiunt, eamque oppidi partem occupant. *Auct. B. Hisp.* 37. Cæsar reliqua oppida oppugnat, quæ propter Pompejum dissentire cœperant. ¶ 2. De rebus est dissimilem, diversum esse. — *a)* Cum Accusativo et Infinito. *Lucret.* 4. 770. Nec dissentit, eum mortis letique potitum Jampridem, quem mens vivum se cernere credit. — *b)* *Dissentire a se* est inconstantem esse. *Cic.* 5. *Fin.* 27. 79. Me non quærere, quid virtus possit efficere, sed quid constanter dicatur, quid ipsum a se dissentiat. *Id.* 4. *Tusc.* 13. 29. Vitiositas est habitus, aut affectio in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens. — *c)* Ceterum *dissentire* occurrit iisdem modis, quos supra sub I. enumeravimus. *Justin.* 6. 8. 10. Mortis ratio non dissensit ab hoc proposito. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 42. (90). Flos satis odore dissentiens a sale. *Quintil.* 1. 5. 6. Quum dissentit ab interrogatione responsum. *Id.* 10. 5. 3. Plerumque a Græcis dissentiunt Romana. *Id.* 11. 3. 67. Si gestus ac vultus ab oratione dissentiant. *Id.* 12. 1. 29. Quoties ab animo verba dissentiunt. *Seneca Ep.* 20. Ne orationi vita dissentiat. *Quintil.* 1. 6. 12. *Lepus* et *lupus* casibus numerisque dissentiunt. *Id.* 11. 1. 9. Nec me fugit, plerumque hæc esse conjuncta. – Aliquando tamen et hæc dissentiunt.

DISSĔPĂRĀTĬO, ōnis, f. 3. separatio, divisio. *Porc. Latro in Catil.* 31. Disseparationi eorum neque solem orientem unquam, neque occidentem intervenisse.

DISSĔPĂRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISSĔPĂRO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Disseparatus.* — Disseparo est in contraria separo, divido. *Non. p.* 282. 18. *Merc.* Discerniculum dicitur acus, quæ capillos a media fronte disseparat. *Nazar. Paneg. Constant.* 2. Quæ temporibus disseparata sunt, animorum præsumptione junguntur. *Al. leg.* disparata.

DISSEPIMENTUM, DISSEPIO, DISSEPTIO, DISSEPTUM et DISSEPTUS. *V.* DISSÆPIMENTUM, DISSÆPIO, DISSÆPTIO, DISSÆPTUM et DISSÆPTUS.

DISSĔRĒNASCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* a dissereno. *V.* voc. seq.

DISSĔRĒNO, as, are, 1. (dis *et* sereno) est

A) Verbum impersonale, *disserenat,* h. e. serenum fit. *Liv.* 31. 46. Eadem (*procella*) paullo post, quum disserenasset, sublata. *Alii legunt* conserenasset; *alii* disserenasset et *a* disserenasco *deducunt.* *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 82. (356). Si cacumina pura fient, disserenabit.

B) Verbum activum, quod translate tantum occurrit pro sedare apud *Cassiod.* 6. *Variar.* 6. Ipse (*magister sacri palatii*) insolentium scholarum mores procellosos moderationis suæ terminis prospere disserenat.

DISSĔRO, as, āvi, are, a. 1. discludo: a *dis* et *sera,* quasi sera remota aperio. *Terentian. de litter. p.* 2385. *Putsch.* Vocalis rictum nisi juncta disserarint. *syncop.* pro *disseraverint.* *Id. ibid. paullo ante.* Par examinis æstus est, Ceu sublimia disseras.

DISSĔRO, seris, sēvi, situm, sĕrere, a. 3. (dis *et* sero, sevi). Præteritum est *dissevi,* si rationem sequaris: tamen et *disserui* invenitur. *Suevius* poeta apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. Hoc genus arboris in prælatis finibu' Grajis Disseruere, novos fructus mortalibu' dantes. *Al. leg.* deseruere *a* desero, *unde* desertus, *et* desitus *plantatus.* *V.* DESERTUS et DESITUS. — Part. *Dissitus* I. — Ceterum dissero est idem quod sero, aut variis in locis sero (It. *seminare, piantare in varii luoghi;* Fr. *semer en différents endroits;* Hisp. *sembrar;* Germ. *in Zwischenraumen auseinandersäen, aussäen;* Angl. *to sow, plant*).

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 141. Cetera pars animæ per totum dissita corpus etc. *Id.* 4. 899. Per membra atque artus animai dissita vis est. *Varro* 6. *L. L.* 64. *Müll.* Ut olitor disserit in areas sui cujusque generis res. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 26. Cæciliana lactuca mense Januario recte disseritur. *Id. ibid.* 2. 30. Semina in areolas disserere. Adde *Suev.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. loco sup. cit.

II.) Translate. *Tac.* 3. *Ann.* 40. Disserere seditiosa per conciliabula et cœtus. *Id.* 1. *ibid.* 4. Pauci bona libertatis incassum disserere. *h. e.* mentionem bonorum libertatis apud multos facere. *Hæc tamen rectius ad sequens verbum sunt referenda.*

DISSĔRO, sĕris, sĕrŭi, sertum, sĕrere, 3. (dis *et* sero, serui). Part. *Dissertus* habet tantum *Hieronym. in Isajam* 4. 11. Quam prophetiam per partes volumus explanare, ne simul proposita atque disserta lectoris confundat memoriam. Ceterum DISSERTUS, a, um, *V.* loco suo. — Part. *Disserens, Disserturus* et *Disserendus* II. — Disserere proprie est variis in locis inserere.

I.) Proprie. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Taleæ in terram defodiebantur, mediocribusque intermissis spatiis, omnibus locis disserebantur. *Forcellinus* hunc quoque *Cæsaris* locum ad vocem præcedentem sub I. retulit: rectius tamen hæc a præcedenti distinguenda videtur.

II.) Translate disserere est sermonem instituere de re aliqua, dicere, disputare, tractare. Qua significatione alii ducunt a verbo præced. per metaphoram: alii specialem huic originem tribuunt, ut in CONSERO, serui, dictum est: sed *V.* paullo supra sub I. — Ceterum occurrit — 1.°) Cum Ablativo rei, de qua dicitur, vel disputatur, — *a)* Et præpos. *de.* *Cic. Flacc.* 17. 41. De hoc teste disseruit et subtiliter et copiose Hortensius. *Id. Amic.* 4. 14., 1. *de republ.* 21., 2. *ibid.* 39. et 3. *ibid.* 3. Disserere de republica. *Id.* 2. *Tusc.* 3. 9. de omnibus rebus in contrarias partes. *Id.* 2. *Orat.* 3. 13. de eloquentia. *Id. Senect.* 21. 78. de immortalitate animorum. *Sall. Cat.* 51. de pœna. *Id. Jug.* 111. de pace et de communibus rebus. *Colum.* 2. *R. R.* 1. 2. de materia. *Plin.* 6. *Ep.* 5. de senatusconsulto. *Quintil.* 2. 21. 12. de bono, utili, justo. *Id.* 5. 11. 38. de incommodis vitæ. *Id. præfat.* 15. de justitia. *Id.* 10. 1. 14. de differentia. *Id.* 1. 2. 14. de ratione loquendi. Adde *eumd.* 12. 2. 21.; *Sueton. Ner.* 41.; *Tac.* 1. *Ann.* 6., 3. *ibid.* 50. et 13. *ibid.* 21. — Et passive impersonaliter. *Cic.* 2. *Fin.* 1. 3. Ut, inter quos disseritur, conveniat quid sit id, de quo disseratur. — *b)* Cum præpos. *super* et Ablativo rei dixit *Gell.* 19. 1. *ad fin.* Disserere super aliqua re. — 2.°) Cum Accusativo rei; et quidem — *a)* Sæpe per Pronomina *hæc, aliqua, multa,* et similia. *Cic.* 1. *Orat.* 13. 57. Hæc ego cum ipsis philosophis tum Athenis disserebam. *Id. Amic.* 5. 18. Ut illi, qui hæc subtilius disserunt. *Id.* 3. *Nat. D.* 40. 95. Ea, quæ disputavi, disserere malui, quam judicare. *Id. Amic.* 10. 33. Ea, quæ sæpissime inter me et Scipionem de amicitia disserebantur. *Quintil.* 10. 6. 8. Ideoque aliqua mihi in illum locum disserenda sunt. Adde *Cic.* 1. *Tusc.* 11. 23.; *Sall. Jug.* 30. *extr.*; et *Colum.* 12. *R. R. præfat.* 7. — *b)* Cum Accusativo communi. *Sall. Cat.* 5. Paucis instituta majorum domi militiæque disserere. V. *Kritz* ad h. l. *Liv.* 41. 6. Senatus – datus in æde Bellonæ ad disserendas res, quas gessissent. *Al. leg.* edisserendas: V. *Drakenborg.* ad h. l. *Cic.* 1. *de republ.* 24. Ea lege, qua credo omnibus in rebus disserendis utendum esse. *Tac.* 1. *Ann.* 4. Pauci bona libertatis incassum disserere. *Id.* 3. *Hist.* 81. Bona pacis ac belli discrimina disserens. *Id.* 2. *Ann.* 27. Ejus negotii initium, ordinem, finem curatius disseram. *Lamprid. Alex. Sev.* 30. *extr.* De quo in libris suis Marius loquitur, quum Hadriani vitam disserit. *h. e.* exponit, enarrat. *Hieronym. præf. l.* 11. *in Isajam.* Undecimus in Isajam liber magnam partem historiæ disserturus est. *Id. ibid.* In quibus disserendis, quid senserint, breviter comprehendi. — *c)* Cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 1. *Divinat.* 47. 105. Malunt enim disserere, nihil esse in auspiciis, quam, quid sit, edisrere. — 3.°) Sequente relativo. *Sall. Jug.* 95. Nam postea quæ fecerit, incertum habeo pudeat an pigeat magis disserere. *Liv.* 23. 26. Quid peditum equitumque, quid civium, quid sociorum in exercitu esset dictatoris disseruit. *Id.* 28. 38. Quas res in Hispania gessisset, disseruit. *Quintil. præfat.* 22. Ut, qui mores ejus –, qui agendi debeat esse finis –, disseramus. — 4.°) Absolute. *Cic.* 9. *Att.* 4. *sub fin.* Disserens in utramque partem tum Græce, tum Latine. *Id.* 1. *Orat.* 13. 57., 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 17. et 1. *de republ.* 21. Disserere cum aliquo. *Id.* 1. *Nat. D.* 5. 11. Disserere contra omnia. *Id.* 2. *Orat.* 38. 157. Ars bene disserendi. *h. e.* dialectica: quam vocat *Fat.* 1. 1. rationem disserendi. *et* 1. *Orat.* 15. 68. subtilitatem disserendi. Adde *eumd.* 3. *de republ.* 6., 1. *Acad.* (*post.*) 8. 30., 1. *Tusc.* 30. 72. et *Amic.* 3. 11.; et *Quintil.* 12. 1. 35. et 12. 2. 25. *Sueton. Gramm.* 4. Repeto quemdam, Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare; nonnullis, mane vero, disserere, post meridiem remoto pulpito declamare solitum. — Cum Dativo, *disserere alicui,* h. e. apud aliquem vel coram aliquo, est *Senecæ Ep.* 52. *a med.*

DISSERPO, is, ere, n. 3. (dis *et* serpo) in diversas partes serpo, disseminor. *Lucret.* 6. 546. Quippe cadunt toti montes, magnoque repente Concussu late disserpunt inde tremores.

DISSERTĀTĬO, ōnis, f. 3. sermo, disputatio. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 68. 87. (190). Quapropter ingenium prædictorum, et reliqua subtexetur dissertatio. *Harduin.* in suis MSS. *edissertatio* reperit; quam lectionem *Sillig.* confirmavit ac retinuit. *Gell.* 10. 4. Res in philosophiæ dissertationibus celebris. *Id.* 14. 3. Turpiter eos mentiri, qui dissertationes istiusmodi Socrati attribuerent. *Id.* 17. 13. Hoc est longioris dissertationis. *Id.* 1. 2. Jussit proferri dissertationum Epicteti secundum librum. *Id.* 19. 12. In ea dissertatione hujuscemodi sensus est. Al. leg. *dissertione* eod. sensu. Eadem varia lectio reperitur etiam 17. 19. Nempe sicut *dissertatio* a *disserto* fit, ita *dissertio* a *dissero.* Similiter *dissertio linguarum* legitur apud *Fulgent.* 1. *Mythol.* 22.

DISSERTĀTOR, ōris, m. 3. qui disserit. *Prudent. Apotheos.* 850. Occurrit dubitans hic dissertator, et illud Objicit.

DISSERTĬO. *V.* DISSERTATIO.

DISSERTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat.* a dissero. Part. *Dissertans* et *Dissertaturus.* — Disserto est vehementer dissero, de re aliqua magno studio disputo; et occurrit — *a)* Cum Accusativo rei. *Tac.* 4. *Hist.* 69. Vim Romanam parisque bona dissertans, sapientissimum quemque metu continuit. *Cato* apud *Paul. Diac. p.* 60. 1. *Müll.* Quid ego cum illo dissertem amplius? *Plaut. Men.* 5. 2. 58. Quod vos dissertatis. — *b)* Absolute. *Gell.* 7. 14. Seorsum quisque ostentandi gratia magno conventu hominum dissertaverunt. — *c)* Cum Ablativo et præpos. *de.* *Tac.* 13. *Ann.* 38. Dissimulato tamen intellectu, rectius de iis quæ in publicum consulerentur totis exercitibus coram dissertaturos, respondit.

DISSERTOR, ōris, m. 3. idem quod dissertator. Utitur eo *Nonius p.* 328. 21. *Merc.,* ubi interpretem exponit obscuri dissertorem.

DISSERTUS, a, um. *V.* DISSERO, seris, serui.

DISSICĬO, is, ere, a. 3. vult *Pareus* in *Lex. Crit.* idem esse quod *disjicio,* h. e. disseco, discindo, divido. Affert autem primum verba *Priscian.* 14. *p.* 1002. *Putsch.,* in quibus recensendo verba, quæ a *dis* componuntur secundum ordinem consonantium, post *displiceo, disputo, disperdo* ponit *dissicio, distraho,* etc.; quod quamvis in libris *disjicio* legatur, apparet tamen ex ipsa serie ita legendum esse. Secundo *Plauti Curc. a.* 3. *v.* 54. Clipeatus elephantum ubi machæra dissicit. Tertio *Lucretii* 3. 639. vis animai discissa simul cum corpore dissicietur. Quarto subtexit loca ex *Cic. Cæl.* 16., ex *Virg., Ovid., Val. Flacc., Liv., Sueton., Stat., Val. Max.,* etc., quæ sane omnia dubia sunt et fere ubique *disjicio* ab aliis substituitur. Addas licet locum *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 62. Sed ferventius obvians, re provisa, plerosque Ale-

xander dissicit. Nulius tamen omnino ex Latinarum vocum albo expungi, tum propter auctoritatem *Prisciani*, quæ momenti aliquid certe habet; tum propter multorum MSS. consensum.

DISSĪDENTĬA, æ, f. 1. idem ac discordia. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 23. (75). Dominante illa eadem rerum dissidentia. Adde *Arnob.* 3. 34., ubi tamen *Orell.* habet *differentia*.

DISSĪDĔO, sides, sēdi, sessum, sidere, n. 2. (dis et sedeo). Part. *Dissidens* I. et II. 1. — Dissidere proprie est sedibus distare, remotum vel sejunctum esse (It. *trovarsi in sedi diverse, essere lontano, separato*; Fr. *être assis à part, à distance, être séparés, eloignés les unes des autres*; Hisp. *estar asentado a parte, estar distante, apartado ù remoto*; Germ. *entfernt sitzen, sein, von einander getrennt sein*; Angl. *to be at a distance, be distant*).

I.) Proprie. *Virg.* 7. *Æn.* 369. Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris Dissidet, externam reor. *Forcellinus* h. locum singulari paragrapho distinxit atque ita illustravit: *Dissidere aliquando dicuntur, qui tantummodo alieni sunt et diversæ ditionis aut imperii.* *Propert.* 1. 12. 4. Tam multa illa meo divisa est millia lecto, Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano. *Seneca Thyest.* 124. Isthmi si quis amat regna Corinthii, Et portus geminos et mare dissidens. *h. e.* utrimque positum, Isthmo intermedio. *Id. Œdip.* 618. ab omni dissidet turba procul. *Sil. It.* 7. 736. qui partitis dissederat ante manipilis. *h. e.* in alium locum se contulerat. *Al. leg.* discesserat. — Huc pertinent et illa *Horat.* 1. *Ep.* 1. 96. toga dissidet impar. *h. e.* male sedet humeris, plus una, quam alia parte dependens. *Quintil.* 11. 3. 79. Supercilia inæqualitate dissident.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de hominibus, et est sententiis discrepare, discordem esse. — 1.°) Absolute. *Cic.* 1. *Legg.* 20. 53. Qui de re una solum dissident, de ceteris mirifice congruunt. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 43. 132. Qui dissident, de omni vitæ ratione dissident. *Id. Fat.* 19. 44. Verbis, non re dissidere. *Id. Marcell.* 10. 30. Non consiliis solum et studiis, sed armis etiam et castris dissidebamus. *Phædr.* 3. 3. Variis dissident sententiis. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (6). Dissederunt hæ diu scholæ. *Id.* 18. *ibid.* 25. 57. (213). Auctores qui in eadem regione dissedere. *Horat.* 3. *Od.* 8. 19. Medus infestis sibi luctuosis Dissidet armis. *h. e.* civili dissensione. *Tac.* 1. *Ann.* 46. Dissidet miles. *h. e.* in seditionem ivit. *Id. ibid.* Hostis dissidebat in Arminium et Segestem. *h. e.* in factiones dividebatur, alii enim Arminio, alii vero Segesti studebant. *Nepos Dion.* 8. Quod inimici ejus dissidenti suos sensus aperturi forent. *h. e.* adversario. Adde *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 38. (91). Sic *Ammian.* 22. 5. Dissidentes Christianorum Antistites. Cf. *eumd.* 14. 6.; et V. *Gronov.* ad *Liv.* 25. 18. Similiter *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (203). Dissident olores et aquilæ. *h. e.* mutuas exercent inimicitias. — Pertinet aliquando ad divortia matrimoniorum. *Sueton. Tib.* 7. Cum Julia primo concorditer et amore mutuo vixit: mox dissedit, et aliquanto gravius, ut etiam perpetuo secubaret. — Et passive impersonaliter. *Sueton. Tib.* 37. Capita factionum et histriones, propter quos dissidebatur, relegavit. *Flor.* 3. 17. 5. Ceterum sic urbe in una, quasi in binis castris, dissidebatur. — 2.°) Cum addito, a quo quis dissidet. — *a*) Per Ablat. et præpos. *cum*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 143. Cum Cleanthe doctore suo quam multis rebus Chrysippus dissidet. *Id.* 11. *Phil.* 6. 15. Ex quo judicare debetis, me non cum homine solere, sed cum causa dissidere. — *b*) Per formulam *inter se*. *Cic.* 1. *Att.* 13. 2. et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 143. Inter se leviter dissident. Cf. *eumd.* 1. *Nat. D.* 2. 5. Opiniones tam variæ tamque inter se dissidentes. *Justin.* 24. 1. 1. Dissidentibus inter se bello Ptolemæo Cerauno et Antigono regibus. — *c*) Per Dativum. *Horat.* 2. *Od.* 2. 18. Dissidens plebi virtus. *h. e.* homo virtute præditus. — *d*) Sæpius per Ablativum et præpos. *ab*. *Cic.* 7. *Att.* 6. Mihi non rectum, me in tantis rebus a Pompejo dissidere. *Id. Balb.* 13. 30. Nullam esse gentem tam dissidentem a populo Romano odio quodam atque discidio etc. *Id.* 7. *Verr.* 71. 182. Quasi natura et genere disjuncti sint, ita dissident a nobis animo ac voluntate. *Id.* 1. *Fin.* 18. 58. Dissidere a se ipso ecumque discordare. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 2. 3., 1. *de republ.* 19., *Sext.* 19. 44. et *Amic.* 1. 2. *Nepos Hann.* 10. Dissidebat ab eo Pergamenus rex, bellumque inter eos gerebatur. *Ovid. Heroid.* 7. 36. Matris ab ingenio dissidet illa suæ. *h. e.* differt. *Ammian.* 15. 5. A mandatis dissidens. ¶ 2. Latiori sensu dicitur etiam de abstractis et inanimis. — 1.°) Absolute. *Ovid.* 15. *Met.* 648. Dissidet et variat sententia. *Gell.* 13. 21. Duo hæc verba idem significant, neque ulla re aliqua dissident. *h. e.* differunt. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Quercus et olea pertinaci odio dissident. — 2.°) Cum additis. — *a*) Per Ablativum et præpos. *cum*. *Cic.* 2. *Herenn.* 9. 13. Quum voluntas scriptoris cum scripto dissidere videbitur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (61). Adamas dissidet cum magnete. — *b*) Per formulam *inter se*. *Cic.* 1. *Fin.* 13. 44. Cupiditates intus in animis inclusæ inter se dissident atque discordant. — *c*) Per Ablativum et præpos. *ab*. *Cic.* 1. *de republ.* 38. Iracundia dissidens a ratione. *Id.* 2. *Off.* 2. 8. Temeritas a sapientia dissidet plurimum. *Id.* 1. *Fin.* 18. 51. Animus a se ipse dissidens. *Id.* 1. *Orat.* 31. 140. Ut a sententia scriptum dissideat. *Ovid.* 3. *Fast.* 662. Fama non dissidet a vera fide. *Id.* 1. *Pont.* 6. 6. Feritas dissidet a studiis tuis. *Quintil.* 3. 8. 51. Oratio, si ab homine —, si a re, cui accommodari debeat, dissidet. *Id.* 11. 3. 165. Dissidens a voce gestus. *Id.* 1. 11. 16. Ne caput oculique ab alia corporis inclinatione dissideant.

DISSĪDĬŌSUS, a, um, adject. qui dissociat. *Ambros. Ep.* 4. 16. Ut et novus homo et vetus, sublato pariete maceriæ qui utrumque dissidioso objice dividebat, inter se convenirent. *Rectius tamen scribendum* discidiosus. *V.* DISCIDIUM

DISSĪDĬUM, ii, n. 2. discordia animorum, dissidentia, dissensio. *Cic. Balb.* 13. 30. Odio atque dissidio dissidere ab aliquo. *Id.* 1. *Att.* 14. *a med.* Ut quod una non estis, non dissensione ac dissidio vestro, sed voluntate ac judicio tuo factum esse videatur. — Item separatio, disjunctio. *Cic.* non uno in loco, *Propert.* et alii. Verum et hac et superiore notione rectius *discidium* scribitur (quamquam libri variant), ut in ea voce admonuimus.

DISSIGNĀTĬO, DISSIGNĀTOR, DISSIGNO et similia. *V.* DESIGNATIO, DESIGNATOR, DESIGNO etc.

DISSĬLĬO, silis, silui, silire, n. 4. (dis et salio). Part. *Dissiliens* I. — Dissilio est hinc et illinc salio, in diversas partes salio, fringor, diffringor (It. *saltare di quà e di là, fendersi con impeto, scoppiare*; Fr. *sauter de côté et d'autre, se séparer violemment, se briser*; Hisp. *saltar acá allá, separarse violentamente, romperse, quebrarse*; Germ. *zerspringen, zergehen*; Angl. *to leap or bound this way or that, leap or burst asunder*).

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 386. Postremo dico, de concursu corpora lata Si cito dissiliant, etc. *Id.* 2. 84. nam concita (*corpora*), sæpe Obvia quum flixere, fit, ut divulsa repente Dissiliant. *Id.* 1. 492. Dissiliuntque fere ferventi saxa vapore. *Id.* 6. 122. et divulsa repente Maxuma dissiluisse capacis mœnia mundi. *Virg.* 3. *G.* 363. de vi frigoris. Æraque dissiliunt vulgo. *Id.* 12. *Æn.* 740. Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu Dissiluit. De freto Siciliæ *Id.* 3. *Æn.* 414. Hæc loca vi quondam et vasta convulsa ruina Dissiluisse ferunt. *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 20. Uva pressa pede dissilit. *Id.* 2. *Met.* 260. Dissilit omne solum. *Sil. It.* 16. 548. impius ignis Dissiluit. *Id.* 5. 616. Immugit penitus convulsis ima cavernis Dissiliens tellus. *Pallad.* 10. *R. R.* 11. 2. Dissilit via frigore. *Ammian.* 23. 4. Compagem, ne dissiliat, continentes. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 18. 29. (135). Tusculanum silicem dissilire igni. *Id.* 22. *ibid.* 22. 36. (78). Boves dissilire degustata bupresti. *h. e.* dirumpi. Sic *Id.* 29. *ibid.* 4. 27. (89). Si prægnans momordit, protinus dissilit. Cf. *Seneca Ep.* 113. *ad fin.* Dissilio risu, quum mihi propono solœcismum animal esse.

II.) Translate. *Lucret.* 4. 606. Præterea, partes in cunctas dividitur vox, Ex aliis aliæ quoniam gignuntur; ubi nam Dissiluit semel in multas, exorta quasi ignis Sæpe solet scintilla suos se spargere in ignes. *h. e.* dissolvitur. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 41. Gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque Zethi dissiluit. *h. e.* repente dissoluta est. Cf. *Capell.* 8. p. 272. At quo etiam tempore Cupido vel Satyrus petulantis ausus procacitate dissiliunt?

DISSĬMĬLIS, e, adject. (dis et similis). Comp. *Dissimilior* et Sup. *Dissimillimus.* — Dissimilis, cui recta opponitur *consimilis*, est non similis, absimilis, diversus (It. *dissimile, diverso, differente*; Fr. *dissemblable, différent*; Hisp. *desemejable, diferente*; Germ. *unähnlich, ungleich, verschieden*; Angl. *unlike, dissimilar, different*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *de republ.* 42. Isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens. *Id.* 1. *ibid.* 14. Quemadmodum in dissimillimis motibus inæquabiles et varios cursus servaret una conversio. *Id.* 1. *Tusc.* 25. 63. Motus tarditate et celeritate dissimiles. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 2. hac in re scilicet una Multum dissimiles, at cetera pæne gemelli. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 3. 313. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (128). Dissimilis colore. *Gell.* 18. 4. Res diversæ ac dissimiles. *Quintil.* 5. 13. 23. Quoniam maxima pars eorum similibus constat, rimandum erit diligentissime, quid sit in quoque, quod assumitur, dissimile. *Id.* 5. 11. 5. Aut similia, aut dissimilia, aut contraria. *Id.* 7. 4. 6. Forsitan ne sint quidem paria, quæ ulla parte sunt dissimilia. *Id.* 9. 3. 83. Quæ sunt simili casu, dissimili sententia. Adde *Juvenal.* 8. 216. et *Plin. Paneg.* 94. — Singulare est illud *Tac.* 2. *Ann.* 39. Ætate et forma haud dissimili in dominum erat. *h. e.* ætate et forma tam similis erat domini, ut pro domino ipso haberetur. — *b*) Cum part. *atque, ac, et*. *Lucret.* 1. 504. Principio quoniam duplex natura duarum Dissimilis rerum longe constare reperta est, Corporis atque loci. *Cic.* 2. *Phil.* 24. 59. Quamquam dissimilis est militum causa et tua: illi secuti sunt; tu quæsisti ducem. *Id. Planc.* 28. 68. Dissimilis est pecuniæ debitio et gratiæ. Adde *eumd. Brut.* 82. 285. *Id.* 2. *Att.* 3. Quod non est dissimile, atque ire in Solonium. *Liv.* 5. 5. Hæc sunt, tribuni, consilia vestra, non, hercule, dissimilia, ac si quis ægro, qui, curari se fortiter passus, extemplo convalescere possit, etc. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *inter*. *Lucret.* 2. 719. Nam veluti tota natura dissimiles sunt inter se genitæ res quæque, etc. *Cic.* 3. *Orat.* 7. 25. Una est ars ratioque picturæ; dissimillimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles. *Id.* 2. *ibid.* 29. 126. Quum inter vos in dicendo dissimillimi sitis. Adde *eumd. Brut.* 83. 287.; et *Quintil.* 9. 4. 17. — *d*) Cum Genitivo. *Cic.* 10. *Fam.* 6. 3. Qui te ab impiorum civium, tui dissimillimorum, societate sejungas. Adde *Juvenal.* 10. 192. Rursus *Cic. Brut.* 93. 320. Sui dissimilior videbatur fieri quotidie. *Id. ibid.* 81. 282. Ita — dum Cyri et Alexandri similis esse voluit —; et L. Crassi et multorum Crassorum inventus est dissimillimus. *Id.* 2. *Orat.* 51. 208. Tum excitatur, si non tam acerbum odium, tamen aut invidia, aut odii non dissimilis offensio. *Id. ibid.* 19. 83. Artificium non dissimile ceterorum. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 7. 26. et 4. *Verr.* 20. 48. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 112. Scetani dissimilis sis. Adde *Curt.* 4. 14. 7.; *Nepot. Phoc.* 1. *in fin.*; et *Ovid.* 11. *Met.* 273. — *e*) Cum Dativo. *Cic. Brut.* 56. 204. Nihil tam dissimile quam Cotta Sulpicio. *Id.* 4. *Fin.* 6. 15. Hoc sic expositum dissimile est superiori. *Id. Sull.* 17. 49. Erat huic judicio longe dissimilis illa contentio. *Id.* 5. *Fin.* 22. 62. Quis est tam dissimilis homini, qui non moveatur etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 33. 105. Mare dissimile est proximo ei continenti. *Nepos Chabr.* 3. Dissimilis quidem Chares horum et factis et moribus. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 49. Dissimile hoc illi est. *Id.* 2. *ibid.* 8. 27. Nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, pisces, Longe dissimilem noto celantia succum. *Juvenal.* 3. 17. speluncæ Dissimiles veris. *Id.* 15. 67. dextræ illis dissimiles. *Quintil.* 10. 2. 3. Aut similes, aut dissimiles bonis. *Id.* 2. 4. 31. Locus dissimilis ceteris. *Id.* 11. 2. 33. Hæc ratio, ut est illi arti non dissimilis. *Id.* 8. 3. 14. Purus sermo et dissimilis curæ. *Id.* 9. 3. 75. Quoties verbum verbo aut non dissimile valde quæritur, — aut certe par et extremis syllabis consonans. Adde *eumd.* 2. 17. 4. et alibi sæpe.

DISSĬMĬLĬTER, adverb. diverse. *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 20. Res simili de causa dissimiliter judicatæ. *Id.* 2. *Fin.* 3. 10. Voluptas etiam *varia* dici solet, quum percipitur e multis dissimilibus rebus dissimiliter efficientibus voluptates. *Sall. Jug.* 94. Oppidum Thalam ceperat, haud dissimiliter situm munitumque. *Liv.* 27. 48. Incerti, quorum essent, haud dissimiliter navibus sine gubernaculo vagis etc. (hoc loco casum regit, ut adjectivum). Adde *Gell.* 18. 12. *Paul. Dig.* 41. 2. 9. *a med.* Dissimiliter, atque si sub custodia mea sit.

DISSĬMĬLĬTŪDO, inis, f. 3. diversitas, differentia. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 2. *Divinat.* 46. 97. Incredibilis varietas et dissimilitudo (corporibus, animis). *Id. Amic.* 20. 74. Morum dissimilitudo dissociat amicitias. *Id.* 2. *Divinat.* 46. 97. Dissimilitudo locorum. *Id.* 5. *Fin.* 7. 19. bonorum malorumque. *Id.* 1. *Orat.* 59. 252. Hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem, quod etc. *Id.* 2. *Fam.* 13. 2. Genus institutorum meorum dissimilitudinem habet cum illius administratione provinciæ. Adde *Nepot. Alcib.* 1.; et *Quintil.* 5. 2. 3. et 9. 3. 92. — *b*) In plurali numero. *Cic.* 2. *Divinat.* 45. 94. Quorum rerum tantæ dissimilitudines sæpe sunt, ut etc. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 7. 26.

DISSĬMŪLĀMENTUM, i, n. 2. simulatio. *Apul. Florid.* n. 3. Musæ cum Minerva dissimulamenti gratia judices adsistere. *Id. de Mag.* Dissimulamenti causa et deridiculi.

DISSĬMŪLANTER, adverb. dissimulando, cum dissimulatione. *Cic.* 2. *Orat.* 35. 149. Id tamen dissimulanter facere, ne sibi iste aliquid proficere videatur, prudentia est. *At hæc ab interpolatore profecta esse vidit* S. Del. Muell. *Id. Brut.* 79. 274. Nec vero hæc soluta, nec diffluentia, sed adstricta numeris, non aperte, nec eodem modo semper, sed varie dissimulanterque conclusis. *Id.* 1. *Fam.* 5. *sub fin.* Partim sunt obscurius iniqui, partim non dissimulanter irati. *Liv.* 40. 23. Herodorus in custodiam est conjectus, et Demetrius dissimulanter asservari jussus. Adde *Ovid. Heroid.* 20. 132. *Plin.* 1. *Ep.* 13. Nec tamen permanent, sed ante finem recedunt: alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere. Adde *Sueton. Ner.* 33. et *Tib.* 21. *Ammian.* 28. 6. *init.* Dissimulanter dies consumere. *Id.* 14. 1. honoratorum circulis adsistere.

DISSĬMŪLANTĬA, æ, f. 1. idem ac dissimulatio. *Cic.* 2. *Orat.* 67. 270. Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus præstitisse.

DISSĬMŪLĀTIM, adverb. idem ac dissimulanter. *Quintil.* 10. 1. 21. Sæpe præparat dissimulatim insidias orator. *Al. rectius leg.* dissimulat, insidiatur.

DISSĬMŪLĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Stricto sensu ac generatim est actus dissimulandi (It. *dissimulazione*; Fr. *dissimulation, feinte*; Hisp. *dissimulacion*; Germ. d. *Verheimlichung, Verbergung, Verhehlung*; Angl. *a dissembling, cloaking, dissimulation*). *Cic.* 3. *Off.* 15. 61. Ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est. *Id.* 2. *Orat.* 68. 86. Valde ridentur, quæ a prudentibus, quasi per dissimulationem non intelligendi, subabsurde salseque dicuntur. *Tac.* 13. *Ann.* 25. Nero veste servili in dissimulationem sui compositus. *Id.* 11. *ibid.* 26. Abrumpere dissimulationem. *Justin.* 5. 11. 4. Innocentiam dissimulatione belli simulans. *Id.* 5. 11. 5. Dimissus igitur Cyrus, jam non occulte bellum, sed palam, nec per dissimulationem, sed aperta professione parare cœpit. Cf. *Curt.* 7. 2. 9. et 6. 7. 32.; et adde *Quintil.* 6. 3. 85.; *Plin.* 6. *Ep.* 27. et 9. *ibid.* 13.; *Sueton. Cæs.* 31., *Cal.* 10. et *Tib.* 72.; *Tac.* 4. *Hist.* 18.; et *Ammian.* 28. 4. ¶ 2. Latiori sensu ac speciatim est Latina appellatio figuræ ironiæ. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 5. 15. Socrates libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Græci εἰρωνείαν vocant. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 53. 203.; et *V.* DISSIMULANTIA. Monet tamen *Quintil.* 9. 2. 44. hoc nomine parum totius ironiæ vires ostendi. — Inter ea quæ risum movent, *dissimulatio* est, cum quis parum se aut aliud omnino intelligere fingit. *Quintil.* 6. 3. 85. et *Cic.* 2. *Orat.* 68. 272. — Item cum alia dicuntur, ac sentias, quam *Cic. ibid.* 67. 269. urbanam dissimulationem appellat. ¶ 3. Latissimo sensu apud sequioris ævi scriptores significat negligentiam, incuriam. *Veget.* 6. *Veterin. pr.* 1. 3. *Schneid.* Solemnis excusatio negligentium est, dispendia ex dissimulatione venientia Deo imputare, vel casibus. *Veget. alter* 1. *Milit.* 8. Sed hujus rei usum dissimulatio longæ securitatis abolevit. *Id. ibid.* 18. Quem usum usque ad hanc ætatem, licet jam cum dissimulatione, pervenisse manifestum est.

Homonym. Quomodo *dissimulatio* a *simulatione* differat, *V.* in DISSIMULO.

DISSĬMŪLĀTOR, ōris, m. 3. qui dissimulat et celat aliquid. *Sall. Cat.* 5. Animus subdolus, varius, cujuslibet rei simulator et dissimulator. *Horat.* 1. *Ep.* 9. 9. Dissimulator opis propriæ. *Ovid.* 5. *Met.* 61. et veri non dissimulator amoris. *Quintil.* 2. 2. 5. Nec tamen eorum, quæ emendanda erunt, dissimulator. *et ibid.* 17. 6. Antonius dissimulator artis fuit. Adde *Tac.* 2. *Hist.* 56.

Homonym. Quomodo *dissimulator* a *simulatore* differat, *V.* in DISSIMULO.

DISSĬMŪLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISSĬMŪLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dissimilis). Part. *Dissimulans, Dissimulatus, Dissimulaturus* et *Dissimulandus.* — Dissimulare est diligenter et astute celare, occultare, fingere non esse id quod re vera est; et cum addita part. *non* est aliquid manifestare, nolle celare, fateri (It. *dissimulare, coprire, far sembiante di non avere una cosa*; Fr. *donner une fausse apparence à, présenter autrement, déguiser, dissimuler, cacher, taire*; Hisp. *disimular, disfrazar, encubrir, dar otra apariencia à las cosas*; Germ. *sich stellen, thun, als wäre etwas nicht, was doch ist, verheimlichen, verbergen, verhehlen*; Angl. *to dissemble, cloak, disguise, conceal, counterfeit, feign that the thing is not, which is*). Occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 52. sc. Visane est ea esse? PA. Immo edepol plane ea est: sed quomodo dissimulabat! *Id. ibid.* 2. 2. 105. Et quidem ego ibo domum, atque hominem investigando summam operam, hinc dissimulavero. *Al. tamen aliter leg.* Adde *eumd. Merc.* 5. 4. 14. *Cic. Mur.* 19. 40. Quare delectant homines, mihi crede, ludi, etiam illos qui dissimulant, non solum eos qui fatentur. *Cæs.* 1. *B. C.* 19. Litteris perlectis Domitius dissimulans in consilio pronunciat, Pompejum celeriter subsidio venturum. *Virg.* 1. *Æn.* 516. Dissimulant; et nube cava speculantur amicti. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 65. male salsus Ridens dissimulare: meum jecur urere bilis. Adde *Sueton. Aug.* 66., *Vesp.* 12. et *Claud.* 46.; *Juvenal.* 9. 70. et 16. 9.; et *Quintil.* 10. 1. 21. et 6. 3. 86. *Grat. Cyneg.* 93. Arma dissimulantia, h. e. fallentia. — *b*) Cum Accusativo et Infinito. *Plaut. Most.* 5. 1. 23. Dissimulabo me horum quidquam scire. *Id. Epid.* 2. 2. 54. Dissimulabam me horum sermoni operam dare. *Cic.* 8. *Att.* 1. extr. Dissimulare non potero, mihi, quæ adhuc acta sunt, displicere. *Quintil.* 1. 2. 2. Non est dissimulandum, esse nonnullos, qui etc. Adde *eumd.* 10. 3. 11. et 9. 4. 80. *Val. Flacc.* 2. 372. Zephyrosque audire vocantes Dissimulant. Adde *Curt.* 6. 10. 20.; et *Sueton. Cæs.* 10. et 73., *Cal.* 2., *Claud.* 1. et *Ner.* 22. — *c*) Sequente Relativo. *Virg.* 4. *Æn.* 290. Arma parent; et quæ sit rebus causa novandis Dissimulent. *Ovid. Ib.* 52. Teque brevi, qui sis, dissimulare sinam. *Quintil.* 12. 9. 4. Nec judices, a quo sint moti, dissimulant. *Id.* 7. 1. 3. Quid ipse sim secutus, promam, nec unquam dissimulavi. Adde *eumd.* 6. *procem.* 7. — *d*) Sæpius cum Accusativo. — Jungitur cum v. *celare* apud *Ter. Andr.* 1. 1. 105. Bene dissimulatum amorem et celatum (*Pamphilus*) indicat. — Jungitur et cum v. *occultare* apud *Cic.* 1. *Off.* 30. 105. Si quis est paullo erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat et dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam. Sic *Cæs.* 2. *B. C.* 31. Quanto hæc dissimulare et occultare, quam per nos confirmari, præstat? — Item cum v. *obtegere* apud *Cic.* 1. *Att.* 18. Nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam. Sic *Sueton. Ner.* 29. Pierique dissimulare vitium et calliditate obtegere. — Item cum v. *tegere* apud *Cæs.* 1. *B. C.* 19. Res diutius tegi dissimularique non potuit. — Ceterum active. *Ter. Hecyr.* 4. 2. 2. et *Phorm.* 2. 3. 82. Dissimulare sedulo aliquid. *Fronto Princ. hist. p.* 319. Graviora perverse facta (*L. Verus*) severe animadvertit, leviora sciens dissimulavit: locum pœnitendi reliquit. *Cic.* 1. *Cat.* 12. 30. Nonnulli sunt, qui ea, quæ vident, dissimulant. *Id. Sext.* 15. 35. Silentio dissimulare aliquid. Adde *eumd.* 3. *Off.* 15. 61. *Auct. B. Alex.* 48. Dissimulare difficulter odia. *Horat.* 2. *Od.* 20. 17. et *Tac.* 11. *Ann.* 32. metum. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 23. febrem. *Ovid.* 6. *Met.* 653. gaudia. *Tac.* 13. *Ann.* 49. Curam dissimulaturus. *Curt.* 4. 16. 22. periculum. *Quintil.* 12. 9. 5. eloquentiam. *Sueton. Domit.* 12. originem. *Id. Claud.* 15. causam. *Id. Ner.* 37. mentionem. *Justin.* 21. 1. 4. animum. Adde *Sueton. Tib.* 42., *Ner.* 27. et 29.; et *Claud.* 15.; *Tac.* 13. *Ann.* 38., 1. *Hist.* 18. et alibi; *Quintil.* 6. 4. 17. et 1. 1. 60.; et *Ammian.* 14. 7. *Sil. It.* 4. 351. Dissimulare cursum. h. e. amnis, qui flumine admodum languido labitur. *Ovid.* 4. *Trist.* 9. extr. Dissimulare numen suum, h. e. retic ere, celare. *Id. Heroid.* 4. 56. Taurus dissimulans deum. h. e. divinitatem celans. Adde *eumd.* 5. *Fast.* 504. *Id.* 13. *Met.* 162. Præscia venturi genitrix Nereia leti Dissimulat cultu natum. h. e. Thetis, quum ex Proteo didicisset filium in Trojana expeditione interiturum, cultu illum muliebri dissimulatum Lycomedi regi educandum tradidit. *Id.* 2. *ibid.* 731. Nec se dissimulat. h. e. neque in alium vertitur, seu transformatur. *Id. ibid.* 373. canæque capillus Dissimulant plumæ. *Forcellinus* h. loco accepit pro assimilare, imitari: at hic quoque de metamorphosi agitur. — Passive. *Quintil.* 11. 3. 34. Consonantium quædam, insequente vocali, dissimulantur. *h. e.* neque plene, neque omnino efferuntur. *Ovid. Heroid.* 9. 84. Factaque narrabas dissimulanda tibi. *h. e.* quæ tacere debuisses. *Id.* 3. *Pont.* 9. 40. Verbaque profectu dissimulata carent. h. e. verba mea, quæ amici dissimulant, quum aut non accepisse litteras meas, aut verba mea non intellexisse ostendunt. *Id.* 4. *Fast.* 850. et 6. *ibid.* 90. Pietas dissimulata ira. *Id.* 2. *Trist.* 437. modo dissimulata Perillæ Nomine, nunc legitur dicta Metella suo. *h. e.* Perillæ nomine occultata. *Id. Ib.* 354. Locris in ancillæ dissimulata necem. h. e. tecta, abscondita. *Id. Heroid.* 5. 84. Non tamen ut Priamus Nymphæ socer esse recuset, Aut Hecubæ fuerim dissimulanda nurus. *h. e.* ut Hecuba dedignaretur me nurum suam agnoscere. — Dissimulatus consulatus alicujus apud *Tac.* 2. *Hist.* 71. est omissus, præteritus, tamquam si iste consul designatus non fuisset. Similiter *Veget.* 1. *Veterin. præfat.* 5. Ut plerumque aut parci homines, aut certe prudentes animalia sua casibus dedant, aut damnosam curationem dissimulent. *h. e.* negligant, seu potius intermittant. Et *Ammian.* 21. 3. Quod ne dissimulatum redivivas bellorum materias excitaret, etc. *h. e.* neglectum, præteritum. — *e*) Cum Ablativo et præpos. *de. Sall. Cat.* 47. Vulturcius primo fingere alia, dissimulare de conjuratione. *Paul. Dig.* 40. 13. 4. Dissimulare de conditione sua. — *f*) Cum part. *quasi. Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 2. Dissimulabo hos, quasi non videam. *Forcellinus* leg. Dissimulabo, hos quasi etc. — *g*) Cum addito Dativo personæ. *Tac.* 11. *Ann.* 30. is veniam in præteritum petens, quod ei Titios, Vettios, Plautius dissimulavisset, etc. — *h*) Part. *Dissimulatus* poetice occurrit etiam cum Accusativo, more deponentium. *Ovid.* 6. *Fast.* 507.; et *Stat.* 1. *Silv.* 2. 13. Dissimulata deam. *h. e.* celans divinitatem. *Ovid.* 1. *Art. am.* 690. *de Achille.* Veste virum longa dissimulatus erat. — Hinc a Part. præter. pass.

Dissimulatus, a, um factum est *ex dissimulato*, pro dissimulanter. *Seneca* 4. *Quæst. nat. præfat. ante med.* Non est occulte, nec ex dissimulato blandiendum.

Homonym. *Dissimulo* et *simulo* hoc differunt, quod illud de iis, quæ re ipsa sunt, usurpatur, ut dictum est; hoc de iis, quæ nulla sunt. *Ovid. Remed. am.* 497. Quod non es, simula. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. *circa med.* Multa me et simulasse invitum, et dissimulasse cum dolore.

DISSĬPĀBĬLIS *vel* dissupabilis, e, adject. qui dissipari et dispergi potest. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 31. Ignis et aer natura cedens est maxime et dissipabilis.

DISSĬPĀTĬO *vel* dissupatio, ōnis, f. 3. actus dissipandi. ¶ 1. Generatim est dispersio. *Cic.* 2. *de republ.* 4. Nec vero ulla res magis labefactatam diu et Carthaginem et Corinthum pervertit aliquando, quam hic error ac dissipatio civium, quod mercandi cupiditate et navigandi et agrorum et armorum cultum reliquerant. ¶ 2. Speciatim est disjectio, interitus, ad nihilum redactio. *Cic.* 1. *Nat. D.* 25. 71. Ne interitus et dissipatio consequatur. *Id.* 13. *Phil.* 5. 10. Dissipatio prædæ, h. e. quæ prædando fit. ¶ 3. Item speciatim apud Rhetores est figura eadem, quæ *disputatio*. Memoratur a *Cic.* 3. *Orat.* 51. 207. edente *Orell.* juxta meliores Codd.; necnon a *Quintil.* 9. 1. 35. Alii tamen utrobique legunt *disputatio.*

DISSĬPĀTOR *vel* dissupator, ōris, m. 3. qui dispergit et dissipat. *Prudent. præf. Psychom.* 31. Abram triumphi dissipator hostici.

DISSĬPĀTRIX *vel* dissupatrix, icis, f. 3. quæ dispergit ac dissipat. Translate *Augustin. Serm.* 30. Hæc est enim salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum.

DISSĬPĀTUS *vel* dissupatus, a, um. *V.* voc. seq.

DISSĬPO vel dissupo, as, āvi, ātum, are, a. 1. Per tmesin *disque supatis* dixit *Lucret.* 1. 650. Languidiur porro disjectis disque supatis. — Part. *Dissipans* 1. 1.; *Dissipatus* in omnibus paragr.; *Dissipandus* 1. 3. — Ratione habita etymi, est ab obsoleto *supo* vel *sipo*, quod, teste *Festo p.* 310. 23. *Müll.*, significat *jacĕre*; unde *dissipare* disjicere, *insipare* injicere, *obsipare* objicere. Cf. et *Paul. Diac. p.* 225. 11. *Müll.* et *Non. p.* 67. 28. *Merc.*: hinc Italorum *sciupare*. Itaque dissipare est in varias partes jacere, dispergere, diffundere (It. *sparpagliare, spargere qua e là, dissipare, disperdere*; Fr. *répandre çà et là, disperser, éparpiller, dissiper*; Hisp. *derramar acá allá, esparcir, disipar*; Germ. *auseinanderwerfen, streuen, ausbreiten, zerstreuen, vertheilen*; Angl. *to scatter here and there, disperse, dissipate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De rebus. *Lucret.* 6. 160. *de fulgure.* ceu lapidem si Percutiat lapis aut ferrum; nam tum quoque lumen Exsilit et claras scintillas dissupat ignis. *Et ibid.* 179. Ergo fervidus hic nubem quum perscidit atram, Dissupat ardoris quasi per vim expressa repente Semina. Cf. *eumd.* 2. 210. Sol etiam summo de vertice dissupat omnes Ardorem in partes. *Liv.* 30. 5. Ignis extemplo totis se dissipavit castris. *Horat. Epod.* 16. 13. Quæque carent ventis et solibus ossa Quirini, Nefas videre, dissipabit insolens. Adde *Sil. It.* 1. 401. Rursus *Horat. Epod.* 17. 47. Neque in sepulcris pauperum prudens anus Novendiales dissipare pulveres. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 22. Medeam prædicant fratris sui membra in iis locis dissipavisse. *Varro* 3. *R. R.* 11. 2. Si in eam (*fistulam*) mammillas imposueris tenues, quæ eructent aquam, ita ut in aliquem lapidem incidat ac late dissipetur. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 6. Vehes stercoris in jugerum disponere ac dissipare. *Id. ibid.* 16. 1. Cumulos stercoris dissipare. Adde *Pallad.* 10. *R. R.* 1. 2. *Cic.* 1. *Divinat.* 34. 76. Simia et sortes ipsas et cetera, quæ erant ad sortem parata, disturbavit et aliud alio dissipavit. *Seneca Troad.* 468. Cervice fusa dissipans latam comam. *Lucret.* 1. 351. Dissupat in corpus sese cibus omne animantum. *Ovid.* 2. *Met.* 800. piceumque per ossa Dissipat, et medio spargit pulmone venenum. — *b*) De hominibus. *Auct. B. G.* 8. 6. Quum Cæsar satis haberet convenientes manus dissipare, ne quod initium belli nasceretur. *h. e.* variis locis disponere. *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 62. Qui dissipatos homines congregavit et ad societatem vitæ convocavit. Cf. *eumd. Sext.* 69. 145. Eversa domus est, fortunæ vexatæ, dissipati liberi, raptata conjux. *Cæs.* 5. *B. G.* 58. Equites tela conjiciunt — et nostros ad pugnam evocant. Nullo a nostris dato responso, ubi visum est, sub vesperum, dispersi ac dissipati discedunt. *Id.* 1. *B. C.* 55. Qui (*equites*) inopinantes pabulatores et sine ullo dissipatos timore aggressi etc. Cf. *eumd.* 2. *B. G.* 24. Quum equites, funditores, Numidas diversos dissipatosque in omnes partes fugere vidissent. ¶ 2. Hinc speciatim in re militari *dissipare hostem* est disperdere, fugare. *Auct. B. G.* 8. 5. *extr.* Dispersi, magna parte amissa suorum, dissipantur in finitimas civitates. V. *Herzog* ad h. l. *Cic.* 2. *Fam.* 10. 3. Multi (*hostes*) occisi, capti: reliqui dissipati: castella munita improviso adventu capta et incensa. Cf. *Id. Dom.* 7. 15. Copiæ hostium depulsæ et dissipatæ. Adde *Flor.* 3. 5. 11. *Cæs.* 7. *B. G.* 31. Dissipare ac perterrere hostes. *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 14. et *Flor.* 4. 11. 6. Dissipare classem. *Liv.* 6. 12. *extr.* ordines pugnantium. Adde *Frontin.* 2. *Strateg.* 2. 11. *Liv.* 44. 41. phalangem. *Sil. It.* 9. 363. et *Frontin.* 2. *Strateg.* 1. 14. aciem. *Curt.* 3. 11. 12. ceteros. *Flor.* 1. 9. 1. præsidia. *Liv.* 8. 39. Hostes dissipati in fugam. *Curt.* 8. 14. 9. Tota acie dissipati. — Hinc poetice *Ovid.* 8. *Met.* 313. Ille ruit, spargitque canes, ut quisque ruenti Obstat, et obliquo latrantes dissipat ictu. *Id.* 2. *Fast.* 232. *de apro.* Fulmineo celeres dissipat ore canes. *Lucan.* 6. 177. male defensum fragili compage cerebrum Dissipat. *Val. Flacc.* 6. 378. Quum regina, gravem nodis auroque securim Congeminans, partem capitis galeæque ferinæ Dissipat. *Id.* 7. 626. Dissipare nexus ac vincula galeæ. *h. e.* raptim dissolvere, aut scindere. Huc referri potest et illud *Stat.* 12. *Theb.* 773. auras Dissipat hasta tremens. ¶ 3. Item speciatim a medicis adhibetur eo fere sensu, quo *discutio* et *digero*: ad rem *Cels.*, qui proprie utitur 7. 7. n. 14. Si subinde redit (*oculorum suffusio*), eadem acu magis concidenda et in plures partes dissipanda est: quæ singula etc. Hinc *Id.* 5. 28. *n.* 7. Dissipare humorem. *Scribon. Compos.* 263. futuram suppurationem. ¶ 4. Latiori, seu prægnanti, uti ajunt, significatione dissipare est aliquid in varias partes jaciendo destruere, consumere, ad nihilum redigere. — *a*) De ædificiis et similibus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 41. Hic noster ignis, quem usus vitæ requirit, confector est et consumptor omnium, idemque, quocumque invasit, cuncta disturbat ac dissipat. *Id. Pis.* 38. 93. Statuam deturbare, affligere, commovere, dissipare. *Vitruv.* 1. 5. *med.* Turres quadratas machinæ celerius dissipant. *h. e.* perfringunt evertuntque. *Cic.* 2. *Phil.* 3. 6. Dissipare reliquias reipublicæ. Cf. *Id.* 15. *Att.* 11. *ad fin.* Prorsus dissolutum offendi navigium, vel potius dissipatum. *Pallad.* 3. *R. R.* 17. 2. Inde quasi cuneum tenuem – inter corticem et lignum tribus prope digitis consideranter deponimus, ne corticis fascia dissipetur. Huc pertinet et illud *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 18. Qui discedere animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere. — *b*) De re familiari. *Cic.* 4. *Fam.* 7. 5. Habemus etiam rationem rei familiaris tuæ, quam dissipari nolumus. *Id.* 1. *leg. Agr.* 1. 2. Possessiones a majoribus relictas disperdere ac dissipare. *Crassus* apud *Cic.* 2. *Orat.* 55. 226. Nihil superest: libidines totum patrimonium dissipaverunt. *Tac.* 13. *Ann.* 31. Aurelio quoque Cottæ et Haterio Antonino annuam pecuniam statuit princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipassent. — *c*) Similiter de bonis, quæ venduntur. *Lucilius* apud *Non. p.* 287. 9. *Merc.* Dividant, differant, dissipent, distrahant.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. — *a*) Dissipare ponitur de fama et rumore pro divulgare, in vulgus spargere; et quidem — Cum Accusativo tantum. *Cic.* 11. *Phil.* 6. 15. Dissipare famam. *Sueton. Galb.* 19. de industria rumores. — Cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 3. *Verr.* 6. 17. Quum sermones hujuscemodi dissipassent, me etc. *Id. Flacc.* 6. 14. Sermo est tota Asia dissipatus, Pompejum contendisse. *Sueton. Vesp.* 6. Rumor dissipatur, Vitellium destinasse. Et absolute *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. *ad fin.* Te subrostrani dissiparant periisse. — *b*) Generatim pro spargere, diffundere. *Liv.* 28. 3. Dissipatum passim bellum. *h. e.* extensum ac diffusum. *Cic. Amic.* 7. 24. Amicitia omnia contrahit, discordia dissipat. *Id.* 1. *Orat.* 42. 187. Omnia, quæ sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt. *Quintil.* 9. 3. 29. Ut hæc (*schemata*) in unum congeruntur, ita contra illa dispersa sunt, quæ a Cicerone dissipata dici puto. Rursus *Cic. Orat.* 65. 220. Dissipata et inculta et fluens oratio. *h. e.* quæ caret numeris. *Id. ibid.* 70. 233. Aut si alicujus inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam, eamque, ordine verborum paullum commutato, in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffluens ac solutum. Similiter *Id. Brut.* 59. 216. Curio quum tardus in cogitando, tum in instruendo dissipatus fuit. *h. e.* inordinatus in rebus disponendis. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2., dissipare est disperdere, distrahere, fugare. *Liv.* 2. 59. Collectis ex dissipato cursu militibus. *Id.* 28. 20. Quam urbem Punici exercitus e dissipata passim fuga reliquiæ tutabantur. *Id.* 2. 28. Nunc in mille curias contionesque (quum alia in Exquiliis, alia in Aventino fiant concilia) dispersam et dissipatam esse rempublicam. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 56. Sævus ubi e puppi longo clamore magister Dissipat amplexus. *h. e.* dividit, distrahit. — *Horat.* 2. *Od.* 11. 17. dissipat Evius Curas edaces. *h. e.* solvit, removet, fugat. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a superiori paragrapho 4. dixit *Cic. post redit. in senat.* 9. 24. Ut cuncti ad me unum, hominem fractum et prope dissipatum, restituendum et defendendum venirent.

DISSIPTUM. *V.* **DISSÆPTUM.**

DISSĪTUS, a, um. *V.* **DISSERO** primo loco.

DISSĬTUS, a, um. particip. a *dis* et *situs*, hoc est remotus. *Apul. Florid. init.* Neque longule dissita, neque proxime adsita possumus cernere. Adde *Cod. Theod.* 5. 15. 4. — Est etiam diductus, divaricatus. *Apul.* 7. *Met.* Possim trucem amatorem istum atque insuavem dissitis femoribus emasculare. *h. e.* disjunctis. Alii male leg. *dissectis*: V. *Oudendorp.* ad *Apul.* 6. *Met.*, ubi hæc habentur: Separatimque distributis dissitisque generibus. *h. e.* a se remotis singulis granorum generibus. Alii leg. *distinctisque.*

DISSŎCIĀBĬLIS, e, adject. ¶ 1. Active est qui dividit. *Horat.* 1. *Od.* 3. 21. Deus abscidit Oceano dissociabili terras. *h. e.* Oceano dissociante, distinente, separante. *Bentlejo* hæc interpretatio videtur inficeta: itaque legit *dissociabiles*, h. e. terras dissociatas et dissitas. Profecto hic quoque passive accipi potest: V. *Klotz* in *Jahns Jahrbb. vol.* 60. *p.* 49. ¶ 2. Passive est qui sociari conjungique non potest. *Tac. Agric.* 3. Et quamquam primo statim beatissimi seculi ortu res olim dissociabiles miscuerit, principatum et libertatem.

DISSŎCĬĀLIS, e, adject. dissociabilis, qui sociari ac conjungi nequit. *Rutil.* 1. *Itiner.* 384. *de Judæis.* Humanis animal dissociale cibis. *h. e.* cibum capere cum gentibus fugiens.

DISSŎCĬĀTĬO, ōnis, f. 3. disjunctio. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 30. (62). Adiantum aquas respuit, perfusum mersumque sicco simile est: tanta dissociatio deprehenditur. *Id.* 7. *ibid.* 13. 11. (57). Est quædam privatim dissociatio corporum: et inter se steriles, ubi cum aliis junxere, gignunt, sicut Augustus et Livia. *Id.* 6. *ibid.* 1. 1. (2). Dissociatio terrarum. *h. e.* divisio et separatio in Bosphoris. *Tac.* 16. *Ann.* 31. Dissociatio spiritus et corporis.

DISSŎCĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISSŎCĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis *et* socio). Part. *Dissocians* II. 1.; *Dissociatus* I. et II. 1. — Dissociare est a societate disjungo, adeoque separo, sejungo, dissolvo (It. *scompagnare, separare, disgiungere*; Fr. *séparer, détacher, désunir, diviser*; Hisp. *separar, desatar, desunir, dividir*; Germ. *e. Verbindung lösen, daher trennen, sondern, auflösen*; Angl. *to dissolve or break fellowship with, disjoin, sever, separate, disunite*).

I.) Proprie de rebus corporeis. *Lucret.* 3. 810. quod queat arctas Dissociare intus partes. Adde *eumd.* 5. 355. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 5. Continui montes, ni dissocientur opaca Valle. *Ovid.* 1. *Met.* 25. elementa Dissociata locis concordi pace ligavit. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 32. Dissociata profundo Bruttia Sicanium circumspicit ora Pelorum. Cf. *Rutil.* 1. *Itiner.* 330. Longinquo dissociata mari. *Ammian.* 22. 16. Pentapolis a Libya dissociata. *Id.* 22. 8. A quibus per varia regna diducti itineribus multiciis Tauri dissociantur. *Sil. It.* 11. 20. spatium (*inter Italiam et Siciliam*) dissociat consortia terræ. Cf. *Ammian.* 19. 4. Hinc quum decennali bello Græcia desudaret, ne peregrinus pœnas dissociati regalis matrimonii lucraretur, etc.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur de animis, et est partium studio, inimicitia etc. eosdem sejungere. *Cic.* 3. *de republ.* 2. Hominesque, antea dissociatos, jucundissimo inter se sermonis vinculo colligavit. *Id. Amic.* 20. 74. Morum dissimilitudo dissociat amicitias. *Nepos Att.* 2. Dissociati civium animi. *Cic.* 3. *Orat.* 19. 32. Dissociati a Socrate, deserti a doctis. *Tac.* 1. *Ann.* 28. Tironem a veterano, legionem a legione dissociant. *Id.* 12. *ibid.* 55. Dissociare copias Barbarorum. *Frontin.* 1. *Strateg.* 10. 4. populum armis civilibus. *Martial.* 7. 21. Et Ledæ poteras dissociare genus. *Cassiod.* 1. *Variar.* 13. In nulla se nobis parte dissocians. ¶ 2. Speciatim pro deserere dixit *Tac.* 4. *Hist.* 37. Dissociare causam. *h. e.* suas partes deserere.

DISSŎLŪBĬLIS, e, adject. Comp. *Dissolubilior.* — Dissolubilis est qui facile dissolvi potest. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 29. Mortale igitur omne animal et dissolubile et dividuum sit, necesse est. *Id.* 1. *ibid.* 8. 20. Coagmentatio dissolubilis. *Terentian. p.* 2432. *Putsch.* Nam non ita, ut est longa dissolubilis, Breves vicissim contrahi in longam valent. — Comparativum habet *Augustin. de Genes.* 8.

DISSŎLŪTĒ, adverb. quod translate tantum occurrit. ¶ 1. *Dissolute dicere* est figura dissolutionis uti in dicendo. *Cic. Orat.* 39. 135. Quum demptis conjunctionibus dissolute plura dicuntur. ¶ 2. Ratione habita animi est remisse, negligenter, ignave. *Cic.* 14. *Att.* 13. *ad fin.* Dissolute et turpiter scribere de restitutione alicujus. *Brutus* apud *Cic.* 1. *Ep.* 4. Neque crudeliter quidquam eripui, neque dissolute quidquam remisi. *Cic.* 5. *Verr.* 39. 90. Dissolute decumas vendidisti. *h. e.* minimo pretio; Italice *a prezzo disfatto. Id.* 6. *Phil.* 1. 1. Minus severe rem conficere, non tamen dissolute. *Id. Cæcin.* 38. 103. Jus suum dissolute relinquere. *Id.* 7.

Verr. 8. 19. Clementer factum, ut dissolute factum criminari.

DISSŌLŪTĬO, õnis, f. 3. actus dissolvendi (It. *scioglimento, divisione, separazione*; Fr. *dissolution, séparation des parties*; Hisp. *disolucion, resolucion de un cuerpo en sus partes, separacion*; Germ. *d. Auflösung, Vernichtung, Zerstörung*; Angl. *a dissolving, loosing, dividing, separating*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Fin.* 31. 101. *et* 5. *ibid.* 11. 31. Mors est dissolutio naturæ. *Tac.* 14. *Ann.* 5. Dissolutio navigii. — Dissolutio stomachi est cum cibus non retinetur, aut non concoquitur. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 91. (248). Vomitiones, singultus, tormina, stomachi dissolutiones cohibere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est infirmatio, vel abrogatio. *Cic.* 6. *Verr.* 59. 133. Post judiciorum dissolutionem, *h. e.* postquam judicia severa Romæ fieri desierunt, ut *ibid.* paullo supra dicitur. *Id.* 1. *Phil.* 9. 21. Hæc utrum tandem lex est, an legum omnium dissolutio? *Tac.* 13. *Ann.* 50. Dissolutionem imperii docendo, si fructus, quibus respubl. sustineretur, deminuerentur. *h. e.* exitium. ¶ 2. Speciatim in re oratoria est figura, quæ conjunctionibus verborum e medio sublatis, partibus separatis effertur, hoc modo: Gere morem parenti, parce cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus. Hæc *Cic.* 4. *Herenn.* 30. 41. Græce est *asyndeton, dialyton* et *brachylogia*, quæ *V.* suo loco. *Cic. Partit. orat.* 6. 21. Constructio verborum tum conjunctionibus copuletur, tum dissolutionibus relaxetur. *Quintil.* 9. 3. 50. docet aptam esse hanc figuram, cum quid instantius dicimus. ¶ 3. Item speciatim est responsio ad crimina, vel argumenta. *Cic.* 1. *Invent.* 1. 3. Criminum dissolutionem ab oratore quærere. *Id.* 4. *Herenn.* 3. 4. Confutatio est contrariorum locorum dissolutio. ¶ 4. Denique speciatim de animo ponitur, et est remissio, mollities, negligentia, languor, infirmitas. *Cic.* 5. *Fam.* 2. *a med.* Si humanitas appellanda est, in acerbissima injuria remissio animi et dissolutio. *Seneca Ep.* 3. *ad fin.* Hæc non est quies, quæ motum omnem molestiam judicat, sed dissolutio et languor. *Id. Constant. Sap.* 4. Tanta est animorum dissolutio et vanitas, ut quidam nihil acerbius contumelia putent. *Trebell. Poll. XXX. Tyrann.* 23. Quum dissolutionem Gallieni pernoctantis in publico ferre non posset.

DISSŌLŪTĪVĒ, adverb. ex ratione dissolutiva. *Boeth. Aristot. Topic.* 8. 2. *p.* 721. Si corruptio est dissolutio substantiæ, et corrumpere est dissolvere substantiam, et corruptive est dissolutive.

DISSŌLŪTĪVUS, a, um, adject. qui solutionem infert. *Boeth. Aristot. Topic.* 4. 4. *p.* 689. Si corruptivum est dissolutivum, et corrumpi est dissolvi. Adde *eumd. ibid. p.* 721.

DISSŌLŪTOR, ōris, m. 3. qui dissolvit.

I.) Proprie. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 5. 17. 8. et *Imp. Constant. Cod. Theod.* 3. 16. 1. Si sepulcrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit.

II.) Improprie. *Alcim. Avit. fragm. p.* 196. Dissolutor ænigmatum, expositor figurarum.

DISSŌLŪTRIX, īcis, f. 3. quæ dissolvit, ut *Mors corporis dissolutrix*, apud *Tertull. anim.* 12.

DISSŌLŪTUS, a, um. *V.* seq.

DISSOLVO, solvis, solvi, sŏlūtum, solvere, a. 3. (*Dis et solvo*). A Poetis sæpe solvitur per diæresin. *Lucret.* 5. 361. discedere dissoluique. *Id.* 2. 945. Dissoluuntur enim etc. *Ovid.* 1. *Trist.* 8. 18. In cava ducuntur quassæ navalia puppes, Ne temere in mediis dissoluantur aquis. *Catull.* 66. 38. Pristina vota novo munere dissoluo. *Tibull.* 1. 8. 2. Stamina non ulli dissoluenda deo. *Id. ibid.* 11. 62. ornatus dissoluisse comæ. — *Disolutus* simplici *s* et prima correpta est apud *Paulin. carm.* 25. 272. — Part. *Dissolvens* I. 1. et II. 1.; *Dissolutus* in omnibus paragraphis et in fin.; *Dissolvendus* (præter locum *Tibull.* mox allatum) II. 1. — Dissolvere est in varias partes solvere, resolvere, disjungere quod ligatum aut conjunctum erat, adeoque destruere, ad nihilum redigere (It. *disciogliere, slegare, disunire, e anche distruggere, annientare*; Fr. *dissoudre, séparer, desunir, détruire, anéantir*; Hisp. *disolver, separar, desunir las cosas que estan unidas, destruir*; Germ. *aus-von-einanderlösen, auf-, zertrennen, auflösen, vernichten, zerstören, lostrennen*; Angl. *to dissolve, loose, untie, unloose, disjoin, disunite*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 20. Ubi dissolutus tu sies, ego pendeam. *præcedunt verba*: suspende, vinci me. *Lucret.* 6. 355. Dissolvere nodos omnes. *Id.* 1. 244. rerum contextum. *Id.* 6. 963. Sol dissolvit glaciem. *Id. ibid.* 351. Fulmen dissolvit æs. *Id. ibid.* 512. rarescunt quoque nubila ventis, Aut dissolvuntur solis super icta calore. Adde *eumd. ibid.* 215. *Id.* 5. 364. Valida plaga aliquid dissolvere. *Id.* 2. 951. Discutere ac dissolvere aliquid. *Id.* 6. 445. Hic (*prester*) ubi se in terras demisit dissoluitque. *Id.* 3. 601. Dissolvere animam. *h. e.* mori. Cf. *eumd. ibid.* 706. Sic *Cic.* 1. *Tusc.* 11. 24. Nam si cor, aut sanguis, aut cerebrum est animus; certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore: si anima est, fortasse dissipabitur: si est Aristoxeni harmonia, dissolvetur. *Id. Senect.* 20. 72. Opus ipsa suum eadem, quæ coagmentavit, natura dissolvit. *Id. Orat.* 71. 235. Facilius est apta dissolvere, quam dissipata connectere. *Id. ibid.* § 235. Dissolvere scopas. *Id.* 15. *Att.* 11. Dissolutum navigium. *Phædr.* 4. 21. Tempestas et vetustas dissolvit navem. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 40. (65). Dissoluta sparta navium. *Vitruv.* 2. 8. Coagmentorum dissolutæ juncturæ. *Tibull.* 1. 11. 62. Dissolvere comas. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (79). Capillus cinctusque dissolutus. *Varro* 6. *L. L.* 79. *Müll.* Ab luce dissolvuntur tenebræ. *Val. Flacc.* 1. 123. pinus gracili dissolvere lamna. *h. e.* in tabulas secare. *Sueton. Cal.* 57. Dissolvere simulacrum Jovis. *h. e.* a basi divellere. *Lucan.* 9. 723. Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps. *Petron. Satyr.* 24. Dissolvere risu ilia. Similiter *dissolutus stomachus* est qui cibos non retinet, vel non concoquit, apud *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 96. (265). Semen stomachum dissolutum adstringit. *Id.* 14. *ibid.* 20. 25. (123). Resina omnis dissolvitur oleo. *Id.* 28. *ibid.* 11. 47. (168). Collyria aqua dissoluta inungere. *h. e.* macerata, diluta. Sic *Id. ibid.* 12. 52. (192). Fel tauri aridum aqua calida dissolutum. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 55. Dissolvere versum. *Sueton. Aug.* 32. collegia. Adde *Tac.* 14. *Ann.* 7. *Sueton. Galb.* 12. cohortem. ¶ 2. Speciatim pertinet ad æs alienum, et est crediturì satisfacere. *Cic. Sull.* 20. 56. Dissolvere æs alienum. Sic *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (45). Dissolutum æs alienum. *Ter. Phorm.* 4. 3. 50. afferret (*dotem*), qui dissolverem, quæ debeo. *Cic. Rosc. com.* 13. 38. Quid vero Flavius tibi daturus est, qui Roscio omne, quod debuit, dissolvit? *Id.* 5. *Verr.* 75. 174. An pecuniam publicam tenueris omnem, neque quidquam ulli dissolveris civitati. *Cæs.* 1. *B. C.* 87. Militibus pecuniam pro iis rebus dissolvit. *Cic. Planc.* 28. 68. Hoc nomen, quod urget, nunc quum petitur, dissolvere. Sic *Id.* 7. *Verr.* 13. 33. Damna dissoluta et compensata. *Id.* 1. *Tusc.* 42. 100. Dissolvere pœnam. *h. e.* pœnæ debitum. Similiter *Catull.* 66. 38. vota. — Et media significatione *Cic.* 2. *Cat.* 8. 18. Unum genus est eorum, qui, magno in ære alieno, majores etiam possessiones habent, quarum amore adducti dissolvi nullo modo possunt. *h. e.* se dissolvere, seu liberare ære alieno. ¶ 3. Item speciatim apud Medicos eum habet usum, quem *discutio, digero, dissipo*. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 14. (23). Ammoniaci natura mollit, calefacit, discutit, dissolvit. *Id.* 20. *ibid.* 12. 48. (122). Dissolvere inflationes ructu. *Id.* 24. *ibid.* 9. 38. (60). lassitudines. *et ibid.* (62). dolorem capitis. *Id.* 27. *ibid.* 8. 43. (67). stranguriam. *Id.* 32. *ibid.* 9. 31. (99). tenesmum. *Id.* 28. *ibid.* 8. 29. (117). Jucinore chamæleonis amatoria dissolvi.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est disturbare, ad nihilum redigere. *Lucret.* 1. 558. Quapropter longa diei Infinita ætas anteacti temporis omnis Quod fregisset adhuc disturbans dissoluensque, Id numquam reliquo reparari tempore posset. *Cic.* 1. *Orat.* 42. 188. Adhibita est ars, quæ rem dissolutam divulsamque conglutinaret, et quadam ratione constringeret. Cf. *eumd. Orat.* 70. 232. Compositi oratoris bene structam collocationem dissolvere permutatione verborum. *Id. Rosc. Am.* 39. 112. Dissolvere amicitiam. *Id. Rosc. Com.* 13. 38. et *Nepos Reg.* 3. societatem. *Cic.* 3. *Off.* 6. 26. humanam consortionem. *Liv.* 5. 6. rempublicam. *Justin.* 34. 1. 5. corpus Achæorum. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. 34. judicia publica. *Id.* 2. *Legg.* 12. 29. Quod, institutum perite a Numa, posteriorum pontificum negligentia dissolutum est. *Id. Cæcin.* 4. 11. Dissolvere argentariam. *Id. Mur.* 31. 65. severitatem. *Auct. B. Alex.* 65. disciplinam severitatemque. *Nepos Lysand.* 3. regiam potestatem. *Cic.* 1. *Phil.* 8. 19. leges. λύειν τοὺς νόμους. Sic *Justin.* 3. 3. 12. Ne solutos se Spartani religione jurisjurandi in dissolvendis legibus arbitrarentur. *Cod.* 5. 17. 8. Dissolvere matrimonia. *Liv.* 40. 29. religiones. *h. e.* infirmare, aut tollere. *Tac.* 3. *Ann.* 24. *in fin.* Nec reditu Silani dissoluta quæ Augustus voluisset. — Sic de inanimis et abstractis. *Cic.* 3. *Off.* 32. 113. Fraus adstringit, non dissolvit perjurium. *Sall. Cat.* 51. Mors cuncta mortalium mala dissolvit. *h. e.* aufert, vel finit. *Id. Jug.* 12. Senectus plerosque dissolvit. *h. e.* plerique provecta jam ætate intereunt. — *Forcellinus* affert etiam *fragm. Cic.* apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Ecl.* 7. Ex alto in campos dissolvi. *h. e.* demitti in planitiem. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores dissolvere est argumento respondere ejusque vim infirmare. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 24. Dissolvere interrogationes. *Id.* 2. *Orat.* 38. 158. Dialectici reperiunt ea, quæ jam non possunt ipsi dissolvere. *Id. Rosc. Am.* 29. 82. Erucii criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est. *Id.* 2. *Divinat.* 4. 11. Mentientem, quem ψευδόμενον vocant, dissolvere. Adde *eumd.* 3. *Tusc.* 30. 73. *Quintil.* 5. 13. 28. Per partes dissolvitur, quod contextu nocet. *Id.* 4. *proœm.* 6. Seu proposita confirmamus, seu contra dicta dissolvimus. Adde *eumd.* 5. 13. 2. et 9. 4. 15. Similiter *Id.* 6. 3. 10. Ex urbanitate tota est invidia criminis dissoluta. *Tac.* 13. *Ann.* 21. Sic lenito principis metu et luce orta itur ad Agrippinam, ut nosceret objecta dissolveretque, vel pœnas lueret. ¶ 3. Item speciatim occurrit de homine, et est expedire, liberum reddere. *Plaut. Merc.* 1. 2. 51. Obsecro, dissolve jam me: nimis diu animi pendeo. *Ter. Heaut.* 3. 1. 102. Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem. — Hinc Part. præter. pass.

Dissolutus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Dissolutior* et Sup. *Dissolutissimus* sub 2. Quoniam vero plurima et proprie et translate superius retulimus, duo tantum translata huc afferenda supersunt. ¶ 1. In re oratoria. *Cic. Orat.* 57. 195. Neque numerosa, ut poema, neque extra numerum, ut sermo vulgi, esse debet oratio. Alterum nimis est vinctum, ut de industria factum appareat; alterum nimis dissolutum, ut pervagatum ac vulgare videatur. *Quintil.* 8. 6. 62. Dissoluta et hians oratio. *h. e.* quæ non est vincta numeris oratoriis. Adde *eumd.* 2. 11. 7. et 11. 2. 39. — Hinc *dissolutum*, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est figura rhetorica, quæ Græce ἀσύνδετον, Latine etiam *dissolutio* dicitur (*V.* DISSOLUTIO II. 2.), apud *Cic.* 3. *Orat.* 54. 207. et *Quintil.* 9. 1. 31. Idem *Quintil.* 9. 3. 53. *dissoluta* vocat, quæ per figuram dissolutionem dicuntur. ¶ 2. Morali significatione *dissolutus* — *a*) Sæpe est incuriosus, negligens, non attentus. *Cic.* 1. *Off.* 28. 99. Negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam dissoluti. *Id.* 1. *Cat.* 2. 4. Cupio in tantis reipublicæ periculis me non dissolutum videri. *Id.* 5. *Verr.* 56. 129. Verres omnium hominum dissolutissimus. *Id. Quinct.* 11. 38. Quis tam dissolutus in re familiari, quis tam negligens, qui etc. *Nepos Alcib.* 1. Luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans. Adde *Ammian.* 23. 6. Rursus *Cic. Rosc. Am.* 11. 32. Quis tam dissoluto animo est, qui hæc quum videat, tacere ac negligere possit? *Id.* 1. *ad Brut.* 3. Liberalitas dissolutior. *h. e.* quæ largitur sine discrimine et cura. *Plin. Paneg.* 80. Non dissoluta clementia. *Seneca* 5. *Controv. præfat.* Exstant libelli, qui cum fama ejus pugnant, multoque dissolutiores ipsis actionibus. *h. e.* majori negligentia conscripti ac minori studio. — *b*) Item remissus, languidus, non severus. *Cic.* 7. *Verr.* 40. 104. Potero ne in eos esse vehemens, qui etc., in eum dissolutus, qui etc. *Id. ibid.* 3. 7. Maluit crudelis in animadvertendo, quam in prætermittendo dissolutus videri. *Id.* 5. *ibid.* 57. 131. Ecquod judicium Romæ tam dissolutum, tam perditum, tam nummarium fore putasti? *Id.* 1. *Att.* 19. *a med.* Nihil a me asperum in quemquam fit; nec tamen quidquam populare ac dissolutum. *Quintil.* 2. 2. 5. Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas. *Id.* 1. 8. 2. Sit lectio non quidem prosæ similis, non tamen in canticum dissoluta. — *c*) Item corruptus, depravatus, a legibus solutus et recta vivendi disciplina. *Cic.* 4. *Tusc.* 25. 55. Adolescens perditus ac dissolutus. *Id.* 2. *leg. Agr.* 29. 55. O perturbatam rationem! o li-

bidinem refrenandam! o consilia dissoluta atque perdita. *Id. Flacc.* 9. 20. Dissoluta Græcorum consuetudo impudensque licentia. *Phædr.* 1. 2. Dissolutos mores vi compescere. *Tac.* 15. *Ann.* 49. Dissoluta luxu mens, et proinde vita somno languida. *Trebell. Poll. Gallien.* 5. Dissolutus contemnitur imperator.

DISSŎNANTĬA, æ, f. 1. sonorum diversitas.

I.) Proprie. *Boeth. Music.* 1. 28. p. 1392. Quum (*duo nervi*) simul pulsi — non permiscent ad aurem suavem atque unum ex duobus compositum sonum, tunc est quæ dicitur dissonantia. Adde *eumd. ibid.* p. 1470.

II.) Translate ponitur pro discrepantia apud *Claud. Mamert.* 2. *de statu anim.* 21. *a med.*; et *Hieronym. de Script. Eccles. de S. Petro.*

DISSŎNO, as, ŭi, ĭtum, are, n. 1. (dis *et* sono). Part. *Dissonans* sub I. et II. — Dissono est sonum reddo ab alio sono diversum.

I.) Proprie. *Vitruv.* 5. 8. *a med.* Dissonantes loci sunt, in quibus vox prima, cum est elata in altitudinem, offensa superioribus solidis corporibus, repulsaque resiliens in imum, opprimit insequentis vocis elationem. *Boeth. Music.* 4. 18. p. 1470. Quid consonet, vel quid dissonet utraque (*chorda*), cognosco.

II.) Translate est discrepare, discordare. — *a*) Absolute. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 3. An universa hujus temporis culturæ respondeant, an aliqua dissonent. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *ab. Quintil.* 8. 6. 36. A quibus hæc dissonantia sunt. *Al. aliter. leg. Ammian.* 22. 15. A veritate dissonare. — *c*) Cum Dativo. *Ammian.* 26. 1. Plurima præceptis historiæ dissonantia.

DISSŎNŌRUS, a, um, adject. idem ac dissonus. *Terentian. de litter.* p. 2387. *Putsch.* Compressio porro est in utraque dissonora.

DISSŎNUS, a, um, adject. (cui opponitur *consonus*), et est dissimiliter sonans, discrepans (It. *dissonante*; Fr. *dissonant*; Hisp. *disonante*; Germ. *misstönend, dysharmonisch*; Angl. *dissonant*).

I.) Proprie ac stricto sensu dicitur de sono. *Liv.* 4. 28. Circumagenti se ad dissonos clamores ac subitos tumultus. Sic *Plin.* 3. *Ep.* 20. Non tempus loquendi, non tacendi modestia —: magni undique dissonique clamores. Rursus *Liv.* 30. 34. Dissonæ voces. *Colum.* 12. *R. R.* 2. 4. Dissonum quiddam ac tumultuosum audientibus canere videtur. *Capell.* 2. p. 46. Dissonæ cantilenæ. — *Vapor dissonus* apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 43. (112). est, qui in nube accensus inconditum sonum edit, qualis est ferri candentis in aquam demersi. — *Auson. Epist.* 11. Dissonum carmen. *V.* COLONOMON. — Figurate *Val. Flacc.* 3. 350. juga dissona pervigili planctu.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro diverso, differente; et quidem — *a*) Absolute. *Plin. Paneg.* 56. Diversi habitus ac dissonæ voces. *Lucan.* 3. 289. Dissona ora vulgi. *Quintil.* 9. 3. 72. Dissona venustas, cui *opponitur* quæ jucunde consonat. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 10. 15. (73). Solis cursus dissonus. *h. e.* varius, inconstans. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 114. Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit Carmina, sive minax ultorem stringit iambum. *h. e.* carmen elegiacum, in quo alterni versiculi ab alternis discrepant. *Capell.* 1. p. 1. et 1. p. 23. Dissona elementa. *Stat.* 1. *Achill.* 457. Sparsa et dissona moles. *h. e.* Græci universi variis loquendi dialectis, item moribus et institutis et locis differentes. Eodem sensu *Ammian.* 23. 6. et *Capell.* 2. p. 45. Dissonæ nationes. Et *Val. Flacc.* 5. 609. Regna dissona. — *b*) Cum addita, per Ablativum sine præpos., re, in quâ plura inter se differunt. *Liv.* 1. 18. Gentes sermone et moribus dissonæ. *Sil. It.* 16. 19. tot dissona linguâ Agmina. *Id.* 3. 221. dissona linguis Castra. *Claudian. Laud. Stilich.* 1. 152. nec tantis dissona linguis Turba. Adde *Solin.* 31. *Prudent.* 2. *in Symmach.* 586. dissona cultu regna. — *c*) Cum addita, per Ablativum et præpos. *ab*, re, a qua alia differt. *Liv.* 8. 8. Adeo nihil apud Latinos dissonum ab Romana re, præter animos, erat. Cf. ABSONUS. ¶ 2. Quum refertur ad animum, dissonus ponitur pro inimico. *Sil. It.* 11. 45. collidens dissona corda Seditio.

DISSORS, sortis, adject. (cui opponitur *consors*) qui sortis non est particeps, exsors, qui dissimilis sortis est, diversus, differens. *Ovid.* 2. *Amor.* 12. 11. At mea seposita est, et ab omni milite dissors Gloria: nec titulum muneris alter habet. *h. e.* miles nullam habet partem gloriæ meæ. *Bentley.* addit locum ex *Horat.* 3. *Od.* 29. 28., et *Heins.* in *eleg.* 3. *Sabin.* 35. alia congerit; sed ubique alii *discors* substituunt. Rursus *Ovid.* 8. *Met.* 132. Quæ torvum ligno decepit adultera taurum, Dissortemque utero fetum tulit. *h. e.* dissimilis sortis, diversum, semibovem et semivirum. V. *Bach.* ad h. l. *Seneca Med.* 773. Typhœus membra quæ dissors tulit. *h. e.* humano trunco pedes anguineos habens.

DISSORTIONES. *V.* DISERTIONES.

DISSUĀDĔO, des, si, sum, dere, a. 2. (dis *et* suadeo). Part. *Dissuadens* 1. et 2.; *Dissuasurus* et *Dissuadendus* 2. — Dissuadere est dehortari (It. *dissuadere*; Fr. *dissuader, détourner de, déconseiller*; Hisp. *disuadir, desaconsejar*; Germ. *etwas widerrathen*; Angl. *to dissuade, advise to the contrary*). Occurrit ¶ 1. Generatim; et quidem — *a*) Cum Accusativo, aut absolute. *Plaut. Trin.* 3. 2. 44. Minus placet, magis quod suadetur; quod dissuadetur, placet. Adde *eumd. Asin.* 5. 2. 81. *Ovid.* 1. *Met.* 618. pudor est, qui suadeat illinc; Hinc dissuadet amor. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 53. *Sueton. Aug.* 8. Hereditatem adiit, dubitante matre, vitrico vero Marcio Philippo consulari multum dissuadente. Adde *eumd. Domit.* 2. *Gell.* 1. 6. Dissuadere et absterrere. — *b*) Cum Infinito. *Quintil.* 4. 2. 121. Ne sententia quidem stomachum judicis reficere dissuaserim. *Id.* 2. 8. 7. Certum studiorum facere delectum nemo dissuaserit. *Seneca Herc. Œt.* 929. Quicumque miseræ dissuadet mori, crudelis est. ¶ 2. Speciatim locum habuit in rebus publicis consultandis, et *dissuadere* dicebatur is, qui verbis aliave ratione studebat, ne rogata lex ferretur ac sancta fieret, vel ne consilium aliquod perficeretur. — *a*) Cum Accusativo, aut absolute. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 27. 101. Dissuadere legem. Adde *Liv.* 10. 7. Sic *Vellej.* 2. 31. Quum dissuadens legem in contione dixisset. *Liv.* 30. 37. Quum Gisgo ad dissuadendam pacem processisset. *Cic. Amic.* 25. 96. Quibus blanditiis C. Papirius influebat in aures contionis, quum ferret legem de tribunis plebis reficiendis! Dissuasimus nos. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 15.; et *Quintil.* 3. 4. 15., 2. 1. 33. et 3. 8. 6. — *b*) Sequente partic. *ne*. *C. Gracchus* apud *Gell.* 11. 10. Qui prodeunt dissuasuri, ne hanc legem accipiatis. *Gell.* 7. 2. Is me dehortatur dissuadetque, ne bellum faciam. — *c*) Cum Infinito. *Cic.* 3. *Off.* 27. 101. Qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit. *Sueton. Tib.* 2. Appius Cæcus societatem cum rege Pyrrho, ut parum salubrem, iniri dissuasit. — *d*) Cum Ablativo et præpos. de. *Cic.* 3. *Off.* 30. 110. Quum de captivis dissuasurus esset.

DISSUĀSĬO, ōnis, f. 3. dissuadendi actus. — *a*) In singulari numero. *Cic. Cluent.* 51. 140. In dissuasione rogationis ejus, quæ contra coloniam Narbonensem ferebatur. — *b*) In plurali numero. *Seneca Ep.* 94. *a med.* Dissuasiones et adhortationes.

DISSUĀSOR, ōris, m. 3. qui dissuadet. *Cic.* 1. *Brut.* 15. Cum Etesiarum diebus Auster me in Italiam, quasi dissuasor mei consilii, retulisset. *Id.* 2. *Orat.* 65. 261. Dissuasor legis. Adde *Liv.* 2. 41. *Lucan.* 4. 248. jussi gladius dissuasor. Adde *Capell.* 5. p. 152. *Ammian.* 17. 10. 2. Dissuasor pugnandi.

DISSUĀVĬOR *vel* dissavior, āris, ari, dep. (dis *et* suavior) cum lætitia et voluptate exosculor. *Q. Cic.* ad *Tiron.* inter *Cic.* 16. *Fam.* 27. Tuos oculos dissuaviabor. Adde *Fronton.* 3. ad *M. Cæs. Ep.* 3. *V.* DISAMO.

DISSUESCO, is, ere, n. 3. (dis *et* suesco) desuesco. *Alcim. Avit.* 4. 46. Disciplinatos dissuescit promere fructus. *At, ratione habita vis, quæ inest in particula dis, hæc lectio falsa videtur, et pro dissuescit legendum desuescit.*

DISSULCO, as, are, a. 1. (dis *et* sulco) idem ac desulco, seu potius sulcando in diversas partes removeo. Occurrit tantum Part. *Dissulcans* apud *Fortunat. Vit. S. Martini* 4. 212. Cælitus est oculis descendere visa columna, Molliter aerio dissulcans nubila lapsu. *Alii leg.* disulcans. *V.* DESULCO. et voc. seq.

DISSULCUS porcus dicitur, cum in cervice setas dividit. *Paul. Diac.* p. 72. 14. *Müll.*

DISSULTO, as, are, a. 1. *intens. a* dissilio. Part. *Dissultans* I. — Dissulto est diverse vel frequenter, vel potius vehementer salio.

I.) Proprie. *Virg.* 12. *Æn.* 923. nec fulmine tanti Dissultant crepitus. *Id.* 8. *ibid.* 240. Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis. *Capell.* 2. p. 34. Sed ecce magno tympani crepitu crotalorumque tinnitu universa dissultant. *Sil. It.* 7. 113. Sicut aquæ splendor, radiatus lampade solis, Dissultat per tecta. *Id.* 9. 607. subitoque per alta Colluet juga dissultans Vulcanius ardor.

II.) Translate. *Capell.* 1. p. 2. Idque debitum mundo loquax triviatim dissultaret humanitas. *h. e.* divulgaret. Ne quis tamen putet *dissultare* hoc loco esse verbum activum: est intransitivum, ut recte *Kopp.* adnotavit; unde post verba *debitum mundo* supple *esse*.

DISSŬO, ŭis, ūtum, ŭere, a. 3. (dis *et* suo). Part. *Dissutus* I.; *Dissuendus* II. — Dissuo est, quod consutum est, discindo, suturas dissolvo.

I.) Proprie, quamvis lato sensu. *Ovid.* 1. *Fast.* 408. Altera dissuta pectus aperta sinu. *Pers.* 3. 58. laxumque caput, compage soluta, Oscitat hesternum, dissutis undique malis.

II.) Translate est paullatim dirimere. *Cic. Amic.* 21. 76. Tales igitur amicitiæ sunt remissione usus eluendæ et, ut Catonem dicere audivi, dissuendæ magis, quam discindendæ. *Id.* 1. *Off.* 33. 120. Magis decere censent sapientes, amicitias sensim dissuere, quam repente præscindere.

DISSŬPĀBĬLIS, DISSŬPĀTĬO, DISSŬPĀTOR, DISSŬPĀTUS, DISSŬPO. *V.* DISSIPABILIS, DISSIPATIO, DISSIPATOR, DISSIPATUS, DISSIPO.

DISSŪTUS, a, um. *V.* DISSUO.

DISSYLLĂBUS. *V.* DISYLLABUS.

DISTĀBĔO, bes, *vel rectius*

DISTĀBESCO, bescis, bŭi, bescere, n. 3. *inchoat.* valde tabesco.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 24. Sinito cum musto sal distabescat. *Festus* p. 157. 14. *Müll.* Jecur cum distabuit in coquendo. *Veget.* 1. *Veterin.* 11. 13. Ut suspirium distabescat in aqua.

II.) Translate. *Augustin.* 3. *Confess.* 3. In quantas iniquitates distabui.

DISTÆDET, dēbat, dere, impers. 2. valde tædet. *Plaut. Amph.* 1. 3. 5. Haud quod tui me, neque domi distædeat. *Ter. Phorm.* 5. 8. 22. Mecum hoc ipso distædet loqui. — De Præterito hæc *Paul. Diac.* p. 72. 13. *Müll.* Distisum et Pertisum dicebant, quod nunc distæsum et pertæsum. Cf. *Festus* p. 217. 5. *Müll. Massur. Sabin.* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 6. Postquam artis distisus sue est.

DISTÆSUS. *V.* voc. præced. in fin.

DISTANS, antis. *V.* DISTO.

DISTANTĬA, æ, f. 1. intervallum.

I.) Proprie. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 15. 12. (61). Longissimi distantiæ fines.

II.) Translate est differentia, diversitas. — *a*) In singulari numero. *Lucret.* 2. 373. Quin intercurrat quædam distantia formis. *Cic. Amic.* 20. 74. Tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum studiorumque distantia. *Quintil.* 7. 10. 10. Distantia caloris. *Id.* 5. 10. 26. condicionis. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 4. Generum varietates exsequi supervacuum puto, quum in ponendis vel excolendis nulla sit distantia. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 10. 27. et 11. *ibid.* 14. 1. *Ammian.* 29. 2. Sine fortunarum distantia. *Id.* 31. 6. Ætatis, vel sexus distantia. — *b*) In plurali numero. *Gell.* 2. 26. Distantiæ coloris.

DISTANTĪVUS, a, um, adject. ad distantiam pertinens. *Tertull. Anim.* 9. illud trifariam distantivum, longitudinem dico et latitudinem et sublimitatem.

DISTECTUS, a, um, particip. ab inusit. *distego*, idem quod detectus. *Alcim. Avit.* 4. 408. Distectum petiit misero spectamine patrem. *h. e.* Noe.

DISTEGUS, a, um, adject. διστεγος, qui duas contignationes habet: a δὶς *bis* et στέγη *tectum*. *Inscript.* apud *Gruter.* 383. 4. ARMARIVM DISTEGVM. *V.* ARMARIUM. — Hinc

Distegum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est monumentum distegum. *Inscript.* apud *Don. cl.* 2. n. 188. TI. SABVLEIVS CYRILLVS ET SABVLEIA LIBVRNA DISTEGVM FECERVNT OLLARVM XII. Adde *aliam* apud *Gruter.* 827. 6., *aliam* apud *Spon. Miscell.* p. 292. n. 1.: et *V.* DISTICHUS.

DISTEMPĔRO, as, are, a. 1. (dis *et* tempero) dissolvendo tempero. *Plin. Valerian.* 1. 5. Nuces distemperas cum aceto.

DISTENDO, tendis, tendi, tentum *vel* tensum, tendere, a. 3. (dis et tendo). Est et alia forma *distenno*, quam *V.* loco suo et infra sub I. 1. — Part. *Distensus* leg. nonnulli apud *Auct. B. Alex.* 45.

Quum propius Tauridem accessisset, distensis suis navibus, navem instructam propugnatoribus animadvertit. *At recentiores ex bonis Codd.* leg. distentis. *Certior est lectio* apud *Coripp.* 7. *Johann.* 324. Duv ubi distensis habuit tentoria velis. — Part. *Distendens* I. 2.; *Distentus* I. 1. et in fin. — Distendere est in diversas partes tendere, extendere (It. *stendere, distendere*; Fr. *étendre, tendre, déployer*; Hisp. *extender, estirar*; Germ. *auseinanderdehnen, ausdehnen, ausspannen*; Angl. *to stretch or reach out, extend*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Mil. glor. a.* 5. *v.* 14. Distennite hominem diversum et dispennite. *Alii pro* distennite *leg.* distendite. *V.* voc. seq. *Liv.* 1. 28. Exinde, duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Mettum. *Ovid.* 4. *Met.* 491. Distendere brachia. *Id. ibid.* 457. Tityos novem jugeribus distentus. *Gell.* 15. 15. Diductis atque distentis manibus. *Quintil.* 11. 3. 114. In latus utramque (*manum*) distendimus. *Id.* 1. 11. 9. Ne immodicus hiatus rictum distendat. *Al. leg.* discindat. *Cæs.* 3. *B. C.* 99. Distendere aciem. *Liv.* 3. 23. hostium copias. *Forcellinus* hunc locum translate accepit pro distinere. *Id.* 34. 29. hostes. *Colum.* 6. *R. R.* 19. 3. Ceterum corpus laqueatum et distentum temonibus obligatur. *Ovid.* 2. *Art. am.* 209. distenta suis umbracula virgis. *Lucan.* 4. 140. Distendere pontem in agros. ¶ 2. Latiori sensu est implere: tractum ab utre, qui quum plenus est, ex omni parte tenditur; vacuus vero laxatur et contrahitur. Dicitur præcipue de cibo. *Plaut. Cas.* 4. 1. 19. Senem cupiunt extrudere inceenem ex ædibus, ut ipsæ solæ ventres distendant suos. *Virg.* 4. *Ecl.* 21. lacte domum referent distenta capellæ Ubera. *Id.* 3. *G.* 124. omnes Impendunt curas denso distendere pingui Quem legere ducem et pecori dixere maritum. *h. e.* pinguem reddere. Cf. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 24. (75). Rana viridis, si forte hauriatur, ventres boum distendens. *V.* etiam *Distentus* infra. — Similiter *Juvenal.* 6. 597. nam si distendere vellet Et vexare uterum pueris salientibus etc. *h. e.* si ferre uterum vellet ac parere. — Et poetice. *Tibull.* 2. 5. 83. gaudete coloni: Distendet spicis horrea plena Ceres. *Virg.* 1. *Æn.* 437. dulci distendunt nectare cellas. *Colum.* 10. *R. R.* 306. Jam rosa distendat contorti stamina junci. *Juvenal.* 5. 80. Aspice quam longo distendat pectore lancem Quæ fertur domino squilla. ¶ 3. Item latiori sensu est torquere seu torquendo distendere. *Sueton. Tib.* 62. Ut larga potione oneratus, repente veretris deligatis, fidicularum simul urinæque tormento distenderet.

II.) Translate est distinere, distrahere, impeditum tenere, quum duo simul res diversis partibus curam injiciunt. *Liv.* 9. 12. *ad fin.* Distendit ea res Samnitium animos; quod nec ad Luceriam ire, ne ab tergo instaret hostis, nec manere, ne Luceria interim amitteretur, satis audebant. *Est qui malit* distinuit. *Id.* 27. 40. Consules diversis itineribus profecti, veluti in duo pariter bella, distenderant curas hominum. *Colum.* 12. *R. R.* 46. 1. Sequuntur vindemiam rerum auctumnalium compositiones, quæ et ipsæ curam villicæ distendunt. *Albinov.* 1. 5. Nec tua te pictas distendit amore duorum. *h. e.* dividit amorem tuum in duos. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Distentus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Distentior*; et est plenus: *V.* DISTENDO sub I. 2. *Virg.* 7. *Ecl.* 3. distentæ lacte capellæ. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 110. Capella gerit distentius uber. *Id. Epod.* 2. 45. Claudensque textis cratibus lætum pecus Distenta siccet ubera. *Quintil.* 2. 10. 6. Viridi pabulo distentæ quadrupedes. *Plin. Paneg.* 49. Solitaria cœna distentus. *Sueton. Claud.* 33. Nec temere unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens. *h. e.* fartus. *Ammian.* 28. 4. *extr.* In his plerique distentioribus saginis addicti. *h. e.* quæ corpus seu ventrem distendunt. *Id.* 22. 12. In dies pæne singulos milites carnis distentiore sagina victitantes incultius potusque aviditate corrupti.

DISTENNO pro *distendo*, ab Æolico τέννω pro τείνω, est qui legit apud *Plaut. Mil. glor. a.* 4. *v.* 14. Qua de re plura *Voss. in Etymol.* in *Antenna*. *V.* DISPENDO, DISPENNO, et præcipue DISTENDO init.

DISTENSĬO, ōnis, f. 3. actus distendendi. *Augustin.* 11. *Confess.* 23. *extr.* et 29.; sed utroque loco alii leg. *distentio*. *V.* DISTENTIO.

DISTENSUS, a, um. *V.* DISTENDO.

DISTENTĬO, ōnis, f. 3. actus distendendi. *Scribon. Compos.* 89. Terna catapotia in noctem dare ad inflationes, in ipsa distentione. *h. e.* cum quidpiam inflatione distenditur. *Cels.* 2. 4. *et* 8., et 8. 4. *et* 25. Distentiones nervorum. *h. e.* cum præter naturam distenduntur. *His Celsi locis al. leg.* distensio, *quam vocem* V.

DISTENTO, as, are, a. 1. idem ac distendo, vel ejus frequentativum. *Virg.* 9. *Ecl.* 31. Sic cytiso pastæ distentent ubera vaccæ.

DISTENTUS, a, um, a *distendo*. *V.* DISTENDO.

DISTENTUS, a, um, a *distineo*. *V.* DISTINEO.

DISTENTUS, us, m. 4. idem quod distentio. In sexto casu sing. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 38. 58. (138). Sufflatæ cutis distentu ictus hominum et morsus canum arcent. *Diomed.* 3. *p.* 473. *Putsch.* (*Daunius*) gradali pugna suos dimicare instituit, et collato pede, assequente paullatim dextero distento, et progredienti lævo, et brevi successu, et longo distentu gradus simul et nisus firmaretur.

DISTERGO, gis, si, gere, a. 3. in diversas partes tergo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 80.

DISTERMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus disterminandi. *Simplic. p.* 83. *Goes.* In omni genere disterminationis, cui singularis linea interveniat, singularem habet contemplationem.

DISTERMĬNĀTOR, ōris, m. 3. qui disterminat et separat. *Apul. de Mundo post init.* Axis divisor et disterminator mundi, orbem terræ in medietate constituens. *Alii male leg.* discriminator.

DISTERMĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISTERMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis *et* termino). Part. *Disterminatus*. — Distermino est separo, vel diversas res termino (It. *separare, dividere*; Fr. *séparer, délimiter*; Hisp. *separar, dividir*; Germ. *abgränzen, – trennen, – scheiden, absondern*; Angl. *to separate, divide*). *Cic. Arat.* 94. Quas (*stellas*) intervallum binas disterminat unum. *V.* Criticos ad *Liv.* 4. 59. *Tac.* 11. *Ann.* 10. Flumen, quod Dahas Ariosque disterminat. *Lucan.* 9. 957. Disterminare Asiam ab Europa. Adde *eumd.* 1. 216. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 21. 46. (100). Arabia Judæam ab Ægypto disterminat. *Id.* 3. *ibid.* 3. 4. (30). Pyrenæi montes Hispanias Galliasque disterminant. *Id.* 4. *ibid.* 20. 34. (112). Disterminati ab Asturia Vettones. *Ammian.* 15. 11. ab Aquitanis Garumna. *Paul. Dig.* 10. 1. 4. *sub fin.* Prædia urbana communibus parietibus plerumque disterminantur.

DISTERMĪNUS, a, um, adject. disterminatus, distans. *Sil. It.* 5. 399. Audit Tartessos latis distermina terris. *Capell.* 6. *p.* 230. Semicirculi alia directa linea διάμετρος dicitur, Latine distermina.

DISTERNO, sternis, strātum, sternere, a. 3. (dis *et* sterno). Part. *Distratus*. — Disterno est sterno, substerno. *Apul.* 10. *Met.* Et jam accuratissima disternebatur lectus. *Alii leg.* desternebatur. *Id.* 2. *Met.* Nam et pueris extra limen humi, quam procul, distratum fuerat. *h. e.* stratus lectulus. — Præter. *distravit* occurrit tantum in *Not. Tir. p.* 90., quæ omni destitutæ sunt auctoritate.

DISTĔRO, tĕris, trīvi, trītum, tĕrere, a. 3. (dis *et* tero) multum, sive crebro tero, subtiliter et minutim tero.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 75. Casei pondo duo bene disterat in mortario: ubi bene distriverit, farinæ libram indito.

II.) Translate. *Petron. Satyr.* 24. Eum basiis distrivit.

DISTEXO, is, ere, a. 3. (dis *et* texo) idem quod retexo. *Sidon. Paneg.* 15. 161. Penelopen tardas texit distexere telas. *h. e.* texit Penelopen distexentem telas. Fortasse legendum est *detexere*.

DISTĪCHON, i, n. 2. *et*

DISTĪCHUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

DISTĪCHUS, a, um, adject. δίστιχος, duos habens ordines: a δὶς *bis*, et στίχος *ordo, versus*. Hinc *hordeum distichum* appellat *Colum.* 2. *R. R.* 9. 16., cujus spica duos habet granorum ordines, et *hexasticum*, quæ sex: ab ἕξ *sex*. Ceterum *Columellæ* verba sunt: Alterum quoque genus hordei est, quod alii distichum, Galaticum nonnulli vocant. V. *Re, Saggio sull'agric. ant. p.* 196. — Hinc

Distichum vel *distegum*, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est ædificium, aut sepulcrum duas habens contignationes, aut cellarum ordines. *V.* DISTEGUS. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 627. n. 234., quæ pertinet ad annum a Chr. n. 23. M. LANCIVS M. L. PROSPER DISTICHVM ORNAVIT CAL. MAI. ASINIO POLLIO. ET C. ANTISTIO VET. COS.

Distichon, i, n. 2. Græca terminatione, absolute, substantivorum more, breve est carmen duobus versiculis absolutam sententiam complectens. *Martial.* 8. 29. Disticha qui scribit, puto, vult brevitate placere. *Id.* 3. 11. Cur in te factum distichon esse putas? Adde *Sueton. Cæs.* 51. et *Oth.* 3.

DISTĪCO. *V.* DESTICO.

DISTILLĀRĬUS, ii, m. 2. Legunt aliqui apud *Senec. Ep.* 56. Et botularium cogita et distillarium, et omnes popinarum institores: et probat *Cæl. Rhodig. l.* 16. *c.* 46., qui ait, destillationem etiam dici liquaminis genus, quo ad condiendum utimur, et qui id conficiant, et vendant, distillarios vocari. Verum emendatiores libri in *Senecæ* textu *crustularium* habent, quod unice probandum.

DISTILLĀTĬO *et*

DISTILLO, as, etc. *V.* DESTILLATIO et DESTILLO.

DISTĪMŬLO, as, are, a. 1. *V.* DESTIMULO, ubi affirmavimus, *distimulo* pro *destimulo* rectius legendum esse apud *Plaut. Bacch.* 1. 1. 30.

DISTINCTĒ, adverb. Comp. *Distinctius* 1. et 2.; Sup. *Distinctissime* 2. — Distincte ¶ 1. Stricto sensu est rem unam ab alia accurate distinguendo et separando (It. *distintamente*; Fr. *séparement, d'une manière distincte*; Hisp. *distintamente*; Germ. *gehörig unterschieden, gesondert, genau*; Angl. *distinctly, precisely*). *Cic.* 2. *Tusc.* 3. 7. Se neque distincte, neque distribute, neque eleganter, neque ornate scribere. *Id. Orat.* 28. 99. Partite, definite, distincte dicere. *Id.* 1. *Legg.* 13. 36. Quæ fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur. *Id.* 2. *Phil.* 13. 32. Non enim fortasse satis, quæ distinctius dicuntur, intelligis. *Orellius et Klotz* pro *distinctius* leg. *dijunctius*. *Plin. Paneg.* 18. Nec magis definita distincteque designat, qui Trajanum, quam qui Optimum appellat. *Sueton. Aug.* 9. Distinctius demonstrare. *Plin.* 7. *Ep.* 13. 1. Distinctius enunciare. *Cassiod. Complex. ad Ephes.* 3. Hoc credendum, hoc tenendum distinctissime persuadens. ¶ 2. Latiori sensu est ordinate, distribute. *Cic.* 3. *Orat.* 14. 53. Distincte, explicate, abundanter, illuminate dicere. *Plin.* 3. *Ep.* 1. Nihil est illo vitæ genere distinctius. *h. e.* ordinatius, ut actiones diei sua quæque hora et ordine apte distribuantur.

DISTINCTĬO, ōnis, f. 3. actus distinguendi (It. *divisione, distinzione*; Fr. *action de distinguer, distinction*; Hisp. *el acto de distinguir, distincion*; Germ. *d. Unterscheidung*; Angl. *a dividing, separating, distinction*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte est divisio, discretio. *Cic.* 2. *Legg.* 5. 13. Lex est justorum injustorumque distinctio. *Id.* 1. *Off.* 29. 104. Facilis est distinctio ingenui et illiberalis joci. *Id.* 1. *Fin.* 19. 64. Veri a falso distinctio. *Id. ibid.* 10. 33. Et harum quidem rerum facilis est et expedita distinctio. *Quintil.* 4. 5. 6. Interim refugienda non modo distinctio quæstionum est, sed omnino tractatio. *Plin.* 8. *Ep.* 14. Pugnantium sententiarum distinctio. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu distinctio est id, quo aliud ab alio distinguimus, discrimen, differentia. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 48. Præsertim quum ipsi dicatis, sapientem in furore sustinere se ab omni assensu, quia nulla in visis distinctio appareat. *Id. Fat.* 19. 43. Quæ sit causarum distinctio ac dissimilitudo. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 11. 13. (29). Volucrum distinctio prima pedibus maxime constat. Aut enim aduncos ungues habent, aut etc. *Id.* 9. *ibid.* 33. 52. (103). Conchæ distinctione virgulata, crinita, crispa. Cf. *Seneca* 7. *Benef.* 9. Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem. Rursus *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 59. (220). Cardo temporum quadripertita anni distinctione constat per incrementa lucis. *Id.* 17. *ibid.* 28. 47. (263). Cato et medicamenta quædam componit mensuræ quoque distinctione, ad majorum arborum radices amphoram, ad minorum urnam amurcæ et aquæ. *Ulp. Dig.* 47. 2. 44. Hæc sententia cum distinctione vera est: ut si hac mente dederit etc., quod si ita det etc. *Ammian.* 25. 4. Pro rerum et hominum distinctione. *Id.* 16. 8. Sine justitiæ distinctione. ¶ 3. Speciatim in oratione

est apta verborum in membra divisio, adeoque mora in dicendo: de qua hæc *Cic.* 3. *Orat.* 48. 186. Numerus autem in continuatione nullus est: distinctio, et æqualium et sæpe variorum intervallorum percussio, numerum conficit; quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus; in amni præcipitante non possumus. Quod si continuatio verborum hæc soluta multo est aptior atque jucundior, si est articulis membrisque distincta, quam si continuata ac producta etc. *Quintil.* 1. 5. 27. Quum dico *circum littora*, tamquam unum enuncio, dissimulata distinctione. *h. e.* nulla in dicendo mora et pausa. *Id.* 11. 3. 181. Distinctionibus uti in loquendo. Sic *Auson. Edyll.* 4. 49. distinctio sensum Auget, et ignavis dant intervalla vigorem. — Hinc apud Grammaticos *distinctio* est interpunctio, seu appositio puncti in signum finiti sensus, vel pendentis: estque triplex, finalis, media et ima: prior sensum terminat; altera respirandi spatium legenti dat; tertia lectionis interruptum tenorem, aliud adhuc illatura, suspendit. *Diomed.* 2. *p.* 432. *Putsch.*, quocum cf. *Quintil.* 11. 3. 47., et *Donat.* 1. *p.* 1742. *Putsch.* ¶ 4. Item speciatim apud Rhetores *distinctio* inter figuras enumeratur. *Cic.* 3. *Orat.* 54. 206. Ejusdem verbi crebrius positi quædam distinctio. *h. e.* mutatio: intelligit autem traductionem, figuram verborum oratoriam. *Quintil.* 9. 3. 65. appellat *distinctionem*, παραδιαστολήν, speciem contrapositi, qua duo contraria distincte et explicate exponuntur; ut: Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.

II.) Improprie ponitur pro pulcritudine, ornatu, splendore. *Cic.* 2. *Nat. D.* 5. 15. Solis, lunæ siderumque omnium distinctio, varietas, pulcritudo, ordo. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (13). Jam distinctio honosque civitatis ipsius non aliunde (*quam ab agrorum cultura*) erat. Rusticæ tribus laudatissimæ eorum qui rura haberent; urbanæ vero, in quas transferri ignominia esset, desidiæ probro. *Forcellinus* vero interpretatur: qua civium tribus in rusticas et urbanas dividebantur. Hinc pertinere videtur et illud *Cic.* 2. *Orat.* 90. 366. An ergo oblitus es, Crasse, Antonium ita partitum esse tecum, ut ipse instrumentum oratoris exponeret, tibi ejus distinctionem atque ornatum relinqueret? *Forcellinus* interpretatur *dispositionem atque distributionem rerum inventarum*: at præterquam quod *distinctio atque ornatus* junguntur, hæc sequuntur: Si ego (*loquitur Crassus*) recte intellexi, – mihi conjuncte est visus de utraque re dicere. Ille vero, inquit Cotta, ornamenta orationis non attigit.

DISTINCTOR, ōris, m. 3. qui distinguit. *Gloss. Cyrill.* Distinctor, διαστικτής. *Ammian.* 22. 3. Judices justorum injustorumque distinctores. Adde *eumd.* 28. 4.; et *Augustin. Tractat.* 20. *in Johann.* 12.

DISTINCTUM, i, n. 2. *V.* DISTINGUO in fin.

DISTINCTUS, a, um, *V.* DISTINGUO.

DISTINCTUS, us, m. 4. idem ac distinctio. In sexto casu sing. *Tac.* 6. *Ann.* 28. Ore ac distinctu pennarum a ceteris avibus diversum. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 40. viridis cum regula longo Synnada distincta variat.

DISTĬNEO, tines, tinui, tentum, tinere, a. 2. (dis et teneo.) Part. *Distentus* in fin.; *Distinendus* II. 2. — Distinere est hinc et inde tenere, adeoque disterminare, dirimere (It. *tenere da diverse parti, tenere diviso, dividere*; Fr. *tenir des deux côtés, tenir éloigné, séparer, diviser*; Hisp. *tener de una parte y de otra, tener apartado, separar, dividir*; Germ. *auseinanderhalten, trennen, sondern, fernhalten*; Angl. *to keep separate, to keep asunder, separate, divide*).

I.) Proprie. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Tigna binis utrimque fibulis ab extrema parte distinebantur. *Vitruv.* 3. 4. 1. *Schneid.* Intervalla (*stereobatarum*) concameranda aut solidanda fistucationibus, uti distineantur. *Lucret.* 5. 204. Et mare, quod late terrarum distinet oras. *h. e.* hinc et inde tenet, occupat. *Id. ibid. v.* 688. Nam medio cursu flatus Aquilonis et Austri Distinet æquato cælum discrimine metas. *Ovid. Heroid.* 8. 69. Qua duo porrectus longa freta distinet Isthmos. Adde *Lucan.* 4. 675. *Virg.* 11. *Æn.* 387. distinet hostem Agger murorum. *Cæs.* 7. *B. G.* 59. Legiones a præsidio atque impedimentis interclusas maximum flumen distinebat. *Horat.* 4. *Od.* 5. 12. Distinere aliquem a domo. Cf. *Ammian.* 14. 2. *in fin.* Quoniam magister equitum longius ea tempestate distinebatur.

II.) Translate. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de animo, qui variis affectibus vel eorumdem vehementia in diversa trahitur. *Cic. Planc.* 33. 79. Distineor tamen et divellor dolore. *Liv.* 7. 21. Fenebris res distinere unanimos videbatur. *Id.* 44. 20. Si Ap. Claudio – satis validus exercitus foret, potuisse ancipiti bello distinere regem. *Id.* 9. 16. Duæ factiones distinebant senatum. *Id.* 5. 20. Duæ senatum distinebant sententiæ. *h. e.* ambiguum tenebant, in diversa trahebant. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 32. Sententiæ duæ eum distinebant. Cf. *eumd.* 3. *Ann.* 51. *Ovid. Remed. am.* 485. Ergo assume novas, auctore Agamemnone, flammas, Ut tuus in bivio distineatur amor. *Alii minus recte leg.* detineatur. ¶ 2. Latiori sensu est hinc inde impeditum occupatumque tenere, distrahere; et universim impedire, morari. *Cic.* 7. *Fam.* 2. *extr.* Multitudine et celebritate judiciorum et novis legibus ita distinemur, ut etc. *Id.* 2. *Att.* 23. Ex eo colligere poteris, quanta occupatione distinear. Adde *eumd.* 12. *Fam.* 30. *Nepos Att.* 9. Quum litibus distineretur magnisque terroribus vexaretur. *Plin.* 7. *Ep.* 7. Distineri negotiis. Adde *eumd. Paneg.* 25. *Ammian.* 18. 5. ex serils negotiis. *Tac.* 14. *Ann.* 25. Distinere Parthos Hyrcano bello. Adde *eumd.* 2. *Hist.* 32.; et *Frontin.* 1. *Strateg.* 3. 8. *Cæs.* 3. *B. C.* 52. Plura castella Pompejus, distinendæ manus causa, tentaverat. *Id. ibid.* 44. Relinquebatur, ut – quamplurimos colles (*Pompejus*) occuparet, et quam latissimas regiones præsidiis teneret, Cæsarisque copias, quam maxime posset, distineret. Adde *eumd.* 2. *B. G.* 5., 3. *ibid.* 11. et 7. *ibid.* 50. *Liv.* 4. 59. Quacumque incessere, late populati sunt tecta agrosque, ut distinerent Volscos. — Et præcipue de rebus pro impedire, morari. *Cic.* 12. *Phil.* 12. 28. Ne militum multitudo per me pacem distineri putet. Adde *Liv.* 2. 15. *Cæs.* 7. *B. G.* 37. Unam esse Æduorum civitatem, quæ certissimam Galliæ victoriam distineat. *Liv.* 37. 12. Rem distinebat, quod utrum armati an inermes emitterentur regii, parum conveniebat. — Et de hominibus cum Ablativo et præpos. *ab. Liv.* 44. 35. *a med.* Ut distineret regem ab circumspectu rerum aliarum. Et cum part. *quominus*, *Tac.* 11. *Ann.* 12. Quæ (*Messalina*) semper infesta et tunc commotior, quominus strueret crimina et accusatores, novo et furori proximo amore distinebatur. — Hinc Part. præter. pass.

Distentus, a, um, adjectiva quoque occurrit, unde Sup. *Distentissimus*; et est: distractus, duplici cura occupatus, implicatus. — *a*) De hominibus. *Cic. Rosc. Am.* 8. 22. Tot tantisque negotiis distentus, ut respirare libere non possit. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 8. Distentus quum opera, tum animo sum multo magis. *Id.* 13. *Att.* 18. Intelligo te distentissimum esse qua de Buthrotiis, qua de Bruto. *Id.* 3. *Nat. D.* 39. 93. Audit igitur mens divina etiam de singulis. Videtis ergo, non esse eam tam occupatam, quam putabatis? Fac esse distentam, cælum versantem, terram tuentem, maria moderantem. *Auct. B. Hisp.* 23. Dum in opere nostri distenti essent. *Plin. Paneg.* 86. Imperii curis distentus. *Id.* 6. *Ep.* 18. occupationibus. *Tac.* 16. *Ann.* 8. Nero circa summa scelera distentus. — *b*) De rebus. *Plin.* 3. *Ep.* 5. Medium tempus distentum impeditumque qua officiis maximis, qua amicitia principum, egisse pernoscitur.

DISTINGUO, stinguis, stinxi, stinctum, stinguere, a. 3. Part. *Distinguens* sub *C.* I.; *Distinctus* sub *A.* II., *C.* I. et in fin.; *Distinguendus* sub *A.* II. — Ratione habita etymi, alii derivant a *tingo*, et antique *tinguo*, ut proprie sit tingendo et colorando discriminare, separare: alii a *stingo*, quod a *stigo*, quod a στίζω *pungo*, ut proprie sit dispungere, h. e. punctis rem a re discriminare. Ceterum omnes hujusce verbi significationes ad tria summa capita commode redigi possunt: scilicet *A*) Distinguere est dispungere, punctis rem a re discriminare, adeoque generatim secernere, separare; *B*) In re grammatica est interpungere; *C*) Denique est quibusdam veluti notis, aut punctis, aut coloribus certo intervallo appositis rem variare, atque adeo ornare.

A) Distinguere est dispungere, punctis rem a re discriminare, adeoque generatim secernere, separare.

I.) Proprie. *Ovid.* 1. *Met.* 45. Utque duæ dextrâ cælum totidemque sinistrâ Parte secant Zonæ, quinta est ardentior illis; Sic onus inclusum (*h. e.* terram) numero distinxit eodem Cura dei. *Seneca Troad.* 884. et *Apul.* 2. *Met.* Distinguere crinem, comam. *h. e.* pectere, separare et suis discriminibus ordinare. Similiter poetice *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 284. caput acu distinguere. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 13. Sed et lacubus distinguuntur granaria, ut separatim quæque legumina ponantur. Sic *Ammian.* 25. 10. Quum enim venisset Dadastanam, qui locus Bithyniam distinguit et Galatas, etc. Cf. *Juvenal.* 11. 288. qui navem mercibus implet Ad summum latus, et tabulâ distinguitur undâ. *h. e.* atque assere dumtaxat separatur ab aquis. Pro *undâ* alii leg. *una*, alii *udâ*, sed pari sensu. Et *Martial.* 2. 5. Sed duo sunt, quæ nos distinguunt millia passûm.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim dicitur de rebus tum inanimis, tum abstractis, et est rem a re discriminare, sive juxta earumdem discrimen secernere, separare. Occurrit autem — *a*) Cum Accusat. rerum tantummodo. *Quintil.* 11. 3. 98. Binos interim distinguimus digitos. *Ammian.* 23. 3. Venit cursu prospero Carras –: unde duæ ducentes Persidem viæ regiæ distinguuntur, læva per Adiabenam et Tigridem, dextera per Assyrios et Euphraten. *Id.* 31. 7. Quorumdam capita, per medium frontis et verticis mucrone distincta, in utrumque humerum magno cum horrore pendebant. *Juvenal.* 1. 127. Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum: Sportula; deinde forum etc. *h. e.* dividitur ac distribuitur. *Sil. It.* 1. 75. Primam lingua vocem distinguere. *h. e.* verba articulare. *Cic. Cæcin.* 20. 56. Quum sibi hoc proposuerint –, ut servos non numero distinguant, sed appellent uno familiæ nomine. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 80. (215). Similæ caulis inter se distinguuntur. *Sueton. Tib.* 1. Prænominibus cognominibusque variis distingui. Sic *Id. Vitell.* 2. Quatuor filios amplissimæ dignitatis cognomine, ac tantum prænominibus distinctos, reliquit. *Tac.* 1. *Hist.* 38. Insignibus suis distingui. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 28. (101). Distinguit mares austeritas. *Cic.* 3. *Orat.* 48. 186. Numerum in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 8. 34. (56.) Hic (*pictor*) catagrapha invenit, hoc est obliquas imagines et varie formare vultus, articulis membra distinxit, etc. *Id.* 33. *ibid.* 5. 27. (90). Inducta opificum turba tribus eam (*chrysocollam*) generibus distinguit, asperam, mediam, attritam, quam et herbaceam vocant. *Lucan.* 5. 399. Distinguere sæcula in fastos. Allatum hunc a *Forcellino* locum ipse non inveni. *Cic. Pis.* 28. 69. Distinguere atque dividere aliquid. *Id. Brut.* 19. 74. Distinguere oratorum genera ætatibus. *Quintil.* 1. 2. 68. genera causarum. *Id.* 4. 2. 33. Quo diligentius distinguenda sunt singula. *Cic. Brut.* 41. 152., *Orat.* 4. 16. et 1. *Fin.* 7. 22. Distinguere ambigua. *scil.* in argumentis. *Gell.* 18. 2. Fraudes captionum distinguere et resolvere. *Cic.* 6. *Verr.* 41. 88. Unum hoc crimen videtur esse: plura sunt; sed ea quo pacto distinguere ac separare possim, nescio. Sic *Tac.* 2. *Ann.* 50. De adulterio satis caveri lege Julia visum; majestatis crimen distingui Cæsar postulavit damnarique –: in se jacta nolle ad cognitionem vocari. *Id.* 3. *Hist.* 27. Ut discretus labor fortes ignavosque distingueret. *Sueton. Claud.* 38. Iræ atque iracundiæ conscius sibi, utrumque excusavit edicto; distinxitque, pollicitus alteram quidem brevem et innoxiam, alteram non injustam fore. — *b*) Cum addito per præpos. *ab* Ablativo rei, a qua alia distinguitur. *Cic.* 2. *Orat.* 60. 244. Distinguere Granium a Crasso. *Id. Partit. orat.* 40. 139. Vera a falsis dijudicare et distinguere. *Id.* 2. *Divinat.* 71. 146. Distinguere vera somnia a falsis. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 22. artificem ab inscio. *Id.* 4. *Parad.* 1. 29. An tu civem ab hoste, natura ac loco, non animo factisque distinguis? *Sueton. Gramm.* 4. Distinguere litteratum a litteratore. *Liv.* 45. 24. voluntatem a facto. *Quintil.* 3. 5. 11. thesin a causa. *Id.* 1. 8. 3. Quo flexu distinguantur ab iis. — *c*) Cum Ablativo sine præpos. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 29. vero distinguere falsum. — *d*) Impersonaliter. *Tac.* 11. *Ann.* 38. Nunciatum Claudio, periisse Messalinam, non distincto, sua an aliena manu. Cf. *Cic.* 3. *Nat. D.* 10. 26. Quid inter naturam et rationem intersit, non distinguitur. Et *Quintil.* 11. 3. 36. Etiamsi aliud est, unde venit, quam quo venit, non distinguendum tamen, quia utrumque eodem modo continetur verbo *venit*. ¶ 2. Speciatim distinguere, quum de litibus sermo est, significat dirimere, hoc est dijudicare, decidere. *Ammian.* 29. 2.

Quorum (*Areopagitarum*) æquitas deorum quoque jurgia dicitur distinxisse. *Lamprid. Alex. Sev.* 22. Pontificibus tantum detulit, ut quasdam causas a se finitas iterari et aliter distingui pateretur. Adde *Imppp. Valentin., Valent. et Grat. Cod.* 3. 12. 5. — Huc referri potest et illud *Apul.* 2. *Met.* Hanc cunctationem adolescentis sermo distinxit. *h. e.* finivit, sustulit. *Forcellinus* interpretatus est: finire, terminare, tollere, quasi puncto adscripto; scilicet metaphorâ sumptâ a paragr. proxime subsequenti.

B) In re grammatica *distinguere* est interpungere, h. e. notam distinctionis et separationis inter verba appingere, ut punctum, comma, etc. *Diomed.* 2. p. 432. *Putsch. V.* DISTINCTIO 3. *Sueton. Gramm.* 23. Multaque exemplaria contracta emendare et distinguere et annotare curavit, soli huic, nec ulli præterea grammatices parti deditus. — Hinc *distinguere* dicitur etiam qui legit, quum suis locis moratur, prout sententia postulat. *Quintil.* 1. 8. 1. Ut puer sciat, ubi suspendere spiritum debeat, quo loco versum distinguere, etc. *Id.* 11. 2. 27. Orationem distinguent atque concident. Sic *Cic. Orat.* 16. 53. Distincta et interpuncta, intervalla, moræ respirationesque delectant. Cf. *Ammian.* 29. 1. *med.* et Cf. *Distinctum* in fin. hujus vocis. Huc referri potest et illud *Cic.* 3. *de republ.* 2. Eademque (*mens*) quum accepisset homines inconditis vocibus inchoatum quiddam et confusum sonantes, incidit has et distinxit in partes.

C) Denique *distinguere* est etiam quibusdam veluti notis, aut punctis, aut coloribus certo intervallo appositis, rem variare atque adeo ornare.

I.) Proprie. *Seneca Med.* 573. Gemmarum nitor distinguit aurum. *Id. Herc. Œt.* 665. Mæonia acu distinguere. *Horat.* 2. *Od.* 5. 10. jam tibi lividos Distinguet auctumnus racemos Purpureo varius colore. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 62. (171). Gemma candorem guttis ex auro distinguit. Et *ibid.* 10. 54. (148). Distinguentibus eam venis rubentibus. *Curt.* 3. 4. 9. Planitiem crebri rivi distinguunt. V. *Mützell.* ad h. l.

II.) Translate est variare atque ornare; et occurrit — *a*) De vestibus. *Curt.* 3. 3. 13. Distinguere vestem auro. Adde *eund.* 3. 3. 17. et 19., 8. 13. 7., 9. 7. 12. et alibi. *Sil. It.* 3. 27. vestem clavo. — *b*) De locis. *Justin.* 36. 3. 3. Distinguere silvam palmeto. *Sueton. Domit.* 14. parietes lapide. — *c*) De aliis rebus. *Plin.* 3. *Ep.* 1. Frequenter comœdis cœna distinguitur, ut voluptates quoque studiis condiantur. *Sil. It.* 11. 431. et 7. 182. Distinguere epulas ludo. — *d*) De abstractis. *Plin.* 7. *Ep.* 9. Occupationes curasque carmine distinguere *h. e.* variare atque intermittere. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 38. Omnis autem privatione doloris putat Epicurus terminari summam voluptatem: ut postea variari voluptas distinguique possit, augeri amplificarique non possit. — *e*) Sæpe etiam de oratione pro variando ornare. *Cic.* 2. *Orat.* 9. 36. Formare orationem, eamque variare et distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus. *Id.* 2. *Invent.* 15. 49. Distinguere et illustrare orationem. *Id.* 2. *Orat.* 13. 54. Distinguere historiam varietate locorum. *Liv.* 9. 17. Nihil minus quæsitum a principio hujus operis videri potest, quam ut plus justo ab rerum ordine declinarem; varietatibusque distinguendo opere et legentibus velut deverticula amœna et requiem animo meo quærerem. — Ceterum *V.* plura hoc sensu infra in *Distinctus* 2. — Hinc Part. præter pass.

Distinctus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Distinctior* 1. et 3. — Distinctus ¶ 1. Est diversus, discriminatus, separatus *V.* DISTINGUO sub *A. Cic.* 2. *de republ.* 42. Concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis. *Id.* 3. *Orat.* 48. 186. Continuatio verborum articulis membrisque distincta. *Vellej.* 1. 7. Hesiodus annos cxx. distinctus ab Homeri ætate. *Liv.* 9. 19. Macedonum phalanx immobilis et unius generis: Romana acies distinctior, ex pluribus constans. — Hinc est etiam apte et convenienter divisus. *Quintil.* 11. 3. 35. Ut sit oratio distincta. *Id.* 5. 14. 33. Distincta ac perspicua debere esse argumenta. *Id.* 4. 2. 36. Narratio distincta rebus, personis, temporibus. Cf. *Cic.* 2. *Orat.* 80. 328. Narratio distincta personis, et interpuncta sermonibus. Rursus *Quintil.* 5. 10. 3. Sermone puro et dilucido et distincto. *Id.* 11. 3. 162. Gestus distinctus. ¶ 2. Item ornatus, variatus. — *a*) De rebus et locis. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 62. Pocula ex auro gemmis distincta clarissimis. *Sueton. Ner.* 31. Cuncta gemmis distincta. *Sil. It.* 2. 603. vestes auro. *Flor.* 4. 2. 91. corona radiis. *Ammian.* 21. 1. diadema lapidum fulgore. *Sueton. Cal.* 45. coronæ solis ac lunæ specie. *Id. Ner.* 25. chlamys stellis aureis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 95. cælum astris. *Ovid.* 5. *Met.* 266. innumeris distinctas floribus herbas. *Id. Heroid.* 5. 19. Retia maculis distincta. *Cic. Flacc.* 12. 27. Provincia cincta mari, portubus distincta. — Et cum Accusativo, Græcorum more. *Ovid.* 3. *Met.* 221. nigram medio frontem distinctus (*canis*) ab albo. — *b*) De oratione. *Cic.* 1. *Orat.* 12. 50. Oratio composita et ornata et artificio quodam et expolitione distincta. — Et de oratore ipso. *Cic. Brut.* 17. 69. Ornari orationem Græci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους, et sententiarum orationisque formis, quæ vocant σχήματα. Non veri simile est, quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato. *Tac. Dial. de orat.* 18. Sic Graccho politior et ornatior Crassus, sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero. *Forcellino* est *magis perspicuus*; sed rectius fortasse est *ornatior*, quod vocabulum etiam præcedit. — *c*) Huc denique pertinet et illud *Cic.* 1. *de republ.* 27. Si Athenienses quibusdam temporibus, sublato Areopago, nihil nisi populi scitis ac decretis agebant; quoniam distinctos dignitatis gradus non habebant, non tenebat ornatum suum civitas. — Hinc

Distinctum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est idem atque distinctio, sive interpunctio. *V.* supra sub *B. Mar. Victorin. de orthogr.* 1. *p.* 1468. *Putsch.* Si prius quam distinctum concluditur, in ora fuerit necessaria, ἀπλῆν aversam, h. e. sicilicum in ima parte versus ponite.

DISTIRPO, as, are, a. 1. idem atque extirpo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 130.

DISTISUM. *V.* DISTÆDET.

DISTĪTO, as, are, n. 1. *frequentat. a* disto. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 4. Distitent inter se aliquando spatio, ne in colluctatione alter alteri noceat. *Ita lexicographi quidam; sed melior lectio et vulgatior exhibet*: distentque inter se.

DISTITUTUS, a, um, adject. idem ac destitutus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 60.

DISTO, stas, stare, n. 1. (dis et sto). Præter. perf. *distiterim* occurrit tantum apud *Boeth. p.* 1160. — Part. *Distans* in omnibus paragr. — Disto ad litteram est esse in partibus vel locis diversis vel oppositis, atque adeo abesse, remotum esse, intervallo disjungi (It. *essere distante, lontano*; Fr. *être éloigné, distant, séparé*; Hisp. *ser distante ó remoto*; Germ. *getrennt sein, entfernt sein*; Angl. *to be distant or apart*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de spatio seu loco: et occurrit — *a*) Cum addito *inter se*. *Cic.* 5. *Tusc.* 24. 63. Sidera multum inter se aut altitudine, aut humilitate distantia. *Cæs.* 7. *B. G.* 72. Quæ (*turres*) pedes octoginta inter se distarent. *Id. ibid.* 73. Hujus generis octoni ordines ducti, ternos inter se pedes distabant. *Id. ibid.* 23. Trabes distantes inter se binos pedes. *Liv.* 8. 8. Manipuli quindecim, distantes inter se medium spatium. — *b*) Cum addito per præpos. *ab* Ablativo rei, a qua alia distat. *Lucret.* 4. 280. Distare a speculo tantum remota imago videtur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 66. 164. Terræ ab hujusce, quam incolimus, continuatione distantes. *Cæs.* 3. *B. C.* 103. Castraque Cleopatræ non longo spatio ab ejus castris distabant. *Auct. B. Alex.* 7. Quum hi tam parvo spatio distarent ab ipsis. — *c*) Cum Ablativo sine præpos. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 48. foro nimium distare carinas. *Ovid.* 3. *Met.* 145. Et sol ex æquo metâ distabat utrâque. *Id.* 3. *Fast.* 362. Quum tantum Phrygiâ Gallica distet humus. — Et cum duplici Ablativo. *Curt.* 3. 1. 12. Urbs pari intervallo Pontico et Cilicio mari distans. V. *Mützell.* ad h. l.; et cf. *Ovid.* 10. *Met.* 175. spatioque pari distabat (*sol*) utrimque. — *d*) Cum addito tantum distantiæ modo. *Cæs.* 7. *B. G.* 72. Ut fossæ solum tantumdem pateret, quantum summa labra distabant. *Liv.* 38. 18. Oppidum tria maria pari ferme intervallo distantia habet. *Virg.* 3. *Æn.* 116. Longo distant cursu. *Val. Flacc.* 8. 291. Haud longis jam distat aquis. *Ammian.* 14. 2. Quum haud longe muri distarent. *Gell.* 1. 11. Ire ad hostem in conspectu longinquo procul distantem. *Ovid.* 5. *Met.* 54. jaculo quamvis distantia misso Figere doctus erat. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (31). Late distans. — *e*) Absolute. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 67. Tot res tam dissipatæ, tam distantibus in locis positæ. *Liv.* 4. 45. Servitia, urbem ut incenderent distantibus locis, conjurarunt. *Ovid.* 2. *Met.* 241. Nec sortita loco distantes flumina ripas Tuta manent. *Quintil.* 2. 20. 3. Grana ciceris ex spatio distanti missa. ¶ 2. Latiori sensu refertur etiam ad tempus: ad rem *Ovid.* 2. *Fast.* 54. Spatio distantia longo Tempora. *Horat.* 3. *Od.* 19. 1. Quantum distet ab Inacho Codrus. *Quintil.* 12. 10. 4. Zeuxis et Parrhasius non multum ætate distantes. *Id.* 12. 10. 11. Non multum inter se distantium tempore oratorum. — Et de ipso tempore. *Tac.* 3. *Ann.* 24. Haud multum distanti tempore Calpurnii Pisonem, Æmilii Lepidam amiserant.

II.) Translate est differentem et diversum esse, differre; et occurrit — *a*) Cum addito *inter se*. *Cic.* 1. *Orat.* 49. 215. Multum inter se distant istæ facultates longeque diversæ sunt atque sejunctæ. *Id. Orat.* 16. 52. Genera dicendi multum inter se distantia. *Quintil.* 7. 2. 3. Quæ duo genera non multum inter se distant. — *b*) Cum addita per Ablat. et præpos. *ab* re, a qua alia differt. *Cic.* 2. *Off.* 4. 15. Hominum vita distat a vita et cultu bestiarum. *Id. Orat.* 10. 34. Quid tam distans, quam a severitate comitas? *Id. Rosc. Am.* 15. 44. Vides, quantum distet argumentatio tua ab re ipsa atque a veritate. Adde *eund.* 2. *Orat.* 65. 263. *Id.* 3. *Off.* 17. 61. Prudentia abest a malitia distatque plurimum. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 53. Sordidus a tenui victu distabit, Ofello judice. *Quintil.* 4. 1. 28. Eo distare proœmium ab epilogo, quod etc. *Id.* 5. 10. 114. Quo distet hæc causa a ceteris. *Sil. It.* 3. 145. distant a morte silentia vitæ. *Juvenal.* 11. 26. sacculus ab arca. *Id.* 13. 121. nec Stoica dogmata legit A Cynicis tunicâ distantia. — *c*) Cum Ablativo sine præpos. *Quintil.* 5. 10. 7. Enthymema syllogismo distare. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 71. sed emendata videri Pulcraque et exactis minimum distantia, miror. *Id.* 1. *ibid.* 7. 23. Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis. *Itali dicunt*: che divario sia tra la gragnuola e la treggea. *Juvenal.* 14. 98. Distare humana carne suillam. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 4. 23. (74). Salamandra nihil aconito distans. — *d*) Cum dativo. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 4. infido scurræ distabit amicus. V. *Schmid.* ad h. l. *Id.* 4. *Od.* 9. 29. Paullum sepultæ distat inertiæ Celata virtus. *Lucan.* 8. 487. sidera terræ Ut distant, ut flamma mari, sic utile recto. — *e*) Cum addito Ablativo qualitatis, qua res inter se differunt. *Quintil.* 3. 10. 40. Moribus et legibus distant civitates. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 32. (104.) Cepæ distant sapore. *Cels.* 4. 20. Distat tamen hic casus eo, quod etc. Adde *Quintil.* 8. 6. 8. et 4. 1. 28. — *f*) Impersonaliter. *Cic. Cæcin.* 14. 39. Ut distare aliquid, aut ex aliqua parte differre videatur? utrum, pedem quum intulero, — tum expellar atque dejiciar: an eadem vi et iisdem armis mihi occurratur, ne non modo intrare, verum etiam adspicere aut adspirare possint? *Alii tamen aliter leg.*: V. *Orell.* ad h. l. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 219. Stultitia ne erret, nihilum distabit, an ira. *Id.* 1. *Ep.* 17. 44. distat, sumas ne pudenter, An rapias. Adde *eund.* 2. *Ep.* 2. 195. *Quintil.* 5. 10. 26. Plurimum distat, clarus an obscurus sit. *Juvenal.* 7. 194. Distat enim, quæ Sidera te excipiant modo primos incipientem Edere vagitus.

DISTORQUĔO, torques, torsi, tortum, torquere, a. 2. (dis et torqueo). Part. *Distorquens* 1.; *Distortus* I., II. 1. et in fin. — Distorqueo est in diversum torqueo (It. *distorcere, torcere*; Fr. *tourner en sens divers, tordre*; Hisp. *torcer*; Germ. *aus —, voneinanderdrehen, verdrehen, verzerren*; Angl. *to set awry, distort, writhe, twist*).

I.) Proprie. *Ter. Eun.* 4. 4. 3. Ah! illud vide, os ut sibi carnifex distorsit. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 65. Distorquens oculos. *Ovid.* 3. *Art. am.* 287. perverso distorquere ora cachinno. *Seneca Ep.* 67. Nemo votum solvit, quod flagellis cæsus esset, aut podagra distortus, aut equuleo longior factus. *Quintil.* 1. 11. 9. Distorquere labra.

II.) Translate. ¶ 1. Per metonymiam distorquere est torquere seu torquendo membra dolore maximo afficere. *Sueton. Domit.* 19. Conscios novo quæstionis genere distorsit, immisso per obscœna

igne. *Seneca* 7. *Benef.* 19. Non contentus simplici morte, distorsit. ¶ 2. Hinc transfertur ad animum. *Seneca Ep.* 74. Illum videbis alienæ uxoris amore cruciari: illum suæ: non deerit, quem repulsa distorqueat. *Petron. fragm. Tragur.* 55. *Burmann.* Distorta cogitatio. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla et superius retulimus,

Distortus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Distortior* II., et Sup. *Distortissimus* I.; et est male tortus, perversus, monstrosus.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Orat.* 66. 266. Ostendit Gallum distortum, ejecta lingua, buccis fluentibus. *Id. Mur.* 29. 61. Solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 47. Distorta crura. *Sueton. Galb.* 21. Manus et pedes articulari morbo distortissimi. *Id. Aug.* 83. Pumilos atque distortos, et omnes generis ejusdem, ut ludibria naturæ malique ominis, abhorrebat. *h. e.* Italice *distorti. Quintil.* 6. 3. 29. Distortus vultus. *Id.* 2. 5. 11. Distorta et quocumque modo prodigiosa corpora. Cf. *Id.* 2. 13. 10. Quid tam distortum et elaboratum, quam est ille discobolos Myronis? *h.* e. qui ludendo tot conatus facit membra distorquens. *Ammian.* 14. 6. *med. de spadonibus.* Distorta lineamentorum compage deformes. *Quintil. Declam.* 298. Gratus est ille debilitate, ille ipsa infelicitate distorta corporis placet.

II.) Translate. *Cic. Fat.* 8. 16. Multa genera sunt enunciandi, nec ullum distortius, quam hoc.

DISTORTĬO, ōnis, f. 3. distorquendi actus. *Cic.* 5. *Fin.* 13. 35. In quibus si peccetur distortione et depravatione, aut motu statuve deformi, etc. *Id.* 4. *Tusc.* 13. 29. Distortio membrorum. *Cels.* 4. 2. *n.* 2. oris.

DISTORTOR, ōris, m. 3. qui distorquet. *Ter. Phorm.* 2. 3. 27. apud *Priscian.* 9. *p.* 871. *Putsch.* Bonorum contortor, legum distortor. *At reapse apud* Ter. loc. cit. *rectius quidem legitur:* Bonorum extortor, legum contortor.

DISTORTUS, a, um. *V.* DISTORQUEO.

DISTRACTĬO, ōnis, f. 3. actus distrahendi, revulsio, separatio, divisio (It. *distaccamento, separazione;* Fr. *séparation, division;* Hisp. *separacion, division;* Germ. *die Zertrennung, Zertheilung;* Angl. *a drawing asunder, separating, dividing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 67. Harum voluptatum mihi omnium distractio, discidium, vastities venit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 11. 27. Pythagoras, qui censuit, animum esse per naturam rerum omnium commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit, distractione animorum discerpi et lacerari deum. *Seneca Ep.* 30. *ad fin.* In ipsa distractione animi corporisque. *h. e.* in morte. *Gell.* 12. 1. Vis morbi faciebat distractionem cruciatumque membrorum. ¶ 2. Speciatim est venditio, qua merces huc illuc distrahuntur. *Ulp. Dig.* 11. 3. 5. § 12. Præponere aliquem ad mercium distractionem. *Id. ibid.* 2. 15. 8. § 15. Distractio fundi. *V.* DISTRAHO I. 2.

II.) Translate est animorum dissidium, alienatio, inimicitia. *Varro* apud *Non. p.* 287. 15. *Merc.* Distractione civium elanguescit bonum civitatis. *Cic.* 3. *Off.* 6. 32. Nulla nobis societas cum tyrannis, sed potius summa distractio est.

DISTRACTOR, ōris, m. 3. qui distrahit et vendit. *V.* DISTRACTIO I. 2. *Distractores argenti* sunt argentarii et collybistæ. *Imp. Justinian. Cod.* 8. 14. 27. et 12. 35.

DISTRACTUS, a, um. *V.* DISTRAHO.

DISTRACTUS, us, m. 4. apud JCtos est resolutio contractus. *Justinian.* 3. *Institut.* 28. § 6. Is, cui quis per errorem non debitum solvit, quasi ex contractu debere videtur. Adeo enim non intelligitur proprie ex contractu obligatus esse, ut, si certiorem rationem sequamur, magis ex distractu, quam ex contractu possit dici obligatus esse: nam qui solvendi animo pecuniam dat, in hoc dare videtur, ut distrahat potius negotium, quam contrahat.

DISTRĂHO, trăhis, traxi, tractum, trăhere, a. 3. (dis *et* traho). Part. *Distrahens* sub *A.* I. 1.; *Distractus* in omnibus paragr. et in lin.; *Distrahendus* sub *A.* I. 2. et II. — Distrahere est in diversas partes trahere, discerpere, per maximam vim disjungere, separare (It. *tirare in diverse parti, violentemente staccare, separare;* Fr. *tirer en sens divers, déchirer, diviser par la force, séparer;* Hisp. *tirar de una parte y de otra, desgarrar, dividir, separar violentamente;* Germ. *von —, auseinanderziehen, — zerren, mit Gewalt zertheilen;* Angl. *to draw different wais, draw or pull asunder, tear in pieces, separate, divide, disjoin.*) Itaque distrahere est *A*) In diversas partes trahere, per vim disjungere; et *B*) Rem a re abstrahere, discerpere, divellere.

A) Distrahere est in diversas partes trahere, per vim disjungere.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Cist.* 2. 1. 5. Exanimor, feror, differor, distrahor. Sic figurate *Id. Curc.* 2. 1. 21. Renes dolent, pulmones distrahuntur, cruciatur jecur. *Varro* apud *Non. p.* 287. 22. *Merc.* Mettum equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit. Sic *Liv.* 1. 28. Ut igitur paullo ante animum inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem gessisti, ita jam corpus (o *Mette*) passim distrahendum dabis. Adde *Flor.* 1. 3. 8. *Virg.* 7. *Æn.* 767. *de Hippolyto.* Turbatis distractus equis. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 29. Corpus autem immortale nullum esse, ne individuum quidem, nec quod dirimi distrahive non possit. *Lucret.* 2. 829. Purpura pœniceusque color clarissimu', multo Filatim quum distractus disperditur omnis. *Id.* 4. 694. Odor distractus in aeris auras. *Id.* 3. 501. Animæ natura distracta corpore in ipso. *Id. ibid.* v. 493. Vis morbi distracta per artus. *Cic. Dom.* 25. 67. Ex quo judicare potestis, quanta vis illa fuerit oriens et congregata, quum Pompejum terruerit jam distracta et exstincta. *Gell.* 2. 6. Qui fertur et raptatur atque huc atque illuc distrahitur; is venari proprie dicitur. — Similiter *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (124). Euphrates fluit ultra Babylonem continuo alveo, prinsquam distrahatur ad rigua. Cf. *eumd.* 5. *ibid.* 26. 21. (90). Fluvius distrahitur in paludes. *Liv.* 25. 36. Vallum distrahere et diripere. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Quæ (*materia*) perpetuis trabibus pedes quadragenos plerumque introrsus revincta, neque perrumpi, neque distrahi potest. — Speciatim de exercitu. *Cæs.* 3. *B. C.* 92. Pompejus suis prædixerat, ut Cæsaris impetum exciperent, neve se loco moverent, aciemque ejus distrahi paterentur *h. e.* diduci, et ordines turbari. *Tac.* 6. *Ann.* 35. Quum Parthus sequi vel fugere pari arte suetus distraheret turmas, spatium ictibus quæreret. *Id.* 1. *ibid.* 60. Cæcinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit. ubi *distrahere hostem* est diversis partibus aggredi, quo infirmior sit. Adde *Flor.* 1. 3. 4. *Cn. Magn. ad Domit.* post *Cic. ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Ne distracti pares esse adversario non possimus. Cf. *Cic. pro leg. Manil.* 4. 9. Vos ancipiti contentione distracti de imperio dimicaretis. *Orell.* vero et alii leg. *districti.* (quemadmodum apud *eumd.* 3. *Orat.* 2. 7. Ambitionis labore vita distracta). Similiter *Cæs.* 3. *B. C.* 27. Ut pars ad scopulos allisa interficeretur, pars a nostris distraheretur. *h. e.* dispergeretur, dissiparetur. *Flor.* 3. 19. Qui per fugitivarios distrahi debuissent, prætorios duces profugos prælio ipsi sequebantur. Cf. *Cic.* 4. *Fam.* 13. Careo familiarissimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut fuga distraxit. Rursus *Flor.* 3. 6. 1. Interim dum populus Romanus per diversa terrarum distractus est, Cilices invaserant maria. Huc referri potest et illud *Nepot. Eumen.* 4. Qui (*Neoptolemus et Eumenes*) quum inter se complexi in terram ex equis decidissent —, non prius distracti sunt, quam alterum anima reliquerit. — Et generatim pro separare, dividere. *Cic.* 4. *Fam.* 7. 3. Qui non idem consilium, quod tu, secuti sunt, eos video in duo genera esse distractos. Aut enim renovare bellum conati sunt, hique se in Africam contulerunt: aut, quemadmodum nos, victori se contulerunt. *Id. Orat.* 45. 152. Distrahere voces. *h.* e. ita ponere, ut diductæ proferantur concurrentes vocales, neque per synæresin elidantur. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 27. 27. (97). Taurus mons mediam distrahens Asiam. ¶ 2. Latiori sensu est pluribus alienare, vendere: ad rem *Cic. Quinct.* 15. 50. De quo homine præconis vox prædicat et pretium conficit, huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur: si funus id habendum sit, quo non amici conveniunt ad exsequias cohonestandas, sed bonorum emptores, ut carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas et distrahendas. *Lucilius* apud *Non.* p. 287. 9. *Merc.* Dividant, differant, dissipent, distrahant. *Justin.* 9. 1. 6. Captis itaque cautum septuaginta navibus, mercibusque distractis, anhelantem inopiam paullulum recreavit. *Tac.* 6. *Ann.* 17. Copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obæratior, (*agros*) ægrius distrahebant. *Gell.* 20. 1. Bona venum distrahuntur. *Sueton. Vesp.* 16. Coemendo quædam tantum, ut pluris postea distraheret. *Id. Cal.* 39. Instrumentum distrahere. Adde *Dig.* 2. 15. 8. § 15. et alibi sæpe.

II.) Translate. — *a*) De rebus, ac præcipue de abstractis. *Ter. Phorm.* 3. 2. 33. Horum amorem distrahi poterin' pati? *Curt.* 3. 3. 4. Ad hæc vates varia interpretatione curam distraxerant: alii lætum id regi somnium esse dicebant —: quidam contra augurabantur. *Vulgati libri habent* distrinxerant: *at V.* Mützell ad h. l. *Cic.* 1. *Orat.* 59. 250. Oratoris industriam in plura studia distrahere nolim. *Id.* 5. *Tusc.* 20. 60. Sic distrahuntur in contrarias partes impotentium cupiditates. Cf. *eumd.* 1. *Off.* 3. 9. In deliberando sæpe animi in contrarias sententias distrahuntur. *Tac.* 4. *Hist.* 60. Obsessos hinc fides, inde egestas inter decus ac flagitium distrahebant. *Id.* 4. *Ann.* 40. Si matrimonium Liviæ velut in partes domum Cæsarum distraxisset. *Liv.* 2. 57. et *Tac.* 1. *Ann.* 4. Distrahere rem publicam. *Cic.* 3. *Off.* 6. 28. Quæ sententia omnem societatem distrahit civitatis. *h.* e. dissolvit, dissociat. *Liv.* 42. 47. Distrahere concilium Bœotorum. *Sueton. Cæs.* 42. collegia. (*Id. Aug.* 32. Dissolvere collegia). *Cajus Dig.* 24. 2. 2. matrimonium. *Cic.* 3. *Off.* 3. 11. Socratem exsecrari solitum eos, qui primum hæc natura cohærentia opinione distraxissent. *Quintil.* 4. 3. 4. Si (*oratio*) per vim cuneatur, et quæ juncta erant distrahit. — *Cæs.* 1. *B. C.* 33. Subjicitur Metellus trib. pleb. ab inimicis Cæsaris, qui hanc rem distrahat, reliquasque res, quascumque agere instituerit, impediat. *h.* e. rem disturbet, dissolvat, sive irritam reddat. — Hinc de litibus est dirimere, decidere. *Cic. Cæcin.* 2. 6. Judicia distrahendarum controversiarum causa reperta sunt. Adde *Sueton. Cæs.* 85. — *b*) De personis. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 43. 134. Distrahor: tum hoc mihi probabilius, tum illud videtur. *Tac.* 4. *Ann.* 40. Quum (*Augustus*) in omnes curas distraheretur. *Id.* 6. *ibid.* 44. Tiridates simul fama atque ipso Artabano perculsus distrahi consiliis. *Ammian.* 22. 10. Julianus distrahebatur multiformibus curis. *Id.* 20. 1. Cæsar distractus in sollicitudines varias. — Et cum Accusativo personæ. *Tac.* 2. *Ann.* 40. Quum Tiberium anceps cura distraheret. Cf. *Seneca Ep.* 2. Distrahit animum librorum multitudo. — *Distrahi fama* est differri, male audire. *Tac.* 2. *Ann.* 10. Haud fallebat Tiberium moles cognitionis, quaque ipse fama distraheretur.

B) Distrahere est etiam rem a re abstrahere, discerpere, divellere.

I.) Proprie. — *a*) De rebus. *Cic. Sull.* 20. 59. Qui tanto amore suas possessiones amplexi tenebant, ut ab his membra divelli citius ac distrahi posse diceres. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 110. At nostræ vix se continuere manus, Quin albam raramque comam, lacrimosaque vino Lumina, rugosas distraherentque genas. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 6. *a med.* Parvula semina, et quorum exilitas in commissura lapidum locum invenit, in tantum convalescunt, ut ingentia saxa distrahant. — *b*) De personis. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 40. Illique exopto, ut reliquam vitam exigat cum eo viro, me qui sit fortunatior; quandoquidem illam a me distrahit necessitas. *Id. Phorm.* 1. 4. 24. Quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar; nulla est mihi vita expetenda. *Cic. Planc.* 42. 102. Qui a me mei servatorem capitis divellat ac distrahat. *Id. Marcell.* 1. 2. Socius et comes a me distractus. Cf. *eumd. Dom.* 37. 98. Distrahi a complexu suorum. Cf. *eumd.* 1. *Fin.* 16. 50. Ut enim sapientiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli, nec distrahi possint etc.

II.) Translate significat alienare, inimicum reddere. *Cic.* 2. *Phil.* 10. 23. Posteaquam Pompejus se totum Cæsari tradidit, quid ego illum ab eo distrahere conarer? *Balbus* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. *ad Att.* Ut Cæsarem et Pompejum, perfidia hominum distractos, rursus in pristinam concordiam reducas. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus.

Distractus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Distractior* I., et Sup. *Distractissimus* II.

I.) Proprie est in diversas partes tractus, dispersus, dissipatus: *V.* supra sub *A* I. *Lucret.* 4. 958. Et divisior inter se (*conjectus animæ*) et distractior intus.

II.) Translate est distentus, diversis negotiis occupatus. *Vellej.* 2. 114. Tamquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus.

DISTRĀTUS, a, um. *V.* DISTERNO.

DISTRECTO, as, are, a. 1. idem ac detrecto. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 59.

DISTRĬBŪO, tribuis, tribui, tribūtum, tribuere, a. 3. (dis *et* tribuo). Part. *Distributus, Distributurus* et *Distribuendus* 1.° — Distribuere est diversis hominibus, vel diversis aut certis modis tribuere, dividere, partiri (It. *dispensare in una misura determinata, distribuire*; Fr. *distribuer, répartir, partager*; Hisp. *distribuir, repartir*; Germ. *ein –, vertheilen*; Angl. *to divide, distribute*). Occurrit — 1.°) Stricto sensu — *a*) De rebus. *Ter. Adelph.* 3. 4. 7. Argentum distributum sane est ex sententia. *Cic. Cluent.* 27. 74. Pecuniæ summam in singulos judices distribuere. Sic *Tac.* 2. *Ann.* 8. pecunias in judices. *Cæs.* 1. *B. C.* 39. pecunias exercitui. *Id.* 7. *B. G.* 71. pecus viritim. *Curt.* 8. 4. 20. pecora. *Cæs.* 7. *B. G.* 89. Ex reliquis captivis toto exercitu capita singula, prædæ nomine, distribuit. *Curt.* 5. 6. 20. Bona deinde amicis ceterisque pro cujusque merito dedit. Propemodum omnia, quæ in ea urbe ceperat, distributa. *Frontin.* 4. *Strateg.* 7. 12. Distribuere Pœnorum arma inter suos. *Sueton. Aug.* 98. togas. *Id. Cal.* 17. fascias feminis. Et sic sæpe de cibis ac donariis, quæ populo dabantur, apud *eumd. Dom.* 4., *Claud.* 20. et *Tib.* 46. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 137. Sanguis a corde in totum corpus distribuitur. *Id. Flacc.* 26. 62. Leges Atheniensium in omnes terras distributæ. Similiter *Seneca* 7. *Benef.* 21. Dii bona sua per gentes populosque distribuunt. *Ulp. Dig.* 26. 7. 3. Distribuere aliquid inter aliquos. *Cic.* 1. *Cat.* 4. 9. et 3. *ibid.* 4. 8. Describere et distribuere partes Italiæ. *Cæs.* 4. *B. G.* 22. naves quæstoribus. *Curt.* 8. 14. 9. elephantos proximis amicorum. — *b*) De personis. *Cæs.* 3. *B. G.* 10. Partiendum sibi ac latius distribuendum exercitum putavit. *Cic.* 7. *Att.* 14. Commode Pompejus gladiatores distribuit, binos singulis patribus familiarum. *Id.* 3. *Legg.* 3. 7. Distribuere populi partes in tribus. *Id.* 2. *de republ.* 22. populum in quinque classes. Cf. *Ovid.* 6. *Fast.* 84. *Quintil.* 1. 2. 23. pueros in classes. *Cæs.* 3. *B. G.* 22. copias in tres partes. *Id.* 7. *ibid.* 67. Equitatus in tres partes distributus. Cf. *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 68. Orbem in duodecim partes distribuere. *Cæs.* 3. *B. C.* 4. milites in legiones. Cf. *Frontin.* 4. *Strateg.* 1. 43. *Plin.* 10. *Ep.* 38. milites in numeros. *Curt.* 6. 5. Miles distributus in supplementum. *Cæs.* 5. *B. G.* 24. Distribuere exercitum in civitates. *Sall. Cat.* 30. Decrevere, ut familiæ gladiatoriæ Capuam et in cetera municipia distribuerentur. *Justin.* 12. 5. 8. Aut consumpturus milites, aut in ultimis terris in colonias distributurus. *Sueton. Aug.* 49. Distribuere legiones provinciatim. *Cæs.* 1. *B. C.* 14. Quos (*gladiatores*) circum familiares conventus Campaniæ, custodiæ causa, distribuit. *Flor.* 1. 6. 3. Ab hoc populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus. *h. e.* in curias et collegia. — 2.°) Latiori sensu de abstractis. *Cic. Rosc. Am.* 42. 122. Distribuere causam in crimen et in audaciam. *Seneca* 7. *Benef.* 2. Regula honesti vitæ opera distribuere. *Cic.* 1. *Orat.* 23. 109. Sin autem ea, quæ observata sunt in usu ac tractatione dicendi, hæc ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt etc. *Quintil.* 9. 3. 93. An schema sit distributis subjecta ratio. Adde *eumd.* 9. 1. 34. — Huc pertinet et illud *Sueton. Aug.* 30. Quo autem facilius undique urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.

DISTRĬBŪTĒ, adverb. Comp. *Distributius.* — Distribute est distribuendo, ordinate, distincte. *Cic.* 2. *Tusc.* 3. 7. Se neque distincte, neque distribute scribere. *Id.* 2. *Invent.* 59. 177. Sin distributius tractare quis volet, partiatur in animum et corpus.

DISTRĬBŪTIM, adverb. idem ac distribute. *Boeth. in Porphyr.* 4. *p.* 87. Si ad species animal reducatur, habere potest differentias, sed distributim, atque ut ejus speciebus separatim nihil posset evenire contrarium. *Id.* in *Cic. Topic.* 3. *p.* 794. Ita locorum omnium diligentius natura considerabitur, si non confuse solum, verum etiam distributim.

DISTRĬBŪTĬO, ōnis, f. 3. divisio atque in ordinem dispositio. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Divinat.* 20. 45. Cæli distributio. *Ammian.* 11. 6. Distributio sportularum. — Et de abstractis. *Cic. Cluent.* 1. 1. Itaque mihi certum est hanc eamdem distributionem invidiæ et criminum sic in defensione servare. — Et in oratione. *Cic. Partit. orat.* 2. 7. Distributiones, ut genera partium, generumve partes. *et ibid.* 4. 12. Quia, quibus in orationibus delectatio finis est, varii sunt ordines collocandi. Nam aut temporum servantur gradus, aut generum distributiones. *Quintil.* 7. 1. 1. Rerum ac partium in locos distributio. *Q. Cic. Petit. cons.* 12. 49. Ne videar aberrasse a distributione mea. *h. e.* thematis vel causæ divisione, quam *Cic.* 1. *Herenn.* 10. 17. constare ait enumeratione et expositione: Enumeratione, inquit, utemur, quum dicemus numero, quot de rebus dicturi simus. – Expositio est, quum res, quibus de rebus dicturi sumus, exponimus breviter et absolute. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores est figura sententiarum, in qua, quibusdam positis, unicuique sua redditur ratio. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 203.; et *Quintil.* 9. 1. 30., 9. 2. 2. et 3. 4. 16. ¶ 3. Item speciatim in architectura. *Vitruv.* 1. 2. *sub fin.* Distributio est copiarum locique commoda dispensatio, parcaque in operibus sumptus cum ratione temperatio.

DISTRĬBŪTĪVUS, a, um, adject. ad distributionem pertinens, distributionem significans. *Priscian.* 13. *p.* 965. *Putsch.* Neque enim interrogativa nomina, nec infinita, nec abnegativa, nec distributiva, nec impertitiva, nec relativa – vocativos pollicentur etc. *Id.* 17. *p.* 1112. Excipiuntur infinita nomina vel interrogativa, vel relativa, vel redditiva, vel distributiva. *Id. ibid. p.* 1097. Ecce hic auctoritatem Homeri secutus nominativum posuit pro genitivo –: ad distributiva enim reddidit verbum, non ad conjuncta. — Extra rem grammaticam, *Boeth.* in *Aristot. Topic.* 6. *p.* 713. Justitia potestas æqui distributiva est.

DISTRĬBŪTOR, ōris, m. 3. qui distribuit. *Apul. Trismeg.* Deus distributor dispensatorque est bonorum. — Addunt et *Cic.* locum *Pis.* 15. 36. Vos rogatores, vos distributores, vos custodes fuisse tabularum. *Sed al. rectius leg.* diribitores.

DISTRĬBŪTUS, a, um. *V.* DISTRIBUO.

DISTRICTĒ, adverb. Comp. *Districtius* et Sup. *Districtissime.* — Districte proprie est stricte: sed occurrit translate tantum, et est non solute, non remisse, severe, acriter. *Plin.* 9. *Ep.* 21. Acrius severiusque corripui, districte minatus, nunquam me postea rogaturum. *Ulp. Dig.* 3. 5. 13. Hæc neque passim admittenda sunt, neque districte deneganda. *Tertull. Idolol.* 5. Districtius repercuti potest. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 11. Districtius vivere. *Cassiod.* 9. *Variar.* 18. *a med.* Ceterum in adulteris totum districtissime volumus custodiri, quidquid divali potuit commonitione decerni.

DISTRICTĬO, ōnis, f. 3. distringendi actus: sed occurrit translate tantum, et est ¶ 1. Angustiæ, difficultas. *Paul. Dig.* 4. 8. 10. Quod sine illa districtione ipsius interdum futurum est. ¶ 2. Item punitio, supplicium. *Cassiod.* 3. *Variar.* 34. Minoribus solatium, insolentibus severitatem suæ districtionis objiciat. *Id. ibid.* 47. In partem pietatis recidit mitigata districtio.

DISTRICTĪVUS, a, um, adject. qui stricturam dissolvit. *V.* STRICTŪRA. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. *a med.* Si continuatio fuerit, initio lucis, quo tempore etiam ceteris districtivis adjutoriis uti condocit, erunt cucurbitæ apponendæ.

DISTRICTUS, a, um. *V.* DISTRINGO.

DISTRINGILLA me, παρίζυσόν με. *Gloss. Lat. Gr.* h. e. strigili me rade.

DISTRINGO, stringis, strinxi, strictum, stringere, a. 3. (dis *et* stringo). Part. *Distringens* II.; *Districtus* I. et in fin.; *Distringendus* II. — Distringere est in diversas partes trahere atque distendere.

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Æn.* 616. Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum Districti pendent. *h. e.* alligati simulque distenti: alii *destricti* leg. *Lucret.* 5. 1064. Longe alio sonitu rabie districta (*canum ricta*) minantur, Et quum jam latrant et vocibus omnia complent. *h. e.* rictus rabie distentus multumque hians: al. *distracta* leg. Sic *Ammian.* 14. 7. *med.* Gallus districta dentium acie stridens inquit.

II.) Translate est distinere, distrahere, pluribus partibus urgere et premere aliquem, et hinc etiam impedire. *Phædr.* 4. 26. Distringit te multarum rerum varietas. *Plin. Paneg.* 94. Non te distringimus votis. h. e. plura et diversa simul petentes fatigamus. *Id.* 7. *Ep.* 15. Quo nosti, distringor officio: amicis deservio, studeo interdum. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 10. 9. Similiter *Id.* 3. *ibid.* 5. 19. Ego tantum, quantum amicorum officia non distringunt, vaco. *Ammian.* 31. 2. Omnis igitur ætas et sexus imbellis circa vehicula ipsa versatur, munisque distringitur mollibus: juventus vero equitandi usu etc. *Liv.* 35. 18. *extr.* Hannibalem mittendum in Africam esse ad distringendos Romanos. *h. e.* qui ita Romanorum copias ac vires diversis in locis occuparet ac distraheret. Sic *Id.* 41. 35. Populatione maritimæ oræ distringere copias regias. *Frontin.* 1. *Strateg.* 3. 5. Scipionem oppugnatione distringere. *Ammian.* 19. 8. Ut multitudo nostrorum manu conserta distringeretur. *Flor.* 2. 13. 1. Ipsi quidem (*Illyrii*), ut Romanum a tergo distringerent, a Perse rege conducti pecunia militavere. *Id.* 4. 2. Distringere incendiis urbem. *h. e.* tot locis ignem injicere, ut cives distracti incertique quo accurrerent, exstinguere non possent. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 65. (239). Innumera rusticos cura distringit. *Curt.* 3. 3. 4. Vates ejus curam distrinxerant. *Al. leg.* distraxerant: V. *Mützell.* ad h. l. *Quintil.* 12. 1. 7. Spe, curis, labore (*mens*) distringitur. *Id.* 12. 1. 5. Nulla distringente atque alio ducente causa. *Sil. It.* 2. 189. inter prælia postquam Distringi Therona videt. *h. e.* hinc atque illinc ab hostibus peti. — *NB.* Apud *Colum.* 12. *R. R.* 8. 2. Deinde exiguum aridi thymi et cunilæ aridæ super lac distringito. *Schneider.* correxit *destringito.* — Item apud *Quintil.* 12. 6. 2. Ut neque præpostere distringatur immatura frons, etc. nam et contemptus operis innascitur, et fundamenta jaciuntur impudentiæ. *Spalding.* legit *destringatur: destringere* autem *frontem* eodem sensu dicitur, quo perfricare et audaciam sumere. — Item apud *Cic.* 3. *Off.* 32. 113. Fraus enim distringit, non dissolvit perjurium. *Orellius* legit *adstringit.* Similiter apud *Senec.* 6. *Benef.* 34. Huic pervenire usque ad distringendam libertatem licet, cujus vulgare et publicum verbum et promiscuum ignotis, Ave, nonnisi suo ordine emittitur? *h. e.* solvendam, laxandam libertatem, quam metus et reverentia retinet ac velut clausam habet. Hoc autem sensu *destringendam* legendum præstat. — Item *Distringere ensem*, *Districtus gladius*, et similia, *V.* in DESTRINGO. — Denique et *Destringere* se V. in DESTRINGO. — Hinc Part. præter. pass.

Districtus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Districtior* 1. et 2.; *Districtissimus* 2. — Translate districtus ¶ 1. Est propter negotia in angustias redactus, distentus, distractus, occupatus. *Cic. pro leg. Manil.* 4. 9. Ancipiti contentione districti. *Al. leg.* distracti. *Nepos Hann.* 13. Hic tantus vir tantisque bellis districtus, nonnihil temporis tribuit litteris. *Quintil. Ep. ad Tryphon.* 1. Negotiis districtus. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 16. Sic habeto, numquam me a causis et judiciis districtiorem fuisse. *Id.* 3. *Orat.* 2. 7. Quamdiu Crassi fuit ambitionis labore vita districta. *Val. Max.* 8. 7. *n.* 15. *extern.* Maximarum rerum cura districtus. *Flor.* 4. 12. 1. Districtum circa mala sua imperium. *Ammian.* 18. 4. Ancipiti cogitatione districtus. *Cic.* 2. *Fam.* 15. Districtus mihi videris esse, quod et bonus civis et bonus amicus es. *h. e.* ambiguus, anceps, utrimque distractus. *Pseudo-Ascon.* ad illud *Cic.* 2. *Verr.* 9. 24. *Me hoc judicio districtum atque obligatum futurum:* Districtus potest et sine vinculis manu ducentium ferri: obligatus, etiam nodis vinculorum in loco intelligitur. Plus est ergo, obligatum esse, quam districtum. Cf. *Seneca Vita beat.* 16. *in fin.* Alii alligati sunt, alii adstricti, alii districti quoque. *Lips.* monet, *alligati*, mollius; *adstricti*, arctius; *districti*, multiplex circulum designare. ¶ 2. Hinc est etiam severus, austerus, rigidus, nempe soluto, remisso, indulgenti contrarius. *Tac.* 4. *Ann.* 36. Ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat. *Val. Max.* 8. 2. 2. Ex amica ob-

sequenti subito districtam feneratricem agere cœpit. *Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. Cod.* 1. 55. 6. Probatissimi quique et districtissimi defensores adsint disciplinæ. *Val. Max.* 2. 9. 6. Districta censura. *Plin.* 10. *Ep.* 25. officium.

DISTRUNCO, as, are, a. 1. (dis *et* trunco) mutilo, vel in partes disseco. *Plaut. Truc.* 2. 7. 53. Ego te hic agnum faciam, et medium distruncabo.

DISTRŪO, is, ere, a. 3. separatim vel seorsum struo. *Sueton. Cal.* 41. Distructis ac instructis, pro loci dignitate, compluribus cellis. Ita quidam Lexicographi. Verum emendati libri habent *distinctisque et instructis*. Ceterum *distruo*, pro *destruo*, legitur in antiq. libris quibusdam eorum scriptorum, quos in DESTRUO et DESTRUCTUS attulimus.

DISTURBĀTĬO, ōnis, f. 3. disjectio, demolitio.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Off.* 11. 46. Utilitatis specie in republ. sæpissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri.

II.) Translate. *Mythograph. II.* ab *A. Mai.* edit. in *Class. Auct. T.* 3. p. 85. col. 2. Iris dicitur quasi ἔρις, id est lis: nam numquam ad conciliationem mittitur, sicut Mercurius; sed semper ad disturbationem.

DISTURBĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DISTURBO, as, āvi ātum, are, a. 1. (dis *et* turbo). Part. *Disturbans*, *Disturbatus* et *Disturbaturus* I. 2.; *Disturbandus* II.) — Disturbare proprie est in diversas partes turbare, atque adeo per vim disjicere ac permiscere (It. *violentemente separare e mettere in confusione*; Fr. *séparer par la force, mettre en désordre en séparant*; Hisp. *separar violentamente, separando confundir, desordenar*; Germ. *auseinanderstören, daher mit Gewalt trennen und in Verwirrung bringen*; Angl. *to turn topsy-turvy, cause to boil*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic. Mil.* 33. 91. Cædi vidistis populum Romanum, concionem gladiis disturbari. *Seneca Hippol.* 1011. Auster disturbat freta. ¶ 2. Latiori, seu prægnanti, uti ajunt, significatione est avertere, diruere, demoliri, ad nihilum redigere; et usurpatur præcipue de ædificiis. *Lucret.* 1. 559. Tempus disturbans dissolvensque frangit omnia. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 41. Ignis, quocumque invasit, cuncta disturbat ac dissipat. Rursus *Lucret.* 2. 1102. tum fulmina mittat et ædes Sæpe suas disturbet. *Id.* 6. 239. ut (*fulmina*) possint ictu discludere turres, Disturbare domos, avellere tigna trabesque. *Cic.* 5. *Phil.* 7. 19. Huc nisi venissem, se domum meam disturbaturum esse dixit. *Id. Dom.* 37. 98. Se videre distrahi a complexu suorum, disturbari tecta, diripi fortunas. *Id. Tull.* § 21. Disturbare tectum villamque. *Id. ibid.* § 53. ædificium. *Id. ibid.* § 39. et 4. *Att.* 3. Disturbata porticus. *Cæs.* 1. *B. C.* 26. Rates perrumpere atque opera disturbare. *Inscript.* apud *Gruter.* 176. 5. DISTVRBATOS ARCVS DVCTVS AQVAE VIRGINIS A FVNDAMENTIS NOVOS FECIT. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 38. Si qua in vineis fossor disturbavit, vinitor restituere debet.

II.) Translate. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 137. Disturba, quas statuisti, machinas. *h. e.* consilia fraudulenta abjice, depone. *Ter. Andr.* 1. 2. 11. Disturbare nuptias. Adde *Apul.* 4. *Met. Cic. Sull.* 5. 15. et 25. 71. Judicium ambitus tollere ac disturbare. Sic *Id. fragm. orat.* 1. *pro C. Corn.* Qui aliquod institui exemplum disturbandorum judiciorum perniciosissimum cupierunt. *Id.* 2. *leg. Agr.* 37. 101. Legem disturbare ac pervertere. *Id. Rosc. Am.* 38. 111. Qui fidem lædit, quantum in ipso est, disturbat humanæ vitæ societatem. *h. e.* evertit. *Id.* 11. *Fam.* 21. *ad fin.* Quum quidam agrariam curationem ligurirent, disturbavi rem, totamque vobis integram reservavi. *h. e.* impedivi, sustuli. *Sall. Orat. Philippi contra Lepid.* Bello disturbare concordiam. *Liv.* 2. 15. Spem pacis disturbare. *Plerique tamen leg.* distinere.

DISTURPO, as, are, a. 1. hinc inde turpo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 70.

DISŪNĬO, is, ire, a. 4. (dis *et* unio) unita separo. *Arnob.* 3. 27. Disuniuntur tenacium matrimoniorum nexus. *Ita legit. etiam* Orell.; *alii* dissuuntur, *quod* magis probaverim: nisi quod MSS. libri habent *disuriuntur*.

DĪSYLLĂBĒ, adverb. duabus syllabis. *Priscian.* 7. p. 741. *Putsch.* Cui quoque inveniuntur quidam disyllabe protulisse per diæresin: ut Albinus rerum Romanorum I.: *Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis Sponte deûm patuere, cui freta nulla repostos Abscondere sinus, non tutæ mœnibus urbes.*

DĪSYLLĂBOS, a, on, *vel Latina positione*

DĪSYLLABUS, a, um, adject. δισύλλαβος, duas habens syllabas; a δὶς *bis*, quod in compositione, sequente vocali vel diphthongo *a* fere retinet, sequente consona plerumque amittit, ut δίπους *bipes*: quamquam scribitur δίεφθος pro δίςεφθος *bis coctus* et διςθανής pro διθανής *bis mortuus*. Hinc prima syllaba est anceps, hoc est modo brevis, modo longa, ut *Terentiani* locis infra citatis aperte patet: immo nonnulli et *dissyllabus* scribendum esse putarunt. *Lucilius* apud *Non.* p. 26. 7. *Merc.* Dicere: tute vide, atque disyllabon elige quodvis. *Quintil.* 1. 5. 31. *Vox* disyllaba. V. *Spalding.* ad h. l. *Terentian.* p. 2431. *Putsch.* Æolium et isto genuit doctissima Sappho, Quod sit quinque pedum, velut hos modo perspicis, Nam addit primum illa disyllabon, ut libet. *Et mox.* Ille tetrametro datur ante disyllabus. *Id.* p. 2419. Dat et trochæo qua disyllabo locum. Contra brevis est prima apud *eumd.* p. 2412. Nunc pedes accedo primos, quos vocant disyllabos. Cf. *eumd.* p. 2413. Hactenus vicissitudo vertitur δισυλλάβων.

DĪTĀTOR, ōris, m. 3. qui ditat. *Augustin.* 5. *Confess.* 5. Spiritus S. consolator et ditator fidelium.

DĪTĀTUS, a, um. *V.* DITO.

DITE, adverb. *V.* DITIUS, DITISSIME.

DĪTESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* dives fio. *Lucret.* 4. 1246. partu possunt ditescere dulci. *Id.* 5. 1248. feras interficere, et ditescere præda. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 9. Quando pauperiem missis ambagibus horres, Accipe qua ratione queas ditescere. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 309. largo ditescat arena Sanguine. *h. e.* abundet. Adde *eumd.* 2. *Laud. Stilich.* 396.

DĪTHĂLASSUS, a, um, adject. διθάλασσος, bimaris, qui utrimque mari alluitur: a δὶς bis et θάλασσα *mare*. *Vulgat. interpr. Act. Apost.* 27. 41. Et quum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem.

DĪTHȲRAMBĬCUS, a, um, adject. διθυραμβικός, ad dithyrambum pertinens. *Cic. Opt. gen. orat.* 1. 1. Poematis enim tragici, comici, epici, melici etiam ac dithyrambici, quod magis (*corrige minus*) est tractatum a Latinis, suum quodvis est diversum a reliquis genus.

DĪTHȲRAMBUS, i, m. 2. διθύραμβος, versus in honorem Bacchi, qui Dithyrambus et ipse a Græcis dicitur, a δὶς *bis*, et θύρα *janua*, quia binis foribus sit egressus, quippe bis natus, primum e Semele matre, deinde e femore Jovis, ut habet *Suidas* in *V.* Διθύραμβος et innuit *Euripid.* in *Bacch.* v. 515. – 521., vel quia educatus sit in antro διθύρῳ, id est bifori. At quum prima syllaba tum apud Græcos, tum apud Latinos longa sit, videtur amplectenda sententia *Vossii* in *Etymol.*, qui ex *Etymol. M.* putat esse vocem derivatam a λῦθι ῥάμμα, h. e. *solve suturam*, qua exclamatione usus est Juppiter Bacchum parturiens. *Horat.* 4. *Od.* 20. 10. *de Pindaro.* Seu per audaces nova dithyrambos Verba devolvit, numerisque fertur Lege solutis. — Erat autem hoc genus carminis ita compositum, ut inventione, dictione ac numeris a communi carminis ratione abiret longius, et miram licentiam audaciamque referret, utpote quod a Bacchi furore percitis cantari solitum. Ex eo tragœdiam ortam fuisse, docet *Aristot. Poet.* c. 4., ut ex carminibus ithyphallicis originem habuit comœdia. Triplex vero fuisse dithyramborum genus statuit *Roman. de Timkowsky* in *Act. Semin. et Societ. Philol. Lips. T.* 1. *p.* 201. – 231.: primum constabat oratione tumida et turbata, verbis partim novis, partim novo sensu positis, sententiis nulla certa via procedentibus, versuum vero harmonia sonora, et quasi ebria, cujus exemplum exstat apud *Eurip. Bacch.* v. 64. – 165.: alterum longe moderatius sanisque sensibus magis conveniens, quale fuit a Pindaro frequentatum, teste *Horat. loc. cit.*, cujusque fragmentum exstat apud *Dionys. Halic. de struct. orat.* c. 22.: tertium vero genus priori simile ex vana et tumida oratione, vocabulis novis, barbaris, perplexisque, cujus meminit idem *Dionys. ibid.* c. 19., quodque maxime deridet *Aristoph.* in *Nub.* v. 330. et seqq. Apud Romanos, genus hominum ob probitatem et morum severitatem a Græcis valde discrepans, minori fuit in pretio, ut affirmat *Cic. loc. cit.* in voce præced., cum etiam Bacchanalia Romæ senatusconsulto sublata fuerint: *V.* BACCHANALIA. Exemplum tamen hujus carminis habes apud *Senec. Œdip.* v. 403. *et seqq.*, et apud *Horat.* 2. *Od.* 19. et 3. *ibid.* 25. *Cic.* 3. *Orat.* 48. 185. Ex illis modis procerior quidam numerus effloruit; inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus, cujus membra et pedes sunt in omni locupleti oratione diffusa.

DĪTĬFĬCO, as, are, a. 1. ditem facio. *Cassiod.* 8. *Variar.* 26. Quum vos munera nostra, Domino adjuvante, ditificent.

DĪTĬO, ōnis, f. 3. *V.* DICIO, onis.

DĪTIOR. *V.* DIVES, itis.

DĪTISSĬMĒ. *V.* DITIUS.

DĪTISSIMUS. *V.* DIVES, itis.

DĪTĬUS, adverb. Comparat. ab adject. *dives* seu *dis*, *ditis*, unde et Sup. *Ditissime.* — Ditius est locupletius, copiosius. *Stat.* 1. *Silv.* 5. 30. non unquam aliis habitastis in antris Ditius. *Apul. de Deo Socrat.* Domos ditissime exornare.

DĪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Dito est per syncopen ab antiquissima forma *divito, as, are,* ejusdem prorsus significationis, quam exhibent *Accius* apud *Gell.* 14. 1. 31. Augures verbis aures divitant alienas, suas ut auro locupletent domos. et *Turpilius* apud *Non.* p. 95. 9. *Merc.* Dii me divitant. — Part. *Ditans*, *Ditatus* et *Ditandus* I.; *Ditaturus* II. — Dito est divitem facio (It. *arricchire*; Fr. *enrichir, rendre riche*; Hisp. *enriquecer*; Germ. *bereichern, reich machen*; Angl. *to enrich*).

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 5. quid censes munera terræ, Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos? *Id. Epod.* 1. 32. Satis superque me benignitas tua Ditavit. *Cic.* 4. *Herenn.* 53. 66. Urbs ditata triumphis. *Liv.* 21. 60. Castra militem ditavere. *Id.* 37. 54. Socios præmiis belli ditare. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 62. Ditata est spoliis perfida turba meis. *Val. Flacc.* 6. 145. Mellis honos Torinis: ditant sua mulctra Satarchen. *Justin.* 9. 2. 7. Terra ditat Scythas. *Ammian.* 26. 6. Ditari luctibus alienis. *Id.* 26. 10. casibus. Adde *Sueton. Ner.* 6. et *Galb.* 5. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 29. Mœnia quæ quondam famulus ditavit Hydaspes. *h. e.* Macedonia, quam Persæ et India debellata ab Alexandro spoliis et præda ditavit. *Id.* VI. *Cons. Honor.* 72. tecum prælarga vocavit Ditandas ad dona tribus. — Mediorum apud Græcos more ac vi. *Liv.* 1. 57. Rex Romanus ipse ditari — studebat.

II.) Translate. *Lucret.* 2. 625. Ære atque argento sternunt iter omne viarum, Largifica stipe ditantes. *Horat. A. P.* 56. quum lingua Catonis et Enni Sermonem patrium ditaverit et nova rerum Nomina protulerit. *Alcim.* 1. 263. *de Nilo.* Cujus in Ægyptum lenis perlabitur unda Ditatura suam certo sub tempore terram.

DĪTŎNOS, *vel Latina positione*

DĪTŎNUS, a, um, adject. δίτονος, duobus tonis constans. *Capell.* 9. p. 323. Enarmonion quidem, quum immutabilibus sonis cingitur, modulationi obediet per diesin et diesin et ditonon incompositum. *Ita* Meibom. et Kopp. *pro mutilo et depravato* per diesin et diatonon. *V.* locum *Aristidis* allatum a *Kopp.* Porro hæc lectio confirmatur etiam a *Boeth.* 1. *Music.* 21. p. 1389. Quum cantatur in omnibus tetrachordis per diesin et ditonum.

DĪTRŎCHÆUS, i, m. 2. διτρόχαιος, pes metricus constans ex duobus trochæis, idem ac dichoreus, ut *civitate, dimicare. Diomed.* 3. p. 477. *Putsch.*; *Donat.* p. 1739. *Putsch.*; et *Terentian.* p. 2415. *Putsch.*

DĬU est *A*) Antiqua Ablativi forma a *dies*, ut noctu a nox; et *B*) Adverbium.

A) *Diu*, quum sit antiqua Ablativi forma a *dies*, est die, diei tempore. *Plaut. Cas.* 4. 4. 5. Noctuque et diu viro subdola sies. *Id. fragm.* apud *Non.* p. 98. 27. *Merc.* Nec noctu, nec diu quietus. *Titinius* apud *eumd. ibid.* Nec noctu, nec diu licet fullonibus quiescant. *Sall.* apud *Charis.* 2. p. 185. *Putsch.* Noctu diuque stationes et vigilias tentare. *Apul.* 9. *Met.* Noctu diuque diruptus. *Alii tamen aliter leg. Quintil.* 1. 4. 29. Nam ut noctu et diu, ita dictu et factu.

B) Sæpissime occurrit adverbialiter (unde Comp. *Diutius* et Sup. *Diutissime* I.), et est per aliquod

temporis spatium, ac præcipue tempore satis longo, atque adeo longo tempore (It. *lungo tempo*; Fr. *longtemps, pendant longtemps*; Hisp. *largo tiempo, mucho tiempo*; Germ. *lange Zeit*; Angl. *long, for a long time, a long while*).

I.) Proprie significat multorum dierum continuationem, et ponitur pro longo tempore. — a) Positivus gradus; et quidem — *Nimis diu* apud *Plaut. Pseud.* 2. 3. 21. Nimis diu et longum loquor. *Id. Merc.* 1. 2. 54. Nimis diu animi penden. *Id. Epid.* 3. 1. 2. Nimis diu maceror. — *Diu multumque* apud *Cic. Orat.* 1. 1. Diu multumque, Brute, dubitavi. Adde *eumd.* 13. *Phil.* 5. 10., 4. *Att.* 13. et *Sull.* 26. 73.; *Sall. Jug.* 94.; et *Flor.* 2. 3. 5. Ceterum apud *Cic. Senect.* 3. 9. Quum diu multumque vixeris. *nonnulli leg.* multum diuque. — *Multum ac diu* apud *Apul.* 2. *Met.* Multumque ac diu (corpus) deosculata. — *Multum et diu* apud *Cic.* 2. *leg. Agr.* 32. 88. De Capua multum est et diu consultum. Adde *Plaut. Most.* 1. 2. 1. — *Diu diuque* apud *Apul.* 11. *Met.* Hanc experrectus imaginem diu diuque revolvebam. — *Sæpe et diu* apud *Cic. Quinct.* 31. 96. Quorum sæpe et diu ad pedes jacuit stratus. — *Sæpe diuque* apud *Horat.* 1. *Ep.* 13. 1. Ut proficiscentem docui te sæpe diuque. — *Satis diu* apud *Cic. Cluent.* 71. 202. Hic satis diu in miseriis fuit. — *Diu* apud *Plaut. Most.* 1. 2. 4. Eam rem volutavi et diu disputavi. *Id. Pers.* 2. 3. 12. Diu quod bene erit, die uno absolvam. *Id. Curc.* 1. 2. 27. At jam bibes. AN. Diu fit. *h. e.* jam dudum asspecto. *Virg.* 10. *Æn.* 261. Phœbe, diu, res si qua diu, mortalibus ulla est, Viximus. *Sall. Jug.* 113. Hæc Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit. *Quintil.* 11. 3. 8. Qua (*fama*) diu princeps oratorum, aliquando æmulus Ciceronis existimatus est. — Et diu substantivorum more apud *Cic. Marcell.* 9. 27. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum? Cf. *eumd. Senect.* 19. 69. Quanquam, o di boni, quid est in hominis vita diu? — Similiter *Haud diu est* apud *Plaut. Merc.* 3. 1. 44. Namque illi quidem haud diu est, quum dentes exciderunt. *Ter. Eun.* 2. 3. 66. Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam. PA. Haud diu est. — *Nec diu* apud *Plaut. Rud.* 1. 4. 28. Nec loci gnara sum, nec diu hic fui. *Ter. Adelph.* 4. 5. 14. Ut opinor, has non nosse te, et certo scio: neque enim diu huc commigrarunt. — *Jam diu* apud *Plaut. Most.* 1. 3. 144. Nec quidquam argenti locavi jam diu usquam æque bene. *Id. Men.* 1. 1. 20. Nam ego ad Menæchmum nunc eo, quo jam diu sum judicatus. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 8. 26. Quod populus Romanus jam diu flagitat. *Id.* 6. *Verr.* 47. 105. De quorum religione jam diu dicimus. *Sueton. Tib.* 74. Cinis e favilla et carbonibus ad calefaciendum triclinium illatus, extinctus et jam diu frigidus exarsit repente. — *Tam diu* apud *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 89. Quot hic ipse annos vivet, cujus filii tam diu vivunt? *Ter. Hecyr.* 4. 4. 23. Nos ne hoc celatos tam diu? *Id. Adelph.* 2. 2. 26. Ut sit satius perdere, quam aut hic nunc manere tam diu, aut tum persequi. *Sueton. Cal.* 29. Necessariam esse sanguinis missionem cui tam diu non prodesset helleborum. — b) Comp. *Diutius* apud *Plaut. Rud.* 1. 2. 5. Eo vos amici detinui diutius. *Cato R. R.* 5. Operarium, mercenarium politorem diutius eumdem ne habeat die. *Cic.* 7. *Att.* 3. Ne diutius anno in provincia essem. *Id. Rosc. Am.* 7. 20. et 3. *Verr.* 13. 34. Ne diutius vos teneam, judices. *Id. Amic.* 27. 104. Diutius enim jam in hoc desiderio esse non possum. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. Ubi se diutius duci intellexit. *Quintil.* 6. 4. 14. Quo sæpius diutiusque dicatur. — *Diutius* pro simplici *diu* aliquando ponitur. *Cæs.* 4. *B. G.* 35. Commisso prælio, diutius nostrorum militum impetum hostes ferre non potuerunt, ac terga verterunt. *Id.* 3. *ibid.* 9. Neque nostros exercitus, propter frumenti inopiam, diutius apud se morari posse confidebant. *Sall. Cat.* 39. Neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset. — c) Superl. *Diutissime* apud *Cic. pro leg. Manil.* 5. 13. Ut ii beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissime commoratur. *Id. Amic.* 1. 4. Qui diutissime senex fuit. *Id. Pis.* 37. 90. Mitto aurum coronarium, quod te diutissime torsit, quum modo velles, modo nolles. *Cæs.* 6. *B. G.* 21. Qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem. *Sueton. Rhet.* 2. Plotius Gallus diutissime vixit. Adde *eumd. Vitell.* 14. — *Quam diutissime* apud *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 1. Tibi ego spem maturæ decessionis afferebam, non solum, ut quam diutissime te jucunda opinione oblectarem, sed etiam etc.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur et pro tempore admodum longo seu longissimo; quo sensu ad præteritum tempus refertur, et occurrit — a) Aliquando *diu* tantum. *Varro* apud *Non.* p. 77. 13. *Merc.* Quod arci, quos summo opere jecerat, fessi pondere, diu facti, celeriter corruissent. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. *extr.* Copiæ, quas diu simulatione reipublicæ comparabant. *Cic.* 1. *Orat.* 30. 136. Omnia, quæ diu cupimus. — b) Sæpius tamen hoc sensu occurrit *jam diu*, ut apud *Plaut. Most.* 2. 2. 45. Scelus, inquam, factum'st jam diu antiquum et vetus. *Id. Pseud.* 1. 3. 4. Jam diu ego huic bene et hic mihi volumus et amicitia est antiqua. Adde *eumd. Epid.* 1. 1. 9. *Ter. Eun.* 5. 7. 1. Numquam quidquam jam diu, quod magis vellem evenire, mihi evenit. *Cic.* 1. *Att.* 19. *ad fin.* Conventus, qui initio celebrabantur, jam diu fieri desierunt. — Ceterum huc fortasse referri possunt nonnulla, quæ supra sub I. allata sunt. — *Diu jam* apud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 15. (40). Diuque jam non aliud ad nos invehitur laser, quam quod in Perside aut Media et Armenia nascitur. — *Jam diu est* sequente *quum* apud *Plaut. Asin.* 2. 1. 3. Jam diu est factum, quum discesti ab hero. — *Jam diu est* sequente *quod* apud *eumd. Amph.* 1. 1. 146. Agite pugni: jam diu est, quod ventri victum non datis. — *Jam diu est, postquam* apud *eumd. Pers.* 5. 2. 11. Jam diu factum est, postquam bibimus. — *Jam diu est*, ut habet *Augustin.* 1. *Retract.* 1. et *Ep.* 71. *ad Hieron.* ¶ 2. Transfertur aliquando ad spatium, ea nempe ratione qua *ubi primum* dicimus pro *ut primum*. Sic *Mela* 2. 1. 4. Italia — diu excurrit. *h. e.* in longum porrigitur. Adde *eumd.* 1. 2. 3.

DĪŪRĒTĬCUS, a, um, adject. qui per urinam facile transit, a διουρητικός, urinam ciendi vim habens. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 3. Diuretica vina. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. n. 117. medicamenta. *Veget.* 5. *Veterin.* 71. potiones. *Gargil. Mart. de re hort.* 1. 3. edente *A. A. Scottio.* Eadem (*cydonea*) Dioscorides et diuretica existimat austeritatis beneficio. Adde *Theod. Priscian.* 2. 2.

DĬURNĀLIS, ἡμερούσιος. *Gloss. Lat. Gr.*

DĬURNĀRĬUS, ii, m. 2. qui diurna conficit, seu perscribit. *Impp. Valentin. et Valens Cod. Theod.* 8. 4. 8. Subscribendarii vero, tabularii, diurnarii, logographi, censuales post emensum munus ea condicione curiis aggregentur, si cum in officiis essent vilioribus, nulla eos suppliciorum macula turpaverit.

DĬURNĒ, adverb. per unumquemque diem. *Dracont.* 1. *Hexæm.* 68. redditque diurne Depositum natura suum sub nocte sepultum. *Id.* 3. *ibid.* 602. Et lacrimas intende meas, quas fundo diurne Tristis.

DĬURNO, as, are, n. 1. durare, diu vivere. *Claud. Quadrigarius* apud *Non.* 100. 19. *Merc.* et apud *Gell.* 17. 2. 6. Deteriores sunt incolumiores; neque dii optimum quemquam inter nos sinunt diurnare. *Gell. ibid.* Inusitate dixit *diurnare* pro diu vivere.

DĬURNUS, a, um, adject. (a *die* vel *diu*, sicut *nocturnus* a *noctu*) ad diem pertinens: et quidem ¶ 1. Ponitur pro quotidiano. *Liv.* 4. 12. Fraudandoque parte diurni cibi servitia. *Alii leg.* diuturni; *frequenter vero in Codicibus commutantur diurnus et diuturnus.* Ceterum cf. *Claudian. B. Gild.* 70. Pascimur arbitrio Mauri, nec debita reddi, Sed sua concedi jactat, gaudetque diurnos, Ut famulæ, præbere cibos, vitamque famemque Librat barbarico fastu, vulgique superbit Fletibus, et tantæ suspendit fata ruinæ. Cf. et *Juvenal.* 14. 126. Servorum ventres modio castigat iniquo. — Hinc *diurnum, i*, n. 2. absolute, substantivorum more, dicitur victus unius diei, quod demensum servis datur, diarium. *Seneca Ep.* 80. Diurnum accipit, in centunculo dormit. Adde *eumd.* 5. *Controv.* 33.; et *V. Demensum* in fin. v. DEMETIOR. — Similiter *Horat.* 2. *Sat.* 7. 17. mercede diurna conductus. *Sueton. Ner.* 36. *extr.* Diurnum victum quærere. *Id. ibid.* 30. Octingenta nummûm millia diurna erogavit. *Inscript.* apud *Gruter.* 330. 4. FABIA M. ET D. L. ARETE ARCHIMIMA SVI TEMPORIS PRIMA DIVRNA. *Alia* apud *eumd.* 1089. 6. L. ACILIO L. F. POMPT. EVTYCHIAE NOBILI ARCHIMIMO COMMVNI MIMORVM ADLECTO DIVRNO PARASITO APOLLINIS. *scil.* qui quotidie epulabatur in synhodo Apollinis. — Sic *diurnis diebus* est quotidie. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *ante med.* Etiam diurnis diebus ex oleo calido injectiones adhibemus. *Id.* 3. *ibid.* 1. *ante med.* Si vires permiserint ægrotantis, sorbilis atque calidus et varius in dimissione adhibendus cibus, atque alternis diebus, donec passio declinet. Si vero imbecilles viribus fuerint ægrotantes, diurnis diebus dabimus cibum, sed ea die, qua abstinere oportuerat, parvum. — Et pro eo, qui diem tantummodo durat. *Ovid. Heroid.* 6. 35. Terrigenas populos civili marte peremptos Implesse ætatis fata diurna suæ. *V.* DIALIS. — Hinc etiam *acta diurna*, sive ephemeris, liber, in quo omnium dierum acta perscribuntur, sive de publicis, sive de privatis ac domesticis rebus sermo sit. Si vero de publicis sermo sit, *acta diurna*, ut docet *Tac.* 13. *Ann.* 31. differunt ab annalibus, quod in his res illustres, diurnis vero leviores scriptis mandantur. *Sueton. Cæs.* 20. Inito honore consulatus primus omnium instituit, ut tam senatus, quam populi diurna acta confierent et publicarentur. *Id. Aug.* 64. *diurnos commentarios* appellat. Et *Tac.* 3. *Ann.* Diurna actorum scriptura. *h. e.* diurnorum actorum scriptura. — Porro hæc et *diurnum, i*, et *diurna, orum*, absolute, substantivorum more dicuntur. *Juvenal.* 6. 482. longi relegit transacta diurni. *Tac.* 16. *Ann.* 22. Diurna populi Romani per provincias leguntur. *Sueton. Claud.* 41. Exstat talis scriptura in plerisque libris ac diurnis titulisque operum. ¶ 2. *Diurnus* est etiam is, qui die accidit vel evenit, et *nocturno* recta opponitur. *Plaut. Men.* 1. 2. 62. Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus. *h. e.* usque ad exortum Luciferi, qui et ante auroram in cælo apparet, et multo die durat. *Lucret.* 4. 457. et in noctis caligine cæca Cernere censemus solem lumenque diurnum. Cf. *Ovid.* 4. *Fast.* 449. Panditur interea Diti via: jamque diurnum Lumen inassueti vix patiuntur equi. *Id.* 4. *Met.* 629. Diurnus currus. *h. e.* Solis currus. Rursus *Lucret.* 6. 849. Est apud Hammonis fanum fons luce diurna Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur. *Cic. Senect.* 23. 83. An censes, me tantos labores diurnos nocturnosque suscepturum fuisse? *Id.* 1. *Tusc.* 21. 48. et 3. *Off.* 21. 84. Diurnus et nocturnus metus. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 11. Nocturno certare mero, putere diurno. *Id.* 2. *ibid.* 2. 79. Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos Vis canere? *Cæs.* 7. *B. G.* 9. Neque diurno, neque nocturno itinere intermisso. *Id. ibid.* 50. Magnis diurnis atque nocturnis itineribus confectis. *Quintil.* 7. 2. 44. Tempore vel diurno, vel nocturno. *Horat. Art. P.* 209. vinoque diurno Placari Genius festis impune diebus. *Sueton. Aug.* 78. A cœna lucubratoriam se in lecticulam recipiebat. Ibi donec residua diurni actus aut omnia, aut ex maxima parte conficeret, ad multam noctem permanebat. *Prudent. Apotheos.* 697. nox diurna. *h. e.* tenebræ medio die exorientes, quales fuerunt in morte Christi. Adde *Quintil.* 12. 11. 19.; *Avien. fab.* 33.; et *Coripp.* 2. 376. et 3. 326. — Hinc *diurnum, i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est dies, seu *giorno* recentiorum Italorum. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 39. Jubet (*Asclepiades*) dari vinum noctibus, diurnis atque jugiter. *h. e.* noctu, interdiu. ¶ 3. Denique *diurnus* ponitur etiam pro diuturno: *V.* DIURNO. *Cic.* 3. *Tusc.* 30. 74. Cogitatio diurna. *Alii rectius leg.* diuturna. *Coripp.* 2. 228. causa rei (*h. e.* res) cultu est ornanda diurno. Adde *eumd. ibid.* v. 238. *Avien. fab.* 36. miseros vita diurna regat. — Hinc

Diurnum, i, n. 2. et *Diurna, orum*, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, *V.* sub 1. et 2.

DĬUM, ii, n. 2. *V.* DIVUS, a, um.

DĬUS, a, um. *V.* DIVUS, a, um.

DĬUSCŬLĔ, adverb. deminut. a diu, diutule. *Augustin.* 11. *Trinit.* 2. Cum diuscule attenderimus.

DĬŪTĬNĒ, adverb. diu. *Plaut. Rud.* 4. 7. 15. Diutine uti bene licet partum bene.

DĬŪTĪNO, adverb. diutine. *Apul. de Mag.* In faciundis imaginibus opera diutino sumitur. *Al. leg.* diutina, *et quidem rectius.*

DIUTINUM, adverb. diutine. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 35.

DĬŪTĬNUS, a, um, adject. Pænultima certe est brevis, ut patet ex *Ter. Phorm.* 5. 8. 23. — Diuti-

nus est qui diu durat, diuturnus. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 23. Supplicium virgarum longum diutinumque a mane ad vesperum. *Ter. loc. cit.* Hæccine erant itiones crebræ, et mansiones diutinæ Lemni? *Cic.* 11. *Fam.* 8. 2. Odio diutinæ servitutis. *Nepos Timoth.* 2. Lacedæmonii de diutina contentione destiterunt. *Id. Epam.* 5. Paritur pax bello: itaque qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. Adde *Liv.* 6. 33. *Nepos Thrasyb.* 4. Parva munera diutina, locupletia non propria esse consueverunt. *Cæs.* 5. *B. G.* 50. Diutina lætatio. *Id.* 2. *B. C.* 13. labor. *Liv.* 25. 1. Inculti diutino bello agri. Adde *Curt.* 4. 14. 11. *Liv.* 25. 7. Otium, quo tum diutino senescere videbatur. *Id.* 5. 11. Quibus delectus, quibus tributum, quibus diutina militia longinquitasque belli sit gravis. *Sueton. Cal.* 1. Diutinus morbus. *Pallad.* 1. *R. R.* 10. 2. sol. Adde *Justin.* 37. 4. 1.

DĬŪTĬOR, adject. longiore durans tempore, diuturnior. *Liv.* 38. 40. Terror diutior alter, sed segnior. *Al. rectius leg.* diutinus.

DĬŪTĬUS et

DĬŪTISSĬMĒ. *V.* in DIU.

DĬŪTŬLĒ, adverb. *deminut. a* diu, aliquamdiu. *Gell.* 5. 10. 7. Quum diutule auditor Protagoræ fuisset. *Id.* 11. 16. 6. Quum diutule tacitus in cogitando fuissem. *Capell.* 8. *p.* 270. Phœbo diutule remorante. Adde *Macrob.* 7. *Saturn.* 11. et 13. *a med.*

DĬŪTURNĒ, adverb. Comp. *Diuturnius* et Sup. *Diuturnissime.* — Diuturne est idem ac diu. *Cic.* 6. *Fam.* 10. Spondeo tibi istam acerbitatem et injuriam non diuturne fore. *Al. rectius leg.* diuturnam. *Sidon.* 2. *Ep.* 14. Suspicor diuturnius te moraturum. *Boeth. in Aristot. Prædic.* 3. *p.* 175. Habitus esse qualitates difficile mobiles et diuturnissime permanentes.

DĬŪTURNĬTAS, ātis, f. 3. longitudo temporis: et occurrit — a) Absolute. *Cic.* 2. *Off.* 7. 23. Malus custos diuturnitatis metus. *Id.* 2. *Legg.* 10. 40. Animi labes diuturnitate non vanescit. Adde *eumd. Senect.* 11. 38. et 2. *de republ.* 3.; et *Plin.* 5. *Ep.* 8. 2. — b) Cum addito Genitivo. *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 5. Opinio confirmatur diuturnitate temporis. *Id.* 1. *Orat.* 28. 129. Nihil est ad diuturnitatem memoriæ stabile, quam etc. *Id.* 1. *ibid.* 4. 14. Diuturnitas pacis. *Id. pro leg. Manil.* 9. 26. imperii. *Id.* 7. *Att.* 21. dominationis et victoriæ. Adde *eumd.* 2. *de republ.* 11. *Nepos Timol.* 3., *Cæs.* 1. *B. G.* 40. et *Sall. Jug.* 64. *extr.* belli. *Nepos Hann.* 2. mali. *Cæs.* 3. *B. G.* 4. pugnæ. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (304). frumenti. *Id.* 13. *ibid.* 2. 3. (19). odorum. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 3. Confert ad diuturnitatem stirpis. — c) In plurali numero. *Arnob.* 6. 16. Salutares moras signorum diuturnitatibus commodare.

DĬŪTURNUS, a, um, adject. Comp. *Diuturnior* et Sup. *Diuturnissimus.* — Diuturnus est qui diu durat; et occurrit — a) De rebus. *Cic. Senect.* 8. 26. Quasi diuturnam sitim explere cupiens. *Id. ibid.* 19. 69. Mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. *Id. Sull.* 27. 76. Magni et diuturni morbi. *Id. Prov. cons.* 3. 5. et 5. *de republ.* 2. pax. *Id.* 6. *Fam.* 13. 3. Diuturniores molestiæ. *Id. pro leg. Manil.* 12. 35. bellum. Cf. *Oros.* 5. *in fin.* Bellum Mithridaticum longe omnium diuturnissimum. Rursus *Cic.* 1. *de republ.* 26. et 3. *ibid.* 4. respublica. *Id.* 3. *Orat.* 25. 100. Quamvis claris sit coloribus picta vel poesis, vel oratio, non posse in delectatione esse diuturna. *Id.* 1. *Off.* 31. 113. Quam multa passus est Ulysses in illo errore diuturno. *Id.* 2. *Invent.* 51. 153. perpessio. *Id.* 7. *Att.* 1. simulatio. *Id. Marcell.* 1. 1. silentium. *Cæs.* 1. *B. G.* 14. impunitas. *Nepos Alcib.* 7. lætitia. *Sall. Cat.* 31. quies. *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 50. Una tamen spes est, quæ me soletur in istis, Hæc fore morte mea non diuturna mala. *Curt.* 4. 14. 19. Diuturnum nihil potest esse, cui non subest ratio. *Id.* 8. 5. 16. Diuturna vita. *Sueton. Galb.* 3. valetudo. *Id. Cæs.* 69. spatium. *Ammian.* 14. 6. *med.* absentia. — Interdum adject. *diuturnus* cum *æternus* comparatur. *Cic.* 6. *de republ.* 21. Non modo æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus. *Id.* 1. *ibid.* 17. Quid porro aut præclarum putet in rebus humanis, qui hæc deorum regna perspexerit; aut diuturnum, qui cognoverit, quid sit æternum? — b) De personis et brutis, qui diu vivunt. *Cic.* 2. *Phil.* 44. 113. Dum istis consiliis uteris, non potes esse diuturnus. *Varro* 2. *R. R.* 7. 11. Alternis qui admittunt, diuturniores equos fieri dicunt. *Ovid.* 6. *Fast.* 219. sitque precor nostris diuturnior annis Filia. *Sueton. Aug.* 32. reus. *Ammian.* 16. 2. dux. *Albinov.* 1. 104. Accusatque annos, ut diuturna, suos.

DĪVA, æ, *V.* DIVUS, a, um.

DĪVĂGOR, āris, ari, dep. 1. (dis *et* vagor) vagor, huc atque illuc oberro. *Lactant.* 4. 3. *ad fin.* Animus in multa dispersus huc illuc divagatur. *Id. Ira D.* 9. *extr.* Ne longius divagetur oratio. *Al. leg.* devagetur. *Imp. Justin. præf. de emendat. Cod. n.* 2. Constitutiones, quæ extra corpus ejusdem Codicis divagabantur.

DĪVĀLIS, e, adject. ¶ 1. Est idem ac divinus, *h. e.* ad deos pertinens. *Spartian. Carac.* 11. Divale nomen. *Fasti Verii Flacc.* apud *Orell. Inscript.* 2. *p.* 410. FERIAE DIVALES. — Hinc *Divalia*, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, dies festus Romæ XII. Kal. Jan., ut est in vet. Kalendario apud *Gruter.* 133. et in Kalend. Prænestino a *Petr. Franc. Fogginio* Romæ edito et illustrato, item apud *Orell. p.* 411.; ex quibus patet, *Divalia* fuisse festa, quæ et *Angeronalia* nuncupata sunt. ¶ 2. Item imperatorius. *Justin. præf. de emendat. Cod. n.* 4. Divales constitutiones. *h. e.* imperatorum, qui divi vocari solebant. *Coripp.* 1. 42. Divalis origo. — Hinc

Divalia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, *V.* sub 1.

DĪVĀRĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĪVĀRĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Divaricans* et *Divaricatus* 1. — Divarico est diduco, in hanc et illam partem distendo, distraho, disjungo. Dictum est autem, inquit *Non. p.* 31. 18. *Merc.* ab his, qui vitio naturæ ita sunt pedibus discretis, ut eos in diversum habeant separatos (It. *allargare, distendere allargando*; Fr. *écarter, séparer*; Hisp. *alejar, descarriar*; Germ. *auseinanderzerren*; Angl. *to stride, straddle, spread wide, set asunder, or at a distance*). Occurrit ¶ 1. Active. *Cato R. R.* 45. *extr.* Ternas taleas ponito, easque divaricato super terram. *h. e.* in diversum dirigito. *Cic.* 6. *Verr.* 10. 86. In ea (*statua*) hominem divaricari ac deligari jubet. *Vitruv.* 10. 2. 1. *Schneid.* Tigna a capite fibula conjuncta et in imo divaricata. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 252. Divaricatis cruribus. *Ammian.* 22. 11. Divaricatis pedibus. *Id.* 14. 7. Divaricatum trahere. — *Divaricare pedes* vel *crura* alicui dicitur mulier, quæ viro sui corporis copiam facit. *Hieronym. Ep.* 79. *n.* 11. Fornicata est quondam et divaricavit pedes suos omni transeunti. *Id. Comment.* 16. in *Isai.* 57. 7. Quod Israel, quasi meretrix, cunctis dæmonibus divaricarit pedes suos, sacra narrat historia. — Denique pro dividere occurrit apud *Alcim. Sent. ad Hebr.* 6. Quem (*Esaiam*) præconium veritatis, divaricante serra, sæviens civicus furor occidit. ¶ 2. Neutrorum more. *Varro* 2. *R. R.* 5. 8. *de bov.* Nec cujus unguiæ divaricent (*subaudi se*). *h. e.* diducantur.

DĪVELLO, vellis, velli (*sæpius quam* vulsi), vulsum, vellere, a. 3. (dis *et* vello). Part. *Divellens* I.; *Divulsus*, et apud veteres *divolsus*, in omnibus paragr. — Divellere est *A*) Diffindere, rem a re dilacerando abstrahere, distrahere, disjungere, dissolvere; et *B*) Aliquem ab alio per vim dimovere.

A) Divellere est diffindere, rem a re dilacerando abstrahere, distrahere, disjungere, dissolvere.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 202. magnos manibus divellere montes. *Id.* 6. 201. rotantque cavis flammam fornacibus intus, Donec divulsa fulserunt nube corusci. *Cic.* 3. *Off.* 18. 75. Res a natura copulatas audebit divellere. *Id. Sull.* 20. 59. Qui tanto amore suas possessiones amplexi tenebant, ut ab his membra divelli citius ac distrahi posse diceres. *Ovid.* 3. *Trist.* 9. 27. divellit, divulsaque membra per agros Spargit. *Seneca Hippol.* 1173. Membra taurus divulsit. Rursus *Ovid.* 13. *Met.* 865. Viscera viva traham: divulsaque membra per agros Perque tuas spargam (sic se tibi misceat) undas. *Id.* 8. *ibid.* 877. suos artus lacero divellere morsu. *Id.* 4. *ibid.* 112. nostrum (*o leones*) divellite corpus Et scelerata fero consumite viscera morsu. *Virg.* 4. *Æn.* 600. Non potui abreptum divellere corpus et undis Spargere? *Horat.* 1. *Sat.* 8. 26. scalpere terram Unguibus et pullam divellere mordicus agnam Cœperunt. *Catull.* 63. 257. Pars e divulso jactabant membra juvenco. Cf. *Ovid.* 11. *Met.* 38. Quæ postquam rapuere feræ, cornuaque minaci Divellere bovis. *Ammian.* 14. 7. Artuum et membrorum divulsa compage. *Gell.* 15. 16. Mediam quercus partem discidit divellitque. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 29. (91). Lacerta divulsamus divulsus. *Ovid.* 8. *Met.* 138. divulsaque remis Unda sonat. *Virg.* 2. *Æn.* 220. Ille simul manibus tendit divellere nodos. *Auct. B. Afr.* 88. Dum medicus familiaresque vulnus obligare cœpissent, ipse suis manibus vulnus crudelissime divellit atque se interemit. (Cf. *Flor.* 3. 23. 4. Ne vulnera curatione ipsa rescinderentur). — NB. Apud *Ovid.* 14. *Met.* 115. jussitque suo (*ramum*) divellere trunco. *meliores libri habent* devellere. Sic apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 38. (65). Si (*œnanthe*) divulsa crebro prohibeatur in semen abire. *Sillig.* legit: Si davolsa crebro prohibeatur in seminibus. — Similiter *divellere* pro *depilare*, V. DEVELLO. — Denique etiam apud *Stat.* 2. *Theb.* 603. instat, Spicula divellens. *legendum videtur* devellens.

II.) Translate: ad rem *Cic. Planc.* 33. 79. Distineor tamen et divellor dolore, et in causa dispari offendi te a me doleo. *h. e.* dirumpor. *Id.* 3. *Orat.* 6. 24. Qui, quæ complecti tota nequeunt, hæc facilius divulsa et quasi discerpta contrectant. *Id.* 1. *ibid.* 42. 188. Adhibita est ars, quæ rem dissolutam divulsamque conglutinaret. *Id. Harusp. resp.* 28. 60. Auctoritas principum cecidit; consensus ordinum est divulsus. *Id.* 2. *Off.* 23. 82. Commoda civium non divellere. *h. e.* non tollere, non adimere. *Id. Quinct.* 6. 23. Divellere affinitatem. *h. e.* dirimere, dissociare. *Horat.* 1. *Od.* 13. 19. Amor querimoniis divulsus. *h. e.* dissociatus, disjunctus. *Seneca Ep.* 6. Divellere amicitiam. Rursus *Horat.* 1. *Ep.* 10. 18. Divellit somnos cura. *h. e.* interrumpit.

B) Divellere est etiam aliquem ab alio per vim dimovere.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 22. Quos ego a Catilina non revoco; nam neque divelli ab eo possunt, etc. *Sall. Cat.* 51. Divellere liberos a parentum complexu. Sic *Virg.* 8. *Æn.* 568. Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam, Nate, tuo. *Curt.* 3. 5. 8. Rursus in ipsum regem misericordia versa, illum florem juventæ, illum vim animi, eumdem regem et commilitonem divelli a se et abripi, immemores sui querebantur. V. *Mützell.* ad h. l. Similiter *Justin.* 23. 2. 7. Quamquam uxor diu, ne ab ægro divelleretur, deprecata est. *Horat.* 2. *Od.* 17. 13. Me nec Chimæræ spiritus igneæ, Nec si resurgat centimanus Gyas Divellet unquam. *scil.* a te, Mæcenas. Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 36. 18. nec Damalis novo Divelletur adultero.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Fin.* 16. 50. Ut enim sapientiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli, nec distrahi possint etc.

DĪVENDĬTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĪVENDO, dis, didi, ditum, dere, a. 3. (dis *et* vendo). Part. *Divenditus.* — Divendo est idem quod vendo, vel pluribus et varie vendo. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 3. 7. Bona populi R. divendere. *Liv.* 1. 53. Præda divendita. *Al. leg.* divendenda. Adde *eumd.* 10. 17. *Id.* 3. 13. bona. Sic *Tac.* 6. *Ann.* 17. Bonis damnatorum divenditis.

DĪVENTĬLĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *diventilo*, in varias partes ventilatus, hoc est sparsus, disseminatus. *Tertull. Testim. anim.* 5. Diventilatis in vulgus opinionibus.

DĪVERBĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĪVERBĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (di *et* verbero). Part. *Diverberatus.* — Diverbero est idem quod verbero, vel ex hac atque illa parte verbero, vel verberando dirimo. *Lucret.* 2. 151. aerias sol diverberat undas. *Id.* 1. 223. vis, quæ res diverberet ictu. *Virg.* 5. *Æn.* 503. sagitta volucres diverberat auras. *Id.* 6. *ibid.* 294. frustra ferro diverberet umbras. *Curt.* 4. 4. 3. Bellua diverberatis fluctibus allevans semet, utrinque conspecta est. *Lactant.* 2. 7. *ad fin.* Antonius Maximus quidam diverberatum servum medio circo ad supplicium duxerat.

DĪVERBĬUM, ii, n. 2. (dis *et* verbum). Apud *Petron. fragm. Tragur.* 64. *Burmann.* et *Mar. Victorin.* 2. *p.* 2524. *Putsch.* legitur *deverbium.* — Diverbium pars est comœdiæ, in qua diversorum personæ versantur. In canticis enim una tantum debet esse persona, aut, si duæ fuerint, una ex occulto audiat, nec colloquatur. Ita *Diomed.* 3. *p.* 489. *Putsch.* V. CANTICUM. Quare diverbia soli

histriones pronunciabant: cantica vero temperabantur modis, non a poeta, sed a perito musicæ artis factis, ut *Donatus prolegom.* ad *Ter. sub fin.* docet. *Liv.* 7. 2. 10. Inde ad manum cantari histrionibus cœptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta. — Hinc patet *diverbium* dici, quia in eo diversi verba faciunt. — Diverbii partes sunt actus et scenæ: item protasis, epitasis, et catastrophe, de quibus V. *Voss. l.* 2. *Poetic. institution. c.* 5. — Primus ejus inventor fuit Æschylus, qui, cum ante unicus foret histrio, adhibuit duos. *Aristoteles, Horat. Art. P.* 279. et ex his *Voss. loc. cit. c.* 12.

DĪVERGĬUM, ii, n. 2. (dis *et* vergo) locus, ubi amnis in diversum vergit, apud veteres divortium, quam vocem videsis. *Sicul. Flacc. de condit. agror. p.* 24. *Goes.* Territoria inter civitates alia fluminibus finiuntur, alia summis montium jugis, ac divergiis aquarum. Adde *Aggen. Urbic. p.* 45. et 48. *Goes.*

DĪVERRO. *V.* DEVERRO.

DĪVERSĒ *vel antiqua scribendi ratione* divorse, adverb. (dis *et* verto). Comp. *Diversius* 2.; Sup. *Diversissime* 3. — Diverse ¶ 1. Est idem atque in diversas partes. *Ter. Andr.* 1. 5. 25. Curæ, quæ meum animum divorse trahunt. *Sueton. Galb.* 19. Diverse tendere. ¶ 2. Item diverso modo. *Auct. B. Afr.* 40. Horum corpora toto campo prostrata diverse jacebant. *Sall. Cat.* 61. Pauci paullo diversius conciderant. *Manil.* 5. 330. Garrula quæ modulis diverse tibia format. ¶ 3. Item cum discrimine, cum differentia, differenter. *Cic.* 1. *Invent.* 50. 93. Inconstans est, quod ab eodem de eadem re diverse dicitur: ut, si qui, quum dixerit, qui virtutem habeat, cum nullius rei ad bene vivendum indigere, neget postea sine bona valetudine posse bene vivi. *Sueton. Tib.* 66. Quibus diversissime efficiebatur. *Gell.* 7. 17. 9. Virgilius verbo isto utitur, a sua sententia diverse.

DĪVERSĬCLĪNĬUS, a, um, adject. qui alieno et novo quodam modo declinatur. *Priscian.* 17. *p.* 1065. *Putsch.* Græcam vocem ἑτερόκλιτος (ab ἕτερος; *alter* et κλίνω *inclino, flecto*) Latine vertit *diversiclinius.* Adde *Gloss. Isid.*

DĪVERSĬCŎLOR, ōris, adject. qui variis est coloribus. *Capell.* 1. *p.* 6. Diversicolor fluentorum discrepantium unda. *Id.* 8. *p.* 274. Ex metallis diversicoloribus. *Id.* 1. *p.* 18. Ejusdem (*Junonis*) genua zona quidem diversicolor ambiebat.

DĪVERSĬFĬCĀTUS, a, um, adject. vel potius particip. ab inusit. *diversifico,* variatus. *Boeth. de unit. p.* 966. Partes vero aeris et aquæ invenimus magis diversificatas et separatas, adeo quod partes eorum et unitates discerni possunt.

DĪVERSĬTAS, ātis, f. 3. est nomen abstractum a *diversus,* sed occurrit translate tantum, et ¶ 1. Ponitur pro sententiarum vel opinionum, vel etiam aliarum rerum oppositione, contrarietate, contradictione. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (125). Inconstantiam mensuræ diversitas auctorum facit. Sic *Sueton. Cal.* 8. Ubi natus sit, incertum diversitas tradentium facit. Rursus *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 20. (42). Reliqua inter medicos mira diversitas. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 62. Mira inter exercitum imperatoremque diversitas. Instare miles, arma poscere, etc. – Torpebat Vitellius, etc. *Id. Germ.* 15. Ipsi (*viri*) hebent, mira diversitate naturæ, quum idem homines sic ament inertiam et oderint quietem. *Id.* 15. *Ann.* 16. Corbulo cum suis copiis apud ripam Euphratis obvius non eam speciem insignium et armorum prætulit, ut diversitatem exprobraret. *h. e.* contrariam fortunam. ¶ 2. Item ponitur pro dissimilitudine, discrimine, varietate. *Plin.* 7. *Ep.* 30. Quantum diversitas ingeniorum pateretur. Adde *Quintil.* 11. 2. 44. *Id. Quintil.* 10. 5. 14. Multiplex personarum, causarum, dictorum diversitas. *Id.* 9. 4. 19. Diversitas propositorum. *Id.* 7. 3. 12. finitionum. *Id.* 1. 12. 5. ciborum. Adde *eumd.* 9. 3. 38. et 10. 2. 19. *Tac.* 4. *Hist.* 76. consiliorum. *Flor. præfat.* 3. rerum. *Ammian.* 14. 6. obsequiorum. Adde *eumd.* 28. 1. *Quintil.* 11. 3. 87. In tanta per omnes gentes nationesque linguæ diversitate. *Id.* 10. 1. 106. In eloquendo est aliqua diversitas. *Frontin. Aquæd.* 24. Diversitas inter unciam et digitum. — In plurali numero. *Flor.* 3. 10. 6. Illæ quoque accessere diversitates pro gentium, locorumque natura. Aquitani – in speluncas se recipiebant; jussit includi. Morini dilabebantur in silvas; jussit incendi.

DĪVERSĪVŎCUS, a, um, adject. (diversus *et* vox) qui diversæ quum sit naturæ, diverso nomine vocatur. *Boeth.* in *Aristot. Categor.* 1. *p.* 115. Animal est substantia animata sensibilis, et homo rursus est substantia animata sensibilis, sed hæc vocantur univoca. Alia vero, quæ neque nominibus, neque definitionibus conjunguntur, ut ignis, lapis, color, et quæ propriæ substantiæ natura discreta sunt, hæc autem vocantur diversivoca. Adde *eumd. ibid. p.* 118.

DĪVERSĪTO. *V.* DEVERSITO.

DĪVERSĪTOR. *V.* DEVERSITOR.

DĪVERSOR, āris. *V.* DEVERSOR, aris.

DĪVERSOR, ōris. *V.* DEVERSOR, ōris.

DĪVERSŌRĬŎLUM. *V.* DEVERSORIOLUM.

DĪVERSŌRĬUM. *V.* DEVERSORIUM.

DĪVERSŌRĬUS, a, um. *V.* DEVERSORIUS.

DĪVERSUS *et olim* divorsus, a, um, adjective usurpatur, unde Comp. *Diversior* sub *A.* II. 1. et *B.* II.; et Sup. *Diversissimus* sub *A.* I. et II. 1., *B.* 1.: quamquam proprie sit Part. præter. a v. *diverto* vel *divorto.* — Diversi proprie sunt in oppositas partes versi: hinc *A*) Diversus est in contrariam partem versus, adeoque contrarius; et *B*) Diversi dicuntur qui in varias partes versi sunt, adeoque divisi, dissiti.

A) Diversus est in contrariam partem versus, atque adeo contrarius, oppositus, adversus.

I.) Proprie. *Plaut. Merc.* 2. 4. 1. Pentheum diripuisse ajunt Bacchas. Nugas maximas fuisse credo, præut quo pacto ego divorsus distrahor. *Liv.* 1. 28. Exinde, duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Mettum: deinde in diversum iter equi concitati, lacerum in utroque curru corpus, qua inhæserant vinculis membra, portantes. *Curt.* 4. 8. 8. Nullo adjuvante (quippe in diversum evaserant alii) exanimatus est. *Cæs.* 1. *B. C.* 69. Erat enim iter a proposito diversum; contrariamque in partem iri videbatur. Cf. *Sall. Cat.* 52. Falsa existumans ea, quæ de inferis memorantur, divorso itinere malos a bonis loca tætra, inculta – habere. *Flor.* 2. 6. 51. Nero in ultimo Italiæ angulo summoverat Hannibalem. Livius in diversissimam partem, id est in ipsas nascentis Italiæ fauces signa converterat. *Cæs.* 3. *B. C.* 41. Pompejus enim primo ignorans ejus consilium, quod diverso ab ea regione itinere profectum videbat, etc. *Cic.* 6. *de republ.* 20. Duo cinguli terræ maxime inter se diversi. *h. e.* duo circuli polares, alter alteri contrarius sive omnino oppositus. *Tac.* 2. *Ann.* 60. Menelaus Græciam repetens diversum ad mare dejectus. *Curt.* 3. 4. 6. Quod (*montis jugum*) quum a mari surgat, veluti sinu quodam flexuque curvatum, rursus altero cornu in diversum littus excurrit. *Id.* 8. 13. 20. in diversa parte ripæ. *h. e.* in altera contra posita. Sic *Sil. It.* 1. 264. Diversa ripa. Rursus *Curt.* 10. 7. 19. Diversa regiæ parte. *h. e.* parte regiæ contra posita. Cf. *Plin.* 9. *Ep.* 28. Communis hæc mihi tecum, quamvis in diversissima parte terrarum, querela est. *Sil. It.* 1. 198. diversas aspicit Arctos. *h. e.* a parte contraria. *Id.* 14. 77. diversi lateris frons. *h. e.* Euphratis et Tigris. *Curt.* 4. 16. 11. Diversi saltus. *h. e.* qui a recta via devertunt atque in contrarias partes ducunt. Sic *Tac.* 3. *Ann.* 2. Etiam quorum diversa oppida, tamen obvii. *Isid.* 13. *Orig.* 21. 10. Per diversa ire. *Juvenal.* 7. 172. et *Seneca Ep.* 83. *init.* Diversum iter vitæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 101. (248). Cetera animalia in diversum posterioribus articuli pedibus, quam prioribus. *Plaut. Mil. glor. a.* 5. *v.* 14. Distendite hominem diversum. *h. e.* divaricatis cruribus. *Sall. Jug.* 25. Metu atque libidine divorsus agitabatur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 3. 803. quid enim divorsius esse putandum est (*h. e.* quam mortale et æternum) Aut magis inter se disjunctum etc. *Liv.* 34. 4. Diversis duobus vitiis, avaritia et luxuria. Sic *Sall. Cat.* 5. Mala diversa inter se, luxuria atque avaritia. *Sueton. Cal.* 51. Non immerito mentis valetudini attribuerim diversissima in eodem vitia, summam confidentiam et contra nimium metum. *Nepos Alcib.* 1. Ut omnes admirarentur in uno homine tantam inesse dissimilitudinem tamque diversam naturam. *V.* integrum caput. *Cic. Cæl.* 5. 12. Neque ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturæ studiis cupiditatibusque conflatum. *Sall. Jug.* 31. Dominari illi volunt, vos liberi esse: facere illi injurias, vos prohibere –: potestne in tam divorsis mentibus pax aut amicitia esse? *Id. Cat.* 2. Igitur initio reges – divorsi pars ingenium, alii corpus exercebant. *Cæs.* 3. *B. C.* 30. Diversa sibi ambo consilia capiunt; Cæsar, ut quamprimum se cum Antonio conjungeret; Pompejus, ut venientibus in itinere se opponeret. *Justin.* 3. 4. 16. Sed oraculi diversa sententia fuerat: perpetuitatem enim urbis, non amissionem hoc facto promiserat. *Val. Flacc.* 4. 157. Ductor ad hæc: Bebryxne venis, diversaque regi Corda gerens? *h. e.* sentis omnino aliter, ac rex. *Sall. Jug.* 85. Ne illi falsi sunt, qui divorsissumas res pariter exspectant, ignaviæ voluptatem et præmia virtutis. *Vellej.* 2. 75. 2. Diversa præsentibus et contraria exspectatis sperare. *Id.* 2. 80. 2. Diversa his, quæ aliis placebant, dicendo. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 114. Dividit ut bona diversis, fugienda petendis. *Id. ibid.* 1. 3. laudet diversa sequentes. *Sall. Cat.* 53.; *Vellej.* 1. 13. 3.; et *Justin.* 30. 1. 1. Diversi mores. *Tibull.* 4. 1. 45. Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi, Non alius sedare queat. *h. e.* vulgi, qui fertur in contraria studia, et hæc modo cupit, modo rejicit. *Ammian.* 25. 8. Diversa versare. Similiter *Stat.* 1. *Achill.* 199. quibus abire terris Destinet, huc illuc diversa mente volutat. *h. e.* mente, quæ cogitatione se in omnes etiam contrarias partes versat. ¶ 2. Specialim transfertur ad animum, et diversus est qui contrariam sententiam sequitur, item adversarius, inimicus. *Liv.* 32. 38. Philippus – maxime de Achajæ urbibus, regionis ab se diversæ – sollicitus. *h. e.* regionis a se alienatæ, sibimet infensæ. *Tac.* 2. *Ann.* 10. Diversi ordiuntur. *h. e.* adversarii. *Sueton. Gramm.* 9. Diversæ partis advocatus. *h. e.* partis adversariæ. Sic *Id. Aug.* 51. Diversarum partium multi venia donati. Adde *eumd. Cæs.* 1.; et *Justin.* 15. 1. 1. et 9. Rursus *Sueton. Tib.* 3. et *Cæs.* 20. Diversa factio. *Tac.* 13. *Ann.* 57. Victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere. *h. e.* aciem hostium. Sic *Id.* 11. *ibid.* 30. Stabat pro littore diversa acies. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 9. nec te diversus Apulia Respicit, o juvenis. *h. e.* inimicus, tibi infensus. *Tac.* 3. *Ann.* 14. Judices per diversa implacabiles. *h. e.* contrariis de causis. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 32. 101. Certa cum illo, qui a te totus diversus est: noli mecum, qui hoc quidem certe tibi assentior. *Sueton. Claud.* 10. Per dissensionem diversa censentium. *Quintil.* 11. 3. 133. Diversa subsellia. *h. e.* in quibus adversarii sedent. *Tac.* 6. *Ann.* 33. Diversa induere. *h. e.* aliter omnino sentire. *Sil. It.* 8. 351. diversa turbati mente. *Val. Flacc.* 3. 182. Diversa turbare. — Sic etiam *e diverso,* h. e. e regione. *Justin.* 30. 4. 6. Quum in aciem exercitum, instructis e diverso hostibus, produxisset. Cf. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (168). Ut vites binas accipiant e diverso. *h. e.* alteram alteri oppositam. — *E diverso* est etiam contra, e contrario. *Sueton. Domit.* 9. Immo e diverso magna sæpe abstinentiæ et liberalitatis experimenta dedit. Adde *eumd. Cæs.* 86. et *Aug.* 27. Cf. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 39. (79). Oleum e diverso, quam in cibos, eligitur. — *Ex diverso* est ex parte adversa. *Quintil.* 5. 11. 43. Qui ex diverso agit. *h. e.* adversa in causis pars. *Id.* 6. 3. 81. Quum ex diverso quidam exclamasset. Adde *eumd.* 5. 12. 1. et alibi. *Arnob.* 4. 18. Sed ex diverso nescio quis, unde, inquit, scimus? etc. *Tac.* 3. *Hist.* 13. Quas enim ex diverso legiones? nempe victas. *Id. ibid.* 73. Ex diverso trepidi milites. *h. e.* ex altera parte, ex hostium parte. Similiter *Id.* 4. *ibid.* 16. Directa ex diverso acies. Cf. *eumd.* 13. *Ann.* 40. — *In diversum* quoque occurrit eodem sensu. *Tac.* 11. *Ann.* 19. Terror milites hostesque in diversum affecit: nos virtutem auximus, barbari ferociam infregere. *Liv.* 26. 5. Hannibalem in diversum Tarentinæ arcis potiundæ Capuæque retinendæ trahebant curæ. *Alii omittunt præpos. in. Id.* 25. 11. *extr.* Utrum priore anno, an hoc facta sit, in diversum auctores trahunt. *Tac.* 12. *Ann.* 69. Dubitavisse quosdam ferunt –: mox nullo in diversum auctore, quæ offerebantur secuti sunt. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 116. Et legis auctoritas et longa consuetudo usurpata contra legem, in diversum movere te potuit.

B) Diversi dicuntur etiam qui in varias partes versi sunt, adeoque divisi, dissiti.

I.) Proprie. *Plaut. Truc.* 4. 3. 13. Omnium primum diversæ state, neve inter vos significetis. *Cæs.* 1. *B. C.* 58. Nostri æquo animo singulas binis navi-

bus objiciebant, atque injecta manu ferrea et retenta utraque nave, diversi pugnabant. *h. e.* divisi, dispersi, alii enim in unam, alii in alteram hostium navem. *Sall. Cat.* 20. Sed ego quæ mente agitavi, omnes jam antea diversi audistis. *h. e.* singuli et quidem alius ab alio divisim. *Nepos Datam.* 11. Quum aliquandiu in colloquio fuissent, et diversi discessissent. Sic *Liv.* 10. 33. Diversi consules discedunt. *Virg.* 11. *Æn.* 855. et 5. *ibid.* 166. Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum. Adde *Val. Flacc.* 4. 387., 6. 581. et 7. 577. *Liv.* 10. 27. Cerva fugiens lupum e montibus exacta per campos inter duas acies decurrit: inde diversæ feræ, cerva ad Gallos, lupus ad Romanos cursum deflexit. *Sall. Jug.* 46. Legatos alium ab alio diversos aggreditur. *Liv.* 42. 8. Ex diversa fuga in unum collecti. *Flor.* 4. 2. 60. Diversa fuga et morte. *Curt.* 3. 11. 19. Barbari longe diversam fugam intenderant. *Cæs.* 2. *B. G.* 24. Quum Numidas, diversos dissipatosque, in omnes partes fugere vidissent. *Id. ibid.* 23. Diversæ duæ legiones præliabantur. *Liv.* 10. 12. Diversi proficiscuntur. *Id.* 9. 37. Ad silvas diversi tendebant. *Virg.* 1. *Æn.* 70. submersasque obrue puppes, Aut age diversos (*al.* diversas) et disjice corpora ponto. *h. e.* alios huc, alios illuc. *Tac.* 15. *Ann.* 56. Diversi interrogantur. *Id.* 16. *ibid.* 30. Steterunt diversi. *Virg.* 9. *Æn.* 415. Diversi circumspiciunt. *Cic.* 2. *Phil.* 37. 93. Sunt ea innumerabilia, quæ a diversis emebantur. *h. e.* a multis et variis hominibus, seu potius a singulis, singillatim. *Liv.* 44. 43. In silvam ventum est, ubi plures diversæ semitæ erant. *Cic.* 6. *Verr.* 52. 117. Portus, qui quum diversos inter se aditus habeant, in exitu conjunguntur et confluunt. *Id.* 2. *leg. Agr.* 32. 87. Corinthus duo maria, maxime navigationi diversa, pæne conjungit, quum pertenui discrimine separentur. *Id. pro leg. Manil.* 4. 9. Loca duo disjunctissima maximeque diversa. *Id. ibid.* 16. 46. Loca tam longinqua tamque diversa. *Id. Brut.* 74. 258. Confluxerunt in hanc urbem multi ex diversis locis. *Liv.* 4. 22. Diversissimis locis subeundo ad mœnia, ab sensu operis hostes avertebat. *Id.* 10. 12. Locis diversis ignes coorti. *Ovid.* 1. *Met.* 40. Diversa locis. *h. e.* diversis locis. Sic *Id. ibid.* 173. Plebs habitat diversa locis. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 406., 11. *ibid.* 50. et 4. *Fast.* 568.; et *Virg.* 4. *G.* 432. *Sall. Jug.* 12. Divorsi regem quærere. *h. e.* alii hoc, alii alio loco. *Tac. Germ.* 16. Colunt discreti ac diversi. *Cf. eumd. ibid.* 28. Diversæ sedes. *Id.* 3. *Hist.* 46. Si Dacus Germanusque diversi irrupissent. *h. e.* ex diversis seu variis partibus. *Auct. B. G.* 8. 19. Diversum prælium. *h. e.* diversis in locis initum. *Tac.* 3. *Ann.* 59. Diverso terrarum distineri. *h. e.* longe abesse. — *Ex diverso* est ex diversis locis. *Seneca Brevit. vit.* 8. Vires ventorum ex diverso furentium. — *Per diversum* et *per diversa* est per diversa loca. *Tac.* 15. *Ann.* 15. Nostri per diversum iere. *Ammian.* 14. 4. Per diversa reptantes. — *Per diversum* est ex transverso apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 62. (186). Necessarium binas per diversum cossationes substerni.

II.) Translate est dissimilis, differens; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 9. Atque ut ejus diversa studia in dissimili ratione perspicere possitis etc. *Id.* 1. *Orat.* 61. 262. Varia et diversa studia. *Id.* 3. *ibid.* 16. 61. Variis ac diversis disputationibus. *Id. pro leg. Manil.* 10. 28. Varia et diversa genera bellorum. *Id.* 1. *Invent.* 23. 33. Diversa et dissimilis pars. *Id.* 5. *Phil.* 18. 49. Longissime diversa ratio. *Liv.* 21. 23. Diversæ Alpes. *Sueton. Ner.* 34. Diversa omnia comperire. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 43. (97). Pretia nulli diversiora. (Comparativus occurrit etiam apud *Gell.* 6. 6. et 20. 1.). *Juvenal.* 15. 91. Diversæ res. *Ammian.* 21. 1. *med.* ritus. *Sueton. Ner.* 23. Diversissima tempora. *Juvenal.* 10. 253. diverso tempore. *Id.* 4. 148. Diversis partibus orbis. *Sueton. Tib.* 7. Diversis temporibus et locis. *Flor.* 3. 5. 27. Per diversa gentium terrarumque. Adde *eumd.* 2. 6. 41., 3. 6. 1. et 3. 19. 2. *Val. Flacc.* 6. 301. Diversa belli peragrare. *Tac. Agric.* 32. Exercitus contractus ex diversissimis gentibus. *Propert.* 1. 10. 15. Divorsos conjungere amantes. — *b*) Cum Ablativo rei, qua quis diversus est. *Plin. Paneg.* 65. Diversum te consuetudine. — *c*) Cum Genitivo rei, qua quis diversus est. *Tac.* 14. *Ann.* 10. Ut par ingenio, ita morum diversus. *Cf.* alio sensu *Id.* 4. *Hist.* 84. Qui diversus animi, modo pavescere, modo etc. *h. e.* ambigens et varia animo agitatus. — *d*) Cum præpos. *ab* et Ablativo rei, a qua alia diversa est. *Cic. Brut.* 90. 307. Hæc videntur esse a proposita ratione diversa. *Sall. Cat.* 34. Longe diversas ab his litteras. *Quintil.* 4. 1. 9. Simulatio ab hac jactatione diversa. *Flor.* 4. 8. 2. Diversus a patre Pompejus. — *e*) Cum Dativo rei, a qua alia diversa est. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 5. Est huic diversum vitio vitium prope majus. *Quintil.* 3. 6. 32. Huic diversa sententia. *Id.* 9. 2. 46. Verba verbis diversa et sermoni sensus. Adde *eumd.* 2. 3. 10., 6. 3. 1. et 10. 3. 17. *Justin.* 31. 5. 4. Diversum ceteris mortalibus illud hominum genus. Adde *Juvenal.* 10. 3. — *f*) Sequente particula *quam*. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 44. (154). Eruca diversæ est, quam lactuca, naturæ. *Justin.* 6. 3. 6. Gloriamque diversis artibus, quam priores civitatis suæ duces, consecuturus. *Flor.* 2. 2. 24. Quippe diversa, quam hostes mandaverant, censuit. Adde *Quintil.* 1. 4. 29. — *g*) Sequente part. *ac*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 12. 15. (32). Diversa in hac, ac supra dicta alite, quædam. *Sillig.* pro *ac* legit *et*. — Hinc

Diversum, i, et *diversa*, orum, absolute, præcipue in formulis *per diversa*, *per diversum*, *in diversum*, *e diverso*, *ex diverso* etc. V. supra sub *A.* et *B.* Similiter *Capell.* 4. *p.* 97. Geometria formarum diversa radio ac pulvere liniant. *h. e.* diversas formas.

DĪVERTĬCŬLUM. *V.* DEVERTICULUM

DĪVERTĬUM. *V.* DIVORTIUM.

DĪVERTO *et olim* divorto, tis, ti, sum, tere, n. 3. (dis *et* verto *seu* vorto). Part. *Divertens* et *Diversurus* 1. — Divertere est sejungi, separari.

I.) Proprie dicitur de matrimoniis. *Gell.* 4. 3. Matrimonia divertentia. *h. e.* quæ per divortium dissolvuntur. *Ulp. Dig.* 9. 2. 27. § 30. Sive diverterit, sive nupta est adhuc. *h. e.* divortium fecerit. *Papinian. ibid.* 5. 1. 12. Si usur a legato diverterit. *Apul. de Mag.* Ni impetrarem, diversurum me ab ea comminatus sum. *Cf. Sueton. Pers.* Sed mox ut a schola magistrisque divertit etc.

II.) Translate est dissimilem ac diversum esse. *Plaut. Epid.* 3. 3. 22. Divortunt mores virgini longe, ac lupæ. — Ceterum *V.* DEVERTO.

DĪVES, vitis, adject. Est et alia forma *dis*, *ditis* m. et f. et *dite* n., fere poetica, et videtur esse a *dives* per syncopen: quod certe in obliquis casibus manifestum est. — Ceterum *dives* in Ablativo sing. num. *divite* habet et *diviti*, ut Diviti cultu apud *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 3. (7). — Nominativus et Accusativus plur. num. gen. neutr. (*divitia*) nusquam occurrunt; et *ditia* usuvenit. — Neutr. num. sing. dives legitur apud *Ammian.* 16. 8. et *Quintil.* 7. 1. 23. Dives patrimonium. *V.* alia sub *A.* II. — Comp. et Sup. *Divitior* et *Divitissimus*, et usitatiora *Ditior* et *Ditissimus* sub *C.* in fin. — Ratione habita etymi, *Varro* 5. *L. L.* 92. *Müll.* D i v e s a divo, qui ut deus nihil indigere videtur. *Cf. Plaut. Trin.* 2. 4. 99. Dei divites sunt, deos decent opulentiæ. Ceterum *dives* est qui rerum copia instructus est, locuples, abundans, copiosus, opulentus, affluens: ita enim *Cic.* 6. *Parad.* 1. 42. Quem enim intelligimus d i v i t e m, aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor, in eo, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit. (It. *ricco*; Fr. *riche*; Hisp. *rico*; Germ. *reich*; Angl. *rich*). Sub *A*) Exhibetur forma *dives*, omissis tamen gradibus; sub *B*) Forma *dis*; denique sub *C*) Gradus Comp. et Sup. utriusque formæ.

A) *Dives* usurpatur

I.) Proprie de hominibus; et quidem — *a*) Absolute. — Cum opposito *pauper* apud *Plaut. Aulul.* 2. 2. 7. Dives blande appellat pauperem. *Id. Men.* 4. 2. 8. Si est pauper atque haud malus, nequam habetur; si dives malus est, is cliens frugi habetur. Adde *eumd. Pœn.* 3. 1. 13. *Horat.* 2. *Od.* 18. 10. pauperemque dives Me petit. *Juvenal.* 5. 113. Esto (ut nunc multi) dives tibi, pauper amicis. *Cf. Vellej.* 2. 117. Quam (*Syriam*), cui præfuerat, pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit. — Cum opposito *mendicus* apud *Cic.* 8. *Phil.* 3. 9. Viderunt enim, ex mendicis fieri repente divites. — Jungitur cum *avaro* apud *Juvenal.* 7. 50. didicit jam dives avarus Tantum admirari, tantum laudare disertos. Adde *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 50. — Ceterum *Cic.* 6. *Parad.* 3. 52. Non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt. *Id.* 2. *Off.* 16. 57. Crassus cognomine dives. *Cf. eumd.* 2. *Att.* 13. Cujus (*Pompeji*) cognomen (*scilicet* magnus) una cum (*M. Licinii*) Crassi divitis cognomine consenescit. *scilicet* quia jam deroverat. *Juvenal.* 3. 58. Quæ nunc divitibus gens acceptissima nostris. Adde *Val. Flacc.* 5. 591. *Seneca* 2. *Contror.* 9. *a med. p.* 146. *Bipont.* Nihil est insolentius novitio divite. — *b*) Cum addito Genitivo rei. *Virg.* 2. *Ecl.* 20. dives pecoris. *Id.* 9. *Æn.* 26. exercitus omnis Dives equum, dives pictai vestis et auri. Sic *Sil. It.* 3. 155. Dives auri. *Id.* 8. 463. lactis. *Virg.* 1. *Æn.* 14. Carthago dives opum. *Cf. eumd.* 2. *ibid.* 22.; et *Ovid.* 3. *Fast.* 570. et *Horat.* 1. *Sat.* 2. 74. Dives opis natura suæ. *Id.* 4. *Od.* 8. 5. artium. *Sil. It.* 6. 649.; et *Stat.* 1. *Silv.* 4. 32. Diana dives prædæ. — *c*) Cum addito Ablativo rei. *Horat. Art. P.* 421. Dives agris, dives positis in fenore nummis. *Id.* 2. *Sat.* 3. 168. dives antiquo censu. *Ovid.* 15. 12. bubus. *Id. Heroid.* 11. 100. Filia dote dives. *Cf. Ammian.* 14. 8. Cilicia dives bonis omnibus.

II.) Translate ponitur de rebus; et dives dicitur quidquid est multi pretii, et sæpius quidquid abundat re quacumque. — *a*) Absolute. *Cic.* 6. *Parad.* 1. 44. Animus hominis dives, non arca appellari solet. Quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo. *Virg.* 6. *Æn.* 195. *de ramo aureo.* ubi pinguem dives opacat Ramus humum. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 29. 30. (108). Ut pretiosissimum humani animi opus (*h. e.* Homeri libri) quam maxime diviti opere servaretur. *h. e.* scrinio gemmis, auro et margaritis pretioso. *Propert.* 3. 3. 26. Dives gemma. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 87. Divites mensæ. *Ovid.* 2. *Fast.* 535. Munus dives. *Id. Heroid.* 16. 189. Parca sed est Sparte: tu cultu divite digna es. *Lucan.* 9. 659. partu Danaes et divite nimbo Ortus. *h. e.* imbre aureo: *V.* DANAES in ONOM. *Virg.* 7. *Æn.* 262.; et *Val. Flacc.* 2. 636. Dives ager. *h. e.* fertilis. Sic *Sil. It.* 1. 546. campus. *Horat. Art. P.* 409. Vena dives. *h. e.* fecunda ingenii vena. *Id.* 2. *Ep.* 2. 121. Dives lingua. *h. e.* facunda. *Id.* 1. *ibid.* 15. 19. Spes dives. *h. e.* quæ multa promittit. Sic *Ovid. Heroid.* 17. 65. Munera tanta quidem promittit epistola dives. *h. e.* larga in pollicendo. *Id.* 3. *Pont.* 1. 102. Dives copia flendi. *h. e.* summa, abundans. — *b*) Cum Genitivo. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 31. Summe munito (*oppido*) et multarum divite rerum. *Virg.* 2. *G.* 468. vita dives opum variarum. — *c*) Cum Ablativo. *Virg.* 10. *Æn.* 201. Mantua dives avis. *h. e.* cujus majores conditoresque multi fuerunt. *Liv.* 45. 48. Templum dives donis. *Ovid.* 5. *Fast.* 731. Amphitrite dives aquis. *Id.* 10. *Met.* 397. terra dives amomo. *Lucan.* 3. 216. arbustis palmarum dives Idume. *Ovid.* 1. *Art. am.* 70. externo marmore dives opus. *Val. Flacc.* 6. 204. pater armento quos dives ab omni Nutrierat. *Ovid. Heroid.* 9. 95. et damnis dives ab ipsa suis. *h. e.* serpens Lernæa. — *NB.* de cogn. Rom. *V.* ONOM.

B) *Dis*, *ditis*, et n. *dite*, usurpatur

I.) Proprie de hominibus. — *a*) Absolute. *Ter. Adelph.* 5. 1. 8. Dis quidem esses, Demea, ac rem tuam constabilisses. *Id. Heaut.* 3. 3. 47. Dicam hanc esse captam ex Caria, ditem et nobilem. Adde *eumd. Phorm.* 4. 3. 48. *Id. Adelph.* 4. 2. 42. Scin' Cratini hujus ditis domus? *Liv.* 9. 40. Ditem hostem quamvis pauperis victuris præmium esse. *Propert.* 3. 3. 1. dites Indi. *Seneca Herc. Œt.* 648. O si pateant pectora ditum! Quantos intus sublimis agit Fortuna metus! (Gen. plur. num. *ditium* occurrit apud *Auson. Grat. act.* 59.) *Horat. Epod.* 2. 65. positosque vernas, ditis examen domus. Et *Liv.* 42. 34. in diti domu. — *b*) Cum Genitivo. *Sil. It.* 15. 705. ditem ovium. *V.* alia infra sub *C.*

II.) Translate de rebus. — *a*) Absolute. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 18. Bruto prætore tenente ditem Asiam. *Val. Flacc.* 2. 296. Dite solum. *Curt.* 3. 10. 10 campis. *Stat.* 5. *Theb.* 187. ditibus indulgent epulis. *Liv.* 21. 43. Opulentia ac ditia stipendia facere. *Tibull.* 2. 5. 35. gregis ditis magister. *h. e.* numerosi. *Sil. It.* 3. 673. dites sine vomere glebæ. *h. e.* frugiferæ. *Id. ibid.* 512. commotum promissis ditibus agmen. *Tibull.* 3. 6. 13. *de Baccho.* Ille facit dites animos deus. *Lucret.* 1. 412. largos haustus de fontibu' magnis Lingua meo suavis diti de pectore fundet. — *b*) Cum Genitivo. *V.* infra sub *C.* — *c*) Cum Ablativo. *Ovid.* 2. *Met.* 77. delubraque ditia donis. *V.* alia infra sub *C.* — *NB.* De Dite inferorum deo, *V.* DIS in ONOM.

C) Comp. et Superl. — *a*) Comp. *Divitior* apud *Plaut. Pseud.* 5. 2. 24. Nam hinc numquam eris nummo divitior. *Ter. Phorm.* 1. 1. 7. Quam inique comparatum est, ii qui minus habent ut semper aliquid addant divitioribus? *Lucret.* 5. 1114. Divitioris enim sectam plerumque sequuntur. *Cic.* 3. *Orat.* 48. 185. Inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus. *h. e.* verbis copiosior. *Non. p.* 101. 13. *Merc.* quoque ita legit. *Cic. Amic.* 16. 48. Divitior et affluentior amicitia. *Al. leg.* ditior. *Id.* 6. *Parad.* 3. 49. Uter est divitior, cui deest, an cui superat? Adde *eumd.* 1. *de republ.* 17. et 32. edente *A. Maio. Ovid. Heroid.* 16. 34. Oppida sunt regni divitiora mei. Adde *eumd.* 6. *Met.* 452. — *b*) Comp. *Ditior* apud *Horat.* 1. *Sat.* 1. 40. dum ne sit te ditior alter. *Id. ibid.* 5. 91. aquæ (*locus*) non ditior urna. *h. e.* abundantior. *Liv. præfat. ad fin.* Nulla unquam respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit. Adde *Val. Flacc.* 6. 38. *Sil. It.* 13. 684. Ditior ipse viris. *h. e.* majoribus militum copiis instructus. *Id.* 1. 657. Ditior acceptis undis. *Id.* 14. 237. Ditior umbræ. *Stat.* 3. *Theb.* 481. Ditior ille animi. *h. e.* fiduciæ plenior. — *c*) Sup. *Divitissimus* apud *Cic.* 6. *Parad.* 2. 48. Si quidem, ut quisque, quod plurimi sit, possideat, ita divitissimus habendus sit. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 36. 78. et 2. *Off.* 17. 58. edente *Orell.*; nonnulli tamen ubique leg. *ditissimus. Nepos Alcib.* 2. Socerum habuit Hipponicum, omnium Græcæ linguæ eloquentia divitissimum. Adde *eumd. Phoc.* 1.; ita enim utrobique legunt recentiores. *Inscript.* optimæ notæ apud *Betti, Notiz. d'un Colombajo* etc. *p.* 269. *edit. Mediol.* C. GARGILIVS HAEMON PROCVLI PHILACRI DIVI AVG. L. AGRIPPIANI F. PECVLIO PAVPER ANIMO DIVITISSIMVS. — *d*) Sup. *Ditissimus* apud *Liv.* 10. 46. Quadringentos septuaginta ditissimos, pecunia grandi pactos, ut abire inde liceret, dimisit. *Virg.* 1. *Æn.* 347. Ditissimus agri. *Sil. It.* 3. 397. ditissimus ævi. *h. e.* valde senex. *Val. Flacc.* 5. 123. spoliis ditissimus amnis. Adde *Cæs.* 1. *B. C.* 2.; *Virg.* 9. *Æn.* 360. et 10. *ibid.* 563.; *Ovid.* 5. *Met.* 129.; *Curt.* 4. 1. 24.; et *Tac.* 6. *Ann.* 19. et 1. *Hist.* 51. — *NB.* Adverbium DITIUS V. loco suo.

DĪVEXO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Divexandus* 2. — Divexo est ¶ 1. Varie vexo, huc illuc pro libitu veho, asporto, diripio: a *di* et *vexo*, quod a *veho* frequentativum est. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 106. Neu reliquias sic meas siris, denudatis ossibus, Tetra sanie delibutas, fœde divexarier. *Ita recte legit* Orell.: *at* Forcellinus *cum vulgatis libris*: Heu reliquias semiassi regis, denudatis ossibus, Per terram etc. *Plaut. Pers.* 5. 2. 4. Rem meam divexavit. *Cic.* 11. *Phil.* 2. 14. Omnia divexare et diripere cupiens. *Id.* 13. *ibid.* 9. 21. Agros divexat civium optimorum. ¶ 2. Item varie jacto, affligo. *Sueton. Ner.* 34. Neque divexanda matre quidquam pensi habuit.

DĪVEXUS, a, um, adject. seu potius particip. ab inusit. *diveho* (unde et verbum *divexare*), divaricatus, decussatus, hinc inde inclinatus, ut *devexus* deorsum inclinatus. *Augustin.* 10. *Confess.* 31. Jacob nepotibus suis ex Joseph divexas mystice manus imposuit. V. *Genes.* 48. 14.

DĪVĬDENDUS, i, m. 2. *V.* DIVIDO in fin.

DĪVĬDĬA, æ, f. 1. proprie est rei alicujus in diversas partes sectio vel laceratio; est enim a *divido*; sed occurrit translate tantum, et est ¶ 1. Animorum dissensio. *Accius* apud *Non.* p. 101. 20. *Merc.* Ne iorum dividiæ et discordiæ dissipent et disturbent tantas et tam optimas civium divitias. *Paul. Diac.* 70. 15. *Müll.* Dividiam, discordiam. ¶ 2. Item est molestia, dolor, tædium; quæ omnia animum diverse trahunt: unde *Varro* 7. *L. L.* 60. *Müll.* Dividia ab dividendo dicta, quod divisio distractio est doloris. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 110. Cave, tibi ducenti nummi dividiæ fuant. *h. e.* ne te ducentos nummos dare tædeat. *Id. ibid.* 4. 6. 1. Nimio illæc res est magnæ dividiæ mihi, subterfugisse sic mihi hodie Chrysalum. *Id. Stich.* 1. 1. 19. Hæ mihi dividiæ ac senio sunt. *Id. ibid.* 3. 1. 40. Venire in dividiam. *Id. Cas.* 2. 2. 11. Idem mihi est dividiæ. Adde *eumd. Truc.* 4. 4. 3. *Turpilius* apud *Non. p.* 26. 25. *Merc.* Dividia ac tædium. *Fulgent. de prisco serm. p.* 561. 27. *Merc.* exponit tristitiam (quod est molestiæ affine), affertque versiculum *Propertii*: Dividias mentis conficit omnis amor. Sed *Petronio* alii tribuunt, quia inter *Propertii* carmina non legitur. Refertur autem inter fragmenta *Petronii p.* 880. *Burmanni.*

DĪVĬDĬCŬLA antiqui dicebant, quæ nunc sunt c a s t e l l a, ex quibus a rivo communi aquam quisque in suum fundum ducit. *Paul. Diac. p.* 70. 12. *Müll.*: qui *Müll.* hæc adnotavit: *V.* in primis *Vitruv.* 8. 7., 9. 6. et 10. 12. *Hesychius:* Κάστελλος, ὄνομα τόπου ἄνω φέροντος καὶ κάτω φέροντος καὶ μερίζοντος τὸ ὕδωρ.

DĪVĬDO, vidis, visi, visum, videre, a. 3. (a *dis* et *iduo, as*, cum digammate *Fiduo* seu *viduo*, quod Etrusca lingua dividere est, ut *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. *a med.* docet. Videntur enim Latini olim *diviiduo* dixisse, postea *divido*). — *Divisse* pro *divisisse* per syncopen dixit *Horat.* 2. *Sat.* 3. 169.; ubi alii minus recte leg. *didisse*. — Part. *Dividens* sub *A.* I. 1.; *Divisus* in omnibus paragr. et in fin.; *Divisurus* suo *A.* 1. 2.; *Dividendus* sub *A.* I. 2. — Dividere est *A*) Diffindere, in duas vel plures partes secare, partiri; et *B*) Rem a re separare, distrahere, divellere, dissitum facere.

A) Dividere est diffindere, in duas vel plures partes secare, partiri (It. *fendere in due o più parti, dividere, partire*; Fr. *diviser en deux ou plusieurs parties, partager*; Hisp. *dividir, partir*; Germ. *von einandertheilen, vertheilen, abtheilen, eintheilen*; Angl. *to cut or divide asunder, cut off, divide, part*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est diffindere, in duas vel plures partes secare. — *a*) Absolute. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 20. 45. Europam Libyamque rapax ubi dividit unda. *Lucret.* 5. 439. discludere mundum, Membraque dividere et magnas disponere partes. *Liv.* 38. 16. Divisam freto Asiam. *Cic.* 1. *Tusc.* 18. 42. Hoc etiam magis necesse est ferantur ad cælum, et ab his perrumpatur et dividatur crassus hic et concretus aer. Cf. *eumd.* 3. *Nat. D.* 12. 29. Si omne animal secari ac dividi potest, nullum est eorum individuum. *Horat.* 1. *Od.* 34. 6. Diespiter igni corusco nubila dividens. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (14). Dividere marmor cuneis. *Auct. B. Afr.* 17. Ita coronam hostium dextro sinistroque cornu mediam dividit. *Liv.* 24. 6. Himera amnis, qui ferme insulam dividit. *h. e.* mediam secat. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 99. at hunc liberta securi Divisit medium. *Virg.* 9. *Æn.* 750. Et mediam ferro geminam inter tempora frontem Dividit. *Sil. It.* 4. 239. divisum (*subaudi* ense) humeris jacuit caput. *Id.* 2. 96. Ille vagam cælo divisit sæpe volucrem. *h. e.* sagitta. *Virg.* 2. *Æn.* 234. Dividere muros. Sic *Prudent.* 14. περὶ στεφ. 81. dividere januas cæli. *h. e.* aperire fores. *Seneca Thyest.* 760. Ipse divisum secat in membra corpus. — *b*) Cum addito *in* et Accusativo partium, in quas aliquid dividitur. *Lucret.* 5. 683. Sol – in non æquas partes dividit urbem. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 6. Fluvius divisus æqualiter in duas partes. *Cæs.* 3. *B. G.* 2. Vicus in duas partes flumine dividitur. Sic *Cic.* 1. *de republ.* 19. Dividere populum unum in duas partes. Et *Cæs.* 1. *B. C.* 35. Intelligere se, divisum esse populum Romanum in partes duas. *Sueton. Ner.* 20. Divisi in factiones. Adde *eumd. Aug.* 30. et *Claud.* 20. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Gallia est omnis divisa in partes tres. *Id. ibid.* 12. Omnis civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est. *Sueton. Gramm.* 2. Nævii Punicum bellum (*h. e.* carmen), quod uno volumine et continenti scriptura expositum, divisit in septem libros. ¶ 2. Hinc latiori sensu *dividere* est aliquid inter plures partiri ac distribuere; et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 4. Dicam palam, non divides. *præcedunt verba*: Herus odixit mihi, ut dispartirem obsonium hic bifariam. *Ovid.* 13. *Met.* 101. Si semel ista datis meritis tam vilibus arma, Dividite: et major pars sit Diomedis in illis. *Sueton. Cæs.* 14. Solus municipatim dividendos (*Catilinariæ conjurationis socios*) custodiendosque, publicatis bonis, censuit. *Tac.* 2. *Hist.* 53. Divisis per itinera qui recentissimum quemque percontarentur. *Sil. It.* 9. 302. pars implevere divisi montes. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 32. Divisum senatum. *h. e.* divisum in partes, seu factiones. — Sæpius de rebus physicis. *Plaut. Rud.* 4. 3. 72. Dividere prædam. *Lucret.* 5. 1109. pecudes et agros. *Cic. Brut.* 14. 57. agrum viritim. *Id.* 3. *Tusc.* 20. 48. bona viritim. *Sueton. Cal.* 13. panaria cum obsonio viritim. *Id. Vitell.* 10. merum. Adde *eumd. Aug.* 75.; et *Justin.* 8. 6. 1. *Flor.* 3. 14. 6. Triumvir creatus dividendis agris. *Id.* 3. 17. 6. Nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut cœnum dividere vellet, aut cælum. *Lucan.* 5. 495. dividere orbem ex æquo. Adde *Val. Flacc.* 1. 355. — *b*) Cum addito Ablativo personæ et præpos. *cum. Plaut. Amph.* 5. 1. 73. Me haud pœnitet scilicet boni dimidium mihi dividere cum Jove. Sic *Id. Stich.* 5. 4. 15. Factum ego tecum non divido. *Quintil.* 7. 1. 45. Qui (*hereditatem*) dividere nolit cum fratre. *Justin.* 6. 9. 5. Tunc vectigal publicum – cum urbano populo dividi cœptum est. Sic in *distic. quod Virg. tribui solet.* Divisum imperium cum Jove Cæsar habet. — *c*) Cum addito Dativo personæ. *Liv.* 21. 5. Agri dimidium Latinis, dimidium plebi divisurus consul erat. *Cic.* 2. *de republ.* 14. Dividere agros viritim civibus. *Liv.* 1. 47. agrum cuique. *Sall. Jug.* 91. prædam militibus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 169. duo prædia natis. *Nepos Dion.* 7. Bona militibus divisa. *Sueton. Ner.* 10. Divisi populo nummi quadringeni viritim. *Virg.* 1. *Æn.* 201. Vina dividere sociis. *Cic. Sull.* 15. 42. Tabulas illas dividi passim et pervulgari atque edi populo Romano imperavi: divisi toti Italiæ, emisi in omnes provincias. Adde *Nepot. Cimon.* 2. et *Timol.* 3.; *Liv.* 25. 30.; *Sueton. Cæs.* 20. et 38., et *Aug.* 4. et 40. *Justin.* 14. 4. 20. Antigonus domitores illos orbis exercitui suo divisit. *Virg.* 1. *G.* 209. *de Libra cælesti.* Et medium luci atque umbris jam dividit urbem. *Horat.* 1. *Od.* 36. 5. Caris multa sodalibus dividere oscula. *Id.* 1. *Od.* 15. 14. grataque feminis imbelli cithara carmina divides. *h. e.* modo huic, modo illi feminæ canes; at *Forcellinus* translate accepit et interpretatus est: alternabis carmina sonitu citharæ. Sic figurate *Id. Epod.* 11. 16. Dividere aliquid ventis. *h. e.* spargere, dissipare. *Virg.* 2. *G.* 116. Divisæ arboribus patriæ. *h. e.* sua cuique arbori patria est. Et poetice *Sil. It.* 5. 102. divisus quisque timori. *d*) Cum Accusativo et præpos. *inter. Plaut. Pers.* 5. 1. 5. Dividere prædam inter participes. *Nepos Thrasyb.* 1. Quum plurimorum bona publicata inter se divisissent. *Justin.* 3. 3. 3. Dividere fundus inter omnes. Adde *eumd.* 12. 3. 10.; et *Quintil.* 10. 2. 23. Rursus *Justin.* 21. 1. 2. Si portionibus (*regnum*) inter plures divideretur. — *e*) Cum Dativo simulque cum Accusativo et præpos. *inter. Liv.* 10. 59. Divisit inter singulos milites trecenos æris, duplex centurionibus. — *f*) Cum Accusativo et præpos. *per. Ovid.* 3. *Fast.* 671. Dividere liba per populum. *Sueton. Domit.* 9. agros per veteranos. — *g*) Cum Accusativo et præpos. *in. Plaut. Aulul.* 1. 2. 30. Dividere argenti nummos in viros. *Cæs.* 6. *B. G.* 43. equitatum in omnes partes. *Liv.* 43. 19. Romanos in custodiam civitatium. *Id.* 28. 2. exercitum passim in civitates. *Curt.* 4. 12. 3. peditem in duo cornua. Adde *eumd.* 4. 3. 11.; *Liv.* 5. 43.; *Sueton. Aug.* 30., *Claud.* 20. et *Ner.* 29.; et *Quintil.* 3. 7. 10. — *h*) Cum Supino. *Nepos Eumen.* 8. In regione Persidis hiematum copias divisit. ¶ 3. Habet etiam obscœnum sensum apud *Petron. Satyr.* 11. et apud *Plaut. Aulul.* 2. 4. 4. et 7., quod Græci dicunt διαμηρίζω τὰ παιδικά. *V.* DIVISIO. ¶ 4. Item, quemadmodum et *distrahere*, est pluribus alienare, vendere. *Sueton. Cæs.* 54. Unde factum ut auro abundaret, ternisque millibus nummûm in libras promercale per Italiam provinciasque divideret. *h. e.* divenderet. Adde *eumd. Ner.* 26.

II.) Translate. ¶ 1. Stricto sensu de plurimis et quidem variis dicitur. — *a*) Generatim. *Cic. Orat.* 32. 115. Quumque ambigue multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi explanarique oporteat. *Sueton. Cæs.* 80. Qui primum cunctati utrumne illum in campo – partibus divisis e ponte dejicerent, etc. *h. e.* unicuique sua negotii parte commissa. Adde *Liv. Epit.* 136. *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 40. Dividere bona tripertito. *V.* integrum locum. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 78. Stridere secreta divisos aure susurros. — *b*) Speciatim de tempore. *Tac. Agric.* 9. Jam vero tempora curarum remissionumque divisa. *Varro* 3. *R. R.* 2. 15. Ubi æstate diem meridie dividere soleam. *Ovid.* 5. *Met.* 565. Juppiter ex æquo volventem dividit annum. *Lucan.* 2. 689. Buccina dividit horas. Sic *Sil. It.* 7. 155. mediam noctem dividit buccina. — *c*) Item speciatim apud Rhetores. *Quintil.* 11. 2. 36. Qui recte diviserit, numquam poterit in rerum ordine errare. *Id.* 7. 1. 89. Hæc de dividendo præcipi possunt. Adde *eumd.* 4.

5. 25., 5. 10. 46., 5. *procem.* 5. et alibi. *Cic. Orat.* 33. 117. Dividere et partiri genus universum in species certas. *Id.* 2. *Orat.* 19. 80. Dividere causam. *Id. Partit. orat.* 9. 33. Quæ ad faciendam fidem pertinent, in confirmationem et reprehensionem dividuntur. *Quintil.* 3. 3. 7. Quum dupliciter primum divisisset, in inventionem atque elocutionem. *Id.* 3. 6. 104. In tria genera causas divisi. — Et de scriptione. *Sueton. Aug.* 87. Notavi et in chirographo ejus illa præcipue: non dividit verba, nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum transfert; sed ibidem statim subjicit circumducitque. Cf. *Quintil.* 1. 7. 9. et 10. 1. 29. — *d*) Item de animo pluribus intento, et similibus. *Catull.* 62. 15. Nos alio mentes, alio divisimus aures. *Virg.* 4. *Æn.* 285. Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc. — *e*) Et pro distribuere de abstractis. *Ter. Andr.* 3. 1. 18. Non sat commode divisa sunt temporibus tibi, Dave, hæc. *h. e.* hæc non satis commode digesta ac distributa sunt a te per tempora. *Justin. præfat.* 3. Ea omnia Pompejus (*Trogus*) divisa temporibus et serie rerum digesta composuit. *Sall. Cat.* 43. Sed ea (*negotia*) divisa hoc modo dicebantur. Statilius et Gabinius uti – loca urbis incenderent etc. *Ammian.* 23. 1. *init.* Et licet – multiplicatos expeditionis apparatus flagranti studio perurgeret, diligentiam tamen ubique dividens, etc. *Cæs.* 3. *B. C.* 17. Sic belli rationem esse divisam, ut illi classe naves auxiliaque sua impedirent, ipse ut aquâ terrâque eos prohiberet. — *f*) *Dividere sententiam* locutio est curiæ, quam *Ascon.* ita exponit ad *Cic. Mil.* 6. 14. Quum aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complectitur, eæ si non omnes probantur, postulatur, ut dividat, id est ut de rebus singulis dividatur. Non est ei, qui hoc postulat, oratione longa utendum, ac ne consurgendum quidem utique est: multi enim sedentes hoc unum verbum pronunciant, *divide*: quod quum auditum est, liberum ei, qui facit orationem, dividere. Hæc *Ascon. Cic.* vero *ibid.* Divisa sententia est, postulante nescio quo. Adde *eumd.* 1. *Fam.* 2.; et *Plin.* 8. *Ep.* 14. 15. (V. *Gesner* ad hunc *Plinii* locum; et cf. *eumd. Plin. ibid.* 14. 6. Distinctio sententiarum). Hinc *Seneca Ep.* 21. Quod fieri in senatu solet, faciendum ego in philosophia quoque existimo. Quum censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, jubeo illum dividere sententiam, et sequor. Adde *eumd. Vit. beat.* 3. ¶ 2. Latiori seu prægnante, uti ajunt, significatione est dissolvere, ad nihilum redigere. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 31. Nunc age, quid nostrum concentum dividat, audi. *Id.* 1. *Sat.* 7. 11. Inter Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors.

B) Dividere est etiam rem a re separare, distrahere, divellere, dissitum facere.

I.) Proprie. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. Rhenus agrum Helvetium a Germanis dividit. *Id. ibid.* 8. Mons Jura fines Sequanorum ab Helvetiis dividit. *Id.* 3. *B. C.* 36. Quod (*flumen*) Macedoniam a Thessalia dividit. *Cic.* 5. *Att.* 20. 3. Inde ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia aquarum divortio dividit. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit. *Virg.* 1. *Ecl.* 67. toto divisos orbe Britannos. Cf. *Flor.* 3. 10. 2. Toto orbe divisa Britannia. *Cic.* 2. *de republ.* 22. Reliquum populum distribuit in quinque classes, senioresque a junioribus divisit. *Tac.* 1. *Ann.* 43. Discedite a contactu ac dividite turbidos, *subaudi* a vobis. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 73. Dividor haud aliter quam si mea membra relinquam. *Id.* 1. *Pont.* 9. 48. Atque tuis toto dividor orbe rogis. *Virg.* 12. *Æn.* 15. quem nunc mæstum patria Ardea longe Dividit. *Id.* 3. *ibid.* 381. Longa procul longis via dividit invia terris. *Propert.* 1. 12. 3. Tam multa illa meo divisa est millia lecto. *Stat.* 3. *Theb.* 165. non dextras miseris complexibus ausim Dividere. — Et figurate. *Cic. Flacc.* 26. 63. Massilia – a Græcorum omnium regionibus, disciplinis linguaque divisa, *h. e.* remota.

II.) Translate. ¶ 1. Est distinguere et dignoscere. *Cic.* 1. *Legg.* 16. 44. Nos legem bonam a mala nulla alia, nisi naturæ norma, dividere possumus. *Tac.* 13. *Ann.* 27. Non frustra majores, quum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi posuisse. *Id.* 3. *ibid.* 15. Paullatim segregari a marito, dividere defensionem (*suam*) cœpit. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 113. Nec natura potest justo secernere iniquum, Dividit ut bona diversis (*h. e.* bona a malis), fugienda petendis. *Quintil.* 8. 6. 13. Appositum, si a proprio diviseris. *Id.* 8. 3. 11. Numquam vera species ab utilitate dividitur. Sed hoc quidem discernere modici judicii est. ¶ 2. Hinc etiam, quemadmodum et *distinguere*, est quibusdam vetati notis, aut punctis, aut coloribus certo intervallo appositis, rem variare, atque adeo ornare. *Virg.* 10. *Æn.* 131. Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (196). Scutulis telam dividere Gallia instituit. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus.

Divisus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Divisior* apud *Lucret.* 4. 958. Et divisior inter se (*conjectus animai*) et distractior intus, *h. e.* et magis in partes distributus.

DIVIDŬĬTAS, ātis, f. 3. idem quod divisio. *Cajus Dig.* 35. 2. 80. *sub fin.* Legata, quæ dividuitatem non recipiunt, tota ad legatarium pertinent.

DĪVĬDUS, a, um, adject. divisus. *Accius* apud *Non.* p. 95. 25. *Merc.* Nosque ut seorsum dividos, leto offeras.

DĪVĬDŬUS, a, um, adject. ¶ 1. Est qui dividi potest. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 129. Omne animal et dissolubile et dividuum sit, necesse est. *Id. Tim.* 7. Idque interjecit inter individuum, atque id quod dividuum esset, in corpore. *Colum.* 12. *R. R. præfat.* 8. Nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil quod aut maritus, aut femina proprium esse juris sui diceret: sed in commune conspirabatur ab utroque. ¶ 2. Item divisus. *Plaut. Rud.* 5. 3. 53. Dividuum talentum faciam. *Ter. Adelph.* 2. 2. 33. Dividuum face. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 19. Et mihi dividuo findetur munere quadra. *Ovid.* 2. *Art. am.* 487. In furias agitantur equæ, spatioque remota in loca dividuos amne sequentur equos. *Id.* 1. *Amor.* 5. 10. Coma dividua. *Id.* 1. *Fast.* 292. Insula, dividua quam premit amnis aqua, *h. e.* in duos ramos findente se flumine, et insulam efficiente. *Id.* 3. *Met.* 682. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (215). Dividua luna, *h. e.* quum dimidium sui orbis ostendit. *Seneca Ep.* 121. *ad fin.* Non vides, quanta sit apibus dividui laboris obeundi concordia? *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 53. (123). Arbores dividuæ, *h. e.* trunco bifurco. ¶ 3. *Dividuum nomen* apud *Priscian.* 2. p. 581. *Putsch.* est, quod a duobus vel pluribus ad singulos habet relationem, vel ad plures in numeros pares distributos, ut *uterque, alteruter, quisque, singuli, bini, terni, centeni.*

DĪVĬGĔNA, æ, m. 1. a diis genitus. *Gloss. Lat. Gr.* Divigena, θεογενής.

DĪVĪNĀLIS, e, adject. ad res divinas pertinens. *Isid.* 2. *Orig.* 21. Divinalis philosophia dicitur, quando aut ineffabilem naturam Dei, aut spiritales creaturas ex aliqua parte profundissima qualitate disserimus. *V.* INSPECTIVUS.

DĪVĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Generatim est scientia futurorum, quam Chrysippus apud *Cic.* 2. *Divinat.* 63. 130. definit vim cognoscentem et videntem et explicantem signa, quæ a diis hominibus portendebantur. *Cic.* 1. *Divinat.* 1. 1. Versari quamdam inter homines divinationem, quam Græci μαντικήν appellant, idest præsensionem et scientiam rerum futurarum. *Id. ibid.* 5. 9. Divinatio est earum rerum, quæ fortuitæ putantur, prædictio atque præsensio. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 5. 13.; 1. *Nat. D.* 22. 55.; *Rosc. Am.* 34. 96. *Id.* 3. *Fam.* 13. Animi divinatio. *Nepos Att.* 9. Cum ille potius divinus fuerit, si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quæ nullis casibus neque augetur, neque minuitur. Adde *eumd. ibid.* 16.; et *Curt.* 3. 3. 2. ¶ 2. Dicitur etiam *divinatio*, judicium, sive cognitio, quæ circa constitutionem accusatoris, vel subscriptoris consistit, cum scilicet ex duobus pluribusve accusationem ambientibus deligendus est, qui maxime sit idoneus. Ratio nominis est, quia in aliis judiciis judex ea, quæ testibus, tabulis, vel argumentis probata sunt, sequi debet: cum autem accusator est eligendus, ex rei futuræ indiciis et conjecturis judicare debet, et pene divinare, quis maxime sit idoneus ad accusandum. Alii ideo putant divinationem dici, quod injurati judices in hac causa sedeant, ut, quod velint, præsentire de utroque possint. Alii, quod res agatur sine testibus et sine tabulis; et his remotis argumenta sola sequantur judices et quasi divinent. V. *Klotz* ad *Cicer. Oration.* vol. 2. p. 3. et seqq. et p. 633. Hinc prima inter *Verrinas* Divinatio inscripta est. Nam in accusatione Verris certamen erat inter Ciceronem et Cæcilium, uter in accusando deberet præferri. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 2. 1.; *Cælius* apud *eumd.* 8. *Fam.* 8. 3.; *Bassus* apud *Gell.* 2. 4.; *Quintil.* 3. 10. 3. et 7. 4. 31.; et *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* initio p. 97. *Bait.* Hinc etiam C. Julii Cæsaris divinatio in Cn. Cornelium Dolabellam citatur a *Sueton. Cæs.* 55.

DĪVĪNĀTOR, ōris, m. 3. divinus. *Firmic.* 5. *Mathes.* 5. *sub fin.* Erunt divinatores, vates, sortilegi.

DĪVĪNĀTRIX, icis, f. 3. quæ divinat. *Tertull. Anim.* 46. Præsidia divinatricium artium et disciplinarum. *Capell.* 1. p. 3.-4. Delius quoque, ut ramale laureum gestitabat, divinatrice eadem conjecturalique virga volucres illi ac fulgurum jactus, atque ipsius meatus cæli siderumque monstrabat.

DĪVĪNĀTUS, a, um. *V.* DIVINO.

DĪVĪNĒ, adverb. Comp. *Divinius* 2. — Divine ¶ 1. Est ut deos decet, divina ratione. *Plaut. Amph.* 3. 3. 21. Nunc tu divine fac huc assis Sosia. ¶ 2. Item divinando, futura præsentiendo. *Cic.* 1. *Divinat.* 55. 125. Plura divine præsensa et prædicta reperiri. *Id.* 10. *Att.* 4. Cum cogito, me de republica numquam, nisi divine cogitasse. *Id.* 2. *de republ.* 5. Qui potuit igitur divinius et utilitates complecti maritimas Romulus et vitia vitare? *Sic recte Orell., Doderlein aliique; nonnulli leg.* divinitus. ¶ 3. Item excellenter, divinitus. *Cic. Senect.* 13. 44. Divine enim Plato escam malorum voluptatem appellat. *Quintil.* 11. 1. 62. Duo tamen, quæ sola superarant, divine Cicero servavit. *Id.* 1. 6. 18. Quæ Tullius in Oratore divine, ut omnia, exsequitur.

DĪVĪNĬCONTĔMĀCĬA, æ, f. 1. divinarum rerum contemptus, videtur ἅπ. εἰρ. dictum ab *Apul. de Mag.* p. 519. *Oudend.*, ubi tamen plures divisim legunt *divini contumacia.*

DĪVĪNĬPŎTENS, entis, adject. qui in divinis potestatem habet. *Apul.* 9. *Met.* Saga et divinipotens.

DĪVĪNISCĬENS, entis, adject. sciens divinarum rerum. *Apul. de Mag.* Magia colendi deos perguara, pia scilicet et diviniscíens.

DĪVĪNĬTAS, ātis, f. 3. ¶ 1. Est deitas, numen, majestas divina, potestas divina. *Cic.* 1. *Nat. D.* 13. 31. Modo enim menti tribuit omnem divinitatem: modo mundum ipsum Deum dicit esse. *Id.* 2. *Divinat.* 38. 81. Placet igitur, humanitatis expertes habere divinitatis auctores? Et abstractum pro concreto *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 13. p. 115. *Bait.* Tantum mihi divinitas faveat, quantum verum est illud, quod dico. *Curt.* 8. 5. 15. Intervallo enim opus est, ut credatur deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteri reddunt. – Hominem consequitur aliquando, numquam comitatur divinitas. Adde *Plin. Paneg.* 32.; et *Nazar. Paneg. Const. Aug.* 13. *Liv.* 1. 15. Hæc ferme, Romulo regnante, domi militiæque gesta: quorum nihil absonum fidei divinæ originis divinitatisque post mortem creditæ fuit. *Sueton. Aug.* 97. Mors quoque ejus (*Augusti*), de qua dehinc dicam, divinitasque post mortem – præcognita est. — Hinc apud sequioris ævi scriptores *divinitas*, quemadmodum *majestas* et alia hujusmodi, dictus est ipse imperator adhuc vivus. *Eumen. Paneg. Const. Cæs.* 2. Vestra divinitas. *Id. ibid.* 8. et 13. Tua divinitas. Et *Incert. Auct. Paneg. Max. et Const.* 3. Divinitatem conciliare. ¶ 2. Item vis et facultas divinandi. *Cic.* 2. *Divinat.* 58. 138. Mentis divinitate et conjunctione cum externis mentibus cerni, quæ sint futura. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 58. 59. (149). Majoris miraculi divinitatem Anaxagoræ fuisse. ¶ 3. Item eximia et singularis excellentia. *Cic.* 2. *Orat.* 71. 298. Mementote non me de perfecti oratoris divinitate quadam loqui, sed etc. *Id. Orat.* 19. 62. Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 20. 86.; et *Quintil.* 11. 2. 7. *Plin. Paneg.* 11. Divinitas parentum. — In plur. numero. *Vitruv.* 9. 1. 11. *Schneid.* Divinitates splendoresque astrorum.

DĪVĪNĬTUS, adverb. ¶ 1. Significat a Deo, munere Dei. *Plaut. Amph.* 5. 1. 53. Divinitus non metuo, quin meæ uxori latæ suppetiæ sient. *Lucret.* 2. 180. Hoc tamen ex ipsis cæli rationibus ausim Confirmare – Nequaquam nobis divinitus esse creatam Naturam. Adde *eumd.* 1. 151. *Id.* 4. 1274. Nec divinitus interdum Venerisque sagittis, Deteriore fit

ut forma muliercula ametur. *Cic.* 1. *Orat.* 46. 202. Non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videtur. *Sueton. Claud.* 13. *extr.* Casu quodam, an divinitus, signa convelli non potuere. *Cic. Partit. orat.* 23. 82. Si quid cui magnum aut incredibile acciderit, maximeque si id divinitus accidisse potuerit videri. *Virg.* 1. *G.* 415. quia sit divinitus illis ingenium, et rerum fato prudentia major. *Quintil.* 1. 10. 47. Prodigio divinitus facto. *Aurel. Vict. Vir. ill.* 2. Seu forte seu divinitus. *Pacat. Paneg. Theod. Aug.* 5. 3. Unum illum divinitus extitisse. ¶ 2. Item vi et facultate divinandi, præsensione, præscientia a Deo data. *Plaut. Curc.* 2. 1. 33. Vah! solus hic homo 'st, qui sciat divinitus. *Lucret.* 5. 53. Cum bene præsertim multa, ac divinitus ipsis Immortalibu' de divis dare dicta suërit. *Cic.* 1. *Orat.* 7. 26. Multa divinitus a tribus illis consularibus deplorata et commemorata. *Id. Sull.* 15. 43. In quo ego multa divinitus, non mea sponte providi. ¶ 3. Item excellenter, et supra humanas vires. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 12. Quæ sunt apud Platonem nostrum scripta divinitus. *Id.* 2. *Orat.* 2. 7. Ea, quæ existimarem a summis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta. *Id.* 2. *Att.* 21. *extr.* et 1. *Orat.* 11. 49. Divinitus loqui. *Id. post redit. in Senat.* 12. 30. Homines de me divinitus meriti.

DĪVĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (divinus). Part. *Divinans* et *Divinatus.* — Divinare est futura præsagire, atque adeo animo etiam præsentire; a *divinus*, quia divinum quiddam et supra mortalis sagacitatis sortem est futura prædicere, aut occulta in lucem proferre (It. *presagire il futuro, presentire, indovinare*; Fr. *pressentir, prédire, deviner*; Hisp. *presentir, predecir, adivinar*; Germ. *d. Zukunft vorherwissen, prophezeien, auch ahnen*; Angl. *to divine, foresee or predict future events, foretell things to come, dive into futurity*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Cic.* 16. *Att.* 8. *extr.* Non equidem hoc divinavi, sed aliquid tale putavi fore. *Id.* 1. *Divinat.* 54. 123. Quæ mirabiliter a Socrate divinata sunt. *Id. Senect.* 4. 12. Quasi jam divinarem id quod evenit, illo exstincto fore, unde discerem, neminem. *Liv.* 26. 41. Animus quoque meus, maximus mihi ad hoc tempus vates, præsagit, nostram Hispaniam esse. – Quod mens sua sponte divinat, idem subjicit ratio haud fallax. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 55. 56. (188). Divinare immortalitatem alicui. Cf. *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 12. Quia me amat, propterea Venus fecit ut eam divinaret. — *b*) Sequente Relativo. *Liv.* 8. 23. Neque augures divinare Romæ sedentes potuisse, quid in castris consuli vitii obvenisset. Cf. *eumd.* 41. 24. Divinat etiam, quæ futura fuerant, si Philippus vixisset. — *c*) Cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 6. *Fam.* 1. 5. Neque ego ea, quæ facta sunt, fore quum dicebam, divinabam futura. *Id.* 2. *de republ.* 5. Ut mihi jam tum divinasse ille (*Romulus*) videatur, hanc urbem sedem aliquando et domum summo esse imperio præbituram. *Liv.* 4. 2. Majores quoque, si divinassent, concedendo omnia non mitiorem in se plebem, sed asperiorem – quam prima impetrasset, futuram etc. *Curt.* 6. 10. 19. Num igitur facturum eum divinare potui? Adde *eumd.* 6. 10. 19. — *d*) Cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Nepos Ages.* 6. Ut si de exitu divinaret, exire noluit. Adde *Cic.* 1. *ad Brut.* 18. *extr.* — *e*) Absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 3. 8. Si enim aliquid certi haberem, quod dicerem; ego ipse divinarem, qui esse divinationem nego. *Id.* 1. *ibid.* 23. 47. Est profecto quiddam etiam in barbaris gentibus præsentiens atque divinans. *Id.* 2. *ibid.* 21. 48. Quædam casu videntur sic evenire, ut prædicta sunt a divinantibus. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 60. Divinare etenim magnus mihi donat Apollo. *Juvenal.* 4. 123. sed ut fanaticus œstro Percussus, Bellona, tuo divinat. *Ovid.* 11. *Met.* 694. Hoc erat, hoc animo quod divinante timebam. Cf. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 74. Plane hic divinat: nam verum est. *h. e.* verum dicit. *Curt.* 6. 10. 25. Utrum, quæso, quod non divinavi, reus sum? *h. e.* quod non divinavi Amyntam regi insidias fecisse. *Ammian.* 21. 1. *med.* Munera divinandi.

DĪVĪNUS, a, um, adject. (divus). Comp. *Divinior* I. et II. 1. et 2.; Sup. *Divinissimus* I. — Divinus est ad Deum pertinens (It. *divino*; Fr. *divin*; Hisp. *divino*; Germ. *der Gottheit angehörig, daher göttlich*; Angl. *relating to the Deity, divine, heavenly*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 1. 155., 4. 1229. et 6. 91.; et *Cic.* 1. *Nat. D.* 9. 22. Numen divinum. Sic *Id. Cic. Mil.* 30. 83. Qui nullam vim esse ducit numenve divinum. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 2. Pergamum divina mœnitum manu. *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 60. Divina bonitas erga homines. *Id.* 13. *Fam.* 4. *extr.* Quasi divino consilio isti negotio præpositus est. *Id. Amic.* 4. 13. Animos hominum esse divinos, *h. e.* a Deo originem ducere. *Justin.* 5. 4. 13. Non solum humanis honoribus, sed divinis etiam eum (*Alcibiadem*) onerant. — Comp. *Divinior* apud *Cic.* 5. *Fin.* 11. 33. Major aliqua causa atque divinior hanc vim ingenuit. — Sup. *Divinissimus* apud *eumd.* 2. *Legg.* 18. 45. Divinissima autem dona, aves et formæ ab uno pictore uno absolutæ die. *h. e.* maxime Deo digna. — Jungitur et aliis Nominibus, quorum præcipua hæc sunt. *Cæs.* 2. *B. G.* 31. divina ope. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 30. urna. *Ovid.* 2. *Met.* 633. stirps. *Id.* 1. *ibid.* 78. semen. *Liv.* 1. 15. origo. *Cic.* 2. *Fin.* 13. 40. animal. *Id.* 1. *Divinat.* 6. 12. instinctus. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 27. condimenta. *h. e.* quibus dei vescuntur. *Justin.* 3. 4. 18.; et *Quintil.* 3. 7. 17. honores. *Virg.* 1. *Æn.* 403. decus. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 79. aura. *Cic.* 6. *de republ.* 18. studia. *Quintil.* 12. 10. 24. spiritus. *Liv.* 3. 19. *ad fin.* scelera. *h. e.* admissa in deos. — *b*) Speciatim *divina verba* interdum sumuntur pro piacularibus verbis, quibus prodigia procurantur. *Cato R. R.* 14. Si de cælo villa tacta siet, de ea re verba divina uti fiant. *Al. male omittunt* divina. — *c*) *Res divina* est sacrificium et ceterus deorum cultus. *Plaut. Epid.* 3. 4. 64. Conducta veni, ut fidibus cantarem seni, dum rem divinam faceret. Adde *eumd. ibid.* 2. 3. 11. *Id. Curc.* 4. 2. 46. Rei divinæ operam dabo. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 109. Simulat se ad matrem accersi ad rem divinam. *Cic.* 3. *Nat. D.* 18. 47. Cui deæ rem divinam facere solemus. Adde *Sueton. Tib.* 44. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 2. 2. (7). Far non esse purum ad rem divinam nisi tostum. — Hinc *Plaut. Amph.* 3. 3. 13. Rem divinam facere. *h. e.* sacrificium. Sic *Nepos Hann.* 2. Rem divinam conficere. — Et in plurali numero eadem significatione. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 80. Quod in divinis rebus sumas, sapienti lucro est. *Cic.* 6. *Verr.* 8. 18. Res illum divinas apud eos deos in suo sacrario prope quotidie facere vidisti. *Liv.* 23. 11. Senatus decrevit, ut eæ res divinæ supplicationesque primo quoque tempore cum cura fierent. Sic *Virg.* 8. *Æn.* 306. Exin se cuncti divinis rebus ad urbem Perfectis referunt. — Et generatim *res divinæ* sunt quæcumque ad religionem pertinent. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Illi (*Druides*) rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. Adde *eumd. ibid.* 21. — *d*) *Divina* cum *humanis* conjuncta significant omnia omnino simul sumpta. *Plaut. Amph.* 1. 1. 102. Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem et liberos, in dicionem atque arbitratum, cuncti, Thebani poplo. *Liv.* 9. 14. Agentibus divina humanaque, quæ adsolent, quum acie dimicandum est, consulibus. *Seneca Ep.* 8. Mihi crede: qui nihil agere videntur, majora agunt, humana divinaque simul tractant. *Liv.* 10. 40. Simul divinæ humanæque spei pleni. *Id.* 7. 30. Ne ingrati atque omni ope divina humanaque indigui videamur. *Seneca Constant. Sap.* 8. Ergo ita habe, perfectum illum virum, humanis divinisque virtutibus plenum, nihil perdere. *Cic. Rosc. Am.* 23. 65. Qui, quum omnia divina atque humana jura scelere nefario polluisset, etc. Sic *Cæs.* 1. *B. C.* 6. Omnia divina et humana jura permiscentur. Adde *Flor.* 3. 5. 7. *Curt.* 3. 11. 9. Fœdera humani divinique juris violata referebat. — In jure *jus divinum* est jus naturæ vel naturale, eique opponitur *jus humanum* hoc est jus positivum. *Cic. Sext.* 42. 91. Invento divino et humano jure. *præcedunt verba* Nondum neque naturali, neque civili jure descripto. — Huc pertinent et illa *Senec. Consol. ad Helv.* 6. et *Ep.* 110. Humanorum divinorumque scientia. *h. e.* omnium prorsus rerum. *Cic.* 1. *Off.* 43. 153. et 4. *Tusc.* 26. 57. Scientia divinarum humanarumque rerum. *h. e.* quæ et rerum naturalium et ethicas seu moralis cognitiones complectitur. Adde *Senec. Ep.* 90.; et *Quintil.* 12. 2. 8. et 10. 1. 35. *Varro fragm. p.* 213. *Bip.* Antiquitates rerum humanarum et divinarum. — *e*) *Divinum, i,* n. 2. absolute, substantivorum more, est *Gr.* τὸ θεῖον, *h. e.* divinitas. *Juvenal.* 15. 143. atque venerabile soli (*homines, præ brutis animantibus*) Sortiti ingenium divinorumque capaces. *h. e.* qui divinitatem comprehendere possumus. *Pallad.* 1. *R. R.* 1. 2. Dicendum autem nobis est (si divina faverint) de omni agricultura. *Ammian.* 23. 6. Divinorum incorruptissimus cultus. *Id.* 21. 1. Aperiunt tunc quoque ventura, quum æstuant hominum corda, sed loquuntur divina. *h. e.* dii ore eorum loquuntur. — Et in singulari numero. *Id.* 22. 16. *extr.* Sed si intelligendi divini aditionem multiplicem et præsensionum originem mente vegeta quisquam voluerit replicare, etc. *Apul. Florid. n.* 15. Zoroastres omnis divini arcani antistes. *h. e.* rerum divinarum, quæ arcanæ sunt. Adde *ejusdem loc. cit.* in DIVINICONTUMACIA, DIVINIPOTENS et DIVINISCIENS.

II.) Translate. ¶ 1. *Divinus* est divinandi et præsentiendi vim habens, numine plenus, numine inflatus. — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 2. 2. 40. Tu mihi divini quidquam creduis. Adde *eumd. Bacch.* 3. 4. 5. et *Pœn.* 2. 20. *Cic.* 1. *Divinat.* 30. 63. Animus appropinquante morte est divinior. *Id. ibid.* 38. 81. Melancholicos habere aliquid in animis præsagiens atque divinum. *Id. ibid.* 28. 58. Nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius. *Nepos Att.* 9. In quo si tantum eum prudentem dicam, minus, quam debeam, prædicem; quum ille potius divinus fuerit, si divinatio appellanda est etc. *Horat. Art. P.* 400. Sic honor et nomen divinis vatibus atque Carminibus venit. *h. e.* poetis divino instinctu motis. Sic *Lucret.* 1. 732. divini pectoris carmina. Et *Horat.* 1. *Sat.* 4. 43. Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os Magna sonaturum, des nominis hujus (*poetæ*) honorem. ἔνθεος est poeta et furore divino incitatus. — Et de iis, quæ ad divinationem pertinent. *Sil. It.* 3. 344. Fibrarum et pennæ divinarumque sagacem Flammarum misit dives Gallæcia pubem. — *b*) Cum addito Genitivo rei futuræ. *Horat. Art. P.* 218. Utiliumque sagax rerum et divina futuri – sententia. *Id.* 3. *Od.* 27. 10. Imbrium divina avis imminentum. — *c*) Hinc *divinus, i,* m. 2. absolute, substantivorum more, est idem ac vates, seu qui divinat. *Cic. Fat.* 8. 15. Falli sperat Chaldæos ceterosque divinos. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 58. 132. et 2. *ibid.* 3. 9.; *Liv.* 1. 36. (ubi *V. Drakenb.*); et *Colum.* 11. *R. R.* 1. 22. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 113. Fallacem circum vespertinumque pererro Sæpe forum: assisto divinis: inde domum me etc. — *d*) Eodem sensu occurrit *divina, æ,* f. 1. absolute, substantivorum more. *Petron. Satyr.* 7. Divinam ego putabam. ¶ 2. Divinum dicitur quidquid est eximium, excellens, quasi Deo dignum, aut par. — *a*) Generatim. Jungitur cum *cælestis* apud *Cic.* 5. *Phil.* 11. 28. Illæ cælestes divinæque legiones, Martia et quarta. — Jungitur cum *incredibilis* apud *eumd. Mil.* 33. 91. Vir divina et incredibili fide. — Jungitur cum *inauditus* apud *eumd. post redit. ad Quir.* 3. 7. Pisonis divina quædam et inaudita auctoritas atque virtus. *Id.* 3. *de republ.* 3. Divina virtus. *Id.* 7. *Verr.* 16. 41. Divina senatus admurmuratio. *Flor.* 3. 6. 7. Divino quodam apparatu. *Auct. Paneg. Max. et Const.* 6. decus. *Id. ibid.* species. *Juvenal.* 10. 355. tomacula. *Quintil.* 7. 3. 5. natura. *Id.* 5. 7. 35. testimonia. *Eumen. Paneg. Const. Cæs.* 8. expeditiones. *Mamert. Grat. act. Jul.* 27. Divinior felicitas. — *b*) Speciatim de humanæ animæ facultatibus. *Cic.* 5. *Fin.* 13. 38. Ratione nihil est in homine divinius. *Id.* 1. *Orat.* 38. 172. Antonii incredibilis quædam et prope singularis et divina vis ingenii. — *c*) De arte oratoria. *Quintil.* 10. 1. 83. Divinus nitor loquendi. *Id.* 2. 16. 7. eloquentia. *Id.* 10. 1. 81. facultas eloquendi. — Et de ipso oratore. *Cic.* 1. *Orat.* 10. 40. Divinus homo in dicendo. *Quintil.* 4. 3. 13. orator. Similiter *Cic.* 1. *de republ.* 29. Prospicere impendentes (*orbes rerum*) in gubernanda republica moderantem cursum atque in sua potestate retinentem magni cujusdam civis et divini pæne est viri. Cf. *eumd. Amic.* 18. 64. Hunc ex maxime raro hominum genere judicare debemus et pæne divino. ¶ 3. Sub Augustis *divinus* dicebatur tum de ipsis imperatoribus, tum de iis rebus, quæ ad eos pertinebant, quoniam non solum defunctis iis, sed etiam vivis divorum tituli atque honores per turpem adulationem tribui soliti sunt. *Nazar. Paneg. Const. Aug.* 35. Divine princeps. — Sic *divina domus* est familia Augustorum apud *Phædr.* 5. 7. *in fin.* et *Inscript.* apud *Orell.* 277. et 339., et apud *Gruter.* 29. 14., 30. 1., 31. 2. etc.; sic *divina indulgentia* apud *Jabolen. Dig.* 1.

4. 3. Hinc etiam *divinæ jussiones, aures, sanctiones, divini apices, divinum rescriptum*, et similia his quamplurima in *Cod. Justin.* et *Theodos.* passim leguntur. — Hinc

Divinum, i, n. 2. et

Divina, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, *V.* sub I. e.

Divinus, i, m. 2. et

Divina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, *V.* sub II. 1. c. et d.

DĪVĬPŎTES, Θεοὶ δυνατοί, dii potentes ac domini. Hoc nomine designari peculiariter videntur dii Cabiri. *Varro* 5. *L. L.* 58. *Müll.*, ubi alii leg. divisim *Divi potes.* Immo *Müllerus* legit: *Divi qui potes.*

DĪVĪSĒ, adverb. dividendo, separatim. *Gell.* 7. 2. *extr.* Versus separatim ac diviso legendus. Adde *eumd.* 1. 22. 16.; et *Tertull. Car. Chr.* 13.

DĪVĪSĬBĬLIS, e, adject. qui dividi et distrahi potest, dividuus. *Tertull. Anim.* 14. Anima neque dissolubilis, neque divisibilis.

DĪVĪSIM, adverb. divise. *Apul. Trismeg.* Creduntur esse quidem plura divisim, adunata vero unum, vel potius duo. *Illud tamen* divisim *quidam delendum putant.*

DĪVĪSĬO, ōnis. f. 3. actus dividendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, et quidem abstracte, est partitio. *Justin.* 14. 13. 7. Darius vis denis armatis singulos hostes, si divisio fieret, evenire dicebat. ¶ 2. Speciatim atque abstracte est distributio. *Tac.* 1. *Ann.* 10. Proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem qui fecere laudatas. Adde *Flor.* 4. 5. 1. *Justin.* 21. 1. Hortatores puerorum ad divisionem regni. *Idem paullo ante ait:* Firmius futurum esse regnum, si penes unum remansisset, quam si portionibus inter plures filios divideretur. *Ammian.* 30. 2. *init.* Ut, Hiberiæ divisione cessante, – Aspacures solus regnare permitteretur. ¶ 3. Item speciatim, sed concrete, uti ajunt, sensu est erogatio, quæ fit singulis civibus, ut in congiariis et similibus. *Marcell. Dig.* 33. 1. 23. Quum quidam decurionibus divisiones dari voluisset die natalis sui. *Paul. ibid.* 30. 1. 122. Quod ad divisionem singulorum civium vel epulum relictum fuerit. *Inscript.* apud *Murat.* 1106. 6. OB CVJVS STATVAE DEDICATIONEM DECVRIONIBVS AVGVSTALIBVS EPVLANTIBVS ET POPVLO VIRITIM DIVISIONEM DEDIT. *V.* DECURIO. *Alia* apud *Orell.* 3094. SED ET TESTAMENTO DIVISIONE EXEQVIARVM EIVS HONORATI SVNT. ¶ 4. Habet etiam obscænum sensum. *Cic.* 9. *Fam.* 22. 4. Quid enim? non honestum verbum est divisio? At inest obscœnum, cui respondet intercapedo. *Quintil.* 8. 3. 46. Sed divisio quoque affert eamdem injuriam pudori, ut si intercapedinis nominativo casu quis utatur. *Manutius* putat, *divisio* pertinere ad pædiconem, qui pueri nates mentula dividit: *intercapedo* vero ad puerum, qui natibus eamdem intercipit. *V.* DIVIDO. Alii tamen plures perperam arbitrantur, ex *divisio*, extrita priore syllaba, fieri verbum *visio*, quod *pedo* interpretantur: ex *intercapedo* vero, tribus extritis prioribus syllabis, idem *pedo* relictum. At prior interpretatio longe præstat, tum quia verbum *visio*, is, sublestæ atque adeo nullius fidei est, ut suo loco ostendemus; tum quia ex *Cic.* et *Quintil. loc. cit.* apparet, integras eas voces, non earum portiones, obscæni aliquid significare, easque tandem non eumdem, sed oppositum sensum ibidem habere, ut apud *Cic. Orat.* 32. 114. Rhetorica dialecticæ respondet. Fatendum tamen est, minime constare, cur *intercapedo* nominativo tantum casu, non itidem ceteris, obscæni aliquid indicet, ut innuit *Quintil. loc. cit.*, præsertim cum eam vocem eodem casu pro simplici interruptione usurpaverit ipse *Cic.* 1. *Fin.* 18. 61., et alii vetustiores. Nisi quis malit interpretari *pedo inter capiendam* pædiconis mentulam, vel quia *capedo* fit seu vas de natibus, dum pædiconis mentula eas dividit seu disjungit. Huic similis videtur jocus *Martial.* 7. 18., qui sibilum cunni vocat poppysma.

II.) Improprie apud Rhetores. *Cic.* 3. *Nat. D.* 3. 6. Quadripartita fuit divisio tua. *Id. Topic.* 5. 28. Definitiones aliæ sunt partitionum, aliæ divisionum: partitionum, cum res ea, quæ proposita est, quasi in membra discerpitur: – divisionum autem definitio formas omnes complectitur, quæ sub eo genere sunt, quod definitur. *V.* PARTITIO. Adde *eumd.* 3. *Off.* 2. 9. *Quintil.* 8. 6. 66. Divisio verborum. *Id.* 7. 1. 1. Sit igitur divisio, rerum plurium in singulas partitio, singularum in partes discretus ordo, et recta quædam locatio, prioribus sequentia annectens; dispositio, utilis rerum ac partium in locos distributio. *Id.* 4. 5. 24. Divisionem in digitos diducere. — Hinc etiam *divisionem postulare* apud *Ascon.* ad *Cic. Mil.* 6. 14. p. 44. *Bait.*, hoc est ut sententia dividatur, ut in DIVIDO sub *A.* II. 1. *f.* dictum est.

DĪVĪSĪVUS, a, um, adject. qui divisionem recipit. *Boeth.* in *Porphyr.* 3. p. 96. Omnia individua disgregativa sunt et divisiva. *Id. ibid. p.* 860. Aut constitutiva erit differentia, aut divisiva. Adde *eumd. p.* 76., 84. et alibi.

DĪVĪSOR, ōris, m. 3. qui dividit. ¶ 1. Generatim est qui rem a re dividit ac sejungit. *Apul.* de *mundo post init.* Axis divisor et disterminator mundi. ¶ 2. Speciatim est distributor. *Cic.* 11. *Phil.* 6. 13. Nucula et Lento Italiæ divisores. ¶ 3. Item speciatim *divisor* erat apud Romanos, qui tributim distribuebat pecunias a candidatis ad aucupanda suffragia. *Cic. Planc.* 19. 48. Doce, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit. — Hinc Nummius quidam, qui id ministerii susceperat, cognomen accepit Divisoris. *Cic.* 2. *Orat.* 63. 257. — Porro istiusmodi homines infames habebantur, ut qui ambitu inserviebant, rei legibus damnatæ. *Cic.* 5. *Verr.* 69. 161. In furis ac divisoris disciplina educatus. Adde *eumd.* 2. *Verr.* 8. 22.; *Mur.* 26. 54.; 1. *Att.* 16.; *Q. Cic. Petit. cons.* 11. 57.; et *Sueton. Aug.* 3. *Mamertin Grat. act. Jul.* 19. Nota divisorum flagitia. ¶ 4. Item speciatim apud sequioris ævi scriptores *divisor* dicitur numerus qui dividit. *Boeth. Geom.* 1. p. 1519. Singularis divisor. Adde *eumd. ibid.* pluries. — *NB.* Habet etiam obscœnum sensum apud *Cic.* 9. *Fam.* 22. 4., ubi tamen alii rectius legunt *divisio.*

DĪVĪSŪRA, æ, f. 1. divisio, incisio. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 53. (122). Abieti subrecta divisura, ramique in cœlum tendentes, non in latera proni. *h. e.* ramorum ex trunco exeuntium. *Id.* 25. *ibid.* 13. 106. (168). Caput ejus (*herbæ*) numerosa dividitur lanugine, inter divisuras exeunte. *Id.* 25. *ibid.* 5. 21. (48). Folia scissa pluribus divisuris. *Pallad.* 11. *R. R.* 12. 7. Laterum divisura. — Speciatim in re medica est incisura. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 12. *ad fin.* Nos vero – sive in exterioribus, sive interioribus corporis eruptionem factam recentem divisuram recte dici probamus, atque etiam solutionem cognominamus. Adde *eumd. ibid.* pluries, et 3. *Acut.* 4. 27.

DĪVĪSUS, a, um. *V.* DIVIDO.

DĪVĪSUS, us, m. 4. divisio. *Liv.* 45. 30. Quanta Macedonia esset, quam divisui facilis, ignorabant. *Id.* 33. 46. Vectigalia publica prædæ ac divisui principum erant. Adde *eumd.* 1. 54. sub *fin.* et 4. 56. *Gell.* 20. 1. *a med.* Neque pejus ullum facinus existimatum est, quam si cui probaretur, clientem divisui habuisse. *h. e.* res clientis, quæ tutandæ sunt patrono, quæstui habuisse.

DĪVĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. ditandi actus. *Petron. Satyr.* 117. Genus divitationis sibi non displicere confessus est. *Alii male leg.* divinationis.

DĪVĬTIÆ, ārum, f. plur. 1. In singulari numero. *Accius* apud *Non. p.* 475. 24. *Merc.* Æternabilem divitiam partissent. — Divitiæ sunt opulentia, amplæ fortunæ, opes, copiæ, omnium rerum abundantia (It. *ricchezze, abbondanza*; Fr. *biens, richesses*; Hisp. *bienes, riqueza, abundancia de bienes*; Germ. *der Reichthum*; Angl. *riches, wealth*).

I.) Proprie. *Plaut. Pers.* 4. 4. 101. Divitias facere ex aliqua re. *Id. Trin.* 3. 2. 56. In divitiis esse. *Id. Capt.* 2. 2. 31. Tum igitur ei, cum in aleis tanta gratia est, ut prædicas, quid divitiæ, sunt ne opimæ? *Lucret.* 6. 12. Affluere divitiis. *Id.* 5. 1117. Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce Æquo animo. *Cic.* 1. *Off.* 8. 25. Expetuntur autem divitiæ tum ad usus vitæ necessarios, tum ad perfruendas voluptates. *Id.* 2. *leg. Agr.* 26. 69. Augere divitiis aliquem. *Id.* 1. *Att.* 4. *extr.* Quod si assequor, supero Crassum divitiis. *proverbium.* Adde *eumd.* 1. *de republ.* 34. et 3. *ibid.* 14. *Nepos Dion.* 1. Augere divitias. *Id. Themist.* 2. Ornare aliquem divitiis. *Id. Epam.* 4. Orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriæ caritate. *Sall. Cat.* 21. Viget ætas, animus valet; contra illis, annis atque divitiis omnia consenuere. Adde *eumd. ibid.* 1. *Horat.* 1. *Ep.* 4. 7. Di tibi formam, di tibi divitias dederunt. Adde *eumd.* 2. *Od.* 3. 20. et 2. *Sat.* 5. 22. *Id.* 1. *Ep.* 12. 16. nil Divitiæ poterunt regales addere majus. Adde *Curt.* 5. 6. 2.; *Colum.* 6. *R. R. præfat.* 4.; et *Juvenal.* 14. 829, 136, 238. et 1. 140. *Justin.* 2. 10. 21. Xersis divitiæ. Adde *eumd.* 2. 14. 7. et 2. 2. 11.; *Flor.* 3. 12. 11., 4. 6. 2. et 3. 9. 3.; *Ammian.* 27. 11.; et *Sueton. Ner.* 30.

II.) Improprie. ¶ 1. Divitiæ dicuntur etiam res magni pretii. *Liv.* 26. 11. Templum – inclitum divitiis. *h. e.* donariis magni pretii. *Ovid.* 1. *Fast.* 690. *de segete.* neque pinguior æquo Divitiis pereat luxuriosa suis. *Id.* 4. *Fast.* 135. Aurea marmoreo redimicula solvite collo, Demite divitias. *h. e.* inaures, armillas, anulos, ceteraque pretiosa mulierum ornamenta, et præcipue margaritas, quæ, ut ait *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (106)., principium summumque omnium rerum pretii. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 204. Garganum mugire putes nemus; aut mare Tuscum, Tanto cum strepitu ludi spectantur et artes, Divitiæque peregrinæ. *h. e.* vestes et cetera hujusmodi. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 25. 21. (88). Palmira urbs nobilis situ, divitiis soli et aquis amœnis. *h. e.* terræ fertilitate. ¶ 2. Translate. *Cic.* 1. *Orat.* 35. 161. In oratione Crassi divitias atque ornamenta ejus ingenii perspexi. *Quintil.* 10. 1. 13. Verborum divitiæ.

DĪVĪTO, as, are. *V.* DITO.

DĪVOLVO, vis, vere, a. 3. (di et volvo) huc illuc volvo. Occurrit tantum Part. *Divolvens*, et quidem translate apud *Ammian.* 26. 4. Multa secum ipse divolvens. *h. e.* reputans.

DĪVORTĬUM, ii, n. 2. *Devertium* quoque legitur in *Inscript.* opt. notæ apud *Marin. Inscriz. Alb. p.* 138. *lin.* 9., quæ est apud *Orell.* 4859. AGITARE DIVERTIA INTER NOS. scilicet hic loquitur maritus ad uxorem suam. — Divortium proprie est idem quod deverticulum: a *diverto*, pro quo etiam *divorto* est dictum.

I.) Proprie. — *a*) Dicitur de loco, in quo a via militari devertimus. *Liv.* 44. 2. Itaque in id tempus, quo prope divortium itinerum castra posituri erant, deliberatio ejus rei differtur. *Tac. Agric.* 19. *ad fin.* Divortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur. *Alii legunt* devortia. *Ammian.* 28. 5. Divortium itineris. *Alii legunt* devortium. *Virg.* 9. *Æn.* 379. Abjiciunt equites sese ad divortia nota. *Tac.* 12. *Ann.* 63. Arctissimo inter Europam Asiamque divortio Byzantium posuere Græci. *divortium arctissimum* appellat fretum Bosphori Thracii, quod medium est ac dividit ab Asia Europam. *Sil. It.* 3. 419. Pyrene tenet divortia terris. *h. e.* dividit. — *b*) Item ubi aquæ in diversas partes defluunt, divergia, ut sunt cacumina montium. *Cic.* 5. *Att.* 20. Amanus, qui Syriam a Cilicia ima aquarum divortio dividit. *Id.* 2. *Fam.* 10. 2. Amanus divisus aquarum divortiis. *Liv.* 38. 45. Prope ipsis jugis ad divortia aquarum castra posuisse. Adde *Ammian.* 22. 8. *Liv.* 21. 31. Divortia fluminum. *Lucan.* 2. 403. ponti. *Sil. It.* 14. 353. fontis. Adde *Curt.* 5. 1. 13. *Ammian.* 15. 4. Altaque divortia riparum. Adde *eumd.* 15. 4. *Eumen. Paneg. Const. Cæs.* 8. 1. Rheni.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Orat.* 19. 69. Ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientum jugo sunt doctrinarum facta divortia. *h. e.* varietates et dissimilitudines. *Colum.* 4. *R. R.* 27. 1. *divortium veris et hiemis* vocat eos dies, quibus hiems desinit, ver incipit, quia inter hiemem et ver medii sunt. *Grat. Cyneg.* 345. errantes per tot divortia morbus. *h. e.* per tot genera, seu per tot membra. ¶ 2. Speciatim de discessione conjugum, et dissolutione matrimonii. Quomodo a repudio differat, *V.* REPUDIUM. *Cic.* 3. *Orat.* 40. 185. Si res suum nomen et proprium vocabulum non habet, ut pes in navi, ut nexum, quod per libram agitur, ut in uxore divortium; necessitas cogit, quod non habeas aliunde sumere. Ceterum — *a*) Stricto sensu dicitur de muliere. *Cic. Cluent.* 5. 14. Ecce autem subitum divortium. – Discedit a Melino Cluentia: ut in tantis injuriis, non invita; ut a viro, non libenter. *Id.* 8. *Fam.* 7. Valeria divortium sine causa fecit. Adde *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 31.; et *Justin.* 2. 6. 14. — *b*) Latiori sensu dicitur etiam de viro, ut patet ex loco *Cic.* 3. *Orat.* 40. 185. superius allato. *Id. Cic.* 2. *Phil.* 28. 69. Illam suam suas res habere jussit, ex duodecim Tabulis; claves ademit, forasque exegit, – cujus ex omni vita nihil est honestius, quam quod cum mima fecit divortium. Adde

eumd. 13. *Att.* 7.; *Quintil.* 7. 4. 11.; *Sueton. Cæs.* 5. et alibi; et *Justin.* 39. 3. 3. — Primum Romæ divortium fuit ann. U. C. 527. *V.* CARVILIANUS. — *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 139. ex quorumdam sententia tradit, ut Veneri conjugia, ita Cereri divortia faciendi potestatem dicatam: fortasse quia per conjugium Plutonis filiam Proserpinam amisit. — Divortii faciendi formula erat: *res tuas tibi habeto*, vel *tuas res tibi agito*, ut refert *Cajus Dig.* 24. 2. 2. et *Cic.* 2. *Phil.* 28. 69., cujus hæc vis est: dotem tuam et mundum muliebrem tecum aufer: rem tuam familiarem tu tibi administra ac tuere, et discede. *Juvenal.* 6. 145. Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi. Translate *Plaut. Trin.* 2. 1. 31. Apage sis, amor: tuas res tibi habe. Sunt qui priorem illam formulam ita legunt: *res tuas tibi: abeo*, quod placere quidem certe non potest.

DĪVULGĀTĬO, ōnis, f. 3. actus divulgandi. *Tertull. Testim. anim.* 5. Numquid credendum est, ante litteraturam et divulgationem ejus mutos homines vixisse?

DĪVULGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DĪVULGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (dis et vulgo). Part. *Divulgatus* et *Divulgandus.* — Divulgo est in vulgus edo, vulgo notum facio, commune omnibus facio (It. *render pubblico, fare comune a tutti, divulgare*; Fr. *repandre dans le monde, publier, divulguer, rendre public*; Hisp. *divulgar, publicar, extender, esparcir alguna cosa, hacerla publica*; Germ. *unter das Volk ausbringen, daher verbreiten, bekannt machen, veröffentlichen*; Angl. *to make public, make common to all, publish, divulge*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo tantum rei, quæ in vulgus profertur. *Cic. Fontej.* 5. 10. Rem sermonibus divulgare. *Id.* 2. *Phil.* 4. 7. Quam multa joca solent esse in epistolis, quam multa seria, neque tamen ullo modo divulganda. *Id. post redit. in Senat.* 5. 11. Primum tempus ætatis palam ad omnes libidines divulgatum. *Cic.* 12. *Att.* 40. Volo eum librum divulgari. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 21. 4. Cf. *Sueton. Cal.* 8. Divulgare versiculos. *Cæs.* 1. *B. C.* 20. Divulgato Domitii consilio milites — secessionem faciunt. *Justin.* 12. 5. 5. Divulgatur opinio in Macedoniam. Adde *eumd.* 12. 2. 11.; *Sueton. Tib.* 62.; et *Liv.* 23. 29. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. Fimum Augeas rex in Græcia excogitasse traditur, divulgasse vero Hercules in Italia. — *b*) Cum Accus. et Infinito. *Sueton. Claud.* 39. Identidem divulgavit neminem unquam per adoptionem familiæ Claudiæ insertum. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla et superius retulimus,

Divulgatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Divulgatissimus*, et est vulgo expositus, in vulgus prolatus, is cujus copia omnibus facta est. *Lucret.* 6. 7. *de Epicuro.* Cujus et extincti, propter divina reperta, Divulgata vetus jam ad cælum gloria fertur. *Cic.* 10. *Fam.* 26. 2. Magistratus levissimi et divulgatissimi præpropera festinatio. *Tac.* 4. *Ann.* 11. Ne divulgata atque incredibilia, avide accepta, veris antehabeant. *Id.* 4. *ibid.* 52. Afer primoribus oratorum additus, divulgato ingenio et secuta adseveratione Cæsaris, qua suo jure disertum eum appellat. *Id.* 12. *ibid.* 49. Fama divulgatus.

DĪVULSĬO, ōnis, f. 3. actus divellendi. *Hieronym. Ep.* 117. n. 3. Quod desperem in istiusmodi copula divulsionem.

DĪVULSUS, a, um. *V.* DIVELLO.

DĪVUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

DĪVUS et dius, a, um, adject. *Divus* est idem quod *dius* Æolico digammate inserto. — Divus itaque et dius juxta *Forcellinum* est a Διός *Jovis*, unde δῖος et δῖος (unde *Dius Fidius* est Jovis filius apud *Varron.* 5. *L. L.* 52. *Müll.*; qui tamen *Deus Fidius*, hoc est aliter legit ac *Forcellinus*), vel a Ζεὺς: et est ad Deum vel deos pertinens, divinus (It. *divino*; Fr. *divin*; Hisp. *divino*; Germ. *der Gottheit angehörig, göttlich*; Angl. *relating to the Deity, divine*).

I.) Proprie. *Nævius* apud *Non.* p. 197. 15. *Merc.* Res divas edicit, prædicit castus. *Lucret.* 6. 642. dia de clade coorta tempestas. *Al. leg.* media. *Varro* 7. *L. L.* 34. *Müll.* Hinc casmilus nominatur Samothrece mysteriis dius quidam administer diis magnis. *Id.* apud *Non.* p. 100. 31. *Merc.* Quam mobilem divum lyram Sol harmoge Quadsum gubernans motibus diis veget. *Nonius* interpretatur: diutinis et jugibus vegetat, quasi *dius* adjectivum Latinum sit a *diu*; et *Forcellinus* hanc respuit interpretationem, et quidem recte. Nihil enim obstat, quominus etiam hoc loco *dius* pro *divinus* accipiatur: V. *Oehler, Sat. Menipp. M. T. Varr.* p. 179. ad h. l. *Prudent. Psychom.* 76. Diva caro. *Alcim.* 5. 64. divæ vocis Anubis. Rursus *Prudent.* 12. *Cathemer.* 89. Regnum, quod ambit omnia, Dia et marina et terrea, h. e. cælestia. *Paul. Diac.* p. 75. 11. *Müll.* Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Jovis, ut nocturnum Summani, *scil.* quia diei Juppiter, Summanus tenebrarum et noctis pater est. Ex quo non illud infertur, *dium* significare diurnum, sed a Jove ortum, qui diurni temporis est præses. — *Dium profundum*, h. e. sacrum mare, apud *Ovid.* 4. *Met.* 536. de *Venere.* Si tamen in dio quondam concreta profundo Spuma fui. *Alii leg.* medio: *V.* ibi Interpp. — *a*) Hinc *Divus, i*, absolute, substantivorum more, est idem ac Deus: quanquam inter divos et deos discrimen facit *Varro* apud *Servium* ad *Virg.* 5. *Æn.* 45. dicens *divos* esse perpetuos, *deos* ex hominibus factos. Quod confirmare videtur *Virg.* 12. *Æn.* 138. Turni sic est affata sororem, Diva deam. Ubi *diva* est Juno, *dea* Juturna in deas relata. Contra tamen *Servius* ad *utrumque Virg. loc.* deos perpetuos, divos ex hominibus consecratos, quod magis probandum videtur. Revera idem omnino utraque vox significat, excepto quod *deus* frequentioris est usus Latini, quam *divus.* — In Genit. pluralis numeri pro *divorum* sæpe habet *divûm* præcipue apud *Virg.*, qui non semel et divom dixit eodem casu, Græca positione. — Quin et *divos* in recto singulari pro *divus* eadem positione legitur in nummo C. Cæsaris et quibusdam marmoribus: quod non est mirum, quum Græca vox sit origine, Latina usu tantum. — In singulari numero. In antiqua precationis formula apud *Liv.* 7. 26. Si divus, si diva esset, qui sibi præpetem misisset, volens propitius adesset. Adde *eumd.* 8. 9. *Vetus carmen Marcii* apud *eumd.* 25. 12. Nam is divus (*h. e.* Apollo) extinguet perduelles vestros. — In plurali numero, Num. *divi* apud *Plaut. Aulul.* 1. 1. 11. Utinam me divi adaxint. *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 5. Præsentiam sæpe suam divi declarant. Adde *Lucret.* 6. 387.; *Horat.* 1. *Od.* 2. 34.; *Virg.* 3. *Æn.* 363.; et *Liv.* 6. 29. et 29. 27. — Gen. plur. *divûm* apud *Ennium* 1. *Ann.* 138. divûm pater atque hominum rex. Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 2. Rursus *Ennius* apud *Cic.* 2. *Nat.* 2. 5. patrem divûmque hominumque. *Ter. Adelph.* 4. 7. 28. Pro divûm fidem. *Virg.* 2. *Æn.* 648. divûm pater. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 743.; *Horat.* 4. *Od.* 6. 22. et 1. *ibid.* 2. 25.; *Val. Flacc.* 4. 1. et 741., 3. 40. et 668., 1. 231. et 8. 336.; et *Juvenal.* 13. 31. et 6. 393. — Gen. plur. *divorum* apud *Virg.* 7. *Æn.* 211. et numero divorum altaribus addit. Adde *Sueton. Aug.* 70.; et *Juvenal.* 6. 115. — Accus. plur. *divos* apud *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 133. Itidem divos dispertisse vitam humanam æquum fuit. *Virg.* 1. *Ecl.* 12. præsentes cognoscere divos. Adde *eumd.* 3. *Æn.* 222.; *Cic.* 2. *Legg.* 8. 19.; *Horat.* 2. *Od.* 8. 11.; et *Val. Flacc.* 1. 138. et 669., et 5. 485. — Dat. et Ablat. plur. *divis* apud *Val. Flacc.* 4. 416. hæc procul Io Spectat ab arce Phari, jam divis addita. *Id.* 7. 198. Per te, quæ superis divisque potentior imis, etc. Adde *eumd.* 3. 303. et 4. 438. — *b*) *Dius, ii*, m. 2. absolute, substantivorum more, pro *deo*, occurrit tantum in plurali numero apud *Liv.* 8. 9. Dii Indigetes – diique Manes, vos precor, veneror, etc. Ceterum de hac forma plurali numero *V.* DEUS. — Nonnulli legunt etiam apud *Varron.* 6. *L. L.* 3. et 4. *Müll.* Toto cælo mundus conjunctus dio. *et mox.* Id ab hoc dio dies appellatur. At *Müller* primo loco legit: Qui toto cælo conjunctus, mundus. Duo motus solis etc. *Idem* altero loco legit: Quo tempus id ab hoc deo dies appellatur. — *c*) *Diva, æ*, f. 1. absolute, substantivorum more, pro dea. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 4. Digna diva venustissima venere. *Horat.* 1. *Od.* 3. 1. Diva potens Cypri. *Id. ibid.* 35. 1. O diva, gratum quæ regis Antium. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 22. 4.; *Virg.* 12. *Æn.* 139. at 797., et 1. *ibid.* 482.; et *Val. Flacc.* 4. 419., 2. 125., 4. 336., 9. 395. et alibi sæpe. *Sueton. Gramm.* 6. Ex quibus novem (*volumina*) – non absurde et fecisse et scripsisse se ait ex numero divarum et appellatione, *h. e.* Musarum. — *Divam* vocat amicam suam *Catull.* 68. 70. Quo mea se molli candida diva pede Intulit. — *d*) *Dia, æ*, absolute, occurrit tantum in formula *dea dia*, h. e. Ceres, apud *Ennium* 1. *Ann.* 166. et in *Inscript.* apud *Gruter.* 121., quæ est apud *Orell.* 961.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur, ut *divinus*, pro diis simillimo, excellenti, eximio. *Ennius* 1. *Ann.* 178. O Romule, Romule die. *Lucret.* 1. 22. in dias luminis auras. *Id.* 2. 172. dia voluptas. *Id.* 5. 492. pabula dia. *Id. ibid.* 1386. otia dia. *Virg.* 11. *Æn.* 657. dia Camilla. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 32. sententia dia Catonis. *Pers.* 1. 31. dia poemata. *Auson. de claris urb.* 111. Pacis ut in diæ gremio secura quiescat. *Horat.* 3. *Od.* 5. 2. divus habebitur Augustus, *scil.* adhuc vivens. *Liv.* 43. 6. Alabandenses templum urbis Romæ se fecisse commemoraverunt, ludosque anniversarios ei divæ instituisse, *h. e.* urbi Romæ. — Per ironiam *Cic.* 2. *Phil.* 43. 110. Est ergo flamen, ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, sic divo Julio M. Antonius. ¶ 2. *Divi* appellati sunt præcipue imperatores Rom. post mortem in deos relati: cujus rei passim suppetunt exempla, præsertim in eorum nummis et inscriptionibus, de quibus consule *Labus.* in *Morcell. Diss. dell' Apoteosi* p. 20.; et *Marin. Frat. Arv.* p. 385., ubi statuit, *templum divorum* et *flamines divorum* vel *Augustorum* vel *divorum Augg.* ad imperatores Rom., qui consecrati fuerunt, pertinere; eosque usque ad Commodum, recensitis aliquot eorum uxoribus itidem consecratis, sexdecim numero fuisse probat. At *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 7. p. 113. *edit. Mediol.* putat, in horum numero mares tantum recensendos esse, quos ibi enumerat. *Sueton. Domit.* 23. Occisum eum, populus indifferenter, miles gravissime tulit, statimque eum *divum* appellare conatus. Adde *Liv. Epit.* 137. Hinc *Juvenal.* 6. 115. Respice rivales divorum (*h. e.* imperatores); Claudius audi Quæ tulerit. *Nepos Att.* 19. In affinitatem pervenit imperatoris divi Julii filii. Adde *Quintil.* 6. 3. 79.; et *Sueton. Aug.* 70. *Ammian.* 28. 1. Divorum constitutiones. — *Divus* dicitur Claudius imper. adhuc vivens. *Bullettin. Archeol. a.* 1842. p. 177. — *Divi fratres*, qui sæpissime in libris JCtorum appellantur, sunt M. Ælius Antoninus philosophus et L. Ælius Commodus Verus, aliis L. Annius Antoninus Verus, qui simul per annos undecim primique omnium rei Romanæ ambo præfuerunt, quum usque ad ea tempora singuli tantum imperatores fuissent. Fratres autem dicti sunt non sanguine, sed adoptione. V. *Spartian. Æl. Ver.* 5.; *Eutrop.* 8. 9.; et *Aurel. Vict. Cæsar.* 16. Aliis etiam nominibus in Digestorum libris appellantur. *D. Marcus et Lucius Impp.*, *Antoninus* et *Verus*, et *Fratres Impp.*, et *Divi Marcus et Commodus* etc. — Quoties legitur *D. Cæsar, D. Claudius, divus pater* etc., τὸ *divus* non est adjectivum, sed substantivum, ut si dicas *deus Cæsar, deus pater* etc. — Hinc

Divum, i, et

Dium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est *aer*, cælum. *Sub dio* Latini dicunt, h. e. sub cælo: cælum enim Græci τὸν δῖα dicunt; ita *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 19. et confirmat *Varro* loco infra cit. Habet autem Nominativum (grammatice tamen, non secundum usum), Accusativum et Ablativum tantummodo; tametsi *Ascon. ibid.* ejus declinationem affert per omnes casus singularis numeri: *hoc dium, hujus dii, huic dio, hoc dium, o dium, ab hoc dio.* — *a*) Rectus casus, sed grammatice tantum. *Varro* 5. *L. L.* 66. *Müll.* Itaque inde ejus perforatum tectum, ut ea videatur divum, id est cælum. — *b*) Accus. apud *Horat.* 1. *Od.* 18. 12. nec variis obsita frondibus Sub divum rapiam, *h. e.* proferam, divulgabo. — *c*) Sæpius occurrit formula *sub divo* vel *sub dio*, hoc est sub cælo. *Horat.* 2. *Od.* 3. 23. sub divo moreris. *Id.* 3. *ibid.* 2. 5. Vitamque sub divo et trepidis agat in rebus. *Cels.* 1. 2. Ambulatio melior est sub divo, quam in porticu. *Sueton. Cæs.* 72. Humi ac sub divo cubare. *Cic.* apud *Colum.* 12. *R. R. præfat.* 2. Necessarium fuit, foris et sub dio esse, qui labore et industria victum compararet; totus qui tectis reconderet atque custodiret. *Colum.* 12. *ibid.* 12. 1. Aquam cælestem vasis includunt, et sub dio in sole habent. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 123. et tardi flabra Bootæ Sub dio Riphæa tulit. Adde *Varron.* 5. *L. L.* 66. *Müll.*; *Lucret.* 4. 211.; *Cic.* 3. *Verr.* 19. 51.; *Nepot. Pausan.* 5.; *Virg.* apud *Quintil.* 9. 3. 21.; *Colum.* 6. *R. R.* 13. 3.; *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 7.; et *Veget.* 4. *Veterin.* 12. 3. Eadem significatione *sub Jove* dixit *Horat.* 1. *Od.* 1. 25.; et *Juvenal.* 6. 15.

Divus, i, m. 2.,
Diva, æ, f. 1.,
Diua, dii, m. 2. *et*
Dia, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, *V.* supra sub 1.

DM

DMŎUS, a, um, adject. δμωός, servus. *Capell.* 3. *p.* 56. D utrinque vocales tenet. Præponitur R litteræ in Druso; M litteræ numquam præfertur in Latinis; in Græcis autem aliquando, ut Dmolus. *Ita vulgati libri:* Grotius vero dmous *vel rectius Græcis litteris* δμωὸς *legendum putat.*

DO

DŌ, pro *domum*, per apocopen, dixit *Ennius* apud *Diomed.* 2. *p.* 436. *Putsch.* et *Auson. Technopægn. Eidyll.* 12. *sub fin.* endo suam do. Græcos imitati, qui similiter δῶ pro δῶμα et pro δώματα dixere. *V.* CÆL.

DŎ, das, dĕdi, dătum, dăre, a. 1. Etiam *dano, is,* pro do prisci dixere, prima correpta: unde *danunt*, pro *dant*, habent *Pacuvius, Nævius, Cæcilius*, apud *Non. p.* 97. 15. et seqq. *Merc.*, et aliquoties *Plautus:* apud quem *Truc.* 2. 4. 22. quidam legunt etiam *dane?* pro *das ne?* et *Cas.* 2. 6. 22. *danam* pro *dabo.* Cf. *Paul. Diac. p.* 68. 12. *Müll.* — *Duim, is, it, int,* pro *dem* vel *dederim*, est antiquum et comicum: legiturque apud *Plaut.* sæpe et *Terent.*, itemque apud *Liv.* 10. 19. in veteri formula votiva. Sic *duitor* pro *dator* imperat. passiv. apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 5. (7). ex *leg. XII. Tab.*, ut quidem legit *Harduin.* Qui coronam parit ipse pecuniave ejus, virtutis suæ ergo duitur ei. *Sillig.* hanc ipsam lectionem retinuit. Quum do sit a Græco themate δόω (δίδωμι), prisci Latini furtasse dixerunt *duo*, et quo *duim* remansit. Quin et ipsum *duo* quidam leg. apud *Plaut. Aulul.* 4. 4. 8. — *Dasi* pro *dari*, teste *Paul. Diac. p.* 68. 13. *Müll.*, ea ratione dictum fuit, qua *arbosem, Papisii, Fusii*, etc. pro *arborem, Papirii, Furii.* V. *Cic.* 9. *Fam.* 21. — *Dor* prima persona passivi nullum habet, quod sciam, exemplum. Vidisse se, raro tamen, scribit *Diomed.* 1. *p.* 375. *Putsch.* — Supinum *datu* apud *Fronton.* 1. *ad Amic.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 5. Nihil postulabit pro sua verecundia, nisi quod probum honestumque sit et tibi datu et sibi postulatu. *Datu iri* pro *datum iri*, V. PRÆSTO, as. — Part. *Dans* apud *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 88. pavidas dante timore notas. — Part. *Datus* sæpissime occurrit. *Cic. pro leg. Manil.* 16. 49. Bonum oblatum et datum. *Id.* 1. *Off.* 17. 56. Beneficia ultro citro data accepta. *Id. Senect.* 20. 75. Fidem hosti datam conservare. *Id.* 7. *Att.* 18. Illius alterius consulatum a republica, ne data quidem occasione, repulimus. *Liv.* 2. 41. Signum inde factum esse et inscriptum: Ex Cassia familia datum. *Virg.* 1. *Æn.* 87. venti, Qua data porta, ruunt. *Quintil.* 1. 10. 3. Scire quemadmodum in data linea constitui triangula æquis lateribus possint. *modus dicendi frequens apud Mathematicos.* Ceterum *V.* et in aliis paragr. et in fin. — Part. *Daturus* apud *Propert.* 3. 9. 38. colla daturus eras. — Part. *Dandus* apud *Ovid.* 2. *Met.* 430. et oscula jungit, Nec moderata satis, nec sic a virgine danda. *V.* et infra, præcipue sub I. 1. — Dare, a Græco themate δόω (δίδωμι) est tribuere, tradere, deferre, præbere (It. *dare, concedere*; Fr. *donner, fair don, octroyer, conceder, accorder*; Hisp. *dar, conceder*; Germ. *geben, gewähren, schenken, verstatten, darbieten, verleihen, von sich geben*; Angl. *to give, bestow, grant.*) Hoc verbum est prope infiniti usus, ut ait *Forcellinus.* ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 157. *a med.* Dato, edat, si poterit, sine pane. *et mox.* Dato, vinum atrum bibat. *Plaut. Capt.* 2. 3. 89. Dare alicui viaticum a trapezita. *h. e.* a trapezita sumptum. *Id. Men.* 3. 3. 21. Da sodes abs te. *h. e.* de tuo. Cf. *Cic. ad Anton. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* Puero quoque hoc a me dabis. *h. e.* nomine meo. *Id. Flacc.* 15. Ab A. Sextilio dicit se dedisse et a suis fratribus. Potuit dare Sextilius: nam fratres quidem consortes sunt mendicitatis. *h. e.* dicit se præbuisse, quod ab A. Sextilio acceperat. Rursus *Plaut. Amph. prol.* 138. Ea dona, quæ illic Amphitruoni sunt data. *Id. ibid.* 1. 3. 36. Patera dono mihi illic data est. *Id. ibid.* 3. 2. 43. Da mihi hanc veniam, ignosce. *Id. Cist.* 1. 1. 108. Quamquam mihi istud erit molestum triduum, et damnum dabis, faciam. *Id. Merc.* 4. 4. 12. Judex inter aliquos datus. *Id. Pœn.* 5. 4. 72. Dare pignus. *Id. ibid. v.* 88. At me ita dii servent, ut hic pater est vester: date manus. *Id. ibid. v.* 82. Ne indigna indignis di darent, id ego evenire vellem: nunc quod boni mihi di dant etc. *Id. Rud.* 4. 4. 19. Alienon' prius quam tuo dabis orationem? *Ter. Phorm.* 4. 3. 28. Quid vis tibi dari in manum, ut etc. Ubi *Donatus:* Datur ei in manum, qui furtim accipit sine arbitro aut interprete, ut prævaricator aut judex corruptus. *Seneca Herc. fur.* 1229. huc ensem date: Date huc sagittas: stipitem huc vastum date. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 26. 66. Iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Obsides accipere, non dare. *Id.* 1. *ibid.* 3. Dare filiam suam in matrimonium alicui. *Cic.* 3. *Orat.* 15. 57. Dare quempiam alicui comitem ad bellum. *Id.* 13. *Att.* 50. Ad me scripsit, ut juberem mancipio dare servum suum, pro mea parte, Heterejo cuidam fundum Brinniatum. *Id.* 1. *de republ.* 13. Parilam dii nobis communem serum dederunt. *Id. ibid.* 44. Cui dantur imperia. *Id.* 3. *ibid.* 9. Dare agros locupletium plebi colendos. *Id.* 2. *Att.* 1. Me librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse. *Id.* 3. *Cat.* 5. 12. et 11. *Att.* 25. Dare alicui litteras ad quempiam. h. e. alicui tradere alteri perferendas. (Sic *Cn. Magnus* ad *Domit. post. ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Dare mandata alicui ad aliquem). Rursus *Cic.* 12. *Fam.* 19. Litteras ad te numquam habui cui darem (*h. e.* traderem tibi perferendas), quin dederim. *Id.* 5. *Att.* 15. 3. Quum has litteras dabam. *h. e.* mittebam. Cf. *Justin.* 12. 5. 7. Datos fasces epistolarum tacite ad se deferri jubet. Rursus *Cic.* 5. *Att.* 4. 1. Alteras (*litteras*) Funisulanus multo mane mihi dedit. *h. e.* attulit, tradidit. — *Dare litteras* est etiam litteras scribere. *Cic.* 5. *Att.* 11. Hui! totiesne me litteras dedisse Romam, quum ad te nullas darem? At vero posthac frustra potius dabo, quam, si recte dari potuerint, committam, ut non dem. *Id. ibid.* 4. 1. Ibi accepi eas litteras, quas tu superioribus litteris significaveras te dedisse: ad quas ego ipso eo die dederam ex Trebulano a Pontio. Adde *eumd.* alibi sæpe. Eodem sensu *Id.* 10. *ibid.* 8. *sub fin.* Et ego fortasse discedens ad te aliquid dabo. *h. e.* tibi scribam. — Hinc *D.* adscriptum in fine epistolarum significat tempus et locum, quo epistola data, seu scripta est. Legitur apud *Cic.* 14. *Fam.* 2., 7., 8., 12. et 23. Sic *Id.* 2. *ad Q. fr.* 16. Accepi tuas litteras datas Placentiæ. — *Dare* jungitur et cum altero Dativo. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 18. (99). Dare uvam cibo gallinaceo generi. *Cels.* 2. 13. Ægroto dare potui medicamentum. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 109. (136). etiam *dare potu* dixit. — Huc pertinent et translata illa *Cic.* 1. *Orat.* 26. 118. Multitudo illum dat locum vel vitiosissimis oratoribus. *Id.* 14. *Fam.* 14. Sin homo amens diripiendam urbem daturus est. *Id. Amic.* 4. 16. Dare præcepta. *Id. ibid.* 13. 41. consilium. *Id. ibid.* 16. 59. ansas ad reprehendendum. *Id. ibid.* 24. 88. Multæ causæ suspicionumque offensionumque dantur. *Id.* 1. *de republ.* 10. Quoniam me quodammodo invitas et tui spem das. *Id. ibid.* 41. Vitam, honorem, decus sibi datum esse. *Id.* 2. *ibid.* 31. Dare modicam libertatem populo. *Id. Planc.* 42. 103. Nolite dare lætitiam gloriantibus, vos jam oblitos mei. *Id.* 7. *Verr.* 32. 83. Dare alicui prætoris potestatem, honorem, auctoritatem. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. facultatem per provinciam itineris faciundi. *Liv.* 8. 5. In Capitolio eis senatus datus est. Adde *Nepot. Hann.* 7. Rursus *Liv.* 21. 20. Dare per agros urbesque suas transitum. *Justin.* 38. 5. 3. Quam (*Phrygiam*) patri suo præmium dati adversus Aristonicum auxilii concesserant. *h. e.* lati. — Item illud *Cic.* 7. *Verr.* 77. 180. Unum, inquam, da mihi ex illis aratoribus, qui dicat, etc. *h. e.* reperi, ostende mihi. — Item illa, in quibus dare significat attribuere. *Quintil.* 6. 1. 27. Cicero quamquam preces non dat Miloni, tamen etc. *h. e.* non inducit precantem. Sic *Id.* 12. 10. 8. Dare vocem carentibus. — Quod ad constructionem attinet, notanda sunt illa *Plaut. Bacch.* 1. 2. 133. Ne ego cum illo pignus haud ausim dare. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Hac oratione adducti, inter se fidem et jusjurandum dant. — Denique cum Infinito fere poeticum est, et a Græca consuetudine. (Cum Infinito habet et aliam significationem, quam *V.* infra sub 7.). *Virg.* 5. *Æn.* 248. argenti magnum dat ferre talentum. et 9. *ibid.* 362. suo moriens dat habere nepoti. pro *ferenda* et *habenda.* et 1. *ibid.* 323. dederatque comam diffundere ventis. *Sil. It.* 1. 347. Dederatque lacum transmittere nando. *Stat.* 1. *Theb.* 178. Huic parere dati. *h. e.* hujus imperio subjecti. et 1. *ibid.* 177. semperne vicissim Exsulibus servire dabor? *Id.* 10. *ibid.* 387. motu ducis acer agebat Amphion equites, noctem vigilataque castra Explorare datus. *h. e.* jussus, vel missus, destinatus ad explorandum. ¶ 2. Spectatim *dare operam alicui rei* est laborem impendere. *Plaut. Merc.* 2. 2. 17. Operam dare amico. *Ter. Heaut.* 1. 1. 58. amori. *Cic. Amic.* 22. 81. virtuti. *Id.* 15. *Att.* 1. funeri. — Et sequente part. *ut* vel *ne. Cic.* 16. *Att.* 16. A. *in fin.* Da operam, ut valeas. *Id. Amic.* 21. 78. Quamobrem primum danda opera est, ne qua amicorum discidia fiant. — Hinc *data opera* est de industria. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. *init.* Quod tibi decedens pollicitus sum me omnes res urbanas diligentissime tibi perscripturum data opera paravi, qui sic omnia persequeretur, ut etc. *Plin.* 7. *Ep.* 12. *ad fin.* Vide, ut mihi viaticum reddas, quod impendi data opera, cursore dimisso. ¶ 3. Item *dare pœnas* est luere. *Cic.* 9. *Att.* 10. Do pœnas temeritatis meæ. Adde *Horat. Epod.* 17. 19.; *Ovid.* 1. *Met.* 213. et 6. *ibid.* 544.; et *Tac.* 16. *Ann.* 29. et 1. *Hist.* 15. ¶ 4. Item *vela dare* est ventis explicare, h. e. navem a littore solvere. *Cic.* 2. *Orat.* 44. 187. Et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. *Horat.* 1. *Od.* 34. 3. nunc retrorsum Vela dare atque iterare cursus Cogor relictos. Adde *Virg.* 3. *Æn.* 9. et 61. ¶ 5. In re obscœna dicitur de muliere, quæ copiam sui alicui facit. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 34. *de Danae* Præbuit ipsa sinus, et dare jussa dedit. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 4. 61.; *Martial.* 1. 71.; et *Sueton. Cæs.* 49. ¶ 6. Interdum *dare* significatione accedit verbo *reddere*, itemque, præcipue apud Poetas, verbis *efficere, facere, edere.* Sic apud *Plaut. Cist.* 2. 3. 51. Perfectum ego hoc dabo negotium. *Id. Cas.* 2. 8. 3. Factum et curatum dabo. *Ter. Heaut.* 5. 1. 77. Si vivo, adeo exornatum dabo, adeo depexum, ut dum vivat, meminerit semper mei. *Plaut. Trin.* 1. 2. 3. Quum juratori recte rationem dedi. Adde *eumd. Mil. glor.* 3. 1. 75. Sic in *Censoriis tabulis* apud *Varron.* 6. *L. L.* 86. *Müll.* Si quis pro se, sive pro altero rationem dari volet. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 107. Scis tu quidem hercle, mea si commovi sacra, quo pacto et quantas soleam turbellas dare! *h. e.* turbas efficere, edere. Sic *Lucret.* 6. 109. carbasus Dat crepitum malos inter jactata trabesque. *Ovid.* 9. *Met.* 583. lingua tales leto dedit ære voces. *h. e.* edidit. Sic etiam exponit *Servius* ad illud *Virg.* 2. *Æn.* 482. Ingentem lato dedit ore fenestram. *Sic* 310. dedit ampla ruinam, Vulcano superante, domus. et 3. *G.* 247. Ursi dant stragem. et 12. *Æn.* 575. animis pariter certantibus omnes Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur. *Liv.* 1. 28. Fabius cum equitatu impetum dederat. — Huc referri possunt et illa *Cic.* 4. *Parad.* 1. 29. Reditum mihi gloriosum injuria tua dedit, non exitum calamitosum. *h. e.* parere, afferre. Sic *Id.* 7. *Att.* 13. Dare alicui dolorem. ¶ 7. Cum Infinito ponitur pro sinere, permittere. *Plaut. Pers.* 5. 2. 40. Age! circumfer mulsum: bibere da usque plenis cantharis. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 191. Di tibi dant capta classem reducere Troja. *Id.* 1. *Ep.* 16. 61. Da mihi fallere, da justo sanctoque videri. *Id. Art. P.* 323. Grajis dedit ore rotundo Musa loqui. Cf. *eumd.* 1. *Ep.* 1. 32. Est quadam prodire tenus, si non datur ultra. *Plin.* 1. *Ep.* 10. et *Paneg.* 29. Quantum mihi cernere datur. *Id.* 3. *ibid.* 1. Adeo quidem ut neminem magis in senectute (si modo senescere datum est) æmulari velim. *Id.* 6. *ibid.* 16. Beatos puto, quibus datum est aut facere scribenda, aut scribere legenda. Adde *Quintil.* 10. 7. 22. Atter *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63 83. (173). Neque datur intervenire sine periculo. ¶ 8. Hinc in disputationibus est concedere, admittere; et usurpatur interdum cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 3. *Fin.* 23. 83. In geometria prima si dederis, danda sunt omnia. Et *ibid.*

mor. Dato hoc, dandum erit illud. *Id.* 1. *Tusc.* 32. 78. Sed, eo concesso quod volunt, consequens, id certe non dant, ut etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 16. Quis enim tibi dederit, aut Deum omnia posse, aut etc. *Id.* 1. *Tusc.* 11. 25. Dasne, aut manere animos post mortem, aut morte ipsa interire? *Id.* 5. *Verr.* 94. 218. Do vobis et concedo, esse multos etc. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 4. 39. Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetas, Excerpam numero. ¶ 9. Cum Accusativo et præpos. *ad* vel *in* est aliquid aliquoversus movere vel aliquo ferre, conjicere, impellere. *Plaut. Amph.* 2. 2. 177. Hæc me modo ad mortem dedit. *Id. Asin.* 2. 4. 20. Jussin' in splendorem dari bullas has foribus nostris? *Id. Capt.* 4. 2. 17. Tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo. *Id. ibid.* 1. 2. 15. Nam si faxis, te in caveam dabo. *Ter. Andr.* 1. 3. 9. Præcipitem me in pistrinum dabit. *Id. ibid.* 1. 5. 62. Hanc mihi in manum dat. *Id. Heaut.* 4. 6. 3. Hæc deambulatio me ad languorem dedit. *Cæs.* 5. *B. G.* 49. Celeriter hostes dat in fugam. *Liv.* 3. 69. *sub fin.* Insequens dies hostem in conspectum dedit. *Id.* 31. 37. Ruente saucio equo, (*rex*) præceps ad terram datus, haud multum abfuit, quin jacens opprimeretur. *Sueton. Aug.* 96. Aquila duos corvos afflixit, et ad terram dedit. *Flor.* 3. 10. 18. Unum e regibus in vincula dedit. *Id.* 4. 12. 9. Arma in profluentes data. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 20. 22. (68). Apes spatiatæ in aperto et in altum datæ, gyris volatu editis, etc. *h. e.* elatæ, missæ. Novum est illud de Neptuno Tiphœum comis trahente apud *Val. Flacc.* 2. 27. Implicuitque vadis, torquentemque anguibus undas Sicanium dedit usque fretum. *h. e.* traxit, impulit usque in fretum Sicanium. — Huc pertinent et illa *Cic.* 4. *Cat.* 5. 10. Dare aliquem in custodiam. *Id.* 13. *Att.* 23. *ad fin.* servos in quæstionem. Cf. *eumd. Cluent.* 64. 181. alicui servum ad supplicium. *Id.* 5. *Verr.* 41. 96. quempiam ad injuriam alterius. *h. e.* objicere. — Et absolute *Plaut. Pseud.* 1. 2. 22. Qui nunc? doletne? hem! sic datur, si quis herum servus spernit. *h. e.* sic agitur, sic feritur. — Eadem ferme ratione occurrit *se dare in aliquid* vel *alicui rei*, ut apud *Plaut. Capt.* 1. 2. 12. Mene vis dem ipse in pedes? *Id. Curc.* 2. 3. 84. Ostium ubi conspexi, exinde me illico dedi. *Cic.* 3. *Orat.* 16. 60. Socrates quam se cumque in partem daret, omnium fuit facile princeps. *Id.* 6. *Verr.* 43. 95. Dant sese in fugam. *Id.* 7. *Att.* 23. 2. Dare se fugæ. *Id.* 14. *Fam.* 12. Dare se in viam. — Huc pertinent et illa *Ovid.* 12. *Met.* 594. Det mihi se: faxo, triplici quid cuspide possim, Sentiat. *h. e.* in conspectum meum veniat. Sic *Cic.* 7. *Verr.* 33. 86. Dare se alicui in conspectum. *Id.* 5. *ibid.* 19. 49. Dare se populo ad coronam. — Et translate. *Cic. Pis.* 28. 68. Dare se in consuetudinem alicujus. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 2. 4. ad defendendos homines. *Id.* 13. *Fam.* 1. ad lenitatem. — Similiter *res se dat*, se offert, præbet, occurrit. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 20. Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus. *Cic.* 3. *Att.* 23. *extr.* Tu ad me velim proximis litteris, ut se initia dederint, perscribas. *Liv.* 28. 5. Pollicitus, prout tempus ac res se daret, omnibus laturum se auxilium. ¶ 10. Item est obsequi, gratificari, condonare. *Trebonius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 16. 1. Non enim nescis, quanti te faciam, et quam – omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare. *Cic. Ligar.* 12. 37. Ut concessisti illum senatui, sic da hunc populo. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. *sub fin.* Da hoc illi mortuæ, da amicis, da patriæ. *Liv.* 7. 20. Cære, sacrarium populi Romani, – hospitio Vestalium cultisque diis darent. *Id.* 8. 5. Consanguinitati tamen hoc dabimus, ut conditiones pacis feramus æquas utrisque. *Plin.* 3. *Ep.* 21. Prosecutus eram viatico secedentem: dederam hoc amicitiæ, dederam etiam versiculis, quos de me composuit. *Justin.* 31. 7. 6. Quod ad bellum pacemque pertineat, nihil neque gratiæ dari, neque de jure patriæ decidi posse. *Quintil.* 11. 1. 117. Plus stomacho, quam consilio dedit. — Huc pertinet et illud *Phædr.* 1. 22. Dare improbam leto. ¶ 11. Cum Dativo personæ, aut rei, *dare se alicui*, est se dedere, se totum alteri committere, alteri inservire. — *a*) Cum Dativo personæ. *Ter. Heaut.* 1. 3. 10. Da te mihi vicissim. *V.* integrum locum. Cf. *eumd. Ter. Eun.*, ubi de profusa mulieris petulantia sermo est, 3. 3. 9. Ipsa accumbere mecum; mihi sese dare; sermonem quærere. *Cic.* 7. *Att.* 11. An iis me dem, qui tenent, qui potiuntur? *Id.* 2. *Fam.* 8. Da te homini; complectetur, mihi crede. *Id. Rabir. Post.* 2. 4. Dedit se etiam regibus. *Nepos Att.* 9. Non solum ejus inimici, – sed etiam amici adversariis ejus se dabant. *Cic. Brut.* 89. 306. Scævola nemini se ad docendum dabat. *Tac.* 1. *Ann.* 31. Fore, ut Germanicus Cæsar imperium alterius pati nequiret, daretque se legionibus vi sua cuncta tracturis. — *b*) Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 44. 187. Si se (*judices*) dant, et, ut ante dixi, sua sponte, quo impellimus, inclinant atque propendent etc. Similiter poetice *dii se dant*, hoc est propitios præbent, apud *Sil. It.* 3. 150. Dent modo se superi, Tibris tibi serviet omnis. — *c*) Cum Dativo rei. *Cic.* 6. *de republ.* 23. Neque te sermonibus vulgi dederis, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum. *Sueton. Cæs.* 31. Ex consuetudine convivio se frequenti dedit. Similiter *Cic.* 1. *Off.* 34. 122. Dare se jucunditati. *Id.* 4. *Tusc.* 38. 82. ægritudini. *Id.* 1. *Off.* 21. 71. doctrinæ. ¶ 12. Cum duobus Dativis *dare aliquid alicui laudi*, *vitio* etc., est adscribere, imputare. *Cic.* 1. *Off.* 21. 71. Iis non modo non laudi, sed etiam vitio dandum puto. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 10. 31. Id ne alteri crimini dabis, quod tu ipse fecisti? ¶ 13. Speciatim, et fere apud Poetas, ponitur pro dicere, narrare, annunciare. *Ter. Heaut. prol.* 10. Quamobrem has partes didicerim, paucis dabo. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 3. 10. Sed da mihi nunc, satis ne probas? *V.* tamen Interpp. ad h. l. *Virg.* 1. *Ecl.* 19. iste deus qui sit, da, Tityre, nobis. *Val. Flacc.* 5. 218. Incipe nunc alios cantus, dea; visaque nobis Thessalici da bella ducis. Adde *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 337. — Et passive *Ovid.* 6. *Fast.* 434. pius Æneas eripuisse datur. *h. e.* fertur. *Stat.* 7. *Theb.* 315. Asopos genuisse datur. ¶ 14. Item speciatim *verba dare* est decipere, circumvenire. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 23. Ne mihi ex insidiis verba imprudenti duit. Adde *eumd. Rud.* 2. 2. 19. *Ter. Andr.* 1. 3. 6. Cui verba dare difficile est. *Cic.* 15. *Att.* 16. Vel verba mihi dari facile patior in hoc, meque libenter præbeo credulum. Adde *eumd.* 13. *Phil.* 16. 33.; *Horat.* 1. *Sat.* 3. 22.; et *Martial.* 2. 76. *Nepos Hann.* 5. Fabio callidissimo imperatori verba dedit. Simile est illud *Claudii Quadrigarii* apud *Gell.* 17. 2. *ad fin.* Cominius, qua escenderat, descendit, atque Gallis verba dedit. Ubi *Gellius*: Verba Cominium dedisse Gallis dicit, qui nihil quidquam cuiquam dixerat; neque eum Galli, qui Capitolium obsidebant, escendentem viderant: sed *verba dedit* haud secus posuit, quam si tu dicas *latuit atque obrepsit*. — *Verba dare* est etiam simpliciter loqui: videtur tamen jocularıter dictum et allusione facta ad sensum præced. *Fronto* 4. *ad M. Cæs.* 3. Nec verba dare diutius potest, quin se ipse indicet verborum ignarum esse. ¶ 15. *Fabulam dare* (et usitatius *fabulam docere*) dicuntur poetæ fabularum auctores, qui eam histriones docent, adeoque repræsentant. *Ter. Eun. prol.* 23. Exclamat, furem, non poetam, fabulam dedisse. Adde *eumd. ibid. v.* 9. *Cic. Brut.* 18. 73. Cui (*Ennio*) quum æqualis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Nævius. Adde *eumd. Cluent.* 31. 84. ¶ 16. In re militari *nomen dare* (quemadmodum etiam *edere* et *profiteri*) est militiæ onus subire, quum magistratui delectum habenti nomen suum edit citata juventus. *Cic.* 7. *Phil.* 4. 13. Omnes sine ulla recusatione, summo etiam cum studio nomina dant, parent auctoritati vestræ. *Liv.* 2. 24. Alius alium confirmare, ne nomina darent: patres militarent, patres arma caperent. — Similiter *Tac.* 15. *Ann.* 48. Dare nomen in conjurationem. — Et translate *Plaut. Pseud.* 4. 6. 37. Quid ego cesso, Pseudolum facere, ut det nomen ad molarum coloniam? ¶ 17. Item in re militari *dare manus* est se victum fateri hostique tradere. *Nepos Hamilc.* 1. *a med.* Romanos armis persequi, donicum aut certe vicissent, aut victi manum dedissent. — Translate sæpius occurrit, et est cedere et se inferiorem fateri. *Plaut. Pers.* 5. 2. 72. Fateor, manus vobis do. *Cæs.* 5. *B. G.* 31. Res disputatione ad mediam noctem perducitur: tandem dat Cotta permotus manus: superat sententia Sabini. *Cic. Amic.* 26. 99. Et litigare se simulans blandiatur atque ad extremum det manus vincique se patiatur. *Virg.* 11. *Æn.* 568. neque ipse manus feritate dedisset. *Ovid.* 3. *Fast.* 688. Evictas precibus vix dedit illa manus. *Id. Heroid.* 4. 14. dabit victas ferreus ille manus. *Horat. Epod.* 17. 1. Jam jam efficaci do manus scientiæ, Supplex et oro etc. ¶ 18. Item in re militari *terga dare* est vertere. *Liv.* 31. 37. Versaque momento temporis fortuna pugnæ est, terga dantibus, qui modo secuti erant. *Quintil.* 2. 13. 4. Terga etiam dedisse simulata fuga profuit. *Ovid.* 13. *Met.* 223. Quid quod et ipse fugis? vidi, puduitque videre, Quum tu terga dares inhonestaque vela parares. ¶ 19. In jure *do*, *dico*, *addico* tria solemnia prætoris verba, *V.* in ADDICO; et cf. *Heich*'s *röm. Privatr. p.* 408. et *Göttling*'s *röm. Staatswers. p.* 359. ¶ 20. Item in jure *dare* absolute est dare sententiam. *Sueton. Claud.* 15. Absentibus secundum præsentes facillime dabat. *Plin.* 7. *Ep.* 6. Finem cognitioni quæstio imposuit, quæ secundum reos dedit. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 43.; et *Senec. proœm.* 3. *Contror.* ¶ 21. *Dare*, *facere*, in stipulationibus. *Cic.* 3. *Off.* 16. 66. Arbitrum illum adegit, quidquid sibi dare, facere oporteret ex fide bona. *Paul. Dig.* 17. 2. 71. Ea, quæ supra scripta sunt, ea ita dari, fieri, etc. ¶ 22. In ludo pilæ, calculorum et similium *dare* est ejus, qui aut pilam jacit, aut calculum promovet. *Ovid.* 2. *Art. am.* 201. V. *Datum*, *i*, infra 3. ¶ 23. *Dare*, *donare*, *dicare* formula est, quæ adscribi solebat in monumentis votivis rei alicujus dicatæ et donatæ, per tres D. D. D., vel per duos. Integra autem legitur apud *Cic.* 6. *Verr.* 29. 67., ubi additur quarta vox *consecrare*. — Hinc

Datum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more est ¶ 1. Res data seu credita debitori. *Cic. Amic.* 16. 58. Ut par sit ratio acceptorum et datorum. ¶ 2. Sæpius ponitur pro munere, dono. *Plaut. Asin.* 1. 3. 14. Semper tibi promissum habeto hac lege, dum superes datis. Adde *eumd. ibid.* 3. 1. 22. *Id. Pseud.* 2. 2. 72. Non est justus amator, nisi qui perpetuat data. *Cic. Cluent.* 24. 66. Ac primum Scamandro reo, tantum donis, datis muneribusque perfecerat, ut eo auctore uteretur cupidiore, quam fides judicis postulabat. *Liv.* 22. 10. *in antiqua rogationis formula.* Datum, donum duit populus Romanus Quiritium. V. *Fabri* ad h. l. *Propert.* 3. 13. 6. heu nullis capta Lycinna datis. *Ovid.* 6. *Met.* 463. Ingentibus datis sollicitare aliquem. ¶ 3. In ludo calculorum *datum* est calculus loco motus vincendi gratia. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 170. 29. *Merc.* Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus (*Mercerus* legit *olim*), ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet. *Quintil.* 11. 2. 38. Scævola in lusu duodecim scriptorum (*Al. leg.* scruporum), quum prior calculum promovisset essetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset, recordatus rediit etc.

DŎCĔO, dŏces, dŏcŭi, doctum, dŏcere, a. 2. Part. *Docens* 1. 2.; *Doctus* in fin.; *Docendus* 1. 1. — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* est ab inusit. δέω pro δίδωμι *do, trado,* deinde δέκω, hinc δοκέω: potest tamen conjungi et cum δοκέω, unde τὰ δόγματα philosophorum, ac propterea *doceo*. Ceterum docere est ostendere, monstrare, cognitionem alicujus rei tradere, adeoque erudire, instituere (It. *mostrare*, *far vedere*, *insegnare*, *istruire*; Fr. *montrer*, *faire voir*, *enseigner*, *instruire*; Hisp. *mostrar*, *indicar*, *enseñar*, *doctrinar*, *instruir*, *amaestrar*; Germ. *lehren*, *belehren*, *unterweisen*, *Jmdn etwas zeigen*; Angl. *to show*, *point out*, *inform*, *teach*, *instruct*).

1.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Cum Accusativo et personæ et rei. *Plaut. Trin.* 1. 3. 9. Is hunc hominem cursuram docet. *Cic.* 2. *Orat.* 54. 216. Eam autem nos tu potissimum docebis. *Id.* 7. *Fam.* 21. Silii causam te docui. *Id. Pis.* 30. 73. Docere aliquem litteras. *Nepos præfat.* aliquem musicam. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 17. pueros elementa. — Et passive. *Horat.* 3. *Od.* 6. 24. Motus doceri gaudet Ionicos. *Id.* 1. *Sat.* 6. 76. puerum est ausus Romam portare docendum Artes, quas doceat quivis eques – semet prognatos. *Quintil.* 4. 2. 90. Is reliqua frustra docetur. *Id.* 6. 2. 3. A quibus causas diserti docerentur. *Plin.* 7. *Ep.* 27. Percunctatus omnia docetur. — *b*) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei et præpos. *de*. *Cic.* 6. *Verr.* 51. 113. Docere judices de injuriis alicujus. *Id. Rosc. Am.* 9. 26. Usque adeo autem ille pertimuerat, ut mori mallet, quam de his rebus Sullam doceri. Adde *eumd.* 2.

Orat. 21. 102. Cæs. 7. B. G. 10. Præmittit ad Bojos, qui (subaudi eos) de suo adventu doceant. Adde Sall. Jug. 13.; et Liv. 5. 15. — c) Sequente Relativo. Cic. Rosc. Am. 9. 25. Doceantque eum, qui vir Sextus Roscius fuerit. Id. 5. Fam. 3. De rationibus provinciæ quid vellem fieri, ut is vos doceret et commonefaceret. Id. 1. Off. 28. 101. Docere et explanare quid faciendum sit. Id. 8. Att. 2. Nihil arbitror fore, quod reprehendas: si qua erunt, doce me, quo modo ea effugere possim. Sic Id. 3. Fam. 6. a med. Ne litteras quidem ullas accepi, quæ me docerent, quid ageres. Quintil. 6. 1. 20. Docere, quid rogantibus respondere debeant. — d) Sequente Accusativo et Infinito. Cic. 16. Att. 8. Docui per litteras, id nec opus esse, nec fieri posse. Id. Quinct. 19. 60. Docui, quod primum pollicitus sum, causam, cur postularet, non fuisse. Cf. eumd. Planc. 18. 45. Hæc doce, hæc profer, huc incumbe, decuriasse Plancium, conscripsisse, etc. Cæs. 5. B. G. 1. Legatos ad eum mittunt, qui doceant, nihil earum rerum publico factum consilio. Id. ibid. 29. Quantasvis magnas copias sustineri posse, munitis hibernis, docebant. Horat. 2. Sat. 3. 63. cunctum (vulgus) insanire docebo. Quintil. 1. 5. 43. Aperte nos doceant, nihil horum ad duos pertinere. — e) Sequente tantum Infinito. Cic. 2. Phil. 4. 8. Invideo magistro tuo, qui te tanta mercede nihil sapere docuit. Id. 3. leg. Agr. 2. 4. Ut doceam Rullum tacere. Id. 2. Fin. 5. 15. Græce loqui docendus sum. Virg. 3. G. 116. atque equitem docuere sub armis Insultare solo et gressus glomerare superbos. Sic Colum. 6. R. R. 2. 5. Docere boves composite ambulare. Cf. Horat. 1. Ep. 14. 29. infra sub II. — f) Omisso Infinito, qui tamen subintelligitur. Cic. 9. Fam. 22. Docere aliquem fidibus. h. e. canere fidibus. Sic Liv. 29. 1. Docere aliquem equo armisque. Al. leg. equo tradito. — g) Cum Accusativo personæ tantum. Plaut. Pœn. 4. 2. 58. sy. Omnem operam perdis. mi. Quid jam? sy. Quia doctum doces. Cic. 1. Off. 44. 156. Studiosos dicendi erudire atque docere. Id. Senect. 9. 29. Adolescentulos docere, instituere, ad omne officii munus instruere. Sic Id. 2. Divinat. 2. 4. Docere atque erudire juventutem. Id. 2. Orat. 17. 72. Quum docendus est judex, aut dedocendus. Horat. 2. Ep. 3. 306. Ut proficiscentem docui te sæpe diuque. — h) Cum Accusativo rei tantum. Ter. Eun. 1. 2. 36. Mater ut accepit, cœpit studiose omnia docere. Horat. Art. P. 306. Munus et officium, nil scribens ipse, docebo. Quintil. 12. 8. 9. Tamquam non doceant causam, sed agant. Id. 10. 1. 15. Quæcumque docemus exempla. Id. 1. 10. 18. Et musicen et litteras docet. — i) Absolute omnino. — Generatim. Cic. 2. Orat. 19. 82. Docilem autem (judicem facere possum), non quum polliceor me demonstraturum, sed tum quum doceo et explano. Sic Lucilius apud Non. p. 290. 3. Merc. At non sunt similes, neque dant: quid si dare vellent? Acciperes ne? doce. h. e. dic. — Speciatim docere absolute est juventutem instituere. Cic. 2. ad Q. fr. 4. Tyrannio docet apud me. Adde eumd. Orat. 42. 143. Sueton. Gramm. 23. Postea manumissus docuit Romæ. ¶ 2. Speciatim docere fabulam, διδάσκειν δρᾶμα, dicuntur poetæ fabularum auctores, sicuti discere histriones earum actores. Hinc Plaut. Pœn. 3. 2. 3. Fac modo, ut condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam. co. Quin edepol condoctior sum, quam tragœdi, aut comici. Cic. 4. Tusc. 29. 63. Quum Orestem fabulam doceret Euripides, primos tres versus revocasse dicitur Socrates. Adde eumd. Brut. 18. 72.; Horat. Art. P. 288.; Gell. 17. 21. ad fin; et Sueton. Claud. 11., ubi V. Bremi. Hac ratione dixit Horat. 2. Od. 19. 1. Bacchum in remotis carmina rupibus Vidi docentem —, Nymphasque discentes.

II.) Improprie dicitur de abstractis et inanimis; et quidem — a) Activa significatione, ita ut res ipsæ homines commonefaciant eisque aliquid monstrent. Ter. Heaut. 4. 1. 35. Male docet te mea facilitas multa. Cels. 2. 7. Ubi pluribus diebus non descendit alvus, docet febriculam instare. Virg. 5. Æn. 523. docuit post exitus ingens. Ovid. 1. Pont. 1. 17. Epistola, cui sit missa, docet. Plin. 2. Hist. nat. 101. 108. (235). Experimenta docent. — b) Passiva significatione, ita ut res aliquid facere doceantur. Horat. 1. Ep. 14. 29. Imber Multa mole docendus aprico parcere prato. Claudian. 2. Rapt. Pros. 145. Insolitisque docet galeam mitescere sertis. V. infra Doctus sub II. Apud Plin. 16. Hist. nat. 36. 66. (171). Canere tibiæ ipsæ docendæ. Sillig. legit edocendæ. — Hinc Part. præter. pass.

Doctus, a, um, adjective usurpatur, unde Comp. *Doctior* I. et II.; Sup. *Doctissimus* I.

I.) Proprie doctus est doctrina imbutus, eruditus, litteratus, intelligens; et universim doctus dicitur in sua quisque arte peritus. Usurpatur autem — a) Cum Ablativo rei, qua quis doctus est. Cic. Brut. 46. 169. Doctus et Græcis litteris et Latinis. Sall. Cat. 25. Litteris Græcis et Latinis docta. Martial. 10. 76. doctus utraque lingua. — Cum addito fonte, a quo doctrina hausta est, per Ablat. et præpos. de. Cic. Brut. 25. 94. Fuit enim doctus ex disciplina Stoicorum. Et per præpos. ab, Ovid. 2. Trist. 256. carmine ab omni Ad delinquendum doctior esse potest. — Apud eumd. Ovid. Heroid. 21. 182. Inque parum fausto carmine docta fuit. recentiores plerique leg. et quidem rectius capta fui. — Interdum Adverbium vicem gerit Ablativi. Sueton. Gramm. 7. Nec minus Græce, quam Latine doctus. — b) Cum Genitivo rei. Virg. 10. Æn. 225. doctissima fandi. Horat. 3. Od. 8. 5. Docte sermonis utriusque linguæ. Al. aliter. leg. Gell. 13. 12. Labeo legum atque morum populi Romani jurisque civilis doctus apprime. Claudian. 2. in Eutrop. 381. Docta artis lanificæ. Aurel. Vict. Epit. 11. Doctus sagittarum. Addunt Stat. et Plin., sed in his dubia est lectio. — c) Cum Accusativo. Horat. 3. Od. 9. 10. Dulces docta modos. h. e. perita in poesi. Et figurate Id. Art. P. 67. Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis, Doctus iter melius. Stat. 2. Theb. 692. Doctus omina. Gell. 19. 9. Græci homines nostras quoque litteras docti. — d) Cum Infinito. Horat. 3. Od. 6. 38. Proles docta versare glæbas. Id. 1. ibid. 29. 9. Doctus sagittas tendere. Id. 4. ibid. 13. 7. Docta psallere. Cf. Ovid. 2. Fast. 300. Corpora docta tolerare imbres. — e) Absolute. Cic. 2. Orat. 6. 25. Ea, quæ scriberet, neque ab indoctissimis, neque ab doctissimis, legi velle. Adde eumd. Cæl. 10. 21., ubi quoque Superlativus gradus occurrit. Id. Mil. 4. 10. Ad quam legem non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Cæs. 3. B. C. 50. Quibus rebus nostri, usu docti, hæc reperiebant remedia, ut alio loco ignes facerent, alio excubarent. Horat. 1. Sat. 9. 56. nil mi officit, inquam, Ditior hic aut est quia doctior. Adde Tibull. 4. 6. 2.; Propert. 1. 7. 11.; et Ovid. 2. Art. am. 181. Colum. 2. R. R. 16. 4. Patruus meus doctissimus et diligentissimus agricola. Petron. Satyr. 84. Veteranus latro et ipsis lenonibus doctior.

II.) Improprie. ¶ 1. A Poetis tribuitur et rebus inanimis. Tibull. 2. 3. 20. ausæ Rumpere mugitu carmina docta boves. Horat. 2. Ep. 1. 131. Docta prece blandus. Ovid. 2. Pont. 5. 52. Docta vox. h. e. facundia. Martial. 7. 29. Docti libelli. Ovid. Heroid. 20. 210. Verba ferens doctis insidiosa notis. Propert. 2. 30. 16. Docta tibia. Claudian. Cons. Mall. Theod. 273. docti riserunt floribus amnes. h. e. fontes Aganippes, unde qui potant, poetæ fiunt. Ovid. 2. Amor. 4. 28. doctæ manus. h. e. in lyra pulsanda. Id. 6. Met. 60. Brachia docta movent. h. e. perita texendi. Sic Claudian. Cons. Prob. et Olybr. 177. et pollice docto Jam parat auratas trabeas. Ovid. 2. Amor. 7. 24. Docta manus in capillis comendis. Propert. 2. 15. 12. Docta falx. Val. Flacc. 1. 122. bipennis. ¶ 2. Apud Comicos generatim ponitur pro sapiente, prudente, callido, rato. Plaut. Pers. 4. 3. 70. Te de aliis, quam alios de te suavius est fieri doctos. Id. Pseud. 2. 4. 35. Malus, callidus, doctus. Id. ibid. 2. 3. 12. Centum doctûm hominum consilia. pro doctorum. Adde eumd. Bacch. 4. 4. 43. et Epid. 3. 3. 47. Cf. eumd. Mil. glor. 2. 2. 93. Doctus dolus. Ter. Eun. 4. 7. 21. Numquam accedo ad te, quin abs te abeam doctior. Adde eumd. Hecyr. 2. 1. 6.

Homonym. Differunt doctus et eruditus, si vim vocum spectes, in eo, quod eruditus est, qui simpliciter ruditatem exuit; doctus, cui præterea accessit institutio et doctrina. Si vero usum, eruditus plus est, quam doctus, quod præter doctrinam in schola acquisitam, multarum sibi rerum cognitionem lectione et studio comparavit. Præterea doctus intelligi potest in gravioribus disciplinis, eruditus in litteratura: tametsi hæc perpetua non sunt. Cic. 1. Orat. 22. 102. Græculus otiosus, et loquax, et fortasse doctus atque eruditus. Id. Brut. 30. 114. Doctus vir et Græcis litteris eruditus.

DŎCHLĒA, æ, f. 1. herba, quæ et chamæpitys dicta. Apul. Herb. 26. Græci chamæpityn, Daci dochlean vocant. — Id. ibid. 66. Græci bromium, Daci dochleam appellavere. Cl. Furlanetto in altera Append. duas esse diversas herbas censuit: at uno eodemque vocabulo dochlea unam tantum significari putamus.

DOCHMIĂCUS, a, um, adject. qui ex dochmio pede constat. Marius Victor. Gramm. p. 2534. Putsch. Est autem antispasticum monometrum hypercatalecticum, quod et dochmiacum dicitur, ut Volat præpes. Plot. p. 2658. Antispasticum dochmiacum Euripidium trimetrum catalecticum fit antispasto, ditrochæo, amphimacro, ut Decreta Musis corona pulcra nos. — Capell. 9. p. 334. Primæ species eruut istæ, quæ dochiminæ nominantur. Dochiminæ videtur esse derivativum a dochimo. V. vocem seq.; sed fortasse mendosa est lectio pro dochmiacæ; quod probat ipse Kopp., qui quamvis dochiminæ legat, hæc tamen adnotat: « Sic editi et scripti omnes et antiquum mendum esse etiam glossa quamvis inepta in codice Darmstattensi docet etc. Veram et scribendi et derivandi rationem ostendit Aristides (p. 39. Meib.); δόχμιοι δὲ ἐκαλοῦντο, διὰ τὸ ποικίλον καὶ ἀνόμοιον, καὶ μὴ κατ' εὐθὺ θεωρεῖσθαι τῆς ῥυθμοποιΐας. — Ceterum de dochmiacis versibus peculiaris liber exstat Seidleri Lips. 1811.

DOCHMĪOS vel Latina positione

DOCHMĪUS, ii, m. 2. δόχμιος, pedis genus in numeris oratoriis, qui constat ex iambo et cretico, ut reipublicæ, perhorrescerent. Cic. Orat. 64. 218. Dochmius autem e quinque syllabis, brevi, duabus longis, brevi, longa, ut est hoc Amicos tenes, quovis loco aptus est, dum semel ponatur; iteratus, aut continuatus numerum apertum et nimis insignem facit. Adde Quintil. 9. 4. 79. Dochmios vero positione Græca appellatur a Diomed. 4. p. 479. Putsch. — Apud Cic. loc. cit. in quibusdam editionibus perperam legitur dochimus; quemadmodum et apud Capell. 5. p. 169., ubi Kopp. pro dochimum restituit dochmium.

DŎCIBĬLIS, e, adject. qui facile docetur. Tertull. Monogam. 12. — Priscian. 18. p. 1125. Putsch. Docilis est, qui facile docetur: docibilis, qui facile discit. Vulgat. interpr. Johann. 6. 45. Et erunt omnes docibiles Dei. Id. 2. Tim. 2. 24. Servum autem Domini non oportet litigare; sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem.

DŎCĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. idem ac docilitas. Isid. Sentent. 5. 14. Collatio docibilitatem facit. Quod enim obscurum aut dubium est, conferendo cito perspicitur. Gloss. Philox. Docibilitas, διδασκαλία.

DŎCĬLIS, e, adject. (doceo). Comp. Docilior I. et II.; Sup. Docilissimus agnoscitur a Charis. 2. p. 160. Putsch., nullo tamen auctore laudato. — Docilis est qui facile docetur vel discit (It. docile, che impara facilmente; Fr. ò qui on apprend aisément, docile; Hisp. docil, facil á la educacion; Germ. gelehrig; Angl. apt to learn or to be taught, quickly taught, docile). Usurpatur autem in prosa oratione absolute, cum Ablativo, aut cum Accus. et præpos. ad; a Poetis vero etiam cum Genitivo aut cum Infinitu.

I.) Proprie de homine et brutis. — a) Absolute. Cic. 2. Orat. 19. 80. Jubent enim exordiri ita, ut eum, qui audiat, benevolum nobis faciamus, et docilem, et attentum. Liv. 23. 29. Tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus est. Horat. 3. Od. 11. 1. nam te docilis magistro Movit Amphion lapides canendo. Quintil. 4. 2. 24. Judex docilior et intentior. — b) Cum Ablativo. Plin. 10. Hist. nat. 42. 59. (120). Habebant luscinias Græco atque Latino sermone dociles. Juvenal. 14. 40. dociles imitandis turpibus. — c) Cum Accusativo et præpos. ad. Plaut. Bacch. 1. 2. 56. Ad istas res discipulus docilior. Varro 1. R. R. 17. 3. Operarius docilis ad agri culturam. Cic. 2. Tusc. 6. 15. Docilis ad hanc sententiam. Id. 7. Fam. 20. O medicum suavem, meque docilem ad hanc disciplinam! — d) Cum Genitivo, more Græco. Horat. 4. Od. 6. 43. Docilis modorum. Id. 2. Sat. 2. 52. pravi. Sil. It. 16. 360. Equus docilis freni. Id. 3. 233. Fallendi docilis. — e) Cum Infinito. Sil. It. 13. 120. Cerva docilis accedere mensis.

II.) Translate de inanimis et abstractis. Ovid. 1.

Amor. 14. 13. Capilli dociles, et centum flexibus apti. *Propert.* 4. 2. 63. usus. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 26. (88). Chrysocolla bibula et docilis. *Val. Flacc.* 6. 237. *de hasta.* docilis relegi, docilisque relinqui. *Grat. Cyneg.* 529. fetus. *Sil. It.* 4. 8. Adstruit auditis, docilis per inania rerum Pascere rumorem vulgi, pavor. *Quintil.* 1. 12. 9. Dociliora ingenia. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

DŎCĬLĬTAS, atis, f. 3. apprehendendæ doctrinæ facilitas.

I.) Proprie. *Cic. Sext.* 42. 91. Si perspecto genere humanæ docilitatis atque ingenii. Adde *eumd.* 5. *Fin.* 13. 36.; *Nepot. Att.* 1.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 64. (157). *Sueton. Tit.* 3. Docilitas ad omnes fere tum belli, tum pacis artes.

II.) Translate est lenitas, mansuetudo, mitis animus. *Eutrop.* 10. 7. Affectator justi amoris, quem omnino sibi et liberalitate et docilitate quæsivit.

DŎCĬLĬTER, adverb. agnoscitur a *Diomed.* 1. p. 401. *Putsch.*, nullo tamen auctore laudato.

DŎCĬMEN, inis, n. 3. idem quod documen. *Terentian. de metr. p.* 2425. *Putsch.* Livius ille vetus Grajo cognomine, suæ inserit Inonis versu puto tale docimen. *h. e.* poematis scænici genus seu fabulam.

DOCIMENTUM pro *documentum* legitur in *Inscript.* in *Bullettin. archeol. a.* 1843. *p.* 94.

DŎCIS, idis, f. 3. a δοκίς, trabecula. ¶ 1. Est genus quoddam phænomeni cælestis in trabis formam: unde hoc idem phænomeni genus *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 15. 4. *trabes* vocat. *Apul. de Mundo.* Flammæ quædam ostensæ oculis nostris, quas Græci cometas, et docidas, et bothynos appellant. *V.* DOCUS. ¶ 2. Usurpatur et de figura quadam solidi. *Boeth.* 2. *Arithm.* 29. *p.* 1035. Asseres et ipsæ quidem figuræ sunt solidæ, sed hoc modo, ut ex æqualibus æqualiter ducantur. Nam si æqua fuerit latitudo longitudini, et major sit altitudo, illæ figuræ a nobis asseres, a Græcis docides nominantur; ut si quis hoc modo faciat quatuor quater novies, qui inde procreantur, asseres nominati sunt.

DŎCISMUS, i, m. 2. Legitur apud *Senec.* 2. *Controv.* 11. *sub fin.*, et exponitur a quibusdam ἐνάργημα, *h. e.* evidentia, illustratio, cum apto verbo rem penitus significamus atque ob oculos ponimus. Fortasse repetenda vox est a δοκιμάζω *exploro*, ideoque interpretanda *experimentum:* alii tamen melius leg. *idiotismus*, quam vocem vide.

DOCTĒ, adverb. Comp. *Doctius* 1. et 2.; Sup. *Doctissime* 1. — Docte ¶ 1. Stricto sensu est erudite, scite, bene, perite. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 32. pingimus atque Psallimus, et luctamur Achivis doctius unctis. Cf. *Martial.* 7. 46. Mæonioque cupis doctius ore loqui. *Sall. Jug.* 100. Doctissime eruditus litteris Græcis atque Latinis. ¶ 2. Item sapienter, prudenter, cate, callide. *Plaut. Epid.* 3. 3. 23. Docte et sapienter dicis. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 162. Ut docte et perspecte sapit! *Id. Stich.* 4. 1. 55. Docte versatus. *Id. Bacch.* 4. 4. 43. Senem doctum docte fallere. *Id. Pseud.* 4. 1. 31. Docte meditari dolos. *Id. Pœn. prol.* 111. Docte atque astu. *et* 1. 1. 3. Sapienter, docte et cordate et cate facere aliquid. *Id. Mil. glor.* 4. 2. 29. Jam ex sermone hoc gubernabunt doctius.

DOCTĬCĂNUS, a, um, adject. qui docte canit. *Capell.* 2. *p.* 30. Solers docticanis ludere sensibus.

DOCTĬFĬCUS, a, um, adject. doctos faciens. *Capell.* 1. *initio.* Virgo armata, decens rerum sapientia, Pallas, Ingenium mundi, prudentia sacra Tonantis, Ardor doctificus, etc. *Priscian.* 8. *p.* 835. *Putsch.* Ergo *doctificus*, id est doctum faciens, in vim nominum transtulit participia, sicut *jusjurandum jurisjurandi*, etc.

DOCTĬLŎQUAX, ācis, adject. idem ac doctiloquus. *Dracont. Satisf.* 61. Littera doctiloquax apibus cognata refertur. *Venant.* 7. 26. 1. Quamvis doctiloquax te seria cura fatigat.

DOCTĬLŎQUUS, a, um, adject. qui docte loquitur. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 41. *Müll.* Oratores doctiloqui. *Capell.* 9. *p.* 306. Doctiloquum caris juvenem complexa lacertis. Adde *Sidon. carm.* 22. 82. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 294. 7. CARMEN DOCTILOQVVM. Adde *Reposian.* apud *Wernsdorf. T.* 4. *p.* 321. *v.* 20.

DOCTĬSŎNUS, a, um, adject. qui docte sonat. *Sidon. carm.* 15. 180. Doctisonæ artes.

DOCTĬUSCŬLĒ, adverb. *deminut. a* doctius. *Gell.* 6. 16. Cum esset verbum *deprecor* doctiuscule positum in Catulli carmine. *h. e.* aliquanto eruditius, quam ut a vulgo intelligatur.

DOCTOR, ōris, m. 3. qui docet, magister, præceptor (It. *chi insegna, maestro, dottore*; Fr. *maître, celui qui enseigne, docteur*; Hisp. *maestro*; Germ. *d. Lehrer*; Angl. *a teacher, instructor, master*). Generatim. *Cic.* 1. *Orat.* 6. 23. Græci dicendi artifices et doctores. *Id.* 1. *ibid.* 19. 86. Quod si tantam vim rerum maximarum arte sua rhetorici illi doctores complecterentur. *Id.* 1. *ibid.* 19. 87. De qua nihil rhetorici isti doctores in præceptis suis reliquissent. *Id.* 7. *Fam.* 19. Libri juris civilis, quamquam plurimi sunt, doctorem tamen desiderant. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 15. pueris dant crustula blandi Doctores, elementa velint ut discere prima. — Speciatim *Doctores fabularum* sunt ipsi poetæ, qui eas scribunt, ut in *Doceo* dictum est. *Donat. proleg.* ad *Terent.* — Etiam lanistæ, qui gladiatores ad ludum instituunt, *doctores* appellantur. (Hos in militia, armorum doctores *Veget.* 1. *Milit.* 13. appellat.) *Val. Max.* 2. 3. *n.* 2. Ex ludo Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum arcessitis etc. *Inscript.* apud *Orell.* 2566. Doctores gladiatorum. Alia apud *eumd.* 2580. et apud *Henzen.* 6175. myrmillonum. *Alia* apud *Orell.* 2579. et apud *Henzen.* 6171. Thræcum. Adde *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 189. *n.* 434. et *p.* 234. n. 613.; et *Quintil. Declam.* 302. — Item qui athletas et aurigantes docent. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 443. *n.* 160. AVRELIVS HERACLIDAE DOCTORI FACTIONIS, etc. Cf. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *ante med.* Luctationem jugem facere, adhibito doctore, cujus præceptis pareat. — In *Inscript.* apud *Reines. cl.* 11. *n.* 123. legitur *doctor librarius:* et videtur significare eum, qui scribendi artem librarios docet: vel qui artem docet libros compingendi. Ipse tamen *Reines.* mallet legi *scultor.* At *Orellius* ad *Inscript.* 4211. interpretatur, qui docet καλλιγραφίαν. — Item *doctor sagittariorum* in *Inscript.* apud *Murat.* 954. 4. — *Doctor artis calculaturæ* in *Inscript.* apud *Henzen.* 7220.

DOCTRĪNA, æ, f. 1. eruditio, institutio (It. *insegnamento, istruzione, dottrina*; Fr. *enseignement, instruction donnée ou reçue, éducation*; Hisp. *enseñanza, enseñamiento, amaestramiento, doctrina*; Germ. *d. Unterricht, d. Lehre, d. Kenntniss, Gelehrsamkeit*; Angl. *the art of teaching, instruction, erudition, learning*). Occurrit autem — *a*) Modo subjective, uti ajunt, et quidem — Passive de institutione, qua docemur. *Cic.* 3. *Orat.* 31. 125. Institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili. *Id.* 1. *ibid.* 59. 252. Jus civile summatim percipi sine doctrina potest. — Active de institutione, qua erudimus alios. *Cic. Sext.* 56. 119. Sed mihi sumpsi hoc loco doctrinam quamdam juventuti, qui essent optimates. *Horat.* 4. *Od.* 4. 33. Doctrina sed vim promovet insitam. — Sic pro *theoria*, quæ *experientiæ* opponitur apud *Cic.* 1. *Orat.* 48. 208. Illa non sunt aliqua mihi doctrina tradita, sed in rerum usu causisque tractata. — Sæpius *naturæ* opponitur. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 38. Omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præsidiis ad dicendum parati. *Id. Arch.* 7. 15. Quum ad naturam eximiam accesserit ratio quædam conformatioque doctrinæ. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 100. Virtutem doctrina paret, naturane donet. *Quintil.* 2. 8. 3. Ita quemque instituere, ut propria naturæ bona doctrina foverent. *Id.* 12. 2. 1. Virtus impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est. *Nepos Att.* 17. Neque id fecit natura solum (quamquam omnes ei paremus), sed etiam doctrina. — Hinc etiam pro munere ipso docendi. *Cic.* 1. *Off.* 42. *a med.* Quibus artibus non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, eæ sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestæ. — *b*) Modo usurpatur objective, uti ajunt, et est ipsa scientia, ars. Jungitur cum *litteris* apud. *Cic.* 6. *Fam.* 12. 5. Est unum perfugium, doctrina ac litteræ, quibus semper usi sumus. Adde *eumd.* 2. *de republ.* 10; et *Quintil.* 11. 1. 89. — Jungitur et *studiis* apud *Cic. Balb.* 1. 3. Nonnulli litteris ac studiis doctrinæ dediti. Sic *Id. Orat.* 10. 34. In maximis occupationibus numquam intermittis studia doctrinæ. — Jungitur et *artis* apud *eumd.* 4. *Fam.* 4. 4. Etsi a prima ætate me omnis ars et doctrina liberalis et maxime philosophia delectavit. Cf. *Id.* 3. *Orat.* 32. 127. Nec solum has artes, quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continerentur, geometriam, musicam, litterarum cognitionem et poetarum, atque illa, quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de rebus publicis dicerentur. — Hinc *Id. Partit. orat.* 1. 3. Quot in partes distribuenda est omnis doctrina dicendi? *h. e.* ars dicendi, seu rhetorica. — Et absolute. *Id.* 4. *Fam.* 3. *a med.* Te ab initio ætatis memoria teneo summe omnium doctrinarum studiosum fuisse. *Id.* 5. *Verr.* 88. 204. Homo disertissimus, et omni doctrina et virtute ornatissimus. *Liv.* 10. 40. Juvenis, ante doctrinam deos spernentem natus. — *c*) In plur. numero *doctrinæ* sunt etiam principia, præcipue philosophica. *Cic.* 2. *Legg.* 15. 39. Malis studiis malisque doctrinis totas civitates evertere. *Id. Brut.* 67. 236. M. Piso quidquid habuit, ex disciplina, maximeque ex omnibus, qui ante fuerunt, Græcis doctrinis eruditus fuit.

DOCTRĪNĀLIS, e, adject. ad doctrinam pertinens. *Isid.* 2. *Orig.* 24. Philosophia doctrinalis dicitur scientia, quæ abstractam considerat quantitatem: dividitur in quatuor partes, in arithmeticam, musicam, geometriam, astronomiam. *V.* INSPECTIVUS. *Cassiod. Instit. liberal. litt. præf.* Mathematicam Latino sermone doctrinalem possumus appellare, quo nomine licet omnia doctrinalia dicere valeamus, quæcumque docent, hæc sibi tamen communne vocabulum propter suam excellentiam proprie vindicavit.

DOCTRIX, icis, f. 3. quæ docet. *Servius* ad *Virg.* 12. *Æn.* 159. Quidam etiam afferunt exemplum ex *Apul. Dogm. Plat.* 2., sed alia optima exemplaria habent *ducatrix. Vulgat. interpr. Sapient.* 8. 4. (*Sapientia*) doctrix est disciplinæ Dei, et electrix operis illius. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 33. Veniebat adolescens ad eam (*diaconissam*), et doctrina consueta fruebatur. Cumque firmissime ejus consilium percepisset, requisivit doctricem, quo posset et patris superstitionem declinare, et prædicationem veritatis adipisci. — Ceterum hoc vocabulum habet etiam *Eutych. p.* 2153. *Putsch.* Item *doctor, doctrix*, et ab eo *doctrina.* Adde *Priscian.* 4. *p.* 622. et 8. *p.* 785. et *Super XII. vers. Æn. p.* 1272. et *de Generibus p.* 1318. *Putsch.*

DOCTUS, a, um. *V.* DOCEO.

DŎCŪMEN, inis, n. 3. idem quod documentum. *Lucret.* 6. 391. documen mortalibus acre. *V.* DOCIMEN.

DŎCŪMENTUM, i, n. 2. Alias formas DOCIMEN et DOCUMEN et DOCIMENTUM *V.* loco suo. — Ceterum documentum est id quo docemur, admonitio, exemplum, adeoque indicium, specimen, signum, quo aliquid comprobatur (It. *documento, ammaestramento, saggio, indizio, prova*; Fr. *enseignement, exemple, preuve, modèle, leçon*; Hisp. *enseñamiento, amaestramiento, exemplo, modelo, norma*; Germ. *was zur Lehre dienen, beweisen kann, d. Beweis, d. Lehre, Warnung, d. Muster*; Angl. *a document, example, pattern, lesson, warning, proof, specimen, essay*). Occurrit — *a*) Cum Genitivo rei. *Cic. Rabir. Post.* 10. 27. Ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiæ. *Sall. Cat.* 9. Quarum rerum maxima documenta hæc habeo. *Liv.* 3. 50. Aliena calamitate documentum datum illis cavendæ similis injuriæ. *Id.* 22. 39. Id jam fidei documentum in adversis rebus nostris dederunt *Id.* 45. 40. Sed non Perseus tantum per illos dies documentum humanorum casuum fuit, in catenis – per urbem hostium ductus; sed etiam victor Paullus, auro purpuraque fulgens. *Tac.* 4. *Hist.* 60. Miseriarum patientiæque documentum fuere. Adde *eumd. Agric.* 4. *Sueton. Galb.* 14. Quamquam multa documenta egregii principis daret. *Vellej.* 2. 42. Documentum tanti mox evasuri viri. *h. e.* indicium. *Justin.* 2. 4. 31. Cujus – magna virtutis documenta exstitere. *h. e.* specimina. Sic *Flor.* 4. 10. Quum Crassus et Pacorus utrimque virium mutuarum documenta fecissent. *Liv.* 32. 7. *a med.* Nec per honorum gradus documentum sui dantes, nobiles homines tendere ad consulatum. *Id.* 9. 46. Haud memorabilem rem per se, nisi documentum sit adversus superbiam nobilium plebejæ libertatis, referam. *Tac.* 1. *Ann.* 30. Pars a centurionibus cæsi: quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. *h. e.* ad fidem comprobandam. — Et in malam partem. *Cic. Dom.* 48. 126. Homo omnium scelerum flagitiorumque documentum. — *b*) Raro absolute.

Tac. 16. *Ann.* 33. Æquitate deûm erga bona malaque documenta. *Impp. Theodos. et Valens Cod.* 8. 51. 29. Idoneis documentis aliquid comprobare. *Impp. Honor.* et *Theodos. ibid.* 2. 21. 2. Verissima documenta. — *c)* Specialim formula *esse documento alicui* cum duobus Dativis sæpe occurrit. *Cæs.* 7. *B. G.* 4. *extr.* Ut sint reliquis documento et magnitudine pœnæ perterreant alios. Adde *Liv.* 3. 56., 4. 31., 5. 51., 6. 25., 7. 6., 10. 38. et 24. 8. ubi V. *Fabri*; *Quintil.* 6. 3. 10., 7. 1. 2. et alibi: et V. *Drakenborg* ad *Liv.* 5. 54. — Eodem sensu et *documentum esse* dicitur. *Seneca* 1. *Ira* 6. Non delectetur ullius pœna, sed ut documentum omnium sint. Adde *Liv.* 45. 40., (cujus verba *V.* supra sub *a*). — *d)* Sequente Relativo aut propositione interrogativa. *Cic. Mil.* 8. 22. Dederas enim, quam contemnerés populares insanias, jam ab adolescentia documenta maxima. *Id.* 11. *Phil.* 2. 5. Ex quo documentum nos rapere fortuna voluit, quid esset victis extimescendum. *Id.* 1. *leg. Agr.* 9. 27. Habere aliquem sibi documento, quæ via facillime ad dignitatem perducat. *Cæs.* 3. *B. C.* 10. Quantumque in bello fortuna posset, jam ipsi incommodis suis satis essent documento. *Liv.* 24. 8. Haud sane, cur ad majora tibi fidamus, documenti quidquam dedisti. *Tac.* 13. *Ann.* 6. Datorum plane documentum, honestis an secus amicis uteretur, si etc. — *e)* Sequente Accusativo et Infinito. *Quintil.* 12. 11. 23. Ut esset hominibus documento, ea quoque percipi posse. — *f)* Sequente Gerundio cum præpos. *ad. Liv.* 21. 8. *in fin.* Lacus Trasimenus et Cannæ tristia ad recordationem exempla, sed ad præcavendum similia utili documento sunt. — *g)* Sequente part. *ne* vel *ut* et Conjunctivo. *Plaut. Capt.* 3. 5. 94. Ego illis captivis aliis documentum dabo, ne tale quisquam facinus incipere audeat. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. *ad fin.* Documentum statuere, ne quis talem amentiam vellt imitari. *Liv.* 7. 6. Delectum cum duce exercitum documento fuisse, ne deinde, turbato gentium jure, comitia haberentur. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 110. magnum documentum, ne patriam rem perdere quis velit. *Curt.* 8. 11. 26. Obtriti ergo pedibus earum (*belluarum*), ceteris, ut parcius instarent, fuere documentum.

DŎCUS, i, f. 3. δοκὸς *trabs, lignum.* Dicitur de æris impressione, ob trabis similitudinem. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 26. 26. (96). Emicant et trabes simili modo, quas docos vocant. *Harduin.*, itemque *Sillig.* Græce δοκοὺς scripsit. *V.* DOCIS.

DŌDĔCĂTĒMŎRĬON, ii, n. 2. duodecima pars alicujus rei, δωδεκατημόριον: a δωδέκατος, η, ον, *duodecimus, a, um,* et μόριον *pars.* Dicitur ab astrologis duodecima pars Signi alicujus cælestis; et usurpatur a *Manil.* 2. 694. Dodecatemoria in titulo signantia causas. Adde *eumd. ibid.* 699., 711. et alibi.

DŌDĔCĂTHEON, i, n. 2. δωδεκάθεον, *h. e.* duodecim deorum. — *Dodecatheon* dicitur genus herbæ, quasi herba duodecim deorum, qui *Consentes* sunt appellati. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 9. (28). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 321.) hæc ait: « Ruellius, C. Bauhin, et après eux Sprengel, ont adopté, pour le *dodecatheon*, la *Primula officinalis.* Il faut convenir pourtant que les feuilles de cette plante diffèrent beaucoup de celles de la laitue. Nous ajouterons que leur nombre est variable. Toutefois, comme il paraît assez naturel de penser que les Latins ont dû connaître cette plante, nous adoptons sans discussion la plante indiquée. » — Similiter *Marcell. Empir.* 27. *ante med.* Medicamentum, quod dodecatheon appellatur, movet urinam, etc. *Id.* mox ejus virtutes plurimas narrat, et ejusdem conficiendi rationem docet. — *Dodecatheos cœna* memoratur apud *Sueton. Aug.* 70., ubi videsis adnotata a *Bremi.* Cf. et CONSENTES.

DŌDRA, æ, f. 1. potionis genus, quæ ex novem rebus fiebat, aqua, vino, jure, oleo, sale, pane, herba, melle, pipere; a *dodrans* mensura novem unciarum. *Auson. Epigr.* 86. et 87.

DŌDRĀLIS, e, adject. ad dodram pertinens. *Dodralis potio* legitur in lemmate *Epigr.* 86. *Auson.*, ubi dodram describit.

DŌDRANS, antis, m. 3. novem unciæ: ita dictum a *de* et *quadrans*, quia ad as conficiendum quadrans deest. *V.* AS. Dodrantis porro pretium repræsentat nummus æreus apud *Morell. Thes. num. Famil. Rom.*, in gente *Cassia, tab.* 3. *fig.* 1., in cujus parte antica est Vulcani caput laureatum cum forcipe, in postica rostrum navis, in utraque vero parte visitur S:- *h. e.* nota dodrantis, qua docemur hujusmodi nummum dodrantem valuisse, quemadmodum in alio ejusdem gentis nummo est nota S:, *scilicet* bessis. *V.* BES et *Borghesi Dec. num.* 4. oss. 7. p. 21.; et *Cavedoni* in *Bullettin. dell' Instit. ann.* 1836. Hinc *dodrans* — *a)* Est cujuslibet summæ, quæ in duodecim partes dividatur, partes novem. *Cic.* 1. *Att.* 14. *sub fin.* Argiletani ædificii reliquum dodrantem emit. *Nepos Att.* 5. Heredem fecit ex dodrante. *Martial.* 8. 9. Solvere dodrantem nuper tibi, Quincte, volebat Lippus Hylas: luscus vult dare dimidium. Adde *Sueton. Cæs.* 83. — *b)* Item novem partes jugeri. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 11. Dodrans jugeri. *Id.* 2. *ibid.* 4. 8. Jugerum commode proscinditur duabus operis, una iteratur, tertiatur dodrante. *Liv.* 8. 11. Bina in Latino jugera, ita ut dodrantem ex Privernati complerent, data. — *c)* Item alicujus mensuræ in longitudinem, aut in altitudinem partes novem, v. gr. novem partes pedis, qui duodecim continet uncias. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 9. 14. (71). Obeliscus centum viginti quinque pedum et dodrantis. *Frontin. Aquæd.* 65. Fiunt areæ pedes octo, dodrans. Adde *Sueton. Aug.* 79. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 5. Sulcus altus dipondio et dodrante. Ita in *Inscript.* apud *Morin. Frat. Arv.* p. 228. IX P. P. VII. S ∸ =, *h. e.* in fronte pedes septem dodrans. Similiter *Plin.* 2. *Hist. nat.* 14. 11. (58). Dodrans horæ. — *d)* Specialim est palmus major, seu spithama. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (26). Pygmæi ternas spithamas longitudine, hoc est ternos dodrantes non excedentes.

DŌDRANTĀLIS, e, adject. dodrantem continens. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (131). Ramos spargit a radice dodrantales. *Id.* 17. *ibid.* 21. 35. (154). Dodrantales paxilli. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 12. Stirpem dodrantalem relinquas. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 3. 14. *Hygin. de limit. p.* 203. *Goes.* Lapides, ne minus, dodrantales poni oportet, altos ped. III.

DŌDRANTĀRIUS, a, um, adject. ad dodrantem pertinens. *Fabulæ dodrantariæ* dicuntur, quæ post legem Valeriam (*V.* VALERIUS, a, um, in ONOM.) institutæ sunt, in quibus ratio haberetur de dodrante, quem debitores in lucro ponebant, quoties æs alienum, quadrante tantummodo creditoribus soluto, dissolverent. *V.* QUADRANTARIUS. *Cic. fragm. orat. pro Fontej.* (edente *B. G. Niebuhrio*) 2. Nam, quod in tabulis dodrantariis et quadrantariis, quas ait ab Hirtulejo institutas, Fontejì officium desiderat, non possum, etc. et *paullo* post. Laudas Hirtulejum, quod dodrantarias tabulas instituerit: easdem Fontejus instituit, et eodem genere pecuniæ.

DŌGA, æ, f. 1. δοχή, vas, quod βούττις in *Gloss. Philox.* dicitur. Alii intelligunt non certum quoddam vas, sed certam *v. g.* vini quantitatem, vel quantum cupa, aut navis capere potest. Vox est cadentis Latinitatis. *Vopisc. Aurelian.* 48. Facta erat ratio dogæ, cuparum, navium et operum.

DOGMA, atis, n. 3. δόγμα. Aliam formam *dogma, æ*, f. 1. habet *Laberius* apud *Priscian.* 6. p. 679. *Putsch.* Nec Pythagoream dogmam doctus. *V.* SCHEMA. — Ceterum ¶ 1. Dogma est scitum, placitum, decretum. Specialiter dogmata sunt uniuscujusque sectæ decreta, quæ, ut ait *Cicero*, prodere scelus est, non minus quam patriam; sine quibus nec sectæ philosophorum, nec religionum vires constare possunt. Unde *Laert.* ait, sectam eam non appellari, quæ dogmata non habet. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 9. 27. Græce: at Latine, si libris credimus, utitur *Id. ibid.* 43. 133., et 2. *Fin.* 32. 105. Adde *Martial.* 1. 9. et 9. 48.; *Juvenal.* 13. 121.; et *Lactant. Mort. persecut.* 1. ¶ 2. Dogma est etiam id, quod alicui committitur faciendum, apud *Alcim. Ep.* 78. *a med.* Ecce habes quoddam tantummodo speculum dogmatis exsequendi.

DOGMĂTĬCUS, a, um, adject. ad dogmata, seu placita et decreta philosophorum pertinens. *Auson. Edyll.* 17. 15. Hinc etiam schola consona disciplinis Dogmaticas agitat placido certamine lites. *Cassiod.* 1. *Variar.* 10. Prudentia vestra lectionibus erudita dogmaticis.

DOGMĂTISTES, æ, m. 1. δογματιστής, qui alicujus dogmatis auctor, vel defensor est. *Rufin.* 2. *Invect.* in *Hieronym.* n. 25. In his non fidem ejus, sed ingenium; non dogmatisten eum, sed interpretem laudans.

DOGMĂTIZĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DOGMĂTIZO, as, āvi, ātum, are, a. 1. δογματίζω. Part. *Dogmatizans* et *Dogmatizatus.* — Dogmatizo est dogmatis alicujus auctor sum, dogmata trado. Est *Augustini Ep.* 57. 8. *extr.* Sic *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 8. Laudat simul et principem, tamquam ea, quæ sunt Christianorum, dogmatisantem. *Id. ibid.* 12. Si quid autem aliud ordinatum est, aut dogmatizatum *etc.* h. e. in dogmate instructum.

DŎLĀBELLA, æ, f. 1. deminut. a dolabra, parva dolabra. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 4. Circa crus vitis dolabella dimovenda terra est. et *paullo post.* Si cavata vitis est, dolabella conveniet expurgare quidquid emortuum est. — *NB.* De cognomine Rom. *V.* ONOM.

DŎLĀBRA, æ, f. 1. ferramentum ex una parte acie acuta, ex altera fossoria, longo manubrio instructum, ad cædendum et perfringendum. *Lips.* in *fin.* 1. *Poliorcet.* dicit, fuisse forma securis, sed una et simplici acie, parte altera in mucrone acuminata, ut illa ad cædendum, hac ad deruendum uterentur. Dolabræ figuram videre est apud *Murat. Inscript.* 538. et *Bertoli Antiq. d'Aquileja* p. 161., quorum postremus plurima de dolabris accurate persequitur. Est autem a supino *dolatum* verbi *dolo*: quare semper est pænult. prod. (It. *coltellaccio, accetta, piccone*; Fr. *houe, pioche, doloire, dolabre*: Hisp. *azada, pico, azuela para dolar*; Germ. d. *Hacke, Brecheisen*; Angl. *an axe, chip-axe, pick-axe*). Inserviebat autem — *a)* Bellico usui. *Liv.* 21. 11. Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit. Nec erat difficile opus, quod cæmenta interlita luto etc. *Id.* 9. 37. Dolabræ calonibus dividuntur ad vallum proruendum fossasque implendas. *Curt.* 5. 6. Dolabris pretiosæ artis vasa cædebant. *Id. ibid. ad fin.* Dolabra glaciem perfringere. et 8. 4. Dolabris sternere silvas. et 9. 5. Dolabris perfringere murum. Adde *eumd.* 8. 15. 11. et 9. 21. 19.; et *Tac.* 3. *Hist.* 20. et 27. *Juvenal.* 8. 248. Munire castra dolabra. — *b)* Est dolabræ usus etiam rusticis, quoties runcando cædendæ sunt stirpes, radices, cetera hujusmodi. *Pallad.* 3. *R. R.* 21. 2. Hoc tempore rosaria circumfodiuntur sarculis, vel dolabris, et ariditas universa reciditur. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 3. 3.; *Colum. de arbor.* 10. 2.; et *V.* DOLABELLA. — *c)* *Paul. Dig.* 33. 7. 18. in instrumento lanionis etiam dolabras enumerat. Quo fortasse referenda dolabra pontificalis, quam memorat *Festus* p. 330. 2. *Müll.*: nempe qua victimæ secabantur.

DŎLĀBRĀRĬUS, ii, m. 2. qui dolabras facit, vel qui dolabra ligna cædit. *Inscript.* apud *Gruter.* 358. 6. CENTVRIA CENTONAR. DOLABRARIORVM SCALARIORVM. Alia apud *Bertol. Antiq. Aquil.* p. 161., quæ est apud *Orell.* 4081. TI. CLAVDIVS DOLABRARIVS COLLEGII FABRVM.

DŎLĀBRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *dolabro, as*, dolabra cæsus. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Truncis arborum abscisis, atque horum dolabratis atque præacutis cacuminibus perpetuæ fossæ ducebantur. — *Pallad.* 1. *R. R.* 43. 3. in instrumento agrestium recenset etiam *secures simplices, vel dolabratas*, nempe altera parte dolabram referentes.

DŎLĀMEN, inis, n. 3. lævigatio dolando facta. *Apul. Florid.* n. 1. Truncus dolamine effigiatus.

DŎLĀTĬLIS, e, adject. qui facili dolari potest, ut Dolatiles lapides, *Auct. de Limitib.* apud *Goes.* p. 270. *Venant.* 7. *carm.* 8. 21. Pagina vel redeat perscripta dolatile charta. *h. e.* tabula lignea in usum scribendi dolata.

DŎLĀTŌRĬUM, ii, n. 2. ferramentum, quo lapides dolantur. *Hieronym. Ep.* 106. *in fin.* Λαξευτήριον ergo dolatorium dici potest.

DŎLĀTUS, a, um, a dolando. *V.* DOLO, as.

DŎLĀTUS, a, um, a *dolo, onis*, est dolone perforatus. *Arnob.* 6. 14. Simulacra – serris, furfuraculis, asciis, secta, dolata, effossa, terebrarum excavata vertigine, runcinarum lævigata de planis. *Ita cl.* Furlanetto in suis *MSS. Nihil tamen impedit, quominus* τὸ dolata *etiam hoc loco a* dolando *derivatum accipiamus.*

DŎLĀTUS, us, m. 4. idem quod dolamen. *Prudent. Psychom.* 836. multuque forata dolatu Gemma relucenti limen complectitur arcu.

DŎLENS, entis. *V.* DOLEO.

DŎLENTER, adverb. Comp. *Dolentius.* — Dolenter est cum dolore. *Cic.* 8. *Phil.* 7. 22. Dolenter

hoc dicam potius, quam contumeliose. *Id. Sext.* 6. 14. Dolentius deplorare. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 52. 211. et *Orat.* 38. 131. *Plin.* 1. *Ep.* 5. 4. Dolenter ferre aliquid. *h. e.* ægre ferre. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 11. 2.

DŎLENTĬA, æ, f. 1. dolor. *Nævium* seu potius *Lævium* poetam antiquissimum usurpasse, testatur *Gell.* 19. 7. *Arnobium* plus vice simplici usum esse, tradunt.

DŎLĔO, les, lŭi, lĭtum, lere, 2. Sequiore tempore etiam *dolio* et *doliens* pro *doleo* et *dolens* dictum est. Cf. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 572. n. LV., *Cavedoni Sagg. numism.* p. 197., et *Bias. Mon. Gr. Lat.* p. 167. — *Dolitus* est pro doluit. *Inscript.* apud *Gruter.* 793. 4. et 794. 2. DE QVA NIHIL ALIVD DOLITVS EST, NISI MORTEM. Sic *doleatur* pro doleat, in alia apud *eumd.* 676. 11. NECESSE EST DOLEATVR. — Part. *Dolens* sub *A.* 1. 2. et in fin.; *Doliturus* sub *A.* 2. *a.*, *c.* et *f.*; *Dolendus* sub *A.* 2. *a.* et sub *B.* — Dolere usurpatur *A)* Passiva significatione, et *B)* Activa.

A) Passiva significatione *dolere* est dolore affici (It. *dolersi*, *dolere*; Fr. *éprouver de la douleur*, *souffrir*; Hisp. *padecer*, *sufrir algun dolor*; Germ. *Schmerz empfinden oder leiden*; Angl. *to grieve*, *sorrow*, *be sad or sorry*, *be in pain*). Refertur ¶ 1. Ad corpus; et occurrit — *a)* Cum Nominativo tantum membri, quod dolet. *Plaut. Amph.* 5. 1. 7. Caput dolet, neque audio, neque oculis prospicio satis. *Id. Aulul.* 4. 7. 10. uterum. *Id. Curc.* 2. 1. 21. renes. *Id. Most.* 4. 2. 10. oculi. *Lucret.* 3. 111. pes ægri. *Cato R. R.* 157. cor. *Cic.* 2. *Tusc.* 19. 44. Pes dolet, dolent oculi, latera, pulmones. *Plin.* 20 *Hist. nat.* 21. 84. (224). Dens dolet. *Id.* 17. *ibid.* 23. 35. (214). Diu dolent talia ulcera. — Et cum addito Ablativo causæ. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 53. auriculæ collecta sorde dolentes. *Plin.* 24. *Hist.* 5. 10. (15). Si caput a sole doleat. — *b)* Cum addito Dativo personæ, cui membrum aliquod dolet. *Plaut. Amph.* 1. 1. 252. Nam etiam misero nunc malæ dolent. *Ter. Phorm.* 5. 8. 64. Dolent tuo viro oculi. — *c)* Cum Nominativo personæ et Ablativo, cum præpos. *ab*, membri dolentis. *Plaut. Cist.* 1. 1. 62. Doleo ab oculis. — *d)* Cum Nominativo personæ et Accusativo. *Fronto p.* 264. edit. *Rom.* Graviter oculos dolui. — *e)* Impersonaliter. *Plaut. Epid.* 1. 2. 44. Mihi dolet, quum ego vapulo. *Id. Pæn.* 1. 1. 22. Si feriri video te, extemplo dolet. *Id. Truc.* 4. 2. 55. Si stimulos pugnis cædis, manibus plus dolet. ¶ 2. Sæpius refertur ad animum: et cum Accusativo rei est plorare, lugere, queri; cum Ablativo autem est dolore affici, animo turbari. — *a)* Cum Accusativo rei: huc pertinet illud *M. Aurel. Anton. ad Fronton. p.* 216. *edit. Rom.* Quum autem in singulis articulorum tuorum doloribus torqueri soleam, mi magister, quid opinaris me pati, quum animum doles? *Afranius* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 20. 45. et 25. 55. Quum dissolutus filius: *Heu me miserum!* tum severus pater: *Dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet.* Cf. *eumd. Cic.* 16. *Att.* 2. 3. *Cic. Sext.* 69. 145. Quia meum casum luctumque doluerunt. *Id.* 8. *Att.* 15. *extr.* Ut meam vicem doleres, quum me derideri videres. *Id. Cæl.* 10. 24. Dolere Dionis mortem. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 112. Quid latura (*natura*), sibi quid sit ditura negatum. *Liv.* 23. 9. tuam vicem. *Tac.* 1. *Hist.* 29. ipsius imperii vicem. *Sueton. Tib.* 52. vicem eorum. *Justin.* 12. 6. 15. mortem unius. — Et Part. *Dolendus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 23. A te non ulciscenda sunt, etiam si non sunt dolenda. — Et passive. *Stat.* 2. *Silv.* 6. 97. Eximius licet ille animi, meritusque doleri. *h.* e. dignus, qui ploretur. — *b)* Cum Accusativo et Infinito, qui Accusativi vicem gerit. *Lucret.* 3. 899. Qui possit vivus sibi se lugere peremptum, Stansque jacentem, nec lacerari urive dolere. *Al. leg.* dulore. *Cæs.* 3. *B. G.* 2. Accedebat, quod suos ab se liberos abstractos obsidum nomine dolebant. *Id.* 5. *ibid.* 52. Tantum se deperdisse, gravissime dolebant. *Cic. Vatin.* 13. 31. Quis tum non ingemuit? quis non doluit reipublicæ casum? *Al. leg.* casu: V. *Halm.* ad h. l. *Id. Amic.* 20. 71. Sic inferiores non dolere, se a suis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari. *Ovid.* 2. *Met.* 352. Illa dolet fieri longos sua brachia ramos. — Et cum Infinito tantum. *Horat.* 4. *Od.* 4. 61. Non Hydra secto corpore firmior Vinci dolentem crevit in Herculem. *Sueton. Tib.* 7. Sed Agrippinam et abegisse post divortium doluit, et etc. — *c)* Cum Ablativo rei sine præpos. *Cic.* 5. *Fam.* 8. 2. Homines laude aliena dolentes. *Id. Amic.* 13. 47. Et lætari bonis rebus et dolere contrariis. *Liv.* 39. 43. *extr.* Ignominia ne sua quempiam doliturum censeret. *Id.* 29. 21. Dolere injuriis civitatis suæ. *Virg.* 1. *Æn.* 673. et nostro doluisti sæpe dolore. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 67. Dolere cæso Metello. *Ovid.* 6. *Met.* 130. successu. *Plin.* 1. *Ep.* 12. morte. — *d)* Cum Ablativo et præpos. *ab*, *de* vel *ex*. *Plaut. Cist.* 1. 1. 62. Doleo ab animo, doleo ab ægritudine. *Cic.* 6. *Att.* 6. De Hortensio te certo scio dolere. *Id.* 12. *ibid.* 1. Qua lecta (*epistola*), de Atticæ febricula scilicet valde dolui. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 7. Insolabiliter rapto de fratre dolentis. *Ovid.* 7. *Met.* 831. de pellice vera. *Cic.* 16. *Fam.* 21. Quoniam igitur tum ex me doluisti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudium, præstabo. *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Quo gravius homines ex commutatione rerum doleant. — *e)* Cum Accusativo simul et Ablativo. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 37. At pia nil aliud quam me dolet exsule conjux. — *f)* Sequentibus part. *quod*, *quia*, *quum*, *si*; ut apud *Cic. Brut.* 1. 5. Si id dolemus, quod eo frui nobis non licet. *Ovid.* 5. *Met.* 24. Insuper a quoquam quod sit servata dolebit. *Cæs.* 1. *B. C.* 9. Doluisse se, quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur. *Lucceius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 14. Doleo, quia doles. *Cic. Marcell.* 1. 2. Dolebam enim et vehementer angebar, quum viderem etc. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 88. quibus hæc, sunt qualiacumque, Arridere velim; doliturus, si placeant spe Deterius nostra. — *g)* Absolute. *Plaut. Capt.* 5. 4. 7. Satis jam dolui ex animo, et curâ me satis et lacrumis maceravi. *Ter. Heaut.* 5. 1. 61. Ah! nescis quam doleam. *Cic.* 5. *Parad.* 1. 34. Ut nihil faciat invitus, nihil dolens. *Sall. Jug.* 39. Pars dolere pro gloria imperii. *Virg.* 4. *Æn.* 393. solando lenire dolentem. *Id.* 11. *ibid.* 732. Quis metus, o numquam dolituri, o semper inertes Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit? Adde *eumd.* 6. *ibid.* 733.; *Horat.* 3. *Od.* 1. 41. et 4. 73. et 1. *Ep.* 6. 12.; *Senec. Consol. ad Helv.* 17.; *Quintil.* 2. 4. 10. et 9. 1. 23.; et *Plin.* 8. *Ep.* 16.

B) Activa significatione *dolere* est dolore afficere, dolorem afferre, parere; et occurrit — *a)* Cum Dativo personæ et quidem — Cum Nominativo. *Plaut. Merc.* 2. 3. 54. Verum, in portum huc ut sum advectus, nescio, qui animus mihi dolet. *Id. Capt.* 1. 2. 49. Hoc illud dolet, quia nunc remissus est edendi exercitus. *Id. Cist.* 1. 1. 113. Ne quid, quod illi doleat, dixeris. *Ter. Eun.* 1. 2. 13. Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 230. Nemo ingemuit, nemo inclamavit patronorum, nihil cuiquam doluit. *Inscript.* apud *Orell.* 4798. MORS MEA QVOI DOLVIT. Adde *aliam* apud *eumd.* 4799. — Et impersonaliter. *Plaut. Men.* 2. 3. 84. Mihi dolebit, non tibi, si quid stulte fecero. *Ter. Phorm.* 1. 3. 10. Tibi, quia superest, dolet. *Id. Adelph.* 2. 4. 8. Hoc mihi dolet, nos pæne sero scisse. *Cic. Mur.* 20. 42. Cui placet, obliviscitur; cui dolet, meminit. *Brutus* ad *Attic.* inter *ep. Cic.* 1. *ad Brut.* 17. *ad fin.* Dolet mihi, quod tu nunc stomacharis. — *b)* Cum Accusativo personæ. *Propert.* 1. 16. 23. Me mediæ noctes, me sidera prona jacentem, Frigidaque Eoo me dolet aura gelu. V. *Hertzberg* ad h. l. Huc fortasse referri potest et illud *Ovid. Heroid.* 5. 8. Quæ venit indignæ pœna, dolenda venit. *h. e.* cum dolore ferenda. — *c)* Absolute. *Ter. Eun.* 3. 1. 40. Dolet dictum imprudenti adolescenti. *h.* e. mihi dolet, quod tu dixisti adolescenti, qui minime crederet, tali se perculi posse convicio. Adde *Senec. Tranquill. anim.* 3. — Hinc Part. præs.

Dolens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Dolentior*, et est dolorem afferens. *Sall. Jug.* 84. Dictitare alia magnifica pro se et illis dolentia. *Ovid.* 4. *Met.* 245. Nil illo fertur volucrum moderator equorum Post Phaetonteos vidisse dolentius ignes. *Nisi malis esse adverb.*

DŎLESCO, scis, scere, n. 3. idem quod doleo. *Gloss. Philox.* Ἄχθομαι, doleo. dolesco.

DŎLĬĀRIS, e, adject. ad dolium pertinens. *Vinum doliare* dicitur ad differentiam amphorarii: illud enim ex doliis, hoc vero ex amphoris hauritur: illud recens est, hoc vetus: illi denique *diffusum* opponitur: V. *Schmid* ad *Horat.* 1. *Ep.* 5. 4. *Ulp. Dig.* 18. 6. 1. § 4. Si doliare vinum emeris. — Hinc *Plaut. Pseud.* 2. 2. 64. Apud anum illam doliarem, claudam, crassam, Chrysidem. *h.* e. ventriosam instar dolii. *Al.* perperam leg. *diobolarem*. — *Opus doliare* in multis inscriptionib. figlinarum apud *Murat. p.* 497. et *sequentib.* et *alios* est quidquid a figulis venit, dolia, tegulæ, lateres, amphoræ, vasa fictilia omne genus.

DŎLĬĀRĬUS, a, um, adject. ad dolium pertinens. *Servus doliarius* (*dolearius* habet *Inscript.* apud *Gruter.* 583. 1.) est qui doliis vinum condit et in cella servat. Similiter in *Inscript.* apud *Murat.* 504. 13. OFFICINA DOLEARIA. Hæc *Inscript.* est apud *Orell.* 4888. — Hinc

Doliarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui dolia facit. *Plin.* 3. *Hist. Nat.* 6. 12. (82). Pythecusa dicta, non a simiarum multitudine, sed a figlinis doliariorum. *Harduin.* legit *doliorum* ex MSS., quam lectionem etiam *Sillig.* retinuit. *Inscript.* apud *Don. cl.* 7. *tab.* 4. *p.* 289. L. AVRELIVS SABINVS DOLIARIVS FECIT SIBI ET SVIS.

Doliarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est cella, ubi plura sunt dolia. *Cajus Dig.* 18. 1. 35. § 7. Si ex doliario pars vini venierit.

DŎLĬCHŎDRŎMUS, i, m. 2. a δόλιχος longus et δρόμος cursus. Ut docent *Annali dell' Instit. archeol. ann.* 1833. *p.* 69., *stadiodromi* dicebantur qui quaterni a læva dextrorsum currendo stadium semel perficiebant; *diauli* vel *diaulodromi*, qui terni vel quini a læva dextrorsum currendo stadium bis perficiebant; denique *dolichodromi* qui a dextra sinistrorsum currendo stadium quater et vicies perficiebant. Hæc autem vox est *Hygini fab.* 173., cujus verba *V.* in DIAULOS.

DŎLĬCHOS, i, m. 2. ὁ δόλιχος, similax hortensis, seu phaseolus; a Græca voce allata, quæ idem significat. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 92. (244). Item circa Tempe Thessalica (*est herba*) quæ polypodion vocatur, et quæ dolichos ac serpyllum. *Kärcher.* docet *dolichon*. esse Fr. *fève de mer féverolle*, Germ. *Feld-oder Kernbohne*. De phaseolis ac proinde etiam de dolicho agit *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 33. (125). *V.* PHASEOLUS.

DŎLĬDUS, a, um, adject. molestus, dolorem afferens. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. Omnis motus dolidus est tumore oppressis. *Id. ibid.* 6. Dolidus sensus.

DŎLĬO, is, itum, ire, a. 4. est alia forma pro *dolo*, *as*, *are*; unde *Varro* apud *Non. p.* 99. 17. *Merc.* Numnam cælatus in manu dextra scyphus Cælo dolitus artem ostentat Mentoris? *Forcellinus* putavit *dōlītum* efferendum, atque ait *Nonium* male legisse; nam *dolatus* id genus carminis et loci sensus postulat. At rectius *Oehler*, *M. Ter. Varron. Sat. Menipp. p.* 92. ad loc. cit. ait: « *Dolitum*, quod *dolatum* usu dicitur, etiam *p.* 436. 15. *Nonii* ed. *Merc. Dolitus*, quod Codd. MSS. utroque loco constanter tenent et *Nonii* auctoritas tuetur, secundam habet productam et est a *dolire*, non a *dolere*: quemadmodum ab *impetrare* est *impetratus* et *impetritus*. Similia verba sunt *artare* et *artire*, *furare* et *furire*, *pipare* et *pipire*, *mintrare* et *mintrire* ».

DŎLĬŎLUM, i, n. 2. *deminut.* a dolium, parvum dolium. *Colum.* 12. *R. R.* 44. 3. Doliola nova, sine pice, in sole siccant. *Liv.* 5. 40. Sacra condita in doliolis, sacello proximo ædibus flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere. *Varro* 5. *L. L.* 157. *Müll.* et *Paul. Diac. p.* 69. 8. *Müll.* docent illum ipsum locum, de quo *Liv.*, postea fuisse *doliola* appellatum. — *Doliola florum* vocat *Plin.* 11. *Hist. nat.* 13. 13. (32). et *ibid.* 15. 15. (38). calyculos florum, qui instar dolioli turgent in medio, et rotundi sunt; sed eam lectionem falsam esse putat *Schneiderus* ad *Varron.* 3. *R. R.* 16. *p.* 579.

DŎLĬTO, as, are, n. 1. *frequentat.* vel potius intensivum *verbi* doleo. *Cato R. R.* 157. Omnia sana faciet, intro quæ dolitabunt.

DŎLĬTUS, a, um. *V.* DOLEO.

DŎLĪTUS, a, um. *V.* DOLIO.

DŎLĬUM, ii, n. 2. Etiam *doleum* scribitur apud *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*) 2.; quemadmodum et *dolearius* pro *doliarius* in *Inscript.* *V.* DOLIARIUS. — Ceterum

I.) Proprie — Dolium est vas e majoribus, quibus vinum conditur, et in cellis servatur, capax, rotundum et ventriosum (It. *botte*; Fr. *tonneau*; Hisp. *tonel*, *tonelada*; Germ. d. *Fass*; Angl. *a*

cask, barrel, tub, a tun, butt, pipe, or hogshead, any great vessel). Veteres vinum recens in doliis condebant: ubi esset defæcatum, in amphoras et cados diffundebant, ut docet *Proculus Dig.* 33. 8. 15. Hinc *Seneca Ep.* 36. Vinum non pati ætatem, quod in dolio placuit. *Propert.* 2. 1. 69. Dolia virgineis idem ille repleverit urnis. Adde *Caton. R. R.* 69.; *Plaut. Cist.* 2. 2. 7.; *Ter. Heaut.* 3. 1. 51.; *Colum.* 11. *R. R.* 2. 70.; et *Horat.* 3. *Od.* 11. 27. — Apud *Cic. Brut.* 83. 288. Num igitur qui hoc sentiat, si is portare velit, de dolio sibi hauriendum putet? minime: sed quamdam sequatur ætatem. *h. e.* vinum recens factum, et sine nota anni. Nam in dolia tali mente vina conjicimus, inquit *Procul. Dig.* 33. 6. 15., ut ex his postea vel in amphoras et cados diffundamus; vel sine ipsis doliis veneant. Cadis autem et amphoris adscribebatur nota consulum, doliis non item. — Primo dolia fuere fictilia: unde *Juvenal.* de dolio Diogenis loquens, 14. 312. Sensit Alexander, testa cum vidit in illa Magnum habitatorem, etc. — Ea in cellis vinariis defossa plerumque tenebantur, et solo adhærentia, terra aggesta, quo essent tutiora; et pice intus illita, ut est apud *Colum.*, *Terent.*, *Plin.* et non unis *Digestor.* locis *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (134). Imbecilla vina demissis in terram doliis servanda, valida expositis. *Pallad.* 10. *R. R.* 11. In doliis picandis hic modus erit: ut dolium ducentorum congiorum duodecim libris piretur. — Deinde lignea fieri cœpere, et capaciora, asseribus vimine constrictis, ut hodieque apud nos. Ita enim figura dolii e saxo antiquo exhibetur apud *Reines. Inscript. cl.* 11. *n.* 62., videturque hac ratione idem esse, quod cupa. Quod vero lignea fuerint, docet etiam *Plin.* 8. *Hist. nat.* 6. 6. (16)., ubi rates memorat doliorum consertis ordinibus impositas. *Id.* vero 14. *ibid.* 21. 27. (132). narrat, circa Alpes ligneis vasis vinum condi, circulisque cingi. Adde *Flor.* 3. 20. *sub fin. Strabo l.* 5. *p.* 334. edit. Amst. 1707. τοῦ δ᾽οἴνου τὸ πλῆθος μηνύουσιν οἱ πίθοι. ξυλίνοι γὰρ μείζους οἴκων εἰσί. *h. e.* cubiculis majores. — Dolia plumbea memorantur a *Jabolen. Dig.* 33. 7. 27. — De doliis curtis *V.* CURTUS. — *Trebat.* apud *Procul. Dig.* 33. 6. 15. negabat, dolia in vasis vinariis esse numeranda. Cujus opinionis ratio esse potest, quia ad alios quoque usus destinari possunt, ut condendo oleo, frumento, uvisque, cotoneis et aliis hujusmodi ad cibos. Hinc apud *Varron.* 1. *R. R.* 22. 4. dolia vinaria et frumentaria. (V. *Cavedoni*, *Marm. Moden.* p. 57.) et *Caton. R. R.* 10. dolia amurcaria. — In militia adhibita quoque sunt plena saxis, aut pice accensa, quo per declive devolverentur in hostes. — Quin et defunctos sese multi fictilibus doliis condi maluere, ut ait *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (160)., quamquam soliis minus recte ibi legendum censet *Harduinus* ex quibusdam MSS. (item *Sillig.* ex optimis Codd., *Mag. miscell.* 2. 18., *Torrent.* ad *Sueton. Ner.* 50. et *Cellar.* ad *Curt.* 10. 1. 32.); nam apud Salonam nuper effossa sunt plurima dolia, quibus continebantur integra humana corpora; quo autem commodius intromitterentur, dolia ipsa prius data opera transversim secta, deinde glutine quadam conjuncta, et una cum corporibus in loculis latericiis humi prostrata, et ordinatim disposita condita sunt. *V.* CUPA et *Labus*, *Mus. Mant. T.* 2. p. 61. *Julianus* tamen *Dig.* 50. 16. 206. docet, in vinario instrumento dolia habenda esse, si vinum habeant; si non habeant, non esse. — *In dolium pertusum ingerere aliquid*, proverbio est operam perdere. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 135. *V.* PERTUNDO. — Dolia, in quibus conclusi aluntur glires in consæpto villæ, memorat *Varro* 3. *R. R.* 12. 2.

II.) Improprie a similitudine dicuntur *dolia* in cælo globi ignei, de quibus *V.* *Pithœus*. *Manil.* 1. 840. tumidis exæquat dolia flammis Procero distenta utero.

DŎLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. De alia forma *V.* DOLIO. — Dolĕre in infinito, ut sit 3. conjug., quidam minus recte leg. apud *Lucret.* 5. 1266. — Part. *Dolatus* I. — Dolo est dolabra, sive ascia cædo, lævigo (It. *tagliare*, *asciare*, *polire*; Fr. *travailler avec la doloire*, *dégrossir*, *polir*, *façonner*, *charpenter*; Hisp. *adelgazar*, *polir*, *carpintear*; Germ. *behauen*, *hauend bearbeiten*; Angl. *to cut smooth*, *hew roughly*, *chip*, *square*).

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 1265. Ut sibi tela parent, silvasque excidere possint, Materiem lævare, dolare ac radere ligna. *Cato R. R.* 31. Dolare materiem. *Id. ibid.* 45. Taleas oleagineas dolare, aut secare. *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 86. Quis robur illud cæcidit, dolavit, inscripsit? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 31. 100. Non e saxo sculptus, aut e robore dolatus. Cf. *Non.* *p.* 99. 20. *Merc.* *Colum.* 8. *R. R.* 3. 7. Dolare perticas in quadrum. *Propert.* 4. 2. 59. Stipes properanti falce dolatus. *Juvenal.* 12. 57. Dolato confisus ligno. *Petron. Satyr.* 135. Sincipitis vetustissima particula, mille plagis dolata. *h. e.* ex qua millies aliquid cædendo detractum fuerat.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 63. Dolare dolum. *h. e.* dolum facere, perficere. — Alio sensu *Cic.* 2. *Orat.* 13. 54. Sed iste ipse Cælius neque distinxit historiam varietate locorum; neque verborum collocatione, et tractu orationis leni et æquabili perpolivit illud opus: sed ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit. *h. e.* aliquantulum quidem limavit, non tamen ad unguem perfecit. — *Horat.* 1. *Sat.* 5. 22. Dolare aliquem fuste. *h. e.* quam maxime verberare. ¶ 2. *Dolare vermiculos* est necare fricando. *Auct. Priap.* 47. dolemque Cunni vermiculos scaturientes. ¶ 3. Obscœno sensu. *Martial.* 7. 67., ubi alii *vorat* leg.; et *Pomponius* apud *Non. p.* 166. 2. *Merc.* Dolasti uxorem. ubi tamen sensus dubius est. *V.* DEDOLO.

DŎLO *vel*

DŎLON, ōnis, m. 3. Vox Græca. *Hesych.* Δόλωνες ξιφίδια ἐν ξύλοις ἀποκεκρυμμένα. *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 664. Dolo est aut flagellum, intra cujus virgam latet pugio; aut, secundum Varronem, ingens contus cum ferro brevissimo. Dolones autem a fallendo dicti sunt, quod decipiunt ferro, cum speciem præferant ligni (It. *bastone con ferro dentro*; Fr. *canne à épée*, *bâton armé d'un fer très-court*; Hisp. *baston armado de hierro*; Germ. e. *Stab mit scharfer Spitze*, *Stockdegen*, *Dolch*; Angl. *a staff with a little rapier in it*, *a little sword*, *skean*, *tuck*, *a sort of spear*).

I.) Proprie. *Virg.* 7. *Æn.* 664. Pila manu sævosque gerunt in bella dolones. *Sueton. Claud.* 13. Reperti et equestris ordinis duo in publico cum dolone ac venatorio cultro præstolantes, alter ut egressum theatro, alter ut sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Adde *eumd. Domit.* 17. *Alfen. Dig.* 9. 2. 52. Flagello, quod in manu habebat, in quo dolo inerat, verberare tabernarium cœperat. Apud *Torrentin.* legitur *dolor*: et quo suspicio est, *dolon* esse in *MS.* Nam et hanc positionem in recto casu huic nomini quidam tribuunt, quum Græce quoque habeat.

II.) Improprie. ¶ 1. Ad muscæ aculeum transtulit *Phædr.* 3. 6. Vide, ne dolone collum compungam tibi. ¶ 2. In navi est minus velum, fortasse quod nunc Itali *trinchetto* appellant, et fortasse quod artemon dicitur. *Pollux l.* 1. *c.* 9. Ὁ δὲ ἐλάττων ἱστός, δόλων. *Hesych.* Δόλωνες οἱ μικροὶ ἱστοὶ ἐν τοῖς πλοίοις. *Liv.* 36. 44. Dolonibus erectis altum petere intendit. *et* 45. Sublatis dolonibus effuse fugere intendit. Adde *eumd.* 37. 30. Ubique autem de re subita sermo est, quum majora vela expandere celeritas non sinit, ideoque minora tantummodo explicantur.

DŎLOR, ōris, m. 3. acerbus corporis, vel animi sensus, cruciatus, mœror (It. *dolore*, *doglia*; Fr. *souffrance*, *douleur*; Hisp. *dolor*; Germ. *d. Schmerz*, *d. schmerzliche Empfindung*; Angl. *grief*, *dolour*).

I.) Proprie. ¶ 1. De corporis dolore, quem ita definit *Cic.* 2. *Tusc.* 15. 35. Dolor est motus asper in corpore, alienus a sensibus. *Lucret.* 4. 1072. faciuntque dolorem Corporis. *Id.* 6. 659. Sæpe dolor dentes, oculos invadit in ipsos. *Cic.* 3. *Tusc.* 25. 61. Dolor corporis, cujus est morsus acerrimus. *Id.* 1. *Att.* 5. *extr.* Terentia magnos articulorum dolores habet. *Id. Brut.* 34. 130. Qui etsi, quum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, etc. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 32. laterum dolor aut tarda podagra. — De dolore parturientium *Ter. Andr.* 1. 5. 33. et *Adelph.* 3. 5. 40. ¶ 2. De animi dolore, quem ita definit *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 18. Dolor est ægritudo crucians. *Plaut. Pseud.* 2. 3. 19. Atque hoc evenit, in labore atque in dolore ut mors obrepat interim. *Id. Truc.* 2. 5. 5. Quantum corde capio dolorem. *Cic.* 3. *Tusc.* 25. 61. Dolor animi pungit. *Id. Sext.* 29. 63. Luctum nos hausimus majorem, dolorem ille animi non minorem. Adde *eumd. Balb.* 27. 60. *Id.* 2. *Off.* 22. 79. Præ sese fert dolorem suum. *Id. Amic.* 13. 48. Si cadit in sapientem animi dolor. *Id.* 1. *de republ.* 4. Majorem lætitiam ex desiderio bonorum percepimus, quam ex lætitia improborum dolorem. *Id.* 6. *Verr.* 21. 47. Hæc magnum dolorem commovent. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. *sub fin.* Sed omnis dolor est, quod optime factis pœna est maxima constituta. *Cæs.* 5. *B. G.* 29. Magno esse Germanis dolori Ariovisti mortem. *Id.* 3. *B. C.* 8. Doloris iracundia erupit. *Id.* 1. *B. C.* 4. Dolor repulsæ. *Liv.* 1. 40. injuriæ. *Ovid.* 7. *Met.* 688. conjugis amissæ. *Sueton. Vesp.* 8. ignominiæ. *Justin.* 1. 8. 9. orbitatis. *Virg.* 2. *Æn.* 594. Quis indomitas tantus dolor excitat iras? *Horat.* 1. *Ep.* 2. 60. dolor quod suaserit et mens. *Tac.* 2. *Ann.* 71. Justus mihi dolor etiam adversus deos. *Curt.* 6. 4. 4. Liberior inter mutuas querelas dolor. Adde *eumd.* 9. 11. 2. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua hæc sunt. *Cic.* 1. *Fam.* 6. Capere dolorem in re aliqua. *Id.* 4. *ibid.* 6. *ad fin.* ab aliqua re. *Id. Dom.* 36. 97. et 11. *Phil.* 1. 1. Accipere dolorem ex aliqua re. *Id. Cæl.* 24. 59. Haurire dolorem acerbissimum. *Id.* 1. *Fin.* 7. 24. Suscipere dolorem pro patria, pro suis. *Id. ibid.* 11. 38. Esse in dolore. *Id.* 4. *Fam.* 3. Angi dolore. *Id.* 1. *ibid.* 5. Affici summo dolore. *Id. Dom.* 57. 145. Sustinere perpetuum dolorem. *Id.* 4. *Cat.* 1. 1. Perferre omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque. *Plin.* 1. *Ep.* 12. Superari dolore. *Cic.* 4. *Fam.* 6. Resistere dolori. *Id. ibid.* 13. *a med.* Abjicere omnem dolorem. *Id. ibid.* 6. Deponere. *Id. Harusp. resp.* 18. Hoc mihi est dolori. Ita *Forcellinus*: ipse locum minime inveni. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. *extr.* Afferre alicui dolorem. *Id.* 7. *Att.* 13. Dare. *Id.* 11. *Phil.* 15. 38. Inurere. *Id.* 12. *Att.* 18. Efficere. *Id. ibid.* 8. Facere. — Conjungitur haud raro cum *ira*, ut apud *Curt.* 3. 12. 7. Veritus deinde ne proditor captivarum iram doloremque gravaret, etc. *Ammian.* 14. 2. Qui habitus iram pugnantium concitat et dolorem. Cf. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. Moderari vero et animo et orationi, quum sis iratus, aut etiam tacere et tenere in sua potestate motum animi et dolorem, etc. — Hinc *dolor* dicitur etiam de ira, quæ dolor est cum appetitu vindictæ. *Cic. fragm.* apud *Priscian.* 6. p. 689. *Putsch.* Uxor pellicatus dolore concitata. *Nepos Lys.* 3. Quo dolore incensus, iniit consilia reges Lacedæmoniorum tollere. — *Servius* ad illud *Virg.* 11. *Æn.* 732. monet, veterum more dolorem dici etiam studii alicujus ardorem et promptam gloriæ cupiditatem: quo sensu et πόνον Græce usurpari. *Virg.* 10. *Æn.* 397. Arcades accensos monitu, et præclara tuentes Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostes.

II.) Improprie. ¶ 1. Per metonymiam a Poetis dolor dicitur de re, quæ dolorem affert. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 73. Quidquid id est, (neque enim debet dolor iste referri) Non potes etc. Cf. *Propert.* 1. 14. 17. Illa (*Venus*) potest magnas heroum infringere vires: Illa etiam duris mentibus esse dolor. ¶ 2. Apud Rhetores dolor est τὰ πάθη, sive oratoris habitus ac verba, quæ veram doloris naturam quum exprimunt, motus animorum in aliis excitant. *Cic.* 2. *Orat.* 45. 188. Quæ mehercule ego, Crasse, quum a te tractantur in causis, horrere soleo. Tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, gestu, digito denique isto tuo significari solet. *Id.* 3. *ibid.* 25. 96. Ut oratio admirabilis sit, ut polita, ut sensus, ut dolores habeat. *Id. Orat.* 62. 209. Genus hoc orationis detrahit dolorem actionis, aufert humanum sensum actoris, tollit funditus veritatem et fidem. Adde *eumd. ibid.* 37. 130. et *Brut.* 24. 93.; *Quintil.* 6. 3. 26.; et cf. *Horat. Art. P.* 101. et seqq.

DŎLŌRŌSUS, a, um, adject. dolorem afferens. *Veget.* 4. *Veterin.* 22. Dolorosi loci. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 5. Extantia resistens et dolorosa.

DŎLŌSĒ, adverb. Comp. *Dolosius*. — Dolose est cum dolo, versute, subdole. *Plaut. Pseud.* 4. 2. 4. Ingredere in viam dolose, et ego hic in insidiis ero. *Id. Truc.* 2. 5. 9. Nullam rem oportet dolose aggrediri, nisi astute accurateque exsequare. *paullo ante dixerat*: Quæ ausa sum tantum clam dolum aggrediri. *Cic.* 3. *Off.* 15. 61. Dolose, aut malitiose agere aliquid. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 38. Cupidius accusare et dolosius.

DŎLŌSĬTAS, ātis, f. 3. δολιότης, fraudulentia. *Vulgat. interpr. Eccli.* 37. 3. Cooperire aridam malitia et dolositate illius.

DŎLŌSUS, a, um, adject. doli plenus, subdolus, versutus, malitiosus, fallax (It. *ingannevole, furbo, fallace, fraudolento*; Fr. *rusé, astucieux, fourbe, trompeur*; Hisp. *falaz, engañador, tramposo*; Germ. *ränkevoll, betrügerisch*; Angl. *cunning, crafty, deceitful, treacherous, artful, arch, sly*).

I.) Proprie de animalibus eorumque actibus. — *a*) Absolute. *Plaut. Epid.* 3. 2. 36. Dolosa fidicina. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 70. mulier. *Phædr.* 1. 13. 11. vulpes. *Cic. Rabir. Post.* 2. 4. Pulsus regno Ptolomæus dolosis consiliis. *Ovid.* 15. *Met.* 473. Artes dolosæ. — *b*) Cum Infinito. *Horat.* 1. *Od.* 35. 26. diffugiunt cadis Cum fæce siccatis amici, Ferre jugum pariter dolosi. *h. e.* qui videbantur quidem fidi, sed versa fortuna fallentes.

II.) Improprie de inanimis. *Horat.* 2. *Od.* 1. 8. incedis per ignes Suppositos cineri doloso. *Id.* 3. *ibid.* 27. 25. Europe niveum doloso Credidit tauro latus. *Pers. prol.* 12. Dolosus nummus. *h. e.* corruptor, seductor.

DŎLUS, i, m. 2. est ab obsoleto δέλω *inesco*, unde δέλαρ *esca, fraus*, inde etiam δόλος *dolus*, mediæ significationis. Antiqui enim, teste *Paul. Diac. p.* 69. 10. *Müll.* etiam in bonis rebus utebantur: unde adhuc dicimus *sine dolo malo*, nimirum quia solebat dici et bonus, *h. e.* solertia, maxime si adversus hostem, latronemve quis machinaretur, ut est apud *Ulp. Dig.* 4. *tit.* 3. *qui est* De dolo malo, *leg.* 1. *Labeo ibid.* Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita (It. *inganno, malizia, furberia, frode*; Fr. *tour d'adresse, fourberie, supercherie, dol, fraude*; Hisp. *destreza, falacia, engaño, fraude*; Germ. d. *Kunstgriff*, d. *List, Betrug, Tücke*; Angl. *a device, crafty purpose, artful contrivance, trick, wile*). Itaque occurrit — *a*) *Dolus malus* conjunctim. *Ter. Eun.* 3. 3. 9. Erat suspicio, dolo malo hæc fieri omnia. Ubi *Donatus*: Quod addidit *malo*, aut ἀρχαϊσμός est, quia sic in XII. Tab. a veteribus scriptum est; aut ἐπίθετον doli est perpetuum; aut diastole est, quia est et bonus, quo a medentibus falli ægros, non tamen decipi, Lucretius (4. 11.) testatur. *Cic.* 3. *Off.* 14. 61. et *Topic.* 9. 39. Quum ex Aquilio quæreretur, quid esset dolus malus, respondebat, quum aliud esset simulatum, aliud actum. Adde *eumd. Flacc.* 30. 74. et 1. *Att.* 1. 3. *Liv.* 38. 11. *in formula pacis.* Imperium majestatemque populi Romani gens Ætolorum conservato, sine dolo malo. Adde *eumd.* 1. 24. — *b*) Sæpissime absolute adhibetur. *Plaut. Capt.* 2. 1. 30. Doli non doli sunt, nisi astu colas. *Id. ibid.* 3. 4. 109. Me ductavit dolis. *Id. Pseud.* 1. 5. 70. per doctos dolos. *Ter. Andr.* 3. 2. 13. Dolis aliquem fallere. et 3. 4. 4. deludere. *Cæs.* 4. *B. G.* 13. Per dolum atque insidias pacem petere. *Id.* 2. *B. C.* 14. Occasionem fraudis ac doli quærunt. *Cic. Dom.* 14. 36.; *Liv.* 1. 53. et 22. 23. *Cic.* 3. *Nat. D.* 29. 73. Doli, machinæ, fallaciæ, præstigiæ. *Nepos Timol.* 5. Dolo aliquem interficere. *Id. Hann.* 10. Dolo erat pugnandum, quum par non esset armis. *Virg.* 2. *Æn.* 152. dolis instructus et arte Pelasga. *Id.* 11. *ibid.* 704. Consilio versare dolos ingressus et astu. *Liv.* 1. 11. Consilio etiam additus dolus. *Id.* 2. 3. per dolum ac proditionem. *Id.* 27. 28. Dolum nectere. Adde *Senec. Phœniss.* 109. *Sall. Cat.* 29. Parare dolum alicui. *Id. ibid.* 10. Dolis atque fallaciis contendere. *Id. ibid.* 14. Dolis aliquem capere. *Id. Jug.* 73. Quærere dolum ad perniciem alterius. *Id. ibid.* 40. Bellum socordia magis, quam dolo trahere. *Val. Flacc.* 5. 292. Movere dolos. *Id.* 2. 568. volutare. *Id.* 8. 410. sentire. *Seneca Herc. Œt.* 1467. struere. *Sueton. Tib.* 65. astu magis ac dolo. — Ceterum *dolus* apud JCtos accipitur pro ipsa dolosa actione: V. *Klotz* ad *Cicer. Oration. vol.* 1. p. 591. — *c*) Interdum *doli* dicuntur res ipsæ, quibus alteri dolus paratur. *Ovid. Halieut.* 25. Emicat, atque dolos saltu deludit. *h. e.* retia. *Flor.* 1. 12. 9. Doli subterranei. *h. e.* cuniculi. — *d*) Apud poetas *Dolus* est Deus, ut Discordia, Pavor, Letum, etc. *Val. Flacc.* 2. 205.

Homonym. Inter *dolum* et *fraudem* hoc interest, quod *dolus* est omnis callida machinatio sive in verbis, sive in factis, circumveniendi causa: *fraus* detrimentum aliquod importat et damnum. Itaque omnis *fraus* est *dolus*, non contra. *Cic. Dom.* 14. 36. Ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur.

DŌMA, ătis, n. 3. δῶμα, planum domorum tectum: unde et Gallorum *dôme*. *Hieronym. Ep.* 106. *n.* 63. In Ægypto et Palæstina non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ vel solaria, vel mœniana vocant, idest plana tecta, quæ transversis trabibus sustentantur. Hinc in Evangelio (*Matth.* 10. 27.): Quæ auditis in aure, dicetis super domata. *h. e.* divulgabitis, palam omnibus dicetis, quia domata omnium oculis exposita sunt. κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων. *Id. Ep.* 58. *n.* 11. Canere in domatibus, quod in cubilibus cognovisses. *V.* SOLARIUM.

DŎMĀBĬLIS, e, adject. qui domari potest. *Horat.* 4. *Od.* 14. 41. Cantaber non ante domabilis Miratur. *Ovid.* 9. *Met.* 253. Atque immune necis, nullaque domabile flamma.

DŎMĀTOR, ōris, m. 3. idem ac domitor. *Tibull.* 4. 1. 116. conversus terga domator, etc. *Ammian.* 21. 5. 10. Domator gentium et regum.

DŎMĀTUS, a, um. V. *Domo* sub init.

DŎMĔFACTUS, a, um, adject. domitus, ut, Terra atatro domefacta nitet, *Petron. Satyr.* 99.

DŎMESTĬCĀTIM, adverb. per varias domos, item per domesticos. *Sueton. Cæs.* 26. Ea, quæ ad epulum pertinerent, quamvis macellariis oblocata, etiam domesticatim apparabat.

DŎMESTĬCĀTUS, us, m. 4. dignitas domestici, seu principis domesticorum: *V.* DOMESTICUS in fin. *Impp. Theod.* et *Valentin. Novell. Theod.* 21. § 2. Præcipimus eum, qui contra vetitum ad domesticatum quoquo modo tentaverit aspirare, militia pelli. *Cassiod.* 10. *Variar.* 11. Ideo primiceriatus, qui et domesticatus nominatur, ab indictione decima quarta tibi conferimus dignitatem. Adde *eumd. ibid.* 12.

DŎMESTĬCĒ, adverb. domi. *Symmach.* 10. *Ep.* 36. *ad fin.* (*al.* 43.) Libellus domestice confectus. *Tertull. Pall.* 4. *ad fin.* Matronæ lecticis et sellis, queis in publico quoque domestice ac secrete habebantur, ejeravere. *h. e.* lecticis renunciarunt ac sellis, in quibus, perinde ac si domi essent atque a ceteris omnino secretæ, in publicum prodibant.

DŎMESTĬCUS, a, um, adject. (domus) usurpatur *A*) Stricto sensu: et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto sensu domesticus est ad domum et familiam pertinens (It. *di casa, domestico*; Fr. *de la maison, domestique*; Hisp. *propio de casa, domestico*; Germ. *zum Hause oder zur Familie gehörig*; Angl. *of or pertaining to a house or home, domestic*). Hinc — *a*) Est ad domum pertinens. *Cic. Dejot.* 2. 5. Dicere intra domesticos parietes. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 127. Pransus non avide etc., domesticus otior. *h. e.* domi manens otior. — Præcipue *domestica vestis* est, qua domi utimur. *Sueton. Aug.* 73. et *Vitell.* 8. Similiter *Cic.* 2. *Fin.* 24. 77. Ut vestitum, sic sententiam habeas, aliam domesticam, aliam forensem. — *b*) Item ad familiam pertinens. *Cic. Vatin.* 13. 31. Quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnavit cum toga pulla? *Id.* 1. *Cat.* 6. 14. Ruinæ fortunarum, quæ ad domesticam tuam difficultatem pertinent. *Id. Sext.* 45. 97. Nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti. *Id. Rosc. Am.* 6. 15. Cum Metellis erat ei non modo hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo. Cf. *Ovid.* 4. *Pont.* 3. 15. Ille ego convictor densoque domesticus usu. Rursus *Cic.* 1. *de republ.* 22. Domestica præcepta. *Liv.* 9. 17. clades. *Id.* 37. 25. exempla. *Ovid.* 13. *Met.* 578. luctus Memnonis amissi. *Sueton. Claud.* 12. religio. *Id. ibid.* 41. convivium. *Flor.* 3. 18. Domesticum scelus. *h. e.* domi patratum. — *Homo domesticus* est familiaris. *Cic.* 7. *Fam.* 11. Qui gravere litteras ad me dare, homini præsertim prope domestico. — Hinc *Domestici, orum*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt ipsi familiares, vel etiam ipsius familiæ membra. *Cic. Rabir. Post.* 2. 4. Hoc ille natus, quamvis patrem suum nunquam viderat, tamen et natura ipsa duce, quæ plurimum valet, et assiduis domesticorum sermonibus, in paternæ culpæ similitudinem deductus est. *Liv.* 1. 42. Quin invidia regni etiam inter domesticos infida omnia atque infesta faceret. Adde *Sueton. Aug.* 89., *Claud.* 9. et *Tit.* 8. — Similiter de servis dixit *Sueton. Oth.* 10. Divisit et pecunias domesticis ex copia præsenti. — Denique in *Cod. Theod.* 1. 12. 3. dicuntur *domestici*, qui circa aliquem sunt, neque ab ejus latere discedunt. *Vopisc. Numer.* 13. sunt *domestici* milites, qui circa principem custodiam corporis agunt. *V.* DOMESTICATUS; et *Zirardini Edit. di Rav. p.* 221.

B.) Latiori sensu. ¶ 1. Domesticum dicitur quidquid est patrium et intestinum, atque ideo alienigenæ et externo opponitur. *Cæs.* 2. *B. C.* 5. Domesticis opibus, vel externis auxiliis de salute urbis confidere. *Cic. Fontej.* 10. 22. Potestis igitur ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domesticis anteferre? *Id.* 2. *Off.* 8. 26. Externa libentius in hac re, quam domestica, recordor. *Id.* 2. *de republ.* 15. Non transmarinis, nec importatis artibus eruditos, sed genuinis domesticisque virtutibus. — Jungitur cum *intestino* apud *eumd.* 3. *Fam.* 2. Urbem a domesticis insidiis et ab intestino scelere defendere. *Id.* 3. *Verr.* 15. 39. Hoc vero occultum, intestinum ac domesticum malum, non modo non exsistit, etc. — Et cum *vernaculo* apud *eumd.* 5. *Verr.* 61. 141. Crimen domesticum ac vernaculum. — Absolute. *Cic. Sext.* 28. 58. Mitto omnem domesticam labem. *Id.* 1. *Fin.* 3. 10. Insolens domesticarum rerum fastidium. *Cæs.* 5. *B. G.* 9. Domesticum bellum. *h. e.* intestinum, civile. *Horat. Art. P.* 287. celebrare domestica facta. *h. e.* in comœdia et tragœdia domesticas, seu Romanas res tractare. ¶ 2. Domesticus est etiam unius hominis proprius, personalis; et alieno opponitur. *Cæs.* 3. *B. C.* 60. Idque ita esse, quum ex aliorum objectationibus, tum etiam ex domestico judicio atque animi conscientia intelligebant. *Cic. Rosc. Am.* 24. 67. Sua quemque fraus et suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat amentiaque afficit: suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque Furiæ. ¶ 3. Denique dicitur de rebus privatis; et publicis, h. e. civitatis rebus opponitur. *Cic.* 1. *Tusc.* 1. 1. Res domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur et lautius; rem vero publicam majores nostri certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. *Id.* 5. *Fam.* 13. *a med.* Ergo domestica feremus, ut censes; et publica paulo etiam fortius, quam etc. *Id. Orat.* 43. 148. Maximis rebus forensibus nostris et externis inclusæ et domesticæ litteræ respondebunt. *Id.* 1. *Orat.* 34. 157. Ex hac et domestica exercitatione et umbratili. *Id. Cæcin.* 2. 6. Domesticus disceptator. V. *Klotz* ad h. l. *Liv.* 1. 1. Domesticum publico adjunxisse fœdus. *Plin. Paneg.* 83. Foris claros domestica destruebat infamia. *Quintil.* 2. 2. 4. In rebus etiam privatis ac domesticis. — Hinc

Domestici, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more: *V.* supra sub *A.* in fin.

DŎMĬCĬLIUM, ii, n. 2. (domus et colo) domus, sedes domestica, habitatio certa et diuturna (It. *casa, abitazione, stanza, domicilio*; Fr. *domicile, habitation, demeure*; Hisp. *domicilio, habitacion, morada*; Germ. d. *Wohnung, Wohnsitz, Behausung*; Angl. *a house, habitacion, place of abode, residence, lodging*).

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 40. Ostium hoc mihi domicilium est: Athenis domus atque herus. *Cæs.* 6. *B. G.* 29. Ædificium circumdatum silva, ut sunt fere domicilia Gallorum. *Id.* 1. *B. G.* 30. et 2. *ibid.* 29. Deligere sibi locum aliquem domicilio. *Id.* 1. *B. C.* 86. Qui habeant domicilium, aut possessiones in Hispania. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 95. Si essent, qui sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domiciliis. *Id. Arch.* 4. 9. Quum hic domicilium Romæ multos jam annos haberet. *Id.* 4. *Verr.* 3. 6. Sedes ac domicilium collocare in provincia. *Nepos Themist.* 10. Domicilium Magnesiæ sibi constituit. Rursus *Cic.* 7. *Verr.* 55. 143. Carcer ille, quæ Lautumiæ vocantur, in istius imperio domicilium civium R. fuit. Sic *Liv.* 3. 57. Carcer, domicilium plebis Romanæ. *scil.* quia ibi multi diu detinebantur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 32. 51. (101). Cochleæ exserentes se domicilio. *Gell.* 7. 16. vocat *domicilia ciborum* regiones, in quibus cibi alicujus generis optimi nascuntur, ut pavones Sami, attagenæ in Phrygia, hœdi in Ambracia, etc.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Orat.* 23. 105. In hoc domicilio imperii et gloriæ. *h. e.* Romæ. *Id.* 2. *leg. Agr.* 35. 97. Coloni Capuæ, in domicilio superbiæ, atque in sedibus luxuriæ collocati. *Id. Balb.* 5. 13. Cn. Pompeji sic late longeque diffusa laus, ut ejus gloriæ domicilium communis imperii finibus terminetur. *Id.* 1. *Nat. D.* 27. 76. Domicilium mentis. *Id. Senect.* 18. 63. senectutis. *Nepos Att.* 3. In ea

urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii. *Vellej.* 2. 69. In Vatinio deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur. *Gell.* 17. 15. Corrupti in stomacho humores ad domicilia usque animi redundant. *h. e.* ad caput. — Illæ fortasse alicui paullo audaciores metaphoræ videantur. *Cic.* 16. *Fam.* 17. Verbo *fideliter* domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multæ. et *Pis.* 31. 76. Suorum improbissimorum sermonum domicilium in auribus Pompeji collocaverunt.

DŎMĬCŒNĬUM, ii, n. 2. cœna, quæ fit domi. *Martial.* 5. 78. Si tristi domicœnio laboras. *Id.* 12. 77. trinoctiali Affecit domicœnio clientem.

DŎMĬCŪRĬUS, ii, m. 2. qui domum curat. *Inscript.* apud *Rénier.* 260. AEMILIVS FLORVS DOMICVRIVS EJVS.

DŎMĬDŪCA. *V.* voc. seq.

DŎMĬDŪCUS deus dictus est, qui sponsæ ad mariti domum ducendæ præerat. *Augustin.* 6. *Civ. Dei* 9. *V.* DOMITIUS. — Juno quoque *Domiduca* dicta est, et *Iterduca*, quasi præses pueris iter facientibus et domum redeuntibus, et puellis ad mariti domum pergentibus. *Id.* 7. *ibid.* 3., item *Capell.* 2. *p.* 37. apud quem al. perperam leg. *interduca*.

DŎMNÆDĬUS. *V.* DOMNÆDIUS.

DŎMĬNA, æ, f. 1. In Ablativo plurali, *Curt.* 3. 12. Ut armatos conspexere, rati esse actum de dominis etc. *h. e.* matre et uxore Darii captivis. *V.* dicta in ASINA. — Domina est quæ in aliqua re dominatur (It. *padrona*; Fr. *maîtresse*; Hisp. *dueña*, *señora*; Germ. d. *Herrin*; Angl. *a mistress*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de domini muliere; et familiæ, h. e. servis opponitur. *Plaut. Cist.* 4. 2. 107. PH. Quod nomen est tuæ dominæ? HA. Melænis. *Id. Stich.* 2. 1. 24. Vix ipsa domina hoc, nisi sciat, exoptare a dis audeat. *Ter. Heaut.* 2. 3. 59. Nam disciplina est eisdem, munerarier ancillas primum, ad dominas qui adfectant viam. Adde *eumd. ibid.* v. 57. *Quintil.* 5. 11. 34. et 35. Dominæ consuetudo cum servo. ¶ 2. Præcipue ac generatim dicitur de ea, quæ dominatur ac potestatem habet: Græce δέσποινα. Hinc deæ sic sæpe appellantur. *Virg.* 3. *Æn.* 113. Et juncti currum dominæ subiere leones. Ubi *Servius*: Dominam proprie matrem deum dici, Varro et ceteri affirmant. Cf. *Inscript.* apud *Gruter.* 84. 2. DOMINAE ISIDI VICTRICI (*Dominam* præsertim fuisse appellatam deam Isidem, multis probat *Schiassi G.* ul *Mus. Bol. p.* 11., 25. et 27.). Ceterum *Ovid.* 1. *Art. am.* 148. Tu Veneri dominæ plaude favente manu. *Propert.* 2. 4. 17. At tu per dominæ Junonis dulcia jura Parce etc. Adde *Martial.* 12. 18. ¶ 3. Dicitur etiam de matrefamilias. *Virg.* 6. *Æn.* 397. Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti. Ubi *Servius* ait de Græco tractum, qui uxorem δέσποιναν dicunt. Adde *Ter. Heaut.* 4. 1. 15.; et *Sueton. Claud.* 39. *Ovid.* quoque dominam vocat uxorem suam 4. *Trist.* 3. 9. et 5. *ibid.* 5. 1. ¶ 4. Item de amica. *Ter. Heaut.* 2. 3. 60.; *Tibull.* 1. 1. 46. et 2. 6. 47.; *Propert.* 1. 4. 2.; *Ovid.* in *amatoriis* sæpissime; *Petron.*; *Martial.* 6. 71. etc. ¶ 5. Denique dicitur etiam de imperatoriæ familiæ matronis. *Sueton. Claud.* 39. Occisa Messalina, paullo post quam in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requisivit.

II.) Figurate. *Cic.* 5. *Parad.* 3. 40. Cupiditas honoris, quam dura est domina, quam imperiosa, quam vehemens! *Id.* 3. *Off.* 6. 28. Justitia omnium est domina et regina virtutum. *Id.* 2. *ibid.* 10. 37. Voluptates, blandissimæ dominæ. *Id. Marcell.* 2. 7. Illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna. — Adjective, Urbs domina *Martiali* 12. 21. est Roma.

DŎMĬNANS, antis. *V.* DOMINOR.

DŎMĬNANTER, adverb. cum dominatione. *Dracont.* 1. *Hexæm.* 331. Ut (*homo*) dominanter est moderatior omnibus unus.

DŎMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. imperium, dominium, dominatus.

I.) Proprie fere intelligitur dominium unius in multos: quod in libera republica est odiosum; atque ideo Latine sæpissime in malam partem accipitur. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 8. *Att.* 3. *a med.* Idem fecero, quod in Cinnæ dominatione Philippus. *Id.* 3. *Phil.* 14. 84. Non modo crudelem superbamque dominationem nobis, sed ignominiosam etiam et flagitiosam esse ferendam. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 32. et 2. *ibid.* 9. *Asin. Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 31. Erudire me potuit, quam jucunda libertas, et quam misera sub dominatione vita esset. *Nepos Lysand.* 1. Atheniensium impotentem dominationem refringere. Adde *eumd. Miltiad.* 3.; *Sall. Cat.* 5. et 28. et *Jug.* 31.; *Plin. Paneg.* 45.; *Justin.* 1. 1. 7.; *Quintil.* 9. 2. 27.; et *Tac.* 1. *Ann.* 3. et 6. *ibid.* 41. — *b*) In plurali numero. *Cic.* 2. *de republ.* 26. Ut in eos dicamus, qui etiam liberata jam civitate dominationes appetiverunt. *Tac.* 3. *Ann.* 26. Postquam exui æqualitas, et pro modestia vis incedebat, provenere dominationes. *Id.* 13. *ibid.* 1. Segnis et dominationibus aliis fastiditus. *h. e.* aliis dominantibus. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 4.

II.) Figurate. *Cic.* 2. *Invent.* 54. 164. Temperantia est rationis in libidinem, atque in alios non rectos animi impetus, firma et moderata dominatio. *Id.* 2. *Verr.* 12. 35. Quoniam hæc te omnis dominatio regnumque judiciorum tantopere delectat. *Id.* 4. *Herenn.* 19. 27. Ne fortuna magnam in nos habeat dominationem.

DŎMĬNĀTOR, ōris, m. 3. qui dominatur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 4. Dominator rerum Deus, et omnia nutu regens.

DŎMĬNĀTRIX, icis, f. 3. quæ dominatur. *Cic.* 1. *Invent.* 2. 2. Cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas. *Seneca Hippol.* 85. Magna vasti Creta dominatrix freti.

DŎMĬNĀTUS, a, um. *V.* DOMINOR.

DŎMĬNĀTUS, us, m. 4. In Dativo *dominatu* pro *dominatui* dixit *C. Cæsar* apud *Gell.* 4. 16. Unius arrogantiæ superbiæque dominatuque. *V.* ASPECTUS. — Dominatus est imperium, dominatio, et fere in malam partem, ut de DOMINATIO dictum est.

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Cæs.* 1. *B. C.* 4. Ad suam potentiam dominatumque converterat. *Cic. Dejot.* 11. 30. Fit in dominatu servitus, in servitute dominatus. *Id.* 1. *Divinat.* 25. 53. Urbs ab Alexandro tyranno crudeli dominatu tenebatur. *Id. Rabir. Post.* 14. 39. Esse in superbissimo dominatu. *Id.* 11. *Phil.* 14. 36. Alicui dominatum et principatum dari. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 55. 225., et 2. *Off.* 1. 2. — *b*) In plurali numero. *Cic.* 1. *de republ.* 39. Quin tu igitur concedis idem in republica, singulorum dominatus, si modo justi sint, esse optimos? *Prudent. Hamartig.* 517. quorum (*dæmonum*) dominatibus humidus iste obtemperat aer.

II.) Figurate. *Cic.* 2. *Nat. D.* 11. 29. Itaque necesse est, illud etiam, in quo sit totius naturæ principatus, esse omnium optimum omniumque rerum potestate dominatuque dignissimum. *Id. ibid.* 60. 152. Terrenorum commodorum omnis est in homine dominatus. *Id.* 5. *Parad.* 3. 40. Cum dominatus cupiditatum excessit. *Id.* 1. *de republ.* 38. Dominatus animi.

DŎMĬNĬCĀRĬUS, a, um, adject. ad dominicum diem pertinens. *Augustin. Ep.* 36. *ad Casulanum n.* 21. Non plane sabbatarius, aut dominicarius, sed quotidianus est ille tentator.

DŎMĬNĬCĀTUS, us, m. 4. dominatus. *Cassiod.* 3. *Variar.* 25. Siliquatici titulum, quem fide dominicatus jure dederamus, discussione indictionis primæ, secundæ, vel tertiæ, per provinciam Dalmatiam ordinatio tibi nostra commisit.

DŎMĬNĬCUS, a, um, adject. De syncope *V.* DOMNICUS. — Dominicus est ad dominum pertinens (It. *del padrone, domenicale*; Fr. *du maître, qui appartient au maître*; Hisp. *de el amo, de el señor*; Germ. *dem Herrn gehörig*; Angl. *pertaining to a lord or master*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Varro* 2. *R. R.* 10. 10. Is sine litteris idoneus non est, quod rationes dominicas, pecuarias conficere non potest. *Petron. Satyr.* 31. Vinum dominicum ministratoris gratia est. *Seneca Ep.* 47. Obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est. *Colum.* 1. *R. R. proœm.* 9. Dominicæ habitationes. ¶ 2. Speciatim, quod imperatores *domini* appellabantur, *dominicus* ad eos aliquando refertur. *Imp. Constantin. Cod.* 3. 26. 7. Dominici coloni. Adde *ibid.* 7. *tit.* 38. qui inscribitur, Ne rei dominicæ, vel templorum vindicatio temporis præscriptione submoveatur. ¶ 3. Item specialim apud scriptores Ecclesiasticos *dominicus dies* est, quem Itali nunc vocant *la Domenica*, qui olim et dies solis dicebatur. *Tertull.* Ita eum appellat, quoties Christianis scribebat, ut *de coron.* 3., *de jejun.* 15.; solis vero diem, quoties ethnicos alloquebatur, ut *Apolog.* 15. et 1. *ad nation.* 13. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod. Theod.* 2. 8. 23. (in *fragm.* ab *A. Peyronio* editis). Die dominico, cui nomen ex ipsa reverentia inditum est, nec ludi theatrales, nec equorum certamina, nec quidquam, quod ad molliendos animos repertum est, spectaculorum, in civitate aliqua celebretur. Natalis vero imperatorum, etiamsi die dominico inciderit, celebretur. Hæc an. a Chr. n. 399.; at an. 409. *Impp. Honor.* et *Theodos. ibid.* 25. Dominica die, quam vulgo solis appellant, nullas edi penitus patimur voluptates, etsi fortuito in ea aut imperii nostri ortus, redeuntibus in semet anni metis, obfulserit, aut natali debita solemnia deferantur. V. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 9. *a med.* — Hinc

Dominicum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est liber canticorum Neronis apud *Sueton. Vitell.* 11. Medio Martio campo – inferias Neroni dedit: ac solemni convivio citharœdum placentem palam admonuit, ut et aliquid de dominico diceret; inchoantique Neroniana cantica primus exsultans etiam plausit. *de Domitio* habent vulgati libri: at *Casaubon.* hæc recte adnotavit: « Id est, caneret aliquod ᾆσμα, promptum ex libro canticorum Neronis. Sed quare potius *de Domitio*, quam *de Nerone?* an Nero volumini a se edito indicem fecerat *Domitii cantica?* At Pithœi cod. *de dominico*, ut puto, non absurde: ita enim videtur appellatum ab assentatoribus vivi Neronis liber canticorum ejus, rerum domini: quam vocem refert nunc Vitellius, non sine allusione ad tempora Neronis, quæ revocare studebat ». Cf. et *Bremi*, qui *Casauboni* sententiam tuetur. ¶ 2. *Dominicum* pro cœna Dominica usurpatur a *Cyprian. de op. et eleemos. p.* 203. Locuples et dives dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis; quæ in Dominicum sine sacrificio venis; quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis? At *Ant. Nibby* in *Atti dell' Accad. archeol. Rom. T.* 2. *p.* 408. contendit, hic et in *ejusd. epist.* 33. *dominicum* esse basilicam. *Hieronym.* profecto in *Chron.* ad ann. ab Abraham 2344. et 2357. *dominicum*, h. e. κυριακόν, vocat basilicam Antiochiæ.

DŎMĬNĬUM, ii, n. 2. nomen abstractum a domino: itaque ¶ 1. Quia dominus interdum dicitur, qui convivium exhibet, *dominium* pro convivio poni, docet *Nonius p.* 281. 22. *Merc.* (*Forcellinus* subdit: Melius dixisset, pro munere et officio domini convivii. Recentiores tamen philologi *Forcellino* minime suffragantur). *Lucilius* apud *Non. loc. cit.* Primum dominia et sodalitia omnia tolluntur. Hoc sensu magisteria dixit *Cic. Senect.* 14. 46. Sed tamen *Id.* 5. *Verr.* 4. 9. Hujus argento dominia vestra, hujus signis et tabulis forum comitiumque ornari. *Alii minus recte leg.* domus vestras. *Forcellinus* in hoc *Cicer.* loco *dominium* accepit pro loco convivii: sed V. *Klotz* ad h. l. *Gell.* 2. 24. Legi – senatus decretum vetus –, in quo jubentur principes civitatis, qui – mutua inter se dominia agitarent, jurare apud consules – non amplius in singulas cœnas sumptus esse facturos, quam centenos vicenosque æris. *Al. leg.* convivia. ¶ 2. Dominium dicitur etiam proprietas, seu jus proprietatis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 37. (117). Nec diversæ quas sphragidas vocant, publico gemmarum dominio iis tantum dato, quoniam optime signent. *Val. Max.* 4. 4. 1. Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit; eo quidem certius, quam qui cuncta possidet: quia dominium rerum collabi solet, bonæ mentis usurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum. *Sueton. Tib.* 59. Impatientes dominii. Adde *Cod.* 2. 3. 20. et *JCtos* in *Dig.* sæpe; et V. *Rein's röm. Privatr. p.* 129. — Apud *Varron.* 2. *R. R.* 6. 3. In mercando item ut ceteræ pecudes emptionibus et traditionibus dominium mutant. *Schneider* ex optimis Codd. legit *dominum*. ¶ 3. Item dominatio, imperium, potentia, sed concreto, uti ajunt, sensu apud *Senec. Vit. beat.* 5. Voluptates et dolores, incertissima dominia impotentissimaque.

DŎMĬNO, as, are, n. 1. *V.* voc. seq. init.

DŎMĬNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Activa forma, sed neutrorum significatione occurrit tantum apud *Venant.* 3. 17. 16. Cui rabies mundi nil dominare potest. Ceterum *V.* infra sub I. *h.* — Part. *Dominans* I., II. et in fin.; *Dominatus* I. — Do-

minor est dominum ago, imperium habeo, dominationem exerceo. Refertur tum ad loca, tum ad personas (It. *dominare, signoreggiare*; Fr. *être maître, dominer, gouverner, régner*; Hisp. *dominar, señorear*; Germ. *Herr über etwas sein, herrschen, gebieten*; Angl. *to be lord and master, rule, bear rule, reign, domineer*).

I.) Proprie usurpatur — *a*) Cum Ablat. et praepos. *in*. *Cic. Quinct.* 30. 94. In capite fortunisque hominum honestissimorum dominari. *Id.* 1. *Verr.* 51. 136. Dominari in his sartis tectisque. *Id.* 1. *Tusc.* 30. 74. Vetat dominans ille in nobis Deus. *Liv.* 8. 31. in capto exercitu. *Virg.* 2. *Æn.* 327. incensa Danai dominantur in urbe. *Ovid.* 3. *Fast.* 315. in altis montibus. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 10. 17. (39). Macedonia in Bactris, Medis, Persis dominata. — *b*) Cum Accus. et praepos. *inter*. *Cæs.* 2. *B. G.* 31. Ab his interfici, inter quos dominari consuessent. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 63. inter Nymphas. — *c*) Cum Accus. et praepos. *in*. *Liv.* 3. 53. in adversarios. *Ovid.* 1. *Met.* 77. in cetera. — *d*) Cum Ablat. sine praepos. *Virg.* 6. *Æn.* 766. Longa dominabitur Alba. *Id.* 7. *ibid.* 70. summa dominarier arce. *παραγωγή*. *Id.* 1. *ibid.* 285. victis dominabitur Argis. *Seneca Herc. Œt.* 1590. nulla dominetur aula. Sic *Cic. Rabir. Post.* 14. 39. Dominatus est Alexandriæ. — *e*) Cum Dativo. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 143. toti dominabere mundo. — *f*) Cum Genitivo. *Lactant. de ira* 14. 3. Dominari omnium rerum. — *g*) Absolute. *Sall. Cat.* 2. Dominandi lubido. *Cic.* 1. *de republ.* 33. Homo dominandi cupidus. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 12. *Virg.* 2. *Æn.* 363. Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos. Adde *Liv.* 33. 46.; *Sall. Cat.* 33.; et *Tac.* 4. *Ann.* 7. et 1. *Hist.* 21. — *h*) Passive, quasi *domino, as*. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 39. 139. O domus Anci, heu quam dispari domino dominaris! Item *Nigidius* apud *Priscian.* 8. *p.* 793. *Putsch.* Ut curari, et dominari possit. *Lactant. Mort. persecut.* 16. Hic est verus triumphus, quum dominatores dominantur.

II.) Translate usurpatur de inanimis et abstractis. *Cic.* 2. *Orat.* 8. 33. Usus dicendi in omni libera civitate dominatur. *Id. Senect.* 9. 38. Senectus honesta est, si usque ad extremum spiritum dominatur in suos. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*). 41. 126. sol. *Id.* 1. *de republ.* 38. consilium. *Id. Cæcil.* 25. 71. potentia. *Id.* 1. *ad Quint. fr.* 1. 1. fortuna. *Crassus* apud *eumd. Orat.* 65. 219. Ubi libido dominatur, innocentiæ leve præsidium est. *Virg.* 1. *G.* 153. Interque nitentia culta infelix lolium et steriles dominantur avenæ. *Horat. Art. P.* 234. inornata et dominantia nomina. *h. e.* propria, ab omnibus passim usurpata, et quodammodo in sermone vulgari dominantia et obtinentia. *Ovid.* 7. *Met.* 553. pestis. *Liv.* 9. 33. potestas. *Quintil.* 8. 3. 62. oratio. *Id.* 8. *proœm.* 7. Affectus per omnem quidem causam, sed maxime tamen in ingressu ac fine dominantur. *Cic.* apud *eumd.* 11. 3. 7. Unam in dicendo actionem dominari. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 23. (75). Dominante eadem illa rerum dissidentia. *Tac. Agric.* 10. mare. *Seneca Ep.* 101. Quam stultum est ætatem disponere! ne crastino quidem dominamur. — Hinc Part. præs.

Dominans, antis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Dominantior* apud *Lucret.* 3. 397. Et magis est animus vitai claustra coercens Et dominantior ad vitam, quam vis animai. — Porro substantivorum more usurpari videtur in illis *Tac.* 14. *Ann.* 56. Qui finis omnium cum dominante sermonum. *h. e.* cum principe. *Id.* 4. *Hist.* 74. Vitia dominantium tolerare.

DŎMĬNŬLUS, i, m. 2. deminutiva vox, et blandiendi causa usurpata, legitur apud *Scævol. Dig.* 32. 41. § 4.

DŎMĪNUS, a, um. *V.* voc. seq. sub *B*. 1. *e*.

DŎMĬNUS, i, m. 2. De alia forma *V.* DOMNUS loco suo. — Dominus occurrit *A*) Stricto sensu; et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto sensu *dominus* a *domus* est qui domui præest et in familiam imperium habet (It. *padrone di casa, proprietario, possessore*; Fr. *maître de maison, possesseur, propriétaire*; Hisp. *amo, dueño, señor de su casa y familia, poseedor, propietario*; Germ. d. *Besitzer* e. *Hauses, Hausherr, Eigenthümer*; Angl. *a master of a house, master of slaves, proprietor of any thing, possessor*). *Plaut. Amph.* 2. 2. 227. Abin' hinc a me dignus domino servus. Adde *eumd. Asin.* 3. 3. 70., *Capt.* 2. 3. 3., *Cist.* 2. 3. 55.; et *Pseud.* 4. 7. 90. *Ter. Adelph.* 1. 2. 8. Fores effregit atque in ædes irruit alienas: ipsum dominum atque omnem familiam mulctavit usque ad mortem. *Id. ibid.* 5. 6. 5. Nam is mihi profecto est servus spectatus satis, cui dominus curæ est. Adde *eumd. Eun.* 3. 2. 33. *Cato R. R.* 5. Vilicus familiam exerceat: consideret, quæ dominus imperaverit, fiant. Ne plus censeat sapere se, quam dominum. Amicos domini, eos habeat sibi amicos. *Varro* 1. *R. R.* 2. 17. Tu – non solum adimis domino pecus, sed etiam servis peculium, quibus domini dant, ut pascant. *Sall. Jug.* 31. Servi ære parati injusta imperia dominorum non perferunt. *Cic.* 1. *Off.* 39. 139. Nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. *Id.* 2. *Nat. D.* 63. 157. Neque enim homines murium aut formicarum causa frumentum condunt, sed conjugum et liberorum et familiarum suarum. Itaque bestiæ furtim, ut dixi, fruuntur, domini palam et libere. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 68. 276. et *Dejot.* 11. 30. *Cato R. R.* 1. Sict in iis agris, qui non sæpe dominos mutant. *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 11. Qui ita sit affectus, eum dominum – esse rerum suorum vetant duodecim tabulæ. *Id. Senect.* 16. 56. Semper enim boni assiduique domini referta cella vinaria, olearia, etiam penaria est, villaque tota locuples est. Adde *eumd. Quinct.* 5. 19.; *Horat.* 2. *Ep.* 2. 174.; *Sueton. Cæs.* 41. et 61. et *Tib.* 48.; et *Plin. Paneg.* 60. *Ovid.* 8. *Met.* 848. Recusare dominum. *h. e.* dedignari et nolle servire. *Cic. Rosc. Am.* 28. 78. Ne tamdiu quidem (*Roscius*) dominus erit in suos, dum ex iis de patris morte quæratur? — Hinc dicitur etiam de herili filio. *Plaut. Capt. prol.* 18. Domo quem profugiens dominum abstulerat, vendidit.

B) Latiori sensu. ¶ 1. Generatim dominus dicitur qui dominatur, qui in alios imperium habet, et cui alii subsunt. — *a*) Hinc est epithetum Dei summi, qui est dominus omnium; item reliquorum deorum. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 41. 126. Itaque cogimur, dissensione sapientum, dominum nostrum ignorare. *Id.* 4. *Fin.* 5. 11. Summus rector et dominus. *Id.* 2. *Legg.* 7. 15. Dominos esse omnium rerum ac moderatores deos. Cf. *Ovid. Heroid.* [4. 12. in dominos jus habet ille deos. — *b*) Item domini dicuntur, qui in regnum aut civitatem imperium habent, et quibus populi subsunt; vel generatim qui in alios quacumque ratione dominantur. *Cic. Planc.* 4. 11. Hic princeps populus et omnium gentium dominus ac victor. *Id.* 3. *Off.* 21. 83. Qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupiverit. *Id.* 13. *Phil.* 8. 17. Imponere alicui dominum. *Virg.* 6. *Æn.* 621. dominumque potentem Imposuit (*patriæ*). *Seneca Troad.* 974. Dare alicui dominum. *Curt.* 7. 8. Alienigenam dominum pati. *Id.* 4. 4. 22. Vitæ necisque omnium civium dominus. V. *Mützell.* ad h. l. *Cic. Sext.* 58. 125. Ubi erant tum illi contionum moderatores, legum domini, civium expulsores? *Id.* 1. *Tusc.* 21. 48. Liberari gravissimis dominis, terrore et metu. Cf. *Ovid.* 13. *Met.* 137. meaque hæc facundia, si qua est, Quæ nunc pro domino, pro vobis sæpe locuta est. *h. e.* pro me domino meæ facundiæ. — *c*) De marito intelligunt *Non. p.* 282. 5. *Merc.* et *Servius* ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 214. et dominum Æneam in regna recepit. Adde *Ovid.* 1. *Art. am.* 314.; et *V.* DOMINA. — *d*) Item universim qui cuicumque rei præest. Sic *domini* dicuntur qui histrionum operam conducerunt. *Plaut. Asin. prol.* 2. Quæ mihi atque vobis res vertat bene, gregi huic et dominis atque conductoribus. Cf. *eumd. Capt.* 4. 2. 30. et 43. — Similiter *Cic.* dominum appellat muneratorem, qui munus gladiatorium dat, 2. *Att.* 19. 3. Populi sensus maxime theatro et spectaculis perspectus est. Nam gladiatoribus qua dominus qua advocati sibilis conscissi. — Et de aliis. *Cic.* 2. *Legg.* 24. 61. Dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus. *Id. Quinct.* 15. 50. dominos appellat eos, qui præsunt bonis alicujus auctionandis. *Sueton. Ner.* 22. Domini factionum. *Inscript.* apud *Gruter.* 338. 2. M. AVRELIO LIBERO PATRI ET MAGISTRO ET SOCIO DOMINO ET AGITATORI FACTIONIS PRASINAE. — *e*) Hoc sensu a Poetis interdum usurpatur adjective. *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 30. Injiciam dominas in mea jura manus. *Stat.* 5. *Theb.* 578. Implorantem animam dominis adsibilat aris. ¶ 2. Specialim dominus est exhibitor convivii, hoc est herus, qui convivium præbet; ita tamen, ut vel addatur Gen. *epuli, convivii*, vel id ex ceteris facile innotescat. *Varro* apud *Non. p.* 282. 3. *Merc.* Discumbimus mussati: dominus maturo ovo ad cœnam committit. *Ita legimus cum* Oehler, M. Ter. Varron. Sat. Menipp. Rel. p. 113. et 114.; *sed* Forcellinus *cum aliis* matura ova. *Sall.* apud *eumd. p.* 281. 31. *Merc.* Discubuere etc., alter scribo Mæcenas in imo, medius inter Tarquinium et dominum Perpenna. Adde *Varron.* apud *eumd. p.* 281. 29. et apud *Gell.* 13. 11. *Cic. Vatin.* 13. 31. Quum ipse epuli dominus, Q. Arrius, albatus esset. V. *Halm* ad h. l. et *Klotz* ad *Cicer. orat. vol.* 2. *p.* 772.; et adde *Liv.* 23. 8.; et *Petron. Satyr.* 34. ¶ 3. Item specialim. In libera republica odiosa fere vox fuit: quare prisci Latini dominum familiæ patremfamilias appellaverant, uti docet *Seneca Ep.* 47.; et forma reipublicæ mutata, qui boni imperatores haberi voluerunt, aversabantur, ut de Augusto refert *Sueton. in ejus Vita* 53. et de Tiberio *ibid.* 27., et de Alexandro Severo *Lamprid.* 4. Paullatim tamen, adulatione procedente, et quidem post Tiberii tempora, passim domini appellati, ut patet ex epistolis *Plin.* 10. V. etiam *Sueton. Domit.* 13. et *Phædr.* 2. 5. Sic *Martial.* 5. 8. Edictum domini deique nostri. Adde *eumd.* 10. 72.; et V. *Oderico de numm. Orgetor. p.* 69. et seqq. ¶ 4. Item dominus dicitur amasius, amator, in blanditiis. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 11. etc.; et *Non. loc. cit.* ¶ 5. Officiosæ salutationis consuetudine domini appellabantur quicumque obvii. *Seneca Ep.* 3. Sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos, bonos viros dicimus; quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus. *Martial.* 6. 88. Mane salutavi vero te nomine casu, Nec dixi dominum, Cæciliane, meum. Hinc Itali vulgo in salutationibus etiamnum *padrone* dicunt. — Huc pertinent et illa, in quibus blandientis compellationem esse *Forcellinus* ait, *Sueton. Claud.* 21. Ut sæpe hortando rogandoque ad hilaritatem homines provocaret, dominos identidem appellans. *Martial.* 5. 57. Quum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere: Sæpe etiam servum sic resaluto meum. — Denique *fratres* etiam (sed puto natu grandiores) domini per honorem et blanditias vocabantur, *Seneca Ep.* 104.

DŎMĬPORTA, æ, f. 1. (domus et porto) epithetum cochleæ, quod domum suam perpetuo circumfert. *Cic.* 2. *Divinat.* 64. 133. *ex vet. Poeta.* Ut sumat terrigenam, tardigradam, domiportam, sanguine cassam.

DŎMĬRĔDĬTĬO, ōnis, f. 3. reditus domum. *Hygin. fab.* 125., ubi alii divisim leg. *domum reditio.* *V.* DOMUITIO.

DŎMĬSĔDA, æ, f. 1. dicitur matrona domi sedens, et sibi vivens, in *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 252. *n.* 35., quæ est apud *Orell.* 4639. HIC SITA EST AMYMONE – PIA PVDICA FRVGI CASTA DOMISEDA.

DŎMĬTĬUS, a, um, adject. ad domum pertinens: hinc *domitius* appellabatur deus quidam nuptialis, qui putabatur id facere, ut nova nupta in domo esset seu remaneret. *Augustin.* 6. *Civ. Dei* 9. Sed domum est ducenda, quæ nubit, adhibetur et deus domiducus; ut in domo sit, adhibetur deus domitius.

DŎMĬTO, as, are, f. 1. *frequentat.* a domo, as. *Virg.* 1. *G.* 285. Et prensos domitare boves. *Id.* 7. *Æn.* 163. domitantque in pulvere currus. *h. e.* equos sub curribus. *Manil.* 4. 234. Quadrupedum omne genus positis domitare magistris. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 8. 8. (24). Elephantos.

DŎMĬTOR, ōris, m. 3. qui domat. Usurpatur

I.) Proprie de equis. *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. Domitor equorum. (Sic intelligenda videtur *Inscript.* apud *Gruter.* 1118. 3., quæ est apud *Orell.* 4179. L. VIBIO LIBERALI DOMITORI T. VIBIVS PROCLVS PATRI DE SE BENE MERENTI FECIT.). *Virg.* 7. *Æn.* 189. ancile gerebat Picus equûm domitor. *Id.* 9. *ibid.* 521. Messapus equûm domitor. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 128.

II.) Improprie de iis, qui gentem aliquam aut violentum animi affectum vincunt. *Cic.* 1. *de republ.* 3. Miltiades victor domitorque Persarum. *Id. Mil.* 13. 35. Vexatorem furoris, domitorem armorum suorum. *Virg.* 5. *Æn.* 799. Saturnius hæc domitor maris edidit. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 19. Trojæ. *Liv.* 21. 43. Hispaniæ Galliæque. *Tac.* 3. *Hist.* 76. *extr.* Firmatus usu miles, et belli domitor externi. *Seneca Med.* 2. Tiphys domitor freti. *Id. Herc. Œt.* 1989. Hercules domitor ferarum. *Id. Agamemn.* 75.

Somnus curarum domitor. *Id. Herc. fur.* 65. malorum. *Plin. Paneg.* 55. Infinitae potestatis domitor ac frenator animus.

DŎMĬTRIX, īcis, f. 3. quae domat.

I.) Proprie. *Virg.* 3. *G.* 44. domitrixque Epidaurus equorum. *Ovid. Heroid.* 9. 117. ferarum. *Grat. Cyneg.* 19. domitrixque Idaea leonum Mater.

II.) Improprie. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 16. 25. (127). Ferrum, domitrix illa rerum omnium materia.

DŎMĬTŪRA, æ, f. 1. domandi actus. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 1. Domitura boum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (180). Domitura boum in trimatu.

DŎMĬTUS, a, um. *V.* DOMO.

DŎMĬTUS, us, m. 4. Idem ac domitura. In Ablat. sing. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones.

DOMNA. *V.* DOMNUS.

DOMNÆDĬUS, ii, m. 2. De syncope *V.* in DOMNUS. — Domnaedius est dominus aedis, aut is, qui in aede a se conducta habitat, per syncopen a *dominaedius*, quae integra vox legitur apud *Paulin. Nolan.* 20. 104., et *Ep.* 28., in qua significat S. Felicem, in cujus honorem templum ipse Nolae aedificaverat. In *Gloss. Philox.* Domnaedius, et coenaculatius, ὁ σταθμοῦχος. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 82., quae est apud *Orell.* 4787. DOMNAEDIVS POSSESSOR COLONVS SEQVENS ET TV VIATOR PRECOR PARCE TVMVLVM NARCISSI. Haec ita sunt interpretanda: Narcissus colonus seu conductor praedii, in quo sepulcrum sibi paraverat, rogat dominum seu conductorem domus ejus praedii, rogat possessorem praedii ejusdem, rogat colonum, cui postea ipsum praedium colendum tuendumque obtigerit, rogat viatorem, ut suo sepulcro parcant. — Disjunctim vero legitur apud *Apul.* 10. *Met.* p. 707. *Oudend.* Novitate spectaculi laetus dominus aedium duci me jussit.

DOMNĬCUS, a, um, adject. De syncope *V.* in DOMNUS. — Domnicus est idem quod dominicus. *Inscript.* apud *Donium cl.* 7. n. 7., quae est apud *Orell.* 3201. DELICATVS AVGG. ADIVTOR A COGNITIONIBVS DOMNICIS. *h. e.* imperatoris.

DOMNĬFUNDA, æ, f. 1. De syncope *V.* in DOMNUS. — Domnifunda est domina fundi: vox composita a *domnus* et *fundus*. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 644. M. VLPIVS EVPORAS FILIO BENEMERENTI FECIT EX AVCTORITATE CARSONIAE LEDAE DOMNIFVNDAE. Haec *Inscript.* est apud *Orell.* 4594., ubi pro M. VLPIVS legitur MVLPVA.

DOMNĬPRÆDĬUS, a, um, adject. De syncope *V.* in DOMNUS. — Domnipraedius est dominus praedii, a *domnus* et *praedium*. *Inscript.* apud *Domin. De Sanctis, Dissert. sopra la villa d'Oraz. edit. Ravennae ann.* 1784. p. 53., quae est apud *Orell.* 104. VAL. MAXIMA MATER DOMNIPRAEDIA VALERIÆ DVLCISSIMA FILIA, QVE VIXIT ANNIS XXXVI. MENSIBUS II. DIEBVS XII. IN PRAEDIIS SVIS MASSE MANDELANS etc. Haec inscriptio, cujus plura vocabula diphthongo carent, pertinere videtur ad sequiorem Latini sermonis aetatem: ea vero sic scribenda sunt: *domnipraedia, quae, praediis, Massae, Mandelanae.* At hac de re plura et rectius *Nibby* in *Memor. Rom. T.* 4. p. 27.

DOMNŬLA, æ, f. 1. De syncope *V.* in DOMNUS. — Domnula est deminut. a *domna*, atque ita appellat Faustinam uxorem suam *M. Aurel.* apud *Fronton.* 5. *ad M. Caes.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 21. Me adlevant nuntii de Domnula mea commodiora, deis juvantibus, indicantes. *Id.* apud *eumd. Fer. Alsiens. ep.* 1. Lorium autem regressus Domnulam meam febricitantem repperi. Similiter *Salvian. Ep.* 4. *ante med.* Illa ego vestra Palladia, vestra graculia, vestra domnula. *V.* cetera in v. GRACULA.

DOMNUS, i, m. 2. et domna, æ, f. 1. per syncopen pro *dominus* et *domina*. *Inscript.* apud *Don. cl.* 8. n. 74. DOMNO *Beleno* SACRVM SEX. BAEBIVS, *qui* FVIT IN CLASSE VESTIARIVS V. S. L. M. *Alia* apud *Murat.* 201. 1. STATIAE VENAE DOMNAE MEAE SANCTISSIMAE AVRELIVS TIMARCVS. *Alia*, quae mutila, integra vero extat in *Mus. Lapid. Patav.* GENIO DOMNORVM, CERERI. T. POBLICIVS CRESCENS LARIBVS PVBLICIS DEDIT IMAGINES ARGENTEAS DVAS TESTAMENTO EX HS. ∞ ∞

DŎMO, mas, mŭi, mitum, mare, a. 1. Pro altero praeterito *domavi*, *Vet. Poeta* (et creditur *Ennius*) apud *Charis.* 4. p. 252. *Putsch.* Non quod dracunis saevi sopivi impetum, Non quod viros domavi et segetis armatae manus. — Hinc et Part. *Domatus* pro domitus. *Petron. fragm. Tragur.* 74. *Burmann.* Curabo, domata sit Cassandra. — Hinc etiam DOMATOR: *V.* loco suo. — Part. *Domans* II. a.; *Domitus* I. et II.; *Domiturus* et *Domandus* II. — Domare, a Gr. δαμάω, est mansuefacere adeoque subigere; et proprie de brutis dicitur (It. *domare, mansuefare*; Fr. *dompter, apprivoiser*; Hisp. *domar, amansar*; Germ. *zahm machen, zähmen*; Angl. *to subdue, to make tame*).

I.) Proprie. *Plaut. Pers.* 2. 3. 7. Nam herus meus me Eretriam misit, domitos boves ut sibi mercarer. *Varro* 2. *R. R.* 6. 4. Tertio anno domare incipiunt (*asinos*) ad eas res, ad quas quisque eos vult habere in usu. *Colum.* 6. *R. R.* 22. 1. Domare tauros aratro. *Sall. Jug.* 75. Conquirit ex agris quam plurimum potest domiti pecoris, eoque imponit vasa cujusque modi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 161. Ferae belluae domitae et condocefactae. *Id.* 2. *Off.* 4. 14. Domare belluas. *Virg.* 3. *G.* 164. Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi, Dum faciles animi juvenum, dum mobilis aetas. *Manil.* 5. 707. Ille tigrim rabie solvet pacique domabit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 9. 9. (27). Domare fame elephantos. — Singulare est illud *Justin.* 15. 4. 19. Elephantus ferus infinitae magnitudinis ultro se obtulit, et, veluti domita mansuetudine, eum tergo excepit.

II.) Translate est rem aliquam, aut homines feritate, duritia, vel contumacia resistentes vincere, subigere, mansuefacere, mollire. — a) De inanimis: ad rem *Plin.* 34. *Hist. nat.* 9. 20. (94). Æs attritu domitum et consuetudine nitoris veluti mansuefactum. *Virg.* 9. *Æn.* 608. Terram domare rastris. *Sever. Ætn.* 10. Domita arva. *h. e.* arata et exculta. Sic *Juvenal.* 11. 89. Erectum domito referens a monte ligonem. *Grat. Cyneg.* 330. Domare silvas. *Sil. It.* 3. 499. magna vi sata domantem. *Val. Flacc.* 1. 600. ingenti gaudens domat aequora velo. *h. e.* navigat, mare, quod ante invium, pervium faciens. *Stat.* 1. *Achill.* 328. impexos certo domat ordine crines. *Horat.* 1. *Od.* 20. 9. Caecubum et prelo domitam Caleno Tum bibes uvam. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 50. (174). Sulphure plurima domantur. *Id.* 36. *ibid.* 27. 68. (200). Igni ferrum domatur. *Id.* 20. *ibid.* 1. 3. (5). Pastillos elaterii in ovo fictili igni lento in aceto domare. *h. e.* macerare, mollire. *Ovid.* 8. *Met.* 649. resecat de tergore partem Exiguam, sectamque domat ferventibus undis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 28. 62. (134). Pinguis lacrima abietis ad domandum oleum. *h. e.* cogendum et spissandum, vitio nimio ejus fluore. Adde *Sil. It.* 8. 501. Rursus *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 25. (78). Carnibus gallinaceorum appositis venena domantur. *Id.* 18. *ibid.* 13. 34. (128). Rapa sinapis acrimonia domita. *Virg.* 4. *G.* 102. Mella premens durum Bacchi domitura saporem. *Stat.* 2. *Theb.* 84. lacte novo domare cruorem. *h. e.* temperare, miscere. *Id. ibid.* 31. Domare lumina somno. — b) De hominibus. *Virg.* 3. *G.* 538. acrior illum Cura domat. *Ovid.* 1. *Met.* 312. Illos longa domant inopi jejunia victu. — Et praecipue de populis bello devictis. *Cic. Fontej.* 1. 2. Galli partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti. *Id. Marcell.* 3. 8. Domuisti gentes immanitate barbaras. *Id. Prov. cons.* 13. 33. Acerrimas nationes contrivit, domuit, compulit, imperio populi Romani parere assuefecit. — c) De abstractis. *Liv.* 21. 30. Domita fluminis vis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Montes natura fecerat ad impetus fluminum domandos. *Sall. Cat.* 7. Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domuerat. — Praecipue de animi motibus. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 80. Hominem servum suos domitos habere oportet oculos et manus orationemque. *Cf. Tibull.* 1. 5. 5. Ure ferum et torque: libeat ne dicere quidquam Magnificum posthac, horrida verba doma. *Cic.* 1. *Orat.* 41. 194. Domitas habere libidines. *Horat.* 2. *Od.* 2. 9. Latius regnes avidum domando Spiritum, quam si etc. *Id.* 2. *Ep.* 1. 12. Comperit invidiam supremo fine domari. *Ovid.* 3. *Amor.* 11. 5. domitum pedibus calcamus amorem. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (144). Domare iracundias. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 125. qui pectore magno Spemque metumque domas, vitio sublimior omni. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 38. virtutibus ille Fortunam domuit.

DŎMŬĬTĬO, ōnis, f. 3. est per syncopen pro *domuitio*, quemadmodum *circuire* pro *circumire*: divisim quoque legitur apud *Cic.* 1. *Divinat.* 32. 68. Rhodiorum classi propinquum reditum ac domum itionem dari. *Orell. et Klotz* ita leg.; *Forcellinus* vero etiam hoc loco *domuitionem* leg., variante tamen notata lectione. — Domuitio est reversio domum. *Pacuvius* apud *Non.* p. 96. 2. *Merc.* Domuitionem dare. *Lucilius* apud *eumd. ibid.* Domuitionis cupidi. *Alii utrobique leg.* domutio, *ex trito* l. *Accius* apud *Non.* p. 357. 9. *Merc.* Desistat exercitum morari, ne me a domuitione arceat. *Apul.* 2. *Met. sub fin.* Domuitionem capessere. Adde *eumd.* 1., 3., 4., 10. et 11. *ibid.* *Cic.* poetae verba referens 3. *Herenn.* 21. 34. Jam domuitionem reges Atridae parant. *Alii tamen leg.* domi ultionem.

DŎMUNCŬLA, æ, f. 1. deminut. a domus, parva domus. *Vitruv.* 6. 10. Dextra ac sinistra domunculae constituuntur, habentes proprias januas, etc. Adde *Val. Max.* 4. 4. n. 8.; *Apul.* 4. *Met.*; et *Ulp. Dig.* 47. 12. 3. *extr.*

DŎMUS, us, f. 4. et domus, i, f. 2. δόμος, a δέμω *aedifico, exstruo*. — Quod ad singulos casus attinet — a) Genitivus singularis est *domi* apud omnes Comicos; sed jam inde a *Varrone* et in carminibus et in prosa oratione forma *domus* usuvenit. Haud recte itaque *Forcellinus* ait: Genitivi *domi* et *domus* hoc differunt, quod ille locum designat, in quo habitamus: *domus* vero aedificium ipsum significat. *Horat.* 2. *Sat.* 6. *extr.* seu fundi, sive domus sit emptor. Quamquam idem *Forcellinus* paullo post addit: Illud tamen discrimen non est perpetuum. *Ter.* alludens ad illud *domi bellique*, *Eun.* 4. 7. 45. Sanga, ita ut fortes decet milites, domi focique fac vicissim ut memineris. *Plaut. Trin.* 4. 3. 20. Non fugitivus est hic homo: commeminit domi. — Pro *domi* vel *domus* prisci *domuis* dixere. *Varro* apud *Non* p. 491. 21. *Merc.* Perrexit in interiores partes domuis posticae, ut ait Plautus, penitissime. *Gell.* 4. 16. *Nigidium* quoque ita locutum esse testatur. *V.* FRUCTUS. — *Augustus* vero *domos* dicere solebat pro *domus* eodem casu, teste *Sueton. in ejus Vita* 87. — b) In Dativo singul. est *domo* apud *Caton. R. R.* 134. Uti sies propitius mihi, domo, familiaeque meae. Adde *eumd.* alibi saepe. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 13. Ponendaeque domo quaerenda est area primum. — *Domui* vero legitur apud *Ovid.* 4. *Met.* 66. Quum fieret paries domui communis utrique. Adde *Caes.* 3. *B. C.* 112.; *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 101., 3. *ibid.* 12. 50. et 1. *Pont.* 2. 108.; *Quintil.* 1. 10. 32. et 7. 1. 53.; et *Tac.* 4. *Hist.* 68. — Denique *domu* pro *domui* occurrit apud *Lucret.* 4. 995. At consueta domu catulorum blanda propago etc. *Al. leg.* domi. — c) Accusativus singul. *domum* apud omnes; nisi quod *do* per apocopen dixerunt *Ennius* et *Auson.*; *V.* DO loco suo. — d) Ablativus singularis *domo* apud omnes; nisi quod *domu* occurrit apud unum *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 48. Ait sese Athenas fugere ex hac domu. et in *Inscript.* apud *Gruter.* 599. 8. L. FLAVI AVG. LIB. DE DOMV AVG. — Porro *domo* pro *domi* dixit *Plaut. Amph.* 2. 2. 7. Ego id nunc experior domo, atque ipsa de me scio. *V.* et infra sub I. c. — e) In Nominativo pluralis numeri est tantummodo quartae declinat., *domus*, quod et *Priscian.* adnotavit 7. p. 744. *Putsch.* Vide *Virg.* 4. *G.* 481.; *Liv.* 3. 32.; et *Sueton. Ner.* 38. — f) In Genitivo plur. est *domorum* apud *Virg.* 2. *Æn.* 445. turres ac tecta domorum Culmina convellunt. Adde *eumd.* 4. *G.* 159. et alibi; *Lucret.* 1. 355., 2. 114. et alibi; et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (88)., ubi tamen *Sillig* et melioribus Codicib. leg. *domuum*. — *Domuum* vero legitur apud *Juvenal.* 3. 72. Viscera magnarum domuum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 57. 82. (221). Mures incolae domuum. Adde *Tac.* 3. *Ann.* 24. et 6. *ibid.* 45. — g) In Dativo et Ablativo plur. est tantummodo quartae declinat., quod et *Priscian.* adnotavit 7. p. 744. *Putsch.* Vide *Varron.* 5. *L. L.* 160. *Müll.*; *Caes.* 6. *B. G.* 11. et 3. *B. C.* 42.; *Virg.* 2. *G.* 443.; *Horat.* 1. *Od.* 22. 22.; *Quintil.* 9. 4. 4.; *Tac.* 3. *Ann.* 6., 6. *ibid.* 3., 1. *Hist.* 4. et 84. et *Germ.* 46. — h) Denique in Accusativo plur. de more est *domos*, ut apud *Plaut. Poen.* 3. 6. 19.; *Lucret.* 1. 19. et 6. 241.; *Caes.* 1. *B. G.* 30. et 3. *B. C.* 82.; *Sall. Cat.* 20.; *Cic.* 1. *de republ.* 13.; *Virg.* 1. *G.* 182. — Pro *domos* tamen etiam *domus* invenitur. *Claud. Quadrigarius* apud *Gell.* 17. 2. Domus suas quemque ire jubet. Adde *Accium* apud *eumd.* 14. 1. Immo etiam apud *Cic.*, *Liv.* aliosque MSS. Codices modo

domos, modo domus exhibent: V. Beier ad Cic. 2. Off. 18. 64. et Drakenborg ad Liv. 3. 29. — Domus est locus ad habitandum, ædes, domicilium (It. casa, abitazione; Fr. maison, habitation, domicile; Hisp. casa, vivienda, habitacion; Germ. das Haus, die Wohnung; Angl. a house, home, habitation, lodging, dwelling, place of abode).

I.) Proprie. Cic. 1. Off. 39. 138. Præclaram ædificavit et plenam dignitatis domum. — Sic etiam adverbii more — a) Domi est intra domesticos parietes, et foris opponitur. — Absolute. Plaut. Capt. 1. 2. 33. Neque unquam quidquam me juvat quod edo domi: foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat. Adde eumd. Cist. 2. 1. 2. et alibi. Ter. Andr. 3. 2. 34. Nuptias domi apparari. Cic. Amic. 1. 2. Memini domi in hemicyclio sedentem – in eum sermonem incidere etc. Id. Dom. 3. 6. et Nepot. Dion. 9. Tenere se domi. Alii apud Cic. leg. domo. Cic. Flacc. 6. 14. Qui domo exire nolebant: qui domi stare non poterant. Adde eumd. 5. Fin. 15. 42. et 2. Phil. 11. 26.; Sall. Cat. 52.; Virg. 3. Ecl. 33.; Horat. 1. Sat. 1. 67., 1. Ep. 5. 3. et alibi. — Cum additis pronominibus possessivis: scilicet meæ apud Plaut. Aulul. 3. 2. 18. Volo scire item ego, meæ domi meane salva futura? Adde eumd. Curc. 4. 2. 32., Epid. 3. 4. 63. et Mil. glor. 2. 2. 3.; Ter. Hecyr. 2. 2. 15.; et Cic. 10. Fam. 25. et 13. ibid. 69. — Tuæ apud Cic. 4. Fam. 7. 4. Cogitandum tibi tamen esset, Romæne et domi tuæ –, an Mytilenis aut Rhodi malles vivere. — Suæ apud Plaut. Pers. 4. 3. 44. Nam is mihi honores suæ domi habuit maximos. Adde eumd. Truc. 2. 6. 50.; Cic. Cæcin. 4. 10.; et Quintil. 1. 1. 22. — Nostræ apud Cic. 5. Tusc. 39. 113. Diodotus multos annos domi nostræ vixit. Adde eumd. 4. Verr. 2. 5.; et Plaut. Men. 2. 3. 9. et Truc. 2. 2. 6. — Similiter alienæ apud Cic. Dom. 40. 105. Sacrificium, quod alienæ domi fieret, invisere. Adde eumd. 1. Tusc. 22. 51. et 4. Fam. 7. 4. — Cum additis aliis adjectivis, vel nominibus etiam propriis: sic istius apud Cic. Quinct. 5. 21. Qui istius domi erat educatus. Illius apud eumd. Divin. in Q. Cæcil. 18. 58. Si tu cum illo postea in gratiam redisti, si domi illius aliquoties fuisti. Cujus apud eumd. 7. Verr. 42. 108. Homo nobilissimus, hospes tuus, cujus tu domi fueras. Adde eumd. 2. Phil. 19. 48. et 9. Fam. 3. — Cum nominibus propriis. Cic. 1. Att. 12. 3. Deprehensus domi Cæsaris. Adde eumd. 2. ibid. 7. 3. — Et cum addito nomine per præpos. apud. Cic. Sext. 18. 41. Ejusque vitæ a me insidias apud me domi positas esse dixerunt. Id. 7. Verr. 29. 73. Domi apud se esse dixit. Liv. 3. 33. Defosso cadavere, domi apud P. Sextium, patriciæ gentis virum, invento. — b) Domum ad significandum motum. — Absolute. Plaut. Amph. 1. 1. 40. Me a portu præmisit domum, ut hæc nunciem uxori suæ. Adde eumd. ibid. 2. 1. 55.; et Ter. Andr. 1. 5. 20. et alibi. Catull. 61. 31. Ac domum dominam voca. Cic. Amic. 3. 12. Domum reductus ad vesperum est a patribus conscriptis. Id. 2. Verr. 9. 25. Siculis denunciatum esse, domum ad illum ut venirent. Adde eumd. 11. Fam. 27. 5.; et Virg. 1. Ecl. 36. — Cum additis pronominibus possessivis: sic meam apud Cic. 1. Att. 1. 3. Dies fere nullus est, quin hic Satrius domum meam ventitet. Adde eumd. 9. Fam. 19. Et suam apud Cic. Pis. 7. 16. Me domo mea expulistis, Pompejum domum suam compulistis. Adde eumd. Rosc. Am. 18. 52. et 1. de republ. 14.; Plaut. Amph. 2. 2. 31.; et Cæs. 2. B. G. 10. — Cum aliis verbis, quæ possessivis respondent. Cic. Rosc. Com. 9. 26. Venisti domum ultro Roscii. Id. 3. Off. 31. 112. Cum primo luci Pomponii domum venisse dicitur. Sall. Jug. 76. Aurum atque argentum et alia, quæ prima ducuntur, domum regiam comportant. — Et cum præpos. in. Plaut. Amph. 1. 1. 253. Cur non intro eo in nostram domum? Cf. Ter. Eun. 2. 3. 90. In domum meretriciam deduci. Cic. 1. Cat. 4. 8. Te priori nocte venisse in M. Leccæ domum. Cæs. 2. B. C. 18. Arma omnia privata et publica in domum Gallonii contulit. Sueton. Vesp. 5. Ut thensam Jovis optimi maximi e sacrario in domum Vespasiani et in circum deduceret. Cf. Liv. 44. 45. Rex in domum se recepit. — Domum cum addito ad me apud Cic. 3. Fam. 8. 10. Neque domum unquam ad me litteras mittam, quin adjungam eas, quas tibi reddi velim. — Denique domos in plur. num. cum vel sine additis. Liv. 34. 45. Galli domos abiere. Adde eumd. 3. 5. et 27. 51. Plaut. Pœn. 3. 6. 19. Domus abeamus nostras, sultis, nunc jam. Sall. Jug. 66. Alius alium domos suas invitant. Adde Liv. 2. 7. Id. Liv. 26. 10. In domos atque in tecta refugiebant. — c) Domo, quum verbum significat motum a loco, aut statum, occurrit — Absolute. Plaut. Mil. glor. 4. 2. 7. Domo si ibit, ac dum huc transibit. Adde eumd. Stich. 1. 1. 29. Ter. Eun. 4. 3. 18. Suspicor aliquid domo abeuntem sustulisse. Adde eumd. Phorm. 4. 1. 20. Cic. post red. in senat. 11. 29. Tenere se domo. Id. 9. Fam. 5. Qui se domo non commoverunt. Adde eumd. Flacc. 6. 14. Cæs. 1. B. G. 5. Cibaria sibi quemque domo afferre jubent. — Cum addita præpos. in. Plaut. Cas. 3. 4. 29. Quid illud clamoris, obsecro, in nostra domo est? Nepos Alcib. 3. extr. Quod in domo sua mysteria facere dicebatur. Id. ibid. 2. Educatus est in domo Periclis. Cic. 2. Att. 7. Quum in domo Cæsaris unus vir fuerit. Tac. 4. Ann. 21. Adjecitque in domo ejus venenum esse. Quintil. 5. 10. 16. In domo furtum factum ab eo, qui domi fuit. — Interdum et domo pro domi occurrit. Varro 1. R. R. 8. 2. Hæc ubi domo nascuntur, vinea non metuit sumptum. Nepos Epam. 10. Quamdiu facta est cædes civium, domo se retinuit. Al. leg. domi. Sueton. Cæs. 20. Ut, quoad potestate abiret, domo abditus nihil aliud quam per edicta obnunciaret. Adde locum Plauti initio allatum sub d. — d) Aliquando speciatim dicitur de domicilio urbano, præcipue si villæ opponatur, ut apud Horat. 2. Od. 3. 17. Cedes coemptis saltibus et domo Villaque flavus quam Tiberis lavit. Seneca Const. Sap. 7. Tamquam si quis, quum e villa mea surripuit, in domo mea ponat: ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim. Colum. 1. R. R. 1. fin. Qui agrum paravit, domum vendat, ne malit urbanum, quam rusticum larem colere. — e) Domibus abruptis aliquid facere est confestim, præcipitanter. M. Aurel. apud Fronton. 1. ad M. Cæs. 1. Tu me noissum voces, qui non abruptis domibus cursu maximo pervolo?

II.) Translate. ¶ 1. Præcipue apud Poetas ponitur de quacumque sede, habitaculo. Sic — De ventorum sede. Virg. 1. G. 371. Eurique Zephyrique domus. — De aquis. Ovid. 1. Met. 279. aperite domos: ac mole remota Fluminibus vestris totas immittite habenas. Cf. Horat. 1. Od. 7. 12. Domus Albuneæ resonantis. — De brutis. Virg. 2. G. 209. Antiquasque domos avium. Adde eumd. 5. Æn. 214. et 8. ibid. 235. Stat. 1. Theb. 367. pecorum domus. Adde Grat. Cyneg. 235.; et Nemesian. 99. Similiter cornea domus dicitur a Phædr. 2. 6. testa, qua muniitur testudo. Similiter de cochleæ testa Seren. Sammon. 25. 465. Aut tres ex vino cochleas fervescere coges Cumque suis domibus franges. V. DOMIPORTA. — De deorum sede. Virg. 10. Æn. 1. Panditur interea domus omnipotentis Olympi. Adde eumd. ibid. 101. Ovid. 4. Met. 734. superasque deorum implevere domos. — De sacra spelunca. Virg. 6. Æn. 81. Ostia jamque domus patuere ingentia centum Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras. — De labyrintho. Id. ibid. 27. Hic labor ille domus et inextricabilis error. — De carcere, in quo inclusa est Danaes. Propert. 2. 15. 12. Ferratam Danaes transiliamque domum. — De sepulcro. Tibull. 3. 2. 22. Atque in marmorea ponere sicca (ossa) domo. Hinc domus æterna eleganter dicitur in Inscript. apud Gruter. 790. 5., 903. 6. et 913. 6. V. Cavedoni Marm. Moden. p. 96.; et Inscriz. Crist. di Algeri p. 15. — De corpore humano animæ habitaculo. Ovid. 15. Met. 158. Morte carent animæ: semperque, priore relicta Sede, novis domibus habitant vivuntque receptæ. Id. ibid. 456. quoniam non corpora solum, Verum etiam volucres animæ sumus, Inque ferinas Possumus ire domos pecudumque in pectora condi. ¶ 2. Per synecdochen dicitur de patria. — a) Sæpe cum patria conjungitur. Plaut. Men. 5. 9. 10. sq. Siculus sum Syracusanus. mo. Ea domus et patria est mihi. Id. Merc. 3. 4. 68. Quæ patria aut domus tibi stabilis esse poterit? Cf. eumd. ibid. 5. 1. 2. Hunc hodie postremum extollo mea domo patris pedem. Virg. 7. Æn. 122. Hic domus, hæc patria est. Cf. Ovid. 11. Met. 269. Expulsumque domo patria Trachinia tellus Excipit. — b) Absolute, et quidem — Gen. domi, h. e. in patria, apud Plaut. Pseud. 4. 7. 75. Domi imperator summus in patria mea. Cæs. 1. B. G. 20. Gratia plurimum domi atque in reliqua Gallia posse. Sall. Cat. 17. Multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. h. e. inter suos. Adde Cic. 3. Verr. 17. 45.; et Curt. 3. sub fin. Sic Liv. 7. 19. Vir domi non solum, sed etiam Romæ clarus. h. e. in patria. Cic. 2. ad Q. fr. 14. 3. Hominem domi splendidum, gratiosum etiam extra domum. — Acc. domum, h. e. in patriam, apud Plaut. Amph. 1. 1. 33. Victores victis hostibus legiones reveniunt domum. Cæs. 1. B. C. 34. Præmissos etiam legatos domum. Cic. 7. Fam. 5. 1. Beneficiis ornatissimum domum reducere. Liv. 23. 20. Redire domum. — Ablat. domo, h. e. a patria. Cæs. 1. B. G. 31. Omnibus Gallis idem esse faciendum, quod Helvetii fecerunt, ut domo emigrent: aliud domicilium, alias sedes – petant. Virg. 8. Æn. 114. Qui genus? unde domo? Id. 10. ibid. 141. Mæonia generose domo. et ibid. 183. Qui Cærete domo. Sueton. Vitell. 2. P. Vitellius domo Nuceris. Inscript. apud Gruter. 520. 3. C. ANINIVS C. F. POMP. GALLVS DOMO ARRETIO etc. — c) Huc pertinet domi bellique, domi et militiæ, h. e. in pace et in bello. Ter. Adelph. 3. 5. 49. Una semper militiæ et domi fuimus. Vellej. 2. 27. Vir domi bellique fortissimus. V. BELLUM. — Item in pace et domi apud Cic. 1. de republ. 40. Noster populus in pace et domi imperat et ipsis magistratibus minatur, recusat, appellat, provocat; in bello sic paret, ut regi. — d) Domum revocare in re forensi est fori exceptione uti, et eum, qui nos in judicium alibi vocavit, ad judicem in loco, ubi degimus, revocare. Ulp. Dig. 5. 1. 2. Dicimus etiam revocare forum. Id. ibid. 7. ¶ 3. Domi esse alicui vel domi habere dicitur, qui aliqua re abundat, neque ea aliis quidpiam foris quærere opus habet. Plaut. Mil. glor. 2. 2. 36. Domi habet animum falsiloquum, domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias. Ter. Adelph. 3. 4. 49. Domi habuit, unde disceret. Cf. Plaut. Truc. 2. 5. 4. Domi docta. Ter. Phorm. 3. 2. 19. O fortunatissime Antipho, cui, quod amas, domi est! Cic. 10. Att. 14. Quidquid habes ad consolandum, collige; et illa scribe non ex doctrina, neque ex libris; nam id quidem domi est: sed etc. Sic Juvenal. 11. 117. Illa domi natas nostraque ex arbore mensas Tempora viderunt. Cic. 9. Fam. 3. Sed quid ego nunc hæc ad te, cujus domi nascuntur? γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. — Similiter domo pecuniam solvere apud Plaut. Curc. 5. 3. 7. est ex arca domestica, non aliunde mutua sumpta. Sic domo afferre apud Quintil. 10. 7. fin. est meditata et parata afferre; quibus opponuntur, quæ subita atque ex tempore dicimus. ¶ 4. Metonymice ponitur pro familia. Cic. 4. Att. 12. Domus te nostra tota salutat. Id. 13. Fam. 46. Eum tibi igitur sic commendo, ut unum ex nostra domo. Virg. 1. Æn. 288. Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas Servitio premet. h. e. Romani, qui a Trojanis oriundi. V. ASSARACUS in ONOM. Adde eumd. 3. ibid. 97.; Horat. 1. Od. 6. 8. et 3. ibid. 16. 18. et 26.; Liv. 3. 32.; Sueton. Aug. 25. et 58.; Quintil. 3. 6. 99. et 7. 1. 53.; Justin. 12. 15. 1. et 16. 1. 15.; et Tac. 3. Ann. 55. et Agric. 19. — Sic domus divina est familia imperatoria circa Commodi tempora, qui imperavit ann. 177-192. V. Marini Frat. Arv. p. 147.; et Labus Epigr. scop. in Egitto p. 106.: sub Domitiano dicebatur domus Augusta; V. Labus ibid. ¶ 5. Hinc et pro philosophorum secta. Cic. 1. Acad. (post.) 4. 13. Antiocho magis licuerit remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere. h. e. sectam Academicam. Seneca Ep. 29. ad fin. Idem hoc omnes tibi ex omni domu conclamabunt, Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici. h. e. ex omni familia et secta philosophorum.

DŎMUSCŬLA, æ, f. 1. deminut. a domus, parva domus. Apul. 4. Met. Mecum nutritus individuo contubernio domusculæ. Al. leg. domunculæ.

DŎMŪSĬO, ōnis, f. 3. usus domi, a domus et usio. Petron. fragm. Tragur. 46. Burmann. Quia volo illum ad domusionem aliquid de jure gustare. Ita Cod. Tragur.; alii perperam domus usionem, aut tuitionem legendum putant.

DOMUTIO. V. DOMUITIO.

DŌNĀBĬLIS, e, adject. ¶ 1. Est dandus, donandus, tradendus. Plaut. Rud. 3. 2. 45. Infortunio hominem prædicas donabilem. h. e. tradendum infortunio. ¶ 2. Item dignus, qui dono detur. Ambros. serm. 59. Qui (Spiritus Sanctus) etiam Dei donum dicitur; quia et antequam esset angelus vel

homo, cui daretur, jam sui natura donabile donum erat, quia caritas et amor est.

DŌNĀRIUM, ii, n. 2. ¶ 1. Stricto sensu est locus, seu conclave prope templum, ubi quæ diis offerebantur, custodiebantur reposita. *Lucan.* 9. 515. Non illic Libycæ posuerunt ditia gentes Templa, nec Eois splendent donaria gemmis. *Apul.* 9. *Met.* Cantharoque et ipso simulacro, quod gerebam, apud fani donarium redditis ac consecratis. Adde *eumd.* 2. *Florid.* 15. ¶ 2. Hinc dicitur etiam de illis, quæ diis offerebantur in templis. *Liv.* 42. 28. Ita ut censuerant, in Capitolio vovit consul ludos fieri donariaque dari. *paullo ante.* Donaque circa omnia pulvinaria dari. *Gell.* 2. 10. Ubi reponi solerent signa vetera, et alia quædam religiosa e donariis consecratis. *Aurel. Vict. Cæsar.* 35. Fanum Soli magnificum constituit, donariis ornans opulentis. ¶ 3. Item de ipso templo, sacrario. *Virg.* 3. *G.* 533. ductos alta ad donaria currus. *Forcellinus* hunc locum ad paragr. primam retulit. *Ovid.* 3. *Fast.* 335. Si tua contigimus manibus donaria paris. *Id.* 2. *Amor.* 13. 13. Pigraque labatur circa donaria serpens. — *NB. Forcellinus* pro dono generatim accepit apud *Tac.* 1. *Ann.* 44. Citatus ab imperatore, nomen, patriam, numerum stipendiorum, et cui erant donaria militaria, edebant. *At meliores Codices legunt* dona: *ex librariorum autem errore irrepsisse* donaria *propter terminationem sequentis vocabuli, facile sibi quisque persuadet.*

DŌNĀTĬCUS, a, um, adject. qui dono datur, ad donum pertinens. *Cato* apud *Festum* p. 201. 28. *Müll.* Donaticæ hastæ. *Paul. Diac.* p. 69. 5. *Müll.* Donaticæ coronæ, dictæ quod his victores in ludis donabantur, quæ postea magnificentiæ causa institutæ sunt super modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt, quum Lares ornantur.

DŌNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus donandi, et proprie secundum *Julian. Dig.* 39. 5. 1. dicitur, quum quis ea mente dat, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, et propter nullam aliam causam facit, quam ut liberalitatem et munificentiam exerceat. Quod si sub conditione fiat, non est vera donatio (V. hac de re *Rein's röm. Privatr.* p. 202. et *Pauly's Realencycl.* sub hac voce). *Cic. Opt. gen. orat.* 7. 19. Ut corona aurea donaretur, eaque donatio fieret in theatro. *Id. Rosc. Am.* 9. 24. Furta, rapinæ, donationes. *Id.* 6. *Verr.* 16. 35. Quo modo? quo qui unquam tenuissime in donatione histrionum æstimavit. *h. e.* in iis, quibus histriones magis accepti donabantur. V. *Klotz* ad h. l. Adde *Cic.* 4. *Phil.* 4. 9. *Paul. Dig.* 31. 89. *ad fin.* Avia donationibus in nepotem patrimonium exinanivit. *Inscript.* in *Bullett. dell' Instit. Archeol.* a. 1844. p. 164. CONCESSVM A FISCO DONATIONIS CAVSA AP. CAVIO RESTITVTO EX AERE.

DŌNĀTIUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* donationis, parva donatio. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 69.

DŌNĀTĪVUM, i. *V.* voc. seq.

DŌNĀTĪVUS, a, um, adject. quod dono datur. *Inscript.* apud *Gruter.* 424. 1. IMPENDIVM BIGAR QVAM POPVLVS EX COLLATIONE LEGATIVI AC DONATIVI EIVS OFFEREBAT REMISIT. *V.* LEGATIVUM. — Hinc

Donativum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est munus, quod a principe vel imperatore militibus donatur. Quando autem hujusmodi largitio fieret, patet ex his verbis *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 30. *ante med.* Quum venisset tempus, quo imperialia solent milites dona accipere (hoc enim agitur plerumque die Kalendarum Januar., et natali principum, et urbium regiarum) etc. *Sueton. Domit.* 2. Ut duplum donativum militi donaret. *Tac.* 1. *Hist.* 12. Postulare donativum. Adde *Sueton. Cal.* 46. et *Galb.* 16.; *Tac.* 1. *Hist.* 18., 2. *ibid.* 82. et 12. *Ann.* 41.; et *Plin. Paneg.* 25. — Differt a congiario, quod populo datur. *Sueton. Ner.* 7. Populo congiarium, militi donativum proposuit. *Lamprid. Alex. Sev.* 26. Congiarium populo ter dedit, donativum militibus ter. *V.* CONGIARIUM.

DŌNĀTOR, ōris, m. 3. qui donat. *Seneca Hippol.* 1217. Donator atræ lucis, Alcide, tuum Diti remitte munus. *Paul. Dig.* 42. 1. 49. Pinguius donatori succurrere debemus, quam etc. Adde *Cod.* 8. 54. 1.

DŌNĀTRIX, īcis, f. 3. quæ donat. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 171. Illa Sacramenti donatrix mensa. Adde *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 8. 54. 20.

DŌNĀTUS, a, um. *V.* DONO.

DŌNAX, ăcis, m. 3. δόναξ. ¶ 1. Est calamus crassiore ligno et tenui foramine, longissimis internodiis, quem totum fungosa replet medulla in aquaticis nascens, sagittis aptissimus. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 50. (86). arundinem Cypriam, et 32. *ibid.* 10. 52. (141). calamum Cyprium vocat, quod in ea insula maxime proveniat. Describit autem 16. *ibid.* 36. 66. (165). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 391.) hanc exhibet synonymiam: Δόναξ Homer. Hymn. in Pan. 5. 15. dans le sens de flûte, et Iliad. Λ. 584. dans le sens de flèche; Κάλαμος δόναξ καὶ συριγξ καὶ εὐνουχίας καὶ αὐλητικὸς καὶ ζευγίτης Theophr. Hist. plant. 4. 12.; Κάλαμος δόναξ, κάλαμος κύπριος καὶ συριγγίας Dioscor. 1. 114.; *Donax* Plin. loc. cit.; et *Arundo* des poëtes latins, soit qu'ils l'emploient dans le sens de flèche, soit qu'ils l'entendent dans celui de flûte, sont *Arundo Donax* L. Spec. 120. Le roseau à quenouilles. ¶ 2. Est etiam nomen piscis marini, qui onyx etiam, et dactylus dicitur. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 32. (103). — *NB.* De nomin. et cognom. *V.* ONOM.

DŌNĔC et

DŌNĬCUM, adverb. *Donicum* est antiqua forma, quæ certa lectione occurrit apud *Plaut. Aulul.* 1. 1. 19. Si respexis, donicum ego te jussero, continuo te dedam cruci. Sic *Cato* apud *Charis.* 2. p. 178. *Putsch.* Donicum ille tibi interdixit. — Incerta admodum est lectio apud *Lucret.* 2. 1114. Donicum ad extremum crescendi perfice finem Omnia perduxit. Item apud *Nepot. Hamilc.* 1. Donicum aut vicissent, aut victi manum dedissent. *Utrobique enim alii leg.* donec. *Ciceronem* quoque hac voce usum volunt quidam; sed quæ afferunt ejus verba, omnino dubiæ sunt lectionis. — *Doniqu* legitur in *Inscript.* apud *Murat.* 572., quæ pertinet ad annum a Chr. n. 155., quamque *Barpt. Borghesius* ex ipso lapide descripsit. CVM PRESSVS NECESSITATE CORPORA FORVM FICTILI SARCOFAGO COMMENDAREM DONIQV IS LOCVS QVEM EMERAM AEDIFICARETVR. Sic in lapide, elisa scilicet, ut sæpe, littera *m*, et *q* pro *c* adhibita. — *Donec,* non secus ac *dum*, significat tempus illud, per quod actio aliqua durat, quoque actio alia hanc excipit; et præcipue significat actionis vel modi alicujus cessationem actione vel modo alio subeunte, in quo a part. *dum* differt. Itaque ¶ 1. Adverbium *donec* significat tempus illud, per quod actio aliqua durat, et est quamdiu, tam diu dum, haud diutius quam (It. *fino a tanto che, tanto a lungo quanto, non più lungamente di quello che*; Fr. *aussi longtemps que, tant que*; Hisp. *mientras que, tanto que*; Germ. *so lange als, wahrend, nicht länger als, nicht länger als bis, bis*; Angl. *so lang as, as lang as*). Occurrit autem — *a)* Cum Indicativo, aut cum Subjunctivo, prout tempus, quo actio vel rei status durat, certo definiri potest, aut nequit. — Cum Indicativo. *Liv.* 2. 49. Et, donec nihil aliud quam in populationibus res fuit, non ad præsidium modo tutandum Fabii satis erant, sed tota regione – sua tuta omnia, infesta hostium – fecere. *Id.* 6. 13. Donec armati confertique abibant, peditum labor in persequendo fuit; postquam etc. *Horat.* 1. *Od.* 9. 17. Donec virenti canities abest Morosa, nunc et campus et areæ – Composita repetantur hora. *Id.* 3. *ibid.* 9. 1. Donec gratus eram tibi – Persarum vigui rege beatior. *Tac.* 14. *Ann.* 50. Libros exuri jussit, conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur. — Cum Subjunctivo. *Liv.* 2. 24. Edixit ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret aut venderet. *Id.* 21. 28. Nihil sane trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur. *Id.* 4. 13. Increpare Coss., quod expectassent, donec tanta res ad senatum deferretur. *Tac.* 1. *Ann.* 51. Hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti. — *b)* Interdum cur Subjunctivus addatur, non patet. *Tac.* 4. *Hist.* 35. Pugnatum, donec prælium nox dirimeret. *Justin.* 4. 1. 15. Suffocatum tam diu tenet, donec nutrimenta ignis incendat. *Plin.* 9. *Ep.* 33. Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines innutritos mari subiret timendi pudor. — *c)* Cum Futuro tempore. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 106. Ne quoquam exsurgatis, donec a me erit signum datum. *Ter. Phorm.* 2. 3. 73. Haud desinam, donec perfecero hoc. *Virg.* 4. *G.* 413. contende tenacia vincla, Donec talis erit. *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 5. Donec eris felix, multos numerabis amicos. ¶ 2. Adverbium *donec* significat actionem vel rei modum, quæ fere improviso accidunt et præcedentem actionem vel rei modum interrumpunt ac mutant; et est quoad, quousque. — *a)* Generatim. — Cum Indicativo. *Plaut. Amph.* 2. 1. 50. Neque credebam ego mihimet, donec ille fecit sibi ut crederem. *Lucret.* 2. 1129. sed plura accedere debent, Donec olescendi summum tetigere cacumen. *Al leg.* Donicum. *Virg.* 6. *Ecl.* 84. Ille canit: – Cogere donec oves stabulis numerumque referre Jussit et invito processit vesper Olympo. Adde *eumd.* 2. *Æn.* 630., 6. *ibid.* 745. et 10. *ibid.* 301. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 101. atque ita porro Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus, Donec verba, quibus voces sensusque notarent, Nominaque invenere. *Liv.* 4. 34. Nec minor cædes in urbe, quam in prælio fuit; donec, abjectis armis, – dictatori deduntur. — Aliquando ea, quæ post adverbium *donec* sequuntur, ita præcedentibus opponuntur, ut *donec* etiam per particulas *at, at vero* significari posse videatur. *Liv.* 21. 46. Inde equitum certamen erat aliquamdiu anceps. Dein, quia turbabant equos pedites intermixti multis labentibus ex equis, aut desilientibus –, jam magna ex parte ad pedes pugna ierat; donec Numidæ, qui in cornibus erant, circumvecti paullulum, ab tergo se ostenderunt. Is pavor perculit Romanos etc. V. *Fabri* ad h. l.; et adde *Liv.* 34. 47. Sic *Tac.* 13. *Ann.* 44. Commoveratque quosdam magnitudine exempli, donec ancilla ex vulnere refecta verum aperuit. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 44. et 3. *Hist.* 61. — Cum Subjunctivo. *Virg.* 11. *Æn.* 858. sagittam Deprompsit pharetra, cornuque infensa tetendit, Et duxit longe; donec curvata coirent inter se capita. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 61. Actia pugna Te duce per pueros hostili more refertur. Adversarius est frater, lacus Hadria, donec Alterutrum velox victoria fronde coronet. *Liv.* 21. 28. Trepidationis aliquantum edebant, donec quietem ipse timor fecisset. *Tac.* 2. *Ann.* 6. Servat violentiam cursus, qua Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur. — Cum Futuro. *Virg.* 1. *Æn.* 276. Hic jam tercentum totos regnabitur annos Gente sub Hectorea; donec regina sacerdos Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem. — Omisso verbo, quod tamen facile subintelligatur. *Plaut. Merc.* 1. 2. 82. Neque quisquam hominem conspicatu' st, donec in navi super. — *b)* Præcedente propositione negativa, vel hypothetica, ita ut adverbium *donec* per adv. *priusquam* significari posse videatur. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 19. Si respexis, donicum ego te jussero, continuo te dedam cruci. *Virg.* 2. *Æn.* 718. Me, bello e tanto digressum et cæde recenti, Attrectare nefas; donec me flumine vivo Abluero. *Liv.* 1. 39. Moveri vetuisse puerum, donec sua sponte experrectus esset. *Tac.* 2. *Ann.* 82. Nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent. — *c)* Præcedentibus particulis *usque, usque adeo, usque eo* vel *eo usque, in tantum.* — Præcedente Indicativo. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 114. Ibi odorans usque, donec persecutus vulpem ero vestigiis. *Ter. Andr.* 4. 1. 38. Numquam destitit suadere, orare, usque adeo donec perpulit. *Id. Adelph.* 4. 6. 5. Domi certum est obsidere usque, donec redierit. *Cato R. R.* 88. Id aliquoties in die facito usque adeo, donec sal desiverit tabescere biduum. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 9. Humum in tantum deprimere, donec altitudinis mensuram datam ceperit. *Cic.* 3. *Verr.* 6. 17. Usque eo timui, donec ad rejiciendos judices venimus. *Liv.* 40. 8. Eo usque me vivere vultis, donec regem alterum mea morte faciam. — Præcedente Subjunctivo. *Plaut. Rud.* 3. 5. 30. Si hercle illic illas hodie digito tetigerit invitas, ni istunc istis invitassitis usque adeo, donec, qua domum abeat, nesciat; peristis ambo. *Horat. Art. P.* 154. Si plausoris eges aulæa manentis et usque Sessuri, donec cantor vos plaudite dicat. *Quintil.* 11. 3. 53. Nec eousque trahatur spiritus, donec deficiat. — Et omisso verbo. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 50. Usque illud visum est Pamphilo neutiquam grave; donec jam in ipsis nuptiis postquam videt paratas. — *NB.* Etiam pro dummodo usurpatum fuisse, *Charis.* significat 2. p. 200. *Putsch.*, sed nullo prolato exemplo.

DŌNĬFĬCO, as, are, a. 1. (*donum* et *facio*) dona invicem dare. Occurrit tantum Part. præs. *Donificantes* apud *Hygin. Fab.* 112.

DŌNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (do). Part. *Donans* I.; *Donatus* I.; *Donandus* I. et II.; *Donaturus* I. — Donare est donum dare, largiri, liberali-

ter tribuere, munere afficere (It. *donare, dare in dono, dare*; Fr. *faire présent à, donner en present, gratifier de, accorder, octroyer*; Hisp. *dar, donar, hacer un don liberalmente, ceder graciosamente alguna cosa*; Germ. *Jmdm etwas schenken, zum Geschenke machen, gewähren, verleihen, Jmdm mit etwas beschenken, ausstatten*; Angl. *to give liberally, bestow freely, present*).

I.) Proprie. — a) Cum Accusativo rei et Dativo personæ. *Plaut. Mil. glor.* 4. 5. 5. Donavi ei, quæ voluit, quæ postulavit. *Cæs.* 7. *B. G.* 11. Donare prædam militibus. *Cic.* 3. *Tusc.* 32. 90. Munera ista vel civibus tuis, vel dis immortalibus dona. Adde *Liv.* 27. 19. *in fin.* Rursus *Cic. Rosc. Am.* 8. 23. Non pauca suis adjutoribus large effuseque donabat. *Id. Pis.* 3. 7. Mihi populus Romanus illa in contione non unius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemque donavit. *Id.* 3. *Fin.* 5. 18. Membrorum corporis alia propter usum a natura donata, ut manus, crura; alia ad quemdam ornatum, ut cauda pavoni. *Id. Harusp. resp.* 4. 6. P. Scipio divino munere donatos reipublicæ. *Virg.* 3. *Ecl.* 14. Et quum vidisti puero donata, dolebas. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 65. Donare catenam ex voto Laribus. *Id.* 4. *ibid.* 3. 20. O mutis quoque piscibus Donatura cycni, si libeat, sonum. *Virg.* 9. *Æn.* 313. Donare nubibus irrita. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 32. Quidquid quæsierat, ventri donaret avaro. *h. e.* daret, concederet, tribueret. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 4. (15). M. Marcius ædilis plebis primum frumentum populo in modios assibus donavit. *h. e.* dedit a. U. C. 298. *Sillig* vero pro *donavit* legit *datavit*. *Sil. It.* 11. 408. discatque Lyæo imbellem donare diem. *Id.* 2. 608. Donare flammis prædam. *Quintil.* 1. 12. 13. studiis temporum velut subseciva. *Phædr.* 4. 4. Agros, vites et pecora cum pastoribus Donate mœchæ. *h. e.* assignate, attribuite. — Huc pertinent et poetica illa *Horat.* 4. *Od.* 12. 19. Cadus spes longas donare largus. *Id.* 1. *Ep.* 6. 36. Scilicet uxorem cum dote, fidemque et amicos Et genus et formam regina pecunia donat. *Ovid.* 1. *Amor.* 3. 12. Me tibi donat Amor. — *Donatum facere* est donare in *Inscript.* apud *Gruter.* 1114. 5. SI QVIS HOC MONVMENTVM SOCIORVM VENDIDERIT, SIVE DONATVM FECERIT etc. — b) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei. *Plaut. Amph. prol.* 137. Quo pacto sit donis donatus plurimis. Cf. *Liv.* 25. 18. *extr.* Magnifice laudatus et donis donatus. *Id.* 29. 35. Massinissam insignibus donis donat. *Cæs.* 3. *B. C.* 53. *in fin.* Cohortem duplici stipendio, frumento, vel speciariis militaribusque donis amplissime donavit. *Cic. Arch.* 3. 5. Hunc Tarentini civitate ceterisque præmiis donarunt. *Id.* 2. *Nat. D.* 2. 6. Agro a senatu et vacatione donatus. *Id.* 5. *Verr.* 80. 185. Donare aliquem annulo. *Id. Pis.* 11. 25. aliquem statua inaurata. *Cæs.* 3. *B. C.* 53. *a med.* Donatum millibus ducentis æris. *Horat.* 4. *Od.* 2. 9. Pindarus laurea donandus Apollinari. *Justin.* 11. 6. *ad fin.* Eos, qui cecidere, statuis equestribus donavit. *Gell.* 9. 16. Vir fortis præmio donetur. *Sall. Jug.* 54. Meritos in prœliis more militiæ donat. Sic *Curt.* 10. 5. Fortes viros pro contione donans. *Nepos Datam.* 3. Magnifice donatum, ad exercitum misit. *Virg.* 5. *Æn.* 305. Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit. — Huc pertinent et illa *Liv.* 45. 22. et *Vellej.* 2. 11. 5. Donare aliquem honoribus. *Plaut. Aulul. a.* 5. *v.* 11. Dii immortales, quibus et quantis me donatis gaudiis! *Tibull.* 3. 1. 21. Nympham longa donate salute. *Vellej.* 2. 100. Donare aliquem incolumitate. — c) Cum Accusativo personæ et Genitivo rei, tantum *Apul.* 5. *Met.* Sic ille novæ nuptæ sorores auri vel monilium donare concessit. *scil.* concessit novæ nuptæ donare sorores suas auro vel monilibus. — d) Apud Poetas cum Infinito. *Virg.* 5. *Æn.* 262. loricam donat habere viro. *Horat.* 1. *Od.* 31. 18. Frui paratis et valido mihi, Latoe, dones et precor integra Cum mente. *Id.* 2. *Sat.* 5. 60. Divinare etiam magnus mihi donat Apollo. — e) Cum Accusativo personæ et rei. *Ennius* apud *Probum* ad *Virg.* 6. *Ecl.* 31. Atque Anchisen doctu', Venus quem pulcra dearum Fari donavit, divinum pectus habere. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 9. Te pro hoc nuncio quid donem? — f) Absolute. *Martial.* 4. 56. Quid sit largiri, quid sit donare, docebo.

II.) Translate ponitur pro remittere, condonare: et quidem — a) Donare est aliquid in gratiam vel bonum alicujus cedere, offerre: Franci dicunt *sacrifier*. *Cic.* 5. *Fam.* 4. Tuas inimicitias ut reipublicæ donares, te vicisti. *Sil. It.* 15. 603. Donare iram patriæ. — b) Donari dicuntur debita et culpæ. *Brutus* ad *Cic.* inter ep. 1. *ad Brut.* 6. *extr.* Dyrrhachini sibi donatum æs alienum a Cesare dicunt. *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Unam (*legem promulgavit*), qua mercedes habitationum annuas conductoribus donavit. Cf. *Petron. Satyr.* 18. Donare legem. *h. e.* remittere actionem lege datam. *Liv.* 8. 35. Noxæ damnatus donatur populo Romano. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 51. Culpa gravis precibus donatur sæpe suorum. *Justin.* 32. 2. 5. Donare filio patrem. *h. e.* patri ignoscere in gratiam filii. *Id.* 38. 6. 6. Victum filium donare memoriæ patri. *Sueton. Aug.* 5. Peteretque donari (*graviorem adulterii pœnam*) quasi proprio suo ac peculiari deo. *h. e.* sibi ignosci in gratiam dei. *Seneca* 5. *Controv. præfat. a med.* Multa donanda ingeniis puto; sed donanda vitia, non portenta sunt. — c) Ad remittendi significationem pertinet etiam, quum dicimus *donare alicui laborem, molestiam,* aut *malum aliquod*, h. e. remittere alicui, ne subeat. *Justin.* 32. 2. 4. Donare alicui causam. h. e. remittere curam causæ dicendæ. *Sil. It.* 1. 487. nivalem Pyrenen Alpesque tibi mea dextera donat. *Id.* 2. 325. Quantum heu, Carthago, donat tibi sanguinis Hannon! *Val. Flacc.* 1. 473. Donat et Iphiclo pelagus juvenumque labores Æsonides. Adde *Lucan.* 9. 1016.; *Ovid.* 3. *Art. am.* 85.; et *Stat.* 7. *Theb.* 556.

DŌNŌSUS, a, um; adject. liberalis, qui facile donat. *Plaut. Epid.* 2. 3. 11. Argentum accipiam ab donoso sene. *Id. Trin.* 1. 1. 63. Postquam alium repperit, qui plus daret donosiorem. Utroque in loco al. leg. *danosus*, al. rectius *damnosum*. *V.* DAMNOSUS.

DŌNUM, i, n. 2. a v. *do*, quemadmodum a δίδωμι est δῶρον, est id, quod hominibus ex animi liberalitate, aut propitiando Deo datur (It. *dono, presente, regalo*; Fr. *don volontaire, présent, gratification*; Hisp. *don, dadiva, presente, regalo, gratificacion*; Germ. *d. Geschenk, d. Gabe*; Angl. *a grift, free grift, present, offering, bribe*). Occurrit — a) De iis, quæ hominibus ex animi liberalitate dantur. *Plaut. Amph.* 1. 3. 36. Nunc tibi hanc pateram, qua dono mi illic ob virtutem data'st, etc. *Id. Mil. glor.* 4. 2. 26. At non multæ de digito donum mittunt. *Id. Pseud.* 4. 6. 13. Habeto mulierem dono tibi. *Id. Most.* 1. 3. 27. Infecta dona facio. *Id. Truc.* 2. 6. 62. Viginti minis venire illæc posse credo dona, quæ ei dono dedi. Sic *Ter. Eun.* 1. 2. 29. et *Heaut.* 5. 5. 6. Dono dare alicui quidpiam. *Id. Eun.* 1. 2. 73. Dona dare. *Id. ibid.* 1. 2. 55. Emit virginem dono mihi. *Cic. Amic.* 15. 55. Etiam si illa maneant, quæ sunt quasi dona fortunæ. *Id.* 5. *Tusc.* 7. 30. Xerxes quidem refertus omnibus præmiis donisque fortunæ. *Id.* 1. *Phil.* 13. 32. Donum aliquod reipublicæ afferre. *Id. fragm.* apud *Priscian.* 8. *p.* 792. *Putsch.* Aggredi aliquem donis. *Cæs.* 7. *B. G.* 31. Principes civitatum donis pollicitationibusque alliciebat. *Id.* 3. *B. C.* 53. Militaribus donis amplissime donare aliquem. (Sæpe in vett. *Inscript.* mentio est *donor. militarium*, quibus vocibus significantur generatim phaleræ, torques, fibulæ, catellæ et coronæ, et quidquid auro argentoque constat; tum etiam coronæ vallares et murales et obsidionales, et hastæ puræ, etc. quæ singulæ speciem donorum constituunt. V. *Sueton. Aug.* 8. et 25. et *Tib.* 32., ibique a *Crusio* adnotata). *Horat.* 2. *Ep.* 2. 32. Donis honestis ornare. *Curt.* 5. 10. Donis aliquem excipere. *Id.* 7. 1. honorare. *Id.* 5. 12. Donum ferre hosti caput regis. *Tac.* 15. *Ann.* 27. Regnum dono accipere. *Sueton. Vitell.* 7. Libens eum excepit, velut dono deûm oblatum. — Jungitur et cum *munus*, ut apud *Plaut. Cist.* 1. 1. 91. Inde in amicitiam insinuavit cum matre et mecum simul blanditiis, muneribus, donis. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 120. Bona mea inhiant: certatim dona mittunt et munera. *Cic. Senect.* 12. 40. Quumque homini sive natura, sive quis deus nihil mente præstabilius dedisset; huic divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem. *V.* alia infra in Homonym. — *Donum* de re perniciosa, per ironiam. *Virg.* 6. *Ecl.* 79. Quas illi Philomela dapes, quæ dona paravit. — b) De iis, quæ propitiando Deo dantur, vel offeruntur. *Plaut. Rud. prol.* 22. Atque hoc scelesti in animum inducunt suum, Jovem se posse placare donis, hostiis. *Lucret.* 4. 1229. et multo sanguine mæsti Conspergunt aras adolentque altaria donis. *Id.* 6. 752. quum fumant altaria donis. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. impius ne audeto placare donis iram deorum. *Id.* 2. *de republ.* 21. Dona magnifica, quasi libamenta prædarum, Delphos ad Apollinem misit. *Virg.* 3. *Æn.* 439. dominamque potentem Supplicibus supera donis. Adde *Liv.* 2. 23., 5. 25. et 7. 38. — *Nepos Pausan.* 1. Ejus victoriæ ergo Apollini donum dedisse. *Inscript.* apud *Gruter.* 671. 2. MEMORIAE CAVSA DONVM DEDERVNT. *Alia* apud *eumd.* 81. 4. MINERVAE AVG. DONO POSVIT. Hinc illæ notæ in veterib. monum. D. D. *donum dedit* vel *dono dedit*, apud *Gruter.* 80. 5. etc. — *NB.* Plurima dona figulina reperta sunt Gabiis, quæ repræsentant vultus humanos, oculos, mammas, mentulas, corda et pedes, animalia pedesque bovinos: ibi enim celebres erant balneæ. *Bullett. dell' Instit. archeol. a.* 1845. *p.* 53. — Similiter *dona ferre* sæpissime dicitur de sacrificiis et oblationibus Deo factis. Exempla habes apud *Ovid.* 8. *Met.* 445., 2. *Fast.* 545., 5. *ibid.* 425. et alibi: item apud *Virg.* 7. *Æn.* 86. et 9. *ibid.* 626.; *Lucret.* 4. 123.; et *Senec. Hippol.* 105. — c) *Ultima dona* sunt funera et exsequiæ. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 50. et *Heroid.* 7. 192.; *Seneca Hippol.* 1273.; et *Val. Flacc.* 2. 471.

Homonym. *Ter. Eun.* 5. 9. 27. Quodvis donum et præmium a me optato. Ubi *Donatus*: *donum*, ut a largo homine; *præmium*, ut a præclaro facinore. *Id. ibid.* docet, *donum* deorum esse, *præmium* virorum fortium, *munus* hominum. — Aliud discrimen tradit *Paul. Dig.* 50. 16. 194. Nam *donum* esse genus Labeo ait, *munus* speciem: et *munus* esse donum cum causa, ut natalicium, nuptiale: *donum*, quod nulla necessitate, jure, officio, sed sponte præstatur, ut et *Martian. ibid.* 214. confirmat. *Ulp. ibid.* 1. 16. 6. *sub fin.* Ne donum vel munus proconsul accipiat. — Non tamen crediderim ad hæc respexisse *Cic.* (neque enim vera: certe perpetua non sunt) quum ait 2. *Orat.* 71. 286. Cincius legem de donis et muneribus tulit. et *Cluent.* 24. 66. Tantum donis datis muneribusque perfecerat, ut etc. (Recte *Klotz* ad h. l. animadvertit, *dona* et *munera* fere conjungi, quoties de magistratibus, aliisve corrumpendis agitur). et *Arch.* 8. 18. Poetæ quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videntur. Adde *eumd. Senect.* 12. 40.; et *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 120., quorum verba *V.* supra sub *a.* Certe quidem *Ovid.* confundit 3. *Art. am.* 653. Munera, crede mihi, capiunt hominesque deosque: Placatur donis Juppiter ipse datis. *Donum munus* non raro junguntur in Pandectis, v. gr. 38. 1. 7. et 37. et 47. V. JCtos.

DORCĂDĬON, ii, n. 2. herba eadem ac dracontea et dictamnum. *Apul. Herb.* 14. et 62.

DORCA, æ, m. 1. et

DORCAS, ădis, f. 3. δορκάς, dama, caprea, genus capræ silvestris: a δέρκω video, quia acutissime videt. *Grat. Cyneg.* 200. pavidosque juvat compellere dorcas. *Martial.* 13. 98. Delicium parvo donabis dorcade nato. *Id.* 10. 65. Dorcas fugax. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

DŌRĬCĒ, adverb. Δωρικῶς, Doricorum more. *Sueton. Tib.* 56. Dorice Rhodii loquuntur. Adde *Priscian.* 12. *p.* 955. *Putsch.*

DŌRIS, idis, f. 3. est herba anchusæ similis, lanuginosior et minus pinguis, tenuioribus foliis et tangibilioribus, pseudanchusa etiam dicta. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 20. 21. (50). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 111.) hanc exhibet synonymiam: Ἔχιον Dioscor. 4. 27. (dans ce qui a rapport aux propriétés médicinales seulement), et *Pseudanchusa, echis aut doris* Plin. loc. cit. sunt *Anchusa italica* Retz, Pelr., Encycl. La buglosse d'Italie. *V.* et ECHIS. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

DŌRĬUS, a, um, adject. idem quod Doricus et Doriensis: sed occurrit speciatim tantum de sono. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 22. 20. (84). Dorius phthongus. *h. e.* sonus gravis et bellicosus, quali delectati sunt Dores, sicuti acuto Phrygii, medio Lydii. *Id.* 7. *ibid.* 56. 57. (204). Lydios modulos invenit Amphion, Dorios Thamyris Thrax. *Horat. Epod.* 9. 5. Sonante mixtis tibiis carmen lyra, Hac Dorium, illis Barbarum. *V.* LYDIUS. — Hinc

Dorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est cantus vel sonus bellicus. *Apul.* 10. *Met.* At

pone tergum tibicen Dorium canebat bellicosum, et permiscens bombis gravibus tinnitus acutos, in modum tubæ, saltationis agilis vigorem suscitabat.

DORMĪO, is, ivi *vel* ii, itum, ire, n. 4. *Dormibo* pro *dormiam* antiquum: et est in verbis 4. conjug. non infrequens positio. *Plaut. Trin.* 3. 2. 100. Dormibo placide in tabernaculo. *Cato R. R.* 5. Valebit rectius et dormibit libentius. — Part. *Dormiens* I. et II. 1.; *Dormiturus* et *Dormiendus* I. — Dormire (quod nonnulli deducunt a δέρμα *pellis*, nam veteres in pellibus dormiebant: *V.* SEGESTRA) est somnum capere (It. *dormire;* Fr. *dormir, sommeiller*; Hisp. *dormir;* Germ. *schlafen;* Angl. *to sleep, be asleep.*).

I.) Proprie. — *a*) Activa forma et neutrorum significatione. *Plaut. Curc.* 1. 3. 27. PA. Quid taceam? Quin tu is dormitum? PH. Dormio: ne occlamites! PA. Tu quidem vigilas. PH. At meo more dormio: hic somnu' st mihi. Sic *Id. Aulul.* 2. 4. 23. et *Most.* 3. 2. 4. et 16.; et *Horat.* 1. *Sat.* 5. 48. et 6. 119. Ire dormitum. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 73. *Cic.* 1. *Divinat.* 30. 63. Jacet enim corpus dormientis, ut mortui. *Id.* 10. *Att.* 13. Ad horas tres dormit. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 30. in medios dormire dies. *Id.* 1. *ibid.* 18. 24. in lucem. *Id.* 1. *Od.* 25. 7. longas noctes. *Martial.* 1. 50. mane totum. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 14. Postquam illos arctius jam, ut fit, ex lassitudine dormire sensit. *Juvenal.* 1. 17. Altum dormire. *Ovid. Heroid.* 19. 57. Dormire cum aliquo. *Id. Remed. am.* 727. thalamo dormivimus isto. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 89. (156). Dormire in molli thymo. *Alter Plin.* 4. *Ep.* 20. Dormire in dextram aurem. *V.* AURIS. *Cels.* 5. 25. *n.* 9. Bona catapotia noctu dormituro dantur. *Apul.* 6. *Met. de Psyche soporata.* Et jacebat immobilis, et nihil aliud, quam dormiens cadaver. — *Festus p.* 173. 5. *Müll. Non omnibus dormio:* proverbium videtur natum a Cipio quodam, qui Pararbenchon dictus est, quod simularet dormientem, quo impunitius uxor ejus mœcharetur; ejus meminit Lucilius. Similiter *Cic.* 7. *Fam.* 24. 1. Cipius, opinor, olim, *Non omnibus dormio:* sic ego non omnibus, mi Galle, servio. *V.* LACUNAR. — *b*) Impersonaliter passive. *Juvenal.* 6. 267. Semper habet lites alternaque jurgia lectus, In quo nupta jacet: minimum dormitur in illo. — *c*) Passive. *Catull.* 5. 6. Nox est perpetua una dormienda. *Martial.* 13. 59. Tota mihi dormitur hiems. — *d*) De morte. *Plaut. Amph.* 1. 1. 156. ME. Haud malum huic est pondus pugno. SO. Perii; pugnos ponderat. ME. Quid si ego illum tractim tangam, ut dormiat?

II.) Translate. ¶ 1. Dormire est cessare, inertem esse. *Plaut. Curc.* 1. 2. 66. Hoc vide, ut dormiunt pessuli pessimi, nec mea gratia commovent se ocius. *Ter. Adelph.* 4. 5. 59. Quid? credebas dormienti hæc tibi confecturos deos? *Cic.* 7. *Verr.* 70. 180. Qui nobili genere nati sunt; quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferuntur. *Propert.* 3. 4. 34. Noctibus illorum dormiet ipsa Venus. Adde *Juvenal.* 2. 37. *Martial.* 10. 62. Feruleque tristes, sceptra pædagogorum, Cessent et Idus dormiant in Octobres. ¶ 2. Item securum esse et nullam de re aliqua cogitationem suscipere. *Ter. Phorm.* 5. 8. 15. Clam te uxorem duxit, et inde filiam suscepit unam, dum tu dormis. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 17. Vos dormitis, nec hæc adhuc mihi videmini intelligere.

DORMISCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* dormire incipio. Habet quidem, sed nulla confirmat auctoritate, *Priscian.* 8. *p.* 824. *Putsch.* Dormio, dormisco; sentio, sentisco. Ceterum *V.* CONDORMISCO.

DORMĪTĀTĪO, ōnis, f. 3. actus dormitandi. *Vulgat. interpr. Psalm.* 131. 4. Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem. Adde *ibid. Prov.* 23. 21.

DORMĪTĀTOR, ōris, m. 3. usurpatur a *Plauto* pro nocturno fure, qui interdiu dormitat, et noctu vigilat, *Trin.* 4. 2. 20. Mira sunt, ni illic homo est aut dormitator, aut sector zonarius. Sic *Hesiod. Oper. et dies* 5. 605. furem vocat ἡμερόκοιτον, tota die dormientem. Alii minus recte exponunt amatorem, ob eandem causam. *V.* INTERDIARIUS.

DORMĪTĪO, ōnis, f. 3. dormiendi actus.

I.) Proprie. *Varro* apud *Non. p.* 100. 1. *Merc.* Quid mihi cum somno, si dormitio tollitur? *et ibid.* O stulta nostri pectoris dormitio? vigilabis. *V.* CUBITIO.

II.) Improprie apud Christianos scriptores *Tertull. Patient.* 9., *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 15. *et Augustin.* 9. *Confess.* 9. *extr.* sumitur pro morte. Adde *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 367. 15., ubi ponitur pro quiete cadaveris in sepulcro. *Alia* apud *Orell.* 4461. DORMITIONI SALLVSTIAE PARTHENOPE S. M. F. SAL. AGAPETVS. *Alia* apud *Henzen.* 7356. PRO DORMITION. T AVR. SILVANVS ET VALERIA MAXIMA T AVR. TELESPHORO FILIO DVLCIS ET INFETE ALVMNE F. C. B.

DORMĪTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. *Part. Dormitans* in omnibus paragr. — Dormito est dormire cupio, vel leviter dormio, vel etiam aliquando simpliciter dormio.

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 2. 2. 175. Te dormitare ajebas? mensa ablata est: cubitum hinc abiimus. Adde *eumd. Pœn.* 3. 6. 9. et *Trin.* 1. 2. 133. *Cic.* 2. *Att.* 16. Cœnatu mihi, et jam dormitanti, prid. Cal. Majas epistola illa est reddita. *Id.* 1. *Divinat.* 28. 59. Quum magnam partem noctis vigilasses, ad lucem denique arcte et graviter dormitare cœpisse. *Horat. Art. P.* 105. male si mandata loqueris, Aut dormitabo, aut ridebo. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Consistorium perangustum, ubi somnolentiæ cubiculariorum dormitandi potius, quam dormiendi, locus est. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 3. *ad M. Cæs.* 21. Mi magister, ecce non dormito, et cogo me ut dormiam, ne tu irascaris.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate *dormitans lucerna* apud *Ovid. Heroid.* 19. 195. est languens, deficiens, et jam jam lumen amissura, atque adeo ad dormiendum invitans. ¶ 2. Translate est negligentem esse, otiose agere. *Plaut. Epid.* 1. 2. 58. Non nunc tibi dormitandum, neque cunctandi copia est. Adde *eumd. Asin.* 2. 1. 5., *Bacch.* 2. 3. 6. et *Trin.* 4. 2. 139. *Cic.* 2. *Orat.* 33. 144. Oscitans et dormitans sapientia. *Horat. Art. P.* 359. quandoque bonus dormitat Homerus. *Quintil.* 10. 1. 24. Quum Ciceroni dormitare interim Demosthenes – videatur. Cf. *eumd.* 12. 1. 22.

DORMĪTOR, ōris, m. 3. qui dormit, dormitator. *Martial.* 10. 4. Quid tibi dormitor proderit Endymion?

DORMĪTŌRĪUS, a, um, adject. ad dormiendum pertinens. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Dormitorium cubiculum. Et eodem sensu *Id.* 2. *ibid.* 17. membrum. — Hinc

Dormitorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est dormitorium cubiculum. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 6. 17. (51). Jubent eum in pariete dormitorii ejus tectorio includi.

DORSĪFER. *V.* CLUNIFER.

DORSŪĀLIS, e, adject. ad dorsum pertinens. *Apul.* 11. *Met.* Equus, quem diverse distractum, notæ dorsualis agnitione recuperaverant. *Ammian.* 22. 15. Ferarum dorsuales crustæ. *Solin.* 12. Dorsuales pinnæ. — Hinc

Dorsualĭa, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt tegumenta, quæ jumentis imponuntur. *Trebell. Gallien.* 8. Boves dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes.

DORSŪĀRĪUS. *V.* DOSSUARIUS.

DORSUM, i, n. 2. Mascul. genere *dorsus* legitur apud *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 44. Timeo, quid rerum gesserim hic; ita dorsus totus prurit. — Dorsum est tergum, posterior corporis pars a cervice usque ad clunes: dicta, si *Paulo Diac. p.* 69. 3. *Müll.* credimus, quod pars ea corporis devexa sit deorsum; nam et Græcum νῶτος est a νεύω inusit. pro νεύω *deorsum inclino.* Ceterum, quidquid sit de etymo, *dorsum* a *tergo* differt, quod *dorsum* est horizonti ad libellam respondens et ventri oppositum, *tergum* vero ad perpendiculum erigitur; *dorsum* itaque dicitur potius de brutis, quam de hominibus, *tergum* de hominibus: V. *Döderlein. latein. Synon.* vol. 5. *p.* 15. (It. *dosso, schiena;* Fr. *dos;* Hisp. *espalda, cerro, espinazo;* Germ. *d. Rücken;* Angl. *the whole back part of the body, the back of a man or beast*).

I.) Proprie de hominibus et brutis. *Plaut. Epid.* 1. 1. 85. Ubi senex senserit, sibi data esse verba, virgis dorsum depoliet meum. Adde *eumd. Cas.* 2. 8. 23. et *Trin.* 3. 2. 93. *Virg.* 3. *G.* 116. Frena (*equis*) Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere impositi dorso. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 20. ut iniquæ mentis asellus, Quum gravius dorso subiit onus. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 10. 38. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 91. (231). Quadrupedum dorsa pilosa, ventres glabri. *Id. ibid.* 37. 86. (214). Spina dorsi. *Curt.* 3. 15. 16. et 4. 10. 20. Dorso onera portare vel gestare.

II.) Translate dicitur de aliis rebus; ac præcipue — *a*) De montibus. *Cæs.* 7. *B. G.* 44. Dorsum ejus jugi esse prope æquum. *Liv.* 1. 3. Urbs porrecta in dorso Albani montis. *Sueton. Cæs.* 44. Viam munire per Apennini dorsum. *Curt.* 3. 4. 7. Per hoc dorsum, qua maxime introrsum mari cedit, asperi tres aditus et perangusti sunt. *V. Mützell* ad h. l. *Virg.* 3. *G.* 436. Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbas. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 6. 91. Prærupti nemoris patientem vivere dorso. Rursus *Virg.* 8. *Æn.* 233. Stabat acuta silex, præcisis undique saxis, Speluncæ dorso insurgens. — *b*) De scopulo in mari sive latenti, sive extante, vel cumulo arenæ altiore, quam sit reliquus fundus; qui *pulvinus* etiam dicitur. *Virg.* 1. *Æn.* 113. Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras, Dorsum immane mari summo. *Id.* 10. *ibid.* 303. Puppis inflicta vadis dorso dum pendet iniquo. *Plin.* 6. *Ep.* 31. *sub fin.* Eminet et apparet saxeum dorsum, impactosque fluctus in immensum elidit et tollit. Similiter *Id.* 9. *ibid.* 7. Hæc unum sinum molli curvamine amplectitur, illa editissimo dorso duos dirimit. *h. e.* promontorio in lacum procurrente. — *c*) De aliis. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 43. *de via Domitiana.* Mox haustas aliter replere fossas, Et summo gremium parare dorso. *h. e.* nucleum parare silici, quo eminentior pars viæ sternenda est. *V.* NUCLEUS et AGGER. *Avien. Perieg.* 217. Dorsa maris. *h. e.* extima pars, superficies. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 21. (48). Folia nigriora et canalium dorso rubescentia. *h. e.* parte convexa folii. — Duplici dentalia dorso, *Virg.* 1. *G.* 172. *h. e.* latere utroque in dorsi figuram exstante et lato.

DORSŪOSUS, a, um, adject. dorsum habens. *Ammian.* 22. 8. Pontus consurgit in brevia dorsuosa. *Solin.* 27. Mare in brevia crescit dorsuosa. *Alii utrobique rectius leg.* tortuosa.

DŎRȲCNĬON, *vel Latina positione*

DŎRȲCNĬUM, ii, n. 2. δορύκνιον, herba est venenosa, sic dicta, quod lancearum cuspides ea tingerentur in prœliis: a δόρυ *cuspis, hasta*, et κνίζω *prurio. Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (179). et 28. *ibid.* 7. 21. (74). Adde *Scribon. Compos.* 191. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 89.) hanc exhibet synonymiam: Στρύχνον καρποῖς ἐρυθροτέροις Theophr. 9. 12.; Ἀλικάκαβον, οἱ δὲ φυσαλίδα Dioscor. 4. 72.; Κεραcουλια Græcor. recent.; et *Halicacabon, seu callion, seu vesicaria,* (*seu dorycnium*) Plin. loc. cit. sunt *Physalis Alkekengi* L. Spec. plant. 261. Idem *Fée* (*ibid. p.* 90.) ait, *dorycnium* a *Plinio* memoratum non esse confundendum cum δορυκνίῳ *Dioscoridis*, quod putatur esse quidam *convolvulus.*

DŎRȲPHŎROS, *vel Latina positione*

DŎRȲPHŎRUS, i, m. 2. δορυφόρος. Legitur et *doriferus* in *Inscript.* apud *Gruter.* 403. 7. — Doryphorus est miles hastatus, cujusmodi sunt satellites et custodes corporis, a δόρυ *hasta*, et φέρω *fero.* Apud *Cic. Brut.* 86. 296. et *Orat.* 2. 5., *Quintil.* 5. 12. 21. et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (55). nomen est statuæ a Polycleto effictæ talem militem referentis. V. *Göller* ad *Cic. Orat.* 2. 5. — Apud *Curt.* 3. 7. 15. doryphori vocantur servi Persarum reges circumstare soliti. V. *Mützell.* ad *Curt.* loc. cit. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

DOS, dōtis, f. 3. Genitivus pluralis est *dotium*, ut apparet ex titulo 3. *l.* 23. *Dig.*, qui *De jure dotium* inscribitur. — Dos, a δίδωμι *do*, est id quod datur puellæ, quæ in matrimonium collocatur, ad alendos liberos (It. *dote;* Fr. *dot, trousseau;* Hisp. *dote;* Germ. *d. Mitgabe, Mitgift, Aussteuer;* Angl. *a marriage-portion, dowry*).

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 2. 2. 209. Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur: sed pudicitiam et pudorem et sedatum cupidinem, deûm metum, parentum amorem et cognatûm concordiam, tibi morigera, atque ut munifica sim bonis, prosim probis. Cf. *Horat.* 3. *Od.* 24. 21. Dos est magna parentium Virtus, et metuens alterius viri Certo fœdere castitas; Et peccare nefas, aut pretium est mori. Rursus *Plaut. Cist.* 2. 3. 19. Tibi talenta viginti pater det dotis. Adde *eumd. Aulul.* 3. 5. 17., *Epid.* 2. 1. 11. et alibi sæpe. *Ter. Andr.* 3. 4. 47. Dos, Pamphile, est, decem talenta. Adde *eumd. Adelph.* 3. 2. 17. et *Heaut.* 5. 1. 64. *Cic. Quinct.* 31. 98. Quum ipse filiæ nubili dotem conficere non posset.

Id. 2. *Legg.* 16. 41. Clisthenes Junoni Samiæ, quum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit. Adde *eumd.* 14. *Att.* 13. 5. *Nepos Arist.* 3. Dare dotes filiis de communi ærario. *Cæs.* 6. *B. G.* 18. Accipere pecuniam ab uxore dotis nomine. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 50. Filius uxorem grandi cum dote recuset. Adde *eumd. ibid.* 2. 131. et 1. *Ep.* 6. 36. *Plin.* 2. *Ep.* 4. Conferre nubenti in dotem centum millia. *Ovid. Heroid.* 7. 149. Accipere aliquid in dotem. *Tryphonin. Dig.* 23. *tit.* 23. *qui est* De jure dotium, 78. *ad fin.* Dare fundum in dotem. *Julian. ibid.* 49. Facere alicui dotem. et *ibid.* Ea pecunia est in dotem. *African. ibid.* 50. Habere fundum in dotem. *Modestin. ibid.* 62. Fundum doti dare. *h. e.* in dotem. Sic *Labeo ibid.* 79. Doti promittere. *Papinian. ibid.* 69. Promittere in dotem. — *Dotem dicere* est pronunciare et decernere, quæ in dotem dare quis vult: pertinet autem vel ad patrem puellæ, vel ad ipsam sponsam, vel ad debitorem ejus. Hi enim proprie olim dicebantur *dotem dicere*, eaque dictione obligabantur, uti docet *Cajus* 2. *Institut.* 9. et *Ulp. tit.* 6. *Regular.* Differunt autem *dicere* et *promittere*, quia illud fit certis quidem verbis, v. gr. iot *tibi erunt*, sed nulla interrogatione præcedente, seu stipulatione: hoc vero cum interrogatione et stipulatione. *Ulp. loc. cit.* Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur. *Afranius* apud *Non.* p. 280. 26. *Merc.* Vicino suo perpauperi, cui dicat dotis paullulum. *Ter. Heaut.* 5. 1. 64. Quid dotis dicam te dixisse filio? *Cic. Cæcin.* 25. 72. Deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset. V. *Klotz* ad h. l. *Plin.* 2. *Ep.* 4. Quum ego nubenti tibi in dotem centum millia contulerim, præter eam summam, quam pater tuus quasi de meo dixit. — Dicimus etiam *dicere doti* et *in dotem*. *Ter. Heaut.* 5. 1. 69. Me mea omnia bona doti dixisse illi. *Cic. Flacc.* 36. 86. Doti Valeria pecuniam omnem suam dixerat. *Cajus loc. cit.* Si pecuniam debitor in dotem dixerit. — De dote *adventicia, profecticia, recepticia*, V. has voces. — Ceterum generatim de dote apud Romanos V. *Rein's röm. Privatr.* p. 194. et *Pauly's Realencycl.* sub hac voce.

II.) Translate: ad rem *Cic.* 11. *Phil.* 5. 12. His, quasi præter dotem, quam in civilibus malis acceperant, agrum Campanum est largitus Antonius. *Vellej.* 2. 67. Velut in dotem invitamentumque sceleris, Antonius avunculum, Lepidus fratrem proscripserant. — Itaque *dos* sumitur pro omni eo quod alicui datum est vel a natura, vel ab industria, vel a fortuna. Unde dotes animi sunt virtutes, litteræ etc., corporis pulcritudo, robur, incolumitas etc. *Cic.* 1. *Orat.* 55. 234. Artem juris civilis quum indotatam esse atque incomptam videres, verborum eam dote locupletasti et ornasti. *Plin.* 3. *Ep.* 3. Naturæ fortunæque dotes. *Vellej.* 1. 12. Omnibus belli ac togæ dotibus. *Ovid.* 9. *Met.* 716. Dos formæ. *Id.* 5. *ibid.* 562. oris. *Id. ibid.* 583. corporis. *Id.* 2. *Art. am.* 112. dotes ingenii. *Id. Heroid.* 15. 146. dos erat ille loci. *h. e.* pretium et ornamentum. Et cum Infinito *Id.* 1. *Amor.* 10. 60. Est quoque carminibus meritas celebrare puellas Dos mea. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 56. (112). Dos omnis unionum in candore, magnitudine, orbe, etc. *Id.* 22. *ibid.* 24. 50. (108). Suæ mulso dotes constant. *Id.* 19. *ibid.* 8. 41. (141). Teneritas in dote est. *Id.* 32. *ibid.* 11. 53. (142). Dotes aquatilium. *Grat. Cyneg.* 251. silvarum. — Similiter *dotes fundorum* sunt res quædam comparatæ ad tolerandos sumptus ipsorum fundorum colendorum, ut dotes instituuntur ad toleranda onera matrimoniorum. *Colum.* 4. *R. R.* 30. 1. Pedamenorum jugorumque et viminum prospiciendorum tradenda ratio est: hæc enim, quasi quædam dotes, vineis ante præparantur. *Id.* 3. *ibid.* 3. 8. Vineæ cum sua dote, id est cum pedamentis et viminibus. *Papinian. Dig.* 33. 7. 2. Dotes prædiorum, quæ Græco vocabulo ἐνθῆκαι appellantur, quum non instructa legantur, legatario non præstantur. Adde *Scævol. ibid.* 20. etc. — Hinc est etiam pretium stupri apud *Apul. de Mag.* p. 555. *Oudend.* Præter quod ei uxor sua quotidianis dotibus quæsivit.

DOSSŪĀRIUS, a, um, adject. dicitur de jumentis, quæ dorso portant. Olim enim *dossum* pro *dorsum*, dictum fuisse videtur. *Varro* 2. *R. R.* 6. 5. Aselli dossuarii. *Id. ibid.* 10. 5. Jumenta dossuaria.

DŌTĀLIS, e, adject. ad dotem pertinens: et fere de muliere dicitur, raro admodum de viro. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 30. Dotales ædes. *Cic.* 15. *Att.* 20. Hæ sunt mercedes dotalium prædiorum. *Virg.* 4. *Æn.* 104. Dotales Syrii. *Id.* 9. *ibid.* 737. regia. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 21. agri. *Ovid.* 4. *Met.* 705. regnum. *Id. Heroid.* 4. 163. tellus. *Sil. It.* 17. 75. arma. *Manil.* 1. 910. restabant Actia bello Dotali commissa acie. *Albinov.* 2. 53. ac posset femina Romam Dotalem stupri turpis habere sui. *h. e.* Cleopatra. Sic incertus *Poeta* apud *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 3. *p.* 199. Dotalemque petens Romam Cleopatra Canopo. — *Dotalis servus* dicebatur, quem uxor una cum dote ad maritum adducebat; qui ideo in potestate mariti erat, ut et dos ipsa: contra autem servus recepticius in potestate uxoris erat. *V.* RECEPTICIUS. *Plaut. Asin.* 1. 1. 72. Dotalem servum Sauream uxor tua adduxit. *Seneca* 3. *Controv.* 21. Eligitur maritus servus, quem sanus pater dotalem dedisset. *Paul. Dig.* 24. 1. 28. § 2. Si quid in pueros ex ancillis dotalibus natos maritus impenderit, aut in doctrinam, aut alimenta; non servatur marito, quia ipse ministeriis eorum utitur. Sic *Capell.* 2. *p.* 27. Dotalia mancipia. *Id.* 8. *p.* 270. Dotalis femina. Cf. *eumd. ibid. p.* 272.

DŌTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DŌTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Dotatus* in fin.; *Dotandus* I. — Dotare est dotem dare (It. *dotare;* Fr. *doter, donner une dot*; Hisp. *dotar*; Germ. *mit einer Mitgift ausstatten, aussteuern*; Angl. *to endow, give a dowry*).

I.) Proprie. *Virg.* 7. *Æn.* 318. Sanguine Trojano et Rutulo dotabere virgo. *Sueton. Vesp.* 14. Filiam splendidissime maritavit dotavitque etiam. *Claudian. Nupt. Honor.* 290. toto pariter dotabere mundo. *Id. IV. Cons. Honor.* 681. aurus toto dotanda mari.

II.) Translate. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 38. (77). In Arabia et olea dotatur lacrima, qua medicamentum conficitur. *h. e.* in pretio habetur, magni æstimatur propter lacrimam. *Pallad. Insit.* 63. Et steriles spinos et inertem fetibus ornum Dotat. — Sæpius occurrit Part. præter. pass.

Dotatus, a, um, et adjective quoque usurpatur, unde Sup. *Dotatissimus* II. Est autem qui dotem, vel potius qui præclaram dotem habet.

I.) Proprie. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 62. Dummodo morata recte veniat, dotata est satis. *Id. Asin.* 5. 2. 48. Faxo ut scias, quid pericli sit dotatæ uxori vitium dicere. Adde *eumd. Mil. glor.* 3. 1. 86., *Most.* 3. 2. 14. et *Stich.* 4. 1. 56. *Ter. Phorm.* 5. 7. 45. Vos me indotatis modo patrocinari fortasse arbitramini: etiam dotatis soleo. *Cic.* 14. *Att.* 13. *a med.* Dotata Aquilia. *Horat.* 3. *Od.* 24. 19. Nec dotata regit virum Conjux. *Propert.* 1. 8. 35. Quam sibi dotatæ regnum vetus Hippodamiæ.

II.) Translate qui aliquibus animi aut corporis dotibus præditus est. *Ovid.* 11. *Met.* 302. Nata erat huic Chione, quæ dotatissima forma Mille procis placuit. Huc pertinet et illud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (266). Dotata vite ulmus. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

DR

DRĂCÆNA, æ, f. 1. δράκαινα, de dracone femina, tamquam Latinum agnoscunt *Priscian.* 5. *p.* 647. et 6. *p.* 684. *Putsch.*, *Donat.* edit. 2. *p.* 1747. et *Cledon. p.* 1896. Sed nullo præterea firmant Latino scriptore. Græcam vocem esse, notavit etiam *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 245. ut *leæna*.

DRACHMA, æ, f. 1. δραχμή. *Drachŭma* per epenthesin, eo modo quo *Alcumena*, pro *Alcmena*, dicitur a *Plauto Trin.* 2. 4. 23. — Scribitur et *dragma*, teste *Priscian.* 1. *p.* 565. *Putsch.* Ante *m* autem inveniuntur *c, d, g, t*, ut *Pyracmon, Alcmene, dragma, dmous, Admetus, agmen, Tmolus, Isthmos*. Et *Isid.* 11. *Orig.* 24. Dragma octava pars unciæ est. — Drachma est pondus constans dimidio siciiico, *h. e.* ternis scripulis, seu scrupulis, estque unciæ pars octava, vel, ut alii volunt, septima. Hoc pondere cudebatur Athenis nummus argenteus, qui minæ Atticæ centesimam partem valebat. Hæc *Rhem. Fann. de ponderib.* 17. et *Plin.* 21. *Hist. nat.* 34. 109. (185).; et *V.* dicta in DENARIUS. Drachma autem fere denario Romano respondebat, et quatuor sestertiis sive de pondere loquamur, sive de moneta. *Scribon. epist. ad Callistrat. sub fin.* Erit autem nota denarii unius pro Græca drachma. *Plin. loc. cit.* Drachma Attica denarii argentei habet pondus: eademque sex obolos pondere efficit. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 58. 132. Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmas ipsi petunt. *Cic.* 2. *Fam.* 17. Quod scribis ad me de drachmis CCCLIII., nihil est quod in isto genere cuiquam possim commodare. Loquitur *Cicero* de pecunia Asiatica: nam de Romana Latinis nominibus usus fuisset. Adde *Plaut. Merc.* 4. 4. 37., *Pseud.* 1. 1. 84. et 3. 2. 19.; *Ter. Andr.* 2. 6. 20. et *Heaut.* 3. 3. 40.; *Cic. Flacc.* 15. 34.; et *Horat.* 2. *Sat.* 7. 43.

DRĂCO, ōnis, m. 3. δράκων. *Accius* apud *Charis.* 1. *p.* 101. *Putsch.* dixit *dracontem* pro *draconem*, a recto *dracon, ontis*, Græca forma. Idem *Accius* apud *Non. p.* 426. 2. *Merc.* Ab dracontis stirpe armata exortus. Sic *Leonte Macharensi* dixit *Cic.* 7. *Verr.* 7. 15. pro *Leone*, ut quidem legit *Priscian.* 6. *p.* 690. *Putsch.*; nam alii aliter. — Draco

I.) Proprie est serpens annosus, qui multa ætate in insolitam magnitudinem excrevit: a δέρκω *video*, quia acutissimi est visus. In deliciis a veteribus habitos fuisse, eos præsertim, quos Epidaurios vocabant, veneno scilicet carentes, exempla reperies apud *Sueton. Tib.* 72., *Senec.* 2. *Ira* 31. et *Martial.* 7. 87. *V.* etiam *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 22. (61). *Cic.* 2. *Divinat.* 30. 65. Cur autem de passerculis conjecturam facit, in quibus nullum erat monstrum: de dracone silet, qui id, quod fieri non potuit, lapideus dicitur factus? Adde *Sueton. Aug.* 94. et *Ner.* 6.; et *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 20. (67). Juxta *Servium* in *Virg.* 2. *Æn.* 204. draco dicitur in templis, serpens in terra, anguis in aqua. — Dracones a poetis thesaurorum custodiæ præesse finguntur, ut aureo velleri Colchidis, hortis Hesperidum, etc. *V. Cic.* 13. *Phil.* 5. 12. et *Phædr.* 4. 9. — Tribuuntur etiam Æsculapio, quia vigilantissimi putantur: quæ res medicinæ maxime necessaria est. *Paul. Diac. p.* 67. 13. *Müll.*

II.) Improprie. ¶ 1. Est Draco nomen signi cælestis, de quo *V.* in ANGUIS. *Cic.* 2. *Nat. D.* 42. 106. ¶ 2. Item signum in singulis cohortibus, sicut aquila erat primum signum totius legionis. *Veget.* 2. *Milit.* 13. Hinc *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 193. Stent bellatrices aquilæ sævique dracones. *Prudent.* 5. *Cathemer.* 56. signaque bellica Prætendunt tumidis clara draconibus. Adde *Nemes. Cyneg.* 82.; et *Trebell. Poll. Gallien.* 8. ¶ 3. Draco marinus piscis est *Plinio* 9. *Hist. nat.* 27. 43. (82). et 32. *ibid.* 11. 53. (148). ¶ 4. Translate dicitur de vase tortuoso ad aquam calefaciendam. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 24. Facere solemus dracones, et miliaria, et complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus per declive circumdatas, ut sæpe eumdem ignem aqua per tantum fluat spatii, quantum efficiendo calori sat est. ¶ 5. Item de palmite in vitibus: de quo ita *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (206). Nuper repertum, draconem serere juxta arborem: ita appellamus palmitem emeritum, pluribusque induratum annis. Hunc præcisum quam maxima amplitudine, tribus partibus longitudinis deraso cortice, quatenus obruatur (unde et rasilem vocant) deprimere sulco, reliqua parte ad arborem erecta (*unde ratio nominis*); ocissimum in vite. Hæc *Plin.*, qui ejus meminit et *ibid.* 22. 35. (182). et 11. *ibid.* 1. 3. (12). *V.* MERGUS. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

DRĂCŌNĀRIUS, ii, m. 2. signifer, qui cohortis vexillum portat insignitum dracone. *Ammian.* 20. 4. Torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Juliani imposuit. Adde *Veget.* 2. *Milit.* 7. et 13. *Inscript.* apud *Kellermann. Vig. laterc.* p. 42. *not.* 77. SANTIO DRACONARIVS HIC ADQVIESCIT IN PACE. Hæc *Inscript.* legitur etiam apud *Henzen. n.* 6812.

DRĂCŌNĔUS, a, um, adject. ad draconem pertinens, serpentinus. *Hygin.* ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 21. *fab.* 48. Ad saxum religatus est Pirithous nexibus draconeis.

DRĂCŌNĬGĔNA, æ, comm. gen. (draco et geno) a dracone genitus. *Ovid.* 3. *Fast.* 865. Thebas vocat *Draconigenam urbem*, quia conditæ fuerunt a Cadmo, de quo *V.* suo loco. *Sidon. carm.* 2. 80. Quæque draconigenæ portas non clauserat hosti, Tum demum Babylon nimis est sibi visa placere. *h. e.* Alexandro M., cujus mater Olympias cum se ex Jove, h. e. serpente ingentis magnitudinis concepisse dicebat, uti narrat *Justin.* 11. 11. et 12. 16.

DRĂCŌNĬPES, pĕdis, adject. qui serpentinos pedes habet. *Vet. Scholiast.* ad *Stat.* 5. *Theb.* 569. Gigantes, serpentinis pedibus, quos draconipedes vocant.

DRĂCONTĀRĬUM, ii, n. 2. *Tertull. Cor. mil.* 15. Quid caput strophiolo, aut dracontario damnas? *h. e.* torque, qui sæpe draconis formam habebat, et quo pro corona interdum usi sunt veteres. *V. Ammiani* locum in DRACONARIUS.

DRĂCONTĒA, æ, f. 1. herba eadem quæ et dracontium. *Apul. Herb.* 14.; et *Isid.* 17. *Orig.* 9. 35., ubi *dracontia* legitur.

DRĂCONTĒUS, a, um, adject. δρακόντειος, anguinus, idem ac draconeus. *Hygin.* ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 46. *fab.* 128. Natus est puer meonteis pedibus, qui appellatus est Erichthonius.

DRĂCONTĬA, æ, *et* Dracontites, æ, f. 1. δρακοντία et δρακοντίτης, gemma, quæ in capite draconum reperiri dicitur, si viventi cerebrum excutiatur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 57. (158). *Isid.* 16. *Orig.* 13. Dracontites ex cerebro draconis eruitur etc. — De alia significatione *V.* DRACONTEA.

DRĂCONTĬAS, æ, m. 1. genus tritici, de quo *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (64).

DRĂCONTĬOS Vitis memoratur a *Colum.* 3. *R. R.* 2. 28. fecunditate et generositate celebris. Fortasse ita dicta est a tortuositate ramorum.

DRĂCONTĪTES. *V.* DRACONTIAS.

DRĂCONTĬUM, ii, n. 2. δρακόντιον, herba aro similis vel eadem cum aro. Triplicem ejus descriptionem refert *Plin.* 24. *Hist. nat.* 16. 93. (150), quorum cf. *Veget.* 5. *Veterin.* 66. 1. *Schneid.* Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 290.) trium a *Plinio* memoratarum specierum hanc exhibet synonymiam: — I. Δρακόντιον Dioscor. 2. 196., Hippocr. Intern. ad sect. 532. et Theophr. Hist. plant. 7. 11.; et *Dracontium* et *Dracunculus major* Plin. loc. cit. et *Dracunculus caulis* ejusdem 25. *Hist. nat.* 2. 6. (18). sunt *Arum Dracunculus* L. Spec. plant. 1367. Le gouet serpentaire. — II. Ἄρον Dioscor. 2. 197. et *Dracontium* (*minus*) *foliis betæ* Plin. loc. cit. sunt *Arum italicum* Lamrk. Encycl. Le gouet d'Italie. — III. *Arum radice arundinacea* Plin. loc. cit. est *Anguina aquatica* Lob. Icon., *Dracunculus aquatica* Dodon. Pempt. 331., et *Calla palustris* L.? Spec. plant. 1372. La calle des marais. Ceterum *V.* plura apud *eumd. Fée ibid. p.* 288. - 291.

DRĂCUNCŬLUS, i, m. 2. deminut. a draco, parvus draco.

I.) Proprie. *Lamprid. Alex. Sev.* 14. Mater ejus somniavit, se purpureum dracunculum parere.

II.) Improprie. ¶ 1. Dracunculus dicitur herba radice subrutila, et draconis convoluti modo. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 16. 91. (142). De synonymia, *V.* voc. præcedentem. ¶ 2. Item piscis aculeos in branchiis habens, ad caudam spectantes, et sic ut scorpio lædens, dum manu tollitur. *Id.* 32. *ibid.* 11. 53. ¶ 3. Item auri tortilis filum, draconi simile, quo duplicato torquis intexitur. *Inscript.* apud *Don. cl.* 1. *n.* 91. DEO AESCVLAPIO TORQVEM AVREVM EX DRACVNCVLIS DVOBVS.

DRAGANTUM, i, n. 2. vox corrupta ex tragacanthe, τραγακάνθη, significat herbam succo quodam manantem, cujus est aliquis in medicina usus. *Veget.* 2. *Veterin.* 4. *Schneid.* et *Theod. Priscian. de diæta* 9. *Schneid.* in loco *Veget.* pro *dragantum* legit *tragantum*. Ceterum *V.* TRAGA.

DRAGMA, æ. f. 1. *V.* DRACHMA sub init.

DRĀMA, ătis, n. 3. δρᾶμα, est actio comœdiæ, aut tragœdiæ: a δράω *facio*; histriones enim *agere* dicuntur. Item ipsum poema comicum, aut tragicum, aut hujusmodi; in quibus poetæ persona non admittetur, sed soli actores colloquuntur. *Auson. epist.* 18. 15. Protulit in scænam quot dramata fabellarum.

DRAMASA, sic Austrinum polum appellant Indi, teste *Plin.* 6. *Hist. nat.* 19. 22. (69). *Sillig.* pro *Dramasa* legit *Diamasa* secutus *Bohlen*, *Das alte Indien* 2. 211.

DRĀMĂTĬCUS, a, um, adject. δραματικός, ad drama pertinens. *Diomed.* 3. *p.* 480. *Putsch.* Dramatici poematis vel activi genera sunt quatuor: apud Græcos Tragica, Comica, Satyrica, Mimica: apud Romanos Prætextata, Tabernaria, Atellana, Planipes.

DRĀPĔTA, æ, m. 1. δραπέτης, servus fugitivus, Vox Græca a δράω *fugio*. *Plaut. Curc.* 2. 3. 11. Conferunt sermones inter sese drapetæ.

DRAPPUS, i, m. 2. pannus. Hujus vocis origo ignota est; ea tamen vetus est, nam legitur in *Not. Tir. p.* 161. *V.* et *Ducangii Gloss. med. et inf. Latin.* in V. *Drappus*. Ceterum est vox a Lexico expungenda; nullo enim confirmatur auctore.

DRAUCUS, i, m. 2. qui mares provectioris ætatis init, conficit, idem ac subactor; a δράω *ago*, *facio*. Differt a pædicone, qui pueros stuprat. *Gloss. Philox.* Draucus, καταπύγων. *Martial.* 9. 28. Occurrit aliquis inter ista si draucus, etc. Adde *eumd.* 11. 8., 4. 48., 1. 97. et alibi.

DRENSO, as, are, a. 1. est proprium vocis cycnorum. *Auct. Philom.* 23. cycni prope flumina drensant.

DRĔPĂNIS, is, f. 3. avis quædam imbecillimis brevissimisque pedibus, apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 47. 107. (257). Eadem est atque hirundo riparia, cujus meminit *Id. Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (94). et 30. *ibid.* 4. 12. (33).

DRĪLŌPŌTA, æ, m. 1. δριλοπότης, qui poculo in Priapi formam facto bibit, a δρῖλος *lumbricus*, item *penis*, et ποτης *potor*. *Vet. interpr.* ad *Juvenal.* 2. 95. ubi alii leg. *veretillopota*, alii *phallepota* eodem sensu.

DRĪMȲPHĀGĬA, æ, f. 1. δριμυφαγία, esus ciborum acrem saporem habentium; a δριμύς *acrem gustum habens*, et φάγω *comedo*. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *n.* 41.; et *V.* DROPACISMUS.

DRINDIO, is, ire, n. 4. verbum exprimens vocem mustelæ. *Auct. Philom.* 61. mustelaque drindit.

DRŎMAS, ădis, m. 3. cursorius, a δρόμος *cursus*. Dromades dicti sunt cameli cujusdam generis, ceteris quidem minores, sed aptiores ad cursum, quos dicunt octingenta stadia uno die conficere. Singula habent in dorso tubera, et ad Arabiam pertinent. *V.* CAMELUS. *Liv.* 37. 40. Cameli, quos appellant dromadas. *Vopisc. Aurelian.* 28. Cum fugeret camelis, quos dromadas vocitant. Adde *Curt.* 5. 2. 10. et ibi *Mützell.*; et *Isid.* 12. *Orig.* 1. 36. Cf. et voc. seq. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

DRŎMĔDĀRĬUS, ii, m. 2. idem ac dromas. *Hieronym. Vita Malchi n.* 10. Vidimus camelos, quos ob nimiam velocitatem dromedarios vocant. *Alii leg.* dromadarios.

DRŎMO, ōnis, m. 3. Legitur et *dromon* in recto casu. — Dromo ¶ 1. Est genus piscis ita dicti a velocitate: nam δρόμος est cursus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (145). *Sillig* ad hunc locum hæc adnotat: « drinones legit Cod. B., drynones quatuor alii, drimones unus. Nomen hoc piscis ignoti, qualia infra quoque plura exstant; *dromones* leg. Barbar. Codd. Dromones vero sive parvi cancri ab Hesychio commemorati huc non quadrant; potius cogitaverim *Plinium*, siquidem *dromones* vera est conjectura *Barbari*, de *dromasin* cogitasse, quos *Aristoteles* 1. *Hist. anim. p.* 488. *a.* nominat: οἷον οὐς καλοῦσι δρομάδας, θύννοι, πηλαμύδες, ἀμίαι. » *V.* DROMAS. ¶ 2. Est etiam hoc nomine genus navis longæ transvectionibus aptæ, a celeritate dictæ; cujus mentio fit in *Cod.* 1. 27. 2. et apud *Cassiod.* 5. *Variar. Ep.* 17. et *Isid.* 19. *Orig.* 1. Ex loc. citato *Cassiod.* apparet, dromonem fuisse triremem vehiculum remorum tantum numerum prodens, sed hominum faciem diligenter abscondens. *V.* MUSCULUS. ¶ 3. Est etiam parvus cancer, qui in sacris Mithriacis locum habebat. *Hieronym. Ep.* 107. *n.* 2. Omnia portentosa simulacra, quibus corax, nymphus, miles, leo, perses, helios, dromo, pater, initiantur.

DRŎMŌNARCHUS, i, m. 2. qui dromoni, sive navi transvectionibus aptæ præest. *Inscript.* apud *Ges. Inscr. Etr. T.* 3. *p.* 92. L. ANTISTIVS L. L. CASTOR NAVARCHVS DROMONARCHVS ANTONIANVS. Exstat etiam apud *Gud.* 210. 3., ex *Ligorio* tamen; ideoque expioditur, ut spuria, ab *Orellio n.* 3623: quam *Orellii* sententiam confirmat *Mommsen*, *Inscript. Neap.* 405.

DRŎMŌNĀRĬUS, ii, m. 2. remex dromonum, seu navium cursoriarum. *Cassiod.* 4. *Variar.* 15. Comperimus, dromonarios viginti et unum de constituto numero mortis incommodo fuisse subtractos. *V.* DROMO 2.; et adde *Cassiod.* 2. *ibid.* 31., cujus titulus est: Dromonariis Theodericus rex.

DRŎMOS vel dromus, i, m. 2. δρόμος *cursus* a δρέμω *curro*. ¶ 1. Dromus fuit appellata planities, in qua juvenes Spartæ in cursum certabant. *Liv.* 34. 27. Eductis in campum omnibus copiis, dromon ipsi vocant, positis armis ad contionem vocari jussit Lacedæmonios. ¶ 2. Item locus in quo exercitationis causa aurigæ currebant. *Inscript.* apud *Gruter.* 339. 2. Q. RAPIDIO. Q. F. LEM. SEPVLLIO PROCVRATORI DROMI FACTIONIS VENETAE etc. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

DRŎPĂCĀTOR, ōris, m. 3. idem ac dropacista. *Vet. Testam. Dasumii* opt. notæ, quod pertinet ad annum a Chr. n. CIX., in *Annal. dell' Istit. archeol. T.* 3. *p.* 387. *lin.* 68. STEPHANVS DROPACATOR.

DRŎPĂCISMUS, i, m. 2. δρωπακισμός, dropacis usus. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 6. *ad fin.* Adhibenda drimyphagia, dropacismus, defricatio.

DRŎPĂCISTA, æ, m. 1. δρωπακιστής, qui dropace pilos corporis evellit. *Gloss. Philox.* Δρωπακιστής, dropacista, colipilarius, alipilarius, depilator.

DRŎPĂCO, as, are, a. 1. δρωπακίζω, cutem deglabro. *Theod. Priscian.* 4. 1. *ante med.* Ad hydropem. Vituli masculi stercore, cum aceto acri permixto, spisse venter illinendus est; ita tamen, ut ante ipse hydropicus toto corpore dropacetur.

DRŎPAX, ăcis, m. 3. δρώπαξ, unguenti genus ad evellendos e corpore pilos: a δρέπω *decerpo*, *carpo*. Fortasse magnam partem picæ constabat. *Martial.* 3. 74. Psilothro faciem levas, et dropace calvam. Adde *eumd.* 10. 65.; et *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *a med.*

DRŎSŎLĬTHUS, i, m. 2. δροσόλιθος, a δρόσος *ros*, et λίθος *lapis*. *Isid.* 16. *Orig.* 12. 4. Drosolithus varius nominis causa: quia si ad ignem applicetur velut sudorem mittit.

DRUĬAS, ădis, *vel* Druis, idis, f. 3. mulier in Druidibus. *Inscript.* apud *Gruter.* 62. 9. SILVANO SACRVM ET NYMPHIS LOCI ARETE DRVIS ANTISTITA SOMNO MONITA. *Vopisc. Aurelian.* 44. Dicebat enim, quodam tempore Aurelianum Gallicanas consuluisse Druidas, sciscitantem etc. *Id. Numer.* 15. Druias dixisse fertur: Diocletiane, jocari noli, etc. Adde *Lamprid. Alex. Sev.* 60.

DRUĬDÆ, arum, m. plur. 1, *vel*

DRUĬDES, um, m. plur. 3. Penultima longa est, si Græcam scriptionem spectes. Corripi tamen videtur a *Lucan.* 1. 451. Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis. Nisi confugias ad synæresim, aut diphthongum impropriam. — Legitur et *Dryides*, ut et *Sylla* pro *Sulla*. — Druidæ vel Druides fuerunt magi seu philosophi, et sacerdotes veterum Gallorum de quibus multa *Cæs.* 6. *B. G.* 13. et deinceps, *Lucan.* 1. *a vers.* 450. et *Ammian.* 15. 9. *extr.* Dicti sunt a δρῦς *robur*, arbor, ut quidam putant. Alii Celticam vocem esse arbitrantur, ex Celt. *der* quercus, *wydd* viscus, et *dyn* vir: unde compositum est *deruydd-dyn*, *h. e.* vir viri quercini. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 95. (249). Nihil habent Druidæ (ita suos Galliæ appellant magos) visco, et arbore, in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine earum fronde conficiunt: ut inde appellati quoque interpretatione Græca possint Druidæ videri. Adde *Melam* 3. 2. — Druidas abolevit in Urbe Tiberius, eosdemque in ipsa Gallia sustulit Claudius: ceterum, quum serius adhuc apud *Tac.* 14. *Ann.* 30. et apud *Lamprid. Alex. Sev.* 60. eorum mentio fiat, Claudii edictum effectu caruisse putandum est. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 4. (13). Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas Gallorum, et hoc genus vatum medicorumque. *Sueton. Claud.* 25. Druidarum religionem apud Gallos, diræ immanitatis, et tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit.

DRUĬS, idis, f. 3. *V.* DRUIAS.

DRUNGUS, i, m. 2. cuneus sive globus in acie. Δροῦγγος vox est apud Græcos scriptores de re militari sequioris ævi valde frequens, ac catervam militum significat, cui qui præerat, δρουγγάριος fuit appellatus. V. *Ducangii Gloss. med. et inf. Latinit.* in vocibus *Drungarius* et *Drungus*. *Veget.* 3. *Milit.* 16. Scire dux debet contra quos drungos, hoc est globos hostium, quos equites oporteat poni. *Id. ibid.* 19. Ne circumveniantur a vagantibus globis, quos vocant drungos. *Vopisc. Aurelian.* 11. Omnium gentium drungos usque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit.

DRŪPA, æ, f. 1. Legitur et *Druppa*, et Græce δρυπεπής. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 27. 60. (130). — Drupa vel druppa est oliva incipiens nigrescere, vel, ut

est apud *Colum.* 12. *R. R.* 52. 9., quum primum decolorari cœperit, nec tamen adhuc varia fuerit: quæ optima est ætas ad decerpendum oleoque exprimendo. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 1. 2. (6). et *ibid.* 7. 7. (26). et 17. *ibid.* 24. 37. (230). et 19. *ibid.* 5. 26. (78)., ubi *olivas drupas* quasi adjective appellat. — Græci dicunt drypetas teste *eod. citat.* 15. *Hist. nat.* 1. 2. (6). unde *drupa* facta est: a δρῦς *quercus*, *arbor*, et πέτω *cado:* quia maturescentes tunc sunt præcipue caducæ, ut *Plin. loc. cit.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (230). scribit.

DRҮĪTIS, idis, f. 3. δρυῖτις; gemma e truncis arborum dicta (a δρῦς *quercus*), quæ et ligni modo ardet, ut auctor est *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (188).

DRҮŎPHŌNON, i, n. 2. δρυόφονον, herbæ genus cauliculis tenuibus, cubitalibus, circumdatis utrimque foliis pollicari amplitudine, qualia oxymyrsines, sed candidioribus mollioribusque, flore candido sambuci. Cauliculi decocti sunt edules: semen vicem piperis præstat. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 49. (73). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 447.) hæc ait: « Il est bien difficile de reconnaître cette plante (*dryophonon*) par le peu qu'en dit ici Pline. Les commentateurs ont cru qu'il s'agissait du *Ruscus aculeatus*; mais il n'est guère possible de comparer cette plante avec une fougère, quelle qu'en soit l'espèce. – Pline a peut-être ici voulu désigner quelque *convallaria:* en effet, le *Convallaria uniflora* L., atteint la hauteur voulue. – Mais tout ceci n'est qu'une hypothèse ».

DRҮŎPTĔRIS, idis, f. 3. δρυοπτερίς, herba filici similis, in arboribus nascens, tenui foliorum subdulcium incisura, radice hirsuta. Vis ei caustica est: ideo psilothrum est radix tusa. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 48. (72). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 395.) hanc exhibet synonymiam: Πολυπόδιον Theophr. de Caus. 2. 23. et Hist. plant. 9. 14., et Dioscor. 4. 188.; *Polypodion* Plin. 26. *Hist. nat.* 8. 37. (58).; *Filicula* Apul. 83. et Marcell. Empir. 30.; et *Dryopteris* Plin. loc. cit. sunt *Polypodium vulgare* L. Spec. plant. 1544. *V.* plura apud *eumd. Fée ibid.* p. 446.

DRҮOS HҮPHEAR, δρυὸς ὑφέαρ, *h. e.* viscum quercus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 93. (245)., ubi *Harduin.* testatur, in MSS. aliter legi. Et sane maxima est Codicum varietas in hac voce, ut videre est apud *Sillig*, qui leg. *adasphear.*

DRҮPĔTES, δρυπετής. *V.* DRUPA.

DRҮPHACTA, ōrum, n. plur. 2. est a δρύφακτον *sæpes* (quod a δρῦς *quercus* et φράσσω, h. e. sæpes quercinis stipitibus facta), et significat cancellos. *Cyprian. Ep.* 21. Pro se dona numeravit, ne sacrificaret: sed tantum ascendisse videtur usque ad dryphacta, et inde descendisse. *Sic recte apud* Cang. *Editi autem exhibent* trlaufacta.

DRYS, ȳos, f. 3. herba, quæ et chamædrys dicta, et drysites. *Apul. Herb.* 24.

DRҮSĪTES. *V.* voc. præced.

DU

DŬA. *V.* DUO.

DŬĀLIS, e, adject. δυϊκός, duo contineos vel significans. — *a*) Generatim. *Lactant. Opif. D.* 10. *de naso.* Ex quo intelligitur, quantum dualis numerus, una et simplici compage solidatus, ad rerum valeat perfectionem. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 12. Cœli in authenticis voluminibus non duali tantum, sed plurali numero sæpe vocitantur. — *b*) Speciatim *Dualis numerus* apud Grammaticos significat duos: de quo ita *Quintil.* 1. 5. 42. Fuerunt, qui nobis quoque adjicerent dualem, *scripsēre, legēre:* quod evitandæ asperitatis gratia mollitum est, ut apud veteres pro *male mereris*, *male merere:* ideoque quod vocant duale, in illo solo genere consistit, cum apud Græcos et in verbi tota fere ratione, et in nominibus deprehendatur; apud nostrorum vero neminem hæc observatio reperiatur, quia e contrario, *Devenere locos* et *Conticuere omnes* et *Consedere duces*, aperte nos doceant, nihil horum ad duos pertinere. Adde *Servium* ad illud *Virg.* 2. *Æn.* 1. Conticuere omnes. — Duali numero carebant Æoles; hinc etiam Latini, qui in vocibus a Græca lingua deductis Æolicam dialectum Doricæ simillimam plerumque sunt imitati, eumdem minime usurparunt. *Gregor. Corinth. de dialect. Æol.* § 29. τοῖς δυϊκοῖς ἀριθμοῖς οὗτοι (Αἰολεῖς) οὐ κέχρηνται, καθὰ δὴ καὶ οἱ Ῥωμαῖοι τούτων ὄντες ἄποικοι.

DŬĀLĬTAS, ātis, f. 3. numerus binarius, numerus duo continens. *Boeth. Arithm.* 2. 27. *p.* 1342. Par vero (*numerus*) sola dualitate, id est solo binario numero, perfici monstratus est. Adde *eumd. p.* 1123., 1310., 1331., et alibi sæpe. *Cassiod.* 11. *Variar.* 2. *ad Joann. Papam.* Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem: tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere. Nam sicut homo constat ex dualitate (*h. e.* ex anima et corpore), ita boni patris est, utraque refovere. *Alcim. Avit. fragm. p.* 187. Non dualitas videtur intelligenda, sed Trinitas. *Id. ibid. p.* 201. Quam soliditatem si quis scindere dualitate præsumat, etc.

DŬĀLĬTER, adverb. duali numero. *Gloss. Cyrill.* Δυϊκῶς, dualiter.

DŬĀPONDO, indeclin. dipondium. *Quintil.* 1. 5. 15. Et dua et tre pondo (al. et pondo) diversorum generum sunt barbarismi: at duapondo et trepondo usque ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, et recte dici Messala confirmat.

DŬĀRĬUS, a, um, adject. Idem ac binarius. *Mar. Victorin.* 2. *p.* 2541. *Putsch.* Iambica vero, et Trochaica, sicut supra docuimus, duaria amplexione subsistunt. *Nisi forte pro* duaria *legendum sit* binaria, *quæ vox paullo ante occurrit eodem sensu.*

DUBAT dubitat. *Paul. Diac. p.* 67. 7. *Müll. Alii legunt* dubiat.

DUBENUS apud antiquos dicebatur, qui nunc dominus. *Paul. Diac. p.* 67. 8. *Müll.* Est qui legit *Dubienus, qui nunc dubius.*

DŬBĬĒ, adverb. dubitanter: et occurrit — *a*) Raro admodum absolute. *Cic. Divinat.* 55. 124. Ut aliquod signum dubie datum pro certo sit acceptum. — *b*) Fere cum particula negativa. *Cic.* 15. *Fam.* 1. Etsi non dubie mihi nunciabatur, Parthos transisse Euphratem. *Sall. Jug.* 108. Consul haud dubie jam victor. *Liv.* 2. 23. *ad fin.* Nec dubie ludibrio esse miserias suas. Adde *eumd.* 1. 9., 1. 13., 3. 34., 3. 38., 3. 53., 4. 2. et 23., 5. 10. et 10. 21.; *Quintil.* 2. 14. 2. et 3. 4. 1.; *Tac.* 2. *Ann.* 21. et 88., 4. *ibid.* 19., 1. *Hist.* 7., 46. et 72., et 3. *ibid.* 86.; et *Sueton. Cæs.* 55., *Cal.* 9. et *Galb.* 2.

DUBIENUS. *V.* DUBENUS.

DŬBĬĔTAS, ātis, f. 3. dubitatio. *Ammian.* 20. 4. Absentia magistri equitum faciente dubietatem. *Eutrop.* 6. 16. Cum sine dubietate aliqua deferretur.

DUBIAT. *V.* DUBAT.

DŬBĬŌSUS, a, um, adject. dubius. *Gell.* 3. 3. Fabulas a ceteris segregavit, quoniam dubiosæ non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur. *Id.* 5. 10. *ad fin.* Judices dubiosum hoc inexplicabileque esse rati.

DŬBĬTĀBĬLIS, e, adject. dubius, et occurrit ¶ 1. Passive pro eo de quo dubitari potest. *Ovid.* 1. *Met.* 223. nec erit dubitabile verum. *Id.* 13. *ibid.* 21. si virtus in me dubitabilis esset. ¶ 2. Active pro eo qui dubitat. *Prudent. Apothes.* 649. dubitabile pectus.

DŬBĬTANTER, adverb. dubie, dubitando. *Cic.* 2. *Invent.* 3. 10. Sine ulla affirmatione, dubitanter unumquodque dicemus. *Id. Brut.* 22. 87. Verecunde et dubitanter recipere. *Asinius* apud *Cic.* 10. *Fam.* 31. Pericula non dubitanter adire.

DŬBĬTĀTIM, adverb. dubie. *Sisenna* apud *Non. p.* 98. 83. *Merc.* Hostem non dubitatim cum scalis iter facere cernebat. Adde *Cœlium* in *Annal. ibid.*

DŬBĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (dubius, dubito) actus dubitandi, dubium, hæsitatio (It. *dubbio, dubitanza*; Fr. *incertitude, doute, hésitation*; Hisp. *duda, incertidumbre*; Germ. *d. Zweifel, d. Bedenken, d. Schwanken, d. Ungewissheit*; Angl. *a doubting, doubt, uncertainty, hesitation, dubitation*). Occurrit ¶ 1. Generatim, et quidem — 1.° Ex parte mentis, uti ajunt; quo sensu *dubitatio* etiam objective consideratur. — *a*) Absolute. *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Eo sibi minus dubitationis dari. *Cic.* 1. *Off.* 41. 147. Ad ea eligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines. *Id.* 1. *leg. Agr.* 4. 11. Si fœdus illud habet aliquam dubitationem. *Id.* 5. *Fin.* 10. 27. Quod quamquam dubitationem non habet (est enim infixum in ipsa natura, comprehenditurque suis cujusque sensibus –), tamen – rationes quoque, cur hoc ita sit, afferendas puto. *Id. Cluent.* 7. 20. Neque in causa dubitatio ulla esse posset. *Id. ibid.* 27. In ea obscuritate ac dubitatione omnium. *Id. Amic.* 19. 67. Exsistit – quæstio: num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi –. Indigna homine dubitatio! *Id.* 12. *Att.* 4. *extr.* Tollere alicui omnem dubitationem. *Capell.* 3. p. 73. Horum nominum plurales declinationes carent dubitatione. *Id. ibid. p.* 80. In dubitatione veniunt *stercus* et *fœnus.* — Absolute usurpatur præcipue in formula *sine ulla dubitatione*, ut apud *Cic.* 1. *Cat.* 3. 5. Quæ sunt omnia ejusmodi, ut ii, qui in custodiam nominatim dati sunt, sine ulla dubitatione a vobis damnati esse videantur. Adde *eumd.* 14. *Phil.* 4. 10., 6. *Verr.* 18. 39., *Balb.* 13. 31. et 3. *Tusc.* 3. 5. — *Sine dubitatione* dixit *Colum.* 3. *R. R.* 6. 2. Ea (*vitis*) sine dubitatione ferax destinari debet legendo malleolo. — *b*) Cum Genitivo. *Cic. Cæcin.* 4. 9. Verum sive vos existimationis illius periculum, sive juris dubitatio tardiores fecit ad judicandum. *Id.* 1. *de republ.* 7. Dubitationem ad rempublicam adeundi in primis debui tollere. *Cæs.* 5. *B. G.* 48. Quæ res omnem dubitationem adventus legionum expulit. *Quintil.* 1. 10. 28. Dubitationem hujus utilitatis eximere. — *c*) Cum præpos. de atque Ablat. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 17. Illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus – reliquerunt. — *d*) Sequente propositione relativa, vel interrogativa. *Cic.* 3. *Off.* 4. 18. Si quando dubitatio acciderit, quale sit id, de quo consideretur. *Id.* 15. *Fam.* 21. Nullam apud me reliquisti dubitationem, quantum me amares. *Id.* 3. *ibid.* 5. Itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, visurus ne me sis in provincia. *Id.* 3. *Off.* 2. 9. Alterum potest habere dubitationem, adhibendum ne fuerit hoc genus, an plane omittendum. *Id. Cluent.* 28. 76. Injicere alicui scrupulum et quamdam dubitationem, quidnam esset actum. *Quintil.* 11. 2. 44. Nata dubitatio est, ad verbum sit ediscendum dicturis, an vim modo rerum atque ordinem complecti satis sit. — *e*) Sequente part. *quin. Cic.* 2. *Off.* 5. 17. Hic locus nihil habet dubitationis, quin homines plurimum hominibus prosint et obsint. *Id.* 2. *Nat. D.* 63. 158. Nisi forte tanta ubertas et varietas pomorum – dubitationem affert, quin hominibus solis ea natura donaverit. — *f*) Cum infinito, sed per syncopen significato. *Quintil.* 7. 1. 48. Hoc a rustico factum extra dubitationem est. — 2.°) Ex parte agentis, sive in agendo, est hæsitatio ejus, qui incertus pendet, utrum agat, nec ne: adeoque est etiam mora. *Cæs.* 7. *B. G.* 40. Nulla interposita dubitatione legiones ex castris educit. *Sall. Jug.* 30. Inter dubitationem et moras senatus. *Id. ibid.* 62. Multis diebus per dubitationem consumptis. *Cic.* 2. *Orat.* 50. 202. Qui timor? quæ dubitatio? quanta hæsitatio tractusque verborum? *Id.* 4. *Verr.* 30. 74. Æstuabat dubitatione. — Etiam hoc sensu formula *sine ulla dubitatione* sæpissime occurrit. *Cic.* 2. *Orat.* 49. 188. Pro his omnibus sine ulla dubitatione respondeo. Adde *eumd. ibid.* 28. 122., 2. *Invent.* 8. 27., *Brut.* 6. 25., *Fontej.* 6. 11., *Cluent.* 28. 75., *Pis.* 3. 6. et 21. 50., 14. *Phil.* 1. 1., 1. *Nat. D.* 1. 1., 13. *Att.* 25. 1. et alibi. — Aliquando etiam *sine dubitatione*, ut apud *Cic. Topic.* 15. 60. Quare quum in disputationem inciderit causa efficiens aliquid necessario, sine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea causa, concludere. Adde *eumd.* 2. *leg. Agr.* 9. 23., 3. *Nat. D.* 34. 84., 1. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 94. et 11. *Att.* 16. 3. ¶ 2. Speciatim est hoc nomine rhetorica figura sententiarum (Græce ἀπορία vel διαπόρησις), quum orator dubitare videtur, an sibi dicendum, quid potissimum dicendum sit, unde incipiendum, ubi desinendum etc. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 203. et 4. *Herenn.* 29. 40.; *Quintil.* 9. 2. 19.; et *Rutil. Lup.* 2. 10. — Quum in paucis verbis consistit, inter figuras verborum est enumeranda, ut: Sive me malitiam, sive stultitiam dicere oportet. *Quintil.* 9. 3. 88.

DŬBĬTĀTĪVĒ, adverb. dubitanter. *Tertull. Car. Chr.* 23. *extr.* Dubitative pronunciare. *Priscian.* 16. *p.* 1029. *Putsch.* Et est quando indicative dicuntur, est quando dubitative. Indicative, ut *aut lux est, aut tenebræ.* Dubitative, ut *aut prodest, aut non prodest divitias quærere.*

DŬBĬTĀTĪVUS, a, um, adject., dubitationem habens. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 25. *sub fin.*

Dubitativum exprimens sensum. — Dubitativæ particulæ apud Grammaticos sunt v. g. *forsan*, *fortassis*, etc. *Priscian.* 15. *p.* 10. 21. *Putsch.* — *Dubitativus modus* apud *eumd. Priscian.* 8. *p.* 820. *Putsch.* est subjunctivus.

DŪBĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui dubitat. *Tertull. advers. Hæret.* 33. Negatores et dubitatores resurrectionis. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

DŪBĬTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DŪBĬTO, as, āvi ātum, are, 1. De etymo *V.* voc. seq. init. — Part. *Dubitans* sub *A.* I. *c. e. f.* et II.; *Dubitatus* sub *A.* I. *b.*; *Dubitaturus* sub *A.* I. *d.*; *Dubitandus* sub *A.* I. *b.* — Dubitare, si vim etymi spectes, proprie est in duas contrarias partes vacillare, modo huc modo illuc inclinari: sed occurrit translate tantum de animo pro dubium esse, hæsitare, ambigere, in dubium venire (It. *dubitare, essere in dubbio*; Fr. *balancer entre deux choses, hésiter dans une opinion, être incertain, douter, flotter*; Hisp. *dudar, estar en duda*; Germ. *zweifeln, stocken, zaudern*; Angl. *to doubt, be in doubt, be uncertain, hesitate*). Occurrit autem *A)* Ex parte mentis; et *B)* Ex parte agentis.

A) Ex parte mentis, quæ dubitare dicitur, quoties incerta est in aliqua opinione vel sententia amplectenda aut respuenda, vel in aliquo judicio ferendo,

I.) Proprie usurpatur — *a)* Cum præpos. *de* et Ablativo. *Cic.* 1. *Nat. D.* 8. 18. Nihil tam verens, quam ne dubitare aliqua de re videretur. *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 99. Nemo cunctam intuens terram de divina ratione dubitaret. *Id. Sull.* 18. 52. Sed quoniam Cornelius ipse etiam nunc de indicando dubitat, etc. *Id.* 13. *Fam.* 45. De tua erga me voluntate non dubitabat. *Quintil.* 10. 5. 4. De carminibus numinem dubitare. — Et passive impersonaliter. *Cic. Cæcin.* 13. 38. In quo judicio non de armis dubitatum, sed de verbis quæsitum esse dicatur. *Id.* 3. *Off.* 3. 11. Quamobrem de judicio Panætii dubitari non potest. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 21. Nec de ejus fide dubitandum. *Quintil.* 7. 2. 8. Si id certum sit, non potest de auctore dubitari. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 18. (57). De iis video dubitari. — *b)* Cum Accusativo, præcipue vero cum pronominibus. *Plaut. Pseud.* 2. 1. 2. Neque quod dubitem, neque quod timeam, meo in pectore conditum est consilium. *Cic.* 3. *Off.* 19. 77. Hæc non turpe est dubitare philosophos, quæ ne rustici quidem dubitent? *Ovid.* 6. *Met.* 194. Hoc quoque quis dubitet? *Id. Heroid.* 17. 37. Hoc quoque enim dubito. *Quintil.* 2. 17. 2. Quod quidem nemo dubitavit. *Macrob.* 2. *Saturn.* 5. Dubitare pudicitiam filiæ erubescebat. — Similiter passive. *Cic.* 4. *Verr.* 22. 55. Causa prorsus, quod dubitari posset, nihil habebat. *Liv.* 5. 3. Id ego hoc anno desisse dubitari certum habeo. *Tac.* 14. *Ann.* 7. At Neroni — affertur evasisse ictu levi sauciam, et hactenus adito discrimine, ne auctor dubitaretur. — Hinc Part. *Dubitandus*. *Virg.* 3. *Æn.* 169. hæc lætus longævo dicta parenti Haud dubitanda refer. *Cl. Rutil.* 1. *Itiner.* 433. Sic dubitanda solet gracili vanescere cornu Luna. *h. e.* adeo tenuis, ut dubitent oculi, neque clare constanterque cernant. *et Claudian. IV. Cons. Honor.* 183. Visa etiam medio, populis mirantibus, audax Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso. — Et Part. *Dubitatus*. *Ovid.* 2. *Met.* 20. Venit et intravit dubitati tecta parentis. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 3. dubitataque sidera cernit Gallicus, *scil.* qui ex graviori morbo convaluerat. *Cl. Albinov.* 1. 84. Et concors pietas, nec dubitatus amor. — *c)* Sequente Relativo, vel interrogatione. *Ter. Phorm.* 2. 2. 29. Ubi tu dubites, quid sumas potissimum. *Cic.* 10. *Att.* 1. Non dubito, quid nobis agendum putes. *Id.* 1. *de republ.* 38. Cur igitur dubitas, quid de republica sentias? *Cæs.* 2. *B. C.* 32. Qui qualis futurus sit, ne vos quidem dubitatis. *Vellej.* 2. 15. Consule dubitante, quanti se venderet. — *Plaut. Capt.* 2. 3. 95. At etiam dubitavi, hos homines emerem, an non emerem. *Cic.* 1. *Off.* 3. 9. Honestumne factu sit an turpe, dubitant. *Id.* 4. *Tusc.* 22. 50. De Bruto fortasse dubitarim, an propter infinitum odium tyranni effrenatius in Aruntem invaserit. *Sall. Jug.* 74. Dubitare, virtuti an fidei popularium minus crederet. *Nepos Thrasyb.* 1. Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito, an hunc primum omnium ponam. *Horat.* 1. *Od.* 12. 32. Romulum post hos prius, an quietum Pompili regnum memorem, an superbos Tarquini fasces, dubito. *Curt.* 9. 1. *a med.* Dubitabant Macedones, deseruissent ne urbem incolæ, an fraude se occulerent. *Plin.* 6. *Ep.* 27. Dubito, num idem tibi suadere debeam. — Et passive impersonaliter. *Cic.* 4. *Att.* 15. *a med.* Pompejus Scauro studet: sed utrum fronte, an mente, dubitatur. — Singulare est illud *Ovid.* 6. *Met.* 208. An dea sim, dubitor. — *d)* Sequente part. *quin*, et præcedente interrogatione, vel negativa. *Plaut. Aulul.* 2. 1. 42. Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus? Adde *eumd. Pœn.* 1. 1. 55. et 4. 2. 59. *Cic. Mil.* 23. 63. Arbitrabantur, non dubitaturum fortem virum, quin cederet etc. *Id.* 5. *Fam.* 20. *a med.* Illud cave dubites, quin ego omnia faciam, quæ interesse tua existimem. *Id.* 6. *Att.* 2. *ante med.* Non dubitabat, quin ei crederemus. Adde *eumd.* 3. *Off.* 3. 11., 1. *de republ.* 23., *Senect.* 10. 31., 2. *Nat. D.* 39. 97., 5. *Att.* 11. 6., et 13. *Fam.* 73. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Non dubitare, quin de omnibus obsidibus, qui apud eum sint, gravissimum supplicium sumat. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 38. et 66.; *Quintil.* 7. 6. 10., 10. 2. 1. et 12. 1. 42.; *Sueton. Tib.* 17.; et *Ovid.* 5. *Trist.* 7. 59., *Heroid.* 17. 11. et 1. *Art. am.* 316. — Et passive impersonaliter. *Cic.* 3. *Off.* 2. 9. Alterum dubitari non potest, quin a Panætio susceptum sit, sed relictum. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 23. 74. Ita multi sermones perscripti sunt, e quibus dubitari non possit, quin Socrati nihil sit visum sciri posse. — *e)* Cum Accusativo et Infinito ante Augusti ætatem raro usuvenit; frequenter autem occurrit apud *Nepotem*, nec non apud *Livium* (V. *Fabri* ad *Liv.* 22. 52.), præcipue præcedente negativa. *Lucret.* 5. 250. neque humorem dubitavi aurasque perire; Atque eadem gigni rursusque augescere dixi. *Liv.* 2. 64. Haud dubitans, si senserint, Romanos nocte abituros. Adde *eumd.* 5. 3. et 22. 25. *Nepos Alcib.* 9. Neque dubitabat, facile se consecuturum etc. Adde *eumd. præfat.* 1., *Miltiad.* 3., *Lysand.* 3., *Ages.* 3., *Eumen.* 2. et *Hann.* 11.; *Sueton. Claud.* 35.; *Quintil.* 3. 7. 5., 5. 10. 76., 9. 4. 68. et alibi sæpe. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Quem falsum esse nemo dubitaret. *Id.* 2. *ibid.* 39. 39. (105). Quis enim æstates et hiemes siderum motu fieri dubitet? *Alter Plin.* 6. *Ep.* 21. *extr.* Neque enim dubito, futurum, ut non deponas, si semel sumpseris. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 5. — Et passive. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 110. (111). Ne illud quidem dubitatur, relicum vim minui, si etc. — *f)* Absolute. *Cic.* 5. *Fin.* 9. 26. Non dubitantem dicere, omnem naturam esse etc. *At. leg.* non dubitanter; *et vide* Otto *et* Madvig *ad h. l.*, *et* Klotz in *Quæst. Tull. vol.* 1. *p.* 70. Sic enim et ipse *Cic.* 1. *Divinat.* 53. 125. Quin etiam hoc non dubitans dixerim, *est Gr.* ὀρθῶς λέγειν. Rursus *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 52. Dubitant, hæsitant, revocant se interdum, iisque, quæ videntur, assentiuntur. Adde *eumd. ibid.* 23. 72. *Virg.* 3. *Æn.* 315. Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco. Ne dubita: nam vera vides. *Quintil.* 2. 4. 19. Livius frequentissime dubitat. *Id.* 6. 3. 70. Et interrogamus et dubitamus et affirmamus. Adde *eumd.* 9. 2. 20. et 10. 1. 19.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de rebus tum physicis, tum abstractis. *Liv.* 21. 44. *sub fin.* Vobis necesse est aut vincere, aut, si fortuna dubitabit, in prælio potius, quam in fuga mortem oppetere. *h. e.* si anceps et dubia erit: seu potius si adversabitur; *dubitabit* enim dictum est per euphemismum. V. *dubiæ res* in v. DUBIUS sub I. 2.° *Quintil.* 5. 10. 121. Si tardior manus dubitet. *Id.* 10. 7. 22. Suspensa ac velut dubitans oratio. *Flor.* 1. 1. 2. Hoc de se sacerdos gravida confessa est; nec mox fama dubitavit, quum Amulii imperio abjectus in profluentem, cum Remo fratre, non potuit extingui. Similiter *Sil. It.* 10. 154. dubitantia lumina, *h. e.* oculi moribundi. ¶ 2. Eleganter ponitur pro cogitare, quærere, seu rectius deliberare. *Ter. Adelph.* 4. 5. 57. Hæc dum dubitas, menses abierunt decem. *Cic. Rosc. Am.* 31. 88. Restat igitur, ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roscium occiderit. *Virg.* 9. *Æn.* 191. percipe porro Quid dubitem, et quæ nunc animo sententia surgat.

B) Ex parte agentis, sive in agendo dubitare dicitur, qui cunctatur, moratur, hæsitat, supersedet; et hoc sensu occurrit — *a)* Cum Infinito, — sed sæpissime præcedente negativa, vel cum interrogatione: et cum Infinito negatione præcedente fere importat fiduciam, constantiam, audaciam nullumque timorem ejus, qui aliquid facit. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 29. Quid dubitamus pultare, atque huc evocare ambos foras? Adde *eumd. Epid.* 2. 2. 75., *Mil. glor.* 4. 2. 17., *Pœn.* 3. 5. 44. et *Pseud.* 2. 2. 30. et 5. 2. 16. *Cic.* 1. *de republ.* 4. Non dubitaverim me gravissimis tempestatibus obviam ferre. *Id.* 1. *Orat.* 40. 181. Quum Mancinus domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset. *Id.* 4. *Cat.* 5. 10. Homo mitissimus non dubitat Lentulum æternis vinculis mandare. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 5. et *Amic.* 1. 1. *Cæs.* 2. *B. G.* 23. Ipsi transire flumen non dubitaverunt. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 8., 1. *B. C.* 71., 2. *ibid.* 33. et 34., et 3. *ibid.* 87. et 106. *Virg.* 6. *Æn.* 807. Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis? Adde *eumd.* 7. *ibid.* 311. et 8. *ibid.* 614. *Nepos Pelop.* 5. Non dubitavit, simul ac conspexit hostem, confligere. *Quintil.* 12. 5. 3. Quis porro dubitet, vitiis adscribere affectum? Adde *eumd.* 12. 10. 63. *Justin.* 1. 9. 5. Non dubitavit, post sacrilegia, etiam parricidium facere. — Raro admodum cum Infinito sine interrogatione, aut negatione. *Curt.* 4. 5. 2. Si forte dubitaret, quod offerretur, accipere. *Id.* 10. 8. 25. Iisdem mandatum, ut occiderent, si venire dubitaret. *Stat.* 1. *Achill.* 250. dubitatque agnoscere matrem. *h. e.* dubitat, an agnoscat. — Et omisso Infinito, qui tamen subintelligitur, ἀξίωμα illud apud *Plin.* 1. *Ep.* 18. Quod dubitas, ne feceris. — Denique poeticum et singulare est illud *Stat.* 8. *Theb.* 757. Lumina torva videns et adhuc dubitantia figi. *h. e.* timentia. — *b)* Cum part. *quin*, præcedente negatione, vel interrogatione. *Cic. pro leg. Manil.* 23. 68. Nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia. *Id. Flacc.* 17. 40. Dubitabitis, quin ab hoc ignotissimo Phryge nobilissimum civem vindicetis? *Id.* 4. *Verr.* 13. 33. Nemo dubitabat, quin voluntatem spectaret ejus. Adde *eumd. Mil.* 23. 63. et 2. *leg. Agr.* 26. 69. *Curt.* 3. 2. Nec dubitare eum, quin omnem regiam supellectilem cum pecunia traderet. — Et Part. *Dubitandum* impersonaliter. *Cæs.* 2. *B. G.* 2. Tum vero dubitandum non existimavit, quin ad eos proficisceretur. *Id.* 3. *B. C.* 37. Sibi dubitandum non putavit, quin prælio decertaret. — *c)* Absolute. *Plaut. Men.* 5. 7. 6. Quid statis? quid dubitatis? jam sublimem raptum oportuit. Adde *eumd. Amph.* 1. 2. 2-3. *Cæs.* 1. *B. G.* 41. Se neque unquam dubitasse, neque timuisse. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 44. et 7. *ibid.* 4. et 63. *Sall. Cat.* 28. Perterritis ac dubitantibus ceteris. *Virg.* 9. *Æn.* 12. Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus. *Curt.* 10. 4. Itaque rursus (nam parumper, quibus imperatum erat, dubitaverant) mergi in amnem jussit.

DŬBĬUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, est a *duo*, quemadmodum et Græci a δύο et poetica δοιοί formant δοιάζω *dubito*, et Germani a *zwei* duo formant *zweifeln* dubitare, et Itali dicunt *essere infra due*. Dubius itaque ad litteram est qui in duas contrarias partes vacillat, modo huc modo illuc labans fertur: quo sensu *cf. Lucret.* 6. 556. in dubio fluctu jactarier. *et Liv.* 37. 16. fluctibus dubiis volvi cœptum est mare. — Ceterum dubius fere semper usurpatur translate, et est incertus, quid e duobus aut pluribus eligat, ambigens, hæsitans in cogitando aut in agendo, anceps; et dicitur tum de personis, tum de rebus (It. *dubbioso, incerto, esitante, infra due*; Fr. *qui balance, qui doute, qui hésite entre deux partis, indécis, irrésolu, incertain*; Hisp. *incierto, dudoso, indeciso*; Germ. *zweifelhaft, ungewiss, unsicher, schwankend*; Angl. *doubtful, dubious, uncertain, hesitating, wavering*).

I.) Proprie (quod tamen intelligendum est ratione habita eorum, quæ superius dicta sunt) occurrit — 1.°) De personis, et quidem — *a)* Ex parte mentis, quæ incerta est in opinione sententiave amplectenda aut respuenda, vel in judicio aliquo ferendo. Construitur autem iisdem modis, quibus verbum *dubito*, quod V. *Plaut. Epid.* 4. 1. 17. Sin est is homo, sicut anni multi me dubiam dant. *h. e.* in causa sunt, cur dubitem. *Lucret.* 5. 1210. Tentat enim dubiam mentem rationis egestas, Ecquænam fuerit mundi genitalis origo. *Cic. pro leg. Manil.* 10. 27. Quæ res est, quæ cujusquam animum in hac causa dubium facere possit? *Liv.* 4. 40. Equites procul visi ab dubiis, quinam essent, mox cogniti. *Id.* 6. 14. Dictator exercitum in stativis tenebat, minime dubius, bellum cum his populis patres jussuros. *Id.* 31. 42. Philippus, si satis diei superesset, non

dubius, quin Athamanes quoque exui castris potuissent. *Virg.* 3. *G.* 289. Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum Quam sit. Sic *Auct. B. Alex.* 56. Erat dubius animi, utrum nihil timere, an omnia facere mallet. Rursus *Virg.* 1. *Æn.* 222. Spemque metumque inter dubii, seu vivere credent, Sive extrema pati. *Horat. Epod.* 5. 85. Dubius unde rumperet silentium. *Curt.* 5. 12. 3. Haud dubius, quin vera deferrentur. *Id.* 9. 7. *a med.* Haud dubius interfici posse. — *Dubius* dicitur etiam, qui est in periculo. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 8. Ad medicam dubius confugit æger opem. Sic *Juvenal.* 13. 124. Curentur dubii medicis majoribus ægri. — Haud raro jungitur etiam Genitivo. *Liv.* 33. 25. Marcellus – dubios sententiæ patres fecerat. *Ovid.* 6. *Fast.* 571. Servius est; hoc constat enim: sed causa latendi Discrepat; et dubium me quoque mentis habet. *Id.* 15. *Met.* 437. Priamides Helenus flenti dubioque salutis Dixerat Æneæ. *Id.* 3. *Trist.* 3. 25. Ergo ego sum vitæ dubius. *Justin.* 2. 13. 1. Hac clade perculsum et dubium consilii Xerxem Mardonius aggreditur. *Lucan.* 7. 611. Dubius fati. — *b*) Ex parte agentis, dubius dicitur, qui in agendo hæsitat et cunctatur; eique *firmus* opponitur apud *Sall. Jug.* 51. Hostibus dubiis instare; quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere. *Id. ibid.* 107. Ac statim profecti, quia de improviso acciderant dubio atque hæsitante Jugurtha, incolumes transeunt. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 40. dubius sum, quid faciam, inquit, Tene relinquam, an rem. Sic *Ovid.* 8. *Met.* 441. Toxea, quid faciat, dubium, pariterque volentem Ulcisci fratrem etc. *Sueton. Cæs.* 4. Nutantes ac dubias civitates retinuit in fide. *h. e.* ad defectionem propensas. — 2.°) De rebus, et dubium dicitur id omne, de quo dubitari potest. Quotiescumque vero huic voci particula negativa præponitur, non solum significat rem minime incertam esse, sed absque omni controversia certissimam. *Virg.* 2. *Æn.* 350. Vadimus in mortem haud dubiam. *Curt.* 3. 9. Haud dubium robur exercitus. Adde alia infra allata. — *a*) Generatim. *Ter. Hecyr. prol. alt.* 8. Dubiam fortunam esse scænicam. *Lucret.* 4. 469. Res secernere apertas ab dubiis. *Cæs.* 7. *B. G.* 80. Dubia victoria pugnare. *Sall. Jug.* 85. *ad fin.* Deis juvantibus omnia matura sunt, victoria, præda, laus; quæ si dubia aut procul essent, tamen omnes bonos reipublicæ subvenire decebat. *Cic.* 1. *de republ.* 31. Ubi ne obscura quidem est, aut dubia servitus. *Id.* 3. *Nat. D.* 27. 69. Ut vinum ægrotis, quia prodest raro, nocet sæpissime, melius est non adhibere omnino, quam spe dubiæ salutis in apertam perniciem incurrere, etc. *Id.* 2. *Divinat.* 51. 106. Videsne, quæ dubia sint, ea sumi pro certis atque concessis? *Id.* 1. *Orat.* 20. 92. Hæc omnia dubia esse et incerta. *Id.* 4. *Fin.* 24. 67. Perspicuisne dubia aperiuntur, an dubiis perspicua tolluntur? *Liv.* 22. 23. Ipsius facto, primo forsitan dubio, – ad extremum haud ambigue in maximam laudem verso. *Id.* 3. 32. Ne quid dubiis dis agerem. *Id.* 37. 39. Haud dubii hostes. *Id.* 39. 39. Haud dubius prætor. *Id.* 2. 21. Quia collega dubiæ fidei fuerit. *Id.* 9. 15. Gens dubiæ ad id voluntatis. *Id.* 44. 18. Dubii socii suspensæque ex fortuna fidei. *Id.* 24. 20. Neque hostibus, neque dubiis sociis loci quidquam præbuit ad tentandum. Cf. *Ovid.* 4. *Pont.* 13. 1. non dubios inter memorande sodales. *h. e.* certos, fidos. *Tac.* 3. *Ann.* 4. Dubiæ Hispaniæ. *Virg.* 1. *G.* 252. Dubium cœlum. *h. e.* nubibus obductum. *Ovid.* 1. *Met.* 569. lux. *Id.* 4. *ibid.* 401. nox. *Juvenal.* 5. 22. Sideribus dubiis. *h. e.* diluculo, quum sidera non plene apparent, et jam jam condenda sunt luce solis. *Plin.* 6. *Ep.* 20. Dubius et quasi languidus dies. *Ovid.* 15. *Met.* 754. dubia lanugo. *h. e.* barba modo incipiens et vix apparens. *Id.* 12. *ibid.* 61. dubio auctore susurri. *h. e.* qui unde maneat, nescimus. *Id.* 2. *Fast.* 351. Nec quisquam est adeo media de plebe maritus, Ut dubius vitio sit pater ille meo. *Vellej.* 2. 55. 3. Dubio Marte pugnare. *Id. ibid.* 71. Dubiam spem armorum tentare. *Sil. It.* 5. 519. Dubium pugnæ discrimen. *Tac. Germ.* 6. prælia. *Id. Agric.* 18. consilia. *Sueton. Aug.* 17. M. Antonii societatem semper dubiam et incertam – abrupit tandem. *Quintil.* 12. 3. 6. Dubium jus. cui ibid. *certum* opponitur. *Id.* 7. 7. 7. Confessum ex utraque parte jus, aut dubium. *Id.* 7. 2. 48. Verba aut aperta sunt, aut dubia. *Martial.* 3. 68. Schemate non dubio, sed aperte nominat illam. *Plin.* 3. *Ep.* 5. Dubii sermonis (*libros*) octo scripsit sub Nerone. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (319). Dubia vina. *h. e.* quæ bonane, an mala futura sint, dubitamus. *Martial.* 3. 77. Dubius petaso. *h. e.* corruptioni proximus. — Hinc *dubius* etiam dicitur, qui est in periculo. *V.* infra sub II. 1. *Val. Flacc.* 4. 271. Pollux sic providus ictus Servat, et Œbalia dubium caput eripit arte. *Ovid.* 2. *Fast.* 101. dubiam rege, navita, pinum. Similiter *Sil. It.* 10. 458. Dubia cervix. *h. e.* languentis et jam jam morituri. — *b*) Speciatim *dubiæ res* apud *Liv.* præcipue pro *adversis* per euphemismum sæpe occurrunt. *Liv.* 2. 50. *extr.* Dubiis rebus populi Romani sæpe domi bellique maximum futurum auxilium. Adde *eumd.* 1. 39., 3. 12., 7. 30., 30. 30. et 35. 5. *Vide* et infra sub II. 1. — 3.°) Speciatim neutr. singularis numeri *dubium* fere substantivorum more usurpatur, et præcipue locum habet in sequentibus formulis dictionibusque. — *a*) *Dubium est, non* vel *haud dubium est,* dubitandum aut non dubitandum est, dubitatur aut non dubitatur; et iisdem modis, quibus verbum *dubitare,* construitur, scilicet — Cum Ablativo et prpos. *de*. *Cic.* 11. *Att.* 6. *ad fin.* De Pompeji exitu mihi dubium nunquam fuit. *Id.* 1. *Orat.* 57. 241. Quæ causæ sunt ejusmodi, ut de earum jure dubium esse non possit. *Quintil.* 7. 3. 4. Quod nomine constat, de re dubium est. — Cum interrogatione. *Cic. Cæcin.* 11. 31. An dubium vobis fuit, utrum esse vis aliqua videretur, necne? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 41. 126. Ergo credere dubium est, uter nostrum sit verecundior? *Id.* 4. *Fin.* 24. 67. illud dubium est, ad id, quod summum bonum dicitis, ecquænam fieri possit accessio. *Cæs.* 6. *B. G.* 31. Ambiorix copias suas judicione non conduxerit, an tempore exclusus et repentino equitum adventu prohibitus fuerit –, dubium est. *Quintil.* 6. 3. 83. Hic dubium est, utrum ridere audientes, an indignari debuerint. — Cum part. *quin*, præcedente negativa, vel cum interrogatione. *Ter. Andr.* 1. 2. 1. Non dubium est, quin uxorem nolit filius. *Id. Eun.* 5. 6. 27. Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum. Adde *eumd. Andr.* 2. 3. 17. et 3. 2. 50. et *Adelph.* 5. 9. 19. *Cic.* 13. *Att.* 45. Prorsus ex his litteris non videbatur esse dubium, quin ante eam diem venturus esset. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 8. 32. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Non est dubium, quin totius Galliæ plurimum Helvetii possint. *Quintil.* 3. 2. 1. Cui dubium est, quin sermonem – homines acceperint? Adde *eumd.* 10. 1. 5. — Singulare est illud *Plin. Paneg.* 8. An dubium est, ut dare posset imperium imperator, qui reverentiam amiserat? — Cum Accusativo et Infinito. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 9. An tibi dubium est, eam esse hanc? *Ter. Hecyr.* 3. 1. 46. Nam si periclum ullum in te inest, perisse me una haud dubium est. *Liv.* 38. 6. Si ex composito acta res fuisset, haud dubium erat, expugnari una utique parte opera cum magna cæde hostium potuisse. *Sueton. Cæs.* 52. Ac ne cui dubium omnino sit, et impudicitiæ eum et adulteriorum flagrasse infamia, etc. Adde *Manil.* 4. 884. — Absolute. *Plaut. Pœn.* 3. 4. 27. AG. Homo furti sese adstringit. AD. Haud dubium id quidem est. Adde *eumd. Epid.* 5. 1. 40. *Ter. Eun.* 1. 2. 49. PA. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. PA. Oh, dubium ne id est? Adde *eumd. Andr.* 2. 3. 25., *Heaut.* 3. 3. 46. et 5. 1. 38. et *Phorm.* 5. 2. 9. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 5. Si exploratum tibi sit posse te illius regni potiri, non esse cunctandum: si dubium sit, non esse conandum. *Id.* 4. *ibid.* 15. Cognovi autem id, quod mihi dubium non fuit. — *b*) Fere apud sequioris ævi scriptores, omisso *est*, *dubium an* adverbialiter sermoni interseritur, nullamque vim in ceterorum verborum constructionem exserit. *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 69. Quo postquam, dubium pius an sceleratus, Orestes Venerat. *Id.* 6. *Met.* 677. Sceptra loci rerumque capit moderamen Erechtheus, Justitia dubium validisne potentior armis. *Id.* 3. *Pont.* 1. 18. Qui potus dubium sistat alatne sitim. *Sueton. Cæs.* 58. In obeundis expeditionibus dubium cautior an audentior. *Id. Aug.* 28. In retinenda (*re publica*) perseveravit: dubium eventu meliore an voluntate. *Id. Tib.* 10. Statuit repente secedere seque e medio quam longissime amovere. Dubium uxorisne tædio – an ut auctoritatem absentia tueretur. *Tac.* 1. *Ann.* 5. Nec multo post extincto Maximo, dubium an quæsita morte, auditos in funere ejus Marciæ gemitus. *Justin.* 38. 7. 6. Magnamque temporis partem, non ut militiam, sed ut festum diem acturos, bello dubium facili magis an uberi. *Flor.* 1. 1. 8. Cujus dum irridet augustias Remus, dubium an jussu fratris, occisus est. Adde *eumd.* 1. 1. 12., 2. 14. 3. et 4. 2. 91.; et *Quintil.* 7. 2. 52. — *c*) *Dubium habere* est idem ac dubitare. *Plaut. Capt.* 4. 2. 112. An tu dubium habebis, etiam sancte quum jurem tibi? *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 9. 29. Hæc autem habere dubia, neque his ita confidere, ut moveri non possent, abhorrere a sapientia plurimum. Adde *Sall. fragm.* 3. — *d*) *In dubium vocare* aut *venire* apud *Cic.* 2. *Orat.* 34. 145. In generum causis atque naturis sita esse, quæ in dubium vocarentur. *h. e.* in quæstionem caderent. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 31. Nemo vocabit in dubium, me pro contione dixisse, etc. *Cic. Quinct.* 2. 5. Non eo dico, quo mihi veniat in dubium fides tua. *Liv.* 3. 13. Summam pecuniæ quantam æquum esset promitti, veniebat in dubium. *h. e.* dubitabatur. Adde *Cic.* 11. *Att.* 15. 2. — *e*) *In dubio esse* apud *Ter. Andr.* 1. 5. 53. Dum in dubio est animus. *Lucret.* 3. 1098. Posteraque in dubio est fortunam quam vehat ætas. Adde *eumd. ibid. v.* 848. *Quintil.* 7. 9. 9. Utri duorum antecedentium sermo subjunctus sit, in dubio est. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 21. (59). Æstate potius, quam hieme dandum, non est in dubio. — Similiter *Liv.* 34. 5. Ponere in dubio, utrum etc. *Lucan.* 7. 247. Mens stetit in dubio. — *f*) *Sine dubio* est sine ulla dubitatione, certissime. *Ter. Eun.* 5. 9. 13. TH. Numquid, Gnatho, tu dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim? GN. Sine dubio opinor. *Cic.* 2. *Tusc.* 7. 18. Tristis enim res est sine dubio, aspera, amara. *Id.* 2. *Fam.* 18. Et hercle sine dubio erit ignominia. Adde *eumd.* 2. *Cat.* 1. 1., *Balb.* 24. 55., 1. *Off.* 29. 102., 1. *Nat. D.* 9. 23. et alibi. — *Sine dubio* sæpe occurrit sequente propositione, quæ præcedenti opponitur. *Cic.* 3. *Orat.* 57. 215. Ac sine dubio in omni re vincit imitationem veritas; sed ea si satis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto non egeremus. *Id.* 1. *Nat. D.* 21. 58. Sæpe enim de L. Crasso – videor audisse quum te togatis omnibus sine dubio anteferret, et paucos tecum Epicureos e Græcia compararet; sed, quod ab eo te mirifice diligi intelligebam, arbitrabar illum propter benevolentiam id uberius dicere. Adde *Quintil.* 1. 6. 12., 3. 8. 21., 5. 7. 28. et alibi sæpe. — *g*) *Procul dubio* idem significat. *Lucret.* 1. 812. Adjutamur enim dubio procul atque alimur nos Certis ab rebus. Adde *eumd.* 2. 261. et 3. 638. *Liv.* 39. 40. Asperi procul dubio animi et linguæ acerbæ et immodice liberæ fuit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 21. 50. (187). Utilissimum procul dubio est. — *Haud dubio* nonnulli legunt, sed perperam, apud *Liv.* 34. 2. Haud dubio ad culpam magistratuum pertinens. *Sed ibi legendum* haud dubie, *quæ dicendi ratio* Livio *est usitata: V.* Drakenborg ad h. l.

II.) Translate. ¶ 1. Dubius ponitur pro *ancipiti*, hoc est periculoso, difficili. Hac autem significatione occurrunt — *a*) *Res dubiæ* apud *Plaut. Epid.* 1. 2. 10. Is est amicus, qui in re dubia re juvat, ubi re est opus. *Id. Capt.* 2. 3. 45. Neque med unquam deseruisse te, neque factis neque fide, rebus in dubiis. Adde *eumd. Most.* 5. 1. 1. et *Pœn.* 1. 1. 2. *Sall. Cat.* 10. Qui labores, pericula, dubias res facile toleraverant. Adde *eumd. ibid.* 39. et *Jug.* 14.; et *Tac.* 2. *Ann.* 62. Confer *dubiæ res* sub I. 2.° — *b*) Cum aliis Substantivis. *Lucret.* 3. 55. Quo magis in dubiis hominem spectare periclis Convenit. Sic *Id. ibid. v.* 1089. in dubiis trepidare periclis. *Horat.* 4. *Od.* 9. 35. Animus secundis temporibus dubiisque rectus. *Sall. Jug.* 99. Quæ dubia nisui videbantur, potissimum tentare. *h. e.* ascensu difficilia. Sic *Propert.* 4. 4. 81. Mons erat ascensu dubius. *Grat. Cyneg.* 174. Dubius pontus. — *c*) Neutr. singularis numeri substantivorum more usurpatum. *Ter. Adelph.* 2. 2. 35. Etiam de sorte nunc venio in dubium miser. *h. e.* in periculum. *Id. ibid.* 3. 2. 42. Tua fama et gnatæ vita in dubium veniet. *Id. Andr.* 2. 2. 10. Mea quidem hercle certe in dubio vita est. *Cic. Cæcin.* 27. 76. Bona, fortunas, possessiones in dubium incertumque revocare. *Cæs.* 6. *B. G.* 7. Sese suas fortunas in dubium non devocaturum. *Sall. Cat.* 52. Libertas et anima nostra in dubio est. — Cum addito Genitivo. *Ovid.* 2. *Amor.* 13. 2. In dubio vitæ lassa Corinna jacet. — *In dubium esse*, pro in dubio. *Ovid. Heroid.* 16. 138. In dubium Veneris palma futura fuit. *V.* IN. — *d*) In plur. num. *Lucan.* 6. 596. Mens dubiis perculsa pa-

vet. ¶ 2. Dubius ponitur etiam pro vario; quo tamen sensu cum v. *cœna* tantum conjungi videtur. Jam vero *dubia cœna* apud *Ter. Phorm.* 2. 2. 28. est, in qua ob multitudinem ferculorum tu dubites, quid sumas potissimum; ut ipsemet exponit. Possis etiam intelligere periculosam valetudini, cui varietate et multitudine ciborum nocetur plurimum. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 76. vides, ut pallidus omnis Cœna desurgat dubia? *Auson. Mosell.* 102. *de salmone.* dubiæ facturus fercula cœnæ. *h. e.* medium saporem habens inter carnem et piscem: seu potius qui cœnæ varietati inserviet. *Hieronym. Ep.* 22. Castæ et vocantur et post cœnam dubiam apostolos somniant.

DŪCĀLIS, e, adject. ad ducem seu imperatorem pertinens. *Valerian. Imp.* apud *Vopisc. Aurelian.* 13. Tunicæ ducales russæ quatuor.

DŪCĀLĬTER, adverb. Comp. *Ducalius.* — Ducaliter est ducis more. *Sidon.* 5. *Ep.* 13. Ducaliter antecessurus. *Id.* 8. *ibid.* 6. Ferunt, nullam rem militarem ducalius C. Cæsare administrasse.

DŪCĀTĬO, ōnis, f. 3. ductio. Ducatio necessitatis *Tertulliano* a quibusdam tribuitur *Cor. Mil.* 11.; sed ibi alii rectius leg. *advocatio necessitatis.*

DŪCĀTOR, ōris, m. 3. dux: a *ducare* pro *ducere. Ulp. Dig.* 9. 2. 29. *a med.* Aut in gubernatorem, aut in ducatorem actionem competere damni injuriæ Alphenus ait. Ita *Torrentin.*; at *Haloander* habet *ductorem. Tertull. advers. Judæos* 13. Cum ducator ejus civitatis in ea pati haberet.

DŪCĀTRIX, icis, f. 3. quæ ducit. *Apul.* 2. *Dogm. Plat. post init.* Vitiorum ducatrices iracundia et libido.

DŪCĀTUS, us, m. 4. officium et munus ducis, imperium militare, *Græce* ἡγεμονία. *Justin.* 2. 15. 14. Ducem exercitui diligunt Pausaniam, qui pro ducatu regnum Græciæ affectans, etc. Adde *eumd.* 9. 6. 8. et 30. 2. 5. *Sueton. Tib.* 19. Confidens ostento sibi ac majoribus suis in omni ducatu expertissimo. *Id. Ner.* 35. Crispinum impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus et imperia ludere, mergendum mari servis ipsius demandavit. *h. e.* pueriliter fingendo imperia militaria, et collusoribus, qui ludo vicissent, deferendo. *Flor.* 3. 21. 2. Ducatum sceleri præbere. *h. e.* civilis belli se ducem facere.

DŪCĒNA, æ, f. 1. dignitas ejus, qui ducentis præest in schola agentium in rebus. *Imp. Leo Cod.* 12. 20. 4. *V.* CENTENUS.

DŪCĒNĀRĬA, iæ, f. 1. *V.* voc. seq. sub *b.*

DUCĒNĀRĬUS, a, um, adject. qui ducenta continet. — *a*) Generatim. *Varro* apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 19. (83). Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, et ducenaria duo humeris contra scalas ferebat. — *b*) Speciatim *ducenarii procuratores* dicti sunt a stipendio ducentorum millium nummum, quod habebant pro exigendis redditibus publicis, aut ipsi principis etc., teste *Dione l.* 53. c. 15. καὶ τοῖς γε ἐπιτρόποις καὶ αὐτὸ τοῦτο ἀξίωμα ... ὄνομα ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν διδομένων αὐτοῖς χρημάτων προσγίγνεται. *Sueton. Claud.* 24. Ornamenta consularia etiam procuratoribus ducenariis indulsit. *Inscript.* apud *Oderic. Dissert.* etc. p. 199. SEX. VARIO MARCELLO PROCURATORI AQUARUM C. (*centenario*), PROCURATORI PROVINCIÆ BRITANNIÆ CC. (*ducenario*), PROCURATORI RATIONIS PRIVATÆ CCC. (*trecenario*) etc. V. *Zirardini* ad *Nov.* p. 111. et seq. *Apul.* 7. *Met.* Nam procuratorem principis ducenaria perfunctum fueram aggressus. *h. e.* ducenaria dignitate jam functum. — Similes his fuere, qui postea *ducenarii* vocabantur in schola agentium in rebus, de quibus mentio fit in *Cod.* 12. 20. 3., quamquam alii volunt ita dictos, quia ducentis officialibus in sacro palatio præerant, ad similitudinem Ducenariorum militarium. *V.* CENTENUS. Sunt etiam qui putent, quia in eodem *Cod.* 10. 19. 1. mentio fit Ducenariorum in tributis exigendis, dictos esse Ducenarios qui vectigal exigebant *ducentesimæ*, de qua in CENTESIMUS dictum est: sed hi nihil omnino differunt a Ducenariis agentium in rebus, quorum munus, inter alia, fuit etiam tributa exigere. *V.* AGENS; et *Zirardini* ad *Nov.* p. 115. — *c*) A censu ducentorum mill. ns. nominati sunt *ducenarii judices*, quos Augustus ad tres judicum decurias ex inferiori censu addidit, qui de levioribus summis judicarent, uti *Sueton.* in ejus *Vita* 32. narrat: censum autem inferiorem censu equestri intelligit, qui erat quadringentorum mill. Itaque ex iis, qui minimum ducenta habebant, decuriam judicum Augustus novam instituit. *V.* DECURIA et QUADRINGENARIUS; et *Pauly's Realencycl.* ad h. voc., et *Reins röm. Privatr.* p. 413. — *d*) *Protector ducenarius* memoratur in *Inscript.* apud *Gruter.* 530. et 531. 2. Sunt qui putant nomen habere a stipendio ducenum HS., ut est apud *Capitolin. Pertin.* 2., si modo ibi de militari officio sermo est. *V.* EXDUCENARIUS; et *Cavedoni, Marm. Moden.* p. 129. — *e*) De *ducenario equo*, V. CENTENARIUS. — Hinc

Ducenarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, in militia est, qui duabus militum centuriis præest. Hic olim erat primus hastatus. *Veget.* 2. *Milit.* 8.

Ducenaria, iæ, f. 1. absolute, substantivorum more; *V.* supra sub *b.*

DŪCĒNI, æ, a, adject. Gen. plur. num. est *ducenûm.* — *Duceni* est numerus ducentorum distributivus. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 40. Nam vel ducenos annos poterunt vivere. *Liv.* 9. 19. Censebantur ejus ætatis lustris ducena quinquagena millia capitum. Adde *eumd.* 40. 18.; *Auct. B. G.* 8. 4.; et *Colum.* 5. *R. R.* 3. 2. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (28). Gentem ducenos annos vivere. *Id.* 9. *ibid.* 3. 2. (4). Pristes ducenum cubitorum. — Extra distributionem. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (121). Muri ducenos pedes alti.

DŪCENTĒNUS, a, um, adjectivum distributivum a *ducentis.* Extra distributionem *Siculus Flacc. de condit. agror.* p. 20. *Goes.* Centuriæ non per omnes regiones ducenta jugera obtinent, in quibusdam ducentena dena, invenimus et quadragena. *Id. ibid.* p. 153. Centenis hominibus ducentena jugera dederunt.

DŪCENTĒSĬMUS, a, um, adject. unus ex ducentis. — Hinc

Ducentesima, æ, f. 1. (subaudi *pars*) absolute, substantivorum more, vectigal fuit de quo in CENTESIMUS dictum est. *Tac.* 2. *Ann.* 42. Fructibus ejus levari posse centesimæ vectigal, professus Tiberius, ducentesimam in posterum statuit. *Sueton. Cal.* 16. Ducentesimam auctionum Italiæ remisit.

DŪCENTI, æ, a, adject. Etiam *duocenti* scribitur. *Sicul. Flacc. de condit. agr.* p. 2. *Goes.* Gracchus legem tulit, ne quis in Italia amplius, quam duocenta jugera, possideret. Hæc ei. *Furlanetto* in *Append.* De lectione tamen dubitaverim. — Genitivus plur. num. *ducentum* pro *ducentorum* occurrit apud *Varron.* loco infra cit. sub 1. — Ceterum ducenti est bis centum. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 55. Militi nummis ducentis jam usus est pro Bacchide. Adde *eumd. ibid.* v. 58., et *ibid.* a. 8. v. 27., 38. et 41. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. 32. Ducentos in annos singulos stipatores corporis constituit. *Varro* 3. *R. R.* 2. 15. Fundus ducentum jugerum. Adde *Colum.* 5. *R. R.* 3. 7., cujus verba *V.* infra in DUCENTUM. ¶ 2. Latiori sensu, *ducenti* numerus indefinitus pro innumeris. *Plaut. Asin.* 2. 2. 10. Etiam de tergo ducentas plagas prægnantes dabo. *Catull.* 37. 7. Centum aut ducenti sessores. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 61. Catienis mille ducentis, Mater, te appello clamantibus.

DŪCENTĬES vel ducentiens, adverb. bis centies. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 2. *Phil.* 16. 40. Amplius ducenties acceptum retuli. Adde *Cels.* 2. 14. *ad fin.* ¶ 2. Latiori sensu, indefinite, idem ac pluries. *Catull.* 29. 15. Ducenties comesset aut trecenties.

DŪCENTUM, nomen numerale indeclinabile, bis centum continens. *Colum.* 5. *R. R.* 3. 7. Qui numeri duo (*XLIX. et XXV.*) inter se multiplicati efficiunt mille ducentum et viginti quinque.

DŪCĬĀNUS, a, um, adject. ad ducem pertinens. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 15. 11. 2. Officium ducianum. *h. e.* ducis. *Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. ibid.* 11. 25. 1. Apparitores duciani. *h. e.* ducum rei militaris. *Imp. Justinian. Cod.* 7. 62. 38. Judicium ducianum. — Hinc

Ducianus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est officialis ducis alicujus. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 7. 16. 3. Præsente protectore, seu duciano qui dispositus est. Et plural. *duciani, orum. Imp. Justinian. Cod.* 1. 27. 2. § 8. Nullum dispendium a ducibus, vel ducianis prædicti limitanei sustineant.

DŪCO, cis, xi, ctum, cere, a. 3. In Imperativo habet *duc*, ut *dico* habet *dic*, et *facio* habet *fac.* Sed ἀρχαϊκῶς etiam *duce* dictum est a *Plaut. Epid.* 3. 3. 18. Duce istam intro mulierem. Adde *eumd. Most.* 4. 1. 11. etc. — *Duxti* pro *duxisti* syncope. *Varro* apud *Non.* p. 283. 32. *Merc.*; *Catull.* 91. 9.; et *Propert.* 1. 3. 27. — Similiter *duxe* pro *duxisse* syncope. *Varro* apud *Non.* p. 24. 33. *Merc.* Æs defraudasse cauponem, bovam luto oblevisse, cum portitore serram duxe. — Part. *Ducens* I. 1. *b.*, d., *e*; *Ductus* I. 1. *c.* et II. 3.; *Ducturus* I. 1. *a.*; *Ducendus* I. 7. et II. 1. — Ducere est trahere, facere ut aliquis aut aliquid moveatur (It. *tirare, trarre, guidare, condurre, recare, far muovere*; Fr. *conduire, guider, mener, transporter*; Hisp. *conducir, llevar, transportar*; Germ. *Jemanden oder etwas führen, leiten, ziehen, bringen, fortbewegen*; Angl. *to draw*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de plurimis dicitur. — *a*) De hominibus. *Plaut. Amph.* 2. 2. 224. Duc hos intro. *Id. Bacch.* 3. 3. 2. Quo ducis nunc me? *Id. Cist.* 2. 3. 36. Ubi habitat, inquam, duc et demonstra mihi. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 23. Suas secum mulierculas sunt in castra ducturi. *Cæs.* 5. *B. G.* 5. Reliquos principes obsidum loco secum duxit. *Nepos Hamilc.* 3. Effecit, ut imperator in Hispaniam mitteretur, eoque secum duxit filium Hannibalem. *Id. præfat.* Uxorem in convivium ducere. Cf. *eumd. Datam.* 3. Vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret. Cf. *Horat.* 3. *Od.* 11. 13. Tu potes tigres comitesque silvas Ducere — Aliquando ita sumitur pro trahere, ut significet trahere volentem; *traho* vero invitum ac per vim. *Seneca Ep.* 107. *in vers.* Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Sic *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 3. 3. 4. Ducimus volentes, abducimus invitos. — *b*) De aereis et liquidis. *Cic. pro leg. Manil.* 12. 33. Quum eos portus, quibus vitam et spiritum ducitis, in prædonum potestate fuisse sciatis? *Id.* 10. *Fam.* 1. 1. Optandum est, ut possimus ad id tempus rei publicæ spiritum ducere. Adde *eumd. Arch.* 12. 30. et 4. *Herenn.* 33. 45. *Id.* 2. *Nat. D.* 6. 18. Aere eo, quem spiritu ducimus. *Id. ibid.* 54. 136. Eaque (*arteria*) ad pulmones usque pertineat excipiatque animam eam, quæ ducta sit spiritu, eamdemque a pulmonibus respiret et reddat. *Seneca* 3. *Benef.* 8. Arentibus siti et vix spiritum per siccas fauces ducentibus monstrare fontem. *Varro* 2. *R. R.* 3. 5. Ducere spiritum naribus. *Horat.* 4. *Od.* 1. 21. Illic plurima naribus Duces tura. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. Ducere aquam per fundum alterius. *Horat.* 3. *Od.* 3. 34. succos nectaris. *h. e.* bibere. *Id.* 4. *ibid.* 12. 14. Liberum. *Id.* 1. *ibid.* 17. 22. pocula. Et figurate *Id.* 2. *Sat.* 6. 62. Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ. Sic *Val. Flacc.* 4. 536. oblivia. *h. e.* oblivisci. — Huc referri possunt et illa *Scribon. Compos.* 133. Ad hydropicos bene facit chamæleon. Largiter enim aquam ducit. *Et ibid.* 158. Ducit enim sanguinem, et dolorem levat. — *c*) De gladio, qui educitur. *Virg.* 12. *Æn.* 378. et auxilium ducto mucrone petebat. *Ovid.* 4. *Fast.* 929. Ducere ferrum vagina. *Sil. It.* 8. 312. vagina ducitur ensis. — *d*) De sortibus. *Cic.* 2. *Divinat.* 33. 70. Auspicia restant, et sortes eæ, quæ ducuntur, non illæ, quæ vaticinatione funduntur. *Id.* 1. *ibid.* 18. 34. Ea, quæ æquatis sortibus ducuntur. *Virg.* 6. *Æn.* 22. stat ductis sortibus urna. *Tac.* 6. *Ann.* 2. Ex queis triginta sorte ducti. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 28. et 13. *ibid.* 29. *Sueton. Cæs.* 12. Sorte judex in reum ductus. Adde *eumd. Aug.* 35. et *Claud.* 6. — *e*) De iis, quæ manibus ducuntur, ut carri, remi, stamina, etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 6. Qua singuli carri ducerentur. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 48. Ducere funem. *Sil. It.* 11. 359. Ducere alicui ferrum per viscera. *Ovid.* 7. *Met.* 119. Suppositosque jugo pondus grave cogit aratri Ducere. *Id.* 1. *Met.* 294. Et ducit remos illic, ubi nuper ararat. *Id.* 4. *ibid.* 34. Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant. *Id. ibid.* v. 221. Lævia versato ducentem stamina fuso. *Juvenal.* 12. 65. Ducere pensa manu. (*Ducere* pro nere, vel texere exponunt nonnulli apud *Albinov.* 2. 77. *de Hercule.* Lydia te tunicas jussit lasciva fluentes Inter lanificas ducere sæpe suas. *At ibi rectius intelliqas pro ferre vel ferendo trahere*). Rursus *Ovid.* 15. *Met.* 518. Ducere frena manu. — *f*) *Ducere os* est variis modis os vultumque agitare et distorquere ad varios animi motus significandos. *Cic. Orat.* 25. 86. Actio vultu multa conficiens, non hoc, quo dicuntur os ducere, sed illo, quo significant ingenue, quo sensu quidque pronunciant. *Quintil.* 9. 3. 101. Ducere os

exquisitis modis, et frontis ac hominum inconstantia trepidare. Sic generatim Ovid. 2. Met. 774. Ingemuit, vultumque ima ad suspiria duxit. Id. 4. Pont. 8. 12. Hei mihi, si lectis vultum tu versibus istis Ducis, et affinem te pudet esse meum! h. e. tamquam iratus contrahis. Sic Martial. 1. 11. Qui ducis vultus et non legis ista libenter. Huc pertinent et illa Ovid. 4. Met. 353. alternaque brachia ducens. Horat. 1. Ep. 1. 9. ilia ducere. Martial. 11. 39. suspiria. Virg. 4. Æn. 463. longas in fletum ducere voces. h. e. edere. — g) Ducere aliquando dicitur etiam via, equus, navis, et similia. Virg. 9. Ecl. 1. Quo te, Mœri, pedes? an, quo via ducit, in urbem? Id. 1. Æn. 401. Perge modo, et, qua te ducit via, dirige gressum. Ovid. 2. Fast. 679. Est via, quæ populum Laurentes ducit in agros. Et absolute, sine Accus. Horat. 1. Ep. 18. 20. Brundisium Minuci melius via ducat an Appi. Ovid. 3. Met. 602. monstroque viam, quæ ducat ad undas. Id. 4. ibid. 437. Iter, Stygiam quod ducit ad urbem. — Ceterum cum Accus. Horat. 4. Od. 3. 4. non equus impiger Curru ducet Achaico Victorem. Id. 1. Ep. 1. 93. locuples, quem ducit priva triremis. Plin. 7. Ep. 5. Ad diætam tuam ipsi me, ut verissime dicitur, pedes ducunt. — h) Ducere se in familiari sermone est ire, et præcipue abire, se subducere, aufugere. Plaut. Amph. 4. 3. 8. Ad regem recta me ducam. Id. Bacch. 4. 2. 11. Ducere se ab ædibus. Id. Aulul. 4. 8. 8. se deorsum de arbore. Ter. Hecyr. 4. 1. 7. Uxor uti me ad filiam ire sensit, se duxit foras. Asinius Pollio apud Cic. 10. Fam. 32. Balbus quæstor duxit se a Gadibus. h. e. subduxit, aufugit. ¶ 2. Speciatim in jure ducere dicitur, qui reum ad tribunal, aut ad vincula vel supplicium trahit. Liv. 2. 27. Desperato enim consulum senatusque auxilio, quum in jus duci debitorem vidissent, undique convolabant. — Plaut. Bacch. 5. 2. 87. Ducite nos quo lubet, tamquam quidem addictos. Cf. Nævius apud Cic. 2. Orat. 63. 255. Quanti addictus? mille nummum. Nihil addo: ducas licet. h. e. in vincula ducas. Est enim sermo de eo, qui ob æs alienum alteri addicitur, donec solvat: V. ADDICO. Similiter Cic. Flacc. 20. 48. Addictus Hermippo et ab hoc ductus est. V. Klotz. ad Cic. oration. vol. 2. p. 718. et vol. 3. p. 882. Et Liv. 6. 20. Quorum bona venire, quos duci addictos prohibuisset. Id. 2. 23. Ab creditore non in servitium, sed in ergastulum duci. — Plaut. Capt. 3. 5. 63. Ducite, ubi ponderosas, crassas capiat compedes. Cic. 1. Cat. 1. 1. et Nepos Phoc. 4. ad mortem. Cic. 7. Verr. 30. 77. Illos duci in carcerem jubent. Adde Liv. 6. 14.; et Sueton. Cæs. 20. Id. Sueton. Cæs. 79. in vincula. Cf. Id. Cal. 27. A calvo ad calvum duci imperavit. — Et omissis ad supplicium, Curt. 8. 8. 15. Nos jube duci, ut quod ex tua morte petieramus, consequamur ex nostra. V. Mützell ad h. l. Sic Seneca 1. Ira 16. Quum iratus duci jussisset eum, qui etc. Adde Plin. 10. Ep. 97. ¶ 3. Item speciatim refertur ad nuptias; quo sensu — a) Vir dicitur ducere aliquam domum, vel omisso v. domum, uxorem vel in matrimonium. Sic apud Plaut. Mil. glor. 3. 1. 91. Verum ego eam ducam domum, quæ mihi numquam hoc dicat, etc. Sic Ter. Phorm. 2. 1. 68. Qua ratione inopem potius ducebat domum? Plaut. Cas. prol. 69. Servine uxorem ducent, aut poscent sibi? Adde eumd. Cist. 1. 1. 105.; et Ter. Andr. 1. 1. 128. et 2. 1. 21. et Adelph. 1. 1. 21. et 5. 4. 13. Cic. Sext. 3. 6. Duxit uxorem optimi viri filiam. Cæs. 1. B. G. 9. Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat. Adde eumd. 3. ibid. 110.; et Virg. 8. Ecl. 29. — b) Ducere etiam absolute usurpatur eodem sensu. Ter. Andr. 3. 5. 6. Negabon' velle me, modo qui sum pollicitus ducere? Adde eumd. ibid. 2. 3. 5. et Phorm. 2. 3. 76. Cic. Sext. 3. 6. En auctore (patre) duxit honestissimi et spectatissimi viri, C. Albini filiam. Liv. 4. 4. Quid enim in re est aliud, si plebejam patricius duxerit, si patriciam plebejus? Et figurate. Ovid. 10. Met. 680. Præterita est virgo: duxit sua præmia victor. h. e. Hippomenes victor sua præmia consecutus est, Atalantam enim uxorem duxit. — c) Ducere obscœno quoque sensu de scortis occurrit apud Comicos. Plaut. Men. 1. 2. 15., Most. 1. 1. 35., Stich. 5. 4. 48. et Truc. 3. 2. 10. — d) Denique ducere de viris tantum dicitur, ut nubere de feminis: reperitur tamen sequiore Latinitatis tempore etiam de his. Imp. Antonin. Caracalla Cod. 5. 18. 3. Si ignorans statum Erotis, ut liberum duxisti et dotem dedisti, etc. ¶ 4. Item speciatim, frequenter ad rem militarem pertinet; et — a) Ducere dicitur imperator, qui in bello exercitum ab alio in alium locum, fere adversus hostes, movet. Cæs. 1. B. G. 10. Ducere exercitum ab Allobrogibus in Segusianos. Id. ibid. 41. exercitum locis apertis. Id. 2. ibid. 12. in fines Suessionum. Id. ibid. 13. in Bellovacos. Id. 7. ibid. 61. reliquas copias contra Labienum. Id. 2. B. C. 26. exercitum Uticam. Id. 3. ibid. 62. cohortes ad eam partem munitionum. Tac. 2. Ann. 57. partem legionum ipse, aut per filium in Armeniam. — Et passive de militibus Cæs. 1. B. G. 40. Quod aut quam in partem, aut quo consilio ducerentur, sibi quærendum aut cogitandum putarent. — Activa forma, sed absolute, hoc est sine Accusativo, de ipso imperatore qui exercitum in hostes movet, sæpissime usurpat Livius, ut 1. 27. Quum Fidenæ aperte descissent, Tullus, Mettu exercituque ejus ab Alba adcito, contra hostes ducit. Adde eumd. 1. 23., 9. 35., 22. 15., 23. 18., 31. 38., 40. 25. et alibi. — b) Hinc ducere est etiam idem ac præesse, imperare. Nepos Epam. 7. Quum in Peloponnesum exercitum duxisset adversus Lacedæmonios. h. e. exercitui præfectus esset. Sic Cic. Mur. 9. 20. et Nepos Eumen. 13. Ducere exercitum. Sall. Jug. 55. partem exercitus. Cic. 1. ad Brut. 8. Cretensi bello, Metello imperatore, octavum principem duxit. Cæs. 5. B. G. 35., 6. ibid. 38. et 3. B. C. 91. Ducere primum pilum. Id. 1. B. C. 13. et 3. ibid. 104.; et Sueton. Vesp. 1. ordinem. — Hoc sensu raro admodum occurrit de aliqua exercitus parte, vel de primo agmine. Tac. 1. Ann. 51. Pars equitum et auxiliariæ cohortes ducebant: mox prima legio. Id. ibid. 64. Deliguntur legiones quinta dextro lateri, unetvicesima in lævum, primani ducendum ad agmen, vicesimanus adversum secuturos. Curt. 6. 4. 11. Quadrato tamen agmine et composito ibat. — Levis armatura ducebat agmen; phalanx eam sequebatur; post pedites erant impedimenta. — c) Hinc extra rem militarem ducere ordines dicitur, qui eos regit, apud Cic. 1. Phil. 8. 20.; et ducere familiam qui caput familiæ est, apud Cic. 5. Phil. 11. 30., 7. Fam. 5. et 4. Fin. 16. 45. Sic ducere classem (discipulorum) apud Quintil. 1. 2. 21. est classis principem esse. Similiter ducere toros dicitur, qui histrionibus præest, apud Ovid. 6. Fast. 668., ubi alii leg. choros. ¶ 5. Item ponitur pro attrahere, contrahere. Virg. 9. Ecl. 49. Duceret apricis in collibus uva colorem. Adde Ovid. 3. Met. 485. Horat. 4. Od. 2. 59. de vitulo. Qua notam duxit, niveus videri, Cetera fulvus. h. e. a matre duxit. Cf. eumd. 3. ibid. 27. 75. tua sectus orbis Nomina ducet. Ovid. 1. Met. 402. Mollirique morâ, mollitaque ducere formam. Id. 4. ibid. 65. Fissus erat tenui rimâ, quam duxerat olim. Id. 3. Trist. 11. 66. Fata cicatricem ducere nostra sine. Sic Colum. 3. R. R. 18. 5. Ut malleolus decimus celeriter cicatricem ducat. Quintil. 1. 2. 18. Ducere situm. ¶ 6. Item est deformando producere, erigere, magna cum arte et ordine facere, effingere. — a) Generatim. Cic. Mil. 28. 75. Ducere parietem per vestibulum alterius. Cæs. 7. B. G. 72. et 73. fossam. Id. 1. B. C. 73. vallum ex castris ad aquam. Colum. 2. R. R. 2. 27. sulcum. Horat. 4. Od. 6. 23. muros. Ovid. 3. Met. 160. arcum. Vitruv. 2. 3. lateres de terra. Virg. 7. Æn. 634. Aut leves ocreas lento ducunt argento. h. e. extendunt, inquit Servius. et 6. ibid. 849. vivos ducent de marmore vultus. Horat. 2. Ep. 1. 140. æra Fortis Alexandri vultum simulantia. Plin. 7. Hist. nat. 37. 38. (125). Ducere Alexandrum ex ære. Quintil. 10. 3. 18. opus. Id. 11. 3. 118. orbem. Id. 2. 6. 2.; et Plin. 35. Hist. nat. 10. 36. (81). lineam. Juvenal. 7. 237. Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat. h. e. effingat, instituat. — b) Speciatim a Poetis carmina duci dicuntur. Horat 1. Sat. 10. 43. forte epos acer Ut nemo Varius ducit. Ovid. 1. Trist. 11. 18. Carmina manu trementi ducere. Adde eumd. 3. ibid. 11. 32. et 1. Pont. 5. 7. Id. 5. Trist. 12. 63. Nec possum, et cupio non ullos ducere versus. Propert. 1. 7. 1. Dum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ. h. e. carmine conduntur et celebrantur. Plerique tamen rectius leg. dicuntur. — c) Item de pompis et similibus. Sic ducere funus alicui, dicitur proprie de iis, qui in pompa funeris præeunt, quales fuisse parentes, conjuges, consanguineos Meurs. docet. Cic. Quinct. 15. 50. Huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur. Adde Liv. 2. 47.; Virg. 4. G. 256.; Horat. Epod. 8. 12.; et Ovid. 11. Met. 746. Similiter Plin. 8. Hist. nat. 42. 64. (154). Defuncto Bucephalo, Alexander duxit exsequias. Ovid. 13. Met. 699., 6. Fast. 405. et Heroid. 12. 152. pompam. Horat. 1. Od. 4. 5. Jam Cytherea choros ducit Venus. Adde eumd. 4. ibid. 7. 6.; et Tibull. 2. 1. 56. Ovid. 8. Met. 582. et 11. ibid. 520. choreas. Cf. Virg. 8. Æn. 665. castæ ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus. — d) Huc pertinent et illa Phædr. 5. 3. Ducere alicui gravem alapam. Quintil. 6. 3. 83. colaphum. Paul. Dig. 47. 10. 4. pugnum. ¶ 7. Item in re medica ducere alvum est subducere, hoc est clystere per inferna injecto elicere et purgare. Cels. 2. 12. Plerumque alvus lotionibus ducenda est. Id. 4. 4. a med. Liquanda alvus, interdum etiam ducenda. et ibid. 10. Solvere alvum: si aliter non respondet, etiam ducere. Adde eumd. ibid. 3. et 6. 11.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Lucret. 2. 258. quo ducit quemque voluntas. Horat. 1. Od. 8. 31. Liber vota bonos ducit ad exitus. Id. 1. Ep. 2. 31. Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam. Id. ibid. 3. 27. quo te cœlestis sapientia duceret. Id. ibid. 6. 57. eamus quo ducet gula. Quintil. 1. 10. 5. Per quædam parva sane ducunt futurum oratorem. Id. 12. 1. 20. Popularis error ad meliora ducendus. Tac. Agric. 6. Ludos et inania honoris medio rationis atque abundantiæ duxit, uti longe a luxuria, ita famæ propior. Al. leg. modo, al. moderationis. V. ibi Interpp. Poetice Tibull. 1. 1. 65. Nam neque tum plumæ, nec stragula picta soporem, Nec sonitus placidæ ducere possit aquæ. h. e. adducere, afferre, conciliare. ¶ 2. Speciatim — a) In bonam partem, duci (namque hoc sensu passive præcipue usurpatur) dicitur hominis animus, studium, voluntas, et est impelli, moveri, trahi, allici. Cic. 2. Tusc. 18. 42. Ita me ad credendum tua ducit oratio. Nepos Cim. 1. Non magis amore, quam more duci. Id. Alcib. 5. Duci caritate patriæ. Id. Dion. 3. falsa suspicione. Id. Att. 12. studio philosophiæ. Cic. Orat. 32. 115. laude eloquentiæ. Id. Brut. 51. 190. benevolentia ductus. Id. 1. Off. 41. 148. errore. Id. 5. Tusc. 3. 9. quæstu et lucro. Id. 4. Verr. 58. 113. honore aut gloria. Id. Rosc. Am. 41. 120. Litteris eorum et urbanitate Chrysogonus ducitur, ut etc. Id. 1. Off. 6. 18. Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiæ cupiditatem. Horat. 2. Sat. 2. 25. Ducit te species. Plin. 1. Ep. 10. Sermo est copiosus et varius: dulcis in primis, et qui repugnantes quoque ducat et impellat. Id. 4. ibid. 12. Omnes qui gloria famaque ducuntur. Quintil. 1. 2. 28. Nos ducit scholarum consuetudo. Id. 10. 7. 21. Declamatores quosdam perversa ducit ambitio. — b) In malam partem, et active ducere est fallere, decipere, aut irretire. Plaut. Capt. 4. 2. 7. Hic ille est senex ductus, cui verba data sunt. Al. leg. doctus. Id. Most. 3. 2. 26. Reperi qui senem ducerem: quo dolo a me dolorem procul pellerem. Ter. Andr. 1. 1. 20. Etiam nunc me ducere istis dictis postulas? Id. Phorm. 3. 2. 15. Ut phaleratis dictis ducas me. Propert. 2. 13. 57. Mentiri noctem: promissis ducere amantem. — Hinc ducere est verbum aucupum et piscatorum proprium. Ovid. Heroid. 19. 13. Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo. Id 3. Met. 587. calamo salientes ducere pisces. Martial. 1. 56. Et piscem tremula salientem ducere seta. ¶ 3. Item est derivare, trahere; et dicitur præcipue de origine, principio vel initio, et nomine. Cic. Orat. 3. 11. Ingressionem non ex oratoriis disputationibus ducere, sed a media philosophia repetere. Id. ibid. 39. 135. ab eodem verbo sæpius orationem. Id. pro leg. Manil. 2. 4. Unde hæc omnis causa ducitur. Id. 2. Nat. D. 21. 57. Ducere principium disputationis ab aliquo. Id. 5. Fin. 7. 18. exordium vitæ ab aliqua re. Id. 2. Nat. D. 19. 49. initia causasque omnium ex quatuor temporum mutationibus. Id. 9. Att. 9. belli initium a fame. Horat. 3. Od. 17. 5.; et Quintil. 2. 15. 4. originem ab aliquo. Quintil. 3. 8. 8. exordium a nostra persona. Ovid. 3. Met. 257. domus ab Agenore ducta. Cic. Amic. 27. 100. Utrumque ductum est ab amando. Al. leg. dictum. Id. 1. Acad. (post.) 11. 41. Ducere nomen ex aliqua re. Horat. 2. Sat. 1. 66. ab oppressa meritum Carthagine nomen. Quintil. 1. 6. 3. nomen a Græco. Cic. Brut. 64. 218. Sermo ductus e percunctatione filii. Id. 1.

Tusc. 29. 71. Libera contumacia, a magnitudine animi ducta, non a superbia. *Val. Flacc.* 6. 125. Magnanimis mos ductus avis, haud seguis mortis Jura pati. *h. e.* mos est ab avis deductus etc. ¶ 4. Item est protrahere; et dicitur — *a*) De iis, quæ tempore fiunt, vel de ipso tempore. *Cic.* 7. *Fam.* Suadere institui, ut bellum duceret. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 38., 3. *B. C.* 42. et 2. *ibid.* 18.; *Liv.* 22. 25.; et *Horat.* 3. *Od.* 3. 29. *Cæs.* 1. *B. C.* 64. Bellum necessario longius duci. *Id. ibid.* 61. Ducere bellum in hiemem. (Pro gerere *Virg.* 8. *Æn.* 55. Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina. *Servius:* aut gerunt, aut in longum trahunt. Sed secundæ interpretationi τὸ *assidue* obstat. *Nepos Datam.* 8. *extr.* Quum bellum duci majore regis calamitate, quam adversariorum videret, ad pacem hortatus est.). Ceterum ad protrahendi notionem pertinet et illud *Cæs.* 7. *B. G.* 11. Quum longius eam rem ductum iri existimarent, præsidium Genabi tuendi causa — comparabant. *Liv.* 3. 41. Si leniter ducta res sine populari strepitu ad consules rediisset, etc. *Cic.* 3. *Verr.* 11. 30. Deinde ita tempus duceretur, ut a M'. Glabrione prætore et a magna parte horum judicum ad prætorem alium judicesque alios veniremus. *Nepos Themist.* 7. Dedit operam, ut quam longissime tempus duceret. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. Ducere diem ex die. Cf. *Martial.* 12. 36. aureolos, Possint ducere qui duas calendas. — *b*) De personis. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. Ubi se diutius duci intellexit. — *c*) De iis, quæ in spatium extenduntur. *Virg.* 9. *Æn.* 622. nervoque obversus equino Intendit telum diversaque brachia ducens Constitit. — *d*) Et generatim pro agere, vivere, frui. *Cic.* 5. *Fin.* 19. 50. Ducere ætatem in litteris. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 202. ætatem. *Virg.* 2. *Æn.* 641. et *Horat. Epod.* 17. 63. vitam. *Virg.* 4. *Æn.* 560. somnos. *Propert.* 1. 11. 5. noctem. *Plin.* 6. *Ep.* 31. *a med.* noctem jucundissimis sermonibus. ¶ 5. Quum de mercatura et similibus agitur, *ducere rationem* vel *ducere* est supputare. — *a*) Proprie. *Lucilius* apud *Non. p.* 283. 29. *Merc.* Age nunc summam sumptus duc, atque æris simul adde alieni. *Forcellinus* legebat: summam ducat sui æris simul atque alieni. *Varro* 3. *R. R.* 16. 11. Ut peræque ducerent. *V.* PERÆQUE. *Cic.* 5. *Verr.* 49. 116. Non enim duco in hac ratione eos — xc. medimnûm millia duximus. *Id.* 6. *Att.* 1. 5. Centesimis seyenoli ductis. *Id. ibid.* § 16. Diem statuo satis laxam, quam ante si solverint, dico, me centesimas ducturum; si non solverint, ex pactione. *h. e.* computaturum. *Gell.* 1. 20. Sicuti fit, quum ter terna ducuntur. — *b*) Hinc translate *rationem alicujus ducere* est rationem habere, personæ aut rei locum dare in judicio ferendo. *Cic.* 3. *Verr.* 48. 126. Homo Ligurem accusare cœpit, qui in re adventicia atque hereditaria tam diligens, tam attentus esset; debere eum ajebat suam quoque rationem ducere; multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. *Id.* ad *Pompej. post ep.* 11. *l.* 8. *Att. ad fin.* Quum pacis conditiones ad te afferri viderem, duxi meam rationem, quam tibi facile me probaturum arbitrabar. *Id.* 7. *Fam.* 3. Malui famæ cedere, quam salutis meæ rationem ducere. *Id. Sext.* 10. 23. Officii rationem in omni vita, non commodi esse ducendam. Adde *eumd. Quinct.* 16. 53. *Sueton. Aug.* 42. Non minorem oratorum, quam populi rationem ducere. ¶ 6. Hinc ducere frequentissime significat putare, existimare, habere; qua notione *Paul. Diac. p.* 66. 12. *Müll.* vult esse a δοκῶ puto. — *a*) Generatim variis modis construitur. *Cæs.* 6. *B. G.* 21. Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt. *Id. ibid.* 23. Qui ex iis secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur. *Id.* 6. *ibid.* 31. et *Cic.* 7. *Verr.* 25. 64. Ducere aliquem in numero hostium. *Cic.* 3. *Fin.* 3. 10. Nihil præter virtutem in bonis ducere. *Sall. Jug.* 14. Vos affinium loco ducerem. *Quintil.* 5. 9. 10. Signum ceteris adjunctum testimonii loco ducitur. *Al. leg.* dicitur. *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24. Parvi aliquid ducere. *Id.* 4. *Verr.* 16. 40. Tu ausus es pro nihilo præ tua præda tot res sanctissimas ducere. *Plaut. Capt.* 1. 2. 48. Malum quum amici tuum ducis, nunc habe bonum animum. *Cic.* 1. *de republ.* 38. Archytas iracundiam seditionem quamdam animi vere ducebat. *Id.* 4. *Verr.* 41. 100. Quum docuissem, hanc damnationem duci non oportere. *h. e.* hanc non esse putandam damnationem: *V.* tamen interpp. *Id.* 4. *Herenn.* 20. 28. Neminem præ se ducit hominem. *Sall. Jug.* 62. Eorum, quos idoneos ducebat. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 83. Nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt. *Sall. Cat.* 3. Ea pro falsis ducit. *Id. ibid.* 12. Innocentia pro malevolentia duci cœpit. *Virg.* 6. *Æn.* 690. Sic equidem ducebam animo rebarque futurum. *Cic. Flacc.* 27. 65. Si quis despicatui ducitur. *Nepos Ages.* 3. *extr.* Ut omnium opinione victor duceretur. *Liv.* 8. 31. Ducere se magistrum equitum. Sic *ducere se esse pro aliquo*, *Plauti* modus loquendi est, *Capt.* 2. 3. 76. et *Stich.* 4. 1. 65., h. e. gerere se pro aliquo. — *b*) Præcedente Genitivo, vel Ablat. cum præpos. *ex. Liv.* 21. 41. Veniam dedimus precantibus; emisimus ex obsidione; pacem cum victis fecimus: tutelæ deinde nostræ ducimus, quum Africo bello urgerentur. *Id.* 34. 58. Populus Romanus, susceptum patrocinium libertatis Græcorum non deserere, fidei constantiæque suæ ducit esse. *Id.* 7. 18. Fidei jam suæ, non solum virtutis ducebant esse, ut accepissent duo patricii consulatum, ita ambobus patriciis mandare. *Sueton. Tib.* 11. Et quamquam lætus animo, tamen officii duxit, — exorare filiæ patrem frequentibus litteris. *Id. ibid.* 25. E republica fideque sua ducere, etc. — *c*) Cum Gerundio, aut cum Infinito *esse*, ut apud *Cic.* 1. *Fam.* 6. Quæ ne tu quidem unquam timenda duxisti. *Id. pro leg. Manil.* 1. 2. Ei quoque rei fructum suo judicio tribuendum esse duxerunt. *Id. ibid.* 7. 17. Vectigalia nervos esse reipublicæ semper duximus. Cf. *Id.* 4. *Fam.* 7. Quæ non aliena esse ducerem a dignitate tua. — Et omisso *esse*. *Cic.* 1. *Off.* 6. 18. Labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus. *Justin.* 15. 2. 15. Dum privatum singulorum, non commune universorum bellum ducunt. Cf. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 32. (59). Plerique in gloria ducunt, plurimis horis perpeti calorem aquarum. — *d*) *Ducere laudi* est laudi dare, laude dignum putare. *Ter. Adelph. prol.* 5. Laudin' an vitio duci id factum oporteat. *Nepos præfat.* Laudi in Græcia ducitur adolescentulis, etc.

DUCTĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. animi imbecillitas, qua quis se facile circumduci et ductari sinit. *Accius* apud *Non. p.* 150. 13. *Merc.* Eo plectuntur poetae, quam suo vitio, sæpius ductabilitate vestra, aut perperitudine.

DUCTĀRĬĒ, adverb. ductando, cunctando, remisse, et dicis causa agendo. *Plaut. fragm.* apud *Festum p.* 169. 3. *Müll.* Nave agere oportet, quod agas, non ductarie. *Al. exponunt* nave et remis, non fune trahendo. *Alii, quos inter et* Müll., *leg.* ductarier, *h. e.* non pati ut lente ducaris.

DUCTĀRĬUS, a, um, adject. idem ac ductilis. ut Ductarius funis, qui per orbiculos trochleæ trajicitur, et inde ad ergatam. *Vitruv.* 10. 2., 3. et 5.

DUCTĬLIS, e, adject. qui facile duci atque extendi potest. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 20. (94). Æs regulare obsequitur malleis, ab aliis ductile appellatum. — Ductile flumen aquæ riguæ, apud *Martial.* 12. 31. est rivus a flumine derivatus ad irrigandos hortos. — Ductilem scænam *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 21. vocat, quum tractis tabulatis hac et illac species picturæ nudabatur interior. *V.* VERSILIS.

DUCTIM, adverb. ducendo. *Plaut. Curc.* 1. 2. 12. Invergere in me liquores tuos sino ductim. *h. e.* ἀπνευστί, non respirando: quod aviditatem bibendi notat et copiam; nos dicimus *una buona tirata*. Alii exponunt cum mora et paullatim, ut diuturnior sit voluptas. *Priscian.* priori interpretationi favere videtur; ait enim 15. *p.* 1005. *Putsch. Cursim* a cursu, *ductim*, ἀπνευστί, a ductu. Ceterum *V.* DUCO I. 1. *b. Colum.* 4. *R. R.* 25. 2. Major pars operis in vinea ductim potius, quam cæsim facienda est. *h. e.* ductu falcis, non ictu, ut mox ipsemet exponit.

DUCTĬO, ōnis, f. 3. ducendi actio. *Vitruv.* 10. 19. Ductiones et reductiones rudentium. *Id.* 1. 1. Aquarum ductiones. *h. e.* deductiones, derivationes, aquæductus. *Cels.* 4. 24. *extr.* et 2. 12. Alvi ductio. *h. e.* subductio. *Ulp. Dig.* 43. 29. 3. Hoc interdictum pertinet ad ductionem, ut ducere quis possit eos, in quos habet jus ductionis. *h. e.* redigendi in suam potestatem.

DUCTĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* duco: et tribus diversis occurrit significationibus, de quibus *V.* in DUCO.

I.) Proprie. ¶ 1. Est magna ostentatione ducere. *Plaut. Rud.* 2. 7. 26. Venales illic ductitavit, quisquis est. *h. e.* mangonis artem exercuit. ¶ 2. Item de uxore. *Id. Pœn.* 1. 2. 60. Quasi bella sit, quasi campse reges ductitent. *h. e.* uxorem ducant, vel ducere cupiant.

II.) Translate est decipere. *Plaut. Epid.* 3. 2. 15. At ego follitim ductitabo. *h. e.* ductabo, fallam, folle argenti fraudabo.

DUCTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* duco; *vel per syncopen a* ductito. Part. *Ductans* I. 1. — Ducto est sæpe duco, vel huc illuc duco.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Most.* 3. 2. 157. Istum, puer, circumduce hasce ædes et conclavia; nam egomet ductarem, nisi etc. *Ter. Adelph.* 4. 7. 34. Tu inter eas restim ductans saltabis. *Sall. Cat.* 19. Ductare equites in exercitu. *Id. Jug.* 38. exercitum per saltuosa loca. *Tac.* 2. *Hist.* 100. Exercitui, quem ipse ductaverat. — Porro de hac loquendi ratione, *ductare exercitum*, ita *Quintil.* 8. 3. 44. Vel hoc vitium sit, quod κακόφατον vocatur: sive mala consuetudine in obscœnum intellectum sermo detortus est, ut *ductare exercitum*, et *patrare bellum*, apud Sallustium dicta sancte et antique, ridentur a nobis, si diis placet: quam culpam non scribentium quidem judico, sed legentium etc. Hæc *Quintil.* Et quidem in altera phrasi cacophatum facile deprehenditur, si τὸ *bellum* de pusione intelligas: at in priore non satis patet, nisi dicas *ductare* ideo in obscœnis habitum esse, quia frequenter dicebant *ductare amicam*, *scortum*, ut est apud *Plaut. Asin.* 1. 3. 12. et 5. 2. 13. et *Ter. Phorm.* 3. 2. 15.; vel si respiciatur ad locum *Juvenal.* 6. 237. Sunt qui putant latere obscœnum in τῷ *exercitum*, quasi notari possit ὁ κιναιδος ἐν τοῖς παιδικοῖς exercitatus, vel ut sit supinum verbi *exerceo*: unde *exercere scortum* dixit *Plaut. Amph.* 1. 1. 132.: quare *ductare mulierem* est eam obscœne palpare, ut putat cl. *Furlanetto* in suis MSS. ad h. l. ¶ 2. Hinc dicitur et de concubinis. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 46. et *Ter. Phorm.* 3. 2. 15. Ductare amicam. *h. e.* ducere et secum habere. Adde quæ dicta sunt sub 1. et locc. ibid. citt.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro decipere. *Plaut. Capt.* 3. 4. 109. et 3. 5. 97. Ductare quem dolis. *h. e.* decipere, fallere. Sic *Id. Men.* 4. 3. 20. Nisi feres argentum, frustra me ductare non potes. *Id. Mil. glor.* 2. 1. 6. Labiis ductare aliquem. *h. e.* deridere, ducendo os et distorquendo. ¶ 2. Occurrit et pro æstimare. *Plaut. Pers.* 4. 4. 85. Omne pro nihilo esse ducto quod fuit. *h. e.* nihili duco.

DUCTOR, ōris, m. 3. qui ducit, qui ordines in militia ducit, qui præest exercitui, dux belli, etc. *Lucret.* 5. 1309. Et validos Parthi præ se misere leones Cum ductoribus armatis sævisque magistris. *Cic.* 1. *Tusc.* 37. 89. Non modo ductores nostri, sed universi exercitus ad non dubiam mortem concurrere. *Virg.* 4. *G.* 88. Ductores apum. *h. e.* reges. *Id.* 6. *Æn.* 334. Ductor classis. *Id.* 2. *ibid.* 14. Danaum. *Id.* 5. *ibid.* 249. Ipsis præcipuos ductoribus addit honores. *Liv.* 1. 28. Ductor itineris hujus. *Id.* 7. 41. ordinum. *h. e.* centurio primi pili. *Id.* 10. 21. primus omnium. *Id.* 22. 61. Carthaginiensium. *Sueton. Tib.* 6. turmæ puerorum majorum. *Stat.* 3. *Silv.* 5. *extr.* Tiberis ductor aquarum. *h. e.* Fluviorum rex, ut a *Virg.* dicitur Eridanus. — *Ductor ferreus insularis* apud *Auctor. Priap.* 33. est qui ferrum ducit et elaborat in insulis, ubi metalla ferraria sunt: *v. g.* in Ilva insula maris Tyrrheni, ad quam fortasse *Auctor* iste respicit.

DUCTUS, a, um. *V.* DUCO.

DUCTUS, us, m. 4. ducendi actus, ductio.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 4. 427. Porticus æquali quamvis est denique ductu. *h. e.* rectâ, æquali parietum et columnarum distantia. *Cic.* 2. *de republ.* 6. Cujus is est tractus ductusque muri — definitus ex omni parte arduis præruptisque montibus etc. *Id.* 2. *Legg.* 1. 3. Ductus aquarum, quos isti nilos et euripos vocant. Adde *eumd.* 2. *Off.* 4. 14.; et *Plin.* 10. *Ep.* 46. (*Ductum* absolute pro *aquæductu* sæpissime usurpat *Frontin. Aqued.*). *Cic.* 5. *Fin.* 7. 47. Qui ductus oris, qui vultus in quoque sit. *h. e.* quæ oris lineamenta. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 74. (194). Purgatam puramque glæbam artificum ingenio varie distribui in venas ductusque macularum. *Id.* 8. *ibid.* 3. 3. (6); et *Quintil.* 1. 1. 25. Ductus litterarum. — Pertinet apte ad cædentes secantesque. *Seneca Ep.* 47. Alius pretiosas aves scindit, pectus et clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in frusta excu-

tit. *Colum.* 4. *R. R.* 25. 3. Utilior putatio est, quæ ductu falcis, non ictu conficitur. — Eleganter de dracone aureum vellus custodiente, *Val. Flacc.* 7. 167. Qui nemus omne suum, quique aurea (respice porro) Vellera tot spiris circum, tot ductibus implet. ¶ 2. Speciatim de gubernatione exercitus. *Cæs.* 7. *B. G.* 62. Ipsum Cæsarem, cujus ductu sæpenumero hostes superassent, adesse existimarent. *Id.* 1. *B. C.* 7. Hortatur, cujus imperatoris ductu novem annis rempublicam felicissime gesserint pluriniaque prælia secunda fecerint, etc. *Cic. pro leg. Manil.* 21. 61. Pompejus rem optime suo ductu gessit. *Id. Harusp. resp.* 2. 3. Quique suo ductu et imperio, cruento illo atque funesto, supplicia a sociorum mœnibus prohibere non potuerunt. *Id.* 3. *Fam.* 11. *a med.* Omnes vires civitatis se ad Pompeji ductum applicaverunt. *Auct. B. Alex.* 43. Res secundas ductu ausuque suo gesserat. *Vellej.* 2. 78. Virtute et ductu Ventidii. Adde *Tac. Agric.* 5.; et *Sueton. Vesp.* 4. Similiter *Vellej.* 2. 115. Non jam ductu, sed manibus atque armis ipsius Cæsaris. *h. e.* non jam præsentia et consilio solum, sed opera, labore, virtute pugnandi. — Jungitur et cum *auspicio*, ut apud *Plaut. Amph.* 1. 1. 41. Gessit rempublicam ductu, imperio, auspicio suo. Adde *Liv.* 3. 42., 5. 46., 8. 31., 10. 7. et alibi; et *V.* AUSPICIUM. — Interdum *ductus* est proprius ducis, qui nomine et auspicio Imperatoris Romani bellum egit. *Tac.* 2. *Ann.* 41. Ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici, auspiciis Tiberii. *Sueton. Aug.* 21. Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, etc. *Curt.* 6. 3. Quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioque domui. — *Ductus imperiumque* semel tantum occurrit apud *Curt.* 5. 1. 1. Quæ interim ductu imperioque Alexandri vel in Græcia, vel in Illyriis ac Thracia gesta sunt, etc. V. *Mützell.* ad h. l.

II.) Improprie apud rhetores. *Quintil.* 4. 2. 53. Est quidam etiam ductus rei credibilis, qualis in comœdiis et in mimis. *h. e.* connexio apta rerum, quarum una aliam consequitur eique cohæret. *Id.* 9. 4. 30. Totius ductus hic est quasi mucro. *h. e.* περίοδος.

DŬDUM adverb. Volunt esse a *diu* pro *die* et *dum*; et est nuper, jam, antea (It. *tempo fa, già, per lo innanzi*; Fr. *auparavant, jadis, autrefois, il y a quelque temps*; Hisp. *antes, en tiempo pasado*; Germ. *vor einer Weile, vorhin*; Angl. *a while ago*). Dicitur autem ¶ 1. De exiguo tempore præterito, sed incerto (ut *Donatus* docet ad *Ter. Andr.* 3. 4. 3.). *Plaut. Amph.* 1. 1. 231. Ego sum Sosia ille, quem tu dudum esse ajebas mihi. *Id. ibid.* 2. 2. 50. Quid tu me deridiculi gratia sic salutas atque appellas, quasi dudum non videris? Adde *eumd.* 2. 1. 73. et 3. 2. 35. *Ter. Andr.* 3. 4. 12. Narro huic, quæ tu dudum narrasti mihi. Adde *eumd. Heaut.* 3. 3. 34. et 4. 5. 38. *Cic.* 2. *Orat.* 65. 262. Dixi dudum, materiam aliam esse joci, aliam severitatis. *Id.* 11. *Att.* 24. Quæ dudum ad me, et quæ etiam ante bis ad Tulliam de me scripsisti, ea sentio esse vera. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 31. 76. *Virg.* 5. *Æn.* 650. Ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui Ægram. Adde *Stat.* 1. *Theb.* 670. — Et de brevissimo tempore præterito. *Liv.* 21. 39. Milites intenti dudum ac parati. *V.* Integrum locum. ¶ 2. Item de tempore præterito paullo longiore, quum præsenti opponitur. — *a*) Absolute. *Plaut. Pœn.* 1. 3. 6. Trecentos philippos Collybisco villico dedi dudum, priusquam me evocasti foras. Adde *eumd. Bacch.* 4. 9. 95., *Epid.* 5. 1. 54., *Pseud.* 4. 7. 104. et *Truc.* 4. 3. 29. *Ter. Andr.* 5. 1. 21. Credo; et id facturas, Davus dudum prædixit mihi. *Id. ibid.* 3. 4. 3. Dudum nonnihil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem, quod volgus servorum solet, dolis ut me deluderes. *Cic.* 4. *Fam.* 5. Dudum enim circumrodo, quod devorandum est. Adde *eumd. Brut.* 72. 252. *Virg.* 10. *Æn.* 599. Pluribus oranti Æneas: Haud talia dudum Dicta dabas: morere et fratrem ne desere frater. *Justin.* 3. 4. 9. Ut sicut dudum patrem ejus nascendi auctorem habuissent, sic ipsum spei ac dignitatis suæ haberent. — *b*) Cum oppositis part. *nunc, nunc demum*, ut apud *Plaut. Amph.* 3. 2. 13. Atque ille dudum meus amor negotium insonti exhibuit; nunc autem insonti mihi illius ira in hanc et maledicta expetent. *Id. Epid.* 3. 4. 22. Nunc demum scio ego hunc, qui ait; quem dudum Epidicus mihi prædicavit militem. Adde *eumd. Men.* 5. 1. 29., *Mil. glor.* 2. 4. 52., *Most.* 1. 3. 100. et *Rud.* 4. 4. 78. *Ter. Andr.* 5. 1. 5. Oro, Chreme, ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes. Adde *eumd. Eun.* 4. 4. 16. *Cic. Brut.* 36. 138. Ut dudum ad Demosthenem et Hyperidem, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus. *Virg.* 2. *Æn.* 726. Et me, quem dudum non ulla injecta movebant Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji: Nunc omnes terrent auræ. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 632. — *c*) Apud *Plautum* jungitur particulis *ut* et *quum*. Sic *Aulul.* 4. 8. 5. Ut dudum hinc abii, multo illuc adveni prior. *Id. Bacch.* 4. 9. 33. Dudum primo, ut dixeram nostro seni mendacium. Adde *eumd. Capt.* 3. 1. 18. et *Cist.* 4. 2. 44. *Id. Men.* 2. 3. 41. Scilicet qui dudum tecum venit, quum pallam mihi detulisti. Adde eumd. *ibid.* 5. 1. 1. — Et sine part. *Id. Merc.* 2. 3. 129. Is se ad portum dixerat ire dudum. — *d*) Cum negat. *haud* vel *non*, est haud longum tempus præteriit, ex quo etc. *Plaut. Pers.* 4. 3. 28. TO. E Persia ad me allatæ sunt modo istæ. DO. Quando? TO. Haud dudum. *Id. Pœn.* 1. 2. 105. Non dudum ante lucem. — *e*) *Quam dudum?* hoc est, quamdiu, quantum temporis præteriit, etc. *Plaut. Stich.* 2. 1. 38. Vide, quam dudum hic asto et pulto! *Ter. Eun.* 4. 4. 29. DO. Venit Chærea. PH. Frater ne? DO. Ita. PH. Quando? DO. Hodie. PH. Quam dudum? DO. Modo. *Id. Andr.* 5. 2. 29. Modo introii. SI. Quasi ego, quam dudum, te rogem. Et omissa interrogatione, *Cic.* 14. *Att.* 12. *sub fin.* Quam dudum nihil habeo, quod ad te scribam: scribo tamen. *Alii, inter quos et* Orellius, *leg.* quamquam dudum. — *f*) *Jam dudum* et *jamdudum* longius spatium designat, quam *dudum*, et certius: semper tamen de non longo tempore dicitur; et significat rem jam esse inceptam ac nondum desitam. *Plaut. Trin.* 4. 3. 3. Jamdudum factum est, quum abiisti domo. *Cic. Cluent.* 23. 63. Vocat me alio jamdudum tacita vestra expectatio. *Id. Amic.* 22. 82. Ea, quam jamdudum tractamus, stabilitas amicitiæ. — *Priscian.* 15. *p.* 1018. *Putsch.* adverbium *dudum* refert inter ea, quæ diversorum temporum sunt, ut *olim, quondam*. Itaque de præsenti etiam tempore dicitur, ut in illo *Virg.* 2. *Æn.* 103. jamdudum sumite pœnas. Aut quod *Servius* exponit, modo, vel quamprimum. Sic *Ovid.* 1. *Art. am.* 317. ingenti jamdudum de grege duci Jussit. *Id.* 2. *ibid.* 457. Candida jamdudum cingantur colla lacertis. *Val. Flacc.* 6. 456. visa jamdudum prosilit altis Diva toris. Adde *Senec. Med.* 191. — Et de futuro pro *mox*. *Stat.* 6. *Theb.* 855. *de cupressu.* urgentes cervicem inclinat in Austros, Vix sese radice tenens, terræque propinquat, Jamdudum ætherias eadem reditura sub auras.

DŬELLA, æ, f. 1. (duo) pars tertia est unciæ, et duas sextulas continet: unde nomen. *Rhemn. Fann. de ponderib. et mens.* 23. Sextula cum dupla est veteres dixere duellam. *Balbus de asse* § 15. Semuncia est medietas unciæ, duella tertia pars, sicilicus quarta.

DŬELLĀTOR, ōris, m. 3. vetus forma pro *bellator*: a *duellum* bellum. *Plaut. Capt. prol.* 68. Domi duellique duellatores optimi.

DŬELLĪCUS, a, um, adject. vetus forma pro *bellicus*: a *duellum* bellum. *Plaut. Epid.* 3. 4. 11. Quem memorant arte duellica divitias magnas indeptum.

DŬELLIS, is, m. 3. hostis apud veteres. *Arnob.* 1. 16. Cur duelles quum pereunt, lævum augurium non sum?

DŬELLUM, i, n. 2. *Duellûm* pro *duellorum* habet *Ennius*: V. infra. — *Duellum* est antiqua vocabuli forma pro *bellum*; veteres enim *du* ponebant pro *b*: sic legitur *duonum* pro *bonum*, et *duis* pro *bis*, ut ait *Cic. Orat.* 45. 153.; *Varro* 5. *L. L.* 73. et 7. *ibid.* 49. *Müll.*; *Quintil.* 1. 4. 5. et *Priscian. p.* 1263. *Putsch.* Ratione vero habita etymi, est a *duo*, videlicet, ut ait *Paul. Diac. p.* 66. 17. *Müll.*, quod duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur. — Occurrit aut apud veteres, aut apud recentiores, quoties ea referuntur, quæ antiqua sunt vel antiquitatem sapiunt. *Ennius* (in *fragm. collect. a P. Merula*) 1. *Ann.* 1. Horrida Romuleûm certamina pango duellûm. *Id.* 16. *ibid.* 19. duellis. *Plaut. Asin.* 3. 2. 13. Quæ domi duellique feristi. *Id. Amph.* 1. 1. 34. Duello extincto maximo. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 21. QVIQVE AGENT REM DVELLI QVIQVE POPVLAREM, AVSPICIVM PRAEMONENTO OLLIQVE OBTEMPERANTO. *Id. ibid.* 18. 45. *ex Platone.* Jam æs atque ferrum, duelli instrumenta, non fani. *Vetus formula* apud *Liv.* 1. 32. Puro pioque duello quærendas censeo, itaque consentio consciscoque. *Alia formula rogationis* apud *eumd.* 22. 10. Si res publica populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, sicut velim eam, salva servata erit hisce duellis, – quod duellum populo Romano cum Carthaginiensi est, quæque duella cum Gallis sunt, qui cis Alpes sunt etc. Adde *eumd.* 23. 11., 40. 52. et 36. 2., in quo postremo loco al. leg. *bellum*. *Horat.* 3. *Od.* 5. 38. Pacem duello miscuit. *Id.* 4. *ibid.* 15. 8. Vacuus duellis Janus. *Id.* 1. *ibid.* 14. 18. Et cadum Marsi memorem duelli. *Id.* 1. *Ep.* 2. 7. Græcia barbariæ lento collisa duello. — Et de prælio. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 97. Cædimur, et totidem plagis consumimus hostem Lento Samnites ad lumina prima duello.

DŬELLUS, a, um, adject. idem quod bellus, apud veteres, ea ratione, qua dictum est in voce præced. *Titinius* apud *Non. p.* 210. 5. *Merc.*, item *Quintil.* 1. 4. 15.: sed utrobique alii aliter legunt; et quidem rectius. Addunt quidam verba hæc *Nævii*: Facies virginis duellæ.

DŬICENSUS dicebatur cum altero, idest cum filio, census. *Paul. Diac. p.* 66. 14. *Müll.* Ceterum *duicenso* contrarius esse videtur *improbus*, de quo *Id. Paul. p.* 108. 12.: antiqua vocabula censoria.

DŬIDENS hostia bidens. *Paul. Diac. p.* 66. 16.

DUIGINTI pro *viginti* dixisse veteres, testatur *Hygin. loc. cit.* in CARDO.

DUIM, is, it. *V.* DO sub init.

DŬĪNI. *V.* QUADRINI.

DUIS pro *bis*. *V.* BIS sub init.

DŬĪTÆ, ārum, m. plur. 1. hæretici Marcionis sectatores, qui duos deos esse docuerunt, bonorum auctorem alterum, alterum malorum. *Prudent. præf. Hamartig.* 37. Docet Duitas discrepare a spiritu.

DŬĪTAS, ātis, f. 3. numerus duorum. *Labeo* apud *Jabolen. Dig.* 50. 16. 242. Viduam sic dictam esse putat, quasi *vecors, vesanus*, qui sine corde, aut sanitate est: similiter viduam esse dictam sine duitate. *V.* VIDUUS.

DŬĪTOR pro *dator*. *V.* DO sub init.

DULCĀCĬDUS, a, um, adject. mixtum quemdam saporem habens ex dulci et acido. *Seren. Sammon.* 11. 151. Crudave dulcacido miscebis rapa liquori. Adde *eumd.* 32. 607.

DULCĀTOR, ōris, m. 3. qui dulcat. *Paulin. Nolan. carm.* 23. 237. dulcator fontis amari.

DULCĀTUS, a, um. *V.* DULCO.

DULCĔ, adverb. *V.* DULCIS in fin.

DULCĒDO, inis, f. 3. sapor dulcis (It. *dolcezza*; Fr. *douceur*; Hisp. *dulzura*; Germ. *die Süssigkeit*; Angl. *sweetness*).

I.) Proprie. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 30. (66). Radix amara cum quadam dulcedine. — *Forcellinus* huc retulit etiam illa *Liv.* 5. 33. et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (137)., quæ infra sub II. *a.* afferuntur.

II.) Translate dicitur de quacumque suavitate et jucunditate, et occurrit — 1.°) In singulari numero, et quidem — *a*) Cum Genitivo rei. *Lucret.* 6. 1265. Interclusa anima nimia ab dulcedine aquai. *Liv.* 5. 33. Eam gentem traditur fama, dulcedine frugum maximeque vini, nova tum voluptate, captam, Alpes transisse. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (137). Tanta dulcedine (*vini*), ut magna pars non aliud vitæ præmium intelligat. *Cic.* 4. *Herenn.* 21. 29. Dulcedo avium. *h. e.* avium canentium. *Id.* 2. *Legg.* 15. 38. Dulcedine (*cantus*) et corruptela depravati mores. *Ovid.* 1. *Met.* 709. vocis. *Cic.* 3. *Orat.* 40. 161. orationis. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 119. linguæ. *Justin.* 4. 1. 17. fabulæ. *Cels.* 6. 6. Oculi magnam partem ad vitæ simul et usum et dulcedinem conferunt. *Cic. Arch.* 10. 24. Dulcedine gloriæ commoveri. *Virg.* 11. *Æn.* 538. amoris. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. iracundiæ. *Liv.* 9. 11. iræ. *Id.* 5. 6. potestatis ejus. *Id.* 2. 42. agrariæ legis. *Matius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 28. Honoris et pecuniæ dulcedine capi. *Justin.* 5. 5. 2. et 32. 3. 12. prædæ. — Et cum Gerundio. *Brutus ad Cic.* inter *ep.* 1. *ad Brut.* 16. *ad fin.* Dulcedo vivendi. *Liv.* 5. 13. Dulcedo invasit plebejos creandi. *Id.* 6. 41. Dulcedo prædandi. *Plin.* 2. *Ep.* 5. *extr.* loquendi cum aliquo. *Alter Plin.* 29. *Hist.*

nat. 1. 8. (18). sperandi pro se. *Id.* 8. *ibid.* 57. 82. (222). furandi. *Id. ibid.* 25. 37. (90). scabendi. — *b*) Absolute, hoc est sine Genitivo, dicitur — Generatim. *Lucret.* 2. 971. Aut aliquem fructum capiant dulcedinis almæ. *Cic.* 2. *Fin.* 34. 111. Sensus omnes dulcedine quasi perfusi. Adde *eumd. ibid.* 13. 39. *Virg.* 4. *G.* 55. hinc nescio qua dulcedine lætæ Progeniem nidosque fovent. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 412. *Gell.* 9. 9. Verba non translaticia, sed nativæ cujusdam dulcedinis. — Speciatim de scabie, vel prurigine, quia scalpendo dulcedinem quamdam experimur. *Grat. Cyneg.* 408. si deformis lacerum dulcedine corpus Persequitur scabies. *Al. aliter leg.* Cf. *Cic.* 1. *Legg.* 17. 47. Blanditiis voluptatis corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, non cernimus satis. — 2.°) In plurali numero. *Vitruv.* 7. *præfat.* Reges Attalici magnis philologiæ dulcedinibus inducti.

DULCEO, es, n. 2. *vel rectius*

DULCESCO, cescis, cŭi, cescere, n. 3. Part. *Dulcescens.* — Dulcesco est dulcis fio.

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 15. 53. Primo est peracerba gustui, deinde maturata dulcescit. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (85). Omnis sal pluvia dulcescit. *Id.* 3. *ibid.* 18. 22. (127). A flumine Histro in Hadriam effluente e Danuvio amne, eodemque Histro exadversum Padi fauces, contrario eorum percussu mari interjecto dulcescente. *Paulin. Nolan. carm.* 17. 23. unda misso dulcuit ligno. — Pro *dulceo* dicere *dulço*, ut pro *ferveo fervo*, *strideo strido* et alia: vel potius hæc ipsa *dulceo, ferveo, strideo*, in quibusdam personis ac temporibus usurparunt in tertia conjugatione. *Lucret.* 2. 473. Humor dulcit, ubi per terras crebrius idem Percolatur. *Est qui legit* dulcis: *item qui* dulcet.

II.) Translate. *Capell.* 3. *p.* 58. 1. lingua palatoque dulcescit. *Al. minus recte leg.* succrescit. V. *Kopp.* ad h. l.

DULCIA, ōrum, n. plur. 2. placentæ dulces. *Lamprid. Elagab.* 27. Dulciarios et lactarios tales habuit, ut quæcumque coqui de diversis edulibus exhibuissent, illi modo de dulcils, modo de lactariis exhiberent. *Id. ibid.* 32. Alia de pomis, alia de dulciis, alia de opere lactario. Adde *Vopisc. Tac.* 6.; et *Prudent. Psychom.* 429.

DULCIĀRIUS, a, um, adject. ad dulcia pertinens. *Martial.* 14. 222. *in lemmate* et *Apul.* 10. *Met.* Pistor dulciarius. — Hinc

Dulciarius, ĭi, m. 2. absolute, substantivorum more, (subaudi *pistor*, vel *coquus*, vel *artifex* etc.) est qui panes, et mellita concinnat edulia. *Lamprid. Elagab.* 27. Dulciarios et lactarios tales habuit, ut etc. Adde *Trebell. Claud.* 14. et *Veget.* 1. *Milit.* 7.

DULCĬCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* dulcis. *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 46. Demus scutellam dulciculæ potionis. — In blanditiis amantum. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 17. Dulciculus caseus.

DULCĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (dulcis et fero) qui dulcedinem affert, dulcis. *Plaut. Pseud.* 5. 1. 18. Cantharum dulciferum propinare. *Ennius* apud *Charis.* 1. *p.* 103. *Putsch.* Dulciferæ fiel.

DULCIFLŬUS, a, um, adject. dulciter et suaviter fluens. *Dracon.* 1. *Hexæm.* 164. Pars dat dulcifluis undantis fontibus agri.

DULCĬLŎQUUS, a, um, adject. dulcis loquens. *Auson. Edyll.* 20. 4. Dulciloquos calamos Euterpe flatibus urget. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *ante med.* Dulciloqua ars Orphei. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 1. Dulciloquus Homerus.

DULCĬMŎDUS, a, um, adject. dulcisonus. *Prudent. Psychom.* 664. resultant Mystica dulcimodis virtutum carmina psalmis.

DULCĬNERVIS, e, adject. ut Dulcinervis arcus, apud *Capell.* 9. *p.* 310.

DULCĬŎLA, ōrum, n. plur. 2. *deminut. a* dulcia, crustula, parvæ placentæ. *Apul.* 4. *Met.* Mellitis dulciolis ventrem saginare.

DULCĬŌRELŎQUUS, a, um, adject. qui dulci ore loquitur. Ita *Nævius* Nestorem dixit apud *Gell.* 19. 7.

DULCIS, e, adject. Comp. *Dulcior* et Sup. *Dulcissimus* I. et II. — Ratione habita etymi, *dulcis* conjungi potest cum Gr. γλυκύς *dulcis* facta metathesi litterarum et mutatione litteræ γ in δ (*V.* GLUCIDATUM); vel rectius fortasse cum Gr. δέλγειν *blandiri, mitigare*; vel etiam cum Gr. δεῦκος *mustum*: V. *Döderlein. Latein. Synonym.* vol. 3. *p.* 256., et cf. *In-dulgeo.* Alii vero putant esse ab antiquo *delicis*, quia delicit, h. e. allicit, delectat. — Ceterum dulcis est suavis, qui gustum grate ac suaviter delectat (It. *dolce, soave*; Fr. *doux, agréable*; Hisp. *dulce*; Germ. *süss, lieblich*; Angl. *sweet, pleasant, luscious, delicious*).

I.) Proprie. — *a*) *Amaro* opponitur apud *Plaut. Cist.* 1. 1. 72. Gustu dat dulce, amarum ad satietatem usque oggerit. Et *Cic.* 3. *Nat. D.* 13. 32. Animal sentit calida et frigida, et dulcia et amara. — *b*) Cum *suavi* conjungitur apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 27. 32. (107). Siquidem inest ei (*lacti*) quod tamen jure dici dulce et pingue et suave non possit. — *c*) Jungitur pluribus Substantivis, quorum præcipua hæc sunt. *Plaut. Asin.* 3. 3. 24. et *Truc.* 2. 4. 20.; et *Lucret.* 1. 946. et 4. 22. Dulce mel. *Lucret.* 6. 891.; et *Auct. B. Alex.* 8. et 9. aqua. *Lucret.* 5. 1376.; et *Horat.* 2. *Sat.* 5. 12. poma. *Horat.* 3. *Od.* 1. 19. sapor. *Id. ibid.* 12. 2. vinum. *Id. ibid.* 13. 2. merum. *Id. Epod.* 2. 47. dolium. *Id.* 2. *Sat.* 4. 61. olivum. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 57. (103). Herba gustu dulcis. *Ovid.* 13. *Met.* 795. matura dulcior uva. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 20. (92). Dulcissimus panis. — *d*) Neutr. *dulce* absolute, substantivorum more. *Ovid.* 5. *Met.* 449. lymphamque roganti Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta. *V.* COCETUM. Cf. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 50. Si opus siet, ut dulce promat indidem, ecquid habet? Cf. DULCIA loco suo.

II.) Translate dicitur de omnibus, quæ quoquo modo jucunda et grata sunt. — 1.°) De rebus et de abstractis. — *a*) Cum suo nomine. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 2. Dulcia atque amara apud te sum elocutus omnia. Cf. *Id. ibid.* 1. 1. 61. Dulce amarumque una nunc misces mihi. *Gr.* γλυκύπικρον. *Id. Truc.* 1. 2. 78. Dicta dulcia datis, corde amara facitis. *Lucret.* 2. 997. Dulcis vita. *Id.* 5. 987. lumina vitæ. *Cic. Brut.* 21. 83. Oratione Lælii nihil est dulcius. *Id.* 1. *Off.* 1. 3. Oratur parum vehemens, dulcis tamen. *Id.* 7. *Verr.* 63. 163. Dulce nomen libertatis. *Id.* 15. *Att.* 13. 3. Libertate certe nihil est dulcius. *Id. ibid.* 13. 4. Dulcissima epistola. *Nepos Att.* 18. Quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui etc. *h. e.* nihil lectu et cognitu jucundius et delectabilius. *Horat.* 1. *Od.* 9. 15. Dulces amores. *Id. ibid.* 1. 2. Dulce decus meum. *Id. ibid.* 32. 15. lenimen. *Id. ibid.* 37. 11. fortuna. *Id.* 2. *ibid.* 13. 38. sonus. *Id.* 3. *ibid.* 25. 18. periculum. *Id. Epod.* 1. 8. otium. *Id. Art. P.* 99. poemata. *Ovid.* 2. *Amor.* 19. 17. blanditiæ et dulcia verba. *Vellej.* 1. 17. facetiæ. *Plin.* 1. *Ep.* 10. 5. sermo. *Quintil.* 2. 8. 4. genus dicendi. *Id.* 12. 10. 33. carmen. *Id.* 10. 1. 129. In eloquendo pleraque abundant dulcibus vitiis. *Martial. Spectac.* 20. Non potuit melius litem finire jocosam, O dulce invicti principis ingenium. *Claudian. Cons. Prob.* et *Olybr.* 69. genas dulces flos juvenilis inumbrat. *h. e.* teneras, læves. — *b*) Cum Accusativo Græca ratione. *Seneca Hippol.* 302. Dulcior vocem moriente cycno. — *c*) Singulare est illud *Gell.* 16. 3. Homo fandi dulcissimus. — *d*) Absolute, substantivorum more, occurrit Neutr. *Horat. Art. P.* 343. Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 69. Tempus in agrorum cultu consumere dulce est. *Quintil.* 2. 17. 35. Dulci dulcius non adversum. Cf. *Cic. Amic.* 23. 88. Sic natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tamquam adminiculum adnititur: quod in amicissimo dulcissimum est. — 2.°) De personis ponitur pro amabili, jucundo, grato, comi et facili: et fere de amoris et amicitiæ vinculis usurpatur: ad rem *Ovid.* 5. *Trist.* 4. 29. Quam vultus oculosque tuos, o dulcior illo Melle, quod in ceris Attica ponit avis. Et *Cic. Amic.* 18. 66. Amicitia remissior esse debet et liberior et dulcior. *Id. ibid.* 21. 90. Amicos, qui dulces videantur. *Id.* 3. *Fam.* 8. *ad fin.* Me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi. *h. e.* comis et facilis. *Horat.* 3. *Od.* 23. 7. Dulcis alumnus. *Id. Epod.* 2. 40. liberi. *Id.* 2. *Sat.* 3. 199. nata. *Asinius Pollio* apud *Quintil.* 9. 2. 34. Mater mea, quæ mihi tum carissima, tum dulcissima fuit. — Hinc frequenter locum habet in Vocat. *Cic.* 3. *Legg.* 11. 25. Optime et dulcissime frater. *Id.* 6. *Att.* 2. 9. Dulcissime Attice. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 4. quid agis, dulcissime rerum? *Id.* 1. *Ep.* 7. 12. dulcis amice. — Et eodem sensu, quo φίλος apud Græcos, *Virg.* 2. *G.* 523. Interea dulces pendent circum oscula nati. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 3. Aut illam invenies dulci cum matre sedentem. — Hinc

Dulce, absolute, substantivorum more, *V.* supra sub I. d. et II. d.

Dulce, adverbii quoque more usurpatur pro dulciter. *Horat.* 1. *Od.* 22. 23. Dulce ridentem Lalagen amabo, Dulce loquentem. *Id.* 1. *Ep.* 7. 27. Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum. *Stat.* 4. *Theb.* 274. Dulce rubens, viridique genas spectabilis ævo. *Id.* 3. *Silv.* 4. 8. Dulce nitentes comæ. — Comp. *Dulcius* et Sup. *Dulcissime* V. in DULCITER.

Dulcia, absolute, substantivorum more, V. loco suo.

DULCĬSŎNŌRUS, a, um, vel dulcisonor, oris, adject. idem ac dulcisonus. *Servius* in *Centim. p.* 1826. *Putsch.* Rem tibi concessi, doctissime, dulcisonoram. *Al. leg.* dulcisonorem. *Putsch.* male: doctissime, dulcis honorem. *agitur enim de versu rophalico.*

DULCĬSŎNUS, a, um, adject. dulce sonans. *Sidon. carm.* 6. 5. Dulcisonum quatitur fidibus dum pectine murmur. *Capell.* 9. *p.* 301. Tædia dulcisonis auferet illa tonis. *Auct. carm.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 414. *Burmann.* Porrige dulcisonas attentis auribus odas. Adde *Cassiod.* 2. *Variar.* 40. *a med.*

DULCĬTAS, ātis, f. 3. idem ac dulcedo. *Accius* apud *Non. p.* 96. 27. *Merc.* Dulcitas conspirantis animæ. *Apul. de Mundo.* fin.

DULCĬTER, adverb. Comp. *Dulcius* et Sup. *Dulcissime.* — Dulciter est dulce, cum dulcedine. *Cic.* 2. *Fin.* 6. 18. Quæ sensus dulciter ac jucunde movet. *Id. Brut.* 19. 77. Historia scripta dulcissime. *Propert.* 1. 2. 14. Et volucres nulla dulcius arte canant. *Quintil.* 4. 2. 62. Invidiose, graviter, dulciter, urbane dicere. Adde *eumd.* 1. 10. 24., 9. 4. 13. et 12. 10. 71. *Id.* 12. 10. 27. Dulcius spirant litteræ. *Inscript.* apud *Murat.* 1239. 10. M. ANNAEVS. M. F. ESQ. LONGINVS MAIcVS VIXIT DVLCISSIME CVM SVIS.

DULCĬTŪDO, inis, f. 3. idem ac dulcedo.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 99. Quique dulcitudine præter ceteros sensus commovetur.

II.) Translate. *Ulp. Dig.* 42. 9. 10. *circa med.* Dulcitudo usurarum. *Inscript.* apud *Gruter.* 752. 3. M. AEMILIVS M. F. IANVARIVS CATILIAE MARCIANAE CONIVGI INCOMPARABILI CVM QVA VIXIT ANNIS XIII. CVM MAGNA DVLCITVDINE. Adde *aliam* apud *Fabrett. p.* 250. *n.* 4.

DULCO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Dulcatus.* — Dulco est dulce efficio. *Sidon.* 5. *Ep.* 4. Offensæ amaritudinem politis affatibus dulcare non desinant. *Id. carm.* 2. 105. ferunt exorto flumina melle Dulcatis cunctata vadis.

DULCOR, ōris, m. 3. dulcedo. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 5. Montes destillaturos dulcorem. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 6.

DULCŌRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

DULCŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Dulcoratus.* — Dulcoro est dulcem reddo. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 9. Dulcoravit amaritudinem. *Plin. Valerian.* 1. 2. Cum aceto dulcorato. — Et figurate. *Fulgent. Contin. Virgil. p.* 756. ed. *Staver.* Melle sapientiæ dulcoratus scandali rancor.

DŪLĬCĒ, adverb. δουλικῶς, serviliter. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 58. Astitit dulice et commœdice. *Alii minus recte leg.* dulce.

DUM est *A*) Adverbium; et *B*) Particula enclitica.

A) Dum adverbium significat rationem temporis, quæ inter duas actiones interest, sive eædem actiones uno eodemque tempore fiant, sive eodem temporis spatio perdurent, sive denique altera alteram continuo sequatur excipiatque. Itaque ¶ 1. *Dum* ponitur pro *quando* et *quamdiu*, et significat duas actiones uno eodemque tempore fieri, aut alteram incipere quum altera adhuc durat, nullis tamen definitis temporibus (It. *mentre, mentre che, intanto che*; Fr. *pendant que, tandis que*; Hisp. *mientras que*; Germ. *so lange als, während, auch indem, indess*; Angl. *whilst, whilst that*). Occurrit — *a*) In recta oratione cum Indicativo; et quidem — Præsenti temp. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 19. Adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit. *Ter. Heaut.* 2. 2. 11. Dum moliuntur, dum comuntur (*mulieres*), annus est. *Cic. Cluent.* 32. 89. Me, dum de his singulis disputo judiciis, attente audiatis. *Id. Quinct.* 6. 28. Hæc dum Romæ geruntur, Quinctius interea de saltu agroque communi a servis communibus vi detruditur. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. Dum hæc geruntur, Cæsari nunciatum est. *Id. ibid.* 27. Dum ea conquiruntur et conferuntur, nocte intermissa ad Rhenum

contenderunt. *Virg.* 3. *Ecl.* 75. Dum tu sectaris agros, ego retia servo. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 190. quatuor aulæa premuntur in horas, Dum fugiunt equitum turmæ. — Interdum in propositione principali est tempus Perfectum, quamvis Præsens, quod adverbio *dum* subditur, aliud Præsens postulare videretur. *Vellej.* 2. 41. Dum augere vult invidiam collegæ, auxit potentiam. *Curt.* 8. 6. Dum obequitat mœnibus, sagitta ictus est. *Justin.* 8. 1. 3. Dum contentiones civitatium alit, victos subire regiam servitutem coegit. *Juvenal.* 6. 92. Dum sic ergo habitat Centronius, imminuit rem, Fregit opes. Adde *eumd.* 1. 60., 3. 10. et 6. 175. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (181). Nullis evidentibus causis obiere, dum calceantur matutino, duo Cæsares. — Imperf. temp. *Liv.* 10. 36. Dum hæc in Apulia gerebantur, Samnites urbem non tenuerunt. Adde *eumd.* 21. 53. et 41. 14. *Cic. Rosc. Am.* 32. 91. Dum is in aliis rebus erat occupatus, erant interea qui suis vulneribus mederentur. *Nepos Hann.* 2. Quæ res divina dum conficiebatur, quæsivit a me, vellemne secum in castra proficisci. Adde *Tac. Agric.* 41. — Perfecto, aut Plusquam perf. temp. *Cic. Brut.* 81. 282. Dum Cyri et Alexandri similis esse voluit, Crassorum inventus est dissimillimus. *Id. Mur.* 27. 55. Dum ascendere gradum dignitatis conatus est, venit in periculum. *Liv.* 32. 24. Dum in unam partem oculos animosque hostium certamen averterat, pluribus locis scalis capitur murus. — Futuro temp. *Plaut. Amph. prol.* 96. Nunc animum advertite, dum hujus argumentum eloquar comœdiæ. — Singulare est illud *Virg.* 1. *Æn.* 265. bellum ingens geret Italia –, Tertia dum Latio regnantem viderit æstas. — *b*) In obliqua oratione cum Conjunctivo. *Cic.* 1. *Orat.* 41. 187. Hoc video, dum breviter voluerim dicere, dictum a me esse paullo obscurius. *Id. Mur.* 24. 48. Ne consul Catilina fieret, dum tu accusationem comparares. *Sall. Cat.* 7. Conspici, dum tale facinus faceret, properabat. *Sueton. Ner.* 35. Mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit. — *c*) Sed interdum in obliqua oratione Indicativo jungitur. *Liv.* 2. 57. Dum tribuni consulesque ad se quisque omnia trahunt, nihil relictum esse virium in medio. Adde *eumd.* 26. 16. *Ovid.* 4. *Met.* 775. Id se solerti furtim, dum traditur, astu Supposità cepisse manu. Adde *Tac.* 15. *Ann.* 59. et 1. *Hist.* 33. — Contra in recta oratione aliquando Conjunctivo jungitur. *Virg.* 4. *G.* 456. Illa quidem, dum te fugeret per flumina præceps, Immanem ante pedes hydrum – non vidit in herba. *Tibull.* 2. 3. 19. O quoties ausæ, caneret dum valle sub alta, Rumpere mugitu carmina docta boves! Adde *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 2.; *Martial.* 1. 22.; et *Aurel. Vict. Cæsar.* 39. et *de vir. ill.* 35. ¶ 2. *Dum* ponitur etiam pro *quamdiu*, ita tamen ut significet actionem unam tamdiu durare, quamdiu altera durat; hinc utriusque actionis tempora definita sunt, eorumque ratio habetur; ac propterea adverbium *dum* — *a*) Occurrit sine aliis adverbiis vel particulis, quæ illi respondeant. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 103. Dum ego vivus vivam, numquam eris frugis bonæ. *Cic. Rosc. Am.* 32. 91. Dum hominum genus erit, qui accuset eos non deerit; dum civitas erit, judicia fient. *Id.* 1. *Legg.* 1. 2. Dum Latine loquentur litteræ, quercus huic loco non deerit. *Id. Amic.* 4. 14. Quem esse natum civitas, dum erit, lætabitur. *Id.* 3. *Fin.* 2. 9. Quas (*artes*) si, dum est tener, combiberit, ad majora veniet paratior. *Virg.* 1. *Æn.* 611. In freta dum fluvii current, polus dum sidera pascet, Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt. — *b*) Interdum tempus definitur per adverbia *tamdiu, tantum, tantummodo, tantisper, usque.* Sic apud *Plaut. Truc. prol.* 11. Athenæ istæ sunto, tantisper dum transigimus hanc comœdiam. *Ter. Adelph.* 1. 1. 44. Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet. *Id. Heaut.* 1. 1. 54. Ego te meum dici tantisper volo, dum quod te dignum est, facies. *Cic. Senect.* 12. 41. Tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente. *Id.* 3. *Verr.* 5. 12. Fateatur, se privatum hominem, usque dum per me licuerit, retinuisse. *Sall. Jug.* 53. Numidæ tantummodo remorati, dum in elephantis auxilium putant. *Liv.* 27. 42. Tantum ibi moratus, dum milites ad prædam discurrunt. *V.* et USQUE suo loco. — *c*) Cum oppositis *ubi, nunc, posteaquam, postquam, postea, deinde.* Sic apud *Plaut. Capt.* 2. 1. 36. Fere maxima pars morem hunc homines habent: quod sibi volunt, dum id impetrant, boni sunt; sed id ubi jam penes sese habent, ex bonis pessumi et fraudulentissimi sunt. *Ter. Andr.* 1. 2. 17. Dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret suum: nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat. *Cic.* 1. *Acad.* (post.) 3. 11. Ego autem dum me ambitio, dum honores, dum causæ, dum rei publicæ cura – multis officiis implicatum et constrictum tenebat, hæc inclusa habebam. – Nunc vero et fortunæ gravissimo perculsus vulnere, etc. *Id. Rosc. Am.* 43. 126. Dum præsidia ulla fuerunt, in Sullæ præsidiis fuit. Posteaquam ab armis recesserunt, etc. *Cæs.* 7. *B. G.* 82. Dum longius ab munitione aberant Galli, plus multitudine telorum proficiebant: posteaquam propius successerunt, etc. *Liv.* 21. 13. Neque dum vestris viribus restitistis, neque dum auxilia ab Romanis sperastis, pacis unquam apud vos mentionem feci. Postquam nec ab Romanis vobis ulla spes est, etc. *Cic. Mur.* 12. 26. Quæ dum erant occulta, necessario ab eis, qui ea tenebant, petebantur: postea vero pervulgata etc. *Id.* 9. *Att.* 6. 5. Eas (*litteras*) quum lego, minus mihi turpis videor, sed tamdiu dum lego: deinde emergit rursum dolor. Adde *Liv.* 27. 42. — *d*) *Dum* jungitur Conjunctivo, præcipue quum propositio finem significat. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 76. Si, dum vivas, tibi bene facias. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Pars, dum vires suppeterent, eruptionem censebant. *Id.* 3. *B. C.* 10. Hoc unum esse tempus de pace agendi, dum sibi uterque confideret. *Cic.* 2. *Nat. D.* 59. 147. De quo dum disputem, tuam mihi dari velim, Cotta, eloquentiam. — *e*) *Dum* aliquando causam significat, quæ actionis tempus limitibus circumscribit. *Liv.* 21. 8. Obsidio magis, quam oppugnatio fuit, dum vulnus ducis curaretur. *Id.* 24. 40. Die insequenti quievere, dum præfectus juventutem et urbis vires inspiceret. Adde *Sueton. Aug.* 78.; *Quintil.* 4. 1. 46.; et *Val. Flacc.* 1. 425. — *f*) In illo *Catulli* 62. 45. Sic virgo dum innupta manet, dum cara suis est; *Quintil.* 9. 3. 16. priore loco *dum* ait significare *quoad*, posteriore *usque eo*; ita enim legit eum versum: alii posterius *dum* in *tum* male mutarunt. — *g*) Interdum adv. *dum* majorem vim acquirit, adjuncta sibi particula *quidem* apud *Plaut.*, ut *Asin.* 2. 4. 57. Credam forr, dum quidem ipse in manu habeo. Adde *eumd. ibid.* 2. 5. 2., *Bacch.* 2. 2. 48., *Merc.* 2. 3. 53. et *Pseud.* 1. 5. 92. ¶ 3. *Dum* ponitur etiam pro *donec*, et significat actionem principali propositione indicatam usque ad id tempus durare, quo altera incipit actio per secundariam propositionem expressa. — *a*) Cum Indicativo, quoties tempus tantummodo significatur. *Ter. Heaut.* 4. 7. 5. Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere. *Id. Phorm.* 5. 7. 89. Retine, dum ego huc servos revoco. *Cic.* 2. *Verr.* 6. 16. Ea mansit in conditione atque pacto usque ad eum finem, dum judices rejecti sunt. *Id.* 10. *Att.* 3. Ego opperior, dum ista cognosco. *Virg.* 9. *Ecl.* 23. Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas. *Id.* 4. *Æn.* 52. causas innecte morandi, Dum pelago desævit hiems. *Plin.* 1. *Ep.* 5. 15. Ut mihi omnia libera servarem, dum Mauricus venit. *Curt.* 6. 7. 6. Tempore opus est, dum mitioribus ingeniis imbuuntur. *Al. leg.* imbuantur. *Propert.* 1. 3. 45. mecum graviter deserta querebar (*moras*), Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis. *Id.* 1. 11. 14. Quæ maneant, dum me fata perire volent. — *b*) Cum Conjunctivo, quoties finis vel scopus significatur. *Plaut. Amph.* 2. 2. 61. Paulisper mane, dum edormiscat unum somnum. *Id. Bacch.* 1. 1. 14. It dum veniat, sedens ibi opperibere. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. Ut spatium intercedere posset, dum milites convenirent. *Id.* 7. *ibid.* 23. Sic deinceps omne opus contexitur, dum justa muri altitudo expleatur. *Id.* 4. *B. C.* 58. Dum locus comminus pugnandi daretur, æquo animo singulas binis navibus objiciebant. *Cic.* 4. *Tusc.* 36. 78. Differant in tempus aliud, dum defervescat ira. *Id.* 2. *Nat. D.* 51. 129. Quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendisque iis, quæ procreaverunt, usque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere. *Liv.* 30. 16. Quippe qui moram temporis quærerent, dum Hannibal in Africam trajiceret. *Virg.* 1. *Æn.* 9. Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem. — Sæpe jungitur cum verbis *expectare, morari.* *Cic. Amic.* 13. 44. Ne expectemus quidem, dum rogemur. Adde *eumd.* 7. *Att.* 1. 4. *Nepos Pausan.* 3. Expectandum, dum se res ipsa aperiret. *Liv.* 4. 21. Virginius, dum collegam consuleret, moratus. Adde *eumd.* 3. 11. et 22. 38.; *Cæs.* 1. *B. G.* 11. et 4. *ibid.* 13. et 23.; *Horat.* 1. *Ep.* 2. 42.; *Tac. Dial. de orat.* 19.; et *Lucan.* 5. 441. — Post eadem verba cum Indicativo occurrit tantum apud *Ter. Eun.* 1. 2. 126. Exspectabo, dum venit. Cf. *Liv.* 27. 42., loc. superius cit. sub 2. ¶ 4. *Dum* est etiam conjunctio, seu particula quæ in propositionibus conditionalibus limites circumscribit, eadem significatione, qua *modo*, vel potius *si modo, quatenus, dumtaxat*; et semper Conjunctivo jungitur. — *a*) *Dum* sine additis. *Plaut. Capt.* 3. 5. 36. Dum pereas, nihil interduo, dicaut vivere. *Id. Curc.* 4. 3. 58. Tuo arbitratu, dum auferam abs te id, quod peto. *Accius* apud *Cic.* 1. *Off.* 28. 97. et *Sueton. Cal.* 30. Oderint, dum metuant. *Cic. Rosc. Am.* 41. 119. Qui vel ipse sese in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quæreretur. *Id.* 5. *Fin.* 29. 89. Dum res maneant, verba fingant arbitratu suo. *Sall. Cat.* 5. Neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. Adde *eumd. ibid.* 10. et *Jug.* 68. *Quintil.* 10. 1. 33. Licet nobis uti historico nonnumquam nitore, dum meminerimus etc. — Et omisso verbo. *Ter. Phorm.* 3. 2. 40. AN. Non pudet vanitatis? DO. Minime, dum ob rem. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 32. 104. Ea sequentes tantummodo, quod ita visum sit, dum sine assensu. Adde *eumd.* 7. *Fam.* 9.; et *Quintil.* 4. 1. 70., 9. 4. 58. et 10. 3. 5. — Similiter *dum eatenus* dixit *Quintil.* 1. 11. 1. Dandum aliquid comœdo quoque, dum eatenus, qua pronunciandi scientiam futurus orator desiderat. — *b*) Sæpissime cum addito *modo*, unde majorem acquirit vim: ita vero eidem particulæ adhæret, ut unum tantum verbum, *dummodo*, fiat. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 62. Dummodo morata recte veniat, dotata est satis. Adde *eumd. Mil glor.* 2. 2. 98. et 3. 1. 189. *Cic. Brut.* 82. 285. Sin autem jejunitatem –, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit, etc. *Id.* 3. *Off.* 21. 82. Qui omnia recta et honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, nonne idem faciunt, quod is etc. Adde *eumd.* 1. *Cat.* 5. 10. et 9. 22., 12. *Phil.* 4. 9. et 3. *de republ.* 3. *Propert.* 3. 15. 15. Ipse seram vites –, Dummodo purpureo spument mihi dolia musto. Adde *Ovid.* 5. *Fast.* 212.; et *V.* infra sub *e.* — *Dummodo* dividitur etiam, interjecto verbo. *Ter. Eun.* 2. 3. 28. Mea nihil refert, dum potiar modo. *Id. Heaut.* 3. 1. 56. Sumat, consumat, perdat, decretum est pati, dum illum modo habeam mecum. *Val. Flacc.* 5. 265. nec vulgi cura tyranno, Dum sua sit modo tuta salus. — *c*) Item cum addito *tamen*. *Cic.* 2. *Orat.* 77. 314. Ut in oratore optimus quisque, sic in oratione firmissimum quodque sit primum: dum illud tamen in utroque teneatur, ut etc. *Cels.* 3. 4. *in fin.* Ubi longa febris fuit, potest indulgeri ægro maturius, dum tamen ante minimum pars dimidia prætereatur. Adde *Quintil.* 1. 1. 11. — *d*) Apud *Plaut.* jungitur etiam cum *quidem*, *Trin.* 1. 2. 20. Dum quidem hercle tecum nupta sit, sane velim. Adde *eumd. Aulul.* 2. 2. 31., quem locum *V.* infra sub *e.* — *e*) Denique cum part. *ne*, quarum — Jungitur *dum* tantum. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 17. Quo lubeat nubant, dum dos ne fiat comes. Adde *eumd. Bacch.* 4. 8. 26., *Curc.* 1. 1. 36. et *Trin.* 1. 2. 137.; *Ter. Hecyr.* 4. 4. 12.; et *Caton. R. R.* 5. *Cic.* 6. *Att.* 1. 4. Tu autem meministi nos sic agere, ut, quot vellet, præfecturas sumeret, dum ne negotiatori. *Al. leg.* negotiarentur. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 10. Interpellent me, quo minus honoratus sim, dum ne interpellent, quo minus respubl. a me administrari possit. Adde *Liv.* 3. 21., 28. 40. et 33. 24.; et *Ovid. Heroid.* 3. 81. — *Dummodo ne* quoque junguntur. *Cic.* 3. *Orat.* 48. 185. Recte genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur. Adde *eumd.* 12. *Att.* 45., 1. *ad Q. fr.* 1. 7. et 10. *Fam.* 25. 2. — Eodem sensu *dum quidem ne* dixit *Plaut. Aulul.* 2. 2. 34. Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui.

B) *Dum* est etiam particula enclitica. Hinc *Priscian.* p. 1242. *Putsch.* Hæc syllaba, id est *dum*, solet expletiva inveniri, ut *quidum, agedum, adesdum.* Ceterum *dum* — *a*) Haud aliter ac Græcum μέν, plerisque apponitur vocabulis negationem significantibus, cujusmodi sunt *non, nec, ne, haud, nihil, nullus, nemo.* Sic *Liv.* 21. 6. Legatione decreta, necdum missa. *Id.* 24. 20. Simulata lenitas nihil

dum profuerat. *Id.* 7. 33. *a med.* Atque cædes circa signa, fuga ab nulla dum parte erat. Adde *eumd.* 3. 50. *in fin.* et 29. 11. *Pseudo-Ascon. in argum. Milonianæ ante med.* Quum mense Januario nulli dum neque consules, neque prætores essent. Ceterum *V.* suis locis *non, nec, ne* et alia superius memorata. — *b*) Aliquando verbis ipsis imperativi modi, et quibusdam etiam adverbiis vel interjectionibus adjungitur, vimque habet quamdam excitandi. Hæc autem servato litterarum ordine exhibentur. *Ter. Heaut.* 2. 3. 8. Abi dum. *Id. Andr.* 1. 1. 1. Ades dum (*Sosia*): paucis te volo. *Plaut. Amph.* 2. 2. 151. et 5. 1. 29., et *Asin.* 4. 1. 1. et 5. 1. 1.; *Ter. Eun.* 4. 4. 27., *Heaut.* 2. 3. 69., *Hecyr.* 3. 1. 35. et *Phorm.* 5. 3. 1.; *Liv.* 7. 9. et 9. 16.; *Catull.* 63. 78.; et *Stat.* 7. *Theb.* 126. Age dum. (Sic *Cic. Sull.* 26. 72. Age dum, confer te nunc cum illius vita vitam P. Sullæ). *Liv.* 3. 62., 5. 52. et 7. 31. Agite dum. *Ter. Phorm.* 2. 2. 15. Cedo dum. *Plaut. Trin.* 1. 2. 109. Circumspice dum. *Ter. Hecyr.* 5. 3. 5. Dic dum. *Id. Andr.* 1. 2. 18. et 3. 5. 10., et *Eun.* 2. 3. 68. Eho dum. (Sic *Id. Andr.* 2. 1. 24. Eho dum dic mihi). *Id. Heaut.* 3. 2. 29. Facito dum, eadem hæc memineris. *Cic.* 2. *Tusc.* 19. 44. Itera dum. (Sic *Id.* 14. *Att.* 14. Itera dum eadem ista mihi). *Plaut. Rud.* 3. 5. 7. Jube dum. *Id. Bacch.* 4. 6. 24. et *Cas.* 2. 6. 32.; *Ter. Hecyr.* 5. 4. 4.; et *Plin.* 8. *Ep.* 6. 13. Mane dum. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 103. Memora dum. *Id. Truc.* 2. 7. 67. Sine dum. *Id. Men.* 2. 2. 73. Tace dum. *Id. Rud.* 3. 5. 5. Tange dum. — *c*) *Qui dum* pro *cur* vehementius interrogat. *Plaut. Amph.* 4. 2. 12., *Epid.* 2. 2. 114. et *Men.* 1. 2. 51. — *d*) Similiter *dum* addito adverbio *vix* ejusdem significationem auget. *Cic.* 9. *Att.* 2. *ad fin.* Vix dum epistolam tuam legeram, quum ad me Curtius venit. *Liv.* 28. 14. Vix dum satis certa luce. — *e*) Aliquando redundat. *Plaut. Trin.* 1. 2. 61. Primum dum omnium male dictitatur tibi.

DŪMĀLIS, e, adject. dumis obsitus, dumosus. Translate. *Capell.* 4. *p.* 95. Verum femina dumalibus hirta setis nescio quid vulgo inexplanabile loquebatur. *h. e.* hirtis comis prædita.

DŪMECTA antiqui, quasi dumiceta, appellabant, quæ nos dumeta. *Paul. Diac. p.* 67. 10. *Müll.*

DŪMESCO, is, ere, n. 3. dumis obducor. Agnoscitur tamquam Latinum a *Diomed.* 1. *p.* 335. et *Charis.* 3. *p.* 224. *Putsch.*; sed nulla confirmatur auctoritate.

DŪMĒTUM, i, n. 2. De antiqua vocabuli forma *V.* DUMECTA. — Dumetum est locus dumis obsitus, fruticetum (It. *spineto, fratta, macchia, greppo*; Fr. *buisson, ronces*; Hisp. *espinal, breña, matorral, zarza*; Germ. *d. Dornicht, d. h. d. Dorngebüsch, d. Dornhecke*; Angl. *a place set thick with bushes or brambles, a brake, thicket*).

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 64. Septum undique et vestitum vepribus et dumetis. *Horat.* 3. *Od.* 29. 22. Jam pastor umbras Rivumque fessus quærit, et horridi Dumeta Silvani. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 4. 63. *Virg.* 1. *G.* 14. cui pinguia Ceæ Tercentum nivei tondent dumeta juvenci. *Colum.* 1. *R. R.* 2. 5. Nec absint greges quadrupedum culta et dumeta pascentium.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 35. 112. Quum sit campus, in quo possit exsultare oratio, cur eam in tantas angustias et in Stoicorum dumeta compellimus? *Id.* 1. *Nat. D.* 24. 68. Ubi igitur illud vestrum (*h. e.* Epicureorum) beatum et æternum, quibus duobus verbis significatis deum? Quod quum efficere vultis, in dumeta correpitis. Ita enim dicebas, non corpus esse in deo, sed quasi corpus, nec sanguinem, sed quasi sanguinem. V. *Schömann.* ad h. loc.

DŪMĬCŎLA, æ, m. 1. (dumus et colo) qui in dumis degit. *Avien. Perieg.* 895. Dumicolæ Arieni.

DUMMŎDO, adverb. *V.* DUM sub 4. *b.* et *e.*

DŪMŌSUS, a, um, adject. Est et antiqua forma *dusmus*, ut patet ex *Paul. Diac. p.* 67. 8. *Müll.* Dusmo in loco apud Livium significat dumosum locum. Antiqui enim interserebant *s* litteram, et dicebant *cosmittere* pro *committere*, et *Casmenæ* pro *Camenæ*. *Apud* Paul. *alii leg.* dusmoso, *sed minus recte, etenim* Placidus ed. Mai p. 452. *habet:* Dusmum, incultum, dumosum vel squalidum. — Ceterum dumosus est dumis obsitus, vepribus plenus. *Paul. Diac. p.* 67. 5. *Müll.* exponit, frondosus. *Colum.* 4. *R. R.* 33. 5. Dumosi glareosique montes. *Id.* 10. *ibid.* 150. colles. *Virg.* 1. *Ecl.* 76. Dumosa rupes. *Id.* 2. *G.* 180. arva. *Ovid.* 10. *Met.* 535. saxa.

DUMTAXAT *vel* duntaxat, adverb. Quod ad scriptionem attinet, reperitur et *duntaxat* per *n*: sed per *m* multo frequentius est in antiquis monumentis. In his etiam *dum taxat* divisum aliquando legitur, ut in tabula ænea apud *Gruter.* 507. *a med.* V. *Cardinali Dipl. Imp. p.* 21. *n.* xxv. — *Priscian.* 15. p. 1015. *Putsch.* docet, *dumtaxat* esse ab adverbio compositum et verbo: scilicet a *dum* et *taxo*, ut sit *dum taxetur hoc unum*, h. e. æstimetur, inquit *Voss.* in *Etymol.*, vel *dum taxat aliquis*, ut recentiores putant, eadem tamen significatione. — Dumtaxat est exacte, ad justam mensuram, ita ut ne quid plus ac ne quid minus sit. ¶ 1. *Dumtaxat* est ita ut ne quid plus justâ mensurâ sit, adeoque ponitur pro *solum, tantum*; et usurpatur ad numeros itemque alia definienda. — *a*) In numeris definiendis. *Cato R. R.* 49. Vineam veterem si in alium locum transferre voles, dumtaxat brachium crassam licebit. *Cic.* 3. *de republ.* 32. Consules potestatem haberent tempore dumtaxat annuam. *Plin.* 10. *Ep.* 64. Dumtaxat per biennium. *Curt.* 4. 11. 32. Submotis igitur arbitris, uno dumtaxat Tyriote retento, etc. *Dig.* 25. 4. 1. Mittantur mulieres liberæ dumtaxat quinque. — *b*) In aliis definiendis. *Lucret.* 3. 378. Dumtaxat ut hoc promittere possis. *Cic.* 2. *Orat.* 27. 119. Præcepta dumtaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur. *Id. post red. ad Quir.* 4. 10. Quum inimicus spicitu dumtaxat viveret. *Id.* 4. *Att.* 3. *sub fin.* Nos animo dumtaxat vigemus. *Id.* 1. *Nat. D.* 38. 107. Fac imagines esse, quibus pulsentur animi: species dumtaxat objicitur quædam. *Id. ibid.* 44. 123. Neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculis similem deum fingeret, lineamentis dumtaxat extremis, non habitu solido. *Cæs.* 3. *B. C.* 40. Peditatu dumtaxat procul ad speciem utitur; equites in aciem mittit. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 41. Mæcenas me cœpit habere suorum in numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda Vellet iter faciens. *Ovid.* 1. *Trist.* 8. 33. Quid, si dumtaxat Romæ mihi cognitus esses? *Liv.* 27. 17. Corpus dumtaxat suum ad id tempus apud eos fuisse. *Curt.* 3. 1. 3. Liquidus et suas dumtaxat undas trahens. *Id.* 3. 12. 2. Quippe summa dumtaxat cutis in femore perstricta non prohibebat interesse convivio. *Sueton. Cæs.* 75. Exceptis dumtaxat Afranio et Fausto. Adde *eumd. ibid.* 55. et *Aug.* 47. *Tac. Germ.* 25. Exceptis dumtaxat iis gentibus, quæ regnantur. — Et cum part. negativis. *Liv.* 37. 53. Nec animum dumtaxat fidelem præstitit, sed omnibus interfuit bellis, quæ gessistis. *Paul. Dig.* 26. 7. 11. Quum tutor non rebus dumtaxat, sed etiam moribus pupilli præponatur. ¶ 2. *Dumtaxat* est ita ut ne quid minus justâ mensurâ sit, adeoque ponitur pro *saltem, ad minimum*; et inservit et numeris et aliis rebus definiendis. — *a*) In numeris definiendis. *Plaut. Truc.* 2. 4. 90. Jubebo ad istam quinque perferri minas: præterea obsonari dumtaxat ad minam. *Cic.* 2. *Att.* 14. 2. Statim mehercule Arpinum irem, ni te in Formiano commodissime expectari viderem, dumtaxat ad prid. Non. Mai. — *b*) In aliis definiendis. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 249. Cur ergo non iidem in jure civili satis instructi esse possumus, ad hoc dumtaxat, ne in nostra patria peregrini esse videamur? *Id. Amic.* 15. 53. Coluntur tamen simulatione dumtaxat ad tempus. Adde *eumd.* 2. *Att.* 18. 2., 12. *Fam.* 1. 1. et *Mil.* 2. 5. *Curt.* 8. 1. 29. Male instituisse Græcos, quod tropæis regum dumtaxat nomina inscriberentur. *Justin.* 1. 5. 5. Animum minacem dumtaxat in illo fregit. Adde *Quintil.* 1. 4. 20., 2. 10. 2., 3. 8. 10. et 11. 3. 156.; *Senec.* 5. *Benef.* 2.; et *Cels.* 5. 26. *Ulp. Dig.* 50. 16. 202. Quum in testamento scriptum esset, ut heres in funere dumtaxat aureos centum consumeret; non licet minus consumere: si amplius vellet, licet, neque ob eam rem contra testamentum facere videtur. — Commode huc referri potest et illud *Cic.*, in quo *dumtaxat* justa *Forcellinum* est pro utique aut certe quidem, 5. *Att.* 10. 5. Valde me Athenæ delectarunt; urbs dumtaxat et urbis ornamentum, etc. — Item illud *Senecæ*, in quo *dumtaxat* justa *Forcellinum* est pro dummodo, *Ep.* 58. *sub fin.* Morbum morte non fugiam, dumtaxat sanabilem, nec officientem animo. — *c*) Interdum, præcipue apud recentiores JCtos, adverbium *dumtaxat* totam propositionem certis limitibus circumscribit, adeoque ponitur pro hactenus, Gr. ἧ. *Lucret.* 2. 120. Conjicere ut possis ex hoc, primordia rerum, Quale sit, in magno jactari semper inani. Dumtaxat rerum magnarum parva potest res Exemplare dare et vestigia notitiai. *Cic. Brut.* 82. 285. Sin autem jejunitatem, dummodo polita sit, in Attico genere ponunt, hoc recte dumtaxat. *Id.* 2. *Divinat.* 43. 90. Quibus etiam Diogenes Stoicus concedit aliquid, ut prædicere possint dumtaxat, quali quisque natura, et ad quam quisque maxime rem aptus futurus sit. Cetera, quæ profiteantur, negat ullo modo posse sciri. Huc referri possunt et illa ejusdem *Cic. Dejot.* 1. 1. et 2. *Nat. D.* 18. 47. Adde *Dig.* 4. 3. 17., 14. 4. 7., 15. 2. 1. et alibi.

DŪMUS, i, m. 2. De alia forma *V.* DUMOSUS init. — Dumus est spinus, rubus, sentes, vepres (It. *spino, pruno, dumo*; Fr. *buisson, hallier*; Hisp. *espinal, breña, maleza grande y espesa*; Germ. *d. Dornstrauch*; Angl. *a bush, a brier, thorn, bramble, any thorny rough shrub*). Proprie dici videtur de spino fruticante et silvescente. Volunt autem esse a δρυμός *silva querna*: a quo per metathesin factum sit *durmus*, deinde *dusmus*, *dumus* denique. *V.* Dusmus in DUMOSUS. *Scheidius* ad *Lennepii Etymol. Ling. Gr.* derivandum putat a δέδυμαι præt. pass. verbi δύω *subeo*; quo nempe subeunt animalia. *Döderlein, Latein. Synon. vol.* 6. *p.* 108. *dumum* vel *dusmum* deducit, et quidem rectius, a Græca voce δασύς *densus*. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 65. Animadverti columellam non multum e dumis exstantem. *Virg.* 3. *G.* 315. Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos. *Id.* 8. *Æn.* 657. Galli per dumos aderant, arcemque tenebant. *Id.* 11. *ibid.* 570. In dumis interque horrentia lustra. *Id.* 9. *ibid.* 381. Silva horrida dumis atque ilice nigra.

DŪO, æ, o, δύο, nomen numerale. — *a*) Quod ad quantitatem attinet, Græci poetæ pro δύο scribunt et δύω: unde ultima produci etiam potest. *Virg.* 5. *Ecl.* 66. en quatuor aras: Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo. *Pier.* in antiquis aliquot codicibus invenit etiam *duo altaria*: in aliis *duas, altaria*, h. e. duas aras tibi, et duas, quæ sint altaria, Phœbo: nam majoribus diis et superis altaria debentur. *Servius.* Certe produxit *Auson. Epist.* 19. 13. Europamque Asiamque, duo vel maxima terræ Membra. Qui produci posse negant, confugiunt in his ad cæsuram. — *b*) Ceterum hoc numerale in Genit. et Accusat. mascul. et neutr. est secundæ declinationis *duorum, duos*; in Dat. et Ablat. in omni genere, tertiæ *duobus, duabus*: quæ exemplis confirmare supervacaneum est. — *c*) In Genit. mascul. et neutr. reperitur et *duum*, quod *Priscian.* 7. *p.* 744. *Putsch.* docet in neutris dici differentiæ causa: sed hoc verum non est. *Nævius* apud *Charis. p.* 101. *Putsch.* Salvi et fortunati duo duum nostrum patres. *Accius* apud *Cic. Orat.* 46. 156. Video sepulcra duo (*al. leg.* dua: *de quo mox*) duorum corporum. *Id. ibid.* Mulier una duum virûm. — Habet locum præsertim, quando aliud nomen numerale subjungitur. *Lentulus* ad *Coss.* 12. *Fam.* 15. *ante med.* Naves duum millium amphorum. *Sall. Jug.* 106. Nunciant, Jugurtham circiter duum millium intervallo ante eos consedisse. — Ceterum legitur et apud *Liv.* 3. 25. Duum mensium spatium consulibus datum est ad inspiciendam legem. Sæpe etiam apud *Plin.* legitur *duum cubitorum, duum pedum, denariorum, obolorum*, etc., ut 12. *Hist. nat.* 19. 42. (89). — *d*) In Accus. mascul. sæpe *duo* pro duos dictum est. *Accius* apud *Charis. loc. cit.* Martes duo. *Ter. Adelph.* 5. 3. 23. Illos duo. *Ita legit* Charis. ibid. *Al.* duos. *Cic.* ad *Cæs. post ep.* 11. *l.* 9. *ad Att.* Vos duo delegi. *Al. leg.* duos. *Varro* 1. *R. R.* 18. 5. Duo villicos. *Liv.* 35. 21. Duo pontes evertit. *Al. leg.* duos. Sed certæ lectionis sunt quæ sequuntur: *Virg.* 11. *Æn.* 285. Si duo præterea tales Idæa tulisset Terra viros. *Cic.* 7. *Fam.* 25. Præter duo nos, loquitur isto modo nemo. *Horat.* 1. *Sat.* 17. 15. duo si discordia vexet inertes. In *Cenotaph. Pis. C. Cæs. a med.* Duo viros creare. V. *Kritz* ad *Vellei.* 1. 8. *Inscript. Patav.* in *Anth. Lap. Lat. p.* 129. *n.* 122. VIXIT ANNOS LXXX. MENS. II. DIES DVO. — *e*) Etiam *dua* pro neutro duo olim usurpatum fuit. *Quintil.* 1. 5. 15. *Dua* et *tre* et *pondo* diversorum generum sunt barbarismi: at *duapondo* et *trepondo* usque ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, et recte dici Messala confirmat. *Vitruv.* 10. 17. Quæ ballista

duspondo saxum mittere debet. *Scribon. Compos.* 45. Spumæ argenteæ pondo dua. *Id. ibid.* 245. Ceræ P. dua bes. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 11. *n.* 163. VASA OBRENDARIA DVA. Cf. *Marini Frat. Arv. p.* 47.; adde *Accii* locum superius cit. sub *c.*; et V. *Göller* ad *Cic. Orat.* 46. 156. — Duo, ut diximus, est nomen numerale (It. *due*; Fr. *deux*; Hisp. *dos*; Germ. *zwei*; Angl. *two*); et usurpatur — 1.°) Ut numerus cardinalis. *Plaut. Amph.* 3. 3. 19. Jam hi ambo et servus et hera frustra sunt duo, qui me Amphitruonem rentur esse. Adde *eumd. ibid.* 5. 1. 56. et alibi, nec non alios omnes sæpe. — 2.°) Interdum pro *ambo* ponitur. *Plaut. Amph.* 3. 3. 2. Jam pax est inter vos duos? *Nepos Timoth.* 3. Quam (*tempestatem*) evitare duo veteres imperatores utile arbitrati, suam classem suppresserunt. V. *Bremi* ad h. l. *Cic. Sext.* 14. 32. Quum subito edicunt duo consules, ut etc. V. *Halm* ad h. l. *Ovid.* 15. *Met.* 115. nocuit sua culpa duobus. V. *Bach* ad h. l. *Justin.* 2. 9. 11. Ut non tot cædibus fatigatus, non duabus manibus amissis victus, etc. V. *Fittbogen* ad h. l.

DŬŎCĬMĀNUS, a, um, adject. pro *decumanus.* *V.* CARDO.

DŬŎDĔCĂCHRŎNUS, a, um, adject. qui duodecim tempora habet, idem ac duodecasemus. *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2485. *Putsch.* Temporum vero incrementa ex duobus ad duodecim procedunt, id est a disemo ad duodecasemum. et *mox*. Ut dictum est a disemo ad duodecasemum, seu a dichrono ad duodecachronum: σημεῖον autem veteres χρόνον, id est tempus, non absurde dixerunt ex eo, quod signa quædam accentuum, quæ Græci προσῳδίας vocant, syllabis ad declaranda temporum spatia superponunt, unde tempora signa Græci dixerunt.

DŬŎDĔCĂDĬON, ii, n. 2. duodenarius numerus, duodecas. Occurrit apud *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. *retro* ed. *Ald.*: inde tamen vix aliquid certi erui potest.

DŬŎDĔCĂJŬGUM, i, n. 2. currus, ad quem duodecim equi junguntur. *Ambros. in Psalm.* 118. *serm.* 4. O bonorum equorum duodecajugum mirabile!

DŬŎDĔCAS, ădis, f. 3. δωδεκάς, aliquid duodenarium numerum continens. *Tertull. Præscript.* 49. Hæc esse æonum triacontada, quæ sit in pleromate ex octoade, et decade, ac duodecade.

DŬŎDĔCĂSĒMUS, a, um. *V.* DUODECACHRONUS.

DŬŎDĔCĂSYLLĂBUS, a, um, adject. qui duodecim syllabas continet. *Mar. Victorin.* 4. *p.* 2609. *Putsch.* Subsistens metro asclepiadeo duodecasyllabo, ut *Mæcenas, atavis edite regibus.* Et *ibid. p.* 2617. Subsistens duodecasyllabo versu. *Censorin. ibid. p.* 2727. Contrarius est huic et duodecasyllabos spondiazon. *Max. Victor. de carm. her. p.* 1959. *Putsch.* In versu duodecasyllabo species una est, quippe is sine ulla varietate omnes in se spondeos habet, et vocatur spondiazon, ut est: *Fortes ducuntur ligati Minturnenses.*

DŬŎDĔCEMVIR, viri, m. 2. qui est in magistratu duodecim virorum. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 720. *n.* 419. N. AVRELIO CONSIO QVARTO IVNIORI C. V. CORRECTORI FLAMINIÆ ET PICENI, PROMAGISTRO ITERVM DVODECEMVIRO ANCONITANI ET FANESTRES CLIENTES PATRONO. In eadem *Inscript.* apud *Murat.* 1024. 1. legitur *duodecimviro*: *Henzen.* vero, qui vidit ipse in Mus. Cap. legit *duodecim. viro.* *Alia* apud *eumd. Murat.* 388. 1. M. D. M. I. (*h. e.* Magnæ deum matri Idææ) ET ATTIDI MENOTYRANNO CONSERVATORIBVS SVIS CAELIVS HILARIANVS DVODECEMVVR (*sic pro* duodecemvir) VRBIS ROMAE etc. Hinc, si hanc inscriptionem conferas cum allata superius, cum *Orellio n.* 3969. sentiendum est, duodecemvirum magistratum urbis Romæ pro sacerdotio magnæ matris deum habendum esse.

DŬŎDĔCENNIS, e, adject. qui duodecim annus habet. *Sulpic. Sever. Dial.* 1. 10. Puer duodecennis. *Id. Dial.* 3. 2. Paterfamilias duodecennem ab utero mutam puellam Martino cœpit offerre. — Quædam editiones habent *duodennis*; sed *Hieron. de Prato* ex MSS. auctoritate mendosam esse lectionem probat.

DŬŎDĔCENNĬUM, ii, n. 2. spatium duodecim annorum. *Imppp. Honor., Theodos. et Constantius Cod. Theod.* 2. 27. 1. § 5. De cetero sancimus, ut omnes deinceps cautiones intra duodecennium vim contestationis accipiant, quam debitor facta novatione promittat.

DŬŎDĔCĬES *vel* duodeciens, adverb. Quadrisyllabum facit *Lactant. de Phœnic.* 28. Duodecies undis irrigat omne nemus. — Duodecies est duodecim vicibus. *Cic.* 4. *Verr.* 75. 185. Pauculis igitur mensibus – furta prætoris, quæ essent HS duodecies, ex uno oppido solo exportata sunt. *Liv.* 38. 28. Tiberis duodecies campum Martium planaque urbis inundavit.

DŬŎDĔCIM, adverb., seu potius numerus cardinalis, δώδεκα (It. *dodici*; Fr. *douze*; Hisp. *doce*; Germ. *zwölf*; Angl. *twelve*). Occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Epid.* 5. 2. 10. Duodecim deis plus quam in cælo est deorum immortalium etc. *Cic.* 2. *de republ.* 17. Ut sibi duodecim lictores cum fascibus anteire liceret. *Cæs.* 1. *B. G.* 5. Oppida sua omnia numero ad duodecim, vicos ad quadringentos – incendunt. — *b*) Speciatim de duodecim tabularum legibus. In libris notis fere numeralibus scriptum legitur, XII. Intelliguntur autem leges Solonis Atheniensis, et aliarum Græciæ civitatum instituta, mores et jura, quæ duodecim tabulis descripta Romani in usum suum per decemviros transtulerunt: de quibus V. *Liv.* 3. 31. 33. 34. et 37., et *Cic.* 1. *Orat.* 43. et 44. Harum legum pauca nunc admodum fragmenta restant. *Varro* 5. *L. L.* 22. *Müll.* Nam ambitus circuitus, ab eoque XII. Tabularum interpretes ambitus parietis circuitum esse describunt. *Cic.* 1. *Off.* 12. 37. Indicant duodecim Tabulæ: ut STATVS DIES CVM HOSTE. Adde *Quintil.* 5. 14. 18. — Et *duodecim* absolute. *Cic.* 2. *Legg.* 23. 58. Discebamus enim pueri duodecim, ut carmen necessarium. *et paullo supra.* Qui post duodecim in Urbe sepulti sunt. Adde *eumd.* 3. *Off.* 16. 65. — *c*) Item speciatim *duodecim scripta* fuit appellatus lusus quidam apud veteres, de quo *V.* SCRIPTUM.

DŬŎDĔCĬMA, æ, f. 1. *V.* DUODECIMUS in fin.

DUODECIMANUS, a, um, adject. duodecimus. *Frontin. Gromat. vet. p.* 28. Sic etiam duodecimanus decumanus factus est. *Hygin. ibid. p.* 167. Duodecimanum postea decimanum appellaverunt. *At utrobique legendum est* duocimanus, *ut patet ex loco* Hygin. *cit. in v.* CARDO.

DŬŎDĔCĬMŌ, adverb. *V.* DUODECIMUS in fin.

DŬŎDĔCIMVIR. *V.* DUODECEMVIR.

DŬŎDĔCĬMUS, a, um, adject. δωδέκατος, num. ordinis, a duodecim. *Cæs.* 2. *B. G.* 23. Duodecima legio. *et ibid.* 2. Duodecimo die. — Hinc

Duodecima, *æ*, f. 1. absolute, substantivorum more, est duodecima pars. *Spartian. Hadrian.* 18. Liberis proscriptorum duodecimam bonorum concessit. *V.* UNCIA. Ceterum apud *Spartian.* vulgati libri habent *duodecimas*.

Duodecimo, adverb. duodecima vice. *Capitolin. Anton. Pius* 1. Natus est sub Domitiano duodecimo, et Corn. Dolabella Coss.

DŬŎDĔMILLĒSĬMUS, a, um, adject. nongentesimus nonagesimus octavus. *Procul. Dig.* 17. 2. 80. Ex duodemillesimis partibus socius. *Alii leg.* duomillesimis, *quam vocem vide suo loco.*

DŬŎDĒNĀRĬUS, a, um, adject. duodecim continens, a duodenis. *Varro* 5. *L. L.* 34. *Müll.* Multa antiqui duodenario numero finierunt. — Syllaba antepænultima licenter corripitur apud *Rhemn. Fann. de pond. et mens.* 191. *Auget.* Et duodenariam (*partem unciæ*) mediam sescliam (*h. e. sextulam*) vocitarunt.

DŬŎDĒNI, æ, a, adject. num. distribut. a duodecim, qui sæpe accipitur pro duodecim sine distributione. *Cæs.* 5. *B. G.* 14. Uxores habent deni duodenique inter se communes. *Id.* 7. *ibid.* 36. Fossa duplex duodenum pedum. *Id. ibid.* 75. Duodena millia. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 31. 85. Duodena describit in singulos homines jugera. *Liv.* 5. 33. Duodenæ urbes. *Virg.* 1. *G.* 232. orbem Per duodena regit mundi sol aureus astra. *Ovid.* 13. *Met.* 618. Duodena signa. — *Duodenis assibus debere est solvere usuras centesimas.* *Plin.* 10. *Ep.* 62. Nec inveniuntur, qui velint debere, reipublicæ præsertim, duodenis assibus, quanti a privatis mutuantur. V. *Funccius, de Leg. XII. Tab. p.* 171.

DUODENNIS. *V.* DUODECENNIS.

DŬŎDENNĬUM, ii, n. 2. idem ac duodecennium. *Leontius*, seu *Mythographus III.* editus ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 163. Planetarum alius per biennium, ut Mars; alius per duodennium, ut Juppiter, circulos suos pertranseunt. *Potest tamen esse librarii error.*

DŬŎDĒNŌNĀGINTA, adject. num. card. indecl. octoginta octo. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 16. 20. (118). *Sillig.* legit LXXXVIII.

DŬŎDĒOCTŌGINTA, adject. num. cardin. indecl. septuaginta octo. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (62).

DŬŎDĒQUĀDRĀGĒNI, æ, a, adject. num. distribut. duodequadraginta. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (114). Duodequadragenum pedum columnæ.

DŬŎDĒQUĀDRĀGĒSĬMUS, a, um, adject. num. ordin. trigesimus octavus. *Liv.* 1. 40. Duodequadragesimo ferme anno.

DŬŎDĒQUĀDRĀGINTA, adject. num. cardin. indecl. triginta octo. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 57.; et *Liv.* 25. 40.

DŬŎDĒQUINQUĀGĒNI, æ, a, adject. num. distrib. duodequinquaginta. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (38). Signiferi ambitum peragit Venus trecenis et duodequinquagenis diebus.

DŬŎDĒQUINQUĀGĒSĬMUS, a, um, adject. num. ordin. quadragesimus octavus. *Cic. Brut.* 44. 162. Anno duodequinquagesimo usus est. *Colum.* 9. *R. R.* 11. 4. dic.

DŬŎDĒQUINQUĀGINTA, adject. num. cardin. indecl. quadraginta octo. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 1. et 12. *ibid.* 5. 1.

DŬŎDĒSEXĀGĒSĬMUS, a, um, adject. num. ordin. quinquagesimus octavus. *Vellej.* 2. 53. 13.; et *Colum.* 9. *R. R.* 14. 4.

DŬŎDĒSEXĀGINTA, adject. num. cardin. indecl. quinquaginta octo. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 9. 9. (19).

DŬŎDĒTRĪCĒSĬMUS, a, um, adject. num. ordin. vigesimus octavus. *Varro* apud *Gell.* 3. 10.; et *Auct. B. Afr.* 98. Sic *Plin.* ex *Cod. palimps. Veron.* edente *Mon.*, 15. *Hist. nat.* 17. 18. (59). Neque ante XVI. lunam, neque ultra duodetricesimam.

DŬŎDĒTRĪCĬES *vel* duodetriciens, adverb. num. viginti et octo vicibus. *Cic.* 5. *Verr.* 70. 163. Ita in frumentum imperatum HS duodetricies in annos singulos Verri decernebatur. *Orellius* legit *bis et tricies*; editiones aliæ et quidem optimæ *duodetricies.*

DŬŎDĒTRĪGINTA, adject. num. cardin. indecl. viginti octo. *Auson. Eclog.* 11. 7. Unus erit tantum duodetriginta dierum. Adde *Sueton. Tib.* 1. et *Liv.* 33. 36. *Inscript.* apud *Gruter.* 766. 7. HIC SITA, QVAE VIXIT DVODETRIGINTA PER ANNOS.

DŬŎDĒVĪCĒNI, æ, a, adject. num. distribut. decem et octo. *Liv.* 21. 41. Duodevicenis denariis æstimati hostes.

DŬŎDĒVĪCĒSĬMUS *et* duodevigesimus *et* duodevicensimus, a, um, adject. num. ordin. decimus octavus. *Cato* apud *Non. p.* 100. 14. *Merc.* Deinde duodevicesimo anno post dimissum bellum, quod quatuor et viginti annos fuit, Carthaginienses sextum de fœdere decernere. *Jordan* corrigit *duoetvicesimo* ex *Gell.* 5. 4. *Varro* apud *eumd. p.* 100. 12. Mortuus est anno duodevicesimo: rex fuit annos XXI. *De hac quoque lectione dubitandum est.* Certior est apud *Plin.* 12. *Hist. nat.* 1. 5. (10). Epulari cum duodevicesimo comite. *h. e.* cum comitibus duodeviginti. Adde alterum *Plin.* 6. *Ep.* 20. *Tac.* 4. *Hist.* 21. Duodevicesimæ legionis legatus Dillius Vocula. Hic idem tamen in *Inscript.* apud *Murat.* 697. 5. dicitur *legatus in Germania legionis XXII.* h. e. duoetvicesimæ: inde patet, apud *Tac. loc. cit.* legendum esse *duoetvicesimæ* pro *duodevicesimæ*. Idem postea judicavit *Borghesius*, *Nota sulle legioni al Reno dello Steiner, p.* 42.; atque hanc correctionem *Car. Halm.* in textum recepit. — *Duodevicensimus* legitur in *Tab. Ancyrana Aug. n.* 3. TRIBVNICIAE POTESTATIS DVODEVICENSIMVM, CONSVL XII. ubi nota adverbium. — Dividitur etiam per tmesin. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 8. 34. (53). Duo enim devicesima Olympiade interiit Candaules.

DUODEVIGINTESIMUS, a, um, adject. duodevicesimus. In *Monum. Ancyr. n.* 3. apud *Gruter.* 231.; sed sculptoris error habendus videtur.

DŬŎDĒVĪGINTI, adject. num. card. indecl. decem et octo. *Auson. Parental. n.* 21. *in fin.* Duodeviginti functus Olympiadas. In τῷ *duo* synæresis est: vel potius anapæstus pes pro dactylo positus fuit, ut apud *Virg.* 1. *G.* 482. Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 5. *extr.* et 3. *B. C.* 71.; *Cic.* 2. *de republ.* 22. et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 41. 128.; et *Plaut. Pœn.* 4. 2. 74.

Sic *Eutrop.* 10. 9. Annis mille centum et duobus-devigintl.

DUOETVICESIMĀNI, ōrum, m. plur. 2. dicti sunt milites legionis vigesimæ secundæ apud *Tac.* 5. *Hist.* 1. et 4. *ibid.* 37.

DUOETVICĒSIMUS, a, um, adject. num. ordin. vicesimus secundus. *Fabius Pictor* apud *Gell.* 5. 4. Duoetvicesimo anno, postquam Galli Romam cœperunt. Adde *Caton.* et *Tac.* locc. citt. in DUODEVICESIMUS; et *Tac.* 1. *Hist.* 18. et 55., et 4. *ibid.* 37.

DUOMILLĒSĬMUS, a, um, adject. num. ordin. bis millesimus. *Procul. Dig.* 17. 2. 80. Ut alter ex millesima parte, alter ex duomillesimis partibus socius esset. *Alii leg. divisim* duo millesimis, *ut* duo *sit indeclinabile pro* duobus.

DŬŌNUS, a, um, adject. idem quod bonus, teste *Paul. Diac. p.* 67. 1. *Müll.* *V.* CERUS et BONUS.

DŬŎVIR. *V.* DUUMVIR init.

DŬŎVĬRĀLIS. *V.* DUUMVIRALIS init.

*DUOVIRATES, ium, m. plur. 3. qui duumviratu functi sunt, iidem ac duumvirales et duumviralicii. *Inscript.* optimæ notæ apud *Gruter.* 207. *sub fin.* HOC OPVS OMNE FACITO ARBITRATV DVOVIRVM ET DVOVIRATIVM, QVI IN CONSILIO ESSE SOLENT PVTEOLIS, DVM NE MINVS VIGINTI ADSIENT, CVM EA RES CONSVLETVR. Ita in lapide sculptum pro duoviralium affirmant *Raym. Guarinius* et *J. B. Zannonius* testes oculati, qui hanc inscriptionem typis vulgarunt Neapoli an. 1824. et Florentiæ an. 1826., et peculiari dissertatione illustrarunt.

DŬPLĀRIS, e, adject. διπλοῦς, duplum continens. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. et 2. *ibid.* 1. Duplaris numerus est, cum de duobus numeris minor bis in majore numeratur, ut sunt quatuor ad duo. — *Duplares milites* dicuntur *Veget.* 2. *Milit.* 7. qui præmii loco binas annonas consequuntur, sicut *simplares,* qui singulas. Sic *torquati duplares,* qui virtutis ergo torque donati, insuper duplam annonam percipiebant. *Id. ibid.* *Inscript.* apud *Gruter.* 448. 8. M. PEDIVS L. F. PAL. ALBINVS EQVES DVPLARIS. *Alia* apud *Orell.* 3535. Q. VARSIO Q. F. PAL. SIGERIANO MIL. COH. V. PR. DVPLARI DIVR. STIPEN. X. II. *h. e.* militi cohortis quintæ prætoriæ, duplari diurni stipendii denariorum binorum. Hinc patet, milites denarium unum, duplares duos habuisse per singulos dies. *V.* et voc. seq.

DŬPLĀRIUS, a, um, adject. idem ac duplaris, quum agitur de militia (*V.* voc. præced.), sed in inscriptionibus tantum occurrit. *Inscript.* apud *Orell.* 2003., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 157. TIBERIVS VLPIVS ACVTVS DVPLARIVS ALARIVS etc. Adde alias apud *eumd.* 3485. et 3515.

DŬPLĀTĬO, ōnis, f. 3. duplicatio. *Paul. Dig.* 9. 4. 31. Duplationis rationem habendam. Ita *Torrentin.*; at *Haloander* rectius edidit *duplicationis.*

DŬPLĀTUS, a, um. *V.* DUPLO.

DŬPLEX, icis, adject. omn. gen. Ablativus singularis numeri est *duplici; duplice* tamen habet *Horat.* 2. *Sat.* 2. 122. — Duplex, Græce διπλοῦς et δίπλαξ, a duo et *plico*, est qui rem aliquam bis continet, duplus; et cum *geminus* et *bini* jungitur, opponitur vero adjectivis *simplex, sesquiplex, par* (It. *doppio, due;* Fr. *double;* Hisp. *doble;* Germ. *doppelt, zwiefaltig, zwiefach;* Angl. *double, twofold, twice as much*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret* 4. 275. Is quoque enim duplici geminoque fit aere visus. Primus enim est, citra postes qui cernitur aer: — Post extraria lux oculos perterget, et aer Alter. *Id. ibid.* v. 453. Et duplices hominum facies et corpora bina. Adde *eumd. ibid. v.* 1222. *Cic.* 3. *Herenn.* 20. 33. Duplices similitudines esse debent, unæ rerum, alteræ verborum. *Id. Orat.* 57. 193. Ut in eis singulis (*numeris*) modus insit aut sesquiplex, aut duplex, aut par. *Id.* 1. *Tusc.* 30. 72. Duas esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. *Cæs.* 2. *B. G.* 29. Quem locum duplici altissimo muro munierant. *h. e.* duobus altissimis muris. *Id.* 7. *ibid.* 36. Duplicem fossam duodenum pedum a majoribus castris ad minora perduxit. *h. e.* duas fossas. *Id.* 3. *B. C.* 63. Duplicem eo loco vallum fecerat. *Id.* 1. *ibid.* 45. Rates duplices, quoquo versus pedum XXX., e regione molis collocabat. *Id.* 3. *B. G.* 24. Prima luce productis omnibus copiis, duplici acie instituta, etc. *Id.* 3. *B. C.* 53. Duplici stipendio militres donare. Sic *Liv.* 7. 37. Milites duplici frumento in perpetuum donati. *Id.* 39. 5. *extr.* Militibus ex præda vicenos quinos denarios divisit, duplex centurioni, triplex equiti. *V.* infra sub *f.* *Virg.* 1. *G.* 172. Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso. *Quintil.* 8. 5. 4. Esse eam (*partem*) aliquando simplicem, — nonnunquam duplicem. *Sueton. Aug.* 13. Duplex prælium. *Id. Tib.* 8. cura. *Id. ibid.* 25. seditio. *Id. Domit.* 6. triumphus. — *b*) Speciatim. *Duplices tabellæ* ita dictæ sunt, quod duabus tabellis constarent, quæ complicatæ conscripta arcana claudebant tegebantque. V. DIPTYCHUS. *Ovid. Remed. am.* 667. Et manus, et duplices manibus excidere tabellæ. Adde *eumd.* 1. *Amor.* 12. 27. — *c*) Item *duplex vas,* δίπλωμα, dicitur, quum vas aliquod minus in patentius aqua ferventi plenum immittitur, ut quæ sunt in minori, lenius coquantur, quod nostri dicunt *cuocere a bagno maria. Scribon. Compos.* 73. Per duplex vas coquitur, donec mellis habeat spissitudinem. Adde *eumd. Compos.* 63. *V.* DIPLANGIUM. — *d*) *Duplex judicium* in causis quibusdam centumviralibus est, quod ab una centumvirorum hasta ad aliam transferri poterat, *h. e.* quum peracto uno judicio apud unam hastam (quatuor enim erant) appellabantur ad aliam. *Quintil.* 11. 1. 78. In centumviralibus judiciis duplicibus. *Id.* 5. 2. 1. hæc appellat judicia divisa in duas hastas. — *e*) *Duplex Hylæus* dicitur a *Stat.* 4. *Theb.* 140. qui Centaurus erat, dimidius homo, dimidius equus. — *f*) *Duplex quam* est idem atque *alterum tantum,* ut apud *Colum.* 1. *R. R.* 8. 8. Duplicia ferramenta, quam numerus servorum exigit. *Quintil.* 2. 3. 3. Duplices exigere mercedes, quam si rudes traderentur. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (9). Ideo duplex, quam ceteris, pretium.

II.) Translate. ¶ 1. Duplicia dicuntur, quæ bifida sunt, sive in duo divisa. *Plaut. Truc.* 4. 3. 7. Ne duplices habeatis linguas, ne ego bilingues vos necem. — Sic *duplex ficus* est eadem ac duplicata et bifida, seu prius divisa, deinde vel sole vel in furno aliquantisper exsiccata et cum altera ita conjuncta, ut intra utrimque pulpa adhæreat, extra vero corium sit: has propter similitudinem Siculi nunc vocant *chiappe di fichi,* easque adhuc videre est in *Mus. Neapolit.* servatas, quas e Pompejorum ruinis nuper erutas fuisse constat. Harum meminit et *Aristot. Problem. c.* 22. *n.* 9., ubi docet, bifidas, δίχα ἐσχισμένας, dulcissimas esse; multifidas, πολυσχιδεῖς, nimium exsuccas et insipidas: integras, ἀσχιδεῖς, humorem crudum servare. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 35. Subinde ficus, sicut est divisa, vertatur, ut ficorum coria siccentur, et pulpæ tunc duplicatæ in cistellis serventur, aut loculis, quo genere Campania tota custodit. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (52). Diocles hydropicis dedit allium in fico duplici ad evacuandam alvum. *Veget.* 2. *Veterin.* 10. Addisque novem duplices ficus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 38. et 56. Cf. et *Colum.* 12. *R. R.* 15. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 121. tum pensilis uva secundas Et nux ornabat mensas cum duplice ficu. *Vet. Scholiast. Cruq.* ad *Horat. loc. cit.* Cum duplici ficu: bifida. Ex *Bullett. Archeol. a.* 1829. *p.* 68. colligimus, etiam Herculani repertas esse duplices ficus. — *Plin.* 16. *Hist. nat.* 24. 38. (90). Folia palmæ duplicia, *h. e.* latera bifidata habentia, ut *Id.* 13. *ibid.* 4. 7. (30). loquitur. — Sic *duplices leges,* quæ duas habent partes. *Quintil.* 7. 7. 10. Duplices leges, sicut duæ, colliduntur. — Huc referri potest et illud *Vitruv.* 5. 9. Uti porticus duplices sient, *h. e.* duos habentes columnarum ordines, exteriores et medianas. ¶ 2. A Poetis *duplicia* dicuntur quæ paria sunt, ideoque pro ambobus ponitur; quo sensu et διπλοῦς apud Græcos occurrit. *Lucret.* 6. 1145. Principio caput incensum fervore gerebant Et duplices oculos suffusa luce rubentes. *Virg.* 1. *Æn.* 97. duplices tendens ad sidera palmas. ¶ 3. Quemadmodum et apud Græcos, *duplicia* dicuntur etiam quæ, *simplici* opposita, densiora et crassiora sunt, latiora vel ampliora. *Cato R. R.* 20. Clavi duplices. *h. e.* crassi, vel potius solitis crassiores. *Nepos Datam.* 3. Agresti duplici amiculo circumdatus. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 25. Duplex pannus. *Propert.* 3. 1. 12. fenus. *Gell.* 6. 12. Verbum duplex. *h. e.* duobus compositum. *Lucilius* apud *Non. p.* 394. 29. *Merc.* Quum in gymnasio duplici corpus siccassem pila. *Forcellinus* huc retulit etiam loc. *Virg.* 1. *G.* 172., quem *V.* supra sub I. *a.*; et in fine paragr. addit: *Hæc alii aliter interpretantur.* V. tamen I. *f.* ¶ 4. A Poetis, ut a Græcis διπλοῦς, ad animum quoque transfertur, et est fallax, dolosus. *Horat.* 1. *Od.* 6. 7. Duplex Ulysses. *Catull.* 68. 51. Duplex Amathusia. — Ad hanc significationem respexisse videtur *Ovid.* de duplicibus tabellis loquens 1. *Amor.* 12. 27. Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi? ¶ 5. Duplex pro duplicato, curvato, inflexo. *Val. Flacc.* 6. 509. Semineces duplicesque inter sua tela, suosque Inter equos, sævam misero luctamine versant Congeriem. *V.* DUPLICO II. 4.

DŬPLĬCĀRIUS, ii. *V.* DUPLICIARIUS.

DŬPLĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus duplicandi. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 8. Radii solis a terra resiliunt, et in se recurrunt: horum duplicatio proxima quæque a terris calefacit. *Ulp. Dig.* 48. 19. 8. Duplicatio temporis. *Capell.* 7. *p.* 216. et 257. numeri. Adde locum cit. in DUPLATIO. — Est etiam repetitio exceptionis. *V.* QUADRUPLICATIO.

DŬPLĬCĀTŌ, adverb. in duplum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 14. (76). Stella Veneris quindecies pluribus subit: rursus Saturni et Jovis duplicato degrediuntur: Martis etiam quadruplicato.

DŬPLĬCĀTOR, ōris, m. 3. qui duplicat. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Sinistrarum opinionum duplicatores.

DŬPLĬCĀTUS, a, um. *V.* DUPLICO.

DŬPLĬCĬĀRIUS, ii, m. 2. duplaris. *Gloss. Philox.* Διμοιρίτης, duplicarius. *Varro* 5. *L. L.* 90. *Müll.* Duplicarii dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria ut darentur, institutum. (Hinc apud *Liv.* 7. 37. Milites duplici frumento in perpetuum donati). *Liv.* 2. 59. *extr.* Centuriones, duplicariosque virgis cæsos securi percussit. *Inscript.* apud *Giovenazzium, Aveja p.* 126., quæ est apud *Orell.* 3534. A. ARRIVS CHRYSANTHVS MARMORARIVS AVGVSTAL. PVTEOL. DVPLICIARIVS PETRONII VIVVS SIBI. — Vulgatæ editiones *Varronis* et *Livii locc. citt.* habent *duplicarii* et *duplicarios, Inscript.* apud *Murat.* 45. 3. *duplicar.*, et *Inscript.* apud *Orell.* 3533. *duplicarius*: at *dupliciarius* scribendum probat *Giovenazzius loc. cit.* Atqui apud *Hygin. Gromat. p.* 6. *col.* 2. bis *duplicarius* legitur in ant. Codice, ut et *sesquiplicarius* (V. *loc. cit.* in hac voce): ideoque cum recentioribus *duplicarius* potius scribendum est, et *dupliciarius* tamquam altera forma Inscriptionum propria habenda est.

DŬPLĬCĬTAS, ātis, f. 3. duplicatio. *Lactant. Opif. Dei* 8. Duplicitas aurium. *h. e.* binarius numerus aurium. *Id. ibid.* 10. narium.

DŬPLĬCĬTER, adverb. ¶ 1. Est duobus modis vel causis. *Lucret.* 6. 508. Confertæ nubes vi venti mittere certant Dupliciter. *Cic.* 9. *Fam.* 20. Dupliciter delectatus sum tuis litteris. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 32. 104. Dupliciter dici, assensus sustinere sapientem uno modo, *etc.* altero etc. *Brutus ad Attic.* inter *Cic. Ep.* 1. *ad Brut.* 17. Quæ in ipsum dupliciter recidunt, quod et plures, etc. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 10. *a med.* Curionem video se dupliciter jactaturum, primum ut, *etc.*, inde ut etc. ¶ 2. Item ambigue et quasi duplici sententia latente. *Arnob.* 5. 36. Res dupliciter conscriptæ et ambifaria obtentione velatæ.

DŬPLĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. διπλόω. Part. *Duplicans* II. 1.; *Duplicatus* in omnibus paragr.; *Duplicaturus* I.; *Duplicandus* II. 2. — Duplicare est duplicem facere, geminare (It. *raddoppiare;* Fr. *doubler;* Hisp. *doblar;* Germ. *verdoppeln;* Angl. *to double*).

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 69. 1. Sæpe enim diutius servata non modo usuram adjiciunt; sed etiam fructum duplicant, si tempore promas. *Cic.* 1. *Nat. D.* 22. 60. Duplicare numerum dierum. Adde *Cæs.* 4. *B. G.* 36. Rursus *Cic.* 5. *Att.* 18. 2. Exercitum duplicaturi eramus. *Liv.* 7. 7. Duplicare copias. *Nepos Iphicr.* 1. Hastæ modum duplicavit, gladios longiores fecit. *Pers.* 6. 78. Duplicare rem. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 2. redituum pretio. *Sueton. Cæs.* 26. stipendium. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (9). Hic (*actus*) erat CXX. pedum, duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur universim pro augere. *Lucret.* 6. 336. Mobilitas duplicatur, et impetus ille gravescit. *Cic. Dom.* 35. 95. Duplicata gloria discessissem. *Sall. Orat. Cottæ ad pop.* Senectus, per se gravis, curam duplicat. *Lucejus* apud *Cic.* 5. *Fam.* 14. Non intelliges duplicari sollicitudines, quas elevari tua te prudentia postulat. *Cic. fil.* ad *Tiron.* apud *Cic.* 16. *Fam.* 21. Ut in dies magis magisque hæc nascens de me duplicetur opinio. *Cæs.* 3. *B. C.* 76. Signo profectionis dato, ex-

citum educit, duplicatoque ejus diei itinere, etc. Id. ibid. 92. Duplicato cursu. Virg. 2. Ecl. 67. Et sol crescentes decedens duplicat umbras. Ovid. 11. Met. 549. inducta piceis e nubibus umbra Omne latet cœlum duplicataque noctis imago est. Id. 1. Amor. 9. 11. Flumina duplicata nimbo. Sic in Monum. Ancyr. tab. 4. apud Gruter. p. 232. l. 15. AQVAM, QVAE MARTIA APPELLATVR, DVPLICAVI, FONTE NOVO IN RIVVM EJVS IMMISSO. Sil. It. 13. 234. Sævo vires duplicante dolore. ¶ 2. Duplicare verba apud Rhetores est repetere per figuram conduplicationem, ut in illo Cic. Mil. 27. 72. Occidi, occidi non Sp. Mælium etc. Cic. Orat. 39. 135. Quum duplicantur iteranturque verba, aut breviter commutata ponuntur. Id. Partit. orat. 6. 21. Verba geminata atque duplicata, vel etiam sæpius iterata. Adde eumd. ibid. 15. 54.; et V. Göller. ad Cic. Orat. 25. 85. — Duplicare verba est etiam componere. Liv. 27. 11. Quos androgynos vulgus (ut pleraque faciliore ad duplicanda verba Græco sermone) appellat. ¶ 3. Duplicare occurrit pro renovare in illo Sall. apud Servium ad Virg. 2. Ecl. 67. Marius victus duplicaverat bellum. ¶ 4. Denique usurpatur etiam, præcipue a Poetis, pro incurvare, flectere membrum aliquod vel totum corpus. Virg. 11. Æn. 644. latos huic hasta per armos Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore. Id. 12. ibid. 926. Incidit ictus Ingens ad terram duplicato poplite Turnus. Ovid. 6. Met. 293. duplicataque vulnere cæco est. Stat. 3. Theb. 89. ingentem nixu duplicatus in ictum Corruit. Id. 6. ibid. 858. Ingentes artus præcelsus Agylleus Sponte premit, parsumque genens duplicatur in hostem. Val. Max. 5. 1. n. 1. extern. Corpus frigore duplicatum.

DŬPLIO, ōnis, m. 3. τὸ διπλοῦν. Duplionem, inquit Paul. Diac. p. 66. 13. Müll., antiqui dicebant, quod nos duplum. Lex XII. Tab. apud Festum p. 376. 30. Müll. Fructus duplione damnum decidito. Alia apud Plin. 18. Hist. nat. 3. 3. (12). Impubem prætoris arbitratu verberari, noxiamve duplionemve decerni.

DŬPLO, as, ātum, are, a. 1. Part. Duplatus. — Duplo est duplum facio, duplico. Paul. Diac. p. 67. 2. Müll. Duplabis, duplicabis. Habent præterea Ulp. Dig. 40. 12. 22., Cajus ibid. 38. 10. 3. et Paul. ibid. 11. 3. 14. etc. Sic Cassiod. 7. Variar. 45. Et hujus rei duplatum vestigium non debeat inveniri. Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod. 1. 5. 11. Conventi intra annum trina vice, nisi omnes impleverint functiones duplatum debitum impleant.

DŬPLŌMA. V. DIPLOMA.

DŬPLŌMUM, i, n. 2. idem ac diploma. Vox Latine detorta a δίπλωμα, ut a διπλοῦς est duplus, sequiori tamen ætate videtur usurpata fuisse. Inscript. apud Murat. 564. 1. PATRONI PER DVPLOMVM A NVMERO NOSTRO COOPTATI. Hæc pertinet ad an. a Chr. n. 261. In Not. Tir. p. 124. mendose legitur duplummum. In Gloss. vero Isid. habetur diplomum.

DŬPLUS, a, um, adject. διπλοῦς, bis tantus (It. doppio; Fr. double, deux fois aussi considérable; Hisp. doble; Germ. doppelt so gross oder viel; Angl. double, twice as much, twice as large). Plaut. fragm. apud Priscian. 7. p. 751. Putsch. Scrobes effodere duplos sexagenos in dies. Cic. Tim. 7. Dupla et tripla intervalla explere. Id. ibid. pars. Liv. 29. 19. pecunia. Sueton. Domit. 2. donativum. — Hinc

Duplum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. Cato præf. R. R. Furem condemnare dupli. Plaut. Pœn. 1. 1. 56. Fur dupli. Cic. 3. Off. 16. 65. Dupli pœnam subire. Id. Flacc. 21. 49. Ut si judicatum negaret in duplum iret. h. e. caderet in pœnam dupli solvendi. Plin. 27. Hist. nat. 11. 74. (98). Herba foliis duplo majoribus, quam rutæ. Id. 2. ibid. 21. 19. (83). A terra ad lunam CXXVI. millia stadiorum esse, ab ea usque ad solem duplum. Adde alterum Plin. Paneg. 40. Ulp. Dig. 40. 12. 20. Habere actionem in duplum. V. CAVEO.

Dupla, æ, f. 1. (subaudi pecunia) absolute, substantivorum more, est duplum pretii: simpla simplex pretium. Plaut. Capt. 4. 2. 39. Dupla agninam danunt. h. e. vendunt. Alii leg. duplo; quidam vero duplam agninam atque intelligunt carnem agninam vetustiorem, utpote agni grandioris, atque adeo duriorem in cibis et coctu difficilem. Varro 2. R. R. 10. 5. Solet, si mancipio non datur, dupla promitti, aut, si ita pacti, simpla. Ulp. Dig. 21. 1. 31. a med. Si duplæ venditur mancipii non caveat. Javolen. ibid. 2. 6. Nihil venditor præstabit præter simplam evictionis nomine.

DUPŌNDIĀRIUS, a, um, et

DUPŌNDIUS. V. DIPONDIARIUS et DIPONDIUS.

DŪRĀBILIS, e, adject. Comp. Durabilior 2. — Durabilis est ¶ 1. Qui indurari, seu durus fieri potest. Apul. de Mag. Præterea laurum fragilem, limum durabilem, ceram liquabilem. ¶ 2. Item qui diu persistere vel permanere potest. Ovid. Heroid. 4. 89. Quod caret alterna requie, durabile non est. Colum. 12. R. R. 38. 7. Liquor durabilis. Adde eumd. ibid. 55. 1. Apul. de Mag. Durabilior materies.

DŪRĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. abstracta qualitas, qua quid durat, durities. Pallad. 1. R. R. 36. 2. Sit circa hanc (aream) locus alter planus et purus, in quem frumenta transfusa refrigerentur, et horreis inferantur: quæ res in eorum durabilitate proficiet. Id. 12. ibid. 7. 2. Locis quidem qualibuscumque (Persica) proveniunt: sed et pomis et frondibus et durabilitate præcipua sunt, si cœlum calidum, solum arenosum et humidum sortiantur.

DŪRĀBĬLĬTER, adverb. continuo, perpetue. Cassiod. 1. Hist. Eccl. 9. ante med. Qui propter Dei culturam durabiliter permanserunt in confessionibus martyrii.

DŪRĀCĬNUS, a, um, adject. qui durum acinum habet, et usurpatur præsertim de uvis, tum etiam de aliis arborum fructibus. V. ACINUS. Cato R. R. 7. Duracina uva. Plin. 14. Hist. nat. 1. 3. (14). Uva non alibi gratior callo, ut inde possit invenisse nomen duracina. Sueton. Aug. 76. Panis unciam cum paucis acinis uvæ duracinæ comedi. Martial. 13. 22. Uva duracina. Non habilis cyathis, et inutilis uva Lyæo: Sed non potanti me, tibi nectar ero. Hanc Colum. 3. R. R. 2. 1. firmi durique acini vocat. Id. ibid. eam docet esui fuisse, non potui apud Romanos, ut constat etiam ex Martial. loc. cit. Sic latiori significatione Colum. loc. cit. vites ipsas duracinas appellat. Cl. Fée (Op. cit. vol. 1. p. 162.) hæc ait: « Le duracin pourrait bien être un chasselas. – On cultivait naguère, au Jardin du Roi, des raisins nommés de Maroc ou maroquins, qu'on croit être l'uva duracina. On les nomme vulgairement pied de poule à Montpellier ». — Duracina persica quæ dura carne sunt. Plin. 15. Hist. nat. 12. 11. (39). Sed persicorum palma duracinis. Id. ibid. 28. 34. (113). Persicis duracinis adhæret corpus, e lignoque avelli nequit, quum in ceteris facile separetur. Cl. Fée (Op. cit. vol. 1. p. 228.) hæc docet « La variété de pêche dont il est ici question est aussi appellée duracina par les Grecs (Geoponic. 10. 23.). On pense que c'est le brugnon. – Palladius 12. R. R. 7. 8. en compte quatre variétés: Duracina, præcoqua, persica, armenia. – Les horticulteurs modernes en énumèrent près de cinquante variétés ». Et paullo post (ibid. p. 229.) hanc exhibet synonymiam: Duracina Plin. locc. citt. sunt Persica dura, carne candida, aliquando ex albo subrubente C. Bauh. Pin. 440.; Persica duracina Matth. Gessn. etc. var. 38. de l'Encyclop.; Persica flore parvo, fructu oblongo, colorato, verrucoso, carne firma, vinosa, Duham. — Denique duracina cerasa apud Plin. 15. Hist. nat. 25. 30. (103). dicuntur, quæ sunt pulpa duriore. Cl. Fée (ibid. p. 265.) hæc ait: « C'est là le bigarreautier à fruits rouges, Prunus Bigarella L. Spec. plant. 679., Cerasa crassa, carne dura, C. Bauh. Pin. 450. – Le bigarreautier n'est pas aussi estimé chez les modernes qu'il paraissait l'être chez les anciens ».

DŪRĀMEN, inis, n. 3. durities. Lucret. 6. 527. Et vis magna geli, magnum duramen aquarum. h. e. glacies. — Duramen quoque dicitur, itemque duramentum, durius ac firmius sarmentum in vite, ex ipso trunco procedens, ex quo palmites teneriores subinde enascuntur. Etiam brachium vitis appellant. Colum. 4. R. R. 22. 1. Considerandum erit, cujus longitudinis sint duramina. et mox. In medio spatio duorum duraminum. Mox ibid. et c. 21. 1. vocat duramentum: quod et Plin. facit 17. Hist. nat. 23. 35. (208). et Pallad. 3. R. R. 16.

DŪRĀMENTUM, i, n. 2. duramen.

I.) Proprie, seu concreto, uti ajunt, sensu, occurrit de brachio vitis. V. voc. præced.

II.) Translate, sive abstracte, est firmitas, confirmatio. Seneca Tranquill. anim. 1. Tenera esse virtutum principia, tempore ipsis duramentum et robur accedere.

DŪRĀTEUS, a, um, adject. δουράτεος et δουράτεος Homer. 8. Odyss. 493. et 512. ligneus; a δόρυ lignum: et dicitur tantum de equo Trojano. Lucret. 1. 476. Nec clam durateus Trojanis Pergama partu Inflammasset equus nocturno Grajugenarum. — Dicitur etiam dureus et durius. V. DURIUS.

DŪRĀTOR, ōris, m. 3. qui durat. Pacat. Paneg. Theodos. 33. Hos minax Caucasus, et rigens Taurus, et ingentium corporum durator Ister effuderat. h. e. laboribus ferendis apta reddens.

DŪRĀTRIX, īcis, f. 3. quæ durat, seu durare facit. Plin. 14. Hist. nat. 1. 3. (17). Duratrix firmitas.

DŪRĀTUS, a, um. V. DURO.

DŪRE et duriter, adverb. Comp. Durius in omnibus paragr.; Sup. Durissime II. 2. — Neutrum quoque durum adverbii more usurpatur: V. DURUS in fin. — Donatus ad Ter. Andr. 1. 1. 47. duplex tradit discrimen inter dure et duriter: alterum quod dure refertur ad sævitiam, duriter ad laborem. Alterum quod dure in alterum, duriter in nos aliquid facimus. Neutrum tamen a scriptoribus servatur. — Dure vel duriter est firmiter, rigide (It. duramente; Fr. durement; Hisp. duramente; Germ. hart; Angl. hardly).

I.) Proprie. — a) Duriter apud Vitruv. 10. 8. sub fin. Juga premunt duriter colla (boum). — b) Comp. Durius apud eumd. ibid. 15. in fin. Brachia quo longiora sunt, mollius, quo breviora, durius ducuntur. — Forcellinus huc retulit etiam illud Ovid. Remed. am. 337. Durius incedit: fac inambulet. quod ad paragr. proxime sequentem referendum videtur.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur — 1.°) De rebus pro rudi modo, inepte, sine arte. — a) Duriter apud Lucret. 5. 1430. Atque extra numerum procedere membra moventes Duriter. h. e. rudi modo, sine arte. Cic. 4. Herenn. 10. 15. Nova aut prisca verba, aut duriter aliunde translata. Gell. 17. 10. ad fin. Globos quoque flammarum, quos ille κρουνούς dixerat, duriter et ἀκύρως transtulit. — b) Dure apud Horat. 2. Ep. 1. 66. quædam nimis antique, pleraque dure Dicere. Quintil. 9. 4. 58. Vel dure inter se commissa (verba). Gell. 18. 11. Quædam a poetis ficta dure et rancide. — c) Compar. apud Horat. 2. Sat. 3. 22. quærere amabam, Quid sculptum infabre, quid fusum durius. h. e. ineleganter, et minus exprimendo lineamenta: scilicet contrarium τῷ spirantia mollius æra, apud Virg. 6. Æn. 848. Quintil. 9. 4. 117. Mutandus est casus, si durius is, quo cœperamus, feratur. Adde eumd. 8. 6. 24. et 9. 4. 15. — 2.°) De cultu vitæ est aspere, ut asper et attentus quæsitis apud Horat. 2. Sat. 6. 82. Hoc autem sensu occurrit duriter tantum apud Ter. Adelph. 1. 1. 20. Parce ac duriter se habere. Ubi Donatus: parce, ad servandum; duriter, ad laborem referendum est. Id. Andr. 1. 1. 47. Parce ac duriter vitam agere. ¶ 2. Transfertur ad animum, et significat aspere, severe, sine misericordia. — a) Duriter apud Ter. Adelph. 4. 5. 28. Factum a vobis duriter immisericorditerque. Ubi Donatus: quasi dura mente, id est inflexibili, et quod Græci dicunt ἀπηνῶς. Cæcilius apud Non. p. 512. 8. Merc. Educare aliquem duriter atque aspere. Adde alia apud eumd. ibid. — b) Sæpius Compar. occurrit. Cic. Ligar. 6. 17. Scelus tu illud vocas: alii errorem appellant: alii timorem: qui durius, spem, cupiditatem: qui gravissime, temeritatem. Id. 1. Att. 1. 4. Durius accipere hoc mihi visus est, quam vellem et quam homines belli solent. Id. 11. Fam. 27. 7. Malevolentia hominum facit, ut nonnulla durius, quam a te facta sint, proferantur. Id. 1. Brut. 3. extr. Nihil disserui durius, quum nominatim de C. Antonio decernerem. Cæs. 1. B. C. 24. Adeo esse perterritos nonnullos, ut suæ vitæ durius consulere cogantur. Seneca Ep. 8. Corpus durius tractandum est, ne animo male pareat. Tac. 3. Ann. 52. Ne princeps antiquæ parsimoniæ durius adverteret. Id. Agric. 16. Ne arroganter in deditos et ut suæ quoque injuriæ ultor durius consuleret. — c) Superl. Ulp. Dig. 17. 14. 1. Durissime punire. Capell. 8. p. 273. Vetitus ille ac durissime castigatus, demum risus, invasit. ¶ 3. Occurrit etiam pro improspere, adverse. Sueton. Tib. 14. Durius et contra prædicta cadentibus rebus.

DŪRĔO, es, ere, n. 2. duresco. Hujus verbi usus agnoscitur a *Prisciano* 8. p. 800. et 837. *Putsch.* et a *Servio* ad *Virg.* 1. *G.* 91., nullo tamen allato Latini scriptoris exemplo. — De præter. perf. *durui*, *V.* voc. seq.

DŪRESCO, rescis, rŭi, rescere, n. 3. *inchoat.* durus fio.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Itaque et Aquilonibus reliquisque frigoribus adjectis durescit humor. *Virg.* 8. *Ecl.* 80. Limus ut hic durescit. *Id.* 1. *G.* 72. campus. *Ovid.* 2. *Met.* 831. Oraque duruerant. *Id.* 8. *ibid.* 607. durescit corpus. *Tac. Germ.* 45. materia.

II.) Translate. *Quintil.* 10. 5. 16. Necesse est deteratur fulgor, et durescat articulus. *Id.* 2. 5. 21. In Gracchorum et Catonis lectione durescere. *h. e.* duræ et insuavi illorum dicendi rationi assuescere.

DŪRĒTA, æ, f. 1. *Sueton. Aug.* 82. Contentus hoc erat, ut insidens ligneo solio, quod Hispanico verbo *Duretam* vocabat, manus ad pedes alternis jactaret.

DŪRĔUS. *V.* DURIUS.

DŪRĬCORDĬA, tæ, f. durities cordis. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 4. et 13. *ex Deuteron.* 10. 16.

DŪRĬCŎRĬUS, a, um, adject. qui est duri corii. *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. ex *Cloatio.* Duricoriæ fici. *h. e.* durum corticem habentes.

DŪRICUS. *V.* DURIUS.

DŪRĬPES, pĕdis, adject. qui durum pedem habet. *Gloss. Cyrill.* Σκληρόπους, duripes.

DŪRĬTAS, ātis, f. 3. durities. Occurrit translate tantum apud *Cic. Orat.* 16. 53. Alii duritatem et severitatem quamdam verbis, et orationis quasi mæstitiam sequuntur. *Id. Senect.* 18. 65. Quanta in altero duritas, in altero comitas.

DŪRĬTER, adverb. *V.* DURE.

DŪRĬTĬA, æ, f. 1. et

DŪRĬTĬES, ēi, f. 5. Quod ad postremam hanc formam pertinet, Nominativus *durities* legitur apud *Cels.* 3. 24. et 6. 18.; Accusat. *duritiem* apud *Lucret.*, *Catull.*, *Plin. Paneg.* 82. et sæpe apud *Ovid.*; Ablat. *duritie* apud *Plin. Hist. nat.*, *Ovid.*, *Sueton.* et *Tac.* Horum nonnulla inferius afferuntur. *Forcellinus* cum veteribus libris Dativum *duritiei* legit apud *Cæs.* 6. *B. G.* 21.; ubi recentiores plerique omnes ex bonis Codic. leg. *duritiæ.* — Ceterum duritia, vel durities est duritas, duritudo (It. *durezza*; Fr. *dureté*; Hisp. *dureza*; Germ. d. *Härte*; Angl. *hardness, callousness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 4. 269. Duritiem penitus saxi sentimus in alto. *Catull.* 65. 50. ferri frangere duritiem. *Ovid.* 3. *Met.* 63. Loricæque modo squamis defensus et atræ Duritiā pellis, validos cute repulit ictus. At non duritiā jaculum quoque vincit eādem. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 15. 60. (212). Duritiæ lapillis similes. *Id.* 37. *ibid.* 11. 73. (189). Duritia adamantina. *Id.* 23. *ibid.* 7. 64. (126). Lac caprifici coactum in duritiam. ¶ 2. Speciatim apud Medicos, in corpore duritia est, ubicumque morbosum aliquid collectum est et in duritiam coactum. *Cels.* 5. 28. n. 11. Abscessus rubens cum calore et duritia. *Id.* 3. 24. Durities præcordiorum. *Sueton. Ner.* 34. Duritia alvi. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 77. (253). Duritiam ventris emollire. *Id.* 21. *ibid.* 18. 69. (115). discutere. *Id.* 25. *ibid.* 5. 22. (55). concoquere et purgare. *Id.* 22. *ibid.* 25. 68. (138). mitigare. *Id.* 27. *ibid.* 9. 57. (181). sanare. — Et in plur. numero. *Id.* 31. *ibid.* 3. 21. (31). Cisternæ alvo duritias facientes. *Alii tamen aliter omnino legunt.* *Id.* 23. *ibid.* 4. 47. (92). Collectiones omnes duritiasque lenire. *Id. ibid.* 1. 40. (82). Duritias diffundere. *Id.* 35. *ibid.* 15. 52. (189). Duritias cicatricum sanare. ¶ 3. Item speciatim, duritia vini est austerus vini sapor. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 7. 9. (74). Dulci admisto, vini duritia suavitatem accipit.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro asperitate vitæ et patientia in laboribus. *Cato* apud *Festum* p. 281. 22. *Müll.* Ego jam a principio in parsimonia atque in duritia atque industria omnem adolescentiam abstinui. *Plaut. Most.* 1. 2. 74. et *Truc.* 2. 2. 55. Parsimonia et duritia disciplinæ aliis eram. *Nepos Alcib.* 11. Sic duritiæ se dedisse, ut parsimonia victus atque cultus omnes Lacedæmonios vinceret. *Cæs.* 6. *B. G.* 21. A parvulis labori ac duritiæ student. *Cic.* 5. *Tusc.* 26. 74. Nec vero illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, consuetudinem patiendi, duritiam virilem. *Id. Partit. orat.* 23. 81. Nam et prudentiam malitia —, et fortitudinem audacia imitatur, et patientiam duritia immanis. *Justin.* 9. 2. 9. Scythas autem virtute animi et duritia corporis, non opibus censeri. Sic *Plin. Paneg.* 82. Duritia corporis et lacertorum. *h. e.* robur ac firmitas. *Tac.* 6. *Ann.* 34. Duritiæ et patientiæ insuescere. *duritiæ* hic ad corpus, *patientiæ* ad animum refertur. — Duritia refertur etiam ad docendi severitatem et austeritatem præceptorum philosophiæ. *Cic.* 3. *Orat.* 17. 62. Ab Antisthene, qui patientiam et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cinici primum, deinde Stoici manaverunt. ¶ 2. Item pro severitate, acerbitate, animo qui nulla re flectitur aut mitigatur, adeoque pro ipso animi stupore. *Ter. Heaut.* 3. 1. 26. Timet, ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit. *Ovid. Heroid.* 2. 137. Duritie ferrum ut superes adamantaque teque. *Id.* 1. *Trist.* 8. 46. Duritiæque mihi non agere reus. *Cic. Dom.* 36. 97. Eam animi duritiam, sicut corporis, quod, quum uritur, non sentit, stuporem potius, quam virtutem putarem. *Id. ibid.* 38. 101. An ego tantam aut animi duritiam habere, aut oculorum impudentiam possim, ut etc. *Forcell.* et *Orell.* leg. *duritiem.* — Huc referri potest et illud *Senecæ Const. Sap.* 17. Si ille hoc potuit duritia oris, qui assiduis conviciis depudere didicerat. *h. e.* impudentia. ¶ 3. Denique pro molesta rerum gravitate, quæ lædat atque premat. *Tac.* 1. *Ann.* 35. Angustias stipendii, duritiam operum (*militarium*) incusant. *Id.* 13. *ibid.* 35. Duritiam cæli militiæque multi abnuebant. *Id.* 1. *Hist.* 23. Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii atrocius accipiebantur. *Sueton. Claud.* 14. Duritiam lenitatemve legum moderari.

DŪRĬTĬŎLA, æ, f. 1. *deminut.* a duritia, parva durities. *Pelagon. Veterin.* 16. 17. Ad ossilagines, vel nervos crassos, vel ad rhagadia in nervis, aut si forte ab axe fuerit percussus (*equus*), aut tumor aliquis fuerit, aut duritiolam fecerit, sic curabis.

DŪRĬTŪDO, inis, f. 3. duritia. *Gell.* 17. 2. *ad fin.* Cato in L. Veturium, duritudinem, quam duritiam, dicere, gravius putabat. *Qui illius*, inquit, *impudentiam norat, et duritudinem.* Hæc eadem habet *Non.* p. 100. 21. *Merc.*

DŪRĬUS vel durĕus, a, um, adject. δούρειος vel δουράτεος, idem quod durateus, hoc est ligneus; a δόρυ *lignum.* *Aurel. Vict. Orig. gentis R.* 1. E qua illud in secundo Æneidos, de enumeratione eorum, qui equo durio digrediebantur. *Paul. Diac.* p. 52. 12. *Müll.* Epeus nomen cujusdam fabri, qui equum dureum fecit. *Al. leg.* durium. Hinc poetice *Val. Flacc.* 2. 573. manet immutis nox duria lustris. *h. e.* in qua equus ligneus Græcorum (qui δούρειος ab *Aristophane* dicitur in *Avib.* v. 1128.) viros edidit, qui Trojam exscidere. Alii apud *Val. Flacc.* leg. *durica* eodem sensu eademque vocis origine: alii vero plerique *Dorica.*

DŪRĬUSCŬLUS, a, um, adject. *Comp. deminut.* a durus. *Plin. Hist. nat. præfat.* 1. Ille enim (*Catullus*) permutatis prioribus Sætabis duriusculum se fecit. Alter *Plin.* 1. *Ep.* 16. Inseruit data opera mollibus levibusque duriusculos quosdam versus.

DŪRO, as, āvi, ātum, are. a. 1. Part. *Durans* sub *B.* II. 1. et 2.; *Duratus* sub *A.* I. et II. 1.; *Duraturus* sub *A.* II. 2. — Duro est durum, solidum, firmum facio (It. *indurare, far duro*; Fr. *durcir, rendre dur*; Hisp. *endurar, endurecer, poner dura y solida alguna cosa*; Germ. *hart machen, abharten*; Angl. *to harden, make hard, indurate*). Usurpatur autem *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 2. 411. Denique quæ nobis durata ac spissa videntur, etc. *Liv.* 21. 11. Cæmenta durata calce. *Horat.* 3. *Od.* 24. 39. Durateque solo nives. *Id.* 2. *Sat.* 4. 72. Uvam fumo durare. *Ovid.* 4. *Met.* 576. Duratæ cuti increscunt squamæ. *Id.* 4. *Pont.* 9. 85. cóit duratus frigore pontus. *Curt.* 3. 2. *ad fin.* Hastæ igne duratæ. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 11. Annicula mula montibus, aut feris locis pascitur, ut ungulas duret. *Apul.* 1. *Met.* Saga et divina, potens fontes durare, montes diluere. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 15. 43. (149). Ferrum accensum igni, nisi duretur ictibus, corrumpitur. *Id.* 6. *ibid.* 30. 35. (195). Locustæ igne et sale duratæ. *Id.* 29. *ibid.* 3. 11. (45). Durata in aqua ova. *Val. Flacc.* 7. 364. Stygiis durata fontibus harpe. *Tibull.* 4. 1. 156. Tellus durata in glaciemque nivemque. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (94). Guttæ durabantur in grana. — *b*) Speciatim in re medica *durare* est idem quod adstringere, et *mollire* opponitur. *Cels.* 2. 14. Frictione, si vehemens sit, durari corpus, si lenis, molliri. Sic *Id.* 2. 33. Quæ vehementer et reprimunt et refrigerant, durant; quæ autem calefaciunt et digerunt, ea emolliunt. — *c*) Item speciatim *durare* dicuntur fullones, qui vestes calcando cogendoque conciliant. Hinc apud *Plaut. Asin.* 5. 2. 57. quum dixisset mulier afflicta, *non queo durare*; subdit Parasitus: Si non didicisti fullonicam, non est mirandum.

II.) Translate. ¶ 1. Durare est assuefacere labori ac malis, corroborare, confirmare, firmum reddere. *Plaut. Pseud.* 1. 6. 6. CA. Quid opus est? PS. Potin' aliam rem ut cures? CA. At. PS. Bat. CA. Crucior. PS. Cor dura. CA. Non possum. PS. Fac possis. Cf. *Phædr.* 2. *Epil.* 18. Fatale exitium corde durato feram. *Lucret.* 5. 1358. Atque ipsi potius durum sufferre laborem, Atque opere in duro durarent membra manusque. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Hoc se labore durant adolescentes. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 119. simul atque duraverit ætas Membra animumque tuum, nabis sine cortice. *Virg.* 3. *G.* 257. Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durant. *Liv.* 7. 29. *ad fin.* Ab duratis usu armorum posse. *Id.* 38. 17. *ad fin.* Durati tot malis et exasperati. *Id.* 42. 52. Tot subacti atque durati bellis. *Id.* 30. 28. Exercitus duratus omnium rerum patientia. *Vellej.* 2. 78. Cæsar crebris expeditionibus, patientia periculorum, bellique experientia durabat exercitum. *Colum.* 1. *R. R. præfat. circa med.* Duratus laboribus. *Tac.* 3. *Ann.* 15. Quod reus postquam sibi exitiale intelligit, an adhuc experiretur dubitans, hortantibus filiis durat mentem senatumque rursum ingreditur. Sic *Albinov.* 1. 197. Iratus vota insuscepta reliquit, Duravitque animum. *h. e.* obfirmavit. ¶ 2. Hinc morali sensu *durare* est obfirmare, vitiis assuefacere, insensibilem reddere. *Horat. Epod.* 16. 65. Ære (*al.* Ærea, *sed minus recte*), dehinc ferro duravit secula. *Tac.* 4. *Hist.* 59. Nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba ultra suppeditavere, quam ut sacramentum recitaret. *Quintil.* 1. 1. 37. Multa linguæ vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur. *Id.* 1. 3. 14. Qui objurgatione non corrigitur, is etiam ad plagas, ut pessima quæque mancipia, durabitur.

B) Neutrorum more.

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Ecl.* 35. Tum durare solum et discludere Nerea ponto. *h. e.* durum fieri. *Heynius* interpretatur *orbis mundi cœpit durare* etc.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe sumitur pro obfirmari, obdurari, tolerare, patienter ferre, quasi consuetudine et diuturnitate durus factus sit animus et mala non sentiat: cf. sub *A.* II. 1. — *a*) Sæpe occurrit *nequeo durare* aut aliquid simile, et est nequeo tolerare, sufferre. *Plaut. Amph.* 3. 2. 1. Durare nequeo in ædibus. Adde *eumd. Men.* 5. 2. 31. et *Merc.* 3. 1. 50. Sic *Id. Truc.* 2. 3. 5. Non quis parumper durare, opperirier? DI. Quin hercle lassus jam sum durando miser. *h. e.* exspectando. Et *Ter. Adelph.* 4. 2. 15. Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest. — Et sequente part. *quin*, *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 34. Durare nequeo, quin eam intro. Adde *eumd. Curc.* 1. 3. 19. Similiter *Sueton. Claud.* 26. Nec durare valuit, quin de conditionibus continuo tractaret. — *b*) Generatim. *Liv.* 5. 2. Militem Romanum, in opere ac labore, nivibus pruinisque obrutum, sub pellibus durare. *Id.* 10. 46. Nives jam omnia oppleverant, nec durari extra tecta potest. *Id.* 23. 18. Exercitus adversus omnia humana sæpe ac diu durans. *Virg.* 1. *Æn.* 211. Durate, et vosmet rebus servate secundis. *Id.* 9. *ibid.* 604. sævoque gelu duramus et undis. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 82. Idem eadem possunt horam durare probantes? *Propert.* 1. 6. 11. His ego non horam possum durare querelis. *Ovid.* 3. *Amor.* 11. 27. His, et quæ taceo, duravi sæpe ferendis. *Quintil.* 11. 3. 23. In sudata veste durandum. — Et poetice cum addito Accusativo. *Horat.* 1. *Od.* 14. 6. ac sine funibus Vix durare carinæ Possunt imperiosius æquor. *h. e.* perferre, sustinere. *Virg.* 8. *Æn.* 577. patiar quemvis durare laborem. *Val. Flacc.* 7. 338. heu! primo potes hoc durare sub ævo? *Stat.* 5. *Silv.* 2. 153. Durabis quascumque vias, vallumque subi-

bis. Similiter *Pallad.* 3. *R. R.* 9. 1. Piano igitur loco statues vitem, cujus genus nebulas sustinet et pruinas; collibus, quod siccitatem durat et ventos. — c) *Durare alicui aliquid* pro perseverare occurrit apud *Plin.* 5. *Ep.* 16. 5. Duravit hic (*vigor animi*) illi (*puellæ*) usque ad extremum, nec aut spatio valetudinis, aut metu mortis infractus est. Similiter *Id.* 4. *ibid.* 16. 1. Adhuc honor studiis durat. Et *Vellej.* 2. 85. Illis, etiam detracto capite, in longum fortissime pugnandi duravit constantia. ¶ 2. Frequenter etiam refertur ad tempus, et ponitur pro superstitem esse, persistere, permanere. — a) Cum addito tempore, quo quid durat. *Plaut. Trin.* 2. 2. 13. Lacrimas hæc mihi eliciunt, quia ego ad hoc genus hominum duravi. *h. e.* vixi usque ad hoc genus hominum. *Lucret.* 3. 604. Non modo non omnem possit (*corpus*) durare per ævum, Sed minimum quodvis nequeat consistere tempus? *Id. ibid.* 338. corpus per se nec gignitur unquam, Nec crescit, nec post mortem durare videtur. *Virg.* 2. *G.* 100. totidem durare per annos. *Liv.* 1. 9. Res Romana hominis ætatem duratura erat. *Quintil.* 1. 2. 20. Durare ad senectam usque. *Id.* 3. 1. 21. ad posteros. *Tac.* 3. *Ann.* 16. nostram ad juventam. *Justin.* 2. 4. 32. usque tempora Alexandri M. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 76. (196). centenis annis. *Id.* 31. *ibid.* 9. 45. (98). per sæcula. *Vellej.* 2. 79. In tantum duravit odium, ut etc. — b) Absolute. *Plaut. Asin.* 1. 3. 44. Si ea (*talenta*) durarent mihi. *Ovid. Heroid.* 1. 49. Si maneo, qualis Troja durante manebam. *Lucan.* 4. 52. Non duraturæ conspecto sole pruinæ. *Sueton. Ner.* 38. Quidquid memorabile ex antiquitate duraverat. *Id. Tib.* 6. Munera, quibus a Pompeja Sext. Pompeji sorore in Sicilia donatus est, durant, ostenduntur que adhuc Baiis. *Tac. Agric.* 11. Durante originis vi. *Petron. Satyr.* 96. Ego, durante adhuc iracundia, non continui manum. — c) Interdum dicitur etiam de spatio, quod continuum extenditur. *Tac. Germ.* 30. Non ita effusis ac palustribus locis, ut ceteræ civitates —; durant siquidem colles, paullatim rarescunt. — d) Cum infinito. *Lucan.* 4. 519. Victurosque dei celant, ut vivere durent, Felix esse mori. *Petron. Satyr.* 41. Postquam itaque omnes bacalusias consumpsi, duravi interrogare illum interpretem meum, quid me torqueret. Cf. *Sil. It.* 10. 653. miranti durarunt prodere Pœno. Et *Id.* 11. 75. Romuleis durastis, ait, succedere muris? *h. e.* ausi estis. Hæc duo tamen postrema ad paragraphum proxime sequentem rectius referas. ¶ 3. Morali significatione ponitur pro obtundi, insensibilem esse. *Tac.* 1. *Ann.* 6. In nullius unquam suorum necem duravit. *Id.* 11. *ibid.* 1. Usque ad cædem ejus duratura filii odia. *Quintil.* 9. 2. 88. Pater non durat ultra pœnam abdicationis. *Petron. Satyr.* 105. Cujus tam crudeles manus in hoc supplicium durassent? *h. e.* insensibiles factæ essent ad tantam crudelitatem.

DŪRUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, quidam putant esse a δοῦρον *lignum.* — Comp. *Durior* et Sup. *Durissimus* in omnibus fere paragr. — Durus est solidus, firmus (It. *duro*; Fr. *dur*; Hisp. *duro*; Germ. *hart*; Angl. *hard, solid*).

I.) Proprie dicitur de iis, quæ in tactum, gustum et auditum agunt. — a) Sic generatim de iis, quæ in tactum agunt. *Lucret.* 2. 449. duri robora ferri. *Id.* 6. 1192. cavati oculi; cava tempora; frigida pellis Duraque. Sic *Virg.* 3. *G.* 501. aret Pellis, et ad tactum tractanti dura resistit. *Id.* 4. *Æn.* 366. Duræ cautes. *Id.* 6. *ibid.* 471. silex. *Horat.* 3. *Od.* 11. 31. ferrum. *Id.* 4. *ibid.* 4. 57. bipennes. *Id. Epod.* 4. 4. compes. *Id. ibid.* 5. 30. ligones. *Id.* 1. *Sat.* 1. 28. aratrum. *Ovid.* 1. *Met.* 105. dumeta. *Id.* 2. *ibid.* 418. gallina. *Id.* 8. *ibid.* 805. cutis. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 47. (99). Fungi, qui in coquendo duriores fiunt. *Id.* 26. *ibid.* 8. 30. (48). Ladanum durissimum tactu. *Colum.* 3. *R. R.* 11. 7. Durissimus tophus. — Huc pertinent et illa *Horat.* 2. *Sat.* 4. 27. Dura alvus. *h. e.* alvus astricta, venter astrictus. Apud *Cels.* 6. 18. *n.* 9. est dura alvus, quæ dura excernit. *Ovid.* 2. *Amor.* 9. *extr.* Durior oris equus. *Juvenal.* 3. 170. Durus cucullus. *h. e.* crassa materia constans. *Cels.* 2. 30. Dura aqua. *h. e.* quæ tarde putescit, ut *Id. ibid.* docet. — Absolute *durum* in vite est materia ætate jam indurata et robusta, ut truncus et vetus sarmentum, cui opponitur viridis et tenella. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 29. et alibi. — b) De iis, quæ in gustum agunt. *Cato R. R.* 150. *ad fin.* Vinum atrum durum. Sic *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 5. Suave vinum de duro fieri docent, si etc. Et *Virg.* 4. *G.* 102. Durus Bacchi sapor. *h. e.* vinum asperrimum. *Seren. Sammon.* 3. 40. et 20. 331. Durum acetum. *Colum.* 12. *R. R.* 6. 1. Dura muria. *h. e.* salsissima, atque adeo diu durans. — c) De iis, quæ in auditum agunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 58. 146. Dura vox. *h. e.* quæ non flectitur. *Id.* 1. *Nat. D.* 34. 95. Sive *beatitas*, sive *beatitudo* dicenda est: utrumque omnino durum; sed usu mollienda nobis verba sunt. *Quintil.* 8. 3. 32. Dura verba. *Id.* 8. 6. 62. oratio. *Id.* 9. 4. 142. compositio. *Id.* 11. 3. 35. consonantes. *Id.* 12. 10. 30. syllabæ.

II.) Translate: ad rem *Seneca Ep.* 58. *ante med.* Ingenium durum. *h. e.* tardum, aut aridæ venæ. Et *Quintil.* 11. 2. 48. Dura memoria. *h. e.* quæ res difficile complectitur et servat. — Hinc ¶ 1. Dicitur de animo ac præcipue de ingenii cultura, et quidem in malam partem; et est rudis, impolitus, sine arte. — a) Generatim. *Cic.* 4. *Fin.* 28. 78. Stoici horridiores, asperiores, duriores et oratione et moribus. *Id. Brut.* 31. 117. Ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus. *Id.* 14. *Att.* 20. 3. Atilius, poeta durissimus. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 8. Lucilius durus componere versus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (137). Nicophanes pictor durus in coloribus. Cf. *Ovid.* 3. *Fast.* 517. Et ducunt posito duras cratera choreas. *h. e.* rudes, sine arte. — b) Speciatim apud Rhetores *dura* dicuntur quæ *mollibus* opponuntur. *Cic. Orat.* 15. 40. Aut molliet dura, aut occultabit quæ dilui non poterunt. *Quintil.* 8. 6. 65. Rectum erat, sed durum et incomptum. ¶ 2. Item de animo, sed in bonam partem, et est idem ac *fortis*, seu qui laboris et malorum patiens est, eaque minus sentit vel consuetudine, vel natura. *Cic.* 1. *Tusc.* 43. 102. Fortes et duri Spartiatæ. *Liv.* 27. 48. Ligures, durum in armis genus. *Virg.* 3. *Æn.* 94. Dardanidæ duri. *Horat.* 2. *Od.* 12. 2. durus Hannibal. *Id.* 4. *ibid.* 14. 50. Iberia. *Id.* 1. *Sat.* 7. 29. vindemiator. *Id. Epod.* 3. 4. dura messorum ilia. *Ovid.* 5. *Trist.* 5. 51. Ulysses. *Id.* 3. *Met.* 584. juvenci. Cf. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (72). Nisi quod inter omnia auri fames durissima est. *V.* integrum loc. — Sic durus est qui parco ac tenui victu cultuque utitur, apud *Ovid.* 3. *Art. am.* 109. Si fuit Andromache tunicas induta valentes, Quid mirum? duri militis uxor erat. ¶ 3. Morali significatione durus est crudelis, immitis, asper, rigidus, qui nulla re flectitur. *Ter. Adelph.* 1. 1. 39. Nimium ipse est durus. *Id. Heaut.* 3. 1. 50. Satis jam, satis pater durus fui. *Id. Phorm.* 3. 2. 12. Adeon' ingenio esse duro te atque inexorabili, ut neque misericordia, neque precibus molliri queas? *Id. Heaut.* 4. 1. 52. Duro animo esse. *Cic. Amic.* 13. 48. Virtutem duram et quasi ferream esse quamdam volunt. *Id.* 7. *Verr.* 46. 121. Quis tam fuit durus et ferreus, quis tam inhumanus? *Id. Arch.* 8. 17. Quis tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte non commoveretur? *Id. Orat.* 43. 148. Quis tamen se tam durum agrestemque præberet, qui hanc mihi non daret veniam? Cf. *Anton.* ad *Cic. post ep.* 13. *l.* 11. *ad Att.* Duriorem se præbere miseræ et afflictæ fortunæ alicujus. Rursus *Cic.* 2. *ad Brut.* 7. *sub fin.* Si cui parcimus, duri fuimus in Dolabella. *Id.* 2. *Fin.* 19. 62. Varius, qui habitus est judex durior. *Id.* 2. *Off.* 14. 50. Duri hominis, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. *Virg.* 1. *G.* 63. Unde homines nati, durum genus. *Id.* 5. *Æn.* 730. gens dura atque aspera cultu. Cf. *Id.* 3. *G.* 258. Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem Durus amor? *Horat.* 1. *Od.* 35. 34. Quid nos dura refugimus ætas? *Id.* 4. *ibid.* 1. 7. Flectere mollibus jam durum imperiis. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 166. Duro vultu lacrimas alicujus aspicere. *Plin.* 2. *Ep.* 10. Hominem te patientem, vel potius durum ac pæne crudelem, qui tam insignes libros tam diu teneas. — Huc pertinet et *durus ad aliquid*, h. e. qui alicujus rei nulla delectatione capitur, apud *Cic. Arch.* 9. 19. Ipsi illi C. Mario, qui durior ad hæc studia videbatur, jucundus fuit. — *Forcellinus* huc retulit etiam illud *Cic.* 1. *Off.* 35. 129. Ne quid effeminatum, aut molle, et ne quid durum, aut rusticum sit. *Hæc tamen ad superiorem paragr.* 1. *rectius fortasse referenda.* Item illud *Virg.* 2. *G.* 369. Dura imperia exercere *quod ad paragr.* 5. *pertinere videtur.* — Huc tamen referri possunt *oscula non dura*, hoc est mollia, lasciva, apud *Ovid. Heroid.* 16. 223. Oscula quam vero curam non dura daretis. Et 1. *Art. am.* 668. Neve queri possit (*amica*) dura (*oscula*) fuisse, cave. ¶ 4. Speciatim os *durum* est impudens apud *Ter. Eun.* 4. 7. 36. Sic *Ovid.* 5. *Met.* 451. duri puer oris et audax. *Cic. Quinct.* 21. 77. Mihi videri ore durissimo esse, qui etc. — Sic *durus homo*, qui duri est oris. *Cæs.* 3. *B. C.* 20. Atque ipsis, ad quorum commodum pertinebat, durior inventus est Cælius. ¶ 5. Sæpe de inanimis dicitur, et est qui lædit, calamitosus, adversus, noxius, asper, molestus, difficilis, laboriosus, arduus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 12. Dura opulento homini servitus. *Id. Men.* 5. 2. 119. Morbus acer ac durus. *Id. ibid.* 6. 10. Durum frigus. *Id. Merc.* 4. 6. 1. Lege dura vivunt mulieres. *Ter. Phorm.* 1. 2. 22. O Geta, provinciam cepisti duram. *Id. Adelph.* 5. 1. 5. Duram vitam vivere. *Lucret.* 3. 461. Durus labor. *Id. ibid.* 484. causa. *Cæs.* 7. *B. G.* 8. Durissimo tempore anni. *Id.* 7. *B. G.* 10. Ne ab re frumentaria, duris subvectionibus, laboraret. *h. e.* difficillimis. *Cic. Rabir. Post.* 6. 15. Providete, ne duriorem vobis conditionem statuatis. *Id. Dom.* 6. 15. Annona in reditu meo facta erat durior. *Id. Brut.* 79. 274. Durum verbum. *Id.* 1. *Off.* 12. 37. nomen. *Id.* 1. *de republ.* 44. servitus. *Id.* 12. *Fam.* 25. *extr.* De Cn. Minucio rumores duriores erant. *Auct. B. Alex.* 14. et 25. Si durior accidisset casus. *Liv.* 34. 5. Ut legem latam per bellum temporibus duris, in pace et florente ac beata republica abrogaretis. *Id.* 45. 30. Frigida hæc omnis duraque cultu et aspera plaga est. *Virg.* 5. *Æn.* 5. Duri dolores. *Horat.* 4. *Od.* 9. 49. pauperies. *Id.* 1. *Sat.* 2. 6. fames. *Id.* 2. *Od.* 13. 27. dura navis, Dura fugæ mala, dura belli. *Ovid.* 13. *Met.* 29. duri munera belli. *Id.* 4. *ibid.* 307. venatus. *Id. Heroid.* 7. 106. viæ. — *Duras dare* est ellipsis pro *duras contumelias*, vel *lites*, vel *partes*. *Ter. Heaut.* 2. 1. 22. Immo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit. Simile est illud *ejusd. Eun.* 2. 3. 62. Duras fratris partes prædicas. Hinc *Anton.* inter *epist. Cic.* 10. *Att.* 8. Quod judicabam duriores partes mihi impositas esse ab offensione tua. — Eadem significatione sæpe occurrit *durum* et *dura* absolute, substantivorum more. *Ter. Phorm.* 2. 1. 8. DE. Etiamne id lex coegit? PH. Illud durum. GE. Ego expediam. *Horat.* 1. *Od.* 24. 19. Durum: sed levius fit patientia Quidquid corrigere est nefas. *Id.* 1. *Sat.* 9. 42. ego, ut contendere durum Cum victore, sequor. *Quintil.* 11. 1. 85. Quid enim crudelius, quam homines honestis parentibus ac majoribus natos, a republica summoveri? Itaque durum id esse summus ille tractandorum animorum artifex confitetur. Adde *eumd.* 9. 2. 92. et 12. 1. 36. *Virg.* 8. *Æn.* 522. Multaque dura suo tristi cum corde putabant. *Horat.* 1. *Od.* 18. 3. Siccis omnia nam dura deus proposuit. Adde *eumd.* 2. *Ep.* 1. 141. *Ovid.* 9. *Met.* 544. ego dura tuli. *Seneca Œdip.* 208. Ubi læta duris mixta in ambiguo jacent. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. Hi, si quid erat durius, concurrebant. Cf. *Id.* 5. *ibid.* 29. et 3. *B. C.* 94. — Hinc

Durum, i, vel

Dura, absolute, substantivorum more, *V.* supra sub I. et sub II. 5.

Durum, adverbii vice positum. *Martial.* 3. 89. Utere lactucis et mollibus utere malvis: Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes. *V.* NITOR, eris.

DŪSARĪA, ōrum, n. plur. 2. festa in honorem Bacchi, qui apud Arabas Dusares vocabatur, unde Dusare, teste *Steph. Byz.*, vocatus est locus editus Arabiæ. *Hesych.* Δουσάρην ὀνομάζουσιν τὸν Διόνυσον Ναβαταῖοι. *Tertull. Apolog.* 24. Unicuique etiam provinciæ et civitati suus deus est, ut Syriæ Astarte, ut Arabiæ Dusares, ut Noricis Belenus. *Nummus* Latinus coloniæ Germenorum apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. *p.* 178. COL. GERMENORVM ACTIA DVSARIA. *Alius* Græcus coloniæ Bostranorum *ibid. p.* 501. Ἄκτια Δουσαρια. In utroque typus est torcularis, quod ad Bacchum vindemiæ præsidem respicit. *Inscript.* apud *Donat.* 56. 6. DVSARI SACRVM.

DŪSARĪTIS MYRRHA, est quædam myrrhæ species, cujus meminit *Plin.* 12. *Hist. nat.* 16. 36. (69). Recte *Sillig* ad h. l. adnotavit: «*Dusaritim* Hard. tacite; et videtur hoc nomen hucem accipere ex *Stefano Biz.*, qui s. v. Δουσάρη ait: Εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ Δουσάρου· θεὸς δὲ οὗτος παρὰ Ἄραψι καὶ Δαχαρηνοῖς τιμώμενος.» Affert deinde glossam *Hesych.*, quam *V.* in voc. præced.

DUSĬI, ōrum, m. plur. 2. *Isid.* 8. *Orig.* 11. *in fin.* Quos dæmones (Latini *incubos*) Galli dusios nuncupant. Sic apud *Augustin.* 15. *Civ. Dei* 23. Dusii Gallorum lingua sunt dæmones incubi, Silvanis et Faunis similes.

DUSMŌSUS et

DUSMUS. *V.* DUMOSUS.

DUSSIS, is, m. 3. nomen ejusdem formæ ac *decussis*, et significat duos asses. *Priscian. de ponder.* p. 1356. *Putsch.* Duo asses, dussis, dupondius: tressi, quadrussis, decussis, etc. *Priscian.* tamen nullo id auctore confirmat.

DŪUMVIR, viri, m. 2. In Genitivo plur. habet fere *duumvirûm*: et natura sua sæpissime in plur. num. occurrit. — Etiam disyllaba vox esse potest, ut in *Inscript.* apud *Bimard.* in *præfat.* ad *Murat. Inscr. T.* 1. *p.* 20. FLAMEN ITEM DVVMVIR, QVAESTOR AERARIQVE MAGISTER, VERVS AD AVGVSTVM LEGATO (*lege* legati) MVNERE FVNCTVS. — Quod ad scriptionem attinet — Legitur et *duovir*. In *Cenotaph. Pis. C. Cæsaris* apud *Noris.* VTIQVE CVM PRIMVM PER LEGEM COLONIAE DVO VIROS CREARE ET HABERE POTVERIMVS, II DVO VIRI, QVI PRIMI CREATI ERVNT etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 152. 2. M. ARRIVS M. F., M. SENTIVS M. F. DVOVIRI DE SVO VIAM FACIVNDam ET REFICIVNDam COERAVERVNT. Adde *aliam* apud *eumd.* 168. 6. Et in singulari apud *eumd.* 115. 5. C. OFILLIO. SEX. F. GAL. DVO VIRO ITERVM QVINQVENNALI. — Etiam *duomvir* antiquo more legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 394. 5. T. COMINVS T. F. DVOMVIR, AEDILIS, INTERREX. *Alia* apud *eumd.* 43. 5. DVOMVIREI DE SENATVS SENTENTIA AEDEM HERCVLI FACIVNDAM COERAVERE. Eadem apud *Nibby Viagg. antiq. T.* 2. *p.* 209. habet *duomvires* pro *duomvirei*. *Alia* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 62. C. TVCCIVS L. F. VOT. DVOMVIR. — Ceterum *duumvir* fuit unus ex magistratu duorum virorum, a *duo* et *vir*, quod duo viri in eo officio essent. Varii generis *duumviri* fuerunt apud Romanos: — *a*) Omnium antiquissimi, qui perduellionem judicare jussi sunt, cum nempe quis parricidium patrasset, aut seditiones excitasset, vel magistratibus vim intulisset, vel regnum affectasset. Hujusmodi judicium instituit rex Tullus Hostilius an. U. C. 85., ante Chr. n. 669., cum Horatius post tres Curiatios fratres devictos sororem suam interfecisset. *Liv.* 1. 26. Duumviros, qui Horatio perduellionem judicent, secundum legem facio. *Id.* 6. 20. *de M. Manlio.* Sunt qui per duumviros, qui de perduellione anquirerent, creatos, auctores sint damnatum. *Cic. Rabir. perduell.* 1. 12. Hic popularis (*Labienus*) a duumviris, injussu vestro, non judicari de cive Romano, sed indicta causa civem Romanum capitis condemnari coegit. Adde *Sueton. Cæs.* 12.; et V. *Göttlings röm. Staatsverf. p.* 159. et 474.; et *Klotz* ad *Cicer. Oration. vol.* 2. *p.* 818. — *b*) His nobiliores fuerunt *duumviri sacrorum*, vel *sacris faciundis*, qui oracula Sibyllina custodiebant et interpretabantur, et sacrarum cæremoniarum antistites erant: hos a Tarquinio Superbo institutos fuisse docet *Dionys. Halic. l.* 4. *c.* 62. *Liv.* 3. 10. Libri per duumviros sacrorum aditi: pericula a conventu alienigenarum prædicta. *Id.* 6. 37. narrat, an. U. C. 384. tribunos pl. novam rogationem promulgasse, ut pro duumviris sacris faciundis decemviri crearentur, ita ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret: quod factum tribus post annis ait *Id. ibid.* 42. Postea Sulla, qui et reliquorum sacerdotiorum numerum auxit, aliis quinque additis pro decemviris quindecimviros instituisse putatur. *V.* QUINDECIMVIR. — *c*) *Duumviri navales* erant, qui classis ornandæ reficiendæque causa interdum creabantur. *Liv.* 9. 30., 40. 18. et 41. 1. — *d*) Fuerunt præterea alii *duumviri*, ut aquæ perducendæ, *Frontin. Aquæd.* 6., ædi sacræ faciendæ aut locandæ, *Liv.* 7. 28. et 22. 33., item dedicandæ, *Id.* 2. 42. et 35. 41. etc. Sed dedicationis causa vel unus tantummodo creabatur, qui nihilominus appellabatur *duumvir*, vel si duo, unus tantummodo adhibebatur, ut est in modo citatis *Livii* locis. Item apud *eumd.* 2. 42., 6. 5., 34. 53., 35. 41. et 36. 36.: in quibus propterea locis singularis numerus occurrit. — *e*) *Duumviri* vero, vel *duumviri juri dicundo* (vel *jure dicundo* ut in *Inscript.* apud *Orell.* 3807., vel denique *juris dicundi* ut in *Inscript.* apud *Gruter.* 375. 2.), vel *duumviri præfecti juri dicundo*, vel *duumviri quinquennales* appellatus fuit magistratus in coloniis et municipiis, qui summo loco civitati præerat, et res publicas administrabat: hi similes fuerunt consulibus Romæ, eligebanturque ex corpore decurionum: eorum munus annuum plerumque, aliquando semestre erat. *Cavedoni, Marm. Moden. p.* 221. putat *duumviros* ἁπλῶς alios fuisse a *duumviris jure dicundo*; eosdem vero primarium fuisse magistratum, ut consules Romæ, posteriores vero similes prætoribus Romanis. *V.* hac de re etiam *Marin. Frat. Arv. p.* 180., in *Bullett. archeol. a.* 1847. *p.* 95., *Göttlings röm. Staatsverf. p.* 112., et *Klotz* ad *Cicer. Oration. vol.* 3. *p.* 926. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 34. 93. Cum venissem Capuam coloniam, deductam L. Considio et Sex. Saltio, quemadmodum ipsi loquebantur, prætoribus: nam primum, id quod dixi, cum ceteris in coloniis *duumviri* appellentur, hi se prætores appellari volebant. *Cæs.* 1. *B. C.* 30. Duumviris municipiorum omnium imperat, ut naves conquirant, Brundusiumque deducendas curent. *Inscript.* mendosa apud *Murat.* 1116. 6., hic vero emendata ex ipso lapide, qui in villa Quiriniana prope Patavium extat: T. FLAVIO T. FILIO TROmentina AGRICOLAE DECVRIONI COLONIÆ SALONITANÆ, AEDILI, IIVIRO IVRE DICVNDO, DECVRIONI COLONIÆ AEQVITATIS, IIVIRO *quinquennali* etc. *Alia* apud *Gruter.* 195. 4. L. FABIVS L. F. GAL. RVFINVS IIVIR PRAEF. IVR. DIC. AB DECVRIONIBVS CREATVS.

DŪUMVĪRA, æ, f. 1. uxor duumviri. Vox est cadentis Latinitatis, quam exhibet *Inscript.* apud *Renier.* 3914. MESSIA CASTVLA DVVMVIRA AMITA EIVS.

DŪUMVĪRĀLĬCĬUS, a, um, adject. ad duumviros pertinens. *Duumviralicius vir* est qui duumviratum gessit, idem ac duumviralis. *Inscript.* Canusina apud *Fabrett. p.* 598. *n.* 9.

DŪUMVĪRĀLIS, e, adject. ad duumviratus munus pertinens. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 29. *n.* 129. GN. MVNATIVS M. F. PAL. AVRELIVS BASSVS FLAMEN PERPETVVS, DVVMVIRALI POTESTATE AEDILIS DICTATOR IIII. *Vellej.* 2. 19. In carcerem Minturnensium jussu duumvirali perductus est. *Inscript.* apud *Gruter.* 431. 1. SEX. LIGVRIVS SEX. FIL. GALERIA MARINVS SVMMVS CVRATOR C. R. (*h. e.* civium Romanorum) PROVINCIAE LVGD. Q. II. VIRALIB. (*h. e.* Lugdunensis, quæstor, duumviralibus) ORNAMENTIS SVFFRAGIO SANCTISSIMI ORDINIS HONORATVS II. VIR DESIGNATVS EX POSTVLATIONE POPVLI etc. — Hinc

Duumviralis, is, m. 3. absolute, substantivorum more, est idem ac duumviralicius, qui aliquando duumviratu functus est. *Ulp. Dig.* 50. 3. 1. Qui duumviratum gesserunt, et inter duumvirales antiquissimus quisque prior scribatur.

DŪUMVĪRĀLĬTAS, ātis, f. 3. idem ac duumviratus. *Imp. Constantin. Cod.* 5. 27. 1.

DŪUMVĪRĀTUS, us, m. 4. dignitas duumvirorum. *Plin.* 4. *Ep.* 22. 1. Hunc agonem Trebonius in duumviratu suo tollendum curavit. Adde *Ulp. Dig.* 50. 3. 1. *Inscript.* apud *Henzen.* 7175. Q. CLVVIO QVIR. MACRO OMNIBVS HONORIB. APVD SVOS FVNCT. CVI PRIMO OMNIVM IN DVMVIRATV SCHOL. ET STATVAS ORDO DECREVIT etc. Adde *alias* apud *eumd.* et *Orell.* 7121., 7050., 7049., 2530., 2533. etc.

DŪUMVĬRI, ōrum. *V.* DUUMVIR.

DUX, dŭcis, m. et f. 3. qui alium ducit, ductor (It. *guida, duce, condottiero*; Fr. *conducteur, guide*; Hisp. *conductor, guia*; Germ. *der Führer*; Angl. *a leader, guide, conductor*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) Masc. gen. *Cic.* 3. *Orat.* 17. 63. Auctor publici consilii, dux regendæ civitatis, sententiæ princeps in senatu. *Id.* 5. *Verr.* 21. 54. Dux isti quondam et magister ad despoliandum Dianæ templum fuit. *Id.* 10. *Fam.* 6. Præbere se auctorem, principem, ducem alicui. *Id.* 3. *Cat.* 9. 22. His ducibus hanc mentem voluntatemque suscepi. *Id. Amic.* 12. 42. Duces impietatis. *Id. Mur.* 23. 50. Dux et signifer calamitosorum. *Horat.* 1. *Od.* 7. 27. Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro. *Liv.* 9. 5. Illis non ducem locorum, non exploratorem fuisse. *Curt.* 5. 4. 11. Ducem in Persidem ferentis viæ Lycium civem fuisse. *Id. ibid.* § 27. Sibi quisque dux itineris coeperat fieri. *Id. ibid.* § 20. Duces itineris de captivis dati. *Ovid.* 6. *Met.* 324. Dare ducem cunti. *Id.* 4. *Trist.* 10. 119. Tu dux, tu comes es: tu nos abducis ab Histro. Sic *Id.* 1. *Pont.* 12. 23. Tu bonus hortator, tu duxque comesque fuisti. *Id. Remed. am.* 767. nisi dux operis vatem frustratur Apollo. — Et absolute pro duce itineris. *Liv.* 22. 13. 5. Ipse (*Hannibal*) imperat duci, ut se in agrum Casinatem ducat. Et *ibid.* § 7. Vocatum ducem percunctatur, ubi terrarum esset? — *b*) Femin. gen. *Virg.* 1. *Æn.* 368. dux femina facti. *Ovid.* 11. *Met.* 121. Cum duce Cumæa fallit sermone laborem. *Id.* 3. *ibid.* 12. Hac duce carpe viam. Sic *Val. Flacc.* 5. 396. Hac duce ferte gradus. *Flor.* 4. 11. Prima dux fugæ regina. *Stat.* 4. *Theb.* 778. Dux tarda. *Id.* 12. *ibid.* 226. vesana. — Et de abstractis. *Cic. Amic.* 5. 19. Natura, optima bene vivendi dux. *Id.* 1. *Fin.* 21. 71. Natura duce ac magistra. *Id.* 2. *Divinat.* 40. 83. Ad rem gerendam habere rationem ducem. *Id.* 1. *Tusc.* 12. 27. Mors claris viris dux in cælum solet esse. *Id.* 1. *Divinat.* 52. 118. Ad hostiam deligendam potest esse dux vis quædam sentiens. ¶ 2. Speciatim in re militari — *a*) Sæpe pro imperatore ponitur. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. Cujus legationis Divico princeps fuit, qui bello Cassiano dux Helvetiorum fuerat. *Id.* 2. *ibid.* 23. Omnes Nervii confertissimo agmine, duce Boduognato, qui summam imperii tenebat, ad eum locum contenderunt. *Id.* 7. *ibid.* 88. Sedulius dux et princeps Lemovicum. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 18. et 23. *Cic.* 1. *Orat.* 2. 7. Belli duces præstantissimi. *Nepos Arist.* 2. Pausanias, quo duce Mardonius erat fugatus. Cf. *Cic.* 7. *Verr.* 34. 89. Dux et præfectus classis. — *b*) Interdum vero *dux* cum *imperatore* jungitur, et minus est quam imperator. Ille enim est, quem penes summa belli et auspicia sunt: ille potest dux dici, quamvis ab imperatore secundus. *Cic. Flacc.* 12. 27. Utrum igitur hoc Græci statuent, aut ullæ exteræ nationes, an vestri prætores, vestri duces, vestri imperatores? *Id.* 3. *Off.* 26. 99. Atilius Regulus quum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xanthippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare. *Tac.* 3. *Hist.* 37. Quod consul rempublicam, dux imperatorem — prodidisset. — *c*) Duces et mari et terra dicuntur a *Nepot. Aristid.* 2. et *Timoth.* 2. θαλασσοκράτορες, ii scil. populi, ex quibus in bellis Græcorum duces dabantur exercitibus et universa Græcia comparatis. — *d*) De imperatore Romano. *Phædr.* 2. 5. Tum sic jocata est tanti majestas ducis, *h. e.* Tiberii. ¶ 3. Item speciatim ad bruta transfertur. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 22. qui sibi fidit, Dux regit examen, *h. e.*, ut *Porphyrion* ait ad h. l., imitatus regem apium se sequentium ducem. Cf. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 5. 4. (11). Apes rempublicam habent ac duces. *Ovid.* 1. *Fast.* 715. Dux lanigeri pecoris, *h. e.* aries. *Id.* 5. *Met.* 327. Duxque gregis, dixit, fit Juppiter, *h. e.* aries. *Id.* 8. *ibid.* 884. Armenti modo dux vires in cornua sumo.

DY

DȲAS, ădis, f. 3. δυάς, numerus binarius. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. et 12.; et *Augustin.* 4. *Confess.* 15.

DȲNĂMIS, is, f. 3. Græca vox δύναμις, vis, potestas. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 77. Quojus amatores olivi dynamin habent maximam, *h. e.* vim, seu copiam. *V.* OLIVINA. — Ab Arithmeticis vocatur *dynamis* numerus quadratus: cur vero, ipsos consule. *Arnob.* 2. 24. Percontare, quid sit cubus, aut dynamis, etc. *Capell.* 2. *p.* 26. *potestatem* vocat: Itali dicunt *la potenza*. *V.* POTESTAS. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

DȲNASTA *vel rectius Græca positione*

DȲNASTES, æ, m. 1. δυνάστης, qui dominatum in aliquo loco habet, princeps, dominus, regulus: intellige apud externas nationes: a δύναμαι *possum*. Dici autem videtur proprie de iis, qui non tam amplam habent dicionem, ut reges appellari mereantur. *Cic.* 11. *Phil.* 12. 31. Ceteri reges, tetrarchæ, dynastæque. Adde *eumd.* 2. *Att.* 9. *Cæs.* 3. *B. C.* 3. Magnam imperatam regibus omnibus et dynastis et tetrarchis pecuniam exegerat. *Nepos Ages.* 7. Munera ei ab regibus et dynastis civitatibusque conferrentur. *Id. Datam.* 2. Thyus dynastes Paphlagoniæ, regi dicto audiens non erat. *Id. ibid.* 3. hunc eumdem Thyum nobilem regem appellat: ex quo apparet, *dynastæ* nomine regem quoque significari posse.

DȲŌNȲMUS, a, um, adject. διώνυμος, duo habens nomina. *Priscian.* 2. *p.* 580. *Putsch.* Synonyma sunt, quæ, sicut diximus, diversis nominibus idem significant, ut *ensis, mucro, gladius*. In pro-

prlis quoque hanc vim habent dyonyma, vel trionyma, vel tetraonyma, ut *Publius Cornelius Scipio Africanus.*

DYOTA. *V.* DIOTA.

DYSCŎLUS, a, um, adject. δύσκολος, difficilis, morosus. Exstat hæc vox in *Not. Tir. p.* 163., ubi tamen mendose *discolis* legitur. At major est auctoritas *Vulgat. interpr.* 1. *Petr.* 2. 18. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.

DYSĀRESTĬUS, a, um, adject. δυσαρέστιος, cui placere difficulter possit, morosus. Est titulus operis Aristophontis Atheniensis. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 6. *a med.* Aristophontes Athenæus in libris, qui dysarestia nuncupantur, hanc fabulam (*scil.* de Psyche et Cupidine) enormi verborum circuitu discere cupientibus prodidit.

DȲSENTĔRĬA, iæ, f. 1. morbus intestinorum, quæ exulcerata sanguinem reddunt, torminibusque excruciant. *V. Cels.* 4. 15., qui tamen Græce usurpat, ut et *Cic.* 7. *Fam.* 26.; est enim a δὺς *male*, et ἔντερον *intestinum.* Latine *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (128). Si urat dysenteria. *Id.* 26. *ibid.* 8. 28. (45). Aizoi succus alvum sistit et dysenterias.

DYSENTERIACUS, a, um, adject. idem ac dysentericus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 180.

DȲSENTĔRĬCUS, a, um, adject. δυσεντερικός, ad dysenteriam pertinens. *Pallad.* 3. *R. R.* 31. Dysenterica passio. — Hinc

Dysentericus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui dysenteria laborat. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 55. (116). Mel datur in sorbitione dysentericis. Adde *eumd.* 26. *ibid.* 8. 28. (44). et 20. *ibid.* 9. 34. (86).; *Scribon. Compos.* 85.; *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 2. *c.* 18.; et *Firmic.* 4. *Mathes.* 8.

DȲSĔRŌS, ōtis, m. 3. δύσερως, infelix in amore. Græca vox a δὺς *male*, et ἔρως *amor. Auson. Epigr.* 92. 1. Suasisti, Venus, ecce, duas dyseros ut amarem.

DYSPEPSĬA, iæ, f. 1. δυσπεψία, ægra et difficilis ciborum concoctio, cruditas: a δὺς *male*, et πέπτω *coquo. Cato R. R.* 127. Ad dyspepsiam et stranguriam mederi malum punicum.

DYSPHŎRĬCUS, a, um, adject. δυσφορικός, infelix: item male patiens. *Firmic.* 8. *Mathes.* 12. Dysphorici ac miseri infeliciter moriuntur.

DYSPNŒA, æ, f. 1. δύσπνοια, spirandi difficultas. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 19. (33). Dyspnœæ medetur centaurium majus. *Id.* 23. *ibid.* 4. 47. (92). Balsaminum unguentum dyspnœas lenit.

DYSPNŎĬCUS, a, um, adject. δυσπνοϊκός, qui dyspnœa laborat. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 14. (23). Ammoniacum prodest dyspnoicis, pleuriticis, etc.

DYSPRŎPHŎRON, δυσπρόφορον, vitium sermonis, cum voces dictu asperæ adhibentur, ut *persuasitrices, præstigiatrices, atque inductrices tigres.* Ita *Capell.* 5. *p.* 167. Est autem Græca vox, a δὺς *male*, et προφέρω *profero.* Ceterum *Kopp.* legit *dysprophoron*; *Forcellinus* vero *dyspropheron.*

DȲSŪRĬA, iæ, f. 1. δυσουρία, difficultas et suppressio urinæ: a δὺς, quod notat difficultatem, et οὖρον *urina. Cic.* Græcis litteris scripsit 10. *Att.* 10. At Latinis *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 4.; *Pelagon. loc. cit.* in STRANGURIA; et *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 2. *c.* 20.

DȲSŪRĬĀCUS, a, um, adject. qui dysuria laborat. *Firmic.* 4. *Mathes.* 8. Dysentericos, pleuriticos, hydropicos, dysuriacos.

De littera E

E est I.) Latini alphabeti littera; II.) Nota in monumentis; III.) Præpositio.

I.) E, neutr. indecl. vel masc., vel etiam fem. gen. si cum nomine *littera* conjungatur, est quinta Latinorum littera et inter vocales secunda. — *a)* Ratione habita scriptionis, e aliquando Latini ita scripserunt II.; quod etiam postremis Latinitatis temporibus factum et multis inscriptionibus patet: V. *Rosini Dissert. Isag. p.* 38. et *Orell. Inscript. vol.* 2. *p.* 367. § 17. Hanc scribendi rationem ex Oscis Latinos mutuasse nonnulli putarunt: rectius fortasse *Orellius loc. cit.* animadvertit, interdum in saxis Latinis litteras forma Græca scriptas esse, ut H seu η Græcum pro E apud *Fabrett. p.* 346. 7. et *Murat.* 1487. 3.; quæ fortasse, inquit, causa, cur in saxis Latinis, omissa lineola transversa, toties II pro E legatur, ut apud *Fabrett. p.* 397., *Murat.* 1512. 9. et *Zachar. Marm. Sal.* III. *p.* xi. Ceterum in vetustissimis, quæ adhuc extant, monumentis, E semper scribitur. — *b)* Ratione habita pronunciationis, hæc *Terentian. p.* 2386. *Putsch.* E, quæ sequitur vocula, dissona est priori (*h. e. A*), Quia deprimit altum modico tenore rictum, Et lingua remotos premit hinc et hinc molares. Et *Capell.* 3. *p.* 58. E spiritus facit lingua paululum pressiore. — *c)* Quod ad vim attinet, e Latina tum ε, tum η Græcorum respondet. *Capell.* 3. *p.* 53. E autem vocalis duarum Græcarum litterarum vim possidet. Nam quum corripitur, ε Græcum est, ut *ab hoc hoste*; quum producitur, ἦτα est, ut *ab hac die.* Ac maxime tunc circumflexum accentum tenet. Similiter *Auson. Carm.* 12. 347. Ἦτα quod Æolidum, quodque ε valet, hoc Latiale E Præsto, quod E Latium semper breve, Dorica vox E. Cf. *Terentian. p.* 2393. *Putsch.* — *d)* Hinc ratione habita quantitatis, *e* modo brevis, modo longa est. — Porro præcipua dicemus *A)* De aliarum vocalium transitu in vocalem *e*; et *B)* De diphthongis, quæ *e* et alia vocali constant.

A) E vocalis — 1.° Quum brevis est naturâ suâ, (namque positione fieri potest etiam longa) — *a)* Quoniam tenui admodum sono effertur, in locum aliarum omnium vocalium facile transit: — Sic pro *a* ponitur in multis vocabulis compositis, præcipue si duæ consonantes sequantur, ut in *commendo* (*cum* et *mando*), *infercio* (in et *farcio*), *incestus* (in et *castus*), *ineptus* (in et *aptus*), *perpetior* (per et *patior*), *refello* (re et *fallo*), etc. Similiter pro *a* ponitur in reduplicatis eorum verborum perfectis, quorum etyma vocalem *a* exhibent, ut *cecidi* (*cado*), *cecini* (*cano*), *peperi* (*pario*), *tetigi* (*tango*), etc.: unde in aliis verbis per syncopen e longa ponitur, ut in *egi* ab *ago* (pro *eagi*), *cepi* a *capio*, *feci* a *facio*, *fregi* a *frango* etc. — Pro *i* ponitur in vetustissimis quibusdam formis, quæ adhuc leguntur in *Columna rostrata* et in *Scipionum monumentis*, cujusmodi sunt *cepet*, *dedet*, *exemet*, *navebos*, *tempestatebus*, *Menerva*, *magester*, etc. pro *cepit*, *dedit*, *exemit*, etc. Cf. *Varro* 1. *R. R.* 2. 14. A quo rustici etiam nunc quoque *viam veam* appellant, propter vecturas; et *vellam*, non *villam*, quo vehunt et unde vehunt. Item dicuntur, qui vecturis vivunt, *vellaturam* facere. Et *Cic.* 3. *Orat.* 12. 46. Quare Cotta noster, cujus tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut Iota litteram tollas, et E plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos, sed messores videtur imitari. *Quintil.* 1. 4. 17. Non E quoque I loco fuit? Præterea ponitur pro *i* etiam in etymis nonnullorum verborum, si optimis Codicibus fides habeatur, sic in v. *intellego*, *neglego*, *Vergilius*, *Deona* etc. V. *Wagner.* ad *Virg. vol.* 5. *p.* 479. Quod vero ad terminationem spectat, Dativus et Ablativus tertiæ declinationis *e* vel *i* sine ullo discrimine antiquitus finiebantur; in posterum autem factum est, ut Dativus vocali *i*, Ablativus vocali *e* tamquam certa sedes constitueretur: huc spectant quoque duplices formæ *here* et *heri*, *peregre* et *peregri*, *vespere* et *vesperi* etc. Denique quod attinet ad Nominativum pluralem tertiæ declinationis et ad neutrum singulare nominum adjectivorum, ut *facilis*, *e*, utrum inter *e* et *i* cognationis vinculum intersit, necne, incertum est. — Raro admodum *e* ponitur pro *o* et *u*: sic *vertex*, *verto*, *vester* dicitur pro *vortex*, *vorto*, *voster*; et *dejĕro pejĕro* a *jūro* derivantur (contra *toga* et *tugurium* a *tego*). — *b)* Interdum in fine vocabulorum *e* prorsus omittitur, ut in Imperativis *dic*, *duc*, *fac*, *fer*, quorum integræ formæ *dice*, *duce* etc. etiamnum leguntur apud *Plaut.* et alios. (V. DICO, DUCO, FACIO, FERO suis locis); item in Vocativo singulari nominum *ius* terminatorum ad secundam declinationem pertinentium, ut *fili* pro *filie*, *Coi* pro *Caie* etc.; et demum in iis verbi *esse* formis, quæ consonanti littera incipiunt, ut *sum* pro *esum*, *sunt* pro *esunt* etc. — *c)* Demum e aliquando transit in locum syllabæ finalis consonanti littera terminatæ, ut in *mage* et *pote* pro *magis* et *potis*, nec non in formis *conabere*, *dixere* et similibus, pro *conaberis*, *dixerunt*, etc. — 2.°) Quum longa est *e* — *a)* Transit interdum in locum *a*, *ae* et *oe*, ut in *anhelo*, ab *halo*, *obscenus*, *obscaenus* et *obscoenus.* Variam autem fuisse rationem scribendi et pronunciandi per *e* et per *æ*, satis testatur *Varro*, qui 7. *L. L.* 96. *Müll.* ait, alios dixisse *scæptrum*, alios *sceptrum*, partim *fœnus*, partim *fenus.* Posterioribus tamen temporibus hæc pronunciandi ratio penitus amissa est. Hinc apud auctores quosdam infimæ Latinitatis non solum *e* pro *æ* scribebatur, sed etiam corripiebatur, ut *heresis* apud *Prudent.*, et *erumna* apud *Paulin.* etc. V. suis locis. — *b) E* locum diphthongi *au* capere videtur in *obedio* ab *audio.* — *c)* Denique pro *i* ἀρχαϊκῶς ponebatur in aliquot vocabulis, ut *amecus*, *leber*, *speca* etc. pro *amicus*, *liber*, *spica* etc.; et in peregrinis quoque nominibus occurrit, cujusmodi sunt *chorēa*, *Darēus* (V. *Mützell.* ad *Curt.* 3. 1. 8.), quamquam in aliis *i* usuvenerit, ut in *Academia*, *Alexandria*, etc.

B) In diphthongis *e* primum locum tenet in *ei* et *eu*, quæ Græca omnino dici possunt; alterum vero in *ae* et *oe.* — De diphthongis *ei* et *eu* hæc ait *Terentian. p.* 2393. *Putsch.* Litteram namque *e* videmus esse ad ἦτα proximam, Sicut *o* et ω videntur esse vicinæ sibi: Temporum momenta distant, non soni nativitas. Inde vertunt hanc in ἦτα sæpe diphthongon Graji, Quando quos ἱππεῖς solebant aut ἀχαρεῖς dicere, Lævigant ἱππῆςque potius aut ἀχαρῆς nominant: Nosque Medeam Latine sic in usum vertimus, Nomen et regina gessit quod furens Amazonum; Sic et Αἰνείαν Aebæus, noster Æneam vocat: Sic erit nobis et ista rario diphthongos *ei.* *Eitur* in silvam necesse est *e* et *i* connectere: Principali namque verbo nascitur, quod est *eo.* Sic *oveis*, *plureis*, *omneis* scribimus pluraliter: Non enim nunc addis *e*, sed permanet sicut fuit. — *Au* et *eu*, quas sic habemus cum Grajis communiter, Corripi plerumque possunt temporum salvo modo. Sive Græcis, seu Latinis inserantur versibus. — In diphthongis *ae* et *oe*, *e* vicem gerit vocalis ἰῶτα: V. A et O suis locis.

II.) *E* nota in monumentis occurrit, et modo est *egregius*, modo *evocatus* vel *emeritus*, modo *equus* vel *eques*, *equestris*, *equitata.* V. *Orell. Inscript. vol.* 2. *p.* 459. et *Henzen. Inscript. p.* 207.

III.) *E* præpositio. *V.* EX init., eosdem enim usus habet, nisi quod *e* numquam ante vocales adhibetur.

EA

ĒĀ, adverb. (*subaudi* viâ) per eum locum. *Liv.* 21. 32. *a med.* Gallisque ad visenda loca præmissis, postquam comperit, transitum ea non esse, etc. — Ceterum *V.* IS, ea, id.

ĒĀDEM, adverb. (*subaudi* viâ) per eumdem locum. *Charis* 2. *p.* 187. *Putsch.* Addit (*Scaurus*), quod veteres *eadem* soliti sint dicere, non addentes *via*, ut sit κατ᾽ ἔλλειψιν, ut Plautus inquit: *Eadem bibes* (*lege biberis*), eadem tibi dedero suavium. — *Plauti* locus est *Bacch.* 1. 1. 15. Ceterum *V.* IDEM, eadem, idem.

ĒĀLĒ, es, f. 1. fera est in Æthiopia, magnitudine equi fluviatilis, cauda elephantis, colore nigra, vel fulva, maxillis apri, majora cubitalibus cornua habens, et mobilia, quæ alterna in pugna sistit, variatque infesta aut obliqua, utcumque ratio monstravit. Hinc *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 20. (73). Videtur ita esse appellata ab ἐάλη 3. p. aor. 1. pass. verbi εἴλω, *verto*, *circumvolvo.* — *G. Cuvier.* in nupera editione Parisiensi ad *Plin. loc. cit.* putat, ealen esse rhinocerontem bicornem.

ĒĀPROPTER vel *rectius divisim* ea propter, significat idem ac propterea, quapropter. *Lucret.* 4. 313. Dextera ea propter nobis simulacra remittunt. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 11. Hoc modo duobus mensibus pinguescunt: et ea propter etiam tenerrima, etc. *Corruptum hunc locum ita correxit* Schneid.: pinguescunt etiam majores, nam tenerrima etc. *Solin.* 35. Lignum attrectatum ferro sine mora emoritur: eapropter vitro, aut cultellis osseis vulneratur. — Ceterum *V.* PROPTEREA et IS, ea, id.

ĒAPSE, ea ipsa. *V.* Ipse.

ĒĀRĬNUS, a, um, adject. ἐάρινος ad ver perti-

nens: ἄχρ enim ver significat. *Tertull. Habit. mul.* 8. Si non potuit Deus purpureas et carinas oves nasci jubere. *V.* ÆRINUS. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

EĀTENUS, præpos., vel potius adverb. compos. ex *ea* et *tenus*, significat usque eo, usque ad eum terminum (It. *sino a quel segno o termine*, *in tanto*; Fr. *en tant que*, *jusque la*, *jusq' à ce point*; Hisp. *hasta tanto*; Germ. *in so weit*, *insofern*; Angl. *so far*, *so long*, *to such an extent*.) Occurrit ¶ 1. Fere de mensura, aut de fine vel conditione alicujus actionis: eique respondet *quatenus*, *quoad*, *qua*, *ut* et *ne*. — *a*) Sequente *quatenus* ut apud *Cels.* 2. 10. *a med.* Ex ulterioribus locis eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur. Adde *Dig.* 47. 2. 92. — *b*) Sequente *quoad*, ut apud *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 3. Si quis forte esset sordidior, ferres eatenus quoad per se negligeret eas leges *etc.*, non ut etc. *Id.* 1. *Legg.* 4. 14. Neque vero eos, qui ei muneri præfuerunt, universi juris expertes fuisse existimo; sed hoc civile, quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populum præstare voluerunt. — *c*) Sequente *qua*, ut apud *Cic. Tim.* 11. Qui eatenus nobis declarantur, qua ipsi volunt. *Forcellinus* leg. *quo*; *Orellius* vero *qua*; alii *quoad*, alii aliter. *Colum.* 4. *R. R.* 7. 2. Neque enim eatenus plaga consistit, qua vestigium fecit acies, sed latius inarescit. *Id.* 12. *ibid.* 9. 1. Caules depurgati eatenus, qua tenera folia videbuntur. Adde *Quintil.* 1. 11. 1. — *d*) Sequente *ut*. Sic apud *Cic. Opt. gen. orat.* 7. 23. Verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 3. Quo magis veniam tribuendam esse nostræ disciplinæ censeo, si eatenus progreditur, ut dicat, qua quidque ratione faciendum. Adde *eumd. ibid.* 5. 3.; et *Cels.* 20. et 7. 19. — *e*) Sequente *ne*, ut apud *Cels.* 6. 6. *n.* 38. Mel adjiciunt eatenus, ne ex specillo destillet. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 14. Quidquid falce contingi poterit, exputandum est, allevandumque eatenus, ne plaga corpori matris applicetur. *Sueton. Tib.* 33. Eatenus interveniebat, ne quid perperam fieret. — *f*) Absolute. *Plaut. Most.* 1. 2. 48. Ad legionem quum itant, adminiculum eis danunt tum aliquem cognatum suum. Eatenus abnuunt a fabris. *h. e.* in hoc dissimiles sunt fabrorum. Quidam tamen aliter leg. ¶ 2. Interdum et de tempore dicitur. *Capitolin. Gordian. III.* 22. Gordianus adolescens, qui Cæsar eatenus fuerat, a militibus et populo et senatu Augustus est appellatus. *h. e.* qui usque ad id tempus Cæsar fuerat.

EB

ĒBACCHOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. valde bacchor. *Lamprid. Elagab.* 7. Matris etiam deûm sacra accepit, et adeo ebacchatus est, ut etc. Al. leg. *debacchatus*. *Salmasius* ita legit: Matris etiam deûm sacra accepit, et taurobolitatus est, ut etc., quod rectius est.

ĔBĔNĔUS, a, um, adject. qui est ex ebeno. *Capell.* 1. *p.* 20. Nam unus (*ex sociis fratribus*) albidi salis instar candidum atque spumarum canitiei conculorum, alter ebeneum ac tartareæ noctis obscuritate furvescens. *Ita legit* Kopp. *pro* ebenum, *quod habet* Grotius.

ĔBĔNĬNUS, a, um, adject. Nonnulli scribunt *hebeninus*; sed *V.* voc. seq. sub init. — Ebeninus est qui est ex ebeno. *Hieronym. Ezech.* 27. 16. Ebenina ligna, quæ nigri coloris pretiosissima sunt. *et mox.* Ebenini dentes nigri coloris, qui non possunt suam mutare nigredinem.

ĔBĔNUS, i, f. *et* ebenum i, n. (quum de ligno sermo est) 2. ἔβενος. Est qui scribit *hebenus*: sed in Græca voce nulla aspiratio est. — Etymon videtur esse ex Hebr. אבן *eben*, petra; ita appellatum ob duritiem: arbor non solum Indica, ut vult *Virg.*, sed etiam Æthiopica et Libyca, lignum habens sine medulla, intus nigri splendoris, extra buxi colore, adeoque solidum et grave, ut in aqua subsidat. *Virg.* 2. *G.* 117. sola India nigrum Fert ebenum: solis est turea virga Sabæis. *Ovid.* 11. *Met.* 610. totus est ebeno sublimis in atra Plumeus. *Lucan.* 10. 304. Læta comis ebeni Meroe. *et ibid.* 117. ebenus Mareotica. Adde *Pers.* 5. 135. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (204). Spississima ex omni materie, ideo et gravissima, judicatur ebenus et buxus: neutra in aquis fluitat etc. *Id.* 6. *ibid.* 30. 35. (197). Sita est Æthiopia ab oriente hiberno ad occidentem hibernum. Meridiano cardine silvæ ebeno maxime virent. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 12.) hæc ait: « Les dissertations qui, jusqu'ici ont eu pour but de fixer l'opinion relativement à l'arbre qui fournit le véritable ébène, l'ont égarée en désignant une espèce exclusive. Plusieurs arbres ont leur système central noir. Voici la liste des arbres auxquels ont rapporté l'ébène; tous en fournissent en effet, et avec eux d'autres végétaux moins connus: *Diospyros Ebenum* Lamrk. Encyclop. v. 429. – *D. Ebenaster* Retz. – *D. Melanoxylon* Roxb. Pl. corom. t. 46. – *D. Nodosa* Lamrk. Encycl. loc. cit. – *D. Tessellaria*. Comm. Manuscr. 105. – *Ebenoxylum verum* Lour. Fl. Cochinch. 75. – *Elaïs guineensis* Linn. Mantiss. 137. Parmi les espèces d'arbres que nous avons citées, quelle pourrait être celle à laquelle il faudrait, de préférence, rapporter l'ébène? Cela n'est pas facile à décider. Cependant, parmi les diospyros, celui qui a mérité de porter le nom d'*ebenum* forme des grandes forêts dans l'Inde (*Virg. loc. cit.*); tandis que les autres viennent au Japon, à la côte de Coromandel et à Madagascar. Mais à quoi bon chercher à préciser l'arbre à ébène? Il est prouvé que le commerce reçoit sous ce nom le bois d'un grand nombre d'arbres; pourquoi ne pas croire qu'il en était autrefois de même? Contentons-nous de fixer notre opinion sur le genre diospyros. » Et mox (*ibid. p.* 13.): « La seconde espèce d'ébène ne peut nullement se rapporter au *Cytisus Laburnum* L., arbours faux-ébénier. Cet arbuste, commun dans toute l'Europe australe, ne se trouve point dans l'Inde. Le renseignemens donnés par notre auteur (*Plin.* 12. *Hist. nat.* 4. 9. (20).) ne permettent pas d'arriver à la détermination précise de l'arbre dont il est ici question. » — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

ĒBĬBĪTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒBĬBO, bibis, bibi, bibitum, bibere, a. 3. (ex et bibo). Part. *Ebibitus* I. — Ebibo est bibendo exhaurio (It. *bere, cavare o consumare bevendo*; Fr. *boire tout*, *épuiser en buvant*; Hisp. *beber*, *agotar*; Germ. *austrinken*; Angl. *to drink out of*, *drink up*, *exhaust by drinking*).

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 1. 1. 276. Ebibere hirneam vini. *Id. Curc.* 1. 2. 65. Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem. *Id. ibid.* 2. 3. 80. Ebibere poculum. *Id. Pseud.* 5. 2. 11. Massici montis uberrimos fructus. *Ter. Heaut.* 2. 3. 14. Ædes nostræ vix capient, scio. Quid comedent! quid ebibent! *Ovid.* 6. *Met.* 342. Uberaque ebiberant avidi lactantia nati. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 12. 12. (34). Elephantos a draconibus ebibi. *h. e.* eorum sanguinem sugendo exhauriri. *Petron. Satyr.* 20. Solus tantum medicamentum ebibisti? *Sidon. carm.* 9. 39. Atque hunc, fluminibus satis profundis Confestim ebibitis, adbuc sitisse.

II.) Improprie. ¶ 1. Est avidissime bibere, et bibendo absumere, adeoque absumere. *Plaut. Amph.* 2. 1. 84. Non ego cum vino simitu ebibi imperium tuum. *h. e.* oblitus sum. *V.* BIBO. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 122. Filius, aut etiam hæc libertus ut ebibat heres. *h. e.* absumat. ¶ 2. Item est in se accipere. *Ovid.* 8. *Met.* 836. Utque fretum recipit de totâ flumina terrâ, Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes, etc. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 15. 15. (71). A lacu amnis ebibitur. *h. e.* totus excipitur. *Id.* 9. *ibid.* 38. 62. (134). Quinis lana potat horis, rursusque mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem.

ĒBĪTO, is, ere, n. 3. abire, exire, apud *Plaut. Stich.* 2. 1. 28. *V.* BETO.

ĒBLANDĬOR, iris, itus sum, iri, dep. 4. (ex et blandior). Part. *Eblanditus* I. et II. — Eblandiri est blanditiis aliquid impetrare, vel exprimere, extorquere (It. *ottenere a forza di lusinghe e preghiere*; Fr. *obtenir à force de caresses*, *de flatteries*; Hisp. *obtener a fuerza de caricias y de lisonjas*; Germ. *schmeichelnd herauslocken*, *oder bewirken*, *erschmeicheln*; Angl. *to gain by flattery*, *compass by fair words*, *coax*, *charm*, *wheedle*).

I.) Proprie usurpatur de personis. *Cic.* ad *Capiton. sub fin. l.* 16. *ad Att.* Enitere, elabora, vel potius eblandire, effice, ut etc. *Liv.* 27. 31. Neque enim omnia emebat, aut eblandiebatur, sed vim etiam adhibebat. *Tac.* 3. *Hist.* 37. Nec defuit, qui unum consulatus diem, magno cum irrisu accipientis tribuentisque, eblandiretur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (28). Arion eblanditus, ut prius caneret cithara. *Colum.* 8. *R. R.* 11. 1. *de pavonib. educandis.* Sed nec hæc tamen aliena est agricolæ captantis undique voluptates acquirere, quibus solitudines ruris eblandiatur. *Schneider.* Ita legit: alii vero passiva *eblandiantur*, hoc est quasi blanditiis leniantur, et gratiores fiant.

II.) Translate de rebus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 27. 51. (118). *de arboribus.* Quin et protinus moriuntur aliqua, cœlo fecunditatem omnem eblandito. *h. e.* postquam cœli et aeris bonitas fecunditatem et illa omnem, veluti invitando alliciendoque, expressit. *Vitruv.* 7. 5. 5. *Schneid.* Cum aspectus ejus scena eblandiretur omnium visus. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 16. Lac infusum tantum valet, ut eblandiatur laneum sævitiam. *h. e.* evocet, mitiget. *Prudent. Psychom.* 328. Eblanditæ virtutes. *h. e.* fucatæ, simulatæ. — Hinc Part. *Eblanditus* passive pro eo, quod precibus et blanditiis impetratum est. *Cic. Planc.* 4. 10. Eblandita illa, non enucleata suffragia. *Plin. Paneg.* 70. *sub fin.* Urbana conjuratione eblanditæ preces. *Gell.* 11. 13. Aures cadentis apte orationis modis eblanditæ. *h. e.* voluptate perfusæ.

ĒBLANDĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

ĔBOR, ŏris. n. 3. *V.* EBUR init.

ĔBŎRĀRĬUS, ii, m. 2. artifex eboris. *Imp. Constantin. Cod.* 10. 64. 1.; et *Inscript.* apud *Gruter.* 640. 8. et apud *Reines. cl.* 11. *n.* 93. 94. *et* 122. et apud *Murat.* 917. 6., ubi legitur *eburarius*.

ĔBŎRĀTUS. *V.* EBURATUS.

ĔBŎRĔUS, a, um, adject. qui est ex ebore, eburneus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (40). Jovem fecit eboreum in Metelli æde. *Quintil.* 6. 3. 61. Oppida eborea in triumpho Cæsaris. *Dig.* 33. 7. 12. Eboreæ mensæ. *Inscript.* apud *Orell.* 3838. TESTAMENTO LEGAVIT PVGILLARES MEMBRANACEOS OPERCVLIS EBOREIS, PYXIDEM EBOREAM etc. *V.* Homonym. in fin. v. EBURNEUS.

ĒBRĬA. *V.* BRIA.

ĒBRĬĀCUS, a, um, adject. idem atque ebrius. *Laberius* apud *Non.* p. 108. 7. *Merc.* Homo ebriacus somno sanari solet. *Al. leg.* ebriatus. — Hanc tamen vocem confirmat *Vulgat. Ital. I. Cor.* 6. 10. Non avari, non ebriaci, non maledici regnum Dei possidebunt. Adde *ibid. Eccli.* 26. 11.

ĒBRĬĀMEN, inis, n. 3. Vertit *Tertull.* ex S. Script. *de Jejun.* 9. his verbis: De Samuele mater: Vinum, inquit, et ebriamen non bibet.

ĒBRĬĔTĀS, ātis, f. 3. status ebriosi, cum quis scilicet ebrius est (It. *ebrietà*, *ubbriachezza*; Fr. *ivresse*, *enivrement*; Hisp. *borrachez*, *embriaguez*; Germ. d. *Trunkenheit*, d. *Rausch*; Angl. *drunkenness*, *inebriation*, *ebriety*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Tusc.* 12. 27., cujus verba *V.* inferius in v. EBRIOSITAS. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 16. Quid non ebrietas designat? operta recludit, Spes jubet esse ratas, etc. *Ovid.* 1. *Art. am.* 597. Ebrietas ut vera nocet, sic ficta juvabit. Adde *eumd. Rem. am.* 809.; et *Quintil.* 1. 11. 2. et 5. 10. 34. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 51. (145). Ebrietatem arcet pecudum assus pulmo præsumptus. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 22. 28. (140). *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. *ante med.* Quis ambigat, eum, qui diverso vino utitur, in repentinam ruere ebrietatem, necdum hoc potus copia postulante? — In ebrietatem multa luculenter *Seneca Ep.* 83. *a med.*

II.) Translate. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (45). *de caryotis.* Rumpit se pomi ipsius ebrietas, calcatis similis. *h. e.* nimia succi copia.

Homonym. Quid intersit inter *ebrietatem* et *ebriositatem*, inter *ebrium* et *ebriosum*, V. in EBRIOSITAS.

ĒBRĬO, as, are, a. 1. ebrium reddo.

I.) Proprie. *Macrob.* 7. *Saturn.* 6. *a med.* Mulieres raro ebriantur.

II.) Translate. *Id. Somn. Scip.* 12. *circa med.* Priusquam materialis influxio in corpus venientes animos ebriaret.

ĒBRĬŎLĀTUS, *vel* ebriolatus, a, um, adject. ebrius. *Laberius* apud *Non. p.* 208. 6. *Merc.* Ebriolati mentem hilarem accipiunt. *Alii aliter leg. V.* HILARIA. Adde ejusdem *Laberii fragm. ibid.* ubi *Non.* habet *ebriacus*, alii *ebriatus*.

ĒBRĬŎLUS, a, um, adject. *deminut.* ab ebrius

Plaut. Curc. 2. 3. 15. Tristes atque ebrioli incedunt. *Id. ibid.* 1. 3. 36. Etiam me vocas, ebriola? *V.* PERSOLLA.

ĒBRĬŌSĬTAS, ātis, f. 3. propensio in ebrietatem. *Cic.* 4. *Tusc.* 12. 27. Inter ebrietatem et ebriositatem interest, aliudque est amatorem, aliud amantem. *V.* et voc. seq. sub I.

ĒBRĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Ebriosior* II. — Ebriosus est qui sæpe fit ebrius.

I.) Proprie. *Cic. Fat.* 5. 10. Hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum et mulierosum fuisse. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 53.; *Colum.* 11. *R. R.* 1. 13.; et *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 51. (145). *Seneca Ep.* 83. Plurimum interesse concedes inter ebrium et ebriosum. Potest et qui ebrius est, tunc primum esse, nec habere hoc vitium; et qui ebriosus est, sæpe extra ebrietatem esse. Sic *Capell.* 4. p. 108. Non enim sequitur, ut qui pallet sit pallidus, aut qui amat sit amator, aut qui est ebrius ebriosus. *Id. ibid.* ebrietatem vocat *passionem*, ebriositatem *qualitatem* appellat. *Salvian.* 4. *advers. avar.* 4. Apothecæ ebriosorum vino replentur. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 3. Homeros ait: Οἰνοβαρής, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο, id est, ebriose, oculos canis habens et cor cervi.

II.) Translate. *Catull.* 27. 4. Posthumiæ ebriosa acina ebriosioris.

ĒBRĬUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, volunt nonnulli esse a *bria*, de qua *V.* suo loco: juxta *Döderlein. Latein. Synon. vol.* 5. *p.* 330. conjungi potest cum Gr. ἁβρός *mollis, delicatus*, vel ab *ex* et *bibo*. — Ceterum ebrius

I.) Proprie ¶ 1. Stricto sensu est vino vel alio liquore admodum imbutus, bene pastus et bene potus. *Martial.* 14. 154. Ebria Sidoniæ quum sim de sanguine conchæ, Non video quare sobria lana vocer. *h. e.* optime imbuta. *Id.* 10. 38. lucerna Nimbis ebria Nicerotianis. *h. e.* probe perfusa. *Id.* 13. 82. Ebria Bajano veni modo concha Lucrino. *h. e.* bene pasta. Præivit *Plaut. Cas.* 3. 6. 18. Facite cœnam mihi, ut ebria sit. *h. e.* lauta abundansque. *Id. Capt.* 1. 1. 35. Aperitur ostium, unde saturitate sæpe ego exii ebrius. *h. e.* bene pastus. Et *Ter. Hecyr.* 5. 2. 3. Quum tu satura atque ebria eris. ¶ 2. Latiori sensu ac sæpius est nimio vini potu alienatus, idem quod vinolentus, temulentus, crapulentus. — *a*) De hominibus. *Plaut. Aulul.* 1. 10. 18. Deripiamus aurum matronis palam. Post id, si prehensi simus, excusemus ebrios nos fecisse amoris causa. Adde *eumd. Amph.* 1. 1. 116., 2. 1. 25. et 3. 4. 16. *Cic.* 2. *Phil.* 41. 105. Personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes. Adde *eumd. Mil.* 24. 65. et 2. *Divinat.* 58. 120. *Ovid.* 2. *Fast.* 582. Anus ebria. Adde *eumd.* 4. *Met.* 26. et 1. *Art. am.* 513.; *Propert.* 4. 5. 46.; *Horat.* 1. *Sat.* 4. 51. et 2. *ibid.* 3. 60.; *Seneca Ep.* 83.; et *Quintil.* 11. 3. 57. — *b*) Poetice dicitur etiam de inanimis. *Propert.* 1. 3. 9. Ebria quum multo traherem vestigia Baccho. Cf. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 19. Ebria Mæonio firmat vestigia thyrso. Et *Seneca Med.* 69. Huc incede gradu marcidus ebrio. *Tibull.* 3. 6. 36. Verba ebria. *Martial.* 10. 47. Nox ebria. *h. e.* quam ebrius quis transigit. *Id.* 13. 1. bruma. *h. e.* quibus diebus perpotari solet. Huc referri potest et illud *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 250. jam profluat ebrius amnis Mutatis in vina vadis.

II.) Figurate occurrit de fortuna, amore, etc. *Horat.* 1. *Od.* 37. 12. Regina fortuna dulci ebria. *Catull.* 45. 11. Et dulcis pueri ebrios ocellos. *h. e.* amoris plenos, lubricos. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 22. 28. (148). Ebrius jam sanguine civium et tanto magis eum sitiens. — *Forcellinus* huc retulit etiam illud *Lucret.* 3. 1061. Ebrius urgeris multis miser undique curis. *h. e.* obrutus: alii vero h. l. *ebrium* proprie accipiunt.

Homonym. Discrimen inter *ebrium* et *ebriosum* dabit *Seneca* allatus in voc. præced.

ĔBŬLĪNUS, a, um, adject. ad ebulum fruticem pertinens. *Plin. Valerian.* 1. 64. Ebulinus sanguis. Similiter dixerat *Virg.* 10. *Ecl.* 27. Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

ĒBULLĬO, is, ire, 4. *vel recentiori forma* ebullo, as, are, 1. occurrit *A*) Neutrorum more, et *B*) Active, seu cum Accusativo.

A) Neutrorum more, *ebullio* vel *ebullo* est bullendo emitto.

I.) Proprie. *Tertull. Pall.* 2. Venæ fontium ebulliunt. — Simpliciter pro fervendo bullas emittere. *Cato R. R.* 105. Ubi ebullibit vinum, ignem subducito. *ebullibit* ἀρχαϊκῶς pro *ebulliet*. Sed alii rectius leg. *bullabit*. *V.* BULLO.

II.) Translate. *Pers.* 2. 10. o si Ebullit patrui præclarum funus. *h. e.* prodit pompa sumptuosa funeris patrui: quod est dicere, utinam patruus moriatur. Al. leg. *ebullet*, ut sit ab *ebullo, as*, dissolvor, erumpor, ad modum bullæ evanesco: ut respiciatur ad illud *Varron.* 1. *R. R.* 1. 1. Homo est bulla. *Apul.* 2. *Met.* Dum risus ebullit. *h. e.* fervescit cachinnatio.

B) Active, seu cum Accusativo, translate tantum occurrit pro prædicare, jactare, ostentare. *Cic.* 3. *Tusc.* 18. 42. Qui si virtutes ebullire volent et sapientias, nihil aliud dicent, nisi eam viam etc. *Id.* 5. *Fin.* 27. 80. Dixerit hoc idem Epicurus, semper beatum esse sapientem: quod quidem solet ebullire nonnumquam. — *Ebullire animam* est mori. *Seneca Apocoloc.* c. 4. et *Petron. fragm. Tragur.* 42. et 62. *Burmann.*

ĒBULLĪTĬO, ōnis, f. 3. ebulliendi actus, bullitus. *Hygin.* vel *Mythogr. I.* edente *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. p. 81. Ebullitione olei scintillantis.

ĒBULLO. *V.* EBULLIO.

ĔBŬLUM, i, n. 2. frutex sambuco similis folio et bacca, non tamen æque crescens, neque arborescens: quod fortasse est deminutivum ab ἀφος. ἡ τραγάκανθα *Hesych. Cato* apud *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (55). E segete evellito ebulum, cicutam. Cf. *Caton. R. R.* 37. *Virg.* 10. *Ecl.* 27. Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem. *Plin.* 26. *ibid.* 8. 49. (80). Ebulum teneris cum foliis tritum, et vino potum calculos pellit: impositum testes sanat. Adde *eumd.* 25. *ibid.* 10. 71. (119).; *Colum.* 10. *R. R.* 10.; et *Veget.* 1. *Veterin.* 14. 5. *V.* CHAMÆACTE et SAMBUCUS.

ĔBUR, ĕbŏris, n. 3. Quod ad scriptionem attinet, *ebor* quoque pro *ebur* dixisse veteres testatur *Phoc.* p. 1691. *Putsch. Or* syllaba finita (*nomina*) masculini sunt generis —, exceptis neutris his: hoc *ador*, hoc *marmor*, hoc *æquor*, hoc *ebor*, hoc *robor*. Sic *Gloss. Philox.* Ebor, ἐλέφας. — Ceterum ebur est dens elephanti avulsus: qui candore et spissitudine materiæ in operibus valde commendatur. Dictum putant quasi *e barro*: vel a Græca voce ἀφρός *spuma*: V. *Doderlein. Latein. Synon. vol.* 6. *p.* 109. (It. *avorio*; Fr. *ivoire*; Hisp. *ivoire*; Germ. d. *Elfenbein*; Angl. *ivory*).

I.) Proprie. *Cato* apud *Festum* p. 242. 20. *Müll.* Dicere possum, quibus villæ atque ædes ædificatæ atque expolitæ maximo opere citro atque ebore atque pavimentis Pœnicis stent. *Henr. Jordan* leg. *sient. Cic. Brut.* 73. 257. Minervæ signum ex ebore. *Id.* 1. *Parad.* 4. 13. Marmorea tecta, ebore et auro fulgentia. Adde *eumd.* 2. *Legg.* 18. 45. *Virg.* 1. *G.* 57. India mittit ebur, molles sua tura Sabæi. Adde *eumd.* 10. *Æn.* 137. et 12. *ibid.* 68.; *Horat.* 1. *Od.* 31. 6.; 2. *Ep.* 1. 96. et 2. *ibid.* 2. 180.; et *Quintil.* 2. 21. 9. et 12. 10. 9. — *Ebur* dicebatur candidius fieri in Tiburtinis collibus et fulgore illius cœli. Testes sunt *Martial.* 4. 62., 7. 13. *et* 8. 28.; *Sil. It.* 12. 229.; et *Propert.* 4. 7. 82. — *Ebur atramento candefacere* proverbium apud *Plaut. Most.* 1. 3. 102. significat rem per se pulcram ornando corrumpere.

II.) Figurate. ¶ 1. Per synecdochen dicitur de rebus ex ebore factis. *Virg.* 1. *G.* 480. Et mœstum illacrimat templis ebur, æraque sudant. *h. e.* sigilla et statuæ deorum. Imitatus est *Ovidius* 15. *Met.* 792. Mille locis lacrimavit ebur. Rursus *Virg.* 2. *G.* 193. Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras. *h. e.* tibiam. *Ovid.* 4. *Met.* 148. ense Vidit ebur vacuum. *h. e.* vaginam ebore ornatam. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 54. eripietque curule Cui volet importunus ebur. Sic *Ovid.* 5. *Fast.* 51. Ebur curule. *h. e.* sella curulis ebore distincta. Et absolute eodem sensu *Id.* 4. *Pont.* 5. 18. Conspicuum signis cum premet altus ebur. ¶ 2. Per metonymiam ponitur pro elephanto. *Juvenal.* 12. 112. quin illud ebur ducatur ad aras.

ĔBŬRĀRĬUS. *V.* EBORARIUS.

ĔBŬRĀTUS *vel* eboratus, a, um, adject. ebore ornatus. *Plaut. Stich.* 2. 2. 53. Lecti eburati, aurati. *Id. Aulul.* 2. 1. 46. Eburata vehicula. *Varro* apud *Non.* p. 229. 16. *Merc.* Quum in eborato lecto ac purpureo peristromate cubare videas ægrotum. *Lamprid. Elagab.* 4. Sella eborata, an argentata. — Ceterum *V.* Homonym. in fin. v. EBURNEUS.

ĔBURNEŎLUS, a, um, adject. *deminut.* ab eburneus. *Cic.* 3. *Orat.* 60. 225. Servum cum eburneola solitus est habere fistula. *Gell.* 1. 11. qui eadem verba refert, habet *eburnea*.

ĔBURNEUS *vel*

ĔBURNUS, a, um, adject. qui est ex ebore, vel ebore ornatus.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est idem atque elephantinus. *Liv.* 37. 59. Tulit in triumpho eburneus dentes mille ducentos viginti. ¶ 2. Latiori sensu qui est ex ebore, vel ebore ornatus. — *a*) Forma *eburneus* occurrit præcipue apud prosæ orationis auctores. *Cic.* 6. *Verr.* 1. 1. Signum eburneum. Adde *Ovid.* 4. *Met.* 354. *Sueton. Cæs.* 84., *Cal.* 55., et *Ner.* 22. et 31. — *b*) Forma *eburnus* occurrit fere apud Poetas. *Virg.* 3. *G.* 7. humeroque Pelops insignis eburno. *V.* PELOPS. *Id.* 11. *Æn.* 11. Ensis eburnus. *h. e.* capulum habens eburneum. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 647. et 9. *ibid.* 305. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 104. Eburni lecti. *Id.* 3. *Od.* 27. 41. Porta eburna. *h. e.* qua vana somnia exeunt. (V. *Virg.* 6. *Æn.* 899. et *Stat.* 5. *Silv.* 3. 289.) *Id.* 2. *ibid.* 11. 22. lyra. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 35. Eburnus currus. *Id.* 2. *Art. am.* 203. Numeros eburnos jactare. Adde *eumd.* 1. *Met.* 178., 4. *ibid.* 185. et 7. *ibid.* 103.

II.) Translate est candidus instar eboris. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 7. Eburnea brachia. *Id.* 3. *Met.* 422. colla. *Id. Heroid.* 20. 57. cervix. *Id.* 10. *Met.* 592. terga. — Similiter *Eburnus* cognominatus est Q. Fabius Ambustus a candore cutis. *Festus* p. 245. 21. *Müll. V.* AMBUSTUS in ONOM.

Homonym. *Charis.* 1. *p.* 56. *Putsch.* hoc tradit discrimen interesse inter *eboreum*, *eboratum* et *eburnum*. Quæ, ait ille, ita placuit distingui, ut *eboreum* sit ex solido ebore confectum, *eboratum* extrinsecus ebore ornatum, *eburnum* ad similitudinem eboris aptatum, ut et *Virg.* sensit (loco superius cit. 3. *G.* 7.).

EC

ĔCASTOR, adverbium, seu rectius interjectio jurandi, et significat *per Castorem*. Videtur esse factum ex *Mecastor*, ablato *m*: vel potius ex *e*, et *Castor*, ut illud *e* hoc loco vim habeat τοῦ *per*, ut in *epol* per Pollucem, *ejuno* per Junonem, *equirine* per Quirinum, *ecere* per Cererem, etc. Sunt qui scribunt *æcastor*, quasi *per ædem Castoris*. Ceterum — *a*) Fuit juramentum fere a mulieribus usurpatum. Nam in veteribus scriptis, teste *Gell.* 11. 6., neque mulieres R. per Herculem, neque viri per Castorem dejurant: quod *Charis.* 2. *p.* 183. *Putsch.* confirmat. *Plaut. Amph.* 1. 3. 39. Ecastor condignum donum. *Id. Truc.* 2. 6. 22. Salve ecastor Stratophanes. Adde *eumd. Asin.* 1. 3. 36. et 3. 1. 30., *Cist.* 4. 2. 61., *Merc.* 4. 1. 25., *Pœn.* 1. 2. 71. et *Stich.* 1. 3. 81. *Ter. Hecyr.* 1. 3. 5. Spero ecastor. Adde *eumd. Andr.* 3. 2. 6. — *b*) Apud *Plaut.* tamen ita jurant Argyrippus adolescens, *Asin.* 5. 2. 80. et Olympio villicus, *Cas.* 5. 4. 13.

ĒCAUDIS, e, adject. (ex et cauda). Figurate *ecaudes versus* vocat *Diomed.* 3. *p.* 490. *Putsch.* (quasi sine cauda, ut *enodis*) qui in ultima conclusione oratiunculæ, vel syllaba fraudantur, vel tempore deficiunt, Græce μείουροι et σκάζοντας. *V.* MIURUS.

ECBĂSIS, is, f. 3. ἔκβασις, figura est, Latine excursus, seu digressio, cum ab oratione instituta obiter ad alia excurritur. *Servius* ad *Virg.* 2. *G.* 209.

ECBŎLA, æ, *vel rectius* ecbole, es. *V.* EXBOLA.

ECBŎLAS, ădis, f. 3. ἐκβολάς, genus uvæ Ægypti, abortum faciens: ab ἐκβάλλω *ejicio*. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 18. 22. (118).

ECBOLE. *V.* EXBOLA.

ECCA, ECCAM. *V.* vocem seq.

ECCE, adverbium demonstrandi, post se tum Nominativum, tum Accusativum habens (*V.* sub *A.* *b.*); et respondet (It. *ecco*; Fr. *voici*, *voilà*; Hisp. *aqui está*, *ele ea*, *velo aqui*; Germ. *siehe da*, *siehe*

der da; Angl. *lo! see! behold!*). — Vocis etymon omnino incertum est: alii enim volunt esse ab en et enclitica *ce*; *Döderlinius* putat esse imperativum ab inusit. ἔκκω, quod ab ὄκκος (ὄσσομαι) Latine *oculus*, quasi *vide*; vel esse Gr. ἔχε Latine redditum quasi ἔχε δή. — *Ecce* sæpe locum habet in principio: interdum tamen interseritur sermoni eo modo, quo *opinor*, *obsecro*, *amabo* etc. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 27. 69. (203). Adeo in rebus damnatis quoque sunt aliqua remedia, ut in carbone ecce et cinere. Adde *Ter. Andr.* et *Plaut. Mil. glor.* et *Rud.* et *Curc.* etc. inferius allatos. — Ceterum *ecce* occurrit *A*) Apud Scriptores, et *B*) In familiari sermone.

A) Apud Scriptores *ecce* usurpatur — *a*) Ad demonstrandam rem, quæ fieri incipit. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 16. Sed, quem quæro, optimo ecce obviam mihi est. *Ter. Eun.* 5. 5. 25. Ecce autem video rure redeuntem senem. *Virg.* 3. *Ecl.* 50. vel qui venit ecce Palæmon. *Id.* 9. *ibid.* 47. Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum. *Id.* 2. *Æn.* 403. Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus. *Ovid.* 2. *Met.* 93. adspice vultus Ecce meos. — *b*) Interdum adhibetur ad aliquem vel aliquid ostendendum, qui vel adest vel accedit, præcipue in formulis *ecce me*, *ecce nos*; ut apud *Plaut. Curc.* 1. 3. 6. Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? ecce me. Sisto ego tibi me, et mihi contra itidem te ut sistas suadeo. Adde *eumd. Epid.* 5. 2. 15. *Ter. Adelph.* 5. 9. 38. Ecce me, qui id faciam vobis. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 18. PA. Evocabo: heus Periplectomene et Pleusides progredimini. PA. Ecce nos tibi obedientes. *Id. Pœn.* 1. 2. 139. Ecce odium meum. *h. e.* illa, quam odi. *Id. Rud.* 1. 4. 134. Ecce Gripi scelera. *Cic.* 13. *Att.* 16. Ecce tuæ litteræ de Varrone. *Id.* 2. *Fin.* 30. 96. Ecce miserum hominem, si dolor summum malum est! ecce tamen plerique omittunt; putant enim esse glossema, ad Accusativum exclamationis explicandum. *Ovid.* 2. *Met.* 496. Ecce Lycaoniæ proles ignara parenti Arcas adest. Sic *Id.* 3. *ibid.* 101. Ecce viri fautrix superas delapsa per auras Pallas adest. — Et absolute *ecce* pro ecce adsum, ecce me. *Plaut. Asin.* 1. 1. 96. DE. Atque audin' etiam? LI. ecce. DE. Si quid te volam, ubi eris? Cf. *Juvenal.* 4. 1. Ecce iterum Crispinus etc. — *c*) Adhibetur etiam in rerum enumeratione, quum novi aliquid inducitur: et aliquando eleganter additur Dativus *tibi*, quod quidem redundat, sed addit tamen demonstrandi vim, ut apud *Cic.* 2. *Orat.* 22. 94. Ecce tibi exortus est Isocrates, magister istorum omnium. Cf. *eumd.* 3. *Off.* 21. 83. Ecce tibi, qui rex populi Romani esse concupierit. Adde *eumd. Cluent.* 28. 75. Rursus *Cic.* 3. *Orat.* 8. 31. Ecce præsentes duo prope æquales Sulpicius et Cotta. *Id. Orat.* 16. 53. Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est. – Distincta alios et interpuncta, intervalla, moræ, respirationesque delectant. – Elaborant alii in lenitate et æquabilitate. – Ecce aliqui duritatem et severitatem quamdam verbis, et orationis quasi mæstitiam sequuntur. *Curt.* 6. 7. 3. Ecce orsum bellum ab Hellesponto. V. *Mützell.* ad h. l. — Et omisso verbo. *Cic. Pis.* 21. 48. Ecce tibi alter, effusa jam maxima præda, quam etc. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 43. 134. et 2. *Divinat.* 70. 144. — *d*) Sæpe adhibetur ad repentinum aliquid atque improvisum ostendendum; et occurrit — Sine additis. *Plaut. Men.* 5. 2. 87. Ecce Apollo mihi ex oraculo imperat, ut etc. Adde *eumd. Merc.* 1. 1. 99. *Cic.* 8. *Att.* 3. *ad fin.* Sed ecce nuncii, scribente me, ecce litteræ, Cæsarem ad Corfinium esse. *Phædr.* 4. 1. Putabat, se post mortem securum fore: Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo. — Cum addito *tibi* apud *Cic. Sext.* 41. 89. Ecce tibi consul, prætor, tribunus plebis, nova novi generis edicta proponunt. *V.* et mox citanda. — Jungitur cum adverbiis *subito*, *repente*, *de improviso* etc. *Sall. Jug.* 14. Postquam illa pestis ex Africa ejecta est, læti pacem agitabamus. – Ecce autem ex improviso Jugurtha, intoleranda audacia, etc. Ceterum *V.* mox citanda. — Præcedente part. *quum*, ut apud *Cic. Cæcin.* 7. 20. Quum id partim mirarentur, partim non crederent: ecce ipse Æbutius in castellum venit. — Præcedente *ubi*, ut apud *Virg.* 3. *Æn.* 219. Huc ubi delati portus intravimus, ecce Læta boum passim campis armenta videmus. — Præcedente *dum*, ut apud *Horat.* 1. *Sat.* 9. 60. hæc dum agit, ecce Fuscus Aristius occurrit. — Et omisso verbo. *Cic.* 2. *Att.* 8. Epistolam quum a te avide exspectarem ad vesperum, ut soleo; ecce tibi nuncius pueros venisse Roma. *Id. ibid.* 15. Quum hæc maxime scriberem, ecce tibi Sebosus! Adde *eumd.* 7. *ibid.* 24., 8. *ibid.* 8., 10. *ibid.* 3. et 1. *ad Q. fr.* 2. 2.; et *Liv.* 2. 36. — Denique sæpissime *ecce autem* junguntur. *Plaut. Curc.* 1. 2. 41. Ecce autem bibit arcus: pluet credo hercle hodie. Adde *eumd. Men.* 5. 2. 34., *Mil. glor.* 2. 2. 48. et *Most.* 2. 1. 35. et 3. 1. 131. *Ter. Eun.* 2. 3. 6. Ecce autem alterum, nescio quid de amore loquitur. *Cic. Orat.* 9. 30. Ecce autem aliqui se Thucidideos esse profitentur, novum quoddam imperitorum et inauditum genus. *Id. Cluent.* 5. 14. Ecce autem subitum divortium. Adde *eumd.* 1. *Legg.* 2. 5., 1. *Fin.* 18. 65. et 1. *de republ.* 35.; et *Liv.* 7. 35.

B) In familiari sermone, præsertim apud Comicos, componitur cum pronominibus *is*, *ille*, *iste*. — *a*) *Ecce* cum pron. *is* componitur; et fit — Nom. fem. sing. *ecca* pro *ecce ea*, ut apud *Plaut. Men.* 1. 2. 66. Ab se ecca exit. Adde *eumd. Rud.* 4. 4. 130.; et *Ter. Eun.* 1. 1. 31. — Accus. sing. masc. *eccum* pro *ecce eum*, ut apud *Plaut. Curc.* 5. 2. 12. Eccum quem quærebam. Adde *eumd. Amph.* 1. 2. 35., 3. 2. 16. et alibi; et *Ter. Andr.* 3. 2. 52. *Forcellinus* affert etiam illud *Varron.* 3. *R. R.* 17. 10. At strepitus a dextra, et eccum recta candidatus noster designatus ædilis. At *Schneiderus* rectius legit *et cum lata*, h. e. purpura, lato clavo; et post *ædilis*, verba *se in villam* addit. — Accus. sing. fem. *eccam* pro *ecce eam*, ut apud *Plaut. Amph.* 2. 2. 116. Item tibi pateram: eccam. Adde *eumd. Asin.* 1. 2. 25. et *Cist.* 4. 1. 3.; et *Ter. Hecyr.* 4. 1. 8., 5. 4. 11. et alibi. — Accus. plur. masc. *eccos* pro *ecce eos*, ut apud *Plaut. Bacch.* 3. 2. 19. Sed eccos video incedere patrem et magistrum. Adde *eumd. Men.* 1. 4. 1., *Mil. glor.* 4. 7. 27., *Most.* 1. 3. 154. et *Rud.* 2. 2. 4.; et *Ter. Heaut.* 2. 3. 15. — Accus. plur. fem. *eccas* pro *ecce eas*, ut apud *Plaut. Aulul.* 4. 4. 11. Ostende huc manus. AT. eccas. — Accus. plur. neutr. *ecca* pro *ecce ea*, ut *Plaut. Rud.* 4. 4. 110. PA. Sunt crepundia. DAE. Ecca video! *b*) *Ecce* cum pron. *ille* componitur, et fit — *Eccilla* apud *Plaut. Stich.* 4. 1. 30. Apud nos eccilla festinat cum sorore uxor tua. — *Eccillud* apud *eumd. Rud.* 2. 7. 18. Tegillum eccillud mihi unum arescit. — *Eccillum* apud *eumd. Merc.* 2. 3. 98. Eccillum, video. Adde *eumd. Pers.* 2. 2. 65. et *Trin.* 3. 1. 21. — *Eccillam* apud eumd. *Mil. glor.* 3. 1. 194. Habeo, eccillam, meam clientam. Adde *eumd. Aulul.* 4. 10. 51. — *c*) *Ecce* et cum *iste* aliquando componitur, unde *eccistam* apud *Plaut. Curc.* 5. 2. 17. Certe eccistam video. — *d*) Pro *eccillum* leges et *ellum*, per syncopen inde factum. *Ter. Andr.* 5. 2. 14. Nescio qui senex modo venit: ellum confidens, catus. Sic *ellam* pro *eccillam* apud *Priscian.* 12. *p.* 919. *Putsch.* — *e*) Hæc interdum dicuntur etiam de absentibus, ostendendo scilicet locum, ubi sunt. *Plaut. Amph. prol.* 120. Pater intus nunc est, eccum Juppiter. *Ter. Adelph.* 3. 1. 25. Ellam intus.

ECCENTROS, on, adject. ἔκκεντρος, extra centrum positus. *Capell.* 8. *p.* 287. Quo fit, ut terra solaris circuli centrum non sit, sed eccentros habeatur. Adde *ibid. p.* 288. et 295. *Id. ibid. p.* 299. Nam Pyrois sive Martium sidus ultra solem means proprium etiam ipse circulum telluris eccentron meat annis prope duobus. *Alii ubique leg.* excentros.

ECCĔRE *vel* eccere, adverbium jurandi, et significat per Cererem: sed aliquibus est adverb. demonstrandi, teste *Paul. Diac. p.* 78. 5. *Müll.*, quod probare videtur ipse *Döderlein*, *Latein. Synon.* vol. 6. *p.* 109. quasi ecce *res*, vel ecce *rem*. Sunt qui scribant *æccere*, quasi sit *per ædem Cereris*. — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 2. 1. 4. Eccere jam tuatim facis, ut tuis nulla apud te sit fides. *Id. Men.* 2. 3. 50. Eccere, perii misera. Adde *eumd. Cas.* 2. 6. 34., *Truc.* 2. 2. 58., et 105.; et *Ter. Phorm.* 2. 2. 5. — *b*) Conjungitur interdum cum part. *autem*, in quibus certe pro *ecce* poni *Forcellinus* affirmat. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 52. Eccere autem capite nutat. *Id. Pers.* 2. 4. 29. Eccere autem, quem convenire maxime cupiebam, egreditur intus.

ECCHEUMA, ătis n. 3. ἔκχευμα, effusio: a χέω *fundo*. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 87. Ibi te replebo unguentum eccheumatis. *Al. leg.* ἐκχεύμασιν *litteris Græcis.*

ECCILLAM, ECCILLUM, ECCISTUM, etc. } *V.* ECCE.

ECCLĒSĬA, æ, f. 1. ἐκκλησία. Non imitandus *Venant.* qui secundam syllabam corripuit, nisi confugias ad synæresim, 3. *carm.* 6. 24. Ecclesiæ juncto corpore crescit honor. Neque *Paulin. Nolan.* qui extrito altero *c* primam corripuit *in carm.* 28. 32. Intra Romuleos veneratur eclesia fines. Adde *eumd. carm.* 38. 153. et *carm.* 15. 117. — Ceterum ecclesia apud Græcos præsertim est cœtus et congregatio populi convenientis ad audiendum de republica, Latine *contio*: ab ἐκκαλέω *evoco*, *convoco*.

I.) Proprie. *Plin.* 18. *Ep.* 111. Denariorum circiter undecim millia donata ei publice, et bule et ecclesia consentiente, *h. e.* et senatu et populo. *Cajus in epit. Institution. tit.* 1. Si aut testamento, aut in ecclesia, aut ante consulem manumittantur.

II.) Improprie. ¶ 1. Apud Christianos scriptores ecclesia est congregatio fidelium. *Tertull.*, *Lactant.*, *Augustin.*, etc. ¶ 2. Item locus, quo orandi causa conveniunt. *Aurelian. Imp. in quadam epist.* apud *Vopisc.* 20. Quasi in Christianorum ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis. *Ammian.* 21. 2. *extr.* Progressus in eorum ecclesiam, solemniter numine orato, discessit. Adde *eumd. ibid.* 28. *sub fin. Paulin. Nolan. carm.* 24. 572. Sancta precum domus est ecclesia. ¶ 3. Et generatim pro quolibet loco, ubi cœtus aliquis habetur. *Auson. epist.* 24. 93. tum prata virentia, tum nemus umbris Mobilibus, celebrique frequens ecclesia vico.

ECCLĒSĬASTES, æ, m. 1. ἐκκλησιαστής, contionator. Ita inscribitur liber sacer, in quo ipse rex Salomon eo se nomine appellat, quia in eo libro ad populum Hebræum auctor contionantis more loquitur. *Vulgat. interpr. Eccle.* 1. 1. Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem. *Hieronym. Comment. in Eccles. T.* 2. p. 715. Itaque, juxta numerum vocabulorum, tria volumina edidit, Proverbia, Ecclesiasten et Cantica Canticorum. *Ambros.* in *Evang. Luc. præfat.* Alius (*liber Salomonis*) Ecclesiastes.

ECCLĒSĬASTĬCUS, a, um, adject. ἐκκλησιαστικός, ad ecclesiam pertinens. *Tertull. Pudic.* 22. Pacem ecclesiasticam alicui reddere. — Hinc

Ecclesiasticus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Dicitur quicumque sacro officio vel munere in christiana ecclesia fungitur. *Cod. Theod.* 1. 3. 22. ¶ 2. Est etiam nomen libri, qui inter sacros a catholica ecclesia receptus est.

ECCLĒSIECDICUS, a, um, adject. ἐκκλησιέκδικος, ab ἐκκλησία et ἔκδικος *ultor*, *vindex*; est ecclesiæ defensor in *Cod. Theod.* 1. 5. 31. *V.* ECDICUS.

ECCLĒSĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. ab* ecclesia, parva ecclesia. *Alcim. Ep.* 39. *ad fin.* Quidquid habet ecclesiola mea, immo omnes ecclesiæ nostræ, vestrum est. *Id. Ep.* 71. Viennensis ecclesiola. *Id. Ep.* 79. Domum vestræ oblationis ecclesiola nostra venerabitur.

ECCOS, ECCUM. } *V.* ECCE.

ECDĬCUS, i, m. 2. ἔκδικος, ultor, vindex, defensor, assertor. *Ecdici* in municipiis erant, qui Romæ tribuni plebis, qui scilicet plebis causam adversus injuriam optimatum, vel suarum civitatum jura apud magistratus populi romani tuebantur. Hi in *Cod.* 1. *tit.* 55., et *ibid. leg.* 2. et 7. dicuntur defensores civitatum. *Cic.* 13. *Fam.* 56. Se curaturum, ut ecdici Mylasii Romam mitterentur. Adde *Plin.* 10. *Ep.* 111.

ECĔRE. *V.* ECCERE.

ECFĀTUS,

ECFĒMĬNĀTUS,

ECFĔRO,

ECFŎDĬO et similia. *V.* EFFATUS, EFFEMINATUS, EFFERO, EFFODIO etc.

ĒCHĒA *vel* Echeia, ōrum, n. plur. 2. ἠχεῖα, vasa ærea in theatris collocata ad reddenda vocem agentium fabulas, vel canentium, et consonantiorem faciendam: ab ἦχος *sonus*. *Vitruv.* 5. 5. 2. *Schneid.*, ubi Latinis litteris occurrit; et 1. 1. 9. ubi Græcis.

ECHĔDERMĬA, æ, f. 1. idem quod coriago. *Veget.* 5. *Veterin.* 53. 1. *Schneid.* Passio, quam Græci echedermiam vocant, Latini coriagineum appellant. *Vulgatum* ecedermiam, *recte ita corrigendum esse*, *vidit* Gesner.

ECHĔNĒIS, idis, f. 3. ἐχενηΐς, genus pisciculi, quem Latini remoram, Itali *remora* appellant, ab ἔχω

habeo, retineo, et ναῦς, Jonice pro ναῦς *navis*, quia per aquam navem sistere credita est, ei adhærens, quamvis immensam, et velo et remis concitatam, ne possit iter institutum peragere. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 25. 41. (79). et 32. *ibid.* 1. 1. (2). *Ovid. Halieut.* 99. Parva echeneis adest (mirum!) mora puppibus ingens. *Lucan.* 6. 674. puppim retinens, Euro tendente rudentes, In mediis echeneis aquis. *Cassiod.* 1. *Variar.* 35. mira prorsus de eadem narrat.

ĔCHIDNA, æ, f. 1. ἔχιδνα, vipera femina, ut mas ἔχις, Græce, παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν ἄχρι θανάτου, quod continet in se fetum usque ad mortem, idest donec pulli nimiam moram pertæsi, eroso matris utero, parenteque necata, erumpant. Nam et Latine *vipera* vocatur a quibusdam, quia *vi parit*. ¶ 1. Accipitur præcipue pro hydra illa Lernæa, quæ ab Hercule interfecta est. *Ovid.* 5. *Fast.* 405. Sanguine Centauri Lernææ sanguis echidnæ Mixtus. Adde *eumd.* 9. *Met.* 64. et 158. ¶ 2. Item pro monstro quod ex dracone et virgine constabat, quæque Cerberi mater fuit, ut Poetæ fabulantur. *Ovid.* 13. *Met.* 313. Stipite te Stygio, tumidisque afflavit echidnis E tribus una soror. *Id.* 4. *ibid.* 499. Attulerat (*Medea*) secum liquidi quoque monstra veneni, Oris Cerberei spumas et virus Echidnæ *V.* voc. seq.

ĔCHIDNÆUS, a, um, adject. ad echidnam pertinens. *Ovid.* 7. *Met.* 709. illud echidnææ memorant e dentibus ortum Esse canis. *h. e.* Cerberi. Al. leg. *echidnæi*: alii *Lernæi*: alii per echidnæam canem ipsam Hydram intelligunt.

ĔCHIDNĬON, ii, n. 2. ἐχίδνιον, herba viperina. *Apul. Herb.* 5. *V.* VIPERINUS.

ĔCHĪNĀTUS, a, um, adject. operculo spinoso veluti echini tectus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 23. 25. (92). Castaneis armatum echinato calyce vallum est. *Id.* 27. *ibid.* 9. 47. (71). In cacumine capitula sunt echinata spinis. *Id.* 22. *ibid.* 9. 11. (24). Echinata folia.

ĔCHĪNŎMĒTRÆ, ārum, f. plur. 1. ἐχινομῆτραι, echinorum genus spinis longissimis calycibus minimis, colore rufo, vel vitreo. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (100).

ĔCHĪNŎPHŎRA, æ, f. 1. ἐχινοφόρα, genus conchæ a *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (147). memoratum, de quo dictum est in ACTINOPHORA: *Schneiderus* enim et *Sillig.* ita legunt pro *echinophora*.

ĔCHĪNŎPUS, pŏdis, f. 3. ἐχινόπους, herbæ genus aculeis horrens, similis tribulo. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 8. 8. (18). Ceras ex omnium arborum satorumque floribus confingunt, excepta rumice et echinopode. *Alii perperam leg.* chenopode.

ĔCHĪNUS, i, m. 2. ἐχῖνος.

I.) Proprie. ¶ 1. Est piscis quidam ex cancrorum genere, cui spinæ pro pedibus sunt, cui ingredi est in orbem volvi: a Græca voce allata. Capitur fere inter saxa. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (99). *Varro* apud *Non.* p. 216. 19. *Merc.* Non posse ostrea te Romæ præbere et echinos. Adde *eumd.* 5. *L. L.* 77. *Müll.*; *Horat. Epod.* 5. 28., 2. *Sat.* 4. 33. et 1. *Ep.* 15. 23.; *Plin.* 1. *Ep.* 15. 3.; *Pallad.* 2. *R. R.* 16. et 13. *ibid.* 6.; et *Petron. Satyr.* 69. ¶ 2. Item animal terrestre, spinis undique vestitum, *al.* erinaceus, quod *Isid.* 2. *Orig.* 6. marino nomen dedisse putat. *Claudian. de hystrice*, 18. Sed non hæc acies ritu silvestris echini Fixa manet.

II.) Improprie. ¶ 1. Echinus dicitur genus vasis, quod alii æreum volunt esse, in quo calices lavantur, alii ollam fictilem, alii vas salis, alii lignum cum uncinis, in quo calices ponuntur, alii ampullam vitream, alii scorteam a rotunditate echini se in pilam colligentis, vel quod echini in eo sculpi consueverint. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 117. astat echinus Vilis, cum patera guttus, Campana supellex. ¶ 2. Item cortex spinosus castanearum. *Calpurn.* 2. *Ecl.* 83. Maturis nucibus virides rumpuntur echini. Adde *Pallad. Insit.* 155., et *Servium* ad *Virg.* 7. *Ecl.* 53. ¶ 3. Item ornamentum in capitulis columnarum Jonicarum et Doricarum, quia castanearum ordinatim in patentes echinos dispositarum imaginem præ se ferunt. *Vitruv.* 4. 3. 4. et 4. 7. 3. *Schneid. V.* ANULUS. — *NB.* De nom. prop. *V.* ONOM.

ĔCHĬON, ii, n. 2. ἔχιον, medicamentum ex vipera (quæ Græce ἔχις) combusta, fœniculo, rore, ad suffusiones oculorum et caligines. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (119).

ĔCHĬOS, ii, f. 2. herba duplicis generis: alia pulegio similis foliis coronata (*Sillig. leg. carinata*); alia lanugine spinosa distincta, cui capitula viperæ similia sunt, quamque alii personatam vocant. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 58. (104). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 347.) hæc docet: « La première espèce d'*echios* de Pline – est une plainte d'une détermination fort difficile. Quelques commentateurs ont pensé que c'était l'ὠκιμοειδὲς de Dioscoride (4. 28.); cela n'a rien de probable, et les descriptions les font différer sensiblement. – Pour ce qui est de l'*echios personata*, il semble assez probable que c'est notre bardane: c'est pourquoi nous n'hésitons pas à proposer la synonymie suivante: Ἀρκτίον ἄγρια Theophr. Hist. plant. 7. 14.; Ἀρκεῖον προσωπὶς καὶ προσώπιον Dioscor. 4. 107. et Galen. Simpl. med. 6.; Πλατυφανταλίδα Græcor. recent; et *Echios personata*, grandes *lappas ferens* Plin. loc. cit. sunt *Arctium Lappa* L. Spec. plant. 1143. » Ceterum cl. *Fée loc. cit.* tres echios distinguere videtur, quarum altera est *echis*, de qua in voc. seq.

ĔCHIS, is, m. 3. herba, quæ et doris et pseudoanchusa dicitur, de qua agit *Plin.* 22. *Hist. nat.* 20. 24. (50). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 114.) hanc exhibet synonymiam: *Pseudanchusa*.–Ἔχιον Dioscor. 4. 27. (dans ce qui a rapport aux propriétés médicinales seulement) et *Pseudanchusa*, *echis aut doris* Plin. loc. cit. sunt *Anchusa italica* Retz, Poir., Encycl., la buglosse d'Italie.

ĔCHĪTE, es, f. 1. ἐχίτη, herba quæ morsibus viperinis medetur, similis scammonio. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 89. (139). *Forcellinus leg. echites, æ*, m. 1. Ceterum cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 287.) hanc exhibet synonymiam: *Clematis, aliis echite seu lagine* Plin. loc. cit. et *Asclepias κιρκαία καὶ ἀγρία* Dioscor. 3. 134. sunt *Asclepias nigra* L. Spec. plant. 312.

ĔCHĪTES, æ, m. 1. ἐχίτης λίθος, lapilli species, qui vipereas habet maculas, colore viridi subobscuro, ab ἔχις *vipera*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 72. (187). Alii hic legunt *echitis* eodem sensu. Sic *Isid.* 16. *Orig.* 15. Echites vipereas maculas exprimit. Cf. et *Solin.* 37. 18.

ĔCHĪTIS, idis, f. 3. *V.* voc. præced.

ĒCHŌ, us, f. ἠχώ, soni vel vocis repercussio: ab ἠχέω *sono*, *resono*. Latinis dicitur *imago*. Hinc *Horat.* 1. *Od.* 12. 4. Quem deum, cujus recinet jocosa Nomen imago? (It. *eco*; Fr. son *répercuté, écho*; Hisp. *eco, sonido y repeticion de la voz*; Germ. *der Wiederhall, das Echo*; Angl. *the return or repercussion of any sound, an echo*). *Pers.* 1. 102. reparabilis assonat echo. *Auson. Epist.* 10. 23. Turbida congestis referitur vocibus echo. Adde *eumd. ibid.* 25. 68. et *Mos.* 297. — Poetæ fabulantur, Echo nympham fuisse; hanc a Junone brevissimo vocis usu esse punitam, quod eam longo sermone tenere solita esset, ne nymphæ a Jove amatæ ab illa deprehenderentur: cum deinde a Narcisso, cujus amore deperibat, spreta fuisset, longo mærore contabuisse, et corpore demum in saxum converso, nihil nisi vocem retinuisse. *Ovid.* 3. *Met.* 339. *et seqq.*, quocum cf. *Auson. Epist.* 11. 7. et 99. 1. — Fit præcipue in convallibus et locis concameratis, ubi resultat aer et acceptæ voces numerosiore repercussu multiplicantur. Non enim ibi liberum habet vagandi campum, sed rerum objectu reflectitur. In quibusdam locis etiam pluries multiplicantur. Ex. gr. in urbe Cyzico turres septem acceptas voces multiplicant: et Olympiæ porticus fuit, quam Heptaphonon appellabant, quoniam septies eadem vox ibi reddebatur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 23. (100).

ĒCHŌĬCUS, a, um, adject. ἠχωϊκός, ad echo pertinens, ut Echoici elegi, apud *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *post carmen.* Ita legit *Sirmond.*, antea enim *Eschoici* legebatur. Tale esse putat *Sirmond.* illud cujusdam *Pentadii* distichon: *Per cava saxa sonat pecudum mugitibus Echo, Voxque repulsa jugis per cava saxa sonat.* — In Centimetro *Servii* p. 1826. *Putsch.* Echoicum metrum est, quoties sonus ultimæ syllabæ congruit pænultimæ, ut *Exercet mentes fraternas gratia rara.* — At *Burmannus* in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 558. et *T.* 2. p. 551. probat, echoicos versus appellari, quoties ejusdem soni vocabula, repetitis ultimis præcedentis vocis syllabis, unde fit echo, sibi succedunt in fine alicujus versus, ut *Epigr.* apud *eumd. T.* 1. p. 476. Dum natat, algentes cecidit scintilla per undas: Hinc vapor ussit aquas; quicumque natavit, amavit. *V.* RECIPROCUS.

ĔCLIGMA, ătis, n. 3. ἔκλειγμα, medicamentum, quod fit lingendi gratia, non edendi aut devorandi, ut cum aliquid tenetur, et paullatim destillando transmittitur: a λείχω *lambo, lingo*. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 89. (154). *de thymo.* In ecligmate faciles excreationes facit, cum aceto et sale. *Id.* 24. *ibid.* 7. 23. (38). Fit excreationes pectoris adjuvat ecligmate. *V.* ELECTARIUM.

ĔCLIGMĀTIUM *vel* eclimadium, ii, n. 2. parvum ecligma. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *ante med.* Ecligmatium superdictorum succorum. *Theod. Priscian.* 2. 17. Dabo diamoron pro ecligmatio. *Plin. Valerian.* 1. 58. Ecligmadium ad tussim expertum.

ĔCLIPSIS, is, f. 3. ἔκλειψις, deliquium, defectio: ab ἐκλείπω *deficio*. Eclipsis lunæ, cum sol per interpositionem terræ ita lunæ opponitur, ut illam illuminare non possit; eclipsis solis, cum luna inter solem et nostrum aspectum interponitur. *Cic.* 3. *Herenn.* 22. 36. Solis eclipses magis mirantur quam lunæ, quia hæ crebriores sunt. *V. Senecam* 5. *Benef.* 6. *circa med.*, ubi solis eclipsim describit. — Et absolute. *Varro* apud *Philargyr.* ad *Virg.* 2. *G.* 477. Eclipsis quando fit, cur luna laboret: et, si hoc ridicule credunt, dicant, quid laborent. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 12. 9. (53). Sulpicius Gallus –, peidie quam Perses rex superatus a Paulo est in contionem ab imperatore productus ad prædicendam eclipsim. — *NB.* Quoties in oratione aliquid deest, quod facile subintelligi possit, *eclipsis* dicitur: quod quidam vitium esse putarunt; *Quintil.* 8. 6. 21. figuram: quod certe verum est, si nullam pariat obscuritatem. Hinc eclipsis est illud *Virg.* 1. *Æn.* 139. Quos ego, ubi deest *affligam*, aut *ulciscar*, ut ait *Servius ibid.* et ad *v.* 69. At *Spalding* apud *Quintil. loc. cit.* pro *eclipsis* legit et quidem rectius *ellipsis*.

ĔCLIPTĬCUS, a, um, adject. ἐκλειπτικός, ad eclipsim pertinens. *Plin.* 2. *Hist. nat* 16. 13. (68). Stationes stellarum fieri in mediis latitudinum articulis, quæ vocant ecliptica: scilicet quia ibi contingere eclipses solent. *Manil.* 4. 816. *et* 846. Ecliptica signa. *h. e.* quæ eclipsim patiuntur. *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 216. Sol cursus agit per eclipticam lineam, quæ Zodiacum bifariam dividit.

ĔCLŎGA, æ, f. 1. ἐκλογή. ¶ 1. Generalim est electio, delectus: Itera ipsa res delecta et selecta: ab ἐκλέγω *eligo, deligo*. *Varro* apud *Charis.* 1. p. 97. *Putsch.* Eclogas ex annali descriptas. ¶ 2. Specialim hoc nomine scriptores nonnulli appellarunt singula poematia breviora, quæ edebant in vulgus, quasi essent electa e multis, quæ in eo genere scripsissent, et non edidissent. *Plin.* 4. *Ep.* 14. *ad fin.* Proinde sive epigrammata, sive edyllia, sive eclogas, sive, ut multi poematia, seu quod aliud vocare malueris, licebit voces: ego tantum hendecasyllabos præsto. *Stat.* 3. *Silv. præfat.* Summa est ecloga, qua mecum secedere Neapolim Claudiam meam exhortor. *et præf. l.* 4. Juncta est ecloga ad municipem meum Julium Menecratem, cui gratulor, etc. *Auson. ep. præfixa Edyll.* 6. Quid ego huic eclogæ studiose patrocinor? *Id. ep. præfixa Edyll.* 11. eclogam vocat oden decimam nonam *l.* 3. *Horatii.* Sic *Sueton. Vita Horat. a med.* Expressitque eclogam, cujus initium est, Cum tot sustineas et tanta negotia solus, *h. e.* epistolam primam libri secundi. *Al. minus recte leg.* elogium; *Hermann. Doergens* legit *Expressitque ex eo tamquam si initium esset*: etc., quod magis arridet. *Sidon.* 9. *Ep.* 1. *carm.* 1. Vernans per varii carminis eclogas, Verborum violis multicoloribus. *h. e.* per varia carminum genera. *Vetus Scholiast. Cruq.* ad *Horat.* 2. *Sat.* 1. Quoniam hic quid ecloga sit, quæri solet, sciendum est, quod eclogæ hæc nomina sub se continet: si ad Jovem, prosodiæ dicuntur, si ad Apollinem, Dianam, aut Latonam, pæanes; si ad Liberum, aut Semelem, dithyrambi; si ad ceteros deos, hymni: si ad homines laudandos, vituperandos, reprehendendos, lugendos, odæ sunt et eclogæ, sunt enim brevia poematia. *Virgilii* quoque Bucolica *Eclogæ* inscribuntur: quarum exemplo factum est, ut omnia poemata pastoralia hoc nomine hodieque vocentur. *V.* EDYLLIUM.

ĔCLŎGĀRĬUS, a, um, adject. *Eclogarii* videntur quibusdam servi litterati, veluti anagnostæ, qui ex libro qui recitabatur, celeriter selecta quædam et

notatu digniora escipiebant excerpebantque: aliis rectius sunt *loci insigniores*. *Cic.* 16. *Att.* 2. *ad fin.* De gloria (*libros*) misi tibi. Custodies igitur, ut soles: sed notentur eclogarii, quos Salvius, bonos auditores nactus, in convivio dumtaxat legat. His congruunt, quæ habet *Id. ibid.* 11. *init.* Nostrum opus (*de gloria*) tibi probari lætor; ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quæ mihi florentiora visa sunt tuo judicio. — *Eclogarium* inscripsit *Auson.* unum ex libris suis, in quo est collectio breviorum poematum, excerptorum atque selectorum ex pluribus, quæ in eo genere ipse composuerat: ab ἐκλογή *delectus*.

ECMĔLES, is, adject. comm. gen. ἐκμελής, extra modulationem, absonus. *Boeth.* 5. *Music.* 10. *p.* 1167. Voces inter se vel unisonæ sunt, vel non unisonæ. Non unisonarum autem vocum aliæ quidem sunt æquisonæ, aliæ emmeles, aliæ dissonæ, aliæ ecmeles. – Ecmeles (*sunt*), quæ non recipiuntur in consonantiarum conjunctione.

ECNĔPHĬAS, æ, m. 1. ἐκνεφίας, ου, ὁ, ventus ex nube discissa erumpens: ab ἐκ *ex*, et νέφος *nebula*. Sic dicitur procellæ genus, quam pluribus describunt *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 12., et *Plin.* qui sic habet 2. *Hist. nat.* 48. 49. (131). Venti majore illati pondere incursuque, si late siccam rupere nubem, procellam gignunt, quæ vocatur a Græcis ecnephias: sin vero depresso sinu arctius rotati effregerunt, sine igne, hoc est sine fulmine, verticem faciunt, qui typhon vocatur, idest vibratus ecnephias. *V.* PRESTER.

ĒCONTRA *vel* e contra, adverb. *V.* CONTRA.

ĒCONTRĀRIŌ *vel rectius* e contrario, adverb. *V.* CONTRARIUS.

ĒCONVERSŌ *vel rectius* e converso, adverb. vice versa. *Boeth.* in *Aristot. de interpr. edit. sec. p.* 391. Rursus in parte altera idem e converso evenit. Adde *eumd ibid. p.* 471. et alibi.

ECPHŎRA, æ, f. 1. ἐκφορά, prominentia, projectura. *Vitruv.* 6. 2. 2. *Schneid.* Columnarum projecturæ, mutulorum ecphoræ. *Id.* 3. 5. 11. *Schneid.* Omnes ecphoræ venustiorem habeant speciem, quæ quantum altitudinis, tantumdem habent projecturæ.

ECPHRASTES, æ, m. 1. ἐκφραστής, qui edisserit, enarrat, interpretatur, ex una in aliam linguam vertit. Vox Græca, ab ἐκφράζω edissero. Opusculum *Fulgentii Planciadis* in editione *Gothofredi* ita inscribitur: *Libellus de prisco sermone ad Chalcidium grammaticum Timæi Platonis ecphrasten.* In *Merceri* autem editione aliter omnino inscribitur, scilicet: *Fabii Planciadis Fulgentii V. B. Expositio sermonum antiquorum ad Chalcidium Grammaticum, cum testimoniis.*

ECPŸRŌSIS, ĕos, f. 3. ἐκπύρωσις, a πῦρ *ignis*, Græce est inflammatio. Latinis litteris scripta legitur in verbis *Nigidii* apud *Servium* ad *Virg.* 4. *Ecl.* 10. et ad 6. *ibid.* 41., ubi mundi totius inflammatio significatur.

ECQUANDO, adverb. interrogandi, compositum ex *ec* vel *ce* vel *en* et *quando*, est an aliquando, num aliquando (It. *quando mai*; Fr. *est-ce que jamais*; Hisp. *quando*; Germ. *irgend einmal, jemals*; Angl. *when, at what time, whether at any time*). Usurpatur in vehementi animi motu, ac præcipue in ira. — *a*) Absolute. *Cic.* 4. *Verr.* 17. 43. Quæ, malum, ista fuit amentia? ecquando te rationem factorum tuorum redditurum putasti? ecquando his de rebus tales viros audituros existimasti? *Id.* 7. *ibid.* 25. 66. Ecquando igitur isto fructu quisquam caruit, ut videre piratam captum non liceret? *Liv.* 3. 67. Qui finis erit discordiarum? Ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc esse patriam licebit? Adde *Senec.* 3. *Ira* 28.; et *Val. Flacc.* 2. 395. — *b*) Sequente part. *nisi*, apud *Cic.* 2. *leg. Agr.* 7. 17. Quæro a populari tribuno plebis, ecquando nisi per triginta tribus creati sint. — *c*) Cum addita interrogativa particula *ne*, ut apud *Propert.* 2. 7. 39. Ecquandone tibi liber sum visus? an usque in nostrum jacies verba superba caput? Adde *Vellej.* 2. 14. 2. et V. ibi *Kritz.* — Et sequente part. *nisi* apud *Cic.* 3. *Fin.* 22. 63. Quoties hoc agitur, ecquandone, nisi admirationibus maximis? *V.* Interpp. ad h. l.

ECQUI, quæ *vel* qua, quod, adjectivum pronomen interrogandi (V. *Zumpt.* ad *Cic.* 5. *Verr.* 11. 25.), compositum ex *ec* vel *ce* et *qui*, vel ex *en* et *qui*, ut *Prisciano* 1. *p.* 536. *Putsch.* placet: et idem est ac *qui*, *qualis* interrog. (It. *quale*, *e quale*; Fr. *y a-t-il quelque.., quelqu'un, ou quelqu'une qui? y a-t-il un ou une?* Hisp. *que, qual*; Germ. *irgend einer, eine, eins*; Angl. *who? what? any*). Usurpatur præcipue quum interrogatio maximâ vi fit; et occurrit in iis tantum casibus, qui exhibentur. — *a*) Nom. sing. *ecqui* vel *ecquæ*, ut apud *Plaut. Bacch.* 2. 3. 1. Ibo in Piræeum: visam, ecquæ advenerit in portum ex Epheso navis mercatoria. Adde *eumd. Stich.* 2. 2. 42.; et locum *Lucret.* sub *f* allatum. *Cic.* 6. *Verr.* 8. 18. Ecqui pudor est? ecqui metus? *Id. Sext.* 52. 110. Ecquæ seditio unquam fuit, in qua non ille princeps? ecqui seditiosus, cui ille non familiaris? ecquæ turbulenta concio, cujus ille non concitator? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 26. 86. Ecquæ poterit in agnoscendo esse distinctio? Adde *eumd.* 8. *Att.* 12.; et *Ovid. Heroid.* 16. 341. — In recto feminino dicitur etiam *ecqua*, ut a *Plaut. Men.* 1. 2. 26. Ecqua in istac pars inest præda mihi? *Id. Mil. glor.* 3. 1. 199. Ecqua ancilla est illi? Adde *eumd. Most.* 3. 2. 83.; et *Ter. Eun.* 3. 3. 15. *Cic.* 7. *Att.* 8. Quod quæris, ecqua spes pacificationis sit. *Al. leg.* ecquæ. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 24. 63.; et *Virg.* 3. *Æn.* 341. *Ovid.* 4. *Fast.* 488. hac gressus ecqua puella tulit? *Al. leg.* si qua. Adde non unum ex allatis *Cicer.* locis, item 6. *Verr.* 8. 18. et 11. 25., in quibus alii reponunt *ecqua*: nec analogia repugnat; nam et *aliqua* et *si qua* dicitur. — *b*) Neutr. sing. *ecquod* apud *Ter. Eun.* 3. 3. 13. Rus Sunii ecquod haberem et quam longe a mari. *Cic.* 5. *Verr.* 57. 131. Ecquod judicium Romæ tam dissolutum? *Id.* 2. *Invent.* 12. 42. Ecqua consuetudo, ecqua actio, ecquod artificium? Adde *Liv.* 1. 9.; et *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 3. — *c*) Accus. sing. masc. *ecquem* apud *Plaut. Curc.* 2. 3. 61. Ibi me interrogat, ecquem in Epidauro Lyconem trapezitam noverim. Adde *eumd. Pœn.* 5. 2. 84; et *Rud.* 1. 2. 37. et 2. 2. 7. *Ter. Hecyr.* 5. 3. 6. Hospitem ecquem Pamphilum hic habes? — *d*) Acc. sing. fem. *ecquam* apud *Plaut. Epid.* 3. 4. 4. Si istunc hominem, quem tu quæritas, tibi commonstrasso, ecquam abs te inibo gratiam? Adde *eumd. Merc.* 2. 3. 56. *Cic.* 4. *Verr.* 27. 67. Ecquam rem putatis esse in Sicilia, nisi ad nutum istius, judicatam? — *e*) Acc. plur. fem. *ecquas* apud *Plaut. Pseud.* 1. 5. 69. Ecquas viginti minas – per doctos dolos paviæs ut auferas a me? — *f*) Acc. plur. masc. *ecquos* apud *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 3. Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum Duritiæ confers, Albinovane, meæ? — *g*) Ablat. sing. neutr. *ecquo* apud *Cic.* 3. *Verr.* 24. 62. Ecquo in oppido pedem posuit, ubi non plura etc. — *h*) Cum addita *nam*, *ecquinam*, *ecquænam* etc. *Lucret.* 5. 12. 10. Tentat enim dubiam mentem rationis egestas, Ecquænam fuerit mundi genitalis origo; Et simul, ecquæ sit finis. *Cic. Brut.* 6. 22. Crebro in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando sit habitura tua et natura admirabilis et exquisita doctrina. *Id. Partit. orat.* 14. 48. Quæ sine arte appellantur, – ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent? *Id* 2. *Herenn.* 17. 26. Quærendum erit, ecquonam modo obsisti potuerit. Ita *Forcellinus*: at *Orellius* et quonam modo obsistere. *Id.* 1. *Fin.* 24. 67. Illud dubium, ad id, quod summum bonum dicitis, ecquænam fieri possit accessio. — *i*) *Ecqui* substantivi pronominis more pro *ecquis* legitur apud *Plaut. Stich.* 1. 3. 69. Ecqui poscit prandio? *h. e.* num quis vult me dato prandio emere?

ECQUI, adverb. compos. ab *ec* vel *ce* vel *en* et *qui* interrog. pro *quomodo*, idem quod ecquonam modo. *Cic.* 1. *Tusc.* 8. 15. Ecqui ergo intelligis, quantum mali de humana conditione dejeceris? Ita *Klotz* ex *Cod. Reg.*; at *Orellius* aliique *ecquid*. Et *Plaut. Aulul. prol.* 16. Cœpi observare, ecqui majorem filius mihi honorem haberet.

ECQUIS, ecquid, substantivum interrogandi pronomen, compositum ab *ec* vel *ce* vel *en* et *quis*, *quid*, æque ac *num quis*, *num quid* (It. *qual uomo, quale cosa*; Fr. *y a-t-il quelqu'un, y a-t-il un?*; Hisp. *que?*; Germ. *irgend Jemand, irgend etwas*; Angl. *who? what?*). Occurrit autem *A*) Ut substantivum interrogandi pronomen; et *B*) In genere neutro adverbii more.

A) Ut substantivum interrogandi pronomen usurpatur — *a*) Nom. sing. masc. *ecquis*, ut apud *Plaut. Amph.* 4. 1. 9. Feriam fores. Aperite hoc. heus ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium? *Ter. Eun.* 5. 9. 1. Ecquis me vivit fortunatior? *Virg.* 9. *Æn.* 51. Ecquis erit mecum, juvenes, qui primus in hostem? *Plaut. Capt.* 2. 3. 99. Eadem percontabor, ecquis hunc adolescentem noverit. Adde *eumd. Asin.* 2. 4. 36. et 5. 2. 60., *Bacch.* 4. 1. 9., *Capt.* 3. 2. 10. et *Most.* 4. 2. 11.; *Ter. Eun.* 3. 3. 16.; *Horat.* 2. *Sat.* 7. 31.; et *Liv.* 3. 68. — *b*) Neutrum sing. *ecquid* apud *Plaut. Asin.* 3. 3. 58. Ecquid est salutis? Adde *eumd. Curc.* 1. 2. 39. *Ter. Heaut.* 3. 3. 34. Ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti, Syre? *Cic.* 4. *Verr.* 62. 152. Rogato, ecquid in tuam statuam contulerit? *Id.* 7. *Fam.* 11. Heus tu, quid agis? ecquid fit? Adde *eumd.* 12. *Att.* 7.; et *Liv.* 40. 40. — *c*) Dat. sing. masc. *eccui* apud *Cic. Mur.* 33. 68. Eccui non proditur revertenti? — *d*) Acc. sing. masc. *ecquem* apud *Plaut. Cist.* 4. 2. 42. Ecquem vidisti quærere hic, amabo, in hac regione cistellam cum crepundiis? *Cic.* 8. *Fam.* 15. Ecquem autem (*vidisti*) Cæsare nostro acriorem in rebus gerendis? *in præcedenti periodo est tamen Accusativus* hominem. — *e*) Nom. plur. masc. *ecqui* apud *Stat.* 10. *Theb.* 215. Ecqui aderunt, quos ingenti se attollere fama Non pigeat. — *f*) Cum addito *nam*, *ecquisnam*, *ecquidnam*, ut apud *Plaut. Pœn.* 3. 3. 5. Sed quid huc tantum hominum incedunt? ecquidnam afferunt? *Cic. Vatin.* 11. 26. Deinde interrogares, ecquosnam alios posset nominare? *Id. ibid.* 16. 38. Audire a te cupio –, ecquid audieris, ecquisnam tibi dixerit, C. Cæsarem dixisse etc. *Id. Topic.* 21. 82. Sit, necne sit: ecquidnam honestum sit: ecquid æquum ea vera etc. *Al. tamen aliter leg. Catull.* 28. 6. Ecquidnam in tabulis patet lucelli Expensum? — *g*) Interdum *ecquis*, haud aliter atque *ecqui* adjective occurrit. *Plaut. Amph.* 2. 2. 226. Ecquis alius Sosias intu'st qui mei similis siet? *Id. Men.* 4. 2. 110. Heus, ecquis hic est janitor? Adde *eumd. Most.* 2. 1. 7. *Virg.* 10. *Ecl.* 28. Ecquis erit modus, inquit. Adde *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 15.; et *Liv.* 23. 12. — Hinc

B) Adverbii more neutrum *ecquid* sæpissime usurpatur, et ponitur pro numquid, num, an non. — *a*) Sine additis et in recta interrogatione. *Plaut. Asin.* 5. 2. 50. Ecquid matrem amas? *Id. Bacch.* 1. 2. 53. Occisus hic homo est. Ecquid in mentem est tibi, patrem tibi esse? Adde *eumd. Amph.* 2. 1. 29., *Aulul.* 2. 3. 3. et *Curc.* 2. 8. 19. *Ter. Andr.* 5. 2. 30. Age Pamphile, exi Pamphile: ecquid te pudet? Adde *eumd. Eun.* 2. 2. 48. et 3. 2. 3. *Cic.* 2. *Att.* 2. Sed, heus tu, ecquid vides, calendas venire, Antonium non venire? *Id. Cluent.* 26. 71. Quid tu? inquit; ecquid me adjuvas, Bulbe, ne gratis reipublicæ serviamus? Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 8. 15., 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 122. et 3. *de republ.* 11.; *Virg.* 3. *Æn.* 342.; *Horat.* 1. *Ep.* 18. 32.; et *Plin.* 6. *Ep.* 16. *Liv.* 4. 3. Ecquid sentitis, in quanto contemptu vivatis? Adde *eumd.* 3. 11. et 5. 52. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 47. Ecquid, ut audieris, tota turbabere mente? *Id. ibid.* 7. 11. Tu quoque, dic, studiis communibus ecquid inhæres? — *b*) Una cum adv. *tandem* apud *Cic. Rosc. Am.* 16. 46. Ecquid tandem tibi videtur – senex ille Cæcilianus minoris facere Eutychum filium rusticum, quam illum alterum? — *c*) In obliqua interrogatione. *Plaut. Bacch.* 4. 10. 9. Nunc Mnesilochum, quod mandavi, viso: ecquid eum ad virtutem aut ad frugem operâ suâ compulerit. Adde *eumd. Mil. glor.* 3. 1. 114. et 4. 2. 3., et *Most.* 3. 3. 4. *Cic.* 7. *Fam.* 16. Quid agatis, et ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac plane sciam. Adde *Liv.* 27. 10. et 44. 27. — *d*) Pro *quid* vel *cur* adhibetur a *Liv.* 42. 26. Quæsitum, ecquid ita non adissent magistratum, ut ex instituto loca, lautia, acciperent?

ECQUISNAM, ecquænam, ecquodnam, ecquidnam. *V.* ECQUI, ecquæ, ecquod sub *f.*; et voc. præc. sub *A. f.*

ECQUO, adverb. motus, quonam. *Cic.* 13. *Phil.* 11. 24. Ecquo te tua virtus provexisset? ecquo genus?

ECSTĀSIS, is, f. 3. ἔκστασις, ab ἐκ et ἵστημι (στάω) *sto.* Scribitur et *extasis.* — Ecstasis est excessus mentis extra se positæ. *Tertull. Anim.* 45. Hanc vim ecstasin dicimus, excessum mentis, et amentiæ instar. *Augustin. de Gen. ad litt.* 12. Quando avertitur atque abripitur animi intentio a sensibus corporis, ecstasis est. *Hieronym.* 1. *Comment. in Isaiam proœm.* Neque vero, ut Montanus somniat, prophetæ in ecstasi sunt locuti.

ECTĀSIS, is, f. 3. ἔκτασις, productio, extensio: ab ἐκτείνω *extendo*. Ita dicitur figura poetica, qua syl-

isba correpta contra rationem producitur. *Charis.* 4. p. 249. *Putsch.* et *Diomed.* 2. *p.* 437., sed uterque Græce: Latine *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 473.

ECTHLIPSIS, is, f. ἔκθλιψις. ¶ 1. Apud Grammaticos est figura poetica, qua littera *m* simul cum vocali præcedenti ob vocalem, vel diphthongum sequentem eliditur, ut in illo *Pers.* 1. 1. O curas hominum, o quantum est in rebus inane! Vox Græca, ab ἐκ et θλίβω *tero.* *Charis.* 4. p. 249. *Putsch.* Ἔκθλιψις est, quum duabus ejectionibus (*lege* dictionibus) aliqua consonantium aut plures quas habet (*lege* habent), eliduntur, ut *Multum ille et terris jactatus et alto.* Adde *Diomed. loc. cit.* in voce præced.; et *V. Quintil. loc. cit.* in OBSCURO. Similiter *Val. Prob.* 1. p. 1440. *Putsch.* Ecthlipsis est, quum inter se aspere concurrentium syllabarum, intercedente sola *m* littera consonante, et vocalem et consonantem, quam diximus, elidi necesse est. Sic apud *Capell.* 3. p. 60. *ecthlipsi* pro *eclipsi* corrigendum videtur. ¶ 2. Apud Medicos est compressio, contritio. *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 1. c. 13. Ergo quum interiora præcordiorum humorum minacium occupaverit conglobatio, ut ecthlipses, vel angustias, nimios quoque dolores efficiat, tunc nos aquam calidam in tempore porrigemus et per vomitus procurabimus digestionem.

ECTŎMON, i, n. 2. ἔκτομον, ita nonnulli helleborum nigrum vocarunt, quod alii polyrrizon, teste *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 21. (51). De synonymia *V.* HELLEBORUS.

ECTRŌMA, atis, n. 3. ἔκτρωμα, abortus, ab ἐκ et τιτρώσκω *pario.* Translate *Tertull. advers. hæret.* 7. Et quod proxime Valentinus proposuit, unde Deus? scilicet de enthymesi et ectromate. *h. e.* ex penu suo, nimirum ex effrenata ac præpostera imaginandi vi.

ECTRŎPA, æ, f. 1. ἐκτροπή, deverticulum viæ: a τρέπω *verto.* *Varro* apud *Non.* p. 392. 33. *Merc.* Et, ne erraremus: ectropas esse multas: omnino tutum esse, sed spissum iter. *Oehler* Græcis litteris edidit.

ECTȲPUS, a, um, adject. ἔκτυπος, qui ἐκ τύπου, ex typo seu forma, premendo calcandoque fit, ex argilla seu creta, ita ut imagines paullo exstantiores appareant. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 43. (152). Dibutades, Sicyonius figulus, primus invenit fingere ex argilla similitudines, et personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quæ inter initia prostypa vocavit: postea idem ectypa fecit. *V.* ANTEFIXUS et TYPUS. — Hinc *ectypæ imagines*, seu *scalpturæ* dicuntur, quæ in gemmis non impressione, sed scalpro figurantur: *cammei* Itali vocant. *Seneca* 3. *Benef.* 26. Cœnabat Paulus prætorius, imaginem Tiberii Cæsaris habens ectypam, et eminente gemma. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 63. (174). Hæ sunt gemmæ, quæ ad ectypas scalpturas aptantur.

ECŬLEUS. *V.* EQUULEUS.

ED

ĔDĀCĬTAS, ātis, f. 3. ingluvies, voracitas. *Plaut. Pers.* 1. 2. 7. Neque edacitate eos quisquam poterat vincere. *Cic.* 3. *ad Q. Fr.* 9. *extr.* Edacitatem pueri pertimesco. Adde *eumd.* 7. *Fam.* 26.

ĔDAX, ācis, adject. (edo). Sup. *Edacissimus* I. — Edax est vorax (It. *ingordo*, *mangiatore*, *vorace*; Fr. *vorace*, *glouton*, *avide*; Hisp. *voraz*, *gloton*; Germ. *gefrässig*; Angl. *eating much*, *voracious*, *gluttonous*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Pers.* 3. 3. 16. Lurco, edax, furax, fugax. *Ter. Phorm.* 2. 2. 21. Alere nolunt hominem edacem: et sapiunt, mea sententia. *Id. Eun. prol.* 38. et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 173. Parasitus edax. *Cic. Flacc.* 17. 41. Edacem hospitem amisisti. *Id.* 9. *Fam.* 20. 2. Proinde te para: cum homine et edaci tibi res est. *Al. omittunt* et. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 92. Edax dominus. *Id. Epod.* 2. 31. Turdi edaces. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 14. Boves multi cibi edaces. *Seneca Ep.* 60. Vastissimorum edacissimorumque animalium aviditatem vincere. *Ovid.* 15. *Met.* 354. Naturæque suum nutrimen deerit edaci. — *b*) Speciatim apud Poetas est idem quod rapax. *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 33. Edax vultur. *Val. Flacc.* 6. 420. cervos petit Umbro venator edaci.

II.) Translate. *Horat.* 2. *Od.* 11. 18. Curæ edaces. *h. e.* quæ habentes macerant et consumunt: cf. *Catull.* 64. 72. Spinosæ curæ. Rursus *Horat.* 3. *Od.* 30. 3. Edax imber. *Virg.* 2. *Æn.* 758.; et *Ovid.* 14. *Met.* 541. et 9. *ibid.* 202. ignis. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 1. livor. *Id.* 15. *Met.* 234. Tempus edax rerum. *Id.* 15. *ibid.* 872.; *Sil. It.* 9. 604.; et *Martial.* 11. 34. vetustas. *Lucan.* 7. 397. ætas. *Prudent. Apotheos.* 1141. senium.

ĔDĔĀTROE, qui præsunt regiis epulis dicti ἀπὸ τῶν ἐδεσμάτων, *Paul. Diac.* p. 82. 20. *Müll.* Pro *edeatroe* a *Forcellino* et *Lindemanno* leg. *edeatrae.* Ceterum de his Persarum regis prægustatoribus V. *Athen.* 4. p. 171., *Hesych.*, *Suidam* aliosque grammaticos v. ἐδέατρος.

ĒDĔCĬMĀTĬO, ōnis, f. 3. edecimandi actus. *Gloss. Cyrill.* Ἀποδεκάτευσις, edecimatio.

ĒDĔCĬMĀTUS *vel* edecumatus, a, um. *V.* voc. seq.

ĒDĔCĬMO *vel* edecumo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et decimo). Part. *Edecimatus.* — Edecimo proprie est a decem seligo; adeoque generatim eligo. *Symmach.* 5. *Ep.* 81. (*al.* 83.). Ut equos ex Hispania lectissimæ nobilitatis edecument. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 21. (*al.* 23.). *Macrob.* 1. *Saturn.* 5. *extr.* Probavere omnes Q. Aurelii judicium, quo edecumatos elegit sodales. *et* 2. *ibid.* 1. Jovi ex multijugis libris edecumati. Cf. *Paul. Diac.* p. 80. 6. *Müll.* Edecimata electa.

EDENTANEUS, a, um, adject. idem atque edentulus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 111.

ĒDENTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒDENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et dens). Part. *Edentatus.* — Edento est edentulum facio excussis dentibus. *Plaut. Rud.* 3. 2. 53. Nimis velim, improbissimo homini malas edentaverint. *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. Scommata minus aspera, quasi edentatæ belluæ morsus.

ĒDENTŬLUS, a, um, adject. qui sine dentibus est. *Capell.* 4. *p.* 116. Edentulum non illum dicimus, qui dentes non habet, sed cui natura inest, ut habeat ex illo tempore, quo natura permittit, ut habeat. Nam neque lapideum recte dicimus edentulum, qui numquam dentes habet; neque infantem, qui, quamvis aliquando habere possit, nondum tamen illo tempore ut habeat, natura permittit. Hæc *Capella*; sed tamen etiam de infantibus dixit *Arnob.* 3. 14. Edentulos deus esse parvulorum ritu credendum est? (It. *senza denti*, *sdentato*; Fr. *édenté*, *qui n'a plus de dents*; Hisp. *desdentado*; Germ. *zahnlos*; Angl. *with few or no teeth*, *toothless*).

I.) Proprie occurrit fere de vetulis. *Plaut. Cas.* 3. 2. 20. Propter operam illius improbi edentuli. *Id. Most.* 1. 3. 118. Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 305. Edentularum cantilenæ. *Tertull. Pall.* 5. Muræna bestia edentula, et exunguis, et excornis. *Vet. Poeta comicus* apud *Fulgent.* p. 563. 15. *Merc.* Tu me amare audes, edentule et capularis senex?

II.) Translate. Vinum edentulum, apud *Plaut. Pœn.* 3. 3. 86. dicitur, quod vetustissimum est, vel potius quod vires non habet ad inebriandum. Sic *Alexis* apud *Eustath.* ad *Odyss.* β. Οἶνον τὸν παλαιότατον σπουδάζομεν, ὅτι οὐ δάκνει ἀλλὰ ἱλαροὺς ποιεῖ. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

ĒDEPOL *vel* ædepol, adverb. Pro *edepol* dictum est etiam *epol*, ut *ejuno*, *ecastor*, etc. Itaque *epol* a multis legitur variis in locis *Plauti* et *Terentii* et *Cæcilii* apud *Non.* 2. 351. *edit. vet.*; tametsi ubique dubia est lectio. — Est formula jurandi per Pollucem, pro *medepol*, h. e. *me deus Pollux adjuvet*; vel, si diphthongus placeat, *per ædem Pollucis.* Fuit juramentum olim feminarum proprium, ex initiis Eleusiniis acceptum: paullatim vero, ex inscitia antiquitatis, a viris quoque usurpatum, ut *Varro* apud *Gell.* 11. 6. docet: atque adeo generali significatione affirmandi inservit (It. *per mia fè*; Fr. *ma foi*; Hisp. *a fe*, *por mi fe*; Germ. *bei Gott*, *meiner Treu*; Angl. *by my faith*). Occurrit — *a*) Absolute, sine additis. *Plaut. Cas.* 2. 6. 1. CLEOSTR. Face, Chaline, me certiorem, quid meus vir velit. CHAL. Hic edepol videre ardentem te extra portam Metiam. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 7. SYR. Salve, mecastor, Parmeno. PARM. Et tu, edepol, Syra. *Id. Andr.* 1. 2. 5. Quæso edepol Charine. — *b*) Sæpius una cum aliis affirmandi adverbiis. *Plaut. Amph.* 1. 1. 115. Certa edepol scio, si etc. *Ter. Phorm.* 5. 1. 8. Certe edepol meæ nutricem gnatæ video. *Plaut. Amph.* 1. 1. 27. Næ illi edepol – aliquem hominem allegent. *Id. Asin.* 3. 2. 14. Næ illa edepol memorari possint. *Id. Mil. glor.* 4. 1. 41. Edepol hæc quidem bellula est. *Id. Most.* 5. 1. 34. Immo edepol negat profecto. Adde *eumd. Amph.* 1. 1. 115. *Id. Most.* 3. 2. 79. Immo edepol vero, quum usque quaque umbra est, tamen sol semper hic est a mani ad vesperum.

ĔDĔRA, æ,

ĔDĔRĀCEUS, a, um, etc. *V.* HEDERA, HEDERACEUS, etc.

ĔDĬBĬLIS, e, adject. qui edi potest. *Gloss. Philox.* Edibilis, βρώσιμος. *Cassiod.* 12. *Variar.* 4. *de vino acinaticio.* Ut dicas ejus esse aut carneum liquorem, aut edibilem potionem.

ĒDĪCO, dicis, dixi, dictum, dicere, a. 3. (ex *et* dico). *Exdeico* legitur in veteri *S. C. de Bacchanalib.* apud *Fabrett.* p. 427., prisco et obsoleto scribendi more. — *Edice* in imperativo pro *edic* habent *Virg.* 11. *Æn.* 463. et *Stat.* 12. *Theb.* 59?. — Part. *Edictus* I. et II.; *Edicturus* et *Edicendus* I. — Edicere est quasi extra dicere, publice et aperte dicere, exponere: et

I.) Proprie apud Romanos edicere significavit tabulis in publico loco affixis aliquid jubere; et speciatim proprium fuit prætorum, qui initio magistratus proponebant ac denunciabant, qua formula et quibus de rebus jus eo anno essent dicturi: V. *Edictum* in fine hujus voc. *Cic.* 2. *Fin.* 22. 74. Est enim tibi edicendum, quæ sis observaturus in jure dicendo. — Hinc generatim usurpatum est de magistratibus aliquid publice jubentibus, et præcipue de prætoribus jus publice dicentibus: sic in *Senatuscons. de Bacchan.* DE BACANALIBVS ITA EXDEICENDVM CENSVERE. Ceterum hac significatione occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Liv.* 3. 38. *sub fin.* Senatum in diem posterum edicunt. *Al. aliter leg.* Adde *Sueton. Cæs.* 80. Rursus *Liv.* 35. 25. et 38. 30. Edicere concilium. *Id.* 26. 51. Tarraconem omnibus sociis edixerat conventum. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 2. 2. Edicere comitia a. d. XI. cal. Februar. Adde *Liv.* 3. 37.; et *Sueton. Cæs.* 18. Sic *Liv.* 22. 33. In eam diem, quam jussissent, comitia edicturus. Rursus *Cic.* 6. *Phil.* 1. 2. et *Liv.* 4. 26. justitium. *Liv.* 2. 55. et 3. 10.; et *Val. Max.* 6. 3. 4. delectum. *Liv.* 23. 32., 28. 5. et 41. 17. exercitum ad conveniendum. *Id.* 31. 11. et 22. 11. diem exercitui ad conveniendum. Sic *Id.* 23. 31. Dies illi ad conveniendum Cales edicta est. *Id.* 26. 18. et 31. 49. diem comitiis. V. *Drakenborg.* ad h. l. Sic *Id.* 33. 14. et *Cic.* 3. *Verr.* 54. 111. Dies edicta. *Liv.* 32. 1. Edicere supplicationem populo. *Justin.* 13. 4. 7. lustrationem. *Liv.* 2. 52. Duo millia æris damnato multam edixerunt. *Id.* 8. 36. *ad fin.* Dictator prædam omnem edixerat militibus. *Cic.* 3. *Off.* 20. 80. Id, quod communiter compositum fuerat, solus edixit. — *b*) Cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 4. *Verr.* 27. 66. Si quis eum pulsasset, edixit, sese judicium injuriarum non daturum. *Liv.* 26. 27. Consul ex auctoritate senatus pro contione edixit, qui, quorum opera id conflatum incendium, profiteretur, præmium fore, libero pecuniam, servo libertatem. *Curt.* 6. 11. 20. Rex, tumultu cognito, legem se supplicio conjunctis sontium remittere edixit. *Sil. It.* 7. 527. propere capere arma manipilis Edicit. — *c*) Sequente Conjunctivo cum part. *ut* vel *ne.* *Cic. Pis.* 8. 17. Consulem edicere, ut senatus senatusconsulto ne obtemperet. *Id.* 5. *Verr.* 15. 38. Edixerat, ut aratores jugera sationum suorum profiterentur. Adde *eumd.* 1. *ad Q. fr.* 1. 9., 1. *Phil.* 2. 6. et 11. *Att.* 7. 2. *Liv.* 10. 36. Edicto, ut quicumque ad vallum pergeret, pro hoste haberetur. Adde *eumd.* 5. 19. Sic de regibus *Curt.* 7. 1. 4. Rex edicit, ut omnes in vestibulo regiæ præsto adforent. Adde *eumd.* 10. 2. 9. Et de Romanis imperatoribus *Sueton. Tib.* 40. Ab urbe egrediens (*Tiberius*), ne quis se interpellaret, edixerat. Adde *eumd. Domit.* 9., *Aug.* 44. et *Cal.* 49. — *d*) Sequente Conjunctivo sine ulla particula. *Curt.* 6. 8. 23. Postero die rex edixit, omnes armati coirent. *Virg.* 10. *Æn.* 258. Principio sociis edicit, signa sequantur, Atque animos aptent armis pugnæque parent se. — *e*) Sequente Relativo. *Curt.* 8. 10. 30. Non tamen ante se recepit in castra, quam cuncta prospexit, et quæ fieri vellet edixit. — *f*) Cum Ablativo et præ-

pos. *de*. *Sueton*. *Cal*. 26. Edicere de natali. *Id*. *Rhet*. 1. De eisdem interjecto tempore Cn. Domitius Ænobarbus, L. Licinius Crassus censores ita edixerunt. *Tac*. 2. *Hist*. 91. Edicere de cæremoniis. — *g*) Cum addito Accus. et præpos. *ad*. *Vulcat*. *Gall*. *Avid*. *Cass*. 6. Ad signa edici. — *h*) Non modo de regibus occurrit, ut dictum est supra sub *c*, verum etiam de militum imperatore vel duce. *Liv*. 21. 21. *loquitur Hannib*. Primo vere, edico, adsitis. Cf. *eumd*. 7. 35. Vigiliis deinde dispositis, ceteris omnibus tesseram dari jubet (*Decius*): ubi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se convenirent. Quo ubi, sicut edictum erat, taciti convenerunt: Hoc silentium, milites, inquit, etc.

II.) Translate ponitur etiam de privatis hominibus, de iis præcipue qui auctoritate aliqua polleant, ut paterfamilias, dominus, etc.; et est monere, statuere, notum facere, imperare: occurrit autem — *a*) Raro cum Accusativo. *Horat*. 1. *Ep*. 19. 10. Hoc simul edixi, non cessavere poetæ Nocturno certare mero etc. Cf. *Id*. 2. *Sat*. 2. 51. Si quis nunc mergos suaves edixerit assos, Parebit pravi docilis Romana juventus. *Curt*. 4. 13. 14. Similis apud Macedones quoque sollicitudo erat: noctemque, velut in eam certamine edicto, metu egerunt. — *b*) Sæpius sequente Conjunctivo cum part. *ut* vel *ne*. *Plaut*. *Mil*. *glor*. 3. 2. 29. Atque ut scire possis, edico tibi etc. *Id*. *Aulul*. 2. 4. 2. Herus edixit mihi, ut dispartirem obsonium hic bifariam. *Id*. *Pseud*. 1. 5. 91. Ne quisquam credat nummum, jam edicam omnibus. Adde *eumd*. *Mil*. *glor*. 2. 2. 4., *Truc*. 4. 3. 6. et *Pers*. 2. 2. 58. *Ter*. *Eun*. 4. 7. 33. Miles, edico tibi, ne vim facias ullam in illam. Adde *eumd*. *Hecyr*. 4. 1. 48. Cf. *Cic*. 1. *Att*. 18. *extr*. Ne absens censeare, curabo edicendum et proponendum locis omnibus. *Horat*. 2. *Sat*. 3. 226. Hic simul accepit patrimoni mille talenta, Edicit, piscator uti, pomarius, anceps, — Mane domum veniant. — *c*) Cum Accusativo et Infinito. *Ter*. *Eun*. 5. 5. 20. Dico, edico vobis, nostrum illum esse herilem filium. — *d*) Sequente Relativo. *Cic*. *Amic*. 16. 59. Alius igitur finis veræ amicitiæ constituendus est, si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, edixero. *Cæs*. 1. *B*. *C*. 76. Milites edicunt, penes quem quisque sit Cæsaris miles. Adde *eumd*. 1. *B*. *G*. 46.; et *Quintil*. 9. 3. 61. *Sall*. *Cat*. 49. Jussus a consule, quæ sciret, edicere. *Liv*. 30. 5. Edicere exploratoribus jussis, quæ afferrent. — *e*) Cum Infinito sine Accus. *Sil*. *It*. 7. 315. Cornibus arentes edixam innectere ramos. — *f*) *Edicere sententias* apud *Vopisc*. *Tac*. 4. singulari significatione est exsequi. — Hinc a Part. præter. pass.

Edictum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more.

I.) Proprie. — *a*) Nomine edicti potissimum edicta prætorum intelliguntur. Hi, ut scirent cives, quod jus de quaque re dicturi essent, et quomodo dicturi essent, formulam quamdam Kal. Jan. proponebant, quæ *edictum prætoris* dicebatur. Primis temporibus hæc edicta mutare prætoribus licuit. Sed tamen id probri loco Verri *Cicero* objecit, quum dixit, eum ne ex edicto quidem suo jus semper dixisse. Post lege C. Cornelii Sullæ tribuni pleb. anno U. C. DCLXXXVII. cautum est, ut ex edictis suis perpetuis prætores jus dicerent, ut narrat *Ascon*. *in argum*. *orat*. *pro C*. *Cornel*. *p*. 58. *Bait*. Quare quod semel edictum promulgaverant prætores urbani, id iidem sine reprehensione mutare in provincia, siquam postea obtinuissent, non poterant. *Cic*. *Flacc*. 28. 67. Sanxit edicto, ne frumentum ex Asia exportari liceret. *Id*. 3. *Verr*. 41. 105. Hereditatem alicui condonare edicto. Adde *eumd*. 5. *ibid*. 7. 16. et 14. 35. *Id*. *Quinct*. 19. 60. Quod prætor non fieri, sed ex edicto suo fieri jubet. *Id*. *ibid*. 23. 73. Si ex edicto possedisti. V. *Rein's röm*. *privatr*. *p*. 70. 80. et 83., et *Klotz* ad *Cicer*. *oration*. *vol*. 2. *p*. 716. — Hadrianus vero Aug., usus opera Salvii Juliani JCti, et patrui M. Didii Juliani Aug., omnia edicta, quæ adhuc erant in usu forensi, uno libello complexus, *Edictum perpetuum* edidit, cujus auctoritas diu mansit apud JCtos. *Eutrop*. 8. 17. et *Hieronym*. in *Euseb*. *Chronic*. ad ann. a Chr. n. 133. — Porro præter edictum hoc perpetuum, erant edicta prætoris peculiaria, quæ in re peculiari dabantur; quorum passim in libris *Digest*. exempla leguntur. *Pers*. 1. 134. His mane edictum, post prandia Callirhoen do. *h*. *e*. mando, ut mane in foro versentur, in litibus et actionibus forensibus occupati. — *b*) Hinc generatim edictum est jussum, litteræ aliorum magistratuum, quibus aliquid imperatur: et occurrit — De consulibus. *Liv*. 8. 7. Oblitus itaque imperii patrii consulumque edicti etc. Adde *eumd*. 24. 8.; et *Sueton*. *Cæs*. 28. et 49. — De dictatore. *Liv*. 8. 34. Imperium invictum populi Romani, et disciplina rei militaris, et dictatoris edictum pro numine semper observatum. — De proconsulibus. *Liv*. 26. 12. Accessit edictum proconsulis ex senatusconsulto propositum vulgatumque apud hostes. — De ædilibus. *Cic*. 3. *Off*. 17. 71. Qui enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis, is præstat edicto ædilium. Adde *Gell*. 4. 2. — De censoribus. *Nepos Cat*. 2. At Cato censor cum eodem Flacco factus, severe præfuit ei potestati. Nam et in compiures nobiles animadvertit, et multas res novas in edictum addidit, quare luxuria reprimeretur. — De tribunis. *Cic*. *pro leg*. *Manil*. 19. 58. Neque me impediet cujusquam, Quirites, inimicum edictum (*h*. *e*. tribunorum pleb., quos paullo ante nominaverat), quo minus, fretus vobis, vestrum jus beneficiumque defendam. — De jussu, quo senatores in curiam convocabantur. *Cic*. 3. *Phil*. 8. 20. Quum tam atroci edicto nos concitavisset, cur ipse non adfuit? *V*. integr. cap. *Tac*. 1. *Ann*. 7. Ne edictum quidem, quo Patres in curiam vocabat, nisi tribuniciæ potestatis præscriptione posuit sub Augusto acceptæ. Verba edicti fuere pauca et sensu permodesto: de honoribus parentis consulturum. Adde *Sueton*. *Tib*. 11.; et cf. *Liv*. 3. 38. — De copiarum duce. *Liv*. 28. 25. Edictum subinde (*ab imperatore*) propositum, ut ad stipendium petendum convenirent Carthaginem. *Sueton*. *Ner*. 41. Edictis tandem Vindicis contumeliosis et frequentibus (*Nero*) permotus, senatum epistola in ultionem sui reique publicæ adhortatus est. Sic in re militari *edictum itineris* est idem quod itinerarium: *V*. hanc vocem. — De Romanis imperatoribus jam inde a Julio Cæsare. *Cæs*. 2. *B*. *C*. 19. Edictumque (*Cæsar*) præmittit, ad quam diem magistratus principesque omnium civitatum sibi præsto esse Cordubæ vellet. Quo edicto tota provincia pervulgato etc. *Sueton*. *Aug*. 89. Etiam libros totos et senatui recitavit et populo notos per edictum ipse fecit. Adde *eumd*. *Galb*. 15., *Ner*. 4., *Cal*. 15. et alibi sæpe; *Plin*. *Paneg*. 20.; et *Tac*. 4. *Hist*. 49. — Similiter de magistratibus, qui sub imperatoribus erant. *Sueton*. *Claud*. 9. Ut quum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit sub edicto præfectorum. Adde *eumd*. *Vesp*. 15. — De regibus. *Horat*. 2. *Ep*. 1. 237. Idem rex ille (*Alexander*), poema Qui tam ridiculum tam care prodigus emit, Edicto vetuit, nequis se præter Apellen Pingeret.

II.) Translate. ¶ 1. Est edictum vel jussio privati hominis. *Ter*. *Heaut*. 4. 1. 10. Primum hoc te oro, ne quid credas me adversus edictum tuum facere esse ausum. ¶ 2. Ponitur interdum pro simplici enunciatione. *Seneca Ep*. 117. *ante med*. Non corpus est, quod nunc loquor, sed enunciativum quiddam de corpore, quod alii effatum vocant, alii enunciatum, alii edictum.

ĒDICTĀLIS, e, adject. ad edictum pertinens, ut Edictalis lex, Edictalis bonorum possessio, *h*. *e*. edicto delata etc. apud *Ulp*. *Dig*. 38. 6. 1. *Sic* edictale programma, apud *Cassiod*. 1. *Variar*. 3.

ĒDICTĬO, ōnis, f. 3. idem atque edictum. *Plaut*. *Capt*. 4. 2. 31. Basilicas edictiones atque imperiosas habere. *Id*. *Pseud*. 1. 2. 10. Hanc edictionem nisi animum advortitis. Adde *eumd*. *ibid*. v. 39.

ĒDICTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat*. *ab* edico, aperte eloquor, palam manifesto, in vulgus enuncio. *Plaut*. *Epid*. 1. 2. 2. Atque amorum summam edictavi tibi. *Id*. *Amph*. 2. 2. 184. Tute edictas facta tua, ex me quæris quid deliqueris. *Id*. *Men*. 1. 2. 79. Omnia hercle ego edictavi.

ĒDICTUM, i, n. 2. *V*. EDICO in fin.

ĒDICTUS, a, um. *V*. EDICO.

ĒDĪLIS, e, adject. ad esum pertinens. *Gell*. 17. 11. Ut edilia quidem omnia defenderet ab arteria. *Al*. *melius leg*. edulia.

ĒDISCO, discis, didici, discere, a. 3. (ex *et* disco). Part. *Ediscens* et *Ediscendus* 1. — Ediscere ¶ 1. Proprie ac stricto sensu est memoriæ mandare (It. *imparare a mente*; Fr. *apprendre par cœur*, *graver dans sa mémoire*; Hisp. *aprender de memoria*; Germ. *auswendig lernen*, *sich einprägen*; Angl. *to learn thorongly*, *learn by heart*, *commit to memory*). Occurrit — *a*) Fere cum Accusativo. *Cic*. 1. *Orat*. 34. 157. Exercenda est etiam memoria, ediscendis ad verbum quamplurimis et nostris scriptis et alienis. *Id*. 4. *Acad*. (2. *pr*.) 44. 135. Ediscendus ad verbum libellus. Cf. *Quintil*. 11. 2. 44. Ad verbum sit ediscendum, an vim modo rerum atque ordinem complecti satis sit. Rursus *Cic*. 2. *Tusc*. 11. 27. Ita sunt deinde dulces (*poetæ*), ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. *Id*. 6. *Fam*. 18. Ediscere Hesiodum. *Quintil*. 10. 1. 105. Demosthenem. *Cæs*. 6. *B*. *G*. 14. magnum numerum versuum. *Quintil*. 1. 1. 36. dicta clarorum virorum. *Seneca Ep*. 123. *in fin*. Hæc discenda, non ediscenda sunt. *Juvenal*. 14. 101. Ediscere Judaicum jus. — Huc pertinet et illud *Val*. *Flacc*. 1. 308. Ediscere vultus alicujus. Cf. *Virg*. 6. *Æn*. 755. et venientum discere vultus. — *b*) Raro absolute. *Sueton*. *Aug*. 84. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. *Quintil*. 1. 2. 12. Neque enim ediscenti, scribenti et cogitanti præceptor assistit. *Id*. 11. 2. 20. Ne errent solo ediscendi labore. *Id*. 10. 7. 32. Ediscendi negligentia. *Id*. 10. 7. 33. Illud ediscendo scribendoque commune est. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro discere, perdiscere, intelligere, novisse, præcipue apud Poetas. — *a*) Cum Accusativo. *Cic*. 1. *Orat*. 58. 246. Nam quod inertiam accusas adolescentium, qui istam artem, primum facillimam, non ediscant, etc. *Al*. *leg*. addiscant. *Ovid*. 2. *Met*. 638. non hæc artes contenta paternas Edidicisse fuit. *Id*. 7. *ibid*. 98. accepit cantatas protinus herbas, Edidicitque usum. *Horat*. 2. *Ep*. 2. 144. veræ numerosque modosque ediscere vitæ. *Ovid*. 2. *Fast*. 546. Hinc populi ritus edidicere pios. *Id*. 1. *Amor*. 15. 5. Nec me verbosas leges ediscere: nec me Ingrato vocem prostituisse foro. *Juvenal*. 14. 123. Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus illos imbuit, et cogit minimas ediscere sordes. *h*. *e*. tenuissimas lucri fœditates. *Horat*. 2. *Ep*. 1. 60. Hos (*h*. *e*. poetas) ediscit, et hos arcto stipata theatro Spectat Roma potens. — *b*) Cum Infinito. *Ovid*. *Heroid*. 7. 179. dum tempore et usu Fortiter edisco tristia posse pati. — *c*) Sequente Relativo. *Liv*. 23. 28. Quum decreta senatus mandataque exposuisset, atque edidicisset ipse invicem, quemadmodum tractandum bellum in Hispania foret, retro in sua castra rediit. *Ovid*. 13. *Met*. 246. edidici, quid perfida Troja pararet. — *d*) Hinc *edidici* est idem ac memoria teneo, seu potius novi. *Tibull*. 2. 2. 12. Jam reor hoc ipsos edidicisse deos. *Ovid*. 3. *Pont*. 7. 4. Quidque petam, cunctos edidicisse reor.

ĒDISSĔRĀTOR, ōris, n. 3. *V*. EDISSERTATOR.

ĒDISSĔRĀTUS, a, um. *V*. EDISSERTO.

ĒDISSĔRO, sĕris, sĕrui, sertum, sĕrere, a. 3. (ex *et* dissero). Part. *Edisserens*, *Edissertus*, *Edisserturus*, *Edisserendus*. — Edissero est plane dissero, explano, declaro (It. *spiegare*, *dichiarare*, *manifestare*; Fr. *exposer en détail*, *raconter en détail*, *développer*; Hisp. *exponer*, *manifestar por menor*, *declarar*; Germ. *durch Auseinandersetzung berichten*, *bekannt machen*, *auseinandersetzen*, *veröffentlichen*; Angl. *to declare*, *tell in order*, *set forth*, *explain*). *Plaut*. *Capt*. 5. 2. 14. Mihi quæ dicam edissere. *Cic*. 2. *Legg*. 22. 55. Neque necesse est edisseri a nobis, quæ finis funestæ familiæ. *Id*. *Brut*. 17. 65. Quis docendo edisserendoque subtilior? *Virg*. 2. *Æn*. 149. mihique hæc edissere vera roganti. *h*. *e*. ordine cuncta narra. *Servius*. *Liv*. 27. 7. Productus in contionem Lælius eadem edisseruit. *Al*. *aliter*. *leg*. *Id*. 34. 52. Senatus Quintio ad res gestas edisserendas datus. *Tac*. 3. *Hist*. 52. Cunctandi utilitates edisserens. *Justin*. 31. 5. Viam gerendi belli edisserturus. *Horat*. 2. *Sat*. 3. 306. tantum hoc edissere, quo me Ægrotare putes animi vitio. *Hieronym*. 1. *advers*. *Jovinian*. *n*. 12. Quod quamquam a me quoque pro qualitate loci sic edissertum sit. Adde *Lamprid*. *Alex*. *Sev*. 44. et *Vopisc*. *Aurel*. 36.

ĒDISSERTĀTĬO, ōnis, f. 3. dissertatio. *Hieronym*. in *Matth*. 21. Vestis Apostolica vel doctrina virtutum, vel edissertatio Scripturarum intelligi potest. *Al*. *leg*. dissertatio; *alii* edissertio.

ĒDISSERTĀTOR, ōris, m. 3. qui edissertat, qui explanat. *Auson*. *Sept*. *Sap*. *prol*. 61. sed si memoria Rebus vetustis eludit, veniet ludius Edissertator harum, quas teneo minus. *Al*. *minus recte leg*. edisserator.

ĒDISSERTĀTUS, a, um. *V.* EDISSERTO.

ĒDISSERTĬO. *V.* EDISSERTATIO.

ĒDISSERTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat.* ab edissero. — Part. *Edissertatus.* — Edisserto est accurate explano, declaro. *Plaut. Amph.* 2. 1. 52. Ordine omne, uti quidque actum est, edissertavit. *Id. Stich.* 2. 1. 30. Non enim possum, quin revortar, quin loquar, quin edissertem etc. *Id. Cas.* 5. 2. 37. Quid fit denique? edisserta. *Liv.* 22. 54. Neque aggredior narrare, quæ edissertando minora vero fecero. *Capell.* 8. p. 275. Sicubi igitur intelligentiæ edissertandique proposito vel axem, vel polos, vel circulos perhibebo. *Id.* 9. p. 312. In quibus artis præcepta edissertare prohibitum. *Arnob.* 1. 57. Illa sunt ab hominibus scripta, mortalibus edissertata sermonibus. Adde *eumd. ibid.* 36. et 2. 1. *Tertull. Resurr. carn.* 33. Nullam parabolam non ab ipso invenias edissertatam: *Al. leg.* edissertam, *alii* edisseratam.

ĒDISSERTUS, a, um. *V.* EDISSERO, et EDISSERTO.

ĒDĬTĪCIUS *vel* edititius, a, um, adject. qui editur, hoc est promulgatur, aut exhibetur. *Editicii judices* apud *Cic. Planc.* 15. 36. et *Mur.* 23. 47. sunt, inquit *Servius* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 50., quos una pars eligit. Plenius autem ita dicuntur, qui in causa sodalitatis (de qua *pro Planc.* sermo est) ab accusatore delecti ex omni populo exhibebantur reo, ut judicarent. Lege enim Licinia cautum erat, ut in crimine sodalitatis a solo accusatore judices ederentur, neque delecti ex solo ordine judicatorium, ut in ceteris causis, sed ex omni populo, præsertim vero ex iis tribubus, quæ a reo largitionibus corruptæ esse dicerentur: qui judices, sine ulla rejectione a reo facta, judicarent, ut colligitur ex *Cic. Planc. c.* 15. 16. et 17.; quam rem Ser. Sulpicius etiam in causa ambitus contra Muræoam tentaverat, ut *Id. Mur.* 23. docet. At ex veteri argumento orationis *pro Plancio*, et ex notis veteris interpretis ab *A. Maio* editis in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 47. et 64., patet, licuisse reo unam tantum tribum judicum rejicere ex quatuor tribubus ab accusatore editis. Ceterum *V.* et *Klotz* ad *Cicer. Oration. vol.* 1. *p.* 644.

ĒDĬTĬO, ōnis, f. 3. actus edendi aliorumque ocu-lis exponendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Editio est ipsa pariendi actio. *Ulp. Dig.* 2. 1. 70. Editio fetus. *Tertull. advers. Jud.* 1. Editio partus. ¶ 2. Dicitur etiam de emissione librorum. *Quintil. ep. ad Tryphon.* 2. Horatius in arte poetica suadet, ne præcipitetur editio. *Id.* 5. 11. 40. Versus Homeri, qui tamen non in omni editione reperitur. *Id.* 12. 10. 55. Quod si impediant tempora, multum ex eo, quod potuit dici, recidetur: editio habebit omnia. *Seneca* 4. *Benef.* 28. *a med.* Monumenta ingeniorum publicavit editio. *Plin.* 3. *Ep.* 15. Libelli editione digni. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 2. et 8. et 2. *ibid.* 10.

II.) Translate. ¶ 1. Est actus dandi, exhibendi; ac de ludis præcipue occurrit. — *a*) In singulari numero. *Symmach.* 4. *Ep.* 8. Editio muneris gladiatorii. *Inscript.* apud *Orell.* 5020. TI. CLAVDIO TI. FIL. TI. NEPOTI COR. MAXIMO Q. II VIR. QVINQ. HIC CVM AGERET AETATIS ANN. XX. IN COLON. AECLAN. MVNVS EDIDIT IMPETRATA EDITIONE AB IMP. ANTONINO AVG. PIO. Adde *aliam* apud *Gruter.* 401. 2. *Vopisc. Aurel.* 12. Editio Circensium. *Id. Carin.* 20. Editio Cari. *h. e.* ludi vel munera a Caro data. — *b*) In plur. numero. *Tac.* 3. *Ann.* 37. Diem editionibus, noctem conviviis trahere. *h. e.* editionibus ludorum. — Similiter editio operarum apud *Nerat. Dig.* 38. 1. 50. est exhibitio et præstatio operarum, quæ quis alicui debet, inserviendo ei, cui obnoxius est, et sui artificii munus fungendo. ¶ 2. Item actus narrandi vel dicendi. *Liv.* 4. 23. Eosdem consules insequenti anno refectos, Julium tertium, Virginium iterum, apud Macrum Licinium invenio. Valer. Antias et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium consules in eum annum edunt. Ceterum in tam discrepante editione et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur. ¶ 3. Denique locum habet et in re forensi (*V.* EDO secundo loco); et est exhibitio et ostensio actionis, qua actor reum in jure convenit. *Cic. Planc.* 16. 39. et 41. Editio judicum, vel tribuum. *Ulp. Dig.* 2. *tit.* 13. *qui est* De edendo, 1. Editiones sine die et consule fieri debent. Sic *Id. ibid.* 4. Editio rationum.

ĒDĬTOR, ōris, m. 3. qui edit, hoc est emittit. ¶ 1. Generatim. *Lucan.* 2. 423. nocturnæ editor auræ. Loquitur de fluvio nebulas gignente. ¶ 2. Specialim editores munerum, sive ludorum. *Vopisc. Carin.* 21. Quo futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia sua mimis et balatronibus deputarent. *Capitolin. Anton. philos.* 23. Populi R. voluptates curari vehementer præcipit per ditissimos editores.

ĒDĬTUM, i, n. 2. *V.* EDO, is, didi, etc. in fin.

ĒDĬTUS, a, um. *V.* EDO, is, didi, etc.

ĒDĬTUS, us, m. 4. editio, ejectio. In Ablat. sing. *Ulp. Dig.* 32. 53. § 6. In quibusdam provinciis editu boum ad hanc rem utantur. *h. e.* stercore.

ĔDO, ĕdis *vel* es, ĕdit *vel* est, ēdi, ēsum, ĕdere *vel* esse, a. 3. — *a*) Breviores formæ hujus verbi, quæ sæpius occurrunt, sunt quæ sequuntur. — Infinit. *esse* pro *edere* apud *Caton. R. R.* 157. 7. *Schneid.* Hanc (*brassicam*) mane esse oportet jejunum. Adde *Cic.* 2. *Nat. D.* 3. 7.; *Quintil.* 11. 3. 136.; et *Juvenal.* 15. 102. — *Est* pro *edit* apud *Varron.* 1. *R. R.* 56. Ita fit jucundius pabulum. Ex eo intelligitur, quod pecus utroque posito libentius est. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 2. 57. — *Esset* pro *ederet* apud *Horat.* 2. *Sat.* 6. 88. Quum pater ipse domus, palea porrectus in horna, Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens. — *Esto* pro *edito* apud *Caton. R. R.* 156. 1., cujus verba *V.* infra sub I., et alibi sæpe. — Ceterum *este* pro *edite*, *es* pro *edis*, *essemus* pro *ederemus* etc. haud infrequenter occurrunt apud *Plaut.*, *Ter.* et alios, quorum locos aliquos inferius afferemus. — Alias præterea personas similes verbi *sum* asserunt grammatici, *estis* pro *editis*, *estote* pro *editote*, *essem* pro *ederem*. Docent etiam, quæ ab *edo* declinata usurpantur, veterum esse; quæ verbi *sum* similia, recentiorum et magis usitata (quod sane respuendum). *Diomed.* 1. *p.* 357. *Putsch.*, *Priscian.* 10. *p.* 893., et *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 66. — *b*) Passive occurrit *estur* pro editur. Impersonaliter *Plaut. Most.* 1. 3. 78. Jam ista quidem absumpta res erit: dies noctesque estur, bibitur, neque quisquam parsimoniam adhibet. Personaliter *Cels.* 5. 27. *n.* 3. Colubra ipsa tuta estur. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 69. Estur ut occulta vitiata teredine navis. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 16. Ea (*lens*) ne curculionibus absumatur (nam etiam dum est in siliqua estur) curandum erit. *Schneider.* leg. exestur. — *Essetur* apud *Varron.* 5. *L. L.* 106. *Müll.* Libum, quod ut libaretur, priusquam essetur, erat coctum. — *c*) Antiquæ formæ Conjunctivi sunt *edim*, *is*, *it* etc. pro *edam* etc. Jam vero *edim* occurrit apud *Plaut. Aulul.* 3. 2. 16. et *Trin.* 2. 4. 73.; *Pomponium* et *Cæcilium* apud *Non. p.* 507. 6. et 9. *Merc. Cic.* dixit *comedim*: V. COMEDO. — *Edis* apud *Plaut. Trin.* 2. 4. 72. et *Pœn.* 4. 2. 45. — *Edit* apud *Caton. R. R.* 156. 6. *Schneid.*; *Plaut. Capt.* 3. 1. 1.; et *Horat. Epod.* 3. 3., ubi tamen alii aliter leg. Apud *Virg.* 12. *Æn.* 801. plerique leg. *edat.* — *Edimus* apud *Plaut. Pœn.* 3. 1. 31. — *Editis* apud *Novium* apud *Non. p.* 507. 7. *Merc.* — *Edent* apud *Caton. R. R.* 53. — *d*) *Esus sum* in præter. pro *edi*, *Solin.* 17. *ad fin.* Quas (*carnes*) ubi esæ sunt (*tigres*), fauces earum angina obsidentur. *Eserim* pro *ederim* tribuitur *Apulejo* 4. *Met.* Quamquam hordeum jurulentum semper eserim. *Al. leg.* ederim. — In supino *estum* quoque dici pro *esum*, docet *Priscian.* 10. *p.* 893. *Putsch.* — *e*) Infinitum *esse* pro *edere* ponitur pro passivo *edi*, et cum aliis infinitis passivis jungitur in illo *Plaut. Most.* 4. 2. 42. et 43. Triduum unum haud est intermissum hic esse, et bibi, scorta duci, pergræcari. *Sunt tamen, qui cum* Lambino *leg.* essi et bibi. — Part. *Edens*, *Esurus* et *Edendus* I. — Ratione habita etymi, nonnulli arbitrantur verborum *sum* et *edo* unum idemque etymon esse, quod confirmari ajunt a lingua Græca, Latina, Germanica, etc.; idque accidisse, quod antiquissimi homines inter *esse* vel exsistere et *edere* vel manducare tam arctum vinculum interredere putabant, ut unum etiam alterum necessario complecteretur. Quidquid vero sit, *edo* cum Sanscrit. *ad* et Græco ἔδω, ἔδω ejusdem prorsus significationis conjungitur, et est comedo, vescor (It. *mangiare*; Fr. *manger*; Hisp. *comer*, *mascar*; Germ. *essen*; Angl. *to eat*).

I.) Proprie. *Nævius* apud *Priscian.* 10. *p.* 893. *Putsch.* Hic ipse adstat, quando edit. *Cato R. R.* 156. Brassicam esto vel coctam, vel crudam. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 35. Herbas in alvum congeruot formidolosas dictu, non esu modo. *Id. Stich.* 1. 3. 29. Nulli negare soleo, si quis esum me vocat. *Id. Capt.* 3. 1. 3. Quod edit, non habet. *Id. Cas.* 2. 3. 32. Bibe, es, disperde rem. *Id. Most.* 1. 1. 61. Bibite, este, effarcite vos. *Ter. Eun.* 3. 4. 2. Ut de symbolis essemus. *Lucret.* 4. 865. Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus, Et recreet vires interdatus, atque patentem Per membra ac venas ut amorem obturet edendi. *Cic.* 13. *Att.* 52. Itaque edit et bibit ἀδεῶς et jucunde. *Id.* 2. *Nat. D.* 3. 7. Mergi pullos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollent. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 37. Quinquennes oleas est et silvestria corna. *Id. ibid. v.* 116. Non ego (*narrantem*) temere edi luce profesta Quidquam præter olus. *Id.* 2. *Ep.* 2. 215. Lusisti satis, edisti satis atque bibisti. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 8. 90. *Cels.* 4. 17. *extr.* Edisse etiam lupinum et allium prodest. *Val. Max.* 4. 3. *extr.* Si Dionysium adulare velles, ita non esses. *Ovid.* 2. *Met.* 768. videt intus edentem Vipereas carnes. *Id. Heroid.* 11. 90. Viscera montanis ferret edenda lupis. *Id. ibid.* 9. 37. Inter serpentes aprosque avidosque leones Jactor et esuros terna per ora canes. Part. *Esurus* occurrit etiam apud *Plaut. Rud.* 1. 2. 93. *Juvenal.* 15. 88. nihil unquam hac carne libentius edit. Adde *eumd.* 4. 139. *Quintil.* 9. 3. 85. Non ut edam vivo, sed ut vivam edo.

II.) Translate. ¶ 1. Proverbia sunt illa *Cic.* 2. *Fin.* 7. 22. De patella edere. *h. e.* res sacras et religionem contemnere: *V.* PATELLA. — *Plaut. Amph.* 1. 1. 153. Pugnos edere. *h. e.* quamplurimis cædi pugnis. — *Cic. Amic.* 19. 67. Veterrima quæque, ut ea vina, quæ vetustatem ferunt, esse debent suavissima: verumque illud est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit. *h. e.* diu cum amicis vivendum. ¶ 2. Item est rem suam abligurire, dilapidare. *Plaut. Truc.* 4. 2. 29. Edere bona. ¶ 3. Ponitur et de physicis viribus pro absumere, consumere, corrodere. *Virg.* 5. *Æn.* 683. lentusque carinas Est vapor. *Id.* 1. *G.* 151. ut mala culmos Esset robigo. *Ovid. Ib.* 605. Ut cruor Herculeos abiit diffusus in artus, Corpora pestiferum sic tua virus edat. Cf. *Val. Flacc.* 7. 358. Quæ (*gramina*) sacer ille nives inter tristesque pruinas Durat editque cruor. ¶ 4. Et metaphorâ hinc sumptâ *Plaut. Aulul.* 3. 6. 1. Nimium libenter edi sermonem tuum. *h. e.* attente et avide audivi, hausi, devoravi. Græci quoque dicunt φαγεῖν ῥήματα. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 39. Si quid est animum, differs curandi tempus etc. *Virg.* 4. *Æn.* 66. est mollis flamma medullas. *Id.* 12. *ibid.* 801. Nec te tantus edat tacitam dolor. *Sil. It.* 17. 345. te mentis edit morsus. *Id.* 13. 665. nec edunt oblivia laudem. *Val. Flacc.* 5. 364. pulcrum longissima quando Robur cura ducis magnique edere labores. (Sic *Id.* 4. 469. quam te Exedit labor et miseris festina senectus! Et *Lucan.* 2. 72. mox vincula ferri Exedere senem longusque in carcere pedor.). *Martial.* 11. 91. Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi.

ĒDO, ēdis, ēdĭdi, ēdĭtum, ēdere, a. 3. (ex et do). Part. *Edens* sub I. *A.*; *Editus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Editurus* sub I. *B.* 1.; *Edendus* sub I. *B.* 2. — Edere, quasi extra dare, est emittere, proferre (It. *dar fuori*, *metter fuori*; Fr. *faire sortir*, *mettre dehors*; Hisp. *meter fuera*; Germ. *herausgeben*, *hervorbringen*, *von sich geben*; Angl. *to utter or put forth*).

I.) Proprie occurrit *A*) Generatim; et *B*) Specia-tim.

A) Generatim. *Lucret.* 3. 123. forasque per os est editus aer. *Id.* 6. 1187. Sputa per fauces raucas edita tussi. *Colum.* 2. *R. R.* 15. 1. *de stercore.* Quod gallinæ ceteræque volucres edunt. *h. e.* egerunt. Sic *Id. ibid.* 14. 8. Purgamenta, quæ ipsi (*homines*) corporibus edunt. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (38). Inter amuleta est, editæ quemque urinæ inspuere. — Similiter pro *mori* eleganter dixit *Ovid. Heroid.* 9. 92. et *Cic. Sext.* 38. 83. Edere animam. *Cic.* 12. *Phil.* 9. 22. Extremum vitæ spiritum edere in alicujus complexu. *Lucret.* 6. 1257. et *Cic.* 5. *Fin.* 2. 4. Edere vitam. — Hinc etiam *Lucret.* 2. 443. Edere sensus. *Id.* 5. 1075. fremitus. *Id.* 4. 1012.; et *Sueton. Oth.* 7. et *Cæs.* 82. gemitus. (Sic *Ovid.* 9. *Met.* 207. Sæpe illum gemitus edentem videres). *Cic.* 2. *Divinat.* 23. 50. et *Justin.* 12. 9. 6. magnum clamorem. *Juvenal.* 7. 195. et *Quintil.* 1. 1. 21. vagitus. *Juvenal.* 10. 261. planctus. *Ovid.* 4.

Met. 387. questus. *Spartian. Anton. Get.* 6. querelas. *Cic.* 2. *Tusc.* 8. 20. Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit! *h. e.* quas querelas. *Val. Flacc.* 4. 24. tales edere voces. *h. e.* hæc loqui. Sic *Liv.* 6. 33.; *Phædr.* 1. 12.; *Sueton. Cæs.* 77. et *Tit.* 8.; et *Val. Max.* 6. 4. 3. voces. (Similiter *Ovid.* 4. *Fast.* 318. hos edit, crine jacente, sonos. *Id. ibid.* 910. Edidit hæc flamen verba.). *Ovid.* 4. *Met.* 450. latratus. *Id.* 2. *ibid.* 669.; *Justin.* 1. 10. 8.; *Sueton. Ner.* 46. hinnitum. *Curt.* 5. 4. 25. sonum. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 10. 2. mirus risus. *Sueton. Cal.* 57. cachinnum. *Phædr.* 4. 9. fletum. *Justin.* 11. 9. 13. complorationem. *Ovid.* 1. *Fast.* 441. dulces modos. — Sic de fluminibus *Liv.* 38. 13. Mæander ex arce Celænarum ortus, in sinum maris editur. *h. e.* erumpit, influit. — Et de personis *Plaut. Most.* 3. 2. 9. Clanculum ex ædibus me edidi foras. *h. e.* exii. *Val. Flacc.* 5. 457. Quum se Sole satus patriis penetralibus edit. *Al. leg.* infert. Et pro expellere *Hygin. fab.* 192. Quas Lycurgus ex insula Naxo ediderat. — Singulare est illud *Tibull.* 4. 1. 111. Ipse tamen velox celerem super edere corpus Gaudet equum. *h. e.* attollere; hinc editus altus.

B) Speciatim. ¶ 1. Active et passive usurpatur pro aliquid novi edere, atque hinc pro parere. — *a*) Sæpe apud Poetas. *Lucret.* 2. 618. rivam progeniem qui in oras luminis edant. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 30. 64. Edere aliquem luci. *Alius* apud *eumd.* 1. *Tusc.* 48. 115.; et *Ovid.* 15. *Met.* 221. Editur in lucem. *Virg.* 7. *Æn.* 660. quem partu sub luminis edidit oras. Adde *Ovid.* 13. *Met.* 487. *Ovid.* 5. *Fast.* 172. Edere aliquem maturis nisibus. *Id.* 5. *Met.* 517. et 9. *ibid.* 678. partu edita. *Id.* 6. *Met.* 336. Latona geminos edidit. *Val. Flacc.* 1. 367. pariter quos edidit Hypso. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 33. 64. Draconem genitor Saturnius edidit. *Virg.* 8. *Æn.* 137. Electram maximus Atlas Edidit. *Ovid. Heroid.* 3. 40. edita de magno flumine Nympha. *Horat.* 1. *Od.* 1. 1. Mecœnas, atavis edite regibus. — *b*) In prosa oratione occurrit præcipue apud scriptores, qui post Augusteum ævum floruerunt. *Cic.* 3. *Tusc.* 1. 2. Simul atque editi in lucem et suscepti sumus, etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 52. 129. Testudines autem et crocodilos dicunt, quum in terra partum ediderint, obruere ova. Sic *Liv.* 1. 39. Eam (*uxorem*) ferunt partum Romæ edidisse, Prisci Tarquinii domo. Adde *Quintil.* 1. 1. 2. *Sueton. Tib.* 14. Quum, an marem editura esset, variis captaret ominibus. Adde *eumd. Aug.* 63., 65. et 94. — *c*) Adde et *Sil. It.* 4. 126. Edere alvo serpentem. *Juvenal.* 2. 123. vitulum. *Id.* 4. 141. ostrea fundo. *Colum.* 6. *R. R.* 24. 1. Mense Julio feminæ maribus (*h. e.* tauris) permittendæ, ut eo tempore conceptos proximo vere adultis jam pabulis edant. ¶ 2. Item usurpatur pro aliquid novi edere, et ponitur de libris, scriptis etc. pro divulgare. Initio fortasse usitatus dicendi modus fuit libros *in vulgus edere,* quem exhibent *Nepos Att.* 19. et *Tac.* 15. *Ann.* 63.: in posterum *edere* tantummodo usuvenit. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *ad fin.* Quos libros jampridem ad te misissem, si esse edendos putassem. *Id. Brut.* 5. 19. Ut illos de republica libros edidisti. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 4. 12. Edere librum contra aliquem. *Id.* 2. *Att.* 16. 4. annales. *Sall. Cat.* 31. orationem scriptam. *Horat. Art. P.* 389. delere licebit Quod non edideris: nescit vox missa reverti. Adde *Quintil.* 5. 7. 6., 5. 10. 120. et alibi sæpe; et *Sueton. Tib.* 70., *Cæs.* 55. et *Domit.* 18. — Huc referri potest et illud *Cic. Sull.* 15. 42. Tabulas dividi passim, et pervulgari atque edi populo imperavi. — Ceterum absolute *Id. Cic.* 1. *Legg.* 2. 7. Sisenna — omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. — Pro *edere* eodem sensu *publicare* dixit et eidem *continere* opposuit *Plin.* 1. *Ep.* 8. Erit enim et post emendationem liberum nobis vel (*opus*) publicare, vel continere. Pro *continere* autem *tenere* dixit *Id.* 2. *ibid.* 10. ¶ 3. Item ponitur sæpe pro verbis divulgare: unde apud *Nepot. Datam.* 6. Edit in vulgus, suo jussu Mithrobarzanem profectum. — Hinc est narrare, exponere, proferre, dicere, fari. — *a*) Cum Accusativo tantum, vel sequente Relativo; et quidem — De iis quæ quis ex se promit vel exponit. *Lucret.* 4. 177. Nunc age, quam celeri muto simulacra ferantur, Et quæ mobilitas ollis tranantibus auras Reddita sit, — versibus edam. Adde *eumd. ibid.* 907. *Cic. Brut.* 5. 20. Ede illa, quæ cœperas, et Bruto et mihi. *Id.* 2. *Legg.* 7. 18. Leges edentur a me non perfectæ, sed summæ rerum. *h. e.* proferam, recitabo. *Id.* 3. *ibid.* 20. 47. Apud eosdem edant et exponant, quid in magistratu gesserint. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 61. Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, edam. *Id. ibid.* 4. 10. et *Ovid.* 3. *Met.* 580. Edere nomen et patriam alicujus. *Ovid. Ib.* 61. qui sis, nondum quærentibus edo. *Id.* 2. *Met.* 43. Edere verus ortos. *Id.* 8. *ibid.* 448. auctor necis editur. *Plin.* 10. *Ep.* 22. Annos et censum alicujus edere. *h. e.* profiteri. *Ovid.* 1. *Fast.* 91. Edere causam, cur etc. *Id.* 1. *Amor.* 1. 1. Arma et bella edere. *h. e.* describere, dicere, canere. — Speciatim occurrit de oraculis, sacerdotibus et sacris libris, quæ responsa dant. *Liv.* 22. 10. Ita ex fatalibus libris editum erat, ut is voveret, cujus maximum imperium in civitate esset. *Id.* 29. 10. Referebant, et sacrificantes ipsos Pythio Apollini litavisse, et responsum oraculo editum, majorem multo victoriam — adesse populo Romano. *Id.* 30. 2. Editi a collegio pontificum dii, quibus sacrificaretur. Adde *eumd.* 40. 15., 41. 13. et 42. 2. *Id.* 21. 62. Jam primum omnium urbs lustrata est, hostiæque majores, quibus editum est, diis cæsæ. *Curt.* 4. 10. 7. In vulgus edita responsa. *Id.* 3. 3. 7. Editum vatum responsum. *Id.* 3. 1. 16. Sors oraculo edita. *Ovid.* 11. *Met.* 668. Ipse ego fata tibi præsens mea naufragus edo. Sic *Id.* 3. *Fast.* 855. Mittitur ad tripodas, certa qui voce reportet, Quam sterili terræ Delphicus edat opem. *h. e.* monstret. — Et generatim. *Cæs.* 3. *B. C.* 29. Quæ opinio erat edita in vulgus. *Liv.* 10. 27. Qui, editis hostium consiliis, dimissi cum donis, ut subinde, ut quæque res nova decreta esset, exploratam perferrent. *Id.* 3. 34. Quum ad rumores hominum de unoquoque legum capite edito satis correctæ (*tabulæ*) viderentur etc. *Quintil.* 4. 2. 98. Edito alio tempore ac loco. *Spartian. Carac.* 8. Edere veritatem opinionum. *Lamprid. Anton. Diad.* 6. Diem natalis sui in publicum edere. *Liv.* 5. 19.; *Nepos Con.* 3. et *Curt.* 10. 8. *a med.* Edere mandata. *h. e.* exponere, et proprium est legatorum, qui regi vel concilio, quæ ferunt, significant. Haud aliter *Cic.* 7. *Att.* 3. *a med.* Edere rationes alicui. *h. e.* ostendere. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 45. Dum quæ Crispini docuit me janitor, edo. *Liv.* 1. 46. Prisci Tarquinii regis filius neposne fuerit, parum liquet; pluribus tamen auctoribus filium ediderim. *Sueton. Aug.* 94. Reticere ipse genituram suam, nec velle edere, perseverabat. *Juvenal.* 14. 516. Mensura tamen quæ Sufficiat census, si quis me consulat, edam. Adde *eumd.* 3. 74. et 296. *Virg.* 5. *Æn.* 799. Saturnius hæc edidit. *h. e.* ita locutus est. Sic *Id.* 7. *ibid.* 194. Atque hæc ingressis placido prior edidit ore. Adde *Phædr.* 1. 14. — *b*) Cum Accusativo et Infinito. *Lucret.* 2. 612. quia primum ex illis finibus edunt Per terrarum orbem fruges cœpisse creari. *Cic.* 2. *Off.* 22. 77. Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia, nisi avaritia, perituram. *Ovid.* 11. *Met.* 361. hos navita templi Edidit esse deos. — *c*) Cum duplici Accusativo. *Liv.* 1. 18. Auctorem doctrinæ ejus, quia non exstat alius, falso Samium Pythagoram edunt. *Id.* 27. 27. L. Cœlius triplicem rei gestæ ordinem edit: unam traditam famæ; alteram scriptam laudatione filii; tertiam etc. *Sueton. Gramm.* 12. Quare numquam non utriusque se libertum edidit. ¶ 4. De magistratibus pro creare dixit *Sueton. Cæs.* 41. Ut, exceptis consulatus competitoribus, de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur; pro parte altera, quos ipse edidisset. *Al. leg.* dedisset. Affertur etiam illud ejusdem *Sueton. Vitell.* 3. Decessit — duobus filiis superstitibus, quos ex Sextilia probatissima, nec ignobili femina, editos consules vidit. *At hic* editos *ad verba* ex Sextilia, *non ad v.* consules, pertinere patet. ¶ 5. Pertinet etiam ad rem forensem. *Edere* enim dicuntur, qui vel formulam actionis proferunt, qua jus suum sunt persecuturi, vel tabulas, testes, rationes exhibent judicii causa. Hinc *Ulp. Dig.* 2. *tit.* 13. *qui est* De edendo 1. Qua quisque actione agere volet, eam prius edere debet. — Edere est etiam copiam describendi facere, vel in libello complecti, et dare, vel dictare. Adde ibid. sexcenta in hanc rem. Hinc — *Edere judices* est judices nominare et seligere, qui in aliqua causa sententiam ferant: *edere tribum* est nominare tribum, ex qua judices deligantur. Speciatim vero in causa sodalitatis, tribum et judices edere dicebatur accusator, ut in EDITICIUS dictum est. *Cic. Planc.* 15., 16. et 17. *Id. Cic. Quinct.* 21. 76. et 29. 88. Edere aliquem sibi socium. *h. e.* publice vel scripto, vel coram magistratu aliquem sibi socium esse profiteri. *Id. ibid.* 20. 63. Judicium quin acciperet in ea ipsa verba, quæ Nævius edebat, non recusasse. — Hinc generatim ponitur pro statuere, jubere. *Cic.* 5. *Verr.* 29. 70. Quantum Apronius edidisset deberi, tantum ex edicto dandum erat. *h. e.* statuisset. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 42. 103. Sic *Liv.* 40. 40. Quum undique (*milites*) acclamassent, quid ederet, quid fieri vellit; non segniter imperium executurus: Duplicate turmas, inquit. *h. e.* imperaret. *Id.* 15. 31. Edita tribunis centurionibusque erant, quæ agerentur. ¶ 6. Sæpissime est producere, facere, patrare, committere, (quoniam et *do* hanc vim habet), adeoque ostendere, præbere, exhibere; et occurrit — *a*) Generatim de pluribus præcipue actionibus. *Lucret.* 3. 559. vitales edere motus. *Id.* 2. 118. et 4. 1007. prœlia pugnasque. *Liv.* 21. 43. certamen. *Id.* 25. 16. *ad fin.* pugnam. *Virg.* 9. *Æn.* 785. strages. *Id. ibid.* 527. funera. *Liv.* 5. 13. *sub fin.*, 27. 48. et 40. 32.; et *Justin.* 2. 11. 3. et 31. 8. 7. cladem. *Liv.* 36. 19. tumultum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 158. fructum (Ejus verba sunt: Oves nullum fructum edere ex se sine cultu hominum et curatione potuissent.). *Id.* 1. *Legg.* 13. 39. ruinas. *Id. Sext.* 27. 58. scelus in aliquem. *Id.* 13. *Phil.* 9. 21.; et *Vopisc. Carin.* 18. scelus, facinus. *Vopisc. Prob.* 12. fortia facta. *Id. Aurelian.* 17. virtutem. — *Ter. Eun.* 5. 7. 21. Uterque in te exempla edent. *h. e.* novis dirisque cruciatibus, quæ pro exemplis narrentur, aut quæ documenta sint ceteris, te punient. *Donatus* ad h. l. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. Edere exemplum severitatis. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Omnia exempla cruciatus edere in aliquem. Adde *Liv.* 29. 9. *extr.* Cf. *Vellej.* 2. 94. Editis virtutum experimentis. — Sic *edere operam* est operam dare, præstare. *Liv.* 5. 4. Annua æra habes, annuam operam edo. *Id.* 3. 63. Castigati fortium statim virorum operam edebant. *Sueton. Tib.* 35. In opera scenæ arenæque edenda. Adde *eumd. ibid.* 43., *Cal.* 58. et *Vitell.* 10. — *b*) Speciatim de publicis ludis. *Tac.* 1. *Ann.* 15. Edere proprio sumptu ludos. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 41. et 14. *ibid.* 21.; et *Sueton. Cæs.* 16. et 89., *Aug.* 10. et 43. et *Vitell.* 2. Rursus *Sueton. Cal.* 18. et *Ner.* 7. Circenses. *Liv.* 28. 21. munus gladiatorium. *Sueton. Aug.* 48., *Cal.* 18. et *Tit.* 6.; et *Capitolin. Anton. Phil.* 6. munera. *Tac.* 18. *Ann.* 17. et 2. *Hist.* 71.; *Justin.* 13. 3. 10.; et *Sueton. Cæs.* 19., *Tib.* 47., *Aug.* 14., *Cal.* 20. et *Ner.* 11. spectaculum. *Sueton. Aug.* 15.; et *Tac.* 1. *Ann.* 76. gladiatores. *Vopisc. Prob.* 19. gladiatorum paria. *Sueton. Domit.* 4. pugnas navales. *Id. Ner.* 22. agones. *Id. Claud.* 21. expugnationem direptionemque oppidi. *Id. Cæs.* 10. et 39., *Aug.* 43., *Ner.* 7. et *Domit.* 4. venationes. *Vopisc. Aurelian.* 15. consulatum. *h. e.* consulatus celebrationem. Similiter *Sueton. Galb.* 6. elephantos funambulos. *h. e.* spectandos exhibere. *Spartian. Hadrian.* 7. feras. *Vopisc. Prob.* 19. centum leopardos.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. *B.* 1., edere ponitur pro emittere. *Ovid.* 1. *Met.* 131. Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti Solibus ætheriis altoque recanduit æstu, Edidit innumeras species. *Liv.* 21. 41. Experiri juvat, utrum alios repente Carthaginienses per viginti annos terra ediderit, an etc. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 2. Seminibus inter frondem, quam (*ulmus*) prima germinatione edit, latentibus. *Sueton. Gramm.* 22. Et agros adeo colere, ut vitem manu ejus insitam satis constet trecenta sexaginta uvas edidisse. Ita leg. *Klotz* et *Dörgens*; *Forcellinus* vero antiquis editionibus deceptus pro *insitam* leg. *institutam* et pro *uvas* leg. *vasa.* ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. *B.* 5., edere ponitur pro denunciare. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 10. «Festo die si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris». Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi, etc. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Editus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Editior* et Sup. *Editissimus;* et est idem atque altus, excelsus.

I.) Proprie. — *a*) Posit. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Collis ex planitie editus. *Sall. Jug.* 92. Erat inter ceteram planitiem mons saxeus, mediocri castello satis pa-

teus, in immensum editus. Cic. 6. Verr. 48. 107. Locus præcelsus (al. perexcelsus) atque editus. Cæs. 3. B. G. 19. Locus erat castrorum editus et paullatim ab imo acclivis. Id. 7. ibid. 69. Ipsum erat oppidum in colle summo, admodum edito loco. Lucret. 6. 560. Tum, supra terram quæ sunt estructa domorum, Ad cælumque magis quanto sunt edita quæque, etc. Nepos Dion. 9. Quum a conventu se remotum Dion domi teneret, atque in conclavi edito recubuisset etc. Tac. 6. Ann. 21. Quoties super negotio consultaret, edita domus parte utebatur. Cf. Sueton. infra cit. sub Editum I. Adde Sall. Jug. 98.; Nepot. Ages. 6.; Liv. 2. 50.; et Tac. 3. Ann. 71. et Germ. 1. — b) Comp. Cæs. 1. B. C. 7. Locis editioribus occupatis. Id. ibid. 43. In hoc fere medio spatio tumulus erat paullo editior. Justin. 1. 2. 19. Scythiam adeo editiorem omnibus terris esse, ut etc. Colum. 9. R. R. 8. 10. In editiore silvæ fronde considet. Adde Senec. 7. Quæst. nat. 5. — c) Sup. Auct. B. Alex. 31. et Justin. 12. 15. 2. Editissimus locus. Justin. 2. 1. 17. Editissimam quamque partem decurrentibus aquis primam detectam. Colum. 8. R. R. 8. 1. Editissima ædificia. Vopisc. Prob. 21. Editissima turris.

II.) Translate. Horat. 1. Sat. 3. 109. Quos venerem incertam rapientes more ferarum Viribus editior cædebat ut in grege taurus. h. e. superior. Cf. Lucret. 5. 1130. Invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant Plerumque, et quæ sunt aliis magis edita cumque. — Edita ætas apud Gell. 3. 15. est acta, decursa, confecta: ea ratione, qua edere vitam, pro finire, dixit Cic. 5. Fin. 2. 4. Sunt tamen qui apud Gell. aliter leg. At nihil mutandum videtur. Ita enim etiam Fronto de nep. am. p. 220. Me autem consolatur ætas mea prope jam edita et morti proxima. — Hinc

Editum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est idem atque excelsitas.

I.) Proprie. — a) In sing. num. Sueton. Aug. 72. Si quando quid secreto aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis. Plin. 31. Hist. nat. 3. 27. (45). Quod ex edito quidam speculantur. — b) In plur. num. — Cum addito Genitivo. Tac. 4. Ann. 46. Edita montium. Adde eumd. 12. ibid. 56.; et Curt. 6. 6. 25. — Absolute omnino. Tac. 15. Ann. 27. Armenicos – pellit sedibus, castella eorum exscindit, plana edita, validos invalidosque metu complet. Trebell. Poll. XXX. Tyr. 26. In editis.

II.) Translate edita absolute sunt mandata, edicta, jussa. Ovid. 11. Met. 647. Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus Eligit.

EDO, ōnis, m. 3. edax, manduco. Varro apud Non. p. 48. 19. Merc. Et ἀπαντήσουσιν Edones Romam, ut turba incendant annonam: sed propter Phagones etc. Oehler, M. Ter. Varron. Sat. Menipp. ad h. l. recte adnotat, Edones et Phagones, ab edacitate, unum Latinum, aliud Græcum, esse ficta populorum nomina, qualia in Plauti Captivis (1. 2. 54. et seqq.) sunt illi Pistorienses, Placentini, Turditani et Ficedulenses.

ĒDŎCENTER, adverb. docendi more, ad docendum utiliter. Gell. 16. 8. In eo nihil educenter, neque ad instituendum explanate scriptum est.

ĒDŎCEO, dŏces, dŏcŭi, doctum, dŏcere, a. 2. (ex et doceo). Part. Edocens et Edoctus. — Edocere est diligenter ac probe docere (It. istruire, informare, far sapere minutamente; Fr. apprendre à fond à quelqu'un, l'instruire entièrement, montrer exactement; Hisp. instruir a fondo, informar exactamente; Germ. Jemanden gründlich belehren, etwas gründlich lehren, genaue Auskunft geben über eine Sache; Angl. to teach, instruct carefully). Occurrit autem — 1.°) Fere de personis; et quidem — a) Cum duplici Accusativo personæ et rei. Plaut. Epid. 5. 1. 56. Eadem hæc edocebo Stratippoclem. Adde eumd. Trin. 2. 2. 91. Sall. Cat. 16. Juventutem multis modis mala facinora edocebat. Liv. 1. 20. Nec cælestes modo ceremonias, sed justa quoque funebria placandosque Manes ut idem pontifex (alios) edoceret. Adde Sueton. Gramm. 3. et 18.; et Plin. Paneg. 26. — Sic Passive. Sall. Cat. 45. Cicero edoctus omnia per legatos. Id. Jug. 112. Ab illo cuncta edoctus. Liv. 25. 40. Edoctus belli artes sub magistro. Id. ibid. 37. Sub qua (disciplina) omnes militiæ artes edoctus fuerat. Tac. 2. Hist. 90. Vulgus – sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum. Id. Agric. 26. Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus. Adde eumd. 12. Ann. 44. et 13. ibid. 47. Lucan. 1. 587. Fulminis edoctus motus venasque calentes Fibrarum. — b) Cum addito Ablativo rei per præpos. de. Sall. Cat. 48. Eadem fere, quæ Vulturcius, de paratis incendiis, de cæde bonorum, de itinere hostium senatum edocet. Kritz et alii leg. docet: V. Herzog ad h. l. Justin. 15. 4. 6. Quamobrem Laudice anulum Seleuco –, edocto de origine sua, dedit. — c) Cum Accusativo et Infinito. Ovid. 15. Met. 558. Indigenæ dixere Tagen: qui primus Etruscam Edocuit gentem casus aperire futuros. — Et passive Liv. 29. 18. Qua tanta clade edoctus tandem deos esse superbissimus rex. Id. 38. 36. Rogationi quum tribuni intercederent, edocti, populi esse non senatus jus, destiterunt incepto. — Et cum Infinito tantum. Sall. Cat. 10. Avaritia – deos negligere, omnia venalia habere edocuit. — d) Sequente Relativo. Ter. Phorm. 3. 3. 7. GN. Quid faciam? AN. Invenias argentum. GN. Cupio: sed id unde, edoce. Sall. Jug. 56. Ille quæ parabantur a perfugis edoctus. Cæs. 3. B. G. 18. Quid fieri vellet, edocet. Id. 7. ibid. 19. Edocet, quanto detrimento – necesse esset constare victoriam. Liv. 40. 27. Nunc, quantus pudor esset, edocens, ab Liguribus Romanum exercitum obsideri. Id. 37. 25. Legatus ab Roma venit, et edocuit, quanto spes victoriæ certior Romanis, quam Antiocho. — Et cum addito Accusativo personæ. Cæs. 7. B. G. 38. Quos edocuerat, quæ dici vellet. Adde eumd. 3. B. C. 108. Justin. 13. 3. 8. Vocatos edoceret, quod facinus molirentur. Sic passive Cæs. 7. B. G. 20. Servi edocti, quæ pronunciarent. — e) Sequente part. ut vel ne. Plaut. Trin. 3. 3. 20. Lesbonicum edoceam ut res se habet. Ter. Phorm. 5. 2. 17. Nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo, ne quid vereatur Phormionem, aut ejus orationem. — f) Cum Accusativo rei vel personæ, et additis. Liv. 24. 24. Qui quum omnia ordine edocuisset. Id. 30. 37. Monitis (legatis), ut, tot cladibus edocti, tandem deos et jusjurandum esse crederent. Id. 24. 4. Juvenemque suis potissimum vestigiis insistere vellent disciplinæque, in qua edoctus esset. — g) Cum Accusativo rei tantum. Val. Flacc. 6. 15. Legatos placet ire duces: mandataque Perses Edocet. Id. 3. 385. Ad solium venere Jovis, questuque nefandam Edocuere necem. — h) Absolute omnino. Lamprid. Helagab. 20. Edocti leones. — 2.°) De abstractis. Liv. 27. 39. Fama deinde Punici belli – satis edocuerat, viam tantum Alpes esse. Cic. 3. Tusc. 33. 80. Edocuit tamen ratio etc.

ĒDOCTUS, a, um. V. voc. præced.

ĒDŎLĀTUS, a, um. V. voc. seq.

ĒDŎLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et dolo). Part. Edolatus I. et II. — Edolo est perfecte dolo, polio (It. lavorar con l'accetta; Fr. travailler, façonner avec la houe; Hisp. labrar con la azada; Germ. durch Behauen ausarbeiten; Angl. to labour with the axe).

I.) Proprie. Colum. 8. R. R. 11. 4. Partes summæ linguiss edolatas habent.

II.) Translate est perficio. Varro apud Non. p. 448. 17. Merc. Vix duo homines decem mensibus edolatum unum reddunt puerum: contra una pestilentia, aut hostica acies puncto temporis immanes acervos facit. Id. ibid. 392. 30. Ego unum libellum non edolem, ut ait Ennius? Cic. 13. Att. 47. Quod jusseras, edolavi.

ĒDŎMĀTOR. V. ENODATOR.

ĒDŎMĬTO, as, are, a. 1. frequentat. ab edomo, et idem fere significat. Venant. 9. carm. 1. 143. Edomites omnes, tuearis amore fideles. Cod. Vatic. habet Et domites.

ĒDŎMO, dŏmas, dŏmŭi, dŏmitum, dŏmare, a. 1. (ex et domo). Part. Edomitus I. et II.; Edomandus I. — Edomo est idem quod domo, seu rectius omnino domo (It. domare intieramente; Fr. dompter entièrement; Hisp. domar totalmente; Germ. völlig, gänzlich bändigen, bezwingen; Angl. to tame, subdue, conquer).

I.) Proprie. Ovid. 4. Fast. 256. Roma edomito sustulit orbe caput. Id. 3. Art. am. 114. Edomiti orbis opes possidere. Justin. 2. 4. 26. Asia edomita. Symmach. Orat. in Gratian. (edente A. Maio) 6. Audio in edomandis equis equites inscios aptius essedis colla conjungere. Claudian. VI. Cons. Honor. 379. Edomiti equi.

II.) Translate. Cic. Fat. 5. 10. Vitiosam naturam ab eo sic edomitam et compressam esse doctrina. Nonnulli leg. domitam. Horat. 4. Od. 5. 22. Mos et lex maculosum edomuit nefas. h. e. delevit, sustulit. Sil. It. 3. 531. Edomiti labores. Id. 10. 343. Edomita lumina. h. e. somno victa. Plin. 33. Hist. nat. 3. 20. (65). Æs edomitum igni. Id. 17. ibid. 19. 30. (137). Ramum oleæ edomari omni tempore, meditatione curvandi. Colum. 11. R. R. 3. 37. Edomare feritatem. Id. 1. ibid. 5. 3. Edomitus humor. Id. 9. ibid. 4. 5. pastinacea. Claudian. 2. in Rufin. 1. Alpes edomitæ.

ĒDOR olim dictum est ipsum ador, teste Paul. Diac. p. 3. 10. Müll. V. ADOR.

ĒDORMIO, is, īvi, ītum, ire, 4. (ex et dormio). Edormire ¶ 1. Strictu sensu est dormire ad satietatem; et occurrit præcipue de vinolentis. — a) Absolute. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 17. 52. Cumque edormiverunt, illa visa quam levia fuerint, intelligunt. — b) Cum Accusativo, edormire vinum vel crapulam est dormiendo concoquere. Cic. 2. Phil. 12. 30. Edormi, inquam, crapulam, et exhala. Gell. 6. 10. extr. Opperiri, donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant. ¶ 2. Latiori sensu edormire tempus est dormiendo agere, sive absumere. Seneca Ep. 99. ante med. Ex hoc (tempore) quantum lacrimæ, quantum sollicitudines occupant! quantum valetudo, quantum timor! dimidium ex hoc edormitur. ¶ 3. Item edormire aliquem est dormientis alicujus partes agere, sive in scæna repræsentare. Horat. 2. Sat. 3. 61. Cum Ilionam edormit. h. e. agit Ilionam edormiendo.

ĒDORMISCO, is, ere, 3. inchoat. ab edormio, et est multum dormio. Occurrit cum Accusativo tantum. Plaut. Amph. 2. 2. 64. Paullisper mane, dum edormiscat unum somnum. h. e. dum excutiat sese a somno. Id. Rud. 2. 7. 28. Abeo hinc, ut edormiscam hanc crapulam. V. EDORMIO 1. b. Similiter Ter. Adelph. 5. 2. 11. Aliquo abeam, atque edormiscam hoc vini. h. e. concoquam dormiendo paullulum hoc vini, quod bibi.

ĒDŬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus educandi (It. educazione, allevatura; Fr. éducation, élevage; Hisp. educacion; Germ. d. Erziehung; Angl. a breeding up, nourishing, education). Usurpatur ¶ 1. De hominibus, et est — a) Institutio ac disciplina puerilis. — In singulari numero. Cic. 3. Orat. 31. 124. Institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili. Id. 3. Legg. 13. 29. Cum omni vitio carere lex jubeat, id difficile factu est, nisi educatione quadam et disciplina. Plin. 1. Ep. 8. 11. Libenter educationis tædium laboremque suscipere. Tac. Germ. 10. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. Adde eumd. Dial. de Orat. 30.; et Quintil. 1. 1. 21. — In plurali numero. Tac. 3. Ann. 25. Relatum deinde de moderanda Papia Poppæa, quam senior Augustus – incitandis cælibum pœnis et augendo ærario sanxerat. Nec ideo conjugia et educationes liberum frequentabantur, prævalida orbitate. — b) Dicitur et de sola nutritione puerorum. Plin. 37. Hist. nat. 10. 59. (162) Galactitis in educatione nutricibus lactis fecunda. Sic legit Sillig. ¶ 2. Item bestiarum. Cic. 3. Fin. 19. 62. Bestiarum in fetu et in educatione labor. Id. Rosc. Am. 22. 63. Etiam feras inter se partus atque educatio conciliat. Adde Colum. 7. R. R. 12. 11. et 8. ibid. 11. 1. ¶ 3. Item arborum et pomorum. Plin. 16. Hist. nat. 25. 39. (94). Pariunt arbores, cum florent: educatio in pomo est. Macrob. 1. Saturn. 7. a med. Insertiones surculorum, pomorumque educationes.

ĒDŬCĀTOR, ōris, m. 3. qui educat. ¶ 1. Generatim est nutritor et dicitur de parentibus. Cic. 2. Nat. D. 31. 86. Omnium autem rerum, quæ natura administrantur, seminator, et sator, et parens (ut ita dicam) atque educator et altor, est mundus. Id. Planc. 33. 81. Quis, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores cum grata recordatione in mente versentur? Adde Quintil. 7. 1. 14. ¶ 2. Speciatim apud ætatis argenteæ scriptores usurpatur de pædagogo. Sueton. Gramm. 21. Cura et industria educatoris sui altiora studia percepit. Tac. 15. Ann. 62. Cui enim ignaram fuisse sævitiam Neronis? neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptorisque necem adjiceret. Id. 14. Ann. 3. Pueritiæ Neronis educator. Adde eumd. 11. ibid. 1., 12. ibid. 41. et 13. ibid. 15.; Capitolin. Ver. 2.;

et *Dig.* 40. 2. 13. *Inscript.* Tibortina reperta anno MDCCLXXXIII., edita in *Giorn. Arcad. T.* 55. *p.* 321. C. SEXTILIO C. F. CAM. RVF. JVN. INFANTI DVLCISSIMO QVI VIXIT ANN. VII. M. X. D. X. C. TIBVRTIVS ALFEVS ET VALERIA POTITA EDUCATORES.

ĒDŪCĀTRIX, icis, f. 3. quæ nutrit atque educat.

I.) Proprie. *Colum.* 8. *R. R.* 11. 11. Pulli pavonini cum educatrice transferantur in caveam. *Inscript.* apud *Don. cl.* 11. *n.* 39. M. CVRATIVS ZEPHYRINVS FECIT BABRONIAE GALENE EDVCATRICI.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Legg.* 21. 62. Earum rerum parens est educatrixque sapientia.

ĒDŪCĀTUS, a, m. *V.* EDUCO, as.

ĒDŪCĀTUS, us, m. 4. idem atque educatio. In sexto casu singul. *Tertull. Resurr. carn.* 60. Quo renes conscii seminum, et reliqua genitalium utriusque sexus, et conceptuum stabula, et uberum fontes, discessuro (post *resurrectionem*) concubitu et fetu et educatu? *h. e.* nutritione puerorum.

ĒDŪCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Educatus* in omnibus paragr.; *Educandus* I. — Educare, ratione habita etymi, unum idemque est cum *educere* quod interdum et pro *educare* usurpatur: significat autem nutrire et nutriendo instituere, et usurpatur de pueris tum quod ad corpus, tum quod ad mentem attinet (It. *allevare, educare*; Fr. *elever, nourrir*; Hisp. *nutrir, cultivar*; Germ. *erziehen, aufziehen*; Angl. *to foster, bring up, nurture, educate.*

I.) Proprie usurpatur de parentibus, nutricibus, doctoribus, qui pueros nutriunt et nutriendo instituunt. *Varro* apud *Non. p.* 447. 33. *Merc.* Educit obstetrix, educat nutrix, instituit pædagogus, docet magister. *Id. Non. p.* 422. 10. Alere, inquit, est victu temporali sustentare; educare autem ad satietatem perpetuam educere. Hinc *Plaut. Men.* 1. 1. 22. Ille homo homines non alit, verum educat recreatque. *Id. Trin.* 2. 1. 141. Nostramne vis nutricem, here, quæ nos educat, abalienare a nobis? *Id. Rud.* 3. 4. 26. Athenis natus altusque educatusque. *Id. Capt.* 5. 3. 16. Educare puerum. *Id. Cas. prol.* 41. puellam magna industria. *Id. Cist.* 1. 3. 21. Educarit eam sibi pro filia bene ac pudice. *Ter. Eun.* 1. 2. 36. Mater ubi (*eam*) accepit, cœpit studiose omnia docere, educare (*al.* educere), ita uti si esset filia. *Id. Phorm.* 5. 7. 49. Ex qua filiam suscepit; et eam clam educat. *Cic.* 2. *de republ.* 21. Servius famulorum numero educatus. *Nepos Alcib.* 2. Educatus est in domo Periclis. *Ovid.* 3. *Met.* 313. Furtim illum primis Ino matertera cunis Educat. Adde *Virg.* 10. *Æn.* 518. *Curt.* 8. 1. 21. Hellanice, quæ Alexandrum educaverat, haud secus quam mater a rege diligebatur. *Quintil.* 3. 7. 5. Romulum educatum a lupa. Adde *eumd.* 10. 1. 10. *Cic. Brut.* 58. 211. Filios Corneliæ apparet non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. *Id.* 7. *Verr.* 19. 49. Homo in fetialium manibus educatus. *Id.* 1. *Orat.* 31. 137. Homo ingenuus ac liberaliter educatus. *Id.* 5. *Verr.* 21. 60. In dedecore natus, ad turpitudinem educatus. *Nepos Dion.* 4. Filiumque ejus sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. *Auct. B. Alex.* 78. Disciplinis regiis educatus. *Quintil.* 1. *proœm.* 5. Si mihi traderetur educandus orator. Adde *eumd.* 9. 2. 81.

II.) Translate. ¶ 1. De hominibus, vel rebus ad homines pertinentibus. *Cic.* 1. *de republ.* 4. Neque enim hac nos patria lege genuit aut educavit, ut etc. *Juvenal.* 15. 70. Terra malos homines nunc educat atque pusillos. *Cic. Orat.* 13. 42. Educata hujus nutrimentis eloquentia, ipsa se postea colorat ac roborat. *Id.* 2. *Orat.* 87. 356. Hæc ars tota dicendi – habet hanc vim, non ut totum aliquid, cujus in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat et procreet, verum ut ea, quæ sunt orta jam nobis et procreata, educet atque confirmet. *Tac.* 14. *Ann.* 53. Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui, quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata? ¶ 2. Usurpatur et de brutis animantibus, et significat ipsa nutrire atque ita facere, ut crescant. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 22. Tractus uter plures lepores, uter educet apros. *Varro* 2. *R. R.* 8. 2. Præterea educant eum (*mulum*) paleis, fœno, hordeo. *Phædr.* 1. 27. *extr.* Canis triviu conceptus atque educatus stercore. Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 32. (63). Ciconiæ genitricum senectam invicem educant. *h. e.* alunt, sustentant. *Id.* 9. *ibid.* 13. 15. (41). Vitulus marinus educat mammis fetum. ¶ 3. Item de plantis. *Catull.* 62. 50. Vitis educat uvam. Cf. *eumd.* 19. 11. Uva pampinea rubens educata sub umbra. *Id.* 62. 47. Quem (*florem*) mulcent auræ, firmat sol, educat imber. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 51. Non ager hic pomum, non dulces educat uvas. *Id.* 15. *Met.* 97. Herbæ, quas humus educat. *Id.* 8. *ibid.* 830. et 1. *Pont.* 10. 9. Quod mare, quod tellus, appone, quod educat aer. *Val. Flacc.* 6. 712. Si aquis et fertilis ubere terræ educat uleam. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 67. (173). Licet populi vitibus placeant et Ceruba educent. *Tibull.* 1. 1. 19. Et quodcumque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolæ ponitur ante deo.

ĒDŪCO, dūcis, duxi, ductum dūcere, a. 3. (ex et duco). *Educe* pro *educ* habet *Plaut. Pers.* 4. 1. 11. et *Stich.* 5. 6. 1. — *Educier* pro *educi* paragoge est apud *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 16. — Part. *Educens* sub I. *B.* 7. *a.*; *Eductus* in omn. paragr.; *Educturus* sub I. *B.* 1. d.; *Educendus* sub I. A. *a.* — Educere est extra ducere, producere, extrahere (It. *tirare, o menare fuori*; Fr. *faire sortir, tirer de, retirer, mettre dehors*; Hisp. *hacer salir, tirar, sacar á fuera*; Germ. *herausführen, ziehen, wegführen*; Angl. *to draw or lead forth*).

I.) Proprie occurrit *A*) Generatim; et *B*) Specialim.

A) Generatim usurpatur — *a*) Absolute. *Plaut. Epid.* 3. 4. 36. Heus, foras educite quam introduxistis fidicinam *Id. Mil. glor.* 4. 6. 52. Ut jussisti, heram meam eduxi foras. *Sall. Cat.* 51. *in fin.* et *Cæs.* 5. *B. C.* 41. Educere gladium. *Cic.* 4. *Verr.* 51. 127. sortem. Cf. *eumd. ibid.* 17. 42. *Varro* 3. *R. R.* 11. 2. fistulam. *Cels.* 7. 7. *n.* 14. Postea educenda recta acus est. *Seneca Phœniss.* 275. oculos. *h. e.* eruere. *Juvenal.* 6. 169. comites educit asellas. *Cic.* 1. *Divinat.* 11. 100. Lacus ita eductus, ut ad mare pervenire non possit. *Pallad.* 9. *R. R.* 9. 1. Plerumque terra sulfur, alumen, bitumen educit. *Id.* 12. *ibid.* 1. 2. Qui (*ager*) calamos fabaceæ messis eduxit. — *b*) Sæpius cum addito, a quo quis educitur, per Ablat. et præpos. *ab* vel *ex*; itemque addito, quo quis educitur, per Accus. et præpos. *in*. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. Educere mulierem ab domo secum. *Al. leg.* domo adducere. *Sueton. Aug.* 89. Quem grandem natu Apolloniam quoque secum ab urbe eduxerat. Sic *Liv.* 3. 21. et 8. 15. Educere exercitum ab urbe. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. Educi e custodia. *Varro* 1. *R. R.* 2. 9. Educere populum e comitio. *Capitolin. Ver.* 8. histriones e Syria. *Sueton. Rhet.* 1. gregem venalium e navi. *Varro* 3. *R. R.* 17. 7. pisces e vervicuto. *Id. ibid.* 10. 5. radicem e terra. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 14. gladium e vagina. — *Forcellinus* addit illud *Cic.* 1. *Orat.* 40. 181. Tribunus plebis de senatu jussit (*eum*) educi. *At* Orellius, *optimis Codic. fretus*, *verba* de senatu *omisit.* — *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 3. *sub fin.* Si nobiscum eum rus aliquo eduxerimus. *Sueton. Cæs.* 49. Educere aliquem in cubiculum. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 45. jumenta in agros. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (179). Colliciæ in fossas aquam educunt. — *c*) Cum Ablativo sine præpositione, quæ latet in ipso verbo. *Virg.* 10. *Æn.* 744. eduxit corpore telum. Cf. *eumd.* 11. *ibid.* 20. pubemque educere castris. Et *Ovid.* 11. *Met.* 455. pinus educta navalibus *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 19. (83). Milonem athletam, quum constitisset, nemo vestigio educebat. *h. e.* eo loco movebat, quo pedem posuerat. Denique poetice *Val. Flacc.* 7. 453. virtus leto te educere potest. *h. e.* liberare. — *d*) Et cum Dativo. *Seneca Vita beat.* 2. *ad fin.* Ut me multitudini educerem, et aliqua dote notabilem facerem. — Ceterum *educere se* pro se proripere dixerat *Ter. Hecyr.* 3. 3. 4. Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.

B) Specialim. ¶ 1. De pullis, qui ex ovo trahuntur. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 142. Jam hercle tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis, quam mare est olim, quum ibi alcedo pullos educit suos. Adde *Sil. It.* 16. 366. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 25. 36. (73). Trimestres, ut turdi, turtures, et quæ quum fetum eduxere abeunt, ut galguli, upupæ. *Id. ibid.* 54. 75. (152). Incubationi datur initium post novam lunam. Celerius excluduntur calidis diebus; ideo æstate undevicesimo educunt fetum, hieme XXV. *Id.* 9. *ibid.* 10. 12. (37.) Pariunt ova avium ovis similia, eaque – incubant noctibus, educunt fetus annuo spatio. ¶ 2. *Educere* ponitur etiam pro ebibere, exhaurire: *V.* DUCO. *Plaut. Stich.* 5. 5. 16. STE. Tum vos dat, bibat, tibicini. STI. Et quidem nobis. SA. Tene, tibicen, primum' postidea loci si hoc eduxeris etc. Cf. *eumd. ibid.* 5. 6. 1. Tene tu hoc educe! dudum haud placuit potio. Similiter *Id. Amph.* 1. 1. 274. Eam (*hirneam*) ego, ut matre fuerat natum, vini eduxi meri. ¶ 3. Usurpatur de navibus, quæ a portu in altum ducuntur præcipue pugnandi causa. *Cæs.* 1. *B. C.* 57. Cognito hostium adventu, suas naves ex portu educunt, cum Massiliensibus confligunt. *Id.* 2. *ibid.* 22. Massilienses arma tormentaque ex oppido proferunt: naves ex portu navalibusque educunt. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 26. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 12. 9. (55.) Nicias Atheniensium imperator veritus classem portu educere. ¶ 4. Sæpissima de exercitu, qui aliquo e loco ad itinera facienda, vel in hostem producitur. — *a*) Cum addito unde educitur, per Ablat. et præpos. *ex*. *Plaut. Amph.* 1. 1. 62. Ex oppido legiones educunt suas. Cf. *Cæs.* 7. *B. G.* 10. et 5. *ibid.* 27.; et *Liv.* 40. 39. Educere legiones ex hibernis. *Nepos Miltiad.* 5. copias ex urbe. *Id. Cimon.* 2. e classe. *Id. Miltiad.* 7. copias e navibus. *Cæs.* 1. *B. G.* 50., 2. *ibid.* 8., 7. *ibid.* 40. et 51. et 79., 1. *B. C.* 43. et 3. *ibid.* 30. et 84.; et *Liv.* 31. 37. cohortes ex urbe. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 68. impedimenta ex castris. *Nepos Eumen.* 5. jumenta a castello. — *b*) Cum Ablativo sine præpos. *Cæs.* 1. *B. C.* 68. Cæsar, exploratis regionibus, albente cœlo, omnes copias castris educit. Adde *Liv.* 28. 2. — *c*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. G.* 26. Illi, ut erat imperatum, eductis quatuor cohortibus – celeriter ad eas, quas diximus, munitiones pervenerunt Adde *eumd.* 1. *B. G.* 61. et 3. *ibid.* 54. et 76.; *Sall. Jug.* 68.; et *Sueton. Cæs.* 65. et *Oth.* 9. *Nepos Datam.* 6. Hac re probata, exercitum educit: Mithrobarzanem persequitur. Adde *Frontin.* 2. *Strateg.* 1. 2. et 5. 31. — *d*) Addito, quo exercitus educitur. *Cato* apud *Gell.* 15. 13. Educere exercitum cohortatum foras. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 72. Quum in expeditionem (*exercitum*) educturus esset Sulla. *Frontin.* 1. *Strateg.* 5. 9. copias adversus aliquem. *Id.* 2. *ibid.* 2. 5. adversus Parthos. Similiter imperatores dicuntur educere copias, legiones, exercitum *in aciem, in castra* apud *Liv.* 1. 23., 3. 62., 9. 12., 18. 9. et alibi; *Nepot. Eumen.* 3.; et *Frontin.* 2. *Strateg.* 1. 5. et 1. *ibid.* 1. 7. ¶ 5. Pertinet etiam ad rem forensem, et est ad tribunal trahere. *Edictum prætor.* apud *Gell.* 11. 17. SI QVIS EORVM AD ME EDVCTVS FVERIT QVI DICATVR etc. *Cic. Planc.* 23. 55. Atque is quidem eductus ad consules, qui tum in crimen vocabatur, se inique a tota jactatum graviter querebatur. *Id.* 5. *Verr.* 65. 152. Aditum est ad Metellum: eductus est Apronius: eduxit vir primarius C. Gallius, senator. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 26. 63. et 37. 90. *Id.* 5. *ibid.* 47. 112.; et *Quintil.* 7. 8. 6. Educere aliquem in jus. — Similiter *Plaut. Truc.* 4. 3. 8. Nisi si ad tintinnaculos voltis vos educi viros. *h. e.* duci ad carnifices, ad supplicium. ¶ 6. Magistratus quoque dicuntur educere, quos secum comites in provinciam ducunt. *Cic.* apud *Quintil.* 5. 10. 76. Quos educere in provinciam non potuit. *Id. Pis.* 34. 83. Ei medico, quem tecum eduxeras, imperasti, ut venas hominis incideret. ¶ 7. Augusteo tempore occurrit etiam — *a*) Pro attollere, in altum vel sublime erigere. *Ovid.* 5. *Met.* 639. Delia rumpit humum; cæcis ego (*Arethusa*) mersa cavernis Advehor Ortygiam: quæ me cognomine divæ Grata meæ superas educit prima sub auras. *Horat.* 1. *Od.* 2. 22. et vires (*juvenis*) animumque moresque Aureos educit in astra nigroque invidet Orco. *Ovid.* 3. *Met.* 111. Sic, ubi tolluntur festis aulæa theatris, Surgere signa solent; primumque ostendere vultum; Cetera paullatim: placidoque educta tenore Tota patent, imoque pedes in margine ponunt. Cf. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (146). Thyrsus asparagi caulem educens. — *b*) Hinc usurpatur de novis, quæ extruuntur ædificiis. *Virg.* 6. *Æn.* 177. aramque sepulcri Congerere arboribus cœloque educere certant. Adde *Sil. It.* 15. 388. et 13. 105. Rursus *Virg.* 2. *Æn.* 185. Hanc tamen immensam Calchas attollere molem Roboribus textis cœloque educere jussit. Cf. *Tac.* 5. *Hist.* 18. Simul e mole, quam eductam in Rhenum retulimus, Bructerorum cuneus tranavit. *Virg.* 2. *Æn.* 460. summisque sub astra Eductam tectis turrim. Adde *eumd.* 12. ibid. 674.; et *Tac.* 12. *Ann.* 16. et 4. *Hist.* 30. Rursus *Virg.* 2. *Æn.* 630. Cyclopum educta caminis Mœ-

nia. *V.* CYCLOPS. *Tac.* 2. *Ann.* 61. Instar montium eductæ pyramides. *Sil. It.* 10. 561. Educere pyram. Cf. *Seneca Herc. Œt.* 494. Ultra nubes eductus Othrys.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ducta a superiori significatione sub *B.* 1., educere ponitur pro gignere. *Virg.* 6. *Æn.* 673. Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles; Quem tibi longævo serum Lavinia conjux Educet silvis regem regumque parentem. *et ibid. v.* 779. Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater Educet. Cf. *Seneca Apoloc. ante med.* Quæ patria, quæ gens mobile eduxit caput? — Hinc figurate *Catull.* 64. 90. Auravæ distinctos educit verna colores. ¶ 2. Item metaphorâ sumptâ ab eadem significatione, educere est alere, educare; quod postremum verbum ab *educere* factum est. *Plaut. Curc.* 4. 2. 32. Bene ego istam eduxi meæ domi et pudice. Adde *eumd. Rud.* 1. 3. 38., *Truc.* 5. 16. et *Epid.* 4. 1. 34. *Ter. Andr.* 5. 4. 8. Adolescentuli libere educti. *Id. Adelph.* 1. 1. 23. Hunc adoptavi mihi, eduxi a parvulo, habui, amavi pro meo. Adde *eumd. Heaut.* 2. 1. 11. *Cic.* 2. *Orat.* 28. 124. Non est boni parentis, quem procrearit et eduxerit, eum non et vestire et ornare. *Tac.* 6. *Ann.* 15. Cassius severa patris disciplina eductus. Adde *Liv.* 21. 43. *a med.*, 21. 4., 27. 19. et alibi sæpe. *Virg.* 8. *Æn.* 413. parvos educere fetus. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 584.; *Colum.* 4. *R. R.* 27. 4.; *Pallad.* 1. *R. R.* 28. 5.; *Sil. It.* 16. 728. et 9. 431.; *Juvenal.* 10. 236.; et *V.* EDUCTOR. — Hinc figurate *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 55. Senex eductus in nutricatu Venereo. ¶ 3. A Poetis præcipue dicitur de tempore, et est traducere, agere. *Propert.* 2. 7. 97. si forte pios eduximus annos. *Sil. It.* 11. 405. sub hiberno somnos educere cælo. *Val. Flacc.* 1. 251.; et *Stat.* 2. *Theb.* 74. Ludo educere noctem. *Val. Flacc.* 2. 371. nimbosque educere luxu. *Seneca Brevit. vit.* 1. Illam (*naturam*) animalibus tantum indulsisse, ut quina aut dena secula educant; homini, in tam multam ac magna genito, tanto citeriorem terminum stare. *Ita leg. recentiores; antiquæ editiones habent* edurent.

ĒDUCTĬO, ōnis, f. 3. actus educendi. *Cato* apud *Festum p.* 253. 33. *Müll.* Tertia e castris eductio celeris properaque est. Adde *Lactant.* 4. 10. *ante med.* — *Pallad.* 7. *R. R.* 7. Si apes unius uberis eductione pendebunt, noris, unum regem esse universis: si vero duo, vel plura ubera suspendens se populus imitatur etc. *h. e.* conformatione examinis in modum uberis.

ĒDUCTOR, ōris, m. 3. idem atque educator, ut *educere* interdum idem est atque *educare*, et *eductus* idem atque *educatus*. *V.* EDUCO, is II. 2. *Fronto* 1. *ad amic.* (ed. iterum *A. Maio*) *Ep.* 15. Quo studio me a prima infantia devinctum fuisse sæpe audivi ex his, qui mihi eductores, aut magistri fuerunt.

ĒDUCTUS, a, um. *V.* EDUCO, eis.

ĒDULCO, as, are, a. 1. dulce facio, indulco, obdulco. *Cn. Matius* apud *Gell.* 15. 25. et apud *Non. p.* 106. 25. *Merc.* Quapropter edulcare convenit vitam, Curasque acerbas sensibus gubernare.

ĔDŪLIS, e, adject. (edo, edis *vel* es) esui aptus. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 43. Vinea submittit capreas non semper edules. — Hinc

Edulia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt res edules: videntur autem significari omnia, quæ cibi gratia apponuntur, præter panem. *Afranius* apud *Non. p.* 28. 30. *Merc.* Commercatis conquisite edulibus. *Varro* apud *eumd. p.* 108. 21. Quum primo cibo et potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus Edusæ, a potione Potinæ, nutrices. Adde *eumd.* 6. *L. L.* 84. *Müll.*; *Gell.* 7. 16. et 17. 11. *extr.*; et *Dig.* 1. 16. 6. *V.* et voc. seq.

ĔDŪLĬUM, ii, n. 2. idem quod edulia, seu res edules. *Varro* 7. *L. L.* 61. *Müll.* Syncerastum est omnimodum edulium, antiquo Græco vocabulo. *Müllerus* ita legendum conjecit. *Gell.* 19. 9. Ubi eduliis finis et poculis, mox sermonibus tempus fuit. *Sueton. Cal.* 40. Pro eduliis, quæ tota urbe venirent, certum statumque exigebatur. At *Gellii* et *Suetonii* loci ad voc. præced. referri possunt, quemadmodum et illud *Apul.* 5. *Met. sub init.* Eduliorum variorum fercula copiosa. — Sine ulla dubitatione hanc formam habet *Capitolin. Pertin.* 12. Nisi quod missum est edulium. Et *Ammian.* 30. 4. Piscis aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitrantur. *Fulgent. p.* 565. 9. *Merc.* Edulium ab edendo dicitur.

ĒDŪRĀTUS, a, um, particip. ad *eduro,* quod adjective usurpatur pro induratus. *Alcim. prol. ad carm.* In cothurnum petulantioris audaciæ edurata fronte procedo.

ĒDŪRĒ, adverb. dure. *Ovid.* 3. *Art. am.* 476. Nec tamen edure, quod petit illa, nega. *Alia lectio habet:* Nec tamen eduro, quod petit, ore nega. *quæ sane præferenda est.*

ĒDŪRESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. ab* eduro, durus fio. Est *Cælii Aurel.* 2. *Acut.* 31.

ĒDŪRO, as, are, n. 1. (ex *et* duro) occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more, est idem ac perduro. *Tac. Germ.* 45. Solis fulgor in ortus edurat. *Gell.* 14. 1. *ante med.* Ut neque tanto ævo potuerint (*litteræ*) edurare. *Seneca Brevit. vit.* 1. Ut quina, aut dena sæcula edurent. *Al. melius leg.* educant.

B) Active ponitur pro valde durum facere, ad laborem assuescere. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 7. A pueritia rusticis operibus edurandus futurus villicus. *Nonnulli leg.* educandus: *at plerique Codd. habent* edurandus, *quam lectionem tuentur* Gesner. *et* Schneider. *Immo* Gesner. *comparavit ex* eod. Colum. 1. *R. R.* 8. 2. Rusticis operibus ab infante duratus. Cf. et EDURATUS loco suo.

ĒDŪRUS, a, um, adject. (ex *et* durus) durus, valde durus.

I.) Proprie. *Virg.* 4. *G.* 144. Eduramque pyrum, et spinos jam pruna ferentes.

II.) Translate. *Ovid.* 3. *Art. am.* 476. Nec tamen eduro, quod petit, ore nega. *Alii minus recte leg.* edure. *Id.* 2. *ibid.* 527. Postibus eduræ supplex blandire puellæ. *Al. leg.* et duræ. — *NB.* Quidam apud *Servium* ad *Virg.* 2. *G.* 75. *edurum* interpretantur, non durum, ut *enodis* est sine nodis. Sed deest his certus ad confirmandum scriptoris locus.

ĔDYLLĬUM *vel* idyllium, ii, n. 2. εἰδύλλιον ab εἶδος *species.* Rectius prima syllaba per e scribitur, quam per i, quia Græca diphthongus sæpius in illam, quam in hanc vocalem vertitur. — Edyllium est poematium, quo aliquid describitur et poeticis coloribus pingitur. Sic appellantur varia opuscula brevia illa quidem, epigrammatis tamen longiora, singula singulis de rebus tractantia, ita ut unum ad alterum non referatur. Ita sua inscripsit *Ausonius*, in quibus varii argumenti carmen composuit, versus Paschales, Epicedion in patrem, suæ villulæ descriptionem, etc. *V.* ECLOGA. *Auson.* in *epist.* præfixa *Edyll.* 11. Ejusmodi edyllia nisi vel obscura siat, nihil futura.

EF

EFFĀBĬLIS, e, adject. qui dici potest. *Apul. de Mag.* Paucis cogitabilis, nemini effabilis. Adde *Virg. dubium loc.* in AFFABILIS.

EFFÆCĀTUS, a, um, adject. fæcibus purgatus. Occurrit translate tantum apud *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Purgata et effæcata animi voluptas.

EFFÆCUNDO. *V.* EFFECUNDO.

EFFAFĬLĀTUM exertum, quod scilicet omnes exerto brachio sint exfilati, id est, extra vestimentum filo contextum. Hæc *Paul. Diac. p.* 83. 6. *Müll.* Alii, inquit *Forcellinus*, rectius legunt *expapillatum.* At *Müllerus* loc. cit. hæc adnotavit: « *Placidi Gloss. p.* 460. ed. *Mai.* Effafilatus, exero thumero (*correctum est* exerto humero) id est extra filium (*scr.* filum) manu, id es e tra proferens (*scr.* id est, manum extra proferens). Hic autem Vaticanus *Placidus* ubi habet *p.* 461: *Exsciterit, expavi vero exereruero,* Dübnerus narrat in Museo philol. Rhenano *T.* III. *p.* 477., in codice Parisiensi, qui multa auctius et tucuientius habet, legi: *Exfabilla vero, exeruero.* Quod si recte se habet, ut puto, hujus mirifici verbi *exfafilare* non unum tantum exemplum, neque una forma in antiquis scriptoribus legebatur, nec probari potest eorum opinio, qui *effafilato* ex corrupto *expapillato* in *Plauti Mil. glor.* 4. 4. 44. natum esse sibi persuaserunt. Tantum in errorem ut incideret Verrius, præsertim cum eumdem versum supra (*Paul. Diac. p.* 79. 10. *Müll.*) rectissime explicuisset, fieri potuisse vix credam ». Postquam vero varias doctissimorum hominum conjecturas retulit, *Müllerus* hæc addit: « Facilius crederem, *fafilam* in antiquiori Latino sermone dictam esse pro *fibula* ».

EFFĀMEN, inis, n. 3. dictio, pronunciatio, effatum. *Capell.* 4. *init.* Hæc quoque contortis stringens effamina nodis. *Id. ibid. p.* 96. *in fin.* His igitur præceptis parere colluctans, nec Grajos deseram ordine disserendi, nec Laurentis assertionis effamina remorabor.

EFFARCĬO *vel* effercio, farcis *vel* fercis, fertus *vel* fercitus, farcire *vel* fercire, a. 1. (ex et farcio). Part. *Effertus* et *Effercitus* in fin. — Effarcio vel effercio est impleo, vel valde impleo.

I.) Proprie. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Ea intervalla grandibus in fronte saxis effarciuntur.

II.) Translate. *Plaut. Most.* 1. 1. 62. Bibite, este, effercite vos, saginam cædite. — Hinc Part. præter. pass.

Effertus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Effertissimus.* *Plaut. Capt.* 3. 1. 6. Neque jejuniosiorem, neque magis effertum fame vidi. *Id. ibid.* 4. 1. 8. Hereditatem sum aptus effertissimam. *Est qui legit* offertissimam *eodem sensu, ut sit ab* offercio *pro* effercio. *Id. Asin.* 2. 2. 16. Maximas opimitates gaudio effertissimas. — Et

Effercitus, a, um, apud *Commodian.* 65. 5. o venter effercite luxu.

EFFASCĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac fascinatio; et occurrit in plurali numero tantum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (145). Eam contra effascinationes auxiliari volunt. Adde *eumd.* 19. *ibid.* 4. 19. (50).

EFFASCĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* fascino). Part. *Effascinans.* — Effascino est idem quod fascino. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (16). Esse in Illyriis, qui risu quoque effascinent, interimantque quos diutius intueantur. *Gell.* 9. 4. Hominum familiæ voce atque lingua effascinantium.

EFFĀTĬO, ōnis, f. 3. actus effandi. Affertur a *Servio* ad *Virg.* 3. *Æn.* 463. tamquam vox usitata in loquendo.

EFFĀTUM, i, n. 2. *V.* EFFOR in fin.

EFFĀTUS, a, um. *V.* EFFOR.

EFFĀTUS, us, m. 4. affatus, sermo. *Apul.* 4. *Met.* Effatu sanctæ vaticinationis accepto. *Al. leg.* affatu. *Tertull. Anim.* 6. Ab anima est impingi pedes in incessum, oculos in conspectum, linguam in effatum.

EFFECTĒ, adverb. Comp. *Effectius* 2. — Effecte ¶ 1. Est profecto, reapse. *Martial.* 2. 27. Effecte, graviter, cito, nequiter, euge, beate. *h. e.* mature, sapienter, ut quidam interpretantur qui minus recte leg. *effete.* *Ammian.* 16. 5. Cum hæc effecte pleneque colligeret. ¶ 2. Cum effectu seu efficientia. *Apul. Florid. n.* 16. *extr.* Sed de hoc tum ego perfectius, cum vos effectius. *h. e.* tum ego plenius agam gratias pro statuæ honore mihi decretæ, quum vos eamdem mihi reapse posueritis.

EFFECTĬO, ōnis, f. 3. actus efficiendi. ¶ 1. Ponitur pro efficientia. *Cic.* 3. *Fin.* 14. 45. Quemadmodum opportunitas non fit major productione temporis, sic recta effectio, (κατόρθωσιν enim ita appello, quoniam rectum factum κατόρθωμα) recta igitur effectio, item convenientia, denique ipsum bonum crescendi affectionem nullam habet. *et ibid.* 7. 24. Artis effectio. ¶ 2. Item causa efficiens. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 6. Materia ea, quam fingit et format effectio.

EFFECTĬTO, as, are, a. 1. *frequentat. ab* effecto. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 36.

EFFECTĪVĒ, adverb. efficiendo, opus aliquod edendo. *Quintil.* 2. 18. 5. Sed effective quoque aliquid simile, scriptis orationibus, vel historiis consequetur. *Al. rectius leg.* effectivæ. *V.* voc. seq.

EFFECTĪVUS, a, um, adject., qui occurrit ¶ 1. Active, et est qui efficit aliquid. *Priscian.* 16. *p.* 1027. *Putsch.* Conjunctiones effectivæ. *h. e.* per quas effectionis causa ostenditur reddi. *Priscian.* hanc vocem *ibid.* bis usurpat. *Boeth.* in *Porphyr.* 2. *p.* 58. Quatuor omnino sunt principia, quæ unumquodque principaliter efficiunt. Est enim una causa, quæ effectiva dicitur, velut pater filii. ¶ 2. Passive, qui reapse est et existit. *Id.* in *Aristot. Categor.* 2. *p.* 167. Si sensus auferatur, sensibilia permanebunt: et quoniam sensus animalium effectivus est, æqua est utrorumque perditio; sive enim sustuleris animal, sensus peribit, sive sensus evertatur, animalia quoque sublata sunt. — Hinc

Effectiva, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, idem est ac πρακτική. *V.* locum *Quintil.* in

EFFECTIVE, ubi *Spalding.* legit *effectivæ*, et quidem rectius.

EFFECTOR, ōris, m. 3. qui efficit. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 150. Stilus est præstantissimus dicendi effector et magister. *Id. Tim.* 5. *extr.* Effector mundi molitorque Deus. *et ibid.* 11. *med.* Horum operum parens et effector. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 26. 55.; et *Quintil.* 10. 3. 1.

EFFECTRIX, īcis, f. 3. quæ efficit. *Cic.* 2. *Fin.* 17. 55. Pecunia est effectrix multarum et magnarum voluptatum. *Id. Tim.* 10. Terra diei noctisque effectrix.

EFFECTUM, i. *V.* EFFICIO in fin.

EFFECTŬŌSUS, a, um, adject. efficax. Occurrit tantum Sup. *Effectuosissimus* apud *Plin. Valerian. præfat.* Quo (*melle*) uti si contingit, effectuosissimum erit.

EFFECTUS, a, um. *V.* EFFICIO.

EFFECTUS, us, m. 4. ¶ 1. Generatim est res effecta (It. *effetto, compimento, esecuzione*; Fr. *achèvement, exécution*; Hisp. *acabamiento, execucion*; Germ. d. *Ausführung*; Angl. *an effect, execution*). *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. 4. Multa me, ut ad effectum horum consiliorum pervenirem, et simulasse invitum, et dissimulasse cum dolore. *Cic.* 3. *Fin.* 9. 32. Ut peccatum est patriam prodere, parentes violare, fana depeculari, quæ sunt in effectu; sic timere, mœrere, in libidine esse peccatum est, etiam sine effectu. *Ovid.* 2. *Amor.* 3. 16. Non caret effectu quod voluere duo. *Propert.* 3. 7. 27. Et tibi ad effectum vires det Cæsar. *h. e.* ut possis efficere. *Liv.* 31. 46. *ad fin.* Opera in effectu erant circa Oreum. *h. e.* opera perfecta erant. *Id.* 33. 33. *extr.* Hoc spe concipere, audacis animi fuisse; ad effectum adducere, virtutis. *Id.* 40. 22. *extr.* Omni genere laboris, sine ullo effectu, fatigatis militibus. *Id.* 21. 57. Effectus spei. *Id.* 21. 7. operis. *Phædr.* 5. 20. Effectus impedit segnis mora. *Seneca* 7. *Benef.* 13. Quædam ejus conditionis sunt, ut effectum præstare debeant: quibusdam pro effectu est, omnia attentasse, ut efficerent. *Petron. Satyr.* 140. Cum res ad effectum spectaret. *Justin.* 2. 6. 1. Effectu majora, quam voto. *Spartian. Carac.* 10. Effectus criminis. *Pallad.* 4. *R. R.* 12. 2. Si in primordiis effectui sibi cessisse senserit. — Apud JCtos *cum effectu* est facto ipso, re ipsa. *Ulp. Dig.* 2. 2. 1. Hæc verba, quod statuerit, cum effectu accipimus, non verbo tenus. *Paul. ibid.* 40. 7. 1. Fraus cum effectu, lege Ælia Sentia, accipitur. ¶ 2. Speciatim *effectus* est vis efficiendi, quæ in quaque re inest. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 2. *Divinat.* 20. 47. Scammoneam aristolochiamque radicem, quarum causam ignorares, vim et effectum videres. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 119. (114). Omnes herbæ vehementiores effectu viribusque sunt in frigidis locis. Rursus *Cic.* 2. *Tusc.* 1. 3. Effectus eloquentiæ est audientium approbatio. *Ovid.* 15. *Met.* 329. fluit effectu dispar Lyncestius amnis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 47. (165). Cotes aqua trahentes aciem acerrimo effectu. *Id.* 20. *ibid.* 21. 86. (235). Bulapathon, effectu erga dysentericos. Adde *Liv.* 34. 26. et 40. 22.; et *Quintil.* 2. 17. 25., 2. 18. 2., 9. 2. 103. et 1. 4. 9. — *b*) In plurali numero. *Ovid.* 4. *Pont.* 15. 35. Seu tamen effectus habitura est gratia, seu me etc. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 33. (51). Eosdem effectus præstat. Adde *Quintil.* 1. 10. 6.

EFFĒCUNDO *vel* effæcundo, as, are, a. 1. (ex *et* fecundo) fecundo, fecundum reddo *Vopisc. Prob.* 21. Cum Sirmium venisset, ac solum patrium effecundari cuperet et dilatari.

EFFĒMINĀTĒ *vel* ecfeminate, adverb. muliebriter, molliter, languide; occurrit enim translate tantum. *Cic.* 1. *Off.* 4. 14. Ne quid indecore, effeminateve faciat. *Seneca Consol. ad Polyb.* 36. Molliter et effeminate ferre aliquid. *Val. Max.* 2. 7. *n.* 9. Effeminate timere mortem.

EFFĒMĬNĀTĬO *vel* ecfeminatio, ōnis, f. 3. occurrit translate tantum, et est mollities. *Firmic.* 7. *Mathes.* 16. Effeminatio corporis. *Hieronym.* in *Isaiam* 14. 52. 2. animi. Adde *Tertull. Spectac.* 25. et *Apolog.* 15.

EFFĒMĬNĀTUS *vel* ecfeminatus, a, um. *V.* voc. seq.

EFFĒMĬNO *vel* ecfemino, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et femina). Alii scribunt *effœmino*: *V.* FEMINA. — Part. *Effeminatus* in fin.; *Effeminandus* II. — Effemino est feminam reddo.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 26. 66. *de aere.* Effeminarunt autem eum Junonique tribuerunt, quod nihil est eo mollius.

II.) Translate est enervare, mollem instar feminæ reddere; et occurrit — *a*) Stricto sensu de hominibus. *Cic.* 2. *Fin.* 29. 94. Fortitudinis præcepta sunt, quæ effeminari virum vetant in dolore. *Id.* 1. *Tusc.* 40. 95. Nunc quidem cogitationibus mollissimis effeminamur. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Quæ ad effeminandos animos pertinent. *Id.* 4. *ibid.* 2. Vinum ad se omnino importari non sinunt, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur. *Sall. Cat.* 11. Pecunia, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat. *V.* ad hæc verba *Gellium* 3. 1. — *b*) De rebus. *Cic. fragm. orat. in Clod.* (edente *A. Peyronio*) p. 115. Qui effeminare vultum, attenuare vocem, lævare corpus potes. *Quintil.* 8. *proœm.* 20. Translucida et versicolor elocutio res ipsas effeminat. *Theod. Priscian.* 1. 32. Locis vero contaminatione vulneratis omnia styptica adhibenda sunt, quibus illa caro corrupta et effeminata valeat durari vel stringi. — *c*) Per metonymiam *Claudian.* 1. *Eutrop.* 9. trabeata per urbem Ostentatur anus, titulumque effeminat anni. *h. e.* dedecorat. — Hinc Part. præter. pass.

Effeminatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Effeminatior* sub *a.* et Sup. *Effeminatissimus* sub *a.* et *b*: est autem muliebri et molli animo præditus, delicatus, mollis; et occurrit — *a*) De hominibus. *Cic.* 1. *Off.* 35. 129. Ne quid effeminatum et molle, et ne quid durum aut rusticum sit. Cf. *eumd.* 4. *Tusc.* 30. 64. Videndum, ne quid humile, summissum, molle, effeminatum, fractum abjectumque faciamus. *Id.* 3. *Phil.* 5. 12. Quum autem omnis servitus est misera, tum vero intolerabile est servire impuro, impudico, effeminato, nunquam, ne in metu quidem, sobrio. Similiter absolute *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 15. Attoniti miramur gestus effeminatorum, quod a natura sexum viris denegatum muliebri motu mentiantur decipiantque oculos spectantium. *h. e.* histrionum. *Tertull. Spectac.* 25. Effeminatus histrio. *Val. Max.* 9. 3. *extr.* Effeminatior multitudo Cypriorum. *Q. Cic.* apud *Cic.* 16. *Fam.* 27. Quos ego novi libidinis et languoris effeminatissimi animi plenos. *Justin.* 1. 7. 13. Gens — effeminata mollitie luxuriaque virtutem pristinam perdidit. *Curt.* 6. 7. 11. Alias deinde effeminatum et muliebriter timidum, alias proditorem amatoris appellans. Adde *Sueton. Cal.* 56. Apud *eumd. Sueton. Aug.* 68. et *Auct. Priap.* 59. 2. effeminatus est qui muliebria patitur, pathicus. — *b*) De rebus. *Cic. Planc.* 35. 86. Vox nefariis stupris effeminata. *Quintil.* 11. 3. 91. Tremula vel effeminata vox. *Id. ibid.* 32. Vox acerba, mollis, effeminata. *Cic.* 2. *Tusc.* 22. 52. Opinio effeminata et levis. *Quintil.* 9. 4. 142. Compositio effeminata et enervis. *Id.* 2. 5. 10. In his (*orationibus*) multa lasciva, effeminata. *Id.* 1. 8. 2. Effeminata lectio. *Id.* 8. 3. 6. levitas. *Id.* 5. 12. 19. sexus. *Id.* 1. 10. 31. musice. *Plin. Paneg.* 46. artes. *Id. ibid.* 54. Effeminatis vocibus, modis, gestibus frangi. *Seneca Ep.* 70. Itaque effeminatissimam vocem illius Rhodii existimo, etc.

EFFĔRASCO, is, ere, n. 3. *inchoat. ab* effero, as, ferus fio. *Ammian.* 18. 7. Leones immanius efferascunt. *Alii perperam leg.* efferescunt.

EFFĔRĀTĒ, adverb. ferarum more, crudeliter. *Lactant.* 5. 20. Sæviunt efferate adversus non colentes.

EFFĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. feritas. *Tertull. Pœnit.* 12. *de Nabuchodonosore.* Unguium aquilinum in modum efferatione, et capilli incuria horrorem leoninum præferente.

EFFĔRĀTUS, a, um. *V.* EFFERO, as.

EFFĔRAX, ācis, adject. omn. gen. idem atque efferatus; ab *efferasco.* Occurrit tantum Sup. *Efferacissimus* apud *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 47. Habebis etiam canes in homines efferacissimos nonaginta. *Fortasse legendum* efferatissimos, *vel* efferocissimos.

EFFERCĬO. *V.* EFFARCIO.

EFFERCĪTUS, a, um. *V.* EFFARCIO.

EFFĔRESCO. *V.* EFFERASCO.

EFFĔRĪTAS, ātis, f. 3. feritas, sævitia. *Cic. Sext.* 42. 91. Dissipatos (*homines*) unum in locum congregarunt eque efferitate illa ad justitiam atque mansuetudinem transduxerunt. *Ita ex optimis Codd. legit* Klotz: Orellius vero eosque ex feritate. *Id.* 2. *Tusc.* 8. 20. *ex Sophocle.* Quas (*terras*) peragrans, undique omnem efferitatem expuli. *Ita recte* Klotz: Orellius *vero* omnem hic feritatem: *nonnulli perperam* omnem hinc feritatem. *V. Klotz* in *N. Jahrb. Bd.* 22. *p.* 167. et in *Nachträgen zu Ciceros Tuscul. p.* 75. et seqq. *Leipz.* 1843. *Lactant. Mort. persecut.* 9. *de Maximiano.* Inerat huic bestiæ naturalis barbaries, efferitas a Romano sanguine aliena. *Al. leg.* et feritas.

EFFĔRO *vel* ecfero, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et ferus). Part. *Efferans* sub *a.*; *Efferatus* sub *b.* et in fin. — Efferare est ferum reddere, efferum facere, feritatis speciem inducere (It. *inselvatichire, render selvaggio*; Fr. *rendre sauvage*; Hisp. *hacer salvage, silvestra*; Germ. *verwildern, wild machen*; Angl. *render wild or savage*). Usurpatur — *a*) De corpore. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 99. Homines, quasi cultores terræ constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate vastari. *Liv.* 2. 23. Promissa barba et capilli efferaverant speciem oris. *Sueton. Cal.* 50. Vultum, natura horridum ac tetrum, etiam ex industria efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 14. 87. (146). Efferantia sese ulcera. Gr. τὰ θηριώδη ἕλκη. *Stat.* 1. *Achill.* 424. flammisque liquescunt Dona deûm: raptum Superis Mars efferat aurum. *h. e.* in arma convertit. Sic *efferare argentum* dixit *Apul.* 5. *Met. sub init.* in ferarum speciem conformare. — *b*) De animo. *Cic.* 1. *Nat. D.* 23. 62. Multas gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit. *Liv.* 1. 19. Efferati militia animi. *Id.* 25. 26. Postremo ita assuetudine mali efferaverant animos, ut etc. *Id.* 5. 27. Odio iraque efferati. *Id.* 23. 5. Hunc natura immitem insuper dux ipse efferavit. *Id.* 33. 29. Ea cædes Thebanos omnes ad execrabile odium Romanorum efferavit. *Curt.* 8. 7. 16. Ferocia ingenia non bellum modo, sed etiam veniæ desperatio efferaverat. *Id.* 9. 10. 9. Solitudo efferat ingenia. — Hinc Part. præter. pass.

Efferatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Efferatior* et Sup. *Efferatissimus*; et est efferus. *Petron. Satyr.* 82. Dum attonito vultu efferatoque nihil aliud quam cædem cogito. *Liv.* 34. 24. Moribus ritibusque efferatioribus, quam ulli barbari. *Id.* 21. 9. Gentes efferatæ. *Petron. Satyr.* 94. En dolor in rabiem efferatus. *Curt.* 3. 11. Equi confossi hastis et dolore efferati. *Id.* 6. 3. Efferatos mollior consuetudo permulcet. *Val. Max.* 1. 1. 14. Efferata sævitia. *Id.* 9. 2. 4. crudelitas. *Seneca Herc. fur.* 397. efferatas rabida voces amove. *Seneca Ep.* 121. Affectus efferatissimos inhibere.

EFFĔRO *vel* ecfero, effers, extŭli, ēlātum, efferre, a. anom. (ex et fero, tuli). *Ecfero* pro *effero Pareus* testatur legi in quibusdam MSS. non modo apud *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 53. et *Aulul.* 4. 5. 4. etc., sed etiam apud *Cic.* 9. *Fam.* 2. et 8. *Att.* 3. *a med.* Sic *Lucilius* apud *Non. p.* 38. 20. *Merc.* mysteria ecferre foras. Eadem ratione *ecfodere* pro *effodere* dictum est. — Part. *Efferens* II. 2.; *Elatus* in omnibus fere paragr. et præcipue in fin.; *Elaturus* I. 1; *Efferendus* II. 1. — Efferre est extra ferre, proferre, producere (It. *portar fuori*; Fr. *tirer dehors, porter hors*; Hisp. *tirar, sacar á fuera, traer fuera*; Germ. *hinaus-und heraustragen, bringen, bewegen*; Angl. *to bring forth, carry forth or out*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim; et quidem — *a*) Stricto senso pro extra ferre. *Plaut. Amph.* 2. 1. 82. Ex navi efferantur quæ imperavi omnia. *Id. Aulul.* 4. 5. 5. Efferre aurum foras. *Id. Bacch.* 1. 1. 62. argentum intus foras. *Id. ibid.* 3. 3. 19. pedem ædibus. *Id. Capt.* 2. 3. 97. pedem quoquam. *Id. Epid.* 5. 1. 27. et *Truc.* 3. 1. 16. argentum ad aliquem. *Id. Mil. glor.* 2. 5. 33. Machæram huc effer. *Id. Stich.* 2. 2. 28. huc nassiternam cum aqua. *Ter. Eun.* 4. 6. 15. cistellam domo. *Id. Hecyr.* 4. 1. 48. puerum extra ædes. *Lucret.* 6. 86. quo pacto per loca septa (*ignis*, h. e. *fulmen*) insinuavit, et hinc dominatus ut extulerit se. *Cic.* 2. *Cat.* 1. 2. Efferre mucronem. *Id.* 3. *ibid.* 3. 8. tela ex ædibus. *Id.* 6. *Att.* 8. 5. Qui pedem porta non plus extulit, quam domo sua. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 657. Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto Sperasti? *Cæs.* 1. *B. C.* 78. Efferre frumentum ab Ilerda. *Id.* 1. *B. G.* 5. cibaria sibi quemque domo. *Id.* 5. *ibid.* 45. litteras. *Liv.* 10. 19. Vexilla efferri e castris jussit. *Id.* 27. 2. Signa portis efferri vidit. *Id.* 40. 28. Ut cer-

tum esset, hostes extra vallum signa non elaturos. *Id.* 3. 5. Legatum Furium longius extulit cursus. *Id.* 4. 29. Messium impetus per hostes ad castra Volscorum extulit. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 15. Efferre piscem de custodia. *Tac.* 1. *Ann.* 35. Ferrum elatum deferebat in pectus. *Id.* 15. *ibid.* 7. Se vallo equus extulit. *h. e.* exiit, erupit. *Sueton. Tib.* 38. Biennio continuo pedem porta non extulit. *Grat. Cyneg.* 373. a Stygia ictum Proserpina nocte Extulit. — *b*) Latiori significatione, vel ratione habita motus ab inferiora ad superiorem partem, efferre est erigere, tollere: quo sensu sæpius in præteritis usurpatur et in supino *elatus*, quam in aliis temporibus. *Cæs.* 7. *B. G.* 47. Tres suos nactus manipulares atque ab iis sublevatus, murum adscendit. Eos ipse rursus singulos exceptans, in murum extulit. *Id.* 2. *B. C.* 8. In altitudinem turris elata. *Horat. Epod.* 2. 17. Vel quum decorum mitibus pomis caput Auctumnus agris extulit. *Liv.* 4. 33. Pulvis elatus. *Id.* 7. 26. Corvus e conspectu elatus orientem petit. *Plin. Paneg.* 30. Piger Nilus cunctanter alveo sese ac languide extulerat. *Quintil.* 11. 3. 103. Supra humeri altitudinem elata manus. *Sueton. Cal.* 32. Elato alte malleo. *Tac.* 3. *Hist.* 27. Efferre scuta super capita. *Id.* 2. *Ann.* 19. Unum latus paludis lato aggere extulerant. — Huc referri potest et illud *Plaut. Amph.* 1. 1. 73. Clamorem utrimque efferunt. ¶ 2. Speciatim, quum de pingui præcipue humo sermo est, efferre est producere, gignere. *Lucret.* 1. 179. et vivida tellus Tuto res teneras effert in luminis oras. *Cic. Brut.* 4. 16. Ager, quum multos annos quievit, uberiores efferre fruges solet. *Id.* 2. *de republ.* 4. id quod agri efferant. *Id.* 5. *Verr.* 47. 113. Quum ager, id quod perraro evenit, cum decumo extulisset etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 33. 86. Ea, quæ efferant aliquid ex sese, perfectiores habere naturas quam ea, quæ ex iis efferantur. *Virg.* 2. *G.* 167. Hæc (*Italia*) genus acre virum, Marsos pubemque Sabellam Extulit: hæc Decios, Marios, etc. *Phædr.* 2. *Epil.* 16. Sinistra quos in lucem natura extulit. Cf. *Lactant. Opif. Dei* 6. Adjugatis corporibus elata soboles. ¶ 3. Item speciatim ac sæpe, haud aliter ac Gr. ἐκφέρειν, *efferre* est extra domum, aut urbem ferre sepeliendi causa: quia mos erat extra urbem ferre cadavera. *Plaut. Most.* 4. 3. 9. Unum vidi mortuum efferri foras: modo eum vixisse ajebant. Adde *eumd. Aulul.* 3. 6. 32.; et *Ter. Andr.* 1. 1. 90. *Cic.* 3. *Nat. D.* 32. 80. Cur Maximus extulit filium consularem? *Nepos Arist. extr.* In tanta paupertate decessit, ut, qui efferretur, vix reliquerit. *Id. Eumen.* 4. Pro hominis dignitate, amplo funere extulit, ossaque in Macedoniam uxori remisit. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 5. 85.; *Liv.* 2. 33. et 3. 18.; *Quintil.* 8. 5. 21.; et *Sueton. Aug.* 99. et *Ner.* 9. 30. et 33. *Manil.* 4. 71. Ex ipsis quidam elati rediere sepulcris. *Seneca Ep.* 97. *a med.* Non gaudet ægro medicus elato. — Hinc figurate *Liv.* 28. 28, Meo unius funere elata populi Romani esset respublica. *Id.* 24. 22. Periculumque ingens manet, nisi paci et concordiæ consulitis, ne libera efferatur respublica. *Quidam interpretes acceperunt pro* se jactare, extollere, superbire: *sed minus recte: V.* Fabri ad h. l., et cf. *Liv.* 31. 29.

II.) Translate. ¶ 1. Est dicere, verbis proferre, enunciare, atque adeo exponere, explicare. *Ter. Adelph. prol.* 11. Verbum de verbo expressum extulit. *Varro* 8. *L. L.* 1. *Müll.* Verba inter se ratione conjuncta sententiam efferunt. *Id.* 9. *ibid.* 35. Si qua perperam declinavit verba consuetudo, ut ea aliter efferri non possint sine offensione multorum. *Cic. Orat.* 44. 150. Quamvis suaves gravesque sententiæ, tamen si inconditis verbis efferuntur, offendunt aures. *Id. ibid.* 67. 223. Quæ incisim aut membratim efferuntur, ea vel aptissima cadere debent. *Id. ibid.* 22. 72. Eadem res sæpe aut probatur, aut rejicitur, alio atque alio elata verbo. *Id.* 4. *Herenn.* 20. 28. Similiter cadens, quum duo aut plura sunt verba, quæ similiter iisdem casibus efferuntur. *Id. Partit. orat.* 27. 95. Dissuadentibus autem aut utilitas labefactanda est, aut efficiendi difficultates efferendæ. *h. e.* afferendæ, allegandæ. *Quintil.* 9. 3. 7. Pleraque utroque modo efferuntur, luxuriatur, luxuriat; fluctuatur, fluctuat. *Id.* 1. 5. 16. Pluralia singulariter et singularia pluraliter efferre. Adde *eumd.* 2. 14. 2., 8. 3. 40., 9. 4. 13. et 10. 2. 17. ¶ 2. Hinc est etiam divulgare, edere. — *a*) Sæpissime cum Accusativo rei, quæ divulgatur. *Ter. Phorm.* 5. 7. 65. Vides tuum peccatum esse elatum foras. Sic *Cic.* 10. *Phil.* 3. 6. An vero hoc pro nihilo putas – efferri hoc foras et ad populi Romani aures pervenire? *Id.* 1. *Orat.* 24. 111. Petamque a vobis, ne has meas ineptias efferatis. *Id.* 3. *ibid.* 1. 1. Quo in loco multa a Crasso divinitus dicta efferebantur. *Nepos Dion.* 8. Res, multis consciis, elata refertur ad Aristomachen. *Cæs.* 7. *B. G.* 1. Efferre clandestina consilia. *Id. ibid.* 2. rem. *Id.* 6. *ibid.* 11. in vulgum disciplinam. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 12. 9. (53). rationem defectus utriusque in vulgus. *Tac.* 12. *Ann.* 21. vocem ejus in vulgus. — *b*) Sequente relativo. *Cæs.* 1. *B. G.* 46. Postea quam in vulgus militum elatum est, qua arrogantia in colloquio Ariovistus usus, omni Gallia Romanis interdixisset, etc. ¶ 3. Item est augere, extollere, præcipue verbis: hinc — *a*) De rerum pretio. *Varro* 3. *R. R.* 6. 6. Multi extulerunt eorum (*pavonum*) pretia, ita ut ova eorum denariis veneant quinis. — *b*) *Efferre aliquem* est provehere, evehere. *Sall. Jug.* 49. Ad hoc viritim, uti quemque ob militare facinus pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii sui. *Cic.* 1. *Cat.* 11. 28. Præclaram vero populo Romano refers gratiam, qui te tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit. *Id. Rosc. Com.* 11. Quæ res extulit eum? una commendatio hujus. *Nepos Dion.* 6. Fortuna sua mobilitate, quem paullo ante extulerat, demergere est adorta. Cf. *Cic. Sull.* 31. 87. Patriam demersam extuli. *Tac.* 1. *Ann.* 3. Agrippam, ignobilem loco, geminatis consulatibus extulit. *Id.* 2. *ibid.* 34. Vocata in jus Urgulania, quam supra leges amicitia Augustæ extulerat. — *c*) Raro in malam partem. *Tac.* 4. *Hist.* 42. Regulum subversa Crassorum domus in summum odium extulerat. *Quintil.* 8. 4. 19. Res atrocissimas, quasque in summam ipsi extulimus invidiam. Huc referri potest et illud *Cic. Harusp. resp.* 8. 17. Si me efferret aliquando ad gloriam animi quidam dolor. *h. e.* si ad me ipsum laudandum proveheret. — *d*) Sæpissime *efferre verbis*, *laudibus*, et *efferre* absolute, est laudibus ad cælum ferre, impense laudare. *Cic.* 3. *Orat.* 11. 52. Nemo extulit eum verbis. *Id.* 1. *de republ.* 14. Cujus omnem ornatum et descriptionem – poetica quadam facultate versibus Aratum extulisse. *Id. Amic.* 7. 24. Quis est, qui id non maximis efferat laudibus? *Id.* 2. *Off.* 10. 36. Itaque eos viros suspiciunt maximisque efferunt laudibus. *Cæs.* 3. *B. C.* 87. Pompeji consilium summis laudibus efferre. *Cic.* 9. *Fam.* 14. Summis laudibus efferre aliquem ad cælum. *Nepos Dion.* 7. Quorum paullo ante in cælum fuerat elatus laudibus. *Cic.* 6. *Verr.* 56. 124. Nimium forsitan hæc illi mirentur atque efferant. — *e*) *Efferre se*, in bonam partem, est proferri. *Cic.* 2. *Orat.* 21. 88. Volo se efferat in adolescente fecunditas. *Id. Brut.* 7. 26. Quasi lucent Athenæ tuæ, qua in urbe primum se orator extulit. *Id. Amic.* 27. 100. Quæ (*virtus*) quum se extulit et ostendit suum lumen. — *f*) *Efferre se* frequentius in malam partem usurpatur et est se extollere, se jactare, superbire. *Ter. Heaut.* 4. 3. 31. Huic quidem consilio palmam do: hic me magnifice effero. *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 39. Neque bonum illud esse, quod adeptus efferas te insolentius. *Sall. Jug.* 11. Jugurtha intoleranda audacia, scelere atque superbia se efferens. *Auct. B. Hisp.* 23. Gloria se efferentes. *Liv.* 30. 20. Exsultabit atque efferet se. *Id. ibid.* 30. Nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit. *Quintil.* 10. 3. 10. Resistamus et provideamus et efferentes se equos frenis quibusdam coerceamus. *Flor.* 1. 26. 8. Se altius et incivilius efferre. *Sueton. Vesp.* 23. Ingenuum se, et Lachetem, mutato nomine, cœperat efferre. *h. e* jactando dictitare: alii leg. *ferre.* Ceterum cf. *Elatus* in fin. hujus v. ¶ 4. Dicitur et de vehementioribus animi affectibus tum in bonam, tum in malam partem: et quidem — *a*) *Efferri aliquo affectu* (fere enim passive usurpatur) dicitur, qui eodem vehementer commotus extra se veluti ferri et abripi patitur. *Cic. Amic.* 15. 54. Non enim solum ipsa Fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa est. Itaque efferuntur fere fastidio et contumacia. *Id.* 1. *Att.* 8. In eo genere sic studio efferimur, ut abs te adjuvandi, ab aliis prope reprehendendi simus. *Id. Senect.* 23. 83. Efferor studio patres vestros videndi. *Id.* 1. *Divinat.* 24. 49. Tum ei ducem illum præcepisse, ne respiceret; illum autem id diutius facere non potuisse elatumque cupiditate respexisse. *Id.* 1. *Off.* 29. 104. Ne elati voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. *Id. Dejot.* 9. 26. Ait, hac lætitia Dejotarum elatum, vino se obruisse in convivioque nudum saltasse. *Id. Harusp. resp.* 2. 3. Qui hesterno die dolore me elatum et iracundia longius progressum arbitrabantur, quam sapientis hominis cogitata ratio postularet. *Id. Mur.* 31. 65. Ac te ipsum – nunc et animi quodam impetu concitatum, et vi naturæ atque ingenii elatum, – usus flectet, dies leniet. — Et absolute. *Cic. Cæl.* 9. 21. Læsi dolent, irati efferuntur. *Id.* 2. *leg. Agr.* 35. 97. Non continebuntur: progredientur longius, efferentur. — Et activa. *Liv.* 45. 8. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera fortuna flatu suo efferet, nec adversa infringet. — *b*) *Efferre aliquem aliquo animi motu* est vehementer afficere et commovere. *Cic.* 2. *Fam.* 10. 1. Post comitia ista præclara, quæ me lætitia extulerunt. *Id.* 10. *ibid.* 12. 2. Itaque quum a. d. VII. Idus Apriles mane mihi tuas litteras M. Varisidius reddidisset easque legissem, incredibili gaudio sum elatus. *Sueton. Ner.* 53. Maxima autem popularitate efferebatur, omnium æmulus. ¶ 5. Pro ferre. *Lucret.* 1. 141. quemvis efferre laborem. *Al. leg.* perferre; *Lachmann* (quem videsis) sufferre. *Attius* apud *Cic. Sext.* 48. 102. Si tu laborem summa cum cura efferas nullum. *Cic. ex Græco vertens* 4. *Tusc.* 29. 62. Neque tam terribilis ulla fando oratio est, Nec sors, nec ira cælitum invectum malum, Quod non natura humana patiendo ecferat. At in his duobus *Cic.* locis *efferre* aliter accipiendum est, ut docet *Halm* ad priorem l. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Elatus, *a*, *um*, occurrit *A*) Tamquam Part.; et *B*) Adjective.

A) *Elatus*, tamquam participium, translate est inflatus, superbus. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 97. Quibus illi rebus elati et inflati. *Nepos Alcib.* 7. Secunda fortuna magnisque opibus elatus. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. 59. Stulta ac barbara arrogantia elati despiciebant suos. *Id.* 5. *B. C.* 47. Elati recenti victoria. *Id.* 7. *ibid.* 47. spe celeris victoriæ. *Id.* 3. *B. C.* 79. gloria.

B) *Elatus* adjective quoque occurrit, unde Comp. *Elatior* et Sup. *Elatissimus* I.

I.) Proprie est altus, excelsus. *Colum.* 2. *R. R.* 4. 10. Modo in elatiora, modo in depressiora clivi agi sulcum oportebit. *Tertull. Apolog.* 53. Elatissimæ lucernæ.

II.) Translate. *Cic. Orat.* 36. 124. Elatis verbis intensa oratio. *Id.* 1. *Tusc.* 40. 96. Quam me delectat Theramenes! quam elato est animo! *Id.* 1. *Off.* 18. 61. Splendidissimum videtur quod animo magno elatoque factum est.

EFFERTUS, a, um. *V.* EFFARCIO.

EFFĔRUS vel ecferus, a, um, adject. (ex et ferus) valde ferus. *Lucret.* 2. 604. Effera proles. *h. e.* feræ. *Virg.* 4. *Æn.* 642. Dido. *Id.* 7. *ibid.* 787. Chimæra. *Id.* 8. *ibid.* 5. juventus. *Id. ibid.* 205. mens Caci. *Id. ibid.* 484. facta tyranni. *Id.* 10. *ibid.* 898. vis animi. *Seneca Phœniss.* 261. Efferum facinus. *Id. Hippol.* 1246. Effero laniatu dispersa membra. *Val. Flacc.* 1. 798. Effero corda. *Id.* 5. 517. ira. et 4. 318. Ponti loca. *et* 2. 648. virtus Bebrycis.

EFFERVENS, entis. *V.* EFFERVO in fin.

EFFERVĔO, es. *V.* EFFERVO sub init.

EFFERVESCO, fervescis, fervi et *raro* ferbŭi, fervescere, n. 3. *inchoat. ab* efferro. — Part. *Effervescens* sub *A.* II. — Effervesco duo diversa significat, prout *A*) Præpos. *ex* est intensiva, aut *B*) Actionis finem significat.

A) Quum præpositio *ex* est intensiva, effervesco est vehementer ferveo, bullio (It. *bollire fortemente*; Fr. *fermenter, bouillonner, bouillir*; Hisp. *fermenter, bouillonner, bouillir*; Hisp. *fermentar, hervir, bullir*; Germ. *empor-oder aufwallen, aufbrausen*; Angl. *to be very* ot, *boil over, rage, ferment.*)

I.) Proprie. *Varro* 7. *L. L.* 22. *Müll.* Dictum f r e t u m a similitudine ferventis aquæ, quod in fretum sæpe concurrat æstus atque effervescat. *Cato R. R.* 115. Ubi satis efferverit vinum mustum. *Colum.* 12. *R. R.* 25. 4. Ut in effervescendo vinum se bene purget. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 27. Aquæ, quæ affervescunt subditis ignibus.

II.) Translate. *Lucret.* 3. 295. Iracunda mens in ira effervescit. *Id.* 5. 1331. Sic, quos ante do-

mi domitos satis esse putabant, Effervescere cernebant in rebus agundis, Vulneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu. Cic. 2. Orat. 21. 88. Oratione celeri et concitata, quod erat ingenii: et verbis effervescentibus, et paullo nimium redundantibus, quod erat ætatis. Id. Brut. 70. 246. Effervescens in dicendo stomacho sæpe iracundiaque vehementius. Id. Cæl. 31. 77. Si cui nimium effervisse videtur hujus vel in suscipiendis, vel in gerendis inimicitiis vis, ferocitas, pertinacia. h. e. extulisse se et sævisse. Id. Planc. 6. 15. Quodam quasi æstu effervescere. Tac. 1. Ann. 74. Incautius efferbuerat. h. e. iratus fuerat. Gell. 1. 26. de irascente. Effervescere in spumam ruboremve. Id. 2. 24. extr. Effervescentis luxuriæ æstus coercere.

B) Quum præpositio ex actionis finem significat, effervesco est fervere desino: et occurrit translate tantum. Cic. 9. Fam. 2. a med. Latendum tantisper, dum effervescit hæc gratulatio. Ita plerique Codd.: Orellius vero leg. defervescat. Procul. Dig. 21. 1. 17. Sin autem in hoc tempore latuisset (servus), quoad iracundia domino effervesceret, fugitivum non esse.

EFFERVO, vis, vere, n. 3. Præter. perf. effervi vel efferbui V. in voc. præced. — Quum apud Poetas occurrat tantum infinitum effervere, nulla est causa, cur alia forma efferveo, es, ēre admittatur. — Part. Effervens in fin. — Efferyo est vehementer ferveo, ebullio. Lucret. 2. 927. Quatenus in pullos animales vertier ova Cernimus alituum, vermesque effervere, terram Intempestivos quum putror cepit ob imbres. Virg. 1. G. 471. effervere in agros Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam. Id. 4. ibid. 556. et ruptis effervere costis. Stat. 4. Theb. 661. pulverea Nemeen effervere nube Conspicit, et solem radiis ignescere ferri. h. e. fumare, exercitu adventante. — Hinc Part. præs.

Effervens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. Efferventior apud Gell. 2. 27. Lætitia dicitur exsultatio quædam animi cum gaudio efferventiore rerum expetitarum. Al. leg. animi gaudio efferventis ob eventum rerum etc.

EFFĒTĒ, adverb. Martial. 2. 27. Effete, graviter, cito, nequiter, euge, beate. h. e. mature, sapienter, ut quidam interpretantur. Al. rectius leg. effecte. V. NEQUITER.

EFFĒTO vel effecto, as, are, a. 1. (ex et feto vel facio) infirmo. Cassiod. 9. Variar. 15. ante med. Quicumque in episcopatu obtinendo sive per se, sive per aliam quamcumque personam, aliquid promisisse declaratur, ut exsecrabilis contractus cunctis viribus effetetur.

EFFĒTUS vel effœtus, a, um, adject. (ex et fetus) Comp. Effetior II. — Effetum animal est id, quod fetum edidit.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. Colum. 7. R. R. 12. 11. Primus effetæ partus amovendus est, quoniam tiruncula nec recte nutrit etc. Id. 8. ibid. 5. 15. Ova silentia removenda sunt, ne incubans inani spe detineatur effeta. Adde eumd. 12. ibid. 11. 13. et 9. ibid. 1. 7. Alcim. 4. 212. Fudit diffidens effeta puerpera fetum. h. e. Anna Baptistæ mater. Lucan. 9. 285. effetas linquunt examina ceras. h. e. quæ apes emisere. — Forcellinus addit: Item partu editus. Colum. 8. R. R. 5. 15. Quum grex (pullorum) fuerit effetus, hoc modo deponitor. At Ursinus recte legendum vidit effectus pro effetus: V. Schneideri adnotata ad h. l. ¶ 2. Latiori sensu est exhausta partu et lassata, fetis edendis effeta viribus. — a) De animalibus. Plin. 10. Hist. nat. 53. 74. (146). de gallinis. Aliquæ quotidie pariunt, aliquæ bis die, aliquæ in tantum, ut effetæ moriantur. — b) Hinc generatim tribuitur terræ. Lucret. 2. 1151. effetaque tellus Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit Sæcla deditque ferarum ingentia corpora partu. Virg. 1. G. 81. Effetos cinerem immundum jactare per agros. Colum. R. R. præfat. 1. Existimant, ubertate nimia prioris ævi defatigatum et effetum solum nequire pristina benignitate præbere mortalibus alimenta. Plin. 6. Ep. 21. Natura lassa et effeta. — Et poetice Virg. 2. G. 417. Jam canit extremos effetus vinitor antes. h. e. qui suos complevit labores. Al. leg. effectos.

II.) Translate est viribus exhaustus, infirmus, defectus. Cic. Senect. 9. 29. Intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti. Plin. 6. Ep. 21. Tauri senio effeti. Virg. 5. Æn. 396. frigent effetæ in corpore vires. Et cum Genitivo Id. 7. ibid. 440. Senectus effeta veri. h. e. quæ amplius verum non videt, amens, cassa judicii. Stat. 6. Theb. 873. Flatibus alternis ægroque effetus hiatu. h. e. fatigatus, defessus. Val. Flacc. 4. 300. Spes effeta. h. e. vana, irrita. Apul. Florid. in fin. Nec oratio argumentis sit effetior, nec sententiis rarior.

EFFĬCĀCĬA, æ, f. 1. vis ad aliquid efficiendum. Plin. 11. Hist. nat. 5. 4. (12). Quos efficaciæ industriæque tantæ comparemus nervos. Ammian. 16. 12. 25. Latus vero dextrum Serapio agebat, etiam tum adultæ lanuginis juvenis, efficacia præcurrens ætatem. Inscript. apud Gruter. 465. 6. C. SALLIO ARISTAENETO, etc. AD AEDILITATEM PROMOTO, E. VIRO STLITIBVS IVDICANDIS, ORATORI MAXIMO DECVRIONES ET PLEBS ANCONITANORVM PROPTER HVMANITATEM, ABSTINENTIAM, EFFICACIAM. h. e. strenue agendi virtutem et negotia perficiendi.

EFFĬCĀCĬTAS, ātis, f. 3. vis efficiendi, efficacia. Cic. 4. Tusc. 13. 31. Itemque viribus corporis et nervis et efficacitati similes similibus verbis animi vires nominantur. Q. Cic. Petit. cons. 3. 10. Qui tantum habet audaciæ, tantum nequitiæ, tantum denique in libidine artis et efficacitatis, ut etc.

EFFĬCĀCĬTER, adverb. Comp. Efficacius et Sup. Efficacissime. — Efficaciter est cum effectu seu efficientia, acriter, potenter. Seneca 3. Controv. proœm. Affectus efficaciter movere. Seneca alter Brevit. vit. 6. Ausus est et pupillus adhuc et prætextatus judicibus reos commendare, et gratiam suam foro interponere, tam efficaciter, ut quædam judicia constet ab illo rapta. Plin. 24. Hist. nat. 6. 16. (26). Auribus purulentis efficaciter infunditur. Id. 28. ibid. 11. 46. (164). Capitis ulcera manantia urina tauri efficaciter sanat. Plin. alter 6. Ep. 6. 8. Efficacius rogare. Adde Quintil. 8. 4. 8. et Tac. Germ. 8.; in quibus pariter Comparativus occurrit. Plin. 26. Hist. nat. 12. 79. (128). Efficacissime sanare. Plin. alter 2. Ep. 13. 11. Rogat enim et quidem efficacissime qui reddit causas rogandi.

EFFĬCAX, ācis, adject. omn. gen. (efficio). Comp. Efficacior et Sup. Efficacissimus. — Efficax est qui ad agendum aliquid vim habet, qui multum efficit (It. efficace, attivo; Fr. efficace, puissant, actif, énergique; Hisp. activo, lo que tiene eficacia; Germ. wirksam; Angl. effectual, efficacious, powerful, forcible, influential, operative, active, vigorous). Usurpatur — a) Absolute. Cælius apud Cic. 8. Fam. 10. 3. Nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit. Horat. Epod. 3. 17. Hercules efficax. h. e. nihil non perficiens. Id. ibid. 17. 1. Efficax scientia. h. e. potens et maximæ virtutis. Sueton. Cal. 3. Efficax studium promerendi amoris. Plin. Paneg. 70. Efficacissimum genus rogandi, gratias agere. Alter Plin. 20. Hist. nat. 21. 84. (230). Efficacior autem (malvæ succus) quo recentior. — b) Cum Accusativo, et præpos. ad, versus, contra. Liv. 1. 9. Preces ad muliebre ingenium efficaces. Plin. Paneg. 84. Utrum sit efficacius ad recte vivendum bene institui aut feliciter nasci. Seneca 2. Benef. 7. in fin. Ratio efficax ad hominum improbas cupiditates pudore reprimendas. Plin. 21. Hist. nat. 15. 80. (130). Herba efficacissima adversus serpentium venena. Id. 13. ibid. 21. 36. (115). Semen efficacissimum contra sagittarum ictus. — c) Cum Dativo. Liv. 41. 15. Rebus peragendis continuatio ipsa efficacissima est. Al. leg. In rebus etc. Plin. 27. Hist. nat. 9. 50. (74). Herba oculorum fluxionibus efficax. Id. 28. ibid. 11. 58. (201). Nec minus efficax fimi cinis utrique vitio. — d) Sequente Ablat. et præpos. in. Plin. 27. Hist. nat. 13. 109. (136). Herba in dolore stomachi efficax. — e) Sequente infinito. Horat. 4. Od. 12. 20. Cadus amara curarum eluere efficax. h. e. qui certe eluit. Colum. 2. R. R. 17. 3. Schneid. Attamen pigriora sunt ista remedia, quum sit efficacissimum de integro locum exarare.

EFFĬCĬENS, entis. V. EFFICIO.

EFFĬCĬENTER, adverb. idem atque efficaciter. Cic. Fat. 15. 34. Non sic causa intelligi debet, ut quod cuique antecedat, idem causa sit, sed quod cuique efficienter antecedat.

EFFĬCĬENTĬA, æ, f. 1. vis efficiendi. Cic. 2. Nat. D. 37. 95. Cum aspexissent solem, ejusque tum magnitudinem pulcritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent. Adde eumd. Fat. 9. 19.; et V. EFFIGIENTIA.

EFFĬCĬO, ficis, fēci, fectum, ficere, a. 3. (ex et facio). Effexis pro effeceris est Plaut. Cas. 3. 5. 63. et Pœn. 1. 3. 19. — Inf. pass. Effieri est ejusd. Pers. 5. 1. 9. Hæc mihi facilia factu sunt, quæ volui effieri. — Part. Efficiens in fin.; Effectus 1. et in fin.; Effecturus et Efficiendus 1. — Efficere est idem quod facere, vel potius faciendo assequi, præstare, perficere, exequi, in causa esse ut aliquid fiat, parere, creare, ad effectum perducere (It. effettuare, compire, eseguire, formare, produrre, far si che etc.; Fr. opérer, terminer, achever, faire, effectuer, former, exécuter; Hisp. operar, hacer, formar, producir, efectuar, executar, acabar; Germ. bewirken, zu Stande bringen, bilden, ausführen, vollbringen; Angl. to bring to pass, do, effect, fulfil, accomplish, finish, perform, execute, cause, occasion). Occurrit ¶ 1. Generatim; et quidem — a) Cum Accusativo rei, quam quis efficit. Plaut. Bacch. 2. 2. 55. Aliquam machinabor machinam, unde aurum efficiam herili filio. h. e. comparem. Sic Ter. Heaut. 3. 3. 23. Efficere argentum. Plaut. Pseud. 1. 1. 110. Satin' est, si hanc hodie mulierem efficio tibi. h. e. concilio, et facio, ut tua sit. Id. ibid. 2. 1. 16. Efficere magna facinora. Id. Stich. 5. 4. 13. nostra munia. Id. Truc. 4. 2. 1. lepide meum officium. Id. Trin. 3. 2. 43. Is (amor) mores hominum moros et morosos efficit. Ter. Andr. 3. 4. 16. Efficere alicui nuptias. h. e. conciliare. Cic. 3. Verr. 56. 147. Efficere columnam novam ab integro. Id. 2. Divinat. 47. 99. Urbs effecta ex latere et cæmento. Id. 1. Orat. 33. 152. Efficere clamores et admirationes in bonis oratoribus. h. e. in causa esse, ut clamores etc. fiant. Sic Id. 3. ad Q. fr. 1. 3. Efficiam clamores, si etc. V. CLAMOR. Id. 13. Att. 26. Heri etiam effeci epistolam ad Cæsarem. Id. 2. Phil. 12. 100. Efficere mirabilia facinora. Id. 4. ibid. 1. 6. opus. Id. 1. de republ. 17. sphæram. Id. 3. ibid. 3. aliquid dignum dono deorum. Id. 6. ibid. 18. varios concentus, septem sonos. Id. Amic. 15. 54. Fortuna eos plerumque efficit cæcos. Id. Brut. 78. 272. Tantos progressus efficiebat, ut evolare videretur. Id. 1. ad Q. fr. 1. 13. Caveamus, quantum efficere et consequi possumus, ut etc. Id. 16. Att. 13. ad fin. Quæ nec institui, nec effici potest sine tua ope. Id. 2. Orat. 28. 121. Hoc primus in nostros mores induxit, maxime auxit, solus effecit. Id. 1. Att. 14. sub fin. Mandata effice, quæ recepisti. h. e. exsequere: al leg. confice. Id. 1. Legg. 5. 16. Cujus muneris colendi efficiendique causa nati sumus. Adde eumd. 1. de republ. 46. Id. 2. de republ. 30. Efficere civitatem. Id. 8. Fam. 5. sub fin. Neque adhuc frequentem senatum efficere potuit. Id. 15. Att. 21. Quum sibi negotium daret Antonius, ut eum dictatorem efficeret. Id. Amic. 20. 73. Scipio Rutilium potuit consulem efficere. Lentulus apud Cic. 12. Fam. 14. Ut non possit Dolabella durius vobis efficere negotium. h. e. facessere, exhibere. Cæs. 3. B. C. 9. Efficere tormenta. Id. ibid. 44. castella. Id. ibid. 112. portum. Id. ibid. 48. aliquid ad similitudinem panis. Id. 7. B. G. 81. magnum numerum cratium. Id. 1. ibid. 38. Hunc (montem) murus circumdatus arcem efficit. Id. 4. ibid. 10. Mosa insulam efficit Batavorum. Id. ibid. 29. Quæ dies æstus maximos in oceano efficere consuevit. Id. ibid. 1. Quæ res immani corporum magnitudine homines efficit. Id. 3. B. C. 84. Quæ res in dies confirmatiorem efficiebat exercitum. h. e. reddebat. Id. 7. B. G. 26. Id silentio noctis conati non magna jactura suorum sese effecturos sperabant. Id. 5. ibid. 19. Ut tantum hostibus noceretur, quantum labore atque itinere legionarii milites efficere poterant. Id. 3. B. C. 102. Quantum itineris equitatu efficere poterat. Id. ibid. 68. Efficere magnas rerum commutationes. Id. ibid. 89. unam ex duabus legionibus. Id. ibid. 4. legiones novem. Id. 1. ibid. 31. delectu habito duas legiones. Id. ibid. 15. quibus coactis tredecim cohortes. Nepos Themist. 2. classem. Liv. 23. 25. exercitus. Id. 22. 16. ad duo millia ferme boum. Ovid. 3. Art. am. 166. Efficere aliquid suum. Id. 2. Met. 654. Efficere aliquem patientem mortis. Id. 8. ibid. 634. paupertatemque ferendo Effecere levem. Id. Heroid. 14. 53. jussa parentis Effice. h. e. exsequere. Auct. B. Alex. 5. Aqua limosa et turbida varios morbos efficit. Quintil. 2. 1. 7. Non id est æstimandum, cujus quisque sit ætatis, sed quantum in studiis jam effecerit. h. e. profecerit. Plin. 23. Hist. nat. 4. 51. (97). Nuclei palmarum cremati spodii vicem effi-

ciunt. *h. e.* supplent, præstant. *Tac. Dial. de orat.* 11. In causis agendis efficere aliquid et eniti possum. *Grat. Cyneg.* 237. Aut effecta levi testatur gaudia cauda. *h.* e. effectum esse id, de quo gaudet canis venatica. — *b*) Sequente part. ut. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 62. Efficiam plane, ut concubinam militis meus hospes habeat hodie. *Cic. Amic.* 16. 59. Eniti et efficere, ut amici jacentem animum excitet. *Id. ad Capiton. sub fin. l.* 16. *ad Att.* Enitere, elabora, vel potius eblandire, effice, ut etc. *Id.* 7. *Att.* 1. Feci igitur atque effeci, ut etc. *Al. leg.* itaque effeci. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 4. et 5. *ibid.* 3.; et *Cæs.* 2. *B. G.* 5. et 17., 4. *ibid.* 2. et 5. *ibid.* 50. Et omissa *ut, Ovid. Remed. am.* 31. Effice, nocturna frangatur janua rixa. *Id.* 6. *Fast.* 379. Tu modo, quæ desunt fruges, superesse putentur Effice. — *c*) Sequente part. *ne. Virg.* 3. *Ecl.* 51. Efficiam posthac ne quemquam voce lacessas. *Quintil.* 3. 6. 102. Quæ lex non id efficiat, ne heres sit, sed etc. *Id.* 8. 3. 20. Epitheton *exiguus* aptum proprium effecit, ne plus exspectaremus. Adde *Dig.* 3. 3. 78. et 19. 3. 35. — *d*) Sequente *quominus. Lucret.* 1. 976. Nam sive est aliquid, quod probibeat efficiatque Quominus quo missum est veniat etc. *Al. leg.* officiatque. *Quintil.* 11. 1. 48. Aliquos, quæ sunt egregiæ dicendi virtutes, quominus deceant, effici conditione causarum. Adde *Dig.* 49. 14. 29. — *e*) Cum Accusativo et Infinito. *Vitruv.* 2. 6. Vehementer efficit ea coire et soliditatis percipere virtutem. *Ulp. Dig.* 38. 2. 14. *ad fin.* Causam perorari usque ad sententiam effecit. *Id. ibid.* 47. 11. 10. *extr.* Chomata etiam et diacopi, qui in aggeribus (*Nili*) fiunt, plecti efficiunt eos, qui id admiserint. — *f*) Absolute. *Plaut. Pers.* 1. 3. 86. Interibi ego puerum volo mittere ad amicam meam, ut habeat animum bonum, me esse effecturum hodie. Adde *eumd. Pseud.* 1. 5. 121. et 4. 1. 39. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 48. Tundendo atque odio denique effecit senex: despondit ei gnatam hujus vicini proximi. *Cic.* 5. *de republ.* 3. Ut villicus naturam agri novit, dispensator litteras scit, uterque autem se a scientiæ delectatione ad efficiendi utilitatem refert, sic etc. ¶ 2. Speciatim effici dicuntur tum quæ ex agris, quæstu etc. proveniunt, tum quæ constant ex plurium numerorum computatione. *Cic.* 5. *Verr.* 47. 112. Ager efficit cum octavo, bene ut agatur. *Id. ibid.* 63. 148. Ager plurimum efficit. Et de personis pro lucrum sibi comparare, *Id. ibid.* 33. 77. Liciti sunt usque eo, quoad se efficere posse arbitrabantur. *Colum.* 3. *R. R.* 3. 3. Quum prata et pascua et silvæ, si centenos sestertios in singula jugera efficiant, optime domino consulere videantur. *Id.* 7. *ibid.* 6. 7. Pessima est fetura, quum matres bimæ ternos hædos efficiunt. *Cic.* 6. *Att.* 1. 3. Nullum enim ærarium, nullum vectigal habet. Appii instituto tributa imperat. Ea vix, in fenus Pompeji quod satis sit, efficiunt. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 33. 38. (206). Quæ computatio efficit vicies quater centena quadraginta millia passuum. ¶ 3. Item speciatim apud philosophos est disputando concludere, colligere, probare; et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Cic. Parad. proœm.* 2. Cato minutis interrogatiunculis et quasi punctis, quod proposuit, efficit. *Id. Topic.* 18. 67. Conjunctus huic causarum loco locus ille est, qui efficitur ex causis. — *b*) Cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 1. *Tusc.* 31. 77. Is enim tres libros scripsit —, in quibus vult efficere, animos esse mortales. — *c*) *Efficitur* pass., sequente *ut* vel Infinito, est sequitur, consequitur. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 36. Ita efficitur, ut omne corpus mortale sit. Cf. *Id.* 1. *Off.* 17. 56. Efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unum fiat e pluribus. *Id.* 3. *ibid.* 5. 25. Ex quo efficitur, hominem naturæ obedientem homini nocere non posse. *Id.* 3. *Nat. D.* 13. 34. Innumerabilia sunt ea, quibus effici cogique possit, nihil esse, quod sensum habeat, quin id intereat. Adde *eumd.* 3. *de republ.* 11. — Hinc

Efficiens, entis, usurpatur fere de causis, et quidem — *a*) Tamquam Part. præs. verbi vim retinens. *Cic.* 1. *Off.* 20. 67. Causa et ratio efficiens magnos viros. *Quintil.* 9. 4. 123. Sensus per se nihil efficiens. — *b*) Adjective. *Cic. Topic.* 14. 58. Proximus est locus rerum efficientium, quæ causæ appellantur, deinde rerum effectarum ab efficientibus causis. Adde *eumd. ibid.* 4. 22., 3. *Fin.* 16. 55., 1. *Acad.* (*post.*) 6. 24., 1. *Divinat.* 55. 125. et *Fat.* 14. 33.; et *Quintil.* 5. 10. 86. — *c*) Substantivorum more, cum Genitivo, æque atque *effectrix. Cic.* 3. *Off.* 34. 116. Virtus efficiens est voluptatis. *Id.* 2. *Fin.* 7. 21. voluptatum. *Id.* 3. *Off.* 3. 12. utilitatis. *Id. Tim.* 14. pulcherrimarum rerum.

Effectus, a, um, usurpatur *A*) Tamquam Part. præter. pass., et *B*) Adjective.

A) Tamquam part. præter. pass. est factus, perfectus. *Ter. Andr.* 4. 2. 2. Effectum aliquid reddere. *h.* e. efficere. Sic *Id. Eun.* 2. 1. 6. Effectum dare. Hinc *Effectæ res* opponuntur *causis efficientibus* apud *Cic. Topic.* 4. 22. Ab efficientibus causis, hoc modo. – Ab effectis rebus (*argumentum ducitur*) hoc modo. Adde *eumd. ibid.* 14. 58., quæ verba *V.* in *Efficiens* sub *b.* — Hinc

Effectum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, id quod factum est. *Cic. Topic.* 3. 11. Alia argumenta ducuntur ex causis, alia ex effectis. Adde *Quintil.* 5. 10. 94., 6. 3. 66. et 7. 3. 4.

B) Effectus adjective quoque occurrit, unde Comp. *Effectior*, et est absolutus, perfectus. *Quintil.* 5. 13. 34. Pro effectis relinquunt vix dum inchoata. Adde *eumd.* 8. 3. 88. *Id.* 10. 5. 23. Una (*materia*) diligenter effecta plus proderit, quam plures inchoatæ et quasi degustatæ. *Plin.* 8. *Ep.* 4. Non posse perinde inchoata placere, ut effecta. *Id.* 2. *ibid.* 3. Syllogismi circumscripti et effecti. *h.* e. absoluti et perfecti. *Quintil.* 12. 10. 45. Aures nitidius aliquid atque effectius postulantes. *Apul. Florid. n.* 15. Statua, qua nihil videor effectius cognovisse.

EFFICTĬO, ōnis, f. 3. actus fingendi. Figura eadem quæ ethopœja vel species ethopœjæ. *Cic.* 4. *Herenn.* 49. 63. Effictio est, quum exprimitur et effingitur verbis corporis cujuspiam forma, quoad satis sit ad intelligendum.

EFFICTUS, a, um. *V.* EFFINGO.

EFFĬGĬA, æ, f. 1. *V.* EFFIGIES sub init.

EFFĬGĬĀTUS, a, um. *V.* EFFIGIO.

EFFĬGĬĀTUS, us, m. 4. actus effigiandi. *Apul. Florid. n.* 15. Magna vis artis, vario effigiatu.

EFFĬGĬENTĬA, æ, f. 1. effigiei formatio. *Capell.* 9. *p.* 312. Dum me quippe germanam gemellamque cælo illa incogitabilis effigientiæ genuisset immensitas. *Ita legit* Kopp.: *alii* efficientia. *V.* Kopp. ad h. l.

EFFĬGIES, ĭēi, f. 5. (effingo). Est etiam *Effigia, æ,* f. 1., cujus Num. sing. usu. habent *Plaut. Rud.* 2. 4. 7. et *Afranius* apud *Non. p.* 493. 1.; Accus. plur. num. *Lucret.* 4. 46., 83., et Nom. plur. num. *Id.* 4. 104. — Effigies est simulacrum, figura ad vivam alterius similitudinem, vel ad veritatis imaginem efficta (It. *copia, imagine*; Fr. *imitation, représentation, image, ressemblance, effigie, modèle*; Hisp. *representacion, image, semejanza, efigie*; Germ. *d. Nachformung, Nachbildung e. Gegenstandes*; Angl. *an image, representation, resemblance, effiges*). Occurrit *A*) Stricto sensu; et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto sensu effigies significat id quod ad vivam alterius similitudinem effictum est, similitudinem, imaginem, corpoream quoque ex creta, cera, metallis etc. constantem.

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Rud.* 2. 4. 7. Veneris effigia hæc quidem est. *Lucret.* 4. 103. Sunt igitur tenues formarum consimilesque Effigiæ, singillatim quas cernere nemo Quum possit etc. *Cic.* 4. *Verr.* 65. 159. Hominis (*Mithridatis*) effigiem simulacrumque servare. *Id.* 1. *Nat. D.* 37. 103. Sit sane, ut vultis, Deus effigies hominis et imago. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. 1. Ne vestigium quidem ejus, nec simulacrum, sed quamdam effigiem spirantis mortui. *Virg.* 3. *Æn.* 497. effigiem Xanthi Trojamque videtis. *Ovid.* 1. *Met.* 83. Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum. *Tac.* 2. *Hist.* 3. *in fin. de Venere Paphia.* Simulacrum deæ non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exsurgens. — *b*) Speciatim de spectro et umbra mortui vel cujuscumque rei in somniis etiam apparentis. Cf. *Liv.* 21. 40. Effigies, immo umbræ hominum, fame, frigore, illuvie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupesque. *Sil. It.* 13. 778. Elysio tendentem limite cernens Effigiem juvenis castam. Adde *Ovid.* 14. *Met.* 358.; et *Plin.* 3. *Ep.* 5. — *c*) Hinc *ad* vel *in effigiem* vel etiam *effigie* adverbii more ponitur pro instar. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 10. 11. (62). Metatus est Alexandriam Dinochares ad effigiem Macedonicæ chlamydis. *Id.* 21. *ibid.* 5. 11. (23). Lilium foris striatum et ab angustiis in latitudinem paullatim sese laxans effigie calathi. *Sil. It.* 5. 4. restagnans gurgite vasto Effigiem in pelagi lacus.

II.) Translate de animo, virtutibus, etc. *Cic. Orat.* 3. 9. Perfectæ eloquentiæ speciem animo videmus, effigiem auribus quærimus. *Id.* 1. *Orat.* 43. 193. Plurima est et in omni jure civili et in pontificum libris et in XII. tabulis antiquitatis effigies. *Id.* 2. *ibid.* 86. 354. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos, et ea, quæ memoria tenere vellent, effingenda animo atque in his locis collocanda; sic fore, ut ordinem rerum locorum ordo conservaret; res autem ipsas rerum effigies notaret, atque ut locis pro cera, simulacris pro litteris uteremur. *Id. Arch.* 12. 30. Consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem debemus summis ingeniis expressam et politam. *Id.* 2. *Fin.* 18. 58. Reliquit effigiem et humanitatis et probitatis suæ filium. *Id.* 3. *Tusc.* 2. 3. Consectatur nullam eminentem effigiem (*virtutis*), sed adumbratam imaginem gloriæ. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. Cyrus a Xenophonte scriptus ad effigiem justi imperii. *Liv.* 26. 41. Ingenii, fidei virtutisque ad exemplum expressam effigiem vobis reddam.

B) Latiori sensu ponitur pro imagine vel signo plastica arte efficto, raro tamen de picturis. *Catull.* 64. 61. Saxea ut effigies bacchantis prospicit. *Virg.* 2. *Æn.* 167. Corripuere sacram effigiem (*h. e.* Palladium) manibusque cruentis Virgineas ausi divæ contingere vittas. *Id. ibid.* 183. Hanc (*h.* e. equum) pro Palladio moniti, pro numine læso Effigiem statuere, nefas quæ triste piaret. *Id.* 3. *ibid.* 148. Effigies sacræ divum Phrygiique Penates. *Id.* 7. *ibid.* 177. Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum Antiqua e cedro. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 30. Effigies lanea et cerea. *Ovid. Heroid.* 20. 239. Effigie pomi testatur Acontius hujus etc. *paullo ante.* Aurea ponetur mali felicis imago. *Id.* 1. *Trist.* 6. 7. Effigiemque meam fulvo complexus in auro etc. *Tac.* 1. *Ann.* 74. Alia in statua amputato capite Augusti effigiem Tiberii inditam. *Id.* 6. *ibid.* 2. Atroces sententiæ dicebantur in effigies quoque ac memoriam ejus. *Id.* 5. *Hist.* 9. Nulla intus deûm effigie. *Quintil.* 6. 1. 32. Qui mutam illam effigiem, magis quam orationem, pro se putet locuturam.

EFFĬGĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Effigiatus.* — Effigio est ad effigiem formo. *Apul. de Mag.* Imagines variis artibus effigiatæ. *Id.* 1. *Florid.* 1. 5. Truncus dolamine effigiatus. *Prudent.* 10. *Cathemer.* 4. Deus, qui hominem effigiasti. *Sidon.* 6. *Ep.* 12. Quem Græcia effigiavit imaginibus. *Ammian.* 26. 7. Aurei nummi effigiati in vultum novi principis. *Solin. epist.* præmiss. *Polyhist.* Qui corporum formas æmulantur, ante omnia effigiant modum capitis.

EFFĬGŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. *Jul. Rufinian. de schem. dian. ad fin.* Prosopopeia est figura sententiæ, qua oratio ad alicujus personæ orationem imitandam retorquetur. Latine dicitur deformatio, vel effiguratio.

EFFĬGŪRO. *V.* AFFIGURO.

EFFINDO, is, ere, a. 3. idem quod findo. *Manil.* 4. 283. Et frenare ratem, fluctusque effindere rectos.

EFFINGO, fingis, finxi, fictum, fingere, a. 1. (ex et fingo). Part. *Effingens* I.; *Effictus* et *Effingendus* II. 1. — Effingere est effigiem rei alicujus ad vivum exprimere, ad alterius formam fingere, seu fingendo exprimere (It. *figurare, ritrarre*; Fr. *représenter, imiter, copier*; Hisp. *representar, figurar, imitar*; Germ. *herausbilden, ausprägen, nachformen*; Angl. *to fashion, form, represent, portray, express, describe*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Divinat.* 13. 23. Aspersa temere pigmenta in tabula oris lineamenta effingere possunt. Num etiam Veneris Coæ pulcritudinem effingi posse aspersione fortuita putas? *Id.* 3. *Nat. D.* 9. 23. Sæpe dixi, nihil fieri sine deo, nec ullam vim esse naturæ, ut sui dissimilia posset effingere. *Tac.* 5. *Hist.* 5. Deûm imagines mortalibus materiis in species hominum effingunt. *Virg.* 6. *Æn.* 32. Bis conatus erat casus effingere in auro. *Id.* 10. *ibid.* 640. Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis. *Lucan.* 5. 713. grues Effingunt varias casu monstrante figuras. *Sil. It.* 1. 404. horrentes effingens crine galeros.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorā sumptā a superiori significatione, est verbis vel alio modo repræ-

sentare, exprimere, præcipue vero imitando: quod etiam additur in illo *Quintil.* 1. 1. 4. Nutricum verba puer effingere imitando conabitur. *Cic.* 2. *Orat.* 43. 184. Quasi mores oratoris effingat oratio. *Id.* 1. *Legg.* 9. 26. Speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. *Id. Rosc. Am.* 16. 47. Hæc conficta arbitror a poetis esse, ut effictos nostros mores in alienis personis expressamque imaginem nostræ vitæ videremus. *Plin.* 1. *Ep.* 3. Effinge aliquid et excude, quod sit perpetuo tuum. *Id.* 9. *ibid.* 22. In litteris veteres æmulatur, exprimit, reddit, Propertium in primis. – Nuper ad lyrica deflexit: in quibus ita Horatium, ut in illis illum alterum, effingi putes. *Quintil.* 5. 12. 21. Oratorem studemus effingere. *Id.* 10. 2. 15. Effingere imaginem virtutis. Adde *eumd.* 6. 1. 28. *Id.* 10. 1. 108. Cicero effinxit vim Demosthenis, copiam Platonis, etc. Adde *eumd.* 11. 3. 89. — Et de iis, quæ imaginandi vi fingimus. *Cic.* 2. *Orat.* 86. 354. Quæ memoria tenere velis, effingenda sunt animo. *h. e.* eorum species animo formanda. *Id.* 1. *Tusc.* 25. 61. Quæ tam immensa magnitudo, quæ illa tam multa possit effingere? Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 18. ¶ 2. Interdum significat extergere. *Cato R. R.* 67. Fiscinas spongia effingat (*Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (22). ex eodem *Caton.* fiscinas spongia tergendas dixit). *Cic. Sext.* 35. 67. Corporibus civium Tiberim compleri, cloacas refarciri, e foro spongiis effingi sanguinem. Ita legunt cum *Servio* ad *Virg.* 8. *Æn.* 634. multi: vulgo *effundi*. V. *Halm* ad h. l. ¶ 3. *Effingere manus* apud *Ovid. Heroid.* 20. 131. et 137. est leniter tractare, mulcere: qua ratione etiam *fingo* usurpatur. Est tamen qui utroque loco aliter legit. Simili notione *effingere manus* cadaveris apud *Albinov.* 1. 137. est apte componere, extendere, apte collocare.

EFFIO, fieri. *V.* EFFICIO init.

EFFIRMO, as, are, a. 1. confirmo, firmum reddo. *Accius* apud *Non. p.* 256. 18. *Merc.* Tu te ipsa effirma, et compara.

EFFLĀGĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus efflagitandi. *Cic.* 5. *Fam.* 19. 2. Admonitio, vel potius efflagitatio ad coeundam societatem. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 24. 6.

EFFLĀGĬTĀTUS, a, um. *V.* EFFLAGITO.

EFFLĀGĬTĀTUS, us, m. 4. vehemens postulatio. In sexto casu sing. *Cic.* 7. *Verr.* 29. 75. Coactu atque efflagitatu meo.

EFFLĀGĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et flagito). Part. *Efflagitans* sub 1. *b.*, et *Efflagitatus* sub 1. *a.* — Efflagito est vehementer flagito (It. *domandare con istanza*; Fr. *demander avec instance, presser, solliciter vivement*; Hisp. *demandar, rogar con instancia*; Germ. *dringend fordern, ungestüm verlangen, stark aufforden*; Angl. *to require earnestly, ask urgently, demand, importune*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Cic. Mil.* 31. 92. Efflagitare misericordiam alicujus. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 11. Epistolam hanc convicio efflagitarunt codicilli tui. *Virg.* 12. *Æn.* 759. notumque efflagitat ensem. *Liv.* 3. 60. Efflagitare signum pugnæ. *Sueton. Tib.* 12. custodem factis atque dictis suis. *Id. Ner.* 38. Collationes non receptæ modo, verum et efflagitatæ. — *b*) Sequente Conjunctivo. *Cic.* 3. *Verr.* 24. 63. Cum iste a Dolabella efflagitasset, ut se ad regem Nicomedem mitteret. *Sueton. Vesp.* 5. Suppliciter nec non et minaciter efflagitantes, aut remaneret, aut secum omnes pariter abduceret. *Quintil. Epist. ad Triph.* 1. Efflagitasti cotidiano convicio, ut libros – mittere inciperem. — *c*) Absolute. *Sueton. Domit.* 3. Intra breve tempus, impatiens discidii, quasi efflagitante populo, (*uxorem*) reduxit. *Quintil.* 4. 5. 10. Si moribus incompositus, cum convicio efflagitat.

II.) Improprie. *Auct. B. Hisp.* 29. Æquitas loci adversarios efflagitabat. *h. e.* invitabat, hortabatur.

EFFLAMMANS, antis, particip. ab inusit. *efflammo*, flammas emittens. *Capell.* 2. *p.* 45. Quippe quidem candores, lactei fluminis tractu, stellis efflamantibus diffluebant.

EFFLĀTUS, a, um. *V.* EFFLO.

EFFLĀTUS, us, m. 4. emissio per flatum. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 14. Aliquod apertum ad hos efflatus iter occupent. *Al. rectius leg.* afflatus.

EFFLĒO, es, ēvi, ētum, ere, a. 2. flendo consumo. *Quintil.* 6. *Declam.* 4. Cognita clade, carissimi uxor exempli, et prorsus talis filii mater, totos efflevit oculos.

EFFLICTĒ, adverb. vehementer, impense, effingendo. *Symmach.* 1. *Ep.* 84. (*al.* 90.) Efflicte diligere. *Apul.* 5. *Met.* Amo te efflicte quicumque es. *Al. leg.* efflictim. Certa est lectio apud *eumd. ibid.* Efflicte cupere.

EFFLICTIM, adverb. idem quod efflicte. *Plaut. Amph.* 1. 3. 19. Efflictim amare. Adde *eumd. Cas. prol.* 49. et *Merc.* 2. 3. 107.; et *Nævium* apud *Charis.* 2. p. 178. *Putsch.*, ubi *Probus* efflictim amore exponit, usque donicum effligatur. *Apul.* 3. *Met.* Adolescentem efflictim deperit. *V.* et voc. præced.

EFFLICTO, as, are, a. 1. idem quod efflictu. *Plaut. Stich.* 4. 2. 26. Non tu scis quam efflictentur homines noctu hic in via.

EFFLICTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EFFLĪGO, fligis, flixi, flictum, fligere, a. 3. (ex et inusit. fligo). Part. *Efflictus* et *Effligendus*. — Effligere est idem quod affligere, adeoque percutere, occidere, perdere. *Plaut. Cist.* 2. 1. 48. Nisi ego te tuamque filiam meque hodie obtruncavero; postea autem cum primo luci cras nisi ambo occidero, et equidem hercle nisi pedatu tertio omnes efflixero. *Id. Asin.* 4. 2. 9. Quam tu propediem, nisi illa ante occupassit te, effliges, scio. *Cic.* 9. *Att.* 19. 2. Misit filium ad effligendum Pompejum. *Al. leg.* affligendum. *Seneca* 1. *Ira* 15. Rabidos canes effligere et cædere. *Id.* 2. *ibid.* 31. Effligere viperas et natrices. *Capitolin. Ver.* 4. ex lectione *Salmasii*: Sæpe efflictum livida facie redisse. *V.* AFFLICTUS in v. AFFLIGO.

EFFLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et flo). Part. *Efflans, Efflatus* et *Efflandus* sub *A.* — Efflare occurrit *A*) Active, et *B*) Neutrorum more.

A) Active efflare est flando ejicere, emittere (It. *mandar fuori soffiando, soffiar via*; Fr. *pousser dehors en soufflant, rejeter par le souffle, exhaler*; Hisp. *echar fuera, exhalar*; Germ. *heraushauchen, heraus oder hervorblasen*; Angl. *to breathe out*). Occurrit — *a*) Generatim. *Lucret.* 5. 651. Sol efflat ignes suos. *Id.* 5. 904. Chimæra Ore foras acrem efflaret de corpore flammam. *Id.* 2. 831. Efflare colorem. *h. e.* amittere. *Varro* 1. *R. R.* 12. 2. Bestiolæ, si quæ prope nascuntur, efflantur. *h. e.* ventorum vi auferuntur. *Virg.* 7. *Æn.* 785. Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes. *Id.* 12. *ibid.* 114. quum primum alto se gurgite tollunt Solis equi, lucemque elatis naribus efflant. *Ovid.* 2. *Met.* 85. Efflare ignem ore et naribus. *Id.* 3. *ibid.* 686. mare patulis naribus. *Id.* 5. *Fast.* 191. rosas ab ore. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 6. (16). Ora balænæ habent in frontibus, ideoque in sublime nimbos efflant. *Id.* 29. *ibid.* 6. 39. (138). Efflare pulverem. *Sever. Ætn.* 452. candentes lapides. *Stat.* 5. *Theb.* 209. *de ebrio dormiente et crapulam exhalante.* Efflare somno vina. *Quintil.* 12. 10. 29. Inter discrimina dentium efflanda littera. — *b*) Speciatim *efflare animam* est mori. *Plaut. Pers.* 1. 4. 86. Tamquam hominem, quando animam efflavit, quid eum quæras qui fuit? Adde *eumd. Truc.* 4. 4. 23.; *Cic. Mil.* 18. 48. et 1. *Tusc.* 9. 19.; et *Nepot. Pausan.* 5. Sic *Sueton. Aug.* 99. Unum omnino ante efflatam animam signum alienatæ mentis ostendit. Adde *eumd. Domit.* 2. — Similiter poetice. *Cic.* 2. *Tusc.* 9. 22. *ex poeta.* Efflare extremum halitum. *Sil. It.* 17. 557. vitam in nubila. — Et absolute, omisso Accus. *animam*. *Cic.* 1. *Divinat.* 47. 106. Abjicit efflantem (*serpentem*) et laceratum affligit in unda. Et *Stat.* 8. *Theb.* 168. Plagæ efflantes. *h. e.* animam. — *c*) Item speciatim *efflare* est moriendo dicere, pronunciare. *Flor.* 4. 7. 11. Moriens (*Brutus*) efflavit, non in re, sed in verbo tantum esse virtutem.

B) Neutrorum more occurrit tantum apud *Lucret.* 6. 680. quibus modis Flamma foras vastis Ætnæ fornacibus efflet. *h. e.* exeat. *Id. ibid.* 690. Atque efflare foras, ideoque extollere flammas.

EFFLŎRĔO, es, ere, n. 2. Præter. perf. *efflorui* *V.* in voc. seq. — Effloreo est valde floreo. *Tertull.* seu *Cyprian. Judic. Domin.* 209. Talia florigeris numquam nascuntur in hortis Lilia, nec nostris efflorent talia campis.

EFFLŌRESCO, flōrescis, flŏrŭi, flōrescere, a. 3. valde floresco: sed occurrit translate tantum, et rerum copiam aut pulcritudinem simul significat. *Cic.* 1. *Orat.* 6. 20. Ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio. *Id.* 2. *ibid.* 78. 319. Apparebit, res eas non modo non esse communes, sed penitus ex ea causa, quæ tum agatur, effloruisse. *h. e.* emanasse, egerminasse, ut flores ex plantis. *Id. Cæl.* 31. 76. Laudibus ingenii efflorescere. *Id. Amic.* 27. 100. Utilitas efflorescit ex amicitia. *Id.* 1. *Fin.* 20. 69. Cum usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere. *Augustin. lib. quæst.* 83. *quæst.* 9. Corpus in juventam efflorescit.

EFFLŬENTĬA, æ, f. 1. effluvium. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 61. (94). Inhibet non solum Venerem, sed effluentiam genituræ. *Meliores tamen libri habent* affluentiam.

EFFLŬO, fluis, fluxi, fluere, n. 3. (ex et fluo) Part. *Effluens* I. — Effluere est extra fluere, effundi (It. *uscire scorrendo, scorrer via*; Fr. *couler de, découler, s'écouler, s'échapper en coulant*; Hisp. *colar, fluir fuera*; Germ. *herausfliessen*; Angl. *to flow or run out, flow forth*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 509. Copia nimborum, turba majore coacta, Urget et e supero premit ac facit effluere imbres. Adde *eumd. ibid.* 971., ubi *diffluere* legunt. *Cic.* 2. *Tusc.* 21. 59. Quum una cum sanguine vitam effluere sentiret. *Ovid.* 6. *Met.* 233. Carbasa deducit, ne qua levis effluat aura. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 8. 32. (17). Humor e cavis populi nigræ effluens. *Id.* 37. *ibid.* 2. 11. (35). Succina petris effluere. *et paullo post* (38). Amnis effluens in oceanum. — Et cum Accusativo, Græca syntaxi. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 51. Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis Effluxere decus.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de pluribus; et quidem — *a*) De rebus corporeis pro cadere. *Lucret.* 6. 795. Et manibus nitidum teneris opus effluit ei (*mulieri*). *h. e.* excidit. *Ovid.* 3. *Met.* 39. Effluxere urnæ manibus. *Id. Ib.* 126. per medias effluat usque manus. *Curt.* 8. 14. Telum, quod unum forte non effluxerat (*h. e.* e manibus ejus), contorsit in eum. *Tibull.* 1. 7. 46. Effluit effuso cui toga laxa sinu. *Quintil.* 10. 2. 15. illas figuras Epicuri, quas e summis corporibus dicit effluere. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 111. (134). Si capilli effluxerint. *h. e.* exciderint. — *b*) Item de monumentis. *Ovid.* 6. *Met.* 669. neque adhuc de pectore cædis Effluxere notæ. *Sueton. Aug.* 97. Ictu fulminis ea inscriptione statuæ ejus prima nominis littera effluxit. — *c*) De verbis, rumoribus, etc. et est prodire, emanare. *Ter. Eun.* 1. 2. 41. Utrumque hoc falsum est: effluet. *h. e.* ab ore meo excidet, prodibit, divulgabitur. *Cic.* 6. *Fam.* 19. 2. Tanta est intimorum multitudo, ut ex iis aliquis potius effluat, quam novus sit aditus. *Id. Dom.* 16. 121. Effluunt multa ex vestra disciplina. *Quintil.* 10. 2. 20. Fit, ut non rudia tantum et fortuita, sed impropria interim (*dicentibus*) effluant. — *d*) Eleganter refertur ad oblivionem. *Cic.* 7. *Fam.* 14. 1. Antequam plane ex animo tuo effluo. *Id. Brut.* 61. 219. Ex tempore dicenti solitam effluere mentem. *Id.* 6. *Verr.* 26. 57. Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi, aut oratione complecti. Genera ipsa cupio breviter attingere: ut hic modo me commonuit Pisonis annulus, quod totum effluxerat. Adde *eumd.* 1. *Fin.* 12. 41. *Ovid. Remed. am.* 646. melius sic ulciscere tacendo, Dum desideriis effluat ille tuis. *Sil. It.* 2. 627. dulcesque marito Effluxere tori, et subiere oblivia tædæ. — *e*) De tempore, et aliis quæ progressu temporis cessant. *Cic. Senect.* 2. 4. Præterita ætas, quamvis longa, quum effluxisset. Adde *eumd. ibid.* 19. 69. *Id.* 12. *Att.* 43. *extr.* Ne æstas effluat. *Liv.* 7. 33. Quum effluere jam lassitudine vires sentirent. *h. e.* deficere. *Quintil.* 11. 2. 44. Illa prævelox memoria cito effluit. ¶ 2. Raro admodum occurrit pro solvi, molliri. *Lucan.* 9. 106. Effluere in lacrimas. *Sil. It.* 6. 245. viso mens ægra effluxit hiatu. *Pers.* 3. 20. quid istas Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens, Contemnēre. *h. e.* dilaberis stulte, adeoque teipsum perdis, te ipsum jugulas.

EFFLŬUS, a, um, adject. qui effluit. *Avien. Prognost. Arat.* 1717. si flammis emicet ignis Effluus. *Id. Perieg.* 1162. in pontum cadit effluus amnis.

EFFLŬVĬUM, ii, n. 2. effluendi actus, magna vis alicujus rei effluentis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 52. (171). Præfandi humoris e corpore effluvium. *Tac.* 12. *Ann.* 57. Convivium effluvio lacus appositum. *h. e.* loco, unde lacus effluebat. *Vellej.* 2. 120. 4.

Cerebri effluvio expirare. *Ita legunt recentiores. V.* Kritz ad h. l.

EFFLUXĬO, ōnis, f. 3. emissarium, et id, quod per idem effluit. *Papinian. Dig.* 43. 10. *init.* Ædiles studeant, ut quæ secundum civitates sunt viæ, adæquentur, et effluxiones non noceant domibus.

EFFLUXUS, a, um, adject. idem quod fluxus. *Isid.* 9. *Orig.* 8. Quassæ mentis et effluxæ et non stabilis. *Nisi forte legendum sit* et fluxæ.

EFFŌCO, as, are, a. 1. Part. *Effocandus* I. — Effoco est idem quod suffoco.

I.) Proprie. *Flor.* 2. 11. Cum effocandas invicem fauces præbuissent. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 14. 222. Quæ per somnum effocabitur propter dotem.

II.) Translate. *Seneca Brevit. vit.* 2. Bonis suis effocantur. *Al. leg.* offocantur.

EFFŌDĬO *vel* ecfodio *vel* exfodio, fōdis, fōdi, fossum, fŏdere, a. 3. (ex *et* fodio). *Ecfodere* scriptum reperitur in multis *Taciti Codd.* 11. *Ann.* 20.; et *exfodere* apud *Plaut. Aulul.* 4. 8. 9., et *fragm.* apud *Non. p.* 225. 8. *Merc.* Ego exfodiebam in die denos scrobes. *Mercerus* tamen ex melioribus Codd. leg. *ecfodiebam.* — *Effodiri* antique pro *effodi* dictum est a *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 41. — *Effodint* antique pro *effoderint* ad eodem *Capt.* 3. 5. 66., ubi alii leg. *Effodant*: V. FODO. — Part. *Effossus* I. et II.; *Effossurus* I. — Effodere est fodiendo eruere (It. *cavare, scavare, cavar fuori*; Fr. *fouir, creuser, déterrer*; Hisp. *ahondar, cavar*; Germ. *herausgraben, ausgraben*; Angl. *to dig out, dig up*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Aulul.* 4. 8. 9. Effodere aulam auri plenam. *Id. Pseud.* 1. 4. 20. ex hoc sepulcro vetere viginti minas. *Id. Trin.* 3. 3. 53. thesaurum. Sic *Petron. Satyr.* 88. Donum promittit, si thesaurum effoderit. *Cic.* 2. *Off.* 3. 13. Nec ferrum, æs, argentum, aurum effoderetur penitus abditum, sine hominum labore et manibus. *Cæs.* 3. *B. C.* 42. *extr.* Frumentum omne conquisitum, spoliatis effossisque eorum domibus, comportaverat. *Virg.* 1. *G.* 497. Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris. Cf. *Id.* 4. *ibid.* 42. Effossis latebris sub terra fovere larem. *Ovid.* 1. *Met.* 140. Effodiuntur opes, irritamenta malorum. *Liv.* 22. 3. Abi, nuncia, signum effodiant, si ad convellendum manus præ metu obtorpuerint. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 17. Populus effossurus obruenda. *Juvenal.* 16. 38. Aut sacrum effodit medio de limite saxum. *Sueton. Domit.* 4. Effodere lacum. *Id. Ner.* 19. humum rastello. *Petron. Satyr.* 128. effossa protulit aurum in lucem tellus. *Quintil.* 10. 3. 2. Effodere terram altius. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 76. (166). scrobem in terra. *Id.* 35. *ibid.* 6. 25. (41). carbones e sepulcris. *Id.* 36. *ibid.* 22. 45. (161). Lapides speculares effodiuntur puteis. *Id.* 30. *ibid.* 5. 12. (38). Effossum cum sua terra gryllum illinere. — Huc pertinet et convicium illud apud *Plaut. Cas.* 1. 26. Ex sterquilinio effosse, tua illæc præda est? — *b*) Speciatim occurrit *effodere alicui oculos*, h. e. eruere, apud *Plaut. Aulul.* 1. 1. 14., *Curc.* 3. 26., *Men.* 1. 2. 46., *Mil. glor.* 2. 3. 44. et *Trin.* 2. 4. 62.; *Ter. Eun.* 4. 6. 2.; *Cic.* 3. *de republ.* 17.; *Cæs.* 7. *B. G.* 4.; et *Sueton. Domit.* 16. Similiter *Virg.* 3. *Æn.* 663. Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem. Et figurate *Cic.* 3. *Nat. D.* 38. 91. Critolaus evertit Corinthum, Carthaginem Hasdrubal. Hi duo illos oculos oræ maritimæ effoderunt. Eodem sensu *Vellej.* 2. 52. 3. Effossum alterum Ituperii lumen.

II.) Translate. — *a*) Metaphorā sumptā ab effodiendis oculis, *Plaut. Cas.* 2. 8. 22. Effodere hercle hic vult, credo, vesicam villico. *h. e.* confodere, sed hic obsceno sensu. Et *Ovid.* 2. *Amor.* 14. 27. Vestra quid effoditis subjectis viscera telis? — *b*) Apud *Petron. Satyr.* 4. verba atroci stilo effodere, est severe, rigide, censorie examinare, expungere et quasi confodere. — *Cic. Marcell.* 4. 10. Omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit. *Al. et ipse* Orell. *ex bonis Codic. leg.* effudit. *At* effodit *tuetur atque ita explicat* P. Victor. l. 3. Variar. lect. c. 9. effodit, *inquit*, id est aperuit, μεταφορικῶς. memoria et subita recordatio Marcellorum patefecit sibi viam in animum meum. *V.* OFFUNDO. *Utrumque tamen improbat* Frid. Aug. Wolfius, *quippe qui genuinam hanc esse* Ciceronis *orationem pernegel.*

EFFŎDO. *V.* FODO.

EFFÆCUNDO,

EFFÆMĬNO,

EFFÆTO,

EFFÆTUS, etc. *V.* EFFECUNDO, EFFEMINO, EFFETUS, etc.

EFFOR, fāris, fātus sum, fāri, dep. 1. (ex *et* fari). *Ecfatus* pro *effatus* est *Ennii* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 41. et apud *Non. p.* 306. 24. *Merc.* Apud *Cic.* tamen alii et ipse *Orell.* leg. *effatus.* — Ceterum præter formas, quæ infra exhibentur, *effamini* habet *Arnob.* 7. p. 248., *effaris* habet *Apul.* 7. *Met.*, *effantur* et *effantes* habet *Id. de Mundo*, et *effor* dictum fuisse a veteribus testatur *Diomed.* 1. p. 735. *Putsch.* — Part. *Effans* apud *Capell.* 6. p. 192. Illi (*Archimedes* et *Euclides*) etiam Helladica tantummodo facultate nihil effantes, Latialiter atticissant. — Cetera Part. *Effatus* et *Effandus* infra. — Effari, verbum a *Virgilio* sæpe usurpatum, ut ex *Cic.* 3. *Orat.* 38. 153. discimus, inter prisca aut poetica enumerandum est, ita tamen, ut aliquando in oratione dignitatem habeat, si loco ponatur; et significat solemniter loqui, dicere, pronunciare. Usurpatur autem — *a*) Stricto sensu in re sacra et religiosa. *Effari templum* dicuntur augures, quum certis verbis ejus fines designant et consecrant, ut *Varro* 6. *L. L.* 53. *Müll.* significare videtur. *Cic.* 13. *Att.* 42. *extr.* Opinor, augures nihil habere ad templum effandum. — Hinc *effatum templum* est locus quilibet ab augure certis verbis ac precibus definitus, designatus et consecratus. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 20. AVGVRES VRBEMQVE ET AGROS ET TEMPLA LIBERATA ET EFFATA HABENTO. *Festus* p. 157. 24. *Müll.* Minora templa fiunt ab auguribus, quum loca aliqua tabulis aut linteis sepiuntur, ne uno amplius ostio pateant, certis verbis definita. Itaque templum est locus ita effatus, aut ita septus, ut ea una parte pateat, etc. *Liv.* 10. 37. *extr.* Fanum, id est locus templo effatus. *Varro* 6. *L. L.* 53. *Müll.* Effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum cælestum extra urbem agris sunt effati ubi esset. (*Forcellinus* in hoc *Varronis* loco non *effata templa* vel *loca*, sed *effata augurum* est interpretatus, scilicet eorum certa verba et preces, quibus locum aliquem sacrum esse effantur). *Gell.* 13. 14. Pomœrium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum, etc. *et ibid.* intra effatos fines urbis includere. *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 197. Effatus ager dicebatur, ubi captabantur auguria. *Id.* ad *eumd.* 3. *ibid.* 463. Effata dicuntur loca sacra, id est ab auguribus inaugurata. — Huc pertinet et illud *Liv.* 1. 24. Pater patratus ad jusjurandum patrandum, id est, sanciendum fit fœdus; multisque id verbis, quæ longo effata carmine non operæ est referre, peragit. *Al. leg.* effatus. *Cic. Dom.* 55. 141. Neque institutas cæremonias persequi, neque verbum ullum solemne potuit effari. — *b*) Latiori sensu ac generatim ponitur pro loqui, dicere, sed quadam cum dignitate. *Lucret.* 5. 105. Sed tamen effabor: dictis dabit ipsa fidem res. Adde *Ennium* 1. *Ann.* 52. *Virg.* 3. *Æn.* 463. Quæ postquam vates sic ore effatus amico est. *Id.* 4. *ibid.* 76. Incipit effari, mediaque in voce resistit. *Id. ibid.* 456. Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori. *Id.* 6. *ibid.* 560. Quæ scelerum facies? o virgo, effare. *Id.* 10. *ibid.* 523. Et genua amplectens effatur talia supplex. Adde *eumd.* 4. *G.* 450., 4. *Æn.* 30. et alibi. *Horat. Epod.* 17. 36. Quæ finis aut quod me manet stipendium? Effare. *Lucan.* 8. 347. Nil animis fatisque tuis effabere dignis. *Liv.* 5. 15. *ad fin.* Celanda effando nefas contrahi. *h. e.* evulgando. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 21. 25. (139). Populorum pauca effatu digna, aut facilia nomina. *Sueton. Ner.* 49. Quod ut sensit, trepidanter effatus, etc. — *c*) Est etiam verbum dialecticum, et significat pronunciare, certis verbis efferre. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 97. Ut verum esse concedat, quod ita effabimur: aut vivet cras Hermachus, aut non vivet. — Hinc

Effatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est pronunciatum, dictum; et occurrit — *a*) In re sacra. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 20. ALTERVM (*sacerdotum genus*) QVOD INTERPRETETVR FATIDICORVM ET VATVM EFFATA INCOGNITA. *h. e.* dicta et vaticinia. — *b*) In re dialectica et philosophica. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 95. Fundamentum dialecticæ est, quidquid enuncietur (id autem appellatur ἀξίωμα, quod est quasi effatum) id verum esse aut falsum. *Seneca Ep.* 117. *ante med.* Enunciativum quiddam de corpore, quod alii effatum vocant, alii enunciatum, alii edictum.

EFFORMIS *vel* eformis, e, adject. ex forma, vel secundum formam factus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 110.

EFFORMO, as, are, a. 1. (ex *et* formo) effingo, deformo. *Faustin. Areval.* in *Prudentiana p.* 205. ait recentiores passim hoc verbum adhibere; quod tamen apud veteres Latinos non reperitur. At apud *Paul.* 5. *Recept. Sentent.* 25. 1. sunt, qui pro *si id totum formare noluerunt* scribunt *efformare.*

EFFŎRO, as, are, a. 1. idem ac perforo. *Colum.* 9. *R. R.* 1. 3. Compluribus locis per latus efforatur stipes.

EFFOSSĬO, ōnis, f. 3. actus effodiendi. *Imppp. Gratian., Valens et Theodos. Cod.* 11. 6. 3. Qui venam laboriosis effossionibus persequuntur.

EFFOSSUS, a, um. *V.* EFFODIO.

EFFŎVĔO, es, ere, a. 2. idem ac foveo. *Veget.* 6. *Veterin.* 28. 2. *Schneid.* Medicamentum catastalticum, quod carnem supercrescentem comedendo effovet. *scil.* carnem succrescentem comedendo, vulnus et sanam carnem effovet elicitque. *Gesnerus* ad h. l.: *Effovet*; vox mihi suspecta, sed qua commodiorem non comminiscor.

EFFRACTĀRĬUS, ii, m. 2. qui effringit, effractor. *Seneca Ep.* 68. Vile videtur quidquid patet: aperta effractarius præterit.

EFFRACTOR, ōris, m. 3. qui fracto pariete, ostio, aut sera in ædes, vel arcam alienam irrumpit. *Paul. Dig.* 1. 15. 3. Cognoscit præfectus vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus. Adde *eumd. ibid.* 47. 77. 1. et *Sidon.* 9. *Ep.* 7. *Priscian. de præexercit. reth. p.* 1336. *Putsch.* Ergo non solum sacrilegum, sed etiam furem atque effractorem et adulterum habetis.

EFFRACTŪRA, æ, f. 1. effractoris effectus. *Paul. Dig.* 15. 3. § 2. Effracturæ fiunt plerumque in insulis, in horreisque, ubi homines pretiosissimam partem fortunarum suarum reponunt. *Collat. Mos.* et *Rom. legum tit.* 10. § 9. Dominus horreorum periculum effracturæ præstare non cogitur.

EFFRACTUS, a, um. *V.* EFFRINGO.

EFFRĒNATĒ, adverb. Comp. *Effrenatius.* — Effrenate est sine freno, dissolute: sed occurrit translate tantum. *Cic. Senect.* 12. 39. Cujus voluptatibus avidæ libidines temere et effrenate ad potiundum incitantur. *Id.* 11. *Phil.* 9. 26. Effrenatius in hostem irrumpere.

EFFRĒNĀTĬO, ōnis, f. 3. dissolutio: sed occurrit translate tantum. *Cic.* 5. *Phil.* 8. 22. Quæ effrenatio impotentis animi?

EFFRĒNATUS, a, um. *V.* EFFRENO.

EFFRĒNIS, e. *V.* EFFRENUS.

EFFRĒNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* frenum). Part. *Effrenatus* I. et in fin. — Effreno est derupto freno dimitto, immitto, freno liberum abire sino (It. *togliere il freno, sbrigliare*; Fr. *lâcher la bride, déchaîner*; Hisp. *levantar el freno*; Germ. *entzügeln, zügellos machen*; Angl. *to free from the bridle, unbridle*).

I.) Proprie. *Liv.* 40. 40. Id cum majore vi equorum facietis, si effrenatos in eos equos immittitis.

II.) Translate. — *a*) Tamquam verbum finitum occurrit tantum apud *Sil. It.* 9. 495. Regnantem Ætolis Vulturnum in prælia campis Effrenat. — *b*) Ceterum in prosa oratione Part. præter. pass.

Effrenatus, a, um, adjective usurpatur, unde Comp. *Effrenatior* et Sup. *Effrenatissimus.* Effrenatus autem translate est qui frenum detrectat, et pro arbitrio nostro regi non potest; et dicitur etiam de re, quæ omnem egreditur modum. *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. Homines secundis rebus effrenati. *Id.* 1. *de republ.* 34. Populi soluti atque effrenati. *Id. ibid.* 42. Effrenata insolentiā multitudo. *Id. Haresp. resp.* 1. 2. Cujus ego de effrenato et præcipiti furore quid dicam? *Id.* 3. *Orat.* 53. 205. Vox quædam libera, atque etiam effrenatior. *Id. Cluent.* 6. 15. Libido effrenata et indomita. *Id. Cæl.* 15. 35. Mens effrenata atque præceps. *Id.* 1. *Cat.* 10. 25. Cupiditas effrenata ac furiosa. *Id.* 3. *Verr.* 24. 62. Indomitæ cupiditates atque effrenatæ. *Id. Dom.* 44. 115. Projecta et effrenata cupiditas. *Liv.* 34. 49. Libertas effrenata et præceps. *Id.* 3. 50. Libido effrenatior. *Plin.* 4. *Ep.* 25. 5. Effrenata petulantia. *Seneca Ep.* 88. *ante med.* Affectibus effrenatissimis abstrahi. *Quintil.* 9. 2. 3. Effrenatior iracundia.

EFFRĒNUS, a, um, *et apud sequioris ævi scriptores* effrenis, e, adject. carens freno, cui frenum detractum est.

I.) Proprie. *Liv.* 4. 33. Effreno equo in medios ignes infertur. *Al. minus recte leg.* effreni. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (171). Mula effrenis et tarditatis indomitæ.

II.) Translate dicitur de indomito, et rectorem recusante. *Virg.* 3. *G.* 382. Gens effrena virûm Riphæo tunditur Euro. *Ovid.* 6. *Met.* 465. effreno captus amore. *Priscian.* 9. p. 868. *Putsch.* legit *inopino*. *Stat.* 1. *Achill.* 277. Equus effrenæ tumidus igne juventæ. *Id.* 5. *Silv.* 3. 101. sive orsa libebat Aoniis vincire modis, seu voce soluta Spargere, et effreno nimbos æquare profatu. *h. e.* soluta oratione ac libera.

EFFRĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EFFRĬCO *vel* exfrico, fricas, frixi, frictum, fricare, a. 1. (ex *et* frico). *Forcellinus* affert præteritum *effricavi*, sed nullo confirmat exemplo. — Part. *Effricatus* I.; *Effricandus* II. — Effrico est fricando excutio.

I.) Proprie. *Apul.* 1. *Met.* Equi sudorem curiose fronte exfrico. *Id.* 1. *ibid.* Vinum prube calicibus effricatis affluenter homissum. — Præter. *effrixi* legitur apud *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 12. ex *Lucæ* 6. Esurierant discipuli, et spicas decerptas manibus effrixerant.

II.) Figurate. *Seneca Ep.* 95. *circa med.* At illis diu rubigo animorum effricanda est.

EFFRĬNGO, fringis, frēgi, fractum, fringere, a. 3. (ex *et* frango). Part. *Effractus.* — Effringere est vi quadam et impetu frangere: et usurpatur — *a*) Cum Accusativo. *Plaut.* *Amph.* 4. 2. 3. Pæne effregisti, fatue, foribus cardines. *Id.* *Asin.* 2. 3. 8. Effringere fores. Adde *eumd.* *Bacch.* 4. 2. 4., *Mil. glor.* 4. 6. 35. et *Stich.* 2. 2. 3.; et *Ter.* *Adelph.* 1. 2. 8. et 23. et 40. Sic *Cic.* *Verr.* 23. 52. Cum viderent effringi multorum fores, revelli claustra! *Id.* *ibid.* 43. 94. valvas. *Id.* *Mur.* 15. 33. januam. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 54. Cista effracta. *Tac.* 1. *Ann.* 21. Effringere carcerem. *Sueton.* *Ner.* 26. tabernas. *Id.* *Aug.* 67. crura alicui. *Flor.* 4. 2. ærarium. — Poetica sunt illa *Virg.* 5. *Æn.* 480. Effringere cerebrum. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 40. jugum. *Seneca Phœniss.* 159. Effringe corpus, corque evelle. *Id.* *Herc. Œt.* 1119. Stipite ingesto impiam effringere animam. *Stat.* 9. *Theb.* 556. effractamque aperit victoribus urbem. — *b*) Absolute, neutrorum more. *Sil. It.* 1. 646. Spumeus hic, medio qui surgit ab æquore, fluctus, Si prohibere piget, vestras effringet in urbes. *h. e.* impingetur et franget se.

EFFRONDEO, es, *vel*

EFFRONDESCO, descis, dui, descere, n. 3. frondes emitto. *Vopisc.* *Prob.* 19. Totusque Circus ad silvæ consitus speciem, gratia novi viroris effronduit.

EFFRONS, ontis, adject. impudens, temerarius, quasi sine fronte. *Vopisc.* *Numer.* 13. Consilii semper alti, nunquam tamen effrontis, sed prudentis.

EFFRŪTĬCO, as, are, a. 1. (ex *et* frutex). ¶ 1. Active est fructum emitto, pullulo, produco. *Tertull.* *Anim.* 27. Semina hominem ex utraque substantia effruticarit. ¶ 2. Absolute, neutrorum more, est crescere. *Id.* 1. *ad Nation.* 5. Ut nævus aliquid effruticet, aut verrucula exurgat.

EFFŪGĀTĬO, ōnis, f. 3. effugium. *Gloss.* *Cyrill.* Ἀποφυγή, effugatio, effugium.

EFFŪGĀTUS, a, um. *V.* EFFUGO.

EFFŪGĬA dicebatur hostia, quæ effugisset ab aris. *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 140. *V.* EFFUGIUM 1.

EFFŪGĬO, fugis, fūgi, fŭgere, 3. (ex *et* fugio). Part. *Effugiens* et *Effugiendus* sub *B.* — Effugere occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more est fugere, evadere, elabi (It. *fuggir via*; Fr. *s'échapper en fuyant, s'enfuir*; Hisp. *huirse, escaparse*; Germ. *entfliehen, entkommen*; Angl. *to fly, fly away, escape*). Usurpatur — *a*) Cum Ablativo et præpos. *ab* vel *ex*, et aliquando etiam sine ulla præpos. *Plaut.* *Bacch.* 2. 3. 108. Censebam me effugisse a vita maritima, ne navigarem tandem hoc ætatis senex. *Id.* *Cas.* 2. 6. 41. Effugere ex sitella. *Id.* *Merc.* 3. 4. 75. Clam patrem patria hac effugiam. *Id.* *Trin.* 2. 4. 196. et 3. 2. 75. Effugere ex urbe. *Cic.* *pro leg. Manil.* 9. 22. e manibus. *Id.* 2. *Phil.* 29. 71. e prælio. *Forcellinus* leg. *de.* *Id.* *Sext.* 54. 116. A quibus vix vivus effugit. *Nepos Pausan.* 2. Effugisse simulans ex vinculis publicis. *Petron.* *Satyr.* 118. Effugiendum est ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate. *Auct. B. G.* 8. 35. Effugit inde cum paucis Luterius. — *b*) Cum addito, quo quis effugit. *Plaut.* *Most.* 1. 4. 3. Nam illic ubi fui, inde effugi foras. *Ter.* *Eun.* 5. 5. 3. Huc effugi foras. *Curt.* 4. 15. Vix tentato certamine, effugit ad regem. — *c*) Absolute. *Plaut.* *Truc.* 1. 1. 16. Sin jecit rete, piscis ne effugiat, cavet. *Virg.* 3. *Ecl.* 49. Numquam hodie effugies: veniam, quocumque vocaris. *Cæs.* 5. *B. G.* 58. Quod mora reliquorum illum, spatium nactum, effugere nolebant. *Liv.* 8. 26. Nolani per aversam partem urbis via Nolam ferente effugiunt.

B) Active est vitare: et usurpatur — 1.°) Generatim, et quidem — *a*) Cum Accusativo rei. *Plaut.* *Amph.* 1. 1. 295. Effugere infortunium. *Id.* *Asin.* 2. 1. 9. malam rem. *Id.* *Capt.* 3. 2. 18. paura. *Cic.* 3. *Verr.* 40. 103. Offensionem negligentiæ vitare atque effugere. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 4. 1. Quod ad effugiendos intolerabiles dolores fuit aptissimum. *Id.* 16. *Att.* 7. *a med.* Effugere vituperationes. *Id.* 6. *de republ.* 12. impias propinquorum manus. *Id.* *Brut.* 46. 172. Tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, quum ætatem ageret Athenis. *Id.* *ibid.* 8. 32. Dum versum effugeres, modum tamen et numerum quemdam oportere servari. *Id.* 1. *Tusc.* 36. 86. Hæc morte effugiuntur, etiamsi etc. *Cæs.* 2. *B. C.* 41. Numidæ celeritate impetum nostrorum effugiebant. *Id.* 1. *ibid.* 65. Effugere equitatum Cæsaris. *Id.* 4. *B. G.* 35. periculum. *Id.* 6. *ibid.* 30.; et *Curt.* 4. 11. *extr.* mortem. *Auct. B. G.* 8. 3. adventum alicujus. *Nepos Chabr.* 3. invidiam. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 71. vincula. *Phædr.* 4. 1. laqueos. *Quintil.* 1. 5. 38. cavillationem. *Tac.* 1. *Hist.* 15. cupiditates adolescentiæ. *Ovid.* 3. *Fast.* 406. Arctophylax Mergetur, visus effugietque tuos. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (83). Lineæ visum effugientes. — Et absolute, ita tamen ut Accusativus facillime subaudiatur. *Cic.* 7. *Att.* 21. Non dubito, quin Cnæus in fuga sit: modo effugiat. *h. e.* periculum vitet. *Grat.* *Cyneg.* 276. Effuge, qui lata pandit vestigia planta. *h. e.* aspernare, rejice illum, qui etc. — *b*) Raro admodum sequente propositione per part. *ne.* *Tac.* 3. *Hist.* 39. Adeo non principatus appetens parum effugerat, ne dignus crederetur. — *c*) Et sequente part. *quin* post negationem. *Nævius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Numquam hodie effugies, quin mea manu moriare. — 2.°) Specialim *effugit me aliquid* est elabitur; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 34. 147. Ubi eum locum omnem cogitatione sæpseris, nihil te effugiet, atque omne, quod erit in re, occurret atque incidet. *Horat.* *Epod.* 5. 101. Neque hoc parentes heu mihi superstites Effugerit spectaculum. *Liv.* 22. 33. Adeo, etsi bellum ingens in cervicibus erat, nullius usquam terrarum rei cura Romanos, ne longinqua quidem, effugiebat. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 13. Et ebrioso cura officii pariter cum memoria subtrahitur, et somniculosum plurima effugiunt. — *b*) Cum Infinito. *Colum.* 8. *R. R.* 11. 12. Sed custodis curam non effugiat observare desilientem matricem.

EFFŪGĬUM, ii, n. 2. ¶ 1. Est actus effugiendi, fuga. — *a*) In sing. numero. *Lucret.* 3. 525. effugium præcludere eunti. Adde *eumd.* 1. 974. *Auct. B. Alex.* 16. Neque terra, neque mari effugium dabatur victis. *Cic.* 7. *Verr.* 64. 166. Assequi effugium mortis. *Cf.* *Grat.* *Cyneg.* 379. Hoc primum effugium leti. *Liv.* 21. 26. Si effugium patuisset in publicum. *Id.* 21. 43. Nullam ne ad effugium quidem navem habere. *Ovid.* 2. *Art. am.* 21. Præstruere omnia effugio alicujus. — *b*) In plur. numero. *Virg.* 2. *Æn.* 139. Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent Effugia. *h. e.* ob fugam. Ubi *Servius*: Dicendo *effugia* verbo sacrorum et ad causam apto usus est: nam hostia, quæ ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, *effugia* vocari vetere more solet; in cujus locum quæ supposita fuerat, *succidanea* etc. ¶ 2. Item ratio et via effugiendi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Bestias alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. *Tac.* 2. *Ann.* 47. Neque solitum in tali casu (*h. e.* terræ motu) effugium subveniebat, in aperta prorumpendi. *Id.* 16. *ibid.* 15. Effugia villæ claudere. *Id.* 5. *ibid.* 42. Milites effugia insederant. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 31. *Id.* 15. *ibid.* 63. Senile corpus et tenuatum lenta effugia sanguini præbebat.

EFFŪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* fugo). Part. *Effugatus* I. et II. — Effugo est ex aliquo loco aliquem fugo.

I.) Proprie. *Avien.* *Or. marit.* 156. post multa serpens effugavit incolas. *Heinsius* correxit *sed fugavit*: quam correctionem *Wernsdorf.* et *Lemaire* rejecerunt. *Jornand.* *Get.* 54. Effugati vix ad sua inglorii pervenerunt.

II.) Translate. *Hieronym.* *Ep.* 18. n. 19. Fugetur iniquitas, et, cum iniquitas fuerit effugata, propitietur Dominus. *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 18. Ut mulierem crus attigit, passionem sævissimæ ægritudinis effugavit, et feminæ salutem restituit. *Ennod.* 1. *carm.* 1. 35. Ditior cultu stetit (*Venus*) effugato. Adde *Dict. Cret.* 2. 3.

EFFULGĔO, ges, si, gere, n. 2. (ex *et* fulgeo). Apud Poetas in Infinito aliquando est 3. conjugat., ut sit ab *effulgo.* — Part. *Effulgens* I. — Effulgeo est idem quod fulgeo, vel valde fulgeo (It. *risplendere*; Fr. *luire, briller, éclater*; Hisp. *lucir, brillar, resplandecer*; Germ. *hervorglänzen, aufleuchten*; Angl. *to shine forth, glitter*).

I.) Proprie. *Virg.* 2. *Æn.* 616. Insedit (*Pallas*) nimbo effulgens et Gorgone sæva. *Id.* 5. *ibid.* 132. ipsique in puppibus auro Ductores longe effulgent. *Id.* 8. *ibid.* 677. Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus. *Id.* 9. *ibid.* 731. Continuo nova lux oculis effulsit. *Liv.* 22. 1. Ingens lumen effulsisse. *Id.* 28. 15. Vehemens sol inter graves imbre nubes effulsit. *Ovid.* 2. *Met.* 144. effulget tenebris aurora fugatis. *Tac.* 13. *Ann.* 13. Effulgere ornatu. *Sil. It.* 3. 691. ante aras stat veste sacerdos Effulgens nivea. Adde *Plin.* 6. *Ep.* 20. 18.

II.) Translate. *Liv.* 45. 7. Perseus caput belli erat: nec ipsius tantum, patris avique — fama conspectum eum efficiebat, sed effulgebant Philippus ac Magnus Alexander, qui summum imperium in orbe terrarum Macedonum fecerant. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Omnis Græciæ fabulositas, sicut et litterarum claritas, ex hoc primum sinu effulsit. *Tac.* *Dial. de orat.* 20. Sensus aliquis arguta et brevi sententia effulget. *Id.* 4. *Hist.* 29. Romani conspicuam barbarorum aciem, et si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant. *Quintil.* 10. 6. 5. Si forte aliquis inter dicendum effulserit extemporalis color. *Codex Bamb. pr. m. habet.* effulserit.

EFFULGŬRAT, ābat, impers. 1. idem atque effulget, splendet. *V.* FULGURAT.

I.) Proprie. *Ennod.* *Vit. S. Epiph.* p. 386. Tota civitas, quasi unus rogus effulgurat. *Id.* *ibid.* p. 398. Quis quærat noctis lampadam, ubi solis jubar effulgurat?

II.) Translate. *Ennod.* *Dict.* 22. Et quamvis humanæ fragilitatis tunica vestiatur, effulgurat. *Id.* 1. *Ep.* 8. In quibus litterarum commerciis ad unguem politi sermonis splendor effulgurat.

EFFULTUS, a, um, particip. ab inusit. *effulcio*, fultus. *Virg.* 7. *Æn.* 94. Atque harum effultus tergo stratisque jacebat Velleribus. *Id.* 8. *ibid.* 368. Effultus foliis et pelle Libystidis ursæ. (*V.* FULTUS). *Stat.* 3. *Silv.* 1. 5. Grajis effulta metallis Culmina. *Apul.* 2. *Met.* Effultus in cubitum.

EFFŪMĬGĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *effumigo*, fumo expulsus. *Tertull.* *ad Martyr.* 1. Tamquam coluber excantatus aut effumigatus.

EFFŪMO, as, are, n. 1. fumum emitto. *Sever.* *Ætn.* 497. Effumat moles.

EFFUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. (ex *et* fundo, is). *Exfutus* pro *effusus* veteres dixisse, testatur *Paul. Diac.* p. 81. 10. *Merc.* — Part. *Effundens* II. 2.; *Effusus* I., II. 1. et præcipue in fin.; *Effusurus* II. 1.; *Effundendus* I. — Effundere est extra fundere, emittere, profundere: et dicitur proprie de humoribus. Hinc in titulo 3. *lib.* 9. *Dig. qui dejecerint*, solida dejecisse, *vel effuderint*, liquida effudisse intelligendi sunt (It. *effondere, versare, spandere*; Fr. *verser, répandre, épancher*; Hisp. *echar, derramar, verter*; Germ. *ausgiessen, ausschütten, vergiessen, verbreiten*; Angl. *to spill, pour out, shed*).

I.) Proprie. — *a*) Active, h. e. cum Accusativo. *Plaut.* *Curc.* 1. 2. 28. Age, effunde hoc cito in barathrum, *h. e.* hoc poculum ebibe. *Lucret.* 1. 92. Aspectuque suo lacrimas effundere cives. Sic *Cic.* *Planc.* 42. 101. Lacrimæ, quas tu plurimas effudisti. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 108. 112. (243). Ganges se in Eoum oceanum effundit. *Mela* 1. 1. 5. Mare se effundit. *Cels.* 7. 15. Per hanc membranam effundendus humor est. *Curt.* 3. 7. Procella subito ni-

vem effundit. *Id.* 8. 13. Procella imbrem vix sub tectis tolerabilem effudit. *Frontin.* 1. *Strateg.* 7. 7. Aquam oblatam in galea effudit. Huc referri potest et illud *Juvenal.* 3. 277. patulas effundere pelves. *h. e.* sordes matulis ac pelvibus contentas. Item illud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (319). Vina priora effundere. *h. e.* abjicere. Haud aliter apud *Senec. Constant. Sap.* 13. *reliquiæ* et *effusa* sunt excrementa alvi et vesicæ. — Figurate in illo *Persii* 1. 64. ut per læve severos Effundat junctura ungues. *effundat* est ire sinat, fluere sinat, non remoretur (V. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 87. apte conjuncta et nullâ rimâ diducta.). — *b*) Passive, aut *effundere se* et part. *effusus* mediorum apud Græcos verborum vi ac significatione. *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 116. Mare nec redundat unquam, nec effunditur. *Virg.* 6. *Æn.* 686. Effusæ genis lacrimæ. *Id.* 4. *G.* 312. æstivis effusus nubibus imber. *Id. ibid.* 288. effuso stagnantem flumine Nilum. *Liv.* 1. 4. Tiberis effusus super ripas. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 15. 29. (101). Rhenus in ostia. *Id.* 16. *ibid.* 1. 1. (2). Oceanus in immensum. *Id.* 29. *ibid.* 3. 11. (50). Ovum effusum *in* fictile novum. *Ita legit* Sillig *ex melioribus Codicibus*; Forcellinus vero *cum vulgatis libris* in fictili novo.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr., *effundere se* vel *effundi* dicuntur homines et aliquando etiam res, qui fluminis more seu turmatim alicunde exeunt et aliquem in locum concurrunt. *Cic.* 1. *ad Brut.* 3. Timore quodam perculsa civitas tota ad te se cum conjugibus et liberis effundebat. *Cæs.* 5. *B. G.* 19. Quum equitatus noster liberius, vastandi prædandique causa, se in agros effunderet etc. *Id.* 2. *B. C.* 7. Omnis sese multitudo ad cognoscendum effudit. *Liv.* 26. 19. Legationes ad famam adventus ejus ex omni se provincia effuderant. *Id.* 34. 8. Major frequentia mulierum sese in publicum effudit. *Id.* 38. 6. Milites omnibus portis ad opem ferendam effunduntur. *Vellej.* 2. 112. 4. Effundere se obviam alicui. Adde *eumd.* 1. 1. 3. et 2. 110. 4.; et *Sueton. Cæs.* 44. *Val. Max.* 7. 6. *n.* 6. Effusus se in nostras provincias Phraates. *Tac.* 1. *Ann.* 23. Alii ad quærendum corpus effunderentur. — Eodem sensu part. *effusus* apud *Sall. Jug.* 55. Effuso exercitu prædari. *Id. ibid.* 69. Vulgum effusum oppido cædere. *Virg.* 6. *Æn.* 305. Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat. *Liv.* 1. 14. Plenis portis effusi hostes. *Id.* 30. 5. Ad restinguendum ignem effusi. Adde *eumd.* 9. 31., 22. 3. et alibi sæpe; et *Curt.* 4. 16. et alibi. *Justin.* 32. 1. Populus obviam effusus. *Tac.* 15. *Ann.* 23. Omni senatu Antium effuso. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 25. et 12. *ibid.* 31. — Huc referri potest etiam illud *Cic. Flacc.* 28. 69. Vox in coronam turbamque effunditur. ¶ 2. Ponitur etiam pro emittere, ejicere, expellere, et similibus. *Virg.* 5. *Æn.* 317. Corripiunt spatia effusi (*cursores*) nimbo similes. *h. e.* emissi. *Id.* 3. *G.* 104. ruunt effusi carcere currus. *Id.* 5. *Æn.* 818. manibusque omnes effundit habenas. *h. e.* remittit, laxat. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 499. Cf. *Liv.* 37. 20. Effusissimis habenis stationem hostium invadit. Cf. et *Curt.* 7. 8. 35., 7. 9. 13. et 8. 14. 6.; et *Frontin.* 2. *Strateg.* 5. 31. Similiter *Lucan.* 1. 188. Turrigero canos effundens vertice crines. Et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 5. 5. (14). Effusæ stipes in sinum. *h. e.* collatæ, congestæ. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 118. mensam poni jubet atque Effundi saccos nummorum, accedere plures Ad numerandum. *Virg.* 9. *Æn.* 509. telorum effundere contra Omne genus Teucri. *h. e.* jacere, emittere. Adde *Liv.* 27. 18. Rursus *Virg.* 7. *Æn.* 522. Troia pubes Ascanio auxilium castris effundit apertis. *Id.* 9. *ibid.* 67. qua via clausos Excutiat Teucros vallo atque effundat in æquor. *h. e.* expellat. *Id.* 6. *ibid.* 339. mediis effusus in undis. *Liv.* 22. 3. et *Curt.* 8. 14. Equus effundit equitem. *h. e.* excutit. V. *Fabri* ad *Liv. loc. cit.*; et adde *eumd. Liv.* 10. 11. et 27. 32. *Id.* 30. 12.; et *Virg.* 10. *Æn.* 892. Effusus eques. *Virg.* 10. *Æn.* 574. *de equis territis.* Effunduntque ducem rapiuntque ad littora currus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 65. (161). Effusus auriga. Similiter *Val. Flacc.* 8. 357. fluctu puppis labefacta reverso Solvitur, effunditque viros. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 70. (145). Lens trita et per cribrum effuso furfure. *h. e.* secreto et rejecto. *Ulp. Dig.* 19. 2. 13. § 4. Effundere alicui oculum. *h. e.* ejicere: at alii rectius leg. *offundere*, nam cervicis percussione apud medicos constat oculorum lumen offundi. *Virg.* 11. *Æn.* 485. Pronum sterne solum portisque effunde sub altis. *h. e.* prosterne, projice. *Id.* 12. *ibid.* 531. Murrhanum ingentis turbine saxi Excutit effunditque solo. Sic in illo *Cels.* 7. 7. *n.* 4. Homo sic aversus collocandus est, ut in gremium ejus (*medici*) caput resupinus effundat. *h. e.* inclinet ac deponat. ¶ 3. Item est absumere, consumere: et refertur — *a*) Ad profundentes bona. *Cic.* 3. *Phil.* 2. 3. C. Cæsar adolescens divina mente atque virtute, firmissimum exercitum comparavit, patrimoniumque suum effudit: quamquam non sumus usi eo verbo, quo decuit; non enim effudit, sed in salute reipublicæ collocavit. *Id. Rosc. Am.* 2. 6. Peconiam per luxuriam effundere atque consumere. *Id. ibid.* 21. 68. Sumptus effusi cum probro atque dedecore. *Id.* 1. *leg. Agr.* 5. 15. et 3. *Tusc.* 20. 48. Effundere ærarium. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 26. (91). Effusæ opes. *Justin.* 6. 9. 3. Non ut olim in classem exercitusque, sed in dies festos apparatusque ludorum, reditus publicos effundant. — Et absolute. *Ter. Adelph.* 5. 9. 34. Effundite, emite, facite quod vobis lubet. — *b*) Et de aliis. *Cic.* 2. *Fam.* 16. Ut me existimares tam inconstantem, ut collectam gratiam florentissimi hominis effunderem. *h. e.* abjicerem, perderem. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. *a med.* Eos per ipsos dies effudi, si ita vis, honores in mortuos. *Forcellinus* hoc loco generatim sumpsit pro large, aut sine modo conferre, dare. Cf. *Nepos Miltiad.* 6. Populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues: nunc autem effusi atque obsoleti. *Virg.* 4. *G.* 492. ibi omnis Effusus labor. *h. e.* frustra impensus. — Sic effundere animam apud *Virg.* 1. *Æn.* 102.; vitam apud *Ovid. Heroid.* 7. 181.; extremum spiritum apud *Cic.* 14. *Phil.* 12. 32. est mori. — Similiter *Liv.* 10. 28. Ferocior Decius et ætate et vigore animi, quantumcunque virium habuit, certamine primo effudit. *h. e.* consumpsit, exhausit. Et *Ovid.* 12. *Met.* 106. manus est mea debilis ergo, Quasque, ait, ante habuit vires, effudit in uno. Sic *Cic.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Illud odium effudisse me omne arbitratur. Et *Seneca Ep.* 11. Omnem verecundiam effundere. Similiter *Id.* 2. *Ira* 35. Effundere curam sui. *h. e.* abjicere. ¶ 4. Item gignere, proferre, expromere, magnam præcipue rerum copiam. — *a*) Generatim. *Cic. Orat.* 15. 48. Segetes fecundæ non solum fruges, verum etiam herbas effundunt. *Id. Brut.* 9. 36. Hæc enim ætas effudit hanc copiam. Similiter *Plin.* 17. *Hist. nat.* 8. 4. (18). Terra effunditur in herbas. *h. e.* fertiliter herbas gignit. Cf. *eumd.* 23. *ibid.* 1. 23. (43). Quorum stomachus in vomitiones effunditur. *h. e.* sæpe cibum rejicit. Huc referri potest et illud *Val. Flacc.* 7. 566. et ardentes stabula effudere tenebras. *V.* integrum locum. — *b*) Speciatim dicitur de cogitationibus, animi affectibus, etc. quæ oratione vel alio modo efferuntur. Sic refertur ad eos, qui omnia dicunt, quæ in animo habent, et ad copiose loquentes, apud *Cic.* 1. *Orat.* 31. 159. Effudi vobis omnia, quæ sentiebam. *Id. Flacc.* 17. 41. Testis effudit, quæ voluit, omnia. *Id.* 16. *Att.* 7. 5. Effudit illa omnia, quæ tacuerat. *Quintil.* 2. 2. 10. Quidquid (*declamantes*) effuderint. *Id.* 10. 3. 17. Repetunt deinde et componunt, quæ effuderant. *Id.* 11. 2. 39. Quæ ex tempore videbantur effusa. — Hinc *effundere orationem* est perturbate atque adeo obscure dicere, apud *Senec. Ep.* 100. Fabianus mihi non effundere videtur orationem, sed fundere: adeo larga est, et sine perturbatione, non sine cursu tamen veniens. — Ceterum *Val. Flacc.* 7. 434. primâ cupiens effundere voce Omnia, sed nec prima pudor dat verba timenti. *Virg.* 5. *Æn.* 723. tales effundere voces. *h. e.* talia verba dare. *Id. ibid.* 780. tales effundit pectore questus in aera. *Ovid.* 9. *Met.* 370. Effundere questus in aera. *Id. Heroid.* 12. 139. carmina. *Cic.* 12. *Fam.* 25. *a med.* furorem vinolentum in aliquem. *Liv.* 39. 34. iram in aliquem. *Id.* 31. 44. omne odium in auxilii præsentis spem. *Quintil.* 4. 1. 28. totos affectus. *Id.* 11. 3. 158. procellam eloquentiæ. Huc referri potest et illud *Ovid.* 1. *Met.* 278. vires effundite vestras. *h. e.* vires omnes expromite. ¶ 5. *Effundere se* vel *effundi in aliquid* vel *in aliqua re* etc. dicuntur etiam, qui alicui rei se totos dedunt, qui in aliqua re liberius se gerunt, aut modum non servant. — *a*) Cum præpos. *in* et Accusativo. *Liv.* 25. 20. Postea nimio successu et ipsum et milites, præda impletos, in tantam licentiam socordiamque effusos, ut nulla disciplina militiæ esset. *Id.* 29. 23. Numidæ effusi in Venerem. *Tac.* 1. *Ann.* 11. in questus, lacrimas, vota. *Id.* 2. *Hist.* 45. in lacrimas. *Id.* 1. *Ann.* 54. in amorem alicujus. *Curt.* 8. 1. 25. in amorem virgunculæ. *Al. leg.* amore. *Id.* 5. 1. 37. Babylonii maxime in vinum, et quæ ebrietatem sequuntur, effusi sunt. *Justin.* 12. 13. totus in lætitiam. *Gell.* 1. 26. in iram. *Tac.* 12. *Ann.* 47. in amplexus. *Sueton. Aug.* 99. in jocos. *Id. Cal.* 32. in cachinnos. — Huc referri possunt et illa *Cic.* 4. *Att.* 9. In nos suavissime est effusus. *h. e.* maxima familiaritate atque comitate nobiscum egit. et *Liv.* 42. 30. Principum pars ita in Romanos effusi erant, ut etc. *h. e.* ita in Romanos propensi. — *b*) Cum præpos. *in* et Ablativo. *Cic.* 3. *Parad.* 1. 21. An temperantem eum dices, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Cf. *Quintil.* 2. 2. 6. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus. et *Virg.* 2. *Æn.* 651. Nos contra effusi lacrimis. — *c*) Cum præpos. *ad* et Accusativo. *Liv.* 34. 6. Effundi ad luxuriam. *Id.* 44. 31. *sub fin.* Postremo ad preces lacrimasque effusus, in potestatem sese dedit. — *d*) Absolute. *Val. Flacc.* 1. 700. Sævit atrox Pelias, inimicaque vertice ab alto Vela videt, ne qua se ardens effundere posset. — *e*) Poetice *effundere gradum* vel *frena* apud *Stat.* 9. *Theb.* 182. dicitur de eo, qui vel pedes vel eques concito cursu fertur. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Effusus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Effusior* et Sup. *Effusissimus* 1., 2. et 3. Adjective autem usurpatur præcipue tribus sequentibus significationibus, quæ translatæ sunt. ¶ 1. Est extensus, explicatus, dilatatus, amplus. *Lucret.* 3. 113. Præterea molli quum somno dedita membra Effusumque jacet sine sensu corpus onustum, etc. *Virg.* 4. *G.* 337. Nymphæ effusæ cæsariem per colla. *h. e.* Græca constructione, habentes cæsariem effusam. *Ovid.* 1. *Amor.* 9. 38. et alibi. Effusæ comæ. *Sil. It.* 16. 443. Jubæ effusæ per colla equi. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 26. Effusum late mare. *Liv.* 30. 5. Effuso tam late incendio. *Id.* 2. 50. cursus. *Id.* 42. 65. cædes. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (102). Margo conchæ foris effusus. *h. e.* explicatus, dilatatus. *Stat.* 5. *Theb.* 95. erecta genas aciemque effusa. *h. e.* eminentibus oculis. *Tac. Germ.* 30. Effusa loca. *h. e.* vasta, plana et patentia. Sic *Vellej.* 2. 43. 1. Effusissimus sinus maris Hadriatici. *Stat.* 6. *Theb.* 841. Effusa membra. *h. e.* plana, æquabilia, multa scilicet carne et sanguine plena, non torosa, aut rugosa. *Liv.* 38. 21. *fusa* dixit. Sic apud *Calpurn. Flacc. Declam.* 2. effusiora corpora sunt fusa et ampla; quibus *collectiora* opponuntur. — Apud *Cic. Sext.* 19. 42. Effusam illam ac superatam Catilinæ manum. *Al. leg.* fusam: *sed certe locus est corruptus*; *V. ibi* Halm. ¶ 2. Item est largus, vel prodigens. *Cic. Cæl.* 6. 13. Quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior? *Vellej.* 2. 41. 1. Cæsar vigore animi acerrimus, munificentia effusissimus. *Al. leg.* munificentiæ; *at V.* Kritz ad h. l. ¶ 3. Item universim qui quacumque in re multus est ac vehemens, immodicus. *Virg.* 2. *G.* 352. Effusi imbres. *Liv.* 44. 1. Effusa licentia. *Id.* 35. 13. *extr.* lætitia. *Id.* 3. 5. fuga. *Plin.* 6. *Ep.* 20. *circa med.* cursus. *h. e.* citatus. *Sil. It.* 16. 861. Sinuare axem effusum. *h. e.* volantem currum extra tramitem flectere. *Quintil.* 3. 8. 58. Cultus in verbis effusior. *Sueton. Ner.* 40. Effusissimo studio athletas spectare. *Petron. Satyr.* 139. Amplexu effusissimo invadere aliquem. *Id. ibid.* 18. Effusissimæ laudationes.

EFFŪSĒ, adverb. Comp. *Effusius* 1., 2. et 3.; Sup. *Effusissime* 3. — Effuse occurrit translate tantum, iisdem prorsus significationibus, quibus Part. *Effusus*, quod *V.* in fine vocis præced. Itaque ¶ 1. Est effundendo se et late vagando. *Sall. Jug.* 105. Qui temere et effuse euntes, numerum ampliorem efficiebant. *Liv.* 1. 10. Effuse vastantibus fit obvius Romulus. *Id.* 41. 10. Effuse populari. *Id.* 34. 16. Effusius, ut sparsis hostibus fuga, prædati sunt. *Id.* 3. 22., 23. 29. et 40. 48. Effuse fugere. *Id.* 43. 23. persequi. *Id.* 30. 11. invehens sese hostis. *Curt.* 9. 8. sequi hostem. *Cod.* 7. 40. 1. Illud spatium annuale alii ita effuse interpretabantur, ut etc. *h. e.* tam lato sensu. ¶ 2. Item est large, copiose, profuse. *Cic. Rosc. Am.* 8. 23. Non pauca suis adjutoribus large effuseque donabat. *Id. Cæl.* 16. 38. Si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse viveret. *Liv.* 3. 26. Ubi effuse affluant opes. *Tac.* 4. *Ann.* 62. Affluxere avidi talium – omnis ætas, ob

propinquitatem loci effusius. ¶ 3. Item nullo servato modo, immodice, effrenate, adeoque vehementissime. *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 13. Quum inaniter et effuse animus exsultat. *Id. Pis.* 5. 10. Nemo tam effuse petulans conatus est. *Plin.* 6. *Ep.* 26. Amo quidem effuse: judico tamen; et quidem tanto acrius, quanto magis amo. *Id.* 7. *ibid.* 30. Quum omnes, quos probas, effusissime diligas. Adde *eumd. Paneg.* 84. *Id.* 7. *Ep.* 24. Habebat pantomimos, fovebatque effusius, quam principi feminæ conveniret. *Tac.* 1. *Hist.* 19. Effusius favere. *Sueton. Ner.* 22. Rogatus, ut cantaret super cœnam, exceptusque effusius. *Plin.* 1. *Ep.* 20. 20. Non minus non servat modum, qui adstrictius, quam qui effusius dicit. *h. e.* nimis redundanter. *Cels.* 6. 6. *n.* 8. Effuse vivere. *h. e.* immodice. *Seneca Ep.* 99. *a med.* Effusissime flere.

EFFŪSĬO, ōnis, f. 3. actus effundendi (It. *effusione, spargimento*; Fr. *action de répandre, épanchement, écoulement*; Hisp. *efusion, derramamiento*; Germ. *das Ausgiessen, Ausschütten*; Angl. *a pouring out*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Primum ipse liquor, tum aquæ declarat effusio. *Colum.* 3. *R. R.* 2. Vitis vel ad escam, vel ad effusionem deponitur. *h. e.* ut calcetur, et effundatur vini causa. *V.* ELIQUESCO. *Schneider.* tamen vulgatæ lectionem libri *Goes.* prætulit et *defusionem* legit: *Schoetgen.* malebat *diffusionem*. *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 1. c. 13. Nam hæc (*passio*) sub uno die desperata – vitæ terminum fecit, dum subitanei vomitus, ventris quoque effusiones – interiorem omnem sæpe substantiam effuderunt.

II.) Translate. ¶ 1. Est irruptio, vel eruptio. *Cic. Pis.* 22. 51. Effusiones hominum ex oppidis. ¶ 2. Item prodigalitas, consumptio. *Cic. Rosc. Am.* 46. 134. Quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? Adde *eumd.* 2. *Off.* 16. 56. *Id. Partit. orat.* 23. 81. Et liberalitatem effusio, et fortitudinem audacia imitatur. Adde *eumd.* 7. *Att.* 3. 3.; *Liv.* 44. 9.; *Plin. Paneg.* 38. (ubi *effusioni* opponitur *liberalitas*); et *Vopisc. Flor.* 1. ¶ 3. *Effusio animi* in lætitia, apud *Cic.* 4. *Tusc.* 31. 66. est quædam animi quasi dilatatio, qua effert se et effundit: cui opponitur *ibid.* contractio in dolore.

EFFŪSOR, ōris, m. 3. qui effundit. *Ennod. Dict.* 18. p. 1075. Effusor paterni sanguinis. *Augustin. Serm.* 27. de *divers. in fin.* Redemptor tuus, effusor pretii etc.

EFFŪSŌRĬE, adverb. effuse. *Ammian.* 31. 16. *sub fin.* Exinde digressi sunt effusorie per Arctoas provincias.

EFFŪSUS, a, um. *V.* EFFUNDO.

EFFŪTĬCĬUS vel effutitius, a, um, adject. qui effutitur ac temere loquendo effunditur. *Varro* 7. *L. L.* 93. *Müll.* Euax verbum nihil significat, sed effuticium naturaliter est. *Al. leg.* effutitum.

EFFŪTĬO, is, itum, ire, a. 4. Part. *Effutiens* et *Effutitus.* — *Nonius p.* 103. 24. *Merc.* exponit cum mendacio dicere: sed rem non conficiunt, quæ affert exempla: sunt autem ea ipsa, quæ hic a nobis afferuntur. — Ceterum *effutio* proprie est effundo, a *futio* (quod idem significat) teste *Priscian.* 4. *p.* 631. *Putsch.* Et transfertur ad eos, qui silere tacenda nequeunt, aut inaniter temereque loquuntur. *Ter. Phorm.* 5. 1. 18. Ne vos forte imprudentes foris effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea rescisceret. *Lucret.* 5. 908. Multa licet simili ratione effutiat ore. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 94. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem cœli ornatum suspexisse videantur. *Id.* 1. *ibid.* 30. 84. Quam bellum erat, confiteri potius nescire quod nescires, quam ista effutientem nauseare? *Id.* 5. *Tusc.* 31. 88. Nec hæc sic agit, ut ex tempore quasi effutire videatur. *Id.* 2. *Divinat.* 55. 113. Quorum partim ficta aperte, partim effutita temere, numquam ne mediocri quidem cuiquam probata sunt. *Horat. Art. P.* 231. Effutire leves indigna tragœdia versus. *Gell.* 5. 1. Obvias vulgatasque laudes effutire.

EFFŪTĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

EFFŬTŬO, is, ere, a. 3. (ex et futuo). In *carm. jocoso* in Cæsarem apud *Sueton. Cæs.* 51. Aurum in Gallia effutuisti. *h. e.* scortando dilapidavisti.

EG

ĒGĔLĀTUS, a, um. *V.* EGELO.

ĒGĔLĪDO, as, are, a. 1. (ex et gelidus) quod gelatum est, dissolvo. *Sidon.* 4. *Ep.* 1. Egelidarentur fibræ glaciales.

ĒGĔLĬDUS, a, um, adject. (ex et gelidus) duo diversa significat, prout *A*) Præpos. *ex* est privativa, aut *B*) Intensiva.

A) Si præpos. *ex* est privativa, egelidus est qui de summo gelu aliquid remisit. *Catull.* 46. 1. Jam ver egelidos refert tepores. *Colum.* 10. *R. R.* 282. Nunc ver egelidum; nunc est mollissimus annus. *Sueton. Aug.* 82. Perfundebatur egelida aqua, vel sole multo calefacta. *Cels.* 4. 18. *extr.* Potio debet esse egelida et frigidæ propior. *Id.* 6. 18. *extr.* Ulcus, si hiems est, egelida, si aliud tempus, frigida aqua fovendum. — In locis pone sequentibus *egelidus* juxta *Forcellinum* est frigidus, nempe qui gelu quidem caret, frigus tamen habet. *Virg.* 8. *Æn.* 610. egelido secretum flumine vidit. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 6. (10). Albulæ aquæ egelidæ: sed Cutiliæ gelidissimæ. *Strabo l.* 5. ψυχρὰ Ἄλβουλα. Adde *Cels.* 3. 22. *ad fin.*

B) Si præpos. *ex* est intensiva, egelidus est gelu adstrictus. *Auson. Cæsar.* 21. Impiger egelido movet arma Severus ab Istro. — Postremam hanc ac primam significationem conjunxit *Ovid.* 2. *Amor.* 11. 10. Egelidum Borean egelidumque Notum: ut adnotavit *Voss. l.* 5. *Institut. oratoriar.* c. 2. § 2., quam ob rem ab amicis reprehensus fuit, uti narrat *Seneca* 2. *Controv.* 10. *in fin.* Al. tamen rectius leg. *Et gelidum Borean egelidumque Notum.* *V.* SEMIBOS.

ĒGĔLO, as, atum, are, a. 1. (ex et gelo). Part. *Egelatus.* — Egelo est de summo gelu aliquid remitto. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 5. *ad fin.* Quum ex aliqua parte corporis frigidus torpor visus fuerit egelari. *Id.* 4. *Tard.* 3. Non frigidum, sed leviter egelatum.

ĔGENS, entis. *V.* EGEO in fin.

ĔGĔNŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* egenus. Est *Paulini Nolan. Ep.* 29. (*al.* 10.) 12.

ĔGĔNUS, a, um, adject. qui eget, cui aliqua desunt, idem quod egens, sed magis poetis atque historicis familiare (It. *bisognoso, mancante di qualche cosa, povero*; Fr. *qui manque de, privé de, indigent, nécessiteux*; Hisp. *indigente, necesitado*; Germ. *Mangel habend, entbehrend, bedürftig, darbend*; Angl. *wanting, void of, in want, needy, destitute*). Occurrit — *a*) Cum Genitivo rei, qua quis eget, seu caret. *Virg.* 1. *Æn.* 599. Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos (*nos*) Urbe, domo socias. Sic *Liv.* 9. 6. Circa viam haud procul Capua omnium egeni corpora humi prostraverunt. *Lucret.* 3. 1024. lucis egenus Tartarus. *Tac.* 1. *Ann.* 53. Omnis spei egena. *Id.* 4. *ibid.* 30. Egena aquæ insula. Sic *Id.* 15. *ibid.* 3. Egena aquarum regio. *Sil. It.* 6. 304. Nulla viro species, decorisque et frontis egenum Corpus. — *b*) Cum Ablativo. *Tac.* 15. *Ann.* 12. Commeatibus non egenus. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 46. — *c*) Absolute *res egenæ* sunt res afflictæ. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 1. Res multas tibi mandavi dubias, egenas, inopiosas consilii. *Id. Capt.* 2. 3. 45. Neque unquam deserui te rebus in dubiis, egenis. *Virg.* 6. *Æn.* 91. quum tu supplex in rebus egenis Quas gentes Italum, aut quas non oraveris urbes! Adde *eumd.* 8. *ibid.* 365. et 10. *ibid.* 367. — Et de homine. *Petron. Satyr.* 133. in *carm.* Inops et rebus egenus Attritis. *Egenus* et *inops* quid differant, dictum est in *Egens* in fin. voc. seq. — Hinc

Egenum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est fundus vel campus macer. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 4. Hic surculus translatus – largioribus satiatur alimentis, quam prius, quum esset in egeno. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 31. 1.

ĔGĔO, ges, gui, (gitum), gere, n. 2. *Egitum* nusquam occurrit, sed Part. *Egiturus* legitur apud *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 24. Eadem potestas expeditionem suorum per civitates abundaturam circumeidens, sicut et egituram per solitudinem struxerat. Cl. *Furlanetto*, qui hunc *Tertulliani* locum Lexico addidit, in suis MSS. se fatetur errasse, et *abundaturam* et *egituram* non participia, sed substantiva nomina esse affirmat. — Part. *Egens* 2., 3., 4. et in fin. — Ceterum egere est alicujus rei inopia laborare (It. *aver bisogno, mancare di qualche cosa*; Fr. *manquer de, avoir besoin de*; Hisp. *faltar, haber menester, tener necesidad*; Germ. *Mangel leidend, darbend*; Angl. *to need, want, be in want of, stand in need of*). ¶ 1. Generatim et absolute usurpatum *egere* est inopia laborare, inopem esse; eique *locupletem esse, in divitiis esse* recta opponitur. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 10. Festo die si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris. *Id. Capt.* 3. 4. 49. Tute ipse eges in patria, nec tibi, qui vivas, domi est. *Id. Most.* 1. 3. 73. Te, me vivo, numquam sinam egere, aut mendicare. Adde *eumd. Merc.* 5. 4. 60., *Trin.* 2. 2. 49. et 3. 2. 57., et *Truc.* 2. 1. 12. et 4. 2. 32. *Cic. Rosc. com.* 8. 22. Egebat? immo locuples erat. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. *sub fin.* Etiam Themistoclis liberi eguerunt. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 103. Cur eget indignus quisquam, te divite? Adde *eumd.* 1. *Ep.* 2. 56. et 2. *ibid.* 1. 228. — Passive impersonaliter. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 39. Amatur atque egetur acriter. ¶ 2. Speciatim et addita re est idem quod carere (V. *Döderlein Latein. Synonym. vol.* 3. *p.* 113.), sive indigere, et verbo *abundare* recta opponitur. Hac autem significatione occurrit — *a*) Cum Ablativo rei. *Cæs.* 3. *B. C.* 32. Dictitabat enim, se domo patriaque expulsos, omnibus necessariis egere rebus. *Seneca Ep.* 9. § 12. Ait (*Chrysippus*): sapientem nulla re indigere, et tamen multis illi rebus opus esse; contra, stulto nulla re opus est, nulla enim re scit uti, sed omnibus eget; egere enim necessitatis est. *Cic.* 6. *Fam.* 22. Egens rebus omnibus. *Id.* 2. *Off.* 3. 13. Et earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, et earum, quibus egeremus, invectio. *Id.* 2. *Tusc.* 2. 6. Ne bibliothecis quidem Græcis egebimus. *Id. Amic.* 3. 10. Egere medicina. *Id. ibid.* 9. 30. nullo. *Id. ibid.* 14. 51. consilio, opera nostra. *Id.* 1. *Off.* 16. 52. copiis. *Id.* 2. *Nat. D.* 57. 143. oculis ad cernendum. *Id.* 2. *Fam.* 17. 16. auxilio. Apud 63. 31. *Catull.* Animo egens, *est* mentis et consilii inops. *Cic.* 9. *Fam.* 3. Gravitas morbi facit, ut medicina egeamus. *Forcellinus*, *Orellius* et plures alii leg. *medicinæ*, quod *Ciceronis* consuetudini opponitur; ac præterea illud *e* facillime a sequenti voce adjectum est. Cum Genitivo tamen legitur apud *eumd.* 4. *Herenn.* 51. 66. Quum res non egent longæ orationis. — Ceterum cum Ablativo occurrit etiam de inanimis. *Cic. Amic.* 5. 17. Magnum opus est egetque exercitatione non parva. *Quintil.* 1. 10. 7. Oratio pluribus artibus eget. *Id.* 1. 2. 12. Lectio non omnis nec semper præeunte vel interpretante eget. Adde *eumd.* 1. 6. 11., 1. 6. 38. et alibi. — *b*) Cum Genitivo. *Plaut. Amph.* 2. 2. 187. Saltem tute si pudoris egeas, sumas mutuum. *Id. Truc.* 2. 6. 20. Quid adhuc egeo tui, malum, admonitricis? *Id. Rud.* 1. 5. 16. Egentes opum. *Cæs.* 6. *B. G.* 11. Antiquitus institutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 118. Egere custodis. *Id.* 1. *Ep.* 1. 102. medici, curatoris. *Id. ibid.* 6. 39. æris. *Id. ibid.* 17. 22. nullius. *Tac.* 12. *Ann.* 3. alienæ facundiæ. — Et de inanimis. *Lucret.* 3. 44. Nec prorsum quidquam nostræ rationis egere. *Ovid.* 1. *Met.* 17. Lucis egens aer. *Id.* 11. *ibid.* 119. mensas posuere ministri Instructas dapibus, nec tostæ frugis egentes. *Quintil.* 2. 16. 13. Eadem (*corpora*) minus egere opis. Adde *eumd.* 3. 8. 63. et 5. 14. 5. — *c*) Raro admodum cum Accusativo. *Plaut. Men.* 1. 2. 12. Lanam, aurum, vestem bene præbeo: nec quidquam eges. *Sall. Jug.* 103. Locus magna parte editus et præceps pauca munimenta egebat. *At plerique rectius leg.* quærebat. ¶ 3. Item speciatim *egere*, quemadmodum et *carere*, dicitur qui non habet ea, quæ habere debet: et occurrit cum Ablativo. *Cic. Brut.* 67. 238. C. Macer auctoritate semper eguit. *Stat.* 5. *Silv.* 4. 2. Crimine quo merui, donis ut solus egerem, Somne, tuis? — Et de inanimis. *Lucret.* 3. 135. proprio quæ tum res nomine egebat. *Liv.* 6. 27. Censoribus quoque eguit annus. ¶ 4. Metonymice, ut et Gr. δεῖσθαι, est appetere, cupere, velle; ea enim cupimus, quibus indigemus. — *a*) Cum Genitivo. *Plaut. Asin.* 3. 3. 1. AR. Cur me retentas? PH. Quia tui amans abeuntis egeo. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 59. At qui tantuli eget, quanto est opus, etc. *Id. Art. P.* 154. Si plausoris eges aulæa manentis, et usque Sessuri donec etc. *Id.* 4. *Od.* 8. 9. non tibi talium Res est, aut animus deliciarum egens. *h. e.*

res tua major esl, quam ut hujusmodi dona desideres, animus ad contemnendas delicias validus. — *b*) Cum Ablativo. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 10. Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso, Pane egeo, jam mellitis potiore placentis. ¶ 5. Pro posse cavere, libenter pro re ac tempore carere, libenter ferendo carere, *Cato* apud *Gell.* 13. 23. Si quid est, quod utar, utor: si non est, egeo. Vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere. — Hinc Part. præs.

Egens, *entis*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Egentior* et Sup. *Egentissimus*. — Absolute (plura enim superius attulimus, in quibus usurpatur cum additis) *locupleti* et *abundanti* opponitur, et est qui re aliqua eget, cui desunt necessaria ad vivendum. — *a*) Posit. *Plaut. Pers.* 2. 3. 3. Copiam danunt argenti mutui, uti egenti opem afferam. Adde *eumd. ibid.* 1. 1. 1. et *Stich.* 2. 2. 7. *Ter. Phorm.* 2. 3. 10. Quia egens relicta est misera, ignoratur parens. *Cic. Flacc.* 15. 35. Unus Asclepiades, fortuna egens, vita turpis, existimatione damnatus. *Id. Cluent.* 59. 163. Est hic Ennius egens quidam, calumniator mercenarius Oppianici. *Id. Amic.* 7. 23. Quo circa et absentes adsunt, et egentes abundant, et imbecilli valeant. Adde *eumd.* 6. *Parad.* 1. 13.; *Cæs.* 7. *B. G.* 4. et 3. *B. C.* 59.; et *Sall. Cat.* 18. et 33. — *b*) Comp. *Cic.* 6. *Att.* 1. 4. Nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius. — *c*) Sup. *Cic. Rosc. Am.* 8. 23. Qui in sua fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena. *Id.* 9. *Att.* 7. 5. Egestates tot egentissimorum hominum. Adde *eumd. Sext.* 52. 111.; et *Liv.* 1. 47. — *d*) *Egens* et *inops* in eo differre videntur, quod *egens* ideo talis est, quia inops. *Sueton. Gramm.* 8. Adeo inops atque egens, ut coactus sit etc. *V.* EGENUS sub *c* in fin. et EGESTAS. — *NB.* Vocis etymon more suo ita exhibet *Paul. Diac. p.* 77. 16. *Müll.* Egens velut exgens, cui ne gens quidem sit reliqua. Cf. et *Isid.* 10. *Orig.* 88. eadem proferentem.

ĒGĔRĬES, ēi, f. 5. ab *egero*; excrementorum emissio, vel ipsa excrementa. *Solin.* 10. *de bonaso animali*. Quum in fugam vertitur, fimum egerit, cujus ardor quidquid attigerit, adurit; ita egerie noxia summovet insequentes. *Paulin. Nolan. carm.* 32. 281. per egeriem, qua sese animalia purgant.

ĒGĔRĬUS, a, um, adject. qui multis eget. Inde datum est nomen proprium filio Aruntis, nepoti Lucumonis, apud *Liv.* 1. 34. Puero post avi mortem in nullam sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

ĒGERMĬNO, as, āvi, are, n. 1. idem ac germino. *Colum.* 4. *R. R.* 17. 4. Quæ infra trunci caput egerminaverint. Adde *eumd. ibid.* 27. 4. et 32. 5.

ĒGĔRO, geris, gessi, gestum, gĕrere, a. 3. (ex et gero). *Eggero* pro *egero* legitur bis apud *Lactantium* 1. 9.; in meliorib. tamen edit. legitur *egero*. — Part. *Egerens* 1.; *Egestus* I. et II. 2. et 3.; *Egerendus* I. — Egerere est extra gerere, extrahere, emittere (It. *portar fuori, trar fuori, mandar fuori*; Fr. *porter hors de, emporter dehors, rejeter, faire sortir*; Hisp. *traer fuera*; Germ. *heraus schaffen, bringen, tragen, führen*; Angl. *to bear or carry out, cast forth, to draw out, extract, to send out, discharge*).

I.) Proprie. *Auct. B. Alex.* 22. Egerere ex mari lapides. *h. e.* extrahere. *Ovid.* 6. *Met.* 661. dapes. *h. e.* emittere. *Id.* 11. *ibid.* 488. fluctus (*e navi*). *h. e.* extrahere, ejicere. *Liv.* 21. 37. Tantum nivis effodiendum atque egerendum fuit. *Id.* 6. 3. Victorem vagum invenit, prædam ex hostium tectis egerentem. *Id.* 5. 26. Quum jam humanæ opes egestæ a Vejis essent, amoliri tum deûm dona ipsosque deos cœpere. *h. e.* asportatæ. Sic *Id.* 30. 39. *ad fin.* Pecuniam ex ærario scribæ viatoresque clam egessisse comperti, damnati sunt. *Colum.* 2. *R. R.* 11. 1. Egerere stercus e columbariis. *Id. ibid.* 2. 19. Scrobibus egestam humum refundere et recalcare. Cf. *Ovid.* 7. *Met.* 243. Haud procul egestâ scrobibus tellure duabus Sacra facit. *Curt.* 7. 10. *ad fin.* Nec tamen, humo a te egesta, exsistebat humor. *Id.* 5. 1. *a med.* Limo penitus ad fundamenta jacienda egesto. *Pallad.* 3. *R. R.* 3. 1. Et super terra, quam egesseramus, æquatur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (71). Egerere silices humeris. *h. e.* extra gerere. *Curt.* 7. 5. Aquam vomitu egerere. *h. e.* emittere. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 43. 67. (145). Scolopendræ interanea evomunt, donec hamum egerant. *Id.* 31. *ibid.* 6. 33. (62). Phthisi affecti, aut sanguinem egerentes. *Id.* 29. *ibid.* 3. 32. (102). Qui in urinam canis suam egesserit. *Id.* 37. *ibid.* 3. 13. (52). Urina egesta. *Sillig.* vero legit et *genere terræ*. V. integrum loc. *Id.* 7. *ibid.* 11. 9. (48). Abortu puerperia egerere. *Solin.* 40. Egerere fimum ventris. *Plin.* 8. *Ep.* 20. 9. lacus in flumen. *Justin.* 1. 1. 6. arenarum moles. *Tac.* 15. *Ann.* 64. Ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum. *Lucan.* 3. 718.; et *Quintil.* 5. *Declam.* 18. Egerere animam. — De inanimis. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 16. (19). Fons egerens saxa. *Seneca Ep.* 91. Gravitas cœli egerit populos. *h. e.* expellit, migrare cogit. — *NB.* In illo *Tac. Agric.* 30. Bona fortunasque in tributum egerunt, in annonam frumentum, *lectio valde dubia est:* Halm *leg.* Bona fortunæque in tributum, ager et annus in frumentum, corpora ipsa etc. V. *Nissen* ad h. l. Aliquid simile tamen legitur apud *Quintil.* 5. *Declam.* 17. Egerere totos census in exsequias. *h. e.* effundere, impendere, profundere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim metaphorâ sumptâ a superiori paragr. est expellere, ejicere, effundere, etc. *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 38. Expletur lacrimis egeriturque dolor. *Seneca Ep.* 66. *part init.* Multi nobis sermones fuerunt, quos subinde egeram et ad te mittam. *Lucan.* 2. 63. tales pietas peritura querelas Egerit. *h. e.* effundit. *Val. Flacc.* 8. 451. tota querelis Egeritur fletuque dies. *h. e.* impenditur, transigitur. Sic *Id.* 5. 298. Tristior, at numquam tantoque paventibus ulla Nox Minyis egesta metu. *h. e.* transacta. Huc fortasse pertinet illud *Curt.* 4. 13. 14. Noctemque — metu egerunt. *Freinshemius* leg. egerunt ab *ago:* V. *Mützell.* ad h. l. ¶ 2. Speciatim a Poetis ponitur pro *efferre*, h. e. ad sepulcrum ferre. *Propert.* 4. 6. 34. Egessitque avidis Dorica castra rogis. *Stat.* 1. *Theb.* 37. egestas alternis mortibus urbes.

ĒGERSĪMON, i, n. 2. ἐγέρσιμον, vox Græca ab ἐγείρω *excito, expergefacio*, usurpatur a *Capell.* 9. *p.* 308. de carmine suavi, excitandis animis oblectandisque idoneo. *Id.* 1. *p.* 2. eamdem vocem Græcis litteris scribit. Græci etiam διεγερτικὸν dicunt. V. *Kopp.* ad *Capell.* 1. *p.* 2.

ĒGESTAS, ātis, f. 3. idem quod indigentia, inopia, ut docet *Döderlein Latein. Synonym. vol.* 3. *p.* 111. (It. *bisogno, povertà, indigenza*; Fr. *indigence, grande pauvreté, misère, détresse*; Hisp. *indigencia, miseria, pobreza*; Germ. *d. Dürftigkeit, grosse Armuth*; Angl. *want, poverty, indigence, beggary*). Occurrit — *a*) Absolute diciturque de hominibus, et est inopia, magna paupertas. *Plaut. Asin.* 3. 3. 81. Quidvis egestas imperat. *Id. Trin.* 2. 2. 57. Tolerare egestatem alicujus. Adde *eumd. ibid.* 4. 2. 5. et *Pseud.* 2. 1. 2. *Cic. Rosc. Am.* 19. 144. Degere vitam in egestate. *Id. ibid.* 5. 13. Afferre egestatem alicui. *Virg.* 6. *Æn.* 276. turpis egestas. *Val. Flacc.* 4. 459. crudelis. *Juvenal.* 15. 96. dira. *Seneca Thyest.* 303. tristis. *Claudian.* 1. *Rufin.* 36. infelix. *Virg.* 1. *G.* 146. duris urgens in rebus egestas. *Servius* ad *hunc loc.* differre ait a paupertate, quod paupertas levior et honesta esse potest; egestas gravior et turpis. — Porro differt ab *inopia*, ut a causa effectus. Ex illa enim hæc nascitur; atque adeo hæc illa gravior. *Cic.* 1. *Invent.* 17. 88. Si propter inopiam in egestate estis, pecuniam non habetis. — Ceterum ut discrimen inter *egestatem* et *inopiam* atque alia homonyma clarius innotescat, sequentia quoque afferenda putavimus. *Cic.* 2. *Cat.* 11. 24. Neque vero ceteras copias, ornamenta, præsidia vestra, cum illius latronis inopia atque egestate debeo conferre. *Cæs.* 6. *B. G.* 24. In eadem inopia, egestate, patientia, qua Germani, permanent. *Cic.* 1. *Cat.* 5. 10. Adjungit etiam publicationem bonorum, ut omnes animi cruciatus et corporis, etiam egestas ac mendicitas consequatur. *Id.* 6. *Parad.* 1. 45. Istam paupertatem, vel potius egestatem ac mendicitatem tuam numquam obscure tulisti. *Seneca Ep.* 17. Non est, quod paupertas nos a philosophia revocet, ne egestas quidem. — In plurali numero. *Cic.* 9. *Att.* 7. 5. Sustinere libidines, audacias, sumptus, egestates tot egentissimorum hominum. — *b*) Cum addito Genitivo rei, qui Genitivus est subjectivus, ut grammatici vulgo appellant, dicitur de rebus: ita ut ex. gr. *egestas linguæ* sit lingua nimis angusta. *Lucret.* 1. 137. Nec me animi fallit, Grajorum obscura reperta Difficile illustrare Latinis versibus esse (Multa novis verbis præsertim quum sit agendum) Propter egestatem linguæ et rerum novitatem. *Id. ibid.* 831. nec (*id*) nostra dicere lingua Concedit nobis patrii sermonis egestas. Adde *eumd.* 3. 260. Huc alludit *Plin.* 4. *Ep.* 18. Inopia, vel potius, ut Lucretius ait, egestas patrii sermonis. *Seneca Ep.* 50. Quanta nobis verborum paupertas, immo egestas sit. *Cic. Pis.* 11. 24. Non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit levitas ista, non egestas animi tantam personam. — *c*) Cum addito Genitivo rei, qui Genitivus est objectivus, ut grammatici vulgo appellant, dicitur de hominibus, et significat deficientiam. *Lucret.* 5. 1210. Egestas rationis. *h. e.* ignoratio rationis et causæ. *Sall. Jug.* 44. Plerumque milites stativis castris habebat, nisi quum odos aut pabuli egestas locum mutare subegerat. *Tac.* 6. *Ann.* 23. Asinii Galli mors vulgatur, quem egestate cibi peremptum, haud dubium: sponte, vel necessitate, incertum habebatur. *h. e.* inedia. *Sueton. Vitell.* 7. Satis constat exituro viaticum defuisse, tanta egestate rei familiaris, ut uxore et liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cœnaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret.

ĒGESTĬO, ōnis, f. 3. actus egerendi, emissio, effusio. *Sueton. Ner.* 38. Pollicitus cadaverum et ruderum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit. *Plin.* 8. *Ep.* 6. *ante med.* Hæc liberalitatis nostræ gratissima, si Pallantis facultates adjuvare publicarum opum egestione contingeret. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. Egestio ventris et urinæ. *Theod. Priscian.* 3. 8. Si vulnerata ex his matrix fuerit, quibus vulneribus interius putredo frequentius sociatur; advertis ex egestionibus. *h. e.* ex retrimentorum ejectione per podicem. Sic *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. Officio quartæ virtutis, cui ἀποκριτική nomen est, procuratur egestione. Figurate *Capell.* 2. *p.* 35. Nisi hæc, quibus plenum pectus geris, coactissima egestione vomueris forasque diffuderis. At proprie *Sueton. Claud.* 44. Ut quasi abundantia laboranti etiam hoc genere egestionis (*h. e.* clystere) subveniretur. *Veget.* 5. *Veterin.* 11. 6. *Schneid.* A vesicæ meatu usque ad veretrum nascitur tumor et cum dolore egestionis foramen angustatur.

ĒGESTĪVUS, a, um, adject. qui egerit. *Macer de anetho* 14. Unde minor fieri vis egestiva videtur.

ĒGESTŌSUS. *V.* voc. seq.

ĒGESTŬŌSUS, a, um, adject. egenus. *Aurel. Vict. Epist.* 12. Puellas puerosque natos parentibus egestuosis sumptu publico ali jussit. *Salvian.* 1. *Gub. D.* 2. Quæ insania est, ut, egestuosa ac turbidante republica, divitias posse credant stare privatas? *Id.* 4. *advers. Avar. post med.* Quanto melius pauper fueras, et egestuosa quam dives! *Gloss. Cyrill.* Ἐνδεής, egestuosus, egens. *Gloss. Isid.* Egestuosus, mendicus. *Alii apud* Aurel. Vict. *et* Salvian. *leg.* egestosus.

ĒGESTUS, a, um. *V.* EGERO.

ĒGESTUS, us, m. 4. actus egerendi, egestio. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 42. alte Egestu penitus cavare terras. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 30. Quemadmodum corpora nostra ad egestum venter exhaurit.

EGGERO, is, etc. *V.* EGERO sub init.

ĒGIGNO, is, ere, a. 3. (ex et gigno) extra gigno, produco, effero. *Lucret.* 2. 702. altos interdum ramos egigni corpore vivo.

ĒGĬTŪRA, æ, f. 1. inopia, penuria. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 24. Eadem potestas — suorum per civitates abundaturam circumcidens, et egituram per sollitudinem struxerat. Cl. *Furlanetto* voc. *abundatura* et *egitura* esse participia futura primo putarit; sed postea Germanorum editorum sententiæ accessit, qui ea esse nomina putarunt. At *V.* EGEO sub init.

EGLECOPALA, æ, f. 1. ita appellatur Celtico vocabulo margæ genus a Gallis, cujus vocis etymon ignorari videtur ab ipso *Plin.* 17. *Hist. nat.* 8. 4. (46). Margam columbinam Galliæ suo nomine eglecopalam appellant.

ĔGO (Græce ἐγώ, Gothic. ik), cujus casus obliqui sunt *mei*, *mihi*, *me*; et in plur. num. *nos*, *nostrum* vel *nostri*, *nobis*. — *a*) Ratione habita quantitatis, ultima in *ego* sæpissime brevis est. Longa tamen est apud *Ovid. Heroid.* 13. 135. Sed quid ego revoco hæc? *Codd.* tamen variant. At *Catull.* 19. 1. Hunc ego, juvenes, locum villulamque palustrem. *Val. Flacc.* 8. 158. Sed quid ego quemquam immeritis

incuso querelis? *Auct. carm. de Vespæ judic.* 41. apud *Wernsdorf. Poet. min. T.* 2. *p.* 233. Pistor ego macto flavas sine sanguine messes. — *b)* Vocativo caret. Nam quum dicimus, *o ego lævus! o o nos felices!* sunt recti casus, in quibus non vocandi ratio inest, sed exclamandi. — *c) Me* pro *mihi* dicebant antiqui, ut *Ennius* quum ait *l.* 2. Si quid me fuerit humanitus, ut teneatis. et *Lucilius*: Nunc ad te redeo, ut quæ res me impendet, agatur. Hæc *Festus p.* 161. 6. *Müll. Varro* 3. *R. R.* 16. 2. Hereditate me cessa. *V.* CEDO. — *d)* Iidem antiqui dixerunt etiam *mehe* pro *me*, ut *mihi* pro *mi* hodieque dicimus. *Quintil.* 1. 5. 21. *Mehe* quoque pro *me* apud antiquos, tragœdiarum præsertim scriptores, in veteribus libris invenimus. — *e) Nostrorum* in Genit. plur. est *Plauti Mil. glor.* 2. 2. 110. Tacere nostrorum solus scio. *Recentiores tamen leg.* Tacere nequeo solus quod scio. *Id. Pœn.* 3. 1. 36. Neque nos quemquam flagitamus, neque nos quisquam flagitat? Tuâ causâ nemo nostrorum est suos rupturus ramices. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 285. 26. *Merc.* Qui nequeas, nostrorum uter sit Amphitruo, decernere. *Forcellinus* præterea hæc docet: *Nostrum* et *nostrorum* differunt etiam usu, quia *nostrum* refertur solummodo ad nos ipsos, *nostrorum* ad alios etiam, qui nostræ sunt familiæ, patriæ, etc. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 39. ST. Di omnes deæque ament. MI. Quemnam hominem? ST. Nec te, nec me, neque herum meum adeo. MI. Quem ament igitur? ST. Alium quemlibet, nam nostrorum nemo dignus est. Si *herum meum* non addidisset, *nostrum nemo* dicendum erat. — *f)* Quod ad etymon attinet, in omnibus ferme linguis, quas Indo-Germanicas vocant, unum idemque est: immo ipsa personalium pronominum etyma, quæ sunt *m, s, t*, in omnibus hisce linguis personales verborum terminationes constituunt: sic ex. gr. in lingua Sanscrita *as-mi* sum, *a-si* pro *as-si*, es, *as-ti* est, *dadâ-mi* do etc.; similiter apud Græcos εἰ-μί, εἶς, ἐσ-τί, ἐσ-μέν, ἐσ-τέ, etc., quorum cf. verba in μι, et verbi passivi formas μαι, σαι, ται; apud Latinos vero, præter primam personam præsentis et primam futuri temporis in prima tantum et secunda conjugatione, quæ o terminantur, etyma pronominum personalium superius allata, semper locum habent hoc modo: in sing. num. pers. 1. finitur *m* (et in perf. *i* pro *im*), pers. 2. *s* (et in perf. *s ti*), pers. 3. *t*; in plur. num. pers. 1. *m-ur*, pers. 2. *ti-s*, pers. 3. *n-t*. — Ceterum *ego* est pronomen primæ personæ, utriusque generis (It. *io*; Fr. *moi, je*; Hisp. *yo*; Germ. *ich*; Angl. *i*). Occurrit autem *A)* Sine additis; et *B)* Cum additis.

A) Sine additis. — 1.°) In sing. numero. — *a)* Nom. *ego* usurpatur, quoties volumus personam, qua de agitur, maxima vi notare ac designare, aut quoties verbum deest. *Plaut. Amph. prol.* 39. Meruimus et ego et pater de vobis et republica. *Id. ibid.* 94. Hanc fabulam, inquam, hic Juppiter hodie ipse aget, et ego una cum illo. *Id. ibid.* 1. 1. 217. Tun' te audes Sosiam esse dicere, qui ego sum? *Id. Stich.* 5. 4. 49. Ego tu sum, tu es ego: unanimi sumus. (Hinc *alter ego*: *V.* ALTER sub *B.* 2. *c.*) *Cic.* 4. *Cat.* 1. 2. Ego sum ille consul, cui non forum, non campus, non domus vacua periculo fuit. *Virg.* 11. *Æn.* 392. Pulsus ego? aut quisquam merito, fœdissime, pulsum Arguet? *Id.* 1. *ibid.* 46. Ast ego, quæ divum incedo regina, Jovisque Et soror et conjux, una cum gente tot annos Bella gero! — Sic emphasin habet cum *vidi* junctum, præsertim apud poetas. *Horat.* 3. *Od.* 5. 18. Signa ego Punicis Affixa delubris et arma Militibus sine cæde, dixit, Derepta vidi; vidi ego civium Retorta tergo brachia libero etc. *Tibull.* 1. 4. 29. Vidi ego jam juvenem, premeret quum serior ætas, Mœrentem stultos præteriisse dies. Adde *Propert.* 1. 13. 14.; *Ovid. Remed. am.* 101.; *Sil. It.* 2. 340. etc. Et majori vi per additam syllabam *met* (*V.* infra sub *B. b.*). *Virg.* 3. *Æn.* 623. Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro Prensa manu magna medio resupinus in antro Frangeret ad saxum. — Similiter initio orationis ponitur ad significandum, de re graviori nos dicere, vel altius aliquanto incipere. Ter hac ratione usurpatur a *Cic.* 1. *Fam.* 9., scilicet § 4. Quod tibi ut planius exponam, altius paullo rationem consiliorum meorum repetam, necesse est. Ego me, Lentule, initio rerum atque actionum tuarum non solum meis, sed etiam reipublicæ restitutum putabam etc. et § 7. Ego, sedente Cn. Pompejo, — dixi me etc. denique § 11. Ego, si ab improbis et perditis civibus rempublicam teneri viderem, etc. Adde *Ter. Andr.* 3. 4. 3., ubi hoc idem notat *Donatus*. — *Forcellinus* ait, *ego* aliquando redundare. *Plaut. Trin.* 4. 2. 5. Viden', egestas quid negotii dat homini misero mali! Qui ego nunc subigor trium nummorum causa, ut dicam etc. — *b)* Genit. *mei*. *Cic.* 3. *Orat.* 9. 32. Ego autem, quamquam memet mei pœnitet, etc. *Horat.* 3. *Od.* 30. 6. Non omnis moriar, multaque pars mei Vitabit Libitinam. — Quoties vero nomen aliquod occurrit præter pronomen primæ personæ, loco Genitivi *mei* sæpissime usurpatur adject. poss. *meus, a, um*. — *c)* Dat. *mihi*. *Cic.* 12. *Fam.* 18. *extr.* Nihil mihi tam deesse scito, quam etc. — Cum participio in *dus* ponitur pro *a me*. *Ter. Heaut.* 3. 1. 89. Syrus est prehendendus atque exhortandus mihi. *Nobis* quoque eodem modo usurpatur: *V.* hac de re Grammaticos et præcipue *Grotefend*. — Idem Dativus *mihi* aliquando significat ad meam utilitatem vel damnum. *Ter. Adelph.* 1. 2. 35. Si quid peccat, mihi peccat. — Interdum quantum ad meum judicium. *Id. ibid.* 5. 6. 5. Is mihi profecto est servus spectatus satis, cui dominus curæ est. — Aliquando in oratione ponitur solius elegantiæ causa. Habet enim quamdam festivissimam urbanitatem. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 174. Tu mihi quum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula, ego tibi ullam causam majorem committendam putem? *Id.* 2. *ibid.* 20. 85. Sit enim mihi tinctus litteris, audierit aliquid, legerit. *Virg.* 1. *G.* 45. Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere. *Catull.* 24. 3. Mallem divitias mihi dedisses Isti, cui etc. — Per apocopen *mi* pro *mihi* dicitur. *Varro* 2. *R. R.* 5. 1. Veni mi advocatus. Adde *Lucret.* 3. 106.; *Virg.* 6. *Æn.* 104.; et *Horat.* 1. *Sat.* 1. 101., 2. 57. et alibi sæpe. — *d)* Accus. *me*. *Cic.* 13. *Fam.* 56. Cluvius valde me observat. — *Ad me* est ad meos, domum meam. *Ter. Eun.* 3. 5. 64. Eamus ad me. *Cic.* 3. *Fam.* 8. *sub fin.* Neque domum umquam ad me litteras mittam, quin adjungam etc. — *Me me* pro *me* aut *memet*. *Virg.* 9. *Æn.* 427. Me me, adsum qui feci, in me convertite ferrum. Ubi *Servius*: Me me, subaudi interficite; et est interrupta locutio dolore turbati. *Sil. It.* 9. 651. me me ad graviora reserva. — *Med* pro *me*, V. in ERGA et in littera *D*. — *Mecum* pro *me* accusandi casu. *Plaut. Asin.* 3. 3. 72. Hanc, cui daturus hanc, jube petere atque orare mecum. *V.* infra sub *f*, et *tecum* in TU: quamquam hæc omnia, ni fallor, aliter interpretari possumus. — *e)* Ablat. *me*. *Cic.* 1. *Fam.* 1. 1. Tu, nisi perfecta re de me, non conquiesti. *Id. Mil.* 37. 102. Quo deprecante? Me. — *A me* est de meo. *Plaut. Trin.* 1. 2. 145. A me argentum dedi. — 2.°) In plur. numero. — *f)* Nom. et Accus. *nos*. *Ter. Adelph.* 2. 4. 7. Quasi noritmus nos inter nos. *Cic.* 1. *Fam.* 1. 4. Nos in causa auctoritatem eo minorem habemus, quod tibi debemus. — *Nobiscum* pro *nos* in Accusativo. *Plaut. Pœn.* 3. 2. 24. Quasi tu nobiscum adveniens hodie oraveris, ut etc. *V.* supra sub *d*. — *g)* Genit. *nostri*. *Ter. Phorm.* 1. 3. 20. Nostri nosmet pœnitet. — Ceterum Genitivos pluralis duplex est: *nostrum*, quod ponitur fere post adjectiva partitionis, aut his similia, ut *uterque nostrum* apud *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. et *omnium nostrum* apud *eumd.* 2. *leg. Agr.* 32. 86.; et *nostri*, quod post verba, ut *nostri miserere* apud *Virg.* 2. *Ecl.* 7., aut post substantiva verborum vicem præstantia, ut *amor nostri* apud *eumd.* 4. *G.* 324. et *cura nostri* 2. *Æn.* 595. et *nuncius nostri* 4. *ibid.* 237. et *nostri cupido* 7. *ibid.* 263. et *ne studio nostri pecces* apud *Horat.* 1. *Ep.* 13. 4., aut post adjectiva alia, quæ partitiva non sunt, ut *Virg.* 7. *Æn.* 438. nec regia Juno Immemor est nostri. Sic *Tibull.* 3. 5. 31. Vivite felices, memores et vivite nostri. — Reperitur etiam *vestrum* post nomina, quæ partitiva non sunt. *Cic.* 4. *Phil.* 1. 1. Frequentia vestrum incredibilis. *V.* alia huc pertinentia apud *Gell.* 20. 6., et *Voss. de Grammat. l.* 5. *c.* 57. *ad fin.* — Porro in locis omnibus, quæ modo attulimus, *nostri* per synecdochen pro *mei* positum est: quum τὸ *nostrum* de pluribus tantummodo dicatur, neque de uno, ne per synecdochen quidem, usurpari unquam possit. Atque hoc posterius discrimen inter hosce duos Genitivos certius multo est, quam primum: quamquam non ausim affirmare esse perpetuum. Quæ de *nostrum* et *nostri* dicimus, de *vestrum* quoque et *vestri* dictum puta. — *h)* Dat. et Ablat. *nobis*. *Cic.* 1. *Orat.* 62. 264. Facilius nobis expones ea, quæ abs te de officiis præceptisque oratoris quæsita sunt: sed opinor, secundum hunc diem. Satis enim multa a nobis hodie dicta sunt. *V.* supra sub *c*. — *Nobis* quandoque usurpatur pro nobiscum. *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 29. Quippe simul nobis habitat discrimine nullo Barbarus. *Id.* 1. *Amor.* 4. 1. Vir tuus est epulas nobis aditurus easdem. *Quædam edit. habent perperam* nobiscum.

B) Cum additis. — *a) Ego* jungitur et aliis pronominibus. *Ter. Adelph.* 5. 4. 12. Ego ille agrestis, sævus, tristis, parcus duxi uxorem. *Cic.* 1. *Cat.* 3. 7. Dixi ego idem in senatu etc. *Id.* 1. *Tusc.* 17. 40. Ego enim ipse cum eodem ipso non invitus erraverim. *Id.* 1. *Fam.* 8. Ego is sum, cui vel maxime concedant. *Virg.* 5. *Æn.* 846. Ipse ego paullisper pro te tua munera obibo. — Similiter *mihi ipsi*, ac præcipue *me ipsum* et *me ipso* frequenter occurrunt. *Cic.* 12. *Att.* 29. 1. Sequitur, ut etiam mihi ipsi quiddam opus sit. *Id. ibid.* 30. 1. Commodiusque est, quam, quod ille a me petit, me ipsum scribere ad Clodium. *Id.* 9. *ibid.* 15. 1. Si mihi veniam, quam peto, dederit, utar illius conditione: sin minus, impetrabo aliquid a me ipso. — *b) Egone* vel *egon'* est interrogantis. *Ter. Heaut.* 5. 5. 6. Egon' mea bona ut dem Bacchidi dono sciens? *Cic.* 2. *Legg.* 13. 32. ATT. Hac tu de re, quæro, quid sentias. M. Egone? — Similiter *mihine* vel *min'*, *mene* vel *men'*. Sic *Pers.* 1. 2. Min' tu istud ais? *Virg.* 1. *Æn.* 37. Mene incepto desistere victam? Adde *Horat.* 1. *Sat.* 10. 86. *Id. Horat.* 2. *Sat.* 3. 151. Ni tua custodis, avidus jam hæc auferet heres. Men' vivo? *h. e.* me ne vivo? — *c)* Addita syllaba *met* majorem habet vim designandi. Hac autem additione in usu sunt *egomet, mihimet, memet, nosmet*; quorum vis interdum et per additum *ipsi, ipsos* augetur. *Plaut. Amph.* 2. 1. 50. Neque, ita me di ament, credebam primo mihimet Sosiæ. *Id. ibid. v.* 60. AM. Quis te verberavit? SO. Egomet memet, qui nunc sum domi. *Id. Pseud.* 1. 5. 47. Quæ quasi per nebulam nosmet scimus atque audivimus. *Cic.* 7. *Verr.* 17. 44. Eam navem nuper egomet vidi Veliæ. *Id. Quinct.* 10. 34. Brevitas mihimet ipsi amicissima est. *Id.* 3. *Fin.* 19. 64. Cariorem esse patriam nobis, quam nosmetipsos. — *d) Mihipte* pro mihi ipsi est *Catonis* apud *Festum p.* 154. 11. *Müll.*; et *mepte* pro me ipsum dixit *Plaut. Men.* 5. 8. 10. — *e) Ego* cum *vero* frequentissime jungitur. *Cic.* 2. *Legg.* 14. 36. ATT. Excipis, credo, illa, quibus ipsi initiati sumus. M. Ego vero excipiam. — Sic verbis *Ego vero* incipiunt epistolæ *Cic.* 13. *Att.* 41. et 43., et *Plin.* 9. 20. et 38. — *f)* Cum *autem* rarius. *Cic.* 9. *Att.* 15. 5. Sed tu id quanti æstimes, tuum judicium est. Nec tamen in hoc tibi quidquam oneris impono. Ego autem illum male sanum semper putavi. *Liv.* 21. 18. Ego autem non censeo quærendum etc. — *g)* Non solum *me* in sexto casu, sed et *se, te* præpositioni *cum* anteponitur: *mecum* enim dicimus, *secum, tecum*, ut *Cic. Orat.* 45. 154. docet: neque *cum me, cum se, cum te* dici potest. Eadem ratione *cum nobis* non dicimus, quia obscænius concurrerent litteræ, ut ait *Cic. ibid.*, sed *nobiscum*: et ut huic sit simile, etiam *vobiscum*, non *cum vobis*: tametsi hoc si dicas, nullum cacophaton sit; sed ita usus postulat. *V.* CUM præpos. — *Mecum* interdum est intra me, cum animo meo, μετ' ἐμαυτοῦ. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 32. Ut tacita mecum gauderam. *Cic. post redit. in senat.* 12. 32. Multa mecum ipse reputavi. — Interdum apud me. *Ter. Adelph.* 3. 2. 49. Testis mecum est anulus, quem amiserat. *Phædr.* 2. 5. *extr.* Multo majoris alapæ mecum veneunt. — Jungitur cum *una* et *simul*. *Plaut. Bacch.* 3. 5. 2. Ut eum mecum ad te adducam simul. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 56. Ut colloqui mecum una posset. *Id. Heaut.* 5. 1. 31. Clinia hæc fieri videbat? M. Quid ni? mecum una simul.

ĒGRĀNĀTUS, a, um, part. ab inusit. *egrano*, granis privatus. *Plin. Valer.* 3. 14. Cariem egranatæ. *Alii leg.* ægranatæ.

ĒGRĔDIOR, grĕderis, gressus sum, grĕdi, dep. 3. (ex et gradior). *Egredier* paragoge pro *egredi* est apud *Plaut. Pœn.* 3. 4. 32. — Part. *Egrediens* sub *B.* 2.; *Egressus* sub *A.* 1., 2. et 3. — Egredi est extra gradi, exire (It. *uscire, andar fuori*; Fr. *sortir de, aller dehors*; Hisp. *salir, irse, evadirse*; Germ. *herausgehen oder kommen*; Angl. *to go out*). Occurrit *A)* Generatim; et *B)* Specialim.

A) Generatim. ¶ 1. Stricto sensu pro exire usurpatur — a) Cum Ablativo loci, ex quo quis egreditur, addita vel omissa præpos. ex. Plaut. Rud. 2. 3. 4. Egredi foras e fano. Cic. 13. Att. 16. Pedem e villa adhuc egressi non sumus. Id. 1. de republ. 12. Egredi e cubiculo. Cæs. 2. B. G. 13. ex oppido. Id. 6. ibid. 31. ex suis finibus. Id. ibid. 36. ex castris. Liv. 2. 45. e curia. Cæs. 5. B. G. 37. unde. Plaut. Aulul. 1. 2. 1. domo. Id. Merc. 4. 6. 5. domo foras. Cic. Quinct. 6. 24. Romà. Id. 1. Tusc. 7. 13. portà. Sueton. Aug. 91. tabernaculo. Id. ibid. 53. urbe oppidove. Id. Cal. 36. triclinio. Curt. 8. 5. convivio. — Cum præpos. ab occurrit quoties pronomina personalia pro domo usurpantur. Ter. Andr. 1. 3. 21. Egreditur ab ea. h. e. domo ejus. Id. Heaut. 3. 2. 50. a nobis foras. Sic Plaut. Truc. 4. 3. 78. ab sese. — Legitur tamen apud Sueton. Tib. 40. et Claud. 23. Egredi ab urbe. — b) Cum aliis additis. Plaut. Amph. 5. 1. 27. et alibi; et Ter. Adelph. 5. 7. 25. Egredi foras. Cæs. 6. B. G. 35. extra munitiones. Cic. Quinct. 10. 35. extra fines, terminos, cancellos. Liv. 3. 68. extra portam. Id. 1. 16. obviam. Id. 5. 46. per medias hostium stationes. Cf. Lucret. 2. 437. per Veneris res. Rursus Liv. 33. 47. Præparatis jam omnibus ante ad fugam, obversatus eo die in foro avertendæ suspicionis causa, primis tenebris vestitu forensi ad portam cum duobus comitibus ignaris consilii est egressus. — c) Absolute. Plaut. Cas. 3. 2. 6. Sed eccum egreditur senati columen, præsidium popli, meus vicinus. Adde eumd. Curc. 1. 3. 1., Mil. glor. 2. 6. 59. et Pœn. 3. 3. 36. ¶ 2. Latiori sensu, præcipue cum addito Accusativo et præpos. in, est a loco inferiori ad superiorem evadere, ascendere. Liv. 26. 44. Scipio egressus in tumulum. Id. 40. 22. in altitudinem. Tac. 3. Hist. 29. in vallum. Id. ibid. 71. in tectum. Id. 4. ibid. 29. in mœnia. Sic Plin. 2. Hist. nat. 42. 42. (111). Liquor egreditur in sublima. Sall. Jug. 93. Paullatim prope ad summum montis egressus est. Ovid. 2. Met. 135. Altius egressus cælestia tecta cremabis. Sall. Jug. 60. Magna vi murum aggreditur, et jam scalis egressi milites prope summa ceperant. ¶ 3. Apud seriores Augustei ævi scriptores, et sequentibus etiam temporibus, egredi usurpatum est cum Accusativo præcipue ab Historicis, et significat superare, transcendere, evadere. Hac autem significatione occurrit — a) Proprie. Cæs. 1. B. G. 44. Numquam ante hoc tempus exercitum populi Romani Galliæ provinciæ fines egressum. Adde Curt. 9. 6. 20. Rursus Cæs. 3. B. C. 52. Germani munitiones nostras egressi, compluribus interfectis, sese ad suos incolumes receperunt. Sall. Jug. 110. Ego flumen Mulucham, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar. Liv. 1. 29. sub fin., 3. 57. sub fin. et 22. 55. sub fin. Egredi urbem. Plin. 6. Ep. 20. 8. tecta. Quintil. 4. 1. 61. portum. Tac. 1. Ann. 30. et Lucan. 5. 511. tentoria. Cf. Tac. 3. Hist. 30. Tecta altitudinem mœnium egressa milite complet. — b) Translate. Tac. 2. Ann. 38. Nec sane ideo a majoribus concessum est egredi aliquando relationem, – ut privata negotia et res familiares nostras hic augeamus. Id. 3. ibid. 24. Clementiam majorum suasque ipse leges egrediebatur. Id. ibid. 30. Volusio vetus familia, neque tamen præturam egressa. Id. 16. ibid. 10. Muliebri ejulatu, aliquando sexum egressa, voce infensa clamitabat. Id. 4. Hist. 44. Octavium Sagittam et Antistium Sosianum – egressos exsilium in easdem insulas redegit. Quintil. 6. proœm. 6. Filius quintum annum egressus. Id. 8. 6. 16. Copia modum egressa vitiosa est. Vellej. 2. 40. 2. Pompejus per omnia fortunam hominis egressus. Plin. 7. Ep. 33. in fin. Historia non debet egredi veritatem. Val. Flacc. 2. 277. medios egressa metus. Similiter egredi mandatum, V. MANDATUM.

B) Speciatim egredi ¶ 1. Est verbum militare et significat ad prælium aut ad iter exire. — a) Cum addito Ablativo loci, e quo agmen exit. Sall. Jug. 91. Postquam tempus visum, castris egreditur noctemque totam itinere facto consedit. Adde Cæs. 2. B. G. 11. Id. Cæs. 7. ibid. 36. Silentio noctis Cæsar, ex castris egressus, prius quam subsidium ex oppido venire posset, dejecto præsidio, potitus loco, etc. Adde eumd. ibid. 58. — b) Absolute. Sall. Jug. 106. Prima vigilia silentio egredi jubet. Adde eumd. ibid. 91.; Cæs. 3. B. C. 77. et 5. B. G. 35.; Liv. 22. 12., 26. 44. et 40. 22.; Tac. 1. Ann. 68.; et Vellej. 2. 119. 2. — c) Cum addito fine. Cæs. 2. B. C. 35. Ad prælium egressi Curionis milites etc. Cf. Cic. Ligar. 2. 4. Domo egredi ad bellum. Sall. Jug. 59. Egredi ad oppugnandum. Justin. 2. 9. in prælium. — d) Cum addito loco, in quem agmen egreditur. Liv. 10. 32. Egredi in pacata sociorumque populi Romani Samnitem prohibebant. ¶ 2. Est etiam verbum navigantium; et — a) Egredi navi, ex navi, aut absolute, est descendere. Cæs. 4. B. G. 21. et 21.; et Liv. 45. 13. Egredi navi. Ovid. 8. Met. 153. ratibus. Cic. Vatin. 5. 12.; Cæs. 4. B. G. 26. et 27. et 3. B. C. 106. ex navi. Cæs. 4. B. G. 23. Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locum. Adde Nepot. Datam. 4.; Liv. 1. 1.; et Ovid. Heroid. 21. 91. — Et cum addito in terram. Cic. 7. Verr. 51. 133. Egressus in terram, ut milites in navibus collocaret. — b) Contra egredi e portu, vel apud Poetas egredi absolute, est sublatis ancoris in altum exire. Cic. 6. Att. 8. 4. Epheso conscendentes hanc epistolam dedimus L. Tarquitio simul a portu egredienti, sed expeditius naviganti. Quintil. 10. 7. 23. Dum e portu egredimur. Ovid. 1. Trist. 10. 6. de navi. Occupat egressas quamlibet ante rates. ¶ 3. Apud Rhetores est in dicendo a re proposita digredi. Cic. Brut. 21. 82. Ut egrederetur a proposito, ornandi causa. Quintil. 2. 4. 15. Ut eo revertar, unde sum egressus. V. DIGREDIOR, et adde eumd. 3. 9. 4.

ĒGRĔGIĀTUS, us, m. 4. dignitatis gradus in eo, qui egregii titulo decoratus est. Imp. Constantin. Cod. Theod. 8. 4. 3. et 10. 7. 1. et Imp. Constant. ibid. 10. 20. 1. et rursus Imp. Constantin. ibid. 12. 1. 5. V. EGREGIUS 3.

ĒGRĔGIĒ, adverb. Comp. Egregius II. 1. a. — Egregie, ab ex et grex, gregis,

I.) Proprie usurpatum videtur a Seneca 5. Controv. proœm. ante med. Declamavit non quidem populo, sed egregie. h. e. auditoribus paucis et quasi e grege selectis.

II.) Sæpissime translate occurrit, et ¶ 1. Generatim est eximie, excellenter, præclare, valde. — a) Cum Verbis. Ter. Andr. 1. 1. 31. Horum ille nihil egregie præter cetera studebat; et tamen omnia hæc mediocriter. Cic. Brut. 75. 257. Pauci pingere egregie possunt, aut fingere. Id. 2. Fin. 6. 19. Quum uterque Græce egregie loquatur. Liv. 9. 26. sub fin. Primique rei facti, adversus nobilium testimonia egregie absolvuntur. h. e. cum egregia laude innocentiæ. Id. 21. 40. Egregie vincere. Curt. 3. 11. Egregie se tueri. Plin. 32. Hist. nat. 10. 46. (130). Purgat egregie profluvia. — Comp. apud Juvenal. 11. 12. Egregius cœnat meliusque miserrimus horum. — b) Cum Adjectivis vel Participiis. Ennius 10. Ann. 5. Egregie cordatus homo. Cic. 2. Orat. 66. 268. Egregie fortis et bonus imperator. Id. 1. ad Q. fr. 1. 6. Si quis est ex servis egregie fidelis. Id. Brut. 9. 35. Egregie subtilis scriptor atque elegans. Cæs. 5. B. G. 9. et 20. Locus egregie et natura et opere munitus. Horat. 2. Sat. 5. 106. Funus egregie factum. Pers. 6. 49. Res egregie gestæ. — c) Absolute adhibetur in approbationibus et plausu. Sueton. Vitell. 10. Egregie prorsus atque magnifice, nisi etc. Plin. Paneg. 38. Egregie, Cæsar, quod lacrimas parentum vectigales esse non pateris. ¶ 2. Speciatim est idem ac præ ceteris. Cic. 3. Herenn. 18. 31. Quare placet et ex ordine locos comparare; et locos, quos sumpserimus, egregie commeditari oportebit, ut perpetuo nobis hærere possint. Id. ibid. 11. 19. Pronunciationem multi maxime utilem oratori dixerunt esse, et ad persuadendum plurimum valere. Nos quidem unam de quinque rebus plurimum posse non facile dixerimus; egregie magnam esse utilitatem in pronunciatione, audacter confirmaverimus. — Huc referenda videntur et illa, quæ Forcellinus ad paragr. proxime superiorem retulit, Cic. 14. Att. 20. a med. Hoc mihi egregie placet. Id. 2. ibid. 22. Quod egregie iis gratum esse sentimus. Gell. 4. 3. Egregie diligere aliquem. — Item illa, in quibus Forcellinus ait egregie poni pro valde. Lucret. 1. 735. Inferiores Partibus egregie multis multoque minores. Gell. 13. 30. Verbum illud egregie vetus. Al. leg. e Græcia. — Porro hac significatione sumitur et in malam partem. Ter. Heaut. 3. 1. 11. Profecto ingenio egregie ad miserias natus sum. Cic. 3. Herenn. 22. 35. Si quas res in vita videmus parvas, usitatas, quotidianas, eas meminisse non solemus. – At si quid videmus aut audimus egregie turpe aut honestum, magnum, incredibile, etc. Gell. 20. 1. L. Veratius egregie homo improbus.

ĒGRĔGĬUS, a, um, adject. Gell. 14. 5. litem refert duorum grammaticorum, quorum alter in Vocativo egregi contendebat dici debere, alter egregie. Sed ab hoc standum. — Quod ad gradus attinet, Forcellinus pro Compar. affert illud Lucret. 4. 468. Nam nihil egregius est, quam etc. At recentiores aliter omnino legunt. Sup. Egregiissimus habet Pacuvius apud Priscian. 3. p. 600. Putsch. Mulier egregiissima forma. Gell. 14. 5. O, inquit, egregie grammatice, vel, si id mavis, egregiissime. — Quod ad etymon attinet, egregius est ab ex et grex, gregis; hinc olim etiam exgregius scriptum fuit, teste Paul. Diac. 80. 17. Müll. Exgregiæ, egregiæ, id est e grege lectæ. Sic Donatus ad Ter. Hecyr. 1. 1. 9. boves sacrificii causa e grege lectos egregios, oves lectas, porcos eximios dictos esse docet. Rursus Paul. Diac. p. 23. 7. Müll. Abgregare est ab grege ducere: adgregare ad gregem ducere: segregare ex pluribus gregibus partes seducere, unde et egregius dicitur e grege lectus. Quorum verborum frequens usus non mirum si ex pecoribus pendet, quum apud antiquos opes et patrimonia ex his præcipue constiterint, ut adhuc etiam pecunias et peculia dicimus. — Itaque egregius, quasi e grege lectus, est excellens, præstans, singularis, idem atque eximius, ut docet Döderlein. Latein. Synon. vol. 6. p. 111. (It. scelto, egregio, eccellente, singolare, distinto; Fr. distingué, remarquable, éminent, supérieur, excellent, parfait; Hisp. distinguido, notable, eminente, excellente; Germ. trefflich, vorzüglich, hervorragend, herrlich; Angl. excellente, remarkable, eminent, surpassing, egregious, notable, noble). Occurrit ¶ 1. Generatim. — 1.°) De rebus et de abstractis. Ter. Phorm. 1. 2. 50. Virgo egregia facie. Id. Andr. 1. 1. 45. Egregia forma. Cf. Ovid. 5. Met. 49. Athis egregius forma. Lucret. 5. 740. Egregii colores et odores. Cic. 2. Fin. 20. 64. color. Horat. 1. Sat. 6. 67.; et Ovid. 5. Trist. 13. 14. corpus. h. e. singulari pulcritudine præditum. Ovid. Heroid. 4. 78. os. Horat. 2. Sat. 3. 24. Egregias domos mercari. Auct. B. Alex. 9. Loca egregia ad tenendas ancoras. Cf. Tac. 3. Ann. 40. Egregium tempus recuperandæ libertati. Cic. 1. Orat. 29. 131. Egregia quædam et præclara indoles ad dicendum. Id. 1. Nat. D. 36. 100. Opus magnum et egregium. Id. Sext. 53. 113. Animus constans et egregius. Id. 1. Phil. 1. 2.; et Cæs. 5. B. G. 4. Egregia voluntas alicujus in aliquem. Cæs. 1. ibid. 19. fides. Id. ibid. 28. virtus. Liv. 2. 47. victoria. Tac. 4. Hist. 34. facinus. — Absolute egregia pro virtutibus. Tac. 14. Ann. 60. Postquam cuncta scelerum suorum pro egregiis accipi videt. — 2.°) De hominibus; et quidem — a) Absolute. Cic. 1. Orat. 3. 11. Minima copia poetarum egregiorum exstitit. Id. Brut. 25. 95. Egregius civis. Id. Amic. 19. 69. vir. Horat. 1. Od. 6. 11. Cæsar. Id. 3. ibid. 25. 4.; et Liv. 2. 49. senatus. Id. 27. 34. par consulum. — b) Cum addita re, in qua quis egregius est, per Ablativum et præpos. in. Cic. Brut. 21. 84. Vir egregius in laude bellica. Id. 1. Orat. 49. 215. in procuratione civitatis. Sall. Jug. 82. in artibus. — c) Cum addita re per Ablativum sine præpos. Nepos Agesil. 3. Egregius industria. Liv. 5. 47. bello. Adde eumd. 7. 6.; Ovid. 5. Met. 49.; et Tac. Agric. 14. — d) Cum addita re per Genit. Virg. 11. Æn. 417. Egregius animi. Sil. It. 5. 77. linguæ. Stat. 3. Theb. 99. fati mentisque. — e) Cum Genitivo partitivo, uti ajunt. Stat. 2. Theb. 152. Egregii juvenum, quos non sine numine regnis Invexit nox dextra meis. ¶ 2. Speciatim temporibus imperatorum R. egregius occurrit pro decoro, honorifico. Tac. 3. Ann. 6. Idque et sibi et cunctis egregium, si modus adjiceretur. Id. 1. Hist. 15. Mihi egregium erat Pompeji sobolem in penates meos adsciscere. — Hinc egregium publicum apud Tac. 3. Ann. 70. extr. est publicum decus, publica majestas: ea ratione, qua dicitur bonum publicum, et qua pessimum publicum dixit Liv. 2. init. ¶ 3. Item speciatim temporibus imperatorum R. egregii dicti sunt, qui ad certum dignitatis gradum (qui egregiatus dicebatur) post militiam sacri palatii, vel administrationem provinciæ, evehebantur, inferiores iis, qui clarissimi, et qui perfectissimi vocati sunt. Imp. Constantin. Cod. Theod. 6. 22. 1. Hinc

Lactant. 5. 14. ad *fin.* Nemo Deo egregius, nisi qui bonus; nemo clarissimus, nisi qui opera misericordiæ largiter fecerit; nemo perfectissimus, nisi qui omnes gradus virtutis impleverit. — *Egregii* autem viri titulo decorabantur primores et decemprimi civitatum, *Lactant. Mort. persecut.* 21. et *Inscript.* apud *Gruter.* 89. 4.; curatores rerum publicarum, *Inscript.* apud *eumd.* 178. 3. (in qua pro *V. F. Curatore Rei Reiecit*, legendum *V. E. Curat. Reip. fecit, perfecit*); præfecti legionum, *Inscript.* apud *eumd.* 317. 1., immo et 345. 3. et 346. 2., in quarum utraque male legitur VET. pro V. E.; procuratores aquarum, *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 700. *n.* 218.; procuratores sacræ monetæ Urbis, *Inscript.* apud *Murat.* 260. 3. (ubi pro *Val. Pelagione Proc. SMV.*, legendum *Val. Pelagio V. E. Proc. SMV.*); procuratores summarum, *Inscript.* apud *Murat.* 172. 2.; rationales imperatorum, *Inscript.* apud *Gruter.* 278. 6.; prætores quindecim populorum Etruriæ, *Inscript.* apud *Murat.* 1039. 1.; procuratores provinciarum, *Inscript.* apud *Gruter.* 402. 4. Plura hac de re dorte commentatus est *Jo. Labusius* in *Dissert. intorno l'ant. Marm. di C. Giulio Ingenuo p.* 34.-38.

ĒGRESSĬO, ōnis, f. 3. actus egrediendi.

I.) Proprie. *Apul.* 8. *Met.* Castellum, unde nos incolæ nocturna prohibebant egressione.

II.) Translate apud Rhetores est digressio in dicendo. *Quintil.* 3. 9. 4. Egressio vero, vel, quod usitatius esse cœpit, excessus, sive est extra causam etc. *Id.* 4. 3. 12. Hanc partem παρέκβασιν Græci vocant, Latini egressum, vel egressionem. *Id.* 11. 3. 164. Egressiones fere lenes et dulces et remissæ sunt.

ĒGRESSUS, a, um. *V.* EGREDIOR.

ĒGRESSUS, us, m. 4. egressio vel egrediendi actus.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) In singulari numero. *Cic. Pis.* 13. 31. Frequentia sua vestrum egressum) in *provinciam*) ornando. *Tac.* 15. *Ann.* 53. Cæsar rarus egressu, domoque aut hortis clausus. *Ovid.* 11. *Met.* 748. Arcere aliquem egressu. — *b*) Sæpius in plurali numero. *Sall. Jug.* 35. Itinera egressusque ejus, postremo loca atque tempora cuncta explorat; deinde, ubi res postulabat, insidias tendit. *Ovid.* 1. *Fast.* 138. Janitor egressus introitusque videt. Adde *Tac.* 3. *Ann.* 33., 11. *ibid.* 12, 15. *ibid.* 36. et *Dial. de orat.* 6. ¶ 2. Speciatim est egressus e navi. *Cæs.* 5. *B. G.* 8. Ut eam partem insulæ caperet, qua optimum esse egressum cognoverat. Adde *eumd.* 3. *B. C.* 23. *Auct. B. Afr.* 3. *extra.* Fortuito oblatam occasionem egressus aucupabatur. ¶ 3. Item speciatim egressus avium e nido. *Ovid.* 11. *Met.* 746. Incubat Halcyone pendentibus æquore nidis. — ventos custodit et arcet Æolus egressu. *Potest tamen hoc et de ventis ipsis intelligi.* Apertius *Colum.* 8. *R. R.* 8. 1. Sed id genus (*columbi*) minore tutela pascitur longinquis regionibus, ubi liber egressus avibus permittitur.

II.) Improprie. ¶ 1. Egressus dicitur locus, unde egredi licet. *Ovid.* 2. *Trist.* 189. Solus ad egressus missus septemplicis Istri. *Tac.* 16. *Ann.* 10. Obsidere egressus. *Petron. Satyr.* 91. Per tenebrosum et sordidum egressum. ¶ 2. Apud Rhetores est digressio in dicendo. *Quintil.* 4. 3. 12.; et *Tac.* 4. *Ann.* 32. *V.* EGRESSIO II.

EGRETUS *et* Adgretus ex Græco sunt ducta, a surgendo (ἐγείρομαι) et proficiscendo. Unde et Nyctegresia, quasi noctisurgium. *Paul. Diac. p.* 78. 4. *Müll.*

ĒGREX, grĕgis, adject. omn. gen. ex grege sumptus, vel electus. *Gloss. Isid.* Egrex, eximius, eminens.

ĒGULA, æ, f. 1. sulfuris genus, lanis suffitu mollitionem candoremque inducens. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 50. (175). Fortasse ita appellatur ab αἴγλη, *splendor: contra Döderlein.* conjungit cum ἀχλύς; *nebulosa quædam obscuritas.*

ĒGURGĬTO, as, are, a. 1. (ex *et* gurges). Legitur et *exgurgito.* — Egurgito est evomo, effundo. *Plaut. Epid.* 4. 2. 12. Egurgitare domo argentum.

EH

EHE *vel* hehe, vel hehæ, interjectio mentis consternatæ. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 93. *Müll.* Hehe! ipse clipeus cecidit. *Scalig.* monet in antiquis libris scriptum esse *hehæ*, ut sit αἰβοῖ, quod idem sonat. *Müll.* legit *hehæ.*

EHEM, interjectio subito aliquid deprehendentis, quod gratum sit. *Plaut. Asin.* 2. 4. 43. LE. Ehem, optume: quam dudum tu advenisti? Non hercle te provideram. Adde *eumd. Mil. glor.* 4. 9. 3., *Most.* 3. 2. 38. et *Rud.* 3. 5. 25. *Ter. Eun.* 1. 2. 6. Quis hic loquitur? ehem tu ne eras hic, mi Phædria? *Id. Adelph.* 2. 4. 2. Ehem, opportune te ipsum quærito. *Id. ibid.* 3. 4. 9. Ehem Demea, haud aspexeram te. Adde *eumd. Eun.* 1. 2. 1. et *Andr.* 2. 5. 6.

EHEU, interject. Scribitur et *heheu.* — Apud epici et lyrici carminis scriptores prima syllaba longa est, *ēheu*; unde factum est ut sæpe in *heu heu* mutaretur. *Virg.* 1. *Ecl.* 58. Eheu quid volui misero mihi! *Alii leg.* heu, heu. Similiter apud *Horat.* 2. *Od.* 14. 1. Eheu fugaces, Postume Postume, Labuntur anni. — Ceterum *eheu* (quæ vox, ratione habita etymi, conjungi potest cum Græc. φεῦ) est interjectio dolentis aut ingratum aliquid mirantis. *Plaut. Capt.* 1. 2. 40. HEG. Nunc habe bonum animum. PA. Eheu! HEG. Huic illud dolet, quod etc. Adde *eumd. ibid.* 5. 3. 18. et *Mil. glor.* 4. 8. 32. *Ter. Heaut.* 5. 4. 20. Eheu quam ego nunc totus displiceo mihi. Adde *eumd. Hecyr.* 1. 1. 17. et *Phorm.* 1. 4. 10. *Sall. Jug.* 14. Eheu me miserum!

EHO, interjectio vocantis, excitantis, admonentis. — *a*) Vocantis. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 5. Eho tu! loquitatusne es gnato meo male per sermonem, quia mihi id aurum reddidit? Adde *eumd. Epid.* 3. 4. 69. *Ter. Andr.* 3. 2. 20. Eho, an tute intellexti hoc adsimularier? Adde *eumd. ibid.* 5. 4. 5., *Eun.* 4. 4. 24. et *Phorm.* 2. 3. 35. — *b*) Excitantis vel jubentis. *Plaut. Men.* 2. 3. 78. Hunc volo etiam colloqui. Eho, Messenio, accede huc. *Id. Pseud.* 1. 3. 114. Eho, Pseudole, i, gladium affer. *Ter. Andr.* 4. 1. 44. Eho, dic mihi. *Id. Hecyr.* 4. 4. 97. Eho, puer, curre ad Bacchidem. Adde *eumd. Adelph.* 5. 9. 13. — *c*) Admonentis vel objurgantis. *Plaut. Merc.* 1. 2. 77. Eho tu, eho tu, quin cavisti, ne eam videret, verbero? *Id. Bacch.* 3. 3. 40. Eho, senex minimi pretii, ne attingas puerum istac causa, quando fecit strenue. Adde *eumd. Mil. glor.* 3. 2. 12. *Ter. Phorm.* 4. 4. 3. Eho verbero, aliud mihi respondes, ac rogo? Adde *eumd. Andr.* 4. 2. 27. — *d*) *Ehodum* majorem vim habet. *Ter. Andr.* 3. 5. 10. Ehodum, bone vir, quid ais? *Id. ibid.* 1. 2. 13. Ehodum ad me. Adde *eumd. ibid.* 2. 1. 24. et *Eun.* 2. 3. 60.

EHODUM. *V.* voc. præced. in fin.

EJ

EI pro ii. *V.* in IS, ea, id.

EJA *vel* heja, adverb. disyllab. εἶα. Ultima syllaba brevis est. *Val. Flacc.* 8. 110. eja, per ipsum Scande, age, et adverso gressus, ait, imprime dorso. *Sidonium* habebit auctorem, si quis producat, *carm.* 14. 6. Eja, Calliope, nitente palma. At præterquam quod *Sidonii* auctoritas parvi est facienda, in hoc carmine phaleucio non infrequenter pro spondeo adhibetur choreus. *Eja* igitur choreus, sive trocheus semper esto. Ceterum — *a*) *Eja* est adverbium vel interjectio læte admirantis. *Plaut. Men.* 2. 3. 30. Eja, delicias facis, Menœchme, *h. e.* te delicate jocari video. *Id. Rud.* 2. 4. 7. Veneris effigia hæc quidem est. Ut in ocellis hilaritudo est! Eja, corpus cujusmodi! *Ter. Heaut.* 5. 5. 19. Eja, ut elegans est! Adde *eumd. ibid.* 3. 2. 10. — *b*) *Eja vero* est exclamantis, et respondet Gr. εἶ πάνυ. *Plaut. Epid.* 2. 2. 75. AP. Quid istuc dubitas dicere? EP. Vos priores esse oportet, nos posterius dicere, qui plus sapitis. AP. Eja vero, age dic. Adde *eumd. Mil. glor.* 4. 4. 5. *Id. Rud.* 2. 3. 9. Tuus herus ubi, amabo, est? TR. Eja vero, quasi non sit intus. *Forcellinus* hoc loco ironiæ inservire ait. *Cic.* 3. *de republ.* 5. Et Pilus, Heja vero, inquit. — Huc referri potest et illud *Plaut. Amph.* 3. 2. 17. ALC. Ita ingenium meum est: inimicos semper osa sum obtuerier. JUP. Eja autem inimicos? ALC. Sic est: vera prædico. *Forcellinus* h. loco *eja* repetentis esse ait. — *c*) Item est adhortantis, excitantis, corrigentis. *Plaut. Most.* 3. 1. 71. Eja, mastigia, ad me redi. *Id. Bacch.* 4. 3. 16. Eja, bonum habe animum. *eja* h. l. est consolantis, ut *Forcellinus* docet. *Ter. Eun.* 5. 9. 35. Eja, haud sic decet. *Virg.* 9. *Æn.* 38. Hostis adest, eja. *Horat.* 1. *Sat.* 1. eja, Ne prior officio quisquam respondeat, urge. *Plin.* 4. *Ep.* 20. *init.* Eja tu, quoquo modo veni. — Cum addito *age* majorem vim habet. *Virg.* 4. *Æn.* 569. Eja age, rumpe moras. Adde *Stat.* 2. *Achill.* 198. *Id. Stat.* 1. *Silv.* 2. 266. Eja age, præclaros Latio properate nepotes.

EJĂCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *et usitatius*

EJĂCŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ex et jaculor). Part. *Ejaculatus* sub *a.* — Ejaculor est eminus seu longe jaculor. — *a*) Deponentium forma. *Ovid.* 4. *Met.* 122. Non aliter quam cum vitiato fistula plumbo Scinditur et tenues stridente foramine longe Ejaculatur aquas. *Id.* 6. *ibid.* 259. sanguis se ejaculatus in altum Emicat. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 23. (73). In cujus forum solstitio Athos ejaculatur umbram. — *b*) Activa forma. *Gell.* 16. 10. *ad fin.* Se in salum ejaculaverat. — Hinc passive *Scribon. Compos.* 84. Et si super foratus (*uter*) casu fuerit, incitatione ejaculabitur quod in eo erit.

EJECTĀMENTUM, i, n. 2. excrementum. *Tac. Germ.* 45. *de succino.* Diu quin etiam inter cetera ejectamenta maris jacebat.

EJECTĀTUS, a, um. *V.* EJECTO.

EJECTICIUS *vel* ejectitius, a, um, adject. qui ad ejectionem pertinet. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 84. (210). Vulva ejecto partu melior, quam edito: ejecticia vocatur illa, hæc porcaria.

EJECTĬO, ōnis, f. 3. ejiciendi actio, expulsio. *Cic.* 2. *Att.* 18. Mortem et ejectionem timemus. — Ejectio articuli apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. est quum luxatur. *V.* EJICIO.

EJECTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. ab* ejicio. — Part. *Ejectatus.* — Ejecto est expello, vehementer ejicio. *Ovid.* 2. *Met.* 231. ejectata favilla. *Id.* 5. *ibid.* 353. arenas ejectat. *Id.* 14. *ibid.* 211. cruentas dapes ejectat ore. *Lucan.* 3. 658. saniem per ora. *Sil. It.* 10. 320. Aufidus undis Ejectat, redditque furens sua corpora ripis. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 89. Quidquid ab auriferis ejectat Iberia fossis.

EJECTŪRA, æ, f. 1. idem atque ejectio, vel id, quod ejicitur. *Boeth.* 2. *Geom. p.* 1215. Tot pedibus hujus trigoni continetur præcisura, vel ejectura minor.

EJECTUS, a, um. *V.* EJICIO.

EJECTUS, us, m. 4. idem quod ejectio. *Lucret.* 4. 957. Animai altior atque largior ejectus.

EJERATIO, onis, *et*

EJERO, as, etc. *V.* EJURATIO, EJURO.

ĒJĬCĬO, jicis, jēci, jectum, jicere, a. 3. (ex *et* jacio). *Lucret.* 3. 891. et 4. 1266. ex *eicit* alterum *j* exterit, et eicit disyllabum facit. Porro recentiores fere omnes pro *ejicio* scribunt *eicio* etc.: *V.* ABJICIO init. — Part. *Ejectus* in omnibus paragr. et in fin.; *Ejiciendus* II. 1. — *Seneca Ep.* 51. *extr.* Ejici est inde expelli, unde invitus recedas. Itaque *ejicere* est extra jacere, expellere, exturbare, per vim amovere (It. *cacciar fuori*; Fr. *jeter hors, mettre dehors, chasser, éloigner de force*; Hisp. *echar fuera, hacer salir de alguna parte, ó apartar con violencia*; Germ. *aus-oder herauswerfen, gewaltsam entfernen, verjagen, hervor-oder fort treiben*; Angl. *to cast or throw out, eject, expel, throw off*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum addito, unde quis ejicitur. *Plaut. Asin.* 1. 2. 1. Foras ædibus ejicere aliquem. *Id. ibid.* 1. 3. 9. domo. *Id. Mil. glor.* 3. 2. 31. Ejici sagina cellaria. *Varro* 1. *R. R.* 31. 3. Ejunciduм enim sarmentum propter infirmitatem sterile, neque ex se potest ejicere vitem. *Sall. Jug.* 14. Verum ego eis finibus ejectus sum, quos majoribus meis populus Romanus dedit. *Lucret.* 5. 982.; et *Cæs.* 4. *B. G.* 7. Ejectus domo. *Nepos Themist.* 8. Ejectus e civitate. *Cæs.* 2. *B. C.* 30. ex oppido. *Cic. Quinct.* 26. 83. At hic quidem jam de fundo expulsus, jam a suis diis penatibus præceps ejectus, etc. *Id.* 3. *Off.* 23. 89. Ejicere aliquem de navi. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 5. de collegio. *Id. Senect.* 12. 42. e senatu. *Liv.* 40. 51. de senatu. Cf. *Lucret.* 3. 57. voces pectore ab imo. — *b*) Cum addito, quo quis ejicitur. *Plaut. Truc.* 3. 1. 14. Ejicere omnes amasios foras. *Lucret.* 4. 920. Anima perturbata ejectaque foras. *Cic.* 2. *Orat.* 58. 234. Extrudere et ejicere aliquem in viam. *Id.* 2. *Cat.* 7.

14. aliquem in exsilium. *Curt.* 5. 12. 21. Temere in illas angustias ejecti. *Al. leg.* conjecti. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 11. (37). Succinum, oceano exæstuante, ad promontoria Pyrenæi ejici. *Lucret.* 3. 576. et ejectis extra vitalibus auris. — c) Absolute; et quidem — interdum est e civitate ejicere, in exsilium pellere. *Cic. Rosc. Am.* 2. 6. Hoc incolumi, non arbitratur etc.; damnato et ejecto, sperat etc. Sic *Id.* 3. *Verr.* 39. 98. Nisi condemnato et ejecto eo, qui posset reprehendere. *Id. Mil.* 37. 101. Memoriam Milonis retinebitis, ipsum ejicietis? *Id.* 14. *Fam.* 3. Ejicere nos magnum fuit: excindere facile est. *Vellej.* 2. 86. 2. Paucissimi ejecti. h. e. civitate expulsi. Huc referri potest et illud *Hieronym. Ep.* 64. n. 7. Vidua est, cujus maritus est mortuus; ejecta, quæ a marito vivente projicitur; meretrix, quæ multorum libidine patet. — Item universim extra jacere. *Cic. Sull.* 31. 89. Vita erepta est superiore judicio: nunc, ne corpus ejiciatur, laboramus. V. *Halm.* ad h. l. *Id.* 2. *Orat.* 66. 266. Distortus, ejecta lingua, buccis fluentibus. *Sueton. Aug.* 80. Calculi per urinam ejecti. *Cic. Cœl.* 21. 60. Nonne ipsam domum metues, ne quam vocem ejiciat? *Plerique al. leg.* eliciat. — Item vomere. *Cic.* 14. *Fam.* 7. Χολὴν ἄκρατον noctu ejeci. *Cels.* 1. 3. Qui quotidie ejiciendo vorandi facultatem moliuntur. *Quintil.* 11. 3. 27. Ejecto modo vomitu declamare. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 5. 10. (15). Ejicere sanguinem. — Item abortu fetum expellere. *Ulp. Dig.* 9. 2. 27. *a med.* Si mulier pugno vel equa ictu a te percussa ejecerit. — Item luxare. *Hygin. fab.* 57. Decidisse dicitur in campos Aleios, unde etiam coxas ejecisse. *Veget.* 3. *Veterin.* 41. 1. *Schneid.* Si jumentum cervicem ejecerit aut laxaverit, aut certe vertibula ejecerit vel extorserit, hac ratione curabitur. *Scribon. Compos.* 206. Ejectum articulamentum. Quo pertinet illud *Virg.* 10. *Æn.* 894. Tollit se arrectum quadrupes – effusumque equitem super ipse secutus implicat, ejectoque incumbit cernuus armo. — d) *Ejicere se* est impetu exire, erumpere. *Cic.* 7. *Verr.* 35. 91. Jam sese in terram e navi ejecerat. *Id.* 1. *Cat.* 14. 30. Si se ejecerit secumque suos eduxerit. *Cæs.* 7. *B. G.* 28. Ejicere se ex oppido. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 15., 5. *ibid.* 15. et 21., 7. *ibid.* 47. et 3. *B. C.* 16. *Liv.* 40. 46. *extr.* Serundani se porta ejecere. *Id.* 1. 40. Ambo se foras ejiciunt. *Id.* 6. 3. Quum pro se quisque tenderent ad portas, si qua forte se in agros ejicere possent. ¶ 2. Speciatim in re nautica. — 1.°) *Ejicere navem* est appellere et qui sunt in ipsa navi, eos in terram emittere. *Cæs.* 3. *B. C.* 25. Ut ad Oricum, sive ad littora Apolloniatium cursum dirigerent, quod eo naves ejicere possent. *Id. ibid.* 28. Gubernatorem in terram navem ejicere cogunt. *Liv.* 44. 28. Pars eorum, qui propiores continenti littori erant, in Erythræam enarunt; pars, velis datis, ad Chium naves ejecere, relictisque equis, effusa fuga urbem petebant. *Forcellinus* allatum *Cæs.* 3. *B. C.* 28. et hunc *Livii* locum ad significationem proxime sequentem retulit: at *V.* integr. loc. — 2.°) *Ejicere in aliquo loco* vel *in aliquem locum* est naufragium facere; et dicitur — a) De navi. *Plaut. Rud.* 1. 2. 80. Nunc, nunc periculum' st! ejecit alteram (*navem*), at in vadosi: jam facile enabit. Eugepæ! Viden', alteram illam ut fluctus ejecit foras! *Cæs.* 5. *B. G.* 10. Qui nunciarent, superiori nocte maxima coorta tempestate, prope omnes naves afflictas atque in littore ejectas esse. *Liv.* 23. 34. *extr.* Classis, fœda tempestate vexata, ad Baleares insulas ejicitur. Adde *eumd.* 29. 18.; et *Tac.* 2. *Ann.* 24. *Ovid. Heroid.* 7. 174. Ejecta ratis. Apud *Vellej.* 1. 1. 2. pro *ejectus* recentiores leg. *rejectus*: V. *Kritz* ad eum locum. — b) De ipsis naufragis. *Plaut. Rud.* 2. 3. 78. Timidas, egentes, humidas, ejectas, exanimatas accepit ad se. Adde *eumd. ibid.* 1. 5. 14. *Ter. Andr.* 5. 4. 20. Atticus quidam olim nave fracta ad Andrum ejectus est et istæc una parva virgo. Adde *eumd. ibid.* 1. 3. 18. *Cic. Rosc. Am.* 26. 72. Commune est mare fluctuantibus, littus ejectis. *Virg.* 4. *Æn.* 373. ejectum littore egentem Excepi. *Ovid.* 13. *Met.* 536. ejectum Polydori in littore corpus. *Id. Heroid.* 7. 89. Ejectus fluctibus. *Seneca Ep.* 9. *a med.* Ejectus in desertum littus. — c) Hinc figurate *ejectus homo* est pauper et mendicus, quales naufragi esse solent. *Cic. Quinct.* 19. 62. Credo aliquem ejectum hominem, egentem, litigiosum, improbum. — Similiter *ejectus dis*, ut orbatus, apud *Stat.* 4. *Theb.* 617. de cæco dicitur, qui est exclusus a lumine.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphora sumpta a superiori paragr. 1. *Plaut. Cas. prol.* 23. Ejicere curam ex animo. *Ter. Eun.* 2. 1. 16. mollitiem animi. *Lucilius* apud *Non.* p. 300. 21. *Merc.* amorem ab se. *Cic. Rosc. Am.* 19. 53. amorem ex animo. *Id.* 2. *Divinat.* 72. 149. Quam ob rem, ut religio propaganda etiam est, quæ est juncta cum cognitione naturæ; sic superstitionis stirpes omnes ejiciendæ. *Liv.* 30. 13. Tunc se insanisse, tum hospitia privata et publica fœdera omnia ex animo ejecisse, quum Carthaginiensem matronam domum acceperit. Rursus *Cic. Cœl.* 31. 75. Voluptates, quæ inclusæ diutius et prima ætate compressæ et constrictæ fuerunt, subito se nonnunquam profundunt atque ejiciunt universæ. – Qua ex vita emersit, totumque se ejecit atque extulit. ¶ 2. Speciatim est abjicere, rejicere, improbare; ut Græcum ἐκβάλλειν. *Cic.* 1. *Orat.* 32. 146. Non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum: quod tamen, ut ante dixi, non ejicio. *Id. Cluent.* 31. 86. Te vero illud idem, quod tum explosum et ejectum est, nunc retulisse demiror. *Id.* 1. *Off.* 41. 148. Cynicorum vero ratio tota est ejicienda; est enim inimica verecundiæ. Adde *eumd.* 5. *Fin.* 8. 23. et 2. *Att.* 24. 2. — Speciatim quum agitur de histrionibus vel oratoribus, *ejicere*, quemadmodum etiam *explodere*, est clamoribus, sibilis et similibus improbare. *Cic.* 4. *Herenn.* 47. 60. Quo melius ornatus et magis fuerit exspectatus (*citharœdus*), eo magis derisus et contemptus ejicitur. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 50. 196. et *Sext.* 55. 118. — Hinc

Ejectum, i, vel *a*, *õrum*, n. 2. absolute, substantivorum more, in ædificiis dicuntur partes, quæ a ceteris prominent. *Plin.* 2. *Ep.* 17. 11. Inde balinei cella frigidaria spatiosa et effusa, cujus in contrariis parietibus duo baptisteria, velut ejecta, sinuantur.

EJŪLĀTIO, ōnis, f. 3. planctus cum vociferatione. *Plaut. Capt.* 2. 1. 7. Ejulatione haud opus est. *Cic.* 2. *Legg.* 23. 59. Lessus, quasi lugubris ejulatio.

EJŪLĀTUS, us, m. 4. idem atque ejulatio. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 55. Ingemiscere nonnunquam viro concessum est; idque raro: ejulatus ne mulieri quidem. Adde *eumd. Harusp. resp.* 18. 39. *Gell.* 1. 26. Querimonias, gemitus ejulatusque facere.

EJŪLITO, as, āvi, are, a. 1. *frequentat. ab* ejulo. *Lucilius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 103. *Müll.* et apud *Non.* p. 21. 20. *Merc.* Hic rudet e rostris atque ejulitabit. *Al. aliter leg.*

EJŪLO, as, are, a. 1. Part. *Ejulans* sub *a.* et *b.* — Ejulare est voce in altum sublata plorare: a sono, idest, ab *ei* vel ab *eheu*, vel potius a Gr. εἶα. Quidam *hejulo* dici malunt, ut sonus magis exaudiatur, a voce plorantium, *hoi*, *hei*. Occurrit — a) Neutrorum more. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 37. Homo ad prætorem deplorabundus venit; infit ibi postulare plorans, ejulans, ut etc. Adde *eumd. ibid.* 4. 9. 17. et *Merc.* 1. 1. 16. *Cic.* 2. *Tusc.* 7. 19. Herculem viderat in Œta magnitudine dolorum ejulantem. *Gell.* 12. 5. *post med.* Ejulans atque lamentans. — b) Cum Accusativo. *Apul.* 3. *Met. sub init.* Fortunas meas ejulabam. *et* 4. *ibid.* Altius ejulans sese, et assiduis singultibus ilia quatiens.

EJUNCESCO, is, ere, n. 3. (ex *et* juncus) in juncum evado, tenuis fio, gracilesco. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (182). Vitis ejuncescit. Ita legit *Harduin.* ex MSS.; alii *evanescit*. Sed non est opus hac varietate lectionis, ut apparet ex voce sequenti. Hinc et *Sillig.* lectionem *Harduini* secutus est.

EJUNCĬDUS, a, um, adject. tenuis instar junci, junceus: vox composita ex præpos. ex et *juncidus* pro *junceus*. *Gloss. Philox.* Ejuncidum, σχλαπτό[illegible]. *Varro* 1. *R. R.* 31. 3. Sarmentum ejuncidum. *Id.* 2. *ibid.* 10. 8. Mulieres ejuncidæ et contemnendæ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 33. (173). Vitis gracilis atque ejuncida.

EJŪNO, formula jurandi per Junonem. *Charis.* 2. p. 178. *Putsch.* V. ECASTOR.

EJŪRĀTIO, ōnis, f. 3. Apud *Tertull. Spectac.* 4. legitur *ejeratio*. — Ejuratio — a) Stricto sensu est muneris abdicatio. *Val. Max.* 2. 7. n. 7. Ignominiosa consulum ejuratione. *Paul. Diac.* p. 77. 17. *Müll.* Ejuratio significat, id, quod desideretur, non posse præstari. Plautus: Ejuravit militiam. — b) Hinc latiori sensu *Seneca Vita beat.* 26. *a med.* Odisse et lacessere virtutem, bonæ spei ejuratio est. h. e. rejectio et abdicatio spei de acquirenda virtute. *V.* EJURO.

EJŪRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EJŪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* juro). *Ejero* pro *ejuro*, eadem ratione qua *pejero*, habent *Scipio* apud *Cic.* 2. *Orat.* 70. 285.; *Cic.* 12. *Phil.* 7. 17. (*V.* infra sub 1.); et *Tertull. Spectac.* 24. et *Idol.* 18. — Part. *Ejurans* 3.; *Ejuratus* 3. et 4. — Ejurare est jurando recusare, detrectare; et occurrit ¶ 1. In re forensi sive in jure. *Ejurare forum iniquum* est jurisdictionem fori alicujus declinare, interposito juramento, se in eo jus suum obtinere non posse: *ejurare judicem iniquum*, rejicere aliquem judicem, jurando eum sibi iniquum esse. *Cic.* 5. *Verr.* 60. 137. Negotiatores putant esse turpe, id forum sibi iniquum ejurare, ubi negotientur: prætor provinciam suam totam sibi iniquam ejurat. V. *Klotz* ad h. l. *Id.* 12. *Phil.* 7. 17. Me iniquum ejerabant, de me querebantur. *Orellius* ita legit; *Forcellinus* et alii *ejurabant*. *Scipio* apud *Cic.* 2. *Orat.* 70. 285. Ejero; iniquus est. *et mox*. Non ego mihi illum iniquum ejero, verum omnibus. ¶ 2. In re mercatoria *ejurare bonam copiam* est jurando profiteri, sibi non suppetere facultates, seu copiam dissolvendi æs alienum; Itali dicunt *dichiarare il fallimento*: quemadmodum *jurare bonam copiam* est jurejurando in judicio affirmare, esse sibi tantam copiam rei familiaris, qua creditoribus satisfieri omnino possit. *Cic.* 9. *Fam.* 16. 7. Tu autem, quod mihi bonam copiam ejures, nihil est. *Varro* 7. *L. L.* 105. *Müll.* Liber qui suas operas in servitute pro pecunia quadam debebat, dum solveret, n e x u s vocatur, ut ab ære o b æ r a t u s. Hoc C. Popilliu auctore Visolo dictatore (*Müll.* legendum conjicit: *C. Pœtilio Visolo dictatore.* V. ejus adnotat. ad h. l.) sublatum ne fieret, ut omnes, qui bonam copiam jurarunt, ne essent nexi, sed soluti. *Tabula ænea Heracleensis* apud *Mazoch.* p. 423. QVI BONAM COPIAM IVRAVIT, IVRAVERIT; QVI SPONSORIBVS CREDITORIBVSVE SVIS RENVNCIAVIT, RENVNCIAVERIT, SE SOLDVM SOLVERE NON POSSE; AVT CVM EIS PACTVS EST, ERIT, SE SOLDVM SOLVERE NON POSSE etc. h. e. qui dolo malo creditoribus juravit, se adhuc solvendo esse, ut bonis interim dilapidandis damnum ipsis faceret; aut si is, qui bonam copiam juravit, postea se solidum solvere non posse, renunciaverit. Ita rectissime interpretatus est *G. Th. L. Marezollius* in *Fragm. Leg. Rom. Heracl.* p. 143.; contra vero se perperam *Mazochius*, quem vide *loc. cit.* ¶ 3. In re publica *ejurare magistratum*, *imperium*, est *jurando abdicare*, deponere, quasi jurando se imparem oneri esse, ait *Forcellinus*, seu rectius, ut recentiores arbitrantur, jurando se magistratu vel imperio legitime functum. *Plin.* 1. *Ep.* 23. 3. Et quasi ejurato magistratu privatum ipse me facerem. *Tac.* 12. *Ann.* 4. Adactus Silanus ejurare magistratum. *Fronto* 2. *ad M. Cæs.* 11. Eodem momento, quo consulatum ejuravero, vehiculum conscendam et ad vos pervolabo. Rursus *Tac.* 3. *Hist.* 37. Inire et ejurare consulatum. *Id. ibid.* 68. *extr.* imperium. — Et omisso Accusativo, qui tamen facile subauditur. *Tac.* 13. *Ann.* 14. Nero – demovet Pallantem cura rerum, quis a Claudio impositus velut arbitrium regni agebat; ferebaturque degredientem eo magna prosequentium multitudine, non absurde dixisse, ire Pallantem, ut ejuraret. *Id.* 4. *Hist.* 39. Et mox ejurante Frontino Cæsar Domitianus præturam cepit. ¶ 4. Hinc generatim est dimittere, deserere. *Plaut.* apud *Paul. Diac.* p. 77. 17. *Müll.* Ejuravit militiam. *Seneca Consol. ad Marc.* 19. Ejurare liberos. h. e. abdicare. *Id.* 6. *Benef.* 4. Aversari et ejurare patrem. h. e. non agnoscere, nec pro tali habere. *Tac.* 4. *Hist.* 28. Actæ utrobique prædæ: infestius in Ubiis, quod gens Germanicæ originis, ejurata patria, Romanorum nomen, Agrippinenses vocarentur. *Justin.* 12. 4. 1. A Philippo illum patre tantum degeneravisse, ut etiam patriæ nomen ejuraret, moresque Persarum assumeret. *Stat.* 2. *Achill.* 187. Ejurata fides domitorque inimicus. *Auson. Edyll.* 2. 31. Vitati cœtus ejuratique tumultus.

EJUSDEMMŎDI: voces duæ in unam coalescentes, ut ejusmodi. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. Quod non et iis, et si quis est alius ejusdemmodi, committi rectissime putem. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 24. 77. Nullum tale esse visum a vero, ut non ejusdemmodi etiam a falso possit esse. *Id.* 4. *Verr.* 12. 31.

Ejusdemmodi totum jus prætorium, ejusdemmodi omnis res judiciaria fuit in Sicilia per triennium, Verre prætore. Ceterum *V.* IDEM, eadem, idem, et MODUS.

EJUSMŎDI, talis, duo genitivi in unam vocem coalescentes, et adjectivi indeclinabilis naturam induentes. *Cic. pro leg. Manil.* 2. 6. Genus belli est ejusmodi, quod maxime vestros animos excitare debet. *Id.* 4. *Fam.* 11. Reliqua sunt ejusmodi, quibus ego æquo animo carebam: hoc vero ejusmodi esse statuo, ut etc. *Id.* 5. *Att.* 1. *a med.* Fuisse ejusmodi, qualem ego vidissem. *Id. Orat.* 32. 113. Quum compresserat digitos pugnumque fecerat, dialecticam ajebat ejusmodi esse. — Præstat etiam vicem adverbii, et ponitur pro adeo. *Cic. Cæl.* 7. 16. Est ejusmodi cupidus, ut etc. *Al. leg.* cupidiois. — Item pro ita, sic. *Id.* 3. *Verr.* 59. 151. Quam tu viam tensarum atque pompæ ejusmodi exegisti, ut etc. *Id.* 4. *Tusc.* 37. 80. Ii sunt ejusmodi constituti, quasi mala valetudine animi. *Al. leg.* ii sunt constituti, quasi etc. — Peculiare est illud *Nepot. Dion.* 7. Id ejusmodi erat, ut quum milites reconciliasset, amitteret optimates. Inseritur aliquando particula *ce* syllabica. *Gell.* 3. 14. *in lemmate.* Alia ejuscemodi qui dicat. *Apul.* 10. *Met.* Pullorum, piscium et ejuscemodi pulmentorum. Ceterum *V.* IS, ea, id, et MODUS.

EL

ĒLĀBOR, lābĕris, lapsus *vel* labsus sum, lābi, dep. 3. (ex et labi). Part. *Elapsus* in omnibus paragr.; *Elapsurus* sub *A.* II. *c.* — Elabi est effugere, evadere (It. *guizzar fuori, scorrer via, sfuggire, scappare*; Fr. *tomber hors, se glisser hors, s'échapper, s'esquiver, se dérober*; Hisp. *caer fuera, escurrirse, escapar, escaparse, huirse*; Germ. *entgleiten, herausfallen, entschlüpfen, entkommen*; Angl. *to slide or slip away, glide away, fall out, escape*). Occurrit autem *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more.

I.) Proprie. — *a*) Generatim occurrit absolute, aut cum additis. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 57. Anguilla est, elabitur. *Virg.* 1. *G.* 244. flexu sinuoso elabitur anguis Circum perque duas in morem fluminis Arctos. *Ovid.* 9. *Met.* 63. Elaborque viro, longum formatus in anguem. *viro* est Dativus. *Liv.* 1. 56. Anguis ex columna lignea elapsus. Adde *eumd.* 26. 19. *Lucret.* 5. 489. Et tanto magis illa foras elapsa volabant Corpora multa vaporis et aeris. *Cæs.* 2. *B. C.* 11. Quidquid incidit, fastigio musculi elabitur. *fastigio* est sextus casus. *Cic.* 1. *Divinat.* 23. 46. Quum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetivisse manibus, quum se convolvens sol elaberetur et abiret. *Id.* 2. *Nat. D.* 51. 128. Quum animal ex utero elapsum excidit. *Id.* 6. *de republ.* 26. Animi corporibus elapsi. *Ovid.* 9. *Met.* 571. elapsæ manibus cecidere tabellæ. *Liv.* 8. 7. Manlii cuspis super galeam hostis, Metii trans cervicem equi elapsa est. *Id.* 44. 10. Jumentum, e manibus curantium elapsum, in ulteriorem ripam effugit. *Plin.* 2. *Ep.* 1. 5. Liber, quem forte acceperat grandiorem, et seni et stanti ipso pondere elapsus est. *Curt.* 8. 14. 32. Multoque sanguine profuso languidis manibus magis elapsa, quam excussa tela mittebat. *Justin.* 33. 2. 3. Gladius ei e manu elapsus in mediam cohortem hostium decidit. — *b*) Speciatim cum præpos. *in* et Accusativo ponitur pro ascendere, ut evadere, egredi. *Virg.* 2. *G.* 305. ignis Robora comprendit, frondesque elapsus in altas, Ingentem cælo sonitum dedit. — *c*) Item speciatim de hominibus dicitur pro fugere. *Cæs.* 5. *B. G.* 37. Pauci ex prælio elapsi. *Cic.* 10. *Att.* 4. 3. e soceri manibus ac ferro. *Virg.* 1. *Æn.* 245. mediis elapsus Achivis. *Id.* 2. *ibid.* 318. telis elapsus Achivum. *Id. ibid.* 526. de cæde Pyrrhi. *Liv.* 1. 53. Inter tela et gladios patris elapsus. *Id.* 28. 33. inter tumultum. Cf. *Vellej.* 2. 41. Mutata veste urbe elapsus est. — *d*) Pro simplici labi, cadere, delabi affertur illud *Virg.* 12. *Æn.* 356. Semianimi elapsoque supervenit. Ita *Servius.* Alii leg. *lapsoque.*

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 94. Animus devinctus paulatim elapsus est Bacchidi. *Cic.* 2. *Orat.* 50. 202. Nihil unquam vidi, quod tam e manibus elaberetur, quam mihi tum elapsa est illa causa. *Id. Mur.* 39. 85. Sed, quid tandem fiet, si hæc elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur, redundarint? *Id.* 1. *Att.* 16. 6. Reipublicæ statum illum, quem tu meo consilio, ego divino confirmatum putabam, — elapsum scito esse de manibus uno hoc judicio. *Id. Dom.* 39. 104. Ex isto ore religionis verbum excidere, aut elabi potest? *Quintil.* 3. 1. 20. Tullius rhetoricos suos (*libros*) adolescenti sibi elapsos esse dicit. *h. e.* festinantius, quam vellet, editos. *Seneca Ep.* 77. *ante med.* Quamvis enim mortem sibi consciverit, tamen mollissime excepit et vitæ elapsus est. — *b*) Speciatim cum addito termino, ad quem quis elabitur, est delabi, incidere. *Liv.* 3. 37. Avide ruendo ad libertatem in servitutem elapsos juvare nolle. *Tac.* 4. *Hist.* 81. Elapsi in pravum artus. *Gell.* 10. 12. Fallax illecebra admirationum, quia pleraque capiuntur et ad perniciem elabuntur ingenia. — *c*) Item speciatim locum habet quum sermo est de re judiciali et de pœna, et est effugere. *Cic.* 3. *Verr.* 39. 102. Homo stultissime, satis te elapsurum omni suspicione arbitrabare, si etc. *Id.* 4. *ibid.* 58. 142. Ex tot tantisque criminibus elapsus est. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 4. 2. Quid essem, si, me agente, esset elapsus? *h. e.* damnationem effugisset. Adde *eumd. Senect.* 12. 42.; *Sueton. Tib.* 33.; et *Quintil.* 2. 11. 2., 2. 15. 8., 3. 6. 83. et 6. 3. 10. — Et de rebus ipsis *Sueton. Aug.* 32. Ne — quod autem maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur, xxx. amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit. — *d*) Item elabi dicuntur, quæ inde, ubi esse debent, excidunt seu evanescunt. *Cic.* 3. *Herenn.* 22. 35. Res e memoria elabuntur. *Lucan.* 9. 80. elapsus felix de pectore Magnus. *h. e.* obliviscor. — Et sine additis. *Plaut. Capt.* 3. 5. 90. Sperari miser ex servitute me exemisse filium. Ea spes elapsa est. *Lucret.* 3. 970. Sed quia semper aves, quod abest, præsentia temnis, Imperfecta tibi elapsa est ingrataque vita. *Cic.* 1. *Tusc.* 11. 24. Dum lego, assentior: quum posui librum, assensio omnis illa elabitur.

B) Active, qua ratione etiam *effugere,* raro admodum occurrit. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Pugnam, aut vincula elabi. *Id.* 4. *ibid.* 64. vim ignium. *Id.* 3. *Hist.* 59 custodias. Sic *Flor.* 1. 10. 7. Una ex obsidibus regi data, elapsa custodiam, Clœlia, per patrium flumen equitabat.

ĒLĀBŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. diligens labor et cura. *Cic.* 4. *Herenn.* 22. 32. Hæc non videntur fieri posse sine elaboratione et operæ consumptione.

ĒLĀBŌRĀTUS, a, um. *V.* ELABORO.

ĒLĀBŌRĀTUS, us, m. 4. idem quod elaboratio. In sexto casu singulari. *Apul. Florid. n.* 9. Hippias elaboratu mirandus.

ĒLĀBŌRO, as, āvi, ātum, are, 1. (ex et laboro). Part. *Elaborans* sub *A. a.*; *Elaboratus* sub *B.*; *Elaboraturus* sub *A. e.*; *Elaborandus* sub *B.* — Elaborare usurpatur *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more elaborare est eniti, multum laboris ponere, sedulam operam dare, contendere. *Laborare* est vires in aliquo opere exercere cum molestia et frustratione: *elaborare* vero habet adjunctam significationem aut fructus, quem in laborando spectes, aut finis, quem habiturus labor sit. Occurrit autem — *a*) Cum Ablativo rei et præpos. *in. Cic.* 2. *leg. Agr.* 25. 67. Quod est tam asperum saxetum, in quo agricolarum cultus non elaboret? *Id.* 1. *Orat.* 3. 9. Qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quæcumque possent, — comprehenderint. *Id. ibid.* 5. 19. Quibus in singulis elaborare permagnum est. *Id. Senect.* 8. 26. Elaborare in litteris. *Id. ibid.* 11. 38. In his exercitationibus ingenii desudans atque elaborans. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 5. 18. et 7. 22., *Orat.* 16. 53. et 28. 98., *Senect.* 7. 24., 1. *Off.* 1. 3. et 1. *Tusc.* 1. 1. *Quintil.* 5. 10. 119. Nisi in ceteris, quæ nos præcipienda sunt, elaboraverint. — Passive impersonaliter. *Cic.* 2. *Fam.* 6. 5. In hac petitione non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum est. *Tac. Dial. de orat.* 30. Transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum elaboratur. *Al. leg.* laboratur. — *b*) Raro admodum cum Accusativo rei et præpos. *in.*, et quidem passive impersonaliter. *Quintil.* 2. 8. 8. Ei non in unam partem aliquam, sed in omnia elaborandum est. Cf. *eumd.* 12. 1. 31. et V. ibi *Spalding.* — *c*) Sequente part. ut. *Cic.* 2. *Orat.* 72. 295. Non tam ut prosim causis, elaborare soleo, quam ut ne quid obsim. *Id. ad Capiton.* 16. *Att.* 16. 12. Enitere, elabora, vel potius eblandire, effice, ut Plancus sit melior. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 14. § 42. Contende, quæso, atque elabora, non modo ut his rebus dignus fuisse, sed etiam ut illa omnia tuis artibus superasse videare. *Mamertin. Gratiar. action. ad Julian.* 32. *ad fin.* Polliceor, omni vitæ meæ tempore summis opibus enixurum, elaboraturum, effecturum, ut etc. — Et passive impersonaliter. *Cic. Orat.* 12. 38. De industria, non ex insidiis, sed aperte ac palam elaboratur, ut verba verbis respondeant. — Huc pertinet et illa dicendi ratio *in eo* vel *iis elaborare, ut* etc. *Cic.* 1. *Fin.* 4. 10. Debeo profecto, quantumcumque possim, in eo quoque elaborare, ut sint opera, studio, labore meo doctiores cives mei. *Quintil.* 4. 1. 45. In iis elaborandum, ut etc. — *d*) Sequente Infinito. *Quintil.* 3. 8. 58. Breviores commentarios facere elaborarunt. *e*) Cum Dativo et Gerund. *Quintil.* 12. 11. 22. Cui docendæ priores elaborarunt. — *f*) Absolute. *Cic. Brut.* 72. 253. Si cogitata præclare eloqui possent, nonnulli studio et usu elaboraverunt. *Al. leg.* si ut. *Q. Cic. Petit. cons.* 6. 24. Qui etiam si antea non studuerunt huic gratiæ, tamen ex tempore elaborare ejus causa, cui debent aut volunt, facile possunt. *Domitius Afer* apud *Quintil.* 6. 3. 68. Age aliquid et reipublicæ causa elabora.

B) Active elaborare est studiose et cum labore aliquid conficere: qua significatione occurrit — *a*) Sæpissime Part. præter. pass. *Cic. Brut.* 7. 26. A Græcis elaborata dicendi vis atque copia. *Id. ibid.* 90. 312. Causas diligenter elaboratas et tamquam elucubratas afferebamus. *Id. pro leg. Manil.* 1. 1. Nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere. Adde *eumd. Cæl.* 19. 45. *Id. Orat.* 11. 36. Ornati et elaborati versus. *Horat. Epod.* 14. 12. Flevit amorem Non elaboratum ad pedem. *h. e.* versibus inexcultis. *Quintil.* 4. 1. 54. Etiamsi reliqua scripta et elaborata sint. *quibus* ibid. *opponitur* extemporalis actio. Adde *eumd.* 8. 3. 12., 9. 4. 1. et 10. 4. 4. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 60. (184). Elaborata ars. *h. e.* studiose exculta. — Hinc *elaboratus* apud Rhetores est etiam artificii plenus. *Cic. Orat.* 2. 5. 84. Nam illa, de quibus ante dixi, huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata, — et immutatione litteræ quasi quæsitæ venustates; ne elaborata concinnitas et quoddam aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat. *Quintil.* 12. 10. 40. Nihil arcessiti et elaborati. — *b*) Passive. *Cic.* 3. *Fam.* 13. Hæc mihi ampliora multo sunt, quam illa ipsa, propter quæ hæc elaborantur. *Al. leg.* laborantur. *Id.* 9. *ibid.* 18. Quidquid elaborari aut effici potuerit ad istorum benevolentiam conciliandam. *Tac. Dial. de orat.* 6. *in fin.* Nam in ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen quæ sua sponte nascuntur. *Plin.* 6. *Ep.* 31. *ad fin.* Portus brachium sinistrum firmissimo opere munitum est, dextrum elaboratur. *Alter Plin.* 7. *Hist. nat.* 3. 3. (34). Effigies magnorum artificum ingeniis elaboratæ. *Val. Max.* 8. 10. *n.* 2. Hortensius pæne plus studii in corporis decoro motu elaborando, quam in ipsa eloquentia affectanda impendit. *Justin.* 1. 11. 2. Filius contentus elaborato a parentibus imperio, belli studia deposuit. *h. e.* laboribus parentum parto. — *c*) Activa forma raro admodum occurrit. *Horat.* 3. *Od.* 1. 18. non Siculæ dapes Dulcem elaborabunt saporem. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 3. 6. (11). Privatim Ægina candelabrorum superficiem dumtaxat elaboravit.

ĒLĂCĀTA, æ, *vel Græca positione*

ĒLĂCĀTE, es, f. 1. ἠλακάτη, nomen piscis ex genere thynnorum, salsamentis apti: ita dicti, quod colum muliebrem figura refert, quæ Græce id nomen habet. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 12. — A *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (149). dicuntur hi pisces elacatenes ἠλακατῆνες. Unde *elacatena* dicitur a *Paul. Diac.* p. 76. 15. *Müll.* genus salsamenti, quod appellatur vulgo melandrya. *Müll.* recte adnotat, τὸ *elacatena* esse Accus. sing. num. Ceterum *Sillig* apud *Plin. loc. cit.* pro *elacatenes* cum *Ian.* legit *ictinus,* et quidem rectius, non modo quia id postulat ipse alphabeticus ordo, quo piscium nomina exhibentur, verum etiam quia optimorum Codicum lectiones, quamvis falsæ, huic proxime accedunt. *V.* ICTINUS.

ĒLĂCĀTEN, ēnis, *et*

ĒLĂCĀTĒNES, um, m. plur. 3. *V.* voc. præced.

ELACTESCO, is, ere, n. 3. est album fieri ad modum lactis. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 84. (230). Addensari sub dio atque elactescere. *Melior lectio habet* lactescere *juxta* Forcellinum: *at* Sillig *ex opt. Codice et ex* Apul. Herb. *legit* glaclescere; *quod præstat etiam ex collatione* Theophr. 9. Hist. plant. 18. 1. et Dioscor. 3. 153.

ĒLÆEMPŎRĬA, æ, f. 1. ἐλαιεμπορία, olei coemendi cura, mercatura olearia. Vox Græca ab ἔλαιον *oleum* et ἐμπορία *mercatura*. *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. *a med.* Elæemporia, ut ospratura, apud Alexandrinos patrimonii munus existimatur.

ĒLÆŎGĂRUM, i, n. 2. ab ἔλαιον *oleum*, et *garum* (quam vocem *V.*) est garum oleo commistum. *Apic.* 7. 3. In ficato elæogarum. *Vulgati libri habent* ad œnogarum.

ĒLÆŎMĔLI, n. indeclin. ἐλαιόμελι, oleum saporis mellei; ab ἔλαιον *oleum* et μέλι *mel*. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (32). Sponte nascitur in Syriæ maritimis, quod elæomeli vocant: manat ex arboribus pingue, crassius melle, resina tenuius, sapore dulci. *Id.* 23. *ibid.* 4. 50. (96). Elæomeli, quod in Syria ex ipsis oleis manare diximus, sapore melleo, non sine nausea, alvum solvit, bilem detrahit, etc. Cf. *Isid.* 7. *Orig.* 11.

ĒLÆON, ōnis, m. 3. ἐλαιών, locus oleis consitus: ab ἐλαία *olea*. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 39. *extr.* Ad noctem vero in elæonem secedebat.

ĒLÆŎTHĔSĬUM, ii, m. 2. ἐλαιοθέσιον, membrum balinei, in quo oleum et ceroma reponebantur, et loti, aut certaturi ungebantur, idem atque unctorium: ab ἔλαιον *oleum* et τίθημι *pono*. *Vitruv.* 5. 11. Ad sinistram ephebei elæothesium. *V.* UNCTORIUS.

ĒLAMBO, is, ere, a. 3. (ex *et* lambo). Part. *Elambens* I. — Elambo est idem fere ac lambo.

I.) Proprie. *Mar. Victorin.* 4. *p.* 2606. *Putsch.* Nonne videmus – alia (*animalia*) matris ubera, mox ut elambente matris lingua detersa sint, rictu oris attrahere?

II.) Improprie. *Jornand. Get.* 42. Cujus (*urbis Aquilejensis*) ab oriente muros Natiso amnis, fluens a monte Picis, elambit.

ĒLĀMENTĀBĬLIS, e, adject. lamentis et querelarum plenus. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 57. Si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur; sin erit elamentabilis, si imbecillus, si abjectus, etc. *Al. leg.* lamentabilis. *V. tamen* Moser ad h. l.

ĒLANGUEO, gues, *vel rectius*

ĒLANGUESCO, guescis, gui, guescere, n. 3. *inchoat.* ab *ex* et *langueo*. — Elangueo quod offertur a *Forcellini* nusquam occurrit. — Part. *Elanguescens*. — Elanguesco est idem quod langueo, vel valde langueo. — *a*) In præsenti tempore. *Vellej.* 2. 111. 4. Viribus hostis elanguescit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (91). Elanguescit vis. *Sil. It.* 4. 140. Elanguescens et jam casura cornus. *Gell.* 3. 1. Omnis vigor animi languescit et effeminatur. — Absolute. *Liv.* 35. 45. Non est elanguescendum. — *b*) In præteritis. *Liv.* 5. 26. Differendo deinde elanguit res. Adde *eumd.* 2. 3. 23.; et *Sueton. Galb.* 1. *Curt.* 4. 15. Prælium, quod elanguerat, accendit. *Tac.* 4. *Hist.* 42. Elanguimus, P. C., nec jam ille senatus sumus, qui etc. *Gell.* 16. 3. Post inediam tridui omnis appetitio elanguerit. *Val. Flacc.* 4. 572. Hæsit uterque polo, dubiisque elanguit alis. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 42. *de Hannib.* Quum Urbem capere posset, in Campaniam devertit, cujus deliciis elanguit.

ĒLANGUĬDUS, a, um, adject. valde languidus. *Venant.* 1. *de Vita S. Martini* 296. Paullatimque focis elanguida ligna resorbet.

ĒLĂPHŎBOSCON, i, n. 2. ἐλαφόβοσκον, herba (al. pabulum cervi) ferulacea, geniculata, digiti crassitudine, semine corymbi, dependentibus foliis olusatri, commendata in cibis contra serpentium morsus: ab ἔλαφος *cervus*, et βόσκω *pasco*. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 37. (79). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 131.) hanc exhibet synonymiam: Ἐλαφόβοσκον Dioscor. 3. 80. et *Elaphoboscon Plin. loc. cit.* sunt *Pastinaca sativa* L. Spec. plant. 376.

ĒLĂPĬDĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *elapido*, lapidibus purgatus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 43. (145). Solum elapidatum purgatumque subigitur. Adde *eumd.* 17. *ibid.* 4. 3. (30). et 10. 14. (69).

ĒLAPSUS *vel* elabsus, a, um. *V.* ELABOR.

ĒLĂQUEĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒLĂQUEO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et laqueus). Part. *Elaqueatus* I., *Elaqueandus* II. — Elaqueo est laqueis exsolvo, expedio.

I.) Proprie. *Ammian.* 30. 1. Quem elaqueatum fidem rupturum existimabat.

II.) Figurate. *Sidon.* 8. *Ep.* 9. Se a vinculo laqueali angoris elaqueat. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 147. Elaqueanda animi constantia, ne retinaclis prematur.

ĒLARGĬOR, iris, itus sum, iri, dep. 4. (ex *et* largior) largiter donare. *Pers.* 3. 70. patriæ carisque propinquis Quantum elargiri deceat. Adde *Cic.* 1. *Fam.* 5., ubi tamen plerique alii leg. *largior*. Idem dicito de alio loco *Livii initio lib.* 3., ubi multo rectius *et largiendo*, quam *elargiendo* legitur.

ĒLASSESCO, is, ere, n. 3. idem ac lassesco, lassitudine deficio. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 41. (98). In arboribus tamen nimia germinatio elassescit. *Silligio* scribendum videtur *elanguescit*, quum illud ἅπαξ εἰρημένον in lectione vulgata sit destitutum omni analogia.

ĒLĀTA, æ, f. 1. *V.* ELATE, es.

ĒLĀTĒ, adverb. Comp. *Elatius*. — Elate ab *elatus* (effero) est alte; sed occurrit translate tantum. *Cic.* 5. *Tusc.* 9. 24. Elate et ample loqui. *Id. Opt. Gen. orat.* 4. 10. Ut Demosthenes certe possit summisse dicere, elate Lysias fortasse non possit. *Cæs.* 3. *B. G.* 79. De prælio ad Dyrrachium facto, elatius inflatiusque multo, quam res erat gesta, fama percrebuerat. *Nepos Pausan.* 2. Pari felicitate in ea re usus, elatius se gerere cœpit, majoresque appetere res. *h. e.*, ut *Florus* 1. 26. loquitur, altius se et insolentius efferre. *Gell.* 9. 15. Præfatur arrogantius et elatius, quam ætati ejus decebat.

ĒLĀTE, es, f. 1. ἐλάτη, genus arboris. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 28. 62. (134). Est præterea arbor, quam alii elaten vocant (quod nos abietem), alii palmam, alii spathen. Laudatur Hammoniaca maxime, mox Ægyptia, dein Syriaca, dumtaxat in locis sitientibus odorata, pingui lacrima, quæ in unguenta additur ad domandum oleum. Adde *eumd.* 23. *ibid.* 5. 53. (99). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 58.) ad priorem *Plinii* locum hæc habet: « On croit, qu'il s'agit encore ici du *Phœnix dactylifera*, du dattier, qui ne produit aucune espèce de gomme, ni de resine. Par *elate* et par *spathe*, il faut entendre l'enveloppe du régime (grappe du fruit) que les modernes nomment aussi spathe. Pline applique ici à l'arbre le nomme de l'une de ses parties seulement, et c'est une erreur ». Hanc clarissimi *Fée* sententiam confirmant quæ mox afferemus, in quibus Latina positione *elata*, æ, f. 1. usurpatur pro germine palmarum. *Edict. Dioclet. p.* 28. Germina palmæ, sive elatæ. *Vulgat. interpr. Cant.* 5. 11. Comæ ejus, sicut elatæ palmarum.

ĒLĀTĒRĬUM, ii, n. 2. ἐλατήριον, medicamentum ex succo expresso ex semine cucumeris silvestris, et in pastillos redacto: ab ἐλάω seu ἐλαύνω *pello*, *depello*, *moveo*, quia inter alia vim habet evocandi et educendi. *Cels.* 5. 12. et 6. 5.; *Scribon. Compos.* 70. et 224.; et qui fusius de eo agit, *Plin.* 20. *Hist. nat.* 1. 2. (3).

ĒLĀTĪNE, æ, f. 1. ἐλατίνη, herba, quæ folia helxinæ habet, pusilla, pilosa, rotunda, semipedalibus ramis quinis senisve, a radice statim foliosis, acerba gustu. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 50. (74). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 447.) hanc exhibet synonymiam: Ἐλατίνη Dioscor. 4. 40. et *Elatine* Plin. loc. cit. sunt *Antirrhinum spurium* L. Spec. plant. 851.

ĒLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus efferendi.

I.) Proprie. ¶ 1. Est actus in altum ferendi. *Vitruv.* 8. 10. Succulæ cardines porrecti in chelonilis, versando faciunt onerum elationes. *h. e.* onerum egressus in altum, ut paullo ante dixerat. ¶ 2. Item actus ferendi aliquid foras. *Ulp. Dig.* 11. 7. 14. Si quid impensum est in elatione mortui. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. n.* 402. FIACVLVM FACTVM OB FERRI ELATIONEM. *et n.* 43. IMMOLAVIT OB FERRI ELATIONEM. *scil.* ut liceret ferrum per lucum et ex luco ferre, quod, nisi piaculo facto, et ab nemorensibus diis petita venia, fieri nequaquam poterat.

II.) Figurate. ¶ 1. Active ponitur pro magnitudine, sublimitate; et occurrit præcipue de oratione. *Cic. Brut.* 17. 66. Elatio atque altitudo orationis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 19. (81). Auctor est Varro in prodigiosa virium elatione. *h. e.* ubi prodigiosas vires magnificat et in cælum effert. *Cic.* 1. *Off.* 19. 64. Elatio et magnitudo animi. *Id. Topic.* 18. 71. Parium comparatio nec elationem habet, nec summissionem. ¶ 2. Passive dicitur de affectuum vehementia, qua alicujus animus effertur. *Cic.* 3. *Fin.* 10. 35. Lætitia, gestientis animi elatio voluptaria. Sic dicitur *efferri dolore*, *lætitia* etc. V. EFFERO. ¶ 3. Specialim pro superbia usurpat *Arnob.* 2. 63. Si arrogantia, si typhus, si elatio abesset a vobis.

ĒLĀTĪTES, æ, m. 1. ἐλατίτης, lapis ex genere hæmatitarum, ita dictus a colore elates arboris. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 20. 38. (147). *Sillig.* vero ex Cod. *B.* pro *elatiten* legit *hepatiten*.

ĒLĀTO, as, are, a. 1. (ex *et* latus) idem fere ac dilato. *Cassiod. Complex. Act. Apost.* 13. Apostoli accepta fiducia verbum Domini constanter elatabant.

ĒLĀTŌRĬĒ, adverb. per amplificationem, vel per hyperbolem. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 1.

ĒLĀTRO, as, are, a. 1. (ex *et* latro) idem ac latro, vel valde latro. Occurrit translate tantum. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 18. et vere quod placet ut non acriter elatrem. *Tertull. Pall.* 5. *circa med.* Ego nulla prætoria observo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, jura non conturbo, causas non elatro.

ĒLĀTUS, a, um. *V.* EFFERO.

ĒLAUDĀRE plus quam nominare. *Paul. Diac. p.* 76. 4. *Müll.*

ĒLAUTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒLĀVO, lāvas, lāvi, lautum *vel* lōtum, lāvare, a. 1. (ex *et* lavo). Part. *Elautus* I. et II.; *Elotus* I. — Elavo est lavando aufero, probe lavo.

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 3. 3. 37. Quæ ambæ elautæ sumus opera Neptuni. *Id. Pœn.* 1. 2. 22. Nam quæ elauta est, nisi perculta est, meo quidem animo, quasi illauta est. *Id. Trin.* 2. 4. 5. Eluta cerussa. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 21. Elotus in balneis. Adde *Cels.* 6. 6. n. 3.

II.) Translate. *Elavisse bonis* dicitur qui bona amisit: sumptum a naufragis. *Plaut. Asin.* 1. 2. 9. In mari reperi, hic elavi bonis. *Id. Rud.* 5. 2. 20. Hac proxima nocte in mari elavi: nam confracta navis est: perdidi quidquid erat, miser, ibi omne. *V.* ELUO.

ĒLĔCĔBRA *vel* exlecebra, æ, f. 1. quæ elicit, aufert, spoliat, emungit. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 20. Excidium, exitium, exlecebra fiet hic equus hodie auro senis. *Id. Men.* 2. 3. 26. Sunt hic meretrices omnes elecebræ argentariæ. Cf. *Paul. Diac. p.* 765. *Müll.* Elecebræ argentariæ, meretrices ab eliciendo argento dictæ. Rursus *Plaut. Truc.* 1. 2. 82. Mala es, atque eadem, quæ soles, elecebra. *Al. leg.* illecebra.

ĒLECTĀRĬUM *vel* electuarium, ii, n. 2. medicamenti genus, quod lingitur, vel sorbetur. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 89. (154). *ecligma* vocat; est enim ab ἐκλείχω *delambo*: sunt tamen qui *electarium* sive *electuarium* ab *electis* speciebus, quibus conficitur, dictum putent. *Isid.* 4. *Orig.* 9. Electarium vocatum, eo quod molle sorbeatur. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *ante med.* Ob electarium conficiendum erunt sumenda mala punica recentia etc. *Id. ibid. paullo post.* Infuso passo sufficientis quantitatis, quo medicamen electarii crassitudinem sumat.

ĒLECTĒ, adverb. Comp. *Electius*. — Electe est cum electione. *Cic.* 1. *Invent.* 30. 49. Discrete et electe digeremus. *Gell.* 18. 7. Veteres, qui electius locuti sunt.

ĒLECTĬBĬLIS, e, adject. electus, selectus. *Apul.* 10. *Met.* Electibiles partes nusquam comparent.

ĒLECTĬLIS, e, adject. selectus. *Plaut. Most.* 3. 2. 41. Vino et victu, et piscatu probo et electili vitam colitis.

ĒLECTĬO, ōnis, f. 3. selectio, approbatio. — *a*) In singulari numero. *Cic. Orat.* 20. 68. Id autem est judicium electioque verborum. *Vellej.* 2. 72. Electionem dare. *Plin.* 10. *Ep.* 4. loci alicui afferre. Adde *Quintil.* 1. 12. 4., 3. 4. 8. et 10. 1. 6.; et *Tac.* 6. *Ann.* 22. et *Dial. de orat.* 23. — *b*) In plurali numero. *Tac. Dial. de orat.* 35. Vitiatarum electiones.

ĒLECTĪVĒ, adverb. per electionem, electionem significando. *Asper Jun. p.* 1732. *Putsch.* Aut personaliter fiunt (*adverbia*), ut *mecum*, *tecum*. Aut

elective, ut *potius*. Aut discretive, ut seorsum. *Priscian.* 18. p. 1119. *Putsch.* Elective quoque sæpissime hoc modo (*subjunctivo*) utimur, ut *imperem potius quam moneam, discam quam doceam.*

ĒLECTĪVUS, a, um, adject. ad electionem pertinens, electionem significans. *Priscian.* 16. p. 1030. *Putsch.* Discretivæ vel electivæ sunt (*conjunctiones*), quando diversis præpositis aliquid ex eis nos eligere ostendimus, ut *dives volo esse, quam pauper.*

ĒLECTO, as, are, a. 1. Est frequentativum *A)* Ab *elicio*; aut *B)* Ab *eligo*.

A) Electo est frequentativum ab *elicio*, et ejusdem significationis, ut *Paul. Diac.* p. 76. 6. *Müll.* docet. *Plaut. Asin.* 2. 2. 29. Quæ illæc præda est? ibo adversum atque electabo quidquid est. h. e. blande alliciendo exquiram, extundam et resciscam. *Id. Merc.* 1. 2. 111. Ne te opprimeret imprudentem, atque electaret.

B) Item frequentativum ab *eligo*, is. *Plaut. Truc.* 2. 6. 27. Jamne electat legionem, quam spoliare velit?

ĒLECTOR, ōris, m. 3. duo diversa significat; aut enim

A) Est ab *eligo*, et significat illum, qui eligit. *Cic.* 4. *Herenn.* 4. 7. Ipsi ab aliis potius eligendi, quam aliorum boni electores existimentur.

B) *Elector* vocatus est sol, quod homines sine lecto faciat, seu e lectu excitet: est enim ἠλέκτωρ pro ἀλέκτωρ, ab α privat. et λέκτρον lectus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 11. (31). Electrum appellatum, quoniam sol vocitatus sit elector. — Hucusque *Forcellinus*. At rectius *elector* est radians, splendens, quemadmodum interpretatus est etiam *Isid.* 16. *Orig.* 23. 4. Electrum vocatum, quod ad radium solis clarius auro argentoque reluceat. Sol enim a poetis electron (*lege* elector) vocatur. *V.* Ἠλέκτωρ in Lexicis Græcis.

ĒLECTRĒUS, a, um, adject. ex electro factus. *Lamprid. Alex. Sev.* 25. Alexandri habitu nummos figuravit, et quidem electreos aliquantos, sed plurimos tamen aureos. *Al. leg.* electrinos.

ĒLECTRĪDES PETRÆ in Britannia fuisse creditæ sunt, ex quibus electrum flueret. *Id. ibid.* — *NB.* De insularum nomine *V.* ONOM. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 11. (35).

ĒLECTRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. electri ferax. *Claudian. Fescenn. carm.* 12. 11. Et Padus electriferis Admoduletur alnis.

ĒLECTRĪNUS, a, um, adject. ἠλέκτρινος, electreus, ut Electrina patera, *Trebell. Poll.* XXX. *Tyrann.* 13. Electrina vasa, *Paul. Dig.* 31. 2. 32. § 5. Electrini anuli, *Marcell. Empir.* 8. *ante med.* Adde *Hieronym. Ep.* 54. n. 19.

ĒLECTRIX, īcis, f. 3. quæ eligit, vel elicit. Affertur locus *Plauti* in *Mil. glor.* 3. 1. 194.: at alii rectius leg. *meretrix*. Certa est lectio apud *Vulgat. interpr. Sapient.* 8. 4. (*Sapientia*) doctrix est disciplinæ Dei et electrix operis illius.

ĒLECTRUM, i, n. 2. ἤλεκτρος et ἤλεκτρον. ¶ 1. Est resina quædam ex certis arboribus fluens, Latine *succinum*. De variis Græcorum circa id opinionibus, deque ejus natura fuse multa *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 11. (31). et seqq. — Dictum est ab ἠλέκτωρ sol, quia solis instar elucet. Hinc fabulæ origo, Solis filias, Phaethontis sorores, in ripis Padi sive Eridani, in populos fuisse conversas, ex quibus electrum defluat: et in ostiis ejusdem amnis insulas duas esse electri feracissimas. Ita fere *Plin. loc. cit.* — Ceterum ex hoc *Plinii* loco, *Tac. Germ.* 45., *Solin.* 20. et *Cassiod.* 5. *Variar.* 2. certe constat, Venedos Suevicæ populos, ex quibus erant Estyorum gentes, ad ostia Vistulæ, (ubi olim fuit insula Baunonia, seu Baudania, a *Plin.* 4. *Hist. nat.* 13. 27. (94). memorata, et fluvius Raudanes, ex corrupto Eridani nomine ita appellatus, prope urbem, quæ nunc *Dantica*) maximam electri seu succini copiam, quod ipsi glesum nominabant, colligere solitos; quodque per Pannonias in Illyricum ad Transpadanos homines delatum fabulæ locum fecit, ad ripas Padi, qui et Eridanus a Græcis dicitur, Venetos populos electrum ibidem natum varios in usus adhibuisse. — De hoc *Virg.* 8. *Ecl.* 54. Pinguia corticibus sudent electra myricæ. *Id. Cir.* 434. Coralio fragili ac electro lacrimoso. *Ovid.* 15. *Met.* 316. Crathis et huic Sybaris nostris conterminus arvis Electro similes faciunt auroque capillos. *Priscian. Perieg.* 290. *de Eridano.* Hic Phaetonta suum caræ lucere sorores, Hic electra legunt alnis stillantia Celtæ, Succina quæ memorant mellis viscive colore, Quæ paleas rapiunt tacta frondesque caducas. — Hinc dicitur etiam de electrinis globulis, quod ad sese refrigerandas Romanæ matronæ manibus gestare solebant: V. *Böttiger Sabina* 2. 110. Huc pertinet illud *Ovid.* 2. *Met.* 364. Inde fluunt lacrymæ; stillataque sole rigescunt De ramis electra novis: quæ lucidus amnis Excipit, et nuribus mittit gestanda Latinis. ¶ 2. Electrum est etiam metalli genus, scilicet aurum, cui ex *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 23. (80). quinta, ex *Isid.* 16. *Orig.* 24. quarta argenti portio inest: unde *Manil.* 5. 535. Et facti mercator erit per utrumque metalli. h. e. ex auro et argento compositi. Est autem duplicis generis: fossile, cui ea ratione argentum natura est admixtum: et factitium, cui arte portio illa argenti admiscetur, ut *Plin. loc. cit.* et 9. *ibid.* 40. 65. (139). docet. Ejus natura est ad lucernarum lumina clarius argento splendere. Nativum vero venena etiam deprehendit. Namque discurrunt in calicibus arcus, cœlestibus similes, cum igneo stridore. *Plin. loc. prius.* in hac § *cit.* V. *L. Bossi, Dell' elettro metallo degli antichi, Milano* 1791. in 8.°; et *Blas. Caryophill. de fodin.* p. 142. — De hoc *Virg.* 8. *Æn.* 402. Quod fieri ferro liquidove potest electro. *Alii perperam leg.* liquidove potestur electro. *Id. ibid.* 624. Tum leves ocreas electro auroque recocto. *Sil. It.* 1. 229. Hic (*scil.* in Hispania) omne metallum: Electri gemino pallent de semine venæ. Adde *Stat.* 4. *Theb.* 270. — Hinc de iis, quæ ex hoc metallo facta constant. *Martial.* 8. 51. Vera minus flavo radiant electra metallo. h. e. hæc phiala ex electro factitio composita magis fulget, quam verum electrum. Alii tamen aliter interpretantur. *Juvenal.* 14. 306. attonitus pro Electro signisque suis. h. e. pro varia supellectile pretiosa, vasis ex electro, statuis ex auro, argento etc.

ĒLECTUĀRIUM, *V.* ELECTARIUM.

ĒLECTUS, a, um, *V.* ELIGO.

ĒLECTUS, us, m. electio. *Ovid. Heroid.* 2. 144. In necis electu parva futura mora est. *Al. leg.* electum. V. *Loers.* ad h. l.

ĒLEĒMOSȲNA, æ, f. 1. ἐλεημοσύνη, miseratio, beneficium pauperibus præstitum, stips pauperibus data: ab ἐλεήμων *misericors.* *Tertull. Patient.* 7. In causa eleemosynæ. *Augustin.* 21. *Civ. Dei* 27. Qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt. *Id. ibid.* Per eleemosynas dimitti posse peccata.

ĒLEĒMŎSȲNĀRĬUS, ii, m. 2. ad eleemosynam pertinens. *Alcim. Ep.* 1. *sub init.* Eleemosynaria largitio.

ĒLĔGANS, antis, adject. omn. gen. Comp. *Elegantior* sub *B.* 1.° et 2.°; Sup. *Elegantissimus* in omnibus paragr. — Elegans generatim est, qui studiose conquirit ea, quæ ad vitam cultumque, sive ad alia pertinent: ab *eligendo* dictus, ut docet *Cic.* 2. *Nat. D.* 28. 72., quasi *eligens* quod præstantissimum est in re qualibet. Quare in antiquis libris *eligans, eligantia* scriptum invenitur. Juxta *Döderlein. Latein. Synonym.* vol. 6. p. 110. vox constare potest ex præpos. *ex* atque etymo v. ἀλέγω *curo, studiosus sum, attentus sum.* Quidquid vero sit de etymo, elegans usurpatur *A)* In malam, aut *B)* In bonam partem, ratione habita temporum.

A) In malam partem. Olim usque ad ætatem Catonis vitii, non laudis fuit, ut *Gell.* 11. 2. tradit: fuit enim nimis exquisitus, fastidiosus. *Cato ibid.* et apud *Non.* p. 465. 18. *Merc.* Avaritia omnia vitia habere putabant: sumptuosus, cupidus, elegans, vitiosus, irritus qui habebatur, is laudabatur. *Plaut. Trin.* 2. 1. 14. Harpago, mendax, cuppes, avarus, elegans, despoliator. *Ter. Eun.* 3. 1. 17. TH. Tum me convivam solum abducebat sibi. GN. Hui, regem elegantem narrat. Ubi *Donatus*, quem secutus est *Forcellinus*: Qui eligere sciat, aut qui ipse sit eligendus. At *Donatus* hæc perperam; namque nimis parcus et exquisitus est, qui unum solum convivam abducit. Idem dicendum de altero quoque *Terentii* loco, quem *Forcellinus* eadem ratione interpretatus est, *Eun.* 3. 5. 18. Quum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem. h. e. explorator cunctantis ac fastidiosi judicii: et sumptum volunt a triumviris monetalibus, ad quos nummi spectandi deferebantur. — Ex his apparet, elegantem dictum antiquitus non ob ingenii elegantiam, sed qui nimis lecto amœnoque cultu victuque esset. Postea reprehendi quidem desiit: sed laude nulla dignabatur, nisi cujus elegantia erat moderatissima. Sic M. Tullius L. Crasso et Q. Scævolæ non meram elegantiam, sed parsimonia mixtam laudi dedit. *Crassus*, inquit (*Brut.* 40. 148.), erat elegantium parcissimus, Scævola parcorum elegantissimus. Hæc *Gell.* Adde *Non. loc. cit.*

B) In bonam partem aurea ætate convenit; et universim accipitur pro mundo, concinno, lauto, et qui judicio et electione comparat, quæ ad victum cultumque, itemque ad cetera, sunt necessaria, considerans ubique quid deceat et mundum sit (It. *elegante, proprio*; Fr. *choisi, plein de goût, distingué*; Hisp. *escogido, lleno de gusto, distinguido*; Germ. *gewählt, geschmackvoll, fein*; Angl. *elegant, fit, proper.*) Occurrit — 1.°) De personis. *Cic. Orat.* 25. 83. Ut in epularum apparatu a magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegantem videri volet. *Id. fragm. Clod.* apud *Non.* p. 465. 15. *Merc.* (ex *Cic. fragm.* ab *A. Peyronio*). Tu vero festivus, tu elegans, tu solus urbanus, quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriæ, qui effeminare vultum, attenuare vocem, levare corpus potes. *Id.* 2. *Fin.* 8. 23. Nemo nostrum istius generis asotos jucunde putat vivere, mundos, elegantes, optimis cocis, pistoribus, etc. *Nepos Att.* 13. Elegans, non magnificus, splendidus, non sumptuosus, omni diligentia munditiem, non affluentiam affectabat. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (7). Vasa Corinthia, quæ isti elegantiores modo in esculenta transferunt, modo in lucernas aut trulleos, nullo munditiarum dispectu. *Val. Max.* 4. 3. n. 3. *extern.* Mulier formosa et elegans. — *Elegans pictor* est qui venuste pingit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (111). Annumeratur his Nicophanes, pictor elegans et concinnus, ita ut venustate ei pauci comparentur. — Sæpissime refertur ad dicendi rationem, et est is, qui electis verbis, propriis, aptis, concinnaque et pura oratione utitur. *Cic. Brut.* 9. 35. Egregie subtilis scriptor atque elegans. *Id. ibid.* 16. 63. Acuti sunt, elegantes, faceti, breves. *Id. ibid.* 68. 239. Elegans in dicendo. *Id. fragm.* apud *Sueton. Cæs.* 55. Quis verbis aut ornatior, aut elegantior? *Nepos Att.* 12. Elegantissimus poeta. — Item refertur ad judicium, quo quis pollet in discernendis quæ optima sunt in quoque genere. *Cic.* 7. *Fam.* 23. Intelligo te hominem in omni judicio elegantissimum quæque me digna putaris, coemisse. (*Intelligens* eodem sensu dicitur ab *eod.* 6. *Verr.* 2. 4.). *Id.* 6. *Verr.* 44. 98. Vide, ne ille non solum temperantia, sed etiam intelligentia te, atque istos, qui se elegantes dici volunt, vicerit. *Vellej.* 1. 13. Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ admirator fuit, ut etc. — 2.°) De rebus. *Ter. Eun.* 5. 4. 13. Nihil videtur mundius, nec magis compositum quidquam, nec magis elegans. *Cic.* 1. *Divinat.* 30. 62. Epicurus sentit nihil unquam elegans, nihil decorum. *Id. Rosc. Am.* 41. Pueri ex tot elegantissimis familiis lecti. *Id.* 3. *Fin.* 2. 4. Artes elegantes et ingenuæ. *Id.* 4. *ibid.* 10. 24. A te elegantiora desidero. *Id.* 1. *Tusc.* 25. 62. A quibus mansuefacti et exculti a necessariis artificiis ad elegantiora defluximus. *Liv.* 41. 9. Elegantioris exercitii, quam militaris artis simulacrum. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 8. 8. (34). Amurca æramenta ungi coloris gratia elegantioris. *Tac.* 11. *Ann.* 4. *extr.* Eleganti temperamento inter conjugalem amorem et senatoriam necessitatem. *Gell.* 13. 5. *in lemmate.* Elegans verecundia. — *Elegans solum* est ager pulcher visu ob culturam et fertilitatem. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 5. (50). Neglecta per indiligentiam prædia paraverat, ac ne in pessimis quidem elegantioris soli. — Sæpissime refertur ad dicendi rationem. *Cic.* 2. *Orat.* 59. 241. Perspicitis, hoc genus quam sit facetum, quam elegans, quam oratorium. *Id.* 1. *Off.* 29. 104. Duplex jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. *Id. Brut.* 85. 292. Illam ironiam facetam et elegantem puto. *Quintil.* 6. 3. 39. In his omnibus elegans et venusta exiguitas tota expositio. *Id.* 10. 1. 99. Elegantissima scripta Terentii. *Id.* 5. 13. 6. Jucundum et elegans ingenium. *Gell.* 17. 2. Verba et sententiæ elegantes. *Id.* 5. 20. Hujus vocis elegantior in hoc loco sonus est. — Est etiam commodus, aptus, conveniens, rectus.

honestus, decens. *M. Antonius* apud *Cic.* 13. *Phil.* 18. 38. Animadvertite, utrum sit elegantius et partibus utilius, Trebonii mortem persequi, an Cæsaris. Reprehendit quidem *Cic.* ibi hanc loquendi rationem, sed odio id hominis fecisse magis videtur *P. Victorio l.* 22. *variar. lect. c.* 8., quam ratione: eodem enim sensu usurpasse *Livium* 37. 1. (*V.* voc. seq.) adverb. *eleganter*, et *Demosth. pro Ctesiph.* dixisse, σκόπει, πότερον κάλλιον, καὶ ἄμεινον τῇ πόλει etc.

ĔLĔGANTER, adverb. Reperitur et *Eliganter*: *V.* voc. præced. init. — Comp. *Elegantius* et Sup. *Elegantissime*. — Eleganter est cum delectu ac judicio (ut in voce præced. dictum est), convenienter, apte, concinne, laute, munditer. *Cic. Senect.* 5. 13. Est enim quiete et pure et eleganter actæ ætatis placida et lenis senectus. *Id. Planc.* 12. 31. Adolescentia eleganter traducta. Cf. *Liv.* 33. 31. Vir magnæ ob eleganter actam vitam auctoritatis. Rursus *Cic.* 13. *Att.* 52. Liberti lautiores eleganter accepti. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 19. (43). Herba scapo pedali, sine ramis, ex omni parte singulis foliis rotundis eleganter vestita. *Sall. Cat.* 25. Psallere et saltare elegantius, quam necesse est probæ. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 17. 57. Quid enim facere potuit elegantius ad hominum existimationem? *Id.* 3. *Fam.* 8. 2. Quid a me fieri potuit aut elegantius aut justius, quam ut sumptus egentissimarum civitatum minuerem sine ulla imminutione dignitatis tuæ? *h. e.* rectius judicando. Sic *Liv.* 37. 1. Elegantius facturos dixit, si judicio Patrum, quam si sorti, eam rem permisissent. *Id.* 35. 14. Ad hoc neminem elegantius loca cepisse, præsidia disposuisse. Similiter *Ulp. Dig.* 10. 3. 7. *a med.* Eleganter dicitur, non esse audiendum, nisi etc. — Sæpe refertur ad eloquentiam, et significat adhibito verborum delectu. *Cic.* 2. *Tusc.* 3. 7. Distincte, distribute, eleganter, ornate scribere. *Id. Brut.* 22. 86. Causam accurate eleganterque dicere. Adde *eumd.* 5. *Fam.* 13. 3.; et *Quintil.* 6. 3. 102., 8. 2. 21. et 9. 2. 28. *Cic. Brut.* 72. 252. Omnium loqui elegantissime. *Quintil.* 11. 1. 74. Illud elegantissime excusat.

ĔLĔGANTĬA, æ, f. 1. Scribitur et *Eligantia*: *V.* ELEGANS init. — Elegantia est munditia, lautitia, convenientia, cultus, ornatus ex delectu rerum ad victum vitamque, itemque ad cetera pertinentium, ut in ELEGANS dictum est (It. *eleganza, buon gusto, pulitezza, proprietà*; Fr. *goût, délicatesse, élégance, convenance*; Hisp. *elegancia, hermosura, gusto, conveniencia*; Germ. *d. Feinheit, geschmackvolle Wahl, Artigkeit*; Angl. *elegance, neatness, spruceness, politeness*). Occurrit — *a*) Generatim; et quidem — Cum addito Genitivo rei. *Cic.* 1. *Orat.* 2. 5. Solesque a me dissentire, quod ego prudentissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statuam, tu autem illam ab elegantia doctrinæ segregandam putes. *Id.* 3. *Legg.* 1. 1. *de Attico.* Quid enim est elegantia tua dignius? cujus vita et oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate. *societas gravitatis* etc. Genitivi præstant vicem. *Nepos* de eodem Attico, in *ejus Vita* 19. Augusti familiaritatem consecutus est nulla alia re, quam elegantia vitæ, qua ceteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortuna humiliore. *Tac.* 5. *Ann.* 8. Pomponius multa morum elegantia et ingenio illustri, dum adversam fortunam æquus tolerat, Tiberio superstes fuit. *Id.* 14. *ibid.* 19. Elegantia vitæ. *Id. Agric.* 2. convivlorum. *Quintil.* 10. 1. 83. Socraticorum. — Absolute. *Plaut. Merc.* 1. 1. 18. Amorem hæc cuncta vitia sectari solent, cura, ægritudo nimiaque elegantia. *Cic. Orat.* 23. 79. Fucati vero medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur: elegantia modo et munditia remanebit. 9. *Fam.* 20. 2. Verrium tuum et Camillum, qua munditia homines! qua elegantia! vocare (*ad cœnam*) sæpius audemus. *Id. Sull.* 28. 79. Vestra enim, judices, qui cum summa elegantia et integritate vixistis, hoc maxime interest. *Id.* 3. *Fin.* 2. 4. Agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia. *Phædr.* 2. 2. Ætatis mediæ mulier, annos celans elegantia. *Sueton. Aug.* 73. Instrumenti ejus et supellectilis parsimonia apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatæ elegantiæ sint. *Quintil.* 6. 3. 20. Decoris et excultæ cujusdam elegantiæ. Adde *eumd.* 10. 2. 19. *Flor.* 1. 5. Tarquinius Priscus regnum petens, accipit ob industriam et elegantiam. — Et in plurali numero. *Petron. Satyr.* 34. Laudatus propter elegantias dominus. *h. e.* elegantem supellectilem et lautum apparatum convivii. — *b*) Speciatim de pulcritudine et venusta specie rerum selectarum et apte compositarum. — Cum addito Genitivo. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 33. (67). Elegantia capilli, venustas oris. *Id.* 16. *ibid.* 15. 26. (66). Acer operum elegantia ac subtilitate citro secundum. *Id.* 21. *ibid.* 18. 69. (114). Elegantia vitilium. *h. e.* operum, quæ ex vitilibus constant. *Cic.* 2. *Fin.* 9. 27. Contemnit disserendi elegantiam: confuse loquitur. — Absolute. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 4. 3. (8). Quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellavere, eum nos, a perfecta absolutaque elegantia, mundum. *Id.* 13. *ibid.* 9. 18. (62). Materies crispioris elegantiæ. *h. e.* venis ligni crispioribus et pulcris visu. *Id.* 26. *ibid.* 14. 89. (150). Cicatrices cum elegantia ad colorem reducit ladanum. *Id.* 14. *ibid.* 6. 8. (70). Hispaniarum Laletana (*vina*) copia nobilitantur: elegantia vero Tarraconensia. *h. e.* pulcro colore et sapore. — *c*) Item judicium et facultas discernendi quæ optima sunt. *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 18. Metus me macerat, quod ille fastidiosus est, ne oculi ejus sententiam mutent, ubi viderit me, atque ejus elegantia meam extemplo speciem spernat. Huc est, ait *Forcellinus*, quod *Ter. Eun.* 3. 5. 18. dixit *elegans formarum spectator*: seu potius severum fastidientis judicium, de quo *V.* in ELEGANS sub *A.* — *d*) Sæpissime ad dicendi nitorem et pulcritudinem orationis refertur. — Cum addito Genitivo. *Cic.* 2. *Orat.* 7. 28. Catulo non solum nos Latini sermonis, sed etiam Græci ipsi solent suæ linguæ subtilitatem elegantiamque concedere. *Id.* 4. *Fam.* 4. 1. Facile cedo tuorum scriptorum subtilitati et elegantiæ. *Id. Orat.* 23. 79. Elegantia et munditia orationis. *Id. Brut.* 75. 261. Elegantia verborum Latinorum. *Quintil.* 10. 1. 114. mira sermonis. *Id.* 12. 9. 6. figurarum. — Absolute. *Cic.* 4. *Herenn.* 12. 17. Elegantia est, quæ facit, ut unumquidque pure et aperte dici videatur: hæc distribuitur in latinitatem et explanationem. — In plurali numero. *Gell.* 2. 9. Vocum verborumque elegantias sectari. *Id.* 1. 4. Julianus rhetor veterum elegantiarum cura et memoria multa fuit. *Id.* 19. 4. Aristotelis libri, qui problemata inscribuntur, lepidissimi et elegantiarum genus omne referti. *h. e.* quæstionum electarum et pulcriorum.

ĔLĔGĀTUS, i, m. 2. piscis genus. *Auson. Epist.* 4. 59. Urentes thynni, et male tecti spina elegati. *Turneb. adversar. l.* 1. *c.* 23. legit: *Elacati*; quem reprehendit *Scal. in not. ad Auson.*

ĔLĔGĒUS, a, um, adject. ἐλέγειος, elegiacus. *Fragm. Auct. incert.* in *Anal. gramm. Vindob. p.* 519. 17. Metrum elegeum est, quod alternatim habeat heroum et pentametrum versum.

ĔLĔGI, ōrum, m. plur. 2. (ἔλεγοι), versus elegiaci, elegia. *Horat.* 1. *Od.* 33. 2. neu miserabiles Decantes elegos. Adde *eumd.* 2. *Ep.* 2. 91. et *Art. P.* 77.; *Tibull.* 2. 4. 13.; *Propert.* 4. 1. 35.; *Ovid.* 2. *Amor.* 1. 21., 3. *ibid.* 15. 19. et 2. *Fast.* 125.; *Juvenal.* 1. 4.; *Tac. Dial. de orat.* 10.; *Sueton. Vit. Horat.*; et *Plin.* 5. *Ep.* 17.

ĔLĔGĬA, æ, f. 1. (ἐλεγεία). Poetæ sæpenumero pænultimam, quæ diphthongus est, solvunt, et quinque syllabarum vocem faciunt, *elegeia*. *Ovid. Heroid.* 15. 7. Flendus amor meus est: elegeia flebile carmen. *Id.* 3. *Amor.* 9. 3. Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos: Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit! *Loers* vero *loco prius cit.* ultimam producta putat. — De alia forma. *V.* ELEGION. Ceterum ¶ 1. Elegia est carmen flebile ex alternis versibus hexametris et pentametris: ab ἒ, ἒ, *he, he*, interjectio dolentis, vox flentis, quæ geminari solet. et λέγω *dico* (ut affirmat *Plotius de metr. p.* 2631. *Putsch.* Elegiacum metrum dictum est, quod esset (*corrige* ἒ ἒ) sonat interjectionem flentis.), vel ab ἔλεγος *luctus*. — *Callinus*, seu *Callinous* Ephesius primus elegiam scripsit, de quo multa docte commentatus est *Jo. Valentin. Frankius* in *Dissert.* cui titulus *Callinus*; V. et *Bachium* ad *Solonem p.* 7., et *Santenium* ad *Terentian. p.* 281. et *p.* 304. et seqq. *Terentian. de metr. p.* 2420. *Putsch.* Pentametrum dubitant quis primus finxerit auctor: Quidam non dubitant dicere Callinoum. *Vet. Scholiast. ad Cic. Arch.* 3. (edente *A. Maio*). Primus autem videtur elegiacum carmen scripsisse Callinus. Aliter vero sentit *Plotius de metr. p.* 2635. *Putsch.* Auctorem vero hujus metri, id est elegiaci, alii Pythagoram, quidam Ortugem, nonnulli Mimnermum dicunt. Unde de incerto auctore eleganter Horatius lusit sic: *Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.* — Elegia etiam in rebus lætis, levioribus tamen, usurpari cœpit. *Horat. Art. P.* 75. Versibus impariter junctis querimonia primum, Post etiam inclusa est voti sententia compos. *Martial.* 5. 30. nec te facundi scena Catulli Detinent, cultis aut elegia comis. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 7. Vultu petulans elegia. *scil.* quæ lascivos amores tractat. Adde *Quintil.* 1. 8. 6. et 10. 1. 58. et 93. — Sæpe etiam ut dea, vel Musa, vel Nympha a Poetis fingitur ac describitur, ut *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 7. et *Stat. loc. cit.* ¶ 2. *Elegia* quoque vocatur a quibusdam arundo obliqua, fruticis modo se spargens juxta terram. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (167). Alii tamen rectius leg. *epigia*; ἐπίγειος enim est *humi repens*. Ipse *Sillig.*, quamvis *elegiam* legat, adnotat suspectam hanc vocem esse *Constantino* et *Schneidero* ad *Theophr.* 4. *Hist. plant.* 11. 13. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 391.) *epigia* legit, atque hanc exhibet synonymiam: *Arundo Epigeios* Plin. loc. cit. et Κάλαμος ἐπίγειος Theoph. loc. cit. sunt *Calamagrostis Epigeios* Roth. Germ. 2. 1. 91. et *Arundo Epigeios* L. Spec. plant. 120.

ĔLĔGĪĂCUS, a, um, adject. ad elegiam spectans, ut Elegiacum carmen, apud Grammaticos. *Diomed.* 3. *p.* 507. *Putsch.*; *Serv. in centimetr. p.* 1824.; *Capell.* 5. *p.* 168. etc.

ĔLĔGĪĀRĬUS, a, um, adject. ad elegiam pertinens, ut *Elegiarii poetæ* apud *Auct. fragm. c.* 9., quod cum *Censorino* editum legitur in *ejusd.* editionibus.

ĒLĬGĬBĬLIS, e, adject. Comp. *Elegibilior*. — Elegibilis est qui dignus est eligi. *Boeth. Aristot. Topic.* 4. *p.* 692. Et si quid propter se honorabilium vel elegibilium in potestate — posuit. *Id. ibid.* 3. 1. *p.* 680. Utrum autem elegibilius, aut melius duorum pluriumve, ex his perspiciendum. *Id. Aristot. Elench. sophist.* 1. 12. *p.* 742. Quædam interrogationum habent utrinque inopinabilem responsionem, ut utrum sapientibus, an patri oporteat obedire, et expedientia facere, an justa, et an injuriam pati elegibilius, quam nocere. *Ubique libri habent* eligibilis.

ĔLĔGĪDĀRĬON, *vel Latina positione*

ĔLĔGĪDĀRĬUM, ii, n. 2. Idem quod elegidion. *Petron. Satyr.* 109. Cœpit capillorum elegidarium dicere. *Al. leg.* elegidarion.

ĔLĔGĪDĬON, ii, n. 2. ἐλεγίδιον, *deminut. ab* elegia, parva elegia. *Pers.* 1. 51. non si qua elegidia crudi Dictarunt proceres.

ĔLĔGĪON *vel* ĕlĕgēon, ii, n. 2. (ἐλεγεῖον) pro elegidion, vel elegia, legitur apud *Auson. epigr.* 94. auoæ textum elegion erat. *Græca positio*. — In plurali num. *Auson. Parental.* 29. accipe questus, Debent quos cineri mæsta elegia tuo. *Plerique leg.* elegen *eodem sensu*; *alii vero leg.* debet.

ĒLĒGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et lego, as) extra familiam lego, extraneis lego. *Petron. Satyr. fragm. Tragur.* 43. *Burmann.* Et ille stips, dum fratri suo irascitur, nescio cui terræ filio patrimonium elegavit. V. *Caj.* 2. *Instit.* § 215. edit. Boonens.

ĔLĔGUS, a, um, adject. ἔλεγος, idem atque elegiacus. *Diomed.* 3. *p.* 502. *Putsch.* Elegum metrum binis versibus constat. *Id. ibid.* Elegum pentametrum constat ex duobus semiquinariis. et *mox*. Elegus hexameter.

ĔLĔGUS, i, m. 2. Usurpatur tantum in plurali numero. *V.* ELEGI, orum.

ĔLĔLISPHĂCOS, *vel Latina positione*

ĔLĔLISPHĂCUS, i, m. 2. ἐλελίσφακος, herba lente levior, et folio minore, sicciore, odoratiore: fortasse ab ἐλελίζω *torqueo*, hæc enim femina mari implicatur. Ea est sativa. Est et alterum genus, silvestrius, odore gravi: hæc mitior, folio mali cotonei effigie, sed minore et candido. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 71. (146). *Seren. Sammon.* 22. 385. Protinus ex mulso potanda elelisphacus herba est. *V.* SALVIA. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 151.) ad *Plin. loc. cit.* hæc ait: « Le texte de Pline réunit visiblement des plantes qu'il faut séparer. Le premier *elelisphacos* est vraisemblablement une légumineuse du genre *ervum*, et peut-être l'*E. tetraspermum* L. Spec. plant. 1039., fort commun dans la plupart des pro-

vinces grecques. Le second *elelisphacos* est de la famille des légumineuses, et appartient, suivant toute vraisemblance, au genre *salvia*: nous penchons à croire que c'est la *Salvia pomifera* L. Spec. plant. 34. » Paullo post addit, verum *elelisphacon* esse *Salviam officinalem* L. Spec. plant. 34.

ĔLĔMENTA, ōrum, n. plur. 2. In singulari numero *elementum* occurrit tantum apud serioris ævi scriptores: *V.* infra sub 1. *b.* — Elementa Latine sunt, quæ Græce στοιχεῖα, scilicet principia omnium rerum, ex quibus reliqua omnia componuntur et in quæ resolvuntur. Quibusdam dicta videntur quasi *alimenta*, quia viventia aluntur iisdem, ex quibus componuntur et in quæ resolvuntur: vel potius derivanda ab inusit. ἕλω pro εἴλω volvo.

I.) Proprie. — *a*) In plurali numero. *Lucret.* 2. 391. Et quamvis subito per colum vina videmus Perfluere; at contra tardum cunctatur olivum: Aut quia nimirum majoribus est elementis, Aut magis hamatis inter se perque plicatis. *Id.* 1. 823. Quin etiam passim nostris in versibus ipsis Multa elementa vides multis communia verbis. Adde *eumd.* 3. 375. et alibi sæpe. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 7. 26. Ergo illa initia, ut e Græco vertam, elementa dicuntur. Adde *eumd.* 3. *Fin.* 5. 19. *Seneca* 2. *Ira* 18. Quum elementa sint quatuor, ignis, aqua, aer et terra, potestates pares his sunt, frigida, fervida, arida atque humida. V. *eumd.* 5. *Quæst. nat.* 12. 13. et 14.; et adde *Ovid.* 1. *Met.* 29.; *Quintil.* 2. 17. 38. et 3. 8. 31.; et *Juvenal.* 14. 17. *Tertull. Spectac.* 6. Mundialia elementa. — De elementorum natura et invicem conversione V. *Ovid.* 15. *Met.* 239. — *b*) In singulari numero. *Juvenal.* 15. 86. *de igne*, elemento gratulor. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 1. 1. (1). *de aqua*. Hoc elementum ceteris omnibus imperat. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 36. 42. (119)., 10. *ibid.* 69. 88. (191)., itemque 31. *ibid.* 7. 41. (88). ubi etiam sal *elementum* vocat; *Curt.* 9. 9. 26.; *Ammian.* 17. 13.; *Apul.* 4. *Met.*; *Veget.* 4. *Veterin.* 42. *Schneid.*; et *Symmach.* 6. *Ep.* 71.

II.) Translate. ¶ 1. Elementa dicuntur notæ litterarum, quia sunt prima principia orationis. Nam ex litteris syllabæ, et syllabis dictiones, et dictionibus oratio conficitur. *Sueton. Cæs.* 56. In quibus (*epistolis*) si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit, id est, sic structo litterarum ordine, ut nullum verbum effici posset: quæ si quis investigare et persequi vellet, quartam elementorum litteram, id est *d* pro *a*, et perinde reliquas commutet. *Forcellinus* addit: *Quintil.* 1. 1. 35., cujus verba ita intelligere videtur *Hieronym. Ep.* 107. *n.* 4. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 26. pueris dant crustola blandi Doctores, elementa velint ut discere prima. At apud *Quintil.* et *Horat.* significatio vocis latius patet; non modo enim litterarum notæ, verum etiam prima artium scientiarumque principia complectitur. *V.* paragr. proxime seq. ¶ 2. Item prima principia artium et scientiarum, ut geometriæ, dialecticæ, etc. Et iis enim artes et scientiæ oriuntur, et in ea resolvuntur. *Cic.* 1. *Orat.* 35. 163. Hæc, quæ isti forsitan puerorum elementa videantur, exquirere. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 17. Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem Occupet extremis in vicis balba senectus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 1. 27.; *Cic.* 2. *Orat.* 11. 45.; et loca cit. in paragr. proxime superiori. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 92. Elementa loquendi. *Quintil.* 1. 1. 6. grammatices. *Id.* 3. 3. 13. rhetorices. *Id.* 1. 1. 23. litterarum. *Tac.* 13. *Ann.* 3. doctrinæ. ¶ 3. De iis, quæ logici *prædicamenta* vocant. *Quintil.* 3. 6. 23. Aristoteles elementa decem constituit, circa quæ versari videatur omnis quæstio: οὐσίαν, qualitatem, quantitatem, etc. Adde *eumd.* 3. 6. 25. ¶ 4. Per metonymiam *elementa* dicuntur primi puerorum conatus in litteris. *Quintil.* 1. 2. 26. Vix enim se prima elementa ad spem tollere effingendæ, quam summam putant, eloquentiæ audebunt. ¶ 5. Item initia et principia cujusque rei. *Ovid.* 3. *Fast.* 179. Parva fuit, si prima velis elementa referre, Roma. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 10. Sacra illa spiritus (*h. e.* animæ) elementa cum terrenis primordiis miscere. *Stat.* 6. *Theb.* 140. sonorum elementa tuorum. Rursus *Ovid.* 3. *Fast.* 709. Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt Cæsaris: ulcisci justa per arma patrem. *Horat.* 3. *Od.* 24. 54. Eradenda cupidinis Pravi sunt elementa. et teneræ nimis Mentes asperioribus Formandæ studiis. *Juvenal.* 14. 123. elementa vitiorum. *Sil. It.* 3. 77. Vagitumque gravem atque irarum elementa meorum.

ĔLĔMENTĀRĬUS, a, um, adject. ad elementa pertinens, ut elementarius puer, qui scil. prima litterarum elementa discit. Sic elementarius senex, quem turpem et ridiculum rem esse scribit *Seneca Ep.* 36. *Capitolin. Pertin.* 1. Puer litteris elementaris et calculo imbutus.

ĔLĔMENTĬCĬUS, a, um, adject. elementarius. *Tertull. Anim.* 32. Ex elementiciis substantiis censeri.

ĔLĔMENTUM, i. *V.* ELEMENTA sub init.

ĔLENCHUS, i, m. 2. ἔλεγχος. ¶ 1. Est unio procerior, fastigata longitudine, alabastrorum figura in pleniorem orbem desinens. Hujusmodi suspendere digitis, et binos ac ternos auribus, feminarum gloria est. Cum id ferere, crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant et collisu ipso margaritarum. Hæc *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 56. (113). Hinc *Juvenal.* 6. 458. Auribus extensis magnos commisit elenchos. *Paul. Dig.* 34. 2. 32. § 8. Cum inaures, in quibus duæ margaritæ elenchi, et smaragdi duo, legasset etc. ¶ 2. Item tabula, index libri, quia ἔλεγχος specimen, documentum, indicem significat. *Post præfat. Hist. nat. Plin.* 6. Pilloli Secundi historiarum mundi elenchos. Adde *Sueton. Grammat.* 8., qui tamen locus dubiæ est interpretationis.

ĔLENCTĬCUS, a, um, adject. ἐλεγκτικός, qui convincit, convictivus. *C. Jul. Vict. art. rhetor.* (edente *A. Mai.*) 11. *p.* 67. Enthymematon formæ sunt quinque, electicon (*corrige* elencticon), item dicticon, item gnomicon, item paradigmaticon, item syllogisticon. Elencticon, quod solum apud veteres tractabatur, in quo repugnantia colliguntur, cujusmodi est hoc: Liberalem se prædicat: idem peculatum fecisse convincitur. Pugnant enim liberalitas et peculatus.

ĔLENTESCO, is, ere, n. inchoat. 3. lentus et tener fio. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 18. Panis elutus et expressus, ut suæ densitatis pusitu elentescat.

ĔLĔPHANTĀRĬUS, ii, m. 2. qui elephantes curat, ut aviarius qui aves, apiarius qui apes. *Inscript.* apud *Jo. Mengottium de' Plestini Umbri p.* 22. A. NOVITIO GNIOTI ELEFANTARIO POSUIT etc. Hic littera *f* est pro *ph*, ut sæpissime in antiquis lapidibus sequioris temporis.

ĔLĔPHANTĬA, æ, f. 1. idem quod elephantiasis. *Scribon. Compos.* 250. Hoc etiam lepram, et quam dicunt elephantiam, sanat. Adde *Lactant.* 4. 26. 12. *Theod. Priscian.* 1. 2. Sed quoniam aliquando supercilia, vitio imminentis elephantiæ, aut siccitate omnia corporis cadunt, etc. Adde *eumd.* 1. 32.

ĔLĔPHANTĬĂCUS, a, um, adject. ἐλεφαντιακός, qui morbo elephantiæ laborat. *Firmic.* 8. *Mathes.* 19. *ad fin.* — Hinc

Elephantiaci, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt qui elephantiasi laborant. *Hieronym.* 6. *in Ezech.* 18. 6. Quo tempore (*menstruorum*) si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fetus vitium seminis trahere: ita ut leprosi et elephantiaci ex hac conceptione nascantur, et fœda in utroque sexu corpora, parvitate vel enormitate membrorum, sanies corrupta degeneret.

ĔLĔPHANTĬĂSIS, is, f. 3. ἐλεφαντίασις, morbus hominum et armentorum, quo cutis maculatur, et inæqualiter crebris tumoribus exasperatur, similisque fit cuti elephanti, quæ naturaliter dura et aspera est, ut *Veget.* 1. *Veterin.* 9. 1. docet. Eum describit *Cels.* 3. 25., sed Græce appellat. Latine autem *Plin.* ipse quoque describens 26. *Hist. nat.* 1. 5. (7). Adde *eumd.* 20. *ibid.* 14. 52. (144). et alibi; et *V.* TRANSPORTANEUS.

ĔLĔPHANTĬCUS, a, um, adject. qui elephantiasi laborat. *Firmic.* 8. *Mathes.* 28. — Similiter *Isid.* 4. *Orig.* 8. 12. Morbus elephanticus. *h. e.* elephantiasis.

ĔLĔPHANTĪNUS, a, um, adject. ἐλεφάντινος. Si reperias apud Latinos scriptores *elephantina pellis*, *caro*, aut quid simile, quod ad ipsam belluam pertineat, *elephantinus* penultima correpta adhuc efferes, quia non est hoc Latina ratione formatum, sed Græca; ἐλεφάντινος autem penultimam corripit. Sed *Scheller* in Lexico, licet nullum afferat locum, longam facit penultimam, atque ita etiam sentit *Lupoliccardi*, *Gramm. lat. p.* 77., qui aliter statuit in *Gramm. ital. p.* 242. — Ceterum elephantinus ¶ 1. Generatim est ad elephantem pertinens. *Val. Max.* 1. 6. 5. Ejusdem generis monstra credita sunt: puerum infantem cum elephantino capite natum. ¶ 2. Specialim qui est ex ebore, qui est dens elephanti: vel ebore distinctus et ornatus. *Vopisc. Tacit.* 8. Habet bibliotheca Ulpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc S. C. perscriptum est. *h. e.* librum qui e tabellis eburneis totus constabat. *V.* PUGILLARES. — Emplastri cujusdam compositio ex cerussa et oleo, quia percandida est instar eboris, *elephantina* dicitur a *Celso* 6. 19. n. 24. — Præterea atramentum ex ebore combusto ab Apelle inventum, *elephantinum* ab eo dictum est, uti narrat *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 25. (42).

ĔLĔPHANTĬŌSIS, is, f. 3. idem quod elephantiasis. *Veget.* 4. *Veterin.* 3. 4. Est elephantiosis, quoties velut scabies minutæ pustulæ circa nares vel collum exeunt ad similitudinem lenticulæ.

ĔLĔPHANTĬŌSUS, a, um, adject. elephantiacus. *Veget.* 1. *Veterin.* 16., si sana ibi est lectio, et *August.* 9. *de Genes. ad litt.* 10. *a med.* Sic *Theod. Priscian.* 1. 30. Scabiosos, veluti elephantiosos, si quis forte ungues (*h. e.* paronychias) habuerit, viol fæx sicca, trita et cum cerotario imposita curat. Adde *eumd.* 1. 32. *in lemmate.*

ĔLĔPHANTUS, i, m. 2. *V.* voc. seq. init.

ĔLĔPHAS, antis, m. 3. ἐλέφας. — In casibus obliquis occurrit sæpe et altera forma *elephantus*, *i*, Græc. ἐλέφαντος. — Qui putant forma *elephas* usum etiam *Ciceronem de Senect.* 9. 27., incerta lectione nituntur. — Ceterum

I.) Proprie *elephas* est animal in Asia, et in Africa, omnium terrestrium maximum, idemque ingeniosissimum: ita appellatum fuit ab Hebr. אלף *eleph*, bos, et princeps, et prima alphabeti littera; est enim ob magnitudinem, animalium princeps. Elephantes primum vidit Italia Pyrrhi regis bello (ann. ab U. C. 472.) in Lucanis et boves Lucas nominavit: primos vero Curius Dentatus Romam eos in triumpho suo (a. 479.) duxit. Duos habet dentes exstantes, vel potius cornua, quæ ebur dicuntur, et ex quibus fiunt opera eburnea. Biennio utero gravescit, nec amplius quam semel gignit, nec plures quam singulos. Vivere dicitur annos CCC: immo ait *Cassiod.* 10. *Variar.* 30. Elephantes æneí, qui solent in carnali substantia supra millenos annos vivere, occasum videntur proximum in simulacris æneis sustinere. *Cassiod.* hic loquitur de restaurandis quadrigis elephantorum, quæ Romæ erant: hæ fortasse fuerunt, quæ Gordiano III. decretæ a senatu sunt, ut refert *Capitolin. Gordian.* 27., postquam nunciatum Romæ est, illum victoriam retulisse de Sapore Persarum rege. Multa de elephanto *Plin.* 8. *Hist. nat.* 1. 1. et seq.; et *Cassiod. l. c.* Primus fuit Pompejus, qui in circo elephantorum XVIII. pugnam edidit, commissis more prælii noxiis hominibus: *Seneca* 1. *Brevit. vit.* 13. *Plaut. Stich.* 1. 3. 14. Solere elephantum gravidam perpetuos decem esse annos. Adde *eumd. Mil. glor.* 1. 1. 25. et *Ter. Eun.* 3. 1. 23. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 123. Manus etiam data elephantis. *Martial. Spectac.* 17. Quod pius et supplex elephas te, Cæsar, adorat, et 19. Dum facilem tolli sic elephanta putas. Adde *Lucret.* 2. 538. et 5. 1227.; *Nepot. Eumen.* 11. et *Hann.* 3.; *Liv.* 21. 58., 23. 49., 44. 41. et alibi; *Auct. B. Afr.* 72. et 84.; *Colum.* 3. *R. R.* 8. 3.; *Curt.* 5. 2. 10. et alibi; *Justin.* 15. 4. 19., 25. 1. 6. et 18. 1. 6.; *Sueton. Cæs.* 66. et *Claud.* 11.; *Senec. Ep.* 85.; *Manil.* 4. 236.; *Juvenal.* 12. 102. et 10. 150.; et *Lucan.* 6. 208. — De elephantis funambulis *V.* in CATADROMUS. — Proverbii genus est illud *Plauti Mil. glor.* 2. 2. 80. Herus meus elephanti corio circumtentus est, non suo: neque habet plus sapientiæ, quam lapis. *h. e.* bardus et hebes est. Est enim illi belluæ corium crassissimum et impenetrabile. — *Celerius elephanti pariunt*, proverb. cum res longius opinione protrahitur. *Plin. præfat. Hist. nat.* 28. Homeromastigas audio parturire adversus libellos, quos de grammatica edidi et subinde abortus facere jam decem annis, quum celerius etiam elephanti pariant.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice pro ebore a poetis ponitur. *Virg.* 3. *G.* 26. In foribus pugnam ex auro, solidoque elephanto Gangaridum faciam. *Id.* 3. *Æn.* 461. Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto. *Id.* 6. *ibid.* 896. Candens elephantus. ¶ 2. *Elephas* etiam dicitur morbus, de quo in ELE-

PHANTIASIS dictum est. *Lucret.* 6. 1112. Est elephas morbus, qui propter flumina Nili gignitur Ægypto in media, etc. Adde *Seren. Sammon.* 10. ¶ 3. Sunt hoc nomine et marinæ belluæ. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 5. 4. (10). et 32. *ibid.* 11. 53. (144).

ĔLEUSĪNĬUS, a, um, adject. ad Eleusina pertinens: *V.* ELEUSIS in ONOM. — Hinc

Eleusinia, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt sacra Cereris. *Gell.* 15. 20.; et *Tertull. Apolog.* 7. et *adversus Valent.* 1. — Eadem *Sueton. Claud.* 25. et *Ner.* 35.; et *Gell.* 11. 6. Eleusinia sacra vocant; *Justin.* vero 2. 8. 1. Eleusina sacra.

ĔLEUSĪNUS, a, um. *V.* voc. præced.

ĔLEUTHĔRĬA, æ, f. 1. ἐλευθερία, libertas, vel libertatis dea. *Plaut. Stich.* 3. 1. 21. Volo me Eleutheriam capere advenientem domum. *V.* voc. seq.

ĔLEUTHĔRĬA, ōrum, n. plur. 2. ἐλευθέρια, solemnia libertatis. Græca vox, ab ἐλεύθερος *liber. Plaut. Pers.* 1. 1. 29. Basilice ago eleutheria. *V.* voc. præced.

ĔLEUTHĔRĬUM, ii, n. 2. ornamentum colli, insigne libertatis. *Gloss. Philox.* Eleutherium, καθέμα, περιδέραιον. Cf. *Not. Tir. p.* 161. Cylindri, catellæ, eleutherium. *h. e.* bulla scortea, qua utebantur libertini. *V.* BULLO.

ĒLĔVĀTĬO, ōnis, f. 3. elatio, efferendi actus.

I.) Proprie. *Vulgat. interpr. Psalm.* 14. 2. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Adde *eumd. Judic.* 15. 17. Cf. *Capell.* 9. *p.* 328. Arsis est elevatio; thesis depositio vocis ac remissio.

II.) Translate est schema oratorium, species ironiæ, qua rem aliquam, dum videmur attollere, deprimimus et irridemus. *Quintil.* 9. 2. 50. Et illæ elevationes videlicet, *O dei boni! Scilicet is superis labor est*: et ille pro Oppio locus: *O amorem mirum! o benevolentiam singularem!* Et *Capell.* 5. *p.* 172. Diasyrmos est elevatio vel impressio. In hac figura laudantes quæ dicuntur ab adversariis dissolvimus; qualis est in Mureniana totus ille in Sulpicium locus de jure civili. Adde *Aquil. Rom. p.* 155. *Ruhnk.*

ĒLĔVĀTOR, ōris, m. 3. qui elevat, seu erigit. *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 22. 3. Deus elevator meus et refugium meum.

ĒLĔVĀTUS, a, um. *V.* ELEVO.

ĒLĒVI. *V.* ELINO.

ELEVIES. *V.* ELUVIES.

ĒLĔVO, as, ātum, are, a. 1. (ex *et* levo, *quod a* levis). Part. *Elevatus* I. 1. et 2.; *Elevandus* II. 2. — Elevare est tollere, sursum levare (It. *levare, alzare*; Fr. *lever de terre, soulever, exhausser*; Hisp. *elevar, alzar*; Germ. *aufheben, emporheben*; Angl. *to raise, lift up*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est sursum levare. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Quantum storearum demissio patiebatur, tantum elevabant. *et mox.* Rursus summam contabulationem storeasque elevabant. *Apul.* 4. *Met.* Lumbis elevatis in altum, pedum posteriorum calcibus jactatis in eum crebriter etc. Adde *Capitolin. Gord. tr.* 8. — Hinc poetice *Claudian.* 1. *Eutrop.* 295. Elevat hunc plumā, squamis hunc fabula vestit. *Forcellinus* interpretatus est levem reddit; at sensus esse videtur: hunc in aera tollit dum in avem vertit. — Similiter *Propert.* 1. 8. 12. Neve inimica meas elevet aura preces. *h. e.* secum sursum tollat, atque adeo irritas reddat. — Huc referri potest et illud *Colum.* 3. *R. R.* 21. 5. Necesse est, ut aut serum fructum cum præcoque elevet, aut si maturitatem serotini exspectet, amittat vindemiam præcoquem. *h. e.* auferat, demat, colligat. ¶ 2. Latiori sensu pro erigere. *Capitolin. Anton. Phil.* 13. Statura elevata. *h. e.* longa, ingenti.

II.) Translate. ¶ 1. Est levem reddere, lenire. *Lucceius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 14. 2. Non intelliges duplicari sollicitudines, quas elevare tua te prudentia postulat? *Cic.* 3. *Tusc.* 16. 34. Nihil est, quod tam obtundat elevetque ægritudinem, quam etc. ¶ 2. Sæpe — *a*) De rebus, est pondus et auctoritatem alicui rei dicendo detrahere, leve, futile, vile esse ostendere, atque adeo minuere, extenuare. *Cic.* 3. *Nat. D.* 4. Si quid est evidens, argumentari non soleo; perspicuitas enim argumentatione elevatur. *h. e.* minuitur. *Orellius* tamen et alii aliter legunt. *Liv.* 3. 21. Mirer, si vana vestra ad plebem auctoritas est? Vos elevatis eam. Adde *eumd.* 37. 57. *Id.* 28. 42. Elevare præclara facta alicujus. *h. e.* minuere, extenuare. *Id.* 28. 44. res gestas. *Id.* 26. 51. famam captæ urbis verbis. *Id.* 45. 10. noxam. Adde *Sueton. Tib.* 52. *Id. Sueton. Cal.* 8. rei alicujus fidem. *Catull.* 24. 9. Abjicere et elevare aliquid. *Cic. Amic.* 24. 88. Multæ causæ suspicionum offensionumque dantur, quas tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. *Id.* 2. *Orat.* 56. 230. Erat tanta gravitas in Domitio, tanta auctoritas, ut quod esset ab eo objectum, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur. *Quintil.* 6. 3. 75. Elevandi ratio est duplex, ut aut jactantiam quis minuat, aut crimen objectum. *Id.* 6. 3. 23. Aliena aut reprehendimus, aut refutamus, aut elevamus. *Id.* 4. 2. 77. Verbis elevare quædam licebit: luxuria hilaritatis, avaritia parsimoniæ – nomine lenietur. — *b*) De personis: *elevare aliquem* est ejus dicta fidemque minuere, et levem hominem esse ostendere. *Cic.* 2. *Orat.* 58. 236. Est plane oratoris movere risum, quod frangit adversarium, quod impedit, quod elevat, quod deterret, quod refutat. *Liv.* 26. 27. Elevabatur index indiciumque: pridie eum verberibus castigatum ab dominis discessisse: per iram ac levitatem crimen commentum. *Id.* 9. 37. Paucis milites alloquitur, Samnitium bella extollit, elevat Etruscos. *Propert.* 2. 24. 44. Elevat assiduos copia longa viros. *h. e.* viliores facit.

ĒLĪBĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. liberandi actus. *Gloss. Cyrill.* Ἀπολύτρωσις, eliberatio, expiatio.

ĒLĪBĔRO, as, are, a. 1. idem ac libero, vel omnino libero. *Gloss. Cyrill.* Ῥύομαι, eruo, libero, elibero, eripio. *ibid.* Ῥῦσαι, erue, elibera, eripe.

ĒLĬCĀTOR, ōris, m. 3. qui fontes elicit. *Gloss. Philox.* Elicatores, ὑδροσκόποι. *Cangius* pro *elicatores* legendum putat *eliquatores* ab *eliquare*. At sensus, recte ait *Quicherat*, magis probat *elicere*, unde et sequens vocabulum *Elices*. Eidem *Quicherat* magis placet *elicitor*.

ĒLĬCES, um, m. plur. 3. sulci aquarii, per quos aqua collecta educitur e liris, ut *Paul. Diac. p.* 76. 2. *Müll.* definit: ab *elicio*, extraho: Cf. *Varro* 1. *R. R.* 29. 2., et quæ ibi a *Schneidero* adnotata sunt. *Colum.* 2. *R. R.* 8. 2. Sulcos aquarios nonnulli elices vocant. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 2. 82.; et *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 109.

ĒLĬCĬO, licis, licui *vel* lexi, licitum, licere, a. 3. (ex *et* lacio). Præter. *elicuit* habet *Cæs.* 3. *B. C.* 100.; *elexi* vero *Arnob.* 5. 1., neque tamen absone, nam et *illexi* et *pellexi* dicimus, quamquam contra dicente *Priscian.* 10. p. 474. *Putsch.* — Part. *Eliciens* II.; *Elicitus* I. 1. et 2.; *Eliciendus* I. 1. — Elicere est educere, extrahere (It. *cavare o tirare fuori*; Fr. *faire sortir, tirer de*; Hisp. *tirar, sacar á fuera, extraer, exprimir*; Germ. *herauslocken, hervorbringen*; Angl. *to draw or bring out, fetch forth, entice out, elicit*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De personis, et est evocare, extrahere. — Absolute. *Plaut. Bacch.* 3. 1. 17. et *Men.* 5. 6. 3. Elicere aliquem foras. Cf. *Plin.* 9. *Ep.* 18. Qua intentione, quo studio – legeris libellos meos, epistola tua ostendit: ipse igitur exhibes negotium tibi, qui elicis et invitas, ut quamplurima communicare tecum velim. Cf. et *Horat.* 2. *Od.* 11. 21. — Cum additis. *Cic. Balb.* 9. 22. Propositis præmiis elicere ex civitatibus sociorum fortissimum quemque ad subeunda pro salute nostra pericula. *Cæs.* 7. *B. G.* 32. Elicere hostem ex paludibus et silvis. *Id.* 5. *ibid.* 50. hostem in aliquem locum. *Id.* 6. *ibid.* 8. hostes citra flumen. *Curt.* 9. 8. 18. hostem extra muros. Rursus *Cæs.* 3. *B. C.* 38. et 85. hostes ad pugnam. *Liv.* 23. 27. hostem ad certamen. *Id.* 2. 62. ad prælium. *Tac.* 15. *Ann.* 13. in prælium. *Auct. B. G.* 8. 12. hostes in insidias. *Liv.* 5. 15. Causatus, de portenti procuratione consulere velle, ad colloquium vatem elicuit. Adde *Sueton. Galb.* 19. *Tac.* 2. *Ann.* 42. Elicere aliquem litteris. *h.* e. per litteras evocare, sed astu tamen quodam ac dolo; qua ratione etiam *Id.* 14. *ibid.* 4. locutus est. — *b*) De rebus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. E terræ cavernis ferrum elicere. *Id. ibid.* 9. 25. Lapidum conflictu elici ignem videmus. *Stat.* 1. *Achill.* 186. de *Chirone*. Elicit extremo chelyn, et solantia curas Fila movet. *Plaut. Trin.* 2. 2. 13. Elicere lacrimas. Sic *Vellej.* 2. 104. 4. Elicitæ gaudio lacrimæ. *Cic.* 1. *Tusc.* 48. 116. Iphigenia Aulide duci se immolandam jubet, ut hostium sanguis eliciatur suo. *Tac.* 12. *Ann.* 47. Elicere cruorem ictu. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 89. (139). sudorem. *Id.* 35. *ibid.* 15. 51. (182). purgationes feminarum. *Id.* 19. *ibid.* 5. 26. (80). alvum. *h. e.* solvere, subducere. *Cic.* 7. *Att.* 12. 3. Velim mihi ignoscas, quod ad te scribo toties: – tuas enim volo elicere litteras maximeque consilium etc. *h.* e. tibi persuadere, ut ad me scribas. Adde *eumd.* 16. *ibid.* 11. Sic *Nepos Att.* 20. Interdum jocans ejus verbosiores eliceret epistolas. Similiter *Horat.* 4. *Od.* 12. 17. Nardi parvus onyx eliciet cadum. *h. e.* efficiet, ut ego promam cadum. ¶ 2. Speciatim est verbum magicum, quum Manes aut deos certa prece certoque ritu sacro evocabant exciebantque, consulendi causa de re arcana, aut veneficii faciendi. *Ovid.* 3. *Fast.* 327.; et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (104). Elicere deos cælo. *Arnob.* 5. 1. Jovem ad terras. *Sil. It.* 8. 101. numina. *Cic. Vatin.* 6. 14. animas inferorum. *Tibull.* 1. 2. 45. Manes sepulcris. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 8. 29.; *Lucan.* 6. 733.; et *Stat.* 4. *Theb.* 478. Sic *Id. Stat.* 4. *ibid.* 414. Manes limite mortis elicuit. Et *Tac.* 2. *Ann.* 28. Elicere infernas umbras carminibus. — Similiter *elicere fulmina* est precibus et sacris quibusdam impetrare, ut cælo decidant. *Liv.* 1. 20.; et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 3. (13). Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 53. 54. (140). — Neque aliter *Lucan.* 9. 932. Virus elicitum jussumque exire. *h. e.* incantamentis evocatum.

II.) Translate. *Cic. Senect.* 15. 51. Terra elicit ex semine herbescentem viriditatem. Cf. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (193). Si macra vitis idoneos palmites non habeat, ad terram recidi eam, novosque elici utilissimum. *Cic. Cæl.* 24. 60. Nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eliciat? *h. e.* effundat, emittat, edat: *ejiciat* est unus et alter qui malit; ut et in illo 2. *Tusc.* 24. 56. Fauces, e quibus elici vocem et fundi videmus. *Id.* 2. *Nat. D.* 60. 150. Itaque ad pingendum, ad sculpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum, apta est manus admotione digitorum. *Lucret.* 3. 57. Nam veræ voces tum demum (*h. e.* in periculis) pectore ab imo Eliciuntur. *Al. leg.* ejiciuntur; *quod dicendum etiam de loco ejusd. Lucret.* 3. 496. *Cic. Brut.* 80. 278. Ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querelas solet. *Id. Dejot.* 1. 3. Quum more majorum de servo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat; in qua quæstione dolor veram vocem elicere possit etiam ab invito etc. Cf. *Sueton. Cal.* 10. Hic omnibus insidiis tentatus elicientium cogentiumque se ad querelas. *Cic.* 1. *Orat.* 21. 97. Quum ab eo nusquam discederem, verbum ex eo numquam elicere potui de ratione dicendi. *Id.* 7. *Att.* 1. 5. Dabunt operam, ut eliciant sententiam meam. *Liv.* 40. 23. Fide data, arcana ejus elicuit. *Quintil.* 5. 7. 20. Elicere responsum. *Tac.* 4. *Ann.* 45. veritatem. *h. e.* extorquere. *Juvenal.* 7. 212. risum. *Liv.* 8. 28.; et *Tac.* 3. *Hist.* 58. misericordiam. *Curt.* 8. 5. 22.; et *Sil. It.* 7. 90. iram. *Tac.* 15. *Ann.* 33. studia civium. *Id. ibid.* 53. favorem vulgi. *Id.* 2. *Hist.* 24. festinationem. *Id.* 16. *Ann.* 14. cupidinem. *Cic.* 1. *Divinat.* 8. 13. Quis igitur elicere causas præsensionum potest? *h. e.* eruere, investigare, invenire. Sic *Liv.* 1. 20. *extr.* Elicere procurationes prodigiorum ex mentibus divinis.

ĔLĬCĬUS, ii, m. 2. cognomen Jovis, ab eliciendo, quod eum cælo Numæ rogatu Picus et Faunus quadam die elicuere, ut doceret ritum piandi fulminis. *Ovid.* 3. *Fast.* 329. Eliciunt cælo te, Juppiter: unde minores Nunc quoque te celebrant Eliciumque vocant. *Liv.* 1. 20. *extr. de Numa.* Ad ea elicienda ex mentibus divinis, Jovi Elicio aram in Aventino dicavit. Adde *Varron.* 6. *L. L.* 94. *Müll.*; *Plin.* 2. *Hist. nat.* 53. 54. (140).; et *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 42.

ĒLĬCĬTOR, ōris. *V.* ELICATOR.

ĒLĬCĬTUS, a, um. *V.* ELICIO.

ĒLĪDO, lidis, lisi, lisum, lidere, a. 3. (ex *et* lædere). Part. *Elidens* sub *B.* 1.; *Elisus* in omnibus paragr.; *Elisurus* sub *B.* 1.; *Elidendus* sub *A.* II. 1. — Elidere duo diversa significat, prout præpositio *ex A*) Nativa ac propria pollet significatione; aut *B*) Intensiva est.

A) Quum præpositio *ex* nativa ac propria pollet significatione, elidere est percutiendo vel perstringendo expellere, elicere, excutere, exprimere (It. *cacciare o spinger fuori*; Fr. *faire sortir, faire jaillir, tirer de, arracher*; Hisp. *sacar á fuera, tirar, exprimir*; Germ. *heraustossen oder-schlangen*; Angl. *to draw or bring out*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Rud.* 3. 2. 45. Jube oculos elidere, itidem ut sepiis faciunt coqui. Sic *Virg.* 8. *Æn.* 260. Corripit in nodum complexus, et angit inhærens Elisos oculos. Similiter *Sil. It.* 9. 400. Elidere orbes. *h. e.* oculos. *Lucan.* 7. 475. stridulus aer Elisus lituis. — *Elidere litteras* apud Grammaticos est veluti comprimere, exprimere et excludere; quod per syncopen fit. *Gell.* 5. 12. Quod est in elisis, aut immutatis quibusdam litteris *Juppiter*, id plenum atque integrum est *Jovispater*. *Id.* 16. 5. *Vetus* ab ætatis magnitudine compositum elisumque est. *h. e.* quasi *ve ætas*. — *Ovid.* 6. *Met.* 696. Exsiliantque cavis elisi nubibus ignes. Sic *Id.* 8. *ibid.* 338. violentus in hostes Fertur, ut excussis elisi nubibus ignes. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 86. (214). Ossa ursis in tanta duritia, ut ignis elidatur, velut e silice. *Id.* 18. *ibid.* 35. 84. (358). Lumina quum ex sese flammas elidunt. *Id.* 31. *ibid.* 1. 1. (2). Quæ causa fulmina elidit. *Val. Flacc.* 4. 663. Terrificique ruunt tonitrus, elisaque noctem Lux (*h. e.* fulgur) dirimit. Cf. *Stat.* 5. *Theb.* 394. Fulmen elidit nubes. Et *Seneca Agamemn.* 495. Nube dirum fulmen elisa micat. *Cels.* 1. 7.; et *Plin.* 25. *Hist. nat.* 3. 7. (25). Elidere partus. *h. e.* aboriri facere. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 23. 1. et 7. *ibid.* 9. 9. *Cic.* 2. *de republ.* 41. Ut auriga indoctus e curru eliditur. *h. e.* dejicitur, ut docet *Non. p.* 292. 31. *Merc. Colum.* 9. *R. R.* 11. 1. Quum primo vere in eo vase nata est pullities, novus rex (*apium*) eliditur, ut multitudo sine discordia cum parentibus suis conversetur. Adde *eumd. ibid.* 9. 8. *Propert.* 4. 6. 73. Vinaque fundantur prælis elisa Falernis. *h. e.* expressa. *Tac.* 2. *Ann.* 24. Milesque nullo illic hominum cultu fame absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant *h. e.* ab Oceano ad littus ejecta. ¶ 2. Latiori sensu, quamvis raro, elidere ponitur pro collidere seu collidendo excutere. *Curt.* 8. 13. 9. Nec (*flumen*) pro spatio aquarum late stagnantium impetum coercebat; sed quasi in arctum coeuntibus ripis, torrens et elisus ferebatur: occultaque saxa inesse ostendebant pluribus locis undæ repercussæ. Similiter *Id.* 9. 2. 17. Flumen, quo latius fusum est, hoc placidius stagnat: quippe angustis ripis coercita et in angustiorem alveum elisa torrentes aquas invehunt. *Virg.* 3. *Æn.* 567. Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra. *Servius*: exclusam, expressam.

II.) Translate. Metaphorâ sumpta a superiori paragrapho 1., *elidere imaginem, colores*, est repercussu emittere. *Lucret.* 4. 294. Imago planitiem ad speculi veniens recta retrorsum eliditur. *h. e.* repercussa redit, reflectitur. *Id.* 4. 314. de speculo in speculum transfertur imago: Inde ad nos elisa bis advolat. *et* 299. et elisam retro sese exprimit ipsa. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 52. (137). Iridea, gemmæ, colores nonnisi ex opaco reddunt, nec ut ipsæ habeant, sed ut repercussu parietum elidant. — Sic *elidere sonum* est edere, emittere, quia sonus fit collisu corporum. *Cels.* 4. 4. *n.* 2. Propter angustias, per quas spiritus evadit, sibilum elidit. *Quintil.* 11. 3. 51. Vox ultra vires urgenda non est: nam et suffocata et majore nisu minus clara est: et interim elisa, in illum sonum erumpit, cui Græci κλωσμὸν nomen a gallorum immaturo cantu dederunt. *h. e.* cum conatu emissa. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (269). Elephas citra nares, ore ipso sternutamento similem elidit sonum; per nares autem, tubarum raucitati. *Id.* 14. *ibid.* 22. 28. (146). Nihil ad elidendum in pavimentis sonum ex vino reliquisse. *Sil. It.* 1. 531. Elidere gemitum. *Quintil.* 2. 11. 7. Magnas tamen sententias et res bonas (ita enim gloriari solent) elidunt. *Lucilius* apud *Non.* p. 291. 32. *Merc.* In fauces invadere, animamque elidere alicui. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 6. Elidere morbum. *h. e.* ejus vim frangere, dissipare, tollere. *Cels.* 1. 4. *n.* 3. Tussis, quum vetus facta est, vix eliditur. *Id.* 6. 6. *n.* 37. Difficillime genus id imbecillitatis eliditur. *Paul. Dig.* 2. 14. 27. Pactus ne peteret, postea convenit ut peteret: prius pactum per posterius elidetur. *h. e.* vincetur, abrogabitur.

B) Quum præpositio *ex* est tantum intensiva, elidere est percutiendo frangere, confringere, perstringendo effringere.

I.) Proprie. *Plaut. Pœn. a.* 2. *v.* 46. Elidam caput, nisi auscultas. Adde *Liv.* 21. 45. Rursus *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 12. Elidere alicui talos. *Cæs.* 3. *B. C.* 27. Tempestate naves eliduntur. *Seneca Troad.* 1111. Ossa gravi casu elisa. *Ovid.* 14. *Met.* 738. Atque onus infelix, elisa fauce, pependit. Cf. *Id.* 12. *ibid.* 142. Vincla trahit galeæ, quæ presso subdita mento Elidunt fauces. *Seneca Herc. fur.* 221. Et tumida tenera guttura elidens manu. *Virg.* 8. *Æn.* 288. *de Hercule.* ut prima novercæ Monstra manu geminosque premens eliserit angues. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 11. 11. (32). Elephantus corruens pondere draconem elidit. *Horat.* 3. *Od.* 27. 58. potes hac ab orno Pendulum zona bene te secuta Elidere collum. *Vulgati libri habent* lædere, *nove, sed ad morem poetarum, simplex verbum pro composito.* Bentlejus et Lachmannus *leg.* elidere. *Id.* 2. *Sat.* 3. 315. Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens Bellua cognatos eliserit. *h. e.* ut vitulus ranæ pullus pede compresserit ac suffocaverit. *Sueton. Ner.* 53. Elidere leonem. Cf. *eumd. Cal.* 26. et *Cæs.* 39. *Curt.* 9. 7. 22. Elisurus eo stipite victum, ne prohibitus esset a rege. *Flor.* 3. 3. 17. Suffocatis elisisque passim infantibus suis. *Sueton. Tib.* 39. Ingentia saxa desuperne delapsa, multique elisi. *Ovid. Heroid.* 12. 121. Complexos utinam Symplegades elisissent. *Id.* 15. *Met.* 358. Elisæ undæ. *Id.* 4. *Pont.* 9. 21. Nec querulus, turba quamvis eliderer, essem. *h. e.* comprimerer et pæne suffocarer. Eodem sensu *Cels.* 5. 28. *n.* 1. et 1. 4. *n.* 1. Elidere spiritum. Adde *Curt.* 9. 2. 21.; *Capitolin. Maxim. duob.* 8.; et *Sil. It.* 3. 33., 5. 509., 10. 394. et alibi. — Apud *Veget.* 1. *Veterin.* 26. 3. et 3. *ibid.* 17. 2. *elidere jumentum* est dejicere, ut minus reluctans facilius curari possit. — *Tertull. Cult. fem.* 7. Quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? *h. e. compressi, appianati.* — *NB.* Apud *Varron.* 1. *R. R.* 47. Elidere herbas, cum *Schneider.* legendum est *eligere.* Similiter *eligendæ* legendum est apud *Cic.* 3. *Tusc.* 34. 83. Stirpes ægritudinis, ipso trunco everso, omnes elidendæ sunt. item *ibid.* § 84. Hæ sunt illæ fibræ stirpium persequendæ et omnes elidendæ. — Apud *Ovid.* 4. *Fast.* 371. Candidus elisæ miscetur caseus herbæ. *Al. leg.* elixæ.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Tusc.* 11. 27. Poetæ nervos omnes virtutis elidunt. *h. e.* frangunt et infirmant. *Id.* 5. *ibid.* 6. 16. Qui rebus his fractus ægritudine eliditur, potest tandem non esse miserrimus? *h. e.* angitur, opprimitur, obruitur.

ĒLĬGANS, ĒLĬGANTER, ĒLĬGANTĬA. *V.* ELEGANS, ELEGANTER, ELEGANTIA.

ĒLĬGĬBĬLIS, e, adject. *V.* ELEGIBILIS.

ĒLĬGO, ligis, lēgi, lectum, ligere, a. 3. (ex *et* lego). Part. *Eligens* I. et II.; *Electus* II. et in fin.; *Electurus* II.; *Eligendus* I. et II. — Eligere proprie est legendo evellere, eruere.

I.) Proprie. — Stricto sensu. *Varro* 3. *R. R.* 9. 14. Quando de clunibus cœperint habere pinnas, e capite et e collo eorum (*pullorum*) crebro eligendi podes. — Similiter in re hortensi *eligere herbas* est legendo evellere. *Varro* 1. *R. R.* 47. Herbæque (*in seminariis*) eligendæ: eæ dum teneræ sunt, vellendæ. *Alii minus recte leg.* elidendæ: et mox *Varro*: Contra herba in pratis ad spem fœnisiciæ nata non modo non evellenda in nutricatu sed etiam non colenda. Sic *Colum.* 4. *R. R.* 5. *fin.* Herbas et præcipue gramina exstirpare, quæ nisi manu eliguntur, et in summum rejiciuntur, quamtulacumque parte obruta sunt, reviviscunt. *Curt.* 4. 1. 21. Cum regiæ vestis insignibus hortum intrant, quem forte steriles herbas eligens Abdalomynus repurgabat. — Huc pertinent et illa *Cic.* 3. *Tusc.* 34. 83. Stirpes ægritudinis, ipso trunco everso, omnes eligendæ sunt. *et mox* § 84. Hæ sunt illæ fibræ stirpium persequendæ et omnes eligendæ. *Alii utroque loco leg.* elidendæ, *quod minus placet.*

II.) Figurate ponitur pro deligere, seligere, legere, optare. — *a*) De rebus etiam abstractis. *Varro* 1. *R. R.* 54. 2. Uva non solum legitur ad bibendum, sed eligitur ad edendum. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 39. (79). Oleum eligitur in cibos. *Liv.* 40. 35. Loca pacata sibi ad hibernacula electurum. *Curt.* 8. 4. 8. Eligere locum morti. *Id.* 7. 3. 23. sedem urbi condendæ. *Justin.* 26. 1. Honestiorem viam eligentes. *Tac. Dial. de orat.* 26. Eligere formam dicendi. *Cic.* 3. *Verr.* 34. 87. Myoparonem pulcherrimum, de decem navibus electum, L. Magio vendidit. *Id.* 2. *Invent.* 2. 5. A multis eligere commodissimum quodque. *Id.* 3. *Phil.* 1. Ex malis eligere minima. *Forcellinus* hunc affert locum, quem ipse non inveni. *Id.* 1. *de republ.* 35. Ita caritate nos capiunt reges, consilio optimates, libertate populi; ut in comparando difficile ad eligendum sit, quid maxime velis. *Ovid.* 11. *Met.* 135. Elige, quid optes: optatis potiere tuis. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 14. 45. Quoties ille tibi potestatem optionemque facturus sit, ut eligas utrum velis: factum esse, necne; verum esse, an falsum. *Tac.* 1. *Hist.* 12. Permittere alicui arbitrium eligendi. — *b*) De hominibus. *Cic.* 10. *Phil.* 2. 5. Permitto, ut de tribus Antoniis eligas, quem velis. *Id. Amic.* 17. 62. Sunt igitur firmi et stabiles et constantes amici eligendi. *Nepos Con.* 4. Eligere aliquem ad dispensandam pecuniam. *Id. Datam.* 9. Elegit corpore et statura simillimum sui. *Id. Dion.* 9. Suorum autem e numero Zacynthios adolescentes quosdam elegit cum audacissimos, tum viribus maximis. *Curt.* 10. 8. 19. Quod ad me attinet, reddere hoc imperium malo, quam exercere civium sanguine: et si nulla alia concordiæ spes est, oro quæsoque, eligite potiorem. *Vopisc. Aurel.* 14. Eligere aliquem in filiorum locum. *h. e.* adoptare. *Tac. Agric.* 9. Haud semper errat fama; aliquando et eligit. Adde *Horat.* 3. *Od.* 6. 28. et 1. *Sat.* 4. 25.; *Sueton. Galb.* 16. et *Vitell.* 7.; *Quintil.* 1. 2. 16., 6. 3. 5. et 6. 4. 18.; *Tac.* 1. *Hist.* 61.; et *Juvenal.* 10. 329. — Cum infinito occurrit Part. præter. pass. apud *Stat.* 2. *Achill.* 336. Electus formæ certamina solvere pastor. Cf. *Id.* 3. *Silv.* 4. 60. Care puer, superis qui prælibare verendum Nectar, et ingentem toties contingere dextram Electus. — Hinc Part. præter. pass.

Electus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Electior* et Sup. *Electissimus*; et est lectus, selectus, atque adeo eximius, egregius, quia optima quæque eligi solent. — *a*) De rebus. *Petron. Satyr.* 36. Res electissimæ. *Id. ibid.* 85. Electum par columbarum. *Cic.* 3. *Fin.* 7. 26. Electissimis verbis ornare. V. *Madvig* ad h. l. *Id.* 4. *Herenn.* 26. 36. Ut quum ad electius verbum accedas, insigniorem rem facias. *et ibid.* Ad optimum et electissimum verbum devenire. *Augustin.* 20. *Civ. Dei* 29. Potest sensus alius idemque electior inveniri. — In malam partem et εἰρωνικῶς. *Catull.* 36. 6. Electissima pessimi poetæ scripta. — *b*) De hominibus. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 97. Conquisiti ab Rullo atque electi coloni. *Id. Quinct.* 2. 5. Viri electissimi civitatis. *Quo sensu est usitatior* lectissimi. *Sueton. Cal.* 49. Siquidem proposuerat, Antium, deinde Alexandriam commigrare, interempto prius utriusque ordinis electissimo quoque. *Id. ibid.* 18. Pugiles ex utraque regione electissimi. — Hinc

Electa, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt loca scriptorum, quæ non oscitanter sunt legenda, quæque *Cic.* 16. *Att.* 2. *eclogarios*, h. e. loca selecta vocat: Græci χρηστομαθεῖαν dicunt. *Plin.* 3. *Ep.* 5. 17. Electorumque commentarios centum sexaginta mihi reliquit, opisthographos quidem et minutissime scriptos.

ĒLĪMĀTĒ, adverb. idem fere quod limate. Occurrit tantum Comp. *Elimatius*, et quidem translate, apud *Ambros.* 6. *Hexæm.* 8. Sed tractemus elimatius, quid sit ad imaginem Dei. *h. e.* magis enucleate.

ĒLĪMĀTĬO, ōnis, f. 3. purgatio, a *lima*. Occurrit translate tantum, et est ¶ 1. Declaratio. *Justinian. præfat. de emendat. Cod.* § 8. Constitutiones nocte obscuritatis obductas, nova elimationis luce detegere. ¶ 2. Item detractio. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. Elimatio carnis.

ĒLĪMĀTOR, ōris, m. 3. qui elimat et purgat: a *limus*. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 35. Christus elimator humanarum macularum.

ĒLĪMĀTUS, a, um. *V.* ELIMO.

ĒLIMES, inis, adject. omn. gen. qui extra limites, seu fines nostros habitat. *Gloss. Philox.* Elimes, ἀποικος. παρόριος.

ĒLĪMĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒLĪMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* limen.) Part. *Eliminatus* I. — Elimino est extra limen ejicio, excludo.

I.) Proprie. *Pacuvius* apud *Non. p.* 38. 31. *Merc.* Me miseram! quonam clam vos eliminat? *Pomponius* apud *eumd. p.* 39. 1. Eliminabo extra ædes conjugem. *Ennius* apud *eumd. p.* 39. 2. et 292. 18. Antiqua herilis fida custos corporis, Quid sic te extra ædes exanimata eliminas? *Accius* apud *eumd. p.* 292. 20. Egredere, exi, effer te, elimina urbe, *Si-*

don. 4. *Ep.* 10. soli patrii finibus eliminatus. *Quintil.* 8. 3. 31., ubi ex *Accio* refert *gradus eliminat* (hoc est, ut videtur, effert pedem a limine), hoc verbum recenset inter ea, quæ novata a poetis, vix usu recepta sunt.

II.) Translate ponitur pro enunciare. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 25. ne fidos inter amicos Sit, qui dicta foras eliminet.

ĒLĪMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* lima, æ). Part. *Elimatus* I. et II. et in fin.; *Elimandus* I. — Elimo est lima abrado, adeoque polio.

I.) Proprie. *Ovid.* 4. *Met.* 176. graciles ex ære catenas, Retiaque et laqueos, quæ lumina fallere possint, Elimat. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 50. (170). Alii elimatam scobem in fictili crudo coquunt. *Ita edit. vet. anni* 1470. *et* 1472. *Aliæ cum* Harduino *leg.* limatam. — *Elimare dentes* est dentifricio uti ad eos purgandos a sordibus, quæ limi instar, inter edendum, iisdem adhærescunt. *Tertull. Pœnit.* 11. Cedo acum crinibus distinguendis, et pulverem dentibus elimandis. *V.* DENTIFRICIUM. — Quod figurate dixit *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 72. *in fin.* Ubi anima meruerit contagione vitiorum penitus elimata purgari. *plerique deducunt a* limo, *quasi* a limo purgata.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro absolvere, perficere. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 20. 66. Rationes latiore specie, non ad tenue elimatæ. *Orellius* vero legit *limatæ*. *Atticus* apud *Cic.* 16. *Att.* 7. 3. Vellem σχόλιον aliquod elimes ad me, oportuisse te istuc facere. *Gell.* 17. 10. Petivit a suis amicissimis, ut *Æneida*, quam nondum satis elimasset, adolerent. *Id. præfat. a med.* Qui nullis inter ejusdem Musæ æmulos certationibus disceptationibusque percunctando, scribendo, elimati sunt. *h. e.* eruditi, edocti, politi. *Augustin.* 2. *contra Acad.* 7. Elimare animum. ¶ 2. Quoniam lima aliquid abradendo deminuimus; ita elimare ponitur pro deminuere. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. Elimatæ vires. *h. e.* deminutæ. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 1. Quum sint hæc corruptivæ virtutis, et propterea corpus elimando, consumant potius, quam relaxent. *h. e.* ejus substantiam dissipando. — Hinc

Elimatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Elimatissimus* translate usurpatur ab *Augustin.* 5. *advers. Julian.* 17. Disputatione subtilissima et elimatissima opus est. *h. e.* polita omnino, numeris omnibus absoluta.

ĒLIMPĬDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* limpidus). Part. *Elimpidandus.* — Elimpido est purum et limpidum reddo. *Veget.* 3. *Veterin.* 27. 4. *Schneid.* Hoc collyrium omnia vulnera elimpidat atque persanat. *Id.* 4. *ibid.* 24. Tetrapharmacum, quod facit ad omnia vulnera elimpidanda et velocius curanda. *Id.* 1. *ibid.* 26. 2. Et cum bene elimpidaveris. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 28. 2.

ĒLINGO, is, ere, a. 3. (ex *et* lingo) idem quod lingo. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 97. Hac commanducata, si oculus subinde elingatur, plumbum, quod genus est vitii, ex oculo tollitur. *Sillig* legit *liniatur*.

ĒLINGUĀTĬO, γλωσσοτομία. *Gloss. Philox.*, ubi male legitur *linguatio*.

ĒLINGUĀTUS, a, um. *V.* ELINGUO.

ĒLINGUIS, e, adject. (ex *et* lingua) qui lingua caret.

I.) Proprie. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 15. Quicumque illo scelere participati sunt, dentibus caruerunt et facti omnes elingues sunt; nam et ipsæ linguæ pariter defluxerunt consumptæ putredine.

II.) Translate. ¶ 1. Elinguis dicitur qui non loquitur. *Cic. Flacc.* 10. 22. Convicit, et elinguem reddidit. *Id. post redit. in senat.* 3. 7. Mutum forum, elinguem curiam, tacitam et fractam civitatem videbatis. *Liv.* 10. 19. Ex muto atque elingui facundum etiam consulem habere. *Sueton. Vitell.* 6. Ac de hac quoque liberos utriusque sexus tulit: sed marem titubantia oris prope mutum et elinguem. ¶ 2. Item qui non est eloquens, eloquentia carens. *Cic. Brut.* 26. 100. Præsertim quum Fannius nunquam sit habitus elinguis. Nam et causas defensitavit, et etc. *Tac. Dial. de orat.* 36. Ita ad summa eloquentiæ præmia magna etiam necessitas accedebat; et quomodo disertum haberi pulcrum et gloriosum, sic contra mutum et elinguem videri deforme habebatur.

ĒLINGUO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* lingua) linguam extraho, lingua privo. Occurrit Part. *Elinguatus* et *Elinguandus* tantummodo. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 72. Si ego te elinguandum dedero usque ab radicibus. *Fronto de different. verbor.* p. 2200. *Putsch.* Elinguis habet linguam, sed usu ejus caret: elinguatus amisit.

ĒLĬNO, inis, lēvi, lĭtum, inere, a. 3. (ex *et* lino). *Lucilius* apud *Non.* p. 103. 30. *Merc.* Si hic vestimenta elevit luto. *Nonius* exponit, maculavit. Hinc præpos. *ex* est intensiva.

ĒLĬQUĀMEN, inis, n. 3. quod eliquatum est ex re aliqua, ut ex carnibus, aut piscibus. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 3. Ut sunt salsamenta, et eorum omnia eliquamina. *Schneider.* vero ex melioribus Codd. legit *liquamina*.

ĒLĬQUĀTĬO, ōnis, f. 3. actus eliquandi. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 32. Cujusque materiæ corporis immoderata eliquatio. *h. e.* dissolutio.

ELIQUATOR, oris, m. 3. *V.* ELICATOR.

ĒLĬQUĀTUS, a, um. *V.* ELIQUO.

ĒLĬQUESCO, is, ere, n. 3. liquidus fio. *Varro* 1. *R. R.* 55. 4. Olea, ut uva, per idem bivium redit in villam. Alia ad cibum eligitur, alia, ut eliquescat. *h. e.* in oleum exprimatur. Simile est illud *Colum.* 3. *R. R.* 2. Vitis vel ad escam, vel ad defusionem deponitur.

ĒLĬQUĬUM, ii, n. 2. duo diversa significat prout *A*) Est a *liquo*, aut *B*) a *linquo*.

A) A *liquo* eliquium est quod eliquatur. *Solin.* 18. Sinus mediterraneos esse eliquia irrumpentis oceani.

B) A *linquo* est idem quod defectus, deliquium. *Solin.* 23. *extr.* Meatus oceani commoveri lunæ cursibus, adeo ut vicissitudines inter maciem aquarum et plenitudinem, respiciant adauctus ejus, vel eliquis.

ĒLĬQUO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* liquo). Part. *Eliquans* II.; *Eliquatus* I. — Eliquo est ad liquidum purgo, liquidum reddo, percolo (It. *colare purgare*; Fr. *faire couler, distiller, épurer*; Hisp. *colar, apurar, purificar*; Germ. *ausläutern*; Angl. *to clarify or strain liquor*).

I.) Proprie. *Colum.* 12. *R. R.* 12. 1. Quum sæpius cælestem aquam in alia vasa transfuderint et eliquaverint. *Id. ibid.* 50. 11. Quum paullulum in labris primis constiterit oleum, eliquare id capulator in secunda labra debebit, et deinde in sequentia usque ad ultima: nam quanto sæpius translatione exercetur, tanto fit liquidius, et amurca liberatur. *Id. ibid.* 27. *extr.* Vinum a fæcibus eliquatum. *et ibid.* 19. 4. Donec videbitur eliquatum omni fæce mustum exrere. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 26. *a med.* Fons fœda quædam turbidus ex intimo fundit, donec liberatus eliquatusque est. *Theod. Priscian.* 4. *a med.* Mellis quod sufficiat, quousque sit eliquata spissitudo.

II.) Translate. ¶ 1. *Pers.* 1. 34. vatum et plorabile si quid Eliquat et tenero supplantat verba palato. *h. e.* delicate et molliter pronunciat, et quasi eliquando, paullatim et veluti guttatim vocem effundit. ¶ 2. Item effundere res liquidas. *Apul.* 10. *Met.* Mons fluviales aquas eliquans. *Id.* 1. *ibid. de equo.* Quoad lassitudinis incommodum alvi solitum ac naturale præsidium eliquaret. *lege* residuum. ¶ 3. Item liquefacere. *Prudent. Hamartig.* 260. Eliquare metalla.

ĒLĪSĬO, ōnis, f. 3. actus elidendi.

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 99. *a med.* Hæ lacrimæ per elisionem cadunt, nolentibus nobis. *h. e.* per compressionem et expressionem. *V.* integrum locum.

II.) Improprie, apud Grammaticos *elisio* litteræ est, quum littera excluditur, ut fit in syncope, vel quum vocalis a vocali absorbetur. *Priscian.* 2. p. 567. *Putsch.* Præterea *circumeo* et *circumago* et similia non paterentur elisionem *m* in pronunciatione, si transiret in sequentem syllabam *m. V.* ELIDO.

ĒLĪSUS, a, um. *V.* ELIDO.

ELITIGO, as, are, a. 1. cesso a lite, ut delitigo est valde litigo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 34.

ELIX. *V.* ELICES.

ĒLIXĀTIM, adverb. elixando. *Apic.* 5. 8. *extr.* Elixatim sumpto semine cum ovis. Adde *eumd.* 4. 3. Al. aliter leg.

ĒLIXĀTŪRA, æ, f. 1. proprie est actus elixandi; hinc ponitur pro re elixata. *Apic.* 9. 1. Sic *Macer de herb.* c. 57. *de helleboro* 10. Elixaturæ potu caligo fugatur.

ĒLIXĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒLIXO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* lixa?). Part. *Elixatus.* — Elixo est aqua coquo. *Apic.* 3. 6. Cucumeros rasos elixabis. *Id.* 2. 1. et 3. 9. particip. *elixatus* usurpat.

ĒLIXUS, a, um, adject. in aqua coctus (It. *lesso*; Fr. *cuit dans l'eau, bouilli*; Hisp. *cocido en agua*; Germ. *ausgesotten*; Angl. *boiled, sodden*).

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 109. *Müll.* Elixum e liquore aquæ dictum. *Non.* p. 48. 23. *Merc.* Inde putat deduci, quod lixam aquam dixere veteres. *V.* apud *Voss.* in *Etymol.* plura. Rursus *Varro* apud *Non.* p. 62. 14. Proinde ut elixum panem ex farre et aqua frigida fingebant. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 73. simul assis Miscueris elixa. *Juvenal.* 3. 294. Sutor et elixi vervecis labra comedit. *Id.* 13. 84. comedam, inquit, flebile nati Sinciput elixi. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (54). Allium coctum utilius est crudo, elixumque tosto. — Jlocaliter *Plaut. Most.* 5. 1. 65. TR. Jam jubebo ignem et sarmenta, carnifex, circumdari. TR. Ne faxis: nam elixus esse, quam assus, soleo suavior. Similiter *Id. Pœn.* 1. 2. 67. AG. Milphio, heus! Milphio ubi es? MI. Assum apud te eccum. AG. Ego elixus sis volo.

II.) Translate. *Varro* apud *Non.* p. 48. 27. *Merc.* Elixi calcei. *h. e.* valde madefacti. *Pers.* 4. 39. Elixas nates. *et Martial.* 3. 7. Balneator elixus. *h. e.* aqua et vaporibus perfusus et prope coctus.

ELLĔBŎRUM. *V.* HELLEBORUM.

ELLIPSIS, is, f. 3. ἔλλειψις, figura est, quum aliqua vox deest orationi; ab ἐλλείπω *deficio*, ut illud *Virg.* 1. *Æn.* 6. Italiam fato profugus Lavinaque venit Litora. Ubi deest *ad*, vel *in*. Sic *ambulo viam*, *Ægypto venio*, *ne hoc quidem*, quæ apud *Quintil.* 1. 5. 40. solœcismi sunt per *detractionem*, apud alios ad ellipsim referuntur. Porro ipsa vox ut Græca est, ita Græce adhibenda potius, quam Latina forma. Latine autem *detractio* dicitur, ut apud *Quintil. loc. cit.*; quem adde 8. 6. 21. Latinis vero litteris legitur apud *Capell.* 5. p. 176. Ellipsis est detractio —, quum verbo aliquo minus ducto rem sentiendam potius præterimus, ipsa celeritate gratissimi.

ELLOPS, ŏpis. *V.* HELOPS.

ELLAM *et*

ELLUM. *V.* EN et ECCE.

ELLYCHNĬUM, ii, n. 2. ἐλλύχνιον, funiculus ille papyraceus, seu sparteus, canabinusve, aut stupeus in lychno, qui oleo affuso incensus flammam nutrit et lumen præstat; a λύχνος *lucerna*. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 41. (84). Ellychnia ex uva cicini claritatis præcipuæ. *Id.* 28. *ibid.* 11. 47. (168). Ellychnium papyraceum. Adde *Stat.* 4. *Silv.* 9. 29.; et *Vitruv.* 8. 1. 5. *Schneid.*

ĒLŎCĀTUS, a, um. *V.* ELOCO, as.

ĒLŎCO, adverb. pro illico, quasi *e loco*, e vestigio, quidam leg. apud *Plaut. Cas.* sc. 3. *a.* 5. *in fin.* et *Truc.* 2. 3. 87.

ĒLŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* loco). Part. *Elocatus.* — Eloco est idem quod loco (It. *dare ad affitto*; Fr. *louer, donner à loyer*; Hisp. *alquilar, dar ó tomar en alquiler*; Germ. *ausmiethen, verpachten*; Angl. *to let out, let to hire, let to farm.*) *Cic.* 5. *Verr.* 22. 55. Fundum elocatum esse dicebat. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 7. (10). Elocare funus. *Id.* 26. *ibid.* 1. 3. (4). sese curandum. *Colum.* 1. *R. R.* 7. 6. boves. — Prægnante significatione *Cic. Flacc.* 28. 69. *de gente Judæorum.* Quam cara diis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod servata. *h. e.* quod ejus vectigalia a censoribus P. R. locata. V. *Klotz.* ad h. l. — Apud *Plaut. Epid.* 1. 2. 41. Ne ante solem occasum hoc argentum eloces. *Alii leg.* elicias.

ĒLŎCŪTĪLIS *vel* eloquutilis, e, adject. ad eloquendum pertinens. *Apul.* 11. *Met.* Copia eloquutilis facundiæ.

ĒLŎCŪTĬO *vel* Eloquutio, ōnis, f. 3. ¶ 1. Stricto sensu *elocutio* est actus eloquendi, sermo, dictio. *Ulp. Dig.* 22. 5. 12. Pluralis elocutio duorum numero contenta est. ¶ 2. Sed occurrit fere apud Rhetores pro Græco vocabulo φράσις, et est tertia pars officii oratoris, qua res inventæ et in ordinem dispositæ ornamentis sententiarum et verborum illustrantur. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 1. *Invent.* 7. 9. Elocutio est idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem accommodatio. *Id.* 4. *Herenn.* 12. 17. Elocutio tres res in se debet habere, elegantiam, compositionem, dignitatem. *Quintil.* 8.

1. 1. Quam Græci φράσιν, Latine dicimus elocutionem. Eam spectamus in verbis aut singulis, aut conjunctis. In singulis intuendum est ut sint Latina, perspicua, ornata, et ad id, quod efficere volumus, accommodata. In conjunctis, ut emendata, ut collocata, ut figurata. *V.* ibi plura, et in proœmio ejus libri. *Id.* 2. 15. 13. Inventio sine elocutione non est oratio. Adde *eumd.* 3. 9. 2., 11. 1. 7. et alibi sæpe. *Plin.* 3. *Ep.* 13. Elocutioni vacare. — *b*) In plurali numero. *Sueton. Gramm.* 4. Instituisse et ipsos quædam genera institutionum ad eloquentiam præparandam, ut problemata, periphrases, elocutiones, ethologias. *h. e.* phrases elegantesque dicendi rationes, vel potius rhetoricas descriptiones. Alii vero leg. *allocutiones*, inter quos et *H. Dörgens*.

ĒLŎCŪTOR *vel* eloquutor, ōris, m. 3. qui eloquitur. *Ennod.* 1. *Ep.* 1. Tibi fax ista prætenditur, quam in opinione mea blandus elocutor accendis. *Id.* 2. *ibid.* 4. Sicut amoris elocutor et copiosus assertor es, ita nescis alicui blanda sermonum fucatione illudere.

ĒLŎCŪTŌRĬUS *vel* eloquutorius, a, um, adject. ad eloquendum pertinens. *V.* vocem sequent.

ĒLŎCŪTRIX *vel* eloquutrix, icis, f. 3. quæ eloquitur. Hanc et superiorem vocem, ut Latinas agnoscit *Quintil.* 2. 14. 2. Oratoria sic efferetur ut elocutoria; oratrix ut elocutrix.

ĒLŎCŪTUS *vel* eloquutus, a, um. *V.* ELOQUOR.

ĒLŎGĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒLŎGĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Elogiatus.* — Elogio est breviter describo. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. Signa elogiavimus. *h. e.* breviter scripta proposuimus. *Id.* 2. *Tard.* 1. Nomina specialiter elogiata. *h. e.* imposita.

ĒLŎGĬUM, ii n. 2. In aliquo ex allatis *Ciceronis* locis sunt qui lectionem sollicitant. Sunt etiam qui de origine vocis disputant, et de scriptione. Alii enim scribi volunt *eulogium* ab εὐλογεῖον: alii *ellogium* a simili Græca ἐλλόγιον: alii *eclogium* ab ἐκλογεῖον: alii denique, qui *elogium* retinent, ab hac quidem descendere, sed usu Latino *e* estritum esse. Atque hæc est usitatior scribendi ratio. Ceterum *elogium* generatim est quidquid verbis prolatum est: hinc ¶ 1. Est dictum, sententia. *Cic. Senect.* 20. 73. Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. ¶ 2. Item brevis titulus rei alicujus, vel inscriptio in laudem cujuspiam, vel vituperationem. Sic de januarum inscriptione *Plaut. Merc.* 2. 3. 73. Molesti sint, occentent ostium, impleantur meæ fores elogiorum carbonibus. — Et de votiva tabella *Sueton. Cal.* 24. Tres gladios in necem suam præparatos Marti ultori, addito elogio, consecravit. — Item de avorum imaginibus *Sueton. Galb.* 2. Imagines et elogia universi generis (*prosapiæ*) exsequi longum est. — Præcipue de sepulcris. *Cato* apud *Gell.* 3. 7. Gloriam atque gratiam claritudinis inclutissimæ decoravere monimentis, signis, statuis, elogiis, historiis. *Cic. Senect.* 17. 61. In quem (*Atilium Calatinum*) illud elogium unicum: *Plurimæ consentiunt gentes populi primarium fuisse virum.* Similiter *Id.* 2. *Fin.* 35. 116. Non elogia monumentorum id significant? velut hoc ad portam: *Unum hunc plurimæ consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum.* Sic *Id.* 1. *Tusc.* 14. 31. Quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare? *Sueton. Claud.* 1. Elogium tumulo insculpere. Cf. *Virg. Cul.* 410. His tumulus super inseritur: tum fronte locatur Elogium, tacita format quod littera voce: Parve culex etc. V. *Klotz.* ad *Cic. Pis.* 19. 41.; et *Orell.* ad *Inscript.* 534. ¶ 3. Item brevis alicujus mentio in testamento facta. *Cic. Cluent.* 48. 135. Quod elogium recitasti de testamento Cn. Egnatii patris, idcirco se exheredasse filium, quod etc. *Sueton. Vit. Horatii.* Mæcenas quantopere eum dilexerit, satis monstratur tali ad Augustum elogio: Horatii Flacci, ut mei, memor esto. Adde *Senec.* 2. *Controv.* 15.; *Quintil.* 7. 4. 20. et 2. *Declam.* 15.; et *Dig.* 37. 10. 1. § 9. Sic in lemmate *Declam.* 326. earum, quæ tribuuntur *Quintil.* Dives decessit herede instituto bonorum omnium paupere, et elogio tali: Peto, ut hanc hereditatem restituas ei, cui rogavi. *Forcellinus* hunc locum singulari paragr. distinxit, et *elogium* accepit pro petitione, rogatione. — Hinc *ultima elogia* sunt ultimum testamentum, ultima voluntas perscripta. *Imp. Justinian. Cod.* 3. 28. 37. § 1. Super ipsis tantummodo rebus, quæ quasi castrensis peculii sunt, ultima condere posse elogia. ¶ 4. Denique est etiam sententia judicialis, quæ propterea damnationis quoque causas continet exhibetque. *Sueton. Cal.* 27. Custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, a calvo ad calvum duci imperavit. Adde *Spartian. Sev.* 2.; et *Lamprid. Alex. Sev.* 33. *Ammian.* 19. 12. Perque elogium Principis torqueri præceptus, — istâ fugâ damnatus est. — Hinc *mittere aliquem cum elogio* est ad legitimum magistratum mittere, una cum criminis expositione vel significatione. *Modestin. Dig.* 49. 16. 3. Desertorem auditum ad suum ducem cum elogio præses mittit. Adde *eumd. ibid.* 48. 3. 6. et 11.

ĒLONGĀTĬO, ōnis, f. 3. recessus. *Boeth. de unit. et uno p.* 967. Si tres, vel plures fenestræ vitreæ una post aliam recte contra radium solis disponantur in ordine, constat siquidem, quod secunda minus recipit luminis, quam prima, et tertia minus, quam secunda: et sic usque ad ultimam fit defectus luminis non propter lumen in se, sed propter elongationem fenestræ a lumine. *Id. ibid. p.* 1275. Unaquæque res materiæ, secundum gradum elongationis suæ.

ĒLONGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* longus) protraho, differo. *Gloss. Philox.* Elongo, μακρύνω, ἀφίστημι. Forum Romanum *Plinio* nescio cui tribuit illa verba: *Quo maximo tempore dies elongantur.* — Ceterum occurrit apud *Vulgat. interpr. Psalm.* 21. 20. Ne elongaveris auxilium tuum. Adde *eumd. Psalm.* 54. 8., 70. 12. et alibi sæpe.

ĒLOPS, ōpis. *V.* HELOPS.

ĒLŎQUENS, entis. *V.* ELOQUOR in fin.

ĒLŎQUENTER, adverb. cum eloquentia. Occurrunt tantum Comp. *Eloquentius* et Sup. *Eloquentissime* apud *Plin.* 3. *Ep.* 18. Eloquentius scribere. *Id.* 2. *ibid.* 11. *a med.* Eloquentissime respondere. *Id.* 6. *ibid.* 21. Eloquentissime scribere.

ĒLŎQUENTĬA, æ, f. 1. facultas dicendi apposite ad rem, de qua agitur, dicendi vis et ratio admirabilis, et, ut ait *Cic. Partit. orat.* 23. 79. copiose loquens sapientia (It. *eloquenza, facondia*; Fr. *éloquence, talent de la parole*; Hisp. *eloquencia*; Germ. d. *Beredtsamkeit, Wohlredenheit*; Angl. *eloquence, the faculty of speaking well*). Duplici autem ratione sumi potest: scilicet — *a*) Vel ut idem sit, quod elocutio, vel facundia, et copia verborum, nempe si ad vim vocis spectes. *Ter. Phorm.* 4. 3. 24. Sudabis satis, si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est. *Sall. Cat.* 5. Satis eloquentiæ, sapientiæ parum. *Nepos Alcib.* 2. Hipponicus omnium Græcæ linguæ eloquentia disertissimus. *Fronto* 1. *ad Amic.* 5. Apud me antiquissimum locum laudis eloquentia possidet. *Sueton. Rhet.* 5. Sex. Clodius Latinæ simul Græcæque eloquentiæ professor. — *b*) Vel ut significet universam vim facultatemque oratoris, quæ quinque rebus, seu partibus constat, inventione, dispositione, elocutione, memoria, et pronunciatione, ut sumitur a *Cic. Brut.* 6. *sub fin.* et alibi. *Id. Orat.* 28. 100. Ne ipse quidem sua tanta eloquentia mihi persuasisset, ut se dimitterem. Huc pertinet et illud *Fronton. de eloq. p.* 229. Si linguam quis uni homini exsecet, immanis habeatur; eloquentiam humano generi exsecari mediocre facinus putas? — Ceterum adde *Cic.* 1. *Orat.* 5. 19., 32. 146. et alibi sæpe; *Nepot. Dion.* 3., *Att.* 5. et *Cimon.* 2.; *Quintil.* 2. 16. 7., 9. 17. 2., 8. 3. 71. et alibi sæpe; *Plin.* 3. *Ep.* 3.; *Sueton. Cæs.* 55., *Aug.* 84., *Cal.* 5. et *Gramm.* 7.; *Tac. Dial. de orat.* 8., 30. et 38., *Agric.* 10. et 14. *Ann.* 19.; *Gell.* 1. 15.; *Justin.* 5. 2. 7. et 13. 5. 10.; et *Colum.* 1. *R. R.* 1. 30.

ĒLŎQUĬUM, ii, n. 2. (eloquor). ¶ 1. Est idem quod eloquentia, sed historicis poetisque sub Imperatoribus familiarius. *Virg.* 11. *Æn.* 383. Tonare eloquio. *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 46. Quælibet eloquio fit bona causa tuo. *Id.* 2. *Pont.* 2. 51. Nitor eloquii. *Vellej.* 2. 68. 1. Cælius vir eloquio animoque Curioni simillimus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 18. (55). Suavitas prædulcis eloquii. *Stat.* 4. *Silv.* 4. 65. Potentis eloquii virtus. Adde *Horat. Art. P.* 217.; *Ovid.* 13. *Met.* 63. et 322.; *Lucan.* 7. 63; *Juvenal.* 7. 19. et 139., et 10. 114. et 118.; *Sil. It.* 3. 619.; *Vopisc. Prob.* 2. et *Carin.* 21.; et *Trebell. Poll. XXX. Tyr.* 1. ¶ 2. Est etiam simpliciter sermo. Siquidem definitur a *Diomede initio l.* 2. *p.* 413. *Putsch.* Eloquium est humanæ pronunciationis expressa significatio, facilem mentibus exhibens intellectum. — Hinc et colloquium. *Mamertin. Paneg. Maxim.* 9. Invictas dexteras contulistis; adeo fidum fraternumque fuit illud eloquium.

ĒLŎQUOR, lŏquĕris, lŏquūtus *vel* lŏcūtus sum, lŏqui, dep. 3. (ex *et* loquor). *Eloqueret* pro *eloqueretur* quidam legunt in versibus *Ennii* apud *Gell.* 12. 4. Eloqueret, quæ tincta malis, et quæ bona dictu. *Alii melius leg.* Eloqueretur, tincta etc. — *Elocutus* passiva significatione occurrit apud *Ulp. Dig.* 3. 2. 13. § 6. Multum interest, causa cognita aliquid pronunciatum sit, an quædam extrinsecus sint elocuta. — Part. *Eloquens* in fin; *Elocutus* 1. et 2. — Eloqui est dicere, narrare, exponere, efferre, quasi extra loqui; hinc *Quintil.* 8. *proœm.* 11. Eloqui est omnia, quæ mente conceperis, promere atque ad audientem perferre (It. *parlare, dire, manifestare parlando*; Fr. *prononcer, exposer, exprimer, déclarer, énoncer, dire*; Hisp. *pronunciar, exponer, declarar, manifestar, enunciar, decir*; Germ. *aussprechen, ausdrücken*; Angl. *to speak, speak out or plainly, declare, deliver*). Occurrit ¶ 1. Generatim, et quidem — *a*) Absolute. *Plaut. Curc.* 2. 3. 29. Eloquere, obsecro hercle. *Id. Aulul.* 2. 1. 48. EV. Dic mihi, quæso, quis ea est, quam vis ducere uxorem? ME. Eloquar. Nostin' hunc senem Euclionem ex proximo pauperculum? etc. *Id. Amph.* 1. 1. 264. Elocutus est. *h. e.* vera dixit. *Ter. Phorm.* 4. 3. 35. CH. Immo non potuit melius pervenirier eo, quo nos volumus. AN. Occidi. CH. Perge eloqui. HE. At primo homo insanibat etc. *Virg.* 3. *Æn.* 39. Eloquar, an sileam? gemitus lacrimabilis imo Auditur tumulo, etc. *Cic.* 3. *Off.* 15. 61. Uterque (*emptor et venditor*) si ad eloquendum venerit, non plus quam semel eloquetur. *h. e.* indicandum et exhibendum pretium rei. *Curt.* 10. 2. 15. Eloqui timeo, palam certe rapistis imperium, et precario rex sum. Adde *Sueton. Domit.* 23. *Quintil.* 8. 2. 11. Verba, quæ plus significant, quam eloquuntur. *Id.* 3. 6. 4. Quos recte sensisse, parum elocutos puto. *h. e.* non clare. — *Forcellinus* affert etiam illud *Plaut. Truc.* 4. 2. 43. Eloqui uno verbo. *At hæc divisim legenda; et sane* Plauti *verba sunt*. DI. Qui potest? Uno verbo! AS. Eloquere. DI. Mittin' me intro? AS. Mendax es, abi! Unum ajebas, tria jam dixti verba atque mendacia. — *b*) Cum additis per aliam propositionem iis, quæ dicuntur. *Horat.* 3. *Od.* 3. 17. Gratum elocuta consiliantibus Junone divis: Ilion, Ilion etc. *Tac.* 3. *Ann.* 65. Memoriæ proditur Tiberium, quoties curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui solitum: O homines ad servitutem paratos. *Sueton. Domit.* 23. Ante paucos quam occideretur menses, cornix in Capitolio elocuta est: Ἔσται πάντα καλῶς. — *c*) Cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Plaut. Cist.* 2. 3. 23. Eloqui de aliqua re. — *d*) Cum Accusativo. *Plaut. Cist.* 1. 1. 58. Eloquere nobis utrumque; et quid tibi est, et quid velis nostram operam. *Id. Amph.* 1. 1. 45. Eloqui audita. *Id. ibid. prol.* 51. argumentum tragœdiæ. *Id. ibid.* 4. 5. 8. rem. *Id. Epid.* 1. 2. 20. syllabam. *Id. Men.* 1. 4. 6. Elocuta sum convivas: ceterum cura tu. *h. e.* dixi, qui et quot sint convivæ. *Ter. Heaut. prol.* 3. Id primum dicam, deinde quod veni, eloquar. *hic* absolute quoque accipi potest. *Cic.* 2. *Orat.* 38. 158. Omne, quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus, aut non esse, etc. *Id.* 1. *ibid.* 48. 209. Nullum est periculum, ne quid tu eloquare, nisi prudenter. *Id.* 1. *Fin.* 3. 6. Fieri autem potest, ut recte quis sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit. *C. Cæsar* apud *Cic. Brut.* 72. 253. Eloqui præclare cogitata. *Forcellinus* hunc locum ad paragr. 3. retulit. *Cic.* 4. *Herenn.* 19. 27. Eloqui res aliquas per hujuscemodi continuationes. *Cæs.* 2. *B. C.* 34. Ille unum elocutus, ut memoria tenerent milites ea, quæ pridie sibi confirmassent, sequi sese jubet. *Ovid. Heroid.* 15. 129. Eloqui verba simillima vocis. *Seneca Œdip.* 817. Eloquere nomen. Alt. *Seneca Ep.* 83. *ante med.* Per vinum eloqui arcana. *Curt.* 7. 4. 35. Nec plura elocutus equum in hostem egit. *Id.* 8. 14. 17. Hæc elocutus concitat equum primus. Adde *eumd.* 10. 6. 24. *Quintil. proœm.* 17. Ea et sciet optime et eloquatur orator. — *e*) Sequente Infinito. *Curt.* 9. 6. 12. Horret animus cogitatione rei, quam paullo ante vidimus. Eloqui timeo invicti corporis spoliis inertissimos manus fuis-

se injecturos, nisi te interceptum misericors in nos fortuna servasset. ¶ 2. Speciatim pro colloqui. *Mamertin. Genethl. Maxim.* 11. *in fin.* Quam junctim sedent! quam concorditer eloquuntur! *Al. leg.* colloquuntur. ¶ 3. Item speciatim et sæpe refertur ad facultatem oratoriam. *Cic. Orat.* 19. 61. Sed jam illius perfecti oratoris et summæ eloquentiæ species exprimenda est: quem hoc uno excellere, id est oratione, cetera in eo latere, indicat nomen ipsum. Non enim inventor, aut compositor, aut actor, hæc complexus est omnia, sed et Græce ab eloquendo ῥήτωρ, et Latine eloquens dictus est. Sic *Quintil.* 10. 1. 3. Quum sit in eloquendo positum oratoris officium. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 48. Oratoris vis est composite, ornate, copiose eloqui. *Id.* 1. *Off.* 44. 156. Eloqui copiose, modo prudenter, melius est, quam vel acutissime sine eloquentia cogitare. *Quintil.* 10. 1. 69. Tanta in eo inveniendi copia et eloquendi facultas. Adde *eumd.* 10. 1. 1. et alibi sæpe. *Sueton. Aug.* 86. Genus eloquendi secutus est elegans et temperatum. *Tac.* 4. *Ann.* 31. Quin ipse, compositius alias et velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quoties subveniret. — Hinc Part. præs.

Eloquens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Eloquentior* 1. et 2., Sup. *Eloquentissimus* 2. ¶ 1. Generatim est qui eloquitur et verbis exponit. *Cic.* 4. *Herenn.* 53. 66. Quum res muta et informis fit eloquens et formata. *Orellius* vero legit *aut informis fit loquens. Apul. de Mag.* Quis me hoc pacto eloquentior vivat, quippe qui nihil unquam cogitavi, quod eloqui non auderem? ¶ 2. Speciatim et sæpissime est qui novit dicere apposite ad persuadendam et ad rem de qua agitur. — *a)* Posit. *Cic. Orat.* 29. 100. Is est eloquens, qui et humilia subtiliter et magna graviter et mediocria temperate potest dicere. *et mox* § 101. Is erit igitur eloquens (ut idem illud iteremus), qui poterit parva summisse, modica temperate, magna graviter dicere. *Id. ibid.* 36. 123. Is erit ergo eloquens, qui ad id, quodcumque decebit, poterit accommodare orationem. *Id. ibid.* 5. 18. M. Antonius – disertos ait se vidisse multos, eloquentem omnino neminem. Cf. *Quintil.* 8. *procem.* 13. et 12. 1. 21. (Huc pertinet et illud *Plin.* 5. *Ep.* 20. Respondit mihi Fontejus Magius, unus ex Bithynis, plurimis verbis, paucissimis rebus. Mos est plerisque Græcorum, ut illis sit pro copia volubilitas: tam longas tamque rigidas periodos uno spiritu, quasi torrente, contorquent. Itaque Julius Candidus non invenuste solet dicere, aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam. Nam eloquentia vix uni et alteri, immo, si M. Antonio credimus, nemini: hæc vero, quam Candidus loquentiam appellat, multis atque etiam impudentissimo cuique maxime contingit). Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 5. 19. Mirari desinamus, quæ causa sit eloquentium paucitatis. *Id. ibid.* 11. 49. Eloquentes et in dicendo suaves atque ornati fuerunt. *Id. ibid.* 14. 63. Eloquentem esse in aliqua re. *Id.* 2. *Nat. D.* 1. 1. Nam neque indisertum Academicum pertimuissem, nec sine ista philosophia rhetorem, quamvis eloquentem. *Quintil.* 10. 1. 123. Quo in genere (*h. e.* in philosophia) paucissimos adhuc eloquentes litteræ Romanæ tulerunt. Adde *eumd.* 7. 1. 43. et alibi. — *b)* Comp. *Quintil.* 12. 6. 6. Itaque nonnullos reperias, qui sibi eloquentiores esse videantur. — *c)* Sup. *Cic. Brut.* 39. 145. Ut eloquentium jurisperitissimus Crassus, jurisperitorum eloquentissimus Scævola putaretur. *Quintil.* 8. *procem.* 13. M. Antonius disertis satis putat dicere quæ oporteat: ornate autem dicere, proprium esse eloquentissimi. Adde *eumd.* 5. 13. 3., 4. 2. 58. et 1. 1. 21.; *Sueton. Galb.* 3.; *Tac. Agric.* 10.; et *Plin.* 6. *Ep.* 21.

ĒLŌTUS, a, um. *V.* ELAVO.

ĒLŪĀCRUS, a, um, adject. Eluacrum labrum apud *Caton. R. R.* 10. et 11., si sana est lectio, vas ingens significat ad eluendum, seu lavandum.

ĒLŪCEO, ces, xi, cere, n. 2. (ex et luceo). Part. *Elucens* I. et in fin. — Eluceo est idem quod luceo, vel valde luceo, lucendo appareo (It. *risplendere*; Fr. *briller, luire*; Hisp. *brillar, resplandecer, relucir*; Germ. *hervorleuchten, strahlen*; Angl. *to shine forth, be bright*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *de republ.* 6. Circulus splendidissimo candore inter flammas elucens. *Tibull.* 4. 1. 131. Lætior eluxit structos super ignis acervos. *Virg.* 4. *G.* 98. *de apib.* elucent aliæ, et fulgore coruscant Ardentes auro, et paribus lita corpora guttis.

II.) Translate est apparere, se manifestare, lucendo apparere. — *a)* De bonis rebus. Ad rem *Cic.* 2. *de republ.* 21. Elucet scintilla ingenii in puero. *Et* 4. *Fam.* 3. 2. Quasi lumen aliquod, exstinctis ceteris, elucere sanctitatem et prudentiam et dignitatem tuam. *Lucret.* 2. 1050. res ipsaque per se Vociferatur, et elucet natura profundi. *Cic. Amic.* 14. 48. Si qua significatio virtutis eluceat. *Id. ibid.* 27. 101. Amicitia magis elucet inter æquales. *Id.* 2. *Orat.* 13. 55. Nemo studet eloquentiæ, nisi ut in causis atque in foro eluceat. *Id.* 1. *Off.* 29. 103. Ex quo elucebit omnis constantia omnisque moderatio. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 5. 17. *Id. Partit. orat.* 12. 41. Ex quibus proprium quid sit eluceat. *Nepos Pausan.* 1. Ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus. *Id. Epam.* 6. Sed maxime ejus eloquentia eluxit Spartæ. *Id. Chabr.* 1. Inventum ejus eluxit. *Quintil.* 1. 1. 2. Elucet spes. — *b)* De malis rebus. *Cic. Rosc. Am.* 31. 86. Tenuitas hominis ejusmodi est, ut dissimulari non queat, atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. *Sueton. Tib.* 57. Sæva ac lenta natura ne in puero quidem latuit: sed aliquanto magis in principe eluxit. — Hinc Part. præs.

Elucens, entis, adjective quoque occurrit in *Varron. Sentent. nov.* edente *Vinc. Devit.* Elucentissimum est edocendi genus exemplorum subditio. *Al. leg.* elucidissimum.

ĒLŪCESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. ab* eluceo, et ejusdem fere significationis. *Lactant.* 7. 14. Cujus rei argumentum prius est enarrandum, quo ratio elucescat. *Al. leg.* eluceat. *Augustin.* 1. *Retractat.* 13. *a med.* Quod apud eos elucesceret.

ĒLŪCĬDO, as, are, a. 1. lucidum reddo. Translate *Vulgat. interpr. Eccli.* 24. 31. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

ĒLŪCĬFĂCĬO. *V.* vocem sequent.

ĒLŪCĬFĬCO, as, are, a. 1. luce privo, elucum reddo: ab *elucus*. *Laberius* apud *Gell.* 10. 17. Sic ego, splendore fulgentis pecuniæ volo elucificare exitum ætatis meæ. *Alii leg.* elucifacere; at ipse *Non. p.* 106. 21. edente *Merc.* lectionem *Gellii* confirmat.

ĒLUCTĀBĬLIS, e, adject. luctando superabilis. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 8. Ita implicitæ aquis herbæ sunt, et aquæ nec pediti eluctabiles, nec navigio.

ĒLUCTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus eluctandi; et translate conatus expediendi se ex re aliqua. *Lactant.* 3. 11. *a med.* Eluctatio adversus mala, quibus hæc vita plena est.

ĒLUCTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ex et luctor). Olim *elucto, as,* activa positione dictum fuisse, tradit *Non. p.* 468. 30. *Merc.*; sed locum affert *Plauti* dubiæ lectionis. *V.* DELUCTOR. — Part. *Eluctans* sub *B.* I.; *Eluctatus* sub *A.* et *B.*; *Eluctandus* sub *B.* II. — Eluctari usurpatur *A)* Neutrorum more; et *B)* Transitive, seu cum Accusativo.

A) Neutrorum more eluctor est luctando et conando et cum mora exeo. *Virg.* 2. *G.* 244. aqua eluctabitur omnis Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttæ. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. Nilus per angusta eluctatus. *Lucan.* 2. 219. *de fluvio.* Tyrrhenas vix eluctatus in undas.

B) Transitive, seu cum Accusativo, est aliquid luctando et conando superare.

I.) Proprie. *Liv.* 24. 26. *a med.* Quum tot ac tam validæ eluctandæ manus essent. *Tac.* 3. *Hist.* 59. Vix quieto agmine nives eluctantibus patuit, quantum discriminis adeundum foret, ni etc. *Id. Agric.* 17. *extr.* Super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. Tandemque (*Nilus*) eluctatus obstantia, in vastam altitudinem cadit. *Val. Flacc.* 8. 183. altera ponti Eluctanda via est. *h. e.* vi et labore aperienda. *Sil. It.* 13. 742. Eluctari Alpes. Sic *Jornand. Get.* 38. *ad fin.* Qui eluctati collis excelsa conscenderent.

II.) Translate. *Tac.* 4. *Ann.* 31. Ipse compositus alias et velut eluctantium verborum. *Grat. Cyneg.* 520. ille (*equus*) vigebit Centum actus spatiis atque eluctabitur iram. *h. e.* incitationem et ardorem præferet ac superabit. *Stat.* 1. *Achill.* 524. *de vate æstro percito.* Tandem fessa tremens longis mugitibus ora Solvit, et oppositam vox eluctata furorem est. *Symmach.* 1. *Ep.* 14. (*al.* 21. *extr.*) Eluctari offensam. *h. e.* vitare, effugere.

ĒLŪCĬDUS. *V.* ELUCEO in fin.

ĒLŪCŬBRĀTUS, a, um. *V.* voc seq.

ĒLŪCŬBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *vel*

ĒLŪCŬBROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Elucubratus* sub *a.* et in fin. Elucubro est lucubrationibus, idest vigiliis conficio. — *a)* Activa forma. *Cic. Brut.* 90. 312. Orationes non minus diligenter elaboratas, quam elucubratas efferebamus. *h. e.* ad lucernam elaboratas. *Colum. R. R.* 10. *præfat.* Quidquid est istud, quod elucubravimus, propriam sibi laudem non vindicat. *Tac. Dial. de orat.* 9. Elucubrare librum. — *b)* Deponentis forma. *Cic.* 7. *Att.* 19. Epistolam, quam eram elucubratus, ad te non dedi. — Hinc Part. præter. pass.

Elucubratus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Elucubratior* translate apud *Boeth.* 2. *Music. procem.* Pauca præmittam, quibus elucubratior animus auditoris ad ea, quæ dicenda sunt, accipienda perveniat.

ĒLŪCUS, i, m. 2. ab *ex* et *lux, lucis,* qui noctu vigilavit ac præcipue qui ad lucernam noctu elaboravit; ac propterea significat languidum ac semisomnum, vel, ut alii volunt, alucinatorem et nugarum amatorem, sive halonem, idest hesterno vino languentem, quem ἕωλον vocitant Græci. Hæc *Paul. Diac. p.* 75. 17. *Müll.* Alii ducunt ab ἠλύγη *obscuritas, tenebræ,* unde ἠλυγός. — Idem *Paul. Diac.* sub littera H p. 100. 8. *Müll. helucum* ab hiatu et oscitatione dictum docet; quod est vino languentium. Similiter *Gloss. Placidi* edente *A. Mai. p.* 470. Helui crapula veterani. *lege* Heluci, crapulæ veteranæ. — Alii substantivam vocem esse tradunt: et significare tarditatem quamdam animi et stuporem, qui alucinantibus plerumque usu venit: ab ἀλύειν, unde *alucinor* et, *a* in *e* conversa, *elucus.* Hæc *Gell.* 16. 12. ex *Cloatio Vero.* Hoc sensu *Tertull. Cor. mil.* 7. Hederæ natura est cerebrum ab eluco defensare. — Hinc Itali etiamnum hominem hebetioris ingenii *allocco* appellant. *V.* ALUCUS.

ĒLŪDO, lūdis, lūsi, lūsum, lūdere, 3. (ex et ludo). Part. *Eludens* sub *B.* II. 2.; *Elusus, Elusurus* et *Eludendus* sub *B.* II. 1. — Eludere est verbum *A)* Neutrum; et *B)* Activum.

A) Neutrorum more eludere est ludendi finem facere. Unde illa littoris definitio ab Aquilio data, apud *Cic. Topic.* 7. 32. Solebat Aquilius litus ita definire, qua fluctus eluderet. Adde *Quintil.*, qui hanc eamdem Aquilii definitionem affert 5. 14. 34.; et *Fronton. Princip. Hist.* 5. *p.* 247. *Niebuhr.* — Hinc *Donatus* ad *Ter. Eun.* 1. 1. 10. Eludere gladiatorum est, quum vicerunt et ludo finem imposuerunt.

B) Active eludere est ludendo vincere, ludendo decipere.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Eludere aliquem rei aliquem aliquid* est ludendo vincere et aliquid obtinere. *Plaut. Curc.* 5. 2. 30. Dicas, unde illum habeas anulum, quem parasitus hic te elusit. *Id. ibid.* 5. 2. 10. Dixi equidem tibi, unde ad me hic (*anulus*) pervenerit. Quoties dicendum est? Elusi militem, inquam, in alea. — Cum Dativo personæ. *Propert.* 4. 1. 139. Nam tibi victrices, quascumque labore parasti, Eludet palmas una puella tuas. *h. e.* extorquebit, eripiet. ¶ 2. Speciatim eludere dicuntur gladiatores, qui flexu corporis ictus adversarii evitant. *Martial.* 14. 202. Callidus emissas eludere simius hastas. *Manil.* 5. 163. Dic cito motu rigidos eludere cæstus. — Et figurate. *Cic. Opt. gen. orat.* 6. 17. Non enim in acie versatur et ferro, sed quasi rudibus ejus eludit oratio. *Curt.* 7. 2. 12. Et quamquam conscientia fretus in regiam venerat; tamen ut jussus est fratres suos exhibere, admodum juvenes et regi ignotos ob ætatem, fiducia in sollicitudinem versa trepidare cœpit, sæpius quæ nocere possent, quam quibus eluderet, reputans. *Tac.* 3. *Ann.* 67. In meta, qui exercitam quoque eloquentiam debilitat, non temperante Tiberio quin premeret voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat, neque refellere aut eludere dabatur, ac sæpe confitendum erat, ne frustra quæsivisset. *Id. ibid.* 74. Ille robore exercitus impar, furandi melior, plures per globos incursabat eludebatque et insidias simul tentabat. — Huc fortasse pertinet et illud *Liv.* 27. 18. *a med.* Levis et concursator hostis atque intervallo tutus, quum procul missilibus pugna eluditur; instabilis idem ad comminus conserendas manus. *Forcellinus* tamen hoc loco *eludere* accepit pro simplici ludere, seu leviter aliquid facere.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro fallere, decipere; et occurrit — a) De hominibus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 109. Quando imago est hujus in me, certum est hominem eludere. *Ter. Phorm.* 5. 6. 46. Summa eludendi occasio est mihi nunc senes. Adde *Cic. Sext.* 43. 94., ubi alii aliter leg. *Cæs.* 1. *B. C.* 58. Ipsi Massilienses, et celeritate navium et scientia gubernatorum confisi, nostros eludebant. *V.* integrum locum. Adde *Liv.* 36. 45. *Id. Liv.* 22. 18. Ea (*cohors*) adsuetior montibus, et ad concursandum inter saxa rupesque aptior ac levior – campestrem hostem, gravem armis statariumque, pugnæ genere facile elusit. *Virg.* 11. *Æn.* 691. Orsilochum fugiens Eludit gyro interior sequiturque sequentem. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 45. caudæque pilos ut equinæ Paullatim vello, et demo unum, demo etiam unum, Dum cadat elusus ratione ruentis acervi. *Id.* 1. *Sat.* 10. 40. Davoque Chremeta Eludente senem. *Ovid.* 1. *Met.* 692. Non semel et Satyros eluserat illa (*Nympha*) sequentes. Cf. *eumd.* 8. *ibid.* 686. Ille (*anser*) celer pennâ tardos (*Philemonem et Baucida*) ætate fatigat, Eluditque diu. *Propert.* 2. 17. 13. a Dulichio juvene elusa Calypso. *Ovid.* 6. *Met.* 103. Europe elusa imagine tauri. *Virg.* 12. *Æn.* 753. vividus Umber Hæret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti Increpuit malis, morsuque elusus inani est. *Val. Flacc.* 4. 41. Corpus hebet somno, refugaque eluditur umbra. *Id.* 6. 196. incipit hasta Ante Melas: levis ast abies elusit utrumque. Ensibus inde ruunt. Adde *Phædr.* 1. 12.; et *Vopisc. Car.* 19. *Juvenal.* 11. 9. Multos porro vides, quos sæpe elusus ad ipsum Creditor introitum solet exspectare macelli. — b) De rebus et præcipue de abstractis. *Liv.* 26. 19. His miraculis numquam ab ipso (*Scipione*) elusa fides est. Cf. *Quintil.* 12. 10. 25. Hanc ejus terræ fidem eludit Menander. *Tac.* 1. *Hist.* 26. Quædam erumpentis seditionis indicia apud Galbæ aures præfectus Laco elusit, ignarus militarium animorum. *Liv.* 2. 48. Legionibus Romanis cedebant in urbem. Ubi abductas senserant legiones, agros incursabant: bellum quiete, quietem bello in vicem eludentes. *Tac.* 2. *Ann.* 52. Sed nihil æque cavebatur, quam ne bellum metu eluderent. *Liv.* 3. 10. Jam ne virtute quidem premi libertatem populi Romani, sed arte eludi. *Id. ibid.* 14. His per totum annum artibus lex elusa est. *Sueton. Aug.* 34. Eludere vim legis. *Cic.* 2. *Verr.* 10. 30. magnas accusatorum minas. *Tac.* 14. *Ann.* 41. Mox prævaricando ultionem elusurus. *Sueton. Cæs.* 59. Ad eludendas vaticinationes. Adde *eumd. Vitell.* 17.; et *Sil. It.* 9. 355. et 6. 258. *Quintil.* 4. 5. 24. Cujus tamen divisionem in digitos diductam nonnumquam Cicero leviter eludit. *Tibull.* 2. 1. 19. Seges elusit messem fallacibus herbis. *Ovid.* 12. *Met.* 102. Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto, Quum sua terribili petit irritamina cornu Puniceas vestes, elusaque vulnera sentit. h. e. sentit ictus suos irritos recidisse. ¶ 2. Item ponitur pro irridere, illudere; et occurrit — a) De hominibus. *Ter. Eun.* 1. 1. 10. Eludet, ubi te victum senserit. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 11. 15. Eludere aliquem et omni ratione jactare. *Forcellinus* interpretatur: Quasi prehendere cupientem vitare, atque adeo laborem negotiumque facessere: quo sensu *Petron. Satyr.* 97. Scrutantium eludere manus. *Cic.* 1. *Cat.* 1. 1. Quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 123. Sed et vos ab illo irridemini, et ipsi vicissim illum eluditis. *Liv.* 9. 6. Circumstabant armati hostes, exprobrantes eludentesque. Adde *eumd.* 2. 45.; et *Tac.* 16. *Ann.* 28. — b) De rebus. *Liv.* 1. 36. Eludere artem auguris. *Id.* 6. 41. religiones. *Id.* 28. 44. *sub fin.* Eludere gloriam alterius, et suam verbis extollere. *Id.* 40. 5. Ex composito sermones ad spretionem Romanorum trahebant. Ibi quum alii mores et instituta eorum, alii res gestas, alii speciem ipsius urbis, – alii singulos principum eluderent etc. *Curt.* 9. 7. 18. Et a Dioxippo contemptim militarem eludente ferociam accepta conditio est. *Id.* 7. 8. 23. Scytharum solitudines Græcis etiam proverbiis audio eludi. Adde *eumd.* 5. 11. 10. — c) De oraculis. *Curt.* 3. 1. 18. Gladioque ruptis omnibus loris, oraculi sortem vel elusit, vel implevit. *Id.* 8. 1. 42. Jovis, quem patrem sibi Alexander adsereret, oraculum eludens, veriora se regi, quam patrem ejus respondisse dicebat.

ĒLŪGEO, ges, xi, gere, a. 2. (ex et lugeo) est lugere aliquem toto tempore legibus vel consuetudine definito. *Cic.* 9. *Fam.* 20. *extr.* Patriam eluxi jam et gravius et diutius, quam mater unicum filium. *Liv.* 34. 7. Quid aliud (*feminæ*) in luctu, quam purpuram atque aurum deponunt? quid, quum eluxerunt, sumunt? *Gell.* 7. 5. Eum luctum quum satis visus est eluxisse, rediit ad quæstum artis. *Paul. Dig.* 3. 2. 10. Quæ virum eluget, intra id tempus sponsam fuisse non nocet. *Ulp. ibid.* 11. Prætor ad id tempus se retulit, quo vir elugeretur: qui solet elugeri propter turbationem sanguinis. *Fragm. Jur. Civ. Antejustin.* (edente *A. Maio*) p. 88. Minores decem annorum liberi tot mensibus elugeantur, quot annorum decesserint. *V.* LUGEO. — *NB.* In allatis *Cic., Liv.* et *Gell.* locis *elugeo* juxta *Forcellinum* est lugere desino, vel luctum depono, expleto tempore justi luctus.

ĒLŪMBIS, e, adject. (ex et lumbus).

I.) Proprie est qui evulsum habet lumbum, vel qui præ lumbi debilitate se se erigere non potest. *Paul. Diac.* p. 76. 13. *Müll.* Elumbem, evulso lumbo. *Müll.* leg. *elumbum.*

II.) Translate vero occurrit

A) Passive, et est mollis, solutus, enervis in dicendo apud *Tac. Dial. de orat.* 18. *sub fin.* Ciceronem male audivisse a Bruto, ut ipsius verbis utar, tamquam fractum atque elumbem.

B) Active, et est qui imbecilles facit. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 216. Elumbe virus contrahere.

ĒLŪMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. illuminatio. *Gloss. Philox.* Eluminatio, φωτισμός.

ĒLŪMĬNĀTUS, a, um, part. ab inusit. *elumino*, lumine oculorum et visu privatus. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *ad fin.* Quis ita gemino obtutu eluminatus, qui, exanimati cadavere inspecto, non statim signa vitæ colligeret extortæ?

ĒLŪO, luis, lui, lūtum, luere, a. 3. (ex et lavo, luo). *Elŭtam mentem* pro *elūtam* malus prosodiæ auctor dixit *Prudent.* περὶ στεφ. 5. 362. — Part. *Eluens* I.; *Elutus* I., II. 1. et 4., et in fin.; *Eluendus* I. — Eluere est lavare, lavando auferre, lavando abstergere (It. *lavare, nettare lavando*; Fr. *laver, enlever en lavant, rincer, nettoyer, effacer*; Hisp. *lavar, limpiar con agua, enjuagar*; Germ. *auswaschen, abwaschen*; Angl. *to wash, cleanse, rinse, make clean*).

I.) Proprie. *Plaut. Capt.* 4. 2. 66. Eluere patinas. *Id. Aulul.* 2. 3. 3. Vascula intus pure propera atque elue. *Id. Pseud.* 1. 2. 29. Eluere argentum. h. e. vasa argentea. Cf. *eumd. Pœn.* 1. 1. 71. *Lucret.* 6. 1075. Non mare si totum velit eluere omnibus undis purpureum lanæ colorem. Sic *Quintil.* 1. 1. 5. Nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. *Cels.* 3. 4. *bis.* Eluere os. h. e. colluere. *Id.* 7. 22. *sub fin.* Eluendum id est ex aqua, quæ salem adjectum habeat. *Forcellinus* hunc affert locum, ipse non inveni. *Colum.* 6. *R. R.* 3. 4. Eluta et siccata vinacea. *Id.* 12. *ibid.* 52. 22. *Schneid.* Olivarum fraces ferventissima debent aqua bis, aut ter elui. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 28. (72). Eluere maculas vestium. *Id.* 34. *ibid.* 16. 47. (157). Aqua immissa eluente calculos. *Id.* 15. *ibid.* 24. 27. (97). Tingunt manus succo mora matura, eluunt acerba. *Id.* 35. *ibid.* 6. 25. (43). Atramentum aceto liquefactum ægre eluitur. *Id.* 22. *ibid.* 25. 61. (12?). Alica eluta ex aqua mulsa. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 3. Ex quo cælestis aqua maxime salubris intelligitur, quod etiam venenati liquoris eluit perniciem.

II.) Translate. ¶ 1. Interdum ponitur pro purgare. *Capitolin. Pertin.* 8. Vasa eluto auro. h. e. probe excocto et purgato. *Al. leg.* elato. ¶ 2. Item est inanem reddere, evacuare. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 10. Quamquam vel hos magis tolerabiles putem, qui oblectamenta deliciarum, possidendi habendique caussa, gravi ære et argento pensent, quam illos, qui Ponticum Phasim et Scythica stagna Mæotidis eluant. h. e. pretiosis avibus spolient, ut mensas unerent, et una comedant patrimonia mensa, ut ait *Juvenal.* 1. 138. ¶ 3. *Eluere se bonis* est naufragorum, ut in ELAVO dictum est: hinc ponitur etiam pro bona profundere. *Plaut. Rud.* 2. 7. 20. Eho, an te pœnitet, in mari quod elavi, nisi hic in terra iterum eluam? *Id. Stich.* 5. 2. 21. Volo, eluamus hodie. h. e. quidquid peculii est, profundamus. ¶ 4. Denique metaphorâ sumptâ a superiori num. I., ponitur pro purgare, delere, diluere, tollere: ad rem *Ovid.* 11. *Met.* 140. Spumiferoque tuum fonti, qua plurimus exit, Subde caput; corpusque simul, simul elue crimen. et *Virg.* 6. *Æn.* 741. aliis sub gurgite vasto Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni. et *Cic.* 7. *Verr.* 46. 121. Errabas, quum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare. Similiter *Ammian.* 16. 12. *ante med.* Elutis pristinis maculis, Romanæ majestati reddere proprium decus. *Cic.* 12. *Phil.* 6. 12. Num elui prædicatio crudelitatis potest? *Id. Amic.* 21. 76. Tales igitur amicitiæ sunt remissione usus eluendæ. *Orellius* ita legit; alii aliter. *Horat.* 4. *Od.* 12. 20. cadus amara Curarum eluere efficax. *Quintil.* 2. 3. 2. Eluendis, quæ semel insederint, vitiis. *Seneca Hippol.* 893. Labem hanc pudoris eluet noster cruor. *Sil. It.* 11. 199. hic denique solus Eluerit sanguis maculatas crimine mentes. *Gell.* 7. 3. *a med.* Quod Rhodiensibus objectum erat, mirifica responsionis figura elusit et eluit. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Elutus, a, um, adjective quoque usurpatur (unde Comp. *Elutior*); et translate est imbecillis et tenuium virium. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 15. Caule suburbano, qui siccis crevit in agris Dulcior: irriguo nihil est elutius horto. *h. e.* infirmius ad alendum; quia hortensia, quum frequenti irrigatione colantur, ut citius proveniant, saporem habent velut aqua elutum et insipidum; atque adeo imbecillioris alimenti. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 33. (129). Hoc solum distat, quod hujus vis elutior est.

ĒLUSCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus eluscandi. *Gloss. Cyrill.* Ἀποτύφλωσις, abcæcatio (*lege* obcæcatio), eluscatio.

ĒLUSCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒLUSCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et luscus). Part. *Eluscatus.* — Eluscare est luscum facere, id est alterius oculi lumine spoliare. *Ulp. Dig.* 9. 2. 5. § 3. Aquilia teneri eum, qui eluscavit discipulum in disciplina. *Id.* 13. 3. 3. Eluscatus servus. Adde *eumd. ibid.* 10. 4. 17. et *Marcell. ibid.* 20. 1. 27.

ĒLŪSĬO, ōnis, f. 3. deceptio, frustratio. *Gloss. Philox.* Ἐμπαιγμός, elusio.

ĒLŪSUS, a, um. *V.* ELUDO.

ĒLŪTĀCĬUS, a, um, adject. qui est ex auro eluto. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (68). Gummi inventum est in summo cæspite, elutacium, si et auro ea tellus subest. *Alii leg.* alutacium. *Sillig.* vero ex *Cod. Bamb.* ita: Quum ita inventum est in summo cæspite, talutium vocant, si et aurosa tellus subest. *V.* voc. seq.

ĒLŪTĬA, ōrum, n. plur. 2. metalla auraria, quæ aqua eluuntur: hac enim immissa sordes abluuntur, et verum aurum comparet. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 16. 47. (157). Invenitur et plumbum candidum in aurariis metallis, quæ elutia vocant: aqua immissa eluente calculos nigros. *Alii, minus recte juxta* Forcellinum, *leg.* aluta vel alutia: *quam postremam lectionem habet* Cod. Bamb. *et retinuit* Sillig.; *alteram* aluta *in plurimis Codic. invenitur. Num* alutia *et* talutium (*V.* voc. præced.) *inter se cognata, vel unum idemque sunt?*

ĒLŪTĬO, ōnis, f. 3. eluendi actus. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Panis calida elutione purgatus.

ĒLŪTRĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒLŪTRĬO, as, ātum, are, a. 1. ab *elutum*, quod ab *eluo*. — Part. *Elutriatus* I. et II. — Elutriare est idem quod lavare, lavando purgare.

I.) Proprie, *elutriare lintea*, h. e. lavando purgare, *Laberii* est: referturque a *Gell.* 16. 7. inter illa, quæ sunt ab eo prælicenter ficta. Hinc *elutriatum vellus*, apud *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (134).

II.) Translate ponitur pro purgare. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 17. 21. (114). Suffervefactis decies, mox elutriatis.

ĒLŪTUS, a, um. *V.* ELUO.

ĒLŪVĬES, ēi, f. 5. (eluo). Occurrit tantum Nominativus, Accusativus et Ablativus singularis numeri. — Eluvies est defluxus sordium.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 82. 84. (197). Quod in certis notatur oppidis, quæ minus quatiuntur (*terræ motibus*) crebris ad eluviem cuniculis cavata. *Pallad.* 1. *R. R.* 40. 4. Ita constituantur balneæ, ut omnis earum per hortos decurrat eluvies. *Juvenal.* 3. 32. Siccare eluviem. *h. e.* purgare cloacam. *Lucilius* apud *Non.* p. 103. 33. *Merc.* Ut si eluviem facere per ventrem velis. *Al. leg.* elaviem *ducuntque a præterito* elavi *verbi* Elavo. *Aurel. Vict. Epit.* 9. *in fin.* Ventris eluvie

fessus. *Est qui legit* illuvie. Sic poetice *Grat. Cyneg.* 355. Inde rape ex ipso, qui vulnus fecerit, hoste Virosam eluviem. ¶ 2. Latiori sensu est inundatio, excursio, effusio aquæ, vel aqua torrens et decurrendo terram, saxa, stirpes secum rapiens. *Ovid.* 15. *Met.* 266. Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum Fecit, et eluvie mons est deductus in æquor. *Tac.* 13. *Ann.* 57. Eluvie maris arescente unda. *Liv.* 1. 4. In proxima eluvie – pueros exponunt. *Al. leg.* illuvie, *al.* alluvie. V. *Gronov.* aliorumque adnotat. ad h. l. in edit. *Drakenborg.*

II.) Improprie. ¶ 1. Per metonymiam eluvies dicitur locus ipse concursu aquarum cavatus, qua eluvies decurrit. *Curt.* 5. 4. 26. Circuiri brevi spatio poterat eluvies. *Id.* 6. 4. 20. Torrentesque et eluvies iter morabantur. *Id.* 8. 11. 7. Voragines eluviesque præruptæ. ¶ 2. Translate. *Cic. Dom.* 20. 53. An, si in ipsa latione tua lapides jacti, si manus collata non est, idcirco tu ad illam labem atque eluviem civitatis sine summa vi pervenire potuisti? *Ennod.* 1. *Ep.* 24. Ego autem præter ista cum honore salutari, quæ scribere possim illa carnis, quam tu diligis, eluvie (*lege* eluvie) viventibus non inveni.

ĒLŬVĬO, ōnis, f. 3. inundatio, vis aquarum omnia rapientium. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 2. *Off.* 5. 16. Collectis ceteris causis, eluvionis, pestilentiæ, vastitatis, etc. — *b*) In plurali numero. *Id.* 6. *de republ.* 21. Propter eluviones exustionesque terrarum.

ELUXATUS, a, um, part. ab inusit. *eluxo*, idem ac luxatus, loco motus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 33. (82). Sic enim fistulas eluxatas et tumores revocari. Sed *Harduin.* legi jubet: *Sic enim fistulas: et luxata et humores evocari*: multo rectius. Quid enim sunt, inquit, *fistulæ eluxatæ?* Lectionem *Harduini* secutus est *Sillig.*

ĒLUXŬRĬOR, āris, ari, dep. 1. idem ac luxurior, vel valde luxurior. Translate. *Colum. Arbor.* 3. 2. Pampinis magis eluxuriabantur (*vites*).

EM duo diversa significat; scilicet

A) *Em* pro eum, ab eo quod est is. *Paul. Diac.* p. 77. 9. *Müll.* Hinc in *Leg. XII. Tabul.* apud *Gell.* 20. 1. *ad fin.* QVIS ENDO EM IVRE VINDICIT. *et mox.* QVI EM VINCTVM HABEBIT. *V.* IS, ea, etc. — Id confirmat idem *Paul. Diac.* p. 76. 12. Emem eumdem. *Müllerus* ibi: Est geminatum *em*. Græcis in Sicilia fuit αὐτὸν *em*, αὐταυτον *emem*.

B) *Em* veteres posuisse pro *tum* docet *Paul. Diac.*, qui ait p. 76. 10. Em tum. *Müllerus* hæc adnotavit: Hanc glossam, quæ vulgo omittitur, addidit *Lindemann.*, recteque eam tuetur. Nam *em* Accusativus casus est pronominis *is*, ut *tum* demonstrativi τος. — De *em* pro *hem*, *V.* HEM.

EM pro *tum*. *V.* voc. præced.

EM pro *hem*. *V.* HEM.

ĒMĂCĔO, māces, etc. *Forcellinus* ad hanc formam retulit, quæ infra sub EMACESCO videsis.

ĒMĂCĔRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *emacero*, valde maceratus, subactus, attenuatus, consumptus. *Seneca Consol. ad Marc.* 10. *ad fin.* Alios morborum variis generibus emaceratos, diu inter vitam mortemque medios detinebit.

ĒMĂCESCO, cescis, cŭi, cescere, n. inchoat. 3. emacresco. *Cels.* 2. 2. Pejus signum est, ubi aliquis contra consuetudinem emacuit. *Al. leg.* emacruit. *Id. ibid.* 8. *sub fin.* Mulieri gravidæ si subito mammæ emacuerunt. *Al.* emaccuerunt; *alii* emarcuerunt.

ĒMĂCĬĀTUS, a, um. *V.* EMACIO.

EMACINIUM, nomen vulgare arboris cici, de qua ita *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (25). Proximum (*oleum*) fit et e cici, arbore in Ægypto copiosa – ibique non pridem; et in Hispania repente provenit altitudine oleæ, caule ferulaceo, folio vitium, semine uvarum gracilium pallidarumque. Nostri emacinium vocant a similitudine seminis. *Mon.* Ita legit et edidit ex *Palimps. Veronensi*; at vulgati libri et *Sillig.* leg. *Nostri eam ricinum vocant.* Vocabulum *emacinium* ab acino compositum esse videtur: sed quid sit præpositum *em*, non ausim dicere. Fortasse *Plinius* hoc loco vulgarem rusticorum hominum vocem attulit, quæ corrupta esse potuit: sed rectius vulgata lectio *eam ricinum vocant* præferenda, tum quia in optimis exhibetur Codicibus, tum quia, auctore cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 217.), in allato Plinii loco certe agitur de *Ricino communi* L., qui in Ægypto copiosus est.

ĒMĂCĬO, as, ātum, are, a. 1. (ex *et* macies). Part. *Emaciatus*. — Emaciare est macrum vel aridum reddere; et occurrit — *a*) De animalibus. *Colum.* 7. *R. R.* 9. 9. Ne immaturis herbis citetur alvus, eoque vitio pecus emacietur. *Id.* 2. *ibid.* 11. 2. Emaciatum armentum. — *b*) De agris et plantis. *Colum.* 2. *R. R.* 13. 1. Aliis juvari et stercorari agros, aliis rursus peruri et emaciari. *Id.* 4. *ibid.* 24. 12. Medio in brachio commodissime palmæ submittentur, quæ nec spem vindemiæ destituant, nec emacient stirpem suam. *Id.* 2. *ibid.* 10. 1. Emaciatæ vineæ. *Id.* 4. *ibid.* 6. 3. At certe in ordinariis vitibus utique obtinendum est, ne pluribus flagellis emacientur, nisi si propaginibus futuris prospicimus. Adde *eumd. ibid.* 33. 3. et 22. 12. *V.* etiam EMACROR.

ĒMĀCĬTAS, ātis, f. 3. cupiditas emendi. *Colum.* 4. *R. R.* 3. 1. Quosdam emacitas in armentis, quosdam exercet in comparandis mancipiis cura. Adde *Plin.* 3. *Ep.* 7. 8.

ĒMĂCRESCO, crescis, crŭi, crescere, n. inchoat. 3. (ex *et* macresco) valde macresco. *Cels.* 2. 4. Mali morbi signum est, nimis celeriter emacrescere. Adde *eumd. ibid.* 5. *V.* EMACESCO.

ĒMĂCROR, āris, ari, dep. 1. macer fio. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 25. (101). Terram emacrari existimantes hoc satu. *Lectio hæc tamen est dubia* Harduino. Sillig. *leg.* emaciari.

ĒMĂCŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒMĂCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* macula). Part. *Emaculatus* I. et II. — Emaculo est maculas aufero.

I.) Proprie. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 19. 75. (129). Nigras vitiligines (*narcissus*) emaculat. *Apul. de Mag.* Exotico pulvere dentes emaculare. *Gell.* 6. 5. *sub fin.* Argentum, omnibus ex eo vitiis detractis, emaculatum et candefactum. *Macrob.* 7. *Saturn.* 13. *a med.* Pallium emaculatum.

II.) Translate. *Ammian.* 29. 1. Domus emaculata odoribus Arabicis.

ĒMĀDĔO, des, dŭi, dere, n. 2. idem quod madeo, vel valde madeo. *Ovid.* 5. *Trist.* 4. 40. Et te flente suos emaduisse sinus. *Al. leg.* demaduisse; *al.* immaduisse. *Theod. Priscian.* 1. 15. Tragacanthum mundum sub lingua (*ægroti*) teneant, et quod emaduerit, glutiant.

ĒMĀNĀTĬO, ōnis, f. 3. id quod ab aliquo emanat. *Vulgat. interpr. Sap.* 7. 25. Sapientia emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei.

ĒMĀNĀTOR, ōris, m. 3. qui emanat, diffundit. *Cassiod. Institut. divin. litter.* 20. Ambrosius lactei sermonis emanator.

ĒMANCEPS, famulus a servitute liberatus. *Gloss. Isid.*

ĒMANCĬPĀTĬO *vel* emancupatio, ōnis, f. 3. (ex, manus *et* capio) vocabulum JCtorum proprium, et ¶ 1. Est liberatio a potestate patria, quum quis filiusfamilias e potestate patris exit, et fit sui juris: quod fiebat olim per trinas imaginarias venditiones, adhibito patre fiduciario, atque ære et libra, vel per imperiale rescriptum: postea recta via per competentes judices, vel magistratus, ut *Imp. Justinian. Institut.* 1. 12. et *Cajus Institut.* (edente *Goeschenio*) 1. § 119. et seqq. docent. *Quintil.* 11. 1. 65. Inter patres etiam filiosque, cum intervenisset emancipatio, litigatum scio. *Gell.* 1. 12. Vestalis simul est capta, eo statim tempore, sine emancipatione, e patris potestate exit. Adde *Justin.* 1. 12. 6. — Item cujusvis rei alienatio cum translatione dominii in alterum. *Plin.* 10. *Ep.* 3. 3. Nam et fundos emancipavit, et cetera quæ in emancipatione implenda solent exigi, consummavit. *Sed hoc* percommode referri potest ad superiorem notionem. ¶ 2. *Emancipatio familiæ* apud *Gell.* 15. 27. erat inter tria, quæ ibi enumerat, testamentorum genera, quum imaginaria venditione paterfamilias hereditatem familiamque suam, omniaque bona ac jura sua in alterum transferebat: quod dicitur testamentum per æs et libram. *V.* TESTAMENTUM.

ĒMANCĬPĀTOR *vel* emancupator, ōris, m. 3. qui emancipat. *Gloss. Philox.* Emancupator, ἐξεγχειριστής. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 184. Emancipator servientis plasmatis.

ĒMANCĬPĀTUS *vel* emancupatus, a, um. *V.* voc. seq.

ĒMANCĬPO *vel* emancupo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex, manus *et* capio). Part. *Emancipatus* I. 1. 2. et II. — Emancipare est verbum JCtorum, et

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est filium, quem in potestate habeo, sui juris efficio, et a me dimitto: quasi extra mancipium, hoc est dominium meum esse jubeo; præpositio enim *ex* nativam retinet significationem. *Cic. Dom.* 14. 37. Adoptatum emancipavi statim, ne sit ejus filius qui adoptavit. *Plin.* 4. *Ep.* 2. 2. Regulus filium emancipavit, ut heres matris existeret. *Gell.* 1. 12. Quæ ipsa, aut cujus pater emancipatus sit. Adde *Liv.* 7. 16.; *Ulp. fragm.* 10. 1.; *Dig.* 1. 132.; *Cajum* 1. *Instit.* 12. 6.; *Spartian. Did. Jul.* 8.; et *Capitolin. Pertin.* 11. ¶ 2. Latiori sensu est e mancipio, idest possessione sua emittere et alteri possidendum tradere, sive donatione, sive venditione id fiat. Hinc — *a*) *Emancipare filium alicui* est filium a se emancipatum alterius adoptivi patris potestati subjicere. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 24. L. Torquatus illam severitatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, ut etc. Adde *Plin.* 8. *Ep.* 18. 4. Sic *Paul. Diac.* p. 77. 6. *Müll.* Emancipati duobus modis intelliguntur: aut ii, qui ex patris jure exierunt, aut ii, qui aliorum fiunt dominii: quorum utrumque fit mancipatione. — *b*) *Emancipare agrum, prædia,* etc. est alienare, in alterius dominium transferre. *Sueton. Oth.* 4. Cuidam de parte finium cum vicino litiganti, adhibitus arbiter totum agrum redemit emancipavitque. *Tac.* hanc eamdem rem narrans 1. *Hist.* 24. Universum vicini agrum sua pecunia emptum dono dedit. *Plin.* 20. *Ep.* 3. Emancipare fundos. *Quintil.* 6. 3. 44. prædia. *Id. Declam.* 298. hereditatem. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 7. *n.* 21. TI. CLAVDIO PRIMIGENIO COLVMBARIA N. III. EMANCIPAVIT T. FLAVIVS CORINTHVS. h. e. vendidit cum evictionis præstatione. Alia apud *Gruter.* 575. 2., quæ est apud *Orell.* 4421. NE QVIS EX HOC AGRO AEDIFICIISVE, QVIBVS DONATIONIS CAVSA EMANCIPATVM ERIT, DE NOMINE ALIENASSE VELIT, NISI IN PERSONA FILIORVM AVT LIBERTORVM SVORVM.

II.) Translate *emancipare se alicui* est se alteri totum tradere, addicere, et veluti in mancipium transferre: quo sensu præpos. *ex* est intensiva. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 60. Nunc ego, mulier, tibi me totum emancupo, tuus sum, tibi dedo operam. *Al. leg.* mancupo. Cf. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Vatin.* 16. edit. ab *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 187. In quo (*tribunatu*) se Vatinius emancipaverat Cæsaris voluntati. *Cic.* 2. *Phil.* 21. 51. Iste venditum atque emancipatum tribunatum consiliis vestris opposuit. *Id. Senect.* 11. 38. Ita senectus honesta est, si se ipsa defendit, si jus suum retinet, si nemini emancipata est. *Alii leg.* mancipata. *Horat. Epod.* 9. 12. Romanus eheu (posteri negabitis) Emancipatus feminæ Fert vallum et arma, miles et spadonibus Servire rugosis potest. *Apul.* 10. *Met.* Nequissimus servulus, ad omne facinus emancipatus. *Symmach.* 1. *Ep.* 13. (*al.* 18.). Totum me, inquies, emancipavit sibi cura Prætorii. *Al. leg.* mancipavit.

ĒMANCO, as, āxi, are, a. 1. manus præcido, mancum facio. *Labienus* apud *Senecam* 5. *Controv.* 33. *sub fin.* Gaudeo me non omnes emancasse.

ĒMĂNĔO, mănes, mansi, mănere, n. 2. (ex *et* maneo) extra maneo. ¶ 1. Generatim. *Stat.* 7. *Theb.* 650. quibus (*lucis*) vetitus emansisse sacerdos. ¶ 2. Speciatim est verbum militare. Dicuntur emanere milites, qui diutius sine legitimo imperatoris commeatu absunt a castris. *Modestin. Dig.* 49. 16. 3. Is, qui in exploratione emanet, hostibus insistentibus, capite puniendus est. *V.* EMANSIO.

ĒMĀNO, as, āvi, ātum, are, 1. (ex *et* mano.) Part. *Emanans* sub *A.* II. 2. et *B.*; *Emanaturus* sub *A.* II. 2. — Emanare est verbum *A*) Neutrum, et *B*) Activum.

A) Neutrorum more emano est extra mano, effluo, exeo (It. *uscire, emanare, scaturire, stillare o colar fuori*; Fr. *couler de, découler, sortir*; Hisp. *fluir, manar, destilar*; Germ. *herausfliessen*; Angl. *to issue, flow, or run out, emanate.*)

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 584. ex imo penitusque coorta Emanat diffusa animæ vis. *Cic.* vertens *Homeri* versus 2. *Divinat.* 30. 63. Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai. *Colum.* 6. *R. R.* 32. 1. Intertrigo sale cum adipe defricatur, dum sanici vis emanat. *Gell.* 19. 5. Quædam quasi aura tenuissima exprimitur ex aqua et emanat. *Apul.* 10. *Met.* Per membra sudor emanat. Adde *Curt.* 10. 10. 17. *Cato Dir.* 72. Emanent subito sicca tellure paludes.

II.) Translate. ¶ 1. Est oriri, nasci, proficisci. *Cic.* 3. *Orat.* 18. 69. Hinc hæc recentior Academia emanavit. *Id.* 1. *ibid.* 42. 189. Partes sunt, quæ generibus iis, ex quibus emanant, subjiciuntur. *Id.* 7. *Att.* 21. Mala nostra istinc emanant. *Id.* 1. *Invent.* 37. 67. Ex quo vis omnis emanet. *Id.* 2. *ibid.* 2. 7. Alii quoque alio ex fonte præceptores dicendi emanaverunt. ¶ 2. Item est diffundi. *Flor.* 4. 9. Emanabat latius malum. *Val. Max.* 1. 6. *extern.* 3. Singulari eloquii suavitatem ore ejus emanaturam dixerunt. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 1. *ad fin.* Philosophantes, emanantes circa palatia. — Hinc sæpe de fama, rumoribus etc. ponitur pro vulgari, disseminari, in omnium notitiam venire. — a) Cum Nomin. rei tantum. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. 2. Invidiosum tibi sit, si emanarit. *Cic. Rosc. Am.* 1. 3. Oratio mea exire atque in vulgus emanare poterit. *Id.* 3. *Verr.* 1. 1. Fama emanarit. *Id. Brut.* 65. 231. Vereris, ne per nos hic sermo tuus emanet. *Q. Cic. Petit. cons.* 5. 17. Omnis fere sermo ad forensem famam a domesticis emanat auctoribus. *Liv.* 42. 16. Ne indicium emanaret. Adde *Cic.* 3. *Att.* 12. 2.; *Liv.* 44. 35.; et *Sueton. Cæs.* 45. — b) Cum Accus. et Infinito. *Liv.* 3. 24. Multis emanabat indiciis, fratrem Volscii numquam visum in publico. Adde *Sueton. Ner.* 6.

B) Active, seu cum Accusativo, est emittere. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 3. 34. (70). Succus olearum utilis saniem emanantibus. *Harduin.* ex MSS. legit *sanie manantibus*: quam lectionem secutus est *Sillig.* Idem dic de alio *Plinii* loco 37. *ibid.* 10. 61. (170). *Cassiod.* 8. *Variar.* 33. In modum naturalis antri absidis fabricata concavitas perspicuos liquores emanat.

ĒMANSĬO, ōnis, f. 3. speciatim tantum occurrit, et est actus militis emanentis extra castra. *Arrius Menand. Dig.* 49. 16. 4. § 15. Examinantur autem causæ semper emansionis, et cur, et ubi fuerit, et quid egerit. *V.* EMANEO 2. et vocem sequent.

ĒMANSOR, ōris, m. 3. speciatim tantum occurrit, et est miles, qui ultra tempus commeatus ab imperatore impetrati abest a castris. *Modestin. Dig.* 49. 16. 3. § 2. Emansor est, qui diu vagatus ad castra regreditur. *Arrius Menand. ibid.* 5. § 6. Si emansor, aut negligens suorum, etc. Alii leg. *remansor*, quam vocem vide suo loco. *V.* INFREQUENS.

ĒMARCEO, ces, *vel rectius*

ĒMARCESCO, cescis, cŭi, cescere, n. inchoat. 3. Idem quod marceo, languidus fio.

I.) Proprie. *Vulgat. interpr. Genes.* 32. 32. Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel, qui emarcuit in femore Jacob —: eo quod tetigerit nervum femoris ejus et obstupuerit. Adde *eumd. ibid.* 32. 25. *Id. Daniel.* 10. 8. Non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quidquam virium.

II.) Translate. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 36. (121). Languida auctoritas patrum facta est, ac paullatim in sterilitatem emarcuit majestas. *Hieronym. in Isaiam* 5. 17. 4. Tunc omne præsidium, et pinguissimæ carnes, et refugium emarcescet Jacob. *V.* etiam EMACRO; et adde *Vulgat. interpr. Isai.* 19. 8. et *Jerem.* 51. 56.

ĒMARCUS *vel* emarcum, i, m. *vel.* n. 2. genus vitis, ita appellatum a Gallis, qui vinaceorum pedem expressum etiamnum *marc* vocant. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 25. Tres Helvinaciæ; earum altera, quam Galliarum incolæ emarcum vocant, mediocris vini. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (32). Duo Helvenacæ genera: major, quam quidem longam; minor, quam emarcum appellant.

ĒMARGĪNO, as, are, a. 1. (ex *et* margino) crustas et margines ulcerum adimo. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 41. (147). Sanguis equarum, præterquam virginum, erodit, emarginat ulcera.

ĒMASCŬLĀTOR, ōris, m. 3. qui emasculat, corruptor, draucus. *Apul. de Mag.* Emasculatoribus suis ad omnia infanda morigerus.

ĒMASCŬLO, as, are, a. 1. (ex *et* masculus) castro, virilitatem aufero. *Apul.* 7. *Met.* Dissitis femoribus emasculare asinum. *V.* DISSITUS. — Sic etiam virum inceptum reddere generationi. *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 661. Sacerdotes herbis etiam quibusdam emasculabantur, unde jam coire non poterant.

ĒMĀTŪRESCO, rescis, rŭi, rescere, n. inchoat. 3. idem ac maturesco, vel potius perfecte maturesco. I.) Proprie. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 17. (36). Si semen non ematuruit. *Gell.* 2. 29. Et vides ne, inquit, hæc ematuruisse?

II.) Translate est mitescere. *Ovid.* 2. *Trist.* 124. si modo læsi Ematuruerit Cæsaris ira.

ĒMĀTŪRO, as, are, a. 1. maturum facio. *Eumen. Gratiar. act. Flav. nomine ad Constantin.* 10. Diu fruges hiems cohibet, ver elicit, æstas flore so idat, calor ematurat.

ĒMAX, ācis, adject. m. et f. 3. cupidus emendi.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 2. *ad fin.* Patremfamiliam vendacem, non emacem esse oportet. *Cic.* 6. *Parad.* 3. 51. Non emacem esse, vectigal est. *Ovid.* 1. *Art. am.* 421. Institor ad dominam veniet discinctus emacem. Adde *Nepot. Att.* 13.

II.) Translate. *Pers.* 2. 3. non tu prece poscis emaci, Quæ nisi seductis valeas committere divis. *h. e.* quæ emere potius a diis videatur, quam petere bona, pollicendo iis donaria et victimas, si divitias et opes dederint.

EMBĂDĀLIS, e, adject. ad embadum pertinens. *Boeth.* 3. *Geom. p.* 1218. Ducatur ergo basis per catheti dimidium, hoc est octodecim per binarium, et triginta sex prodeunt, quæ summa embadalis spatii plenitudinem adimplet. *Id. ibid. p.* 1525. Embadalis quantitas. *et ibid.* conclusio.

EMBĂDĬUS, a, um, adject. ἐμβάδιος, embadalis, ad embadum pertinens. *Auct. de limit. p.* 217. *Goes.* Termini si duo in unum fuerint, embadiam formam ostendunt. *Alii leg.* embadum forma ostendunt.

EMBĂDUM, i, n. 2. ἔμβαδον, area. *Boeth.* 2. *Geom. p.* 1213. Ponatur trigonus isopleurus in singulis habens lateribus pedes triginta, hujus embadum, id est area, tali modo investiganda. *V.* et voc. præced.

EMBÆNETICA. *V.* EMPENETICA.

EMBAMMA, atis, n. 3. ἔμβαμμα, intinctus, condimentum, quod ad condienda obsonia fit et orexim excitandam: ab ἐμβάπτω *immergo, intingo.* *Colum.* 12. *R. R.* 55. 2. Hoc sinapi ad embammata non solum idoneo, sed etiam specioso uteris. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 53. (147). Mentæ sapor excitat aviditatem in cibis: ideo embammatum misturæ familiaris. *Id.* 22. *ibid.* 22. 44. (88). Sonchos albus utilis orthopnoicis lacturarum modo, ex embammate. — Embammatis faciendi rationem docet *Colum.* 12. *R. R.* 34., ut in BAMBATÆ dictum est. Sermo est autem ibi de arato, musti certa mensura misto, quoniam acetum in embammate præcipuum locum obtinet. Hinc *Ulp. Dig.* 18. 1. 9. Si vinum non acuit, sed ab initio acetum fuit, ut embamma.

EMBĂSĬCŒTAS, æ, m. 1. ἐμβασικοίτης, cinædus ita appellatus, quia virorum cubilia libidinis explendæ causa inscendit: ab ἔμβασις *inscensus* et κοίτη *cubile.* *V.* CINÆDUS. *Petron Satyr.* 24. Ad ultimam perductus tristitiam, Quæso, inquam, domina, certe embasicœtam jusseras dari. Complosit illa tenerius manus, et, O, inquit, hominem acutum, atque urbanitatis vernulæ fontem! Quid? tu non intellexeras cinædum embasicœtam vocari? Adde *eumd. ibid.* 26. — Translate vero *embasicœtas* est genus poculi capacioris, et in obscœnam figuram formati, quod vini plenum exhauriebant veteres in conviviis ad promiscuæ libidinis incitamentum: etenim temulenti plerumque solebant ἐμβαίνειν τὰς κοίτας. Huc pertinent loca *Juvenal.* 2. 95. vitreo bibit ille Priapo; et *Plin.* 33. *Hist. nat. proœm.* (4). In poculis libidines cælare juvit, ac per obscœnitates bibere. *Athenæus* vero *l.* 11. *c.* 5. Τὸ καλούμενον ποτήριον ἐμβασικοίταν οὕτω φησὶ καλεῖσθαι Φιλήμων ὁ Ἀθηναῖος. Hanc etiam vocis significationem respexisse videtur *Petron. loc. cit.*

EMBĂSIS, is, f. 3. ἔμβασις, descensus in aquas lavandi causa, lavatio. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 8. Quum ex parte passionem mitigatam senserimus, embasim olei, vel aquæ et olei adhibemus. *Id. ibid.* 18. *a med.* In oleum, vel calidam ægrotos infundimus, scilicet embasim facientes. — Hinc *Gloss. Philox.* Ἔμβασις, solium, cortina. *h. e.* solium, in quo lavamur. Hoc sensu legitur etiam in *Not. Tir. p.* 191.

EMBĂTER, eris, m. 3. ἐμβατήρ, ballistæ foramen ita dictum, quia in illud aliquid ἐμβαίνει. *Vitruv.* 1. 2. 4. *Schneid.*, qui *embates* leg., alii aliter.

EMBĂTĒRĬOS *vel*

EMBĂTĒRĬUS, a, um, adject. ἐμβατήριος (ab ἐμβαίνω *ingredior*) ad incedendum pertinens, ut metrum embaterium apud *Mar. Victorin.* 2. *p.* 2522. *Putsch.* Idem Messeniacum metrum et embaterium dicitur, quod est proprium carmen Lacedæmoniorum: id in præliis ad incentivum virium per tibias canunt incedentes ad pedem ante ipsum pugnæ initium: *Superat montes pater Idæos, nemorumque.*

EMBĂTES, is, m. 3. ἐμβάτης, modulus. *Vitruv.* 4. 3. 3. Græce: at Latine *Id.* 1. 2. 4. *Schneid.* V. EMBATER. Est ab ἐμβαίνω *ingredior.*

EMBLĒMA, ătis, n. 3. ἔμβλημα. Quidam teste *Celso* apud *Priscian.* 6. *p.* 680. *Putsch.* dixerunt *emblematum, i*, unde est Dativus et Ablativus pluralis *emblematis* in allatis exemplis. Sed verius est, hujusmodi nomina in Dativo plurali esse heteroclita. Sic *peripetasmatis, poematis, toreumatis, malagmatis, epigrammatis*, etc. *V.* POEMA init. — Ceterum

I.) Proprie. ¶ 1. Emblema est id quod alteri operi inseritur atque illigatur, et opus ipsum, quod ex rebus insertis constat: ab ἐμβάλλω *conjicio, insero.* Emblemata quædam *vermiculata* dicuntur, ut quæ in parietibus fiunt, quæ minutis quibusdam velut vermiculis distincta sunt: quædam *tessellata*, ut quæ in pavimentis, quæ ex tessellis structa sunt: quædam *segmentata*, ut quæ in lignis, quæ constant ex segmentis. Sed sæpe confunduntur. *Lucilius* apud *Cic. Orat.* 44. 149. et 3. *Orat.* 43. 171. Quam lepide lexes compostæ! ut tesserulæ omnes Arte pavimento atque emblemate vermiculato. *Cic. Brut.* 79. 274. Nullum nisi loco positum, et tamquam in vermiculato emblemate, ut ait Lucilius, structum verbum videres. Adde *Varron.* 3. *R. R.* 2. 4. ¶ 2. Emblemata etiam ornamenta sunt in vasis argenteis, aureis, Corinthiis. quæ et inseri et eximi poterant: de quibus *V.* CRUSTA; et *Mus. Borbon T.* 2. *tav.* 32. et *T.* 6. *tav.* 31. *Cic.* 6 *Verr.* 23. 52. Vasa autem ad Verrem deferuntur. Cibyratæ fratres vocantur, pauca improbant; quæ probarent, iis crustæ, aut emblemata detrahebantur. *Id. ibid.* 22. 49. Duo pocula cum emblematis. *et* 17. 37. Scaphia cum emblematis. et 21. 54. Tantam multitudinem collegerat emblematum. *et ibid.* Scite in aureis poculis emblemata illigare, et apte in scyphis aureis includere. Adde *Dig.* 34. 2. 32. *Juvenal.* vero hujusmodi emblemata ita describit 1. 76. Argentum vetus et stantem extra pocula caprum. — Græcam hanc vocem a Tiberio improbatam ait *Sueton. Tib.* 71. Ut in quodam decreto patrum, quum ἔμβλημα recitaretur, commutandam censuerit vocem et pro peregrina nostratem requirendam; aut si non reperiretur, vel pluribus et per ambitum verborum rem enunciandam.

II.) Metaphorice ponitur pro ornamento orationis. *Quintil.* 2. 4. 27. Ut extemporales eorum dictiones his velut emblematis exornarentur.

EMBŎLA, æ, f. 1 ἐμβολή, illatio mercium in naves: ab ἐμβάλλω *injicio, navibus infero.* *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 1. 2. 10. Jubemus nullam navem, ante felicem embolam, vel publicarum specierum transvertionem, excusari posse. *h. e.* antequam navibus imponantur et transvehantur publicæ species et annonæ, quæ quotannis ex Ægypto Romam onerariis navibus portabantur. Adde *Novell.* 163. 2.

EMBŎLĬĀRĬA, æ, f. 1. mulier scænica, quæ mediæ fabulæ interseri atque introduci solebat, ut cantu et gesticulationibus spectatores novo artificii genere oblectaret, embolia agitando, quæ Itali dicunt *intermezzi.* *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (158). Galeria Copiola emboliaria reducta est in scænam annum centesimum quartum agens. *Inscript.* apud *Murat.* 660. 4. PHOEBE VOCONTIA EMBOLIARIA ARTES OMNIVM ERUDITA VIXIT ANNIS XII. Sic *alia* apud *Gruter.* 655. 1. EVCHARIS LICINIAE L. DOCTA ERUDITA OMNES ARTES VIRGO VIXIT AN. XIIII. Hanc inscriptionem *Forcellinum* secuti attulimus: ad rem vero *alia* apud *Murat.* 660. 4., quæ est apud *Orell.* 2613. PHOEBE VOCONTIA EMBOLIARIA ARTIS OMNIVM ERVDITA. *V.* EMBOLIUM. — Frustra itaque sunt, qui apud *Plin. loc. cit.* putant *Emboliaria* esse alterum feminæ illius cognomen; vel quibus *emboliaria* est eadem ac meretrix, quæ in porticu, sive ἐν τῷ ἐμβόλῳ degeret, sicut aliæ erant, quæ in fornicibus prostabant; vel tandem qui *empolaria* legunt, ab ἐμπολή *lucrum*, quasi vero significetur mulier scænica, quæ corpore quæstum faceret. V. *Pigh. Annal.* 3. 256., *Böttigeri Opuscula p.* 343., et EMBOLA in *Verb. Barb.*

EMBŎLĬCUS. *V.* ANABOLICUS.

EMBŎLĪMÆUS, a, um, adject. ἐμβολιμαῖος, intercalaris, insertus, interpositus. *Embolimæus dies* est, qui anno bissexto, Februario exeunte, interseri solet: qua de re *Macrob.* 1. *Saturn.* 13. et *Solin.* 1. *ante med.* fuse disserunt. *Auson. Eclogar. de rat. dier. ann. vertent.* 12. quinto qui protinus anno, Mense Numæ extremo, nomen capit embolimæi.

EMBŎLĪMUS, a, um, adject. idem quod embolimæos. ἐμβόλιμος. *Solin.* 1. *ante med.*

EMBOLINE, es, f. 1. occurrit apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 20. 35. (114). In Asia et Græcia nascuntur frutices epidactis, quem alii embolinem vocant. *Mon.* ita legit et edidit ex *Palimps. Veronensi*, at vulgati libri et *Sillig*, adnotata etiam hac variante lectione, legunt *elleborinem*, quam lect. tuetur *Gesner. de herb. lunar. p.* 32., quamque *Plinius* a *Dioscor.* 4. 109. mutuasse videtur. Ceterum nihil certi statui potest, præsertim quum *epipactis* a *Dioscor.* et *Plin.* memorata, omnino ignota nobis est, auctore cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 122.).

EMBŎLISMĀLIS, e, adject. idem quod embolimæus. *Isid.* 6. *Orig.* 17. Embolismalis annus est.

EMBŎLISMUS, i, m. 2. intercalatio. *Isid.* 6. *Orig.* 17. Embolismus Græcum nomen est, quod interpretatur Latine superaugmentum, eo quod expleat numerum annorum communium. Adde *eumd. ibid.* sæpe.

EMBŎLIUM, ii, n. 2. ἐμβόλιον, pars fabulæ, cum aliquid eidem interponitur: ab ἐμβάλλω *intersero*: quemadmodum *exodium* est pars fabulæ, quæ in ejus fine agitur. Translate est quidquid alicui operi interseritur. *Cic.* 3. *ad Q. Fr.* 1. *sub fin.* Mirificum ἐμβόλιον cogito in secundum meorum librorum includere. *Id. Sext.* 54. 116. *de Clodio.* Ille ipse maxime ludius, non solum spectator, sed actor et acroama, quæ omnia sororis embolia novit. Hic *Cic.* alludit ad embolia fabularum; ludit autem tecte et ambigue. Nam, quia ἐμβόλιον est quidquid extrinsecus inseritur et immittitur, traductum est hoc verbum ad significandum pudendum virile, uti docet *Hesych.* ex *Aristophanis* loco in V. Ἔμβολον. Itaque *omnia sororis embolia novit* est acute dictum pro *amores* seu *amatores sororis*, quos inter ipse erat Clodius. *V.* EMBOLUS, ac præcipue hæc verba *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Sext.* 54. ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 148. Clodiam generis patricii feminam sororem hujus, cum qua et ipse infamis erat, veteres litteræ tradunt studiosam fuisse saltandi profusius et immoderatius, quam matronam deceret; hoc enim significatur isto verbo, quo ait, *omnia sororis embolia novit*, quoniam pertinet ad gestus saltatorios. His autem verbis hæc annotat *A. Maius.* En denique interpretatio vocabuli *embolium*, quod diu frustraque torsit *Abramum Græviumque* in hoc *Ciceronis* loco, aliosque criticos et grammaticos. Cf. et *Klotz* ad *Cic. loc. cit.* in *Cicer. orat. vol.* 3. *p.* 1014.

EMBŎLUM, i, n. 2. ἔμβολον, ornamentum in summa proræ navis, quod Latine rostrum dicitur: ab ἐμβάλλω *injicio*, quia proræ immittitur et infigitur: hinc Hispani *embolados* vocant tauros, quorum cornua in summitate pilam habent; ne obvii quique ab eis vulnerentur. *Petron. Satyr.* 30. In postibus triclinii fasces erant cum securibus fixi, quorum imam partem quasi embolum navis æneum finiebat.

EMBŎLUS, i, m. 2. ἔμβολος, paxillus, cuneus, aut aliud quippiam, quod in foramen aliquod immitti ducique ac reduci potest: qualia sunt, quibus clysteres injiciuntur a medicis. Tale quiddam est illud, de quo in descriptione machinæ Ctesibicæ ad extollendam aquam, *Vitruv.* 10. 7. 3. *Schneid.* Ita de supernis in modiolis emboli masculi torno politi et oleo subacti, conclusique regulis et vectibus convolvuntur, qui ultro citroque frequenti motu prementes aerem, – cogunt et extrudunt aquam in catinum.

EMBRACTUM. *V.* EMPHRACTUS.

EMBRŎCHA, æ, f. 1. ἐμβροχή, irrigatio, fomentum. *Theod. Priscian.* 1. 33. Per initia primum avulsa reponenda sunt locis suis: item embrochis uti necesse est ex ervi pollinibus, vel certe cineribus oleo, sapone et ovis commixtis, lanisque mollibus, infusis succis, loca munienda sunt. *V.* EMBREGMA in *Verb. Barb.*

EMBRȲO, n. De obliquis casibus nihil certi statui potest; eorum enim nullus occurrit, et Græce est ἔμβρυον, ου, τό; infans utero inclusus, partus imperfectus. *Seren. Sammon.* 33. 627. Pulegio admixto venit embryo nectus aceto. *Alii tamen aliter omnino leg.* V. NECTUS in voc. NECO.

ĒMEĀTUS, a, um. *V.* EMEO.

ĒMEĀTUS, us, m. 4. idem quod meatus. *Ammian.* 17. 4., ubi alii legunt *meatus*.

ĒMEDĪTĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *emeditor*, valde meditatus, passive. *Apul.* 2. *Met.* Emeditatis ad hæc illa fletibus, quam sanctissime adjurans, etc.

ĒMEDULLATUS, a, um, particip. ab inusit. *emedullo*, cui medulla est extracta.

I.) Proprie. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 43. (87). Graveolentiam alarum emendat radicis emedullatæ uncia.

II.) Translate. *Sidon.* 8. *Ep.* 6. Virtutes artium per ætatem mundi jam senescentis, lassatis veluti seminibus, emedullatæ parum aliquid hoc tempore mirandum ac memorabile ostentant.

EMEM pro *eumdem*. *V.* EM sub *A.*

ĒMENDĀBĬLIS, e, adject. qui emendari potest. *Liv.* 44. 10. In errorem emendabilem lapsus. *Seneca Clem.* 7. Aliquem verbis tantum admonebit, ætatem ejus emendabilem intuens.

ĒMENDĀTE, adverb. Comp. *Emendatius.* — Emendate est cum correctione. *Cic. Opt. gen. orat.* 2. 4. Pure et emendate loquentes, quod est Latine. *Quintil.* 8. 1. 2. Latine atque emendate loqui. *Id.* 8. 3. 1. Emendate ac lucide dicentes. *Id.* 1. 6. 19. Emendatius *caldum* dicere, quam calidum. *Auct. B. G.* 8. *præfat.* Ceteri enim quam bene atque emendate; nos etiam quam facile atque celeriter eos (*Commentarios Cæsar*) confecerit, scimus. *Vitruv.* 10. 11. Emendate descriptus. *Sueton. Cæs.* 56. Emendate scribere. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (58). Capillum non emendatius fecisse, quam rudis antiquitas instituisset.

ĒMENDĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Generatim est correctio. *Cic.* 4. *Fin.* 9. 21. Hæc est correctio philosophiæ veteris et emendatio. *Quintil.* 2. 4. 13. Ingenia puerorum nimia emendationis severitate deficere. *Id.* 1. 5. 34. Solœcismus unius emendatione verbi corrigi potest. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 78. (210). Emendatio morum. *Veget.* 1. *Milit.* 13. Præliorum delicta emendationem non recipiunt. *Alter Plin.* 1. *Ep.* 8. 3. Emendatio libri. Adde *Spartian. Did. Jul.* 3.; et *Dig.* 48. 19. 16. ¶ 2. Speciatim est inter exornationes rhetoricas, scil. species quædam præsumptionis, sive προλήψεως. Emendationem enim vocat *Quintil.* 9. 2. 16. si quis dicat: *Rogo ignoscatis mihi, si longius sum evectus.*

ĒMENDĀTOR, ōris, m. 3. corrector. *Cic. Balb.* 8. 20. et 2. *Phil.* 17. 43. O præclarum interpretem juris, auctorem antiquitatis, correctorem atque emendatorem nostræ civitatis! *Id. Brut.* 74. 259. Emendator sermonis. *Plin. Paneg.* 6. 2. Corrector emendatorque disciplinæ castrorum. *Id.* 6. *Ep.* 5. Emendator senatus. *Id.* 7. *ibid.* 17. *a med.* Timor est emendator acerrimus.

ĒMENDĀTŌRĬUS, a, um, adject. emendandi vim habens, purgatorius, ut Emendatorius ignis, *Augustin. in Psalm.* 37. *post init.*

ĒMENDĀTRIX, icis, f. 3. correctrix. *Cic.* 1. *Legg.* 22. 58. Vitiorum emendatricem legem esse oportet. *Id.* 1. *Tusc.* 32. 69. Poetica, emendatrix vitæ.

ĒMENDĀTUS, a, um. *V.* EMENDO.

ĒMENDĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒMENDĬCO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Emendicatus.* — Emendico est more mendicantium aliquid peto. *Sueton. Aug.* 91. Stipem quotannis die certo emendicabat a populo. *Id. Cæs.* 54. A sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni. *Imppp. Valentin., Gratian. et Theodos. Cod.* 9. 2. 14. Emendicatis uti suffragiis.

ĒMENDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et menda). Part. *Emendans* 2.; *Emendatus* in fin.; *Emendaturus* 1.; *Emendandus* 2. — Emendo est a menda, h. e. culpa et vitio purgo, corrigo (It. *emendare, correggere*; Fr. *corriger les fautes, réformer, amender*; Hisp. *emendar, corregir*; Germ. *von Fehlern reinigen, daher verbessern, ausbessern*; Angl. *to amend, correct, improve, alter for the better, reform*). Usurpatur ¶ 1. Generatim. *Cic. Brut.* 75. 261. Cæsar, rationem adhibens, consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat. *Id. Mur.* 29. 60. Conformare, et leviter emendare aliquid. *Id.* 3. *Legg.* 13. 30. Ut cupiditatibus principum et vitiis infici solet civitas; sic emendari et corrigi continentia. *Nepos Themist.* 1. Vitia adolescentiæ multis emendare virtutibus. *Propert.* 3. 20. 25. Emendare animum. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 3. Emendare legibus res Italas. *Id.* 2. *Sat.* 8. 85. Arte emendaturus fortunam. *Ovid.* 4. *Fast.* 596. Certa priora novis. *Id. Medic. fac.* 5. Cultus et in pomis succos emendat acerbos. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 11. Fame et siti cubitorem bovem emendare. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (11). Terram terra emendari, super tenuem pingui injecta. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 1. 28.; *Plin. Paneg.* 46. 6.; *Juvenal.* 14. 67.; *Quintil.* 2. 2. 7., 9. 3. 38. et 1. 3. 14.; et *Lactant.* 8. 7. 15. ¶ 2. Speciatim de scriptis. *Cic.* 2. *Att.* 16. Me rogat, ut annales suos emendem, et edam. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 71. Delendaque esse carmina Livi Esse reor, memini quæ plagosum mihi parvo Orbilium dictare: sed emendata videri, Pulcraque et exactis minimum distantia, miror. *Plin.* 9. *Ep.* 36. Cogito ad verbum scribenti emendantique similis. *Id.* 5. *ibid.* 13. Ipse præterea quædam emendanda annotavi. Adde *Cic. Orat.* 46. 155.; *Horat.* 1. *Sat.* 20. 3.; *Plin.* 7. *Ep.* 17. 13.; *Quintil.* 10. 4. 2.; et *Sueton. Domit.* 20. et *Gramm.* 24. ¶ 3. Item speciatim apud Medicos est vitia corporis tollere, curare, sanare. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 24. (71). Emendare albugines oculorum. *Id.* 20. *ibid.* 13. 50. (129). dolores capitis et alopecias. *Id.* 24. *ibid.* 10. 47. (79). dysentericos et alvum. *Id.* 20. *ibid.* 16. 62. (170). tussim. *Id.* 36. *ibid.* 21. 42. (155). cicatrices. *Id.* 20. *ibid.* 5. 20. (40). sonitum et gravitatem aurium. *Id.* 28. *ibid.* 8. 27. (97). sterilitatem. ¶ 4. Apud sequioris ævi scriptores significat etiam punire, h. e. puniendo emendare. *Lamprid. Alex. Sev.* 51. Idque per præconem, quum aliquem emendaret, dici jubebat, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. *h. e.* quum fustibus aut virgis aliquem coerceret. Adde *Dig.* 1. 16. 9. § 3. — Hinc Part. præter. pass.

Emendatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Emendatior* et Sup. *Emendatissimus*, et est mendis carens, politus, perfectus; atque omnibus fere significationibus usurpatur, quibus verbum ipsum. — *a*) Posit. *Cic. Brut.* 74. 258. Emendata locutio et Latina. *Id. Amic.* 17. 61. Emendati mores. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 30. Sapiens et emendatus vir. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (35). Callimachi sunt saltantes Lacænæ, emendatum opus. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (121). Aquæ corrivatæ, atque emendatæ. *Plin. alter* 3. *Ep.* 3. Vir emendatus et gravis. *Quintil.* 1. 6. 30. Verba barbara ab emendatis discernere. *Id. ibid.* 4. 2. Emendata lectio. *Id.* 11. 3. 30. Emendata vox erit, idest vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum. — *b*) Compar. *Petron. Satyr.* 126. Mulier omnibus simulacris emendatior. *Ulp. Dig.* 4. 3. 11. Homo vitæ emendatioris. Adde *Capitolin. Gord. tr.* 24. et *Ver.* 5.; et *Nazar. Paneg. Constant.* 34. — *c*) Superl. *Plin.* 8. *Ep.* 22. Ego optimum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tamquam ipse quotidie peccet. *Quintil. ep. ad Tryphon.* 3. Ut libri in manus hominum quam emendatissimi veniant. Adde *Vopisc. Firm.* 1.

ĒMENSĬO, ōnis, f. 3. actus emetiendi, adeoque cursus. *Isid.* 6. *Orig.* 17. Ut lunaris emensio rationi solis æquatur.

ĒMENSUS, a, um. *V.* EMETIOR.

ĒMENTĬOR, mentiris, mentitus sum, mentiri, dep. 4. (ex et mentior). Part. *Ementiens* sub 1.° *c.*; *Ementiendus* sub 1.° *a.*; *Ementitus* sub 1.° et 3.° — Ementiri est palam mentiri, simulare, fingere, comminisci, excogitare quod non est: et occurrit — 1.°) De rebus; et quidem — *a*) Cum Accusativo rei. *Plaut. Amph.* 1. 1. 254. Quin quæ dixisti modo, omnia ementitus. *Cic.* 2. *Phil.* 33. 83. Magnâ, ut spero, tuâ potius, quam reipublicæ calamitate ementitus es auspicia. Adde *Liv.* 21. 63. Rursus *Cic. Dom.* 19. 50. Me non esse ementitum auctoritatem hujus ordinis. *Id. Balb.* 2. 5. Furari civitatem, genus suum ementiri. Sic *Liv.* 9. 18. Piget referre vanitatem ementiendæ stirpis. *Sall. Cat.* 49. Sed ubi consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singulatim circumeundo atque ementiendo, quæ se ex Volturcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant. *Liv.* 25. 3. Ementiri falsa naufragia. — *b*) Cum Accusativo et Infi-

nito. *Cic. Planc.* 30. 73. Eo me beneficio obstrictum esse ementiar, cui ne referri quidem gratia posse videatur? *Curt.* 7. 5. 26. Jussu Alexandri fecisse ipsos, ementita. *Sueton. Cal.* 51. Unde credo percussoribus ejus postea consilium natum, apud tumultuantes milites ementiendi ipsum sibi manus intulisse. Adde *eumd. Ner.* 33. *Tac.* 13. *Ann.* 47. Auctoremque ejus doli Sullam ementitur. Adde *eumd.* 2. *Hist.* 42. — *c)* Absolute. *Cic. Rosc. Am.* 44. 127. Ego hæc omnia Chrysogonum fecisse dico, ut ementiretur, ut malum civem Roscium fuisse fingeret, etc. *Id.* 1. *Divinat.* 9. 15. Videmus hæc signa nunquam fere ementientia. *Sueton. Cæs.* 66. Fama vero hostilium copiarum perterritos non negando minuendove, sed insuper amplificando ementiendoque confirmabat. *Quintil.* 8. 6. 67. Hyperbole est ementiens superjectio. *Spalding.* aliter omnino et quidem rectius legit. — Et cum addito *in aliquem*, *Cic. Partit. orat.* 14. 50. Alii ementiti sunt in eos, quos oderant. — 2.°) Cum Accusativo personæ, *ementiri aliquem* est ejus personam simulare, ejus personam agere. *Plaut. Trin.* 4. 2. 143. Illum quem ementitus es, ego sum ipsum Charmides. *Petron. Satyr.* 82. Constantissime centurionem et legionem ementitus. — 3.°) Part. *Ementitus* passive quoque occurrit, et est falsus, fictus. *C. Memmius* apud *Priscian.* 8. *p.* 793. *Putsch.* Quam stulte conficta, quam aperte ementita sunt. *Cic.* 2. *Phil.* 35. 88. Quod me de ementitis auspiciis – putares esse dicturum. *Id.* 3. *Tusc.* 24. 58. Ita fit sensim cogitantibus, ut, quantum sit ementita opinio, appareat. *Id.* 2. *Nat. D.* 21. 56. Ementita et falsa et plena erroris. *Capitolin. Anton. Phil.* 21. Ementita morte.

ĒMENTĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

ĒMENTUM, i, n. 2. enunciatum, quod nempe a mente proficiscitur, ut commentum, quod cum mente volvitur. *Gloss. Isid.* Ementum, excogitatio. *V.* EMINISCOR.

ĒMEO, as, ātum, are, n. 1. extra meo. Occurrit tantum Part. *Emeatus* apud *Ammian.* 29. 5. Emeato mari cum classe, quam ductabat, defertur ad Mauritaniæ litus. — Ceterum tantummodo legitur in *Not. Tir. p.* 131. Meat, emeat.

ĒMERCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒMERCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ex *et* mercor). Part. *Emercatus.* — Emercor est idem quod mercor. — *a)* Activa significatione. *Tac.* 16. *Ann.* 1. Principis aditum emercatus. *Id.* 13. *ibid.* 44. Ingentibus donis adulterium, et, ut omitteret maritum, emercatur. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 14. et 12. *ibid.* 45. — *b)* Passiva significatione. *Ammian.* 21. 6. Armeniæ et Hiberiæ reges cultu ambitioso indumentorum emercabantur et multiformibus donis, damna negotiis Romanis illaturi, si rebus tunc etiam dubiis descivissent ad Persas. *Id.* 26. 2. Id frustra creditum videbatur, quod non emercati, sed consoni totius multitudinis paria volentis clamores audiebantur.

ĒMĔRĔO, es, ŭi, ĭtum, ere, a. 2. *et*

ĒMĔRĔOR, ēris, ĭtus sum, eri, dep. 2. (ex *et* mereo). Part. *Emerens* in fin.; *Emeritus* sub *A.* 1. 2., *B.* 1. et 2. et in fin.; *Emerendus* sub *A.* 1. — Deponentium forma raro occurrit, et quoties usurpatur, inferius animadvertemus. — Emereo est idem quod mereo, commereo, dignus fio aliqua re, lucror (It. *meritare*; Fr. *mériter*; Hisp. *merecer, meritar*; Germ. *verdienen*; Angl. *to merit*). Occurrit autem *A)* Generatim; et *B)* Specialim.

A) Generatim. ¶ 1. *Emerere* vel *emereri aliquid* est dignum fieri aliqua re, eam commerere, et deserviendo acquirere, lucrari. — *a)* Activa forma cum Accusativo rei. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 5. Quid ego emerui, adolescens, mali? *Quintil.* 4. 1. 2. Emerendi favoris gratia. *Propert.* 4. 11. 61. Et tamen emerui generosos vestis honores. *Gell.* 6. 7. Acca corpus in vulgus dabat, pecuniamque emeruerat ex eo quæstu uberem. *h. e.* lucrata erat. *Spartian. Hadrian.* 4. Emerere præsumptionem adoptionis. *Id. Did. Jul.* 3. Jus proconsulare. *Vopisc. Prob.* 6. dona. *Id. ibid.* 12. militum laudes. — *b)* Part. præter. pass. *Emeritus* de his quæ virtuti debentur, apud *Sil. It.* 7. 19. emerito sacrum caput insere cælo. Adde *eumd.* 11. 464.; *Manil.* 1. 404. et *Sidon. carm.* 2. 209. — *c)* Deponentium forma cum Accusativo. *Quintil.* 4. *proœm.* 1. Altior mihi sollicitudo, quale judicium hominum emererer, accessit. — *d)* Activa forma cum Infinito. *Ovid.* 4. *Fast.* 58. emeruit vocis habere fidem. *Id.* 3. *Art. am.* 409. Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus, Contiguus poni, Scipio magne, tibi. ¶ 2. *Emerere* vel *emereri aliquem* est demereri, promereri, hoc est gratiam inire beneficium dando. — *a)* Activa forma. *Ovid.* 2. *Amor.* 8. 21. Unum est e dominis emeruisse satis. *Id.* 4. *Trist.* 8. 57. At vos admoniti nostris quoque casibus este, Æquantem Superos emeruisse virum. *Id. Heroid.* 6. 137. Quid refert scelerata piam si vincit, et ipso Crimine dotata est emeruitque virum? *Al. minus recte leg.* demeruitque. Adde *Tibull.* 1. 10. 60.; et *Val. Max.* 5. 2. *in fin.* — *b)* Deponentium forma *emereri aliquem* dixit *Mamertin. Grat. act. Jul.* 19. — *c)* Part. *Emeritus* absolute apud *Ovid.* 1. *Pont.* 7. 61. emeritis referenda est gratia semper. *h. e.* iis, qui bene de nobis meriti sunt. — Item absolute *emeritus* appellatur, qui libertate donatus est. *Inscript.* apud *Murat.* 802. 3. D. M. T. CAMVLII L. F. LAVRETI PATEGORIA EMERITA EIVS PATRONO OPTIMO ET PIISSIMO.

B) Specialim. ¶ 1. In re militari — *a)* Passive *emerita stipendia* sunt peracta, confecta, finita: V. *Emeritus* in fine hujus vocis. *Liv.* 39. 19. Ut P. Æbutio emerita stipendia essent. Adde *eumd.* 3. 57., 21. 43., 37. 4. et 42. 31.; *Sall. Jug.* 84.; et *Justin.* 11. 3. 2. Fortasse huc referendum et illud *Eumen. Paneg. Constant.* 3. Quamvis etiam magna sit et admiranda felicitas, quæ stipendiis in ordinem emeritis et militiæ gradibus emensis ad fastigium istud majestatis ascendit etc. *ubi vulgati libri habent* meritis. Et figurate *Cic. Senect.* 14. 49. Animum, tanquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, cupiditatum omnium, secum esse secumque vivere. — Similiter *Sueton. Cal.* 44. Commoda emeritæ militiæ. Et *Justin.* 11. 6. 4. Plerosque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre patruisque militaverant, elegit. Adde *Vellej.* 2. 47. *Plin. Paneg.* 15. Quoties equos, quoties emerita arma mutasti! Adde *Pacat. Paneg. Theod.* 10. *Ovid.* 4. *Trist.* 8. 21. Miles ut emeritis non est satis utilis annis. *h. e.* annis, quibus a militia est solutus, non est bello utilis, quia senex est. — *b)* Active *emerere stipendia* apud *Liv.* 25. 6. Nemini spes emerendi stipendia adempta. *h. e.* militandi et militiæ tempora legitime explendi. *Id.* 27. 11. Addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis, quæ equo publico emeruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent. *Nonnulli leg.* meruerant. — *c)* Deponentium forma *Val. Max.* 6. 1. 10. Cornelium fortissime stipendia emeritum vinculis oneravit. ¶ 2. Hinc eleganter transfertur ad eos omnes, qui plene suo munere functi sunt. — *a)* De hominibus. *Cic.* 6. *Att.* 5. 3. Etsi annuum tempus prope jam emeritum habebamus. *h. e.* prope confeceramus annum administrationis provinciæ. *Id. ibid.* 2. 6. Annuæ mihi operæ a. d. tert. Cal. Sext. emerentur. *h. e.* annuam administrationem claudo. — Ceterum Part. *Emeritus* Mediorum apud Græcos more ac vi hoc sensu occurrit — *b)* De brutis animantibus. *Ovid.* 4. *Fast.* 688. Dempserat emeritis jam juga Phœbus equis. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 58. ipsa coronat Emeritos Diana canes. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 11. 11. (27). Apes fessæ et jam emeritæ. — *c)* De inanimis. *Propert.* 4. 11. 72. Rogus emeritus. *h. e.* qui ardere desiit, absumpto cadavere. *Ovid.* 1. *Fast.* 665. Emeritum aratrum. *Juvenal.* 6. 497. Emerita acus. *Martial.* 10. 85. Emerita puppis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (206). Palmes emeritus pluribusque induratus annis. *Seneca Thyest.* 797. Solis currus emeritos solvere. scil. nocte adventante. Cf. *Stat.* 1. *Theb.* 335. emeriti confinia Phœbi. *h. e.* occidentis. *Seneca Agamemn.* 908. Emeritus dies. *Ovid.* 3. *Fast.* 43. emeriti cursus. *Lucan.* 3. 622. emerita jam morte. *Martial.* 7. 63. Emeritos Musis et Phœbo tradidit annos. *h. e.* annos, quos in forensi palæstra insumpserat, et causas agere desierat. — Hinc

Emeritus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, (subaudi *miles*), est qui militiæ tempora explevit, et, suo munere plene perfunctus, vacationem militiæ jam habet: quod fere post annum vicesimum militiæ ei concedebatur, ut ex *Tac.* 1. *Ann.* 78. colligitur. *Id. Tac. ibid.* 28. Percennius et Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? *Sueton. Aug.* 24. Alias (*legiones*) immodeste missionem postulantes, citra commoda emeritorum exauctoravit. *Vulgati libri habent* emeritorum præmiorum; *quod postremum vocabulum glossema esse videtur.* Similiter *Lucan.* 1. 344. Quæ sedes erit emeritis? quæ rura dabuntur, Quæ noster veteranos arет? quæ mœnia fessis? — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

Emeritum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est commodum, præmium, merces, quæ datur militibus post expletum militiæ tempus. *Modestin. Dig.* 49. 16. 3. Qui militiæ tempus in desertione explevit, emerito privatur. et *mox.* Si expleto tempore militiæ redeat, ut veteranus restituetur et emerita accipiet. Ex *Dione l.* 55. c. 23. et *Sueton. Cal.* 44. constat, legionariis militibus, exactis viginti annorum stipendiis, duodecim millia sestertiorum fuisse concessa præmii loco, et prætorianis post sexdecim annos viginti millia sestertiorum.

Emerens, *ntis*, part. præs. adjective occurrit, unde Sup. *Emerentissimus* in *Inscript.* apud *Donat.* 390. 15. MEMORIAE AVTONAE AVG. SAPRICI AVR. CHRESTE CONIVGI EMERENTISSIMO DEDICAVIT. *h. e.* optime merito.

ĒMERGO, mergis, mersi, mersum, mergere, 3. (ex *et* mergo). Part. *Emergens* sub *B.* I. 1.; *Emersus* sub *A.* I. et II.; *Emersurus* sub *A.* II. — Emergere est *A)* Verbum activum, et *B)* Neutrum.

A) Active emergere est facere, ut quis in aqua mersus, rursus exeat: et occurrit fere *emergere se* pro exire, eo modo quo *erumpere se* dicimus, vel Part. *Emersus* Mediorum apud Græcos more ac vi.

I.) Proprie. *Manil.* 5. 197. quam jam vicesima Cancri Septimaque ex undis pars sese emergit in astra. *Avien. Perieg.* 126. qua se lux rursus Eoa Emergit pelago. Similiter *Sever. Ætn.* 118. torrentem imo se emergere hiatu. Cf. *Cato* in *Diris.* Monstra repentinis terrentia sæpe figuris Quum subito emersere furenti corpora ponto. Nonnulli addunt et illud *Ovid.* 3. *Fast.* 367. Dum loquitur, totum jam sol emerserat orbem. *At hic alii aliter.* — Ceterum *Cic.* 2. *Divinat.* 68. 140. Vivus sum emersus a flumine. *Liv.* 1. 13. Equus emersus e profunda palude. *Tac.* 1. *Ann.* 65. Quintilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est. Similiter *Ovid.* 3. *Fast.* 300. Tertia nox emersa suos ubi moverit ignes. *Id.* 15. *Met.* 186. Cernis et emersas in lucem tendere noctes. *Id. Halieut.* 35. Emersus in auras polypus. et *Cic. Harusp. resp.* 25. 55. Ista serpens, quæ tum hic delitescit, tum se emergit et fertur illuc.

II.) Translate. *Ter. Andr.* 3. 3. 30. Spero ex illis sese emersurum malis. *Nepos Att.* 11. Quibus ex malis ut se emersit, etc. *Cic. Sext.* 9. 20. Homo subito emersus ex diuturnis tenebris lustrorum. *Id. Vatin.* 7. 17. Unus tu, emersus e cœno, omnium facile omnibus rebus infimus. *Liv.* 8. 7. *ad fin.* Emersus ab admiratione animus. — Et cum Accus. *Manil.* 1. 116. Ut possim rerum tantas emergere moles.

B) Neutrorum more emergere dicitur qui in aqua mersus, rursus exit, adeoque est exsistere, evadere, exire e profundo (It. *venir su, uscir fuori dell'acqua, emergere*; Fr. *surnager, revenir à la surface, remonter, s'élever, apparaître*; Hisp. *emerger, levantarse*; Germ. *hervorgehen, -steigen, -kommen, auftauchen, entgehen, entkommen*; Angl. *to swim, issue, or come out, rise up, emerge*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a)* Cum addito termino a quo, et interdum etiam quo quis emergit. *Cic.* 2. *Divinat.* 31. 67. Equus ex flumine emersit. *Id.* 4. *Fin.* 23. 64. Quis enim ignorat, si plures ex alto emergere velint, propius fore eos quidem ad respirandum qui ad summam jam aquam appropinquant? *Liv.* 22. 3. Emergere de paludibus. *Sueton. Claud.* 21. e lacu per machinam. *Curt.* 4. 9. 21. Tandem, qua leniore tractu amnis aperit vadum, (*natantes*) emersere. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 18. 32. (109). Emergere extra aquam. *Justin.* 30. 4. 2. Repente ex profundo cum calidis aquis insula emersit. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 72. Ab infima ara subito anguis emersit. *h. e.* ab infima ara emersit e terra. *Lucret.* 5. 697. de sole. Nec penetrare potest facile atque emergere ad ortus. *Liv.* 44. 37. Donec luna in suam lucem emersit. *h. e.* ex umbris emersit. — *b)* Absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 124. Aves, quæ se in mare mergerent: quæ quum emersissent etc. — Sol etiam et stellæ emergere dicuntur, quia e mari exoriri videntur. *Tac. Germ.* 45. Sol emergens. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 14. 11. (58). Stellæ emergunt.

Cic. 2. *Nat. D.* 44. 113. Ut sese emergens ostendat Scorpius alto. *Val. Flacc.* 5. 1. lux emersit Olympo. ¶ 2. Latiori sensu atque universim ponitur pro ascendendo exire, egredi: ad rem *Cic. Cæl.* 21. 51. Emersit jam a vadis et scopulos prætervecta esse videtur oratio mea. *Id.* 2. *Att.* 12. 2. Emerseram commode ex Antiati in Appiam ad tres tabernas, quum etc. *Id. pro leg. Manil.* 3. 7. Ut se non Cappadociæ latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno. *Liv.* 21. 25. Ibi, inexplorato profectus, in insidias præcipitatus, multaque cum cæde suorum ægre in apertos campos emersit. *Ovid.* 14. *Met.* 155. Sedibus Euboicam Stygiis emergit in urbem Troius Æneas. ¶ 3. Specialim ponitur pro oriri, nasci, et dicitur de hominibus, arboribus, etc. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 51. 112. (269). Antequam totus infans emergat utero. *Id.* 21. *ibid.* 17. 66. (106). Emergit flos ex caule. Sic *Cic. Senect.* 15. 51. Viriditas herbescens vaginis includitur, e quibus quum emerserit etc. Cf. et *Colum.* 11. *R. R.* 3. 47. Si radix super terram emerserit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 52. 74. (145.) Ova emergunt. *Id.* 31. *ibid.* 4. 30. (53). Fontes amnesque emerserunt. *Id.* 2. *ibid.* 82. 84. (198). Ventus emersit.

II.) Translate: ad rem *Cic.* 6. *Verr.* 58. 130. Quum multa ex illo mari bella emerserint. — *a*) Generatim. *Cic. Harusp. resp.* 23. 48. Posteaquam emergere cœpit auctoritas vestra e fluctibus illius servitutis. *Id.* 3. *Verr.* 5. 12. Emergere ex peculatus judicio. *Id. Pis.* 12. 27. ex miserrimis sordibus. *Id. Vatin.* 9. 23. ex mendicitate. *Id.* 5. *Verr.* 69. 162. ex paternis probris ac vitiis. *Id.* 5. *Att.* 10. ex aliquo negotio. *Id. ibid.* 8. incommoda valetudine. *Liv.* 25. 38. ex omni sævitia. *Id.* 5. 52. a naufragiis. *Cic.* 9. *Att.* 10. 2. Nunc emergit amor: nunc desiderium ferre non possum. *Id. ibid.* 6. 5. Deinde emergit rursum dolor. *Id.* 2. *Off.* 7. 24. Quamvis enim sint demersæ leges alicujus opibus, quamvis timefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquando aut judiciis tacitis, aut occultis de honore suffragiis. *Justin.* 6. 9. 6. Effectum est, ut inter otia Græcorum sordidum et obscurum antea Macedonum nomen emergeret. *Flor.* 4. 1. 6. Sceleris indicium per Fulviam emersit. *Vopisc. Carin.* 3. Fama emersit. *Id. Tac.* 7. rumor. *Lamprid. Alex. Sev.* 36. jocus poeticus. *Trebell. Poll. Claud.* 9. sors talis. Adde *Vopisc. Prob.* 8. *Capitolin. Pertin.* 4. Quæ vaticinationes de templo emergunt. *Ulp. Dig.* 14. 4. 6. *extr.* Si forte alii creditores emerserint. et *ibid.* 7. Si aliud domini debitum emerserit. — *b*) Specialim et eleganter dicitur de iis, qui ex paupere, aut obscuro statu ad divitias aut honores opesque ascendunt. *Lucret.* 3. 13. et 3. 63. Emergere ad summas opes. *Cic.* 6. *Att.* 2. Nullus in imperio meo sumptus factus est: hac re incredibile est, quantum civitates emerserint. *Juvenal.* 3. 164. Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi. *Vellej.* 2. 65. Quum Antonius Cæsarem admoneret, quam inimicæ ipsi Pompejanæ partes forent, et in quod jam emersissent fastigium. — *c*) Item de iis, qui e vitiosa vita abstrahuntur et ad bonam frugem reducuntur. *Cic. Cæl.* 12. 28. Multos vidi, qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent, emersisse aliquando, et se ad frugem bonam, ut dicitur, recepisse. — *d*) Item pro elucere, apparere. *Cic. Cluent.* 65. 183. Hoc uno modo sæpe multorum improbitate depressa veritas emergit. *Id.* 1. *Off.* 31. 110. Ex quo magis emergit, quale sit decorum illud. *Dig.* 47. 10. 5. Ex hoc publica utilitas emergit.

ĒMĔRĪNUS. *V.* HEMERINUS.

ĒMĔRĬTUM, i, n. 2. *V.* EMEREO in fin.

ĒMĔRĬTUS, a, um. *V.* EMEREO.

ĒMERSUS, a, um. *V.* EMERGO.

ĒMERSUS, us, m. 4. emergendi actus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 22. 38. (75). Ad emersus fluminis Mincii. *h. e.* ubi Mincius e lacu Benaco exit. *Id.* 22. *ibid.* 22. 46. (95). Ab emersu serpentium usque ad latebram. *h. e.* ab eo tempore quo emergunt e terra serpentes, usque ad illud, quo se condunt. *Id.* 18. *ibid.* 25. 58. (218). *de ortu et occasu heliaco.* Emersum hoc melius, quam exortum consuetudo dixisset, et illud occultationem potius, quam occasum. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 24. Emersus stellæ. *Vitruv.* 10. 16. 9. *Schneid.* Neque certum locum scire poterant, quo emersum facturi fuissent hostes.

ĒMĔTĬCA, æ, f. 1. ἐμετική. Hanc vocem recentiores plerique omnes legunt in loc. *Cælii* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. *extr.*, quem vide in EMPENETICA.

ĒMĔTĬCUS, a, um, adject. ἐμετικός, vomitorius. *Apul. Herb.* 55. Narcissus a Græcis dicitur anhydros, autogenis, bolbos emeticos: Latini bulbum vomitorium vocaverunt. *V.* EMPENETICA.

ĒMĒTĬOR, mētīris, mensus sum, mētīri, dep. 4. (ex et metior). Part. *Emetiens* II. 1.; *Emensus* I., II. 1. et in fin. — Emetiri est idem quod metiri, vel usque ad extremum metiri (It. *misurare*; Fr. *mesurer*, *mesurer entièrement*; Hisp. *medir*; Germ. *ausmessen*; Angl. to *measure out*.)

I.) Proprie. *Virg.* 10. *Æn.* 772. Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastæ. *Gell.* 16. 18. Longitudines et altitudines vocis emetiri.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe sumitur pro conficere viam et quasi metiendo percurrere. *Virg.* 5. *Æn.* 627. Quum freta, quum terras omnes, tot inhospita saxa Sideraque emensæ ferimur. *Liv.* 38. 17. Pæoniam inde et Thraciam, pugnando cum ferocissimis gentibus, emensi, has terras ceperunt. *Curt.* 9. 10. 6. Regio deserta et aquarum inops excipit: quam emensus in Horitas transit. *Id.* 5. 6. 15. Tandem propemodum invias silvas emensi etc. Cf. *Tibull.* 3. 4. 17. Jam nox æthereum nigris emensa quadrigis Mundum, cæruleo laverat amne rotas. Sic *Sil. It.* 4. 480. Emenso terras sole. *Liv.* 31. 24. Hemerodromos vocant Græci, ingens die uno cursu emetientes spatium. *Curt.* 4. 14. 7. Tot terrarum spatia emensis – iter in patriam et penates manu esse faciendum. Adde *eumd.* 6. 1. 12., 9. 3. 7. et alibi sæpe. *Tac.* 11. *Ann.* 32. Spatium urbis pedibus emensa. *Id.* 15. *ibid.* 16. Una die quadraginta millium spatium emensum esse Pætum. *Curt.* 5. 1. 13. Duo millia et D. stadia emensi sunt, qui etc. *Virg.* 11. *Æn.* 244. Atque iter emensi casus superavimus omnes. *Liv.* 27. 48. Quid igitur præcipiti cursu tam longum iter emensi sumus? *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 20. (84). Longissimum iter vehiculis tribus emensus. *Curt.* 5. 4. 22. Tantumdem itineris supererat, quantum emensi erant. — Et poetica licentia *Id. Curt.* 3. 12. 18. Quum Liberi patris imitaretur triumphum, ab Hellesponto usque ad Oceanum omnes gentes victoria emensus. — Similiter pro prætergredi, superare. *Curt.* 3. 10. 5. Illos terrarum orbis liberatores, emensosque olim Herculis et Liberi patris terminos, etc. *Id.* 7. 11. 8. Montium juga perenni nive obruta emensus sum. *Sil. It.* 1. 636. Emensus pontum. *Nepos fragm.* 7. edente *Staver.* Vi tempestatum ex Indicis æquoribus abreptos, emensosque quæ intererant, tandem in Germaniæ litora exisse. Et poetice *Sil. It.* 4. 53. Ingentesque duces, pelagi terræque laborem Diversum emensi. — Denique de tempore. *Tac.* 1. *Ann.* 49. Galba annis quinque principes emensus. *Sil. It.* 3. 397. ter denos decies emensus annos. *Id.* 10. 328. diem cædibus. *Id.* 3. 555. noctes. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 6. et si egomet patrio de litore raptus Quatuor emensis per bella, per æquora lustris, etc. *Al. leg.* emeritis. Cf. *Virg.* 1. *G.* 449. Hoc etiam, emenso quum jam (*sol*) decedet Olympo, Profuerit meminisse magis. ¶ 2. Aliquando ponitur pro præstare, largiri, quasi metiendo cumulare, tradere. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 104. cur, improbe, caræ Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo? *Cic. Brut.* 4. 16. Illud Hesiodum laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore si possis: ego autem voluntatem tibi profecto emetiar: sed rem ipsam nondum posse, video. Cf. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 4. Poteram me, peracta quæstione, dimittere: sed bene emensum dabo. *h. e.* quasi cumulatam mensuram: ubi nota *emensum* passiva significatione. — Hinc Part. præter.

Emensus, a, um, passiva quoque occurrit significatione. *Liv.* 21. 30. Postquam multo majorem partem itineris emensam cernant. *Id.* 43. 21. Ad flumen, itinere ingenti emenso, retentus altitudine amnis, mansit. *Justin.* 42. 1. 2. Tantum iis spatium frustra emensum dolentes. *Apul.* 9. *Met. sub fin.* Emensis protinus scalis. *Val. Flacc.* 4. 350. exsilia pelagus emensa juvencæ. *h. e.* errores ius mare tranantis sub forma vaccæ: *juvencæ* Dativus est. *Id.* 4. 181. cuncti pariter loca debita noscunt, Signaque commemorant emensasque ordine gentes. *Eumen. Paneg. Constant.* 3. Militiæ gradibus emensis. Adde *Stat.* 3. *Silv.* 5. 6.; et *Virg.* 1. *G.* 440. supra allat. sub II. 1. in fin.; et *Senec.* locum sub II. 2.

ĒMĔTO, tis, tere, a. 3. (ex et meto) idem quod meto, vel metendo effero ex agris. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 21. Ne plus frumenti dotalibus emetat agris.

ĒMĪCANS, antis. *V.* EMICO.

ĒMĪCĀTIM, adverb. emicando, exsiliendo. *Sidon.* 2. *Ep.* 13. *sub fin.* Emicatim prosiliens refugit divitias.

ĒMĪCĀTĪO, ōnis, f. 3. actus emicandi et sese attollendi. *Apul. de Mundo.* Torrentium cursus, et humores undarum, emicationesque silvarum.

ĒMĪCO, micas, micui, micatum, micare, n. 1. (ex et mico.) *Quintil.* 1. 6. 17. reprehendit eos, qui *emicavit* dicere malebant, quam *emicuit*, analogiam nimis religiose secuti. — Part. *Emicans* I. et in fin. — Emicare est extra micare, ex improviso fulgere, tamquam lucis radius vel spicula vibrando exsistere, erumpere, exire.

I). Proprie. — *a*) De luce. *Lucret.* 5. 1097. Exprimitur validis attritus viribus ignis: Emicat interdum flammai fervidus ardor Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur. *Al. leg.* Et micat. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 88. 89. (203). Ex eo monte repente flamma emicuit. Adde *Sueton. Aug.* 94. *Curt.* 8. 4. 3. Ab omni parte cæli emicare fulgura. (*Liv.* 40. 58. dixit: Fulmina micant.) *Plin.* 2. *Hist. nat.* 93. 95. (207). Ignium tot locis emicantium perpetua tot sæculis incendia. Similiter *Sueton. Cal.* 46. Altissimam turrim excitavit, ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium cursus ignes emicarent. *Forcellinus* hunc locum singulari paragrapho distinxit, et accepit pro elucere, splendere. *Quintil.* 8. 5. 29. Scintillæ inter fumum emicantes. *Vellej.* 2. 125. Emicat incendium. *Lucan.* 1. 532. Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas Emicuit cælo. *Val. Flacc.* 4. 98. Sol emicuit super terras. *Id.* 1. 655. Emicuit dies. Huc referri potest et illud *Ovid.* 15. *Met.* 248. dempto quoque pondere, rursus In superos aer tenuissimus emicat ignes. *h. e.* adscendit et in ignem convertitur. — *b*) De inanimis, quæ se movendo vibrandoque, haud aliter ac spicula lucis, erumpunt. *Lucret.* 2. 194. e nostro quum missus corpore sanguis Emicat exsultans alte, spargitque cruorem. *Id.* 4. 1012. Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu. *Ovid.* 9. *Met.* 130. sanguis per utrumque foramen Emicuit. *Id.* 4. *ibid.* 121. Ut jacuit resupinus humi, cruor emicat alte. *Id.* 6. *ibid.* 259. Expulit hanc (*sagittam*) sanguis; seque ejaculatus in altum Emicat. *Liv.* 44. 33. Scaturigines aquæ emicabant. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 65. 66. (166). Aqua spiritu acta et terræ pondere expressa, siphonum modo emicat. *Id.* 31. *ibid.* 10. 46. (108). Scatebra fonticuli semper emicans. Sic de sono *Seneca Œdip.* 232. Emicat vasto fragore major humano sonus. *Ovid.* 13. *Met.* 67. emicuit nervo penetrabile telum. (Sic *Curt.* 8. 2. 26. Tela micabant. V. *Mützell.* ad h. l.) *Liv.* 41. 10. Qui in navibus erant, saxis tormento emicantibus percutiebantur. Huc referri potest et illud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 77. (197). Dracones emicuisse de extis. — *c*) De hominibus, et emicare præcipue dicuntur, qui summo impetu aliquo feruntur ascenduntque. *Virg.* 2. *Æn.* 174. *de Palladio.* terque ipsa solo (mirabile dictu) Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem. Ubi *Servius:* Exsiluit, quasi quæ consisteret invita, locumque damnaret. *Ovid.* 10. *Met.* 652. Signa tubæ dederant; quum carcere pronus uterque Emicat et summam celeri pede libat arenam. Rursus *Virg.* 6. *Æn.* 6. juvenum manus emicat ardens Litus in Hesperium. *Id.* 12. *ibid.* 327. saltuque superbus Emicat in currus. *Val. Flacc.* 6. 550. Emicat in Sueten. *h. e.* exsilit, eumque aggreditur. Adde *Sil. It.* 7. 376. et 11. 482. Cf. *Val. Flacc.* 2. 543. Nec minus in scopulos crudique cacumina saxi Emicat Alcides, vinclisque tenentibus aufert Virgineas de rupe manus. *Virg.* 5. *Æn.* 318. Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus Emicat et ventis et fulminis ocior alis. *Val. Flacc.* 6. 636. Talis in extremo proles Jovis emicat ævo; Et nunc magnanimos Hypetaona Gesithoumque, Nunc Arinen Albumque necat. Adde *Sil. It.* 2. 238., 3. 85., 15. 158. et alibi; et cf. *Val. Flacc.* 4. 289. et 501. et 7. 397. Sic *Flor.* 1. 18. 4. Ludos forte celebrabant, quum adremigantem litori Romanam classem inde vident: atque hostem rati emicant, sine discrimine insultant. — Sic de brutis animantibus. *Val. Flacc.* 3. 581. Continuo, volucri ceu pectora tactus asylo, Emicuit Calabris taurus per confraga sæptis,

Obvia quæque ruens. Adde *Sil. It.* 12. 450. — *d*) De corde. *Plaut. Aulul.* 4. 3. 4. Cor emicat in pectus. *Vellej.* 2. 50. Quum mucronem gladii admovissent mammillæ, ad eum ipsum locum, qua cor emicat. — *e*) Denique de plantis, floribus et fruticibus, pro crescere: ad rem *Plin.* 27. *Hist. nat.* 8. 40. (62). Multi calami ex una radice emicant. Et *Colum.* 3. *R. R.* 17. 2. Sagittam rustici vocant novissimam partem surculi, sive quia longius recessit a matre, et quasi emicuit atque prosiluit; sive quia etc. *Id.* 4. *ibid.* 33. 1. Tum in repastinato nux posita celeriter emicat. *Id. ibid.* 20. 5. Vitis emicat in jugum. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 3. 46. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 5. 11. (23). Superiores rami in excelsum emicant. *Sillig* vero legit *evolant*. *Id.* 19. *ibid.* 8. 42. (146). Asparagus viret thyrso emicante. *Petron. Satyr.* 126. Emicuere rosæ violæque et molle cyperon.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 79. *a med.* Quum (*animus*) vitia disjecerit, purusque ac levis in cogitationes divinas emicuerit. — Hinc ponitur pro erumpere, apparere, exsistere, effulgere, excellere, altum esse. *Tac.* 13. *Ann.* 16. Agrippinæ is pavor, ea consternatio mentis quamvis vultu premeretur, emicuit, ut etc. *h. e.* apparuit, exstitit. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 73. Inter quæ verbum emicuit si forte decorum et Si versus paullum concinnior unus et alter, Injuste totum ducit venditque poema. *Justin.* 2. 9. 15. Inter ceteros Themistoclis gloria emicuit. *h. e.* exstitit, effulsit. *Curt.* 7. 6. 20. In queis et magnitudinem animi et claritatem rerum longe emicuisse credebat. *Val. Flacc.* 6. 595. Aspicis, ut Minyas inter proceresque Cytæos Emicet effulgens. *Trebell. Poll. Gall. duob.* 11. Quibus (*versibus*) inter poetas emicuit. *Lamprid. Ant. Diad.* 3. Quasi sidereus ac cælestis emicuit. Adde *Vopisc. Numer.* 11. et *Prob.* 23. *Flor.* 4. 2. 40. Quo tempore egregia virtus Scævæ centurionis emicuit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (128). Post eum emicuit longe ante omnes Euphranor. *Plerique alii et ipse* Sillig *cum* Harduino *leg.* eminuit. *Solin.* 1. *a med.* Milon Tarquinii Prisci temporibus emicuit. *h. e.* floruit. *Ammian.* 22. 16. *a med.* Inter quos Chalcenterus emicuit Didymus. *Utroque loco alii leg.* eminuit, *aut* enituit. *Ovid.* 9. *Met.* 226. In Euboico scopulus brevis emicat alte Gurgite. *h. e.* exsistit, se attollit, eminet. *Bach* legit *eminet*, quocum consentit et *Klotz*. Eodem sensu — Part. præs., cujus multa superius exempla retulimus.

Emicans, antis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Emicantior* apud *Tertull. advers. Hermog.* 29. Segregatis aquis in cavatiorem sinum, emicantior facta est arida (*h. e.* terra), quæ ante aquis tegebatur. *h. e.* eminentior, magis exstans.

ĒMĬGRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus emigrandi, commigratio. *Ulp. Dig.* 39. 2. 28. Detrimentum propter emigrationem inquilinorum.

ĒMĬGRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et migro). Part. *Emigrans* sub *A.* 1. — Emigrare occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Cum Accusativo.

A) Neutrorum more emigro est idem ac migro, extra migro, abeo.

I.) Proprie. *Plaut. Men.* 5. 2. 7. Aliquo emigrare. *Id. ibid.* 5. 2. 71. Num hinc emigrasti? *Id. Most.* 2. 2. 39. Quia septem menses sunt, quum in hasce ædes pedem nemo intro tetulit, semel ut emigravimus. *Cic.* 4. *Verr.* 36. 89. et *Cæs.* 1. *B. G.* 31. *ad fin.* Emigrare domo. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 30. e domo. *Stat.* 4. *Silv.* 8. 47. Tu, ductor populi longe emigrantis, Apollo.

II.) Improprie. *Cic.* 2. *Legg.* 19. 48. Emigrare e vita. *Val. Cato in Diris* 100. Migrabunt casus aliena in corpora rerum, Quam tua de nostris emigret cura medullis.

B) Cum Accusativo. ¶ 1. *Emigrare se* simile est τῷ *erumpere se*, et *emergere se*. *Titinius* apud *Non.* p. 2. 18. *Merc.* Quot pestes, senia et jurgia sese meis ædibus emigrarunt. *Bothe* rectius leg. *semel ædibus emigrarunt*. ¶ 2. *Emigrare Scripturas* apud *Tertull. Cor. mil.* 1. dictum videtur pro declinare, recedere, et nolle sequi: vel potius transilire, transgredi: qua ratione *migro* a *Cic.* usurpatur.

ĒMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac minatio: ab *eminor*. *Plaut. Capt.* 4. 2. 19. Quæ illæc eminatio est?

ĒMĬNENS, entis. *V.* EMINEO in fin.

ĒMĬNENTER, adverb. alte; et occurrit tantummodo Comp. *Eminentius*, et quidem translate apud *Sidon.* 1. *Ep.* 11. Non eminentius, quam municipaliter natus. *h. e.* non clariore genere.

ĒMĬNENTĬA, æ, f. 1. exstantia, prominentia, altitudo.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Nat. D.* 38. 105. Nam si (*hæc*) tantummodo ad cogitationem valent, nec ullam habent soliditatem nec eminentiam. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 7. 20. Quam multa vident pictores in umbris et in eminentia, quæ nos non videmus! *h. e.* in partibus colore illustratis et exstantibus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 63. (174). Myrmecias nigra habet eminentias similes verrucis. *Apul. Florid.* n. 18. Eminentia culminum.

II.) Translate. *Gell.* 5. 11. Eminentia quædam formarum. *Ulp. Regular. tit.* 11. Tutores legitimi per eminentiam dicuntur, qui etc. κατ' ἐξοχήν, per excellentiam.

ĒMĬNĔO, mines, minui, minere, n. 2. (ex et maneo). Part. *Eminens* I. 1. et in fin. — Emineo est eminens sum, exsto, excedo, altus sum, promineo, quasi *extra maneo* (It. *soprastare*, *spiccare*, *sporgere*, *uscire*; Fr. *s'élever au-dessus*, *sortir de*; Hisp. *elevarse en alto*, *estar elevado*, *eminente*; Germ. *hervor-*, *herausragen*, *hervorstehen*; Angl. *to rise or grow up*, *be raised above*, *stand out or over*, *stand or show itself above others*, *jut or lean forward*, *go out*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim; et quidem — *a*) Absolute. *Lucret.* 1. 778. At primordia gignundis in rebus oportet Naturam clandestinam cæcamque adhibere, Emineat nequid, quod contra pugnet, et obstet Quo minus etc. *Ovid.* 15. *Met.* 697. Deus eminet alte: Impositaque premens puppim cervice recurvam Cæruleas despectat aquas. *Manil.* 5. 581. Caput eminet. *Cæs.* 1. *B. C.* 11. Vallo muniri voluit, quod eminere et procul videri necesse erat. *Id.* 2. *ibid.* 9. Eam (*turrim*) in parietes instruxerunt ita, ut capita tignorum extrema parietum structura tegerentur; ne quid emineret, ubi ignis hostium inhæresceret. *Sall. Jug.* 99. Saxa, et si quæ vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus allevati milites ascenderent. — *b*) Cum addito, a quo quis eminet, per Ablat. et præpos. *ex*, *ab*, vel sine præpos., aut per Accus. et præpos. *extra*, *super*, *ultra*, *per*. *Cic.* 1. *Divinat.* 42. Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes, quum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cœli officere posset. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Ut stipites non amplius quatuor digitis ex terra eminerent. *Id. ibid.* Huc illi stipites demissi et ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis eminebant. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 15. 25. (116). Ut gemmascere incipiens legatur calamus, nec plus quam binis ab insito emineret oculis. *Sall.* apud *Non.* p. 555. 1. *Merc.* Avibus eminebant veruta binum pedum. *Curt.* 1. 2. 21. Jamque paullulum moles aquâ eminebat. *Mutzell.* Ita legit; *Forcellinus* vero et vulgati libri *aquam*. *Id.* 3. 11. 7. Darius curru sublimis eminebat. Cf. *eumd.* 1. 15. 30. *Val. Flacc.* 3. 338. media rex aggere longe Eminet. *Lucan.* 2. 667. nullæ æquore rupes Emineant. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (154). Eminere extra terram. *Id.* 9. *ibid.* 6. 5. (14). Ut (*balæna*) emineret dorso multum super aquas. *Curt.* 4. 15. 4. Alios ergo hastæ multum ultra temones eminentes, alios ab utroque latere dimissæ falces laceravere. *Liv.* 8. 7. Manlius ab jugulo, ita ut per costas ferrum emineret, terræ affixit. — *c*) Cum addito termino, in quem quid eminet, per Accus. et præpos. *in*. *Ovid.* 5. *Met.* 137. Torquet in hunc hastam, media quæ nare recepta, Cervice exacta est, In partesque eminet ambas. *Cæs.* 2. *B. C.* 24. Id autem est jugum directum, eminens in mare. Cf. *Liv.* 44. 11. Eminet namque in altum (*h. e.* mare) lingua (*h. e.* promontorium), in qua sita est. Cf. et *Curt.* 4. 9. 5. Inter radios rotarum plura spicula eminebant in adversum. — *d*) Cum Accusativo loci, a quo quid eminet. *Lactant. eleg. de Phæn.* 7. 8. nostros montes — eminet ille lucus. ¶ 2. Speciatim in picturis eminere dicuntur, quæ majore in luce collocata præ ceteris exstant. *Cic.* 3. *Orat.* 26. 101. Sed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquam et recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur. Cf. *eumd. ibid.* 57. 215. Discutienda sunt ea, quæ obscurant, et ea, quæ sunt eminentia et prompta, sumenda. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (131). Lumen et umbras custodiit, atque, ut eminerent e tabulis picturæ, maxime curavit. *Quintil.* 8. 5. 26. Nec pictura, in qua nihil circumlitum est, eminet. *Id.* 2. 17. 21. Pictor, quum vi artis suæ efficit, ut quædam eminere in opere, quædam recessisse credamus. Adde *eumd.* 11. 3. 46.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est emergere, exire, apparere, conspicuum esse. — *a*) Cum præpos. *ex*, *per*, est emergere, exire. *Plaut. Capt.* 3. 2. 4 Ita me miserum restitando retinendoque lassum reddiderunt: vix ex gratulando miser jam eminebam. Cf. *Cic.* 6. *de republ.* 26. Si animus jam tum, quum erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quæ extra erunt contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet. *Ovid.* 15. *Met.* 606. sed per confusa frementis Verba tamen vulgi vox eminet una, quis ille? *h. e.* altior est et distinctius exauditur. Cf. *Val. Flacc.* 1. 317. Vox tamen Alcimedes planctus super eminet omnes. — *b*) Ceterum est apparere, conspicuum esse. *Cic. Rosc. Am.* 41. 121. Quo studiosius ab ipsis opprimuntur et absconduntur, eo magis eminet et apparet. *Id.* 2. *Tusc.* 26. 64. Amplitudo animi maxime eminet contemnendis doloribus. *Id. Cluent.* 65. 183. Illi, quorum eminet audacia atque projecta est, a consiliis malitiæ deseruntur. *Curt.* 4. 1. 24. Aliorum studium, aliorum indignatio eminebat. *Id.* 8. 1. 50. Eminebat etiam in voce sceleris, quod parabat, atrocitas. *Liv.* 21. 35. Quum segniter agmen incederet, pigritiaque et desperatio in omnium vultu emineret. *Ovid.* 3. *Fast.* 250. Eminet ante oculos, quod petis, ecce tuus. *Id. Heroid.* 12. 38. Eminet indicio prodita flamma suo. *Quintil.* 11. 3. 75. Oculi, per quos maxime eminet animus. *Al. leg.* emanat. *Id.* 2. 12. 7. Sententiæ ipsæ magis eminent. *Id.* 11. 1. 56. Affectus ipsa probatione magis emineat. *Sueton. Cal.* 15. Ad transferendos matris fratrisque cineres festinavit, tempestate turbida, quo magis pietas emineret. ¶ 2. Speciatim ponitur pro excellere, præstare; et quidem — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *de republ.* 28. Tamen excellit atque eminet vis, potestas nomenque regium. Cf. *Tac. Dial. de orat.* 32. Ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque, ubi minime credas, eminet et excellit. *Liv.* 5. 33. Tantum eminebat peregrina virtus. *Vellej.* 2. 49. Quum sine invidia in republica floruissent eminuissentque sine periculo. *Nepos Chabr.* 3. Est enim hoc commune vitium —, ut invidia gloriæ comes sit, et libenter de his detrahant, quos eminere videant altius. Adde *Aurel. Vict. Epit.* 39. — *b*) Cum addita re, qua quis eminet, per Ablat. sine præpos. vel cum præpos. *in*. *Quintil.* 3. 8. 65. Philippicæ Demosthenis iisdem eminent virtutibus. *Id.* 2. 8. 4. In eo, quo quisque eminet. *Vellej.* 2. 127. Eminere dignitate. *Id. ibid.* 130. claritate. *Quintil.* 1. 12. 15. In his omnibus eminuit Plato. *Id.* 8. 3. 64. Plurimum in hoc genere eminet Cicero. Adde *eumd.* 11. 1. 93. et 12. 10. 2. — *c*) Cum addito Accusativo personæ et præpos. *super* vel *inter*. *Flor.* 4. 2. 11. Pompejus super utrumque eminebat. *Cic. Orat.* 29. 104. Demosthenes unus eminet inter omnes in omni genere dicendi. *Quintil.* 12. 5. 5. Eminere inter æquales. *Id.* 8. 5. 9. inter ceteros. *Ammian.* 17. 7. Inter monumenta multiformium ærumnarum eminuere Nicomediæ clades. — Hinc Part. præs.

Eminens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Eminentior* I.; Sup. *Eminentissimus* II. 2.

I.) Proprie est exstans, prominens, altus, editus. — *a*) Posit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 27. 75. Species ut sit quædam deorum, quæ nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis, sitque pura, levis, perlucida. *Id.* 2. *ibid.* 18. 47. Quæ (*figura*, *h. e.* *globus*) nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum? *Id. ibid.* 57. 143. Genæ deinde ab inferiore parte tutantur subjectæ leniterque eminentes. *Id. Vatin.* 2. 4. Repente te, tamquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti. Adde *Vopisc. Firm.* 4. *Cæs.* 2. *B. C.* 23. Duo eminentia promontoria. *Sall. Jug.* 94. Ramis modo, modo eminentibus saxis nisus. Adde *Curt.* 5. 3. 20. et 7. 11. 15. *Id. Curt.* 4. 3. 10. Falcibus palmites arborum eminentium ad se trahentes. *Sall.* apud *Non.* p. 366. 14. *Merc.* Patibulo eminens affigebatur. *Sueton. Cal.* 48. Statura eminens. *Flor.* 1. 7. Eminentia papaverum capita. *Id. ibid.* 9. Eminentes ædes. *h. e.* in edito loco sitæ. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 65. Columella

non multum e dumis eminens. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 69. (181). Cor homini infra lævam papillam, turbinato mucrone, in priora eminens. — *b)* Comp. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Trabes paullo longiores atque eminentiores, quam extremi parietes. *Sueton. Aug.* 79. Nasus a summo eminentior, ab imo deductior. — *c)* Sup. *Flor.* 4. 12. *a med.* Eminentissimus mons. Cf. *Quintil.* 8. 2. 7. Vertex, id quod in montibus eminentissimum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est id quod emergit, quod prodit, conspicuum. *Seneca Tranquill.* 9. Spes effrenatas et animum in futura eminentem velut sub vinculis habere. *h. e.* inclinatum et hiantem. *Liv.* 2. 5. *de Bruto.* Eminente animo patrio inter publicæ pœnæ ministerium. *h. e.* paterno affectu, quantumvis dissimulato, erumpente in facie Bruti. Potest tamen hic locus et aliter intelligi, studium scilicet in patriam omnes affectus in tam duro ministerio superasse: cf. *Virg.* 6. *Æn.* 824. Vincet amor patriæ. Quo postremo sensu *eminens* ad paragr. proxime sequentem pertineret. ¶ 2. Specialim ac sæpius usurpatur per excellente, præstante. — *a)* Posit. *Vellej.* 2. 114. Res dictu eminentes. *Quintil.* 6. *proœm.* 1. Eminens ingenium. *Capitolin. Pertin.* 2. industria. *Capitolin. Max. et Balb.* 1. viri. Adde *Spartian. Hadrian.* 15. *Inscript.* apud *Murat.* 884. 4. P. AELIO AVG. LIB. EPAPHRODITO MAGISTRO IATRALIPTAE PVERORVM EMINENTIVM CAESARIS N. *h. e.* italice *mastro de' paggi imperiali. Vellej.* 2. 107. Vir dignitate eminens. *Curt.* 4. 4. Quinqueremis velocitate inter ceteras eminens. — *b)* Comp. *Tac. Dial. de orat.* 25. Dummodo in confesso sit, eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. — *c)* Sup. *Quintil.* 10. 1. 46. Paucos (*auctores*), qui sunt eminentissimi, excerpere in animo est. Adde *eumd.* 1. 10. 10., 2. 3. 1., 9. 4. 79. et 12. 10. 12. *Vellej.* 1. 16. Eminentissima cujusque professionis ingenia. *Id.* 2. 72. Eminentissimæ ac nobilissimæ simplicitatis vir. *Id. ibid.* 75. Livia genere, nobilitate, forma eminentissima. ¶ 3. Item specialim appellatio *eminentissimi* sub posterioribus imperatoribus tribuebatur præfectis prætorio, et magistris militum. *Imp. Constantin. Cod.* 12. 47. 1. et *Impp. Dioclet. et Maxim. ibid.* 9. 41. 11. et alibi. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

ĒMINISCOR, miniscĕris, mentus sum, minisci, dep. 3. commentum, seu quod in mente cogitatum fuit, enuncio, profero: a præposit. *ex* et *miniscor. V.* MINISCITUR. *Nepos Alcib.* 2. Ut si ipse fingere vellet, neque plura bona eminisci, neque majora posset consequi, quam vel fortuna, vel natura tribuerat. Ita restituit *Heusingerus* pro *reminisci.* Ita etiam legendum conjicit apud *Varronem* 6. *L. L.* 44. *Müll.* Sic *reminisci*, quum ea, quæ tenuit mens ac memoria, cogitantur (v. *cogitantur* a *Müll.* omittitur) ac cogitando repetuntur. Hinc etiam *comminisci* dictum, a *con* et *mente*; quum finguntur, in mente quæ non sunt; et ab hoc illud, quod dicitur *eminisci*, quum commentum pronunciatur. Hactenus *Varro*; alii perperam pro *eminisci* leg. *reminisci.* Hinc *Gloss. Isid.* Ementum, excogitatio; Eminiscitur, in memoriam reducit. *Rectius tamen interpreteris e memoria educit. V.* EMENTUM. Ita etiam *Not. Tir. p.* 125. Eminiscitur, comminiscitur, subminis itur.

ĒMINISTRATIO, ōnis, f. 3. actus ministrandi, idem fere ac ministratio. *Inscript.* apud *Gruter.* 461. EX VINI VRNIS VI. POTIONVM EMINISTRATIONEM DIGNE INCREMENTIS PRAESTITERVNT. De lapicidæ tamen errore valde dubitandum est.

ĒMĬNOR, aris, ari, dep. 1. idem ac minor. *Plaut. Capt.* 4. 2. 11. Eminor, interminorque, nequis mi obstiterit obviam.

ĒMĬNŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* emineo, parum eminens. *Varro* 2. *R. R.* 5. 8. Genibus (*boum*) eminulis, distantibus inter se. *Id. ibid.* 9. 3. Spina neque eminula, neque curva. *Id. ibid.* 9. 4. Duobus dentibus paullo eminulis.

ĒMĪNUS, adverb. (ex et manus) procul a manu, atque adeo a longinquo loco. Differt a *longe*, quia significat tacite quemdam motum de loco. Non enim recte dixeris *Eminus habito*, ut *Longe habito*, sed bene *Eminus jacula mitto.* Opponitur autem adverbio *comminus*: *comminus* enim dicimus, quum gladiis pugnamus; *eminus* quum lanceis, quia gladius a manu non recedit, lancea e manibus emittitur (It. *da lungi*; Fr. *de loin*; Hisp. *lejos*; Germ. *aus der Ferne*; Angl. *from a distance, at a distance, far off, aloof*). ¶ 1. Stricto sensu occurrit in re militari de lanceis et similibus telis, quæ pugnando jaciuntur. *Cic. Senect.* 6. 19. Nec excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut comminus gladiis uteretur. *Auct. B. Gall.* 8. 13. Qui aut comminus opprimebantur, aut eminus vulnerabantur. *Sall. Jug.* 50. Ipsi modo eminus sauciabantur. *Id. ibid.* 101. Ab jaculis eminus emissis corpora tegere. *Cæs.* 1. *B. C.* 26. Sic quotidie utrimque eminus fundis, sagittis reliquisque telis pugnabatur. Cf. *eumd.* 7. *B. G.* 24. Fasces atque aridam materiem de muro in aggerem eminus jaciebant. *Tac.* 3. *Hist.* 27. Sagittis saxisque eminus certare. *Curt.* 7. 8. 18. Inimicos sagitta eminus, hasta comminus petimus. *Id.* 8. 13. 15. Eminus obruti telis. *Id.* 10. 7. 18. Tela eminus jacere. Adde *Nepot. Alcib.* 10. et *Epam.* 9., *Liv.* 21. 34.; et *Virg.* 10. *Æn.* 645., 11. *ibid.* 674. et 12. *ibid.* 711. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro *longe. Lucret.* 6. 903. Multaque præterea prius ipso tacta vapore Eminus ardescunt, quam comminus imbuat ignis. *Sall.* apud *Gell.* 2. 27. Quæ eminus facie sua ostentabat, aliquot adversis cicatricibus et effosso oculo. *Tac.* 13. *Ann.* 41. Oppugnationem urbis eminus incipere. *Ovid.* 8. *Met.* 406. licet eminus esse Fortibus. *scil.* longe pugnando. *Id.* 1. *Pont.* 6. 17. fer opem, precor, eminus unam. *nempe* mihi longe posito. *Lucan.* 7. 650. stetit aggere campi Eminus. — Cum Ablativo pro *longe a. Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 3. *Verr.* 48. 125. *p.* 193. *Bait.* Vetus locutio: *Eminus est Vulturnus Capua tria millia passuum.* V. tamen adnotata ad h. l.

ĒMĪROR, āris, ari, dep. 1. (ex *et* miror) demiror, valde miror. *Horat.* 1. *Od.* 5. 8. Nigris æquora ventis Emirabitur insolens. *Bentlej.* aliter legit, et verbum *emiror* toto Latio exsulare jubet. At *Jani* nove dictum esse ait, eoque præclarius. *Gloss. Placid. p.* 452. hanc vocem confirmant.

ĒMISCĔO, es, ere, a. 2. (ex et misceo) idem quod misceo. Occurrit tantum Part. *Emiscens* apud *Manil.* 5. 244. nec parce vina recepta Hauriet emiscens, et fructibus ipse fruetur.

ĒMISSĀRĬUM, ii, n. 2. locus unde aqua emittitur (It. *emissario, scolatojo, luogo ond' esce l'acqua*; Fr. *issue pour l'écoulement*; Hisp. *salida*; Germ. d. *Ausfluss*; Angl. *a flood-gate, weir, water gate*). — *a)* Stricto sensu. *Cic.* 16. *Fam.* 18. Nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 4. 21. (75). Emissaria in his piscinis quina linquuntur, et repleto stagno, excussis obturamentis, erumpit torrens tanta vi, ut saxa provolvat. *Sueton. Claud.* 20. Opera multa perfecit: in his emissarium Fucini lacus. Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit ægre, et post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus. Cf. *eumd. ibid.* 32. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (124). idem describens, *montem perfossum ad lacum Fucinum emittendum*, ait: et *Tac.* 12. *Ann.* 57. hoc idem emissarium *effluvium lacus* appellat. Cf. *Spartian. Hadrian.* 22.; et *Dion. l.* 60. *c.* 11. 33. — *b)* Latiori sensu apud *Scribon. Compos.* 229. Emissarium vomicæ facere. Adde *eumd. ibid.* 206.

ĒMISSĀRĬUS, ii, m. 2. qui emittitur. ¶ 1. Fere dicitur de hominibus, et est qui clam submittitur ad aliquid explorandum, aut agendum nomine ejus, a quo mittitur: et fere accipitur in malam partem pro eo, qui ad explorandum deferendi calumniandique causa subornatur et emittitur. *Cic.* 4. *Verr.* 8. 22. Itaque apponit, qui petat Veneri Erycinæ illam hæreditatem: petit Nævius Turpio quidam, istius excursor atque emissarius. Ubi *Ascon.* Sic vocantur conciliatores furtorum, qui a magistratibus committuntur, atque internuncii. *et* 7. *Verr.* 41. 108. Quem iste in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia præcursorem habere solebat et emissarium. *Id.* 7. *Fam.* 2. *a med.* Persuaserat nonnullis invidis meis, se in me emissarium semper fore. *Vellej.* 2. 18. *extr.* Quin etiam consulis filium per emissarios factionis suæ interfecit. Adde *Cælium* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 3.; et *Sueton. Galb.* 15. et *Domit.* 11. ¶ 2. Usurpatur etiam de plantis, et *emissarius* dicitur palmes, qui emissus ex gemma, in putatione relinquitur, ut ascendat, quo placuerit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (208). Relicto emissario uno, qui subeat usque quo placuerit.

ĒMISSĪCIUS *vel* emissitius, a, um, adject. qui emittitur, ut *Oculi emissicii*, extra educti et foras porrecti, vel qui huc illuc aspectant et veluti se se ejaculantur. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 2. Exeundum hercle tibi hinc est foras, circumspectatrix cum oculis emissiciis. *Tertull. Pall.* 3. Chamæleonti circumspectu emissicii ocelli, imo luminis puncta vertiginant. — Hinc

Emissicium vel *emissitium*, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, pro *emissicia hasta* vel *lancea* usurpatur a *Cic.* 3. *Legg.* 9. 20. C. vero Gracchus ruinis, et emissiciis, quas ipse se projecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem reipublicæ statum permutavit? *Alii, et recentiores plerique omnes, inter quos etiam* Orell., *leg.* et iis sicis.

ĒMISSIM. *V.* EMO sub init.

ĒMISSIO, ōnis, f. 3. actus emittendi.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 29. 62. Emissio feminæ anguis. *Gell.* 5. 16. Radiorum ex oculis in ea, quæ videri queunt, emissio. *Theod. Priscian.* 4. *p.* 315. *vetr. ed. Ald.* Sanguinis sustinere per seminales vias emissionem.

II.) Translate pro jactu vel jaculatione. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 57. Ut ballistæ lapidum, et reliqua tormenta telorum eo graviores emissiones habent, etc. *Capell.* 9. *p.* 316. Constat autem omnis modulatio ex gravitate soni vel acumine. Gravitas dicitur, quæ modi quadam emissione mollescit; acumen vero, quod in aciem tenuatam gracilis et erectæ modulationis extenditur. *Alii aliter leg.; at* V. *ibi* Kopp.

ĒMISSĪTIUS, a, um. *V.* EMISSICIUS.

ĒMISSOR, ōris, m. 3. qui emittit. *Augustin.* 7. *Civ. Dei* 3. Liber et Libera seminum commotores, vel emissores.

ĒMISSUS, a, um. *V.* EMITTO.

ĒMISSUS, us, m. 4. idem atque emissio. *Lucret.* 4. 206. Quum (*corpuscula*) jaciuntur, et emissum (*eorum*) res nulla moratur.

ĒMĪTESCO, is, ere, n. inchoat. 3. idem fere ac mitesco, maturesco. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 10. Idque (*mel*) optimæ notæ emitescit auctumni æquinoctio. Ita edidit *Schneiderus*, probante *Pontedera*: alii minus recte leg. *enitescit.*

ĒMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (ex et mitto). Part. *Emittens* I. 1.; *Emissus* I. 1. et II.; *Emittendus* et *Emissurus* I. — Emittere est extra mittere, edere, foras mittere (It. *mandar fuori, emettere*; Fr. *mettre hors, laisser aller ou échapper, faire sortir*; Hisp. *sacar fuera*; Germ. *aus –, heraus –, los –, fortschicken, – lassen, – senden*; Angl. *to send forth or out*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim; et quidem — *a)* Universim. *Cic.* 2. *Att.* 12. 1. Emittat ad me Publius, qui obsignent. *Nepos Ages.* 2. Exercitum in Asiam emittere. *Cic. Planc.* 12. 31. Emissus e carcere. Cf. *Plaut. Pers.* 3. 3. 31. Rursus *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 118. Emitti e custodia. Adde *Liv.* 30. 17.; et *Nepot. Cim.* 1. *Plaut. Capt.* 2. 3. 48. ex vinculis. *Cic.* 7. *Verr.* 9. 22. Emittere aliquem de carcere. Et poetice *Val. Flacc.* 2. 350. Obvia cui contra longis emissa tenebris Turba Phrygum. Et absolute *Tac.* 2. *Ann.* 17. Adgnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus emissumque (*Arminium*) tradiderunt: virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit. *Liv.* 22. 3. Hannibal emissus e manibus perpopuletur Italiam. Adde *eumd. ibid.* 41. et 28. 42. *Cic. Cæl.* 28. 66.; et *Liv.* 21. 48. et 37. 12. Emittere aliquem de manibus. *Liv.* 44. 36. aliquem manibus. *Id.* 9. 6. Tanquam ferentibus adhuc cervicibus jugum, sub quo emissi essent. *Al. leg.* sub quod. Adde *eumd.* 3. 28. *Trebell. Poll. Gall. duob.* 17. Emittere pavonem e cavea. *Cic.* 1. *Cat.* 11. 27. aliquem ex urbe. *Cæs.* 1. *B. C.* 76. aliquos noctu per vallum. *Val. Flacc.* 4. 258. Et pater orantes cæsorum Tartarus umbras Nube cava tandem ad meritæ spectacula pugnæ Emittit. *Lamprid. Commod.* 8. Emittere quadrigas. *h. e.* ad certamen. — *b)* Specialim locum habet in re militari, et dicitur — De militibus, qui ex castris, urbe etc. in hostem, vel ad aliam rem militarem mittuntur. *Cæs.* 5. *B. G.* 19. Quum equitatus noster liberius – se in agros effunderet, (*hostis*) essedarios ex silvis emittebat. *Id. ibid.* 58. Subito Labienus duabus portis omnem equitatum emittit. *Id.* 6. 42. Quod cohortes ex statione et præsidio essent emissæ. *Liv.* 4. 18. Primos equites clamore sublato in hostem emisit. Adde

eumd. 24. 1., 28. 11., 30. 18. et 37. 27. Similiter *Cæs.* 1. *B. C.* 81. Universas ad aquam copias educunt: pabulatum emittitur nemo. Similiter *Virg.* 4. *G.* 58. *de apibus.* Emissum caveis agmen. — Item de telis et similibus, quæ jaciuntur. *Liv.* 1. 32. Emittere hastam. *Id.* 32. 17.; et *Cæs.* 2. *B. G.* 23. pila. *Cic. Harusp. resp.* 1. 2.; et *Liv.* 6. 8. et 28. 33. tela. *Virg.* 11. *Æn.* 676. spicula. *Curt.* 8. 9. 28. sagittas. *Quintil.* 8. 2. 5. jaculum. *Liv.* 21. 34. saxa. *Juvenal.* 15. 67. lapidem. Similiter *Cic. Cæl.* 12. 29. Emittere aculeos in aliquem. *Id.* 2. *Divinat.* 19. 44. Juppiter emittit fulmina. Cf. *eumd. ibid.*, ubi pro prodire, exire, erumpere occurrit *emittere se.* Si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. — Hinc ponitur interdum pro abjicere, demittere, deponere. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Ut præoptarent scutum manu emittere et nudo corpore pugnare. *Curt.* 4. 14. 13. Ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia, emisso aculeo, torpet. Sic *Liv.* 23. 42. Glorienturque Romani, te, ad unum modo ictum vigentem, velut aculeo emisso, torpere. Cf. *Cic. Flacc.* 17. 41. Mortuus est aculeo jam demisso ac dicto testimonio. *Phædr.* 1. 13. Emisit caseum ore. — c) Item speciatim emitti dicuntur fluida et similia, quibus exeundi facultas datur. *Cic.* 4. *Att.* 15. Lacus Velinus, a M'. Curio emissus, interciso monte, in Narem defluit: ex quo est illa siccata et humida tamen modice Rosia. *Sueton. Cæs.* 44. Emittere lacum. *h. e.* siccare. Adde *eumd. Claud.* 20. et 21.; et *Spartian. Hadrian.* 21. *Liv.* 5. 15. Ut quando aqua Albana abundasset, tum, si eam Romanus rite emisisset, victoriam de Vejentibus dari. Adde *Sueton. Claud.* 32. *Curt.* 7. 11. 3. Collatæ aquæ per prona montis flumen emittunt. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 23. (56). Emittere venis sanguinem. Sic *Colum.* 6. *R. R.* 14. 3. sanguinem de aure. Adde *Lamprid. Comm.* 11.; et *Capitolin. Anton. Phil.* 15. *Quintil.* 2. 10. 6. Quidquid humoris corrupti contraxerit, emittendum. *Ovid.* 11. *Met.* 458. Emittere lacrimas. *h. e.* effundere. — Huc referri possunt et illa *Cels.* 7. 29. Ore vulvæ non emittente, infans abrumpitur. Et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 29. (85). Emittunt ova aranei. *Id.* 10. *ibid.* 33. 49. (92). pulli hirundinum foris saturitatem. *h. e.* ventrem extra nidum exonerant. — d) Item de plantis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 20. 49. (183). Emittere folia. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (175). Vitis emittit palmitem. *Id. ibid.* 12. 18. (90). Ulmi emittuntur in ramos. *h. e.* sparguntur, diffunduntur. *Id.* 16. *ibid.* 16. 28. (70). Buxum emittitur in metas. *h. e.* crescit in modum metæ. — e) Item de libris ponitur pro divulgare. *Sueton. Claud.* 33. Aleam studiosissime lusit; de cujus arte librum quoque emisit. Adde *Quintil.* 6. *proœm.* 3. *Plin.* 1. *Ep.* 2. Libelli, quos emisimus, dicuntur in manibus esse. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 1. et 2. *ibid.* 10. *Quintil.* 7. 2. 24. Cujus actionem emiseram. *Cic.* 7. *Fam.* 33. Emittere aliquid dignum nostro nomine. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 20. 6. et *Art. P.* 77. — f) Denique et de sonis usurpatur. *Lucret.* 4. 696. et 5. 1013. Emittere sonitus. *Sueton. Claud.* 32. flatum. *Nepos Epam.* 9.; et *Lucret.* 6. 1233. animam. *Lucret.* 4. 797. et 5. 1087.; et *Liv.* 1. 54. *ad fin.* vocem. *Id. Liv.* 5. 51. Vox cœlo emissa. *Quintil.* 5. 7. 36. voces. Sic *Justin.* 11. 15. 6. Supremas voces emissurus. Adde *Val. Flacc.* 3. 44. *Sueton. Cal.* 59. Fuitque suspicio, ab ipso Cajo famam cædis simulatam et emissam. ¶ 2. Speciatim *manu emittere aliquem* est a potestate emittere, manumittere, in libertatem vindicare, apud *Plaut. Curc.* 5. 2. 18., *Rud.* 4. 6. 14. et *Capt.* 3. 5. 55.; *Ter. Phorm.* 5. 5. 2.; *Liv.* 21. 18.; *Plin.* 8. *Ep.* 18.; *Sueton. Vitell.* 6. et *Claud.* 21.; et *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. *a med.* Sic *Tac.* 15. *Ann.* 19. Emittere manu adoptatos. — Hoc idem *emittere* absolute *Plaut. Pseud.* 4. 2. 37.; et *Ter. Adelph.* 5. 9. 19. dixit.

II.) Translate. *Lucret.* 4. 503. Et si non poterit ratio dissolvere causam Cur etc.; tamen præstat rationis egentem Reddere mendose causas utriusque figuræ, Quam manibus manifesta suis emittere quæquam. Sic *Liv.* 37. 12. Hæc agentibus quum intervenisset nuncius Rhodiorum cladis, emissa de manibus res est. *Cic. Planc.* 23. 57. Maledicto nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur. *Id.* 2. *Orat.* 53. 211. Argumentum enim ratio ipsa confirmat, cui, simul atque emissum est, adhærescit. *Id. ibid.* 54. 219. Quid habet ars loci, quum ante illud facetum dictum emissum hærere debeat, quam cogitari potuisse videatur? *Horat.* 1. *Ep.* 18. 71. Et semel emissum volat irrevocabile verbum. *Petron. Satyr.* 19. Nullum verbum emittere. *h. e.* ne verbum quidem proferre.

EMMĂNES, is, m. 3. ἐμμανής, furibundus: ita vocatur herba eadem quæ hyoscyamus. *Apul. Herb.* 4.

EMMĔLES, is, adject. comm. gen. ἐμμελής, modulationem habens, canorus. *Boeth.* 5. *Music.* 10. p. 1167. Voces inter se vel unisonæ sunt, vel non unisonæ. Non unisonarum autem vocum aliæ quidem sunt æquisonæ, aliæ emmeles, aliæ etc. — Emmeles (sunt), quæcumque quidem consonæ non sunt, possunt aptari tamen recte ad melos, ut sunt hæ, quæ consonantias jungunt.

EMMŎTON, i, n. 2. ἔμμοτον, unguentum linteis distentum, ut vulneribus apponatur. *Theod. Priscian.* 1. 28.

ĔMO, ĕmis, ēmi, emptum *vel* emtum, ĕmere, a. 3. *Emissim* pro *emerim* antiquum est. *Plaut. Cas.* 2. 5. 39., quem locum referens *Paul. Diac.* p. 366. 14. habet *empsitem*: at *Müllerus* conjecit *empsiculem*, ut dicitur *pensiculo, missiculo*; namque, ait, apud Plautum *emissim* ferri nequit. *Lindemannus* vero correxit *empsim*; quam formam idem legit apud *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 45. ed. *Teubner*, ubi alii *emam*. — Quod attinet ad scriptionem participii præteriti, qui *emptus* inserto *p* scribunt, nituntur antiquis lapidibus ac monumentis, quæ multo plura sunt, quam quæ sine *p* exhibent, ut vel ipsi *Dausq.* et *Cellar.* fatentur, quamvis hi conjuncti cum aliis multis criticis ipsum *p* extritum velint. Nam tribus aut quatuor pro se allatis lapidibus addunt auctoritatem grammaticorum veterum, *Terentii Scauri* et *Marii Victorini*, quibus *p* supervacua videtur. Addunt et rationem, quod ea littera in præsenti verborum *emo, sumo, como, demo* nulla sit: nullam ergo ne in supinis quidem esse debere. Quæ omnia id efficiunt, ut qui *emtus, sumtus, comtus* scribit, reprehendi non debeat. Sed qui antiquitatis consensum sequetur, quæ frequentius *emptus* etc. exhibet, mihi videtur laudandus magis. — Part. *Emens* I.; *Emptus* I. et II.; *Empturus* et *Emendus* II. — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* est ab ἕμω, quod pro ἕλω cognato τοῦ ἑλκύω *attraho*, per metonymiam vero *pretio mihi comparo*. Sunt qui derivandum putent ab ἐμός, nempe ἐμὸν ποιέω *meum facio*: hanc porro primariam esse hujus verbi notionem ostendunt verba composita *demo, eximo*. At *Klotz* putat, hoc verbum ratione habita etymi conjungendum esse cum Germanico *nehmen*, quod significat *accipere, sumere*; quam sententiam confirmat *Paul. Diac.*, qui ait *p.* 4. 19. *Müll.* Emere enim antiqui dicebant pro accipere. *et p.* 76. 1. Emere, quod nunc est mercari, antiqui accipiebant pro sumere. Hinc *emere* juxta *Klotz*, haud aliter ac Germanicum *nehmen*, est ad pretio comparandum aliquid seligere. — Ceterum emo est pretio aliquid mihi comparo, mercor, coemo (It. *comperare*; Fr. *acheter*; Hisp. *comprar, mercar*; Germ. *kaufen*; Angl. *to buy, purchase*).

I.) Proprie. — a) Absolute, aut cum addito, unde aliquid emitur. *Plaut. Rud. prol.* 59. Adolescens, qui puellam ab eo emerat. *Id. Epid.* 1. 1. 62. Amatne istam, quam emit de præda? Adde *eumd. Capt. prol.* 34. et 2. 3. 93. *Sueton. Gramm.* 13. Staberius hero suo emptus de catasta. *Plaut. Curc.* 2. 3. 64. De illo emi virginem. *h. e.* ab illo. Sic *Cic.* 13. *Att.* 31. Mille jugerum de M. Pilio emit. *Id.* 10. *ibid.* 5. Emere de Canulejo deversorium. *V.* et infra sub *b. Id.* 5. *Verr.* 64. 148. Potestatem facere alicui emendi decumas. *Juvenal.* 4. 7. Emere ædes. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 168. emptum cœnat olus; emptis Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum. *Ovid.* 3. *Art. am.* 165. Femina procedit densissima crinibus emptis. *h. e.* pretio aliunde comparatis. Cf. *Martial.* 12. 23. Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis. Rursus *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 39. Turpe reos empta miseros defendere lingua. *h. e.* a reis conducta. *Justin.* 11. 4. 5. Captivorum pretium non ex ementium commodo, sed ex inimicorum odio extenditur. — b) Cum addito pretio, quo quid emitur, per Ablativum vel per Genitivum. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 20. Servi pretiis maximis empti. *Id. ibid.* v. 74. Illas emit in Anactorio parvulas duodeviginti minis de prædone Siculo. *Cic. Rosc. Am.* 2. 6. Bona Sex. Roscii de L. Sulla duobus millibus nummum se dicit emisse. *Id.* 13. *Att.* 29. Emere magno, aut parvo. Adde *Sueton. Cal.* 39.; et cf. *Justin.* 3. 2. *extr.* Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium jussit. *Ter. Adelph.* 2. 2. 41. Meum mihi reddatur, saltem quanti empta est Syre. *Cic.* 3. *Off.* 14. 59. Emit tanti, quanti Pythius voluit. Adde *Sueton. Rhet.* 1. et *Gramm.* 3. Rursus *Cic.* 3. *Off.* 12. 51. et 6. *Verr.* 7. 14. Emere minoris aut pluris. — c) Cum additis adverbiis, vel adverbialibus modis. *Cic. Dom.* 44. 115. Emit domum prope dimidio carius, quam æstimabat. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 237. poema Qui tam ridiculum tam care prodigus emit. *Cic.* 1. *Att.* 13. *extr.* Bene emere. *h. e.* parvo pretio. *Id.* 2. *ibid.* 4. male. *h. e.* maximo pretio. — Huc pertinent et illa *Solin.* 50. Emere oculis æstimantibus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 7. 14. (29). Piper pondere emitur. *h. e.* emitur ponderatum. *Nepos Att.* 9. Emere fundum in diem. *h. e.* cujus pretium certo futuro tempore solveretur. *Liv.* 39. 44. Cato atria duo, Mænium et Titium in lautumiis, et quatuor tabernas in publicum emit. *h. e.* in usum reipublicæ. — d) *Emere per as et libram*, *V.* in EMANCIPATIO et MANCIPIUM. *Sueton. Aug.* 64. Cajum et Lucium adoptavit domi, per assem et libram emptos a patre Agrippa. — e) *Ex empto* aut *vendito* aliquid agere, apud JCtos est ex contractu emptionis aut venditionis agere. *Cic.* 3. *Nat. D.* 30. 74. Quæ ex empto aut vendito, conducto aut locato, contra fidem fiunt. *Paul. Dig.* 21. 2. 18. Ex empto conveniri. *Ulp. ibid.* 17. 1. 14. Teneri judicio ex empto. *et ibid.* Ex empto obligatus. *Id. ibid.* 19. *tit.* 1. qui *De actionib. empti et venditi* inscribitur, *leg.* 14. Ex empto actione is, qui emit, utitur. — f) Proverbium est, *malo emere, quam rogare*, apud *Cic.* 6. *Verr.* 6. 12. quum aliquid minimo pretio, aut nulla difficultate haberi potest: tunc enim præstat emere, quam ad rogandum se demittere. Nulla enim res carius constat, quam quæ precibus empta est, inquit *Seneca* 2. *Benef.* 1.

II.) Translate. — a) Est largitione corrumpere. *Plaut. Asin.* 1. 1. 57. Emere aliquem beneficiis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 652. munera custodem. *Id.* 8. *Met.* 54. aliquem dote. *Cic.* 16. *Att.* 15. Quum eam defendere cœpisset, non modo deseruit emptus pecunia, sed etiam evertit. *Id. Pis.* 15. 35. Duo tribuni plebis de lapide empti. *V.* LAPIS. *Id. Sext.* 33. 72. Ex his (*tribunis plebis*) princeps emitur ab inimicis meis. Apud *eumd.* 5. *Verr.* 62. et seqq. emere sententias judicum, fidem, jusjurandum, veritatem, officium, religionem, etc. est largitione corrumpere judices, aut alios, et sibi obnoxios facere. Sic *Id. Cic. Cluent.* 36. 102. Oppianicum judici ad emendas sententias dedisse pecuniam judicatum est. *Id.* 1. *Att.* 18. Emptum judicium. *Pacat. Paneg. Theod.* 12. Emere legionum suffragia. — b) Item generatim est captare, comparare; et occurrit — Cum Accusativo. *Plaut. Trin.* 4. 3. 49. Talento inimicum mihi emi, amicum vendidi. *Ter. Adelph.* 2. 2. 11. Ego spem pretio non emo. *Virg.* 1. *G.* 31. Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis. *Id.* 10. *Æn.* 503. Turno tempus erit, magno quum optaverit emptum Intactum Pallanta. *Curt.* 4. 1. 12. Emere percussorem in aliquem. *Tac.* 4. *Hist.* 57. animos militum. *Sueton. Galb.* 15. et *Cæs.* 50. militem. *Flor.* 3. 1. 9. exercitum. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 55. nocet empta dolore voluptas. *Id. ibid.* 18. 48. pulmenta laboribus empta. *Virg.* 9. *Æn.* 206. Bene emitur honor vita. *Ovid.* 2. *Amor.* 10. 32. Emere sanguine æternum nomen. *Quintil.* 9. 3. 71. Emere immortalitatem morte. *Justin.* 8. 4. 7. dilationem belli ab aliquo. *Sil. It.* 4. 756. tempus periclo. *Lucan.* 10. 107. Pax empta donis. *Claudian. III. Cons. Honor.* 188. emitur sola virtute potestas. — Cum Accusativo et Infinito. *Lucan.* 7. 282. aut emptum minimo vult sanguine quisquam Barbarus Hesperiis Magnum præponere rebus? *Stat.* 1. *Theb.* 163. furtisque immanibus emptum est Œdipodæ sedisse loco. *Sil. It.* 7. 620. vel morte emisse volebant Spectari Fabio. *Id.* 5. 601. seroque emptum volet impia Roma Non vicisse etc. — Sequente part. *ut. Justin.* 23. 2. 8. Uxor periculo spiritus sui emptura, ut extremos viri spiritus exciperet. *Sil. It.* 10. 287. quanti ne emptum velit Hannibal, ut nos Vertentes terga aspiciat?

ĒMŎDĔROR, āris, ari, dep. 1. idem quod moderor. Occurrit tantum Part. *Emoderandus* apud *Ovid. Remed. am.* 130. Ille dolor verbis emoderandus erit.

ĒMŎDŬLOR, aris, ari, dep. 1. idem ac modulor. Occurrit tantum Part. *Emodulandus* apud *Ovid.* 1. *Amor.* 1. 30. Musa per undenos emodulanda pedes.

ĒMŎLĪMENTUM, i, n. 2. *V.* EMOLUMENTUM.

ĒMŎLĬOR, iris, itus sum, iri, dep. 4. (ex et molior) conando moliendoque ad finem perduco, educo. *Plaut. Bacch.* 4. 5. 2. Magnum molior negotium; metuoque ut hodie possim emolirier. — Hinc ponitur et pro exscreare, expellere. *Cels.* 4. 6. Sicca tussis, quæ nihil emolitur. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 21. Per nares emoliri pituitæ nauseam. — Poetice *emoliri fretum* venti dicuntur, qui illud commovent et exagitant, apud *Senecam Agamemn.* 478.

ĒMŎLĪTUS, a, um. *V.* EMOLO.

ĒMOLLESCO, is, ere, n. inchoat. 3. mollis fio. *Cels.* 5. 28. n. 14. Sine ulla vi clavus emollescit. *Al. rectius leg.* mollescit.

ĒMOLLĬDUS, a, um, adject. mollis, tener. *Liv.* 34. 47. Labor et æstus emollida et fluida corpora Gallorum reddit. *Al. leg.* mollia: *quod Livium magis decere videtur.*

ĒMOLLĬO, is, ivi, itum, ire, a. 4. (ex et mollio). Part. *Emollitus* I. et II. 2.; *Emolliendus* I. — Emollio est mollem reddo, tenerum facio (It. *ammollire, mollificare*; Fr. *amollir, rendre mou, tendre*; Hisp. *ablandar*; Germ. *erweichen*; Angl. *to soften, make soft, mollify*).

I.) Proprie. *Liv.* 37. 41. Humor arcus fundasque et jaculorum amenta emollierat. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 60. 80. (167). Ova aceto macerata in tantum emolliuntur, ut per anulos transeant. *Id.* 28. *ibid.* 19. 77. (253). Emollire duritiam ventris. *Id.* 20. *ibid.* 2. 6. (11). et 27. *ibid.* 7. 28. (48). alvum. *Id.* 20. *ibid.* 23. 97. (259). articulos contractos. *Id.* 18. *ibid.* 7. 17. (77). Triticum emollitum. *Id.* 26. *ibid.* 14. 87. (141). Plantago igni emollita. *Cels.* 8. 4. *circa med.* Emolliendum id emplastrum adjecto cerato ex rosa. *Id.* 5. 26. *n.* 34. *sub fin.* Emollitum ulcus.

II.) Translate. ¶ 1. In bonam partem. — *a*) De inanimis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 59. (164). Gorgonia gemma emollit maria. *h. e.* placat. *Sillig* vero rectius legit ex *Cod. Bamb.* emollita in mari. *Id.* 35. *ibid.* 17. 57. (198). Cimolia veros et pretiosos colores emollit. *h. e.* jucundiores reddit. — *b*) De hominum affectionibus pro mitigare, mansuefacere. *Ovid.* 2. *Pont.* 9. 47. ingenuas didicisse fideliter artes Emollit mores, nec sinit esse feros. *Aurel. Vict. Epit.* 48. Emollire severa præcepta. *Lamprid. Heliog.* 7. insaniam. ¶ 2. In malam partem ponitur pro effeminare, imminuere. *Liv.* 27. 3. Ne suum quoque exercitum nimia urbis amœnitas emolliret. *Id.* 38. 49. Hostis degener, et emollitus Asiæ amœnitate. *Tac. Agric.* 11. Plus ferociæ Britanni præferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. *Id.* 3. *Hist.* 2. Circo quoque et theatris et amœnitate urbis (*milites*) emollitos, aut valetudinibus fessos. *Aurel. Vict. Epit.* 1. Auctoritatem principis emollire. *Lucan.* 8. 366. emollit gentes clementia cœli.

ĒMOLLĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

ĒMŎLO, is, itum, ere, a. 3. (ex et molo). Part. *Emolitus* I. — Emolo est idem quod molo.

I.) Proprie. *Veget.* 5. *Veterin.* 23. 7. *Schneid.* Hordeum emolitum cum furfuribus admixtum dabis ad substantiam, donec sanetur.

II.) Translate. *Pers.* 6. 26. Messe tenus propria vive, et granaria (fas est) Emole. *h. e.* molendo exhauri, et liberaliter insumendo.

ĒMŎLŪMENTUM *vel* emolimentum, i, n. 2. utilitas, lucrum, fructus, ait *Forcellinus*: et videtur esse ab *emŏlo, is*, ut proprie dicatur de frugibus, quæ moluntur summamque præstant vitæ hominum utilitatem. *et in fin.*: *Emolumentum* proprie est fructus, qui ex *emolimento* percipitur; illud ab *ēmŏlo*, istud ab *ēmōlior*. Plerique tamen putant, *emolumentum* et *emolimentum* non magis differre, quam *monumentum* et *monimentum*: et quum *emolimentum* primo significet molitionem et susceptionem, significare deinde etiam effectum molitionis, profectum atque fructum: quam quidem sententiam non improbandam putamus. Hucusque *Forcellinus*. Recentiores vero philologi postremam hanc sententiam amplexi sunt. Itaque *emolumentum* vel *emolimentum* ab *emolior* ¶ 1. Est molitio rei alicujus, sive improbus labor magnumque conamen ad aliquid faciendum. *Varro* 3. *R. R.* 14. 1. Nunc de cocleis ac gliribus quæro, quod reliquum est; neque enim magnum emolumentum est. Non istuc jam simplex est, inquit Appius, quam tu putas. *Cæs.* 1. *B. G.* 34. Neque exercitum sine magno commeatu atque emolumento in unum locum contrahere posse. *Alii leg.* molimento. ¶ 2. Hinc est etiam opus improbo labore et magno conamine perfectum. *Imppp. Valens, Gratian. et Valentin. Cod. Theod.* 15. 1. 19. Novum opus qui volet in Urbe moliri, sua pecunia absolvat, non contractis veteribus emolumentis, non effossis nobilium operum substructionibus. *h. e.* non contractis veteribus ædificiis. Huc referri potest et illud *Impp. Sever. et Antonin. Cod.* 7. 53. 2. Rem judicatam præses provinciæ, etiam pignoribus raptis ac distractis, ad emolumentum perduci jubebit. *h. e.* ad exitum, ad effectum, ut recte *Forcellinus* interpretatur, qui hunc locum ad posteriorem paragr. sub *a.* retulit. ¶ 3. Denique ponitur pro utilitate, lucro, fructu, qui ex rei alicujus effectu procedit; et occurrit — *a*) Cum Genitivo rei. *Plaut. Trin.* 3. 2. 68. Tibi sit emolumentum honoris. *Cic.* 3. *Off.* 8. 36. Emolumenta enim rerum fallacibus indiciis (*homines*) vident. *Vellej.* 2. 114. 4. Emolumenta belli. *Juvenal.* 3. 21. artibus honestis Nullus in urbe locus; nulla emolumenta laborum. *Id.* 16. 35. Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus Sacramentorum. *Tac.* 11. *Ann.* 7. Emolumenta pacis. *Sueton. Cæs.* 22. provinciæ. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 4. (21). ergastulorum. *Gell.* 13. 8. philosophiæ. — Cum Genitivo ponitur, ut *Forcellinus* ait, etiam pro effectu, exitu, quia rerum utilitas et fructus in earum fine et effectu positus est. *Justin.* 9. 1. 2. Bellum Græciæ inferre statuit: ad cujus rei emolumentum pertinere ratus, si etc. *h. e.* progressus ac prosperum exitum, ut *Forcellinus* interpretatur; quod idem est atque utilitas. Sic *Gell.* 11. 13. Ut consideraremus, quæ vis, quodve emolumentum ejus sententiæ foret. — *b*) Sæpe absolute. *Lucret.* 5. 166. quid enim immortalibus atque beatis Gratia nostra queat largirier emolumenti? *Cic.* 3. *Fin.* 21. 69. Emolumenta et detrimenta, quæ ὠφελήματα et βλάμματα appellant. *Id.* 3. *Orat.* 85. 346. Recte facta suscepta a viris fortibus sine emolumento ac præmio. *Id.* 1. *ibid.* 8. 34. Incumbite, ut et vobis honori, et amicis utilitati, et rei publicæ emolumento esse possitis. Adde *eumd.* 3. *Fin.* 18. 49. *Id. Mil.* 12. 32. Boni nullo emolumento impelluntur ad fraudem, improbi sæpe parvo. *Id.* 7. *Fam.* 10. *ad fin.* Si tibi esse id emolumento sciam. *Sueton. Gramm.* 9. Romam transiit docuitque majore fama, quam emolumento. Adde *Liv.* 5. 4. et 21. 43.; *Sueton. Aug.* 25.; *Vellej.* 1. 17. 5.; et *Quintil.* 3. 8. 7.

ĒMŎLŪMENTĪCIUS, a, um, adject. ad emolumentum pertinens. *Cassiod.* 9. *Variar.* 6. A vinculo te emolumenticii terroris absolvimus, et prædicti lavacri munere sublevamus. *h. e.* te liberamus timore amittendi tui emolumenti, dum ad Bajana balnea, valetudinis curandæ caosa, proficisceris.

ĒMŎNEO, es, ere, a. 2. (ex et moneo) valde moneo. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 9. Te vero emoneo quum beneficiis tuis, tum amore incitatus meo, ut etc. *Orell.* et recentiores plerique omnes ita legunt: alii *moneo.*

ĒMŎRĬOR, mŏrĕris, mortuus, sum, mŏri, dep. 3. (ex et morior.) In Infinito olim fuit quartæ conjugat. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 121. Haud te sinam emoriri, nisi argentum mihi redditur. *Ter. Eun.* 3. 2. 42. Risu omnes, qui aderant, emoriri. — Part. *Emoriens* I. 2.; *Emortuus* I. et II. — Emori est idem quod mori, vel omnino mori (It. *morire*; Fr. *mourir*; Hisp. *morir*; Germ. *absterben, hinsterben, verscheiden*; Angl. *to die*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de animalibus tantum. *Plaut. Aulul.* 4. 5. 1. Emortuum ego me mavelim leto malo. *Id. Cas.* 5. 2. 26. Repente ut emoriantur humani Joves. *Id. Pœn.* 4. 2. 18. Emortuo verba facere. Adde *eumd. Asin.* 4. 2. 1. et *Bacch.* 5. 2. 86.; et *Ter. Eun.* 5. 2. 49. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 243. Nasci prius oportere, quam emori. *Id.* 2. *Fam.* 15. 3. Pro Pompejo emori possum. *Id.* 3. *Off.* 32. 114. Aut vincere, aut emori. Adde *eumd.* 3. *Parad.* 2. 24. et *Senect.* 22. 80. *Sall. Cat.* 20. Nonne emori per virtutem præstat, quam vitam miseram atque inhonestam — per dedecus amittere? Adde *eumd. Jug.* 14.; et *Ovid.* 3. *Met.* 391. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 34. (86). Emortuos partus pellere. ¶ 2. Latiori sensu dicitur — *a*) De membro aliquo sensum amittente. *Cels.* 5. 26. *n.* 34. *extr.* Membrum, quod paullatim emoritur, abscindere. *Id. ibid.* 28. *n.* 14. Clavum radere commodissimum, etc. si sanguinis quoque aliquid emissum est, sæpe emoritur. Huc referri potest et illud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (98). Ne emortuo lacte sanguinem lambat. Sic *Vitruv.* 2. 9. *circa med.* Ulmus et fraxinus, simul vetustate sunt aridæ factæ, qui inest iis liquor stantibus, emoritur, fiuntque duriores. *h. e.* absumitur, siccatur. — *b*) De plantis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (221). Sorbus arbor emoritur. *Id. ibid.* 11. 16. (85.) Ne vento flante effodiantur arbores, aut certe non adversæ his ventis radices præbeantur, propter quod emoriuntur. Sic *Seneca Œdip.* 50. Emoritur seges. — *c*) De igne. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (23). Carbo emoriens, desinente flatu. — *d*) De humo. *Curt.* 4. 7. 10. Emoriens terra. *h. e.* quæ veluti mortua, nullam vim habet progignendi. Similiter *Id.* 9. 4. 18. Immobiles undæ, in quibus emoriens natura defecerit.

II.) Translate. *Plaut. Epid.* 1. 2. 14. Auxilium emortuum. *h. e.* quod nullum est. *Cic.* 2. *Parad.* 18. Quorum laus emori non potest. *Cels.* 2. 10. Emoritur vis, si quæ supererat. *Ovid. Remed. am.* 654. Perque gradus molles emoriatur amor. *Quintil.* 1. 1. 2. In pueris elucet spes plurimorum, quæ quum emoritur ætate etc. *Id.* 12. 10. 75. Evanescunt hæc atque emoriuntur comparatione meliorum.

ĒMORSUS, a, um, particip. ab inusit. *emordeo*, morsus. *V.* locum *Plinii* 24. *Hist. nat.* 11. 57. (95.) in ALYSSON: ubi tamen *Sillig.* pro *emorsos* legit *morsos.*

ĒMORTŬĀLIS, e, adject. qui ad mortem pertinet. Sic *emortualis dies* est, quo quis mortuus est. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 139. Certum est mihi hunc emortualem facere ex natali die.

ĒMORTŬUS, a, um. *V.* EMORIOR.

ĒMŌTĬO, ōnis, f. 3. motio, commotio. *Gloss. Philox.* Emotio, ἀποκίνησις.

ĒMŌTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒMŎVEO, mŏves, mōvi, mōtum, mŏvere, a. 2. (ex et moveo). Reperitur etiam *exmoveo* apud *Plaut. Truc.* 1. 1. 59., cujus verba *V.* infra sub II. — *Emostis* syncope est pro *emovistis* apud *Liv.* 37. 53. *ad fin.* Ultra Tauri juga Antiochum emostis. *Al. leg.* emovistis. — Part. *Emotus* I. et II. — Emovere est loco movere, amovere, removere (It. *rimuovere, allontanare*; Fr. *ôter d'un lieu, déplacer, écarter, remuer*; Hisp. *quitar, mudar de puesto, de lugar, alejar, remover*; Germ. *herausbewegen, entfernen*; Angl. *to move out of its place, remove*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu pro loco movere, amovere, occurrit — *a*) De personis aliisque animantibus. — *b*) Cum addito loco, quo quis emovetur, per Ablat. et præpos. *ex* vel *de.* *Liv.* 25. 1. Emovere e foro multitudinem. *Al. leg.* removere. *Id.* 6. 38. Lictores, qui de medio plebem emoverent, misit. — Sæpius cum addito loco, quo quis emovetur, per Ablat. sine ulla præpos. *Liv.* 27. 3. Milites emoti ædificiis. *Id.* 30. 23. Emotis curia legatis. *Id.* 45. 15. Emotus senatu. — Similiter *Id.* 38. 47. *sub fin.* Antiochus ultra juga Tauri emotus. Adde *eumd.* 33. 12., 26. 34. et 42. 50. — *c*) De inanimis. *Plin.* 6. *Ep.* 16. Crebris vastisque tremoribus tecta nutabant, et quasi emota sedibus suis nunc huc, nunc illuc abire aut referri videbantur. *Seneca Controv.* 13. *ante med.* Differebatur distortis manibus, emotis articulis. — *Emovere labia* est in anteriorem partem movere, projectis labiis aliquid pronunciare, ut quum dicimus vos. Ita *Nigidius* apud *Gell.* 10. 4. — *Colum.* 3. *R. R.* 13. 10. Totum spatium crudi soli cum emota jam terra committi. *Id. ibid.* 18. 1. Quidquid emoti soli vineis præparatur, consuetudo repastinatum vocat. Adde *Veget.* 1. *Veterin.* 28. 5. *Virg.* 2. *Æn.* 493. emoti procumbunt cardine postes. *Id. ibid.* 610. Neptunus muros magnoque emota tridenti Fundamenta quatit. *Sil. It.* 17. 294. Venus emoti facie conterrita ponti. *h. e.* commoti, turbati. Sic *Id.* 9. 284. Emota unda. ¶ 2. Hinc latiori sensu ponitur etiam pro excitare. *Lucret.* 6. 956. Et tempestates terra cœloque coortæ E cœlo emotæ terraque repente facessunt. *Val. Max.* 2. 4. *n.* 5. Contractis levibus et, quæ fors obtulerat, nutrimentis, pertinaci spiritu flammam emovit. Cf. *Seneca Consol. ad Polyb.* 37. Emota mens. *h. e.* insana. *V.* MOVEO.

II.) Translate, metaphorâ sumpta a superiori paragr. 1. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 28. Novus morbus vete-

rem emovit. *In formula voti* apud *Liv.* 41. 21. Pestilentia ex agro Romano emota. *Plaut. Truc.* 1. 1. 59. Suum nomen omne ex pectore exmovit meo. *Virg.* 6. *Æn.* 382. His dictis curæ emotæ pulsusque parumper Corde dolor tristi.

EMPĒNĒTĬCA, æ, f. 1. ἐμπεινητική, vox ficta ab ἐμπεινάω *valde esurio*, ars nempe strenue esuriendi. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. Ita ut in Urbe ac foro toto maximus rumor fuerit, te a Q. Pompejo in itinere occisum. Ego, qui scirem Q. Pompejum Baulis empeneticam facere, et usque eo, ut ego misererer ejus esuriei, non sum commotus. Hic *Cœlius* salse deridet Q. Pompejum, qui exsilio damnatus Baulis degebat in summa rei familiaris inopia, ut constat ex *Val. Max.* 4. 2. n. 7., quemque propterea, cum *Catull.* 21. 2., recte dixeris *patrem esuritionum*. Dicitur autem *empeneticam facere*, ut alibi *navicularium*, vel *argentariam facere*, sive *exercere*. — Sunt tamen qui legere malint *embœneticam*, artem scilicet navicularlam, ab ἐμβαίνω *navim conscendo*; alii *emeticam*, ab ἐμέω *vomo*, quasi vero Q. Pompejus quotidie vomendo vorandi facultatem moliretur, quod frequentatum fuisse constat a Romanis, ac præcipue ex *Cic.* 13. *Att.* 52. de *Cæsare*. Unctus est, accubuit, ἐμετικὴν agebat. Alii denique alia comminiscuntur minus probanda. Alii perperam legunt *schœnobaticam*: *V.* SCHŒNOBATICUS. *Orellius* tamen et recentiores plerique *emeticam* legendum probant.

EMPĔTROS, i, f. 1. ἔμπετρος, herba eadem quæ calcifraga, quam vocem vide suo loco. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 51. (75).

EMPHANISTĬCA, ōrum, n. plur. 2. sumptus, qui in sacerdotum consecrationem impendebantur. *Julian. Epit. novell. c.* 20. § 191.

EMPHĂSIS, is, f. 3. ἔμφασις, significatio: Græca vox ab ἐν et φημί *dico*, qua notatur figura oratoria, quum verba ponimus, quæ plus significent, quam eloquuntur, ut ait *Quintil.* 8. 2. 11. Ejus duæ sunt species: altera, quæ plus significat, quam dicit, ut in illo *Virg.* 2. *Æn.* 262. *demissum lapsi per funem*. Nam sic altitudo equi Trojani demonstrata est. Altera, quæ etiam id quod non dicit, ut *Cic. Ligar.* 5. 15. *Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te, inquam, obtines: intelligo, quid loquar*, etc. *Quintil.* 8. 3. 86. — A *Cic.* 3. *Orat.* 53. 202. Latine dicitur *ad plus intelligendum, quam dixeris, significatio*: et inter figuras sententiarum enumeratur. Adde *eumd. Orat.* 40. 139. *Id.* 4. *Herenn.* 53. 67. *Significatio est*, inquit, *quæ plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione*. *V.* ibi cetera. — Ipsa autem vox *Emphasis* Latinis litteris legitur apud *Quintil. locis cit.* Sic *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 2. *Verr.* 9. 25. *p.* 139. 1. *Bait.* Magna emphasi divitias dixit: et significat breviter, etc.

EMPHRACTUS, a, um, adject. undique tectus, ab ἐμφράσσω *obstruo, obturo, infercio*: ut *emphractæ naves*, h. e. tectæ, apud *Ulp. Dig.* 14. 1. 1. *a med.*, ubi tamen alii aliter. — Hinc

Emphractum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est opsonii intriti genus, quod relius invicem mixtis et cuartis obduratisque coagulatum quasi apparet: ejus condiendi rationem docet *Apic.* 9. 14., ubi alii perperam leg. *ambractum*.

EMPHRAGMA, atis, n. 3. obturamentum, obex, ab ἐμφράσσω *obstruo*. Apud *Veget.* 2. *Veterin.* 12. et 19. *Schneid.* est morbus, quo jumentorum intestina obstruuntur.

EMPHRAGMĂTĬCUS, a, um, adject. ἐμφραγματικός, qui emphragmate laborat. Vox Græce et Latine inusitata: sed restituenda videtur *Veget.* 5. *Veterin.* 29. Si emphragmaticum erit jumentum, his agnoscitur signis: febricitabit, oculos introrsum reducet, aures tensas habebit et rigidas, terram pedibus tundet. *Vulgati libri habent* phragmaticum, *de qua voce dubitat ipse* Schneid.

EMPHŸTEUMA, ătis, n. 3. ἐμφύτευμα, plantatio, insitio, et præcipue opera diligens ejus, qui *emphyteuta* est circa fundum emphyteuticum, vulg. *melioratio*: vox Græca ab ἐμφυτεύω *planto*. *Imp. Zeno Cod.* 4. *tit.* 66., qui *De jure emphyteutico* inscribitur, *leg.* 3.; ubi alii Græca, alii aliter.

EMPHŸTEUSIS, is vel eos, f. 3. ἐμφύτευσις, insitio, sive plantatio, a φυτεύω *planto*. Apud JCtos est contractus juris civilis, quo prædium quoad dominium utile alicui ad longum tempus, vel in perpetuum conceditur, ea conditione, ut certam pensionem solvat. Olim agri inculti ac minus fructiferi hoc modo dabantur, ut plantatione et cultu meliores utilioresque redderentur. Postea usus obtinuit, ut etiam agri fecundi in emphyteusim darentur. *Imp. Zeno loc. cit.* in voc. præced. *leg.* 1. et 2.; et *Justin.* 3. 25. 3. V. *Rein's röm. Privatr.* p. 168.

EMPHŸTEUTA, æ, m. 1. qui fundum, vel agrum alicujus in emphiteusim acceptum colit. *Imp. Zeno Cod.* 4. 56. 3.

EMPHŸTEUTĬCĀRĬUS, a, um, adject. idem quod emphyteuticus. *Cod.* 4. 66. 2. sq. Contractus emphyteuticarius. *Cod. Theod.* 4. 9. 3. prædia. *Id.* 2. 25. 1. fundi. *Cod.* 1. 34. 1. jus. — Hinc

Emphyteuticarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est idem qui emphyteuta. *Imp. Constantin. Cod.* 11. 62. 1. *V.* LIBELLARIUS et PERPETUARIUS.

EMPHŸTEUTĬCUS, a, um, adject. ad emphyteusin pertinens, ut Emphyteuticum prædium, *Impp. Diocl.* et *Maxim. Cod.* 5. 71. 13. Emphyteuticum jus, *Imp. Zeno Cod.* 4. 66. 3. *Macer Dig.* 2. 8. 15. Qui vectigalem, vel emphyteuticum agrum possidet, possessor intelligitur. Adde *Dig.* 27. 9. 3. § 4.; et *Cod.* 4. 66. 1.

EMPĪRĬCA, æ, *et Græca positione*

EMPĪRĬCE, es, f. ἐμπειρική, Medicinæ pars, quæ sola experientia curat: ab ἐμπειρία *experientia*. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 4. (5). Alia factio (ab experimentis cognominant empiricen) cœpit in Sicilia. *Marcell. in carm. de medicin.* 6. Quod logos, aut methodus, simplexque empirica pangit. Adde *Isid.* 4. *Orig.* 4.

EMPĪRĬCUS, a, um, adject. ἐμπειρικός, ad empiricen pertinens. — Hinc

Empirici, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt medici, qui sola experientia meduntur, ab ἔμπειρος *usu peritus*. *Cels. præfat.* Qui se ἐμπειρικούς ab experientia nominant. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 122. Nec eo tamen ajunt empirici notiora esse illa, quia etc. — Multa de empiricis *Cels. præfat.* — Hinc etiam

Empirica, ōrum, n. plur. 2. absolute, sunt empiricorum dogmata. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 12. 48. (120). Diodotus scribit in empiricis, etc.

EMPLASMA, atis, n. 3. ab ἐμπλάσσω *subigo, versando mollio*, potionem quamdam ex variis rebus conflatam significare videtur apud *Theod. Priscin. lib.* 2. *part.* 1. *c.* 10. Frequenter etiam cum emplasmate ex hydromelle (*lege* hydromelite) temperato, lactis his copia neganda non erit. *Viderint tamen eruditi.*

EMPLASTRĀTĬO, ōnis, f. 3. unctio per emplastrum. Translate dicitur de arboribus, quum cortex eximitur inoculationis gratia, ut aptari queat cortex par ex altera arbore. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 16. 26. (118).; *Colum.* 11. *R. R.* 2. 59., 5. *ibid.* 11. 1. et *Arbor.* 26. 1.; et *Pallad.* 7. *R. R.* 5. 2. *V.* INOCULATIO.

EMPLASTRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EMPLASTRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Emplastratus* et *Emplastraturus*. — Emplastrare est emplastrum imponere; sed occurrit translate tantum de arboribus, et est emplastratione inserere: *V.* EMPLASTRATIO. *Colum.* 5. *R. R.* 11. 10. Alterius arboris, quam emplastraturus es, nitidissimum ramum eligito. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 2. 37. *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 7. *de pomis sub fin.* Emplastratis pluribus gemmis. *Id.* 6. *ibid.* 6. Emplastrari oportet.

EMPLASTRUM, i, n. 2. ἔμπλαστρον. *Gell.* 16. 7. notat, quosdam sui temporis semidoctos dixisse *emplastra, æ*, f. — Ceterum

I.) Proprie emplastrum est medicamentum, quod ex variis rebus conflatur, et exterius imponitur: ab ἐμπλάσσω *illino*. Differt a malagmate, quod maxime ex floribus, eorumve surculis fit: emplastrum vero plerumque ex metallicis. Differt a pastillo, quia pastillus tantummodo ex aridis fit, emplastrum utique liquati aliquid accipit. Hæc *Cels.* 5. 17. Utuntur præterea hac voce *Cato R. R.* 39.; *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 10. (15). et alibi sæpe; et *Scribon.*

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate. Ad hujus medicamenti similitudinem *emplastrum* dicitur et *emplastratio* insitionis genus, quo gemmas cum exiguo cortice in partem sui delibratam arbor recipit. Plura de ea *Colum.* 5. *R. R.* 11. 10. et *de Arbor.* 26. 8.; *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 23. (100). et *ibid.* 16. 26. (118).; et *Pallad.* 3. *R. R.* 17. 1. et 7. *ibid.* 5. 3. *V.* INOCULATIO. ¶ 2. Translate. *Laberius* apud *Gell.* 16. 17. *extr.* Quid est jusjurandum? emplastrum æris alieni.

EMPLECTON, i, n. 2. ἔμπλεκτον, ab ἐμπλέκω *implico, innecto*: est structuræ muri genus, in quo latericiis frontibus tantummodo expolitis, interiora temere cæmentis farciuntur et replentur, alternis tamen coagmentis, seu frontatis latercuIis, alligantur: in eo vero differt a *diatoneo*, quod hujus binæ frontes latericiæ nullis coagmentationibus connectuntur. (Hujusmodi constructionis genus a *Visc. Op. var. T.* 2. *p.* 403. vocatur *riempitura a sacco*, a *Phil. Schiassi G. al Mus. Bologn. p.* 113. *ad opera riempiuta*). *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 51. (171).; et *Vitruv.* 2. 8. *Schneid. V.* DIATONON.

EMPLEUROS, a, on, adject. ἔμπλευρος, plena et bona latera habens. Vox Græca a πλευρά *latus*: quæ legitur apud *Lucilium*, cujus verba *V.* in MAMPHULA.

EMPNEUMĂTŌSIS, is, f. 3. ἐμπνευμάτωσις, inflatio, flatuum generatio, morbi genus. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Conjicienda est inflationis medela, quam Græci empneumatosin vocant. Adde *Marcell. Empir.* 20.

EMPŎRĒMA, ătis, n. 3. ἐμπόρημα, diligens opera ejus, qui emphyteuta est, circa fundum emphyteuticum, vulg. *melioratio*. *Cod.* 4. 66. 2.; et *Julian. Epit. novell. c.* 7. § 34., quocum cf. *c.* 58. § 202.

EMPŎRĒTĬCUS, a, um, adject. ἐμπορητικός, ad mercaturam pertinens, ab ἐμπορεύω *mercaturam facio*. *Charta* vero *emporetica* dicitur, in qua merces a mercatoribus involvuntur, Itali dicunt *carta straccia* aut *da involti*, quæque scribendo inutilis est. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (76). Nam emporetica inutilis scribendo, involucris chartarum segestriumque in mercibus usum præbet, ideo a mercatoribus cognominata. *et ibid.* 12. 21. (78). Emporeticæ brevitas sex digitos non excedit. Adde *Isid.* 6. *Orig.* 10. 5.

EMPŎRĬUM, ii, n. 2. ἐμπόριον, ab ἔμπορος *mercator*, vel ab ἐμπορεύω *negotior*, locus mercatus, forum nundinarium, ubi res venales exponuntur. *Plaut. Amph.* 4. 1. 4. Apud emporium, atque in macello, in palæstra, atque in foro quæritando. *Cic.* 5. *Att.* 2. 2. Quum per emporium Puteolanorum iter facerem. *Liv.* 35. 10. *extr.* Ædiles porticum unam posuerunt extra portam Trigeminam, emporio ad Tiberim adjecto. Adde *eumd.* 41. 27., 26. 19., 34. 8. et alibi; et *Varron.* 2. *R. R.* 9. 6. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 20. 23. (72). Perimulæ promontorium, ubi est celeberrimum Indiæ emporium. *Inscript.* apud *Gruter.* 159. 9. EMPORIVM STRAVIT ET ARCVM FIERI ET STATVAS SVPERPONI TESTAMENTO IVSSIT. Cf. *Inscript.* apud *Henzen.* 6605. — Etiam ad Padum duo olim emporia fuerunt prope Placentiam. *Liv.* 21. 57. Emporium prope Placentiam fuit, et opere magno munitum, et valido firmatum præsidio: ejus castelli expugnandi spe cum equitibus ac levi armatura profectus Hannibal, et *mox*. Ad Victumvias ire pergit oppugnandas Hannibal. Id emporium a Romanis Gallico bello fuerat munitum.

EMPŎROS *vel*

EMPŎRUS, i, m. 2. ἔμπορος, mercator. Græca vox, quæ Latinis scripta litteris legitur apud *Plaut. Merc.* 1. 1. 9. Hinc *Auson. Ep.* 22. 28. Novusque pullet emporus.

EMPROSTHŎTŎNĬA, æ, f. 1. ἐμπροσθοτονία, inclinatio colli in partem anteriorem. V. *Cœl. Aurel. loc. cit.* in OPISTHOTONIA.

EMPROSTHŎTŎNĬCUS, a, um, adject. ἐμπροσθοτονικός, qui emprosthotonia laborat. V. *Cœl. Aurel. loc. cit.* in OPISTHOTONICUS. Sic *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 1. *c.* 10. Quos vero pronos contractio habet, emprosthotonicos dicimus; quos autem ad posteriora reclinatos, opisthotonicos appellamus.

EMPROSTHŎTŎNOS, a, on, adject. ἐμπροσθότονος, idem atque emprosthotonicus, sed masculino genere absolute occurrit pro emprosthotonia. V. *Cœl. Aurel. loc. cit.* in OPISTHOTONOS; et Cf. *Cels.* 4. 3.

EMPSĪCŬLO *et*

EMPSĪTO. *V.* EMPTITO.

EMPTĪCĬUS, *vel*

EMPTĪCĬUS vel emptitius, a, um, adject. qui est de numero eorum, quæ empta sunt, vel emi solent. *Varro* 3. *R. R.* 2. 12. Hic aprum glans quum pascit empticia, facit pinquem: illic gratuita exilem. *Id. ibid.* 17. 7. Empticia salsamenta. *Petron. Satyr. fragm. Tragur.* 47. *Burm.* Empticius, an, inquit, domi natus es? Neutrum, inquit cocus, sed testamento Pansæ tibi relictus sum. *Inscript.* apud *Gruter.* 1111. 14., sed emendatior apud *Passion. cl.* 4. *n.* 6. DIS MANIBVS ALYPI IMP. AVG. SERVI MINISTRATORIS ET VERNAE SPENDON ET HERMES EMPTICII DE SVO FECERVNT: VIXIT ANN. XXIIII.

EMPTĬCUS, a, um, adject. idem atque empticius. *Venant. Vit. S. Martin.* 2. 8. Martinum mea prora vehat, sancta emptica nautæ. *Id. ibid.* 376. Ut petat ad portum, rerum facit emptica jactum. h. e. navis emptica.

EMPTĬO vel emtio, ōnis, f. 3. emendi actus (It. *compera*; Fr. *achat*, *marché*; Hisp. *compra*, *adquisicion*; Germ. d. *Kauf*, d. *Kaufen*; Angl. *a buying*, *purchase*).

I.) Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 7. 6. Emptio equina similis fere, ac boum et asinorum. *Cic. Cæcin.* 6. 17. Emptionem facere. *Id.* 12. *Att.* 3. Tres habet conditiones, aut emptionem ab hasta, aut delegationem, etc. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (43). Emptiones, quæ mancipii sunt. *V.* MANCIPIUM. *Tac.* 3. *Hist.* 34. Aspernari emptionem mancipiorum. *Sueton. Aug.* 24. Imminere emptioni. *Id. ibid.* 98. Absumere pecuniam in emptionem mercium. *Gell.* 12. 12. *extr.* Competitores emptionis. Adde *Varron.* 2. *R. R.* 2. 5., 3. 5., 4. 5. et 10. 4.; *Colum.* 4. *R. R.* 30. 1.; *Plin.* 1. *Ep.* 24.; *Cajum* 3. *Instit.* 139.; et *Justin.* 3. 23. — Formulam veterem emptionis ovium habes apud *Varron.* 2. *R. R.* 2. 6., suum vero *ibid.* 4. 5., et boum *ibid.* 5. 11.

II.) Figurate apud *Scævol. Dig.* 32. 1. 102. et *Ulp. ibid.* 33. 7. 12. *sub fin.* emptiones sunt tabulæ, seu instrumenta emptionum.

EMPTĬŌNĀLIS, e, adject. *Curius* apud *Cic.* 7. *Fam.* 29. 1. Si inter emptionales senes venale proscripserint. *Sed legendum est* coemptionales; *quam vocem* V. *suo loco.*

EMPTĬTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EMPTĬTO vel emtito, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. ab* emo. Part. *Emptitatus.* — Emptito est frequenter emo. *Plaut. Cas.* 2. 5. 39. Non ego istuc verbum emptitem titivillitio. *Paul. Diac.* p. 366. 13. *Müll.* habet *empsi cum*, ex qua lectione cum aliis comparata *Müllerus* conjecit *empsiculem*: *Fulgentius* vero p. 562. 28. *Merc.* habet *empsitem*; plures *emissim*, aut syncop. *emsim* pro *emerim*. *Colum.* 8. *R. R.* 10. 6. Ternis denariis singuli emptitati. *Plin.* 6. *Ep.* 19. Quidquid venale audiunt, emptitant. *Tac.* 14. *Ann.* 41. Qui talem operam emptitasset vendidissetque, perinde pœna teneretur, ac etc.

EMPTĪVUS, a, um, adject. empticius. *Emptivus miles* est mercenarius. *Paul. Diac.* p. 77. 5. *Müll.*

EMPTOR vel emtor, ōris, m. 3. qui emit (It. *compratore*; Fr. *acheteur*; Hisp. *comprador*; Germ. d. *Kaufer*; Angl. *a buyer*, *purchaser*). — a) Generatim. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 128. Invendibili merce, oportet ultro emptorem adducere: proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita sit. Adde *eumd. Pers.* 4. 4. 31. *Cic.* 3. *Off.* 12. 51. Ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret. *Id.* 2. ad *Q. fr.* 2. Tusculano emptor nemo fuit. Adde *eumd. Cæcin.* 7. 19. *Sall. Jug.* 39. *extr.* Urbem venalem, et mature perituram, si emptorem invenerit. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 167. Emptor Aricini quondam, Vejentis et arvi, Emptum cœnat olus. *Id.* 1. *Sat.* 2. 88. Emptor hians. *Id.* 3. *Od.* 6. 32. Emptor pretiosus. h. e. qui magno pretio res coemit. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 5. 109. et *Art. P.* 249.; et *Juvenal.* 8. 17. et 12. 47. — b) Specialim *emptores bonorum* sunt sectores, qui damnatorum, debitorum, et proscriptorum bona sub hasta venalia emunt: quod genus hominum semper male audivit. *Cic. Quinct.* 15. 50.; *Sall.* apud *Gell.* 18. 4. — c) Item specialim *emptor familiæ* erat emptor imaginarius, qui adhibebatur in illo testamenti genere, quod *Gell.* 15. 27. appellat *per emancipationem familiæ*, seu per æs et libram, in quo testator cuipiam res et familiam suam imaginaria venditione alienabat, hicque ære ac libra adhibita emere se simulabat, ob id solum, ut testator vivens quodammodo alienasse videretur, quæ demum post mortem ejus is, qui tum fictum emptorem agebat, tamquam legitimus heres acciperet. *V.* COEMPTIONALIS. Aliquando tamen hujusmodi emptor alius erat ab herede, ut in testamento Augusti, de quo *Sueton. Ner.* 4. Ex hoc Domitius nascitur, quem emptorem familiæ pecuniæque in testamento Augusti fuisse, mox vulgo notatum est. V. *Brisson. de Formul.* p. 586., et *Rein röm. Privatr.* p. 375.

EMPTRIX vel emtrix, īcis, f. 3. quæ emit. *Modestin. Dig.* 21. 2. 63. Quum emptrix non provocaverit. Adde *Cod.* 4. 54. 1.

EMPTŬRĬENS vel emturiens, entis, particip. ab inusit. *empturio*, cupiens emere. *Varro in proœm. l.* 2. *de R. R.* § 6. Propterea quod te empturientem in campos Macros ad mercatum adducunt crebro pedes.

EMPTUS vel emtus, a, um. *V.* EMO.

EMPȲĒMA, ătis, n. 3. ἐμπύημα. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 17. Vomica, quam Græci empyema vocant. *Græcis tamen litteris hæc vox scribenda videtur.*

EMPȲĒSIS, is, f. 3. ἐμπύησις, abscessus thoracis: *V.* vocem seq. Occurrit apud *Isid.* 4. *Orig.* 7. 20.

EMPȲĬCUS, a, um, adject. ἐμπυϊκός, ad abscessum pertinens. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. *ante med.* Empyica passio. — Hinc

Empyicus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui abscessu thoracis laborans, ibidem collectum pus e pulmonibus excreat: a præposit. ἐν in et πύον *pus. Marcell. Empir.* 7. Empyicis, vel hæmoptoicis, id est, qui sanguinem de visceribus per os ejectant, etc. *Theod. Priscian.* 2. 10. Empyici frequenter fiunt, ulcere in interioribus, vel apostemate præeunte. *V.* VOMICOSUS.

EMPȲRĬUS, a, um, adject. ἐμπύριος, igneus, seu cœlestis. Hinc Itali cœlum vocant *l'empireo*, quia stellis, quasi quibusdam ignibus, distinguitur. *Capell.* 2. p. 45. Philologia tanti operis tantæque rationis patrem deumque empyrio quodam intellectualique mundo gaudentem cognoverat.

ĒMŪCĬDUS, idem quod mucidus. *V.* EJUNCIDUS.

ĒMŪGĬO, is, ire, a. 4. (ex *et* mugio) idem ac mugio, vel cum mugitu profero. *Quintil.* 2. 12. 9. Clamant ubique, et omnia, levata (ut ipsi vocant) manu, emugiunt. *Sever. Ætn.* 294. et longas emugit buccina voces.

ĒMULCĔO, es, ere, a. 2. (ex *et* mulceo) idem ac mulcere, demulcere. *Ambros. in Psalm.* 118. *serm.* 7. Non solum corporis vocem, sed etiam mentis suæ vanitates emulcet.

ĒMULGĔO, ges, si, sum, gere, a. 2. (ex *et* mulgeo). Part. *Emulsus* II.; *Emulgendus* I. — Emulgeo est idem ac mulgeo, mulgendo tollo.

I.) Proprie. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 17. Sed priusquam hoc fiat, exiguum (*lactis*) emulgendum est, quod pastores colostram vocant.

II.) Translate. *Catull.* 68. 110. Siccare emulsa pingue palude solum. h. e. exhausta.

ĒMULIA, ium, n. plur. 3. Ita legitur in *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. tab.* XLI. *lin.* 30. IBI OMNIVM EMVLIA CVM RAPINIS ACCEPERVNT. Hic *Marinio* hæret aqua; etenim nihil hic se intelligere fatetur, et *rapinis* pro *rapis*, seu quolibet alio fructus, leguminis aut herbæ genere dictum putat: at *Aug. M. Cortenovis* in *epist.* inedita, quæ penes me (*Furlanetto*) est, ad *Jacob. Facciolatum* data V. Id. Jun. ann. MDCCXC. hæc scripsit: *E V. S. come intende quel vocabolo, che manca pure al Calepino,* emulia? *Credo che sia l'istesso che* edulia, *e che vi si facesse una spezie di cuccagna Napolitana, in cui ognuno si rubasse la sua porzione, e quella degli altri.* Hic igitur oscitantia marmorarii, emulia pro *edulia* sculptum fuisse videtur.

ĒMULSUS, a, um. *V.* EMULGEO.

ĒMUNCTĬO, ōnis, f. 3. actus emungendi. *Quintil.* 11. 3. 80. Quum emunctio etiam frequentior non sine causa reprehendatur.

ĒMUNCTŌRĬUM, ii, n. 2. forceps, instrumentum metallicum, quo fungi lucernarum tolluntur. *Vulgat. interpr. Exod.* 25. 38. Emunctorium quoque, et ubi, quæ emuncta sunt, extinguantur, fiant de auro purissimo. Adde *ibid.* 37. 23. et *Num.* 4. 9.

ĒMUNCTUS, a, um. *V.* EMUNGO.

ĒMUNDĀTĬO, ōnis, f. 3. actus emundandi. *Tertull. Baptism.* 5. et 4. *advers. Marcion.* 9.

ĒMUNDĀTOR, ōris, m. 3. qui emundat. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 3. 38. ed. *A. Mai.* Emundatores cloacarum.

ĒMUNDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒMUNDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* mundo). Part. *Emundatus.* — Emundare est purgare, extergere. *Colum.* 2. *R. R.* 15. 7. Quædam pluviis diebus, ut bubilia et ovilia, debent emundari. *Id.* 8. *ibid.* 4. 4. Pulvere et cinere gallinæ plumas pennasque emundant. *Id.* 11. *ibid.* 2. 71. Emundare segetes. *Id.* 12. *ibid.* 23. 2. vinum. h. e. a fæcibus purgare. et *ibid.* 50. 14. fæces et amurcam. *Id.* 9. *ibid.* 14. 7. alveos. *Id.* 3. *ibid.* 15. 1. Seritur ergo prius in emundata pastinatione. *Id.* 11. *ibid.* 2. 7. Torcularia et fura diligenter emundata lotaque. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 30. 2. *Juvenal.* 14. 66. et tamen uno Semodio scobis hæc (*h. e.* domum et quæ in ea sunt) emundat servulus unus. *Vulgati libri leg.* emendat.

ĒMUNGO, mungis, munxi, munctum, mungere, a. 3. (ex *et* mungo). *Emunxti* syncope pro *emunxisti* legitur apud *Plaut. Most.* 5. 1. 59. — Part. *Emungens* I.; *Emunctus* II. — Emungere est nares purgare (It. *nettare il naso*; Fr. *se moucher*; Hisp. *mocar, limpiar las narices*; Germ. *ausschnäuzen*; Angl. *to wipe the nose*).

I.) Proprie, et quidem — a) Activa cum Accus. se. *Cic.* 4. *Herenn.* 54. 67. Ut si salsamentarii filio dicas: quiesce tu, cujus pater cubito se emungere solebat. *scil.* hujusmodi artifices, quum sordentes habeant semper manus, si quando nares emungere opus est, cubito id facere coguntur. *Sueton. in vita Horatii.* Quoties ego vidi patrem tuum cubito se emungentem? — b) Passiva forma et mediorum significatione. *Varro* apud *Non.* p. 451. 18. *Merc.* Eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque spuerent, neque emungerentur. *Juvenal.* 6. 146. Jam gravis es nobis et sæpe emungeris: exi. *h. e.* vetula es, et pituita stiriaque nasi laboras. — c) Hinc jculariter *Plaut. Cas.* 2. 6. 39. At tu ut oculos emungare ex capite per nasum tuos. (Græca constructio).

II.) Translate. ¶ 1. *Emunctæ naris homo* dicitur, qui est acris ingenii ac judicii, solers, perspicax, acutus ad indagandum, dijudicandum, intelligendum: ducta ex eo metaphora, quia emunctæ nares acriorem sensum habent et acutius distinctiusque odorantur. Hinc *Lucian.* in *Philops.* 8. Ἐι μὴ πάνυ τὴν ῥῖνα κορύζης μεστὸς εἴην, ὡς πιστεύσειν, τὰ etc. *Phædr.* 3. 3. Æsopus naris emunctæ senex, Natura numquam verba cui potuit dare. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 7. de *Lucilio.* facetus, Emunctæ naris, durus componere versus. Nisi malis legere *Emunctæ naris durus componere versus.* h. e. durus in componendis versibus emuncta nare factis. Rectius tamen *Ritter: Facetus* refer ad dicacitatem et acumen; *emunctæ naris* ad sagacitatem, qua vitia hominum odoratus est et perspexit. Ceterum etiam *acutæ naris* et *obesæ naris homo* (de quibus *V.* in NARIS) ad ingenium transferuntur. *Donatus* ad *Ter. Phorm.* 4. 4. 1. *emunctæ naris* interpretatur elegantem et facetum; quasi ducatur metaphora ex eo, quod qui elegantiæ student et munditiei, numquam non emunctas nares habent. Sed hæc ad *Horatii*, aut *Phædri* sententiam non faciunt. ¶ 2. *Emunctus* est etiam qui in dicendo pressus est, et purgata, nitida, nihilque supervacui aut sordidi habente oratione utitur: ducta translatione ab emunctis naribus et sordium vacuis. *Quintil.* 12. 10. 17. Attici limati quidem et emuncti nihil inane aut redundans ferebant: Asiana gens tumidior alioqui atque jactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est. ¶ 3. Denique apud Comicos *emungere* est fraudare, spoliare, fraude extorquere; et occurrit — a) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 15. Sic miserum me auro esse emunctum! *Ter. Phorm.* 4. 4. 1. Emunxi argento senes. — b) Cum Accusativo personæ tantum. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 50. Emungam hercle hominem probe hodie. Adde *eumd. Epid.* 3. 4. 58. et *Most.* 3. 1. 60. Sic *Vet. Poeta* apud *Cic. Amic.* 26. 99. Hodie me ante omnes comicos stultos senes Versaris atque emunxeris lautissime. *Lucilius* apud *Non.* p. 36. 19. *Merc.* In me illis spem esse omnem, quovis posse me emungi bolo. *Horat. Art. P.* 238. audax Pythias emuncto lucrata Simone talentum. *Commentator Cruq.* ad h. l.: *Pythias*, persona comica in comœdia Lucilii (*corrigendum* Cæcilii *cum* Orellio), quæ inducitur per astutias accipere argentum a Simone domino suo in dotem suæ filiæ.

EMŪNIO, is, ivi *vel* ii, itum, ire, a. 4. (ex et munio). Part. *Emunitus* I.; *Emuniendus* II. 1. — Emunio est idem quod munio, vel probe munio (It. *munire, fortificare*; Fr. *fortifier*; Hisp. *fortificar*; Germ. *etwas gehörig ausrüsten, befestigen*; Angl. *to fortify, fence*).

I.) Proprie. *Liv.* 26. 46. Locus opere emunitus. *Id.* 24. 21. Locus arcis in modum emunitus. *Id.* 21. 7. Murus supra ceteræ modum altitudinis emunitus. *Virg.* 8. *Æn.* 227. fultosque emuniit objice postes. *Seneca* 1. *Clem.* 19. In adscensum arduos colles emunire. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 21. Vites ab injuria pecoris caveis emuniri. *Id.* 8. *ibid.* 8. 4. Emunire caveam retibus. *Id.* 1. *ibid.* 6. 16. Sic emunita sola et latera horreorum prohibent curculionem. *h. e.* tectorio convestita et amurca perfusa.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate. *Emunire toros* apud *Stat.* 1. *Theb.* 518. est insternere, et discumbendi gratia parare. — *Emunire silvas* est purgare, pervias facere et itineri aptas: *emunire paludes*, siccare et calcabiles reddere; quo sensu etiam *munire vias* dicimus. *Tac. Agric.* 31. Corpora ipsa ac manus, silvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias conterunt. ¶ 2. Translate. *Seneca* 3. *Contror.* 17. Olim jam adversum hunc me tum emunivit animum.

ĒMŪNĬTAS, ātis, f. 3. immunitas. Usus est *Tertull. Resurr.* 58., ubi alii melius leg. *immunitas*.

ĒMŪNĪTUS, a, um. *V.* EMUNIO.

ĒMUSCO, as, are, a. 1. muscum adimo, purgo. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 41. Oleæ putantur et emuscantur. *Al. leg.* muscantur. Sic *Pallad.* 6. *R. R.* 4. Locis prægelidis et pluviosis oleæ putantur, et eis muscus abraditur.

EMUSSITĀTUS, a, um. *Paul. Diac. p.* 76. 8. *Müll.* Emussitata ad amussim facta. Hæc *Pauli* verba respiciunt illud *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 38. Inest in hoc emussitata sua sibi ingenua indoles. *Ita enim legendum ex bonis Codicibus* et ex *Non. p.* 9. 12. et *p.* 457. 2. *Merc.*: quamquam plerique reponunt *amussitata*, quoniam est ab *amussis*: V. *Müll.* ad *Paul. Diac. loc. cit.*

ĒMŪTĀTĬO, ōnis, f. 3. mutatio. *Quintil.* 8. 6. 51. Est grata in eloquendo novitas et emutatio. Ita *Spalding.*; alii *mutatio*, alii *commutatio*. *Id.* 8. 5. 6. Majorem vim accipiunt emutatione figuræ — et translatione. *Al.* e mutatione: *V.* adnotat. *Spalding.* ad h. l.

ĒMŪTĀTUS, a, um. *V.* EMUTO.

ĒMŪTĬO, is, ire, n. 4. sileo. *Plaut. Merc.* 5. 2. 55. Etiam emutis? omnia commonstrabo. *Ita quidam Lexicographi. At meliores libri habent* etiam metuis? *quod est magis consonum iis, quæ ibi dicuntur.*

ĒMŪTO, as, ātum, are, a. 1. (ex et muto). Part. *Emutatus.* — Emuto est idem quod muto. *Manil.* 5. 149. appositis caput emutare capillis. *Quintil.* 8. 2. 15. Emutatis in perversum dictis.

ĒMYS, ȳdis, f. 3. ἐμύς, a Græcis nonnullis appellatur genus testudinum in dulci aqua viventium. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 4. 14. (32). Harum meminit et *Aristot. l.* 8. *Hist. animal. c.* 2., ubi V. *Schneider.*

EN

ĒN, adverb., seu potius interjectio, Gr. ἦν, ἠνί, et Hebr. הֵן *en*, per apocopen a vocibus Græca et Hebraica allatis, et significat *ecce*; usurpatur autem, ut admiratio, vel alius vehemens animi motus indicetur (It. *ecco*; Fr. *voici, voilà*; Hisp. *aqui está, este es, velo aqui*; Germ. *sieh' da, siehe*; Angl. *lo! see! behold!*). Occurrit — 1.°) In interrogationibus, et præcipue — *a*) Jungitur cum part. *unquam*, et *en unquam* est ecquando, unquamne? (V. *Paul. Diac. p.* 76. 7. *Müll.*). *Plaut. Trin.* 2. 4. 189. En unquam adspiciam te? *Id. Rud.* 4. 3. 48. Sed tu en unquam piscatorem vidisti, venefice, vidulum piscem cepisse? Adde *eumd. Men.* 5. 5. 26.; et *Ter. Phorm.* 2. 2. 15. et 2. 3. 1. *Liv.* 9. 10. En unquam futurum, ut congredi armatis cum Samnite liceat? Adde *eumd.* 4. 3., 10. 8. et alibi. *Virg.* 8. *Ecl.* 7. en erit unquam ille dies? Adde *eumd.* 1. *ibid.* 68.; *Ovid.* 13. *Met.* 264.; et *Sil. It.* 16. 91. — *b*) Sine addito *unquam*. *Cic.* 3. *Phil.* 9. 22. En cur magister possideat — duo millia jugerum immunia. *Id. Sext.* 27. 59. En, cur ceteri reges arbitrentur etc. *Id. Dejot.* 6. 17. En crimen, en causa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset. *Id.* 3. *Phil.* 9. 22. En, cur magister ejus ex oratore arator factus sit. *Al. leg.* Hem. *Virg.* 4. *Æn.* 534. En, quid ago? rursusne procos invisa priores Experiar? *Forcellinus* hoc loco ait *en* adverbium esse admonentis. *Pers.* 5. 134. En quid agam? Adde *Sil. It.* 6. 516. et 9. 561. — 2.°) Ad auditorum quoque attentionem comparandam usurpatur. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 81. Tenes, quorsum hæc tendant, quæ loquor? En, excetra tu, quæ tibi amicos tot habes etc. *Varro* 1. *R. R.* 2. 5. En, ibi tu quicquam nasci putas posse, aut coli natum? *Forcellinus* hoc loco adverbium admirantis esse ait. *Sall. Jug.* 9. En habes virum dignum te atque avo suo Masinissa. *Id. Cat.* 20. En illa, quam sæpe optastis, libertas, præterea divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt. — 3.°) Sæpius usurpatur ad rem significandam, quæ aut summi est momenti, aut præter exspectationem accidit et incredibilis aut saltem miranda videtur. — *a*) Cum Nominativo. *Plautus* apud *Varron.* 7. *L. L.* 58. *Müll.* Ubi rorarii estis? En sunt. *Cic.* 7. *Verr.* 21. 54. Utrum vobis consilium recitari tandem prætoris videbatur, — an prædonis improbissimi societas atque comitatus? En fœderum interpretes, societatis pactores, religionis auctores. *Id.* 3. *ibid.* 37. 93. Hæc est istius præclara tutela. En, cui tuos liberos committas; en memoria mortui sodalis; en metus virorum existimationis. *Forcellinus* hoc loco recte admonet *en* esse irridentis et per ironiam loquentis. *Virg.* 1. *Æn.* 464. Quæ regio in terris nostri non plena laboris? En Priamus. *Tac.* 1. *Ann.* 65. Irrumpere Germanos jubet, clamitans: En Varus eodemque iterum fato vinctæ legiones! *Sil. It.* 4. 501. En omnes convenere manus. — *b*) Cum Accusativo. *Plaut. Suppos. Amph. scæna, quæ incipit*: Di vostram fidem! v. 51. En tectum, en tegulas, en obductas fores. *Cic.* 5. *Phil.* 6. 16. En causam, cur lex tam egregia tamque præclara — ferretur. *Alii vero aliter leg. Virg.* 5. *Ecl.* 67. en quatuor aras, Ecce duas tibi, Daphni. *Juvenal.* 6. 530. En animam et mentem, cum qua di nocte loquantur. Adde *eumd.* 2. 72. Ceterum de Accusativo vel Nominativo cum part. *en*, V. *Klotz* ad *Cic. scripta quæ manserunt omnia, part.* 2. *vol.* 1. *præf.* — *c*) Cum Accusativo et Infinito. *Val. Flacc.* 1. 226. cerno en thalamos ardere jugales. — *d*) Cum absoluta propositione. *Plaut. Truc. prol.* 7. En in vobis resident mores pristini. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. En mediocri me dolore putas affici, quum etc. *Al. leg.* Et. *Curt.* 10. 2. 23. En tandem Illyriorum paullo ante et Persarum tributariis Asia et tot gentium spolia fastidio sunt. *Lucan.* 6. 51. En quantum Tigris — ambit. Adde *Juvenal.* 9. 50. — *e*) Cum Pronominibus. *Plaut. Trin. prol.* 3. En illæ sunt ædes: i intro nunc jam! *Al. leg.* Hem. *Cic.* 15. *Fam.* 13. En, hic ille est de illis maxime, qui irridere me solitus est. Adde *eumd. Cluent.* 65. 184.; et *Liv.* 22. 6. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 15. si quis deus: en ego, dicat, Jam faciam quod vultis. *Virg.* 5. *Æn.* 672. En ego vester Ascanius. *Ovid.* 2. *Met.* 520. En ego quantum egi! quam vasta potentia nostra est! *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 9. (13). En ego sum illa, quam etc. *Cic.* 7. *Verr.* 47. 121. En quod Tyndaritani libenter prædicent: Nos etc. *Virg.* 1. *Ecl.* 72. en quo discordia cives Perduxit miseros. — *En* est aliquando indignantis. *Ovid.* 11. *Met.* 7. En, ait, en hic est nostri contemptor. *Id.* 5. *ibid.* 10. En, ait, en adsum præreptæ conjugis ultor. *Id.* 15. *ibid.* 677. En deus est, deus est. — *f*) *En ecce* pleonasmus est; et majorem tamen habet vim demonstrandi. *Seneca Œdip.* 1004. En, ecce, rapido sæva prosiluit gradu. Sic Græci ἠνὶ ἰδού, aut ἦν ἰδού. Simile est illud *Ovid.* 3. *Met.* 283., quod vide mox. — 4.°) Jungitur Imperativo, et est hortantis, seu majorem vim addit. *Virg.* 6. *Ecl.* 70. hos tibi dant calamos, en accipe, Musæ. *Id.* 3. *G.* 42. en age, segnes Rumpe moras. Adde *Propert.* 1. 1. 21.; et *Sil. It.* 3. 179. *Ovid.* 3. *Met.* 283. tostos en adspice crines. — Aliquando Imperativo postponitur. *Ovid.* 13. *Met.* 263. nec vanis credite verbis. Aspicite en, vestemque manu deducit, etc. Cf. *Liv.* 2. 6. Ipse en ille, nostris decoratus insignibus, magnifice incedit. — *NB.* Quod legitur a quibusdam *Aspis en Argo* apud *Hygin. fab.* 170. *sub fin.*, sunt ea Græca verba (si sana est lectio) Latine scripta, Ἀσπὶς ἐν Ἄργῳ, vel, ut alii emendant, Ἀσπίδες: et illud *en* valet *in* præpositionem.

ĒNÆMON. *V.* ENHÆMON.

ĒNALLĀGE, es, f. 1. ἐναλλαγή, scil. permutatio; figura est, qua pars pro parte ponitur, vel accidentia partium permutantur, ut *vivere* pro *vita*, *nullus* pro *non*, etc. Sed vox Græca est, et Græce adhibenda.

ĒNARGĪA, æ, f. 1. ἐνάργεια, evidentia. Est hoc nomine figura rhetorica, de qua ita *Jul. Rufinian.* de *Schemat. dian. p.* 275. Enargia est figura, qua formam rerum et imaginem ita oratione substituimus, ut lectoris oculis præsentiæque subjiciamus. Adde *Isid.* 2. *Orig.* 20. et 21. Græcis autem litteris legitur apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 17.; et *Quintil.* 4. 2. 63., 6. 2. 32. et 8. 3. 61. *V.* EVIDENTIA.

ENARMONICUS, a, um. *V.* ENHARMONICUS.

ĒNĀRIS, e, adject. qui sine naribus, vel parvis naribus est. *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 716. Inarime, nunc Enaria dicitur, quia in eamdem ad contumeliam simiæ missæ sunt, quas Grajorum lingua ἄῤῥινας, id est enares, dicunt: ob quam causam Pithecusam etiam vocitant. V. *Wernsdorf.* ad *Poet. Lat. min. T.* 4. *p.* 358., qui hanc nominis causam a *Servio* productam ridiculam esse demonstrat.

ĒNARRĀBĬLIS, e, adject. qui enarrari, seu dici potest. *Virg.* 8. *Æn.* 625. clypei non enarrabile textum. *Quintil.* 6. 3. 6. Non ratione aliqua, sed motu quodam, nescio an enarrabili, judicatur. Adde *eumd.* 12. 10. 76.; et *Senecam Ep.* 121. *a med.*

ĒNARRĀTĒ, adverb. enarrando, explicando. Occurrit tantum Comp. *Enarratius* apud *Gell.* 13. 12. Id ipsum postea in M. Varronis libro enarratius scriptum invenimus. *h. e.* fusius, explicatius, apertius. *et* 10. 1. Quod Varro breviter et subobscure, Tiro Tullius enarratius scripsit.

ĒNARRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus enarrandi, explicatio. *Quintil.* 2. 5. 1. Exigitur a grammaticis poetarum enarratio. Adde *eumd.* 1. 4. 2. et 1. 8. 18.

ĒNARRĀTĪVUS, a, um, adject. idem atque enunciativus. *Diomed.* 3. *p.* 479. *Putsch.* Poematis genera sunt tria. Aut enim activum est vel imitativum, aut enarrativum vel enunciativum, aut commune vel mistum.

ĒNARRĀTOR, ōris, m. 3. qui enarrat atque interpretatur. *Gell.* 13. 30. Satyrarum M. Varronis enarrator. *et* 18. 4. Enarrator Sallustii. *et* 18. 6. Idonei vocum antiquarum enarratores.

ĒNARRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et narro). Part. *Enarrandus.* — Enarro est idem quod narro, vel plene planeque narro. *Plaut. Amph.* 1. 3. 25. Clanculum abii a legione: operam hanc surripui tibi: ex me primo prima scires, rem ut gessissem publicam. Ea tibi omnia enarravi. Adde *eumd. Mil. glor.* 2. 1. 1. *Ter. Adelph.* 3. 2. 53. Abi, atque Hegioni rem enarrato omnem ordine. *Cic. Marcell.* 2. 4. Nulla est dicendi tanta vis, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit. *Id.* 1. *Divinat.* 26. 55. Enarrare alicui somnium. Adde *Liv.* 27. 50. et 29. 13.; *Nepot. Pelop.* 1.; et *Quintil.* 10. 1. 101. — Hinc est etiam explicare, interpretari quæ intellectu difficilia sunt, pluribus verbis exponendo, quæ sunt dicta breviter. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (87). *de labyrintho.* Positionem operis ejus singulasque partes enarrare non est. *Quintil.* 1. 2. 14. Si grammaticus historias exponat, poemata enarret. *Gell.* 18. 9. Varronem quoque hunc versum Plauti sic enarrasse. *Id.* 13. 10. Ad enarrandam et illustrandam linguam Latinam. Adde *eumd.* 3. 16.; et *Capitolin. Gord. tr.* 13.

ĒNASCOR, nascĕris, nātus sum, nasci, 3. Part. *Enascens* II.; *Enatus* in omnibus paragr. — Enasci proprie est verbum passivum et significat ab aliqua persona aut re generari, produci: sed fere usurpatur deponentium more et est nascendo exire, oriri.

1.) Proprie. — *a*) De animalium corpore. *Lucret.* 1. 170. At nunc seminibus quia certis quidque creatur, Inde enascitur atque oras in luminis exit, Materies ubi inest cujusque et corpora prima. *Varro* 1. *R. R.* 41. 4. E quibus enasci coliculi vix queunt. *Id.* 2. *ibid.* 9. 3. Enati ex mento duo dentes. *Liv.* 32. 1. Nunciatum est — in Herculis æde capillum enatum. *Sueton. Domit.* 23. Gibba enata pone cervicem. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (128). Cornua ceterorum ossibus adhærent, cervorum tantum cutibus enascuntur. — *b*) De plantis. *Liv.* 32. 1. Laurea in puppi navis longæ enata. *Id.* 43. 13. Palma in area enata. *Tac.* 2. *Ann.* 11. Enata humo virgul-

ta. Adde *Quintil.* 6. 3. 77.; et *Colum.* 11. *R. R.* 3. 48. et 5. *ibid.* 4. 2. Cf. *Sueton. Aug.* 94. Soboles ex arbore enata. — c) De aliis rebus. *Curt.* 2. 8. *extr.* Enata medio alveo insula. Sic *Plin.* 6. *Ep.* 31. *ad fin.* Saxis deinde pilæ adjiciuntur, quæ procedente tempore enatam insulam imitentur.

II.) Translate. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 28. (109). Crocodilea illita molestias in facie enascentes tollit. *Sillig* legit *nascentes*. *Flor.* 2. 15. 14. Inde quasi enata subito classis erupit.

ĒNĀTER, tris, f. 3. uxor fratris: videtur esse ab εἰνάτειρ, quod idem significat. *V.* JANITRIX, et INATER in *Verb. Barb.* Hinc *Inscript.* apud *Orell.* 4940. D. M. SILVI... TELESPHORO.... DOMITIVS APOLLONIVS PATER DO, FORTVNATA MATER, SILVANVS ENATER, IVLIVS TELESPHOR. TATA, CORNELIA SPES MAMMA, THREPTVS TATVLA DVLCISSIMAE ET PIENTISSIMAE ANIMAE INNOCENTISSIMAE FECERVNT. Hic autem idem *Orellius* adnotat: Mire vero hoc loco de viro, qui sororem mortui in matrimonio habebat.

ĒNĂTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et nato). Part. *Enatandus* I. — Enatare est natando evadere.

I.) Proprie. *Auct. B. Alex.* 18. Se in mare præcipitaverunt, et octingentorum passuum intervallum ad oppidum enataverunt. *Vitruv.* 6. *præfat.* 1. Ejusmodi possessiones et viatica liberis oportere parari, quæ etiam e naufragio una possent enatare. *Horat. Art. P.* 20. si fractis enatat expes Navibus. Adde *Phædr.* 4. 21. 14.; et *Apul.* 2. *Met. Curt.* 8. 13. 15. Circumventi ab iis, qui occulti enataverant. *Mützell.* leg. enaverant. *Sil. It.* 15. 490. avius enatat. *Pacat. Paneg. Theod.* 39. Tot fluminibus enatandis, tot scandendis montibus fatigatus exercitus.

II.) Translate. *Cic.* 5. *Tusc.* 31. 87. Reliqui habere se videntur angustius: enatant tamen. *h. e.* se expediunt.

ĒNĀTUS, a, um. *V.* ENASCOR.

ĒNĀVĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *enavo*, diligenter confectus. *Tac.* 3. *Hist.* 74. Præmia enavatæ operæ petebant. *Vulgati libri multi habent navatæ, quam lectionem retinuit et Halm.*

ĒNĀVĬGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒNĀVĬGO, as, āvi, ātum, are, 1. (ex et navigo). Part. *Enavigatus* et *Enavigandus* sub *B.* — Enavigare usurpatur *A)* Absolute; et *B)* Cum Accusativo.

A) Absolute enavigare est navigando exire.

I.) Proprie. *Sueton. Tib.* 11. Tantum non adversis tempestatibus Rhodum enavigavit. *Scævola Dig.* 45. 1. 122. Enavigare de loco aliquo. *Apul.* 2. *Met.* Mihi memora, quemadmodum exinde ut de Eubœa insula enavigasti, et maris et viæ confeceris iter. — Et sine additis. *Curt.* 9. 9. 13. Quidam enavigare properantes, sed non exspectatis qui simul esse debebant, clauda et inhabilia navigia languide moliebantur. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 21. (60). Alexandrum nullo die minus stadia sexcenta navigasse in Indo, nec potuisse ante menses quinque enavigare.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Tusc.* 14. 33. Ex quibus, tamquam e scrupulosis cotibus, enavigavit oratio.

B) Cum Accusativo est totum mare vel flumen navigando trajicere. *Horat.* 2. *Od.* 14. 11. Unda omnibus enaviganda. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 3. 2. (6). Vastus sinus, duodecim dierum et noctium remigio enavigatus.

ENCÆNĬA, ōrum, n. plur. 2. ἐγκαίνια, festus dies propter dedicationem alicujus novi operis celebratus: a καινός novus. Usus est *Augustin. tract.* 84. *in Joann.* ubi ait: Quodcumque novum aliquid fuerit dedicatum, encænia vocantur. Jam et usus habet hoc verbum: si quis nova tunica induatur, encænlare dicitur, etc. Habet et *Quintil.* 7. 2. 33., sed Græce: *V.* ibi *Spalding.*

ENCÆNĬO, as, are. *V.* voc. præced.

ENCARDĬA, æ, f. 1. ἐγκαρδία, gemma, in qua cordis effigies eminet: a καρδία cor. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 58. (159).

ENCARPA *vel minus recte*

ENCARPI, ōrum, m. plur. 2. ἔγκαρπα, pancarpiæ coronæ, ita appellatur florum frondiumque et pomorum implexus atque contextus, ornatus causa alicubi pictus, vel sculptus. *Vitruv.* 4. 1. *Schneid.* Encarpis pro crinibus dispositis frontes ornaverunt. Est a καρπός *fructus*. *V.* PANCARPIUS.

ENCĂTHESMA, ătis, n. 3. ἐγκάθεσμα, collectio humoris. *Apul. Herb.* 38. Hæc omnia teres, et encathesmatis impones. *Encathesmatis* est pro *encathesmatibus*. — Hucusque cl. *Furlanetto*: qui in suis MSS. falsam esse hanc lectionem affirmat, et legendum monet *encathisma* *V.* voc. seq.

ENCĂTHISMA, ătis, n. 3. ἐγκάθισμα, sessio in aqua medicata, embasis, balneum. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. Et sessionem ex vino vehementiori confectam, quam ἐγκάθισμα vocant. *Id.* 3. *Acut.* 2. Adhibemus etiam encathismata ex calida et oleo, vel quarumcumque laxativarum materiarum decoctione. *Id.* 3. *ibid.* 18. *a med.* Præterea etiam encathismatibus utimur, nunc ex oleo confectis, vel ex calida et oleo, etc. *Theod. Priscian.* 3. 3. Encathismata vero, vel vapores ex decoctionibus – dauci, pulegii, vel ceteris similiter diureticis procurabo. *V.* et voc. præced.

ENCAUSTĬCUS, a, um, adject. ἐγκαυστικός, ad encaustum, picturæ genus, pertinens. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 39. (122). Aliquanto vetustiores encausticæ picturæ exstitere. — Hinc

Encaustica, *æ*, f. 1. absolute, substantivorum more, subaudi *ars*, est ipsa ratio encaustice pingendi, ἐγκαυστική. *Id. ibid. paullo post.* Quod profecto non fecisset, nisi encaustica inventa.

ENCAUSTUS *vel recentiori forma* encautus, a, um, adject. ἔγκαυστος *inustus*; ab ἐγκαίω *inuro*, quod a καίω, unde et καυστός fit et καυτός. Ceterum dicitur de picturæ genere a veteribus artificibus usurpato, quod triplex fuit, ut *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 41. (149). docet: unum, quo pingebant ceris discoloribus tabulæ illitis, et igne admoto candefactis: alterum, quo stilo ferreo igne candefacto imagines faciebant in ebore: tertium resolutis igni ceris, et penicillo inductis: quæ pictura in navibus nec sole, nec sale, ventisque corrumpitur. Hoc tertium genus (de quo verba facit etiam *Vitruv.* 7. 9.) distabat a primo in eo, quod in hoc tertio illinebant penicillo ceras igne liquefactas, deinde postquam refrixissent, rursus igne admoto æquabant poliebantque: in illo ceras frigidas sine penicillo inducebant in tabulas cestro, seu viriculo insculptas, vel postquam induxissent, viriculo figuras insculpebant, deinde inurebant et poliebant. De primo genere intelligendum est illud *Ovid.* 3. *Fast.* 831. Quique moves cælum, tabulamque coloribus uris! De primo item vel de tertio illud *Auson. epigram.* 26. ceris inurens januarum limina. Verum hoc totum artificium jampridem usu desiit. *Martial.* 4. 47. Encaustus Phaeton tabula depictus in hac est. Quid tibi vis, dipyron qui Phaetonta facis? *Plin. loc. cit.* Encausta pingere et docere. et Encausto pingendi duo genera, etc. — Hinc

Encaustum vel sæpius *encautum*, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more. *Imp. Leo Cod.* 1. 23. 6. sacrum encaustum appellat confectionem coloris ex cocto *murice et conchylii triti ardore*, quo utebantur imperatores in suis rescriptis subscribendis. Hinc Itali *inchiostro* vocant atramentum scriptorium. *Augustin.* 3. *contra Faustum* 18. Imputet ergo sibi encausti munditia, quæ corio inhæsit agnino. *h. e.* membranæ. — Itaque est genus scripturæ, quæ fit per adustionem et cestrum. Eo utebantur rectores provinciarum in subscribendo. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 11. 16. 4. Rectores provinciarum manu propria perscribant, atque encauto nomina adnectant. *Id. ibid.* 7. 20. 1. Encauto et cerussa conscribere.

ENCAUTĀRĬUM, ii, n. 2. tabularium, libri publici censuales civitatum et provinciarum, in quibus scriptum erat encauto. *Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod. Theod.* 13. 10. 8.

ENCAUTUM, i, n. 2. et

ENCAUTUS, a, um. *V.* ENCAUSTUS.

ENCHĪRĬDĬON, ii, n. 2. ἐγχειρίδιον. ¶ 1. Est manuale, exiguus quivis libellus: ab ἐν et χείρ *manus*, quia manu nullo negotio circumferri potest. Exstat hujusmodi libellus *Augustini* ad Laurentium inscriptus. *Pomponius* quoque JCtus opusculum hoc nomine inscripsit, ut habetur in *lemmate legis* 2. *tit.* 2. *lib.* 1. *Digest.* ¶ 2. Item gladiolus chirurgorum. Sic enim, quoniam eodem sensu Græce etiam usurpatur, eruditi quidam interpretantur, in *Inscript.* apud *Gruter.* 70. 8., quæ est apud *Orell.* 1572. DEO AESCVLAPIO VALERIUS SYMPHORVS ET PROTIS SIGNVM SUMMI ABRAXIS, TORQVEM AVREVM EX DRACVNCVLIS Δ. P. S. 7. = = — (h. e. *duobus pondo semis unciarum quinque*), ENCHIRIDIVM ARGENTEUM P. = = — S. (h. e. *pondo unciarum quinque semis*), ANABOLIVM OB INSIGNEM CIRCA SE NVMINIS EIVS EFFECTVM V. S. L. M.

ENCHŌRĬOS, on *et Latina positione*

ENCHŌRĬUS, a, um adject. regionalis, indigena, ἐγχώριος. Vox Græca, a χώρα *regio*. Latinis litteris scripta legitur apud *Philargyr.* ad *Virg.* 4. *G.* 298. Sic *Ambros.* 5. *Hexæm.* 14. Alia quoque avium genera enchoria, quæ manent in locis semper. *Ibid.* enchoriis adventicia *paullo infra opponuntur*. *Frontin. de colon.* p. 120. *Goes.* Sed et lapides enchorii signati sunt. *Goes.* legit *enchores*.

ENCHŌRIS, e. *V.* voc. præced. in fin.

ENCHŪSA, æ, f. 1. ἔγχουσα, vetus nomen herbæ, quæ in posterum *anchusa* dicta est. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 25. (51). *V.* ANCHUSA.

ENCHȲTUM, i, n. 2. ἔγχυτον, genus placentæ, cujus meminit *Cato R. R.* 80., quæ ita dicta videtur, quod liquidior esset et aliis cibis infunderetur; vel quod liquido unguine perfunderetur: ab ἐγχέω, *infundo*. Al. leg. *encytum* ex ead. derivatione, omissa nempe, ut sæpe alias, aspiratione; sed tamen masc. genere, quod rectius.

ENCLĪMA, atis, n. 3. ἔγκλιμα, inclinatio, curvatura, clima: ab ἐγκλίνω, *inclino*. *Vitruv.* 9. 8. 1. *Schneid.* Hemicyclium excavatum ex quadrato, ad enclimaque succisum Berosus dicitur invenisse.

ENCLĪSIS, is, f. 3. ἔγκλισις, inclinatio: sed occurrit tantum in re grammatica, et est conjunctio particulæ, quæ accentum a se inclinant, cum alio vocabulo. *Priscian.* 5. p. 669. *Putsch.* Compositio enim, non enclisis, corrumpere dictiones solet.

ENCLĪTĬCĒ, adverb. ἐγκλιτικῶς, per inclinationem; sed locum habet tantum in re grammatica: *V.* voc. seq. *Priscian.* 5. p. 668. *Putsch. Siquis*, ad imitationem εἴτις Græci, enclitice prolatum quidam putant. *V.* SYLLABICE, ubi alius *Prisciani* locus affertur.

ENCLĪTĬCUS, a, um, adject. ἐγκλιτικός, inclinatus vel inclinativus, ut Conjunctiones encliticæ, *que*, *ve*, *ne*, quoniam accentum a se inclinant, apud grammaticos. *Priscian. super XII. vers. Æn.* 6. p. 1252. *Putsch.* *Ne* vero solet, etiam abjecta *e*, encliticam vim possidere, ut *Pyrrhin'*, *tanton'*. Enclitica *que*, *ve*, *ne*, præpositionibus ante se positis erigunt extremæ syllabæ fastigium. *Id. ibid.* 5. p. 1245. Per se (*jam*) acuitur; in versu autem gravatur, nisi encliticum ei adjungatur, ut *jamque*, tunc enim acuitur. *Id.* 14. p. 977. *Putsch.* Tantam præpositioni tenorum mutationem facit ordinis commutatio, quod in quibusdam pronominibus etiam enclitici vice fungitur, quæ sunt hæc: mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum. *Id. ibid.* p. 988. Aliis vero ideo enclitici vice fungi postposita (*præpositio*) videtur, ne, si acuatur, adverbium esse putetur. *V.* INCLINATIVUS.

ENCOLPĪÆ, ārum, m. plur. 1. ἐγκολπίαι, venti, qui e paludibus et fluminibus veniunt per sinus: a κόλπος, *sinus*. *Apul. de Mundo.* Habet etiam *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 8., sed Græce.

ENCOLPISMUS, i, m. 2. ἐγκολπισμός, clyster uterinus. *Theod. Priscian.* 3. 5. Pesso cum nardino, vel roseo prius resoluto, encolpismo uti conveniet.

ENCOLPIZO, as, are, a. 1. ἐγκολπίζω, clysterem uterinum in vulvam injicio. *Theod. Priscian.* 4. 1. Diffumigatur mulier de storace, encolpizatur pigmentis.

ENCOMBŌMA, ătis, n. 3. ἐγκόμβωμα, ab ἐγκομβόω *nodo constringo*, significat genus vestis, quæ nodo substringebatur corpori. *Pollux l.* 4. *c.* 18. recenset inter ornatus comicos servorum his verbis: Τῇ δὲ τῶν δούλων ἐξωμίδι καὶ ἱματίδιόν τι πρόσκειται λευκόν, ὃ ἐγκόμβωμα λέγεται, ἢ ἐπίρρημα. *Varro* apud *Non.* p. 543. 1. *Merc.* Ut puellæ habeant potius in vestitu chlamydas, encombomata, ac parnacidas (*lege* arnacidas), quam togas.

ENCŌMĬŎGRĂPHUS, i, m. 2. ἐγκωμιογράφος, qui encomium seu laudationem scribit. *Imp. M. Aurel.* ad *Fronton.* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Mai*) *ep.* 9. Encomiographos istos audimus, Græcos scilicet, sed miros mortales.

ENCŌMĬŎLŎGĬCUS, a, um, adject. qui ad eum pertinet, qui alicujus encomium dicit: ab ἐγκώμιον *laudatio* et λέγω *dico*. *Encomiologicum metrum* dicitur, quo utuntur panegyristæ. *Plotius de metr.* p. 2662. *Putsch.* inter varia carminum genera recenset *Encomiologicum Stesicorium*, et *Encomiologicum Archilochium*: prioris exemplum est, *Mollibus in pueris, aut in puellis*: posterioris, *Jam Cytherea choros Venus dat.*

ENCOMMA. *V.* INCOMMA.

ENCRĀTĪTÆ, ārum, m. plur. 1. ἐγκρατῖται: ita appellati sunt hæretici, qui, duce Tatiano, circa annum a Chr. n. 151., nuptias, carnes animalium et vini usum damnabant; ab ἐγκρατέω *temperanter ago, contineor. Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 3. Neque vero nos Marcionis et Manichæi dogma sectantes nuptiis detrahimus: nec Tatiani principis encratitarum errore decepti, omnem coitum spurcum putamus, qui non solum nuptias, sed cibos quoque, quos Deus creavit ad utendum, damnat et reprobat. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 13. Quum fuisset in hæresi, quæ vocatur eucratistarum (*corrige encratitarum*), id est abstinentium.

ENCRĪNŎMĔNOS, i, m. 2. ἐγκρινόμενος, *h. e.* secretus, egregius, eximius, præ ceteris probatus: ab ἐγκρίνω *secerno, segrego:* nomen est statuæ æreæ ab Alcamene Phidiæ discipulo factæ, qua pentathlon repræsentabatur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (72). — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

ENCȲCLĬOS, on, adject. ἐγκύκλιος, orbicularis, circularis: a κύκλος, *orbis, circulus. Encyclios disciplina*, Græca dicendi ratione, est doctrina ex omnium scientiarum cognitione collecta, quæ et ἐγκυκλοπαιδεία dicitur. *Vitruv. præfat. l.* 6. Disciplina, quæ non potest esse probata sine litteratura encyclioque doctrinarum omnium. Adde *eumd.* 1. 1. *a med. Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 37. Omnes encyclias lectiones tempore parvo composuit. *Id. Instit. div. litt.* 23. Legite, quas habetis in promptu, synodum Ephesinam et Chalcedonensem, nec non et encyclia, id est epistolas confirmationis supradicti concilii.

ENCYMONIS. *V.* GEMONIDES.

ENCȲTUS, i, m. 2. ἔγχυτος. *V.* ENCHYTUM.

ENDĔLĔCHĪA. *V.* ENTELECHIA.

ENDĪADYS *vel* hendiadys, apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 65. est vox male conflata ex Græcis vocibus ἓν διὰ δυοῖν, *unum per duo*, quibus significatur figura poetica, qua unum per duo nomina exprimitur, seu in duo dividitur, ut quum ait *Tibull.* 1. 7. 13. Tum succos herbasque dedi. *h. e.* succos herbarum. *et Virg.* 2. *G.* 192. pateris libamus et auro. *h. e.* pateris aureis. *et* 2. *Æn.* 627. ferro et bipennibus. *h. e.* bipennibus ferreis. *et* 1. *ibid.* 653. pallam signis auroque rigentem. *h. e.* aureis signis. *et* 3. *ibid.* 223. ipsumque vocamus In prædam partemque Jovem. *h. e.* in partem prædæ. *et* 1. *ibid.* 65. molemque et montes insuper altos Imposuit. *h. e.* molem montium. *et* 1. *G.* 56. maculis insignis et albo. *h. e.* albis maculis. *et* 11. *Æn.* 554. libro et silvestri subere clausam. *h. e.* libro suberis. Sic apud *Quintil.* 8. 5. 28. Clavus et purpura loco insertæ. *h. e.* clavus purpureus. *Ovid.* 7. *Met.* 251. Plarare deos precibus et murmure longo. *h. e.* precibus submissa voce conceptis. Adde *Virg.* 6. *Æn.* 734., *Senecam Agamemn.* 988., *Sil. It.* 3. 388. et *Lucil.* 29. apud *Non. p.* 381. 8. *Merc.* tecta et testudines. *h. e.* tecta testudinea. *Cic.* quoque est hoc modo locutus aliquando: v. gr. 3. *Tusc.* 18. 43. Hunc sertis redimiri jubebis et rosa.

ENDO, præposit. a priscis Latinis usurpata pro in: vel ab ἐν τῷ vel ab ἔνδον, intus. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 19. Quos endo cælo merita locaverunt. *Al. aliter leg. Ennius* apud *Gell.* 12. 4. endo foro lato, sanctoque senatu. Al. leg. *indu*, quod idem est. *V.* INDU. *Id.* apud *Charis.* 4 *p.* 249. *Putsch.* et *Auson. Monosyll.* seu *Grammaticomast.* 18. endo suam do. *h. e.* in suam domum. In *vet rogatione* apud *Gell.* 5. 19. Uti ei vitæ necisque in eum potestas siet, uti patri endo filio est. Et in *vet. leg. ibid.* 20. 1. *a med.* Ni quis endo eo jure vindicit. *h. e.* in eum. *Lucret.* 2. 1094. Endo manu. *et* 4. 773. Endo statu. *et* 6. 890. endo mari. *Paul. Diac. p.* 77. 3. *Müll.* Endo procincta.

ENDŎCŒPTUS, a, um, particip. ab inusit. *endocœpi*, inceptus. Apud *P. Merul. ad fragm. Ennii, p.* 192. Endocœpta per se temeriter face missa.

ENDŎFESTARE, idem quod infestare. *Gloss. Philox.* Endofestabat, ὀργίζετο.

ENDOGRĔDI, idem quod ingredi, ab *endo* et *gradior. Lucret.* 1. 82. viamque Endogredi sceleris. Adde *eumd.* 4. 318. *et* 367. Al. leg. *indugredi* eodem sensu.

ENDOJĂCĪTO, injicito. *Lex* XII. *Tab.* apud *Festum p.* 313. 6. *Müll.* Si calvitur, manum endojacito.

ENDŎĪTĬUM, initium. *Paul. Diac. p.* 76. 9. *Müll.*

ENDŎMŪNĪTUS, a, um, particip. ab inusit. *endomunio*, intus munitus. Legitur a quibusdam apud *Liv.* 5. 39. *ad fin.*, ubi alii *inde munitus*.

ENDŎPĔDĪRI, est impediri: ab antiquo *endo* pro *in. Lucret.* 4. 68. quanto minus endopediri Pauca queunt. — Sic *endopeditus* pro *impeditus. Id.* 1. 124. minus aut magis endopedita. Adde 2. 101. et alibi. Alii autem legunt *indupediri, indupeditus*, sed eod. sensu.

ENDŎPĔDĪTE, adverb. pro impedite. *Lucret.* 1. 241. res inter se nexas minus aut magis endopedite.

ENDŎPĔRĀTOR, ōris, m. 3. idem quod imperator: ab antiquo *endo* pro *in. Lucret.* 4. 964. et 5. 1226. Endoperatores pugnare ac prælia obire. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. Omnis cura viris, uter esset endoperator. Adde *eumd.* apud *Gell.* 18. 9. Utroque autem loco alii leg. *induperator*: quod habetur etiam apud *Juvenal.* 4. 29. *V.* INDU.

ENDŎPĔRO *pro* impero: *V.* INDUPERO.

ENDŎPLŌRĀTO, implorato, quod est cum quæstione inclamare. *Paul. Diac. p.* 77. 1. *Müll. Cic. fragm. orat. pro M. Tullio* (edente *A. Peyronio*) p. 108. *n.* 50. Quod si fur repugnaverit, endoplorato, hoc est conclamato, ut aliqui audiant, et conveniant. *Gloss. Philox.* Endoplorato, ἐπικάλεσον.

ENDŎRĪGŬUS, idem quod irriguus. *Gloss. Philox.* Endoriguum, ἔνυδρον, κατάρρυτον.

ENDŎTŬĔRTUR, intuetur: ab antiquo *endo* pro *in. Ennius* apud *Non. p.* 378. 18. *Merc.*, ubi alii leg. *inde tuetur*.

ENDŎVŎLANS, antis, particip. ab inusit. *endovolo*, involans. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. tamen endovolans secum abstulit hasta. Al. leg. *induvolans*, quod idem sonat: alii *inde volans*.

ENDRŎMĪDĀTUS, a, um, adject. endromide vestitus. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. Tu endromidatus exterius, intrinsecus fasceatus.

ENDRŎMIS, idis, f. 3. ἐνδρομίς, vestis hirsuta longiore villo: a δρόμος *cursus*, quod iis in cursu uterentur, ne scil. e stadio exeuntibus post exercitationem calefacta corpora refrigescerent. *Martial.* 4. 19. docet *ejus* usum fuisse in magno frigore, in exercitationibus trigonis, follis, harpasti, in cursu, et pluvio tempore: ne scilicet post ludum corpora nimis refrigescerent, ut dictum est, neve imber et venti iter facientem læderent. Ibi etiam in accusativo *endromida* dixit Græca positione pro *endromidem. et* 11. 126. docet fuisse quidem parvi pretii, a divitibus tamen usurpatam. *Juvenal.* 3. 102. igniculum brumæ si tempore poscas, Accipit endromidem. — Fuerunt tamen etiam molliores et delicatiores endromides, e molli lana et purpura factæ, quas *Tyrias* appellat *Id.* 6. 246., et a feminis quoque, in palæstra lusus causa se exercentibus, usurpari solitas significat. V. *Ruperti* ad h. l.

ĒNĔCĀTRIX, icis, f. 3. quæ enecat. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 29. *sub fin.* Duritia Pharaonis nascentium enecatrix.

ĒNĔCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒNĔCO, nĕcas, nĕcui, *et raro admodum* nĕcāvi, nectum *et raro* nĕcātum, nĕcare, a. 1. (ex et neco). *Enico* pro *eneco* sæpe occurrit apud Comicos. — *Enicavit* pro *enecuit* habet *Plaut. Asin.* 5. 2. 71. Similiter *enicasso* pro *enicavero* habet *Id. Most.* 1. 3. 55. et 66. — Part. *Enecatus* est *Plinii* in *Hist. nat.*, cujus verba *V.* infra: *Enectus* vero est *Cic.* aliorumque scriptorum. — Part. *Enecans* I.; *Enectus* in omnibus paragr.; *Enecatus* et *Enecandus* I. — Enecare est omnino necare, occidere, suffocare (It. *totalmente uccidere, strangolare, soffocare*; Fr. *tuer, égorger, faire périr*; Hisp. *matar, degollar*; Germ. *völlig, von Grund aus, ganz tödten*; Angl. *to kill, slay, stifle.*)

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Amph.* 5. 1. 62. Puer ambo angues enicat. *Id. Truc.* 1. 2. 99. Abortioni operam dare et enecare puerum. Adde *eumd. Rud.* 2. 5. 19. et *Most.* 1. 3. 62. *Ter. Phorm.* 5. 8. 5. Abi, tange: si non totus friget, me eneca. *Varro* apud *Non. p.* 81. 12. *Merc.* pisces ut sæpe minutos Magnu' comest, ut aves enecat accipiter. *Auct. B. Afr.* 84. Quum elephantus in lixam impetum fecisset, eumque pondere suo premeret atque enecaret. *Cels.* 6. 7. *n.* 3. Vermes medicamentis enecandi. *Sueton. Cal.* 49. Enecare pisces. *Id. Ner.* 36. Enecti veneno aut fame. *Seneca Herc. Œt.* 916. Enecta serpens. *Tac.* 14. *Ann.* 64. Perfervidi balnei vapore enecatur. *Val. Max.* 9. 12. *n.* 3. Nimio gaudio enectus. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 95. (151). Quos cicuta enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. *Id.* 23. *ibid.* 2. 31. (63). Vini fæci tanta vis est, ut descendentes in cupas enecet. *Id.* 21. *ibid.* 31. 105. (182). Aspidum vis enecans sopore. *Id.* 7. *ibid.* 9. 7. (47). Enecta parente gigni. *h. e.* nasci cæso matris utero. *Id.* 26. *ibid.* 15. 90. (159). Radix in tantum purgat, ut partus enectos extrahat. *Id.* 30. *ibid.* 12. 34. (108). Mus araneus pendens enecatus. *Prudent.* 8. περὶ στεφ. 18. Enectus gladiis alter, et alter aquis. *lege* evectus: *V.* EVEHO. — *b*) Speciatim dicitur de plantis, et est earum incrementum cohibere, damnum illis inferre. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (155). Est herba, quæ cicer enecat et ervum, circumligando se. Sic poetice *Lucan.* 9. 434. exurit messes et pulvere Bacchum Enecat. Rursus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 13. 34. (127). Rapicia in horreis enecata. *h. e.* raporum cauliculi et folia in horreis construeta, et veluti suffocata, donec flavescant, seu flaccescant.

II.) Translate. ¶ 1. Est macie conficere, enervare. *Plaut. Pers.* 2. 5. 17. Emitte sodes, ne (*boves*) enices fame, sine ire pastum. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 5. 10. Enectus siti Tantalus. *Cic.* 2. *Divinat.* 35. 73. Si avis inclusa in cavea et fame enecta in offam pultis invadit. Cf. *eumd. ibid.* 69. 142. Nonnullæ valetudinis significationes, ut hoc ipsum, pleni enectine simus etc. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 87. Spem mentita seges, bos est enectus arando. Cf. *Priscian.* 9. *p.* 634. *Putsch. Liv.* 21. 41. Effigies, immo umbræ hominum; fame, frigore, illuvie, squalore enecti; contusi ac debilitati inter saxa rupesque. Cf. *eumd.* 2. 23. Obsita erat squalore vestis, fœdior corporis habitus pallore ac macie perempti. *h. e.* perempto similis, fere a mortuo non distantis, prope mortui. — Huc pertinet et illud *Sueton. Gramm.* 3. In podagræ morbum incidit, cujus impatiens veneno sibi perunxit pedes, et enecuit ita, ut parte ea corporis quasi præmortua viveret. *h. e.* pedes sensu ac motu privavit. ¶ 2. In familiari sermone enecare est valde molestum esse et gravem, aliquem quasi ad necem usque torquere, obtundere vel nimis dicendo, vel exspectantem ut dicas fraudando. *Plaut. Asin.* 5. 2. 71. Me quidem miseram odio enicavit. *Id. Merc.* 3. 2. 14. Jurgio enicare aliquem. *Ter. Eun.* 3. 5. 6. Qui me sequatur, quique jam rogitando obtundat, enecet. Rursus *Plaut. Amph.* 5. 1. 3. Ita mihi videntur omnia, mare, terra, cælum consequi, jam ut opprimar, ut enecer. *Id. Merc.* 1. 2. 45. Lassitudinem verba tua mihi addunt: enicas. Adde *eumd. Truc.* 1. 2. 21. *Ter. Andr.* 4. 1. 36. Cur me enicas? hoc audi. Adde *eumd. Phorm.* 2. 3. 37. — *Vel hercle enica, non tacebo*, quoddam est imprecationis genus apud *Plaut. Rud.* 5. 3. 45. et *Aulul. a.* 5. *in fin.* ¶ 3. Metaphorice. *Cic.* 6. *Att.* 1. Appius quum ἐξ ἀφαιρέσεως provinciam curarit, sanguinem miserit, quidquid potuit, detraxerit, mihi tradidit enectam. *Id.* 1. *Divinat.* 29. 61. Ea pars animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluens.

ENECTO, is, ere, a. 3. dissolvo: a præpos. *ex* et *necto*. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 122.

ĒNECTUS, a, um. *V.* ENECO.

ĔNĔMA, ătis, n. 3. id quod clystere per anum injicitur, ἔνεμα, ab ἐνίημι *injicio. Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Enematibus aliqua decoctio stymmatum adjungenda. *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 1. *c.* 1. Tunc post clysteris beneficium etiam enemate, quod ex sicco lini semine et oleo roseo, vel chamæmilo (*lego* chamæmelino) temperatur, in unciis tribus igneis illis ardoribus succurrendum est. *Id. ibid. c.* 10. Post clysterem vero chalasticum - œnemate (*lege enemate*) uti nos convenit ex oleo rutaceo, commixto castoreo.

ĔNĔMION, ii, n. 2. ἠνέμιον, idem ac papaver. *Apul. Herb.* 53.

ĔNERGĀNĔUS, a, um, adject. ab ἐναργής, efficax. *V.* EVERGANEÆ.

ĔNERGĒMA, ătis, n. 3. ἐνέργημα, opus, effectus, efficacia, vis, seu ἀποτέλεσμα, quod operationem sequitur. *Tertull. Præscript.* 30. et *Car. Christ.* 21. Adde *Prudent. Apotheos.* 46. 8., ubi *energima* scribitur, et pænultima, contra naturam syllabæ, corripitur.

ĔNERGĪA, æ, f. 1. ἐνέργεια, ab ἐν et ἔργον, vis,

robur. *Hieronym. Ep.* 50. *ad Paulin.* Habet enim nescio quid latentis energiæ viva vox.

ĔNERGŪMĔNUS, a, um, adject. ἐνεργούμενος, part. pass. ab ἐνεργέω *ago*, a diabolo obsessus. *Sulpic. Sev.* 2. *Dial.* 8. Una earum (*virginum*) partem strandinis energumeno, quem spiritus erroris agitabat, de cervice suspendit; nec mora, dicto citius, ejecto dæmone, persona purgata est. Adde *eumd.* 1. *Dial.* 20. *ad fin.* et 3. *Dial.* 6.

ĒNERVĀTĬO, ōnis, f. 3. debilitatio. *Arnob.* 3. 10. Voluptatis enervatione languescere.

ĒNERVĀTUS, a. um. *V.* ENERVO.

ĒNERVIS, e, adject. ἄνευρος, sine nervis, debilitatus, mollis, effeminatus. *Seneca Thyest.* 176. Ignarus (*homo*), iners, enervis. *Quintil.* 9. 4. 142. Si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim esse, quam effeminatam et enervem. *Tac. Dial. de orat.* 10. Enervis orator. *Plin. Paneg.* 33. Spectaculum non enerve, nec fluxum, nec quod animos virorum molliret et frangeret, sed quod ad contemptum mortis accenderet. *Apul. Apolog.* Mox in juventute saltandis fabulis exossis plane et enervis. *Petron. Satyr.* 119. Enerve corpus.

ĒNERVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* nervus). Quoties primam hujus vocis syllabam corripit *Prudent.*, ut 8. *Cathemer.* 64. corpus enervans. *et* 2. *contra Symmach.* 143. Robur enervatum gereret sine laude palæstræ: *Salmas.* ad *Spartian. in Vero* 1. *extr.* contendit *inervo* legendum esse, ex vet. lib. Quod tamen, ut verum sit, non est imitandum. — Part. *Enervatus* I. et II. in fin. — Enervo est nervos adimo (It. *snervare*; Fr. *enerver*; Hisp. *enervar*; Germ. *entnerven, kraftlos machen*; Angl. *to take out the nerves*).

I.) Proprie. *Apul.* 8. *Met.* Fuit unus, qui poplites meos enervare securi sæva comminaretur. *Apic.* 4. 2. Accipies cerebella quatuor, enervabis, coques. Sic *Id.* 7. 7. Enervata cerebella. *Id.* 4. 2. Tursionem enervabis, concides minutatim. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 315. Dum spado Tiresias, enervatusque Melampus Reptet. *h. e.* castratus. *Aurel. Vict. Epit.* 10. *de Tito.* Enervatorum greges abire præcepit. *h. e.* exoletorum, pathicorum. Nam *Sueton. Tit.* 7. eosdem vocat *delicatos*.

II.) Translate est debilitare, infirmum facere; et dicitur tum de corpore, tum de animo et de abstractis. *Cic. Senect.* 10. 32. Non plane me enervavit, nec afflixit senectus. *Id.* 2. *Att.* 14. Usque eo sum enervatus, ut hoc otio, quo nunc tabescimus, malim ἐντυραννεῖσθαι, quam cum optima spe dimicare. *Liv.* 33. 18. Enervare corpora animosque. *Ovid.* 4. *Met.* 286. Enervare et remollire artus. *Horat. Epod.* 8. 2. et *Liv.* 7. 39. vires. *Ovid. Remed. am.* 753. Enervant animos citharæ. *Cic. Orat.* 68. 229. Enervare orationem. *Petron. Satyr.* 2. corpus orationis. *Cic.* 1. *de republ.* 1. incendium belli. — Hinc Part. præter. pass.

Enervatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde et Comp. *Enervatior*. Translate *Cic. Pis.* 33. 82. Afflictus, infirmus, enervatus reus. *Id. Sext.* 10. 24. Quum hominibus enervatis atque exsanguibus consulatus, tamquam gladius, esset datus. *Id.* 1. *Orat.* 52. 226. Philosophus mollis, languidus, enervatus. *Id.* 4. *Tusc.* 17. 38. Mollis et enervata oratio. *Id.* 2. *ibid.* 6. 15. Enervata muliebrisque sententia. *Liv.* 38. 34. Velut enervata civitas Lacedæmoniorum, diu Achæis obnoxia fuit. *Gell.* 19. 12. *extr.* Ignava et quasi enervata vita. *Seneca Provid.* 4. Enervata felicitas. *Boeth.* 4. *pros.* 2. *a med.* Quid enervatius ignorantiæ cæcitate?

ĒNERVUS, a, um, adject. idem atque enervis. *Apul.* 1. *Met. post init.* Enervam et exossam saltationem explicat. *Ita* Elmenhorst. *Alii melius* enervem et exossem.

ENFRACTARIUS, ii, m. 2. vox originis et significationis ignotæ omnique prorsus auctoritate destitutæ; legitur enim tantummodo inter *Not. Tir.* p. 132. Anfractarius, enfractarius. — Fortasse est pro *emphractarius*, ab ἐμφράσσω *obstruo*, ita ut *anfractarius* sit, qui, ne quid facere invito animo cogatur, per anfractus fugit: *enfractarius*, qui eadem de causa obicem alicui opponit; idemque significet ac refractarius, Italice *refrattario*. Fortasse *refractarius* scribendum. *Kopp* leg. *effractarius*.

ENGŌBĀTA, um, n. plur. 2. ἐγγειβάτα, τά, apud *Vitruv.* 10. 7. 4. *Schneid.* dicuntur fuisse machinæ hydraulicæ, in quibus icunculæ et sigilla æreo aquarum impulsu varios motus ac miros ederent. At præstat legere *anchibata*; ἀγχιβάτης enim, ab ἀγχί *prope* et βατέω *accedo*, Græce dicitur qui propius accedit; quod ad illas icunculas maxime convenit: quum contra ἐγγειβάτα nullibi scriptum apud Græcos inveniatur. Hucusque *Forcellinus*: at *Schneiderus* vulgatam lectionem *engibata* servavit.

ENGŎNĂSI *vel* engonasin, m. indecl. vox conflata ex Græca præposit. ἐν *in*, et γόνασι vel γόνασιν *genibus*: nomen est sideris undeviginti stellarum, qui in fabulis dicitur esse Hercules, qui dextro genu nixus, sinistro pede caput draconis custodis Hesperidum opprimere conatur, sinistra manu projecta pellem leonis, dextra clavam tenens. Fabulantur ita dictum, quod in quodam prælio cum Liguribus, quum eum tela defecissent, multitudine hostium defessus se ingeniculaverit. Jovem autem misertum, lapidum copiam ei suppeditasse, quibus tandem hostes fugaverit. Alii putant esse Theseum, qui Trœzene saxum extollere videtur, sub quo erat gladius, quem mater ejus a vate admonita fuerat, ut priusquam Athenas mitteret, patri referendum curaret. Alii Cetea Lycaonis filium, patrem Megistus, qui filiam in ursam conversam querens, genu nixus palmisque extensis ad cælum deos orare videtur, ut ei formam restituant. *Hygin.* 2. *Astron.* 6. et 3. *ibid.* 5. — Situm est in cælo inter circulum Arcticum et Tropicum Cancri, Lyram habens ad dexteram, et Coronam caputque Ophiuchi ad lævam. Latina voce appellatur *Ingeniculus*, et *Nixus*. *Cic. Arat.* 2. *Nat. D.* 42. 108. Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur. *Manil.* 5. 645. Nixa genu species, et Grajo nomine dicta Engonasi, ingenicla juvenis sub imagine constans. Cf. *Cic. Arat.* 373. flexo confidens corpore Nixus. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 182. *V.* GENICULATOR.

ENGŎNĀTON, i, n. 2. ἐγγόνατον, genus horologii solaris, quod Hercules, genu sinistro flexo, humeris et ambabus manibus in collo gestabat, quale olim marmoreum fuisse Ravennæ ostendit *J. - B. Passerius, Sagg. della Soc. Lett. Ravenn. T.* 1. p. 68. et seqq., quodque vulgo vocabant *Conchincollo*, quia horologium in conchæ formam collo gestabat. Hujus horologii mentionem facit *Vitruv.* 9. 8. 1. *Schneid.*, ubi tamen ex antiq. MSS. legere est *ecgonatos*, nempe ἐκγόνατος ex genu, *h. e.* Hercules ingeniculatus. *V.* voc. præced. *Schneiderus*, quamvis aliam prorsus lectionem in textum receperit, in notis tamen *engonaton* probare videtur.

ENGŸTHĒCA, æ, f. 1. ἐγγυθήκη, vasorum repositorium. *V.* INCITEGA.

ĔNHÆMON, i, n. 2. ἔναιμον, medicamentum ex olla Arabica, sistendo sanguini et contrahendis vulnerum cicatricibus singulari affectu: ab αἷμα *sanguis*. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 38. (77).

ĔNHARMŎNĬCUS *vel*

ĔNHARMŎNĬUS, a, um, adject. ἐναρμονικός et ἐναρμόνιος, idem quod harmonicus. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 4. *ad fin.* Quum sint melodiæ musicæ tria genera, enharmonicum, diatonum, et chromaticum. Al. leg. *enharmonium*, quod idem est; et *enarmonium*. *Capell.* 9. p. 313. Enarmonion modulandi genus. Adde *eumd.* alibi sæpe.

ĔNHYDRIS, idis, f. 3. ἔνυδρις, colubra in aquis degens: ab ἐν *in* et ὕδωρ *aqua*. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 3. 8. (21). et 32. *ibid.* 7. 26. (82).

ĔNHŸDROS, i, f. 2. ἔνυδρος, gemma rotunditatis absolutæ, in candore lævis, sed ad motum fluctuat intus in ea, veluti in ovis, liquor. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (190).; *Solin.* 37.; et *Isid.* 16. *Orig.* 13. 9. At *Sillig* apud *Plin.* ex *Cod. B.* legit *enhygros*.

ĔNHŸGROS. *V.* voc. præced.

ĔNHŸPOSTĂTOS, on, adject. ἐνυπόστατος, substantialis. *Hieronym. Ep.* 14. Si quis tres hypostases, ut tria enhypostata, hoc est tres subsistentes personas, non confitetur, anathema sit.

ĒNĪBER, ra, rum. *V.* INEBRÆ.

ĒNĪCO. *V.* ENECO init.

ĔNIM, particula conjunctiva. Compos. ETENIM *V.* loco suo. — *Enim* est particula, quæ ratione habita etymi conjungenda est cum part. *nam*; quæque ad antecedentia refertur, iisque majorem vim affirmando addit et significat certe, profecto, revera, sine ullo dubio (It. *certamente, si, davvero, in verità*; Fr. *en effet, en vérité, certes, assurément, sans doute, effectivement*; Hisp. *efectivamente, de verdad, con verdad, cierta y verdaderamente*; Germ. *allerdings, wahrlich, fürwahr, ja, offenbar, wirklich, gewiss, freilich, sicherlich*; Angl. *truly, of a thruth, indeed, surely*).

I.) Proprie, ut diximus, vim habet affirmandi, et est certe, profecto, revera etc. Apud Comicos reperitur etiam in principio posita; ceterum fere post unum aut alterum verbum ponitur. Usurpatur vero — 1.°) Absolute, hoc est sine alia ulla particula. *Plaut. Most.* 3. 1. 24. TH. Qui tute tecum? TR. Nihil enim. *h. e.* nihil profecto, revera nihil. *Id. Bacch.* 4. 4. 51. Numquid nos vis facere? CH. Enim nihil, nisi ut ametis, impero. *Ter. Adelph.* 4. 5. 22. ÆS. Quid ipsæ? quid ajunt? MI. Quid illas censes? nihil enim. Rursus *Plaut. Cas.* 5. 2. 16. Enim jam magis jam appropero. *Id. Mil. glor.* 2. 5. 19. PA. Quid metuis? SC. Enim ne nosmet perdiderimus uspiam. *Quintil.* 10. 1. 25. Summi enim sunt, homines tamen. *Id.* 5. 10. 32. Frugalitas bonum, luxuria enim malum. *Plaut. Trin.* 5. 2. 10. CH. Eam sororem despondisse Lysiteli. LY. Enim me nominat. *h. e.* revera me nominat. *Id. Pers.* 2. 2. 54. Enim non ibis nunc vicissim, nisi scio. *h. e.* revera, profecto non ibis, nisi ego id scivero. *Ter. Adelph.* 2. 1. 11. At enim non sinam. *h. e.* certe non sinam. *Cic.* 1. *Tusc.* 32. 78. Movemur sæpe aliquo acute concluso, labamus, mutamusque sententiam clarioribus etiam in rebus: in his est enim aliqua obscuritas. *h. e.* in his est revera aliqua obscuritas. *Plaut. Cas.* 2. 4. 1. CH. Te uxor ajebat tua me vocare. STA. Ego enim vocare jussi. *h. e.* utique, ipse jussi etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. Ille enim revocatus resistere ac se manu defendere cœpit. *h. e.* sane, profecto. (Hoc in loco part. *enim Forcellino* videbatur poni pro *autem*, aut *vero*; quemadmodum et apud *Plaut. Pseud.* 1. 1. 29. Lege, vel tabellas redde. PSEUD. Immo enim pellegam. *Immo enim* occurrit etiam apud *Ter. Andr.* 5. 1. 4. Rursus *Plaut. Most.* 1. 2. 7. Qui parasitus sum? SER. Ego enim dicam.). *Plaut. Epid.* 5. 2. 35. EP. Ni ergo matris filia est, in meum nummum, in tuum talentum pignus da. PE. Enim istæc captio est. *h. e.* istæc certe captio est: Italice *questa si che è un' insidia*. Similiter *Cic.* 1. *Off.* 39. 138. Itaque ille in suam domum consulatum primus attulit, hic in domum multiplicatam non repulsam solum retulit, sed ignominiam etiam et calamitatem. Ornanda est enim (*h. e.* certe, profecto) dignitas domo, non ex domo tota quærenda. *Liv.* 27. 7. 12. His quoque est enim prorogatum in Sicilia imperium. *Alii leg.* his quoque enim, *ut* 45. 39.; *alii omittunt* enim. *Id.* 23. 45. *sub fin.* Romam vos expugnaturos jactabatis. Enim nunc minor est res. *Al. leg.* en. *Id.* 34. 32. Enim ut jam ita sint hæc, quid ad vos, Romani? *Al. leg.* at enim. Huc referri potest illud *Virg.*, in quo enim vacare et redundare *Forcellino* videbatur, 8. *Æn.* 84. in litore conspicitur sus, Quam pius Æneas tibi enim, tibi, maxima Juno, Mactat. — Εἰρωνικῶς, vel per indignationem, *Plaut. Trin.* 1. 2. 22. CA. Faxo, haud tantillum dederis verborum mihi. ME. Namque enim tu, credo, mihi imprudenti obrepseris. *h. e.* revera tu potius, credo, me inscientem fefelleris. Pro *namque* nonnulli leg. *neque*, sed minus recte. Similiter εἰρωνικῶς ipse *Cic. Dejot.* 12. 33. Blesamius tyrannum Cæsarem scriberet? Multorum enim civium capita viderat, multos jussu Cæsaris vexatos, verberatos, necatos, etc. *h. e.* certe, sine dubio viderat etc. *Plaut. Capt.* 3. 4. 36. Tu enim repertu's, Philocratem qui superes veriverbio. *h. e.* tu certe repertus es, qui etc. Cf. *Cic.* 3. *Verr.* 13. 35. Est enim obscurum, et ejusmodi factum ejus, ut possit aliquis suspicari, C. Verrem, quod ferre novos homines non potuerit, ad nobilitatem, hoc est ad suos transisse: nihil fecisse propter pecuniam. *Id.* 2. *Cat.* 6. 14. In exsilium ejiciebam, quem jam ingressum esse in bellum videbam? Etenim, credo, Manlius iste, centurio, qui in agro Fesulano castra posuit, bellum populo Romano suo nomine indixit: et illa castra nunc non Catilinam ducem exspectant: et ille, ejectus in exsilium, se Massiliam, ut ajunt, non in hæc castra conferet. Sic *Liv.* 34, 7. *ad fin.* Invidiosis nominibus utebatur modo consul, seditionem muliebrem et secessionem appellando. Id enim periculum est, ne Sacrum montem, sicut quondam irata plebs, aut Aventinum capiant. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 44. fidis enim manare poetica mella Te solum, tibi pulcher. — Et cum particulis negativis. *Plaut. Most.* 5. 2.

11. TR. Quian' me pro te ire ad cœnam autumo? TH. Non enim ibis. *Quintil.* 11. 3. 172. Non enim hæc rixantis modo dixit: – neque enim, quasi inclamaret aut testaretur, locutus est. *Ovid.* 2. *Met.* 301. Dixerat hæc Tellus: neque enim tolerare vaporem Ulterius potuit, nec dicere plura. Cf. *Liv.* 22. 25. Metilius id enim ferendum esse negat. — 2.°) Cum additis aliis affirmandi particulis, vel adverbiis; et — a) Cum part. *quidem* apud *Plaut. Aulul.* 3. 5. 26. Enim mihi quidem æquum est purpuram atque aurum dari. — b) Cum adverb. *certe*; et *certe enim* est idem atque *enimvero*, ut apud *Plaut. Amph.* 1. 1. 175. Certe enim hic nescio quis loquitur. *Id. Asin.* 3. 3. 24. AR. O melle dulci dulcior mihi tu es! PH. Certe enim to vita es mihi. *Ter. Andr.* 3. 2. 22. D. Quasi tu dicas, factum id consilio meo. S. Certe enim scio. — c) Sæpissime cum vero jungitur, et rem, quam dicimus, majore in luce collocat: reperitur autem in principio positum, aut alicui verbo nonnunquam postponitur. *Plaut. Capt.* 3. 4. 60. Enimvero jam nequeo contineri. *Ter. Heaut.* 5. 5. 1. Enimvero Chremes graviter emerat adolescentulum. *Cic.* 5. *Verr.* 25. 61. Enimvero iste ridere ac mirari etc. Sic *Id.* 1. *Orat.* 36. 165. Enimvero – mirari satis non queo etc. *Ter. Phorm.* 3. 2. 43. Siccine hunc decipis? DO. Immo enimvero hic me decipit. *Cic.* 7. *Verr.* 39. 102. Illi enimvero se ostendunt, quod vellet, esse facturos. *Id.* 5. *ibid.* 60. 138. Postulat a te, ut Romam rejicias. Hic enimvero tu exclamas, hominem improbum, etc. *Forcellinus* hoc in loco accepit pro scilicet, nimirum. *Liv.* 2. 36. Tum enimvero deorum ira admonuit. Adde *Cic.* 6. *Verr.* 66. 148.; *Liv.* 1. 52., 3. 35., 5. 25. et alibi; *Curt.* 4. 7. 11.; *Sueton. Tit.* 12. et *Ner.* 36.; *Quintil.* 9. 3. 14., 1. 8. 16. et alibi; et *Plin. Paneg.* 2., 25. et 81. — Est etiam per ironiam loquentis, aut indignantis. *Ter. Andr.* 5. 2. 7. Bene sane, id enimvero hic nunc abest. Itali dicunt: *mancava davvero anche questa.* Similiter *Id. Phorm.* 3. 1. 1. Enimvero, Antipho, multi' modis cum istoc animo es vituperandus. *Liv.* 43. 1. Enimvero senatus indignari etc. *Id.* 27. 30. Enimvero indignum ratus Philippus, victos victori sibi ultro conditiones ferre, etc. Adde *eumd.* 10. 35., 31. 30., 33. 46. et 25. 41. — Sic junctum cum verbis negantibus vehementius negat. *Ter. Andr.* 1. 3. 1. Enimvero, Dave, nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ. Ubi *Donatus*: Habet, inquit, significationem nimium permoti atque irritati animi. *Liv.* 2. 45. *a med.* Enimvero non ultra contumeliam pati Romanus posse. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. Enimvero ferendum hoc non est. — Similiter in responsionibus vim addit. *Plaut. Amph.* 2. 2. 126. AL. Tun' te abiisse hodie hinc negas? AM. Nego enimvero. *Id. Pers.* 2. 2. 2. Ain' vero, verbereum caput? PAE. Ajo enimvero. *Ter. Eun.* 2. 3. 36. CH. Is, dum hanc sequor, fit mihi obviam. PA. Incommode hercle. CH. Immo enimvero infeliciter. Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno. — *Enimvero* habet etiam vim adversantis, ut *sed*, *at*. *Tac.* 2. *Ann.* 64. Primo subdola concordia egere: enimvero audita mutatione principis, immittere latronum globos, etc. Adde *Flor.* 2. 7. 10. — *Verum enimvero* est *Sall. Cat.* 20. Nonne emori per virtutem præstat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enimvero, pro deûm atque hominum fidem, victoria in manibus nobis est.

II.) Translate, quoniam causa quæ affertur, rem certam reddit, *enim* est etiam conjunctio causalis, quæ idem significat ac *nam*, *namque*. — Raro admodum reperitur in principio posita. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 41. Enim lassam oppido tum esse ajebant: eo admissa non sum. *h. e.* quia etc. ideo etc. *Lucret.* 6. 1275. nec numina magni Pendebantur: enim præsens dolor exsuperabat. Adde *Quintil.* 1. 5. 39. Nonnulli addunt etiam *Cic.* 4. *Att.* 11. et 4. *Tusc.* 13. 30., sed utrobique lectio est dubia: item *Senec.* 7. *Benef.* 5. probante *Lipsio*, ubi alii *enimvero*. — Ceterum uni verbo sæpissime postponitur, ut videre est in locis quæ infra afferuntur. — Raro post duo vel plura verba ponitur. *Lucret.* 1. 680. Nil referret enim quædam decedere, abire. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 104. cur? Tergo plector enim. *Cic.* 4. *Att.* 6. 1. Primum igitur melius esse: deinde otellora te nunciare. Odiosa illa enim fuerant, legiones venire. *Id.* 2. *Orat.* 11. 45. Ex iis enim fontibus licebit etc. *Liv.* 3. 50. Illis quoque enim filias, sorores conjugesque esse. *Id.* 33. 30. Eas quoque enim placere liberas esse. De loco *Varron.* 2. *R. R.* 7. 7. vide ibi adnotata a *Schneid. Lucret.* 3. 236. Rara quod ejus enim constat natura, necesse est etc. — Vocem denique dividit apud *Tac. Dial. de orat.* 26. *extr.* Quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut etc. — Ceterum hac significatione — a) Usurpatur ad confirmandam sententiam, quæ prius allata est. *Plaut. Asin.* 4. 1. 63. Hæc sunt non nugæ, non enim mortualia. *Cic.* 1. *de republ.* 17. Quem (*Platonem*) quum ex alto ignotas ad terras tempestas et in desertum litus detulisset, timentibus ceteris propter ignorationem locorum, animadvertisse dicunt in arena geometricas figuras quasdam esse descriptas; quas ut vidisset, exclamavisse, ut bono essent animo; videre enim se hominum vestigia. *Id.* 11. *Att.* 14. Video difficile esse consilium: sum enim solus. *Id. Mil.* 1. 1. Hæc novi judicii nova forma terret oculos, qui veterem consuetudinem fori et pristinum morem judiciorum requirunt. Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat. *Horat.* 1. *Od.* 7. 27. Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro: Certus enim promisit Apollo Ambiguam tellure nova Salamina futuram. *Ovid.* 9. *Met.* 4. Triste petis munus: quis enim sua prælia victus Commemorare velit? Adde *Nepot. Phoc.* 4.; *Curt.* 3. 8. 6.; *Justin.* 44. 1. 5.; *Plin.* 2. *Ep.* 11.; *Flor.* 3. 21. 23. aliosque. — *Nec* et *neque enim* sæpe ponitur pro *non enim*. *Cic. Senect.* 10. 32. Nec enim unquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio etc. *Id.* 1. *Parad.* 1. 7. Neque enim expletur unquam, nec satiatur cupiditatis sitis. — b) Jungitur etiam propositioni, quæ complenda ac perficienda est; neque tamen semper completur ac perficitur, quippe, quæ omissa sunt, facile intelligi possunt: hac autem ratione *enim* respondet τῷ *igitur*, quemadmodum et Græcum γάρ. *Plaut. Amph.* 2. 2. 62. Quid enim censes? te ut deludam contra? *Cic.* 1. *Tusc.* 6. 10. A. Cur? quæso. M. Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem. A. Quis enim non in ejusmodi causa? aut quid negotii est, hæc poetarum et pictorum portenta convincere? *Id.* 5. *ibid.* 9. 26. An malumus Epicurum imitari? qui multa præclare sæpe dicit: quam enim sibi constanter convenienterque dicat, non laborat. Laudat tenuem victum. Philosophi id quidem: sed, si Socrates aut Antisthenes diceret; non is, qui finem bonorum voluptatem esse dixerit. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 6. 24.; et *Horat.* 2. *Sat.* 3. 124. Huc referri potest et illud *Virg.*, (in quo *enim* vacare et redundare *Forcellino* videbatur) 3. *G.* 69. Semper erunt, quarum mutari corpora malis. Semper enim refice. Ceterum *Ovid.* 3. *Met.* 260. Jam linguam ad jurgia solvit. Profeci quid enim toties per jurgia? dixit. Ipsa petenda mihi est. *Id.* 9. *ibid.* 687. Et merito, dixit: quid enim mea tela reliqui, Sævitiam et vires iramque animosque minaces, Admovique preces? *Id.* 9. *ibid.* 242. Quos ita (sensit enim) læto Saturnius ore Juppiter alloquitur. Adde *Curt.* 9. 6. 9. et 8. 8. 10.; *Quintil.* 11. 3. 57. et 3. 6. 6.; et *Plin.* 2. *Ep.* 12., 6. *ibid.* 18. et *Paneg.* 9. et 56. — Similiter *enim* reddit causam rei non dictæ, sed quæ facile intelligi potest. *Cic.* 6. *Verr.* 11. 25. Amicum enim nostrum in judicium vocabas. *h. e.* te non invitavimus, quia amicum nostrum in judicium vocabas. — Hinc *quid enim?* sæpissime occurrit. *Cic.* 2. *Fin.* 22. 72. Quæ dici eadem de ceteris virtutibus possunt: quarum omnium fundamenta vos in voluptate, tamquam in aqua, ponitis. Quid enim? fortemne possumus dicere eumdem illum Torquatum? *Horat.* 1. *Sat.* 1. 6. Contra mercator, navem jactantibus austris (*ait*): Militia est potior; quid enim? concurritur: horæ Momento cita mors venit aut victoria læta. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 3. 131.; et *Curt.* 6. 10. 32. et 8. 8. 13. — *Quid enim* eleganter locum habet in enumerationibus, quando plurium mentio facta est, et de postremo singulare quippiam est dicendum. *Liv.* 4. 3. *a med.* Quid enim de T. Tatio Sabino dicam, quem ipse Romulus etc. Dixerat prius de Numa, Tarquinio et Ser. Tullio. — *Nempe enim* est *Quintil.* 8. *procem.* 6. Nempe enim plurimum in hoc exhausimus laboris. — *Aut enim* est ejusdem *Quintil.* 7. 9. 2. Aut enim vocibus singulis accidit, aut conjunctis. — *At enim* servit occupationibus. *Sall. Cat.* 51. 25. At enim quis reprehendet quod in parricidas reipublicæ decretum erit? *Cic. pro leg. Manil.* 17. 51. At enim vir clarissimus – Q. Catulus, itemque – Q. Hortensius ab hac ratione dissentiunt. Adde *Curt.* 8. 8. 10. et *V.* AT. — Ponitur eleganter *enim* in responsione post occupationem. *Cic.* 11. *Phil.* 8. 20. At enim Cæsari imperium extraordinarium dedi. Ille enim mihi præsidium extraordinarium dederat. — *Sed enim* occurrit interdum, quum ad rem vividam atque affectibus vehementem gradus fit. *Ovid.* 1. *Met.* 530. Auctaque forma fuga est. Sed enim non sustinet ultra Perdere blanditias juvenis deus; utque movebat Ipse Amor, admisso sequitur vestigia passu. *Id.* 5. *ibid.* 634. Quaque pedem movi, manat lacus; eque capillis Ros cadit: et citius, quam nunc tibi fata renarro, In laticem mutor. Sed enim cognoscit amatas Amnis aquas, positoque viri, quod sumpserat ore, Vertitur in proprias, ut se mihi misceat, undas. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 401., 12. *ibid.* 516., 13. *ibid.* 141. et 14. *ibid.* 642. — Sæpe *sed enim* opponit aliquid rei, quam tacita mente vitamus ac silentio præterimus. *Virg.* 1. *Æn.* 23. Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci Audierat. (*Forcellino* h. in loco *enim* vacare et redundare videbatur). *Id.* 2. *ibid.* 163. impius ex quo Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes etc. Adde *Ovid.* 2. *Fast.* 751. — *Sed enim* interdum inservit etiam correctioni. *Ovid.* 9. *Met.* 248. Obligor ipse tamen. Sed enim, ne pectora vano Fida metu paveant, Œtæas spernite flammas. *Sil. It.* 15. 612. verum, fratri si vita superstit, Qui tandem licitum socias conjungere vires Consulibus? Sed enim solum (dum vera patescant) Cunctandi restare dolum Martemque trahendi. Sic *Quintil.* 7. 1. 40. Sed enim in commune de jure omni disputandum semper. — *Enim* occurrit frequenter etiam in parenthesi. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 58. Sumus enim natura, ut ante dixi, (dicendum est enim sæpius), studiosissimi appetentissimique honestatis. *Ovid. Heroid.* 16. 221. Rumpor et invideo (quid enim non omnia narrem?). *Id.* 3. *Met.* 687. De modo viginti (tot enim ratis illa ferebat) Restabam solus. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 280., 4. *ibid.* 704., 7. *ibid.* 660. et 12. *ibid.* 191. *Id.* 9. *ibid.* 55. Si qua fides (neque enim ficta mihi gloria voce Quæritur) imposito pressus mihi monte videbar. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 234. — c) Interdum *enim* usurpatur ad sententiam vel affirmationem aliquam declarandam, et significat *id est*, *scilicet*, et similia. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 20. LV. Di me perdant, si bibi, si bibere potui. PA. Qui jam? LV. Quia enim obsorbui. *Id. Capt.* 4. 2. 104. HE. Quid tu per barbaricas urbes juras? ER. Quia enim item asperæ sunt, ut tuum victum autumabas esse. *Id. Rud.* 4. 4. 71. GR. Tum pol tu pro oratione nec vir, nec mulier mihi es. TR. Qui dum? GR. Quia enim neque loquens es, neque tacens unquam bonus. *Id. Amph.* 2. 2. 34. AM. Qui tibi nunc istuc in mentem venit? SO. Quia enim sero advenimus. *Forcellino* in hoc *Plauti* et in duobus sequentibus *Terentii* locis *enim* vacare et redundare videbatur; orationi tamen elegantiam addere. *Ter. Heaut.* 1. 2. 13. CL. Cave faxis; non opus est pater. CH. Quapropter? CL. Quia enim incertum est etiam, quid se faciat. Adde *eumd. ibid.* 4. 5. 52. *Forcellinus* addit etiam illud *Cic.* 2. *Orat.* 54. 218. Leve nomen habet utraque res! quippe enim leve est totum hoc, risum movere. *Orellius* vero legit *quippe; leve enim est* etc.; alii aliter. Ceterum *Plaut. Pœn.* 4. 2. 32. SY. Si futurum est, do tibi operam hanc. MI. Quomodo? SY. Ut enim ubi mihi vapulandum est, tute corium sufferas. *Cic. pro leg. Manil.* 2. 6. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum. Genus est enim ejusmodi etc. *Alii aliter leg.* Ad h. l. *Forcellinus* ait: Aliquando *enim* adhibetur tum ad afferendam causam, tum simul ad continuandam orationem; addebatque illud *Cic.* 2. *Phil.* 13. 31. Attende enim paullisper, cogitationemque sobrii hominis suscipe. Item illud *Cæs.* 2. *B. C.* 32. Desertos enim se a vobis dicunt etc. Ceterum *Ovid.* 14. *Met.* 524. Arbore enim succoque licet cognoscere mores. Quippe notam linguæ baccis oleaster amaris Exhibet: asperitas verborum cessit in illas. Cf. *Nepot. Eumen.* 11. et 12.; *Plin.* 2. *Ep.* 12.; et *Justin.* 41. 5. 3.

ĔNIMVĒRO. *V.* voc. præced. sub I.

ĒNISĒ. *V.* ENIXE.

ĒNISUS, a, um. *V.* ENITOR.

ĒNITEO, tes, tui, tere, n. 2. (ex *et* niteo). Part. *Enitens* I. — Eniteo est idem quod niteo, vel valde

niteo (It. risplendere, mandar fuori splendore; Fr. briller, luire; Hisp. brillar, lucir, resplandecer; Germ. ervorglänzen, – strahlen; Angl. to shine, appear fair or bright).

I.) Proprie. Accius (al. Ennius) apud Cic. 2. Tusc. 5. 13. Fruges enitent. Catull. 61. 21. Floridis velut enitens Myrtus Asia ramulis. Virg. 2. G. 211. rudis enituit impulso vomere campus. Id. 4. Æn. 150. tantum egregio decus enitet ore. Gell. 19. 1. Ubi cœlum enituit, et deferbuit mare.

II.) Translate est emineo, clareo, eluceo, appareo, illustris ac nobilis sum. Cic. Flacc. 7. 17. Athenæ non solum in Græcia, sed prope cunctis gentibus enitebant. Id. 2. Att. 1. 3. In eis orationibus, quæ Philippicæ nominantur, enituerat Demosthenes. Id. Mur. 14. 32. et Liv. 4. 3. a med. Quo in bello virtus enituit egregia M. Catonis. Cic. 1. Invent. 3. 4. Studia recta atque honesta, per otium concelebrata ab optimis, enituerunt. Id. Brut. 59. 215. Oratio Crassi enitebat. Liv. 22. 27. In tantum suam felicitatem virtutemque enituisse. Plin. Paneg. 4. Enituit (ille) in bello, obsolevit in pace. Id. ibid. 5. Enituit favor. Justin. 4. 3. 13. Qui pericula propulsando in tantum enituerunt, ut etc. Id. 29. 1. 8.; et Quintil. 8. 5. 29. Enituit virtutis indoles. Ammian. 28. 6. Inter quos Nicasius enitebat. Adde eumd. 24. 4. et 21. 14. Vopisc. Prob. 10. Enitere virtutibus. Vulcat. Gall. Avid. Cass. 3. in philosophia.

ĒNITESCO, tescis, tescere, n. 3. inchoat. ab eniteo, sed idem fere significat.

I.) Proprie. Horat. 2. Od. 8. 6. Enitescis pulcrior multo. Quintil. 1. 3. 75. Oculi in hilaritate enitescunt. Colum. 9. R. R. 14. 10. Mel optimæ notæ enitescit autumni æquinoctio. Al. leg. emitescit.

II.) Translate. Sall. Cat. 57. ad fin. Bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. Cic. 4. Herenn. 44. 57. Gloria cum summa laude quotidie magis enitescit. Tac. 11. Ann. 7. Plebs toga enitescit. Id. 12. ibid. 58. Studiis honestis et eloquentiæ gloria enitescere. Quintil. 2. 5. 23. Deterso rudis sæculi squalore, noster hic cultus clarius enitescet. Id. 10. 5. 14. Alitur atque enitescit, veluti pabulo lætiore, facundia. Gell. 17. 21. Jam fama virtusque felicitatis Romanæ apud exteras gentes enitescere inceptabat.

ĒNĪTOR, nitĕris, nisus vel nixus sum, niti, dep. 3. (ex et nitor). Quod ad scriptionem attinet, statuit Diomed. 1. p. 371. Putsch. discrimen inter enisus et enixus, ut illud ad quemlibet virium conatum referatur, hoc ad partum tantummodo. Sed contra stant MSS., in quibus promiscue scribitur: V. NITOR, eris. — Passive occurrit apud Justin. 43. 2. 7. In luco Martis eniti sunt. h. e. in lucem editi sunt. — Part. Enitens sub B. 1. et 3.; Enisus vel Enixus sub A. I., B. 3. et in fin.; Enisurus sub B. 1. — Eniti occurrit A) Stricto; et B) Latiori sensu.

A) Stricto sensu, hoc est quum tota se nativa præpositionis exseritur vis. eniti est ex inferiori ad superiorem locum ascendere, itemque nitendo exire, nitendo se expedire (It. salire in alto sforzandosi, uscir fuori, disimpacciarsi con isforzo; Fr. faire effort pour sortir, se dégager, s'élever, se tirer, sortir à force de travail; Hisp. elevarse, alzarse, irse, evadirse, escaparse a fuerza de trabajo; Germ. sich hervorstemmen, mit Anstrengung hervor –, emporsteigen, sich heraus-bewegen, – arbeiten; Angl. to mount, reach by climbing, reach with difficulty, to go out by climbing, with difficulty).

I.) Proprie. Cæs. 2. B. C. 34. Adeo erat impedita vallis, ut in adscensu, nisi sublevati a suis, primi non facile eniterentur. Curt. 7. 11. 17. Enituntur in verticem montis. Tac. 1. Ann. 70. Tandem Vitellius in editiora enisus eodem agmen subduxit. Ovid. 2. Met. 63. Ardua prima via est, et qua vix mane recentes Enituntur equi (Solis). Cf. Plin. 18. Hist. nat. 28. 68. (261). Sol per ardua enisus. Liv. 2. 65. Tum rursus, impetu capto, enituntur atque exsuperant iniquitatem loci. Jam prope erat, ut in summum clivi jugum evaderent, etc. Similiter Horat. 3. Od. 3. 9. Hac arte Pollux et vagus Hercules Enisus arces attigit igneas. h. e. udam humum fugiens et tendens in altum arces igneas consecutus est. Et poetice eniti pro corpus erigere ad aliquid ex alto inspiciendum apud Val. Flacc. 2. 461. Constitit Alcides; visuque enisus, in alta Rupe truces manicas defectaque virginis ora Cernit et ad primos turgentia lumina fluctus. — Item poetice de vitibus, quæ arboribus sese applicando extolluntur. Virg. 2. G. 358. Tum leves calamos et rasæ hastilia virgæ Fraxineasque aptare sudes furcasque bicornes: Viribus eniti quarum et contemnere ventos Assuescant (vites) summasque sequi tabulata per ulmos. — Ceterum pro nitendo exire, nitendo se expedire, Tac. 1. Ann. 65. Enisæ legiones in aperta et solida. Id. 2. ibid. 80. Ut venere in manus, non ultra dubitatum, quam dum Romanæ cohortes in æquum eniterentur. Id. 16. ibid. 5. Dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur.

II.) Translate. Curt. 7. 11. 10. Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. Vellej. 2. 127. Quibus novitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices consulatus triumphosque et compiura eniterentur sacerdotia. Tac. 14. Ann. 28. Fine anni Vibius Secundus eques Romanus accusantibus Mauris repetundarum damnatur atque Italia exigitur; ne graviore pœna adficeretur, Vibii Crispi fratris opibus enisus.

B) Latiori sensu, id est quum præpositio ex est intensiva, eniti est valde niti, elaborare, conari, contendere (It. fare sforzo, procurare, tentare, tendere con isforzo a qualche cosa; Fr. faire des efforts, s'efforcer, s'appliquer, tâcher; Hisp. esforzarse, procurar, hacer su posible para hacer ú conseguir alguna cosa; Germ. sich anstrengen, eifrig bemühen, wohin streben, wirken etc.; Angl. to make an effort, strive, struggle, endeavour hard). Occurrit ¶ 1. Generatim. — a) Cum addita persona aut re per Ablat. et præpos. aliquam. Ter. Phorm. 3. 1. 11. Nisi Phædria haud cessavit pro te eniti. Cic. 2. Orat. 72. 295. Non tam ut prosim causis, elaborare soleo, quam ut ne quid obsim: non quin enitendum sit in utroque; sed tamen etc. Id. 3. ad Q. fr. 9. In quo enitar non minus, quam enisus sum in nostro (consulatu). Huc referri potest illud Val. Flacc. 4. 679. Sed neque permissis jam fundere rector habenis Vela, nec eniti remis pote. — b) Cum Infinito. Ter. Andr. 3. 4. 17. Corrigere mihi gnatum porro enitere. Sall. Jug. 14. Simul eniterer domi militiæque quam maxumo usu esse populo Romano. Horat. 3. Od. 27. 46. lacerare ferro et Frangere enitar modo multum amati Cornua monstri. Id. Art. P. 236. Nec sic enitar tragico differre colori, etc. Adde Ammian. 17. 5. — c) Sequente ut. Cic. 9. Att. 15. Tu nunc omni amore enitere, ut nos juves. Id. 3. Off. 10. 42. et 9. Fam. 13. extr. Eniti et contendere, ut etc. Id. ad Capiton. sub fin. lib. 16. ad Att. Eniti et elaborare, ut etc. Id. 13. Fam. 29. a med. Enitere, contende, effice, ut etc. Id. Amic. 16. 59. Eniti et efficere, ut etc. Id. 14. Fam. 14. ad fin. Omni ope atque opera eniti, ut etc. Cæs. 2. B. C. 6 Tantum Brutus celeritate navis enisus est, ut parvo momento antecederet. Sall. Jug. 22. Respondit: – ab adolescentia ita se enisum, ut ab optumo quoque probaretur. Adde Liv. 42. 16. Sueton. Cæs. 26. Precibus enitens, ut disciplinam singulorum susciperent. Adde Plin. 1. Ep. 3. et Paneg. 9. — d) Sequente ne. Cic. 3. Fam. 10. 3. Illud pugna et enitere, ne quid nobis temporis prorogetur. Sall. Jug. 10. Imitamini virtutem, et enitimini, ne ego meliores liberos sumpsisse videar, quam genuisse. — e) Cum Gerund. et præpos. ad. Cic. 2. Orat. 4. 14. Nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit. — f) Cum Accusativo communi. Cic. 1. Att. 6. Scribis, in cœlum ferri profectionem meam, sed ita, si ante Kal. Jan. redeam: quod quidem certe enitar. Cf. eumd. in loco paulo superius allato sub d. — g) Absolute. Cic. 10. Fam. 4. 3. Quare hoc unum tibi persuade, quantum viribus eniti, consilio providere, auctoritate monere potuero, hoc omne reipublicæ semper futurum. Id. 2. Phil. 10. 23. Nihil prætermisi, quantum facere enitique potui, quin Pompejum a Cæsaris conjunctione avocarem. Liv. 29. 15. Vix, si simplum ex formula imperetur, enisuros. Colum. 1. R. R. 9. 6. Nam id minime conducit agricolæ, seu quia nemo suum proprium aliquod esse opus credit: seu quia, quum enisus est, non suo, sed communi officio proficit. — h) Passive impersonaliter. Sall. Jug. 25. Ab iisdem summa ope enisum, ne tale decretum fieret. Cf. Quintil. 7. 10. 14. Vigilandum, studendum, enitendum, patiendum est. ¶ 2. Speciatim cum Accusativo est summa virium contentione opus aliquod ad finem perducere. — Hinc cum Accusativo loci enitor est conor vel magno conatu contendo, ut locum occupem vel spatium aliquod conficiam. Tac. 1. Hist. 23. Labores itinerum – atrocius accipiebantur, quum Campaniæ lacus et Achajæ urbes classibus adire soliti, Pyrenæum et Alpes et immensa viarum spatia ægre sub armis eniterentur. Id. 2. Ann. 20. Peditum aciem ita instruxit, ut pars æquo in silvam aditu incederet, pars objectum aggerem eniteretur. Cf. Colum. 2. R. R. 2. 27. Sed nec in media parte versuræ consistat, deinde requiem in summo, ut spe cessandi totum spatium bos agilius enitatur. ¶ 3. Item speciatim est, ut in paragr. proxime superiori diximus, summa virium contentione opus aliquod ad finem perducere, adeoque parere, partu in lucem edere, quia multo id nisu fit: qua significatione particip. enixus magis est in usu, quam enisus. — a) Cum Accusativo. Liv. 40. 4. Archo Poridi nupsit, et apud eum plures enisa partus, decessit. Curt. 10. 6. Roxane prægnans est: optamus, ut marem enitatur. Ovid. 3. Met. 344. Enixa est utero infantem. Adde eumd. 1. ibid. 670.; Quintil. 6. proœm. 4.; Sueton. Tib. 4. et Cal. 8.; Plin. 4. Ep. 21.; et Tac. 2. Ann. 84. De brutis animantibus Virg. 3. Æn. 391. Sus triginta capitum fetus enixa. — b) Absolute. Sueton. Cal. 25. Quam (Cæsoniam) enixam uxorio nomine dignatus est, uno atque eodem die professus et maritum se ejus et patrem infantis ex ea natæ. Adde eumd. Ner. 23.; Quintil. 5. 13. 9.; et Tac. 5. Ann. 1. Et de matricibus pavonum Colum. 8. R. R. 11. 8. Includendæ sunt enitentes, ne extra clausum fetum edant. Schneider vero cum Ursino legit incientes. — Hinc Part. præter.

Enisus vel enixus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. Enixior 1.: et ¶ 1. Dicitur de iis rebus, quæ cum cura et conatu fiunt. Liv. 6. 24. sub fin. Sensit eventus virtutis enixæ opem. h. e. virtutis, quæ conata est contenditque, ut vinceret. Id. 42. 3. Faciebat enixo studio, ne etc. Ammian. 29. 3. Ursas cuite ita curabat enixo, ut earum caveas prope cubiculum suum locaret. Adde Frontin. 2. Strateg. 5. 30. Seneca 6. Benef. 17. Nobis opera illorum enixior visa est. Plin. 9. Hist. nat. 8. 9. (32). Sed enixioris operæ, quam in unum diei præmium, conscii sibi, opperiuntur in posterum. ¶ 2. Enixa est quæ peperit. Colum. 6. R. R. 22. 1. Nam et enixæ (vaccæ) et vetustate quæ gignere desierant, summovendæ sunt. Sic Plin. 25. Hist. nat. 8. 52. (91). Cervæ enixæ a partu. h. e. partu functæ et fetu levatæ. At Sillig aliter omnino legit.

ĒNIXĒ vel enise, adverb. Comp. Enixius, Sup. Enixissime. — Enixe est studiose et cum magno conatu (It. studiosamente, con isforzo, a tutta possa; Fr. avec effort, avec zèle, avec acharnement; Hisp. con esfuerzo, con zelo, con fuerte pasion; Germ. mit Anstrengung, eifrig, mit Nachdruck; Angl. earnestly, vigorously, strenuously, with exertion). Plaut. Trin. 3. 2. 26. Atque ego istum agrum tibi relinqui ob eam rem enixe expeto. Cic. Sext. 16. 38. Meam causam omnes boni proprie enixeque susceperant. Liv. 4. 26. Enixe obedire. Id. 23. 7. a med. Id non obedienter modo, sed enixe factum est. Id. 29. 1. Eoque enixius ad bellum adjuverunt. (Comp. Enixius occurrit etiam apud Sueton. Galb. 3. et Tib. 50.; et Ammian. 14. 6. et 30. 1.). Rursus Liv. 31. 11. Si quid opus esse judicasset, enixe ad populum R. præstaturum. Id. 37. 16. Civitates imperata enixe fecerunt. Id. 6. 40. Enixe operam dare. Id. 8. 17. Enixe dimicare. Id. 36. 25. Enixe diem ac noctem aut in operibus, aut in præliis esse. Justin. 15. 1. Bellum terra marique enixe instruere. Sueton. Cæs. 5. Auctores restituendæ tribuniciæ potestatis enixissime juvit.

ĒNIXIM, adverb. idem quod enixe. Sisenna apud Non. p. 107. 19. Merc. Enixim omnia facere se dicere contra fortunas atque honores hujus ordinis.

ĒNIXO, as, are, n. 1. frequentat. ab enitor. Venant. Fortun. 2. 4. 4. Conditur enixans Adam factoris ad instar. Probus gramm. p. 1487. Putsch. inter frequentativa hoc quoque verbum recenset, nullo tamen auctore confirmat.

ĒNIXUS, a, um. V. ENITOR.

ĒNIXUS, us, m. 4. partus. Plin. 10. Hist. nat. 63. 83. (179). Post unum diem ab enixu. Id. ibid. 64. 84. (183). Circumacto sub enixum fetu. Id. 7.

ibid. 6. 5. (42). Oscitatio in enixu letalis. *V.* ENITOR sub *B.* 3.

ENNAM etiam ne. *Paul. Diac.* p. 76. 2. *Müll.*

ENNĔĂCHORDUS, a, um, adject. ἐννεάχορδος, novem chordarum concentus. V. *Boeth. loc. cit.* in CITHARA. Cf. *Gloss. Placid.* edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 488. Alii enneachordon (*fecerunt*), qui his septem adjunxerunt cœlum et terram.

ENNĔĂCRŪNOS, on, ἐννεάκρουνος, novem habens scaturigines; ab ἐννέα *novem* et κρουνός *scaturigo. Plin.* 4. *Hist. nat.* 7. 11. (24). et 31. *ibid.* 3. 28. (50). *V.* CALLIRHOE in ONOM.

ENNĔĂDĔCAĔTĔRIS, idis, f. 3. ἐννεαδεκαετηρίς, undeviginti annorum circulus vel tempus. *Ambros. Ep.* 10. 84. Hunc circulum enneadecaeterida nuncupaverunt. *Ita pro vulgato* enneadecaterida *recte legendum monuit clarissimus* Quicherat.

ENNĔĂDĬCUS, a, um, adject. ἐννεαδικός, nonarius. *Anni enneadici* dicuntur a *Firmic.* 5. *Mathes.* 3. qui post octavum quemque annum recurrunt: sicut *hebdomadici,* qui post sextum. *Al. male leg.* enneatici.

ENNĔĂGŌNUS, i, m. 2. ἐννεάγωνος, figura geometrica novem habens angulos. *Boeth.* 2. *Geom.* p. 1225. Enneagonos singula per latera circumscribatur.

ENNĔĂPHARMĂCUM Emplastrum, ἐννεαφάρμακον, medicamentum ex novem rebus constans (ab ἐννέα *novem* et φάρμακον *pharmacum*), quæ enumerat *Cels.* 5. 19. *n.* 10., ubi in lemmate Latine, at in textu Græce legitur.

ENNĔAPHTHONGOS, on, adject. ἐννεάφθογγος, novem habens sonos: ab ἐννέα *novem* et φθόγγος *sonus,* ut Enneaphthongos chelys. *Capell.* 1. *p.* 17.

ENNĔĂPHYLLON, i, n. 2. ἐννεάφυλλον, herba naturæ causticæ, foliis longis novenis, lumborum doloribus et coxendicum utilissima: ab ἐννέα *novem* et φύλλον *folium. Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 54. (77). Cl. *Fée* (*Op. cit vol.* 3. *p.* 449.) hæc ait: « Certain auteurs ont tenté de le (*enneaphyllon*) trouver parmi les espèces du genre *dentaria,* et désigné le *Dentaria enneaphylla* L. Spec. plant. 912.; cette opinion est assez vraisemblable, sans être tout-à-fait satisfaisante ». *V.* ibi plura.

ENNĔAS, ădis, f. 3. ἐννεάς, novenarius numerus. De spatio novem annorum *Censorin. de die natal.* 11. Annus tertius et sexagesimus, quem vel hebdomades novem, vel septem enneades conficiunt. *Capell.* 7. *p.* 243. Enneas quoque perfecta est, et perfectior, quoniam ex triade perfecta forma ejus multiplicata perficitur. *Et mox.* Nam et harmoniæ ultima pars est; ad enneadem enim ab octade collatio percussionis sonus efficitur.

ENNEATICUS, a, um. Falsa lectio. *V.* ENNEADICUS.

ENNĔĔMĬMĔRIS, is, f. 3. apud Grammaticos est sectio versus heroici, quum cæsura sit post quartum pedem, et in nonam fere syllabam incidit: ab ἐννέα *novem,* ἥμισυς *semis* et μέρος *pars.* Sed vox Græca est et Græce usurpanda.

ENNŒA, æ, f. 1. ἔννοια notio, intelligentia, insita et ante percepta cognitio, ut *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 7. 22., 3. *Fin.* 6. 21., 1. *Tusc.* 24. 57., et *Topic.* 7. 31. definit, sed ubique Græce utitur. — Apud *Tertull. advers. Valentin.* 7. unus est ex æonibus Valentiniani.

ENNŎSĬGÆUS, i, m. 2. Ἐννοσίγαιος, Neptunus terram quassans: ab ἐνόω *moveo* et γαῖα *terra: V.* SISICHTHON. Generatim ponitur pro mari apud *Juvenal.* 10. 182. *de Xerxe:* Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum. Cf. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 23. *extr.* Quisquis primas litteras Græcas didicit, scit, Neptunum apud Homerum Ἐννοσίγαιον vocari. Meminit et *Ammian.* 17. 7. *ad fin.* — Scribitur et Ἐνοσίγαιος, Enosigæus.

ENO, as, āvi, ātum, are, 1. (ex *et* no) extra nare, nando exire, enatare (It. *uscire nuotando*; Fr. *sortir à la nage*; Hisp. *salir a nado, nadando*; Germ. *herausschwimmen, durch Schwimmen entkommen*; Angl. *to swim out, escape by swimming*).

I.) Proprie occurrit absolute neutrorum more. *Plaut. Rud.* 1. 2. 81. At in vado est: jam facile enabit. *Cic.* 3. *Fin.* 19. 63. Is, qui enat e concha. *Liv.* 44. 28. Pars eorum, qui propiores continenti litori erant, in Erythream enarunt. *Id.* 33. 41. Molizæ naves ita haustæ mari, ut nemo in terram enaverit. Adde *eumd.* 21. 27.; et *Sil. It.* 12. 441.

II.) Improprie. — a) Absolute. *Lucret.* 3. 592. *de anima.* Quam prolapsa foras enaret in aeris auras. *Virg.* 6. *Æn.* 16. *de Dædalo.* Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos. *h. e.* volavit. *Sil. It.* 12. 95. Suspensum hic librans media inter nubila corpus Enavit, Superosque novus conterruit ales. — b) Cum Accusativo. *Val. Flacc.* 5. 316. tantumque fretis enavimus orbem. *h. e.* navigando trajecimus. *Sil. It.* 3. 662. Has observatis valles enavimus astris. *h. e.* terrestri itinere transcucurrimus. *Id.* 15. 375. Forsan et enasset rapidi freta sæva pericli. *h. e.* evasisset. *Al. leg.* evasset *syncope pro* evasisset.

ĒNŌDĀTĒ, adverb. Comp. *Enodatius* et Sup. *Enodatissime.* — Enodate est nodis sublatis; sed occurrit translate tantum et est sublatis difficultatibus intelligendi, clare, perspicue. *Cic.* 1. *Invent.* 21. 30. Sua diligenter et enodate narrando. *Id.* 5. *Fin.* 9. 27. Hæc nobis enodatius explicanda sunt. *Augustin.* 5. *Confess.* 6. Enodatissime expedire. Adde *eumd.* 2. *Retract.* 57.

ĒNŌDĀTĬO, ōnis, f. 3. purgatio a nodis: sed occurrit translate tantum, et est explicatio, expositio. *Cic.* 3. *Nat. D.* 24. 62. Quid vos delectat illa explicatio, et enodatio nominum? Adde *eumd. Topic.* 7. 31.

ĒNŌDĀTOR, ōris, m. 3. qui enodat, et explicat. *Tertull. Pall.* 6. Primus enodator vocis. *h. e.* grammaticus. Al. minus recte leg. *edomator.*

ĒNŌDĀTUS, a, um. *V.* ENODO.

ĒNŌDIS, e, adject. sine nodo.

I.) Proprie. *Virg.* 2. *G.* 78. Aut rursum enodes trunci resecantur. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (14). Proceritas arborum enodi nitore spectabilis. *Capell.* 9. *p.* 307. Enodis arundo. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. In scirpis enodibus nidorum strues imposita. *Claudian.* III. *Rapt. Pros.* 360. Enodes cedri. — Figurate. *Id.* 2. *in Eutrop.* 361. Quis magis enodes laterum detorqueat artus? *h. e.* enervatos, exosses: quod est mollium et effeminatorum.

II). Translate ponitur pro eo, quod sine difficultate est. *Plin.* 5. *Ep.* 17. Scripta erant elegis fluentibus, et teneris, et enodibus, sublimibus etiam verbis.

ĒNŌDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* nodus). Part. *Enodatus* I., II. et in fin.; *Enodandus* II. — Enodo est nodis purgo, nodis exsolvo (It. *snodare*; Fr. *enlever le nœuds, dénouer*; Hisp. *desanudar*; Germ. *von Knoten befreien*; Angl. *to free from knots, cut off the knots*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 33. Vitem bene enodatam deligato recte. *h. e.* ab nodis atque superfluis ramis diligenter purgatam. *Id. ibid.* 44. Bene enodato, stirpesque læves facito. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 14. Ulmi summæ virgæ falce debent enodari. — *Enodare arcum* apud *Apul.* 5. *Met. sub fin.* est solvere, et adempto nervo inutilem reddere.

II.) Translate de sermone accipitur pro explicare, declarare. *Accius* apud *Non. p.* 15. 7. *Merc.* Tu autem quod quæro abs te, enoda, et quis sis, explana. *Turpilius ibid.* Ab initio ut res sit gesta, enoda mihi. *Varro ibid.* Enodare aliquid subtilius. *Cic.* 2. *Invent.* 2. 6. Præcepta perspicue conscripsit, atque enodata diligenter exposuit. *Id.* 3. *Nat. D.* 24. 62. in enodandis nominibus laborabis. *h. e.* in explicanda origine atque etymo. *Id.* 2. *Herenn.* 10. 15. Contrariæ legis enodabimus voluntatem. *Gell.* 13. 10. Enodare laqueos juris. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla superius retulimus,

Enodatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Enodatior.* Translate *Fronto p.* 247. edente *A. Mai.* Vox enodata. *Boeth.* 1. *Geometr. a med. p.* 1207. Ut animus lectoris ad enodatioris intelligentiæ accessum ducatur.

ĒNŎPLĬUS, a, um, adject. ἐνόπλιος, qui inter arma versatur. *Mar. Victorin. art. gramm.* 2. *p.* 2560. *Putsch.* His logoœdici metri speciem, quæ et enoplius et Archebulius dicitur, non absurde conjunxerim adæque dactylici metri sobolem.

ĒNORMĀTĒ, adverb. *Gloss. Isid.* Enormate: cui addi, minuive nihil potest. *scil.* enormis est, aut ita magnus, ut major esse nequeat, aut ita parvus, ut minor esse non possit.

ĒNORMIS, e, adject. (ex *et* norma). Comp. *Enormior* 2. — Enormis dicitur et est qui est extra normam, aut mensuram (It. *fuor di squadra, regola o misura, enorme*; Fr. *qui est contre la règle*; Hisp. *enorme, desmesurado*; Germ. *von der Norm abweichend, unregelmässig*; Angl. *without rule, measure, or proportion, enormous*). Occurrit ¶ 1. Raro admodum stricto sensu. *Tac.* 15. *Ann.* 38. Huc et illuc flexi atque enormes vici. *h. e.* non directi, sed sine ordine tortuosi. *V. Liv.* 5. *in fin. Quintil.* 11. 3. 139. Togam rotundam esse et apte cæsam velim: aliter enim multis modis fiet enormis. ¶ 2. Sæpius latiori sensu de iis, quæ excedunt. — a) De rebus physicis. *Tac.* 2. *Ann.* 14. Enormes hastæ. *Id. Agric.* 36. gladii. *Id. ibid.* 10. Immensum et enorme spatium. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 12. 17. (88). Breves sunt umbræ, quamvis magnarum arborum, quæ in orbem ramos circinant, ut in malis pirisque: eædem enormes cerasis, lauris. *Id.* 9. *ibid.* 35. 56. (115). Uniones enormes. *Stat.* 1. *Silv.* 3. 51. Enormes colossi. *Sueton. Cal.* 50. Statura fuit eminenti, corpore enormi. *Ammian.* 28. 5. Enormia instrumenta. *Seneca Vit. beat.* 12. Quantâ arte scindantur aves in frusta non enormia. Cf. *eumd. Ep.* 47. Alius pretiosas aves scindit, pectus et clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in frusta excutit. — b) De abstractis. *Sueton. Vitell.* 17. Enormis proceritas. *Spartian. Get.* 6. Animis militum delinitis, enormibus etiam stipendiis datis. *Lamprid. Heliogab.* 10. Enormes divitiæ. *Seneca* apud *Gell.* 12. 2. *a med.* Virgilius duros quosdam versus et enormes et aliquid supra mensuram trahentes interposuit. *Spartian. Æl. Ver.* 1. *extr.* Nec debet prologus enormior esse, quam fabula. *h. e.* longior. *Petron. Satyr.* 2. Ventosa et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit. *Plin.* 9. *Ep.* 26. Omnis enim advertit, quod eminet et exstat: sed acri intentione dijudicandum est, immodicum sit an grande, altum an enorme. *Vopisc. Carin.* 16. Enormia vitia. *Apul.* 9. *Met.* Enormis senectâ. *h. e.* valde antiqua.

ĒNORMĬTAS, ātis, f. 3. figura extra normam.

I.) Proprie. *Quintil.* 9. 4. 27. In structura saxorum rudium etiam ipsa enormitas invenit, cui applicari, et in quo possit insistere.

II.) Improprie est excessus a norma. *Seneca Constant. sap.* 18. Exilitas crurum, enormitas pedum. *Spartian. Carac.* 2. Enormitate stipendii militibus placatis. Adde *Capitolin. Gord.* 29.; et *Veget.* 3. *Veterin.* 54. 1. et 59. 3.

ĒNORMĬTER, adverb. sine mensura, extra normam. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 7. Virgula vitrea conatur quidem reddere imaginem solis, quia levis est materia, et ad hoc habilis: sed non potest, quia enormiter facta est. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 10. 15. (72). Enormiter ejaculari umbram. *Id.* 37. *ibid.* 6. 23. (89). Si ex alio colore in se admittat aliquid enormiter. Adde *Veget.* 2. *Veterin.* 8. 2. et 28. 10.

ĒNŌTĀTUS, a, um. *V.* ENOTO.

ĒNŌTESCO, tescis, tŭi, tescere, n. inchoat. 3. notus fio. *Sueton. Oth.* 3. Qui tamen sic quoque hoc disticho enotuit. *Plin.* 2. *Ep.* 10. Enotuerunt quidam tui versus, et, invito te, claustra tua fregerunt. *Tac.* 3. *Hist.* 34. Quod ubi enotuit, etc. *Seneca* 3. *Benef.* 32. Ut eloquentia per gentes enotesceret.

ĒNŌTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* noto). Part. *Enotatus.* — Enoto est idem fere quod noto. *Plin.* 1. *Ep.* 6. Meditabar aliquid, enotabamque. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 16. *Quintil.* 1. 7. 27. Cui tribus, quas proposui, litteris enotamus. *Apul.* 9. *Met.* Sorte unica casibus pluribus enotata. *et ibid.* Signis nostris enotatis, investigationi dabant operam. *V.* ENOVO.

ĒNŎVĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒNŎVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. innovo. *Cic.* 1. *Acad.* (post.) 3. 11. Hæc ne obsolescerent, enovabam, quum licebat, legendo. *Al. melius leg.* renovabam. — *Petron. Satyr.* 93. Et pictis anas enovata pennis. *Al. melius leg.* enotata, *h. e.* distincta.

ENRHYTHMĬCUS, a, um, *vel*

ENRHYTHMUS, a, um, adject. ἐνρυθμικός et ἔνρυθμος, rhythmis et numeris constans. *Capell.* 8. *p.* 328. Tempora enrhythma. *Id. ibid. p.* 327. Genus musicæ enrhythmon. *Kopp.* ita legendum monet pro *enrhythmicus.* Græce occurrit etiam apud *Quintil.* 9. 4. 56.; ubi æque atque in *Capell.* loc. cit. ἔνρυθμον et ἄρρυθμον opponuntur.

ENS, entis, particip. præsentis temporis a verbo *sum.* Testatur *Priscian.* 18. *p.* 1140. *Putsch.* Cæsarem hoc participium protulisse (in libris, opinor, de Analogia) et quidem non incongrue. Nam inde

sunt *præsens*, *absens*, *potens*. *Quintil*. 8. 3. 33. a Sergio Flavio rhetore scribi *ens* et *essentia* formata fuisse: quæ tamen, inquit, dura admodum videntur (V. *Spalding*. ad h. l.). *Id*. 2. 14. 2. huic eidem Flavio tribuit hæc duo *essentia* atque *entia*: ubi τὸ *entia* videri potest substantivum. Utcumque se res habeat, non usurpaverim, quamvis *Priscian*. tam gravem Cæsaris auctoritatem interponat. Usurpavit tamen, substantivorum more, pro eo, quod exsistit, *Boeth. in Porphyr*. 3. *p*. 74. Ab eo enim quod dicimus *est*, participium inflectentes, Græco sermone ὤν, Latini *ens* appellaverunt. *Id. ibid. p*. 717. Sed plures aliarum disciplinarum ad ens esse dicuntur. *Id. ibid. p*. 26. Hæc igitur entia possunt appellari. Adde *eumd. ibid*. et alibi pluries. De *essentia V*. infra suo loco.

ENSĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* ensis, parvus ensis. *Plaut. Rud*. 4. 4. 112. Ensiculus aureolus literatus. — *Probus* apud *Priscian*. 3. *p*. 618. *Putsch*. ponit etiam *ensicula*, *æ*: sed nullo adstruit exemplo.

ENSĬFER, fĕra, fĕrum, adject. qui ensem fert. *Ovid*. 2. *Art. am*. 56. Ensifer Orion aspiciendus erit. *Al. leg*. ensiger. *Lucan*. 1. 665. Ensiferi nimium fulget latus Orionis. *Val. Flacc*. 3. 406. Ensifer Celeneus. *Stat*. 4. *Theb*. 321. Ensiferæ catervæ. *Id*. 2. *Achill*. 414. Ensiferi tumultus. *h. e*. ad arma vocantium.

ENSĬGER, gĕra, gĕrum, adject. ensifer, qui ensem portat. *Ovid*. 4. *Fast*. 388. Ensiger Orion æquore mersus erit. Adde *eumd*. 2. *Art. am*. 56. Utroque autem loco al. leg. *ensifer*.

ENSILIA, um, n. plur. 3. locus, in quo reponuntur enses. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p*. 126. Ensis, ensilia. *ubi tamen legendum videtur* ensicula. *V*. ENSICULUS.

ENSĬPŎTENS, entis, adject. fortis, strenuus, qui ense valet. *Coripp*. 1. *Laud. Justin*. 368. Nec non ensipotens membrorum robore constans. *Id*. 4. *Johann*. 925. Hic primum ensipotens rumpens inimica Johannes Agmina. *scil*. πρωτοσπαθάριος: quod item interpretandum est in *loc*. prius *cit*., ubi *ensipotens* est Narses itidem protospatarius.

ENSIS, is, m. 3. Vox poetica, in cujus assignanda origine valde laborant Etymologi. — Significat autem unum idemque ac *gladius* juxta *Quintil*. 10. 1. 11. Sunt autem alia verba hujus naturæ, ut idem pluribus vocibus declarent, ita ut nihil significationis, quo potius utaris, intersit, ut *ensis* et *gladius*. — Itaque ensis est gladius militaris (It. *spada*; Fr. *épée*, *glaive*; Hisp. *espada*; Germ. *d. Schwert*; Angl. *a sword*).

I.) Proprie. *Lucret*. 5. 1292. Inde minutatim processit ferreus ensis. *Vetus Poeta* apud *Cic*. 2. *Divinat*. 63. 130. Ferrea tum vero proles exorta repente est, Ausaque funestum prima' st fabricarier ensem. *Cic*. vertens Homeri versum in *fragm*. apud *Gell*. 15. 6. Qui quondam Hectorea perculsus concidit ense. *Virg*. 2. *Æn*. 392. clipeique insigne decorum Induitur, laterique Argivum accommodat ensem. *Horat*. 3. *Od*. 1. 17. destrictus ensis. *Id*. 2. *Sat*. 1. 40. vagina tectus. *Virg*. 7. *Æn*. 743. Micat æreus ensis. *Id. ibid*. 526. late Horrescit strictis seges ensibus. *Ovid*. 4. *Met*. 726. Falcatus ensis. *Id*. 5. *ibid*. 80. Hamatus ensis. *h. e*. Persei. Adde *eumd*. 4. *ibid*. 719. *Virg*. 10. *Æn*. 387. Ensem alicui in pulmone recondere. *Horat. Epod*. 17. 71. Ense pectus recludere. *Val. Flacc*. 2. 181. armare manus. *Ovid*. 2. *Pont*. 1. 66. auferre alicui caput. Adde *Virg*. 4. *Æn*. 664.; *Tibull*. 1. 3. 47.; *Horat*. 4. *Od*. 13. 19. et 1. *Sat*. 9. 31.; *Ovid*. 3. *Met*. 119. et 2. *Fast*. 99.; *Juvenal*. 1. 165.; et *Sil. It*. 9. 426. et 10. 334. *Liv*. 7. 10. Gallus —, projecto læva scuto, in advenientis arma hostis vanum cæsim cum ingenti sonitu ensem dejecit. — In illo *Virg*. 4. *Æn*. 261. atque illi stellatus iaspide fulva Ensis erat. *ensis* vel pro capulo, vel pro vagina ponitur. synecdoche. Simile est illud 11. *ibid*. 11. ensem collo suspendit eburnum.

II.) Improprie. ¶ 1. Per metonymiam ponitur pro bello et præliis. *Stat*. 4. *Silv*. 7. 45. Tu tuos parvo (*filio*) memorabis enses, Quos ad Eoum tulerls Orontem. *Sil. It*. 7. 167. ensibus ignotis. *h. e*. quum nulla bella essent, quod fuit aurea ætate. Cf. *Albinov*. 1. 235. perire arma inter et enses. *h. e*. in bello et acie. et 312. Terga dare ensibus. *h. e*. aciei, armis, viribus et impetu militum. ¶ 2. Item per metonymiam usurpatur pro imperio, cujus est insigne inter alia ei ensis. *Lucan*. 5. 61. sævum in populos puer accipis ensem. ¶ 3. Est *ensis* cæleste sidus, nempe Orion, qui a poetis *ensifer* dicitur. *Val. Flacc*. 2. 67. quo sidere vibret Ensis, et Arctœus oriens qua luce Bootes.

ENTĂTĬCOS. *V*. voc. seq. in fin.

ENTĂTĬCUS, a, um, adject. ἐντατικός, intentivus, vim intendendi habens. *Fulgent*. 3. *Mythol*. 7. Emplastrum entaticum, quod stysidem Africanus latrosophistes vocavit, pollici et talo imponendum præcepit. — Hinc

Entaticus vel *entaticos*, *i*, f. 2. absolute, substantivorum more, vocatur ab *Apul. Herb*. 15. herba satyrion, quod valeat ad intendendum penem.

ENTĔLĔCHĬA vel endelechia, æ, f. 1. ἐντελέχεια et ἐνδελέχεια ab ἐντελεχής *perfectus*. *Cic*. 1. *Tusc*. 10. 22. Aristoteles, quum quatuor illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quamdam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim, et providere, et discere, et docere, etc. horum quatuor generum inesse nullo putat. Quintum genus adhibet vacans nomine: et sic ipsum animum ἐντελέχειαν appellat novo nomine, quasi quamdam continuatam motionem et perennem. *Tertull. Anim*. 32. Si et atomos Epicuri tenerem, et numeros Pythagoræ viderem, et ideas Platonis offenderem, et entelechias Aristotelis occuparem. *Capell*. 2. *p*. 46. Aristoteles per cæli quoque culmina Entelechiam scrupulosius requirebat. *Id. Capell*. 1. *p*. 3. Psychen dicit filiam Solis et Entelechiæ.

ENTĔRŎCĒLE, es, f. 1. ἐντεροκήλη, hernia intestinorum, quando ea prolabuntur vel ad inguina, vel ad scrotum, et tumorem gignunt: ab ἔντερον *intestinum*, et κήλη *tumor scroti*. *Martial*. 10. 56. Enterocelarum fertur Podalirius Hermes. *Id*. 11. 84. Mitior implicitas Alcon secat enterocelas. *Plin*. 26. *Hist. nat*. 13. 83. (134). Equisetum enterocelen cohibet. Adde *Theod. Priscian*. 1. 26.

ENTĔRŎCĒLĬCUS, a, um, adject. qui enterocele laborat. *Plin*. 26. *Hist. nat*. 8. 49. (79). Quinquefolium enterocelicis dari atque illini, utilissimum est. Adde *eumd*. 32. *ibid*. 9. 33. (104). *Arnob*. 7. 34. Deos lienosos atque enterocelicos dicere. *Martial*. 12. 70. Atque olei stillam daret enterocelicus unctor.

ENTHĔĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *entheo*, numine afflatus, divino furore percitus, entheus. *Martial*. 12. 57. Nec turba cessat entheata Bellonæ. *h. e*. sacerdotes Bellonæ, qui se cultris feriebant, et furentes vaticinari credebantur.

ENTHĒCA, æ, f. 1. ἐνθήκη, repositorium: Græca vox ab ἐντίθημι pono.

I.) Proprie est repositorium pecuniæ apud *Augustin. serm*. 42. *de divers*. Enthecam nobis habere non licet. Non enim est episcopi servare aurum. — Latius etiam sumitur pro dote prædii, de qua in DOS dictum est: habenturque non uno in loco hujus significationis testimonia in libris Digestorum: Græce tamen plerumque. Nam quod afferunt ex *Ulp. Dig*. 32. 1. 68. Prædiis, cum his enthecis, quæ in ea possessione sunt, relictis, etc. *Haloander* edidit σὺν ταῖς ἐνθήκαις. — Est etiam dos, vel assignatio quæcumque ad aliquid faciendum. *Inscript*. apud *Lupulum*, *de inscript. Corfiniensi p*. 124., quæ est apud *Orell*. 3772. IDEM AD LAVACRVM BALNEARVM PVBLICARVM LIGNI DIBI VEHES X. CCCC. ENTHECAE NOMINE IN PERPETVVM OBTVLIT. — *Impp. Valentinian*. et *Valens Cod. Theod*. 15. 1. 12. vocant *enthecam populi romani* repositorium annonæ publicæ, seu potius ipsam annonam. *Iidem ibid*. 14. 3. 7. *enthecam pistrinorum* omne instrumentum et dotem pistrini. — *Entheca aulica* est principis privatum vini repositorium apud *Cassiod*. 12. *Variar*. 4. Comitis patrimonii relatione declaratum est, acinatitium, cui nomen ex acino est, enthecis aulicis fuisse tenuatum.

II.) Improprie. *Fulgent præfat. prisc. serm. p*. 558. *Merc*. Libellum, in quantum memoriæ entheca subrogare potuit, absolutum tribui.

ENTHĔCĀTUS, a, um, adject. repositus in theca. Translate. *Fulgent. Mythol*. 1. Quidquid Helicon verbalibus horreis enthecatum possederat.

ENTHĔRISTOS, on, adject. qui pro *eutheriston* occurrit apud *Plin*. 12. *Hist. nat*. 25. 54. (114). in *Palimps. Veronensi* edente *Mon*. V. EUTHERISTON. Ceterum *Dioscor*. 1. 18. id θεριστὸν vocat.

ENTHĔUS, a, um, adject. ἔνθεος. ¶ 1. Passive est numine afflatus, divino numine plenus, percitus, furens, sacer, divinus: ab ἐν in et Θεός *Deus*. *Seneca Med*. 382. Incerta qualis entheos, cursus tulit, Quum jam recepto Mænas insanit Deo. *Id. Troad*. 674. Deo percussa Mænas entheo silvas gradu, Armata thyrso terret. *Id. Œdip*. 628. Enthea gnatos manu lacerare. *Stat*. 3. *Silv*. 5. 97. Enthea fatidicæ templa Sybillæ. *Id*. 1. *ibid*. 2. 227. Enthea lauro tempora premere. *Martial*. 11. 84. Quum furit ad Phrygios enthea turba modos. ¶ 2. Active *enthea mater* apud *Martial*. 5. 41. est Cybele, sacerdotes suos in furorem vertens.

ENTHŪSIASTÆ, ārum, m. plur. 1. appellati sunt hæretici quidam, quorum meminit *Cod. Theod*. 16. 5. 65. § 5.

ENTHȲMĒMA, ătis, n. 3. ἐνθύμημα ab ἐνθυμέομαι *in animo verso*, *perpendo*, *cogito*, a θυμός *animus*. *Quintil* 5. 14. 25. Enthymema (quod nos commentum sane, aut commentationem interpretamur, quia aliter non possumus, Græco melius usuri) unum intellectum habet, quo omnia mente concepta significat: alterum, quo sententiam cum ratione: tertium, quo certam quamdam argumenti conclusionem, vel ex consequentibus, vel ex repugnantibus. Cf. *Boeth*. p. 832 Enthymema est mentis conceptio. et 2. *Geometr*. p. 1229. Enthymema, qui rhetoricus est syllogismus, Latine interpretatur mentis conceptio. et *mox*. Est quasi brevis animi conceptio. ¶ 1. Prima significatio tota Græca est: secunda refertur ad argumentum: tertia ad argumentationem, hoc est ad argumenti elocutionem et figuram. *Quintil*. 5. 14. 1. igitur enthymema et argumentum ipsum, idest rem, quæ probationi alterius adhibetur, appellant, et argumenti elocutionem. Eam vero dixi duplicem: ex consequentibus, quod habet propositionem, conjunctamque ei protinus probationem; quale pro Ligario (c. 6.): *Causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari posset: nunc melior certe ea judicanda est, quam etiam dii adjuverunt*. Habet enim propositionem probationemque: non habet conclusionem. Ita est ille imperfectus syllogismus. Ex pugnantibus vero, quod etiam solum enthymema quidam vocant, fortior multo probatio est. Tale est Ciceronis pro Milone (c. 29.): *Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis*. Hactenus *Quintil*. — Itaque quum enthymema dicitur imperfectus syllogismus, vel ideo dicitur, quia per pauca effertur, sive desit propositio, sive assumptio, sive conclusio: vel ideo quia non necessario concludit. *Id*. 5. 10. 1. Apodixis est evidens probatio. Hanc et ab epicheremate differre Cæcilius putat solo genere conclusionis, et esse apodixim imperfectam, epicherema: eadem causa, qua diximus, enthymema a syllogismo differre. ¶ 2. Enthymemata præcipue rhetorum sunt, et ex contrariis fiunt. *Cic. Topic*. 13. 55. Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quæ ipsi enthymemata appellant: non quod non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur; sed ut Homerus, propter excellentiam, commune poetarum nomen efficit apud Græcos suum; sic quum omnis sententia enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrariis conficiatur, acutissima, sola proprie nomen commune possedit. Ejus generis sunt: *Hunc metuere, alterum in metu non ponere. Eam, quam nihil accusas, damnas: bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri. Id, quod scis, prodest nihil; id, quod nescis, obest*. Hæc *Cic*. Adde aliud exemplum ex eodem apud *Gell*. 1. 4. — Neque vero ita solum oratorum proprium est, ut non et a philosophis dialecticis adhibeatur, uti docet *Cic. Topic*. 14. 56. Quare *Juvenal*. dialecticæ tribuit, 6. 447. Non habeat matrona tibi quæ juncta recumbit, Dicendi genus, aut curtum sermone rotato Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.

ENTHȲMĒMĂTĬCUS, a, um, adject. ἐνθυμηματικός, ad enthymema pertinens. *C. Jul. Victor*. (edente *A. Maio*) *art. rhet*. 11. *ante med*. Alii postea adjecerunt (*enthymema*) enthymematicon: *Quod si apparet, huic numquam officio pecuniam fuisse potiorem, certe eum liberalem judicari oportet*. Non enim pugnant hæc inter se, sed consecuntur; et hæc est forma enthymematicon, quod ap-

pellatur dicticon, et fit a consequentibus. *et mox.* Paradigmaticon enthymema, quamquam ad exemplum se refert, hoc tamen differt ab exemplo, quod exemplum per se positum probationem adjuvat, conversum autem in speciem argumenti formam accipit paradigmatis enthymematici.

ENTHYMĒSIS, is, f. 3. ἐνθύμησις, animatio, animæ infusio: item cogitatio, inventum. *Tertull. adv. Valentin.* 9. *extr.* Totam enthymesin, idest animationem cum passione, quæ insuper acciderat, exposuit. Adde *eumd. advers. Hæretic.* 7.

ENTHUSIASMOS, i, m. 2. ἐνθουσιασμός, furor divinus; ab ἐνθουσιάζω furo. *Mar. Victorin. art. gramm.* 4. *p.* 2607. *Putsch.* Inducit enim voluptatem, iram, enthusiasmon, veluti sacri furoris instinctum, ut Græci vocant, quo fatidici vates spirant. Adde *eumd. ibid. paullo post.*

ĒNŪBĪLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒNŪBĪLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* nubilo). Part. *Enubilatus* et *Enubilandus* II. — Enubilo est nubibus purgo, clarum facio.

I.) Proprie. *Tertull. Apolog.* 35. Clarissimis lucernis vestibula enubilabant.

II.) Translate. *Paulin. carm.* 21. 667. Enubilatam veritatem cernimus. *Augustin.* 4. *Doctr. Christ.* 10. *a med.* Sicut gratus est, qui cognoscenda enubilat: sic onerosus est, qui cognita inculcat. *Tertull. Anim.* 3. Ea erunt Christianis enubilanda. *h. e.* declaranda.

ĒNŪBO, bis, psi, ptum, bere, n. 3. (ex *et* nubo) est ¶ 1. Extra suum ordinem nubere. *Liv.* 10. 23. Virginiam A. F. patriciam plebejo nuptam L. Volumnio Cos., quod e patribus enupsisset, matronæ sacris arcuerant. Adde *eumd.* 4. 4. ¶ 2. Item simpliciter nubere. *Liv.* 26. 34. Ipsos liberosque eorum et conjuges vendendas, extra filias, quæ enupsissent prius, quam in populi Romani potestatem venirent.

ĒNŪBRO, inhibenti. *Paul. Diac. p.* 76. 16. *Müll.* Videtur autem loqui de auspiciis, quæ contraria sunt et aliquid fieri prohibent. *Gloss. Philox.* Enubra, ἐναντία. *V.* INEBRÆ.

ĒNŪCLĔĀTĒ, adverb. Comp. *Enucleatius* et Sup. *Enucleatissime.* — Enucleate est enucleando, ideoque aperte, nude, simpliciter. *Non.* quoque *p.* 60. 5. *Merc.* exponit purgate, exquisite, et sine asperitate, aut duritia: ab eo quod nucibus separatis, idest testis, nucleorum utilis usus habeatur. Sed occurrit translate tantum de oratione. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 3. De aqua et via nihil prætermisi quadam epistola, quin enucleate ad te perscriberem. *Id. Brut.* 30. 115. Enucleate et polite dicere. *Id. ibid.* 9. 28. Subtiliter, presse, enucleate dicere: nihil contra grande, incitatum, ornatum. *Id.* 4. *Fin.* 3. 6. Qui grandia ornate vellent, enucleate minora dicere. *Id.* 4. *Tusc.* 14. 33. Quæ de perturbationibus enucleate disputabant Stoici, quæ logica appellant, quia disseruntur subtilius. *Cassiod. Instit. divin. litt.* 15. Quod si enucleatius hæc nosse desideratis. *Augustin. Don. persever.* 53. Quid autem coegit loca Scripturarum copiosius et enucleatius nostro labore defendi? Adde *Boeth. interpr. in Aristot. edit. alt. p.* 306. Rursus *Augustin. Enchirid.* 53. Enucleatissime disputare.

ĒNŪCLĔĀTIM, adverb. Idem quod enucleate. *Priscian.* 12. *p.* 941. *Putsch.* Enucleatim (*h. e.* simpliciter, nulla prorsus habita aliarum personarum ratione) tamen in singulari numero prima dicitur persona: nam in plurali conceptionem facit aliarum personarum.

ĒNŪCLĔĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒNŪCLĔO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* nucleus). Part. *Enucleatus* in omnibus paragr. et in fin.; *Enucleandus* II. 1. et 2. — Enucleare est id quod caul est, e nuce aliisque pomis extrahere, atque a putamine aut nucleo purgare (It. *aprire le noci, purgare dal nocciolo*; Fr. *ôter le noyau*; Hisp. *quitar el cuesco*; Germ. d. *Kern herausbringen*; Angl. *to take out the kernel*).

I.) Proprie. *Marcell. Empir.* 20. Enucleatæ baccæ juniperi. *Apic.* 4. *extr.* Duracina purgas, enucleas. *Gargil. de pomis* 13. in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 421. edente *A. Mai.*; et *Pelagon.* 28. 30. Uva enucleata. Sic *Scribon. Compos.* 233. Item uva passa enucleata, contusa ac mista ejusdem mensuræ vel ponderis.

II.) Translate. ¶ 1. Est purgare, adeoque eligere, digerere. *Veget.* 4. *Veterin. proœm.* 2. Cedens itaque familiarium honestissimæ voluntati ex diversis auctoribus enucleata collegi, pedestrique sermone in libellum contuli. Huc spectat etiam *tit.* 17. *lib.* 1. *Cod. Justin.* qui inscribitur *De veteri jure enucleando.* ¶ 2. Item aperire, explicare, ab obscuritatibus aut difficultatibus purgare. *Cic.* 5. *Tusc.* 8. 23. Hæc nunc enucleare non ita necesse est. *Id. Partit. orat.* 17. 57. Cito arescit lacrima, præsertim in alienis malis: nec quidquam in amplificatione nimis enucleandum est: minuta est enim omnis diligentia; hic autem locus grandia requirit. Cf. *ejusdem fragm. pro Scauro* (edente *A. Peyronio*) *p.* 78. Non agam igitur cum ista Sardorum conspiratione, et cum expresso, coacto sollicitatoque perjurio subtiliter, neque acu quædam enucleata argumenta conquiram. *Gell.* 19. 8. Quæri ista omnia et enucleari et excuti ab hominibus negotiosis non queunt. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla et supra retulimus,

Enucleatus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Enucleatior* sub *a.* Occurrit autem translate, et est purgatus, purus, simplex. — *a*) Generatim. *Cic. Planc.* 4. 10. Illud debes putare, comitiis ædiliciis studium esse populi, non judicium: eblandita illa, non enucleata esse suffragia. *h. e.* suffragia ex corde, ex intimo animi sensu. *Gell.* 7. 3. *a med.* Neque tenues istas et enucleatas voluntatum in rebus illicitis reprehensiones, quælia in philosophorum otio disputantur, magni fecit. *h. e.* puras et nudas reprehensiones voluntatum nudarum et inanium, ut *ibid.* mox loquitur. *V.* integrum locum. *Priscian. proœm. p.* 534. *Putsch.* Quid Apollonii scrupulosis quæstionibus enucleatius possit inveniri? Quum igitur eos omnia fere vitia, quæcumque antiquorum commentariis sunt relicta artis grammaticæ, expurgasse comperio, etc. — *b*) Specialim de oratione. *Cic. Orat.* 26. 91. Genus dicendi enucleatum. *h. e.* quo utitur submissus orator et tenui stilo utens, in quo orationis ornamenta parcissime adhibentur. Adde *eumd.* 3. *Orat.* 9. 32.

ĒNŪDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* nudo). Part. *Enudatus* II. 2. — Enudare est detractis vestibus vel integumentis nudare.

I.) Proprie. *Reposian. Concub. Mart. et Ven.* 102. Quum nec tota latet, nec tota enudat amorem. *h. e.* membra amabilia.

II.) Translate. ¶ 1. Pro exponere, manifestare, interpretari. *Cic.* 1. *Legg.* 9. 26. Rerum plurimarum obscuras et necessarias intelligentias (*natura homini*) enudavit. *Orellius* legit *obscurarum necessarias.* Ceterum locus totus est corruptus: et alii *enodavit*, alii *enucleavit*, alii *inchoavit*, alii denique aliter legunt. ¶ 2. Item pro privare, spoliare. *Cassiod.* 10. *Variar.* 13. Ut nec Roma suis civibus enudetur. *Id.* 4. *ibid.* 50. Agrorum fructibus enudati subleventur onere tributariæ functionis.

ĒNŪMĔRĀTIO, ōnis, f. 3. actus enumerandi. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Legg.* 10. 23. Enumeratio malorum. *Id. Brut.* 36. 138. Versari in enumeratione oratorum. *Id. Cluent.* 24. 64. Enumeratio singulorum argumentorum. ¶ 2. Specialim apud Rhetores — *a*) Est pars perorationis, in qua res, disperse et diffuse dictæ, unum in locum coguntur et reminiscendi causa unum sub aspectum subjiciuntur, ut *Cic.* 1. *Invent.* 52. 98. definit. Adde *eumd.* 2. *Herenn.* 30. 47.; et *Quintil.* 4. 5. 1. et 11. 3. 70., qui 5. 14. 11. *enumerationem* et *conclusionem* conjungit, et 6. 1. 1. *enumerationem* Græcæ ἀνακεφαλαίωσις respondere affirmat. *Capell.* 5. *p.* 186. Epilogus enim tres habet partes, enumerationem prædictam (quam *Capell.* vocat *anacephalæosin*), indignationem, quam δείνωσιν dicimus, miserationem, quam οἶκτισμα vel ἔλεον memoramus. — *b*) Item exornatio oratoria, qua pluribus rebus expositis, et ceteris infirmatis, una reliqua necessario confirmatur: ut si dicas; Si iste occidit, aut inimicitiæ causa id fecit, aut spe, aut metus, aut alicujus amici gratia: aut si horum nihil est, non occidit. Constat autem, neque inimicitiam interfuisse, neque metum, etc. Ergo non occidit. *Cic.* 1. *Invent.* 29. 45.

ĒNŪMĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒNŪMĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* numero). Part. *Enumerans* 2.; *Enumeratus* 1. et 2.; *Enumeraturus* et *Enumerandus* 2. — Enumerare est idem quod numerare, vel plene et usque ad ultimum numerare (It. *numerare, contare*; Fr. *compter entièrement*; Hisp. *contar, numerar enteramente*; Germ. *auszählen oder ausrechnen, daher überzählen, abschätzen, hinzählen*; Angl. *to enumerate, recount*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu — *a*) De pecunia. *Plaut. Asin.* 2. 4. 90. Quamquam ego sum sordidatus, frugi tamen sum, nec potest peculium enumerari. *h. e.* non est quod me æstimes ex vilitate vestis; tantum enim fideli frugalitate consecutus sum peculii, ut eo nemini cedam, sive ut id numerari non possit. Alii tamen aliter interpretantur. *Ter. Adelph.* 2. 2. 28. Jamne enumerasti id quod ad te rediturum putes? *h. e.* jamne enumerasti et rationem satis subduxisti, quantum sit id quod ad te redibit, sive quantum lucri sis facturus? *Cic. Rosc. Am.* 46. 133. Authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. — *b*) De tempore. *Cæs.* 3. *B. C.* 105. Repetitis et enumeratis diebus, quo die etc. ¶ 2. Latiori sensu de oratione dicitur, et est narrando et ordine recensere. *Cic. post redit. ad Quirit.* 2. 5. Nemo est, qui vestrorum multitudinem beneficiorum non modo augere aut ornare oratione, sed enumerare aut consequi possit. *Id.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Enumerare possum, quæ sit in figuris animantium, et quam solers subtilisque descriptio partium etc. *Id.* 4. *Verr.* 33. 82. Dixi jam antea, me non omnia istius, quæ in hoc genere essent, enumeraturum. *Sall. Cat.* 51. Quæ belli sævitia esset, quæ victis acciderent, enumeravere. *Nepos Lysand.* 2. Ne de eodem plura enumerando fatigemus lectores. *Id. Att.* 18. Juniam familiam a stirpe ad hanc ætatem ordine enumeravit. *Id. Hann.* 5. Longum est enumerare prælia etc. *Liv.* 3. 58. Septem et viginti enumeratis stipendiis. *Propert.* 2. 1. 44. Enumerat miles vulnera, pastor oves. *Virg.* 4. *Æn.* 333. Ego te, quæ plurima fando Enumerare vales, numquam, regina, negabo Promeritam. *Ovid.* 3. *Fast.* 719. Enumerare triumphos. *Curt.* 6. 3. 4. Et nescio, an enumeranti mihi, quædam ipsarum rerum multitudo subduxerit. *Sueton. Claud.* 29. Enumerare minora quoque. Adde *eumd. Aug.* 51. *Id. Cæs.* 55. oratores. *Quintil.* 1. 10. 4. Enumerent etiam fortasse multos, quamlibet utiles foro. *Id.* 6. 1. 2. Quæ enumeranda videntur. *Id.* 7. 2. 45. Enumerans plurimas occasiones. *Id.* 4. 1. 26. Quæ sint in causis favorabilia, enumerare non est necesse. *Id.* 6. 5. 10. Infinitum est enumerare, ut Cottæ detraxerit auctoritatem etc. Adde *Vellej.* 2. 52. 3.

ĒNUMQUAM, ecquando. *Paul. Diac. p.* 76. 7. *Müll.* V. EN. Ceterum *enumquam* non modo sæpe legitur apud *Plaut.*, sed etiam apud *Ter.*, *Virg.* et *Liv.* Similiter *Gloss. Labb.* Enumquam, εἴποτε καί ποτε. *Gloss. Placidi* edente *A. Mai. p.* 461. En umquam, et quando. *lege* ecquando.

ĒNUNCĬĀTĬO *vel* enuntiatio, ōnis, f. 3. actus enunciandi. Hinc — *a*) Est propositio, enunciatum, effatum. *Cic. Fat.* 10. 20. Non omnis enunciatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut vera, aut falsa erit. *Id. ibid.* 12. 27. Hæc enunciatio vera esse non potest: capiet Numantiam Scipio. — *b*) Item explicatio, expositio. *Quintil.* 7. 3. 2. Finitio est rei propositæ propria et dilucida et breviter comprehensa verbis enunciatio. Adde *eumd.* 9. 1. 23. — *c*) Item manifestatio. *Quintil. Declam.* 272. Enunciatio voluntatem habet, et animum non coactum: confessio expressam dolore multo necessitatem.

ĒNUNCĬĀTĪVUS *vel* enuntiativus, a, um, adject. qui enunciandi, seu manifestandi vim habet. *Seneca Ep.* 117. *ante med.* Motus animorum enunciativi corporum. *et mox.* Dico, Cato ambulat: non corpus quidem est, quod nunc loquor, sed enunciativum de corpore: quod alii effatum vocant, alii enunciatum, alii edictum. Adde locum *Diomed.* cit. in v. ENARRATIVUS.

ĒNUNCĬĀTOR *vel* enuntiator, ōris, m. 3. qui enunciat. *Inscript.* apud *Cardinal. Iscriz. Velitern. n.* 87., quæ est apud *Orell.* 2614. L. MARIUS AUCTUS ENUNTIATOR AB SCAENA ORAECA. *scil.* qui in scena prologum recitabat; vel actorum recitationem docebat et moderabatur; Italice *suggeritore.*

ĒNUNCĬĀTRIX *vel* enuntiatrix, īcis, f. 3. quæ enunciat. *Quintil.* 2. 15. 21. Theodorus Gadareus ita dicit (ut ipsis eorum verbis utar, qui hoc ex Græco translaterunt): Ars inventrix, et judicatrix, et enunciatrix decente ornatu, etc. *h. e.* rhetorica. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 771. lingua interpres animi, enunciatrix sensuum.

ĒNUNCIĀTUM *vel* enuntiatum, i, n. 2. *V.* ENUNCIO in fin.

ĒNUNCIĀTUS *vel* enuntiatus, a, um. *V.* ENUNCIO.

ĒNUNCIĀTUS *vel* enuntiatus, us, m. 4. idem quod enunciatio. *Mar. Victorin. art. gramm.* 1. p. 2481. *Putsch.* Hæ tamen (*litteræ*), ut supra diximus, sub uno enunciatu conjunctæ communem syllabam, divisæ autem longam efficient. *Gaisford.* ita edidit: at *Putsch.* habet *enunciato.*

ĒNUNCIO *vel* enuntio, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* nuncio). Part. *Enunciatus* I. et II.; *Enunciaturus* I.; *Enunciandus* II. — Enunciare est quod arcanum erat, detegere, aperire, edere, evulgare (It. *tradendo il segreto scoprire, manifestare, rivelare, palesare;* Fr. *rapporter, exposer, ébruiter, trahir, dévoiler, divulguer;* Hisp. *descubrir, manifestar lo que se tenia oculto, escondido;* Germ. *etwas hinausverkündigen mit Verletzung d. Geheimhaltung, verrathen, ausplandern;* Angl. *to publish, spread abroad, divulge, disclose, reveal*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accusativo rei tantum. *Plaut. Trin.* 1. 2. 106. Ut quod meæ concreditum'st taciturnitati clam – ne enunciarem. *Cic.* 1. *Orat.* 26. 119. Enunciabo – quod adhuc semper tacui et tacendum putavi. *Id. Mur.* 11. 25. Etiam si quid apud majores nostros fuit in isto studio admirationis, id, enunciatis vestris mysteriis, totum est contemptum et abjectum. Cf. *eumd.* 1. *Orat.* 47. 206. Enunciare mysteria dicendi. et *Justin.* 5. 1. 1. Alcibiades absens Athenis insimulatur, mysteria Cereris initiorum sacra, nullo magis quam silentio solemnia, enunciavisse. Rursus *Cic. Rosc. Am.* 40. 117. Iste, qui initio proditor fuit, deinde perfuga, qui primo sociorum consilia adversariis enunciavit, etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 17. Consilia nostra hostibus enunciavi. *Id. ibid.* 4. Ea res, ut est Helvetiis per indicium enunciata, etc. *Liv.* 10. 38. Adigebatur jurejurando, quæ visa auditaque in eo loco essent, non enunciaturum. Adde *eumd.* 23. 35. et 25. 9. *Sall. Cat.* 28. Ea (*h. e.* quæ a Catilina ceterisque conjuratis parabantur) quum Ciceroni enunciarentur, etc. *Alii leg.* nunciarentur. Huc referri potest et illud *Planci* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. Optimæ mentis cogitata jampridem, maturo tempore enunciare. — *b*) Omisso Accusativo rei, qui tamen facile subintelligitur. *Nepos Pausan.* 4. Tanto magis Pausanias perturbatus orare cœpit, ne enunciaret, nec se meritum de illo optime proderet. *Cæs.* 1. *B. G.* 30. Ea re permissa, diem concilio constituerunt, et jurejurando, ne quis enunciaret, nisi quibus communi consilio mandatum esset, inter se sanxerunt. — *c*) Sequente relativo. *Curt.* 3. 6. 7. Diu animo in diversa versato, nulli, quid scriptum esset, enunciat. — *d*) Sequente Accusativo cum Infinito. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 66. Ne enunciet id esse facinus a te exortum.

II.) Improprie est pronunciare, dicere, proferre. *Cic.* 2. *Fin.* 7. 20. Gravissimæ sunt ad beate vivendum breviter enunciatæ sententiæ. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 95. Fundamentum dialecticæ est, quidquid enuncietur (id autem appellant ἀξίωμα, quod est quasi *effatum*) aut verum esse, aut falsum. *Id.* 3. *Orat.* 42. 168. Videtis profecto genus hoc totum, quum inflexo commutatoque verbo res eadem enunciatur, ornatius. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 6. Quibusnam quisquam enunciare vobis poterit hæc ipsa de vita et moribus etc. *Cæsellius* apud *Gell.* 7. 2. Masculino genere *cor* enunciavit Ennius. *Sueton. Tib.* 71. Per ambitum verborum vim enunciandam censuit. *Quintil.* 12. 10. 6. Quæ proprie signari poterant, circuitu cœperunt enunciare. *Id.* 3. 3. 1. Enunciare voluntatem aliquam. *Id.* 8. 3. 38. obscœna. *Id.* 2. 5. 11. Sermo rectus et secundum naturam enunciatus, nihil habere ex ingenio videtur. *Id.* 1. 7. 28. Litteræ, quæ scribuntur aliter quam enunciantur. Adde *eumd.* 1. 5. 27., 11. 2. 47., 2. 11. 4. et alibi sæpe. — Hinc

Enunciatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est enunciatio, effatum. *Cic. Fat.* 9. 19. Epicurus concedens omne enunciatum aut verum, aut falsum esse. Adde *eumd. ibid.* 12. 28.; et *Senecæ* locum alterum in v. ENUNCIATIVUS.

ĒNUNCŪPO, as, are, a. 1. palam nuncupo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 73.

ĒNUNDĬNO, as, are, a. 1. mercari. *Tertull. Idolol.* 9. Spiritum Sanctum enundinare.

ĒNUNTĬĀTĬO, ĒNUNTĬĀTĪVUS, ĒNUNTĬĀTOR, ĒNUNTĬĀTRIX, ĒNUNTĬĀTUM, ĒNUNTĬĀTUS, ĒNUNTĬO. *V.* ENUNCIATIO, ENUNCIATIVUS, etc.

ĒNUPTĬO, ōnis, f. 3. actus enubendi. *Liv.* 39. 19. Ut Hispalæ Feceniæ datio, deminutio, gentis enuptio, tutoris optio ita esset, etc. *V.* ENUBO 1.

ĒNUTRĬO, is, īvi, ītum, ire, a. 4. (ex *et* nutrio). Part. *Enutritus* I. et II.; *Enutriendus* II. — Enutrio est idem quod nutrio, vel perfecte et complete nutrio.

I.) Proprie. *Ovid.* 4. *Met.* 288. puerum diva Cythereide natum Najades Idæis enutrivere sub antris. *Colum.* 3. *R. R.* 3. 4. Sata non ita (*coloni*) enutriunt, ut convalescant. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 37. 61. (131). Purpurarum genus luteosæ putre limo, et algeusæ enutritum alga. *Id.* 12. *ibid.* 1. 4. (8). Ut mero infuso enutriantur (*arbores*).

II.) Translate. *Quintil.* 8. *proœm.* 2. Ingenia alenda et enutrienda. *Vitruv.* 2. 1. Unde origines ædificiorum sint institutæ, et quibus rationibus enutritæ et progressæ sint gradatim ad has finitiones.

ĒNŪTRĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

EO

EO, is, īvi *vel* ii, itum, īre, n. anom. — *a*) Quod attinet ad formas breviatas, de *ii* pro *īvi* V. *Lachmann* ad *Lucret.* 3. 1042. — *Issem, isses, isset* et *isse,* syncope est pro *ivissem, ivisse. Cic.* 12. *Phil.* 12. 28. et 3. *Verr.* 44. 113.; *Ovid.* non semel, *Propert., Plaut., Stat., Sil. It.* etc. — *Isti* pro *ivisti* est *Turpilii* apud *Non. p.* 325. 5. *Merc.* Et *istis* pro *ivistis* habet *Lucan.* 7. 834. — *b*) *Irier* pro *iri* per paragogen dixit *Plaut. Rud.* 4. 7. 16.: *V.* infra sub II. 6. 2.° — *c*) Quod ad formas eteroclitas attinet, in futuro pro *ibo, ibis, ibit,* in compositis *iam, ies, iet* inveniri quidam putant, ut *inietur* apud *Cic.* 2. *leg. Agr.* 25. 67., et *transiet* apud *Tibull.* 1. 4. 23., ubi tamen *Heynius* contendit legendum *transiit,* et *iniet* apud *Senec.* 2. *Benef.* 1., et *redies* apud *Apul.* 6. *Met.*, et *exiet* apud *Tertull. advers. Jud.* 13. ex *Matth.* 2. 6., item in *Inscript.* apud *Gruter.* 755. 1., quam affert *Achill. Stat.* ad *loc. cit. Tibulli,* at apud *Gruter. loc. cit.* legitur *exiat* pro *exeat,* et *obiet* apud *eumd. Gruter.* 1119. 4., et *prodient* apud *Lactant.* 7. 16. *in fin.* Verum hæc omnia dubiæ sunt lectionis (excepto *Tertull.* et *Sapient.* 16. 19., ubi habetur *disperient* pro *disperibunt,* et *veniet* pro *venibit* (*V.* VENEO) et inscriptione altera, quæ tamen optimæ notæ non est) et cum probata consuetudine pugnant. — *d*) Passive impersonaliter occurrit — *Itur* apud *Cic.* 6. *Verr.* 45. 100. Itur in consilium. *Virg.* 6. *Æn.* 179. Itur in antiquam silvam. *Id.* 9. *ibid.* 641. sic itur ad astra. Adde *Senec. Ep.* 73.; *Quintil.* 1. 4. 28. et 11. 3. 133.; *Juvenal.* 1. 89. et 4. 65.; et *Claudian. ad Prob.* 6. — *Ibitur* apud *Plaut. Truc.* 3. 1. 21. Ibitur: ne me morari censeas. Adde *eumd. Trin.* 2. 4. 177. — *Itum est* apud *Ovid.* 1. *Met.* 138. itum est in viscera terræ. Adde *Vellej.* 2. 48. 2.; *Flor.* 1. 9. 8.; et *Ammian.* 24. 7. et 25. 5. — *Eatur* apud *Senec. Med.* 460. Eatur: regius jussit gener. *Sueton. Cæs.* 32. Eatur, inquit, quo deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat. — *Iretur* apud *Petron. Satyr.* 118. Non viderunt viam, qua iretur ad carmen. — *Iri* et *itum esse* apud *Cic.* 2. *Att.* 1. *circa med.* Non esse itum obviam, ne tunc quidem, quum iri debuit maxime. *Id.* 9. *ibid.* 18. Senatui non placere, in Hispanias iri, nec exercitus in Græciam transportari. — De infinito *iri* cum participiis præteriti temporis, *V.* infra sub II. 6. 2.° — *Eundum est,* h. e. ire oportet, vulgo passimque dicitur. *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 14. Dicite, lectores, si non grave, qua sit eundum. *Sall. Cat. orat. Lepidi* 4. Agendum atque obviam eundum est. Adde *Juvenal.* 3. 316. — *e*) *Eundus* passive usurpatur a *Claudiano,* ubi ait, 2. *in Eutrop.* 419. non exploratur eundæ Vitandæve viæ. — *f*) Participia sunt *Iens, euntis,* et *Iturus. Cic.* 4. *Att.* 9. Iens in Pompejanum, bene mane hæc scripsi. *Id.* 16. *ibid.* 1. Postridie iens ad Brutum. *Retroiens* dixit *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 21. De obliquis casibus, et de *iturus* exempla passim. Pro *euntis* aliquando *ientis* dictum est: non tamen imitandum. *Inscript.* apud *Murat.* 337. 5. et 439. IN AGRO VOLVSI BASILIDES IENTIBVS AB VRBE PARTE SINISTRA etc. — *g*) Infinitum *ire* tamquam Substantivum occurrit, et idiotismi recentiorum Italorum speciem habet apud *Jornand. Get.* 42. Dum ejus (*Attilæ*) animus ancipiti negotio inter ire et non ire fluctuaret. *h. e. fra l'andare e il non andare.* — Ceterum *ire*, quod cum Græco etymo εω et εἶμι conjungendum est, significat ambulare, vadere, pergere, iter facere (It. *andare, camminare, far viaggio;* Fr. *aller, marcher, s'avancer;* Hisp. *ir, andar, caminar, marchar;* Germ. *gehen;* Angl. *to go, walk, travel*).

I.) Proprie usurpatur de hominibus et ceteris animantibus, et dicitur de quocumque corporeo motu, quo a loco ad locum transgredimur: sæpenumero additur et instrumentum, quo ad motum efficiendum utimur, ac propterea *ire* non modo ambulare ac vadere significat, verum etiam equitare, curru vehi, navigare, natare, currere et similia. Itaque ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Phil.* 32. 78. Cæsari ex Hispania redeunti obviam longissime processisti. Celeriter isti, redisti, ut cognosceret te, si minus fortem, attamen strenuum. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 10. Ire tenebris. *h. e.* noctu ambulare. — *b*) Cum Accusativo personæ aut loci et præpos. *ad. Plaut. Asin.* 2. 3. 14. Ire ad tonsorem. *Ter. Andr.* 3. 4. 20. et *Nepos Dion.* 9. ad aliquem. *h. e.* ad domum alicujus. Sic *Liv.* 34. 19. Ire in colloquium ad aliquem. *Val. Flacc.* 7. 17. ad urbes Ausonias. *Ammian.* 15. 2. ad Græciam. *h. e.* ut litteris ac scientiis opera detur. *Plaut. Most.* 1. 1. 71. Nunc jam i rus, teque amove. *Ter. Andr.* 3. 4. 15. Domum modo ibo. *Id. Phorm.* 2. 1. 82. Ire ad forum. *Id. ibid.* 5. 6. *in fin.* ad mercatum. *Id. Eun.* 3. 2. 6. ad cœnam. Adde *eumd. ibid.* 2. 2. 35.; et cf. *Nepot. præfat.* 4. *Ovid.* 4. *Fast.* 167. ad opus. *Curt.* 5. 9. 7. ad mortem. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *in. Liv.* 42. 34. *a med.* A Ti. Gracchо rogatus, in provinciam ii. *Quintil.* 3. 8. 19. Ire in Germaniam. *Lucan.* 8. 564. celsa de puppe carinæ In parvam jubet ire ratem. *Justin.* 2. 9. 11. Ire in pugnam. *Quintil.* 6. 3. 78. in exsilium. Cf. *Capell.* 1. p. 11. Virtus in cœlum itura sustollitur. *Plaut. Asin.* 5. 2. 91. I in crucem. *Id. Pseud.* 3. 2. 57. in malam crucem. *Ter. Phorm.* 5. 7. 37. I in malam rem. — *d*) Cum Accusativo et præpos. *sub. Sueton. Ner.* 48. Hortante eodem Phaonte, ut interim in specum egestæ arenæ concederet, negavit se vivum sub terram iturum. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 66. Ire sub furcam. — *e*) Cum Accusativo et præpos. *per. Liv.* 42. 36. Neminem eorum per Italiam ire licriturum. *Ovid.* 14. *Met.* 590. satis est inamabile regnum Aspexisse semel, Stygios semel isse per amnes. Cf. *Id.* 1. *Amor.* 6. 7. Ire per excubias custodum. — *f*) Poetice cum Accusativo sine præpos. ad itineris finem significandum. *Virg.* 1. *Ecl.* 65. At nos hinc alii sitientes ibimus Afros; Pars Scythiam et rapidum Cretæ veniemus Oaxen. *h. e.* Africam versus. Sic *Id.* 3. *Æn.* 253. ventisque vocatis ibitis Italiam. *Ovid. Heroid.* 10. 125. Ibis Cecropios portus. *Grat. Cyneg.* 54. Ire freta. *Sil. It.* 12. 368. Sardoos isse recessus. Cf. *Ter. Eun.* 3. 3. 30. Malam rem hinc ibis. *Alii tamen aliter leg.* — *g*) Item apud Poetas cum Acrus. *viam* vel *vias,* ut apud *Virg.* 6. *Æn.* 122. Itque reditque viam. *h. e.* per viam. *Id.* 4. *ibid.* 467. semper longam incomitata videtur Ire viam et Tyrios deserta quærere terra. Adde *Martial.* 6. 10. *Val. Flacc.* 3. 371. Ignotas jubet ire vias. Adde *Juvenal.* 14. 122.; *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 419.; et *Nazar. Paneg. Constant.* 5. — Eodem sensu cum addita præpos. *in* dixit *Val. Flacc.* 8. 168. Iremus et ambæ in quascumque vias. — Contra cum Ablativo *via Liv.* 44. 43. Celerius, quia recta expedita via ierant, pervenerunt. Adde *eumd.* 22. 2. — Et cum Ablat. et præpos. *in. Ter. Eun.* 3. 2. 42. Ire in via cum aliquo. — Similiter *Ire suppetias* apud *Auct. B. Afr.* 39. *V.* SUPPETIÆ. Item *Ire exsequias* apud *Ter. Phorm.* 5. 8. 37. (*V.* EXSEQUIÆ); et *Ire pompam funeris* apud *Ovid.* 6. *Fast.* 663. (*V.* POMPA). Hinc *ire* est etiam verbum funebre. Nam ad illud *Ter. Andr.* 1. 1. 90. Effertur, imus; *Donatus,* Efferri, inquit, dicuntur cadavera mortuorum, et *ire* proprie ad exsequias. *Virg.* 11. *Æn.* 24. Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere suo, decorate supremis Muneribus. — *h*) Poetice cum Dativo pro Accusativo. *Sil. It.* 15. 327. Cogitur ire sorori germanus ama-

tæ. *Propert.* 1. 20. 32. Hylas ibat Hamadryasin. Cf. *eumd.* 1. 15. 8. Ut formosa novo quæ parat ire viro. — *i*) Cum Supinis aliorum verborum. *Plaut. Cas.* 4. 4. 27. et *Pseud.* 3. 2. 57.; et *Cic. Rosc. Am.* 23. 64. Ire cubitum. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 23.; et *Horat.* 1. *Sat.* 6. 19. Ire dormitum. *Horat.* 1. *Od.* 2. 15. Ire dejectum. *V.* plura sub II. 6. 1.° — *l*) Cum Infinito. *Plaut. Most.* 1. 1. 63. Ego ire in Piræum volo in vesperum parare piscatum mihi. Et cum præpos. *ad* et Accusativo personæ. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 113. Ægram esse simulant mulierem: nostra illico it visere ad eam. Sic *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 21. Ibit ad affectam, quæ non languebit, amicam Visere. *V.* plura in VISO; et adde *Stat.* 5. *Silv.* 3. 10.; et *V.* infra sub II. 6. 3.° — *m*) Cum Particip. præs. *Liv.* 34. 48. Scipionem – cum collega per Bojorum Ligurumque agros populantem isse, quoad progredi silvæ paludesque passæ sint, scribunt. Cf. *Quintil.* 6. 4. 17. Ut errantem adversarium trahas et ire quam longissime cogas. — *n*) Cum Adjectivis. *Liv.* 2. 46. Q. Fabium – principem in confertos Vejentes euntem – gladio per pectus transfigit. *Catull.* 17. 8. Quemdam municipem meum de tuo volo ponte ire præcipitem in lutum per caputque pedesque. (Cf. translate *Sall. Cat.* 37. Sed urbana plebs ea vero præceps ierat multis de causis. *et Liv.* 2. 27. Adeo in alteram causam non collega solum præceps ierat, sed omnis factio nobilium. *Hic tamen alii aliter leg.*). *Sueton. Cal.* 35. Ita se proripuit e spectaculo, ut, calcata lacinia togæ, præceps per gradus iret indignabundus etc. Adde *Juvenal.* 3. 128. *Virg.* 6. *Æn.* 158. cui fidus Achates It comes et paribus curis vestigia figit. Adde *Ovid.* 3. *Art. am.* 17. — *o*) Cum Adverbiis. *Ter. Andr.* 1. 1. *in fin.* Eamus nunc intro. Adde *eumd. Phorm.* 4. 4. 25. *Curt.* 3. 8. 7. Si retro ire pergat, (*se*) haud dubie regnum hostibus traditurum. *Plaut. Most.* 3. 1. 9. Modestius ire obviam. Adde *Ter. Phorm.* 2. 1. 23. *Plaut. Cas.* 3. 6. 5. Amiceque hero meo ire adversum. *Ter. Andr.* 1. 1. *in fin.* I præ, sequar. Adde *Plaut. Aulul.* 1. 2. 41. et *Curc.* 1. 2. 1. *Justin.* 2. 12. 7. Si hoc parum tutum est, ai vos commisso prœlio ite cessim (*h. e.* cedite, abite), inhibete remos et a bello discedite. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. Ille iit passim, ego ordinatim: quacumque iit, ergastula solvit. *hic* sermo est de iter faciente cum exercitu. — *p*) Cum addito eundi modo per varias dicendi rationes. *Plaut. Epid.* 1. 1. 11. Ut tu is gradibus grandibus! *Vulgati libri habent* es. *Id. Stich.* 2. 1. 20. Pedibus ire non queo. Sic *Liv.* 28. 17. Carthagine Nova, quo pedibus ab Tarracone itineribus magnis ierat, etc. Et *Sueton. Aug.* 16. Quum præter Locros Rhegium pedibus iret etc. *Val. Flacc.* 8. 181. et cursu, quem fabor, eundum est. *Liv.* 28. 9.; *Ovid. Heroid.* 1. 46.; et *Val. Flacc.* 6. 328. Ire equis. *Justin.* 41. 3. super equos. Poetice *Val. Flacc.* 5. 587. Nec tamen immissis hic segnior ibit habenis. *h. e.* equitando. Et absolute, res enim ex præcedentibus patet, *Virg.* 5. *Æn.* 554. Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus. *Liv.* 28. 9.; et *Seneca Herc. fur.* 196. Ire curru. *Liv.* 1. 11.; et *Justin.* 11. 7. 11. plaustro. *Martial.* 3. 47. In rheda. Et poetice *Ovid.* 1. *Art. am.* 214. Quatuor in niveis aureus ibis equis. *h. e.* quadrijugo curru vectus. *Val. Flacc.* 6. 527. qualis roseis it Lucifer alis. *Liv.* 41. 17. Duumviros navales cum classe Pisas ire jussit. *Virg.* 2. *Æn.* 254. Et jam argiva phalanx instructis navibus ibat A Tenedo. *Sueton. Ner.* 31. Fossam ab Averno Ostiam usque, ut navibus, nec tamen mari iretur. *Ovid. Heroid.* 19. 180. Ire puppibus. *Val. Flacc.* 7. 112. tumido quam cogit Erinnys Ire mari. *Id.* 1. 271. Omnibus inde magis calor additus: ire per altum Magna mente volunt. Et absolute, namque res ex præcedentibus patet, *Virg.* 5. *Æn.* 767. Ipsæ jam matres, ipsi, quibus aspera quondam Visa maris facies et non tolerabile nomen, Ire volunt omnemque fugæ perferre laborem. ¶ 2. Speciatim ire ponitur pro incedere. *Plaut. Epid.* 5. 1. 21. Di immortales! otiose isse admiror: pedibus pulmoneis qui perhibetur, prius venisset, quam tu advenisti mihi. *Id. Pseud.* 1. 3. 14. Quod hoc malum? tam placide is, puere. *Petron. Satyr.* 129. Negant medici sine nervis posse ire. *Virg.* 6. *Æn.* 589. mediæque per Elidis urbem Ibat ovans divumque sibi poscebat honorem. Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 46. Ast ego, quæ divum incedo regina, Jovisque Et soror et conjux, etc. ¶ 3. Item speciatim pro *venire*, quemadmodum *venire* pro *ire* adhibetur. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 56. I, i hac mecum intro. *Ter. Eun.* 2. 3. 13. Unde is? ch. Egone? nescio hercle, neque unde eam, neque quorsum eam. *Nepos Hann.* 11. Eodem, unde ierat, se recepit. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. *ante med.* Quum aliquo exibimus, eat nobiscum, puerumque ducat. Adde *eumd.* 10. *Att.* 16. *init.* *Ter. Andr.* 3. 4. 1. Ad te ibam. *Id. Adelph.* 3. 3. 7. Syrum ire video. Adde *Liv.* 28. 41. *ad fin.*; *Stat.* 7. *Theb.* 229. et 433., 8. 514. et 12. 360.; et cf. *Virg.* 2. *Æn.* 375. — Hinc illæ dicendi rationes *Ire subsidio alicui* apud *Nepot. Ages.* 8.; *Pompejum* ad *Lentul. post ep.* 12. l. 8. *ad Att.*; et *Senec. Med.* 684.: et *In subsidium ire* apud *Cic.* 8. *Att.* 7. ¶ 4. Item speciatim cum Ablativo est abire, discedere. *Ovid.* 6. *Met.* 201. Ite sacris, properate sacris, laurumque capillis Ponite. Deponunt, infectaque sacra relinquunt. — Similiter *Val. Flacc.* 3. 3. It tectis Argoa manus. *h. e.* exit. ¶ 5. Item in re militari *ire ad arma*, et similia, est arma sumere, vel prœlium armis inire. *Cic.* 14. *Phil.* 1. 1. Ire ad saga. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 15.; *Liv.* 9. 32.; et *Vellej.* 2. 48. 2. ad arma. *Flor.* 4. 5. 2. in arma. Similiter *Tac.* 2. *Hist.* 46.; et *Quintil.* 9. 2. 85. Ire in aciem. *Curt.* 4. 13. 19. et 8. 13. 27. in ordines. Et poetice *Juvenal.* 12. 110. et euntem in prœlia turrim. *h. e.* turrim ligneam, elephantorum tergo impositam, e qua milites depugnabant. ¶ 6. Denique *ire* cum præpos. *ad*, *in*, *adversus*, *contra*, etc. et Accusativo personæ, est inimico animo aggredi. — *a*) Cum præpos. *ad*. *Ter. Andr.* 1. 5. 15. Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me. *h. e.* me aggrediuntur. *Cæs.* 6. *B. G.* 8. Illi, ubi præter spem, quos fugere credebant, infestis signis ad se ire viderunt, impetum modo ferre non potuerunt. *Liv.* 28. 7. *in fin.* inde portus Acarnanum petierant, quum ab Oreo profectum Attalum Romanosque audissent, veriti ne ad se iretur et intra Rhium – opprimerentur. Adde *Quintil.* 7. 1. 30. — *b*) Cum præpos. *in*. *Virg.* 9. *Æn.* 423. simul ense recluso Ibat in Euryalum. *Val. Flacc.* 3. 308. neve tuos irem tunc ultor in hostes. Adde *eumd.* 6. 375. et 8. 71. Et poetice *Ovid. Heroid.* 11. 92. et 1. *Amor.* 7. 61. inque meas unguibus ire genas. Sic *Val. Flacc.* 7. 293. Vix animos dextramque tenens, quin ipsa loquentis iret in ora deæ. *V.* et COMMINUS sub *A*. II. — Cum præpos. *in* occurrit etiam de locis munitis. *Liv.* 3. 17. Nec lex tamen ferri, nec ire in Capitolium consul potuit. *V.* integrum locum. — *c*) Cum præpos. *contra* vel *adversus*. *Cæs.* 7. *B. G.* 67. Cæsar suum quoque equitatum tripartito divisum ire contra hostem jubet. *Tac.* 2. *Hist.* 11. Duodecim equitum turmæ et lecti e cohortibus adversus hostem iere. — *d*) Cum Adverbiis *contra* vel *obviam*. *Tac.* 6. *Ann.* 11. Tiridates – distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret. Similiter figurate *Seneca Ep.* 130. *n.* 19. Librum edidi, in quo necesse fuit mihi ire contra vitia. *Nepos Miltiad.* 4. Inter quos magna fuit contentio, utrum mœnibus se defenderent, an obviam irent hostibus acieque contenderent. Adde *Curt.* 4. 15. 19.; et *Sueton. Cæs.* 60. Similiter *Justin.* 2. 15. 16. Obviam ire conatibus alicujus.

II.) Translate ¶ 1. De liquidis dicitur et est fluere. — *a*) De fluminibus. *Virg.* 8. *Æn.* 726. Euphrates ibat jam mollior undis. *Stat.* 4. *Theb.* 776. Langia perennes Servat aquas: solet et rapidi sub limite cancri Semper, et Icarii quamvis juba fulguret astri, Ire tamen. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 719. — *b*) De cruore, sudore, et similibus. *Lucret.* 6. 1201. Aut etiam multus capitis cum sæpe dolore Corruptus sanguis plenis ex naribus ibat. Adde *Lucan.* 7. 176.; *Sil. It.* 11. 395.; et *Juvenal.* 12. 14. *Virg.* 9. *Æn.* 433. Volvitur Euryalus leto, pulcrosque per artus it cruor. Adde *Val. Flacc.* 2. 233. et 6. 723.; *Sil. It.* 6. 204.; et *Stat.* 11. *Theb.* 515. Rursus *Virg.* 2. *Æn.* 173. salsusque per artus Sudor iit. *Lucret.* 2. 682. Nidor enim penetrat, qua succus non it in artus. ¶ 2. De solidis, quæ aut naturali motu prædita sunt, aut ab hominibus jaciuntur vel impelluntur. — *a*) De iis, quæ naturali motu prædita sunt. *Virg.* 1. *G.* 433. Pura (*luna*), neque obtusis per cælum cornibus ibit. *Ovid.* 2. *Amor.* 1. 24. Carmina revocant niveos solis euntis equos. — *b*) De iis, quæ ab hominibus jaciuntur. *Lucret.* 1. 969. jacietque volatile telum: Id validis utrum contortum viribus ire Quo fuerit missum mavis etc. *Virg.* 9. *Æn.* 418. Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque Stridens. *Ovid.* 8. *Met.* 695. Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta Missa potest. — *c*) De iis, quæ ab hominibus impelluntur. *Ovid.* 5. *Trist.* 14. 44. Vela damus, quamvis remige puppis eat. *Val. Flacc.* 2. 60. it tacitis ratis ocior horis. — *d*) Denique de aliis. Singulare est illud *Caton. R. R.* 157. Ubi ex multo cibo alvus non it, etc. *h. e.* obstruitur. Et poetice *Ovid.* 1. *Art. am.* 147. quum pompa frequens cælestibus ibit eburnis. *h. e.* procedet. *Martial.* 12. 32. Ibat tripes grabatus et bipes mensa. Et *Val. Flacc.* 2. 111. It barbara vestis, Et torques, insigne loci. Sic *Stat.* 5. *Theb.* 279. gemini qua brachia muri Litus eunt. *h. e.* procurrunt atque extenduntur usque ad litus. — Huc referri potest et illud *Senec. Herc. fur.* 13. 16. Eat ad labores hic quoque Herculeos labor. *h. e.* accedat, adjungatur. ¶ 3. De plantis est crescere; atque hinc *ire in aliquid* est evadere, fieri, verti. *Cato R. R.* 161. Asparagus it in semen. *Colum.* 2. *R. R.* 11. 11. *Schneid.* et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 45. (159). Seges it in articulum. *Quintil.* 2. 10. 5. Numquam hæc poetice themata juvenibus pertractare permittemus, ut exspatientur, et gaudeant materia, et quasi in corpus eant? *h. e.* quasi pinguescant. *Stat.* 6. *Theb.* 234. lapsusque putres jam Mulciber ibat in cineres. *Ovid.* 10. *Met.* 492. mediaque manente medulla, Sanguis it in succos, in magnos brachia ramos, In parvos digiti. *Nemesian. Cyneg.* 29. Myrrha ivit in arboreas frondes. — Similia, inquit *Forcellinus*, sunt illa *Virg.* 4. *Æn.* 413.; et *Stat.* 11. *Theb.* 193. Ire in lacrimas. *Flor.* 2. 4. in sudorem. *Ovid.* 5. *Met.* 668. Ibimus in pœnas. *h. e.* vos pœnis ac suppliciis afficiemus, vel pœnas sumemus. Hæc tamen ad posteriorem paragr. 5. rectius referenda putamus. ¶ 4. Hinc *ire* prægnanti, uti ajunt, significatione, est etiam perire, abire, vel ire in malam rem. *Lucret.* 3. 527. hominem paulatim cernimus ire, Et membratim vitalem deperdere sensum. *Lucan.* 2. 263. Nec tanta in cassum virtus eat. ¶ 5. Generatim ire tum de rebus, tum de hominibus ponitur, pro vagari, discurrere, diffundi, in re aliqua versari; et occurrit — *a*) Cum Accusativo et præpos. *per*. *Ovid.* 6. *Met.* 146. Phrygiæque per oppida facti Rumor it. *Juvenal.* 1. 145. It nova nec tristis per cunctas fabula cœnas. *Sil. It.* 11. 78. numquamne per aures it vestras (*illum*). – Propulsum dextra – tanto per limina templi Turbine præcipitem revoluti corporis actum, Ut etc. *Val. Flacc.* 2. 343. Exoritur novus urbe dolor, planctusque per omnes It facies antiqua domos. *Id.* 8. 285. Dixerat: itque orans iterum ventosque virosque Perque ratis supplex vox remigis illa magistros. *Sil. It.* 2. 521. eunt per pectora sensus. *Ovid.* 4. *Met.* 430. cur non stimuletur, eatque Per cognata suis exempla furoribus Ino? Adde *eumd.* 3. *Art. am.* 87. *Id.* 1. *Fast.* 15. Annue conanti per laudes ire tuorum. *Quintil.* 1. 8. 7. Comœdia it per omnes et personas et affectus. *Id.* 11. 1. 84. Patrono per similes affectus eundum erit. *Id.* 7. 1. 64. Nunc eamus per singulas caussarum judicialium partes. *Id.* 2. 5. 21. Per omnes species rerum ire. *Id.* 10. 5. 21. Per totas ire materias. — *b*) Raro admodum cum Ablativo. *Ovid.* 5. *Trist.* 3. 27. Me quoque, si fas est exemplis ire deorum, Ferrea sors vitæ difficilisque premit. — *c*) Sæpissime cum Accusativo et præpos. *in*. *Plaut. Trin.* 3. 3. 4. Puella it in matrimonium sine dote. *Dig.* 19. 2. 31. Ire in creditum. *h. e.* æs alienum contrahere. *Tac.* 3. *Ann.* 30. Qui neque servatus in periculum reipublicæ, neque interfectus in exemplum ibit. *Liv.* 3. 53. Ire in crudelitatem. *Plerique leg.* ruere. *Quintil.* 6. 4. 13. in rixam. *Ovid.* 6. *Fast.* 89. in litem certaminis. *Id.* 5. *Met.* 668. in pœnas. *V.* supra sub II. 3. *Virg.* 4. *Æn.* 413.; et *Stat.* 11. *Theb.* 193. in lacrimas. *Flor.* 2. 4. in sudorem. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 47. (74). in somnum. *Avian. Fab.* 14. 10. in risum. *Claudian. B. Gild.* 201. Iret adhuc in verba dolor, nisi Jupiter alto Cœpisset solio. *Pacat. Paneg. Theod.* 33. Tantumque res credita est habere novitatis, ut nisi frequenter isset in litteras, apud posteros videretur facti fides laboratura. *Val. Flacc.* 8. 397. Namque datum hoc fatis, trepidus supplexque canebat Mopsus, ut in seros irent magis ipsa (*bella*) nepotes. *h. e.* quasi hereditate ad nepotes transirent. *Plin. Paneg.* 55. Ibit in sæcula, fuisse principem, cui etc. *h. e.* fama apud posteros celebrabitur etc.

Sil. It. 12. 311. factoque in secula ituro Lætatur tribuisse locum. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 115. ibunt in sæcula libri. — *d*) Cum Accus. et præpos. *ultra*. *Flor*. 4. 1. 9. Nec civili conspiratione contentus, legatis Allobrogum – in arma sollicitatis, iisset ultra Alpes furor, nisi etc. — e) Cum Accus. et præpos. *ad*. *Virg*. 12. *Æn*. 409. It tristis ad æthera clamor Bellantum juvenum etc. *Sil. It.* 2. 417. It clamor ad auras. *Val. Flacc*. 5. 564. Sed magis ad præsens itur decus. *Sil. It.* 4. 36. ad decus ire periclis. Huc referri potest et illud *Liv*. 21. 46. Quia turbabant equos pedites intermixti, multis labentibus ex equis, aut desilientibus –, jam magna ex parte ad pedes pugna ierat. *h. e.* equites ad pedes descenderant. — *f*) Cum Dativo apud Poetas. *Virg*. 5. *Æn*. 451. It clamor cælo. *Val. Flacc*. 3. 277. It gemitus toto sinuosa per æquora cælo. *Id*. 4. 215. qui mecum fœdera junget Prima manu? cui dona fero? mox omnibus idem Ibit honos. — *g*) Proverbii vicem præstat dicendi formula *ire per ignes, per gladios*, hoc est per maxima pericula, quemadmodum et Græci dicunt διὰ πυρὸς βαίνειν. *Ovid*. 8. *Met*. 76. Et cur ulla foret me fortior? ire per ignes, Per gladios ausim. *Id*. 14. *ibid*. 108. vir factis maxime, cujus Dextera per ferrum, pietas spectata per ignes. V. *Obbar*. ad illud *Horat*. 1. *Ep*. 1. 46. Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes; et *Heindorf*. ad illud ejusdem *Horat*. 1. *Sat*. 1. 38. quum te neque fervidus æstus Demoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum. Cf. *eumd. Horat*. 4. *Od*. 14. 22. impiger hostium Vexare turmas et frementem Mittere equum medios per ignes. ¶ 6. Hinc, quoniam *ire in risum, in somnum*, etc. ire *in crudelitatem, in litem* etc. significant ridere, dormitare, crudelitatem induere, lite certare, etc. (*V*. paragr. proxime præced.): sic — 1.°) *Ire* cum Supinis aliorum verborum significat in eo esse ut, operam dare ut, in animo habere, et velle quoque; Supina vero casum verborum regunt. Occurrit autem — *a*) Verbum *ire* quocumque in Modo (Indicativo, Conjunctivo, etc.) cum Supino et Supini casu. *Ter. Eun*. 5. 2. 53. Nutricem arcessitum iit. *Varro* apud *Servium* ad *Virg*. 9. *Æn*. 53. Duces quum primum hostilem agrum introitum ierant. *h. e.* ingressuri erant. *Nepos Reg*. 2. Philippus – quum spectatum ludos iret, juxta theatrum occisus est. *Plaut. Pœn*. 3. 1. 9. Siccine oportet ire amicos homini amanti operam datum? *Id. Mil. glor*. 3. 1. 27. Ire opitulatum alicui. *Sall. Jug*. 90. Bonorum præmia ereptum eunt. *Plin. Paneg*. 35. Ereptum ire alienas pecunias. *Tac*. 2. *Hist*. 6. Res Romanas armis scelestis raptum ire. *Id*. 4. *Ann*. 1. dominationem raptum. *Gell*. 12. 1. Interfectum. *Cato* apud *Festum* p. 242. 4. *Müll*. Quod uti prohibitum irem, meo labori non parsi. *Plaut. Cist*. 1. 1. 4. Ire habitum honorem alicui. *Id. ibid*. v. 39. depressum. *Sall. Jug*. 68. Cum maxima cura ultum ire injurias festinat. *Id. Cat*. 36. Fuere cives, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent. *Liv*. 32. 22. Neu pertinacia sua gentem universam perditum irent. *Tac*. 13. *Ann*. 17. Illosum ire pueritiæ. Adde *Ter. Heaut*. 2. 3. 74.; *Sall. Jug*. 31. et *Cat*. 52.; *Liv*. 28. 41., 26. 26. et 3. 63. ubi V. *Drakenborg*.; et *Quintil*. 11. 1. 42. — *b*) Interdum verbo *ire* vis additur per v. *decernere*, aut *velle*; ut apud *Curt*. 10. 8. 5. Postero die indigna res Macedonibus videbatur, Perdiccam ad mortis periculum adductum; et Meleagri temeritatem armis ultum ire decreverant. *Tac*. 15. *Ann*. 1. Fratre Tiridate pulso spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens etc. — *c*) Teste *Gell*. 10. 14. vulgo dicebatur, *illi injuriam factum iri*, et *contumeliam dictum iri*, hoc est, ut ipsemet explicat, iri ad injuriam faciendam, seu operam dari, quo fiat. *V*. infra sub *f*. *Cato* autem paullo ab hoc usu remotius locutus est apud *Gell. loc. cit.* Atque evenit ita, Quirites, uti in hac contumelia, quæ mihi per hujusce petulantiam factum itur, rei quoque publicæ miserear. *h. e.* quæ paratur contra me. V. *Gell. ibid*., et de tota hac ratione loquendi *Voss. l*. 7. *de Gramm*. c. 54. multa contra *Sciopp*. disputantem. — *d*) Interdum *ire* cum Supino ponitur pro simplici Infinito alterius verbi, sic *ire oppugnatum* est *oppugnare* apud *Plaut. Bacch*. 5. 2. 51. Senex optime, quantum est in terra, sine hoc exorare abs te, ut istuc delictum desistas tanto opere ire oppugnatum. — *e*) Aliquando *ire* omittitur. *Sall. fragm*. p. 828. edente *Cort*. Neque ego vos ultum injurias hortor. — 2.°) Eodem sensu occurrit Infinitum *iri* cum Supinis, seu Particip. præteriti temporis, nisi quod futuri passivi vim habet. *Plaut. Curc*. 4. 2. 4. Memento promisisse te, – mihi omne argentum redditum iri. *Id. Rud*. 4. 7. 16. Mihi istæc videtur præda prædatum irier. *paragoge*. Sic *Ter. Adelph*. 1. 1. 45. Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet. *Cic*. 2. *Att*. 20. Pompejus addit etiam, se prius occisum iri ab eo, quam me violatum iri. *h. e.* occidendum esse. *Id*. 15. *ibid*. 25. Brutum, ut scribis, visum iri a me puto. *Nepos Att*. 13. Nec hoc præteribo, quamquam nonnullis leve visum iri putem, quum etc. *Sall. Jug*. 120. Neque hominem nobilem in hostium potestate relictum iri. *h. e.* fore, ut relinqueretur. — *Iri* cum Nominativo insolentius occurrit apud *Quintil*. 9. 2. 88. Reus parricidii, quod fratrem occidisset, damnatus iri videbatur. *Spalding*. sic legit; *V*. ejus adnotata ad h. l.: at *Vossius*, cui *Forcellinus* ipse assentitur, *l*. 7. *de Gramm*. c. 54. legit *damnatum*, et qui *damnatus* reponi malunt, contra omnium librorum fidem facere testatur. — 3.°) Item eodem sensu *ire* cum Infinito. *Propert*. 1. 6. 33. Seu pedibus terram, seu pontum carpere remis Ibis. *Id. ibid*. 1. 12. Ibat et hirsutas ille ferire feras. *Stat*. 3. *Theb*. 61. pudet ire fateri. *h. e.* pudet fateri. — 4°) Item sequente part. *ut*. *Ovid*. 5. *Fast*. 233. Ibat, ut Oceano quereretur furta mariti: Restitit ad nostras fessa labore fores. — 5.°) Cum præpos. *ad* et Particip. futuro pass. *Curt*. 6. 8. 9. Satis hostium superest, ad quos persequendos ituri sumus. — 6.°) *Ire infitias*, V. INFITIAS. ¶ 7. Item speciatim, quemadmodum *ire in risum, in crudelitatem* etc. significant ridere, crudelitatem induere etc. (*V*. præced. paragr. 3.): sic in re publica et in judiciali *ire* locum habet in peculiaribus quibusdam dicendi formulis. — *a*) In re publica *ire in sententiam* et *ire pedibus in sententiam* est accedere ad sententiam alicujus, non verbo solum, sed etiam corpore. Hæc ratio inventa est in senatu R., quod nonnunquam longum erat audire singulos, neque mos ferendi suffragia erat in curia. Quum igitur duæ tresve sententiæ dictæ erant ab iis, qui primi rogabantur, ceteri in illorum, quibuscum sentiebant, subsellia transibant, ut res expeditius ageretur: quumque hoc modo sententiæ dicebantur, solebat consul ita pronunciare: *Qui hæc sentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in eam partem ite, qua sentitis*, ut est apud *Plin*. 8. *Ep*. 14. Hinc *Liv*. 3. 9. In quam sententiam quum pedibus iretur etc. Adde *eumd*. 7. 35. et 31. 43. *Cic. post redit. in senat*. 4. 8. Ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne scribendo adesset. *Id*. 2. *ad Q. fr*. 1. Ibatur in eam sententiam. Adde *Tac*. 3. *Ann*. 23.; *Plin*. 2. *Ep*. 11.; et *Quintil*. 9. 3. 77.; et *V*. OMNIS. — Hinc sunt illa ire, vel *discedere*, vel *transire in alia omnia*, h. e. ab auctore sententiæ alicujus dissentire. *Cic*. 1. *Fam*. 2. De tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia. *V*. DISCEDO et DISCESSIO. — Huc pertinent et sequentia. *Cic. Cluent*. 19. 54. Oculi omnium judicum non in Scamandrum, sed in Oppianicum conjiciebantur. – Quum in consilium iri oporteret (*hoc est* sententias ferri), quæsivit ab reo C. Junius quæsitor, ex lege illa Cornelia, quæ tum erat, clam, an palam, de se sententiam ferri vellet. Adde *eumd. ibid*. 27. 74. *Liv*. 3. 71. Quum tribus vocari et populum ire in suffragium oporteret, etc. *Alii leg*. inire suffragium. Certior est locus ejusd. *Liv*. 34. 2. Utrum e republica sit, necne, id quod ad vos fertur, vestra existimatio est, qui in suffragium ituri estis. *Ammian*. 24. 7. Digesto itaque consilio cum primatibus super Ctesiphontis obsidio, itum est in voluntatem quorumdam, facinus audax et importunum esse noscentium id aggredi. *Id*. 25. 5. Quæ dum ambiguntur, unita variante sententia, itum est voluntate omnium in Sallustium. *h. e.* uno omnium consensu imperium Sallustio delatum est, vel Sallustium imperatorem elegerunt. — *b*) In re judiciali animadversione dignæ videntur sequentes dicendi rationes, in quibus *ire* locum habet. *Liv*. 3. 57. Se iterum ac sæpius judicem illi ferre, ni vindicias ab libertate in servitutem dederit. Si ad judicem non eat, pro damnato in vincula duci jubere. *h. e.* nisi ante judicem se sistat. Cf. *eumd. ibid*. 24. et 72. *Plaut. Truc*. 4. 3. 66. CA. Eamus in jus. DI. Quid vis in jus me ire? tu es prætor mihi. Adde *Ter. Phorm*. 5. 7. 88. Sic *Nepos Att*. 6. In jus de sua re numquam iit; judicium nullum habuit. *Aurel. Vict. vir. illustr*. 72. In jus ire ad aliquem. *Quintil*. 7. 2. 54. Illa scholarum consuetudo ituris in forum potest nocere. — Huc pertinet et illud *Cic*. 3. *Verr*. 48. 125. Ire in possessionem. Adde *Dig*. 43. 16. 18. Rursus *Cic. Flacc*. 21. 49. Ire in duplum. *h. e.* cadere in pœnam dupli solvendi. ¶ 8. *Ire* de oratione quoque eleganter usurpatur pro aliquo tendere, aliquo spectare. *Ter. Eun*. 1. 2. 75. At ego nesciebam, quorsum tu ires. *h. e.* quorsum tuis verbis tenderes. *Id. Adelph*. 5. 3. 85. Mane: scio: istuc ibam. *h. e.* verbis meis huc spectabam, hoc dicere volebam. ¶ 9. *Ire*, quum de mercibus usurpatur, est tanquam abire, *h. e.* vendi, venire. *Plin*. 18. *Hist. nat*. 23. 53. (194). Justum est, singulas vehes fimi denario ire. *Claudian*. 1. *in Eutrop*. 203. Tot Galatæ, tot Pontus eat, tot Lydia nummis. ¶ 10. Dicitur et iam de rei alicujus progressu et exitu, et *ire* est procedere, succedere; et occurrit — *a*) Cum nomine *res* vel alio simili. *Cic*. 14. *Att*. 20. *ad fin*. Hæc contra Antonium concio mihi profecisse permultum videtur: prorsus ibat res. *h. e.* bene procedebat. *Id. ibid*. 15. Incipit res melius ire, quam putabam. *Curt*. 8. 5. 19. Dii propitii eodem cursu, quo fluxere, res ire patiantur. *Seneca Ep*. 5. Miror ista sic ire. *Lucan*. 4. 143. Omnia eunt fatis Cæsaris. *Tac*. 12. *Ann*. 68. Vulgabat ire in melius valetudinem principis. — *b*) Absolute. *Cic*. 12. *Att*. 24. *extr*. De Attica, optime it. *Orellius* aliter legit. — *c*) Conjunct. *eat* desiderantis est. *Lucan*. 2. 304. Sic eat. *h. e.* sic res procedat, sic fiat. Adde *Claudian*. 2. *in Eutrop*. 155. Simile est illud *Liv*. 1. 26. Sic eat quæcumque Romana lugebit hostem. Cf. *eumd*. 1. 7., ubi omissum est *eat*. Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros: inde ab irato Romulo (quum verbis quoque increpitans adjecisset: Sic deinde, quicumque alius transiliet mœnia mea) interfectum. ¶ 11. Item dicitur de tempore, et est præterire, transire, abire. *Plaut. Pseud*. 1. 3. 12. It dies: ego mihi cesso. Adde *eumd. Cas*. 2. 8. 74. Cf. *Val. Flacc*. 7. 228. patriam inde vocato, Qua redit itque dies. Et *Horat*. 2. *Od*. 14. 5. Non si trecenis, quotquot eunt dies, etc. *Ovid*. 3. *Art. am*. 62. eunt anni more fluentis aquæ. Cf. *Horat*. 2. *Ep*. 2. 55. Singula de nobis anni prædantur euntes. *Ovid. Heroid*. 15. 61. Sex mihi natales ierant, quum etc. ¶ 12. Imperativum *i* — *a*) Est hortantis, excitantis, urgentis. Hinc *ite, si itis*, formula loquendi similis atque *fac, si facis*, et *age quod agis*; habeturque apud *Plaut. Pœn*. 3. 4. 67. Similiter *Val. Flacc*. 6. 28. Mars sævus ab altis, Hostis io, conclamat, equis, agite, ite, propinquat. — *b*) Sæpius *i*, et *i nunc* est adhortantis cum ironia atque irridentis. *Virg*. 9. *Æn*. 634. I, verbis virtutem illude superbis. *Id*. 4. *ibid*. 381. I, sequere Italiam. *Ovid. Heroid*. 3. 25. pugnas, ne reddar, Achille. I nunc, et cupidi nomen amantis habe. *Juvenal*. 10. 310. I nunc et juvenis specie lætare tui. Adde *Propert*. 3. 16. 17.; *Virg*. 7. *Æn*. 425.; *Liv*. 7. 6. *ad fin*. et 8. 7.; *Ovid*. 3. *Amor*. 3. 1.; *Petron. Satyr*. 115.; *Senec. Med*. 650.; *Juvenal*. 2. 89. et 6. 305.; et *Martial*. 1. 43. — *c*) Conjunct. *eat* eodem sensu occurrit. *Seneca Consol. ad Polyb. sub init*. Eat nunc aliquis, et singulas comploret animas. *et mox*. Eat aliquis, et fata sibi non pepercisse conqueratur. *Sueton. Ner*. 35. Eat nunc, inquit, mater mea, et successorem meum osculetur. *Sil. It*. 11. 390. eat improba Juno etc. Et imperf. *irent* apud *Curt*. 3. 10. 9. Aciem hostium auro purpuraque fulgentem intueri jubebat, prædam, non arma gestantem. Irent, et imbellibus feminis aurum viri eriperent. ¶ 13. Interdum ponitur etiam pro esse, exsistere. *Seneca Herc. Œt*. 282. Non ibo inulta. Cf. *Virg*. 2. *G*. 343. Nec res hunc teneræ possent perferre laborem, Si non tanta quies iret frigusque caloremque Inter, et exciperet cæli indulgentia terras. *Curt*. 4. 14. 25. Ite alacres et spei pleni, ut, quam gloriam accepistis a majoribus vestris, posteris relinquatis. *Claudian. IV. Cons. Honor*. 108. Non dabitis murum sceleri: qui vindicet, ibit.

EŌ proprie est *A*) Dativus, antiqua tamen forma, pronominis *is, ea, id*: veteres enim *eoi* dixerunt in Dativo pro *ei*, ut patet ex *Inscript*. apud *Murat*. 582.; ac præterea *Priscian*. 6. *p*. 691. *Putsch*. docet, vetustissimos solitos fuisse omnium Genitivum in *ius* terminantium et in *i* Dativum, etiam in *i* Genitivum et in *o* Dativum in genere masculino et

neutro proferre; *B*) Item est Ablativus ejusdem pronominis, Adverbii more usurpatus.

A) *Eo*, vetus Dativi forma, Adverbii more adhibitus, proprie ad locum refertur, et significat illuc, versus eum locum, in eum locum (It. *là, colà, verso quel luogo*; Fr. *à ce point, là, y*; Hisp. *allá, allí, en aquel lugar*; Germ. *dahin, nach einem Orte hin*; Angl. *thither, to that place*).

I.) Proprie de loco. — *a*) Stricto sensu est in eum locum, versus eum locum. *Ter. Adelph.* 2. 2. 22. Item hinc alia quæ porto Cyprum. Nisi eo (*h. e.* Cyprum) ad mercatum venio, damnum maximum est. *Varro* 3. *R. R.* 16. 21. Si apes eo transfuleris, ubi etc. *Cic. Mur.* 9. 22. Ut eo, quo intendit, perveniat. Sic *Nepos Themist.* 8. Sensit Themistocles, si eo pervenisset, sibi esse pereundum. Rursus *Cic.* 2. *Att.* 16. *a med.* Eo, unde discedere non oportuit, revertamur. *Id.* 6. *Verr.* 45. 101. Eone tu servos ad spoliandum fanum immittere ausus es, quo liberos adire ne orandi quidem causa fas erat? *Nepos Cim.* 2. Oppidum Amphipolim constituit, eoque decem millia Atheniensium in coloniam misit. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Eo se recipere cœperunt. *Liv.* 1. 7. Ipsa vestigia quærentem dominum eo deductura erant. — *b*) Latiori sensu est intus in eum locum. *Caton. R. R.* 18. Inter duas arbores, quod loci supererit, robore expleto: eo plumbum infundito: superiorem partem arborum digitos sex altam facito siet: eo capitulum robustum indito. Cf. *Id. ibid.* 156. *in fin.* Postea aquam defundito non omnem. Eo addito oleum bene et salem, et cumini paullulum infervefacito paulisper. — *c*) Item est super eum locum. *Cæs.* 1. *B. G.* 42. Statuit, omnibus equis Gallis equitibus detractis, legionarios eo milites imponere, *h. e.* in eos equos. Sic *Sall. Jug.* 75. Præterea conquirit ex agris quam plurimum potest domiti pecoris, eoque imponit vasa cujusque modi, sed pleraque lignea.

II.) Translate. ¶ 1. Interdum ponitur pro ei rei. *Cic.* 10. *Fam.* 21. Accessit eo, ut milites etc. *Id.* 1. *Att.* 11. Eo accedebat hortator assiduus Sallustius. ¶ 2. Sæpius *eo*, fere sequente *ut*, rei mensuram vel gradum significat, et est usque ad id, in tantum, εἰς τοῦτο. Occurrit autem — *a*) *Eo* absolute. *Ter. Phorm.* 1. 3. 5. Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset, neu me cupidum eo impulisset, quod mihi principium est mali. *h. e.* in tantum: alii tamen interpretantur ad uxorem ducendam. *Id. ibid.* 1. 4. 23. Quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar, etc. *Id. Eun.* 4. 4. 23. Eo redigis me, ut quid egerim, egomet nesciam. *Cic. Rosc. Am.* 34. 96. Eo rem jam adducam, ut nihil divinatione opus sit. *Sall. Orat. Lepidi* 4. At ille eo processit, ut nihil gloriosum nisi tutum, et omnia retinendæ dominationis honesta æstumet. Cf. *Sueton. Tib.* 58. Paulatim hoc genus calumniæ eo processit, ut hæc quoque capitalia essent. *Liv. proœm.* Quæ ab exiguis profecta initiis eo crevit, ut magnitudine laboret sua. — *b*) Cum addito Genitivo. *Sall. Jug.* 1. Eo magnitudinis procederent (*homines*), ubi pro mortalibus gloria æterni fierent. Sic *Plin. Paneg.* 16. Eo insolentiæ furorisque processit, ut etc. *Liv.* 25. 8. Eo consuetudinis adducta res est, ut etc. *Curt.* 5. 12. 3. Eo rerum ventum erat, ut tam periculosum esset non credere suis, quam decipi. *Sueton. Cæs.* 77. Eo arrogantiæ progredi, ut etc. *Flor.* 3. 16. 3. Eo vesaniæ progredi, ut etc. *Id.* 3. 12. 6. Eo magnitudinis crescere, ut etc. *Id.* 2. 18. 12. Eo necessitatum compulsi, ut etc. — Et cum addito *usque*, *Quintil.* 2. 1. 6. Eo usque scientiæ progredi, ut etc. *Justin.* 3. 5. 6. Eo usque desperationis Spartanos adduxit, ut etc. ¶ 3. *Eo usque* (quod et *eousque* conjunctim scribitur) est usque ad eum locum, vel tempus, sequentibus particulis *dum, donec,* etc. — *a*) De loco ac ratione, sequentibus particulis *dum*, ut. *Colum.* 4. *R. R.* 30. 4. Perticæ panguntur eo usque, dum ad solidum demittantur. *Cic. Rosc. Am.* 9. 24. Quod Amerinis usque eo visum est indignum, ut urbe tota fletus gemitusque fieret. *Nepos Pelop.* 3. Id illi – usque eo despexerunt, ut ne quærere quidem de tanta re laborarint. *Id. Dion.* 4. Is usque eo vitæ statum commutatum ferre non potuit –, ut se e superiore parte ædium dejecerit. *Colum. Arbor.* 6. Si eo usque exaruit, ut curvari non possit. *Tac.* 3. *Ann.* 13. Vulgus militum eo usque corrupisse, ut etc. *Quintil.* 9. 3. 12. Unde eo usque processum est, ut etc. — *b*) De tempore, sequentibus particulis *dum, donec, quamdiu, quoad.* *Liv.* 23. 19. Eo ne usque, dum ea narrantur, ad Casilinum sessurus sum? *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 124. Usque eo premere earum capita mordicus, dum etc. *Liv.* 40. 8. *ad fin.* Eo usque me vivere vultis, donec etc. *Quintil.* 11. 3. 53. Nec eo usque trahatur (*spiritus*), donec deficiat. *Lamprid. Alex. Sev.* 45.; et *Oros.* 6. 1. *a med.* Et id quidem eo usque, quamdiu ad fines barbaricos veniretur. *Nepos Epam.* 9. Usque eo retinuit (*ferrum in corpore*), quoad renunciatum est, vicisse Bœotios. — *Eo ad dum* eadem significatione occurrit apud *Apul. de Mag. post med.* Verum enimvero variis frustrationibus nuptias eludit, eo ad, dum puerorum avus fato concessit. *eo ad* prorsus formatur ut *quoad*, et idem valet *eo ad dum* per anastrophen quod *adeo dum* apud *Plaut. Merc. prol.* 77. Adeo dum peperisset. *Adeo usque dum* vel *usque adeo dum* frequentius occurrunt. *Ter. Eun.* 4. 6. 3. Usque adeo ego illius ferre possum ineptias et magnifica verba, verba dum sint. Adde *Plaut. Amph.* 1. 2. 10.; et cf. *eumd. Asin.* 2. 2. 62., *Pseud.* 4. 7. 72., *Bacch.* 3. 4. 10.; et *Ter. Andr.* 4. 1. 38. ¶ 4. Denique *eo*, cum particulis *quo, ut, ne,* etc. significat ad eum finem. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 63. Eo dico, ne me thesauros reperisse censeas. *Id. Trin.* 2. 2. 60. Non eo hoc dico, quin quæ tu vis, ego velim et faciam lubens. *Cic. Quinct.* 2. 5. Non eo dico, C. Aquilli, quo mihi veniat in dubium tua fides et constantia, sed quo non in his – spem summam habere P. Quinctius debeat. *Id.* 8. *Att.* 9. Eo scripsi, quo plus auctoritatis haberem. *Id.* 3. *Orat.* 49. 189. Eo te non interpellavi, ne quid de hoc tempore deminueretur. *Id.* 1. *Att.* 10. 4. Nam ego omnes meas vindemiolas eo reservo, ut illud subsidium senectuti parem. *Id.* 16. *Fam.* 1. Marionem ad te eo misi, ut etc. *Sall. Jug.* 24. Sed quoniam eo natus sum, ut Jugurthæ scelerum ostentui essem, etc. *Nepos Themist.* 4. Hoc eo valebat, ut ingratiis ad depugnandum cogerentur. *h. e.* spectabat, tendebat. — *NB.* Horum tamen, nisi omnia, nonnulla certe ad posteriorem paragr. 2. sub *B.* II. referri possunt.

B) *Eo*, Ablativus pronominis *is, id*, Adverbii more adhibitus,

I.) Proprie pro ibi, eo in loco, raro admodum occurrit. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *ad Brut.* 2. 1. Quinque cohortibus quid se nam facturum arbitratus est, quum tu eo quinque legiones, equitatum maximum, maxima auxilia haberes? — *b*) Cum addito Genitivo *loci*. *Tac.* 15. *Ann.* 74. Templum Saluti extrueretur eo loci, ex quo Scævinus ferrum prompserat. Et figurate *Cic. Sext.* 31. 68. Res erat et causa nostra eo jam loci, ut erigere oculos et vivere videretur.

II.) Translate. ¶ 1. *Eo* jungitur Comparativis et significat tanto. Occurrit autem — *a*) Cum Comparativis generatim. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 59. Tum autem si quid tu adjuvas, eo facilius poterit fieri. *Cic.* 2. *Off.* 11. 51. Maxime autem et gloria paritur et gratia defensionibus, eoque major, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri urgerique videatur. *Nepos Con.* 1. Sed tum abfuit: eoque pejus res administrata est. *Sall. Jug.* 64. Quæ omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiares corruperant. Adde *eumd. ibid.* 78. *Sueton. Cæs.* 81. Idque eo studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant etc. *Justin.* 3. 5. 3. Lacedæmonii quoque eo conspiratius ad arma concurrunt, quod adversus servos dimicaturi videbantur. — *b*) Sæpius *eo magis* occurrit et continuat augetque orationem. *Plaut. Trin.* 2. 1. 35. Boni sibi hæc expetunt, rem, fidem, honorem, gloriam et gratiam. Hoc probis pretium'st: eo mihi magis lubet cum probis potius, quam cum improbis vivere vanidicis. *Cic.* 2. *Off.* 14. 48. Si vero inest in oratione mixta modestiæ gravitas, nil admirabilius fieri potest: eoque magis, si ea sunt in adolescente. *Id.* 10. *Att.* 11. Quæ scribis, molesta sunt; eoque magis, quod ea tempora nostra sunt etc. *Id.* 3. *Off.* 22. 88. Eoque magis, quod illa ordinum conjunctio ad salutem reipublicæ pertinebat. *Id.* 10. *Att.* 8. *sub fin.* Discedens dabo ad te aliquid; eo etiam magis, quod Tullia etc. — Similiter *neque eo magis* apud *Sall. Jug.* 20. Neque eo magis cupido Jugurthæ minuebatur, quippe qui totum ejus regnum animo jam invaserat. *Nepos Eumen.* 4. Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur: neque eo magis ex prœlio excessit, sed acrius hostibus institit. *Id. Pelop.* 1. Neque eo magis arcem Thebanis reddiderunt, quod etc. — *c*) *Eo minus* contrarium est τῷ *eo magis*. *Cic.* 15. *Att.* 9. Hoc tempore quod scriberem nihil erat: eoque minus, quod dubitabam etc. *Id. ibid.* 10. *ad fin.* Etsi ne antea quidem dubitavi, tamen nunc eo minus, evolare hinc. — *d*) *Eo secius* significat idem fere atque eo minus. *Nepos Miltiad.* 2. Neque eo secius Atheniensibus, a quibus erat profectus, officia præstabat. *Sueton. Gramm.* 20. Præfuit Palatinæ bibliothecæ. Neque eo secius plurimos docuit, fuitque familiarissimus. — *e*) *Eo, quo* est tanto, quanto, cum Comparat.: Græce τοσούτῳ ὅσῳ. *Cic. Quinct.* 9. 32. Unde eo plus opis auferret, quo minus attulisset gratiæ. *Id.* 11. *Att.* 11. Eo gravior est dolor, quo culpa major. *Id.* 2. *Tusc.* 57. Ballistæ eo graviores emissiones habent, quo sunt contentæ – vehementius. *Sall. Jug.* 31. Nonne summa ope nitemini? atque eo vehementius, quo majus dedecus est parta amittere, quam omnino non paravisse. *Cels.* 8. 4. *ad fin.* Eadem servanda sunt eo magis, quo periculosius hæc pars afficitur. — Interdum eo ponitur secundo loco. *Cels.* 8. 4. Quo mitior ictus fuit, eo facilius os restitisse, credibile est. — Interdum eo omittitur; et tunc *quo* fere primo loco ponitur. *Liv.* 2. 51. Quo plures erant, major cædes fuit. *Id.* 26. 38. Hannibali atque eis qui aderant, quo audacior res erat, minus similis veri visa est. *Id.* 25. 39. Ibi vero, quo longius aberant, – neglecta magis omnia ac soluta invenere. Adde *eumd.* 22. 43. et V. *Drakenborg* ad *eumd.* 25. 36. *Id.* 26. 20. Et divinatio quædam futuri, quo minus timoris ratio reddi poterat oborti temere, majorem inferens metum. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 92. quoque habeas plus, Pauperiem metuas minus. *Heindorf* ita legit: vulgati libri et *Ritter* leg. *quumque*. *Curt.* 10. 6. 18. Hærebat inter cupiditatem pudoremque; et quo modestius, quod exspectabat, appeteret, pervicacius obtaturos esse credebat. *Id.* 3. 11. 21. Jamque ad feminas perventum erat: quibus quo cariora ornamenta sunt, violentius detrahebantur. V. *Mützell.* ad h. l. *Quintil.* 9. 4. 143. Quoque est dulcius, magis perit. — Aliquando, etiam *omisso eo, quo* ponitur secundo loco. *Liv.* 25. 36. *in fin.* Hispaniæ ipsos lugebant desiderabantque duces: Cnæum tamen magis, qui diutius præfuerat eis, priorque et favorem occupaverat et specimen justitiæ temperantiæque Romanæ primus dederat. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 14. 78. (128). Sarcocolla melior, quo candidior. *Forcellinus* addit illud ejusdem *Plin.* 34. *ibid.* 18. 53. (173). Melior hæc, quanto magis aurei coloris. — *Eo* componitur etiam cum *quantum* et *quanto*, et ponitur secundo loco. *Liv.* 44. 7. Et quantum procederet longius a Thessalia, eo majorem rerum omnium inopiam sentiens etc. *Vulgati libri habent* quantum; *Muretus* et *Gronovius* quanto *legendum putat*; quæ lectio firmatur locis *Liv.* 3. 8. Quum circumacto agmine redirent, quanto longius ab urbe hostium abscederent, eo solutiore cura. *et* 30. 30. Quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit. — Similiter tamen *quantum* et eo componi solent, licet cuique earum vocum addatur Comparativus: ita *Liv.* 3. 15. Quantum juniores Patrum plebi se magis insinuabant, eo acrius contra tribuni tendebant. V. *Drakenborg* ad *Liv.* 5. 10., qui, adsentientibus *Dukero* et *Crevierio*, etiam in allato l. *Liv.* 44. 7. vulgatum *quantum* servandum putavit. ¶ 2. *Eo* sæpissime ponitur pro ideo, propterea; et quidem — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 20. 46. Frater es: eo vereor. *Id.* 6. *Fam.* 20. Dederam triduo ante litteras ad te: eo ero brevior. *Liv.* 23. 19. Nocte et mittebantur et perveniebant: eo custodias hostium fallebant. — *Eoque* in principio periodi habent *Vellej.* 2. 60. et 67.; et *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 21. (31). In medio *Cæs.* 5. *B. G.* 49. Tamen, quoniam liberatum obsidione Ciceronem sciebat, eoque omnino remittendum de celeritate existimabat, consedit. *Tac.* 1. *Ann.* 64. Cæcina secundarum ambiguarumque rerum sciens, eoque interritus. *Id.* 6. *ibid.* 16. Sane vetus urbi fenebre malum et seditionum discordiarumque creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 50., 13. *ibid.* 41., 4. *Hist.* 34. et *Germ.* 28. et 41. — *b*) Sequente *quod*. *Ter. Heaut.* 3. 2. 43. Neque eo nunc dico, quod quidquam illum senserim. *Alii leg.* quo. *Id. Eun.* 1. 2. 16. Non pol, quod quemquam plus amem aut plus diligam, eo fe-

ci. *Vulgati libri habent* quo. Cic. 13. *Att.* 36. Eo mihi jucundius est, quod tu eo lætaris: certiusque eo est, quod a te dicitur. *Liv.* 9. 2. Eo maxime, quod sermo inter omnes congruebat. *Nepos Alcib.* 8. Lacedæmonios eo nolle confligere classe, quod pedestribus copiis, plus quam navibus, valerent. Adde *eumd. Eumen.* 11. *Quintil.* 1. 7. 10. Hoc eo non omisi, quod etc. Adde *eumd.* 8. 6. 8., 10. 1. 129. et 12. 1. 11. — *c*) Sequente *quia. Ter. Eun.* 3. 1. 25. Eo ne es ferox, quia habes imperium in belluas? *Cic.* 9. *Fam.* 16. *ante med.* Quod eo nunc magis facit, quia etc. *Quintil.* 9. 4. 20. Quod non eo dico, quia non illud quoque solutum habeat suos quosdam pedes. — *d*) Sequente *ut. Liv.* 37. 23. Eo maxime, ut in obvio classi hostium essent, electus locus est. *Quintil.* 4. 1. 42. Eo quidam exordium in duas dividunt partes, ut sit etc.

ĔŌDEM proprie est *A*) Dativus, antiqua tamen forma, pronominis *idem* (*V.* voc. præced. init.); et *B*) Ablativus ejusdem pronominis Adverbii more usurpatus.

A) *Eodem,* vetus Dativi forma, Adverbii more adhibitum cum Verbis motum significantibus est versus eumdem locum, in eumdem locum (It. *là, in quel medesimo luogo*; Fr. *là même*; Hisp. *allá mismo*; Germ. *ebendahin*; Angl. *to the same place*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu est in eumdem locum, versus eumdem locum. *Plaut. Asin.* 1. 2. 13. Ego pol te redigam eodem, unde orta es. *Nepos Timoth.* 3.; et *Cæs.* 5. *B. G.* 11. Eodem, unde erat profectus, se recepit. Adde *Cæs.* 4. *ibid.* 28. *Nepos Pausan. in fin.* Eodem inferri oportere, quo etc. *Id. Dion.* 5. Postquam Corinthum pervenit Dion, et eodem perfugit Heraclides etc. *Id. Att.* 2. Eodem trajicere. *Id. Timoth.* 3. Hi quum Samum profecti essent et eodem Chares – cum suis copiis proficisceretur, etc. Adde *eumd. Pausan.* 4. et *Hann.* 11.; et *Sueton. Cæs.* 17. et *Galb.* 19. *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Omnes clientes suos eodem conduxit. *Quintil.* 10. 5. 7. Plurimæ eodem viæ ducunt. *Id.* 11. 3. 161. Eodem spectantibus oculis. — *b*) Latiori sensu est intus in eumdem locum. *Cato R. R.* 108. Vini sextarium eodem infundito. — *c*) Item est super eumdem locum. *Nepos Ages.* 8. Eodemque comites omnes accubuissent. *Cf. Horat.* 3. *Od.* 1. 37. sed timor et minæ Scandunt eodem, quo dominus.

II.) Translate. *Cic. Amic.* 18. 65. Addendum eodem est, ut ne criminibus aut inferendis delectetur, aut credat oblatis. *Itali dicunt*: a questo medesimo proposito. *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Quod tam diu se impune tulisse injurias admirarentur, eodem pertinere. Sic *Liv.* 1. 50. Hæc atque alia eodem pertinentia seditiosus facinorosusque homo – quum maxime dissereret etc. Huc referendum est et illud *Liv.* 27. 34. *a med.* Eodem honores pœnasque congeri. *h. e.* in eumdem civem.

B) *Eodem,* tamquam Ablativus pronominis *idem,* Adverbii more adhibitus,

I.) Proprie significat in eodem loco. — *a*) Absolute. *Plaut. Curc.* 4. 2. 20. Eodem hercle vos pono et paro. *h. e.* in eodem loco, sed figurate hic dicitur pro pares omnino vos habeo. Ceterum *eodem* et pro in eumdem locum accipi potest: *V.* PONO. — *b*) Sæpius hoc sensu occurrit cum addito Genitivo *loci,* ut apud *Val. Max.* 4. 4. 8. Sexdecim eodem tempore Ælii fuerunt, quibus una domuncula erat eodem loci, quo nunc sunt Mariana monimenta. *Sueton. Aug.* 65. Agrippam – in insulam transportavit. – Cavit etiam senatusconsulto, ut eodem loci in perpetuum contineretur. Adde *eumd. Cal.* 53. *Plin. Paneg.* 1. Electus est quippe inter aras et altaria: eodemque loci (*h. e.* in Capitolio), quem deus ille (*Juppiter*) tam manifestus ac præsens – insedit.

II.) Translate occurrit cum Genit. *loci* apud *Tac.* 4. *Ann.* 4. Drusus, quamquam arduum sit eodem loci potentiam et concordiam esse, æquus adolescentibus, aut certe non adversus habebatur.

ĔŌN, onis, f. 3. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 39. (119). Alexander Cornelius arborem eonem appellavit, ex qua facta esset Argo, similem robori viscum ferenti, quæ nec aqua, nec igni posit corrumpi, sicuti nec viscum, nulli alii cognitam, quod equidem sciam. *Id.* 1. *in indice* 13. *n.* 39. Eon arbor. Fortasse scribendum est *æon,* ut si ab αἰών, αἰῶνος *ævum, tempus,* ut denotetur illius navis æternitas, quæ scil. inter sidera est relata. *V.* ARGO. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 128.) ait hanc arborem inter fabulas esse referendam.

ĔOPSĔ, eo ipso. *Plaut. Curc.* 4. 3. 6.

ĔOS, f. ἠώς et ἕως, aurora. Græca vox. — Obliqui casus singularis numeri (nam plurali caret) eadem erunt positione, qua DIDO. *V.* in ONOM.

I.) Proprie. *Ovid.* 4. *Fast.* 389. Proxima victricem quum Romam inspexerit Eos. *Seneca Herc. Œt.* 614. Noctem submovet Eos.

II.) Translate. *Lucan.* 9. 544. populi, quos miserat Eos. *h. e.* regiones orientales.

ĔŌUS, a, um, adject. ἠῷος et ἑῷος, ad auroram pertinens; ab ἠοῖ et ἑοῖ, vel ἠώς et ἕως *aurora*: quare prima syllaba communis est.

I.) Proprie. *Virg.* 1. *G.* 221. Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur. *h. e.* Plejades seu Vergiliæ, Atlantis filiæ, abscondantur Eoæ, scilicet matutinæ, sive occidant matutino tempore, mane submergantur in occidentali parte, dum aurora vel sol ab oriente emergit. Cf. *Val. Flacc.* 2. 72. Jamque sub Eoæ dubios Atlantidis ignes Albet ager.

II.) Improprie ponitur pro orientali, pro eo qui ad orientem pertinet vel in oriente est. *Propert.* 2. 13. 83. At non Tithoni spernens Aurora senectam, Desertum Eoa passa jacere domo est. *Tibull.* 3. 2. 24. Eoi Arabes. *Virg.* 2. *G.* 115. Eoæ domus Arabum. *Propert.* 4. 5. 21. ripa. *Catull.* 11. 3. unda. *Tibull.* 2. 2. 16. mare. Adde *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 30. (58). Rursus *Plin.* 6. *ibid.* 13. 14. (33). Oceanus. *Horat. Epod.* 2. 51. fluctus. *Id.* 1. *Od.* 35. 35. et juvenum recens Examen eois timendum Partibus Oceanoque rubro. *Virg.* 1. *Æn.* 489. Eoæ acies. *Ovid.* 4. *Met.* 197. cœlum. *Id.* 3. *Fast.* 466. orbis. *Id.* 2. *Amor.* 6. 1. Eoi Indi. *Colum.* 10. *R. R.* 291. Eoo Lucifer ortu. *Val. Flacc.* 2. 643. Eoa lux. *Id.* 5. 245. patriumque precatur Numen et eoo surgentes litore currus. *Id.* 6. 690. Eoæ oræ. *Id.* 4. 509. urbes. *Id.* 4. 96. mons. *Id.* 3. 539. regnum. *Id.* 6. 699. Eoæ stamen silvæ. *h. e.* serica. *Martial.* 3. 65. Eoum tus. *h. e.* quod in Arabia, quæ orientalis regio est, abunde provenit. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 33. Eoa germina. *h. e.* odoramenta, quæ mittit oriens. — Hinc

Eous, i, m. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est Lucifer. *Catull.* 61. 40. Nocte latent fures, quos idem sæpe revertens, Hespere, mutato comprendis nomine Eous. *Schrad.* ita legit pro *eosdem,* quod in editis habetur. *Virg.* 1. *G.* 288. cum sole novo terras irrorat Eous. *Id.* 3. *Æn.* 588. Postera jamque dies primo surgebat Eoo, Humentemque Aurora polo dimoverat umbram. Cf. *Propert.* 3. 22. 7. Et color est toties roseo collatus Eoo, Quum tibi quæsitus candor in ore foret. *Stat.* 4. *Silv.* 1. 4. Clarior ipse (*Domitianus*) nitens et primo major Eoo. *Prudent.* 2. *Cathemer.* 67. Luciferum vocavit eoum sidus. ¶ 2. *Eous* et *Eoi* dicuntur populi orientales. *Ovid.* 4. *Trist.* 9. 22. Ibit ad occasum quidquid dicemus ab ortu: Testis et Hesperiæ vocis Eous erit. *Forcellinus* hoc loco pro orientali plaga accepit. *Propert.* 2. 2. 53. Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois, Uret et Eoos, uret et Hesperios. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 29. Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois. ¶ 3. Eous est etiam unus ex equis Solis. *Ovid.* 2. *Met.* 153.

ĔŌUSQUĔ. *V.* in EO adverb. sub *A.* II. 2. et 3.

EP

ĔPACTÆ, ārum, f. plur. 1. ἐπακταί, (supple ἡμέραι) ab ἐπάγω *induco, adjicio. Isid.* 6. *Orig.* 17. *sub fin.* Epactas Græci vocant, Latini adjectiones annuas lunares, quæ per undenarium numerum usque ad tricenarium in se resolvuntur.

ĔPĂGŌGĒ, es, f. 1. ἐπαγωγή, Latine *inductio*: ab ἐπάγω *induco*: figura est, quæ fit ex multarum rerum similium collatione, uti docet *Quintil.* 5. 10. 73. ubi tamen Græce usurpat. At Latine *Tiro* apud *Gell.* 7. 3. *a med.* Induxisse eum, quam dialectici epagogen appellant, etc. et ipse *Gell. ibid. paullo post.* Sed enim Cato non nudam, neque solitariam, neque improtectam hanc epagogen facit. Adde *Rufinian. de fig. sentent. et elocut. c.* 26. *p.* 215. *Ruhnk.*

ĔPĂLIMMA genus vilissimi unguenti. Hæc *Paul. Diac. p.* 82. 15. *Müll.* Est autem ab ἐπαλείφω ungo: hinc nonnulli male legunt *epilimma.*

ĔPĂNĂDĬPLŌSIS, is, f. 3. ἐπαναδίπλωσις, figura est repetitionis, quum verbum aliquod, quod versus initium fuit, eumdem claudit, ut in illo *Juvenal.* 14. 139. *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Vox Græca, et Græce usurpanda: ab ἀναδιπλόω *reduplico.* Ea tamen Latinis litteris utitur *Jul. Rufinian. de schem. lex.* § 9. *p.* 233. *Ruhnk.* V. et INCLUSIO.

ĔPĂNĂLEPSIS, is, f. 3. ἐπανάληψις, repetitio sententiæ post aliqua interjecta. Exemplum habes apud *Virg.* 2. *G.* 4. ubi ait: Huc pater o Lenæe, etc. Sed vox Græca est, et Græcis litteris scribitur a *Quintil.* 8. 3. 51. (ubi tautologiæ affinem facit), a *Charis.* 4. *p.* 250. *Putsch.* et *Diomed.* 2. *p.* 440. — Etiam quum verbum unum repetitur, epanalepsis dicitur, ut in illo *Horat.* 2. *Od.* 14. 1. Eheu fugaces, Postume, Postume, Labuntur anni. *Diomed. ibid.* — Ceterum Latinis litteris occurrit apud *Capell.* 5. *p.* 174.; *Rutil. Lup.* § 11. *p.* 39.; *Aquilam Rom.* 31. *p.* 174.; et *Jul. Rufinian. de fig. sentent. et eloc. c.* 31. *p.* 218. *et de schem. lex.* § 5. *p.* 230. *Ruhnk.*

ĔPĂNĂPHŎRA, æ, f. 1. ἐπαναφορά (Græca vox) repetitionis species est, quum scilicet ab uno verbo plures sententiæ inchoantur. *Virg.* 10. *Ecl.* 42. Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori, Hic nemus, etc. *V.* ANAPHORA. Hac voce utuntur *Capell.* 5. *p.* 175.; *Aquila Rom. de fig. sentent.*; *et Jul. Rufinian. de schem. lex.* § 6. *p.* 231. *Ruhnk.*

ĔPĂNASTRŎPHE, es, f. 1. ἐπαναστροφή, repetitio contigua, quum verbum in fine præcedentis et in principio sequentis sententiæ repetitur. *Virg.* 8. *Ecl.* 55. Sit Tityrus Orpheus, Orpheus in silvis, etc. Vox Græca, et Græce scribenda: ab ἀναστρέφομαι *revertor, redeo.*

ĔPĂNŎDOS *et Latina positione*

ĔPĂNŎDUS, i, f. 2. ἐπάνοδος, (vox Græca ab ἀνά *retro* et ὁδός *via*) regressio est ad eamdem vocem, diversum quiddam in partibus per πρόληψιν significans, ut *Virg.* 2. *Æn.* 434. divellimur inde Iphitus et Pelias mecum, quorum Iphitus ævo Jam gravior. *Quintil.* 9. 3. 35. Ἐπάνοδος dicitur Græce, nostri regressionem vocant. Latinis tamen litteris usurpat *Jul. Rufinian. de schem. lex.* § 19. *p.* 241. *Ruhnk.*

ĔPĂNORTHŌSIS, is, f. 3. ἐπανόρθωσις, correctio, qua interdum verbum, interdum sententia tollitur, ut *Cic. Planc.* 41. 97. Brundusium veni, vel potius ad mœnia accessi. *Id.* 2. *Off.* 22. 76. Italiam ornare, quam domum suam maluit: quamquam, Italia ornata, domus ipsa mihi videtur ornatior. — Vox Græca est; Latinis tamen litteris usurpat *Jul. Rufinian. de schem. lex.* § 15. *p.* 238. *Ruhnk.*

ĔPĂPHÆRĔSIS, is, f. 3. ἐπαφαίρεσις, apud tiræcos est ablatio, detractio, ab ἐπαφαιρέω *iterum aufero. Veget.* 3. *Veterin.* 45. 2. *Schneid.* Postero die quasi epaphæresis fit, et ex eisdem locis sanguis detrahitur. Ex simili loco *Pelagon Veterin.* 4. 1. (ubi hæc habentur: « Postero quoque die quasi epaphæresis fit et ex eisdem locis sanguis detrahitur» potest quis dubitare verba *quasi epaphæresis fit* esse glossema. Nisi quod *Veget.* ait 3. *Veterin.* 24. 5. Alia, vel tertia die epaphæresin quasi facturus, denuo fistulam appones, humorem dejicies. — Transfertur ad tonsionem barbæ. *Martial.* 8. 52. Expingitque cutem, facitque longam Detonsis epaphæresin capillis.

ĔPAR. *V.* HEPAR init.

ĔPARCHUS, i, m. 2. ἔπαρχος, proconsul, proprætor. *Inscript.* apud *Murat.* 418. 6. DEPOSITVS XIIII. CAL. IVL. CONS. EPARCH. AVITI. Hic anno 456. post Chr. n., imperio deposito, episcopatum Placentinum recepit, ideoque heic eparchus, h. e. præfectus dicitur.

ĔPASTUS, a, um, particip. ab inusit. *epascor,* qui pastus est. *Ovid. Halieut.* 119. Ut scarus epastus solas qui ruminat escas. *Al. leg.* epastas solus; *rectius ut sit passivum.*

ĔPĂTICUS. *V.* HEPATICUS.

ĔPECTĂSIS, is, f. 3. ἐπέκτασις extensio. *Priscian.* 5. *p.* 208. *Krehl.* Ergo nihil aliud est in his nominibus (*plerique*) *que,* nisi syllabica epectasis, quomodo *ce* in quibusdam pronominibus et adverbiis, ut *hisce, illicce.*

ĔPENDȲTES, æ, m. 1. ἐπενδύτης, genus vestis, quæ aliis superinduitur: ab ἐπενδύομαι *superinduo. Hieronym. in vita Hilarionis n.* 4. Pelliceum habens ependyten, quem illi Beatus Antonius profici-

scenti dederat. *Id. ibid. n.* 41. eamdem vestem *cucullam* appellat.

ĔPENTHĔSIS, is, f. 3. ἐπένθεσις, ab ἐπεντίθημι *impono, insero;* figura est, qua littera, vel syllaba in medio vocis inseritur, ut *trahea* pro *traha, navita* pro *nauta*, *Mavors* pro *Mars*, *relliquias* pro *reliquias*. *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 164. qui Latine, et *Donat. de schematib. p.* 1772. *Putsch.* qui Græce usurpat.

ĔPEXĒGĒSIS, is, f. 3. ἐπεξήγησις. Græce est narrationi juncta narratio: ab ἐπεξηγέομαι *insuper narro*. Sumitur autem pro figura, qua plures voces ad idem significandum apponuntur: unde et *appositio* a nonnullis vocatur, ut *urbs Roma*. Hinc *Servius* epexegesin appellat illud *Virg.* 6. *Æn.* 7. pars densa ferarum Tecta rapit, silvas.

ĔPHALMĀTOR, ōris, m. 3. saltator: ab ἐφάλλομαι *insilio*. *Firmic.* 8. *Mathes.* 15. Petaminarius, ephalmator, orchestropolarius. — Ephalmatores his verbis describit *Manil.* 5. 439. Delphinumque suo per inane imitantia (*membra*) motu, Et viduata volant pennis et in aere ludunt.

ĔPHĒBĀTUS, a, um, adject. ephebus factus. *Varro* apud *Non. p.* 110. 18. *Merc.* Ephebatum mulieravit. *h. e.* grandiorem puerum et exoletum stupravit. *Al. leg.* ephebitum.

ĔPHĒBĒUM *vel* ephebium, ii, n. 2. ἐφηβεῖον, locus in palæstra, ubi ephebi seu impuberes exercebantur. *Vitruv.* 5. 11. 2. — *Ephebion* etiam Latine scribitur in *Gloss. Isid.* Ephebion, locus construpationis puerorum imberbium.

ĔPHĒBIA, æ, f. 1. ἐφηβεία vel ἐφηβία. ¶ 1. Ut docet *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 24. Ephebia prima ætas adolescentiæ est; adolescentia extrema pueritiæ. ¶ 2. Item est idem quod ephebeum. *Vulgat. Interpr.* 2. *Machab.* 4. 9. Si concederetur gymnasium et ephebiam sibi constituere.

ĔPHĒBĬCUS, a, um, adject. ἐφηβικός, ad ephebum pertinens, puerilis. *Apul.* 10. *Met.* Adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebica clamyda sinistrum tegebat humerum.

ĔPHĒBĪTUS. *V.* EPHEBATUS.

ĔPHĒBĪUM. *V.* EPHEBEUM.

ĔPHĒBUS, i, m. 2. ἔφηβος, pubes, seu qui jam ad annos pubertatis pervenit: ex ἐπί et ἥβη *pubes*. *Censorin. de die nat.* 14. statuit ephebum proprie dici a Græcis eum, qui decimum sextum annum attigerit. Hoc autem addidimus, quia ephebus apud antiquos Romanos de Græcis tantum usurpatur. *Ter. Andr.* 1. 1. 24. Excedere ex ephebis. *Varro* apud *Non. p.* 368. 28. *Merc.* Ubi nitidi ephebi, veste pulla candidi Modestiam intus pascunt pectore. *Oehler* ita legendum putat alterum versum. *Cic.* 1. *Nat. D.* 28. 79. E gregibus epheborum vix singuli reperiebantur. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 171. Quo pacto pater tutetur amantis ephebi. Adde *Ter. Eun.* 5. 1. 8.; *Nepot. Epam.* 2.; *Sueton. Aug.* 98., *Cal.* 58. et *Ner.* 12.; et *Juvenal.* 10. 306. et 3. 161.

ĔPHĔDRA, æ, f. 1. genus herbæ arbores scandens, et ex ramis propendens, folio nullo, cirris multis, radice pallida. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 20. (36). Eodem sensu et *ephedros* occurrit apud *eumd.* 26. *ibid.* 13. 83. (133). Alii hippurin, alii ephedron, alii anabasin vocant. — De Synonymia, *V.* EQUISÆTUM.

EPHEDROS. *V.* voc. præced.

ĔPHĒLIS, idis, f. 3. ἐφηλίς, asperitas quædam cutis et durities mali coloris: ab ἐπί *in* et ἥλιος *sol*, quia in sole potissimum contrahi solet. *Cels.* 6. 5. Pæne ineptiæ sunt, curare varos, et lenticulas, et ephelidas: sed eripi tamen feminis cura cultus sui non potest. *et ibid. ad fin.* Ephelidem tollit resina, cui etc.

ĔPHĒMĔRIS, idis, f. 3. ἐφημερίς, diarium, acta diurna, liber, in quo res gestæ per singulos dies scribuntur: ab ἐπί et ἡμέρα *dies*. *Cic. Quinct.* 18. 57. Ad ephemeridem revertitur invenitur dies profectionis. *Propert.* 3. 22. 20. Et ponit duras inter ephemeridas. *Seneca Ep.* 123. *a med.* Sic cœnas, tamquam ephemeridem patris approbaturus. *h. e.* parco sumptu cœnas, tamquam rationes impensarum in ephemerides perscriptas redditurus patri, et ostensurus frugaliter te vivere. Adde *Nepot. Att.* 13.; *Ovid.* 1. *Amor.* 12. 25.; *Juvenal.* 9. 574.; *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (9).; et *Ammian.* 28. 4. 24. — *Procurator ab ephemeride* in *Inscript.* apud *Gruter.* 474. 4. est inter officia domus Augustæ. — Libellum *Ephemeridis* nomine scripsit *Ter. Varro*, testibus *Non. p.* 71. 19. *Merc.* et *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Mai*) 6. Si Terentius Varro Gneo Pompejo olim per Hispanias militaturo librum illum Ephemeridos sub nomine laboravit, ut in habiles res eidem gressuro scire esset ex facili inclinationem oceani atque omnes reliquos motus aerios præscientiæ fide peteret, ut declinaret: cur ergo etc. *V.* ibid. adnot. ab eodem *Mai* et præcipue in *Class. Auct. T.* 7. p. 4. — *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 743. affirmat, *Cæsarem* quoque libellum *Ephemeridis* nomine scripsisse.

ĔPHĒMĔRON, i, n. 2. ἐφήμερον, herba folia habens lilii, sed minora, caulem parem, florem cæruleum, semen supervacuum, radicem unam digitali crassitudine. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 107. (170). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 370.) hanc exhibet synonymiam, de qua tamen dubitat: Ἐφήμερον Theophr. 9. 16., Nicand. de Ther. 849. et Dioscor. 4. 85.; Ἶρις ἀγρία Galen.?; et *Ephemeron* Plin. loc. cit. sunt *Convallaria verticillata* L. Spec. plant. 451.

EPICACTIS pro *epipactis* legendum esse apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 20. 35. (114). docet *Mon.* ex *Palimps. Veronensi.* V. EPIPACTIS.

ĒPHI, n. indecl. Hebraica vox איפה *efa*, quam Septuaginta Interpretes in οἰφί et ὠφί verterunt: significat autem antiquissimam Ægyptiorum ac deinceps Hebræorum mensuram, quæ continebat *pinte* 29. 1/2. Parisienses, æque ac bathus (*Vulgat. interpr. Ezech.* 45. 11. Ephi et bathus æqualia et unius mensuræ erunt, ut capiat decimam partem cori bathus, et decimam partem cori ephi.); nisi quod bathus liquidis, contra ephi granis metiendis inserviebat. *Vulgat. interpr. Exod.* 16. 36., *Levit.* 5. 11. et 6. 20., *Num.* 15. 5. et 28. 5., 1. *Reg.* 17. 17., et *Ezech.* 45. 10. 11. 13. et alibi.

ĔPHIALTES, æ, m. 1. dicitur incubus, hoc est morbus, quo dormientes vi quadam opprimi se et pæne suffocari videntur: ab ἐπί et ἅλλομαι *insilio*. Itali *fantasima* vocant. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 3. sed Græce, ut et *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 776.

ĔPHIPPĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui ephippia aut conficit, aut vendit. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 712. n. 339. P. CAECILII P. L. DEXAMETIS EPHIPPIARII. In lapide est *epippiari*, omissa nempe, ut sæpe apud Latinos, aspiratione; et gemino *i* de more lapidario in unum contracto.

ĔPHIPPĬĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *ephippio*, ephippio instructus. *Ephippiati equites* apud *Cæs.* 4. *B. G.* 2. sunt, qui sedent equis ephippio instratis.

ĔPHIPPĬFER, fĕra, fĕrum, adject. qui ephippia fert. Legitur in *Inscript.* apud *Smet.* 171. 27.

ĔPHIPPĬUM, ii, n. 2. ἐφίππιον, stragulum equi, sedendi causa (*stragulum* vocat *Martial.* 14. 86., cujus lemma est *Ephippium*) ab ἐπί *super* et ἵππος *equus*. Ceterum Græca vox est, de qua ita *Cic.* 3. *Fin.* 4. 15. Puto concedi nobis oportere, ut Græco verbo utamur, si quando minus occurret Latinum, ne hoc ephippiis et acratophoris potius, quam proegmenis et apoproegmenis concedatur. *Varro* 2. *R. R.* 7. 15. Aliter elisit equos quadrigarius, ac desultor: neque idem, qui vectarios facere vult, ad ephippium, aut ad rhedam. *Cæs.* 4. *B. G.* 2. Ephippiis uti. *Gell.* 5. 5. Equitatus frenis, ephippiis, monilibus, phaleris præfulgens. Adde *Varron.* apud *Non. p.* 108. 32. et *p.* 213. 23. *Merc.* — Proverbium est apud *Horat.* 1. *Ep.* 14. 43. Optat ephippia bos etc. *V.* BOS.

EPHOD, n. indecl. Hebraica vox אפוד, quæ superhumerale significat. Triplex vero fuit hæc sacra vestis apud Hebreos: primum ephod summi sacerdotis erat nobilius, nempe auro, hyacintho, coccino et bysso contextum: duobus autem quadratis partibus constabat, quæ partes inter se super humeros conjungebantur, quarum anterior pectus, posterior tergum tegebat, at ex lateribus minime conjungebantur; super anteriorem partem pendebat *essen*, in quo illæ duodecim gemmæ erant cum duodecim filiorum Israel nominibus. Alterum ephod erat lineum, quæ sacra vestis erat communis tam sacerdotibus, quam levitis. Tertium denique ephod laicis quoque, præclaro tamen genere ortis et in sacris tantummodo agendis, permissum, sicut fuit illud a rege David ante Arcam saltante et a Samuel adhuc puero delatum, ut D. Hieronymus notavit. *Vulgat. interpr. Exod.* 25. 7., *Judic.* 17. 5., 18. 14., et alibi sæpe.

ĔPHŎDUS, i, f. 2. ἔφοδος, Græce est insinuatio, h. e. oratio per simulationem, et circuitionem obscure subiens auditoris animum. — *Firmic.* 6. *Mathes.* 32. *in lemmate*. Generales cujusque genituræ ephodi. *h. e.* ingressiones, initia, institutiones.

ĔPHŎRUS, i, m. 2. ἔφορος. Genitivus plur. num. *ephorûm* pro *ephororum* occurrit apud *Nepot. Ages.* 4. — Ephori fuerunt magistratus Spartanorum a Theopompo institutus ad refrenandam potentiam regis et senatus, ut apud Romanos tribuni plebis consulibus oppositi fuere (*V.* adnot. *Görenzii* ad *Cic.* 3. *Legg.* 7. 16.; et *Mai* ad *Cic.* 2. *de republ.* 28.) ab ἐφοράω *intueor*, quod ad civitatis salutem oculos intentos haberent: quinque erant numero, et annui, ut narrat *Aristot. Polit. l.* 2. c. 10. *Cic.* 2. *de republ.* 33. Etiam Spartæ, regnante Theopompo, sunt item quinque, quos illi ephoros appellant. Horum potestas tyrannica fuit, quæ tanta erat, ut nec regi assurgerent, ac regem etiam in vincula conjicere possent. Adde *eumd.* 3. *Legg.* 7. 16. et 1. *Tusc.* 42. 100.; et *Nepot. Themist.* 7. et *Pausan.* 3. — Ephori de rebus ab imperatoribus seu ducibus in bello foris gesto cognoscebant, teste eodem *Nepot. Lysand.* 1. — *NB.* De nom. prop. *V.* ONOM.

ĔPĬBĀDES. *V.* EPIBATEGOS.

ĔPĬBĀTA, æ, m. 1. ἐπιβάτης, qui conscendit, adscensor, ab ἐπιβαίνω *conscendo*. Hinc — *a*) Pro camelorum sessore occurrit apud *Hygin. Gromat. p.* 10. *col.* 2. Camella cum suis epibatis singulis pedes quinque assignabimus. — *b*) Sæpius usurpatur de eo, qui navem conscendit; et specialim sumitur pro milite, qui in navi stipendia facit, Latine *classiarius*. *Auct. B. Alex.* 11. Omnes naves epibatis nudatis. *Auct. B. Afr.* 63. Navis onusta remigum epibatarumque. *Vitruv.* 2. 8. Celatis remigibus et epibatis. *Id. paullo post.* Militibus et remigibus impositis. *V.* et EPIBATOS.

ĔPĬBĀTĒGOS, i. f. 2. ἐπιβατηγός, navis solis vectoribus transvehendis inserviens: ab ἐπιβάτης *vector* et ἄγω *duco*. *Ulp. Dig.* 14. 1. 1. § 12. Quædam enim naves onerariæ, quæ, ut ipsi dicunt, ἐπιβατηγοί (id est, vectorum conductrices) sunt. Ubi vides Græcis, non Latinis litteris vocem esse scriptam. Alii tamen perperam *epibades* leg.

ĔPĬBĀTIS *vel*

ĔPĬBĀTOS, a, on, adject. qui conscendit: et translate qui erigit atque excitat; ab ἐπιβαίνω *conscendo*. *Capell.* 9. p. 334. In eo vero genere, quod pæonicum nominatur, incompositi duo rhythmi esse dicuntur: quorum unus pæon διπλάσιος appellatur ex longa positione et longa elatione: ac alter pæon epibatis, id est in thesi duplici positione producta et arsi longiore ducitur. *Et mox.* Inde διπλάσιος quidem dictus est quasi duplicia membra discernat; epibatis autem, quia membris veluti utens quatuor et duabus diversitatibus copulatur. *Kopp.* ad h. l. recte adnotat: Epibatis *Aristid. p.* 98. *Meib.* ὁ ἐπιβατός. « Movetur magis, inquit, dupla quidem positione animum conturbans, elationis vero magnitudine ad summa mentem excitans ». Constare autem pæonem epibatum dicit (*p.* 38.) « ex longa positione et longa elatione et duabus longis positionibus ac longa elatione —: quoniam autem quatuor utatur partibus, fieri eum duabus elationibus et duabus diversis positionibus ». Ejusdem meminit *Plutarchus de mus.* p. 1141.

ĔPĬBŎLE, es, f. 1. ἐπιβολή, proprie est injectio, ab ἐπί *super* et βάλλω *jacio*: est autem hoc nomine figura apud Rhetores, quum plura membra vel plures propositiones uno eodemque vocabulo, vel alio ejusdem significationis incipiunt. *Rutil. Lup. de fig. sent. et elocut.* 7. p. 24.

EPICADIUM, ii, n. 2. festum Epicuro sacrum, qui fuit dies vigesimus mensis Gamelionis: ab ἐπί *post* et εἰκάς *vigesimus*: hinc εἰκαδισταί appellati sunt, qui eumdem celebrant. *V.* ICAS. Hæc cl. *Furlanetto* in APPEND.; sed vocem nullo confirmavit auctore, nisi *Not. Tir. p.* 148.

ĔPĬCĒDĪON, *vel Latina positione*

ĔPĬCĒDĪUM ii, n. 2. ἐπικήδειον, carmen funebre, quod in laudem defuncti canitur: ab ἐπί *super* vel *ad* et κῆδος *exsequiæ, funus*. *Stat. Ep. l.* 2. *Silvar.* Hujus amissi recens vulnus epicedio prosecutus sum. *Id. Epicedion* inscripsit *silvam* 3. *l.* 5. qua mortem patris deflet, et 5. qua filii. *Servius* ad *Virg.* 5. *Ecl.* 14. Epicedion est, quod dicitur cadavere nondum sepulto, ut (*v.* 20.) *Extinctum Nym-*

phœ crudeli funere Daphnin. Epitaphion autem post completam sepulturam dicitur, ut (*v.* 43.) *Daphnis ego in silvis hinc usque ad sidera notus.*

ĔPĬCERTŎMĒSIS, is, f. 3. ἐπικερτόμησις, irrisio, eadem ac sarcasmus; ab ἐπὶ *in* et κερτόμησις, quod a κέαρ *cor* et τέμνω *seco*, quasi cordis scissio. *V.* CHLEUASMUS. Hæc cl. *Furlanetto* in APPEND: at vocem neque hoc loco, neque in CHLEUASMUS aliquo auctore confirmavit. Legitur tamen apud *Jul. Rufinian. de fig. sent. et eloc. c.* 1. *p.* 196. *Ruhnk.*

ĔPĬCHARMĪUS, a, um, adject. Ἐπιχάρμειος, ad Epicharmum pertinens: *V.* ONOM. — *Epicharmium metrum* ita memoratur a *Mar. Victorin.* 2. *art. gramm. p.* 2530. *Putsch.* Tetrametrum autem catalecticum, quod Archilochium et Epicharmium vocatur, præter cetera illustre, est aptum festivis narrationibus. Est enim et agitatum et volubile: veluti *Tale, quale vere dulce sibilat teres donax.*

ĔPĬCHĪRĒMA, ătis, n. 3. (scribitur et *epicherema*) ἐπιχείρημα ab ἐπιχειρέω *argumentis adstruere et tueri conor*: si vim nominis spectes, significat conatum mentis excogitantis aliquid, quod probationem ac fidem faciat. Itaque *Valgius* apud *Quintil.* 5. 10. 2. aggressionem vocat. Est autem, si logice accipiatur, argumentatio, quæ opponitur demonstrationi, quatenus demonstratio per propria et necessaria rem manifestat, epichirema per communia et probabilia. Differt porro ab enthymemate, quemadmodum demonstratio a syllogismo, quia scilicet demonstratio et epichirema proprie ad materiam referuntur, syllogismus et enthymema ad formam. *Quintil.* 5. 10. 2. Ἀπόδειξις est evidens probatio. Hanc at ab epichiremate differre Cæcilius putat solo genere conclusionis: at esse apodixim imperfectam epichirema: eadem causa, qua diximus et enthymema a syllogismo distare. Al. leg. perperam *esse apodixim, imperfectum epichirema.* Hinc apparet, cur rhetores argumentationes suas enthymemata et epichiremata vocent. Utroque enim nomine significatur argumentatio conclusionis non necessariæ: sed primum refertur ad formam, secundum ad materiam. Ceterum et alterum pro altero, et utrumque varia significatione ab iis adhibetur, ut est apud *eumd. ibid.* 14. 5. Celeberrima est illa, qua epichirema sumitur pro tota aliqua argumentatione, pluribus membris, eorumque probationibus conflata: unde est fortasse ratio nominis. *V. ibid.* et 8. 5. 4. et 8. 10. 7.

ĔPĬCHĪRĒMĂTĬCUS *vel* epicherematicus, a, um, adject. ἐπιχειρηματικός, ad epichirema pertinens. *Cassiod. Rhetor. sub fin.* Epichirematicus syllogismus.

ĔPĬCHŸSIS, is f. 3. ἐπίχυσις, Græce est infusio, ab ἐπιχύω *infundo.* Significat etiam genus poculi, quod *Varro* 5. *L. L.* 124. *Müll.* docet successisse una cum cyatho in conviviis e Græcia in locum simpuli. Videtur autem esse poculum, ex quo minutatim vinum sumitur, quia simpulum quoque tale fuit. *Plaut. Rud.* 5. 2. 32. Sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyatusque.

ĔPĬCĬTHĂRISMA, ătis, n. 3. ἐπικιθάρισμα, symphonia, quæ post fabulam canitur. *Tertull. advers. Valentin.* 33. Producam denique, veluti epicitharisma post fabulam tantam, etiam illa, quæ ne ordini obstreperent, hunc malui in locum distulisse.

ĔPĬCLINTÆ, ārum, f. plur. 1. ἐπικλινταί, ab ἐπικλίνω *incumbo*, Græce appellantur terræ motus obliquis lateribus proxima quæque jactantes, et acutis angulis mobiles. *Apul. de Mundo. V.* ELIMATIÆ.

ĔPĬCŒNUS, a, um, adject. ἐπίκοινος, ab ἐπὶ *super*, et κοινός *communis.* Epicœna dicuntur a Grammaticis ea nomina (Latine *promiscua*), in quibus sexus uterque per alterum apparet, hoc est per aliam vocem, quæ illis adjungitur, ut quum dicimus *passer femina, lepus mas. Quintil.* 1. 4. 24. et 1. 6. 12. Lepus epicœnum est, lupus masculinum. Adde *Donat. p.* 1746. *Putsch.* — Differunt a communibus, quia communia duos habent articulos, ut *hic* et *hæc sacerdos*: epicœna unum tantum. Neque enim dicimus *hæc passer, hæc lepus. Cledon. in Art. p.* 1862. *Putsch.*

ĔPĬCŌPUS, a, um, adject. ἐπίκωπος, remis instructus: ab ἐπὶ *in* et κώπη *remus. Cic.* 14. *Att.* 16. Quinto Non. conscendens ab hortis Cluvianis in phaselum epicopum has dedi litteras. *Alii minus recte leg.* episcopum.

ĔPĬCRŎCUM, i, n. 2. ἐπίκροκον.

I.) Proprie est genus amiculi, croco tinctum, tenue et perlucidum, ut *Paul. Diac. p.* 82. 13. *Müll.* describit: ab ἐπὶ et κρόκος *crocus. Nævius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 53. *Müll.* Diabathra in pedibus habebat, et erat amictus epicroco. *Varro* ipse apud *Non. p.* 318. 25. *Merc.* Utrumque mulieres, at epicrocum viri quoque habitarunt. *h. e.* epicroco uel sunt. *V.* et EXCROCOLLUM.

II.) Translate et adjective. *Plaut. Pers.* 1. 3. 15. Nisi cremore crasso est jus collyricum, nihil est macrum illud, epicrocum, pellucidum. *h. e.* tenue ac liquidum jus instar epicroci amiculi.

ĔPĬCŪRIZO, as, are, a. 1. ἐπικουρίζειν, Epicurum imitor, sequor. Occurrit tantum Part. *Epicurizans* apud *Salvian.* 1. *Gub. D.* 1. Et sane invenire aliquos, qui ab istorum judicio discrepaverint præter Epicureorum, vel quorumdam epicurisantium deliramenta, non possum.

ĔPĬCUS, a, um, adject. ἐπικός, qui est carminis heroici: ab ἔπος *carmen*; et proprie hexametrum, seu heroicum: ut *poeta epicus*, qui versibus heroicis scribit, *poema epicum*, quod heroicis carminibus contextum est. *Cic. Opt. gen. Orat.* 1. 2. Itaque licet dicere et Ennium summum epicum poetam, si cui ita videtur. *Quintil.* 10. 1. 51. Omnes epicos tamen procul a se reliquit. *Id.* 10. 1. 62. Epicum carmen.

ĔPĬCYCLUS, i, m. 2. ἐπίκυκλος, circulus parvulus apud astronomos, qui deferenti infixus, motu illius circumagitur, et impactum sibi planetæ corpus peculiari suo motu circa proprium centrum circumducit. Græce sonat circulum supra circulum vel in circuto: ab ἐπὶ *in* aut *super*, et κύκλος *circulus. Capell.* 8. *p.* 297. Mercurii et Veneris circulos epicyclos esse, superius memoravi.

ĔPĬDĒMĒTĬCA, ōrum, n. plur. 2. ἐπιδημητικά, de quibus est *titulus* 41. *lib.* 12. *Cod. Justin.*, sunt domus in urbe aliqua, vel earum domuum partes destinatæ pro hospitio militum aliunde advenientium: ab ἐπιδημέω *ad urbem advenio.* Alii intelligunt pretia quæ extorquebantur e militibus, vel potius ultro solvebantur ab incolis, ut ab onere præbendi hospitium essent immunes.

ĔPĬDĒMUS, i, adject. ἐπίδημος, versans in populo: ab ἐπὶ *in*, et δῆμος *populus. Ammian.* 19. 4. Prima species luis pandemus vocatur (πάνδημος *ad universum populum pertinens*), quæ efficit, in aridioribus locis agentes caloribus crebris interpellari: secunda epidemus, quæ tempore ingruens, acies hebetat luminum et comitat periculosos humores: tertia lœmodes (λοιμώδης *pestilens*: a λοιμός *pestis*), quæ itidem temporaria est, sed volucri velocitate letabilis.

ĔPĬDERMIS, idis, f. 3. ἐπιδερμίς, cuticula sensu destituta et veram hominum et animalium cutem tegens. Translate *Veget.* 3. *Veterin.* 61. 1. *Schneid.* Sed commodius est pulmunculum decussatim ferro secare et eximere, ita ut pellem admodum præcidas, ne, quum cicatricem duxerit, inveniatur epidermis. *h. e.* obducti ulceri crusta, ut vocat *Cels.* 5. 9., quam Græci dicunt ἐφελκίδα. V. *Gesner.* ad *Veget. loc. cit.*; et Cf. similem locum *Pelagon.* 9. *p.* 49. ibique a *Sarchiano* adnotata.

ĔPĬDĬCĂZŎMĔNOS, i, m. 2. ἐπιδικαζόμενος, is, de quo in judicio contenditur. Erat apud Græcos ejus comœdiæ titulus, quam *Ter.* Latine *Phormionem* inscripsit, ut habetur in ejus prologo *v.* 26. Est ab ἐπιδικάζω *adjudico.*

ĔPĬDICTĬCĀLIS, e, adject. idem atque epidicticus, ut *terminus epidicticalis* apud *Var. auct. de limit. p.* 250., 252. et 253. *Goes.* est qui aliorum terminorum recturam ostendit et commonstrat.

ĔPĬDICTĬCUS, a, um, adject. ἐπιδεικτικός, demonstrativus, ab ἐπιδείκνυμι *ostendo.* Eloquentia epidictica, seu genus dicendi epidicticum est, quod versatur circa laudationes, vituperationes, suasiones seu præceptiones, scriptiones seu historias, et alia omnia præter quæstiones judiciales et deliberativas. Dicta est a demonstrando, seu probando. Nam quum tria orator debeat facere, docere, monere et delectare; quemadmodum movere proprium est eloquentiæ oratoriæ seu forensis, ita docere et delectare proprium est eloquentiæ epidicticæ. Denominata est vero a docendo, quia docere magis præcipuum est, quam delectare. *Cic.* in *Orat.* 11. 37. *et* 61. 207., sed Græce. Latine autem *ibid.* 13. 42. Dulce igitur orationis genus et solutum et effluens in illo epidictico genere pompæ quam pugnæ aptius, gymnasiis et palæstræ dicatum, etc.

ĔPĬDĬPNIS, idis, f. 3. ἐπιδειπνίς, quod in extrema cœna infertur: ab ἐπὶ *post* et δεῖπνον *cœna. Martial.* 11. 31. Has prima feret, alterave rœna; Has cœna tibi tertia reponet: Hinc seras epidipnidas parabit. *Petron. fragm. Tragur.* 69. *Burmann.* Epidipnis est allata, turdis, siligine, uvis passis nucibusque fartis.

ĔPĬDIXIS, is, f. 3. ἐπίδειξις, specimen, demonstratio, ostentatio: vox Græca a δείκνυμι *ostendo, demonstro.* Histriones artis suæ specimen dantes *epidixi ludera* dicuntur in *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 127. 4., quæ est apud *Orell.* 2620.

ĔPĬDRŎMUS, i, m. 2. ἐπίδρομος, ab ἐπιδρέμω *discurro, percurro.* ¶ 1. Est funis in imo et summo reti, quo per annulos discurrente ipsum rete aut contrahitur, aut expanditur. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (11). Vidimus plagas tantæ tenuitatis, ut anulum hominis cum epidromis transirent, uno portante multitudinem, qua saltus cingerentur. ¶ 2. *Cato R. R.* 13. Inter torcularii et cellæ olcariæ instrumenta enumerat *epidromum*, quem alii intelligunt torum aut funem, quo lectus subtenditur (ut *ibid.* 10. lectos loris subtentos); alii virgam ferream, per quam anuli velum sustinentes transmittuntur, a similitudine epidromi in reti; alii tignum transversum latum, per quod discurri possit ad varia munera olei faciendi. Sed probabilior est eorum sententia, qui putant hic *epidromum* esse lectum pensilem, quem Itali *branda* vocant. ¶ 3. Epidromus dicitur etiam velum in posteriori navis parte locatum. *Isid.* 19. *Orig.* 3. 3. Epidromos (*velum*) secundæ amplitudinis; sed ad puppim.

EPIGENOMENI. *V.* EPIGONOS.

ĔPĬGĪA, æ, f. 1. ἐπίγεια, humi repens, ab ἐπὶ *super*, et γαῖα *terra*: ita vocatur arundo quædam. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (167). Est et obliqua arundo, non in excelsitatem nascens, sed juxta terram fruticis modo se spargens, suavissima in teneritate animalibus. Vocatur a quibusdam epigia. *Alii perperam leg.* elegia. *V.* tamen ELEGIA.

ĔPĬGLOSSIS *et*

ĔPĬGLOTTIS, idis, f. 3. ἐπιγλωσσίς. *Epiglottis* scribitur, ut ἐπιγλωττίς apud Græcos, a *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. — Epiglossis est membrana in modum operculi, qua asperæ arteriæ meatus obstruitur, dum cibum, potumve capimus, ne quid in eam incidat: ab ἐπὶ *super* et γλωσσίς *rima* seu *foramen* asperæ arteriæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 36. 66. (175). Sub uva minor lingua, epiglossis appellata, nulli ova generantium. V. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 136., *Gell.* 17. 11.; et *Macrob.* 7. *Saturn.* 15. Ceterum apud *Plin.* voces illæ *epiglossis appellata* a *Sillig.* omittuntur, quippe quæ in optimis Codicibus desunt.

ĔPĬGŎNOS, on, adject. postea natus; a Græca voce ἐπίγονος, quæ ab ἐπὶ *post* et γίνομαι vel γίγνομαι *nascor. M. Victorin. p.* 1956. *Putsch.* Pedes trisyllabi sunt octo: dactylus, anapæstus, molossus, tribrachus, itemque epigoni amphimacrus, qui et Creticus, amphibrachus sive Mesites, bacchius sive amphibacchius, pæon. *Putsch.* habet *itemque epignomus* etc., quod corrigendum putavi et legendum *itemque epigoni*; nisi quis malit *itemque epigenomeni.* Ceterum *V.* EPIGONI in ONOM.

ĔPĬGRAMMA, ătis, n. 3. ἐπίγραμμα. In Dativo et Ablativo plurali habet *epigrammatis*, ut in EMBLEMA init. dictum est. *Cic.* 1. *Att.* 16. *ad fin.* Epigrammatis tuis, quæ in Amaltheo posuisti, contenti erimus. — In Genitivo plurali *epigrammaton* Græca positione, ἐπιγραμμάτων, dixit *Martial. epist. lib.* 1. *ad lector.* et *epigr.* 1. et 118.; at *epigrammatum* Latina *Sueton. Aug.* 85. — Epigramma proprie dicitur et est inscriptio; ab ἐπὶ *super* et γράφω *scribo.* ¶ 1. Generatim. — *a*) De inscriptione seu titulo, qui statuæ inscriptus fuit. *Cic.* 6. *Verr.* 57. 127. Nam quum ipsa (*Sappho*, h. e. *Sapphûs signum*) fuit egregie facta, tum epigramma Græcum pernobile incisum habuit in basi. — *b*) De elogio seu titulo, qui donis inscribebatur, quæ diis sacrabant. *Nepos Pausan.* 1. Quum ex præda tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, cujus hæc erat sententia: *suo ductu Barbaros esse deletos.* — *c*) De inscriptione, quæ in sepulcris incidebatur. *Petron. Satyr.* 115. Epigramma mortuo facere. — *d*) Hinc etiam notæ illæ, quæ

servis fugitivis inurebantur, *fugitivorum epigrammata* dicuntur a *Petron. Satyr.* 103. ¶ 2. Speciatim, quoniam hujusmodi tituli versibus plerumque constabant, hinc epigramma ponitur pro brevi aliquo poemate. *Cic. Arch.* 10. 25. Epigramma in eum fecit tantummodo alternis versibus longiusculis. *Id.* 1. *Tusc.* 34. 84. Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est. *Quintil.* 8. 3. 29. Nec minus noto Sallustius epigrammate incessitur. Adde *eumd.* 1. 5. 20.; *Sueton. Cæs.* 73., *Aug.* 70. et 85., *Vit. Horat.* et *Gramm.* 22.; et *Plin.* 4. *Ep.* 3.

ĔPĬGRAMMĂTĀRĬUS, ii, m. 2. qui epigrammata scribit, qui præcipue dicaci protervitate epigrammata in quemque divulgat. Hinc *Vopisc. Saturn.* 7. Sunt Ægyptii viri ventosi, furibundi, versificatores, epigrammatarii, etc. *Id. Florian.* 3. Quidam epigrammatarius in eum ita lusit.

ĔPĬGRAMMĂTĬCUS, a, um, adject. ad epigramma pertinens. *Spartian. Ælian. Ver.* 5. Martialis epigrammaticus poeta.

ĔPĬGRAMMĂTĬON, ii, n. 2. ἐπιγραμμάτιον, breve epigramma. *Varro* 7. *L. L.* 28. *Müll.* Pomponii epigrammation, quod in adolescentem fecerat Cascam. *Müllerus* Græcis litteris edidit.

ĔPĬGRAMMĂTISTA, *vel, ut alii minus recte legunt,*

ĔPĬGRAMMISTA, æ, m. 1. idem atque epigrammatarius. *Sidon.* 4. *Ep.* 1. Si quid heroicus arduum, comicus lepidum, epigrammatista lascivum condiderunt. *Al. leg.* epigrammista.

ĔPĬGRI, ōrum. *V.* EPIGRUS.

EPIGROMA, atis, n. 3. tabula, in qua ab agrimensore descripti sunt limites et mensuræ agrorum: ab ἐπί *in*, et γρῶμα *instrumentum agrimensoris*; hinc est etiam *gromaticus*. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 124. Commentarium, epitoma, epigroma.

ĔPĬGRUS, i, m. 2. clavus ligneus, quo lignum ligno adhæret, ut *Isid.* 19. *Orig.* 19. 7. definit. *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 15. Si poma decurrant, oleastri epigrum terebratæ infige radici. *Augustin.* 15. *Civ. D.* 27. Lignum ligno per subscudines, epigros, clavos et gluten bituminis non potest adhærere. *epigros* clavos ligneos, *clavos* ferreos intelligit. De clavis socco suppactis, sive ferreis, sive argenteis, aureisve *Seneca* 2. *Benef.* 12. *extr.* Nisi in os senatoris ingessisset imperator epiuros suos. — Volunt esse ab ἐπίκουρος *clavus ligneus*, extrita diphthongo et versa κ in γ. Alii melius ab ἐπίουρος. *V.* EPIURUS. — Ceterum apud *Pallad.* et *Augustin.* plerique alii leg. *epiurus*. Apud *Senec.* quoque *epiuros* quidam malient: alii leg. *pigros*, quos *Turneb. l.* 9. *Adversar.* c. 30. ingeniose magis, quam vere, pedes ipsos imperatoris interpretatur.

ĔPĬLEPSĬA, æ, f. ἐπιληψία, morbus comitialis et sonticus, quo totius corporis constitutio convellitur, homo crebro et subito concidit, ex ore spumæ moventur, deinde, interposito tempore, ad se redit et per se ipsum consurgit, ut *Cels.* 3. 23. describit: ab ἐπιλαμβάνω *occupo, invado, corripio. Lamprid. Elagab.* 20. Quod qui eaderet, ab epilepsia tutus diceretur. *Veget.* 5. *Veterin.* 32. *Schneid.* Epilepsia boum.

ĔPĬLEPSIS, is, f. 3. ἐπίληψις, idem quod epilepsia. *Theod. Priscian.* 4. *sub init.* Nam et epilepsin sic curare præcipit. *Id. lib.* 2. *part.* 2. *c.* 2. Epilepsis ideo sic appellatur, quod statum sensus penitus alienet, et quod meos, a propria sede exterminata, gravius attentetur.

ĔPĬLEPTĬCUS, a, um, adject. ἐπιληπτικός, ad epilepsiam pertinens. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 1. Epileptica passio. — Hinc

Epilepticus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui epilepsia, seu morbo comitiali et sontico interdum corripitur. *Fragm. Jur. civ. antejustinian.* (edente *A. Mai*) *p.* 38. Sive autem quis arthriticus, sive posicus (*lege* sonticus), sive epilepticus, et his similia, excusantur (*a tutela*). *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 4. Qui quum nondum sunt epileptici. Adde *eumd. ibid.* pluries.

ĔPĪLĒUS, i, m. 2. ἐπιλαῖος, genus accipitris, qui solus omni tempore apparet. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 8. 9. (21). *ex lect. Harduin.* Nam alii aliter. *Sillig.* lectionem *Harduini* secutus est.

ĔPĪLIMMA, ătis, n. 3. *V.* EPALIMMA et ALIMMA.

ĔPĬLŎGĬCUS, a, um, adject. ἐπιλογικός, ad reddendam rationem pertinens. *Cur. Fortunatian.* 2. *Art. rhet. p.* 70. *Capper.* Causæ mortis voluntariæ redduntur sex locis: legis interpretatione, ab initio ad finem, definitione, transmotione, conjectura vel voluntate, qualitate, id est epilogica quæstione τῆς ἐκβάσεως.

ĔPĬLŎGŎNĬUS, a, um, adject. qui ratione potius et animo concipitur, quam per evidentia signa: ab ἐπιλογος *conclusio. Var. auct. de limit. p.* 252. *Goes.* Terminus a ferro taxatus si fuerit, et subditum nihil habuerit, epilogonius nuncupatur.

ĔPĬLŎGUS, i, m. 2. ἐπίλογος, postrema pars orationis, qua congregantur et repetuntur ea, quæ dicta sunt: Latine peroratio, cumulus, conclusio: ab ἐπιλέγω *insuper dico, dictis addo, repeto. Cic. Brut.* 33. 127. Restat ejus peroratio, qui epilogus dicitur. *Id.* 2. *Orat.* 69. 278. Quum in epilogo misericordiam se movisse putaret. *Id. Planc.* 34. 83. Ut miserabiliores epilogos possem dicere. *Id.* 4. *Att.* 15. 4. Publius diserto epilogo criminans, mentes judicum moverat. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 47. 112.; *Quintil.* 1. 1. 28., 6. 1. 37. et alibi sæpe; et *Ammian.* 30. 7.

ĔPĬMĒDĬON, ii, n. 2. ἐπιμήδιον. ¶ 1. Caulis est non magnus, hederæ foliis denis, atque duodenis, numquam florens, radice tenui, nigra, gravi odore: nascitur in humidis, et spissandi refrigerandique vim habet. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 53. (76). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 418. et 419.), allatis doctorum hominum opinionibus, affirmat *epimedium* et esse et futuram plantam recentioribus ignotam: nam quæ de ipsa scripta nobis superaunt, ad eam definiendam non sufficiunt. ¶ 2. Est quoque lorica, repagulum, quo scalarum latera muniuntur ad prohibendum ascendentium et descendentium lapsum, Itali dicunt *murello, sponda*: est ab ἐπιμήδομαι *contra struo* aliquid prudenter. *Inscript.* apud *Don. cl.* 2. *n.* 11., quæ est apud *Orell.* 3301. GRAECINIA MYRINNA GRADVS ET EPIMEDIA *sua pecunia fecit. Orellius loc. cit.* hybridam esse vocem putat et ab ἐπί et *medium* derivat.

ĔPĬMĔLAS, ānos, f. ἐπιμέλας, h. e. nigricans (ab ἐπί *super* et μέλας *niger*) fit, quum in candida gemma superne nigricat colos, inquit *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 58. (161). Hæc eadem ipsissimis verbis *Isid.* 16. *Orig.* 10. 10.

ĔPĬMĔNĒDĒUS *vel*

ĔPĬMĔNĒDĬUS, a, um, adject. ἐπιμενίδειος, tertium genus bulborum scyllæ, aratum in cibis, angustius folio ac minus aspero. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 30. (93). et *Theophrast. hist. plantar. l.* 7. *c.* 11. *a med.* ibique *Schneider. V.* et voc. seq. Ita vero dictum videtur a quodam Epimenide. *Sillig.* leg. *Epimenidu.*

ĔPĬMĒNĬUS, a, um, adject. menstruus, ἐπιμήνιος: ab ἐπί *in* et μήν *mensis. Juvenal.* 7. 119. sicut petasunculus, et vas Pelamidum, aut veteres, Maurorum epimenia, bulbi. *h. e.* bulbi, quæ sunt munera quot mensibus a Mauris missa. Africa enim bulborum copia abundat. *Alii, inter quos recentiores plerique omnes, leg.* epimenida *syncop. pro* epimenidia: *V.* voc. præced. At cl. *Furlanetto* in suis MSS. nihil mutandum censet; sic enim habent *Gloss. Placidi* edente *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 561.

ĔPĬMĔRISMUS, i, m. 2. ἐπιμερισμός, h. e. repetita distributio; seu partitio: a μερίζω *distribuo, partior.* Ita dicitur a *Capell.* 5. *p.* 186. quum orator in media oratione, dubitans de memoria judicis, res summatim ac breviter rursus distribuit ac repetit.

ĔPĬMĔTRUM, i, n. 2. ἐπίμετρον, quod supra mensuram modumve datur alicui. *Imppp. Valentin., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 12. 6. 15.

ĔPĬMŎNE, es, f. 1. ἐπιμονή, h. e. perseverantia, ab ἐπιμένω *persevero.* Hoc nomine appellatur figura quædam, qua ejusdem dictionis sine intervallo geminatio fit, cum impetu pronunciationis, ut *Virg.* 9. *Æn.* 428. Me, me; adsum qui feci; in me convertite ferrum. *et* 4. *ibid.* 660. Sic moriamur ait, sic sic juvat ire sub umbras. — Vox Græca est, et Græce adhibenda.

ĔPĬNĔPHRĬDĬUM, ii, n. 2. ἐπινεφρίδιον, pinguedo in renibus. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 5. Epinephridia formandis fetibus opponuntur. *Al. leg.* epomphalia, *h. e.* medicamenta, quæ umbilico apponuntur, ab ὀμφαλός *umbilicus*: quod quidem rectius est.

ĔPĪNĪCĬA, ōrum, n. plur. 2. celebritates pro parta victoria, ut ignes nocturni, solemnes supplicationes, carmina, etc. ab ἐπί *in, super* et νίκη *victoria. Sueton. Ner.* 43. Sequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia.

EPINOMEN, inis, n. 3. idem quod agnomen: vox hybrida ex ἐπί *ad, super* et *nomen*, Italice *soprannome.* Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 35. Nomen, epinomen. Perperam tamen hic legitur *ephinomen.*

ĔPĬNYCTIS, idis, f. 3. ἐπινυκτίς. ¶ 1. Est pessima pustula, fabæ magnitudine, colore vel sublivida, vel subnigra, vel alba. Circa eam vehemens inflatio est, indeque acer dolor oritur; et quum aperta est, reperitur intus exulceratio mucosa, colore humori suo similis. Oritur in eminentibus partibus, et fere noctu, ut est apud *Cels.* 5. 28. n. 15., unde et nomen habet: ab ἐπί *in* et νύξ *nox*: vel quia noctu præcipue inquietat, ut *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 21. (44). docet. *Id. ibid.* 2. 6. (12). Folia peponis cum melle epinyctidas sanant. ¶ 2. Item ulcus alio nomine syce, in angulo oculi perpetuo humore manans. *Id. ibid.* 6. 21. (44).

ĔPĬŌNĬCUS, a, um, adject. ἐπιωνικός, idem ac ionicus a majore nempe versus cujusdam genus; ab ἐπί *super* et ἰωνικός *ionicus. Priscian. de metr. Terentian. p.* 1330. *Putsch.* Hephæstion metricus ostendit, comicum epionicum spondeos paribus locis habentem iambicarum συζυγιῶν, id est conjugationum, ut est apud Eupolin.

ĔPĬPACTIS, idis, f. 3. ἐπιπακτίς, frutex, quem alii helleborinem vocant, parvis foliis, quæ pota contra venena et jocinoris vitia prosunt. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 20. 35. (114). et 27. *ibid.* 9. 52. (76). ex *Dioscorid. l.* 4. *c.* 109. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 122.) postquam de hoc frutice pluribus disseruit, eumdem et esse et fore recentioribus incognitum affirmat. *Cod. Veron.* edente *Mon.* legit *epicartis.*

ĔPĬPĔDŎNĬCUS, a, um, adject. qui est in ἐπιπέδῳ, *h. e.* in superficie, qui exstat super terram. *Sicul. Flacc. de condit. agr. p.* 26. *Goes.* Ager cultellatus, ager normalis, ager epipedonicus. *Frontin. de colon. p.* 112. et 133. Termini ejus (*coloniæ*) rotundi, pedales (*num* bipedales?), et illi distant a se in pedes MMCCCC. Sunt et medii termini, qui dicuntur epipedonici, pede longi et crassi, distantque a se pedes MCC. Sed in *fragm. determin. p.* 140. Sunt et medii termini, dicti epipedonici, pede longi et crassi: distant a se in pedes trecentos.

ĔPĬPĔDUS, a, um, adject. planus, superficialis; ab ἐπίπεδον *superficies. Boeth.* 2. *Geom. p.* 1228. Hæc de epipedarum podismationibus figurarum sufficiant; restat, ut de montuosa speciositus aliquid ratione tractemus.

ĔPĬPĔTRON *vel* epipetros, i, n. *vel* f. 2. ἐπίπετρον, herba quædam numquam florens. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 52. (89). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 57.) hanc exhibet synonymiam: Ἐπίπετρον Theophr. 7. 3. et *Epipetron* Plin. loc. cit. sunt *Sedum Anacampseros* L. Spec. plant. 616.

ĔPĬPHĂNĬA, æ, f. 1. *vel*

ĔPĬPHĂNĬA, ōrum, n. plur. 2. (*subaudi* festa) Ἐπιφάνεια, apparitio, sive manifestatio, ab ἐπιφαίνομαι: *appareo.* Festum Christianorum, quod incidit in diem VIII. Id. Januarii, quod eo die Christus stella indice Magis apparuerit; item quod in baptismo audita sit vox Dei Patris de Christo: Hic est Filius meus dilectus. *Cod. Theod.* 15. 5. 5. ubi secunda forma legitur, et *Isid.* 6. *Orig.* 18. ubi prima. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

ĔPĬPHŌNĒMA, ătis, n. 3. ἐπιφώνημα, figura sententiarum, qua summa acclamatio fit super aliqua re narrata, vel probata: ab ἐπιφωνέω *acclamo. Quintil.* 8. 5. 11. Est enim epiphonema rei narratæ, vel probatæ summa acclamatio: (*Virg.* 1. *Æn.* 37.) *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.* Adde *eumd.* 11. 1. 52.; et *Jul. Rufinian. de fig. sent. et eloc.* 29. *p.* 217. *Ruhnk.*

ĔPĬPHŎRA, æ, f. 1. ἐπιφορά. ¶ 1. Est humoris destillatio, et in aliquam corporis partem impetus; unde morbus et dolor: ab ἐπιφέρομαι: *impetu feror, irruo. Cic.* 16. *Fam.* 23. Balbus ad me scripsit tanta se epiphora oppressum, ut loqui non possit. *Orellius* Græce edidit. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (130). Incipientem epiphoram inungere. *Id.* 20. *ibid.* 12. 48. (121). Epiphoræ oculorum. *Id.* 21. *ibid.* 19. 74. (127). testium. *Sillig* h. l. hanc vocem omittit. *Id.*

28. *ibid.* 11. 58. (207). Ad omnes epiphoras ventris illini caseum suadent. Adde *Colum.* 5. *R. R.* 17. 8.; et *Veget.* 3. *Veterin.* 22. 3. et 5. *ibid.* 4. 48. *Schneid.* ¶ 2. Est etiam hoc nomine figura rhetorica, quum nempe plurium sententiarum unum atque idem novissimum ponitur. *Rutil. Lup. de fig. sentent.* etc. 1. Nos primum impulit Philippus, deinde deseruit nos Philippus, novissime succenset idem Philippus.

ĔPĬPLEXIS, is, f. 3. ἐπίπληξις, objurgatio: figura rhetorica. *Jul. Rufinian. de fig. sent. et eloc.* 21. *p.* 212. *Ruhnk.*

ĔPĬPLŎCE, es, f. 1. ἐπιπλοκή, implicatio. Occurrit speciatim tantum; et quidem ¶ 1. Pro diversorum metrorum connexione. *Mar. Victorin. p.* 2506. *Putsch.* Nunc de metrorum connexionibus, quas epiplocas Græci appellant, dicemus. Dicta autem epiploce, id est amplexio, a metricis, eo quod copulari metra metris diverse his adjectionibus, aut etiam translationibus videantur. ¶ 2. Est eodem nomine etiam figura rhetorica, quum plura simul copulantur vel connectuntur. *Jul. Rufinian. de fig. sentent. et eloc.* 1. 13. *p.* 44. *Ruhnk.*

ĔPĬRHĒDĬUM, ii, n. 2. vox hybrida, ex Græco ἐπί *in*, aut *super*, et Gallico *rheda*: qua tamen nec Græci, nec Galli utuntur, inquit *Quintil.* 1. 5. 68. Romani suum ex alieno utroque fecerunt. Significat autem lorum, seu funem, et collare, quo equus ad rhedam alligatur. *Vet. Scholiast. Juvenal.* ad *Sat.* 8. 66. exponit ornamentum rhedæ aut plaustrum. *Juvenal. ibid. de equis.* tritoque trahunt epirhedia collo Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.

ĔPISCÆNĬUM, ii, n. 2. ἐπισκήνιον, et

ĔPISCÆNOS, i, f. 2. ἐπίσκηνος, superior scenæ pars, id quod supra scænam extruitur, idest columnationis, sive contignationum ordines: ab ἐπί *super* et σκηνή *scæna. Vitruv.* 7. 5. Præterea supra eam (*scænam*) nihilominus episcænium, in quo tholi, pronai, semifastigia omnisque tecti variis picturis fuerat ornatus. *Id.* 7. 5. Si tertia episcænos futura erit, etc.

ĔPISCEPSIS, is, f. 3. ἐπίσκεψις, inspectio. *V.* in CHORA.

ĔPISCŎPĀLIS, e, adject. ad episcopum pertinens, ut Episcopale solium, *Prudent.* 13. περὶ στεφ. 33. Adde *Sidon. carm. l.* 4. *ep.* 11.

ĔPISCŎPĀLĬTER, adverb. more episcopi. *Augustin.* 5. *Confess.* 13.

ĔPISCŎPĀTUS, us, m. 4. officium, vel dignitas episcopi. *Ammian.* 27. 3. Ad rapiendam episcopatus sedem ardentes. *Alii leg.* Episcopalem sedem. *Tertull. Baptism.* 17. Officium episcopatus.

ĔPISCŎPUS, a, um, adject. ἐπίσκοπος. Episcopus phaselus, *h. e.* exploratorius, ab ἐπισκοπέω *exploro*, apud *Cic.* 14. *Att.* 16. Alii aliter leg. *V.* voc. seq.

ĔPISCŎPUS, i, m. 2. ἐπίσκοπος. ¶ 1. Stricto sensu est inspector, præses: ab ἐπί *super*, et σκοπέω *video, dispicio. Arcad. Dig.* 50. 4. 18. § 7. Item et episcopi, qui præsunt pani et ceteris venalibus rebus, quæ civitatum populis ad quotidianum victum usui sunt, personalibus muneribus funguntur. *Inscript.* apud *Murat.* 626. 1., quæ est apud *Orell.* 4024. C. MEMMIO MACRINO AGONOTHETAE EPISCOPO NIGAEENSIVM AMICI. *Cic.* quoque simili sensu utitur, sed Græce, 7. *Att.* 11. *sub fin.* Vult enim me Pompejus esse, quem tota hæc Campana et maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus et summa negotii referatur. ¶ 2. Sic etiam nominantur Christiani sacri Antistites, seu pontifices, qui alicujus urbis ac territorii sacris præsunt. *Ammian.* 15. 7. Episcopum abjicere sede sacerdotali. Adde *Augustini loc. cit.* in SUPERINTENDO, ubi et vocis etymon exhibet; necnon *eumd. Augustin.*, *Tertull.* et *Hieronym.* sæpe.

ĔPISCY̆NĬUM, ii, n. 2. ἐπισκύνιον, supercilium. Translate *Tertull. Pall.* 4. Jamdudum censoriæ intentionis episcynio disperso. *h. e.* severitate omissa, deposito nempe supercilio nimis adstricto contractoque.

ĔPISTALMA, ătis, n. 3. ἐπίσταλμα, imperatoris mandatum, ab ἐπί *super* et στέλλω *mitto.* Legitur in *Cod.* 7. 37. 3.

ĔPISTĂTES, æ, m. 1. ἐπιστάτης, præses, præpositus alicui rei: ab ἐφίστημι *præfectus sum. Cato R. R.* 56. Familiæ cibaria qui opus facient, per hiemem tritici modios quatuor, per æstatem modios quatuor semis: villico, villicæ, epistatæ, opilioni modios tres. *Pontedera Op. posth. T.* 1. *p.* 277. suspectam habet vocem *epistatæ*, totumque locum, non improbante *Schneidero*, ita refingendum putat: villico, villicæ modios per æstatem quatuor, per hiemem modios tres. Vides igitur illud *epistatæ* pro alieno haberi. — In certaminibus athletarum epistatæ erant, qui certantibus præerant et certaminum leges ferebant. Hinc translate *Tertull. Martyr.* 3. Epistates vester Christus Jesus etc.

ĔPISTĒMŎNĬCUS, a, um, adject. ἐπιστημονικός, scientiam efficiens. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 1. 2. *p.* 523. Demonstrationem dico syllogismum epistemonicum, id est facientem scire, sed epistemonicum dico secundum quem, in habendo ipsum, scimus.

ĔPISTŎLA, æ, f. 1. ἐπιστολή. Quod ad scriptionem attinet in Inscriptionibus multis apud *Gruter.*, *Reines.* et *Manut.* (cf. et *Inscript.* apud *Orell.* 3118.) plerumque legitur *epistula:* quam scribendi rationem (quæ in Pandectis Florentin. dicitur esse perpetua) *Justus Fontanin. l.* 1. *de Antiquitatib. Hortæ c.* 8. contendit usurpatam fuisse etiam optimis Latinæ linguæ temporibus, quod plurimis allatis exemplis confirmat *Jo. Labusius* in *Bibliot. Ital. T.* 3. *p.* 428. Nihilominus et librorum consensus, et vocis origo ipsa, et usus alteram per o scriptionem tuetur: quam præferunt etiam *Scalig.*, *Lips.*, *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar.* etc. — Epistola est litteræ scriptum, quod ad absentes mittitur, alicujus rei significandæ gratia. Vox quidem Græca tota est, sed usu Latina facta; ab ἐπί *ad* et στέλλω *mitto* (It. *lettera, epistola*; Fr. *lettre, épître*; Hisp. *carta, misiva, epistola, despacho*; Germ. d. *Zuschrift*, d. *Brief*; Angl. *a letter, epistle*). Epistola ¶ 1. Proprie significat ipsam chartam obsignatam et alicui missam, seu, uti ajunt scholastici, *materiale: litteræ* autem sensum ipsum, seu *formale* ipsius epistolæ. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. Venio nunc ad tuas litteras, quas pluribus epistolis accepi. *h. e.* Italice *in più plichi.* ¶ 2. Ceterum alterum frequenter pro altero ponitur. — *a*) Generatim. *Plaut. Asin.* 4. 1. 16. Aut quod ita dicat peregre allatam epistolam, ne epistola quidem ulla sit in ædibus, nec cerata adeo tabula. Adde *eumd. Bacch.* 3. 6. 22. et *Mil. glor.* 4. 6. 10. *Ter. Phorm.* 1. 2. 17. Pellicere aliquem per epistolas. *Cato* apud *Jul. Rufinian. de figur.* 6. *p.* 199. *Ruhnk.* Antiochus epistolis bellum gerit, calamo et atramento militat. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. Illud quod est epistolæ proprium, ut is, ad quem scribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat etc. *Id.* 2. *Fam.* 4. Epistolarum genera multa esse non ignoras, etc. Reliqua sunt genera duo: unum familiare et jocosum, alterum severum et grave. *Id.* 9. *ibid.* 21. Quid simile habet epistola aut judicio, aut concioni? et *ibid.* Epistolas quotidianis verbis texere solemus. *Id.* 1. *Att.* 20. Cincius eam mihi abs te epistolam reddidit, quam tu Idib. Februar. dederas: ei epistolæ litteris his respondebo. *Id.* 6. *ibid.* 3. *post med.* Q. Cicero legit epistolam inscriptam patri suo. *h. e.* missam, datam. *Id.* 2. *ibid.* 11. Isti puero da ponderosam aliquam epistolam, plenam omnium non modo actorum, sed etiam opinionum tuarum. *Id. ibid.* 12. O suaves epistolas tuas, uno tempore mihi datas, duas! *Horat.* 2. *Ep.* 2. 20. Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi Talibus officiis prope mancum, ne mea sævus Jurgares ad te quod epistola nulla rediret. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 1. Hæc mea, si casu miraris, epistola quare Alterius digitis scripta sit; æger eram. *Nepos Att.* 20. Interdum jocans ejus verbosiores eliciebat epistolas. Cf. *Juvenal.* 10. 71. verbosa et grandis epistola venit A Capreis. *Sueton. Aug.* 72. Epistola autographa. Adde *eumd. ibid.* 76., *Cal.* 8. et *Tib.* 21. *Id. Domit.* 13. formalis. *Id. Claud.* 35. contumeliosa. *Id. Cæs.* 56. Epistolæ quoque ad senatum exstant, quas primus videtur ad paginas et formam memorialis libelli convertisse, quum antea Coss. et duces nonnisi transversa charta mitterent. *Quintil.* 1. 1. 29. Epistolæ secretæ et familiares. *Id.* 9. 4. 19. Oratio soluta, qualis in sermone et epistolis. *Id.* 11. 1. 21. In epistolis aliquando familiariter apud amicos de eloquentia sua (*Cicero*) dicit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 25. (91). C. Cæsar solitus epistolas quaternas pariter librariis dictare. Alter *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ad fin.* Non epistola quæ describit, sed villa quæ describitur, magna est. *Id. ibid.* 7. Sermonem vultus, gestus, vox ipsa moderatur: epistola omnibus commendationibus destituta malignitati interpretantium exponitur. *Seneca Ep.* 45. *in fin.* Sed ne epistolæ modum excedam, quæ non debet sinistram manum legentis implere, etc. *Fronto* 2. *ad M. Cæs.* 1. *ad fin.* Epistolam matri tuæ scripsi, eamque epistolæ ad te scriptæ implicui. *h. e.* Italice *compiegai. Id.* 3. *ibid.* 13. Cogitans quantum ex epistolis scribendis laboris caperes, proposueram parcius te appellare. — Recitare palam epistolas ad se ab aliquo amico missas, offensione aliqua interposita, est nihil aliud, quam tollere e vita vitæ societatem, tollere amicorum colloquia absentium. Ita *Cic.* 2. *Phil.* 4. 7. de M. Antonio. — *b*) Jungitur plurimis Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Nepos Pausan.* 4. accipere epistolam ab aliquo ad aliquem. *Curt.* 7. 2. accipere ab aliquo. *Nepos Pelop.* 3. afferre epistolam. *Cic.* 12. *Att.* 1. *a med.* complicare. *Tac.* 3. *Hist.* 63. componere. *Cic.* 10. *Att.* 12. concerpere. *Id.* 1. *ibid.* 20. et *alibi sæpe.* dare alicui. *Cæs.* 5. *B. G.* 46. deferre. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ad fin.* deponere, interquiescendi causa. *Cic.* 7. *Att.* 13. *extr.*; et *Sueton. Tit.* 6. dictare. *Cic.* 15. *Att.* 1. exarare. *Id.* 13. *ibid.* 26. efficere. *Id.* 6. *ibid.* 5. *extr.* facere epistolam longiorem. *Curt.* 7. 2. 16. ferre epistolam ad aliquem. *Nepos Att.* 7. imperare pecunias per epistolas. *Curt.* 3. 6. 7. imprimere epistolam anuli sigillo. *Cæs.* 5. *B. G.* 46. intercipere. *Nepos Pausan.* 4. laxare vincula epistolæ. *Curt.* 6. 9. 13. legere. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 32.; *Nepos Themist.* 9. et *Att.* 16.; *Sueton. Cæs.* 56. *extr.*; et *Quintil.* 3. 1. 18. mittere epistolam ad aliquem. *Nepos Pausan.* 2. mittere aliquem cum epistola ad aliquem. *Flor.* 2. 12. 10. notare nomen suum epistolæ. *Sueton. Vesp.* 21. perlegere epistolam. *Cic.* 5. *Verr.* 69. 163.; *Curt.* 6. 9. 13.; et *Sueton. Claud.* 25. recitare. *Curt.* 3. 7. 14. reddere. *Sueton. Vit. Horat.*; et *Quintil.* 1. 6. 19. et 10. 1. 39. scribere ad aliquem. *Sueton. Aug.* 50. signare. *Cic.* 15. *Att.* 4. *a med.* et *Nepos Hann.* 11. solvere epistolam. *Curt.* 7. 2. 25. solvere vinculum epistolæ. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77.; et *Curt.* 3. 7. *ad fin.* tradere alicui. — *c*) Quemadmodum *litteræ* plur. num. epistolam significant: ita hæc ipsa vox plur. num. interdum de unis litteris usurpatur. *Justin.* 1. 6. 1. Lectis ille epistolis etc. *Id.* 11. 12. 9. Scribit itaque et tertias epistolas. Adde *eumd.* 17. 2. 9. et 20. 5. 12.; et *Plin.* 10. *Ep.* 5. et 15. *Mamertin. Grat. act. Jul.* 9. Scire satis est cunctas Macedoniæ, Illyrici, Peloponesi civitates unis aut binis epistolis maximi imperatoris repentinam induisse novatis mœnibus juventutem. — *d*) *Epistolarum officium* memoratur a *Sueton. Vit. Horat.* Augustus epistolarum quoque ei (*Horatio*) officium obtulit, et hoc ad Mæcenatem scripto significat: Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum: nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in epistolis scribendis adjuvabit. — Hinc dicitur *ab epistolis alicujus* qui conscribendis epistolis illi inservit, Italice *il secretario.* Habetur apud *Sueton. Claud.* 28., et in Inscriptionibus multis apud *Gruter.*, *Reines.*, *Manut.* et *Orell.* Sic *Tac.* 15. *Ann.* 35. de *J. Silano Torquato.* Accusatores objiciebant, eum libertos habere, quos ab epistolis et libellis et rationibus appellet. *Spartian. Hadrian.* 23. docet Hadrianum ab epistolis et a libellis equites Romanos primum habuisse. — Dicitur etiam *magister epistolarum*, sub se habens alios, qui ab epistolis sint. *Spartian. Hadrian.* 11. Suetonio Tranquillo, epistolarum magistro, successorem dedit. ¶ 3. Imperatorum rescripta et jussa, quod per epistolas plerumque edebantur, *epistolæ* dicuntur. *Plin.* 10. *Ep.* 66. et 71.; *Frontin. Aquæduct.* 105.; et sæpe in libris *Digestor.*

ĔPISTŎLĀRIS, e, adject. ad epistolam pertinens, ut Epistolaris charta, *Martial.* 14. 11. in *lemmate*, h. e. in qua epistolæ scribuntur. *Augustin. Ep.* 5. *ad Marcellin.* Epistolare colloquium. *Cassiod.* 6. *Variar.* 3. Epistolaris sermo. *Id.* 10. *ibid.* 12. Epistolaris series. — Hinc

Epistolares, ium, m. plur. 3. absolute, substantivorum more, apud *Impp. Theodos. et Valentin. Cod.* 7. 42. 32. sunt officiales conscribendis imperatorum epistolis, rescriptis actisque sacri auditorii destinati.

Epistolaris, is, fem. gen. absolute, est quæ Jovis edicta hominibus nunciat, apud *Capell.* 9. *p.* 304.

ĔPĬSTŎLĀRĬUS, a, um, adject. idem quod epistolaris. *Ennod.* 1. *Ep.* 22. Ad morem scriptionis epistolariæ me reduco. — Hinc

Epistolarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, qui affert epistolas. *Salvian.* 5. *Gub. D.* 7. Veniunt plerumque novi nuncii, novi epistolarii a summis sublimitatibus missi.

ĔPISTŎLĬCUS, a, um, adject. epistolaris, ut Epistolicæ quæstiones, *Gell.* 14. 7. et 8., ubi citat *Varronis* librum eo titulo. Item 7. 10., ubi eadem inscriptione librum *Catonis* appellat. Unde apparet ab illis quoque eam vocem fuisse usurpatam.

ĔPISTŎLĬUM, ii, n. 2. deminut. ἐπιστόλιον, parva epistola. *Catull.* 68. 2. Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium.

ĔPISTŎMĬUM, ii, n. 2. ἐπιστόμιον, instrumentum æneum, vel alterius materiæ, in quo est vestibulum pertusum, quo, prout hoc, aut illo modo versatur, clauduntur et aperiuntur ora salientium ac fistularum: ab ἐπιστομίζω os obstruo, quod ab ἐπὶ et στόμα os. *Seneca Ep.* 80. Nisi aquam argentea epistomia effuderunt. Adde *Vitruv.* 9. 6. *sub fin.* et 10. 13.; *Varron.* 3. *R. R.* 5. 16.; et *Ulp. Dig.* 19. 1. 17. *ad fin.* Ubique autem alii male reponunt *epitonium*, et alicubi pessime *epitomium*.

ĔPISTRĀTĒGĬA, æ, f. 1. ἐπιστρατηγία, jurisdictio supra strategos, seu præfectos provinciarum, seu nomorum Ægypti: ab ἐπὶ super et στρατηγία præfectura. Hujusmodi vero jurisdictio militaris erat civilisque; similis fortasse illius, quam exarchæ in Italia exercuerunt: V. *Peyron. Papir. part.* 1. p. 64. *Inscript.* apud *Murat.* 686. 6. et 4096. 3., quæ est apud *Orell.* 516. C. CAMVRIO C. F. LEM. CLEMENTI PRAEF. FABR. IIII., PRAEF. & D. IMPER. CAES. TRAJANI AVG., PROC. AVG. EPISTRATEGIAE SEPTEM NOMOR. ET ARSINOITAE. scil. procuratori augustali epistrategiæ septem nomorum (h. e. Ἑπτανομίδος in media Ægypto), et Arsinoitæ (*h. e.* nomi. qui *Arsinoites* appellatus est ab Arsinoe ejus urbe primaria ad lacum Mœridem; Italice *procuratore imperiale presso il governo dei sette-dipartimenti, e di quello di Arsinoe.*

ĔPISTRĀTĒGUS, i, m. 2. ἐπιστράτηγος, præfectus provinciæ alicujus in Ægypto. *Inscript.* apud *Gruter.* 130. 1. M. ANTONIVS M. F. PAL. PRISCVS PRAEF. MONTIS BERENICIDIS, FLAM. DIVI AVG., PATR. COL., EPISTRATEG. THEBAIDIS etc. Apud *Gruter. loc. cit.* et *Smet.* 33. 1. mutilus est lapis, ibique.... RATEG. legitur. et apud *Apian.* p. 229. integre EPISTRATEG. At *A. Peyronius* in *Papir. Gr. part.* 1. p. 67. putat *strategus* legendum, eumdemque epistratego Thebaidis vicariam operam in universa epistrategia præstitisse. *Orell.* n. 3881., eamdem referens *Inscript.*, legendum putat *epistrategus*.

ĔPISTRŎPHĒ, es, f. 1. ἐπιστροφή, figura est, quum in eadem verba plures desinunt sententiæ. Latine *conversio* dicitur. Græca vox et Græce usurpanda: ab ἐπιστρέφω *converto*. *Jul.* tamen *Rufinian. de schem. lex.* 16. p. 238. Latine usurpat.

ĔPISTȲLĬUM, ii, n. 2. ἐπιστύλιον, trabs, quæ summis columnis, superque earum capitulum transversa imponitur, et omnes tecti trabes sustinet: ab ἐπὶ *super* et στῦλος *columna*: item in lapideis architecturis membrum illud supra capitulum, quod eam trabem refert. *Vitruv.* 3. 5. *ad fin.* Membra omnia, quæ supra capitula columnarum sunt futura, idest epistylia, zophori, coronæ, tympana, etc. Adde eumd. 4. 3. et 10. 6.; *Varron.* 3. *R. R.* 5. 11.; *Plin.* 36. *Hist. nat.* 14. 21. (96).; *Paul. Diac.* p. 82. 11. *Müll.*; et *Isid.* 15. *Orig.* 8. 15. *Inscript.* apud *Orell.* 3278. SATELLIA M. F. ANTS APODYTERIVM AD NOVITATEM RESTITVIT EPISTYLIIS CETERISQVE MARMORIBVS ORNAVIT.

ĔPĬSYNALŒPHA, æ, *vel*

ĔPĬSȲNĂLŒPHĒ, es, f. 1. ἐπισυναλοιφή, figura eadem quæ synæresis, quum duæ vocales in unam contrahuntur, et quodammodo conglutinantur: ab ἐπὶ et συναλείφω *commisceo, confundo*. Græca vox, et Græce adhibetur a *Charis.* 4. p. 219. *Putsch.* et *Diomed.* 2. p. 437. Latine autem a *Priscian. de metr. Terent.* p. 1322. *Putsch.* Crebris synalœphis et episynalœphis. Adde *Isid.* 1. *Orig.* 16. et *ibid.* 34., in quo postremo loco *episynalœpha* legitur Latina positione.

EPITAPHIOLUM, i, n. 2. *deminut. ab* epitaphium, breve epitaphium. *Epotafiolum* legitur in *Inscript.* apud *Murat.* 162. 2., quod ipse perperam interpretatur *epitaphiolum*, quum legendum sit *cepotaphiolum*, quam vocem *V.* suo loco.

ĔPĬTĂPHISTA, æ, m. 1. ἐπιταφιστής, epitaphiorum scriptor. *Sidon.* 1. *Ep.* 9. *ad fin.* Epitaphistarum neniæ.

ĔPĬTĂPHĬUM, ii, n. 2. ἐπιτάφιον, inscriptio, quæ sepulcris inciditur in laudem defunctorum: ab ἐπὶ *super* et τάφος *sepulcrum*. *Auson.* in *præfat. Epitaph.* vertit *titulos sepulcrales*. Sic *Inscript.* apud *Orell.* 4518. IN HOC EPITAPHIO MACERIA CINCTVM etc. *An* cepotaphio *legendum*? V. et voc. seq. — Quomodo differat ab *epicedio*, V. in EPICEDION.

ĔPĬTĂPHĬUS, ii, m. 2. ἐπιτάφιος, subaudi λόγος, oratio in mortuorum laudem. *Cic.* 5. *Tusc.* 12. 36. Quid vero? in Epitaphio quo modo idem? etc. Designat hic *Cic.* opusculum *Platonis*, quod inscribitur Μενέξενος, ἢ ἐπιτάφιος, continens orationem in defunctos Athenienses, qui in bello pro patria vitam dederant: de qua loquitur et in *Orat.* 44. 151. Ceterum *Forcellinus* apud *Cic. loc. cit.* vocem neutro genere accepit.

ĔPĬTĂSIS, is, f. 3. ἐπίτασις, ab ἐπιτείνω *intendo*, intentionem et emphasin significat apud grammaticos. — In comœdiis dicitur illa pars turbulenta et contentiosa ante catastrophen. *Donatus præf. Andr. Terent.* Hic protasis subtilis, epitasis tumultuosa, catastrophe pæne tragica. *Id. de trag. et comœd.* Comœdia per quatuor partes dividitur, prologum, protasin, epitasin, catastrophen. Epitasis est incrementum processusque turbarum ac totius, ut ita dixerim, motus erroris. Adde *Not. Tir.* p. 124., ubi tamen mendose legitur *epytarsis*.

ĔPĬTHĂLĂMĬUM, ii, n. 2. ἐπιθαλάμιον, carmen nuptiale; ab ἐπὶ *super* et θάλαμος *thalamus*. Solebat autem cantari a puellis, sponsam in thalamum comitantibus. *Quintil.* 9. 3. 16. Catullus in Epithalamio: dum innupta manet, dum chara suis est. Sumit hoc *Quintil. ex v.* 45. *carm.* 62. quod inscribitur *Carmen nuptiale*. *Trebell. Poll. Gallien.* 11. Hujus est illud epithalamium, quod inter centum poetas præcipuum fuit. *et mox.* Quum omnes poetæ Greci Latinique epithalamia dixissent.

ĔPĬTHĒCA, æ, f. 1. ἐπιθήκη, additio, adjectio: ab ἐπιτίθημι *adjungo*. *Plaut. Trin.* 4. 3. 18. Nisi etiam laborem ad damnum apponam epithecam insuper.

ĔPĬTHĔMA, atis, n. 3. ἐπίθεμα, medicamentum, quod exterius imponitur: ab ἐπιτίθημι *impono*. *Scribon. Compos.* 160. Epithemata uti oportet. *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 2. *c.* 8. Adhibeo epithemata simili sub virtute operantia, quæ calefaciendo loca desiccare contendant. Adde *Marcell. Empir.* 20.

ĔPĬTHĔMĀTĬUM, ii, n. 2. ἐπιθεμάτιον, parvum epithema. *Marcell. Empir.* 20. *circa med.* et 27. *extr.*

ĔPĬTHĔRĂPEUSIS, is, f. 3. ἐπιθεράπευσις, nomen rhetoricæ exornationis, qua dictum aliquod atrocius non emendatur leniturve, sed subjecta ratione confirmatur. Exemplum affert *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 2. *Verr.* 9. 27. p. 140. 1. *Bait.* An me taciturum tantis de rebus *etc.* Græce possis ipsam vocem interpretari obsequium, quasi orator tam sit veritatis amans, ut in ejus obsequium invidiam ejus quem dicto læserit, subire non dubitet.

ĔPĬTHĔTON, i, n. 2. ἐπίθετον, adjectivum, appositum, vox alteri addita explicandi, designandi atque illustrandi gratia. *Quintil.* 8. 3. 20., 8. 2. 20. et alibi. *V.* APPOSITUM. *Tertull. Pall.* 4. Scytalosagittipelliger, qui totam epitheti sui sortem cum muliebri cultu compensavit. *h. e.* Hercules, qui σκυτάλῃ, clava et sagittis armatus et pelle leonina indutus fuerat. — De epithetis Virgilianis multa *Macrob.* 6. *Saturn.* 5., ubi et vocem Latine usurpat. — Ne audias *Servium*, qui ad *Virg.* 3. *Ecl.* 38., et ad 3. *Æn.* 70. vitiosum esse ait in Latinitate, si duo epitheta uni substantivo jungantur. Multa collegit *Broukus.* ad *Tibull.* 3. 5. 22. ex probatis auctoribus, qui nullum in ea re vitium agnoverunt.

ĔPĬTHȲMON, i, n. 2. ἐπίθυμον, flos thymi. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 35. (55). Alvum purgat epithymum, qui est flos a thymo, saturejæ simili. Adde *eumd. ibid.* 11. 66. (106). et 12. 81. (130).

ĔPĬTĪMĒSIS, is, f. 3. ἐπιτίμησις, Græca vox exprobrationem significans, quæ occurrit tantum apud Rhetores ad figuram designandam. *Jul. Rufinian. de fig. sent. et eloc.* 21. p. 212. *Ruhnk.* et *de schem. dian.* 7. p. 271.

ĔPĬTŎGĬUM, ii, n. 2. amictus, qui supra togam gestatur. Vox hybrida ex Græco ἐπὶ *super*, et Latino *toga*. Affert *Quintil.* 1. 5. 68. in exemplum vocis ex duabus Græca et Latina conflatæ. In *Not. Tir.* p. 157. legitur *epitogum*.

EPITOLIUM, ii, n. 2. sella balnearis: etymon vocis ignotum est. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 158. et 184.

ĔPĬTŎMA, æ, f. 1. *V.* EPITOME.

ĔPĬTŎMA, atis, n. 3. *V.* EPITOMO in fin.

ĔPĬTŎMĒ, es, *et positione Latina* epitoma, æ, f. 1. ἐπιτομή, fit quum pluribus resectis, id, quod fuse pluribus dicebatur, paucis complectimur, et brevius facimus, summa tantum capita persequentes: ab ἐπιτέμνω *amputo, abbrevio*. *Cic.* 12. *Att.* 5. 3. Conturbat me epitome Bruti Fanniana, au Bruti epitoma Fannianorum. *h. e.* historiæ Fannii. Similiter *Id. Cic.* 13. *ibid.* 8. Epitomen Bruti Cælianorum velim mihi mittas. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 10. Diophanes totum Dionysium, per multa diffusum volumina, sex epitomis circumscripsit. *Auson. Epist.* 19. *post v.* 10. Cogere aliquid in epitomen. *Id. proœm. ad perioch. Iliad.* In epitomæ speciem, belli Troici causam apparatusque retexere.

ĔPĬTŎMO, as, avi, atum, are, a. 1. Part. *Epitomatus*. — Epitomo est in epitomen redigo. *Trebell. Poll.* XXX. *Tyrann.* 30. *de Zenob. ad fin.* Historiæ Alexandrinæ ita perita, ut eam epitomasse dicatur. *Veget.* 1. *Milit.* 8. *extr.* Nihil mihi auctoritatis assumo, sed horum, quos supra retuli, quæ dispersa sunt, velut epitomata conscribo. *Januar. Nepotian. in epist. ad Victor.* (habetur in *Biblioth. Latin. Fabric. l.* 2. *c.* 5.) et est prœmium epitomes *Valerii Max.* Et quum integra fere in occulto sint, præter nos duo, profecto nemo epitomata cognoscat. — Ex duobus his locis alii *epitoma, atis,* n. 3. adstruere conati sunt. At altera lectio ex eo confirmatur, quod in *Digestis* sæpissime citantur *Labeonis libri* πιθανῶν (h. e. *probabilium*) a *Paulo epitomatorum*, et *libri posteriorum* a *Javoleno epitomatorum*. V. Indicem *Wielingii*. Hinc patet, hanc vocem et *Justiniani Aug.* et superioribus etiam temporibus fuisse usurpatam.

ĔPĬTŎNĬUM, ii, n. 2. ἐπιτόνιον, ab ἐπιτείνω *intendo*, significat instrumentum, quo aliquid intenditur, quale est, quo in manubrio lyræ intenduntur fides; aut lignum illud rotundum, quo in machinis involvuntur atque intenduntur funes: et a similitudine etiam verticillum, cujus conversionibus aqua e fistulis emittitur, aut clauditur. Postrema hac significatione legi putatur apud *Varron.*, *Vitruv.* et *Ulpian.* locis citatis in EPISTOMIUM, quod postremum unice probandum; nam a Græcis quidem scriptoribus ἐπιτόνιον sæpe fuisse priori significatione usurpatum ostendit *Schneiderus* ad *Vitruv.* 10. 13., a Latinis vero numquam *epitonium*.

ĔPĬTOXIS, idis, f. 3. ἐπιτοξίς, a *Vitruv.* 10. 15. dicitur ea pars cava in catapulta, quæ telum suscipit. — A τόξον. quod arcum significat, derivatur.

ĔPĬTRĂPEZIOS, ii, m. 2. *vel, ut alii malunt*

ĔPĬTRĂPEZĬUS, a, um, adject. ἐπιτραπέζιος, ab ἐπὶ *super* et τράπεζα *mensa*. *Hercules epitrapezius* inscribitur *Silva* 6. *lib.* 4. *Statii*, in qua describitur et laudatur mensarium vas, quod profecto, ut Itali dicunt, *ad uso di dessert* inserviebat, opus Lysippi referens Herculem dextra poculum, sinistra clavam tenentem, substrata pelle leonia. Laudatur etiam a *Martial.* 9. 44. unde lux magna Statiano carmine accedit. Hanc Herculis statuam Lysippus Alexandro M. fecerat; habuit deinde Hannibal, deinde Sulla: V. *Cavedoni Sagg. numism.* p. 143. n. 33.

ĔPĬTRĔPONTES, ium, m. plur. 3. ἐπιτρέποντες, permittentes; particip. ab ἐπιτρέπω *permitto*. Ita appellata est una ex comœdiis *Menandri*, cujus meminere *Quintil.* 10. 1. 70. et *Sidon.* 4. *Ep.* 12.

ĔPĬTRĪTOS *vel Latina positione*

ĔPĬTRĪTUS, i, m. 2. ἐπίτριτος. (*V.* et voc. seq.). Numerus epitritus (qui a *Vitruv.* 3. 1. *tertiarius* dicitur: alii autem leg. *adtertiarius*, ut Græcam vocem propius voluerit exprimere) est qui habet totum aliquem numerum et ejusdem partem tertiam, ut quatuor ad tres, duodecim ad novem, quadraginta ad triginta. Hæc *Gell.* 18. 14. et *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 1. *V.* SESQUITERTIUS. — Hinc *Epitritus*

pes, qui et *hippius* dicitur, constat quatuor syllabis, quarum una est brevis, *longæ* reliquæ: quæ quidem brevis si priore loco sit, est epitritus primus, ut *sacerdotes*: si secundo, secundus, ut *innocentes*: si tertio, aut quarto, tertius quartusve dicitur, ut *discordiæ, consolamur*. Hæc *Diomed.* 3. p. 477. *Putsch.*

ĔPĬTRĪTUS, a, um, adject. in re metrica occurrit, eodem sensu, quo *epitritus pes* in voc. præced. *Donatus* p. 1740. *Putsch.* Excepto amphibracho et epitrito, quem metrici informem et incognitum judicant. Quorum alterum tripla, alterum epitrita divisione partimur.

ĔPĬTRŎCHASMOS *vel Latina positione*

ĔPĬTRŎCHASMUS, i, m. 2. ἐπιτροχασμός, est figura, qua res magnas diversasque celeritate quadam percurrimus: a τρέχω *curro*. Tale est illud *Cæsaris* apud *Sueton.* 37. Veni, vidi, vici. Sed vox Græca est: Latinis tamen litteris occurrit apud *Aquilam Rom. de fig. sent. et eloc.* 6. p. 148. Græce vero *Donatus* ad *Ter. Phorm.* 2. 3. 43. Ἐπιτροχασμός est verborum super se invicem effusio, quæ fit adversarii turbandi causa. *V.* PERCURSIO.

ĔPĬTRŎPĒ, es, f. 1. ἐπιτροπή, vox Græca, ab ἐπιτρέπω *committo, permitto*, figura est, Latine *concessio*, qua orator alicui rei valde confidens, judici permittit, ut quemadmodum sibi visum fuerit, de ea constituat. Item quum orator arte permittit judici aliquid, certo sciens non ampleuturum. Item quum, re manifesta, permittit judici, ut quo nomine libuerit, appellet. Græce habet *Charis.* 4. *in fin. Putsch.*: Latine *Jul. Rufinian. de fig. sent. et eloc.* p. 216.; et *Rutil. Lup.* 2. 17.

ĔPĬTRŎPOS *vel Latina positione*

ĔPĬTRŎPUS, i, m. 2. ἐπίτροπος, procurator, villicus. Vox Græca ab ἐπιτρέπω *curæ alicujus trado*. *Auson. epist.* 22. 1. Philon, meis qui villicatus prædiis, Ut ipse vult, epitropos. Nam gloriosum Græculus nomen putat, Quod sermo fucat Doricus. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

ĔPĬTȲRUM, i, n. 2. ἐπίτυρον, genus edulii ex oleis conditis. *Cato R. R.* 119. Epityrum album, nigrum, variumque sic facito. Ex oleis albis, nigris, variisque nucleos ejicito. Sic condito. Concidito ipsas. Addito oleum, acetum, coriandrum, cuminum, fœniculum, rutam, mentam. In orculam condito. Oleum supra siet; ita utitor. *Colum.* 12. *R. R.* 47. 9. paullo aliter hoc idem describit, additque hoc genus conditurae in civitatibus Græciæ plerumque usurpari: quod scribit etiam *Varro* 7. *L. L.* 86. *Müll.*, ubi hæc affert verba *Plauti* (*Mil. glor.* 1. 1. 24.). Si unum epityrum estur insane bene. — Videtur esse a πιτυρίς, ίδος, quod genus oleæ est. Alii probabilius putant ita dici, quod ἐπὶ τυρόν, post caseum, vel una cum caseo, mensæ inferebatur.

ĔPĬŪRUS, i, m. 2. ἐπίουρος, apud Græcos inspectorem et custodem significat. Translate est paxillus, qui alicujus rei servandæ et sustentandæ causa affigitur. *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 14. *de pruno.* Oleastri epiurum infige radici. *V.* EPIGRUS. In *Gloss.* ἐπίουρος est sudes.

ĔPĬZEUXIS, is, f. 3. ἐπίζευξις, figura est, quæ unam vocem sine intervallo repetit, cum vehementia affectus et impetu pronunciationis: Latine *conduplicatio*, ut illud *Horatii Epod.* 6. 11. Cave, cave: namque in malos asperrimus Parata tollo cornua. Ab ἐπιζεύγνυμι *adjungo, conjungo*. *Charis.* 4. p. 250. *Putsch.*, *Diomed.* 2. p. 440. et *Donat. Schemat.* p. 1774., sed omnes Græce; Latine unus *Isid.* 1. *Orig.* 35. 10.

ĔPĬZȲGIS, idis, f. 3. ἐπιζυγίς, ab ἐπιζεύγνυμι *insuper innecto*: apud *Vitruv.* 10. 17. volunt esse ferreum axiculum, qui orificio modioli appositus transversos nervos continet, dum in ipsa modioli versione torquentur atque intenduntur. *Bald.* in *Lex. Vitruv.*

ĔPHŎLĬUM, ii, vel

ĔPHŎLUM, i, n. 2. videtur esse sumptus annuus, vel totius anni, quasi ἐφ' ὅλον ἐνιαυτόν, sive quæcumque in annum ferme solidum integrum usum præstant et conduntur. *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 16. 10. 20. § 2. Ea autem, quæ multiplicibus constitutis ad venerabilem Ecclesiam voluimus pertinere, Christiana sibi merito Religio vindicabit, ita ut omnis expensa illius temporis ad superstitionem pertinens, quæ jure damnata est, omniaque loca, quæ Frediani, quæ Dendrophori, quæ singula quoque nomina et professiones gentilitiæ tenuerunt epholiis (*al. leg.* epholis) vel sumptibus deputata, fas sit, hoc errore summoto, compendiis nostræ domus sublevare.

ĔPŎDES, um, m. plur. 3. pisces marini, lati generis, quorum nude meminere *Ovid. Halieut.* 127., et ex eo *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 54. (152).

EPODICUS, a, um, adject. ἐπῳδικός, ad epodon pertinens. *V.* ODICUS in fin.; ubi *epodicus* falsam esse lectionem, seu potius clarissimi *Furlanetto* conjecturam ex cl. *Quicherat* facile patebit.

ĔPŌDOS, i, ἐπῳδός, ab ἐπί et ἀείδω *cano*. *Diomed.* 3. p. 482. *Putsch.* Epodi dicuntur versus quolibet modo scripti, et sequentes clausulas habentes particularum, quales sunt epodi Horatii, in quibus singulis versibus singulæ clausulæ adjiciuntur, ut (*Epod.* 15. 1.) *Nox erat, et cœlo lucebat luna sereno.* deinde *Inter minora sidera.* et (*Epod.* 16. 1.) *Altera jam teritur bellis civilibus ætas.* deinde *Suis et ipsa Roma viribus ruit.* et quicumque sunt similes. Dicti autem epodi συνεκδοχικῶς a partibus versuum, quæ legitimis et integris versibus ἐπᾴδονται, idest accinuntur. Hæc *Diomed.*, cui accedit *Terentian. de metr.* p. 2422. Talis epodos erit: *Tibia docta, precor, tandem mihi dicere versus Desine Mænalios.* Hoc doctum Archilochum tradunt genuisse magistri: Tu mihi, Flacce, sat es. Aliter *Mar. Victorin.* 1. *Grammat.* p. 2501. Antiqui deorum laudes carminibus comprehensas, circum aras eorum euntes, canebant: cujus primum ambitum, quem ingrediebantur ex parte dextra, στροφήν, strophen vocabant: reversionem autem sinistrorsum factam, completo primo orbe, antistrophen appellabant. Dein in conspectu deorum soliti consistere, cantici reliqua prosequebantur, appellantes id epodon. Nam epodos est tertia pars, aut periodus lyricæ odes. Igitur quæ post στροφήν strophen, et ἀντιστροφήν antistrophen, ἐπῳδόν dicebant. Ἐπᾴδειν quidem est supercanere. Hinc sumptum vocabulum in has epodos, quæ binos versus impares habent. Nam ut illæ canticum finiebant, sic hæ sensum versu insequenti. Hactenus *Victorin.* Verum hæc, quod ad *Horat.* spectat, improbat *Scalig. l.* 1. *Poet. c.* 44. Ideo autem ait, *Epodon* inscribi librum *Horatii*, quia post quatuor odarum libros illum addidit, quasi *post odas*, ab ἐπί *post* et ᾠδή *ode*. *Torrentius* vero rejecta *Scaligeri* sententia, quod constet multas priorum librorum, et omnes fere libri IV. odas post Epodon ab *Horatio* fuisse editas, opinatur, nomen habere ab incantationibus, quæ in eo libro (*Od.* 5. 17. et 18.) describuntur. Nam ἐπῳδός Græce incantator dicitur, et ἐπαείδειν est etiam incantare. Alii putant, quod *Horat.* in prioribus libris Alcæum et Sapphonem imitatus sit, in isto autem Archilochum, qui primus dicitur epodos invenisse. Dubium tamen est, *Horatius* ne, an alii titulum illum ei libro apposuerint. In eo quoque titulo lis est, utrum sit *epodon* ἐπῳδῶν genit., an *epodos* ἐπῳδός. *Victorinus loc. cit.* semel atque iterum effert feminino genere, *Ausonius* masculino *epist.* 16., ubi *paucos epodos* appellat carmen iambicum constans centum amplius iambis dimetris: cujusmodi sunt breviores versiculi in epodis Horatianis. — Quidquid tamen sit de sententia tum *Mar. Victorini*, tum *Scaligeri* et *Torrentii*, quum certo constet, Archilochum iamborum inventorem ejusmodi quoque iamborum genus invenisse, quos ἐπῳδούς appellaret, teste *Plutarch. de music.*, quia in illis, ut *Diomed. loc. cit.* affirmat, versuum partes, *h. e.* versus breviores legitimis et integris versibus ἐπᾴδονται, *h. e.* accinuntur: *Hephæstion* vero *de metr. c.* 12. hæc habeat: ἐπῳδοὶ δὲ καλούμενοι, ὅταν μεγάλῳ στίχῳ περιττόν τι ἐπιφέρηται; ipse tandem fateatur *Horat.* 1. *Epist.* 19. 23. Parios ego primus iambos Ostendi Latio, numeros animosque secutus Archilochi, non res et agentia verba Lycamben: et ejus liber Epodon (*h. e.* ἐπῳδῶν) carmina contineat mordaciora, eoque metri genere exarata; nemo profecto eat infitias, *Horatium* ea carmina ita appellasse, quia Archilochi exemplar in iisdem secutus fuerit. Hac itaque ratione *epodi* et *iambi* unum idemque significant. — In recto casu sing. *epodos* habetur apud *Quintil.* 10. 1. 96. Quamquam illi (iambo) epodos intervenira reperiatur.

ĔPŎGDŎUS Numerus, ἐπόγδοος, h. e. super octavus, est qui intra se habet minorem numerum, et insuper ejus octavam partem, ut novem ad octo, quia in novem et octo sunt et insuper octava pars eorum, idest unum. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 1. *a med.* Sic *Capell.* 2. p. 27. Novem vero ad octo epogdoi numeri efficiunt junctionem. *Id.* 9. p. 322. Est autem tonus in epogdoi ratione. *V.* SESQUIOCTAVUS.

ĔPOL. *V.* EDEPOL.

ĔPŎLŌNOS dicebant antiqui, quos nunc epulones dicimus. *Paul. Diac.* p. 78. 11. *Müll.*

ĔPOMPHĂLĬON, ii, n. 2. ἐπομφάλιον. *V.* EPINEPHRIDIUM. Sic legitur apud *Theod. Priscian. lib.* 2. *part.* 2. *c.* 17. Epomphalion ex lupinorum farina. *Ibid. paullo post* eadem vox recurrit, sed Græcis litteris.

ĔPOPS, ŏpis, m. 3. ἔποψ, upupa, avis in quam conversum fuisse Tereum Thraciæ regem, fabulæ narrant. *Virg. Cul.* 252. Orbus Epops mœret volucres evectus in auras. *V. Ovid.* 6. *Met.* 671.

ĔPOPTA vel epoptes, æ, m. 1. ἐπόπτης, inspector: ab ἐπί *in* et ὄπτομαι *video*. Hinc *epoptæ* in sacris Eleusiniis fuere, qui tertium supremumque sacrorum gradum attigissent, quique propterea ad interiora sacra admittebantur. *Tertull. advers. Valentinian.* 1. Quum epoptas ante quinquennium instituant. *et mox.* Ceterum tota in adytis divinitas, tota suspiria epoptarum, totum signaculum linguæ, simulacrum membri virilis revelatur. *Alii perperam leg.* Quum et portas, et suspiria portarum.

ĔPŎRĔDĬÆ, ārum, m. appellantur a Gallis boni equorum domitores. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 17. 21. (123). Fortasse est ab ἐπί *super*, ὤψ, ὠπός *auris* et ἕδος *sedes*. V. CENTAURUS et OREÆ. Quod vocis etymon si admittatur, patet, scribendum ĔPŌRĔDĪÆ. Cf. *Jablonsk. Opusc. T.* 3. p. 118.

ĔPOS, n. ἔπος, Græca vox, qua significatur *verbum, vox*: ab ἔπω *dico*. Item carmen heroicum: unde *epicus*. *Diomed.* 3. p. 480. *Putsch.* Hoc sensu *Horat.* 1. *Sat.* 10. 43. forte epos acer, Ut nemo, Varius ducit. *Martial.* 12. 95. Scribebamus epos: cœpisti scribere: cessi. *Auson. Professor.* 5. 10. Epos ligasti metricum. — In reliquis obliquis casibus Latine non est, quod sciam, in usu.

ĒPŌTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et poto). Part. *Epotaturus*. — Ceterum pro *epotatus* usuvenit *epotus* eodem sensu: *V.* voc. seq. — Epotare est potando exhaurire; et occurrit translate tantum. *Martial.* 2. 29. Quæque Tyron toties epotavere lacernæ. *h. e.* purpura Tyria tinctæ fuerunt. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. *a med.* Etiam Romæ naumachias videbar epotaturus.

ĒPŌTUS, a, um, adject. seu potius particip. præter. pass. pro inusit. *epotatus*, ab *ex* et *potus*, potando haustus.

I.) Proprie. *Cic. Cluent.* 60. 168. Quem statim, epoto poculo, mortuum esse dixistis. Adde *Liv.* 40. 24.; et *Quintil.* 8. 6. 24. et 5. 13. 15. Rursus *Cic. Cluent.* 62. 173. Celerius potuit (*venenum*) comestum, quam epotum in venas atque in omnes partes corporis permanare? *Liv.* 8. 18. Epoto medicamento, suamet ipsæ fraude interierunt. Cf. *Ammian.* 16. 5. Epotis quibusdam remediis id impetrarunt. *Quintil.* 7. 12. 17. et 25. Epota potione. *Al. leg. in altero loco* epotata. *Phædr.* 3. 1. Anus jacere vidit epotam amphoram. Sic *Sueton. Tib.* 42. Ob epotam in convivio, propinante se, vini amphoram. *Juvenal.* 10. 176. credimus altos Defecisse amnes epotaque flumina Medo Prandente. Cf. *Justin.* 2. 10.

II.) Translate. *Lucret.* 5. 384. quum sol et vapor omnis Omnibus epotis humoribus exsuperarint. *h. e.* exhaustis. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 28. *de Charybdi.* Ter liret epotum ter vomet illa fretum. *h. e.* quod absorbuit. Sic *Id.* 15. *Met.* 273. *de Lyco fluvio.* Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu, Exsistit procul hinc alioque renascitur ore. *Martial. Spect.* 3. epoto Sarmata pastus equo. *h. e.* epoto sanguine equi. Unde *Virg.* 3. *G.* 463. Et lac concretum cum sanguine potat equino.

ĔPŬLÆ, ārum, f. plur. 1. heterocl., namque in singulari numero dicitur *epulum*, i, n. 2.: quamquam *Paul. Diac.* p. 82. 14. *Müll.* docet, antiquos *epulam* etiam singulariter posuisse. Sic et *delicia* pro *deliciæ* olim dictum est. Ceterum *epula* legitur tantummodo apud *Auct. Itiner. Alex. M.* 35. edente *A. Mai.* — Epulæ, quas volunt quidam ab edendo dici, quasi *edipulas*, sunt edulium, dapes, cibus, esca, quæ tamen lautiora sint (It. *cibo, vivande laute*; Fr. *aliments recherchés, mets exquis*; Hisp. *alimenti exquisiti*; Germ. *Kostbare, reiche Speisen, Mahlzeiten*; Angl. *food, victuals, any thing eatable*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu epulæ sunt edulia et cibi lautiores. — a) Generatim. Plaut. Trin. 2. 4. 70. Si congestæ sint epulæ a clientibus. Cic. 5. Tusc. 21. 62. Mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. Cf. Ovid. 8. Met. 571. Epulis instruere mensas. et Virg. 4. G. 378. onerare. Id. 1. Æn. 220. Postquam exempta fames epulis. Horat. 2. Sat. 7. 107. Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ. Adde eumd. 3. Od. 8. 6. Ovid. 8. Met. 831. appositis queritur jejunia mensis, Inque epulis epulas quærit. et v. 840. Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani Accipiunt poscuntque simul: cibus omnis in illo Causa cibi est. Id. 15. ibid. 81. Prodiga divitias alimentaque mitia tellus Suggerit; atque epulas sine cæde et sanguine præbet. Val. Flacc. 6. 333. Ast epulæ quodcumque pecus, quæcumque ferarum. Lucan. 10. 155. Infudere epulas auro, h. e. vasis aureis. Curt. 9. 7. 16. Præparare ventrem epulis. Quintil. 10. 5. 15. Jucundioribus epulis reficiuntur. Al. leg. edulis. Juvenal. 4. 28. Quales tunc epulas ipsum glutisse putemus? Tac. 2. Ann. 31. Libo ipsis, quas in novissimam voluptatem adhibuerat, epulis excruciatus. Plin. 33. Hist. nat. 1. 6. (27). Rapiendæ comparantur epulæ, pariterque qui rapiant eas. Virg. 4. Æn. 484. Epulas draconi dare. — b) Speciatim epulæ et vinum junguntur. Sall. Jug. 76. Ibi vino et epulis onerati. Adde Ovid. 1. Pont. 1. 31. Liv. 8. 16. Perpulit imperatorem, ut vino epulisque sopitos hostes aggrederetur. Id. 23. 18. Somnus enim et vinum et epulæ balneaque et otium — enervaverunt corpora animosque. Nepos Pelop. 3. Illi vino epulisque dediti. Id. Dion. 4. Vino epulisque obrui. Virg. 1. Æn. 723. Postquam prima quies epulis mensæque remotæ, Crateras magnos statuunt et vina coronant. Ovid. 8. Met. 573. Instruxere epulis mensas; dapibusque remotis In gemma posuere merum. Val. Flacc. 2. 651. pars epulas manibus, pars aurea gestant Pocula. Cf. eumd. 4. 530. tum vina toris epulasque reponunt. — Interdum tamen, quod per cibum et vinum indicari solet, commode una voce epulæ indicatur. Liv. 32. 21. Hospitem Cyparissiæ Garitenem, contra jus omne ac fas, inter epulas prope ipsas occisum. Et Curt. 3. 2. de ipso Alexand. Abstinuisset inter epulas cædibus amicorum. Clarius Flor. 2. 18. 12. Quum sese prius epulis, quasi inferiis, implevissent, carnis semicrudæ et celiæ (h. e. cerevisiæ); sic vocant indigenam ex frumento potionem. — c) Poetice Horat. 2. Sat. 3. 118. cui stragula vestis, Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca. ¶ 2. Latiori sensu dicuntur de lautiore cœna, convivio, sive publico, sive privato: qua significatione occurrit — 1.°) In singulari numero epulum; et quidem — a) Generatim. Varro 3. R. R. 2. 16. Sed propter luxuriam, quodammodo epulum quotidianum est intra januas Romæ. Sueton. Aug. 98. Ephebis exercentibus epulum in conspectu suo præbuit, permissa diripiendi licentia. Juvenal. 3. 228. culti villicus horti, Unde epulum possis centum dare Pythagoreis. — b) Speciatim epulum significat convivium solemne religionis causa susceptum, ut ea quæ habebantur in lectisternio et in ludis placandæ deum iræ. Liv. 25. 2. extr. et 27. 36. Ludi plebeji per biduum instaurati, et Jovis epulum fuit ludorum causa. Adde eumd. 33. 42., 22. 10. et 31. 4. Val. Max. 2. 1. 2. Jovis epulo ipse in lectulum, Juno et Minerva in sellas ad cœnam invitantur. V. Gell. 12. 8. — c) Item convivium solemne et publicum, quod habebatur in funeribus. Liv. 29. 46. Ludi funebres per triduum facti: post ludos epulum, in quo quum toto foro strata triclinia essent, etc. Cic. Vatin. 12. 30. Ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris; epulæ quidem ipsæ, dignitatis. Id. ibid. Ut in epulo cum toga pulla accumberes. Id. ibid. 13. 32. Epulum magnificentissimum. Cf. Horat. 2. Sat. 3. 86. — d) Item convivium solemne et publicum populo datum in triumpho, in dedicatione templi et similibus. Cic. Mur. 36. 75. Quum epulum Q. Maximus, Africani patrui sui nomine, populo R. daret. Sueton. Cæs. 38. Adjecit epulum ac viscerationem, et post Hispaniensem victoriam duo prandia. Adde eumd. Cal. 17. et 32., Domit. 13. et Vitell. 10. Tac. 1. Hist. 76. Epulum plebi, ob lætitiam recentis imperii, obtulerat. Vellej. 2. 56. Epuli per multos dies dati celebratio. Plin. 4. Ep. 1. Diem dedicationis epulo celebrare. Inscript. apud Orell. 3740. OB CVIVS (equestris statuæ) DEDICATIONEM — CVRIÆ (h. e. curiæ) MVLIERVM EPVLVM DVPLVM DEDIT. Cf. aliam apud Fabrett. p. 659. n. 497. Alia apud Mommsen. Inscr. Neap. 5439., quæ est apud Henzen. 7179. OB DEDICATIONEM STATVAE. FILIORVM SVORVM EPVL. DEDIT MVLIERIB. SING. ✠ s. epulum hic pro sportula ponitur; ut in Inscript. in Bullett. Archeol. a. 1839. p. 146. MVNICIPIBVS ASISINATIBVS DON. DEDER. ET DEDICATIONE EPVLVM DECVRIONIBVS SING. ✠ SEVIR. ✠ III. PLEBEI ✠ I s. — 2.°) In plurali numero epulæ occurrunt — a) De lautiore cœna, vel convivio privato. Cic. 1. Tusc. 2. 3. Quamquam est in Originibus (Catonis), solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. Id. 4. ibid. 2. 3. Gravissimus auctor in Originibus dixit Cato morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. Sic Id. Brut. 19. 75. Atque utinam exstarent illa carmina, quæ multis sæculis ante suam ætatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato. Cf. et Quintil. 1. 10. 20. Veterum Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Cic. 2. de republ. 21. Qui quum famulorum numero educatus ad epulas regis assisteret, etc. Horat. 2. Sat. 2. 44. necdum omnis abacta Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis Nigrisque est oleis hodie locus. Cæs. 6. B. G. 27. Epulæ amplissimæ. Tac. 15. Ann. 55. liberales. Id. 2. Hist. 62. prodigæ. Ammian. 27. 3. profusæ. Sueton. Ner. 22. familiares. Justin. 12. 3. 11. Epularum apparatus. Adde Horat. 1. Od. 36. 15. et Epod. 2. 61.; Curt. 4. 4. 5., 8. 2. 8. et alibi; Sueton. Cal. 27. et Ner. 27.; Juvenal. 11. 88. et 5. 173.; Val. Flacc. 2. 96.; Tac. 4. Ann. 48.; et Ammian. 18. 2. Curt. 8. 9. 30.; et Tac. 2. Ann. 2. Parare epulas. Liv. 26. 13. et Seneca Thyest. 62. Instruere et parare epulas. Curt. 6. 8. 16. et 9. 7. 4. et 15. Invitare ad epulas. Virg. 5. Æn. 63. Adhibere aliquem epulis. Ovid. 1. Amor. 4. 1. Adire epulas. Horat. 4. Od. 8. 30. Interesse epulis. Sall. Jug. 70. et Curt. 3. 12. 19. Facere aliquid inter epulas. Virg. 1. Æn. 83. epulis accumbere divum. — Vitellius, narrante Sueton. 13., epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula, et prandia, et cœnas, comissationesque. — b) Raro admodum de convivio solemni et publico religionis causa suscepto, ut ea, quæ habebantur in ludis, diebus festis, funeribus etc. Cic. 2. Off. 16. 55. Prodigi, qui epulis et viscerationibus et gladiatorum muneribus — pecunias profundunt. Liv. 25. 23. Nuncians, diem festum Dianæ per triduum agi — et vino largius epulas celebrari. Cic. 2. Legg. 25. 63. Sequebantur epulæ, quas inibant propinqui coronati: apud quas de mortui laude quum quid veri erat prædicatum etc. Id. Flacc. 38. 95. Sepulcrum epulis celebrare. — Et de epulo quotannis habendo in sepulcris. Inscript. sepulcralis in Bullett. dell' Instit. archeol. a. 1835. p. 132. HIS EPVLAE DEBENTVR A COLLEGIO CENTONARIORVM BRIXELLANORVM. Adde aliam apud Murat. 520. 4.; et V. Henzen. Tab. alim. Bæb. p. 9. not. 2. — Item de pecunia, quæ ad epulum decurionibus et collegiis dandum impendebatur, seu de sportula. Inscript. apud Orell. 88. L. MVSETIO L. F. OVF. SABINO — PATRON. MVNICIP. TVFIC. — DECVRIONES ET PLEBS EX EPVLIS SVIS OB MER. EIVS. Ita in alia apud eumd. 3722. HVIC ORDO EX SPORTVL. SVIS OB MER. EIVS STATVAM PONENDAM CENSVER. V. adnotata ad Donat. 350. 1., ubi hæc Inscriptio legitur. Cf. aliam apud Murat. 520. 4. C. MVTTEIO C. F. PAL. SEVERO DECVRIONES ET PLEBS VRBANA DIVISION. EPVLARVM.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. Plaut. Pœn. 5. 4. 2. Oculis epulas dare. Cic. 1. Divinat. 29. 61. Pars animi — saturata bonarum cogitationum epulis. Id. Topic. 5. 25. Sed, quoniam avidum hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiam, ut reliquiarum sit potius aliquid, quam te hinc patiar non satiatum discedere.

EPŬLĀRIS, e, adject. ad epulas pertinens. Cic. Senect. 13. 45. Bene majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt. Id. 3. Orat. 19. 73. Ludorum epulare sacrificium facere. h. e. sacrificium cum epulo. Sueton. Domit. 13. Epularis dies. Apul. 2. Met. sermo. Ammian. 22. 4. triumphi. — Hinc epulares, qui in quibusdam ludis nocte epulabantur. Paul. Diac. p. 82. 10. Müll.

EPŬLĀTICIUS, a, um, adject. qui epulis dat operam. Ita Gloss. Isid.

EPŬLĀTIO, ōnis, f. 3. actus epulandi, epulum. Cic. fragm. apud Colum. 12. R. R. 3. 2. Vasa, quæ ad mensam quotidianam atque epulationem pertinerent. Petron. Satyr. 141. Humanas edere carnes: nec quidquam aliud in hac epulatione captabant, nisi tantum, ne esurirent. Sueton. Cal. 18. Panaria cum obsonio viritim divisit: qua epulatione, etc. Inscript. apud Murat. 615. 4. HONESTA EPVLATIONE VNIVERSOS PROSECVTVS. Adde Val. Max. 2. 5. n. 4. extern.; et horum antiquissimum Lucilium apud Non. p. 204. 18. Merc.

EPŬLĀTOR, ōris, m. 3. qui epulatur. Ambros. de bon. Mort. 5. Hinc ergo epulatores illi Platonici, hinc nectar illud ex vino et melle etc.

EPŬLĀTŌRIUS, a, um, adject. ad epulas pertinens. Figurate Ambros. Ep. 1. Et bona opera epulatoria dicimus, quæ sunt esui. — Denique quæ sunt epulatoria opera, audi. — Epulatoria enim et refectoria quies in Deo.

EPŬLĀTUS, a, um. V. EPULOR.

EPŬLO, as, etc. V. EPULOR init.

EPŬLO, ōnis, m. 3. De alia hujus vocis forma, V. EPOLONOS et voc. seq. — Epulo ab epulis ¶ 1. Generatim est conviva epulans, vorator, helluo. Apul. 2. Met. Sic paratus cœnæ me committo. Frequens ibi numerus epulonum, etc. Firmic. 5. Mathes. 4. extr. Epulones et bibones. V. BIBO, onis. — Epulonum insigne erat patera et præfericulum, ut ostendit Barpt. Borghesius in Dec. num. 7. oss. 7. p. 24. et 13. oss. 1. p. 5. ¶ 2. Speciatim est qui epulum præbet, qui epulo præest. Apud Romanos tresviri epulones erant, qui epulas indicendi Jovi ceterisque diis potestatem habebant, ut Paul. Diac. docet p. 78. 11. Müll. In ipsis enim templis mos erat, diis majorum gentium, Junoni, Minervæ, Neptuno etc. tamquam epulaturis, mensas cibis instruere, et lectos sternere (unde lectisternium), eosque ad epulas solemni ritu invitare; idque placandæ deum iræ, malique alicujus averruncandi causa fiebat. Eas epulas ipsi sibi postea sacerdotes et ministri vorabant. Initio ipsi pontifices ad hæc curanda instituti a Numa fuere; sed propter sacrificiorum multitudinem, tresviros epulones esse voluerunt, ut Cic. docet 3. Orat. 19. 73., qui illud epulare sacrificium facerent; quod actum est, Livio teste 33. 42., circa annum U. C. DLVI., iisque, ut pontificibus, lege datum togæ prætextæ habendæ jus. Procedente tempore septemviri facti sunt, ut cognoscimus ex Gell. 1. 12., Lucan. 1. 602. et Plin. 2. Ep. 11. (itemque ex Inscript. apud Orell. 2365., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 10. P. CORNELIO DOLABELLAE COS. VII. VIRO EPVLONI SODALI etc.) — a) In singulari numero. Ennius apud Varron. 6. L. L. 82. Müll. Vos epulo postquam spexit. At mutilus est locus: V. Müll. ibid. Liv. 40. 42. P. Manlius triumvir epulo. — Sic Mercurius Epulo est cognominatus, quia conviviis præerat: hinc ministrator etiam dicitur (V. hanc vocem), et οἰνοχόος ab Athenæo l. 10. c. 7. Inscript. apud Murat. 49. 10. SACRVM MERCVRIO EPVLONI ✠ MITHROSVRO. V. hanc vocem. — b) In plurali numero. Cic. 3. Orat. 19. 73. Ut Pontifices veteres, propter sacrificiorum multitudinem, tresviros epulones esse voluerunt, etc. Adde Liv. 5. 52. et 33. 42., Lucan., Plin. Ep. et Gell. locc. citt.; et Inscript. apud Orell. 773. et 2259. — NB. De nom. propr. V. ONOM.

EPŬLŌNUS, i, m. 2. ut coepulonus, idem quod epulo, h. e. conviva. Apul. 9. Met. Inter epulonos caseum dividere. Al. melius leg. epulones.

EPŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Veteres dixere etiam epulo, as, si fides Prisciano 8. p. 797. Putsch. Hinc Venant. 10. carm. 12. 24. Et facit ecce escas hic epulare suas. Similiter Part. Epulatus passive pro manducatus apud eumd. 10. Exposit Orat. Dom. Et ideo tanto magis iste cibus quærendus est, quanto plus reficit epulatus. — Part. Epulans, Epulatus et Epulaturus sub a., Epulandus sub b. — Epulor est epulas sumo, cibum capio, convivor (It. mangiare, banchettare; Fr. faire un repas, manger; Hisp. comer; Germ. essen, speisen; Angl. to feast, banquet). Usurpatur autem — a) Absolute. Cic. 1. Tusc. 47. 113. Epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse. h. e. postquam cœnaverunt. Id. 2. Fin. 28. 90. Negat contemptissimis escis minorem voluptatem percipi, quam rebus

exquisitissimis ad epulandum. Id. 5. Att. 9. Epulari saliarem in modum. Id. Senect. 13. 45. modice cum sodalibus. Adde eumd. 2. Orat. 86. 353. Similiter Nepos Pausan. 3. Epulabatur more Persarum luxuriosius, quam etc. Cf. eumd. Pelop. 2. Liv. 24. 7. ad fin. Epulari in publico. Adde eumd. 42. 56.; et Virg. 2. G. 537. et 3. Æn. 224. Curt. 8. 10. Ne epulantes quidem et sopitos mero aggredi ausus est hostis. Sueton. Aug. 35. Jus publice epulandi. h. e. sacras cœnas adeundi augurales, pontificales, triumphales, etc. Adde eumd. Tib. 42., Claud. 41., Cal. 32., Domit. 9., Ner. 20. et in Vita Lucan. Tac. 3. Hist. 38. et Vellej. 2. 101. Epulari apud aliquem. Seneca Thyest. 1004. Epulatus ipse es impia gnatos dape. Plin. 11. Hist. nat. 37. 66. (175). Epiglossis arteriam in epulando operit, ne spiritus etc. Val. Max. 3. 6. n. 4. Quotiescumque C. Duilius epulaturus erat. — b) Cum Accusativo. Virg. 1. Æn. 602. Ascanium epulandum ponere mensis. Plin. 8. Hist. nat. 43. 68. (170). Epulari pullos. Seneca Troad. 1108. gregibus membra Diomedes suis Epulanda posuit. Ovid. 15. Met. 110. Sed quam danda neci, tam non epulanda fuerunt. h. e. comedenda. Justin. 1. 5. 6. Harpago amico suo infestus, in ultionem servati nepotis, filium ejus interfecit epulandumque patri tradidit.

EPŬLŌSUS, a, um, adject. epulis abundans. Cassiod. 8. Variar. 31. a med. Adde quod tam amœna est suscepta piscatio, ut ante epulosum convivium intuentium pascat aspectum.

EPŬLUM, i, n. 2. V. EPULÆ sub I. 2. 1.°

EQ

EQUA, æ, f. 1. femina in equino genere. Varro apud Non. p. 68. 27. Merc. Equam admittere asino. Horat. 2. Od. 16. 35. tibi tollit hinnitum Apta quadrigis equa. Id. 3. ibid. 11. 9. latis equa trima campis Ludit exsultim, metuitque tangi. Adde Varron. 2. R. R. 7. 4. et 7. 7.; Cic. 3. Verr. 10. 28.; Virg. 3. G. 266.; Colum. 8. R. R. 9. 5. et 6. ibid. 27. 2. et 9.; Justin. 9. 2. 16.; Juvenal. 6. 626. et 8. 108.; et Ammian. 23. 6. — In Dativo plurali (nisi discrimine opus sit ad ambiguitatem vitandam) habet equis magis Latine quam equabus, ut in ASINA dictum est. Varro 2. R. R. 1. 19. Ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt. Colum. 6. R. R. 37. 8. Asinus a tenero conversatus equis, earum consuetudinem appetit. Plin. 11. Hist. nat. 41. 96. (237). Lac tenuissimum camelis, mox equis. Adde Ulp. Dig. 50. 13. 2. — Equabus tamen dixit Pallad. etiam ubi nullus erat ambiguitatis metus, 4. R. R. 13. 1. Admissarii generosi equabus admittendi sunt. et paullo post § 5. Eadem in equabus consideranda sunt etc.

EQUĀRIUS, a, um, adject. ad equos pertinens. Val. Max. 9. 15. n. 2. Herophilus equarius medicus. — Hinc

Equarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est equorum pastor, custos. Solin. 15. de bucephalo. Quum ab equario suo alias etiam molliter sederetur. Gloss. Cyrill. Ἱπποβουκόλος, equarius equipastor. Ibid. Ἱπποφορβός, equarius, equipastor. Utroque loco rectius divisum scribendum equi pastor.

Equaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est grex equorum. Varro 2. R. R. proœm. 6. Pecuarias habui grandes, in Apulia oviarias, et in Reatino equarias.

EQUES, itis, m. 3. Ratione habita etymi est ab equus et eo, ivi, itum, quemadmodum ales ab ala et ire, pedes a pes et ire, etc. Est autem A) Generatim homo equo insidens: B) Speciatim in re militari est qui equo meretur; et C) Item speciatim eques vel equites dicebantur quicumque ad equestrem ordinem pertinebant.

A) Generatim eques est homo equo insidens (It. uomo a cavallo; Fr. homme à cheval, cavalier; Hisp. hombre montado en caballo, caballero; Germ. d. Reiter; Angl. a horseman). Occurrit — a) Universim. Ennius 7. Ann. 80. Equitum celerissimus. Horat. 1. Ep. 2. 64. Fingit equum tenera docilem cervice magister Ire viam qua monstret eques. Id. ibid. 10. 37. Sed postquam victor violens (equus) discessit ab hoste, Non equitem dorso, non frenum depulit ore. Adde eumd. ibid. 15. 13. Id. 3. Od. 1. 40. Post equitem sedet atra cura. Adde Liv. 26. 2. Plin. 10. Hist. nat. 1. 1. (1). Struthiocameli Africi altitudinem equitis insidentis equo excedunt. Martial. 12. 14. Quid te frena juvant temeraria? Sæpius illis, Prisce, datum est equitem rumpere, quam leporem. — De Bellerophonte Horat. 4. Od. 11. 27. Pegasus terrenum equitem gravatus Bellerophontem. Adde eumd. 3. ibid. 11. 8. — b) Speciatim equitem proficisci et similia est equo, quemadmodum pedes est pedibus. Sic Liv. 35. 26. L. Julius eques in Sabinos proficiscens, fulmine ipse equusque exanimati fuerant. Duker. et Drakenborg ita legendum censent: vulgati libri Sequester vel Sequestris habent. Rursus Liv. 28. 9. Illum equitem sex dierum spatio transcurrisse longitudinem Italiæ, et contra ibid. Neronemque, etiamsi pedes incedat, memorabilem fore. Val. Flacc. 5. 591. croceos sic illius omnis odores Jactat eques. — c) Item eques singulari num. pro plur. Val. Flacc. 5. 516. His Lapithes adsuerat eques. — d) Poetice ponitur pro ipso equo, cui homo insidet: uti quidem Gell. 18. 5., Philargyr., Servius et Macrob. 6. Saturn. 9. censent. Virg. 3. G. 116. atque equitem docuere sub armis Insultare solo et gressus glomerare superbos. Adde Martial. 11. 21.; et Ennium apud Gell. et Macrob. loc. cit. Ennii verba sunt: Denique vi magna quadrupes eques atque elephanti Projiciunt sese. Ubi appositum quadrupes ostendit, equitem de equo dici. Aliud simile fragmentum ex eodem Ennio affert Non. p. 106. 31. Merc. V. tamen Heynium ad Virg. loc. cit., qui contrariam sententiam tenet. Et sane in allatis locis eques est pro equite et equo simul sumptis, ut apud Horat. Epod. 16. 12. cineres insistet victor et urbem Eques sonante verberabit ungula.

B) Speciatim in re militari ¶ 1. Eques est miles, qui equo meretur; et quidem — a) Cum opposito nom. pedites, vel alio simili. Cato apud Philargyr. ad Virg. 2. G. 417. Pedites quatuor agminibus, equites duobus antibus ducas. Cæs. 1. B. G. 48. Equitum millia erant vi., totidem numero pedites velocissimi ac fortissimi. Id. 2. ibid. 21. Eodem tempore equites nostri levisque armaturæ pedites, qui cum his una fuerant etc. Adde eumd. 4. ibid. 13.; Liv. 25. 6., 34. 26. et alibi sæpe; Nepot. Miltiad. 4., Themist. 2. et alibi; Curt. 10. 7. 21., 3. 11. 24. etc.; Sueton. Cæs. 66.; et Flor. 1. 11. 13. Cato apud Gell. 15. 9. Postridie signis conlatis æquo fronte peditatu, equitibus atque alis cum hostium legionibus pugnavimus. h. l. universum exercitum Cato significat tribus partibus compositum, alis sociorum, equitibus et peditatu legionum: alarum autem nomine pedites quoque comprehenduntur: cf. Lips. de milit. Rom. 2. 7. Liv. 10. 29. Et legiones concitavit, et signum ad invadendos hostes equitibus dedit. Liv. 21. 27. Terrebant ex adverso hostes, omnem ripam equites virique obtinentes. h. e. equites peditesque: V. Drakenborg ad h. l. Sic Cæs. 2. B. C. 39. Capti homines equitesque producebantur. Et Liv. 9. 29. Ipse trajecisset mare cum veteranis Macedonibus, non plus triginta millibus hominum et quatuor millibus equitum. Cf. et Sil. It. 9. 559. Magna voce trahens equitemque, virosque, ferreque Turrigeræ molem tormentorumque labores. Immo Liv. 5. 37. Equis (h. e. equitibus) virisque (h. e. peditibus) longe ac late fuso agmine immensum obtinentes loci. — b) Sine opposito vel contrario. Cato apud Gell. 10. 24. Deinde dictator jubet postridie magistrum equitum arcessi; mittam te, si vis, cum equitibus. Cic. Dejot. 10. 28. Quum in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus. Adde Cæs. 1. B. G. 15., 23. et 46.; Liv. 4. 40. et 5. 7., Curt. 4. 12. 6. et 3. 2. 16.; Sueton. Claud. 21. et Galb. 19., et historicos omnes passim. Tac. 1. Ann. 49. et 14. ibid. 26. Alæ equitum. Adde Cincium apud Gell. 16. 4.; et Nepot. Eumen. 1. et 13. ¶ 2. Per synecdochen dicitur de equitatu: quemadmodum pedes pro peditatu. Liv. 33. 7. extr. Is longe tum optimus eques in Græcia erat. Adde eumd. 2. 20., 7. 33., 8. 38. et 25. 15. Auct. B. Hisp. 15. Ita exiguo tempore eques pedestre, pedes equestre prælium facere cœpit. Curt. 3. 2. Persarum erant centum millia, in queis eques triginta millia implebat. Adde eumd. 5. 1. 45., 5. 4. 20. et 7. 6. 8. Sueton. Galb. 2. Classiarios immisso equite disjecit. Adde Flor. 2. 6. 13. Tac. 2. Ann. 16. Exin totidem aliæ legiones et levis armaturæ cum equite sagittario. Equites sagittarii in plur. num. apud Curt. 5. 4. 14. Cratero igitur ad custodiam castrorum relicto cum peditibus, quis adsueverat; et iis copiis, quos Meleager ducebat; et sagittariis equitibus præcepit etc.

C) Item speciatim in R. re publica ¶ 1. Eques et equites dicebantur, qui ad equestrem ordinem, medium inter senatum et plebem (Liv. 1. 15. et 30. 43.; et Cic. 2. de republ. 20.), pertinebant. — a) Romulus trecentos equites, ex singulis curiis denos, h. e. tres centurias ad sui corporis custodiam elegit, qui primo Celeres, deinde Flexuntes, postea Trossuli, denique communi nomine Equites sunt appellati: Plin. 33. Hist. nat. 2. 9. (35). Tullus vero Hostilius, tertius Romæ rex, teste Liv. 1. 30., ex devictis Albanis Romamque deductis equitum decem turmas, h. e. alteros trecentos equites legit: deinde Tarquinius Priscus, quintus Romæ rex, ut constat ex Cic. 2. de republ. 20. et Liv. 1. 36., prioribus equitum partibus secundas addidit, numerumque eorum duplicavit, ita ut m. ac cc. equites in tribus Ramnensium, Titiensium et Lucerum centuriis essent. (Apud Liv. tamen loc. cit. in editionibus perperam legitur mille et octingenti equites, quod ex eo factum est, quia, quum summæ antiquitas notatæ, non perscriptæ fuissent, ut affirmat Sueton. Galb. 5., in Codd. MSSptis Livii illud m. ac. cc. ab amanuensibus, littera A pro nota D accepta, m. dccc. lectum, ac postea litteris perscriptum fuit mille et octingenti. V. Niebuhr. Hist. Rom. T. 2. p. 76., ubi eadem confirmantur.). Servius tandem Tullius, Tarquinii successor, censu habito, equitum xii. centuriis a Romulo, Tullo Hostilio et Tarquinio jam institutis sex item alias adjecit (quæ a Cic. loc. cit. et Festo p. 334. 29. Müll. vocantur sex suffragia) sub iisdem tamen, quibus inauguratæ priores erant, nominibus; ære etiam ex publico iis attributo ad equos emendos alendosque. V. CENTURIA. Ceterum Dionys. Halic. l. 6. c. 13. p. 260., qui historiam suam scripsit et edidit paucis annis ante Chr. n., affirmat, tunc temporis equites Romanos equo publico ornatos fuisse circiter quinquies millenos. V. Cavedoni Marm. Moden. p. 135. — b) Insignia iis addita præter equum publicum fuerunt hujusmodi: anulus aureus, quo distinguebantur a plebe, et angustus clavus, quo a senatoribus. Post reges exactos equum accipiebant a censoribus, et quotannis Idib. Quintil. recensebantur (V. TRANSVECTIO); et si qua in re minus officio satisfecisse comperirentur, puniebantur pro modo culpæ vel equi ademptione, vel translatione ad ærarios, aut ad pedestrem militiam. Neque vero hic omnis ordo belli tempore militabat; sed ex eo eligebantur, quot satis essent instruendis equitatu legionibus, qui ideo a Veget. 2. Milit. 2. dicuntur legionarii equites, ut ab alariis distinguerentur. Habuere præterea equites suum in circo et theatro spectandi locum, medium inter senatores et plebem. V. QUATUORDECIM. Hinc spectare in equite, h. e. in quatuordecim gradibus equestri ordini assignatis, apud Sueton. Domit. 8. Licentiam theatralem promiscue in equite spectandi cohibuit. V. eumd. Ner. 11.; Tac. 15. Ann. 32.; et Martial. 5. 8. — c) Census eorum, Servio rege, minimus fuit $\overline{X}$. æris, Liv. 1. 43., maximus $\overline{CXX}$. æris, Plin. 33. Hist. nat. 3. 13.; at ex Gell. 7. 13., tempore Catonis, minimus fuit $\overline{CXXV}$. æris; quem tamen, C. Julio Cæsare dictatore, et deinceps $\overline{CCCC}$. HS. sive æris, semper fuisse, apparet ex Sueton. Cæs. 33., Horat. 1. Ep. 1. 57., Plin. 33. Hist. nat. 2. 8. (32)., Plin. altero 1. Ep. 19., Juvenal. 1. 106. etc., nempe duplo minorem senatorio, qui fuit $\overline{DCCC}$. HS. — d) Equitibus stipendium primo decretum fuit ann. U. C. 353., et quidem triplex illius, quod peditibus. V. STIPENDIUM. — e) Post primus illos a Servio institutos, ut quis in hoc ordine censeri et eques R. haberi posset, satis erat, si ostenderet, se censum equestrem habere: Tiberii vero principatus anno nono, auctore Plin. 33. Hist. nat. 2. 8. (32)., constitutum est, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno census equester fuisset. Quod in senatoribus non fuit item; hi enim quamvis senatorium censum haberent, non erant senatores, nisi vel a dictatore, vel a censore, vel ab imperatore in senatum eligerentur; plerumque tamen ex equitibus assumebantur; quare equites seminarium senatus vocat rex Perseus apud Liv. 42. 61. — f) Magna quoque au-

ctoritas et honor accessit equitibus, quum Ti. et C. Gracchi fratres tribuniciam legem Semproniam tulerunt de judiciis a senato ad equites transferendis. *V.* JUDICATUS, *us.* *Cic. Fontej.* 8. 16. Illi equites R., quos nos vidimus, qui nuper in republ. judiciisque maximis floruerunt. *Ovid.* 1. *Art. am.* 461. Quam populus judexque gravis lectusque senatus, Tum dabit eloquio victa puella manus. — *g*) Quum vero C. Marius consul ann. U. C. 647., omnium primus, teste *Sall. Jug.* 91., milites scribere non more majorum neque ex classibus, sed, ut cujusque lubido erat, capite censos plerosque cœpisset; ex illo tempore equites R., quum vidissent equestris militiæ honorem cum plebe communicatum fuisse, vectigalibus, decumis, pascuis, portoriis, operibus publicis, et annonæ etiam militari redimendis, quæstus sui causa, operam plerumque dabant; quo factum est, ut ipsi publicanorum nomine illustres maximas sibi divitias domi, repudiatis belli periculis, acquisierint, ut habemus ex *Pseudo-Ascon. Divinat. in Quint. Cæcil.* 10. Hinc Cicerone etiam in suo consulatu equitibus præcipue favente, utpote qui ex eorum ordine esset, tertius factus est in republ. equester ordo, teste *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 8. (34)., seu potius secundus, ut constat ex Augusti nummo apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 126., in quo legitur: CONSENSV SENATVS ET EQ*uestris* ORDINIS *populique romani*: et, inverso ordine, quem fortasse metri necessitas turbavit, *Martial.* 8. 15. Dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus. Haud secus in municipiis et coloniis paullo post Augustales, qui prius sacerdotes erant in honorem Augusti a Tiberio instituti, secundus fuerunt ordo inter decuriones et plebem. *V.* AUGUSTALIS. — *h*) Equites Romanos ex Urbe, et equites ex provincia distinguit *Auct. B. Hisp.* 31. Itemque (*in Mundensi prœlio ceciderunt*) equites R. partim ex Urbe, partim ex provincia, ad millia tria. — *i*) Itaque apud Romanos equites dicti sunt primum, qui equo stipendium merebant, censum equestrem habebant, et comitiis centuriatis in equitum centuriis suffragium ferebant, ut ait *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. *p.* 91. *edit. Pat.* Hi *equites Romani* apud scriptores passim et in vetustis inscriptionibus dicuntur. Non omnes tamen, quibus census equester esset, equum publicum etiam habuisse putandi sunt; quippe equum censores dabant fere spectatis adolescentibus et senatorum filiis, nec singulis, sed plerisque: at vero qui in equitum centuriis suffragium ferrent, eos omnes equum publicum habuisse, declarat *Cicero.* Quum etiam *Id.* 6. *Phil.* 5. 13. dixisset, positam esse L. Antonio statuam *ab equitibus Romanis equo publico*, eumdem L. Antonium patronum *centuriarum equitum R.*, eorum nempe qui statuam posuerant, dixit *Id.* 7. *Phil.* 6. 16. Quum igitur centuriæ equitum ad primam classem pertinerent, manifestum est, *equites equo publico* eos fuisse, qui ceteris auctoritate ac dignitate præstabant. Jam vero, quia imperatores censoria dignitate præditi equum ipsi publicum honoris causa dare cœpissent iis etiam, qui minime militabant et pueri admodum erant ætate, idcirco ad ejus honoris memoriam institutum est, ut in honorariis titulis adscriberetur *Eq. R. equo publico. Inscript.* apud *Fabrett. p.* 460. *n.* 88. C. VELLEJO C. F. PAL. VRBANO HONORATO EQVO PVBLICO AB IMP. ANTONINO AVG. CVM AGERET AETATIS ANNVM V. — *l*) Qui denique ex ordine equestri ingenio et morum probitate maxime supra ceteros emineret, in judicum centuriis a censoribus primum, mox ab imperatoribus tum Romæ, tum in municipiis et coloniis adscribebatur, ita ut qui judex ex tribus, vel quatuor, vel quinque decuriis diceretur (*V.* DECURIA), is equestris ordinis plenitudinem consecutus fuisse videatur. *Inscript.* apud *Gruter.* 479. 6. C. VALERIO C. F. PAP. MARIANO JVDICI SELECTO DECVRIIS TRID. (*corrige* tribus): ita enim legitur in lapide, qui etiamnum Tridenti exstat. *Alia* apud *Murat.* 760. 1. P. VIRGILIO P. F. POL. LAVREAE JVDICI DE IIII. DECVRIIS. *Alia* apud *Maff. Mus. Ver.* 365. 3. C. NONIO C. F. AN. CAEPIANO EQVO PVBLICO EX QVIN*que* DECVRIIS JVDICVM. — *m*) Ceterum hac significatione vocabulum et singulari et plurali numero sæpissime occurrit. *Cic. Rosc. com.* 14. 42. Quem tu si ex censu spectas, eques Romanus est. *Cæs.* 1. *B. C.* 23. Cæsar ubi illuxit, omnes senatores senatorumque liberos, tribunos militum equitesque Romanos ad se produci jubet. *Horat.* 3. *Od.* 16. 20. Mæcenas, equitum decus. *Tac.* 16. *Ann.* 17. Mela et Crispinus equites Romani dignitate senatoria. Adde *Cic. Cluent.* 55. 152.; *Sall. Jug.* 65.; *Nepot. Att.* 8., 12. et 13.; *Liv.* 29. 37.; *Horat.* 1. *Od.* 20. 5., *Art. P.* 113. et 1. *Sat.* 10. 76.; *Ovid.* 4. *Fast.* 293.; *Sueton. Tib.* 7., *Cal.* 41. et alibi; *Flor.* 3. 12. 9. et 3. 13. 14.; *Quintil.* 11. 1. 28. et 6. 3. 63.; *Juvenal.* 6. 625., 3. 155. et 14. 323.; *Tac.* 1. *Ann.* 73., 6. *ibid.* 18. et alibi; et *Plin.* 6. *Ep.* 15. et 25. ¶ 2. Per synecdochen *eques* sing. num. dicitur etiam pro equestri ordine. *Sueton. Aug.* 34. Abolitionem legis, publico spectaculo, pertinaciter postulante equite. Adde *eumd. Ner.* 12. et 37., *Vesp.* 9. et *Cal.* 26.; *Flor.* 3. 17. 4.; et *Martial.* 5. 8. Cf. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 184. et depugnare parati Si discordet eques.

EQUESTER, stris, stre, adject. Nominativus sing. num., masc. gen., *equestris* pro *equester* legitur apud *Liv.* 27. 1. — Equester est ¶ 1. Ad hominem equo insidentem pertinens. *Cic.* 9. *Phil.* 6. 13. Statua inaurata equestris. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 61. 150. et *Sueton. Tit.* 2. *Ammian.* 16. 10. Equestres ludi. — Neptunus habitus est etiam equorum sator, quum percussa tridenti tellure equus exstitit, ut est apud *Virg.* 1. *G.* 12. Unde a Thessalis, in quorum finibus hoc factum esse dicitur, Neptuno equestre certamen est institutum; et is Ἵππιος Ποσειδῶν, Neptunus equester, appellatus, ut *Servius* ad *h. l.* docet. V. CONSUS, HIPPIUS et ARION in ONOM. *Liv.* 1. 9. Ludos ex industria parat, Neptuno equestri solemnes. ¶ 2. Item ad milites equo utentes pertinens. *Cato* apud *Priscian.* 7. *p.* 750. *Putsch.* et apud *Charis.* 1. p. 97. *Putsch.* Equestria æra. Sic *Paul. Diac. p.* 81. 14. *Müll.* Equestre æs, quod equiti dabatur. V. *Niebuhr. Hist. Rom. T.* 1. p. 487. *Cic.* 2. *Fin.* 34. 112. Equestres et pedestres copiæ. *Cic.* 6. *Verr.* 55. 122.; *Curt.* 7. 7. 32.; et *Flor.* 2. 2. 35 Equestris pugna. *Cæs.* 3. *B. C.* 2., 1. *B. G.* 18. et 2. *ibid.* 8. et 9.; et *Sueton. Domit.* 4. Equestre prœlium committere. *Liv.* 43. 6. Equestria scuta. *Id.* 8. 7. spolia. *Id.* 4. 32. auxilium. *Id.* 27. 42. terror. *h. e.* terror ab equite incussus. *Id.* 27. 1. tumultus. *Id.* 10. 5. procella. *Sueton. Aug.* 46. et *Claud.* 25.; et *Plin.* 7. *Ep.* 25. militia. *Sueton. Ner.* 12. certamen. *Tac. Germ.* 32. Tencteri equestris disciplinæ arte præcellunt. — *Fortuna equestris* dea est, cui ædem vovit Q. Fulvius Flaccus proprætor in Hispania citeriore ann. U. C. 574., quod equitum tum legionarii, tum alarii prospere adversus Celtiberos pugnassent, ut narrat *Liv.* 40. 40., qui idem memorat *ibid.* 44. et 42. 3. Cf. *Tac.* 3. *Ann.* 71.; et *V. Dukeri* adnotata ad *Liv.* 40. 40. Hinc *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 752. *n.* 591. FORTVNAE EQ. SACRVM M. VLPIVS M. F. PAL. AASONIMVS. At eamdem supposititiam putat *Orellius n.* 1746., quippe quæ a *Ligorio*, sublestæ fidei auctore, allata fuerit. — Singulare est illud *Senec. Theb.* 395. Fumoque similes campus in cælum erigat Nebulas, equestri fracta quas tellus pede Submittit. *Forcellinus* h. l. *equestrem pedem* interpretatus est pertinentem ad equum, equinum: illæ tamen voces videntur accipi posse pro equitatu. ¶ 3. Item ad ordinem pertinens equitum R. *Cic. Planc.* 35. 85. Aderat mecum cunctus equester ordo. Adde *Liv.* 33. 26. et 2. 20.; *Nepot. Att.* 19.; *Sueton. Aug.* 100., *Claud.* 6., *Cal.* 30., 40. et 53. et *Tib.* 51.; *Quintil.* 5. 13. 21.; et *Flor.* 3. 13. 3. Sic *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (12). Equestris ordinis vir. *Id.* 33. *ibid.* 2. 8. (32). et *seqq.* plura habet de ordine equestri. *V.* EQUES sub C. 1. Rursus *Cic.* 1. *leg. Agr.* 9. 27. Habeat me ipsum sibi documento, quem equestri ortum loco consulem videt. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 6. Sic *Vellej.* 2. 88. Equestri genere natus. Et *Sueton. Cæs.* 1. familia. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. § 6. Homo levis ac sordidus, sed tamen equestri censu. *Liv.* 5. 7. Quibus census equester erat. Adde *Horat. Art. P.* 383.; *Sueton. Aug.* 40. et *Cal.* 33.; et *Juvenal.* 3. 155. et 14. 323. *Nepos Att.* 1.; *Sueton. Claud.* 24.; et *Flor.* 2. 6. 18. Equestris dignitas. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 53. Equestri anulo. *Juvenal.* 3. 154. Pulvino equestri. *Tac.* 1. *Hist.* 13. Nec minor gratia Icelo Galbæ liberto, quem anulis donatum equestri nomine Marcianum vocitabant. Adde *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 8. (34). — *Ordo equestris* erat etiam in municipiis et coloniis, medius scilicet inter decuriones et plebem, qui et ordo Augustalium dicebatur. *Inscript.* apud *Gruter.* 431. 1. SEX. LIGVRIVS SEX. FIL. GALERIA MARINVS, SVMMVS CVRATOR C. R. (*h. e.* civium Romanorum) PROVINC. LVGD., Q., II. VIRALIB. ORNAMENTIS SVFFRAGIO SANCT. ORDINIS HONORATVS, OB HONOREM PERPETVI PONTIFICATVS DAT, CVIVS DONI DEDICATIONE DECVRIONIBVS 𐆖. V., ORDINI EQVESTRI IIIIII. VIRIS AVGVSTALIBVS NEGOTIATORIBVS VINARIIS 𐆖. III., ET OMNIB. CORPORIB. LVG. LICITE COEVNTIBVS 𐆖. II. DEDIT. — Hinc

Equester, stris, m. 3. absolute, substantivorum more, est equestris ordinis vir. *Tac.* 13. *Ann.* 10. Neque recepti sunt inter reos Carinas Celer senator, servo accusante, aut Julius Densus equester, cui favor in Britannicum crimini dabatur. *Id.* 12. *ibid.* 60. Nam divus Augustus apud equestres, qui Ægypto præsiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi jusserat, ac si magistratus Romani constituissent. *V.* et *Duker.* ad *Liv.* 33. 26.

Equestria, ium, n. plur. 3. (subaudi *loca*) absolute, substantivorum more, sunt loca assignata equitibus ad spectandum. *Senecа* 7. *Benef.* 12. Equestria omnium equitum R. sunt: in illis tamen locis meus est proprius, quem occupavi. Adde *Sueton. Cal.* 26.; *Petron. Satyr.* 126.; et *Senec.* 3. *Controv.* 18. *ad fin.* — *NB.* de Colonia Equestri et de cogn. Rom., *V.* EQUESTER in ONOM.

EQUIDEM, adverb. ab *ego* et *quidem*; unde primis verborum personis sæpius jungitur, ut docet *Forcellinus*: aut est a demonstrativa e (*V.* CE) et *quidem*, ut volunt recentiores, ac propterea vocari potest particula demonstrativa, quæ ad aliquem certiorem faciendum, ad ea quæ dicimus affirmando, vel denique ad vim orationi addendam usurpatur, et significat quidem, sane, certe (It. *certamente, in vero, in fatti*; Fr. *certes, certainement, sans doute, à la vérité*; Hisp. *ciertamente, sin la menor duda, verdaderamente*; Germ. *allerdings, gewiss, sicherlich, in der That*; Angl. *indeed, truly, in truth*). Occurrit ¶ 1. Generatim; et quidem — *a*) Apud veteres Scriptores sæpe jungitur cum aliis particulis affirmativis, vel cum adverbiis jurandi, *certe, edepol, ecastor, hercle.* Sic apud *Plaut. Amph.* 1. 1. 291. Equidem certo idem sum, qui semper fui. *Id. Mil. glor.* 2. 5. 23. Certe equidem noster sum. Cf. *Virg.* 9. *Ecl.* 7. Certe equidem audieram. Rursus *Plaut. Amph.* 1. 1. 126. Credo edepol equidem. *Id. Pers.* 4. 3. 70. Equidem edepol liberali 'st, quisquis est. *Id. Most.* 1. 3. 22. Equidem pol. Sic *Ter. Eun.* 5. 2. 37. Equidem pol in eam partem accipioque et volo. *Plaut. Men.* 4. 2. 94. Equidem ecastor. *Id. ibid.* 3. 2. 29., *Mil. glor.* 4. 7. 24. et *Pœn.* 3. 1. 5.; et *Ter. Phorm.* 5. 3. 24. Equidem hercle. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 38. Certe edepol equidem te civem sine malâ omni malitiâ semper sum arbitratus. — *b*) Sine additis. — Primis verborum personis sing. num. jungitur. *Ter. Eun.* 2. 3. 86. Jocabar equidem. Adde *eumd. Heaut.* 5. 1. 24. et *Andr.* 4. 1. 35. *Cic.* 2. *Fam.* 10. Equidem numquam domum misi epistolam etc. *Id.* 6. *ibid.* 4. Equidem putabam. *Id.* 14. *Att.* 14. Quod demiror equidem. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 23. Dixi equidem et dico. *Id.* 2. *Ep.* 1. 69. Non equidem insector delendaque carmina Livi Esse reor. *Liv.* 23. 16. Vix equidem ausim affirmare, quod quidam auctores sunt. — Sic *nihil equidem* apud *Horat.* 2. *Sat.* 6. 53. Numquid de Dacis audisti? Nil equidem. Cf. *Quintil.* 12. 10. 46. Nihil equidem, quod addi posset, invenio. — Cum *ego* est pleonasmus non improbandus, ut *Forcellinus* docet suo etymo fretus. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 33. Id equidem ego certo scio. *Id. Merc.* 2. 1. 40. Amavi hercle equidem ego olim in adolescentia. *Sall. Jug.* 10. Equidem ego regnum vobis trado firmum. *Id. Cat.* 51. Equidem ego sic existumo, patres conscripti, etc. Adde *eumd. Jug.* 85. *Pseudo-Sall. Orat.* 2. *ad Cæs. de republ. ordin.* Equidem ego sic statuo. Adde *eumd.* 1. *ibid.* — Cum primis verborum personis plur. num. *Ter. Phorm.* 3. 1. 7. Equidem, here, nos jamdudum hic te absentem incusamus, qui abieris. *Al. leg.* Et quidem *Cic. Sext.* 57. 122. Quæ tum significatio fuerit omnium, – equidem audiebamus. *Orellius et alii leg.* audiebam. — Cum secundis personis. *Sall. Cat.* 58. Scitis equidem, milites, socordiâ atque ignaviâ Lentuli etc. *Plaut. Stich.* 4. 1. 48. Dum equidem hercle, quod edant, addas. *Pers.* 5. 45. Non equidem hoc dubites. — Cum tertiis personis sing. num. *Plaut. Men.* 2. 2. 35. Insanit hic equidem, qui ipse maledicit sibi. *Id. Aulul.* 2. 1. 18. Decet te equidem vera proloqui. *Cic.* 3. *Att.* 3. Adhuc equidem valde me pœnitet. *Orellius et alii rectius leg.* quidem. *Id.* 2. *Divinat.* 70. 144. Huic e-

quidem Antiphon, Baro, inquit, te victum esse non vides? *Manutius* hic suspicabatur de mendo: *Orellius* legit *quidem*. Denique *Forcellinus* attulit etiam illud ejusd. *Cic.* 13. *Att.* 28. Equidem credibile non est, quantum scribam die. *At aliter locus interpungendus videtur, scilicet*: Equidem, credibile non est, quantum etc.; *ita ut* equidem *referatur ad v.* scribam. *Sall. Cat.* 52. Quare vanum equidem hoc consilium est. Adde *Justin.* 38. 5. et 39. 3. *a med.*; et *Sueton. Cal.* 6. — Et cum tertiis personis plur. num. *Plaut. Men.* 3. 2. 27. Dì me equidem omnes adjuvant. *Varro* 1. *R. R.* 5. 1. Equidem innumerabiles mihi videntur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 86. (360). Equidem et montium sonitus prædicunt. *Sillig* vero pro *equidem* ex bonis Codd. legit *et quidem*. ¶ 2. Speciatim particula *equidem* affirmando simul et concedendo inservit, præcipue sequentibus part. *sed, verum, ceterum, tamen, verumtamen*. — *a*) Sequente *sed*, ut apud *Plaut. Rud.* 4. 1. 59. Dixi equidem, sed si parum intellexisti, dicam denuo. *Cic.* 3. *Fin.* 2. 9. Quod autem meum munus dicis, non equidem recuso; sed te adjungo socium. Cf. *Id.* 2. *Orat.* 6. 25. Si jam mihi disputandum sit de his nostris studiis, nolim equidem apud rusticos, sed multo minus apud vos. Malo enim non intelligi orationem meam, quam reprehendi. *Liv.* 3. 68. Vellem equidem vobis placere, Quirites; sed multo malo vos salvos esse, qualicumque erga me animo futuri estis. *Curt.* 5. 13. 3. Certiora deinde cognoscit ex Bagysthene Babylonio, non equidem vinctum regem, sed in periculo esse aut mortis, aut vinculorum. Sic *Quintil.* 10. 1. 126. Non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam. — *b*) Sequente *tamen*, ut apud *Liv.* 4. 3. Quantopere vos, Quirites, contemnerent Patres, quam indignos ducerent, – sæpe equidem et ante videor animadvertisse: nunc tamen maxime, quod adeo atroces in has rogationes nostras coorti sunt. Adde *Plin. Paneg.* 31. — *c*) Sequente *sed tamen*, ut apud *Cic.* 3. *Fin.* 2. 9. Video equidem, inquam: sed tamen jam infici debet iis artibus etc. *Id. Senect.* 10. 32. Vellem equidem idem posse gloriari, quod Cyrus; sed tamen hoc queo dicere, etc. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 1. 79. — *d*) Sequente *verum*, ut apud *Cic.* 16. *Fam.* 16. Amo te omnibus equidem maximis de causis, verum etiam propter hanc etc. Adde *Plaut. Merc.* 2. 1. 10. — *e*) Sequente *ceterum*, ut apud *Curt.* 4. 12. 20. Sed caligo, quam circa humidi effuderant montes, universam equidem rei faciem non abstulit; ceterum agminum discrimina atque ordinem prohibuit perspici. *Plerique tamen leg.* quidem. — *f*) Sequente *verumtamen*, ut apud *Cic.* 12. *Fam.* 30. 3. Non dubitabam equidem: verumtamen multo mihi notiorem amorem tuum effecit Chærippus. — *g*) Post *equidem* particula *sed* interdum omittitur a *Curt.*, ut 9. 2. 21. Equidem sic animalia ista (*elephantos*) contempsi, ut quum haberem, ipse non opposuerim: satis gnarus plus suis, quam hostibus periculi inferre. ¶ 3. Item speciatim *equidem* ponitur pro quod ad me attinet, ex parte mea; semperque refertur ad personam, quæ loquitur. *Cæs.* 2. *B. C.* 32. *in fin.* Equidem me Cæsaris militem dici volui; vos me imperatoris nomine appellavistis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 96. 101. (220). Ut nihil, quod equidem noverim, prætercam. *Id. ibid.* 25. 23. (91). Aristoteles tradit et simul plures cerni, nemini compertum alteri, quod equidem sciam. Cf. *Cic.* 6. *Att.* 3. 4. De urbanis rebus scilicet plura tu scis: sæpius et certiora audis. Equidem doleo non me tuis litteris certiorem fieri. *Curt.* 7. 1. 38. Præcepisti igitur mihi, ne quem præter te intuerer; sed detrectantes militiam perducerem ad te. Quod equidem feci, et liberius, quam expediebat mihi, exsequutus sum imperium tuum. Adde *Plin. Paneg.* 79.

ĔQUĬFĔRUS, i, m. 2. equus ferus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 13. 55. (197). In primis efficax est potus equiferorum sanguinis. Adde *eumd. ibid.* 10. 45. (159).

ĔQUĪLA. *V.* EQUULA.

ĔQUĪLE, is, n. 3. stabulum equorum. *Varro* 2. *R. R.* 7. 15. Si frigus erit, in equili faciendus ignis. Adde *Caton. R. R.* 14.; et *Sueton. Cal.* 55.

ĔQUĪMENTUM, i, n. 2. merces, quæ datur pro admissura equi. *Varro* apud *Non.* p. 69. 27. *Merc.* An si equam emisses quadrupedem, ut meo asino Reatino admitteres, quantum poposcissem, dedisses equimenti? *Non. loc. cit.* scribit *æquimentum*, quod minus rectum videtur.

ĔQUĬMULGA, æ, *vel* equimulgus, i, m. 1. *vel* 2. qui equam mulget. *Sidon.* 4. *Ep.* 1. 43. Ad equimulgas Gelonos. *Alii leg.* equimulgos.

ĔQUĪNUS, a, um, adject. ad equum pertinens. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 62. Gladius sæta equina appensus. *Varro* 2. *R. R.* 7. 7. Pecus equinum. Adde *Ammian.* 31. 2. Rursus *Varro ibid.* 7. 6. Emptio equina. *et ibid.* 11. 1. Equinum lac. *et* 1. *ibid.* 38. 3. stercus. *Horat. Art. P.* 1. Equina cervix. Cf. *eumd.* 2. *Ep.* 1. 45. *Quintil.* 8. 2. 15. pulius. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 27. 1.; et *Val. Flacc.* 5. 154. — Hinc

Equinus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est etiam idem quod equus, ut interdum humanus idem est atque homo: *V.* HUMANUS. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 67. de equo veloci. GAETVLA HABENA PROSATA, GAETVLO EQVINO CONSITA, CVRSANDO FLABRIS COMPARA, SPEVDVSA, LETHEN INCOLIS.

ĔQUĪO, is, ire, n. 4. de equabus dicitur, quum coitum appetunt. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (181). Equas domitas sexaginta diebus equire. *Colum.* quoque habet 6. *R. R.* 38. 1. juxta nonnullos codices.

ĔQUĬPASTOR. *V.* EQUARIUS.

ĔQUĬRĬA, ium, n. plur. 3. ludi a Romulo instituti in honorem Martis ab equorum cursu, quod in iis equi currebant. Duplicia fuere: prima celebrabantur a. d. III. Kal. Martii, altera pridie Idus. Fiebant in campo Martio, vel in parte montis Cælii, (qui *campus minor* dicitur a *Catullo* 55. 3.) si campum Martium aquæ occupassent. *Ovid.* 2. *Fast.* 859. Ex vero positum permansit equiria nomen. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 519. *Varro* 6. *L. L.* 13. *Müll.* Equiria ab equorum cursu; eo die enim ludis currunt in campo Martio. Adde *Paul. Diac.* p. 81. 12. et p. 131. 13. *Müll.*

ĔQUĬRĪNE jusjurandum per Quirinum. *Paul. Diac.* p. 81. 13. *Müll.* V. ECASTOR.

ĔQUĬSÆTA, æ, f. 1. *V.* EQUISETIS.

ĔQUĬSÆTUM *vel*

ĔQUĬSĒTUM, i, n. 2. (de aliis formis, *V.* voc. seq.) herba quædam foliis pilis simili, vel potius equinis sætis, unde et nomen traxit, hippuris a Græcis dicta, ἵππουρις, *h. e.* cauda equina. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 13. 83. (132). Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 410.) hanc exhibet synonymiam: Ἵππουρις ἑτέρα Dioscor. 4. 47.? et *Hippuris altera* Plin. loc. cit. sunt *Equisetum arvense* L. Spec. plant. 1516. Cf. *eumd. vol.* 2. p. 218.

ĔQUĬSÆTIS, is, f. 3. vel equisæta, æ, f. 1. herba eadem atque equisætum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (259). Invisa et equisætis est, ad similitudinem equinæ sætæ. *Apul. Herb.* 39. A Græcis dicitur hippuris, Itali vero equisætam vocant. *Rectius tamen divisim scribendum* equi sætam.

ĔQUĪSO, ōnis, m. 3. equorum domitor et curator. *Varro* apud *Non.* p. 105. 11. *Merc.* Ut equiso doceat tolutim incedere. *Val. Max.* 7. 3. n. 2. *extern.* Darius acumine equisonis sui prosperum exoptatæ rei effectum consecutus est. *Id. ibid.* n. 1. etiam agasonem aselli *equisonem* vocat. *Apul.* 7. *Met.* Equiso armentarius. *V.* ARMENTARIUS. — Equisones nautici dicuntur a *Varron.* apud *Non.* p. 106. 1. *Merc.* et ab ipso *Non.* p. 450. 32. qui fune navem per flumen trahunt. *V.* AMBIVIUM.

ĔQUISTRĀTOR. *V.* STRATOR.

ĔQUĬTĀBĬLIS, e, adject. in quo equi facile inambulare possunt. *Curt.* 4. 9. Equitabilis et vasta planities. *Ammian.* 22. 15. Equitabiles campi.

ĔQUĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus equitandi. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 14. (54). Equitatio stomacho et coxis utilissima.

ĔQUĬTĀTUS, a, um. *V.* EQUITO.

ĔQUĬTĀTUS, us, m. 4. De varia Dativi forma, *V.* infra sub *A.* 2. Equitatus duo diversa significat, prout est *A*) Ab *eques, equitis*; vel *B*) A verbo *equio*.

A) *Equitatus* ab *eques, equitis* ¶ 1. Abstracte est equitatio, sive actus equitandi. In sexto casu sing. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 15. 61. (218). Femora equitatu atteri et aduri, notum est. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est militum equo utentium numerus. — *a*) In sing. num. *Cato* apud *Gell.* 10. 24. Igitur dictatorem Carthaginiensium magister equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum. *Cic.* 9. *Att.* 13. Hunc ita paratum video peditatu, equitatu, classibus, etc. *Id.* 7. *Fam.* 1. Armatura varia peditatus et equitatus. Adde *Sall. Jug.* 91. et 95.; *Cæs.* 1. *B. G.* 15. et 42., 2. *B. C.* 6. et alibi sæpe; *Nepot. Eumen.* 3. et *Miltiad.* 5.; *Liv.* 27. 30. et alibi sæpe; *Curt.* 3. 9. 1., 4. 9. 17. etc.; *Sueton. Cal.* 45. et 48.; *Flor.* 4. 2. 34. et 4. 9. 5.; et *Tac.* passim. *Ammian.* 19. 1. Ferreus equitatus campos opplevit et colles. — Dativus *equitatui* legitur apud *Nepot. Hann.* 3. Equitatui omni præesse. Adde *Cæs.* 7. *B. G.* 4. et 3. *B. C.* 89.; et *Curt.* 6. 9. 21. — Dativus *equitatu* occurrit apud *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Centurionesque, quique equitatu præerant, perturbabantur. Adde *eumd. ibid.* 18. et 52.; quamquam vulgati libri ubique leg. *equitatui*. V. ASPECTUS, us. — *b*) In plur. num. *Cic. Fontej.* 2. 3. Magnos equitatus ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum a populo Romano gerebantur, – imperavit. *Cæs.* 1. *B. C.* 61. *a med.* Hinc magnos equitatus magnaque auxilia exspectabant. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 8. *Auct. B. Hisp.* 37. Peditatibus et equitatibus ad persequendum celeriter iter faciens. Adde *Sall. Jug.* 46.; *Auct. B. Afr.* 11.; et *Flor.* 3. 11. 8. ¶ 3. Item ipsi equi. *Cæs.* 3. *B. C.* 58. Erat summa inopia pabuli, adeo ut foliis ex arboribus strictis – equos alerent. – Cogebantur Corcyra atque Acarnania – pabulum supportare: quoque erat ejus rei minor copia, hordeo adaugere, atque his rationibus equitatum tolerare. ¶ 4. Item equester ordo. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 9. (35). Equitum etiam nomen ipsum sæpe variatum est, in his quoque, qui ad equitatum trahebantur. *Sillig* legit: in iis quoque, qui id ab equitatu trahebant. *Auson. Edyll.* 11. 78. Martia Roma triplex, equitatu, plebe, senatu.

B) *Equitatus* a verbo *equio* (cujus frequentativum inusit. esset *equito*) eam vocem significat, quam edere solet equa coitum appetens. *Lucilius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 103. *Müll.* Quantum hinnitum atque equitatum.

ĔQUĬTĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui equitio præest. *Firmic.* 8. *Mathes.* 13. Aut mulomedicus, aut equitiarius.

ĔQUĬTĬUM, ii, n. 2. equorum armentum. Cf. *Varro* 2. *R. R.* 1. 10. Et quod multa nomina habemus ab utroque pecore, a majore et a minore? A minore Porcius, Ovinius, Caprilius: sic a majore Equitius, Taurius etc. *Colum.* 6. *R. R.* 27. 1. Quibus cordi est educatio generis equini, maxime convenit providere auctorem industrium et pabuli copiam; quæ utraque vel mediocria possunt aliis pecoribus adhiberi, summam sedulitatem et largam satietatem desiderat equitium. *Tac. Germ.* 15. Mos est civitatibus ultro equitium conferre principibus. *Al. rectius* ultro ac viritim conferre etc. *Ulp. Dig.* 6. 1. 1. Idem de armento et equitio ceterisque, quæ gregatim habentur, dicendum est. Adde *ibid.* 7. 8. 12. et alibi.

ĔQUĬTO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Equitans* sub *A.* I. 1.; *Equitatus* sub *B.* — Equitare occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more, equito est equo iter facio (It. *cavalcare*; Fr. *aller à cheval, chevaucher*; Hisp. *cabalgar, ir á caballo*; Germ. *reiten*; Angl. *to ride*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Dejot.* 10. 28. Quum is in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus. *Jabolen. Dig.* 9. 2. 57. Equitare in equo. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 26. (52). Lassitudo equitandi. *Id.* 8. *ibid.* 25. 38. (93). Dorso equitantium modo impositi. Adde *Sall. Jug.* 6. *Justin.* 41. 2. Et equitare et sagittare magna industria docent. *Horat.* 1. *Od.* 2. 51. Neu sinas Medos equitare inultos. h. e. discurrere equitatu et loca vastare. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 8. 6. et 2. *ibid.* 9. 24. *Cic.* 6. *Verr.* 20. 43. Equitare in equuleis. *V.* EQUULEUS II. 1. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 248. In arundine longa. ¶ 2. Speciatim. *Paul. Diac.* p. 81. 55. *Müll.* Equitare antiqui dicebant equum publicum merere.

II.) Translate. ¶ 1. *Equitare* dicitur etiam ipse equus incedens. *Lucilius* apud *Gell.* 18. 5. et *Non.* p. 107. 2. *Merc.* Currere equum nos atque equitare videmus. ¶ 2. Ponitur etiam de vento. *Horat.* 4. *Od.* 4. 42. Dirus per urbes Afer (*Hannibal*) ut Italas, Ceu flamma per tædas, vel Eurus Per Siculas equitavit undas. ¶ 3. *Equitare* est etiam in obscœnis. *Juvenal.* 6. 311. *de impuris mulieribus.* Inque vices equitant et luna teste moventur. *V.* EQUUS II. 4. et INEQUITO.

B) Active. *Flor.* 3. 4. 5. Minutius toto vastavit Hebro, multis quidem amissis, dum perfidum glacie flumen equitatur. *h. e.* equitando transitur. *Al. leg.* per perfidum, ut *sit deponens*. *Claudian. B. Get.*

192. equitataque summi Culmina Taygeti. Sidon. carm. 23. 249. fluxis equitata Bactra Parthis. — Equitata cohors, equites habens peditibus admixtos. Inscript. apud Murat. 1122. 4. C. SAGVRO G. F. CLV. FRISCO PRAEF. COH. III. LINGON. EQVITATAE. V. COHORS. — Apud Plin. 8. Hist. nat. 18. 26. (68). de camelis. Omnes autem jumentorum ministeriis dorso funguntur, atque etiam equitantur in præliis. Harduin. leg. equitatu: item Sillig.

EQUŬLA, æ, f. 1. deminut. ab equa, parva equa.

I.) Proprie. Varro apud Non. p. 106. 12. Merc. Quin summa diligentia eligat asinum, qui saliat equulam. Alii leg. equilam.

II.) Improprie locum habet in obscænis. Plaut. frag. apud Priscian. 3. p. 677. Putsch. Adhinnire equulam. Aliter tamen legendum docet Cod. Plautinus apud Majum. V. ADHINNIO.

EQUŬLEUS vel eculeus, ĕi, m. 2. deminut. ab equus, pullus equinus.

I.) Proprie. Varro apud Non. p. 105. 11. Merc. Neque furentem equuleum – insanus equiso ex rabidis morbi fluctibus educat unquam. Cic. fragm. ex Hortens. apud eumd. ibid. Ut igitur domitores equorum non verbera solum adhibent ad domandum, sed cibum etiam sæpe subtrahunt, ut fame debilitetur equuleorum effrenata vis. Liv. 23. 31. sub fin. Ad Sinuessam bos equuleum peperit.

II.) Translate. ¶ 1. Equulei sunt sigilla argentea equuleos referentia. Cic. 6. Verr. 20. 43. Jactabit se, et in his equitabit equuleis. ¶ 2. Est etiam tormenti genus, nempe machina lignea, in equi modum compacta, in qua distendebantur et torquebantur ii, de quibus alicujus criminis quæstio habebatur. Curt. 6. 10. 10. Tot conscii, ne in equuleum quidem impositi, verum fatebuntur? Cic. Mil. 21. 57. Facti in equuleo quæstio est, juris in judicio. Adde eumd. 3. Tusc. 28. 67.; Curt. 8. 7. 5.; et Ammian. 14. 5. et 26. 10. med. Seneca Ep. 67. Neminem certe adhuc scio, eo nomine votum solvisse, quod flagellis cæsus esset, aut podagra distortus, aut equuleo longior factus esset. Prudent. 10. περὶ στεφ. 109. Eviscerandum corpus equuleo eminus Pendere et uncis vinculisque crescere. — Equuleus cochleatus. V. COCHLEATUS.

EQUŬLUS, i, m. 2. deminut. ab equus, parvus equus. Cic. 2. Nat. D. 14. 38. Omnia in perfectis et maturis docet esse meliora, ut in equo, quam in equulo, in cane, quam catulo. Varro 2. R. R. 7. 13. Post annum et sex menses equulum domari posse.

EQUUS, i, m. 2. Equs scribitur pro equus in Inscript. apud Marin. Frat. Arv. p. 393. ET CELZA A SEPTO CVRRERE CEPIT EQVS. V. ibid. adnotat. — Equum pro equorum habes in Sil. It. 12. 681. — Ratione habita etymi, vox conjungenda est cum Gr. ἵππος equus; et est animal quadrupes, quo vehimur sive itineris, sive militiæ causa, rhedas currusque trahimus, etc. (It. cavallo; Fr. cheval, coursier; Hisp. caballo; Germ. d. Pferd; Angl. a horse, steed).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Universim. Primus equi sator habetur in fabulis Neptunus: V. h. v. Multa ac mira de equis Plin. 8. Hist. nat. 42. 64. (154). Generosi equi notas Varro 2. R. R. 7., Colum. 6. R. R. 29., Pallad. 4. R. R. 13. et Virg. 3. G. a v. 75. recenset. Varro 2. R. R. 7. 15. Equi alii sunt ad rem militarem idonei, alii ad vecturam, alii ad admissuram, alii ad cursuram, alii ad rhedam. V. CABALLUS et CANTERIUS. Cato apud Gell. 9. 2. Majores nostri equos carins, quam coquos emebant. Plaut. Men. 5. 2. 109. Multa mihi imperas, Apollo: nunc equos junctos jubes capere me indomitos, feroces, atque in currum ascendere. Cic. Amic. 19. 68. Nemo est, qui non equo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo. Horat. 3. Od. 24. 54. nescit equo rudis Hærere ingenuus puer. h. e. nescit insidere ita ut non delabatur. Justin. 41. 3. de Parthis. Equis omni tempore vectantur: super illos ire, consistere, mercari, colloqui. Quintil. 1. 1. 1. Equi ad cursum gignuntur. Id. 9. 4. 113. Equorum cursum delicati minutis passibus frangunt. — b) Jungitur plurimis Adjectivis, quorum præcipua sunt hæc. Ennius apud Cic. Senect. 5. 14. Equus fortis. Cic. 1. Off. 26. 90. ferocitate exsultans. Nepos Eumen. 5. calces remittit. Liv. 30. 17. phaleratus. bardato. Id. 24. 18. curules. Id. 43. 5. militares. Horat. 1. Sat. 7. 8.; Sueton. Domit. 2.; et Plin. Paneg. 22. albus. h. e. triumphantium prius. Horat. 4. Od. 3. 4. impiger. Id. 1. Sat. 5. 57 ferus. Id. 2. ibid. 2. 10. indomitus. Id. 1. Ep. 2. 64. docilis tenera cervice. Id. Art. P. 84. certamine primus. Ovid. 5. Trist. 9. 29. acer. Id. 4. ibid. 6. 3. animosus. Id. 1. Art. am. 20. magnanimus. Id. 2. Amor. 9. 30. durior oris. Id. 1. ibid. 2. 15. Asper equus duris contunditur ora lupatis. Id. 4. Trist. 8. 20. languidus. Sueton. Cæs. 61. patiens sessoris. Id. ibid. 39. desultorius. Val. Flacc. 2. 380. bellator. Quintil. 5. 11. 4. optimus, generosissimus. Id. 8. 3. 10. velox. Plin. 8. Hist. nat. 18. 25. (66). recens. fresco. Ammian. 14. 6. funales. Id. 11. 6. publici. h. e. i cavalli di posta. — c) Jungitur et plurimis Verbis, quorum præcipua hæc sunt. Liv. 2. 20. extr. Admovere equiti equos. Cæs. 1. B. G. 22. Admittere equum. Sic Fronto 3. ad M. Cæs. 20. Ubi vivarium dedicabitis, memento quam diligentissime, si feras persecuties, equum admittere. Cic. Senect. 10. 34.; et Curt. 7. 7. 36. Ascendere in equum. Liv. 6. 7. Insilire in equum. Auct. B. Hisp. 13.; et Sueton. Cal. 54. Conscendere equum. Sueton. Ner. 48. Inscendere equum. montare, salire. Liv. 35. 36. Imponere aliquem in equum. mettere a cavallo. Sic Curt. 3. 11. 11. Imponi in equum. Cæs. 6. B. G. 30. extr. Inferre aliquem in equum. Cf. Cic. Dejot. 10. 28. Dejotarum quum plures in equum sustulissent. Cic. Senect. 10. 34. Descendere ex equo. Sall. fragm. apud Non. p. 236. 20. Merc. Descendere equo. smontare, scendere. Sic Cæs. 4. B. G. 2.; et Curt. 6. 5. 26. Desilire equo. Cic. Cluent. 62. 175. Cadere ex equo. Id. Dejot. 10. 28. Hærere in equo. stare a cavallo. Id. 7. Verr. 10. 27. Sedere in equo. Plin. 9. Ep. 15.; et Ammian. 29. 5. Insidere in equo. Ovid. 2. Art. am. 732. admisso subdere calcar equo. Cic. 2. Divinat. 68. 140. Vehi in equo. Curt. 3. 3. 3. et 7. 7. 6. Vehi equo. Cic. 1. Divinat. 28. 58. Equo advectus ad fluminis ripam. Adde Quintil. 11. 2. 12. Curt. 3. 11. 12. Aliquem vehit equus. Ovid. 8. Met. 373.; et Curt. 3. 3. 22. Vectari equis. Nepos Datam. 4. Equo concitato vehi ad hostem. Ovid. 5. Trist. 7. 14. Ire in equo. Val. Flacc. 6. 328. Ire equis. Cic. Senect. 10. 34. Equo iter ingredi. Sall. Cat. 59. Circum ire equo. girare a cavallo. Val. Flacc. 1. 147. Fugere equo. Cic. Dejot. 10. 28. Optime uti equo. saper cavalcare. Id. 4. Acad. (2. pr.) 29. 94. Equum sustinere. fermare. Curt. 3. 8. 26. et 7. 9. 10. frenare. por la briglia. Id. 4. 16. 3. refrenare. Id. 1. 15. 28. regere. Petron. Satyr. 134.; et Juvenal. 1. 20. flectere. Flor. 3. 3. 10. Equos quaternos transilire. Curt. 3. 11. 26. mutare. Nepos Pelop. 5.; et Curt. 8. 14. 17. Equum concitare in aliquem. Curt. 7. 4. 35. agere in hostem. spronare, spingere. Cic. 2. Nat. D. 2. 6. Castor et Pollux ex equis pugnare visi. combattere a cavallo. quod Propert. dixit 3. 9. 13. ab equo oppugnare. Ovid. 2. Met. 118.; et Virg. 3. G. 114. Jungere equos. mettere sotto al cocchio. Cic. 6. Att. 1. ad fin. Rheda equis juncta. Id. 13. ibid. 52. ad fin. Stare vel esse alicui ad equum est quod nos dicimus alla staffa. — d) Cognomina equorum ultra octoginta habentur in tabula marmorea apud Gruter. 341., item 337. et 338. ubi de ludis circensibus agitur: nomina vero aliquot 6. Theb. Statii, a v. 461. — e) Fuit equus Marti sacer propter usum belli, et quotannis ei Romæ immolabatur mense Octobri. Lacedæmonii eo faciebant Ventis, propter velocitatem: Sallentini Jovi, Rhodii Soli, integram quadrigam in mare jacientes. Festus p. 178. 24. Müll. Sunt qui putant, non quotannis, sed quot lustris Romæ immolari solitum, ex illo Propert. 4. 1. 20. Qualia nunc curto lustra novantur equo. Curtum dicit, quia cauda ejus amputata deferebatur in regiam. Festus ibid.; et Paul. Diac. p. 57. 19. Müll. Aliter tamen Passerat. Propertii locum intelligit. Etiam Persæ Soli sacrificare solebant. Ne detur celeri victima tarda deo, inquit Ovid. 1. Fast. 386. — f) Sejanus equus fuit equus Cn. Seji civis Romani, inusitata magnitudine, omnibusque aliis equorum laudibus præstantissimus adeo, ut ex eorum genere equorum crederetur, quos Hercules occiso Diomede Argos perduxit. Sed equus iste eo fato fuit, ut quisquis possideret eum, is cum omni familia interiret. Primus enim hujus equi dominus a M. Antonio, qui postea triumvir constituendæ reipublicæ fuit, damnatus, miserando affectus est supplicio. Hunc deinde emit Cornelius Dolabella HS. centum millibus, qui et ipse a Cassio victus, in prælio occubuit. Ab hoc ad Cassium victorem equus pervenit, qui ab Antonio victus, sibi manus intulit. Nec multo post Antonius victor, qui equum hunc abstulerat, ab Augusto victus simili mortis genere periit. Hinc ortum est proverbium, ut homines calamitosi Equum Sejanum habere dicerentur. Hæc Gell. 3. 9. — g) Equi donati dentes non inspiciuntur, a caval donato non si guarda in bocca, proverb. illud apud Hieronym. proœm. epist. ad Ephes.

II.) Improprie. ¶ 1. Equus — a) Ponitur pro equitatu. Nam mereri equo (vel equis apud Liv. 5. 7.) est equo belli stipendia facere, essere soldato di cavalleria. Ovid. 3. Fast. 130.; Cic. 1. Phil. 8. 20.; Liv. 27. 11.; et Sueton. Gramm. 9. — Sic rescribere ad equum est inter equites rescribere, arrolare fra' soldati di cavalleria, Cæs. 1. B. G. 42. extr. — b) Hinc etiam equi viri vel equi virique sunt equitatus ac peditatus. Sall. Jug. 49. Nam inter virgulta equi Numidæque consederant. V. EQUES sub B. 2. Id. ibid. 51. Arma tela, equi viri (h. e. equites pedites), hostes atque cives permixti. Liv. 5. 37. Equis virisque longe ac late fuso agmine immensum obtinentes loci. Id. 22. 52. Præter equos virosque, et si quid argenti, omnis cetera præda diripienda data est. Id. 26. 4. Quibus plurimis in equos virosque conjectis permultos vulneraverunt. Adde eumd. 21. 27., 31. 42., 35. 11. et 38. 19.; et Curt. 3. 3. 26. et 4. 13. 1.; et Nepot. Amilc. 4. — c) Hinc translate equis virisque vel interdum equis viris significat omni contentione, omni conatu agere, tentare omnia: simile est apud nos colle mani e co' piedi. Flor. 2. 7. 8. Quatiebat omnia equis virisque. Cic. 8. Phil. 7. 21. Fore, ut omnes inflammati odio, excitati dolore, armis, equis, viris D. Bruto subveniremus. Id. 3. Off. 33. 116. Cum his, viris equisque, ut dicitur, si honestatem tueri sententia est, decertandum est. Alii leg. velis equisque: quod nos dicimus per mare e per terra. Id. 9. Fam. 7. Dubitandum non est, quin equis viris. Alii hic quoque equis velis. — Huc pertinet illud ejusdem Cic. 2. ad Q. fr. 15. Cursu corrigam tarditatem tum equis, tum vero quadrigis poeticis. h. e. tum prosa oratione, tum carminibus; et juxta recentiores metaphora hoc in loco sumpta est ab equis circensibus. ¶ 2. Quoniam ii, qui ad equestrem ordinem pertinebant, equum publicum a censoribus accipiebant (V. EQUES sub C.), equus interdum pro equestri ordine ponitur. Apul. 8. Met. init. Vir equo clarus. h. e. equestri genere natus. Forcellinus ita cum aliis legebat: sed Elmenhorst. et codicum auctoritate fretus et hac singulari prorsus dicendi ratione commotus, legit loco clarus. Quod etiam ex eo confirmatur, quod senatores quoque equum publicum habebant, ut patet ex Liv. 29. 37. V. Cavedoni, Sagg. sulle medagl. p. 43. ¶ 3. Notus est equus Trojanus (V. et infra sub 9.), in quo abditi viri, et in urbem recepti, noctu Græcis portas aperuerint, ut est apud Virg. 2. Æn. 259., Plaut. Bacch. 4. 9. 12., Horat. 4. Od. 6. 13., Justin. 20. 2. 1., Ammian. 16. 10. med., et Hygin. fab. 108. Hinc proverbiali locutione dicitur equus Trojanus de occulta conjuratione et latente pernicie. Cic. Mur. 37. 78. Intus, intus, inquam, est equus Trojanus: a quo numquam, me consule, dormientes opprimemini. — Etiam fabula a Livio Andronico scripta, cui titulus Equus Trojanus, memoratur a Cic. 7. Fam. 1. 2. ¶ 4. Equus Hectoreus translate vocatur ipse Hector, quum rem haberet cum uxore sua Andromacha illo Venerio schemate, quod et Venus pendula dicitur ab Apul. 2. Met., quodque Petron. Satyr. 140. satis petulanter describit. Ovid. 3. Art. am. 775. numquam Thebais Hectoreo nupta resedit equo. Martial. 11. 104. Hectoreo quoties sederat uxor equo. V. PENDULUS; adde Horat. 2. Sat. 7. 50. et Petron. Satyr. 24., ubi equus generatim eodem sensu occurrit; et cf. Asclepiad. in Epigr. anal. Br. T. 1. p. 217. ¶ 5. Equi alati poetice finguntur venti. Catull. 66. 52. quum se Memnonis Æthiopis Unigena, impellens nutantibus aera pennis, Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus. Val. Flacc. 1. 610. fundunt se carcere læti Thraces equi, Zephirusque, et nocti concolor alas Nimborum cum prole Notus. — Huc referri potest et illud Justin. 44. 3. 1. In Lusitanis, juxta fluvium Tagum, vento equas fetus concipere multi auctores prodidere: quæ fabulæ ex equarum fecunditate et gregum multitudine natæ sunt: qui tanti in Gallæcis et Lusitania, ac tam per-

nicos visuntur, ut non immerito vento ipso concepti videantur. ¶ 6. *Equus ligneus* est navis apud *Plaut. Rud.* 1. 5. 10. Nempe equo ligneo per vias cæruleas estis vectæ. Hinc *aurigam* vocant gubernatorem navis *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 118. at *vet. Poeta* apud *Charis.* 4. p. 243. *Putsch.*, et *habenas* classi tribuit *Virg.* 6. *Æn.* 1. *Homerus* quoque naves ἁλὸς ἵππους, *equos maris* esse hominibus dixit *Odyss.* 4. v. 708. ¶ 7. *Equi bipedes* sunt marini, qui priores pedes habere finguntur, et pro posterioribus caudam piscis. *Virg.* 4. *G.* 389. et in *Pervigil. Vener.* 10. *V.* HIPPOCAMPUS. ¶ 8. *Equus fluviatilis* apud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 30. (73). est hippopotamus. ¶ 9. Est hoc nomine etiam machina bellica, postea *aries* appellata, ad muros urbium quatiendos: quam primus invenisse dicitur Epeus in obsidione Trojæ, ut *Plin.* 7. *Hist. nat. c.* 56. tradit: cujus machinæ ferramenta Metapontinos ab Epeo conditos, olim in templo Minervæ ostentasse, auctor est *Justin.* 20. 2. Hinc *Propert.* 3. 1. 25. Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces? — Hinc fortasse data occasio aliis equum ligneum Trojanum comminiscendi, de quo *V.* supra sub 3. ¶ 10. In cœlo est sidus hoc nomine, decem et octo, vel viginti stellis constans, inter Tropicum Cancri et Arcticum circulum, Aquarii manum dexteram cervice sua conjungens. Hunc fabulantur esse Pegasum Neptuni et Medusæ filium, qui in Helicone fontem ungula aperuit, et Bellerophontem per aera vexit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 43. 111. et 44. 112.; *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 65. (237).; et *Hygin.* 2. *Astron.* 18. et 3. *ibid.* 17. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 31. Duodecimo Cal. April. Equus mane occidit.

ER

ER, syllabica adjectio. *Grammat. incert.* edente *Eichenf.* p. 164. Latini peculiariter infinitis in i exeuntibus addunt *er* syllabam, ut i, quod longum fuerat, breve efficiant, ut *accingier ense.* — Ceterum de terminatione nominum in *er* plurima habet *Capell.* 3. p. 76.

ER, ēris, m. 3. χήρ. Scribitur et *heres*; aspirata enim Latini usi sunt aliquando pro Græca littera X, aliquando etiam eamdem omiserunt. — *Forcellino* casus rectus est *eres.* — Ceterum er est ericius, sive erinaceus. *Nemes. Cyneget.* 57. Implicitumque sinu spinosi corporis erem Ferre domum. *Plaut. Capt.* 1. 2. 81. I modo, venare leporem, nunc erem tenes. *Al. aliter leg.* Sic *Id. Men.* 3. 2. 28. cui ego æque ac eres hæream. *Alii melius leg.* heres eram. *Id. Truc.* 2. 2. 23. Cumque eri noctem in stramentis pernoctare (*mavelim*) perpetem, quam tuas (*mulier*) centum cœnatas noctes mihi dono dari. Ita *Bothe* leg.; alii *cumque eo*, scilicet bove.

ERA, æ, f. 1. *V.* HERA.

ĒRĀDĪCĀTĬO, ōnis, f. 3. evulsio a radice. Occurrit translate tantum apud *Tertull. Resurr. carn.* 27. *extr.* Post antichristi eradicationem agitabitur resurrectio.

ĒRĀDĪCĀTUS *vel* exradicatus, a, um. *V.* ERADICO.

ĒRĀDĪCĬTUS *vel* exradicitus, adverb. ῥιζόθεν, vim majorem videtur habere, quam *radicitus.* *Plaut. Most.* 5. 1. 62. Male facta reperire non radicitus quidem, verum etiam eradicitus. — Figurate de eloquentia usurpat *Fronto de oration.* (edente *A. Maio*) *Ep.* 1. Confusam enim eloquentiam subvertendam censeo radicitus, immo vero, Plautino irato verbo, exradicitus. Inde patet etiam apud *Plaut. loc. cit.* scribendum *exradicitus*, non *eradicitus.*

ĒRĀDĪCO (*et in nonnullis Codic.* exradico), as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* radix). *Eradicarier* paragoge pro *eradicari* apud *Plaut. Aulul.* 2. 4. 21. — Part. *Eradicatus* I. et II. 1. — Eradico est una cum radice evello (It. *eradicare, estirpare*; Fr. *déraciner, extirper*; Hisp. *desarraigar, extirpar*; Germ. *ausrotten, ausreissen*; Angl. *to pull up by the roots, eradicate, extirpate*).

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 27. 2. Quæ sunt ex terra enata, priusquam ex iis quid seminis cadat, ut sint exradicata.

II.) Improprie. ¶ 1. Metaphorice ponitur pro omnino evellere. *Plaut. Epid.* 3. 3. 52. Quum militabam, pugnis memorandis meis eradicabam hominum aures, quando occœperam. ¶ 2. Translate est funditus perdere. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 6. Perditus sum, atque etiam eradicatus sum, omnibus exemplis crucior. *Id. Aulul.* 2. 4. 21. Clamat suam rem periisse, seque eradicarier. Adde *eumd. Merc.* 4. 4. 35. et *Truc.* 3. 1. 15. *Ter. Heaut.* 3. 3. 28. Dii te eradicent. *h. e.* perdant funditus. Adde *eumd. Andr.* 4. 4. 22.

ĒRĀDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (ex *et* rado). Part. *Erasus* I. et II.; *Eradendus* II. — Erado est radendo aufero, amputo, seco, cædo (It. *radere, levar via radendo*; Fr. *enlever ou effacer en raclant, racler*; Hisp. *raer, raspar*; Germ. *abschaben, scheren, bestreichen*; Angl. *to scrape off, scrape away*).

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 136. *Müll.* Rastris eradunt terram. *Colum.* 4. *R. R.* 246. Eradere muscum. *Paul.* 1. *Sentent.* 21. 8. inscriptos titulos. *Plin. Paneg.* 25. In locum erasorum subditi fuerant. *h. e.* eorum, quorum nomina e publicis tabulis erasa fuerant. *Capitolin. Maximin.* 26. Maximini nomen olim (*monumentis publicis*) erasum, nunc animis eradendum. *Id. ibid. mox.* Eraso nomine Maximinorum. *Cf. Tac.* 4. *Ann.* 42. Merulam senatorio albo erasit. *Colum. Arbor.* 9. Malleolum scindito, medullamque omnem eradito. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (162). Erasa medulla. *Id.* 24. *ibid.* 7. 26. (41). Zopissam eradere navibus. Adde *Sueton. Claud.* 16. *et Domit.* 8. et 23. *Propert.* 4. 8. 26. Erasæ genæ.

II.) Translate est expungere, delere: ad rem *Seneca Ep.* 91. Nobilium civitatum vestigia quoque tempus eradet. — Ceterum de abstractis. *Horat.* 3. *Od.* 24. 51. Eradenda elementa pravi cupidinis. *Ovid.* 4. *Trist.* 9. 5. Fac modo te damnes, cupiasque eradere vitæ Tempora. *Seneca Ep.* 11. Eradere vitia. *Id. Thyest.* 519. Ponatur omnis ira et ex animo tumor erasus abeat. *Phædr.* 3. *prol.* 21. Curamque habendi penitus corde eradere.

ĒRĀNISTA, æ, m. 1. ἐρανιστής, curator erani: *V.* ERANUS. Hac appellatione milites tantum apud Latinos præditi fuisse inveniuntur. *Inscript.* apud *Gud.* 146. 5. L. AELIVS AVG. LIB. CYNIPS ERANISTA ET PROCVRATOR MILITum EMERITORUM. *Alia* apud *Gruter.* 541. 11. T. FLAVIO IVCVNDO ERANISTÆ LEG. XXX. VLPIÆ. Adde alias apud *eumd.* 528. 1. et 548. 5., et apud *Murat.* 782. 7. et 785. 2. *Orellius* ad *Inscript.* 3474. de inscriptionibus modo allatis agens, ait: «Rejiciendi omnino sunt, quos agnoscunt *Reinesius* p. 534. et eo auctore *Fabrett.* p. 232., *Eranistæ Legionum*: etenim marmora, in quibus leguntur vel subditicia sunt, vel misere corrupta, ita *ut* aliter legendum sit».

ĒRANTHĔMIS, idis *vel* is, f. 3. *V.* voc. seq. in fin.

ĒRANTHĔMON, i, n. 2. ἠράνθεμον, herba eadem atque anthemis, flore purpureo: ab ἦρ ver et ἀνθέω *floreo*, quod vere floreat. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 26. (53). Anthemis magnis laudibus celebratur ab Asclepiade. Aliqui leucanthemida vocant, alii leucanthemum, alii eranthemon, quoniam vere floreat. *Et mox* (54). Ex omnibus his generibus ad calculos efficacissima *est*, quæ florem purpureum habet, cujus et foliorum et fruticis amplitudo majuscula est: hanc proprie quidam eranthemon vocant. *Sillig.* priore loco legit *eranthemida*; altero *eranthemim.* De synonymia *V.* ANTHEMIS.

ĒRĂNUS, i, m. 2. ἔρανος, ab ἐράω *amo*, Græce significat collectam pecuniam, quam in multis Græcis urbibus institutæ sodalitates adservare solebant, conferentibus ipsis sodalibus, ut si quis eorum egestate premeretur sublevari ea posset: ita tamen, ut si quando ad pristinam rediret fortunam, tantumdem sodalitati restitueret, quantum accepisset. Simile est, quod de Christianis narrat *Tertull. Apolog.* 39., fuisse apud eos veluti sacrum ærarium, in quod singulis mensibus exiguam quisque pecuniam conferret, egenis alendis humandisque, pueris et puellis re ac parentibus destitutis, senibus, infirmis, naufragis, et hujusmodi sublevandis, etc. *Plin.* 10. *Ep.* 93. Datum mihi publice libellum ad eranos pertinentem. *Trajan.* ad *Plin. Ep.* 94. Si legibus istorum concessum est eranos habere. *Cic.* 12. *Att.* 5. quoque habet, sed Græce, pro symbola. De hujusmodi collatione stipis menstruæ militibus permissa consule *Martian. Dig.* 47. 22. 1.

ĒRASTES, æ, m. 1. ἐραστής, amator. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 1. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 10. Numquam tu tamen erastem tuum, me dico, depuleris.

ĒRĀSUS, a, um. *V.* ERADO.

ERCISCO. *V.* HERCISCO.

ERCTUS. *V.* HERCISCO.

ĔRĔBUS, i, m. 2. est ab עֶרֶב *ereb* vesper, hinc Ἔρεβος Græce, et Latine *Erebus* (interdum etiam *Herebus*), filius Demogorgonis et Terræ, vel, ut *Hygin. præfat. Mythol.* docet, Chaus et Caliginis; frater Noctis et Diei, idemque sororis suæ maritus: de quo *V.* plura in ONOM. — Ceterum generatim significat — *a*) Profunditatem Inferorum, et interiores densioresque Tartari tenebras, uti docent *Paul. Diac.* p. 83. 3. *Müll.* et *Servius* ad illud *Virg.* 4. *G.* 471. At cantu commotæ Erebi de sedibus imis etc., et ad 4. *Æn.* 511. Sic *Seneca Œdip.* 160. Rupere Erebi claustra profundi Turba sororum face Tartarea. — *b*) Hinc ponitur universim pro ipsis Inferis. *Ovid.* 5. *Met.* 543. Ingemuit regina Erebi. *Id.* 10. *ibid.* 76. Esse deos Erebi crudeles questus etc. *Val. Flacc.* 2. 120. *de Fama.* Non Erebi, non diva Poli. *Id.* 4. 407. Erebi virgo. h. e. Tisiphone. *Seneca Herc. Œt.* 1369. Rector Erebi. Adde *eumd.* 6. 292. et 3. 410. — Huc pertinet et illud *Ammian.*, ubi agit de terræ motu terrarum partes absorbente, et ait 17. 7. *in fin.* Insulæ Helice et Bura —, ad Erebi profundos hiatus abactæ, æternis tenebris occultantur.

ĒRECTĔ, adverb. sed occurrit tantum Comp. *Erectius* et quidem translate. ¶ 1. Ponitur pro fidenter, audacter, multo cum animo. *Ammian.* 26. 2. Signisque sublatis erectius ire pergebant. ¶ 2. Item pro libere. *Gell.* 7. 3. Commodius erectiusque de his meis verbis existimabit, judiciumque faciet, qui etc. *h. e.* fidentius. *Ammian.* 15. 5. Erectius loqui. *h. e.* liberius. *Id.* 30. 7. reminisci.

ĒRECTĬO, ōnis, f. 3. actus erigendi. *Vitruv.* 10. 5. 8. *Schneid.* Sine tignorum erectionibus.

ĒRECTOR, ōris, m. 3. qui erigit aliquod opus. *Inscript.*, quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CCCLXIV.-CCCLXXV., apud *Fabrett.* p. 629. n. 248., *Visc. Op. var. T.* 2. p. 69., *Cardinali Iscriz. Velit.* p. 44., et *Orell.* 2538. LOL. CYRIVS PRINC. CVR. (*h. e.* princeps curiæ) ET ERITOR (*lege* erector). *Et mox.* LOL. CYRII PRINC. CVR. ET ANTE (*amphitheatri*) ERETORIS (*lege* erectoris) FILIVS.

ĒRECTUS, a, um. *V.* ERIGO.

ĒRĒMĪGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒRĒMĪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* remigo). Part. *Eremigatus.* — Eremigo est remigando et navigando emetior. *Sil. It.* 14. 190. Innatat albus olor, pronoque immobile corpus Dat fluvio, et pedibus tacitas eremigat undas. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 67. 67. (168). Parvo brevius quam *totus*, septentrio eremigatus.

ĒRĒMĪTA, æ, m. 1. ἐρημίτης, qui in eremo habitat. *Sulpic. Sever.* 1. *Dial.* 17. *V.* ANACHORETA. — *Secundam* syllabam perperam corripit *Venant.* 3. *Vit. S. Martin.* 418. Cœtibus in mediis habitans eremita remotus ipse in puppe sedens.

ĒRĒMĪTIS, idis, adject. femin. ἐρημῖτις, quæ est ab eremo. *Sidon.* 9. *Ep.* 3. Palæstra congregationis eremitidis.

ĒRĒMŎDĪCĬUM, ii, n. 2. ἐρημοδίκιον, vadimonium desertum, vel desertio causæ negligentia partium facta, et pœna, quæ pro tali desertione infligitur, ab ἔρημος *desertus* et δίκη *judicium. Ulp. Dig.* 46. 7. 13. Ex eremodicio sententiam pati. *Id.* 4. 4. 7. *extr.* In eremodiciis eis subvenitur. *Imp. Justin. Cod.* 3. 1. 13. *ante med.* Eremodicium contrahere.

ĔRĒMUS, a, um, adject. ἔρημος. Corripuit medium non imitandus *Prudent. Cathemer.* 5. 89., *Psychom.* 371. et *Enchir.* 12. — Eremus est Græca vox adjectiva, desertum, solitarium, solum significans. *Imppp. Gratian.*, *Valent. et Theodos. Cod.* 11. 57. 4. Loca sterilia atque erema, his quæ culta atque opima sunt, compensentur. — Hinc

Eremus, i, m. vel f. gen. absolute, substantivorum more, subaudi *locus* vel *regio.* *Tertull. Idolol.* 5. Moyses in eremo simulacrum serpentis ex ære fecit. Adde *Hieronym. de vita Pauli pr. Erem.* et *Sulpic. Sever.* 1. *Dial.* 15.

ĒRĔPO, rēpis, repsi, reptum, rēpere, 3. (ex *et* repo) usurpatur *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more.

I.) Proprie. ¶ 1. Est rependo exire. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 1. Foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo. *Varro* 3. *R. R.* 15. 1. Tota maceria tectorio intrinsecus incrustatur, ne ex ea (*glis*) erepere possit. *Sil. It.* 15. 614. Erepit, suspensa ferens vestigia, castris. *Stat.* 11. *Theb.* 580. profundis erepsit tenebris. Cf. *Ammian.* 17. 13. Ubi vero (*furor hostilis*) per licentiam scandens in majus, ad funestas provinciarum clades erepsit etc. ¶ 2. Item rependo ascendere. *Sueton. Tib.* 60. Quod is a tergo insulæ per aspera et devia erepsisset ad se. *Ammian.* 27. 10. Erepere in editas sublimitates.

II.) Translate. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 30. Inde per obliquas erepit porticus arces. *h. e.* ascendendo et descendendo extenditur.

B) Active, seu cum Accusativo ¶ 1. Est rependo transire. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 79. Montes quos numquam erepsemus. *h. e.* transissemus, syncope pro erepsissemus. ¶ 2. Item rependo percurrere. *Juvenal.* 6. 524. Inde superbi Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis Erepet genibus. *h. e.* genibus rependo emetietur.

ĒREPTĪCIUS *vel* ereptitius, a, um, adject. qui eripi potest aut solet. *Ulp. Regular.* 19. § 17. Lege nobis acquiritur, velut caducum, vel ereptitium ex lege Papia Poppæa. *Schulting.* ad *h. l.* interpretatur, ereptitium esse, quod indigno aufertur.

ĒREPTĬO, ōnis, f. 3. actus auferendi per vim. *Cic.* 6. *Verr.* 5. 10. Putabant ereptionem esse, non emptionem, quum venditori suo arbitratu vendere non liceret.

ĒREPTO, as, are, n. 1. *frequentat. ab* erepo. Occurrit translate tantum apud *Senec. Ep.* 101. *sub init.* Pecunia circa paupertatem plurimum moræ habet, dum ex illa erepiat. *h. e.* exit, expeditur.

ĒREPTOR, ōris, m. 3. qui eripit. *Cic. Quinct.* 8. 30. Iste, homo acerrimus, bonorum possessor, expulsor, ereptor. *Id. Dom.* 30. 81. Ereptor civitatis. *Id. Sext.* 51. 109. Ereptor libertatis. *Tac.* 13. *Ann.* 55. Terrarum ereptores.

ĒREPTUS, a, um. *V.* ERIPIO.

ĒRES, is. *V.* ER.

ĒRĔTRĬA, æ, f. 1. (*vel rectius* eretrius, a, um, adject.) genus coloris nativi, nomen habens a loco, ubi nascitur, nempe circa Eretriam Eubœæ. Est autem terra alba et cinerea. *Vitruv.* 7. 14. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 21. (38). — Habet et in medicina varios usus. *Cels.* 5. 15. et 6. 3., ubi *terram Eretriam* vocat, et *Plin. loc. cit.* qui *ibid.* et 33. *Hist. nat.* 13. 57. (163). *Eretriam cretam* appellat.

ĒRĔTRĬUS, a, um, adject. *V.* voc. præced.

ERGA, præpos. quæ Accusativum regit, et ratione etymi plerisque conjungenda videtur cum v. *vergo*; significat autem *ἀντίον*, e regione, versus (It. *verso, di rimpetto, in faccia*; Fr. *vis-à-vis, en face*; Hisp. *enfrente, frente por frente*; Germ. *hingewandt, daher gegen*; Angl. *over against*).

I.) Proprie. *Plaut. Truc.* 2. 4. 52. Tonstricem Suram novisti nostram, quæ med erga ædes habet? *d* illud est additum τῷ me ad vitandum hiatum et elisionem vocalium: *V.* in littera D. Ceterum *Forcellinus* leg. *quæ modo erga ædes habet*; alii *quæ erga ædes sese habet*: minus recte. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Sed et machinamenta, quibus sensus instructi sunt, ibidem erga regiam capitis constituta esse, in conspectu Rationis. *Forcellinus* interpretatur *prope* vel *circa*.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur de animi affectu tum in bonam, tum in malam partem. — 1.°) In bonam partem significat propensum voluntatem, studium, merita: et refertur — *a*) Sæpissime ad personas: et — Fere semper suo casui præponitur. *Plaut. Capt.* 2. 2. 99. Meo periculo hujus ego experiar fidem, fretus ingenio ejus, quod me esse scit erga se benevolum. *Id. Rud.* 5. 3. 33. Quando ergo erga te benignus fui, atque operâ mea hæc tibi sunt servata. Adde *eumd. Mil. glor.* 4. 6. 15. *Id. Capt.* 2. 3. 47. Ut fueris animatus erga suum gnatum atque se. *Id. Cist.* 1. 1. 111. Utut erga me est meritus, mihi cordi est tamen. *Cic. ad Planc. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Tua voluntas erga me, meaque erga te, par atque mutua. Cf. *Cæs.* 1. *B. C.* 12. Certior factus — omnium esse Iguvinorum optimam erga se voluntatem. Rursus *Cic. Amic.* 16. 56. Ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmetipsos. Adde *eumd.* 1. *Fin.* 20. 68. *Id.* 1. *Off.* 15. 47. Habere benevolentiam erga aliquem. *Id.* 2. *Orat.* 49. 201. Ut in meis moribus erga meos necessarios declarandis mansuetissimus viderer. *Id.* 2. *Nat. D.* 23. 60. Id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrantur. *Nepos Lysand.* 2. Quod ea civitas præcipua fide fuerat erga Atheniensen. Sic *Cæs.* 5. *B. G.* 44. Perpetua erga populum Romanum fide. *Curt.* 9. 6. 17. Nullum erga me benevolentiæ pignus. *Juvenal.* 6. 387. Quid faceret plus Ægrotante viro? medicis quid tristibus erga Filiolum? — Postponitur interdum suo casui. *Plaut. Capt.* 2. 3. 56. Si ego item memorem quæ me erga multa fecisti bene. *Id. ibid.* 2. 1. 48. Per mei te erga bonitatem patris. Sic *Ter. Heaut.* 2. 3. 24. Est animus te erga idem ac fuit. *Id. ibid.* 1. 2. 15. Timet omnia, patris iram, et animum amicæ, se erga ut sit suæ. *Plaut. Trin.* 5. 2. 4. Si quid amicum erga bene feci, aut consului fideliter. — *b*) Ad res quoque refertur. *Tac.* 4. *Ann.* 20. Ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. *Cic.* 8. *Att.* 3. Merita Pompeji summa erga salutem meam. Sic *Id. Prov. cons.* 1. 1. Vir quum in universam rempublicam, tum etiam erga meam salutem, fide ac benevolentia singulari. Cf. *Id. Dom.* 56. 142. Omne erga meam dignitatem studium et judicium. — 2.°) In malam partem ponitur pro adversus. *Plaut. Epid.* 3. 3. 8. Quasi quid filius meus deliquisset med erga. Adde *eumd. Asin.* 1. 1. 5. et *Cas.* 3. 4. 27. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 36. Quæ numquam quidquam erga me commerita est, quod nollem. *Nepos Datam.* 10. Odio communi, quod erga regem susceperant. *Id. Alcib.* 4. Crudelitas erga nobiles. Adde *eumd. Hamilc.* 4. et *Hann.* 1. et 10. *Tac.* 4. *Hist.* 49. Nec ambigitur provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse. ¶ 2. Apud argenteæ ætatis et sequioris ævi scriptores usurpatur etiam generatim de quocumque animi motu, vel de quacumque animi ratione cum personis, rebus et actionibus. *Curt.* 10. 1. 40. Raro quisquam erga bona sua satis cautus est. *Tac.* 4. *Ann.* 74. Anxii erga Sejanum. *Id.* 3. *ibid.* 74.; et *Plin. Paneg.* 55. Prisco erga duces honore. *Tac.* 2. *Hist.* 55. Additæ erga Germanicum exercitum laudes gratesque. *Id.* 2. *Ann.* 71. Etiam quos invidia erga viventem movebat. *Id. ibid.* 76. Discordia erga Germanicum odio fortasse digna, non pœna. *Id. ibid.* 2. Quoties per urbes incederet, lecticæ gestamine fastuque erga patrias epulas. *Id.* 1. *Hist.* 20. Iisdem erga aliena sumptibus, quibus sua prodegerant. *Id.* 3. *Ann.* 2. Addito, ut magistratus Calabriæ — suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur. *Id.* 4. *ibid.* 11. Atrociore semper fama erga dominantium exitus. *Ammian.* 16. 10. *extr.* Imperator de fama querebatur, ut invalida et maligna, quod, augens omnia semper in majus, erga hæc explicanda quæ Romæ sunt obsolescit. *Id.* 31. 14. Erga deferendas potestates nimium tardus. *Id.* 26. 8. Erga alliciendas quasdam civitates — commoratus.

ERGĂNA, æ, f. 1. ἐργάνη, opifex (ab ἔργον *opus*): sic appellatur Minerva in *Inscript.*, quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 154., apud *Reland. Fast. cons.* p. 19. MINERVAE ERGANAE SACRVM QVINQVENNALITATES CORPORVM DENDROPHORI, TIGNARII etc.

ERGASTĒRĬUM, ii, n. 2. ἐργαστήριον. ¶ 1. Est officina, in qua artifices operantur: ab ἐργάζομαι *operor*. *Imp. Constantin. Cod.* 1. 3. 2. Quod ex eorumdem ergasteriis, vel tabernis conquiri potuerit. Adde *Impp. Arcad. et Honor. ibid.* 12. 41. 2. ¶ 2. Significat etiam quodlibet opus, ut comicorum. *Diomed.* 3. *p.* 489. *Putsch.* Pantomimus et pithaules et choraules in comœdia canebant. Sed quia non poterant omnia simul apud omnes artifices pariter excellere, si qui erant inter actores comœdiarum pro facultate et arte potiores, principatum sibi artificii vindicabant. Sic factum est, ut, nolentibus cedere nimis in artificio suo ceteris, separatio fieret reliquorum. Nam dum potiores inferioribus, qui in omni ergasterio erant, servire dedignabantur, seipsos a comœdia separaverunt; ac sic factum est, ut, exemplo semel sumpto, unusquisque artis suæ rem exsequi cœperit. ¶ 3. Est etiam fabrile quodlibet instrumentum, quo statuas seu signa virorum deorumque fulciri solent, ne temporis vetustate, aut hominum injuria corruant. *Inscript.* in *Annal. dell' Instit. archeol. T.* 6. *p.* 111., quæ est apud *Henzen.* 5138. 5139. PRO SALVTE ORDINIS ET POPVLI SIGNA SERAPIS ET ISIDIS CVM ERGASTERIIS SVIS PECVNIA FECIT, scilicet *cum parergis suis*, ut legitur in alia *Inscript.* in PARERGON: vel *cum basi et hypobasi*, ut in alia in HYPOBASIS.

ERGASTĬCUS, a, um, adject. ἐργαστικός, operarius. *Capell.* 6. *p.* 231. Alia schemata dicuntur ergastica, alia apodictica: ergastica sunt, quæ faciendæ cujuslibet formæ præcepta continent; apodictica, quæ probandi, quod asseverant, afferunt documenta.

ERGASTŬLĀRIS, e, adject. ad ergastulum pertinens. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. *in conc. a med.* In tenebris ergastularibus constitutus.

ERGASTŬLĀRĬUS, a, um, adject. ad ergastulum pertinens, et præcipue præfectus compeditis ad eorum custodiam et ad opera exigenda. *Ammian.* 14. *sub fin.* Eunus quidam ergastularius servus ductavit in Sicilia fugitivos. — Hinc

Ergastularii, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, apud *Colum.* 1. *R. R.* 8. 17. sunt servi soluti, qui compeditis in ergastulo præsunt.

ERGASTŬLUM, i, n. 2. ἐργαστήριον, carcer rusticus, locus scil. in agris, ubi servi ad faciendum opus vincti detinebantur: ab ἐργάζομαι *operor*. *Apul. de Mag.* Quindecim liberi homines, populus est; totidem servi, familia; totidem vincti, ergastulum.

I.) Proprie. *Cic. Cluent.* 7. 21. Esse in ergastulo apud aliquem. *Id. Rabir. perduell.* 7. 20. Etiam ille ex compedibus atque ergastulo Gracchus. *Liv.* 2. 23. Ducere aliquem in ergastulum et carnificinam. *Id.* 7. 4. Dare quempiam in carcerem atque in ergastulum. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 3. Ergastulum subterraneum. *Flor.* 3. 19. 6. Ergastulum refringere. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 8. 16. et 11. *ibid.* 1. 22.; *Curt.* 5. 5. 13.; *Sueton. Aug.* 32. et *Tib.* 8.; et *Justin.* 1. 6. 2.

II.) Improprie, per metonymiam *ergastula* in plur. num. ponuntur pro ipsis servis, qui in ergastulo sunt. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. 2. Quacumque iit, ergastula solvit, homines arripuit. *Cæs.* 3. *B. C.* 22. Quos ex ære alieno laborare arbitrabatur, sollicitabat. Apud quos quum perficere nihil posset; quibusdam solutis ergastulis, Cosam in agro Turino oppugnare cœpit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (36). Coli rura ab ergastulis, pessimum est, et quidquid agitur a desperantibus. (Posset hoc et ad sequent. dictionem referri.) *Juvenal.* 14. 24. Quem mire afficiunt inscripta ergastula. Adde *eumd.* 6. 151. et 8. 180.; et *Colum.* 1. *R. R.* 3. 12. *Flor.* 4. 8. 1. Armare ergastula. Adde *eumd.* 3. 19. 3. et 3. 20. 6.

ERGASTŬLUS, i, m. 2. servus, qui ergastulo inclusus, ex vinculis, seu compedibus opus facit. *Lucilius* apud *Non. p.* 447. 7. *Merc.* Ut nemo sententiam libere, quasi ergastulus, possit dicere. *Nonius* interpretatur ergastuli custodem; sed improbat *Lipsius Elector. l.* 2. *c.* 15.

ERGĂTA, æ, m. 1. ἐργάτης, machina tractoria, axe recto ac stante, quæ ambientibus et obnitentibus vectiariis versatur: et exonerandis præcipue navibus, aliisque magnis ponderibus trahendis inservit. *Vitruv.* 10. 4. Alter funis refertur ad ergatam. Adde *eumd.* 1. 1.

ERGATICUS, a, um, adject. ad ergatam pertinens. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 177.

ERGO, ratione habita etymi a recentioribus conjungitur cum v. *vergo*; alii tamen aliter arbitrantur: *V.* infra sub *A.* — De quantitate ultimæ syllabæ *V.* infra sub *A.* et *B.* init. — *Ergo* generatim significat *versus*: speciatim vero *A*) Usurpatur loco Ablativi *gratia*, aut *causa*, et significat *propter*; aut *B*) Est conjunctio, qua unum ex alio inferimus, et significat *igitur, itaque*.

A) *Ergo* usurpatur loco Ablativi *gratia*, aut *causa*, Gr. χάριν διά, et significat *propter*: qua in significatione ultimam habet semper longam, ut affirmat *Paul. Diac. p.* 82. 22. *Müll.*; volunt enim esse ab ἔργῳ, Dativo τοῦ ἔργον *opus, res*, quasi valeat *re vera*. Regit autem Genitivum, et suo casui semper postponitur (It. *per cagione, a titolo, per*; Fr. *par suite de, à cause de, pour*; Hisp. *a causa de, por, para*; Germ. *aus Anlass, Ursache, in Folge, zufolge*; Angl. *on account of, because of, for*). *Legg. XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 23. 59. et 25. 64. MVLIERES GENAS NE RADVNTO, NEVE LESSVM, FVNERIS ERGO, HABENTO. *Vetus formula* apud *Caton. R. R.* 139. SI DEVS, SI DEA ES, QVOIVM ILLVD SACRVM EST, VTI TIBI IVS SIET PORCO PIACVLO FACERE, ILLIVSCE SACRI COERCENDI ERGO. HARVMCE RERVM ERGO

SIVE EGO, SIVE QVIS IVSSV MEO FECERIT, VTI ID RECTE FACTVM SIET. EIVS REI ERGO TE HOC PORCO PIACVLO IMMOLANDO BONAS PRECES PRECOR, VTI etc. Adde *aliam* apud *eumd. ibid.* 41. *Sisenna* apud *Non. p.* 107. 15. *Merc.* Milites, ut lex Calpurnia concesserat, virtutis ergo civitate donari. *Vetus formula* apud *Cic. Opt. gen. orat.* 7. 19. EVM DONARI VIRTVTIS ERGO BENEVOLENTIAEQVE, QVAM ERGA POPVLVM ATHENIENSEM HABERENT. *Cic.* 3. *Att.* 23. 2. Si quid contra alias leges ejus legis ergo factum sit. *Nepos Pausan.* in Inscript. 1. Ejus victoriæ ergo Apollini donum dedisse. *Lucret.* 5. 1245. formidinis ergo. *per paura. Virg.* 6. *Æn.* 670. Illius ergo Venimus et magnos Erebi tranavimus amnes. *Curt.* 7. 5. 30. Proditionis ergo. *Vulgati libri habent* proditis ergo: *at* V. *Mützell.* ad h. l.

B) *Ergo* sæpius absolute occurrit, et est conjunctio, qua unum ex alio inferimus; et significat *igitur, itaque,* Gr. ἄρα, οὖν: qua significatione aliquando, rarius tamen, ultimam habet brevem. *Juvenal.* 13. 201. Reddidit ergo metu, non moribus. *Id.* 14. 64. Ergo miser trepidas etc. Adde *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 87. et V. *Lennep.* ad *Ovid. Heroid.* 5. 59.; *Val. Flacc.* 2. 407.; *Lucan.* 9. 256.; et *Claudian.* 4. *Ep.* 17. (It. *dunque, adunque, perciò;* Fr. *d'après cela, d'après quoi, par conséquent, donc;* Hisp. *par consiguiente, pues;* Germ. *desshalb, daher, darum;* Angl. *therefore*).

I.) Proprie idem est ac propter hanc rem, ob id, per consequentiam, quasi hujus vel ejus rei ergo; et occurrit — *a)* Absolute. *Plaut. Cist.* 1. 1. 74. OV. Perfidiosus est amor. S. Ergo in me peculatum facit. *Lucilius* apud *Cic.* 1. *Fin.* 3. 9. Græcum te, quam Romanum maluisti dici. Græce ergo — te saluto. *Plaut. Amph.* 1. 1. 102. Ergo istuc magis, quia vaniloquus, vapulabis. *Cic.* 2. *Fin.* 11. 34. Polemoni, et jam ante Aristoteli, ea prima visa sunt, quæ paullo ante dixi. Ergo nata est sententia veterum Academicorum et Peripateticorum, ut finem bonorum dicerent, secundum naturam vivere. *Liv.* 1. 27. Albano non plus animi erat, quam fidei. Nec manere ergo, nec transire aperte ausus, sensim ad montes succedit. *Nepos Miltiad.* 7. Accusatus ergo proditionis, quod quum Parum expugnare posset, a rege corruptus, infectis rebus a pugna discessisset. *Id. Themist.* 4. Victus est ergo magis consilio Themistoclis, quam armis Græciæ. Adde *eumd. Alcib.* 6. et 10., *Thrasyb.* 4., *Dion.* 2. et *Ages.* 3. *Curt.* 4. 15. 27. Vates Aristander — militibus in pugnam intentis avem monstravit, haud dubium victoriæ auspicium. Ingens ergo alacritas ac fiducia paullo ante territos accendit ad pugnam. *Id.* 4. 15. 32. Prospectum oculorum nubes pulveris, quæ ad cælum ferebatur, abstulerat. Ergo haud secus quam in tenebris errabant. Adde *eumd.* 5. 4. 27., 8. 10. 30. et alibi; et *Plin. Paneg.* 11., 12. et alibi. — *b)* *Itaque ergo* per pleonasmum junguntur. *Ter. Eun.* 2. 3. 25. Itaque ergo amantur. *Liv.* 1. 25. Imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum. Itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur. *Id.* 3. 31. Invidiæ tamen res ad exercitum fuit. Ea denique tribunis materiam criminandi ad plebem consules præbuit. Itaque ergo, ut magistratu abiere —, dies dicta est. Adde *eumd.* 39. 25. — *c)* Similiter *ergo igitur,* quasi *itaque re vera,* per pleonasmum junguntur. *Plaut. Trin.* 3. 3. 27. Quo pacto ergo igitur? *Liv.* 21. 40. Ergo igitur in hoc certamine is vobis illisque animus, qui victoribus et victis esse solet. *Vulgati tamen libri habent* erit igitur etc. Adde *Apul.* 2., 3., 4., 5., 7. et 9. *Met.* sæpe.

II.) Improprie. ¶ 1. Locum habet in conclusionibus et quidem — *a)* In conclusione syllogistica conjungit consequentiam ex antecedentibus illatam. — Absolute. *Plaut. Epid.* 4. 2. 20. Negat hæc filiam me suam esse; non ergo hæc mater mea est. *Varro* 8. *L. L.* 58. *Müll.* Præterea quum sint ab eadem origine verborum vocabula dissimilia superiorum, quod simul habent casus et tempora, quo vocantur participia; et multa sint contraria etc. —; ab eis verbis tertium quod debet fingi præteriti, in lingua Latina reperiri non potest: non ergo est analogia. Adde *eumd. ibid.* 59., 49. et 47. *Cic. Amic.* 23. 87. Quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? Verum ergo illud est, quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum —: Si quis in cælum ascendisset, naturamque mundi et pulcritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore, quæ jucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset. *Id.* 1. *Invent.* 9. 12. Deliberatio autem, et demonstratio, genera sunt causarum. Nam aut nullum causæ genus est, aut judiciale solum, aut et judiciale et demonstrativum et deliberativum. Nullum dicere causæ esse genus —, amentia est: unum autem judiciale solum esse qui potest, quum deliberatio et demonstratio neque ipsæ similes inter se sint, et ab judiciali genere plurimum dissideant? Relinquitur ergo, ut omnia tria genera sint causarum. *Id.* 2. *Fin.* 9. 27. An potest cupiditas finiri? Tollenda est atque extrahenda radicitus. Quis est enim, in quo sit cupiditas, quin recte cupidus dici possit? Ergo et avarus erit, sed finite: et adulter, verum habebit modum: et luxuriosus eodem modo. *Quintil.* 10. 3. 16. Non ergo semper putemus optimum esse, quod latet. Adde *eumd.* 5. 10. 11., 9. 3. 56. et alibi; et *Plin. Paneg.* 6. et 44. *Liv.* 23. 12. Velim Mago respondeat: — ecquis Latini nominis populus defecerit ad nos? ecquis homo, ex quinque et triginta tribubus, ad Hannibalem transfugerit? Quum utrumque Mago negasset: Hostium quidem ergo, inquit Hanno, adhuc nimis multum superest. *Curt.* 7. 1. 40. Sequitur ergo, ut quia illa propter hanc causam irascitur nobis, tu mitiges matrem, qui iræ ejus nos obtulisti. — Interdum *igitur* et *ergo* sibi invicem respondent. *Cic.* 2. *Nat. D.* 21. 56. Nulla igitur in cælo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest; contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia. — Cælestium ergo admirabilem ordinem incredibilemque constantiam — qui vacare mente putat, is ipse mentis expers habendus est. Sic *Id. Amic.* 14. 51. et 15. 52. Non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est. Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu, nec ratione habent cognitam, disputabunt. Adde *Quintil.* 7. 1. 34. — *b)* *Ergo* locum habet etiam in argumentatione a majori ad minus, quæ fit per interrogationem. *Cic.* 2. *Fin.* 4. 13. Ergo illi intelligunt, quid Epicurus dicat; ego non intelligo? *Id.* 1. *Off.* 31. 114. Ergo histrio hoc videbit in scæna, non videbit sapiens vir in vita? Adde *eumd. Orat.* 51. 171., 1. *Tusc.* 14. 31. et 2. *ibid.* 17. 39.; et V. *Görenz* ad *Cic.* 2. *Fin.* 33. 110. Sic *Curt.* 4. 10. 29. Sed finge, justum intulisse te bellum: cum feminis ergo agere debueras? ¶ 2. *Ergo* sæpissime locum habet in interrogationibus, ac servit eleganter indignationi et conquestioni: quamquam aliquando majorem tantummodo vim interrogationi addit, ut nonnulla exempla inferius allata docent, præcipue sub *b.* — 1°.) Indignationi autem quum servit, occurrit — *a)* Absolute. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 10. PSEVD. Istuc ego jam satis scio. S. Cur ergo, quod scis, me rogas? *Cic.* 2. *Fin.* 35. 117. Ergo in iis adolescentibus bonam spem esse dicemus et magnam indolem, quos suis commodis inservituros, et quidquid ipsis expediat, facturos arbitrabimur? *Liv.* 21. 10. Dedemus ergo Hannibalem? dicet aliquis. *Id.* 2. 40. Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur? *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 17. Ergo me potius in Hispania fuisse tum, quam Formiis, quum tu profectus es ad Pompejum? *Ovid.* 8. *Met.* 494. Ergo impune feret, vivusque et victor et ipso Successu tumidus regnum Calydonis habebit? Adde *eumd.* 9. *ibid.* 182. *Quintil.* 9. 2. 91. Occides ergo? si potero. *Sueton. Ner.* 47. Ergo ego, inquit, nec amicum habeo, nec inimicum? procurritque quasi præcipitaturus se in Tiberim. *Juvenal.* 9. 82. Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nullum, Quod tibi filiolus, vel filia nascitur ex me? Adde *Tac.* 3. *Ann.* 17.; et *Plin. Paneg.* 61. — *b)* Jungitur et aliis particulis interrogandi, præcipue quum majorem tantummodo vim interrogationi addit. — Cum part. *quin,* ut apud *Plaut. Merc.* 3. 3. 21. Quid stamus? quin ergo imus atque obsonium curamus? *Id. Pseud.* 1. 1. 38. Tace, dum tabellas pellego. CA. Ergo quin legis? Adde *eumd. Mil. glor.* 4. 2. 93. et *Asin.* 2. 2. 113. — Cum part. *cur* apud *Quintil.* 9. 4. 7. Cur ergo putent? etc. — Cum part. *nonne* apud *eumd.* 9. 4. 113. Nonne ergo refrigeretur sic calor? — Cum part. *ne* apud *eumd.* 8. 3. 9. Nullusne ergo decor adhibendus est? quis negat? — Cum part. *num* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 23. 74. Num ergo is excæcat nos, aut orbat sensibus, si etc. Adde *Quintil.* 10. 1. 5.; et *Plin. Paneg.* 11. et 73. — *c)* Sæpissime *quid ergo,* quemadmodum apud Græcos τί οὖν, occurrit. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 17. Quid ergo — dubitas colloqui? *Ter. Phorm.* 5. 7. 55. Quid vos, malum! ergo me sic ludificamini? *Cic. Rosc. Am.* 1. 2. Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? Minime. *Id. Mur.* 23. 47. Quid ergo? hæc qui tulit? *Id. Quinct.* 2. 6. Quid ergo est? Primum magnitudo periculi summo timore hominem afficit, etc. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. An, quod ad diem non venerint, de eorum fide constantiaque dubitatis? quid ergo? Romanos in illis ulterioribus munitionibus animi ne causa quotidie exerceri putatis? *Liv.* 2. 28. Correpti consules, quum, quid ergo se facere vellent, percunctarentur, decernunt etc. Adde *Horat.* 2. *Ep.* 1. 206.; et *Quintil.* 12. 1. 33. et 4. 1. 38. — 2°.) Conquestioni quoque inservit. *Sall. Jug.* 14. Numquam ergo familia nostra quieta erit? semperne in sanguine, ferro, fuga versabimur? *Propert.* 3. 21. 1. Ergo tam doctæ nobis periere tabellæ. *Id. ibid.* 5. 1. Ergo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ. *Horat.* 1. *Od.* 24. 5. Ergo Quinctilium perpetuus sopor Urget? *Ovid.* 2. *Amor.* 7. 1. Ergo ego sufficiam reus in nova crimina semper? *Id.* 9. *Met.* 513. Ergo ego quem fueram non rejectura petentem, Ipse petam? Adde *eumd.* 2. *Trist.* 512., 3. *ibid.* 2. 1., 3. *ibid.* 10. 77. et 4. *Pont.* 14. 17. ¶ 3. Post interjectam sententiam longiusculam, *ergo* vicem gerit τοῦ *inquam,* qua ratione etiam *igitur* usurpatur. Hac in re præcesserunt *Plautus* et *Ter.,* qui *ergo* pro *inquam* in simplici repetitione adhibuerunt. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 90. Nam mihi tuus pater, pater tuus ergo hospes Antidamas fuit. *Ter. Andr.* 5. 2. 8. SI. Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negotii est? DA. Mihi ne? SI. Ita. DA. Mihi ne? SI. Tibi ergo. — Ceterum ponitur, ut diximus, post interjectam sententiam longiusculam. *Cic.* 12. *Phil.* 9. 22. Tres viæ sunt ad Mutinam, quo etc. Tres ergo, ut dixi, viæ. *Id.* 15. *Fam.* 10. Quum id accidit, quod mihi *etc.* quum ergo ita accidit, ut etc. *Id.* 1. *Tusc.* 7. 14. Omne pronunciatum (sic enim mihi *etc.*) id ergo est pronunciatum etc. Sic *Ovid.* 1. *Met.* 167. Conciliumque vocat: tenuit mora nulla vocatos. Est via sublimis *etc. et v.* 177. Ergo ubi marmoreo Superi sedere recessu, Celsior ipse loco etc. Adde *eumd. ibid.* 434.; *Cic.* 1. *Tusc.* 2. 4. et 1. *Orat.* 57. 244.; *Horat.* 1. *Ep.* 6. 46.; *Sueton. Cæs.* 6. et 8., *Galb.* 1., *Tib.* 12. et 72. et *Aug.* 29.; *Quintil.* 9. 3. 41.; *Tac.* 1. *Ann.* 36., 14. *ibid.* 3. et 22., *Agric.* 33. et *Dial. de orat.* 32. et 34.; *Juvenal.* 7. 171.; et *Plin. Paneg.* 8.: in quibus *ergo* vel *igitur* eadem ratione usurpantur. ¶ 4. *Ergo* jungitur cum Imperativo, et fere semper præcedentia in unum quodammodo cogit ac concludit. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 57. Dato ergo istum symbolum illi. *Id. Asin.* 2. 4. 83. Sequere ergo. *Id. Merc.* 5. 2. 114. Ergo i modo. *Id. Aulul.* 3. 2. 14. Tace ergo. *Id. Pers.* 2. 2. 57. Dic ergo. *Id. ibid.* 4. 6. 19. Ausculta ergo. *Cæs.* 3. *B. C.* 19. Tum Labienus: Desinite ergo de compositione loqui: nam nobis, nisi Cæsaris capite relato, pax esse nulla potest. — Cum Conjunctivo, qui Imperativi vicem gerit. *Plaut. Cas.* 3. 6. 17. Intro ergo abeant. Sic *Id. Mil. glor.* 3. 3. 69. Abeamus ergo intro, hæc uti meditemur cogitate. Cf. *Cic.* 5. *Fin.* 8. 23. Ergo instituto veterum, quo etiam Stoici utuntur, hinc capiamus exordium. ¶ 5. *Ergo* videtur poni aliquando pro aliis adverbiis vel particulis, quæ hic ex *Forcellino* afferuntur; quamquam et in his ad superiores significationes ususque facile referri potest. — *a)* Interdum ponitur pro merito, *con ragione. Virg.* 5. *Ecl.* 58. Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas, Panaque pastoresque tenet. Ubi *Servius:* Antiqui *ergo* pro *merito* dicebant, sicut hic accipitur. Plautus in Persa (1. 1. 24.). SA. Satin' tu usque valuisti? TO. Haud probe. SA. Ergo edepol palles. Item in Milite (1. 1. 61.). Hiccine Achilles est, inquit, mihi? immo ejus frater, inquam. Innuit illarum altera: Ergo mecastor pulcher. Hæc *Servius:* item *Philargyr.* ad *Virg.* 2. *G.* 393. — *b)* Reperitur et pro *sed, verum,* adversandi vi. *Albinov.* 2. 9. Nec mihi, Mæcenas, tecum fuit usus amici: Lollius hoc ergo conciliavit opus. *et* 113. Redditur arboribus florens revirentibus ætas: Ergo non homini, quod fuit ante, redit. — *c)* Et pro *at, atqui. Plaut. Bacch.* 1. 2. 17. Non hic placet mihi ornatus. PI. Nemo ergo tibi hoc apparavit: mihi paratum est, cui placet. *Id. Cas.* 3. 4. 9. Nempe tute dixeras, tuam arcessituram esse hinc uxorem meam. STA. Ergo arcessivisse ait sese.

— d) Et pro tum, deinde. Propert. 3. 2. 27. Hic erat affixis viridis spelunca lapillis, Pendebantque cavis tympana pumicibus. Ergo Musarum et Sileni patris imago Fictilis, et calami, Pan Tegeæe, tui. — e) Et pro vero, autem. Plaut. Men. 2. 2. 51. Jam ergo hæc madebunt, faxo: nihil morabitur. — f) Videtur et pro sane, certe. Plaut. Amph. 1. 1. 20. Ergo in servitute expetunt multa iniqua. Adde eumd. Asin. 2. 2. 40. Nisi malis his et similibus locis continuandæ tantummodo orationi inservire. Priscian. 18. p. 1170. Putsch. Similiter nam, enim, ergo, non solum causales vel rationales, sed etiam completivæ et confirmativæ inveniuntur, et præpositivæ et subjunctivæ, quomodo ἄν apud Græcos. Id. p. 1192. Similiter nostri frequenter ergo repletivi loco accipiunt. Deinde ponit verba Terentii supra allata ex Andr. 5. 2. 8. Ceste continuat orationem in illo Virg. Cir. 29. Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ. et Grat. Cyneg. 105. Ergo illum primis nemorum dea finxit in annis.

ERGŎLĀBUS, i, m. 2. ἐργολάβος, operarius, qui opus aliquod faciendum conducit, redemptor: ab ἔργον opus et λαμβάνω suscipio. Imp. Zeno Cod. 1. 59. Ædificiorum quoque artifices, vel ergolabi, aliorumque diversorum operum professores etc.

ĔRĪCÆUS, a, um, adject. ex erice factus, ut Ericæum mel dicitur, quod apes colligunt ex floribus erices arboris, serotinum et minus probum. Plin. 11. Hist. nat. 16. 15. (11).

ĔRĪCE, es, f. 1. ἐρείκη, frutex non multum a myrice differens, colore rorismarini, et pæne folio. Adversari serpentibus tradunt. Plin. 24. Hist. nat. 9. 39. (64). et 11. ibid. 16. 15. (11). — Quod ad synonymiam attinet, V. MYRICA, et Cf. Fée (Op. cit. vol. 1. p. 126. et vol. 3. p. 247.).

ĔRĪCIUS, ii, m. 2. Scribitur et hericius. V. et ER. — Ericius est idem atque ex et erinaceus (It. riccio; Fr. hérisson; Hisp. erizo; Germ. d. Igel; Angl. a hedge-hog, urchin).

I.) Proprie. Varro apud Non. p. 49. 10. et 106. 10. Merc. Se circumspexe atque invenisse, quum dormire cœpisset tam glaber, quam Socrates, calvum esse factum ericium e pilis albis cum proboscide. Adde Vulgat. interpr. Esai. 34. 11. et 15., et Sophon. 2. 14.

II.) Improprie est machina militaris, scilicet trabs prominentibus ferreis aculeis munita (ita dicta a similitudine ericii) quæ transversim portæ prætensa aditum præcludebat. Galli nunc cheval de frise vocant. Cæs. 3. B. C. 67. Erat objectus portis ericius. Sall. apud Non. p. 555. 2. Merc. Axe vinctæ trabes per pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum ericii militaris vernia binum pedum. Adde Isid. 12. Orig. 3.

ĔRĪDĂNUS, i, m. 2. Ἠριδανός, vetus est et Græca et fere poetica appellatio Padi, maximi Italiæ fluvii, de quo V. plura in ONOM. — Ceterum est etiam sidus austrinum in cælo, quod fabulantur Eridanum inter astra translatum esse propter multas utilitates, quas affert regionibus circa positis. Alii tamen putant esse oceanum: alii rectius Nilum, qui Eridano major est suisque regionibus longe utilior: præsertim cum non procul ab eo stella sit, quæ Canopos dicitur; quo nomine est insula Aegypti, quæ flumine Nilo alluitur. Hygin. 2. Astron. 32. et Capell. 8. p. 282. Porro hoc sidus incipit ad femora Orionis prope æquatorem, et flexuoso ambitu pectus Ceti alluens, usque ad Hydri caput, non procul ab antarctico circulo, se demittit. Cic. Arat. 389. Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum Cæli, funestum magnis cum viribus amnem, Quem lacrimis mœstæ Phaetontis sæpe sorores Sparserunt, letum mœrenti voce canentes.

ĔRĪGĔRON, ontis, m. 3. ἠριγέρων, Latine senecio, herba est trixaginis specie et mollitia, cauliculis subrubicundis: nascitur et in tegulis et in muris. Nomen hoc ei Græci dederunt, quia vere canescit (ab ἦρ, ἦρος ver et γέρων senex). Caput ejus numerosa dividitur lanugine, qualis est spinæ, inter divisuras exeunte. Hæc Plin. 25. Hist. nat. 13. 106. (167)., qui 22. ibid. 25. 64. (133). in dat. erigeronti dixit. Adde Apul. Herb. 75. Cf. Fée (Op. cit. vol. 3. p. 370.) hanc exhibet synonymiam: Ἠριγέρων Theophr. 6. 8. et Dioscor. 4. 97.; Ἀκανθίς et παππος Callim. teste Plin. loc. cit., Erigeron Ital. et Senecio vel Erigeron Plin. loc. cit. sunt Senecio vulgaris L. Spec. plant. 1216.

ĒRĪGĬDUS, a, um, adject. valde rigidus. Petron. fragm. Satyr. p. 681. edit. 1. Burmann. Erigidus strictis qui regnat in ossibus horror. Id. tamen Burmann. in 2. edit. habet: Frigidus adstrictis. Idem vero et alii receperunt.

ĒRĪGO, rigis, rexi, rectum, rigere, a. 3. (ex et rego). Part. Erigens I. 2.; Erectus I. 1. b. et præcipue in fin.; Erigendus II. 2. — Erigere est in rectum collocare, atque adeo extollere, excitare (It. rizzare, dirizzare, alzare, erigere; Fr. élever, dresser, ériger, lever; Hisp. poner en derecho, enderezar, elevar, alzar y levantar en alto; Germ. in die Höhe richten, aufrichten, erheben, emporrichten, emporheben; Angl. to raise up, set upright, to lift or set up, build up, elevate).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Universim. Cic. 1. Legg. 9. 26. Quum natura ceteros animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad cælique conspectum excitavit. fe' ritto. Sic Id. 5. Fin. 14. 39. Ars agricolarum, quæ arborem circumcidit, amputat, erigit, extollit, adminiculatur. Curt. 7. 3. 17. Rex agmen circumibat pedes, jacentes quosdam erigens, et alios, quum ægre sequerentur, adminiculo corporis sui excipiens. Petron. Satyr. 136. Consurrexi equidem turbatus, anumque non sine visu erexi. Val. Flacc. 3. 330. Illam vix gemino mœrens cum Castore Pollux Erigit hærentem compressaque colla trahentem. Id. 7. 23. Nec minus insomnem lux orta refert amantem, Quam quum languentes levis erigit imber aristas. Sil. It. 7. 288. Erigere membra cubili. Cic. Sext. 31. 68. Res erat et causa nostra eo jam loci, ut erigere oculos et vivere videretur. Quintil. 11. 3. 120. Digito quantum plurimum possunt erecto. Id. 11. 3. 118. Erigere manus ad tectum. Juvenal. 8. 205. nudum ad spectacula vultum Erigit. h. e. extollendo spectatoribus ostentat. Liv. 32. 14. Erigere scalas ad mœnia. Virg. 9. Æn. 240. Erigitur fumus ad sidera. Cf. Ammian. 16. 12. Erigere nubem pulveris. Adde Sil. It. 2. 650. et 13. 158. Lucret. 4. 406. Jamque rubrum tremulis jubar ignibus erigere alte Quum cœptat natura supra extollere montes, etc. Virg. 3. Æn. 421. atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras Erigit alternos et sidera verberat unda. Plin. 10. Hist. nat. 21. 24. (18). Cælumque sola volucrum adspicit crebra, in sublime caudam quoque falcatam erigens. Val. Flacc. 1. 657. Jam placidis ratis exstat aquis, quam gurgite ab imo Et Thetis et magnis Nereus socer erigit ulnis. Juvenal. 12. 91. Cuncta nitent: longos erexit janua ramos. Tac. Agric. 12. Scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras. — b) Erigere se, vel erigi Mediorum apud Græcos more, frequenter occurrit pro extolli. Cic. 5. Fin. 15. 46. Connituntur (pueri) ut sese erigant, et manibus utantur. Cæs. 6. B. G. 27. Neque quietis causa (alces) procumbunt; neque, si quo afflictæ casu conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. Quintil. 2. 3. 8. Statura breves in digitos eriguntur. s'alzano in punta de' piedi. Sic Id. 11. 3. 120. Erigi in ungues. Ovid. 15. Met. 511. Corniger hinc taurus ruptis expellitur undis, Pectoribusque tenus molles erectus in auras etc. Adde eumd. 3. ibid. 43. Cf. Virg. 8. Æn. 22. Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis Sole repercussum — Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras Erigitur summique ferit laquearia tecti. Val. Flacc. 7. 144. illa nova rumpit formidine somnos Erigiturque toro. Id. 8. 367. fundoque iterum violentus ab imo Erigitur. Adde eumd. 6. 747.; et Sil. It. 4. 145., 13. 35. et 16. 327. Sic Id. Sil. It. 2. 668. Squalentemque erecta comam. Al. leg. arrecta. — Et de ipsis locis. Virg. 8. Æn. 416. Insula Sicanium juxta latus Æoliamque Erigitur Liparen fumantibus ardua saxis. Sic Tac. Germ. 46. Quidquid silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. ¶ 2. Speciatim in re militari erigere est super collem, montem, etc. copias in ordinem distribuere. Liv. 9. 31. Ibi paullum laboris fuit, dum in adversum clivum erigitur agmen: ceterum, postquam prima signa planitiem summam ceperunt, sensitque acies æquo se jam institisse loco, etc. Id. 3. 18. Erigere aciem in clivum Capitolinum. Id. 21. 32. Erigentibus in primos agmen clivos apparuerunt imminentes tumulos insidentes montani. Adde eumd. 1. 27. et 10. 26. Tac. 3. Hist. 71. Cito agmine forum et imminentia foro templa prætervecti erigunt aciem per adversum collem usque ad primas Capitolinæ arcis fores. Adde eumd. 4. ibid. 71. et Agric. 36.; et Sil. It. 3. 513. — Hinc figurate Auct. B. Afr. 51. Ab suis castris per medium campum duo brachia (munitionis) instituit duci, et ita erigere, ut ad angulum dextrum sinistrumque ejus oppidi convenirent. Forcellinus hoc loco erigere accepit pro dirigere, It. indirizzare, eumque singulari paragr. distinxit. — Hinc etiam poetice Sil. It. 3. 520. erigere gradum. h. e. ascendere. ¶ 3. Item speciatim de ædificiis, et est fabricando extollere, fabricari. Cæs. 1. B. C. 26. Turres cum ternis tabulatis erigebat. Flor. 3. 2. 6. Saxeas erexere turres. Adde Curt. 4. 2. 23.; et Plin. 2. Ep. 17. Colum. 8. R. R. 15. 3. Ora lacus — opere signino consternuntur, eaque non in gradus oportet erigi, sed paullatim clivo subsidere. essere alzati con iscalinata. Val. Flacc. 8. 234. Ipsa autem invitæ jam Pallados erigit aras, Incipit Idaliæ numen nec spernere divæ. Juvenal. 1. 94. Erigere villas. Tac. 5. Hist. 22. Castra, quæ hiematuris legionibus erigebantur. Id. Germ. 27. Sepulcrum cæspes erigit. Id. 15. Ann. 6. Raptim erectis tuguriis. Ammian. 27. 3. Ædificia nova erigere.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate erigere est animi attentionem, aut actionem in aliquid dirigere, intendere, excitare, acuere: ad rem Cic. Cæl. 12. 29. Erigere et emittere aculeos severitatis in aliquem. indirizzare. — Sic erigere aures est attente audire: ductum ab iis animalibus, quæ auriculas habent mobiles. Cic. 3. Verr. 10. 28. Quo tempore igitur aures judex erigeret animumque attenderet? Id. Sull. 11. 33. Erigite mentes auresque vestras, et me de insidiosis rebus dicentem attendite. — Similiter erigere animum, vel erigi, est se ad audiendum parare. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 4. 10. Quum ita esset exorsus, ad audiendum animos ereximus. Id. Orat. 35. 122. In quo aut concilietur auditor, aut erigatur, aut paret se ad discendum. V. infra Erectus sub II. 2. — Similiter Liv. 37. 1. Quum res — relata exspectatione certaminis senatum erexisset, P. Scipio Africanus dixit etc. Val. Flacc. 3. 631. tali mentem pars maxima flatu Erigit, et vana gliscunt præcordia lingua. Cic. 4. Herenn. 2. 2. Auctoritas antiquorum erigit omnium cupiditates et acuit industriam, quum spes injecta est, posse imitando Gracchi aut Crassi consequi facultatem. risveglia. Plin. 8. Ep. 3. Erigere exspectationem alicujus. Id. Paneg. 70. Accensa est juventus, erexitque animos ad æmulandum quod laudari videbat. Tac. 5. Hist. 15. Ejus prælii eventus utrumque ducem, diversis animi motibus, ad maturandum summæ rei discrimen erexit. Stat. 7. Theb. 670. Qualis ubi primam leo mane cubilibus atris Erexit rabiem. Sic Sil. It. 4. 280. Erigere iras. h. e. accendere, excitare. Ammian. 31. 7. Et Romani quidem, voce undique Martia concinentes, — vires validas erigebant. — Hinc etiam erigere se apud Cic. 2. Orat. 12. 54. Paullulum se erexit, et addidit historiæ majorem sonum vocis vir optimus, Crassi familiaris, Antipater. Ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt. Cf. eumd. Planc. 13. 33. Ubi illa antiqua libertas, quæ malis oppressa civilibus, extollere jam caput, et aliquando recreata se erigere debebat? ¶ 2. Transfertur etiam ad ea omnia, quæ figurate jacentia, vel debilitata, vel labantia, extolluntur et confirmantur: ad rem Cic. 2. Orat. 44. extr. Oratio non modo inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem capere potest. Orellius vero alique legunt excipere. — a) Generatim. Pompejus ad Domit. apud Cic. 8. Att. 12. c. sub fin. Possumus etiam nunc rempublicam erigere, si communi consilio negotium administrabimus. mettere in piedi. Sic Liv. 6. 2. Nec diu licuit quietis consilia erigendæ ex tam gravi casu reipublicæ secum agitare. et Gell. 1. 11. ad fin. Orationem aut jacentem erigere, aut ferocientem cohibere. — b) Speciatim erigere est animum addere, recreare, rinfrancare, incoraggiare, inanimire; et occurrit — Cum Accusativo animum, spem, etc., vel cum Accusativo personæ. Cic. Cluent. 70. 200. Spe vestræ æquitatis erigere animum, et paullum respirare a metu (Cluentius) cœpit. rinfrancarsi, incoraggiarsi. Sic Id. ibid. 21. 58. Erigebat animum, jam demissum et oppressum, Oppianicus. Cf. Flor. 1. 2. 81. Hoc aut ipse credidit, aut dux callidus arripuit in occasionem: et quasi in fugientem invectus, simul et suorum erexit animos et hostes perculit. Curt. 4. 7. 1. Ad spem adventus ejus erexerant animos. Id. 10. 6. 20. At Meleager —

confirmato animo, quem Perdiccæ cunctatio erexerat, etc. *Cic.* 5. *Verr.* 91. 212. Provinciam afflictam et perditam erigere atque recreare. *Nepos Themist.* 1. Quæ contumelia non fregit eum, sed erexit. *Curt.* 4. 16. 5. Vera dicere videbatur, et spes languentes quoque erexerat. *Id.* 4. 10. 7. Edita in vulgus Ægyptiorum responsa rursus ad spem et fiduciam erexere torpentes. *Id.* 8. 13. 16. Ea pugna multum fiduciam Pori erexerat. *Tac.* 1. *Hist.* 4. Erigere aliquem in spem. *Cic. Dom.* 10. 25. Civitatem fractam malis, mutam, debilitatam, abjectam metu ad aliquam spem libertatis et pristinæ dignitatis erexit. *Justin.* 5. 5. 1. Qui Lacedæmonios auxiliis opibusque ad spem fortunæ prioris erexit. Adde *Flor.* 3. 18. 4. *Liv.* 21. 19. Erigere populos ad cupidinem fortunæ novæ. *Id.* 21. 20. civitatem in exspectationem belli. *Tac.* 2. *Ann.* 25. Sed fama classis amissæ ut Germanos ad spem belli, ita Cæsarem ad coercendum erexit. *Sall. Jug.* 25. Suos hortando ad virtutem erigere. *Lucan.* 8. 76. Erigere mentem. *h. e.* bene sperare: cui contrarium est *demittere mentem*, desperare, apud *Virg.* 12. *Æn.* 609., ut *Servius* docet. — *Erigere se* eadem significatione occurrit. *Cic.* 1. ad *Q. fr.* 3. 5. Erige te et confirma. *datti animo.* sis fortis, ut *ibid. in fin.* dicitur. *Id. Dejot.* 14. 38. Erigere se et ab omni sollicitudine abstrahere. *consolarsi, inanimirsi.* *Id. Brut.* 3. 12. Post Cannensem illam calamitatem, primum Marcelli ad Nolam prælio populus se Romanus erexit. Similiter *Liv.* 3. 1. Romani se in spem legis (*agrariæ*) erexerant. *Justin.* 11. 1. 2. Alii injusta servitute oppressi, ad spem se libertatis erigebant. — Absolute, seu Mediorum apud Græcos more, *erigi* eodem sensu occurrit. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 57. Nos majus veriti, postquam nihil esse pericli Sensimus, erigimur. *h. e.* animum recipimus, *riprendiamo coraggio.* Sic *Justin.* 22. 6. 1. His quidem adhortationibus animi militum erigebantur. *Id.* 23. 1. 11. Qua victoria erecti. *Sil. It.* 14. 336. Erigi in spes. — c) Pertinet etiam ad eos, qui rebellant, quod erigunt se assurguntque adversus dominos. *Flor.* 2. 12. 1. Dum aliæ aliæque gentes Syriaci belli sequuntur ruinam, Macedonia se rursus erexit. *si sollevò.* *Id. ibid.* 17. 15. Lusitanos Viriatus erexit. *sollevò.* *Id.* 1. 21. 2. Qui libertatem a dominis datam in ipsos erexerant; translataque in se republica dominabantur. *Est qui legendum putet* exercuerunt. *V.* etiam infra *Erectus* sub II. 3. — Hinc Part. præter. pass.

Erectus, a, um, adjective quoque usurpatur; unde Comp. *Erectior* I. et II. 1. 2. et 3.; Sup. *Erectissimus* I. — Erectus

I.) Proprie est rectus, stans, sublatus, *eretto, sollevato, dirizzato, ritto,* ἀνωρθωθείς. — a) Posit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 140. Deus homines humo excitatos, celsos et erectos constituit. Sic *Ovid.* 1. *Met.* 85. Os homini sublime dedit, cœlumque tueri Jussit et erectos ad sidera tollere vultus. *Cic. Orat.* 18. 59. Status erectus et celsus. *Id.* 4. *Herenn.* 55. 68. Sudans, oculis ardentibus, erecto capillo. Sic *Seneca Herc. Œt.* 707. Erectus horret crinis. *Ammian.* 24. 6. Erecta manus. *Tac.* 1. *Hist.* 53. Incessus. *Petron. Satyr.* 132. Erectus in cubitum. *Stat.* 6. *Theb.* 502. Equus erectus in armos. *inalberato.* *Liv.* 8. 7. Equus, prioribus pedibus erectis, excussit equitem. *Ovid.* 3. *Met.* 43. Serpens media plus parte leves erectus in auras. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 9. Erecti pisces. *ibid.* opponuntur prostratis, planis, cubantibus: V. *Jacens* in fin. v. JACEO. *Cic. Senect.* 15. 51. Herbescens viriditas culmo erecta geniculato. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Proræ admodum erectæ. *Sil. It.* 9. 241. Erecti muri. *h. e.* turres elephantis impositæ. *Juvenal.* 11. 89. Erectus ligo. *Id.* 4. 128. sudes. *Id.* 6. 507. planta. *Virg.* 4. *Æn.* 504. Pyra erecta sub auras. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (206). Palmes erectus ad arborem. *Curt.* 8. 11. 6. Petra in metæ modum erecta. *Liv.* 4. 22. Erecta in arcem via. — b) Comp. *Cels.* 7. 16. Resupinandus homo est, coxis erectioribus. *Quintil.* 11. 3. 134. Vultus erectior. *Pallad.* 1. *R. R.* 8. Prætorii situs sit loco aliquatenus erectiore et sicciore. *più alto.* *Claudian. carm. de Apono* 11. Alto colle minor, planis erectior arvis. — c) Sup. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 31. In eo obeliscos quoque duos vides proceritudinis erectissimæ.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de homine, et est altus, sublimis: ad rem *Ammian.* 14. 6. Ejus populus (*Romanus*) ab incunabulis primis adusque pueritiæ tempus extremum – circummurana pertulit bella: deinde – in juvenem erectus et virum, ex omni plaga quam orbis ambit immensus, reportavit lauream triumphos. — a) In bonam partem pro egregio, qui super vulgi multitudinem extollitur. *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 42. Vir celsus et erectus, et ea, quæ homini accidere possunt, omnia parva ducens. *Id. Dejot.* 13. 36. Magno animo et erecto esse, nec unquam succumbere inimicis. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 68. An qui Fortunæ te responsare superbæ Liberum et erectum præsens hortatur et aptat? *Tac.* 2. *Hist.* 48. Post Julios Claudios Servios se primum in familiam novam imperium intulisse. Proinde erecto animo capesseret vitam. Adde *eumd.* 3. *Ann.* 7. et 3. *Hist.* 65. *Id. Agric.* 4. Scilicet sublime et erectum ingenium pulcritudinem ac speciem magnæ excelsæque gloriæ vehementius, quam caute expetebat. — Comp. *Cic.* 1. *Off.* 30. 105. Homo paullo erectior. *h. e.* superior voluptate corporis, neque se facile abjiciens atque prosternens ad turpia et flagitiosa. — Ad eloquentiam transtulit *Quintil.* 11. 1. 31. Neque tam plenum et erectum et audax et præcultum eloquentiæ genus senibus convenit, quam pressum et mite et limatum. — b) In malam partem pro superbo. *Cic. Fontej.* 11. 23. Eos hic sagatos bracatosque versari, animo demisso atque humili: hi contra vagantur læti atque erecti passim toto foro. *pettoruti, baldanzosi, tronfi.* Similiter superbi hominis imaginem ita describit *Id.* 1. *Orat.* 40. 184. Hæc igitur et horum similia jura suæ civitatis ignorantem, erectum et celsum, alacri et prompto ore ac vultu, huc atque illuc intuentem, vagari magna cum caterva toto foro, præsidium clientibus, atque opem amicis, et prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigentem atque tendentem, nonne in primis flagitiosum putandum est? ¶ 2. Dicitur et de mentis attentione et actione, et est intentus, conversus. — a) Pos. *Cic.* 4. *Phil.* 5. 11. Ardentes et erecti ad libertatem recuperandam. *Id.* 5. *Fam.* 12. 5. Cujus studium in legendo non erectum Themistoclis fuga redituque retinetur? *attento.* *Id. Brut.* 54. 200. Videt oscitantem judicem, loquentem cum altero, etc. Idem si prætereiens adspexerit erectos, intuentes judices, etc. *Liv.* 1. 25. Quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum. Itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur. *Id.* 21. 20. Erecti animi in expeditionem belli. *Id.* 3. 47. Quum civitas in foro exspectatione erecta staret. Adde *eumd.* 2. 54. *Quintil.* 1. 3. 10. Mens erecta circa studia. *Tac.* 2. *Hist.* 11. Erecta studia in eum. *Quintil.* 11. 3. 63. In certamine erecta totis viribus et velut omnibus nervis (*vox*) intenditur. *Id.* 11. 3. 175. Erecta et concitata vox. cui ibid. *opponitur* summissa atque contracta. — b) Comp. *Quintil.* 9. 4. 12. Quo essent ad agendum erectiores. ¶ 3. Dicitur etiam de animo, et est fortis, animosus, cui animus additus est. — a) Pos. *Cic. Senect.* 20. 75. Legiones nostras in eum sæpe locum profectas alacri animo et erecto, unde se numquam redituras arbitrarentur. *Petron. Satyr.* 88. Erectus his sermonibus. *consolato, incoraggiato.* *Quintil.* 11. 3. 72. Hoc vultu erecti sumus, hoc summissi. *Justin.* 30. 3. 7. Tota Græcia, spe pristinæ libertatis erecta, bellum ei (*Philippo*) intulit. *Ammian.* 15. 7. Terribili impetu præfectum incessebat ut timidum; sed ille stabilis et erectus etc. *Id.* 17. 6. Alacritate militum vehementer erecta. — b) Comp. *Cic.* 1. *ad Brut.* 10. Erectior senatus erat non sententiis solum nostris, sed etiam cohortationibus excitatus. Adde *eumd.* 4. *Phil.* 1. 2. *Ammian.* 24. 4. Quibus actis pergebat ulterius imperator, placida ope numinis, ut arbitrabatur, erectior. — c) Huc referenda sunt et illa *Justin.* 6. 4. 4. Quæ civitas ex infimis incrementis, virtute Epaminondæ ducis, ad spem imperii Græciæ erecta est. *Id.* 24. 1. 2. Omnes ferme Græciæ civitates – ad spem libertatis erectæ. *Tac.* 2. *Ann.* 71. Cæsar paullisper ad spem erectus, dein fesso corpore, etc. *Id.* 2. *Hist.* 74. Erectus in spem. *Id.* 3. *ibid.* 59. Erectus Samnis Pelignusque et Marsi æmulatione – ad cuncta belli munia acres erant. — d) Erecti dicuntur et qui rebellant: ad rem *Tac.* 2. *Hist.* 8. Multi ad celebritatem nominis erecti rerum novarum cupidine et odio præsentium. *Id.* 14. *Ann.* 57. Longinquos motus quonam modo comprimi posse? Erectas Gallias ad nomen dictatorium, nec minus suspectos Asiæ populos claritudine avi Drusi.

ĒRĬGŎNE, es, f. 1. Ἠριγόνη, filia Icarii, quæ patrem ab ebriis interfectum insepultumque, cane indicante, quum invenisset, adeo doluit, ut suspendio se necaret. Ob quam pietatem in cœlum translata est, factumque sidus, quod *Virginis* appellatur. *Hygin. fab.* 130. et 254.; et *Servius* ad illud *Virg.* 1. *G.* 33. Qua locus Erigonen inter chelasque sequentes Panditur. *V.* VIRGO. A *Colum.* 10. *R. R.* 400. canis Erigones dicitur. *V.* et voc. seq. In ejus feriis oscilla suspendebantur. *V.* OSCILLUM. — *NB.* De alia Erigone, filia Ægisthi. *V.* ONOM.

ĒRĬGŎNĒĬUS, a, um, adject. ad Erigonen sidus pertinens. *Ovid.* 5. *Fast.* 723. Nocte sequente diem Canis Erigoneius exit. *V.* ANTECANIS et voc. præced.

ĒRĬGŬO. *V.* ERIVO.

ĒRĪLIS, e. *V.* HERILIS.

ĒRĪNĀCĔUS *vel* herinaceus, i, m. 2. animal spinis horridum, qui, ubi venatores senserit, contractis ore et pedibus convolvitur in formam pilæ, ne quid præter aculeos comprehendi possit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 37. 56. (133). Præparant hiemi et erinacei cibos, ac volutati super jacentia poma, affixa spinis, unum amplius tenentes ore, portant in cavas arbores. *Plin. Valer.* 1. 6. Cinis herinacei recens cum pice liquida. *Hic perperam* hermatii *scribitur.* Adde *Vulgat. interpr. Psalm.* 103. 18. *V.* ER et ERICIUS.

ĒRĪNĔOS, i, f. 2. ἐρινεός, ἐρινός, herba est palmum alta, cauliculis quinis fere, ocimi similitudine, flore candido, semine nigro, parvo: decerpta manet lacte multo et dulci. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 65. (131). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 201.) hanc exhibet, de qua tamen dubitat, synonymiam: Ἐρινός Nicand. Alexiph. 647. et in Ther. c. 47., et Dioscor. 4. 29., et *Erineon* Plin. loc. cit. sunt *Campanula Rapunculus?* L. *V.* plura ibid. — *NB.* De nomine urbis *V.* ONOM.

ĒRĪNUS, a, um, adject. ἐρινός, ad caprificum pertinens, ut Erinum oleum apud *Plin. Valerian.* 1. 1. et 1. 38.

ĔRĬŎPHŎROS, i, m. 2. ἐριοφόρος: ab ἔριον *lana* et φέρω *fero*: genus bulbi circa ripas amnium nascens, cujus inter summum corticem, eamque partem, qua vescuntur, est lanea natura, ex qua impilia vestesque conficiantur. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 10. (32). et *Theophrast. Hist. plant. l.* 7. *c.* 13. *V.* BULBUS. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 273.) difficillimum esse ait, hoc bulbi genus certe definire.

ĔRĬŎXȲLON, i, n. 2. ἐριόξυλον: ab ἔριον *lana* et ξύλον *lignum*: est Græce genus lanæ, quæ ex quibusdam arboribus colligitur. Videtur esse idem ac gossipium, cotone Italis dictum. *Ulp. Dig.* 32. 70. § 9., ubi tamen Græcis litteris scribitur.

ĔRĬPHĬA, æ, f. 1. ἐριφεία. herba, de qua *V.* locum *Plin.* in AVENA. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

ĒRĬPĬO, ripis, ripui, reptum, ripere, a. 3. (ex et rapio). Part. *Eripiens* I. 1.; *Ereptus* in omnibus paragr.; *Erepturus* II.; *Eripiendus* I. 2. et II. — Eripere, ἐξαρπάζω, est vi subducere, extrahere, per vim tollere, rapere, et, ut ait *Pompon.* apud *Paul. Dig.* 2. 7. 4., de manibus auferre per raptum (It. *sottrarre, strappare con forza, rapire, torre per forza*; Fr. *tirer brusquement hors, faire sortir avec violence, arracher, emporter, retirer*; Hisp. *tirar fuera con fuerza, quitar con violencia, arrancar, llevar*; Germ. *heraus-, aus-, weg-, entreissen, fortreissen, entziehen, herab-herunterreissen*; Angl. *to take away by force, withdraw*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de rebus. — a) Cum Ablativo et præpos. ex. *Plaut. Stich.* 5. 4. 36. Eripe ex ore tibias. *Id. Rud.* 3. 4. 67. Eripere hirundines ex nido. *Liv. Epit.* 19. sacra ex incendio. *Quintil.* 5. 10. 69. Telum ei e manibus ereptum est. *Alii aliter leg.* — b) Cum Ablat. et præpos. ab. *Ovid.* 8. *Met.* 457. Eripere torrem ab igne. — c) Cum Ablat. sine præpos. *Virg.* 4. *Æn.* 579. vaginâque eripit ensem. *Ovid.* 13. *Met.* 344. Verum etiam (*audet Ulysses*) summas arces intrare, suâque Eripere æde deam, raptamque efferre per hostes. *Id.* 15. *ibid.* 136. ereptæ viventi pectore fibræ. *cavate.* *Id.* 3. *ibid.* 71. Eripere hastile tergo. Cf. *eumd.* 15. *ibid.* 844. Constitit alma Venus nulli cernenda: suique Cæsaris eripuit membris, nec in aera solvi Passa recentem animam, cœlestibus intulit astris. — d) Absolute, aut addito Dativo. *Plaut. Pers.* 1. 2. 11. Ire

aliena ereptum bona. Sic *Plin. Paneg.* 35. Eripere pecunias alienas. Similiter *Cic. Quinct.* 11. 39. Pecuniam, sanguinem vitamque hominis propinqui eripere. *et Nepos Epam.* 4. Ne si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat, ad me ereptum pervenisse, quod delatum accipere noluissem. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 7. 19. Id totum eripere vobis atque e manibus extorquere conatus est. *Quintil.* 5. 10. 114. Nec armis erepta nisi armis posse retineri. Rursus *Plaut. Aulul.* 2. 4. 37. Pulmentum pridem eidem eripuit milvus. *Id. Cas.* 3. 5. 7. Eripite isti gladium, quæ sui est impos animi. Sic *Curt.* 9. 7. *ad fin.* Ereptus gladius alicui. *Plaut. Men.* 5. 7. 22.; *Ter. Adelph.* 3. 2. 20.; et *Horat.* 2. *Sat.* 5. 35. Eripere oculum vel oculos alicui. *Ovid.* 2. *Fast.* 608. linguam. *Id.* 4. *Met.* 74. Eripuisse caput collo. *Heins.* legendum putat *execuisse* vel *præsecuisse*. *Val. Flacc.* 6. 619. caput eripit Anchi. *h. e.* eum occidit. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 53. Cuilibet hic fasces dabit, eripietque curule Cui volet importunus ebur. *Cæs.* 3. *B. C.* 111. Quas (naves) si occupassent, classe Cæsari erepta, portum ac mare totum in sua potestate haberent. *Id.* 3. *B. G.* 14. Ut, quum omnis Gallicis navibus spes in velis armamentisque consisteret, his ereptis, omnis usus navium uno tempore eriperetur. *Virg.* 2. *Æn.* 604. Aspice: namque omnem, quæ nunc obducta tuenti Mortales hebetat visus tibi et humida circum Caligat, nubem eripiam. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 91. eripe turpi Colla jugo: liber, liber sum, dic age. *h. e.* subduc, erue. Sic *Ovid.* 2. *Met.* 315. Equi colla jugo eripiunt. Cf. *Val. Flacc.* 4. 271. Pollux sic providus ictus Servat, et Œbalia dubium caput eripit arte. *h. e.* a periculo eruit. *Virg.* 11. *Æn.* 679. pellis erepta juvenco. *h. e.* detracta. Sic *Ovid.* 10. *Met.* 386. erepta vincula collo. Eodem sensu dixit *Liv.* 23. 45. Ereptus ex equo. *h. e.* dereptus, *tirato giù*. *Tac.* 11. *Ann.* 32. Vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur. *h. e.* hortis erepta avehuntur. *Al. tamen leg.* excipiuntur. *Curt.* 4. 3. 18. Tandem remis pertinacius everberatum mare, veluti eripientibus navigia classicis cessit. — *e*) Proverbium est illud apud *Plaut. Pœn.* 3. 5. 31. Lupo agnum eripere postulant. *h. e.* rem vanam tentant. Huc respexisse videtur *Horat. Epod.* 2. 60. Hœdus ereptus lupo. *tolto di bocca.* quamquam apud *Horat.* cogitandus est hœdus a lupo jam occisus ideoque, ne pereat, edendus.

¶ 2. Item generatim de personis. — *a*) Sæpissime *eripere aliquem* est liberare, eruere, *sottrarre, liberare, cavar fuori*; et occurrit — Cum Ablat. et præpos. *ex*. *Ter. Phorm.* 2. 2. 9. Eripere aliquem ex crimine. *Crassus* apud *Cic.* 1. *Orat.* 52. 225. Eripite nos ex miseriis, eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas etc. Cf. *Cic. Arch.* 9. 21. Urbs ex omni impetu regio ac totius belli ore ac faucibus erepta. *Id. Mur.* 38. 82. Quum ego ex istorum insidiis ac mucronibus eripiar atque evolem. *Id.* 7. *Verr.* 6. 12. Ex media morte eripere et liberare aliquem. *Id. Cluent.* 26. 70.; et *Sall. Cat.* 48. Eripere aliquem ex periculo. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. Ereptus e manibus hostium. Adde *Liv.* 5. 51. *Id. Liv.* 8. 33. et 31. 16. aliquem ex obsidione. *Id.* 41. 14. coloniam ex hostibus. *Curt.* 4. 14. 22. Eripite viscera mea ex vinculis: restituite mihi pignora, etc. *Sueton. Aug.* 56. Eripere aliquem e reorum numero. — Cum Ablat. et præpos. *ab*. *Cic.* 2. *Divinat.* 10. 25. Quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset. *Id.* 9. *Fam.* 13. Ut nulla ratione se ab illa miseria eripere posset. *Virg.* 1. *Æn.* 600. Æneas Libycis ereptus ab undis. — Cum Ablat. et præpos. *de*. *Cic.* 7. *Verr.* 67. 173. Si quæ vis istum de vestra severitate eripuerit. Cf. *eumd. Rosc. Am.* 51. 149. Sex. Roscii vita erepta de manibus sectorum. — Cum Dativo. *Cæs.* 4. *B. G.* 12.; et *Curt.* 9. 7. 7. Eripere aliquem periculo. *Apud Cæs. plerique leg.* ex periculo. Cf. *Cic.* 1. *Cat.* 8. 20. Vita multis suppliciis justis debitisque erepta. *Virg.* 6. *Æn.* 365. Eripe me his, invicte, malis. *Id.* 3. *ibid.* 711. tantis nequicquam erepte periclis. *Horat.* 4. *Od.* 8. 25. Ereptus Stygiis fluctibus Æacus. *Ovid.* 2. *Met.* 299. aliquem flammis. *Id.* 1. *ibid.* 538. morsibus. *Id. Heroid.* 10. 43. Ereptus oculis. *tolto di vista, sottratto dalla vista.* *Id.* 1. *Met.* 358. Ereptus fatis. *Sueton. Cæs.* 71. Eripere aliquem abstrahentibus. *Id. Tib.* 67. aliquem opinioni. *Justin.* 13. 1. 3. præsenti morti. *Al. leg.* morte. *Petron. Satyr.* 30. pœnæ. *Val. Flacc.* 4. 538. curis. *Id.* 2. 490. monstris. *Id.* 4. 79. Titana volucri. — Sic etiam cum Dativo personæ. *Virg.* 12. *Æn. sub fin.* tu ne hinc spoliis indute meorum Eripiare mihi? *che tu m'esca di mano, tu etc.* *Ovid.* 5. *Met.* 11. Nec mihi te pennæ, nec falsum versus in aurum Juppiter eripient. *mi ti torran dalle mani.* Cf. *Val. Flacc.* 1. 286. Ille sororem Æoliden, ævum mansura per omne Deserit: heu sævæ nequidquam erepta novercæ. Et *Tac.* 3. *Ann.* 17. Senatui aliquem eripere. *h. e.* judicio senatus. — Absolute pro servare: ad rem *Plaut. Men.* 5. 8. 5. Quum ego accurro, teque eripio, vi pugnando, ingratiis. Ob eam rem, quia te servavi, me amisisti liberum. *Propert.* 1. 21. 7. Gallum per medios ereptum Cæsaris enses etc. *Cic. fragm.* apud *Quintil.* 8. 6. 56. Integritas tua te purgavit, pudor eripuit, vita anteacta servavit. *Liv.* 2. 54. Quum id modo constaret, jure an injuria eripiendos esse reos. *Quintil.* 6. 1. 35. Quo L. Murenam Cicero accusantibus clarissimis viris eripuisse præcipue videtur. *Id.* 6. 5. 10. Ut Cornelium ipsa confessionis fiducia eripuerit. *Val. Max.* 6. 2. *extern.* 4. Cn. Piso, quum Manilium Crispum reum ageret, eumque, evidenter nocentem, gratia Pompeji videret eripi. — *c*) *Eripere se* est se subducere, *sottrarsi, fuggire*, cum addita tamen celeritatis notione. *Cæs.* 7. *B. G.* 46. Ut, vulnerato equo, vix se ex manibus prædantium eriperet. *Liv.* 29. 32. Ibi ingens cædes Massylorum facta. Masinissa cum quinquaginta haud amplius equitibus per anfractus montis ignotos sequentibus se eripuit. *Curt.* 5. 13. Fuga eripere se hosti. *Virg.* 2. *Æn.* 134. Eripere se leto. *Id. ibid.* 289. teque his, ait, eripe flammis. *Horat.* 3. *Od.* 29. 5. eripe te moræ. *h. e.* quæcumque te in urbe morantur, his eripe te. Cf. *Cic. Sext.* 24. 53. Quum ego me e complexu patriæ conspectuque vestro eripuissem. *Seneca Ep.* 19. Si potes, subduc te istis occupationibus: si minus, eripe. *Sueton. Ner.* 49. Eripere se contumeliis. *Sil. It.* 9. 27. legibus atque urnæ. Huc referendum est et illud *Horat.* 1. *Sat.* 9. 64. nutans, Distorquens oculos, ut me eriperet. Cf. *Val. Flacc.* 1. 87. taque inomba Pallas, Eripe me. Huc pertinet etiam elegans illud *Cic. Brut.* 97. 332. Effice, ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. *h. e.* separes, distinguas a turba, tollas te supra vulgus patronorum. — *d*) Denique *eripere aliquem* interdum est per vim a loco aliquo rapere. *Plaut. Rud.* 3. 4. 7. Meas mihi ancillas invito me eripis. Adde *eumd. Mil. glor.* 3. 2. 2. *Ter. Eun.* 4. 6. 14. Hæc ea est, quam miles a me vi nunc ereptum venit. et *ibid.* 1. Ut illam a me eripiat. *per torlami.* Rursus *Id. Adelph.* 2. 1. 44. Domo me eripuit, verberavit. *Cæs.* 3. *B. C.* 110. Quorum si quis a domino comprehenderetur, concursu militum eripiebatur. *Virg.* 3. *Æn.* 330. ereptæ magno inflammatus amore Conjugis.

¶ 3. Speciatim *eripi* est immatura morte rapi, mori; et occurrit — *a*) Sæpissime passiva; et quidem — Cum additis. *Ammian.* 29. 2. Morte ereptus. *Curt.* 10. 5. 10. In flore ætatis ereptus rebus humanis. *Id.* 6. 9. 2. Pæne, inquit, milites, paucorum hominum scelere vobis ereptus sum. *Quintil.* 6. *proœm.* 4. Matre mihi erepta. — Absolute. *Curt.* 3. 5. 5. Flentes querebantur clarissimum regem, non in acie saltem, non ab hoste dejectum, sed abluentem aqua corpus, ereptum esse et extinctum. *Id.* 7. 6. 22. Exercitus certe velut erepto eo ingemuit. *Id.* 6. 10. 33. Ego in ipso robore ætatis eripior. *Tac.* 2. *Ann.* 41. Marcellus flagrantibus plebis studiis intra juventam ereptus. *Val. Flacc.* 3. 316. primis conjux ereptus in annis. *Albinov.* 1. 65. Vidimus erepta mœrentem stirpe sororis. *Inscript.* in *Annal. dell' Instit. archeol.* T. 6. p. 155. FLAMEN ANNOS III. EREPTVS AITVS. *h. e.* ereptus post tres flaminatus annos sacerdotio suo. — *b*) Raro admodum active. *Juvenal.* 10. 127. Sævos et illum Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ. *Ammian.* 30. 5. *sub fin.* Nocteque, quam lux erepturа eum vita, secuta est etc. — *c*) Interdum *ereptus* et pro interfecto ponitur. *Stat.* 8. *Theb.* 431. Reppulit erepto eunoei ductore Menalca.

II.) Translate est subducere, auferre, intercipere, adimere etc.; variosque habet et elegantes usus. — *a*) Cum Accusativo rei, quæ eripitur. *Plaut. Merc.* 1. 2. 61. Eripere alicui orationem ex ore. *tor le parole di bocca.* *Id. Most.* 3. 1. 63. Responsiones omnes hoc verbo eripite. *h. e.* facultatem respondendi. *Id. Rud.* 3. 4. 6. Eripere alicui jus suum. *Id. Capt.* 2. 2. 61. libertatem. Sic *Cæs.* 1. *B. G.* 17. Æduis libertatem sint erepturi. *Accius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. A me regnum fortuna atque opes eripere quivit. Sic *Ovid.* 4. *Pont.* 7. 26. Ereptæ opes. et *Ammian.* 36. 6. Eripere alicui regna. *Cic.* 1. *Fam.* 5. Vereor, ne eripiatur nobis causa regia. *ci si tolga di mano.* Est qui legit *a nobis*. Cf. loc. *Ter. Eun.* 4. 6. 14. supra allatum sub I. 2. d. *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Eripere alicui omnem usum navium. *Id.* 1. *B. C.* 9. imperium. *Cic.* 2. *Divinat.* 37. 79. tetrarchiam. *Nepos Con.* 2. Asiam regi. *Sall. Jug.* 85. bonorum præmia. *Auct. B. G.* 8. 50. Ereptus Galbæ consulatus. *Sueton. Cæs.* 28. Eripere provincias Cæsari. *Sil. It.* 9. 430. honorem alicui. *Sueton. Galb.* 14. judicibus beneficium. *Justin.* 6. 4. 13. victoriam. *Sueton. Cæs.* 79. gloriam. *Plin. Paneg.* 6. aliquid principi. *Id. ibid.* 39. sibi occasiones beneficiorum. *Sueton. Cæs.* 60. Auxilio fugæ erepto. *Juvenal.* 3. 238. convicia Druso somnum eripiunt. *Id.* 15. 161. Eripere vitam leoni. *Sueton. Tit.* 10. vitam sibi. *Ovid.* 12. *Met.* 142. respiramen iterque animæ eripere. *soffocare.* *Ammian.* 15. 7. pudorem virginis non obscuræ. *Auct. B. Afr.* 18. Terror hominibus mentem consiliumque eripit. *Cic.* 4. *Cat.* 4. 8. Eripere alicui spem. *Ovid.* 15. *Met.* 282. nisi vatibus omnis Eripienda fides. *se non si vuole negar fede etc.* *Cic.* 1. *Cat.* 7. 18. Discede, atque hunc mihi timorem eripe. *h. e.* adime, *toglimi*. Sic *Id.* 10. *Att.* 4. 6. Hæc si falsa sunt, me libente, eripies mihi hunc errorem. Adde *eumd.* 2. *Off.* 3. 10. *Justin.* 6. 3. 12. Populo restituta dignitate conditio servilis eripitur. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 56. his, ego quæ nunc, Olim quæ scripsit Lucilius, eripias si Tempora certa modosque etc. *Virg.* 1. *Æn.* 92. Eripiunt subito nubes cælumque diemque Teucrorum ex oculis. *Id.* 8. *ibid.* 254. Eripere prospectum oculis. Similiter *Sil. It.* 9. 501. Eripuere oculos auræ. *h. e.* venti facultatem videndi oculis ademerunt. *Id.* 11. 281. Eripiunt flammæ noctem. *h. e.* luce sua tenebras fugant. *Tac.* 1. *Ann.* 63. Campum, quem hostis insederat, eripi jubet. *h. e.* occupari, hoste inde pulso: ducta est metaphora a Circensibus; hinc et *Sil. It.* 16. 391. feret æquore palmam Erepto. et *Inscript.* apud *Gruter.* p. 337. Eripuit campum præcedenti. Id *Manil.* dixit 5. 80. præcludere campum. V. *Salmas.* ad *Solin.* p. 905. — Huc pertinent et sequentia. *Sil. It.* 6. 70. furto ereptus noctis. *h. e.* furtim per noctis tenebras aufugit, evasit. *Id.* 9. 238. se fluvius retro labentibus undis Eripit. *h. e.* retro fugit, recedit. *Eripere fugam* est capere, arripere. *Virg.* 2. *Æn.* 619. Eripe, nate, fugam. Adde *Sil. It.* 1. 331. *Ovid.* et *Val. Flacc.* rapere fugam dixere: *V.* RAPIO. — Generatim. *Cic.* 6. *Parad.* 3. 51. Virtus nec eripi, nec surripi potest unquam. *Seneca Consol. ad Helv.* 8. Quidquid optimum homini est, extra humanam potentiam jacet: nec dari, nec eripi potest. Cf. *eumd. Constant. Sap.* 5. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 55. Singula de nobis anni prædantur euntes; Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum; Tendunt extorquere poemata. *Liv.* 4. 2. *in fin.* Si Patribus tribuni, cum jure ac majestate adempta, animos etiam eripuerint. — *b*) Sequente Conjunctivo, vel Infinito. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 23. Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin Hoc potius, quam gallina tergere palatum. *h. e.* vix tamen extorqueam, obtineam a te etc. *Ovid.* 2. *Met.* 583. Posse loqui eripitur. *Tibull.* 1. 10. 35. Illis eriperes verbis mihi, sidera cælo Lucere et puras fluminis ire vias. *h. e.* efficeres, ut negarem: auferres mihi scientiam rei exploratæ, quod sidera luceant, etc. Cf. *Sil. It.* 14. 132. evadere letum Eripuit Mavors.

ĔRISMA, æ, f. 1. et erisma, ătis, n. 3. ἔρεισμα. *V.* ANTERIDES.

ĔRISTĀLIS, is, f. 3. nomen gemmæ candidæ, quæ ad inclinationes rubescere videtur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 58. (160). *Harduin.* putat legendum *erythria*, ab ἐρυθρὸς *ruber*. At *Sillig* ex *Cod. Bamb.* in Indice legit *erythallis*, quam lectionem alii quoque boni Codd. confirmant.

ĔRITHĂCE (vel juxta *Forcellinum* erythace), es, f. 1. ἐριθάκη, alio nomine sandaraca et cerinthus, quiddam est ex rore verno et arborum succo conflatum, et ab apibus congestum, earum cibus dum operantur: sæpe invenitur in favorum inanitatibus sepositus, amari saporis, ut *Plin.* 11. *Hist. nat.* 7. 7. (17). narrat. *Varro* 3. *R. R.* 16. *a med.* Erithacen vocant, quo favos extremos inter se conglutinant: quod est aliud melle, propoli: itaque in hoc vim esse illiciendi: quocirca examen ubi volunt

considere, com ramum, aliamve quam rem oblinunt hoc, admixto apiastro. Hæc *Varro*.

ERĪTHĂCUS, i, m. 2. ἐρίθακος, avis genus ex iis, quæ formam simul coloremque mutant. Nam æstate phœnicurus vocatur. Quidam esse putant *pettirosso*. *Plin*. 10. *Hist. nat*. 29. 44. (86).

ERĪTHĂLES, is, n. 3. ἐριθαλές, *h. e.* valde pullulans, virens, ab ἐρι, quæ particula est inseparabilis, augens significationem, et θάλλω *vireo*, genus est aizoi minusculi, quod alii *trithales*, τριθαλές, quia ter floreat, alii chrysothales, χρυσοθαλές aureo colore virens, alii isoetes, ἰσοετές (ab ἴσος *similis* et ἔτος *annus*) appellant. In muris parietinisque nascitur et tegulis, fruticosum a radice, et foliosum usque ad cacumen, foliis angustis, mucronatis, succosis, caule palmum alto. *Plin*. 25. *Hist. nat*. 13. 102. (160). De synonymia *V*. AIZOUM.

ERĪTHEUS, ei, m. 2. Nominativus etiam trisyllabus est, ut *Nereus* et similia. — *Eritheus* est idem atque *erithacus*; vide hanc vocem: ἐρίθακος enim vocatur etiam ἐριθεύς, si *Hesychio* credimus. *Schol. Aristoph. Vesp*. 922. παροιμία, οὐ τρέφει μία λόχμη δύο ἐριθάκους. Ἔστι δὲ ὄρνεον ὑπὸ μὲν τινων καλούμενον ἐριθεύς, ὑπὸ δὲ ἑτέρων ἐριθαλος, ὑπὸ τῶν πλειόνων ἐρίθακος. Forma ἐριθεύς autem utuntur *Theophr. fragm*. 6. *de signis* 3. 2. et *Aratus* 1025., memorata etiam a Chæroboscο in *Crameri Anecd. vol*. 2. *p*. 190. 15. Hinc *Avien. Prognost*. 1761. si denique parvus eritheus Succedit trepidæ scrupose concava rupis.

ERĪTŪDO servitudo. *Paul. Diac. p*. 83. 1. *Müll*. Est autem abstractum ab *erus* vel *herus*, quam vocem vide. Cf. *Placidi Gloss*. edente *A. Mai. p*. 460. Eritudo, dominatio. Et *Gloss. Labb*. Eritudo, δεσποσία.

ĒRĪVO, as, are, a. 1. rivis factis educo, evacuo. *Plin*. 17. *Hist. nat*. 26. 40. (249). Etiam pluvias auctumni aquas erivare convenit. *Salmas*. in *Solin*. legit *eriguare*, eod. sensu a *rigo, as*.

ERNEUM, i, n. 2. placenta cocta in hirnea fictili. *Cato R. R*. 81. Erneum tamquam placentam facito: eadem ochola indito, quæ in placentam: id permisceto in alveo. Indito in hirneam fictilem: eam demittito in aulam aheneam aquæ calidæ plenam: ita coquito ad ignem. Ubi coctum erit, hirneam confringito: ita ponito.

ĒRO, ōnis. *V*. ÆRO.

ĒRŌDO, rōdis, rōsi, rōsum, rōdere, a. 3. (ex *et* rodo). Part. *Erodens, Erosus* et *Erodendus* II. — Erodo est rodendo aufero, abrodo (It. *levar via rodendo*; Fr. *ronger, corroder*; Hisp. *roer, corroer*; Germ. *nagen, zernagen*; Angl. *to gnaw off or away, cut into, consume*).

I.) Proprie. *Plin*. 30. *Hist. nat*. 15. 52. (146). M. Cicero tradit animalia bluros vocari, qui vites in Campania erodant. *Colum*. 10. *R. R*. 323. teneras audent erodere frondes Implicitus conchæ limax hirsutaque campe.

II.) Improprie, ac præcipue apud Medicos, est aliquid auferre per ea quæ corrodendi vim habent. *Cels*. 5. 28. *sub fin*. His vitiligo perungitur, deinde non ita multo post ne nimis erodatur, eluitur. *Plin*. 34. *Hist. nat*. 15. 46. (155). Ad purganda vulnera et omnem callum erodendum. *Id*. 24. *ibid*. 11. 52. (89). Rheum medici et inter erodentia assumunt. — Ceterum generatim *Id*. 31. *ibid*. 2. 19. (28). Æs ac ferrum illa aqua eroditur. *Id*. 12. *ibid*. 9. 20. (37). Arbores erosæ sale. *Id*. 24. *ibid*. 14. 77. (126). Erosi oculorum anguli. *Id*. 25. *ibid*. 13. 107. (170). dentes.

ĒRŎGĀTĬO, ōnis, f. 3. actus erogandi. ¶ 1. Est distributio, collatio, impensa. — *a*) In singulari numero. *Cic*. 15. *Att*. 2. *sub fin*. Movere ista videntur, in primis erogatio pecuniæ. *Callistrat. Dig*. 50. 4. 14. Administratio reipubl. sive cum sumptu, sive sine erogatione. Adde *Cod*. 12. 38. 16. *Frontin. Aquæduct*. 77. Erogatio aquarum. *V*. mox sub *b*. — *b*) In plur. num. *Trajanus* ad *Plin*. 10. *Ep*. 35. Necessariæ erogationes. *h. e.* sumptus, impensæ. Adde *Plin. Paneg*. 41.; et *Tac*. 13. *Ann*. 50. *Apul*. 11. *Met*. Erogationes urbicæ pristinis illis provincialibus antistabant. *Frontin. Aquæduct*. 3. et 64. Erogationes aquarum. *h. e.* distributiones ex aquæductibus per fistulas certa mensura factæ. ¶ 2. Apud *Tertull. Idolol*. 5. *erogatio legis* est abrogatio, abolitio, quasi *exrogatio*.

ĒRŎGĀTOR, ōris, m. 3. qui erogat, sive impendit. *Cod*. 12. 38. 16. Erogator præstationis. — *Erogator virginis* apud *Tertull. Pudic*. 16. est qui virginem nuptui tradit. *Erogare* enim est perdere, rem dare, quæ ad nos reditura non sit: atque ita erogator virginis dici potest, qui ejus virginitatem quodammodo perdit, et alteri per matrimonium non amplius redituram concedit. *V*. EROGO II. 2.

ĒRŎGĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad erogandum ac distribuendam pertinens. *Frontin. Aquæduct*. 34. Quum in erogatorio modulo minus invenitur, in acceptorio plus, apparet non errorem esse, sed fraudem. *h. e.* quo aqua distribuitur et conceditur privatis.

ĒRŎGĀTUS, a, um. *V*. EROGO.

ĒRŎGĬTO, as, are, 1. *frequentat*. *ab* erogo, vehementer rogo. *Plaut. Capt*. 5. 1. 32. Ego ex hac statua verberea volo erogitare meo minore quid sit factum filio. *Sil. It*. 10. 175. quisnam ille sinistræ Depugnet morti juvenis, nomenque decusque Erogitat.

ĒRŎGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* rogo). Part. *Erogans* II. 1.; *Erogatus* I. et II. 1. et 3.; *Erogaturus* II. 1.; *Erogandus* I., II. 1. et 2. — Erogare, ἐκδίδωμι, est expendere, impendere, insumere, distribuere, conferre (It. *dare, spendere, distribuire*; Fr. *dépenser, payer, compter*; Hisp. *gastar, contar*; Germ. *eine Summe Geldes auszahlen*; Angl. *to bestow, distribute freely, lay out, expend*).

I). Proprie dicitur tantum de pecunia, quæ ex ærario sumpta publice impenditur et distribuitur *rogato* prius *populo*, ut id facere liceat: hæc enim eadem ratio in *abrogo, derogo* et ceteris est a *rogo* compositis, ut a *rogando populo* eorum significationes desumantur. *Cic*. 5. *Verr*. 71. 165. et *Flacc*. 13. 30. Pecunia publica ex ærario erogata in classem. Adde *eumd*. 7. *Verr*. 19. 48. *Id. Vatin*. 12. 29. Volo, ut mihi respondeas, erogaris ne pecunias ex ærario tuis legibus? *Id*. 1. *ad Q. fr*. 2. 4. Mecum egit, ne se impedires, quo minus quod ad Q. Publicenі statuam decretum est, erogaretur. *Id*. 2. *ibid*. 1. *post med*. Nullum in mea provincia nummum, nisi in æs alienum, erogari. *Liv*. 22. 23. Quum argentum pro eis debitum, sæpe jactata in senatu re, quoniam non consuluissent Patres, tardius erogaretur, etc. *Al. leg*. rogaretur, *minus recte, cf.* enim *Val. Max*. 4. 8. 1. Rursus *Liv*. 1. 20. Quibus hostiis, quibus diebus sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. *Plin. Paneg*. 26. Nullum est enim magno principe immortalitatemque merituro impendii genus dignius, quam quod erogatur in posteros. Cf. *Tac*. 1. *Ann*. 75. Resistentibus ærarii prætoribus subvenit Cæsar, pretiumque ædium Aurelio tribuit, erogandæ per honesta pecuniæ cupiens.

II.) Improprie. ¶ 1. *Erogare* transfertur etiam ad privatas impensas. — *a*) Generatim pro impendere, insumere. *Val. Max*. 4. 8. *n*. 2. *extern*. In eroganda potius, quam in contrahenda pecunia occupatus. *Cic*. 8. *Att*. 5. *extr*. Velim Tironem Curio commendes, ut ei, ut petii, si quid opus erit, in sumptum eroget. *Plin*. 5. *Ep*. 16. Quod in vestes, margaritas, gemmas fuerat erogaturus. *Paul. Dig*. 35. 2. 36. *extr*. Erogare aliquid in pretium servi. *Id. ibid*. 20. 1. 29. Sumptus erogati in exstructionem ædificii. Cf. *Ulp. ibid*. 25. 6. § 7. Alimenta in ventrem erogata. *Id. ibid*. 15. 3. 7. Si odores et unguenta servus emerit, et ad funus erogaverit. — Absolute. *Val. Max*. 4. 8. *n*. 1. Si ad calculos revocetur, parvum; si animo erogantis, omni pecunia majus. — *b*) Speciatim *erogare in aliquem* est insumere ipsius causa, vel ei largiri. *Sueton. Ner*. 30. In Tiridatem octingena nummum millia diurna erogavit. *Tac*. 16. *Ann*. 17. Scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum generumque ejus Cossutianum erogabat. *Inscript*. apud *Orell*. 114. VT AEGR. INOP. COL. FEL. LOR. PHARM. ET MVLS. S. PR. EROG. *h. e.* ut ægris inopibus Coloniæ Felicis Loriensis pharmaca et mulsum sine pretio erogaret. — *c*) Aliquando significat exhaurire, consumere. *Cajus Dig*. 17. 2. 68. Erogare bona sua in fraudem futuræ actionis. *Plin*. 10. *Ep*. 111. Piso contra, plurima se in rempublicam contulisse, ac prope totas facultates erogasse, dicebat. *Veget*. 2. *Milit*. 20. Plerique homines, et præcipue pauperes, tantum erogant, quantum habere potuerint. ¶ 2. Sunt qui putant a *rogo* factum esse, et proprie dici de iis, quæ in rogum conjiciuntur, ut una cum cadavere crementur. Hinc a *Tertull*. non semel pro perdere adhibetur: quamquam metaphora, potius quam a nomine *rogus*, sumpta mihi videtur a paragr. proxime superiori, præsertim quum apud *eumd. Apolog*. 44. *impendere* et *erogare* jungantur: *V*. infra. *Tertull. Spectac*., ubi agit de gladiatoribus funerum, 12. Quos paraverant armis, quibus tunc et qualiter poterant, eruditos, tantum ut occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. *h. e.* mactabant perdebantque. *Id. Apolog*. 44. Illam injuriam civitatis nullus expendit, quum tot justi impendimur, quum tot innocentes erogamur. *Id. Præscription*. 2. Febris erogando homini deputata. ¶ 3. Item ponitur pro valde rogare. *Apul*. 5. *Met*. Supplicis anxiæ piis precibus erogatus.

ĒRŌSĬO, ōnis, f. 3. actus erodendi. *Plin*. 23. *Hist. nat*. 3. 34. (70). Veteres lacrimationes sanat et genarum erosiones. *Id*. 27. *ibid*. 10. 60. (87). Stomachi erosiones. *Sillig* pro *stomachi vero erosionibus prodest* legit *stomachicis vero et rosionibus prodest*.

ĒRŌSUS, a, um. *V*. ERODO.

* **ĒRŌTĒMA**, ătis, n. 3. ἐρώτημα, interrogatio. Vox Græca. *V*. PYSMA.

ĒRŌTĒMUS. *V*. ETÆMUS.

ĒRŌTĬCUS, a, um, adject. ἐρωτικός, amatorius: ab ἔρως *amor*. *Gell*. 19. 9. Edyllia quædam erotica, dulcia et venusta cecinerunt.

ĒRŌTŎPÆGNĬON, ii, n. 2. ἐρωτοπαίγνιον, opus, seu carmen lndicrum de amoribus puerorum: ab ἔρως *amor* et παίγνιον *lusus puerilis*, cujus auctor fuit Lævius poeta. *Gell*. 2. 24. Hujus legis Lævius poeta meminit in Erotopægniis. Adde *Auson. Edyll*. 13. *sub fin*., ubi *Erotopægniōn* genit. plur. Græce habetur. Ejus verba sunt: Qui antiquissimi poetæ Lævii Erotopægnion libros loquar? — Etiam Calpurnii Pisonis opus ita inscriptum fuit. *Plin*. 5. *Ep*. 17. Recitabat Ἐρωτοπαίγνιον, eruditum sane luculentumque materiam. Scripta elegis erat, fluentibus et teneris et enodibus, sublimibus etiam verbis, ut poscit locus. *Alii tamen aliter leg*.

ĒRŌTUNDĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *erotundo*, rotundus factus. Occurrit translate tantum apud *Sidon*. 9. *Ep*. 7. Structura verborum lubrica et lævis, ac modis omnibus erotundata. *h. e.* elaborata, composita et perfecta.

ĒRŌTȲLOS *vel Latina positione*

ĒRŌTȲLUS, i, f. 2. ἐρωτύλος, gemma est eadem atque amphicome et hieromnemon, quæ a Democrito laudatur in argumentis divinationum. *Plin*. 37. *Hist. nat*. 10. 58. (160).

ERRĂBĬLIS, e. *V*. INNARRABILIS.

ERRĂBUNDUS, a, um, adject. valde errans, vagabundus. *Lucret*. 4. 694. Errabundus (*odor*) enim tarde venit, ac perit ante, Paullatim, faciles distractus in aeris auras. *Liv*. 1. 29. Nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas, ultimum eas visuri, pervagarentur. *Auct. B. Afr*. 2. Naves vento dispersæ atque errabundæ diversa loca petierunt. *Id. ibid*. 44. Errabunda triremis. *Curt*. 8. 4. 6. Ordinibus solutis, per totum saltum errabundum agmen ferebatur. *Virg*. 6. *Ecl*. 58. Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris Errabunda bovis vestigia. *Sueton. Cæs*. 31. Quum luminibus exstinctis decessisset via, diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto, etc.

ERRANS, antis. *V*. ERRO, as.

ERRANTĬA, æ, f. 1. erratio. *Accius* apud *Non*. p. 204. 16. *Merc*. Neque ego errantia animi prave morigerabor.

ERRĀTĬCIUS, a, um, adject. *Fronto de differ. vocab*. p. 2199. *Putsch*. Erraticus et potest errare et solet: erraticius (editio *Gothofredi* habet *erraticus*) animus est, qui solet errare et desinit.

ERRATĬCUS, a, um, adject. errans, errabundus. ¶ 1. Generatim. *Varro* apud *Gell*. 3. 10.; et *Seneca* 7. *Quæst. nat*. 23. Stellæ erraticæ. *h. e.* planetæ. *Gell*. 9. 2. Erraticus homo. *h. e.* circumforaneus. *Plin*. 26. *Hist. nat*. 13. 84. (136). Erraticus sanguis. *h. e.* erysipelas, vel impetigo. *Ovid*. 6. *Met*. 333. Erratica Delos. *h. e.* olim oras et litora circum errans, ut poetæ fabulantur: *cf. Virg*. 3. *Æn*. 75. Sic *Venant*. 5. *præfat. carm*. 6. Ne numerum transiliens erratica se tela turbaret. *Hic loquitur de carmine acrosticho, qui versu hexametro constat ex triginta tribus litteris formato*. ¶ 2. Speciatim dicitur de plantis, quæ sua sponte hic illic nascuntur: item quæ serpunt et errabundo flexu huc illuc

prorepunt. *Cato R. R.* 157.; et *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 36. (92). Silvestris sive erratica brassica. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 2. 4. (9). Cucumis anguinus, sive erraticus. *Id.* 19. *ibid.* 8. 39. (129). Intubum erraticum. *Vitruv.* 8. 1. Erratica salix. — Hinc *Cic. Senect.* 15. 52. Vitis serpens multiplici lapsu et erratico.

ERRĀTĬLIS, e, adject. idem quod erraticus. *Cassiod.* 1. *Variar.* 21. Aves ipsæ per aera vagantes, proprios nidos amant; erratiles feræ ad cubilia dumosa festinant.

ERRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus errandi, vagatio.

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 1. 2. 90. Errationis facere compendium. *Ter. Adelph.* 4. 2. 41. Sane hac multo propius ibis, et minor est erratio. *h. e.* a recta via minus aberrabis, minus deflectes. *Cic. Tim.* 6. Motum dedit cælo cum, qui figuræ ejus sit aptissimus; sex autem reliquos motus ab eo separavit: itaque cum ab omni erratione liberavit. Cf. *Id.* 2. *Nat. D.* 21. 56. Nulla igitur in cælo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest. — *Varro* unam ex Saturis Menipp. *Errationem* inscripsit (ut *Oehler.* legit), quæ itineris cujusdam errores ac fata continuisse videtur, ut probabile est ex ipso quoque fragmento apud *Non. p.* 91. 2. *Merc.*

II.) Translate. *Lactant.* 5. 17. Stultitia igitur est in factis dictisque, per ignorantiam recti bonique, erratio.

ERRĀTĪVUS, *V.* ERRATICUS.

ERRĀTOR, ōris. m. 3. qui errat, ambulator. *Festus p.* 341. 34. *Müll.* S p a t i a t o r e m, erratorem Cato. Et *Paul. Diac. p.* 315. 6. S p a t i a t o r e m pro erratorem Cato posuit.

ERRATRIX, īcis, f. 3. *Fronto de differ. vocab. p.* 2199. *Putsch.* Erratrix per se rapta est, ut venatrix: erratica. ut hedera, vitis.

ERRĀTUM, i, n. 2. *V.* ERRO, as etc. in fin.

ERRĀTUS, a, um. *V.* ERRO, as.

ERRĀTUS, us. m. 4. erratio, erratum.

I.) Proprie. *Ovid.* 4. *Met.* 566. longisque erratibus actus Contigit Illyricos profuga cum conjuge fines.

II.) Translate. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (67). Sed et vitia demonstrari oportet in tam proclivi erratu. *h. e.* quum errare tam facile sit. *Sillig.* vero ex *Cod. Bamb.* legit: Sed et vitia demonstrari convenit in tam prodigis pretiis.

ERRO, as, āvi, ātum, are, 1. Verbum neutrum est: sed tamen Part. *Erratus* passive occurrit et est errando emensus, pererratus, *scorso errando. Ovid.* 4. *Fast.* 573. Immensum est erratas dicere terras: Præteritus Cereri nullus in orbe locus. *Virg.* 3. *Æn.* 690. Talia monstrabat relegens errata retrorsum Litora Achæmenides. *Val. Flacc.* 4. 447. diversis erratus casibus orbis. Ceterum de Part. *Erratus* vide et infra sub *B.* II. *f.* — Part. *Errans* in omnibus paragr. — Ratione habita etymi, *Cloatius Verus* apud *Gell.* 16. 12. ducebat *errare* esse ἀπὸ τοῦ ἔῤῥειν, quod est ægre ire, item inauspicato accedere. Confirmat *Varro* 6. *L. L.* 96. *Müll.*, ut quidem *Scalig.* legit. Quidquid vero sit de etymo, *errare* stricto sensu est labare, vacillare, adeoque ægre ire, ut de prægnantibus equabus ait *Virg.* 3. *G.* 139. Exactis gravidæ (*equæ*) quum mensibus errant, Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris, Non saltu superare viam sit passus, etc. Cf. *Homer. Iliad.* 18. 421., et *V.* infra sub *A.* II. *a.* — Ceterum *errare* occurrit *A*) Generatim; et *B*) Speciatim.

A) Generatim *erro*, πλανάομαι, ἀλάομαι, est incertus viæ ignarusque huc illuc feror, vel etiam libere ultroque et nullo mihi proposito itineris fine vagor (It. *errare, andar qua e là, senza saper dove, andar vagando*; Fr. *errer, courir à l'aventure, aller çà et là*; Hisp. *errar, andar vagando*; Germ. *umher - irren, - schweifen, irren*; Angl. *to wander up and down, wander about*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) De hominibus et brutis animantibus. — De hominibus. *Ter. Heaut.* 2. 3. 16. Dum ego propter te errans patriâ careo demens. *Cic. Cluent.* 62. 175. Quum vagus et exsul erraret atque undique exclusus Oppianicus. *Id.* 8. *Att.* 9. 3. Ego Arpini volo esse prid. Cal., deinde circum villulas nostras errare, quas visurum me postea desperavi, *girare*. *Virg.* 1. *Æn.* 36. Errabant acti fatis maria omnia circum. *Id. ibid.* 336. ignari hominumque locorumque Erramus, vento huc et tempestatibus acti. *Id.* 3. *ibid.* 200. Excutimur cursu, et cæcis erramus in undis. *Horat.* 3. *Od.* 27. 51. utinam inter errem Nuda leones! *Id. ibid.* 4. 6. audire et videor pios Errare per lucos. *Ovid.* 3. *Met.* 175. Per nemus ignotum non certis passibus errans. *Justin.* 2. 2. Errare per incultas solitudines. Cf. *Juvenal.* 6. 101. hæc inter nautas et prandet et errat Per puppim. *Ovid.* 2. *Fast.* 335. Errare huc illuc. Sic *Id.* 11. *Met.* 357. Pars gradibus tardis illuc errabat et illuc. *andare passeggiando. Id.* 4. *Pont.* 16. 14. Ulixen Errantem sævo per duo lustra mari. *Id.* 6. *Met.* 189. Exsul erat mundi; donec miserata vagantem. Hospita tu terris erras, ego, dixit, in undis. *Quintil.* 7. *procem.* 3. Velut nocte in ignotis locis errans. *Curt.* 9. 3. 14. Cur circumitu petis gloriam, quæ ad manum posita est? hic quoque occurrit Oceanus. Nisi mavis errare, pervenimus, quo tua fortuna ducit. — Huc pertinent et sequentia. *Virg.* 7. *Æn.* 557. Te super ætherias errare licentius auras Haud pater ille velit summi regnator Olympi. *Val. Flacc.* 4. 419. Bosporon hinc veteres errantis nomine divæ Vulgavere. *Sil. It.* 3. 291. Penates errantes. *h. e.* quibus nulla est certa sedes. — Passive impersonaliter. *Virg.* 3. *G.* 249. Heu male tum Libyæ solis erratur in agris. — De brutis animantibus. *Lucret.* 4. 709. Errant sæpe canes itaque et vestigia quærunt. *Virg.* 1. *Ecl.* 9. Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum Ludere quæ vellem calamo permisit agresti. *Id.* 2. *ibid.* 21. Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ. *Id.* 6. *ibid.* 40. Rara per ignotos errant animalia montes. *Horat.* 3. *Od.* 18. 13. Inter audaces lupus errat agnos. Adde *Sil. It.* 7. 438. — *b*) De inanimis; et quidem — De astris. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 6. 4. (12). Sidera errantia. *i pianeti*, quos *Cic.* quoque 2. *Nat. D.* 20. 51. et 1. *Tusc.* 25. 62. stellas errantes appellat. Similiter *Id. Cic.* 1. *de republ.* 14. Hoc autem sphæræ genus, in quo solis et lunæ motus inessent, et earum quinque stellarum, quæ errantes et quasi vagæ nominarentur, etc. — De fluminibus. *Virg.* 3. *G.* 14. tardis ingens ubi flexibus errat Mincius. *Horat.* 2. *Od.* 14. 17. Visendus ater flumine languido Cocytus errans. *Sil. It.* 9. 228. curvo errat gurgite flumen. Adde *Senec. Phœniss.* 605. 6. Sic *Curt.* dixit 3. 4. 12. Oberrantibus rivis. Similiter de mari *Val. Flacc.* 4. 575. omnisque tenetur Pontus et infestis anceps cum montibus errat. — De navibus, et scopulis. *Ovid.* 2. *Fast.* 391. Ille ubi nunc fora sunt, lintres errare videres. *Val. Flacc.* 4. 561. Hinc iter ad Ponti caput, errantesque per altum Cyaneas: furor his medio concurrere ponto. Adde *eumd.* 3. 621. — De luce et igne. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 2. de *Aurora*. tremulis vibravit in undis Ardor, et errantes ludunt per cærula flammæ. *Val. Flacc.* 7. 577. galeamque minantem Quassat, et errantem dextra ciet obvius ignem. *Ovid.* 9. *Met.* 201. pulmonibus errat Ignis edax imis perque omnes pascitur artus. *h. e.* discurrit. *Id.* 14. *ibid.* 351. Flammaque per totas visa est errare medullas. Huc referri potest et illud *Virg.* 1. *G.* 451. nam sæpe videmus Ipsius (*solis*) in vultu varios errare colores: Cæruleus pluviam denunciat, igneus Euros. *h. e.* si solis orbi prætexuntur nubes variæ, nigræ denunciant imbres, rutilæ ventum. — De aliis. *Virg.* 4. *Æn.* 684. et, extremus si quis super halitus errat, Ore legam. *Propert.* 2. 4. 7. Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos. *Virg.* 5. *Æn.* 435. erratque aures et tempora circum Crebra manus. *h. e.* manus crebris ictibus aures et tempora pulsat. *Cic. Harusp. resp.* 17. 37. Quod sacrificium tam occultum est, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes? *h. e.* qui huc illuc casu circumferuntur. *Virg.* 4. *Ecl.* 19. Hederæ errantes. *Lucan.* 1. 253. Domus errantes. *abitazione o paese incerto*: allusum ad Scythas, qui domos suas plaustris circumferunt. ¶ 2. Latiori sensu, raro tamen, ponitur pro aberrare, adeoque a loco decedere. *Lucret.* 3. 936. Et tamen haudquaquam nostros tunc illa per artus Longe ab sensiferis primordia motibus errant. Adde *eumd. ibid. v.* 676. Cf. *Auct. B. Afr.* 44. Navis una ab residua classe quum erravisset, delataque esset vento ad Thapsum, etc.

II.) Translate. — *a*) Speciatim quoniam *errare*, ut jam initio diximus, proprie significat *labare, vacillare*; eadem omnino pollet aliquando significatione, quum ad animum transfertur. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 197. Erro, quam insistas viam. *h. e.* dubito; vel, ut *Forcellinus* interpretatur, ignoro, non intelligo. Sic *Tac.* 4. *Hist.* 58. Transfugæ e transfugis et proditores e proditoribus, inter recens et vetus sacramentum invisi deis errabitis? *h. e.* dubitabitis, *starete in forse*. Cf. *Ovid.* 8. *Met.* 470. utque carina, Quam ventus ventoque rapit contrarius æstus, Vim geminam sentit paretque incerta duobus; Thestias haud aliter dubiis affectibus errat, inque vices ponit positamque resuscitat iram. Huc fortasse referri potest et illud ejusdem *Ovid.* 4. *Fast.* 261. Obscuræ sortis Patres ambagibus errant. *h. e.* incerti pendent: *Heinsius* vero *hærent* pro *errant* mallet. Conferatur tamen *Tibull.* 4. 1. 106. At non per dubias errant mea carmina laudes. *h. e.* versantur in dubiis laudibus canendis. — Denique speciatim possunt accipi *errantes genæ* apud *Val. Flacc.* 8. 163. non ullus tibi tum color, ægraque verba, Errantesque genæ. *h. e.* dependentes, pendulæ (*V.* quæ diximus initio hujus verbi ERRO): juxta *Forcellinum* vero *errantes genæ* sunt oculi huc illuc circumlati et incerti, ut in nova magnaque perturbatione fit. Alii legere malunt *arentes*, h. e. macilentæ. — *b*) Generatim, metaphorâ sumpti a superiore paragr. 1. *Cic.* 1. *Orat.* 48. 209. Ne vagari et errare cogatur oratio. *Id.* 2. *Fin.* 22. 71. Ut nostram stabilem conscientiam contemnamus, aliorum errantem opinionem aucupemur. *Id.* 2. *Nat. D.* 1. 2. Est enim et philosophi et pontificis de diis immortalibus habere non errantem et vagam, sed stabilem certamque sententiam. *Tac. Dial. de orat.* 40. Nostra quoque civitas, donec erravit. *h. e.* nullo certo ac stabili magistratu regebatur. *Virg.* 4. *Æn.* 691. Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto Quæsivit cælo lucem ingemuitque reperta. Sic *Stat.* 10. *Theb.* 150. *de iis, qui gravi somno occupantur*. errare oculi, resolutaque colla, Et medio afflatu verba imperfecta relinqui. *Val. Flacc.* 5. 145. Nam prius ignoti quam dura cubilia ferri Eruerent ensesque darent; otia ægra sine armis Errabant iræque inopes et segnis Erinnys. *Id.* 6. 671. extremus roseo pudor errat in ore. *Sil. It.* 7. 633. *de morientibus*. errat per lumina somnus. *Id.* 9. 281. errat per agmina murmur. Cf. *Ovid.* 3. *Fast.* 543. Quæ tamen hæc dea sit (quoniam rumoribus errant) etc. *h. e.* varios rumores spargunt, alii alia narrantes.

B) Speciatim errare est a recta via deflectere, de via decedere.

I.) Proprie. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 16. 51. Homo, qui erranti comiter monstrat viam. *a chi è fuor di strada. Virg.* 2. *Æn.* 739. Creusa — erravit via. *fallò la strada.*

II.) Translate est a vero deflectere, labi, falli, *errare, fallare, ingannarsi*: ad rem *Lucret.* 3. 464. Quin etiam morbis in corporis avius errat Sæpe animus: dementit enim deliraque fatur. Similiter *Id.* 1. 712. Magnopere a vero longeque errasse videntur, qui putarunt etc. Ceterum hoc sensu — 1.°) Quod ad intellectum attinet, occurrit — *a*) Absolute; et quidem — Sine additis. *Cic.* 12. *Phil.* 2. 5. Cujusvis hominis est errare: nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. *Id.* 1. *Tusc.* 17. 39. Errare mehercule malo cum Platone, quam cum istis vera sentire. *Quintil.* 8. 6. 3. Mihi videntur errasse, qui crediderunt etc. Adde *eumd.* 2. 17. 28. — Sic *errandum est* apud *Ovid. Heroid.* 7. 109. Si fuit errandum, causas habet error honestas. — Cum additis Adverbiis vel adverbialibus modis. *Ter. Eun.* 2. 2. 14. Tota erras via. *falli di molto, di gran lunga t'inganni.* Cf. *Macrob.* 3. *Saturn.* 12. Toto cælo errasse Virgilium, quum etc. *Plaut. Amph.* 3. 3. 20. Qui me Amphitruonem rentur esse, errant probe. *Ter. Adelph.* 1. 1. 40. Et errat longe, mea quidem sententia, qui imperium credat gravius esse aut stabilius, vi quod fit, quam illud quod amicitia adjungitur. *Sall. Jug.* 85. *sub fin.* Homines superbissumi procul errant. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 32. 103. Vehementer errare. *Quintil.* 8. 2. 2. Non mediocriter errare. — *b*) Cum addita per plenam propositionem re, in qua quis errat. *Ter. Heaut.* 1. 1. 53. Erras, si id credis. *Lucret.* 1. 392. Quod si forte aliquis, quum corpora dissiluere, Tum putat id fieri, quia se condenseat aer, Errat. *Cæs.* 5. *B. G.* 40. Errare eos dicunt, si etc. *Cic.* 2. *Orat.* 19. 83. Quod hæc narrationis magis putant esse propria, quam totius orationis, valde mihi videntur errare. — *c*) Cum addita re, in qua quis errat, per Ablat. et præpos. *in*. *Lucret.* 1. 244. Quare in utraque mihi pariter ratio-

ne videtur Errare, atque illi etc. *Cic.* 2. *Phil.* 9. 23. In eo non tu quidem tota re, sed temporibus errasti. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 41. Vellem in amicitia sic erraremus. *Quintil.* 11. 2. 36. In rerum ordine errare. *Id.* 6. 3. 112. In quibus ut erraverim, legentes tamen non decepi. Adde *eumd.* 10. 2. 21. — Et passive impersonaliter. *Cic.* 4. *Fin.* 20. 57. Si erratur in nomine. — *d*) Cum præpos. *in* et Accus. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 11. *sub fin.* Malo in hanc partem errare, ut, quæ non desideras, audias, quam etc. *Quintil.* 10. 1. 26. In alteram errare partem. Huc referri potest et illud *Liv.* 31. 12. *de prodigiis.* Fœda omnia et deformia, errantisque in alienos fetus naturæ visa. *h. e.* degenerantis. — *e*) Raro cum præpos. *de* vel *circa.* *Ter. Heaut.* 2. 3. 22. Hic de nostris verbis errat videlicet, quæ hic sumus locuti. *Quintil.* 2. 5. 26. Tutius circa priores vel erratur. — *f*) Cum Accusativo communi. *Plaut. Most.* 1. 3. 30. Mone, quæso, si quid erro. *Ter. Andr.* 3. 2. 18. Teneo, quid erret. *Id. Phorm.* 5. 3. 21. Hoc tu errasti. Cf. *Quintil.* 2. 5. 16. Si quid in declamando discipulus erraverit. Adde *eumd.* 2. 6. 6. et 2. 3. 11. — Recentiores philologi huc addunt et illud *Ovid.* 3. *Fast.* 155. Sed tamen errabant etiamnum tempora; donec Cæsaris in multis hæc quoque cura fuit. et *interpretantur:* homines errabant in temporibus computandis: *Forcellinus* vero *tempora* Nominativum esse ait, et interpretatur: *andava male il corso dell'anno.* Similiter *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 3. (11). Quoties precatio erraverit, sic repente extis adimi capita vel corda. Et passive impersonaliter *Quintil.* 6. 5. 7. Si nihil esset erratum. — Denique *errato mihi* pro *mihi qui erravi,* vel *quum erravero,* dictum putant a *Cic.* 2. *leg. Agr.* 2. 5. Quum omnibus est difficilis et magna ratio, tum mihi præter ceteros, cui errato nulla venia; recte facto exigua laus proponitur. Simile esse ajunt illud *Ter. Hecyr.* 5. 1. 10. Jam ætate ea sum, ut non sit peccato mihi ignosci æquum. Alii tamen apud *Cic.* leg. *quum errato,* vel *cujus errato* etc. *V.* etiam CERTO, as. Mihi tamen videtur cum *Orellio* legendum *cui, errato* etc., ut τὸ *errato* nomen sit *erratum, i,* (*V.* infra) et *recte facto* respondeat. — *g*) Aliquando cum Ablativo modi. *Quintil.* 2. 21. 2. Quorum opinio non qualitate, sed modo erravit. *Id.* 11. 2. 20. Ne errent solo ediscendi labore. — Et passive impersonaliter. *Id.* 7. 3. 17. Si uno verbo sit erratum. — 2.°) Morali significatione. *Sall. Jug.* 104. Romæ legatis ejus, postquam errasse regem et Jugurthæ scelere lapsum deprecati sunt, etc. *Id. ibid.* 102. Neu te optumum cum pessumo omnium Jugurtha miscendo commaculares, simul nobis demeres acerbam necessitudinem, pariter te errantem atque illum sceleratissimum persequi. — Hinc

Errātum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est error, peccatum. — *a*) In sing. num. *Cic.* 6. *Att.* 1. *a med.* Illud de Flavio et fastis commune erratum est. *Id. Cluent.* 48. 133. Nullam ob turpitudinem, nullam ob totius vitæ non dicam vitium, sed erratum. *Id. Ligar.* 1. 1. Errati veniam impetrare. *Id. Sull.* 23. 64. Petere errato alicujus veniam. — *b*) In plur. num. *Cic.* 16. *Fam.* 21. Tantum mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata meæ ætatis, ut etc. *Sall. Jug.* 100. Errata officiis superare. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 66. Diceris erratis ingemuisse meis.

ERRO, ōnis, m. 3. vagabundus, errans, aberrans. *Edictum Ædil. Cur.* apud *Gell.* 4. 2. 1. TITVLVS SERVORVM SINGVLORVM VTEI SCRIPTVS SIT COERATO, ITA VT INTELLEGI RECTE POSSIT QVID MORBI VITIIVE QVOIQVE SIT, QVIS FVGITIVVS ERROVE SIT, NOXAVE SOLVTVS NON SIT. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 113. teque ipsum vitas fugitivus et erro. *Ulp. Dig.* 21. 1. 17. *a med.* Errones appellantur servi, qui non quidem fugiunt, sed frequenter sine causa vagantur, et temporibus in res nugatorias consumptis, serius ad dominum redeunt. Adde *Ibid.* 49. 16. 4. *Tibull.* 2. 6. 5. Ure, puer, quæso, tua qui ferus otia liquit, Atque iterum erronem sub tua signa voca. *Ovid. Heroid.* 15. 53. At vos erronem tellure remittite nostrum, Nisiades matres Nisiadesque nurus. *Colum.* 9. *R. R.* 10. 3. *de apum rege.* Velut quadam compede retinebimus erronem ducem, detractis alis. — *Nigidius* apud *Varron.,* teste *Gell.* 3. 10. et 14. 1., errones appellat stellas, quas alii erraticas. — De veteranis, qui aliorum agros invadunt. *Valer. Cato Dir.* 70. Nec nostros servire sinant erronibus agros.

ERRŌNEUS, a, um, adject. qui huc illuc errat et vagatur. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 5. *de canibus.* Maxime debent in custodia vigilaces conspici, nec erronei, sed assidui. *Vulgat. Ital. Eccli.* 26. 11. edente *A. Mai.* Mulier ebriaca et erronea, magna ira. *Codex habet* erronia.

ERROR, ōris, m. 3. huc illuc vagatio, vel actus huc illuc vagandi (*It. errore;* Fr. *action d'errer;* Hisp. *el acto de errar;* Germ. *das Umherirren, Irrfahrt;* Angl. *a wandering*). Occurrit autem *A*) Generatim; et *B*) Speciatim.

A) Generatim est, ut diximus, huc illuc vagatio, vel actus huc illuc vagandi.

I.) Proprie usurpatur — *a*) De hominibus. *Cic.* 2. *de republ.* 4. Jam qui incolunt eas urbes (*maritimas*), non hærent in suis sedibus, sed volucri semper spe et cogitatione rapiuntur a domo longius: atque etiam quum manent corpore, animo tamen excurrunt et vagantur. Nec vero ulla res magis labefactatam diu et Carthaginem et Corinthum pervertit aliquando, quam hic error et dissipatio civium. *Val. Flacc.* 5. 116. vagus hos ibi fixerat error. *Justin.* 36. 3. Quoniam illa dies famem illis erroremque finierat. — *b*) De navibus. *Auct. B. Afr.* 11. Subito navium pars, de qua timebat, ex errore eodem conferebatur. *Ovid.* 11. *Met.* 483. Ultima jam passi comites belloque fretoque, Deficiunt; finemque rogant erroris. *Id. Heroid.* 16. 29. neque tristis hiems, neque nos huc appulit error. *Val. Flacc.* 4. 397. errore deferri ad Inachias undas. Similiter *Virg.* 6. *Æn.* 532. pelagine venis erroribus actus? *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 109. longis erroribus actus. Cf. *eumd.* 4. *Met.* 567. *Virg.* 1. *Æn. in fin.* Dicere errores suos. *i suoi viaggi, i suoi giri.* Huc referri potest et illud *Ovid.* 1. *Met.* 582. amnes in mare deducunt fessas erroribus undas. — *c*) De aliis inanimis. *Lucret.* 2. 128. *de atomis.* Multa videbis enim plagis ibi (*in solis radiis*) percita cæcis Commutare viam, retroque repulsa reverti Nunc huc, nunc illuc, in cunctas denique partes. Scilicet hic a principiis est omnibus error. *Ovid.* 8. *Met.* 166. *de labyrintho.* Ita Dædalus implet Innumeras errore vias. (Hinc etiam figurate *error* dicitur id, in quo, vel cujus causa errari facile potest. *Catull.* 64. 114. Ne labyrintheis e flexibus egredientem Tecti frustraretur inobservabilis error. Similiter *Virg.* 6. *Æn.* 27. Hic labor ille domus et inextricabilis error.). *Sil. It.* 10. 77. *de ferarum latibulis.* Ut canis occultos agitat quum Belgicus apros Erroresque feræ solliers per devia mersa Nare legit, etc.

II.) Translate. — *a*) Poetice *error oculorum* de moribundis dicitur, et est oculorum versatio et circumactus. *Val. Flacc.* 6. 277. extremus quum lumina corripit error, Vocque repressa gelu percussaque vertice tellus. *Stat.* 12. *Theb.* 776. emicuit per mille foramina sanguis Impius: ille oculis extremo errore solutis Labitur. — *b*) Sæpius error dicitur de animo qui incertus est, qui fluctuat. *Lucret.* 1. 1069. potiundi (*amoris*) tempore in ipso Fluctuat incertis erroribus ardor amantum. *Id.* 3. 1065. Atque animo incerto fluitans errore vagaris. *Plaut. Merc.* 2. 3. 13. Nec quid corde consili capere possim scio: tantus cum cura meo est error animo. Cf. *Val. Flacc.* 7. 9. Nunc ego quo casu, vel quo sic pervigil usque Ipsa volens errore trahor? *Liv.* 9. 45. Sed vestigia, in omnes æque ferentia partes, ut in dilapsis passim, primo errorem faciebant. Adde *eumd.* 27. 47. — *c*) Quoniam vero animus hæret incertus, quum rem aliquam ignorat; *error* ponitur et pro ignorantia, imprudentia. *Ovid.* 3. *Fast.* 361. Lumina restabant, quorum me causa latebat, Quum sic errores abstulit illa meos. Huc referri potest et illud *Vulcatii Sedigit.,* in quo *error* ponitur pro re ambigua et incerta, de qua quæritur, apud *Gell.* 15. 24. Multos certos certare hanc rem vidimus, Palmam poetæ comico cui deferant. Eum meo judicio errorem dissolvam tibi. — Ceterum pro ignorantia, imprudentia. *Nepos Epam.* 7. Quum dux esset electus belli imperitus, cujus errore eo esset deducta illa militum multitudo, ut omnes de salute pertimescerent. — Et cum addito Genitivo rei, quæ ignoratur. *Liv.* 24. 17. Id errore viarum, an exiguitate temporis, Nero exsequi non potuerit, incertum est. *per non aver saputo la strada.* *Tac.* 2. *Hist.* 72. Quidam militum errore veri, seu turbarum studio, certatim aggregabantur.

B) Speciatim error est deflexio a via, huc illuc vagatio, quum viæ ignari extra institutum iter deflectimus.

I.) Proprie. *Plaut. Pseud.* 2. 3. 2. Reduxit me usque ex errore in viam. *Curt.* 5. 13. 23. Jumenta, nullo regente, decesserant militari via, et errore delata per quatuor stadia, etc. Cf. *Lucan.* 8. 7. incerta fugæ vestigia (*Pompejus*) turbat, Implicitasque errore vias. *h. e.* vias variis circuitionibus et ambagibus confusa. Sic *Pacat. Paneg. Theod.* 38. Quin ipsos viæ (*Maximus fugiens*) implicabat errores, et nunc dexter aut lævus, nunc vestigiis suis obvius, incertum iter ancipiti ambage tenebat.

II.) Translate. — 1.°) Sæpissime refertur ad animum, qui decipitur falsove opinatur, *errore, inganno.* — *a*) Generatim. *Plaut. Amph.* 1. 2. 8. Erroris ambo ego illos et dementiæ complebo. *Cic.* 2. *Legg.* 17. 43. Opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus. *Id.* 2. *Nat. D.* 28. 70. Quæ res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos. *Id.* 3. *Tusc.* 1. 2. Pæne cum lacte nutricis errorem suxisse videmur. *Id.* 5. *ibid.* 27. 78. Ægyptiorum mentes imbutæ pravitatis erroribus. *Id.* 1. *Off.* 41. 148. Nec quemquam hoc errore duci oportet, ut arbitretur etc. *Id.* 12. *Phil.* 2. 6. Eodem captus errore, quo nos. *Id.* 3. *de republ.* 35. Errore quodam fallimur in disputando. *Id. Sull.* 14. 40. In tantis tenebris erroris et inscitiæ. *Id.* 1. *Nat. D.* 1. 2. In summo errore atque in maximarum rerum ignoratione versari. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 28. (101). In magno errore sunt, qui etc. *Sillig* vero hoc in loco aliter omnino legit. — Jungitur et aliis pluribus Verbis, quorum præcipua hæc sunt. *Cic. Brut.* 85. 293. Inducere imperitos in errorem. *Nepos Hann.* 9. Ducere quempiam in errorem. *Cic. Cæcin.* 25. 71. Objicere alicui errorem. *farlo fallare.* Sic *Seneca Ep.* 67. *circa med.* Separa ista: nihil erit, quod tibi faciat errorem. Adde *Mamertin. Paneg. Maxim.* 5. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 9. *sub fin.* Labi per errorem. *Quintil.* 4. 2. 71. Errore labi. *Sueton. Aug.* 33. Errore induci ad aliquid faciendum. *Virg.* 10. *Æn.* 110. Errore teneri. *Curt.* 5. 9. 12. Ferre æquo animo errorem alicujus. *Id.* 3. 12. 6. Comperire errorem. *Sueton. Tib.* 62. Detegere errorem. *Id. Cæs.* 28.; et *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 16. (30). corrigere. *Cic.* 3. *Off.* 21. 83. Avertere (*al. leg.* avellere) aliquem ab errore. *Ter. Hecyr.* 5. 2. 26. Exsolvere aliquem errore. *Phædr.* 4. 4. Solvere errorem. *Cic.* 8. *Phil.* 11. 32. Errorem deponere. *Id.* 2. *Divinat.* 28. 60. depellere. *Orellius* vero h. l. pro *errorem* legit *terrorem.* *Id.* 1. *Fin.* 11. 37. et 1. *de republ.* 24. tollere. *Id.* 10. *Att.* 4. 6. eripere alicui. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 140. demere. — Huc pertinent et sequentia. *Sueton. Cal.* 30. Punito per errorem nominis alio, quam quem destinaverat. Adde *eumd. Cæs.* 85. *Trebell. Poll.* *XXX. Tyr.* 17. Per errorem imperator appellatus. Adde *Vopisc. Aurel.* 11. — *b*) Dicitur, præcipue a Poetis, etiam de quacumque gravi animi perturbatione, scilicet — Ponitur pro furore et amentia. *Cic.* 3. *Att.* 13. 2. Nam quod scribis, te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici; mihi vero mens integra est. *Quintil.* 6. *procem.* 11. Ipsum illum alienatæ mentis errorem circa solas litteras habuit. *Horat. Art. P.* 454. fanaticus error. *h. e.* furiosus error mentis, qualem imitantur Cybeles aut Bellonæ sacerdotes. *Virg.* 3. *G.* 513. Di meliora piis, erroremque hostibus illum. Cf. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 140. mentis gratissimus error. — Item pro timore ac perturbatione animi. *Ovid.* 3. *Fast.* 555. Diffugiunt Tyrii, quo quemque agit error, ut olim Amisso dubiæ rege vagantur apes. — Et pro amore. Amor enim errare plerumque compellit, ut ait *Servius* ad illud *Virg.* 8. *Ecl.* 41. Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error. Adde *Propert.* 1. 13. 35.; et *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 9. — Item pro dolo, fraude, adeoque pro quacumque re, quæ decipit, vel erroris causa est. *Virg.* 2. *Æn.* 48. Aut aliquis latet error: equo ne credite, Teucri. *Liv.* 22. 1. Mutando nunc vestem, nunc tegumenta capitis errore etiam sese ab insidiis munierat. *Tac.* 4. *Ann.* 63. Par forma aut ætas errorem agnoscentibus fecerat. Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 391. simillima proles Indiscreta suis, gratusque parentibus error. — *c*) Item pro peccato contra grammaticam, historiam, aut ejusmodi. *Liv.* 4. 20. Qui si in ea re sit error, quod veteres annales A. Cornelium Cossum consulem habuerint, etc. *Quintil.* 1. 6. 2. Summorum in eloquentia virorum judicium pro ratione, et vel error honestus est magnos duces sequentibus. *Id.* 3. 6. 7. Inde vero ingens male interpretantibus innatus est

error. *Sueton. Aug.* 88. Nam quod sæpe non litteras modo, sed syllabas aut permutat aut præterit, communis hominum error est. — 2.°) Morali significatione ponitur interdum pro delicto, peccato, *fallo, delitto, vizio. Ovid.* 4. *Pont.* 8. 19. Sive velis, qui sint, mores inquirere nostros; Errorem misero detrahe, labe carent. *Cf. eumd.* 2. *ibid.* 2. 57. et 3. 92. *Cic. fragm.* apud *Lactant.* 6. 24. Errorem pænitendo corrigere. *Id.* apud *Augustin.* 14. *de Trin. sub fin.* Admiscere atque implicare se hominum vitiis atque erroribus. *Juvenal.* 13. 188. Paulatim vitia atque errores exuit omnes. *Id.* 8. 163. Fecimus et nos Hæc juvenes. Esto: desisti nempe, nec ultra Fovisti errorem. Breve sit quod turpiter audes. Quædam cum prima resecentur crimina barba. Cf. *Sueton. Ner.* 26. Petulantiam, libidinem, luxuriam — sensim quidem primo et occulte, velut juvenili errore, exercuit: sed ut tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia, non ætatis esse. *Quintil.* 2. 6. 2. Revocare ab errore jam lapsos. Adde *eumd.* 4. 2. 71. et 8. 6. 7. *Forcellinus* huc retulit et illud *Horat. Art. P.* 308. Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error. At *error* hoc loco non morali significatione, sed alia accipiendus mihi videtur.

ĒRŬBESCENTĬA, æ, f. 1. verecundia, pudor. *Tertull.* 1. *ad Nation.* 16. Exemplum erubescentiæ scelerum. Adde *eumd. Pænitent.* 10.

ĒRŬBESCO, rŭbescis, rŭbŭi, rŭbescere, n. inchoat. 3. (ex *et* rubesco). Part. *Erubescens* et *Erubescendus* 2. — Erubesco, ἐρυθραίνομαι, est rubens fio, rubore suffundor (It. *farsi rosso;* Fr. *rougir, devenir rouge;* Hisp. *bermejear, roxear;* Germ. *erröthen, roth werden;* Angl. to *grew red, blush*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 2. *Amor.* 8. 16. Vidi te totis erubuisse genis. *Id.* 4. *Met.* 329. pueri rubor ora notavit Nescia quid sit amor: sed et erubuisse decebat. *Cf. eumd.* 2. *Pont.* 1. 36. Saxaque roratis erubuisse rosis. ¶ 2. Specialim ac sæpius est pudere, quia pudorem rubor oris sequitur, *arrossire, vergognarsi:* qua significatione *Forcellinus* translate accepit. Usurpatur autem — *a*) Cum Ablativo sine præpos. *Liv.* 40. 14. Non est res, qua erubescam, si etc. *Ovid.* 5. *Met.* 584. Dote corporis erubescere. *Id.* 2. *Fast.* 168. Erubuit falso virginis illa sono. Adde *eumd.* 4. *Trist.* 3. 61. *Tac. Germ.* 28. Ne Ubii quidem — origine erubescunt. *Plin. Paneg.* 31. Pudebat sterilitatis insolitæ; nec minus erubescebat fame, qua torquebatur. — Et impersonaliter *Curt.* 4. 5. 4. Ubi paucitate suorum erubescendum sit. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *in* vel *de. Cic.* 1. *Legg.* 14. 41. O rem dignam, in qua etiam agrestes erubescant! *Seneca* 2. *Controv.* 11. *ante med.* Necesse est, de aliis querar, de aliis erubescam. *Spartian. Sever.* 15. Quum de sorore multum imperator erubesceret. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *propter. Plaut. Truc.* 2. 2. 36. Erubui mecastor misera propter amorem tuum. — *d*) Absolute. *Cic.* 2. *Fin.* 9. 28. Deinde, ubi erubuit, (vis enim est permagna naturæ), etc. Adde *eumd. Rosc. Com.* 3. 8. *Id.* 5. *Fam.* 12. 1. Epistola enim non erubescit. *Quintil.* 11. 1. 22. Erubescere etiam, quum ab aliis laudabimur, decet. *Id.* 12. 11. 3. Quum alii riderent, alii erubescerent. Adde *Juvenal.* 10. 326. — Illud *Ter. Adelph.* 4. 5. 9. *Erubuit: salva res est,* in proverbium abiit, atque adhibetur ad significandam probitatem alicujus, tametsi quidpiam peccaverit. Nam qui male factis erubescit, ostendit se pœnitere, et damnare quæ admiserit, dum ea resciri ab aliis pudore suffunditur. — *e*) Cum addita per Infinitum propositione. *Cic.* 1. *Legg.* 19. 50. Erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia. *Liv.* 10. 8. Noli erubescere, Appi, collegam in sacerdotio habere, quem in censura, quem in consulatu collegam habere potuisti. Adde *eumd.* 45. 35. *Virg.* 6. *Ecl.* 2. Nostras nec erubuit silvas habitare Thalia. *Quintil.* 1. 10. 13. Socrates jam senex institui lyra non erubescebat. Adde *eumd.* 6. 1. 14. *Curt.* 8. 8. 13. In multis enim gentibus esse video, quæ non erubescamus imitari. Adde *eumd.* 5. 3. 9., 5. 5. 10., 5. 6. 14. et alibi sæpe. *Val. Max.* 6. 2. *sub fin.* Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 5. erubuit tanto spoliare ministro Imperium Fortuna tuum. — Animadversione dignum est illud *Curt.* 10. 5. 24. Quæ Alexandro esse superstes erubuit. — *f*) Cum Accusativo. *Propert.* 3. 12. 19. Inter quos Helene nudis capere arma papillis Fertur, nec fratres erubuisse deos. *Virg.* 2. *Æn.* 541. jura fidemque Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro Reddidit Hectoreum. *h. e.* reveritus est, religiose servavit. *Seneca Ep.* 95. *ante med.* Grammaticus non erubescit solœcismum, si sciens facit: erubescit, si nesciens. *Curt.* 5. 5. 17. Dignum esse omni malo, qui erubesceret fortuita. *Al. leg.* fortunæ; *al.* fortunā. Adde *Quintil.* 6. 4. 8., ubi tamen incerta est lectio. *Cicero* quoque videtur active usurpasse 1. *Nat. D.* 40. 111. Se ne intelligere quidem ullum bonum, quod sit sejunctum a voluptatibus: quas quidem non erubescens, persequitur omnes nominatim. *Id. Vatin.* 16. 39. Cognati (te) respuunt, tribules exsecrantur, vicini metuunt, affines erubescunt. — *g*) Hinc Part. *Erubescendus* significatione passiva. *Horat.* 1. *Od.* 27. 14. quæ te cumque domat Venus, Non erubescendis adurit ignibus. *affetti vergognosi.* Sic *Val. Max.* 2. 7. 1. Hac turpi et erubescenda sentina vacuefactus noster exercitus. *Flor.* 2. 14. 3. Causa belli prope erubescenda. *Id.* 3. 12. 3. Anni domesticis cladibus miseri et erubescendi. — *h*) Cum Dativo habet *Tertull. Testim. anim.* 1. *extr.*, si tamen salva est lectio.

ĒRŪCA, æ, f. 1. Scribitur et *æruca.* — *Pint.* ad *Plin.* 19. *Hist. nat.* 10. 58. (180). In *Cod. Toletano* semper *uruca* pro *eruca* scribi ait, ubi de verme sermo sit, eaque observatio in omnibus locis ab optimo quoque codice confirmatur. Eruca ¶ 1. Est genus vermis, qui in olerum folia repit, abroditque præsertim brassicas: a rodendo, vel a rugis, quia reptans se corrugat. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 63. et 10. *ibid.* 333.; *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (229).; et *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 2. ¶ 2. Est etiam hoc nomine herba Venerem excitans: ab urendo, quasi urica, vel ab erodendo, quia linguam rodit acrimonia sua. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 51.; *Colum.* 11. *R. R.* 3. 29. et 10. *ibid.* 110. et 372.; *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 44. (154).; *Juvenal.* 6. 276. et 9. 134.; et *Martial.* 3. 75. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 102.) hanc exhibet synonymiam: Εὔζωμον Theophr. Hist. plant. 1. 9. et 7. 3., et Dioscur. 2. 170.; *Eruca* Virg. Mor. 85., Ovid. Remed. am. 799., Colum. et Martial. locc. citt., et Plin. loc. cit. et 20. Hist. nat. 13. 49. (125). sunt *Brassica eruca* L. Spec. plant. 932.

ĒRUCTĀTĬO, ōnis, f. 3. Apud *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 15. scribitur *eructuatio.* — Ceterum eructatio est actus eructandi. *Apul. de Mundo.* Exhalatio terrenis eructationibus surgit. Adde *Firmic.* 4. *Mathes.* 12. Apud *Apul.* est qui minus recte legit *reluctationibus. Theod. Priscian.* 4. *p.* 313. *retro edente Ald.* Ad eructationem, vel stomachi inflationem.

ĒRUCTO, as, are, a. 1. *Eructuare* legitur a quibusdam apud *Tertull. Resurr. carn.* 32. — *Eructo* est ab *ex* et *ructo;* aliqui tamen censent, *eructo* simplex esse a Græco ἐρεύγω, et ex eo *ructo* fieri per aphæresin. At *Paul. Diac. p.* 83. 2. *Müll.* docet esse verbum frequentativum: *V.* ERUGERE. — Part. *Eructans* sub *A.* 1. et *B.* — Eructo est idem quod ructo, vehementer ructo, vel ructando ejicio (It. *ruttare;* Fr. *vomir, rejeter;* Hisp. *vomitar;* Germ. *rülpsen;* Angl. *to belch, throw up, eruct*). Occurrit *A*) Stricto; et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto sensu, et quidem

I.) Proprie. *Cic. Pis.* 6. 13. Unde tu nos turpissime eructando ejecisti. *Virg.* 3. *Æn.* 632. *de Polyph.* saniem eructans ac frusta cruenta Per somnum commixta mero. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 10. Jam nunc Gangeticas et Ægyptias aves eructant. — Absolute. *Seneca Thyest.* 909. Resupinus ipse purpura atque auro incubat, Vino gravatum fulciens læva caput, Eructat. Adde *Plin. Paneg.* 49., ubi, pro *eructans,* alii leg. *et suctans.*

II.) Translate. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 10. Accubantes in conviviis eructant sermonibus suis cædem bonorum atque urbis incendia. *h. e.* inter ructandum meditantur et jactant.

B) Latiori sensu accipitur pro quovis modo ejicere. *Lucret.* 3. 1026. Tartarus horriferos eructans faucibus æstus. *Varro* 3. *R. R.* 14. 2. Eructare aquam mamillæ in fontibus. *Id.* 1. *ibid.* 4. 4. Si propter odorem, quem eructat, pestilentior est fundus. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 6. Eructare virus noxium. *Pallad.* 2. *R. R.* 13. 7. Humores eructat ager uliginosus. Adde *Justin.* 4. 1. 4. *Virg.* 6. *Æn.* 297. atque omnem Cocyto eructat arenam. *Sil. It.* 14. 58. Ætna eructat cautibus ignis inclusi gemitus. *Val. Flacc.* 4. 315. rigidos eructat Bosphorus amnes. — Hinc *Eructare se,* se emittere, erumpere se. *Avien. Perieg.* 345. Undique se totis eructent flumina terris.

ĒRUCTUS, a, um, adject. *Gell.* 11. 7. Furfureum panem esitare, vinumque eructum et fœtidum potare. *h. e.* impurum, fæculentum, sordidum, corruptum, quasi ructu et vomendo emissum: ab ἐρεύγω *eructo. V.* ERUGERE. Alii *crudum,* vel *eruptum* leg.

ĒRŪDĔRĀTUS, a, um. *V.* vocem seq.

ĒRŪDĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Eruderatus* I. et II. — Erudero est ruderibus expurgo.

I.) Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 2. 7. Eruderatum solum. *Ambros. Orat. de obitu Theod.* Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderavit, nec latere aquam passus est. Adde *eumd. de Nabath.* 1., cujus verba *V.* in REDOPERIO.

II.) Translate. *Sidon.* 5. *Ep.* 7. Aures susurronum fæce completas opportunitate salsi sermonis eruderat. *h. e.* expurgat. *Id. ibid.* 15. Volumen de supervacuis sententiis eruderatum.

ĒRŪDĪBĬLIS, e, adject. qui erudiri potest. *Fulgent. de contin. Virgil. p.* 747. *Staver.* Neque enim eruditur, nisi quod erudibile nascitur.

ĒRŬDĬO, is, ivi *vel* ii, itum, ire, a. 4. (ex *et* rudis). Nimis licenter primam corripuit *Capell.* 9. *p.* 301. Si erudita placent certe sponsalia divis. *Kopp.* legit *divis;* vulgati libri *divi.* — Part. *Erudiens* et *Erudiendus* I.; *Eruditus* I. 1. et in fin.; *Eruditurus* I. 1. — Erudire, παιδεύω, est e rudi doctum facere, artibus expolire, instituere, ad humanitatem informare (It. *dirozzare, erudire, ammaestrare;* Fr. *ôter la rudesse, dégrossir, former, enseigner, instruire;* Hisp. *instruir, enseñar;* Germ. *von der Roheit befreien,* d. i. *durch Kenntnisse ausbilden, unterrichten, lehren;* Angl. to *teach, instruct, inform, direct, bring up, educate*).

I.) Proprie. — 1.°) Generatim. — *a*) Cum Accusativo personæ tantum. Jungitur cum *docere* apud *Cic.* 1. *Off.* 44. 156. Studiosos dicendi erudire atque docere. *Id.* 2. *Divinat.* 2. 4. Docere atque erudire juventutem. Cum *instituere* apud *eumd.* 3. *Orat.* 9. 35. Diligentissimeque hoc est eis, qui instituunt aliquos atque erudiunt, videndum, quo sua quemque natura maxime ferre videatur. *Cf. eumd.* 5. *Verr.* 69. 161. infra sub *d.* Ceterum *Id.* 2. *ibid.* 1. 2. Et ea disceremus, quæ Crasso placerent, et ab iis doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur. *Id.* 3. *Fin.* 2. 6. Quod si facerem quasi te erudiens, etc. *Quintil.* 1. 1. 2. Utilius domi, an in scholis (*pueri*) erudiantur. Adde *eumd.* 1. *proœm.* 1. 6. *Id.* 2. 17. 33. Gladiatores eruditi sub eodem magistro. *Sueton. Cæs.* 26. Tirones per lanistas in ludo erudire. — Huc referri potest et illud *Cic.* 2. *Tusc.* 14. 34. Laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. *avvezzano alle fatiche, al cacciare, etc.* — *b*) Cum addito sine præpos. Ablativo rei, qua quis eruditur. *Cic.* 1. *Fam.* 7. *extr.* Lentulum, eximia spe adolescentem, cum ceteris artibus, tum in primis imitatione tui fac erudias. *Id.* 2. *de republ.* 19. Omnibus eos artibus ad Græcorum disciplinam erudiit. *Nepos Att.* 1. Erudire filium omnibus doctrinis. *Id. Themist.* 10. Erudiri litteris et sermone Persarum. *Id. Iphicr.* 2. Erudire exercitum omni disciplina militari. *Quintil.* 1. 10. 35. aliquem primis litteris. *Justin.* 12. 16. 7. aliquem studiis litterarum. *Vopisc. Car.* 4. aliquem litteris. — *c*) Cum addito Ablativo rei et præpos. *in. Cic.* 1. *Orat.* 59. 253. Oratorem erudire in jure civili. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 3. His in rebus jam te usus ipse erudivit. — *d*) Cum Accusativo rei et præpos. *ad* vel *in. Cic.* 5. *Verr.* 69. 161. Filios instituere atque erudire ad majorum instituta atque civitatis disciplinam, non ad tua flagitia, neque ad tuas turpitudines debuisti. *Id.* 1. *Tusc.* 26. 64. Philosophia nos ad deorum cultum, ad jus hominum, ad modestiam magnitudinemque animi erudivit. *Justin.* 16. 5. 13. Virtutem, ad quam quotidie præceptis magistri erudiebantur, patriæ exhibere cupientes etc. *Lactant.* 5. 2. *a med.* Profitens, se eruditurum alios ad veritatem. *Ovid. Heroid.* 1. *sub fin.* natus, qui mollibus annis in patrias artes erudiendus erat. — *e*) Cum duobus Accusativis. *Val. Flacc.* 2. 49. nec me tantum Tritonia cursus Erudiit; sæpe ipsa manu dignata carinam. *Stat.* 10. *Theb.* 506. Et quæ te leges præceptaque fortia belli Erudiit genitrix. — *f*) Cum Infinito. *Ovid.* 3. *Fast.* 819. stantes radio percurrere telas Erudiit. *Plin.* 33.

Hist. nat. 11. 53. (140). Erudita civitate amare etiam, non solum admirari opulentiam externam. Et omisso Accus. personæ *Sil. It.* 11. 351. au tristia vincla Et Decius non erudiunt componere mentem. — *g*) Cum relativo. *Ovid.* 3. *Fast.* 291. qua possint, erudit, arte capi. — *h*) Absolute. *Nepos Epam.* 2. Eruditus autem sic, ut nemo Thebanus magis. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 6. Quorum monitionibus vel unus ex multis (nam est difficile erudire) non solum rusticationis, sed imperandi consequatur scientiam. *Nazar. Paneg. Constant.* 4. Jam tibi quidem in erudiendo, imperator optime, non omnia proponebantur quæ sequi velles. — Sic Gerund. *erudiendi* passiva significatione. *Justin.* 17. 3. 11. Athenas quoque erudiendi gratia missus, quanto doctior majoribus suis, tanto et gratior populo fuit. — 2.°) Speciatim *erudire aliquem de re aliqua* est certiorem facere apud *Cic.* 2. *Fam.* 12. Obviam mihi velim sint litteræ tuæ, quæ me erudiant de omni republica. *m' informino, mi dian contezza.*

II.) Translate de rebus. *Ovid. Remed. am.* 690. Ut flerent, oculos erudiere suos. *Id.* 1. *Amor.* 14. 30. Erudit admotas ipse capillus acus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (56). Polycletus judicatur toreuticen sic erudisse, ut Phidias aperuisse. *aver ridotto a perfezione.* — Hinc Part. præter. pass., cujus aliqua superius exempla retulimus,

Eruditus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Eruditior* et Sup. *Eruditissimus* I. et II. — Eruditus, πεπαιδευμένος, *ammaestrato, erudito, letterato, dotto*, est institutus, litteratus, doctus.

I.) Proprie de hominibus; et occurrit — *a*) Cum Ablativo rei sine præpos. *Cic.* 2. *de republ.* 15. Facile patior non esse nos transmarinis, nec importatis artibus eruditos, sed genuinis domesticisque virtutibus. *Id.* 4. *Att.* 16. o *med.* Mancipia litteris, aut musicis erudita. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 7. *extr.* Homo doctrina atque optimarum artium studiis eruditus. *Id.* 3. *Orat.* 34. 139. Homines Socraticis disputationibus eruditi. Adde *ibid.* 67. 236.; *Arch.* 7. 18., et 2. *Nat. D.* 9. 23. *Id. Brut.* 82. 283. Calvus orator, litteris eruditior, quam Curio. *Id.* 1 *Orat.* 39. 180. Scævola eruditissimus disciplina juris civilis. (Ceterum Superlativus occurrit etiam apud *Quintil.* 9. 4. 9., 1. 6. 9. et 10. 1. 95.). *Nepos Att.* 12. Eruditus optimis artibus. *Liv.* 42. 52. artibus militiæ. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 64. opere rustico. *Quintil.* 1. 10. 35. litteris. *Capitolin. Max. jun.* 3. Soror Græcis munditiis erudita. Similiter *Cic. Balb.* 20. 47. Marius stipendiis et legationibus bellicis eruditus. *Id. Planc.* 9. 22. Eruditus artificio simulationis. — *b*) Cum Ablativo rei et præpos. *in. Spartian. Ver.* 5. In litteris eruditus. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *ad. Cic. Fontej.* 15. 33. Homines non litteris ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis ac victoriis eruditos. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. Græci diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditi. *Trebell. Poll. XXX. Tyr.* 18. Ad gerendam rempublicam eruditus. *Capitolin. Max. jun.* 3. ad Græcas munditias. — *d*) Cum Accusativo per hellenismum. *Gell.* 2. 21. Eruditus Græcas res. *Id.* 19. 12. *sub fin.* Fiduciam peccasti imitatione falsa eruditus. — *e*) Cum Infinito. *Tac. Agric.* 18. Eruditus utilia honestis miscere. — *f*) Absolute. *Cic.* 1. *Tusc.* 3. 5. Oratorem celeriter complexi sumus; nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum: post autem eruditum. *Id.* 1. *de republ.* 17. *extr.* Quam ob rem semper mihi et doctrina et eruditi homines et tua ista studia placuerunt. *Quintil.* 9. 1. 18. Eruditus vir. Adde *Sueton. Tib.* 70. — Et de Veneris perito. *Auct. Priap.* 41. inter eruditos Ficusissimus ambulet poetas.

II.) Translate de rebus et abstractis. — *a*) Cum Substantivo. *Cic.* 5. *Fam.* 14. Animus eruditus, qui semper aliquid ex se promit, quod alios delectet. *Id.* 2. *de republ.* 10. Quod ceteri minus eruditis hominum sæculis fuerunt. *Et ibid. paullo post.* Ut jam doctis hominibus ac temporibus ipsis eruditis ad fingendum vix quidquam esset loci. Sic *Id.* 12. *Att.* 18. Quantum his temporibus tam eruditis fieri potuit. *Id* 5. *Parad.* 2. 38. Nos quoque oculos eruditos habemus. *Id.* 2. *de republ.* 42. Quem (*concentum*) immutatum aut discrepantem aures eruditæ ferre non possunt. Sic *Quintil.* 10. 1. 32. Illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius. Rursus *Cic. Parod. procem.* 4. Alia est erudita, alia popularis oratio. Adde *Quintil.* 8. 3. 17. *Id. Quintil.* 8. 6. 24. *Vario Marte pugnatum est*, eruditus est sermo. *Id.* 12. 2. 3. Eruditiore aliquo sermone. *Colum.* 8. *R. R.* 16. 4. Docta et erudita palata fastidiunt fluvialem lupum. *Tac.* 16. *Ann.* 18. Petronius habebatur non ganeo et profligator, sed erudito luxu. *h. e.* eleganti, *di buon gusto.* Sic leg. *Forcellinus* cum veter. editionibus; recentiores vero plerique leg. *gustu.* — *b*) Absolute neutr. gen. *Quintil.* 6. 3. 98. Ex historia etiam ducere argumenta, eruditum (*est*). *Id.* 9. 2. 97. Eruditissimum longe, si per aliam rem alia intelligetur. — Hinc

Eruditus, i, et sæpius *eruditi, ōrum*, m. 2. absolute, substantivorum more, pro eruditis hominibus usurpatur. — *a*) In plur. num. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 26. Vellem equidem, aut ipse (*Epicurus*) doctrinis fuisset instructior (est enim non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur), aut ne deterruisset alios a studiis. *Id. Amic.* 2. 6. Nec sicut vulgus, sed ut eruditi solent appellare sapientem. *Quintil.* 8. 6. 75. Inter eruditos et apud rusticos. *Id.* 1. 5. 25. Quosdam eruditos, nonnullos etiam grammaticos sic docere ac loqui. Adde *eumd.* 1. 6. 12. et 4. 2. 86. *Id.* 12. 10. 49. Plures eruditorum putaverunt etc. *Id.* 1. 6. 15. Eruditorum consensus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 41. (113). Apud eruditos non aliud in majore sententiarum varietate est. *Id.* 11. *ibid.* 37. 49. (134). Cerebrum aliud esse, quam medullam, eruditi docent. *Quintil.* 10. 7. 21. Qui stultis videri eruditi volunt, eruditis stulti judicantur. — *b*) In sing. num. *Quintil.* 11. 1. 45. Non idem apud eruditum, quod militarem ac rusticum, deceat.

Homonym. Quomodo *eruditus* a *docto* differat, *V.* DOCTUS. Adde, quandoque *eruditum* opponi *artifici*: quatenus artifex eum significat, qui artem quamdam profitetur, *il professore*; eruditus contra eum, qui non omnino rudis est artis illius, sed ejus cognitione censetur, *il dilettante, l'intendente.* Hinc *Donatus* ad *Ter. Eun.* 5. 4. 19. Hæc ergo artificibus et eruditis, cetera spectatoribus poeta exhibet. *il poeta ciò propone per li professori e per li dilettanti, il resto pel volgo.*

ERUDIS, e, adject. ab *ex* et *rudis*. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 123.

ĒRŬDĪTĒ, adverb. Comp. *Eruditius* et Sup. *Eruditissime.* — Erudite est docte, cum eruditione. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 14. Volumina duo composita facetius et eruditius posteritati tradenda curavit. *Cic. Senect.* 1. 3. Qui si eruditius videbitur disputare, etc. *Id. Orat.* 52. 174. Litteræ eruditissime scriptæ. *Quintil.* 1. 5. 36. Illud eruditius quæritur, an in singulis quoque verbis possit fieri solœcismus. *Gell.* 18. 5. *extr.* Erudite simul et affabiliter dicere. *Plin.* 1. *Ep.* 9. *in fin.* Satius est, ut Atilius noster eruditissime simul et facetissime dixit, otiosum esse, quam nihil agere.

ĒRŬDĪTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Stricto sensu est actus erudiendi, institutio. *Cic.* 3. *ad Q. Fr.* 1. 1. *extr.* De ejus eruditione quod labores, nihil est, quoniam ingenium ejus nosti, studium ego video. *Quintil.* 2. 3. 10. Potiorem in scholis eruditionem esse, quam domi. *Gell.* 11. 7. Est adeo id vitium (*scil.* utendi verbis nimis obsoletis) plerumque seræ eruditionis, quam Græci ὀψιμαθίαν appellant. ¶ 2. Latiori sensu est ipsa doctrina, quæ eruditione acquiritur. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 2. *Orat.* 1. 1. Antonium omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse. *Id.* 1. *Off.* 33. 119. Præclara eruditione atque doctrina ornatus. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 4. Quæ sine eruditione Græca intelligi non possunt. *Id.* 1. *Tusc.* 2. 4. Summam eruditionem Græci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. *Sueton. Aug.* 89. Eruditione varia repletus. *Id. Gramm.* 6. Composuit variæ eruditionis aliquot volumina. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (134). Athenion austerior in colore, et in austeritate jucundior, ut in ipsa pictura eruditio eluceat. — *b*) In plurali num. *Gell. præfat.* Quas breviter et indigeste et incondite eruditionibus lectionibusque variis feceramus. *eruditionibus*, quæ ab aliis didicimus; *lectionibus*, quæ ipsi legimus. *Vitruv.* 1. 1. *a med.* Quum hæc disciplina sit abundans eruditionibus variis ac pluribus. — *c*) *Eloquentiam* ab *eruditione* distinguit *Sueton. Cal.* 53. E disciplinis liberalibus minime eruditioni, eloquentiæ plurimum attendit. — *d*) In illo *Senecæ Ep.* 47. Libenter ex his, qui a te veniunt, cognovi, familiariter te cum servis tuis vivere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. *Lips.* sapientiam intelligit, Stoicorum lingua, qui rudes, stultos habebant: quod pluribus illustrat *Id. l.* 2. *manuduct. ad Stoic. philosoph. dissert.* 1.

ĒRŬDĪTOR, ōris, m. 3. qui erudit, doctor. *Hieronym. vit. Hilarionis*; *Tertull. Pall.* 4.; et *Vulgat. interpr. Ose.* 5. 2., *Rom.* 2. 20. et *Hebr.* 12. 9.

ĒRŬDĪTRIX, icis, f. 2. quæ erudit. *Flor.* 2. 6. 38. Africa Hannibalis eruditrix.

ĒRŬDĪTŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* eruditus. Jocularitor tantum occurrit, et est Veneris peritus. *Catull.* 57. 7. Uno in lectulo eruditull ambo.

ĒRŬDĪTUS, a, um. *V.* ERUDIO.

ĒRŬDĪTUS, us, m. 4. eruditio. In sexto casu singulari habet *Tertull. advers. Valentinian.* 29.

ĒRŬGĀTĬO, ōnis, f. 3. cutis extensio, rugis sublatis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 50. (184). Candorem cutique erugationem præstat. h. e. cutis rugas demit.

ĒRŬGĔRE semel factum significat, quod eructare sæpius. Illud enim perfectæ formæ est, hoc frequentativæ. *Paul. Diac. p.* 83. 1. *Müll.* Hanc *Paul. Diac.* sententiam confirmat *Macrob. de diff. Græci Lat. verb. p.* 2765. *Putsch.* hisce verbis: *Eructat* frequentativum est a principali *erugit aquæ vis.* V. et ERUCTUS.

ĒRŬGO, as, are, a. 1. (ex et ruga) est cutem extendere et rugas tollere. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 19. 74. (126). Lilii radices erugant corpora. *Id.* 28. *ibid.* 12. 50. (183). Cutem in facie erugari, et tenerescere, et candorem custodire, lacte asinino putant. *Id.* 13. *ibid.* 12. 26. (83). Charta erugatur atque extenditur malleo.

ĒRŬGO, is. *V.* ERUGERE.

ĒRŬLUS, i. *V.* HERULUS.

ĒRUMPO, rumpis rūpi, ruptum, rumpere, 3. (ex et rumpo). Part. *Erumpens* sub *B.* I. 2.; *Eruptus* sub *A.* I. 1.; *Erupturus* sub *B.* II. — Erumpere est verbum *A*) Activum; et *B*) Neutrum.

A) Active *erumpere* est cum impetu emittere, effundere (It. *mandar fuori con impeto*; Fr. *faire sortir avec impétuosité, jeter, lancer avec force*; Hisp. *hacer salir con impetuosidad*; Germ. *heraus –, hervorbrechen*; Angl. *to send forth*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Lucret.* 1. 724. *de Ætna.* Faucibus eruptos iterum vis ut vomat ignes. Et passive *Id.* 6. 581. incita quum vis Exagitata foras erumpitur. *Cato R. R.* 157. Brassica tumida concoquit: eadem erumpit. *fa venire a suppurazione i tumori e li fa crepare.* *Cic. Arat.* 111. Æstiferos validis erumpit flatibus ignes. *Tibull.* 4. 1. 86. Fontibus ut dulces erumpat terra liquores. Et passive *Scribon. Compos.* 84. Quum sanguis eruptus est. *Id. ibid.* Sanguinem cogunt magis erumpi per vulnus. *Stat.* 7. *Theb.* 638. Eruptusque sinus vicit cruor. *Al. leg.* erumpensque. Cf. *Petron. Satyr.* 124. Atque has erumpit furibundo pectore voces. *Al. leg.* Inque has. — *Erumpere se* est cum impetu exire, ea ratione, qua *emergere se* dicimus. *Accius* apud *Non. p.* 226. 22. *Merc.* Ita imperitus stopiditate erumpit se, impos consilii. *Varro* (*Forcellinus* habet *Vatin.*) apud *eumd. p.* 46. 8. Ventique frigido se ab axe eruperant Phrenetici septemtrionum filii. *Lucret.* 4. 1108. ubi se erupit nervis conjecta cupido. *Cæs.* 2. *B. C.* 14. Portis se foras erumpunt. *Virg.* 4. *G.* 368. unde altus primum se erumpit Enipeus. *fluvius Thessal.* Sic *Id.* 1. *ibid.* 445. media inter nubila sese Diversi erumpent radii. ¶ 2. Latiori sensu occurrit cum Accusativo loci pro exire, seu potius magno cum impetu et quasi rumpendo exire. *Liv.* 22. 50. Per hos, qui inordinati atque incompositi obstrepant, portas erumpamus. *Præferenda tamen videtur vulgata lectio* obstrepunt portis, erumpamus. *Virg.* 1. *Æn.* 581. jamdudum erumpere nubem Ardebant. *Val. Flacc.* 5. 466. Admonet hic socios nebulamque erumpit Iason. *Ulp. Dig.* 29. 5. 3. *ante med.* Erumpere vincula. *Exeo* quoque et *evado* hac ratione usurpatur.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorā sumptā a superiori paragr. 1. *Ter. Eun.* 3. 5. 2. Jam ne erumpere hoc licet mihi gaudium? *Cic.* 16. *Att.* 3. Ne in me stomachum erumpant, quum tibi sint irati. *sfoghino la collera.* *Liv.* 36. 7. *circa med.* Ut erumpere diu coercitam iram in hostes communes posset. *Al. leg.*

coercita ira. *Cæs.* 3. *B. C.* 8. Naetus circiter xxx. (*naves*), in eas indiligentiæ suæ ac doloris iracundiam erupit, omnesque incendit. *Sic plerique docti viri emendarunt* (*V. Drakenborg ad Liv. loc. mox cit.*): *vulgati libri habent* iracundia erupit. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2. *Inscript.*, non optimæ tamen notæ, apud *Murat.* 1013. 5. SI QVIS ERVPERIT LEGEM PRAETERITI (*fortasse legendum est* propositi) MEI etc.

B) Neutrorum more *erumpere* sæpius usurpatur, et est celeriter, vi et cum impetu exire, prorumpere (It. *uscir fuori con impeto*; Fr. *faire explosion*, *se précipiter*, *s'élancer*; Hisp. *abalanzarse*, *arrojarse*; Germ. *hervorbrechen*, *- stürzen*, *- eilen*, *ausbrechen in etwas*; Angl. *to break or burst forth*, *sally forth impetuously*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a*) Cum addito loco, ex quo quis erumpit, per Ablativum et præpos. *ex* vel *ab*, aut sine præpos. *Cæs.* 3. *B. G.* 5. Post signo dato ex castris erumperent. *Cic.* 6. *Verr.* 48. 106. Ignes, qui ex Ætnæ vertice erumpunt. Sic *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 21. (86). Ex stagno duos amnes erumpere. *Sil. It.* 12. 438. namque angustis e faucibus æquor Erumpit scopulos inter, patuloque recessu Infundit campis secretum gurgite pontum. *Liv.* 34. 26. Cum erumpentibus a porta Lacedæmoniis prælium commiserunt. *Id. ibid.* 28. Tum ab oppido pluribus simul locis erumpunt. *Vopisc. Tac.* 12. Erumpere a Mæotide. *Ovid. in Ib.* 155. Stygiis erumpere nitar ab oris. *Sall. Jug.* 99. Milites clamorem tollere atque portis erumpere jubet. *Cæs.* 3. *B. C.* 44. Ne quo loco erumperent Pompejani, et nostros post tergum adorirentur, timebant. *Sueton. Aug.* 14. Pæne interceptus est a manu gladiatorum, quæ oppido eruperat. *Sil. It.* 8. 641. Ludificante etiam terroris imagine somnos, Gallorum visi bustis erumpere manes. *Lucret.* 1. 163. erumpere cælo Armenta atque aliæ pecudes. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 52. 53. (138). Fulmina terra erumpunt. *Lucan.* 6. 555. Erumpit sanguis jugulo. *spiccia.* — *b*) Cum Accusativo loci, ex quo quis erumpit: *V.* supra sub *A.* I. 1. — *c*) Absolute. *Cic.* 2. *Cat.* 1. 1. Abiit, excessit, erupit. *Cæs.* 1. *B. C.* 81. Sive noctu, sive interdiu erumperent. *Liv.* 29. 33. Ducentos ferme equites Masinissa circa se conglobatos, divisosque turmatim in tres partes, erumpere jubet. Adde *eumd.* 9. 7. *Tac.* 2. *Ann.* 11. Qua celerrimus amnis, Chariovalda dux Batavorum erupit. Adde *eumd.* 14. *Ann.* 37. et 2. *Hist.* 26. *Vopisc. Aurel.* 19. Marcomannos erupisse. Adde *eumd. ibid.* 6.; et *Spartian. Did. Jul.* 1. *Quintil.* 6. 2. 31. Non percussor ille subitus erumpet? *Val. Flacc.* 8. 323. volucrum gens turbida fratrum Erumpit. — *d*) Cum additis, per quæ quis erumpit, per Accus. et præpos. *inter* vel *per*. *Sall. Jug.* 101. Solus inter tela hostium vitabundus erumpit. *scappa.* *Plin.* 22. *Hist. nat.* 6. 6. (11). Erumpere per castra hostium. Cf. *Lucret.* 6. 888. dispersa (*semina*) foras erumpere cogit Vis per aquam subito. Sic *ibid.* v. 895. Sic igitur per eum possunt erumpere fontem Et scatere illa foras in stupam semina. *Id.* 5. 458. ideo per rara foramina terræ Partibus erumpens primus se sustulit æther Signifer. *Nepos Att.* 21. Ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. — *e*) Cum addito, quo quis erumpit, per Accus. et præpos. *ad* vel *in*. *Sall. Cat.* 43. Simul, cæde et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent. *h. e.* ex Urbe ad Catilinam celeriter se conferrent. *Curt.* 6. 3. 5. Ego vero ad penates meos, ad parentem sororesque, vel renitentibus vobis, erumperem. *Id.* 9. 9. Apes erumpunt ad pugnam. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 7. (23). Delphini solent in terram erumpere. *Curt.* 3. 4. *fin.* Ne occultus hostis in subeuntes erumperet. ¶ 2. Latiori sensu sumitur et simpliciter pro exire, emergere, nasci. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 6. 12. (54). Lentor resinosus e cortice erumpit. *Id.* 15. *ibid.* 14. 15. (52). Geminum folium e latere erumpit. *nasce, spunta.* *Id.* 18. *ibid.* 7. 10. (51). Erumpit a primo satu hordeum die septimo, legumen quarto. *Id.* 23. *ibid.* 6. 60. (112). Flosculi erumpentes. *Id.* 11. *ibid.* 37. 64. (170). Dentes erumpentes. *Id.* 20. *ibid.* 9. 40. (103). Theodorus bulbis curat erumpentia in capite. *h. e.* ulcera erumpentia. *Sil. It.* 13. 332. Ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte.

II.) Translate occurrit — *a*) Cum addito, ex quo quid erumpit, per Ablat. et præpos. *ex*. *Cic. Sext.* 4. 9. Quum illa conjuratio ex latebris atque ex tenebris erupisset. *Quintil.* 4. 3. 17. Qui ex media (*oratione*) erumpit, cito ad id redire debet, unde devertit. *h. e.* qui in media confirmatione degressionem facit; ubi *Forcellinus* adnotat, *erumpere* exeundi vim habere. — *b*) Sæpius absolute. — Generatim. *Cic.* 1. *Cat.* 3. 6. Quid est quod jam amplius exspectes, si nec privata domus parietibus continere voces conjurationis tuæ potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? *Tac.* 3. *Ann.* 41. Erupere primi Andecavi ac Turoni. *h. e.* in seditionem. Sic *Id.* 1. *Hist.* 55. Quinta decima et sexta decima legiones nihil ultra fremitum et minas ausæ initium erumpendi circumspectabant. *Quintil.* 12. 9. 5. Nondum tantum dicendi lumen accesserat, ut etiam per obstantia erumperet. *Id.* 1. 5. 20. Erupit brevi tempore nimius usus, ut etc. — Præcipue de sono. *Cic.* 10. *Phil.* 9. 19. Erumpat aliquando vera et me digna vox. *Seneca Brevit. vit.* 6. Quum verba eruperunt, affectus ad consuetudinem relabuntur. *Quintil.* 9. 2. 76. Verba vi quadam veritatis erumpentia. *Sil. It.* 10. 503. vicinus parte sinistra Per subitum erumpit clamor. *Id.* 6. 283. Erupit tristi fluvio mugitus et imis Murmura fusa vadis. *Minuc. Fel. Octav.* 41. Cæcilius sic erupit. *h. e.* sic locutus est. *V.* mox plura sub *c.* — De animi motibus. *Cic.* 2. *Orat.* 58. 235. Quomodo (*risus*) exsistat, atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere, nequeamus etc. Adde *Quintil.* 6. 3. 9. Sic *Quintil.* 6. 2. 7. Quum ille fletus erumpit. *Id.* 11. 3. 75. Dolore lacrimæ erumpunt. *Cic. Sull.* 24. 67. Furorem incredibilem, biennio ante conceptum, erupisse in meo consulatu scripsi. *essere scoppiato.* *Liv.* 7. 21. Curæ privatæ in certaminibus publicis eruperunt. *Id.* 2. 23. Erupit ira. *Sueton. Cal.* 6. sævitia. *Quintil.* 9. 3. 54. affectus. *Tac.* 2. *Ann.* 11. cupido. *Id.* 1. *ibid.* 77. licentia. — *c*) Cum addito termino, quo quid erumpit — Per Accus. et præpos. *in*. *Ter. Phorm.* 2. 2. 11. Vereor, ne istæc fortitudo in nervum erumpat denique. *vada una volta finire in prigione.* *Cic. Mur.* 23. 47. Ut odia occulta civium, quæ tacitis nunc discordiis continentur, in fortunas optimi cujusque erumperent. *Id. Amic.* 21. 76. Erumpunt sæpe vitia amicorum tum in ipsos amicos, tum in alienos. *Id. Mur.* 38. 81. Omnia, quæ per hoc triennium agitata sunt, in hos dies, in hos menses, in hoc tempus erumpunt. *Liv.* 34. 61. Quod mox in omnium perniciem erupturum esset. *Quintil.* 12. 7. 2. Erupturas in rempublicam conspirationes. *Id.* 8. 3. 4. Ego illos credo qui aderant velut mente captos et quo essent in loco ignaros erupisse in hunc voluptatis affectum. *Sueton. Tib.* 68. Erumpere in omne genus crudelitatis. *Tac.* 1. *Ann.* 36. Imbutasque præda manus in direptionem Galliarum erupturas. *Quintil.* 11. 3. 51. Elisa (*vox*) in illum sonum erumpit. *Justin.* 10. 2. 5. Exacerbatus juvenis in jurgia patris erupit. *proruppe.* *Solin.* 1. *ad fin.* Atys Crœsi, mutus ad id locorum, in vocem erupit vi timoris. *Symmach.* 4. *Ep.* 1. Prior in verba salutationis erupit. Apud *Cic. Dom.* 24. 63. Erumpere in actus. *Orellius* cum optimis Codd. verba *in actus* omittit. *V.* ACTUS, us. — Per Accus. et præpos. *ad*. *Cic. Harusp. resp.* 3. 4. Videbam, erupturum illud malum ad perniciem civitatis. *Liv.* 2. 45. Rem ad ultimum seditionis erupturam. *Sueton. Ner.* 27. Nulla dissimulandi cura, ad majora vitia palam erupit. *Tac.* 11. *Ann.* 35. Incensumque et ad minas erumpentem castris infert. — Per Adverbia motus. *Cic.* 2. *Att.* 20. 5. Hæc quo sint eruptura, timeo. *Id. ibid.* 21. 1. Nunc repente tanto in odio est omnibus (*dominatio*), ut, quorsus eruptura, horreamus. *Quintil.* 9. 2. 61. Huc erumpit ejus affectus, ut etc.

ERUNCINO, as, are, a. 1. runcina erado: ab *ex* et *runcino*. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 157.

ĒRUNCO, as, are, a. 1. herbas noxias et spinas frutectaque exstirpo: ab *ex* et *runco*. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 28. Omnes alterius generis herbas eruncato. *Id.* 11. *ibid.* 3. 14. Eruncare areas.

ĒRŬO, rŭis, rŭi, rŭtum, rŭere, a. 3. (ex et ruo). Part. *Eruens* I. 1.; *Erutus* in omnibus paragr.: *Eruendus* II. 1.; *Eruturus* I. 1. — Eruere, ἐξορύσσω, ἐξορύττω, est effodere, extrahere, quæ terrâ obruta sunt, terram amoliendo, educere (It. *scavare*, *tirar fuori*; Fr. *tirer en creusant ou en feuillant*, *déterrer*, *extraire*, *arracher*; Hisp. *desenterrar*, *extraer*; Germ. *herausgraben*, *- werfen*, *- reissen*, *- stürzen*, *hervorholen*; Angl. *to pluck*, *root*, *or tear up*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Fin.* 4. 10. Qui sciet, ubi quidque positum sit, is, etiamsi quid obrutum erit, poterit eruere. Hinc — *a*) Usurpatur de metallis, plantis, et ceteris, quæ sub terra vel jaciunt, vel radices egerunt. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 53. Aurum terra eruere. *Stat.* 4. *Silv.* 7. 15. Fossor eruto concolor auro. Poetice *Val. Flacc.* 5. 145. Eruere cubilia ferri. *scavare le miniere di ferro.* *Martial.* 8. 28. Erythræis eruta gemma vadis. *Sueton. Ner.* 31. Thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui parvula molientium opera. *Virg.* 5. *Æn.* 449. radicibus eruta pinus. *Id.* 1. *G.* 319. Venti eruunt segetem ab radicibus imis. *Sil. It.* 6. 195. penitusque revulsam (*quercum*) Evertit fundo et radicibus eruit imis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 36. (62). Eruere herbam radicitus. *Ovid.* 1. *Fast.* 351. Nam sata vere novo teneris lactentia sulcis Eruta setigeræ comperit ore suis. — *b*) De mortuorum cadaveribus. *Cic.* 1. *Divinat.* 27. 57. Mortuum erutum esse. Adde *Nepot. Pausan.* 5.; et *Sueton. Cal.* 59. *Horat. Epod.* 5. 17. Sepulcris erutæ caprificos. *Tac.* 2. *Ann.* 69. Et reperiebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 44. (106). Eruit sepulcra hyæna, inquisitione corporum. *scava.* Sic *Seneca Troad.* 663. et 685. Eruere busta funditus. — *c*) De oculis, dentibus, etc. *Quintil.* 5. 9. 13. Puerum coturnicum oculos eruentem. Adde *eumd.* 6. *proœm.* 6. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (114).; *Sueton. Ner.* 5.; et *Lamprid. Alex. Sev.* 16. Eruere alicui oculum. Rursus *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 50. (89). Eruti oculi. Cf. *Justin.* 5. 8. Negarunt se Spartani, ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos. Et per hellenismum *Ovid.* 12. *Met.* 268. Figitur huic duplici Gryneus in lumina ramo, Eruiturque oculos. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (95). Dentes de sinistra parte eruti. *Sueton. Galb.* 9. Eadem illa carmina sacerdos Jovis Cluniæ ex penetrali, somnio monitus, eruerat. — *d*) Ponitur interdum etiam pro extrahere per vim. *Tac.* 3. *Hist.* 83. Abditos in tabernis aut si quam in domum perfugerant, erui jugularique populus expostulabat. Cf. *Ovid.* 12. *Met.* 476. jactanti talia Ceneus Extentum cursu missa latus eruit hasta. *h. e.* haurit, perfodit. Similiter *Stat.* 10. *Theb.* 817. sedet eruta multo Ungue genas. *graffiatasi il viso.* ἐλλυχνοφορῶς. Et *Val. Flacc.* 6. 100. Hiberni qui terga Noæ gelidumque (*h. e.* glaciem) securi Eruit. Quamquam *Ovid.*, *Stat.* et *Val. Flacc.* loci nuper citt. ad paragraphum proxime sequentem referri possunt. ¶ 2. Speciatim et latiori sensu ab Augusti ætate apud Poetas ponitur pro ab imo agitare, convellere. *Ovid. Heroid.* 5. 54. remis eruta canet aqua. Sic *Sil. It.* 17. 238. Quassans cæruleum genitor caput æquora fundo Eruit, et tumidum movet ultra litora pontum. — Hinc est etiam a fundamentis convellendo dejicere. *Virg.* 2. *Æn.* 611. Neptunus tridenti totam a sedibus urbem Eruit. *Sil. It.* 3. 212. tantoque fragore Eruta convulsis prosternes oppida muris. *Mamertin. Grat. act. Jul.* 13. Mitto veteres, qui saxo præcipites dati, quorum bona publicata, domus erutæ, interdicta posteris nomina.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. — *a*) De abstractis. *Lucret.* 5. 1387. Sic unumquidquid paullatim protrahit ætas In medium (*h. e.* invenit), ratioque in luminis eruit oras. *Cic.* 13. *Att.* 30. 2. Mi sicunde potes, erues, qui decem legati Mummio fuerint. *Id.* 12. 36. Fanum erui volo: neque hoc mihi erui potest. *h. e.* neque hoc meo ex animo evelli potest. *Id.* 2. *Orat.* 34. 146. Scrutari locos, ex quibus argumenta eruamus. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 13. 29. *Id.* 1. *leg. Agr.* 1. 3. Si quid est, quod indagaris, inveneris, ex tenebris erueris. *Id.* 2. *Orat.* 41. 174. Cura et cogitatione eruere aliquid. *Id. Mur.* 7. 16. Non ex sermone hominum recenti, sed ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuæ. *Id.* 2. *Orat.* 88. 360. Quare hac exercitatione non eruenda memoria est, si est nulla naturalis: sed certe, si latet, evocanda est. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 115. Obscurata diu populo bonus eruet atque Proferet in lucem speciosa vocabula rerum, Quæ — Nunc situs informis premit et deserta vetustas. *Ovid.* 1. *Fast.* 7. Sacra recognosces annalibus eruta priscis. *Quintil.* 12. 10.

36. Sensus sublimes variique eruantur. *Id.* 12. 8. 13. Multa, quæ litigator nihil ad causam pertinere crediderit, eruet patronus. Adde *eumd.* 4. 2. 60. et 9. 2. 64. *Id.* 12. 9. 3. Eruere veritatem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 4. 5. (24). Causa rerum et ratio eruta. *Id.* 2. *ibid.* 46. 45. (118). Ista plures sine præmio alio, quam posteros juvandi, eruerunt. *h. e.* scrutati sunt. Sic *Stat.* 3. *Theb.* 555. Eruimus, quæ prima dies, ubi terminus ævi, Quid bonus ille deûm genitor, quid ferrea Clotho Cogitet. *h. e.* inquirimus, scrutamur. *Seneca Troad.* 580. Dolor pectore imo condita arcana eruet. *h. e.* prodet, eliciet, manifesta reddet. *b*) De hominibus. *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 9. *extr.* Profecto tibi illum reperiam, nisi si in Dalmatiam aufugerit: et inde tamen aliquando eruam. *Curt.* 4. 14. 4. Viros fortes numquam ignorari: at imbelles ex latebris suis erutos, nihil præter nomina afferre. *Id.* 9. 3. 8. In alium orbem paras ire, et Indiam quæris Indis quoque ignotam: inter feras serpentesque degentes eruere ex latebris et cubilibus suis expetis. *Id.* 9. 2. 9. Relegatos in ultimum pæne rerum humanarum persequi terminum et eruere, arduum videbatur. ¶ 2. Speciatim, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2., ponitur pro diruere, evertere. *Virg.* 2. *Æn.* 4. Trojanas ut opes et lamentabile regnum Eruerint Danai. *Stat.* 5. *Theb.* 75. *Cura* viris tumidos adversa Thracas in ora Eruere et sævam bellando frangere gentem. *h. e.* Thracum gentem. *Tac.* 4. *Hist.* 72. Eruere civitatem. *rovinare, disfare.* Sic *Seneca Phœn.* 555. patriam ac penates ferro. *Val. Flacc.* 4. 761. quorum (*superum*) eruta nutu Bebrycia.

ĒRUPTĬO, ōnis, f. 3. actus erumpendi, exitus (It. *uscita impetuosa, eruzione*; Fr. *action de sortir avec impetuosité, sortie impétueuse*; Hisp. *salida impetuosa*; Germ. *das Heraus –, Hervorstürzen, – brechen*; Angl. *a bursting, forth*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (21). Elephanti universi eruptionem tentavere circumdati clathris ferreis. *Id.* 16. *ibid.* 10. 19. (15). Omnia hæc genera accensa carbonem repente exspuunt, cum eruptionis crepitu. *Id.* 18. *ibid.* 17. 44. (150). Si cariosum fuit semen, quum sereretur, prima statim eruptione agnoscitur. *b*) In plurali numero. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 86. (136). Inhibere eruptiones sanguinis.

II.) Improprie. ¶ 1. Sæpe est verbum militare, et est egressio subita militum ex oppido aut castris, aggrediendorum hostium causa. — *a*) In singulari numero. *Liv.* 3. 28. Per media castra eruptionem facere. *Cæs.* 7. *B. G.* 24. Duabus portis ab utroque latere turrium eruptio fiebat. *Id.* 3. *ibid.* 5. Si, eruptione facta, extremum auxilium experirentur. *Id. ibid.* 21. Eruptionem tentare. Adde *Quintil.* 4. 5. 7. — *b*) In plurali numero. *Cæs.* 7. *B. G.* 24. Resistere eruptionibus. Adde *Nepot. Thrasyb.* 4.; *Quintil.* 6. 4. 14.; *Colum.* 9. *R. R.* 10. 3.; et *Sueton. Cæs.* 64. et *Aug.* 96. — Latiori sensu pro excursione occurrit apud *Cæs.* 7. *B. G.* 7. Magna coacta manu, eruptionem in provinciam facere contendit. ¶ 2. Item est verbum medicorum, quo significatur exitus pusularum, ulcerum, pituitæ, et similium, quæ alias exanthemata, tubercula, papulæ, pustulæ appellantur. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 9. 38. (63). Oris ulcera et eruptiones sanare. *Id.* 23. *proœm.* 5. (8). Œnanthe siccat manantes capitis eruptiones. *Id.* 20. *ibid.* 7. 26. (66). et 8. 27. (71). Eruptiones papularum. *Id.* 26. *ibid.* 11. 73. (120). pituitæ. *Id.* 28. *ibid.* 6. 18. (66). in corpore infantium. ¶ 3. Translate. *Seneca* 1. *Clem.* 2. Eruptio vitiorum.

ĒRUPTOR, ōris, m. 3. improprie, in re militari, est qui erumpit, seu eruptionem facit. *Ammian.* 24. 5. Eruptores perterriti reverterunt.

ĒRUPTUS, a, um. *V.* ERUMPO.

ERUS, i. *V.* HERUS.

ERUSCUM. *V.* RUSCUM.

ĒRŪTUS, a, um. *V.* ERUO.

ERVĬLIA, æ, f. 1. cicera minor, cicercula, genus leguminis folio longiore, quam ceterorum, grano rotundo. *Varro* apud *Non. p.* 204. 23. *Merc.* Sed uti serat hæc legumina, arte parva paranda: cicer, ervilliam, asparagos, allia asperiora ceteris. *Schneider.* ad *Varron.* 1. *R. R.* 32. 2. correxit *ervilia.* Adde *Colum.* 2. *R. R.* 13. 1.; *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (58). et 10. 23. (98).; et *Petron. Satyr.* 57. *extr. Seren. Sammon.* 585. resinas ex terebintho In speciem erviliæ parvos glomerabis in orbes. *Paul. Diac. p.* 82. 21. *Müll.* Ervum et ervilia a Græco sunt dicta, quia illi ervum ὄροβον, erviliam ἐρόβινον appellant. *V. Pontedera Opera posth. T.* 1. *p.* 31.

ERVUM, i, n. 2. genus leguminis, siliqua cylindracea, fructu lignoso, quo armenta pinguescunt, ab ὄροβος, quod idem significat. *Plaut. Most.* 1. 1. 59. Ervom daturin' estis, bubus quod feram? *Colum.* 2. *R. R.* 11. 11. Ervum lætatur loco macro, nec humido, quia luxuria plerumque corrumpitur. *Virg.* 3. *Ecl.* 100. Eheu quam pingui macer est mihi taurus in ervo! *Al. leg.* arvo, *quod* Pierius *improbat.* Adde *Colum.* 6. *R. R.* 3. 4. et 11. *ibid.* 2. 10.; *Pallad.* 2. *R. R.* 8.; *Horat.* 2. *Sat.* 6. 117.; et *Veget.* 5. *Veterin.* 47. 4.: et *V.* ERVILIA.

ĒRYNGE, es, f. 1. *et*

ĒRYNGĬON, ii, n. 2. ἠρύγγη et ἠρύγγιον, herba est ex aculeatarum genere, dura, fruticosa, spinosis foliis, caule geniculato, cubitali et majore aliquanto, radice odorata. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 7. 8. (18).; et *Scribon. Compos.* 153. et 165. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 97.) hanc exhibet synonymiam: I. Ἠρύγγιον Theophr. Hist. plant. 6. 1.; Ἤρυγγος Nicand. de Theriac. v. 645. 849. et 945.; Ἠρύγγιον *capitulis albis* Dioscor. 3. 21. et Plut. Sympos. 7. 2; Ἀγγαθία Græcor. recent.; Φιδάγαθον Lacon. recent.; *Eryngium candidum vel centum capita* Plin. 22. Hist. nat. 8. 9. (20). et *Eryngium candicans* ejusd. Plin. loc. cit. sunt *Eryngium campestre* L. Spec. plant. 337. — II. Ἠρύγγιον *capitulis cæruleis* Dioscor. loc. cit.; Σφαλαγγαθο Zacynth. recent.; et *Eryngium nigrum* (*id est colore intense cæruleo*) et *Eringium albicans* Plin. loc. cit. sunt *Eryngium cyaneum* Sibth. Fl. Græc. edit. Smith. 1. 173. — III. *Eryngium maritimum* Plin. 20. Hist. nat. 7. 8. (19). est *Eryngium maritimum* L. Spec. plant. 337.

ĒRȲSĬMON *vel Latina positione*

ĒRȲSĬMUM, i, n. 2. ἐρύσιμον, herba est in Asia, Græciaque, inter frumenta connumerata, eademque cum ea, quam Latini irionem vocant, nisi pinguius esset. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 22. (96). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 129.) hanc exhibet synonymiam: Ἐρύσιμον Hippocr., Theophr. 8. 1. et 4. et de Causis 16., et Dioscor. 2. 188.; Ἀγριόσπαρ Græcor. recent.; et *Irio* et *Erysimum* Plin. loc. cit. sunt *Sisymbrium polyceratium* L. Spec. plant. 918. secundum Anguillaram, *Erysimum officinale* L. Spec. plant. 922. teste Dodon. Matth. in Diosc., et *Sisymbrium Irio* L. Spec. plant. 921. teste L.

ĒRȲSĬPĔLAS, atis n. 3. ἐρυσίπελας, ἐρυθρόπελας, morbus, quum super inflammationem ruber ulcus ambit, isque cum dolore procedit: ab ἐρύθω *traho* et πέλας *prope*, quia attrahit partes vicinas; vel potius ab ἐρυθρός *ruber* et πελός, aut πελιός *niger*, *lividus*, quia rubedini nonnihil alterius admixtum coloris. *Cels.* 5. 26. n. 31. et 33. ubi Græce, et *ibid.* 28. n. 14. ubi Latine legitur.

ĒRȲSISCEPTRUM, i, n. 2. ἐρυσίσκηπτρον, frutex. Inter odoramenta refert *Plin.* 24. *Hist. nat.* 13. 69. (112). Sed et frutex humilior, æque spinosus, in Nisyro et Rhodiorum insulis, quem alii erysisceptrum, alii adipsatheon, Syri diachethon vocant. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 24. 52 (110). *V.* ASPALATHUS, ibique synonymiam.

ĒRȲSĬTHĀLES, is, f. 3. ἐρυσιθαλής, herba flore luteo, foliis acanthi, bibiturque e vino. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 13. 85. (137). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 410.) ait, hanc plantam definiri non posse, quia desunt indicia.

ĒRȲTHĂCE. *V.* ERITHACE.

ĒRȲTHALLIS. *V.* ERISTHALIS.

ĒRȲTHĪNUS, i, m. 2. ἐρυθῖνος. Est qui legit *erythrinus.* — Erithinus est piscis marinus rubro colore; unde et *rubellio* Latine dicitur: ab ἐρυθρός *ruber. Ovid. Halieut.* 104. cæruleaque rubens erythinus in unda. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 23. (56). In quodam genere omnino non sunt mares, sicut in erythinis et channis.

ĒRYTHRÆUS, a, um, adject. ἐρυθραῖος, rubrum significat, ab ἐρυθρός *rubens*: unde *Erythrææ* oves dictæ sunt a rutilo vellere, teste *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (191). Similiter *erytræus color* in mare uvium dicitur a *Colum.* 7. *R. R.* 2. 1. et 6. et *ibid.* 3. 2. qui ad rubrum accedit. — Ceterum *V.* hanc vocem in ONOM.

ĒRYTHRAĪCON, i, n. 2. ἐρυθραϊκόν, genus satyrii cortice rubeo: ab ἐρυθρός *ruber. Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 63. (97). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 105.) hanc exhibet synonymiam: Σατύριον τὸ ἐρυθρόνιον, οἱ δὲ σατύριον ἐρυθραϊκόν Dioscor. 3. 141. et *Satyrion erythraicon* Plin. loc. cit. sunt *Erythronium Dens canis* L. Spec. plant. 437?

ĒRYTHRĂNON *vel Latina positione*

ĒRYTHRĂNUM, i, n. 2. ἐρυθρανόν, genus hederæ, acinis rubentibus: ab ἐρυθρός *ruber. Plin.* 16. *Hist. nat.* 33. 62. (147).

ĒRYTHRŎCŎMOS, i, m. adject. ἐρυθρόκομος, rubeos capillos habens. Sic *erythrocomi frondes* h. e. rubræ, in quodam malorum granatorum genere: sicut *leucocomi* albæ, in alio ejusdem pomi genere: ab ἐρυθρός *ruber* et λευκός *albus. Plin.* 13. *Hist. nat.* 19. 34. (113).

ĒRYTHRŎDĂNUS, i, f. 2. ἐρυθρόδανος, Latine rubia, herba est apta tingendis lanis et coriis perficiendis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 56. (94). Alia res erythrodanus, quam alii ereuthodanum vocant, nos rubiam. Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 257.) est *Rubia tinctorium* L. *V.* plura in RUBIA.

ĒRYTHROS, a, um, *vel rectius* erythros, on, adject. ἐρυθρός, ruber. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (179). Hoc est venenum, quod appellavere erythron. *V.* STRYCHNUS. — *Erhthros rhus*, semen est fruticis, qui rhus vocatur: a colore sic dictum. *Plin.* 24. *ibid.* 11. 55. (93). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 85.) hanc exibet synonymiam: Ῥοῦς ἐρυθρή Hipp. Nat. mul. 575.; Ῥοῦς Theophr. Hist. plant. 3. 18. Ῥοῦς βυρσοδεψικὴ Dioscor. 1. 147., et *Rhus Syriæ mas et femina* Plin. 13. Hist. nat. 6. 13. (55). et *Rhus erythros* ejusd. Plin. loc. cit. sunt *Rhus Coriaria* L. Spec. plant. 379., *Sumac* Bellon., Arab. et Hurtle.

ES

ESCA, æ, f. 1. *Escas* in Genit. sing. num., ut *familias, monetas, vias* etc. habet *Livius Andron.* in *Odyss.* apud *Priscian.* 6. *p.* 679. *Putsch.* Atque escas habemus mentionem. — Esca, ἔδεσμα, ab *esum* supin. verbi *edo*, est cibus, quo et homines et animalia bruta vescuntur (It. *cibo, bevanda*; Fr. *nourriture, aliments*; Hisp. *alimento, comida*; Germ. d. *Speise für Menschen und Thiere*; Angl. *meat, food, victuals*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Most.* 3. 2. 2. Melius anno hoc mihi non fuit domi, nec quando esca una meruerit magis. Prandium uxor mihi perbonum dedit. *Id. Men.* 3. 1. 10. Affatim est hominum, in dies qui singulas escas edunt. *Id. Pers.* 3. 1. 9. Libenter escis alienis studes. *ti piace il pane altrui.* Adde *eumd. Cas.* 2. 8. 56., *Pseud.* 3. 2. 11. et *Truc.* 2. 7. 48. *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 59. Dii nec escis aut potionibus vescuntur. *Id.* 2. *Fin.* 28. 90. Contemptissimæ escæ et potiones. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 51. 115. *Id.* 2. *Nat. D.* 64. 160. Sus vero quid habet præter escam? *Varro* 5. *L. L.* 78. *Müll.* Mergus, quod mergendo in aquam captat escam. *Virg.* 12. *Æn.* 474. pennis alta atria lustrat hirundo Pabula parva legens nidisque loquacibus escas. Adde *eumd.* 4. *G.* 17. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 5. Quæ prima iratum ventrem placaverit esca. *Id. ibid.* 2. 73. Esca simplex. *Ovid.* 2. *Amor.* 19. 26. dulcis. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 1. Vitis vel ad escam, vel ad effusionem deponitur. *da mangiare.* Adde *eumd.* 11. *ibid.* 2. 72. et 12. *ibid.* 1. 2. et *Arbor.* 17. 3. *Martial.* 13. 87. Sanguine de nostro tinctas, ingrate, lacernas Induis: et, non est hoc satis, esca sumus. *serviamo di cibo.* Murices loquuntur. — *Escæ maximæ esse* apud *Plaut. Men.* 1. 1. 21. est multi cibi esse, large cœnam parare, *essere di buon pasto, far buona tavola.* — In re quoque medica occurrit apud *Veget.* 1. *Veterin.* 6. 1. *Schneid.* Parvos coliculos decoques, et ex oleo ac liquamine per os digeres, eamque escam per dies quinque jejuno (*bovi*) dabis. ¶ 2. Speciatim dicitur de cibo, qui projicitur avibus, feris et piscibus, decipiendi gratia, *esca*, δέλεαρ: ad rem *Plaut. Asin.* 1. 3. 67. Ædis nobis est area, auceps sum ego, esca est meretrix, lectus illex est, amatores aves. *Petron. Satyr.* 3. Sic eloquentiæ magister, nisi tamquam piscator, eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos, sine spe prædæ moratur in scopulo. *Martial.* 4. 56. Callida sic stultas decipit esca feras.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. *Pers.* 1. 22. Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas? *h. e.* ergone, quâ es ætate senex, in id unum incumbis, ut tam infames juvenum auribus illecebras, sive obscœnos versus suppedites? *Liv.* 25. 39. Pars semisomnes hostes cædunt: pars, ignis escas, stramenta arida tectis injiciunt. *Al. tamen leg.* pars ignes casis, stramenta arida tectis, injiciunt. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2. *Cic. Senect.* 13. 44. Divine Plato escam malorum appellat voluptatem, quod eâ videlicet homines capiantur, ut hamo pisces.

ESCĀLIS, e, adject. ¶ 1. Generatim est ad escam pertinens. *Modestin. Dig.* 33. 10. 8. An videretur et argentum escale et potorium legato contineri. *V.* CAPTOR. ¶ 2. Speciatim est pertinens ad id, quod accendendo igni inservit, apud *Poet.* in *Anthol. Lat.* 2. *p.* 453. *Burmann.*

ESCĀRĬUS, a, um, adject. escalis. ¶ 1. Generatim est ad escam seu cibum pertinens. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 67. (197). Escaria vasa, quæ *escaria* absolute *Juvenal.* 12. 46. appellat. *Varro* 5. *L. L.* 118. *Müll.* Escaria mensa. *Paul. Diac.* p. 77. 11. *Müll.* Escariæ mensæ quadratæ vocantur, in quibus homines epulantur. *Ulp. Dig.* 34. 2. 20. *post med.* Si cui escarium argentum legatum sit, solum debebitur quod ad epulandum in ministerio habuit, idest ad cibum et potum. *Paul. ibid.* 33. Argento potorio vel escario legato. Cf. *Inscript.* apud *Gruter.* 582. 9. L. VLPIO ERIDANO AVG. L. AB AVRO ESCARIO. Rursus *Paul. Dig.* 33. 10. 3. Vitrea escaria et potoria. — Haud aliter *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (42). Escariæ uvæ, *h. e.* quæ inserviunt esui. ¶ 2. Speciatim est ad ea pertinens, quibus animalia alliciuntur ac capiuntur. *Plaut. Men.* 1. 1. 18. Istæc nimis lenta vincla sunt escaria: quam magis extendas, tanto adstringunt arctius. *h. e.* alienus cibus, quo parasiti capiuntur. — Hinc

Escaria, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, *V.* supra sub init.

ESCĀTĬLIS, e, adject. escarius. *Tertull. Pœnit.* 5. Post mannæ escatilem pluviam. Adde *eumd.* 1. *advers. Marcion.* 1.

ESCENDO, scendis, scendi, scensum, scendere, 3. (es *et* scendo). *Escendere* pro *ascendere* usurpasse optimæ notæ auctores, sed in plerisque editionibus esse immutatum in *ascendere*, *Gruterus*, *Gronov.* ad *Liv.* 2. 28., *Ruhnkenius* ad *Rutil. Lup. p.* 48. et alii docti viri testantur. Itaque sic legendum censent et MSS. apud Scriptores inferius allatos: præter quæ *Pareus* alia multa ex *Varron.*, *Ovid.*, *Cæs.*, *Sall.*, *Gell.* congerit in *Lex. Crit.* — Ceterum escendere est a loco inferiore ad superiorem adscendere (It. *ascendere, salire*; Fr. *monter, s'élever*; Hisp. *ascender, subir, montar*; Germ. *irgend–, woher–, heraus –, emporsteigen, – klimmen*; Angl. *to mount, ascend*). Occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active, seu cum Accusativo.

A) Neutrorum more, et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim fere cum præpos. *ad* vel *in*. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 14. Quum ex alto puteo ad summum escenderis. *Id. Merc.* 5. 2. 90. Jam in currum escendi, jam lora in manus cepi meas. *Id. Trin.* 4. 2. 100. An etiam in cœlum escendisti? *Cic.* 3. *Off.* 20. 80. Ut omnes simul in rostra post meridiem escenderent. Adde *eund.* 5. *Tusc.* 9. 24. et *V.* ibi *Klotz.* Rursus *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 5.; et *Liv.* 8. 33. Escendere in continem. *Id. Liv.* 30. 25. In malum navis. Adde *eumd.* 2. 28., 3. 47., 35. 13. et 43. et alibi. *Nepos Themist.* 8. Hic in navim omnibus ignotus escendit. Adde *Sall. Jug.* 93.; *Colum. Arbor.* 14.; et *Veget.* 3. *Veterin.* 16. 27. *Schneid.* ¶ 2. Speciatim ponitur pro navi egredi. *Liv.* 29. 11. Legati Asiam petentes, Delphos quum escendissent. *essendo sbarcati.* — *NB.* Pro descendere affertur illud *Liv.* 8. 10. *ad fin.* Ubi illud signum defossum erit, eo magistratum Romanum escendere, fas non esse. *At ibi alii leg.* descendere; *alii* excedere.

II.) Translate. *Liv.* 7. 30. Usque ad nos contemptus Samnitium pervenit, supra non escendit.

B) Active, seu cum Accusativo. *Sall. Jug.* 97. Pars equos escendere, obviam ire hostibus. *Seneca Vit. beat.* 23. Escendere vehiculum. *Tac.* 13. *Ann.* 5. suggestum. *Id.* 15. *ibid.* 59. rostra.

ESCENSUS, us, m. 4. ascensus. In sexto casu sing. *Tac.* 13. *Ann.* 39. Capta escensu munimenta.

ESCHĂRA, æ, f. 1. ἐσχάρα. ¶ 1. Est militaris machinæ basis vel pes, quem describit *Vitruv.* 10. 11. 9. *Schneid.* ¶ 2. Apud Medicos est crusta, quæ ferro ardenti, aut medicamento caustico cuti inducitur: item quæ sponte sua ulceribus adnascitur. Græca vox, quam Latine usurpat *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. *ad fin.* Similiter *Marcell. Empir.* 8. § 5. *init.* Ad sordida vulnera oculorum crustasque habentia, quas medici escharas vocant, etc.

ESCHĂRŌSIS, is, f. 3. ἐσχάρωσις, incrustatio. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Dehinc escharosin medicamine, sive ignis ustura faciendam probantes.

ESCHĂRŌTICUS, a, um, adject. ἐσχαρωτικός, escharam inducens. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *extr.*

ESCIFER, fĕra, fĕrum, adject. escam et cibum ferens. *Paulin. Nolan. carm.* 19. 223. Quamquam et ut Eliam, sic istum pascere posset, Esciferas volucres jejuna per avia mittens.

ESCIT pro *erit* dictum est, *Paul. Diac.* teste p. 77. 13. *Müll.* Sic *Lex. XII. Tab.* apud *Festum* p. 162. 18. *Müll.* Ast ei custos nec escit. Item *Lex XII. Tab.* apud *Gell.* 20. 1. Si morbus ævitasve vitium escit. *Lucret.* 1. 612. Ergo rerum inter summam minimamque quid escit? — Hinc sunt *superescit* supererit apud *Fest. p.* 302. 30. *Müll.*, et *obescit* oberit apud *Paul. Diac. p.* 188. 9. *Müll.* — Ut autem recte adnotat *Müllerus* ad *Paul. Diac. p.* 77. 30., forma hujus *escit* erat verbi inchoativi, significatio futuri. *V.* SUM.

ESCO, as, are, a. 1. escam peto, aut vescor. *Solin.* 40. *extr.* Ciconiæ serpentes escandi gratia insectantur.

ESCOLIMBUS, i, m. 2. In *Inscript.* apud *Murat.* 481. 3. mendose legitur *escolimbum a colo constituit*, quod legendum videtur *et colymbum a solo constituit.* *V.* COLYMBUS.

ESCULA, æ, f. 1. *deminut. ab esca.* *Plaut. Men.* 3. 1. 10. In dies qui singulas esculas edunt. *Plerique omnes leg.* escas.

ESCULENTĬA, æ, f. 1. cibus pinguis, pinguedo. *Hieronym. Ep.* 3. 5. Si suum, leporum atque cervorum et quadrupedum animantium esculentias reprobes. *Gloss. Isid.* Esculentia, pinguedo.

ESCULENTUS, a, um, adject. Comp. *Esculentior.* — Esculentus est esui aptus (It. *mangiativo*; Fr. *mangeable, comestible*; Hisp. *comestible*; Germ. *was essbar ist*; Angl. *eatable, esculent*). *Scævola* apud *Gell.* 4. 1. *a med.* Penus est, quod esculentum, aut poculentum est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 141. In ea parte oris, qua esculentis et poculentis iter natura patefecit. *Id.* 2. *Phil.* 25. 63. Is vomens frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum et totum tribunal implevit. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 50. Esculenta merx. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 55. 81. (219). Innoxia et esculenta animalia. *Id. ibid.* 25. 37. (90). Crocodilus ore semper esculento, *h. e.* cibi pleno. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 11. Non posse a vino et esculentioribus cibis abstinere, *h. e.* delicatioribus et magis altilibus. *V.* ESCULENTIA.

ESCULETUM, i, et

ESCULEUS, a, um, et

ESCULINUS, a, um, et

ESCULUS, i. *V.* ÆSCULETUM, ÆSCULEUS, ÆSCULINUS, ÆSCULUS.

ESCUNT. *V.* SUM *sub init.*

ESIT. *V.* SUM *sub init.*

ESITĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒSĬTO, as, avi, ātum, are, a. 1. Part. *Esitatus.* — Esitare est frequentativum ab *esus* particip. verbi *edo*, ut *Gell.* 9. 6. docet: et fere consuetudinem edendi significat. *Cato R. R.* 157. Lotium ejus, qui brassicam esitarit. Cf. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 33. (83). Urina ejus, qui brassicam esitaverit. *Plaut. Capt.* 1. 2. 85. Asper meus victus sane est. PAR. Sentes ne esitas? *Id. Pseud.* 3. 2. 40. Vel ducenos annos poterunt vivere meas qui esitabunt escas. *Varro* apud *Non. p.* 201. 17. *Merc.* Dulcem aquam bibat salubrem, et flebile esitet cepe. *Gell.* 4. 11. Pythagoram non esitavisse ex animalibus. *Id. ibid.* De κυάμῳ non esitato. Adde *Apul.* 10. *Met.*

ESOCINA, æ, f. 1. stagnum, seu lacus, in quo esoces servantur. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 182.

ESOR, ōris, m. 3. qui multum edit. *Fronto de fer. Alsiens.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 3. *ante med.* Scimus (*Hadrianum*) prandiorum opimorum esorem optimum fuisse.

ESOX, ŏcis, m. 3. ἴσοξ, genus piscis, qui præcipue in Rheno insigni magnitudine crescit: alii lucium, alii salmonem putant, alii probabilius eumdem faciunt atque Italorum *storione*, qui et attilus dicitur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 17. (44). Silurus in Nilo, esox in Rheno, attilus in Pado inertia pinguescens. Adde *Sulpic. Sever.* 3. *Dial.* 10. — *Isocem* vocat *Isid.* 20. *Orig.* 2.; quam scribendi rationem *Sillig* quoque probavit in loc. *Plin.* cit. *V.* HUSO in *Verb. Barb.*

ESPECTO. *V.* in EXSPECTO.

ESPICĬO pro aspicio quidam leg. apud *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 8. Si mihi rides, espice. — At lege cum *Bothio*: Ad te hanc minam fero auri, si mihi rides: spice. Nimirum ex *ridespice*, quod in MSS. est, divisim scribendum videtur *rides spice*: prior enim littera s absorpta est a subsequente, ut sæpissime alias factum est.

ESSĔDA, æ, f. 1. *V.* ESSEDUM init.

ESSĔDĀRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

ESSĔDĀRĬUS, a, um, adject. *Assidarius* pro *essedarius* legitur in *Inscript.* apud *Murat.* 613. 3., ut apud *Artemid. Oneirocrit.* 2. 33. ἀσσιδάριος pro ἐσσεδάριος scribendum est. — Essedarius est ad essedum pertinens. *Petron. fragm. Tragur.* 45. *Burmann.* Mulier essedaria, *h. e.* quæ essedum ducit. — Hinc

Essedarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est ¶ 1. Qui essedum regit, et miles, qui ex essedo pugnat: quam pugnandi rationem *Cæs.* 4. *B. G.* 33. describit. *Cic.* 7. *Fam.* 6. In Britannia ne ab essedariis decipiaris, caveto. *Cæs.* 5. *B. G.* 19. Essedarios ex silvis emittebat, et, magno cum periculo nostrorum equitum, cum iis confligebat. — Gladiatores quoque fuere *essedarii* dicti, nempe e curru pugnantes. *Sueton. Cal.* 35. et *Claud.* 21.; *Petron. Satyr.* 36.; et *Inscript.* apud *Orell.* 2566., 2569. et 2585. ¶ 2. Item qui esseda facit. *Inscript.* apud *Murat.* 959. 8. C. IVLIVS IVCVNDVS ESSEDARIVS.

ESSĔDUM, i, n. 2. Est alia forma *esseda, æ,* f. 1., quæ occurrit tantum apud *Senec. Ep.* 56. In iis, quæ me sine avocatione circumstrepunt, essedas transcurrentes pono. — Ceterum essedum est vehiculum, birotum Gallorum et Britannorum, apud Belgas primo repertum, vehendis quidem hominibus oneribusve aptum, sed a Gallis præcipue Britannisque usurpatum in bello, quum ex eo pugnare soliti essent: cujus pugnæ rationem *Cæs.* 4. *B. G.* 33. et 5. *ibid.* 16. tradit. Paulatim transiit ad usum Romanorum, tum ad itinera et gladiatorias pugnas, tum oneribus vehendis. *Essedum* dictum videtur ab ἀΐσσω *cum impetu feror*; unde Italorum *aizzare*, h. e. instigare. *De la Cerda* vero ad *Virg. loc. mox citand.* ait, apud Belgas nunc quoque *hissen* esse incitare ad cursum; et his essedum esse *hessichdum*, quo sermone etiamnum aurigæ Belgici utuntur. — *a*) De essedo pluribus, ut diximus, *Cæs. locis citt.*; quibus adde *Liv.* 10. 28. Sic *Virg.* 3. *G.* 204. Belgica vel molli melius feret esseda collo. *feret*, inquit, non *trahet*, quia quum sint binis tantum rotis instructa, partim quidem trahuntur ab equis, partim tamen etiam feruntur. — *b*) De essedo, quo divites nobilesque Romani ad magnificentiam utebantur, vel a quo gladiatores pugnabant. *Cic.* 6. *Att.* 1. *ad fin.* Venit mihi obviam cum duobus essedis, et rheda equis juncta et lectica et familia magna. *Id.* 2. *Phil.* 24. 58. Vehebatur in essedo tribunus plebis. (hoc dicit ad reprehensionem, quod civis R. peregrino luxu et externis vitæ instrumentis uteretur.) *Ovid.* 2. *Pont.* 10. 33. Seu rate cæruleas picta sulcavimus undas, Esseda nos agili sive tulere rota. *Propert.* 2. 23. 43. Cur te in Herculeum deportant esseda Tibur? *Martial.* 10. 104. Altam Bilbilin et tuum Salonem Quinto forsitan essedo videbis, *h. e.* quinto itineris die. *Sueton. Cal.* 51. Essedo iter facere. *Id. ibid.* 26. Quosdam summis honoribus functos ad essedum sibi occurrere togatos, per aliquot passuum millia passus est. *Id. Galb.* 6. *extr.* Ad essedum imperatoris per viginti passuum millia cucurrit. Adde *eumd. Aug.* 76., *Claud.* 16. et 33. et *Galb.* 18.; *Horat.* 2. *Ep.* 1. 112.; et *Ovid.* 2. *Amor.* 16. 49. — *c*) De oneribus vehendis. *Sidon.* 1. *Ep.* 18. Nulla sarraca, nulla esseda subvehendis oneribus attrahebantur.

ESSENDI, gerund. a v. *esse.* *V.* SUM.

ESSENTĬA, æ, f. 1. natura, ratio. *Quintil.* 8. 3.

13. Multa ex Græco formata nova ac plurima a Sergio Flavio, quorum dura quædam admodum videntur, ut *ens* et *essentia*: quæ cur tantopere aspernemur, nihil video: nisi quod iniqui judices inter nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus. *Id.* 3. 6. 23. Οὐσία, quam Flavius *essentiam* vocat: neque sane aliud est ejus nomen Latinum. *Id.* 2. 14. 2. Hæc interpretatio non minus dura est, quam illa Flavii essentia atque entia. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 12. Et hæc est essentia, quam individuam, eamdemque dividuam, Plato in Timæo expressit. *Id.* 2. *ibid.* 14. *a med.* Si animæ essentia motus esset, etc. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Τὰς οὐσίας, quas essentias dicimus, duas esse ait. — *Cicero* pro *essentia* fere *naturam* dixit: aliquando tamen et illa voce usus est, teste *Seneca*, qui *Ep.* 58. Cupio, inquit, si fieri potest, propitiis auribus tuis, *essentiam* dicere: sin minus, dicam et iratis. Ciceronem auctorem hujus verbi habeo, puto locupletem: si recentiorem quæris, Fabianum, disertum et elegantem, orationis ad nostrum fastidium nitidæ. Quid enim fiet, mi Lucili? quomodo dicetur οὐσία, res necessaria, natura continens fundamentum omnium? Rogo itaque, permittas mihi hoc verbo uti. Hæc *Seneca* (confer et ejus *epist. proœm.* l. 2. *Controv.*) qui quem laudat Fabianum, idem est cum *Flavio Quintiliano*, nempe *Ser. Flavius Papirius Fabianus*. At *Spaldingius* ad *Quintil. loc. cit.* contendit, pro *Sergio Flavio* legendum *Virginio Flavio*, quem nempe laudat etiam *Tac.* 15. *Ann.* 71. Etiam *Sidon. Epist.* præfixa carmini 14. *ad fin.* Lectarus es hic etiam novum verbum, idest essentiam: sed scias hoc ipsum dixisse Ciceronem, nam essentiam, nec non indoloriam nominavit addens: *licet enim novis rebus nova nomina imponere.* et recte dixit. Nam sicut ab eo, quod est, v. gr. sapere et intelligere, sapientiam et intelligentiam nominamus; regulariter et ab eo, quod est, essentiam non tacemus. et in ipso *carm.* 102. Invenit hic (*Plato*) princeps quid prima essentia distet A summo sextoque bono.

ESSENTĬĀLIS, e, adject. qui ad essentiam pertinet. Vox cadentis Latinitatis, qua usus est *Isid.* 7. *Orig.* 4. Propria enim sunt essentialia.

ESSENTĬĀLĬTER, adverb. secundum essentiam. *Augustin.* 7. *de Trin.* 2. Sapientia essentialiter intelligitur.

ESTRIX, icis, f. 3. quæ edit plurimum. *Plaut. Cas.* 4. 1. 17. Illæ autem senem cupiunt extrudere incœnem ex ædibus, ut ipsæ solæ ventres distendant suos. Novi ego illas ambas estrices.

ESTUR. *V.* EDO sub init.

ĒSŪDĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *esudare* pro *exsudare*. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 1. 5. Tussicula est signum esudati corporis liquoris. Ceterum *V.* EXSUDO.

ĒSŬRĬĀLIS, e, adject. ad esuriendum pertinens. Jocolariter parasitus apud *Plaut. Capt.* 3. 1. 8. *esuriales ferias* vocat dies, quibus ad cœnam vocatur a nemine et esurire cogitur: quemadmodum dicuntur *feriæ novendiales, denicales etc. Fronto de fer. Alsiens.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 3. Numquid tu esuriales ferias celebras?

ĒSŬRĬENTER, adverb. cum esuritione. *Apul.* 10. *Met.* Esurienter escas appetere.

ĒSŬRĬES, ei, f. 5. actus esuriendi, esuritio, esurigo (It. *fame*; Fr. *faim, appétit*; Hisp. *hambre*; Germ. d. *Hunger*; Angl. *a desire to eat, appetite, hunger*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 7. 14. (29). Cui in appetenda aviditate, esurie non fuit satis? *Al. rectius leg.* esurire. Ceterum *Phil. Wagner* a *Sillig*io laudatus ingeniose conjecit legendum *cui in appetendo aviditati* etc. *Hieronym. Ep.* 125. *n.* 33. Quos nec esuries aliquando, nec saturitas superavit. ¶ 2. Latiori sensu est inopia, paupertas, ex qua esuries est. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. *sub fin.* Ut ego misererer ejus esuriei.

II.) Translate. *Sidon.* 6. *Ep.* 6. Avidam nostræ ignorantiæ pascat esuriem.

ĒSŬRĪGO, inis, f. 3. idem quod esuries. *Varro* apud *Non.* p. 106. 15. *Merc.* Quod esurigo findebat costas.

ĒSŬRĬO, is, ivi, itum, ire, n. 4. *desiderativum* ab edo. Futurum in *ibo* in hac conjugatione frequens est apud veteres. *Pomponius* apud *Non.* p. 479. 7. *Merc.* Non esuribis diutius. *Novius* apud *eumd. ibid.* Mihi algebo et mihi esuribo. — Part. *Esuriens* et *Esuriturus* I. 1. — Esurio, πεινάω, est cupio edere, cibum appeto, fame premor (It. *aver fame*; Fr. *avoir envie de manger, avoir faim, être affamé*; Hisp. *ser hambreado*; Germ. *Hunger leiden, hungrig sein*; Angl. *to desire to eat, be hungry*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Capt.* 4. 2. 86. ER. Esurire mihi videre. ER. Mihi quidem esurio, non tibi. *Id. ibid.* 4. 4. 4. Quasi lupus esuriens, metui ne in me faceret impetum. *Id. Stich.* 1. 3. 65. Ridiculus æque nullus est, quam dum esurit. Adde *eumd. Cas.* 3. 6. 6. *Ter. Heaut.* 5. 2. 28. Spes est, nos esurituros satis. *Cic.* 7. *Verr.* 34. 87. Ecce autem, ebrio Cleomene, esurientibus ceteris, nunciatur etc. Adde *eumd.* 5. *Tusc.* 34. 97. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 17. *extr.* Nostri valde depugnare et facile algere et esurire consuerunt. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 92. positum ante mea quia pullum in parte catini Sustulit esuriens, minus hoc jucundus amicus Sit mihi? Adde *eumd.* 1. *ibid.* 3. 93. et 2. *ibid.* 3. 113.; et *Ovid. Rem. am.* 631. *Juvenal.* 3. 78. Græculus esuriens, in cœlum jusseris, ibit. Adde *eumd.* 7. 87., 13. 99. et 14. 127. ¶ 2. Latiori sensu significat ciltare, sæpe comedere, apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 54. 118. (283). Esuriendi semper inexplebilis aviditas uni animalium homini.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de inanimis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (12). Arbores fetu exinanitas naturale est avide esurire. *Id.* 9. *ibid.* 39. 64. (138). *de conchylio.* Sic gignitur laudatus ille pallor, saturitate fraudata; tantoque dilutior, quanto magis vellera esuriunt. ¶ 2. Metaphora sumpta a superiori paragr. 1. 1., de hominibus ponitur et est avide appetere, concupiscere. — *a*) Neutrorum more. *Curt.* 7. 8. 20. Quid tibi divitiis opus est, quæ te esurire cogunt? *Alii illud te omittunt:* V. *Mützell.* ad h. l. — *b*) Cum Accus. rei. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10. 47. Nisi totum Parthorum esurisset aurum. *Sillig* vero ex Codice B. pro *esurisset* leg. *usurpasset.* — *c*) Passive. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 9. Quod mare, quod tellus, appone, quod educat aer; Nil ibi, quod nobis esuriatur, erit. — *d*) Cum Genitivo, Græco more. *Apul. de Deo Socrat. ad fin.* Veræ beatitudinis, id est, secundæ vitæ et prudentiæ fortunatissimæ esurit et sitit. *Alii tamen aliter leg.*

ĒSŬRĬO, onis, m. 3. qui esurit. Jocolariter loquitur parasitus, cui nomen est *Saturio* apud *Plaut. Pers.* 1. 3. 23. TO. O Saturio, opportune advenis mihi. SA. Mendacium edepol dicis, atque haud te decet: nam esurio venio, non advenio Saturio. *Petron. fragm. Tragur.* 44. *Burmann.* Et quo modo siccitas perseverat! jam annum esurio fui. *Ita locum interpungendum putat* Franc. Oriolius.

ĒSŬRĪTĬO, onis, f. 3. idem quod esuries. *Catull.* 23. 12. Atqui corpora sicciora cornu, Sole et frigore et esuritione. *Id.* 21. 1. Aureli, pater esuritionum. *h. e.* vehementer esuriens. *Gell.* 16. 3. Esuritionem faciunt inanes patentesque intestinorum fibræ. *Id. ibid.* Ventris compressione esuritionem posse depelli, creditum est. *Martial.* 1. 100. abisti In tantam miser esuritionem, Ut etc. *h. e.* in tantam avaritiam.

ĒSŬRĪTOR, oris, m. 3. qui esurit. *Martial.* 3. 14. Romam petebat esuritor Tuccius.

ĒSUS, a, um. *V.* EDO, edis *vel* es.

ĒSUS, us, m. 4. actus edendi, cibus. *Esui esse* est aptum edendo esse. *Varro* 1. *R. R.* 6. 2. Oleas esui optime condi, scribit Cato. *Gell.* 4. 1. *sub fin.* Non quæ esui tantum et potui forent, sed tus quoque et cereos in penu esse. *Tertull. Anim.* 43. *a med.* Quid si esum et potum de naturæ sortibus eximas? *Isid.* 20. *Orig.* 1. Ab esu et comesu mensæ factum vocabulum.

ET

ET, καί, conjunctio copulativa; a Græco ἔτι etiam, deinde per apocopen ἔτ', ut docet *Forcellinus:* usurpatur autem, vel semel vel iterum et pluries etiam repetita, ut plura inter se verba vel membra seu propositiones conjungantur, sive de rebus ejusdem generis, sive de rebus diversorum generum agatur (It. *e, ed*; Fr. *et*; Hisp. *y, é*; Germ. *und*; Angl. *and*). De hac particula conjunctiva plurimis *Handius, Tursell. vol.* II. p. 467.-540.: quorum summa capita hæc sunt: *A*) Generatim *et* est conjunctio copulativa; *B*) Speciatim conjungit ea, quæ sunt ejusdem generis vel ejusdem modi; *C*) Item speciatim hæc particula additur iis, quæ clariore in luce collocari volunt, quemadmodum ea, quæ majoris momenti sunt et præ ceteris auditorum attentionem expostulant, aut rem melius definiunt, aut magis generalia sunt; *D*) Denique speciatim *et* iis vel pluries repetitur, ut res inter se diversæ, sed aliqua tamen ratione connexæ, simul jungantur ac tamquam una eademque vi pollentes efferantur, quod et rum aliis particulis usuvenit.

A) Generatim. *Ennius* 1. *Ann.* 17. Te nunc sancta precor, Venus et genetrix patris nostri. *Cato* apud *Gell.* 17. 2. Qui illius impudentiam norat et duritudinem. *Nævius* apud *Non.* p. 474. 7. *Merc.* Blande et docte percontat. *Propert.* 2. 7. 69. Sed vobis facile est verba et componere fraudes. *Cic. Amic.* 1. 1. Ut, quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem. *Id. ad Planc. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Rogo te, et etiam oro, ut etc. *Id. Orat.* 21. 70. De quo præclare et multa præcipiuntur. *Id.* 4. *Fam.* 6. Qui filium consularem clarum virum et magnis rebus gestis amisit. *Liv.* 21. 31. Major (*frater*) et qui prius imperitarat, Brancus nomine. *Cic.* 2. *Off.* 16. 57. Hæc pueris et mulierculis et servis et servorum simillimis liberis esse grata. — Similiter *Cato R. R.* 9. Salicta locis aquosis, humectis, umbrosis, propter amnes ibi seri oportet. Et id videto, uti etc. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 8. Optime vero, frater: et fieri sic decet. *Id.* 2. *Acad.* (4. *post.*) 42. 129. Qua de re est igitur inter summos viros major dissensio? Et omitto illa, quæ relicta jam videntur. — Postponitur nonnumquam ut *que. Virg.* 2. *Ecl.* 10. Thestylis et rapido etc. *Id.* 4. *Æn.* 418. Puppibus et læti nautæ etc. *Sueton. Gramm.* 21. Quare cito manumissus, Augusto et insinuatus est. *Dörgens* tertius legit *etiam.* — Interdum omittitur. *Cic.* 13. *Fam.* 24. 3. A te peto in majorem modum, ut eum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare. *Id. ibid.* 11. 3. Si res publica municipii tuo studio, diligentia bene administrata erit. *Orellius* ita edidit; variantes tamen lectiones cum part. *et* vel *que* affert, atque hæc adnotavit: Ignoramus, utrum his ἀσυνδέτοις ipse Cicero usus sit in Epp., an vitium tantummodo sit Codicis Medicei. *Forcellinus* affert etiam illud ejusdem *Cic.*, quod ipse minime inveni, 4. *Fam.* 28. *a med.* Ut ipse judices, homini te gratissimo, jucundissimo benigne fecisse.

B) Speciatim particula *et* conjungit ea, quæ sunt ejusdem generis vel ejusdem modi: scilicet ¶ 1. Usurpatur ad conjungenda duo vel plura vocabula, quibus res æquales vel similes, aut oppositæ vel dissimiles significantur; hinc et ponitur etiam post particulas *par, similis, æque, idem, alius etc.*, post quas de more pro *et* occurrit *atque* vel *quam. Ter. Adelph.* 5. 8. 34. Tu mihi es germanus pariter corpore et animo. Cf. *Justin.* 1. 10. 20. Nata nobilitas viri pariter et virtus omnibus erat. *Cic. Brut.* 11. 43. Omnia fuisse in Themistocle paria et in Coriolano. *Lucret.* 2. 414. Non simili penetrare putes primordia forma In nares hominum, quum tætra cadavera torrent, Et quum scæna croco Cilici perfusa recens est, Araque Panchæos exhalat propter odores. Sic *Cic.* 5. *Tusc.* 3. 9. Similem sibi videri vitam hominum et mercatum eum. *Id.* 1. *Fin.* 20. 67. Nisi æque amicos et nosmet ipsos diligamus. *Id. Mil.* 17. 46. Clodius eadem hora Interamnæ fuerat et Romæ. *Cæs.* 1. *B. G.* 37. Eodem tempore Cæsari mandata referebantur et legati ab Æduis veniebant. *Sall. Cat.* 58. Non eadem nobis et illis necessitudo impendet. *Cic. Cæcin.* 20. 57. Non alia causa est æquitatis in uno servo et in pluribus. Adde *eumd.* 2. *Off.* 18. 64. et 3. *Orat.* 18. 65.; et *Cælium* apud *Cic.* 8. *Fam.* 1. 3. Rursus *Cic.* 5. *Fin.* 29. 89. Ergo aliter homines, aliter philosophos loqui putas oportere, quanti quidque sit? aliter doctos et indoctos? *Id. Cæl.* 28. 67. Lux longe alia est solis et lychnorum. *Alii leg.* ac. ¶ 2. Item *et* præcedentia complet perficitque, et significat *et sic quoque, et pariter, et eodem tempore, et præterea, et insuper,* immo quandoque *etiam* præcipue in brevibus ac familiaribus quibusdam dicendi modis. — *a*) Generatim. *Plaut. Most.* 3. 1. 41. TR. Salvere jubeo te Misargyrides, bene. DA. Salve et tu.

Id. Stich. 2. 1. 44. G. Salvus sis. D. Et tu salve. *Id. Amph.* 1. 1. 110. Quoniam formam cepi hujus in me et statum, decet et facta moresque hujus habere me similes item. Cf. *Cic.* 1. *Att.* 5. *extr.* Terentia te maxime diligit salutemque tibi plurimam ascribit, et Tulliola, deliciæ nostræ. *Varro* 2. *R. R.* 1. 24. Relinquitur nonum, quod dixi de numero, utriusque partis commune. Nam et qui parat pecus, necesse est constituat numerum. *V.* mox *nam et* sub *b. Cic.* 3. *Nat. D.* 33. 82. Multis quidem ante cruciatis et necatis. Et prædones multi sæpe pœnas dant. *Id.* 1. *Fin.* 7. 25. Hæc ipsa mihi sunt voluptati: et erant illa Torquatis. *Id. Rosc. Am.* 33. 92. Ubi tunc eras? Romæ. Verum quid ad rem? et alii multi. Cf. *eumd. ibid.* § 94. *Id. Amic.* 27. 100. Virtus, virtus, inquam, C. Fanni, et tu, Q. Muci, et conciliat amicitias etc. *Id.* 2. *Divinat.* 68. 141. Potest omnino hoc esse falsum, potest et verum. *MSS. plures omittunt* et. *Id.* 3. *Off.* 6. 27. Verum autem primum: verum igitur et extremum. *Id.* 7. *Att.* 26. Pueri in Formiano videntur hiematuri: num et ego, nescio. Adde *Virg.* 2. *Æn.* 436. *Tibull.* 2. 6. 9. Castra peto, valeatque Venus valeantque puellæ! Et mihi sunt vires, et mihi facta tuba est! Adde *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 83. *Justin. præfat.* 5. Quod ad te, non tam cognoscendi, quam emendandi causa transmisi: simul ut et otii mei, cujus et Cato reddendam operam putat, apud te ratio constaret. *Tac.* 4. *Ann.* 34. Id perniciabile reo, et Cæsar truci vultu defensionem accipiens. — *Et* pro *etiam* emphasim quamdam habet in his: *Cic. Dejot.* 10. 29. Calamitosos Dejotarus, qui ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur. *Propert.* 3. 9. 29. *de Cleopatra.* Et modo quæ nostris opprobria vexerit armis, Et famulos inter femina trita suos, etc. Adde *Val. Flacc.* 8. 434. — *b*) Speciatim hoc sensu et jungitur Pronominibus et Adverbiis. Sic — *Et ipse, et ille* etc. *Cic.* 1. *Orat.* 46. 202. Ut et ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur. *Id. Cæcin.* 20. 58. Si tuus servus nullus fuerit etc. – tamen et ipsi tuæ familiæ genere et nomine continebantur. Adde *Liv.* 1. 12., 6. 3., 8. 3. et alibi. *Cic.* 4. *Tusc.* 34. 73. Nihil verius. Probe et ille. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 13. 28. — Similiter *simul et ille, simul et iste;* ut apud *Cic. Cluent.* 4. 10. Simul et illud, quis est, qui dubitare debeat, contra damnatum et mortuum, pro incolumi et vivo dicere? Adde *eumd. ibid.* 17. 48. et 57. 155. et 7. *Verr.* 1. 3. *Sall. Jug.* 20. Certum ratus – omnia Romæ venalia esse, simul et illorum pollicitationibus accensus, quos etc. *Cic.* 3. *Verr.* 41. 106. Tutores – quemadmodum sine periculo suo (*pecuniam*) dare possent, non videbant: simul et istum fore tam improbum non arbitrabantur. — *Et nunc* apud *Plaut. Pœn.* 1. 4. 14. Et nunc ego amore pereo. Adde *eumd. Curc.* 4. 2. 7. *Cic.* 2. *Legg.* 16. 40. Sacrilego pœna est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum. Quod et nunc multis fit in fanis. Adde *eumd.* 13. *Fam.* 54. 2.; et *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Sic *nunc* et apud *Horat.* 1. *Od.* 4. 9. Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto, Aut flore, terræ quem ferunt solutæ; Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis. — *Nam et* apud *Cic.* 1. *Orat.* 49. 214. Crassus vero mihi noster visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus, immensis pæne, describere. Nam et civitatum regendarum oratori gubernacula sententia sua tradidit. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 11. 48., 1. *Off.* 40. 142., 1. *Legg.* 11. 31. et 2. *ibid.* 25. 63.; et *Liv.* 6. 19. — *Ergo* et apud *Cic.* 1. *Legg.* 12. 33. Quibus enim ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est: ergo et lex, quæ est recta ratio in jubendo et vetando. Adde *eumd.* 3. *Fin.* 8. 27. et 1. *Divinat.* 50. 114. — *Itaque et* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 26. 63. Sed hæc omnia faciunt, opinantes, ita fieri oportere. Itaque et Æschines in Demosthenem invehitur, quod is etc. — *At et, sed et,* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 3. 5. At et morbi perniciosiores pluresque sunt animi, quam corporis. *Id.* 5. *Att.* 10. *ad fin.* Valde me Athenæ delectarunt –. Sed multum et philosophia. Et præcedente *non modo, non solum,* apud *Cic.* 2. *Verr.* 1. 1. Inveteravit enim jam opinio perniciosa reipublicæ nobisque periculosa, quæ non modo Romæ, sed et apud exteras nationes, omnium sermone percrebuit. Adde *eumd. Prov. cons.* 8. 19. et 11. *Att.* 9. 2.; et *Sueton. Aug.* 89. — *Quin et* apud *Cic. Amic.* 19. 68. Quin et in ipso equo, cujus modo mentionem feci, etc. *Alii tamen omittunt* et: V. *Seyffert* ad h. l. *Tac.* 2. *Hist.* 95. Quin et natalem Vitellii diem Cæcina ac Valens – celebravere. — *Nonnunquam et* apud *Cæs.* 1. *B. G.* 15. Quo prælio sublati Helvetii – audacius subsistere, nonnunquam et novissimo agmine prælio nostros lacessere cœperunt. *Alii leg.* ex. — *Fors et* apud *Horat.* 1. *Od.* 28. 30. Negligis immeritis nocituram Postmodo te natis fraudem committere, fors et Debita jura vicesque superbæ Te maneant ipsam. — Huc referri possunt etiam sequentia: *sunt et* apud *Cic. Topic.* 6. 28. Sunt et alia genera definitionum. Adde *Virg.* 9. *Æn.* 136. Sic *meruit et* apud *Sueton. Cæs.* 3. Meruit et sub Servilio Isaurico in Cilicia, sed brevi tempore. — Reperitur etiam *et autem* interposito verbo. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (91). De pistaciis et ipso nucum genere in suo loco retulimus; et hæc autem idem Vitellius in Italiam primus intulit. *anche queste.* Sic *Id.* 16. *ibid.* 27. 50. (114). Hoc fieri caprificantur; et caprifici autem adversis foliis nascuntur. Adde *Sueton. Aug.* 73. — *Et quoque* interjecto verbo pleonasmus est. *Nepos Agesil.* 6. Agesilaus laudavit consilium adolescentulorum, et se quoque id fieri debere animadvertisse. *Liv.* 41. 24. *ad fin.* Ne interdictione finium nostrorum et nos quoque regno arceamus. *Cels. præfat. ad fin.* Et causæ quoque æstimatio sæpe morbum solvit. *Colum.* 12. *R. R. præfat. extr.* Quoniam et villici quoque successerunt in locum dominorum. ¶ 3. Particula *et* usurpatur ad duas actiones inter se conjungendas, quæ uno eodemque tempore eveniunt, vel quarum altera alteram illico excipit: idque apud Poetas vel etiam Historicos jam inde ab Augusti ætate, præcipue si sermo et actio simul junguntur, ut apud *Virg.* 1. *Æn.* 402. Dixit et avertens rosea cervice refulsit. *Id.* 2. *ibid.* 376. Dixit et extemplo (neque enim responsa dabantur Fida satis) sensit medios delapsus in hostes. *Id. ibid.* 705. Dixerat ille: et jam per mœnia clarior ignis Auditur. *Id.* 3. *ibid.* 258. Dixit: et in silvam pennis ablata refugit. *Val. Flacc.* 1. 508. Dixit, et ingenti flammantem nubila sulco Direxit per inane facem. Adde *eumd.* 3. 476.; et *Stat.* 2. *Theb.* 120. et 3. *ibid.* 253. Similiter *Virg.* 8. *Æn.* 443. nec plura effatus; et illi Ocius incubuere omnes. *Plerique tamen leg.* at. *Stat.* 12. *Theb.* 773. sic fatus, et auras Dissipat hasta tremens. *Lucan.* 6. 243. simul hæc effatur et testatur. — Similiter *Virg.* 2. *G.* 80. nec longum tempus, et ingens exiit arbos. *Liv.* 22. 1. Jam ver appetebat, et Hannibal ex hibernis movit. *Alii leg.* quum. *Plin.* 5. *Ep.* 14. 8. Pauci dies, et liber principis severus. *Tac.* 2. *Hist.* 95. Nondum quartus mensis, et libertus æquabat. *Stat.* 7. *Theb.* 300. nec longum, et pulcher Alatreus editus. — Sic *vix et, vix dum et;* ut apud *Virg.* 3. *Æn.* 9. vix prima inceperat æstas, Et pater Anchises dare fatis vela jubebat. *Id.* 5. *ibid.* 857. Vix primos inopina quies laxaverat artus; Et super incumbens – liquidas projecit in undas Præcipitem. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 498.; et *Stat.* 2. *Theb.* 293. *Liv.* 43. 4. Vix dum ad consulem pervenisse, et audisse oppidum expugnatum. ¶ 4. Similiter a Poetis et prosæ quoque Scriptoribus post Augustum particula *et* post ea, quæ imperantur, seu post Imperativum ponitur, quoties effectus imperatis respondens subditur. *Virg.* 3. *Ecl.* 104. Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 107. Sit mihi, quod nunc est, etiam minus, et mihi vivam Quod superest ævi. *Phædr.* 3. 5. 7. Impinge lapidem, et dignum accipies præmium. *Lucan.* 4. 487. decernite letum, Et metus omnis abest. *Plin. Paneg.* 43. Tene, Cæsar, hunc cursum, et probabitur experimento, sitne etc. *Id. ibid.* 45. Perge modo, Cæsar, et vim effectumque censuræ tuum propositum, tui actus obtinebunt.

C) Item speciatim particula *et* additur iis, quæ clariore in luce collocare volumus: sic ¶ 1. Usurpatur, ut quod per ipsam additur, præ ceteris emineat auditorumque animos vehementius percellat; quod sæpe fit etiam per ejusdem verbi repetitionem. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Cat.* 2. 6. Vives, et vives ita, ut nunc vivis, multis meis et firmis præsidiis obsessus. *Id.* 2. *ibid.* 8. 17. Sed cur tamdiu de uno hoste loquimur; et de eo hoste, qui jam fatetur se esse hostem? *Forcellinus* h. l. docet *et* esse pro *et quidem* ac vim habere augendi. *Id.* 5. *Verr.* 65. 152. Tenetur igitur, jam judices, et manifesto tenetur avaritia. *Id.* 6. *ibid.* 15. 34. Qui reus, et reus lege comperendinatus. *Id.* 7. *ibid.* 46. 121. Errabas, Verres, et vehementer errabas. *Id. Mil.* 23. 61. Magna vis est conscientiæ, judices, et magna in utramque partem. *Id.* 4. *Verr.* 21. 51. Hostis, et hostis in ceteris rebus nimis ferus et immanis. *Liv.* 28. 13. Quum hostis alienigena in Italia esset, et Hannibal hostis, etc. Adde *Senec.* 1. *Clem.* 15. Rursus *Cic. Mil.* 25. 67. Te jam appello, et ea voce, ut me exaudire possis. *Id.* 3. *Tusc.* 20. 48. At laudat, et sæpe, virtutem. *Nepos Miltiad.* 3. id, et facile, effici posse. — *b*) Speciatim *et* majore in luce collocat particularia præ generalibus, aut contra generalia præ particularibus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 42. 129. Omitto illa, quæ relicta jam videntur, et Herillum, qui in cognitione et scientia summum bonum ponit. *Justin.* 29. 3. 7. Romani, quibus Pœni et Hannibal in cervicibus erat. *Tac. Germ.* 2. Carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ et annalium genus est. *Id. ibid.* 3. Monumentaque et tumulos quosdam Græcis litteris inscriptos. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 27. 86. Quanto artificio esset sensus nostros mentemque et totam constructionem hominis fabricata natura. *Id.* 5. *Tusc.* 4. 10. Studiose ab his siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur et cuncta cœlestia. *Id.* 1. *Fin.* 12. 42. Præterea et appetendi et refugiendi et omnino rerum gerendarum initia proficiscuntur aut a voluptate aut a dolore. *Id.* 1. *Legg.* 21. 55. Valde a Xenocrate et Aristotele et ab illa Platonis familia discreparet. *Liv.* 3. 25. Quum Virginius maxime et tribuni de lege agerent. — *c*) Item *et* cum part. negativa *non* in causa est, cur quæ sequuntur tamquam peculiari animadversione digna efferantur. *Cic.* 3. *Orat.* 35. 144. Quod mihi videare aliud quiddam, et non id quod susceperis, disputasse. *Curt.* 4. 5. 20. Illi (*responderunt*) Pharnabazum quidem jam quiescere et non posse tum adiri. *Id.* 4. 10. 30. Ingemuisse etiam Alexandrum morti et non parcius flevisse. *Id.* 9. 5. 2. Quum vix sperare posset, dimicantem certe et non inultum esse moriturum. — *d*) Item speciatim *et* aliquando ita usurpatur, ut correctioni videatur inservire. *Cic.* 3. *Off.* 6. 32. Nulla enim nobis societas cum tyrannis, et potius summa distractio est. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 71. Cur eo non estis contenti? et cur id potius contenditis, quod etc. *Id. ibid.* 41. 127. Hæc nostra ut exigua et minima contemnimus. *Cf. eumd. ibid.* 2. 10. Ne majorem largiar ei, qui contra dicturus est, libertatem et licentiam. — *e*) Aliquando *et* adversandi vim habere videtur, atque est pro *et tamen, at, atqui,* ut apud *Sall. Jug.* 6. Plurimum facere et minimum ipse de se loqui. *Cic.* 1. *Tusc.* 38. 92. Habes somnum imaginem mortis, eamque quotidie induis. Et dubitas, quin sensus in morte nullus sit, quum in ejus simulacro videas esse nullum sensum? *Virg.* 5. *Ecl.* 88. At tu sume pedum, quod, me quum sæpe rogaret, Non tulit Antigenes, et erat tum dignus amari. Rursus *Cic. Senect.* 9. 28. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute: quod equidem adhuc non amisi: et videtis annos meos. *e pure. Quintil.* 6. 3. 60. Quamvis reus sum, et panem candidum edo. *Forcellinus* addit etiam illud *Horat.*, quod ad rem minime facere mihi videtur, 2. *Sat.* 1. 23. Quum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit. — *f*) Sæpe *et* rem magis definit, vel declarat, præcipue quum pronomina demonstrativa præcedit, vel particulæ *quidem* vel adverbio *maxime* jungitur. *Cic. Senect.* 18. 65. Severitatem in senectute probo, et eam sicut alia modicam. *Id. Amic.* 1. 2. Meministi enim profecto, Attice, et eo magis, quod P. Sulpicio utebare multum, etc. *Id.* 2. *Phil.* 17. Duo millia jugerum rhetori assignasti, et quidem immunia. h. l. *et quidem* vim habet augendi; et ad declarandum adhibetur apud *eumd.* 14. *Att.* 11. *ad fin.* Modo venit Octavius, et quidem in villam Pompeji. Sic *et maxime, καὶ μάλιστα,* apud *eumd.* 2. *Orat.* 56. 229. Nos autem quomodo (*facetiis*) utamur, quum opus sit, quærimus: ut in adversarium, et maxime, si ejus stultitia poterit agitari. *Cæs.* 5. *B. G.* 45. Quanto erat in dies gravior atque asperior oppugnatio, et maxime quod, magna parte militum confecta vulneribus, res ad paucitatem defensorum pervenerat; tanto etc. — *g*) Denique huc pertinet etiam *et quidem,* quo Rhetores utuntur in *confirmatione*

et *elevatione* pro *certe, utique,* scilicet ea respondendo, quibus aut antea dicta confirment, aut adversariorum argumenta debilitent. *Cic.* 2. *Orat.* 33. 142. Sed hæc Crassus aliquando nobis expediet –. Est enim – heri nobis ille hoc, Catule, pollicitus, se jus civile – in certa genera coacturum –. Et quidem, inquit Catulus, haudquaquam id est difficile Crasso, qui et quod disci potuit de jure, didicit, et etc. *Id.* 1. *Fin.* 10. 35. Torquem detraxit hosti. Et quidem se texit, ne interiret. *Id.* 2. *ibid.* 3. 9. Aliud igitur esse censet gaudere, aliud non dolere. Et quidem, inquit, vehementer errat: nam, ut paulio ante docui, augendæ voluptatis finis est, doloris omnis amotio. *Id. Amic.* 21. 79. Rarum genus. Et quidem omnia præclara rara. *Id.* 3. *Legg.* 10. 24. At aliquando incenditur. Et quidem sæpe sedatur. Et omisso *quidem, Quintil.* 11. 2. 12. Partem ab iis petere jubebatur: et persolverunt. *e di fatto gliela pagarono.* — *Et quidem* ad comparandum. *Cic.* 11. *Phil.* 4. 9. Cruciatus est a Dolabella Trebonius: et quidem a Carthaginiensibus Regulus. *e così pure, parimente, anche Regolo.* ¶ 2. Particula *et* usurpatur etiam ad veritatem aliquam inducendam vel universalem, vel eam, de qua nemo dubitare possit; ac fere locum habet in syllogismi assumptione, vel propositione minore, in qua pro *et* sæpe *atqui* occurrit. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 13. 40. Composita ea conclusio sic est: Eorum, quæ videntur, alia vera sunt, alia falsa: et quod falsum, id percipi non potest: nullum igitur est visum, quod percipi possit. *Id.* 3. *Tusc.* 4. 9. Qui in morbo sunt, sani non sunt: et omnium insipientium animi in morbo sunt: omnes insipientes igitur insaniunt. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 17. 49. *Id.* 3. *Nat. D.* 13. 33. Præterea nullum potest esse animal, in quo non et appetitio sit et declinatio naturalis: appetuntur autem, quæ secundum naturam sunt, declinantur contraria: at omne animal appetit quædam et fugit a quibusdam. ¶ 3. Particula *et* usurpatur etiam, quum aliquid maxima vi et asseveratione effertur, et significat *et re vera, et reapse,* etc. Porro hoc sensu occurrit — *a*) Usitata loquendi ratione — Sine additis. *Cic.* 3. *Tusc.* 8. 18. Qui sit frugi igitur, vel, si mavis, moderatus et temperans, eum necesse est esse constantem; qui autem constans, quietum; qui quietus, perturbatione omni vacuum: ergo etiam ægritudine. Et sunt illa sapientis. *Id.* 2. *Legg.* 3. 7. Præclare exigis, Quinte: at ego effugisse arbitrabar: et tibi horum nihil deberi potest. *Virg.* 2. *Ecl.* 44. Jampridem a me illos abducere Thestylis orat; Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra. *Tac.* 2. *Ann.* 57. Firmato vultu, ne minari crederetur: et erat, ut retuli, clementior. Huc referri possunt illa quoque, in quibus, ut docet *Forcellinus*, particula *et* sententiæ inchoandæ inservit. *Ter. Phorm.* 1. 3. 19. Et si tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est, tum sentias. Ubi *Donatus: Et* modo non connexiva, sed inceptiva conjunctio est. *Al. leg.* Quod si. *Quintil.* 1. 9. 1. Et finitæ quidem sunt partes duæ, quas hæc professio pollicetur. *Cels. præfat. a med.* Et quidam methodici sæculi nostri contendunt etc. — Cum addito *certe*, ut apud *Ter. Adelph.* 1. 1. 53. Sed estne hic ipsus, de quo agebam? et certe is est. *Id. Eun.* 5. 6. 4. Sed estne ille noster Parmeno? et certe ipsus est. — Cum addito *hercle*, ut apud *Cic.* 2. *Fin.* 8. 23. Hic homo severus luxuriam ipsam per se reprehendendam non putat! Et hercule, Torquate, ut verum loquamur, si summum bonum voluptas est, rectissime non putat. Adde *eumd. Brut.* 72. 251. et 2. *Fam.* 18. 2. — *b*) In interrogationibus et exclamationibus, in quibus, ait *Forcellinus*, *et* indignantis est, aut admirantis. *Cic. Mil.* 33. 91. Et sunt qui de via Appia querantur, taceant de curia? *Id. Sext.* 37. 80. Et causam dicit Sextius de vi? *Id. pro leg. Manil.* 14. 42. Et quisquam dubitabit, quin etc. Adde *eumd. Cluent.* 40. 111. et 1. *Phil.* 8. 19. *Virg.* 2. *G.* 433. Et dubitant homines serere atque impendere curam? Adde *eumd.* 1. *Æn.* 48. et 6. *ibid.* 807.; et *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 33. et 13. *Met.* 338. Rursus *Cic.* 7. *Verr.* 16. 41. Et his tot criminibus testimoniisque convictus in eorum tabella spem sibi aliquam proponit! Adde *eumd. Mil.* 12. 33.; et *Plin. Paneg.* 28. *Flor.* 4. 2. 90. Et quanto majora erant, de quibus non triumphabat!

D) Denique *et* bis vel pluries repetitur, ut res inter se diversæ, sed aliqua tamen ratione connexæ simul jungantur, ac tamquam una eademque vi pollentes efferantur, quo sensu et cum aliis particulis usuvenit. — *a*) *Et-et* bis ponitur, quo modo apud Græcos καὶ-καὶ vel τὲ-καὶ. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 23. Hoc etiam ad malum arcessebatur malum, et discipulus et magister perhibebantur improbi. *Id. ibid.* 4. 8. 45. Et ego te et ille mactamus infortunio. *Id. ibid.* 4. 9. 25. Nam illic eidem audivi Ulixem, ut ego sum, fuisse et audacem et malum. *Id. Cist.* 1. 1. 59. Eloquere utrumque nobis, et quid tibi est, et quid velis nostram operam. *Cic.* 1. *Off.* 38. 137. Ut et severitas adhibeatur et contumelia repellatur. *Id.* 3. *Orat.* 31. 137. Qui sapientes et haberentur et vocarentur. *Id.* 1. *Tusc.* 12. 26. Quod in omnibus causis et debet et solet valere plurimum. *Id. ibid.* 20. 46. Ut facile intelligi possit, animum et videre et audire. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 9. *extr.* Dimitto autem (*puerum*) a me, et ut a magistris ne abducam et quod mater discedit. *Id. Topic.* 13. 53. Non et legatum argentum est et non est legata numerata pecunia. — Huc referri possunt etiam illa, in quibus, juxta *Forcellinum*, et sine necessitate, elegantiæ causa, repetitur. *Cic.* 1. *Off.* 30. 109. Quod in Catulo et in patre et in filio, idemque in Q. Mucio Mancia vidimus. *Plaut. Amph.* 2. 2. 91. Enimvero prægnanti oportet et malum, et malum dari. *ubi* luditur in ambiguo pomi et mali. — *b*) *Et* ter vel pluries repetitur: sic ter apud *Cic. Rosc. Am.* 5. 14. Quo facilius et hujus hominis innocentissimi miserias et illorum audaciam cognoscere possitis et reipublicæ calamitatem. Adde *eumd.* 12. *Att.* 4. 2. et 3. *ad Q. fr.* 9. *fin.* Sexies apud *eumd.* 13. *Fam.* 25. Eum tibi magno opere commendo, ut et hospitem meum et familiarem et gratum hominem et virum bonum et principem civitatis suæ et tua necessitudine dignissimum. Decies apud *eumd.* 1. *Orat.* 20. 90. Idque argumentis docuerat, quod ita nati essemus, ut et blandiri, et suppliciter insinuare iis, a quibus esset petendum, et adversarios minaciter terrere possemus, et rem gestam exponere, et id, quod intenderemus, confirmare, et id, quod contra diceretur, refellere, et ad extremum deprecari aliquid, et conqueri, quibus in rebus omnis oratorum versaretur facultas: et quod consuetudo exercitatioque et intelligendi prudentiam acueret, et eloquendi celeritatem incitaret. — *c*) Particula *et* repetita interdum homonyma conjungit. *Cic.* 3. *Tusc.* 31. 75. Ut vigeat et habeat quamdam viriditatem. *Horat. Art. P.* 309. Scribendi recte sapere est et principium et fons. *Tac. Dial. de orat.* 25. Eos credo solitos et invidere et livere. — *d*) Apud Poetas interdum alicui vocabulo postponitur. *Virg.* 1. *Æn.* 200. Vos et Scyllæam rabiem penitusque sonantes Accestis scopulos; vos et Cyclopia saxa Experti. *Horat.* 1. *Od.* 37. 25. Ausa et jacentem visere regiam Vultu sereno, fortis et asperas Tractare serpentes. — *e*) *Et-et* eadem vi pollent, atque *quum-tum*, quamquam alterum membrum præ antecedente eminere videatur. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 38. Et sæpe alias et maxime censor saluti reipublicæ fuit. *Id. Quinct.* 1. 3. Homo et in aliis causis exercitatus et in hac multum et sæpe versatus. *Id. Fat.* 1. 2. Idque et sæpe alias, et quodam liberiore, quam solebat, et magis vacuo ab interventoribus die. Adde *eumd.* 2. *Off.* 11. 38. — *f*) *Et* semel vel pluries usurpatur cum sibi subjectis particulis *que* vel *atque, ac. Cic.* 1. *Orat.* 3. 10. Quis ignorat, quam recondita in arte et multiplici subtilique versentur? *Id.* 13. *Fam.* 22. Nam et semper me coluit diligentissimeque observavit, et a studiis nostris non abhorret. *Id.* 1. *Orat.* 21. 95. Non despero fore aliquem aliquando, qui et studio acriore et otio ac facultate dicendi majore ac maturiore et labore atque industria superiore – existat talis orator, qualem quærimus. *Id. Dom.* 28. 73. Summum est populi Romani, populorumque et gentium omnium ac regum consilium, senatus. *Id.* 2. *Cat.* 5. 9. Frigore et fame et siti ac vigiliis perferendis. *Nonnulli leg.* et vigiliis. — *g*) Interdum sequitur negativa particula (*et - neque*); interdum præcedit (*neque - et*): quod accidit quum duo copulantur membra, quorum alterum sit negativum. *Cic. Flacc.* 20. 46. Qui et rem agnoscit, neque hominem ignorat. *Id. Brut.* 4. 17. Ego vero et exspectabo ea, quæ polliceris, neque exigam nisi tuo commodo. *Id.* 12. *Att.* 33. Ego si et Silius is fuerit, quem tu putas, nec Drusus facilem se præbuerit, Damasippum velim aggrediare. *Id.* 3. *Off.* 3. 11. Cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut et quidquid honestum esset id utile esse, nec utile quidquam, quod non honestum. *Liv.* 22. 8. Et consul aberat, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuncium aut litteras mitti. *Cic.* 5. *Tusc.* 38. 112. Pueris nobis Cn. Aufidius prætorius et in senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, et Græcam scribebat historiam, et videbat in litteris. *Id.* 10. *Fam.* 1. *ad fin.* Furnium nostrum tanti a te fieri, quantum ipsius humanitas et dignitas postulat, nec miror et gaudeo. *Id.* 1. *Tusc.* 23. 55. Quæ (*natura animi atque vis*) si est una ex omnibus, quæ se ipsa semper moveat, neque nata certe est, et æterna est. *Justin.* 8. 6. *extr.* Nam nec in eo jus cognationis servavit, cui ademit regnum, et eum, cui dedit, impudicum fecit antequam regem. — Quod si particula negativa ad unum solummodo verbum refertur, pro *neque* dicitur *non*, ut apud *Cic.* 2. *Att.* 4. 6. Id et nobis erit perjucundum et tibi non sane devium. *Varro* 3. *R. R.* 14. 2. Locus is melior, quem et non coquit sol et tangit ros. — *h*) Post Augusti ætatem pro *et-et*, sibi invicem respondent *et-que*, vel *que-et*. Sic apud *Liv.* 4. 2. Id et singulis universisque semper honori fuisse. Adde *eumd.* 5. 26. et 24. 2. *Curt.* 3. 6. 11. Admissisque amicis pariter et medicis, in quo me, inquit etc. *Id.* 4. 2. 21. Jamque paulluium moles aquam eminebat et simul aggeris latitudo crescebat. — *i*) Raro admodum *tum-et* vel *et-tum* sibi invicem respondent. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 16. Omnis ejus oratio tum in virtute laudanda et in hominibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur. *Id. Brut.* 93. 320. Longius autem procedens et in ceteris eloquentiæ partibus, tum maxime in celeritate et continuatione verborum adhærescens, sui dissimilior videbatur fieri quotidie. — *l*) Item raro alterius membri vis augetur addito *rursum, etiam, vero etiam*: ut apud *Cic.* 1. *Tusc.* 20. 45. Quum totam terram contueri licebit, ejusque quum situm, formam, circumscriptionem, tum et habitabiles regiones, et rursum omni cultu propter vim frigoris aut caloris vacantes. *Id.* 2. *de republ.* 4. Sed tamen in his vitiis inest illa magna commoditas, et quod ubique gentium est ut ad eam urbem, quam incolas, possit adnare; et rursus, ut id quod agri efferent sui, quascumque velint in terras portare possint ac mittere. *Id.* 9. *Fam.* 25. 3. Auctoritate tua nobis opus est et consilio et etiam gratia. *Id. ad Planc.* 2. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Qua quidem voluntate te esse erga Atticum sæpe præsens et illi ostendisti et vero etiam mihi.

ĒTA, indecl. n. ἦτα, nomen litteræ Græcæ. *Terentian. Maur. de litt. p.* 2386. *Putsch.* Hinc eta minus scribimus. *Putsch.* Græcis litteris edidit. Adde *Auson. Edyll.* 12. *de litt.* 19.

ĔTĔNIM, καὶ γάρ, conjunctio composita ex *et* et *enim*; eadem significatione, quâ *enim*, nisi quod *etenim* præcedentia cum consequentibus arctius conjungit; et inservit addendæ vi aut argumentando (It. *e in fatti, e veramente, perciocchè anche in verità*; Fr. *et en effet, et à la vérité, car, savoir*; Hisp. *y verdaderamente, por que tambien*; Germ. *und in der That, und allerdings, denn in Wahrheit auch, nämlich*; Angl. *and truly, and of a truth, and for, and because that*). Ceterum hæc conjunctio jam inde a *Lucretio* et *Cicerone* tantum usuvenit: apud *Plautum* semel tantum occurrit, apud *Cæsarem* numquam. *Forcellinus* affert etiam illud *Ter. Heaut.* 3. 2. 36. Facile equidem facere possum, si jubes: etenim quo pacto id fieri soleat, calleo. *At alii aliter leg.* — *a*) Apud optimos quosque prosæ orationis auctores semper initio ponitur. *Plaut. Amph. prol.* 26. Verum profecto hoc petere me precario a vobis jussit leniter dictis bonis. Etenim ille, cujus huc jussu venio, Juppiter, non minus quam vestrum quivis formidat malum. *Cic.* 1. *de republ.* 22. Non possum equidem dicere, me ulla in cogitatione acrius aut diligentius solere versari, quam in ista ipsa, quæ mihi, Læli, a te proponuntur. Etenim quum in suo quemque opere artificem nihil aliud cogitare videam, nisi quo sit in illo genere melior; ego – me inertiorem esse confitear etc. *Id.* 3. *ibid.* 32. Præclare quidem dicis; etenim video jam, quo pergat oratio. *Id. Brut.* 6. 23. Dicendi autem me non tam fructus et gloria, quam studium ipsum exercitatioque delectat. – Etenim dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit. *Id.* 5. *Verr.* 20. 52. Id fieri nolles, nisi hanc rationem et cogitatio-

nem salutis tuæ pecuniæ cupiditas ac præsens illa præda superaret. Etenim, quoniam summam et numerum injuriarum, judices, vobis non possum exponere; – genera ipsa injuriarum, quæso, cognoscite. *Id. Rabir. perduell.* 11. 31. Utinam fecisset! non supplicium deprecarer, sed præmium postularem. Etenim, si Scævæ, servo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data est: quod equiti Romano præmium dari par fuisset? Adde *Sall. Cat.* 20. et *Jug.* 85.; *Quintil.* 5. 11. 5.; *Plin.* 7. *Ep.* 10., 8. *ibid.* 14., 9. *ibid.* 3., *Paneg.* 65. et alibi sæpe; et *Tac.* 1. *Ann.* 50. — Sæpissime locum habet in parenthesi. *Cic.* 6. *Verr.* 7. 15. Ejus autem legationis princeps est Hejus (etenim est primus civitatis), ne forte etc. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 31. 99. et 10. *Att.* 17. *extr. Nepos Eumen.* 3. Quum neque magnas copias, neque firmas haberet –: Macedones vero milites ea tunc erant fama, qua nunc Romani feruntur (etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperii potirentur): Eumenes intelligebat etc. Adde *Liv.* 3. 24. et 7. 5. — *b*) Interdum postponitur apud Poetas. *Lucret.* 1. 105. Tutemet a nobis jam quovis tempore, vatum Terriloquis victus dictis, desciscere quæres? Quippe etenim quam multa tibi jam fingere possum Somnia, quæ vitæ rationes vertere possint etc. Adde *eumd.* 2. 548., 3. 801., 5. 1061., 6. 1234. et alibi. *Horat.* 4. *Od.* 5. 17. Tutus bos etenim rura perambulat. — *Forcellinus* addit etiam illud *Cic. Senect.* 9. 29. Libidinosa etenim et intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti. *At Orellius et alii permulti leg.* enim. Item illud *ejusd. Cic. Cæl.* 3. 6. Sunt etenim ista maledicta pervulgata in omnes. *Sic edidit etiam* Orellius; *at adnotavit nonnullos Codd. habere* enim, *atque addidit*: Valde dubium est *etenim* sic postpositum apud *Cic.* Et sane *etenim* ita postpositum legitur tantum apud sequioris ævi scriptores.

ĔTĒSĬĂCUS, a, um, adject. ἐτησιακός, ad etesias pertinens, ut Etesiaca vitis apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (36). Arretii propria, quæ etesiis variat, et fecunditate cessat.

ĔTĒSĬÆ, ărum, m. plur. 1. ἐτησίαι, h. e. ἄνεμοι. — Singulari numero usurpat *Plin.* 18. *Hist. nat.* 34. 77. (335). Aquilo mollitur sidere æstate media, mutatque nomen et etesias vocatur. — Item genere femin. adhibetur, quia, quum vox sit adjectiva, si πνοή *aura* subintelligitur, feminino, si vero ἄνεμος *ventus*, masculino genere effertur. *Hygin.* 2. *Astron.* 4. Aristæus ab Jove impetravit, ut etesiæ flarent, quas nonnulli etesias dixerunt. — Ceterum etesiæ sunt venti quidam statis temporibus quotannis flantes: ab ἔτος *annus*, a quo ἐτήσιος *annuus*. Aliqui minus recte deducunt ab αἰτέω *postulo*, quasi αἰτησίαι, eo quod Aristæus eos a Jove postulaverit. Est enim in fabulis, ut narrat *Hygin.* 2. *Astron.* 4, quum Atheniensium regio maximis Caniculæ caloribus adureretur, hominesque una cum satis omnibus nimio æstu conficerentur, Aristæum ita ab Apolline patre edoctum, ab Jove petiisse, ut quo tempore Canicula oriretur, per dies quadraginta ventum daret, quo flante æstus minuerentur; itaque factum Jove annuente. — Hujusmodi ventos *Strabo* l. 3. subsolanos vocat. *Aristoteles* et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (124). Aquilones appellant. Testatur præterea idem *Aristoteles*, nonnumquam eos in Zephyros mutari: quare vere scripsit *Gell.* 2. 22. etesias alia atque alia parte cæli spirare. et *Phavorin.* apud *Apul.* de *Mundo*. Sunt, inquit, etesiæ spirantes ex omni parte eo tempore æstatis, quo Canis oritur. — Plerumque tamen ab occidente perflant. *Tac.* 2. *Hist.* 98. Mare quoque etesiarum flatu in orientem navigantibus secundum, inde adversum erat. *Cæs.* 3. *B. C.* 107. Ipse etesiis tenebatur, qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi. Hinc *Cic.* 6. *Att.* 7. Rhodum volo puerorum causa, inde quamprimum Athenas, etsi etesiæ valde reflant. Adde *Vitruv.* 1. 6.; et *Liv.* 37. 23., ubi eosdem cum Favoniis significat: Favonii autem sunt Zephyri. — Multa die flare incipiunt, et ad meridiem vergente. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 11. Etesiæ ob hoc somniculosi a nautis et delicati vocantur, quod mane nesciunt surgere. — Incipiunt flare Cal. Aug., inquit *Colum.* 11. *R. R.* 2. 26., desinunt tert. Cal. Septembr. Alii tamen aliter id tempus definiunt. — Ceterum hæc vox occurrit etiam apud *Lucret.* 6. 717.; *Cic.* 2. *Nat. D.* 53. 131., 12. *Fam.* 25. et *Orat.* 45. 152.; *Plin.* 10. *Ep.* 26.; et *Tac.* 6. *Ann.* 33.

ĔTĒSĬĀS, æ, m. 1. In singulari numero pro etesiæ. *V.* voc. preced. init.

ĔTĒSĬUS, a, um, adject. ad etesias pertinens. *Lucret.* 6. 730. Tempore eo fiunt, quo etesia flabra aquilonum. Adde *eumd.* 5. 741.

ĔTĒSĬUS LAPIS legitur apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 43. (157). Auctoribus curæ fuere lapides mortariorum quoque (h. e. e *quibus fierent mortaria*), nec medicinalium tantum, aut ad pigmenta pertinentium. Etesium lapidem in iis prætulere ceteris. Ita legunt *Harduinus* et *Sillig.* ex optimis Codicibb.; at *Vitruv.* 10. 7. *Ephesium lapidem* candidi coloris memorat, et plures *Plinii* editiones Ephesium habent; et *Isid.* 16. *Orig.* 4. 36. eadem fere *Plinii* verba referens *edesium* habet.

ĔTHĒCA, æ, f. 1. videtur esse Hebraica vox אתיקים, quæ fenestram significat, vel etiam superiorem domus partem intectam ac sub dio positam; at apud *Vulgat. interpr. Ezech.* 41. 15. et 16. *ethecæ* sunt *porticus*: ita enim allatam Hebraicam vocem vertit. *D. Hieronymus* apud *Ezech.* 42. 3. et 5.

ĔTHĬCA, æ, *vel Græca positione*

ĔTHĬCE, es, f. 1. ἠθική, pars philosophiæ, quæ ad mores pertinet: ab ἦθος *mos*. *Quintil.* 12. 2. 15. Pars illa moralis, quæ dicitur ethice, certe tota oratori est accommodata. Adde *eumd.* 2. 21. 3. *Lactant.* 3. 13. In sola ethica totius philosophiæ vis continetur.

ĔTHĬCŌS, ἠθικῶς, moraliter, mores exprimendo. Adverbium Græcum est Latinis litteris scriptum apud *Senec.* 2. *Controv.* 11. *extr.* et 12., ab ἦθος *mos*.

ĔTHĬCUS, a, um, adject. ἠθικός. *Prudent.* primam corripuit in *Hamartig.* 583. Si licet ex ethicis quidquam præsumere, vel si De physicis exempli aliquid. Habet tamen quo se tueatur *Prudentius*, etenim Græci etiam ἔθος et ἐθικός scribunt. — Ethicus est ad mores pertinens: ab ἦθος *mos*. *Seneca* 2. *Controv.* 10. *sub fin.* Declamabat Naso raro controversias, sed non nisi ethicas. *Gell.* 1. 2. Rem vero ethicam, naturamque humani ingenii, virtutumque origines, etc. nulli magis ea esse explorata quam sibi. *h. e.* moralis philosophia. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *circa med.* Ethicam dictionem pro personæ, temporis et loci qualitate variabat. *h. e.* moratam orationem, seu mores exprimentem, ἠθικὸν λόγον. *Hieronym. Ep.* 30. *n.* 2. Ethicus ille psalmus: Justus es, Domine. *Charis.* 2. p. 213. *Putsch.* Invenimus tamen etiam apud eos, qui videntur ethici, mediocriter pathus solere conciri. *Capell.* 5. *p.* 154. His omnibus conquisitis argumenta videnda sunt, quibus ad quæstionis ambiguum fides valeat adhiberi. Fides autem tribus fit modis: conciliando, docendo, permovendo; illa prior ethica, sequens apodictica, tertia pathetica nominatur. *Capell.* hæc ex *Aristot.* 1. *Rhetor.* 2. hausit: V. *Koppium* ad h. l.

ĔTHNĬCĀLIS, e, adject. idem quod ethnicus. *Tertull. Spectac.* 5. De instrumentis ethnicalium litterarum. *Alii leg.* ethnicarum.

ĔTHNĬCE, adverb. ἐθνικῶς, more gentium, ut Ethnice vivere. *Tertull. Pudic.* 9.

ĔTHNĬCUS, a, um, adject. gentilis, ἐθνικός: ab ἔθνος *gens*. A Christianis scriptoribus dicitur de iis, qui extra Ecclesiam, vel Synagogam sunt: ex eo ducta appellatione, quod Hebræi gentes appellabant eos, qui veri unius Dei cultum nesciebant, fictosque ac plures deos venerabantur. Qua appellatione etiam Apostoli usi sunt, ut patet *Actor.* c. 13. 45. Hac ratione *ethnici* intelligendi sunt apud *Tertull. Pudic.* 9., *Hieronym.*, *Augustin.*, etc. Sic historici ethnici apud *Sulpic. Sever.* 1. *Hist.* 1.

ĔTHŎLŎGĬA, æ, f. 1. ἠθολογία, morum et affectuum cujusque personæ expressio: ab ἦθος *mos* et λόγος *sermo*. *Quintil.* 1. 9. 3. Sententiæ quoque et chriæ et ethologiæ, subjectis dictorum rationibus, apud grammaticos scribantur. *Sueton. Gramm.* 4. Genera quædam institutionum ad eloquentiam præparandam, ut problemata, paraphrases, elocutiones, ethologias. — Aliis est idem quod ethopœia, de qua infra. *V.* etiam dicta in ÆTIOLOGIA.

ĔTHŎLŎGUS, i, m. 2. ἠθολόγος, morum expressor, qui gestu ipso corporis et sono vocis ita exprimit mores hominum, ut gestibus loqui videatur. *Cic.* 2. *Orat.* 59. 242. Mimorum est enim ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscenitas. Adde *eumd. ibid.* 60. 244. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 9. *n.* 20., quæ est apud *Orell.* 2616. DIONYSIO AVG. S. VERNA ETHOLOGO. Corrige *vernæ ethologo*; postrema enim vocis prioris littera *E* accepta est pro *H*, et perperam annexa initio vocis subsequentis. Allata vero *Inscript.* suspecta est *Henzenio*.

ĔTHŎPŒĬA, æ, f. 1. ἠθοποιία, apud Rhetores est figura sententiarum, Latine *effictio*, imago, qua vita et mores alicujus describuntur: ab ἦθος *mos* et ποιέω *fingo*. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 5. 13. Jam designatus, alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur: vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior quam ante, barbaque majore, ut oculis et aspectu denunciare vim tribuniciam et minitari reipubl. videretur. Sed vox Græca est, et Græcis litteris scribitur a *Quintil.* 9. 2. 58. *et* 9. 3. 99.; at Latinis apud *Rutil. Lup. de fig. sentent.* 1. 21.; *Jul. Rufinian. de schem. dian. n.* 13.; et *Aquil. Rom.* 4.

ĔTHOS, i, n. 2. *costumi*, ἦθος. ¶ 1. Ethos significat mores; itemque est res ethica, *h. e.* philosophia morum. *Sidon. carm.* 15. 101. Physica vel logico, logicum vel jungit ad ethos. ¶ 2. Item morales characteres, quales a poetis, pictoribus aliisque finguntur ac repræsentantur. *Varro* apud *Non. p.* 374. 7. *Merc.* In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus. τοῖς ἤθεσιν positio Græca. *Oehlerus M. T. Varron. Sat. Menipp. Reliq. p.* 183. Græcis, alii Latinis litteris exhibent. Similiter *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (98). Æqualis ejus fuit Aristides Thebanus; is omnium primus animum pinxit et sensus hominis expressit, quæ vocant Græci ethe, item perturbationes, durior paulo in coloribus.

ĔTĬAM, conjunctio ab *et* et *jam*, vel ab ἔτι, quæ significat quoque, item, vel, ἔτι, καί (It. *anche, ancora, eziandio*; Fr. *même, et même, aussi, encore, de plus*; Hisp. *lo mismo, tambien*; Germ. *auch, sogar, noch*; Angl. *also, likewise, besides*). ¶ 1. Generatim *etiam* est conjunctio, qua utimur quum aliquid ceteris addimus ita, ut ipsum illud præ ceteris animadversione dignum ducamus, ac præcipue quum aliquid præter exspectationem inducimus adeoque rem augemus. — *a*) Universim, et sine additis vel respondentibus particulis. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 22. Id cui obtigerat, hoc etiam ad malum arcessebatur malum. Cf. *Ter. Andr.* 1. 3. 10. Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam. Rursus *Plaut. Amph.* 2. 2. 115. Tute istic (*dixisti*) etiam adstante hoc Sosia. *Id. Capt. prol.* 53. Hæc res agetur nobis, vobis fabula. Sed etiam est, paucis vos quod monitos voluerim. *Id. Amph.* 2. 2. 125. Obsecro, etiamne hoc negabis te auream pateram mihi dedisse dono hodie? *Ter. Eun.* 5. 8. 54. Unum etiam vos oro, ut etc. *Id. Heaut.* 5. 1. 22. Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiæ. Adde *eumd. Phorm.* 5. 5. 3. Cf. *Virg.* 11. *Æn.* 352. Unum etiam donis istis, quæ plurima mitti Dardanidis dicique jubes, unum, optime regum, Adjicias. Adde et *Sueton. Cæs.* 24. *Cic. Orat.* 40. 139. Atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequetur. *Id. Brut.* 75. 261. Splendidam quamdam rationem dicendi (*Cæsar*) tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo. *Id.* 9. *Fam.* 25. *ad fin.* Auctoritate tua nobis opus est, et consilio, et etiam gratia. *Id.* 5. *Verr.* 98. 228. Quod si hæc feruntur omnia, etiamne hæc nova debent edicta rapinasque perferre? etiam ne frumentum gratis dare? etiam ne hæc tot detrimenta etc.? *Id.* 4. *Tusc.* 2. 4. Mihi quidem etiam Appii Cæci carmen – Pythagoreorum videtur. Multa etiam sunt in nostris institutis ducta ab illis. *Id. Senect.* 13. 44. Caret epulis exstructisque mensis et frequentibus poculis: caret ergo etiam vinolentia et cruditate et insomniis. *Virg.* 2. *Ecl.* 8. Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant. — Aliquando hæc particula significat insuper, uno eodemque tempore; quin tamen aliquid præ ceteris emineré faciat; ut apud *Cic.* 5. *Tusc.* 5. 14. Non omnes bonos esse etiam beatos. — *b*) Cum addita part. *insuper*, ut apud *Ter. Adelph.* 2. 2. 38. Hei mihi! etiam de sorte nunc venio in dubium miser? – etiam insuper defrudet? *Sueton. Cæs.* 10. Adjecit insuper Cæsar etiam gladiatorium munus. — *c*) *Etiam quoque, quoque etiam* pleonasmi sunt. — *Etiam quoque* apud *Plaut. Amph.* 2. 2. 70. Etiam tu quoque assentaris huic? *Id. Pseud.* 1. 3. 119. Juravisti nempe conceptis verbis. BA. Etiam consultis quoque. Adde *eumd. ibid.* 1. 1. 120. et *Asin.* 2. 4. 95.; *Lu-*

cret. 3. 293. et 5. 518. et 603.; Varron. 1. R. R. 1. 3.; et Gell. 18. 12. — Quoque etiam apud Plaut. Amph. prol. 30. Atque ego quoque etiam, qui Jovis sum filius, contagione mei patris metuo malum. Adde eumd. ibid. 2. 2. 85. et 121., Epid. 4. 2. 19. et Merc. 2. 2. 28. Ter. Hecyr. 5. 1. 7. Ego pol quoque etiam timida sum. Cic. 4. Fam. 8. 1. Itam sim præsto, ut me non solum omnia debere tua causa, sed ea quoque etiam, quæ non possim, putem. Id. 5. Verr. 38. 206. Ut omittam tuos peculatus, ut ob jus dicundum pecunias acceptas, ut ejusmodi cetera, quæ forsitan alii quoque etiam fecerint etc. — d) Etiam potius occurrit apud Cic. Mil. 19. 52. Profectionis hujus diem illi notum; reditum illius huic notum fuisse: hujus iter necessarium; illius etiam potius alienum. — e) Sed etiam, verum etiam sequitur post non modo, non solum; ut apud Cic. Senect. 11. 37. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos. Id. Amic. 10. 35. Eorum querela inveteratas non solum familiaritates exstingui solere, sed odia etiam gigni sempiterna. Id. Mil. 1. 3. Neque solum ut quieto, sed etiam ut magno animo simus hortantur; neque auxilium modo defensioni meæ, verum etiam silentium pollicentur. — Et omissa etiam, Plin. 6. Ep. 16. 9. Deducit quadriremes, ascendit ipse non Retinæ modo, sed multis (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium. — Et inverso ordine. Cic. 4. Fam. 14. Secundas etiam res nostras, non modo adversas pertimescebam. Id. 3. Off. 19. 77. Quem Fimbria etiam, non modo Socrates, noverat. — f) Interdum conjunctioni etiam respondet particula et, ut apud Justin. 13. 6. 2. Quippe hostes ab acie in urbem recepti, occisis conjugibus et liberis, domos quisque suas cum omnibus copiis incenderunt. Eodem congestis etiam servitiis et semet ipsi præcipitant. — g) Interdum etiam non manifesta, sed tacita quadam ratione cum aliis rebus conjungitur, peculiaremque vim adquirit, ac significat præcipue, vehementer. Justin. 18. 3. 1. Et quoniam ad Carthaginensium mentionem ventum est, de origine eorum pauca dicenda sunt, repetitis Tyriorum paullo altius rebus, quorum casus etiam dolendi fuerunt. ¶ 2. Speciatim conjunctio etiam usurpatur, ut vehemens aliqua res præ ceteris emineat, et — a) Significat immo, eousque ut etc. ben anche, perfino, finanche, ut apud Cic. Dejot. 13. 37. Quid de virtute ejus dicam? de magnitudine animi, gravitate, constantia? quæ omnes docti atque sapientes summa, quidam etiam sola bona esse dixerunt. Id. 4. Acad. (2. pr.) 47. 144. Nos enim defendimus, etiam insipientem multa comprehendere. Id. 1. Fin. 21. 71. Si infantes pueri, mutæ etiam bestiæ pæne loquuntur. Sall. Cat. 20. Etenim quis mortalium tolerare potest, illis divitias superare, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? Sueton. Cal. 33. Collaudans subinde vocem deprecantis, quasi etiam in gemitu prædulcem. Plin. 2. Ep. 3. Illitteratum, iners ac pæne etiam turpe est non putare tanti cognitionem etc. — Huc pertinent et illa, in quibus juxta Forcellinum etiam ponitur pro etiamsi. Cic. 9. Fam. 19. De quo etiam nihil scribente me, te non dubitare certo scio. ancorchè io nulla scriva. Plin. 8. Hist. nat. 30. 59. (139). Cochleæ adhærentes saxis, aut etiam injuria resupinatæ, non tamen exeuntes. — b) Post propositionem negativam etiam correctioni quodammodo inservit, et est immo, quin potius. Cic. 6. Verr. 10. 22. Mamertina civitas improba antea non erat; etiam erat inimica improborum. Id. 7. ibid. 39. 103. Hasce ei tabulas nihil profuturas: etiam plus suspicionis in eo crimine futurum. Id. Orat. 71. 236. Ejusmodi infantia, ut qui ea utantur, non stulti homines haberi possint: etiam plerumque prudentes. Id. ibid. 45. 153. Hoc idem nostri sæpius non tulissent, quod Græci laudare etiam solent. Id. 6. Parad. 1. 42. Quid, si ne dives quidem? quid, si pauper etiam? Id. 2. Fin. 17. 54. Tantum abest, ut se indicet; perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto videatur. Id. 5. ibid. 20. 57. Qua in vita tantum abest, ut voluptates consectentur: etiam curas, sollicitudines, vigilias perferent. — Et cum addito quin vel immo, ut apud Ter. Eun. 4. 3. 4. Quin etiam insuper vestem omnem miseræ discidit. Id. Hecyr. 5. 4. 29. Immo etiam, hoc qui occultari facilius credas, dabo. — c) Sæpissime Comparativis additur. Ter. Adelph. 3. 4. 22. he. Mane; nondum audisti, Demea, quod est gravissimum. de. An quid est etiam amplius? he. Vero amplius. Cic. 5. Fin. 20. 55. Sunt autem etiam clariora, vel plane perspicua. Id. 1. Off. 30. 107. Ut enim in corporibus magnæ dissimilitudines sunt: sic in animis existunt majores etiam varietates. Id. pro leg. Manil. 19. 57. Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse. Id. 6. Parad. 1. 44. Filiam quis habet, pecunia est opus; duas, majore; plures, majore etiam. Id. 5. Fam. 12. 3. Pluscutum etiam quam concedet veritas. Cæs. 1. B. C. 53. Hæc pleniora etiam Romani ad suos perscribunt. Plin. 7. Ep. 9. Habes plura etiam fortasse quam requirebas. ¶ 3. Etiam sæpe vim habet affirmandi: hinc Cic. 4. Acad. (2. pr.) 32. 104. Ut sequens probabilitatem, ubicumque hæc aut occurrat, aut deficiat, aut etiam, aut non respondere possit. o sì, o no. — a) Locum habet post simplicem interrogationem, vel propositionem conditionalem, et est utique, certe, vero. Plaut. Amph. 1. 3. 46. jup. Numquid vis? al. Etiam: ut actutum advenias. Id. Most. 4. 3. 8. th. Numquid processit ad forum hodie novi? et. Etiam. th. Quid tandem? Ter. Hecyr. 5. 3. 13. ba. Tue quod nihil refert, percontari desinas. pa. Nihil aliud dicam? ba. Etiam. Id. Phorm. 3. 1. 10. an. Numquid patri subolet? ge. Nihil etiam. Id. Heaut. 5. 5. 11. cl. Pater, omnia faciam: impera. ch. Uxorem ut ducas. cl. Pater. ch. Nihil audio. me. Ad me recipio; faciet. ch. Nihil etiam audio ipsum. Cic. Rosc. com. 3. 9. Utrum cetera nomina habes, an non? Si non, quomodo tabulas conficis? si etiam, quamobrem etc.? se sì. Id. 4. Att. 5. Quid? etiam — subturpicula mihi videbatur esse παλινῳδία. Et cum addito mehercule, Id. Planc. 26. 65. Cui quum respondissem me mea provincia decedere: Etiam mehercule, inquit, ut opinor, ex Africa. Adde eumd. 1. Att. 13., 2. ibid. 6. et 3. ad Q. fr. 1. 7. § 24. Plin. 4. Ep. 13. Huic ego, Studes? inquam. Respondit, Etiam. Ubi? Mediolani. — Hoc sensu est aliquando concedentis. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 43. 134. Zeno in una virtute positam beatam vitam putat. Quid Antiochus? Etiam, inquit, beatam, sed non beatissimam. Id. Mur. 31. 65. Misericordia commotus ne sis: etiam in dissolvenda severitate: sed tamen est laus aliqua humanitatis. sì, ma. Sic Plin. 6. Ep. 2. sub fin. At quædam supervacue dicuntur: etiam: sed satius est et hæc dici. Cf. eumd. 2. ibid. 3. 9. Dices, Habeo hic quos legam, non minus disertos. Etiam: sed legendi semper occasio est, audiendi non semper. — b) Haud raro est etiam interrogantis cum indignatione et increpantis. Plaut. Amph. 1. 1. 220. Etiam clamas, carnufex? Id. Asin. 3. 3. 124. Etiam tu, here, istinc amoves abs te atque ipse me aggredire? Ter. Andr. 5. 2. 8. Etiam tu hoc respondes? mi rispondi tu ancora? Id. Eun. 5. 7. 16. Quid dixisti pessima? etiam rides? ancora ridi? Id. Heaut. 2. 2. 6. Etiam caves, ne videat forte hinc te a patre aliquis exiens? vuoi tu star in guardia, acciocchè etc. Cic. Pis. 1. 2. Is mihi etiam gloriabitur se omnes magistratus sine repulsa assecutum? Id. 3. Verr. 60. 156. Is mihi etiam queritur, quod a nobis, ix. solis diebus, prima actio sui judicii translata sit? Adde Petron. Satyr. 21. et 95. Plaut. Most. 4. 2. 28. Heus recludе: heus, Tranio; etiam aperis? apri tu ancora? Id. Pers. 2. 4. 4. Scelerate, etiam respicis? Id. Most. 2. 1. 35. etiam vigilas? Ter. Adelph. 4. 2. 11. etiam taces? Id. Phorm. 3. 3. 9. etiam tu hinc abis? Et cum addita ne interrogativa, Plaut. Pœn. 1. 3. 22. Etiamne abis? Id. Asin. 1. 1. 95. Etiamne ambulas? — c) In familiari sermone jungitur etiam imperativis; qua ratione Forcellinus arripit pro secundo, iterum: certe etiam vim quamdam addit peculiarem. Plaut. Most. 2. 2. 41. tr. Circumspice dum, num quis est, sermonem nostrum qui aucupet. th. Tutum probe est. tr. Circumspice etiam (It. guarda un'altra volta). th. Nemo est, loquere nunc jam. Adde eumd. ibid. 4. 2. 3. Id. Bacch. 5. 2. 70. Etiam tu, homo nihili, quod di dant boni, cave culpa tua amissis. Ter. Hecyr. 3. 4. 1. Vide mi Parmenio, etiam sodes, ut mihi hæc certa et clara attuleris. Cf. Cic. 5. Verr. 75. 175. Cui pecuniam datam dicit? Dic etiam clarius. ¶ 4. Item etiam ad tempus quoque præsens aut præteritum refertur, et est adhuc, etiamnum. — a) In propositione affirmativa. Plaut. Trin. 2. 4. 193. Etsi admodum in ambiguo est etiam, nunc quid de hac re fuat. Ter. Hecyr. 4. 3. 8. Quia de uxore incertus sum etiam quid sim facturus. Varro 6. L. L. 54. Müll. Olim fano consumebatur omne quod profanum erat, ut etiam fit, quod prætor Urbis quotannis facit quum Herculi immolat publice juvencam. come si fa tuttavia. Cic. 5. Verr. 23. 56. Quum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est. Sall. Cat. 61. Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans, ferociamque animi — in vultu retinens. Virg. 3. G. 189. Invalidus etiamque tremens, etiam inscius ævi. — Hinc ETIAMTUM, quod V. loco suo. — Sic pro etiamnum occurrit apud Plaut. Asin. 3. 2. 40. Os opprime: is est: etiam subauscultemus. — b) In interrogatione. Plaut. Most. 2. 2. 89. Sed tu etiamne adstas, nec quæ dico obtemperas? Ter. Heaut. 4. 4. 20. Etiamne tecum hic res mihi est? Adde eumd. Hecyr. 3. 4. 16. Cic. 1. Cat. 1. 1. Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? — c) Sæpissime in propositione negativa. Plaut. Pseud. 1. 3. 46. Quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit. Ter. Andr. 3. 2. 23. Non satis me pernosti etiam, qualis sim. Id. Andr. 1. 1. 89. Egomet quoque ejus causa in funus prodeo, nihil suspicans etiam mali. non per anco sospettando male alcuno. Id. Eun. 5. 8. 6. Hunc ego numquam videram etiam. Adde eumd. ibid. 5. 9. 62. Cic. 1. Tusc. 6. 12. Non dico fortasse etiam quod sentio. Cæs. 6. B. G. 43. Ut modo visum ab se Ambiorigem in fuga captivi, nec plane etiam abisse ex conspectu contenderent. — d) Cum addito adhuc, nondum, vixdum; ut apud Cic. 5. Verr. 84. 194. Improbum facinus, judices, non ferendum, nemini lege concessum, sed fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum. Ter. Hecyr. 4. 2. 117. Quid egerint inter se, nondum etiam scio. Id. ibid. 5. 1. 19. Mane, nondum etiam dixi id, quod volui. Adde eumd. Heaut. 3. 3. 35. et Andr. 1. 2. 30. Cic. 1. Cat. 4. 10. Hæc ego omnia, vixdum etiam cœtu vestro dimisso, comperi. — e) Et cum addito dum apud Ter. Heaut. 2. 1. 17. Neque etiamdum scit pater. nè per anco lo sa. Al. aliter leg. ¶ 5. Denique etiam aliis particulis jungitur vel respondet. — a) Etiam atque etiam est iterum ac tertio, vel iterum ac sæpius. Hinc Cic. 7. Verr. 72. 185. quum varios deos, atque in his Dianam invocasset, paullo post rursus invocans subdit: Teque etiam atque etiam, Diana, quam Pergæ spoliavit. et Id. 3. Tusc. 28. 69. Confitetur multa se ignorare, et multa sibi etiam atque etiam esse discenda. due e più volte. Id. 13. Fam. 28. Id igitur (puto enim, etiam atque etiam mihi dicendum esse) velim existimes, mihi te fecisse gratissimum. — Hinc ponitur pro magnopere, majorem in modum; et sæpissime jungitur cum verbis, quæ curare, rogare, reputare etc. significant. Ennius apud Varron. 7. L. L. 73. Müll. Quid noctis videtur in altissimo cæli clipeo? Temo superat stellas sublime etiam cogens atque etiam noctis iter. Plaut. Trin. 3. 2. 48. Te moneo, hoc etiam atque etiam ut reputes, quid facere expetas. Ter. Eun. 1. 1. 11. Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam hoc cogita. Cic. 1. Divinat. 4. 7. Diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus. Id. 13. Fam. 15. 3. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Id. 16. ibid. 15. Cura te etiam atque etiam diligenter. Liv. 38. 9. Ut etiam atque etiam, quid agendum esset, consulerent. Similiter Cic. pro leg. Manil. 19. 58.; et Liv. 3. 45. Etiam atque etiam considerare. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 12. 37. et 4. Acad. (2. pr.) 19. 62.; et Liv. 36. 28. videre. Sall. Jug. 85. reputare. Liv. 22. 13. affirmare. Id. 41. 19. curare. Cic. 13. Fam. 72. commonefacere. Horat. 1. Ep. 18. 76. aspicere. Catull. 63. 61. queri. — Reperitur quoque etiam et etiam. Balbus apud Cic. post ep. 15. l. 8. ad Att. Et non se totum etiam et etiam ab sermone nostro avertisset. Al. tamen rectius leg. atque. — Etiam atque etiam aliquando objective, uti ajunt, usurpatur. Lucret. 1. 296. Quare etiam atque etiam sunt venti corpora cæca. Cic. 6. Fam. 22. Hæc quamquam nihilo meliora sunt, nunc etiam atque etiam multo desperatiora. — b) Etiam ponitur et in altero propositionis membro, præcipue post particulas sive, an, aut, vel etc. — Sive — sive etiam apud Cic. 2. Orat. 35. 152. A quo quidem homine — non aberrat oratio tua, sive tu similitudine illius divini ingenii in eadem incurris vestigia, sive etiam illa ipsa legisti atque didicisti, quod quidem magis veri simile videtur. Adde eumd. 4. Tusc. 3. 6. et Mil. 23. 63. — An — an etiam apud Cic. 4. Tusc.

23. 50. Quid igitur huc adhibetis iram? an fortitudo, nisi insanire cœperit, impetus suos non habet? quid? Herculem - iratumne censes conflixisse cum Erymanthio apro, aut leone Nemæo? an etiam Theseus Marathonici tauri cornua comprehendit iratus? — *Aut - aut etiam* apud *Cic.* 2. *Orat.* 82. 335. Controversia autem inter hominum sententias, aut in illo est, utrum sit utilius: aut etiam, quum id convenit, certatur, utrum honestati potius, an utilitati consulendum sit. Adde *eumd. Cœl.* 20. 71., *Senect.* 19. 66. et 5. *Tusc.* 18. 51.; et *Horat.* 2. *Ep.* 2. 165. — *Vel - vel etiam* apud *Cic. Amic.* 22. 85. Nam implicati ultro et citro vel usu diuturno, vel etiam officiis, repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione dirumpimus. Cf. *eumd.* 3. *Orat.* 15. 179. — *Primum - deinde etiam* apud *Cic. Amic.* 20. 73. Tantum autem cuique tribuendum, primum, quantum ipse efficere possis; deinde etiam, quantum ille, quem diligas atque adjuves, sustinere.

ĔTĬAM DUM *vel* etiamdum. *V.* voc. præced. 4. *e.*

ĔTĬAM NUM *vel* etiamnum, *et*

ĔTĬAM NUNC *vel* etiamnunc. Apud *Cic.* et *Cæs.* postrema tantum occurrit forma. — *Etiamnum* et *etiamnunc* significat nunc quoque (It. *anche adesso, adesso pure*; Fr. *encore maintenant*; Hisp. *aun ahora mismo*; Germ. *jetzt noch, noch jetzt, noch*; Angl. *even yet*). Occurrit ¶ 1. Apud optimos quosque scriptores ea, qua diximus, significatione; et quidem — *a*) De tempore præsenti — In propositione affirmativa. *Plaut. Merc.* 4. 5. 11. SY. Etiamnunc mulier intu'st? SY. Etiam. *Id. Stich.* 5. 4. 16. Vide utram tibi libet etiamnum capere, cape provinciam. *Id. Men.* 3. 1. 15. Etiamnum reliquiarum spes animum oblectat meum. *Varro* 3. *R. R.* 2. 3. Ego vero, inquit, te præsertim (*recipio*), cujus aves hospitales etiamnunc ructor, quas mihi apposuisti paucis ante diebus. *Id.* apud *Non. p.* 11. 15. *Merc.* Quod frontem lecticæ struebant, ex ea herba torta torum appellatum: hoc quod injicitur, etiamnum toral dicitur. *Cic. Orat.* 34. 119. De materia loquor orationis etiamnunc, non ipso de genere dicendi. *Id.* 2. *Divinat.* 47. 99. Ut mihi permirum videatur quemquam exstare, qui etiamnunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re et eventis refelli. *Id. Rosc. Am.* 52. 150. Si vestra bonitas et misericordia manet, salvi etiamnunc esse possumus. Adde *eumd. ibid.* 28. 78. et 5. *Verr.* 38. 86. *Sall. Cat.* 52. Dux hostium cum exercitu supra caput est: vos cunctamini etiam nunc, quid intra mœnia deprehensis hostibus faciatis? *Id. Jug.* 31. Qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis, atque etiamnunc timetis eos, quibus decet terrori esse. *Liv.* 3. 2. Se tamen, utrumque sit, etiamnunc, pœnitere sua sponte Æquos, quam pati hostilia, malle. *Ovid.* 1. *Met.* 357. terrent etiamnunc nubila mentem. *Sueton. Aug.* 73. instrumenti ejus et supellectilis parcimonia apparet etiamnunc, residuis lectis atque mensis. *Id. Cæs.* 31. Conversus ad proximos, Etiamnunc, inquit, regredi possumus. *Al. leg.* tunc. *Justin.* 8. 4. 7. Græciam, etiamnunc et viribus et dignitate - principem. *Val. Flacc.* 7. 454. etiamnunc deprecor, hospes, Me sine, et insontem misero dimitte parenti. — In propositione negativa. *Plaut. Pœn. prol.* 99. Neque quidquam cum ea fecit etiamnum stupri. *Cic. Mur.* 12. 27. Jam illud mihi quidem mirum videri solet, tot homines tam ingeniosos, per tot annos etiamnunc statuere non potuisse, utrum etc. *Id. Cluent.* 59. 163. Quo de homine nihil etiamnunc dicere nobis est necesse. *Ovid.* 13. *Met.* 231. Nec Telamoniades etiamnunc hiscere quidquam Audet. — *b*) De futuro. *Cic.* 3. *Att.* 17. 2. Ego autem, quoniam non longe eo tempore absumus, in quo res dijudicabitur, aut ad te conferam me, aut etiamnunc circum hæc loca commorabor. *mi tratterrò tuttavia.* — De præterito tempore. *Varro* 1. *R. R.* 37. 5. Athenis in Lycæo quum etiamnum platanus novella esset, radices trium et triginta cubitorum egisse. *Cic.* 10. *Fam.* 10. Cujus rei non modo non præterit tempus, sed ne maturum quidem etiamnunc meo quidem judicio fuit. *nè men per anco.* *Id.* 1. *Cat.* 4. 9. Confirmasti, te ipsum jam esse exiturum; dixisti paullulum tibi esse etiamnunc moræ, quod ego viverem. *Cæs.* 6. *B. G.* 40. Si, qui in jugo constiterant, nullo etiamnunc usu rei militaris percepto, neque in eo, quod probaverant, consilio permanere, neque etc. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 62. *Asin. Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 32. *extr.* Epistolam, quam Balbo, quum etiamnunc in provincia esset, scripsi, legendam tibi misi. *mentre pur anco era in provincia.* *Virg.* 4. *G.* 135. Quum tristis hiems etiamnum frigore saxa Rumperet et glacie cursus frenaret aquarum, Ille comam mollis jam tondebat hyacinthi. *Ovid.* 3. *Fast.* 153. Sed tamen errabant etiamnum tempora, donec Cæsaris in multis hæc quoque cura fuit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 3. 5. (16). Primi exercuere Aridices Corinthius et Telephanes Sicyonius, sine ullo etiamnum colore, jam tamen spargentes lineas intus. ¶ 2. A scriptoribus, qui post Augusti ætatem floruerunt, usurpatum est simpliciter pro etiam. *Colum.* 3. *R. R.* 3. 1. Duas etiamnunc formulas præpositis adjiciam. Adde *Cels.* 5. 26. 20. et 7. 29. *ad fin*; et *Senec. Ep.* 113. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 47. (85). In quibus etiamnunc hodie in more sit lætiora convictu potionem e centum herbis mulso additis credere saluberrimam. *Id.* 6. *ibid.* 33. 39. (211). His addemus etiamnum unam Græcæ inventionis sententiam. *Id.* 37. *ibid.* 11. 71. (186). Est etiamnum alia distinctio. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (26). Mars, etiamnum sedens, colosseus. *anche sedente.* *Forcellinus* addit etiam illud, quod mihi ad superiorem paragr. referendum videtur, ejusd. *Plin.* 18. *ibid.* 3. 4. (20). Cincinnato viator attulit dictaturam, et quidem, ut traditur, nudo plenoque pulveris etiamnum ore. — Et cum Comparativis. *Cels.* 5. 26. 30. Si plus est, quod tolli opus est, adhibenda sunt etiamnum vehementiora. Adde *eumd.* 5. 28. et 8. 20.; et *Senec. Ep.* 87. et 102. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (177). Si etiamnum infirmior erit, etc.

ĔTĬAMSI *vel* etiam si, εἰ καί, particula concedendi, quæ in conditionalibus propositionibus locum habet, et significat etsi, quamquam, licet (It. *ancorchè, anche se, benchè, quantunque*; Fr. *quand même, quoique, lors même que*; Hisp. *aunque*; Germ. *wenn auch, auch wenn*; Angl. *alt houg, though*). Occurrit — *a*) Cum Indicativo. *Plaut. Epid.* 3. 4. 81. Eamne ego sinam impunem? immo etiamsi alterum tantum perdundum est, perdam potius, quam etc. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 26. Etiamsi dudum fuerat ambiguum hoc mihi; nunc non est. *Cic. Opt. gen. orat.* 2. 6. Etiamsi est in genere tolerabili, certe non est in optimo. *Id.* 3. *Att.* 24. *extr.* Ista veritas etiamsi jucunda non est, mihi tamen grata est. *Id.* 1. *Orat.* 17. 79. Quibus etiamsi ingenium, ut tu putas, non maxime defuit, doctrina certe et otium et hercule etiam studium illud discendi acerrimum defuit. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 16. *Id. Senect.* 22. 79. Eumdem igitur esse creditote, etiamsi nullum videbitis. *Cic. fil.* ad *Tiron.* 16. *Fam.* 25. Etiamsi, quod scribas, non habebis, scribito tamen. *Sall. Jug.* 10. In omni certamine, qui opulentior est, etiamsi accipit injuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur. *Quintil.* 9. 4. 45. Quod etiamsi constat utrumque pedibus, habet tamen non simplicem differentiam. *Etiamsi* sequente *tamen* frequenter occurrit apud *eumd.*, ut 5. 10. 8., 2. 2. 14. etc. *Id.* 9. 2. 99. Levissimum autem longe genus ex verbo, etiamsi est apud Ciceronem. *Ammian.* 21. 16. Quod crimen, etiamsi non invenit, malignitas fingit. — *b*) Cum Conjunctivo. *Plaut. Trin.* 2. 4. 73. At pol ego, etiamsi vetat, edim atque ambabus malis expletis vorem. *Cic. Amic.* 27. 104. Omnia brevia, tolerabilia esse debent, etiamsi magna sint. *Id.* 1. *Off.* 4. 14. Quod etiamsi nobilitatum non sit, tamen honestum est, quodque vere dicimus, etiamsi a nullo laudetur, natura esse laudabile. *Id. Mil.* 8. 21. Neque enim hoc cogitavit vir justissimus, neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiamsi cupisset. *Quintil.* 11. 3. 91. Etiamsi juvenes agant. *Id.* 6. 3. 103. Etiamsi nomen proprium non adjiceretur, tamen etc. *Id.* 5. 10. 118. Recepisse jus, etiamsi quod amiserint, Thebani videntur. *Plin. Paneg.* 7. Quem constet imperaturum fuisse, etiamsi non adoptasses. *Tac.* 16. *Ann.* 16. Etiamsi bella externa - memorarem. *Quintil.* 10. 1. 89. Etiamsi versificator quam poeta melior, si tamen - perscripsisset, vindicaret sibi jure secundum locum. — *c*) Omisso verbo. *Cic. Orat.* 31. 112. Hunc librum, etiamsi minus nostra commendatione, tuo tamen nomine divulgari necesse sit. *Id. Cœl.* 3. 8. Quis est enim, qui isti ætati atque etiam isti dignitati non possit, quam velit petulanter etiamsi sine ulla suspicione, at non sine argumento maledicere? *Quintil.* 5. 12. 5. Singula levia sunt et communia: universa vero valent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine. *Id.* 11. 3. 48. Etiamsi toto proposito contractum atque summissum: - tamen fuerit, necesse est, aliquid plenius et erectius. *Id. proœm.* 4. Etiamsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas. *Id.* 2. 20. 6. Etiamsi non perfecte, tamen ut inessent quædam semina ejus facultatis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 27. 28. (100). Quæ mihi omnia etiamsi non prius, attamen clarius fulsisse in Scipione Æmiliano videntur. — *d*) Aliquando dividitur interjecto verbo. *Cic.* 1. *Orat.* 33. 152. Qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa, quæ dicantur, similia scriptorum esse videantur. — *e*) Interdum pro *etiamsi* occurrit *etiam ut* eodem sensu. *Cic.* 15. *Att.* 5. 2. Ego autem, etiam ut nullum periculum sit, tantum abest ut Antonii suspicionem fugere non curem, etc. *Quintil.* 1. 7. 10. Nam k quidem in nullis verbis utendum puto, nisi quæ significat, etiam ut sola ponatur.

ĔTĬAMTUM *vel* etiam tum, *et raro admodum*

ĔTĬAMTUNC *vel* etiam tunc, particula quæ præteritum tempus respicit, et significat usque ad id tempus, illo etiam tempore (It. *sino allora, anche allora*; Fr. *alors encore, alors même, encore*; Hisp. *entonces*; Germ. *damals noch, noch, damals immer noch, immer noch*; Angl. *even down to that time, even then*). Occurrit — *A*) *Etiamtum* — 1.°) De iis, quæ jam præterierunt, neque amplius exsistunt. — *a*) Sæpissime cum Imperfecto. *Cic.* 2. *Orat.* 22. 93. Omnes etiamtum retinebant illum Pericli succum: sed erant paullo uberiore filo. *Sall. Cat.* 2. Etiamtum vita hominum sine cupiditate agitabatur. *Id. Jug.* 63. Tamen is ad id locorum - petere non audebat: etiamtum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat. *Tac.* 1. *Ann.* 74. Manebant etiamtum vestigia libertatis. *Id. Agric.* 39. Nam etiamtum Agricola Britanniam obtinebat. — Et cum Imperfecto Conjunctivi vel Indicativi præced. part. *quum* apud *Cic.* 1. *Verr.* 39. 97. Veniunt ad istum domestici nuntii, litterasque a patre afferunt ante Kal. Decembres, quum isti etiamtum de Sthenio integra tota res esset. *Tac.* 15. *Ann.* 64. Ita codicillis præscripserat, quum etiamtum prædives et præpotens supremis suis consuleret. *Cic.* 7. *Verr.* 34. 88. Evolarat jam a conspectu fere fugiens quadriremis, quum etiamtum ceteræ naves suo in loco moliebantur. *Sall. Jug.* 51. Itaque multum diei processerat, quum etiamtum eventus in incerto erat. — *b*) Cum Ablativis absolutis. *Cic.* 2. *Cat.* 2. 4. Quum viderem, ne vobis quidem omnibus re etiam tum probata, si illum morte multassem, fore ut etc. *Sall. Jug.* 40. Inter lætitiam plebis et suorum fugam, trepida etiamtum civitate, quum ex Mamilii rogatione tres quæsitores rogarentur etc. *Id. ibid.* 21. Obscuro etiamtum lumine. Adde *eumd. fragm.* 4. 23. *Gerlach.* Sic *Sueton. Domit.* 8. Dubia etiamtum causa. *Tac.* 11. *Ann.* 22. Regibus etiamtum imperantibus. *Id.* 1. *ibid.* 3. Integra etiamtum domo sua. *Id.* 2. *ibid.* 52. Nullo etiamtum urbium cultu. — Huc referri possunt et illa, quæ Ablativorum absolutorum similia sunt. *Sueton. Tib.* 42. In castris tiro etiamtum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio Biberius - vocabatur. *Id. Claud.* 27. Inque secundo consulatu natum sibi parvulum etiamtum et militibus pro concione manibus suis gestans et plebi commendabat. *Id. Cal.* 10. Quam defunctam prætextatus etiamtum pro rostris laudavit. — *c*) Aliquando dividitur interjecto verbo. *Tac.* 13. *Ann.* 50. Plerasque vectigalium societates a consulibus et tribunis plebis constitutas acri etiam populi Romani tum libertate. — *d*) *Tum etiam* eodem sensu apud *Tac.* 3. *Ann.* 61. Ubi Latonam partu gravidam et oleæ, quæ tum etiam maneat, adnisam edidisse ea numina. — 2.°) Cum Præsente historico. *Ter. Hecyr.* 4. 2. 70. Diebus sane pauculis post, Pamphilus me solum seducit foras: narratque ut virgo ab se integra etiamtum siet. *Sall. Jug.* 54. Ubi videt regis etiamtum animum ferocem esse. *Tac.* 1. *Hist.* 49. Truces etiamtum animos cupido involat eundi in hostem. — *B*) *Etiamtunc* legitur apud *Cic. Sext.* 38. 81. Si P. Sextius - occisus esset: fuistisne ad arma ituri? an etiamtunc quiesceretis, cunctaremini, timeretis, quum rempublicam a facinorosissimis sicariis et a

servis esse oppressam atque occupatam videretis? Apud *Sueton. Cæs.* 31. pro *etiamtunc* alii leg. etiamnunc.

ETĬAM UT. *V.* ETIAMSI sub *e.*

ETSI, conjunctio concedendi seu concessiva, καί τοι, εἰ καί (It. *se bene, quantunque, ancora che*; Fr. *quoique, bien que, quand même, même si*; Hisp. *aunque*; Germ. *auch wenn, wenngleich* Angl. *though, althoug, albeit*).

I.) Proprie occurrit — a) Cum Indicativo, et respondente part. *tamen. Plaut. Cas.* 5. 3. 16. Vapulo herele ego invitus tamen, etsi malum merui. *Id. Rud.* 5. 2. 63. Tamen fiet, etsi tu fidem servaveris. *Ter. Hecyr.* 2. 2. 1. Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse —: ego tamen patrio animo victus faciam. *Cic.* 6. *Fam.* 18. 3. Etsi abest maturitas ætatis, jam tamen personare aures ejus hujusmodi vocibus non est inutile. *Id.* 1. *ad Q. f.* 1. *init.* Etsi non dubitabam, quin hanc epistolam *etc.*, tamen existimavi etc. *Id. Mil.* 1. 1. Etsi vereur, judices, ne *etc.* tamen etc. *Nepos Themist.* 3. Hinc etsi pari prælio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere. Adde *eumd. ibid.* 5., *Alcib.* 8. et *Att.* 10. *Virg.* 9. *Æn.* 44. Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat, Objiciunt portas tamen et præcepta facessunt. — Et omisso *tamen. Plaut. Bacch.* 5. 2. 73. Age, id jam, ut ut est, etsi est dedecorum, patiar. *Forcellinus* addit locum *ejusd. Trin.* 4. 2. 106., quem ipse non inveni. — Et respondente part. *certe* apud *Cic. Marcell.* 5. Etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. — b) Cum Subjunctivo. *Plaut. Aulul.* 3. 2. 7. Pol, etsi taceas, palam id quidem est. *Id. Capt.* 1. 2. 76. Ut tu cupias facere sumptum, etsi ego vetem. Adde *eumd. Truc.* 4. 3. 41. *Cic.* 7. *Att.* 3. Etsi cupidissime expetitum a me sit, tamen non est nostra contentione perfectum. *Id. Sull.* 32. 90. Etsi nihil aliud Sullæ nisi consulatum abstulissetis, tamen eo vos contentos esse oportebat. *Id.* 6. *Fam.* 4. Etsi idipsum nonnullis videatur secus. *Liv.* 3. 8. *ad fin.* Ubi etsi adjectum aliquid numero sit, magna certe cædes fuit. Adde *eumd.* 3. 68., 5. 36. et 5. 42. — Juxta *Forcellinum* aliquando valet *et quamvis*, ac disjunctim scribi debet. *Cic. Amic.* 27. 101. Et, si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi ætas ipsa solatium. Hic tamen *et* conjunctio, si particula conditionalis videtur. — c) Sine verbo. — *Etsi* vel *etsi non* — *tamen* apud *Cic.* 3. *Orat.* 4. 14. Atque ei, etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio, meritam gratiam debitamque referamus. *Id. Harusp. resp.* 31. 41. Fuit in his omnibus causa, etsi non justa, — gravis tamen. Adde *eumd.* 16. *Fam.* 24. *Liv.* 3. 56. Superbiæ crudelitatique etsi seras, non leves tamen venire pœnas. *Id.* 38. 41. Etsi iniquo loco, prælio tamen justo dimicandum erat. et *mox.* Etsi iter non infestum, suspectum tamen. Adde *eumd.* 2. 16. — *Etsi non* — *at* apud *Cic.* 6. *Fam.* 6. 2. Animum tuum — etsi non sapientissimi, at amicissimi hominis auctoritate confirmandum etiam atque etiam puto. *Sueton. Ner.* 33. Cujus necis etsi non auctor, at conscius fuit. — *Etsi non* — *at certe* apud *Sueton Cal.* 12. Ipsum postea, etsi non de perfecto, at certe de cogitato quondam parricidio professum. *Tac.* 12. *Ann.* 39. Lætis hostibus, tamquam ducem haud spernendum etsi non prælium, at certe bellum absumpsisset. *Id. Dial. de orat.* 19. Quin elementis studiorum, etsi non instructus, at certe imbutus sit. — *Etsi non* — *certe* apud *Liv.* 25. 6. De nobis etsi non iniquum, certe triste senatusconsultum factum est. — *Etsi non* — *saltem* apud *Liv.* 2. 43. Etsi non adhortatio invisi ducis, suum saltem flagitium, postmodo periculum cogere potuit gradum accelerare.

II.) Translate *etsi* servit eleganter correctioni, ut quamquam, et apud Græcos καίπερ, καίτοι. *Plaut. Capt.* 3. 5. 86. Vale atque salve: etsi aliter ut dicam, meres. *Cic.* 9. *Att.* 10. 2. Do, do pœnas temeritatis meæ: etsi quæ fuit illa temeritas? *Id.* 16. *ibid.* 7. 2. Lectis tuis litteris admiratus equidem sum, te tam vehementer sententiam commutasse: sed non sine causa arbitrabar. Etsi, quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meæ, approbator certe fuisti, dummodo Kal. Jan. Romæ essem. *Id.* 12. *ibid.* 45. 2. Nunc hæc, quæ refricant, hic me magis angunt. Etsi tamen, ubicumque sum, illa sunt mecum. *se bene però. Id.* 13. *ibid.* 41. Utrusque nostrum idem consilium esse debet: etsi in me graviores injuriæ et certe notiores. *Id.* 7. *ibid.* 3. 3. Habet enim res deliberationem: etsi ex parte magna tibi assentior. Adde *Sueton. Tib.* 61.

ĔTUSSĬO. *V.* EXTUSSIO.

ĔTȲMŎLŎGĬA, æ, f. 1. ἐτυμολογία, oratio qua vera origo nominis et ratio exponitur: ab ἔτυμος *verus* et λόγος *sermo*. Ad rem *Cic. Topic.* 8. 35. Multa etiam ex notatione sumuntur. Ea est autem, quum ex vi nominis argumentum elicitur: quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, id est, verbum ex verbo, veriloquium: nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia sunt verba rerum notæ. Itaque hoc idem Aristoteles σύμβολον appellat, quod Latine est nota. *Quintil.* 1. 6. 1. Etymologia, quæ verborum originem inquirit, a Cicerone dicta est notatio, quia nomen ejus apud Aristotelem invenitur σύμβολον, quod est nota; nam verbum e verbo ductum, idest veriloquium, ipse Cicero qui finxit, reformidat. Sunt qui vim potius intuiti, originationem vocant. Hæc habet aliquando usum necessarium, quoties interpretatione res, de qua quæritur, eget: ideoque in definitionibus assignatur etymologiæ locus. Nonnunquam etiam barbara ab emendatis conatur discernere, ut quum Triquetram dici Siciliam an Triquedram, meridiem an medidiem oporteat, quæritur. Continet autem in se multam eruditionem, etc. Adde *eumd.* 7. 3. 25, 5. 10. 55. et 1. 6. 28. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 8. 32. Verborum etiam explicatio probabatur, idest qua de causa quæque essent ita nominata, quam etymologiam appellabant. Ita *Forcellinus*: at rectius *Orellius* Græcis litteris vocem exhibet. Adde *Varron.* 7. *L. L.* 109. *Müll.*; et *Gell.* 19. 13. *Cassiod. Instit. div. litt.* 1. Etymologia est aut vera, aut verisimilis demonstratio, declarans ex qua origine verba descendant.

ĔTȲMŎLŎGĬCĒ, es, f. 1. ἐτυμολογική, ars verborum originem inveniendi. *Varro* 7. *L. L.* 4. *Müll.* De originibus verborum qui multa dixerit commode, potius boni consulendum, quam qui aliquid nequiverit, reprehendendum; præsertim quum dicat etymologice, non omnium verborum dici posse causam. Adde *eumd. ibid.* 109.; ubi tamen Græcis litteris *Müllerus* exhibet.

ĔTȲMŎLŎGĬCUS, a, um, adject. ἐτυμολογικός, ad etymologiam pertinens. *Gell.* 1. 18. Vocabulum Græcum resolvit in voces Latinas ratione etymologica falsa.

ĔTȲMON, i, n. 2. vera nominis, sive appellationis ratio, vel quæ saltem pro vera affertur: ab ἐτὸς vel ἐτεός *verus*, unde ἔτυμον. *Varro* 1. *R. R.* 18. 2. Videtur vocabulum etymon habere a glubendo. *Gell.* 18. 4. *extr.* Etyma harum vocum et origines scriptas esse dicebat in libris Nigidianis. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. *a med.*

EU

EU, interj. εὖ, particula approbantis, seu laudantis, et significat bene, recte, optime (It. *oh bravo, bene*; Fr. *bien, très-bien, bravo*; Hisp. *bien, bravo*; Germ. *schön, gut, brav*; Angl. *bravo! o! brave, wel done!*) Inservit — a) Gaudio significando. *Plaut. Most.* 1. 4. 26. Eu Philolaches, salve amicissime mihi hominum omnium. *Ter. Phorm.* 3. 1. 14. Eu Phormio. *Id. Eun.* 1. 2. 74. Eu noster, laudo, tandem perdoluit. Ita utroque *Terentii* loco legit *Agroet. de orthogr.* p. 2272. *Putsch.*, nam alii hoc posteriore *heus*; priore *heu.* — b) Admirationi. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 10. Eu, probe! *Horat. A. P.* 317. si de quincunce remota est Uncia, quid superat? poteras dixisse, triens. eu! Rem poteris servare tuam.

EUAN, antis, m. 3. Εὐάν, unum ex cognominibus Bacchi: ab εὐάν, quæ vox est, qua Bacchæ in sacris Baccho acclamabant. *Ovid.* 4. *Met.* 15. Nycteliusque, Eleleusque pater, et Iacchus, et Euan. *Lucret.* 5. 742. graditur simul Eulus Euan. — Hinc

Euans, tis, f. 3. absolute, substantivorum more (quasi particip. ab inusit. *euo, as*) est bacchans, furens, exsultans. *Virg.* 6. *Æn.* 517. Illa chorum simulans, euantes orgia circum Ducebat Phrygias. *Catull.* 64. 386. Sæpe vagus Liber Parnassi e vertice summo Thyadas effusis euantes crinibus egit. *Sil. It.* 1. 101. Non ille euantis Massylæ polluit aras. *h. e.* Bacchæ Massylæ. *Apul.* 8. *Met.* Attollentes immanes gladios ac secures, euantes exsiliunt, incitante tibiæ cantu lymphaticum tripudium.

EUANGĔLĬCUS, a, um, adject. εὐαγγελικός. Licenter primam syllabam corripuit *Ennod.* 1. *carm.* 9. 172. quod ab ubere Paulus Pressit, euangelicis plena est cui dextra papillis. — Euangelicus est ad Euangelium pertinens. *Tertull.* 4. *contra Marcion.* 2. Euangelicum instrumentum Apostolos auctores habet. *et* 39. *a med.* Euangelica scriptura. *Prudent. Apotheos.* 194. Laxarit Scythicas verbo penetrante pruinas Vox Euangelica.

EUANGĔLISTA, æ, m. 1. scriptor Euangelii, Εὐαγγελιστής. *Prudent.* 6. *Cathemer.* 77. Euangelista summi fidissimus magistri. Adde *Vulgat. interpr. Esai.* 41. 27., *Act.* 21. 8., *Ephes.* 5. 11. et 2. *Tim.* 4. 5.

EUANGĔLĬUM, ii, n. 2. Græce est bonus sive lætus nuncius; ab εὖ *belle, feliciter*, et ἀγγελία *nuncius*. Hinc Christiani Euangelium appellarunt Christi sermonem et doctrinam, quia in ea passim felicitas æterna iis annunciatur. *Tertull.* 4. *contra Marcion.* 3. — *Euangelia, orum*, sacrificia et supplicationes, quæ pro jucundo nuncio decerni consueverunt; item merces allati jucundi nuncii. *Cic.* 2. *Att.* 3. et 12., et 13. *ibid.* 10.; sed Græce.

EUANGĔLĪZĀTOR, ōris, m. 3. qui Euangelium publice prædicat. *Tertull. Cor. mil.* 9. et *Præscript.* 1.

EUANGĔLIZO, as, āvi, ātum, are, a. 1. εὐαγγελίζω. buna nuncio, annuncio. *Vulgat. Interpr. Luc.* 2. 10. Euangelizo vobis gaudium magnum. *Id. Act. Ap.* 8. 35. Euangelizavit illi Jesum. *et* 14. 6. Ibi euangelizantes erant.

EUANTES. *V.* EUAN.

EUAX, interjectio gestientis et exsultantis. Videtur esse ab εὐάζω *Euantem, seu Bacchum inclamo* (It. *viva!*; Fr. *hé!*; Hisp. *hé! há!*; Germ. *juchhei, heisa*; Angl. *hurra, huzza*). *Plaut. Curc.* 1. 2. 3. Ubi, ubi est? prope me est: euax! habeo. *Id. Cas.* 4. 4. 13. Euax! nunc pol demum ego sum liber. *Id. Bacch.* 2. 3. 13. NIC. Venitne? CHRY. venit. NIC. euax! aspersisti aquam. *Id. ibid.* 4. 4. 73. Euax! nimis bellus, atque ut esse maxime optabam, locus!

V. EFFUTICIUS.

EUBŎLĬON, ii, n. 2. idem ac dictamnus. *Apul. Herb.* 62.

EUCHĂRIS, i, adject. Græca vox εὔχαρις, affabilis; ab εὖ *bene* et χάρις *gratia*. *Vulgat. interpr. Eccli.* 6. 5. Et lingua eucharis in bono homine abundat.

EUCHĂRISTĬA, æ, f. 1. ab εὐχαριστέω *gratias ago*, a Catholicis scriptoribus adhibetur pro augustissimo Sacramento Corporis et Sanguinis D. N. J. C. *Cyprian. Ep.* 10. *V.* et voc. seq.

EUCHĂRISTĬCON, i, n. 2. εὐχαριστικόν, quod gratiis agendis inservit. *Tertull. Præscript. hæret.* 47. Ipsum introducunt ad benedicenda eucharistica sua. *h. e.* oblationes pro gratiarum actione. Alii minus recte leg. *eucharistia*, ut sit *eucharistia, orum*, n. plur. 2. — *Eucharisticon* inscribitur carmen *Statii* 4. *Silv.* 2., in quo gratias agit Domitiano, quod convivio ab eo fuerat admissus.

EUCHĒTÆ, ārum, m. plur. 1. εὐχηταί, hæretici, quibus hoc nomen inditum est ex orationis assiduitate, quod incredibiliter, ut inquit *Augustin.* 5. *de hæret.* 58., perpetuo faciebant, adeo ut monachos fovendæ vitæ gratia quidpiam facere, impium ducerent, quia sic interpellaretur orandi facultas.

EUCLĒA, æ, f. 1. nomen plantæ, quam ridiculo sane, sed non semel admisso errore finxit *Plin.*, qui postquam de antirrhino vel anarrhino egit, addit 25. *Hist. nat.* 10. 81. (130). Similiter ea, quam eucleam (*magi*) vocant traduntque ea perunctos commendatioris esse famæ. *Euclea* itaque est Græca vox εὔκλεια, ab εὖ *bene* et κλέος *fama, gloria*, hoc est *bona fama*. Nonnulli legunt *euplea*, alii *eupilia*: at *euclea* legendum est cum *Schneidero, Silligio* et *Fée* ex *Theophr.* 9. *Hist. plant.* 18. 2.

EUCNĒMOS, i, m. et f. 2. εὔκνημος, habens pulcra crura: ab εὖ *belle* et κνήμη *crus*. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (82). Strongylion fecit Amazonem, quam excellentia crurum eucnemon appellant.

EUDĪLEON, linteum filum, quod medici extremo in clysterio relinquunt, per quod κλυσμὸς emittitur. *Paul. Diac.* p. 78. 13. *Müll.* Porro εὐδίαιον, aut εὐδίαιος Græce est foramen in navi, quo effluunt

pluviæ aquæ et quæ e sentina exhauriuntur: vel clavus, seu cuneus ligneus, qui in id foramen infigitur, quo exempto, aquæ effluunt: a cujus similitudine lineum illud filum dictum est.

EUERGĂNĒUS, a, um, adject. *Euerganeæ trabes*, quas memorat *Vitruv.* 5. 1. 9. *Schneid.*, aliis ita dictæ sunt, quod sint affabre politæ et compactæ; ab εὐεργής, quod idem significat: aliis, quod ea derivatio insolens videatur, sunt ab *evergendo*, quod in aliquam partem vergant et propendeant: sunt etiam, qui vero similius putant, legendum *energaneæ*, ab ἐνεργής *efficax*, quia nempe ex *Vitruv. loc. cit.* constat, eas trabes tecto basilicæ sustentando apprime esse destinatas. Recentiores plerique priorem sententiam sequuntur.

EUĒTHES, is, adject. Græca vox εὐήθης *bonis moribus præditus* (ab εὖ *bene* et ἦθος *mos*), *simplex*, et in malam partem *stultus*. Latinis litteris habet *Ammian.* 22. 8. A contrario per cavillationem Pontus Euxinus appellatur, ut euethen Græci dicimus stultum, et noctem euphronen, et furias Eumenidas.

EUGĀLACTON, i, n. 2. εὐγάλακτον, herba, de qua ita *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 58. (82). Glaux antiquitus eugalacton vocabatur, cytiso et lenticulæ foliis similis: aversa candidiora. Rami in terram serpunt quini seni ve, admodum tenues ab radice. Flosculi purpurei excunt. Invenitur juxta mare. Coquitur in sorbitione similaginis, ad excitandam ubertatem lactis. — Ex his *Plin.* verbis apparet, ita esse appellatam ab εὖ *bene, abunde*, et γάλα, ακτος *lac*: quia nimirum lactis ubertatem excitat. De synonymia *V.* GLAUX.

EUGĒ, εὖγε, interjectio variis inserviens affectibus: a Græca voce allata, quæ *recte, sane* significat; et occurrit fere apud *Plaut.* et *Ter.* tantummodo; si excipias *Martial.* 2. 27.; et *Vulgat. interpr. Psalm.* 69. 4. et alibi sæpe. — 1.°) *Euge* est — *a*) Interjectio lætitiæ. Hinc — Sæpe est lætantis. *Plaut. Aulul.* 4. 6. 11. Euge, euge, dii me salvum et servatum volunt. — Et gratulantis. *Plaut. Pers.* 1. 3. 10. Me dicit: euge! *Id. Rud.* 1. 2. 75. Ut afflictantur miseræ! Euge, euge, perbene! ab saxo avortit fluctus ad litus scapham. — Et plaudentis. *Plaut. Asin.* 3. 2. 9. Eas nunc legiones, vi pugnando perjuriis nostris, euge! potiti. *e viva.* — Et approbantis et laudantis. *Ter. Phorm.* 5. 6. 30. Euge, Geta! *bravo.* — Et hortantis. *Plaut. Most.* 3. 1. 59. Euge, strenue. Hur referr! potest et illud metuentis apud *eumd. Cas.* 2. 6. 34. Euge, rave. — Et animadvertentis ex improviso. *Ter. Andr.* 2. 2. 7. O Pamphile! Te ipsum quæro: euge Charine! ambo opportune. *oh ve'!* Adde *Plaut. Merc.* 2. 2. 12. — *b*) Est etiam cum ironia approbantis. *Plaut. Amph.* 2. 2. 170. ALC. Lavisti. AMPH. Quid, posteaquam lavi? ALC. Accubuisti. SO. Euge, optime! *molto bene.* Adde *eumd. Pers.* 1. 3. 10. *Ter. Adelph.* 5. 7. 13. Euge! jam lepidus vocor. *buono!* — Hinc *euge* est etiam insultantis, ut docet *Hieronym.* in *Ezech. l.* 2. *c.* 6. — 2.°) *Euge papæ* majorem vim habet, est cum ironia approbantis et occurrit apud *Plaut. Merc.* 3. 4. 41. Dii sciunt, culpam meam istam non esse ullam. CHA. Euge, papæ! Deos absentes testes memoras: qui ego istuc credam tibi? *bene! cappita!* — 3.°) *Eugepæ* eodem sensu occurrit, quo *euge*; et nonnullis videtur contractum ab *euge* et *papæ*, aliis vero compositum ab εὖγε et παι, ita ut scribendum sit per diphthongum *æ*. Est autem — *a*) Exsultantis. *Plaut. Rud.* 1. 2. 81. At in vado est: jam facile enabit, eugepæ! *e viva.* — Mirantis. *Id. Epid.* 1. 1. 11. Eugepæ! corpulentior videre atque habitior. *cappita!* — *b*) Ironice approbantis. *Id. Amph.* 4. 1. 10. Sed ædes occluserunt: eugepæ! Pariter hoc fit, atque ut alia facta sunt. *buon per mia fe!*

EUGĒNĒUS *vel*

EUGĒNĬUS, a, um, adject. *Eugeniæ uvæ* sunt uvarum genus, quæ a nobilitate et generositate sic dictæ sunt: nam εὐγένεια est nobilitas. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 16. Frigidum ac roscidum solum et cælum commodissime sustinent eugeniæ, dum sunt in Albano colle: nam mutato loco, vix nomini suo respondent. — Hinc *eugeneum vinum*, quod inde fit. *Cato R. R.* 6. et *Varro* 1. *R. R.* 25. 1. geminum eugeneum vocant: quare duplicis generis fuisse videtur.

EUGĔPÆ. *V.* EUGE sub 3.°

EUGĬUM, ii, n. 2. medium foramen τοῦ αἰδοίου γυναικείου, et ipsum αἰδοῖον: ab εὔγαιος *fecundus*. *Lucilius* et *Laberius* apud *Non.* p. 107. 30. *Merc.* et p. 490. 22. *V.* PUELLITOR.

EUHĂGES, um, m. plur. 3. Ita appellati sunt apud Gallos viri sanctioris vitæ genere insignes, qui naturæ arcana scrutari solebant: εὐαγής enim sanctum significat. Vide *Ammiani* locum in *V.* BARDI.

EUHȲAS *vel*

EUĬAS, ădis, f. 3. Εὐιάς, Baccha. De ratione scribendi, *V.* EUHYUS in ONOM. *Horat.* 3. *Od.* 25. 8. non secus in jugis Exsomnis stupet Euhias Hebrum prospiciens etc.

EUHOE. *V.* EUOE.

EULOGIARIUS, ii, m. 2. qui eulogias, seu munera ab episcopis ex eorum mensa ad privatos missa, conficit, vel defert. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 192. *V. Ducangii Glossar. Lat.* in *V.* EULOGIA.

EULOGIUM. *V.* ELOGIUM.

EUMĒCES, is, n. 3. ¶ 1. Est balsami genus levi cortice, ab εὐμήκης *bene longus*, quod ceteris sit procerius. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (114). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 53.) hæc ait ad h. l. «Le trois sortes de baumier, qualifiées d'*eutheriste* (qui se taille aisément), de *trachi* (qui a une écorce raboteuse), et d'*eumeces* (élevé), ne sont point connues des modernes et n'indiquent vraisemblablement que trois états differens d'un seul et même arbre». ¶ 2. Item gemma oblunga figura, silici similis, quæ, capiti supposita, visa nocturna oraculi modo reddit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 58. (160).

EUMETRĬA, æ, f. 1. εὐμετρία, justa proportio: ab εὖ *bene* et μέτρον *mensura*. *Veget.* 4. *Veterin.* 2. 21. Hæc eumetria equi convenit staturæ honestæ ac mediæ.

EUMĪTHRES, æ, f., vel rectius m. 1. gemmæ species: ab εὖ *bene* et Μίθρης, Mithras, numen Persarum, quod idem ac Sol. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 58. (160). Eumithren Beli gemmam, sanctissimi deorum sibi, Assyrii appellant, porracei coloris, superstitionibus gratam.

EUMOLPĬDÆ, ārum, m. plur. 1. Εὐμολπίδαι, sacerdotes Athenis, præsides quorumdam sacrificiorum nocturnorum, quos Eumolpus (qui et Eumolphus scribitur) Musæi, vel Orphei, vel Neptuni et Chiones filius in honorem Bacchi, vel Cereris in ea urbe instituerat: cujus posteri in id sacerdotium jure quodam sanguinis initiabantur. Alii volunt eorum sacrorum Orphea habuisse magistrum. De Eumolpi etiam patria varia traduntur, aliis Thracem, aliis Atheniensem facientibus, aliis Ægyptium. Sunt etiam, qui unum Thracem fuisse dicunt, Neptuni filium, alium Eleusinium, vel Atheniensem, Musæi filium, Orphei discipulum. Meminere Eumolpi et Eumolpidarum *Cic.* 2. *Legg.* 14. 35.; *Nepos Alcib.* 4. et 6. (cf. et *Justin.* 5. 1. 3.); *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 41. et 11. *Met.* 93.; et *Tac.* 4. *Hist.* 83.

EUNEOS, i, m. 2. *V.* EUREOS.

EUNŪCHĪNUS, a, um, adject. ad eunuchum pertinens, ut Eunuchina facies, apud *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 27.

EUNŪCHĬON, ii, n. 2. εὐνούχιον, lactucæ genus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 38. (127). Quidam vocant eunuchion, quoniam hæc maxime refragetur Veneri. *V.* ASTYTIS.

EUNŪCHISMUS, i, m. 2. evisallo, ut Eunuchismum facere, apud *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4.

EUNŪCHĪZĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *eunuchizo*, eunuchus factus. *Hieronym.* 1. *contra Jovinian.* 7. et *Matth.* 19. 12.

EUNŪCHO, as, are, a. 1. εὐνουχίζω *castro*. *Varro* apud *Non.* p. 106. 8. *Merc.* Qui se eunuchat.

EUNŪCHUS, i, m. 2. εὐνοῦχος, castratus, cui nempe adempti sunt testiculi. Etymon est ab εὐνή *lectus* et ἔχω *curo*, quia lecti et cubiculi mulierum custos habitus fuit: alii vero derivant ab εὖ *bene*, νοῦς *mens* et ἔχω *habeo*, quasi habens bonam mentem, quia res Venereæ amentiam inferant, et qui iis abstineant, valde sapere videantur: alii denique deducunt ab εὐνῆς τοῦ ὀχεύειν, *h. e.* privatus, expers concubitus. Priorem notationem confirmant *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 98. cumque omnibus unica virtus Esset in eunuchis, thalamos servare pudicos, etc. *Id. ibid.* 419. Militia eunuchi numquam prægressa cubile. et *Ammian.* qui 18. 4. cubicularios vocat, quos paullo ante *spadones* dixerat. *Gloss. Philox.* Εὐνοῦχοι, cubicularii. Adde *Etymol. M.* in *V.* Εὐνοῦχος. — *a*) De hominibus. Videtur Semiramis Assyriorum regina omnium prima fecisse eunuchos. *Claudian. loc. cit.* 339. seu prima Semiramis astu Assyriis mentita virum, ne vocis acutæ Mollities levesque genæ se prodere possent, Hos sibi conjunxit similes: seu Parthica ferro Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram, Servatoque diu puerili flore coegit Arte retardatam Veneri servire juventam. *Ammian.* 14. 6. Semiramis regina, quæ teneros mares castravit omnium prima, vim injectans naturæ. — Duplex porro fuit eunuchorum genus, eorum nempe, qui ante pubertatem testiculis privarentur, ut virorum, qui præpostera Venere delectarentur, libidini diutius inservirent. Hi præcipue ex Delo insula Romam advehebantur. *V.* DELIACUS. *Cic. Orat.* 70. 232. Multi eunuchi ex Syria Ægyptoque. *Martial.* 3. 82. Digiti crepantis signa novit eunuchus. *Lamprid. Alex. Sev.* 23. Tertium genus hominum eunuchos esse dicebat, nec videndum, nec in usu habendum a viris, sed vix a feminis nobilibus. — Alterum vero eorum, qui citra conceptionis periculum feminarum libidini explendæ destinati matura jam ætate evirabantur, de quibus loquitur *Juvenal.* 6. 366. Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia semper Oscula delectent, et desperatio barbæ, Aut quod abortivo non est opus, etc. Ad hos etiam respicit *Hieronym.* 1. *in Jovinian. n.* 47. quum ait eunuchum dominæ suæ præsto esse in longam securamque libidinem. Adde *Martial.* 6. 67. Cf. *Seneca* 10. *Controv.* 4. *ad fin.* Exoletos suos, ut ad longiorem patientiam impudicitiæ idonei sint, amputant. — Videntur etiam eunuchi vocis gracilitate commendati aliquando fuisse dominis suis, ut apud nos qui *castroni* vocantur. *Ammian.* enim 18. 4. eos memorat, qui inter ministeria vitæ secretioris, gracilitate vocis semper puerilis et blandæ aures principis pulsarent. *Lamprid.* vero *Alex. Sev.* 31. eosdem *vocales exoletos* appellat. Huc etiam pertinent, quæ habet *Firmic.* 7. *Mathes.* 16. 5. Mars et Venus in matutino ortu collocati cinædos efficient templorum cantibus servientes. *Id. ibid. mox.* Si Venus in novissimis signi partibus constituta Saturnum Martemque respiciat, cinædos felices efficiet, quibus templorum officia credantur, aut nobiles mulieres meretricum faciet vitiis implicare. — Quibusdam eunuchis non modo testes, sed ipse etiam penis amputabatur, ne scilicet ullam possent cum feminis rem habere, et earumdem castimoniæ custodes essent: hos Græci sequioris ævi καρζαμάδας, Latini vero *carsamatia* vocabant, ut testatur *Ducangius* in *Gloss. Græc. et Lat.* in his vocibus. Hujusmodi erant Galli ministri deæ Cybeles, *V.* GALLI; et etiamnum apud Turcarum imperatorem qui gynæceo, *al Serraglio*, inserviunt. — *b*) Translate quoque usurpatur de animalibus. *Juvenal.* 12. 34. imitatus castora, qui se Eunuchum ipse facit. Et de jumentis *Veget.* 3. *Veterin.* 53. 6. Si nihil profecerit (*purgatio*), castretur (*jumentum*), et vitio carebit: nam podagra raro vexat eunuchos. — *c*) *Eunuchum suam* feminino genere dixit *Ter. Eun. prol.* 32., comœdiam intelligens, quæ *Eunuchus* inscribitur. *V.* CENTAURUS. — *d*) *Eunuchus Palatinus* inter officia domus Augustæ memoratur in *Inscript.* apud *Henzen.* 6318., si tamen recta est lectio.

EUO, are. *V.* EUANS.

EUŌDES, is, n. 3. εὐώδης, bene olens, ab εὖ *bene* et ὄζω *oleo*. Ita appellatur quoddam collyrium. *Inscript.* apud *Tochòn, càchets des oculist.* p. 65. 6. GINTYSMINII BLANDI EVODES AD ASPRITVDINEM. Alia apud *eumd. ibid.* p. 66. PHRONIMI EVODES AD ASPRIT. Adde *Marcell. Empir. loc. cit.* in DIASMYRNES; et *Inscript.* apud *Henzen.* 7248.

EUOE *vel* euhoe, interj. εὐοῖ. Qui scribunt *euohe*, aut *heuoe*, male scribunt. — Placet *Dausquio* aspirationem interscribi, *Vossio* et aliis non placet. — Vox est disyllaba: neque ullum adhuc vidimus poetæ locum, ex quo necessario conficiatur, esse trisyllabam. — Ceterum est vox bacchantium et Liberum Patrem inclamantium et invocantium: quasi εὖ οἱ *bene sit illi.* *Plaut. Men.* 5. 2. 82. Euoe, Euie, Bromie, quo me in silvam venatum vocas? *Catull.* 64. 61. Saxea ut effigies bacchantis prospicit euoe. *et* 255. Euoe bacchantes, euoe capita inflectentes. *Horat.* 2. *Od.* 19. 5. Euoe recenti mens trepidat metu. *et* 7. euoe! parce Liber. Adde *Virg.* 7. *Æn.* 389.; et *Ovid.* 4. *Met.* 522. et 1. *Art. am.* 563.

EUŌNȲMOS vel *Latina positione*
EUŌNȲMUS, i, f. 2. εὐώνυμος, arbor insulæ Lesbi, non absimilis Punicæ, inter eam et laurum folii magnitudine, figura vero et mollitie Punicæ, flore candidiore: siliquas fert sesamæ similes, in quibus granum quadrangula figura, spissum, letale animalibus: nec non in folio eadem vis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 38. (118). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 128.) hæc ait: « Sprengel (*Hist. Rei herb.* 83.) désigne, d'après C. Bauhin (*Pin.* 468.) pour l'εὐώνυμος des Grecs (lequel est le même arbre que l'*euonymus* des Latins), l'*Euonymus europæus* des botanistes, contre l'opinion de Daléchamp (*Hist. lugd.* etc.) qui veut que ce soit le *Rhododendrum ferrugineum* L. Nous ne voyons aucune raison qui doive nous empêcher de croire que notre fusain ne soit bien l'*euonymus* des anciens; seulement nous dirons que l'*Euonymus latifolius* est bien plus commun en Grèce que l'*Euonymus europæus*. Ce que Pline dit des propriétés nuisibles du fusain est aujourd'hui devenu un objet de controverse parmi les modernes. Il nous semble que son innocuité est démontrée, puisque M. Girard, professeur à Alfort, a nourri des moutons exclusivement avec les feuilles du fusain, et que ces animaux se sont constamment bien portés ». — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

EUPĀTŌRĬA, æ, f. 1. *subaudi* herba, apud *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 29. (65). eadem est, quæ agrimonia, a Mithridate Eupatore appellata. *V.* AGRIMONIA et voc. seq. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

EUPĀTŌRĬUM, ii, n. 2. herba eadem, quæ aliter eupatoria. *Pelagon. Veterin.* 21.; et *Theod. Priscian.* 4. *p.* 312. *retro ed. Ald.*

EUPĀTRIA. *V.* LUPATRIA.

EUPĔLĬOS, ii, f. 2. ab εὖ *bene* et πελιός *lividus*: ita appellata herba eadem ac daphnoides, hypoglossa et victoriola. *Apul. Herb.* 58.

EUPĔTĂLOS, i. f. 2. εὐπέταλος, pulcra habens folia: ab εὖ *bene* et πέταλον *folium*. ¶ 1. Dicitur de genere chamædaphnes, quod daphnoides vocatur, frutice ramoso, crassiore ac molliore, quam laurus, folio, cujus gustatu accenditur os atque guttur, baccis e nigro rufis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (132). ¶ 2. Item de gemma quatuor colores habente, cæruleum, igneum, minii, et mali. *Id.* 37. *ibid.* 10. 58. (161).

EUPHĒMISMUS, i, m. 2. εὐφημισμός, bonum omen: ab εὐφημίζω *bene ominor*, *bona verba dico*: est figura rhetorica, qua res ingratas et odiosas mitioribus vocabulis exprimimus, vel ironice, ut quum Furiæ Eumenides vocantur; vel extra ironiam, ut *Vellej.* 2. 93. Si quid accidisset Cæsari, *h. e.* si mortuus esset. Sed vox Græca est, et Græce adhibenda.

EUPHŌNĬA, æ f. 1. εὐφωνία, bonus sonus, suavis pronunciatio. A grammaticis dicitur, quum singula verba dulcem ac jucundum sonum edunt: quæ a *Quintil.* 1. 5. 24. *velut vocalitas* vertitur, *cujus in eo delectus est, ut inter duo, quæ idem significant ac tantumdem valent, quod melius sonat, malis.* De hac *Donatus in Edit.* 2. *p.* 1751. *Putsch.* Meminerimus, euphoniam in dictionibus plus interdum valere, quam analogiam et regulam præceptorum.

EUPHORBĪA, æ, f. 1. herba est specie thyrsi, foliis acanthinis, succum emittens lacteum, qui siccatus turis effigiem habet: inventa in monte Atlante ab Euphorbo medico Jubæ regis, ut *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (16). et 25. *ibid.* 7. 38. (77). docet. — Dicitur etiam *euphorbium*, *ii*, n. 2. ab eod. 25. *ibid.* 12. 91. (143). et 26. *ibid.* 8. 34. (54). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 336.) hanc exhibet synonymiam: Εὐφορβίου δένδρον Dioscor. 3. 96. et Galen. 9. 4., et *Euphorbia* Plin. 25. Hist. nat. 7. 38. (77) et Plin. Valerian. 3. 75. sunt *Euphorbia officinalis* L. Spec. plant. 647. *V.* Plura scitu digna apud *eumd. ibid. Idem* vero (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 396.) integram exhibet euphorbiarum, quæ a *Plinio* memorantur, synonymiam; quam videbis in v. TITHYMALUS, PARALIUM, CHAMÆSYCE, PEPLOS, LATHYRIS, APIOS, PITYUSA et PEPLIS.

EUPHORBĪUM, ii, n. 2. *V.* voc. præced.

EUPHRON, ŏnis, adject. εὔφρων, ab εὖ *bene* et φρήν *mens*, qui æquo animo est, propitius, favens, delectans, hilaris. *V.* locum *Ammiani* 22. 8. cit. in *V.* EUETHES. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 4761. ibique adnotata.

EUPHRŌSȲNON vel *Latina positione*
EUPHRŌSȲNUM, i, n. 2. εὐφρόσυνον, ita vocatur herba buglossos, cui præcipuum, quod in vino dejecta, animi voluptates auget: ab εὐφροσύνη *hilaritas*. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 40. (81). De synonymia *V.* BUGLOSSOS.

EUPLĔA, æ, f. 1. *V.* EUCLEA.

EUPLŎCĂMUS, a, um, adject. εὐπλόκαμος, calamistratus: ab εὖ *bene* et πλόκαμος *cincinnus*. *Lucilius* apud *Non.* p. 35. 31. *Merc.* Euplocamo digitos discerniculumque capillo.

EUPLŎCĬUM, ii, n. 2. εὐπλόκιον, officina textrina: ex εὖ *bene* et πλόκιον *textura*, quod a πλέκω *texo*. *Inscript.* laminæ collaris, quæ servis fugitivis collo imponebatur, ne fugerent, vel, si fugissent, ut ad dominum suum cito reducerentur, apud *Fabrett.* *p.* 522. *n.* 365. FVGI EVPLOCIO (*h. e.* ex euplocio) EX PRE (*h. e.* ex opere) VRBANO. Opus porro urbanum est opificium in urbe, et opponitur rustico, quod ruri habebatur.

EUPŎLĪDĪUS, a, um, adject. ad Eupolidem pertinens. *Mar. Victorin.* 2. *p.* 2527. *Putsch.* Dimetrus quoque iambicus, quod Archilochium vocatur: *Beatus ille, qui procul.* Id si fuerit brachycatalectum, Eupolidion nominatur.

EUPŎRISTUS, a, um, adject. εὐπόριστος, paratu facilis; ab εὖ *bene* et πόριστός *parabilis*. Hinc *euporistum* absolute usurpatur de quolibet medicamento, quod facile paratur. *Theod. Priscian. præfat.* Hujusmodi opus aggressus sum, ut facilioribus potius naturalibusque medicemur remediis, hoc est euporistis, succis, tritico, farina et hordeo etc. *Id.* 2. 18. Ejus remedium in euporisto nostro invenies. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

EUPTĔRON, i, n. 2. εὔπτερον, ab εὖ *bene* et πτερόν *ala*, *penna*. Herba eadem ac polytrichon apud *Apul. Herb.* 51.

EURÆ, ārum, f. plur. 1. εὖραι, ferramenta axi curruum infixa, ne a rota teratur. *Pollux onomast.* *l.* 1. c. 10. Τὰ δὲ τῷ ἄξονι ἐγκείμενα σιδήρια, καὶ τριβόμενα ὑπὸ τοῦ τροχοῦ, εὖραι. Nempe ita appellatæ videntur ab εὖ *bene* et ῥέω *fluo*, quia ipsæ curruum velocitati apprime faciunt. Hinc ob similitudinem ita etiam vocantur ferramenta parieti infixa, quæ perticas uncinis clavatas sustinent ad lavantium, vel ludentium vestes in balneis publicis suspendendas. *Inscript.* Aponi effossa apud *Maff. Mus. Ver.* 127. 4., quæ est apud *Orell.* 2620. Q. MAGVRIVS Q. F. FAB. FEROX *aquis aponi* DICAVIT EVRAS VIII. ET PERTICAS VNCINORVM XII. N CCLIX.

EURĒMĂTĬCUS, a, um, adject. εὑρηματικός, ad inventionem pertinens. *Liber singularis de eurematicis* appellatur opus *Modestini* JCti, cujus mentio est in *Dig.* 3. 3. 65., 16. 1. 25. et pluries alibi. *V.* HEUREMATICUS: ita enim scribenda est vox, ut ipse *Furlanetto*, qui superiora protulit, in altera *Appendice* monuit, est enim ab εὑρηματικός.

EURĔOS, i, m. 2. gemmæ nomen apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 58. (161), cujus hæc sunt verba: Eureos nucleo olivæ similis est, striata concharum modo, non adeo candida. *Sillig.* ita legit, alii euneos. A qua Græca voce nomen *eureos* deducendum sit, viderint eruditi.

EURĪNUS, a, um, adject. ad Eurum pertinens. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 14. Cal. Febr. Fidis incipit occidere: ventus eurinus, et interdum auster cum grandine est.

EURĪPĪCE, es, f. 1. εὐριπική, genus junci, cujus semine somnum allici, scribit *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 71. (119); et *Theod. Priscian.* 3. 16. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 73. et 75.) affirmat, hoc junci genus, quod memorat etiam *Dioscor.* 1. 16., quodnam sit, definiri non posse.

EURĪPUS, i, m. 2. εὔριπος, (ab εὖ *multum* et ῥιπίζω *ventilo*) fretum maris angustum, ubi aqua æstu vehementiore reciprocat, et vehementius agitatur: quale est Thracii Bosphori, et alibi (It. *stretto di mare*; Fr. *détroit*; Hisp. *estrecho*, *paso estrecho*, *brazo de mar*; Germ. *eine Meerenge*; Angl. *an arm of the sea*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Mur.* 17. 35. Quod enim fretum, quem euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos æstus habet ratio comitiorum? *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (99). Inde vadosa navigatio palustri similis, per euripos tamen quosdam peragitur. ¶ 2. Speciatim celebre est hoc nomine fretum inter Eubœam et Bœotiam, qui et *Euripus* per antonomasiam dicitur (a *Liv.* 31. 24. etc.), ubi mare rapidum (inquit *Mela* 2. 7. *ante med.*) et alterno cursu septies die, ac septies nocte, fluctibus invicem versis, adeo immodice fluit, ut ventos etiam, ac plena ventis navigia frustretur. *Plin.* vero 2. *Hist. nat.* 97. 100. (219). septies die ac nocte reciprocare ait; cui adstipulatur *Seneca Herc. Œt.* 779. Alii sexies tantum scripsere. Denique *Liv.* 28. 6. non septies die, inquit, sicut fama fert, temporibus statim reciprocat, sed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens, rapitur; ita nec nocte, nec die quies navibus datur. Ex recentioribus scriptoribus prodidere quidam, bis tantum die et nocte reciprocare: neque tamen id constanter, sed aliquando pluribus etiam vicibus. *Lucan.* 5. 235. Euripusque trahit, cursum mutantibus undis, Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim. — V. *Tzschuckium* ad *Melæ loc. cit.* multa de Euripo ejusque causis disserentem; et adde *Cic.* 3. *Nat. D.* 10. 24.; *Val. Flacc.* 1. 454.; et *Flor.* 2. 8. 9. ¶ 3. Item speciatim est et alius euripus apud Cassandream, de quo *Liv.* 44. 11.

II.) Translate. ¶ 1. A superiorum similitudine *euripi* dicuntur rivi, fossæ, aut canales manu facti magnifico opere, qui aquas in morem fluviorum deducunt: quod sicut in marinis fretis, ita in his aquæ ripis utrinque angustis inclusæ decurrant. Hujusmodi sunt, qui aquas in privatas domos deferunt, et qui tubis arctatam in sublime efferunt, tum usus causa, tum deliciarum. Dicuntur etiam *nili*, sed cum discrimine, quia *nili* exiliores sunt et angustiores, *euripi* ampliores. *Cic.* 2. *Legg.* 1. 2. Magnificas villas, et pavimenta marmorea, et laqueata tecta contemno: ductus vero aquarum, quos isti nilos et euripos vocant, quis non, quum hæc videat, irriserit? Adde *Senec. Ep.* 83.; *Frontin. Aqueduct.* 84.; *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (123).; *Vitruv.* 7. 5.; et *Plin. alterum* 1. *Ep.* 3. ¶ 2. Item quæcunque lacunæ, vel fossæ vivam aquam, aut stagnantem continentes. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 10. 11. (63). Mareotis lacus euripo e Canopico ostio mittitur. *Id.* 8. *ibid.* 26. 40. (96). Primus hippopotamum et quinque crocodilos Romæ ædilitatis suæ ludis M. Scaurus temporario euripo ostendit, *h. e.* ducta temporaria fovea. Hujusmodi fuerunt quos aliquando in circo effodiendos curavit C. Cæsar, metu ne elephanti dimicantes effugerent, ut *Plin.* narrat 8. *Hist. nat.* 7. 7. Cæsar dictator simile (*elephantorum*) spectaculum editurus, euripis arenam circumdedit; quos Nero princeps sustulit, equiti loca addens. Cf. *Sueton. Cæs.* 39. *Lamprid. Elagab.* 23. Fertur Elagabalus in euripis vino plenis navales circenses exhibuisse. ¶ 3. Sequiore vero tempore *euripus* vocata est ea circi pars, quæ postea etiam *spina*, et in *Gloss. Philox.* dicitur *intermetium*, h. e. inter metas, quæque multa deorum signa continebat. *Tertull. Spectac.* 8. Frigebat dæmonum concilium sine sua Magna Matre; ea itaque illic præsidet euripo. (Hinc apud *Havercamp. Nummi contorniati tab.* 4. *n.* 8. videre est Cybelen prope obeliscum leoni insidentem.) *Id. advers. Hermogen.* 31. Scæna autem erat talis et talis, et statuæ super euripum, et obeliscus super omnia ferebatur. *Sidon. carm.* 23. 356. Jam vos (*quadrigæ*) ex oculis velut volantes, Consumpto spatio patentiore (*quod est a carceribus ad metam primam*), Campus clauserat arctus arte factus, Per quem longam, humilem duplamque muro Euripus sibi machina tetendit. V. *E. Q. Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 5. p. 225. edit. *Mediol.*, et *Acta Soc. Lat. Jenensis T.* 5. p. 313. et seqq. *Nibby, Circo di Caracalla p.* 31. et seqq., contendit *spina* eam aquam contentam fuisse, quæ dicebatur *euripus*.

EURŎĂQUĬLO, ōnis, m. 3. εὐρωακύλων vel εὐρακύλων, ita vocatus ventus procellosus, qui idem videtur esse atque aquilo. *Vulgat. interpr. Act. Ap.* 27. 14. Ventus typhonicus, qui vocatur euroaquilo. *Codd. Gr.* habent εὐροκλύδων, *h. e.* ventus late fluctus ciens; ab εὖρος *latitudo* et κλύδων *fluctus*.

EURŎAUSTER, stri, m. 2. ventus oppositus Circio, ab una parte Eurum habens, ab alia Austrum: ita enim *Isid.* 13. *Orig.* 11. 6. Euroauster dictus, quod ex una parte habeat Eurum, ab altera Austrum. — Idem est atque euronotus, qua postrema appellatione præcipue Græci, Romani vero priore usi sunt, ut constat ex *Inscript.* apud *Gruter.* 137. 1., et alia apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 177., in quibus legitur: Εὐρόνοτος, Euroauster.

EURŎBŎRĔUS, a, um, adject. qui afflatur vento borea; ab εὖρος *ventus* et βορέας *boreas*. *Jornand. Get.* 5. Scythia in extremis Asiæ finibus ab Oceano euroboreo in modum fungi primum tenuis, post hæc latissima et rotunda forma exoritur.

EURŎNŎTUS, i, m. 2., εὐρόνοτος, ventus spirans inter ortum brumalem et meridiem, qui et phœnix, seu phœnicias dicitur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (120).; *Colum.* 11. *R. R.* 2. 42.; et *Vitruv.* 1. 6. — Alii docent spirare ab oriente hiberno, eumdemque esse ac Vulturnum, Italis *scirocco-levante*: euronotum vero dici, quod inter Notum et Eurum sit (quæ tamen etymologia etiam in priori significatione ei convenit). Ita *Gell.* 2. 22.

EURŌTĬAS, æ, m. 1. gemma, quæ situ (inquit *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 58. (161).) videtur operire nigritiam. Est ab εὐρώς *situs, mucor, putredo.*

EURŌUS, a, um, adject. ad Eurum pertinens, orientalis. *Virg.* 3. *Æn.* 533. Portus ab Euroo fluctu curvatur in arcum. *Pier. Valerian.* ita se legisse testatur in omnibus pæne codicibus antiquis, quos versaverit. Est autem *Eurous* ab *Eurus*, ut *Arctous* ab *Arctus*, *Lesbous* a *Lesbus*. Alii tamen minus recte *Eoo* habent.

EURUS, i, m. 2. *scirocco-levante*, εὖρος, ventus spirans ab oriente brumali, contra Corum, Latina appellatione *Vulturnus*.

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 65. Eurus, quem quidam Vulturnum appellant. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 5. 15. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 16. Ab oriente hiberno Eurus exit, quem nostri appellavere Vulturnum. Et Livius (22. 46.) hoc nomine illum appellat. – Sed et Eurus jam civitate donatus est, et nostro sermoni non tamquam alienus intervenit. Adde *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (119).; *Vitruv.* 1. 6. *a med.*; et *Veget.* 4. *Milit.* 38. *Horat.* 2. *Od.* 16. 23. Ocior cervis et agente nimbos Ocior Euro. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 28. 25. *et* 4. *ibid.* 4. 43. — *b*) In plurali numero. *Virg.* 2. *G.* 339. hibernis parcebant flatibus Euri. *Id. ibid.* 441. animosi Euri. *Ovid.* 1. *Amor.* 9. 13. tumidi. *Id. Heroid.* 15. 9. indomiti. *Id. ibid.* 9. 9. truculentior Euris. *Furius* apud *Gell.* 18. 11. *extr.* Spiritus Eurorum virides quum purpurat undas.

II.) Improprie. ¶ 1. Qui quatuor tantum ventos agnovere, non ab oriente brumali, sed æquinoctiali contra Zephyrum spirare affirmant, et alium a Vulturno esse, eumdem vero atque Apeliotem et Subsolanum, *levante*. *Gell.* 2. 22. Qui ventus igitur ab oriente verno, id est æquinoctiali venit, nominatur Eurus, ficto vocabulo, ut isti ἐτυμολογικοί ajunt, ἀπὸ τῆς ἠοῦς ῥέων. *h. e.* ab aurora fluens. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 27. modo purpureo vires capit Eurus ab ortu; Nunc Zephyrus sero vespere missus adest. Adde *eumd.* 1. *Met.* 61. *et seqq.*; et *Manil.* 4. 589. ¶ 2. Atque hac ratione accipi videtur a poetis, qui interdum Eurum pro oriente ponunt. *Val. Flacc.* 1. 538. regio, quæ virginis æquor ad Helles, Et Tanaim tenus immenso descendit ab Euro. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 417. Unicus extremo Phœnix procedit ab Euro. ¶ 3. Per synecdochen sumitur pro quovis vento. *Virg.* 3. *G.* 382. Gens effrena virum Rhiphæo tunditur Euro.

EURYTHMĬA, æ, f. 1. εὐρυθμία, concinnitas, convenientia, apta dispositio. *Vitruv.* 1. 2. Architectura constat ex ordinatione, ex dispositione, eurythmia, et symmetria. *et paullo post.* Eurythmia est venusta species, commodusque in compositionibus membrorum aspectus. Hæc efficitur, quum membra operis convenientia sunt, altitudinis ad latitudinem, latitudinis ad longitudinem, et ad summam omnia respondent suæ symmetriæ. Adde *eumd.* 6. 2. *extr.* Videtur autem, inquit *Bald.* in *Lex. Vitruv.*, ea dictione exprimi quod Italice dicimus *garbato, grazioso.*

EURYTHMUS. *V.* ENRYTHMUS.

EUSCHĒMĒ, adverb. εὐσχήμως, decore, speciose: præsertim si de vestibus et habitu sermo sit. Vox Græca, qua utitur *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 58. et *Trin.* 3. 1. 24. *V.* COMŒDICE.

EUSĒBES, is, n. 2. εὐσεβής, pius: ab εὖ *bene* et σέβω *veneror*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 58. (161). Lapis eusebes (*dictus est*), ex quo Tyri in Herculis templo facta sedes, ex qua dii facile surgebant. Ubi *surgebant* exponit *Harduinus* eminebant, exstabant: *Gesnero* placet vetus lectio *difficile* pro *dii facile*, h. e. difficile surgebant religiosi homines ex ea sella, cujus materia *pius lapis*. Denique *Sillig.* ex *Cod. Bamb.* legit *ex qua pii facile surgebant.* — *NB.* De epitheto regum, *V.* ONOM.

EUSĒSĂMUM, i, n. 2. Memoratur a *Theod. Priscian.* 1. 23., tamquam medicinæ inserviat, et videtur esse optimum aliquod sesami genus, quod fortasse ejusdem *Prisciani* temporibus ita fuerit appellatum ab εὖ *bene* et σήσαμον. *V.* SESAMUM.

EUSTŎMĂCHUS, a, um, adject. εὐστόμαχος, qui prodest stomacho: ab εὖ *bene* et στόμαχος *stomachus*. *Theod. Priscian. de diæta* 7. Ovum molle plus est eustomachum, quam sorbile. *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*) 1. 3. Cydonea plurimi medici eustomacha crediderunt. *Id. de pom.* (edente *A. Mai*) in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 419. Cydonia plurimi eustomacha vocaverunt.

EUSTȲLOS, ou, adject. εὔστυλος. *V.* DIASTYLOS.

EUTHĔRISTON, i, n. 2. εὐθέριστον, *h. e.* quod facile demetitur: ab εὖ *bene* et θερίζω *meto*: balsami genus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (114). Arbori (*balsami*) tria genera: tenui et capillacea coma, quod vocant eutheriston. *V.* EUMECES.

EUTHYGRAMMUS, i, m. 2. *vel rectius*

EUTHYGRAMMUM, i, n. 2. εὐθύγραμμον, regula recta, qua utuntur architecti in operibus dirigendis: ab εὐθύς *rectus* et γραμμή *linea*. *Vitruv.* 1. 1. Geometria euthygrammi et circini tradit usum, e quo maxime facilius expediuntur normarum et librationum et linearum directiones.

EUTHYGRAMMUS, a, um, adject. ad euthygrammum pertinens. *V.* voc. præced. *Capell.* 6. *p.* 130. In his autem pentagona, hexagona, et cetera euthygrammi generis continentur. *h. e.* et ceteræ figuræ, quæ rectis constant lineis.

EUTHYS, is, y, adject. Græca vox εὐθύς *rectus*. *Capell.* 9. 323. Exhinc in modulando alia euthia dicitur, quod est recta; alia anacamptos, quod est revertens; alia peripheres, hoc est circumstans: euthia est, quæ a gravi in acumen erigitur; anacamptos, quæ e contrario deficit; peripheres, quæ ad utramque aut commodatur aut servit. — Ceterum *euthia* absolute usurpatur et subintelligitur *linea*. V. ANACAMPTUS.

EUZŌMON, i, n. 2. εὔζωμον; sic appellavere Græci semen erucæ herbæ, quia multæ est suavitatis in condiendis obsoniis: ab εὖ *bene* et ζωμός *jus esculentum*. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 19. (126). Sic *Marcell. Empir.* 33. *sub init.* Euzomi, quæ appellatur herba mentiosa, succus. *Æmil. Mac. de herb.* 31. 10. *de eruca.* Aut semen gratum dicunt præstare saporem, Euzomonque solent hac causa dicere Græci.

EV

ĒVĂCĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac vacatio, quam vocem vide. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 2. 30. Evacatio militiæ.

ĒVĂCUĀTĬO, ōnis, f. 3. actus evacuandi. Translate *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 24. Fidei evacuatio.

ĒVĂCUĀTOR, ōris, m. 3. qui evacuat. Translate *Cassiod.* 3. *Variar.* 51. *de spectaculo.* Evacuator honestatis, fons irriguus jurgiorum. *h. e.* qui honestatem expellit.

ĒVĂCUĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVĂCUO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* vacuus). Part. *Evacuatus* II.; *Evacuandus* I. — Evacuo est vacuum facio, exinanio.

I.) Proprie. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (52). Diocles hydropicis allium cum centaurio, aut in fico duplici ad evacuandam alvum. Adde *eumd.* 32. *ibid.* 9. 33. (104).; et *Vulgat. interpr. SS. Libror.* sæpe.

II.) Translate est infirmare, viribus spoliare. *Imp. Gordian. Cod.* 8. 43. 4. Evacuatæ obligationis vires reparare. Adde *Venant.* 1. *carm.* 21. 62.

ĒVADATICIÆ, arum, f. plur. 1. feriæ videntur ita appellatæ, seu dies, quibus vadimonium differre licebat: contra vero *vadaticiæ*, quibus vadimonium sistendum erat: ut *nundinæ* dicebantur feriæ, seu dies, quibus rustici, operibus ruri intermissis, orbem mercandi vendendique causa petebant. Ceterum *evadaticiæ*, *vadaticiæ* et similia *sunt* vocabula a Lexico expungenda; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 120. Vadatur, evadatur; vadaticiæ, evadaticiæ; vadimonium, evadimonium.

ĒVADIMONIUM, ii, n. 2. videtur esse actus illius, qui vadimonium deserit. *V.* vocem præced.

ĒVĀDO, vādis, vāsi, vāsum, vādere, 3. (ex *et* vado). *Evasti* syncope pro *evasisti*, et *evasset* pro *evasisset*, illud est *Horatii* 2. *Sat.* 7. 68. et *Sil. It.* 15. 792., hoc *ejusdem Silii ibid.* 375., ubi al. melius leg. *evasisset*. — Part. *Evadens* sub *A.* I. 1.; *Evasus* sub *B.* II. 2.; *Evasurus* sub *A.* I. 2. et sub *B.* II. 2. — Evadere, ἐξέρχομαι, ἀποφεύγω, est extra vadere, exire, erumpere, aufugere, evolare (It. *uscire, evadere, scampare*; Fr. *sortir de, aller hors, partir, fuir*; Hisp. *salir, irse, evadirse, escaparse*; Germ. *herausgehen, – kommen, hervorkommen*; Angl. *to go out, get away, run away, escape*). Occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more est, ut diximus, extra vadere, exire, erumpere, aufugere.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum addito loco, ex quo quis evadit, per Ablativum et præpos. *ex*, vel per Ablativum sine præpos. *Plaut. Rud.* 1. 2. 86. Salva'st! evasit ex aqua; jam in litore est. *Varro* 3. *R. R.* 16. 36. Si (*apes*) ex alvo minus frequentes evadunt ac subsidit aliqua pars, suffumigandum. *Cic. Cæl.* 27. 65. Si evasissent subito ex balneis mulieris amici. *Sall. Jug.* 56. Ni Marius evadere oppido properavisset. *Virg.* 9. *Æn.* 99. Evadere undis. *Phædr.* 4. 8. puteo. *Val. Flacc.* 7. 163. patriis tectis. *Id. ibid.* 570. claustris. — *b*) Absolute. *Cic.* 2. *Cat.* 1. 1. Abiit, excessit, evasit, erupit. Huc referri potest et illud *Sil. It.* 16. 521. tardato lætus ovansque Eurytus evadit juvene (*Therone*) atque ad præmia victor Emicat. *h. e.* Theronem, qui *pariter* antea *ruebat* (*v.* 516.), et solus victoriam ei dubiam redditurus videbatur, prætergreditur ac præcedit. — *c*) Cum addito loco, quo quis evadit, per Accusativum et præpos. aliquam. — Generatim. *Liv.* 29. 27. *extr.* Evadere in terram. *smontar di nave, sbarcare.* Sic *Curt.* 9. 2. 18. Quantumcumque flumen intervenit, idem futurum discrimen est evadentium in terram. Similiter *Liv.* 5. 46. Cominius – incubans cortici, secundo Tiberi ad urbem defertur. Inde, qua proximum fuit a ripa, per præruptum, eoque neglectum hostium custodiæ, saxum in Capitolium evadit. — Præcipue usurpatur ad significandum motum ex inferiore in superiorem locum, ideoque ponitur pro ascendere. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 95. Deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus ex illis abditis sedibus evadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuissent. *Liv.* 33. 8.; et *Curt.* 8. 11. 5. Evadere in jugum. *Curt.* 7. 11. 11. in cacumen. *Liv.* 2. 17. et 4. 31. in muros. *Id.* 2. 65. in ardua. *Sil. It.* 8. 131. in pyram. *Curt.* 5. 3. 5. super capita hostium. *Virg.* 1. *Æn.* 458. ad summi fastigia culminis. *Id.* 6. *ibid.* 128. ad auras superas. *Sil. It.* 12. 57. ad culmina. *Ammian.* 14. 2. ad summitates collium. *Sueton. Ner.* 48. ad aversum villæ parietem. — *d*) Cum additis, per quæ quis evadit, et ponitur pro transire, penetrare. *Liv.* 27. 18. *ad fin.* Locusque ad evadendum et mediis datus est: qui per tam iniquum locum, stantibus integris ordinibus, elephantisque ante signa locatis, numquam evasissent. *Sueton. Domit.* 19. In pueri præbentis pro scopo expansam manus palmam, sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent. Cf. *Cels.* 4. 4. *n.* 2. Propter angustias, per quas spiritus evadit, sibilum elidit. *Sall. Jug.* 54. *extr.* Consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere. ¶ 2. Specialim est aufugere, seu fugiendo se liberare, se eripere. — *a*) Cum additis. *Cic.* 2. *Divinat.* 5. 13. Aut e morbo evasurum ægrotum, aut e periculo navem, aut ex insidiis exercitum. *Id.* 3. *Verr.* 5. 12. ex judicio. *Cæs.* 3. *B. G.* 19. Reliquos consectati, paucos, qui ex fuga evaserant, reliquerunt. *Liv.* 22. 49. Evadere e manibus hostium. *Id.* 42. 18. e tanto periculo. *Quintil.* 2. 17. 20. e custodia. Rursus *Liv.* 28. 26. et 21. 33. Ut periculo prius evaderet. *Curt.* 8. 6. 26. tanti periculi, quo evaserat. *Paulin. Nolan. carm.* 18. 296. Non tibi celantur, nec de te evadere possunt. *Virg.* 2. *Æn.* 531. Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum. *h. e.* fugiendo pervenit. *Liv.* 24. 7. Evadere per tela. *Id.* 24. 43. per medios hostes. Cf. *Juvenal.* 9. 65. Ulyxes per aciem Polyphemi evasit. Rursus *Liv.* 24. 26.

Inter medios tot armatos aliquoties integro corpore evaserunt. *Id.* 5. 46. Ne quis hostium evadere inter stationes posset. *Quintil.* 6. 3. 96. Nisi si qua Ulixes rate evasit. *Al. leg.* Ulixes intervasit. *Sueton. Ner.* 34. Evadere nando. — *Retro evadere* dicitur exercitus, qui ex fuga retro cedit. *Curt.* 5. 3. 23. Itaque signo receptui dato densatis agminibus, scutisque super capita consertis, retro evadere ex angustiis jubet. xxx. fuere stadia, quæ remensi sunt. Cf. *Tac.* 15. *Ann.* 7. Nam in transgressu Euphratis – nulla palam causa turbatus equus, qui consularia insignia gestabat, retro evasit. — *b*) Absolute. — Generatim. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 66. Ibis sub furcam prudens, dominoque furenti Committes rem omnem et vitam et cum corpore famam. Evasti. Credo, metues doctusque cavebis. *l'hai portata fuori.* — *c*) Ceterum speciatim fere in re militari. *Sall. Jug.* 52. Denique Romani, ubi intelligunt, neque sibi perfugium esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri, – adverso colle, sicuti præceptum fuerat, evadunt. *Liv.* 10. 1. Ita intus fumo ac vapore ad duo millia armatorum, ruentia novissime in ipsas flammas, dum evadere tendunt, absumpta. *Id.* 26. 17. Extemplo primis tenebris, atque inde tota nocte, quod gravissimum exercitus erat, Hasdrubal, quacumque posset, evadere e saltu jussit. *Cf. Sueton. Aug.* 13. Quorum (*præliorum*) priore, castris erutus, vix ad Antonii cornu fuga evasit. Adde *eumd. Tib.* 4., 20. et 39. et alibi sæpe. *Flor.* 4. 10. 10. Egregius imperator tandem perfugit in Syriam. Ibi incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquanto factus est; quasi vicisset qui evaserat.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Rud.* 3. 2. 19. Nunc quam ad rem dicam hoc attinere somnium, numquam hodie quivi ad conjecturam evadere. *Cic. Senect.* 22. 80. Mihi quidem numquam persuaderi potuit, animos, – quum exissent ex eis (*corporibus*), emori; nec vero tum animum esse insipientem, quum ex insipienti corpore evasisset. *Cf. eumd.* 1. *Tusc.* 19. 43. Accedit, ut eo facilius animus evadat ex hoc aere eumque perrumpat, quod nihil est animo celerius. *Id. ibid.* 41. 98. Tene, quum ab iis, qui se judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire qui etc. *Quintil.* 2. 17. 16. Itaque potentissimis eorum breviter occurram, ne in infinitum quæstio evadat. *h. e.* est, procedat, ut recte interpretatus est *Forcellinus*, qui hunc locum singulari paragrapho distinxit. — Et metaphorâ sumptâ a motu in locum superiorem: *V.* supra sub *A.* I. 1. *c. Quintil.* 12. 11. 30. Nitamur semper ad optima: quod facientes aut evademus in summum, aut certe multos infra nos videbimus. *Cf. eumd.* 2. 4. 17. Ille demum in id, quod quærimus, aut ei proximum, poterit evadere. ¶ 2. Speciatim est exitum habere, fieri, eventum habere, contingere, evenire, *riuscire, diventare, farsi, accadere.* — *a*) De hominibus: ad rem *Cic. Orat.* 27. 95. E philosophorum scholis tales fere evadunt. *escono. Id.* 1. *Orat.* 28. 126. Quum mercede doceret, tamen non patiebatur eos, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud se perdere. *riuscire, diventare, farsi. Id. Brut.* 35. 131. Fuerat Athenis adolescens; perfectus Epicureus evaserat. *n'era uscito.* Adde *eumd. ibid.* 87. 299., et 4. *Fin.* 25. 69. et 28. 78. Cf. *eumd.* 5. *Verr.* 69. 161. Nunc pro te Verrem substituisti alterum civitati; nisi hoc forte deterior est, si fieri potest, quod tu ejusmodi evasisti, non in hominis luxuriosi, sed tantum in furis ac divisoris disciplina educatus. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. 35. Sic homines sæpe minutatim ex communibus proprii, ex fucosis firmi suffragatores evadunt. *diventano. Liv.* 1. 39. Juvenis evasit vere indolis regiæ. — *b*) De rebus præcipue abstractis. *Cic.* 1. *de republ.* 43. Ut ita fastidiosæ mollesque mentes evadant civium, ut etc. *Id.* 2. *Divinat.* 59. 121. Totas noctes somniamus, et miramur, id quod somniarimus, evadere? *h. e.* evenire, *accadere. Id. ibid.* 71. 146. Quomodo distingui possunt somnia vera a falsis, quum eadem et aliis aliter evadant, et iisdem non semper eodem modo? *Id. ibid.* 53. 108. Si quando aliquod somnium verum evaserit, non id fortuito accidisse. *Liv.* 35. 47. Quoniam primum vanum inceptum evasisset. *essendo riuscito vano il primo tentativo. Id.* 23. 12. Vereor, ne hæc quoque lætitia vana evadat. — *c*) Cum addito *quo, quorsum, huc* etc., aut Accusativo et præpos. *in. Plaut. Pœn.* 1. 1. 44. Intelligo hercle: sed, quo evadas, nescio. *intendo le parole, ma non so a qual punto tu miri.* Sic *Ter. Eun.* 3. 3. 11. Ubi friget, huc evasit, quam pridem pater mihi et mater mortui essent. *venne a questo d'interrogarmi, quanto fosse che etc.* Rursus *Plaut. Asin.* 1. 1. 69. Demiror, quid sit, et, quo evadat, sum in metu. *h. e.* quo tendat, quid sibi velit. *Ter. Andr.* 1. 1. 100.; et *Nepos Dion.* 8. Timeo, quorsum evadas. *Cic.* 9. *Att.* 18. 4. Videamus, hoc quorsum evadat. Adde *Ammian.* 27. 3. *Cic.* 14. *Att.* 19. *ad fin.* Nihil ante de profectione constituam, quam, ista quo evasura sint, videro. *qual esito sien per avere. Sall. Jug.* 14. Huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, ut etc.? *quest'esito adunque hanno avuto etc.? Ammian.* 21. 12. Iterum summa cœpti prudentis aliorsum evasit. *Ter. Adelph.* 3. 5. 63. Nimia illæc licentia profecto evadet in aliquod magnum malum. *andrà a finire.* Sic *Liv.* 27. 23. Pestilentia magis in longos morbos, quam in perniciales evasit. *andò a finire.*

B) Active, seu cum Accusativo nusquam occurrit apud *Cic.*, immo Augustea tantum ætate usuvenit, et significat transire, præterire.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 2. *Æn.* 730. omnemque videbar Evasisse viam. *d'essere uscito dalle strade pericolose. Id.* 3. *ibid.* 282. juvat evasisse tot urbes Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostes. Cf. *eumd.* 12. *ibid.* 906. lapis vacuum per inane volutus, Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum. *oltrepassò. Ovid.* 3. *Met.* 19. Jam vada Cephisi Panopesque evaserat arva. *aveа oltrepassato.* et *Tac.* 12. *Ann.* 35. Amnem haud difficulter evasit. *passa. Colum.* 7. *R. R.* 9. 13. Porci, si evaserint haram, miscent se. *Id.* 9. *ibid.* 12. 1. Apes evadunt vestibulum. — Et pro ascendere. *Virg.* 1. *Æn.* 685. Sic fata gradus evaserat altos. *Sil. It.* 8. 154. Tecta peto, celsosque gradus evadere nitor. *Liv.* 2. 65. Fixis in terram pilis, quo leviores ardua evaderent, cursu subeunt. *Al. minus recte leg.* In ardua. ¶ 2. Speciatim ponitur pro effugere. — *a*) Cum Accusativo rei. *Virg.* 9. *Æn.* 560. nostrasne evadere, demens, Sperasti te posse manus? Similiter *Sil. It.* 9. 566. Semel, improbe, nostras Sit satis evasisse manus. Rursus *Virg.* 5. *Æn.* 689. evadere flammam. *Ovid.* 14. *Met.* 126. loca mortis. *Liv.* 38. 2. et 21. 32. angustias. *Id.* 45. 41. Inter præsidia ejus saltum ad Petram evasi. *Sueton. Cæs.* 74. Evadere nocturnas insidias. *Sil. It.* 7. 71. vincula. *Val. Flacc.* 7. 501. tauros. Cf. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 7. (20). Delphini celeritatem nullus piscium evaderet. — *b*) Cum Accusativo personæ. *Sueton. Tib.* 61. Nam mortem adeo leve supplicium putabat, ut quum audisset unum e reis, Carnulium nomine, anticipasse eam, exclamaverit: Carnulius me evasit. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 31. 36. (200). Hirta feminarum corpora viros pernicitate evasisse. *essere scappate dalle mani degli uomini.* Sic alter *Plin.* 2. *Ep.* 1. Cæsares, quibus invisus virtutibus fuerat, evasit. Cf. *Juvenal.* 12. 122. si Libitinam evaserit æger. *Forcellinus* addit etiam illud *Plaut.* in *Suppos. Amph. Sc.* Tun' me mactes? *in fin.* Numquam evades, quin te sacrificem.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphorâ sumptâ a proxime superiori paragr. 1. *Apul.* 4. *Met.* Vitam evasit. *uscì di vita.* Cf. *Quintil.* 12. 10. 79. Si hæc quoque jam lenius supina perseverantibus studiis evaseris. ¶ 2. Speciatim pro effugere, metaphorâ sumptâ a proxime superiori paragr. 2. *Lucilius* apud *Non. p.* 294. 7. *Merc.* Idcirco omnes evasuros censent ægritudinem. *Phædr.* 4. 6. 4. Evadere necem. *Sil. It.* 16. 522. letum. *Juvenal.* 12. 17. Nam præter pelagi casus et fulguris ictum Evasi, densæ cælum abscondere tenebræ. *Tac.* 14. *Ann.* 6. Evadere gravem casum. *Id.* 3. *ibid.* 14. Non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset. *Id.* 6. *ibid.* 48. Sane paucos et supremos principis dies posse vitari: quemadmodum evasurum imminentis juventam? *Plin.* 1. *Ep.* 12. *in fin.* Evasit (*moriendo*) perpetuam valetudinem. *una malattia cronica. Id.* 7. *ibid.* 24. Conspicuus forma, omnes sermones malignorum et puer et juvenis evasit. *Val. Flacc.* 7. 298. rupta condi tellure premique Jamdudum cupit ac diras evadere voces.

EVADOR, aris, dep. 1. vadimonium desero. *V.* EVADATICIÆ.

ĒVĂGĀTĬO, ōnis, f. 3. actus evagandi. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 14. (72). *de stellis.* Ac spatia longitudinis latitudinum evagatione pensant.

ĒVĂGĀTUS, a, um. *V.* in EVAGOR.

ĒVĀGĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod evagatio, ab inusit. *evaginor* pro *evagor*, ut a *nato* est *natinor*, a *domo* est *dominor*. *Arnob.* 1. 50. Illi (*Apostoli*) contumaciam camelis sævi ad subeundam cicatricem, circumscriptis evaginationibus, compulerunt.

ĒVĀGĪNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVĀGĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* vagina). Part. *Evaginatus.* — Evagino est e vagina educo. *Justin.* 1. 9. ipse gladio sua sponte evaginato vulneratus. *Veget.* 1. *Milit.* 18. Tirones evaginatos gladios tenentes. *Hygin. Fab.* 164. Evaginato gladio aliquem persequi. *Vulgat. interpr. Exod.* 15. 9. Evaginabo gladium meum. *Id. Judith* 13. 9. Quumque evaginasset illum (*pugionem*).

ĒVĂGOR, aris, ātus sum, ari, dep. 1. (ex *et* vagor). Part. *Evagans* sub *A.* I. et sub *B.*; *Evagatus* sub *A.* II. — Evagari, περιπλανᾶσθαι, est idem quod vagari, vel extra aut latius vagari, expatiari (It. *vagare, andar vagando*; Fr. *courir çà et là, se répandre au loin, errer*; Hisp. *andar vagando, vagar, errar*; Germ. *aus-, wegschweifen, sich weit ver-, ausbreiten*; Angl. *to wander, stray, or run abroad, rove about, ramble, roam*). Occurrit autem *A*) Neutrorum more; et *B*) Cum Accusativo.

A) Neutrorum more.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu de hominibus et brutis animantibus. *Liv.* 22. 47. Frontibus adversis concurrendum erat, quia, nullo circa ad evagandum relicto spatio, hinc amnis, hinc peditum acies claudebant in directum utrinque nitentes. *Id.* 2. 11. *in fin.* Finisque ille tam effuse evagandi Etruscis fuit. *Vulcat. Gall. Avid. Cass.* 9. Libera evagandi potestas. *Trebell. Poll. Gall. duob.* 4. Evagabantur latrones. *Spartian. Hadrian.* 3. procuratores. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 14. Incubantibus gallinis juxta ponendus est cibus, ne longius evagatæ refrigerent ova. — *b*) De iis, quæ natura sua moventur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (94). Nilo evaganti molem opponere. *Paul. Dig.* 9. 2. 30. § 3. Ne ignis ulterius evagetur. — *c*) De plantis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 48. (163). Cappari evagatur per agros et cogit solum sterilescere. Cf. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 25. Vitis prævalens in luxuriam evagatur.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Off.* 20. 102. Nam qui appetitus longius evagantur, et tamquam exsultantes, sive cupiendo, sive fugiendo, non satis a ratione retinentur, hi sine dubio finem et modum transeunt. *Liv.* 3. 7. *ad fin.* Per ignota capita late evagata est vis morbi. — De oratione. *Quintil.* 3. 11. 25. Cupiditate laudis, vel dicendi voluptate evagamur. *h. e.* deflectimus in alia a proposito. *Id.* 3. 6. 3. Ne Demostheni permittant evagari, sed eum dicere de ipso causæ statu cogant. Adde *eumd.* 2. 4. 32.

B) Cum Accusativo. *Horat.* 4. *Od.* 15. 9. ordinem Rectum evaganti frena licentiæ Injecit. *h. e.* vaganti extra rectum ordinem. Similiter *verum egredi, modum excedere* dicimus.

ĒVĂLESCO, valescis, valŭi, valescere, n. *inchoat.* 3. (ex *et* valesco) ἐπισχύω, validus fio, crescendo vires sumo, convalesco (It. *prendere forza crescendo, crescere, diventar forte*; Fr. *prendre de la force en grandissant, se fortifier*; Hisp. *fortificarse creciendo*; Germ. *durch Wachsen stark werden, erstarken*; Angl. *to grow strong, grow up*).

I.) Proprie. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 15. 25. (116). Quum evaluissent flagella pedes binos. *h. e.* crevissent. *Id.* 16. *ibid.* 30. 51. (125). Ramorum aliqui cæci, qui non germinant: quod natura fit, si non evaluere.

II.) Improprie. ¶ 1. Generatim. *Quintil.* 2. 8. 5. Adjuta cura natura magis evalescit. *Tac.* 14. *Ann.* 58. Multa secutura, quæ ad usque bellum evalescerent. *Id.* 1. *Hist.* 80. Tempus in suspicionem, causa in crimen, affectatio quietis in tumultum evaluit. ¶ 2. Speciatim præteritum perfectum pro posse usurpatur, *potere, aver forza.* — *a*) Absolute. *Quintil.* 10. 2. 10. Ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res simplicissimæ utique discrimine aliquo discernantur. *ha potuto tanto.* — *b*) Sæpius sequente Infinito. *Virg.* 7. *Æn.* 757. Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum Evaluit. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 200. nam quæ pervincere voces Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra? *Stat.* 5. *Silv.* 2. 78. illa letales componere succos Evaluit. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 91. in dubio vis tandem agnoscere visu Evaluit etc. Adde *eumd. Cons. Honor.*

303.; *Lucan.* 4. 84.; et *Stat.* 2. *Silv.* 1. 77. ¶ 3. Item speciatim est pretium habere, *valere.* *Macrob.* 2. *Saturn.* 13. *ad fin.* Quum ipsa margarita centies sestertium sine contentione evaluerit. ¶ 4. Denique quod ad usum spectat, ponitur pro usu venire, usu dominari; et de vocabulis occurrit, *essere in uso, prevalere.* *Tac. Germ.* 2. Ita nationis nomen, non gentis evaluisse paullatim. *Quintil.* 9. 3. 13. Ut nunc evaluit *rebus agentibus,* quod Pollio damnat. *Cf. Id.* 8. 6. 33. Vix illa, quæ παρηγμένα vocant, nobis permittimus. Sed hoc feliciter evaluit. *invalse.*

ĒVĂLĬDUS, a, um, adject. *Evalidam hastam* quidam leg. apud *Sil. It.* 1. 552., ubi alii *et validam.*

ĒVALLEFĂCIO, facis, feci, facere, a. 3. expello et quasi extra vallum ejicio. *Varro* apud *Non.* p. 217. 23. *Merc.* Retrimenta cibi, quæ exierant per posticum evallefecerunt. *Mercerus* legit *qua exierint per posticum evalle feci.* Rectius tamen *Oehler, M. Ter. Varron. Sat. Menipp. reliq.* p. 196. Retrimenta cibi qua exirent per posticum vallem feci. *h. e.* Prometheus, describens quomodo homines edolaverit, ait: Feci in hominibus vallem per posticum (*neutr. gen.*), qua retrimenta cibi exirent.

ĒVALLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* vallum) expello; quasi extra vallum ejicio: vel a Græco ἐκβάλλειν *ejicere,* ut putat *Döderlein Latein. Synon. und Etym.* vol. 6. p. 390. *Varro* apud *Non.* p. 102. 6. *Merc.* Donec foras nos intus evallaverunt. Adde *Titinium* apud *eumd. ibid.* Pilatricem pallii evallavit.

ĒVALLO, is, ere, a. 3. vannendo purgo, vanno agitando excerno: est verbum deminutivum pro *evannulo,* ab *evanno,* ut *vallus* est deminut. vanni. *V.* VALLUS. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 24. (97). Triticum ante perfundi aqua multa jubet, postea evalli, deinde sole siccatum pilo repeti. *et paullo post* (99). Et ipsa autem, quæ evalluntur, variam pisturarum rationem habent. Acus vocatur, cum per se pistur spica, etc. *V.* PILATRIX.

ĒVAN. Falsa scribendi ratio: *V.* EUAN.

ĒVĀNESCO, vānescis, vānui, (vanitum), vānescere, n. *inchoat.* 3. (ex *et* vanesco). Part. *Evaniturus,* tamquam a supino *evanitum,* est *Lactant.* 5. 4. *extr.* Evanituras brevi religiones falsas. — Part. *Evanescens* II. — Evanesco, ἀφανίζομαι, est vanus fio, in nihilum redigor, e conspectu abeo, vanesco (It. *svanire, sparire, perdersi;* Fr. *s'évanouir, disparaître, se dissiper, passer, se perdre, devenir nul ou vain;* Hisp. *desvanecerse, desaparecerse, no parecer mas;* Germ. *hinschwinden; vergehen, kraftlos werden, verschwinden;* Angl. *to vanish away, disappear, fade, decay, perish*).

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 222. Bacchi quum flos evanuit, aut quum Spiritus unguenti suavis diffugit in auras. *Id.* 2. 827. Evanescere paullatim stinguique colorem. *Id.* 5. 536. Evanescere paullatim et decrescere pondus. *Varro* 2. *R. R.* 4. 6. Non plus exigunt pastum, quam proloa evanuit. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 34. (115). Allium cæpamque extra terram quoque germinant, et cauliculo alto evanescunt. *h. e.* vana fiunt, absumpto intus nucleo. *Id.* 13. *ibid.* 1. 2. (7). Odor celerrime evanescit atque defluit. *Cic.* 2. *Divinat.* 57. 117. Vinum et salsamenta vetustate evanescunt. *h. e.* vim amittunt, vapida fiunt, *diventano insipidi.* *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 24. Quum aquæ evanescunt. *h. e.* evaporant. *Ovid.* 2. *Met.* 117. Cornuaque extremæ velut evanescere lunæ. — Hinc poetice *Virg.* 9. *Æn.* 658. Et procul in tenuem ex oculis (*Apollo*) evanuit auram. Sic *Sil. It.* 8. 184. Sic fata in tenuem Phœnissa evanuit auram. *Ovid.* 11. *Met.* 431. Luctibus extremum tenues (*Nympha*) liquefacta medullas Tabuit; inque leves paullatim evanuit auras. Adde *eumd.* 2. *Fast.* 509. — Similiter *Flor.* 3. 3. 18. Tigurinorum manus, in diversa dilapsi, fuga ignobili et latrociniis evanuit. *si sciolse e sparì.* Sic *Ammian.* 16. 6. Quumque res in inquisitionem veniret, — et vinculis sunt exutæ personæ, quæ stringebantur ut consciæ, Dorus evanuit. *scomparve.* Adde *eumd.* 19. 9. et 20. 4. — Huc referri potest et illud ejusdem *Ammian.* 26. 8. *med.* Densatis cohærentes supra capita scutis — formam ædificii fornicati monstrarent. Quod machinæ genus contra murales pugnas ideo figuratur hac specie, ut missilium ictus atque saxorum per decursus cadentium labiles, instar imbrium evanescant.

II.) Translate. *Ter. Hecyr. prol. alt.* 5. Ne cum poeta scriptura evanesceret. *Cic. Brut.* 27. 106. Is et orationes reliquit, quæ jam evanuerunt. *h. e.* interciderunt. *Id.* 2. *Orat.* 23. 95. Exstinctis his, omnis eorum memoria obscurata est et evanuit. *Id.* 5. *Tusc.* 30. 85. Hæ sunt sententiæ, quæ stabilitatis aliquid habeant: nam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli nonnullorumque aliorum evanuerunt. *Id. Brut.* 94. 323. Quum jam pæne evanuisset Hortensius, et ego consul factus essem, revocare se ad industriam cœpit. *avendo quasi perduto il vigore oratorio.* V. cap. præcedens. *Id.* 3. *Att.* 13. Posteaquam extenuari spem nostram et evanescere vidi. *Liv.* 28. 25. Quum evanesceret temere ortus rumor. Adde *eumd.* 41. 31. *Id.* 33. 8. Fama stetisse, non viribus, Macedoniæ regnum. Eam quoque famam tandem evanuisse. *Id.* 2. 18. Questi quoque quidam, nimia gloria luxuriare et evanescere vividum quoddam illud Cæsonis ingenium. *Ovid.* 14. *Met.* 356. evanuit omnis Herbarum virtus. *Id. Ib.* 133. Evanescit dolor. *Seneca* 1. *Benef.* 12. Ipsæ res evanescentem memoriam excitent. *Quintil.* 6. 1. 28. Citius evanescat necesse est illa, quam dicendo effinximus, imago. *Id.* 12. 10. 75. Evanescunt hæc atque emoriuntur comparatione meliorum. *Id.* 1. 7. 6. Verum hæc jam inter ipsas ineptias evanuerunt. *sono andate in disuso.* Sic *Varro* 7. *L. L.* 31. *Müll.* Quod verbum (*adagio*) usque eo evanuit, ut Græcum (παροιμία) pro eo positum magis sit apertum. *Tac.* 2. *Hist.* 32. Multa bella impetu valida per tædia et moras evanuisse. *Ulp. Dig.* 24. 1. 11. § 7. Evanescit donatio. *cui ibid. opponitur* valet. *non tiene, perisce.* Sic *Id. ibid.* 3. 21. Dotis actio evanescit. *Ammian.* 30. 1. Divisis inter se copiis, clausere vias proximas duas — ut transiturus per utramvis caperetur improvidus: sed evanuit cogitatum hoc casu.

ĒVANGĔLĬCUS, ĒVANGĔLISTA, ĒVANGĔLIUM, ĒVANGĔLIZĀTOR, ĒVANGĔLIZO, *V.* EUANGELICUS, EUANGELISTA, EUANGELIUM, EUANGELIZATOR, EUANGELIZO.

ĒVĀNĬDUS, a, um, adject. inanis, evanescens, rarus, non solidus atque adeo cito periturus, caducus.

I.) Proprie. *Ovid.* 5. *Met.* 435. Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos. *Vitruv.* 2. 8. Vetustate evanida facta materia, cæmentorumque exacta raritate, proruunt monumenta et dissipantur. *Id.* 7. 2. Calx evanida et siticulosa. *Id.* 2. 10. Arbores propter raritatem fiunt inanes et evanidæ, ideoque in ædificiis non possunt habere diuturnitatem. *Colum. arbor.* 17. 3. Oleam decet inter sexagenos pedes disponi, ut spatium in latitudinem crescendi habeat: nam quæ in proceritatem extenduntur, evanidæ fiunt parumque fructus afferunt. *Schneiderus* ita edidit; sed legendum *ejunciðæ* adnotavit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (70). Quidam e smaragdis senescunt, paullatim viriditate evanida. *h. e.* colore viridi evanescente.

II.) Translate. *Ovid. Remed. am.* 653. Fallat, et in tenues evanidus exeat auras, Perque gradus molles emoriatur amor. *Seneca Ep.* 35. Gaudium leve et evanidum.

ĒVANNO, is, ere, a. 3. (ex *et* vannus) idem quod vanno, aut vannendo purgo, vanno agitando excerno.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 52. *extr.* Ita fit ut quod levissimum est in eo, atque appellatur acus, evannatur foras extra aream; ac frumentum quod est ponderosum, purum veniat ad corbem.

II.) Translate est ejicere, amovere. *Pomponius* apud *Non.* p. 19. 23. *Merc.* In prima valva est; vix hæret miser; evanuetur, et, mea ocius opera ut fiat, fecero.

EVANS. *V.* EUANS.

ĒVĀPŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. humoris exhalatio. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 1. Terræ omnis generis et varia evaporatio est. *Id.* 6. *ibid.* 13. Semper aliqua evaporatio est e terra, quæ modo arida est, modo humido mixta. *Gell.* 19. 5. Quoniam, quum aqua frigore aeris duratur et coit, necesse est fieri evaporationem, et quandam quasi auram tenuissimam exprimi ex ea et emanare. *Vulgati libri habent* vaporationem: *at in eodem capite verbum* evaporare *bis occurrit.*

ĒVĀPŌRĀTĪVUS, a, um, adject. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 8. *post med.* Quum sit evaporativæ virtutis paroptesis.

ĒVĀPŌRO, as, are, a. 1. (ex et vapor). *Evaporare* legitur apud *Tertull. Pall.* 6. *extr.* — Evaporo est vaporem exhalo. *Gell.* 19. 5. Id in ea levissimum est, quod evaporatur. *et mox.* Quod est salubrius, diffiari atque evaporari ex nive.

ĒVĀSĬO, ōnis, f. 3. actus evadendi. *Vulgat. interpr. Judith* 12. 20. Dominus revocavit me vobis in evasione et in liberatione vestra.

ĒVASTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVASTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* vasto). Part. *Evastatus* et *Evastandus.* — Evasto est idem quod vasto, desolo, destruo, diripio, depopulor. *Liv.* 8. 37. Ager Apulus Samniumque evastatum. *Id.* 32. 18. Evastata belli cladibus loca. *Id. fragm.* l. 91. (edente *Niebuhrio*) p. 96. Evastatis omnibus, proculcatisque segetibus. *Id.* 10. 15. Duo exercitus, diversis vagati partibus, omnia evastarunt. *Id.* 32. 33. Spoliare et evastare templum. *Id.* 28. 44. *ad fin.* Uratur evasteturque invicem Africa. Adde *eumd.* 37. 19. *Sil. It.* 15. 185. Evastanda tibi tellus. Adde *Vopisc. Aurel.* 15.

ĒVĀSUS, a, um. *V.* EVADO.

ĒVAX. *V.* EUAX.

ĒVECTĬO, ōnis. f. 3. actus evehendi. ¶ 1. Generatim. *Apul.* 5. *Met.* Sublimis evectionis appendix miseranda. ¶ 2. Speciatim est diploma, sive chartula signo principis obsignata, qua potestas alicui permittitur utendis equis cursui publico destinatis. Nam sine licentia principis nemini privato licebat cursum publicum mittere, qui institutus fuerat solummodo ad principis commoditatem, ut quam cito posset et nuncios mittere per provincias, et ea, quæ longe ab Urbe gerebantur, cognoscere, ut est apud *Sueton. Aug.* 49. Vide *Cod. lib.* 12., *tit.* 51. qui est *De cursu publico,* ubi multa habentur de jure evectionum. *Cato* apud *Fronton.* 1. *ad Antonin. Aug.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 2. *extr.* Numquam ego evectionem datavi, quo amici mei per symbolos pecuniam magnam caperent. *Symmach.* 4. *Ep.* 6. Evectiones impetrasse me, gaudeo. Adde *Augustin. Ep.* 55.

ĒVECTO, as, are, a. 1. *frequentat. ab* eveho. *Gloss. Cyrill.* Εἰσκομίζομαι, inveho, invecto, everto.

ĒVECTUS, a, um. *V.* EVEHO.

ĒVECTUS, us, m. 4. actus evehendi. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 5. 6. (28). Ut operariorum copia prope sit, ut navigiorum evectus, vel itinerum. *h. e.* navigia ultro citroque commeantia. quæ merces evehant. Vide *Varronis* locum in *V.* INVECTUS, us.

ĒVĔHO, vĕhis, vexi, vectum, vĕhere, a. 3. (ex *et* veho). Reperitur etiam *exveho* apud *Ulp. Dig.* 10. 4. 5. — Part. *Evehens* I. 1.; *Evectus* in omnibus paragr.; *Evehendus* I. 1. — Evehere, ἐκκομίζω, ἐξάγω, est extra vehere, exportare (It. *portare o condur fuori;* Fr. *transporter, faire sortir, retirer;* Hisp. *trasportar;* Germ. *herausfahren, – bringen, – schaffen, – tragen, führen;* Angl. *to carry or conduct out*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Cum Accusativo rei, quæ evehitur; et — a) Addito loco, ex quo quid evehitur. *Cic.* 3. *Verr.* 20. 53. Omnia ex fanis, ex locis publicis palam plaustris evecta asportataque esse. *Liv.* 1. 38. *extr.* Infima urbis loca, quia ex planis locis haud facile evehebant aquas, cloacis e fastigio in Tiberim ductis siccat. Cf. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (224). Amnes aquas inferunt in lacus et evehunt. *Quintil.* 7. 8. 4. Lanas evehere Tarento non licet. *Al. leg.* vehere. *Id.* 6. 1. 52. Confragosis atque asperis evecti, tota pandere possumus vela. — b) Omisso loco, ex quo quid evehitur. *Cato R. R.* 5. Stercus sedulo conserva; quum exportabis, spargito et comminuito. Per auctumnum evehito. *Varro* 1. *R. R.* 16. 6. Tertio eumdem fundum fructuosiorem faciunt vecturæ, si viæ sunt, qua plaustra agi facile possint: aut flumina propinqua, qua navigari possit. Quibus utrisque rebus evehi atque invehi ad multa prædia scimus. Cf. *Colum.* 1. *R. R.* 3. 3. Multum conferre agris iter commodum — ad invehenda et exportanda utensilia. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 19. 22. (66). Alii tellurem exercent, merces suas alii evehunt. *Ulp. Dig.* 10. 4. 5. Merces exvehendas conducere. *Id. ibid.* 39. 4. 15. Evectæ cotes. — c) Cum addito, quo quid evehitur. *Liv.* 25. 27. *a med.* Duæ classes infestæ circa promontorium Pachynum stabant, ubi primum tranquillitas maris in altum evexisset, commissuræ. *Seneca Hippol.* 1070. Quocumque pavidos equos evexit furor, hac ire pergunt. *trasportò.* — 2.°) *Evehere se* occurrit apud *Liv.* 29. 34. Incaute se evehentes Masinissa excipiebat. *h. e.* incaute erumpen-

les. Cf. *Plin.* 8. *Ep.* 17. Fluvius subruit moles, et decidentium mole pluribus locis clausus, dum amissum iter quærit, impulit tecta, ac se super ruinas evexit atque extulit. — 3.°) Ponitur etiam pro in altum vehere, extollere, sed tamen cum additis, *innalzare, sollevare. Virg.* 6. *Æn.* 130. quos ardens evexit ad æthera virtus. *Horat.* 1. *Od.* 1. 5. palmaque nobilis Terrarum dominos evehit ad deos. *Ovid.* 11. *Met.* 127. Pro quibus aerias meritis evectus ad auras Templa statuam. *Juvenal.* 1. 38. Evehere in cœlum. — Absolute. *Prudent.* 8. περὶ στεφ. 18. Evectus gladiis alter, et alter aquis. *scil.* martyr qui gladio, et baptizatus qui baptismo mundatus cœlum petit. ¶ 2. Speciatim ac sæpe passive, seu potius Mediorum apud Græcos more ac si adhibetur, et significat procedere, progredi, provehi. — *a*) Absolute. *Liv.* 4. 33. Ipse princeps (*magister equitum*) calcaribus subditis evectus, effreno equo in medios ignes infertur. *Id.* 5. 36. Evectus extra aciem equo ducem Gallorum occidit. *Tac.* 12. *Ann.* 14. Hostem longius evectum integer a tergo globus circumvenit. *Sueton. Aug.* 97. Itinere inchoato, Asturam perrexit; et inde, præter consuetudinem, de nocte ad occasionem auræ evectus est. *Liv.* 41. 28. *in fin.* Evecti Ægeo mari Delum trajecerunt. Adde *eumd.* 28. 30. Cf. *Curt.* 4. 4. 8. Ea navis, quæ non cohærebat, libero impetu evecta, in aliud quinqueremis latus incidebatur. — *b*) Cum addito, quo quis aut quid evehitur. *Liv.* 37. 15. *in fin.* Placuit tamen, Regillum tota classe evehi ad portum Ephesi. Cf. *Justin.* 2. 6. 11. Ad regem Thessaliæ ratibus evecti sunt. *Liv.* 21. 50. Ubi in altum evecti sunt, Romanus conserere pugnam etc. *Id.* 22. 45. In stationem quoque pro vallo locatam atque ipsas prope portas evecti sunt. *Id.* 31. 35. Equites *ut* semel in hostem evecti sunt. Adde *Curt.* 3. 13. 8. Similiter *Id. Curt.* 7. 7. 35. Quo sæpius in cuneos barbarorum effusis habenis evectus etc. *Liv.* 22. 19. Alii resolutis oris in ancoras evehuntur, alii, ne quid teneat, ancoralia incidunt. — *c*) Cum Accusativo loci. *Curt.* 9. 9. 8. Tuto aliam insulam medio amni sitam evecti — applicant classem quum accessissent ad aliam insulam. *Al. aliter leg. Id.* 9. 9. 27. Evectusque os amnis quadringenta stadia processit in mare. *h. e.* egressus ostia fluminis. Cf. *Propert.* 3. 2. 21. Cur tua præscriptos evecta est pagina gyros? Et *Sil. It.* 16. 373. medium evecti certamine campum. — *d*) Et pro in altum ascendere. *Liv.* 1. 48. Flectens carpentum — ut in collem Esquiliarum eveheretur. — *e*) Pro descendere. *Sil. It.* 16. 112. rapido certamina linquit in latebras evectus equo. *An legendum avectus?* — *f*) Poetice. *Val. Flacc.* 2. 31. Jamque Hyperionius metas maris urget Iliberi Currus, et evectæ prono lavantur habenæ Æthere.

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Cic. Brut.* 13. 51. Ut semel e Piræeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas. *è uscita fuori.* Et cum Accusativo loci *Tac.* 12. *Ann.* 36. Fama ejus evecta insulas, *et* proximas provincias pervagata. Cf. *eumd.* 14. *ibid.* 52. Privatum modum evectas opes adhuc augere. *Alii leg.* privatum supra modum. *Liv.* 42. 62. Spe vana evectus. *trasportato.* Et de oratione *Quintil.* 9. 3. 87. Longius evectus sum, sed redeo ad propositum. — *b*) Speciatim ac sæpius ponitur pro extollere. — Cum Accusat. et præpos. *ad. Sil. It.* 8. 596. ad sidera cantu evecta Mantua. *Curt.* 4. 14. 20. Evehere imperium ad summum fastigium. *Tac. Dial. de orat.* 13. aliquem ad consulatum. *Ammian.* 15. 5. Ad augustum culmen evectus. *Id.* 16. 6. ad magnum culmen. *Id.* 22. 1. ad culmen. *Vopisc. Carin.* 1. rempublicam ad summum. *Trebell. Poll.* XXX. *Tyr.* 8. Aliquem militaribus gradibus usque ad imperium evehere. — Cum Accus. et præpos. *in. Vellej.* 2. 53. Vir in id evectus, super quod ascendi non potest. *Id.* 2. 56. Consiliarii in summum evecti fastigium. *innalzati, promossi. Id.* 2. 90. Usque in tertium consulatum evectus. Huc pertinet et illud *Plin.* 26. *Hist. nat.* 4. 9. (18). Magicæ vanitates in tantum evectæ, *ut* abrogare herbis fidem cunctis possent. — Cum Dativo. *Spartian. Hadrian.* 14. Aliquem summis honoribus evehere.

ĒVĒLĀTUM *eventilatum*, unde velabra, quibus frumenta ventilantur. *Paul. Diac. p.* 77. 15. *Müll.*

ĒVELLO, vellis, velli *vel* vulsi, vulsum, vellere, a. 3. (ex et vello). Præterit. *evelli* habet *Cic.* 1. *Orat.* 53. 230. et alibi; præterit. *evulsi* pro *evelli* agnoscunt multi Grammatici, *et* habent *Flor.* 4. 12. 38., *Marcell. Empir.* 8. et *Quintil.* 12. *Declam.* 8.; hinc est etiam *evulsus* optimæ notæ vox. — Part. *Evellens et Evulsus* I.; *Evellendus* II. — Evellere, ἀποτίλλω, est extra vellere, extrahere, exstirpare (It. *svellere, estirpare, cavare a forza*; Fr. *arracher, enlever*; Hisp. *arrancar, quitar con violencia, tirar con fuerza*; Germ. *heraus* —, *ausreissen*; Angl. *to pull up or out, pluck up*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 31. 67. Timide signifer evellebat, quod fidenter infixerat. *Id. Sext.* 28. 60. Linguam se evellisse M. Catoni dixerunt. Cf. *Crassus* apud *eumd.* 3. *Orat.* 1. 4. Evulsa lingua. Rursus *Cic.* 15. *Att.* 4. Arbor excisa, non evulsa. Sic *Liv.* 34. 5. Evellere arborem. et *Sueton. Vesp.* 5. arborem radicitus. *Horat.* 3. *Od.* 1. 55. truncos. *Val. Flacc.* 6. 716. olram. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 4. spinas agro evellere. Cf. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (55). E segete evellito ebulum, cicutam, etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Evellere ferrum. *Curt.* 8. 10. *a med.* Evulsum spiculum. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 4. (5). Acus evulsos pollice. *Liv.* 38. 5. Evellere vallum. *Flor.* 4. 12. 38. Tertiam aquilam signifer, priusquam in manus hostium veniret, evulsit. *Phædr.* 2. 2. *extr.* nam funditus Canos puella, nigros anus evellerat. Cf. *Seneca Œdip.* 592. Luctus evellens comam. *Marcell. Empir.* 8. Quum prius pilos evulseris. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (207). Sæta dorso suis evulsa. *Id.* 30. *ibid.* 14. 46. (134). Ricini evulsi cani. *Id.* 30. *ibid.* 3. 8. (25). Evellere dentes. *Id.* 34. *ibid.* 15. 44. (151). Clavi e sepulcro evulsi. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 27. cœno cupiens evellere plantam. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 61. (158). Relictum equum in cœno hærentem, ut se evellisset, secutum vestigia domini. *Gell.* 10. 16. *a med.* Si Hercules eum evellerit e petra. *Ulp. Dig.* 47. 12. 2. Statuam de monumento evellere. — Poetice *Lucret.* 3. 326. communibus inter se radicibus hærent, Nec sine pernicie divelli posse videntur. Quod genus, e turis glebis evellere odorem Haud facile est, quin intereat natura quoque ejus. *Sil. It.* 7. 335. obsessa evellere castra. *h. e.* ex obsidione, e periculo. *cavar dall' assedio.* Cf. *Quintil.* 12. *Declam.* 8. Pecora cecidimus, campos evulsimus, silvas destruximus. *h. e.* arbores e campis. — *Forcellinus* huc refert etiam illud *Varron.* 9. *L. L.* 16. *Müll.* Sed ut nutrix puerus a lacte non subito evellit. *h. e.* depellit, *ut Virg.* loquitur 7. *Ecl.* 15. At ibi *Müllerus* rectius legit *avellit.*

II.) Translate. *Lucret.* 3. 311. Nec radicitus evelli mala posse putandum est. *Cic. Cluent.* 55. 152. Hoc meto proposito, evellere se aculeum severitatis vestræ posse confidunt. Cf. *eumd. Dom.* 13. 34. Radicitus evellere actiones alicujus. *h. e.* rescindere, infirmare, irrita esse ostendere. Ceterum *Id. Orat.* 28. 97. Inserere novas opiniones, evellere insitas. *Id. Rosc. Am.* 2. 6. Hunc sibi ex animo scrupulum ut evellatis, postulat. *Id.* 1. *Orat.* 53. 230. Omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus evellisset vis orationis tuæ. Adde *eumd. Cluent.* 1. 4. *Id. Sext.* 14. 31. Si appellandi sunt consules, quos nemo est, qui non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet. *Sil. It.* 14. 182. sedare monendo Pectora cæca virûm, atque iras evellere avebat.

ĒVĔNIO, vĕnis, vēni, ventum, vĕnīre, n. 4. (ex *et* venio). *Evenat* pro *eveniat*, antiquum. *Ennius* apud *Non. p.* 507. 20. *Merc.* Utinam mortem oppetam prius, quam evenat etc. — Part. *Eventurus* I. 1. *et* II. 2. — Evenire, ἀποβαίνω, συμβαίνω, est extra venire, exeundo accedere, pervenire (It. *venir fuori, uscendo arrivare*; Fr. *venir hors, sortir de*; Hisp. *salir, ir fuera*; Germ. *herauskommen*; Angl. *to come out*).

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 3. 2. 17. Eamque eventuram exagogam Capuam, salvam et sospitem. *Al. leg.* venturam. *Id. Cas.* 2. 8. 1. Sine modo, rus eveniat. *Al. leg.* veniat. *Horat.* 4. *Od.* 4. 65. Merses profundo, pulcrior evenit. *h. e.* ἐξέρχεται, ἀνῆκεν, super maris superficiem prodit. *Colum.* 4. *R. R.* 32. 2. *de arundinetis.* Bulbus anno celerius maturam perticam præbet; talea *et* tota arundo serius prædicto tempore evenit. *h. e.* e terra erumpit atque crescit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim sæpissime sumitur pro accidere, contingere (*V.* ACCIDO et CONTINGO), tam in bonam, quam in malam partem, *avvenire, accadere, toccare, succedere.* Occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 3. 2. 57. In hominum ætate multa eveniunt hujusmodi: capiunt voluptates, capiunt rursum miserias. Iræ interveniunt, redeunt rursum in gratiam. Verum iræ si quæ forte eveniunt hujusmodi etc. *Cic.* 2. *Divinat.* 45. 94. Ut alia Tusculi, alia Romæ eveniat sæpe tempestas. *Id. Quinct.* 15. 49. Quid homini potest turpius, quid viro miserius aut acerbius usu venire? Quod tantum evenire dedecus, quæ tanta calamitas inveniri potest? *Id.* 2. *Divinat.* 21. 52. Quota enim quæque res evenit prædicta ab istis? aut si evenit quippiam: quid afferri potest, cur non casu id evenerit? *Sall. Cat.* 9. Duabus his artibus audacia in bello, ubi pax evenerat æquitate, seque remque publicam curabant. *h. e.* provenerat. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 33. Delecta ex his reipublicæ forma laudari facilius, quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. — Præcipue cum Nominativo communi. *Cic.* 6. *Fam.* 21. Timebam, ne evenirent ea, quæ acciderunt. Cf. *Sall. Cat.* 51. Illis merito accidet, quidquid evenerit. et *Nepos Eumen.* 11. Utinam quidem istud evenisset, inquit; sed eo non accidit, quod numquam cum fortiore sum congressus. Rursus *Cic.* 1. *de republ.* 41. Maxime id in rebus publicis evenit. *Id. ibid.* 42. Quem si optimates oppresserunt, quod ferme evenit, habet statum respublica de tribus secundarium. *Id. ibid.* 45. *ad fin.* Hoc in hac juncta conformatione reipublicæ non ferme sine magnis principum vitiis evenit. *Id.* 2. *ibid.* 28. *ad fin.* Quod plerumque evenit. *Id.* 1. *ibid.* 42. Quod evenit sæpius. *Quintil.* 12. 8. 8. Quod sæpe evenit. Adde *eumd.* 3. 7. 29. *Id.* 5. 3. 2. Quod frequentius evenit. *Cic.* 2. *Fam.* 10. Vereor, ne idem eveniat in meas litteras. — *b*) Impersonaliter; et quidem — Sine additis. *Ter. Andr.* 5. 4. 4. Quid tu Athenas insolens? CHR. evenit. *è stato un caso, ci sono per accidente. Cic. Planc.* 6. 15. Nihil, ut plerumque evenit, præter opinionem accidet. *Sueton. Aug.* 78. Si interruptum somnum recuperare, *ut* evenit, non posset etc. — Sæpius sequente *ut. Ter. Phorm.* 1. 2. 15. Evenit senibus ambobus simul, iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam. *Brutus* apud *Cic.* 2. *Orat.* 55. 224. Forte evenit, ut in Privernati essemus. *Quintil.* 2. 12. 5. Unde evenit nonnunquam, *ut* aliquid grande inveniat, qui semper quærit, quod nimium est. Adde *eumd.* 11. 1. 78., 8. *proœm.* 22. et alibi: *Sueton. Aug.* 96., *Claud.* 7. *et Galb.* 6.; et *Plin. Paneg.* 11. — Et sequente *quominus. Pompon. Dig.* 30. 1. 45. Ob id, quod furtum fecit servus, evenit, quo minus eum habere domino liceat; sicut ob id, quod obligatus *est* fundo, accidere posset, ut eum habere domino non liceat. — *c*) Cum Dativo personæ — Generatim est alicui accidere, *accadere, incontrare, toccar a taluno. Plaut. Men. prol.* 67. Illi divitiæ evenerunt maxumæ. *Id. Curc.* 1. 2. 31. Mihi haud sæpe tales eveniunt hereditates. *Id. Stich.* 1. 3. 56. Damna evenerunt maxima misero mihi. *Id. Capt.* 2. 3. 55. Merito tibi ea evenerunt a me. *Cic. Sext.* 33. 71. Quibus utinam evenissent ea, quæ tum homines precabantur. *Id.* 1. *Fin.* 16. 53. Itaque non ob ea solum incommoda, quæ eveniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus; sed multo etiam magis etc. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 4. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 46. (87). Polypum brachia sua rodere, falsa opinio est; id enim a congris evenit ei. *Ammian.* 21. 16. Id evenire corporibus a lascivia demotis. *Justin.* 11. 13. 7. Darius vix denis armatis singulos hostes, si divisio fieret, evenire dicebat. — Speciatim *sorte evenire* vel etiam *evenire alicui* de provinciis usurpatur, et est sorte obvenire, *toccare a sorte. Liv.* 7. 6. L. Genucio consuli ea provincia sorte evenit. *Sall. Jug.* 39. et 47. Ipsi provincia Numidia, Minucio Macedonia evenerat. Adde *Liv.* 3. 4., 3. 57., 9. 41., 2. 40. *extr.*, 5. 12., 7. 16. et alibi sæpe; et *Justin.* 13. 5. 8. et 13. 4. 16. Similiter de aliis officiis. *Liv.* 8. 20. Cui Gallicum bellum evenerat. *h. e.* agendum evenerat. *Id.* 23. 25. Cui legiones urbanæ evenissent. — *d*) *Si quid mihi eveniat*, dictum per euphemismum, simile *est* ac *si quid mihi humanitus acciderit*, h. e. si moriar. *Sueton. Cæs.* 86. Rempublicam, si quid sibi eveniret, neque quietam fore etc. *Vopisc. Prob.* 6. *extr.* Ut si quid sibi scienti prudentique eveniret etc. *h. e.* si naturali fato fungi contingeret et certus de obitu esset. *Spartian. Hadrian.* 4. Si quid ei eveniret. *Sall. fragm.* 5. 8. *p.* 241. ed. *Gerlach.* Si in Pompejo quid humani evenisset. ¶ 2. Speciatim evenire ponitur pro evadere, provenire, sequi, exitum habere, *nascere, derivare, seguire, riuscire*; ut docet *Cic.* 1. *Invent.* 28. 42. *Eventus est* alicujus exitus negotii, in quo quæri solet, quid ex quaque re

evenerit, eveniat, eventurum sit. Cf. *Quintil.* 5. 10. 86. Quid et quoque eveniat. Occurrit autem — *a)* De rebus secundis, quæ — Per Nomina vel Adjectiva significantur. *Plaut. Trin.* 1. 2. 1. Larem, uxor, venerare, ut nobis hæc habitatio bona, fausta, felix fortunataque eveniat. *Cic.* 1. *Divinat.* 15. 27. Quæ (auspicia) sibi secunda evenerint. Cf. *Sueton. Vitell.* 9. Præmisso agmini lætum evenit auspicium. *Nepos Alcib.* 8. Si quid secundi evenisset, nullam in ea ce suam partem fore: contra ea, si quid adversi accidisset, se unum ejus delicti futurum reum. *Sall. Jug.* 63. Cuncta prospera eventura. *Liv.* 21. 21. Novisque se obligat votis, si cetera prospera evenissent. *Il. leg.* prospere. *Id.* 28. 12. Quæ prospera tibi et populi Romani imperio evenere. *Id.* 37. 17. Ut ea res prospera et læta eveniret. Adde *eumd.* 1. 28. — Per Adverbia. *Plaut. Pseud.* 2. 1. 1. Proh Juppiter, ut mihi, quidquid ago, lepide omnia prospereque eveniunt! *Cic.* 3. *Fam.* 12. 2. Ego vero velim mihi Tulliæque meæ — prospere evenire ea, quæ, me insciente, facta sunt a meis: Adde *Liv.* 9. 19.; et *Cic.* 2. *Nat. D.* 66. 167. *Sall. Jug.* 92. Sed consul, bene ea res ubi evenit, ad alia oppida pergit. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret. Adde *Pallad.* 11. *R. R.* 12. 5. *Cic. Mur.* 1. 1. Ut ea res mihi, populo plebique Rom. bene atque feliciter eveniret. Adde *Liv.* 31. 5.; et *Plin. Paneg.* 72. Similiter *Ter. Hecyr.* 5. 4. 32. Spero hanc rem esse eventuram nobis ex sententia. Cf. *Plaut. Merc.* 5. 9. 89. Quoniam hæc evenerunt nostra ex sententia. — Absolute. *Plin.* 1. *Ep.* 18. Eventura soleas, an contraria somniare. *V.* infra sub *c.* — *b)* De adversis, quæ — Per Nomina vel Adjectiva significantur. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 1. Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter? *esserti stato di gran disagio.* *Sall. Cat.* 26. Postquam — neque petitio, neque insidiæ prospere cessere, constituit bellum facere —, quoniam quæ occulte tentaverat, aspera fœdaque evenerant. *Liv.* 8. 31. Si adversa pugna evenisset. — Per Adverbia. *Plaut. Curc.* 1. 1. 39. Male illis eveniat, *h. e.* male sit. *Ter. Andr.* 2. 6. 5. Si quid præter spem evenit. *Id. Phorm.* 2. 1. 16. Quidquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro. Adde *eumd. Andr.* 4. 1. 55. et *Adelph.* 5. 3. 29. *Sueton. Cæs.* 15. Quod quum præter opinionem evenisset, etc. *Plaut Cas.* 2. 5. 37. Quod si fors aliter quam voles evenerit. *Cic.* 2. *Divinat.* 21. 53. Omnia fere contra, ac dicta sunt, evenisse. *Tac.* 4. *Ann.* 29. Etiamsi tormenta pervicacia servorum contra evenissent. *c)* Indefinite — Sequente *quo* vel *quorsum*. *Plaut. Most.* 2. 1. 48. Istæc blanda dicta quo eveniant, madeo metu. *dove vadano a finire.* Adde *eumd. ibid.* 1. 2. 52. et *Bacch.* 1. 2. 36. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 118. Nisi sane curæ est, quorsum eventurum hoc siet. — *Eventura* pro futuris apud *Cic.* 2. *Divinat.* 51. 105. Nostra interest scire, quæ eventura sunt. *le cose future.* Sic *Tibull.* 2. 5. 11. et 3. 4. 47. prorsus eventura videre. *Id. ibid.* 1. 25. eventura precari.

ĒVENTĬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVENTĬLO, as, ātum, are, a. 1. (ex *et* ventilo). Part. *Eventilatus* I. et II. — Eventilare est ventum agitare, ventilare, ut fit flabellis, aut hujusmodi.

I.) Proprie. *Justin.* 44. 1. 10. Huc accedunt et marinæ auræ undique versus assidui flatus, quibus eventilato terrestri spiritu, præcipua hominibus sanitas redditur. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 23. Frumenta eventilata mundiora sunt, lapillisque carent et glæbulis. *h. e.* ventilando purgata. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 28. (49). Fit altitudine ipsa gravior aer, quem emendant assiduo linteorum jactatu eventilando.

II.) Translate. *Sidon.* 1. *Ep.* 9. Post imperii utriusque opes eventilatas. *h. e.* jactatas et dissipatas.

ĒVENTUM, i, n. 2. (evenio). ¶ 1. Est quidquid reapse evenit vel accidit, seu factum est, *avvenimento, evento.* *Cic.* 3. *de republ.* 19. Gens Ægyptiorum plurimorum sæculorum et eventorum memoriam litteris continet. ¶ 2. Item eventa dicuntur ea, quæ *accidentia* Scholastici vocant. Quæcumque enim fiunt, aut *conjuncta* vocantur, aut *eventa*: (adhibetur enim fere in plurali numero; nam in singulari generis est masculini). Conjunctum (loquitur *Lucret.* 1. 451.) est id, quod numquam sine perniciali Discidio potis est sejungi seque gregari, Pondus uti saxis, calor ignibu', liquor aquai, Tactus corporibus cunctis, intactus inani. Servitium contra, libertas, divitiæque, Paupertas, bellum, concordia, cetera, quorum Adventu manet incolumis natura abituque, Hæc soliti sumus, ut par est, eventa vocare. Adde *eumd. ibid.* 459., 468., 471. (ubi in singulari num. occurrit), et 482. ¶ 3. Item quod casu fortunave nobis ex aliqua re evenit tam in bonum, quam in malum; rerum exitus, casus, effecta quæ ex causis oriuntur, *esito, successo, effetto.* — *a)* Raro admodum in singulari numero. *Cic.* 3. *Att.* 8. *sub fin.* Existimatu, me stultitiæ meæ pœnam ferre gravius, quam eventi. — *b)* Sæpius in plur. num. *Cic. Rabir. Post.* 1. 1. Hoc plerumque facimus, ut consilia eventis ponderemus; et cui bene quid processerit, multum illum providisse; cui secus, nihil sensisse dicamus. *esiti, successi.* *Id.* 2. *Divinat.* 47. 99. Quorum (*Chaldæorum*) prædicta quotidie videat re et eventis refelli. Et cum addito nom. *factum*, *Id. fragm.* apud *Non. p.* 294. 6. *Merc.* Me adhortatus es, ut aliorum facta et eventa conquiram. Adde *eumd. Pis.* 41. 98. Et cum opp. *causa*, *Id. Topic.* 18. 67. Causarum cognitio cognitionem eventorum facit. *degli effetti.* Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 6. 12. Et generatim *Id. Partit. orat.* 27. 96. De incerto fortunæ statu dubiisque eventis rerum futurarum. *Id.* 1. *Fam.* 7. *ad fin.* Ut te ex nostris eventis communibus admonendum putarem, ut considerares etc. *Tac.* 4. *Ann.* 33. Pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt; plures aliorum eventis docentur.

ĒVENTUS, us, m. 4. (evenio). ¶ 1. Eventus est id quod evenit vel accidit, seu factum est (It. *avvenimento, evento, sorte, destino*; Fr. *événement, sort, destinée*; Hisp. *acaecimiento, suerte, destino*; Germ. *d. Ereigniss, auch Zufall, Geschick, Schicksal*; Angl. *an event, fate, destiny*). *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 58. Mihi a peritis in Asia prædictum est, fore eos eventus rerum, qui acciderunt. *Id. Quinct.* 26. 83. Ita te eorum — fuisse, ut, quum postea quid futurum esset, ignorares, accidere autem omnia possent, spem maleficii præsentis in incerto reliqui temporis eventu collocares? *Tac. Agric.* 22. Soliti plerumque damna æstatis hibernis eventibus pensare. *Id.* 2. *Ann.* 26. Crebris epistolis Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum: satis jam eventuum, satis casuum: prospera illi et magna prælia. *Cic. Amic.* 4. 14. Mœrere hoc ejus (*h. e.* Scipionis) eventu, vereor ne invidi magis, quam amici sit. *h. e.* morte. *Liv.* 10. 29. Ibi auditur P. Decii eventus. *h. e.* qui, qua confertissimam cernebat Gallorum aciem, concitavit equum, infensusque se ipse infestis telis est interfectus. Adde *eumd.* 7. 26., 7. 8. et 45. 19. *Cæs.* 4. *B. G.* 31. Eventus navium suarum. *Liv.* 33. 48. Ita Africa Hannibal excessit, sæpius patriæ, quam suorum eventus miseratus. *Cæs.* 1. *B. C.* 21. Quid reliquis acciderit, qui quosque eventus exciperent. *Id.* 2. *ibid.* 5. Neque erat quisquam omnium, qui non in ejus diei casu suarum omnium fortunarum eventum consistere existimaret. *Ovid.* 7. *Met.* 352. aopperque Othryn, et eventu veteris loca nota Cerambi. *h. e.* qui in avem a Nymphis mutatus atque in Parnasum sublatus superfuit diluvio Deucalioneo. *Id.* 13. *ibid.* 505. jacet Ilion ingens; Eventuque gravi finita est publica clades. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 18. (55). Ostenta sæpe expiata magnis eventibus. *con gravi disgrazie.* *Ammian.* 17. 7. Eminuere Nicomediæ clades, cujus ruinarum eventum vere breviterque absolvam. ¶ 2. Item eventus est quidquid evenit ex re aliqua, quod cognosci, priusquam eveniat, non potest, casus, rerum exitus, atque adeo finis, effectus. — *a)* Generatim. *Cic.* 1. *Invent.* 28. 42. Eventus est alicujus exitus negotii, in quo quæri solet, quid ex quaque re evenerit, eveniat eventurumque sit. *Id.* 2. *Orat.* 15. 63. In rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur. *Liv.* 22. 39. Eventus stultorum magister est. *Balb.* et *Opp.* ad *Cic.* post *ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate a plerisque probari solent. *Ovid. Heroid.* 2. 85. Exitus acta probat: careat successibus opto, Quisquis ab eventu facta notanda putat. Adde *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 489. *Horat. Art. P.* 148. Semper ad eventum festinat, et in medias res auditorem rapit. *h. e.* ad finem, seu rerum exitum. *Cic. Partit. orat.* 2. 7. At causarum eventus, id est quæ sunt effecta de causis. *Id. ibid.* 32. 110. Accusatori hæc duo prima sunt, causa et eventus. *Propert.* 4. 2. 47. *de Vertumno.* At mihi, quod formas unus vertebar in omnes, Nomen ab eventu patria lingua dedit. *degli effetti.* — *b)* Speciatim de rerum exitu, sive in bonam, sive in malam partem. — Cum addito Genitivo rei. *Cic.* 1. *Orat.* 26. 120. Ut quisque optime dicit, ita maxime varios eventus orationis pertimescit. *Id. ibid.* 27. 123. Nonnumquam summis oratoribus non satis ex sententia eventus dicendi procedit. *Cæs.* 3. *B. G.* 3. *extr.* Interim rei eventum experiri. Cf. *Curt.* 8. 1. *med.* Interim esse in eventum rei. *et* 7. 7. 9. Explorare sacrificiis eventum rerum. *Cæs.* 7. *B. G.* 49. Eventum pugnæ exspectare. *Id.* 3. *B. C.* 96. Nihil eos de eventu ejus diei timuisse. *Id.* 2. *ibid.* 32. et 6. *B. G.* 42. Eventus belli. *Sueton. Aug.* 96. bellorum. *Id. Cæs.* 20. Desperans tam præcipitis consilii eventum. *Justin.* 2. 9. 12. Eventus audaciæ. — Sine Genitivo. *Cic.* 14. *Phil.* 2. 5. Spei fructum rei et eventui reservare. *Id.* 2. *Legg.* 17. 43. Sceleris est pœna tristis, et, præter eos eventus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. *Id.* 9. *Att.* 6. *extr.* Quemvis eventum fortiter ferre. *Id.* 6. *Fam.* 21. Ad omnem eventum paratus sum. *Cæs.* 5. *B. G.* 42. Hic dies hunc habuit eventum, ut eo die maximus numerus hostium interficeretur. *Lucan.* 4. 730. Fraudibus eventum dederat fortuna. *aveva prosperato le insidie.* *Plin.* 5. *Ep.* 20. Egi pro Vareno, non sine eventu. *con buon successo.* *Id.* 10. *ibid.* 12. Deosque immortales precor, ut omnes cogitationes tuas lætus sequatur eventus. *Sueton. Aug.* 28. In retinenda (*re publica*) perseveravit: dubium eventu meliore, an voluntate. *Justin.* 2. 13. 3. Aut cum gloria ejus perdomiturum se Græciam; aut, si aliter eventus ferat, sine ejusdem infamia hostibus cessurum. Ceterum generatim adde *Cic.* 1. *Tusc.* 35. 85.; *Liv.* 23. 48.; *Ovid.* 10. *Met.* 600.; *Quintil.* 8. 3. 12.; *Curt.* 4. 16. 28. et 9. 7. 23.; *Colum.* 11. *R. R.* 1. 1.; *Sueton. Ner.* 23., *Claud.* 16. et *Vesp.* 4. et 7.; *Juvenal.* 11. 196.; *Tac. Agric.* 29., 2. *Hist.* 42. et 2. *Ann.* 77.; *Plin.* 4. *Ep.* 8., 6. *ibid.* 33. et *Paneg.* 5.; et *Ammian.* 16. 6. — *c)* Item speciatim *Bonus Eventus* inter Romanorum deos fuit, Græcis vero Ἀγαθοδαίμων appellatus, ab agricolis præcipue cultus. *Varro* 1. *R. R.* 1. 6. Nec non etiam precor Lympham ac Bonum Eventum, quoniam sine successu ac bono eventu frustratio est, non cultura. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (77). Simulacrum Boni Eventus, dextra pateram, sinistra spicam ac papavera tenens. V. *Bullettin. Archeol. a.* 1844. *p.* 46. Eadem forma in nummis Titi Aug. videre est hujusmodi numen cum inscriptione BON. EVENT. In *Inscript.* apud *Murat.* 92. 1., quæ est apud *Orell.* 1783., legitur BONO EVENTO; at apud *Murat. ibid.* 2. et apud *Orell.* 1784. EVENTVI AVG. Item apud *Orell.* 1785. DEO SANCTO EVENTO FL. FRONTO EX PRAECEPTO. In *alia* apud *De-Vita A.A. BB. T.* 1. *p.* 27. BONOEVENTO PROFECTIONIS ORIENTALIS ET REDITVS AVGVSTORVM L. SEPTIMII ET M. AVRELII ANTONINI COL. IVLIA AVG. CONCORDIA FELIX BENEVENTVM DEVOTA MAJESTATI AVGG. V. plura huc spectantia apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. *p.* 303. et apud *Marin. Frat. Arv. p.* 236.

ĒVERBĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVERBĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* verbero). *Part. Everberatus* I. — Everbero est idem ac verbero, vehementer verbero (It. *battere, battere con forza*; Fr. *frapper, battre à plusieurs reprises*; Hisp. *pegar, golpear violentamente*; Germ. *herauspeitschen, - schlagen, zerschlagen*; Angl. *to strike, beat, buffet*).

I.) Proprie. *Virg.* 12. *Æn.* 866. clipeumque everberat alis. *Ovid.* 14. *Met.* 578. cineres plausis everberat alis. *Id. Halieut.* 37. At mugil cauda pendentem everberat escam. *Quintil.* 2. 4. 18. Qui (*corvus*) os oculosque hostis Galli rostro atque alis everberaret. *Val. Flacc.* 6. 737. pectusque suis everberat armis. *Curt.* 4. 3. 18. Remis pertinacius everberatum mare. *Id.* 9. 4. 13. Remis everberare fluctus. Adde *eumd.* 6. 9. 31.; et cf. *eumd.* 4. 4. 37. Diverberatis fluctibus. *Quintil. Declam.* 5. Quem — tempestas everberat. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 12. Quum spiritus everberatus cursu parum libero incaluit. *Inscript.* apud *Jo. Labusium*, *Colonna di Maguzzano p.* 10. VIAM ANNIAM LONGA INCVRIA NEGLECTAM, INFLVENTIBVS PALVSTRIBVS AQVIS EVERVERATAM, SIC ET COMMEANTIBVS INVIAM, INTER PLVRIMA INDVLGENTIARVM SVARVM IN AQVILEJENSES PROVIDENTISSIMVS PRINCEPS RESTITVIT. *Evereratam* scriptum est labente Latinitate pro *everberatam*.

II.) Translate. *Gell.* 1. 23. et *Macrob.* 1. *Saturn.* 6. *a med.* Silentium rei deberi puer affirmans, animum mulieris ad inquirendum everberat. *h. e.* exstimulat. *Ammian.* 14. 11. Quum hæc taliaque sollicitas ejus aures everberarent, expositas semper hujusmodi rumoribus et patentes.

ĒVERGĂNEUS. *V.* EUERGANEUS.

ĒVERGO, is, ere, a. 3. (ex et vergo) extra vergo, adeoque effundo, emitto. *Liv.* 44. 33. Montes spem faciebant, quia nullos apertos evergerent rivos, occultos continere latices.

ĒVERRÆ, ārum, f. plur. 1. dicuntur purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quæ fit per everriatorem, certo genere scoparum adhibito: ab extra verrendo dictæ. *Paul. Diac.* p. 18. 1. *Müll.*, ubi alii scribunt *Exverræ*, quemadmodum ipse *Müll.*, et *Exverriæ* et *Exvertæ*.

ĒVERRĬĀTOR, ōris, m. 3. qui everrit. *Paul. Diac.* p. 77. 18. *Müll.* Everriator vocatur, qui jure accepta hereditate justa facere defuncto debet: qui si non fecerit, seu quid in ea re turbaverit, suo capite luat. Id nomen ductum est a verrendo.

ĒVERRĬCŬLUM, i, n. 2. rete piscatorium a verrendo dictum, vel quod trahatur (nam *verrere* est trahere), vel quod, si quid fuerit piscium nactum, everrat, ut *Non.* p. 34. 12. *Merc.* interpretatur.

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 17. 7. Everriculo pisces educere in litus. *Apul. de Mag.* Quum animadvertisset, a quibusdam piscatoribus everriculum trahi, fortunam jactus ejus emisse. *Ulp. Dig.* 47. 10. 13. § 7. Everriculum, quod Græci σαγήνην dicunt.

II.) Translate. Transfert ad Verrem expilatorem, simulque alludit ad nomen ejus *Cic.* 6. *Verr.* 21. 53. Quod unquam, judices, hujusmodi everriculum in illa provincia fuit? — Et ad judicium de dolo malo, quod eo everruntur fraudes hominum e vita civili. *Id.* 3. *Nat. D.* 30. 74. Inde everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo, quod C. Aquillius familiaris noster protulit.

ĒVERRO, verris, verri, versum, verrere, a. 3. (ex et verro) ἐκκορέω. Part. *Eversus* II. 1. et 2.; *Everrendus* I. — Everrere est extrahendo purgare (verrere enim est trahere), nitidum facere, scopis mundare (It. *tirar fuori, scopare, spazzare*; Fr. *balayer, nettoyer*; Hisp. *escobar, barrer y limpiar con escoba*; Germ. *auskehren*; Angl. *to sweep clean or away*).

I.) Proprie. *Titinius* apud *Non.* p. 192. 11. *Merc.* Everrite ædes, abstergite araneas. *Varro* 6. *L. L.* 32. *Müll.* Eo die ex æde Vestæ stercus everritur. *Id.* 2. *R. R.* 2. 7. Solum stabuli oportet esse eruderatum et proclivum, ut everri facile possit ac fieri purum. *Colum.* 7. *R. R.* 4. 5. Stabula frequenter everrenda et purganda. *Id.* 8. *ibid.* 17. 12. Salsamentorum purgamenta, quæ cetariorum officinis everruntur. *Seneca* 4. *Controv.* 25. *a med.* Inter temulentas ebriorum reliquias humanum everritur caput.

II.) Improprie. ¶ 1. Pro purgare. *Veget.* 3. *Veterin.* 30. 2. *Schneid.* Jumentum colligatum deponitur, et – sagitta aut scalpello in longum dextra ac sinistra pro mensura tumoris aperitur. – Post egestis vel eversis omnibus, quæ tumorem moverant. *h. e.* abstergendo purgatis. *Manil.* 1. 285. everrere retibus æquor. *h. e.* pisces captare. *V.* VERRO in LEXIC. et LUCRINUS in ONOM. ¶ 2. Translate est expilare et asportare. *Plaut. Truc. prol.* 21. Is cum anima ad eam habentiam ἄξω everrerit. *Bothe* vero edidit: Ilisce anima ad eam habentiam exterebrabitur. *Cic.* 4. *Verr.* 21. 52. Quam tu domum, quam urbem adiisti, quod fanum denique, quod non eversum atque extersum reliqueris?

ĒVERSĬO, ōnis, f. 3. ἀνάστασις, ἀνατροπή, actus evertendi (It. *rovesciamento, abbattimento*; Fr. *action de renverser, renversement*; Hisp. *el acto de trastornar, de derribar*; Germ. *das Umwerfen*; Angl. *an overturning, overthrowing, eversion, subversion*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 1. *Phil.* 2. 5. Eversio illius exsecratæ columnæ. — *b*) In plur. num. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 17. 20. (43). Herba urceolaris contra lapsus, aut vehiculorum eversiones, singularis. *h. e.* quum quis vehiculo excussus læditur.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur pro destructione, ruina, excidio, *rovina, distruzione*. *Cic. Harusp. resp.* 2. 3. Excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem tectis atque agris inferre. *Quintil.* 5. 10. 97. Eversio templorum. Adde *Vopisc. Aurel.* 23. *Flor.* 1. 12. 7. urbis. *Id.* 2. 17. 9. Gracchus Celtiberos centum et quinquaginta urbium eversione mulctavit. — Et in plur. num. *Flor.* 2. 16. 1. Quasi sæculum illud eversionibus urbium curreret, ita Carthaginis ruinam statim Corinthus excepit. — Eversionem urbis oratorie amplificando describit *Quintil.* 8. 3. *post med.* ¶ 2. Item pro expulsione, ejectione. *Flor.* 3. 13. 9. Reduci plebs in agros unde poterat sine possidentium eversione? ¶ 3. Translate est actus turbandi, agitandi, *lo sconvolgere, il metter sossopra*. *Cic. Senect.* 12. 40. Patriæ proditiones, rerum publicarum eversiones. *Tac.* 6. *Ann.* 17. Eversio rei familiaris. *V.* EVERSOR. Cf. *Ammian.* 17. 3. Norat enim hujusmodi provisionum (*h. e.* quæ ad annonam spectabant), immo eversionum, ut verius dixerim, insanabilia vulnera, sæpe ad ultimam egestatem provincias contraxisse: quæ res, ut docebitur postea, penitus evertit Illyricum. Rursus *Cic.* 1. *Acad.* (2. *pr.*) 31. 99. et 5. *Fin.* 10. 28. Omnis vitæ eversio. Cf. *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 10. 31. *Plin.* 10. *Ep.* 111. dignitatis.

ĒVERSĬTO, as, are, a. 1. *frequentat. ab* everso; et

ĒVERSO, as, are, a. 1. *frequentat. ab* everto, afferuntur a *Priscian. super XII. ver. Æn.* 5. p. 1239. *Putsch.*; sed nullo auctore confirmantur.

ĒVERSOR, ōris, m. 3. qui evertit.

I.) Proprie. *Quintil.* 8. 6. 30. Eversor Carthaginis et Numantiæ. *Virg.* 12. *Æn.* 545. Priami regnorum eversor Achilles. *Sil. It.* 8. 639. Regnorum eversor cometes. *h. e.* qui regnorum eversionem prædicit.

II.) Translate. *Cic. Sext.* 7. 17. Quid dicam consules? hoccine ut ego appellem nomine eversores hujus imperii, proditores vestræ dignitatis? *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 2. (6). Eversor juris humani. — *Cajus epitom. Institut.* tit. 8. eversores vocat nepotes et prodigos, qui bona sua dilapidant. Similiter in *Cod.* 12. 21. 2. dicitur *eversor* interversor et interceptor pecuniæ publicæ; et in *Cod. Theodos.* 12. 6. 1. *Imp. Constantin.* usurpat *evertere rationes* pro conturbare et dilapidare. Et *evertere patrimonium* eod. sensu *Ulp. Dig.* 47. 6. 1.

ĒVERSUS, a, um. *V.* EVERTO.

ĒVERSUS, a, um. *V.* EVERRO.

ĒVERTO (*et antiquo more* evorto), vertis, verti, versum, vertere, a. 3. (ex et verto *vel* vorto), ἀναστρέφω, ἀνίστημι. — Part. *Evertens* I. 1.; *Eversus* in omnibus parag.; *Eversurus* II. 2.; *Evertendus* I. 2. — Evertere est in contrarium statum vertere, invertere, subvertere (It. *rovesciare*; Fr. *mettre sens dessus dessous, retourner, bouleverser*; Hisp. *trastornar*; Germ. *herausdrehen, – treiben, – wenden, – wuhlen, – werfen*; Angl. *to overturn, turn upside down, turne topsy-turvy*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est in contrarium statum vertere, atque adeo miscere, turbare, agitare, *rovesciare, sconvolgere, metter sossopra*. *Ter. Heaut.* 2. 3. 131. Eversæ cervices. *h. e.* collum caputque inflexum ad aspiciendum clam aliquid, seu cervix huc illuc versa. *Virg.* 1. *Æn.* 47. Disjicitque rates evertitque æquora ventis. *Ovid. Heroid.* 7. 42. eversas concitat Eurus aquas. *sconvolte, agitate.* Adde *Senec. Agamemn.* 475. Et *Seneca Ep.* 4. Momento mare evertitur: eodem, ubi luserunt, navigia sorbentur. Eodem sensu *Horat. Epod.* 10. 5. Niger rudentes Eurus inverso mari Fractosque remos differat. Similiter *Val. Flacc.* 7. 75. everso campo jacere semina. *h. e.* vomere subacto. Huc pertinet et illud *Juvenal.* 12. 30. Quum plenus fluctu medius foret alveus, et jam Alternum puppis latus evertentibus undis etc. *h. e.* quum latus daret, modo in dextrum, modo in sinistrum inclinata fluctuabat navis incerta cursu. ¶ 2. Speciatim est aliquid a loco suo removendo excutere ac subvertere, *capovolgere, rovesciare*. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 174. Duorum scalmorum naviculam evertere. Adde *eumd.* 3. *Parad.* 1. 20. et 4. *Fin.* 27. 76. Sic *Seneca Agamemn.* 1006. Ratibus eversis repletum mare. V. *Mützell.* ad *Curt.* 4. 1. 36. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 7. Ecce, puer Veneris fert eversamque pharetram Et fractos arcus et sine luce facem. *Id.* 12. *Met.* 222. Eversæ mensæ. *Curt.* 4. 15. 16. Equi crebra jactatione cervicum currus everterant. Eodem sensu *Sil. It.* 16. 406. Obliquum Durius conversis pronus habenis Opposuit currum, atque eversum propulit axem Atlantis senio invalidi. Cf. *Juvenal.* 3. 158. Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat, Axis, et eversum fudit super agmina montem, etc. *h. e.* si axe fracto ruat plaustrum, qui excisos e Liguriæ montibus lapides portat, et impositam molem deturbet in obvios. Hinc *eversus* etiam dicitur ille, qui lapsu equi, vehiculi, aut hujusmodi læsus est, *ribaltato*. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 13. 85. (137). Agaricum contusis et eversis potum duobus obolis in mulsi cyathis tribus. Adde *eumd.* 21. *ibid.* 19. 77. (132). Cf. *Ammian.* 31. 13. Et quia humus rivis operta sanguineis gressus labiles evertebat, etc. — Similiter *Virg.* 1. *G.* 256. silvis evertere – pinum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 31. 56. (130). Annosa quercus eversa vi tempestatis. Adde *Sueton. Domit.* 15. Sic *Sil. It.* 6. 195. Arboris abstraxit molem, penitusque revulsam Evertit fundo et radicibus eruit imis. Cf. *Pallad.* 8. *R. R.* 2. Lupinum (*aratro*) evertitur. — Et pro jacere, dejicere, *gettare*. *Ovid.* 11. *Met.* 551. si quis Athon Pindumve revulsos Sede sua, totos in apertum everterit æquor. *Id.* 1. *ibid.* 230. ego vindice flamma In dominum (*al.* domino) dignos everti tecta Penates. — Item pro prosternere, demoliri, excindere, ad nihilum redigere, *abbattere, rovinare, distruggere*. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. *a med.* Nec tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in evertenda boni. Poetice *Stat.* 6. *Theb.* 107. non sic eversa feruntur Ismara, quum fracto Boreas caput extulit antro. *h. e.* curvatæ et effractæ arbores Ismari montis, Borea perflante. Rursus *Cic.* 6. *de republ.* 11. Carthaginem hoc biennio consul evertes. *Id.* 1. *Off.* 24. 82. Evertere et diripere urbes. Adde *Juvenal.* 11. 101. *Cic. Sext.* 15. 35. Urbs excisa et eversa. *Ovid.* 13. *Met.* 169. Evertere Trojam. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 34. castellum. *Sil. It.* 17. 376. funditus arces. *Juvenal.* 10. 7. domos totas. ¶ 3. Item speciatim est aliquem ex possessione expellere, possessione spoliare. *Plaut. Trin.* 3. 1. 15. Festinat, ut agro evortat Lesbonicum, quando evortit ædibus. *Id. ibid.* 1. 2. 177. Qui hunc adolescentulum bonis evortit suis. *Cic. Rosc. Am.* 39. 115. Evertere aliquem funditus bonis. *Id.* 3. *Verr.* 51. 135. Per summam injuriam pupillum fortunis patriis evertere. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 6. 21. Evertere aliquem fortunis omnibus. *Id. Flacc.* 5. 11. Spoliati, vexati, fortunis eversi. Cf. *Pseudo-Sall. Orat.* 2. *ad Cæs. ante med.* Dignitate alios, alios civitate eversum ire.

II.) Translate. ¶ 1. Stricto sensu raro admodum occurrit, et est dejicere, *rovesciare, abbattere*. *Lucret.* 5. 164. Sollicitare suis ulla vi ex sedibus unquam, Nec verbis vexare et ab imo evertere summa. *Cic.* 5. *Fam.* 2. 8. Neque illi quidquam deliberatius fuit, quam me, quacumque ratione posset, non judicio, neque disceptatione, sed vi atque impressione evertere. *h. e.* de statu dejicere. Cf. *eumd. Quinct.* 23. 74. Ut per se afflictum atque eversum propinquum suum non modo bonis, sed etiam communi luce privaret. ¶ 2. Latiori sensu est subvertere, ad nihilum redigere, delere, *rovinare, distruggere, annientare*. — *a*) De hominibus. *Juvenal.* 10. 108. Quid Crassos, quid Pompejos evertit, et illum (*Jul. Cæsarem*), Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites? *h. e.* perdidit. *Cic.* 5. *Verr.* 18. 47. Labefactarat vehementer aratores jam superior annus, proximus vero funditus everterat. *li avea rovinati.* Similiter *Id. Pis.* 35. 86. Evertisti miseras funditus civitates, quæ non solum bonis sunt exhaustæ, sed etc. *Id. Amic.* 7. 23. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odiis atque dissidiis funditus possit everti? Adde *Liv.* 30. 16.; et *Quintil.* 2. 16. 4. *Cic.* 5. *Att.* 16. Perdita et plane eversa provincia. Sic *Tac.* 15. *Ann.* 45. Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciæ eversæ. Cf. *Sueton. Cæs.* 53., et *Quintil.* 8. 2. 9. Evertere rempublicam. *Ovid. Heroid.* 3. 76. Eversa domus. *Seneca Herc. fur.* 477. Teuthrantis eversi domus. *Virg.* 1. *G.* 500. Hunc saltem everso juvenem succurrere sæclo Ne prohibete. *h. e.* afflictis ac perditis rebus totius orbis ob bella civilia. *Pseudo-Sall. Orat.* 2. *ad Cæs. ante med.* Dissensio civilis tot illustres familias ab stirpe evertit. *Curt.* 8. 8. 10. Funditus evertere gentes. *h. e.* delere. *Quintil. Declam.* 388. *a med.* Evertere testem. *h. e.* ei fidem abrogare. — *b*) De abstractis. *Lucret.* 3. 83. Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiai Rumpere, et in summa pietatem evertere fundo. *Cic.* 2. *Fin.* 25. 80. Præcepta, quæ didicisti, funditus evertunt amicitiam. *Id.* 3. *ibid.* 3. 10. Honestum ipsum quasi virtutis la-

men exstinguere et virtutem penitus evertere. *h. e.* destruere, tollere. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 10. 31. Qui negant, quidquam posse comprehendi, hæc ipsa eripiunt vel instrumenta, vel ornamenta vitæ, vel potius etiam totam vitam evertunt funditus. *Id. ibid.* 5. 15. Constitutam philosophiam evertere. *Id.* 2. *de republ.* 29. Ut, quemadmodum Tarquinius, non novam potestatem nactus, sed, quam habebat, usus injuste, totum genus hoc regiæ civitatis everterit. *Id.* 4. *Verr.* 19. 46. Evertere leges, testamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum. Adde *eumd.* 1. *Cat.* 7. 18. *Sall. Orat. Lepidi contra Sull. a med.* Tribuniciam potestatem eversum profecti sunt per arma. *Pseudo-Sall. Orat.* 2. *ad Cæs. sub fin.* Eversam libertatem restituere. *Liv.* 8. 30. *ad fin.* Victa et eversa disciplina militaris. *Id.* 30. 32. Multa ante parta decora aut cumulaturi eo die, aut eversuri. *Id.* 36. 15. Ne temere cœpta segnitia insuper everteret. *Ovid.* 13. *Met.* 623. Eversa spes. *perduta. Curt.* 8. 5. 6. Opes regum assentatio sæpius, quam hostis evertit. *Id.* 4. 4. 2. Famâ plura, quam armis evertere. *Ulp. Dig.* 47. 6. 1. Ne quum plures furtum admittant, evertant domini patrimonium. *h. e.* dilapident: *V.* EVERSOR II. Cf. *Lamprid. Alex. Sev.* 19. Evertere ærarium. et *Heliogab.* 20. frumenta. — c) De oratione. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 18. Ut retineamus eam definitionem, quam Philo voluit evertere. Cf. *eumd. Orat.* 35. 122. Sua confirmare, adversaria evertere. *h. e.* infirmare, solvere. *Quintil.* 7. 2. 12. Everso, quo defendimur, reliquum est, quo premimur. Adde *eumd.* 7. 3. 23. et 2. 17. 31. ¶ 3. Est etiam idem atque inverto, paullulum a vero sensu deflecto. *M. Aur. Antonin.* inter epist. *Fronton.* 1. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 3. Quos quidem versus oratur egregius quondam evertit.

ĒVESTĪGĀTUS, a, um, particip. ab inus. *evestigo*, investigatus. *Seneca Controv.* 9. *ante med.* Tu, Crasse, post evestigata illa fugitivorum arma ditissimus. (*V. Vellej.* 2. 30. et *Flor.* 3. 20.). *V.* INVESTIGATUS.

ĒVESTĪGIO. *V.* VESTIGIUM.

ĒVEXUS, a, um, particip. ab *eveho*, simile τῷ devexus. *Capell.* 8. *p.* 275. Sicque habeatur, quum evexum devexumque mundum dixero. *h. e.* rotunda forma sursum ascendentem.

ĒVĪBRO, as, are, a. 1. (ex et vibro) vibro, vel extra vibro.

I.) Proprie. *Ammian.* 24. 4. Aptatæ ligneis sagittis ballistæ flexu stridoreque torquebantur, creberrima spicula fundiltantes, et scorpiones, quæcumque manus peritæ duxissent, rotundos lapides evibrabant.

II.) Translate. *Gell.* 1. 11. Ut excitarentur atque evibrarentur animi, quod cornua et litui moliuntur. *h. e.* excitarentur, exstimularentur. *Ammian.* 14. 1. *in fin.* Non maturitate vel consiliis mitigabat, ut aliquoties celsæ potestates iras principis mollirerunt; sed adversando jurgandoque — eum ad rabiem potius evibrabat.

ĒVICTIO, ōnis, f. 3. actus evincendi. Apud JCtos est ejus rei, quam adversarius legitimo jure acquisierat, per judicem recuperatio. *Ulpian., Julian., Cajus, Paulus, etc. Dig. l.* 2. *toto tit.* 2. qui est *De evictione*, ubi illa sunt: evictionem præstare, de evictione teneri, aliquem in evictione vincere. *h. e.* in actione de evictione. Item actio de evictione, et pro evictione, evictionis nomine obligari, etc.

ĒVICTUS, a, um. *V.* EVINCO.

ĒVĪDENS, entis, adject. omn. gen. Comp. *Evidentior* et Sup. *Evidentissimus.* — Evidens (quod ratione habita etymi conjungendum est cum v. *video*) est qui aperte videtur, manifestus, perspicuus, patens (It. *evidente, manifesto*; Fr. *visible, manifeste, patent, évident*; Hisp. *evidente, manifesto*; Germ. *heraus –, hervorscheinend, daher deutlich, offenbar, klar, augenscheinlich*; Angl. *evident, manifest, apparent, perspicuous*). *Cic.* 3. *Nat. D.* 4. 9. Neque ego in causis, si quid est evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari soleo: perspicuitas enim argumentatione elevatur. *Id. Topic.* 26. 97. Narrationes ut planæ sint, ut breves, ut evidentes, ut credibiles. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 46. Perspicuæ et evidentes res. *Id.* 2. *Nat. D.* 2. 5. Quid enim est hoc evidentius? *Liv.* 8. 9. Evidentissimum id fuit quod, etc. *Auct. B. Alex.* 19. Neque ullum genus quæstus aut magni et evidentis, aut minimi et sordidi prætermittebatur. *Cels. præfat. l.* 7. Medicinæ, quæ manu curat, est effectus inter omnes medicinæ partes evidentissimus. *Quintil.* 4. 2. 64. Evidens expositio. *Id.* 5. 10. 7. probatio. Adde *eumd.* 9. 2. 52. ubi Comparativus, et 4. 2. 65. ubi Superlativus occurrit. *Sueton. Ner.* 6. Evidens signum. *Id. ibid.* 46. portenta. *Id. Cæs.* 81. prodigia. Adde *eumd. Vitell.* 7. *Id. Cæs.* 54. Evidentissimæ rapinæ. *Id. Aug.* 97. Evidentissima ostenta. *Id. Galb.* Ab evidentissimis duobus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 64. (104). In lappa flos nascitur non evidens, sed intus occultus. *Id.* 6. *ibid.* 20. 23. (77). Evidens demonstratio. *Id.* 9. *ibid.* 19. 35. (71). ratio. *Id.* 2. *ibid.* 52. 53. (138). argumentum. *Id.* 9. *ibid.* 2. 1. (2). causa. *Id.* 19. *ibid.* 3. 15. (41). Id apud auctores Græciæ evidentissimos invenimus. *h. e.* certissimos.

ĒVĪDENTER, adverb. Comp. *Evidentius* et Sup. *Evidentissime.* — Evidenter est perspicue, manifeste. *Liv.* 6. 26. Quum tam evidenter pœnituerit. *Id.* 42. 29. *extr.* Cotys evidenter Macedonum partis erat. *Quintil.* 8. 3. 86. Clare atque evidenter. *Ammian.* 20. 8. Evidenter claruit. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (43). Evidentissime est causa nominis. *Sueton. Tib.* 45. Quantopere solitus sit illudere, evidentissime apparuit Malloniæ cujusdam exitu. *Javolen. Dig.* 23. 3. 57. Nisi evidentissime contrarium approbetur. *Julian. ibid.* 18. 5. 5. Ut evidentius appareat.

ĒVĪDENTĪA, æ, f. 1. perspicuitas, apud Rhetores. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 17. Propterea, quod nihil clarius ἐνάργεια, ut Græci: perspicuitatem aut evidentiam nos, si placet, nominemus. *Quintil.* 4. 2. 63. Sunt qui adjiciunt his evidentiam, quæ ἐνάργεια Græce vocatur. *Id.* 6. 2. 32. Insequatur ἐνάργεια, quæ a Cicerone illustratio et evidentia nominatur: quæ non tam dicere videtur, quam ostendere. (*illustrem explanationem* habet *Cic.* 3. *Orat.* 53. 202.). *Id.* 9. 2. 40. tradit, figuram hypotyposin a *Celso* evidentiam appellari. *Et* 8. 3. 61. Plus est evidentia, vel, ut alii dicunt, repræsentatio, quam perspicuitas.

ĒVĪGESCO, is, ere, n. 3. (ex et *vigesco*) vigorem amitto. *Tertull. Anim.* 38. Mortalem eam (*animam*) intelligi cupit, quæ cibis sustineatur, dehinc derogatis eis evigescat, postremo subtractis intercidat.

ĒVĪGILANTER, adverb. idem ac vigilanter. *Corripp.* 6. *Johann.* 202. veneranda senectus Evigilanter agit populos.

ĒVĪGILĀTĪO, ōnis, f. 3. actus evigilandi. *Augustin.* 1. *Soliloq.* 1. Deus pater evigilationis atque illuminationis nostræ.

ĒVĪGILĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVĪGILO, as, āvi, ātum, are, 1. (ex et vigilo). Part. *Evigilatus* sub *B.* II. 1. et 2.; *Evigilandus* sub *B.* II. 1. — Evigilare, ἀγείρομαι, est *A*) Verbum neutrum; et *B*) Activum.

A) Neutrorum more evigilo est expergiscor, vigil fio, de lecto surgo (It. *svegliarsi, destarsi, uscir di letto, levarsi*; Fr. *s'éveiller, se réveiller*; Hisp. *despertarse, dexar de dormir*; Germ. *erwachen, aufwachen*; Angl. *to awake, rise up from bed, get up*).

1.) Proprie. *Quintil.* 9. 4. 12. Et quum evigilassent, — et quum somnum peterent. *Sueton. Aug.* 78. Si vel officii, vel sacri causa maturius evigilandum esset, etc. *Id. Claud.* 33. Ante mediam noctem plerumque evigilabat. Adde *eumd. Galb.* 4. et *Vesp.* 21. *Plin.* 1. *Ep.* 5. 8. Evigilaveram: nuncius a Spurina. *Id.* 9. *ibid.* 36. 1. Evigilo, quum libuit; plerumque circa horam primam. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 127. *de Palinuro.* puppe magister Excidit, et mediis miser evigilavit in undis. *h. e.* dormiens cecidit et in undis experrectus est.

II.) Translate est incumbere, elaborare. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. Tanta est industria, tantumque evigilat in studio, ut etc. *Id.* 2. *Parad.* 17. Quid enim ego laboravi? aut in quo evigilarunt curæ et cogitationes meæ?

B) Active evigilare

I.) Proprie, cum Accusativo temporis, est vigilando agere, *passare vegliando. Tibull.* 1. 9. 64. Est mihi nox multis evigilanda modis.

II.) Translate. ¶ 1. Est vigilando conficere, elucubrare. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 108. Quos (*libros*) studium cunctos evigilavit idem. *Gell.* 1. 7. Homo lectione multa exercitus, cui pleraque omnia veterum litterarum quæsita, meditata evigilataque erant. ¶ 2. Hinc est aliquid summa diligentia atque attentione elaborare. *Cic.* 9. *Att.* 12. At quam honesta, at quam expedita tua consilia! quam evigilata tuis cogitationibus, qua itineris, qua navigationis! — Et passive impersonaliter *Cic.* 3. *de republ.* 29. Etsi nobis, qui id ætatis sumus, evigilatum fere est; tamen de posteris nostris et de illa immortalitate reipublicæ sollicitor. *h. e.* etsi, ratione habita ætatis, ad quam perveni, nulla prorsus in me cura est impendenda; tamen etc.

ĒVĪGŌRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *evigoro*, vigore privatus. *Tertull. Pall.* 4. et *Apolog.* 17.

ĒVĪLESCO, vilescis, vilui, vilescere, n. *inchoat.* 3. vilis fio, pretium amitto. *Tac.* 3. *Hist.* 53. Ægre id pati Antonius, et culpam in Mucianum conferre, cujus criminationibus eviluissent pericula sua. *Sueton. Claud.* 15. Usque eo evilult, ut passim ac palam contemptui esset. *Val. Max.* 5. 4. *n.* 7. Nullis sordibus pretium caræ pietatis evilescit.

ĒVINCĪO, vincis, vinxi, vinctum, vincire, a. 4. (ex et vincio). Part. *Evinctus* 1. et 2. — Evincire est idem ac vincire, vel valde vincire, circumdare, *legare, circondare*, ἀναδέω. ¶ 1. Stricto sensu. — a) Raro admodum occurrunt ceteri Modi præter Part. præter. pass. *Tac.* 6. *Ann.* 42. Insigni regio Tiridatem evinxit. *h. e.* diadema imposuit. *Id.* 15. *ibid.* 2. Diademate caput Tiridatis evinxit. — b) Sæpius occurrit Part. præter. pass. *Virg.* 5. *Æn.* 494. viridi Mnestheus evinctus oliva. *Id. ibid.* 364. evinctis attollere brachia palmis. *h. e.* cæstibus armatis. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 56. Evinctæ comæ. *h. e.* vittâ. *Stat.* 1. *Theb.* 554. evincta pudicâ Fronde manus. *h. e.* lauro coronata. Cf. *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 73. Protinus evincti Triviæ ducuntur ad aram. — Et cum addito Accusativo, Græcorum more. *Virg.* 7. *Ecl.* 32. purpureo suras evincta cothurno. *Id.* 8. *Æn.* 286. evinctus tempora ramis. *Id.* 5. *ibid.* 774. evinctus caput foliis. *Ovid.* 15. *Met.* 676. evinctus vittâ crines. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro ligare, et fere de sontibus dicitur. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 72. Evincti geminas ad sua terga manus. *Sil. It.* 2. 48. evincta lacerandum tradite dextra. *Al. leg.* victa: V. *Heinsius* ad h. l.

ĒVINCO, vincis, vici, victus, vincere, a. 3. (ex et vinco). Part. *Evincens, Evictus* et *Evincendus* I. Pro *evincendus* legitur *evincundus* in *Inscript.* in *Mem. Rom.* di *A. A. e BB. A. A. T.* 3. *p.* 71. QVI OB HONORES ET HABITOS HS. I. Ɐ. S. DEDIT, EX QVORVM VSVRIS EVINCVNDIS *quotannis* XIII. KAL. AVG. DIE NATALI EIVS DECVRIonibus SINGVLIS ✠ V. DENTVR. — Evincere, ἐκνικάω, est idem quod vincere, vel plane vincere, superare (It. *vincere, superare*; Fr. *vaincre complètement, triompher entièrement de*; Hisp. *vencer, superar*; Germ. *völlig besiegen*; Angl. *to overcome, conquer, surpass*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, et quidem — 1.°) Stricto sensu in re militari. *Liv.* 10. 17. *ad fin.* Et defensa summa vi mœnia sunt, et locus erat munimento naturaque tutus: sed evicit omnia assuetus prædæ miles. *Tac.* 3. *Ann.* 46. Imbelles Æduos evincite et fugientibus consulite. Cf. *Seneca Herc. Œt.* 562. Cape hunc triumphum: solus evince Herculem. Hinc poetice *Virg.* 4. *G.* 63. Arbor vulneribus evicta supremum congemuit. — 2.°) Sæpius latiori sensu extra rem militarem dicitur fere de iis, quæ aliquandiu resistunt tandemque cedunt ac succumbunt: in horum multis translate a *Forcellino* accipitur. — a) De hominibus, qui evincuntur. *Virg.* 4. *Æn.* 548. Tu (*soror*) lacrimis evicta meis. *Id. ibid.* 474. ubi concepit Furias evicta dolore, Decrevitque mori. *Ovid.* 3. *Fast.* 688. Evictas precibus vix dedit illa manus. Adde *Tac.* 4. *Ann.* 57. Similiter *Id. Tac.* 12. *ibid.* 25. His (*h. e.* dictis, vel argumentis) evictus etc. *Id.* 15. *ibid.* 64. Evictus blandimentis vitæ. Cf. *Sil. It.* 3. 580. Blando desidiæ veneno evicta virtus. Rursus *Tac.* 12. *Ann.* 49. Evictus donis. *corrotto. Id.* 2. *Hist.* 64. In gaudium evicta domus. *Id.* 11. *ibid.* 37. Evictus ad miserationem. Huc pertinet et illud *Val. Flacc.* 2. 186. evictaque matrum Corda sacer Veneris gemitus rapit. *h. e.* corda, quibus pietas ac miseratio abscesserat. Adde *Stat.* 6. *Theb.* 558. et 9. *ibid.* 840. — b) De abstractis, quæ ab hominibus evincuntur. *Ovid.* 1. *Met.* 685. Ille tamen pugnat molles evincere somnos. *Colum.* 6. *R. R.* 5. 2. Evincendi sunt quamvis pestiferi morbi et exquisitis remediis propulsandi. Cf. *Veget.* 1. *Veterin.* 3. 21. *Schneid.* Sic *Id.* 1. *ibid.* 11. 9. Potionem per dies plurimos dabis, ut tantum discrimen possit evinci. Cf. et *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 6. *Seneca Consol. ad Polyb.* 36. Perferre et evincere dolores. Huc pertinet et illud *Liv.* 9. 6.

Superbiam evincit miseratio. — *c*) Ipsa inanima, ac præcipue plantæ, alias res evincere dicuntur. *Ovid.* 14. *Met.* 769. solis imago evincit nubes. *Petron. Satyr.* 79. Certaque liniamenta evicerunt spississimam noctem, et notabili candore ostenderunt errantibus viam. *Horat.* 2. *Od.* 15. 4. platanusque cælebs Evincet ulmos. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 21. 50. (185). Quoniam evincit herbas lupinum, runcatur tantum, *h. e.* affligit, ut *Pallad.* 2. *R. R.* 9., seu perimit, ut *Colum.* 2. *R. R.* 12. 5. loquitur. Cf. *Seneca Hippol.* 457. Arbor celso vertice evincit nemus. *sorpassa.* — 3.°) Dicitur etiam de locis periculosis, quæ quis eluctando evadit: ad rem *Virg.* 2. *Æn.* 496. aggeribus ruptis quum spumeus amnis Exiit oppositasque evicit gurgite moles. *Ovid.* 14. *Met.* 76. *de rate.* evincit remis Charybdin. *Id.* 1. *Trist.* 10. 33. *de navi se vehente.* Hæc (*litora Byzantia*) precor evincat. *oltrepassi.* Sic *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (98). Cancri os ponti evincere non valent: quamobrem regressi circumeunt. Rursus *Ovid.* 15. *Met.* 706. evincere fretum. *Id. Heroid.* 10. 155. *de Leandro.* evicta per æquora lapsus. — Similiter *evicti rogi* sunt, quos eluctando et ex igne evolando umbra evasit. *Propert.* 4. 7. 2. Luridaque evictos effugit umbra rogos. — 4.°) Absolute pro superare, *Quintil.* 8. 3. 45. Evincentibus etiam vitiis orationis cedendum est. At *Spalding* et plerique alii rectius leg. *vincentibus.* ¶ 2. Speciatim est pervincere, obtinere, *ottenere*; et occurrit — *a*) Sequente part. *ut. Liv.* 2. 4. Evincuntque instando, ut litteræ sibi ad Tarquinios darentur. Adde *eumd.* 3. 41., 4. 25. et 5. 26.; et *Sueton. Tib.* 37. — *b*) Sequente Relativo. *Val. Flacc.* 1. 248. ite, viri, mecum: dubiisque evincite rebus, Quæ meminisse juvet nostrisque nepotibus instent.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro convincere, *convincere. Horat.* 2. *Sat.* 3. 250. Si puerilius his ratio esse evincet amare. *Cic.* 3. *Verr.* 1. 1. Tam nefariis criminibus, tam multis testibus evictus. *Orellius* vero et plerique alii rectius leg. *convictus.* ¶ 2. Apud JCtos *evincere* est rem ab aliquo jure acquisitam per judicem recuperare. *V.* totum titulum secundum, qui est *De evictione lib.* 21. *Dig.*, et dicta in EVICTIO. *Pompon. ibid. leg.* 16. Ut servum quisquam a me, aut ab eo, cui vendidissem, evinceret. *Fragm. Juris antejustin.* edente *A. Mai* § 17. Evictis agris, quanti emptoris interest judicio empti lis æstimatur. *et ibid.* § 10. Iniquam sententiam evictæ rei periculum venditoris non spectare placuit, neque stipulationem auctoritatis committere.

ĒVINCTUS, a, um. *V.* EVINCIO.

ĒVĬŎLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Adstruunt quidam huic verbo auctoritatem ex illo *Propert.* 1. 7. 16. Quod nolim nostros eviolasse deos. Verum ibi alii aliter. *Brouckus*, et alii quamplures præferunt *evoluisse* ab *evolvo.*

ĒVĪRĀTĬO, ōnis, f. 3. virilium exsectio. Metaleptice ponitur pro depilatione, nam pili sunt virilitatis indicia. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (27). Eviratio pilorum.

ĒVĪRĀTUS, a, um. *V.* EVIRO.

ĒVĪRESCO, is, ere, *n.* inchoat. 3. virorem amitto, expallesco. *Varro* apud *Non. p.* 101. 32. *Merc.* Atque exsanguibus dolore eviresrat colos.

ĒVĪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*ex et vir*). Part. *Eviratus* sub II. et in fin. — Evirare, εὐνουχίζω, est castrare, virilitatem adimere, *castrare.*

I.) Proprie. *Catull.* 63. 17. *de Aty.* Corpus evirastis Veneris nimio odio. Cf. *Arnob.* 5. 42. Eviratum corpus. — Eviratus hereditatem non consequitur, apud *Val. Max.* 7. 7. *n.* 6.

II.) Translate. ¶ 1. Est vires auferre, viribus destituere. *Veget.* 2. *Veterin.* 8. 2. *Schneid.* Ita deinque febrienti utilis est, ex quarumque parte detractio sanguinis fiat, si consideratis viribus animalis mensura servetur. Nam ut emissus ratione humor relevat, ita enormiter ablatus evirat vel turbat. *Id. ibid.* 10. 12. Posteriorem partem phlebotomo lassis non oportet contingi, ne penitus evirentur. ¶ 2. Item est effeminatum et lascivum reddere. *Varro* apud *Non. p.* 46. 12. *Merc.* Spatale eviravit omnes Venerivaga pueros. — Hinc Part. præter. pass.

Eviratus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Eviratior* apud *Martial.* 5. 41. Eviratior spadone. *h. e.* effeminatior, lascivior.

ĒVISCĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. ereptio ex ipsis visceribus. *Ennod. Dict.* 24. Ut non crederetur dura castimoniæ obscænitatis evisceratione mollire.

ĒVISCĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVISCĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*ex et viscera*). Part. *Eviscerans* I. 2.; *Evisceratus* I. 1., 2. et 3. — Eviscerare, ἐξεντερίζω, est exenterare, viscera extrahere, *sventrare.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 107. Ipse summis saxis fixus asperis, evisceratus Latere pendens. *Pacuvius* apud *eumd.* 2. *Divinat.* 64. 133. Quadrupes tardigrada –, Eviscerata, inanima, cum animali sono. *h. e.* testudo. ¶ 2. Latiori sensu est dilaniare, dilacerare partem quoque viscerum extrahendo. *Virg.* 11. *Æn.* 723. Accipiter columbam pedibus eviscerat uncis. *Sil. It.* 13. 845. Illatrat jejunis faucibus Orthrus (*canis*) – Et morsu petit et polluto eviscerat ungue. Cf. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 34. Cum scutis currebant, canes eviscerantes, furentes atque bacchantes. — Et de hominibus. *Ammian.* 14. 9. Doctus id Cæsar, – tamquam obtrectatorem audacem (*Eusebium*) excarnificari præcepit: qui ita evisceratus, ut cruciatibus membra deessent, etc. ¶ 3. Item est ex visceribus alicujus rei extrahere. *Solin.* 55. *ad fin.* In aqua mollis est unio: duratur evisceratus. Sic *Ammian.* 23. 6. *ad fin:* Vel uniones ideo sic appellatas (*margaritas*), quod eviscerata conchulæ singulas aliquoties pariunt.

II.) Translate. ¶ 1. Est exsiccare et ad sceleti formam redigere. *Apul. de Mag.* Macilenta vel omnino eviscerata forma diri cadaveris. ¶ 2. Ponitur etiam pro dilapidare, obligurire, ut Eviscerare opes, apud *Cod.* 3. 29. 7.

ĒVĪTĀBĬLIS, e, adject. qui evitari potest. *Ovid.* 6. *Met.* 234. Frena tamen dantem non evitabile telum Consequitur. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 50. inevitabilia mala, aut evitabilia. *Coripp.* 1. 265. Evitabilis carnis conditio.

ĒVĪTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus evitandi. *Cic.* 2. *Herenn.* 2. 3. Evitatio incommodorum. *Orellius* et alii leg. *vitatio.* Certior est lectio apud *Senec.* 2. *Quæst. nat.* 39. Evitatio periculi. *Quintil.* 5. 10. 33. malorum. *Vopisc. Aurelian.* 22. fastidii.

ĒVĪTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVĪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Evitatus* et *Evitandus* sub *A.* — Evitare duo diversa significat, prout est *A*) Ab *ex* et *vitare*; aut *B*) Ab *ex* et *vita.*

A) *Evitare* ab *ex* et *vitare* est idem ac vitare, effugere, cavere, *schivare*; et occurrit de rebus physicis et de abstractis. *Catull.* 116. 7. Nos tela ista tua evitemus amictu. *Horat.* 1. *Od.* 1. 5. metaque fervidis Evitata rotis. *Ovid.* 12. *Met.* 122. nec fraxinus errat, Inque humero sonuit non evitata sinistro. *Pers.* 2. 27. Triste jaces lucis evitandumque bidental. *Nepos Tim.* 3. Evitare tempestatem. *Id. Alcib.* 4. impendentem tempestatem. *Cic. Orat.* 57. 194. continuatos pedes (*in oratione*). *Quintil.* 9. 4. 145. ejusmodi verba. *Cic. Amic.* 24. 88. Suspiciones et offensiones tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. *Id.* 5. *Fin.* 7. 20. Evitare dolorem. *Nepos Dion.* 8. et *Datam.* 2. periculum. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 2. 91. *Quintil.* 1. 5. 42. asperitatem. *Id.* 4. 2. 75. expositionem. *Id.* 10. 1. 31. tædium. *Id.* 10. 2. 15. vitia. Adde *eumd.* 6. 3. 32. et 4. 4. 71. *Ulp. Dig.* 42. 4. 7. *a med.* occursum creditoris.

B) *Evitare* etiam verbum antiquum est, compositum a vita, et significat vitam eripere, vita spoliare. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 35. 85. et 3. *ibid.* 19. 45. Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari. *Apul.* 3. *Met.* Nec enim verisimile est hominem solitarium tres tam validos evitasse juvenes. *Alii leg.* enecasse. *Gloss. Gr. Lat.* Ἐκζωρίζω, evito.

ĒVŎCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus evocandi. ¶ 1. Generatim. *Inferorum evocatio*, apud *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 2. (6). et *evocatio deorum* ex urbibus obsessis, apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 9., cujus ibi formulam carmenque refert, multaque de eo antiquorum more disserit. V. *Ansaldi, de Romana tutelarium deor. evocatione*; et cf. evocationis formulam apud *Liv.* 5. 21. ¶ 2. Speciatim dicitur de actu, quo debitor a creditore ante prætorem vocabatur. *Auct. B. Alex.* 56. Edictum proposuerat, ut quibus pecunias impetrasset, neque contulissent, se adirent. Qua evocatio vehementer omnes turbavit. ¶ 3. Item speciatim *evocatio* dicebatur genus militis per tumultum in re subita collecti, ubi dux alloquitur cives: Qui rempubl. salvam vultis, me sequimini. *Donatus* ad *Ter. Eun.* 4. 7. 2. et *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 614. Hinc *Cic.* 3. *Herenn.* 2. 3. Vis decernitur per exercitus, classes, arma, tormenta, evocationes hominum et alias hujusmodi res.

ĒVŎCĀTOR, ōris, m. 3. qui evocat: et speciatim qui tumultuarium et subitum militem cogit, ut in voce præced. sub 3. dictum est. *Cic.* 1. *Cat.* 11. 27. Principem conjurationis, evocatorem servorum et civium perditorum exire patieris?

ĒVŎCĀTĪVUS, a, um, adject. ad evocationem pertinens. *Evocativa*, scilicet *stipendia*, sunt, quæ quis fecit, postquam ad militiam evocatus est. *V.* EVOCO sub *B.* 2. *b.* Hinc *Inscript.* apud *Orell.* 3460. et 4968. PRINCEPS II. LEG. XIV. GEM. AN. LXIV., STIP. XLVI., MILIT. XVI., CVRATORIA VETERANOR. IIII., EVOCATIVA III.

ĒVŎCĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui evocat, ut Evocatoria epistola, apud *Sidon.* 8. *Ep.* 12. Similiter evocatoria formula apud *Cassiod.* 7. *Variar.* 34. et 35. est, qua quis ad principis comitatum evocatur. — Et de remediis *Theod. Priscian.* 1. 21. Sed lenibus linimentis, evocatoriis et curantibus – (*qui sacro igne laborant*) ungendi sunt. — Hinc

Evocatoria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, pro evocatoria epistola occurrit apud *Jornand. Get.* 57. Theodericum genti suæ regem audiens ordinatum imperator Zeno, gratum suscepit, eique evocatoria destinata, ad se in urbem venire præcepit, dignoque suscipiens honore, inter proceres sui palatii collocavit.

ĒVŎCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*ex et voco*). Part. *Evocatus* in omnibus fere paragr.: *Evocaturus* sub A. I. *b.*; *Evocandus* sub *A.* I. c. — Evocare, ἐκκαλέω, est ex aliquo loco advocare, arcessere, vocando elicere, invitare, provocare, pertrahere (It. *chiamar fuori, far venire, invitare*; Fr. *faire sortir en appelant, faire venir, appeler*; Hisp. *hacer venir, llamar*; Germ. *heraus-, hervorrufen, -bringen*; Angl. *to call out, bid to come forth, invite, summon*). Occurrit autem *A*) Generatim; et *B*) Speciatim.

A) Generatim; et quidem

I.) Proprie. — *a*) Cum addito, ex quo quis evocatur, per præpos. *ex, ab,* vel per Adverbia. *Liv.* 1. 48. Tullia evocavit virum e curia. Cf. *Justin.* 7. 3. 4. Evocare aliquem e convivio. *Plaut. Amph.* 3. 3. 12. Gubernatorem a navi huc evoca meis verbis. *Id. Rud.* 2. 5. 22. aliquem hinc foras. *Cæs.* 4. *B. G.* 20. mercatores undique ad se. — *b*) Cum addito, quo quis evocatur. *Plaut. Asin.* 2. 3. 3. Atriensem Sauream, si est intus, evocato huc. *Id. Casin.* 2. 3. 54. et *Pœn.* 1. 2. 46. aliquem huc foras. *Id. Most.* 3. 1. 145., *Men.* 1. 3. 35. et *Pseud.* 2. 2. 10. aliquem intus foras. *Id. Mil. glor.* 4. 6. 33.; et *Ter. Hecyr.* 5. 1. 7. Abi tu: illum evocato foras. Cf. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 47. Cur, credo, evocaturus est foras. *Id. Men.* 4. 2. 111. aliquem ante ostium. *Cæs.* 5. *B. G.* 58. Magna contumelia verborum nostros ad pugnam evocant. Cf. *eumd.* 6. *ibid.* 34. Ad Germanos pervenit fama, diripi Eburones atque ultro omnes ad prædam evocari. — *c*) Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 86. 353. Juvenes stare ad januam duos, qui eum magnopere evocarent. *Id.* 2. *Att.* 24. Iis litteris sic te evocabam, ut nihil acrius, neque incitatius fieri posset. *Justin.* 13. 4. Evocatos de singulis manipulis seditiosos supplicio tradi jubet. *Quintil.* 12. 8. 9. Agitandus omnibus modis et turbandus et evocandus litigator. — Huc referri possunt et illa *Virg.* 4. *Æn.* 242. Evocare animas Orco. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 17. mortuos sepulcris. *Seneca Œdip.* 394. ipse evocandus noctis æternæ plagis. *Sueton. Ner.* 35. Evocare manes.

II.) Translate dicitur de rebus, quæ quomodocumque eliciuntur. — *a*) In re medica. *Cels.* 4. 14. Frictione ad extremas partes materiam evocare. *tirare.* Cf. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 15. Succum quasi per siphonem evocare. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 5. 11. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 41. (83). Oleum cicinum capillum evocat. Rursus *Cels.* 3. 25. Sudorem labore corporis evocare. *promovere.* *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (119). Nitrum vomitiones evocat. *provoca.* *Id.* 28. *ibid.* 8. 27. (100). Adipis suffitu mulierum menses evocare. *Id. ibid.* 19. 77. (251). Evocare abortus. *h. e.* educere, expellere. — *b*) In re agraria. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (182). Vitis evocata ad fructum ejuncescit ac moritur. Cf. *Colum.* 4. *R. R.* 19. 2. Se altius evocari lætitia vitium patitur. *Id. ibid.* 31. 2. Ut in longitudinem potius quam in latitudinem evocetur salix. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (175). Qui-

dam palmitem excæcant, supina falce auferendo oculos, ut longius evocent. *per tirarlo più lungo. Id.* 14. *ibid.* 1. 3. (10). Vites tonsura annua coerceatur, et vis earum omnis evocatur in palmites. *si tira, si fa andare ne' tralci. Pallad.* 1. *R. R.* 6. 12. Tepor ea, quæ seruntur, evocat. Cf. *Seneca Hippol.* 11. Prata rorifera mulcens aura, Zephyrus vernas evocat herbas. *fa nascere.* — c) Dicitur et de aliis quibusdam. *Seneca Med.* 754. Evocare aquas nubibus siccis. *cavare acqua, far cadere pioggia. Plin.* 2. *Hist. nat.* 53. 54. (140). fulmina. *h. e.* elicere, impetrare: *V.* ELICIO. *Val. Flacc.* 3. 429. ardenti nitidum jubar evocat alto. *Sil. It.* 7. 501. Evocat e liquidis piscem penetralibus esca.

B) Speciatim; et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. In re sacra *evocare deos* quid sit, docet *Macrob.* 3. *Saturn.* 9., ut in EVOCATIO sub 1. dictum est: *Plin.* vero his verbis 28. *Hist. nat.* 2. 4. (18). Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari deum, cujus in tutela id oppidum esset, promittique illi eumdem, aut ampliorem apud Romanos cultum. Et durat in pontificum disciplina id sacrum: constatque, ideo occultatum, in cujus dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent. Hæc *Plin.* Simile est illud *Ulp. Dig.* 1. 8. 9. Sacrarium est locus, in quo sacræ res ponuntur: quod etiam in ædificio privato esse potest: et solent, qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde evocare. Habes et apud *Liv.* 5. 21. et 22. quiddam huc pertinens, in expugnatione Vejorum. Cf. *eumd.* 1. 55. ¶ 2. In re militari. — *a)* Generatim est in aliquem locum vocare, arcessere; item quoscumque milites ad subitam et tumultuariam militiam vocare. *Cæs.* 3. *B. C.* 108. Exercitum a Pelusio clam Alexandriam evocavit. *Auct. B. Alex.* 31. Duas legiones in Egyptum ad Cæsarem mittit, litteris ejus evocatas. Rursus *Cæs.* 1. *B. C.* 8. Evocare legiones ex hibernis. *Id. ibid.* 3. centuriones. *Id. ibid.* 7. Conclamant legionis – decimæ tertiæ, quæ aderat, milites: hanc enim initio tumultus evocaverat. *Id. ibid.* 23. Erant complures adolescentes et magnus numerus equitum R. et decurionum, quos ex municipiis Domitius evocaverat. *Id.* 7. *B. G.* 58. Evocare magnam partem oppidanorum ad bellum. *Id.* 1. *B. C.* 3. multos spe præmii. Adde *eumd.* 3. *B. G.* 20.; *Liv.* 4. 9. et 45. 31.; et *Justin.* 12. 10. 9. — *b)* Hinc speciatim *evocati*, ἀνάκλητοι apud *Dion. Cass.* 45. 12., erant milites veterani, qui quamvis stipendia explevissent, nihilominus in gratiam consulum aut imperatorum, ab iis largitione, litteris, precibus invitati, militiam resumebant et honoratiore loco in ipsa constituebantur: cujus rei exemplum habes apud *Cic.* 15. *Fam.* 4. et *Sueton. Aug.* 10. Hinc *Cic.* 3. *Fam.* 6. *ad fin.* Antonium præfectum evocatorum misi ad te, cui si tibi videretur, cohortes traderes. Adde *Sall. Cat.* 59.; et *Cæs.* 7. *B. G.* 65. *Sueton. Aug.* 56. Affuit et clientibus: sicut Scutario cuidam evocato quondam suo. Adde *eumd. Vesp.* 1. *Inscript.* apud *Gruter.* 1110. 4. VALERIVS RVFINVS EVOCATVS COHORTIS TERTIAE PRAETORIAE. *Alia* apud *eumd.* 531. 10. M. AVRELIO M. F. SECVNDINO VETERANO EVOCATO EX COHORTE III. PRÆTORIA. *Alia* apud *Fea, Var. di notiz. p.* 87. C. VEDENNIVS C. F., QVI MODERATVS ANTIO, MILIT. IN LEG. XVI. GAL. A. X., TRANSLAT. IN COH. IX. PR., IN QVA MILIT. ANN. VIII., MISSVS HONESTA MISSIONE REVOC. AB IMP. FAC. EVOC. AVG., ARCHITECT. ARMAMENT. IMP. EVOC. ANN. XXIII. *Baumgarten* ad *Sueton. Vesp.* 1. affirmat, evocatos fuisse eadem conditione ac centuriones. Tu videris. — c) Ad horum similitudinem, *evocatos* appellavit Galba equestris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum usu, excubias circa cubiculum suum vice militum agerent, ut narrat *Sueton.* in *ejus Vita* 10. ¶ 3. In re publica *evocare* est magistratus, judicis et hujusmodi adesse jubentis ad consilium, ad testimonium, ad causam dicendam, etc. *citare, intimare, far venire con editto*; quo sensu occurrit tum de pluribus, tum de singulis. *Cic.* 5. *Verr.* 28. 68. Magistratus et quinqueprimi accitu istius evocantur. *Id.* 4. *ibid.* 67. 162. Evocat ad se Centuripinum magistratum et decemprimos. Adde *Sueton. Tib.* 32. *Cæs.* 5. *B. G.* 54. Evocare principes civitatis ad se. *Id.* 7. *ibid.* 33. senatum ad se. *Id.* 1. *B. C.* 3. senatores. *Plin.* 6. *Ep.* 31. Evocatus in consilium a Cæsare nostro ad Centum Cellas, maximam cepi voluptatem. *Justin.* 9. 4. 1. legatos Corinthum. Adde *eumd.* 34. 1. 6. *Liv.* 23. 43. Evocati ad colloquium. *Id.* 39. 63. ad causam dicendam. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 108. Queri atque indignari cœpit, regem ad dicendam causam evocari. *Plin.* 5. *Ep.* 20. 2. Evocare testes. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 9. 29. *Capitolin. Maxim. duob.* 13. delatores. *Ulp. Dig.* 2. 12. 1. Ne quis messium tempore adversarium cogat ad judicium venire etc., sed si prætor per ignorantiam evocare perseveraverit etc. *Nepos Con.* 5. Id quum minus diligenter esset celatum, Teribazus, qui Sardibus præerat, Cononem evocavit, simulans ad regem eum se mittere velle magna de re. *Justin.* 12. 14. Se quoque a Macedonia non ad societatem militiæ, sed ad pœnam evocatum arbitrabatur. *Sueton. Aug.* 16. Evocare aliquem ex provincia in auxilium. *Id. Cal.* 58. Pueri nobiles ex Asia ad edendas in scæna operas evocati. Adde *eumd. Ner.* 34., *Tib.* 62., *Cal.* 25. et *Galb.* 14.; et *Quintil.* 5. 7. 16.

II.) Translate. — *a)* De hominibus. *Cæs.* 7. *B. G.* 57. Summa imperii transditur Camulogeno Aulerco; qui prope confectus ætate, tamen propter singularem scientiam rei militaris ad eum est honorem evocatus. *Liv.* 4. 9. Urbem quoque, omnis etiam expertem artis certaminis, multitudine opificum ad spem prædæ evocata, obsidere parat. *Alii leg.* advocata; *alii* revocata. *Seneca* 2. *Ira* 21. Evocare aliquem in lætitiam. *Id.* 3. *ibid.* 5. Ira lentos quoque natura et placidos in sævitiam ac violentiam evocat. *incita, provoca, tira.* Sic *Id.* 2. *Benef.* 28. Boni consulere, et animum ejus, grate excipiendo, evocare. *h. e.* ejus, qui beneficium dedit, liberalem animum ad insuper benefaciendum allicere, pertrahere. Similiter *Quintil.* 1. 1. 20. Contendat interim, et sæpius vincere se putet: præmiis etiam, quæ capit illa ætas, evocetur. *h. e.* alliciatur. — *b)* De abstractis. *Cic.* 2. *Fin.* 31. 99. Probitatem evocare præmiorum mercedibus. *Id. fragm.* apud *Augustin.* 4. *contra Julian. Pelag.* 14. Quæ enim deformatio coloris et corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur voluptate? *Id. Dejot.* 14. 40. Evocare oratione misericordiam alicujus. *h. e.* implorare, elicere. *Seneca* 3. *Ira* 8. iram. *Id. Constant. Sap.* 4. *extr.* lacrimas. *Id. Ep.* 29. Facetiæ, quæ risum evocare lugentibus possunt. *h. e.* elicere. *Quintil.* 5. 13. 54. Evocare ictum adversarii. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 12. (17). Evocare indicium. *cavar di bocca la rivelazione di qualche misfatto.*

ĒVŎDES *V.* EUODES.

ĒVOE. *V.* EUOE.

ĒVŎLĀTĬCUS, a, um, adject. qui volat, ut Evolatici homines, apud *Plaut. Pœn. a.* 2. *v.* 27. At tamen leg. *volatici.*

ĒVŎLĬTO, as, are, n. 1. *frequentat.* ab evolo, sæpe evolo. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 1. *de columbis.* Patentibus fenestris, per quas ad requirendos cibos evolitant.

ĒVŎLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ex et volare). Part. *Evolans* II. 1.; *Evolaturus* I. — Evolare, ἀφίπταμαι, est extra vel in altum volare (It. *volar fuori o via*; Fr. *s'éloigner ou s'élever en volant, s'envoler*; Hisp. *volarse*; Germ. *hervor–, herausfliegen*; Angl. *to fly out or away*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Legg.* 1. 2. Aquila ex quercu evolavit. *Varro* 3. *R. R.* 9. 15. Evolare extra sæpta. *Id. ibid.* 16. 30. Quum apes jam evolaturæ sunt. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 1. Ne evolandi potestas sit domesticis avibus. — Huc referri potest et illud *Cic. Brut.* 78. 272. Itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro celerrime exire, erumpere; et dicitur tum de animalibus, tum de inanimis. — *a)* Cum addito, unde quis evolat. *Cic.* 6. *de republ.* 14. Qui ex corporum vinculis, tamquam e carcere evolaverunt. *h. e.* extra vincula evolaverunt. Adde *eumd. Amic.* 4. 14. Cf. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (174). Evolans ex ore anima. Rursus *Cic.* 2. *Orat.* 6. 22. Quum rus ex urbe, tamquam e vinculis, evolavissent. *Id. Sext.* 12. 28. Exanimatus evolat ex senatu. *Cæs.* 3. *B. G.* 28. Subito ex omnibus partibus silvæ evolaverunt, et in nostros impetum fecerunt. *Cic.* 7. *Verr.* 34. 88. Evolarat jam e conspectu fere fugiens quadriremis. — *b)* Absolute. *Virg.* 9. *Æn.* 477. Evolat infelix, et femineo ululatu etc. *Ovid.* 3. *Art. am.* 810. per medias furibunda – Evolat, ut thyrso concita Baccha, vias. *Sil. It.* 15. 574. pubes velocior arcu. *Id.* 16. 334. equus ante omnes. *Id.* 12. 455. pennasque addente furore Atque ira simul, immani per proxima nisu Evolat et minitans avida ad certamina fertur. *Lucret.* 6. 314. Ut lapidem ferro quum cædimus, evolat ignis. — c) Cum addito, quo quis evolat. *Plin.* 9. *Ep.* 28. 4. Statimque ad nos evolare. *h. e.* celerrime iter habere. Cf. *Cic.* 2. *Orat.* 6. 22., superius allatum sub *a. Val. Flacc.* 7. 644. Protinus in fluvium fumantibus evolat armis Æsonides. *Justin.* 2. 7. 10. Solon deformis habitu, more vecordium in publicum evolat. ¶ 2. Ponitur etiam pro progredi, altius evehi, ascendere, eripere se. *Cic.* 1. *Divinat.* 50. 114. Ii, quorum animi, spretis corporibus, evolant atque excurrunt foras, cernunt illa, quæ vaticinantes pronunciant. *Id.* 3. *Verr.* 5. 13. Confringat iste vi suâ consilia senatoria, quæstiones omnium perrumpat, evolet ex vestra severitate. *Id. Prov. cons.* 6. 14. Qua ex pœna si tum aliorum opibus, non suis evolarunt etc. *Id.* 1. *Fam.* 7. 8. Quem illi esse in principibus facile sunt passi, evolare altius certe noluerunt. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 52. 209. *Id.* 1. *ibid.* 35. 161. Tantus cursus verborum fuit et sic evolavit oratio etc. *h. e.* et sic surrexit.

ĒVŎLO, as, āvi, are, a. 1. *rubare, rapire*, ἁρπάζω, est furare, rapere, quasi in votam recipere. *Plaut. Cist.* 4. 2. 65. Cistellam adolescens hic mihi evolavit. *Alii rectius leg.* Cistella mihi hic, mi adolescens, evolavit.

ĒVŎLŪTE, adverb. evolvendo: sed occurrit translate tantum pro perspicue. *Boeth.* in *Cic. Topic.* 1. *p.* 773. Ut definitio id, quod in nomine involutum est, declarat, ita etiam nomen id, quod a definitione dicitur evolute, involute confuseque designat.

ĒVŎLŪTĬO, ōnis, f. 3. evolvendi actio, explicatio, lectio. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 25. Quid historia cognitioque rerum, quid poetarum evolutio?

ĒVŎLŪTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVOLVO, volvis, volvi, vŏlūtum, volvere, a. 3. (ex et volvo). Apud Poetas diæresin interdum patitur. *Catull.* 66. 74. Condita quin veri pectoris evoluam. *Ovid. Heroid.* 12. 24. Debuerant fusos evoluisse meos. — Part. *Evolvens* I. *a.*; *Evolutus* I. *a. c.* et II. 1. et 3.; *Evolvendus* II. 2. — Evolvere, ἀποκυλίω, est extra aut de loco volvere (It. *svolgere, rivolgere*; Fr. *rouler hors, éloigner ou faire sortir en roulant*; Hisp. *rodar fuera*; Germ. *herauswälzen, – wickeln, – rollen, hervorwälzen*; Angl. *to roll or tumble over, roll down or away.*)

I.) Proprie. — *a)* Generatim. *Lucret.* 6. 140. vis venti Arbusta evolvens radicibus haurit ab imis. *Ovid.* 12. *Met.* 518. modo se super aera frustra Tollere conatur jactasque evolvere silvas. *h. e.* a se rejicere. *Id.* 5. *ibid.* 354. Sæpe remoliri (*Typhœus*) luctatur pondera terræ, Oppidaque et magnos evolvere corpore montes. *Lucan.* 3. 481. nudis evolvunt saxa lacertis. *Id.* 6. 170. cadavera plenis Turribus evolvit, subeuntesque obruit hostes. *Cels.* 7. 16. Nonnunquam venter ictu aliquo perforatur, sequiturque ut intestina evolvantur. *Sil. It.* 12. 8. et 6. 74. evolvere membra cubili. — Hinc etiam *evolvi*, ut apud *Tac. Germ.* 39. Attolli et insurgere haud licitum: per humum evolvuntur. *rivoltolansi per terra. Sil. It.* 3. 49. Nereus evolvitur antris. *Id.* 6. 218. serpens evolvitur antro. *Curt.* 8. 4. 9. Fumus evolutus. Adde *eumd.* 7. 11. 10., et V. *Mützell.* ad h. l. — *b)* Speciatim dicitur de aquis, quia volvendo se decurrunt. *Liv.* 44. 8. Amnis protutam in mare evolvendo terram præaltas voragines facit. *Curt.* 5. 4. 7. Araxes multorum aquas torrentium evolvit in Medum. — Hinc etiam *evolvere se* et *evolvi*, ut apud *Virg.* 5. *Æn.* 807. In mare se Xanthus evolvit. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 24. (79). Danubius in Pontum vastis sex fluminibus evolvitur. — c) Speciatim est etiam explicare et, quod involutum erat, aperire, *sviluppare. Cic.* 9. *Att.* 10. *circa med.* Evolvere volumen epistolarum. *Liv.* 23. 19. Prodigii ejus (*anguis*) speciem interventu hominum evolutam repente atque ex oculis elapsam. *dispiegata, sviluppata. Ovid.* 6. *Met.* 581. Evolvit vestes sævi matrona tyranni, Germanæque suæ carmen miserabile legit. *Petron. Satyr.* 11. Opertum me amiculo evolvit. *h. e.* detexit. Similiter *Colum.* 2. *R. R.* 9. 19. Evolutum furfure panicum. *h. e.* exutum, purgatum. — *d)* Interdum est eruere, *cavar fuori. Seneca Œdip.* 936. Radice ab ima funditus vulsos simul Evolvi,

orbes *h. e.* eruit oculos. Sic *Lucan.* 2. 184. Hic cavis evolvit sedibus orbes. — Similiter *Plaut. Pseud.* 1. 3. 82. Ego in hoc triduo aut terra, aut mari alicunde evolvam id argentum tibi. *h. e.* eruam, extricabo, et tibi conficiam.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora ducta ab aquarum cursu, *Seneca Œdip.* 252. de *Sole.* Qui tarda ceteri sæcula evulvis rota. *volgi, fai scorrere.* et *Med.* 402. Nitidusque certas mundus evolvit vices. Cf. *Ammian.* 25. 7. Dum deliberatur examinatius quid fieri deberet, dies quatuor sunt evoluti inedia cruciabiles et omni supplicio tristiores. ¶ 2. Sæpius dicitur — *a*) De hominibus, et est legere, *leggere, scorrere leggendo*, ductum a voluminibus, quæ legi non possunt, nisi evolvantur. *Cic.* 1. *Tusc.* 11. 24. Evolve diligenter ejus eum librum, qui est de animo. *Plin.* 1. *Ep.* 13. 2. Evolvere librum magna ex parte. *Sueton. Galb.* 21. libellos. *Quintil.* 2. 15. 24. volumina. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 112.; et *Ovid.* 1. *Fast.* 657. fastos. *Ovid.* 2. *Trist.* 307. versus. *Id. ibid.* 238. jocos. — Similiter *Cic.* 1. *Fin.* 21. 72. poetas. *Sueton. Aug.* 89.; et *Veget.* 5. *Veterin.* 60. auctores. *Quintil.* 12. 2. 8. auctores penitus. *Tac. Dial. de orat.* 29. Nec in evolvenda antiquitate satis operæ insumitur. — *b*) De Parcis, et est nere, *filare. Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 53. quæ seriem fatorum pollice ducunt, Longæque ferratis evolvunt sæcula pensis. Hinc poetice *Propert.* 1. 7. 16. Te quoque si certo puer hic concusserit arcu. Quod nolim nostros evoluisse deos. *h. e.* nolim Venerem et Amorem id tibi fecisse. Et prægnanti, uti ajunt, significatione de Parcis est nendi actionem ad finem perducere, apud *Ovid. Heroid.* 12. 4. Tunc, quæ dispensant mortalia fata sorores Debucrant fusos evoluisse meos. ¶ 3. Item ponitur pro explicare, adeoque exuere, spoliare, sive, ut ait *Forcellinus*, deturbare, expellere: ad rem *Cic.* 2. *Orat.* 86. 350. Te aliquando evolutum illis integumentis dissimulationis tuæ nudatumque perspicio. *Seneca Ep.* 74. Evolutus bonis. *Liv.* 6. 15. Ut istos excubantes publicis thesauris ex præda clandestina evolvas. *Tac.* 13. *Ann.* 15. Evolutus sede patria rebusque summis. *h. e.* expulsus, ejectus. *Pacat. Paneg. Theod.* 19. Evolutus avitis patrimoniis. — Hinc *evolvere se* est se extricare, se expedire, exire: quo sensu *Forcellinus* ait ductum a cursu aquarum. *Ter. Eun.* 4. 4. 55. Hac re et te omni turba evolves, et illi gratum feceris. *Id. Phorm.* 5. 4. 5. Nullo possum remedio me evolvere ex his turbis. Cf. *Lucan.* 9. 876. Imus in adversos axes; evolvimur orbe. *h. e.* egredimur. Et *Ammian.* 15. 2. Periculo evolutus abscessit. ¶ 4. Item est digerere, explicare, narrare: ad rem *Ovid.* 1. *Met.* 24. Quæ postquam evolvit cæcoque exemit acervo etc. *Ennius* 6. *Ann.* 49. causas evolvere belli. Adde *Quintil.* 6. 3. 86. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 114. Tantum tibi arroges, ut exponas disciplinam sapientiæ, naturam rerum omnium evolvas, mores fingas, officia describas, etc. *Id.* 9. *Att.* 10. *a med.* Totam hanc deliberationem evolvis accuratius in litteris VIII. Kal. Mart. datis. *Quintil.* 4. 1. 20. Evolvere rem propositam. *Catull.* 66. 74. Condita quin veri pectoris evoluam. Cf. *Val. Flacc.* 4. 117. Ingemit, ac tales evolvit pectore questus. *h. e.* effundit. *Virg.* 9. *Æn.* 509. Et mecum ingentes oras evolvite belli. *Id.* 4. *G.* 508. et gelidis hæc evolvisse sub antris *Stat.* 1. *Theb.* 2. sontesque evolvere Thebas. *Sil. It.* 5. 521. tui funera verbis. *Id.* 2. 652. tristia fata. *Ovid.* 15. *Met.* 152. seriem fati. Et de vatibus *Virg.* 1. *Æn.* 262. fatorum arcana, et *Sil. It.* 7. 494. arcana deûm. — Et sequente relativo *Lucret.* 1. 952. Nunc age summai ecquænam sit finis eorum, Necne sit, evolvamus. ¶ 5. Item est secum meditari, versare animo, mente volvere, aliquid clarum sibi atque evidens reddere; ductum a libris evolvendis. *Cic.* 3. *Off.* 19. 76. Si qui voluerit animi sui complicatam notionem evolvere. *h. e.* claram sibi atque evidentem reddere. *Id. Cæl.* 23. 56. Cujus criminis ego neque principium invenire, neque evolvere exitum possum. *Sil. It.* 3. 216. Promissa evolvit somni noctemque retractat. *Seneca Agam.* 116. Tecum ipsa evolve femineos dolos.

ĒVŎMĬTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVŎMO, vŏmis, vŏmŭi, vŏmĭtum, vŏmere, a. 3. (ex *et* vomo). Part. *Evomens* et *Evomitus* I. — Evomere, ἐξεμέω, est vomendo ejicere (*It. vomitare*; *Fr. vomir, rejeter en vomissant*; *Hisp. vomitar*; *Germ. ausbrechen, ausspeien, durch Brechen von sich geben*; *Angl. to vomit forth, cast out*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 124. Easque quum stomacho concoxerit, evomere. *Tac.* 12. *Ann.* 67. Ille tamquam nisus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demisisse creditur. *Sueton. Ner.* 2. Evomere venenum. *Id. Claud.* 44. cibo affluente omnia. *Lamprid. Alex. Sev.* 16. choleram. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 2. Dioclés inquit, evomitos lumbricos nihil alienum significare.

II.) Improprie est emittere; et ¶ 1. Dicitur de rebus physicis, quæ reapse emittuntur. *Cic.* 2. *Cat.* 1. 2. Urbs hæc lætari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit forasque projecerit. *Id. Pis.* 37. 90. Pecuniam devoratam evomere. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 3. Ne possit solum stagni herbas evomere. *Sil. It.* 17. 594. Evomuit pastos per sæcula Vesvius ignes. *Curt.* 4. 6. 8. Mare evomit arenam. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 9. 14. (93). flammas. *Id.* 5. *ibid.* 9. 10. (54). Nilus multis faucibus in Ægyptium mare se evomit. *si scarica.* ¶ 2. Hinc ducta metaphora, dicitur de abstractis. *Ter. Adelph.* 3. 2. 14. Ut ego iram hanc in eos evomam omnem. Adde *eumd. ibid.* 3. 4. 65. et *Hecyr.* 3. 5. 65. *Cic. Amic.* 23. 87. Ut anquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suæ. *Id.* 5. *Phil.* 7. 20. In me absentem, orationem ore impurissimo evomuit.

ĔVŎNŸMUS. *V.* EUONYMUS.

ĒVULGĀTUS *vel* evolgatus, a, um. *V.* voc. seq.

ĒVULGO *vel* evolgo, as, âvi, âtum, are, a. 1. (ex *et* vulgo). Part. *Evulgatus.* — Evulgo est in vulgus edo. *Liv.* 9. 46. Civile jus repositum in penetralibus pontificum evulgavit. *Tac.* 13. *Ann.* 19. Evulgare injurias. *Id.* 14. *ibid.* 14. Evulgatus pudor. *Id.* 1. *Hist.* 4. Evulgatum arcanum.

ĒVULSĬO, ōnis, f. 3. evellendi actus. *Cic.* 3. *Nat. D.* 22. 57. Qui primus purgationem alvi dentisque evulsionem invenit. *Theod. Priscian.* 1. 10. Capillorum evulsio. *Vulgat. interpr. Jerem.* 12. 17. Quod si non audierint, evellam gentem illam evulsione et perditione, ait Dominus.

ĒVULSUS, a, um. *V.* EVELLO.

EX

EX *vel* e, præpos. *Ex* præponitur omnibus verbis, sive a vocali incipiant, sive a consonante; *e* solummodo a consonante incipientibus: quamquam etiam verbis a consonante incipientibus *ex* frequentius, quam *e* præponatur; sic in *Cic. libris de republ.* ante consonantes *e* novies decies occurrit, *ex* vero semel et sexagies. — Sæpissime suo nomini præponitur; interdum tamen interponitur adject. et substant. *Cic.* 5. *Fam.* 8. *a med.* Quo ex tempore. *Id.* 1. *Tusc. init.* Magna ex parte. — Et suo casui raro admodum postponitur. *Lucret.* 3. 879. Hæc eadem, quibus e nunc nos sumus, ante fuisse. *Id. ibid.* 851. Discidium fuerit, quibus e sumus uniter apti. *Id.* 2. 791. Nec quæ nigra cluent, de nigris, sed variis ex. *Id.* 6. 789. Hæc ideo terris ex omnia surgunt. *Ovid. Heroid.* 20. 121. Hostibus e si quis etc. — Ceterum *ex* vel *e*, quæ ratione habita etymi conjungenda est cum Gr. ἐκ vel ἐξ, est præpositio, quæ Ablativum regit, et significat actum exeundi ex interiore alicujus rei parte, ac propterea præpositioni *in* recta opponitur (*It. da, fuori da, di*; *Fr. hors de, de*; *Hisp. fuera de, de*; *Germ. aus*; *Angl. from, out of*). Usurpatur autem I.) Stricto sensu; et II.) Latiori sensu.

I.) Stricto sensu occurrit *A*) De loco; *B*) De tempore; *C*) De materia, ex qua aliquid fit.

A) De loco; et quidem ¶ 1. Proprie. — *a*) De actu exeundi ex interiore alicujus rei parte. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 54. Interea e portu nostra navis solvitur; ubi portu eximus etc. *Id. Most.* 3. 2. 9. Clanculum ex ædibus me edidi foras. *Id. Bacch.* 2. 3. 2. Ibo in Piræeum, visam. ecquæ advenerit in portum ex Epheso navis mercatoria. Adde *eumd. ibid.* 3. 2. 5., 3. 6. 32. et 4. 1. 2. *Cic.* 2. *de republ.* 19. Influxit e Græcia rivulus in hanc urbem. *Id. Pis.* 13. 30. Pellere e foro omnes bonos. *Id.* 1. *de republ.* 14. Quam (*sphæram*) M. Marcellus avus captis Syracusis ex urbe locupletissima atque ornatissima sustulisset, quum aliud nihil ex tanta præda domum suam deportavisset. *Cæs.* 3. *B. C.* 105. Tollere pecunias ex fano Dianæ. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 56. magno de flumine malim, Quam ex hoc fonticulo tantumdem sumere. *Tibull.* 1. 1. 38. neu vos de paupere mensa Dona, nec e puris spernite fictilibus. *Nepos Miltiad.* 3. Ex Asia in Europam exercitu trajecto. *Liv.* 21. 39. Hannibal movit ex Taurinis. *Id.* 28. 2. Mago ex castris citato equo advehitur. — *b*) De motu, qui ex parte superiore in inferiorem dirigitur. *Lucret.* 5. 1125. E summo, quasi fulmen, dejicit ictos — in Tartara tætra. *Id.* 6. 257. Piceis e cælo demissum flumen. *Cic. Fat.* 3. 6. Ex spelunca saxum in crura ejus incidisse. Sic *Liv.* 35. 21. Saxum ingens ex Capitolio procidit. Rursus *Cic. Cluent.* 62. 175. Cecidisse ex equo dicitur. *Cæs.* 4. *B. G.* 2. Equestribus prœliis sæpe ex equis desiliunt. *Ovid.* 1. *Art. am.* 559. E curru desilit. *Cic.* 2. *de republ.* 41. E curru trahitur. *Cic.* 5. *Verr.* 26. 66. Pendere ex arbore. Cf. *Virg.* 7. *Ecl.* 13. eque sacra resonant examina quercu. *Curt.* 4. 19. 11. E muris propugnantes. — *c*) Interdum de motu, qui ex parte inferiore in superiorem dirigitur. Cf. *Ter. Eun.* 3. 2. 38. E flamma cibum petere. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 10. (43). Si pollices pedum pungantur, exque his guttæ referantur in faciem. *Sillig* vero ex melioribus Codicib. leg. *eæque guttæ. Cic.* 1. *Tusc.* 29. 68. Globum terræ eminentem e mari. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Collis paullulum e planitie editus. — *d*) Aliquando et de possessione dicitur, ut apud *Liv.* 41. 14. Coloniam ex hostibus eripere. *h. e.* ex hostium manibus. ¶ 2. Translate usurpatur ad significandum terminum, ex quo aliquid fit vel aliquis proficiscitur, aut etiam patrium locum, ex quo quis est. — *a*) De termino, ex quo aliquid fit, vel aliquis proficiscitur. *Ennius* apud *Non. p.* 518. 6. *Merc.* Ibi tum de repente ex alto in altum despexit mare. *Cic.* 7. *Verr.* 66. 166. Ut ille ex cruce Italiam cernere ac domum suam prospicere posset. *Cæs.* 2. *B. G.* 26. T. Labienus — ex loco superiore, quæ res in nostris castris gererentur, conspicatus. *Cic.* 7. *Fam.* 18. 3. Ex qua (*villa*) jam audieram fremitum clientium meorum. *Id. pro leg. Manil.* 17. 52. Ex hoc ipso loco permulta item contra legem eam verba fecisti. *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Orgetorigem ex vinculis causam dicere coegerunt. Adde *Liv.* 29. 19. *Sueton. Tib.* 33. Judices aut e plano, aut e quæsitoris tribunali admonebat. *Cæs.* 2. *B. G.* 27. Ut proximi jacentibus insisterent atque ex eorum corporibus pugnarent. Sic *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (202). et (209). Ex equo, ex prora, ex puppi pugnare. — Huc pertinet et illud *Nepotis*, in quo præpos. *ex* causali significationi proxime accedit, *Epam.* 5. Ex una urbe nostra totam Græciam liberavi. — Hinc illæ formulæ, quas adverbii more frequenter occurrunt, quasque suo loco videbis, *ex altero, ex utraque* etc. *parte, ex parte, ex adverso, ex diverso, ex contrario, e regione* etc. — Hinc etiam *ex itinere*, h. e. iter faciendo, apud *Cic.* 3. *Fam.* 9.; *Sall. Cat.* 34. et *Jug.* 56.; *Cæs.* 2. *B. G.* 6. et 29. et 1. *B. C.* 24.; et *Liv.* 35. 24. — Hinc etiam *ex fuga*, h. e. fugiendo, apud *Sall. Jug.* 54.; *Cæs.* 6. *B. G.* 35. et 3. *B. C.* 95. et 96.; et *Liv.* 6. 29., 28. 23. et 30. 7. — *b*) Item de patrio loco, ex quo quis est. — Cum Verbo. *Ter. Eun.* 3. 2. 18. Ex Æthiopia est usque hæc. *Cic. Cluent.* 17. 49. Quod erat ex eodem municipio. Adde *eumd. ibid.* 5. 11. — Sæpius omisso Verbo. *Plaut. Capt.* 3. 2. 10. Rogo, Philocratem ex Alide ecquis hominum noverit. Sic *Id. Asin.* 1. 1. 38. Meretrix e proximo. et *Aulul.* 2. 4. 11. Vicinus hic Euclio e proximo. *Ter. Eun.* 1. 2. 85. Ex Æthiopia ancillula. *Cic.* 3. *Verr.* 5. 14. Negotiator ex Africa. *Id.* 1. *Nat. D.* 21. 58. Epicurei e Græcia. *Id.* 7. *Verr.* 54. 140. Civis Romanus e conventu Panormitano. *Cæs.* 5. *B. G.* 27. Junius ex Hispania quidam. *Horat.* 1. *Od.* 29. 7. puer ex aula. *scil.* regis barbari. *Liv.* 35. 32. Ex India elephanti.

B) De tempore quoque usurpatur; et quidem ¶ 1. Ad significandum temporis punctum vel momentum, ex quo longa aliqua temporis diuturnitas durare incipit, vel cœpit, *incominciando da, a partire da.* — *a*) De præsenti et sæpius de præterito. *Plaut. Pers.* 4. 3. 10. Bonus volo jam ex hoc die esse. *Cic. Sext.* 1. 1. Si quis antea mirabatur, quid esset, quod *etc.*: ex hoc tempore miretur potius, si quem bonum — civem viderit. *Id. Quinct.* 5. 22. Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium cœpit. *Id.* 1. *Phil.* 1. 1. Nec vero usquam discedebam, nec a republica dejiciebam oculos, ex eo die, quo in ædem Telluris convocati sumus. *da quel dì. Id.* 1.

Fin. 6. 17. Eum motum atomorum nullam a principio, sed ex æterno tempore intelligi convenire. *Id.* 1. *de republ.* 16. Ut ex hoc die superiores solis defectiones reputatæ sint. *Tac.* 14. *Ann.* 53. et *Agric.* 33. Quartusdecimus annus est, ex quo etc. — Hinc ad definienda tempora tum in jure, tum extra jus. *Cic.* 3. *Verr.* 12. 34. Ex ea die ad hanc diem quæ fecisti, in judicium voco. *Id.* 11. *Phil.* 7. 20. Ex Kal. Jan. ad hanc horam invigilavi reipublicæ. Cf. *Petron. Satyr.* 38. Cn. Pompejus Diogenes ex Kal. Juliis cœnaculum locat. — Hinc *ex illo, ex quo, ex eo,* etc. subaudi *tempore. Virg.* 2. *Æn.* 169. Ex illo fluere et retro sublapsa referri Spes Danaum. *dopo quel tempo. Cic.* 2. *Off.* 4. 15. Ex quo leges moresque constituti. *Liv.* 28. 39. Ex quo in provinciam venerunt. *da che, sin da quando:* ex quo tempore. *Id.* 3. 24. Ex quo semel fuit æger. *Sueton. Cæs.* 22. Ex eo se insultaturum omnium capitibus. *da indi innanzi.* Adde *Tac.* 12. *Ann.* 7. Similiter *Curt.* 5. 11. 10. Equidem æterna constitutione crediderim, nexuque causarum latentium et multo ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere. *Vulgati libri leg.* et: *at MSS. plerique omnes* ex. — Hinc etiam illa *Cic. Fontej.* 8. 16. Ceteri ex veteribus bellis agro multati. *Id.* 7. *Fam.* 17. 2. Sed quum te ex adolescentia tua in amicitiam et fidem meam contulisses, etc. *Horat.* 2. *Od.* 1. 1. Motum ex Metello consule civicum. — Interdum pro temporis diuturnitate, breve spatium significatur, ut apud *Liv.* 10. 5. Proditorem nolo dicere, certe speculatorem habemus in sinu; cujus, ex quo obses Romæ fuit, corpus nobis reddiderunt Romani, animum ipsi habent. *dopo ch'egli fu ostaggio in Roma.* — *b*) Raro admodum de futuro. *Cic.* 16. *Fam.* 9. 3. Romæ vereor ne ex Kal. Januariis magni tumultus sint. *Id.* 2. *Verr.* 10. 29. Hunc judicem ex Kal. Januariis non habemus. – Ex Kal. Januariis non judicabunt. *Id.* 5. *Att.* 21. 9. Idibus Febr., quo die has litteras dedi, forum institueram agere Laodiceæ Cibyraticum et Apamense; ex Idibus Mart. ibidem Synnadense, –; ex Idibus Maj. in Ciliciam, ut ibi Junius consumatur. ¶ 2. Item *ex* usurpatur ad tempus aliquod significandum, post quod aliquid factum est, et significat post, *subito dopo, dopo, in seguito a.* — *a*) Generatim. *Tac. Germ.* 22. Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur. *Cæs.* 1. *B. C.* 70. Ex magnis rupibus nactus planitiem. *Cic. pro leg. Manil.* 15. 44. Tanta repente vilitas annonæ ex summa inopia et caritate rei frumentariæ consecuta est. *Nepos Timoth.* 3. Ex maximo bello tantum otium toti insulæ conciliavit. *Quintil.* 6. 2. 35. Vidi ego sæpe histriones, quum ex aliquo graviore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi. *Cels.* 2. 8. Mulier ex partu si cum febre vehementibus etiam capitis doloribus premitur etc. — *b*) Specialim de magistratibus dicitur. *Cic. Brut.* 92. 318. Cotta ex consulatu est profectus in Galliam. Sic *Liv.* 4. 31., 40. 1., 22. 49. et 27. 34.; et *Vellej.* 2. 33. 1. ex consulatu. *Cic.* 1. *Legg.* 20. 53. et *Mur.* 7. 15.; et *Cæs.* 1. *B. C.* 22., 31. et 85. ex prætura. *Liv.* 10. 5. ex dictatura. *Vellej.* 2. 31. ex eo magistratu. *Tac.* 3. *Hist.* 46. *ad fin.* Agrippa ex Asia (pro consule eam provinciam annuo imperio tenuerat) Mœsiæ præpositus est. — *c*) Hinc factum est, ut apud sequioris ævi scriptores præpositio *ex* conditionem significaret illius, qui aliqua dignitate jam functus sit, ut *ex consule, ex comite, ex duce, ex equite, ex præfecto* etc., quæ *V.* suis locis. *Capitolin. Gord.* 22. Senatus Pupienum et Balbinum Augustos appellavit, ambos ex consulibus. *Ammian.* 14. 7. Mandabat Domitiano, ex comite largitionum. præfecto, ut etc. *Cod.* 1. 17. 2. § 9. Quæ omnis confecta sunt per virum excelsum ex quæstore et ex consule Tribonianum. *Inscript.* apud *Orell.* 2355. INLUSTRIS EX PRAEFECTO PRÆTORIO ET EX PRAEFECTO *urbis.* — Similiter *ex adulto* apud *Ammian.* 16. 7. Quem si Constans Imperator olim ex adulto jamque maturum audiret honesta suadentem et recta, nulla, vel venia certe digna peccasset. ¶ 3. Denique *ex* usurpatur etiam ad rerum successionem significandam, qua altera alteram excipit, sæpe etiam nulla habita Verbi ratione. *Liv.* 21. 39. Otium ex labore, copia et inopia, cultus ex illuvie taboque – varie movebant. — Specialim hoc sensu occurrunt formulæ *diem ex die, aliud ex alio. Cic.* 7. *Att.* 26. Diem ex die exspectabam. *un giorno dopo l'altro. Cæs.* 1. *B. G.* 16. Diem ex die ducere Ædui. *Ter. Eun.* 4. 2. 3. Dum tus eo, cœpi egomet mecum inter vias – aliam rem ex alia cogitare. *Id. Heaut.* 3. 3. 37. Ut aliud ex alio incidit. *Lucret.* 4. 821. Aut alia ex alia facies ætasque sequatur. *Cic.* 5. *Tusc.* 25. 70. Rerum causæ aliæ ex aliis aptæ. *Id.* 9. *Fam.* 19. 2. Me quotidie aliud ex alio impedit. *Liv.* 4. 2. Alia ex aliis iniquiora postulando. *Id.* 7. 39. Alias ex aliis fingendo moras.

C) De materia quoque usurpatur, ex qua aliquid fit; et quidem — *a*) De materia rudi. *Varro* 3. *R. R.* 9. 6. Fenestræ e viminibus factæ. *Id. ibid.* 10. 4. Ut habeant (*celiæ*) substramen e palea. *Cic.* 1. *Divinat.* 24. 48. Ex eo auro buculam curasse faciendam. *Id.* 4. *Verr.* 21. 50. Statua ex ære facta. *Id.* 6. *ibid.* 27. 62. Pocula ex auro, vas vinarium ex una gemma pergrandi. *Id. Arch.* 9. 22. In sepulcro Scipionum Ennius (*h. e.* Ennii statua) putatur esse constitutus e marmore. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 31. 100. Non enim est e saxo sculptus, aut e robore dolatus. *Sueton. Cal.* 56. Monilia e gemmis. *Curt.* 3. 8. 18. Cui ex gemma vagina erat. *Id.* 4. 34. 16. Ex auro crateram dicavit. *Id.* 3. 7. 16. Deorum simulacra ex auro argentoque expressa. — *b*) De cibis et potionibus, quæ cum re aliqua miscentur, adeoque ex eadem quoque constant; ac præcipue in re medica de plurium remediorum mixtione, et *ex* ponitur pro *cum* vel *in. Plaut. Merc.* 1. 2. 28. AC. Jamdudum sputo sanguinem. CH. Resinam ex melle Ægyptiam vorato, salvum feceris. *Ter. Eun.* 5. 4. 17. Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent. *Cels.* 1. 6. Modici ponderis panem ex vino esse. *Id.* 3. 19. Intrita ex vino. *Id.* 3. 23. Bibat jejunus ex aqua castoreum. *Id.* 4. 4. Pullus hirundinis servatus ex sale. *Id.* 4. 7. Nuclei pinei ex melle, panis vel elota alica ex aqua mulsa danda est. *Id.* 5. 28. Potiones ex absinthio. *Id.* 4. 2. Perfundere caput primum aqua calida, vel salsa, vel ex lauro decocta. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 57. (120). Farina tritici ex aceto cocta. *Id.* 33. *ibid.* 5. 26. (88). Pulvis ex aceto maceratur. — *c*) Item de colorum, vel etiam gustuum mixtione. *Colum.* 9. *R. R.* 3. 2. Apes ex aureolo variæ. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (127). Laurus Delphica æquali colore, viridior, maximis baccis atque e viridi rubentibus. *Id. ibid.* (132). Frutex ramosus baccis e nigro rutil. *Id.* 12. *ibid.* 14. 30. (52). Id solum e rubro lacteum traditur. *Id.* 37. *ibid.* 8. 33. (110). E viridi pallens. *Id.* 13. *ibid.* 9. 18. (62). Pomo color fulvus, commendabilis succo ex austero dulci. Adde *eumd.* 21. *ibid.* 8. 26. (50). *Id.* 11. *ibid.* 15. 15. (39). Sequens probatio, ut sit odoratum et ex dulci acre. — *d*) Item de spiritualibus substantiis. *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 98. Homo, qui ex animo constet et corpore caduco et infirmo. *Id. ibid.* 3. 11. Aut simplex est natura animantis, aut concreta est ex pluribus naturis. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 6. Nostra tu physica nosti, quæ continentur ex effectione et ex materia, quam fingit et format effectio. *Id.* 1. *de republ.* 45. Regio autem ipsi præstabit id, quod erit æquatum et temperatum ex tribus optimis rerum publicarum modis. *Id.* 2. *Fin.* 14. 44. Cum Epicuro autem hoc est plus negotii, quod e duplici genere voluptatis conjunctus est. — *e*) Item aliquando de exemplari, quod sibi quis imitandum proposuit. *Cic.* 3. *Orat.* 12. 47. Imitatione ex aliquo expressa. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 1. 9. (16). Ex membris similitudine expressa. *Id.* 35. *ibid.* 12. 44. (153). Hominis imaginem gypso e facie expressit.

II.) Latiori sensu et quidem translate præpositio *ex* vel *e* tribus præcipue pollet significationibus, quæ tribus præcedentibus respondent. Itaque ¶ 1. Metaphorâ a loco sumptâ, præpositio *ex* usurpatur — *a*) Ad multitudinem vel totum aliquid significandum, ex quo pars aliqua quomodocumque educitur. *Plaut. Most.* 1. 4. 24. Illi ego ex omnibus optime volo. *Ter. Hecyr.* 5. 1. 29. Faciam, quod pol, si esset alia ex hoc quæstu, haud faceret, scio. *Cic.* 1. *Orat.* 37. 168. Homo ex numero disertorum. *Id.* 2. *de republ.* 37. Unus ex illis decemviris. *Id.* 13. *Fam.* 3. Unus ex meis intimis. *Id. ibid.* 1. *a med.* Is non est ex istis. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. Solon sapientissimus ex septem, et legum scriptor solus ex septem. *Id. Cat.* 3. 7. Vellem aliquem ex vobis robustioribus hunc maledicendi locum suscepisset. *Id. Rabir. Post.* 17. 45. Ecquis est ex tanto populo etc. *Id.* 1. *de republ.* 34. E vectoribus sorte ductus. *Id. Rosc. Am.* 3. 8. Qui ex civitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter severitatem. *Id.* 2. *leg. Agr.* 9. 23. Ex omni populo deligendi potestas. *Id.* 2. *Phil.* 3. 5. Qui tibi detulerat ex latronibus suis principatum. *Id.* 1. *de republ.* 30. Ex tribus istis modis rerum publicarum velim scire quid optimum judices. *Id. ibid.* 35. E tribus istis quid maxime probas? *Id.* 2. *ibid.* 4. E barbaris ipsis nulli erant maritimi. *Id.* 2. *Divinat.* 65. 134. Id enim ei ex ovo videbatur aurum declarasse; reliquum, argentum. *Id.* 2. *Orat.* 87. 357. Acerrimum ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi. *Id.* 2. *de republ.* 36. Quo e collegio (*decemvirorum*) laus est illa eximia C. Julii etc. *Id. Mur.* 36. 75. Fuit eodem ex studio vir eruditus apud patres nostros. *Cæs.* 1. *B. C.* 46. Fulgentius ex primo hastato (*ordine*) legionis XIV. *Petron. Satyr.* 83. Eum ex hac nota litteratorum esse, quos odisse divites solent. *Flor.* 1. 13. 12. Virgines ex sacerdotio Vestæ. *Tac. Germ.* 29. Batavi non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt. *Id.* 2. *Ann.* 1. Tutissimo e præsentibus. *Curt.* 6. 7. 13. Nihil ex pristina voluntate mutaverat. Cf. *Vellej.* 2. 110. Aliquid ex negotio remittere. *Forcellinus* hoc loco ait esse pro *de.* — Hinc factum est ut *ex* præpositio hac significatione aliquando Genitivi locum obtinuerit. *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Has turres altitudo puppium ex barbaris navibus superabat. *Cels.* 4. 20. Album ex ovo cum rosa mixtum. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 21. Ex fraxino frondes, ex leguminibus paleæ. — *b*) Hinc præpos. *ex* usurpatur ad significandum eum rerum orbem, quo quid continetur, et sæpius fontem, unde aliquid physica aut spirituali ratione hauritur. *Cic. Amic.* 13. 47. Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt. *Id. ibid.* 18. 64. Hunc ex maxime raro genere hominum judicare debemus. *Id.* 1. *Off.* 22. 76. Hæc quidem res non solum ex domestica est ratione; attingit etiam bellicam. *Id.* 1. *de republ.* 4. Majores ex otio fructus capere. *Id. ibid.* Majorem lætitiam ex desiderio bonorum percepimus, quam ex lætitia improborum dolorem. *Id. ibid.* 13. Quæsierat ex me Scipio etc. *Id.* 2. *ibid.* 38. Ex te requirunt. *Id. Brut.* 46. 172. Quum percontaretur ex quadam anicula. *Id.* 1. *ibid.* 11. De quo studeo ex te audire, quid sentias. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 30. et 46. *Id.* 6. *Att.* 9. 3. Intellexi ex tuis litteris, te ex Turannio audisse, a me provinciam fratri traditam. *Id.* 13. *Fam.* 16. Ex eo quum ab ineunte ejus ætate bene speravissem. — *c*) Huc referri potest et formula *pendere ex,* quæ de rerum natura dicitur. *Cic.* 2. *Parad.* 1. 17. Cui spes omnis pendet ex fortuna. *Id.* 6. *Fam.* 22. 2. Incolumitati tuæ tuorumque, qui ex te pendent, consulas. ¶ 2. Metaphorâ a tempore sumptâ (*V.* supra sub *B.* 3.) præpositio *ex* adhibetur ad rerum successionem et ex uno in alium statum mutationem significandam. *Plaut. Cist.* 3. 21. Si possum tranquillum facere ex irato mihi. *Lucret.* 1. 187. Fierent juvenes subito ex infantibu' parvis. *Cic.* 2. *de republ.* 10. Illi ex hominibus facti. *Id. Partit. orat.* 17. 57. Nihil est tam miserabile, quam ex beato miser. *Id.* 1. *de republ.* 45. Ut exsistat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio. *Flor.* 1. 9. 2. Ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex. *Justin.* 12. 10. 1. Ex magna desperatione tandem saluti redditos. *Id.* 24. 7. 1. Ex longa inopia ubi primum vino ceterisque commeatibus referta rura invenit. *Id.* 44. 1. 11. Ex agresti cibo mitiora vesci. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ ex iis, quæ de materia diximus, qua aliquid fit (*V.* supra sub *C.*), præpos. *ex* — *a*) Significat rerum mensuram, normam, proportionem, et ponitur pro *secundum* aut *pro.* — Generatim. *Plaut. Epid.* 5. 1. 19. Ex tuis verbis meum futurum corium pulcrum prædicas. *Id. Trin.* 4. 3. 42. Ex eorum ingenio ingenium horum probant. *Ter. Heaut.* 2. 1. 4. Ex sua libidine moderantur, nunc quæ est, non quæ olim fuit. *Id. Adelph.* 2. 1. 22. Ornatus essem ex tuis virtutibus. *Cic.* 5. *Fam.* 8. *a med.* Et, ut spero, statues ex nostra dignitate. *Id. Rosc. com.* 10. 28. Nemo illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico æstimabat. *Id.* 1. *Invent.* 38. 68. Leges ex utilitate communi, non ex scriptione, interpretari. *Id.* 2. *Fin.* 11. 34. Quod esse volunt e virtute, id est honeste vivere. *Id.* 13. *Fam.* 8. 3. Ut magis ex animo rogare nihil possim. *Id.* 12. *ibid.* 4. 2. Nunc quæ scribo, scribo ex opinione hominum atque fama. *Tac.* 3. *Ann.* 63. Scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex

memoria prioris fortunæ. *Id. Germ.* 7. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Adde *eumd.* 3. *Ann.* 6. et 55. *Curt.* 3. 21. 20. Ex his, quæ tribuisset sibi, reputabat. *Ammian.* 16. 5. Reputans ex prædictis Democriti. — Hinc speciatim illæ dicendi rationes apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 47. 146. ex sui animi sententia. (Sic *Id.* 3. *Off.* 29. 108. Quod ex animi tui sententia juraris. *h. e.* secundum id quod habebas in animo). *Id.* 12. *Fam.* 4. ex senatus sententia. *Id. Cluent.* 63. 177. ex omnium sententia. *Liv.* 4. 53. ex collegii sententia. *Id.* 45. 29. ex consilii sententia. *Id.* 40. 29. ex amicorum sententia. *Plaut. Men.* 2. 2. 1. et *Merc.* 2. 3. 36. ex mea sententia. (Sic *Cic.* 2. *Fam.* 7. *a med.* Feliciter et ex mea sententia rempublicam gessimus. *secondo il mio desiderio*). *Ter. Eun.* 1. 2. 95. ex animo (*Ejus verbo sunt:* Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres. *sinceramente*). Rursus *Cic.* 3. *de republ.* 18.; et *Sall. Cat.* 42. ex senatusconsulto. (Sic *Cic.* 2. *Fam.* 13. *extr.* Decedere ex provincia ex senatusconsulto). *Cic. Quinct.* 8. 30. ex decreto. *Id.* 13. *Fam.* 56. ex edicto. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 5. 19., *Cluent.* 37. 103. et 1. *Invent.* 38. 68. ex lege. *Id.* 1. *Orat.* 10. 11. et *Mur.* 12. 26.; et *Varro* 6. *L. L.* 68. *Müll.* ex jure. *Cic.* 2. *Invent.* 45. 132. ex præscripto rem administrare. *Liv.* 1. 23.; et *Curt.* 3. 3. 20. ex fœdere. *Liv.* 5. 14. et 1. 40. ex composito. *secondo l'accordato. Id.* 42. 24. *extr.* ex instituto. *Cic. Cluent.* 13. 38.; *Sall. Jug.* 71.; *Cæs.* 1. *B. G.* 52.; *Quintil.* 2. 7. 1.; *Sueton. Cæs.* 31. et *Aug.* 32.; et *Plin.* 1. *Ep.* 2. ex consuetudine. *secondo il costume. Ter. Heaut.* 1. 2. 29.; *Sall. Jug.* 61.; *Virg.* 5. *Æn.* 244. et 8. *ibid.* 186.; *Ovid.* 14. *Met.* 156. et 15. *ibid.* 593.; *Sueton. Cæs.* 6.; *Flor.* 4. 2. 79. et 4. 7. 8.; et *Plin.* 3. *Ep.* 18. ex more. *Plaut. Capt.* 2. 2. 96.; *Ter. Hecyr.* 5. 4. 32.; *Cic.* 12. *Fam.* 10. 2. et 5. *Att.* 21. ex voluntate. *Liv.* 22. 8. et 24. 48. ex comparatione. *Sueton. Galb.* 9. ex fide. *fedelmente*, secundum fidem. *Curt.* 3. 26. 27. ex parte. *Seneca* 2. *Ira* 6.; *Curt.* 8. 23. 23.; *Plin.* 11. *Hist. nat.* 17. 17. (54). et *Ovid. Heroid.* 16. 158. ex toto. — Innumera præterea sunt, quæ huc pertinent, *ex testamento, ex censu, ex mandatis, ex pactione, ex sponso, ex empto, ex arte, ex tempore* etc. *Cic., Cæs., Vellej.* et al. — Huc pertinent etiam illa *Liv.* 12. 25. *a med.* Ex æquo fœdus facere. *h. e.* secundum æquitatem. *Tac.* 3. *Hist.* 77. Ex æquo. *egualmente*, secundum æqualitatem. *Quintil.* 11. 1. 33. Ex professo. *h.* e. secundum id, quod profitemur. — Huc adde illa, in quibus præpos. *ex* resolvit adverbia. *Cic.* 3. *Orat.* 50. 194. Ex tempore, *all'improvviso, subito. Liv.* 1. 56. Ex industria. *appostatamente. Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 123. Ex inopinato. *Liv.* 28. 39. Ex insperato. *Quintil.* 9. 2. 53.; et *Plin.* 30. *Hist. nat.* 3. 8. (23). Ex facili. *facilmente. Quintil.* 11. 3. 156. Ex integro. *di nuovo. Justin.* 11. 4. *extr.* Ex continenti. *incontinente.* Similiter *ex bono, ex aperto, ex commodo, ex diverso, ex improviso, ex tuto, ex vano,* etc. quæ vide suis locis. — Denique huc pertinent etiam illa, in quibus *ex* utilitatem, et raro admodum incommodum vel damnum significat. cujusmodi sunt *ex re, ex usu, ex utilitate, ex injuria.* Sic *Plaut. Pseud.* 1. 3. 102. Ex tua re non est, ut ego emoriar. *Ter. Phorm.* 5. 7. 76. Nun hercle ex re istius me instigasti. *Cic.* 5. *Fam.* 8. *extr.* Statues, ut ex fide, fama reque mea videbitur. Sæpius *e re publica*, ut apud *Cic.* 2. *Phil.* 28. 124., 3. *Phil.* 12. 30., 8. *ibid.* 4. 13. et 13. *Fam.* 8. 2.; *Nepot. Att.* 6.; *Liv.* 23. 24.; et *Sueton. Cæs.* 19.; et similiter *exque re publica* apud *Cic.* 3. *Phil.* 15. 38. et 5. *ibid.* 13. 36. Sic *Cic.* 1. *ad Brut.* 5. Ut tu, si arbitrarere utile eque re publica, persequerere bello Dolabellam. *Plaut. Merc.* 2. 3. 60. Verum non ex usu nostro est, neque adeo placet. Adde *Ter. Hecyr.* 4. 3. 10.; et *Cæs.* 1. *B. G.* 30. et 50., et 5. *ibid.* 6. Similiter *Plin. Paneg.* 67.; et *Tac.* 15. *Ann.* 43. Ex utilitate. *Liv.* 7. 39. Cui ex injuria insanientis exercitus causa recte committatur. *Id.* 45. 44. Si datus Gallis esset (*ager*), ignoscere Prusiam debere, si ex nullius injuria quidquam ei datum vellet populus Romanus. — *b*) Modo significat causam efficientem, occasionem, originem, unde aliquid est: et sæpe vim habet τοῦ propter, aut quamobrem. — Generatim. *Ter. Andr.* 1. 3. 11. Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est. *Id. ibid.* 3. 2. 17. Credon' tibi hoc, nunc peperisse hanc e Pamphilo? *Id. Heaut.* 5. 7. 4. Ex me atque hoc natus es. *Cic.* 1. *de republ.* 35. Ex se nati. *Id.* 2. *ibid.* 21. Ex quodam conceptus. *Id.* 1. *ibid.* 44. Ex nimia potentia principum oritur interitus principum. *Id. ibid.* Ex hac maxima libertate tyrannis gignitur. *Sall. Cat.* 12. Ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia invasere. *Id. Jug.* 48. In spem victoriæ adductus ex opportunitate loci. *Id. ibid.* 50. Veritus ex anni tempore et inopia aquæ, ne siti conficeretur exercitus. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 14. Ex lassitudine arctius dormire. *Id. Rabir. Post.* 9. 23. Vir ex doctrina nobilis et clarus. *Justin.* 3. 7. 8. Acquirere aut periculum ex invidia, aut ex suspicione proditionis infamiam. — *Ter. Andr.* 1. 5. 33. Laborat e dolore: atque ex hoc misera sollicita est. *Cic.* 2. *Tusc.* 25. 60. Ex renibus laborare. *Id.* 2. *de republ.* 21. Ex vulnere æger. *Liv.* 22. 7. Perire ex vulneribus. *Liv.* 25. 26. Ut primum videre ex gravitate loci vulgari morbos. *Quintil.* 8. 3. 66. Videbar videre quosdam ex vino vacillantes, quosdam hesterna ex potatione oscitantes. *Cic.* 2. *de republ.* 33. Quum esset ex ære alieno commota civitas. *Id. Brut.* 17. 332. Ex te duplex nos afficit sollicitudo. *Id.* 16. *Fam.* 21. 3. Quoniam igitur tum ex me doluisti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudium præstabo. *Curt.* 3. 2. 17. Sollicita ex temeraria regis fiducia. — Similiter cum v. *triumphare*, quocum sæpe jungitur præpos. *de. Cic.* 8. *Phil.* 6. 18. Ex Transalpinis gentibus majores nostri triumpharunt. *Id.* 2. *Off.* 8. 28. Ex ea urbe triumphari, sine qua numquam nostri imperatores ex Transalpinis bellis triumpharunt. *Id.* 3. *Fam.* 10. 1. Ages victor ex inimicorum dolore triumphum justissimum. *Liv.* 2. 50. Gens Fabia sæpe ex opulentissima Etrusca civitate victoriam tulit. Cf. *Vellej.* 2. 10. Victoria ex Alvernis et ex Allobrogibus. — Speciatim jungitur cum verbo *esse*, quod interdum etiam omittitur. *Cic. Fontej.* 8. 16. Inimicum esse alicui ex civilibus studiis atque obtrectatione domestica. *Liv.* 31. 36. Ex tam propinquis stativis parum tuta frumentatio erat. *Tac.* 11. *Ann.* 20. Metus ex imperatore, contemptio ex barbaris. *Id. Agric.* 16. Ex legato timor. Apud *Livium* sæpe *ex* cum suo casu ita substantivo jungitur, ut unum aliquid cum ipso efficiat, ut 2. 51. Ex hac clade atrox ira majoris cladis causa atque initium fuit. *Id.* 3. 59. Pœnæ ex inimicis. *Id.* 26. 2. Fuga ex prælio. *Id.* 1. 9. Ex plebe homines. *Id.* 1. 21. Ex opaco specu fons. *Id.* 22. 45. Ex minoribus castris aquatores. — Item speciatim usurpatur ad nominis originem significandam. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 51. Quarum ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt. *Id.* 2. *de republ.* 7. Urbem e suo nomine Romam jussit nominari. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 20.; *Justin.* 15. 4. 8., 20. 5. 9. et 43. 1. 12.; et *Tac.* 4. *Ann.* 55. et *Germ.* 2. *Ovid.* 2. *Fast.* 601. Numen ex vitio positum. *Sall. Jug.* 5. Cui postea Africano cognomen ex virtute fuit. *Flor.* 2. 6. 11. Cui (*Tarquinio*) cognomen Superbo ex moribus datum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (123). Ut in eodem genere subulonibus ex argumento dictis. *Id.* 27. *ibid.* 10. 65. (91). Holosteon sine duritia est, herba ex adverso appellata a Græcis. — Item speciatim formulæ *ex eo, ex quo* etc. præcipue cum verbo *esse* vel *fieri*. *Cic.* 6. *Phil.* 1. 1. Causa de republica primum referendi fuit ex eo, quod etc. *Id. Amic.* 13. 46. Ex eo fieri, ut etc. *Id.* 1. *de republ.* 43. Ex quo fit, ut etc. *Id.* 2. *Fin.* 5. 15. E quo efficitur, non ut etc. (*e quo* pro *ex quo* dixit etiam *Vitruv.* 1. 1.). *Cic.* 1. *Off.* 10. 33. Ex quo illud, Summum jus summa injuria, factum est jam tritum sermone proverbium. *Id.* 2. *Orat.* 37. 154. Ex quo etiam quidam, Numam fuisse Pythagoreum ferunt. *Id.* 2. *Fam.* 10. Ex quo vereor, ne idem eveniat in meas litteras. *Id.* 1. *Tusc.* 18. 42. Quod ex eo sciri potest, quia corpora nostra ardore animi concalescunt. *Id.* 6. *de republ.* 10. Hic mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus locuti) Africanus se ostendit. — Interdum etiam apud aureos scriptores occurrit *qua ex causa* pro *qua de causa*, quod postremum in posterum usu venit; ut apud *Cic.* 2. *de republ.* 7. Qua ex causa quum bellum Romanis Sabini intulissent etc. — *NB.* Hucusque allatis *Forcellinus* sequentia quoque addidit, quæ facile ad superiora referri possunt. — *a*) *Ex* interdum ponitur pro *sub. Vellej.* 1. 3. Nihil ex persona poetæ, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerant, dixerunt. — *b*) Interdum redundat. *Plaut. Merc.* 1. 2. 1. Ex summis opibus viribusque usque experiri, niti. *Flor.* 1. 9. Ex summo studio adnitus est. *Ovid.* 2. *Met.* 109. positæque ex ordine gemmæ. — *c*) Interdum ponitur pro *a* vel *ab. Quintil.* 6. 1. 41. Huic puer, quem, quid fieret, interrogabat, ex pædagogo se vellicari respondit. *Spalding.* Ita leg., alii et recentiores plerique *ab. Flor.* 3. 16. In eo tumultu regem ex satellitibus suis se appellatum, lætus accepit.

In compositione — *a*) Quod ad formam attinet, *e* ponitur ante *b, d, g, j, l, m, n* (*p* raro), *r, v*; ut *ebibo, edico, egero, ejuro, elargior, emano, enarro, epotus, erigo, evado. Ex* vero his perraro (*n* et *r* exceptis, quibus numquam), semper autem *c, f, p, q, s, t*, et vocalibus omnibus: verum ante *f* in eam suum *x* convertit, ut *excurro, effero, expedio, exquiro, exstinguo, extrico, exaudio, exedo, exhaurio, exinde, exonero, exuro.* Hucusque *Forcellinus.* Quæ vero excipiuntur, præcipua sunt *epoto* et *expotus*; *escendo* et *exscensio, ecferre, ecfari, ecfodio* una cum *efferre, effari, effodio*; item *exbibit* et *ebibo*; *exballisto, exbola*; *exdorsuo*; *exfututus* et *effutuo*; *exfibulo*; *exlex* etc. Denique si post *x* littera *s* sequatur, hæc sæpe omittitur, ut in *excidium* pro *exscidium* ab *exscindo*; quamquam MSS. Codices eam retinent præcipue in *exsul, exspecto, exspolio, exstinguo* etc. V. *K. L. Schneider, Gramm. d. lat. Spr.* 2. 551. — *b*) Quod ad significationem attinet, præpositio *ex* — *α*) Significat motum ab intima rei parte ad externam, ut *educere, elabi, evadere, ejicere, exponere*; interdum etiam ita ut res ab inferiore in superiorem partem ferri denotet, ut *efferre, effervescere*; immo aliquando indicat, rem a natura sua quoddamodo exire eaque exui, ut *effeminare, efferare*; eoque pervenit, ut privationem significet ut *exspes, elinguis, exanimare.* — *β*) Item significat actionem aliquam perfici sive ad finem perduci, ut *exaudire, enavigare, eniti, excedere*; atque adeo interdum τῷ *omnino* respondet, ut *emori, enecare, evincere*; vel augmentum solummodo notat, ut *exclamare*; quod etiam paullatim evanuisse videtur, ut *edurus, efferus, egelidus.* — *Forcellinus* ordinem quoque significare ait, ut *exinde.* — Ceterum jungitur nonnunquam aliis præpositionibus, ut *exadversum, exinde, exante, etc.* quæ *V.* suis locis.

EXĂBUNDO, as, are, n. 1. (ex *et* abundo) valde abundare. *Salvian.* 4. *advers. avar.* 6. Heredes mei de meo affluunt, immensarum divitiarum copiis exabundant.

EXĂBŪSUS, a, um, particip. ab inus. *exabutor*, qui valde abusus est. *Ammian.* 25. 7. Quo temporis spatio antequam hi (*legati*) mitterentur, si exabusus Princeps paullatim terris hostilibus excessisset, profecto venisset etc.

EXĂCĔO, es, etc. *V.* EXACESCO.

EXĂCERBĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exacerbandi. *Jul. Rufinian. de schem. dian. p.* 52. *Capper.* Sarcasmus est figura, qua adversariorum facta cum exacerbatione admissi eorum lacessimus. *Empor. de deliberat. spec. ad fin.* Id potissimum custodire debemus, ut his, quibus consilium demus, etiam si detestabilia cogitent, sine convicio ac sine exacerbatione dicamus. Adde *Salvian.* 4. *Gub. D.* 7.

EXĂCERBĀTRIX, īcis. f. 3. quæ exacerbat. *Salvian.* 3. *Gub. D.* 9. Ipsa Ecclesia, quæ in omnibus esse debet placatrix Dei, quid aliud est quam exacerbatrix Dei?

EXĂCERBĀTUS, a, um. *V.* EXACERBO.

EXĂCERBESCO, is, ere, n. *inchoat.* 3. valde acerbus fio. *Apul. de Mag.* Quis est tam mitis, quin exacerbescat?

EXĂCERBO, as, āvi, ātum, are, a. 3. (ex *et* acerbo). Part. *Exacerbatus* 1. — Exacerbare proprie est valde acerbum facere; sed occurrit translate tantum, et ¶ 1. Est irritare, ad iracundiam provocare. *Liv.* 8. 33. Quum affirmarent infestius Papirium exarsurum, agitatum contentione ipsa exacerbatumque. *Id.* 2. 43. *extr.* Odium irritatum exacerbatumque militum in ducem. *Id.* 2. 35. *extr.* Ut recenti aliqua ira exacerbarentur animi. *Id. ibid.* 46. Contumeliis exacerbare hostes. *Sueton. Tib.* 62. Auxit sævitiam exacerbatus indicio de morte filii. *Id. Galb.* 16. Atque eo quidem nomine omnes, qui ubique erant, exacerbavit. *Mamertin. Genethl. Max.* 5. Exacerbatus injuriis. — De graviter dolente, *Plin.* 8. *Ep.* 5. Habet quidem Macrinus grande solatium, quod tantum bonum tamdiu tenuit: sed hoc magis exa-

cerbatur, quod amisit. ¶ 2. Apud JCtos occurrit de pœna, quæ gravior fit, et est exasperare. *Claud. Saturnin. Dig.* 48. 19. 16. § 10. Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimium multis personis grassantibus exemplo opus est. Adde *ibid.* 4. 7.

EXĂCERVANS, antis, particip. ab inusit. *exacervo*, sensu passivo, idem quod exacervatus, acervatim congestus. *Ammian.* 23. 5. Retortis plebs universa cervicibus exacervantia in se tela declinans spargitur passim.

EXĂCESCO, ăcescis, ăcŭi, ăcescere, n. *inchoat.* 3. (ex et acesco). Juxta *Forcellinum* Præsens est *exaceo.* — Ceterum exacesco est acidus fio. Occurrit tantum Præter. Perf., et quidem

I.) Proprie. *Colum.* 12. *R. R.* 17. 1. Deinde quum ficus exacuit et remisit liquorem etc.

II.) Translate est idem quod exacerbari. *Inscript.* optimæ notæ apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 138. FATEAR NECESSE' ST, ADEO ME EXACVISSE, VT EXCESSERIM MENTE.

EXĂCISCLO, as, āvi, are, a. 1. verbum conflatum ex præposit. *ex*, et *acisclus* per syncopen pro *acisculus*, qui est parvus malleus, vel ascia. *Inscript. Aquilejensis* apud *Murat.* 1028. 2. SI QVIS HANC ARCAM, SIVE HOS MONIMENT. VENDERE, AVT EMERE, AVT EXACISCLARE VOLET, POENAE NOMINE etc. *Alia Aquilejensis* apud *eumd.* 1301. 7. et apud *Donat. cl.* 12. *n.* 27. SI QVIS HANC ARCAM APERVERIT, AVT EXACISCLAVERIT, ET ALIVD CORPVS POSVERIT etc. *h. e.* dissolverit, fregerit, destruxerit. *Alia* apud *Kellerman. Vig. laterc. p.* 73. *n.* 300., quæ est apud *Henzen.* 7337. SI QVIS HANC AR. EX. ACISCLAVER. (sic).

EXĂCON, i, n. 2. Exacon Galli vocant herbam (*centaureum*), fel terræ Latinis dictam, quoniam omnia mala medicamenta potum e corpore exigat per alvum. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 31. (68). *Sillig* ex optimis Codicibus legit *exacum.* Ceterum *V.* CENTAUREUM.

EXACTĒ, adverb. Comp. *Exactius* et Sup. *Exactissime.* — Exacte est accurate, diligenter. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. Ut exacte perorantibus mos est. *Gell.* 1. 3. Theophrastus super hac re exactius, quam Cicero, disserit. *Mela* 1. *proœm.* Dicam alias plura et exactius. *Sidon.* 5. *Ep.* 11. Exactissime pascere.

EXACTĬO, ōnis, f. 3. (exigo) acerba et imperiosa petitio (It. *richiesta, pretesa, esazione*; Fr. *action d'exiger*; Hisp. *el acto de exigir*; Germ. d. *Forderung, Abforderung, Einforderung*; Angl. an *exaction*).

I.) Proprie duo diversa significat: scilicet

A) Exactio, a v. *exigere* qua significat expellere, est ejectio, expulsio, ut apud *Cic.* 1. *Orat.* 9. 37. Exactio regum.

B) Exactio est etiam ab eodem v. *exigere* qua significat reposcere, flagitare; et ¶ 1. Generatim *exactio operis* dicitur, quum certum pensum in singulos dies exigitur. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 25. Nulla est autem vel nequissimi hominis amplior custodia, quam quotidiana operis exactio. *Id.* 1. *ibid.* 8. 11. eadem prorsus habet. ¶ 2. Speciatim est quæcumque petitio crediti. *Cic.* 5. *Att.* 1. Ne extrema exactio nostrorum nominum exspectetur. Adde *eumd.* 2. *Legg.* 20. 51.; et *Liv.* 38. 38. *Scævola Dig.* 42. 8. 21. Si juste exegerit, ceteri creditores neglexerint exactionem. ¶ 3. Hinc est etiam vectigalium et tributorum collectio. *Cic.* 3. *Fam.* 8. 5. Atque hoc tamen te scire volo, me de isto sumptu legationum aut minuendo aut remittendo decrevisse nihil, nisi quod principes civitatum a me postulassent, ne in venditionem tributorum et illam acerbissimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum atque ostiorum inducerentur sumptus minime necessarii. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. Magno pondere auri coacto de publicis exactionibus. *Tac.* 13. *Ann.* 51. Quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant.

II.) Improprie, sed tamen raro, significat operis absolutionem et perfectionem. *Vitruv.* 3. 1. Ut etiam in operum perfectionibus, singulorum membrorum ad universam figuræ speciem habeat commensus exactionem. *Id.* 6. 11. Quum magnificenter opus perfectum adspicietur a domini potestate, impensæ laudabuntur; quum subtiliter, officinatoris probabitur exactio: quum vero venustate, proportionibus et symmetriis habuerit auctoritatem, tunc fuerit gloria architecti. *Auson. Edyll.* 11. 5. plenique exactio partus.

EXACTOR, ōris, m. 3. qui exigit; et duo præcipue significat (*V.* voc. praeced. sub I.) scilicet

A) Qui aliquem expellit, expulsor. *Liv.* 9. 17. Ita deinde exactores regum Junii Valeriique.

B) Item qui aliquid exigit, *esattore*, πεπραχτωρ; et occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) In bonam partem est qui aliquid exigit et peragit. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 10. Opus est autem perito et vigilante (operis) exactore. Cf. *Liv.* 15. 37. Sic *Inscript.* apud *Don. cl.* 5. *n.* 139. Q. ANNIO JANVARIO EXACTORI OPERVM PVBL. ET THEATRI A FVNDAMENTIS. *Alia* apud *Gruter.* 594. 1. EXACTOR OPERVM DOMINICORVM. et 1. CAESARIS EXACTOR PRAEDIORVM LVCILIANORVM. Sic *Quintil.* 1. 3. 11. Assiduus studiorum exactor. *h. e.* qui instat et pensum studiorum exigit. *Id.* 1. 7. 34. Asper recte loquendi exactor. *Sueton. Gramm.* 22. Sermonis Latini molestissimus exactor. *Id. Cæs.* 65. Exactor gravissimus disciplinæ. — Similiter *Liv.* 2. 5. Exactor supplicii. *h. e.* qui supplicium sumi imperat. Adde *Tac.* 3. *Ann.* 14. et 11. *ibid.* 37. — *b*) In malam partem, seu cum addita severitatis vel sævitiæ significatione. *Cæs.* 3. *B. C.* 32. Erat plena lictorum et imperiorum provincia, differta præfectis et exactoribus. Adde *Liv.* 28. 25.; et *Dig.* 50. 4. 18. § 8. ¶ 2. Speciatim *exactor* dicitur, qui reipublicæ vectigalia exigit. *Ulp. Dig.* 22. 1. 33. ¶ 3. Item *exactor auri* est, qui aurum exigit ad obrussam et probat. *V.* OFFICINATOR.

EXACTRIX, īcis, f. 3. quæ exigit et postulat. *Augustin. Ep.* 135. Epistola mea nova rescriptorum exactrix fuit.

EX ACTUĀRIO, indecl. *vel* exactuarius, ii, m. 2. qui fuit actuarius in militia: *V.* ACTUARIUS. *Inscript.* apud *Rénier.* 102. EX A. AVREL. FELIX. *h. e.* ex actuario. *Ibid.* EX A. L. VARIVS FELIX. *h. e.* ex actuario legati. *Ibid.* EX A. R. AVREL. FLORENTIS. *h. e.* ex actuario evocatus.

EXACTUS, a, um. *V.* EXIGO.

EXACTUS, us, m. 4. sumitur pro venditione, quia merx, dum venditur, exigitur a nobis, idest emittitur. *Quintil.* 12. *Declam.* 19. Sacrosanctus mercator opportunum mercis exactum, puto, invenit. Græce ἐξαγωγήν.

EXĂCUM, i, n. 2. *V.* EXACON.

EXĂCŬO, ăcŭis, ăcŭi, ăcŭtum, ăcŭere, a. 3. (ex *et* acuo). Part. *Exacuens* II. 2.; *Exacutus* I. et in fin.; *Exacuendus* II. 2. — Exacuere, ὀξύνω, est idem quod acuere, aut valde vel omnino acuere (It. *aguzzare, affilare molto*; Fr. *rendre très-aigu, aiguiser, affiler*; Hisp. *aguzar, afilar*; Germ. *sehr scharf machen, überaus schärfen, zuspitzen*; Angl. *to wet, sharpen, make a sharp edge or point*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *G.* 264. Exacuunt alii vallos furcasque bicornes. *Id.* 3. *ibid.* 255. dentesque Sabellicus exacuit sus. *Id.* 4. *ibid.* 74. Spiculaque exacuunt rostris. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 12. Ridicas dedolatas utraque parte exacuere. *Id.* 2. *ibid.* 18. 2. Fœnum in metas exstrui conveniet easque ipsas in angustissimos vertices exacui. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (124). Cornua in leve fastigium exacuta. *Id.* 29. *ibid.* 6. 39. (141). Blattæ exacuta clune. *Id.* 17. *ibid.* 17. 27. (123). Exacutus truncus. *Id.* 28. *ibid.* 4. 12. (47). Cos, qua ferramenta sæpe exacuta sunt. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (146). In exacuendo oleares cotes aquariæque differunt.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur — *a*) De rebus physicis, et de corporis sensibus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 30. (93). Scilla nata aceto exacuendo. *ad inacetire.* *Id.* 21. *ibid.* 11. 59. (99). Ros marinum oculorum aciem exacuit. *purga, rischiara.* *Id.* 29. *ibid.* 6. 38. (132). Scarabæi natura contuentium visum exacuit. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 13. Sapor exacuit palatum. *aguzza l'appetito.* — *b*) Item de aliis, ac præcipue de mente. *Cic.* 3. *Legg.* 9. 21. Mucronem tribunicium exacuere in aliquem. Et poetice *Colum.* 10. *R. R.* 392. Noxius (cucumis) exacuit morbos æstatis iniquæ. *h. e.* auget, vires morbis addit. Rursus *Cic.* 1. *Legg.* 23. 60. Ut oculorum, sic ingenii aciem exacuere ad bona deligenda et rejicienda contraria. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 50. (127). Nasturtium Venerem inhibet, animum exacuit. *h. e.* acutum ac perspicacem reddit, *risveglia lo spirito.* ¶ 2. Dicitur etiam de animo, et est stimulare, incitare quasique pungere, *pungere, stimolare*, sive idem est atque excitare, cohortari, eique *deterrere* opponitur apud *Cic.* 1. *Orat.* 29. 131. Nec magis ad eos deterrendos, qui non possent, quam ad vos, qui possetis, exacuendos accommodavi orationem meam. *Id.* 12. *Att.* 36. 2. Velim cohortere et exacuas Cluatium. *Horat. Art. P.* 402. mares animos in Martia bella Versibus exacuit. *Nepos Phoc.* 4. Plurimi exacuebantur, propter proditionis suspicionem. *Plin.* 3. *Ep.* 7. 15. Ἀγαθὴ δ' ἔρις, quum invicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt. *Sil. It.* 7. 142. exacuens varia ad concanima mentem. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Exacutus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Exacutior* apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (173). Latior cuspis, sed exacutior. *Harduin.* legit *et acutior* ex MSS., quam lectionem retinuit et *Sillig.*

EXĂCŪTĬO, ōnis, f. 3. actus exacuendi. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (106). Calami exacutio medullam ne nudet.

EXĂCŪTUS, a, um. *V.* EXACUO.

EX ADJŪTŌRE, indecl. m. qui fuit adjutor in militia. *Inscript.* apud *Rénier.* 1371. L. SEXTIO VALERIANO *veterano* EXADIVTORE PRINCIPIS LEGIONIS III. AVGVSTÆ. *Alia* apud *eumd.* 1194. D. M. S. SPANI VICTORIS EXADIVTORE.

EXADVERSUM *vel* exadvorsum, *et* exadversus *vel* exadvorsus, est idem quod adversum *vel* adversus, *di contro, in faccia*; et usurpatur tanquam *A*) Adverbium, vel *B*) Præpositio.

A) Adverbiorum more occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 37. Video exadversum Pistoclerum et Bacchidem. *Ter. Phorm.* 1. 2. 47. Ea sita erat exadversum. *Id. Adelph.* 4. 2. exadversum quam proxime collocat. *Ammian.* 23. 6. Post quos exadversum Arachusia visitur. — *b*) Sequente Dativo. *Ter. Phorm.* 1. 2. 38. Exadvorsum ei loco tonstrina erat quædam. *Apul. Florid.* Samos Icario in mari modica insula est exadversum Mileto, ad occidentem ejus sita.

B) Est etiam præpositio, quæ regit Accusat. *Cic.* 1. *Divinat.* 45. 101. Ara Ajo Loquenti exadversus eum locum consecrata est. *Nepos Themist.* 3. Quo factum est, ut ab Artemisio discederent et exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 16. 18. (48). Gens hæc obtinet aversa montis Paropamisi exadversus fontes Indi.

EXADVŎCĀTUS, i, m. 2. qui advocati munere functus est. *Augustin.* 22. *Civ. D.* 8.

EXÆDĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod ædificatio, vel ædificationis absolutio. Translate *Cic.* 2. *Orat.* 15. 63. Ipsa autem exædificatio posita est in rebus ac verbis. *h. e.* constructio orationis.

EXÆDĬFĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXÆDĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* ædifico). Part. *Exædificatus* sub *A.* 1. — Exædificare duo diversa significat, scilicet *A*) Est ædificium absolvere; vel *B*) Ex ædibus seu domo ejicere.

A) Exædificare est idem fere quod ædificare, seu potius ædificium absolvere.

1.) Proprie. *Cæs.* 1. *B. C.* 15. Quod oppidum Labienus constituerat suaque pecunia exædificaverat. *Sall. Cat.* 12. Domus et villæ in urbium modo exædificatæ. *Cic.* 7. *Verr.* 19. 48. Capitolium exædificari atque effici potuit. *Id. ibid.* 18. 46. Exædificare navem. *Orellius* vero legit *ædificare.* *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 40. 126. Ne exædificatum quidem hunc mundum divino consilio existimo. *Liv.* 1. 56. Exædificare templa deum. *Id.* 30. 3. *sub fin.* Hibernacula, congesta temere ex agris materia, exædificata.

II.) Translate est quodcumque opus perficere. *Plaut. Trin.* 1. 2. 95. Qui exædificaret suam inchoatam ignaviam. *Cic.* 1. *Orat.* 35. 161. Ne graveте exædificare id opus, quod instituisti.

B) Ratione habita etymi pro domo ejicere, joculariter *Plaut. Trin.* 5. 2. 3. Nam exædificavisset me ex his ædibus.

EXÆQUĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exæquandi. ¶ 1. Abstracte *Liv.* 34. 4. Hanc ipsam exæquationem non fero. — Et pro æqua divisione. *Lex Rom.* seu *resp. Papiani* (edit. ab *Amadut.*) tit. 17. *l.* 5. *Nov. p.* 204. Agri quoque communis nullis terminis delimitati exæquationem inter consortes nullo tempore denegandam. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est id quod exæquatum est. *Vitruv.* 5. 12. Deinde insuper eam exæquationem pila struatur. *h. e.* super illam planitiem.

EXÆQUĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXÆQUO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et æquo). Part. *Exæquatus* I. et II. 1.; *Exæquandus* II. 1. — Exæquare duo parum diversa significat: scilicet

A) Est æqualem facere, adæquare, ἐξισόω (It. *far uguale, uguagliare*; Fr. *égaliser, rendre uni, aplanir, mettre de niveau, niveler*; Hisp. *igualar, allanar, nivelar*; Germ. *ausgleichen, etwas mit einer Sache gleichmachen*; Angl. *to make equal or even, make plane or smooth, level*).

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 4. 4. 43. Argentum argento exæquabitur. *Varro* 1. *R. R.* 40. *sub fin.* Cortex cum cortice exæquatus. *Vitruv.* 5. 12. 3. Isque pulvinus exæquata struatur planitie. *et mox* § 4. Tunc proclinatio ea impleatur arena, et exæquetur cum margine et planitie pulvini. Cf. *Auct. B. Hisp.* 5. Hic alteri alteris non solum mortem morti exaggerabant, sed tumulos tumulis exæquabant.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim metaphorâ sumptâ a superiore paragr. *Lucret.* 1. 80. nos exæquat victoria cælo. *Id.* 5. 1295. exæquata certamina belli. *Cic. post redit. ad Quir.* 9. 22. Propterea quod superiorem esse contra improbos minus est negotii, quam bonis exæquari. *Id. Amic.* 20. 71. Qui sunt in amicitiæ conjunctionisque necessitate superiores, exæquare se cum inferioribus debent. *Id.* 4. *Herenn.* 18. 25. Qui, quum plures erant, paucis nobis exæquari non poterant. *Id.* 4. *Verr.* 50. 123. Iste, qui omnia jura pretio exæquavit, omniumque rerum delectum atque discrimen pecunia sustulit. *Cæs.* 1. *B. C.* 4. Neminem dignitate secum exæquari volebat. *Sall. Cat.* 3. Arduum videtur res gestas scribere, quod facta dictis exæquanda sunt. *Id. ibid.* 59. Exæquare periculum. *Id. Jug.* 100. Uti militibus exæquatus cum imperatore labor esset. *Liv.* 3. 39. Exæquare libertatem. *Id.* 23. 35. Vetus miles tironi exæquatus. *Id.* 34. 3. Exæquari ad extremum viris patiemini. *Seneca Ep.* 20. Unam semel, ad quam vivas, regulam prende, et ad hanc omnem vitam tuam exæquas. ¶ 2. Speciatim est examinare, exigere, ad exagium comparare, *saggiare*. In grandi lapide Pompejis reperto, novemque cavis mensuris variæ magnitudinis insigni hæc, quam ipse vidi et exscripsi (loquitur cl. *Furlanetto*), exstat *Inscript.* A. CLODIVS A. F. FLACCVS. N. ARCAEVS N. F. ARELLIANI CELADVS DVumviri IVRE Dicundo MENSVRAS EXAEQVANDAS EX DECurionum DECreto curarunt. Similiter *Inscript.* Minturnæ reperta, quinque cavis mensuris insignis, in *Bullettin. archeol. a.* 1841. *p.* 170. L. GELLIVS L. F. POBLICOLA, L. CARDICIVS C. F. DVO VIR. EX S. C. PONDERA ET METRA EXAEQVARVNT. *V.* EXIGO. — *NB.* Quidam Lexicographi addunt *Exæquor, aris*, deponens, allato exemplo *Auctoris Paneg. ad Pis.* 25., sed ibi, pro *exæquamur*, alii legunt *exæquamus*.

B) Item est æqualis sum; et cum Accusativo occurrit pro assequi. *Cic.* 4. *Herenn.* 20. 28. Ut longitudo aut plenitudo harum multitudinem alterius assequatur et exæquet. *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 61. exæquet tetricas licet illa Sabinas.

EXÆSTIVO, as, are, n. 1. idem quod æstivo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 113.

EXÆSTŬĀTĬO, ōnis, f. 3. exæstuandi actus.

I.) Proprie. *Solin.* 5. *circa med.* In medio flumine subita exæstuatione fervescit.

II.) Translate. *Non. p.* 494. 19. *Merc.* Exæstuatio animi.

EXÆSTŬO, as, āvi, ātum, are, I. (ex et æstuo). Part. *Exæstuans* sub *A.* I. 1. — Exæstuare occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more exæstuare, ἐκκαχλάζω, est idem quod æstuare, aut valde æstuare, æstuando exundare, ebullire (It. *uscire ondeggiando, bollire*; Fr. *s'élever en bouillonnant, bouillonner*; Hisp. *levantarse borbotando, borbotar*; Germ. *hervorwallen, aufwallen, aufbrausen*; Angl. *to boil, be in great ferment, boil over*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a*) De aqua. *Liv.* 26. 42. Ab occasu stagnum claudit —; incertæ altitudinis, utcumque exæstuat aut deficit mare. Sic *Curt.* 6. 4. 19. Exæstuans mare. *Id.* 4. 2. *med.* Exæstuare semper fretum, quoque arctius volutetur, hoc acrius furere. *Virg.* 3. *G.* 240. ima exæstuat unda Vorticibus, nigramque alte subjectat arenam. *Sueton. Aug.* 18. Fossæ, in quas Nilus exæstuat. *Curt.* 4. 7. 22. Fons aquæ media nocte fervida exæstuat. — *b*) De Vulcanis et similibus. *Virg.* 3. *Æn.* 577. *de Ætna.* fundoque exæstuat imo. Cf. *Justin.* 4. 1. 7. Bitumen in illis locis passim e terra exæstuat. ¶ 2. Latiori sensu est æstu, seu calore laborare, *aver gran caldo. Justin.* 2. 1. 16. Ægyptus torrente calore solis exæstuat. Et absolute *Sueton. Tib.* 72. Et ut exæstuarat, afflatus aura in graviorem recidit morbum.

II.) Translate de vehementibus animi motibus. *Virg.* 9. *Æn.* 798. mens exæstuat ira. Adde *Ovid.* 6. *Met.* 623. et 13. *ibid.* 559. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 63. Strangulat inclusus dolor atque exæstuat intus. *Id.* 13. *Met.* 867. Uror enim; læsusque exæstuat acrius ignis. *h. e.* vis amoris. *Lucan.* 5. 173. *de vate plena deo.* magnoque exæstuat igne Iratum te, Phœbe, ferens.

B) Active est æstuando emittere. *Lucret.* 6. 816. Hos igitur tellus omnes exæstuat æstus, Exspiratque foras in aperta promptaque cæli. Adde *eumd.* 2. 1137. *Stat.* 11. *Theb.* 297. miseramque exæstuat iram. h. e. effundit, egerit. Plerique tamen rectius leg. *miserâ irâ*.

EXÆVĬO. *V.* EXSÆVIO.

EXĂGELLA, æ, f. 1. *deminut. ab* exagium. *Ennod. Opusc.* 2. *a med.* Omnibus in itinere positis munificus, communis, affabilis, et, quasi exagellam relinquens, seipso præstantior.

EXAGGĔRANTER, adverb. Occurrit translate tantum pro exaggerando et amplificando apud *Tertull. de carne Christ.* 19. Tam exaggeranter inculcavit.

EXAGGĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. aggerum constructio.

I.) Proprie. *Justin.* 2. 1. *sub fin.* Ægyptus sive exaggerationibus regum, sive Nili trahentis limum, terrarum recentissima videtur. *Al. leg.* aggerationibus.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro altitudine et excellentia. *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 64. Hoc tibi propone, amplitudinem, et quasi quandam exaggerationem quam altissimam animi, qui maxime eminet in contemnendis et despiciendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam. ¶ 2. Item pro amplificatione oratoria, quum pluribus verbis una eademque res vehementer dicitur. *Gell.* 13. 24. Num onerandi, vel exprobrandi criminis causa exaggerationem aliquam speciosam facit? *et paullo post.* Apud Homerum ejusdem rei atque sententiæ luculenta exaggeratio est.

EXAGGĔRĀTOR, ōris, m. 3. Translate *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 28. Quidquid novum insonuerit, aut auctor, aut exaggerator est famæ. *h. e.* amplificans, augens.

EXAGGĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXAGGĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et aggero). Part. *Exaggerans* II.; *Exaggeratus* I., II. et in fin.; *Exaggerandus* I. et II. — Exaggerare, ἐγχώω, est in aggerem extollere, adeoque coacervare, cumulare (It. *innalzare a guisa d' argine*; Fr. *élever par des terres rapportées, entasser*; Hisp. *amontanar, cumular*; Germ. *aufdämmen, einen Damm aufwerfen*; Angl. *to heap up*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 10. 22. Locum operibus exaggerare. *h. e.* aggere circumdare. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (139). Cauliculos a terra attollentes se, exaggerando aliam, accumules. *Id.* 36. *ibid.* 14. 21. (96). Eronibus arena plenis mollis clivus super capita columnarum exaggeratus. *Curt.* 6. 5. 17. Aggesta humo e montibus, planitiem exaggerare. *terrapienare, alzare.* — Latiori sensu *Colum.* 8. *R. R.* 11. 9. Pluribus stramentis exaggerandum est aviarium, quo tutius integri fetus excipientur. — Huc referri possunt et illa, quamquam figurate dicta, *Auct. B. Hisp.* 5. Mortem morti exaggerare. *h. e.* accumulare. et *Vellej.* 2. 129. 2. Quibus juventam ejus exaggeravit honoribus! *accumulò, ingrandì, promosse.*

II.) Translate est augere, amplificare; et occurrit — *a*) Raro de re familiari. *Cic.* 1. *Off.* 26. 92. Rem familiarem omni ratione exaggerantes. *Id.* 4. *Cat.* 9. 19. Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas una nox pæne delerit. *Phædr. prol.* 3. Magnas opes exaggerare. *accumulare.* — *b*) Sæpius de oratione. *Cic.* 3. *Orat.* 27. 105. Nihil est ad exaggerandam et amplificandam orationem accommodatius. *Id. Orat.* 57. 192. Neque humilem, neque abjectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat. Sic *Id. Brut.* 17. 66. Catonis luminibus obstruxit hæc quasi exaggerata altius oratio. *Id.* 1. *Orat.* 55. 234. Exaggerare aliquid oratione. *amplificare, ingrandire. Id.* 2. *ibid.* 72. 292. Exornare et exaggerare. *Id. Planc.* 29. 71. Exaggerare beneficium verbis. *Id.* 5. *Tusc.* 18. 51. Xenocrates exaggerans tantopere virtutem, extenuans cetera et abjiciens. *Quintil.* 6. 2. 23. Exaggerare injurias suas. *h. e.* majores atrocioresque verbis facere. *Id.* 8. 3. 88. indignitatem. *Id.* 9. 2. 53. immanitatem parricidii vi orationis. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Exaggeratus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Exaggeratior*. Translate *Cic.* 5. *Parad.* 3. 41. Siquidem animo excelso et alto et virtutibus exaggerato sumus. *Petron. Satyr.* 124. Exaggerata verborum volubilitate, unde, aut qui essemus, indicavimus. *con grand' abbondanza di parole. Gell.* 13. 24. *a med.* Neque ornatius fit, additis manubiis; neque exaggeratius modulatiusve.

EXĂGĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. vehemens agitatio. Ita morborum vi *Theod. Priscian.* 2. 1. Docuit enim natura omnium gubernatrix, initiis omnium exagitationum, sub quacumque sorte causarum advenientium, quando præsentis commotionis tempestate naturalis ille vapor turbatus recessus interiores petierit, etc. Adde *eumd.* alibi sæpe.

EXĂGĬTĀTOR, ōris m. 3. qui exagitat et insectatur. *Cic. Orat.* 13. 42. Plato quidem exagitator omnium rethorum hunc miratur unum.

EXĂGĬTĀTUS, a, um. *V.* voc seq.

EXĂGĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et agito). Part. *Exagitans* II. 3.; *Exagitatus* in omnibus paragr.; *Exagitandus* I. et II. 3. — Exagitare est ex loco aliquo expellere, per vim exturbare (It. *cacciar fuori con forza*; Fr. *pousser dehors avec force*; Hisp. *pujar fuera violentamente*; Germ. *aus seiner Lage oder Stellung heraustreiben*; Angl. *to drive out or away, expel*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Lucret.* 6. 583. Incita quum vis (*venti*) Exagitata foras erumpitur. *Ovid.* 3. *Art. am.* 662. Ut lepus hic aliis exagitatus erit. *Al. leg.* exagitandus. Cf. *Sil. It.* 16. 553. Ducere assuetos lustra exagitare ferarum Venatu juvenes. *Colum.* 12. *R. R.* 19. 4. Quos (*fasciculos*) possit usque ad fundum vasorum demittere, ut quidquid fæcis subsederit, exagitet et in summum reducat. ¶ 2. Latiori sensu est commovere, concitare, turbare. *Stat.* 3. *Theb.* 514. volucres planctum imitantibus alis Exagitant Zephyros.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est valde agitare, persequi, vexare, divexare, uno verbo insectari, *esagitare, dar la caccia, perseguitare, travagliare. Cic.* 1. *Att.* 16. 8. Insectandis exagitandisque nummariis (*al.* nummulariis) judicibus omnem omnibus studiosis ac fautoribus illius victoriæ παῤῥησίαν eripui. *Id.* 5. *Verr.* 18. 46. Diffugerant permulti, nec solum arationes, sed etiam sedes suas patrias, istius injuriis exagitati, reliquerant. *Cæs.* 4. *B. G.* 1. Causa transeundi fuit, quod ab Suevis complures annos exagitati bello premebantur et agricultura prohibebantur. *Nepos Themist.* 9. Ad te confugi exagitatus a cuncta Græcia. *Val. Flacc.* 8. 103. Exagitare aliquem toto mari. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 54. At omnes di exagitent me, si quidquam. *Ovid.* 5. *Fast.* 141. Exagitant et Lar et turba Diania fures. *Propert.* 2. 7. 81. Exagitet nostros manes, sectetur et umbras, Insultetque rogis, calcet et ossa mea. *Sueton. Ner.* 34. Confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum ac tædis ardentibus. *Sall. orat. contra Lepid.* Scelerum conscientia exagitati. *Id. Cat.* 14. Quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat. *Id. ibid.* 29. Rem ad senatum refert, jam antea vulgi rumoribus exagitatam. *Forcellinus* leg. *exagitatam*, scilicet *rem*, et interpretatus est tractatam, disputatam: at V. *Kritz.* ad h. l. ¶ 2. Hinc est conviciis mordere, explodere, improbare, rejicere, *svillaneggiare, disapprovare, rigettare. Cæs.* 1. *B. C.* 2. Hi omnes convicio consulis correpti exagitabantur. *Cic. Orat.* 8. 27. Quonam igitur modo audiretur Mysus, aut Phryx Athenis, quum etiam Demosthenes exagitetur ut putidus? Cf. *Sueton. Aug.* 86. Rursus *Cic.* 3. *Orat.* 16. 59. Inventi sunt, qui hanc dicendi exercitationem exagitarent atque contemnerent. *Id.* 9. *Fam.* 11. 3. Accipitur satis male a Curione, et totus ejus secundus consulatus exagitatur. *Id. Orat.* 44. 149. Esset cum infinitus tum puerilis labor: quod apud Lucilium

scite exagitat in Albucio Scævola: Quam lepide lexeis compostæ etc. *Id. Cluent.* 36. 101. Exagitabantur omnes ejus fraudes atque fallaciæ: tota vita in ejusmodi ratione versata aperiebatur. *Forcellinus* h. l. interpretatus est excutere, examinare. *Id. Sull.* 21. 60. Colonorum dissensio delata ad patronos est, quum jam inveterasset ac multos annos esset exagitata. *Forcellinus* h. l. interpretatus est tractatam, disputatam. — Huc referri potest et illud ejusdem *Cic. 6. de republ.* 26. Eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, in hunc locum, nisi multis exagitati sæculis, revertuntur. ¶ 3. Speciatim ponitur pro excitare, commovere, irritare. — *a*) De hominibus; et quidem in malam partem. *Sall. Cat.* 38. Cœpere (*tribuni*) senatum criminando plebem exagitare, dein largiundo atque pollicendo magis incendere. *Id. Jug.* 73. Exagitare vulgum. Cf. *Stat.* 5. *Theb.* 96. rabidis clamoribus urbem Exagitat. Et poetice *Lucan.* 2. 688. ne litora clamor Nauticus exagitet, neu buccina dividat horas, Præcepit sociis. — In bonam partem. *Cic. Orat.* 3. 12. Et hujus (*Platonis*) et aliorum philosophorum disputationibus exagitatus maxime orator est et adjutus. Cf. alio sensu *Sall. Jug.* 67. At illum jam antea consulatus ingens cupido exagitabat. *h. e.* impellebat, agebat. — *b*) De abstractis. *Sall. Cat.* 48. Quia in tali tempore tanta vis hominis leniunda, quam exagitanda videbatur. *h. e.* irritanda. *Tac.* 4. *Ann.* 12. Vetus Augustæ odium, recentem Liviæ conscientiam exagitare, ut superbiam – apud Cæsarem arguerent. — *c*) Et de ipsis malis animi motibus pro excitare. *Cic.* 3. *Att.* 7. 2. Non faciam, ut enumerem miserias omnes, in quas incidi, ne et meum mœrorem exagitem et te in eumdem luctum vocem. *h. e.* commoveam et exasperem. *Lucan.* 8. 43. tristes præsagia curas Exagitant. *h. e.* movent, excitant, *destano. Catull.* 64. 94. exagitans immiti corde furores. *h. e.* versans, concipiens.

EXĀGĬUM, ii, n. 2. ἐξάγιον (ex *et* ago: *cf.* examen), ponderatio, pondus. *Edictum L. Turcii Aproniani* præfecti Urbis an. Chr. n. 362. apud *Gruter.* 617. 6. itemque apud *Orell.* 3166. SVB EXAGIO PECORA VENDERE. *h. e.* expendendo, scilicet ad libram: hinc Ital. *saggio*, Hisp. *ensayo*, Fr. *essai*. Sic *Gloss. Philox.* Ἐξάγιον, pensatio: ἐξαγιάζω, examino. — *Exagium solidi* legitur in nummo æreo Honorii Aug. apud *Eckhel. D. N. V. T.* 8. *p.* 511. fuitque pondus explorando legitimo solidi ponderi destinatum; solidum vero fuit sexta pars unciæ Romanæ sub Constantino Aug. et ejus successoribus. *Impp. Theod. et Valentinian. Novell.* 25. De ponderibus quoque ut fraus penitus amputetur, a nobis aguntur exagia, quæ sub interminatione superius comprehensa sine fraude debeant custodiri. *V.* plura huc pertinentia apud *Eckhel. loc. cit.* — Sunt qui perperam putent scribendum *hexagium*, nempe ab ἕξ *sex* et ἄγω *pendo*, ita ut significet sextulam, *h. e.* sextam unciæ partem, aureus enim solidus, qui *Veneto zecchino* fere respondet, sextulam pendet.

EXĀGŌGA, æ, *vel Græca positione* exagoge, es, f. 1. evectio, exportatio: item ipsæ merces, quæ exportantur: ab ἐξάγω *exporto*. *Paul. Diac.* p. 80. 15. *Müll.* Exagogen, evectionem. *Plaut. Rud.* 3. 2. 15. Si speras, hoc anno multum futurum laserpitium, eamque eventuram exagogam Capuam salvam. *Id. Truc.* 4. 2. 5. Hic interim restitris his præsidebo, iste dum sic faciat domum ad te exagogam. — NB. *Exagoga*, *æ*, m. ἐξαγωγεύς, qui exportat. *Id. ibid.* 2. 7. 1. Ite damnigeruli, foras gerones, bonorum exagogæ. *At recentiores plerique omnes leg.* hamaxagogæ, *h. e.* quasi plaustro bona aliena asportantes; ab ἅμαξα *currus*.

EXALBĀTUS, a, um. *V.* EXALBO.

EXALBESCO, albescis, albŭi, albescere, n. 3. albesco, vehementer albesco.

I.) Proprie. *Gell.* 12. 1. An quia spiritu multo et calore exalbuit, non idem sanguis est in uberibus, qui in utero fuit?

II.) Translate ponitur pro expallescere ob metum. *Cic.* 1. *Orat.* 26. 121. In me ipso sæpissime experior, ut exalbescam in principiis dicendi et tota mente atque omnibus artubus contremiscam. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 48. Si qui tremerent et exalbescerent objecta re terribili extrinsecus. *Vetus Poeta* apud *eumd.* 3. *Orat.* 58. 218. et 5. *Fin.* 11. 31. Nemo est tam firmo ingenio et tanta confidentia, Quin refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu.

EXALBĬDUS, a, um, adject. albidus. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 22. (40). Vina admodum exalbida. *Id.* 24. *ibid.* 19. 112. (172). Folia urticæ in medio exalbida. *Id.* 12. *ibid.* 17. 39. (78). Arbor exalbidis ramis.

EXALBO, as, ātum, are, a. 1. (ex *et* albus). Part. *Exalbatus.* — Exalbo est dealbo, album reddo. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 10. Si fuerint delicta vestra tamquam roseum, velut nivem exalbabo. *Id. ibid.* 8. Nazaræi exalbati sunt super nivem.

EXALBURNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *exalburno*, alburno spoliatus, ut Exalburnatum robur, *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (204).

EXALTĀTĬO, ōnis, f. 3. exaltandi actus. Translate *Tertull. Cult. fem.* 3. Exaltatio non congruit professoribus humilitatis. *Inscript.* apud *Bertol. Ant. d' Aquil. p.* 296. *n.* 412. EXALTATIO EXIMIA. *Vulgat. interpr. Jacob.* 1. 9. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua; dives autem humilitate sua. Adde *eumd. Proverb.* 21. 4. et *Esai.* 33. 3.

EXALTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXALTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* altus). Part. *Exaltatus* in fin. — Exalto est altum reddo.

I.) Proprie. — *a*) Est in altum elevare, erigere. *Seneca* 3. *Quæst. nat. proœm.* Deus alia exaltat, alia submittit. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 748. *n.* 555. et apud *Borghesi* in *Giorn. Arc. T.* 22. *p.* 74. IMPP. M. AVRELIVS ANTONINVS ET L. AVRELIVS VERVS TERMINOS VETVSTATE COLLAPSOS EXALTAVERVNT ET RESTITVERVNT. — *b*) *Exaltare fossam*, *sulcum*, est profundius cavare. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 4. Fodiuntque (*sulcos*) et exaltant in tres pedes. *Id.* 4. *ibid.* 1. 2. Dum exaltare fortius orbem ablaqueationis fossor studet, obliquam vitem plerumque sauciat.

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Luc.* 1. 52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Adde *eumd.* alibi sæpe. — Hinc Part. præter. pass.

Exaltatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Exaltatior* translate apud *Donatum* in *Vita Virg. post med.* Quo cognito aliquandiu Bathyllus Romæ fabula fuit, Maro vero exaltatior.

EXĀLŪMĬNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *exalumino*, ad colorem aluminis accedens. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 56. (113). *de unionib.* Summa laus coloris est exaluminatos vocari.

EXAMBĬO, ambis, ambii, ambitum ambire, a. 4. (ex *et* ambio). Part. *Exambitus* II. — *Exambire* est circumire.

I.) Proprie. *Cyprian. Ep.* 20. Quum comperissent, eos, qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad Martyres passim etc.

II.) Translate est per ambitum quærere, tentare. *Arnob.* 3. 21. Numquid rex poli libamine aliquo exambitur, aut hostia? Adde *eumd.* 7. 15. *Symmach.* 7. *Ep.* 49. Suffragium tui favoris exambio. *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* 19. Nec viros quidem, sed mulierculas exambibant; nec feminas tantum, sed spadones quoque. *Ammian.* 26. 7. Araxius exambita regia prætorio præfectus accessit. — Cum Infinito. *Cyprian. Ep.* 68. Eum ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injuste in Episcopatum, de quo fuerat depositus. *Al. leg.* ambiret.

EXAMBĬTUS, a, um. *V.* voc. præced.

EXAMBŬLO, as, are, n. 1. foras ambulo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 146.

EXĀMEN, inis, n. 3. quasi *exagmen*, extrita nempe ob euphoniam littera *g* (ut in *contamino* pro *contagmino*) ab ἐξάγω *exigo*: ita etiam Græcis ἑσμός dicitur ab ἵημι *mitto*. V. AGMEN. — Examen duo diversa significat: scilicet

A) Est agmen quod foras exit; adeoque speciatim ac

I.) Proprie est apum soboles, quam parentes ex suis alveariibus ad novas sedes quærendas exire cogunt; item quæcumque apum congregatio (It. *sciame d'api*, *schiera*; Fr. *essaim d'abeilles*, *troupe*, *bande*; Hisp. *enxambre de abejas*, *enxambre*; Germ. *d. ausgehende oder ausfliegende Haufe*, *Schwarm*, *bes. Bienenschwarm*; Angl. *a swarm of bees*, *swarm*). *Cic.* 1. *Off.* 44. 157. Apum examina fingunt favos. *Id. Senect.* 15. 54. Nec segetibus solum res rusticæ lætæ sunt, sed hortis etiam et apum examinibus. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 33. 73.; *Varron.* 3. *R. R.* 16. 29; *Virg.* 2. *G.* 452. et 4. *ibid.* 21.; *Liv.* 4. 33.; *Colum.* 9. *R. R.* 3. *fin.*, 4. *fin.* et 7. 2.; *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (23).; et *Flor.* 2. 6. 14.

II.) Improprie dicitur de quacumque multitudine — *a*) Tum brutorum, tum hominum. *Lucret.* 5. 1363. examina pullorum (*arboris*). *Liv.* 42. 10. locustarum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 10. (30). muscarum. *Id.* 31. *ibid.* 1. 1. (2). piscium. *Horat.* 1. *Od.* 35. 30. Et juvenum recens examen. *Id. Epod.* 2. 65. vernarum. *Cic. Harusp. resp.* 12. 25. servorum. *Plin. Paneg.* 26.; et *Justin.* 25. 2. 8. infantium. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 284. Grajum vatum. *Propert.* 2. 32. 41. stuprorum. *h. e.* feminarum stupratarum. — *b*) De abstractis apud sequioris ævi Scriptores. *Ammian.* 21. 5. ætatum. *Id.* 30. 4. dilationum. *Arnob.* 2. 7. malorum. *Id.* 1. 1. mœrorum.

B) Alio sensu, et quidem

I.) Proprie *examen* est ligula stateræ vel libræ, quæ per mediam ansam vertitur, et, quum in neutram partem inclinatur, æquilibrium indicat; *V.* et *Vet. Scholiast.* ad *Pers.* 1. 6. cit. infra sub II.: ea Græcis κάνων dicitur, Latinis vero *examen* ab *exigo*, quia illius ope in statera quidem alicujus rei pondus cum æquipondio, in libra autem duorum rerum pondera inter se comparantur et exiguntur. Ea tamen deest in statera et libra, quæ Pompejis repertæ et in *Mus. Borbon. T.* 1. *tav.* 55. vulgatæ sunt, tum etiam in aliis antiquis monumentis, de quibus consule *Winkelmann. Monum. ined. P.* 2. *p.* 174. *tav.* 133. *Virg.* 12. *Æn.* 725. Juppiter ipse duas æquato examine lances Sustinet, et fata imponit diversa duorum, Quem damnet labor et quo vergat pondere letum. *Cod. Theod.* 12. 7. 1. Nec pondera deprimant nullo examinis libramento servato.

II.) Translate ponitur pro exacto judicio et pensiculata alicujus rei investigatione: unde *Paul. Diac. p.* 80. 14. *Müll.* Examen est judicii investigatio. *Pers.* 1. 6. non si quid turbida Roma Elevet, accedas examenque improbum in illa Castiges trutina. Ubi *Vet. Scholiast.* Examen est ligula, vel lignum, quod mediam hastam ad pondera adæquanda tenet: trutina vero est foramen, intra quod est ligula, de qua examinatio est. *Ovid.* 9. *Met.* 550. Jura senes norint, et quid liceatque nefasque Fasque sit, inquirant, legumque examina servent. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 203. viam morum longæque examina vitæ Noscam. *Solin. initio epist. ad Advent.* Dare alicui examen opusculi. *h. e.* deferre censuram et judicium.

EXĀMĬNĀTĒ, adverb. Comp. *Examinatius.* — Examinate est cum examine et judicio. *Ammian.* 29. 1. Spatiis examinate dimensis. *Id.* 25. 7. Dum deliberatur examinatius, quid fieri deberet. *Tertull. Præscript.* 34. Examinate credere. Adde *eumd. ibid.* 20. *Non. p.* 9. 6. *Merc.* Examussim dicitur examinate ad regulam vel coagmentum.

EXĀMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus examinandi et pensitandi.

I.) Proprie. *Vitruv.* 10. 8. *de vecte.* Non poterit onus elevare, nisi examinatio vectis longius per caput, neque juxta onus fuerit facta. *h. e.* æquilibrium. *Et de statera paullo post.* Scapi libratio et examinatio longius a centro recedens.

II.) Translate est investigatio, censura, judicium. *Ulp. Dig.* 3. 5. 7. Si post examinationem reprobatæ fuerint compensationes. *Id. ibid.* 47. 11. 1. Qui pecora abegit, ad examinationem civilem remittendus est.

EXĀMĬNĀTOR, ōris, m. 3. qui ponderat.

I.) Proprie. *Cassiod.* 6. *Variar.* 18. *sub fin.* Panis pondera æquus examinator intende.

II.) Translate qui inquirit et judicat. *Tertull. Apolog.* 9.; et *Augustin.* 3. *contra Crescon. grammat.* 7. 3.

EXĀMĬNĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad examinandum pertinens. *Tertull. advers. Gnost.* 7. Martyria examinatoria fidei.

EXĀMĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXĀMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (examen). Part. *Examinans* sub *B.* II.; *Examinatus* sub *B.* I. et II. et in fin.; *Examinandus* sub *B.* II. — Examinare duo diversa significat; scilicet

A) Quum est ab examine apum, dicitur de apibus, quum vernant, et per novos fetus crescunt atque in colonias abeunt, *fare sciami*. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 5. Ab exortu Vergiliarum ad solstitium fera examinant alvi: quo tempore custodiri debent, ne novæ soboles diffugiant.

B) Ab examine libræ

I.) Proprie est expendere et alicujus rei pondus inquirere: occurrit autem — *a*) Active, *pesare, σταθμάομαι. Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. Tamquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem movetur. *Cæs.* 5. *B. G.* 12. Utuntur taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. — *b*) Neutrorum more *examinare* dicitur statera, vel libra, quum duo pondera æque utrimque extollendo, examen rectum habet et æquilibrium facit. *Vitruv.* 10. 8. *de vecte.* Caput vectis, faciundo motus circinationis, cogit pressionibus examinare paucis manibus oneris maximi pondus. *fa che poca forza premendo equilibra un grandissimo peso.* Similiter *Id. ibid. mox.* Onerum vero maxima pondera quum feruntur a phalangariis, examinantur per ipsa media centra phalangarum. *si equilibrano facendo centro sulla metà delle stanghe.*

II.) Translate est inquirere, perpendere, considerare, *esaminare, considerare;* ad rem *Cic.* 2. *Orat.* 38. 159. Oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad ea probanda, quæ non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. *Id. Orat.* 8. 26. Diligenter examinans verborum omnium pondera. Adde *Quintil.* 10. 3. 5. Rursus *Cic.* 3. *de republ.* 8. Qui suo quodam more loquitur, ut omnia verborum momentis, non rerum ponderibus examinet. *Id. Planc.* 32. 79. Sed ego hoc meis ponderibus examinabo, non solum quid cuique debeam, sed etiam quid cujusque intersit. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 8. male verum examinat omnis Corruptus judex. *Ovid.* 14. *Met.* 270. examinare herbas. *Quintil.* 1. 5. 1. Emendate loquendi regula vitia orationis examinat. *Id.* 12. 10. 4. Parrhasius examinasse subtilius lineas traditur. *Val. Max.* 2. 2. *n.* 7. Tribuni plebis decreta patrum attentissima cura examinabant. *Stat. ep. l.* 2. *præm.* Ne quis asperiore lima carmen examinet. *Gell.* 16. 18. Syllabarum longarum et brevium junctura aurium mensura examinatur. — Et in re judiciali. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (18). Decuriæ (*judicum*) pro more censuris principum examinantur. Adde *Quintil.* 12. 3. 6. *Papinian. Dig.* 22. 1. 32. Si interpellatus opportuno loco, non solverit: quod apud judicem examinabitur. *Modestin. ibid.* 5. 2. In testimoniis fides, dignitas, mores, gravitas examinanda est. *Papinian. ibid.* 30. 58. Ædificiorum ætatibus examinatis. *Ulp. ibid.* 33. 7. 12. § 43. Ceteris patris facultatibus examinatis. — Hinc Part. præter. pass.

Examinatus, a, um, adjective quoque occurrit, et est prudens, circumspectus. Sup. *Examinatissimus* apud *Augustin.* 7. *Confess.* 6. Examinatissima diligentia.

EXAMO, as, are, a. 1. amare desino. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 60.

EXAMPLEXOR, āris, ari, dep. 1. (ex *et* amplexor) amplexor, complector. *Cic.* 4. *Herenn.* 52. 65. Et tu per deos, inquit, hunc examplexare.

EXAMPLĬO, as, are, a. 1. (ex *et* amplio) ampliorem facere. *Inscript.* reperta Romæ ann. 1848., quæ pertinet ad tempora Septimii Severi Imp. L. CEJVS L. FIL. PRIVATVS QVOD CVM EXAMPLIARETVR BALNEVM SVBPRINCEPS TOVERAT EDINCEPS CASTR. PEREGRINORVM V. S. L. M. Hæc inscriptio, quam inveni in MSS. cl. *Furlanetto*, est apud *Henzen.* 5077.

EXĀMURCO, as, are, a. 1. est sublata amurca oleum defæcatum reddere. Translate *Apul.* 4. *Met. de corio ursæ detracto.* Soli siccandum tradimus: ac dum cœlestis vaporis flammis examurcatur, etc.

EXĀMUSSIM, adverb. ad amussim adeoque perfecte: hinc *Paul. Diac.* p. 80. 19. *Müll.* Examussim regulariter: amussis enim regula fabrorum est; vel, ut alii volunt, ferramentum, quo in poliendo utuntur. *et Gloss. Placid.* edente *A. Mai* p. 457. Examussim integre sine fraude: musis (*lege* amussis) enim dicitur regula et mensura fabrilis (It. *esattamente, perfettamente*; Fr. *avec exactitude, exactement*; Hisp. *exactamente*; Germ. *genau, vollkommen*; Angl. *accurately, exactly*). *Plaut. Amph.* 2. 2. 213. Nae istis edepol examussim est optima. *Id. Men. prol.* 50. Ut hanc rem vobis examussim disputem. *Id. Most.* 1. 2. 18. Ædes expolitæ, factæ probe, examussim. *Gell.* I. 11. Judicium examussim factum. *Apul.* 2. *Met.* Ceram ei applicant examussim. *Id.* 4. *ibid.* Examussim capto momento. *Id.* 11. *ibid.* Habitu examussim nocturnæ imagini congruentem.

EXANCILLĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *exancillor*, qui ancillæ modo alicui servivit. *Tertull. Apolog.* 17. *ad fin.* Anima falsis diis exancillata.

EXANCLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXANCLO *vel* exantlo, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Exanclatus* in omnibus paragr. — Quod ad scriptionem attinet, hæc *Forcellinus*: Exantlare est exhaurire, ut *Paul. Diac.* p. 80. 13. *Müll.* et *Non.* p. 292. 3. *Merc.* interpretantur a Græco ἀντλεῖν, quod idem significat. Qui malunt *exanclo*, deducunt ab obsoleto *anculo*, et per syncop. *anclo*, ministro: unde *ancula* et *ancilla*, ut *furcula* et *furcilla*. In MSS. et edit. libb. varie scribitur, modo per *c*, modo per *t*. Sed si usus spectatur, exhauriendi significatio ei magis convenit, et per t rectius scribitur. Hæc *Forcellinus*. At recentiores plerique omnes ab *anculo* deducunt, ita ut *exanclare* sit exhaurire ministrando vel serviendo. — Hoc verbum inter ea reponit *Quintil.* 1. 6. 40., quæ *ab ultimis et jam oblitteratis sunt repetita temporibus*, quamquam *Cic.* bis in prosa oratione usurpaverit, ut infra referemus. Nam *Apulej.* antiquitatis affectatorem nihil moror. Hæc quoque *Forcellinus*. At *Cic.* in locis citt. antiquam poetarum rationem imitatur. — Ceterum *exanclare* est, ut diximus, ministrando vel serviendo extrahere, exhaurire (It. *cavare o portar fuori servendo*; Fr. *tirer de en servant, extraire en servant*; Hisp. *extraer servendo*; Germ. *dienend heraustragen*; Angl. to *draw or empty out*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Pacuvius* apud *Non.* p. 292. 7. *Merc.* Non potest, Menalippe, hic sine tua opera exanclari clavus. *non si può cavar questo chiodo.* Est autem locutio allegorica et proverbialis, *h. e.* non potest hoc negotium perfici. — *b*) Speciatim. *Plaut. Stich.* 1. 3. 115. Vinum poculo pausillulo sæpe exanclavit. *Ejusdem fragm.* apud *Non. loc. cit.* Sæpe exanclatum merum scitissime. *Plauti* locus videtur esse *Stich.* 1. 3. 116. ubi habetur: Sæpe exanclavit submerum scitissime. *Nonius* tamen affert tamquam ex fragment. *Pœnuli.* — *c*) Latiori sensu *Ennius* apud *Non. loc. cit.* Nisi patrem materno sanguine exanclando ulcisceret. *h. e.* effundendo.

II.) Translate est tolerare, perpeti, perferre, *patire, tollerare, soffrire. Accius* apud *Non. loc. citt.* Pertolerarem vitam cladesque exanclarem impatibiles. *Id. ibid.* Fere exanclavimus tyranni sævum ingenium atque exsecrabile. *Ennius* apud *eumd. ibid.* Quantis cum ærumnis illum exanclavi diem! Cf. *Cic.* vertens *Homeri* versum 2. *Divinat.* 30. 31. Tot nos ad Trojam belli exanclabimus annos *h. e.* transigemus, hauriemus laborem (ut *Horat.* loquitur 1. *Sat.* 2. 78.) belli decem annos. *Homer.* hoc loco (*Iliad. l.* 2. *v.* 328.) habet πολεμίξομεν. *Lucilius* apud *Non. loc. cit.* Quantas quoque modo ærumnas quantosque labores Exanclaris. *Cic.* 2. *Tusc.* 8. 20. vertens carmina *Sophoclis Trach.* 1048. O multa dictu gravia, perpessu aspera, Quæ corpore exanclata atque animo pertuli! *Forcellinus* minus recte legebat *corpore exanclato*, et interpretatus est exhausto, confecto. Rursus *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 34. 108. Herculis quemdam laborem exanclatum a Carneade. *Id.* I. *Tusc.* 49. 118. Quum exanclavisset omnes labores, tum incideret in malum sempiternum. Adde *Apul.* 1., 6., 7., 8. et 11. *Met.* — Sunt qui putant, nullam esse metaphoram, quum pro perpeti ponitur, quod in ea significatione sit ab ἀνατλάω et ἀντλάω *perfero*: ac si placeat quidem *exanclo* scribi, quia quemadmodum a πλήττω fit *plecto*, loquit *Budæus*, *t* in *c* mutata, ita ab ἀνατλῶ *anclo* fieri posse: sed vereor, ut verum sit, *plecto* esse immediate a πλήττω, ac non potius a πλήκτης *percussor*, quod est a 3. pers. præter. pass. πέπλεκται. Hæc *Forcell.*

EXANGUIS, e. *V.* EXSANGUIS.

EXĀNĬMĀBILĬTER, adverb. *Novius* apud *Non.* p. 376. 12. *Merc.* Ubi vidi, exanimabiliter timidis pedibus protinam me dedi. *h. e.* exanimis, seu perterriti se perturbati modo fugæ me dedi.

EXĀNĬMĀLIS, e, adject. (ex *et* anima). ¶ I. Passive est qui est sine anima, exanimis. *Plaut. Bacch.* 4. 8. 6. Neque Bellona mihi umquam, neque Mars credant, ni illum exanimalem faxo. ¶ 2. Active est letalis. *Id. Rud.* 1. 4. 2. Ita male vivo, atque ita mihi multæ in pectore sunt curæ exanimales.

EXĀNĬMĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exanimandi, hoc est respirationem adimendi.

I.) Proprie *exanimationes vulvarum* apud *Plin.* 32. *Hist. nat.* 3. 13. (28). sunt, quas *Id.* 20. *ibid.* 5. 15. (30). et 26. *ibid.* 15. 90. (160). suffocationes appellat.

II.) Translate est exanima vel maxima fracti animi abjectio. *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 13. Declinatio a malis, cum exanimatione humili atque fracta, nominetur metus. *et ibid.* 8. 19. Exanimatio est metus subsequens, et quasi comes pavoris. *Id.* 1. *Off.* 36. 131. Ne in perturbationes atque exanimationes incidamus.

EXĀNĬMĀTUS, a, um. *V.* EXANIMO.

EXĀNĬMIS, e, *et* exanimus, a, um, adject. (ex et anima). Postrema forma occurrit fere in plur. numero: V. *Wagner.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 8. — Exanimis et exanimos, ἄψυχος, est exanimatus, mortuus (It. *esanime, morto*; Fr. *inanimé, privé de la vie, mort*; Hisp. *inanimado, muerto*; Germ. *entseelt, leblos*; Angl. *lifeless, dead*).

I.) Proprie. — *a*) Forma *exanimis* occurrit apud *Liv.* 25. 16. *sub fin.* Exanimem eum Mago ad Hannibalem misit. *Id.* 25. 34. Ut exanimem labentem ex equo Scipionem vidit. *Virg.* 5. *Æn.* 481. Sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos. *Id. ibid.* 517. Decidit exanimis vitamque reliquit in astris Ætheriis (*columba*), fixamque refert delapsa sagittam. *Ovid.* 11. *Met.* 720. exanime corpus. *Id.* 2. *ibid.* 336. exanimes artus. *Id. ib.* 144. Umbra exanimis. *Sueton. Cæs.* 82. Exanimis aliquamdiu jacuit. *Stat.* 12. *Theb.* 739. Exanimis et projecta præda. *Id. ibid.* 418. gelidæ exanimesque favillæ. *estinte. Id.* 7. *ibid.* 86. Ut si quando ruit, debellatasque reliquit Eurus aquas, pax ipsa tumet, pontumque jacentem Exanimis jam volvit hiems. *h. e.* tempestas cessante vento (qui *anima* dicitur) adhuc volvit mare. — *b*) Forma *exanimus* occurrit apud *Lucret.* 6. 706. Corpus ut exanimum si quod procul ipse jacere Conspicias hominis. et *ibid.* v. 1270. sancta deûm delubra repleret Corporibus mors exanimis. *et ibid.* v. 1254. Exanimis pueris super exanimata parentum Corpora. *Virg.* 11. *Æn.* 50. Nos juvenem exanimum — vano mæsti comitamur honore. *Id. ibid.* 110. Pacem me exanimis et Martis sorte peremptis Oratis? *Tac.* 1. *Ann.* 32. Tum convulsos laniatosque, et partim exanimos, ante vallum projiciunt. *Id.* 16. *ibid.* 13. Domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. *di cadaveri. Colum.* 12. *R. R.* 47. 4. Mel exanimum corpus hominis per annos plurimos innoxium conservat. Adde *Senec. Hippol.* 585.; et *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (8).

II.) Translate *exanimis* (namque translate *exanimus* aut rarius, aut fortasse numquam adhibetur) ¶ I. Est exterritus, perturbatus, quasique, præ timore aut dolore, anima privatus, *disanimato, sbigottito, mezzo morto. Virg.* 4. *Æn.* 672. Audiit exanimis trepidoque exterrita cursu etc. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 76. vigilare metu exanimem. *Id.* 2. *ibid.* 6. 113. Pavidi magisque exanimes trepidare. ¶ 2. Item pallidus, exsanguis: quæ sunt metus indicia. *Lucan.* 6. 657. ipsumque trementem Conspicit, exanimi defixum lumina vultu. *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 53. Exanimes artus et membra trementia vidi. *Id.* 1. *Art. am.* 540. Nullus in exanimi corpore sanguis erat.

EXĀNĬMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* anima). Part. *Exanimatus* in omnibus fere paragr. — Exanimare

I.) Proprie. ¶ I. Stricto sensu est animâ seu vento privare. Hinc Exanimare folles, apud *Sever. Ætn.* 560., est comprimere, ut animam seu ventum emittant efflentque. ¶ 2. Latiori tamen sensu ac sæpius est anima privare, occidere, φονεύω (It. *esanimare, ammazzare*; Fr. *ôter la vie, priver de la vie, tuer*; Hisp. *quitar la vida á otro, matar*; Germ. *d. Seele, d. Lebens berauben, entseelen, todten*; Angl. to *deprive of life, kill, slay*). Occurrit — *a*) Raro active. *Lucret.* 2. 1104. telum sæpe nocentes Præterit, exanimat indignos inque merentes. Adde *eumd.* 6. 213. *Cæs.* 6. *B. G.* 31. *extr.* Quum laborem belli ferre non posset, taxo se exanimavit. *Sueton. Aug.* 29. Servum prælucentem exanimavit. *Curt.* 7. 3. 13. Multos exanimavit rigor insolitus nivis. Poetice *Horat.* 2. *Od.* 17. 1. Cur me querelis exanimas tuis? — *b*) Sæpius passive. *Cic.* 2. *Fin.* 30. 97. Quum ipse gravi vulnere exanimari se videret. Adde *eumd.* 5. *Tusc.* 27. 77. *Cæs.* 6. *B. G.* 15. Circumventi flamma exanimantur homines.

Nepos Epam. 9. *extr.* Tum ferro extracto, confestim exanimatus est. *Sueton. Cæs.* 39. Præ turba elisi exanimatique sunt plurimi. Adde *eumd. Oth.* 11. — *c*) Item sæpe Part. præter. pass. *Lucret.* 6. 1254. pueri super exanimata parentum corpora. *Cæs.* 7. *B. G.* 27. Scorpione transjectus et exanimatus concidit. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 41. *Liv.* 22. 7. *sub fin.* Ferunt, alteram, mœstam sedentem, ad primum conspectum filii gaudio nimio exanimatam. Adde *eumd.* 9. 1., 42. 20. et alibi. *Tac.* 3. *Ann.* 51. Ductus in carcerem Priscus, ac statim exanimatus. *Inscript.* apud *Gruter.* 690. 5. LITORE PHOCAICO PELAGI VI EXANIMATA. ¶ 3. Latissimo sensu est animam, *h. e.* respirationem adimere, lassitudine conficere. *Plaut. Asin.* 2. 1. 17. Exanimatus currit. *Cæs.* 3. *B. C.* 92. Simul fore, ut duplicato cursu, Cæsaris milites exanimarentur et lassitudine conficerentur. *si sfiaterebbero. Id.* 3. *B. G.* 19. Huc magno cursu contenderunt exanimatique pervenerunt. *rifiniti, sfiatati, stracchi morti. Id.* 2. *ibid.* 23. Milites cursu et lassitudine exanimati. — Huc referri possunt et illa *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 54. Qui doloris speciem ferre non possunt, abjiciunt se, atque ita afflicti et exanimati jacent. *Auct. B. G.* 8. 38. *extr.* Ut verberibus exanimatum corpus securi feriretur.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a superiori paragr. 2., *exanimatus* dicitur, qui est corpore præsens, animo absens, *fuori di se, distratto. Plaut. Cas.* 3. 3. 9. Rogitare oportet, adsitne animus ei, necne adsit: si neget adesse, exanimatum amittat domum. ¶ 2. Item ac sæpius, metaphorâ ductâ a superiori paragr. 2., est perturbare, exterrere, dolore, aut metu percellere, *disanimare, sbigottire, far morir di paura,* ἐκπλήττω. *Plaut. Cist.* 2. 1. 5. Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior. *Id. Cas.* 3. 5. 8. Timidus atque exanimatus. Adde *eumd. Bacch.* 2. 4. 64. et *Pseud.* 1. 1. 7. *Ter. Andr.* 1. 5. 16. Oratio hæc me miseram exanimavit metu. *Id. Phorm.* 3. 3. 31.; et *Curt.* 7. 3. 16. Exanimatus metu. Adde *Ter. Andr.* 1. 1. 104. *Cic.* 4. *Verr.* 77. 189. Itaque illum in jure, metu conscientiaque peccati mutum atque exanimatum ac vix vivum relinquo. *Id.* 4. *Cat.* 2. 3. Neque meam mentem non domum sæpe revocat exanimata uxor, abjecta metu filius. *Id.* 2. *Parad.* 18. Te metus exanimant judiciorum atque legum. *Id. Mil.* 34. 93. Me quidem exanimant et interimunt hæ voces Milonis. *Id.* 11. *Att.* 6. *a med.* Tulliæ meæ morbus et imbecillitas corporis me exanimat. *Id.* 10. *ibid.* 9. Adventus Philotimi exanimavit omnes, qui mecum erant: nam ipse obdurui. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 16. Exanimatus sum tuis litteris. *Virg.* 5. *Æn.* 805. Exanimata sequens impingeret agmina muris. Cf. *Stat.* 4. *Theb.* 759. tu refugas vires et pectora bello Exanimata reple. *Liv.* 7. 36. Torpidi somno, insuper pavore exanimati. Sic *Curt.* 10. 3. 2. Exanimati pavore, attonitis similes. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 177. Quem tulit ad scænam ventoso gloria curru, Exanimat lentus spectator, sedulus inflat. *gli toglie il fiato e' l coraggio.* — *NB.* Quod discrimen tradit *Donatus* ad illud *Ter. Andr.* 1. 4. 7. Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? ut *exanimatus* perturbatum, *exanimus* mortuum significet, jam satis patet, aut nullum esse, aut saltem a scriptoribus non servari. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 3., exanimare est debilitare. *Cic.* 3. *Orat.* 11. 41. Nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata et quasi anhelata gravius. *fiocche e quasi moribonde.* — Hinc est etiam exspirare, difflari, dispergi. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 2. 31. (64). *de vini fæce usta.* Celerrime exanimatur, loco non incluso condita. *h. e.* exspirat, *svapora e perde la forza,* διαπνεῖται.

EXANĬMUS. a, um. *V.* EXANIMIS.

EXĀNIO. *V.* EXSANIO.

EXANTE. *V.* ANTE.

EXANTHĒMA. ătis, n. 3. ἐξάνθημα. Exanthemata sunt varii generis pustulæ in cute enascentes, ut quæ ex urticæ tactu, ex morbillis, ex sole, ex natatu, ex frigore, ex variis, lividæ, pallidæ, nigræ, rubentes, in pueris præsertim erumpunt, ac veluti efflorescunt: ab ἐξανθέω *effloresco.* Græce habet *Cels.* 5. 28. *n.* 15. Latine autem *Marcell. Empir.* 19.; *Æmil. Macer Herb. c. de camomilla*; et *Theod. Priscian.* 1. 5.

EX ANTISTĬTE, indecl. m. qui fuit antistes. *Cod. Theod.* 11. 36. 20. Quoniam Chronopius ex antistite idem fuit.

EXANTLĀTUS, a, um, et

EXANTLO, as, etc. *V.* EXANCLO.

EXĀPĔRĬO, is, ire, a. 4. prorsus aperio. *Augustin. Confess.* 10. Quis exaperit istam tortuosissimam et implicatissimam nodositatem?

EXAPTO, as, are, a. 1. Idem quod apto, ἐξάπτω. *Apul.* 11. *Met.* Visus est quiete proxima, dum magno Deo coronas exaptat, etc. *h. e.* apté imponit, vel apte nectit Dei capiti imponendas.

EXAPTUS, a, um, particip. ab inusit. *exapo* (*V.* APO), aptus, junctus, connexus. *Lucret.* 4. 827. Brachia tum porro validis exapta lacertis Esse, manusque datas utraque a parte ministras, Ut facere ad vitam possimus quæ foret usus. *Recentiores leg.* validis ex apta lacertis; *ut ex sit præpositio quæ Ablat.* lacertis *regat. Lucilius* apud *Non. p.* 235. 7. *Merc.* Pellicula extrema exaptum pendere onus ingens. *Varro* apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (92). Ex quo (*orbe*) pendeant exapta catenis tintinnabula. *Fronto de fer. Als.* (ab *A. Maio* iterum edit.) *Ep.* 3. *p.* 213. Juppiter alas Somno, non ut Mercurio talares, sed, ut Amori, humeros exaptos (*corrige* humeris exaptas) adnexuit.

EXĀQUESCO, is, ere, n. 3. in aquam solvor, aqua fio. *Censorin. de die nat.* 18. *a med.* Nam his alternis temporibus (*æstatis et hiemis*) mundus tum exignescere, tum exaquescere videtur.

EX ĀQUILIFERO, indecl. m. qui fuit aquilifer. *Inscript.* apud *Renier.* 767. D. M. S. *caius* IVLIVS C. F. DOMO ARETHVSA LIVIANVS VETERANUS EX AQVIL.F. (*h. e.* ex aquilifero) LEGIONIS III AVGUSTÆ SEVERIAE TRANSLATVS EX LEG. III. GALLC. SE VIVO IN MEMOR. MORTIS AETERNAE OBVENTVRE (*sic*) CVM SVIS FECIT DEDICAVITQVE. Adde *aliam* apud *Henzen.* 6681.

EXĂRĀTIO, ōnis, f. 3. actus exarandi, seu arando eruendi.

I.) Proprie. *Capell.* 9. *p.* 201. Etruria Tagetis exaratione celebrata. *h. e.* qua in agro Tarquiniensi, inter arandum Tages ille exstitit, de quo *Cic.* 2. *Divinat.* 23. 50.

II.) Translate est scriptio, poema. *Sidon. carm.* 9. 335. Isti qui valet exarationi Districtum bonus applicare theta.

EXĂRĀTUS, a, um. *V.* EXARO.

EX ARCHIĀTRIS, dicitur is, qui archiatri dignitate functus est. *Imp. Constantin. Cod.* 10. 52. 6.; et *Cod. Theod.* 13. 3. 2.

EXARCHUS, i, m. 2. ἔξαρχος, qui supra ceteros eminet; ab ἐξ *ex* et ἀρχός *princeps.* — *a*) Generatim. *Just. Novell.* 133. 4. Exarchus monasteriorum. — *b*) Speciatim ita Græca appellatione vocatus est in militia R. sequiori tempore, qui prius Latina præfectus dicebatur; etenim in *Inscript.* apud *Gruter.* 114. 1. P. Aulus (*Aulius* legendum esse videtur) P. F. Pal. Posthumus Acilianus, qui Antonino Pio Aug. imperante vixit, appellatur *Præf. Coh.* 1. *Dalmatarum*, quum inscriptiones mox afferendæ, quæ ad M. Aurelii Valerii Maximiani Aug. tempora pertinere videntur, *exarchus numeri Dalmatarum* præseferant. *Inscript.* apud *Gruter.* 528. 7. AVRELIO JANVARIO SIGNIFERO EX NVMERO DALMA*tarum* FORTENSIUM, ET AVRELIO VALENTIANO EXARCHO, POSVIT AVRELIVS JVSTVS FATRA. *Alia* apud *Murat.* 789. 7. AVRELIVS FISTVS EXARCHUS FRATRI CARISSIMO POSVIT. et 791. 8. quæ est apud *Orell.* 3410. D. M. AVRELII MAXIMI EXARCHI NVMERI DALMATARUM DIVITENSIUM etc. *Alia* apud *Henzen.* 6717. AGGARO EXARCHO ALAE CELERVM VIRO SAGITTANDI PERITISSIMO VI MILITVM INTEREMPTO MONNA MARITO AMANTISSIMO. — *NB. Exarchi* item appellati sunt, qui ab an. a Chr. n. 528. ad an. 752. Ravennæ plerumque commorantes, Græcorum imperatorum jussu, provincias Italiæ militari et civili imperio administrarunt. Horum mentio est in Græca *Inscript.* apud *Murat.* 1881. 4. Οὗτος Ἰσαάκιος, ὅστις ἔξαρχος μέγας ἔργοις ἐδείχθη τῶν Ἰταλῶν στρατευμάτων, ἔκλαυσε πικρῶς etc., *h. e.* Quemque Isaacius, qui exarchus magnus factis inclaruit Italicorum exercituum, flevit amare. Alia vero Latina *Inscript.* Romæ effossa an. 1813, et edita a *Gualtanio Mem. Enciclop. per l'anno* 1817. *p.* 40., quæ est apud *Henzen.* 5597. OPTIMO CLEMENTISSIMO PIISSIMOQVE PRINCIPI DOMINO N. *Focæ imperatori* PERPETVO, A DOMINO CORONATO, TRIVMPHATORI, SEMPER AVGVSTO SMARAGDVS EXPRAEPOSITUS SACRI PALATII, AC PATRICIVS, ET EXARCHVS ITALIAE DEVOTVS EJVS CLEMENTIAE, etc. Hæc pertinet ad an. a Chr. n. 608. Ex his patet, perperam omnino a quibusdam *Hexarcha* vel *Exarcha* scriptitatum. V. *Zirardini, edit. Ravenn. p.* 130.-139.

EXARDĔO, es, ere, n. 2. Præter. *Exarsi* et Part. *Exarsus*, *V.* in voc. seq. — Exardeo est vehementer ardeo. *Vulgat. interpr. Eccles.* 16. 7. Ignis exardebit. Adde *eumd.* 28. *ibid.* 14. et 27.

EXARDESCO, ardescis, arsi, arsum, ardescere, n. 3. (ex *et* ardesco, ardeo). Part. *Exardescens* I., *Exarsus* in fin.; *Exarsurus* II. — Exardescere; ἐκπυρόομαι, est accendi, inflammari, conflagrare (It. *accendersi, ardere fiammeggiando, bruciarsi*; Fr. *s'enflammer, brûler*; Hisp. *inflamarse, enardecerse*; Germ. *aufflammend erglühen, entbrennen, sich entzünden*; Angl. *to grow hot, become enflamed, blaze, be on fire*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Orat.* 45. 190. Nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ, nisi admoto igni, ignem concipere possit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 50. (176). Sulphur exardescens. *Martial.* 3. 67. Exarsit dies, *h. e.* inflammatus est, sole in meridiem verso. — Latiori sensu dicitur et de colore flammeo. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (94). Fulgorem carbunculi debere candidum esse positi, si attollatur, exardescentem. *Sillig.* vero ex optimis Codd. legit: Fulgorem carbunculi debere candidum esse, ut positus extremo visu nubilantes attollat exardescente fulgore. *h. e.* carbunculo tantum candorem debere esse, ut positus (i. e. in tabula aliqua) exardescente suo fulgore attollat (i. e. eorum visum intendat, eos splendidiores, visu acriores reddat) alios carbunculos juxta positos extremo visu nubilantes, i. e. qui in extremitate sua nubilum adspertum præbent, ut igitur ille carbunculus suum fulgorem cum aliis communicet.

II.) Translate: ad rem *Cic. Harusp. resp.* 21. 45. Excepi flammam illorum temporum, et pro patria solus exarsi. — *a*) Dicitur de hominibus; et transfertur ad animi affectus, amorem, iram, cupiditatem, dolorem; et — ipsi affectus per Ablativum efferuntur. *Cic.* 4. *Verr.* 20. 48. Exarsit iracundia ac stomacho. *Id.* 10. *Phil.* 9. 19. Tota Italia desiderio libertatis exarsit. *Cæs.* 5. *B. G.* 4. *extr.* Qui ante inimico in nos animo fuisset, multo gravius hoc dolore exarsit. *Liv.* 4. 6. Ad id maxime indignatione exarsit. *Tac.* 6. *Ann.* 1. Indomitis libidinibus exarserat. *h. e.* impotenter accensus fuerat. *Id. ibid.* 25. Tiberius fœdissimis criminationibus exarsit. *infierì, si sfogò, proruppe arrabbiatamente in vergognosissime accuse.* — Cum addito, quo quis exarsit, per Accus. et præpos. *ad* vel *in*. *Cic.* 11. *Phil.* 2. 3. Ipsi vestra sponte exarsistis ad libertatis recuperandæ cupiditatem. *Id.* 3. *Verr.* 25. 61. Homo sic exarsit ad id, quod numquam viderat. *s'accese, s'innamorò. Liv.* 40. 35. *a med.* Milites si quis impense retineret in provincia, in perniciosam seditionem exarsuri. *Virg.* 7. *Æn.* 445. Talibus Alecto dictis exarsit in iras. *Tac.* 11. *Ann.* 12. In C. Silium, juventutis Romanæ pulcherrimum, ita exarserat, ut etc. — Absolute. *Cic.* 3. *Orat.* 1. 4. Non tulit ille, et graviter exarsit. *s'accese di collera. Id. Orat.* 29. 102. In omni genere amplificationis exarsimus. *mi riscaldai. Tac.* 1. *Ann.* 51. Exarsere animis, unoque impetu etc. Cf. *Liv.* 3. 30. — *b*) Dicitur de ipsis affectibus et de rebus. — Cum addito Ablativo, raro admodum. *Virg.* 8. *Æn.* 219. Hic vero Alcidæ furiis exarserat atro Felle dolor. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 14. (48). Paullatim exarsit rabie quadam, non jam avaritia, sed fames auri. Cf. *Val. Flacc.* 2. 248. Totaque jam sparsis exarserat insula monstris. *h. e.* cædibus et strage arserat. *Lucan.* 7. 139. cotibus asper Exarsit mucro. *V.* ARDESCO. — Cum addito, quo quid exarsit. *Cic. Rabir. Post.* 6. 13. Quamquam tum propter multorum delicta etiam ad innocentium periculum tempus illud exarserat. *Liv.* 10. 23. Brevis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsit. *Tac.* 1. *Hist.* 64. Jurgia primum, mox rixa —, prope in prælium exarsere. *Plin.* 37. *Hist. nat. proœm.* 1. (2). Quibus initiis admiratio gemmarum in tantum exarsit etc. — Absolute. *Cic.* 5. *Tusc.* 29. 83. Carneadis ingenium contra Stoicos exarserat. *Id. Amic.* 9. 29. Admirabilis quædam exardescit benevolentiæ magnitudo. *Id. ibid.* 21. 76. Nisi quædam admodum intolerabilis injuria exarserit. *h. e.* velut ignis exortu sit. *Id. ibid.* 27. 100. Sive amor, sive amicitia exarserit. *Id.* 2. *Tusc.* 24. 58. Ira exardescit, libido

concitatur. *Id. Sull.* 27. 75. Repente tanta ista importunitas inauditi sceleris exarsit. *Id. Ligar.* 1. 3. Bellum subito exarsit. *s'accese. Liv.* 27. 2. Novum atque atrox prœlium ex loco segni repente exarsit. *Id.* 35. 10. Ambitio magis, quam unquam alias, exarserat. *Virg.* 11. *Æn.* 376. exarsit violentia Turni. *Tac.* 1. *Hist.* 58. Iracundia exercitus in eum exarsit. *Id.* 2. *ibid.* 27. Seditio exarsit. *Id. ibid.* 38. Prima inter patres plebemque exarsere certamina. — *c)* Speciatim de pretio dicitur pro augeri. *Sueton. Tib.* 34. Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse. *essere cresciuti.* Eadem ratione et *incendo* adhibetur. *V.* INCENDO. — Hinc Part. præter. pass.

Exarsus, a, um, proprie occurrit tantum apud *Imp. Philipp. Cod.* 9. 1. 11. Data opera partis adversæ res vestras incendio exarsas esse asseverantes, crimen legis Corneliæ de sicariis exsequi potestis.

EXĀRĔFĪO, fis, fieri, n. aridus fio, exaresco. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 66. (103). Fucus marinus omnibus articulorum morbis impositus, antequam exarefiat.

EXĀRĒNO, as, are, a. 1. ab arena purgo. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 20. (65). Æs postea exarenatur, an satis recoctum sit, splendore deprehendente.

EXĀRESCO, árescis, árui, árescere, n. *inchoat.* 3. aridus fio, siccor (It. *seccarsi, inaridirsi*; Fr. *se dessecher, secher*; Hisp. *secarse, desecarse*; Germ. *austrocknen, ganz trocknen werden*; Angl. *to become dry, be or grow dry*).

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 2. 7. 20. Vestimenta madida exarescunt. *Varro* 1. *R. R.* 32. 1. Frumentum dicunt quindecim diebus exarescere, quum sit maturum. *Cic. Pis.* 33. 82. Si montes resedissent, amnes exaruissent. *Id.* 10. *Att.* 16. Miror, eas lacrimas tam diuturna miseria non exaruisse. *Cæs.* 3. *B. C.* 49. Qui tamen fontes a quibusdam præsidiis aberant longius, et celeriter æstibus exarescebant. *Colum.* 3. *R. R.* 12. 3. Raram terram sole ac vento penitus siccari atque exarescere. *Schneider.* vero ex primis edition. rectius legit *exolescere. Sueton. Galb.* 1. Silva omnis exaruit radicitus. *Dig.* 41. 1. 12. Exaruerunt lacus et stagna.

II.) Translate. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 45. Amoris aliquantum habeo, humorisque meo etiam in corpore, neque dum exarui ex amœnis rebus et voluptariis. *Cic.* 4. *Herenn.* 34. 45. Aliquando reipubl. rationes, quæ malitia nocentum exaruerunt, virtute optimatium revirescent. *Id. Brut.* 4. 16. Sic omnis fetus repressus, exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit. *Id. ibid.* 21. 82. Hujus orationes exiliores sunt, et redolentes antiquitatem: itaque exaruerunt, vix jam ut appareant. *Id.* 8. *Fam.* 18. Illa ipsa facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset. *Id.* 3. *Tusc.* 31. 75. Illa opinio tum non appellabatur recens, quum vetustate exaruit. *Id.* 7. *Fam.* 31. Vetus urbanitas exaruit.

EXĀRĬDUS, a, um, adject. omnino aridus. Translate. *Tertull. Resurr. carn.* 30. Statum enim Judæorum deformari quodam modo emortuum et exaridum, etc.

EXARMĀTUS, a, um. *V.* EXARMO.

EX ARMICUSTODE, m. qui fuit armorum custos. *Inscript.* apud *Mommsen. I. N.* 2680., quæ est apud *Henzen.* 6877. D. M. VALERIAE CASTAE OPTIM. FEMINAE CVM QVA VIXI AN. XXII. SINE VLLO STOMACHO D. IVLIVS DOLES. CONIVNX EX ARMICVSTODE VETERAN. B. M. F. *Alia* apud *Mommsen. I. N.* 2675., quæ est apud *Henzen.* 6876. D. M. M. CARRI AMMONIANI VETERANO EX ARMORVM (scil. custode) M. AEGYPTIVS etc.

EXARMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et armo). Part. *Exarmatus* I. et II. — Exarmo est arma detraho, armis spolio (It. *disarmare*; Fr. *désarmer, ôter les armes*; Hisp. *desarmar, quitar las armas*; Germ. *der Waffen berauben, entwaffnen*; Angl. *to disarm*).

I.) Proprie. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Exarmare cohortes. *Lucan.* 5. 356. dextras. *Id.* 8. 387. nam Medus prœlia prima Exarmant, vacuæque jubent remeare pharetræ. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 5. Mutilus autem (*aries*) quum se tamquam exarmatum intelligat, nec ad rixam promptus est, et in venerem mitior. *Lamprid. Elagab.* 21. Exarmati leones, sine unguibus et dentibus. *Stat.* 3. *Theb.* 303. pallentes agar exarmatus ad umbras. *Seneca Ep.* 30. et *Consol. ad Helv.* 17. Exarmata navis. *Paul. Dig.* 14. 2. 2. Si conservatis mercibus deterior facta sit navis, aut aliquid exarmaverit. *h. e.* aliquid ex armamentis amiserit.

II.) Translate. *Plin.* 3. *Ep.* 9. *a med.* Exarmare accusationem. *h. e.* infirmare, testibus subtractis. *Petron. Satyr.* 105. Giton mirabili forma exarmaverat nautas. *h. e.* flagella et iram deponere coegerat. *Flor.* 1. 22. 3. Inferentem signa filium mater lacrimis suis exarmavit. *Sil. It.* 1. 411. serpentem diro exarmare veneno Doctus. Sic *Calpurn.* 5. *Ecl.* 94. exarmata veneno serpens. *Val. Flacc.* 7. 596. aliam dehinc turbida Colchis Exarmat taurum. *h. e.* incantationibus debilitat. *Manil.* 4. 235. Exarmare tigres, rabiemque auferre leoni. *Alii minus recte* exorare *legunt. Claudian. epigr.* 35. *de portu Smyrnensi.* Hic exarmatum terris cingentibus æquor Clauditur, et placidam discit servare quietem.

EXĀRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et aro). Part. *Exaratus* sub *A.* I. et *B.* II.; *Exaraturus* sub *B.* II. — Exarare duo diversa significat, prout *A)* Præpositio *ex* motum ex interiore parte in externam indicat; aut *B)* Vim addit et actionis perfectionem significat.

A) Quum præpositio *ex* motum ex interiore parte in externam significat, exarare, ἐξαρόω, est arando eruere (It. *cavar fuori arando*; Fr. *déterrer en labourant*; Hisp. *desenterrar labrando*; Germ. *ausackern, auspflügen, ausgraben*; Angl. *to ploug or dig up*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 61. et apud *Plin.* 17. *Hist. nat.* 18. 30. (127). Tenuissimas radices exarare. Sic *Plin.* 18. *ibid.* 6. 8. (46). Radices exaratæ. *Cic.* 2. *Legg.* 23. 58. Quum multa in eo loco sepulcra fuissent, exarata sunt. *Id.* 2. *Divinat.* 23. 51. et 38. 80. Est ne quisquam ita desipiens, qui credat, exaratum esse deum? Cf. *Censorin. de die nat.* 4. In agro Tarquiniensi puer dicitur divinus exaratus nomine Tages. *Paul.* 5. *Sententiar. tit.* 22. Qui terminos effodiunt, vel exarant. Sic *Id. Dig.* 10. 1. 4. Termini dejecti, vel exarati.

II.) Translate est arando et colendo fructum ex agris percipere. *Cic.* 7. *Verr.* 38. 99. Aratorum liberi tantum labore suo frumenti exarabant, ut populo Romano totique Italiæ suppeditare possent. *col proprio lavoro ricavavano dai campi tanto frumento etc.* Adde *eumd.* 5. *ibid.* 18. 45.; et *V. Zumpt.* ad *eumd.* 5. *ibid.* 47. 113.

B) Quum præpositio *ex* vim addit verbo et actionis perfectionem significat, exarare

I.) Proprie ponitur pro simplici arare, vel potius probe arare. *Varro* I. *R. R.* 10. 1. Jugum vocant, quod juncti boves uno die exarare possint. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (9). *Colum.* 2. *R. R.* 18. 3. Exarare locum de integro. *Pallad.* 8. *R. R.* 1. agrum. *Paul. Dig.* 43. 10. 4. Qui viam publicam exaraverit, ad munitionem ejus solus compellitur. — Similiter de arboribus, quorum terra proxime exaratur, ut proveniant. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 14. Exarare et effodere mala. *Id. ibid.* 20. 1. Exarare vites.

II.) Translate. ¶ 1. Poetice *Horat. Epod.* 8. 3. rugis vetus Frontem senectus exarat. *raggrinza, increspa.* ¶ 2. Sæpius est scribere, facere: ducta metaphora a stilo, quo tabellæ ceratæ, sulcis veluti ductis, perscribuntur, *scrivere, comporre. Cic.* 12. *Att.* 1. Undecimo die postquam a te discesseram, hoc litterularum exaravi. Adde *eumd.* 12. *Fam.* 20. *in fin. Id.* 16. *Att.* 6. *extr.* Itaque statim novum prooemium exaravi: ad te misi. *Id.* 16. *ibid.* 39. Ante lucem quum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo et opera exaravi nescio quid ad te. *Id.* 9. *Fam.* 26. Quum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 90. Ad fratrem scriptas exarat illa notas. *Phædr.* 3. *prol.* 29. Librum exarabo tertium Æsopi stilo. *Sueton. Oth.* 10. Exarare binos codicillos. *Id. Ner.* 32. Versus non excepti, sed plane quasi a cogitante atque generante exarati. *Plin.* 7. *Ep.* 4. 6. Id ipsum, quod me ad scribendum sollicitaverat, his versibus exaravi: *Quum libros legerem* etc. *Sidon.* 7. *Ep.* 17. Nihil aliud exaratori styli scalpentis impressu.

EXARSUS, a, um. *V.* EXARDESCO.

EXARTĬCŬLĀTUS, a, um, adject. parum articulatus, inarticulatus. *Tertull.* 1. *ad Nation.* 8. Si ergo Philomela vixit, potuit effutire aliquod obtusum et exarticulatum sonum tinnitumque.

EXARTUĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *exartuo*, dissectus. Quidam afferunt locum *Cic.* 7. *Att.* 2. 3., ubi valde incerta est lectio: immo aliter omnino cum *Orellio* legendum.

EXASCĬĀTOR, ōris, m. 3. qui ascia dolat. *Inscript.* in *Giorn. Pisan. T.* 16. *p.* 192., quæ est apud *Henzen.* 5089. EXASCIATORI IN CVPA VNA NVMMOS X. Hic significatur, qui ascia crustam e cupis eradit, quem Itali dicunt *il tartaro.*

EXASCĬĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *exascio*, ascia dolatus. Translate. *Plaut. Asin.* 2. 2. 93. Jam hoc opus exasciatum est. *Al leg.* exasciandum est.

EXASPĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exasperandi. *Scribon. Compos.* 222. Lipara ad intertrigines et exasperationem mirifica. Adde *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 16. *a med.*; *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. *extr.*; et *Veget.* 5. *Veterin.* 61. 1. *Schneid.*

EXASPĔRĀTRIX, icis, f. 3. quæ exasperat. *Vulgat. interpr. Ezech.* 2. 8. Noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est.

EXASPĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXASPĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et aspero.) Part. *Exasperans* vid. in EXASPERATRIX; *Exasperatus* sub *A.* I. 1. et 2. et II.; *Exasperaturus* II. — Exasperare duo diversa significat, prout *A)* Præpositio *ex* est intensiva; aut *B)* Privativa.

A) Quum præpos. *ex* est intensiva, exasperare, ἀπαγριόω, παραπικραίνω, est valde asperare, asperum reddere (It. *rendere aspro*; Fr. *rendre rude, raboteux, inégal*; Hisp. *hacer rudo, aspero, desigual*; Germ. *rauh, uneben machen*; Angl. *to make sharp or rough, to sharpen, roughen*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Raro de planitie aliqua. *Liv.* 37. 12. *extr.* Exasperato fluctibus mari jactari cœperunt. *Ovid.* 5. *Met.* 6. fretum sæva quietum Ventorum rabies motis exasperat undis. Cf. *eumd.* 2. *Amor.* 11. 27. concussas Triton exasperat undas. *Seneca* 1. *Controv.* 3. Stat moles abscisa in profundum, frequentibus exasperata saxis. *scoscesa, scropulosa.* — *b)* Sæpius de morbis. *Cels.* 1. 3. Aquæ frigidæ cyathi tres bibendi sunt, nisi tamen vomitus fauces exasperavit. *Id.* 3. 27. Exasperare summam cutem. *Id.* 5. 13. Lævant id, quod exasperatum est, spodium, ebenus etc. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 48. (100). Silphii radix prodest arteriis exasperatis. *Id.* 31. *ibid.* 6. 34. (67). Exasperare corpus. *Id.* 23. *ibid.* 4. 51. (97). tussim. *Quintil.* 11. 3. 20. Faucium vitio vox exasperatur. ¶ 2. Speciatim ac poetice. *Claudian. III. Cons. Honor.* 192. Brontes innumeris exasperat ægida signis. *h. e.* signis exstantibus exornat.

II.) Translate est irritare, *inasprire, irritare. Liv.* 40. 20. *extr.* Exasperare criminibus animum alicujus. *Id.* 42. 14. Exasperavit animos ferocia nimia Harpali. *Id.* 28. 25. Ad quorum primum adventum exasperati animi, mox ipsis placido sermone permulcentibus, leniti sunt. Adde *eumd.* 38. 17. *Cels.* 3. 5. Si qua sunt, quæ exasperatura eorum animos sunt. *Curt.* 8. 1. 32. Quum animo videretur imperaturus, si finem procaciter orto sermoni Clytus imponeret; nihil eo remittente, magis exasperabatur. *Val. Max.* 6. 5. 3. Quum, ob nimis severe gestam censuram, majorem civitatis partem exasperassent. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 4. Neque convenit æstu medio exasperatas apes lacessiri. *Apul.* 4. *Met.* Exasperare canes. *Quintil.* 4. 2. 75. Adjecit invidiam, rem verbis exasperavit. *Eumen. Paneg. ad Constantin.* 10. Ut mallent amicitiam colere Romanam, quam exasperare justitiam.

B) Quum præpos. *ex* est privativa, exasperare est quæ aspera sunt auferre, adeoque acuere, lævigare. *Sil. It.* 4. 19. saxoque exasperat ensem. *h. e.* acuit, *aguzza.* Sic *Lucan.* 7. 139. cotibus asper Exarsit mucro. *Apul.* 5. *Met.* Novaculam præacutam appulsu etiam palmulæ lenientis exasperatam latenter absconde. *lisciata, levigata.*

EXĀTĬO. *V.* EXSATIO.

EXĀTURO. *V.* EXSATURO.

EXAUCTĬO, ōnis, f. 3. finis auctionis. *Sueton. Vit. Horat.* Q. Horatius Flaccus patre exauctionum exactore. Ita edidit *Dœringius* in editione *Horatii*, et sic interpretatur, *h. e.* homine, qui, finita auctione, ab iis, quibus res in auctione attributæ fuissent, pretium exigeret et cogeret. Alii leg. *exactionum*, *h. e.* qui publicanorum minister, iisdem parva mercede operam suam locans exigit tributa, vectigalia et portoria. At *H. Dörgens* rectius legit: *Patre, ut ipse tradit, libertino et coactore*, ut vere cre-

ditum est, *argentario* (non *salsamentario*, ut habent vulgati libri): omisso vocabulo *exactionum*.

EXAUCTŌRĀTUS, a, um. *V.* EXAUCTORO.

EXAUCTŌRĬTAS, ātis, f. 3. *Imppp. Valens, Gratian. et Valentinian. Cod. Theod.* 8. 5. 35. Militans exauctoritatem subibit. *h. e.* exauctorabitur.

EXAUCTŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Exauctoratus* I. et II. — Exauctorare est ab auctoramento, idest obligatione militari et juramento solvere et liberare; hinc in re militari est idem ac *dimittere*: V. *Pauly's Real-Encycl.* in h. v.

I.) Proprie *exauctorati milites* dicebantur, qui a militia removebantur, data missione honesta, aut ignominiosa. — *a*) De illa missione, qua expletis stipendiis honeste milites dimittebantur. *Liv.* 8. 34. *ad fin.* Sine commeatu vagi milites, immemores sacramenti, licentia sola se, ubi velint, exauctorent. *Id.* 36. 40. *extr.* Postero die concione advocata, de rebus abs se gestis quum disseruisset, milites exauctoratos dimisit. Adde *eumd.* 25. 20., 29. 1., 32. 1. et 41. 5. *Tac.* 1. *Ann.* 36. *in fin.* Missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari, qui senadena fecissent, ac retineri sub vexillo ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis. Describit hic *Tac.* peculiare exauctorandi genus, militaris seditionis infringendæ causa usurpatum. *Justin.* 12. 12. 7. Qua modestia obtinuerunt, ut undecim millia militum veteranorum exauctorarent. Adde *Sueton. Tib.* 30. — *b*) item de ignominiosa missione. *Plin.* 6. *Ep.* 31. Trajanus centurionem adulterii reum exauctoravit, atque etiam relegavit. *Tac.* 1. *Hist.* 20. Exauctorati per eos dies tribuni. *Lamprid.* in *Alex. Sever.* 12. narrat, eum imperatorem legiones tumultuantes exauctorasse. *Ulp. Dig.* 3. 2. 2. *a med.* Sed et si ita exauctoraverit, ut insignia militaria detraheret, inter infames efficit. Adde *Sueton. Aug.* 24., *Vitell.* 10. et *Vesp.* 8.

II.) Translate. *Macrob.* 1. *Saturn.* 5. Verba, quæ quum in usu priscæ auctoritatis crebro fuerint, exauctorata tamen a sequenti ætate repudiataque sunt.

EXAUDĪBĬLIS, e, adject. qui exaudiri potest, dignus cujus preces exaudiantur. *Augustin.* 1. *Soliloq.* 1. *ante med.* Deus, qui nos exaudibiles facis.

EXAUDĬO, audis, audivi, auditum, audire, a. 4. (ex et audio). Part. *Exaudiens* 2.; *Exauditus* in omnibus paragr. — Exaudire, ἐξακούω ¶ 1. Est procul audire, clare audire, clare sentire (It. *udire da lontano, udire o sentire chiaramente, distintamente*; Fr. *entendre, distinguer quelque chose de loin*; Hisp. *entender, oir lejos, distintamente*; Germ. *etwas aus der Ferne hören, vernehmen, heraus hören, deutlich hören*; Angl. *to hear far off, hear perfectly*). — *a*) Pro procul audire. *Plaut. Epid.* 2. 2. 55. Ego abscessi paullum ab illis: dissimulabam me harum sermoni operam dare. Nec satis exaudiebam, nec sermonis fallebar tamen, quæ loquerentur. Adde *eumd. Merc.* 4. 3. 8., *Men.* 3. 2. 13. et *Trin.* 3. 3. 25. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 73. Quum aliquantulum progressus esset, subito exaudivit hinnitum. *Id.* 13. *Att.* 48. Heri nescio quid in strepitu videor exaudisse, quum diceres, te in Tusculanum esse venturum. *Id.* 1. *ibid.* 14. *circa med.* Tanti sonitus fuerunt, ut eos usque istinc exauditos putem. *Nepos Dion.* 9. Fit strepitus, adeo ut exaudiri possit foris. *Virg.* 1. *G.* 476. Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 39., 7. *ibid.* 61., 1. *B. C.* 66. et alibi; et *Liv.* 1. 29., 2. 27., 5. 52. et alibi. — *b*) Pro clare audire. *Cic. Sull.* 11. 33. Maxima voce, ut omnes exaudire possint, dico semperque dicam. *Id. Ligar.* 3. 6. Quantum potero, voce contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. et 3. *B. C.* 94. Vincite, inquit, si ita vultis: et id clariore voce, ut magna pars militum exaudiret. Adde *Liv.* 3. 67. ¶ 2. Ponitur etiam pro simplici audire. *Cic.* 4. *Att.* 8. Dic, oro te, clarius: vix enim mihi exaudisse videor. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 20. Quam multa, quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati. *Horat. Art. P.* 50. Fingere cinctutis non exaudita (*vocabula*) Cethegis. *Ovid.* 4. *Met.* 144. Pyrame, responde, tua te, carissime, Thisbe Nominat, exaudi, vultusque attolle jacentes. *Id.* 9. *ibid.* 122. Exaudi. *senti, ascolta. Id.* 11. *ibid.* 19. tum denique saxa Non exauditi rubuerunt sanguine vatis. *Curt.* 7. 7. 20. Hæc, quassa adhuc voce, subdeficiens, vix proximis exaudientibus, dixerat. Adde *eumd.* 3. 5. 14. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 4. (20). Surdis ictibus, et qui non exaudiantur, arborem cædi. *Id.* 9. *ibid.* 8. 9. (30). Celeriter delphini exaudiunt desideria. Huc pertinet et illud *Lucan.* 6. 715. licet has exaudiat herbas Ad manes ventura semel. *h. e.* hos cantus. ¶ 3. Latiori significatione, præcipue apud Poetas, *exaudire preces* est non audire solum, sed etiam annuere, *esaudire. Virg.* 11. *Æn.* 157. nulli exaudita deorum Vota precesque meæ. Adde *Stat.* 11. *Theb.* 616. *Ovid.* 13. *Met.* 855. tantum miserere, precesque Supplicis exaudi. Adde *Senec. Hippol.* 636., *Lucan.* 6. 706.; et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 3. (11). Similiter *Seneca* 1. *Contror.* 3. *a med.* Exaudire populi vota. *Plin. Paneg.* 94. Capitoline Juppiter, audisti quæ malo principi precabamur; exaudi quæ pro dissimillimo optamus. — Et absolute *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 51. Si tamen exaudis pulcra cum matre. *subaudi* rogantem. ¶ 4. Item latiori sensu pro auscultare, obedire. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 14. Ridebit monitor non exauditus. ¶ 5. Apud serioris ævi scriptores ponitur et pro intelligere. *Cels. Dig.* 33. 10. 7. Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere. *Id. ibid.* 45. 1. 99. Etsi ambigua verba sunt, sic tamen exaudiuntur, si etc.

EXAUDĪTĬO, ōnis, f. 3. actus exaudiendi. *Augustin.* 21. *Civ. Dei* 24. Eorum efficacior est oratio, et exauditione Dei dignior. *Vulgat. interpr.* 2. *Paral.* 33. 19. Oratio quoque ejus et exauditio scripta sunt in sermonibus Hozai.

EXAUDĪTOR, ōris, m. 3. qui exaudit. *Vulgat. interpr. Eccli.* 35. 19. Dominus exauditor non delectabitur in illis. Similiter *Vulgat. Ital. ibid.* Deus exauditor delectans in illis. *Venant. Fortun. Vit. S. Martin.* 4. 594. Supplicis ergo memor, famuli exauditor optime.

EXAUDĪTUS, a, um. *V.* EXAUDIO.

EXAUGEO, es, ere, a. 2. (ex et augeo) idem quod augeo, vel valde augeo. *Plaut. Stich.* 2. 1. 9. et 32. Benefacta majorum tuorum exauge. — Est etiam idem ac deminuo. *Ter. Heaut.* 2. 2. 3. Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant. *h. e.* tacerent. Probabilis tamen conjectura *F. H. Bothii* legentis: Concurrunt multa, opinionem quæ mi hanc nimium exaugeant.

EXAUGŬRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exaugurandi. *Liv.* 1. 55. Nam quum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, etc.

EXAUGŬRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXAUGŬRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et auguro). Part. *Exauguratus.* — Exauguro est ex sacro profanum facio: nam sacræ res augurato consecrabantur. *Cato* apud *Festum p.* 162. 31. *Müll.* Fana in eo loco compluria fuere: ea exauguravit, præterquam quod Termino fanum fuit, id nequitum exaugurari. *Liv.* 1. 55. Exaugurare fana sacellaque statuit. *Gell.* 6. 7. Si quadraginta annos nata (*virgo vestalis*) sacerdotio abire et nubere voluisset, jus ei potestasque exaugurandi atque nubendi facta est. *Capitolin. M. Aurel.* 4. Fuit in eo sacerdotio (*Saliorum*) et præsul et vates et magister, et multos inauguravit atque exauguravit. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 166. M. ROSIVS LAELIANVS PONTIVS FALCO LOCO L. ANNII RAVI EXAVGVRATI.

EXAURĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *exauro*; inauratus, ut Exaurati crateres apud *Auct. fragm.* c. 15. quod cum Censorino edi solet.

EXAUSPĬCO, as, āvi, ātum, are, n. 1. auspicium ex re aliqua capere. *Plaut. Capt.* 3. 5. 108. Exauspicavi ex vinculis: nunc intelligo redauspicandum esse in catenas denuo. *h. e.* auspicium hujus itineris ex vinculis duxi: quare ut malo auspicio huc veni, ita ad vincula mihi denuo redeundum est, quasi ad auspicia repetenda.

EXBALLISTO, as, are, a. 1. ballistæ ictu prosterno. Festive *Plaut. Pseud.* 2. 1. 9. Nunc inimicum ego hunc meum atque vostrum omnium Ballionem exballistabo lepide. Sic *Id. Bacch.* 4. 4. 58. De ducentis nummis primum intendam ballistam in senem.

EX BĔNĔFĬCĬĀRĬO, indecl. m. qui in militia fuit beneficiarius. *Inscript.* apud *Rénier.* 276. D. M. S. *cajus* AGRIVS DEXTER VETERANUS EX BF. (*h. e.* ex beneficiario) VIXIT BENE AN. LXXXII. etc. Adde *aliam* apud *eumd.* 466.; et *aliam* apud *Henzen.* 6792.

EXBĪBO, bibis, bibere, a. 3. idem quod ebibo. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 19. Neque illic calidum exbibit in prandium.

EXBŎLA, æ, f. 1. fax aut telum missile: ab ἐκβάλλω *ejicio. Varro* 7. *L. L.* 108. *Müll.* Nævius in Tunicularia: *Exbolas quassant*, aulas quæ ejiciuntur, a Græca voce ἐκβολή dictum. *Bothius* male tribuit *Pacuvio.*

EXBŪRES exinteratas, sive exburæ, quæ exbiberunt, quasi epotæ. *Paul. Diac. p.* 79. 11. *Müll.* Alii aliter leg.

EXCÆCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus excæcandi. *Gloss. Cyrill.* Ἐκτύφλωσις, excæcatio. *Augustin. Ep.* 68. Ut jam se a cædibus nostris, a rapinis, ab excæcatione compescant.

EXCÆCĀTOR, ōris, m. 3. qui excæcat. *Augustin. serm.* 43. et *homil.* 50. Diabolus fuerat excæcator.

EXCÆCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCÆCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et cæco). Part. *Excæcatus* II. 2. — Excæcare, ἐκτυφλόω, est omnino cæcare, cæcum reddere (It. *acciecare*, Fr. *rendre aveugle, aveugler*; Hisp. *cegar, quitar la vista à otro*; Germ. *verblenden, blind machen*; Angl. *to blin, make blind*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 23. 74. Num ergo is excæcat nos, aut orbat sensibus? Adde *Plin.* 20. *Hist. nat.* 18. 76. (200).; et *Flor.* 2. 20. 5.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de plantis, et est eas oculis privare. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 45. Stirpes præfractæ angunt oculos spongiarum et quasi excæcant, nec patiuntur asparagum emittere. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (175). Quidam tunc excæcant eum (*palmitem*) supina falce auferendo oculos, ut longius evocent. ¶ 2. Item *excæcata* dicuntur, quæ obstructa sunt et abdita: quemadmodum *cæcas fossas* dixit *Colum.* quæ apertæ non sunt, et *cæcam domum* vocat *Cic.* quæ obscura est et sine fenestris. *Ovid.* 15. *Met.* 271. antiqui tam multa tremoribus orbis Flumina prosiliunt, aut excæcata residunt. *Al. leg.* exsiccata. *Id.* 4. *Pont.* 2. 17. Scilicet ut limus venas excæcat in undis, Læsaque suppresso fonte resistit aqua. *Cels.* 7. 7. *sub fin.* Id signum est quasi excæcatorum itinerum, per quæ humor ferebatur. *h. e.* obstructorum. ¶ 3. Apud *Plin.* 33. *Hist. nat.* 9. 46. (131). *fulgor excæcatus* in argento est, quum argentum colore tingitur suumque fulgorem obscurat. ¶ 4. Hinc sumptâ metaphorâ, excæcare est obscurare, corrumpere. *Petron. Satyr.* 128. Numquid ab aliquo naturali vitio formam meam excæco? *Id. ibid.* 141. Ingens fama oculos animosque miserorum excæcat.

EXCALCEĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCALCEO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et calceus). Scribitur et *excalcio*. V. et EXCHALCEO. — Part. *Excalceatus* et *Excalceandus.* — Excalceo est calceos detraho, seu calceis exuo. — *a*) Active. *Sueton. Vitell.* 2. Ut sibi pedes præberet excalceandos. — *b*) Passive, sed mediorum apud Græcos significatione. *Vellej.* 2. 41. Neque unquam aut nocte, aut die aut excalcearetur, aut discingeretur. — *c*) *Excalceor* deponentis forma cum Accus. *se. Varro* apud *Non. p.* 478. 16. *Merc.* Qui ibi ad Herculis introeat, nemo se excalceetur. — *d*) Part. præter. pass. *Sueton. Vesp.* 8. Jussit post hæc excalceatos cursitare. *Martial.* 12. 88. Excalceatus ire cœpit ad cœnam. — *e*) Speciatim de comicis et mimis. *Seneca Ep.* 8. Quam multa Publii non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt? *h. e.* non mimis et comicis, qui soccis utuntur, sed tragicis, qui cothurnis. (V. *Maffei dei teatri* p. 118., et v. PLANIPES). *Excalceatos* vocat comicos, quia pro cothurnis, qui altiores erant et adhibebantur a tragicis, habebant soccos multo humiliores, ita ut præ illis excalceati videri possent. Hinc *Id. Ep.* 76. *ad fin.* illi, quibus sceptrum et chlamydem in scæna fabulæ assignant, cum præsente populo elati incesserunt et cothurnati; simul exierunt, excalceantur, et ad staturam suam redeunt.

EXCALCEOR, āris, etc. dep. *V.* voc. præced. sub *b.*

EXCALCEUS, a, um, adject. idem atque excalceatus. *Paulin. Nolan. carm.* 21. 321. Qui maluisset consueri excalceus, Quam calceari frigidus. *Salvian.* 3. *Gub. D.* 1. Quod ambulare excalceos Salvator præcipit, quis non modo faciendum, sed vel ferendum arbitratur? Adde *eumd.* 1. *ibid.* 39.

EXCALDĀTĬO, ōnis, f. 3. lavatio in aqua calida. *M. Aurel.* in *epist.* apud *Vulcat. Gallic.* in *Avid. Cass.* 5. Illa sane omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo et sinu militi excutiet. *h. e.* calida balnea. *Capitolin. Albin.* 5. Testudinem infantulo ad excaldationes pueriles dicari jussit.

EXCALDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCALDO, as, ātum, are, a. 1. Occurrit tantum Part. *Excaldans* et *Excaldatus*, et est calida perfundere et calefacere. *Vulcat. Gallic.* in *Avid. Cass.* 5. Legiones totæ excaldantes se. *Apic.* 4. 2. Excaldatus causeus. *Marcell. Empir.* 26. Amygdalæ excaldatæ.

EXCĂLESCO, is, ere, n. *inchoat.* 3. (ex *et* calesco) incalesco. *Theod. Priscian.* 4. 1. *a med.* Rutam agrestem sere, et inde veretrum line, statim excalescit.

EXCALFĂCĬO *vel excalefacio*, făcis, factum, făcere, a. 3. (ex, calidum *et* facio). Part. *Excalfactus* et *Excafaciendus*. — Excalfacio est idem quod calefacio. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 20. 82. (139). Magis excalfacit, quam crocum ipsum. *Id. ibid.* 21. 89. (155). Modice his tamen utendum est, quoniam excalfaciunt. *Id.* 37. *ibid.* 10. 54. (148). Calorem tenet excalfacta igni. *Id. ibid.* 2. 11. (37). Lacus sole excalfactus. *Id.* 24. *ibid.* 7. 28. (42). Quum quid siccari, excalfieri ve opus sit. *Id.* 21. *ibid.* 22. 93. (163). Ad excalfaciendos emolliendosque nervos. *Scribon. Compos.* 158. Priusquam excalefiant.

EXCALFACTĬO, ōnis, f. 3. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (105). Sal additur ad excalfactiones.

EXCALFACTŌRĬUS, a, um, adject. excalfaciendi vim habens. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 95. (152). Natura vini excalfactoria. *Id.* 24. *ibid.* 11. 64. (105). Excalfactorias vires habet. *Id.* 21. *ibid.* 18. 72. (120). Excalfactoriavis.

EXCALFACTUS, a, um, *et*

EXCALFĬO *vel excalefacio*. *V.* EXCALFACIO.

EXCALPO. *V.* EXSCALPO.

EX CĂNĀLĬCLĀRĬO, m. qui fuit canaliclarius. Occurrit in *Inscript.* apud *Henzen.* 6785.

EXCANDĔFĂCĬO, facis, feci, facere, a. 3. (excandescere *et* facio) incendo. Occurrit translate tantum apud *Varron.* 3. *R. R.* 2. 16. Triumphus, et collegiorum cœnæ, quæ tunc innumerabiles, excandefaciebant annonam macelli. *h. e.* pretium annonæ augebant, incendebant. *V.* INCENDO. — Dividitur per tmesim. *Id. ibid.* 4. 1. Excande me fecerunt cupiditate. *h. e.* inflammarunt.

EXCANDEO, es, *ere*, n. 2. idem quod excandesco. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 166. — Cl. vero *Furlanetto* huc refert præter. *excandui*, quod *V.* in EXCANDESCO.

EXCANDESCENTĬA, æ, f. 1. *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 21. Ira sit libido puniendi: excandescentia sit ira nascens, et modo exsistens; quæ θύμωσις Græce dicitur. — Hinc est idem quod *irascibile* a Scholasticis dicebatur. *Apul.* 1. *Dogm. Plat. sub fin.* Tripartitam animam idem dicit: primam ejus rationabilem esse partem: aliam excandescentiam, vel irritabilitatem: tertiam appetitum.

EXCANDESCO, candescis, candui, candescere, a. 3. (ex *et* candeo) incendor, inflammor (It. *accendersi*; Fr. *s'échauffer, prendre feu, s'embraser*; Hisp. *acalorarse, abrasarse*; Germ. *sich erhitzen, glühend werden, sich entzünden*; Angl. *to grow very hot*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 95. Nam si in tecto coquas, excandescet. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 16. Nam (*sacer ignis*) pæne ad omnem tactum excandescit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 67. (199). Vitreæ pilæ sole adverso in tantum excandescunt, ut vestes exurant. At *Sillig.* ex optimis Codicibus legit *candescunt*.

II.) Translate accipitur pro irasci, quod ira, velut igne quodam, animus soleat incendi. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 12. 2. Id postquam rescivit, excanduit. *Al. leg.* incanduit. *Cic.* 4. *Tusc.* 19. 43. Hæc nullam vim habent, nisi ira excanduit fortitudo. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 5. *de canib. villaticis.* Ut etiam conservos iratius intueantur, semper excandescant in exteros. *Petron. Satyr.* 85. Tam vehementer excandui, ut etc. *Quintil.* 5. 10. 61. Excandescere verbis. *Vox tamen est hoc loco incertæ auctoritatis, ut adnot. Spalding.* *Flor.* 2. 18. Etiam in ultionem excanduit. *Sueton. Vesp.* 14. In hunc deprecantem haud ultra verba excanduit. *Id. Rhetor.* 6. Quum ita excanduisset, ut, deplorato Italiæ statu, etc. *Id. Claud.* 40. Quum excanduisset, vociferatus est. *Id. Ner.* 40. Hactenus excanduit, ut malum iis minaretur.

EX CANDĬDĀTO, indecl. m. qui in militia fuit candidatus. *Inscript.* apud *Renier.* 100. IOVI O. M. *conservatori* AVGG. NN. (*h. e.* Augustorum nostrorum) — VOTIVSQ. DOMVS DIVINE (*sic*) M. ACVTIVS INGENVS (*lege* ingenuus) EX C. LEG. (*h. e.* ex centurione legionis) H. M. M. CVLTORES VETERAN. etc. TITVS SENTIVS SATVRNINVS EX CANDIDATO etc.

EXCANTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCANTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* canto). Part. *Excantatus* I. — Excanto est incantationibus, veneficiis et magicis artibus elicio, evoco, exire facio, traduco, transfero: nam incantamenta plerumque carminibus et cantionibus fiunt.

I.) Proprie. *Horat. Epod.* 5. 45. Quæ sidera excantata voce Thessala, Lunamque cælo deripit. *Propert.* 3. 2. 49. Ut per te clausas sciat excantare puellas. *Lucan.* 6. 685. Tum vox Lethæos cunctis pollentior herbis Excantare deos. *Id.* 9. 930. Pestis excantata fugit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (17). et *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 7. Legum in duodecim tabulis verba sunt: Qui fruges excantassit. *h. e.* ex agro vicini in suum incantationibus transtulisset; id enim carminibus posse fieri, vulgo credebant, ut est apud *Virg.* 8. *Ecl.* 99., *Tibull.* 1. 9. 19., *Ovid. Remed. Am.* 255. et *Capell.* 9. p. 314. Quo pertinet illud *Varron.* apud *Non.* p. 102. 11. *Merc.* Ubi vident, se cantando ex ara excantare non posse, deripere incipiunt. Adde *Augustin.* 8. *Civ. Dei* 19. — *Seneca loc. cit.* alio sensu videtur intelligere *excantare fruges*, nempe veneficiis corrumpere, imbres avertendo, grandines, aliasque noxias tempestates attrahendo. Nam et hæc carminibus fieri, credula putavit antiquitas.

II.) Translate. *Plaut. fragm.* apud *Non.* p. 102. 7. *Merc.* Nam tu quidem cuivis excantare cor facile potes. *Non.* exponit *excludere*, sed *elicere* vult *Brouckus.* ad *Propert.* 3. 2. 49. unde hæc desumpsimus. Similiter *Lucan.* 6. 457. Excantata mens. *h. e.* de statu dejecta. — *Luxum excantare* in *lemmate* apud *Caton. R. R.* 160. est cantione sanare: vocabulum tamen hoc loco caret auctoritate.

EXCĂPERE, pro excipere, est *Ennii* apud *Non.* p. 169. 23. *Merc.* Sed V. *Scabreo*, ubi aliter hic locus legitur et explicatur.

EXCARNĬFĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCARNĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex, caro *et* facio). Part. *Excarnificatus* et *Excarnificandus* I. — Excarnifico est dilanio, carnem disseco, in partes divido.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Nat. D.* 33. 82. Anaxarchum Democriteum a Cyprio tyranno excarnificatum accepimus. *Sueton. Vitell.* 17. Minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est. *Seneca Ep.* 24. Mille instrumenta excarnificandi particulatim hominis.

II.) Translate pro cruciare ponitur. *Ter. Heaut.* 4. 6. 9. Hujusmodi mihi res semper comminiscere, ubi me excarnifices. *Seneca* 3. *Ira* 4. Age, si exaudire voces ac minas vacet, qualia excarnificati animi verba sunt! *h. e.* ira cruciati.

EXCASTRĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac castratio. *Gloss. Philox.* Excastratio, ἐκτομή.

EXCASTRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCASTRO, as, ātum, are, a. 1. (ex *et* castro). Part. *Excastratus* I. et II. — Excastro est idem ac castro.

I.) Proprie. *Gell.* 9. 9. Auctore M. Varrone, is demum caper dicitur, qui excastratus est. *Gloss. Philox.* Excastro, ἐκτέμνω.

II.) Figurate. *Scribon. Compos.* 9. Sinapi ex aceto tritum, et non excastratum. *h. e.* cui cortex non est ademptus, ita ut vim amitteret aliqua ex parte.

EXCAUDICO *V.* EXCODICO.

EXCAUSĀTUS. *V.* EXCUSO.

EXCĂVĀTĬO, ōnis, f. 3. actus excavandi. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 3. Stillicidii casus lapidem cavat, et hæc ipsa excavatio rotunda fit.

EXCĂVĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCĂVO, as, ātum, are, a. 1. (ex *et* cavus). Part. *Excavatus*. I. — Excavo est cavum facio, effodio.

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 62. Trulla excavata cum manubrio aureo. *Seneca Ep.* 90. Loca vel incuria temporis, vel alio quolibet casu excavata. *Plin.* 33. *Hist. nat. procem.* 1. (1). Vivimus super excavatam terram, mirantes dehiscere aliquando. *Id.* 10. *ibid.* 33. 49. (95). *de hirundinib.* Tertium est earum genus, quæ ripas excavant. *Id.* 9. *ibid.* 27. 43. (82). Cavernam sibi rostro excavat. Adde *Apic.* 4. 1.

II.) Translate. Obscœna metaphora est idem ac pædico. *Auct. Priap.* 52. 4. Cum quisquis in nos luat pœnas, Et usque curvos excavetur ad lumbos.

EXCĒDO, cēdis, cessi, cessum, cēdere, 3. (ex *et* cedo). *Excessis* pro *excesseris* legitur apud *Ter. Andr.* 4. 4. 21. — Part. *Excedens* sub *A.* I. 2. et sub *B.* II.; *Excessus* sub *B.* II.; *Excessurus* sub *A.* II. — Excedere est *A*) Verbum neutrum; sed occurrit etiam *B*) Cum Accusativo.

A) Neutrorum more, excedere, ἐκχωρέω, ἀπέρχομαι, est exire, egredi, ut etiam *Paul. Diac.* exponit, secedere, abire (It. *uscire, andar fuori, partirsi, ritirarsi*; Fr. *s'en aller, sortir, se retirer, quitter un lieu*; Hisp. *salir à fuera, salir, irse*; Germ. *herausgehen, fortgehen, einen Ort verlassen*; Angl. *to depart, go forth or out, retire, withdraw*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum addito loco, ex quo quis excedit — Per Ablativum et præpos. *ex*. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 18. Si hercle tu ex istoc loco digitum transversum aut unguem latum excesseris. *Ter. Hecyr.* 4. 3. 14. Excedere e medio. *ritirarsi*, e turba, e publico excedere. *Id. Andr.* 4. 4. 21. ex loco. *Cic.* 12. *Phil.* 6. 14. ex Italia. *Id.* 8. *ibid.* 8. 23. Priusquam ex illa circumscriptione excederet. *Klotz* vero rectius putat legendum *exiret*. *Cæs.* 6. *B. G.* 8. Excedere ex civitate. *Id.* 7. *ibid.* 33. ex finibus. *Id.* 1. *B. C.* 79. ex itinere. *uscire di strada*. *Id.* 5. *B. G.* 19. ex via. *Id.* 4. *ibid.* 33. ex prælio. *Id.* 3. *ibid.* 4. ex pugna. *Nepos Hann.* 6. ex acie. *Liv.* 29. 19. e templo. — Per Ablativum sine præpos. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. *ante med.* Excedere urbe. *Cæs.* 1. *B. C.* 44. Pedem referre et loco excedere. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 45. et 93. *Id.* 4. *B. G.* 18. et 7. *ibid.* 77.; et *Liv.* 30. 42. et 41. 19. finibus. *Cæs.* 4. *B. G.* 14. domo. *Id.* 7. *ibid.* 78. oppido. *Id.* 1. *B. C.* 10. et 11. Arimino. *Id.* 7. *B. G.* 66. Galliâ. *Id.* 1. *B. C.* 85. provinciis. *Id.* 5. *B. G.* 38. et 2. *B. C.* 7., *Nepos Epam.* 9.; *Liv.* 44. 42.; et *Virg.* 9. *Æn.* 789. pugna. *Cæs.* 2. *B. G.* 25., 3. *ibid.* 4. et 7. *ibid.* 80. prælio. *Id.* 2. *B. C.* 41. et 3. *ibid.* 94.; et *Liv.* 31. 17. acie. *Sall. Cat.* 9. bello. *Liv.* 26. 24. urbe. *Id.* 39. 5. templo. *Id.* 24. 20. via. *Virg.* 1. *Æn.* 357. patriâ. *Id.* 3. *ibid.* 60. sceleratâ terrâ. — Passive impersonaliter. *Liv.* 24. 20. Neque usquam via excessum est. — Singulare est illud cum præpos. *de* *Triphonin. Dig.* 1. 5. 15. Excedere de utero. *h. e.* nasci. — *b*) Cum addito, quo quis excedit per Accusativum et præpos. *in* vel *ad*. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 74. Næ ille, medius fidius, vir sapiens lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit. *Liv.* 31. 26. *extr.* Agro hostium in Bœotiam excessit. *Curt.* 8. 30. 3. in altius terræ fastigium. *Martian. Dig.* 48. 19. 4. in exsilium. *Curt.* 4. 7. 27. Invictum fore, donec excederet ad deos. *h. e.* moreretur et inter deos referretur. Adde *Vellej.* 1. 2. — Huc pertinet et illud *Ter. Andr.* 4. 4. 21. Cave quoquam ex istoc excessis loco (*pro excesseris syncope*). — *c*) Cum Accusativo sine præpos. *V.* infra sub *B.* I. — *d*) Absolute. *Cic.* 2. *Cat.* 1. 1. Abiit, excessit, evasit, erupit. *Liv.* 42. 67. *extr.* Urbs deserta erat —: primi omnium Macedones, regium præsidium, metu excesserant. *Tac.* 5. *Hist.* 13. Audita major humana vox, excedere deos, simul ingens motus excedentium. Adde *Ulp. Dig.* 48. 22. 7. § 17., ubi *excedere* absolute ponitur pro excedere in exsilium. — Et passive tantum, si tamen salva est lectio, *Lactant. Mort. pers.* 7. Repente magna pars civitatis exceditur. ¶ 2. Speciatim pro mori — *a*) Cum additis. *Cic.* 2. *de republ.* 14. Sic ille quum undequadraginta annos regnavisset, excessit e vita. Adde *eumd. Brut.* 20. 80., *Amic.* 3. 12., 1. *Off.* 43. 153. et 3. *Fin.* 18. 60. *Id.* 1. *Tusc.* 13. 29. et *Brut.* 75. 262. Excedere vita. Similiter *Ter. Phorm.* 5. 7. 74. e medio. *Donatus* de medio. — *b*) Absolute. *Tac.* 1. *Ann.* 5. Excessisse Augustum, et rerum potiri Neronem, fama eadem tulit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 13. 11. (58). Augustus neptis suæ nepotem vidit genitum, quo excessit anno. Adde *Sueton. Aug.* 5., *Claud.* 45., *Vesp.* 2. et *Tit.* 11.; et *Val. Flacc.* 1. 826. ¶ 3. Item speciatim significat progredi, procedere, *avanzarsi, inoltrarsi*; et occurrit — *a*) Raro admodum de personis. *Justin.* 1. 1. 6. Fuerunt quidem temporibus antiquiores Sesostris Ægypti et Scythiæ rex Tanaus, quorum alter in Pontum, alter usque Ægyptum excessit. — *b*) Sæpius de inanimis. *Cic. Tim.* 5. Sic omnes partes collocatæ sunt, ut nulla excederet extra. *Cels.* 8. 25. Si nudum os eminet, impedimento semper futurum est: ideo quod excedit, abscidendum est. *h. e.* prominet, pro-

tuberat. *Id. ibid.* 9. *sub fin.* Si id, quod ex vertebra excedit, aliquo modo factum est. *h. e.* si vertebræ processus. Al. perperam leg. *excidit. Plin.* 27. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Excedentia in nubes juga.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphora sumpta a superiore paragr. 1. *Cic.* 1. *Divinat.* 25. 53. Quum animus Eudemi e corpore excesserit. *Liv.* 32. 10. Excedere possessione. *Ovid.* 6. *Met.* 669. De pectore cædis Excessere notæ. *Plerique tamen leg.* effluxere. *Auct. B. Afr.* 73. Cæsar tardior et consideratior erat factus, et ex pristina bellandi consuetudine celeritateque excesserat. Sic *Vellej.* 2. 68. *extr.* Excedere naturâ suâ. *partirsi dal suo natural costume*, contra insitam clementiam agere. — Præcipue usurpatur de iis, quæ nobis ex animo vel memoria excidunt. *Ter. Hecyr.* 3. 2. 12. Istoc verbo animus mihi redilt et cura ex corde excessit. *Cic.* 5. *Parad.* 3. 40. Quum cupiditatum dominatus excessit et alius est dominus exortus. *Liv.* 26. 13. Excessit e memoria, quo tempore et in qua fortuna a populo Rom. defecerimus? *ci è uscito di mente. Curt.* 8. 8. 8. Ubi vero reverentia excessit animis. Et absolute *Sil. It.* 15. 35. Cannæ ne tibi graviorque palude Mæonius Stygia lacus excessere Padusque? *h. e.* e memoria exciderunt. ¶ 2. Speciatim, metaphora sumpta a superiore paragr. 3., est procedere, progredi; et occurrit — *a)* De ætate. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 40. Jam excessit mihi ætas ex magisterio. *sono uscito di scuola e di suggezione. Ter. Andr.* 1. 1. 24. Is postquam excessit ex ephebis. Cf. *Cic.* 2. *Orat.* 80. 327. *Id. Cic. Arch.* 3. 4. Ut primum ex pueris excessit Archias. — Huc referri potest etiam illud *Liv.* 30. 28. Hæc eo anno in Africa gesta. Insequentia excedunt in eum annum, quo etc. *vanno a cadere.* Cf. *eumd.* 21. 15. — *b)* De oratione, et est degredi, exire a proposito, quasi de via decedere, *far digressione. Liv.* 29. 20. Operæ pretium videtur, excedere paullulum ad enarrandum, quam varia fortuna usus sit. *Seneca Ep.* 77. *med.* Excedere in fabellam. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *extr.* Ne reprehendar, si longior fuero in hoc, in quod excessi. — *c)* De abstractis. *Liv.* 25. 1. Primo secretæ bonorum indignationes exaudiebantur; deinde ad patres etiam et ad publicam querimoniam excessit res. *Id.* 34. 1. Intercessit res parva dictu, sed quæ studiis in magnum certamen excesserit. Cf. *eumd.* 33. 35. *Id.* 8. 33. Quo ultra iram violentiamque ejus excessuram fuisse, quam ut verberaret necaretque? Adde *eumd.* 3. 41. *Vellej.* 2. 68. In hoc lacessiti principis ira excessit, ut censoria contentus nota etc. *Tac. Agric.* 42. Obsequium ac modestiam eo laudis excedere, quo etc. *Id.* 2. *Ann.* 24. Quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentia cæli præstat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit. *h. e.* eminuit.

B) Cum Accusativo *excedere* occurrit tantum post Augusti ætatem; nam quod afferunt nonnulli ex *Cic.* 1. *Cat.* 6. 15., dubia tantum lectione innititur: significat autem exeundo relinquere.

I.) Proprie de loco. *Liv.* 2. 37. *ad fin.* Facto senatus consulto, ut urbem excederent Volsci, præcones dimittuntur, qui omnes eos proficisci ante noctem juberent. Sic *Id.* 23. 1. Excedere urbem. *Id.* 45. 20. curiam. *Forcellinus* ait in multis *Liv.* locis dubiam esse lectionem, quemadmodum apud *Sil. It.* 14. 439. *Seneca Œdip.* 23. Non ego penates profugus excessi meos. — Passive impersonaliter *Liv.* 24. 3. Ita Crotonem excessum est.

II.) Translate est superare, vincere, *eccedere, superare, passare*; eodem sensu quo *egredi*; et occurrit — *a)* De mensura et numero. *Lucan.* 2. 271. nubes excedit Olympus. Cf. *eumd.* 8. 236. *Sueton. Tib.* 68. Statura, quæ justam excederet. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 39. (73). Stagnum altitudine genua non excedens. *Id.* 7. *ibid.* 2. 2. (22). Multos ibi quina cubita constat longitudine excedere. *Id.* 18. *ibid.* 7. 11. (62). Hordeum raro excedit quindecim libras. *pesa più di quindici libre. Id.* 13. *ibid.* 3. 4. (20). Excedunt quadragenos denarios libræ. *costano più di* etc. *Liv.* 39. 5. Senatus Fulvio, quantum impenderet, permisit, dum ne summam octoginta millium excederet. *Tac.* 1. *Ann.* 14. Excedere numerum. Adde *Sueton. Aug.* 77.; et *Quintil.* 9. 4. 79. Sic *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 5. Duo enim multitudo, unione jam excessa. — *b)* De ætate. *Colum.* 6. *R. R.* 24. 1. Quum excesserunt annos decem, fetibus inutiles sunt. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 67. (166). Triennium vitæ non excedunt. Adde *Sueton. Gramm.* 7. — *c)* De modo et de aliis. *Liv.* 26. 19. et 28. 25.; *Curt.* 4. 11.; *Quintil.* 3. 6. 62., 8. 3. 48. et alibi; *Sueton. Tib.* 68.; et *Lucan.* 2. 142. Excedere modum. *essere esorbitante, trasmodare.* Sic *Vellej.* 2. 122. *in fin.* In hoc viro nescias, utrum magis mireris, quod laborum periculorumque semper excessit modum, an quod honorum temperavit. *Sueton. Cæs.* 55. Eloquentia militarique arte aut æquavit præstantissimorum gloriam, aut excessit. *Id. Oth.* 1. Excedere præturæ gradum. *Id. Cal.* 22. principum fastigium. *Tac.* 4. *Ann.* 40. equestre fastigium. *Ovid.* 7. *Met.* 166.; *Vellej.* 2. 51. 3.; et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 21. 21. (85). Excedere fidem. *esser oltre ogni credere. Plin.* 2. *Ep.* 11. 2. Excessisse Priscam immanitate et sævitia crimina, quibus dari judices possent. *Justin.* 13. 2. Nomine tantum ceteros excedente, ut ei aliquis se submitteret. *h. e.* quum nemo tantum ceteros antecelleret, ceteris præstaret, dignitate, virtute, fama. — Absolute *Tac.* 2. *Ann.* 33. Proximo senatus die multa in luxum civitatis dicta a Q. Haterio consulari – decretumque, ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent. – Excessit Fronto ac postulavit modum argento, supellectili, familiæ. Cf. apud *eumd.* 2. *ibid.* 33. Egredi relationem.

EXCELLENS, entis. *V.* EXCELLO.

EXCELLENTER, adverb. Comp. *Excellentius.* — Excellenter est singulari ac præstanti ratione. *Cic.* 1. *Off.* 18. 61. Quæ magno animo, et fortiter excellenterque gesta sunt. *Id. Sext.* 15. 96. In republ. excellentius se gerere. *Nepos Att.* 1. Non solum celeriter arripere, sed etiam excellenter pronunciare.

EXCELLENTIA, æ, f. 1. præstantia, magnitudo, nobilitas; et usurpatur abstracte et relative, numquam vero concreto, uti ajunt, sensu et absolute: V. *Seyffert* ad *Cic. Amic.* 19. 69. — *a)* In singulari numero. *Cic.* 1. *Off.* 5. 17. Animi excellentia et magnitudo. *Id.* 1. *ibid.* 28. 97. Nobis autem personam imposuit ipsa natura magna cum excellentia præstantiaque animantium reliquorum. *Id. ibid.* 27. 96. Sic fere definiri solet: Decorum id esse, quod consentaneum sit hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 8. 19. (82). Excellentia crurum. *Id.* 35. *ibid.* 11. 40. (173). picturæ. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 52. Romanus, acris heros excellentiæ. *h. e.* magnitudinis animi. — *b)* In plurali numero. *Cic. Amic.* 19. 69. Sæpe excellentiæ quædam sunt, qualis Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege.

EXCELLO, cellis, cellui, celsum, cellere, 3. (ex et *obsoleto* cello). Quod ad formam attinet, reperitur etiam *excelleo, es,* 2. conjug. *Cic. fragm.* apud *Priscian.* 8. *p.* 838. et 10. *p.* 896. *Putsch.* Quare effice et elabora, ut excelleas. *Macer Æmilius* apud *Diomed.* 1. *p.* 371. Cum laude excellet omnes. Hinc *excellere aliquem re quapiam*, Accusativo addito pro Dativo, recte dici potest: quod quidam confirmant auctoritate *Lactant.* 7. 8. *sub fin.*, ubi tamen in optimis lib. aliter se res habet. *Plinium* potius attulissent, qui 19. *Hist. nat.* 8. 41. (142). *de brassicæ generib.* Est etiam sua gratia nunquam plantæ habitum excellentibus. *h. e.* excedentibus. Ab *excelleo* est præterit. *excellui*, quod agnoscit præter alios *Priscian. loc. cit.*, et usurpat *Gell.* 11. 3. *ad fin.* In quibus illi duo omnium judicio excelluerunt. — Part. *Excellens* et *Excelsus* in fin. — Ceterum *excellere* (ab obsoleto *cello*, quod est *moveo*) proprie est in altum moveri seu tolli (It. *alzare*; Fr. *élever, porter en haut*; Hisp. *elevar, alzar, levantar en alto*; Germ. *sich erheben, emporheben*; Angl. *to lift or hold up, raise up*).

I.) Proprie. — *a)* Active pro in altum tollere memoratur tantummodo a *Paul. Diac. p.* 275. 11. *Müll.* Recellere reclinare, et excellere in altum extollere. — *b)* Neutr. *V.* in fine hujus vocis *Excellens* sub I.

II.) Translate est v. neutr. ¶ 1. Stricto sensu, metaphora sumpta a sup. paragr. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. et 13. 24. Scio, solere plerisque hominibus, rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere, superbiam atque ferociam augescere atque crescere. ¶ 2. Latiori sensu plerumque usurpatur pro præstare, eminere, excellentem esse, ὑπερέχω (It. *essere eccellente e singolare, sorpassare, soprastare*; Fr. *se distinguer, être supérieur, l'emporter, surpasser*; Hisp. *distinguirse, sobrepujar*; Germ. *durch etwas hervorragen, sich auszeichnen*; Angl. *to excel, outdo, outstrip, surpass, be eminent*). Occurrit — 1.°) Sæpissime in bonam partem; et quidem — *a)* Cum addita re, in qua quis excellit, per Ablativum et præpos. *in*, vel per Ablativum sine præpos. *Cic.* 1. *de republ.* 13. Artem illudere, in qua excello ipse. *Id.* 1. *Orat.* 50. 217. Excellere in aliqua arte et facultate. *Id. Brut.* 59. 215. in alia parte orationis. *Id. Amic.* 9. 30. maxime in amicitiis expetendis colendisque. — *Lucret.* 6. 13. excellere bonâ famâ. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 4. ingenio scientiaque. *Id.* 1. *Off.* 18. 61. animi magnitudine. *Id. Brut.* 59. 215. actione. *Id.* 11. *Fam.* 21. 4. hoc genere virtutis. *Nepos Arist.* 1. abstinentia. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. dignitate. *Curt.* 9. 1. sapientia. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (24). altitudine. *Id.* 37. *ibid.* 6. 23. (88). candore. — *b)* Cum addita persona, cui quis excellit, per Dativum, vel per Accusativum et præpos. *inter*, vel etiam, apud sequioris ævi scriptores, per Accusativum et præpos. *super, ante. Cic.* 2. *Orat.* 51. 216. In quibus (*jocis*) tu longe aliis, Cæsar, excellis. *Id.* 2. *Invent.* 1. 1. Tum longe ceteris excellere pictoribus existimabatur. *Id. pro leg. Manil.* 14. 41. Ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. Cf. *eumd.* 2. *Tusc.* 18. 43. Ab ea virtute, quæ una ceteris excellebat, omnes nominatæ sunt. *Quintil.* 2. 20. 9. Hominem porro ratione atque oratione excellere ceteris certum est. — *Cic. Orat.* 2. 6. In oratoribus autem admirabile est, quantum inter omnes unus excellat. *Id.* 1. *Invent.* 2. 3. Ut inter quos posset excellere, cum iis se pateretur æquari. — *Liv.* 28. 43. Excellere super ceteros. *Apul. Florid. n.* 16. ante ceteros. — *c)* Absolute. *Lucret.* 1. 26. quem tu, dea, tempore in omni Omnibus ornatum voluisti excellere rebus. *Cic.* 1. *Divinat.* 19. 38. Nunc minore gloria est, quia minus oraculorum veritas excellit. Adde *eumd. ibid.* 41. 91., 1. *de republ.* 22. et 2. *ibid.* 23. et 28., et 4. *Fam.* 3. Sic *Tac. Dial. de orat.* 32. Eminere atque excellere. — 2.°) In malam partem. *Cic.* 1. *Legg.* 19. 51. Eos, qui singulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus. *Id. Pis.* 38. 94. Quum hæc (*flagitia*) quæ excellunt, me nosse videas. — Hinc Part. præs.

Excellens, entis, adjective occurrit, unde Comp. *Excellentior* I. et II., Sup. *Excellentissimus* II.

I.) Proprie est altus, eminens, *alto, eminente. Auct. B. Hisp.* 8. Oppida excellentibus locis constituta. *Vellej.* 2. 107. Unus e barbaris corpore excellens. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 47. (170). Excellentius frumentum.

II.) Translate ac sæpius est præstans, insignis, *eccellente*, προέχων. — *a)* Posit. — Cum addita re, in qua quis excellit, per Ablativum et præpos. in, vel sine præpos. *Cic.* 2. *Orat.* 54. 220. et 1. *Tusc.* 1. 2. Vir excellens in omni genere. *Id.* 2. *de republ.* 17. Cujus excellens in re militari gloria. *Id.* 2. *Divinat.* 63. 129. Deus rerum omnium præstantia excellentes. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 3. 12. Brutus noster excellens omni genere laudis. *Id.* 3. *Fin.* 2. 8. Vir quum omnibus excellens, tum mecum amicitia conjunctus. *eccellente in tutto.* V. et infra sub *b* et *c*. — Cum addita persona, cui quis excellit. *Cic. Brut.* 97. 333. Galba fuit inter tot æquales unus excellens. — Absolute. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 56. Pie sancteque colimus naturam excellentem atque præstantem. *Id.* 4. *Fam.* 3. *sub fin.* Tua scientia excellens ac singularis. *Id.* 2. *de republ.* 3. Hoc vir excellenti providentia sensit ac vidit. *Id.* 2. *Invent.* 16. 51. Verbis et sententiis excellentibus. *Virg.* 12. *Æn.* 249. Jovis ales Cygnum excellentem pedibus rapit improbus uncis. *Cæs.* 3. *B. C.* 31. *extr.* Profiteri excellens studium. *distinta propensione ed amore. Liv.* 2. 43. *sub fin.* Excellens ingenium. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (82). Excellens vinum. *Id.* 32. *ibid.* 7. 25. (78). Excellens garum. — *b)* Comp. *Nepos Alcib. init.* Nihil illo (*Alcibiade*) fuit excellentius vel in vitiis, vel in virtutibus. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 11. (50). Excellentiora ova. *Prudent.* 1. *in Symmach.* 572. Excellentior ordo. *h. e.* senatorius. — *c)* Sup. *Cic.* 1. *Nat. D.* 2. 4. Una excellentissima virtus, justitia. *Cæs.* 3. *B. C.* 99. Eo prælio excellentissimam virtutem Crastini fuisse. Adde *Senec. Vit. beat.* 14. *Vellej.* 2. 41. Forma omnium civium excellentissimus. *Sueton. Ner.* 20. Insignes excellentissimo cultu. *Id. Cæs.* 37. Excellentissimus triumphus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (58). Excellentissimum aurum. — Hinc etiam Part. præter. pass.

Excelsus, a, um, adjective occurrit, unde Comp. *Excelsior* et Sup. *Excelsissimus* I. et II. 1.

I.) Proprie est altus, sublimis, editus, *eccelso, alto, sublime*, ὑψηλός. — *a*) Posit. *Cæs.* 1. *B. C.* 80. Mons excelsus. *Virg.* 5. *Æn.* 35. vertex montis. *Cic.* 6. *de republ.* 11. locus. *Id.* 4. *Att.* 16. *ad fin.* Excelsa porticus. *Id.* 6. *Verr.* 34. 74. Statua posita excelsa in basi. *Id. ibid.* Amplum et excelsum signum. *Id.* 1. *Nat. D.* 36. 101. Ibes, aves excelsæ, cruribus rigidis. *Sueton. Cæs.* 45. Excelsa statura. *Val. Flacc.* 1. 405. Hasta excelsa. *lunga. Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (184). altitudo vineæ. *Seneca Phœniss.* 546. Excelsos rotis volitare proceres, *h. e.* sublimes in curribus. — *b*) Comp. *Cic.* 2. *de republ.* 31. Quod in excelsiore loco Veliæ cœpisset ædificare. *Cæs.* 6. *B. G.* 25. Cornu (*bovis*) excelsius. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 33. 51. (120). Chamæleoni excelsiora crura — *c*) Sup. *Cæs.* 1. *B. C.* 70. Mons excelsissimus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 6. 7. (19). Excelsissimæ rupes. *Id.* 16. *ibid.* 6. 8. (22). ægilops. *Id.* 11. *ibid.* 37. 49. (134). Cerebrum, excelsissimum viscerum. — *d*) Absolute, substantivorum more. *Cic.* 3. *Cat.* 8. 20. Simulacrum Jovis in excelso collocare. Adde *eumd.* 6. *Att.* 1. 17. *Ovid. Heroid.* 15. 165. Phœbus ab excelso, quantum patet, aspicit æquor. Adde *eumd.* 2. *Fast.* 369. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 30. (184). Vitis in excelsum emicat. *Id.* 6. *ibid.* 16. 18. (47). Excelsa urbis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Posit. *Cic.* 2. *Tusc.* 4. 11. Te natura excelsum quemdam et altum et humana despicientem genuit. *Id. Mur.* 29. 60. Magnus homo et excelsus, Cato. *Id.* 1. *Off.* 5. Animi excelsi atque invicti magnitudo ac robur. *Id. ibid.* 23. 79. Animus excelsus et magnificus. *Id. Opt. gen. orat.* 4. 12. Neque eos quidquam excelsum magnificumque delectat. *Id.* 2. *Fam.* 5. Excelso et illustri loco sita est laus tua. *Tac. Agric.* 4. Species magnæ excelsæque gloriæ. — *b*) Comp. *Cic. Orat.* 34. 119. Quem etiam (*oratorem*) quo grandior sit et quodammodo excelsior, ut de Pericle dixi supra (4. *et* 9.), ne physicorum quidem esse ignarum volo. *Id.* 3. *Att.* 20. *ad fin.* Quo tua in me humanitas fuerit excelsior, quam in te mea. *Quintil.* 12. 10. 23. Nonne bis istior et audentior et excelsior? *Plin. Paneg.* 94. Hic, qui omnibus excelsior inconcussus stetit. — *c*) Sup. *Vellej.* 2. 96. Excelsissimæ et multiplices eo bello victoriæ. *segnalatissime. Id. ibid.* 114. Excelsissimi duces. *Seneca Thyest.* 911. O me cœlitum excelsissimum! *Plin. Hist. nat. præfat.* (11). Te in excelsissimo humani generis fastigio positum. — *d*) Absolute, substantivorum more. *Sall. Cat.* 50. Qui magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt. *in alto posto di dignità. Id. initio Orat.* 2. *ad Cæs.* Rex, aut imperator, cujus opes in excelso sunt. ¶ 2. Speciatim Imperatorum temporibus summi magistratus *excelsi* dicebantur, ut *excelsus præfectus prætorio*. — Hinc

Excelsum, i, n. 2. absolute substantivorum more, V. *Excelsus* sub I. et II. d.

EXCELSĒ, adverb. Comp. *Excelsius* I. et II.; Sup. *Excelsissime* II. — Excelse est alte, in sublime.

I.) Proprie. *Colum.* 4. *R. R.* 1. 5. Si vitis scandit excelsius, plus adjumenti desiderat.

II.) Translate est excellenter, sublimiter, magnifice. *Cic. Orat.* 34. 119. Omnia profecto excelsius magnificentiusque et dicet et sentiet. *Plin.* 2. *Ep.* 3. Pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelse. *Vellej.* 1. 6. 4. Sparta excelsissime floruit. V. *Kritz* ad *eumd. Vellej.* 2. 35. 1.

EXCELSĬTAS, ātis, f. 3. altitudo, sublimitas.

I.) Proprie. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 64. 64. (160). Montium excelsitas. *Id.* 21. *ibid.* 5. 11. (22). *de lilio.* Nec ulli florum excelsitas major. *Id.* 16. *ibid.* 36. 66. (167). Arundo ad excelsitatem nascens.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Off.* 5. 24. Excelsitas animi et magnitudo. Est qui legit *celsitas*: verum *Non.* quoque *p.* 486. 21. *Merc. excelsitatem* agnoscit, hoc ipso loco allato: et *paullo post*, his verbis respondet: magni animi et excelsi.

EXCELSUS, a, um. *V.* EXCELLO in fin.

EX CENTŬRIĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *excenturio*, exauctoratus. Verbum fictum a *Plauto Curc.* 4. 4. 29., ubi tamen plerique melius leg. *centuriatus*, quam vocem *V.*

EX CENTŬRIŌNE, indecl. m. qui centurio fuit. *Inscript.* apud *Gruter. p.* 530. M. AVRELIO PROCESSANO EX CENT. PRAET. COHORT. VI. Cf. et *Cavedoni Marm. Moden. p.* 128. et *Furlanetto Iscriz. ant. Pat. p.* 194.

EXCEPTĀCŬLUM, i, n. 2. id quo aliquid excipitur. *Tertull. Spectac.* 2. *a med.* Non sumpsimus aures ad exceptaculum maliloquii.

EXCEPTĪCĬUS, a, um, adject. qui excipitur et excluditur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (115). Alica, quæ in cribro remansit, excepticia appellatur.

EXCEPTĬO, ōnis, f. 3. (excipio) actus excipiendi, exclusio, pactum, conditio, lex, ἐξαίρεσις, παραγραφή (It. *eccezione, limitazione, restrizione, clausula, patto*; Fr. *exception, restriction, réserve, clause ou stipulation restrictive*; Hisp. *excepcion, restriccion, reserva, clausula*; Germ. *die Ausnahme, Einschränkung*; Angl. *an exception, clause, limitation, restriction, stipulation, proviso*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic. Balb.* 14. 32. Quorum (*populorum*) in fœderibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur. Quod si exceptio facit, ne liceat; ibi necesse est licere, ubi non est exceptum. *Id.* 1. *leg. Agr.* 4. 10. Sunt in tota lege exceptiones duæ. — Excipit in vectigali imponendo agrum Recentoricum etc. *Seneca* 4. *Benef.* 39. Subest tacita exceptio, si potero, si debebo, si hæc ita erunt. *Quintil.* 2. 15. 36. Albucius, scientiam bene dicendi esse, consentit; sed exceptionibus peccat, adjiciendo, circa civiles quæstiones et credibiliter. *Plin.* 1. *Ep.* 2. Nec est quod putes, me sub hac exceptione veniam postulare. *Id. Paneg.* 38. *sub fin.* Tu quidem Cæsar, illam exceptionem removisti, *Si modo filius etc. Flor.* 2. 18. 12. Quum Scipio veram vellet et sine exceptione victoriam. *piena e totale.* — Præcipue occurrit formula sine *ulla*, *sine* vel *cum exceptione*, ut apud *Cic. Amic.* 17. 61. Sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine ulla exceptione, communitas. *Id.* 6. *Fam.* 5. Polliceor ei studium meum et operam, sine ulla exceptione laboris, aut occupationis, aut temporis; gratiam autem atque auctoritatem cum hac exceptione, quantum valeam quatumque possim. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. Neque te patiar cum exceptione laudari. Omnes enim, qui istinc veniunt, ita de tua virtute commemorant, ut in tuis summis laudibus unam excipiant iracundiam. Adde *eumd.* 2. *Invent.* 57. 172., *Cæcin.* 8. 23., 7. *Verr.* 31. 81. et 8. *Att.* 4. 2.; et *Quintil.* 7. 1. 50. Et in plurali numero *Tac. Germ.* 44. Unus imperitat sine ullis jam exceptionibus. *Recentiores leg.* nullis. — Pro pacto, conditione, *patto, condizione. Petron. Satyr.* 86. Puero asturconem donabo, cum hac tamen exceptione, si ille non senserit. *Seneca Ep.* 30. Vita cum exceptione mortis data est. *Id. Ep.* 6. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, rejiciam. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (180). Exceptionem addidere, ne diutius id fieret. ¶ 2. Speciatim in jure *exceptio* est quasi quædam exclusio, quæ interponi actioni cujusque rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemve deductum est, ut *Ulp. Dig.* 44. *tit.* 1. *qui est* De exceptionibus *etc. l.* 2. definit. *Cic.* 1. *Orat.* 37. 168. Ut illi, unde peteretur, vetus atque usitata exceptio daretur, Cujus pecuniæ etc. *et mox.* Petitor rursus quum peteret, exceptione excluderetur. *Id.* 2. *Invent.* 47. 140. Non ergo omnia scriptis, sed quædam, quæ perspicua sunt, tacitis exceptionibus caveri. *Id.* 1. *ibid.* 33. 56. Si addat exceptionem hanc: extra quam si quis etc. Adde *Cajum* 4. *Institut.* 116. et seq.; *Justin.* 4. *Instit.* 13.; et *Cod.* 8. 36.; et V. *Rein's Röm. Privatr. p.* 448.

EXCEPTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* exceptio, parva exceptio. *Seneca Ep.* 20. Licet illam exceptiunculam non adjicias, ut rectum sit, quod velis.

EXCEPTO, as, are, a. 1. *frequentat. ab* excipio. Part. *Exceptans.* — Excepto est accepto, recepto, capto, advenientem admitto et accipio. *Cic.* 5. *Parad.* 2. 38. Barbatulos multos exceptans de piscina, et pertractans. *Cæs.* 7. *B. G.* 47. *extr.* Eos ipse singulos exceptans, in murum extulit. *Virg.* 2. *G.* 273. Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis, Exceptantque leves auras. — Poetice *Sil. It.* 9. 368. per pectora sævas Exceptat mortes, et leto dedecus arcet. — Idem significat etiam ac simplex *excipio* in illo *Senec.* 6. *Benef.* 38. Agricolam annonæ caritas erigit, eloquentiæ exceptat pretium litium numerus. *Alii leg.* exoptat.

EXCEPTOR, ōris, m. 3. qui excipit, et speciatim qui dictata excipit, notarius, scriba, qui celeritatis causa quandoque in tabula cerata seu codice vel codicillo scribebat cum graphio (V. *Ruinart. Act. acad. p.* 267. et 539). *Ulp. Dig.* 19. 2. 19. § 9., *Augustin. Ep.* 152. et *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. *a med.* et 12., ubi dicitur exceptor eorum sententiarum, quæ de hominum capitibus proferuntur. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 2831. et 3471. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 47. Præcipiens, ut exceptores eorum verba conscriberent. — Fuit etiam nomen officii inservientium in scriniis sacri Palatii, ut videre est in *Cod.* 12. 19. 5. *et* 12. et alibi, et in *Cod. Theod.* sæpe, et in *Notit. dignit. Imperii*, ubi postremo loco fere ponitur, et infimi gradus officium fuisse videtur. Munus horum erat acta judiciorum, sententias judicum, eorum nomina, qui deferebantur, quæstiones reorum et responsa etc. describere. Utebantur autem notis, quum celeritate opus erat, ne dictantes morarentur. *Inscript.* apud *Gruter.* 372. *n.* 4. L. AVRELIO MARCIANO AVG. LIB. EXCEPTORI etc. — In *Inscript.* sub Decio Imp. apud *Fabrett. p.* 683. *n.* 76. memorantur *argentarii et exceptores, itemque negotiantes vini.* Hos *Fabrett.* putat fuisse publicorum vectigalium conductores: suamque sententiam recte defendit contra *Reinesium*, qui *cl.* 3. *n.* 88. legendum putat *excoctores. Fabretti* sententiam tuetur *Orellius*, qui eumdem *Inscript.* refert *n.* 955.

EXCEPTŌRĬUS, a, um, adject. ad excipiendum, seu recipiendum pertinens. *Ulp. Dig.* 33. 7. 8. Quali vindemiatorii exceptoriique, in quibus uvæ comportantur. — Hinc

Exceptorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more est exceptaculum. *Inscript.* apud *Henzen.* 6628.... PROPAGATORI CONSERVATORI ET GENIO FONTIS EXCEPTORIVM QVOD EFICIAVS (sic) FELIX V. E. *castra* EXTRVXIT etc. *Gloss. Philox.* Exceptorium, excipulum, conceptaculum, ἐκδοχεῖον. *Vulgat. interpr. Eccli.* 39. 22. In verbo ejus (*Domini*) stetit aqua sicut congeries; et in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum.

EXCEPTRIX, īcis, f. 3. quæ excipit. *Mythogr.* III. edit. ab *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 202. Has (*Parcas*) licet exceptrices et librariæ Jovis sint, etc.

EXCEPTUS, a, um. *V.* EXCIPIO.

EXCĔRĔBRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCĔRĔBRO, as, ātum, are, a. 1. (ex et cerebrum). Part. *Excerebratus.* — Excerebrare est cerebrum excutere, seu potius cerebro privare; et occurrit translate tantum. *Vulgat. interpr. Isai.* 66. 3. Qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 11. *a med.* Excerebratus es novo vino.

EXCERNO, cernis, crēvi, crētum, cernere, a. 3. (ex et cerno). Part. *Excretus* I. et in fin.; *Excreturus* 2. — Excerno ¶ 1. Generatim est cernendo separo, purgo, secerno. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 5. In area detrita frumenta sic sunt aggerenda, ut omni flatu possint excerni. *Id.* 8. *ibid.* 4. 1. Furfures a farina excernere. *Vitruv.* 7. 6. Cæmenta marmorea, sive assulæ diruntur, pilis ferreis contunduntur, cribrisque excernuntur. Eæ autem excretæ, etc. Sunt qui leg. *excretiæ*: sed frustra. *Grat. Cyneg.* 289. Percensere notis jamque inde excernere parvos. *Liv.* 9. 46. Omnem forensem turbam excretam in quattuor tribus conjecit. *Id.* 28. 39. Ubique ex captorum numero excretos Saguntinos in patriam remisit. ¶ 2. Speciatim apud Medicos est onus ventris dejicere, excrementa emittere: sic enim separantur ab utili alimento corporis supervacua et noxia. *Cels.* 2. 8. *ante med.* Si venter per se excernit mollia et figurata. *et paullo post.* Ea quæ per dejectiones excernuntur. *et* 7. *ante med.* Sanguis cum urina excernitur. *Id.* 4. 1. Πυλωρός in inferiores partes ea, quæ excreturi sumus, emittit. — Hinc

Excreta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, apud *Colum.* sunt quæ cribrando excernuntur, excrementa, cretura, 8. *R. R.* 8. 6. Ubi annona est carior, excreta tritici minuta commode dantur. Adde *eumd. ibid.* 4. 1.

EXCERPO, cerpis, cerpsi, cerptum, cerpere, a. 3. (ex et carpo). Part. *Excerpens* I.; *Excerptus* II. 1. et in fin.; *Excerpendus* II. 2. — Excerpere est decerpere, colligere (It. *spiccar via, staccar via, raccogliere*; Fr. *extraire, tirer de, recueillir*; Hisp. *extraer, recoger*; Germ. *herauspflücken, ausnehmen, auslesen*; Angl. *to pick, single, choose*).

I.) Proprie. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 272. Picenis excerpens semina pomis.

II.) Translate est idem quod eligere, ἀπολέγω, *scegliere*. ¶ 1. Cum addita significatione ex multis pauca secernendi atque colligendi, ut ea serventur. — *a*) Generatim. *Cic.* 3. *Off.* 1. 3. Non solum ex malis minima eligere oportere, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inesset boni. *Id.* 2. *Invent.* 2. 4. Omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime præcipere videbatur, excerpsimus et ex variis ingeniis excellentissima quæque libavimus. *Quintil.* 7. 1. 29. Solebam excerpere, quid mihi cum adversario conveniret. *Id.* 10. 1. 45. Paucos, qui sunt eminentissimi, excerpere in animo est. — *b*) Speciatim de iis, quæ ex alicujus operibus eliguntur. *Augustus* apud *Sueton.* in *ejus Vita* 86. Verba, quæ Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis. Cf. *Apul. de Mag.* Verba sola excerpta et ab ordine suo sejugata. *Seneca Ep.* 33. Non est, quod exigas excerpta et repetita: continuum est apud nostros quidquid apud alios excerpitur. Adde *Quintil.* 9. 1. 24. et 10. 2. 13.; et *Gell.* 17. 21. Sic *Plin.* 3. *Ep.* 5. *de avunculo suo.* Liber legebatur: adnotabat excerpebatque: nihil enim legit, quod non excerperet. ¶ 2. Item est eligere cum addita significatione secernendi, atque adeo est eximere, separare, *cavare*, *separare*, *lasciar fuori*. *Ter. Phorm.* 1. 4. 18. Tu id, quod boni est, excerpis: dicis quod mali est. *h. e.* seligis et abjicis. *Cic.* 2. *Orat.* 11. 47. Non enim eo de numero quoque est excerpendum. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 39. Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis, Excerpam numero. *Seneca Ep.* 5. Excerpere se consuetudini hominum. *Id. Brevit. vit.* 18. Excerpe te vulgo, et in tranquilliorem portum tandem recede. Et absolute *Id. Ep.* 18. Non excerpere se, nec insigniri, nec misceri omnibus. *non cavarsi affatto da tutti, nè rendersi singolare; ma nemmeno mettersi con tutti.* — Hinc a Part. præter pass., cujus exempla superius retulimus,

Excerpta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt flosculi, *antologie*, *h. e.* ea, quæ, quum meliora probatioraque videantur, ex operibus alicujus excerpuntur: *V.* supra sub II. 1. *b. M. Aurel.* apud *Fronton.* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 13. Feci tamen mihi per hos dies excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis. *V.* ODORIFER.

EXCERPTIM, adverb. carptim. Translate *Ennod. Opusc.* 2. *ad fin.* Ut hymnis et cantibus et in morte resonans ad sedem suam cælestis anima (*Epiphanii episc. Ticinensis*) remearet, quæ quinquagesimum octavum ætatis annum duxit ad tumulum, triginta in hac sacerdotali, qualem, etsi excerptim lector attendis sculptam, conversatione exemit.

EXCERPTĬO, ōnis, f. 3. actus excerpendi. *Gell.* 17. 21. Nunc excerptiones variis diversisque in locis factas cursim digessimus.

EXCERPTOR, ōris, m. 3. Elogium dedicatoris in simulacro Fortunæ barbatæ, apud *Spon. Miscell. p.* 104. L. AVRELIVS MARCELLIANVS AVG. LIBERTVS EXCERPTOR V. S. L. M. *Muratorius p.* 81. *n.* 2. hanc eamdem referens legit *Marcianus* pro *Marcellianus*, et *exceptor* pro *excerptor*, quam postremam vocem defendit: et quidem recte; nam idem L. Aurelius Marcianus *exceptor* appellatur in alia *Inscript.*, quam vide in V. EXCEPTOR.

EXCERPTUS, a, um. *V.* EXCERPO.

EXCERVĪCĀTĬO, ōnis, f. 3. contumacia pervicax. *Hieronym. in Naum* 3.

EXCESSUS, a, um. *V.* EXCEDO.

EXCESSUS, us, m. 4. (excedo) actus excedendi, egressio, discessio, *uscita*, *partita*, ἐκχώρησις.

I.) Proprie. ¶ 1. Speciatim est actus excedendi e vita: *V.* EXCEDO sub *A.* I. 2. — *a*) Apud optimos quosque scriptores occurrit cum additis. *Cic.* 3. *Fin.* 18. 60. In his esse et excessum e vita et in vita mansionem. *Id.* 1. *Tusc.* 12. 27. Neque excessu vitæ sic deleri hominem. *Al. leg.* e vita. *Id.* 2. *de republ.* 30. Post obitum, vel potius excessum Romuli. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 12. Similiter *Id.* 1. *Legg.* 1. 3. Certe non longe a tuis ædibus inambulans post excessum suum Romulus Julio Proculo dixerit, se deum esse. — *b*) Apud sequioris ævi scriptores absolute occurrit pro morte. *Sueton. Tib.* 22. Excessum Augusti non prius palam fecit, quam Agrippa juvene interempto. Adde *eumd. ibid.* 70., *Cal.* 1. et 9. et 48., *Ner.* 5. et *Vesp.* 3.; et *Tac.* 1. *Ann.* 7. et 14. ¶ 2. Item speciatim pro ossium processu, apud anatomicos, *prominenza*, *protuberanza*, V. EXCEDO sub *A.* I. 3. *Cels.* 8. 1. *sub fin.* Os calcis quadam parte sinuatur, quadam excessus habet.

II.) Translate est actus e recta via egrediendi: hinc — *a*) Accipitur pro degressione in oratione. *Quintil.* 3. 9. 4. Egressio vero, vel quod usitatius esse cœpit, excessus, sive est extra causam etc. *Plin.* 9. *Ep.* 26. *de Demosthenis orat.* Quid audentius illo pulcherrimo et longissimo excessu? — Et in plur. numero *Plin. Hist. nat. præfat.* § 12. Hi libelli non admittunt excessus, aut orationes sermonesve. — *b*) In re morali accipitur pro peccato. *Val. Max.* 8. 2. *in fin.* Verecundiam illius seculi laudemus, in quo tam minuti a pudore excessus puniebantur. *Prudent.* 2. *in Symmach.* 990. Excessus moderaminis.

EXCĔTRA, æ, f. 1. hydra Lernæa, quam Hercules occidit: seu potius generatim serpens. *Servio* placet ad *Virg.* 6. *Æn.* 287. dictam esse ab *excresco*, quod uno ejus exciso capite, tria excrescebant: ex *Döderlinio* vero (*Latein. Synonym. und Etym.* vol. 6. *p.* 115.) vocis originem esse admodum incertam patet.

I.) Proprie. *Plaut. Pers.* 1. 1. 1. Qui amans egens ingressus est princeps in amoris vias, superavit ærumnis is suis ærumnas Herculis: nam cum leone et cum excetra, cum cervo, cum apro Ætolico, cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim, quam cum amore. *Cic.* vertens locum Sophoclis, 2. *Tusc.* 9. 22. Hæc dextra Lernam tetram, mactata excetra, Piacavit: hæc bicorporem afflixit manum.

II.) Improprie est convicium in feminam nefariam, maleficam. *Plaut. Cas.* 3. 5. 18. Jam tibi istuc cerebrum dispercutiam, excetra tu. Adde *eumd. Pseud.* 1. 2. 82. *Liv.* 39. 11. Illius excetræ delenimentis et venenis imbutum, nec vitrici, nec parentis, nec deorum verecundiam habere.

EXCHALCĔO, as, āvi, are, a. 1. ære spolio ac nummos aufero: fuit verbum jocualiter tantum effictum. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 8. 39. Voranus Q. Lutatii Catuli libertus, omni loco, omni tempore furacissimus fuisse dicitur. De quo etiam illud traditur: quum deprehensus a nummulario esset, de cujus mensa nummos subtractos in calceos sibi infarcierat; quidam jocans, Belle, inquit, te nummularius ille exchalceavit, cum aspiratione scilicet secundæ syllabæ; simul ut χαλκόν, id est æs ablatum et calceamento objiceret.

EXCĪDĬO, ōnis, f. 3. eversio, excidium. *Plaut. Curc.* 1. 3. 2. Excidionem facere oppidi. *Paul. Diac. p.* 80. 9. *Müll.* Excidionem urbis a cædendo dictam manifestum est.

EXCĪDĬUM, ii, n. 2. duo diversa significat, prout *A*) Est ab *ex* et *scindo*; vel *B*) Ab *ex* et *cado*.

A) *Excidium*, ab *ex* et *scindo*, extrito *s*, unde et *excindo* pro *exscindo* legitur, quemadmodum et *exscidium* pro *excidium*, (neque enim a *cædo* esse potest, quum secunda syllaba sit brevis) est ruina et eversio urbis, aut provinciæ, quum ferro et igni vastantur agri, cæduntur homines, mœnia solo æquantur; item strages exercitus, eversio familiæ, etc. ἀνάστασις, καταστροφή; (It. *eccidio*, *sterminio*, *rovina*; Fr. *ruine*, *destruction*; Hisp. *ruina*, *destrozos*, *perdicion*; Germ. d. *Zerstörung von Gebäuden, Städten etc.*, d. *Vernichtung von anderen Dingen*; Angl. *destruction*, *ruin*). Occurrit — *a*) De urbibus, castellis, etc. — In singulari numero. *Liv.* 27. 39. *ad fin.* Excidio urbis magnum terrorem ceteris injicere. Adde *Virg.* 5. *Æn.* 626. *Tac.* 1. *Hist.* 80. Seditio prope urbi excidio fuit. *Val. Flacc.* 5. 538. parare excidium. *Justin.* 8. 5. minari. *Sil. It.* 1. 12. moliri. — In plurali numero. *Liv.* 29. 1. Carthaginis excidia agitabat animo. Adde *eumd.* 9. 45. *Virg.* 10. *Æn.* 46. per eversæ fumantia Trojæ Excidia obtestor. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 643. *Id.* 12. *ibid.* 655. excidia arcium. *Tac.* 4. *Hist.* 15. castellorum. — Huc pertinet et illud, in quo metonymice dicitur de bello et armis, quæ excidium inferunt, *Virg.* 2. *G.* 505. petere excidiis urbem. — *b*) De provinciis, locis etc. *Virg.* 1. *Æn.* 26. Venire excidio Libyæ. *Stat.* 6. *Theb.* 96. aderat miserabile luco Excidium. — *c*) De gentibus, familiis, etc. *Sall. fragm. ep. Mithrid.* Cretenses impugnati semel jam, neque finem, nisi excidio, habituri. *Vellej.* 2. 98. 2. Gentes ferocissimas, maximo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in pristinum pacis redegit modum. Adde *Tac.* 5. *Hist.* 25. *Horat.* 3. *Od.* 16. 11. concidit auguris Argivi domus, ob lucrum Demersa excidio. *Virg.* 8. *Æn.* 386. ferrum acuant in me excidiumque meorum. *Tac.* 4. *Hist.* 61. Excidium legionum. *Justin.* 32. 3. Quod sacrilegium causa excidii Cæpioni exercituique ejus postea fuit. — Huc pertinet et illud, in quo metonymice dicitur de bello et armis, quæ excidium inferunt, *Val. Flacc.* 6. 394. Diluvio tali paribusque Arasmenios urget Excidiis.

B) *Excidium* ab *ex* et *cado* ¶ 1. Est casus, procidentia. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 21. 39. (151). Alioquin vulvæ excidium fit. *Harduin.* ita legit ex MSS. *Sillig* vero ex Cod. Bamberg. et aliis legit: Alioqui vulvæ excidunt. ¶ 2. Item occasus. *Prudent. Apotheos.* 694. rota lurida solis Hæret, et excidium sentit jam jamque futurum.

EXCĬDO, cĭdis, cĭdi, cĭdere, n. 3. (ex et cado). Part. *Excidens* II. 2. *c.* — Excidere, ἐκπίπτω, est ex aliquo loco cadere, decidere, delabi (It. *cadere*, *cader fuori*, *cader giù*; Fr. *tomber de*, *tomber*, *sortir en tombant*; Hisp. *caer*, *evadir caendo*; Germ. *herausfallen*, *herabfallen*, *entfallen*; Angl. *to fall*, *fall from*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum addito, ex quo quis excidit, per Ablativum et præpos. *ex*, *de*, *ab*, vel per Ablativum sine præpos. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 128. Quum animal ex utero elapsum excidit. *Id.* 9. *Att.* 10. 3. Sol excidisse mihi e mundo videtur. *Id. Pis.* 9. 21. Omnes illi nefarii gladii de manibus crudelissimis exciderunt. Adde *eumd.* 12. *Phil.* 3. 8. et 1. *Cat.* 6. 16. *Ovid. Heroid.* 16. 252. a digitis excidit ansa. Cf. *Propert.* 4. 4. 20. Interque oblitas excidit urna manus. *Virg.* 6. *Æn.* 339. Exciderat puppi. *Ovid.* 5. *Fast.* 34. Excidit arce deus. *Seneca Herc. Œt.* 1163. Excidere equo. Cf. *eumd. Thyest.* 51. Nox atra fiat, excidat cælo dies. Huc pertinet et illud *Virg.* 4. *G.* 409. atque ita vinclis Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit. *scapperà da' lacci.* Hunc locum *Forcellinus* singulari paragr. distinxit, et excidere interpretatus est elabi, exire. — *b*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 17. Num qui nummi exciderunt, here, tibi, quod sic terram obtuere? *Id. Cist.* 4. 2. 8. Tum mihi puto præ timore hic excidisse cistellam. *Id. Merc.* 3. 1. 44. Nam illi quidem haud sane diu est, quum dentes exciderunt. — *c*) Cum addito, in quod quis excidit. *Liv.* 21. 28. *in fin.* Excidere etiam sævientes quidam (*elephanti*) in flumen. *h. e.* e rate. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 30. (66). Quum Herculi pertractanti arma sagitta excidisset in pedem. *Ovid. Ib.* 540. Excidat ante pedes lingua resecta tuos. ¶ 2. Speciatim de sorte, et est ex urna excidere, exire. *Liv.* 21. 42. Ut cujusque sors exciderat. Cf. *eumd.* 23. 3. Quod primum sorte nomen excidit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim dicitur de iis omnibus, quæ invitis nobis exeunt, elabuntur, delabuntur. Hinc — *a*) Hoc sensu sæpe dicitur de iis, quæ inconsulto ac temere effutiuntur, aut invitis nobis eduntur: ad rem *Cic.* 1. *Orat.* 21. 94. Scripsi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente et invito excidit et pervenit in manus hominum. *mi uscì dalle mani, si pubblicò.* Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 2. 5. *Id.* 10. *Phil.* 2. 6. Quod verbum tibi non excidit, quod sæpe fit, fortuito: scriptum, meditatum, cogitatum attulisti. *Id. Sull.* 26. 72. Verbum ecquod unquam ex ore hujus excidit, unde quisquam posset offendi? *Id. Dom.* 39. 104. Ex isto ore religionis verbum excidere, aut elabi potest? Cf. *Quintil.* 7. 2. 52. Ne quis mihi putet temere excidisse, quod dixerim. *Id.* 6. 3. 23. Si imprudentibus excidant, stulta sunt. Adde *eumd.* 9. 4. 41. et 52. *Virg.* 2. *Æn.* 658. tantumque nefas patrio excidit ore. *uscì, scappò di bocca.* *Id.* 6. *ibid.* 686. et vox excidit ore: Venisti tandem etc. (*Forcellinus* hunc locum singulari paragr. distinxit, et excidere accepit pro exire, egredi). *Id.* 9. *ibid.* 112. tum vox horrenda per auras Excidit. (Hunc quoque locum *Forcellinus* singulari paragr. distinxit, et accepit pro descendere, delabi). *Ovid.* 7. *Met.* 172. scelus excidit ore tuo. — *b*) Item de iis, quæ deficiunt. *Ovid.* 2. *Met.* 601. Et pariter vultusque deo plectrumque colorque Excidit. *Id.* 4. *ibid.* 176. At illi et mens et quod opus fabrilis dextra tenebat, Excidit. Cf. *eumd.* 1. *Art. am.* 539. Excidit illa metu rupitque novissima verba. *cadde di paura.* — *c*) Cum addito Accusativo et

præpos. *in*, est exire, desinere. *Quintil.* 9. 4. 106. Omnes ii (*versus*), qui in breves excidunt, minus erunt stabiles. — Hinc pro verti, delabi, mutari, *Horat. Art. P.* 282. in vitium libertas excidit. ¶ 2. Speciatim refertur ad memoriam, et significat oblitum esse, curamve et cogitationem deposuisse: et occurrit — *a*) Cum additis *de memoria, ex animo, animo* etc. *Liv.* 29. 19. *extr.* Carthaginem atque Hannibalem excidisse de memoria. *Id.* 34. 37. Exciderat pacis mentio ex omnium animis. *Virg.* 1. *Æn.* 29. Necdum etiam causæ irarum sævique dolores Exciderant animo. Adde *Ovid. Heroid.* 20. 188. Sic *Seneca Thyest.* 511. Excidunt odia animis. Et *Ovid.* 2. *Pont.* 4. 24. Excidere hæc credam pectore posse tuo. — Ipsa *memoria* excidere dicitur apud *Liv.* 27. 3. *sub fin.* Inter multas magnasque res, quæ occupabant cogitationes hominum, ne Tarentinæ quidem arcis excidit memoria. — *b*) Absolute cum Dativo personæ tantum. *Cic.* 2. *Legg.* 18. 46. O miram memoriam, Pomponi, tuam! at mihi ista exciderant. *Id.* 6. *Fam.* 13. 2. Quæ cogitatio quum mihi non omnino excidisset (etenim penitus insederat), vi tamen tempestatum et concursu calamitatum erat aliquantum labefactata et convulsa. Adde *eumd.* 6. *Att.* 1. 7. *Propert.* 3. 24. 20. Exciderant surdo tot mea vota Jovi. *Id.* 4. 7. 15. exciderant tibi furta Suburræ. *Ovid.* 4. *Trist.* 5. 10. Excidit heu nomen quam pæne mihi tuum! *Id.* 2. *Pont.* 10. 8. Excidit tibi cura mei. *Quintil.* 10. 1. 75. Xenophon non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est. Adde *eumd.* 4. 5. 4. et 12. 1. 12. Et omisso Dativo personæ *Ovid. Heroid.* 12. 71. Nostin? an exciderunt mecum loca? *Quintil.* 11. 2. 6. Quid non hæc varietas mira est, excidere proxima, vetera inhærere? hesternorum immemores acta pueritiæ recordari? — *c*) Sequente Infinito. *Quintil.* 2. 3. 10. Non excidit mihi, scripsisse me in libro priore etc. *Id.* 11. 3. 130. Si calore dicendi vitare id excidisset. — *d*) Sequente part. *ut*. *Ovid.* 14. *Met.* 139. Excidit, ut peterem juvenes quoque protinus annos. *non mi sovvenne di domandare.* Ita leg. recentiores plerique: *Forcellinus* vero *Excidit, optarem* pro *Excidit, ut optarem*, addita tamen variante lect. — *e*) Raro admodum dicitur de persona, quæ rei obliviscitur, et *excidens* est, cui memoria excidit. *Quintil.* 11. 2. 19. Nam etiam excidentes, unius admonitione verbi in memoriam reponuntur. *Id.* 11. 3. 152. Palam moneri excidentis est. ¶ 3. Item est elabi, effugere, effluere, mori. — *a*) Hoc sensu res ipsæ *excidere* dicuntur, *h. e.* elabi, effugere: ad rem *Cic.* 1. *ad Brut.* 10. Deinde ita multa peccata, ut quodammodo victoria excideret e manibus. *Plaut. Most.* 3. 2. 43. SI. Musice hercle agitis ætatem. TR. Immo vita antehac erat; nunc nobis omnia hæc exciderunt. *queste cose per noi passarono, non sono più.* *Cic. Amic.* 16. 58. Neque enim verendum est, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat. *Horat.* 3. *Od.* 5. 32. Nec vera virtus quum semel excidit Curat reponi deterioribus. *Propert.* 3. 1. 63. At non ingenio quæsitum nomen ab ævo Excidet: ingenio stat sine morte decus. *Ovid.* 8. *Met.* 448. excidit omnis Luctus et a lacrimis in pœnæ versus amorem est. — *b*) Homines quoque dicuntur *excidere ex aliqua re* vel sæpius *aliqua re*, et est ea frustrari, amittere, non potiri, privari. *Plaut. Men.* 4. 2. 104. Ex hac familia plane me excidisse intelligo. *Ter. Andr.* 2. 5. 12. Herus, quantum audio, uxore excidit. *Ovid.* 2. *Met.* 328. Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis. Similiter *Propert.* 3. 5. 7. primo miser excidit ævo. *h. e.* mortuus est. *Curt.* 5. 10. 22. Se iterum captas, iterum excidisse regno. *Quintil.* 2. 17. 25. Excidere fine medicinæ. *Id.* 1. 5. 16. *Gladia* qui dixerunt, genere exciderunt. *h. e.* lapsi sunt, peccarunt. — *Sueton. Claud.* 14. Qui apud privatos judices plus petendo formulâ excidissent. Adde *Senec.* 2. *Clem.* 3. Eodem sensu dicimus *cadere formulâ* vel *causâ*. V. CADO. ¶ 4. Pro dissentire. *Lucilius* apud *Non.* p. 301. 18. *Merc.* Metuo, ut fieri possit; egoque ab Archilocho excido.

EXCĪDO, cīdis, cīdi, cīsum, cīdere, a. 3. (ex et cædo). Part. *Excisus* I. 1. et 2., et II. 1.; *Excidendus* II. 1. — Excidere, ἐκτέμνω, ἐκκόπτω, est cædendo eruere (It. *tagliar via, cavar fuori tagliando*; Fr. *détacher en frappant, en coupant, couper*; Hisp. *desatar cortando, cortar*; Germ. *aushauen, herausschneiden*; Angl. *to cut out or away, cut or hew down*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Lucret.* 5. 1265. Excidere silvas. *h. e.* arbores. *Cic.* 15. *Att.* 4. 2. Excisa enim est arbor, non evulsa. *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Excidere omnes arbores longe lateque. *Ulp. Dig.* 43. 27. 1. arborem a stirpe. *Cæs.* 3. *B. C.* 67. ericium. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (82). radicem. *Quintil.* 9. 4. 5. rubos arvis. *Virg.* 2. *Æn.* 481. trabs excisa bipenni. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 96. Excisa pelta. *h. e.* circumcisa. *Cic.* 2. *Off.* 3. 13. Excidere lapides e terra. *Virg.* 1. *Æn.* 432. immanesque columnas Rupibus excidunt. *Cels.* 8. 3. Excidere os. *Crassus* apud *Cic.* 3. *Orat.* 1. 4. Hæc tibi est excidenda lingua. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 14. (48). Excisum caput. *Sillig* ex *Codice Bambergensi* legit *abscisum*. *Marcell. Dig.* 11. 8. 2. Partum mulieri excidere. *h. e.* dissecto ventre extrahere. *Quintil.* 5. 12. 17. virilitatem. *Ovid.* 4. *Fast.* 361. Gallos, qui se excidere, vocamus. *h. e.* τὰ αἰδοῖα ἀπεκόψαντο. Sic *Ulp. Dig.* 48. 8. 4. *extr.* Medico, qui exciderit, capitale erit: idem ipsi, qui se sponte excidendum præbuit. Et *Seneca Excerpt. controv.* 10. *declam.* 4. *sub fin.* Habere excisorum greges. *h. e.* marium exsectorum. ¶ 2. Latiori sensu est excidendo elaborare. *Virg.* 6. *Æn.* 42. Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 1. Excidere stagnum in petra. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (125). Excisæ inter montes viæ. *Id. ibid.* 9. 14. (67). Excisus obeliscus. *Id.* 33. *ibid.* 11. 49. (139). Vasa anaglypta in asperitatem excisa. *h. e.*, ut *Virg.* ait 9. *Æn.* 263., aspera signis. Similiter *Plin.* 17. *Hist. nat.* 16. 26. (119). Scalpro cortices excidere.

II.) Translate. ¶ 1. Significat diruere, evertere, excidio delere, *abbattere, rovinare*: qua tamen significatione, pro *excidere* et *excisus* (si unum fortasse *Horatii* locum excipias) legendum videtur (*exscindere* et *exscissus*, ut cl. *Quicherat* recte arbitratur. *Cic. Dom.* 23. 61. Urbes hostium solemus excidere. *Id. Sext.* 44. 95. Ædes sacras, domos inimicorum oppugnare, excidere, incendere. *Id. ibid.* 15. 35. Urbs excisa et eversa. *Id.* 1. *Off.* 22. 76. Excidere Numantiam. *Virg.* 2. *Æn.* 637. Trojam. *Id.* 12. *ibid.* 762. urbem. *Curt.* 4. 13. Terras urere, vicos excidere. *Horat.* 3. *Od.* 3. 65. Ter si resurgat murus aheneus Auctore Phœbo, ter pereat meis Excisus Argivis. *Vellej.* 2. 122. Excisa Germania. *h. e.* multis belli cladibus affecta. *Id. ibid.* 115. Excisi agri. *h. e.* cæsis arboribus vastati. *Id. ibid.* 120. Excisus exercitus. *tagliato a pezzi, distrutto.* ¶ 2. Item est per vim amovere, expellere. *Cic. Prov. cons.* 18. 43. Medium illud tristissimum tempus si ex rerum natura non possem evellere, ex animo quidem certe excidere. *Brutus* inter *epist. Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *a med.* Iis, qui illud malum exciderint, nihil, quo expleri possit eorum meritum, tributurum unquam populum Rom. *Seneca* 3. *Ira* 1. Excidere iram animis. *Plin.* 8. *Ep.* 18. Excidere aliquem numero civium. *h. e.* eximere, expellere.

EXCĪEO, cies, ciere, a. 2. *V.* EXCIO.

EXCINDO. *V.* EXSCINDO.

EXCĬO, cis, cīvi *vel* cii, cĭtum *vel* cītum, cire, a. 4. Quod ad quantitatem attinet, Part. præter. pass. penultimam habet modo brevem (*excĭtus* quasi ab *excieo*), modo longam (*excītus* quasi ab *excio*): et sane *excītus* occurrit apud *Ennium* 1. *Ann.* 40.; *Catull.* 61. 11., 63. 42. et 64. 56.; *Virg.* 4. *Æn.* 301., 7. *ibid.* 376. et 12. *ibid.* 445.; et *Ovid.* 2. *Met.* 779. et alibi: *excĭtus* vero apud *Lucret.* 4. 1211.; *Virg.* 3. *Æn.* 675., 7. *ibid.* 642. et 10. *ibid.* 38.; *Ovid.* 8. *Met.* 338. et 11. *ibid.* 384.; *Sil. It.* 7. 635.; et *Lucan.* 1. 239. et alibi. — Quod ad formarum varietatem attinet, *exciet* ab *excieo* habet *Plaut. Pseud.* 5. 2. 1.; Infinit. *exciere* ab *excieo* habet *Liv.* 7. 11. *in fin.*; Imperf. *excibat* pro *exciebat* legitur apud *Liv.* 32. 13. et *Sil. It.* 9. 182., quod in quartæ conjug. verbis frequens est. — Part. *Exciens* I.; *Excitus* in omnibus paragr.; *Exciendus* II. 2. — *Exciere* vel sæpius *excire*, ἐκκαλέω, ἀνακινέω, est evocare, foras movere, elicere, excutere, ut docet *Paul. Diac.* p. 80. 4. *Müll.* Exciet excutiet (It. *chiamar fuori, muovere, tirar fuori*; Fr. *attirer hors, faire sortir, appeler*; Hisp. *atraer fuera, hacer salir, llamar*; Germ. *aus etwas hervor- oder herausrufen, -bringen, -schaffen, -bewegen, aufwecken, aufrufen*; Angl. *to raise, excite, rouse*).

I.) Proprie de hominibus et brutis animantibus. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 1. Vox viri pessimi me exciet foras. *Id. Epid.* 4. 2. 1. Quid est, quod me excivisit ante ædes? *Id. Trin.* 5. 2. 52. Quis homo tam tumultuoso sonitu me excivit subito foras? *Virg.* 8. *Ecl.* 98. animas imis excire sepulcris. *Ovid.* 10. *Met.* 710. suem latebris excivere canes. *fecero sbucare.* *Cic.* 12. *Phil.* 7. 16. Juventutem omnem ex Italia excivimus. *At rectius legendum est* excussimus. (Similiter apud *eumd. Mur.* 17. 36. pro *excita* rectius legitur *excitata*). *Liv.* 3. 2. Indignitas rei, magis quam periculum, consulem ab urbe excivit. *Id.* 32. 13. Excire homines sedibus suis. *far uscire dal suo paese.* Cf. *Curt.* 3. 2. Tot gentium excita sedibus suis moles. *Liv.* 4. 27. Excire aliquem ex somno. *svegliare.* Cf. *Sall. Jug.* 72. Interdum somno excitus arreptis armis tumultum facere. Et *Lucan.* 1. 239. stratis excita juventus. Rursus *Liv.* 8. 20. Quin opificum quoque vulgus et sellularii, minime militiæ idoneum genus, exciti (*h. e.* ad militiam) dicuntur. *Id.* 3. 4. Principibus coloniæ Romam excitis. *Id.* 2. 30. Vastandis agris hostem ad dimicandum acie excivit. *Curt.* 10. 8. *a med.* E regia excitus Philippus. *Tac.* 4. *Ann.* 21. Excire Urgulaniam domo principis. *Id.* 2. *Hist.* 97. Auxilia e Germania Britanniaque excivit segniter. *Lucan.* 6. 11. Excire aliquem in pugnam. *Stat.* 4. *Theb.* 146. in arma. — Et absolute. *Sueton. Claud.* 21. Exciente buccina Tritone argenteo.

II.) Translate. ¶ 1. De inanimis et abstractis dicitur eodem sensu, quo proprie, atque adeo est elicere, creare, efficere. *Plaut. Cist.* 1. 1. 114. Ut mihi excivisti lacrimas! Adde *Tac.* 11. *Ann.* 2. Rursus *Plaut. Curc.* 2. 3. 16. Eos ego si offendero, ex unoquoque eorum exciam crepitum polentarum. *Lucret.* 2. 329. Ære renidescit tellus, subterque virum vi Excitur pedibus sonitus. *Id.* 5. 947. silvestria templa tenebant Nympharum, quibus excibant humore fluenta Lubrica. *Id.* 4. 1211. Excire semina per artus. *Id.* 4. 667. vim morbi. *Virg.* 5. *Æn.* 789. Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis Quam molem subito excierit. *h. e.* procellam excitaverit. *Id.* 10. *ibid.* 38. ventosque furentes Æolia excitos. ¶ 2. De animo præcipue dicitur, et est excitare, incitare, commovere. — *a*) Sæpissime de hominibus eorumque animo. *Ennius* 1. *Ann.* 40. Excita quum tremulis anus attulit artubu' lumen, Talis commemorat lacrimans exterrita somno. *Lucret.* 4. 41. Quæ (*simulacra*) nos horrifice, languentes sæpe sopore, Excierunt. *Sall. Jug.* 99. Mauri atque Gætuli, ignoto et horribili sonitu repente exciti, neque fugere, neque arma capere. Poetice *Virg.* 7. *Æn.* 722. pulsuque pedum tremit excita tellus. *Wagner* leg. *pedum conterrita*: at prior lectio occurrit apud *Virg.* 12. *Æn.* 445. *Liv.* 36. 7. Inter cetera, quæ ad exciendum in Græciam Antiochum dicere est solitus. *Tac.* 1. *Ann.* 51. Excivit ea cædes Bructeros, Tubantes, etc. *sollevò, mosse.* Cf. *eumd. Agric.* 29. Britanni omnium civitatum vires exciverant. *Sall. Cat.* 15. Neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vastabat. *Al. leg.* vexabant. *Id. ibid.* 37. Juventus privatis atque publicis largitionibus excita. *Liv.* 1. 7. Evander concursu pastorum, trepidantium circa advenam manifestæ reum cædis, excitus. *Virg.* 4. *Æn.* 301. Qualis commotis excita sacris Thyas. *Id.* 7. *ibid.* 376. furit ingentibus excita monstris. *Ovid.* 2. *Met.* 779. Nec fruitur somno vigilacibus excita curis. Cf. *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 96. Talibus excitus in furias prætor. *Auct. B. Hisp.* 4. Pompejus litteris fratris excitus. *Lucan.* 5. 498. Excitus vocibus. *Sil. It.* 7. 634. nepotum excitus prece. — *b*) Raro admodum de ipso animi affectu. *Liv.* 10. 4. Nunciata ea clades Romam majorem, quam res erat, terrorem excivit. *Id.* 3. 39. Excire tumultum. Cf. *Curt.* 8. 2. Liberiorem pœnitentiam solitudo exciebat.

EXCĬPIĀBŬLUM, i, n. 2. id, quod excipit, venabulum. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 131. Venabula autem sic dicta, quia apta venatui, quasi excipiabula.

EXCĬPĬO, cĭpis, cēpi, ceptum, cĭpere, a. 3. (ex et capio). Part. *Excipiens* sub *B.* II. 1.; *Exceptus* in omnibus paragr.; *Excepturus* sub *B.* II. 1.; *Excipiendus* sub *B.* II. 1. et 2. — Excipere duo præcipue significat, prout *A*) Aut præpositio; aut *B*) Verbum majorem vim exserit.

A) Quum majorem præ verbo vim præpositio exserit, *excipere* significat extrahere, eximere, subtra-

here (It. *cavar fuori, estrarre*; Fr. *tirer de, enlever, extraire*; Hisp. *extraer fuera, llevar*; Germ. *herausziehen, herausnehmen, ausnehmen*; Angl. *to withdraw, take away*).

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 4. 4. 140. Sum ne ego scelestus, qui illum hodie excepi vidulum? *scil.* e mari. Sic *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 293. 26. *Merc.* Quod insepultos reliquissent eos, quos e mari propter vim tempestatis excipere non potuissent. *Cels.* 7. 12. Tum dens, si fieri potest, manu; si minus, forcipe excipiendus est. *Id.* 7. 5. Excipere telum. *scil.* e vulnere. — Et cum Dativo. *Virg.* 9. *Æn.* 270. ipsum illum clipeum cristasque rubentes Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise. — Et figurate. *Liv.* 33. 23. Commemorantes se esse ab eo liberatos, plerosque etiam, quum apud hostes essent, servitute exceptos. *sottratti. Tac. Agric.* 15. Nihil jam cupiditati, nihil libidini exceptum.

II.) Translate. ¶ 1. Est ex hominum aut rerum multitudine aliquem excludere, *eccettuare, escludere.* Occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ aut rei. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 12. Senex talos elidi jussit conservis meis: sed me excepit. *Cic.* 4. *Cat.* 7. 15. Hosce ego homines excipio et secerno libenter. *Id.* 1. *Divinat.* 39. 87. Excepi de antiquis, præter Xenophanem, neminem. *Id.* 4. *Acad.* (2. *post.*) 23. 73. Ita est ausus ordiri: *Hæc loquor de universis.* Nihil excipit, de quo non profiteatur: quid enim esse potest extra universa? *Id. ibid.* 9. 28. Qui negaret, quidquam esse, quod perciperetur, eum nihil excipere; ita necesse esse, ne id ipsum quidem, quod exceptum non esset, comprehendi et percipi ullo modo posse. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. § 37. In summis tuis laudibus excipiunt unam iracundiam. *Paul. Dig.* 18. 1. 76. Dolia in horreis defossa, si non sint nominatim in venditione excepta, horreorum venditione cessisse videri. *Sicul. Flacc. p.* 18. *Goes.* Inscribuntur quædam excepta, quæ aut sibi reservavit auctor divisionis et assignationis, aut alii concessit. — *b*) Sequente part. *ut. Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 9. § 26. Quum nominatim lex exciperet, *ut ad templum monumentumque capere* (pecunias) *liceret.* Hunc locum *Forcellinus* ad paragr. 3. proxime inferiorem retulit. — *c*) Sequente part. *ne. Cic.* 2. *leg. Agr.* 8. 21. Licinia est lex, quæ non modo eum, qui *etc.* sed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas curatiove mandetur. *Id. Balb.* 14. 32. Est exceptum fœdere, ne quem populus Rom. recipiat civitate. Adde *Liv.* 3. 30. *Inscript.* apud *Gruter.* 755. 8. EXCEPITQVE, NE QVIS EOS (*hortos*) VENDERET, SED PER GENVS IPSORVM POSSESSIO DECVRRERET, VEL PER AGNATOS, VEL MANVMISSOS. — *d*) Sequente *quominus* cum part. negativis. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 9. 24. Hens denique, quominus decemvir fieri possit, non excipitur. — *e*) Part. præter. pass. sæpe occurrit in Ablat. absol. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 38. Omnium mihi videor, exceptis, Crasse, vobis duobus, eloquentissimos audisse Ti. et C. Sempronios. *Id. Amic.* 27. 104. Vos hortor, ut ita virtutem locetis, ut ea excepta nihil amicitia præstabilius putetis. *Id. ibid.* 6. 20. Excepta sapientia. — *f*) Hinc Ablat. *excepto* quasi adverbialiter usurpatur. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 50. Excepto quod non simul esses, cetera lætus. *Pers.* 5. 90. Excepto, si quid Masuri rubrica notavit. *Quintil.* 8. 3. 38. Excepto, si obscæna nudis nominibus enuncientur. ¶ 2. Speciatim apud JCtos aliquando significat exceptione uti, exceptionem opponere: *V.* EXCEPTIO 2. *Cels. Dig.* 22. 3. 9. Verum est, quod qui excipit, probare debeat quod excipitur. *Ulp. ibid.* 18. Imposita probatione, non ei, qui excepit, se non respondisse, sed actori. *Id. ibid.* 44. 4. 4. *ante med.* In hac exceptione et de dolo servi excipere possumus. *African. ibid.* 16. 1. 17. Excipere adversus aliquem. *Papinian. ibid.* 26. 7. 37. Excipere periculi societatem. *h. e.* opponere exceptionem periculi societatis. ¶ 3. Item est nominatim definire, nominatim includere, aut cavere. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (16). Et quum Græcos Italia pellerent, excepisse medicos. *Id.* 14. *ibid.* 1. 3. (10). Vites in tantum sublimes, ut vindemitor auctoratus rogum ac tumulum excipiat. *h. e.* caveat et paciscatur, ut rogus sibi ac tumulus impensa ejus paretur, cui vindemiando inservit: idque ob evidens periculum casus in tanta vitium altitudine. *Liv.* 5. 14. Perinde ac si omnes candidati essent, non homines modo, sed deos etiam excipiebant. *h. e.* includebant, in suas partes trahebant, deos et religionem assumebant ad petitionem roborandam. Sunt tamen qui lectionem, et merito quidem, sollicitant.

B) Quum verbum majorem præ præpositione vim exserit, *excipere*, ἐκδέχομαι, est exceptare, recipere, capere: diciturque fere de iis rebus, quas ad se motu aliquo accedentes venientesque quis recipit; quorum *capere* et *arripere* de iis sint, quas ultro persecutus quis prehendit (It. *ricevere, pigliare, cogliere, raccogliere*; Fr. *recevoir, recueillir*; Hisp. *recibir, acoger, recoger*; Germ. *bei sich an- oder aufnehmen, auffangen, wegnehmen*; Angl. *to receive, take up*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Dicitur de hominibus, qui aliquid vel aliquem quocumque modo capiunt. — Sic de iis, quæ fluunt vel labuntur. *Cic. Brut.* 11. 43. Quum taurum immolavisset, excepit sanguinem patera. *raccolse. Colum.* 9. *R. R.* 15. 9. Favi subjectis duobus brachiis excipiendi, atque ita promendi. *Cic.* 7. *Verr.* 45. 118. Ut filiorum extremum spiritum ore excipere liceret. *Ovid.* 3. *Art. am.* 301. tunicis fluentibus auras excipit. *Martial.* 12. 83. Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas. Cf. *Tac.* 4. *Ann.* 10. Exceptum poculum Druso tradidisse. *preso in mano il bicchiere. Cic. Rabir. Post.* 16. 43. Labentem excipere, corruere non sinere. *sostenere.* — *Excipere se in pedes* est pedibus se sistere, inniti. *Liv.* 4. 19. Quem quum ictum equo dejecisset, confestim et ipse hasta innixus se in pedes excipit. Cf. *Curt.* 9. 5. Forte ita libraverat corpus, ut se pedibus exciperet. *saltò in piedi. Id. ibid.* Exceptum poplitibus corpus. et *Seneca Ep.* 66. *sub fin.* Succisis poplitibus in genua se excepit. *si rizzò, si sostenne sulle ginocchia.* — De vulneribus et armis. *Lucret.* 2. 809. Excipere plagam in se. *Cic.* 4. *Verr.* 72. 177. Aut omnium tela excipiat necesse est. *Cæs.* 3. *B. G.* 5. Excipere tela. *Cic. Sext.* 10. 23. vulnera. *Quintil.* 6. 3. 75. vulnus ore. — De hominibus, qui hospitio excipiuntur. *Cic. Mil.* 38. 105. O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit: hanc ingratam, si ejecerit! *accoglierà. Id. pro leg. Manil.* 9. 23. Mithridatem in timore et fuga Tigranes excepit. *Liv.* 30. 14. Benigno vultu excipere aliquem. *Curt.* 8. 10. Rex benigne exceptos sequi jussit. *Seneca Ep.* 21. *a med.* Hic te polenta excipiet, et aquam large ministrabit. *Tac. Germ.* 21. Excipere epulis. *Ovid. Heroid.* 16. 127. hospitio. Huc pertinent et illa *Ovid. Heroid.* 18. 101. Excipere aliquem amplexu. *Cic.* 7. *Verr.* 36. 94. Excipi clamore. *Virg.* 5. *Æn.* 575. plausu. Huc denique referri potest et illud *Virg.* 10. *Æn.* 867. exceptus tergo (*equi*) consueta locavit Membra. *accettato, tolto.* — *b*) Figurate ipsa inanima hominem aut rem excipere dicuntur. *Liv.* 38. 41. Postero die patenti itinere Priaticus campus eos excepit. *Phædr.* 1. 12. Silva tum excepit ferum. *Quintil.* 2. 12. 2. Illum (*gladiatorem*) excipit adversarii mollis articulus. *Horat.* 2. *Od.* 15. 16. Porticus excipiebat Arcton. ¶ 2. Speciatim in re militari et venatoria est intercipere, nec opinantem capere, incautum opprimere, ferire, *sorprendere, cogliere, colpire. Cic.* ad *Pompej.* 2. *post ep.* 11. 8. *ad Att.* A multis admoniti sumus, ut caveremus, ne exciperemur a Cæsare. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. 5. Quod C. Catium Vestinum, tribunum mil., missum ab Antonio ad eum cum litteris exceperam. *Cæs.* 6. *B. G.* 31. Multos ex fuga dispersos excipiunt. *Id.* 7. *ibid.* 20. Excipere servos in pabulatione. *Virg.* 3. *Æn.* 332. Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras. *Id.* 6. *ibid.* 173. Æmulus exceptum Triton *etc.* Inter saxa virum spumosa immerserat unda. *h. e.* captum, circumventum. *Id.* 11. *ibid.* 684. Hunc illa exceptum trajicit. Cf. *Seneca Thyest.* 144. Exceptus gladio parvulus. *investito, colpito. Cæs.* 6. *B. G.* 28. Uri assuescere ad homines et mansuefieri ne parvuli quidem excepti possunt. *presi. Virg.* 3. *Ecl.* 17. caprum excipere insidiis. *Forcellinus* interpretatus est intercipere, furari. *rubare*, et hunc locum singulari paragrapho distinxit. *Horat.* 3. *Od.* 12. 10. latitantem fruticeto aprum. *Phædr.* 1. 11. fugientes feras. *Seneca Prov.* 2. Si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excipit. *incontra ed investe. Quintil.* 4. 2. 17. Excipere aprum venabulo. *Curt.* 7. 5. *extr.* Adeo certo ictu destinata feriebat, ut aves quoque exciperet. ¶ 3. Item speciatim est incontinenter sequi. *immediatamente seguire. Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Linguam ad radices ejus hærens excipit stomachus. *Cæs.* 1. *B. C.* 66. Uterque suis renunciat, V. millia passuum proxima intercedere itineris campestris: inde excipere loca aspera et montuosa. *Id.* 5. *B. G.* 16. Accedebat huc, ut — stationes dispositas haberent, atque alios alii deinceps exciperent, integrique et recentes defatigatis succederent. ¶ 4. Item in re medica *excipi aliqua re* dicuntur, quæ alteri rei miscentur. *Cels.* 5. 18. *n.* 20. Calcis, spumæ nitri, piperis etc. quæ excipiuntur cerato ex rosa facto. *Id. ibid.* 25. *n.* 5. Croci, anisi, myrrhæ, singulorum P. I. miscentur, excipiunturque vino veteri. Adde *eumd. ibid. n.* 6. et 12.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphora sumpta a superiore paragr. *B.* I. 1. — *a*) De hominibus, qui aliquid excipiunt. *Cic.* 2. *Divinat.* 11. 26. Genus divinationis naturale, quod animus arripit, aut excepit extrinsecus ex divinitate. Cf. *Id.* 1. *ibid.* 7. 12. Nihil est, quod longinquitas temporis, excipiente memoria, assequi non possit. *Id.* 1. *Att.* 14. Posteaquam vidit, illum excepisse laudem ex eo, quod etc. *Forcellinus* interpretatus est consequi, percipere, *conseguire, riportare*; et hunc l. singulari paragr. distinxit. *Quintil.* 10. 1. 15. Excipimus nova illa cum favore et sollicitudine. *Id.* 1. 2. 7. Excipere verba risu. *Propert.* 2. 20. 9. Quæ tum ego Neptuno, quæ tum cum Castore fratri, Quæque tibi excepi tum, dea Leucothoe! *h. e.* vota suscepi et in me recepi. *Nepos Dion.* 8. Excipit has partes ipse Callicrates. *h. e.* suscepit, *tolse sopra di se.* — Præcipue de periculis et similibus. *Cic. Prov. cons.* 9. 23. Subire coegit et excipere pericula. *incontrare e sostenere. Id. Rabir. Post.* 15. 42. Vim frigorum hiememque excipere. *tollerare. Id. Brut.* 69. 243. labores magnos. *Nepos Datam.* 5. magnam invidiam aulicorum. *incontrare, soggiacere. Cic. Dom.* 24. 63. Omnem impetum discordiarum, omnem vim improborum excepi meo corpore. *sostenni. Cæs.* 1. *B. G.* 52. Germani celeriter phalange facta impetus gladiorum exceperunt. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 58. Sic *Liv.* 36. 5. Petebat, ne se primos impetus Romanorum excepturos temere in causam deduceret. — *b*) Ipsa inanima eodem sensu aliquid vel aliquem excipere dicuntur. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Quæ (*sublicæ*) cum omni opere conjunctæ vim fluminis exciperent. *Id.* 3. *ibid.* 13. Quo facilius (*naves*) vada ac decessum æstus excipere possent. *Id.* 1. *B. C.* 21. Quid reliquis accideret, qui quosque eventus exciperent. *Virg.* 3. *Æn.* 318. quis te casus dejectam conjuge tanto Excipit? *Liv.* 1. 53. Excepit deinde eum (*regem*) lentius spe bellum. *Justin.* 22. 8. 4. In Africam reversus seditione militum excipitur. ¶ 2. Speciatim ponitur pro captare, præoccupare, apud *Cic.* 2. *Orat.* 8. 32. Præcepta posse quædam dari peracuta ad pertractandos hominum animos, et ad excipiendas eorum voluntates. ¶ 3. Item speciatim ac sæpe est audire et percipere, *ascoltare e intendere.* — *a*) Universim. *Cic. Planc.* 23. 57. Maledicto nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur. *Id. Sext.* 48. 102. Idem dixit, quod exciperent improbi cives. *Liv.* 8. 6. Assensu populi excepta vox consulis. *Tac.* 13. *Ann.* 54. Quod comiter a visentibus exceptum. *inteso, interpretato.* Adde *Sueton. Cæs.* 14. *Plin.* 4. *Ep.* 19. Laudem avidissimis auribus excipit. — *b*) Speciatim est clam auscultare et sermonem aliorum captare. *Cic. Dejot.* 9. 25. Qui rumores exciperent. *Liv.* 40. 7. Ad has excipiendas voces speculator missus. *Id.* 2. 4. Sermonem eorum e servis unus excepit. *Ovid.* 1. *Amor.* 4. 18. Excipe furtivas, et refer ipsa, notas. — *c*) Item speciatim est a dictante describere. *copiare. Sueton. Ner.* 52. Versus non translati, aut dictante aliquo excepti. *Id. Tit.* 3. Notis quoque excipere velocissime solitum, cum amanuensibus suis per ludum jocumque certantem. *Manil.* 4. 198. cursimque loquentis Excipiat longas nova per compendia voces. — *d*) Similiter *excipere verba* dicuntur notarii, exceptores. *Augustin. Ep.* 113. A notariis Ecclesiæ, sicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis, et meus sermo et vester in terram non cadunt. Apertius ut dicam, ecclesiastica nunc gesta conficimus. ¶ 4. Item est sequi, succedere, *immediatamente succedere, seguire*: *V.* supra sub *B.* I. 3. — *a*) Cum Accusativo. *Cic. Sext.* 68. 143. Herculis vitam et virtutem immortalitas excepisse dicitur. *Cæs.* 3. *B. C.* 87. Hunc (*locutum*) Labienus excepit. *Liv.* 5. 13. Tristem hiemem pestilens æstas excepit. *Flor.* 1. 3. 1. Excipit Pompilium Numam

Tullus Hostilius. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 39. (68). Violis succedit rosa: rosam cyanus excipit, cyanum amarantus. — *b*) Absolute. *Liv.* 2. 61. Turbulentior inde annus excepit. *Cæs.* 7. *B. G.* 88. Utrimque clamore sublato, excipit rursus ex vallo clamor. *Id.* 2. *B. C.* 7. Re cognita tantus luctus excepit, ut etc. ¶ 5. Hinc est etiam rem ab alio interruptam vel omissam suscipere et continuare. — *a*) Cum Accusativo. *Cic. Senect.* 6. 19. Sed memoriam illius viri excipient omnes anni consequentes. *continueranno e conserveranno.* *Liv.* 38. 22. Ut, primis forte deturbatis, secundi et tegant pulsos et integri pugnam excipiant. *sottentrino e continuino la battaglia.* *Justin.* 11. 5. 7. Excipere vices alicujus. *sottentrare nelle veci.* — *b*) Cum Infinito. *Sil. It.* 13. 687. Excipit inde suos frater conjungere casus. *susseguentemente imprende a raccontare.*

EXCĬPŬLA, *æ*, f. 1. *et*

EXCĬPŬLUM, i, n. 2. utroque enim modo in *Glossis* legitur. At rectius fortasse *Excipula, orum*, n. plur. 2., subaudi *vasa*: sunt enim generatim quæcumque excipiendo apta sunt: hinc — *a*) Instrumentum, quo aliquid intercipitur, ut septum ex viminibus contextum; vel fossa depressior in ripa ad capiendos pisces. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 22. 38. (75). *de anguillis.* Fluctibus glomeratæ volvuntur, in tantum mirabili multitudine, ut in excipulis ejus fluminis, ob hoc ipsum fabricatis, singulorum millium globi reperiantur. — *b*) Vas, aut quippiam simile, quod sit excipiendo aptum. *Id.* 25. *ibid.* 7. 39. (78). *de herba euphorbia.* Vis tanta est, ut e longinquo succus excipiatur: incisa conto, subditur excipulis ventriculo hædino; humor lactis videtur defluere.

EXCĬPŬUM, quod excipitur, ut præcipuum, quod ante capitur. *Paul. Diac.* p. 80. 3. *Müll.*

EXCĪSĬO, ōnis, f. 3. actus excidendi, eversio, excidio. *Cic. Dom.* 58. 146. Bonorum direptio, tectorum excisio, depopulatio prædiorum. *Id. Harusp. resp.* 2. 3. Excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem tectis atque agris inferre.

EXCĪSOR, ōris, m. 3. qui excidit. *Gloss. Philox.* Excisor, ἐκκόπτης.

EXCĪSŌRĬUS, a, um, adject. ad excidendum pertinens, ut apud *Cels.* 8. 3. Tum excisorius scalper adactus id excidit.

EXCĪSĀTUS *vel minus recte*

EXCISSĀTUS, a, um, laniatus, vulneratus. *Plautus in fragm.* Capillo scisso, atque excisatis auribus. Ita *Non.* p. 108. 17. *Merc.*

EXCĪSŪRA, æ, f. 1. idem fere quod excisio. *Edict. Diocl.* p. 310. Bracario pro excisura et ornatura. *V.* BRACARIUS.

EXCĪSUS, a, um. *V.* EXCIDO.

EXCĬTĀBĬLIS, e, adject. excitans. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. *ad fin.* Modulatio jucunda et excitabilis.

EXCĬTĀTĒ, adverb. vehementer. Occurrit tantum Comp. *Excitatius* apud *Quintil.* 9. 3. 10. Multa tamen hoc utroque excitatius junguntur interim schemata. At *Spalding.* legit: *Multo tamen hoc utroque excitatius (est schema)*; ita ut *excitatius* sit adjectivum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 31. (106). Ex his autem (*gemmis*) mares excitatius fulgent, feminæ pigriores sunt et crassius nitent. *Ammian.* 18. 8. Hostesque adesse, excitatius adesse, excitatius clamitantes.

EXCĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus excitandi.

I.) Proprie. *Arnob.* 7. 32. Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? *Vegel.* 5. *Veterin.* 47. 6. *Schneid.* Lethargicum animal frequenti excitatione prohibendum constat a somno. Ita ex *Hippiatr.* edidit *Schneider.*, quum alii prius *exercitatione* male edidérint, mox enim sequitur: *Assidue flagello excitandum aut voce.* Cf. et *Pelagon. Veterin.* 27.

II.) Figurate. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 77. (203). Verum desertis suis sparto vincit Hispania et lapide speculari, pigmentorum etiam deliciis, laborum excitatione, servorum exercitio, corporum humanorum duritia, vehementia cordis. Hæc *L. Jan.* ex *Codic. Bamberg.*, et *Sillig.* quem V. ad h. l.

EXCĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui excitat. *Prudent.* 1. *Cathemer.* 3. Nos excitator mentium Jam Christus ad vitam vocat.

EXCĬTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*frequentat. ab excio, excieo*). Part. *Excitans* II. 2.; *Excitatus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Excitaturus* I. 1.; *Excitandus* I. 1. — Excitare, ἀποκινέω, ἐξεγείρω, est extra movere, evocare (It. *mover fuori, chiamar fuori*; Fr. *faire sortir, mouvoir hors, faire lever*; Hisp. *hacer salir, mover fuera*; Germ. *heraustreiben, auftreiben, aufwecken, aufrufen*; Angl. *to move, stir or raise up, to call out, rouse*).

I.) Proprie. ¶ 1. Simplici significatione superius allata. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 16. 37. Unde (*Acherunte*) animæ excitantur obscura umbra. *Plaut. Amph.* 1. 1. 9. Herus – me hoc noctis a portu ingratis excitavit. *Id. Rud.* 1. 5. 2. Vos precantum me huc foras excitavit. *Quintil.* 3. 6. 19. Si excitatus fuerit de spectaculis et aget injuriarum. h. e. expulsus, *cacciato fuori.* Et poetice *Catull.* 17. 21. Excitare veternum. h. e. discutere. — *b*) Præcipue excitari quis dicitur e somno, aut a mortuis, *risvegliare, risuscitare, richiamar dalla morte.* *Plaut. Merc.* 1. 48. Dormientes spectatores metuis ne e somno excites. *Cic.* 6. *de republ.* 12. Quæso, ne me e somno excitetis. *Curt.* 7. 11. *sub fin.* Velut ex alto sopore excitati. *Nepos Alcib.* 10. Sonitu flammæ excitatus. h. e. expergefactus. *Curt.* 4. 13. Nempe excitare vigiles soles. *Quintil.* 4. 1. 73. Velut dormitantes eos excitari. *Id.* 4. 2. 72. Patre (*dormiente*) excitato. *Plin.* 6. *Ep.* 20. Surgebam invicem, si quiesceret, excitaturus. Huc referri potest et illud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (16). Gallos excitandis in opera mortalibus natura genuit. *Cic. Fontej.* 12. 26. Ita vero excitandus nobis erit ab inferis C. Marius. Sic *Id.* 7. *Verr.* 49. 129. Quasi ego excitare filium ejus ab inferis possem. Adde *eumd.* 2. *Cat.* 10. 20. *Id.* 1. *Orat.* 57. 245. Aliquem dicendo a mortuis excitare. — *c*) Item speciatim in jure est aliquem ad tribunal vocare. *Cic.* 2. *Orat.* 26. 124. Non dubitavit excitare reum consularem et ejus diloricare tunicam. *Forcellinus* hoc et sequentibus locis interpretatus est surgere facere. Rursus *Cic. ibid.* 47. 195.; *Liv.* 9. 8.; et *Quintil.* 11. 3. 174. Excitare reos. *Cic. Rabir. Post.* 17. 47. testes. *Cels.* apud *Quintil.* 9. 2. 104. judicem. — *d*) Item in re venatica, et est feras de suis cubilibus ejicere et persequi. *Cic.* 3. *Off.* 17. 68. Suntne igitur insidiæ tendere plagas, etiamsi excitaturus non sis (*feras*) et agitaturus? *Phædr.* 2. 8. Cervus nemorosis excitatus latibulis. *scovato, stanato,* expulsus. *Seneca Hippol.* 110. Juvat excitatas consequi cursu feras. Adde *Petron. Satyr.* 131. ¶ 2. Speciatim est in altum extollere, erigere, *sollevare, innalzare.* *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 118. Vapores, qui a sole ex aquis excitantur. *Curt.* 7. 5. Caligo immodico terræ fervore excitata. *Gell.* 2. 30. *sub fin.* Fluctus ab aquilone excitati. *Cels.* 8. 4. *med.* Caput altius excitare. *Prudent.* 4. *Cathemer.* 70. faciem in cælum. *Varro* 7. *L. L.* 63. *Müll.* Excitatum verberibus corpus. *gonfiato.* *Plin.* 30. *Hist. nat.* 5. 12. (38). Excitata a talpis terra. ¶ 3. Cum addita producendi creandique significatione, est efficiendo erigere, ædificare, suscitare: ad rem *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 110. Deus homines humo excitatos, celsos et erectos constituit. Occurrit — *a*) De quibuscumque ædificiis, et est erigere, *fabbricare, alzare.* *Cic.* 2. *Legg.* 27. 68. Excitare sepulcrum e lapide. *Cæs.* 5. *B. G.* 39. Ex ea materia turres cxx. excitantur. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 25. *Sueton. Claud.* 1. Exercitus honorarium ei tumulum excitavit. *Seneca Ep.* 52. Excitare ædificium. *Flor.* 1. 1. urbem. *Curt.* 8. 2. *a med.* Excitata moles. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 26. 27. (96). Excitata tropæa. — *b*) De igne, et est suscitare, accendere, *accendere.* *Cæs.* 7. *B. G.* 24. Picem reliquasque res, quibus ignis excitari potest, fundebant. Adde *Lucret.* 6. 309. *Cic.* 7. *Phil.* 1. 3. Quæ provincia est, ex qua illa fax excitare non posset incendium? *Lucan.* 8. 776. Excitat invalidas admoto fomite flammas. Et poetice *Virg.* 4. *G.* 549. monstratas excitat aras. Sic *Juvenal.* 3. 262. Bucca foculum excitat. — *c*) De plantis et similibus, et est promovere, *promuovere.* *Cic.* 2. *Orat.* 21. 88. Nova sarmenta cultura excitantur. *V.* INCITO. *Pallad.* 12. *R. R.* 13. 3. Excitare pascua in novalibus. Et figurate *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 58. (82). ubertatem lactis.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiore paragr. 1. — 1.°) Dicitur de animo, et — *a*) Generatim est movere, commovere. *Cic.* 1. *ad Brut.* 10. Erectior senatus erat, non sententiis solum nostris, sed etiam cohortationibus excitatus. *Id.* 15. *Fam.* 21. *ad fin.* Excitare et acuere. *Id.* 5. *Fin.* 24. Excitari sæpe gloria. *Al. rectius leg.* spe gloriæ. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Tantis excitati præmiis. *Id.* 1. *B. C.* 57. Spe libertatis excitati. *Id.* 2. *ibid.* 4. Virginum precibus et fletu excitati, ut civitati subvenirent. *Curt.* 8. 11. Ad notam vocem excitatus. Huc referri potest et illud *Martial.* 5. 14. Bis excitatus terque transtulit ad castra. h. e. surgere jussus et coactus. — *b*) Speciatim ac sæpius est incitare, hortari, allicere, invitare, stimulos admovere, *eccitare, incitare, stimolare.* *Cic.* 6. *Fam.* 1. *a med.* Me cum esse, quem solitus esses auctoritate tua cunctantem et diffidentem excitare. *Cæs.* 3. *B. G.* 26. Præmiis et pollicitationibus aliquem excitare. — Hac significatione usurpatur fere cum addito, ad quod quis excitatur. *Cic. pro leg. Manil.* 2. 5. Genus est enim belli ejusmodi, quod maxime vestros animos excitare atque inflammare ad persequendi studium debeat. *Id. Topic.* 1. 5. Ut mea diligentia mandatorum tuorum te quoque ad memoriam nostrarum rerum excitarem. *Id. Planc.* 28. 69. Ad alicujus salutem defendendam caritate stimulari atque excitari. Cf. *eumd. Cluent.* 62. 172. Excitatus pietate ad accusandum. *Id. Planc.* 24. 59. Excitare aliquem ad laborem et laudem. *Id.* 1. *Orat.* 46. 202. languentem labentemque populum ad decus. Sic *Id.* 2. *Off.* 6. 20. Hominum studia ad utilitates nostras allicere atque excitare. *Cæs.* 7. *B. G.* 79. Omnium animi ad lætitiam excitantur. *Id. ibid.* 80. Et laudis cupiditas et timor ignominiæ ad virtutem excitabat. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 13. *Id.* 3. *ibid.* 10. Excitare aliquem ad bellum. *Liv.* 1. 39. Erudire puerum iis artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. *Quintil.* 4. 1. 34. Sunt illa excitandis ad audiendum non inutilia. Poetice *Sil. It.* 7. 306. Excitare aliquem in curas. — 2.°) De abstractis et inanimis. — *a*) Est quodammodo expergefacere et reviviscere facere (*V.* supra sub I. 1. *b.*), *risvegliare, richiamare.* *Cic. Orat.* 10. 35. Nisi tibi hortanti et illius memoriam mihi caram excitanti non parere nefas esse duxissem. Adde *Liv.* 10. 30. *Quintil.* 6. 3. 19. Salsum excitat et a tædio defendit orationem. Adde *eumd.* 6. 1. 2. — *b*) Et pro acuere. *Quintil.* 11. 3. 42. Hi soni cum augenda intentione excitandi. cui ibid. *opponitur* temperandi. Sic *Id.* 12. 10. 33. Excitare syllabam acutam. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 5. 11. (29). Excitare colores. *farli più vivi.* *Id.* 14. *ibid.* 19. 24. (120). Sale excitare lenitatem vini. *rendere il vino spiritoso.* *Id.* 20. *ibid.* 5. 17. (34). Siser stomachum excitat, fastidium absterget. Sic *Id.* 23. *ibid.* 1. 7. (12). Uvæ in ollis servatæ excitant os, stomachum, aviditatem. *aguzzano l'appetito.* ¶ 2. Metaphora sumpta a superiore paragr. 2., est erigere, extollere. *Cic. Marcell.* 8. 23. Omnia sunt excitanda tibi, C. Cæsar, uni, quæ jacere sentis belli impetu perculsa atque prostrata. *Id. Amic.* 16. 59. Eniti et efficere, ut amici jacentem animum excitet inducatque in spem cogitationemque meliorem. *Id.* 1. *Att.* 16. 8. Ego recreavi afflictos animos bonorum unumquemque confirmans, excitans –: senatum ad pristinam suam severitatem revocavi atque abjectum excitavi. *Id.* 2. *Fam.* 16. 1. Qui ab excitata fortuna ad inclinatam et prope jacentem desciscerem. ¶ 3. Metaphora sumpta a superiore paragr. 3., cum addita producendi creandique significatione. — *a*) Ponitur pro ædificare translate usurpato. *Cic.* 4. *Fin.* 7. 18. Principiis a natura datis amplitudines quædam bonorum excitantur. h. e. superstruuntur. *Id. Sext.* 2. 5. Priusquam docuero, quibus initiis ac fundamentis hæ tantæ summis in rebus laudes excitentur. — *b*) Sæpissime de animi motibus, et est movere, commovere, *muovere, eccitare, commuovere.* *Cic.* 1. *Orat.* 46. 202. Qui, quemcumque in animis hominum motum res et causa postulat, eum dicendo vel excitare possit vel sedare. *Id.* 1. *Off.* 5. 14. Facies honesti, si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sapientiæ. *Id.* 3. *Phil.* 9. 21. Excitare risus. *Id. Sext.* 58. 124. plausum. *Id. Planc.* 18. 45. vim ac dolorem bonorum omnium. *Id. Sext.* 57. 121. fletum etiam inimicis. *Catull.* 39. 3. quum orator excitat fletum Renidet ille. *Virg.* 2. *Æn.* 594. quis indomitas tantus dolor excitat iras? *Cic. Sext.* 16. 41. Excitare suspicionem alicui. *fargli venir sospetto.* — *c*) Et de aliis. *Cic. Mil.* 7. 18. Nunc ejusdem Appiæ (*viæ*) nomen quantas tragœdias excitat?

Id. Harusp. resp. 3. 4. Excitare tempestatem. *Id. Marcell.* 6. 18. bellum civile. *Catull.* 40. 4. rixam. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 10. varios sermones. *far nascere varii discorsi.* — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Excitatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Excitatior* et Sup. *Excitatissimus.* Translate. *Cic.* 6. *de republ.* 18. Summus ille cæli stellifer cursus, cujus conversio est concitatior, acuto et excitato movetur sono. *Liv.* 4. 37. *a med.* Clamor excitatior crebriorque ab hoste sublatus, ab Romanis dissonus, impar, segnis. *Quintil.* 10. 12. 49. Ac sunt, qui hæc excitatiora lumina a componendis orationibus excludenda arbitrentur. *h. e.* sententias, quæ feriunt animum, et uno ictu frequenter impellunt, ut *ibid.* ipse loquitur. *Id.* 9. 3. 10. Schema excitatius. *V.* EXCITATE. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 71. (182). Gith optimum quam excitatissimi odoris. *spiritoso.*

EXCITO, as, are, a. 1. (idem quod *excito*) frequentativum ab *excio, is, ivi, itum,* assertum cum quidam illo *Silii It.* 5. 191. ceu ductor ad arma Excitet Tyrius. At *exciret* reponunt ex MSS. *Heinsius* et alii.

EXCĪTUS, a, um. *V.* EXCIO.

EXCĪTUS, us, m. 4. actus exciendi, evocatio. In sexto casu singul. *Apul.* 6. *Met.* Quæ vocis excitu procurrens, videt etc. *Recentiores tamen leg.* exitu.

EXCLĀMĀTĪO, ōnis, f. 3. actus exclamandi. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Herenn.* 12. 21. Auctas vocis exclamationes vitare. *Quintil.* 11. 3. 179. Dulces exclamationes theatri causa producere. ¶ 2. Speciatim est figura rhetorum, quæ ut *Cic.* 4. *Herenn.* 15. 22. definit, conficit significationem doloris, aut indignationis alicujus, per hominis, aut urbis, aut loci, aut rei cujuspiam compellationem. Neque solum per adverbium o effertur, verum etiam sine eo. *V. ibid.* exempla, et apud *Plin.* 2. *Ep.* 10. — A *Cic.* 3. *Orat.* 54. 207. et *Orat.* 39. 135. inter figuras verborum enumeratur: a *Quintil.* vero 9. 3. 97. inter sententiarum; *affectus enim est*, inquit. Adde *eumd. Quintil.* 9. 1. 34. et 9. 2. 26.

EXCLĀMĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCLĀMO, as, āvi, ātum, are, 1. (ex et clamo). Part. *Exclamans* sub *A.* II. et *B.*; *Exclamatus* et *Exclamaturus* sub *B.* — Exclamare usurpatur *A)* Neutrorum more; et *B)* Active.

A) Neutrorum more *exclamare, ἀναβοάω,* est vociferari et quasi e medio pectore vocem maximam emittere: quod aut doloris, aut admirationis, aut indignationis causa fieri solet (It. *esclamare, gridare;* Fr. *élever fortement la voix, crier, s'écrier;* Hisp. *gritar, pronunciar con un tono elevado, alto;* Germ. *laut rufen, Beifall rufen, ausrufen, schreien;* Angl. *to cry or call out, exclaim*).

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 2. 2. 57. Lucernam forte oblitus fueram exstinguere, atque ille exclamat derepente maximum. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 56. In stadio cursores exclamant quam maxime possunt. *Id. ibid.* 24. 56. Qui volunt exclamare majus, num satis habent latera, fauces, linguam intendere? — toto corpore contentioni vocis asserviunt. *Id.* 6. *de republ.* 12. Hic quum exclamasset Lælius ingemuissentque ceteri vehementius, leniter arridens Scipio etc. *Id. Orat.* 50. 168. Contiones sæpe exclamare vidi, quum apte verba cecidissent. *h. e.* acclamare. *Quintil.* 1. 6. 45. Tota sæpe theatra et omnem Circi turbam exclamasse barbare scimus. — Et passive impersonaliter. *Quintil.* 1. 11. 8. Quoties exclamandum erit, lateris conatus sit ille, non capitis. Adde *eumd.* 3. 8. 59.

II.) Translate de inanimis. *Quintil.* 12. 10. 61. Apud hunc (*oratorem*) patria ipsa exclamabit. *Id.* 8. 3. 17. Quæ (*verba*) aut maxime exclamant, aut sono sunt jucundissima. *Id.* 9. 4. 137. Minus exclamantes syllabæ. *Stat.* 6. *Theb.* 202. Jam face subjecta primis in frondibus ignis Exclamat. *h. e.* crepitat. *Juvenal.* 6. 423. dominæ femur exclamare coegit. *h. e.* sonitum edere.

B) Active est exclamando dicere, exclamando vocare: et occurrit — *a)* Cum addita ipsa propositione, quæ exclamando effertur. *Plaut. Trin.* 3. 2. 79. Non enim possum quin exclamem: Euge, euge, Lysiteles! facile palmam habes. Adde *eumd. Amph.* 5. 1. 12.; et *Ter. Eun.* 4. 1. 11. et *Adelph.* 4. 4. 10. *Cic.* 2. *Nat. D.* 6. 13. Itaque mihi libet exclamare, ut Statius in Synephebis: Pro deum etc. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 7. 33.; *Ovid.* 5. *Met.* 13.; et *Quintil.* 6. 3. 81. — *b)* Sequente Infinito. *Plaut. Capt.* 3. 2. 11. Tandem hic exclamat, eum sibi esse sodalem. *Ter. Eun. prol.* 23. Exclamat furem, non poetam, fabulam dedisse. — *c)* Sequente part. *ut. Cic.* 1. *de republ.* 17. Quas (*formas*) ut vidisset, exclamavisse, ut bono essent animo, videre enim se hominum vestigia. *Liv.* 4. 38. Qui quum magna voce exclamasset, ut equites ex equis desilirent etc. — *d)* Cum Accusativo rei. *Quintil.* 6. 2. 26. Ut lugentes disertissime quædam exclamare videantur. *Id.* 2. 11. 2. Qui multa memoria digna exclamaverunt. *h. e.* declamando recitarunt. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 50. (166). Nero, lamina pectori imposita, sub ea cantica exclamans. *recitando ad alta voce.* Hoc pertinet et illud *Quintil. Declam.* 19. 15. Singultus similis exclamaturo nescio quid. — *e)* Cum Accusativo personæ est exclamando vocare, *chiamare ad alta voce. Plaut. Amph.* 5. 1. 68. Voce clara exclamat uxorem tuam. *Antonius* apud *Cic.* 2. *Phil.* 12. 30. M. Brutus cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamavit. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 6. Excitare aliquem suo nomine exclamatum.

EXCLĀRO, as, are, a. 1. clarum facere, illustrare. *Vitruv.* 1. 2. Ea cæli regio neque exclaratur, neque obscuratur solis cursu.

EXCLĪNO, as, are, a. 1. extra inclino. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 109.

EXCLŪDO, clūdis, clūsi, clūsum, clūdere, a. 1. (ex et claudo). *Exclusti* pro *exclusisti* leg. plerique apud *Ter. Eun.* 1. 2. 18. — Part. *Excludens* I.; *Exclusus* I. et II. 1. et 3. et in fin.; *Exclusurus* I.; *Excludendus* II. 1. — Excludere, ἀποκλείω, ἐκκλείω, est extra claudere, arcere, prohibere, atque adeo separare, disterminare (It. *serrar fuori, escludere, tener lontano, separare;* Fr. *exclure, tenir éloigné de, écarter, séparer;* Hisp. *excluir, apartar, alejar;* Germ. *ausschliessen, fern halten, nicht zulassen, trennen;* Angl. *to shut out, exclude, separate, divide*).

I.) Proprie. — *a)* De hominibus. *Plaut. Men.* 4. 2. 108. Me non excludet ab se, sed apud se occludet domi. *Id. Mil. glor.* 4. 1. 30. Hercle occasionem lepidam, ut mulierem excludam foras. *Ter. Eun.* 1. 2. 18. Exclusti hunc foras. *Al. leg.* exclusit. *Id. ibid.* v. 79. Ego excludor, ille recipitur. *Pompejus* ad *Domit.* apud *Cic. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Ut te mecum conjungeres, priusquam Cæsar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere posset. *Cic.* 5. *Fam.* 15. Ipsæ illæ (*litteræ*) excludere me a portu et perfugio videntur. *Cæs.* 2. *B. C.* 41. Excludere se recipientes ab acie. *Cic. Balb.* 17. 39. Gaditani Pœnos mœnibus excluserunt. *Cl. Virg.* 9. *Æn.* 726. Mœnibus exclusi. *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Exclusus Capua. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 67. Exclusus fore. Et *Cic. Cluent.* 62. 175. Vagus et exsul et undique exclusus. *Cæs.* 3. *B. C.* 78. Omni maritima ora hostem excludere. *Id.* 7. *B. G.* 55. Re frumentaria Romanos excludere. *Al. leg.* ab ea. *Nepos Themist.* 5. Ut reditu in Asiam excluderetur. *Tibull.* 2. 3. 73. nulla exclusura dolentes Janua. — *b)* De inanimis. *Horat.* 2. *Od.* 15. 9. spissa ramis laurea fervidos Excludet ictus. *h. e.* arcebit solem. *Ulp. Dig.* 39. 3. 1. Ut aquam excluderet, quæ exundante palude in agrum refluere solet. *Stat.* 8. *Theb.* 412. Exclusere diem telis, stant ferrea cælo Nubila. *h. e.* impedivere, sustulere lucem. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 24. 20. (83). Euphrates Armeniæ regiones a Cappadocia excludens. *h. e.* disterminans, *separando, dividendo.*

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro excipere, repellere, removere, impedire. — *a)* Pro excipere, *eccettuare. Cic.* 1. *Fam.* 1. Crassus tres legatos decernit, nec excludit Pompejum. *Sueton. Ner.* 23. Illos, ut sapientes et doctos viros, debere fortoita excludere. — *b)* Pro repellere, removere. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 46. Repelli oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina. *Id.* 5. *Phil.* 11. 29. Exclusit illum a republ., distraxit, segregavit scelus ipsius. *Id. Cluent.* 11. 31. Excludi ab hereditate fraterna. *Id.* 2. *leg. Agr.* 22. 60. Qui honore decemviratus nominatim excluditur. *Id.* 7. *Verr.* 45. 118. Matres ab extremo complexu liberum exclusæ. *Id. Balb.* 9. 24. Socii exclusi præmiis et honoribus. *Id.* 1. *Orat.* 37. 168. Petitor rursus quum peteret, exceptione excluderetur. *Id.* 2. *Invent.* 19. 57. Prætoriis exceptionibus multæ excluduntur actiones. *Id. Cæl.* 9. 22. Si qui se in hoc judicium forte projecerint, excluditote eorum cupiditatem, judices, sapientia vestra. *Id. ibid.* 17. 42. Excludere auribus omnem suavitatem. *bandir dagli orecchi. Id.* 5. *Phil.* 7. 19. Excludere consuetudinem libere dicendi. *Lucilius* apud *Non. p.* 301. 14. *Merc.* Qua virtute servitutem excluserit. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 108. animoque exclusa voluptas. — *c)* Pro impedire. *Cic.* 3. *Verr.* 56. 148. Locat circiter Idus Septembr., temporibus excluduntur omnes. *Cæs.* 7. *B. G.* 11. Castris ante oppidum positis, diei tempore exclusus, in posterum oppugnationem differt. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 30. — *d)* Pro negare affertur illud *Cic. Harusp. resp.* 21. 45. Quod Metellus principi Pompejo sententiam dicenti excluserat. *Al. leg.* principe dicente: *alii* excusserat. ¶ 2. Quum præ verbo præpositionis vis eminet, excludere est emittere, ejicere, effundere, *cacciar fuori.* — *a)* Generatim. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 95. Excludito mihi oculum, si dedero. *Ter. Phorm.* 5. 7. 96. Vel oculum exclude. *Scribon. Compos.* 84. In utramque partem liquorem excludere. *Paul. Dig.* 10. 4. 6. Gemma inclusa auro vindicari non potest; sed ut excludatur, agi potest. *a sleghi, si scassi.* Huc *Forcellinus* refert etiam illud *Cic. Orat.* 15. 50. Quum animos prima aggressione occupaverit, infirmabit excludetque contraria. — *b)* Speciatim hoc sensu sæpe dicitur de avibus incubantibus, et fovendo ova emittentibus pullos, *schiudere. Lucret.* 5. 800. volucres Ova relinquebant, exclusæ tempore verno. *Cic.* 2. *Nat. D.* 52. 129. Gallinæ avesque reliquæ, quum ex ovis pullos excluserint, ita tuentur etc. *Id. ibid.* 48. 124.; et *Colum.* 8. *R. R.* 5. 7. et 14. 11. Exclusi pulli. Rursus *Colum.* 8. *ibid.* 11. 1. Quæ fovent ova, totum tempus fecunditatis aut excludendis, aut etiam educandis pullis consumunt. Adde *Sueton. Tib.* 14. — Hinc joculariter *Cic.* 2. *Orat.* 21. 81. Coracem istum patiamur pullos suos excludere in nido, qui evolent clamatores odiosi ac molesti. ¶ 3. Quum præ præpositione verbi vis eminet, ponitur pro claudere, finire. *Stat. in epist. præfixa l.* 2. *Silvar.* Excludit volumen Genethliacon Lucani. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Exclusus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Exclusissimus.* Proprie. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 78. Audiat exclusi verba receptus amans. *Plaut.* joculariter *Men.* 4. 3. 21. Abiit intro, occlusit ædes: nunc ego sum exclusissimus.

EXCLŪSĬO, ōnis, f. 3. actus excludendi. *Ter. Eun.* 1. 2. 8. Ceterum de exclusione verbum nullum. *Vitruv.* 1. 6. Exclusio ventorum. *Ulp. Dig.* 44. 1. 2. Exceptio est quasi quædam exclusio, quæ interponi actioni cujusque rei solet.

EXCLŪSOR, ōris, m. 3. qui excludit. ¶ 1. Generatim. *Augustin. serm.* 37. *de verb. Dom.* 2. Christus dæmoniorum exclusor. *h. e.* expulsor. ¶ 2. Speciatim est etiam idem quod excusor. *Augustin.* in *Psalm.* 67. § 39. In arte argentaria exclusores vocantur, qui de confusione massæ noverunt formam vasis exprimere. Adde *eumd. in Psalm.* 54. § 22. et *De Spir. et litt.* § 17. *Inscript.* apud *Henzen.* 7229. MEMORIAE AETERNAE POTITIO ROMVLO QVI VI. ANN. XXXV. DEFVNCT. ARTIS ARG. EXCLVSSOR. *lege* exclusor.

EXCLŪSŌRĬUS, a, um, adject. ad excludendum pertinens. *Ulp. Dig.* 44. 1. 2. Illud tenendum est, omnem exceptionem, vel replicationem exclusoriam esse: exceptio actorem excludit, replicatio reum. — Hinc

Exclusorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est medicamentum, quod fetui excludendo inservit, apud *Theod. Priscian.* 3. 6.

EXCLŪSUS, a, um. *V.* EXCLUDO.

EXCOCTĬO, ōnis, f. 3. actus excoquendi. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 12. 16. 3. Excoctio calcis. *Impp. Arcad. et Honor. ibid.* 39. 1. panis.

EXCOCTOR. *V.* EXCEPTOR.

EXCOCTUS, a, um. *V.* EXCOQUO.

EXCŌDĬCO *vel* excaudico, as, are, a. 1. (ex et codex *vel* caudex).

I.) Proprie est exstirpare, ut patet ex veteri lege apud *Frontin. Aquæd.* 129., ubi alii perperam legunt *excorticare.* Hinc apud *Festum p.* 281. 18. *Müll.* dicitur *ager silvestris excodicari,* quum stirpes ex eo inutiles evelluntur. *Codd. habent* ex quo dicatur pro excodicatur.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro *ablaqueare,* hoc est circa vitium codicem dolabra terram aperi-

re, et purgatis omnibus velut lacus efficere, ut solis calore et imbribus provocentur. *Pallad.* 2. *R. R.* 1. Ablaqueandæ sunt vites, quod Itali escodicare appellant. ¶ 2. Figurate. *Tertull. Pudic.* 16. Ut intelligas, quanta securi censuræ Apostolus omnem silvam libidinum cædat et eradicet et excaudicet.

EXCŌGĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus excogitandi, inventio. *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 61. Quid illa vis, quæ tandem est, quæ investigat occulta, quæ inventio atque excogitatio dicitur? *Id.* 2. *Orat.* 27. 120. Illa, quæ tota ab oratore pariuntur, excogitationem non habent difficilem. *h. e.* facilia inventu sunt.

EXCŌGĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui excogitat, inventor. *Arnob.* 3. 32. Verborum excogitator et nominum. *Quintil. Declam.* 10. 7. Sic magum protinus, nescia matre, excogitator hic mortis alterius advocat.

EXCŌGĬTĀTUS, a, um. *V.* EXCOGITO.

EXCŌGĬTĀTUS, us, m. 4. idem quod excogitatio. In sexto casu sing. *Gell.* 5. 10. *extr.* Captionis versutæ excogitatu frustratus. *Al. leg.* versute excogitatæ.

EXCŌGĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et cogito). Part. *Excogitans, Excogitatus* etiam in fin. et *Excogitandus.* — Excogito est cogitando invenio, cogitatione assequor (It. *inventare, trovare pensando*; Fr. *trouver à l'aide de la réflexion, imaginer, inventer*; Hisp. *imaginar, inventar*; Germ. *ausdenken, erdenken, ersinnen*; Angl. *to consider thoroughly, devise, contrive, invent, excogitate*). *Cic.* 8. *Phil.* 6. 19. Excogitare, quæ tua ratio sit, Calene, non possum. *Id. fragm. pro C. Cornel.* apud *Ascon.* Lex ad scribendum difficilis, aut ad excogitandum recondita. *Id.* 4. *Verr.* 54. 134. Mira quædam excogitare genera furandi. *Id. Dejot.* 7. 20. Quid igitur causæ excogitari potest, cur etc.? *Id.* 2. *Cat.* 4. 7. Quid enim mali aut sceleris fingi, aut excogitari potest, quod non ille conceperit? *Id.* 9. *Att.* 6. 7. Ad hæc igitur cogita, mi Attice, vel potius excogita. *Id. Cluent.* 13. 36. Ratio excogitata Larini est: res translata Romam. *Cæs.* 2. *B. C.* 32. Multa præterea generatim ad avaritiam excogitabantur. In capita singula servorum ac liberorum tributum imponebatur. *Id.* 5. *B. G.* 31. Omnia excogitantur, quare nec sine periculo maneatur, et periculum augeatur. *Nepos Att.* 8. Excogitatum est quibusdam, ut privatum ærarium constitueretur. *Val. Max.* 9. 2. *n.* 10. *extr.* Ac ne Etrusci quidem parum feroces in pœna excogitanda. *Curt.* 6. 10. Cur me ipse audire noluerit, non excogito. *Id.* 4. 2. Ferreæ manus, corvique, et alia tuendis urbibus excogitata. *Id.* 5. 12. Nova ludibria subinde excogitante fortuna. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (82). Cum recenti fico salis vice caseo vesci, nuper excogitatum est. — Hinc Part. præter. pass.

Excogitatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Excogitatissimus. Cic. Orat.* 67. 225. O callidos homines, o rem excogitatam, o ingenia metuenda! *Quintil.* 5. 13. 49. Res ab illis dicta, non a nobis excogitata. *Sueton. Cal.* 22. Templum etiam numini suo proprium, et sacerdotes, et excogitatissimas hostias instituit. *h. e.* exquisitissimas.

EXCŌGO, is, ere, a. 3. idem ac cogo, vel maxime cogo, arguo, colligo. *V.* COGO. *Innocent. agrimens.* apud *Goes. p.* 222. Si in monte fuerit constitutus, excogimus finem habere. *Id. p.* 227. Terminos excogimus requirendos.

EXCŎLO, cŏlis, cŏlui, cultum, cŏlere, a. 3. (ex et colo). Part. *Excultus* I. 1. et 2. et II. 1.; *Excolendus* I. 2. et II. 1. — Excolere, ἐξεργάζομαι, est percolere, diligenter colere (It. *coltivar bene, lavorare con diligenza*; Fr. *travailler avec soin, bien cultiver*; Hisp. *cultivar, labrar cuidadosamente*; Germ. *sorgfältig bearbeiten, pflegen*; Angl. *to cultivate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit in re rustica. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 5. (48). Excultæ vineæ. *Id.* 8. *ibid.* 47. 72. (187). Boves victum hominum excolunt. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 196. Excolere rura. Cf. *Propert.* 4. 1. 130. Abstulit excultas pertica tristis opes. *h. e.* pinguia culta agrorum et ruris. *Ovid.* 2. *Art. am.* 220. Creditur et lanas excoluisse rudes. ¶ 2. Latiori sensu, apud ætatis argenteæ scriptores, de artibus dicitur et est opus laborando perficere, adeoque exornare, *finir di lavorare, abbellire, ornare. Plin.* 9. *Ep.* 39. Emas marmora, quibus solum, quibus parietes excolantur. Adde alterum *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (118). *Sueton. Aug.* 28. Urbem excoluit adeo, ut jure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset. *Id. ibid.* 72. Prætoria sua non tam statuarum tabularumque ornatu, quam xystis et nemoribus excoluit. *Id. Claud.* 21. Circus marmoreis carceribus auratisque metis excultus. *Flor.* 4. 12. Marcomannorum spoliis insignibus quemdam editum tumulum in tropæi modum excoluit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 11. 40. (135). L. Paulus, devicto Perseo, petiit ab Atheniensibus, ut sibi quam probatissimum mitterent pictorem ad triumphum excolendum. *Nerat. Dig.* 7. 1. 44. Excolere ædificium. *Ulp. ibid.* 7. 1. 13. § 7. Fructuarius excolere quod invenit potest, qualitate ædium non immutata. Adde *eumd. ibid.* 13. 7. 25. — Et de ipsis hominibus. *Martial.* 6. 52. vagos resecare capillos Doctus, et hirsutas excoluisse genas. *Sueton. Cæs.* 84. Legionarii injecere flammæ arma sua, quibus exculti funus celebrabant. *Id. Ner.* 28. Sporus Augustarum ornamentis excultus. — Et pro perficere, *perfezionare,* ita tamen ut et ornandi insit significatio. *Sueton. Aug.* 29. Monumentis vel novis, vel refectis, vel excultis urbem adornare. Cf. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 8. 34. (56). Quique inventa ejus (*pictoris*) excoluit, Cimonem Cleonæum.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de moribus et intellectu, et est educare, erudire, perficere: ad rem *Cic. Parad. proœm.* § 3. Nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione et tamquam excolatur. *Id. Orat.* 9. 31. Excolere victum hominum. *h. e.* a ferino more ad humanitatem traducere, *incivilire. Id.* 2. *Legg.* 14. 36. Ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus. *Id.* 1. *Tusc.* 25. 62. A quibus mansuefacti et exculti a necessariis artificiis ad elegantiora deflex, mus. *Id.* 2. *Off.* 4. 15. Quibus rebus exculta hominum vita tantum distat a victu et cultu bestiarum. *Id. Brut.* 25. 95. C. Tuditanus omni vita atque victu excultus atque expolitus. *Id. Arch.* 6. 12. Animos doctrina excolere. *Id.* 1. *Tusc.* 2. 4. Excultus doctrina. *Id. Orat.* 15. 48. Ingenia disciplinis exculta. *Id.* 4. *Tusc.* 38. 84. Demus nos philosophiæ excolendos. *Vir.* 6. *Æn.* 663. Inventas aut qui vitam excoluere per artes. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 15. Protinus excolimur pueri. *h. e.* erudimur, instituimur. *Id.* 4. *Pont.* 8. 1. Vir studiis excultus. *Martial.* 12. 95. Fila lyræ movi doctis exculta Camenis. *Quintil.* 4. *proœm.* 3., 12. 2. 1. et 12. 3. 1. Excolere mores aut studia. Sic *Gell.* 13. 5. Complere et excolere studia doctrinarum. *Tac. Dial. de orat.* 22. Cicero primus orationem excoluit. Adde *Quintil.* 8. 3. 86. *Id. Quintil.* 11. 2. 1. Memoria excolendo augetur. — Hinc et Part. *Excultus* ponitur pro eleganter admodum erudito, exquisito, *incivilito, squisito, raffinato. Cic.* 2. *de republ.* 10. Antiquitas recepit fabulas: — hæc ætas autem jam exculta, præsertim eludens omne, quod fieri non potest, respuit. *Quintil.* 6. 3. 20. Excultæ cujusdam elegantiæ. — Pro augere. *Curt.* 9. 6. *a med.* Excolere gloriam. *h. e.* extendere, augere. *Quintil. Declam.* 8. 12. Fortuna hunc pressit paupertate, illum insperatis opibus excoluit. *h. e.* instruxit, auxit, ditavit. ¶ 2. Raro admodum de personis occurrit, et est venerari, vereri, observare, prosequi, sive, ut optimi quique scriptores locuti sunt, colere, *venerare, rispettare, servire. Phædr.* 4. 10. verendos excolit pietas deos. *Ovid.* 1. *Pont.* 7. 59. ut te non excolat ipsum, Jus aliquod tecum fratris amicus habet. — Nonnulli afferunt etiam illud *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 16. Excolamur et amemur. *At ibi ex optimis Codd. legendum* Et colamur.

EXCŌLO, as, are, a. 1. percolare, liquare. *Pallad.* 8. *R. R.* 8. Acetum diligentius excolabis. In *Vers. Vulg. Matth.* 23. 24. Culicem excolantes. *h. e.* vinum, in quod culex inciderit.

EXCOLUBRO. *V.* dicta in COLUBRA.

EXCŎMĔDO, is, ere, a. 3. totum comedo, consumo. *Apul. Herb.* 8. Herba scelerata excomedet putredinem.

EX CŎMĬTE, indeclin. m. qui comes fuit. *Ammian.* 14. 7. Mandabat Domitiano, ex comite largitionum, præfecto, ut etc. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 3189. — In plur. num. *Cod. Theod.* 12. 1. 75. Honorem etiam ex comitibus addi censemus. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 1108.

EXCOMMŪNĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. separatio a communione Ecclesiæ. *Augustin. de Fide et operib.* 3. et alibi.

EXCOMMŪNĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCOMMŪNĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Excommunicatus.* — Excommunico est ab Ecclesiæ communione separo. *Hieronym.* 2. *advers. Rufin. n.* 18. Frustra ab Ecclesiis excommunicatum se esse dicat. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 31. *ad fin.* Excommunicaverunt Eusebium, etc. Adde *Ambros. Ep.* 8.

EXCONDO, is, ere, a. 3. condo, facio, fingo, vel manifesto. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 18. Vera eum et visibilem excondis præliatorem.

EXCONGRŪUS, a, um, adject. idem atque incongruus. *Symmach. orat. pro Synes.* (edente iterum *A. Maio*) 5. Nisi forte excongruam putatis istiusmodi laudem.

EXCONSUL. *V.* voc. seq.

EX CONSŬLE, indeclin. m. vir consularis, qui scil. aliquando consulatum gessit. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 17. 2. § 9. Quæ omnia confecta sunt per virum excelsum, ex quæstore et ex consule, Tribonianum. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. *a med.* Magnus, olim ex præfecto, nuper ex consule. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 1162. et apud *Henzen.* 5591., 5595. etc. — Dictum est etiam sequiori illo ævo *Exconsul, lis,* ut apud *Isid.* 15. *Orig.* 13.; et *Exconsularis. V.* voc. seq. — Item *ex consulibus. Capitolin. Gordian.* 22. *V.* EX DUCE.

EXCONSŬLĀRIS, is, m. 3. qui consulari potestate in aliqua provinciali administratione functus est. *Inscript.* apud *Gruter.* 151. 6. CL. POSTVMIVS DARDANVS V. INL. ET PATRICIAE DIGNITATIS, EXCONSVLARI PROVINCIAE VIENNENSIS .... ADNITENTE ETIAM V. INL. COM. AC FRATRE MEMORATI VIRI CLARISSIMI LEPIDO EXCONSVLARI GERMANIAE PRIMAE etc.

EXCŎQUO, cŏquis, coxi, coctum, cŏquere, a. 1. (ex et coquo). Part. *Excoctus* I. 1. 2. et 3. — Excoquere, ἐξέψω, est valde coquere (It. *cuocere molto*; Fr. *bien cuire*; Hisp. *cocer*; Germ. *auskochen, ausschmelzen*; Angl. *to boil thoroughly, excoct*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est valde coquere. *Ter. Adelph.* 5. 3. 63. Tam excoctam reddam (*psaltriam*) atque atram, quam carbo est. *Lucret.* 6. 962. terram sol excoquit et facit are. *Varro* 5. *L. L.* 109. *Müll.* Excoctum parum habet succi. *Cato R. R.* 107. Usque coquito, dum dimidium excoquas. Sic *Colum.* 12. *R. R.* 10. 1. Mustum ad dimidium si quis excoxerit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 74. (193). Glebas melle excoquere. *cuocer nel mele. Id.* 32. *ibid.* 4. 14. (38). Vino testudinem excoquere. *Id.* 34. *ibid.* 13. 37. (135). Lapis excoquitur in rubricam. *h. e.* usque dum rubrum colorem induat. *Tac.* 5. *Hist.* 7. Arenæ, admixto nitro, in vitrum excoquuntur. *Lucan.* 9. 420. Libyæ quod fertile terræ est, In nullas vitiatur opes, non ære, neque auro Excoquitur. *Ovid.* 14. *Met.* 712. Durior et ferro, quod Noricus excoquit ignis. *h. e.* temperat. *Plin. Paneg.* 52. Truces horrendæque imagines abjectæ excoctæque flammis. *colate, strutte, disfatte.* ¶ 2. Latiori sensu est coquendo purgare, *purgare cocendo. Virg.* 1. *G.* 87. illis omne per ignem Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor. *Ovid.* 4. *Fast.* 785. Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis Excoquit. *Gell.* 6. 5. *sub fin.* Argentum excoctum. *purgato, fino, puro.* ¶ 3. Item concoquere, *concuocere, digerire. Colum.* 1. *R. R. præfat.* § 16. Quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus. — Huc referri potest et illud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 18. (80). Excocta maturitas hordei. *h. e.* hordeum nimis maturum.

II.) Translate. *Plaut. Pers.* 1. 1. *in fin.* Usque ero domi, dum excoxero lenoni malum. *h. e.* machinatus fuero, paravero, excogitavero. *Seneca Herc. fur.* 105. Concutite pectus: acrior mentem excoquat, Quam qui caminis ignis Ætnæis furit. *h. e.* agitet, excitet, vexet, ut *Virg.* 7. *Æn.* 345. curæque iræque coquebant.

EXCORDOR, āris, ari, dep. 1. excors sum, insanus. *Commodian. Instruct.* 2. Excordaris, homo, si putas etc.

EXCŌRĬO, as, are, a. 1. Part. *Excorians.* — Excorio est corium, seu crustas detraho. *Apul.* in *fragm.* 10. *Met. p.* 717. *Oudend.* Hastam mei inguinis nivea spurcitie pluscule excorians, emundavit. *Cassiod.* 10. *Hist. Eccl.* 30. Aliorum manus excoriaverunt, aliorum dorsa, aliorum capita, a fronte inchoantes, usque ad cervices nuda cute reliquerunt. Adde *Vulgat. interpr. Mich.* 3. 3. *Gloss. Philox.* Excorio, ἀποδέρω.

EXCORNIS, e, adject. qui sine cornibus est. *Tertull. Pall.* 5. Muræna bestia edentula et exunguis et excornis.

EXCORNICŬLĀRĬO, m. indecl. qui fuit cornicularius. *Inscript.* apud *Rénier.* 1080. D. M. L. POMPEJO FELICI PATRI QVI — MILITAVIT AN. XXV. — VIX. AN. LXXX. L. POMPEJUS MAXIMUS FILIUS EX CORNICULARIO FECIT. Adde *Cod. Theod.* 8. 7. 8.; et *Inscript.* apud *Orell.* 4962., et apud *Henzen.* 6753. et 7170.

EXCORRECTOR, ōris, m. 3. qui fuit corrector. *Inscript.* mendosa apud *Gruter.* 1027. 3., emendatior apud *Pratill. Via App. p.* 223. L. MAMILIANO LICINIANO V. C. FILIO MAMILIANI LIVIANI V. P. EXCORR. BRVT. (*h. e.* excorrectoris Bruttii) NEPOTI MAMILIANI CRISPINI EXCORR. CAMP. (*h. e.* excorrectoris Campaniæ) etc.

EXCORS, cordis, adject. (ex *et* cor) stultus, amens, fatuus, vecors, quasi sine corde, in quo veteres animum et sapientiam collocabant, teste *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 18. Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo excordes, vecordes dicuntur. *V.* CORDATUS (It. *pazzo, sciocco, grosso, insensato*; Fr. *dépourvu d'intelligence, de sens, insensé, fou*; Hisp. *insensato, necio, fatuo*; Germ. *ohne Einsicht, kopflos, unverständig, albern*; Angl. *witless, foolish, silly, simple, senseless*). *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 63. Nunc demum scio, me fuisse excordem, cæcum, incogitabilem. *Id. Merc.* 1. 1. 26. Temeritas, incogitantia, excors immodestia, petulantia. *Cic.* 5. *Phil.* 2. 5. Hoc qui non videt, excors est. *Id. Amic.* 26. 99. Aperte adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors. *Id.* 2. *Nat. D.* 2. 5. Quæ anus tam excors inveniri potest, quæ illa extimescat? *Id.* 2. *Divinat.* 16. 36. An quod aspexit excordem Cæsarem, ipse corde privatus est? *Id. Dom.* 18. 48. Neque tu eras tam excors, tamque demens, ut nescires, etc. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 25. Sub domina meretrice fuisset turpis et excors. *Id.* 2. *Sat.* 3. 67. Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors Rejecta præda? *Gell.* 18. 4. *sub fin.* stulti et excordes.

EXCORTĪCO. *V.* in EXCAUDICO, ubi affertur, dubia tamen lectione: certa vero legitur in *Gloss. Philox.* Excorticat, λεπίζει.

EXCRĒMENTUM, i, n. 2. duo diversa significat, prout est *A*) Ab *excernere*, aut *B*) Ab *excrescere*.

A) Excrementum ab *excernere* ¶ 1. Est id quod excernendo cribrandoque ex frumento excernitur, cretura. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 24. Vinacea præbenda (*gallinis*), quæ satis commode pascunt, adjectis interdum tritici excrementis. *Pallad.* 3. *R. R.* 26. 3. Sed deficientibus alimentis præbenda sunt (*porcis*) pabula glandis, castaneæ, vel frugum vilia excrementa ceterarum. ¶ 2. Item speciatim id quod ex acinis uvæ excernitur, vinaceum. *Pallad.* 12. *R. R.* 20. 3. Si acerbus odor fuerit, uvæ excrementa, quæ Græci γίγαρτα vocant, præcipiunt tusa et in massam redacta mersari. ¶ 3. Sæpius significat purgamentum, quod ex corpore animalis, ex superfluo alimenti excernitur, ut sputum, pituita, stercus. *Tac.* 4. *Hist.* 81. Ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. *Id.* 16. *Ann.* 4. Excrementa oris et narium. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 26. 32. (94). Cicadis nullum ad excrementa corporis foramen. *Id.* 9. *ibid.* 45. 68. (147). Reddere excrementa.

B) Excrementum ab *excrescere* significat excrescens sive extuberans aliquid. *Sidon.* 1. *Ep.* 2. *de Theodorico rege.* Aream dorsi humilior inter excrementa costarum spina discriminat. *h. e.* inter prominentes costas spina dorsi depressior est. *Capell.* 7. *p.* 239. Sic decem millia ceteraque excrementa complentur. *h. e.* numeri excrescentes. *Terentian. de metr. v.* 2609. *p.* 2441. *Putsch.* Hinc primas capiti duas (*syllabas*), Nec non et totidem ultimas Excrementa magis putant, Nec ducunt numero pedum.

EXCRĔMO, as, are, a. 1. idem quod cremo. *Tertull. Cult. femin.* 6. Quodcumque enim immundo spiritui excremari solet, etc. *h. e.* in ejus honorem.

EXCRĔO. *V.* EXSCREO.

EXCRESCENS, entis. *V.* voc. seq. in fin.

EXCRESCO, crescis, crēvi, crētum, crescere, n. *inchoat.* 3. (ex *et* cresco). Part. *Excrescens* I. *b.*; *Excretus* in fin. — Excrescere, ἐκφύομαι, ἐκσαρκόομαι, est idem quod crescere, aut valde crescere (It. *crescere, crescer fuori, alzarsi*; Fr. *croître, pousser, se développer, s'élever*; Hisp. *crecer, alzarse*; Germ. *heraus- oder hervorwachsen, in die Höhe steigen, anschwellen*; Angl. *to grow up, increase*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Colum.* 4. *R. R.* 21. 3. Novellis palmis semper vitis renovetur: quæ si satis excreverint, jugo superponantur. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 39. (131). Quum ad semipedem lactucæ excreverint. *Id.* 16. *ibid.* 30. 51. (125). In longitudinem excrescunt abies, larix, palma. *Tac. Germ.* 19. In hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt. *V.* EXCRETUS in fin. *Frontin. Aquæd.* 18. Colles propter frequentiam incendiorum excreverunt rudere. *Lucan.* 4. 11. Colle tumet modico, lenique excrevit in altum Pingue solum tumulo. *Ulp. Dig.* 43. 11. 1. Si quando flumen imbribus ad tempus excreverit. — *b*) Speciatim a medicis *excrescere* dicitur caro in corpore præter naturam crescens, ὑπερσαρκόω. *Sueton. Galb.* 21. Excreverat in dexteriore latere ejus caro, propendebatque adeo, ut ægre fascia substringeretur. *gli era nata un'escrescenza.* *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 59. (111). Carnes excrescentes cohibere. *Id.* 34. *ibid.* 18. 56. (178). Arsenicum tollit quidquid excrescit. — Hinc *excrescentia, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, dicuntur a medicis, quæ in corpore præter naturam excrescunt, ut in ulceribus etc. *escrescenze, σαρκώσεις, ἐκσαρκώματα.* *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 29. (61). Heliotropium radicitus extrahit excrescentia in sedibus. *Id.* 31. *ibid.* 18. 50. (169). Usus plumbi usti contra inanitatem ulcerum excrescentiave rimasque sedis. *Id.* 24. *ibid.* 5. 11. (19). Ulcera sordida, et excrescentia in iis cedri succo inungere. *Id.* 36. *ibid.* 17. 28. (133). Excrescentia erodere. *Id.* 20. *ibid.* 9. 36. (93). absumere.

II.) Translate. *Quintil.* 4. 1. 62. *de exordio.* Nec minus evitanda est immodica ejus longitudo, ne in caput excrevisse videatur. *Julian. Dig.* 36. 1. 27. § 16. Fructus in tantum excrevit, ut quantitatem partis dimidiæ bonorum excedat. *Sueton. Vesp.* 10. Litium series ubique majorem in modum excreverat. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 7. (18). Excrescit in dies ejus rei luxus. *Sillig* ex *Cod. Bamberg.* leg. Et crescit in dies ejus luxuria. — Hinc Part. præter. pass.

Excrētus, a, um, est qui excrevit, qui grandior factus est. Proprie. *Virg.* 3. *G.* 398. Multi jam excretos prohibent a matribus hædos. *h. e.* ut habet *Servius,* validiores. Sic *Paulin. Nolan. carm.* 27. 292. *de vitula.* Facta per excretum jam corpus idonea voto. *Lactant.* 2. 11. *a med.* Nisi forte animalia non tenera nata sunt, sed excreta.

Excrescentia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, *V.* supra sub 1. *b.* in fin.

EXCRĒTUS, a, um. *V.* EXCERNO.

EXCRĒTUS, a, um. *V.* EXCRESCO.

EXCRĪBO. *V.* EXSCRIBO.

EXCRŬCĬĀBĬLIS, e, adject. ¶ 1. Passive est dignus, qui excrucietur. *Plaut. Cist.* 4. 1. 1. Nullam ego me vidisse credo magis anum excruciabilem. ¶ 2. Active est qui excruciat. *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 114. Ecce parata ministeria Excruciabilis exitii.

EXCRŬCĬĀTĬO, ōnis, f. 3. cruciatus. *Augustin. Tract.* 27. *in Joann. sub fin.*

EXCRŬCĬĀTUS, a, um. *V.* EXCRUCIO.

EXCRŬCĬĀTUS, us, m. 4. idem quod cruciatus. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 19. Corpusque duris excruciatibus Ultro offerebat.

EXCRŬCĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* crucio). Part. *Excruciatus* I. 1. et 2. et II.; *Excruciandus* I. — Excrucio est valde crucio, torqueo, conficio (It. *tormentare*; Fr. *tourmenter, torturer, martyriser*; Hisp. *atormentar, martirizar*; Germ. *sehr foltern, martern*; Angl. *to torture greatly, excruciate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 15. Perii! excruciabit me herus, quum hæc facta scibit. *Id. Bacch.* 3. 4. 24. Mori me mavelim excruciatum inopia. *Id. Stich.* 3. 1. 32. Meam culpam habeto, nisi probe excruciavero. *Lucret.* 5. 1425. Frigus nudos excruciat. *Cæs.* 6. *B. G.* 19. Igni atque omnibus tormentis excruciare. *Id.* 7. *ibid.* 19. Producit servos, quos fame vinculisque excruciaverat. *Id. ibid.* 38. Ipsos crudeliter excruciatos interficit. *Auct. B. Alex.* 55. Minucium libertis tradidit excruciandum. *Cic.* 3. *Verr.* 17. 46. Hominem ingenuum fumo excruciatum, semivivum reliquit. *Id. pro leg. Manil.* 5. 11. Legatum populi R. vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit. — Habet usum in imprecationibus. *Plaut. Pers.* 5. 2. 50. Dii deæque te excrucient. ¶ 2. Est etiam verbum causativum apud *Tertull.* 2. *ad uxor.* 5. *extr.* Res excruciata. *h. e.* tormentis extorta.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe, et præcipue apud Comicos, refertur ad animum, et significat molestia, dolore afficere, vexare, vehementer angere. *Plaut. Cist.* 1. 1. 61. Excrucior, mea Gymnasium, male maceror, doleo ab animo. *Id. Curc.* 1. 3. 14. Ipsus se excruciat. *Id. Epid.* 2. 2. 8. Id ego excrucior. *h. e.* ob id. *Id. Rud.* 2. 3. 57. et 68. et *Mil. glor.* 4. 2. 76. Hoc sese excruciat animi. *Id. Trin.* 2. 2. 29. Hæc sunt quæ me excruciant. *Ter. Phorm.* 1. 4. 10. Cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi. *Cic.* 1. *Fin.* 16. 50. Temeritas et libido et ignavia semper animum excruciant et semper sollicitant. *Id.* 10. *Att.* 18. 3. Non loquor plura, ne te quoque excruciem. *Id.* 14. *Fam.* 3. 1. Conficior mœrore, mea Terentia; nec meæ me miseriæ magis excruciant, quam tuæ. ¶ 2. *Excruciare diem*, apud *Plaut.* est male consumere. *V.* LACERO.

EXCŬBĀTĬO, ōnis, f. 3. actus excubandi. *Val. Max.* 4. 7. n. 7. Pro dignitate et salute amicorum perpetua excubatio. *Dig.* 49. 16. 3. Ab excubatione desistere.

EXCŬBIÆ, ārum, f. plur. 1. extra ædes cubatio.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plaut. Cas. prol.* 53. Is sperat, si ei sit data, fore sibi paratas clam uxorem excubias foris. ¶ 2. Latiori sensu ac sæpius sunt vigiliæ et excubatio, quæ a militibus habetur diu noctuque, custodiæ causa, extra castra, vel saltem extra tentoria. Cf. ARCUBIÆ vel ACCUBIÆ. *Cic. Marcell.* 10. 32. Non modo excubias et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus et corporum pollicemur. *Id. Mil.* 25. 67. Si hæc arma, si Capitolinæ cohortes, si excubiæ, si vigiliæ, etc. Adde *eumd.* 7. *Phil.* 9. 24. et *Planc.* 42. 101. *Virg.* 9. *Æn.* 159. Vigilum excubiis obsidere portas. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 7. Per excubias custodum ire. *Id.* 3. *Fast.* 245. et *Tac.* 4. *Hist.* 58. Excubias agere alicui. *h. e.* alicujus custodiendi causa. Eod. sensu *Tac.* 13. *Ann.* 18. Excubiæ militares, quæ ut conjugi imperatoris olim, tum ut et matri servabantur. *Id.* 4. *Hist.* 11. Apparatu, incessu, excubiis vim principis complecti. *Sueton. Aug.* 23. Excubias per urbem indicere. Adde *eumd. ibid.* 29. et *Galb.* 10.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate referuntur et ad alia. *Horat.* 3. *Od.* 16. 2. vigilum canum tristes excubiæ. *Virg.* 4. *Æn.* 200. Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem, Excubias divum æternas. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 30. (59). Grues excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes. ¶ 2. Per metonymiam ipsi quoque, excubias qui ajunt, excubiæ dicuntur. *Tac.* 14. *Ann.* 44. Num excubias transiret, cubiculi fores recluderet? *ubi* sermo est de privatis excubiis, quæ in potentiorum domibus ad cubiculi fores noctu a servis agebantur: quarum meminit etiam *Quintil. declam.* 1. 3. *Sueton. Claud.* 10. Inter excubias militum pernoctavit. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 80. vinoque madentes Excubiæ.

EXCŬBĬCŬLĀRĬUS, ii, m. 2. qui cubicularii munere apud Impp. functus est. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod.* 10. 47. 12. Cubicularii omnes atque excubicularii ab omnibus sordidis muneribus vindicentur.

EXCŬBĪTOR, ōris, m. 3. qui excubias agit.

I.) Proprie. *Cæs.* 7. *B. G.* 69. *extr.* Hæc eadem noctu excubitoribus ac firmis præsidiis tenebantur. *Sueton. Ner.* 8. Processit ad excubitores. *Id. Claud.* 42. Tribuno excubitori signum de more poscenti. Adde *Senec. Thyest.* 458.

II.) Improprie seu figurate. *Virg. Moret.* 2. Excubitorque diem cantu prædixerat ales. *h. e.* gallus. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 1. *de canib.* Quis custos incorruptior? quis excubitor inveniri potest vigilantior?

EXCŬBĪTŌRĬUM, ii, n. 2. locus, in quo miles excubias agit. Romæ excubitoria fuere totidem, quot regiones, nempe quatuordecim, in quibus excubabant cohortes vigilum ab Augusto institutæ ad custodiam Urbis. *P. Victor. de regionib. Urbis R. sub fin.* *V.* CUSTODIARIUM. — Est etiam locus in castris, in quo militaria signa deponebantur. *Inscript.* Aquinci in Pannonia, nunc *Buda,* recens detecta, et per litteras communicata a *Barpt. Borghesio.* EXCVBITORIVM AD TVTELAM SIGNORVM ET IMA-

GINUM SACRARUM P. TURRANIUS PRIMINUS VETERANUS EXCORNICULARIUS LEGIONIS II. ADJUT. ANTONIANAE pecunia sua A SOLO RESTITUIT.

EXCŬBĬTUS, us, m. 4. excubatio, excubiæ. *Auct. B. Hisp.* 6. Ut pedestres copiæ in statione et in excubitu castris præsidio esse possent. *Coripp. Laud. Justin.* 4. 240. clipeis pia terga (*Augusti*) tegebat Ingens excubitus, protectorumque phalanges Fulgebant rutilo pitis splendentibus auro. *h. e.* ingens numerus excubitorum militum.

EXCŬBO, cŭbas, cŭbŭi, cŭbĭtum, cŭbare, n. 1. (ex et cubo). Part. *Excubans* et *Excubiturus* I. 2. — Excubare, παρακοιτέω, proprie significat extra domum, foris cubare (It. *dormire fuori di casa*; Fr. *découcher, passer la nuit hors de la maison*; Hisp. *dormir fuera de casa*; Germ. *ausser dem Hause liegen, lagern oder schlafen*; Angl. *to sleep out of doors, lie abroad all night*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est, ut diximus, extra domum, foris cubare. *Cic.* 1. *Divinat.* 43. 96. Atque etiam qui præerant Lacedæmoniis, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaæ fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa excubabant. *Orellius* vero hoc loco legit incubabant. *Id. ibid.* 50. 112. Moniti Lacedæmonii, ut urbem et tecta linquerent, armatique in agro excubarent. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 8. 8. (19). Apes noctu deprehensæ in expeditione excubant supinæ, ut alas a rore protegant. — Et figurate. *Justin.* 8. 4. 7. Fœdum miserandumque spectaculum, Græciam orbis terrarum principem alienis excubare sedibus, aut rogantem bellum, aut deprecantem. Itali diceremus, *starsene alle portiere de' principi esteri aspettando e pregando* etc. ¶ 2. Latiori sensu, quia in militia extra castra, vel saltem extra tabernacula, milites delecti stare diu noctuque solent, custodiæ causa tum imperatoris, tum etiam totius exercitus, sæpius accipitur pro vigilare, custodias agere, *far sentinella, far guardia*, προφυλάττω. — *a*) De militibus. *Sall. Jug.* 100. Excubitum in porta cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere. *Cæs.* 7. *B. G.* 24. Duæ semper legiones pro castris excubabant. *Id. ibid.* 11. Duas legiones in armis excubare jubet. *Id.* 2. *B. C.* 22. Excubare naves consuetudine quotidiana ad portum. *Id.* 3. *ibid.* 50. cohortes ad munitionem. *Id. ibid.* 63. legiones ad mare. *Curt.* 6. 8. Ut qui ad prætorium excubabant, armati vigilarent. *Id.* 8. 6. Excubantes ad cubiculi limen. *Id. ibid.* Ante fores cubiculi excubituri. *Id. ibid.* Excubabant, servatis noctium vicibus, proximi foribus ædis. *Virg.* 9. *Æn.* 175. Omnis per muros legio sortita periclum Excubat. *Flor.* 1. 1. 15. Juventus ad subita belli excubat. — *b*) Poetice. *Ovid.* 3. *Amor.* 11. 11. Ergo ego nescio cui, quem tu complexa tenebas, Excubui clausam, servus ut, ante domum. *ho vegliato per un non so chi etc. Tibull.* 1. 3. 72. Cerberus æratas excubat ante fores. *Horat.* 4. *Od.* 13. 6. Cupido excubat pulcris in genis Chiæ. *h. e.* veluti excubitor vigilat ad feriendos capiendosque animos spectantium. — *c*) De inanimis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 67. (173). Alni contra erumpentium amnium impetum, riparum muro in tutele ruris excubant. *Id.* 15. *ibid.* 30. 39. (127). Laurus domos exornat et ante limina excubat.

II.) Translate est vigilare, intentum esse, diligenter curare. *Cæs.* 7. *B. G.* 24. Quum Cæsar ad opus consuetudine excubaret, militesque cohortaretur. *Id.* 3. *B. C.* 8. Ipse gravissima hieme in navibus excubabat, neque ullum laborem aut munus despiciens etc. *Cic.* 6. *Phil.* 7. 18. Quamobrem, Quirites, consilio quantum potero, labore plus pæne quam potero, excubabo vigilaboque pro vobis. *Id.* 4. *Tusc.* 17. 37. Sapiens semper animo sic excubat, ut nihil ei improvisum accidere possit. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. 5. Ex quo intelligi potest, curam reipublicæ summæ defendendæ jampridem apud nos excubare. *h. e.* curam apud nos et vigilantiam esse in republ. defendenda. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (118). Omnium eorum ars urbibus excubabat: pictorque res communis terrarum erat. *h. e.* operabatur et intenta erat urbibus exornandis. *Val. Max.* 5. 5. Eosdem appellavi parentes, eadem pro me vota excubuerunt. *h. e.* donaria voti causa appensa steterе in deorum templis; vel voventes iidem pro me excubuerunt ad aras deorum. Simili ratione dixit *Id.* 4. 8. *n.* 2. *extern.* Pro cujus salute vicinæ regiones votis excubabant. *Inscript.* apud *Gruter.* p. 408. 1. ITA PRO NIMIS MAXIMISQUE COMMODIS (*patriæ suæ*) PIUS EXCUBUERIT. — Passive impersonaliter. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 7. 32. (50). Rerum, non animi pretiis excubatur. *h. e.* vigilatur et cura habetur circa pretia rerum, divitias, pecuniam, non circa animi et ingenii opera: pluris enim æstimatur pretiosa materia, quam artificium. — *NB.* Pro incubare, covare, affertur illud *Colum.* 8. *R. R.* 5. 5. Novellæ gallinæ magis edendis, quam excubandis ovis utiliores sunt. *At ibi rectius legendum* excludendis. *V.* EXCLUDO.

EXCŪDO, cūdis, cūdi, cūsum, cūdere, a. 3. (ex et cudo). Part. *Excusus* I. 2.; *Excudendus* I. 1. et 2. — Excudere, ἐκχαράττω, est cudendo elicere (It. *percuotendo trar fuori*; Fr. *faire sortir ou jaillir en frappant*; Hisp. *hacer salir cascando, golpeando*; Germ. *herausschlagen, heraustreiben*; Angl. *to strike out, elicit bi striking*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Virg.* 1. *Æn.* 178. Ac primum silicis scintillam excudit Achates. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 77. (208). Ad excudendum ignem non semper lapidis occasio est. ¶ 2. Latiori sensu in re rustica est excludere, *schiudere*. *Varro* 3. *R. R.* 9. 2. De ovis, quemadmodum incubent et excudant. *Id. ibid.* 10. 3. Anseres aliena ova non excudunt. *Id. ibid.* 10. 4. Quum excudit, quinque diebus patiuntur esse cum matre. *Id. ibid.* 6. 4. et 9. 2. Excusi pulli. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 7. Pullis formandis excudendisque triginta diebus opus est. *Id. ibid.* Ne noceri possit excusis ansercults.

II.) Translate. ¶ 1. Accipitur pro cudendo conficere. *Virg.* 6. *Æn.* 848. Excudent alii spirantia mollius æra. *Juvenal.* 15. 168. Excudere gladios. *V.* CÆLAMEN. ¶ 2. Et universim pro conficere. *Virg.* 4. *G.* 56. hinc arte recentes Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt. ¶ 3. Hinc per metaphoram est componere, studiose invenire. *Cic.* 15. *Att.* 27. 2. Excudam aliquid Ἡρακλείδειον, quod lateat in thesauris tuis. ¶ 4. Item vi vel precibus aliquid extorquere. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 1. Excudit mihi, cultus hortorum prosa ut oratione conscriberem. *Schneider* ex *Cod. Sang.*, qui *Ursini* et *Junii* conjecturam confirmavit, rectius legit *extudit*.

EXCULCĀTOR, ōris, m. 3. qui exculcat. In Notitia Imperii Occident. memorantur inter auxilia Palatina *Exculcatores seniores*, *Exculcatores juniores*, etc. qui iidem putantur atque excursatores, aut proculcatores, qui hostium itinera explorant. Quare hanc vocem *Turnebus*, *Stewech.* aliique restituunt *Vegetio* 2. *Milit.* 15. Post hos erant ferentarii, et levis armaturæ, quos nunc exculcatores, et armaturas dicimus. *V.* PROCULCATOR.

EXCULCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCULCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et calco). Part. *Exculcatus* II. — Exculco

I.) Proprie. ¶ 1. Est calcando exprimo, excutio. *Plaut. Capt.* 4. 2. 30. Ex ipsis dominis meis pugnis exculcabo furfures. ¶ 2. Item calcando firmo. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Singuli ab infimo solo pedes terra exculcabantur. *h. e.* calcando firmabantur.

II.) Improprie. Part. præter. *exculcatus* est obsoletus, rejectus, explosus, et quasi antiquitate protritus. *Gell.* 11. 7. Verbis obsoletis exculcatisque.

EXCULPO. *V.* EXSCULPO.

EXCULTOR, ōris, m. 3. qui excolit. *Tertull. Monog.* 16. Florum excultor. *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 22. *ante med.* Eusebius tyrannicæ crudelitatis excultor.

EXCULTUS, a, um. *V.* EXCOLO.

EXCULTUS, us, m. 4. cultus. *Paul. Diac.* p. 40. 9. *Müll.* Comptum Afranius pro ornatu et excultu posuit. *Alii et ipse Müller. leg.* cultu.

EXCŪNEĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *excuneo*, cui non est locus in cuneis theatralibus, velut exclusus extra cuneum. *Apul. Florid.* n. 16. Serus advenlens amicis suis annuit, locum sessui impertiunt: extimus quisque excuneati queruntur.

EXCŪRĀTOR, ōris, m. 3. qui fuit curator. *Constantin. M. ep.* apud *Augustin. Ep.* 88. n. 4. Saturnium excuratorem, et Callibium juniorem ejusdem civitatis curatorem, atque Solonem servum publicum.

EXCŪRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *excuro*, probe ac diligenter curatus. *Plaut. Cas.* 3. 6. 6. Lepide excuratus incessisti. *Id. Pseud.* 5. 1. 8. Excurato victu festive accepti.

EXCŪRIO, as, are, a. 1. extra curiam ejicio. *Varro* apud *Non.* p. 36. 30. *Merc.* Apollonium adeo excuriant, quia nihil habebat. *Id.* p. 465. 27. Nihilo magis propter argenti facti multitudinem miserat furandum: quod propter censoriam severitatem nihil luxuriosum habere licebat. Quidam pro *miserat furandum* recte putant legendum *jusserat excuriandum*: patet enim hic sermonem haberi de P. Cornelio Rufino, qui, quod decem pondo libras argenti facti haberet, a censore C. Fabricio Luscino curia motus fuit, ut narrant *Liv.* 14. 33.; et *Gell.* 4. 8. et 17. 21. Hic *Lambecius* conjecerat legendum *jus erat excuriandi*, cui adsentitur *Schneider* in *Indic. Script. R. R.* ad *Varron.*; sed prior lectio præstat.

EXCURRO, curris, cŭcurri *vel raro* curri, cursum, currere, 3. (ex et curro). Part. *Excurrens* sub *A.* II. 1. 2. et 3.; *Excursus* sub *B.* 1.; *Excursurus* sub *A.* I. 2. — Excurrere occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Raro admodum active.

A) Neutrorum more excurrere, ἐκτρέχω, est extra currere, discurrere, incurrere (It. *correr fuori, trascorrere*; Fr. *courir hors*; Hisp. *correr fuera*; Germ. *heraus - oder hervorlaufen, eilig hervorkommen, sich hurtigh fortmachen*; Angl. *to run out, rush hastily*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 125. Quum se excucurrisse illuc frustra sciverit. *Id. Most.* 2. 1. 12. Ego dabo ei argentum, primus qui in crucem excucurrerit. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 67. Excurrat aliquis, qui hoc tantum mali filio suo nunciet. *Id.* 3. *Fam.* 7. 4. Quum essent duæ viæ, altera Varronem, altera Leptam tibi obviam misi: mandavi utrique eorum, ut ante ad me excurrerent, ut tibi obviam prodire possem. *Id.* 10. *Att.* 15. 4. Ego, dum panes et cetera in nave parantur, excurro in Pompejanum. *do una corsa sino etc. Cæs.* apud *Priscian.* 10. p. 901. *Putsch.* Excucurristi a Neapoli. ¶ 2. Speciatim in re militari significat erumpere, *fare una sortita*, aut excursionem facere, *fare una scorreria*. *Liv.* 29. 34. Ne sparsi, sine signis, omnibus portis excurrerent. *facessero la sortita. Id.* 1. 15. In agrum R. excucurrerunt, populabundi magis, quam justi more belli. *Al. leg.* excurrerunt. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 32. 87. Carthago excurrere ex Africa, imminere fructuosissimis insulis populi Romani videbatur. *Cf. Justin.* 13. 5. Excursurus cum valida manu fuerat ad Athenas delendas.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de aquis et plantis. *Curt.* 3. 1. 3. Fons ex summo montis cacumine excurrens. *h. e.* decurrens. *Pallad.* 12. *R. R.* 15. 1. Ut humor, si quis in venis continetur, excurrat. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (212). Pampini, qui a lateribus excurrunt. — Et figurate. *Cic.* 1. *Divinat.* 50. 114. Quorum animi spretis corporibus evolant atque excurrunt foras. ¶ 2. Item — *a*) De locis, et *excurrere* dicuntur, quæ protenduntur, *stendersi in fuori*. *Liv.* 26. 42. Ab intimo sinu pæninsula excurrit, tumulus is ipse, in quo condita urbs est. *Ovid.* 13. *Met.* 724. Sicania tribus excurrit in æquora linguis. *Curt.* 5. 3. Montes, quorum perpetuum dorsum in Persidem excurrit. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 5. 5. (32). Promontorium per Creticum mare excurrit. — Et metaphora hinc sumpta *Cic. Orat.* 53. 178. Animus aurium nuncio mutila sentit quædam (*in periodo*) et quasi decurtata; productiora alia et quasi immoderatius excurrentia. — *b*) In hac significatione refertur etiam ad quantitatem. *Paul. Dig.* 16. 3. 26. Debetis mihi ex ratione patris vestri decem, et quod excurrit. *e qualche cosa di più*. Vult *Budæus* significari decem aureos et aliquot præterea denarios, eo modo, quo nos dicimus *dieci lire e soldi*, non expelmentes id, quod decem libras excedit, aliquid tamen esse significantes. *Vegel.* 1. *Milit.* 28. Viginti, et quod excurrit, annorum pax Romanos armorum desuetudine enervavit. *di vent'anni. e passa.* ¶ 3. De abstractis et spiritualibus. *Cic. Mur.* 8. 18. Nullum vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus cognoscique possit. *Id. Orat.* 51. 170. Quid est, cur insistere orationem malint, quam cum sententia pariter excurrere? *Id.* 3. *Orat.* 49. 190. Ne oratio insistat interius, ne excurrat longius. *non trascorra. Quintil.* 4. 3. 14. Extra ordinem excurrens tractatio. *Id.* 9. 4. 79. Prior (*versus*) in quatuor, secundus in quinque (*syllabas*) excurrit. *Id.* 10. 5. 16. Ideo mihi videtur Tullius tantum intulisse eloquentiæ lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit. *h. e.* hæc quoque studia attigit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (16). Quum præcoces excurrere germinationes evocatæ indulgentia cœli, secutis frigo-

ribus excuruntur. *h. e.* quum arbores maturius germinaverunt. *Seneca* 2. *Benef.* 34. *sub fin.* Sine ratione in pericula excurrens. *h. e.* incurrens. *Cajus Dig.* 24. 1. 10. Quia in hoc tempus excurrit donationis eventus, quo etc. *s'estende, cade.*

B) Active raro admodum occurrit, et quidem translate, pro præterire. — *a*) De vitæ spatio. *Ter. Adelph.* 5. 4. 6. Vitam duram, quam vixi usque adhuc, prope jam excurso spatio, mitto. *Al. leg.* decurso. — *b*) De oratione pro præterire, omittere, *trascorrere, sorpassare. Seneca* 3. *Controv.* 34. *a med.* Disertus homo et dicax, a quo multa improbe, sed venuste dicta, ne modum excedam, excurro, et ad Parrhasium revertor.

EXCURSĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod excursio. *Val. Max.* 2. 3. n. 3. Quum crebris excursationibus equites nostri resistere non possent. *Gloss. Cyrill.* Καταδρομή, decursus, excursatio.

EXCURSĀTOR, ōris, m. 3. excursor: videtur idem esse quod excuicator, et præcursator. *Ammian.* 24. 1. Excursatores quingentos et mille sensim præire disposuit.

EXCURSĬO, ōnis, f. 3. ἐκδρομή, actus excurrendi (It. *corsa, viaggio*; Fr. *action de sortir de la place où l'on est, excursion*; Hisp. *el acto de correr fuera, curso, excursion*; Germ. *das Herauslaufen, Hervorlaufen*; Angl. *an running out, excursion*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Orat.* 18. 59. Status (*oratoris*) erectus et celsus: rarus incessus, nec ita longus: excursio moderata eaque rara. *Quintil.* 1. 11. 3. Gestus (*oratoris*) plurimum aberit a scænico, nec vultu, nec manu, nec excursionibus nimius. *Plin.* 1. *Ep.* 3. An intentione rei familiaris obeundæ crebris excursionibus avocaris? *Scævola Dig.* 33. 1. 13. *extr.* Longinquæ, aut breves excursiones. ¶ 2. Speciatim in re militari. — *a*) Est eruptio, *sortita. Cæs.* 2. *B. G.* 30. Primo adventu exercitus nostri crebras ex oppido excursiones faciebant. — *b*) Sæpius est discursio militaris et irruptio in hostium fines, *scorreria*, καταδρομή. *Cic. Dejot.* 8. 22. Copiæ, quibus fines suos ab excursionibus hostium et latrociniis tueretur. *Id. pro leg. Manil.* 6. 16. Quum una excursio equitatus perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit. *Id. Prov. cons.* 2. 4. Via excursionibus barbarorum infesta. *Liv.* 37. 14. Oram maris infestam regiæ naves excursionibus crebris faciebant. — c) Item prima incursio militaris, qua prælium committitur, *scaramuccia. Liv.* 30. 11. Castris in propinquo positis, primo pauci equites, ex tuto speculantes, ab stationibus progredi: inde jaculis summoti recurrere ad suos: inde excursiones invicem fieri. *Id. ibid.* 8. Tumultuosæ hinc inde excursiones. Adde *eumd.* 37. 18.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphora sumpta a superiore paragr. 1. *Quintil.* 10. 3. 32. Relinquendæ erant vacuæ tabellæ, in quibus libera adjicienda est excursio. *Id.* 4. 2. 103. Ne qua ex ea narratione fiat excursio. *h. e.* degressio. ¶ 2. Speciatim, metaphora sumpta a superiore paragr. 2. *Cic.* 2. *Divinat.* 10. 26. Sed hæc fuerit nobis, tamquam levis armaturæ, prima orationis excursio: nunc comminus agamus. *Quintil.* 2. 13. 1. Proœmium, proxima huic narratio: propositio post hanc vel, ut quibusdam placuit, excursio.

EXCURSO, as, are, a. 1. *frequentat. ab* excurro. *Stat.* 2. *Theb.* 550. quos ubi plures, Quam ratus, innumeris videt excursare latebris, Hos prodire jugis, illos e vallibus imis Crescere, etc.

EXCURSOR, ōris, m. 3. qui excurrit. ¶ 1. *Excursores* sunt milites infimi ordinis et virtutis, qui huc illuc extra aciem excurrunt, vel prædandi causa, vel speculandi, vel prælii committendi. *Cic.* 4. *Verr.* 8. 22. Petit Nævius Turpio quidam, istius excursor et emissarius. Ubi *Ascon.* Sic vocantur conciliatores furtorum, quæ a magistratibus committuntur, atque internuncii. Hæc *Ascon.*: sed appellatio a militia ducta est. (De eodem Nævio sic habet *Cic.* 7. *Verr.* 41. 108. Quem iste in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia præcursorem habere solebat et emissarium.). *Cic.* 4. *Phil.* 6. 15. Est igitur populo R. omne certamen cum excursore, cum latrone, cum Spartaco. *Alii et ipse Orellius leg.* percussore. *Val. Max.* 7. 3. *n.* 7. Lucanum equitem, paratissimum pro vobis excursorem reddidit. *Apul. de Mundo.* Ex eo numero erant excursores, diurni atque nocturni exploratores. *Id. ibid.* Excursores venti habentur, qui directo spirant. ¶ 2. Est etiam idem ac cursor. *Inscript.* apud *Donat.* 315. 7. AVRELIO EVTICIANO INFELICISSIMO, EXCVRSORI PRIVATO, QVI CONFICIT SVB DIE MILIA XCIV., QVI VIXIT ANNOS XXV., MESES DVO, DIES OCTO, etc. *V.* CURSOR.

EXCURSUS, a, um. *V.* EXCURRO.

EXCURSUS, us, m. 4. idem quod excursio, *corsa.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 4. *G.* 194. *de apibus.* Excursusque breves tentant, et sæpe lapillos Tollunt: his sese per inania nubila librant. ¶ 2. De excursione militari. *Cæs.* 3. *B. C.* 92. Ut primus excursus visque militum infringeretur. *attacco, assalimento. Auct. B. Alex.* 19. Navigiorum excursus. *Tac. Germ.* 30. Rari excursus et fortuita pugna. *scaramuccie. Id. Agric.* 20. Subitis excursibus populari. *scorrerie.*

II.) Translate. ¶ 1. De locis, quæ protenduntur, et est extensio, processus, *estensione. Plin.* 6. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Promontorium vasto excursu. *Id.* 4. *ibid.* 17. 31. (105). Ad Pyrenæi montis excursum. ¶ 2. Figurate. — *a*) De degressione in dicendo, *digressione. Quintil.* 4. 3. 12. Hæ (*egressiones*) sunt plures, quæ per totam causam varios habent excursus, ut laus hominum locorumque etc. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *sub fin.* Non enim excursus hic ejus, sed opus ipsum est. — *b*) In re morali. *Quintil. Declam.* 18. 9. Hæc quoque intra notos decurrunt juventutis excursus. *trascorrimenti, falli.*

EXCŪSĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Excusabilior.* — Excusabilis est excusatione dignus. *Ovid.* 1. *Pont.* 7. 41. Quod nisi delicti pars excusabilis esset. *Manil.* 2. 593. ed. *Jacob.* onus non excusabile. *Vulgati libri habent* non excussabile. *V.* EXCUSSABILIS. *Val. Max.* 8. 11. *n.* 4. Quo excusabilior est error equi.

EXCŪSĀBĬLĬTER, adverb. Comp. *Excusabilius.* — Excusabiliter est excusate. *Augustin.* 14. *Trinit.* 15. *extr.* Excusabilius peccat. Ceterum *excusabiliter* occurrit apud *Alcim. homiliar. fragm.* 2. Sub quorum favore quasi excusabiliter ipse tres (deos) numeraret.

EXCŪSĀBUNDUS, a, um, adject. se excusans. *Apul. de Mag.* Etsi magum me dixisset, posset videri excusabunda se, filio vim meam, quam voluntatem suam causari maluisse.

EXCŪSĀMENTUM, i, n. 2. excusatio. *Capell.* 8. p. 272. Excusamentum admissi.

EXCŪSĀTĒ, adverb. Comp. *Excusatius.* — Excusate est cum excusatione, citra culpam. *Plin.* 9. *Ep.* 21. Licebit rursus irasci, si meruerit: quod exoratus excusatius facies. *Quintil. declam.* 6. 10. Excusatius odisset virum, quam filium. *Id.* 2. 1. 13. Et fieri id videtur excusate. *Tac.* 3. *Ann.* 68. Quo excusatius sub exemplo acciperentur. *Justin.* 32. 2. 4. Sperabat se excusatius sacrilegia commissurum. *Id.* 21. 1. 3. Excusatius facturus quod statuerat, si probatus ante omnibus foret.

EXCŪSĀTĬO, ōnis, f. 3. ἀπολογία, παραίτησις, actus excusandi, purgatio (It. *scusa*; Fr. *excuse, justification*; Hisp. *excusa, disculpa*; Germ. *die Entschuldigung, Rechtfertigung, d. Grund dazu*; Angl. *an excusing*).

I.) Proprie occurrit. — *a*) Cum Genitivo rei, quæ excusatur. *Cic. Amic.* 11. 37. Nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris. *Id. Sull.* 16. 47. Valent apud me excusationes injuriæ tuæ. *Id.* 16. *Fam.* 25. Etsi justa et idonea usus es excusatione intermissionis litterarum tuarum. — *b*) Cum Genitivo personæ, quæ excusatione utitur. *Cic.* 9. *Phil.* 4. 8. Si excusationem Ser. Sulpicii legationis obeundæ recordari volueritis. *h. e.* quominus legationem obiret. *Cæs.* 1. *B. C.* 8. Pauca ejusdem generis addit cum excusatione Pompeji conjuncta. *h. e.* velle Pompejum se Cæsari purgatum. — *c*) Cum Genitivo causæ, qua quippiam purgatur. *Plaut. Asin.* 3. 1. 31. Hic dies summa'st apud me inopiæ excusatio. *Cic.* 2. *Orat.* 68. 275. Quum excusationem oculorum a me non acciperet. *Id. Cæl.* 1. 2. Sed ego Atratino ignosco, qui habet excusationem vel pietatis, vel necessitatis, vel ætatis. *Id. ibid.* 18. 43. Vitia alicujus adolescentiæ excusatione defendere. *Id. Pis.* 6. 13. Uti excusatione valetudinis. *Id. Sull.* 9. 26. Me neque honoris, neque ætatis excusatio vindicat a labore. *Id. Cæcin.* 11. 30. Deprecari odium excusatione stultitiæ. *Id. Amic.* 12. 43. Tegere consensionem improborum excusatione amicitiæ. *Id. Rabir. perduell.* 3. 8. Quærere familiaris funeris excusationem ad moram judicii. *il pretesto.* Adde *Cæs.* 1. *B. C.* 85. — *d*) Sequente Accusativo cum Infinito. *Cic.* 5. *Phil.* 5. 14. Habent excusationem legitimam, exsilii causa solum vertisse, nec esse postea restitutos. Cf. *eumd. Amic.* 12. 40. Turpis enim excusatio et minime accipienda cum in ceteris peccatis, tum si quis contra rempubl. se amici causa fecisse fateatur. — *e*) Sequente part. *quominus, cur,* etc. *Cic. Pis.* 15. 36. Nemini civi ullam, quominus adesset, satis justam excusationem esse visam. *Id.* 4. *Fam.* 4. Accipio excusationem tuam, qua usus es, cur sæpius ad me litteras uno exemplo dedisses. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 4. Præteriti temporis excusationem affero, quod te profectum audieram. *Curt.* 6. 4. Satisfacere alicui excusatione, quod etc. — *f*) Absolute. *Cic.* 6. *Verr.* 57. 126. Nam Sappho, quæ sublata de Prytaneo est, dat tibi justam excusationem. *Id. Pis.* 5. 10. An potest ulla esse excusatio male sentienti consuli? *Cæs.* 6. *B. G.* 4. Libenter Cæsar petentibus Æduis dat veniam excusationemque accipit. *Id.* 1. *B. C.* 33. Sic triduum disputationibus excusationibusque extrahitur. *Curt.* 5. 2. *extr.* Res digna excusatione. *Petron. Satyr.* 139. *extr.* Excusationem aliquam idoneam præparare. *Gell.* 1. 12. Mereri excusationem.

II.) Improprie, et passive, in jure excusatio a tutela est immunitas, liberatio. *Ulp. Dig.* 27. 1. 5. Omnibus excusatio a tutela competit. Similiter *Id. ibid.* 1. 23. Tria onera tutelarum dant excusationem. Adde *eumd. ibid.* 1. 18.

EXCŪSĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* excusatio, parva excusatio. *Salvian.* 3. *advers. Avar.* 2. Est umbra excusatiunculæ non excusans, dans reo deprecatiunculæ speciem, non reatus necessitatem.

EXCŪSĀTOR, ōris, m. 3. qui excusat. *Augustin.* 3. *Civ. Dei* 20. Defensores et excusatores deorum. *Id. serm.* 3. *de divers.* 3. Quum vis esse excusator tuus, triumphat de te accusator tuus.

EXCŪSĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad excusationem pertinens. Hinc

Excusatorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, subaudi *carmen,* legitur in lemmate apud *Sidon. carm.* 9. Excusatorium ad V. C. Felicem.

EXCŪSĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXCŪSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* causa). In *Inscript.* apud *Gruter.* 434. 5. legitur EXCAVSATO A DIVO PIO. Sed in ead. a *J. Fenestres Syllog. Inscript. Rom.* p. 84. allata legitur EXCVSATO. — Part. *Excusans* I. et II. 1.; *Excusaturus* et *Excusandus* I.; *Excusatus* I., II. 1. et in fin. — Excusare, ἀπολογέομαι, est ex causa aliquem eripere, atque adeo purgare, culpam removere, satisfacere (It. *scusare*; Fr. *excuser, justifier, disculper*; Hisp. *excusar*; Germ. *Jem. oder etwas entschuldigen*; Angl. *to excuse*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ, quæ excusatur; qua ratione *excusare aliquem alicui* vel *apud aliquem* usurpatur. *Plaut. Asin.* 4. 2. 4. Uxori excuses te. *Cic.* 15. *Att.* 28. Atticæ meæ velim me ita excuses, ut omnem culpam in te transferas. *Id.* 11. *Fam.* 15. Collegæ mandasti, ut te mihi per litteras excusaret. *Id. Brut.* 26. 101. Cui Lælius se excusans. Adde *Quintil.* 4. 1. 75. — Rursus *Cic.* 12. *Att.* 14. De me excusando apud Apulejum dederam ad te pridie litteras. — *Cic.* 2. *Orat.* 62. 253. Titius, quum gregales, eum in campum non venisse, requirerent, excusavit Vespa Terentius, quod eum brachium fregisse diceret. *Cæs.* 3. *B. C.* 16. Prodit Libo, atque excusat Bibulum, quod is etc. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 59. Germanos homines numquam satis excusaturos, quod etc. — *Cæs.* 4. *B. G.* 22. Qui se de superioris temporis consilio excusarent. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 2. 1. Primum me tibi excuso in eo ipso, in quo te accuso. — *Id.* 12. *Att.* 13. Cura, ut excuser morbi causa in dies singulos. *Id.* 3. *Verr.* 40. 103. His omnibus me vehementer excusatum volo, non fore etc. *Id.* 5. *Phil.* 5. 14. Si citatus judex non responderit, excuseturque Areopagites esse etc. *e si scusi con dire che* etc. *Horat.* 1. *Ep.* 9. 7. dixi, cur excusatus abirem. *Martial.* 2. 79. Excusatum habeas me, rogo: cœno domi. — *b*) Cum Accusativo rei, quæ excusatur vel purgatur. *Cic.* 15. *Att.* 26. *extr.* Varroni memineris excusare tarditatem litterarum mearum. *Liv.* 31. 11. Excusare errorem et adolescentiam. *Ovid.* 2. *Met.* 397. missos ignes. *Id.* 4. *ibid.* 256. dolorem. *Id.* 4. *Trist.* 1. 1. Si qua meis

fuerint, ut erunt, vitiosa libellis, Excusata suo tempore, lector, habe. *Quintil.* 10. 7. 31. Excusare commentarios. *Id.* 11. 3. 114. Sola valetudo pallliolum, fascias etc. excusat. *Id.* 3. 7. 6. Excusare habitum permutatum. *Stat.* 6. *Theb.* 41. crimen lacrimis. *Tac.* 1. *Ann.* 44. Reditum Agrippinæ excusavit ob imminentem partum et hiemem. *h. e.* quod Agrippina non rediret. *Stat.* 2. *Theb.* 256. Excusare toros. *h. e.* excusare quod nupseris.

II.) Improprie. ¶ 1. *Excusare aliquid*, cum addito interdum *alicui*, est in excusationem afferre, *addurre in iscusa.* Occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Cic.* 8. *Phil.* 1. 1. Antequam sententiam diceret, propinquitatem excusavit. *Cæs.* 3. *B. C.* 20. Excusare inopiam et calamitatem suam, aut temporum. *Liv.* 26. 22. et 6. 22. *sub fin.* valetudinem. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 67. ille Philippo Excusare laborem et mercenaria vincla, Quod non mane domum venisset. *Ovid.* 14. *Met.* 462. Excusare vires. *Sueton. Tib.* 6. imbecillitatem. *Id. Ner.* 41. Excusatus languor faucium. *Id. Aug.* 101. Excusata rei familiaris mediocritate. *Tac.* 1. *Hist.* 78. Excusata necessitas præsentium. *Id.* 3. *Ann.* 11. In diversa excusantibus. *Justin.* 18. 7. Excusare necessitatem belli. Huc referri potest et illud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 76. (199). Decussi fragmenti quod in lamina ferri moratur, efficacissimum experimentum excusant mangones gemmarum. *h. e.* afferunt tamquam certum experimentum, quod gemma ficticia non sit. — *b*) Sequente Infinito. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 19. Post id, si prehensi sumus, excusemus, ebrios nos fecisse. *Id. Merc.* 2. 3. 126. Tu excusato, te lerisse sedulo. *Sueton. Aug.* 69. Excusantes, non libidine, sed ratione commissa. *Id. Ner.* 33. Excusanti, minus datum ad occultandam facinoris invidiam. ¶ 2. Apud sequioris ævi scriptores *excusare aliquem ab aliqua re*, vel *aliqua re*, est liberare, absolvere, immunem reddere ab aliqua re præstanda. *Paul. Dig.* 27. 1. 11. Et non tantum ne incipiant (*tutelam*), sed et a cœpta excusari debent. *Ulp. ibid.* 27. 1. 9. Si tribunus in cohortibus prætoriis militaverit, etiam collegarum filiorum tutela excusabitur. *V.* EXCUSATIO II. — Similiter *excusare se alicui rei* pro *ab aliqua re*, scil. ne eam suscipias, excusationem afferre. *Tac.* 1. *Ann.* 12. Nequaquam decorum pudori suo, legere aliquid, aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet. ¶ 3. *Excusare se ab aliqua re* est se defendere, protegere, apud *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 2. Nec plantæ a se longe statuendæ sunt, ut invicem se a calore excusent. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Excusatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Excusatior* et Sup. *Excusatissimus.* Proprie. *Plin.* 8. *Ep.* 11. *ante med.* Hoc et ego excusatior, si forte sum lapsus, et tu laude dignior. *Id.* 1. *ibid.* 5. Quo sit excusatius, quod librum ipsum extendimus. *Seneca Ot. Sap.* 29. Excusatissimus essem, etiamsi etc.

EXCŪSOR, ōris, m. 3. qui vasa ex ære malleo excudit et fabricatur, idem ac cælator. *Quintil.* 2. 21. 10. Si quæram, quæ sit materia statuarii, dicetur æs: si quæram, quæ sit excusoris, idest ejus fabricæ, quam Græci χαλκευτικὴν vocant, similiter, æs esse, respondeant: atqui plurimum a statuis differunt vasa. *V.* EXCUDOR 2.

EXCUSSĀBĬLIS, e, adject. qui excuti atque abjici potest. *Manil.* 2. 581. Ah quanta est scelerum facies per sæcula cuncta! Quamque onus invidiæ non excussabile terris! *Al. leg.* excusabile, *h. e.* a quo terræ, seu homines se defendere non possint. *V.* similem locum *Palladii* in EXCUSO II. 3.

EXCUSSĀTUS, a, um, particip. ab *excusso*, excussus: et translate diligenter inquisitus, examinatus. *Paul. Dig.* 26. 7. 46. § 6. Non prius ad eos reverti pupillus potest, quam omnes tutores excussati fuerint. *Alii tamen rectius leg.* excussi. *V.* et *infra* EXCUSSO.

EXCUSSĒ, adverb. excutiendo, ejiciendo, emittendo. *Seneca* 2. *Benef.* 17. Si cum exercitato et docto negotium est, audacius pilam mittemus: si cum tirone et indocto, non tam rigide, nec tam excusse, sed languidius.

EXCUSSĬO, ōnis, f. 3. actus excutiendi vel decutiendi.

I.) Proprie. *Vulgat. interpr. Jesai.* 17. 6. Sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum.

II.) Translate est actus spoliandi aliquem bonis suis. *Gloss. Philox.* Excussio, ἐκτιναγμός.

EXCUSSO, as, are, a. 1. frequentat. ab *excutio*, repello, removeo, discutio. *Tertull. Virg. veland.* 7. Virginum flos etiam humanam libidinem excussat. *Alii leg.* excusat, *quod ipse loci sensus omnino postulat. V.* et EXCUSSATUS.

EXCUSSŌRĬUS, a, um, adject. ad excutiendum pertinens, ut Excussorium cribrum, quod transmittit excutitque farinam: et videtur fuisse paulo rarius, quam pollinarium. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 28. (108). Cribrorum genera Galli ex setis equorum invenere, Hispani e lino excussoria et pollinaria.

EXCUSSUS, a, um. *V.* EXCUTIO.

EXCUSSUS, us, m. 4. actus excutiendi. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. *a med.* In eruptione flavus sanguis, sed excussu, vel saltu, aut percussu effectus. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 226. Scintillat excussus salis. *h. e.* salis minutiæ igne excitæ crepitant.

EXCŪSUS, a, um. *V.* EXCUDO.

EXCUTĬA. *V.* AXICIA.

EXCŬTĬO, ŭtis, cussi, cussum, ŭtere, a. 3. (ex et quatio). *Excussit* pro *excusserit* est *Plauti Bacch.* 1. 2. 16. — Part. *Excutiens* I. 1. *g.* et II. 1. *a.*; *Excussus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Excutiendus* I. 1. *f.* et II. 2. — Excutere, ἐκσείω, ἐκτινάσσω, est quatiendo ejicere, dejicere (It. *buttar fuori o giù, sbattere, scuotere, scacciare scotendo*; Fr. *faire sortir ou tomber quelque chose en secouant, faire sortir de force, chasser, secouer*; Hisp. *sacudir fuera, echar fuera golpeando*; Germ. *ausschütten, abschütteln, heraus - oder herabwerfen, ausschlagen, forttreiben*; Angl. *to shake off or out, strike or dash out*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim varios habet eosque elegantes usus. — *a*) De iis, quæ urna, curru, etc. continentur, vel alii rei arcte adhærent, et exinde quatiendo ejiciuntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 94. Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formæ litterarum – aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici. *Liv.* 8. 7. Quum equus, prioribus pedibus erectis, magna vi caput quateret, excussit equitem. *Virg.* 11. *Æn.* 640. Excussus equo. *Id.* 10. *ibid.* 590. Excussus curru, moribundus volvitur arvis. Sic *Curt.* 3. 11. Excutere aliquem curru. Adde *Sueton. Cæs.* 37. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 112. Valvarum strepitus lectis excussit utrumque. *fe' balzar dalle letta. Curt.* 4. 4. Ut gubernator in mare excuteretur e puppi. Et poetice *Virg.* 6. *Æn.* 353. navis excussa magistro. *Liv.* 37. 30. Ancora ictu ipso excussa e nave sua. *Plaut. Men.* 1. 1. 10. Lapide excutiunt clavum. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 24., 32., 40. etc. Excute poste seram. *cava, leva il catenaccio.* — *b*) De pulvere vestibus adhærente, vel de iis, quæ quis manibus etc. tenet. *Ovid.* 1. *Art. am.* 149. pulvis digitis excutiendus erat. Cf. *Petron. Satyr.* 129. Excutere vestem. *sbatterla dalla polvere. Virg.* 9. *Æn.* 476. Excussi manibus radii. *le caddero di mano. Pers.* 3. 101. Tremor excutit poculum e manibus. *Ulp. Dig.* 47. 2. 53. *ante med.* Nummos aureos vel argenteos de manu alicujus excutere. *Ovid.* 14. *Met.* 761. Poma nec excutiant rapidi florentia venti. Cf. *eumd.* 12. *ibid.* 280. Excutere ignem de crinibus. Et *Plin. Paneg.* 11. Excutere jugum. *scuotere il giogo.* metaphorice, detrectare imperium. — *c*) De iis, quæ per vim alicunde eruuntur. *Plaut. Capt.* 3. 4. 7. Lapide alicui cerebrum excutere. *Id. Pers.* 5. 2. 16. oculum alicui cyatho. Sic *Seneca Ep.* 9. Si quis oculum casus excusserit. Et *Sueton. Tib.* 53. oculum alicui verberibus. *Id. Cæs.* 68. *ad fin.* Excussus oculus. Huc referri potest et illud *Ovid.* 6. *Met.* 528. Agna ore excussa lupi. *scossa, caduta o cavata di bocca.* Item illud *Stat.* 3. *Theb.* 248. Ipse manu Thebas correptaque mœnia fundo Excutiam. *h. e.* diruam, evertam. — *d*) De personis, brutis, itemque de morbis, ponitur pro discutere, expellere, *scacciare. Lucilius* apud *Non. p.* 298. 33. *Merc.* Ipso cum domino calce omnes excutiamus. *Virg.* 9. *Æn.* 68. Excutere Teucros vallo. Sic *Id.* 7. *ibid.* 299. excussus patria. *cacciato dalla patria.* Cf. *eumd.* 3. *ibid.* 200. Excutimur cursu. *h. e.* a recto propositoque itinere repellimur. *siamo buttati giù di strada. Flor.* 2. 6. 42. Excutere hostem oppidis et regionibus. *Val. Flacc.* 2. 185. præcipites excussit ab ubera natos. *h. e.* abjecit, repulit, *ributtò.* Et poetice *Horat.* 3. *Od.* 9. 19. Si flava excutitur Chloe, Rejectæque patet janua Lydiæ? *h. e.* si deponitur amor Chloes. *Plin. Paneg.* 81. Lustrare saltus, excutere cubilibus feras. *Virg.* 10. *Æn.* 777. hasta volans clipeo est excussa, proculque Egregium Antorem figit. Alter *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (56). Allium potum quartanas excutit. Sic *Seneca Herc. Œt.* 1076. Undis sitim excutere. — *e*) De telis est emittere, ejaculari, *lanciar fuori, gettare. Tac.* 2. *Ann.* 20. Excutere tela jubet. *Curt.* 8. 13. In queis erant sagittarii gravioribus telis, quam ut apte excuti possent. *Id.* 5. 3. *a med.* Fundis excussi lapides et sagittæ ingerebantur. *Seneca Agamemn.* 536. Fulmen reducta Pallas excussit manu. *Stat.* 10. *Theb.* 69. Excutere fulmen in Thebas. — *f*) Et de aliis pro emittere, effundere, vi eiicere. *Ovid.* 1. *Fast.* 624. Visceribus crescens excutiebat onus. *h. e.* abortum faciebat. *Quintil.* 11. 3. 80. Labiorum impulsu subito spiritum excutere. *sbuffare. Alii vero leg.* et pulso subito spiritu (*nares*) excutere. *scuotere le narici. Petron. Satyr.* 115. Spiritum excussit. *h. e.* animam efflavit. *Lucret.* 6. 689. aer Excussit calidum flammis velocibus ignem. *Id.* 6. 161. Fulgit item, nubes ignis quum semina multa Excussere suo concursu, ceu lapidem si Percutiat lapis aut ferrum. Sic *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 77. (208). Ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est. *Plerique tamen rectius leg.* excudendum. *Curt.* 4. 7. Largum imbrem excusserunt procellæ. *Plaut. Capt.* 2. 3. 59.; et *Ter. Heaut.* 1. 1. 15. Lacrimas excussit mihi. *Plaut. Merc.* 3. 3. 15. Excutere alicui vomitum. *Nepos Eumen.* 5. sudorem. — *g*) Et pro concutere, jactare, *scuotere, sbattere. Virg.* 12. *Æn.* 7. *de leone.* gaudetque comantes Excutiens cervice toros. *Ovid.* 4. *Met.* 491. Excutere cæsariem. *Quintil.* 11. 3. 71. Comas excutientem rotare fanaticum est. *Ovid.* 6. *Met.* 703. Excutere pennas. *Id.* 5. *ibid.* 401. habenas. *Petron. Satyr.* 22. Excussum forte altius poculum ancillæ caput fregit. *Ovid. Heroid.* 19. 189. et 5. *Met.* 596. excussa brachia jactare per undas. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 41. 57. (116). Gallinæ inhorrescunt, edito ovo, excutiuntque sese. Huc referri potest et illud *Virg.* 2. *Æn.* 302.; et *Ovid. Heroid.* 13. 111. Excutior somno. *mi scuoto, mi risveglio.* Sic *Ovid.* 1. *Fast.* 547. Somno excussus. *scosso, svegliato.* Item illud *Virg.* 3. *Æn.* 267. excussos laxare rudentes. *le sarte scosse e allentate.* Denique huc pertinere videtur illud etiam *Plin.* 4. *Ep.* 6. Tusci grandine excussi. *sbattuti*, quia grando e spicis grana excutit, e ramis poma decutit. ¶ 2. Speciatim est concutere scrutandi et explorandi causa. — *a*) De rebus. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 18. ST. Di me perdant, si ego tui quidquam abstuli. EV. Agedum, excutedum pallium. *Sueton. Claud.* 35. Culcitisque et stragulis prætentatis et excussis. — *b*) De personis. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 31. 1. Sexcentis locis excutiuntur, deinde etiam retinentur tabellarii. *Phædr.* 5. 5. Sic porcelli vocem (*scurra*) est imitatus sua, Verum ut subesse pallio contenderent, Et excuti juberent. — Et sequente part. *ne. Plin.* 7. *Hist. nat.* 36. 36. (121). Puerpera, quum impetrasset aditum (*carceris*), a janitore semper excussa, ne quid inferret cibi. *Val. Max.* 5. 4. *n.* 7. *de ead.* Aditum quoque ad eam filiæ, sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret, dedit. *Spartian. Sever.* 6. Senatores excussi, ne quid ferri haberent. Cf. infra sub II. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphora sumpta a superiore paragr. 1., ponitur — *a*) Pro arcere, evellere, per vim extrahere, eruere. *Cic. Cæl.* 28. 67. Quamobrem excutiemus omnes istorum delicias, omnes ineptias, si prodierint. *h. e.* arcemus: *Forcellinus* vero interpretatus est *torremo per mano*, h. e. ad trutinam revocabimus. Rursus *Cic. Sull.* 16. 47. Noli hac nova lenitate abuti mea: noli aculeos orationis meæ, qui reconditi sunt, excussos arbitrari. *h. e.* extractos, evulsos, amissos. Sic *Id.* 9. *Fam.* 10. 2. Tu adeo mihi excussam severitatem veterem putas, ut etc. *h. e.* abjectam, depositam. *Id.* 1. *Tusc.* 46. 111. Excutere sibi radicitus opinionem aliquam. *cavarsi, deporre affatto. Id. Sull.* 8. 24. Qui si attulerint nervos et industriam, mihi crede, excutient tibi istam verborum jactationem. *ti faranno a forza deporre. Id.* 4. *Tusc.* 8. 19. Conturbatio est metus excutiens cogitata. *che fa uscir di mente i disegni fatti.* Similiter *Curt.* 7. 9. Pericali cogitationem præsentia ejus excussit. *tolse il pensiero.* Et *Sil. It.*

10. 447. Ilis excussa inepta ululis. *cacciati, cavati, scossi di capo i disegni.* Rursus Cic. Dom. 28. 76. Illa calamitas excussit hoc genus totum maledicti, ne quisquam audeat reprehendere consulatum meum. *ha sbandito affatto, ha screditato*: ductum opinor a grandine, quæ spicas excutit. Id. 2. Phil. 29. 73. Plus ille poterat: itaque excussis tuis vocibus et ad te et ad prædes tuos milites misit. Ovid. 10. Met. 426. Excutere amores. *deporre, cacciar da se, sbrigarsi.* Id. 1. Fast. 16. metum de corde. Id. 3. Met. 689. corde metum. Virg. 12. Æn. 158. Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus. h. e. turba, rumpe, discute. Quintil. 10. 3. 20. Omnes, quæ erat conceptæ mentis intentio, morâ et interdum iracundia excutitur. Seneca Ep. 7. Socrati et Catoni et Lælio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset. h. e. *avrebbe fatto cangiare natura.* Lucan. 1. 69. Excutere orbi pacem. *cacciar dal mondo la pace.* Quintil. 10. 1. 126. Quem Senecam non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam. Virg. 5. Æn. 679. excussaque pectore Juno. h. e. excidit animo et mente. Horat. 2. Sat. 3. 19. aliena negotia curo, Excussus propriis. h. e. spoliatus, vacuus. Cf. Cic. Harusp. resp. 18. 37. Quod te judices emiserunt excussum et exhaustum. — b) Item est per vim extorquere, elicere. Plaut. Aulul. 2. 1. 29. Mihi misero cerebrum excutiunt tua dicta, soror: lapides loqueris. *mi fanno uscir di cervello.* Propert. 4. 6. 52. Excutit arma pudor. *toglie a forza di mano.* Horat. 2. Sat. 3. 20. dummodo risum excutiat sibi. h. e. excitet. Tibull. 2. 6. 11. Magna loquor: sed magnifice mihi magna locuto Excutiunt clausæ fortia verba fores. Seneca Troad. 575. Magnifica verba mors prope admota excutit. Ovid. 2. Amor. 1. 15. similem aliis verbis habet sententiam, qua hæc Tibulli et Senecæ illustratur. Petron. Satyr. 98. Excutere alicui indicium. h. e. vi extorquere. Huc referri potest et illud Cic. 3. Off. 20. 81. Explica et excute intelligentiam tuam. *risveglia l'intelletto.* — c) Item pro turbare, agitare, instabilem reddere: ad rem Pallad. 1. R. R. 9. Ne gradus ambulantium tremor fabricæ titubantis excutiat. Plin. 1. Ep. 18.; et Lucan. 4. 536. Excutere alicui mentem. h. e. valde terrere, turbare. Sic excussa mens est de statu dejecta, perturbata apud Sil. It. 2. 590.; et Stat. 3. Theb. 93. Similiter occurrit Part. Excussus cum Accusativo, more Græcorum apud Sil. It. 5. 51. et 9. 644. Excussus consul fatorum turbine mentem. h. e. extra se veluti positus, turbatus, amens. ¶ 2. Speciatim, metaphora sumpta a superiore paragr. 2., ponitur pro inquirere, examinare, discutere, *esaminare, discutere*: ad rem Cic. Rosc. Am. 34. 97. Nihil est, Glaucia, quod metuas: non excutio te, si quid forte ferri habuisti: non scrutor. Id. 2. leg. Agr. 23. 61. Si idoneum est hos decemviros partitores omnibus omnium pecuniis constitui, qui etiam imperatores nostros excutiant. Id. Partit. orat. 35. 131. Non enim argumentando hoc genus tractatur, sed tamquam explicando excutiendoque verbo. *esaminando.* Id. Mur. 12. 26. Quæ dum erant occulta, necessario ab iis, qui ea tenebant, petebantur: postea vero, pervulgata atque in manibus jactata et excussa, inanissima prudentiæ reperta sunt, fraudis etiam et stultitiæ plenissima. Quintil. 8. 5. 22. Plerique minimis inventiunculis gaudent, quæ excussæ risum habent, inventæ facie ingenii blandiuntur. Id. 5. 7. 37. Quæ fere omnia Cicero in crimine veneficii excutit. Id. 5. 7. 6. Totum excutiamus locum. Id. 1. 4. 4. Nec poetas legisse satis est: excutiendum omne scriptorum genus. Adde eund. 12. 8. 13., 5. 13. 19. et alibi. Ovid. 4. Pont. 8. 17. Excutere genus alicujus. Plin. 6. Ep. 31. probationes. Id. 10. ibid. 48. rationem. *esaminare il conto.* Ulp. Dig. 17. 1. 42. vires hereditatis, et mox, vires ejus cui eram crediturus. h. e. inspicere, num habeat, unde sit solvendo. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Excussus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Sup. *Excussissimus*; est autem extentus, vehementer tentus. Ovid. Heroid. 4. 43. excusso jaculum vibrare lacerto. Seneca 2. Benef. 6. Interest, utrum tela excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant. Petron. Satyr. 95. Os hominis palma excussissima pulsat.

EX DĔCŬRĬŌNE, qui decurio fuit. Inscript. apud Gruter. 45. 4. HERCVLI AVG. N. PVDENTIVS MAXIMVS VET. EX DEC. ALAE TAMI. V. S. L. L. M. V. TAMESIANUS in ONOM.; et adde Inscript. apud Rénier. 387. et 3663.

EXDĪCO, is, ere, a. 1. ita scriptum antiquitus pro edico. S. C. de Bacchanal. apud Fabrett. p. 427. ITA EXDEICENDVM CENSVERE.

EXDISPENSĀTOR, ōris, m. 3. qui fuit dispensator, ut *exconsul*, qui fuit consul. Inscript. apud Lup. Epit. S. Sever. p. 144. DIOGENI AVGVSTI SERVO EXDISPENSATORI AELIA DIONE CONJVGI BENE MERENTI. Adde aliam apud Orell. 2991. — *Ex dispensatoribus* in plur. num. legitur in Inscript. apud Murat. p. 893.

EXDORSŬO, as, are, a. 1. (ex et dorsum). Plaut. Aulul. 2. 9. 2. Congrum, murænam exdorsua, quantum potes. Apul. de Mag. Desquamari et exdorsuari pisces. Non. p. 17. 24. Merc. exponit, dorso nudare: Paul. Diac. p. 79. 12. Müll. dorsum confringere: alii apud ipsum, eximere. Hinc *exdorsuare* est piscibus majores pinnas detrahere.

EX DŬCE, qui dux fuit, ut *ex consule*, qui fuit consul. Capitolin. Gordian. 22. Duo ante ipsam aram a Gallicano ex consulibus, et Mæcenate ex ducibus interempti sunt. Salmas.

EX DŬCĒNĀRIO, m. qui in militia fuit ducenarius. Legitur in mutila Inscript. apud Orell. 5064.

EXDŬCĔRE, exuere. Paul. Diac. p. 80. 2. Müll. Videtur esse a Græco ἐκδύω, unde fit exuo.

EXDŬUMVIR, iri, m. 2. et

EX DŬUMVĬRO, indecl. m. qui duumviri munere functus est. Constantin. M. apud Augustin. Ep. 88. n. 4. Cæcilianus ex duumviro. Id. ibid. Epistolam Cæcilii exduumviri falsasse contendunt.

EXĔBĔNUS, i, f. 1. ἐξέβενος, gemma. Plin. 37. Hist. nat. 10. 58. (159). Exebenum Zoroastres speciosam et candidam tradit, qua aurifices aurum poliunt. Alii leg. exhebenus. Isid. 16. Orig. 10. 11. eadem prorsus habet.

EXĔCO cum derivatis. V. EXSECO.

EXĔCROR cum derivatis. V. EXSECROR.

EXĔCŪTIO. V. EXSECUTIO.

EXĒDENTŬLUS, a, um, adject. edentulus. Tertull. Pall. 5. a med. Muræna bestia exedentulis et exunguis et excornis. Alii melius leg. et edentula.

EXĔDO, exēdis vel exes, exēdit vel exest, exēdi, exēsum, exēdere, a. 3. (ex et edo). *Exedim, is, it*, pro *exedam*, antiquum est et comicum apud Plaut. Pseud. 3. 2. 30., cujus verba V. infra sub I. — *Exedis, it* pro *exes, exest* communis est; quod et in EDO, *edis* vel *es* initio adnotavimus. Seren. Sammon. 7. de phrenes. Sive calens febris jactatos exedit artus. — Part. *Exesus* in omnibus paragr.; *Exedendus* I. — Exedere, κατέσθω, est edere, edendo rodere, corrodere, consumere (It. *mangiare, rodere, consumare*; Fr. *manger, ronger, consumer*; Hisp. *comer, roer, consumir*; Germ. *aufessen, verzehren, zernagen*; Angl. *to eat up, devour, consume, waste*).

I.) Proprie. Plaut. Pseud. 3. 2. 30. Non condimentis condiunt, sed strigibus, vivis convivis intestina quæ exedint. h. e. exedant. Ter. Phorm. 2. 2. 4. Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum. proverb. Varro 1. R. R. 63. 1. Frumentum, quod curculiones exesse incipiunt. Sic Colum. 1. R. R. 6. 16. Exesæ curculionibus fruges. Cf. Virg. 2. G. 214. nigris exesa chelydris creta. Hygin. fab. 55. Serpens, qui jecur ejus exesset. — Figurate et obscœno sensu loquitur cinædus cum domino suo de asino, quem pullulum, h. e. delicium suum, vocat ob penis magnitudinem, apud Apul. 8. Met. Cave, ne solus exedas tam bellum scilicet pullulum, sed nobis quoque, tuis palumbulis, nonnumquam impertias.

II.) Translate. ¶ 1. De rebus physicis est consumere, ad nihilum redigere. Lucret. 5. 1251. flammeus ardor Silvas exederat. Cic. 2. Divinat. 16. 37. Caput est in jecore, cor in extis: jam abscedet, simul ac molam et vinum insperseris: deus id eripiet, vis aliqua conficiet aut exedet. Id. 5. Tusc. 23. 66. Apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis fere. Virg. 1. G. 495. exesa scabra robigine pila. Id. 4. ibid. 44. exesæ arboris antrum. Ovid. 1. Fast. 495. specus exesi structura pumicis asper. Cels. 7. 12. Dens exesus. Curt. 4. 2. 8. Nec ulla tam firma moles est, quam non exedant undæ per nexus operum manantes. Id. 3. 1. 10. Multa monumenta vetustas exederat. Id. 5. 5. 31. Vetustas non opera solum manufacta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimit. Plin. 33. Hist. nat. 6. 32. (99). Argentum vivum exest ac perrumpit vasa, permanans tabe dira. Plerique tamen Codices, teste Sillig., legunt est. Seneca Herc. Œt. 914. Virus exedit artus. præter. Id. Agamemn. 763. Et vestis atri funeris Cingit exesa illa. Tac. 4. Hist. 81. Huic non exesam vim luminis. Stat. 2. Silv. 1. 154. mors lenta jacentis Exedit pueri decus. *guastò, consumò.* Lucan. 5. 547. Luna orbis medii puros exesa recessus. h. e. quasi detrita atque adeo imminuta. — Huc pertinent et sequentia. Virg. 5. Æn. 785. exedisse nefandis Urbem odiis satis est. Tac. 2. Ann. 27. Quæ per tot annos rem publicam exedere. Et urbane Ter. Heaut. 3. 1. 53. Atque hæc una nox: quid te futurum censes, quem assidue exedent? *ti mangeranno intorno, ti consumeranno il tuo.* ¶ 2. De animo. Plaut. Epid. 3. 1. 1. Exspectando exedor miser atque exenteror. Lucret. 3. 1006. Tityos, quem exest anxius angor. Catull. 66. 21. Quum penitus mœstas exedit cura medullas. Cic. 3. Tusc. 13. 27. Ægritudo lacerat, exest animum planeque conficit. Id. 1. Fin. 18. 59. Accedunt ægritudines, molestiæ, mœrores, qui exedunt animos conficiuntque curis. Id. ibid. 16. 51. Sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur. Id. 5. Tusc. 6. 16. Illi beati, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt. V. Klotz ad h. l. Curt. 10. 8. 11. His cogitationibus animos exedebant. V. Mützell. ad h. l. Val. Flacc. 2. 136. Eurynome exesa curis castumque cubile Servans. Cf. eund. 4. 470. quam te Exedit labor et miseris festina senectus! Stat. 2. Theb. 319. exedere animum dolor iraque demens.

EXĔDRA, æ, f. 1. ἐξέδρα. Scribitur et *exhedra*: tametsi aspirationem frequentior Latinis extrivit usus. — Exedra est locus apertus in porticu, vel etiam sub dio, solibus atque aeri pervius, in quo multæ circum positæ sellæ colloquendi causa: ab ἕδρα *sella, sedes*, ab ἕζομαι *sedeo*. Ejus usus ex his locis apparet, quæ subjicimus (It. *sala, portico, mezzado*; Fr. *salle garnie de sièges, salle de réunion, salon de réception*; Hisp. *sala de recibir, de conversacion*; Germ. *d. Sprechhalle, Unterhaltungszimmer*; Angl. *a place for sitting and conversing in, a hall, parlour, piazza*). ¶ 1. Stricto sensu. Vitruv. 5. 11. 2. Constituuntur in tribus porticis exedræ spatiosæ, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possint. Id. 7. 9. 2. Apertis locis, idest peristyliis, aut exedris, quo sol et luna possit splendores et radios immittere, etc. Cic. 3. Orat. 5. 17. Quum in eam exedram venisset, in qua Crassus, lectulo posito, recubuisset. Id. 1. Nat. D. 6. 15. Quum ad eum venissem, offendi eum sedentem in exedra, et cum Vellejo disputantem. Ulp. Dig. 9. 3. 5. Oportebit, prætorem æquitate motum dare actionem in eum, ex cujus cubiculo vel exedra dejectum est. *exedra* hoc loco videtur esse cubiculum in ipsis ædibus, sessioni et confabulationibus destinatum, quod nos diceremus *mezzado*. Adde Cic. 5. Fin. 2. 4.; et Quintil. 10. 1. 89. Inscript. apud Gruter. 65. 3. SILVANO SANCTO C. AVSTVRNIVS MADICVS LVDI GALLICI FORTIC. ET EXEDR. ET SIGN. AEN. VOTO SVSCEPTO L. M., DEDIC. KAL. MAI. L. MARCIO ET SEX. JVLIO COS. h. e. anno U. C. DCLXIII. Adde aliam apud eund. 172. 3. — Apud nos quoque *exedræ* dici possunt sedilia lignea, aut lapidea, quæ poni solent ante fores ædium. Item cubicula ampliora in ædibus religiosorum hominum, quæ ipsi *Capitula* vocant. ¶ 2. Latiori sensu est quodvis conclave. Varro 3. R. R. 5. 8. Primus in peristylio habuit exedra conclusas aves, quas pasceret objecto rete.

EXĔDRĬUM, ii, n. 2. ἐξέδριον. *deminut.* ab exedra, parva exedra. Cic. 7. Fam. 23. 3. Exedria quædam mihi nova sunt instituta in porticula Tusculani: ea volebam tabellis ornare.

EXĔDUM, i, n. 2. herba, quæ et nodia, et mulieris, coriariorum officinis nota: vim habens contra veternum, nomas et scorpiones. Ea est, quæ Italis *sommacco*, et botanicis *Rhus coriaria* L. dicitur; V. *Rhus*: ita cl. Furlanetto; at cl. Fée (Op. cit. vol. 3. p. 302.) affirmat, exedum esse plantam omnino ignotam. Plin. 24. Hist. nat. 19. 115. (175). Ea nempe ita vocata videtur ab exedendi, quia causticæ naturæ sit.

EXĔDŪRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *exeduro*, duritie privatus. Tertull. Pall. 4. de Omphale pellem leoninam Herculis induente. Ne subtiliæ

mulieris quidem, aut viraginis alicujus scapulæ sub exuvias bestiæ tantæ introire potuissent, nisi diu mollitas, et evigoratas, et exeduratas, quod apud Omphalem balsamo, aut telino spero factum.

EXEFFĬCIO, is, ere, a. 3. plane efficio, conficio, perficio. Legitur a nonnullis apud *Plaut. Curc.* 2. 3. 85. et *Truc. a.* 5. *v.* 17.; ubi plerique alii melius *efficio.*

ĔXĒGĒTĬCĒ, es, f. 1. ἐξηγητική, pars est grammaticæ narrativa, quæ pertinet ad officia lectionis. *Diomed.* 2. *p.* 421. *Putsch.*

EXĒGĒTĬCUS, a, um, adject. ἐξηγητικός, narrativus. *Diomed.* 3. *p.* 480. *Putsch.* Poematos exegetici vel enarrativi species sunt tres. *V.* ANGELTICE.

EXĒGĒMĂTĬCUS, a, um, adject. ἐξηγηματικός, enarrativus. *Probus* ad *Virg.* in *proœm.* Omne carmen in tres characteres dividitur: dramaticum, in quo personæ tantum loquuntur; exegematicum, in quo solus poeta; mixtum, ubi promiscue et poeta et persona.

EXEMPLĀBĬLIS, e, adject. qui exemplum exhibet. *Isid.* 2. *Orig.* 9. Exemplabile est (*enthymema*) quod alicujus exempli comparatione eventum similem comminatur. Adde *Cassiod. Rhetor.* p. 565.

EXEMPLAR, āris, n. 3. Pro *exemplar* etiam *exemplare*, is, n. 3. occurrit apud veteres. *Lucret.* 2. 122. Duntaxat rerum magnarum parva potest res Exemplare dare et vestigia notitiai. — *Exemplaris*, e, adject. *V.* loco suo. — Ceterum *exemplar* ab *exemplum*, quod ab *eximere*,

I.) Proprie ¶ 1. Est id, quod ad imitandum nobis proponimus, scilicet *exemplum exemplorum*, hoc est exemplum quod præ ceteris omnibus eminet, ut docet *Döderlein. Latein. Synon.* vol. 5. p. 359. Inter hoc et *exemplum* statuitur a *Paul. Diac.* p. 82. 4. *Müll.* discrimen, ut *exemplar* sit, ex quo simile faciamus, et pertineat ad oculos; *exemplum*, quod imitando sequamur aut vitemus, et pertineat ad animum: sed perperam; namque sæpe promiscue usurpantur. (It. *esemplare, modello, esempio*; Fr. *modèle, type, exemple, original*; Hisp. *modelo, exemplar, norma*; Germ. *d. Musterbild, Muster, Vorbild*; Angl. *an example, exemplar, pattern, model*). Occurrit — *a*) Sæpissime in singulari numero. *Cic. Tim.* 2. Omne quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est. – Quocirca si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem, quæ semper est eadem, intuebitur atque id sibi proponet exemplar, præclarum opus efficiat necesse est. – Rursus igitur videndum, ille fabricator tanti operis (*h. e.* mundi) utrum sit imitatus exemplar. Sic in artibus *Seneca Ep.* 33. *a med.* Meminisse est rem commissam memoriæ custodire: at contra scire est et sua facere, nec ab exemplari pendere. *Id. Ep.* 65. In statua id ex quo, æs est: id a quo, artifex est: id ad quod, exemplar est, quod imitatur is qui facit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 45. (156). Octavio equiti R. cratera facere volenti exemplar e gypso factum talento. *il modello. Id.* 36. *ibid.* 13. 19. (85). Hinc sumpsit Dædalus exemplar labyrinthi. Ceterum *Cic. Mur.* 31. 66. Ad imitandum vero tam mihi propositum exemplar illud est, quam tibi. *Id.* 2. *de republ.* 11. Reliqui disseruerunt sine ullo certo exemplari formaque reipublicæ de generibus et de rationibus civitatum. *Id.* 1. *ibid.* 1. M. Catoni, quo omnes, qui iisdem rebus studemus, quasi exemplari ad industriam virtutemque ducimur, certe licuit etc. *Id. Cæcin.* 10. 28. Fabula exemplar antiquæ religionis. Cf. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Exemplar vitæ prioris. *Horat. Art. P.* 317. Respicere exemplar vitæ morumque jubebo Doctum imitatorem et veras hinc ducere voces. *Id.* 1. *Ep.* 2. 18. quid virtus et quid sapientia possit, Utile proposuit nobis exemplar, Ulixem. *Id. ibid.* 19. 17. Decipit exemplar vitiis imitabile. *Plin. Paneg.* 45. Nos provehis et ostentas, quasi specimen et exemplar. *Tac.* 6. *Ann.* 32. Exemplar adulatorii dedecoris apud posteros. *Id.* 12. *ibid.* 37. Æternum exemplar clementiæ. *Id.* 15. *ibid.* 37. Celeberrimæ luxu famaque epulæ fuere, quas a Tigellino paratas, ut exemplar, referam, ne sæpius eadem prodigentia narranda sit. *la racconterò per esempio.* — Hinc *ad exemplar*, hoc est ad similitudinem. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 58. Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi. *Quintil.* 10. 1. 89. Si ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset. *Plin.* 5. *Ep.* 15. Cornuto quid melius, quid sanctius, quid in omni genere ad exemplar antiquitatis expressius? *Tac.* 15. *Ann.* 23. Certamen ad exemplar Atticæ religionis decretum. — *b*) In plurali numero. *Horat. Art. P.* 268. vos exemplaria Græca Nocturna versate manu, versate diurna. *Forcellinus* h. loco accepit significatione proxime sequenti. ¶ 2. Item est ἀντίγραφον, sive id, quod ex autographo descriptum est, *copia. Cic.* 4. *Att.* 5. 1. Cur igitur cuiquam misi prius? urgebar ab eo, ad quem misi, et non habebam exemplar. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 31. 6. Ex litteris, quas Pansæ misi, cognosces omnia: nam tibi earum exemplar misi. *Plin.* 4. *Ep.* 7. 2. Librum in exemplaria transcriptum mille, per totam Italiam dimisit. *Gell.* 7. 20. *extr.* In libros de corruptis exemplaribus factos inciderunt. *Plin.* 10. *Ep.* 75. Exemplar testamenti. *Plin. alter* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (125). Exemplar tabulæ, quod apographon vocant. *copia d'un quadro.*

II.) Translate. *Cic. Amic.* 7. 23. Verum amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (74). *de Timanthe pictore.* Sunt et alia ingenii ejus exemplaria, veluti Cyclops dormiens etc. *monumenti, opere.*

EXEMPLĀRE, is, n. 3. *V.* voc. præced. initio.

EXEMPLĀRIS, e, adject. qui est secundum exemplar. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 8. Virtutes exemplares sunt, quæ in ipsa divina consistunt, a quorum exemplo reliquæ omnes defluunt. — Hinc

Exemplares, ium, m. plur. 3. absolute, substantivorum more, subaudi *libri*, apud *Fronton.* 2. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 5. Exemplares eorum excerptorum nullos feci.

EXEMPLĀRĬUM, ii, n. 2. exemplar, seu exemplum. *Arnob.* 6. 13. Phryne illa Thespiaca, quum in acumine ipso esset pulcritudinis, exemplarium fuisse perhibetur cunctarum, quæ in opinione sunt, Venerum. *Scævola Dig.* 32. 48. Binæ tabulæ testamenti eodem tempore exemplarii causa scriptæ. *Hieronym. ad Helvid.* 8. Nec necesse est nunc de exemplariorum varietate tractare.

EXEMPLĀTUS, a, um, adject. ad exemplum factus, ut Exemplatus libellus, apud *Sidon.* 4. *Ep.* 16. *V.* et voc. seq.

EXEMPLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. in exemplum afferre, pro exemplo ostendere. *Augustin. Ep.* 149. Tollens, inquit, illud de medio, et affigens illud cruci, exuens se carne, principatus et potestates exemplavit. – Non utique bonos, sed malos principatus et malas potestates, diabolicas scilicet et dæmoniacas, exemplavit, id est exemplum de illis dedit. Cl. *Quicherat*, a quo hæc mutuavimus, recte adnotat, Græcum esse ἐδειγμάτισεν. Cf. voc. præced.

EXEMPLUM, i, n. 2. Quod ad etymon attinet, juxta *Forcellinum* est ab ἐξομαλόν *æquale*, quod *Hesych.* interpretatur ἴσον: ἐξομαλόν vero est compositum ab ἐξ *ex* et ὁμαλόν pro ὁμαλός syncop. ab ὁμαλός *simile*: *exemplum* itaque est, quod *ex simili* ducitur. At juxta recentiores philologos *exemplum* est ab *eximere*, et significat illud quod ex rerum multitudine eximitur vel excerpitur ad ipsius multitudinis notas indicandas (It. *prova, campione*; Fr. *épreuve, échantillon*; Hisp. *prueba, muestra*; Germ. *die Probe*; Angl. *a sample*). Hujusmodi etymon confirmant *Gloss. Philox.*, quibus *exemplum* est harpago, fuscina, instrumentum scilicet ad eximendas ex aheno carnes coctas, κρεάγρα: item ipsa vox *eximius*, quasi exemptus et extra ceteros positus, adeoque excellens, egregius.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu exemplum, ut diximus, est quidquid ex rerum multitudine exemptum vel excerptum ipsius multitudinis notas vel qualitates indicat, *la mostra, il campione. Cic.* 4. *Herenn.* 6. 9. Si quis purpuram, aut aliud quidpiam vendens dicat: Sume a me, sed hujus exemplum aliunde rogabo, tibi quod ostendam. Si merces ipsi qui venditent, aliunde exemplum quæritent, aut in areis acervos se dicant tritici habere et eorum exemplum pugno non habeant, quod ostendant etc. ¶ 2. Hinc latiori sensu exemplum est cujuscumque rei picta, sculpta etc. imago, simulacrum: qua significatione occurrit — *a*) De personis, et est tabula, *ritratto. Plaut. Pseud.* 2. 2. 56. Scio equidem, ut qui argentum afferret atque expressam imaginem suam huc ad nos, cum eo ajebat velle mitti mulierem. Nam hic quoque exemplum reliquit ejus. Sic *Id. Pœn.* 5. 4. 102. O Apelle, o Zeuxis pictor, cur numero estis mortui? hinc exemplum ut pingeretis: nam alios pictores nihil moror hujusmodi tractare exempla. Et jocula riter *Id. Most.* 5. 1. 67. TR. Exempla edepol faciam ego in te. TR. Quia placeo, exemplum expetis. — *b*) De ædificiis, *un disegno, un modello. Plaut. Most.* 1. 2. 20. Ædes quum sunt paratæ, expolitæ, –: laudant fabrum atque ædes probant: sibi quisque inde exemplum expetunt. *Id. ibid.* 3. 2. 75. TR. Esse ædificatas has sane bene: nunc hinc exemplum capere vult. st. Næ ille malo quidem ab opere exemplum petit. — *c*) De scriptis, et est id, quod ex alio descriptum est, ἀπόγραφον, *copia. Cic.* 8. *Att.* 6. 1. Obsignata jam epistola – C. Sosius prætor in Formianum venit, Pompeji litterarum ad consulem exemplum attulit: *Litteræ mihi a L. Domitio allatæ sunt: eorum exemplum infra scripsi.* – Deinde supposuit exemplum epistolæ Domitii, quod ego ad te pridie miseram. *Id.* 7. *ibid.* 23. 3., 8. *ibid.* 11. 6. etc. Cæsaris epistolarum exemplum tibi misi. *Ovid.* 1. *Trist.* 7. 23. Quæ quoniam non sunt penitus sublata, sed extant, Pluribus exemplis scripta fuisse reor. *Justin.* 38. 3. 11. Orationem dignam duxi, cujus exemplum brevitati hujus operis insererem. *Paul. Dig.* 49. 14. 45. Actorum exemplum edere. *dar copia degli atti, dei processi.* ¶ 3. Latissimo sensu, quo sæpissime usurpatur, exemplum est res aliqua insignis, ad cujus similitudinem aliquid fieri potest, et quæ imitanda proponitur, tum in bonam, tum in malam partem, uno verbo exemplar, *il modello, l'esemplare.* — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Invent.* 1. 2. Zeuxis Helenam picturus: Præbete mihi, quæso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. *Id.* 3. *Off.* 17. 69. Nos veri juris germanæque justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenemus; umbra et imaginibus utimur. Eas ipsas utinam sequeremur! feruntur enim ex optimis naturæ et veritatis exemplis. *Id.* 10. *Phil.* 2. 5. Proponere alicui exempla ad imitandum. *Id. Mur.* 31. 66. Domesticum te habere dixisti exemplum ad imitandum. Cf. *Sueton. Gramm.* 2. Nostris exemplo fuit ad imitandum. *Cic.* 1. *de republ.* 46. Exposita ad exemplum nostra republica. — Hinc illa *Ter. Andr.* 4. 1. 27. Capere exemplum de aliquo. *h. e.* ab aliquo eum imitando. *Id. Adelph.* 3. 3. 52. Ex aliis sumere exemplum sibi. Cf. *Cic. Amic.* 11. 38. Loquimur de iis amicis, qui ante oculos sunt. – Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt et eorum maxime, qui ad sapientiam proxime accedunt. Rursus *Ter. Adelph.* 5. 1. 5. Exemplum disciplinæ. *Id. Andr.* 1. 1. 65. continentiæ. *Cic.* 1. *Orat.* 53. 229. Quum esset ille vir exemplum innocentiæ. *esemplare. Id. Sext.* 8. 19. Unum aliquem te ex barbatis illis exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reipublicæ diceres intueri. Cf. *Quintil.* 10. 2. 2. Intueri aliquid in exemplum, *h. e.* imitandi causa. Rursus *Cic.* 3. *de republ.* 5. Quum et ipsa sis quasi unicum exemplum antiquæ probitatis et fidei. *Id.* 3. *Phil.* 6. 15. Quis hoc adolescente castior? quis modestior? quod in juventute habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis? *Id. Dejot.* 10. 28. Eum virum unde pudoris pudicitiæque exempla peterentur. *Liv.* 9. 17. Magna exempla casuum humanorum. *Id.* 45. 41. Nobilia maxime sortis mortalium exempla. *Curt.* 5. 17. 5. Inter pauca fortunæ exempla memorandum. *Vellej.* 2. 116. Adolescens in omnium virtutum exemplo genitus. *Tac.* 14. *Ann.* 48. Publicæ clementiæ maximum exemplum. *Ammian.* 27. 3. Inter præcipua nominandus exempla doctrinarum atque modestiæ. Rursus *Tac.* 16. *Ann.* 35. Firmare animum constantibus exemplis. *h. e.* exemplis constantiæ. Sic *Id.* 2. *Hist.* 64. Exemplum modestum. *h. e.* modestiæ. Cf. *Plin.* 3. *Ep.* 1. Uxor singularis exempli. et *Inscript.* apud *Gruter.* 394. 8. EXEMPLVM PERIIT, CASTAE LVGETA PVELLAE: OPPIA IAM NON EST, EREPTA EST OPPIA FIRMO. — Hinc etiam illa *Ter. Heaut.* 5. 1. 47. Non tibi ego exempli satis sum? *non ti servo io a bastanza di esempio? Id. ibid. prol.* 20. Habet exemplum bonorum: quo exemplo sibi licere id facere, quod illi fecerunt, putat. *Cic.* 4. *Fam.* 3. Quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant. *ad imitazione altrui. Id.* 3. *Legg.* 14. 32. Vitiosi principes plus exemplo, quam peccato nocent. *col mal esempio. Nepos Agesil.* 4. Exemplum alicujus sequi. *Ovid.* 3. *Art. am.* 87. Ite per exemplum, genus o mortale, dearum. *Plin.* 9. *Ep.* 13. *extr.* Vera ne hæc, affirmare non ausim, interest tamen exempli, ut vera videantur. *Id.* 8. *ibid.* 22. *extr.* Quem insignire, exem-

pli non nihil: non insignire, humanitatis plurimum refert. Id. 6. ibid. 29. Suscipiendas esse causas amicorum, aut destitutas, aut ad exemplum pertinentes. Id. Paneg. 6. Inducere pessimum exemplum. introdurre un pessimo esempio. Trajanus apud eumd. 10. Ep. 98. Res pessimi exempli est. Inscript. apud Gruter. 388. 2. PARENTIBVS IN EXEMPLVM PIISSIMIS. Alia apud eumd. 457. 6. CVRATOR MAXIMI EXEMPLI. — b) Speciatim usurpatur de singulis eventibus, casibus, actibus. Plaut. Epid. 1. 1. 7. Quid tu? agis ut velis? TH. Exemplum adest. h. e. ecce exemplum ac testimonium ejus rei, quam quæris. Al. leg. exemplum habes: quod eodem recidit. Cic. 2. de republ. 17. Tullus Hostilius de imperio suo, exemplo Pompilii, populum consuluit curiatim. Id. 1. ibid. 3. Hinc illa et apud Græcos exempla, Miltiadem, victorem domitoremque Persarum – vitam – in civium vinculis profudisse. – Nec vero levitatis Atheniensium crudelitatisque in amplissimos cives exempla deficiunt. Id. 1. ad Q. fr. 2. 2. Cupisse te, quoniam Smyrnæ duos insuisses in culleum, simile in superiori parte provinciæ edere exemplum severitatis tuæ. Sic Cæs. 1. B. G. 31. Omnia exempla cruciatus edere in aliquem. Auct. B. G. 8. 44. Exemplo supplicii deterrendos reliquos existimavit. Et cum Infinito Sil. It. 17. 141. tum vincla viro – Addita, et, exemplum non unquam fidere lætis, Sceptriferas arcta palmas vincire catena. — c) Hinc exemplum sæpe est propositio, seu narratio rei peculiaris, quæ ad faciendam fidem, aut ad explicandum quippiam affertur, esempio, παράδειγμα. Cic. 4. Herenn. 49. 62. Exemplum est alicujus facti aut dicti præteriti, cum certi auctoris nomine, propositio. Id. ibid. 3. 5. Hoc interest inter exemplum et testimonium: exemplo demonstratur id, quod dicimus, cujusmodi sit: testimonio esse illud ita, ut dicimus, confirmatur. Id. 1. Invent. 30. 49. Exemplum est, quod rem auctoritate aut casu alicujus hominis aut negotii confirmat aut infirmat. Id. 2. ibid. 51. 156. Uniuscujusque constitutionis exemplum supponere non gravamur. Id. 1. Divinat. 20. 39 et 2. ibid. 3. 8. Exemplis grandioribus uti et claris et illustribus. Id. 1. ibid. 30. 64. Divinare morientes etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert, Rhodium quemdam sex nominasse etc. Quintil. 10. 2. 11. Assumere aliquid in exemplum. portar per esempio. Sueton. Tib. 21. Ex quibus in exemplum pauca subjeci. per esempio. Terentian. de metr. p. 2385. Putsch. Exempla solent sensibus admovere lucem. — Hac porro significatione sæpissime occurrunt formulæ exempli causa, exempli gratia; ut apud Cic. 13. Phil. 2. 2. Cum Antonio pax esse potest? cum Censorino, Ventidio, Trebellio –? Exempli causa paucos nominavi: genus infinitum immanitatemque ipsi cernitis reliquorum. per cagione d'esempio. Id. Muc. 12. 27. Quia in alicujus libris, exempli causa, id nomen invenerant, putarunt etc. verbigrazia. Adde eumd. 1. Invent. 37. 66. Nepos Lysand. 2. Cujus de perfidia satis est, unam rem, exempli gratia, proferre. Quintil. 6. 5. 6. Idem in reliqua parte faciemus: pauca tamen exempli gratia ponam. Adde eumd. 9. 2. 56. et 5. 10. 110. Plin. 2. Hist. nat. 17. 15. (77). Exempli gratia, in Martis sidere etc. ¶ 4. Speciatim exempla dicuntur graves animadversiones et supplicia, ut exemplo futura sint, vel quæ enarranda sint tamquam exemplum. Ter. Eun. 5. 5. 1. Quæ futura exempla dicunt in eum indigna! et 6. Quid ais? in quem exempla fient? Id. Heaut. prol. 51. Exemplum statuite in me, ut adolescentuli vobis placere studeant potius, quam sibi. Cic. 4. Herenn. 35. 47. Qui parentes habetis, ostendite istius supplicio, vobis homines impios non placere. Quibus liberi sunt, statuite exemplum, quantæ pœnæ in civitate sint hominibus istiusmodi comparatæ. Tac. 14. Ann. 44. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum. Id. 12. ibid. 20. Meritum quidem novissima exempla Mithridatem.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur pro ratione, modo, conditione etc. rei alicujus. Plaut. Trin. 4. 2. 76. CH. Nomen patris quod ad exemplum est? SY. Ad hoc exemplum est, Char. CH. An Chares? an Charmides? a qual altro nome s'assomiglia? etc. principia così, Char. Id. Pers. 3. 1. 7. Ad hoc exemplum te exornavi. in questa foggia. Id. Mil. glor. 2. 4. 6. Credo, istoc exemplo tibi esse eundum extra portam. in questo modo, in questa positura. Id. ibid. 3. 1. 132. Uno exemplo ne omnes vitam viverent. Id. Bacch. 3. 6. 11. Multi more isto atque exemplo vivunt, quos quum censeas esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis. Cf. Cæs. 1. B. G. 8. Negat se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per provinciam dare. Liv. 31. 12. Quæstionem de expilatis thesauris eodem exemplo haberi, quo M. Pomponius prætor ante habuisset. col medesimo rito. Ovid. 4. Met. 621. Nunc huc, nunc illuc exemplo nubis aquosæ Fertur. a guisa di etc. Sueton. Claud. 20. extr. Superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari. a foggia. Huc referri potest et illud Plin. 7. Hist. nat. 16. 15. (68). Cum dentibus nasci, in feminis inauspicati fuit exempli. d'infelici conseguenze. ¶ 2. Item est illud ipsum, quod aliqua scriptione continetur, senso, tenore. V. superius I. 1. c. Cic. 4. Fam. 4. 1. Accipio excusationem tuam, qua usus es, cur sæpius ad me litteras uno exemplo dedisses. Id. 9. ibid. 16. De quo et tu mihi antea scripseras, bis eodem exemplo. Id. 9. Att. 6. 3. Capua litteræ sunt allatæ hoc exemplo: Pompejus mare transiit etc. Id. 2. leg. Agr. 20. 53. Quarum (epistolarum) ego jam exemplum ab istis compositum arbitror. (Eodem sensu Sueton. Cal. 53. Quorum codicillorum argumentum erat etc.). Sueton. Tib. 76. Testamentum duplex –; sed eodem exemplo.

EXEMPTĬLIS, e, adject. qui eximi potest. Colum. 8. R. R. 11. 4. Hæ perticæ idcirco sunt exemptiles, ut quum res exigit, a pasillis deductæ liberum aditum conserrentibus stabulum præbeant. Ulp. Dig. 34. 2. 25. § 11. Margarita, vel alii lapides exemptiles.

EXEMPTĬO, ōnis, f. 3. actus eximendi. — a) Generatim. Varro 3. R. R. 16. 34. Exemptionem alvi apiarii facere. h. e. mel eximere, quod castrare alvos apum dixit Colum. 9. R. R. 15. 11. Idem Colum. 3. ibid. 18. 5. Quum per exemptionem imæ partes (seminum, seu malleolorum) perfractæ sunt. h. e. extractionem. Adde eumd. ibid. 19. 1. Pompon. Dig. 19. 5. 16. Si post exemptionem cretæ fossam replevero. — b) Speciatim in jure. Paul. ibid. 2. 7. 4. et Ulp. ibid. 5. Exemptio ejus, qui in jus vocatus est. h. e. quum quis vi, aut dolo detinetur, quominus in jus vocatus eat: qua de re toto eo titulo agitur.

EXEMPTOR, ōris, m. 3. qui aliquid eximit. Plin. 36. Hist. nat. 15. 24. (125). Exemptores quoque affirmant, compleri sponte illa montium ulcera. Plinius de lapidum fodinis hic loquitur, et exemptores vocat eos, qui lapides seu marmora eruunt.

EXEMPTUS vel exemtus, a, um. V. EXIMO.

EXEMPTUS, us, m. 4. idem quod exemptio, ablatio. Vitruv. 9. 9. Cuneorum adjectus aut exemptus perficere cogit.

EXENTĔRĀTUS, a, um. V. voc. seq.

EXENTĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et ἔντερον intestinum). Part. Exenteratus I. — Exentero est eviscero, interiora aufero.

I.) Proprie. Justin. 1. 5. 10. Epistola exenterato lepori inseritur. Voss. in Etymol. testatur, in quibusdam vet. codicib. legi exinteratus, quasi sit ab intus. Vulgat. interpr. Tob. 6. 5. Exentera hunc piscem, et cor ejus et fel et jecur repone tibi.

II.) Translate. ¶ 1. Est evacuare. Plaut. Epid. 2. 2. 2. Acutum cultrum habeo, qui senis exenterem marsupium. Id. ibid. 3. 4. 74. Exentero meum marsupium. Id. ibid. 3. 2. 7. opes argentarias mihi. ¶ 2. Item ponitur et pro cruciare. Id. ibid. 3. 1. 1. Exspectando exedor miser atque exenteror.

EXĔO, is, ivi vel ii, itum, ire, 4. (ex et eo). Exiet pro exibit habet Tertull. advers. Jud. 13.: V. EO init. Exiebat pro exibat legitur in Inscript. apud Gervas. Osserv. intorno a due iscr. Messin. p. 1. — Part. Exiens, euntis sub A. I. 1. et II. 2.; Exitus sub B. II.; Exiturus sub A. I. 1. et II. 4.; Exeundus non est usitatum: V. tamen verbum EO init.; Sup. Exeundum pass. impers. occurrit apud Cæs. 1. B. C. 69., cujus verba V. sub A. I. 2. a. — Exire A) Est verbum neutrum; sed aliquando B) Cum Accusativo occurrit.

A) Neutrum exire, ἐξέρχομαι, est extra ire, egredi (It. andar fuori, uscire; Fr. sortir de, aller hors de; Hisp. salir fuera, irse fuera; Germ. von einem Orte heraus–, fort oder weggehen, ihn verlassen; Angl. to go out).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim; et quidem — 1.°) De hominibus et brutis animantibus. — a) Cum addito loco, ex quo quis exit — Per quamdam adjuncta, ut apud Plaut. Epid. 5. 1. 43. Ego modo huic frater factus, dum intro eo atque exeo. Id. Cas. 5. 2. 51. Inde foras tacitus exeo hoc ornatu. Adde eumd. ibid. 2. 5. 42. et Ter. Andr. 1. 2. 3. Rursus Plaut. Rud. 2. 2. 2. Herus quum modo exibat foras, ad portum se ajebat ire. — Sæpius per Ablat. et præpos. ex. Plaut. Amph. 1. 3. 35. Exire ex urbe volo. Cic. 4. Fam. 1. 2.; et Cæs. 2. B. G. 33. ex urbe, ex oppido. Cic. Pis. 14. 33. e patria. Al. leg. a. Nepos Themist. 8. ex navi. Cæs. 1. B. G. 5. e finibus suis. Id. 7. ibid. 20. elam ex castris. — Per Ablat. et præpos. de. Cic. 2. Orat. 65. 263. de triclinio, de cubiculo. Id. ibid. 55. 223. de balneis. Id. 2. Att. 7. 4. de navi. Cuct. 8. 1. extr. de convivio. Plin. 10. Hist. nat. 16. 18. (38). Cornix exit de oso a cauda. — Per Ablativum cum præpos. ab, vel sine ulla præpos. Ter. Eun. 3. 4. 7. Exire ab aliquo. h. e. domo alicujus. Liv. 10. 37. ab urbe. V. Drakenborg. ad h. l. Plaut. Mil. glor. 5. 39. Postquam exierunt porta, nihil cessarunt illico osculari atque amplexari inter se. Cic. 1. de republ. 12. Nunciavit, venire ad eum Lælium domoque jam exisse. Adde eumd. 1. Fam. 9. ante med. Sic Cæs. 1. B. G. 6. Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent. Adde eumd. ibid. 12. et 29. — b) Cum addito, quo quis exit — Per Accusativum et præpos. in. Cic. 1. Off. 32. 118. Herculem dicunt exisse in solitudinem, atque ibi sedentem etc. Id. ibid. 17. 54. Qui quum una domo jam capi non possint, in alias domos, tamquam in colonias, exeunt. Cæs. 1. B. G. 33. Quum omnem Galliam occupassent, in Provinciam exirent. oltrepassassero. Plin. 10. Hist. nat. 44. 61. (126). in pascua. Cic. 7. Verr. 51. 135.; et Nepos Alcib. 8. extr. in terram. sbarcare, smontare. Lucret. 1. 170. in luminis oras. h. e. nasci. — Per Accusativum et præpos. ad. Ter. Hecyr. 4. 1. 6. Exire ad aliquem. h. e. domo ad aliquem visendum. Plin. 9. Hist. nat. 57. 83. (175). ad pabula. Id. 11. ibid. 10. 10. (21). ad opera. — Poetice per Infinitum. Stat. 1. Achill. 288. Exierant dare veris opes, divæque severas Fronde ligare comas. — c) Absolute. Nepos Themist. 6. Solus profectus est: reliqui legati ut tum exirent, præcepit, quum etc. Id. Alcib. 3. Priusquam classis exiret. uscisse del porto. Cic. 9. Fam. 6. Exire Ostiæ. sbarcare ad Ostia. Seneca 3. Benef. 16. Feminæ exeunt matrimonii causa. h. e. domo et familia. — Inter exeo et emigro differre aliquando aliquid (quamvis fere promiscue semper usurpantur) monet nos Ciceronis locus 4. Verr. 36. 80. Domo ejus emigrat Verres, atque adeo exit: nam jam ante migrarat. Ex hujus loci sententia emigrare est alio se ad habitandum conferre, vasis tamen relictis: exire vero significat universa sua discedendo secum asportare. — d) Passive impersonaliter. Plaut. Cas. 4. 3. 15. Crepuit ostium: exitur foras. Cato R. R. 1. Ut inde exiri possit. Varro 6. L. L. 58. Müll. In Velabro, qua in Novam viam exitur. — 2.°) De inanimis et abstractis. Sic — a) Exire pertinet ad sortitiones. Cic. 1. Att. 19. 3. Quum de consularibus mea prima sors exisset. Sic Horat. 2. Od. 3. 25. omnium Versatur urna: serius ocius Sors exitura. Rursus Cic. 4. Verr. 51. 127. Cujus nomen exisset. — b) De pecunia. Cic. 4. Verr. 25. 61. Quum omnes perspicerent ad istum illos nummos, qui per simulationem ab isto exierant, revertisse. erano usciti delle mani di costui. — c) Pertinet etiam ad flumina in mare influentia. Ovid. 2. Amor. 13. 10. de Nilo. Per septem portus in maris exit aquas. sbocca. Val. Flacc. 8. 187. de Istro. septem exit aquis, septem ostia pandit. — d) Ponitur etiam de plantis, verbis etc. pro terminari, desinere, finire, terminare. Plin. 16. Hist. nat. 23. 35. (86). Populo albæ folia vetustiora in angulos exeunt. Id. 37. ibid. 6. 22. (83). Vitium opali, si color in florem heliotropii exeat. Seneca 1. Benef. 1. Verbis malignis et vix exeuntibus. Quintil. 1. 5. 61. Ne in a quidem atque s litteras exire temere masculina Græca nomina recto casu patiebantur. Id. 1. 5. 6. Nomina, quorum prima positio in easdem, quas Castor, litteras exit. (Alio sensu Id. 1. 6. 7. Dummodo per eamdem litteram in infinito exeant. h. e. eamdem litteram in penultima infiniti habeant. ¶ 2. Speciatim in re militari est e castris exire, exire ad iter faciendum vel ad pugnam committendam. Cæs. 1. B. C. 64. Ut eos milites, qui de tertia vigilia exissent, consequerentur. Id. ibid. 6. Palu-

dati, votis nuncupatis, exeunt consules. *h. e.* ex urbe ad bellum proficiscuntur. Sic *Nepos Agesil.* 6. Quum a plerisque ad exeundum premeretur, exire noluit. *Cic.* 2. *Fam.* 16. 3. Exire ex Italia ad bellum civile. *Virg.* 4. *G.* 67.; et *Liv.* 14. 39. ad pugnam. *Liv. ibid.*; et *Curt.* 9. 4. in aciem. — Passive impersonaliter. *Plaut. Amph.* 1. 1. 64. Postquam exitum est maxima copia. *Cæs.* 1. *B. C.* 67. Non posse clam exiri. *Id. ibid.* 69. Nemo erat adeo tardus, quin statim castris exeundum putaret. Huc pertinent et poetica illa *Stat.* 11. *Theb.* 353. a nostris in fratrem amplexibus exis. *h. e.* postquam me amplexus es, prodis ad pugnandum contra fratrem. Hinc *exire in aliquem* est infesto animo ire, apud *eumd. ibid.* 724. in hunc odiis et regni viribus exis. *Id.* 2. *ibid.* 490. exit in unum Plebs ferro jurata caput. *Id.* 5. *ibid.* 151. ferroque omnes exire per annos. *h. e.* sævire in omnis ætatis homines. ¶ 3. Item *exire de* vel *e vita* est mori, quo sensu *excedere* vel *decedere de vita* sæpius occurrit. *Cic. Amic.* 4. 15. Quem fecerat æquius, ut prius introieram, sic prius exire de vita. Adde *Plin.* 3. *Ep.* 9. 5. Rursus *Cic.* 4. *Fin.* 15. 49. E vita tamquam e theatro exire. ¶ 4. Item in jure *exire de potestate* vel *a potestate alicujus* dicitur qui liber fit. *Ulp. Dig.* 37. 4. 1. § 6.; *Paul. ibid.* 62.; et *Modestin. ibid.* 28. 6. 3. *V.* POTESTAS. — Similiter *Cic. Dom.* 14. 37. Exire e patriciis. *h. e.* ex ordine patricio ad plebejum transire.

Sic *exire de nomine familiæ*, vel absolute *de nomine* dicebantur monumenta sepulcralia, quæ exteros heredes e diversa familia ortos accipiebant. *Inscript.* apud *Gruter.* 762. 5. HOC AVTEM MONVMENTVM CVM AEDIFICIO NEQVE MVTABITVR, NEQVE LAEDIET, NEQVE DONABITVR, NEQVE PIGNORI OBLIGABITVR, SED NEC VLLO MODO ABALIENABITVR, NE DE NOMINE EXEAT FAMILIAE SVAE. *Alia* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 66. C. AVRELIVS APOLLOPHANES VIVVS SIBI, VXORI, FRATRI ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE LIBERORVMQVE EORVM ET POSTERISQVE FECIT ITA, NE DE NOMINE EXEAT. ¶ 5. Item de effectu, qui ex causa prodit. — *a*) De hominibus. *Cic.* 2. *Orat.* 22. 94. Isocrates magister istorum omnium, cujus e ludo, tamquam ex equo Trojano, meri principes exierunt. *Vellej.* 2. 82. 3. Fugam suam, quia vivus exierat, victoriam vocabat. *perchè l'avea portato fuori vivo.* — *b*) De inanimis. *Horat. Art. P.* 22. currente rota, cur urceus exit? *Cic.* 13. *Att.* 13. Libri quidem ita exierunt, — ut in tali genere ne apud Græcos quidem simile quidquam. *h. e. come una statua di bronzo esce dallo stampo di creta, uscirono i libri etc.* ¶ 6. Item de plantis ponitur pro germinare, pullulare. *Varro* 1. *R. R.* 45. 1. Primum plerumque e terra exit hordeum diebus septem, nec multo post triticum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (109). Formicæ semina arrosa condunt, ne rursus in fruges e terra exeant. *germoglino.* *Id.* 25. *ibid.* 4. 9. (28). Folia a radice exeunt. *spuntano* vel *comincia no.* *Colum.* 2. *R. R.* 10. 3. Lupinus agro limoso exit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (57). Fabæ in folia exeunt ac deinde caulem emittunt. — Et absolute *Colum.* 2. *R. R.* 11. 3. Ut vix ulla herba exeat. *Pallad.* 3. *R. R.* 4. Locus sata exit. *Val. Flacc.* 7. 549. Exit messis. ¶ 7. Interdum ponitur, fere apud Poetas, pro ascendere, erigi, in altum ferri. *Lucret.* 6. 896. Ignem exspirare foras exireque in auras. *Virg.* 2. *G.* 81. ingens Exiit ad cælum ramis felicibus arbor. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 8. (37). Palmis religant comas, ut in altitudinem exeant. Cf. *Stat.* 6. *Theb.* 838. sic grandibus alte Insurgens humeris hominem super improbus exit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 11. Nihil melius, quam quod est in consuetudine sermonis Latini, quum exisse ex potestate dicimus eos, qui effrenati feruntur aut libidine, aut iracundia. *et mox.* Qui igitur exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non sunt in potestate mentis, cui regnum totius animi a natura tributum est. Similiter *Id.* 4. *ibid.* 36. 77. Itaque iratos proprie dicimus exisse de potestate, id est de consilio, de ratione, de mente. *Petron. Satyr.* 99. Quotiescumque cœperis a te exire, sanguinem tibi a capite mittam. *impazzire.* — Sic pro liberari a re molesta, *sbrigarsi, uscire.* *Lucilius* apud *Non.* p. 296. 16. *Merc.* Exire ex ærumna. *Cic.* 11. *Phil.* 6. 13. ex ære alieno. — De verbis. *Cic.* 76. 255. Quantum pondus in verbis! quam nihil non consideratum exibat ex ore! *Nepos Timol.* 1. Nihil umquam neque insolens, neque gloriosum ex ore ejus exiit. — Et pro vulgari, emanare. *Cic. Rosc. Am.* 1. 3. Nequaquam similiter oratio mea exire atque in vulgus emanare poterit. Cf. *Plin. Paneg.* 75. Hoc vero et in vulgus exire et posteris prodi, ex utilitate publica fuit. et *Gell.* 12. 12. Ea res prodita est et in vulgus exivit. *Nepos Hann.* 9. Magnam secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. Et sequente Infinito *Nepos Datam.* 6. Si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum. *Sueton. Galb.* 20. Quod ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam suam, respondisse etc. *Id. Ner.* 53. Exiit opinio, descensurum eum ad Olympia inter athletas. ¶ 2. Speciatim de tempore ponitur pro desinere, ad finem venire. *Cic.* 1. *Divinat.* 25. 53. Quinto anno exeunte. *sul fine del quinto anno.* *Liv.* 4. 30. *ad fin.* Induciarum dies exierat. *era spirato.* Adde *eumd.* 30. 25. et 42. 47. *Id.* 9. 34. Censuræ dies exierat. Sic *Id.* 22. 33. stipendii dies. *Seneca Ep.* 8. Nullus mihi per otium dies exit. *mi passa.* *Plin. Paneg.* 68. Securus tibi et lætus dies exit. ¶ 3. De iis, quæ e memoria eiabuntur. *Seneca* 3. *Benef.* 38. Opus laudabile, numquam a memoria hominum exiturum. Et sequente Infinito *Liv.* 6. 37. An jam memoria exisse — quatuor et quadraginta annis neminem ex plebe tribunum militum creatum esse? ¶ 4. Item cum præpos. *extra, supra, in* et Accusat., est modum vel fines excedere, extendi, proferri, adeoque transire, mutari: ad rem *Lucan.* 8. 461. Emensus Cypri scopulos, quibus exit in Austrum. *s'estende verso mezzodì.* Sic *Id.* 5. 380. Appulus Hadriacas exit Garganus in undas. *Ovid.* 5. *Fast.* 189. Circus in hunc exit mensem. *viene a finire.* *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 37. (113). Nonaginta annis ante Praxibulum: quod tempus exit in Urbis nostræ ducentesimum sexagesimum nonum annum. *viene a cadere.* *Varro* 2. *R. R.* 1. 25. Vide, ne ovenæ istæ partes non exeant extra pecoris minoris ac majoris nomen. *Seneca Brevit. vit.* 6. Vestra vita, licet supra mille annos exeat, in arctissimum contrahetur. *Plin.* 2. *Ep.* 11. 18. Probationes in tertium diem exierunt. *tirarono innanzi sino etc.* — Similiter est dicendo egredi a proposito, *fare una digressione.* *Quintil.* 11. 2. 11. More poetis frequentissimo digressus, in laudes Castoris et Pollucis exierat. *Plin. Hist. nat. præfat.* § 2. Ut in quædam acta exeat. *affinchè io faccia menzione di certe cose già pubblicate.* Similiter *Quintil.* 4. 2. 51. Si tamen adhibitis his quoque artibus, in longum exierit ordo rerum, etc. *riuscirà lungo.* — Et pro mutari, transire. *Quintil.* 8. 6. 14. Continuus metaphoræ usus in allegoriam et ænigmata exit. *passa, si muta.* *Id.* 1. 5. 71. Verba repudiata etiam in jocos exeunt. *passano in ischerzo.* *Plin.* 7. *Hist. nat.* 19. 18. (79). Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quemdam torvitatemque naturæ. *Lucan.* 5. 409. rapiendi tempora belli In segnes exisse moras. *Id.* 3. 112. Exire in iram. *h. e.* irasci.

B) Cum Accusativo occurrit tantum apud Poetas, et apud prosæ scriptores post Augusti ætatem; et

I.) Proprie ¶ 1. Stricto sensu est prætergredi, excedere. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 18. Exire limen. *Ovid.* 10. *Met.* 52. donec Avernas Exierit valles. *Val. Flacc.* 4. 608. Exire flumen. ¶ 2. Prægnante, uti ajunt, significatione est vitare, declinare, *schivare.* *Virg.* 5. *Æn.* 438. Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit. *Lucret.* 5. 1324. feros exibant dentis adactus. *Id.* 6. 1215. procul absiliebat, ut acrem exiret odorem. *Id.* 6. 1205. exire profluvium sanguinis. *Virg.* 11. *Æn.* 750. vim viribus exit. *h. e.* viribus suis vim impetumque hostis avertit. Adde *Stat.* 6. *Theb.* 802.

II.) Translate. *Ovid.* 9. *Met.* 632. Quum pigeat tentasse, libet tentare; modumque Exit et infelix committit sæpe repelli. *h. e.* excedit. Et de tempore *Paul. Diac.* p. 28. 3. *Müll.* Ad exitam ætatem, ad ultimam ætatem.

EXEQUIÆ. *V.* EXSEQUIÆ.

EX EQUITE, m. qui fuit eques. *Inscript.* apud *Orell.* 3155. SEX. FITONIVS SEX. F. STE. MODESTVS BENEVENTO EX EQVITE ROMANO MILITAVIT IN LEG. VII. etc. Adde *aliam* apud *eumd.* 3154.

EXEQUOR, et similia. *V.* EXSEQUOR, etc.

EXERCEO, ces, cui, citum, cere, a. 2. Part. *Exercens* I. et II. 1. et 3.; *Exercitus* I., II. 3. et in fin.; *Exerciturus* I.; *Exercendus* II. 1. — Ratione habita etymi est ab *ex* et *arceo*, quia, ut ait *Forcellinus*, quæ exercentur, hæc est exculuntur, sub certa lege ac ratione coercentur continenturque: vel, ut recentiores philologi opinantur, quia exercere est ex clauso loco aliquid extrahere, in lucem proferre, excitare, atque adeo tractare atque opera versare. Alii volunt esse ab ἐξαργέω (simili τῷ εὐεργέω) sive ab ἐργάζεσθαι, idem significante, ab ἔργον opus: alii etiam ab ἐξαρκεῖν *exercere.* — Ceterum exercere, διαπονέω, est in opere detinere, colere, excolere, tractare, opere versare (It. *tenere in esercizio, lavorare, coltivare, maneggiare, trattare*; Fr. *mettre en activité, remuer, travailler, cultiver*; Hisp. *meter en actividad, revolver, trabajar, labrar, cultivar*; Germ. *beschäftigen, bewegen, bearbeiten*; Angl. *to labour, work, ply, cultivate*).

I.) Proprie occurrit apud Poetas, vel apud prosæ scriptores, qui post Augusti ætatem floruerunt. — *a*) De hominibus et brutis est, ut diximus, in opere detinere, *tenere in esercizio, far lavorare.* *Ter. Heaut.* 1. 1. 22. Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ, si sumas in illis (*servis*) exercendis, plus agas. *Id. Adelph.* 4. 2. 48. DE. Sed cesso ad eum pergere. SY. I sane, ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium. *Forcellinus* h. l. exercere accepit pro vexare. *Ulp. Dig.* 33. 7. 8. Homines qui agrum colunt, et qui eos exercent præpositive sunt his, quorum in numero sunt villici et monitores. *Virg.* 1. *G.* 210. Exercete, viri, tauros, serite hordea campis. Cf. *Sil. It.* 1. 363. *de falarica.* Dum penitus pluteis Vulcanum exercet adesis. *h. e.* applicat et quodammodo in pluteis comburendis laborare facit, fatigat. — *b*) Generatim de inanimis est excitare, movere, agitare, *mettere in movimento, eccitare.* *Plaut. Amph.* 1. 1. 168. MS. Gestiunt pugni mihi. SO. Si in me (*pugnos*) exerciturus, quæso in parietem ut primum domes. *Lucret.* 2. 96. nulla quies est Reddita corporibus primis per inane profundum; Sed magis assiduo varioque exercita motu — conflicta resultant. *Id.* 1. 863. corpora quia sunt exercita motu. *Id.* 2. 119. corpora — Conciliis et discidiis exercita crebris. *Virg.* 3. *G.* 529. Pocula sunt fontes liquidi atque exercita cursu Flumina. *Ovid.* 8. *Met.* 165. *de Mæandro.* Et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum Incertas exercet aquas. Cf. *Horat.* 4. *Od.* 14. 20. Indomitas undas exercet Auster. Similiter *Ovid. Heroid.* 15. 9. Indomitis ignem exercentibus Euris Fertilis accensis ignibus ardet ager. Huc pertinet et illud *Sall. Jug.* 74. Exercito corpore fessus, in lecto quiescebat. *h. e.* fatigato, *stancato*; quod fatigatio ex exercitio nascitur. — *c*) Speciatim de agris, et est colere, excolere. *Virg.* 7. *Æn.* 728. Litus arant Rutulosque exercent vomere colles Circæumque jugum. *Id.* 2. *G.* 356. Exercere solum presso sub vomere. *Id.* 1. *ibid.* 119. boumque in messem. *Id.* 10. *Æn.* 141. pinguia culta. *Horat. Epod.* 2. 3. rura bubus. *Pallad.* 2. *R. R.* 13. 2. agrum multis arationibus. *Plin.* 1. *Ep.* 20. Vineas, arbusta, campos curare et exercere. — Et figurate *Virg.* 10. *Æn.* 808. ut (*aratores*) possint sole reducto Exercere diem. *h. e.* exercendo et laborando transigere. — *d*) Item de iis, quæ arte aliqua tractantur atque opere versantur. *Virg.* 8. *Æn.* 424. Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro. *Ovid.* 6. *Met.* 145. exercet aranea telas. *Tac. Agric.* 31. Neque arva nobis, aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Huc referri potest et illud *Stat.* 1. *Silv.* 2. 166. Exercere formam. *h. e.* alere, fovere, excolere.

II.) Translate. ¶ 1. De hominibus eorumque facultatibus et corporeis et spiritualibus: significat autem vehementer excitare, motu et opere versare, facere ut agant, *mettere in forte movimento ed attività.* Porro hac significatione occurrit — 1.°) *Exercere aliquem* vel *aliquid in aliqua re, ad aliquid, aliqua re*, vel cum Accusativo tantum. — Cum addito Ablativo rei et præpos. *in.* *Cic. Brut.* 64. 230. Hortensius me adolescentem multos annos in studio ejusdem laudis exercuit. *Id. pro leg. Manil.* 10. 28. Quod genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna reipublicæ? *Id. Brut.* 90. 309. A Diodoto studiosissime in dialectica exercebar. *Id.* 1. *Orat.* 57. 244. In hoc genere pueri apud magistros exercentur omnes. *Sueton. Aug.* 16. Exercere milites in aliqua re. Rursus *Cic.* 6. *de republ.* 26. Exercere animi vim in optimis rebus. *Id.* 1. *Off.* 34. 122. Maxime autem hæc ætas a libidinibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 41. Nunc Mars externis animos exercet in armis. Huc referri possunt et illa

Cic. 1. *Orat.* 33. 149. Plerique in hoc vocem modo et vires exercent suas. *Virg.* 6. *Æn.* 642. In gramineis exercent membra palæstris. — Et *exercitus* pro *stupratus* apud *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 14. Ita petulans es atque acer, ut ne ad solarium quidem, ut mihi videtur, sed pone scænam et in ejusmodi locis exercitus sis. *Orellius* vero pro *exercitus* legit exercitatus. — Cum Accusativo rei et præpos. *ad.* *Plaut. fragm.* apud *Non.* p. 198. 24. *Merc.* Ad rem aliquam exercitus. *Cic. Orat.* 14. 46. Aristoteles adolescentes in thesi ad copiam rhetorum in utramque partem exercuit. *Id.* 1. *Cat.* 10. 25. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit. — Cum Ablativo rei sine præpos. *Ovid.* 6. *Met.* 375. Exercere linguas litibus. *Quintil.* 2. 4. 20. ingenium multiplici variaque materia. *Id.* 2. 4. 41. Facultatem dicendi his exercuerunt. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 193. manus parvis exercita furtis. — Cum Accusativo sine additis. *Cic. Brut.* 97. 332. Quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentissimus Græciæ? *Nepos Dion.* 9. Navem in portu agitari jubet, ut si exercere remiges vellet. *Cæs.* 5. *B. G.* 55. Induciomarus copias agere, exercere, a finitimis equos parare cœpit. *Flor.* 1. 3. Mirum in modum exercita juventute, provocare ausus Albanos. *Sueton. Rhetor.* 1. Exercere discipulos. *Catull.* 61. 235. juventam. Sic *Cæs.* 6. *B. G.* 23. Ea (*latrocinia*) juventutis exercendæ ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant. *Cic.* 1. *Off.* 23. 79. Exercendum corpus et ita afficiendum est, ut obedire consilio rationique possit. *Id.* 3. *Herenn.* 21. 34. Exercere ingenium. *Id. Senect.* 11. 38. Exercendæ memoriæ gratia. *Quintil.* 10. 5. 15. Exercere stilum. *Id.* 11. 3. 54. spiritum. *Seneca Ep.* 40. *circa med.* Exercere verba. *h. e.* exercere se ad copiam verborum et ad orationem extemporalem. — 2.°) *Exercere se* vel *exerceri* Mediorum more sæpe occurrit. — *Exercere se* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. Gravi judicio multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. *Id. Orat.* 28. 99. At vero hic noster, si ad hoc unum est natus, aut in hoc solo se exercuit, aut huic generi studet uni etc. *Id.* 1. *Orat.* 33. 152. Exercere se vehementissime in subitis dictionibus. *Id.* 9. *Att.* 4. 3. se in consultationibus. *Plaut. Most.* 4. 1. 5. Exercent sese ad cursuram, fugiunt. *Id. Rud.* 2. 6. 41. se ad velitationem. *Cic.* 1. *Orat.* 34. 154. se ad Ennii versus. *Id. Brut.* 71. 249. Se quotidianis commentationibus acerrime exercuit. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. se genere pugnæ. *Id.* 6. *ibid.* 28. se genere venationis. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 25. se saliendo. *Quintil.* 4. 2. 29. Cur non in utrumque protinus locum se exerceant? *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 40. Subduc cibum unum diem athletæ: Jovem Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit. *Id. Senect.* 9. 27. Quum athletas se exercentes in curriculo videret. — *Exerceri* Mediorum more apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 161. Ut exerceamur in venando. *Quintil.* 5. 13. 50. Ut in utrumque locum simul exerceamur. *Cic.* 6. *Att.* 1. 12. Ciceronis pueri amant inter se, discunt, exercentur. *Id.* 2. *Tusc.* 23. 56. Faciunt idem, quum exercentur, athletæ. *Quintil.* 3. 8. 70. Ne aliter exerceri velint. Huc referri potest et illud *Tac.* 3. *Ann.* 20. Impiger manu, exercitus militia. — 3.°) Et omisso Accusativo. *Cic.* 2. *Orat.* 71. 287. Quum, ceteris in campo exercentibus, in herba ipse recubuisset. ¶ 2. Usurpatur etiam de artibus, muneribus etc., itemque de animi affectibus. — a) De artibus, muneribus etc. est factitare, tractare, versari in aliquo munere administrando, *fare, esercitare.* *Cic. Cluent.* 63. 178. Instructam ei, medicinæ exercendæ causa, tabernam dedit. *Id.* 1. *Legg.* 4. 14. Nec vero eos, qui ei muneri præfuerunt, universi juris expertes fuisse existimo: sed hoc civile, quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populo præstare voluerunt. *far l'avvocato.* *Horat.* 1. *Ep.* 14. 44. Exercere artem. Adde *Quintil.* 3. 6. 18. Similiter *Id. Quintil.* 2. 1. 3. et 2. 15. 27. rhetoricen. *Id.* 4. 4. 6. eloquentiam. *Cic. pro leg. Manil.* 6. 16. Exercere vectigalia. *fare il gabelliere.* *Ulp. Dig.* 4. 9. 1. § 2. navem, cauponam, stabulum. Veneti vulgo dicunt *far andare una nave, un'osteria, uno stallaggio.* V. EXERCITOR. *Id. ibid.* 7. 1. 13. fodinas auri, argenti, sulphuris. *Id. ibid.* 28. 5. 35. *extr.* pecunias. *h. e.* fenus, ut loquitur *Paul. ibid.* 26. 7. 48., vel in merces insumere, unde augeantur. *Ter. Heaut.* 1. 1. 91. Exercere sumptum suum. *h. e.* exercendo se in aliqua arte sumptum sibi necessarium vitæ parare. Alii tamen aliter leg., et rectius: V. EXSARCIO. *Scævola Dig.* 20. 7. 58. negotiationem per libertos. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 30. (53). commercium turis. *Virg.* 1. *G.* 268. etiam festis quædam exercere diebus Fas et jura sinunt. *Id.* 4. *Æn.* 87. Exercere arma. *esercitar l'armi, esercitarsi nel mestiere dell'armi.* Sic *Val. Flacc.* 3. 161. pharetram et arcum. *adoperare.* *Sall. orat.* 2. *ad Cæs. circa med.* Malitia præmiis exercetur: ubi ea dempseris, nemo gratuito malus est. *Plaut. Pœn. prol.* 13. vocem. Similiter *Virg.* 1. *G.* 403. exercet noctua cantus. et 9. *Æn.* 62. agni balatum exercent. *attendono a belare.* *Id.* 1. *Æn.* 503. choros. *Liv.* 31. 26. populationem. *Cic. Arch.* 12. 32. judicium. *presiedere*, quod est prætoris, aut judicis quæstionis. *Id.* 2. *Fin.* 16. 54. quæstionem inter sicarios. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (47). regnum. *regnare.* Cf. *Virg.* 2. *G.* 370. imperia. *h. e.* imperare. *Id.* 6. *Æn.* 543. pœnas. *usare i castighi.* Huc referri potest et illud *Justin.* 20. 4. Exercere vitam separatam a ceteris civibus. *h. e.* agere. Item illud *Sil. It.* 11. 374. Exercere curas. *h. e.* agitare, in curis versari. — b) De animi affectibus in aliquem. *Cic.* 11. *Phil.* 3. 8. Exercere crudelitatem suam in aliquo. *sfogare.* *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 4. 13. inimicitias. Sic *Sall. Cat.* 49. graves inimicitias cum aliquo. *Id. ibid.* 51. gratiam aut inimicitias in tanta re. *Id. ibid.* 9. jurgia, discordias, simultates cum hostibus. *Ovid.* 9. *Met.* 275. odium in aliquo. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 2. iracundiam in superatos. *Liv.* 29. 17. scelus, libidinem, avaritiam in socios. *Id.* 6. 22. fœde victoriam in captis. Rursus *Cic.* 1. *Off.* 25. 88. facilitatem et lenitudinem animi. *usare, praticare.* *Id. ibid.* juris æquabilitatem. *Plin.* 1. *Ep.* 10. *ad fin.* justitiam. *Julian. Dig.* 39. 5. 1. liberalitatem et munificentiam. *Catull.* 68. 69. amores ad aliquam. *h. e.* erga aliquam. *Virg.* 4. *Æn.* 99. Exercere pacem et hymenæos. *h. e.* facere, jungere. *Plin. Paneg.* 21. Exercere nomen patris. *usare il nome di padre, far da padre.* ¶ 3. Ponitur etiam pro vexare, *travagliare.* *Lucret.* 5. 1422. aurum et purpura curis Exercent hominum vitam. *Cic.* 5. *Tusc.* 1. 3. Eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit. *Id.* 12. *Fam.* 4. 1. Nunc me reliquiæ vestræ exercent. *Id.* 13. *Att.* 22. 4. Te de prædio aviæ exerceri, moleste fero. *Virg.* 4. *Æn.* 622. Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum Exercete odiis. *Id.* 4. *G.* 453. Non te nullius exercent numinis iræ. *Id.* 6. *Æn.* 739. Exercentur pœnis, veterumque malorum supplicia expendunt. *Liv.* 39. 40. Simultates nimio plures exercuerunt eum, et ipse exercuit eas. *Plin.* 7. *Ep.* 6. Pertinacissime exercere optimum virum. — Huc pertinent et illa, in quibus exercere ponitur pro detinere, *tenere occupato.* *Sall. Cat.* 11. Primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat. *Virg.* 2. *G.* 415. incultique exercet cura salicti. — Item illud *Sil. It.* 1. 260. Exercere sitim. *h. e.* ipsam quodammodo sitim vexare, non explendo, sed tolerando. — Sæpe hoc sensu occurrit Part. præter. pass. *Plaut.* apud *Non. p.* 6. 4. *Merc.* Quæ sodalem atque me exercitos habet. *Cic. Mil.* 2. 5. Quid nobis duobus laboriosius, quid magis sollicitum, magis exercitum dici potest? *Id.* 1. *Att.* 11. 2. Candidati exerciti omnibus iniquitatibus. *Virg.* 3. *Æn.* 182. Nate Iliacis exercite fatis. *Id.* 5. *ibid.* 779. Venus exercita curis. *Ovid.* 7. *Met.* 634. Nox subit, et curis exercita corpora somnus Occupat. *Id.* 5. *Trist.* 5. 19. adversis probitas exercita rebus. — Hinc Part. præter. pass.

Exercitus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. et Sup. (*V.* in fin.): est autem laboriosus, gravis. *faticoso.* *Tac.* 1. *Ann.* 35. Finem tam exercitæ militiæ orabant. *Id.* 1. *ibid.* 17. Dura hiems, exercita æstas. Sic *Plin.* 7. *Ep.* 2. Æstatem inquietam exercitamque transcurrere. Sic *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Adjutoriis exercitioribus adhibendis. *h. e.* δραστικοῖς. — Quamquam hæc docet *Paul. Diac.* p. 81. 8. *Müll.* Exercitiorem, exercitissimum dicebant antiqui, sicut ab exercitato exercitatiorem, exercitatissimum. *Plinio* quoque 9. *Hist. nat.* 15. 18. (48). *exercitissimus* a quibusdam tribuitur: at *Harduin.* ex MSS. *exercitatissimus.* Ceterum Comp. occurrit etiam apud *Pelagon. Veterin.* 13. *ante med.* De fluvio (*equus*) bibat, quia exercitior (*aqua*) est. h. e. *più agitata, sbattuta.*

EXERCĬBĬLIS, e, adject. qui ad exercitationem pertinet. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. *a med.* Themison utitur exercitio, vel communiter regula exercibili.

EXERCĬO, ire. *V.* EXSARCIO.

EXERCĬO, is, ere, a. 3. idem quod exerceo. *Commodian.* 68. 1. Mysterium Christi, zacones, exercite caste. Hæc ex *Furlanetti Appendice;* ceterum monstra sunt vocabulorum.

EXERCĬTĀMENTUM, i, n. 2. esercitatio. *Apul. Florid.* n. 15. Montium documenta, corporum exercitamenta. *Theod. Priscian.* l. 2. *part.* 2. c. 8. Desistentibus aliquando jam febribus, etiam salsamenta ministro: tunc totius corporis exercitamentis, ut prius in palæstra, pro virium consideratione uti conveniet.

EXERCĬTĀTĒ, adverb. cum exercitatione. Comp. *Exercitatius* et Sup. *Exercitatissime* tantum occurrunt. *Seneca Ep.* 90. *a med.* Quæ ab imprudentissimis aut æque fieri videmus, aut peritius, aut exercitatius. *peritius* ad scientiam pertinet: *exercitatius* ad usum. *Arnob.* 3. 22. Neque enim traditor alicujus esse scientiæ potis est, ut non ejus, quod tradit, rationem teneat exercitatissime comprehensam.

EXERCĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exercendi se in re aliqua, usus, consuetudo, tractatio, meditatio (It. *esercizio;* Fr. *exercice, usage, habitude;* Hisp. *exercicio, uso, habito, habitud;* Germ. d. *Uebung, Ausübung, Geübtheit;* Angl. *exercise, use, custom, habit, practice*). Usurpatur — a) Generatim. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Germanos incredibili virtute atque exercitatione in armis esse. *Id.* 3. *ibid.* 19. Factum est virtute militum, superiorum pugnarum exercitatione. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 243. Quid tibi juris civilis exercitatio profuerit, non intelligo. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 15. 47. Hominem non ætate, sed usu forensi atque exercitatione tironem. *Id. Cæl.* 5. 11. Exercitatio ludusque campestris. *Id. Amic.* 5. 17. Magnum opus est, egetque exercitatione non parva. *Id. Senect.* 3. 9. Sunt arma senectutis artes exercitationesque virtutum. *Id.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Corpora nostra motu atque exercitatione recalescunt. *Id.* 1. *ibid.* 37. 102. Pueri, etiam quum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur. *Id.* 2. *Cat.* 5. 9. Catilina stuprorum et scelerum exercitatione assuefactus. *Id.* 1. *Off.* 18. 59. Capere consuetudinem exercitationemque rei alicujus. *Id.* 2. *Divinat.* 46. 96. Naturæ vitium meditatione atque exercitatione tollere. *Id. Senect.* 11. 38. Exercitationes ingenii, curricula mentis. *Id.* 4. *Fam.* 9. *sub fin.* Studia et exercitationes. *Id.* 2. *Nat. D.* 67. 168. Exercitationes rhetoricæ. *Id.* 3. *Fin.* 12. 41. Vir egregia exercitatione in dialecticis. — b) Speciatim in re oratoria. *Cic. Brut.* 97. 331. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illuc veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisses etc. *Id. Cæl.* 22. 54. Exercitatio usque dicendi. *Id.* 1. *Off.* 1. 1. Semper cum Græcis Latina conjunxi, neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci. *Quintil.* 2. 12. 11. Brevis dicendi exercitatio. *Id.* 2. 17. 12. Continua dicendi exercitatio. *Cic.* 3. *Orat.* 21. 94. Apud Græcos — videbam esse, præter hanc exercitationem linguæ (*h. e.* dicendi), doctrinam aliquam et humanitatem dignam scientia.

EXERCĬTĀTĪVUS, a, um, adject. ad exercitationem pertinens. *Boeth. Aristot. Topic.* 1. 9. p. 667. Neque vero oportet ea considerare, quorum propinqua est demonstratio, neque quorum valde longinqua; nam illa quidem non habent dubitationem, hæc autem magis, quam secundum facultatem exercitativam. *h. e.* majorem, quam ut eam ferre possit exercendi consuetudo.

EXERCĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui alium in re quapiam exercet. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (121). Pythagoras exercitator primus ad carnes athletas transtulit. *Id.* 35. *ibid.* 11. 40. (139). Lecythion agilitatis exercitator. *Inscript.* apud *Don. cl.* 6. *n.* 40., quæ est apud *Orell.* 3498. EXERCITATOR EQVITVM PRÆ*torianorum.* Alia apud *Gruter.* 1102. 4. EXERCITATOR EQVITVM SPECVLATORVM PRINCIPIS. Adde *alias* apud *Orell.* 3413. et apud *Henzen.* 5508., 5603. et 6767.

EXERCĬTĀTŌRIUS, a, um, adject. ad exercitium pertinens. *Inscript.* in *Transact. philos.* *T.* 53. p. 134. BASILICAM EQVESTREM EXERCITATORIAM IAMPRIDEM A SOLO COEPTAM AEDIFICAVIT.

EXERCĬTĀTRIX, Icis, f. 3. quæ exercet. *Quintil.* 2. 15. 25. Duas partes civilitatis corpori assignat, medicinam, et quam interpretantur exercita-

tricem: adulationem autem medicinæ vocat coquorum artificium, et exercitatricis, mangonum, qui colorem fuco et verum robur inani sagina mentiuntur. *V.* MANGO. Porro *exercitatrix* est ars gymnastica: *V.* quæ adnotata sunt ad *Ammian.* 30. 4. 3. edente *Valesio.*

EXERCĬTĀTUS, a, um. *V.* EXERCITO.

EXERCĬTĒ, adverb. Occurrit tantum Comp. *Exercitius* apud *Apul.* 11. *Met. ad fin.* Mecum ipsas cogitationes exercitius cogitabam. *h. e.* frequentius et attentius.

EXERCĬTĬO, ōnis, f. 3. exercitatio: ab *exercitus*, ut *Paul. Diac. p.* 81. 8. *Müll.* docet. *Cato* apud *Gell.* 11. 2. *extr.* Vita humana prope uti ferrum est. Si exerceas, conteritur; si non exerceas, tamen robigo interficit. Item homines exercendo videmus conteri; si nihil exerceas, inertia plus detrimenti facit, quam exercitio. *Ulp. Dig.* 14. 1. 1. § 20. Ad summam reipubl. navium exercitio pertinet. *Papinian. ibid.* 1. 21. 1. Magistratus publici judicii habent exercitionem.

EXERCĬTĬUM, ii, n. 2. exercitatio. *Sall. fragm.* apud *Veget.* 1. *Milit.* 9. *extr.* Frequentibus exercitiis præparare milites ad prælia. *Tac.* 2. *Ann.* 55. Exercitio equitum interesse. *Vellej.* 2. 109. Imperium perpetuis exercitiis ad Romanæ disciplinæ formam redactum. *Gell.* 3. 1. *ad fin.* Alicujus rei vel studio vel exercitio teneri. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 14. *a med.* Omnis motus ad exercitium sui instrumento eget. *Lactant. de C. D.* 5. 11. Oratorio exercitii genere in utramque partem disserendi.

EXERCĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *intensivum ab* exerceo. Part. *Exercitatus* in fin. — Exercitare est vehementer vel plurimum exercere, *esercitare con frequenza o con forza. Sall.* 2. *orat. de republ. ordin.* 18. Corpus atque ingenium patriæ, non suæ quisque potentiæ, exercitabat. *Quintil.* 2. 10. 9. Quamlibet per alia in scholis exercitati sumus. *Mela* 2. 1. 5. Achilles ibi se ac suos cursu exercitavisse memoratur. — Hinc Part. præter. pass.

Exercitatus, a, um, sæpissime occurrit, et adjective usurpatur, unde Comp. *Exercitatior* 1. et 2.; Sup. *Exercitatissimus* 1.; et ¶ 1. Est qui se in re aliqua diu et multum exercuit, *esercitato, versato, pratico,* μελετηρός, ἐκπεπονημένος. — a) Cum Ablat. rei et præpos. *in. Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 31. 110. Si res, in quibus versatus exercitatusque sit, nescire se dicat. *Id. Quinct.* 1. 3. Homo et in aliis causis exercitatus et in hac multum et sæpe versatus. *Id.* 14. *Att.* 12. *extr.* Homo remotus a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatus. *Id.* 1. *de republ.* 6. Exercitatus in illo genere. *Id. Fontej.* 14. 31. in re militari. *Id. Cluent.* 19. 52. in uxoribus necandis. *Id. Mur.* 9. 22. in propagandis, in regendis finibus. *Id.* 6. *Phil.* 6. 17. An sum rudis in re publica? quis exercitatior? *Id. pro leg. Manil.* 18. 55. Carthaginienses homines in maritimis rebus exercitatissimi paratissimique. *Cæs.* 1. *B. C.* 57. Homines in armis exercitati. Sic *Id.* 1. *B. G.* 36. Germani exercitatissimi in armis. — b) Cum Ablativo sine præpos. *Cic.* 6. *de republ.* 26. Sunt optimæ curæ de salute patriæ, quibus agitatus et exercitatus animus etc. *Id.* 2. *leg. Agr.* 31. 84. Illi miseri, plebis subigendis exercitati. *Cæs.* 2. *B. G.* 20. Milites superioribus præliis exercitati. Cf. *Nepot. Epam.* 5. Exercitatus bello. *Quintil.* 5. 10. 123. Animi studio exercitata velocitas. — c) Cum Accusativo et præpos. *ad. Cic.* 2. *Off.* 15. 53. Paratiores erunt et tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. *Id.* 7. *Verr.* 54. 142. Lictores valentissimi, et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi. — d) Absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 42. 93. Etrusci ostentorum exercitatissimi interpretes. *Nepos Agesil.* 3. Ornatissimum et exercitatissimum exercitum habere. *Id. Iphicr.* 2. Nollte neque exercitatiores copiæ, neque magis dicto audientes fuerunt. *Veget.* 1. *Milit.* 1. *ad fin.* In certamine exercitata paucitas ad victoriam promptior est; rudis et indocta multitudo exposita semper ad cædem. — e) Et substantivorum more. *Varro* apud *Non. p.* 88. 14. *Merc.* Exercitato videri somnum suavem, *a chi ha molto lavorato.* ¶ 2. Item agitatus, vexatus, exercitus, *agitato. Horat. Epod.* 9. 31. Syrtes exercitatæ Noto. *Petron. Satyr.* 83. Senex exercitati vultus. *Tac. Agric.* 5. Non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit.

EXERCĬTOR, ōris. m. 3. ¶ 1. Est exercitator, qui in re aliqua quempiam exercet. *Plaut. Trin.* 4. 3. 9. Curculio est exercitor: is hunc hominem cursuram docet. *Id. ibid.* 2. 1. 2. Egomet me macero et defatigo: magister mihi exercitor animus hinc est. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 14. *a med.* Exercitor corporum valentiam luctatoribus præstat. ¶ 2. Item qui quæstus causa artem aliquam exercet. *Ulp. Dig.* 14. 1. 1. Exercitor navis. *h. e.* ad quem obventiones et reditus omnes locatæ navis perveniunt, sive is dominus navis sit, sive a domino navem per aversionem conduxit: ut *Id. ibid.* definit. *Cajus* 1. *Instit.* 71. Exercitor vocatur is, ad quem cotidianus navis quæstus pervenit. *Id. Dig.* 14. 7. 4. *extr.* Exercitor cauponæ, aut stabuli. *Ulp. ibid.* 4. 9. 1. De exercitoribus ratium, item lintrariis nihil cavetur. *Inscript.* apud *Gruter.* 402. 5. EXERCITORES RATIVM VLPIANORVM.

EXERCĬTŌRĬUS, a, um, adject. ¶ 1. Est ad exercendum pertinens. *Tertull. Pœnit.* 12. Exercitoria jacula. ¶ 2. Item ad exercitorem, seu negotiatorem pertinens, ut exercitoria actio. *African. Dig.* 14. 1. (qui de hac ipsa re inscribitur) 7., *h. e.* quæ datur v. gr. naviganti in exercitorem navis, etc. Cf. locum *Caji* allat. in voc. præced. 2.

EXERCĬTUĀLIS, e, adject. ad exercitum pertinens. *Ammian.* 23. 5. Etrusci haruspices, prolatis libris exercitualibus, ostendebant, signum hoc esse prohibitorium. *h. e.* qui de ostentis tractabant, quæ ad expeditiones militares pertinent. *Al. leg.* ritualibus. *Cassiod.* 11. *Variar.* 1. Exercitualis vir. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 1. *Id. præfat. Variar.* Exercitualis expensa. Sic *Id.* 3. *ibid.* 40. De illis, quæ constant intacta, exercitualis juventus expensæ. Adde *eumd. ibid.* 41. et 42. *Id.* 8. *ibid.* 21. Fuerunt apud illum virtutum omnium virum exercitualia vel parata servitia.

EXERCĬTUS, a, um. *V.* EXERCEO.

EXERCĬTUS, us, m. 4. *Exerciti* in Genitivo. *Accius* apud *Non. p.* 485. 16. *Merc.* Quo revores summam exerciti. *Varro* apud *eumd. ibid.* Pro salute exerciti. Adde *Navium* apud *Charis.* 1. *p.* 103. *Putsch.*, et nummos Aureliani, Cari et Carini Imppp. apud *Mediobarb.* et *Musel.* — Item tienit. *Exercituus* legitur in *Inscript.* apud *Orell.* 3922. — *Nonius* loc. cit. punit etiam *exercitūis*, sed nullo exemplo confirmat. — Ceterum *exercitus* ab *exerceo*

I.) Proprie est exercitatio, *esercizio,* γυμνασία. *Plaut. Rud.* 2. 1. 7. Pro exercitu gymnastico et palæstrico hoc habemus: echinos, lopadas, ostreas, balanos etc.

II.) Translate. ¶ 1. Concrete, uti ajunt, sensu significat militum copias, στρατός, ab *exerceo*, quia, ut ait *Varro* 5. *L. L.* 87. *Müll.*, exercitando fit melior. Hinc *Veget.* 2. *Milit.* 1. Exercitus ex re ipsa atque opere exercitii nomen accepit, ut ei numquam liceret oblivisci, quod vocabatur. *Ulp. Dig.* 3. 2. 2. Exercitum non unam cohortem, neque unam alam dicimus, sed numeros multos militum. Nam exercitui præesse dicimus eum, qui legionem vel legiones administrat (It. *esercito*; Fr. *armée, corps de troupes, troupes*; Hisp. *armada, cuerpo de tropas*; Germ. *das Heer, Kriegsheer, die Armee*; Angl. *an army*). Occurrit — a) Generatim. *Ennius* 14. *Ann.* 13. Horrescit telis exercitus asper utrimque. *Cic. Mur.* 15. 32. Maximus et fortissimus exercitus. *Id. pro leg. Manil.* 21. 61. Exercitum difficili reipublicæ tempore conficere. Adde *eumd.* 5. *Phil.* 16. 43. *Id.* 5. *Phil.* 13. 36. et 4. *ibid.* 3. 6. conscribere et comparare contra aliquem. *Id.* 3. *ibid.* 8. 23. paucis diebus facere. *Liv.* 2. 43. scribere. *Cic.* 4. *Phil.* 6. 15. conflare. *Sall. Cat.* 30. parare. *Id. Jug.* 10. cogere. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. contrahere. *Cic. Prov. cons.* 2. 5. superbissimo delectu et durissima conquisitione colligere. *Curt.* 8. 4. movere ex hibernis. *Id.* 4. 9. trajicere. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. traducere. *Cic. Mur.* 9. 20. ducere, *essere capitano. Sall. Cat.* 11. et 17. ductare. *Varro* 5. *L. L.* 87. *Müll.* Exercitui præire. *Cic. pro leg. Manil.* 21. 61. præesse. *Varro* 6. *L. L.* 32. *Müll.* Exercitum fugare. *Liv.* 2. 12. fundere. *Val. Max.* 3. 2. n. 8. hostium rumpere. *Cic.* 15. *Fam.* 4. dissipare. et *ibid.* dimittere in hiberna. et *ibid.* in viris caplis collocare. *Liv.* 2. 9. Infesto exercitu Romam venit. *Id.* 1. 10. Hostibus fit obviam cum exercitu Romulus. — *Exercitus imperatus* et *remissus* quid significet, *V.* in IMPERO. — b) Speciatim. *Nepos Eumen.* 4. Pedester exercitus. *fanteria. Virg.* 11. *Æn.* 598. equitum exercitus. *cavalleria.* — Interdum tamen *exercitus* de solo peditatu dicitur, quum *equitatui* opponitur. *Cæs.* 2. *B. G.* 11. Insidias veritus, exercitum equitatumque castris continuit. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 61. et 1. *ibid.* 48.; et *Liv.* 30. 36. et 40. 52. V. *Drakenborg* ad *Liv.* 28. 1. — Item *exercitus* pro copiis terrestribus occurrit, quum *classi* opponitur. *Liv.* 28. 42. Eodem tempore et exercitus ostendebatur et classis intrabat portum. ¶ 2. A Poetis dicitur de quacumque multitudine. *Virg.* 1. *G.* 382. Corvorum increpuit densis exercitus alis. *Id.* 5. *Æn.* 824. Phorcique exercitus omnis. *Sil. It.* 11. 413. Mittit se cælo niveis exercitus alis. *h. e.* turba Cupidinum. — De multitudine urbana *Varro* 6. *L. L.* 93. *Müll.* Ad comitia tum vocatur populus, ideo quod alia de causa hic magistratus non potest exercitum urbanum convocare. *Gronov. l.* 1. *observat. c.* 1. multa hac de re. Hæc *Forcellinus.* At hic sermo est de militia. *V.* integrum locum. ¶ 3. Abstracte pro labore, angore, cruciatu, *travaglio. Plaut. Cist.* 1. 1. 60. Noli, obsecro, lacrimis tuis mihi exercitum imperare. *Alii aliter.* V. *Gronov. loc. sup. cit.*

EXERO. *V.* EXSERO.

EXERRĀTIO, ōnis, f. 3. Legitur a quibusdam apud *Gell.* 15. 2., ubi alii *exercitio,* alii melius *exercitatio.*

EXERRO, as, are, n. 1. (*ex et erro*) extra erro, decerro, aberro.

I.) Proprie. *Stat.* 6. *Theb.* 444. dum non cohibente magistro, Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion. *h. e.* ad dexteram deflectit. *Arion* est nomen equi.

II.) Translate. *Cyprian. Ep.* 1. 12. Exerrare e via veritatis. *Vulgat. interpr. Sap.* 12. 2. Eos, qui exerrant, partibus corripis: ut relicta malitia, credant in te, Domine. *Vulgat. Ital.* (ed. *A. Mai.*) *Deuter.* 4. 19. Ne respicientes in cælum, et videntes solem et lunam aut stellas et omnia ornamenta cæli, exerretis et adoretis ea.

EXERTUS. *V.* EXSERTUS.

EXĔRUGO, is, ere, a. 1. Vetus quidam Grammaticus apud *Hieron. Columna.* asserens *eructo* ab *erugo* derivari, producit hunc *Ennii* versum: Contempsit fontes, quibus exerugit aquæ vis. *Al. mallent* exaruit pro exaruit. *At legendum est* quibus ex erugit aquæ vis. *V.* ERUGERE.

EXĔSOR, ōris, m. 3. qui exedit. *Lucret.* 4. 220. Æstus ab undis Æquoris exesor murorum litora circum.

EXESTO, extra esto. Sic enim lictor in quibusdam sacris clamitabat: hostis, vinctus, mulier, virgo exesto. Scilicet interesse prohibebatur. Hæc *Paul. Diac. p.* 82. 8. *Müll.*

EXĒSUS, a, um. *V.* EXEDO.

EX ĒVOCĀTO, m. qui in militia fuit evocatus. *Inscript.* apud *Orell.* 3491. D. M. S. FADNIO PATERNO EX EVOKAT. QVI SE PROBAVIT AN. XVII. MILITAVIT COH. XI. etc. *Alia* apud *Henzen.* 6815. D. M. IVL. CONCESSO VETERANO EX EVOCATO NATIONE BETVS VIXIT ANNOS XLVIII. etc. Adde *aliam* apud *Orell.* 1983. — *Alia* apud *Henzen.* 5858. DEO SANCTO COCIDIO PATERNVS MATERNVS (*hoc nomen est corruptum, vel male lectum*) TRIBVNVS COH. I. NERVANE (*corrige* NERVIORUM AVGVSTÆ) EX EVOCATO PALATINO V. S. L. M. *Henzen.* adnotat: Primum, quod equidem sciam, hujus muneris exemplum.

EXFIBULO, as, are, a. 1. fibula solvo. *Prudent. Psychom.* 633. et avulsis exfibulat illa zonis, Vestis et usque pedes descendens defluit imos.

EXFILĀTUS, exsertus. *V.* EFFAFILATUM et EXPAPILLATUS.

EXFIR. *V.* voc. seq. in fin.

EXFIT, purgamentum: unde adhuc manet suffitio. *Paul. Diac. p.* 79. 13. *Müll.*, ad quæ verba adnotant critici, illud *exfit* esse a θύω *sacrifico*: unde *exfio* inusitat., et *suffio* et *suffimentum.* Porro *exfit* nominis vice ponitur: estque genus suffimenti ex sale sordido, sed excocto purgatoque: unde purgamentum a *Paul. Diac.* dicitur. *Fabius Pictor* apud *Non. p.* 223. 16. *Merc.* Exfit est sale sordidum, quod ustum est, et in ollam rudem fictilem (*lege* fictilem) adjectum est, et postea id sal Virgines Vestales serra ferrea secant. Hæc *Fabius.* Hoc idem sal videtur esse, de quo *Paul. Diac. p.* 159. 10. *Müll.* hæc tradit: Muries dicebatur sal in pila tunsum, et in ollam fictilem (*al.* fritilem) conjectum et in fur-

no perroctum, quo dehinc in aquam misso Vestales Virgines utebantur in sacrificio. *Servius* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 82. sal coctum appellat: eoque admisto cum farre tosto, tunso et molito molam ter in anno fieri a Vestalibus docet. Hucusque *Forcellinus* ex *Scalig. Conject.* in *Varron. L. L.* 48. 19. Ceterum *exfit* legunt deteriores Codices, meliores vero *exfir*, ut affirmat *Müllerus* ad *Paul. Diac. loc. cit.* Prieterea nullius momenti sunt, quæ ex *Fabio Pictore* afferuntur; ibi enim, pro *exfit est*, rectius nunc legitur *muries fit*. V. plura apud *Müll.* ad *Paul. Diac. locc. citt.*

EXFŌDIO pro *effodio* quidam leg. apud *Plaut. Aulul.* 4. 8. 9., et *exfossus* legitur apud *Cic.* 2. *de rep.* (edente *A. Maio*) 36.

EXFŌLIO, as, are, a. 1. folia decerpo. *Apic.* 1. 2. Exfoliare rosas.

EXFORNĬCĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *exfornicor*, valde et sæpe fornicatus. Translate *Vulgat. interpr. Ep. Jud.* 7. Finitimæ civitates simili modo exfornicatæ.

EXFRĔTAT, navigat. *Gloss. Isid.*

EXFRĬCO. *V.* EFFRICO.

EXFUNDĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *exfundo*, funditus eversus. *Cæl. Antipater* apud *Non. p.* 108. 10. *Merc.* Exfundato pulcherrimo oppido.

EXFŪTI, effusi, ut *mertat* pro *mersat*. *Paul. Diac. p.* 81. 10. *Müll. V.* EFFUNDO; et quæ dicta sunt in littera T.

EXFŪTŪTUS, a, um, particip. ab inusit. *exfutuo*, futuendo exhaustus. *Catull.* 6. 13. Cur nunc tam latera exfututa pandas.

EX GLADIATORE, indeclin. m. qui gladiator fuit. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 6. 105. Sergiolum nomine ex gladiatore amavit, qui et Ludor dictus est, quia sit diu demoratus in ludo: qui ut requiem gladiaturæ haberet, bellonarium se fecerat: quo mos est in talibus sacris lacertos suos secare.

EXGRĔGIÆ, egregiæ, idest e grege lectæ. *Paul. Diac. p.* 80. 17. *Müll. V.* EGREGIUS.

EXGRŪMANS *vel*

EXGRŪMĬNANS, antis, grumos eruens, vel ex grumis exsiliens. *Varro* 3. *R. R.* 14. 3 *de cochleis.* Ipsæ exgruminantes ad propolam vitam diu producunt. *Al. leg.* exgrumantes, *alii* exruminantes, *alii denique* ex se ruminantes: h. e. ruminando suo sibi succo vitam diu producentes; quam postremam lectionem ex *Gesneri* conjectura habet ipse *Schneider.*, quem videsis ad h. l.

EX GŬBERNĀTORE, m. qui in re navali militari fuit gubernator. *Inscript.* apud *Henzen.* 6883. D. M. CL. GALLICANVS DIOCLES VETERANVS EX GVBERN. BIXIT ANNIS LXXV. etc.

EXGURGITO. *V.* EGURGITO.

EXHÆRĒDO et similia. *V.* EXHEREDO.

EXHĀLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exhalandi, expiratio, vaporis tenuis emissio; itemque ipse vapor emissus et in aera sublatus. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. Cælum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur, quod et humidum et caliginosum est, propter exhalationes terræ. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 27. (45). Exhalatio nebulosa. Adde *Senec.* 2. *Quæst. nat.* 10.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 7. 4. *Nazar. Paneg.* 11. *ad fin.* Exhalatio maris. *Theod. Priscian.* l. 2. *part.* 2. c. 1. Quando autem ab exhalatione inferiorum, quam ἀναθυμίασιν appellamus, caput fuerit sollicitatum etc.

EXHĀLĀTUS, a, um. *V.* EXHALO.

EXHĀLĀTUS, us, m. 4. exhalatio. *Capell.* 2. *p.* 40. Aer ex calore superno atque exhalatu madoreque infero turbidatus.

EXHALITUS, us, m. 4. halitus foras expressus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 165., ubi legitur etiam sine aspiratione.

EXHĀLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* halo). Part. *Exhalans* et *Exhalatus* sub *A.* — Exhalare, ἐξατμίζω, est halando emittere, exspirare, efflare (It. *esalare, spirare*; Fr. *exhaler, rendre par le souffle, evaporer*; Hisp. *exhalar, vahar, evaporar*; Germ. *aushauchen, ausdünsten, ausdampfen*; Angl. *to breathe out, exhale*). Occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active, seu cum Accusativo. *Lucret.* 5. 464. Exhalantque lacus nebulam fluviique perennes. Sic *Virg.* 2. *G.* 217. terra, Quæ tenuem exhalat nebulam fumosque volucres. *Ovid.* 11. *Met.* 595. nebulæ exhalantur humo. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 42. 12. (111). Fumidam a terra exhalari caliginem, certum est. *Id. ibid.* 93. 95. (208). Scrobes mortiferum spiritum exhalantes. *Varro* 2. *R. R.* 2. 12. Pruina jam exhalata, propellunt in pabulum. *h. e.* quum evanuit. *Cic.* 2. *Phil.* 12. 30. et 3. *Verr.* 11. 28. Edormire et exhalare crapulam. *Id.* 2. *Phil.* 17. 42. Exhalandi vini causa declamitare. *per isfumare, o digerire.* Cf. *Lucilius* apud *Non. p.* 164. 33. *Merc.* exhalas acidos ex pectore ructus. *Lucret.* 2. 417. ara exhalat odores. *Ovid.* 15. *Met.* 343. de *Ætna.* Spiramenta locis flammam exhalantia multis. *Virg.* 2. *Æn.* 562. Exhalare vitam. *Ovid.* 6. *Met.* 247. animam. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 62. et 7. *ibid.* 861. Sic *Id.* 11. *ibid.* 43. In ventos anima exhalata recessit. *Sil. It.* 10. 153. exhalare supremam lucem in auras. *esalar l'anima.* — Absolute etiam usurpat *Ovid.* 7. *Met.* 582. Hic illic ubi mors deprenderat exhalantes. *scil.* animam, ut etiam apud Italos *spirare.*

B) Neutrorum more. *Lucret.* 3. 434. ubi cernimus alta Exhalare vapore altaria, ferreque fumum. *Stat.* 10. *Theb.* 108. exhalant vestes et corpore pigro Strata calent.

EXHAURĬO, hauris, hausi, haustum, haurire, a. 4. (ex *et* haurio). Part. *Exhaustus* in omnibus paragr. et in fin.; *Exhausturus* I.; *Exhauriendus* II. 3. — Exhaurire, ἐξαντλέω, est extra haurire, hauriendo extrahere, hauriendo vacuefacere (It. *cavar fuori attingendo, attingendo vuotare*; Fr. *épuiser, vider en puisant, tarir*; Hisp. *agotar*; Germ. *ausschöpfen, schöpfend ausleeren*; Angl. *to draw out*).

I.) Proprie de fluidis dicitur. *Cic. Senect.* 6. 17. Quum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant. Cf. *eumd.* 1. *Cat.* 5. 12. *Id.* 2. *Phil.* 25. 63. Tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset vomere. *h. e.* ebiberas, *avevi tracannato. Forcellinus* hunc locum inter translata retulit. *Propert.* 4. 9. 63. exhausto jam flumine vicerat æstum. Rursus *Cic. Cluent.* 11. 31. Exhaustum poculum. *Auct. B. G.* 8. 43. Ad postremum cuniculis venæ fontis intercisæ sunt atque aversæ: quo facto exhaustus repente perennis exaruit fons. *seccato.* Sic *Stat.* 3. *Theb.* 259. exhausti solibus amnes. Cf. *Seneca Ep.* 51. Quid mihi cum sudatoriis, in quæ siccus vapor corpora exhausturus includitur?

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de iis, quæ non sunt fluida, et est extrahere, vacuefacere, exinanire. — *a*) De solidis, et præcipue de pecunia publica. *Cæs.* 5. *B. G.* 41. Manibus sagulisque terram exhaurire cogebantur. *Horat. Epod.* 5. 30. Veja ligonibus duris humum exhauriebat. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 36. 98. Quum omnem pecuniam ex ærario exhausissetis. *Id. Vatin.* 2. 5. Exhaurire ærarium, rempubl. compilare. Sic *Id.* 3. *Verr.* 70. 164. Inops et exhaustum ærarium. *Id. Pis.* 21. 48. Præda, quam ex fortunis publicanorum, ex agris urbibusque sociorum exhauserat. *h. e.* extorserat, abstulerat, eripuerat. *Liv.* 10. 44. Oppidum diripiendum militi dedit: exhaustis deinde tectis ignem injecit. — *b*) Similiter de hominibus, qui suis rebus spoliantur. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 2. Non itineribus tuis perterreri homines, non sumptu exhauriri. *spogliarsi, impoverirsi. Id.* 6. *Att.* 1. Provincia sumptibus et jacturis exhausta. *Liv.* 6. 3. Plebs exhausta impensis. *Id.* 37. 19. Exhaurire commeatibus præbendis socios. *smungere. Plin.* 5. *Ep.* 1. *a med.* Heredem legatis ita exhaurire, ut non amplius, quam pars quarta remaneat. Huc referri potest et illud *Nepot. Hann.* 6. Exhaustis jam patriæ facultatibus. *consumate, esauste.* Cf. *Justin.* 5. 9. Miseras urbis reliquias cædibus et rapinis exhauriunt. *consumano, distruggono.* — *c*) De pluribus aliis. *Cic. Sext.* 37. 80. Plaga una illa extrema defuit, quæ, si accessisset, reliquum spiritum exhausisset. *avrebbe estratto il restante di vita.* Sic *Id. ibid.* 21. 48. Vitam sibi manu exhaurire. *trarsi l'anima di corpo. Ovid.* 1. *Met.* 443. Exhausta pharetra. *vuotata. Sueton. Cæs.* 79. Exhausta delectibus Italia. Cf. *Lucan.* 3. 181. Exhausit totas quamvis delectus Athenas. *votò d'uomini. Curt.* 4. 14. Ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam et exhaustam. Hinc hyperbolice et poetice *Stat.* 2. *Theb.* 633. singultibus arctum Exhaurit thoraca dolor. *h. e.* pæne vacuefacit, contrahente se pectore propter singultus. *Id.* 10. *ibid.* 167. trepidas incerto sanguine reddit Exhauritque genas. *rende pallide ed esangui. Id.* 1. *Silv.* 1. 33. cītius genitrix Sipyleia fertur Exhausisse genas. *h. e.* vacuasse lacrimis et flere desiisse. *Id.* 5. *Theb.* 562. nam mollia colla refusus In tergum serpens venientem exhauserat ictum. *h. e.* vacuum irritumque reddiderat. *Id.* 10. *ibid.* 295. jam tædet inanes Exhaurire minas. *sfogarsi in minaccie.* — *d*) Specialim de viribus. *Plin.* 2. *Ep.* 19. Exhaurire vires. *snervare.* Cf. *Curt.* 8. 14. Exhaustæ erant vires, deficiebatque sanguis. — Hinc apud æquioris ævi scriptores Part. *Exhaustus* sæpe est fatigatus, absumptus viribus, confectus, defectus, effetus. *roto, esausto di forze, finito, indebolito. Curt.* 4. 16. *sub fin.* Manus fatigatas tantoque cursu corpora exhausta. *Vellej.* 2. 21. Exhaustus bello exercitus. *Lucan.* 4. 638. exhausti sudoribus artus. *Id.* 9. 171. Exhausta lacrimis. *Id.* 2. 340. Visceribus lassis, partuque exhausta revertor. *Stat.* 5. *Theb.* 120. pariterque exhausta quierant Flamina. *Id.* 10. *ibid.* 383. exhaustasque dolent pallere tenebras. ¶ 2. Per metaphoram ponitur pro *estinguere*, delere. *Cic.* 9. *Fam.* 14. 4. Libentius omnes meas laudes ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis. *h. e.* delieverim, detraxerim, deminuerim. *Id.* 5. *ibid.* 16. 4. Non facile exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto. *h. e.* adimi, levari. — Sic *exhaurire æs alienum* est dissolvere. *Liv.* 7. 21. *ad fin.* Tarda nomina aut ærarium dissolvit, aut æstimatio æquis rerum pretiis liberavit: ut non modo sine injuria, sed etiam sine querimoniis partis utriusque exhausta vis ingens æris alieni sit. — Huc pertinet et illud *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 14. Scurra exhausto rubore. *h. e.* qui omnem pudorem abjecit. ¶ 3. Item pro finire, ad finem usque consumere, ad finem perducere, perficere. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Att.* 21. 4. Tantus fuit amor, ut exhauriri nulla posset injuria. *h. e.* tolli, auferri, deleri. *Id.* 4. *ibid.* 2. 7. Amicorum benignitas exhausta est in ea re, quæ etc. *Id.* 3. *Orat.* 26. 102. In quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumpta superiore motu et exhausta. *Id.* 1. *Att.* 18. 1. Multa sunt, quæ me sollicitant anguntque, quæ mihi videor, aures nactus tuas, unius ambulationis sermone exhaurire posse. *h. e.* effundere atque enarrare omnia, atque adeo, te consilium consolationemque præbente, levari. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 1. Exhaustus est sermo hominum et multa emissæ jam ejusmodi voces etc. — *b*) Specialim *exhaurire mandata* est omnia ad unum exsequi, et quasi persequendo et conficiendo consumere, *eseguire pienamente tutte le commissioni. Cic.* 5. *Att.* 13. 3. Deinde exhauri mea mandata: maximeque si quid potest, de illo domestico, scrupulum, quem non ignoras. *e spezialmente cavami quello scrupolo* etc. *Id. ibid.* 6. 2. Mandavi omnia: quæ quidem tu, ut polliceris, exhauries. — *c*) Item specialim *exhaurire labores, pericula* etc. est excipere, subire, exsequi, peragere, ea ratione, qua dicimus *exanclare labores* etc. *Liv.* 21. 21. Quies inter labores aut jam exhaustos aut mox exhauriendos renovavit corpora animosque ad omnia de integro patienda. *Id.* 21. 30. Exhaurire laborem, periculum. Adde *eumd.* 25. 31., 26. 31. et 44. 39.; *Plin.* 3. *Ep.* 9.; et *Sil. It.* 17. 351. Sic *Stat.* 6. *Theb.* 236. postquam donec cum sole labores Exhausti. *h. e.* peracti, *finiti. Id.* 10. *ibid.* 36. exhaustos iterare labores. *Virg.* 10. *Æn.* 57. tot exhausta pericula. et *Tac.* 4. *Hist.* 32. Pericula, quæ per viginti annos in castris exhausisset. Hinc etiam *Virg.* 4. *Æn.* 14. bella exhausta canebat. *Liv.* 31. 11. Exhaurire dura et aspera belli. *Curt.* 5. 9. Major belli moles superest, quam exhausta sit. *Virg.* 9. *Æn.* 356. Pœnarum satis exhaustum est. *h. e.* captum est, cæde facta hostium. — Et de tempore. *Lucan.* 5. 44. nostrum exhausto jus clauditur anno. *finito, passato. Tac.* 4. *Hist.* 29. *extr.* Sic exhausta nocte, novam aciem dies aperuit. — Hinc a Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Exhaustum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, occurrit apud *Virg.* 2. *G.* 398. de *vite.* Cui numquam exhausti satis est. *h. e.* effossio terræ circa eam.

EXHAURĪTŌRĬUS, a, um, adject. qui exhauriendo inservit. *Gloss. Isid.* Antlia, rota exhauritoria.

EXHAUSTANT, efferunt. *Paul. Diac. p.* 82. 6. *Müll.*

EXHAUSTĬO, ōnis, f. 3. actus exhauriendi. Adhibetur a *Servio* ad *Virg.* 2. *G.* 398. Aspera tamen vox est (vel ipso fatente) si in carmine usurpetur.

EXHAUSTUS, a, um. *V.* EXHAURIO.

EXHĒBĔNUS. *V.* EXEBENUS.

EXHĔDRA. *V.* EXEDRA.

EXHERBO, as, are, a. 1. Part. *Exherbandus.* — Exherbare est herbis expurgare. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 11. Quum sationis appropinquabit tempus, ante quintum diem exherbandus erit locus. *Id.* 4. *ibid.* 31. 2. Salix quum germinavit, crebro foditur atque exherbatur.

EXHĒRĒDĀTĬO, ōnis, f. 3. hereditatis privatio. *Quintil.* 7. 1. 53. Tu imple fecisti, quum exheredationem meruisti. *Ulp. Dig.* 39. 9. 1. Notam exheredationis mereri.

EXHERĒDĀTUS, a, um. *V.* EXHEREDO.

EXHĒRĒDĬTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXHĒRĒDĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat.* verbi *exheredo.* — Part. *Exhereditatus* et *Exhereditandus.* — Exheredito est exheredem facio. *Solvian.* 3. *advers. avar.* 10. *p.* 112. *Rittersh.* Donantes omnia sua etiam se ipsos exhereditavere viventes. *Papinian. Dig.* 3. 2. 25. Exhereditatum quoque filium luctum habere patris memoriæ placuit. Ita *Haloander.*; at *Torrentin.* habet *exheredatum. Boeth. Aristot. Topic.* 2. 3. *p.* 670. Pravos exhereditandos dixit esse.

EXHĒRĒDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* heres). Part. *Exheredans* et *Exheredatus* I. — Exheredo est hereditate privo, exheredem facio.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Phil.* 16. 41. Igitur fratrem exheredans, *te* faciebat heredem. *Id. Cluent.* 48. 135. Ut, quum eum filium exheredaret, quem oderat; et filio coheredes homines alienissimos conjungeret, quem diligebat. *Nepos Themist.* 1. A patre exheredatus. *Hermog. Dig.* 37. 11. 21. Liberi liberti exheredati facti. Adde *Cic.* 4. *Herenn.* 23. 33. et *Rosc. Am.* 18. 52.; et *Quintil.* 5. 13. 32. et 7. 4. 20.

II.) Figurate. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 7. (20). T. Petronius moriturus, invidia Neronis principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam myrrhinam trecentis talentis emptam fregit. *h. e.* ut mensæ Neronis auferret, scilicet ne heres Nero trulla illa in mensa uteretur.

EXHĒRES, ēdis, comm. gen. 3. qui privatus est hereditate, quæ ad eum pertinebat. *Plaut. Most.* 1. 3. 77. Ut ego exheredem meis bonis me faciam, atque hæc sit heres. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 175. Posset ne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem, neque exheredem scripsisset? *Quintil.* 7. 1. 42. Qui reo patri non affuerit, exheres sit. *Paul. Dig.* 28. 2. 19. In cetera parte exheres mihi erit. *et mox.* Fundi exheres esse jussus. Adde *Quintil.* 5. 10. 107. et 9. 2. 34. — Joculariter *Plaut. Bacch.* 4. 8. 8. Neque Bellona mihi unquam creduat, ni illum exanimalem faxo, exheredem fecero vitæ suæ. *h. e.* occidero.

EXHĬBĔO, hibes, hibŭi, hibĭtum, hibere, a. 2. (ex *et* habeo). Part. *Exhibitus* I.; *Exhibiturus* I. et II. 1.; *Exhibendus* I. — Exhibere, quasi *extra habere*, ἀποφαίνω, παρίστημι, significat extra secretum habere, videndi tangendique aliquid facultatem præbere, ut ait *Ulp. Dig.* 43. 28. 3. (hisce verbis: Ait prætor: Quem hominem dolo malo retines, exhibeas. — *Exhibere* est in publicum producere, et videndi tangendique hominis facultatem præbere; proprie autem *exhibere* est extra secretum habere.) adeoque est producere, proferre, ostendere, offerre (It. *presentare, produrre, mostrare, metter fuori*; Fr. *tirer de, mettre au jour, faire paraitre, produire, exhiber*; Hisp. *tirar, sacar à fuera, presentar, exhibir*; Germ. *herhalten, hergeben, herausgeben, herbeischaffen*; Angl. *to present, produce, offer, give, show, display, exhibit, evince, set forth*).

1.) Proprie, occurrit sæpe in re forensi et est ante judicem sistere, et facere potestatem ei, qui agit, ut experiundi sit copia, *presentare in giudizio. Cic. Mil.* 12. 33. Exhibe, quæso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum. *Petron. Satyr.* 15. Invaserat pallium, exhibiturumque crastino die affirmabat. *Sueton. Vitell.* 14. Exhibere tabulas testamenti. Adde *Dig.* 10. *tit.* 3. de tabulis exhibendis. *Scævola Dig.* 40. 5. 41. *extr.* Exhibere rationes. *Cic. Flacc.* 15. 35. Cedo tabulas: non deportavi. Fratres saltem exhibe: non denunciavi. *Paul. Dig.* 2. 4. 17. Exhibere aliquem apud acta. *Ulp. ibid.* 11. 4. 1. fugitivos apud magistratus. *Paul. ibid.* 12. 2. 28. debitorem in judicium. Adde *Dig.* 10. *tit.* 4. *qui est* ad exhibendum. 43. *tit.* 28. de libero homine exhibendo, *tit.* 29. de liberis exhibendis etc. Cf. *Plin. Paneg.* 63. *extr.* Exhibere se religioni deorum et judiciis hominum. — Similiter extra rem forensem. *Sueton. Ner.* 12. Exhibuit ad ferrum quadringentos senatores sexcentosque equites. *h. e.* in arenam produxit ludorum causa. Cf. *Plin.* 1. *Ep.* 25. Exhibere alicui spectaculum memorabile. Et *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 45. Septima lux aderat non exhibitura sequentem. *Cic.* 7. *Verr.* 25. 63. Quæstori suo custodes misit, *ut* omnia sibi integra quamprimum exhiberentur. *Ovid.* 4. *Pont.* 5. 34. Exhibere vias tutas. *rendere, mantenere. Id. Heroid.* 17. 192. Hypsipyle testis, testis Minoia virgo, In non exhibitis utraque lusa toris. *h. e.* non oblatis, sed furto quæsitis atque adeo illegitimis. *Id.* 3. *Trist.* 11. 54. monstratis crudeliter ignibus ustus, Exhibuit querulos ore gemente sonus. *h. e.* emisit, edidit.

II.) Translate. ¶ 1. Exhibere est causativum, et significat prodocendo sub oculos ponere, ostendere, repræsentare, *lasciar vedere, mettere sott' occhio, mostrare, rappresentare.* Hoc sensu occurrit — *a)* De rebus. *Ovid.* 15. *Met.* 611. dempta capiti — corona Exhibuit gemino præsignia tempora cornu. *lasciò vedere. Id. ibid.* 527. notam linguæ baccis oleaster amaris Exhibet. *Id.* 6. *ibid.* 212. me orbam Dixit, *et* exhibuit linguam scelerata paternam. *mi mostrò. Colum.* 5. *R. R.* 2. 1. Ager plurium angulorum formam exhibet. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 13. 12. (41). Pruna nucibus insita faciem parentis succumque adoptionis exhibent. — *b)* De hominibus usurpatur. — Sæpe cum Accus. se. *Cic. Sext.* 50. 107. Pompejus se non solum auctorem meæ salutis, sed etiam supplicem populo Romano exhibuit. *Sueton. Vitell.* 17. Exhibere se ministratorem alicui. *h. e.* præstare ministratoris operam. *Id. Cal.* 22. se adorandum adeuntibus. *Ovid. Heroid.* 17. 116. se nudas alicui. — Interdum est reflexivum, ut Grammatici ajunt, sine Accus. *se. Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 3. 18. Quid me putas, qui philosophiam jam professus sim, populo nostro exhibiturum? *Quintil.* 12. 2. 7. Qui rerum experimentis atque operibus vere civilem virum exhibeat. Similiter *Ovid.* 6. *Met.* 44. Tum dea, Venit, ait, formamque removit anilem, Palladaque exhibuit. *Justin.* 27. 2. Pro fratre hostem exhibuit. ¶ 2. Interdum significat etiam tolerare, alere, sustentare, *sostentare, alimentare, mantenere.* Hæc autem notio inde oritur, quod qui alit, ejus, quem alit, præsentiam et statum exhibet ac præstat. *Ulp. Dig.* 1. 12. 1. Maxime si ægros se esse dicant, desiderentque a libertis exhiberi. *Id. ibid.* 25. 3. 5. Si quis a liberis ali desideret, vel liberi ut a parente exhibeantur. Adde *Paul. ibid.* 3. 5. 33. etc. *Justin.* 9. 2. 7. Sterilitas terræ non patrimonii dicat Scythas, sed vix alimentis exhibet. Similiter *Id.* 11. 10. 9. et 22. 1. 3. Exhibere vitam. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1. sæpissime ponitur pro præstare. — *a)* Generatim. *Plaut. Asin.* 2. 4. 51. Da meo periculo: rem salvam exhibebo. *la manterrò. Phædr.* 4. 23. *extr.* Quorum virtus exhibet solidum decus. *Id. ibid.* 25. Exhibe vocis fidem. *fammi vedere l'effetto delle tue promesse. Colum.* 11. *R. R.* 1. 7. Exhibere fidem ac benevolentiam alicui. *Curt.* 6. 10. *a med.* veritatem. *Sueton. Tib.* 48. munificentiam. *Id. Ner.* 10. liberalitatem, clementiam, comitatem. *Plin. Paneg.* 33. liberalitatem et justitiam. *Id.* 5. *Ep.* 19. humanitatem. *Cajus Dig.* 18. 6. 2. diligentiam. *Ulp. ibid.* 44. 4. 4. *ante med.* honorem, reverentiam alicui. Sic *Ennod.* 9. *Ep.* 26. Exhibito salutationis honore. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (125). Spodii vicem exhibet fruticum cinis. *African. Dig.* 29. 6. 16. Codicilli vicem testamenti exhibent. *Ulp. ibid.* 13. 6. 5. In deposito dolus solus præstatur; nisi forte et merces accessit; *tunc* enim et culpa exhibetur. *Plaut. Cas.* 2. 6. 57. Si quidem me vivo mea uxor imperium exhibet. *h. e.* exercet. — *b)* Speciatim *exhibere negotium, molestiam* etc. *alicui* sæpe occurrit pro facessere, comparare, creare. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 30. Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se. *Id. Amph.* 3. 2. 14. Exhibere negotium alicui. Adde *eumd. Most.* 3. 1. 38., *Men.* 5. 9. 13., *Merc.* 2. 2. 2., *Rud.* 2. 5. 16. et *Pers.* 2. 5. 11. *Cic.* 3. *Off.* 28. 102. Qui deum nihil habere ipsum negotii (*dicunt*), nihil exhibere alteri. *Id. ibid.* 31. 112. Quum audivisset adolescens filius negotium exhiberi patri. Et cum Accusativo *se, Plaut. Rud.* 2. 6. 72. Jam se exhibebit hic mihi negotium. *Id. Pers.* 2. 4. 3. et *Capt.* 4. 2. 37. Exhibere molestiam alicui. Sic *Cic.* 2. *Att.* 1. 2. Ita vulgo qui instabant, ut darem sibi, quod ornarent, jam exhibere mihi molestiam destiterunt. Similiter *Plaut. Most.* 1. 1. 2. Exhibere argutias alicui. *Tibull.* 2. 1. 61. curam alicui. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 17. difficilem laborem alicui.

EXHĬBĬTĬO, ōnis, f. 3. actus exhibendi.

I.) Proprie. *Gell.* 14. 2. Probari debere pecuniam datam consuetis modis, expensi latione, chirographi exhibitione, testium intercessione. *Ulp. Dig.* 29. 3. 2. *ad fin.* Exhibitio tabularum testamenti.

II.) Translate ac speciatim significat alimenta et victum, quo vita exhibetur, hoc est sustentatur, ut in voc. præced. II. 2. dictum est. *Id. ibid.* 27. 2. 3. Quod exhibitioni frugaliter sufficit, modum alimentis dabit. Adde *Papinian. ibid.* 26. 2. 26. *ad fin.*; et *Tertull. Idolol.* 6. et alibi.

EXHĬBĬTOR, ōris, m. 3. qui exhibet, editor. *Arnob.* 7. 39. Ludorum exhibitor magistratus. *Non. p.* 281. 20. *Merc.* Exhibitor convivii, dominus appellatur. *Inscript.* apud *Murat.* 126. 1. I. O. M. D. EXHIBITOR INVICTIS.

EXHĬBĬTŌRĬUS, a, um, adject. ad exhibendum pertinens, ut Exhibitorium interdictum, *Ulp. Dig.* 43. *tit.* 5. *qui est* de tabulis exhibendis *leg.* 3., et *tit.* 29. *qui est* de liberis exhibendis *leg.* 3. h. e. quod jubet exhiberi aliquid, et sisti judicio, ut quid juris in eo sit decernatur.

EXHĬBĬTUS, a, um. *V.* EXHIBEO.

EXHĬLĂRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exhilarandi. *Augustin.* 8. *de Gen. ad litt.* 8. Exhilaratio voluntatis.

EXHĬLĂRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXHĬLĂRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* hilaris). Part. *Exhilaratus* I. — Exhilaro est hilarem reddo, lætifico.

I.) Proprie. *Cic.* 9. *Fam.* 26. 1. Exhilarata servitus. *Colum.* 6. *R. R.* 24. 2. Pecudes pabulo exhilaratæ. *Id.* 11. *ibid.* 1. 17. Variisque exhortationibus in opere ipso exhilaret laborantes. *Martial.* 8. 50. Exhilarant ipsos gaudia nostra deos.

II.) Translate de inanimis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 40. (95). Neque ilex, picea, larix, pinus ullo flore exhilarantur. *Id.* 22. *ibid.* 25. 74. (154). Colorem hominis frequentiores in cibo lupini exhilarant.

EXHINC *et* Ex hinc, adverb. ex hoc tempore, deinde, exinde. *Lucret.* 3. 161. exhinc corpus propellit et icit. Ita *Priscian.* legit 10. *p.* 886. *Putsch.* Alii *exin. Sueton. Tib.* 9. Exhinc Rhæticum bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. *Al. rectius leg.* exin. *Apul.* 11. *Met.* Exhinc festivissimum celebravi natalem sacrorum.

EXHŎNŌRO, as, āvi, are, a. 1. (ex *et* honoro) inhonoro. *Augustin. tract.* 36. *in Joann.* 4. Christum ab hominibus exhonorari. *Id. Ep.* 118. 3. Exhonorare corpus et sanguinem Domini. Adde *Fulgat. interpr. Eccli.* 10. 16. et 23. et 32., et *Jacob* 2. 6.

EXHORRĔO, es, ere, n. 2. (ex *et* horreo). Præter. *exhorrui* V. in voc. seq. — Exhorreo est valde horreo. *Colum.* 10. *R. R.* 154. Nec mutata loco siccos exhorreat æstus.

EXHORRESCO, horrescis, horrŭi, horrescere, n. 3. (ex *et* horresco) idem atque exhorreo, horridus fio, timore perturbor; *et* usurpatur — *a)* Absolute. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 18. Non possum non exhorrescere, si quid intra cutem subest vulneris. *Cic.* 1. *Fin.* 13. 43. Sapientia nos exhorrescere metu non sinit. *Id.* 3. *Orat.* 14. 53. In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? *Ovid.* 4. *Met.* 134. oraque buxo Pallidiora gerens, exhorruit æquoris instar, Quod fremit, exigua quum summum stringitur aura. *Val. Flacc.* 7. 527. atque omnis spiris exhorruit arbor. — *b)* Cum Accusativo more Græcorum. *Virg.* 7. *Æn.* 265. vultus neve exhorrescat amicos. *Sil. It.* 3. 146. Nec tamen incautos laudum exhorresce furores. *Val. Flacc.* 6. 52. nec Nymphæ geminos exhorruit angues. *Id.* 4. 380. Verbere candentes quoties exhorruit armos. — *c)* Cum Infinito. In *fragm. orat. Claudii Imp.* in *Tab. æn. Lugdun.* apud *Gruter.* 502. *col.* 1. *lin.* 4. Deprecor, ne quasi novam istam rem introduci exhorrescatis.

EXHORTĀMEN, inis, n. 3. idem atque exhortamentum. *Alcim.* 6. 102. Hæc dicens teneros sancto exhortamine sensus impulit.

EXHORTĀMENTUM, i, n. 2. exhortatio. *Non.* p. 151. 21. *Merc.* Excursum et exhortamenta moderari.

EXHORTĀTĬO, ōnis, f. 3. adhortatio, hortamen. — *a*) In singulari numero. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 7. 1. Quæ et tua exhortatione excepi, et mea affirmatione tibi recepi. *Tac.* 1. *Hist.* 36. Strepere cuncta clamoribus et tumultu et exhortatione mutua. *Quintil.* 12. 2. 6. Hæc exhortatio mea non eo pertinet. — *b*) In plurali numero. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 17. Variisque exhortationibus in opere ipso exhilaret laborantes. *Justin.* 38. 3. 10. Milites variis exhortationibus ad bellum incitare. Adde *Quintil.* 10. 1. 47. — *c*) Cum Genitivo rei. *Quintil.* 12. 11. 25. Sufficit ad exhortationem studiorum. — *d*) *Rutilius* et *Celsus* inter figuras sententiarum et *exhortationem* posuerunt: sed exclusit *Quintil.* 9. 2. 103., ubi tamen alii legunt *exorationem*.

EXHORTĀTĪVUS, a, um, adject. ad exhortandum pertinens. Ita vertit *Quintil.* 3. 6. 47. Græca verba προτρεπτικός et παραινετικός, ubi de statu agit. *Macrobius de differ. Græci Latiniq. verbi* p. 2753. *Putsch.* Quum autem dicimus *fugiamus, discamus, nutriamus, aremus, doceamus* et similia, ad exhortativum sensum, non ad imperativum modum pertinere dicenda sunt.

EXHORTĀTOR, ōris, m. 3. qui exhortatur. *Tertull. de fuga in persecut. in fin.* Exhortator omnium tolerantiarum.

EXHORTĀTŌRĬUS, a, um, adject. exhortativus, ut Exhortatoria epistola, *Hieronym. Ep.* 2. n. 1. et *Augustin. Ep.* 209.

EXHORTĀTUS, a, um. *V.* EXHORTOR.

EXHORTO, as, etc. *V.* voc. seq. 1. *e*.

EXHORTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ex et hortor). *Exhortari* passive *V.* sub 1. *e*. — Part. *Exhortans* et *Exhortatus* 1. d.; *Exhortandus* 1. *a.* et 2. — Exhortor ¶ 1. Stricto sensu cum Accusativo personæ est vehementer hortor; et occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ, et Accusativo rei cum præpos. in vel *ad*. *Virg.* 7. *Æn.* 472. Certatim Rutuli se se exhortantur in arma. *Ovid.* 7. *Met.* 35. Exhortari tauros in aliquem. *Id.* 10. *ibid.* 685. se in ambos. *Id.* 13. *ibid.* 234. trepidos cives in hostes. Cf. *eumd.* 15. *ibid.* 152. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 107. 111. (241). Milites ad ultionem exhortans. *Quintil.* 10. 7. 19. Exhortandis in hanc spem, qui foro præparantur, utile exemplum. — *b*) Cum particula *ut* et Conjunctivo. *Quintil.* 12. 8. 7. Liberum demus iis - tempus ac locum, exhortemurque ultro, ut etc. *Tac. Dial. de orat.* 14. Quum Maternum ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret exhortatus est. Adde *Petron. Satyr.* 140. — *c*) Et omissa particula *ut*. *Plin. Paneg.* 69. Nec segnius juvenes nostros exhortatus es, consulatus circumirent, senatui supplicarent. — *d*) Absolute. *Virg.* 12. *Æn.* 159. sic exhortata reliquit Incertum. *Petron. Satyr.* 109. Exhortantibus universis, odia detumescunt. — *e*) Passive. *Cic. Senect.* 12. 42. Exhortatus in convivio a scorto est, ut etc. *Al. rectius leg.* exoratus. — *Exhortari* tamen passive legitur apud *Augustin. Ep.* 228. Nulli Dominici corporis communione fraudantur, omnes consolantur, ædificantur, exhortantur, ut Deum rogent. ¶ 2. Latiori sensu cum Accusativo rei est aliquid exhortationibus excitare ac gignere. *Seneca Ep.* 121. Desiderio tuo satisfaciam, et virtutes exhortabor, et vitia converberabo. *Al. leg.* ad virtutes. *Gell.* 13. 23. Plus hercle promovet ad exhortandam parsimoniam sustinendamque inopiam, quam etc.

EXHŪMŌRO, as, are, a. 1. (ex et humor) humorem detraho. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 1. *ad fin.* Alii cutis vulnerationem affectandam probant, qua corpus exhumoretur. *h. e.* noxiis humoribus liberetur.

EXHȲDRĬÆ, ārum, m. plur. 1. vocantur venti Atticorum lingua, quum imber effusus conciet flabra, ἐξυδρίαι ἄνεμοι. *Apul. de Mundo.*

EXĪBĪLO. *V.* EXSIBILO.

EXICCO. *V.* EXSICCO.

EXĪCĬA. *V.* AXICIA.

EXĪCO. *V.* EXSECO.

EXIGNESCO, is, ere, n. 3. ignem, seu calorem concipio, ignis fio. *Censorin. de die nat.* 18. *a med.* Mundus tum exignescere, tum exaquescere videtur.

EXĬGO, igis, ēgi, actum, igere, a. 3. (ex et ago). Part. *Exigens* II. 6.; *Exactus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Exacturus* II. 2.; *Exigendus* I. 1. et 3. et II. 1. — Exigere, ἐξάγω, est extra agere, adeoque expellere, educere, emittere (It. *cacciar fuori, mandar fuori, menar fuori*; Fr. *pousser dehors, faire sortir, tirer de, chasser, expulser*; Hisp. *pujar, empujar fuera, hacer salir, echar fuera, expeler*; Germ. *heraus - oder hervortreiben, - jagen, - bringen, - holen, - schaffen, - ziehen*; Angl. *to lead out, to send forth or out, to drive out*).

1.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Pro expellere. — De personis. *Plaut. Aulul.* 3. 1. 7. Itaque omnes exegit foras. *Nævius* apud *Non.* p. 291. 4. *Merc.* Indigne exigor patria innocens. *Cic.* 2. *Orat.* 48. 199. Neque reges ex hac civitate exigi sine nobilium dissensione potuisse. *Id.* 1. *ibid.* 9. 37. Exacti reges. *Id.* 1. *de republ.* 40. Exacto Tarquinio. *Horat.* 2. *Od.* 13. 31. Exacti tyranni. *Liv.* 3. 61. Pulsum hostem exigere e campo. *Id.* 37. 41. *extr.* Exigere hostem campo. Cf. *Plin. Paneg.* 29. Exactus hostis mari. Rursus *Liv.* 39. 11. Exigere aliquem domo. *Tac.* 13. *Ann.* 56. *ad fin.* Exacti terris. *Id.* 6. *ibid.* 3. curia et Italia. *Id.* 16. *ibid.* 17. in Sardiniam. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 68. 68. (175). Exigere accolas ultra famam. *Al.* fines. — Sic *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 62. Tua causa exegit virum a se. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 45. Exigere uxorem. *far divorzio.* Adde *Sueton. Cæs.* 50. et *Claud.* 26. Sic *Cic.* 2. *Phil.* 28. 69. Illam suam (*uxorem*) suas res sibi habere jussit ex duodecim tabulis: claves ademit: exegit. — Huc pertinent etiam illa *Senecæ* 1. *Ira* 6. Exigere aliquem vita. *privar di vita.* et *Val. Flacc.* 3. 381. ferroque morantes Exigere hinc animas. — De rebus. *Sil. It.* 16. 234. Exigere e stratis corpus. *balzar di letto.* *Sueton. Aug.* 94. Exigere maculam. *levar via.* — *b*) Pro emittere. *Ovid. Heroid.* 2. 114. Et sacer admissas exigit Hebrus aquas. *h. e.* propellit in mare. *Quintil.* 11. 3. 33. Dilucida erit pronunciatio, si verba tota exegerit, quorum pars devorari, pars destitui solet. *Cels.* 5. 28. n. 14. Μυρμήκια, quæ radices altius exigunt. *mettono.* Sic *Colum.* 3. *R. R.* 2. 10. et 6. 2. Vitis fecunda uvas complures exigit. Rursus *Cels.* 8. 1. *ante med.* Vertebræ ab utroque latere processus duos exigunt. — *c*) Pro educere. *Varro* 2. *R. R.* 3. 8. Desistente autumno, exigunt (*capellas*) a grege in campos, hircos in caprilia. *Id. ibid.* 4. 6. Hiberno tempore non prius exigunt (*sues*) pastum, quam pruina evanuit. — *d*) Sic de armis pro educere, *sguainare*. *Ovid.* 5. *Met.* 171. Non circumspectis exactum viribus ensem Fregit. *h. e.* vibratum. *Seneca Herc. Œt.* 845. Eat per artus ensis exactus meos. Adde *Lucan.* 5. 565. et 8. 656. — Hinc poetice est injicere, immittere, adigere, *cacciar dentro*. *Virg.* 10. *Æn.* 815. validum namque exigit ensem Per medium Æneas juvenem, totumque recondit. *Seneca Troad.* 1155. dextra ferrum penitus exacta abdidit. *Flor.* 4. 2. 68. Gladium per viscera exegit. *Sil. It.* 1. 307. telum exactum per viscera. *Seneca Consol. ad Marc.* 16. Exigere tela in aliquem. Adde *Stat.* 6. *Theb.* 717. *Ovid.* 5. *Met.* 138. Torquet in hunc hastam, media quæ nare recepta, Cervice exacta est. *passò fuori pel collo.* — Item poetice pro transfodere. *passare da parte a parte.* *Val. Flacc.* 6. 572. Illum exigit hasta, Hunc fugat. — Denique huc pertinet et illud *Quintil.* 6. 4. 8. Prope sub conatu adversarii manus exigenda. ¶ 2. Speciatim in re scænica *exigere fabulam* est excludere fabulam, quæ populo minime placuit, improbare. *Ter. Andr. prol.* 27. Spectandæ (*fabulæ*), an exigendæ sint vobis prius. *h. e.* excludendæ, improbandæ. *Id. Hecyr. prol.* 2. *v.* 4. Fabulæ exactæ. *Id. ibid. prol.* 2. *v.* 7. Quas (*fabulas*) primum Cæcili didici novas, partim sum earum exactus; partim vix steti. ¶ 3. Item speciatim in re pecuniaria publica et privata, in collationibus et similibus, est reposcere, flagitare, exigendo obtinere, *esigere, riscuotere*. — *a*) Active. *Cic.* 13. *Fam.* 11. Ad eas pecunias exigendas, quæ a colonis debentur, legatos misimus. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 10. 33. A civitatibus pro frumento pecunias exegerunt. *Id. Pis.* 16. 38. et 3. *Nat. D.* 34. 84. Exactæ pecuniæ. *riscosse, ricavate.* *Cæs.* 3. *B. C.* 32. Acerbissime exigere pecunias imperatas. *Cic. Fontej.* 5. 9. Quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegit. Cf. *Petron. Satyr.* 8. Pro cella assem exigere. Rursus *Cic.* 3. *Fam.* 7. 3. Exigere tributa. *Id.* 6. *ibid.* 18. 5. pensionem. *Id.* 3. *Verr.* 10. 28. nummos sua. *Id. Amic.* 21. 80. mercedem. *Cæs.* 1. *B. C.* 30. Equitum peditumque certum numerum a civitatibus Siciliæ exigebat. *Id. ibid.* 12. Exigere obsides ab Apolloniatibus. — Similiter et in publicis ædificiis faciendis qui exigendo obtinet, *exigere* dicitur. *Cic.* 3. *Verr.* 59. 154. Quam tu viam tensarum atque pompæ ejusmodi exegisti, ut etc. *Pseudo-Ascon.* ad *h. l.* Exigere viam dicuntur magistratus, quum viciniam cogunt munire quam diligentissime sumptu facto. *Liv.* 42. 3. Cui (*censori*) sarta tecta exigere sacris publicis et loca tuenda more majorum traditum esset. — *b*) Passive, præcipue apud veteres, *exigor aliquid* est flagitor, *essere sollecitato a pagare*. *Plaut. Trin.* 2. 4. 26. Quas (*drachmas*) sponsione pronuper tu exactus es pro illo adolescente. *Cæcilius* apud *Gell.* 15. 14. et apud *Non.* p. 106. 24. *Merc.* Ego illud minus nihilo exigor portorium. *h. e.* exigitur de me portorium. *Q. Metellus Numid.* apud *Gell. loc. cit.* Socios questum venisse, sese pecunias maximas exactos esse. *h. e.* pecunias a se maximas exactas. *Javolen. Dig.* 23. 4. 32. *extr.* Quod pacto convento, re invitus exigeretur, convenit. Similiter *Dracont.* 3. *Hexæm.* 32. Non exactorem pudor inficit, aut dolor ullus, Afficit exactum. *h. e.* eum, a quo exigitur. Ceterum *Gell. l. c.* has loquendi rationes nove dictas ait, et Græcæ rationis; Græci enim dicunt εἰσεπράξατό με ἀργύριον, *exegit me pecuniam*. Similiter translate Juppiter apud *Stat.* 1. *Theb.* 215. quonam usque nocentum Exigar in pœnas? Et *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 45. Ferus sacræ vineæ devastator (*Julianus Aug.*) pœnas exactus est vastationis suæ, jacetque mortuus terroribus minisque frustratus. *Id. ibid.* 32. Sed pro his impietatibus non post multum pœnas exacti sunt. ¶ 4. Item de loco est ducere, ultra ducere, producere, transmittere, *condurre, menar oltre*. *Val. Flacc.* 2. 75. quum primus equis exegit anhelis Phœbus Athon, mediasque diem dispersit in undas. *Propert.* 3. 19. 3. Tu quoque qui æstivos spatiosius exigis ignes, Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter. *Stat.* 2. *Theb.* 41. ubi prona dies longos super æquora fines Exigit umbra. *h. e.* extendit, producit. — Hoc pertinet et illud, quod *Forcellinus* singulari paragrapho distinxit, *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (87). Troglodytæ hibernum mare exigunt circa brumam, Euris tum maxime flantibus. *h. e.* trajiciunt, transcurrunt, *trascorrono, oltrepassano*. ¶ 5. Item distrahere, venale aliquid extrudere, *spacciare*. *Liv.* 34. 9. *a med.* Mercari et ipsi ea, quæ externa inveherentur, et agrorum exigere fructus volebant. *Colum.* 10. *R. R.* 317. Exactæ merces. *vendute.* ¶ 6. Item in re mathematica, seu de mensura, est examinare, ponderare, ad aliquam mensuram redigere: qua significatione *Döderlinius* (*Latein. Synon. und Etym.* vol. 6. p. 116.) confert ἄγειν, wägen, *agina* etc. *Cic.* 3. *Verr.* 51. 133. Nisi forte vis ad perpendiculum columnas exigere. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 63. (188). Materia crassitudine semipedali ad regulam et libellam exigitur. *Sueton. Cæs.* 47. Margaritarum pondus sua manu exigere. Sic *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (159). Exigere aliquid mensura. *misurare, ridurre a misura.* — Hinc *exactus* est examinatus et publica auctoritate probatus, *bollato, saggiato*. *Inscript.* in æneo congio apud *Fabrett.* p. 526. n. 372. IMP. CAESARE VESPASIANO VI., TITO CAESARE AVGVSTI FILIO IIII. CONSVLIBVS MENSVRAE EXACTAE IN CAPITOLIO. PONDO X. *Alia* in statera in *Mus. Borbon.* T. 1. tav. 55. IMP. VESPASIANO AVGVSTO III., TITO IMP. AVGVSTI FILIO VI. CONSVLIBVS EXACTA IN CAPITOLIO. *V.* ARTICULUS.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est expellere. *Plaut. Capt.* 5. 4. 4. Illic ibi demum est locus, ubi labore lassitudo omnis est exigenda ex corpore. *Lucilius* apud *Non.* p. 291. 8. *Merc.* Vestimentis frigus atque horrorem exacturum putet. *Horat.* 4. *Od.* 15. 17. Custode rerum Cæsare, non furor Civilis, aut vis exiget otium. *caccierà la pace.* — Huc referri potest et illud *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 70. Furiis exactus Orestes. *h. e.* exagitatus, vexatus. *agitato, cacciato.* ¶ 2. Sæpius metaphora sumpta a superiori paragr. 3., est reposcere, flagitare, exigendo obtinere, sed extra rem pecuniariam. — *a*) Cum Accus. rei. *Cic. Brut.* 4. 7. Ego vero et exspectabo ea quæ polliceris, neque exigam, nisi tuo commodo, et erunt mihi pergrata, si solveris. *Id.* 2. *Fam.* 6. Ne id, quod petat, exigere magis, quam rogare videatur. *Id.* 15. *ibid.* 16. Longiores litteras exspectabo, vel potius

exigam. *Id.* 2. *Fin.* 22. 73. Omnibus ex rebus voluptatem, quasi mercedem, exigit. *Id.* 1. *Legg.* 1. 4. Non ut a poeta, sed ut a teste veritatem exigunt. *Capell.* 1. p. 15. Exigere consilium. *Ovid. Remed. am.* 333. Exige quod cantet, si qua est sine voce puella. *Id.* 14. *Met.* 477. antiquo memores de vulnere pœnas Exigit alma Venus. *h. e.* pro vulnere. *Flor.* 3. 19. *extr.*; et *Ovid.* 8. *Met.* 531. Exigere supplicium, pœnas de aliquo. *Aurel. Vict. vir. illustr.* 12. ab aliquo. *Sil. It.* 7. 280. Arcta fames pœnas miseræ exactura Sagunti. *Liv.* 29. 18. *ad fin.* Exigere ab aliquo gravia piacula. — Invenitur etiam *exigere pœnas alicui. Ovid.* 4. *Fast.* 230. huic pœnas exigit ira deæ. Adde *Senec.* 2. *Ira* 23. *Claudian.* VI. *Cons. Honor.* 113. Ense Thyestiadæ pœnas exegit Orestes. *Id. B. Get.* 191. Tandem supplicium cunctis pro montibus Alpes Exegere Getis. — *b)* Sequente part. *ut. Cic.* 1. *Fin.* 28. 80. Hanc exigam a te operam, ut audias me. *Id.* 2. *ibid.* 35. 119. Exigerem a te cogeremque, ut responderes. Cf. *Sueton. Claud.* 12. Ut rata essent, quæ procuratores sui statuerent, precario exegit. — *c)* Sequente Infinito. *Paul. Dig.* 29. 7. 8. Exigimus potuisse eum eo tempore testamentum facere. Adde *Ulp. ibid.* 24. 3. 2. — *d)* Absolute. *Cic.* 2. *Off.* 18. 64. Conveniet, quum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum. — Sic necessitas exigit, ratio, usus exigit, apud *Quintil.* 4. 1. 22.; et *Colum.* 7. *R. R.* 12. 9, et 9. *ibid. proœm.* 1. Si communis utilitas exegerit, apud *Quintil.* 12. 1. 37. Ut res exigit, prout res exigit, *come richiede il bisogno*, apud *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 5. (17). et 31. *ibid.* 6. 31. (58).; et *Quintil.* 12. 10. 69. Sic *Id. Quintil.* 10. 3. 3. Illic opes reconditæ, unde ad subitos casus, quum res exiget, proferantur. Adde *eumd.* 5. 11. 5. — Huc pertinet etiam *exigere ab aliquo*, pro quærere, exquirere. *Tac.* 2. *Ann.* 85. Exactum est a Labeone, cur ultionem omisisset. *si dimandò, si fecero render conto.* ¶ 3. Metaphora sumpta a superiori paragr. 4., exigere dicitur de tempore, et est transigere, agere, *passare, menare. Ter. Heaut.* 2. 3. 39. Quo studio vitam suam te absente exegerit. *Lucret.* 4. 1231. Exigere ævum. Sic *Virg.* 7. *Æn.* 776.; et *Ovid.* 12. *Met.* 208. Solus ubi in silvis Italis ignobilis ævum Exigeret. *Ovid.* 1. *Amor.* 5. 1. Æstus erat, mediamque dies exegerat horam. *h. e.* adduxerat, vel potius transierat. *Petron. Satyr.* 115. Cibis corruptis utcumque curati, tristissimam noctem exegimus. *Tac.* 3. *Ann.* 16. Exigere diem supremum noctemque. *Plin.* 3. *Ep.* 1. Nescio, an ullum tempus jucundius exegerim. — Huc pertinet et illud *Plaut. Capt.* 5. 4. 12. Tu, cujus causa hanc ærumnam exigo. *h. e.* tolero, perfero. — Eodem sensu sæpe occurrit etiam Part. præter. pass. *Cic.* 1. *Tusc.* 39. 93. Exacta ætate mori. *Virg.* 3. *G.* 190. At, tribus exactis, ubi quarta accesserit ætas, etc. *Horat.* 3. *Od.* 22. 6. Per exactos annos. *al fine d'ogni anno. Stat.* 2. *Silv.* 2. 47. Exacta lux. *giorno finito. Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 48. (130). Exacto quadriennio. *Id.* 16. *ibid.* 25. 41. (102). Exacto frigore. Similiter *Propert.* 2. 11. 3. Nec sic errore exacto lætatus Ulysses. *Virg.* 6. *Æn.* 637. His demum exactis, perfecto munere divæ, etc. ¶ 4. Hinc a proxime superiori paragr., quoniam *exigere tempus* est transigere, adeoque complere, perficere, factum est ut *exigere rem aliquam* significaret perficere, absolvere, *finire, compire. Ovid.* 1. *Met.* 117. Perque hiemes æstusque et inæquales auctumnos Et breve ver spatiis exegit quatuor annum. *h. e.* complevit, composuit. *Horat.* 3. *Od.* 30. 1. Exegi monumentum ære perennius. *Propert.* 3. 7. 10. Exactus Calamis se mihi jactat equis. *h. e.* affabre et perfecte elaboratis: fuit enim Calamis statuarius. *Id.* 3. 1. 8. Exactus tenui pumice versus eat. *Quintil.* 10. 7. 30. Commentarii ita sunt exacti, ut in memoriam posteritatis videantur esse compositi. *Id.* 1. 9. 2. Æsopi fabellas narrare sermone puro; deinde eamdem gracilitatem stilo exigere condiscant. *h. e.* imitari, assequi, exacte assimilare, ad eam gracilitatem stilo se conformare. ¶ 5. Metaphora sumpta a superiore paragr. 6., exigere est examinare, ponderare, explorare. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. Si ad illam summam veritatem legitimum jus exegeris, cavendum tibi erit, ne etc. *Liv.* 34. 31. *a med.* Nolite ad vestras leges et instituta exigere ea, quæ Lacedæmone fiunt. *Ovid.* 2. *Art. am.* 502. Exigere opus ad vires suas. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 5. Si omnia argumenta ad obrussam cœperimus exigere, silentium indicetur. *Id.* 1. *Clem.* 1. Exigere principatum ad suum gustum. *Id. Ep.* 11. *in fin.* Opus est aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant. *h. e.* se conforment, dirigant. Cf. *Sueton. Aug.* 31. Ut ad illorum velut exemplar et ipse, dum viveret, et insequentium ætatum principes exigerentur a civibus. *Quintil.* 1. 5. 2. Emendate loquendi regulam diligenter examinet. Hæc exigitur verbis aut singulis, aut pluribus. *Id.* 1. 5. 19. Illa non nisi aure exiguntur, quæ fiunt per sonos. *Id.* 1. 4. 7. An cujuslibet auris est exigere litterarum sonos? *Martial.* 7. 28. Exige, sed certa, quos legis, aure jocos. *h. e.* examina, perpende versiculos jocosos. *Alii leg.* Excipe. — Sic Part. præter. pass. *exactus* pro examinatus, perpensus. *Virg.* 1. *Æn.* 311. quas vento accesserit oras, Quærere constituit, sociisque exacta referre. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 36. Nec sibi cœnarum quivis temere sibi arroget artem, Non prius exacta tenui ratione saporum. ¶ 6. *Exigere quippiam cum aliquo* et interdum *exigere* absolute, est agere, tractare, deliberare, cum aliquo rem examinare et quasi ad regulas rationis et prudentiæ exigere, *trattare, discorrere, consultare. Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 21. *ad fin.* De his rebus ut exigeret cum eo, Furnio mandavi. Cf. *Virg.* 4. *Æn.* 476. Decrevitque mori: tempus secum ipsa modumque Exigit. *esamina, pensa. Seneca Ep.* 27. In secretum te meum admitto, et, te adhibito, mecum exigo. *Plin.* 6. *Ep.* 12. Sentio, quanto opere me diligas, quum sic exegeris mecum, ut solebas cum filio tuo. *Id.* 9. *ibid.* 26. *in fin.* Dummodo destines diem, quo et de his coram exigere possimus. *Liv.* 22. 49. *a med.* Hæc exigentes prius turba fugientium civium, deinde hostes oppressere. *mentre così divisavano.* Sic Græce ἐξηγεῖσθαι, sermone agere, colloqui. — Hinc *exactum est*, constitutum est, certum est. *Ovid.* 3. *Fast.* 637. Non tamen exactum, quid agat. *Id.* 3. *Amor.* 7. 16. Nec satis exactum est, corpus, an umbra forem. — Et *exactus* pro deliberatus. *Ovid. Heroid.* 17. 177. Et libet, et timeo, nec adhuc exacta voluntas Est satis. *Grat. Cyneg.* 259. tamen huic (*cani*) exacta voluntas. *h. e.* promptus, paratusque et constans animus. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Exactus, a, um, adjectiva quoque occurrit, unde Comp. *Exactior* et Sup. *Exactissimus*; et quidem translate pro completo, perfecto, absoluto, *preciso, esatto. Liv.* 3. 5. *ad fin.* Difficile est, quot ceciderint, exacto affirmare numero. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 42. (251). Exacta falcis acies. *affilata. Ovid.* 4. *Pont.* 9. 46. Exacta fides. *Sueton. Tib.* 18. Cura exactior. *Frontin. Aquæd.* 89. Præstare exactissimam diligentiam. — Transfertur etiam ad homines. *Plin.* 8. *Ep.* 23. Quod ille obsequium Serviano, exactissimo viro, præstitit? *h. e.* accuratissimo et exacta omnia facienti. *Martial.* 4. 87. moneoque te, libelle, Ut docto placeas Apollinari: Nil exactius eruditiusque est; Sed nec candidius benigniusque. — Et cum Genit. *Ovid.* 3. *Fast.* 383. Mamurius morum, fabræne exactior artis, Difficile est dicere. — Hinc

Exactus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, occurrit in *Inscriptionibus*, et est immunis: scilicet *exactus cos.* vel *proc.* est idem ac beneficiarius consulis vel procuratoris, ut docet *Borghesi* ad *Steiner, Inscript. Rhen.* p. 8. *Inscript.* apud *Henzen.* 5668. DEO MARTI ARM. IVLIVS EMERITVS MIL. LEG. VIII. AVG. SEVERIANAE .... EXACTVS COS. DEDICATA XIII. KAL. MAIAS MAXIMO ET AELIANO COS. V. S. L. L. M. *h. e.* an. a Chr. n. 223. Adde *alias* apud *Orell.* 3131. et apud *Henzen.* 5668. et 6816.; et *V.* quæ de officio exacti *Mommsenius* disputavit in *Annal. dell' Instit. Archeol.* a. 1853. p. 253.

EXĬGŬĒ, adverb. Adverbialiter usurpatur etiam *Exiguum*, subaudi *tempus*, et *Exiguo*, subaudi *tempore*. — Exigue est exiguo modo, parum, leviter, tenuiter (It. *poco, ristrettamente, scarsamente*; Fr. *peu, petitement, faiblement, avec parcimonie*; Hisp. *poco, tenuamente, escasamente*; Germ. *wenig, gering, kurz, spärlich, nothdürftig, knapp*; Angl. *very little*). — *a) Exigue* occurrit apud *Ter. Heaut.* 1. 2. 33. Exigue sumptum præbent. *Cæs.* 7. *B. G.* 71. Ratione inita, frumentum se exigue dierum triginta habere, sed paullo etiam longius tolerare posse parcendo. *h. e.* vix. *Cic.* 3. *Orat.* 36. 144. Quum de duabus primis celeriter exigueque dixisses. *Id. Amic.* 16. 58. Hoc quidem est, nimis exigue et exiliter ad calculos revocare amicitiam. *Id.* 11. *Att.* 16. 1. Epistola exigue scripta. *h. e.* quæ pauca continet, eaque inania. *Gell.* 9. 9. Virgilius hunc Homeri versum exigue secutus est. *h. e.* parum expressit. *Id.* 19. 3. Turpius esse exigue atque frigide laudari, quam insectanter ac graviter vituperari. — *b) Exiguum*, subaudi *tempus*, apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 75. 97. (209). Exiguum dormire. Alter *Plin.* 3. *Ep.* 6. In hac certe perquam exiguum sapio. *Ovid. Heroid.* 18. 141. exiguum misero contingis amanti. *h. e.* exiguo tempore. *Lucan.* 5. 431. Exiguum tument vela. — *c) Exiguo*, subaudi *tempore*, apud *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 3. (7). Exiguo post obitum ipsius. *h. e.* paullo post. *Scribon. Compos.* 240. Exiguo oras ulceris tangere.

EXĬGŬĬTAS, ātis, *f.* 3. paucitas, parvitas. *Cæs.* 2. *B. G.* 21. et 33.; et *Liv.* 24. 17. Exiguitas temporis. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 10. Exiguitas copiarum. Sic *Cæs.* 3. *B. G.* 23. Suas copias propter exiguitatem non facile diduci. *Id.* 4. *ibid.* 1. Propter pellium exiguitatem magna est corporis pars aperta. *Id. ibid.* 30. Paucitatem militum ex castrorum exiguitate cognoscere. *Cic.* 1. *Fin.* 12. 29. In quibus, propter earum (*voluptatum*) exiguitatem, obscuratio consequitur. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 5. Exiguitas cibi maciem facit. *Quintil.* 6. 3. 52. Exiguitas congiariorum. *Sueton. Claud.* 28. fisci. *Justin.* 43. 3. terræ. *Dig.* 19. 2. 18. fructuum.

EXĬGŬŌ *et*

EXĬGŬUM, adverb. *V.* EXIGUE.

EXĬGŬUS, a, um, adject. Comp. *Exiguior* et Sup. *Exiguissimus* sub *b* et *c*. — Ratione habita etymi, est ab *exigo*, ut *ambiguus* ab *ambigo*, *contiguus* a *contingo*, unde proprie *exiguus* dicitur, ut docet *Forcellinus*, qui nullo negotio exigi ejicique potest, seu potius, ut recentiores volunt, quoniam *exigere* significat etiam examinare, ponderare, ad mensuram redigere (*V.* EXIGO I. 6. et II. 5.), *exiguus* est ad mensuram redactus, adeoque, quod ad mensuram pertinet, limitibus circumscriptus. *Döderlein* vero, *Latein. Synon.* vol. 5. p. 26., a v. *egere* deducit. — Ceterum exiguus, μικρός, ὀλίγος, est, quod ad mensuram vel numerum pertinet, limitibus circumscriptus, atque adeo parcus, exilis, tenuis, parvus (It. *picciolo, poco, breve, tenue*; Fr. *exigu, petit, modique, faible, court*; Hisp. *exiguo, pequeño, modico, corto*; Germ. *klein, knapp, kurz, wenig, gering, spärlich, kärglich, dürftig*; Angl. *small, brief, slender, scanty, slight*). Occurrit — *a)* Posit. *Cic.* 2. *Divinat.* 16. 37. Possum suspicari, contactum aliquo morbo, bovis exile et exiguum et vietum cor fuisse. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 24. Me corporis exigui, præcanum etc. *Nepos Agesil.* 8. Exiguus et claudus altero pede. *piccolo di statura. Virg.* 1. *G.* 181. Exiguus mus. *Cic.* 3. *Orat.* 19. 70. Ex ingenti campo in exiguum gyrum oratorem compellere. *Id.* 1. *ibid.* 62. 264. Quoniam exiguis quibusdam finibus totum oratoris munus circumdediati. *Horat.* 1. *Od.* 18. 10. Exigui fines. Rursus *Cic.* 1. *de republ.* 17. Exigua pars terræ. *Horat.* 2. *Od.* 9. 24. campi. *Cæs.* 5. *B. G.* 47. castra. *Auct. B. G.* 8. 5. ædificia. *Quintil.* 2. 17. 28. locus eloquentiæ. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 13. toga. *Id.* 3. *Od.* 6. 12. torques. *Cæs.* 7. *B. G.* 17. Civitas exigua et infirma. *Cic. Rabir. perduell.* 3. 9. Alteram partem, de nece Saturnini, nimis exiguam atque angustam esse voluisti. *Id.* 5. *Fam.* 7. Litteræ tuæ exiguam significationem tuæ erga me voluntatis habebant. *Id.* 2. *leg. Agr.* 2. 5. Cujus errato nulla venia, recte facto exigua laus et ab invitis expressa proponitur. *Id.* 1. *Fin.* 19. 63. Exiguam fortunam intervenire sapienti. *aver la fortuna poco luogo o parte nelle azioni del savio. Quintil.* 11. 3. 15. Grandis aut exigua vox. Adde *Sueton. Ner.* 20. *Horat. Art. P.* 77. Exigui elegi. *Cic.* 6. *Parad.* 3. 49. Exiguus fructus. — Huc referri potest et illud *Spartian. Sever.* 19. Tam exiguis vestibus usus est, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet. *Forcellinus* hunc locum singulari paragrapho distinxit, et docuit *exiguum* significare vilem parvique pretii. — Ceterum *Cic.* 1. *Orat.* 4. 16. Exiguus oratorum numerus. *Id. Quinct.* 1. 2. Exiguæ amicorum copiæ. *Nepos Miltiad.* 4. *extr.* Exiguis copiis dimicare. Adde *Cæs.* 2. *B. C.* 39. *Cic.* 6. *Parad.* 3. 49. Exigui fructus. *Cæs.* 1. *B. C.* 78. facultates. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 43. census. *Lucan.* 3. 182. Exiguæ puppes. *poche navi. Martial.* 12. 83.

Exigui capilli. *h. e.* rari. *Cic.* 1. *Orat.* 20. 92. Exiguum tempus. *Id.* 6. *de republ.* 23. pars unius anni. *Cæs.* 4. *B. G.* 20. pars æstatis. — Cum Genitivo. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 381. Abundans corporis, exiguusque animi. — *b*) Comp. *Colum. Arbor.* 28. *sub fin.* Cytisum aridum si dabis, exiguius dato. *Frontin. Aqued.* 32. Vicenariam exiguiorem faciunt diametro digiti semisse. *Ulp. Dig.* 43. 11. 1. *a med.* Ut aqua exiguior facta minus sit navigabilis. *Id. ibid.* 30. 1. 14. *extr.* Exiguius esse præstandum. *Id. ibid.* 29. 5. 1. *a med.* Licet alii validioris vocis sint, alii exiguioris. — *c*) Sup. *Ovid. Heroid.* 11. 115. De fratrum populo pars exiguissima restat. *Plin.* 7. *Ep.* 24. Exiguissima legata. — Hinc

Exiguum, ui, n. 2. absolute, substantivorum more, est parum; *et* occurrit fere cum Genitivo. *Liv.* 27. 27. Exiguum campi ante castra erat. *Id.* 22. 24. Exiguum spatii. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 20. Exiguum pleno de mare demat aquæ. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 106. (169). Cum croco et exiguo aquæ frigidæ trita. *Id.* 28. *ibid.* 9. 37. (139). Exiguum mellis adjiciunt. Alter *Plin.* 7. *Ep.* 27. 13. Exiguum temporis. *Sil. It.* 4. 248. Exiguum salutis.

Exiguo et

Exiguum, adverb. *V.* EXIGUE.

EXĪLĒ, adverb. *V.* EXILIS in fin.

EXĪLICA. *V.* EXSILICA.

EXĪLIO. *V.* EXSILIO.

EXĪLIS, e, adject. Comp. *Exilior* sub *a.*; Sup. *Exilissimus* legitur tantum in *Not. Tir. p.* 67., quæ omni prorsus carent auctoritate. — Quod ad etymon attinet, *Paul. Diac.* p. 81. 4. *Müll.* derivat a tenuitate *inarum,* τῶν ἰνῶν, hoc est fibrarum, seu subtilium venularum in chartis intercursantium. At fortasse est derivandum ab *ex* et *ile,* qui nempe exiguis est iliis, seu lateribus, quemque *Horat.* 1. *Sat.* 2. 93. *brevi latere* dicit, *sfiancato.* Hæc *Forcellinus,* quocum consentit *Seyffert* ad *Cic. Amic.* 16. 58. *Priscian.* 4. p. 631. *Putsch.* Exilis a Græco ἐξίτηλος, *h. e.* evanidus. Alii tamen, inter quos *Freund* et *Klotz,* deducunt ab *exigere,* quemadmodum et *exiguus,* ita ut *exilis* contractum sit pro *exigilis*; quam sententiam pænultima syllaba utpote longa confirmat. Denique *Döderlein* ab *ex* et *egere* derivat. — Quidquid sit de etymo, exilis, λεπτός, est tenuis, subtilis, gracilis, exiguus, macer (It. *esile, sottile, tenue, piccolo*; Fr. *petit, mince, menu, délié, grêle, chétis, faible*; Hisp. *pequeño, menudo, delgado, chico*; Germ. *klein, geringfügig, dünn, dürftig, schmächtig, mager, dürr*; Angl. *slender, thin, slight, mean, small, empty*). Occurrit — *a*) De rebus physicis. *Cic.* 2. *Divinat.* 16. 37. Possum suspicari, contactum aliquo morbo, bovis exile et exiguum et vietum cor. *Id. ibid.* 13. 30. Eadem hora aliæ pecudis jecur nitidum atque plenum est, aliæ horridum *et* exile. *Horat. Epod.* 8. 10. Exile femur, cui ibid. *opponuntur* tumentes suræ. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 27. Exiles artus. Sic *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (46). Caryotæ macro corpore exiles. *Id.* 15. *ibid.* 13. 12. (43). Exilior prunorum caro. *Id.* 24. *ibid.* 6. 20. (29). Exilia folia. *Horat.* 1. *Od.* 4. 17. vocat *exilem* domum Plutoniam, in qua sunt Manes sine corpore *et* tenues umbræ. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 25. 67. Quod solum tam exile et macrum est, quod aratro præstringi non possit? *h. e.* arenosum, vel exigui fundi. Sic *Colum.* 1. *R. R.* 4. 3. Exilis ager. *Lucan.* 3. 204. glæbis exilis Arisbe. *h.* e. macri soli. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 1. *ante med.* Ignes tenuissimi iter exile designant. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 89. (220). Exilis humor. *Id.* 11. *ibid.* 51. 12. (269). Feminis vox exilior, quam maribus. cui ibid. *opponitur* gravior. *Id. ibid.* (270). Exilior vox in senecta. — *b*) De oratione, de re familiari, itemque de abstractis; in quibus omnibus (præter locum *Val. Max.*) *Forcellinus* translate accepit. *Cic.* 2. *Orat.* 38. 159. Genus sermonis non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum. *Id.* 4. *Fin.* 3. 7. Ista ipsa, quæ *tu* breviter, a te quidem apte et rotunde, habes enim a rhetoribus: illorum vero ista ipsa quam exilia de virtutis vi. *h. e.* inornata, subtilia, sicca, tenuia. *Id.* 2. *Orat.* 77. 315. Exile exordium. *Id.* 1. *ibid.* 18. 83. Spinosa et exilis oratio. Sic *Quintil.* 8. 3. 56. Exilis oratio. *cui* ibid. *opponitur* tumida. Similiter de oratoribus *Id.* 10. 2. 16. Pro pressis exiles. Et de vocabulis *Id.* 11. 3. 15. et 13. Vox exilis. *cui* ibid. *opponitur* plena. *Nepos Eumen.* 5. Exiles res animi magnitudinem etsi non frangebant, tamen imminuebant. *h. e.* tenues, imminutæ, adversæ et calamitosæ. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 45. Exilis domus est, ubi non et multa supersunt etc. *h.* e. pauper, tenuis. *Plin. Paneg.* 40. Parva et exilis hereditas. *Val. Max.* 9. 12. n. 8. *extern.* Tenues et exiles virium reliquias fovere. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 6. Exilis via. *h.* e. brevis. *Apul.* 10. *Met.* Exilis metus. *poca paura.* *Gell.* 14. 2. Argumentis admodum exilibus nitebatur. *deboli.* — Cum Genit. *Plaut. Stich.* 4. 1. 21. Ita, me absente, familiarem rem uxor curavit meam: omnium me exilem atque inanem fecit ægritudinum. *h.* e. exsortem, immunem, nulla ægritudine circumdatum, omni cura spoliatum. — Hinc

Exile adverbii ritu pro exiliter. *Stat.* 7. *Theb.* 262. redit atque exile profatur.

EXĪLĪTAS, ātis, f. 3. tenuitas, gracilitas; cui *pinguitudo* et *ubertas* opponuntur (It. *sottigliezza, tenuità, esilità*; Fr. *petitesse, exiguité*; Hisp. *pequeñez, debitidad*; Germ. *d. Dünne, Schwäche, Magerkeit, Dürftigkeit*; Angl. *smallness, shortness, paucity*).

I.) Proprie. *Colum.* 8. *R. R.* 16. 6.; Exilitas soli. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 118. (178). Folia fastigantur in exilitatem. *Id.* 11. *ibid.* 2. 1. (3). Exilitas aculei apum. *Quintil.* 1. 11. 1. Exilitas femineæ vocis.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Orat.* 12. 50. Qui discernes eorum, quos nominavi, ubertatem in dicendo et copiam, ab eorum exilitate, qui hac dicendi varietate non utuntur? *Id. Brut.* 82. 284. Atticum se Calvus noster dici oratorem volebat: inde erat illa exilitas, quam etc. *Quintil.* 1. 11. 4. Quarumdam litterarum vel exilitate, vel pinguitudine nimia laboramus.

EXĪLĪTER, adverb. Comp. *Exilius* II. — Exiliter est tenuiter, graciliter, eique *leviter* et *jejune* respondent.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Orat.* 11. 41. Nolo, verba exiliter exanimata exire; nolo inflata, *et* quasi anhelata gravius.

II.) Translate. *Varro* 5. *L. L.* 2. *Müll.* De quibus duabus rebus in his libris promiscue dicam, sed exilius de posteriore. *h.* e. parcius, brevius. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 50. Iisdem de rebus jejune quosdam et exiliter disputavisse. *h. e.* tenui, et inornato stilo. *Id. Brut.* 27. 106. Annales sane exiliter scripti.

EXĪLIUM. *V.* EXSILIUM.

EXIM. *V.* EXIN.

EXĪMĬĒ, adverb. excellenter, egregie. *Cic. Arch.* 9. 20. Marius L. Plotium eximie dilexit. *Liv.* 25. 40. Eximie ornatum templum. *Id.* 42. 29. Antiochus omnia per suos legatos senatui eximie pollicitus erat. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 1. Stagnum eximie optimum. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 89. (241). Eximie utilis. *Id.* 29. *ibid.* 6. 38. (126). Eximie prodesse. *Id. ibid.* (131). Oculis eximie medetur. *Id.* 27. *ibid.* 12. 104. (127). Proserpinaca anginam eximie curari. *Juvenal.* 11. 1. Eximie cœnare. *Gell.* 13. 8. Eximie atque verissime opinari. *Id.* 11. 13. Eximie et unice delectare.

EXĪMĬĔTAS, ātis, f. 3. præstantia. *Symmach.* 3. *Ep.* 3. Spondeo tuam eximietatem reperire posse multa, quæ tacui. Adde *Augustin. Ep.* 32., 231. et 237.

EXĪMĬUS, a, um. adject. ab *eximo,* ἐξαίρετος, ¶ 1. Stricto sensu est egregius, exemptus, extra ceteros positus, exceptus (It. *tratto fuori dagli altri, che fa eccezione, eccettuato*; Fr. *tiré du nombre, mis à part, excepté, exempté*; Hisp. *puesto à parte, exceptuado, exento*; Germ. *ausnehmend, eine Ausnahme machend, ausgenommen*; Angl. *select, excepted*). Occurrit — *a*) Generatim. *Ter. Hecyr.* 1. 1. 9. SY. Et moneo et hortor, ne cujusquam misereat. PH. Utin' eximium neminem habeam? (*h. e.* ut neminem eximam, excipiam). SY. Neminem. *h.* e. neminem eximam, omnes eodem modo tractem, qui ad me luxuriatum veniunt, quin eos spoliem, mutilem, lacerem. *Cic. Divin.* in *Q. Cæcil.* 16. 52. Neque esset verisimile, quum omnibus Siculis faceret injurias, te illi unum eximium, cui consuleret, fuisse. *Liv.* 9. 34. Tu unus eximius es, in quo hoc præcipuum et singulare valeat? V. *Drakenborg* ad h. l. — *b*) Proprie ait *Forcellinus,* dicebatur de animalibus ad sacrificium electis, quia in sacrificiis optimum pecus e grege eximebatur, teste *Paul. Diac.* p. 82. 3. *Müll.* et *Macrob.* 3. *Saturn.* 5., et adhuc magis proprie de porcis majoribus, qui ad sacrificandum excepti liberius pascebantur. Nam boves, qui ad hoc electi erant, *egregii* dicebantur et oves *lectæ.* *Donatus* ad *Ter. Hecyr.* 1. 1. 9. Sed hæc nomina sæpe indifferenter usurpantur. *Virg.* 4. *G.* 538. Quatuor eximios præstanti corpore tauros Elige. ¶ 2. Universim et lato usu accipitur pro excellenti, insigni, singulari, præstanti (It. *eccellente, singolare, raro, insigne*; Fr. *choisi, distingué, excellent, éminent, remarquable, rare*; Hisp. *distinguido, selecto, excellente, eminente, raro*; Germ. *ausgezeichnet, vorzüglich, ausserordentlich*; Angl. *choice, excellent, remarkable, notable*). Occurrit — *a*) Absolute. — Sæpissime in bonam partem. *Cic.* 1. *Off.* 20. 67. Ea, quæ eximia plerisque et præclara videntur, parva ducere. *Id.* 2. *Orat.* 28. 126. Hæc ipsa semper in te eximia et præstantia fuere. *Id.* 7. *Verr.* 31. 82. Mulier eximia facie. *Id.* 1. *Divinat.* 25. 52. Vidisse se in somnis pulcritudine eximia feminam. Cf. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (55). Eximios forma pueros vendidit. Rursus *Cic.* 6. *Fam.* 5. Eximium ingenium. *Id.* 1. *ibid.* 7. *extr.* Lentulus eximia spe et summæ virtutis adolescens. *Id. pro leg. Manil.* 1. 3. Pompeji singularis eximiaque virtus. Cf. *Cæs.* 1. *B. C.* 46. Propter eximiam virtutem. Rursus *Cic.* 1. *Fin.* 13. 42. Eximiæ pulcræque virtutes. *Id.* 1. *de republ.* 12. Propter eximiam belli gloriam. *Id. ibid.* 10. Eximia gloria virtutis. Cf. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Propter eximiam opinionem virtutis. *Cic.* 2. *de republ.* 36. Quo e collegio laus est illa eximia C. Julii, qui etc. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 104. (127). Proserpinaca est eximii adversus scorpiones remedii. *Id.* 24. *ibid.* 16. 95. (152). Herba eximii usus ad vulnera. *Id.* 2. *ibid.* 63. 63. (154). Eximia merita. *Id.* 5. *ibid.* 4. 3. (24). Regio fertilitatis eximiæ. *Id.* 21. *ibid.* 5. 11. (23). Eximius candor. — Raro admodum in malam partem. *Lucret.* 2. 593. Eximiis vero furit ignibus impetus Ætnæ. — *b*) Et neutr. absolute. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 20. 86. (150). Caligines oculorum succo inungi, eximium habetur. — *c*) Cum Genitivo partitivo, Græco more. *Stat.* 6. *Theb.* 15. Eximii regum. — *d*) Cum addito, in quo quis est eximius. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (171). *de mulis.* Animal viribus in labores eximium. *quamquam illud* in labores *pendere potest a n.* viribus. *Lucan.* 3. 696. Eximius in aliqua re. — *e*) Poetice cum Infinito. *Lucan. ibid.* pugna fuit unus in illa Eximius Phoceus animam servare sub undis, Scrutarique fretum. — *NB.* Pro *maximus.* *Liv.* 42. 15. Harpalus quanta eximia celeritate poterat, regressus in Macedoniam. *Plerique tamen leg.* quanta maxima.

EXĬMO, ĭmis, ēmi, emptum vel emtum, ĭmere, a. 3. Part. *Exemptus* I. 1. et II. 1., 2. et 3.; *Eximendus* II. 1. et 2. — Eximere, ab *ex* et ant. *emere,* quod olim *accipere* et sibi comparare significabat, teste *Paul. Diac.* p. 4. 18. *Müll.,* quodque in *demere* et *adimere* servatum est, ἐξαιρέω, est extrahere, educere, eruere (It. *cavar fuori, trar fuori,* Fr. *tirer de, retirer, enlever, retrancher*; Hisp. *tirar, sacar à fuera, llevar*; Germ. *abnehmen, benehmen, hinwegnehmen, ausnehmen, herausnehmen, entfernen*; Angl. *to take out or away, take or draw from*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cato R. R.* 112. Ubi triduum præterierit, eximito (*acina*) de dolio. *Id. ibid.* 28. Oleas, ulmos bene cum radicibus eximito, cum terra sua quamplurima. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 212. Quid te exempta levat (*al.* juvat) spinis de pluribus una? *Cels.* 6. 9.; et *Sueton. Vesp.* 5. Eximere alicui dentem. Sic *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 49. (181). Exemptus dens. *Id.* 26. *ibid.* 11. 71. (116). Medullam e caule eximere. Sic *Id.* 13. *ibid.* 1. 9. (39). Exempta medulla vivunt palmæ. *Id.* 30. *ibid.* 6. 17. (51). Cani viventi lienem eximere. *Id.* 28. *ibid.* 8. 28. (107). Lapillos ventre crocodili exemptos. *Marcell. Dig.* 41. 1. 8. Lapis terra exemptus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 12. 62. (188). Eximere acetum de opsoniis apio. *Quintil.* 9. 2. 75. Eximere telum. *Sueton. Tib.* 73. Exemptum anulum alicui tradere: dein rursus aptare digito. *Apic.* 8. 7. *ad fin.* Exemptæ cochleæ. *cavate dal guscio.* — Huc pertinent et sequentia. *Cic.* 4. *Verr.* 52. 139. Eximi jubet non diem ex mense, sed ex anno unum mensem. *Id. ibid.* 40. 99. Ne tu ex reis eximerere. *Id.* 6. *ibid.* 19. 41. Eximere absentem de reis. *Id.* 2. *Orat.* 66. 268. aliquem ex ærariis. *Nepos Att.* 10. quempiam de numero proscriptorum. *Horat.* 2. *Od.* 2. 18. aliquem numero beatorum. *non contar tra i felici.* *Quintil.* 1. 4. 3. Ut auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. *Id.* 10. 1. 74. Qui turbu

quamvis bonorum auctorum eximatur. *Curt.* 6. 11. *med.* Eximere se hominibus. *trarsi fuori degli uomini, non voler passare per uomo.* — Huc pertinent et illa *Inscript.* apud *Orell.* 4576. DIE, QVA EXEMPTVS EST REBVS HVMANIS. et 4621. QVOD ABSENTE SE AMBAE (scil. conjux et filia) EADEM HORA SINT HORIS EXEMPTAE. ¶ 2. Speciatim ac prægnante, uti ajunt, significatione est subtrahere, liberare, *sottrarre, liberare, esimere.* *Cic. Orat.* 23. 77. Eximere aliquem e vinculis. *Id.* 5. *Fam.* 6. 2. aliquos ex obsidione. *Liv.* 38. 15., 27. 41., 36. 13. et 37. 22. aliquos obsidione. *Cic.* 2. *Phil.* 39. 101. agrum de vectigalibus. *Flor.* 3. 21. 13. se ludibrio hostium.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphora sumpta a superiore paragr. 1., est adimere, auferre, tollere, *togliere via, levar via.* *Cic. Amic.* 7. 23. Quod si exemeris ex rerum natura benevolentiæ conjunctionem. *Forcellinus* leg. *vinctionem.* *Liv.* 24. 29. Id eximendum de fœdere est. *Plin.* 2. *Ep.* 12. Exemptus honoribus. *h. e.* cui ad honores interclusus est aditus. *Plaut. Merc.* 1. 2. 17. Numquam edepol omnes balineæ mihi hanc lassitudinem eximent. Rursus *Cic.* 2. *Tusc.* 12. 29. Illud, quod me angebat, non eximis. *Horat.* 3. *Od.* 14. 14. Hic dies vere mihi festus atras Eximet curas. *Id.* 1. *Ep.* 5. 18. Sollicitis animis onus eximit. *Liv.* 4. 31. Eximere religionem. *levare lo scrupolo.* *Quintil.* 1. 10. 28. dubitationem hujus utilitatis. *Justin.* 30. 3. Quæ res omnem cunctationem belli senatui exemit. *Sueton. Claud.* 11. Eximere aliquid memoriæ. *abolir la memoria di qualche cosa.* *Virg.* 1. *Æn.* 220. Exempta fames epulis. *Justin.* 11. 11. Illi aucta insolentia, exempta comitas. *deposto, levata.* *Ovid.* 1. *Fast.* 626. Jus exemptum restituere. *h. e.* ademptum. *Al. leg.* ereptum. In *Edicto Prætor.* apud *Ulp. Dig.* 4. 6. 1. et 26. Exempta actio. *h. e.* adempta, quum scilicet quis desiit posse agere. *Lucret.* 1. 974. omne Cogit, ut exempta concedas fine patere. *h. e.* sine fine ac termino. — Passive impersonaliter. *Tac.* 6. *Ann.* 22. Plurimis mortalium non eximitur, quin primo cujusque ortu ventura destinentur. ¶ 2. Speciatim, metaphora sumpta a superiore paragr. 2., est subtrahere, liberare; et occurrit — *a*) Apud classicos Auctores cum Ablativo et præpos. *ex*, vel sine præpos. *Plaut. Rud.* 1. 4. 13. Eximere aliquem ex metu. *Cic.* 2. *Invent.* 7. 24. Iis (*rationibus*) accusator ad alios ex culpa eximendos abutetur. *Liv.* 6. 24. *a med.* Orare singulos universosque, ut se, reum fortunæ ejus diei, crimine eximerent. *Id.* 34. 52. Qui servitute exempti fuerant. *Id.* 24. 39. *ad fin.* Eximere cives servitio. *Id.* 6. 40. *a med.* se arbitrio alterius. *Id.* 5. 15. rem miraculo. *h. e.* efficere, ut res miraculo tribuenda non sit. *Pompon. Dig.* 45. 2. 19. Quum duo eamdem pecuniam deberent, si unus capitis deminutione exemptus est. *h. e.* liberatus obligatione solvendi. — *b*) Apud sequioris ævi scriptores cum Dativo. *Liv.* 8. 35. Non noxæ (*al. leg.* noxa) eximitur Q. Fabius, qui contra edictum imperatoris pugnavit, sed noxæ damnatus donatur populo Romano. V. *Drakenborg* ad h. l. *Curt.* 7. 1. Supplicio magis, quam crimini exemptus est. *sottratto.* *Tac.* 14. *Ann.* 48. Eximere aliquem morti. *Val. Flacc.* 2. 256. Exime nos sceleri, pater, et miserere piorum. *Gell.* 4. 20. Notæ jam destinatæ exemptus est. *Paul. Dig.* 18. 10. 22. § 4. Eximere aliquem pœnæ. Adde *Quintil.* 12. 2. 28. — *c*) Absolute. *Quintil.* 4. 2. 71. Nec sorte opus fuisse, nisi quod se quisque eximi voluerit. ¶ 3. Item speciatim de tempore. — *a*) In re forensi *eximere diem* est extrahere, protrahere, et sic judicio auferre. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. 3. Clodius rogatus, diem dicendo eximere cœpit. *Id.* 4. *Att.* 3. Metellus calumnia dicendi tempus exemit. *Liv.* 1. 50. *ad fin.* Cura reconciliandi eos in gratiam moratum esse: et quia ea res exemisset illum diem, postero die acturum, quæ constituisset. *Plin.* 5. *Ep.* 21. Dimittuntur centumviri, eximitur dies. Similiter per metaphoram *Sueton. Oth.* 6. Medium quoque tempus religio et Seleucus exemit. — *b*) Et generatim pro transigere. *Pallad.* 11. *R. R.* 15. Exemptis quadraginta diebus, melle addito, uteris. *Id.* 12. *ibid.* 20. Postea, tribus diebus exemptis, auferunt. *Id.* 3. *ibid.* 17. *sub fin.* Anno exempto. *Id. ibid.* 26. Quarto exempto mense pariunt.

EXIN. *V.* EXINDE.

EXĬNĀNĬO, is, ivi, itum, ire, a. 4. (ex et inanis). Part. *Exinaniens, Exinanitus* et *Exinaniundus.* — Exinanio est evacuo, inanem reddo (It. *votare*; Fr. *vider, épuiser*; Hisp. *vaciar, agotar*; Germ. *leer machen, ausleeren, erschöpfen*; Angl. *to empty, exhaust*). *Plaut. Truc.* 4. 2. 2. Ama rem tuam: Istum (*amatorem*) exinani. *h. e.* emunge, exhauri, spolia. *Sisenna* apud *Non. p.* 107. 23. *Merc.* Exinanitis castris. *Cic.* 7. *Verr.* 25. 61. Nox illa tota exinaniunda navi consumitur. *Id. ibid.* 40. 101. Habet constratam navem et minus exinanitam. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 4. 11. Siciliam provinciam Verres depopulatus esse, Siculorum civitates vastasse, domos exinanisse, fana spoliasse dicitur. *Id.* 7. *Verr.* 50. 119. Vastare et exinanire agros. *Id.* 2. *leg. Agr.* 27. 72. Regibus atque omnibus gentibus exinanitis. *Cæs.* 1. *B. C.* 48. Exinanire civitates. *Varro* 3. *R. R.* 16. 28. Apes relinquunt exinanitas alvos. *Auct. B. Afr.* 20. Omnem regionem exinanire frumento. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 20. 19. (82). Exinanire onusta vehicula. *Id.* 32. *ibid.* 5. 17. (47). Exinanita clysteribus corpora. *Id.* 24. *ibid.* 8. 35. (52). Exinanire hydropicos. *Id.* 25. *ibid.* 5. 20. (45). lienem. *Id.* 26. *ibid.* 8. 36. (57). Radix et alvum et bilem et pituitam exinanit. *Id.* 17. *ibid.* 2. 2. (12). Exinanitæ fetu arbores. *h. e.* viribus exhaustæ. *Id.* 18. *ibid.* 22. 51. (189). Nisi multiplici partu exinaniatur ubertas, pereunt luxuria singuli fructus. *Id.* 36. *ibid.* 14. 21. (96). Paullatim exinaniens imos. *Curt.* 4. 51. 34. Exinanire ultimam aciem. *Paul. Dig.* 31. 1. 89. *ad fin.* Patrimonium suum donationibus exinanire. *Pelagon. Veterin.* 4. 1. Medio fere in utroque crure equi venæ solvuntur, et, ne plus justo exanietur (*corrige* exinanietur), stercus ipsius jumenti fluentibus venis ad modum fascis obligetur. Adde *Apic.* 2. 1. et alibi sæpe.

EXĬNĀNĪTĬO, ōnis, f. 3. evacuatio. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 38. (118). Succurrit aliquando præceps alvi exinanitio. *Id.* 17. *ibid.* 2. 2. (13). Exinanitio florescendi. *h. e.* emissio florum, qua vires arborum exhauriuntur.

EXĬNĀNĪTUS, a, um. *V.* EXINANIO.

EXINDE *et per apocopen* exin, adverb. *Exin* pro *exinde* metri causa dici, ait *Paul. Diac. p.* 82. 7. *Müll.*: certe est per apocopen pro *exinde*, quemadmodum *dein* et *proin* pro *deinde* et *proinde*; ut docet ipse *Cic. Orat.* 45. 154. *Dein* etiam sæpe et *exin* pro *deinde* et *exinde* dicimus. — Ceterum *exinde*, ab *ex* et *inde*, est idem atque ex eo, scilicet ex eo loco, tempore etc. ordinemque significat (It. *di là, da quel punto*; Fr. *de là, de ce lieu*; Hisp. *de allá*; Germ. *von da heraus, von da her, von da*; Angl. *after that*). Occurrit autem *A*) De loco; *B*) De tempore; *C*) De causa vel re; *D*) Et de mensura, sed tamen translate accepta.

A) De loco seu de ratione loci est ex eo loco, post eum locum, et usurpatur

I.) Proprie. *Plaut. Epid.* 1. 2. 47. Utcumque in alto ventus est, Epidice, exin velum vortitur. Adde *eumd. Pœn.* 3. 5. 9. *Cod. Justin.* 1. 12. 1. Si servus cujusquam in ecclesiam altariave armatus irruerit, exinde protinus abstrahatur. *Tac.* 15. *Ann.* 12. Regionem Commagenam, exin Cappadociam, inde Armenios petivit.

II.) Translate est deinde, *dipoi, poscia, oppresso.* *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 101. Ac principio terra universa cernatur etc. – At vero quanta maris est pulcritudo! – Exin mari finitimus aer. – Restat ultimus omnia cingens et coercens cœli complexus etc. *Id.* 2. *ibid.* 43. 111. Hanc (*stellam*) propter versatur Andromeda. – Hinc Equus summum contingit caput alvo. – Exin contortis Aries cum cornibus hæret. *Tac.* 2. *Ann.* 16. Auxiliares Galli Germanique in fronte, post quos pedites sagittarii, dein quatuor legiones, – exin totidem aliæ legiones.

B) De ratione temporis est ex eo tempore, postea, deinde, et occurrit

I.) Proprie. — *a*) Absolute, *h. e.* sine particulis, quibus *exinde* respondeat. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 108. Interea sol albu' recessit in infera noctis; Exin candida se radiis dedit icta foras lux. *Leg. XII. Tab.* apud *Cic.* 3. *Legg.* 3. 7. POPVLI PARTES IN TRIBVS DISTRIBVVNTO: EXIN PECVNIAS, AEVITATES, ORDINES PARTIVNTO. *Cic.* 1. *Divinat.* 26. 55. Servus per circum, quum virgis cæderetur, furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret – illum non ausum. Iterum esse idem jussum et monitum, ne vim suam experiri vellet; ne tum quidem esse ausum. Exin filium ejus esse mortuum etc. *Virg.* 6. *Æn.* 743. Quisque suos patimur Manes. Exinde per amplum Mittimur Elysium. *Liv.* 24. 42. Ad Mundam exinde castra Punica mota. *Tac.* 3. *Ann.* 30. Exin promptum quod multorum intimis quæstibus tegebatur. — *b*) Præcedente *ubi*, vel *postquam*. *Plaut. Curc.* 2. 3. 84. Ostium ubi prospexi, exinde me ilico protinam dedi. *Forcellinus* de loco accepit. *Id. Truc.* 1. 1. 63. Postquam alium reperit, qui plus daret, me exinde amovit loco.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur in rerum enumeratione, et est postea, præterea. *Virg.* 6. *Æn.* 891. Incenditque animum famæ venientis amore: Exin bella viro memorat, quæ deinde gerenda. *Id.* 8. *ibid.* 306. Exin se cuncti divinis rebus ad urbem Perfectis referunt. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 341. *Liv.* 31. 4. Per eos dies P. Ælio consule comitia habente creati consules P. Sulpicius Galba, C. Aurelius Cotta. Prætores exinde facti Q. Minutius etc. Adde *eumd.* 31. 6., 37. 47., 40. 35. et 42. 9. *Tac.* 11. *Ann.* 2. Suillio corruptionem militum –, exin adulterium Poppææ, ac postremum mollitiam corporis objectante. Adde *eumd.* 15. *ibid.* 41. ¶ 2. Apud sequioris ævi scriptores ponitur etiam pro *ex illo tempore*; et quidem — *a*) Absolute. *Justin.* 1. 2. Ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu et populum vestiri jubet: quem morem vestis exinde gens universa tenet. *Paul. Dig.* 10. 1. 4. Post litem contestatam etiam fructus venient in hoc judicio: nam et culpa et dolus exinde præstantur. Adde *Pompon. ibid.* 41. 6. 4. et *Tryphonin. ibid.* 49. 15. 12. *Cod. Justin.* 7. 33. Quum post notam et omissam quæstionem res ad nova dominia bona fide transierint et exinde novi viginti anni intercesserint, non est inquietanda, quæ nunc possidet, persona. — *b*) Sequente part. *ut, quum, ex quo.* *Apul. de Mag.* Exinde, ut eorum participare cœpi. Adde *eumd.* 2. *Met. Id.* 1. *ibid.* Exinde quum ex astu a magistro digressi sumus. *Ulp. Dig.* 1. 16. 1. § 6. Credendum est videri legatum habere jurisdictionem non exinde, ex quo mandata est, sed ex quo provinciam proconsul ingressus est. Adde *eumd. ibid.* 5. 1. 67.; et *Cod. Justin.* 2. 22. et 4. 32.

C) De causa, et est ex ea re, *da ciò, per ciò.* *Apul.* 6. *Met.* Nec quidquam idonei lucri exinde cepimus, sed vulnera. *Cod. Justin.* 1. 3. 35. Quum exinde sustentatio vel educatio orphanis compararetur. *Ibid.* 1. 2. 14. Quodcumque exinde incommodum ecclesiæ contigerit.

D) Apud veteres occurrit etiam de mensura translate accepta, et est secundum, *secondo ciò, in corrispondenza o ciò.* *Plaut. Pseud.* 2. 3. 13. Proinde ut quisque fortuna utitur, ita præcellet: atque exinde sapere eum omnes dicimus. *Id. Most.* 1. 3. 71. Ut fama est homini, exin solet pecuniam invenire: ergo si bonam famam mihi servasso, sat ero dives. *Varro* 1. *R. R.* 20. 4. Ad molas alii asellis, alii vaccis ac mulis utuntur, exinde ut pabuli facultas est.

EXINFULĀBAT, exserebat; infulas enim sacerdotum filamenta vocabant. *Paul. Diac. p.* 81. 18. *Müll.*

EXINTĔRO. *V.* EXENTERO.

EXJŎCOR, āris, ari, dep. 1. idem quod jocor, ludo. *Catull.* 21. 5. nam simul exjocaris una hærens ad latus, omnia experiris. *Alii multo rectius leg.* nam simul es, jocaris una, hæres ad latus, etc. *h. e.* cum illo consuescis, vel edis.

EXISONA. *Vitruv.* 4. 8. 4. *Schn.* Uti reliqua exisona, quæ solent esse in frontibus, ad latera sunt translata. *Barbarus* vertit *le altre parti eguali*, quasi sit ab ἴσος *æqualis* et *Vitruv.* scripserit [illegible], ex cujus corruptione extiterit paullatim illud *exisona*: quæ conjectura est *Baldi* in *Lex.*, ubi addit placere *Turnebi* lectionem mutari et *ex his omnia lexi*. *Schneiderus* vulgatam lectionem retinuit, et *Baldi* conjecturam parvi pendit, quoniam in hoc *Vitruv.* loco de re nobis incognita sermo est.

EXISTĬMĀBĬLIS, e, adject. qui existimari potest, probabilis, veri similis. Est *Cœlii Aurel.* 2. *Acut.* 5. et 35., et 3. *ibid.* 17. *ad fin.*

EXISTĬMĀTĬO *vel* existumatio, ōnis, f. 3. actus existimandi; et occurrit ¶ 1. Subjective, uti vulgo ajunt, et est opinio, judicium, [illegible] (It. *stima, giudizio*; Fr. *opinion, jugement, sentiment, avis*; Hisp. *opinion, juicio, sentir*; Germ. *der Glaube, das Urtheil, die Meinung, Beurtheilung*; Angl. *an estimation, esteem, opinion, judgment*). *Existimatio* sæpe cum *judicio* conjungitur, ut apud *Cic. Cluent.* 20. 56. Atque hoc tum judicio facto et

Oppianico re et existimatione jam, lege et pronunciatione nondum condemnato. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 15. 43. Non est tibi his solis utendum existimationibus ac judiciis, qui nunc sunt, hominum, sed iis etiam, qui futuri sunt. *Id.* 7. *Verr.* 68. 176. Non illa tacita existimatio, sed vehemens et liberum populi Romani judicium. *Id. Cluent.* 29. 80. Non modo ab iis, quorum judicium atque potestas est, sed etiam ab illis, quorum tantum existimatio. *Id.* 5. *ibid.* 82. 190. In hoc genere facilior est existimatio, quam reprehensio. *Id. Prov. cons.* 17. 40. Quominus sæpe aut interpeller a nonnullis, aut tacitorum existimatione reprehendar. *Id.* 5. *Verr.* 58. 133. Omnium existimationi satisfacere. *Id.* 3. *de republ.* 17. Vir optimus omnium existimatione. *Liv.* 4. 41. Quanta prudentia rei bellicæ in C. Sempronio esset, non militis de imperatore existimationem esse, sed populi Romani fuisse, quum eum comitiis consulem legeret. *Id.* 4. 20. Qui si in ea re sit error, communis existimatio est. *ognuno può giudicarlo. Vitruv.* 7. 5. *a med.* Indecens status signorum publice civitati vitium existimationis adjerit. *mancanza, difetto, ignoranza di buon gusto. Sueton. Tib.* 58. *extr.* Dictum factumve alicujus existimatione aliqua lædere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (47). Propior vero prior existimatio fieret, ni etc. *sarebbe più verisimile la prima opinione, se etc.* Alter *Plin. Paneg.* 62. *extr.* Ne respexeris clandestinas existimationes nullisque magis quam audientibus insidiantes susurros. *Ascon.* ad *Cic. Mil.* 12. 32. *p.* 40. *Bait.* Complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus, damnavit. *come comunemente si stima.* — Differt ab *æstimatione*, quod hæc fere ad pretia refertur; *existimatio* ad cetera. Præterea *æstimatio* est de re perpensa et cognita judicium: *existimatio* est de re putata et probabili. Contra alii putant, *æstimationem* esse cogitationis et opinionis, *existimationem* perfecti omnino judicii. ¶ 2. Objective, uti ajunt, seu passiva significatione sumitur pro bona fama, opinione, auctoritate, dignitate, honestate, εὐδοξία, δόξα, ἐπιτιμία (It. *buon concetto, riputazione, stima, onore*; Fr. *estime, considération, réputation, honneur*; Hisp. *estima, estimacion, reputacion*; Germ. *der Ruf, der gute Name, die Achtung, Geltung, der Credit*; Angl. *good opinion, reputation, credit, honour, fair fame*). Ita definit *Callistrat. Dig.* 50. 13. 5. Existimatio est dignitatis illesæ status, legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro, auctoritate legum, aut minuitur, aut consumitur. *Cic.* 5. *Fam.* 20. Nihil eum fecisse scientem, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam. *Id. Flacc.* 22. 52. Homo egens, sordidus, sine honore, sine existimatione, sine censu. Sic *Id. ibid.* 15. 35. Homo fortuna egens, vita turpis, existimatione damnatus. *Id.* 1. *Att.* 1. Inopem esse ab amicitia et existimatione. *Id.* 2. *Orat.* 49. 200. Nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse. *Id. Rosc. Com.* 6. 16. Judicia summæ existimationis et pæne dicam capitis. *Id.* 1. *Att.* 1. 4. Ne contra amici summam existimationem miserrimo ejus tempore venirem. *Nepos Att.* 15. Suam existimationem in ea re agi putabat. *Id. Agesil.* 4. Bonam existimationem regno præponere. *Sueton. Ner.* 12. Existimationis integræ vir. — Jungitur et multis Verbis. *Cic.* 13. *Fam.* 73. 2. Alicujus existimationem violare. *Id. Planc.* 2. 6. et 3. *Fam.* 8. 7. offendere. *Id.* 3. *Fam.* 10. 8. oppugnare. *Sueton. Cæs.* 75. lacerare. *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 14. Perdere existimationem. *Nepos Cat.* 2. Detrimentum existimationis facere. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. Committere alteri existimationem suam. *Id. ibid.* 1. 5. Alicujus existimationi consulere. *Cæs.* 3. *B. C.* 1. Ad debitorum tuendam existimationem. h. e. fidem, *il credito.* — Quod attinet ad *judicia summæ existimationis* apud Romanos, V. *Klotz* ad *Cic. Cæcin.* 3. 8.

EXISTĬMĀTOR, ōris, m. 3. qui existimat, censet. *Cic.* 3. *Orat.* 22. 83. Stultus alieni artificii existimator. *Id. Brut.* 39. 146. In augendo, in ornando, in refellendo magis existimator metuendus, quam admirandus orator. *Id. ibid.* 54. 200. Existimator intelligens dicendi. *Id. ibid.* 93. 320. doctus et intelligens. *Id. Orat.* 31. 112. Ut existimatores videamur loqui, non magistri. *Id.* 3. *Fin.* 2. 6. Te habeo æquissimum existimatorem et judicem. *Gell.* 20. 1. 10. Existimator non levis.

Homonym. In quo *existimator* differat ab *æstimatore*, *V.* in voc. præced. 1.

EXISTĬMĀTUS *et antique* existumatus, a, um. *V.* voc. seq.

EXISTĬMO *et antique* existumo, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Existimans* sub *c.*; *Existimatus* sub *a.* et *b.*; *Existimaturus* sub d.; *Existimandus* sub *a.* — Ratione habita etymi, conjungendum est cum *æstimo*, quocum sæpe in MSS. libris confunditur (V. *Criticos* ad *Liv.* 34. 2.), et a quo quid differat in EXISTIMATIO 1. diximus. Ceterum existimare, δοκεῖν, νομίζειν, est putare, opinari, censere (It. *giudicare, pensare, stimare*; Fr. *juger, apprécier, avoir telle ou telle opinion, estimer, croire, penser*; Hisp. *juzgar, hacer dictamen, estimar, reputar, presumir*; Germ. *urtheilen, glauben, meinen, dafürhalten*; Angl. *to judge, think, repute, esteem, determine*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo rei aut personæ. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 24. 38. Si improbum Cresphontem existimaveras. *Ter. Heaut.* 2. 3. 41. Ea res dedit existimandi copiam quotidianæ vitæ consuetudinem. *Cic.* 5. *Verr.* 82. 190. Eum, qui hoc facit, avarum possumus existimare. *Quintil.* 5. 12. 21. Athletarum corpora decora vere existimaverunt. — Passive. *Cic. Cæcin.* 4. 6. Fulcinius domi suæ honestus existimatus est. *Id.* 2. *Orat.* 66. 268. P. Cornelius, homo, ut existimabatur, avarus et furax. *Id. Harusp. resp.* 13. 29. Dejotarus a senatu regali nomine dignus existimatus. *Quintil.* 11. 3. 8. Qua fama diu princeps oratorum — existimandus est. *Id.* 5. 9. 13. Popularitas signum affectati regni est existimatum. *Id.* 9. 1. 27. Assimulata et arte composita procul dubio sunt schemata existimanda. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 13. 14. (35). Capillus juxta feminis virisque existimatur in probro. *Id.* 24. *ibid.* 15. 84. (135). Chamæcissos quum floret, existimari potest alba viola. *Gell.* 1. 9. Pro existimato captu solertiæ. *Id.* 10. 23. Cato non solum existimatas, sed multatas quoque a judice mulieres refert. *censurate, riprese.* — *b*) Cum Infinito. *Plaut. Most.* 1. 3. 147. Tu me amas, ego te amo; merito id fieri uterque existimat. *Id. Asin.* 1. 2. 23. Ne id quidem me dignum esse existimat, quem adeam etc. *Id. Bacch.* 3. 6. 19. Atque ii se quum frustrantur, frustrari alios stolidi existimant. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 33. 89. Si majores nostri existimassent, quemquam Rulli similem futurum. *Id.* 15. *Fam.* 21. Non possum existimare, plus quemquam a se ipso, quam me a te amari. *Id. Brut.* 36. 138. Ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos. — Passive. *Cic.* 2. *Orat.* 1. 4. Fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere etc. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. *Nepos Phoc.* 2. Qui bene de republica mereri existimabantur. *Quintil.* 9. 2. 92. Themistocles suasisse existimatur Atheniensibus etc. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (118). Faba hebetare sensus existimata. — Et passive impersonaliter. *Cæs.* 5. *B. G.* 13. Huic (*insulæ*) millia passuum DCCC in longitudinem esse existimatur. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (81). Taprobanen alterum orbem terrarum esse, diu existimatum est. Huc referri potest et illud *Liv.* 23. 13. *a med.* Existimatu facile est. — *c*) Sequente relativo. *Ter. Phorm.* 1. 1. 11. Haud existumans, quanto labore partum. *Cic.* 1. *ad Brut.* 4. Quanta sim lætitia affectus, facilius est tibi existimare, quam mihi scribere. *Sall.* 3. *Hist. in orat. Macri Lic. trib. pleb.* Si, Quirites, parum existumaretis, quid interesset etc. *Id. Jug.* 85. Nunc vos existumate, facta, an dicta pluris sint. In his duobus *Sallustii* locis, nec non in aliis *Ter. Phorm.* 1. 1. 11. et *Heaut.* 2. 3. 41. *Forcellino* videbatur *existimare* poni pro *æstimare*. *Cæs.* 3. *B. G.* 102. Utrum avertendæ suspicionis causa Pompejus proposuisset, ut etc. —, an novis delectibus Macedoniam tenere conaretur, existimari non poterat. *Liv.* 22. 59. Qui (*Pyrrhus*) utrum avarior, an crudelior sit, vix existimari potest. — *d*) Cum Ablat. et præpos. de. *Cic.* 1. *Legg.* 2. 7. De scriptoribus, qui nondum ediderunt, existimare non possumus. *formar giudizio.* *Id.* 1. *Fam.* 7. 5. Ex eventu homines de tuo consilio existimaturos videmus. — Passive impersonaliter. *Cic. Brut.* 21. 82. Orationes, ex quibus existimari de ingeniis oratorum potest. — Huc pertinet et loquendi ratio *bene* aut *male existimare de aliquo*, ut apud *Cic.* 6. *Att.* 2. 3. De isto Dicæarcho non minus bene existimabat (Dionysius), quam tu de C. Vestorio. *Id.* 2. *Off.* 10. 36. Quos improbos putant, eos contemnunt quidem neutiquam, sed de iis male existimant. — *Bene* aut *male existimare de aliquo* non solum est bene aut male opinari, sed etiam per metonymiam bene aut male loqui. *Seneca* 3. *Ira* 22. Quid facilius fuit Antigono, quam duos manipulares duci jubere, qui incumbentes regio tabernaculo faciebant, quod homines et periculosissime et libentissime faciunt, de rege suo male existimabant? *sparlavano. Id. Ep.* 68. Quid autem tecum loqueris? quod homines de aliis libentissime faciunt: de te apud te male existimas. — *e*) Absolute. *Quintil.* 9. 1. 29. Ut Cicero existimat. *Id.* 8. 6. 67. Sicut multi existimarunt. — Et passive impersonaliter. *Cic.* 2. *de republ.* 15. Sæpe hoc de majoribus natu audivimus, et ita intelligimus vulgo existimari.

EXISTO. *V.* EXSISTO.

EXĬTĬĀBĬLIS, e, adject. exitium afferens, exitialis. *Cic.* 10. *Att.* 4. 3. Bellum comparat non injustum ille quidem, suis tamen civibus exitiabile. *Liv.* 29. 17. Exitiabilis tyrannus. *Ovid.* 6. *Met.* 257. Telum exitiabile. *Sueton. Aug.* 23. Clades pæne exitiabilis. *Id. Claud.* 25. discordiæ. *Tac.* 6. *Ann.* 24. Exitiabilis in suos, infensus reipubl. animus. *Vellej.* 2. 112. 3. Exitiabilis fames.

EXĬTĬĀBĬLĬTER. *V.* EXITIALITER.

EXĬTĬĀLIS, e, adject. exitium afferens, perniciosus, exitiosus. *Cic.* 7. *Verr.* 6. 12. Perditæ civitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur. *Virg.* 2. *Æn.* 31. Donum exitiale. *Id.* 6. *ibid.* 511. scelus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 72. 93. (198). Animalia venenata magis exitialia, si etc. *Capell.* 2. *p.* 44. Exitialis horror. *Sueton. Cal.* 50. Criminosum et exitiale habebatur.

EXĬTĬĀLĬTER, adverb. perniciose. *Augustin.* 6. *Confess.* 7. Quia circum exitialiter amabat. *Al. leg.* exitiabiliter, *quod idem sonat.*

EXĬTĬO, ōnis, f. 3. exitus. *Plaut. Truc.* 2. 6. 30. Quid illi ex utero exitio est?

EXĬTĬŌSĒ, adverb. perniciose. Occurrit tantum Superl. *Exitiosissime* apud *Augustin. Ep.* 8. 3. Videtur mihi exitiosissime credi.

EXĬTĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Exitiosior* et Sup. *Exitiosissimus.* — Exitiosus est exitium afferens, exitialis. *Cic.* 4. *Cat.* 3. 6. Hanc tantam, tam exitiosam haberi conjurationem a civibus numquam putavi. *Id. Planc.* 36. 87. A servis cædem fieri bonorum reipub. exitiosum fuisse. *Id.* 6. *Fam.* 1. 5. Et fieri posse et exitiosum fore videbam. *Tac.* 2. *Hist.* 31. Otho luxu, sævitia, audacia reipublicæ exitiosior ducebatur. *Tertull. Anim.* 34. Helena exitiosissima Priamo.

EXĬTĬUM, ii, n. 2. *Exitium* pro *exitiorum* dixit *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 67. et *Orat.* 46. 155. — Exitium ab *exire* ¶ 1. Generatim est exitus. *Paul. Diac.* p. 81. 4. *Müll.* Exitium antiqui ponebant pro exitu; nunc exitium pessimum exitum dicimus. ¶ 2. Hinc speciatim est pernicies, ruina, extrema calamitas, interitus, ὄλεθρος (It. *rovina, danno totale, ultima rovina, mal fine, morte*; Fr. *ruine, perdition, perte, destruction, renversement, chute*; Hisp. *ruina, destrozo, perdicion, caimiento*; Germ. *das Verderben, der Untergang, das Unheil*; Angl. *ruin, mischief, perdition, destruction, death*). Occurrit — *a*) In sing. numero. *Plaut. Cist.* 4. 1. 10. Ego illam anum irridere me ut sinam? satius est mihi quovis exitio interire. *Lucret.* 1. 225. Nullius exitium patitur natura. *Id.* 5. 99. et 345. Exitium cæli terræque. *Id.* 5. 96. et *Seneca Med.* 1001. Dare aliquem exitio. *Cic.* 1. *Cat.* 4. 9. Qui de meo nostrumque omnium interitu, qui de hujus urbis atque adeo orbis terrarum exitio cogitent. *Id.* 4. *ibid.* 5. 10. Quum de pernicie populi Romani, exitio hujus urbis tam acerbe tamque crudeliter cogitarit. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 4. 4. Me miserum! ego omnibus meis exitio fuero. Sic *Horat.* 1. *Od.* 28. 18. Exitio est avidum mare nautis. et similiter *Sueton. Cæs.* 1. Exitio esse alicui. Rursus *Horat.* 1. *Od.* 16. 17. Iræ Thyesten exitio gravi Stravere. *Id.* 3. *ibid.* 16. 13. concidit auguris Argivi domus ob lucrum Demersa exitio. *Sall. Cat.* 55. *extr.* Ita ille patricius ex clarissima gente Corneliorum (*h. e.* Lentulus) dignum moribus factisque suis exitium vitæ invenit. *Ovid.* 1. *Met.* 146. Imminet exitio vir conjugis, illa mariti. *Sueton. Aug.* 94. Velliterni pæne ad exitium sui cum Romanis belligeraverunt. *Id. Cal.* 11. Exitio suo omniumque Ga-

jum vivere. *Apul.* 5. *Met.* Exitium mortis. *Seneca Agamemn.* 523. Mittere exitio Doricum genus. *Id. Phœniss.* 342. Rapere in exitium omnia. *Id. Med.* 513. Trahere in exitium quempiam. *Tac.* 1. *Ann.* 22. Armare quempiam in exitium alterius. *Id. ibid.* 32. Dedere aliquem ad exitium. *Id. ibid.* 43. Iras civiles in exitium hostibus vertere. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 10. 58. (178). Formicæ non minimum hortorum exitium. — *b*) In plur. numero. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 7. Omnia me mala consectantur, omnibus exitiis interii. *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 67. et *Orat.* 46. 155. Jamque mari magno classis cita Texitur, exitiûm examen rapit. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 4. 10. Neque vero illa popularia sunt existimanda, judiciorum perturbationes *etc.* —: qui civitatum afflictarum perditis jam rebus extremi exitiorum solent esse exitus. *Id. Mil.* 2. 8. Quos P. Clodii furor rapinis et incendiis et omnibus exitiis pavit. *Virg.* 7. *Æn.* 129. hæc res suprema manebat Exitiis positura modum. *Val. Flacc.* 1. 809. date fallaci pudibunda senectæ Exitia indecoresque obitus. *Forcellinus* hunc *Flacci* locum singulari paragr. distinxit, et exitium accepit pro exitu, fine, interitu.

EXĬTUS, a, um. *V.* EXEO.

EXĬTUS, us, m. 4. (exeo) actus exeundi, ἔξοδος (It. *uscita, esito*; Fr. *action de sortir, sortie*; Hisp. *el acto de salir, salida*; Germ. *das Herausgehen, Fortgehen, der Ausgang*; Angl. *a going out, exit*).

I.) Proprie. ¶ 1. Subjective, uti ajunt, et abstracte pro exeundi actu. — *a*) De hominibus. *Cic.* 4. *Parad.* 29. Reditum mihi gloriosum injuria tua dedit, non exitum calamitosum. *Cæs.* 7. *B. G.* 44. Quin pæne circumvallati atque omni exitu et pabulatione interclusi viderentur. *Id.* 3. *B. C.* 69. Primis oppressis, reliqui per horum corpora salutem sibi atque exitum pariebant. — Et in plur. num. *Cæs.* 1. *B. C.* 21. Hortatur (*tribunos militum*), non solum ab eruptionibus caveant, sed etiam singulorum hominum occultos exitus asservent. — *b*) De rebus inanimis. *Lucret.* 6. 493. per spiracula mundi Exitus introitusque elementis redditus exstat. *Id.* 1. 101. Hostia concideret mactatu mœsta parentis, Exitus ut classi felix faustusque daretur. *Id.* 6. 727. fit liber mimus exitus amni. *Id. ibid.* 586. exitus animai. *h. e.* venti. *Quintil.* 1. 11. 7. Quæ (*tibiæ*) præclusis, quibus clarescunt, foraminibus, recto modo exitu graviorem spiritum reddunt. ¶ 2. Objective, uti ajunt, seu concreto sensu est locus, unde exitur. *Varro* 5. *L. L.* 115. *Müll.* Exitum non habeat, ac pervium non est iter. *Cæs.* 7. *B. G.* 28. Quum angusto portarum exitu se ipsi premerent. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (226). In exitu paludis. *Id. ibid.* 63. 63. (156). Spiritui exitum quærere. *Id.* 11. *ibid.* 34. 40. (116). Cibi exitus. *h. e.* foramen sedis. — In plur. num. *Nepos Hann.* 12. Ut in omnibus partibus ædificii exitus haberet. *Liv.* 39. 51. Septem exitus e domo fecerat. *Val. Flacc.* 4. 718. et 8. 185. Exitus Istri. *le bocche*. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 14. 48. (82). Alvorum, quum mel eximitur, illinere exitus. *Colum.* 6. *R. R.* 30. 8. Obsessos naturales exitus adaperire. *h. e.* intestinorum canales.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur pro fine cujusque rei. *fine*. *Cic. pro leg. Manil.* 1. 3. Hujus orationis difficilius est exitum, quam principium invenire. *Id.* 3. *Fam.* 12. 2. Quemadmodum expediam exitum hujus institutæ orationis, non reperio. *non so, come venirne a capo*. Cf. *Cæs.* 4. *B. G.* 8. Ad hæc Cæsar, quæ visum est, respondit; sed exitus fuit orationis sibi nullam cum his amicitiam esse posse. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 53. Tragici poetæ, quum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad Deum. *Id.* 5. *Tusc.* 6. 15. Adducta ad exitum quæstio est. *Id.* 10. *Fam.* 22. 2. Quum propter tarditatem sententiarum ea, quæ consulebantur, ad exitum non pervenirent. *Id. Orat.* 33. 116. Numquam ad exitum perveniri potest. *Id. Fat.* 19. 44. Utrique ad eumdem exitum veniunt. *vanno a finire nella stessa cosa*. *Cæs.* 3. *B. C.* 22. Ita magnarum initia rerum celerem et facilem exitum habuerunt. — Similiter *exitus verborum* est eorum positio extrema, *desinenza*. In plur. num. *Varro* 10. *L. L.* 62. *Müll.* Habent exitus aut in *a*, aut in *e*, *Cic. Orat.* 49. 164. Verba, quæ casus habent in exitu similes. — Item de aliis. *Cic.* 5. *Phil.* 16. 42. Fuga exitum non habebat. *h. e.* non patebat fugiendi locus. *Liv.* 13. 17. Rei exitum imponere. *dar fine*. *Horat.* 3. *Od.* 6. 6. Hinc omne principium, huc refer exitum. *Cic. Mur.* 37. 80. In exitu est meus consulatus. *Liv.* 35. 10. In exitu jam annus erat. *era sul fine*. *Id.* 30. 26. Exitu superioris anni. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (170). Exitu veris. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. oppugnationis. — In plur. num. *Cic. Brut.* 31. 128. Bonis initiis orsus tribunatum tristes exitus habuit consulatus. *Id.* 2. *Orat.* 77. 312. Eæ causæ sunt plenissimæ, quæ plurimos exitus dant ad ejusmodi degressionem. ¶ 2. Speciatim *exitus vitæ* et *exitus* absolute est vitæ finis, mors, *fine, morte*. — *a*) Cum additis. *Nepos Eumen.* 13. Eumenes talem exitum vitæ habuit. *Vellej.* 2. 7. 1. Hunc Gracchi vitæ mortisque habuere exitum. — *b*) Absolute. *Cic.* 1. *de republ.* 16. Quibus quidem Romulus tenebris etiamsi natura ad humanum exitum abripuit, virtus tamen in cælum dicitur sustulisse. *Nepos Phoc.* 4. Hunc exitum plerique clari viri habuerunt. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (197). Duravere usque ad Sejani exitum. *Ammian.* 14. 11. Terrore propinquantis exitus jam præsepultus. — Sic *exitum facere* est idem atque habere. *Sueton. Ner.* 46. Daturos pœnas sceleratos, ac brevi dignum exitum facturos. Adde *Petron. Satyr.* 2.; et *Senec. Ep.* 115. *a med.* — In plur. num. *Cic.* 3. *Nat. D.* 37. 89. Nonnunquam bonos exitus habent boni. *Id.* 2. *Divinat.* 9. 24. Non isset ad arma Pompejus; non transisset Crassus Euphratem; non suscepisset bellum civile Cæsar. Non igitur fatales exitus habuerunt. ¶ 3. Item speciatim ponitur pro eventu, *successo, effetto*. *Cic.* 6. *Fam.* 1. 5. Si mihi alterutrum de eventu atque exitu rerum promittendum est. *Id. Marcell.* 5. 15. Incertus exitus et anceps fortuna belli. *Id.* 1. *ad Brut.* 10. *sub fin.* Eam rempublicam, quam virtute magis, quam creatis rerum liberasti, exitu libera. *h. e.* re ipsa. *in effetto, col fatto*. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. Quod plus se, quam imperatorem, de victoria atque exitu rerum sentire existimarent. *Id. ibid.* 62. Incerto etiam nunc exitu victoriæ. *Id. ibid.* 77. Concilio coacto de exitu fortunarum suarum consultabant. *Id.* 3. *ibid.* 8. Nihil nisi communi consilio acturos, eumdemque omnis fortunæ exitum esse laturos. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. 3. Ut quæ reipublicæ polliceremur, exitu præstaremus. *Horat.* 3. *Od.* 29. 29. Prudens futuri temporis exitum Caliginosa nocte premit Deus. *Ovid.* 6. *Fast.* 565. Exitus accessit verbis. *al detto seguì il fatto*. — In plur. num. *Cic.* 2. *Fam.* 16. 6. Sed ego fortasse vaticinor, et hæc omnia meliores habebunt exitus. *Id.* 2. *Divinat.* 21. 52. Responsa haruspicum, quæ aut nullos habuerunt exitus, aut contrarios. *o non ebbero effetto, o avvennero al contrario*. *Horat.* 4. *Od.* 8. 34. Liber vota bonos ducit ad exitus. *riduce a buon fine*. *Id.* 4. *ibid.* 14. 38. Fortuna Belli secundos reddidit exitus. — *Exitus acta probat* apud *Ovid. Heroid.* 2. 85. genus proverbii est, *l'esito approva, giustifica le azioni*. Quod tamen a sapientibus improbatur. Nam eventus est stultorum magister, ut ait *Liv.* 22. 39. et *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 489. Improbat etiam *Ovidius ibid.*

EXJŪRO, as, are, a. 1. idem quod juro, aut valde juro. *Plaut. Amph.* 3. 3. 18. Quando istæc omnia exjuravisti te mihi dixe per jocum. Ita *Non. p.* 105. 22. *Merc.* Sed in plerisque editionibus *Plauti* hic versus deest.

EXLAUDAT, extra finem laudat. *Gloss. Placid.* edente *A. Mai. p.* 461.

EXLÆTUS, a, um, adject. valde lætus. *Apul.* 3. *Met.* Tandem Fotis mea sui longe dissimilis advenit: non exlæta facie, sed etc. *Alii divisim scribunt* ex læta, *alii melius* non enim læta.

EXLĔCEBRA. *V.* ELECEBRA.

EXLEX, lēgis, omn. gen. qui nulla lege tenetur, qui supra leges est: sive quis non debet, sive quia non vult subjici legibus. *Varro* apud *Non. p.* 10. 19. *Merc.* Postremo quæro, parebis legibus, an non? anne exlex solus vives? *Lucilius* apud *eumd. ibid.* Populus legibus exlex. Adde *Sisennam ibid. Cic. Cluent.* 34. 94. Non quod illi exlegem esse Sullam putarent. *Horat. Art. P.* 224. Spectator potus, et exlex. *Liv.* 9. 34. An hoc dicis, lege populum teneri, te unum exlegem esse?

EX LĪBERTO, indecl. qui fuit libertus. *V.* EX DUCE. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 14. 306. Licinus ille ex liberto Claudii.

EX LIBRĀRĬO, m. qui fuit librarius. *Inscript.* apud *Rénier.* 102. EX L. (*h. e.* ex librario) AVFIDIVS PROCESSVS. EX L. L. (*h. e.* ex librario legati) AVENIVS FLAVIANVS. Adde *ibid.* pluries; et *Inscript.* apud *Henzen.* 5534.

EXLĪNEĀRĬUS, a, um, adject. qui ex lineis constat. *Simplic. p.* 87. *Goes.* Subseciva appellantur, quæ a subsecantibus lineis remanent, naturam extremitatum servantia, quæ quum vel communis juris, aut publici essent, possessionibus vicinis tunc Domitianus imperator præfodit, hoc est, ut exlineariæ arcifinalium, vel occupatoriorum licentiam tribueret. *Hæc ita Goes. legenda putat.*

EX MĂGISTRO, m. qui fuit magister. *Ammian.* 22. 11. 2. Post quem Marcelli ex magistro equitum et peditum filius – publica deletus est morte. Adde *Inscript.* apud *Henzen.* 5595. *Cod. Theod. præfat.* Comes, ex magistro libellorum. Adde *Ibid.* 11. 1. 1. — Et in plur. num. *Ibid.* 1. 1. 5. Comazontem atque Eubulum ex magistris scriniorum. Adde *Ibid.* 7. 8. 3.

EX MAJŌRĬĀRĬO, m. qui fuit majoriarius. *Inscript.* apud *Orell.* 1532. HERCVLI AELIANO SACRVM QVEM CONSECRAVIT SAMNIVS TERTVLLINVS EX MAIORIARIO.

EXMENS, mentis, omn. gen. 3. demens, amens. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 59. qui non moderabitur iræ, Infectum volet esse dolor quod suaserit exmens. *Pleriq. omn. rectius leg.* et mens.

EX MĪLĬTE, m. qui fuit miles. *Inscript.* apud *Orell.* 3584. VALERIVS ......AVS CAESARIUS EX MILITE PRAETORIANI FRAT. ET CONIVX PARAV.

EXMŎVEO. *V.* EMOVEO.

EXNAUPHȲLAX, ăcis, m. 3. qui nauphylacis munere functus est. *V.* NAUPHYLAX.

EXŎBRŬO, brŭis, brŭtum, brŭere, a. 3. (ex et obruo). Part. *Exobrutus*. — Exobruo est eruo. *Vulgat. Ital.* (edente *A. Maio*) *Proverb.* 29. 22. Vir animosus fodit contentionem, vir autem iracundus exobruet peccata. *Apul.* 9. *Met.* Dolium exobrutum protinus tradatur emptori.

EXOBRŬTUS, a, um. *V.* voc. præced.

EXOBSĔCRO, as, are, a. 1. valde obsecro. *Plaut. Asin.* 1. 3. 93. Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum videro.

EXŎCHĂDĬUM, ii, n. 2. deminut. ἐξοχάδιον. ab ἐξοχή *prominentia*, est tuberculum in ano. *Marcell. Empir.* 31. Exochadia aceto illinere. Adde *Theod. Priscian.* 2. 30. et 1. 27. *sub init.* *V.* et vocem seq.

EXŎCHAS, ădis, f. 3. ἐξοχάς, tuberculum in ano, idem quod exochadium. *Augustin. Ep.* 149.

EXŎCHE, es, f. 1. ἐξοχή, excellentia. Inter verborum figuras enumeratur ab *Isid.* 2. *Orig.* 20. his verbis: Exoche. Quis eos appellavit? Appius. Quis produxit? Appius.

EXŎCŒTUS, i, m. 2. ἐξώκοιτος, piscis ita dictus, quod in siccum dormiendi causa exeat, apud *Plin.* 9. *Hist. nat.* 19. 31. (70)., ab ἔξω *extra* et κοῖτος *cubile vel somnus*.

EXŎCŬLASSO et

EXŎCŬLATUS. *V.* voc. seq.

EXŎCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*ex et* oculus). Part. *Exoculatus*. — Exoculare est privare oculis, excæcare. *Plaut. Rud.* 3. 4. 26. Si ne ei caput exoculassitis, ego vos virgis circumvinciam. *pro* exoculaveritis. *Quidam ex hoc* Plauti *loco male formant* Exoculasso, is. *Apul.* 7. *Met.* Cæcam et prorsus exoculatam esse fortunam. Adde *eumd.* 8. *ibid.*

EXŌDĬĀRĬUS, ii, m. 2. in fine fabulæ intrabat, recitabatque aliquid extra rem, ad exhilarandos animos tragicis affectibus turbatos, ut *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 3. 175. docet. *Ammian.* 28. 4. Exodiario, venatori, aurigæ et hystrionum generi omni. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* 637. 1., quæ est apud *Orell.* 2591.

EXŌDĬUM, ii, n. 2. ἐξόδιον. ¶ 1. Generatim, si verbi vim spectes, *exodium* est exitus, finis, ut *Non. p.* 27. 14. *Merc.* docet, et *Paul. Diac. p.* 80. 18. *Müll.* confirmat: apud quem alii leg. *exodum*. Quo sensu *Varro* apud *Non. ibid.* Quum Socrates bibisset κώνειον in exodio vitæ. *et.* Ab origine ad exodium. *et.* Quod coeperas modo in via, narra, ut ad exodium ducas. *Tertull. Habit. mul.* 2. Miser pulvis, quo oculorum exodia producuntur. — Hinc ponitur et pro qualibet conclusione. *Hieronym. Ep.* 128. *n.* 1. Ut secundum præclari oratoris exodium, spes in ea (*infantula*) magis laudanda sit, quam res. Respicit illud *Cic. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 877. Fenni, causa difficilis laudare puerum;

non enim res laudanda, sed spes est. ¶ 2. Specialim Græce est canticum, quod in exitu fabulæ canebatur: ab ἔξοδος *exitus*, *finis*. A Latinis exodia (quæ initio ab honestis adolescentibus actitabantur, ut est apud *Liv.* 7. 2., postea mimis relicta) dicta sunt ridicula intexta versibus, quæ fabellis potissimum Atellanis conserebantur, ad risum movendum. Aliud omnino fuere posterioribus temporibus, nempe fabulæ breviores (ut ex *Sueton. Domit.* mox afferendo colligitur), quæ præcipue agebantur in fine tragœdiarum, ut quidquid lacrimarum atque tristitiæ spectatores coegissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret, ut ait *Vet. Scholiast. Juvenal.* ad illud 3. 171. tandemque redit ad pulpita notum Exodium, quum personæ pallentis hiatum In gremio matris formidat rusticus infans. *Id.* 6. 71. Urbicus exodio risum movet Atellanæ. *Sueton. Tib.* 45. Exodium Atellanicum. *Id. Domit.* 10. Quod scenico exodio, sub persona Paridis et Œnones, divortium suum cum uxore taxasset.

EXŎDŎRĀTUS, a, um, partic. ab inusit. *exodoro*, odore privatus, apud *Tertull. Pall.* 1. Alii rectius leg. *exeduratus*, quam vocem vide.

EXŎDUS, i, f. 2. ἔξοδος, exitus. Hinc Exodus inscribitur liber Moysi, in quo Israelitarum ex Ægypto exitus narratur. *Tertull. advers. Jud.* 11.

EXŎLEO, es, ēvi, ētum, ere. *V.* voc. seq.

EXŎLESCO, ŏlescis, ŏlēvi, ŏlētum, ŏlescere, n. *inchoat.* 3. Alia forma *exoleo*, nulla tamen auctoritate firmata, legitur tantum apud *Priscian.* 9. p. 872. *Putsch.* Exoleo quoque exolevi, unde exoletus, exoleta, exoletum. Item *Not. Tir.* p. 167. Olet, abolet, exolet. — Part. *Exolescens* I. 3.; *Exoletus* I. 1. 2., et II. — Exolesco (ab *ex* et ant. *olesco*, quod est cresco) proprie est crescere desino, ut docet *Paul. Diac.* p. 5. 7. *Müll.* Exoletus qui excessit olescendi, id est crescendi modum. *et p.* 80. 12. *Müll.* Exoletus qui adolescere (*an legendum olescere?*), id est crescere desiit. παρακμάζω (It. *finir di crescere*; Fr. *cesser de grandir, avoir terminé sa croissance*; Hisp. *cesar de crecer*; Germ. *auswachsen, zur völligen Grösse gelangen*; Angl. *to fade, grow stale*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim se stricto sensu. *Plaut. fragm.* apud *Priscian. loc. cit.* Domi reliqui exoletam virginem. *h. e.*, ut ipse *Priscian. ibid.* interpretatur, grandem, quæ exoleverat. *adulta, avanzata in età.* ¶ 2. Specialim *exoleti* — *a*) Dicuntur pueri meritorii adultæ jam ætatis, qui tum virorum, tum feminarum libidini satisfacere possunt. *Martial.* 12. 92. Communis tibi cum viro, Magulla, Quum sit lectulus, et sit exoletus. Cf. *Sueton. Galb.* 22. Libidinis (erat) in mares pronioris, et eos nonnisi prædurós exoletosque. — *b*) Universim vero ita appellantur quicumque pueri impudici et alienæ libidini inservientes, quorum publicum usum Philippus Aug., teste *Lamprid. Alex. Sev.* 24. et *Elagab.* 32.; vel ut testatur *Hieronym.* in *Isaiam* 1. 2. 7., Constantinus Aug. omnium primus edicto sustulit. *Plaut. Pœn. prol.* 17. Scortum exoletum ne quis in proscænio sedeat. *Cic. Mil.* 21. 55. Clodius, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas duceret etc. Adde *Sueton. Cæs.* 49. et 76., *Tib.* 43., *Cal.* 24., et *Tit.* 7.; et *Martial.* 3. 82. — *c*) Adjective. *Vellej.* 2. 26. In qua civitate petulantis convicii judicium histrioni exoleto redditur. *Tac.* 15. *Ann.* 37. Remiges exoleti. — Exoletorum usus, seu potius infamis abusus apud Romanos minime vetitus fuit, dummodo meritorii hi pueri ex servili conditione essent. Eos primus vetuit Philippus Aug., sed irrito conatu, ut constat ex *Aurel. Vict. Cæsar.* 28. Quare ab *Hieronymo* standum, qui, loco mox citando, eorum publicum usum edicto sustulisse Constantinum M. narrat; quamquam apud *Aurel. Victor.* nulla ejus rei fiat mentio. *Lamprid. Elagab.* 32. Sæpe amicos suos cum Æthiopibus aniculis inclusit nocturnis mansionibus; fecit hoc etiam de pueris, et tunc, utpote ante Philippum, licebat. *Id. Alex. Sev.* 24. Habuit in animo, ut exoletos vetaret, quod postea Philippus fecit. *Hieronym.* 1. in *Isai.* 2. 7. Ut inter scorta quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterint publicæ libidini expositi, donec sub Constantino imperatore, Christi Evangelio coruscante, turpitudo deleta est. ¶ 3. Prægnanti, uti ajunt significatione, dicitur de iis, quæ non solum crescere desinunt, sed deficiunt etiam atque evanescunt. *Colum.* 2. *R. R.* 18. 3. Multa sunt, quæ negligentia exolescunt et fiunt sterilia. *Sueton. Aug.* 7. Nactus puerilem imagunculam —, ferreis ac pæne jam exolescentibus litteris hoc nomine inscriptam. *Apul.* 9. *Met.* Exolescunt lactucæ veteres in amaram cænosi succi cariem.

II.) Translate dicitur de iis, quibus homines uti, vel quorum meminisse desierunt, et est in desuetudinem, vel oblivionem venire, etc. *andare in disuso, in dimenticanza. Liv.* 2. 52. Quum patris favor haud dum exolevisset. *Id. ibid.* 35. *extr.* Exoletum jam vetustate odium. *Id.* 27. 8. Exoleta vetustate annalium exempla. *quibus* ibid. *opponitur* recentissimus consuetudinis usus. *Curt.* 3. 13. *in fin.* Nondum in omnium animis memoriam majestatis suæ exolevisse cernebat. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 20. Exolescit gratia pascui usu continuo. *Sueton. Galb.* 4. Vetus et exoletus mos. *Id. Aug.* 86. Exoletas et reconditas voces aucupari. *Quintil.* 1. 6. 11. Quum in XII. tabulis legeremus, *Ni ita pagunt*, inveniebamus simile huic, *cadunt*: inde prima positio, etiamsi vetustate exoleverat, apparebat, *pago*, ut *cado*: unde non erat dubium sic *pepigi* nos dicere, ut *cecidi*. *Id.* 8. 2. 12. Exoletos auctores scrutari. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Quonam modo exoleverint in medicinæ usu, quæ jam parata erant. *Id.* 31. *ibid.* 2. 3. (5). Exolevit fundendi æris ratio. *Id.* 37. *ibid.* 5. 18. (72). Calchedonii nescio an in totum exoleexoleverint. *Tac.* 11. *Ann.* 15. Ne vetustissima Italiæ disciplina per desidiam exolesceret. *Id.* 4. *ibid.* 10. Rumor adeo validus, ut nondum exolescat. *Id.* 6. *ibid.* 25. Nondum is dolor exoleverat. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 99. Quos ibit procul hic dies per annos! Quam nullo sacer exolescet ævo! — Et absolute Part. præter. pass. apud *Sueton. Claud.* 22. Exoleta revocavit, aut etiam nova instituit.

EXŎLĒTUS, a, um. *V.* voc. præced.

EXOLVO. *V.* EXSOLVO.

EXŌMIS, idis, f. 3. ἐξωμίς, vestis substricta et brevis, propria veterum Romanorum et comicorum, sine manicis, ab ὦμος *humerus*, sive quod ex ea humeri exsererentur, sive quod illa ex humeris penderet. *Paul. Diac.* p. 81. 3. *Müll.* et *Gell.* 7. 12.; sed hic Græce utitur. — Sunt tamen qui recte putant, ita appellari eam tunicam quæ alterum humerum nos cum mamma nudabat, quæque Græcis ἑτερομάσχαλος dicitur; ea plerumque utebantur Amazones, Bacchantes et virgines Spartanæ, ut videre est apud *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 3. *tab.* 27. *V.* EXPAPILLATUS. — Ceterum *Müll.* ad *Paul. Diac. loc. cit.* hæc adnotat: Exomides apud Græcos non comici tantum erant vestitus, sed Latini Græco vocabulo in comœdia potissimum usi esse videntur. Quamquam etiam apud Græcos *Pollux* 4. 18. 118. ἐξωμίδα ἐσθῆτα κωμικήν appellat. Cf. *eumd.* 7. 13. 47.

EXŌMIUM, ii, n. 2. idem quod exomis, ut Exomium pullum apud *Quintil.* 5. 10. 71., ubi alii melius leg. *exordium*, quam vocem vide.

EXŎMŎLŎGĒSIS, is, f. 3. ἐξομολόγησις, Græca vox confessionem significans. *Tertull. Pœnit.* 9. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere etc. Adde *eumd. de oratione* 7.; et *Cyprian. Ep.* 61. et alibi sæpe.

EXŎNĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. exonerandi actus, et translate solutio, ut Exoneratio mercedis, *Ulp. Dig.* 19. 2. 15. *ad fin.*

EXŎNĔRĀTOR, ōris, m. 3. qui exonerat. *Inscript.* apud *Gruter.* 1117. 5. SEX. CORNELIO VITALIONI EXONERATORI CALCARIARIO HOMINI DVLCISSIMO etc.

EXŎNĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXŎNĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et onero). Part. *Exonerans* I.; *Exoneratus* I. et II.; *Exoneraturus* et *Exonerandus* I. — Exonerare, ἀποφορτίζω, est onere levare (It. *scaricare*; Fr. *décharger*; Hisp. *descargar*; Germ. *entlasten, von einer Last befreien, ausladen, fortschaffen*; Angl. *to unload, disburden, lighten, exonerate*).

I.) Proprie. *Plaut. Stich.* 4. 1. 26.; et *Auct. B. Afr.* 8. Exonerare navem. Sic *Seneca* 4. *Excerpt. controv.* 4. jactu navigia. *Petron. Satyr.* 103. Acclinatus lateri navis exonerabat stomachum nausea gravem. Sic *Sueton. Claud.* 33. Ut pinna in os inderetur ad exonerandum stomachum. *Martial.* 10. 48. Malvæ exoneraturæ ventrem. Adde *Sueton. Vesp.* 2. *Petron. Satyr.* 27. Exonerare vesicam. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 41. 61. (120). alvum. *Id.* 8. *ibid.* 26. 40. (96). Profluvio sanguinis morbidum corpus exonerat. *Id.* 9. *ibid.* 29. 47. (88). Nautilus, emissa omni aqua, velut exoneratus sentina, facile navigat. *Id.* 11. *ibid.* 10. 10. (21). Apes onustæ remeant: excipiunt eas ternæ quaternæque et exonerant. *Id.* 3. *ibid.* 16. 20. (118). Amnes et lacus in Padum sese exonerantes. *Ovid.* 3. *Fast.* 818. Exonerare colos. *h. e.* nendo coli pensum detrahere. — Huc pertinent et illa *Plaut. Epid.* 3. 4. 34. Ut eam ex hoc exoneres agro. *h. e.* abducas, alio amandes. Cf. *Liv.* 10. 6. Exonerata plebe coloniis deductis. Et *Tac.* 5. *Hist.* 2. Exundantem per Ægyptum multitudinem proximas in terras exoneratam. *h. e.* depositas.

II.) Translate est levare, auferre, atque adeo solvere. *Liv.* 2. 2. Exonerare civitatem metu. *Id.* 10. 21. Parte curæ exonerarunt senatum consulis litteræ. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 36. hanc odiis exonerate fugam. *Curt.* 4. 13. Exonerare animum sollicitudine. *Liv.* 12. 13. *extr.* Functus necessario mihi officio, et quodam modo liberata atque exonerata fide mea, quid ultra facere possum, quam etc. *Curt.* 6. 8. Exonerare conscientiam suam. et eodem sensu *Id. ibid.* 9. Exonerare se. *h. e.* arcanum detegendo. Sic *Seneca Ep.* 3. Quidam quæ tantum amicis committenda sunt, in quaslibet aures exonerant. *Petron. Satyr.* 123. Exonerare dolorem convicio. *sfogare. Seneca Hippol.* 445. Curas Bacchus exonerat. *Tac.* 3. *Ann.* 54. *a med.* Exonerari laborum meorum partem fateor. *Id.* 1. *Hist.* 40. Fastos adulatione temporum fœdatos exonerare. *purgare. Ulp. Dig.* 23. 3. 5. § 10. Exonerare æs alienum. *h. e.* solvere.

EXŎPĪNO, as, are, n. 1. idem quod opinor. *Petron. Satyr. fragm. Tragur.* 62. *Burmann.* Si aliter exopinassent. *Alii leg.* exopinissent, *alii aliter*.

EXOPTĀBĬLIS, e, adject. desiderabilis. *Plaut. Stich.* 2. 3. 66. Nuncius exoptabilis. *Sil. It.* 11. 387. Nec Venerem interea fugit exoptabile tempus.

EXOPTĀTUS, a, um. *V.* EXOPTO.

EX OPTĬŌNE, indecl. qui optio, seu vicarius fuit alicujus: *V.* OPTIO. *Inscript.* apud *Gruter.* 556. 6. PETRONIVS CASTVS EX OPTIONE PROCVRATORIS DVCENARII. *V.* DUCENARIUS.

EXOPTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et opto). Part. *Exoptans* sub *a.*; *Exoptatus* in fin. — Exoptare, ἐπεύχομαι, est valde optare, expetere, valde desiderare (It. *desiderare ardentemente, bramare molto*; Fr. *désirer vivement*; Hisp. *desear vivamente, anhelar*; Germ. *sehnlich wünschen, lebhaft herbeiwünschen*; Angl. *to wish or desire greatly*). Usurpatur — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Bacch.* 3. 1. 3. Illum exoptavit potius? habeat. *Id. Asin.* 3. 3. 133. Exopta id, quod vis maxime tibi evenire: fiet. *Forcellinus* in his duobus et in alio *Plauti* loco *Men.* 5. 2. 61. (*V.* infra sub *c.*) exoptare accepit pro eligere. *Cic.* 1. *Off.* 32. 118. Quæ majori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant. *Liv.* 9. 25. Exoptantes Samnitium adventum. — Et in malam partem pro imprecari. *Cic. Pis.* 40. 96. Omnes te oderunt, tibi pestem exoptant. — Et omisso Accus., qui tamen facile subauditur. *Cic.* 1. *Orat.* 1. 2. Neque nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est. — *b*) Cum Infinito. *Ennius* 18. *Ann.* 13. Omnes mortales sese laudari exoptant. *Ter. Andr. prol.* 20. Quorum æmulari exoptat negligentiam, potius quam istorum obscuram diligentiam. *Cic.* 4. *Fam.* 6. 3. Multis de causis te exopto quamprimum videre. — *c*) Sequente part. *ut. Plaut. Men.* 5. 2. 61. Si intra ædes hujus unquam penetravi pedem, omnium exopto ut fiam miserorum miserrimus. *Cic.* 2. *Fam.* 7. Ut sempiternæ laudi tibi sit iste tribunatus, exopto. — Hinc Part. præter. pass.

Exoptatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Exoptatior* et Sup. *Exoptatissimus*, et est valde optatus, εὔγμενος, *desiderato assai. Plaut. Amph.* 2. 2. 22. Edepol me uxori exoptatum credo adventurum domum. Adde *eumd. Truc.* 2. 6.

33. *Id. Capt.* 5. 4. 9. Salve exoptate gnate mi. Adde *eumd. Curc.* 2. 3. 27. *Id. Trin.* 4. 3. 65. O mi here exoptatissime, salve. *Ter. Heaut.* 2. 4. 28. Antiphila, maxime animo exoptata meo. *Cic. Rosc. Am.* 7. 19. Exoptatum nuncium afferre. *Id.* 5. *Att.* 15. Nihil exoptatius adventu meo, nihil carius. *Id.* 4. *ibid.* 1. Exoptatissima gratulatio. — Hinc

Exoptatum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 20. Erit et tibi exoptatum obtinget. *Id. Asin.* 3. 3. 136. Animo sis bono face: exoptata obtingeat.

EXŌRĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Exorabilior* 1. — Exorabilis ¶ 1. Passive est qui exorari potest et a quo facile obtinemus quod petimus. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. *extr.* Iracundiæ si exorabiles, summa est levitas. *Id.* 1. *Att.* 3. Experiri aliquem in se minus exorabilem. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 178. metit Orcus Grandia cum parvis, non exorabilis auro. *Sil. It.* 5. 131. Nulli exorabilis. *Seneca Ep.* 116. Nulli vitio non initium est verecundum et exorabile. *Id.* 1. *Clem.* 20. In suis, quam in alienis, exorabilior injuriis. *Sueton. Tib.* 13. Exorabilis in vitricum. *h. e.* apud Augustum, qui Tiberii vitricus erat. *Tac. Agric.* 16. Missus Petronius tanquam exorabilis. ¶ 2. Active est qui facile exorat. *Val. Flacc.* 1. 782. Stygiasque supremo Obsecrat igne domos, jam jam exorabile retro Carmen agens.

EXŌRĀBŬLA, ōrum, n. plur. 2. argumenta, preces, illecebræ, quibus aliquis exoratur. *Plaut. Truc.* 1. 1. 5. Quot amans exemplis ludificetur, quot modis pereat, quotque exoretur exorabulis. *Apul. Florid. n.* 18. Exorabula judicantium, decipula adversantium, artificia dicentium.

EXŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exorandi. *Quintil. Declam. quæ inscribitur* Trib. Marianus, 8. Quid nocentissimo parricidæ Manium prodest exoratio paternorum? *Al. leg.* manuum exauctoratio paternarum. Certior est lectio apud *Vulgat. interpr. Eccl.* 16. 12. Potens exoratio et effundens iram. Et *Vulgat. Ital.* (edente *A. Maio*) 1. *Reg.* 12. 3. Si ex alicujus manu accepi pro exoratione vel corrigiam calceamentorum, dicite adversum me et reddam vobis.

EXŌRĀTOR, ōris, m. 3. qui exorat seu orando impetrat. *Ter. Hecyr.* 2. *prol.* 1. Orator ad vos venio ornatu prologi: sinite exorator sim.

EXŌRĀTRIX, īcis, f. 3. quæ exorat. *Salvian.* 3. *Gubernat. Dei* 9. *ad fin.* Sic oratio eorum auctrix est magis criminum, quam exoratrix.

EXŌRĀTUS, a, um. *V.* EXORO.

EXORBĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *exorbo*, orbatus. *Inscript.* apud *Rénier.* 3981. DVLCISSIMA MATER. SALLVSTIVS HONORATVS CLAVDIAE EXTRIKATAE MATRI KARISSIMAE, QVOD TV MIHI, VEL QVOS MYSEROS EXORBATOS RELIQVISTI, DEBVISTI FACERE etc.

EXORBEO. *V.* EXSORBEO.

EXORBĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exorbitandi, a recta alicujus rei ratione degressio. *Tertull. Idolol.* 14. Exorbitatio disciplinæ.

EXORBĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui exorbitat. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 6. *extr.* Judaismi exorbitator et destructor.

EXORBĬTO, as, āvi, ātum, are, 1. (ex *et* orbita). Part. *Exorbitans* sub *A.* I.; *Exorbitaturus* sub *A.* II. — Exorbito usurpatur *A)* Neutrorum more, et *B)* Active.

A) Neutrorum more exorbito est ab orbita recedo, a recto tramite aberro.

I.) Proprie. *Augustin.* 22. *Civ. D.* 8. *a med.* Exorbitantes boves, qui vehiculum trahebant, rota puerum obtriverunt. *Lactant.* 2. 5. Stellis exorbitare a præstitutis itineribus non licet.

II.) Figurate. *Tertull.* 3. *adversus Marcion.* 2. Suspectum habebitur omne, quod exorbitarit a regula. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *ad fin.* Vereor hujusmodi a catholicæ fidei regulis exorbitaturum.

B) Active. *Sidon.* 5. *Ep.* 16. Nec animum tuum a tramite communium gaudiorum vicinæ obsidionis terror exorbitat, *h. e.* expellit, dejicit.

EXORBO. *V.* EXSORBEO.

EXORCISMUS, i, m. 2. ἐξορκισμός, obtestatio, adjuratio, quum dæmoni magico carmine, vel efficacibus sacræ Scripturæ verbis necessitas parendi imponitur. *Tertull. Cor. mil.* 11. Exorcismis fugare dæmones.

EXORCISTA, æ, m. 1. ἐξορκιστής, qui exorcizat. *Imppp. Valer. Valens et Gratian. Cod.* 1. 3. 6. et *Firmic.* 3. *Mathes.* 5. et 9. *ad fin. Hieronym.* 2. *in Matth.* 12. 27. Si exorcistas gentis illius (*Judæorum*) significat, qui ad invocationem Dei ejiciebant dæmonia. — *Exorcista* est etiam qui tertio ex minoribus ordinibus sacris insignitus est. *Inscript.* apud *Labus. Monum. epigraf.* p. 12. SATVRVS EXORCISTA.

EXORCĬZO, as, āvi, ātum, are, 1. ἐξορκίζω. Part. *Exorcizandus.* — Exorcizare est obtestari, per divina dæmonem adjurare. — *a)* Absolute. *Ulp. Dig.* 50. 13. 1. Si incantaverit, si imprecatus est, si (ut vulgari verbo impostorum utar) exorcizavit. — *b)* Cum Accus. *Sulp. Sev. Dial.* 3. 6. Si quando exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepisset.

EX ORDĬNĀRĬO, m. qui fuit ordinarius. *Inscript.* apud *Gruter.* p. 345. EX ORDINARIO LEGIONIS. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 3391.; et *V.* ORDINARIUS.

EXORDĬOR, ordīris, orsus sum, ordiri, dep. 4. (ex *et* ordior). Part. *Exordiens* II. *b.*; *Exorsus* II. *a.* et *d.*, et passiva significatione I. et in fin.; *Exordiendus* II. *a.* — Pro *exorsus* etiam *exorditus* passiva significatione legitur apud *Festum* p. 185. 31. *Müll.* Ordiri est rei principium facere; unde et togæ vocantur exorditæ. *Codices habent* exordiæ: *Müllerus* legendum putat *exordia.* — Ceterum exordiri, προκατάρχομαι, est idem quod ordiri, incipere; et proprie de textoribus dicitur fila tramæ in tela vel in fune ordinantibus (It. *incominciar l'orditura di un tessuto, ordire, cominciar da principio*; Fr. *commencer un tissu, commencer à ourdir, ourdir*; Hisp. *comenzar un texido, urdir*; Germ. *ein Gewebe anfangen, anzetteln, anfangen*; Angl. *to lay the warp*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 135. Funem loreum exordiri oportet longum pedes LXXII., toros tres habeat, lora in toros singulos novem, lata digitos duos: quum tortus fuerit, erit longus pedes XLIX. Cf. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 116. Exorsa hæc tela non male omnino mihi est. *exorsa* est passiva signif. Adde *Visell.* apud *Priscian.* 8. p. 793. *Putsch.* — Hinc allegorice. *Plaut. Pseud.* 1. 4. 6. Neque exordiri primum, unde occipias, habes, neque ad detexendam telam certos terminos. *Cic.* 2. *Orat.* 33. 135. Pertexe, Antoni, quod exorsus es. *Id. ibid.* 38. 158. Reperiunt non modo ea, quæ jam non possint ipsi dissolvere, sed etiam, quibus ante exorsa et potius detexta prope, retexantur.

II.) Translate est incipere, inchoare; et sæpe ad initium orationis refertur. Occurrit autem — *a)* Cum Accusativo. *Plaut. Asin.* 1. 1. 102. Pergam, quo occepi, atque ibi consilia exordiar. *Id. Bacch.* 1. 2. 19. Etiam me adversus exordire argutias? *Id. ibid.* 4. 4. 71. Exordiri facinus. *Cic.* 1. *Herenn.* 7. 11. In exordienda causa servandum est, ut etc. *Liv.* 1. 17. Ab causa tam nefanda bellum exorsi. *Sueton. Cæs.* 32. Ingenti spiritu classicum exorsus. *Ovid.* 10. *Met.* 483. Exordiri preces. *Quintil.* 4. 1. 2. causam. *Sueton. Aug.* 85. tragœdiam magno spiritu. *Id. Ner.* 33. parricidia et cædes a Claudio. — *b)* Cum Infinito proprium est *Cic.* 1. *de republ.* 36. Imitabor ergo Aratum, qui magnis de rebus dicere exordiens, a Jove incipiendum putat. *Id.* 1. *Fin.* 8. 29. Tunc dicere exorsus est. *Id.* 2. *Divinat.* 49. 101. Tum ego rursus quasi ab alio principio exorsus sum dicere. *Nepos Pelop.* 1. *extr.* De quo scribere exorsi sumus. — *c)* Cum addito per præpos. *ab* Ablativo rei, a qua quis exorditur. *Cic.* 1. *Herenn.* 6. 10. Ab adversarii dicto exordiemur, et ab eo maxime, quod ille nuperrime dixerit. *prender l'esordio. Id.* 2. *Orat.* 79. 320. Exordiri ab ipsa re. *Id.* 2. *ibid.* 8. 31. a veritate, a dignitate. — *d)* Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 19. 80. Jubent ita exordiri, ut eum, qui audiat, benevolum nobis faciamus et docilem et attentum. *Quintil. præfat.* § 4. Exordiri ita, quasi etc. *Tac.* 3. *Ann.* 50. Lepidus in hunc modum exorsus est. *Id.* 6. *ibid.* 6. His verbis exorsus est. *Cic. Cœl.* 15. 38. Quid clamore exorsa (*soror*), verbis parvam rem magnam facis? — Hinc a Part. *Exorsus*, cujus multa superius exempla retulimus,

Exorsa, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt exordia, initia rerum, aut dicendi. *Virg.* 2. *G.* 45. non hic te carmine ficto, Atque per ambages et longa exorsa tenebo. *Id.* 10. *Æn.* 111. sua cuique exorsa laborem Fortunamque ferent.

EXORDĪTUS, a, um. *V.* voc. præced. init.

EXORDĬUM, ii, n. 2. initium, origo, principium; et proprie dicitur de tela a textoribus ordiri cœpta (It. *orditura, ordito*; Fr. *ourdissage, commencement d'un tissu*; Hisp. *urdidura*; Germ. *der Anfang eines Gewebes*; Angl. *the warp of a web*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Quintil.* 5. 10. 71. Non possum togam prætextam sperare, quum exordium pullum videam. *h. e. mentre veggo esserne oscuro e vile l'ordito.*

II.) Translate ac sæpissime ¶ 1. Generatim est quodcumque principium, ἀρχή (It. *principio*; Fr. *commencement, principe*; Hisp. *principio, comenzamiento*; Germ. *d. Anfang, d. Beginnen*; Angl. *the beginning, commencement*). Occurrit — *a)* In sing. num. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 22. 34. Neve inde navis inchoandæ exordium Cepisset, quæ nunc nominatur nomine Argo. *Cic.* 2. *de republ.* 2. Quod habemus institutæ reipublicæ tam clarum ac tam omnibus notum exordium, quam hujus urbis condendæ principium profectum a Romulo? Sic *Id.* 1. *Invent.* 3. 3. Hujus quoque exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus. *Id.* 5. *Fin.* 7. 18. A quo totius vitæ ducat exordium. *Id.* 1. *Legg.* 3. 8. A quibus temporibus scribendi capiat exordium. Sic *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (36). Unde ceperant exordium. *Sueton. Tib.* 12. De quibus singillatim ab exordio referam. *Id. Vesp.* 8. Pæne ab exordio Urbis. *Id. Claud.* 11. *extr.* Exordium principatus. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 3. (16). Aliunde aliis exordium mensuræ est. *Pallad.* 9. *R. R.* 8. Aquæ sub terris exordium de monte sumunt. — *b)* In plur. num. *Lucret.* 3. 31. cunctarum exordia rerum. Adde *eumd.* 2. 333. et 4. 26. et 113. *Id.* 3. 381. exordia prima animai *Id.* 5. 472. solis lunæque. *Id.* 1. 150. rationis. *Virg.* 7. *Æn.* 40. primæ revocabo exordia pugnæ. ¶ 2. Speciatim de principio sermonis, aut orationis. — *a)* Universim. *Cic.* 1. *Orat.* 27. 122. Sæpe animadverti, summos oratores in dicendi exordio permoveri. *Id.* 1. *Tusc.* 4. 8. Ergo ita nascetur exordium. *Apul.* 5. *Met.* Exordio sermonis hujus quæso concolores fallacias attexamus. — *b)* Peculiariter exordium dicitur pars orationis, *introduzione, proemio, esordio*, προοίμιον; quam ita definit *Cic.* 1. *Herenn.* 3. 4. Exordium est principium orationis, per quod animus auditoris aut judicis constituitur vel apparatur ad audiendum. Cf. *Quintil.* 4. 1. 1. — In sing. num. *Cic.* 2. *Orat.* 77. 315. Tum denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar exordio. Nam si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare atque commune. *Quintil.* 3. 11. 28. Proximus liber a prima parte, id est exordio incipiet. *Id.* 9. 1. 133. In exordio pro Milone. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (35). Hoc exordio præcepta pandere ingressus. — In plur. num. *Quintil.* 11. 3. 161. Neque uno modo dicuntur exordia. *Virg.* 4. *Æn.* 283. quo nunc reginam ambire furentem Audeat affatu? quæ prima exordia sumat? ¶ 3. *Colum.* 5. *R. R.* 11. 13., 7. *ibid.* 5. 1. et 12. 1., 10. *præfat.* 3., et 11. *ibid.* 3. 65. sumit *exordium* non pro initio sermonis, sed pro integro tractatu seu libro. *Primi* loci verba sunt: Ne longiore exordio legentem fatigemus. *Secundi*: Quamquam pars hæc exordii pæne tota jam exhausta sit, quum de medicina majoris pecoris disputaremus. *Tertii*: Ut exordio priore sum pollicitus. *Quarti*: Isque, sicut institueram, prosa oratione prioribus subnectetur exordiis. *Quinti*: Quamvis villicum eruditum omni opere rustico esse oportere, prima parte hujus exordii censuerim.

EXŎRĬENS, entis. *V.* voc. seq.

EXŎRĬOR, ŏrĕris, ortus sum, ŏriri, dep. 3. et 4. (ex *et* orior). Part. *Exoriens* sub *A.* I. et *B.* I.; *Exortus* sub *A.* I. et *B.* I. et II. — Exoriri, ἀναφαίνομαι, ἀνατέλλω, occurrit *A)* Stricto; et *B)* Latiori sensu.

A) Stricto sensu est idem quod oriri, exsurgere, extolli, et fere dicitur de iis, quæ repente atque ex improviso oriuntur (It. *sorgere, innalzarsi d'improvviso*; Fr. *se lever, s'élever, monter, surgir*; Hisp. *elevarse, ascender*; Germ. *aufsteigen, hervorsteigen, sich erheben*; Angl. *to rise, arise, spring up*).

I.) Proprie. — *a)* De stellis. *Cic.* 2. *Divinat.* 44. 93. Post solstitium Canicula exoritur. *Lucret.* 3. 1057. Exortus sol. *Virg.* 1. *G.* 438. Exoriens sol. Sic *Id.* 4. *Æn.* 130. Jubare exorto. — Hinc Part. præs. *Exoriens* absolute, substantivorum more, pro

sole exoriente. *Propert.* 3. 3. 49. Qua venit exoriens, qua deficit. Sic *Albinov.* 2. 56. ad extremos exorientis equos. Et latiori sensu pro Oriente *Colum. Arbor.* 3. Plantaria facito ab exoriente. *dalla parte di oriente.* — *b*) De hominibus. *Lucret.* 1. 125. unde sibi exortam Homeri Commemorat speciem. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 16. Tu sola exorere, quæ perturbes hæc tua impudentia. *insorgi, salti fuori.* Ubi *Donatus*: Verbum hoc impudentiam notat: *Cicero* (*Dejot.* 1. 3.) Exortus est servus, qui quem in eculeo appellare non posset, eum accusel solutus.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Off.* 12. 52. Exoritur Antipatri ratio ex altera parte. *Justin.* 1. *Instit.* 18. 8. Lex Julia de vi adversus eos exoritur, qui vim commiserint. Rursus *Cic.* 7. *Att.* 26. Ego nunc paullum exorior, et maxime quidem iis litteris etc. *h. e.* respiro, recreor, mæstitia levor, *mi sollevo.*

B) Latiori sensu est exsurgendo nasci, exsistere, erumpere, exordiri (It. *nascere, spuntare, uscir fuori, originarsi, principiare*; Fr. *paraître, commencer, naître, venir, se montrer*; Hisp. *nacer, principiar, comenzar, empezar*; Germ. *aufgehend oder entstehend sich erheben, entstehen, entspringen, beginnen, werden*; Angl. *start up*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 724. Ille ex æstifera parte venit amnis (*Nilus*), ab Austro – Exoriens penitus media ab regione diei. *Id.* 1. 187. E terraque, exorta repente, arbusta salirent. *Id.* 1. 180. Quod si de nihilo fierent (*res*), subito exorerentur incerto spatio atque alienis partibus anni. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 3. 10. Repentinus Sulla nobis exoritur. *Id.* 3. *Off.* 9. 38. *de Gyge.* Sic repente anuli beneficio rex exortus est Lydiæ. *h. e.* evasit, factus est, exstitit. *Virg.* 4. *Æn.* 625. Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, Qui etc.

II.) Translate. *Plaut. Amph.* 5. 1. 40. Exorti utero dolores. Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 50. 71. (139). Exorta pestis. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 10. A Myrrhina hæc sunt exorta omnia. *h. e.* profecta sunt. *Lucret.* 2. 536. Namque aliis aliud præstantius exoreretur. *V.* ORIOR. *Cic.* 2. *de republ.* 37. Horum (*decemvirum*) ex injustitia subito exorta est maxima perturbatio et totius commutatio reipublicæ. *Id.* 5. *Fin.* 23. 64. Honestum, quod ex virtutibus exoritur. *Id.* 2. *leg. Agr.* 33. 90. Nihil potest exsistere, quod non ante exstingui atque opprimi posset, quam plane exortum ac natum esset. *Id. Amic.* 11. 48. Id quum contingit, amor exoriatur necesse est. *Id. ibid.* 22. 85. Repente in medio cursu amicitias exorta aliqua offensione dirumpimus. *Id.* 1. *Fam.* 5. Subito exorta est nefaria Catonis promulgatio. *Cæs.* 2. *B. C.* 12. Nullam exoriri moram posse, quo minus diriperentur. *Tibull.* 3. 1. 2. Annus exoriens. *Virg.* 12. *Æn.* 583. Exoritur trepidos inter discordia cives. *Liv.* 31. 40. Tot bella repente aliis ex locis exorta sunt. *Id.* 6. 21. *sub fin.* De Prænestinorum defectione fama exorta est. — Hinc Part. præs.

Exoriens, *entis*, absolute pro sole oriente, et pro plaga orientali. *V.* sub *A.* I. *a.*

EXORMISTON, i, n. 2. ἐξορμιστόν, inter pisces regium genus, compar murænis corpore, colore distans, naribus setosis, saporis jucundi, qui quum spumis fluctuantibus inter aeris confinia cœperit enatare, nescit ad cubilia redire, quæ deserit, fertur que super undas velut corpus exanime. Hæc et alia *Cassiod.* 12. *Variar.* 11. de murænis fluitis, quæ in Siculo dumtaxat freto occurrunt, quæque ita appellantur ab ἐξορμίζω *navem e portu in altum duco*, quia et profundo maris erumpentes ad ejus superficiem præ pinguedine fluitant, et solis calore terrefactæ curvare amplius fibras nequeunt, ut demergantur. *Id. ibid.* 4. Exormiston Siculum quibuslibet laboribus offeratur. *V.* FLUTA et CARPA.

EXORNĀTĬO, ōnis, f. 3. exornandi actus, ornamentum.

I.) Proprie. *Cic. fragm. Œconom.* apud *Colum.* 12. *R. R.* 3. 2. Quæ ad lavationem, quæ ad exornationem, quæ ad mensam quotidianam atque epulationem pertinerent.

II.) Improprie. ¶ 1. De oratione. *Cic.* 4. *Herenn.* 13. 18. Hæc in verborum et sententiarum exornationem dividitur. *Id.* 2. *Invent.* 3. 11. Exponere aliquid simpliciter sine ulla exornatione. ¶ 2. Sæpissime locum habet in rhetorica; scilicet — *a*) Ipsa quoque schemata quibus exornatur oratio, *exornationes* dicuntur. *Cic.* 4. *Herenn.* 8. 14., 16. 24., 22. 32., 23. 33., 24. 34., 29. 41., et alibi sæpe. — *b*) Etiam demonstrativum genus hoc nomine appellatur. *Cic. Partit. orat.* 3. 10. Tria sunt genera judicii, deliberationis, exornationis, quæ quia in laudationes maxime confertur, proprium habet jam ex eo nomen. — *c*) Denique *exornatio* pars est argumentationis rhetoricæ. *Cic.* 2. *Herenn.* 18. 28. Absolutissima argumentatio est ea, quæ in quinque partes est distributa, propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem. *et mox.* Exornatio est, qua utimur rei honestandæ et collocupletandæ causa, confirmata argumentatione. Deinde *ibid.* 19. 29. hujus rei exemplum proponit.

EXORNĀTOR, ōris, m. 3. qui exornat, et occurrit figurate tantum de oratione apud *Cic.* 2. *Orat.* 12. 54. Ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.

EXORNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXORNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et orno). Part. *Exornatus* I. 1. et 2. et in fin.; *Exornaturus* I. 2.; *Exornandus* II. — Exornare stricto sensu est idem quod ornare, aut valde ornare, sive instruere, apparare (It. *fornire, corredare, porre in assetto, porre in ordine*; Fr. *pourvoir, équipper, disposer, arranger*; Hisp. *proveer, equipar, disponer, poner en orden*; Germ. *rüsten, ausrüsten, mit etwas reichlich –, gut versehen, – einrichten*; Angl. *to equip, provide, place or set in order*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu pro instruere, apparare. — *a*) Cum Accusativo personæ aut rei. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 54. Rebus paratis atque exornatis nuptiis. *approntate, poste in ordine. Id. Trin.* 3. 3. 38. Homo conducatur aliquis, quantum potest, quasi sit peregrinus. – Is homo exornetur graphice in peregrinum modum, ignota facies etc. *lo si vesta da forastiere. Sall. Cat.* 37. Exornare milites armis. *Justin.* 5. 6. classem maximam industria. Rursus *Sall. Jug.* 9.; et *Curt.* 8. 5. Exornare convivium omni opulentia. *Phædr.* 4. 24. aliquem veste, nummis, familia. *provvedere di vesti* etc. *Sall. Jug.* 52. Exornare aciem. — *b*) Absolute. *Sall. Jug.* 90. Consul omnibus exploratis, credo dis fretus (*nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat etc.*), tamen pro rei copia satis providenter exornat. — *c*) Figurate. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 65. Hominem exornavit, mulierem qui arcesseret. ¶ 2. Prægnanti significatione, qua occurrit apud Classicos, est apparando vel instruendo pulcrum reddere, *ornare, abbellire, adornare*, κοσμέω. *Plaut. Most.* 1. 5. 135. PH. Tibi me exorno, ut placeam. (*mi sono abbellita per te.* mulier loquitur). PHI. Ornata es satis. Abi hinc tu intro, atque ornamenta hæc aufer. Sic *Id. Stich.* 5. 4. 3. Nisi me vobis exornarem. Cf. *Justin.* 7. 3. Mulieres cultius exornaturus. *Ter. Eun.* 4. 4. 16. Exornatus varia veste. et *Curt.* 8. 13. *ad fin.* Veste regia exornare aliquem. *Cic. Harusp. resp.* 21. 44. Nisi eum mulieres exornatum ita deprehendissent. *Id.* 7. *Fam.* 23. Ea signa emere soleo, quæ ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palæstra locum. *Id.* 4. *Verr.* 34. 84. Domum ejus exornatam atque instructam iste reddiderat nudam atque inanem. *Id.* 6. *ibid.* 27. 62. Exornare ample magnificeque triclinium. Cf. *Sall. Jug.* 19. Regio ædificiis exornata. — Jocose *Ter. Heaut.* 5. 1. 77. Adeo exornatum dabo, adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit mei. *h. e.* verberatum. *V.* DEPECTO.

II.) Translate, metaphora sumpta a superiori paragr. 2. *Plaut. Most.* 1. 3. 12. PH. Contempla, satin' hæc me vestis deceat? SC. Quin tu te exornas moribus lepidis? *Cic.* 5. *Tusc.* 4. 10. Pythagoras exornavit eam Græciam, quæ magna dicta est, præstantissimis artibus. *Id.* 2. *ibid.* 5. 12. Philosophiam falsa gloria exornare. Sic *Propert.* 4. 5. 19. Exornare opus verbis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (136). L. Fulvius eodem honore exornatus. *h. e.* consulatu. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 133. Exornare aliquem donis. — Et sine additis. *Cic.* 3. *Orat.* 38. 152. Tria sunt igitur in verbo simplici, quæ orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem. *Id.* 2. *ibid.* 72. 292. Mea ratio in dicendo hæc esse solet, ut boni quod habeat, id amplectar, exornem, exaggerem. *Id.* 2. *Tusc.* 14. 33. Si nulla est (*patientia*), quid exornamus philosophiam? aut quid ejus nomine gloriosi sumus? *h. e.* laudibus ad cælum extollimus. — Hinc Part. præter. pass., cujus et supra exempla retulimus.

Exornatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Exornatior* et Sup. *Exornatissimus*; et est valde ornatus. *Cic.* 4. *Herenn.* 47. 60. Exornatissima cithara, auro et ebore distincta. *Auct. eleg.* a *Burmann.* editæ in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 692. *v.* 25. Ornatu nullo potes exornatior esse. — *NB. Exornatam et naufragam*, h. e. ornatu privatam, dixit *Tertull. Cult. fem.* 9. gratiam decoris. Alii tamen rectius leg. *exarmatam*.

EXŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et oro). Part. *Exorans* sub *d*; *Exoratus* sub *b.*, *c.* et *e.*; *Exoraturus* sub *d.*; *Exorandus* sub *c.* — Exorare, ἐξικετεύω, juxta *Forcellinum*, est vehementer orare, obsecrare; item orando impetrare; item *exorare aliquem* est orando inducere ad faciendum, quod petitur; denique ponitur universim pro placare, reconciliare: quæ tamen omnia in unum idemque recidunt. Itaque — *a*) Exorare est vehementer orare, obsecrare, *pregare assai. Ovid.* 4. *Pont.* 8. 21. si quid agi sperabis posse precando, Quos colis, exora supplice voce deos. — Et absolute *Plaut. Stich.* 1. 2. 22. Exorando, haud adversando sumendam operam censeo. — *b*) Item orando impetrare, *impetrare, ottenere pregando.* — Cum Accus. rei. *Plaut. Trin.* 2. 2. 44. Res quædam est, quam volo ego me abs te exorare. *Ter. Andr.* 3. 4. 13. Gnatam ut det oro, vixque id exoro. *Virg.* 3. *Æn.* 369. cæsis de more juvencis, Exorat pacem divum. *h. e.* litat. — Et figurate *Ovid.* 3. *Amor.* 11. 43. Facta movent odium: facies exorat amorem. *si fa amare.* — Cum altero Accus. personæ. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 82. Hanc veniam illis sine te exorem. *Id. Capt.* 2. 1. 17. Unum exorare vos sinite nos. *Stat.* 2. *Silv.* 7. 121. Unum, quæso, diem deos silentum exores. Cf. *Ovid.* 9. *Met.* 698. dea sum auxiliaris, opemque Exorata fero. — *c*) *Exorare aliquem* est orando inducere ad faciendum, quod petitur, *piegare, indurre pregando, vincere con preghi.* Occurrit — Cum Accus. personæ tantum. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 167. Amabo te, mea voluptas, sine te exorarier. *paragoge pro* exorari. *Ter. Heaut.* 5. 5. 5. Da veniam, Chreme; sine, te exorei. *Id. Andr.* 1. 1. 140. Restat Chremes, qui mihi exorandus est; et spero confore. *Cic. Prov. cons.* 17. 42. Sive iratus mihi, sive exoratus. *h. e.* precibus victus. Sic poetice *Propert.* 4. 11. 6. Non exorato stant adamante viæ. Rursus *Cic. Mur.* 29. 61. Viri non esse neque exorari, neque placari. Huc referri potest et illud *ejusd. Cic. post redit. ad Quir.* 9. 23. Benemeritos quin colas, exorari fas non est. — Hinc *exorati* sæpe in inscriptionibus dicuntur di', Græce ἐπήκοοι et εὐάκουστοι. *Inscript.* apud *Gud.* 32. 8. SACELLVM HERCVLI COMITI CONSER. EXORATO. *Alia* apud *eumd.* 42. 7. TEMPLVM SILVANO SANCTO EXORATO. *Alia* apud *Gruter.* 83. 9. TEMPLVM ISIS EXORATAE. — Sequente part. *ut* vel *ne*. *Cic.* 1. *Orat.* 29. 132. Nunc te exoremus necesse est, ut nobis explices etc. *Id. Rosc. com.* 16. 46. Quam ego, ut mentiatur, inducere possum; ut pejeret, exorare facile potero. *Hirtius* apud *Cic.* 15. *Att.* 6. 2. Brutus et Cassius utinam, quam facile a te de me impetrare possunt, ita per te exorentur, ne quod calidius ineant consilium. — *d*) Ponitur et universim pro placare, reconciliare, *placare, riconciliare. Ovid.* 2. *Trist.* 22. Exorant magnos carmina sæpe deos. *Id.* 3. *ibid.* 13. 23. tura nihil exorantia divos. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 6. Ne populum extrema toties exoret arena. *Val. Flacc.* 1. 155. Exoret Pelias nostris cum matribus umbras. *Claudian. Eydll.* 6. 87. Parcarumque rotos exoratura severas. *Plin.* 2. *Ep.* 5. Si quis exstiterit, qui putet, nos lautius fecisse, quam orationis severitas exigat, hujus, ut ita dixerim, tristitiam reliquæ partes actionis exorare debebunt. *Sueton. Tib.* 11. Officii duxit, exorare filiæ patrem frequentibus litteris. *h. e.* exorare patrem pro filia. Hic *filiæ* est casus dativus. *Justin.* 9. 7. 1. Aliquem a filii cæde ægre precibus exorare. *h. e.* deterrere, pervincere, ne filium occidat. Alii leg. *revocare.* — *e*) *Exoratus* dicitur et is, qui orata meruit, *esaudito*, apud *Stat.* 1. *Theb.* 658. at tu stupefacti a limine Phœbi Exoratus abis. — *NB. Exorare causas* pro orare, agere, *trattare*, legunt plerique apud *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. *post med.* Turpe esse causas exoranti jus, in quo versaretur, ignorare. *Nonnulli tamen leg.* orranti.

EXORS, *V.* EXSORS.

EXORSUS, a, um, *V.* EXORDIOR.

EXORSUS, us, m. 4. idem quod exordium. *Cic.*

pro leg. Manil. 4. 11. Quoniam is est exorsus orationis meæ.

EXORTĪVUS, a, um, adject. qui ad ortum spectat. ¶ 1. Generatim de stellis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 49. 50. (160). Quemquam nonaginta partium exortivam mensuram transgredi. ¶ 2. Speciatim de sole dicitur, et ponitur pro orientali. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 34. 77. (333). A parte exortiva solstitialem habebit exortum. *Id.* 37. *ibid.* 2. 11. (39). A Septentrione in exortivum Oceanum. — Hinc

Exortiva, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, subaudi *loca*, sunt quæ orientem solem spectant. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 34. 39. (215). Narbonensis Galliæ exortiva.

EXORTUS, a, um. *V.* EXORIOR.

EXORTUS, us, m. 4. actus exoriendi. *Varro* 1. *R. R.* 12. 1. Quæ villa posita est ad exortus æquinoctiales, aptissima. *Cic.* 3. *Herenn.* 22. 36. Solis exortus, cursus, occasus nemo admiratur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 11. 23. (40). Aperire florem incipit solis exortu. *Id.* 2. *ibid.* 15. 12. (61). Stellæ faciunt *aut* edunt exortus matutinos, *aut* vespertinos. *Id.* 7. *ibid.* 2. 2. (10). Exortus aquilonis. *Id.* 31. *ibid.* 6. 31. (57). Aqua subit altitudinem exortus sui.

EXOS, ossis, comm. gen. 3. *et* Exossis, is, *vel minus recte*, Exossus, a, um, adject. sine osse.

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 721. unde animantum copia tanta Exos et exsanguis tumidos perfluctuat artus? *Apul. de Mag.* Lepus marinus, quum sit cetera exossis, duodecim ossa in ventre habet.

II.) Translate. *Apul. de Mag.* In juventute saltandis fabulis exossis plane et enervis. *h. e.* corpore adeo flexibili, ut sine ossibus esse videatur. *Id.* 1. *Met.* Puer flexibus tortuosis enervem et exossem saltationem explicat. *Al. minus recte leg.* exossam. *Plaut.* eod. sensu dixit *Mil. glor.* 3. 1. 74. Ad saltandum non cinædus malacus æque est, atque ego.

EXOSCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. exosculandi actus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 34. 52. (101). *de columbis.* Mox in satisfactione exosculatio.

EXOSCŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXOSCŬLO, as, etc. passive. *V.* voc. sequent. sub I. *b.*

EXOSCŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ex *et* osculor). Part. *Exosculans* I.; *Exosculatus* I. et II. — Exosculor est arcte et amanter osculor.

I.) Proprie. — *a*) Active. *Plin.* 5. *Ep.* 17. Multum ac diu adolescentem exosculatus. *Sueton. Vitell.* 7. Quosque militum obvios exosculans. *Id. Cal.* 33. Quoties uxoris collum exoscularetur. *Id. Oth.* 12. Cum fletu manus jacentis exosculati. *Tac.* 2. *Hist.* 49. Vulnus manusque Othonis exosculantes. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 45. *Petron. Satyr.* 91. Exosculatus pectus sapientia plenum. — *b*) Passive occurrit tantum Part. *Exosculatus* apud *Apul.* 11. *Met.* Exosculatis vestigiis deæ. *Id.* 4. *ibid.* Manu ejus exosculata. *Ammian.* 22. 7. Effuso cursu a vestibulo longe progressus, exosculatum susceptumque (*philosophum*) reverenter secum induxit.

II.) Translate est vehementer diligere, approbare, admirari: quo sensu occurrit tantum Part. præter. et quidem Activa significatione. *Gell.* 2. 26. *sub fin.* Tum Favorinus scientiam rerum uberem, verborumque ejus elegantiam exosculatus, absque te inquit etc. *h. e.* blande approbans et admirans.

EXOSSATIM *et*

EXOSSĀTUS, a, um. *V.* EXOSSO.

EXOSSIS, is, adject. *V.* EXOS.

EXOSSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* os, ossis). Part. *Exossatus* I. et II. — Exosso est ossa detraho.

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 1. 1. 162. Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris. *Id. ibid.* v. 163. Ille me quasi murænam exossare cogitat. *Id. Aulul.* 2. 9. 3. Murænam exdorsua, atque omnia exossata fac sient. *Ter. Adelph.* 3. 4. 14. Congrum istum in aqua sinito ludere; ubi ego venero, exossabitur.

II.) Figurate. *Lucret.* 4. 1265. Atque exossato ciet omni pectore fluctus. *h. e.* pectore ita inflexo et incurvato, ut sine ossibus esse videatur. Alii leg. *exossatim*, quod eumdem facit sensum. — *Exossatus ager* est probe cultus et lapidibus purgatus, qui sunt velut ossa terræ, ut apud *Ovid.* 1. *Met.* 393. legitur. *Pers.* 6. 51. non adeo, inquis, Exossatus ager juxta est. *Alii aliter interpr.*

EXOSSUS, a, um. *V.* EXOS.

EXOSTRA, æ, f. 1. ἐξώστρα. ¶ 1. Est machina lignea in theatro, qua quæ intus geruntur et fiunt, versatione rotarum spectatoribus ostenduntur. *Cic. Prov. cons.* 6. 14. Quibuscum jam in exostra helluatur: antea post siparium solebat. *h. e.* qui ante clanculum, velut cum histrionibus in scæna post siparium, solitus erat helluari, id jam propalam facit. Ita *Turneb. l.* 20. *adversar. c.* 9. Alii apud *Cic.* leg. *orchestra*, alii *exedra*. Dicitur autem fuisse sedes sublicis elata, et strata longuriis, super quibus sella. Ita enim describit *Pollux l.* 4. *c.* 19. *n.* 128. τὸ ἐγκύκλημα, quod idem atque ἐξώστραν fuisse affirmat. ¶ 2. Item pons, qui de turri lignea in murum obsessæ urbis repente protruditur et protenditur, uti docet *Veget.* 4. *Milit.* 21. quem aliis verbis describit *ibid.* 17., est autem ab ἐξωθέω *extrudo, expello.* ¶ 3. Item mænianum. *Impp. Honor. et Theod. Cod.* 8. 10. 11. Mæniana, quæ Græco vocabulo τειχιστάς appellant. *Alii leg.* ἐξώστρας.

EXŌSUS, a, um, particip. ab inusit. *exodi* (*odisse*), quod occurrit ¶ 1. Active, et est qui odio habet. *Virg.* 5. *Æn.* 687. si nondum exosus ad unum Trojanos. *Id.* 12. *ibid.* 517. juvenem exosum nequicquam bella Menœten. *Id. ibid.* 818. pugnas exosa relinquo. *Curt.* 8. 25. 12. Patrios mores exosus es. *Flor.* 1. 11. 1. Quum exosus arma in otio ageret. ¶ 2. Passive, qui aliis odio est. *Gell.* 2. 18. 10. Non omnes omnimodis diis exosos esse. *Eutrop.* 7. 23. Ob scelera universis exosus esse cœpit.

EXŌTĔRĬCUS, a, um, adject. ἐξωτερικός, extra positus, communis, vulgaris. *Varro* 6. *L. L.* 5. *ad fin. edit. vet.* (apud *Müllerum* enim locum minime inveni); et *Gell.* 20. 5. *V.* ACROATICUS; et cf. *Cic.* 5. *Fin.* 5. 12. et 4. *Att.* 16.

EXŌTĬCUS, a, um, adject. ἐξωτικός, peregrinus, adventicius; ab ἔξω *extra*. *Plaut. Most.* 1. 1. 41. Non omnes possunt olere unguenta exotica. *Id. Men.* 2. 1. 11. magnam Græciam *exoticam* vocat, quod Græci ipsi ἐξωτικοὺς et barbaros vocabant Græcos Italos, tamquam a se divisos et aliis moribus utentes. *Gell.* 13. 5. Exoticum vinum. *Apul.* 1. *Met. init.* Exoticus sermo. *Id.* 10. *ibid.* Pisces exotico jure perfusi. — Hinc

Exoticum, i, n. 2. absolute, substantivorum more apud *Plaut. Epid.* 2. 2. 48. est vestimenti genus peregrinum et ab alterius gentis more invectum.

EXPALLEO, es, *vel rectius*

EXPALLESCO, pallescis, pallŭi, pallescere, n. 3. (ex *et* pallesco). Occurrit tantum Præt. perf. *Expallui.* — Expallesco est pallidus sum, pallidus fio. — *a*) Absolute. *Plaut. Curc.* 2. 3. 32. Viden' ut expalluit? *Cic.* 2. *Herenn.* 5. 8. Expalluisse signum est conscientiæ. *Ovid.* 6. *Met.* 602. totoque expalluit ore. *Plin.* 1. *Ep.* 5. 13. Expalluit notabiliter, quamvis palleat semper. Adde *Lucan.* 1. 539. — *b*) Poetice cum Accusativo. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 10. Pindarici fontis qui non expalluit haustus.

EXPALMO, as, are, 1. palmis cædo. *Gloss. Cyrill.* Ῥαπίζω, expalmo, alapo. — Hinc *Gloss. Isid.* Expalmare, depellere.

EXPALLĬĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *expallio*, pallio spoliatus. *Plaut. Cas.* 5. 3. 6. Expalliatus sum, miser.

EXPALLĬDUS, a, um, adject. valde pallidus. *Tertull. Resurr. carn.* 57. Corpus frigidum et expallidum. *Sueton. Cal.* 50. Statura fuit eminenti, expallido colore. *Al. leg.* pallido.

EXPALPO, as, are, a. 1. *et*

EXPALPOR, āris, ari, dep. 1. (ex *et* palpo) valde palpo, blandior, blandiendo extorqueo. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 141. Exora, blandire, expalpa. *Pomponius* apud *Non. p.* 101. 12. *Merc.* Si quid expalpare possim ab illo. — Deponentis forma. *Plaut. fragm.* apud *Non. p.* 101. 12. et *p.* 476. 24. *Merc.* Nunc servus argentum a patre expalpabitur.

EXPALPŌNĪDES nummorum dicitur a *Plauto Pers.* 4. 6. 22. qui blanditiis et fallaciis nummos ab aliquo extorquet. Quin *nummorumexpalponides* joculariter conjunctis vocibus ibi dicitur.

EXPANDĪTOR, ōris, m. 3. qui expandit. *Plin. Paneg.* 30. *de Nilo.* Neque enim solum vagus ille et expanditor amnis intra usurpata semper collium substiterat atque hæserat. *id est* qui se extra alveum suum expandit et effundit. *Schwarzius* tamen et *Gierigius* rectius legunt: vagus ille, quum expanditur, amnis.

EXPANDO, pandis, pandi, pansum *vel* passum, pandere, a. 3. (ex *et* pando). De part. præt. pass. hæc *Gell.* 15. 15. Ab eo quod est *pando* veteres *passum* dixerunt, non *pansum*, et cum præpositione *expassum*, non *expansum*. — Part. *Expassus* et *Expansus* et *Expandendus* I. — Expando est extendo, explico, aperio (It. *spiegare, aprire*; Fr. *étendre, déplier, étaler, ouvrir*; Hisp. *extender, desplegar, abrir*; Germ. *ausbreiten, auspannen*; Angl. *to lay open, spread out, display, expand*).

I.) Proprie. *Cæcilius* apud *Gell.* 15. 15. et apud *Non. p.* 370. 16. *Merc.* Flammeum expassum domi. *Tac.* 5. *Hist.* 13. Expassæ delubri fores. *Colum.* 12. *R. R.* 13. 2. Hæ herbæ diligenter purgantur et sub umbram expanduntur. *Id. ibid.* 15. 3. Ficus in sole expandere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 38. 54. (111). Grues expandunt alas. *Id.* 2. *ibid.* 103. 106. (228). Supra fontem frigidum expansæ vestes accenduntur. *Id.* 31. *ibid.* 6. 37. (70). Expansa vellera circa navim. *Id.* 9. *ibid.* 33. 52. (103). In obliquum, in rectum expansa. *Hieronym. Ep.* 14. *n.* 10. Expandenda vela sunt ventis. *Tertull. Apolog.* 30. Sic nos ad Deum expansos ungulæ fodiant, cruces impendant, ignes lambant. *h. e.* manibus expansis, ut paullo ante ait, qui habitus fuit Christianorum orantium. — Passiva. *Plin. Paneg.* 30. Expanditur amnis. *V.* voc. præced.

II.) Translate sumitur pro explicare, idest declarare. *Lucret.* 1. 126. et rerum naturam expandere dictis.

EXPANGO, is, ere, a. 3. figo, constituo. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 26. 21. (95). Ac sidera ad normam expangere. *Harduin.* ex MSS. legit *expungere*; *Sillig.* ex plurimis iisque optimis Codicibus leg. *ad nomen expungere.*

EXPĀNSĬO, ōnis, f. 3. actus expandendi. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. Expansio corporis.

EXPANSUS, a, um. *V.* EXPANDO.

EXPAPILLĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *expapillo*. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 44. Palliolum habeat ferrugineum: id connexum in humero lævo, expapillato brachio. *h. e.* usque ad papillam renudato, ut *Non. p.* 103. 4. *Merc.* exponit: vel brachio exserto; quod cum fit, papilla nudatur, ut *Paul. Diac. p.* 79. 10. *Müll.*, quod eodem recidit. Alii apud *Plaut.* leg. *exfibulato*: rectius tamen legeretur *effafilato*, quod sane legitur apud *Paul. Diac. p.* 83. 6. *Müll.* et apud *Placidi Gloss.* edente *A. Mai p.* 460. *V.* EXOMIS.

EXPARTÆ pecudes sunt, quæ jam pepererunt. *Gloss. Isid.* Exparta, partu vacua. *Varro* 2. *R. R.* 5. 6. Ut sint hæ pecudes ætate potius ad ferendos fructus integræ, quam jam expartæ. Ita legit *Scalig.* itemque *Schneid.* Alii *expertæ*. Etiam *parta* hoc sensu usurpatur a *Colum.* 7. *R. R.* 4. 3. Et parta nutrici consociata minus laboret in educatione fetus sui.

EXPASSUS, a, um. *V.* EXPANDO.

EXPATIOR. *V.* EXSPATIOR.

EXPATARE in locum patentem se dare, sive in spatium se conferre. *Paul. Diac. p.* 80. 5. *Müll.* Alii corrigunt *expatrare*, alii *expatiare* a spatio: sed nihil mutandum, ait *Müllerus* ad h. l. *Patare, patere* et *pandere* eadem sunt inter se proportione, ut *sedare, sedēre* et *sidĕre, parare, parēre* et *parĕre, liquare, liquēre* et *liquĕre* et alia multa. Primæ conjugationis significatio solet esse causativa, secunda statum indicat, tertia verbum habet primitivum, nisi quod sæpe in præsenti tempore additamento quodam auctum est.

EXPĀTRĬCĬUS, ii, m. 2. qui patriciam dignitatem deposuit. *Imp. Zeno Cod.* 3. 24. 3. Quoties viro forte patricio, vel expatricio, vel ei, qui etc. *V.* PATRICIATUS.

EXPĀTRO, as, āvi, are, a. 1. *Catull.* 29. 16. an hæc sinistra liberalitas Parum expatravit? an parum helluatus est? *h. e.* libidinibus effudit, absumpsit? Habet enim et *patro* huic similem obscœnum sensum. Simile est etiam illud cujusdam poetæ apud *Sueton. Cæs.* 51. Aurum in Gallia effutuisti.

EXPAUSĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *expauso*, delassatus. *Veget.* 5. *Veterin.* 38. *Schneid.* Expausatum jumentum. *h. e.* quod a labore requievit.

EXPĂVĔFĂCĬO, facis, fēci, factum, facere, a. 1. (ex. paveo et facio). Part. *Expavefaciens* et *Expavefactus.* — Expavefacio est exterreo. *Seneca Ep.* 85. *sub fin.* Domitores ferarum sævissima animalia, ad occursum expavefacientia hominem, docent pati jugum. *Alii minus recte leg.* exterreotia, *alii* expaventia. *Hygin. fab.* 47. Mugitu tauri equi expavefacti Hippolytum distraxerunt.

EXPAVEFACTUS, a, um. *V.* voc. præced.

EXPĂVEO, es, ere, 2. (ex et paveo). De præter. perf. *V.* vocem seq. Part. *Expavendus.* — Expaveo est valde paveo, timeo. Cum Accusativo rei. *Stat. præf. l.* 3. *Silvar.* Quum hanc audaciam stili nostri frequenter expaveas. *Capell.* 1. *p.* 21. Quidam (*h. e.* Hercules) roboris inauditi et expavendis semper adversitatibus præparatus. Ita *Cort.* et *Kopp.* pro *exstirpandis.* — Absolute. *Vulgat. interpr.* 4. *Esdr.* 6. 15. Ideo quum loquitur, tu non expaveas.

EXPĂVESCO, pavescis, pāvi, pavescere, 3. (ex et pavesco). Part. *Expavescens* sub *d.*; *Expavescendus* sub *a.* — Expavesco est valde pavesco, valde timeo; et occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Horat.* 1. *Od.* 37. 22. nec muliebriter Expavit ensem. *Sueton. Aug.* 90. et *Tib.* 69. Tonitrua præter modum expavescebat. *Seneca Œdip.* 27. Cuncta expavesco, meque non credo mihi. *Petron. Satyr.* 26. Nec puella expaverat nuptiarum nomen. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (24). Delphinus hominem non expavescit. *Id.* 25. *ibid.* 2. 6. (17). Miles a morsu canis incipiens aquas expavescere. *Sil. It.* 3. 464. acres Expavit moles Rhodanus. *Stat.* 11. *Theb.* 316. primam expavit famam. *Id.* 8. *ibid.* 637. subito quum pigra tumultu Expavit domus. *Quintil.* 9. 4. 35. Non tamen id, ut crimen ingens, expavescendum est. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Nec speciem adulantis expaveris. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *ad. Liv.* 6. 34. Cum ed id, moris ejus insueta, expavisset minor Fabia. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 75. 97. (209). Ad tumultum aliquem expavescere. — *c*) Cum Ablativo et præpos. *ab. Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 35. (62). Anseres a primo conspectu ejus expavescunt. — *d*) Absolute. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 21. (19). Neque expavescentibus repente, nec spasticis, aut rursus torpentibus.

EXPĂVĬDUS, a, um, adject. valde pavidus. *Gell.* 1. 3. *extr.* Expavidus, letusque pecuniæ magnitudine.

EXPECTO, as. *V.* EXSPECTO.

EXPECTO, is, ere, a. 3. *Quintil.* 1. 7. 4. Ut ex præpositionem si verbum specto sequeretur, adjecta secundæ syllabæ s littera *exspecto*; sed si *pecto*, remota s, *expecto* scriberemus.

EXPECTŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. extra pectus ejicio. Prisca vox. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 19. Tum pavor sapientiam omnem mi exanimato (alii ex animo) expectorat. *Accius* apud *Non. p.* 16. 6. *Merc.* Eloquere propere, ac pavorem hunc meum expectora. *et ibid.* 8. Desertum a fortuna, abjectum, afflictum ex animo expectorant. *Quintil.* 5. 3. 31. At veteres ne *expectorat* quidem timuerunt.

EXPECŪLIĀTUS, a, um, adject. peculio exhaustus. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 21. Expeculiati servi.

EXPĔDĬENTIA, æ, f. utilitas. *Boeth. Aristot. Topic.* 6. *p.* 708. Ut si clementiam expedientiam justorum (*dixerit*); nam justum expediens quiddam est.

EXPĔDĬO, is, ivi *vel* ii, itum, ire, a. 4. (ex et pes, pedis). Fut. *expedibo* pro *expediam* antiquum est. *Ennius*, *Pacuvius*, *Accius* et *Pomponius* apud *Non. p.* 505. 15. *Merc.* et *p.* 477. 2.; et *Plaut. Truc.* 1. 2. 33. — Part. *Expediens* II. 4.; *Expeditus* I. 2., II. 1. et in fin.; *Expediendus* I. 1. et II. 1. — Expedire proprie est pedem ligatum liberare, cui contrarium est *impedire*; atque adeo est ἀπολύειν, solvere, liberare, extricare (It. *sciogliere*, *sviluppare*, *sbrigare*, *slacciare*, *liberare*; Fr. *dégager*, *débarrasser*; Hisp. *desempeñar*, *desembarazar*; Germ. *herauswickeln*, *herauswinden*, *befreien*, *losmachen*; Angl. *loose*, *unloose*, *disentangle*, *disengage*, *extricate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de persona aut re, quæ impedita est, et significat, ut diximus, solvere, liberare, extricare. — *a*) De personis. *Cic.* 4. *Verr.* 42. 106. Videte, in quot se laqueos induerit, quorum ex nullo se unquam expediret. Sic *Id. ibid.* 43. 106. Videte, ut dum expedire se vult, induat. *Horat.* 3. *Od.* 24. 8. Non mortis laqueis expedies caput. *Id.* 1. *ibid.* 27. 23. Vix illigatum te triformi Pegasus expediet Chimæra. *Virg.* 2. *Æn.* 632. ducente deo flammam inter et hostes Expedior. *Ovid.* 1. *Fast.* 669. Expedit errantem nemori gratissima conjux. *mette in istrada.* — *b*) De rebus physicis et de abstractis. *Cic.* 5. *Att.* 21. Tum hic nodus expediatur. *Cæs.* 7. *B. G.* 86. Aggere et cratibus fossas expleant, aditus expediant. *si fanno strada per entrare. Id.* 2. *B. C.* 9. Expedire sibi locum. *Liv.* 38. 2. *sub fin.* Per invias atque ignotas rupes iter fugæ non expediebant. *non trovavano la strada, s'intricavano. Column.* 2. *R. R.* 2. 12. Expedire agrum saxosum lectione lapidum. *nettare, sgombrare. Fronto de eloq.* (edente iterum *A. Maio*) *initio.* Capillus etsi non cotidie acu ornandus, tamen pectine cotidie expediendus est. Huc referri potest et illud *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 46. (132). Cancri menstruas purgationes expediunt. *facilitano, promuovono.* ¶ 2. Latiori sensu dicitur de re, qua impedimenta tolluntur, et significat depromere, educere, proferre, parare, *metter fuori*, *allestire*, *preparare.* — *a*) Generatim. *Sisenna* apud *Non. p.* 297. 1. *Merc.* Funes expediunt, claustra foribus imposita periclitantur. *Ovid. Heroid.* 17. 200. Expedire vela. *Cic.* 7. *Verr.* 62. 161. Hominem nudari, et virgas expediri jubet. *Ovid.* 1. *Art. am.* 423. Institor expediet merces suas. *Virg.* 1. *Æn.* 705. Cereremque canistris Expediunt. *Val. Flacc.* 2. 341. mediis famulæ convivia tectis Expediunt. *Varro* 2. *R. R.* 10. 6. Expedire cibaria pastoribus. *h. e.* parare, *procurare*, *procacciare.* Sic *Tac.* 6. *Ann.* 43. Illuvie obsitus, et alimenta arcu expediens. *procacciantesi il vitto colla caccia.* Et *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 298. 22. *Merc.*; et *Sueton. Cæs.* 4. Expedire pecuniam. *h. e.* conficere, colligere et expendere. — *b*) Speciatim ac sæpe hoc sensu ad rem militarem pertinet. *Cæs.* 7. *B. G.* 18.; *Virg.* 1. *Æn.* 592.; et *Tac.* 2. *Ann.* 79. Arma primo expediere: dein mutua formidine non ultra jurgium processum est. *mettere mano all'armi. Liv.* 38. 25. *ad fin.* Expedire tela animosque equitibus jussis. *Id.* 21. 26. ferrum. *sfoderare la spada.* Cf. *Val. Flac.* 8. 302. Expedire clipeos et tela trabalia dextris. *Cæs.* 2. *B. C.* 4. naves. *Auct. B. Alex.* 25. classem atque instruere. *Cæs.* 7. *B. G.* 27. vineas in occulto. *Tac.* 13. *Ann.* 7. copias. — *c*) *Expedire se* est remotis impedimentis paratum se promptumque præbere, *allestirsi*, *accingersi*, *prepararsi. Plaut. Amph.* 1. 1. 152. Cingitur: certe expedit se. *Liv.* 38. 21. Expedire se ad pugnam. *Tac.* 2. *Hist.* 99. Cæcinam et Valentem expediri ad bellum jubet. *Cæs.* 1. *B. C.* 51. Celeriter tamen sese Galli equites expediunt præliumque committunt. — Et absolute. *Tac.* 1. *Hist.* 10. Nimiæ voluptates, quum vacaret: quoties expedierat, magnæ virtutes. *h. e.* expedierat se ad bellum, in expeditionem ierat. *Id. ibid.* 88. Multos consularium Otho, comitum specie, secum expedire jubet. *andar seco in campagna.* — *d*) Figurate expedire discum, jaculum, est ejicere, *lanciare*, *gettare. Horat.* 1. *Od.* 8. 12. sæpe disco, Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiori parag. 1., expedire dicitur de molestia, periculo et similibus, et est liberare, eique contrarium est *impedire*, ut apud *Ter. Hecyr.* 3. 1. 17. Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea (*re amatoria*) expedivi animum meum. Sic apud *Cic. Rabir. Post.* 9. 24. Sapientis est, quum stultitia sua impeditus sit, quoquo modo possit, se expedire. *Id.* 14. *Fam.* 13. Me multa impediverunt, quæ nunc quidem expedita sunt. Cf. eund. *Pis.* 30. 74. Hærerem, nisi tu me expedisses. — *Plaut. Capt.* 2. 3. 95. Expedivi e servitute filium. *Ter. Adelph.* 4. 4. 5. Quomodo me ex hac expediam turba tanta? *Id. Hecyr.* 5. 1. 20. Expedire se crimine. *Id. ibid.* 3. 1. 8. ærumnis. *Id. Phorm.* 5. 1. 4. cura. *Cic.* 2. *Att.* 25. Expedies nos omni molestia. *Id.* 3. *ibid.* 20. Quod te in tanta hereditate ab omni occupatione expedisti, valde mihi gratum est. *Horat.* 1. *Od.* 22. 11. Expeditus curis. *Id. Epod.* 11. 25. Amor Lycisci me tenet, Unde expedire non amicorum queant Libera consilia. *Id.* 4. *Od.* 4. 73. Quas (*Claudias manus*) et benigno numine Juppiter Defendit, et curæ sagaces Expediunt per acuta belli. *Val. Flacc.* 1. 217. per quot discrimina rerum Expedior? *h. e.* evado. *Cic. Mil.* 4. 10. Si vita nostra in insidias, in vim, in tela latronum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. *h. e.* a periculo liberandæ. *di scampar la vita*, *di procacciarsi salvezza. Forcellinus* hunc locum ad parag. proxime seq. retulit. ¶ 2. Significat etiam remotis impedimentis rem in ordinem ponere, rem alioqui difficilem conficere et absolvere, *sbrigare*, *finire*, *spedire. Cic.* 11. *Att.* 13. Cum Antonio loquare, velim, et rem, ut poteris, expedias. *Id. Brut.* 42. 154. Expedire et conficere res. *Id.* 13. *Fam.* 26. Explicare et expedire negotia. *Id.* 1. *de republ.* 35. Credo equidem: sed expediri, quæ restant, vix poterunt, si hoc inchoatum reliqueris. *Id.* 3. *Fam.* 12. Itaque quemadmodum expediam exitum hujus institutæ orationis, non reperio. *Cæs.* 7. *B. G.* 36. De obsessione non prius agendum constituit, quam rem frumentariam expedisset. *avesse compita la provisione dei viveri. Cic.* 16. *Att.* 6. Nomina mea, per deos, expedi, exsolve. *liquida i conti e paga i miei debiti.* Sic *Id.* 13. *ibid.* 29. Expedire nomen. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 29. Et joculariter ad hanc dicendi rationem alludens *Bibaculus* apud *Sueton. Gramm.* 11. Mirati sumus unicum magistrum, Summum grammaticum, optimum poetam, Omnes solvere posse quæstiones, Unum difficile expedire nomen. — Similiter *Plaut. Capt. prol.* 40. Expedire docte fallaciam. *Tac.* 14. *Ann.* 55. Qui me non tantum prævisa, sed etiam subita expedire docuisti. *trovar ripiego o spediente. Id.* 3. *Hist.* 73. Expedire consilia sua. *eseguire i suoi disegni.* Sic *Val. Flacc.* 8. 383. expediant donec Junonia sese Consilia, atque aliquem bello ferat anxia finem. *h. e.* ad exitum perducantur. *Id.* 7. 276. Pelopis durus prior Hippodamia labores Expedit. *sbrigò, diè fine.* Et *Id.* 1. 667. Advertere dei, defixaque numina ponto, Quid scopulis præclusa ratis, quid dura juventus Expediat. *h. e.* conetur, tentet, molliatur, ut res ad exitum perducatur. ¶ 3. Pertinet sæpe ad loquendum, et significat rem obscuram implicitamque tum evolvere dictis et explicare, tum paucis exponere, *spiegare*, *dicifrare*, *dir in poche parole. Ennius* apud *Non. p.* 505. 19. *Merc.* Id ego æquum fecisse expedibo atque eloquar. Adde *Pacuvium*, *Accium* et *Pomponium* apud *eumd. Non. ibid. Ter. Eun.* 4. 4. 26. Agedum, hoc mihi expedi primum: istam, quam habes, unde habes vestem? *Id. Phorm.* 2. 3. 52. Dilucide expedire. *Id. ibid.* 1. 4. 29. Quid portas, obsecro? atque id, si potes, verbo expedi. *Sall. Jug.* 5. Priusquam hujuscemodi rei initium expedio. *Virg.* 4. *G.* 286. altius omnem Expediam prima repetens ab origine famam. *Id.* 3. *Æn.* 377. Pauca tibi e multis etc. expediam dictis. *Id.* 11. *ibid.* 314. quæ sit dubiæ sententia menti, Expediam, et paucis (animos adhibete) docebo. *Phædr.* 3. 11. Expedi, quid feceris. *Tac.* 4. *Ann.* 1. Nunc originem, mores, et quo facinore dominationem raptum ierit, expediam. *Id.* 4. *Hist.* 48. Ea de cæde quam verissime expediam. ¶ 4. *Res expedit* vel *expedit* impersonaliter, utile est, conducit, prodest, *è spediente*, *giova*, *torna a conto.* Occurrit — *a*) Cum Nomin. rei. *Plaut. Amph.* 1. 3. 23. Nequiter pæne expedivit prima parasitatio. *h. e.* pæne nocuit. *Al. leg.* expetivit. *Cic.* 3. *Off.* 19. 76. Non igitur faciat, dixerit quis, quod utile sit, quod expediat? Immo intelligat, nihil nec expedire, nec utile esse, quod sit injustum. *utile*, emolumentum, lucrum; *expediat*, facilitatem et prosperitatem significat. *Id.* 2. *leg. Agr.* 25. 66. Ut saltem deliberare plebs Romana possit, quid intersit sua, quid expediat. *Id. Amic.* 10. 33. Ut non idem expediret, incidere sæpe. — Cum addito Dat. personæ. *Cic. Marcell.* 10. 30. Multi dubitabant, quid sibi expediret. *Id.* 1. *de republ.* 32. Ex utilitatis varietatibus, quum aliis aliud expediat, nasci discordias. *Id.* 7. *Att.* 22. Nihil minus Cæsari expedit ad diuturnitatem dominationis. — Et in plur. num. *Plaut. Trin.* 2. 1. 10. Amoris artes eloquar quemadmodum expediant. — *b*) Cum Infinito, qui Nominativi vicem gerit. *Ter. Heaut.* 2. 4. 8. Expedit bonas esse vobis. *Cic.* 13. *Phil.* 8. 16. Omnibus bonis expedit salvam esse rempublicam. *Id. Cæcin.* 6. 16. Quum eam (*pecuniam*) in prædiis collocare maxime expediret. *Horat.* 2. *Od.* 8. 9. Expedit matris cineres opertos Fallere. *Quintil.* 6. 4. 16. Ubi vinci necesse est, expedit cedere. — *c*) Apud sequioris ævi scriptores sequente part. *ut* vel *ne. Justin.* 34. 1. Expedire omnibus dicunt, ut singulæ civitates suas leges habeant. *Justinian.* 1. *Instit. tit.* 8. Expedit reipublicæ, ne sua re quis male utatur. — *d*) Absolute. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 2. 4. Tu, si ita expedit, velim quamprimum convenias. *Quintil.* 4. 2. 67. Sic magis expedit. *Id.* 7. 3. 18. Ut expediat causæ. *Justin.* 41. 3. *extr.* Fides promissis nulla, nisi quatenus expedit. — Hinc Part. præter. pass.

Expeditus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Expeditior* et Sup. *Expeditissimus* sub *b.* Occurrit autem — *a*) De hominibus, et est solutus, non impeditus, promptus, paratus, *sciolto*, *libero*, *pronto*, *spedito.* — Speciatim in re militari

expeditus dicitur, qui minus habet impedimenti ad iter, ad pugnam, ut levis armaturæ miles, aut sine viatico, solis armis instructus, aut sine impedimentis et sarcinis. *Sisenna* apud *Non. p.* 58. 8. *Merc.* Lacernos armati, impeditus expediti interfiriunt. *Cic.* 8. *Att.* 9. *extr.* Pompejus expeditus præcesserat legiones Luceria. *Cæs.* 1. *B. G.* 49. Eo circiter hominum numero XVI. millia expedita cum omni equitatu Ariovistus misit. *Id.* 1. *B. C.* 42. Reliquas legiones in armis expeditas contra hostem constituit. *Liv.* 38. 4. *sub fin.* Cum mille expeditis Ambraciam profectus. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 19., 6. *ibid.* 25. et alibi. Cum Genitivo *Liv.* 30. 9. Cum omni equitatu expeditisque militum. *Al. leg.* expeditissimisque. — Generatim. *Cic. Quinct.* 6. 23. Cum ceteris quæ habebat vadimonia, differt, ut expeditus in Galliam proficisci possit. *Id. Mil.* 10. 28. Obviam fit ei Clodius expeditus in equo. Cf. *Horat. Epod.* 5. 25. Sagana expedita. Rursus *Cic.* 11. *Phil.* 10. 26. Expedito nobis homine et parato opus est. *Id.* 2. *leg. Agr.* 30. 82. Expeditus ad cædem. *Id.* 2. *Orat.* 30. 131. ad pronunciandum. *Id. Brut.* 48. 180. T. Junius facilis et expeditus ad dicendum. — *b*) De rebus physicis et de abstractis, et est non impeditus, facilis, *libero, facile, spedito.* — De rebus physicis. *Cæs.* 1. *B. C.* 27. Iis expedito loco actuaria navigia relinquit. *Cic. Flacc.* 41. 104. Quam illam viam sibi videant expeditiorem ad honores. *Id. Amic.* 4. 13. Reditum in cælum patere optimo et justissimo cuique expeditissimum. *Id.* 11. *Fam.* 24. Pecunia expeditissima quæ erat, tibi decreta est. *h. e.* quæ in promptu erat. *Id.* 10. *ibid.* 25. Rationes expeditas habere. *in modo facile. Plin.* 3. *Ep.* 12. Veniam ad cœnam: sed jam nunc paciscor; sit expedita, sit parca. *h. e.* paratu facilis et parvi sumptus. Alter *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (8). Expeditissimum unguentorum. — De abstractis. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 33. 105. Sic igitur inducto et constituto probabili, et eo quidem expedito, soluto, libero, nulla re implicato, vides profecto etc. *Id. Brut.* 63. 227. Expedita et perfacile currens oratio. *Id. ibid.* 61. 220. Expedita ac profluens dicendi celeritas. *Id. ibid.* 76. 263. Inops ad ornandum, sed ad inveniendum expedita Hermagoræ disciplina. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. *sub fin.* Parva sunt, quæ desunt, et ea sunt ad explicandum expeditissima. *facilissime da sbrigare. Cæs.* 3. *B. C.* 70. Prope jam expeditam Cæsaris victoriam interpellaverunt. — Hinc

Expeditum, *i*, n. absolute, substantivorum more, occurrit in formula *in expedito esse*, h. e. in promptu esse et ad manum, *essere in pronto. Seneca Ep.* 54. *ante med.* Quædam sunt quidem in animo, sed parum prompta: quæ incipiunt in expedito esse, quam dicta sunt. *Quintil.* 10. 7. 24. Prompta res est et in expedito posita. Adde *Plin.* 4. *Hist. nat.* 23. 37. (121). Similiter *Liv.* 36. 16. In expedito haberent integras copias ad opem ferendam.

EXPĔDĪTE, adverb. Comp. *Expeditius* et Sup. *Expeditissime.* — Expedite est facile, plane, celeriter, sine difficultate (It. *speditamente, facilmente*; Fr. *facilement, aisément, promptement*; Hisp. *facilmente, prontamente, aceleradamente*; Germ. *rüstig, bereit, flink, mit Bereitwilligkeit, Fertigkeit, oder Rüstigkeit*; Angl. *quickly, expeditiously, readily, easily*). *Plaut. Men.* 1. 2. 63. Expedite fabulatus est. *Cic.* 5. *Fin.* 12. 36. Res celeriter expediteque percipere. *Id. Brut.* 67. 237. Expedite explicans quod proposuerat. *Id.* 6. *Fam.* 20. 2. Ex quo te quocumque opus erit, facillime et expeditissime conferas. *Id.* 2. *Invent.* 23. 69. Non implicite et abscondite, sed patentius et expeditius. *Id.* 6. *Att.* 8. Expeditius navigare. *Colum. Arbor.* 11. Putatio expeditius fit. *Sueton. Aug.* 63. Expedite loqui.

EXPĔDĪTĬO, önis, f. 3. actus expediendi: sed occurrit speciatim tantum, et

I.) Proprie in re militari est apparatus ad rem bellicam, iter militare ad bellum, ipsaque belli exercitatio, *spedizione, campagna, fazione*, στρατεία. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 72. Quum C. Postumius haruspex oraret illum (*Sullam*), ut in expeditionem exercitum educeret. *Cæs.* 5. *B. G.* 10. Tripartito milites equitesque in expeditionem misit, ut eos, qui fugerant, persequerentur. *Auct. B. G.* 8. 34. Nonnunquam expeditionibus nocturnis castella nostrorum adoriuntur. *Seneca Ep.* 96. *in fin.* Expeditiones periculosissimas obire. *Sueton. Claud.* 17. Suscipere expeditionem. *Id. Aug.* 29. Quum expeditione Cantabrica lecticam ejus fulgur præstrinxisset. Adde *eumd. ibid.* 8. et 25., et *Claud.* 16. et 38. *Curt.* 7. 9. *a med.* Hæc expeditio deficientem Asiam domuit. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 6. 12. (24). Plurima est in Sydracis, expeditionum Alexandri termino. *Id.* 7. *ibid.* 2. 2. (25). Expeditionem eam ternis mensibus confici.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiori paragr. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 8. 8. (19). Apes noctu deprehensæ in expeditione, excubant supinæ. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores expeditio est actus absolvendi ac perficiendi, confectio. *Cic.* 4. *Herenn.* 54. 68. Habet paucis comprehensa brevitas multarum rerum expeditionem. ¶ 3. Item exornatio rhetorica, quum rationibus compluribus enumeratis, quibus aliqua res aut fieri, aut non fieri potuerit, ceteræ tolluntur, una relinquitur, quam nos intendimus. Ita *Cic.* 4. *Herenn.* 29. 40. ¶ 4. Denique in architectura expeditio est ædificiorum dispositio vel confectio. *Vitruv.* 6. 5. 3. et 8. 6. 5. *Schneid.* ¶ 5. Singularis significationis vox est apud *Cassiod.* 1. *Variar.* 17. Castrum juxta vos positum præcipimus communiri. Munitio quippe tunc efficitur prævalida, si diutius fuerit excogitatione roborata. Hanc merito expeditionem nominavere majores: quia mens devota prœliis non debet aliis cogitationibus occupari. scil. *l'essere libero e sciolto da tutte le cure del secolo.*

EXPĔDĪTĬŌNĀLIS, e, adject. ad militarem expeditionem pertinens. *Spartian. Nigr.* 10. Jussit omne argentum submoveri de usu expeditionali. *Ammian.* 31. 16. Ad sortem expeditionalium rerum habilis. *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 11. 3. 35. Portus expeditionales. *h. e.* unde milites in expeditionem proficisci solebant.

EXPĔDĪTUM, i, *V.* EXPEDIO in fin.

EXPĔDĪTUS, a, um. *V.* EXPEDIO.

EXPĔDĪTUS, us, m. 4. idem quod expeditio. *Cassiod.* 8. *Hist. Eccl.* 13. *a med.* Deinde (*Valens*) Trajanum cum expeditu contra Barbaros destinavit: Adde *eumd.* 9. *ibid.* 4.

EXPELLO, pellis, pŭli, pulsum, pellere, a. 3. (ex et pello). Part. *Expellens* et *Expulsus* I. et II.; *Expulsurus* et *Expellendus* I. — Expellere, ἐκβάλλω, est extra pellere, ejicere, exturbare (It. *espellere, cacciar fuori*; Fr. *pousser hors de, repousser, chasser*; Hisp. *pujar fuera, rempujar, rechazar*; Germ. *heraustreiben, vertreiben, verjagen, fortjagen*; Angl. *to drive out or away, expel*).

I.) Proprie occurrit — 1.°) De hominibus et raro de brutis animantibus. — *a*) Cum addito loco, ex quo quis expellitur, per Ablat. et præpos. *ex* vel *ab*, aut sine præpos. *Cic. Mil.* 37. 101. Memoriam Milonis retinebitis, ipsum ejicietis? — hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, projicietur? *Id.* 6. *Fam.* 6. Expellere aliquem ex republica. *Id. Quinct.* 7. 28. Expelli et ejici e prædio. *Id.* 2. *leg. Agr.* 31. 84. Exturbare et expelli plebem ex agris. *Nepos Epam.* 10. Præsidium ex arce expellere. *Cæs.* 7. *B. G.* 55. Romanos ex provincia. Cf. *Auct. B. Alex.* 47. Classis ex illo sinu expulsa. — *Cic. Sext.* 13. 30. Expellere cives a patria. Cf. *Liv.* 41. 3. ab litore naves in altum. — *Cic. Pis.* 7. 16. Me domo mea expulistis, Pompejum domum suam compulistis. *Cæs.* 4. *B. G.* 4. Expellere aliquos agris. *Id.* 6. *ibid.* 21. humiliores possessionibus. *Id.* 4. *ibid.* 3. hostes finibus. *Virg.* 1. *Æn.* 620. Finibus expulsus patriis. *Justin.* 38. 1. Auxilia sorori ad expellendum Cappadocia Nicomedem mittit. Similiter *Cic.* 10. *Att.* 4. Nisi me civitate expulissent. *Cæs.* 3. *B. C.* 110. Expellere aliquem regno. — *b*) Absolute. *Cic.* 2. *de republ.* 31. Hac mente tum nostri majores et Collatinum innocentem suspicione cognationis expulerunt, et reliquos Tarquinios offensione nominis. *Id.* 2. *ibid.* 30. Expulso Tarquinio. *Liv.* 35. 19. Hoc sacramento me in pace patria mea expulit: hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit. *Ovid.* 2. *Trist.* 2. 17. Procul expulsos. *rilegato di lontano.* Huc referri potest et illud *Horat.* 1. *Ep.* 10. 24. Naturam expellas furca, tamen usque recurret. Similiter *Cic. Cluent.* 5. 11. Expulsa atque exturbata filia. *h. e.* repudiata. *Justin.* 9. 5. Expellere uxorem propter stupri suspicionem. — De brutis. *Liv.* 2. 11. Ut eliceret prædatores, edicit suis, postero die porta Esquilina expellerent pecus. — *c*) Cum addito fine. *Cic. Amic.* 12. 42. Quum propter invidiam (*Themistocles*) in exsilium expulsus esset. *Liv.* 33. 50. Carthago Hannibalem in exsilium expulit. *Sueton. Cal.* 1. Ad componendum Orientis statum expulsus. *h. e.* Roma missus, compulsus. Sic *Plin.* 11. *Hist. nat.* 11. 11. (27). Apes fucos in opera expellunt. *spingono, cacciano a lavorare.* — 2.°) De inanimis. *Curt.* 9. 4. Navigia expulsa in ripam. *Tac. Agric.* 12. Margarita expulsa colligere. *h. e.* ad litus ejecta. — Speciatim de telis. *Ovid.* 8. *Met.* 381. Arcu sagittam expellere. *h. e.* emittere, jaculari. *Quintil.* 10. 3. 6. Expulsuri tela nervos retro tendimus. Cf. *Petron. Satyr.* 27. Pilas inter manus, lusu expellente, vibrabat. *Ovid.* 9. *Met.* 705. expellit se pondus in auras.

II.) Translate. — *a*) De hominibus. *Cic. Mur.* 16. 34. Ipso Pompejus regno (*Mithridatis*) possesso, ex omnibus oris ac notis sedibus hoste pulso, tamen tantum in unius anima posuit, ut — non ante quam illum vita expulit, bellum confectum judicarit. *prima che non lo avesse cacciato dal mondo.* et *Lucret.* 3. 350. Expelli ævo. *h. e.* mori. *Sueton. Vesp.* 14. Quidam ex officio admissionis eum expellens. Contra *Plaut. Bacch.* 4. 9. 41. Expuli me periculo. *h. e.* erui, elicui, evasi. — *b*) De abstractis. — Cum addito, ex quo quid expellitur. *Lucret.* 5. 51. qui cuncta (*vitia*) subegerit, ex animoque Expulerit dictis, non armis. *Catull.* 76. 22. Expellere ex omni pectore lætitias. *Plaut. Trin.* 3. 2. 24. Cape sis virtutem animo et corde expelle desidiam tuo. *Lucan.* 3. 53. Expellere curas pectore. — Absolute. *Cæs.* 5. *B. G.* 46. *extr.* Quæ res omnem dubitationem adventus legionum expulit. *Id.* 1. *B. C.* 34. Ne nova Cæsaris officia veterum suorum beneficiorum in eos memoriam expellerent. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 137. Expulit elleboro morbum bilemque meraco. *Ovid. Heroid.* 14. 72. Expulerunt somnos hæc mea dicta tuos. *h. e.* abstulerunt. *Id.* 8. *Met.* 830. Expellere quietem. *Id.* 6. *Fast.* 245. Spem metus expulerat. *Id.* 6. *Met.* 617. per vulnera mille Sontem animam expellam. Cf. *Tac.* 16. *Ann.* 19. Expellere vitam. *uccidersi in fretta. Seneca Med.* 990. Expulsus pudor. *Petron. Satyr.* 10. Quæstibus paupertatem expellere. *Quintil.* 6. 8. 16. Metaphora aut vacantem occupare locum debet, aut, si in alienum venit, plus valere eo, quod expellit. *Plin.* 8. *Ep.* 14. *extr.* Sententia expulsa. *h. e.* rejecta.

EXPENDO, pendis, pendi, pensum, pendere, a. 3. (ex et pendo). Part. *Expendens* II. 1.; *Expensus* I. 1. et 2.; *Expendendus* II. 1. — Expendere, σταθμάομαι, est ponderare, pendere (It. *pesare*; Fr. *peser*; Hisp. *pesar*; Germ. *abwägen*; Angl. *to weigh*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est ponderare, pendere. *Plaut. Asin.* 2. 2. 34. LE. Quot pondo te esse censes nudum? LI. Non edepol scio. LE. At pol ego, qui te expendi, scio. *Cels.* 5. 19. *n.* 12. Quoties baccam, aut nucem posuero, scire oportebit, antequam expendatur, et summam pelliculam esse demendam. — Poetice *expensus gradus* est quasi numeratus, lentus, compositus, muliebri quadam segnitie. *Propert.* 2. 3. 6. ibat et expenso planta morata gradu. Fortasse est, quod *Ter. Phorm.* 5. 6. 27. dixit *ire suspenso gradu.* ¶ 2. Latiori sensu est impendere, *spendere, pagare*; quod olim, ante pecuniam cusam, æs pondere solvebatur per libram. — *a*) Modis finitis. *Cic. Flacc.* 28. 68. Ante pedes prætoris in foro expensum est auri pondo centum. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 105. Cautos nominibus certis expendere nummos. *dar fuori a censo. Justin.* 12. 11. Viginti millia talenta in hos sumptus expensa. *Paul. Dig.* 19. 1. 47. Usuras gravissimas expendere. *pagare.* — *b*) Hoc sensu sæpe occurrit Part. præter. pass.; et quidem neutr. gen. absolute, substantivorum more. *Plaut. Most.* 1. 3. 146. Bene igitur ratio accepti et expensi inter nos convenit. *il conto dell'avere e del dare. Gell.* 14. 27. Probari debere pecuniam datam consuetis modis, expensi latione, mensæ rationibus, chirographi exhibitione. — Hinc *expensum ferre* vel *pecuniam expensam ferre*, frequens locutio in rationibus, est scribere v. gr. in codice expensi, se pecuniam expendisse, numerasse, dedisse, ut ait *Asconius* ad *Cic.* 3. *Verr.* 39. 100. *scriversi creditore, darsi credito, dar debito.* ἀπογράφω, ἀπολογίζομαι. V. *Acceptus* in ACCIPIO. *Cic. loc. cit.* Quod minus Dolabella Verri acceptum retulit, quam Verres illi expensum tulit. *et paullo post* § 102. Satis te elapsurum omni suspicione arbitrabare, si, quibus pecuniam credebas, his expensum non ferres, neque in tuas tabulas ullum nomen referres, quum tot tibi nominibus acceptum Curtii

referrent. Quid proderat tibi te expensum illis non tulisse? *Id. Rosc. com.* 5. 14. Hæc pecunia necesse est, aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit. *o contata, o scritta, o promessa. Auct. B. Alex.* 56. Arcessit omnes, qui sibi pecunias expensas tulerant, acceptasque eas jubet referri. — c) Urbane *Cic.* 9. *Fam.* 10. Nisi forte scire vis, me inter Niciam nostrum et Vidium judicem esse. Profert alter duobus versiculis expensum Niciæ: alter Aristarchus hos ὀβελίζει. Ego, tamquam criticus antiquus, judicaturus sum, utrum sint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι. *produce in due righe un debito di Nicia: l'altro ha per falsificata quella partita*, etc. Loquitur hoc modo *Cic.*, quia hi grammatici erant. — d) Neque solummodo perscriptionem pecuniæ expensæ significat, sed etiam ipsam pecuniæ numerationem ac præstationem. *Liv.* 6. 20. Homines prope quadringentos protulisse dicitur, quibus sine fenore pecunias expensas tulisset. *h. e.* quibus pecuniam credidisset sine fenore. — e) Transfertur et ad alia. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 4. Mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Cæsari Pompejus. *h. e.* tradidit, uti legitur apud *Auct. B. G.* 8. 54. — f) Dicitur etiam *expenso ferre. Jabolen. Dig.* 33. 10. 10. Qui vestem omnem et res plurium generum supellectilis nomine expenso ferre solitus erat. *registrare col nome di suppellettile.* — g) Translate. *Ulp. Dig.* 36. 4. 3. Ipsam enim facilitati suæ expensum ferre debere, quæ minus idoneos fidejussores acceperit. *dover ascrivere. Scævola ibid.* 42. 8. 21. Alii creditores suæ negligentiæ expensum ferre debent. ¶ 3. Item latiori sensu, apud *Plautum* tantummodo, est pendendo æstimare, pendendo exæquare. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 1. Hunc hominem decet auro expendi. *h. e.* auro contra æstimari. *pesare e stimare come l'oro. Id. Merc.* 2. 4. 20. Achillem orabo, aurum mihi det, Hector qui expensus fuit. *h. e.* æstimatus. *Id. Rud.* 4. 4. 43. Aurum auro expendetur, argentum argento exæquabitur. *h. e.* compensabitur.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a super. paragr. 1. est examinare, considerare, *esaminare. Cic.* 2. *Orat.* 76. 309. Equidem quum colligo argumenta causarum, non tam ea numerare soleo, quam expendere. Sic *Id.* 6. *de republ.* 1. In dissensione civili expendendos cives, non numerandos puto. *Id. Orat.* 15. 47. Nec vero utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet ac seliget. *Id. post redit. in senat.* 6. 15. Iidem expendunt atque æstimant voluptates, sententiamque dicunt, et judicant etc. *Id. Flacc.* 5. 12. Vos in privatis minimarum rerum judiciis testem diligenter expenditis; etiam si formam hominis, si nomen, si tribum nostis, mores tamen exquirendos putatis. *Id. Brut.* 50. 186. Hæc expendere arte aliqua. Sic *Tac.* 13. *Ann.* 3. verba arte. *Virg.* 12. *Æn.* 20. tanto me impensius æquum est Consulere, atque omnes metuentem expendere casus. *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 34. Expendens animo singula visa suo. *Id.* 13. *Met.* 150. meritis expendere causam. *Tac.* 1. *Hist.* 87. Belli consilia expendere. — Et sequente Relativo. *Cic.* 1. *Off.* 31. 113. Quæ contemplantes expendere oportebit, quid quisque habeat sui. ¶ 2. Metaphora sumpta a superiori paragr. 2. est luere, solvere, dare. *Accius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 10. 23. pœnasque Jovi fato expendisse supremo. *Virg.* 11. *Æn.* 257. Infanda per orbem Supplicia et scelerum pœnas expendimus omnes. *abbiamo pagato il fio. Id.* 2. *ibid.* 229. Expendere scelus. *h. e.* pœnas sceleris. *Tac.* 12. *Ann.* 19. Capite pœnas expendere. *Sil. It.* 13. 697. dignas pro talibus ausis Carthago expendat pœnas. *Id.* 6. 587. nimium vivacis dura senectæ Supplicia expendi. *Id.* 7. 712. Pœnoque ob mitia facta Dignum expendamus pretium. — Hinc

Expensum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, *V.* sub I. 2. *b.*

EXPENSA, æ, f. 1. proprie est particip. præter. pass. ab *expendo* (subaudi *pecunia*), sumptus, impensa. *Claud.* 1. *Cons. Stilich.* 115. non indecores æraria lassant Expensæ. *Ulp. Dig.* 27. 10. 1. Qui neque tempus, neque finem expensarum habet, sed bona sua profundit. *Veget.* 2. *Milit.* 18. *in fin.* Quidvis efficit solertia, si competentes non denegentur expensæ. Adde *Cassiod. locc. citt.* in EXERCITUALIS.

EXPENSĒ, adverb. impense, vehementer. *Cic.* 5. *Att.* 2. *a med.* Quum me expense e sua villa, numquid vellem, rogasset. *Alii rectius leg.* ex Pansæ villa. *Theod. Priscian. de diæta* 15. Cœliacos expense desiccant.

EXPENSILATIO *et rectius* expensi latio, ōnis, f. 3. respondet acceptilationi, et significat, quum in codice expensi perscribit aliquis, se pecuniam expendisse, et alteri numerasse; vel quum stipulatus, et alteri adsentienti declarat, se pecuniam dedisse. *Gell.* 14. 2. Probari debere pecuniam datam consuetis modis expensilatione, mensæ rationibus, chirographi exhibitione etc.

EXPENSĬO, ōnis, f. 3. actus expendendi, sumptus. *Imppp. Valens, Gratian. et Valentinian. Cod. Theod.* 6. 4. 24. Ne quis semel præstitutæ expensionis transeat modum. *Symmach.* 5. *Ep.* 74. (*al.* 76.). Cessantibus novis expensionibus.

EXPENSO, as, āvi, are, a. 1. *frequentat. ab* expendo, ejusdemque fere significationis: scilicet ¶ 1. Pondero, examino, numero. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 31. Res rationesque heri curo, argentum accepto, expenso, et cui debet dato. *Scævola Dig.* 40. 5. 41. *circa med.* Tutores Cupito servo exactionem commiserunt: isque nummos redactos expensavit eisdem tutoribus. ¶ 2. Pro dispensare. *Macrob.* 1. *Saturn.* 13. Alternisque annis binos et vicenos, alternis ternos et vicenos dies intercalares expensabant intercalationibus quatuor.

EXPENSUM, i, *et*

EXPENSUS, a, um. *V.* EXPENDO.

EX PERFECTISSĬMIS, m. plur. qui fuerunt perfectissimi. *Cod. Theod.* 8. 1. 6. *V.* PERFECTUS.

EXPERGĔFACIO, facis, fēci, factum, facere, a. 3. (expergiscor *et* facio). *Expergefio* pass. agnoscitur a *Diomed.* 1. *p.* 372. *Putsch.*, unde Part. *Expergefactus* I. *et* II. — Expergefacio est excito a somno.

I.) Proprie. *Sueton. Cal.* 6. Expergefactus e somno Tiberius est gratulantum vocibus. *Id. Claud.* 8. Ut repente expergefactus faciem sibi confricaret. Adde *eumd. Aug.* 91., *Cal.* 38. *et Oth.* 11.

II.) Translate. *Plaut. Curc.* 1. 3. 12. Magnum flagitium probrumque, Phædrome, expergefacis. *h. e.* excitas, admittis, perpetras. *Lucret.* 2. 413. Ac Musea mele, per chordas organici quæ Mobilibus digitis expergefacta figurant. *h. e.* soni musici, quos excitatos chordarum pulsatione, organici varie modulantur. *Cic.* 4. *Herenn.* 31. 45. Hic Italiam tumultus expergefecit terrore subito. *Id.* 7. *Verr.* 15. 38. Si forte expergefacere te posses.

EXPERGĔFACTĬO, ōnis, f. 3. excitatio a somno. *Augustin. de vera Relig.* 50. A somno expergefactio.

EXPERGĔFACTUS, a, um, *et*

EXPERGĔFĪO, is, etc. pass. *V.* EXPERGEFACIO.

EXPERGĬFĬCO, as, are, a. 1. expergefacio. *Gell.* 17. 12. Ingenio expergificando idoneæ res.

EXPERGĬFĬCUS, a, um, adject. qui expergefacit. *Apul. Florid.* n. 13. Galli expergifico carmine occinunt.

EXPERGISCO, is, etc. *V.* voc. seq. init.

EXPERGISCOR, pergiscĕris, perrectus sum, pergisci, dep. 3. (a simplici *expergo*), vel potius pass. 3., ut ait *Forcellinus.* — *Expergiscier* παραγωγῇ pro *expergisci* legitur apud *Plaut. Asin.* 2. 1. 1. — *Expergisceret* active quod ad formam, neutraliter vero quod ad significationem attinet, dixit *Pomponius* apud *Non.* p. 473. 6. *Merc.* Quum tam clare tonuerit, ut, si quis dormitaret, expergisceret. *si sveglierebbe.* Nonnulli *expergiscit* legunt apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 13. 15. (31).; ubi alii rectius *expergisci.* — Part. *Expergiscens* et *Experrectus* I. et in fin. — Expergisci, ἐξεγείρομαι, est e somno excitari (It. *svegliarsi, destarsi*; Fr. *s'éveiller, se réveiller*; Hisp. *despertarse, dexar de dormir*; Germ. *wach werden, erwachen, aufwachen*; Angl. *to awake, rouse or beatir one's self*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Att.* 23. 3. Si dormis, expergiscere, si stas, ingredere etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 16. 51. Quum somniavit (*Ennius*), ita narrat. — Itaque simul ut experrecti sumus, visa illa contemnimus. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 28. 59. et 13. *Att.* 38. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 32. Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones: Ut te ipsum serves, non expergisceris? *Plin.* 22. *Hist. nat.* 13. 15. (31). Urtica infantium sedes tactu resilire cogit; lethargicos expergisci tactis cruribus. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 2. Extensio crurum tamquam mox e somno expergiscentis.

II.) Translate. *Plaut. Asin.* 2. 1. 1. Nunc te meliu' st expergiscier, atque argento comparando fingere fallaciam. *Ter. Adelph.* 4. 4. 21. Cessatum usque adhuc est: nunc porro, Æschine, expergiscere. *Sall. Cat.* 21. Quin igitur expergiscimini? en illa, quam sæpe optastis, libertas. Cf. *Pseudo-Sall. orat.* 2. *ad Cæs. de rep. ordin. ante med.* Ut omnes expergiscantur ad libertatem. — Hinc Part. præter. pass.

Experrectus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Experrectior:* translate autem sumitur pro vigilanti, attento, acri. *Cic. Rosc. Am.* 49. 141. Experrecta nobilitas armis atque ferro rempublicam recuperavit. *Colum.* 9. *R. R.* 7. 5. Ut sint apes experrectiores: nam frigus ignaviam creat.

EXPERGĬTĒ, adverb. vigilando. *Apul.* 8. *Met.* Expergite auscultare. *Id.* 2. *ibid.* Expergite munus obire.

EXPERGĬTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXPERGO, gis, gi, gitum, gere, a. 3. (ex *et* pergo). Part. *Experrectus* V. in *Expergiscor.* — *Diomed.* 1. *p.* 372. *Putsch.*, et *Paul. Diac. p.* 80. *& Müll.* discrimen tradunt inter *expergitus* et *experrectus*, ut *expergitus* dicatur, qui satiatus somno sponte evigilat; *experrectus* a quiete impeditus, seu ab alio excitatus. Apud *Paul. Diac.* alii leg. *exporrectus.* — Ceterum Part. *Expergitus* I. et II. — Expergo est e somno excito.

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 913. nec quisquam expergitus extat, Frigida quem semel est vitai pausa secuta. *Accius* apud *Non. p.* 104. 16. *Merc.* Heu vigiles properate, expergite pectora tarda sopore: exsurgite. *Sanctro ibid.* Omnes vocis expergit sono. *Lucilius* apud *Diomed. loc. cit.* et apud *Priscian.* 10. *p.* 888. *Putsch.* E somno pueros cum mane expergitu' clamo. *Al. melius leg.* cum mane, expergite, clamo. *Fronto Princ. Hist. p.* 319. Primam vigiliam facile vigilare, postremam jamdudum expergitus L. Verus opperiri. *Apul.* 2. *Met.* Tum demum Diophanes expergitus, sensit imprudentiæ suæ labem.

II.) Translate est excitare. *Gell.* 6. 10. Quum aliis salubribus exemplis hortabatur ad philosophiam capessendam, tum vel maxime ista ea animos juvenum expergebat. *Apul. de Mag.* Animus expergitus cito ad divinam naturam redigitur.

EXPERĬENS, entis. *V.* EXPERIOR in fin.

EXPĔRĬENTER, adverb. perite. *Boeth. Aristot. Topic.* 2. 3. *p.* 678. Quod juste est, scienter et experienter est; quod injuste est, ignoranter et inexperienter est.

EXPĔRĬENTĬA, æ, f. 1. ¶ 1. Stricto sensu est actus experiendi, experimentum, periclitatio. *Varro* 1. *R. R.* 18. 8. Nos debemus et imitari alios, et aliter ut faciamus experientia tentare quædam. *Cic.* 4. *Tusc.* 26. 56. Ægritudinem suscipere pro experientia. *Id. Rabir. Post.* 16. 13. Equitem R. non libidine, non turpibus impensis cupiditatum atque jacturis, sed experientia patrimonii amplificandi labentem excepit. *h. e.* dum tentat patrimonium augere. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 18. *ad fin.* Quæ si adventus meus represserit, agam gratias fortunæ constantiæque meæ, quæ ad hanc experientiam excitavit. *Ovid.* 1. *Met.* 225. hæc illi placet experientia veri. *h. e.* hoc modo placet illi verum explorare. *Id* 7. *ibid.* 737. Cui non ista satis fidei experientia sano Magna foret? *Al. leg.* Cui non ista fide satis etc. *Vellej.* 2. 78. Cæsar crebris expeditionibus, patientia periculorum bellique experientia durabat exercitum. *Id. ibid.* 57. Laudandum experientia consilium Pansæ est. *h. e.* exitu. ¶ 2. Latiori sensu est scientia et cognitio ex multis experimentis acquisita. *Virg.* 1. *G.* 4. apibus quanta experientia parcis. *h. e.* solertia. *Cels. præfat. post med.* Ad curandi rationem nihil plus confert, quam experientia. *Colum.* 10. *R. R.* 338. Ipsa novas artes varia experientia rerum Et labor ostendit miseris, ususque magister Tradidit agricolis etc. *Manil.* 1. 61. Per varios usus artem experientia fecit, Exemplo monstrante viam. *Tac.* 1. *Ann.* 4. Agrippa non ætate neque rerum experientia tantæ moli par. *Id. ibid.* 46. Vir longa experientia.

EXPĔRĪMENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Experimentatus.* — Experimentare est experimentis probare. *Theod. Priscian.* 1. *p.* 312. *edent. Ald.* Ad hydropem, quam frequenter experimentavit Eugamius, confectio. *Id.* 3. 5. Omnibus experimentatum usibus remedium. *Id.* 4. *p.* 312. *edent. Ald.* Ad hydropem potio experimentata a Cornelio. *et paullo*

post. Ad dolorem ventris et ad tortionem experimentatum a Cornelio.

EXPĔRIMENTUM, i, n. 2. experientia, tentamentum, argumentum. *Sall. Jug.* 50. Metello experimentis cognitum erat, genus Numidarum infidum esse. *Cic.* 3. *Tusc.* 30. 74. Hoc maximum est experimentum, quum constet, ægritudinem vetustate tolli, hanc vim non esse in die positam, sed in cogitatione diurna. *Quintil.* 2. 5. 15. Minus valent præcepta, quam experimenta. *Id.* 6. 2. 25. Quæ non aliquo tradente, sed experimento meo accepi. *Id.* 3. 8. 36. Facillime ad consentiendum homines ducuntur experimentis. *Tac.* 13. *Ann.* 21. Ut plebs experimentum daret, an amotis custodibus, modestiam retineret. *Vellej.* 2. 94. Præcipua omnium virtutum experimenta edere. *Plin. Paneg.* 13. Probatur experimento, sit ne ferarius etc. *Plin. alter* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (12). Id plerumque fallacissimum experimento deprehenditur. *Id.* 29. *ibid.* 1. 8. (18). Medici experimenta per mortes agunt. *Id.* 13. *ibid.* 2. 3. (19). Unguentorum experimentum inversa manu capitur. *Id.* 17. *ibid.* 2. 2. (13). Inutilissimum experimentis creditor. *Veget.* 3. *Milit.* 1. Veteres remedia difficultatum experimentis didicerunt. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 406. Tunc ille: Coctum est, devora et experimentum cape. *Pelagon. Veterin.* 28. 23. Hoc de experimento est. *h. e.* experimentia liquet.

EXPĔRĬOR, pĕrīris, pertus sum, pĕrīri, dep. 4. (ex et antiquum periri, quod erat conari, seu potius periculum facere, a πειράω vel πειράομαι, ut et *Voss.* docet). — *Experio* pro *experior* nonnulli legunt apud *Catull.* 21. 6.; sed alii rectius ibidem *experiris* leg. pro *experibis*. V. locum in EXJOCOR. — *Experiscar* et *experiscatur* pro *experiar* et *experiatur* ab inusit. *experiscor*, legitur in *Inscript.* non optimæ notæ apud *Fea, Var. di notiz.* p. 171. MEVIA SOPHE, IMPETRA, SI QVAE SVNT MANES, NE TAM SCELESTVM DISCIDIVM EXPERISCAR DIVTIVS HOSPES. *Alia* in *Giorn. Arcad. T.* 39. p. 237. SI QVIS HVNC (*loculum*) AMOVERIT, SEMPER DOLOREM EXPERISCATVR, QVEM EGO EXPERTA SVM. — Part. *Experiens* I. 1. et in fin.; *Expertus* I. 1., 2. et in fin.; *Experturus* 1.; *Experiendus* et *Experiundus* I. 1. et 3.; *Experiturus* quidam legunt apud *Caton. R. R.* 157., at alii *experirer* legunt. — Experiri, πειρᾶσθαι, est probare, periculum facere (It. *far esperienza, esperimentare esaminando, mettere alla prova, provare*; Fr. *éprouver, faire l'expérience ou l'essai, mettre à l'épreuve*; Hisp. *probar, experimentar*; Germ. *prüfend versuchen, prüfen, den Versuch machen, auf die Probe stellen*; Angl. *to try, attempt, prove, experience*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est, ut diximus, probare, periculum facere; et usurpatur — *a*) Cum Accusativo rei, aut aliquando etiam personæ. *Plautus.* Experiri fidem alicujus. *Forcellinus* affert locum non laudato, quem ipse minime inveni. *Cic. Cæl.* 24. 58. Habuisse ajunt domi (*venenum*), vimque ejus esse expertum in servo quodam ad rem ipsam parato: cujus perceleri interitu esse ab hoc comprobatum venenum. *Id. Brut.* 65. 231. Te arbitror, malle ipsum tacere, quam taciturnitatem nostram experiri. *Id.* 16. *Att.* 16. c. 1. Facile patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. *Cæs.* 2. *B. C.* 16. His persuaserant, ut eamdem belli fortunam experirentur. *Liv.* 2. 59. Munentes, ne utique experiri vellet imperium, cujus vis omnis in consensu obedientium esset. *h. e.* utendo in discrimen adducere. *Virg.* 2. *G.* 222. Experiri terram facilem colendo. *Ovid.* 2. *Fast.* 367. Cæstibus et jaculis et missi pondere saxi Brachia per lusus experienda dabant. *Quintil.* 10. 1. 109. In quo totas vires suas eloquentia experiretur. *Id.* 2. 5. 12. Frequenter interrogare et judicium discipulorum experiri. *Id.* 11. 2. 31. Experiri memoriam alicujus. *Id.* 5. 7. 20. animum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (117). Cervi cornua ad arbores subinde experientes. *facendo prova. Id.* 16. *ibid.* 12. 23. (56). Nihil non experiente vita. — Cum Accus. personæ. *Plaut. Merc.* 1. 1. 29. Vin' me experiri? *Ter. Hecyr.* 3. 2. 12. Hanc experiamur. *Cic. Amic.* 22. 84. Tum se denique errasse sentiunt, quum eos (*amicos*) gravis aliquis casus experiri cogit. *Id.* 2. *Divinat.* 46. 97. Quadringenta et septuaginta millia annorum in periclitandis experiendisque pueris, quicumque nati essent, Babylonios posuisse, ajunt. *in trovar la natività. Nepos Hamilc. in fin.* Ut interire, quam non Romanos experiri, mallet. *h. e.* explorare commisso prælio. *Ovid.* 3. *Trist.* 2. 27. Experiri deos iniquos. *provare, sentire.* — *b*) Sequente Relativo. *Ennius* 6. *Ann.* 30. Vos ne velit, an me regnare, hera quidve ferat Fors, Virtute experiamur. *Plaut. Trin.* 1. 2. 93. Lubet experiri, quo evasurus est. *Id. Truc.* 2. 4. 11. Sese experturum, quanti se penderem. *Cic.* 1. *Orat.* 26. 121. In me ipso experior, ut exalbescam etc. *Liv.* 25. 38. Experiri libet, quantum audentis, duce vestro auctore. *Virg.* 3. *Ecl.* 28. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim Experiamur? *Curt.* 6. 11. *a med.* Ut experiremur, utrum vino gravatus etc. *Petron. Satyr.* 31. Experiri volui, si tota familia cantaret. *Plin.* 3. *Ep.* 14. Abjiciunt in fervens pavimentum, ut experirentur, an viveret. — *c*) Sequente Infinito. *Plaut. Bacch.* 3. 2. 3. Id opera expertus sum esse ita. *Ter. Phorm.* 3. 3. 5. Rursum et beneficium experiamur reddere. *Quintil.* 2. 4. 13. Expertus sum prodesse. — *d*) Absolute. *Cic.* 12. *Phil.* 2. 6. De me experior, cujus idem consilium, quod tuum, sentio quam reprehendatur. Sic *Experiendo* apud *eumd.* 1. *Fam.* 7. 10. Experiendo magis, quam discendo cognovi. Cf. *Liv.* 41. 41. Pleraque nova commenta, experiendo, sine ullo effectu evanescunt. *col metterli in pratica o alla prova.* Similiter *Experiendum est, bisogna far la prova,* apud *Cic. Amic.* 17. 62. Judicare difficile est sane, nisi expertum: experiendum autem est in ipsa amicitia: ita præcurrit amicitia judicium tollitque experiendi potestatem. — *d*) Part. *Expertus* active iisdem modis occurrit. — Cum Accus. rei aut personæ. *Cic. Planc.* 9. 22. Omnia quæ dico de Plancio, dico expertus in nobis. *Virg.* 1. *G.* 118. hæc quum sint hominumque boumque labores Versando terram experti. *Horat.* 4. *Od.* 4. 3. expertus fidelem (*aquilam*) Juppiter in Ganymede flavo. *Id.* 3. *ibid.* 14. 10. Puellæ jam virum expertæ. *h. e.* nuptæ. *Quintil.* 6. 5. 7. Quum suaderet bellum Atheniensibus parum id prospere expertis. — Sequente Relativo. *Val. Flacc.* 5. 562. Expertique simul, si tela artusque sequantur. — Sequente Infinito. *Quintil.* 10. 3. 32. Expertus, juvenem prælongos habuisse sermones. *Plin.* 9. *Ep.* 13. Expertus usu, non esse consulendos etc. — Absolute. *Cic. Mil.* 26. 69. Qui motus communium temporum quam crebro accidat, experti scire debemus. *Id.* 2. *Orat.* 17. 72. Dicam enim tibi, Catule, non tam doctus, quam (id quod est majus) expertus. *Ovid.* 5. *Fast.* 674. Si juvat expertis credere, numen habet. Cf. *Quintil.* 1. 12. 11. Ut frequenter experti sumus. — Sic *expertum est*, experimento compertum est, *si sa per esperienza. Gell.* 15. 7. Observatum in multa hominum memoria, expertumque est in senioribus plerisque. ¶ 2. Item est agendo experiri, suas vires in re aliqua experiri, adeoque conari, tentare. — *a*) Cum Accusativo rei, quam agendo experimur, tentamus. *Experiri omnia* hoc sensu sæpissime occurrit. *Ter. Andr.* 2. 1. 11. Omnia experiri certum est, priusquam pereo. *h. e.* tentare. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 78. Omnia experiri, prius quam etc. Cf. *eumd.* 3. *B. C.* 57. Sese omnia de pace expertum. Et *Sall. Cat.* 26. Extrema omnia experiri. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *ad fin.* Experiar et tentabo omnia. Sic *Cic. Orat.* 1. 4. Qui desperatione debilitati experiri id nollent, quod se assequi posse diffidant. Sed par est omnes omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt. — De aliis. *Sall. Jug.* 31. Experiri libertatem. *h. e.* libertate uti. Sic *Ovid.* 1. *Fast.* 811. Magna fides avium est: experiamur aves. — *b*) Sequente Infinito. *Quintil.* 2. 13. 17. Quæ sunt tamen tradita, quid ex his optimum, et, si quid mutari, adjici, detrahi, melius videbitur, dicere experiar. — *c*) Absolute. *Cic. Orat.* 1. 2. Quod quoniam me sæpius rogas, aggrediar, non tam perficiundi spe, quam experiundi voluntate. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Hos quum Suevi, multis sæpe bellis experti, finibus expellere non potuissent. ¶ 3. Speciatim in jure *experiri jus*, et *experiri* absolute, est jus suum ac rem aliquam in judicio exponere. *Paul. Dig.* 2. 1. 1. In jus vocare, est juris experiundi causa vocare. *Ulp. ibid.* 17. 8. 4. Quum primum de ea re experiundi potestas fuerit. — Huic affine est *experiri jure vel legibus, andar per via di giudizio,* judicio agere. *Cic. Quinct.* 11. 38. Si quid in controversiam veniret, aut intra parietes, aut summo jure experietur. *Nepos Timol.* 5. Hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quid quisque vellet, legibus experiri liceret. — Absolute. *Cic. Quinct.* 23. 75. A me diem petivit: ego experiri non potui: latitavit. *Liv.* 40. 29. *ad fin.* Si quod seu jus seu auxilium se habere ad eos liberos repetendos existimaret, experiretur.

II.) Translate, metaphora sumpta a paragr. 3. proxime superiori, *experiri cum aliquo* ponitur universim pro contendere. *Plaut. Cist.* 2. 1. 11. Maritimis moribus mecum experitur. — Hinc Part. præs.

Experiens, entis, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Experientissimus*; et juxta super. paragr. I. 2. est qui multa expertus est, callidus, peritus, itemque omnia experiens, navus, strenuus, industrius, *pratico, di molta esperienza, intraprendente, industrioso, attivo.* — *a*) Absolute. *Cic.* 5. *Verr.* 21. 53. Homo gnavus et industrius, experientissimus ac diligentissimus arator. *Id.* 6. *ibid.* 17. 37. Promptissimus homo et experiens. *Id. Cluent.* 8. 23. Vir fortis et experiens. *Liv.* 6. 34. Vir acer et experiens. *Ovid.* 14. *Met.* 159. comes experientis Ulyssis. *Id.* 3. *Pont.* 7. 14. Ne gravis uxori dicar, quæ scilicet in me Quam proba, tam timida est experiensque parum. *Id.* 1. *Amor.* 9. 32. desidiam quicumque vocavit amorem, Desinat: ingenii est experientis amor. — *b*) Cum Genitivo. *Ovid.* 1. *Met.* 414. Inde genus durum sumus experiensque laborum. *tollerante delle fatiche.* — *c*) Cum Ablat. et præpos. in. *Vulgat. interpr.* 2. *Machab.* 9. In bellicis rebus experientissimus. — Et Part. præter., cujus plurima superius activa significatione exempla retulimus,

Expertus, a, um, passiva significatione adjective usurpatur, unde Sup. *Expertissimus*; et est experimento probatus, *sperimentato, conosciuto per prova. Cic. Balb.* 6. 16. Cujus igitur audita virtus dubitationi locum non daret: hujus præsens, experta atque perspecta obtrectatorum voce lædetur? Sic *Liv.* 3. 14. Vir acer et pro causa plebis expertæ virtutis. *Id.* 1. 34. *extr.* Ut per omnia expertus, postremo tutor etiam liberis regis testamento institueretur. *Id. ibid.* 17. Libertatis dulcedine nondum experta. *Propert.* 1. 3. 18. Experta sævitia. *Sueton. Vesp.* 4. industris. *Id. Tib.* 19. Confidens ostento sibi ac majoribus suis in omni ducato expertissimo. *Tac.* 3. *Ann.* 47. Artes tam feliciter expertas vertere in aliquem. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (11). Populus Romanus expertam medicinam damnavit. *Claud. in orat. ad senat.* apud *Gruter.* 50. 2. *col.* 2. *lin.* 34. OBSEQVIVM (*comatæ Galliæ*) MVLTIS TREPIDIS REBVS NOSTRIS PLVSQVAM EXPERTVM. — *b*) Cum Genitivo. *Virg.* 10. *Æn.* 172. Sexcentos illi dederat Populonia mater Expertos belli juvenes. *Tac.* 4. *Hist.* 76. Nec subitum militem, sed veterem expertumque belli.

EXPERISCOR. *V.* voc. præced. init.

EXPĔRĪTOS, imperitos. *Paul. Diac.* p. 79. 15. *Müll.* — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

EXPERJŪRO, as, are, a. 1. valde juro. *Afranius* apud *Non.* p. 473. 23. *Merc.* Experjurabant, exsecrabant se ac suos.

EXPERRECTUS, a, um. *V.* EXPERGISCOR.

EXPERS, pertis, adject. omn. gen. (ex et pars) ἄμοιρος, qui alicujus rei nullam habet partem (It. *non partecipe*; Fr. *qui ne participe pas*; Hisp. *el quien no participa*; Germ. *der an etwas nicht Theil hat oder nimmt, untheilhaft*; Angl. *not concerned in*).

I.) Proprie usurpatur cum Genitivo. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 83. Expertem te amoris nati habui. *h. e.* celavi te amorem nati. *Ter. Heaut.* 4. 1. 39. Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis. *Cic.* 1. *de republ.* 27. Et in regnis nimis expertes sunt ceteri communis juris et consilii, et in optimatium dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo. *Id. ibid.* 31. Sunt expertes imperii, consilii publici, judicii delectorum judicum. *Id.* 8. *Att.* 8. Omnes nos expertes sui tanti consilii relinquebat.

II.) Translate est privus, vacuus, immunis, tum in bonam, tum in malam partem; et occurrit — *a*) Sæpissime cum Genitivo. *Plaut. Amph.* 1. 1. 16. Ipse dominus dives operis et laboris expers. *Titinius* apud *Non.* p. 495. 13. *Merc.* Omnium vitium (*h. e.* vitiorum) expertem, consili plenum prohibui. *Cic.* 1. *Legg.* 7. 22. Solum est ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogita-

tionis, quum cetera sint omnia expertia. *Id.* 1. *Off.* 16. 50. Feræ rationis et orationis expertes. *Id.* 2. *Orat.* 1. 1. Omnis eruditionis expers atque ignarus. *Id. ibid.* 19. 81. Homines expertes veritatis. *Id.* 1. *de republ.* 2. Omnis negotii publici expertes. *Id.* 2. *Divinat.* 38. 81. Humanitatis expertes. *Id.* 4. *Fam.* 11. *ad fin.* Omnium periculorum expers. *Id.* 4. *Verr.* 78. 191. Ut nulla ejus vitæ pars summæ turpitudinis esset expers. *Id. Amic.* 23. 87. Serpit per omnium vitas amicitia, nec ullam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem sui. *Virg.* 4. *Æn.* 550. Vita thalami expers. *celibe.* *Horat.* 2. *Sat.* 8. 15. Chium vinum maris expers. *Id.* 3. *Od.* 4. 65. Vis consilii expers. *Seneca Troad.* 675. Expers sui. *h. e.* sui minime compos, *fuori di se.* *Stat.* 5. *Silv.* 5. 60. Expers imperii Fortunæ. *h. e.* qui adversam Fortunam non est expertus. — Huc pertinet et illud *Plaut. Asin.* 3. 1. 1. Nequeon' ego te interdictis facere mansuetam meis? An ita tu es animata, ut qui expers matris imperii sies? *h. e.* non parens, negligens imperium matris. — *b*) Cum Ablativo. *Plaut. Pers.* 4. 3. 40. Ea res me domo expertem facit. *Id. Amph.* 2. 2. 81. Eo more expertem te offendi. *Id. Asin.* 1. 1. 31. Expers metu. *Turpilius* apud *Non. p.* 501. 7. *Merc.* Expers malitiis. *Sall. Cat.* 33. Omnes fama atque fortunis expertes sumus. — *NB.* Est qui putet, *expers* etiam contrario sensu usurpari, ut sit pro participio *expertus*, et participem significet: legitur enim in *Gloss. Philox.* Expers, ἄπειρος, καὶ ἔμπειρος. *Catull.* 66. 77. *loquitur coma Berenices.* Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers Unguentis, myrrhæ millia multa bibi. *h. e.* abundans: alii tamen aliter legunt et interpretantur. *Pers.* 6. 38. postquam sapere Urbi Cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers. *h. e.* sapientia Græca et transmarina, quæ mare est experta, dum illud transiit: alii interpretantur *masculo robore carens*, alii *sine sale, insulsum*, sed prius præstat.

EXPERTĒ, adverb. perite. *Boeth. Geom.* 1. p. 1519. Divisiones igitur, quantumlibet jam experte lectoris animus introductus, facile valet dignoscere.

EXPERTĬO, ōnis, f. 3. verbale ab *experior*, experimentum, probatio. *Vitruv.* 8. 5. Expertiones et probationes earum sic sunt providendæ.

EXPERTOR, ōris, m. 3. qui tentat et experitur. *Sil. It.* 12. 502. Turbarum expertor. Sed viris doctis valde suspectus est locus. *V. Dousqu.*, *Barth.* et *Heins.* apud *Drakenborch.*, item *Ruperti* adnotata.

EXPERTUS, a, um. *V.* EXPERIOR.

EXPES. *V.* EXSPES.

EXPĔTENTER, adverb. cupide. Legitur apud *Diomed.* 3. *p.* 472. *Putsch.*; sed locus mutilus et corruptus videtur.

EXPĔTESSO *vel* expetisso, is, ere, a. 3. antique pro *expeto*: a *petisso* vel *petesso*. *Plaut. Asin.* 3. 1. 23. Ultro amas, ultro expetessis, ultro ad te accessi jubes. *Id. Mil. glor.* 4. 1. 13. Tuam expetissit pulcritudinem. *Id. ibid.* 4. 6. 14. Quem amo quemque expetesso. *Id. Rud.* 1. 5. 1. Qui sunt, qui a patrona mea preces expetessunt? *h. e.* patronam meam precantur. *Id. Trin.* 2. 1. 4. Utrum potius harum mihi artem expetessam.

EXPĔTĪBĬLIS, e, adject. Comp. *Expetibilior.* — Expetibilis est optabilis. *Tac.* 16. *Ann.* 21. Parum expetibilem operam præbuerat. *Plerique alii leg.* exspectabilem. Certior est lectio apud *Boeth. Aristot. Topic.* 3. 4. *p.* 680. Nullus enim dubitabat, utrum felicitas, an divitiæ expetibiliores. *et mox.* Et omnino quod ad vitæ finem expetibilius.

EXPĔTISSO. *V.* EXPETESSO.

EXPĔTĪTOR, ōris, m. 3. qui aliquid expetit. *Symmach.* 8. *Ep.* 45. (*al.* 46.). Jamdudum hoc animus meus vestri expetitor efflagitat.

EXPĔTĪTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXPĔTO, pĕtis, pĕtīvi *vel* pĕtii, pĕtītum, pĕtere, 3. (ex *et* peto). Part. *Expetens*, *Expetitus*, *Expetiturus* et *Expetendus* sub *A.* 1. Expetere occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active. ¶. 1. Generatim expetere, ἐπιθυμέω, ἐφίεμαι, est valde petere, quærere, adsciscere, velle, optare (It. *bramare*, *cercare*, *volere*, *dimandare istantemente*; Fr. *désirer vivement*, *souhaiter*, *convoiter*, *rechercher*, *aspirer à*; Hisp. *desear vivamente*, *anhelar*, *codiciar*, *apetecer*, *pretender*, *aspirar*; Germ. *nach etwas auslangen*, *verlangen*, *trachten*, *etwas begehren*, *fordern*, *wünschen*; Angl. *to desire much or greatly*, *long for*, *covet*). Occurrit — 1.°) Cum Accusativo. — *a*) De hominibus et aliquando de brutis. — Universim. *Plaut. Cas. prol.* 12. Intelleximus studiose expetere vos Plautinas fabulas. *Id. Amph.* 5. 1. 75. Pacem Jovis multis hostiis expetere. *Cic.* 1. *Off.* 20. 66. Nihil hominem, nisi quod honestum sit, aut admirari, aut optare, aut expetere debere. *Id. pro leg. Manil.* 2. 5. Unum ab omnibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti. *Id. ibid.* 19. 57. Expetere ac postulare aliquid. *Id. ibid.* 11. 30. Italia ab hoc auxilium absente expetivit. *Id.* 2. *Orat.* 40. 172. Pecunia tantopere expetitur. *Id.* 1. *Off.* 8. 25. Expetuntur divitiæ quum ad usus vitæ necessarios, tum ad perfruendas voluptates. *Id. Amic.* 22. 84. In qua (*societate*) omnia insunt, quæ putant homines expetenda, honestas, gloria, etc. — Si id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua nec amicitiam, neque ullam rem expetendam consequi possumus. *Id.* 6. *Verr.* 49. 108. Summa cupiditate expetere aliquid. *Id.* 1. *Tusc.* 48. 116. Ea vita expetitur, quæ sit animi corporisque expleta virtutibus. *Id. Orat.* 20. 66. In concionibus tracta quædam et fluens expetitur oratio. *Id.* 1. *Tusc.* 48. 116. Erechthei filiæ cupide mortem expetivere pro vita civium. *incontrarono.* *Seneca Thyest.* 509. Complexus mihi redde expetitos. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 20. 34. (174). Fons expetitus navigantibus. *Id.* 9. *ibid.* 36. 60. (125). Purpuræ flos tingendis expetitus vestibus. Cf. *eumd.* 12. *ibid.* 21. 52. (110). Radix aspalathi mire unguentis expetitur. *h. e.* ad unguenta conficienda. *Id.* 6. *ibid.* 23. 26. (104). Emporium Indiæ non expetendum propter vicinos piratas. *h. e.* non adeundum. *Id.* 8. *ibid.* 10. 10. (31). Manus elephanti expetiti saporis in callo. *Id.* 25. *ibid.* 8. 53. (92). Herba, quæ mire capris expetitur. — Specialim est repetere, exposcere, sumere, ubi de pœna aut jure sermo est. *Cic. Marcell.* 6. 18. Dii pœnas a populo Romano ob delictum expetiverunt. *hanno fatto pagare il fio.* *Id. Flacc.* 38. 95. Nunc a Flacco Lentuli pœnæ per vos expetuntur. Adde *eumd. Pis.* 7. 16. *Liv.* 1. 23. In omne Albanum nomen pœnas expetere ob bellum impium. Cf. *eumd.* 22. 13. Expetere supplicium. *Id.* 3. 40. Rempublicam, si a volentibus nequeat, ab invitis jus expetituram. *corrà il suo gius.* Cf. *Cic.* 6. *Fam.* 17. Alicujus promissum expetere. — Item *expetere consilium* est capere. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Orat.* 45. 199. Se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant. *Plaut. Most.* 4. 1. 3. Servi, qui nihil metuunt, postquam sunt malum meriti, stulta sibi expetunt consilia: exercent se ad cursuram, fugiunt. *prendono pazze risoluzioni.* *Id. Cas.* 2. 7. 7. Id non tam ægre est, jam vicisse villicum, quam id expetivisse opere tam magno senem. — Item impetere, lacessere, aggredi. *Cic. Dejot.* 11. 30. Non ficto crimine insectari, non expetere vitam (*ejus*), non capitis arcessere. — Pro sciscitari, *dimandar per sapere*, *ricercare*. *Val. Flacc.* 5. 577. Ipse autem tantis concita furoribus arma Expetit Æsonides et amicos ordine reges. — *Expetere preces* est precari. *In epist. Corneliæ matr. Gracchor.* inter fragm. *Nepotis.* Non pudet te eorum deum preces expetere, quos etc.? Adde *Plaut.* in EXPETESSO. — *Expetere aliquem* est ad aliquem se conferre. *Sever. Sulpic. de Vita S. Martini.* 5. Hilarium Pictavæ episcopum civitatis expetivit, et aliquandiu apud eum commoratus etc. *Paulin. Petrocor. de Vita ejusd.* 1. 179. Doctorem fidei per tot documenta probatum Expetit Hilarium. — *b*) De inanimis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 116. Mare quum supra terram sit, medium tamen terræ locum expetens conglobatur undique æquabiliter. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 18. (41). Abies expetita navigiis. — 2.°) Cum Infinito. *Plaut. Rud.* 1. 4. 20. Videre te expeto. *Ter. Heaut.* 5. 1. 17. Mane, hoc prius scire expeto, quid perdideris. *Id. Hecyr.* 5. 4. 1. Non hoc de nihilo est, quod Laches me nunc conventam esse expetit. *Pacuvius* apud *Non. p.* 101. 7. Dii me etsi perdunt, tamen esse adjutam expetunt. *Horat. Epod.* 11. 3. Qui (*Amor*) me præter omnes expetit mollibus in pueris aut in puellis urere. *Curt.* 6. 6. Paullatimque servilibus ministeriis tot victores gentium imbuere expetebat. ¶ 2. Specialim *expetere ætatem* est durare, ætatem ferre. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 22. Malo si quid benefacias, id beneficium interit: bono si quid malefacias, ætatem expetit.

B) Neutrorum more, *expetere in aliquem* est accidere, usu venire, recidere, incidere, *accadere*, *cadere*. *Plaut. Amph.* 1. 2. 32. Deum non par videtur facere, delictum suum suamque culpam expetere in mortalem ut sinat. *Id. ibid.* 3. 2. 14. Insonti mihi illius ira in hanc et maledicta expetent. *Id. ibid.* 2. 1. 42. Cujus hodie in tergum fato ista expetant mendacia. Cf. *Liv.* 1. 22. *extr.* Ut in eum omnes expetant hujusce clades belli. *cadono.* Rursus *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 40. Satin' eadem in vigilantes expetunt, quæ in somnis visa memoras? *accadono.* Et absolute. *Id. Amph.* 1. 1. 20. In servitute expetunt multa iniqua.

EXPĬĀBĬLIS, e, adject. qui expiari potest. *Cic.* 13. *Phil.* 1. 2. Videndum an sit aliquod bellum expiabile. *Plerique omn. leg.* inexpiabile.

EXPĬĀMENTUM, i, n. 2. idem quod expiatio. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Mil.* 3. editus ab *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 94. Id expiamentum memoriæ servatur ad hunc usque diem: tigillum sororium appellatur.

EXPĬĀTĬO, ōnis, f. 3. purgatio. *Cic.* 1. *Legg.* 14. 40. At vero scelerum in homines atque impietatum nulla expiatio est. *Liv.* 9. 1. Fœderis rupti expiatio. *Cic. Harusp. resp.* 10. 21. Diis violatis expiatio debetur.

EXPĬĀTOR, ōris, m. 3. qui expiat et purgat. *Tertull. Pudic.* 15. *extr.* Impuritatis expiator.

EXPĬĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad expiandum pertinens, purgatorius. *Augustin.* 21. *Civ. Dei* 13. Expiatoriæ pœnæ.

EXPĬĀTRIX, icis, f. 3. quæ lustrat et expiat. *Festus p.* 213. 23. *Müll.* Piatrix dicebatur sacerdos, quæ expiare erat solita, quam alii sagam, alii expiatricem vocant.

EXPĬĀTUS, a, um. *V.* EXPIO.

EXPĬĀTUS, us, m. 4. idem quod expiatio. *Tertull. advers. Valentin.* 13. Continet hic ordo enthymeseos et conjunctæ passionis expiatum.

EXPICTUS, a, um. *V.* EXPINGO.

EXPĪLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus expilandi. *Cic.* 2. *Off.* 21. 75. Tanta sublatis legibus et judiciis expilatio direptioque sociorum. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 8. 36.

EXPĪLĀTOR, ōris, m. 3. fur, prædator, direptor. *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 18. *qui est* De effractorib. et expilatoribus 1., expilatores vocat atrociores fures, et Græce λωποδύτας, qua voce significantur qui vestibus spoliant. *Cic.* 1. *ad Q. Fr.* 1. 2. 9. Quum domus hospitem, non expilatorem recepisse videatur.

EXPĪLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXPĪLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Expilans*, *Expilatus* et *Expilandus* I.; *Expilaturus* II. — Expilo est diripio, deprædor (It. *rubare*, *espilare*; Fr. *piller*, *depouiller*, *voler*; Hisp. *pillar*, *robar*, *despojar*; Germ. *ausplündern*; Angl. *to rob*, *plunder*, *pillage*, *ransack*).

I.) Proprie. *Cic. pro leg. Manil.* 19. 57. Ad expilandos socios diripiendasque provincias. *Id.* 6. *Verr.* 27. 63. Regem spoliatum expilatumque dimisit. *Id. Cluent.* 61. 181. Armarium expilatum, pecunia ablata. *Id.* 6. *Parad.* 1. 43. Si socios spolias, ærarium expilas. *Liv.* 31. 12. Expilare thesauros. *Ulp. Dig.* 29. 2. 21. Rem hereditariam expilans. *scilic.* Quoties hereditariæ res a quopiam surripiuntur, antequam hereditas adeatur, vel post aditam, antequam res ab herede possessæ sint, actione furti non agitur, sed actione *expilatæ hereditatis*, uti docent *Martian.*, *Ulpian.*, *Paul.* etc. *Dig.* 47. *tit.* 19. *qui expilatæ hereditatis inscribitur.*

II.) Figurate. *Cic.* 3. *Orat.* 31. 123. Sumenda sunt nobis ab iis ipsis, a quibus expilati sumus. *V.* integrum locum. *Petron. Satyr.* 22. Duo Syri expilaturi lagenam. *h. e.* furtim exhausturi. *Ovid.* 13. *Met.* 562. Expilatque genas oculis. *h. e.* spoliat, privat. Alii leg. *exspoliatque*: alii aliter.

EXPINGO, pingis, pinxi, pictum, pingere, a. 3. (ex et pingo). Part. *Expictus* II. — Expingo est idem quod pingo, vel cum quadam majore vi, quum ex augeat.

I.) Proprie. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 7. 31. (19). Quoniam et pericula expingimus, ne quis miretur et rogos pingi. *Tertull. Cult. femin.* 12. Thamar se expinxerat et ornaverat. Simili sensu dixit *Martial.* 7. 82. et 8. 52. expingere genas, cutem: de tonsore loquens.

II.) Figurate de oratione. *Cic.* 5. *Tusc.* 39. 114. Regio, ora, locus, motus hominum expicti.

EXPINSO, is, ere, a. 3. (ex *et* pinso) idem quod pinso, contundo, tero. *Cato R. R.* 2. Spinas runcari, expinsi far, munditias fieri.

EXPĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* pio, as). Part. *Expiatus* I. et II.; *Expiaturus* I.; *Expiandus* I. — Expiare, ἁγνεύω, ἀφοσιόω, est verbum sacrorum, et significat rem pollutam scelere aut vitio aliquo purgare, lustrare, mundam ac puram diisque gratam reddere (It. *espiare, purgare*; Fr. *expier, purifier par des expiations*; Hisp. *expiar, purificar*; Germ. *aussühnen, entsündigen, reinigen*; Angl. *to expiate, atone for, purge by sacrifice*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 21. SACRVM COMMISSVM QVOD NEQVE EXPIARI POTERIT, IMPIE COMMISSVM ESTO: QVOD EXPIARI POTERIT, PVBLICI SACERDOTES EXPIANTO. Sic *Cic. Harusp. resp.* 16. 35. Nomen populi Romani tanto scelere contaminavit, ut id nulla re possit, nisi ipsius supplicio expiari. Et *Horat.* 1. *Od.* 2. 29. Expiare scelus. *Cic. Harusp. resp.* 11. 23. errata. Rursus *Id. Pis.* 35. 85. Tua scelera dii immortales in nostros milites expiaverunt. *scil.* nostros milites puniendo. *Id.* 1. *Legg.* 14. 40. In iis sine illius suffimentis expiati sumus. At vero scelerum in homines atque impietatum nulla expiatio est. *Plaut. Most.* 2. 2. 34. Expiare aliquem. *Liv.* 1. 26. Imperatum patri, ut filium expiaret pecunia publica. Is quibusdam piacularibus sacrificiis factis etc. Cf. *Pers.* 2. 31. cunis Exemit puerum, frontemque atque uda labella Infami digito et lustralibus ante salivis Expiat. Cf. *Flor.* 1. 13. *ad fin.* Incendium illud quid egit aliud, nisi ut destinata hominum ac deorum domicilio civitas non deleta, non obruta, sed expiata potius et purgata videatur? *Cic. Rabir. perduell.* 4. 11. Expiandum forum Romanum a nefarii sceleris vestigiis. *Id.* 1. *Phil.* 12. 30. Expiato foro, dissipato concursu impiorum. *Id.* 1. *Att.* 17. 7. Quæ violata sunt, expiabuntur: quæ sunt sanctissime conservata, religionem suam obtinebunt. *Id.* 2. *Divinat.* 63. 130. Prænoscere dii erga homines mente qua sint, quidque significent, quemadmodumque ea procurentur atque expientur. *Val. Max.* 1. 7. *n.* 3. Id luce proxima consulibus sacrificio expiaturis. *Horat.* 2. *Od.* 1. 5. Arma Nondum expiatis uncta cruoribus. *Id. Epod.* 5. 90. dira detestatio Nulla expiatur victima. *h. e.* avertitur, averruncatur.

II.) Translate: ad rem *Cic. Pis.* 7. 16. A me etiam pœnas expetistis, quibus conjuratorum manes mortuorum expiaretis. *Id. Prov. cons.* 1. 2. Cujus illi salutem pro pignore tradiderunt, ad expiandas suas cupiditates. *h. e.* ut satisfacerent cupiditatibus et eas quasi placarent. Al. tamen rectius leg. *explendas*. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. Hæc superioris ætatis exempla expiata Saturnini atque Gracchorum casibus docet. *Id.* 5. *B. G.* 52. *extr.* Beneficio deorum immortalium et virtute eorum expiato incommodo. *Auct. B. G.* 8. 48. Expiato suo dolore. *sfogato, soddisfatto*. Cf. *Seneca Octav.* 859. Expiare iram. *Liv.* 1. 14. Legatorum injurias regisque cædem expiare. *Flor.* 1. 12. Ea clades ingentibus expiata victoriis. *Justin.* 3. 2. Supplicio alicujus regni infamiam expiare. *Tac.* 4. *Hist.* 11. *extr.* Asiaticus libertus malam potentiam servili supplicio expiavit. *Plin.* 8. *Ep.* 10. Quem errorem magnis detrimentis expiavit, in summum periculum adducta. *pagò il fallo*. Adde *Liv.* 37. 45. Rursus *Plin. Paneg.* 33. Miseras voluptates unco et ignibus expiavit. *Juvenal.* 6. 519. Ut quidquid subiti et magni discriminis instat, In tunicas eat, et totum semel expiet annum. *h. e.* a calamitatibus purget ac liberet. *Petron. Satyr.* 105. Ut tutela navis expiaretur, placuit, quadragenas utrisque plagas imponi. *h. e.* placaretur, ut recte interpretatus est *Forcellinus*, qui hunc locum singulari paragrapho distinxit.

EXPIRO. *V.* **EXSPIRO.**

EXPISCATOR. *V.* **EXPLICATOR.**

EXPISCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ex *et* piscor). Part. *Expiscatus*. — Expiscari proprie est piscari: sed occurrit translate tantum pro diligenter inquirere, indagare. *Ter. Phorm.* 2. 3. 35. Proinde expiscare, quasi non nosses. *Cic.* 9. *Fam.* 19. 1. Nescis me ab illo omnia expiscatum? *Id. Pis.* 28. 69. Itaque admissarius iste, simul atque audivit, voluptatem a philosopho tanto opere laudari, nihil expiscatus est: sed etc.

EXPLACABILIS, e, adject. qui valde placabilis est. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 106.

EXPLĀNĀBILIS, e, adject. explanatus, distincte prolatus. *Seneca* 1. *Ira* 3. Vox est quidem, sed non explanabilis, et perturbata, et verborum inefficax.

EXPLĀNĀTE, adverb. Comp. *Explanatius*. — Explanate occurrit translata tantummodo significatione, et est clare, aperte. *Cic. Orat.* 33. 117. Ut definire rem possit; neque id faciat presse et anguste, sed quum explanatius, tum etiam uberius. *Gell.* 16. 8. In eo commentario nihil educenter, neque ad instituendum explanate scriptum est.

EXPLĀNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus explanandi: sed occurrit translate tantum, et ¶ 1. Generatim est explicatio, interpretatio, expositio, *spiegazione, dichiarazione*, δήλωσις. *Cic.* 1. *Divinat.* 51. 116. Somniis, vaticinationibus, oraculis, quod erant multa obscura, explanationes adhibitæ sunt interpretum. *Id.* 5. *de republ.* 2. Nihil esse tam regale, quam explanationem æquitatis, in qua juris erat interpretatio. *Id.* 4. *Herenn.* 16. 23. Uniuscujusque propositionis explanatio. *Quintil.* 9. 2. 2. illustris sententiæ suæ explanatio. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 68. 87. (190). Res arduæ explanationis. *difficile da spiegarsi*. *Id.* 11. *ibid.* 51. 112. (271). Explanatio animi, quæ nos distinxit a feris. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores est virtus orationis, quæ eam apertam ac dilucidam reddit. Ea comparatur duobus modis, usitatis verbis et propriis. *Cic.* 4. *Herenn.* 12. 17. Adde *Quintil.* 9. 1. 27. — Similiter a *Cic.* 3. *Orat.* 53. 202. enumeratur inter lumina sententiarum *commoratio una in re et illustris explanatio*: qua re hypotyposin significare videtur. ¶ 3. Item est verborum pronunciatio. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 14. (70). Dentes quum defuere, explanationem omnem adimunt. *l'articolamento delle parole*. *Quintil.* 1. 5. 33. Remotis omnibus, quæ supra diximus, vitiis, erit illa quæ vocatur ὀρθοέπεια, id est emendata cum suavitate vocum explanatio, nam sic accipi potest recta. *Id.* 11. 3. 33. Explanatio verborum. *h. e.* dilucida verborum pronunciatio, ut *Id. ibid.* ait.

EXPLĀNĀTĪVUS, a, um, adject. idem fere quod explanatus, *h. e.* explicatus. *Mar. Victorin. de orthogr.* 1. *p.* 2451. *Putsch.* Articulata vox est, quæ audita intelligitur et scribitur, et ideo a plerisque explanata, a nonnullis intelligibilis dicitur. – Omne autem explanativarum vocum initium et individua vox est littera, ex qua articulata vox exsistit inque ultimam resolvitur.

EXPLĀNĀTOR, ōris, m. 3. qui interpretatur et exponit. *Cic.* 1. *Divinat.* 51. 116. Sunt enim explanatores, ut grammatici poetarum. *Id. fragm.* 3. *de republ.* apud *Lactant.* 6. 8. Neque est quærendus explanator aut interpres ejus legis alius.

EXPLĀNĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui explanat. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 1. Liber explanatorius aphorismorum Hippocratis.

EXPLĀNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXPLĀNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* planus). Part. *Explanatus* I., II. et in fin.; *Explanaturus* et *Explanandus* II. — Explano est planum facio, explico, expando.

I.) Proprie. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 8. 13. (34). Suberi cortex præcrassus ac renascens, atque etiam in denos pedes undique explanatus.

II.) Translate frequentius ponitur de oratione, et est explicare, illustrare, exponere. — *a*) Sequente propositione relativa, aut sæpius Accusativo. *Ter. Phorm.* 2. 3. 33. Quem amicum tuum ais fuisse istum, explana mihi. *Cic.* 1. *Off.* 27. 94. Qualis differentia sit honesti et decori, facilius intelligi, quam explanari potest. *Sall. Cat.* 4. *extr.* De cujus hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam. *h. e.* exponenda, dicenda. *Cic.* 2. *Orat.* 69. 280. Quæ conjectura explanantur. *Id. Orat.* 24. 80. Verbum, quod rem maxime explanat. *Id. Brut.* 45. 152. Rem obscuram explanare interpretando. *Id.* 1. *Off.* 28. 101. et 2. *Orat.* 19. 82. Docere et explanare. *Id.* 2. *Fin.* 19. 160. Explanare aliquid apertiusque dicere. *Quintil.* 5. 10. 4. Argumentum etiamsi nondum verbis explanatum, jam tamen mente conceptum. *Cels.* 7. 16. *in fin.* Eam partem explanaturus. *Plin. Paneg.* 64. Expressit explanavitque verba, quibus caput suum deorum iræ consecraret. — *b*) Passive impersonaliter *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (96). Juxta quod flumen, aut ubi fuerit, non satis explanatur. — Hinc Part. præter. pass.

Explanatus, a, um, adject. quoque occurrit apud *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 5. 19. In pedibus celeritatem, vim in manibus, claritatem in voce, in lingua etiam explanatam vocum impressionem.

EXPLANTO, as, are, a. 1. (ex *et* planto) a plantis evello. *Colum.* 4. *R. R.* 14. 1. Ut ait quem teneri adhuc pampini capreolis illigent suis, ne ventis explantentur. *Id. ibid.* 27. 5. Quidquid inter brachia viret, explantare. *Id.* 11. *ibid.* 2. 38. Disjectos palos reponere, ita ne teneros pampinos explantet (*vinitor*).

EXPLAUDO, is. *V.* **EXPLODO.**

EXPLĒBĬLIS, e, adject. qui expleri potest. *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 21. Indigentia libido explebilis. *Plerique al. leg.* inexplebilis. *Gloss. Cyrill.* Πληρωτικός, explebilis. *h. e.* qui explet.

EXPLĒMENTUM, i, n. 2. quidquid explendo inservit, expletio.

I.) Proprie dicitur de alimentis. *Plaut. Stich.* 1. 3. 19. Inanimentis explementum quærito. *h. e.* inanem ventrem explere appeto. *Seneca Ep.* 110. *a med.* Si scieris cacumina arborum explementum esse ventris.

II.) Translate. ¶ 1. De oratione pro appendice, complemento. *Seneca Suasor.* 2. *ad fin.* Messala ajebat hic Virgilium debuisse desinere: quod sequitur, Et ni decimum *etc.* explementum esse. ¶ 2. Pro actu satiandi, quo sensu *explere desiderium, cupiditatem, odium* etc. sæpissime occurrit. *Lactant. fab.* 5. et 6. Quum preces (*Juppiter*) de explemento desiderii sui admovisset, astu eam (*Callistum*) subiit.

EXPLENDESCO. *V.* **EXSPLENDESCO.**

EXPLENUNT, explent. *Paul. Diac. p.* 80. 1. *Müll.*

EXPLĒO, ples, plēvi, plētum, plere, a. 2. (ex *et inusit.* pleo, a Græco πλέος *plenus*). — *Explenunt* pro *explent*, V. loco suo. — *Explerier* paragoge pro *expleri* est apud *Lucret.* 6. 20 — *Expleris* sync. pro *expleveris* apud *Cic.* 1. *Orat.* 47. 205.; *explessent* pro *explevissent* apud *Liv.* 23. 22. et 37. 47., et alibi; *explesse* pro *explevisse* apud *Virg.* 2. *Æn.* 566. — Part. *Explens* sub *A.* I.; *Expletus* sub *A.* I., II. 4. et in fin.; *Expleturus* sub *A.* II. 1.; *Explendus* sub *A.* I. et II. 1. — Explere duo diversa significat, prout præpos. *ex* *A*) Est intensiva; aut *B*) Privativa.

A) Quum præpositio *ex* est intensiva, explere, ἐκπληρόω, est implere, complere (It. *empire, riempire*; Fr. *remplir, combler*; Hisp. *llenar, colmar*; Germ. *ausfüllen, vollfüllen, voll machen, ausfüllend ergänzen*; Angl. *to fill, fill up, glut*).

I.) Proprie occurrit — *a*) De iis, quæ quum vacua sint, aliis rebus omnino implentur. *Cæs.* 7. *B. G.* 79. Proximam fossam cratibus integunt atque aggere explent. Sic *Id. ibid.* 82.; et *Alfen. Dig.* 39. 3. 24. Explere fossas. Rursus *Cæs.* 7. *B. G.* 58. Explere paludem cratibus atque aggere. *Cic. Orat.* 69. 231. Neque infarciens verba, quasi rimas expleat. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 21. (38). Eretria terra explet vulnera. *Id.* 36. *ibid.* 21. 42. (155). Explere cicatrices. *Id.* 34. *ibid.* 18. 55. (177). alopecias. *Lucret.* 6. 1201. sanguis expletis naribus ibat. *Al. leg.* pletis ex. — *b*) De ventre pro saturare, *saziare*. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 16.; et *Cels.* 1. 2. *sub fin.* Explere se. *riempirsi di cibo*. *Cic.* 5. *Verr.* 42. 100. Ut aliquando ex eorum agris expleti atque saturati cum hoc cumulo quæstus decederent. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 28. bovem Disjunctum curas et strictis frondibus exples. Cf. *Virg.* 3. *G.* 429. anguis piscibus atram Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet. Cf. *eumd.* 3. *Æn.* 630. Expletus dapibus. *V.* infra sub II. 2. — *c*) De loco pro omnino implere. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 40. Mihi istoc nomine, dum scribo, explevi totas ceras quatuor. *Cæs.* 1. *B. C.* 21. Milites disponit non certis spatiis intermissis, sed perpetuis vigiliis stationibusque, ut contingant inter se atque omnem munitionem expleant. *Id. ibid.* 45. Cohortes locum explebant. Huc pertinet et illud *Cic. Tim.* 3. Deus bonis omnibus explevit mundum. — *d*) De numero et mensura pro complere. *Cæs.* 3. *B. C.* 4. *extr.* Huc Dardanos, Bessos – adjecerat, atque eum, quem supra demonstravimus, numerum expleverat. Sic *Liv.* 5. 10. et 21. 11.; et *Virg.* 6. *Æn.* 545. Explere numerum. Cf. *Vellej.* 2. 110. Nationum, quæ rebellaverant, omnis numerus amplius octingenta millia explebat. *faceva più di* etc. — Similiter *non exple-*

re tribus, centurias dicuntur candidati, quum eum non ferunt obtinentque suffragiorum numerum, qui ad honorem obtinendum necessarius est. Liv. 3. 64. et 37. 47. Sic explere damnationem apud Cic. Cæcin. 10. 29. est eum numerum judicum conficere, qui ad condemnandum sit satis. — Cæs. 7. B. G. 23. Explere justam muri altitudinem. Plin. 18. Hist. nat. 27. 67. (254). Quum pampini quatuor digitos longitudine expleverint. Id. 14. ibid. 8. 10. (78). Explere mensuram. Et poetice Stat. 9. Theb. 733. alio geminatum lumine vulnus Explevit tenebras. finì d'acciecarlo. — c) Denique pro supplere, supplire. Cæs. 7. B. G. 31. Imperat certum numerum militum civitatibus. — His rebus celeriter id, quod Avarici deperierat, expletur. Liv. 23. 22. Quum cetera, quæ continuis cladibus fortuna minuerat, patres explessent. Cic. Brut. 42. 154. Habet, quod uterque eorum habuit; et explevit, quod utrique defuit. Vellej. 2. 129. Senatorum censum libenter explevit. Plin. 31. Hist. nat. 2. 14. (17). Fons explens olei vicem.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim pro plenum reddere omnibusque numeris absolutum. Ter. Andr. 2. 2. 2. Explere animum gaudio. Cic. 2. Fin. 13. 42. Id autem ejusmodi est, ut additum ad virtutem auctoritatem videatur habiturum et expleturum cumulate vitam beatam. Cf. Curt. 7. 20. Avidus explendi supplicii. Rursus Cic. 3. Off. 7. 34. Hanc igitur partem relictam explebimus. Id. Orat. 69. 230. Nihilo tamen aptius explet concluditque sententias. Id. ibid. 13. 40. Dilatare verbis et mollioribus numeris explere sententias. Brutus apud Cic. 1. ad Brut. 16. a med. Explere alicujus meritum. h. e. digne remunerari. Liv. 3. 68. Explere damna. risarcire. Sic Id. 30. 5. Quantum nox providentiæ adimat, tantum diligentia explere. supplire. Cf. Justin. 5. 4. Explent contumelias honoribus, detrimenta muneribus, exsecrationes precibus. ¶ 2. Speciatim ponitur pro satiare, metaphora a cibo sumpta (V. supra sub A. I. b): ad rem Cic. Senect. 8. 26. Quas (litteras Græcas) sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens. Similiter Id. Dom. 23. 61.; et Phædr. 4. 17. Expleturus famem. — Plus est tamen satiare, quam explere. Cic. fragm. apud Non. p. 424. 30. Merc. Libidines infinita quædam cogunt atque imperant, quæ quia nec expleri, nec satiari ullo modo possunt, ad omne facinus impellunt. Lucret. 3. 117. animi ingratam naturam pascere semper, Atque explere bonis omnibus satiareque numquam. — Ceterum hoc sensu occurrit — a) De animi cupiditatibus et affectibus. Lucret. 4. 874. sic expletur jejuna cupido. Cic. Partit. orat. 27. 96. Explere cupiditates, satiare odium. Id. Cæl. 20. 49. Explere libidinem. Id. Harusp. resp. 20. 42. Expleta intemperantia. Id. Rosc. Am. 52. 150. Avaritiam pecunia explere. Id. 1. Orat. 47. 205. Omnem exspectationem diuturni desiderii nostri expleris. pro expleveris. Liv. 1. 9. extr. Explere desiderium. Justin. 9. 2. Carthaginem captam spem omnium expleturam. Liv. 4. 32. extr. Factis dictisque explere odium. Ovid. 4. Trist. 3. 38. Expletur lacrimis egeriturque dolor. si sfoga. Crassus apud Cic. 1. Orat. 52. 225. Eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri. Stat. 2. Silv. 1. 15. flendi expleta voluptas. — b) De hominibus eorumque facultatibus. Ter. Heaut. 1. 1. 76. Tot mea solius solliciti sunt causa, ut me unum expleant. per contentarmi. Cic. 2. Fam. 1. 1. Non enim vereor, ne non scribendo te expleam. non temo di non contentarti, saziarti, soddisfarti. Liv. 31. 24. Explere se cæde diu optata. Justin. 9. 2. Nullas tibi opes esse, quibus tantum regem expleas. Ter. Andr. 1. 2. 17. Dum tempus ad eam tulit, sivi, animum ut expleret suum. facesse a suo modo, si soddisfacesse. Id. Hecyr. 5. 1. 29. et 2. 19. Explere alicui animum. soddisfarlo, contentarlo. Sic Cic. Dom. 17. 44. Explevi animos invidorum, placavi odia improborum, saturavi perfidiam proditorum. — Et cum Genitivo pro Ablativo Virg. 2. Æn. 586. animumque explesse juvabit Ultricis flammæ. Ceterum Id. 1. Æn. 713. Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo. non può saziarsi. Id. 8. ibid. 265. nequeunt expleri corda tuendo. Cf. Catull. 64. 268. spectando Thessala pubes Expleta. ¶ 3. Item speciatim pro perficere, exsequi, eseguire pienamente, condurre a fine, adempiere. Cic. Amic. 19. 67. Verum illud est quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit. Id. Prov. cons. 14. 35. Quum ille suæ gloriæ jampridem, reipublicæ nondum satisfecerit, et malit tamen tardius ad laborum suorum fructus pervenire, quam non explere susceptum reipublicæ munus. adempiere l'incombenza. Id. 16. Fam. 25. Noli committere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quam assiduitate epistolarum. soddisfaccia al dovere. Cajus Dig. 17. 1. 27. Explere mandatum. eseguire pienamente la commissione. Paul. ibid. 40. 7. 4. conditionem. adempire. Vellej. 2. 23. Plurimum laborem explere. h. e. perferre et conficere. ¶ 4. Item de tempore pro complere, compire, finire. Cic. 6. de republ. 22. Tum signis omnibus ad id principium stellisque revocatis, expletum annum habeto. Tibull. 1. 3. 53. fatales explevimus annos. Plin. 7. Hist. nat. 48. 49. (154). Quosdam in Ætolia ducentos annos explere. Tac. 6. Ann. 50. Interclusa anima, creditus est mortalitatem explevisse. Cf. Stat. 5. Silv. 1. 260. expletis humani finibus ævi. Similiter poetice Virg. 12. Æn. 763. Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt. Tibull. 1. 4. 63. Et tercentenas erroribus expleat urbes. h. e. percurrat.

B) Quum præpos. ex est privativa, explere significat deplere, exhaurire, vacuare, cavar fuori, votare. Ennius apud Servium ad Virg. 6. Æn. 545. Navibus explebant sese, terrasque replebant. Servius et Non. p. 298. 11. Merc. huc trahunt et illud Virg. ibid. Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris. h. e. minuam discedendo. Donatus (si salva ibi lectio) illud Ter. Hecyr. 5. 1. 29. Exple animum iis. h. e. curis exonera. Alii et illud Horat. 2. Od. 7. 21. Oblivioso levia Massico Ciboria exple. Sed excepto Ennii loco, in ceteris possumus aliter interpretari. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla et supra retulimus.

Expletus, a, um, adjective quoque occurrit et translate pro completo, perfecto, numeris omnibus absoluto. Cic. 2. Nat. D. 13. 37. Quod undique perfectum expletumque sit omnibus suis numeris ac partibus. Id. 2. Fin. 15. 48. Undique expleta et perfecta forma honestatis. Id. 2. Off. 5. 18. Quorum studiis ea, quæ natura desiderat, expleta cumulataque habemus. Id. 3. Fin. 9. 32. Quidquid a sapiente proficiscitur, id continuo debet expletum esse omnibus suis partibus. Id. 5. ibid. 13. 37. Ea vita expetitur, quæ sit animi corporisque expleta virtutibus. Id. 4. Acad. (2. pr.) 7. 21. Expleta rerum comprehensio. Quintil. 9. 4. 116. Plena sentiunt et parum expleta desiderant.

EXPLĒTIO, ōnis, f. 3. impletio, satietas. Cic. 5. Fin. 14. 40. In eaque expletione naturæ summi boni finem consistere. Adde Vulgat. interpr. Levit. 23. 16., Act. 21. 26. et ad Hebr. 6. 11.

EXPLĒTĪVUS, a, um, adject. ad explendum pertinens. Expletivæ conjunctiones dicuntur a Grammaticis quidem, equidem, quoque, autem, et hujusmodi, quæ tum significant aliquid, tum explent orationis numerum. Charis. 2. p. 199. Putsch.; Donatus ibid. p. 1763.; et Capell. 3. p. 62. Et Pompej. gramm. p. 380. Expletivæ dictæ ab eo, quod tantum sensum expleant additæ; detractæ nihil nocent. V. REM.

EXPLĒTUS, a, um. V. EXPLEO.

EXPLĬCĀBĬLIS, e. adject. qui explicari potest. Plin. 4. Hist. nat. 13. 28. (98). Haud explicabili mensura. — Et figurate Cassiod. 11. Variar. 37. Virtus explicabilis jussionum.

EXPLĬCĀBĬLĬTER, adverb. explicabili ratione. Refert agnoscitque ut Latinum Diomed. 1. p. 461. Putsch. Utitur autem Plotius de metris p. 2623. Putsch. Libens arbitror, nec libro secundo nos explicabiliter obedisse.

EXPLĬCANTER, adverb. idem quod explicate. Pompej. Comment. art. Donat. p. 342. Scire debes quoniam ista ipsa adverbia, quæ sui natura aliquid non explicant, quid significent, per conjunctionem verborum aliquid explicanter explicant. Videtur tamen locus esse corruptus.

EXPLĬCĀTĒ, adverb. quod translate tantum occurrit pro clare et aperte. Cic. 3. Orat. 14. 53. Qui distincte, qui explicate, qui abundanter et rebus et verbis dicunt.

EXPLĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus explicandi.

I.) Proprie. Cic. 1. Divinat. 56. 127. Sed est quasi rudentis explicatio.

II.) Translate ponitur de oratione et est declaratio. Cic. 2. Divinat. 63. 129. Explicatio naturæ. Id. 3. Nat. D. 24. 62. Quid vos illa delectat explicatio fabularum et enodatio nominum? Id. 3. Fin. 4. 14. Multum ad ea, quæ quærimus, explicatio tua ista profecerit. Id. 2. Orat. 27. 120. Illa explicationem magis illustrem perpolitamque desiderant. Id. Brut. 38. 143. Mira in disserendo explicatio. Seneca Ep. 114. init. Inflata explicatio. Quintil. 1. 10. 49. difficilior.

EXPLĬCĀTOR, ōris, m. 3. qui aliquid explicat; sed occurrit translate tantum. Cic. Orat. 9. 31. Sed ita, ut rerum explicator prudens, severus, gravis. Id. 2. Invent. 2. 6. Ad hunc, quasi ad quemdam multo commodiorem explicatorem. Adde Lucilium apud Non. 4. 356. edit. vet., ubi al. leg. expiscator.

EXPLĬCĀTRIX, īcis, f. 3. quæ explicat; sed occurrit translate tantum. Cic. 1. Acad. (post.) 8. 32. Huic quasi ex altera parte oratoria vis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuæ ad persuadendum accommodatæ.

EXPLĬCĀTUS, a, um. V. EXPLICO.

EXPLĬCĀTUS, us, m. 4. idem atque explicatio.

I.) Proprie. Plin. 8. Hist. nat. 42. 67. (166). Sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio.

II.) Translate de oratione. Cic. 3. Nat. D. 39. 93. Quam esset obscura, et quam difficiles explicatus haberet.

EXPLĬCĬT, h. e. desinit, completus est, finisce, è finito. Frequens est vox in fine librorum, præsertim manu scriptorum, ut Explicit liber, Explicit feliciter, etc. Videtur autem esse ab explico, quod significat etiam ad finem adducere, complere: vel potius a forma librorum apud veteres in volumen complicatorum, quos adeo, ut legi possent, evolvere atque explicare necesse erat. Hinc Car. Ducangius in Glossar. Med. et Inf. Latinit. notat, elegantioris notæ codices adscriptum ferre Explicitus est liber etc. Qua ratione Orosius 7. in fin. apposuit Explicui, adjuvante Christo etc. Hinc explicit factum videtur pro explicitus vel explicitum est: cf. Martial. 11. 107. Explicitum nobis usque ad sua cornua librum Refers. Ceterum Hieronym. Ep. 28. n. 4. Solemus, completis opusculis, ad distinctionem rei alterius sequentis, medium interponere Explicit, aut Feliciter, aut aliquid istiusmodi.

EXPLĬCĬTUS, a, um. V. voc. seq.

EXPLĬCO, plicas, plicāvi vel plicŭi, plicātum vel plicitum, plicare, a. 1. (ex et plico). Notat Gell. 1. 7. in fin. præteritum explicui tempore Ciceronis usitatius esse cœpisse, quam explicavi: et re vera explicui occurrit apud Virg. 2. G. 280.; Horat. 3. Od. 29. 16., 4. ibid. 9. 44. et 2. Sat. 2. 125.; Liv. 7. 23.; Petron. Satyr. 14. et alios. — Quod ad Part. præter. attinet, apud Ciceronem legitur tantum explicatus; apud Cæsarem vero modo explicatus, modo explicitus. — Part. Explicans I.; Explicatus et Explicitus I. et II. 3. et in fin.; Explicaturus II. 3.; Expliciturus II. 1.; Explicandus II. 1. et 3. — Explicit pro desinit Vide loco suo. — Explicare, ἐκπτύσσω, ἀναπτύσσω, est aperire, extendere, evolvere, dilatare, exponere: et dicitur proprie de rebus, quæ contractæ, involutæ, complicatæ sunt (It. spiegare, distendere, aprire, sviluppare; Fr. déployer, déplier, dérouler, étaler; Hisp. desplegar, descoger, desarrollar, extender; Germ. entfalten, entwickeln, aufrollen, losmachen, aus oder abwickeln, entwirren, beruhigen; Angl. to unfold, unfurl, open, spread out, expand, develop).

I.) Proprie. Plaut. Mil. glor. 4. 8. 7. Explicare velum. Cic. 1. Orat. 35. 161. Non explicata veste, neque proposito argento, neque tabulis propatam collocatis, sed his omnibus constructis ac reconditis. Id. Rosc. Am. 35. 101. Veniat modo: explicet suum volumen illud. Ovid. 2. Amor. 6. 55. Explicat ipsa tuas ales Junonia pennas. Petron. Satyr. 14. Explicuimus mercem. Cf. Lucan. 10. 109. Explicuitque suos magno Cleopatra tumultu Luxus. spiegò in mostra. Martial. 1. 56. Ante forum plenas explicuisse plagas. Varro 5. L. L. 129. Müll. Pectine explicare capillum. districare, pettinare. Martial. 4. 54. Explicare fusos. h. e. evolvere et exonerare. Horat. 3. Od. 29. 16. Explicare sollicitam frontem. h. e. exhilarare. contractam curis frontem tranquillam reddere, rasserenare. Sic Id. 2. Sat. 2. 125. explicare contractæ seria frontis. Seneca Herc. Œt.

455. concussi fretum Cessante vento: turbidum explicui mare. *h. e.* turbatum et veluti plicis corrugatum complanavi atque adeo tranquillum reddidi. *Cic.* 7. *Verr.* 58. 151. Si ex his laqueis te exueris ac te aliqua ratione explicaris. *h. e.* expedieris, *ti sarai districato.* Sic *Ulp. Dig.* 9. 2. 29. Explicare se ex funibus anchorarum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 19. (62). Apes difficile se e lanis orium explicantes.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est extendere, dilatare, dilatandoque ordinare: ad rem *Auct. B. G.* 8. 14. Quorum perturbatum et confusum dum explicant agmen. *Liv.* 40. 5. Ita ut ne efferendi quidem signa Romanis spatium, nedum ad explicandam aciem locus esset. *Id.* 40. 4. et 7. 23. Explicare aciem. *Id.* 2. 46. ordinem. *Auct. B. Afr.* 59. equi atum. *Virg.* 2. *G.* 280. quum longa cohortes Explicuit legio. *Cæs.* 3. *B. C.* 93. Equites se turmatim explicare cœperunt. Et Mediorum more *Id.* 2. *ibid.* 26. Priusquam plane legiones explicari et consistere possent. Cf. *Liv.* 37. 23. Ut ordo omnium navium ad terram explicari posset. *Auct. B. Alex.* 14. Explicare classem, naves. *allargare, stendere in ordinanza.* *Horat.* 4. *Od.* 9. 44. per obstantes catervas Explicuit sua victor arma. *Val. Flacc.* 5. 561. stetit explicito prius agmine pubes. *steso in ordinanza.* Cf. *Stat.* 1. *Theb.* 146. Atria congestos satis explicitura clientes. *che comodamente capiscono.* *Cic.* 4. *Att.* 16. 14. Forum laxare et usque ad atrium Libertatis explicare. *h. e.* late construere, ampliare, *dilatare.* *Sall. fragm.* 6. *Hist.* apud *Arusian. Mess.* Explicare pontem. *stendere, gettare.* Rursus *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 96. Capua planissimo in loco explicata. *Ovid.* 15. *Met.* 720. serpens explicat orbes. *h. e.* in longum porrigitur. Hac ratione *Lucan.* 5. 80. adhuc rudibus Pæan pythona sagittis Explicuit. *h. e.* occidit et multa porrectum extendit arena, ut ait *Virg.* 9. *Æn.* 589. Similiter *Stat.* 1. *Theb.* 568. *de pythone a Phœbo interempto.* Cyrrhæique dedit centum per jugera campi Vix tandem explicitum. *h. e.* porrectum ad terram. *Sueton. Aug.* 94. Explicare intestina sua per omnem terrarum et cœli ambitum. *Albinov.* 1. 251. In longum spatiosas explicat undas. *Virg.* 2. *G.* 335. pampinus frondes explicat omnes. *Martial. Spectac.* 2. Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras. *Lucan.* 4. 19. Explicat hinc tellus campos diffusa patentes. *si dilata in larga campagna.* Sic *Plin.* 5. *Hist. nat.* 29. 31. (115). Explicant se montes. *Lucret.* 2. 880. Ignis arida ligna explicat in flammas. *risolve, riduce.* *Martial.* 1. 100. Explicare convivium. *h. e.* instruere, apparare, *imbandire.* — Huc referri potest et illud *Plaut. Pœn.* 3. 5. 5. Explicari meam rem post illa lucro. *h. e.* amplificari, *ho vantaggiato i miei interessi.* ¶ 2. Item generatim est extricare, liberare, solvere. *Cic.* 3. *Off.* 20. 81. Explica atque excita intelligentiam tuam, ut videas, quæ sit etc. *h. e.* excita, profer. *Id. pro leg. Manil.* 11. 30. Siciliam multis undique cinctam periculis explicavit. Cf. *Phædr.* 4. 6. Medea per artus fratris explicuit fugam. *si aprì lo scampo.* Etiam *Liv.* 1. 3. *in fin.* eodem modo locutus est. *Petron. Satyr.* 79. Quum hora pæne tota per omnes scrupos traxissemus cruentos pedes, tandem expliciti sumus acumine Gitonis. *ci sbrigammo, ci sviluppammo.* *Seneca Tranquill. anim.* 2. Ex longa et gravi valetudine explicitus. *Quintil.* 2. *Declam.* 2. Explicitus flammis. *uscito, liberato, sottratto.* — Huc pertinent et illa *Cic. Flacc.* 4. 10. Numquam laborant, quemadmodum probent quod dicunt; sed quemadmodum se explicent dicendo. *Cn. Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. D. 2. Da operam, ut te explices, huc quamprimum venias. ¶ 3. Specialim est remotis impedimentis expedire, ad exitum perducere, conficere, in ordinem colocare, per difficultates vadentem absolvere, *sbrigare, finire.* *Cic.* 13. *Fam.* 26. 2. et 5. *Att.* 12. 3. Ut ejus negotia explices et expedias quum jure et potestate, tum etiam auctoritate et consilio tuo. *Id.* 16. *Att.* 3. 5. Rationes aut negotia explicata. *conti liquidi, negozii facili da sbrigare.* *Id. Prov. cons.* 14. 35. Nec imperatorem revocare, nec totam Gallici belli rationem prope jam explicatam perturbare atque impedire debemus. *Id.* 6. *Fam.* 1. 2. Nec tamen is ipse, a quo salus petitur, habet explicatam aut exploratam rationem salutis suæ. *Auct. B. G.* 8. 4. Explicare rem frumentariam. *trovar modo di fare la provisione de' viveri.* *Auct. B. Alex.* 31. Pecunia necessaria ad explicandos sumptus rei militaris. *a render facili le spese della guerra.* *Cic.* 13. *Fam.* 29. 2. Si Faberius nobis nomen illud explicat, noli quærere, quanti. *h. e.* solvit mihi, quam debet, pecuniam. *se mi sbriga quella partita.* *Id. ibid.* § 3. Si Faberianum explicas, emamus vel magno. *Callistrat. Dig.* 42. 1. 31. Si qui debitores, quia non possint explicare pecuniam, differant solutionem. *trovar prontamente.* *Cajus ibid.* 30. 1. 68. *a med.* Explicare rationes. *mostrare, liquidare, stabilire i conti.* *Cæs.* 1. *B. C.* 78. Ibi se reliquum consilium explicaturos confidebant. *h. e.* expedituros, exsecuturos. *Id.* 3. *ibid.* 75. His explicitis rebus. *h. e.* expeditis, peractis. *Cic.* 1. *Off.* 21. 83. Subvenire tempestati quavis ratione sapientis est; eoque magis, si plus adipiscare re explicata boni, quam addubitata mali. *Id.* 3. *Orat.* 26. 103. Ipsa ad ornandum præcepta quæ dantur, ejusmodi sunt, ut ea quamvis vitiosissimus orator explicare possit. *h. e.* exsequi, *mettere in pratica, adempire.* *Horat.* 2. *Sat.* 3. 170. nihilo plus explicet, ac si etc. *h. e.* efficiat, assequatur. *Pompon. Dig.* 27. 7. 1. Ea, quæ per defunctum inchoata sunt, explicare. *Scævola ibid.* 31. 1. 17. Ex eo tempore, quo templum explicitum fuerit. *finito di fabbricare.* *Ulp. ibid.* 36. 1. 1. Explicito tractatu, qui ad fideicommissa pertinet, transeamus nunc etc. *Plin.* 7. *Ep.* 4. Transii ad elegos: hos quoque feliciter explicui: addidi alios, facilitate corruptus. *Martial.* 14. 1. Versibus explicitum est omne duobus opus. Cf. *eumd.* 4. 101. Explicat et cœnas unica mensa duas. *una sola pietanza fa per due pasti.* *Plin.* 8. *Ep.* 1. Iter commode explicui, excepto quod etc. *Flor.* 1. 17. Fabius periculosissimum bellum sine periculo explicavit. *Inscript.* apud *Don. cl.* 3. n. 222. QVI ROGATV ASB ORDINE ET POPVLO VT GLADIATORII MVNERIS EVALICI CVRAM SVSCIPERET, FECIT, ET EXPLICITO QVOD PROMISERAT, IMPENDIVM SIGAE, QVAM POESLVS EX CONLATIONE LEGATIVI EPVLI OFFEREBAT, REMISIT. *h. e.* explicito gladiatorio munere. — Hinc etiam pro aliciunde eruere, exprimere, apud *Hygin. Fab.* 186. Theano mittit ad pastores, ut infantem aliquem explicarent, quem regi subderent; qui miserunt duos invenios: ea regi Metaponto pro suis supposuit. ¶ 4. Item specialim, aliquando est narrare, exponere, *esporre, raccontare*; et sæpius rem intellectu difficilem explanare, expedire, declarare, *spiegare, dichiarare*, δηλόω: quæ duo *Forcellinus* duobus paragr. distinxit. — *a)* Pro narrare, exponere. *Nepos præfat.* Ut ea explicem, quæ exorsus sum. *Id. Pelop.* 1. Si res explicare incipiam. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 8. 27. Vitam alterius totam explicare et in oculis omnium exponere. *Id.* 8. *Att.* 3. Quid in utramque partem mihi in mentem veniat, explicabo brevi. *lo dirò in poche parole.* *Id.* 1. *Fin.* 21. 72. Explicavi sententiam meam, tuum judicium ut cognoscerem. *ho detto il mio parere.* *Virg.* 2. *Æn.* 361. quis funera fando Explicet? *chi ridirà.* — Et absolute. *Vitruv.* 10. 22. De scorpionibus et catapultis, a quibus essent inventa, et quemadmodum fieri deberent, explicui. *V.* infra sub *b.* — Passive impersonaliter. *Cels.* 4. 2. Quæ vero auxilia sint capitis, eo loco explicitum est. — *b)* Pro explanare rem intellectu difficilem, expedire, declarare. *Cic.* 1. *Orat.* 35. 163. Tu hoc nobis da, Scævola, et perfice, ut Crassus hæc, quæ coartavit et peranguste refersit in oratione sua, dilatet nobis atque explicet. *Id. Partit. orat.* 36. 124. Non argumentando hoc genus tractatur, sed tamquam explicando excutiendoque verbo. *Id. Brut.* 67. 237. Quod proposuerat explicans expedite. *Id.* 4. *Verr.* 64. 156. Explicare aliquid apertissime planissimeque. *Id.* 3. *Fin.* 10. 33. aliquid definitione. *Id.* 2. *Divinat.* 2. 6. philosophiam. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 4. Philosophia diligentissime Græcis litteris explicata. *Id.* 1. *Orat.* 31. 155. Explicare summorum oratorum Græcas orationes. *Id.* 5. *Fam.* 12. causas rerum. *Id.* 9. *Att.* 7. Quamquam a te ejus quoque rei justa defensio est explicata. *Forcellinus* et alii leg. *explicita.* *Id.* 2. *Orat.* 87. 358. Uti locis illustribus, explicatis etc. — Sequente Relativo *Quintil.* 10. 5. 1. Ut explicemus, quæ sint materiæ etc. — Absolute *Cic.* 3. *Tusc.* 6. 13. Non de ægritudine solum, sed de omni animi perturbatione explicabo. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Explicatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Explicatior* et Sup. *Explicatissimus* 2. — Translate ¶ 1. Pro ordinato, expedito; *rf.* supra sub II. 3. *Cic. Planc.* 2. 5. Mihi in causa facili atque explicata perdifficilis, judices, et lubrica defensionis ratio proponitur. ¶ 2. Item pro explanato, aperto, claro. *Cic.* 2. *ad Brut.* 7. *a med.* Mihi non erat explicatum, quid agerem. *non sapea bene, non vedea chiaro.* *Id.* 9. *Att.* 7. 2. Litteræ tuæ, quibus nihil potest esse explicatius, nihil perfectius. *Augustin. Ep.* 34. *sub fin.* Explicatissima responsa.

Explicitus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Explicitior* apud *Cæs.* 1. *B. C.* 78. In his erat angustiis res: sed ex propositis consiliis duobus explicitius videbatur, Ilerdam reverti. *h. e.* facilius, expeditius.

EXPLŌDO *vel* explaudo, dis, si, sum, dere, a. 3. (ex *et* plaudo). Forma *explaudo*, certa lectione, occurrit apud *Auson. loc. cit.* sub 1.; juxta *Forcellinum* et alios etiam apud *Lucret.* 4. 711., apud quem varia est lectio. — Part. *Explodens* II. 1.; *Explosus* 1. et II. 2. — Explodere est plaudendo, seu magnum edendo clamorem ejicere (It. *scacciare facendo grande romore*; Fr. *rejetter en battant des mains, en sifflant*; Hisp. *rempujar chiflando*; Germ. *klatschend hinaustreiben*; Angl. *to explode, reject by clapping of the hands*).

I.) Proprie est verbum comicum, et significat histrionem vel fabulam, quæ non placuit, manibus plaudendo vel simili ratione improbare, rejicere. *Cic.* 3. *Parad.* 26. Histrio si paullum se movit extra numerum, exsibilatur et exploditur. *Id.* 1. *Orat.* 61. 259. Æsopum, si paullum irrauserit, explodi video. *Id. Rosc. com.* 11. 30. Erotes comœdus e scæna non modo sibilis, sed etiam convicio explodebatur. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 76. *de Arbuscula mima.* Nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax, Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit. *Auson. VII. Sapient. de Thalete in fin.* Pars plaudite ergo, pars offensi explaudite.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro ejicere, expellere. *Afranius* apud *Non. p.* 186. 16. *Merc.* In Arpinos, quantum pote, explodam hominem, ut villicetur. *Seneca Consol. ad Marc.* 10. Alios per incertis nudos jactabit maria, et luctatus cum fluctibus ne in arenam quidem aut litus explodet, sed in alicujus ventrem immensæ belluæ decondet. — Sic poetice *Lucret.* 4. 711. Quin etiam gallum, noctem explodentibus alis, Auroram clara consuetum voce vocare. *explodere noctem est* quod dixit *Val. Flacc.* 8. 82. excutere somnos. ¶ 2. Item pro damnare, improbare. *Cic. Cluent.* 31. 86. Te illud idem, quod tum explosum et ejectum est, nunc retulisse demiror. *Id.* 5. *Fin.* 8. 31. Jam explosæ ejectæque sententiæ Pyrrhonis, Aristonis, etc. Sic *Id.* 1. *Off.* 2. 6. Quoniam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli jampridem explosa sententia est. *Id.* 2. *Divinat.* 41. 86. Hoc genus divinationis vita jam communis explosit. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 12. 3. Multa dixi in ignobilem regem, quibus totus explosus est.

EXPLŌRANTER, adverb. explorate, explorando. *Ammian.* 16. 5. Exploranter curabat. *Al. rectius leg.* explorate.

EXPLŌRĀTĒ, adverb. Comp. *Exploratius.* — Explorate est re explorata et comperta, certo, plane. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. *ad fin.* Hæc ita sentio, judico, ad te explorate scribo. *Id.* 1. *Nat. D.* 1. 1. Res satis explorate percepta et cognita. *Id.* 16. *Fam.* 8. Ne naviges, nisi explorate. *Plancus ad Cass.* etc. *apud Cic.* 10. *Fam.* 8. Non solum bene sperare, sed explorate judicare volumus. *Cic.* 6. *Fam.* 1. *a med.* Quum exploratius possem promittere.

EXPLŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus explorandi, observatio. — *a)* Generatim. *Colum.* 3. *R. R.* 9. 5. Quidquid moræ est, in exploratione surculi absumitur. *Tac.* 3. *Hist.* 54. Nec exploratione occulta fallere Antonium tentavit, sed mandata imperatoris professus, ut cuncta viseret, postulat. — *b)* Specialim in re militari. *Dig.* 49. 16. 3. Is, qui in exploratione emanet, hostibus insistentibus; aut qui a fossa recedit, capite puniendus est.

EXPLŌRĀTOR, ōris, m. 3. qui explorat: et occurrit *A)* Substantivorum more; et *B)* Adjective.

A) Substantivorum more — *a)* Usurpatur præcipue in re militari, et exploratores dicuntur qui hostium res exploraturi præmittuntur. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Per exploratores Cæsar certior factus. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 5., 11. et 17., 3. *ibid.* 2. et alibi sæpe. *Curt.* 3. 13. Forte in exploratores ab eo præmissos incidit. *Sil. It.* 16. 80. prænuncius affert

Explorator eques. *Paul. Diac.* p. 79. 9. *Müll.* discrimen statuit inter *exploratorem* et *speculatorem*, quod *speculator* hostilia silentio perspicit, *explorator* pacata clamore cognoscit, *h. e.* ex rumore, sermonibus et actionibus hostium cognoscit, quæ in pace fiunt. Quæ differentia minus vera videtur. — *b*) Extra militiam et quidem Imperatorum temporibus explorator dicebatur, qui Imperatore iter faciente præcurrebat, ut viam tutam ac præcipue liberam redderet; V. *Bremi* ad *Sueton. Tib.* 60. In quodam itinere lectica vepribus impedita, exploratorem viæ plane ad necem verberavit. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 35. (181). Exploratores Neronis renunciavere his modis: a Syene mill. pass. etc. Confer *Plaut. Pseud.* 4. 7. 71.

B) Adjective. *Claudian. præfat. ad III. Cons. Honor.* 11. *de pullo aquilæ.* Exploratores oculis qui pertulit ignes Nutritor volucrumque potens et fulminis heres. *Martial.* 8. 51. nec odit Exploratores nubila massa focos.

EXPLŌRĀTŌRIUS, a, um, adject. ad explorandum pertinens. *Sueton. Cal.* 15. Coronas distinctas solis ac lunæ siderumque specie, exploratorias appellavit. *V.* locum, ibique adnotata a *Baumgarten. Veget.* 4. *Milit.* 37. Scaphæ exploratoriæ. *V.* SPECULATORIUS.

EXPLŌRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXPLŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Olim, ut *Paul. Diac.* p. 79. 8. *Müll.* docet, pro exclamare, aut valde plorare usi sunt veteres. Huc afferunt quidam Lexicographi hæc *Varronis* verba: *Gemit, explorat, turbam omnem concitat.* Quæ unde eruerint, nondum mihi compertum est. — Part. *Explorans* I. 2.; *Exploratus* I. 1. et 2. et in fin.; *Explorandus* I. 1. et 2. — Explorare, σκοπέω, δοκιμάζω, est inquirere, indagare, observare (It. *indagare, cercare, esaminare, osservare*; Fr. *observer, examiner, explorer, éprouver*; Hisp. *observar, acechar, especular, examinar, investigar*; Germ. *erforschen, auspähen*; Angl. *to view or search diligenty, pry into, scrutinize, explore, examine*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Cic.* 6. *Att.* 8. 5. Explora rem totam, ut consilium capere possimus. *Id.* 7. *Verr.* 17. 44. Quæ quidem navis prospectare exsilium atque explorare fugam domini videbatur. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (8). Explorare ambitum Africæ jussus. *Ovid.* 10. *Met.* 455. Nutricisque manum læva tenet: altera motu Cæcum iter explorat. *brancolando cercar nel bujo la strada. Sueton. Tib.* 18. Explorare vehiculorum onera. *Sil. It.* 5. 60. mentesque deorum Explorant super eventu. *Cæs.* 1. *B. C.* 81. Neque ad explorandum idoneum locum castris, neque ad progrediendum data facultate. *h. e.* ad inquirendum. *Virg.* 9. *Æn.* 169. Alia venerat, necnon trepidi formidine portas Explorant. *h. e.* observant diligenter, an firmæ et probe clausæ sint. Et poetice *Id.* 3. *G.* 537. Non lupus insidias explorat ovilia circum. *h. e.* locum insidiis quærit. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *de. Nepos Hann.* 2. Ad quem quum legati venissent Romani, qui de ejus voluntate explorarent etc. — *c*) Sequente relativo. *Petron. Satyr.* 116. Quum diligentius exploraremus, qui homines inhabitarent. *Cajus Dig.* 17. 1. 2. *in fin.* Liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium. Sic *Sil. It.* 11. 216. Explorare, an urbs pateat. *Quintil.* 7. 1. 8. Exploratum est, ubi controversia incipiat. — *c*) Sæpe occurrit Part. præter. pass. et est inquisitus, compertus, perspectus, certo cognitus. *Plaut. Capt.* 3. 4. 110. Quin exploratum dico et provisum hoc tibi. *Cic.* 1. *de republ.* 13. Jam explorata nobis sunt ea quæ ad domos nostras pertinent, si quidem, quid agatur in cœlo, quærimus? *Id.* 3. *Att.* 15. 8. Fac, ut omnia ad me perspecta et explorata perscribas. Sic *Liv.* 42. 13. Res non incertis jactatæ rumoribus, sed compertæ et exploratæ. *Cæs.* 2. *B. G.* 4. De numero eorum omnia se habere explorata Remi dicebant. — *d*) Ablativus *explorato* absolute positus. *Tac.* 2. *Hist.* 49. Et explorato, jam profectos amicos, noctem quietam egit. *h. e.* postquam exploratum est illi et cognitum. ¶ 2. Speciatim ad rem militarem refertur, et dicitur de iis, qui res et consilia hostium indagaturi præmittuntur: unde *exploratores.* — *a*) Cum Accusativo. *Cic. pro leg. Manil.* 12. 34. Nondum tempestivo ad navigandum mari, Siciliam adiit, Africam exploravit. *scorse osservando. Sall. Jug.* 39. Itinera egressusque ejus, postremo loca atque tempora cuncta explorat. *Cæs.* 1. *B. C.* 66. Postero die Petrejus cum paucis equitibus ad exploranda loca proficiscitur. *Id.* 5. *B. G.* 50. Ut exploratis itineribus minore cum periculo vallem rivumque transiret. *Liv.* 22. 55. Hæc exploranda noscendaque per impigros juvenes esse. *Auct. B. G.* 8. 18. Nostri, explorato hostium consilio, ad præliandum - parati. — *b*) Sequente relativo. *Cæs.* 5. *B. G.* 47. *extr.* Speculatoribus in omnes partes dimissis, explorat, quo commodissime itinere vallem transire posset. *Liv.* 37. 28. Inde ex propinquo explorans, quid hostes agerent. — *c*) Ablativus *explorato* absolute positus. *Liv.* 23. 42. *a med.* Ante explorato, et subsidiis positis et sub signis ad populandum ducebant.

II.) Translate est experiri, periculum facere, *tentare, far esperienza. Colum.* 2. *R. R.* 2. 20. Effossæ glebæ dulci aqua permisceantur, ac more luculenti vini diligenter colatæ gustu explorentur. Sic *Tac.* 12. *Ann.* 66. Panis potionisque bonitatem gustu explorare. *assaggiare. Virg.* 1. *G.* 175. Et suspensa focis explorat robora fumus. *h. e.* probat, an sint optima; quod ex eo noscitur si fumo siccata rimas non contrahant. *Lucan.* 2. 603. Taurus in adversis explorat cornua truncis. *Pallad.* 1. *R. R.* 9. Regula explorata æquale. *Sil. It.* 11. 358. Hoc jugulo dextram explora. *h. e.* experire vires tuas in hoc jugulo. *Liv.* 37. 7.; et *Ovid.* 1. *Art. am.* 456. Explorare animos. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 15. Secundæ res acrioribus stimulis animos explorant. *h. e.* tentant, excitant. *Lucan.* 8. 582. Explorare fidem alicujus. Similiter *Stat.* 3. *Silv.* 5. 41. Fides tot explorata per usus. *sperimentata.* — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus.

Exploratus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Exploratior* et Sup. *Exploratissimus*; et est certo cognitus, adeoque manifestus, certus. — *a*) Posit. *Cic. Mur.* 24. 49. Ut ei jam exploratos et domi conditus consulatus videretur. *Id.* 10. *Phil.* 10. 23. Magna nos quidem spe et prope explorata libertatis causam suscepimus. Adde *eumd.* 3. *Off.* 33. 117. et 5. *Tusc.* 9. 27. *Id.* 1. *Nat. D.* 23. 64. Non est igitur tam explorata ista ratio ad id, quod vultis, confirmandum, quam videtur. *Id.* 3. *Att.* 17. 1. Litteræ exploratæ a timore. *che assicurano da ogni timore. Cæs.* 7. *B. G.* 52. Explorata victoria. — Sic *exploratum esse* apud *Cic.* 2. *Fam.* 16. 6. De quo mihi exploratum est, ita esse, ut scribis. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 54. Cui possit exploratum esse de sua sanitate? *Id. Senect.* 19. 67. Quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? — Similiter *exploratum habere* apud *Cic. Amic.* 26. 97. In qua (*amicitia*) nisi, ut dicitur, apertum pectus videas tuumque ostendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas. *Id.* 7. *Phil.* 6. 16. Poteritis igitur exploratam habere pacem, quum in civitate Antonium videbitis? *Id.* 1. *Nat. D.* 19. 51. Deus habet exploratum, fore se semper in æternis voluptatibus. — Sic *pro explorato habere* apud *Cæs.* 6. *B. G.* 5. Pro explorato habebat, Ambiorigem prælio non esse certaturum. — *b*) Comp. *Cic.* 16. *Att.* 2. 4. Brundisium rogito. Facilior enim et exploratior devitatio legionum fore videtur, quam piratarum. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 17. Quid mihi exploratius esse potest, quam illius animus in rempublicam? — *c*) Sup. *Cic. post redit. ad Quir.* 6. 15. Quum mihi esset exploratissimum, P. Lentulum proximo anno consulem futurum. *Vellej.* 2. 81. Longe ante, quam dimicaretur, exploratissima fuit victoria. — Hinc *Explorato,* absolute: *V.* supra sub I. 1. *d.* et 2. *c.*

EXPLŌSĬO, ōnis, f. actus explodendi. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 11. 4. Multa transi, in primis ludorum explosiones et funerum etc.

EXPLŌSUS, a, um. *V.* EXPLODO.

EXPŎLĬO, as. *V.* EXSPOLIO.

EXPŎLĬO, pŏlis, pŏlīvi *vel* pŏlii, pŏlītum, pŏlīre, a. 4. (ex *et* polio.) Part. *Expolitus* I. 2., II. et in fin.; *Expoliendus* II. — Expolire proprie est verbum fullonum vestes pannosque concinnantium.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de fullonibus. Figurate *Plaut. Pers.* 1. 1. 60. *ac.* Placet consilium. *at.* Immo etiam ubi expolivero, magis etc. *V.* dicta in CONCILIO. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 37. 56. (135). Herinacei cute expoliuntur vestes. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro perpolire, excolere, exornare, ἀποξέω, κατακοσμέω (It. *fregare, ripulire, adornare, abbellire*; Fr. *polir, lisser, nettoyer, orner*; Hisp. *pulir, acicalar, limpiar, ornar, adornar*; Germ. *abglätten, abputzen*; Angl. *to polish well, furbish, smooth, finish, adorn, embellish*). *Plaut. Most.* 1. 2. 18. Ædes quum extemplo sunt paratæ, expolitæ, factæ probe, examussim. Sic *Vitruv.* 7. 9. Expolitus paries. *Catull.* 1. 2. Libellus arida modo pumice expolitus. *Quintil.* 2. 19. 3. Si illud (*signum*) idem artifex expolisset. *Inscript.* apud *Henzen.* 6588. SEXTILIVS M. L. EROS OPVS ET TEPIDARIVM STRAVIT, - CLATROS IN FENESTRIS POSVIT ET EXPOLEIT MONVMENTVM DE SVA PECVNIA. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 4. 6. (12). Unguium scabritias expolire. *V.* et *Expolitus* in fin. — Mediorum apud Græcos more. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 10. Ex industria ambæ numquam concessavimus lavari, fricari, poliri, expoliri, pingi.

II.) Translate est perficere, limare. *Plaut. Most.* 1. 2. 45. Primum dum parentes fabri liberum sunt - expoliunt, docent litteras, jura, leges. *Cic.* 3. *Orat.* 34. 139. Dionem Plato doctrinis omnibus expolivit. *Id. Brut.* 25. 95. Vir omni vita atque victu excultus atque expolitus. Similiter *Gell.* 15. 11. Græca doctrina expolitus. Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 10. 40. Non te, inquit, Antoni, expolivit hominemque reddidit. Cf. *Plin.* 1. *Ep.* 10. Illi te expoliendum limandumque permittas. *Cic.* 2. *Invent.* 1. 3. Nihil omni ex parte perfectum natura expolivit. *Id.* 2. *Herenn.* 18. 27. Fere non difficile est invenire: difficillimum vero est, inventum expolire. *Id.* 1. *Invent.* 41. 76. Expolire partitiones. *Quintil.* 8. 3. 12. orationem. — In malam partem. *Plaut. Truc.* 2. 7. 3. Expolire se improbis artibus. *h. e.* instruere. Alii tamen aliter leg., et quidem rectius. — Hinc Part. præter pass., cujus et supra exempla retulimus.

Expolitus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Expolitior* et Sup. *Expolitissimus*; et est politus, exornatus; *V.* supra I. 2. *Catull.* 39. 20. Deus expolitior. *Scipio* apud *Gell.* 2. 20. Agri optime culti et villæ expolitissimæ. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 6. Frumenta quanto sunt expolitiora, minus a curculionibus exeduntur. *h. e.* magis purgata, *più purgati, più netti.*

EXPŎLĪTĬO, ōnis, f. 3. actus expoliendi, exornatio.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *ad Q. Fr.* 1. 2. *extr.* Urbanam expolitionem urget ille quidem et Philotimus. Adde *eumd. ibid.* 3. *Vitruv.* 6. *in fin.* et 7. *præf. in fin.* Expolitiones parietum, pavimentorum. *h. e.* quum tectorium et marmoratum inducitur. *Id.* 7. 9. Si quis voluerit expolitionem miniaceam suum colorem retinere.

II.) Translate de oratione. — *a*) Generatim. *Cic. Orat.* 55. 185. In verbis inest quasi materia quædam: in numero autem expolitio. *Id.* 1. *Orat.* 12. 50. Composita oratio et ornata et artificio quodam et expolitione distincta. *Id.* 1. *Invent.* 40. 74. Argumentatio est inventi artificiosa expolitio. — *b*) Speciatim in re oratoria *expolitio* est figura, quum in eodem loco manemus, et aliud atque aliud dicere videmur. Ea dupliciter fit, si aut eamdem plane rem dicemus, aut de eadem re. Eamdem rem dicemus non eodem modo (nam id quidem obtundere auditorem est, non rem expolire), sed commutate. Commutabimus tripliciter, verbis, pronunciando, tractando etc. Hæc et alia multa *Cic.* 4. *Herenn.* 42. 55. et *sequentib.*

EXPŎLĪTUS, a, um. *V.* EXPOLIO, polis.

EXPOMPO, as, are, a. 1. in pompam quasi adduco, hoc est laudo. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 11. *a med.* Sed quomodo poterant inveniri facile, quibus erat studium diligentissimum suam vitam latere, et non sicut nunc plurimi hominum elati per gloriam semetipsos expompant et cunctis insinuant?

EXPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. (ex *et* pono). Perf. *exposivit* occurrit apud *Plaut. Cas.* 4. 1. 27. — Part. *expostus* per syncopen pro *expositus* legitur apud *Virg.* 10. *Æn.* 694. Obvia ventorum furiis expostaque ponto. Adde *Stat.* 7. *Theb.* 197. — Part. *Expositus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Expositurus* II. 2.; *Exponendus* I. 2. — Exponere, ἐκτίθημι, est extra ponere, explicare, proferre, proponere (It. *esporre, metter fuori*; Fr. *mettre hors, mettre en vue, exposer*,

staler; Hisp. *meter fuera, exponer, parar*; Germ. *heraussetzen, hervorstellen*; Angl. *to put out, set forth, expose*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Mur.* 36. 75. Stravit pelliculis hædinis lectulos, et exposuit vasa Samia. *Id.* 6. *Verr.* 16. 35. Ab hoc abaci vasa omnia, ut exposita fuerant, abstulit. *Sueton. Cæs.* 10. Exponere apparatum in porticibus. *Colum.* 12. *R. R.* 28. 1. Herbam in sole exponere, aut in furno, ut siccescat. Cf. *Gell.* 9. 7. Exponi ad oculos et ad solem. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 7. 33. (52). Pingi gladiatoria munera, atque in publico exponi cœpta. Cf. *Cic.* 1. *Orat.* 41. 186. Expositæ a Cn. Flavio primum actiones, *pubblicate*. Huc referri potest et illud *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 49. Exposuit mea me populo fortuna videndum. — Pro abjicere, dejicere, a se removere, *cacciar via, rigettare*. *Plaut. Cas.* 4. 4. 27. Ut valentula est! pæne exposivit cubito. *Id. Truc.* 3. 1. 14. Nunc ego istos mundulos amasios hoc ictu exponam atque omnes ejiciam foras. ¶ 2. Speciatim *exponere filios suos* dicebantur parentes, qui eos educare nollent, nec tamquam filios habere: quod extra limen ædium eos humi abjicere solebant, *esporre in abbandono*. *Plaut. Cist.* 1. 3. 18. Dat eam puellam ei servo exponendam ad necem. Is eam projecit: hæc puellam sustulit. Adde eumd. *Cas. prol.* 41.; *Ter. Heaut.* 4. 1. 37.; et *Cic.* 2. *de republ.* 2. *Liv.* 1. 4. In proxima alluvie pueros exponunt. *Sueton. Claud.* 27. Claudiam quamvis ali cœptam, exponi tamen ad matris januam et nudam jussit abjici. *Id. Cal.* 5. Partus conjugum expositi. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 72. Qui liberi nati, expositi, deinde sublati a quibusdam, in servitute educati sunt. Adde *Sueton. Gramm.* 7.; et *Justin.* 1. 4.; et *V.* EXPOSITICIUS. ¶ 3. Item speciatim est verbum nauticum: et — *a*) De hominibus, nautæ quum eos e navi dimittunt, *exponere* dicuntur, *sbarcare*. — Cum addito, unde aliqui exponuntur, per Ablat. et præpos. *ex* vel *de*. *Cæs.* 5. *B. G.* 57. Quibus ex navibus quum essent expositi milites circiter CCC. etc. *Virg.* 10. *Æn.* 287. socios de puppibus altis Pontibus exponit. — Cum addito loco, in quem quis exponitur per Accus. et præpos. *in*, vel per Ablat. et præpos. *in*, vel per Ablat. sine præpos. *Cæs.* 3. *B. C.* 23. Noctu militibus in terram expositis. *Id.* 1. *ibid.* 31.; *Auct. B. Alex.* 10.; *Liv.* 24. 40. et 31. 8.; et *Frontin.* 2. *Strateg.* 5. 44. Exponere aliquem in terram. *Liv.* 37. 28. in litora. Ad hunc et superiorem simul verbi usum pertinet illud *Sueton. Claud.* 25. Quum ægra et affecta mancipia in insulam Æsculapii, tædio medendi, exponerent, omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit. *Vellej.* 2. 79. 4. Legiones expositæ in terra. *Sueton. Cæs.* 4.; et *Justin.* 22. 5. Exponere aliquem in litore. *Justin.* 18. 1. in portu. *Cæs.* 3. *B. C.* 29. Quibus regionibus exercitum exposuisset, et quid militum transvexisset. *Nepos Themist.* 8. Ephesum pervenit, ibidemque Themistoclem exponit. — Absolute. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 23. quarta vix demum exponimur hora. — *b*) De mercibus, et est navem iis exonerare. *Cic.* 3. *Off.* 12. 51. Advexi frumentum, exposui: vendo meum, etc. *Labeo Dig.* 14. 2. 10. Exponere merces. — *c*) Item est super navis transtra proferre. *Marcian. Dig.* 39. 4. 16. Si propter necessitatem adversæ tempestatis expositum onus fuerit, non debere hoc commisso vindicari. ¶ 4. Item in re nummaria, *exponere pecuniam* est alicui utendam exhibere, *mettere una somma di danaro a disposizione di qualcheduno*. *Cic.* 5. *Att.* 4. 3. De Oppio bene curasti, quod ei DCCC. exposuisti. *Id.* 5. *ibid.* 1. 2. eodem sensu dixit *aperuisti*. — Hinc figurate *Id.* 3. *Orat.* 57. 217. Hi sunt actori, ut pictori, expositi ad variandum colores. ¶ 5. Prægnante, uti ajunt, significatione, apud sequioris ævi scriptores est objicere, *esporre, sottoporre*. *Tac.* 3. *Hist.* 5. Ne inermes provinciæ barbaris nationibus exponerentur. *Flor.* 3. 11. Exercitum hosti exponere. Sic *Plin.* 11. *Hist. nat.* 19. 21. (67). Tot hostibus, tot casibus apes expositæ. *Petron. Satyr.* 115. Piscibus belluisque expositus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 5. 6. (21). Expositus solibus locus.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim pro exhibere, proponere. *Cic. Rosc. Am.* 12. 34. Totam causam, judices, explicemus atque ante oculos expositam consideremus. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 8. 27. Vitam alterius totam explicare, atque eam non modo in animis judicum, sed etiam in oculis conspectuque omnium exponere. *Id.* 4. *de republ.* 3. Disciplinam puerilem ingenuis nullam certam, aut destinatam, aut publice expositam, aut unam omnium esse voluerunt. *Id.* 1. *Orat.* 53. 227. Quam orationem in Originibus suis exposuit Cato. *h. e.* scripsit atque edidit. *Id. Brut.* 44. 164. Plura etiam dicta, quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis, nec explicatis, intelligi potest. *Id. Quinct.* 23. 74. Quasi eximio præmio sceleris exposito. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 104. 3. *Merc.* Vitam suam exponere ad imitandum juventuti. *Id.* 1. *de republ.* 46. Exposita ad exemplum nostra republica. *Sueton. Cæs.* 49. Opprobrio ad omnium convicia exposito. — Huc referri potest et illud *Lactant.* 1. 7. Sciant tamen, quo nomine appellari debeant, ne Deum verum violent, cujus nomen exponunt, dum pluribus tribuunt. *h. e.* vulgant, prostituunt. ¶ 2. Frequentissime de oratione occurrit, et est dicere, narrare, disserere, *esporre, dire, raccontare*. *a*) Cum Accusativo rei. *Cic.* 1. *de republ.* 14. Cujus sphæræ speciem ipsam non sum tantopere admiratus. — Sed posteaquam cœpit rationem hujus operis scientissime Gallus exponere etc. *Id. ibid.* 26. Omnis populus, qui est talis cœtus multitudinis, qualem exposui etc. *Id.* 2. *ibid.* 23. Hæc, quæ adhuc exposui, ita mixta fuerunt etc. *Id.* 4. *Fin.* 1. 1. Tam multa memoriter, tam obscura dilucide exposuisti. *Id.* 3. *ibid.* 4. 15. Rem pluribus verbis exponere. *Id. Pis.* 3. 7. et 3. *Cat.* 1. 3. rem breviter. *Id.* 2. *Orat.* 12. 49. mandata in senatu, aut ad imperatorem, aut ad regem, aut ad populum aliquem. *Id. Orat.* 62. 210 narrationem. *Id. Amic.* 1. 3. sententias ejus disputationis hoc libro. *Id.* 3. *Orat.* 20. 75. artes rhetoricas. *Id.* 1. *de republ.* 8. disputationem alicui. *Id. Amic.* 1. 3. sermonem de amicitia alicui. *Id. Orat.* 7. 23. Ille sermo noster, qui est expositus in Bruto. *Varro* 8. *L. L.* 1. *Müll.* Prima parte exposita, de secunda incipiam hinc. *Cæs.* 7. *B. G.* 38. Exponere eadem multitudini. *Liv.* 30. 17. Omnia exposuit ordine patribus. *Nepos Dion.* 3. De hoc in meo libro plura sunt exposita, qui de historicis conscriptus est. *Horat. Art. P.* 89. Versibus exponi tragicis res comica non vult. *Tac.* 15. *Ann.* 72. Quasi gesta bello expositurus. — *Quintiliano* 4. 2. 36. *exponere* idem est quod narrare, in actione oratoria: sicut *expositio* idem quod oratoria narratio. — *b*) Cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Cic.* 1. *de republ.* 26. Hi cœtus igitur, hac, de qua exposui, causa instituti. *Id.* 1. *Orat.* 22. 102. illor, de quo modo exposuit Antonius. *Id.* 1. *Fam.* 9. 10. De quo cœperam exponere. *Id. Partit. orat.* 12. 44. Quoniam dictum de altero est, expone nunc de reprehendendo. — *c*) Sequente relativo. *Cic.* 3. *Legg.* 20. 47. Apud censores, qui magistratu abierint, edant et exponant, quid in magistratu gesserint. *Id. Rosc. Am.* 5. 14. Ab initio, res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus. *Id.* 3. *Cat.* 6. 13. Ex memoria vobis, Quirites, quid senatus censuerit, exponam. *Nepos Att.* 18. Versibus exposuit, qui honore ceteros populi Romani præstiterunt. — *d*) Cum Infinito. *Cic.* 1. *Tusc.* 12. 26. Expone igitur primum animos remanere post mortem, tum – docebis, carere omni malo mortem. — *e*) Ablativus *exposito* absolute positus. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. Cæsar contione advocata – exposito, quid iniquitas loci posset, etc. Cf. *Curt.* 4. 13. Exposito quod nunciatum erat. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Expositus, a, um, adjective quoque usurpatur: et

I.) Proprie est patens, apertus, omnibus obvius, *aperto, esposto a tutti*. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 34. licet expositum per limen aperto ire, redire gradu. *Id.* 2. *ibid.* 2. 152. Expositi census. *h. e.* in usum omnium patentes, non sepositi ad avaritiam. Sic *Lucan.* 3. 103. Expositum numen. *h. e.* nulli negatum. Similiter *Plin.* 1. *Ep.* 10. 2. Amari ab eo laboravi: etsi non erat laborandum; est enim obvius et expositus plenusque humanitate. *V.* et paragr. proxime seq.

II.) Translate. ¶ 1. In bonam partem sumitur pro comi, affabili, facili. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 246. Quid referam expositos, vulgato pondere, mores? *Forcellinus* huc retulit etiam loc. *Plin.* 1. *Ep.* 10. 2., qui paullo supra sub I. allatus est. ¶ 2. In malam partem ponitur pro vulgari, plebejo, communi, publico. *Juvenal.* 7. 53. Sed vatem egregium, cui non sit publica vena, Qui nihil expositum soleat deducere etc. — Hinc

Exposito, absolute: *V.* supra sub II. 2. *e*.

EXPŎPŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. populatio. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 18. Quarum vocabulo propter hanc expopulationem cognominatur. *Optimæ tamen editiones, ut et* Schneideri, *habent* populationem.

EXPORGO. *V.* EXPORRIGO.

EXPORRECTUS, a, um. *V.* soc. seq.

EXPORRIGO (*et apud Comicos per syncopen* exporgo), porrigis, porrexi, porrectum, porrigere, a. 3. *Paul. Diac. p.* 80. 11. *Müll.* derivat a *porro* et *ago*; alii a *porro* et *rego*, alii rectius a *pro* vel *porro* et *rego* *V.* PORRIGO. — Part. *Exporrigens* et *Exporrectus* 1. — Exporrigo est extra porrigo, extendo, dilato (It. *stendere, distendere*; Fr. *étendre, déployer*; Hisp. *extender, estirar*; Germ. *ausdehnen, ausstrecken, ausbreiten*; Angl. *to streeth out, extend*).

I.) Proprie. *Plaut. Pseud. prol. in fin.* Exporgi melius est lumbos atque exsurgier. *h. e.* extendi lumbos, quia sedentibus complicati sunt lumbi, stantibus extensi. *Ter. Adelph.* 5. 3. 53. Da te mihi hodie: exporge frontem. *h. e.* explica, et ad hilaritatem compone. *Auct. B. Afr.* 12. Propius eorum aciem instituit exporrigere munitiones. *Id.* 78. Suos equites exporrigere cœpit in longitudinem. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (91). Polypi resupinati exporrigunt se. *Id.* 18. *ibid.* 10. 23. (98). Sesamam exporrigere in solo super lintea. *Id.* 11. *ibid.* 48. 108. (259). Crura exporrigentia se verius, quam crescentia. *Mela.* 1. 19. 13. Hinc orti montes longo se jugo exporrigunt. *Pers.* 3. 82. exporrecto trutinantur verba labello. *h. e.* protenso. *Prudent. Hamartig.* 855. Illic purpureo latus exporrecta cubili. *h. e.* prostrata. — Locum *Varronis* apud *Non. p.* 477. *Merc.*, qui a *Forcellino* hic affertur, *V.* in EXPERGISCOR.

II.) Figurate. *Seneca Brevit. vit.* 9. Quid in tanta temporum fuga lentus, menses tibi et annos et longam seriem exporrigis?

EXPORTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exportandi. ¶ 1. Generatim de rebus. *Cic.* 2. *Off.* 3. 13. Jam vero earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, et earum, quibus egeremus, invectio certe nulla esset. ¶ 2. Speciatim de hominibus sumitur pro exsilio seu deportatione. *V.* DEPORTATIO. *Seneca Tranquill.* 11. Quæ dignitas, cujus non prætextam et augurale et jura patricia comitentur et sordes et exportatio?

EXPORTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* porto). Part. *Exportatus* 1.; *Exportandus* 1. et 2. — Exporto est extra porto, aufero (It. *portar fuori*; Fr. *porter hors, exporter*; Hisp. *llevar, traer fuera*; Germ. *ausführen, fort tragen, wegbringen, ausschiffen*; Angl. *to carry out, convey away, export*). Occurrit ¶ 1. Generatim de rebus. *Plaut. Truc.* 1. 2. 1. Asservate ædes, ne qui manus attulerit steriles intro ad nos, gravidas foras exportet. *Id. ibid.* 2. 2. 56. Quæ nunc ad vos jam exportatur. *Varro* 2. *R. R.* 5. 5. Taurus, qui exportavit per mare e Phœnice Europam. *Cic.* 6. *Verr.* 10. 23. Per istos, quæ volebat, in navem clam imponenda, occulte exportanda curabat. *Id.* 4. *ibid.* 72. 176. Magnum numerum frumenti Syracusis exportare. *Id. Flacc.* 7. 17. frumentum in fame. *Id. ibid.* 28. 67. Quum aurum quotannis ex Italia et ex omnibus provinciis Hierosolymam exportari soleret. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 431. 16. *Merc.* Phœnices mercaturis inexplebiles cupiditates omnium rerum exportaverunt in Græciam. ita leg. *Forcellin.* itemque *Orell.*, qui hunc *Cic.* locum ad *lib.* 3. *de republ. in fin.* retulit. *Mercerus* vero, et quidem rectius, pro *exportaverunt* legit *importaverunt*. *Cæs.* 4. *B. G.* 18. Sua omnia exportare. *Virg.* 4. *G.* 255. tum corpora luce carentum Exportant tectis et tristia funera ducunt. *Sueton. Domit.* 17. Corpus populari sandapila per vespillones exportatum nutrix in suburbano suo funeravit. *Justin.* 11. 15. Darius clauso vehiculo per noctem exportatus. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 22. Nec spinarum, vel graminum semina in agrum exportata segetes herbidas reddant. ¶ 2. Speciatim est in exsilium agere, deportare. *Cic.* 3. *Verr.* 15. 40. O portentum in ultimas terras exportandum.

EXPOSCO, poscis, pŏposci, poscere, a. 3. (ex *et* posco). Part. *Exposcens* et *Exposcendus* 1. et 2. — Exposcere, ἐξαιτέω, est flagitare, enixe petere, et ad animi affectum præcipue refertur; *V.* EXPOSTULO (It. *domandare con istanza*; Fr. *demander instamment, solliciter vivement*; Hisp. *demandar, rogar instantemente*; Germ. *etwas her-*

ausfordern, heftig verlangen, oder inständig darum bitten; Angl. *to ask or require earnestly, request, beg, entreat*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — a) Cum Accusativo rei. *Cic. Mil.* 34. 92. Misericordiam ipse non implorat, ego autem, repugnante hoc, et imploro et exposco. *Cæs.* 7. *B. G.* 19. Milites signum prælii exposcentes. Sic *Id.* 3. *B. C.* 90. Hac habita oratione, exposcentibus militibus et studio pugnæ ardentibus, tuba signum dedit. *Id.* 2. *B. C.* 5. Victoriam ab diis exposcere. *Liv.* 1. 16. Exposcere precibus parem. *Curt.* 4. 14. *a med.* Opem, misericordiam, fidem alicujus exposcere. *Tac.* 4. *Hist.* 19. Ut acrius exposcerent, quæ sciebant negaturum. *Val. Max.* 1. 1. *n.* 1. Quum aliquid exposcendum est. — b) Cum altero Accus. *Liv.* 7. 40. Quod deos immortales inter nuncupanda vota expoposci. — c) Cum Infinito. *Virg.* 4. *Æn.* 78. Iliacos iterum audire labores Exposcit. ¶ 2. Speciatim significat *deposcere*, hoc est ad pœnam poscere. *Nepos Themist.* 8. Quum ab Atheniensibus exposceretur publice, supplicem non prodidit. Adde *eumd. Hann.* 7. *Liv.* 38. 31. Ad exposcendos eos legati extemplo Lacedæmonem missi sunt. *Id. ibid.* 33. ait *deposcendos*. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 58. Exposcere aliquem ad pœnam. — Et absolute *Liv.* 39. 50. Victa Messene bello, exposcentibus Achæis, noxios dedidit.

EXPŎSĬTĒ, adverb. explanate, explicate. *Gell.* 3. 2. Non exposite et aperte ostendere, sed recondita significatione.

EXPŎSĬTĪCĬUS *vel* expositilius, a, um, adject. qui expositus et abjectus fuit; ut Expositicia puella, apud *Plaut. Cas. prol.* 79. *V.* EXPONO I. 2. et PROJECTICIUS.

EXPŎSĬTĬO, ōnis, f. 3. actus exponendi; et est vocabulum quod aurea tantum ætate usuvenit ac translate de oratione. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Herenn.* 10. 17. Distributio dividitur in duas partes, enumerationem et expositionem. Expositio est, quum res, de quibus dicturi sumus, exponimus breviter et absolute. *Id. ibid.* 3. 4. Narratio est rerum gestarum expositio. *et mox.* Confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum asseveratione. *et* 2. *ibid.* 2. 3. Simplex et dilucida expositio. ¶ 2. Speciatim — a) In illis verbis *Ciceronis* 3. *Orat.* 53. 203. et rogatio atque huic finitima quasi *percunctatio, expositioque sententiæ suæ*, describitur subjectio, figura sententiarum, qua orator seipsum interrogat, sibique respondet. — b) *Quintil.* 3. 9. 7. et 4. 1. 35. *et* 2. 39. narrationem oratoriam *expositionis* nomine appellat. — c) *Cic.* 2. *Herenn.* 20. 32. primam propositionem syllogismi oratorii.

EXPŎSĬTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* expositio, brevis expositio. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 37. In Salomonis exemplis breves expositiunculas subdidi.

EXPŎSĬTĪVUS, a, um, adject. qui exponendus est. *Aggen. Urbic. de limit. agr. p.* 63. *Goes.* Expositivus est status controversiæ, quoties finitimorum argumentorum caret demonstratione et partium magis exigit narrationem, per quam exponendum sit, quo sint genere terminandæ, aut persuadendum judici, etiam si loci natura finitimam exhibeat similitudinem.

EXPŎSĬTOR, ōris, m. 3. explanator. *Firmic.* 5. *Mathes.* 13. *n.* 5. Sortilegi, astronomi, somniorum expositores. *Cassiod.* 9. *Variar.* 21. Tam grammaticus, quam orator, nec non et juris expositor commoda sui decessoris ab eis, quorum interest, sine ulla imminutione percipiat. Adde *Boeth. p.* 290. *Vet. Scholiast.* ad *Lucan.* 2. 322. Expositor Lucani.

EXPŎSĬTUS, a, um. *V.* EXPONO.

EXPOSTŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus expostulandi, postulatio, petitio cum querela, aut criminatione. — a) In singulari numero. *Cic. Cluent.* 59. 161. Expostulationem facere. *Id. Dom.* 7. 16. Flagitabar bonorum expostulatione. *Tac.* 1. *Ann.* 13. Fessus clamore omnium, expostulatione singulorum, flexit paullatim. — b) In plurali numero. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. 1. Fuere nonnulli aculei in Cæsarem, contumeliæ in Gellium, expostulationes cum absente Pompejo. *Liv.* 35. 17. Dum suas quisque nunc querelas, nunc expostulationes inserit.

Homonym. *Donatus* ad *Ter. Andr.* 4. 1. 15. et *Hecyr.* 1. 2. 105. ita distinguit inter *postulationem* et *expostulationem*, ut hæc sit querela facta apud eum ipsum, qui injuriam intulit; illa apud quemvis alium.

EXPOSTŬLĀTUS, a, um. *V.* EXPOSTULO.

EXPOSTŬLĀTUS, us, m. 4. expostulatio. *Symmach.* 9. *Ep.* 13. Expostulatibus modum facere.

EXPOSTŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* postulo). Part. *Expostulans* 1.; *Expostulatus* 2. Expostulare, ἐξαιτέω. ¶ 1. Generatim est vehementer postulare, flagitare, et proprium est ejus qui flagitat sui juris conscientia fretus; in quo differt ab *exposcere* (It. *dimandar con istanza*; Fr. *demander instamment, avec chaleur*; Hisp. *demandar instantemente*; Germ. *heftig oder dringend verlangen*; Angl. *to ask or require earnestly, request*). Occurrit — a) Cum Accusativo rei. *Plaut. Pers.* 4. 3. 25. Expostulare auxilium. *Cic. Rosc. com.* 17. 50. Quidpiam expostulare ab aliquo et impetrare. *Recentiores tamen, et quidem rectius, leg.* et postulare. *V.* integr. loc. *Tac.* 15. *Ann.* 53. Primas sibi partes expostulabat. *Id.* 1. *Ann.* 19. Si tenderent in pace tentare, quæ ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint. *avéano preteso.* *Id. ibid.* 28. Tarda sunt, quæ in commune expostulantur. *Colum.* 12. *R. R.* 2. 3. Quo facilius, quum quid expostulabit usus, recipere possit. *il bisogno richiederà.* — b) Cum Infinito. *Tac.* 15. *Ann.* 17. Armeniam præsidiis vacuam fieri, expostulabat. *dimandava, che s'evacuasse.* — c) Sequente part. ut vel *ne*. *Tac.* 12. *Ann.* 46. Ut liberi obsidio decedant, expostulat. *Plin. Paneg.* 75. Qua contentione, quo nisu, quibus clamoribus expostulatum est, ne affectus nostros, ne tua merita supprimeres! — d) Absolute. *Vellej.* 2. 77. 1. Expostulante consensu populi, pax inita. ¶ 2. Speciatim cum Accusativo personæ est *deposcere*, h. e. ad pœnam poscere. *Sueton. Domit.* 23. Expostulare auctores cædis ad pœnam. *Tac.* 1. *Hist.* 45. Marium Celsum ad supplicium expostulabant. *Id. ibid.* 73. Expostulata ad supplicium Galvia Crispinilla. ¶ 3. Item speciatim *expostulare cum aliquo aliquam rem vel de aliqua re*, vel etiam absolute, est vehementer postulare querela adversus alium adhibita, aut criminatione, *piatire o querelarsi chiedendo ragione o esigendo soddisfazione*. Porro quid a *postulo* differat, ex *Donato* in EXPOSTULATIO dictum est. — a) *Expostulare cum aliquo aliquam rem vel de aliqua re* occurrit apud *Ter. Andr.* 4. 1. 15. Adeamne ad eum, et cum eo injuriam hanc expostulem? *Cic. Planc.* 24. 58. Ne illum quidem Juventium tecum expostulavi, quem etc. *h. e.* non accusavi factum Juventii, illudque falsum esse, ostendi. — Et cum Infinito pro Accusativo *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 102. Obstetrix expostulavit mecum, parum missum sibi. — *Cic.* 5. *Fam.* 2. 9. Lenis a te et facilis existimari debeo, qui nihil tecum de his ipsis rebus expostulem. *Id.* 3. *ibid.* 10. 6. Significatur in tuis litteris suspicio quædam et dubitatio tua, de qua alienum tempus est mihi tecum expostulandi, purgandi autem mei necessarium. — Et omisso Ablativo rei. *Id.* 2. *ibid.* 17. 6. Sed locus esse videtur tecum expostulandi. *Fronto ad M. Cæs. p.* 197. *edente A. Mai.* Cur tu tam familiaribus litteris mecum expostules. *Id. p.* 217. Sæpe etiam expostulo cum diis immortalibus et fata jurgio compello. — Et omisso *cum aliquo*, occurrit apud *Cic.* 5. *Verr.* 89. 207. Lugent omnes provinciæ, queruntur omnes liberi populi; regna denique etiam omnia de nostris cupiditatibus et injuriis expostulant. — b) *Expostulare* cum Infinito, aut cum relativo, apud *Cic.* 5. *Tusc.* 5. 14. Ne expostulent et querantur, se a beata vita esse relictas. *Tac.* 13. *Ann.* 37. Mittebat oratores, qui suo nomine expostularent, cur, redintegrata amicitia, vetere possessione depelleretur. — c) Absolute. *Plaut. Most.* 2. 2. 88. Ita me di amabunt, mortuum illum credidi expostulare, quia percussisses fores. *Cic. Sull.* 15. 44. Cur non mecum questus es? aut, quoniam tam facile inveheris in amicus, iracundius ac vehementius expostulasti? *Fronto* 5. *ad M. Cæs.* 22. Apud censores expostulare. *Ulp. Dig.* 1. 12. 1. § 8. Quod dictum est, ut servos de dominis querentes præfectus audiat, sic accipiemus, non accusantes dominos, sed si verecunde expostulent.

EXPŌTUS, a, um. *V.* EPOTO.

EXPRÆFECTUS, i, *vel* expræfecto, qui præfectus fuit. *Inscript.* apud *Gruter.* 151. 6. EXQVAEST. EXPRAEFECT. PRAET. *h. e.* exquæstore expræfecto prætorii. Adde *alias* apud *Orell.* 2355. et 3189., et apud *Henzen.* 5594. *Capitolin. Maxim.* 20. Maximum Pupienum expræfecto urbi, ignobilem genere, sed virtutibus clarum, etc. *V.* et *Sidon.* in EXCONSUL.

EXPRÆPŎSĬTUS, i, *vel* expræposito, qui præpositus fuit. *Inscript.* apud *Gruter.* 152. 8. *sub Theodorico*, et 161. 1. *sub Justiniano.* EXPRAEPOSITO SACRI PALATII. *Cf. Orell.* 1162. et *Henzen.* 5597. et 6734.

EX PRÆSĬDE, m. qui præsidis munere functus est. *Cod. Theod.* 7. 23. 1. Quicumque autem eodem est ex præside factus indulto. — Et in plur. num. *Ibid.* 12. 1. 41. Ex comitibus et ex præsidibus universi. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 490.

EX PRÆTŌRĬĀNO, m. qui fuit prætorianus. *Inscript.* apud *Rénier.* 1622. C. APRONIVS IANVARIVS VETERANVS EX PRAETORIANO SE VIVO SIBI ET NAEVIAE IANVARIAE CONIVGI SVAE.

EXPRÆTŌRĬUS, a, um, adject. *Inscript.* apud *Gruter.* 524. 8. C. ATVCIO ALBANO VETERANO EXPRAETORIO etc. *Alia* apud *Murat.* 845. 6. TITIVS ACCEPTVS VETERANVS EX PRAET. etc. Utrobique divisim legendum videtur *ex prætorio*, ita ut significetur miles veteranus ex prætorianis.

EXPRESSĒ, adverb. Comp. *Expressius* I. et II. — Expresse est presse, pressa manu.

I.) Proprie. *Scribon. Compos.* 198. Oleo caldo subinde artus perunctos expressius fricare.

II.) Translate est plane, aperte, significanter. *Cic.* 4. *Herenn.* 7. 10. In præcipiendo expresse conscripta ponere oportet exempla. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 20. Quod ipsum expressius Hesiodus hoc versu significavit. *Plin.* 2. *Ep.* 14. Ut mihi Attius noster expresse dixisse videatur, sic pueros *etc. Val. Max.* 8. 7. n. 1. *extern.* Demosthenes quum artis, quam affectabat, primam litteram dicere non posset, vitium tanto studio expugnavit, ut ea a nullo expressius efferretur.

EXPRESSIM, adverb. idem quod expresse; sed translate tantum occurrit. *Paul. Dig.* 46. 3. 98. *ante med.* Si hoc ipsum expressim agebatur. *Modestin. ibid.* 49. 1. 19. Expressim contra juris rigorem data sententia.

EXPRESSĬO, ōnis, f. 3. actus exprimendi. ¶ 1. Generatim. *Vitruv.* 9. 9. Ex tactu cœli et expressionibus spiritus vocesque nasci. *Pallad.* 7. *R. R.* 7. 3. Nobilius mel erit, quod ante expressionem secundam velut sponte profluxerit. ¶ 2. Speciatim in re hydraulica. *Vitruv.* 1. 1. et 8. 7. Expressiones aquarum. *h. e.* quibus in altum aquæ exprimuntur in aquæductibus. *V.* EXPRESSUS, us. ¶ 3. Item speciatim in architectura *expressiones* appellat idem *Vitruv.* 4. 4. *in fin.* eminentes partes, seu prominentias in aliquo opere. ¶ 4. Item in re grammatica ponitur pro dictione seu elocutione, *expressione recentium Italorum*. *Pompej. Comment. art. Donat. p.* 408. Donatus dixit, sensus verus est, expressio non est plena. *Macrob. de differ. Græci Latinique verbi p.* 2765. *Putsch.* Hæc forma (*frequentativa*) nonnunquam uno gradu, nonnunquam duobus derivatur, ut *cano, canto, cantito*; nec tamen est in posterioribus major, quam in prioribus frequentationis expressio.

EXPRESSOR, ōris, m. 3. qui exprimit et extrahit. Figurate tantum occurrit apud *Tertull. Apolog.* 46. Veritatis integrator et expressor. *Avien. Or. marit.* 1. 38. ad ejus (*Sallustii*) igitur inclitam Descriptionem, qua locorum formulam Imaginemque expressor efficax styli Et veritatis pæne in obtutus dedit Lepore linguæ, multa rerum junximus.

EXPRESSUS, a, um. *V.* EXPRIMO.

EXPRESSUS, us, m. 4. idem atque expressio; sed speciatim tantum occurrit in re hydraulica. *V.* EXPRESSIO 2. *Vitruv.* 8. 7. expressum vocat violentum aquarum ascensum per fistulas. Ejus verba sunt: Ita per fistulas plumbeas aquam qui ducent, his rationibus bellissime poterunt efficere et decursus et circumductiones et ventres et expressus.

EXPRETA antiqui dicebant, quasi expertia habita. *Paul. Diac. p.* 79. 6. *Müll.* Est autem *expreta* per metathesin pro *experta*: hoc vero ab *experita* factum per syncopen videtur. *V.* EXPERITUS. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 42. It magister quasi lucerna uncto expretus linteo. *Alii melius leg.* expletus. Apud *Paul. Diac.* vero alii pro *expreta* leg. *exper-*

tia, et pro *expertia* leg. *extra partem*. *Müllerus* vero hæc adnotat: « Idem vocabulum (*expretus*) constat legi in *Plauti Bacch.* 3. 3. 42. ex auctoritate optimorum codicum, sed in sententia admodum obscura. Voc. *expretus*, quum a nulla Latinorum verborum stirpe rectius duci possit, quam a *sperno*, ac *Ferrii* quoque veriloquium, quamquam falsum, ad eumdem tamen significatum digitum intendat: etiam *Plautus* ita explicandus videtur, ut magister a patre pueri verberati expretos esse dicatur, quoniam ea, quæ narrantur omnia in judicio coram patre fieri, ostendunt quæ sequuntur: *Itur illinc jure dicto* ».

EX PRĬMĬCĒRĬIS, m. plur. qui primicerii munere functi sunt. *Cod. Theod.* 6. 30. 19. Ex primiceriis sacrarum largitionum.

EX PRĪMĬPĪLĀRĬBUS, m. plur. qui in militia primipilares fuerunt. *Cod. Theod.* 11. 23. 4. Qui ex primipilaribus sunt.

EXPRĪMO, primis, pressi, pressum, primere, a. 3. (ex et *premere*). Part. *Exprimens* I. 3. et II. 2.; *Expressus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Exprimendus* II. 2. — Exprimere, ἐκπιέζω,

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de succo vel alia re, quæ exprimitur, et est premendo elicere, extrahere (It. *spremere*, *cavare* o *cacciare a forza*; Fr. *faire sortir en pressant*, *exprimer*, *extraire*, *arracher de*; Hisp. *exprimir*, *sacar y extraer de*; Germ. *ausdrücken*, *auspressen*, *gewaltsam herausbringen*; Angl. *to press*, *wring*, *strain*, *or squeeze out*). Occurrit — a) De succis et liquidis aliis, nec non de ceteris quibuscumque, quæ premendo eliciuntur vel extrahuntur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 26. 59. (129). Ex malobathro exprimitur oleum ad unguenta. *Sillig.* vero ex optimis Codicibus legit *premitur*. *Id.* 20. *ibid.* 1. 2. (3). Succus expressus e semine. *Id.* 21. *ibid.* 19. 74. (127). Succum flore exprimere. *Id.* 13. *ibid.* 1. 2. (8). Oleum amygdalis amaris expressum. *Id.* 6. *ibid.* 28. 32. (161). Vinum palmis exprimere, oleum sesamæ. *palmis* et *sesamæ* Dativi sunt. Sic *Id.* 27. *ibid.* 13. 109. (136). Exprimitur succus radici. et 12. *ibid.* 28. 63. (135). Succus nuci expressus. *Lucret.* 5. 488. Expressus de corpore sudor. *Ter. Eun.* 1. 1. 23. Oculos terendo falsam lacrimulam vi exprimere. *Cic.* 2. *Divinat.* 19. 44. Si nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. *Martial.* 7. 37. Exprimere rorantem frigore nasum. *h. e.* emungere. *Tac.* 15. *Ann.* 57. Fasciæ in modum laquei indidit cervicem, et spiritum expressit. *si cacciò del corpo l'anima*. *Ovid.* 12. *Met.* 437. liquor rari sub pondere cribri Manat, et exprimitur per densa foramina. Cf. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 39. (145). Medullæ liquatæ per lintea exprimuntur. *si colano*, *si fanno passare*. *Id.* 7. *ibid.* 41. 45. (144). Fauces intortæ et expressus per aures sanguis. — b) Significat etiam extollere, in altum educere, (cui contrarium est *deprimere*) ut fit in aquis, quæ per angusta tubulorum fluere coactæ, in exitu in altum ascendunt, *innalzare*, *trovre in alto*. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 23. (39). Aqua expressa in altum. Adde *Ovid.* 1. *Art. am.* 82. *Vitruv.* 8. 7. *ante med.* Aqua exprimatur in altitudinem summi clivi. *Auct. B. Alex.* 6. Aquæ magnam vim ex mari rotis ac machinationibus exprimere. Cf. *Seneca Const. Sap.* 4. Quæ nervo tormentisve in altum exprimuntur. Similiter *Cæs.* 7. *B. G.* 22. Turrium altitudinem, quantum has quotidianus agger expresserat, adæquabant. — c) Dicitur et de pecunia pro extorquere: quo sensu translate accipi potest. *Cic.* 1. *Att.* 19. *ad fin.* Blanditiis ab aliquo nummulorum aliquid exprimere. *Id.* 4. *Verr.* 69. 165. Nullam pecuniam nisi vi expressam et coactam. *Sueton. Vesp.* 4. et *Oth.* 5. Exprimere alicui pecuniam. ¶ 2. Latiori sensu dicitur de re, ex qua comprimendo aliquid elicitur, et est valde premere, comprimere, stringere, *premere*, *spremere*, *comprimere*, *stringere*. *Cels.* 4. 21. *circa med.* Spongia imposita, quæ subinde ex oleo, vel aceto, vel aqua frigida exprimitur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 9. (31). Lana ex vino, vel aceto expressa. *Ovid.* 3. *Art. am.* 221. Venus madidas exprimit imbre comas. *stringe ed asciuga*. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 11. 47. (128). Spongiæ expressæ inter duas tabulas. *Id.* 12. *ibid.* 27. 60. (130). Olea adhuc alba expressa. *Colum.* 6. *R. R.* 11. Expressa sanie. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 73. (121). Rosæ folia exprimere. *Id.* 11. *ibid.* 11. 12. (29). Apes regias imperatoribus futuris exstruunt separatas, tuberculo eminentes; quod si exprimatur, non gignuntur soboles. ¶ 3. Latissima, seu prægnante, uti ajunt, significatione, est premendo efficere, effingere, adeoque repræsentare, imitari, *fare*, *formare*, *ritrarre*, *rappresentare*. *Horat. Art. P.* 32. ungues Exprimet et molles imitabitur ære capillos. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 40. (140). Quum exprimere vellet Athamantis furorem, æs ferrumque miscuit, ut rubigine ejus, per nitorem æris relucente, exprimeretur verecundiæ rubor. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 53. Miles hic reliquit symbolum, expressam in cera ex anulo suo imaginem. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 44. (153). Hominis imago gypso e facie ipsa expressa. *et mox.* De signis effigiem exprimere. *Id. ibid.* 2. 2. (6). Expressi cera vultus. Cf. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 248. Nec magis expressi vultus per ahenea signa, Quam per vatis opus mores animique virorum Clarorum apparent. *Curt.* 3. 3. Deorum simulacra ex auro expressa. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (66). Alexandrum amicorumque ejus imagines summa omnium similitudine, - Thespin venatorem et Thespiadas, prælium equestre etc. expressit. *ritrasse al vivo*. — Huc pertinent et poetica illa, et Græca constructione, *Val. Flacc.* 1. 398. casusque tuos expressa, Phalere, Arma geris. *h. e.* quæ casus tuos insculptos descriptosque habent. et 2. 655. Pocula bellorum casus expressa recentum. — Similiter *Tac. Germ.* 17. Vestis stricta et singulos artus exprimens. *che fa vedere o risaltare*. *Quintil.* 8. 3. 10. Pulcher aspectu sit athleta, cujus lacertos exercitatio expressit. *fa comparire*, *risaltare*. — Huc referri possunt et illa *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 61. (170). Idæi dactyli pollicem humanum exprimunt. *rassomigliano*, *rappresentano*. *Id. ibid.* 10. 63. (173). Meconites germina papavera exprimit.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiori paragr. 1., est eruere, extorquere; et occurrit — a) Sæpissime cum Accusativo rei. *Cic. Mil.* 4. 10. Est hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 29. expressa arbusto convicia. *h. e.* petita, deducta, hausta ex more vinitorum et rusticorum. *Lucret.* 5. 1027. varios linguæ sonitus natura subegit Mittere, et utilitas expressit nomina rerum. *fe' imporre*. *Cæs.* 1. *B. G.* 32. Quum ab iis sæpius quæreret, neque ullam omnino vocem exprimere posset. *cavar di bocca*. *Liv.* 25. 16. *extr.* Exprimere alicui confessionem. Sic *Sueton. Galb.* 10. Expressa cruciatu confessio. *Lucan.* 6. 590. verum. *Liv.* 2. 13. Expressa est Romanis necessitas obsides dandi. *furono costretti i Romani*. *Id.* 3. 2. Deditionem ultima necessitate expressam aspernari. *Nepos Thrasyb.* 4. Huic corona a populo data, quod amor civium, non vis expresserat, nullam habuit invidiam. *Auct. B. Alex.* 56. Victoriæ nuncius lætitiam exprimebat. *Plin.* 4. *Ep.* 7. *extr.* Risum magis potest exprimere, quam gemitum. *far ridere*, *far piangere*. — b) Sequente part. *ut*. *Cic.* 5. *Verr.* 47. 112. Quum in jus ipsum eduxi, expressi, ut conficere se tabulas negaret. *a grande stento ottenni*. Sic *Curt.* 6. 7. Expressit, ut polliceretur. ¶ 2. Metaphora sumpta a superiore paragr. 3., est imitando effingere, describere, repræsentare, manifestare, præcipue verbis. — a) Universim. *Cic. Rabir. Post.* 2. 1. Quum magnitudine animi, tum liberalitate vitam patris et consuetudinem expresserat. *Id.* 2. *Legg.* 5. 13. Lex est justorum injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam expressa naturam, ad quam etc. *fatta a norma*, *sul modello di* etc. *Id.* 3. *Orat.* 12. 47. Vitia imitatione ex aliquo expressa. — b) Speciatim de iis, quæ verbis repræsentantur. *Cic.* 4. *Herenn.* 49. 62. Rem ante oculos ponit, quum exprimit omnia perspicue, ut res prope dicam manu tentari possit. *Id. ibid.* § 63. Effictio est, quum exprimitur atque effingitur verbis corporis cujuspiam forma, quod satis sit ad intelligendum. *Id.* 1. *Divinat.* 36. 79. Hanc speciem Pasiteles cælavit argento, et noster expressit Archias versibus. *Id.* 2. *Orat.* 43. 184. Exprimere oratione mores alicujus. *Id. Arch.* 6. 14. Multas nobis imagines fortissimorum virorum expressas scriptores Græci et Latini reliquerunt. *Id. ibid.* 12. 30. Consiliorum ac virtutum effigies summis ingeniis expressa et polita. *Id. Flacc.* 22. 53. Fateantur in Mæandrii persona expressam faciem civitatis. *Id.* 3. *Orat.* 4. 15. In Platonis libris omnibus fere Socrates exprimitur. *Id. Arch.* 9. 21. Mithridaticum bellum magnum atque difficile totum ab hoc expressum est. *Id.* 9. *Att.* 15. Omnem illius meumque sermonem, omnibus verbis expressum, statim mittam. *a parola per parola*. *Id.* 2. *Fin.* 2. 6. Diligenter exprimi oportet, quæ vis subjecta sit vocibus. *Plin.* 5. *Ep.* 16. et 10. *ibid.* 2. Exprimere verbis non possum, quantum etc. — Et absolute. *Cic. Orat.* 55. 185. Oratio nuda ac rudis ad solos animorum sensus exprimendos reperta. *Sueton. Aug.* 86. Sensum animi quam apertissime exprimere. *Vellej.* 2. 124. 1. Quid tunc homines timuerint, mihi exprimere non vacat. *Plin.* 5. *Ep.* 15. Exprimere non possum, quanto sim gaudio affectus. *Id.* 9. *ibid.* 26. Sunt enim maxime periculosa, utque Græci magis exprimunt, παράβολα. *dicono con più viva espressione*. *Id.* 4. *ibid.* 30. *in fin.* Mihi abunde est, si satis expressi. *se ho spiegato abbastanza*. — *Exprimere aliquid* apud JCtos sæpe est disertis verbis palam aperteque significare, declarare, demonstrare, *esprimere*, *significare*. *Julian. Dig.* 34. 5. 14. *a med.* Si quis interroget, *eorum quid, quæ tibi objiciuntur, fecisti?* ille neget; hoc exprimit, *eorum quid, quæ objiciuntur, non feci*, id est *nihil horum feci*. *Ulp. ibid.* 32. 1. 11. *ante med.* Hæc verba non satis exprimunt fideicommissum. *Modestin. ibid.* 31. 1. 34. Exprimere testamento, a quibus legata præstari velis. — c) Item speciatim *exprimere* dicuntur, qui ex una in aliam linguam transferunt, *tradurre*. *Ter. Adelph. prol.* 11. Verbum de verbo expressum extulit. *Cic.* 1. *Acad.* (2. *pr.*) 10. 31. Κατάληψιν, verbum e verbo exprimentes, comprehensionem dicemus. *Id.* 1. *Fin.* 2. 4. Fabellas Latinas ad verbum de Græcis expressas legere. *Id.* 1. *de republ.* 43. Tum fit illud, quod a Platone est luculente dictum, si modo id exprimere Latine potuero. *Plin.* 4. *Ep.* 18. Quædam epigrammata æmulari Latine et exprimere tentavi. — d) Item *exprimere* dicuntur, qui distincte verba proferunt, *esprimere*, *articolare*. *Cic.* 3. *Orat.* 11. 41. Exprimere litteras putidius, aut obscurare negligentius. *articolare affettatamente*. *Quintil.* 9. 4. 10. et 11. 3. 164. Exprimere verba. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. Septimo fere mense anno lingua sermonem exprimit. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Expressus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Expressior* sub II. 1. et 2.

I.) Proprie est exstans, eminens, prominens, *rilevato*. *Cic.* 1. *Nat. D.* 27. 75. Species deorum, quæ nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis: sitque pura, levis, perlucida. *Id.* 4. *Verr.* 77. 189. Litteræ lituræque omnes (*exscribendo*) assimulatæ, expressæ, de tabulis in libros transferuntur. *Quintil.* 8. *proœm.* 19. Corpora sana et exercitatione formata et colorata et adstricta et lacertis expressa sunt, *h. e.* exstantes habentia lacertorum toros. *Id.* 2. 4. 6. Protinus omnibus membris expressus infans.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est manifestus, apertus, evidens, quasi exstantibus lineamentis formatus, *evidente*, *espresso*, *manifesto*, *chiaro*. *Cic. Cæl.* 5. 12. Habuit Catilina permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum. Cf. *eumd.* 3. *Tusc.* 2. 3. Est enim gloria solida quædam res et expressa, non adumbrata. *Id.* 3. *Off.* 17. 69. Nos veri juris germanæque justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenemus: umbra et imaginibus utimur. *Id. Planc.* 12. 29. Hæc sunt indicia solida et expressa, hæc signa probitatis non fucata forensi specie. *Id. Rosc. Am.* 22. 62. Exstent oportet expressa sceleris vestigia. *Id.* 1. *Fam.* 7. 9. Hæc profecto vides quanto expressiora quantoque illustriora futura sint. *Quintil.* 9. 4. 138. In proœmiis plerumque summissi, in narratione pleni atque expressi, in argumentis citati. *chiari*, *schietti*. *Plin.* 5. *Ep.* 15. 3. Cornuto autem quid melius, quid sanctius, quid in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expressius? *più rassomigliante gli antichi costumi*. *Tertull. Resurr. Carn.* 3. Quid expressius aut signatius in hanc causam? aut cui alii rei tale documentum? *Forcellinus* huc retulit etiam illud *Petron. Satyr.* 118. Curandum, ne sententiæ emineant extra corpus orationis expressæ, sed intexto vestibus colore niteant. ¶ 2. Speciatim de oratione dicitur, et expressus est distincte prolatus. *Cic.* 1. *Off.* 37. 133. Sonus erat dulcis: litteræ neque expressæ, neque oppressæ, ne aut obscurum esset, aut

putidum. *articolate affettatamente.* — Hoc *Cicer.* loco in vitio ponitur; in laude apud *Quintil.* 1. 11. 4. Vitia, si qua sunt, oris emendet, ut expressa sint verba, ut suis quæque litteræ sonis enuncientur. *Id.* 1. 1. 37. Expressior sermo. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 59. (118). Minor nobilitas, sed expressior loquacitas generi picarum est. *favella più articolata.*

EX PRINCIPE, m. qui in militia fuit princeps. *Inscript.* apud *Rénier.* 103. GENIO CASTRORVM LEG. III. AVG. PRO SALVTE ET INCOLVMITATE DD. NN. IMPP. *Diocletiani et Maximiani Augustorum* M. AVRELIVS DECIMVS V. P. P. P. N. (*h. e.* vir perfectissimus præses provinciæ Numidiæ) EX PRINCIPE PEREGRINORVM VOTVM SOLVIT. Adde *alias* apud *eumd.* 104. et 2513.; item *alias* apud *Henzen.* 5522. et 6922.

EXPRŎBRĀBĬLIS, e, adject. qui exprobrari potest. *Venant. præfat.* Nec tantum exprobrabile est nesciri, quod horreat, quam patere, quod urat. *Vulgat. interpr. Proverb.* 18. 1. Omni tempore erit exprobrabilis. *Id. ibid.* 25. 10. Ne exprobrabilis fiat.

EXPRŎBRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exprobrandi, opprobrium. — *a*) Cum Genitivo tantum rei, quæ exprobratur. *Ter. Andr.* 1. 1. 17. Istæc commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficii. *Justin.* 38. 9. 9. Exprobratio levitatis puerilis. *Id.* 1. 8. 13. Exprobratio crudelitatis. — *b*) Cum Genitivo rei et Dativo personæ. *Liv.* 23. 35. Ne qua exprobratio cuiquam veteris fortunæ discordiam inter ordines sereret. — *c*) Absolute. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (57). Carnarii desideria etiam in exprobratione erant.

EXPRŎBRĀTOR, ōris, m. 3. qui exprobrat. *Seneca* 1. *Benef.* 1. Exprobratores et exactores. *Id.* 3. *Controv.* 21. *ad fin.* Oderant me patres, quasi publici mali segregem exprobratorem.

EXPRŎBRĀTRIX, icis, f. 3. quæ exprobrat. *Seneca* 7. *Benef.* 22. Ut hæc nimia et exprobratrix memoria subsideret, obliviaci eum, qui dedit, jussimus.

EXPRŎBRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXPRŎBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* probrum). Part. *Exprobrans, Exprobratus* et *Exprobraturus.* — Exprobrare, ὀνειδίζω, est beneficium alteri objicere, vitio quidpiam tribuere, probrare (It. *rinfacciare, rimproverare*; Fr. *reprocher, blâmer, imputer à crime*; Hisp. *reprochar, reprehender, vituperar*; Germ. *Jemandem etwas vorwerfen, vorhalten, vorrücken*; Angl. *to upbraid, reproach, reprove*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Cic. Amic.* 20. 71. Plerique aut queruntur semper aliquid, aut etiam exprobrant. *et mox.* Odiosum genus hominum officia exprobrantium. *Liv.* 37. 49. Prope exprobrantes virtutem suam in Philippi bello. *Id.* 2. 23. Exprobrabat suam quisque militiam. *Curt.* 8. 1. Adjecit, eum exprobraturum sibi fuisse vitam a semetipso datam. *Tac.* 1. *Ann.* 44. Supplices et vera exprobrari fatentes orabant, puniret noxios etc. *Cic.* 7. *Verr.* 50. 132. Num casus bellicos tibi exprobrare, aut objicere videor? *ascriverti a colpa.* *Id.* 2. *Orat.* 75. 305. Exprobrare vitia adversariis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (159). Velut exprobrato furore. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *de.* *Nepos Epam.* 5. Desine de uxore mihi exprobrare. — *c*) Sequente Infinito. *Plaut. Mil. glor.* 3. 4. 59. Pergin' servum me exprobrare esse, id quod vi hostili obtigit? *Liv.* 2. 29. Exprobrantibus consulibus, nihilo plus sanitatis in curia, quam in foro esse. — *d*) Sequente *quod.* *Cic.* 5. *Fam.* 15. Litteræ ipsæ quasi exprobrare videntur, quod in ea vita maneam, in qua etc. — *e*) Absolute. *Quintil.* 11. 3. 176. Eadem verba mutata pronunciatione indicant, affirmant, exprobrant. *Id.* 6. 3. 94. Est gratus jocus, qui minus exprobrat, quam potest. *Id.* 11. 3. 92. In exprobrando et coarguendo gestus acer atque instans. *Id.* 11. 3. 16. Dulcis esse debet, non exprobrans sonus.

EX PRŌCONSŬLE, m. qui proconsulis munere functus est. *Cod. Theod.* 6. 4. 15. Facundus ex proconsule. — Et in plur. num. *Ibid.* 7. 22. 7. Seu ex vicariis, sive ex proconsulibus, seu ex præfectis. *Inscript.* apud *Henzen.* 6904. POSTVLANDAM (*statuam*) ESSE CREDIDIT QVOD NVLLI PROCONSVLVM VEL EX PROCONSVLIBVS STATVENDAM ANTEA POSTVLARIT.

EXPRŌDĬTA, exclusa. *Gloss. Isid.*

EXPRŌMISSĬO, ōnis, f. 3. actus expromittendi, serio facta promissio. *Ulp. Dig.* 4. 3. 7. § 8. Si patronus nolit expromissionem ipsum manumissum accipere. Ita *Haloand.*, alii rectius *expromissorem.*

EXPRŌMISSOR, ōris, m. 3. qui pro se, vel pro altero quocumque modo promittit: expromissor autem est plus quam fidejussor, nam hic, nisi excusso debitore, conveniri non potest; ille vero potest, quia totam obligationem in se recepit: fidejussor porro est idem atque appromissor. *Ulp. Dig.* 42. 1. 4. Idoneum expromissorem habere. *Cajus ibid.* 18. 1. 53. Expromissore, aut pignore dato. Adde *Ulp. ibid.* 4. 3. 7. § 8. *V.* voc. præced.

EXPRŌMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (ex *et* promitto) idem quod promitto, recipio vel pro me, vel pro altero: *ex* enim auget. *Varro* 2. *R. R.* 2. 5. Quum emptor dixit: tanti sunt mi emptæ? et ille respondit, sunt: et expromisit nummos. *Al. perperam leg.* exprompsit. *Ulp. Dig.* 23. 3. 36. Debitor mulieris, jussu ejus, pecuniam viro expromisit. *Paul. ibid.* 16. 1. 22. Si mulieri dederim pecuniam, ut eam creditori meo solvat, vel expromittat.

EXPRŌMO, prōmis, prompsi *vel* promsi, promptum *vel* promtum, prōmere, a. 3. (ex *et* promo). Part. *Expromptus* II. 1. et 2. — Expromere, προφέρω, est promere, depromere, efferre, educere (It. *tirar fuori, cavare*; Fr. *tirer de, faire sortir, faire paraître*; Hisp. *tirar, sacar a fuera*; Germ. *hervorlangen, herausnehmen, – holen – oder bringen*; Angl. *to draw out, draw or bring out*).

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 18. Heminas octo exprompsi in urceum. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 72. 93. (199). Simia condidit in thesauros maxillarum cibum –, mox inde sensim ad mandendum manibus expromit. *Virg.* 2. *Æn.* 279. Ipse videbar Compellare virum et mæstas expromere voces.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accusativo rei. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 61. Exprome benignum ex te ingenium. *Ter. Andr.* 4. 3. 8. Mihi ad hanc rem exprompta memoria atque astutia opus est. *Lucret.* 2. 387. Quid id est, animum quod percutit ipsum, Quod movet et varios sensus expromere cogit. *Catull.* 65. 3. Nec potis est dulces Musarum expromere fetus Mens animi. *h. e.* edere, *dar fuori.* *Cic.* 2. *Att.* 12. 2. Deinde suum exprompsit odium. *Id. Mil.* 13. 33. In meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam. *Id.* 2. *Cat.* 10. 22. Quorum omnis industria vitæ et vigilandi labor in antelucanis cœnis expromitur. *h. e.* profertur, adhibetur. *Id. Orat.* 36. 125. Quum causa ea inciderit, in qua vis eloquentiæ possit expromi. *Seneca Troad.* 106. Nunc vires exprome dolor tuas. — Et alio sensu *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 72. Vel hilarissimum convivam hinc indidem expromam tibi. *ti provederò d'un commensale.* — *b*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 9. Servus nisi habet multipotens pectus, ubicumque usus siet, pectore expromat suo. ¶ 2. Speciatim de oratione, et significat exponere, narrare, enunciare, dicere, *dire, spiegare, manifestare.* — *a*) Cum Accusativo rei. *Ter. Heaut.* 3. 3. 14. Nemo'st meorum amicorum hodie, apud quem expromere omnia mea occulta audeam. *Cic.* 2. *Legg.* 7. 17. Sed jam exprome, si placet, istas leges de religione. *Fronto de eloq.* (edente iterum *A. Mai*) p. 234. Thersitæ verbis exprompta sententia. Sic *Tac.* 12. *Ann.* 9. Expromere sententiam. *et Gell.* 1. p. 2. Quidquid ille (*Juppiter*) exprompta sententia dictaverit. Rursus *Tac.* 4. *Hist.* 85. Mucianus quod diu occultaverat, ut recens exprompsit: quoniam benignitate deum fractæ hostium vires forent etc. *Catull.* 64. 223. multas expromam mente querelas. *Ovid.* 3. *Fast.* 725. expromere causas. — *b*) Sequente Infinito. *Tac.* 16. *Ann.* 1. Expromit, repertum in agro suo specum altitudine immensa. *racconta.* — *c*) Sequente relativo. *Cic.* 2. *Divinat.* 72. 150. Conferre causas, et quid in quamque sententiam dici possit, expromere. *Liv.* 29. 1.; et *Curt.* 1. 10. Quid sentirent, expromere jubet.

EXPROMPTUS *vel* expromtus, a, um. *V.* voc. præced.

EXPRŎPĔRĀTUS, a, um. particip. ab inusit. *ex propero*, valde properatus. *Inscript.* apud *Gruter.* 663. 10. HIC AQVILAE CINERES MISERABILIS VRNA SEPVLTOS CONTEGIT; ET FATIS EXPROPERATA NIMIS. OCCIDIT INFELIX COEPTO MODO FLORE IVVENTAE etc.

EX PRŌTECTŌRĬBUS, m. plur. qui fuerunt protectores. *Cod. Theod.* 7. 21. 1. Ideoque si qui ex protectoribus, vel ex præpositis, vel ex tribunis epistolas reportaverint. Adde *Inscript.* apud *Gruter.* p. 1056.

EXPROXĬMUS, i, m. 2. qui proximatus dignitate functus est. *Impp. Theod.* et *Valent. Cod.* 12. 9. 1. Hoc beneficium ad proximos etiam sacrorum scriniorum et exproximis volumus propagari.

EXPŬDET, est quasi pudet. *Gloss. Placid.* edente *A. Mai* p. 456.

EXPŪDŌRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *expudoro*, qui omnem pudorem exuit. *Petron. fragm. Tragur.* 39. *Burmann.* Habet frontem expudoratam.

EXPUGNĀBĬLIS, e, adject. qui expugnari potest.

I.) Proprie. *Liv.* 33. 7. Urbs terra marique expugnabilis est.

II.) Figurate apud Poetas. *Stat.* 4. *Theb.* 836. *de fluvio.* tuus et nulli ruis expugnabilis astro. *h. e.* nulla canicula exsiccari potes. *Id.* 9. *ibid.* 103. situ non expugnabile robur. *h. e.* quod corrumpi non potest.

EXPUGNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus expugnandi; et occurrit — *a*) In singulari numero. *Cic. pro leg. Manil.* 5. 13. Ut ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. *Cæs.* 7. *B. G.* 36. De expugnatione urbis desperavit. *Sueton. Claud.* 21. Edidit in Martio campo expugnationem direptionemque oppidi. *Id. Cæs.* 2. Expugnatio Mitylenarum. *Tac.* 15. *Ann.* 4. Expugnationem sumere. — *b*) In plurali numero. *Cic.* 11. *Att.* 23. 3. Nocturnæ (*ædium*) expugnationes. *Vellej.* 2. 98. Gentes ferocissimas nunc acie, nunc expugnationibus in pristinum pacis redegit modum.

EXPUGNĀTOR, ōris, m. 3. qui expugnat.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Invent.* 50. 93. Expugnator urbis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 38. 39. (126). Rex Demetrius, expugnator cognominatus. πολιορκητής.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Verr.* 4. 9. Non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ. *Stat.* 4. *Theb.* 363. pecoris lupus expugnator opimi.

EXPUGNĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad expugnandum pertinens. *Tertull. Anim.* 57. Expugnatoria dominatio.

EXPUGNĀTRIX, icis, f. 3. quæ expugnat. *Cassiod. de anim.* 11. Animæ carnem illam expugnatricem humani generis per quietem debellant.

EXPUGNĀTUS, a, um. *V.* EXPUGNO.

EXPUGNAX, ācis, adject. omn. gen. qui valde expugnat. *Ovid.* 14. *Met.* 20. sive aliquid regni est in carmine, carmen Ore move sacro; sive expugnacior herba est, Utere tentatis operosæ viribus herbæ. *Al. leg.* expugnantior: V. *Bach.* et *Jahn.* ad h. l.

EXPUGNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* pugno). *Expugnassere* pro *expugnaturum esse*, prisco dicendi modo, est *Plauti Amph.* 1. 1. 54. Sin aliter sient animati, sese summa vi eorum oppidum expugnassere. — Part. *Expugnans* I. 2. et in fin.; *Expugnatus* I. 1. et 2. et II.; *Expugnandus* I. 2. — Expugnare, καταπολεμέω, est pugnando vincere, aut capere (It. *espugnare, combattendo vincere o prendere*; Fr. *prendre d'assaut, de force, vaincre*; Hisp. *expugnar, ganar a fuerza de armas*; Germ. *erobern, erstürmen, einnehmen*; Angl. *to take by storm, force or assault, to conquer, vanquish*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de oppidis et locis munitis. *Cæs.* 2. *B. G.* 12. Id oppidum ex itinere oppugnare conatus, expugnare non potuit. *Id.* 2. *ibid.* 10. et 3. *ibid.* 14. et 23. Expugnare oppidum. *Id.* 3. *B. C.* 55. Nonnullas urbes per vim expugnavit. Sic *Liv.* 2. 12. Expugnare urbem. *Sall. Jug.* 23. Cirtam armis. *Cæs.* 2. *B. G.* 9. et 3. *ibid.* 1. castellum. *Nepos Agesil.* 3. Loca multa expugnata. Poetice *Lucret.* 2. 1144. Expugnata mœnia mundi. ¶ 2. Latiori sensu *expugnari* dicuntur res ipsæ, aut homines, qui pugnando ab aliis hominibus capiuntur. *Cæs.* 3. *B. G.* 15. Expugnatis compluribus navibus – singulas nostri consectati expugnaverunt. *Justin.* 7. 6. Thessaliam improvisus expugnat. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 76. Expugnare carcerem. *Ter. Eun.* 1. 7. 3. ædes. *Sall. Jug.* 44. villas. *Tac.* 14. *Ann.* 25. præsidium. *Liv.* 37. 25. Philippus et Nabis expugnati. *Curt.* 9. 4. Inclusos mœnibus expugnat. *Id.* 6. 6. *a med.* Ad expugnandos eos, qui edita montium occupaverat, redit. *Justin.* 3. 5. Messenii, quum virtute non possent, per insidias expugnantur. *Tac. Agric.* 41. Tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti. Adde *Flor.* 2. 2. — Huc referri potest et illud *Plaut. Bacch.* 4. 9. 5.

Non Pelides tormento fuit, præ ut ego herum expugnabo meum, sine classe sineque exercitu et tantu numero militum. Cepi, expugnavi amanti herili filio aurum ab suo patre. — Item illud *Stat.*, ubi pro oppugnare occurrit, 6. *Theb.* 777. ut præceps cumulo salit unda minantes In scopulos et fracta redit; sic ille furentem Circuit expugnans.

II.) Translate. — 1.°) Raro de rebus physicis, quæ alia quomodocumque domant. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (138). Flumina id oppidum expugnavere. *atterrarono. Id.* 5. *ibid.* 21. 20. (85). Euphrates Taurum montem expugnat. *h. e.* irrumpit, perfringit, permeat. *Id.* 28. *ibid.* 10. 45. (159). Lacte equino venena et toxica expugnantur. — 2.°) Sæpius de abstractis et de animo pro vincere, domare; et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Cic. Cluent.* 13. 36. Oppianicus sperare cœpit, hoc se Avillu tamquam aliqua machina admota capere Asinii adolescentiam et fortunas ejus patrias expugnare posse. *impossessarsi per forza. Id. Cœl.* 20. 5). Expugnare pudicitiam. *Liv.* 37. 56. *ad fin.* pertinaciam legatorum. *Colum.* 10. *R. R. præfat.* 3. Propositum meum expugnavit frequens postulatio tua. *Petron. Satyr.* 126. Expugnata paupertas. *h. e.* victa aucto patrimonio, *superata. Flor.* 3. 1. Jugurtha in Scauro ipsos Romani imperii mores expugnaverat. *h. e.* Scaurum pecunia corrumpendo. Cf. *Martial.* 13. 123. Quum tua centenos expugnet sportula cives. *h. e.* tibi concilict. *Cic.* 2. *Verr.* 2. 4. Nihil tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. *Id.* 4. *Parad.* 1. 27. Sapientis animus magnitudine consilii, tolerantia, virtutibus — vincetur et expugnabitur. *Stat.* 4. *Theb.* 187. Mens expugnata fatiscit. *Sueton. Tib.* 21. Expugnatus precibus uxoris. *Expugnatus* absolute eodem sensu occurrit apud *eumd. Cæs.* 1. et *Vesp.* 22. — Huc pertinet et illud *Ovid.*, ubi expugnare ponitur pro perficere, 9. *Met.* 617. Nam primum (si facta mihi revocare liceret) Non cœpisse fuit, cœpta expugnare secundum. Cf. *Cic.* 3. *Verr.* 16. 44. Quanta iste cupiditate illam sibi legationem expugnavit! *h. e.* vi obtinuit. — *b*) Sequente part. *ut*, et significat vi obtinere, extorquere, pervincere, *ottenere a forza. Cic.* 4. *Verr.* 52. 130. Certe aliqua ratione expugnasset iste, ut dies tollerentur. *Petron. Satyr.* 108. Ægre expugnavit, ut etc. *a grande stento ottenne, che* etc. — Hinc Part. præs.

Expugnans, *antis*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Expugnantior* apud *Ovid.* 14. *Met.* 20., ut quidem leg. *Bach, Jahn* et alii: *V.* EXPUGNAX.

EXPULLŬLO, as, are, n. 1. valde pullulo. *Isid.* 17. *Orig.* 7. Hæc arbor, simul ut excisa fuerit, tamquam silva expullulare consuevit.

EXPULSĀTUS, a, um. *V.* EXPULSO.

EXPULSIM, adverb. antiqui dixerunt pro expellendo, ut *cæsim* pro cædendo. *Varro* apud *Non.* p. 104. 29. *Merc.* Videbis pueros pila expulsim ludere.

EXPULSĬO, ōnis, f. 3. actus expellendi. *Cic.* 6. *Parad.* 2. 46. Qui expulsiones vicinorum, qui latrocinia in agris, etc. *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 1. *c.* 13. At quum per vias expulsionis eorum (*humorum*) impetus torrens et repentinus eruperit, sic, si possumus, præsens periculum removemus.

EXPULSĪVUS, a, um, adject. qui expellit, seu vim expellendi habens. *Cassiod. de anim.* 6. Virtus animæ expulsiva, quæ, ut natura fiat libera, sibi noxitura depellit.

EXPULSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. ab* expello. Part. *Expulsatus* I. — Expulso est frequenter pulsando excutio.

I.) Proprie. *Ammian.* 23. 6. Seleucia per duces expulsata. *h. e.* pulsata, vexata, afflicta, adeoque expugnata.

II.) Figurate. *Martial.* 14. 46. Si me mobilibus scis expulsare sinistris, Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

EXPULSOR, ōris, m. 3. qui expellit. *Cic. Quinct.* 8. 30. Iste homo acerrimus bonorum possessor, expulsor, ereptor, annum et sex menses nihil petit. *Nepos Dion.* 10. Expulsor tyranni.

EXPULSUS, a, um. *V.* EXPELLO.

EXPULTRIX, īcis, f. 3. quæ expellit. *Cic.* 5. *Tusc.* 2. 5. O vitæ philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum!

EXPŪMĬCO, as, are, a. 1. (ex *et* pumex) pumice polio. Occurrit translate tantum apud *Tertull. advers. Valent.* 16. Hic, opinor, susceptum ab omnibus injuriis passionis expumicat.

EXPŪMO. *V.* EXSPUMO.

EXPUNCTĬO, ōnis, f. 3. actus expungendi. *Tertull. Idolol.* 16. Operæ meæ expunctio. *h. e.* præstatio. *V.* EXPUNGO sub *B.* II.

EXPUNCTOR, ōris, m. 3. qui expungit et delet. *Tertull. Orat.* 1. Expunctor totius retro vetustatis.

EXPUNCTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXPUNGO, pungis, punxi, punctum, pungere, a. 3. (ex *et* pungo). Part. *Expunctus* sub *A.* I. et sub *B.* I. — Expungere duo diversa significat, scilicet *A*) Notatis punctis delere; aut *B*) Notatis punctis ultimam manum calculo imponere.

A) Expungere, ἐξαλείφω, est notatis punctis, quod scriptum est, delere (It. *cancellare*; Fr. *effacer, rayer*; Hisp. *borrar, testar, deshacer*; Germ. *ausstechen, auspunctiren*; Angl. *to blot out, efface, expunge*).

I.) Proprie expungi dicitur nomen, quum, persoluta pecunia, debitoris nomen ex tabulis accepti et expensi deletur: item milites expungi dicuntur a militia, quum nomina eorum ex albo eraduntur et ipsi a militia removentur: item judices dicuntur expungi, quando amoventur a judicando, velut erasi ex albo judicum; id enim fiebat punctis circumscriptis, vel, ut affirmat *A. Maius* in *præfat.* ad *Cic. libr. de republ. p.* 36., superne, raro inferne notatis. *Plaut. Cist.* 1. 3. 41. Nunc quod reliquum restat, volo persolvere, ut expungatur nomen, ne quid debeam. (Huc pertinere videtur illud *Senecæ Ep.* 9. *in fin.* Quam vocem tu boni consule, atismsi hunc diem jam expunxi. *h. e.* persolvi quod hoc die debebam; atque adeo hujus diei nomen rationesque confeci. *ho saldata la partita di questo di.* et illud 4. *Benef. sub fin.* Rejiciendi genus est, protinus aliquid invicem mittere et munus munere expungere. *h. e.* beneficio accipiendo dandoque paria facere. *Forcellinus* hæc duo *Senecæ* loca ad posteriorem paragr. *B.* I. retulit.). Ceterum *Plaut. Curc.* 4. 4. 29. Miles pulcre centuriatus expuncto in manipulo. *Papinian. Dig.* 49. 16. 15. Ex causa desertionis notatus, temporis, quo in desertione fuit, stipendiis expungitur. *h. e.* privatur stipendiis ejus temporis. *Sueton. Claud.* 15. Decurias judicum expungere. *h. e.* discutere et ordinare, qui retinendi essent, quive dimittendi. *Forcellinus* putat hoc *Sueton.* loco ductam esse metaphoram ab expungendis rationibus: *V.* infra sub *B.* I. — Hinc figurate *Plaut. Pers.* 5. 2. 66. Heu! nates pervellit. PAE. Licet: jamdiu sæpe sunt expunctæ. *h. e.* παρατιλμῷ, pervulsæ, depilatæ.

II.) Translate est extrudere, expellere, loco movere. *Pers.* 2. 12. pupillumve utinam, quem proximus heres Impello, expungam. — Apud *Plaut.* in *suppositis Amph. Di nostram fidem, v.* 27. expungere gloriam partam, est auferre.

B) Expungere est etiam notatis punctis ultimam manum calculo imponere, rationes perficere adeoque in ordinem redigere, *terminare un conto, metterlo in chiaro, metterlo in ordine, liquidarlo.*

I.) Proprie. *Hermogen. Dig.* 41. 3. 4. Reipublicæ rationes subscriptæ et expunctæ, adversus eum quidem, qui administraverit, ultra viginti, adversus vero heredem ultra decem annos retractari non possunt. *h. e.* dispunctæ, examinatæ, confectæ. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 26. 24. (95). Ausus est annumerare posteris stellas ac sidera ad nomen expungere. *h. e.* descriptis astrorum nominibus, eorum singula veluti appellare et eorum nominum rationes conficere. *Tertull. Cor. mil. init.* Proxime facta est liberalitas præstantissimorum imperatorum: expungebantur milites laureati. *h. e.* donabantur ab imperatoribus milites: eorum autem nomina, qui donativum accepissent, notabantur, ne bis quis acciperet.

II.) Translate est conficere, disponere, in ordinem collocare. *Tertull. Apolog.* 35. Expungere effectum. *Id. ibid.* 21. adventum. *Id. ibid.* 35. vota et gaudia Cæsarum. — *NB. Expungere* pro *pungere* legunt nonnulli apud *Martial.* 7. 83. et 8. 52.; sed utrobique alii *expingere. V.* EXPINGO.

EXPŬO. *V.* EXSPUO.

EXPURGĀTĬO, ōnis, f. 3. actus expurgandi; et figurate excusatio. *Plaut. Amph.* 3. 3. 10. Habui expurgationem; facta pax est. *h. e.* excusationem. Adde *eumd. Merc.* 5. 3. 4. *V.* voc. seq. II. 2.

EXPURGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* purgo). Part. *Expurgandus* I. et II. 1.; *Expurgaturus* II. 2. — Expurgo est idem quod purgo, vel omnino purgo (It. *nettare, purgare*; Fr. *nettoyer, émonder, purger*; Hisp. *limpiar, purgar, purificar*; Germ. *reinigen, säubern*; Angl. *to purge, cleanse, purify*).

I.) Proprie. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 5. Si trunci pars peraruit, aut cavata vitis est, dolabella conveniet expurgare quidquid emortuum est. *Id.* 2. *ibid.* 9. 11. Quum amplior messis provenerit, quidquid exteratur, capisterio expurgandum erit. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 14. 87. (142). Aristolochia sordida ulcera expurgat. *Sillig* vero leg. *purgat. Id.* 23. *ibid.* 7. 64. (126). Caprificus lepras, psoras, lichenas, lentigines expurgat.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate de oratione. *Cic. Brut.* 74. 259. Expurgandus est sermo. — De animo *Horat.* 2. *Ep.* 2. 52. sed, quod non desit, habentem Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ, Ni etc.? ¶ 2. Translate ponitur pro excusare, a culpa se liberare, objecta crimina refellendo. *Plaut. Capt.* 3. 4. 87. Me expurgare tibi volo. *Id. Mil. glor.* 2. 6. 17. Tune te expurgas mihi? *Gell.* 7. 3. Legatos miserunt, qui temeritatem quorumdam popularium suorum deprecarentur, et fidem consiliumque publicum expurgarent. *Tac.* 16. *Ann.* 21. Requirens objecta, et expurgaturum asseverans.

EXPŪTĀTUS, a, um. *V.* EXPUTO.

EXPŪTESCO, is, ere, n. 3. (ex *et* putesco) penitus putesco. *Plaut. Curc.* 2. 1. 26. Dum intestina exputescunt tibi. *Al. leg.* exputrescunt.

EXPŬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* puto). Part. *Exputatus* II. — Exputare est ramos superfluos ex arboribus, vel sarmenta ex vitibus resecare.

I.) Proprie. *Colum.* 3. *R. R.* 15. 3. Velut veteranam vitem totam exputare. *Id.* 11. *ibid.* 2. 12. Palos una opera cædere, et exputatos acuere centum numero potes. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 6. 31.

II.) Translate ponitur pro cogitare, mente volvere, perpendere, ratiocinari. *Plaut. Trin.* 2. 1. 8. Sic faciam, opinor: utramque rem simul exputem, judex sim. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 24. 6. Quæ mens eum, aut quorum consilia a tanta gloria avocarint, exputare non possum.

EXPŪTRESCO. *V.* EXPUTESCO.

EXQUÆRO, is, etc. *et*

EXQUÆSITUS, a, um. *V.* EXQUIRO sub init.

EXQUÆSTOR. *V.* in EXCONSULE.

EXQUĪRO, quiris, quisivi, quisitum, quirere, a. 3. (ex *et* quæro). *Exquærere* pro *exquirere* legitur apud *Plautum*; sic *exquæris* in *Bacch.* 4. 4. 70., *exquæsivero* in *Capt.* 2. 2. 43., et *exquæsitum* in *Stich.* 1. 2. 50.: quamquam apud *eumd.* legatur *exquiris* in *Amph.* 1. 1. 186., *exquisivero* in *Capt.* 2. 2. 1. et *Rud.* 2. 2. 24., *exquisitum* in *Capt.* 3. 4. 105., *Amph.* 2. 1. 81. et 2. 2. 159. et alibi. — Part. *Exquirens* et *Exquirendus* sub *a.*; *Exquisitum* sub *a.* et in fin.; *Exquisiturus* sub *c.* — Exquirere, ἐξετάζω, est diligenter inquirere (It. *cercare diligentemente, informarsi*; Fr. *chercher avec soin, rechercher, s'informer*; Hisp. *buscar, inquirir diligentemente, solicitar, informarse*; Germ. *ausforschen, etwas genau erforschen, sich erkundigen, fragen, ersinnen*; Angl. *to search out, inquire diligently into, informe*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo rei, quæ exquiritur, addito interdum Ablativo personæ, ex qua res exquiritur. *Plaut. Capt.* 2. 2. 1. Jam ego revertar intro, si ex his quæ volo exquisivero. *Id. ibid.* 2. 2. 43. Ego ex hoc, quæ volo, exquæsivero. *Id. Stich.* 1. 2. 50. Quid istuc est, quod huc exquæsitum mulierum mores venis? *Id. Amph.* 2. 1. 81. et 2. 2. 159. Mi istuc primum exquisito est opus. *h. e.* opus est, me hoc exquirere. *Cic.* 2. *Divinat.* 20. 46. Quum ex te causas divinationis exquirerem. *Id.* 7. *Att.* 12. 4. A te nihil dum certi exquiro, sed quid videatur. Similiter urbane *Id.* 7. *ibid.* 18. 3. Sed hæc non nimis exquiro a Græcis. *h. e.* non exspecto, non postulo. *Id. Fat.* 1. 2. Exquirentes ea consilia, quæ ad pacem pertinerent. *Id. pro leg. Manil.* 17. 51. Omissis auctoritatibus, ipsa re ac ratione exquirere possumus veritatem. *Id.* 2. *Divinat.* 12. 28. Soli sumus; licet verum exquirere sine invidia, mihi præsertim de plerisque dubitanti. *Id.* 1. *Off.* 36. 132. Cogitatio in vero exquirendo maxime versatur. *Id.* 5. *Tusc.* 23. 66. Mens rationibus agitandis exquirendisque alitur. *Id.* 6. *Verr.* 5. 10. Noli ejus facta ad antiquæ reli-

gionis rationem exquirere. Cf. eumd. Orat. 49. 163. Verba legenda sunt potissimum bene sonantia, sed ea, non ut poetæ, exquisita ad sonum, sed sumpta de medio. Id. 4. Phil. 2. 5. Quem appellare possumus eum, contra quem qui exercitus ducunt, iis senatus arbitratur singulares exquirendos honores? h. e. conferendos, *procurare, procacciare*. Cæs. 3. B. C. 3. Consilio convocato, sententias exquirere. Id. 1. B. G. 41. Itinere exquisito per Divitiacum. *informatosi della strada*. Tac. 6. Ann. 8. Exquirere abditos sensus alicujus. — Et cum addito Infinito. Plaut. Capt. 3. 4. 105. Satis istuc mihi exquisitum est, fuisse hunc servum. *sono informato abbastanza, che etc.* — b) Raro admodum cum Accusativo personæ. Plaut. Mil. glor. 2. 2. 91. Idem ego dicam, si me exquiret miles. Cf. Ter. Hecyr. 5. 2. 7. Ancillas dedo: quo lubet cruciatu per me (h. e. me auctore et permittente) exquire. — c) Cum Ablativo personæ et præpos. de. Cic. Dejot. 15. 42. Exquire de Blesamio, numquid ad regem contra dignitatem tuam scripserit. *informati di Blesamio*, inquire ab aliis de Blesamio. Cf. eumd. 13. Att. 22. 1. De Varrone non sine causa, quid tibi placeret, tam diligenter exquiro. Sueton. Cal. 33. Exquisiturum se vel fidiculis de Cæsonia sua, cur etc. h. e. a Cæsonia: *che ricercherebbe da Cesonia per via di tormenti*. — d) Sequente relativo. Plaut. Aulul. 4. 10. 70. Exquire, sit ne ita, ut ego prædico. Cic. 1. Off. 41. 147. Secum et cum aliis, qui in eo peccatum sit, exquirere. Adde allata sub c. — e) Absolute. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 3. 7. Neque nos studium exquirendi defatigati relinquemus. — Hinc Part. præter. pass.

Exquisitus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Exquisitior* et Sup. *Exquisitissimus*; et est diligenter quæsitus, atque adeo eximius, singularis, excellens, lectus, *cercato con diligenza, scelto, squisito*. — a) Posit. Cic. 1. Orat. 58. 250. Ipsi omnia, quorum negotium est, consulta ad nos et exquisita deferunt. *ben esaminate*. Id. Brut. 79. 274. Reconditæ exquisitæque sententiæ. Id. 1. Off. 37. 133. Uti exquisito judicio litterarum. *fino*. Id. 1. Fin. 9. 30. Sentiri hoc putat, ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel: quorum nihil oportere exquisitis rationibus confirmare; tantum satis est admonere. Id. 1. ibid. 1. 1. Summis ingeniis exquisitaque doctrina philosophi. Id. 2. Orat. 41. 175. Non est exquisitæ artis præscribere, sed mediocris ingenii judicare. Id. 3. Off. 27. 100. Ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci. Id. Brut. 27. 104. Semper habuit exquisitos e Græcia magistros. Id. 1. Off. 36. 130. Munditia non odiosa, neque exquisita nimis. Id. Pis. 27. 67. Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum. Plin. 9. Hist. nat. 35. 58. (119). Exquisitis epulis saginari. — b) Comp. Cic. Brut. 82. 283. Accuratius et exquisitius dicendi genus. Quintil. 11. 1. 33. Verba exquisitiora. — c) Sup. Cic. 4. Phil. 3. 6. Laudare quempiam exquisitissimis verbis. Id. 2. de republ. 21. Tarquinius omnibus iis artibus, quas ipse didicerat, ad exquisitissimam consuetudinem Græcorum Servium erudiit. Plin. 6. Hist. nat. 33. 39. (211). Sententia exquisitissimæ subtilitatis. Sillig. legit Scientia.

EXQUĪSĪTĒ, adverb. Comp. *Exquisitius* et Sup. *Exquisitissime*. — Exquisite est diligenter perquirendo, atque adeo accurate, exacte, studiose, cum cura. Cic. Brut. 80. 277. Quum de eo crimine accurate et exquisite disputavisset. Id. ibid. 93. 322. Exquisitius studere litteris. Id. 1. Tusc. 48. 116. Rationes eæ, quæ exquisitius a philosophis colliguntur. Quintil. 8. 2. 21. Id demum eleganter atque exquisite dictum putant, quod interpretandum sit. Id. 12. 10. 75. Exquisitius dictum. Gell. 13. 7. Aristoteles libros de animalibus exquisitissime composuit. Tiro Tull. apud Gell. 10. 1. Eam rem Pompejus exquisitissime retulit ad doctissimos civitatis.

EXQUĪSĪTIM, adverb. idem quod exquisite. Varro apud Non. p. 513. 29. Merc. Æger medicus exquisitim convocabas, ut convalesceres.

EXQUĪSĪTIO, ōnis, f. 3. inquisitio, investigatio. Imp. Justinian. Cod. 3. 9. 9. extr. Neque aliam in ea re exquisitionem fieri. Adde ibid. 7. 17. 1. Vulgat. interpr. Sap. 14. 12. Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum.

EXQUĪSĪTOR, ōris, m. 3. qui exquirit. Vulgat. interpr. Baruch. 3. 23. Exquisitores prudentiæ et intelligentiæ. Cassiod. 7. Variar. 5. Archimedes quoque subtilissimus exquisitor cum Metrobio tibi semper assistat. Jornand. Get. 37. Ut erat consiliorum in rebus bellicis exquisitor.

EXQUĪSĪTUS, a, um. V. EXQUIRO in fin.

EXRĀDĪCĀTUS,

EXRĀDĪCĪTUS et

EXRĀDĪCO. V. ERADICATUS, ERADICITUS, ERADICO.

EXRŎGĀRE est ex lege vetere aliquid eximere per novam legem. Paul. Diac. p. 82. 2. Müll. V. ABROGO.

EXRŬMĪNANS. V. EXGRUMANS.

EXSATIABILIS, e, adject. qui exsatiari potest. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 33.

EXSĂCRĬFĬCO, as, are, a. 1. idem quod sacrifico. Vet. Poeta apud Cic. 1. Divinat. 21. 42. Exsacrificabat hostiis balantibus.

EXSÆVIO vel exævio, is, ire, n. 4. (ex et sævio) sævire desino. Liv. 30. 39. Stetit ibi, dum reliquum tempestatis exsæviret.

EXSANGUĬNĀTUS vel exanguinatus, a, um, particip. ab inusit. *exsanguino*, exsanguis, imbecillis. Vitruv. 8. procem. Animalia si fuerint sine humoris potestate exsanguinata et exsucta.

EXSANGUIS vel exanguis, e, adject. (ex et sanguis) ἄναιμος, sine sanguine, ex vulnere aut morbo (It. *senza sangue, esangue*; Fr. *qui n'a plus de sang*; Hisp. *sin sangre*; Germ. *blutlos*; Angl. *without blood, bloodless*).

I.) Proprie. Lucret. 3. 724. unde animantum copia tanta Exos et exsanguis. Cic. Sext. 37. 79. Jacens et concisus plurimis vulneribus, extremo spiritu exsanguis et confectus. Id. Pis. 36. 88. Exsanguis et mortuus concidisti. Cf. Liv. 29. 9. Ipsum hostiliter lacerant, et prope exsanguem, naso auribusque mutilatis, relinquunt. Rursus Cic. Sext. 10. 24. Homines enervati atque exsangues. Id. 7. Verr. 49. 130. Exsanguium corpora mortuorum. Virg. 6. Æn. 401. Exsangues umbræ. h. e. animæ defunctorum.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro pallido, pallente. Vetus Poeta apud Cic. 3. Tusc. 12. 26. Lacrimæ peredere humore exsangues genas. Cic. Haruspresp. 1. 2. Exsanguis atque æstuans se ex curia repente proripuit. Virg. 2. Æn. 212. Diffugimus visu exsangues. Ovid. 9. Met. 224. Exsangues metu. Id. 4. ibid. 267. Exsangues herbæ. Poetice causam quoque vim habet, et est qui pallere facit. Horat. 1. Ep. 19. 18. Exsangue cuminum. h. e. quod pallidos et exsangues reddit, ut Plin. 20. Hist. nat. 14. 57. (159). docet. Sic Claudian. 2. in Rufin. 130. exsanguis Rufinum perculit horror. Cf. Ovid. 15. Met. 627. Pallidaque exsangui squalebant corpora tabo. ¶ 2. Item ponitur pro eo, qui nervis ac viribus caret. Cic. 1. Herenn. 11. 16. Aridum et exsangue orationis genus. Sic Tac. Dial. de orat. 18. Calvum Ciceroni visum exsanguem et attritum. Ovid. 3. Trist. 1. 55. Aspicis exsangui chartam pallere colore? Gell. 13. 20. Muta, ut urbis dicas: nimis exilis vox erit et exsanguis. Stat. 11. Theb. 323. exsangues crudescunt luctibus anni. h. e. anni senectutis. Id. 5. ibid. 325. Exsangue imperium et mæstam sine culmine Lemnon. h. e. ubi domini occisi.

EXSĂNIO, as, are, a. 1. (ex et sanies) saniem extrahere, vel sæpius humore tætro vel crudo, qui quasi quædam sanies est, liberare.

I.) Proprie. Cels. 5. 27. sub init. Si sal aridus vulneri imponitur, superque id duobus digitis verberatur, exsaniat enim. Colum. 12. R. R. 53. 2. de salsura carnis. Compositis tergoribus aut frustis vasta pondera imposito, ut exsanietur. Id. ibid. 47. 10. Patimur pondere pressam baccam velut exsaniari.

II.) Translate est emittere et purgare. Colum. 12. R. R. 57. 1. Ut omnem amaritudinem et pallorem exsaniet. h. e. emittat et purgetur.

EXSARCĬO vel exsercio, vel s omissa exarcio, exercio, sarcis, sartum, sarcire, a. 4. (ex et sarcio). Part. *Exsarturus*. — Exsarcio est idem fere quod sarcio. Ter. Heaut. 1. 1. 91. Servos, nisi eos qui opere faciundo facile sumptum exarcirent, (vel, ut leg. Muretus, exsercirent) omnes vendidi. Al. male leg. facile victum exercent. V. EXERCEO. Q. Cic. Petit. cons. 11. 45. Quum id petitur, quod honeste promittere non possumus, belle negandum est, ut ostendas necessitudinem, demonstres quam moleste feras, aliis te id rebus exsarturum esse persuadeas. Al. leg. exarturum. Paul. Diac. p. 81. 7. Müll. Exsercirent, sarcirent.

EXSĀTIĀTUS, a, um. V. voc. seq.

EXSĀTĬO, as, avi, atum, are, a. 1. (ex et satio). Part. *Exsatiatus* I. et II. — Exsatio est omnino satio.

I.) Proprie. Liv. 40. 28. Exsatiati cibo vinoque.

II.) Figurate. Liv. 38. 54. Ne morte quidem alicujus exsatiari. Ovid. 8. Met. 542. Parthaoniæ tandem Letoia clade Exsatiata domus. Curt. 9. 6. Exsatiatæ laudi modum facere. Sil. It. 7. 535. Multo cruore exsatiare enses. Stat. 9. Theb. 14. Exsatiare tela.

EXSĀTŬRĀBĬLIS, e, adject. qui saturari potest. Virg. 5. Æn. 781. Junonis gravis ira, nec exsaturabile pectus. Sic leg. optimi Codd. et edit. Alii vero et inexsaturabile.

EXSĀTŬRĀTUS, a, um. V. voc. seq.

EXSĀTŬRO, as, avi, atum, are, a. 1. (ex et saturo). Part. *Exsaturatus* I. et II.; *Exsaturandus* I. — Exsaturo est omnino satio, saturo.

I.) Proprie. Cic. 5. Tusc. 35. 101. Sardanapalus jussit incidi in busto: Hæc habeo, quæ edi, quæque exsaturata libido Hausit. Ovid. 5. Met. 19. Bellua exsaturanda visceribus meis.

II.) Figurate. Cic. 7. Verr. 26. 65. Alicujus supplicio pascere oculos animumque exsaturare. Cf. Stat. 6. Theb. 176. vulnere justo Exsaturata oculos. Virg. 7. Æn. 298. odiis exsaturata quievi.

EXSCALPO vel excalpo, pis, psi, ptum, pere, et

EXSCALPTUS, a, um. V. EXSCULPO.

EXSCENDO, is, etc. V. ESCENDO.

EXSCENSĬO, ōnis, f. 3. descensus, eorum præsertim, qui navi egrediuntur. Est vox Livii propria et jungitur cum verbo *facere*. — a) In singulari numero. Liv. 11. 10. ad fin. Classis exscensionem ad populandum fecit. Id. 28. 8. Quinqueremibus septem ad Erythras exscensionem fecit. Curt. 9. 4. 14. Exscensione, ducenta stadia processit, depopulatusque regionem, etc. Adde Liv. 37. 17. ubi alii, *descensionem*, et 27. 29., et 8. 17., ubi alii *excursionem* reponunt: item 22. 20., ubi pro *exscensione ab navibus in terram facta*, al. leg. *exscensu facto*. — b) In plurali numero. Liv. 22. 31. Cn. Servilius Geminus consul cum classe centum viginti navium — in Africam transmisit: et, priusquam in continentem exscensiones faceret, Meninge insula vastata, etc. Adde eumd. 29. 28.

EXSCENSUS, us, m. 4. idem quod exscensio. V. in voc. præced. sub a.

EXSCINDO vel excindo, scindis, scidi, scissum, scindere, a. 3. (ex et scindo). *Exscindere* pro *excindere* quidam leg. apud Sil. It. 7. 613. ut sit a cædo: sed tunc *excidere* esset scribendum. — Exscindo est diruo, destruo.

I.) Proprie. Virg. 2. Æn. 177. Exscindere urbem telis. et 12. ibid. 643. domos. Id. 9. ibid. 137. Gentem aliquam ferro exscindere. Cæs. 7. B. G. 50. portas. Tac. 2. Ann. 25. Populari et exscindere hostem. Stat. 3. Silv. 1. 123. rupes et saxa necantia ferro.

II.) Translate. Tac. Agric. 19. Causas bellorum exscindere. Plin. Paneg. 31. Exscidisti intestinum malum, et provida severitate cavisti, etc.

EXCISSĀTUS, a, um. V. EXCISATUS.

EXSCRĔĀBĬLIS vel excreabilis, e, adject. qui exscreari potest. Plin. 20. Hist. nat. 14. 55. (157). Pulmonum vitia exscreabilia facit.

EXSCRĔĀMENTUM, quod spuimus vel exscreamus halitu. Gloss. Placid. edente A. Mai in Class. Auct. T. 3. p. 156.

EXSCRĔĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exscreandi cum vi quadam, ut Exscreatio sanguinis, Exscreatio cruenta. Plin. 27. Hist. nat. 12. 91. (113)., et 28. ibid. 12. 53. (195).

EXSCRĔĀTUS, us, m. 4. idem quod exscreatio. Cæl. Aurel. 2. Tard. 11. Cum quodam exscreatu despuitur. Adde eumd. 5. ibid. 10.

EXSCRĔO, as, are, a. 1. (ex et screo). Part. *Exscreans*. — Exscreo est cum impetu et sonitu exspuo. — a) Cum Accusativo rei. Plaut. in suppositis Amph. Tun' me macies, v. 7. Ut cum dentibus linguam exscreces. Cels. 4. 6. Per tussim exscreatur, si tolerabilis morbus est, pituita; si gravis, sanguis. Plin. 24. Hist. nat. 16. 92. (115). Exscreantes pu-

ra. — *b*) Absolute. *Ovid. Heroid.* 21. 24. Exscreat, et ficta dat modo signa nota. — Exscreare minime licebat in scæna, ut constat ex *Sueton. Ner.* 24. et *Tac.* 16. *Ann.* 4.

EXSCRĪBO, bis, psi, ptum, bere, a. 3. (ex et scribo). Part. *Exscriptus* I. 1. et in fin.; *Exscribendus*. I. 2. — Exscribo est describo, ex aliquo exemplari scribo (It. *copiare, trascrivere*; Fr. *copier, transcrire*; Hisp. *copiar, transcribir*; Germ. *ausschreiben, copiren*; Angl. *to copy, transcribe*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de eo, qui verba ab aliquo alio libro scribit. *Varro* 2. *R. R.* 5. 18. Complura exscripts e Magonis libris. *Cic.* 4. *Verr.* 77. 189. Tabulas in foro summa hominum frequentia exscribo. *Id. Fontej.* 4. 8. Quod vos, si nulla alia ex re, ex litteris quidem nostris, quas exscriptas habetis, et missis et allatis, certe scire potuistis. *Ita restitutus fuit locus hic corruptus. Gell.* 3. 3. Ex Plauti comœdia duos versus exscribere. ¶ 2. Latiori sensu de eo, qui pingendo describit. *Plin.* 4. *Ep.* 28. Magni æstimat in bibliotheca sua ponere imagines Cornelii Nepotis et Titi Cassii; petitque, si sunt istic, exscribendas pingendasque delegem.

II.) Translate. *Plin.* 5. *Ep.* 16. 9. Amisit filiam, quæ non minus mores ejus, quam os vultumque referebat, totumque patrem mira similitudine exscripserat. — Hinc Part. præter. pass.

Exscriptus, a, um, quod usurpatur pro simpliciter perscriptus, notatus. *Plaut. Rud. prol.* 15. Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem. et 21. Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.

EXSCRIPTOR, oris, m. 3. qui exscribit. Hinc *Licinius* apud *Cic.* 1. *Fin.* 2. 5. de *Attilio* ita loquitur: Ferreum scriptorem virum opinor, exscriptorem tamen, ut legendum sit. *Alii tamen rectius leg.* Ferreum scriptorem; verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit. *Nihili igitur est vox* exscriptor.

EXSCRIPTUS, a, um. *V.* EXSCRIBO.

EXSCULPO *vel* exculpo, sculpis, sculpsi, sculptum, sculpere, a. 3. (ex et sculpo). Pro *exsculpo* nonnulli leg. *exscalpo* apud *Caton. R. R.* 18., *Varron.* 5. *L. L.* 143. *Müll.*, *Nepot. Pausan.* 1. et *Quintil.* 2. 19. 3. — Part. *Exsculptus* sub *A*. 1. — Exsculpere duo diversa significat, prout præpositio *ex A*) Est intensiva: aut *B*) Privativa.

A) Quum præpositio *ex* est intensiva exsculpere, ἐγγλύφω, διαγλύφω, est scalpendo excavare, scalpendo aliquid inde effingere, perfecte sculpere (It. *scavare, scolpire*; Fr. *creuser, sculpter*; Hisp. *ahondar, cavar, esculpir*; Germ. *ausgraben, herauskratzen, ausmeisseln*; Angl. *to scratch or scrape out, to excavate, to engrave, carve*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 18. Foramina arborum exsculpta digitos sex. *Varro* 5. *L. L.* 143. *Müll.* Serram unde exsculpserant, fossam vocabant. *Id.* 3. *R. R.* 9. 8. In pariete exsculpta sunt cubilia earum. et *mox*. Cubilia gallinarum in parietibus aut exsculpta, aut affixa firmiter. *Cic.* 13. *Att.* 28. 2. Nescio quid e quorum exsculpseram, quod videretur simile simulacri. *Quintil.* 2. 19. 3. Si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exsculpere. Cf. *eumd.* 2. 4. 7. *de ubertate eloquentiæ.* Materiam esse primum volo vel abundantiorem atque ultra quam oporteat fusam —: sit modo, unde excidi possit, et quod exsculpi. Erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus et quam cælatura altior rumpat.

II.) Translate pro extrahere, extorquere, *cavar fuori*. — Hinc proverbium de re valde difficili. *Lucilius* apud *Non.* p. 102. 23. *Merc.* Leoni esurienti ex ore exsculpere prædam. — Ceterum locum habet apud Comicos tantum. *Ter. Eun.* 4. 4. 44. Possum ne hodie ex te exsculpere verum? *Plaut. Cist.* 2. 2. 6. In quæstione vix exsculpsi, ut diceret.

B) Quum præpositio *ex* est negativa, exsculpere sumitur pro delere quod insculptum est, abradere. *Nepos Pausan.* 1. Quum tripodem aureum Delphis posuisset, in quo erat hæc sententia —: hos versus Lacedæmonii exsculpserunt. — Exsculpere alicui oculum apud *Ter. Phorm.* 5. 7. *in fin.* est ejicere. Plerique tamen leg. *excludere*.

EXSCULPTUS, a, um. *V.* voc. præced.

EXSĔCATĬO, ōnis, f. 3. idem quod exsectio, quæ est eadem vox per syncopen contracta. *Cassiod.* 12. *Variar.* 28. *ante med.* His additur Alemannorum nuper fugata subreptio, quasi salutaris ferri exsecatione purgata.

EXSĔCO *vel* execo, sĕcas, sĕcŭi, sectum, sĕcare, a. 1. (ex et seco). *Exsecaveris* pro *exsecueris* habet *Cato R. R.* 42. — *Exsico* pro *exseco* legitur apud *Plaut.* loco infra cit. sub I. 1. Quidam hoc a *sica* deducunt, et pænultimam protrahunt. — Part. *Exsectus* in omnibus paragr.; *Exsecandus* I. 1. — Exseco est excido, extra seco (It. *tagliar via*; Fr. *enlever en coupant, couper, retrancher*; Hisp. *alzar cortando, cortar, dividir*; Germ. *ausschneiden*; Angl. *to cut out or away*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Rud.* 1. 2. 34. Quin tu in paludem is, exsicasque arundines, qui pertegamus villam, dum sudum est? *Cic. Cluent.* 66. 187. Stratonem in crucem actum exsecta scilicet lingua. *Id. Cluent.* 64. 179. Armarii fundum exsecuit, et pecuniam abstulit. *Id.* 2. *leg. Agr.* 33. 91. Exsecare nervos reipublicæ. *Sic Id.* 2. *Att.* 1. Non minus esset probanda medicina, quæ sanaret vitiosas partes reipublicæ, quam quæ exsecaret. *Id. Sext.* 65. 135. Exsecare pestem aliquam, tamquam strumam civitatis. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 59. Fruns cornu exsecto. *Colum.* 5. *R. R.* 11. 3. Arborem, quam inserere voles, serra diligenter exsecato ea parte, qua etc. *Seneca Ep.* 78. *a med.* Qui dum varices exsecandas præberet. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 55. 81. (217). Fetus ventri leporis exsectos, vel uberibus ablatos in cibatu habere. *Ulp. Dig.* 28. 2. 12. Filius exsecto ventre editus. ¶ 2. Speciatim ponitur pro castrare. *Martial.* 6. 2. imeritos exsecuisse mares. Adde *Cic.* 2. *Nat. D.* 24. 63.; et *Sueton. Ner.* 28. — Hinc *exsecti* absolute dicuntur, quibus amputata virilitas sunt. *Auct. B. Alex.* 70. Neque interfectis amissam vitam, neque exsectis virilitatem restituere posse. *Lucan.* 10. 133. infelix ferro mollita juventus Atque exsecta virum. *hellenismus.*

II.) Translate: ad rem *Fronto de eloquent.* (edente iterum *A. Mai*) p. 229. Si linguam quis uni homini exsecet, immanis habeatur; eloquentiam humano generi exsecari mediocre facinus putas? *Horat.* 1. *Sat.* 2. 14. Quinas hic capiti mercedes exsecat. *ubi* quinas mercedes sive usuras cogita quovis mense numerandas, *h. e.* 60 pro 100 per spatium annuum. Scite autem *exsecare* junxit cum *capite*; nimirum callidus fenerator quasi alter Hercules capiti perferendo mercedes exsecat. *Plin.* 2. *Ep.* 12. Quid enim miserius, quam exsectum et exemptum honoribus senatoriis, labore et molestia non carere?

EXSĔCRĀBĬLIS *vel* execrabilis, e, adject. Comp. *Exsecrabilior* 1. — Exsecrabilis occurrit ¶ 1. Passive, et est exsecratione dignus, detestabilis. *Val. Max.* 1. 1. n. 15. Exsecrabile ac dirum solum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 48. 72. (155). Sed nihil exsecrabilius, etc. ¶ 2. Item active, qui cum exsecratione conjunctus est, ut Odium exsecrabile, *Liv.* 9. 26. Exsecrabile carmen, *Id.* 31. 17.

EXSĔCRĀBĬLĬTAS *vel* execrabilitas, ātis, f. 3. abominatio. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Vitia pariunt exsecrabilitatem.

EXSĔCRĀBĬLĬTER *vel* execrabiliter, adverb. Comp. *Exsecrabilius*. — Exsecrabiliter est cum exsecratione. *Augustin. Ep.* 35. (*al.* 169.). Ab eis vero considera, quæso te, quam exsecrabiliter fiat. *Novell. Anthem.* tit. 1. Sed ad illicita consortia exsecrabiliter adspirantes. *Augustin.* 8. *Confess.* 7. Tanto exsecrabilius me oderam. Adde *Ennod. Dict.* 20., ubi quoque Compar. occurrit.

EXSĔCRĀMENTUM *vel* execramentum, i, n. 2. idem quod exsecratio. *Tertull. Apolog.* 22. et *adv. Jud.* 5., sed utrobique alii aliter leg. Nutantem vocis auctoritatem obfirma hoc loco *Vulgat. interpr. Eccli.* 15. 13. Omne exsecramentum erroris odit Dominus.

EXSĔCRANDUS, a, um. *V.* EXSECROR.

EXSĔCRĀTĬO *vel* execratio, ōnis, f. 3. actus exsecrandi (It. *esecrazione, maledizione*; Fr. *imprécation, malédiction, exécration*; Hisp. *execracion, imprecacion, maldicion*; Germ. d. *Verwünschung*, d. *Fluch*; Angl. *the imprecation or execration added to an oath, an oath*). Occurrit ¶ 1. Generatim et est imprecatio, detestatio. *Cic. Sext.* 33. 71. Exierunt malis omnibus atque exsecrationibus duo vulturii paludati. *Id. Pis.* 19. 43. Thyestea ista exsecratio est, ut te naufragio expulsus etc. *Sueton. Claud.* 12. Diris exsecrationibus incessere aliquem. *Vellej.* 2. 22. Precatus deos in exsecrationem Cinnæ partiumque ejus. *Plin.* 19. *Hist. nat. proœm.* 1. (6). Nulla exsecratio sufficit contra inventorem. *Tac.* 3. *Hist.* 25. Sævissimi belli exsecratio. ¶ 2. Speciatim est sacramenti genus, quo quis diras sibi, vel alteri imprecatur, si fallat. *Cic. Sext.* 7. 15. Hunc Pompejus omni cautione, fœdere, exsecratione devinxerat, nihil contra me esse facturum. *Id.* 7. *Verr.* 40. 104. Ubi fides? ubi exsecrationes? ubi dextræ complexusque? *Id.* 3. *Off.* 13. 55. Quod Athenis exsecrationibus publicis sancitum est. *Sall. Cat.* 23. Humani corporis sanguinem in pateris circumtulisse, inde quum post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in solemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum. Adde *Liv.* 26. 25. *Tac.* 4. *Hist.* 15. Barbaro ritu et patriis exsecrationibus universos adigit.

EXSĔCRĀTOR *vel* execrator, ōris, m. 3. qui exsecratur et detestatur. *Tertull. Pudic.* 15. Exsecrator impuritatis. Adde *Augustin. Ep.* 166. *sub fin.*

EXSĔCRĀTUS *vel* execratus, a, um. *V.* EXSECROR.

EXSĔCRO, as, etc. *V.* voc. seq.

EXSĔCROR *vel* execror, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ex et sacer). *Exsecrare* activa positione habet *Afranius* apud *Non.* p. 473. 24. *Merc.* Exsecrabant, exsecrabant se ac suos. Confirmat *Priscian.* 8. p. 797. *Putsch.*, itemque Part. *Exsecratus* et *Exsecrandus* passiva significatione, quæ *V.* in fin. — Part. *Exsecrans* sub *e*; *Exsecratus* sub *a.*, *b.*, *e.* et in fin.; *Exsecrandus* in fin. — Exsecrari, καταρᾶσθαι, est male alicui precari, diris devovere, detestari, abominari: ab *ex* et *sacer*, quasi sacrum esse et iræ deorum obnoxium declaro (It. *pregar male, fare imprecazioni, detestare, maledire*; Fr. *maudire, charger d'imprécation, vouer à l'exécration*; Hisp. *maldecir, echar imprecaciones*; Germ. *verwünschen, verfluchen*; Ang. *to curse, execrate, detest, imprecate*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ sut rei, cui quis male precatur. *Cic. Pis.* 40. 96. Te oderunt, tibi pestem exoptant, te exsecrantur. Adde *eumd. ibid.* 14. 33. *Id.* 1. *Legg.* 12. 33. Recte Socrates exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem a natura sejunxisset. Adde *eumd.* 3. *Off.* 3. 11. *Val. Max.* 3. 2. n. 20. Se ipsum et suos exsecratus. *Sall. Cat.* 48. Exsecrari consilia Catilinæ. *Justin.* 13. 1. 7. severitatem nimiam et assidua belli pericula. *Id.* 39. 1. 3. superbiam regis. *Ulp. Dig.* 4. 7. 4. item. — *b*) Cum Accusativo personæ et præpos. *in*. *Liv.* 30. 20. Respexisse Hannibalem sæpe Italiæ litora et deos hominesque accusantem, in se quoque ac suum ipsius caput exsecratum, quod non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam duxisset. *Id.* 39. 51. *extr.* Exsecratus deinde in caput regnumque Prusiæ. — *c*) Poetice cum Accusativo, sed communi, dirarum, quæ fiunt. *Horat. Epod.* 16. 35. Hæc et quæ poterunt reditus abscindere dulces Eamus omnis exsecrata civitas. — *d*) Sequente part. *ut*. *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 107. Exsecratur Thyestes, ut naufragio pereat Atreus. — *e*) Absolute. *Liv.* 1. 59. *extr.* Tullia domo profugit, exsecrantibus, quacumque incedebat, invocantibusque parentum furias viris mulieribusque. *Ovid.* 5. *Met.* 105. seminanimi verba exsecrantia lingua Edidit. — Hinc Part. præter.

Exsecratus, a, um, passive quoque significatione, et adjective occurrit, unde Sup. *Exsecratissimus*: et est exsecrabilis, *execrando, detestabile*, καταρατός. *Cato* apud *Priscian.* 8. p. 792. *Putsch.* Exsules duo lege publica exsecrati. καταρασθέντες, ut *Priscian.* exponit, diris devoti, ea ratione, qua in EXSECRATIO 2. dictum est. *Cic.* 1. *Phil.* 2. 5. Eversio exsecratæ columnæ. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (27). Exsecratissima auguria.

Exsecrandus, a, um, passiva significatione et adjective occurrit, unde Sup. *Exsecrandissimus*; et est abominandus, detestabilis. *Cic.* 2. *Phil.* 26. 65. Non te exsecrandum populo Romano, non detestabilem — sclas. *Plerique tamen leg.* exsecratum. *Salvian.* 7. *Gub. Dei* 19. Exsecrandissimum nefas.

EXSECTĬO, ōnis, f. 3. actus exsecandi. — *a*) In singulari numero. *Cic. Cluent.* 67. 191. Exsectio linguæ. *Id. ibid.* 64. 180. Quum exsectio illa fundi in armario animadverteretur. — *b*) In plurali numero. *Arnob.* 5. 14. Exsectiones mammarum.

EXSECTOR, ōris, m. 3. qui exsecat, seu castrat. *Apul.* 8. *Met.* Detestabilis exsector virilitatis.

EXSECTUS, a, um. *V.* EXSECO.

EXSĔCŪTĬO *vel* executio, ōnis, f. 3. actus exsequendi; sed occurrit translate tantum. ¶ 1. Generatim est actus præstandi ac perficiendi aliquid: *V.*

EXSEQUOR II. 3. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 8. 34. (53). Instituti operis exsecutio. *Frontin. Aquæd. in fin.* Exsecutio legis. *Tac.* 3. *Ann.* 31. Exsecutionem operis suscipere. *h. e.* administrationem et confectionem. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores, est rei amplificatio, seu dissertatio, quæ singula rei adjuncta persequitur: *V.* EXSEQUOR II. 4. *Seneca præfat.* 3. *Controv.* Erat et illud in argumentatione vitium, quod quæstionem, non tamquam partem controversiæ, sed tamquam controversiam implebat. Omnis quæstio suam probationem habebat, suam exsecutionem, suos excessus, suas indignationes, epilogum quoque suum. *h. e.* amplificationem, qua pluribus verbis argumenta exsequebantur. *Id. Ep.* 52. *sub fin.* Differam hoc in præsenti: desiderat enim propriam et longam exsecutionem, quemadmodum populo disserendum, quid sibi apud populum permittendum sit. *h. e.* requirit, ut longiore sermone prosequar explicando, quemadmodum etc. *Plin.* 8. *Ep.* 14. 6. Quæ potestas referentibus, quod censentibus jus, quis dicendi modus, quæ distinctio pugnantium sententiarum, quæ exsecutio prioribus aliquid addentium. *h. e.* ratio exsequendi et disserendi addendo priori sententiæ aliquid. Adde *Quintil.* 5. 13. 27. ¶ 3. Item speciatim apud JCtos est delictorum persecutio in judicio, donec puniantur: *V.* EXSEQUOR II. 5. *Ulp. Dig.* 47. 1. 1. Exsecutio quorumdam delictorum heredibus data est. Sic *Id. ibid.* 50. 16. 131. *extr.* Criminis, sive delicti exsecutio.

EXSĔCŪTOR *vel* executor, ōris, m. 3. qui exsequitur; sed occurrit translate tantum. ¶ 1. Generatim est qui aliquid perficit: *V.* EXSEQUOR II. 3. *Vellej.* 2. 45. Clodius malorum propositorum exsecutor acerrimus. *Apul.* 7. *Met.* et *Macer Dig.* 49. 1. 4. Ab exsecutore sententiæ appellare non licet. *Imp. Constantin. Cod.* 8. 17. 7. Exsecutores a judice dati ad exigenda debita ea, quæ civiliter poscuntur. ¶ 2. Speciatim est qui aliquem in judicio persequitur, ultor: *V.* EXSEQUOR II. 5. *Sueton. Vesp.* 14. Offensarum inimicitiarumque minime memor exsecutorve. *h. e.* ultor.

EXSĔCŪTUS *vel* exsequutus *vel* executus, a, um. *V.* EXSEQUOR.

EXSENSUS *vel* exensus, a, um, adject. qui est sine sensu. Unde *exsensam mentem* dixit *Nævius* apud *Gell.* 19. 7. et *Non.* p. 361. 17. *Merc.*

EXSĔQUENS. *V.* EXSEQUOR.

EXSĔQUIĀRIUM *vel* exequiarium, ii, n. 2. stipes, quæ datur iis, qui exsequias funeris prosequuntur. *Inscript.* opt. notæ, quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CXXXVI., non multis abhinc annis reperta Lanuvii, edita vero in *Atti dell' Accad. archeol. Rom. T.* 2. p. 462. *lin.* 24., quæ est apud *Henzen.* 6086. QVISQVIS EX HOC CORPORE NOSTRO SALIATUS DECESSERIT, EVM SEQVENTVR EX ARCA H-S CCCC. N., EX QVA SVMMA DECEDENT EXEQVIARII NOMINE H-S L. (*corrige* L.) N., QVI AD ROGVS (*pro* rogum) DIVIDENTVR. *mox lin.* 33. DEDVCTIS COMMODIS ET EXEQVIARIIS. Simile quid habetur in *Inscript.* apud *Gruter.* 1115. 8. VNIVERSI TRIBVLES TESTAMENTO DIVISIONE EXEQVIARVM EIVS HONORATI SVNT.

EXSĔQUIÆ *vel* exequiæ, ārum, f. plur. 1. — *Exsequium ii*, n. 2. eodem sensu occurrit in *Inscript.* apud *Gruter.* 926. 2. et apud *Franc. Tauro nella sua villa Tauro delle Centenere p.* 6. L. FETVAIO NEPOTI, QVI, VT EXEQVIVM SIBI FACERENT, DONAVI CLARNEATIBVS H-S N. X DC etc. ¶ 1. Stricto sensu sunt pompa funeris, comitatus eorum, qui ad sepulturam elatum cadaver sequuntur. Hinc *Tac.* 4. *Hist.* 62. Silens agmen et velut longæ exsequiæ. *Exsequor* etiam comitandi ad sepulcrum significationem habet. — *Ire exsequias* apud *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 2. et *Sil. It.* 15. 395. est ire ad exsequias: ductum a formula vocandi ad exsequias, cujus maximam partem ita refert *Ter. Phorm.* 5. 8. 37. Exsequias Chremeti quibus est commodum ire, hem, tempus est: ollus effertur. *Cic. Mil.* 13. 33. Clodii cadaver spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione. *Id.* 2. *Legg.* 17. 42. Sepultura et justis exsequiarum carere. *Id. Quinct.* 15. 50. Funus, quo amici conveniunt ad exsequias cohonestandas. *Id. Cluent.* 71. 201. Prosequi exsequias funeris. *Ovid.* 2. *Fast.* 847. Ferre aliquem in exsequias. *Curt.* 10. 5.; *Sil. It.* 16. 306.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 64. (154). Ducere exsequias alicui. *Plin.* 11. *ibid.* 18. 20. (63). comitari. *Virg.* 7. *Æn.* 5. solvere. *Justin.* 38. in *fin.*; et *Ovid.* 1. *Pont.* 9. 52. alicui facere regio more. *Id.* 1. *Fast.* 849. dare. *Id.* 2. *ibid.* 818. parare. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 6. Exsequiis adesse. *Justin.* 9. 7. Currere ad exsequias. *Sueton. Tib.* 32. Exsequias frequentare usque ad rogum. *Tac.* 3. *Ann.* 48. Mortem alicujus publicis exsequiis frequentare. *Liv.* 25. 17. Exsequias celebrare. *Flor.* 3. 20. Ducum funera imperatoriis exsequiis celebrare. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 43. 60. (122). Funus innumeris exsequiis celebratum. *h. e.* innumero comitatu. *Tac.* 11. *Ann.* 9. Exsequiis vilibus cremare. *Albinov.* 1. 218. Exsequias alicui reddere. ¶ 2. Latiori sensu apud sequioris ævi scriptores exsequiæ dicuntur ipsæ mortuorum reliquiæ. *Eutrop.* 7. 18. Neronis exsequiæ humiliter sepultæ.

EXSĔQUIĀLIS *vel* exequialis, e, adject. ad exsequias pertinens. *Ovid.* 4. *Met.* 430. Carmina jam moriens canit exsequialia cygnus. *Stat.* 11. *Theb.* 610. justa exsequialia. *Prudent.* 14. περὶ στεφ. 51. Verbisque (*seminecem*) deflent exsequialibus.

EXSĔQUIOR *vel* exequior, āris, ātus sum, ari, dep. 1. exsequias facio. *Varro* apud *Non.* p. 107. 1. *Merc.* Ipsum propter vix (*Turnebus Advers.* 28. 12. et *Oehler Satur. Menipp.* p. 103. protervi) liberti semirasi exsequiantur. *Loco* propter vix *rectius Vahlen., qui aristophaneum agnovit,* p. 61. 141. *leg.* propere vix. *Id.* apud *eumd.* p. 48. 8. Funus exsequiati laute ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus. *Alii leg.* exsequuti.

EXSĔQUIUM, ii, n. 2. idem quod exsequiæ: *V.* EXSEQUIÆ init. et SILICERNIUM.

EXSĔQUOR *vel* exequor, sĕqueris, sĕcutus *vel* sĕquutus sum, sĕqui, dep. 3. (ex et sequor). Passive occurrit apud *Ulp. Dig.* 2. 1. 19. Quærebatur, an prioris judicis sententia exsequi posset. *Solin.* 17. *extr.* Pardi noti satis, nec latius exsequendi. *V.* et *Exsecutus* in fin. — Part. *Exsequens* II. 1. et 4. et in fin.; *Exsecutus* II. 1. et 4. et in fin.; *Exsecuturus* I. 3. et II. 4.; *Exsequendus* II. 3. et 4. — Exsequi, ἀκολουθεῖν, ἐπιτελεῖν, est idem quod sequi, vel usque ad finem sequi, subsequi (It. *seguitare, andar dietro*; Fr. *suivre, poursuivre*; Hisp. *seguir, ir detras de alguno*; Germ. *bis zu Ende aus verfolgen, nachfolgen*; Angl. *to follow, pursue*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Catull.* 63. 15. Sectam meam exsecutæ, duce me. ¶ 2. Speciatim de iis, qui cadaver ad sepulturam prosequuntur, unde *Exsequiæ*. *Varro* apud *Non.* p. 48. 8. *Merc.* Funus exsequuti laute ad sepulcrum. *Plerique tamen leg.* exsequiati, *ut ad* exsequior *pertineat*. *Massur. Sabin.* apud *Gell.* 10. 16. Funus tamen exsequi, non est religio. — Et absolute *Cic.* vertens *Euripidis* versus 1. *Tusc.* 48. 115. At qui labores morte finisset graves, Hunc omni amicos (*decebat*) laude et lætitia exsequi. ¶ 3. Item speciatim est aliquem inimico animo persequi. *Liv.* 1. 59. Vos, dii, testes facio, me Lucium Tarquinium Superbum cum scelerata conjuge et omni liberorum stirpe ferro, igni, quacumque dehinc possim, exsecuturum. *At* Rhenan., Gronovius *et alii leg.* exacturum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Quid petam præsidii, aut exsequar? — Arce et urbe orba sum: quo accidam? quo applicem? *Plaut. Epid.* 4. 2. 3. Quæ exanimata exsequitur adspectum suum. *Cic. Tim.* 2. *extr.* Si pulcher est hic mundus, si probus ejus artifex, profecto speciem æternitatis imitari maluit. — Non igitur dubium, quin æternitatem maluerit exsequi. *Id.* 9. *Att.* 12. 1. Cur non omnes fatum illius (*Pompeji*) una exsecuti sumus? *h. e.* secuti. *Id.* 2. *Phil.* 22. 54. Consules ex Italia expulsos, cumque his Cn. Pompejum, omnes consulares, qui per valetudinem exsequi cladem illam fugamque potuissent etc. *Liv.* 5. 40. Suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis, exsequentes. *Tac.* 1. *Ann.* 11. Exsequi munia reipublicæ. *Id.* 13. *ibid.* 12. solita curando corpori. — Huc pertinent et illa, in quibus exsequi est pro subire, ferre, quasi sequendo subjici, *patire, esser soggetto*. *Plaut. Capt.* 2. 1. 1. Si di immortales id voluere, vos hanc ærumnam exsequi, decet id pati æquo animo. *Id. Trin.* 3. 2. 60. Exsequi egestatem. *Id. Pseud.* 4. 2. 38. mortem. *h. e.* sibi consciscere. *Id. Truc.* 2. 5. 8. probrum. — Item illa, in quibus exsequi est cogitando persequi, versare, meditari assequendi causa. *Liv.* 35. 28. Quem locum ipse capturus esset, cogitando aut quærendo exsequebatur. *Plin.* 7. *Hist. nat. init.* (1). Si quidem exsequi omnia humanus animus queat. ¶ 2. Speciatim est pergere et quasi protelo continuare et usque ad finem perducere, absolvere rem inchoatam, *seguire, continuare, finire*. *Plaut. Truc.* 2. 5. 9. Nullam rem oportet dolose aggrediri, nisi astute accurateque exsequare. — Male quod mulier facere incepit, nisi id efficere perpetrat etc. *Id. Merc.* 5. 2. 72. Inceptum hoc itiner perficere exsequar. — Quin tu ergo itiner exsequi meum non sinis? *Cic. Rabir. Post.* 2. 5. Est difficile, quod cum magna spe sis ingressus, id non exsequi usque ad extremum. *Liv.* 30. 4. *a med.* Incepta exsequi. *Tac.* 4. *Ann.* 29. Retractus exsequi accusationem adigitur. *Liv.* 6. 11. et 9. 16. Exsequebatur quærendo, ubi tantæ rei furtum occultaretur. ¶ 3. Item præstare, facere, perficere, *eseguire, mettere in esecuzione*. *Plaut. Trin.* 2. 2. 5. Exsequi sermonem cum aliquo. *tener discorso, trattare, parlare*. *Id. Most.* 3. 2. 17. Mihi exsequi certa res est hoc, ut abeam potius hinc ad forum, quam domi cubem. *Ter. Andr.* 1. 5. 24. Quid primum exsequar? tot me impediunt curæ etc. *Id. Heaut.* 4. 1. 22. Exsequi imperium. *Cic.* 9. *Phil.* 4. 9. mandata. *Id. Senect.* 10. 34. omnia regis officia et munera. *Id. ibid.* 20. 72. Munus officii exsequi et tueri. *Id.* 3. *Tusc.* 7. 15. Munus exsequi et fungi. *Id.* 1. *Off.* 23. 79. In exsequendis negotiis. *Id. Senect.* 9. 28. Quam comptam et mitem orationem si ipse exsequi nequeas, possis tamen Scipioni præcipere. *Liv.* 29. 25. Exsequi ministeria. *Curt.* 4. 3. jussa metu mortis. *Id.* 3. 11. Jubet, quod is imperasset, impigre exsequi. *Id.* 8. 6. Occasio exsequendi sceleris. *Id.* 3. 4. et 10. 7. Exsequi consilium. *Tac.* 15. *Ann.* 53. destinata. *Id.* 13. *ibid.* 4. Partho ad exsequendas obsidiones nulla audacia. *Justin.* 42. 1. Exsequi ultionem. — Huc pertinet et illud *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Quum civitas ob eam rem incitata armis jus suum exsequi conaretur. *h. e.* persequi. ¶ 4. Item dicere, exponere, narrare, seu potius sequi, pergere, continuare dicendo, *raccontare, dire, spiegare*: ad rem *Liv.* 35. 14. Quærenti Africano, quem fuisse maximum crederet, respondisse etc.; quærenti deinde, quem secundum, dixisse etc.; exsequenti, quem tertium etc. *seguitando a dimandare*. — *a*) Cum addito *verbis* etc. *Cic.* 11. *Fam.* 27. 6. Habeo multa occultiora, quæ vix verbis exsequi possum. *Phædr.* 3. 10. Hæc exsecutus sum propterea pluribus, Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus. *Quintil.* 5. 12. 15. Ego hæc breviter demonstrasse contentus —: quidam exsecuti sunt verbosius. — *b*) Sine additis. *Liv.* 27. 27. *ad fin.* Multus circa unam rem ambitus fecerim, si quæ de Marcelli morte variant auctores, omnia exsequi velim. *Id.* 3. 5. *ad fin.* Exsequi subtiliter numerum. *dire il numero preciso*. *Virg.* 4. *G.* 1. Protinus aerii mellis cælestia dona Exsequar. *Curt.* 7. 4. Consilium habes fidele, quod diutius exsequi supervacuum est. *Sueton. Galb.* 3. Imagines et elogia universi generis exsequi, longum est. *Quintil.* 9. 3. 39. Hæc omnia copiosius exsequi. *Id.* 1. 6. 18. Quæ divina in Oratore Tullius exsequitur. Adde *eumd.* 10. 4. 6. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 33. (78). Exsequi laudes brassicæ. *Tac.* 3. *Ann.* 65. Exsequi sententias haud institui, nisi insignes. *Id.* 4. *ibid.* 4. Quod mihi quoque exsequendum reor, quæ tum copia in armis, qui socii reges etc. *Gell.* 2. 22. *a med.* Sunt alii venti, quos ipse quoque exsecuturus fui, nisi etc. *h. e.* recensuissem. ¶ 5. Item est ulcisci, præcipue in jure, *vendicare*; et occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Liv.* 3. 25. *extr.* Deorum hominumque simul violata jura exsequi. *Id.* 5. 11. Iis publicum privatumque dolorem exsequendi jus datum. *secondare e sfogare*. *Sueton. Cæs.* 67. Delicta neque observabat omnia, neque pro modo exsequebatur. *Plin.* 3. *Ep.* 4. Exsequi injurias accusationibus. *Ulp. Dig.* 29. 5. 33. justum dolorem. *Inscript.* apud *Murat.* 1045. 5. IVLIO L. F. SERGIA BASSO INTERFECTO A LATRONIBVS IVLIVS VALERIANVS FRATER MORTEM EIVS EXSECVTVS *faciendum curavit.* — Hinc *pœnas exsequi ab aliquo* est *far pagare il fio ad alcuno*, pœnas exposcere. *Hygin. fab.* 73. Amphiaraus Alcmæoni filio suo præcepit, ut post suam mortem pœnas a matre exsequeretur. Alcmæon memor patris præcepti Eriphylen matrem suam interfecit. — *b*) Absolute. *Seneca* 1. *Ira* 12. Pater cæditur? defendam. Cæsus est? exsequar. *Triphonin. Dig.* 34. 9. 22. Si ideo non sit exsecutus, quod ad pubertatem pupillus pervenerit. — Hinc Part. præs., cujus exempla superius retulimus,

Exsequens, entis, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Exsequentissimus* translate pro eo qui exsequitur, studioso, apud *Gell.* 10. 12. Favorinus

philosophue memoriarum veterum exsequentissimus.

Exsecutus, a, um, part. præter. passiva significatione occurrit apud *Justin.* 7. 3. 2. Exsecuto regis imperio. *eseguito.*

EXSĔRO, *vel* exero, sĕris, sĕrŭi, sertum, sĕrere; a. 3. (ex *et* sero). Part. *Exserens* I.; *Exsertus* 1. et in fin. – Exserere, ἐξείρω, ἐξαίρω, est extrahere, proferre, emittere (It. *tirare* o *metter fuori*; Fr. *tirer dehors, sortir, retirer de*; Hisp. *tirar y sacar à fuera*; Germ. *herausstrecken, hervornehmen*; Angl. *to thrust, or put forth, draw out*).

I.) Proprie. *Liv.* 7. 10. Gallus linguam ab irrisu exserens. Cf. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 27. 43. (82). Exserta per os lingua. Rursus *Liv.* 8. 9. Manum subter togam ad mentum exserere. *Ovid.* 2. *Met.* 271. brachia aquis. *Id.* 3. *Trist.* 12. 12. herba Exserit e tepida molle cacumen humo. *Id.* 13. *Met.* 838. cæruleo nitidum caput exsere ponto. Sic *Lucan.* 5. 598. Corus ab oceano caput exserit. (Sic figurate *Ovid.* 1. *Fast.* 299. Credibile est, illos pariter vitiisque locisque Altius humanis exseruisse caput. *h. e.* extulisse. *et Sil. It.* 1. 29. magnanimis Romam caput urbibus alte Exserere). *Lucan.* 9. 438. Solum raras exserit herbas. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 42. 67. (143). Rana eminentia sub oculis cornicula turbato limo exserit. *Id. ibid.* 32. 51. (101). Cochleæ exserentes se domicilio. *Ovid.* 3. *Fast.* 814. Ensibus exsertis bellica læta dea est. *sfoderate.* *Id.* 10. *Met.* 503. creverat infans, Quærebatque viam, qua se exsereret. *h. e.* qua exiret. — Huc pertinent et illa *Colum.* 12. *R. R.* 56. 1. Priusquam olusatrum coliculum agat, radicem ejus exserito. *h. e.* evellito. *Id.* 8. *ibid.* 8. 12. Dum vincula exserere conatur. *h. e.* crura e vinculis.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro emittere, proferre, expromere, sed figurate. *Plin.* 8. *Ep.* 7. Sumam personam magistri, exseramque in librum tecum jus, quod dedisti. *h. e.* proferam jus, sive utar in librum tuum jure, quod dedisti. *Seneca Herc. Œt.* 253. Secreta mentis ore confuso exserit. *h. e.* expromit. ¶ 2. Item pro aperire, demonstrare. *Phædr.* 1. 12. Laudatis utiliora quæ contempseras Sæpe inveniri, hæc exserit narratio. *h. e.* aperit, exponit. *Sueton. Tib.* 33. Paullatim principem exseruit. *a poco a poco dimostrò di essere il principe.* — Hinc Part. præter. pass., cujus et supra exempla retulimus,

Exsertus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Exsertior* II.; et

I.) Proprie est prolatus, extractus, eductus, atque adeo eminens. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 36. 61. (160). Exserti dentes apro, elephanto etc. *denti in fuori.* ¶ 2. Speciatim ac amplius usurpatur de corporis membris, quæ ex vestibus educta adeoque nuda sunt. *Cæs.* 7. *B. G.* 30. Tametsi dextris humeris exsertis animadvertebantur. *Virg.* 1. *Æn.* 496. Aurea subnectens exsertæ vincula mammæ. *h. e.* nudatæ et prominenti. *Stat.* 1. *Achill.* 346. humeros exsertaque brachia velat. *h. e.* nuda. — Et de ipsa persona. *Sil. It.* 8. 587. Exsertus humero. *h. e.* nudatus. — Et cum Accusativo more Græcorum. *Virg.* 11. *Æn.* 649. Unum exserta latus pugnæ pharetra Camilla. *h. e.* expapillata. *Val. Flacc.* 2. 207. truces exserta manus. *Stat.* 4. *Theb.* 235. Exserti ingentes humeros. — Absolute. *Lucan.* 2. 543. exsertique manus vesana Cethegi. *h. e.* alte cincti, brachia humerosque nudatos habentis et expeditos ad pugnam. *Stat.* 9. *Theb.* 681. *de Latona.* sævis ubi quondam exserta sagittis Fecundam lasso Nioben consumpserat arcu. *sbracciata.*

II.) Translate est apertus, liber. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 38. quod tempus amicum Fraudibus, exserto quænam bona tempora bello. *h. e.* aperto Marti et signis collatis. *Apul.* 1. *Met.* Exsertus cachinnus. *h. e.* liber, immodicus. *Pacat. Paneg. ad Theod.* 35. Quanto exsertiorem operam navabat tyranno frater. *h. e.* apertiorem, acriorem, impensiorem.

EXSERTĒ, adverb. Comp. *Exsertius* et Sup. *Exsertissime.* — Exserte est vocem exserendo, clare, aperte. *Apul.* 1. *Met.* Exserte clamitans. *Tertull.* 2. *ad Uxor.* 1. Jam non suadet, sed exserte jubet. *Ammian.* 16. 12. Ad audendum exsertius consurgebant. *Scholiast. Cic. Planc.* (edente iterum *A. Mai*) *p.* 156. Quando pater ejus quædam liberius et exsertius adversus quosdam primores senatus dixisset. *Spartian. Sever.* 3. Tribunatum severissime exsertissimeque egit. *h. e.* exserendo jus omne et potestatem.

EXSERTO *vel* exerto, as, are, a. 1. Part. *Exsertans* 1. — Exsertare est intensivum ab *exsero.* ¶ 1. Stricto sensu est totis viribus extrahere, proferre, emittere. *Claudius Quadrigarius* apud *Gell.* 9. 13. Deinde Gallus irridere atque linguam exsertare. *Virg.* 3. *Æn.* 425. Scyllam Ora exsertantem et naves in saxa trahentem. *h. e.* subinde undis proferentem. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro detracta veste nudare. *Stat.* 1. *Theb.* 412. tum vero erectus uterque Exsertare humeros, nudamque lacessere pugnam.

EXSERTUS *vel* exertus, a, um. *V.* EXSERO.

EXSĪBĬLO *vel* exibilo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* sibilo). Part. *Exsibilans* 1. — Exsibilare ¶ 1. Est sibilum emittere, more anguium. *Seneca* 3. *Ira* 4. Trementia labra, interdumque compressa, et dirum quiddam exsibilantia. — Hinc poetice *Petron. fragm. Tragur.* 64. *Burmann.* Opposita ad os manu, nescio quid tetrum exsibilavit, quod postea Græcum esse affirmabat. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 175. Cui prætor ore subdolo Anguina verba exsibilat. ¶ 2. Item ventorum flatu et sibilo foras asportare. *Apul.* 3. *Met.* Confestim præsentiam nostram gravata, propelli et efflari exsibilarique jusserit. *h. e.* venti sibilo asportari; nam ultra domum Psyches sorores ejus a Zephyro spirante fuerant asportatæ. ¶ 3. Speciatim, quum sermo est de comœdiis, est sibilis improbare atque explodere: *V. Seyffert.* ad *Cic. Amic.* 7. 24. *Cic.* 3. *Parad.* 2. 26. Histrio, si paulum se movit extra numerum, exsibilatur et exploditur. *Sueton. Aug.* 45. Spectatorem, a quo exsibilabatur, demonstrare digito.

EXSICCĀTUS *vel* exiccatus, a, um. *V.* EXSICCO.

EXSICCESCO *vel* exiccesco, is, ere, n. 3. aridus fio. *Vitruv.* 2. 9. Uti per eam exsiccescat stillando succus.

EXSICCO *vel* exicco, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* sicco). Part. *Exsiccatus* I. 1. et 2. et in fin. — Exsicco est omnino sicco.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 33. Arbores hiemali tempore exsiccatæ. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 65. (242). Sulcos insecuti æstus exsiccant. *Gell.* 12. 5. Quum vulnera ejus a medicis exsiccarentur. ¶ 2. Speciatim, quum sermo est de vasis vinariis, ponitur pro exhaurire. *Horat.* 1. *Od.* 31. 10. dives aureis Mercator exsiccet culullis Vina. *Q. Cic.* apud *Cic.* 16. *Fam.* 26. 2. Lagenæ furtim exsiccatæ.

II.) Translate. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 20. *sub fin.* Ebrietas, donec exsiccetur, dementia est. — Hinc Part. præter. pass.

Exsiccatus, a, um, adjective quoque usurpatur, et quidem translate apud *Cic. Brut.* 84. 291. Acutum, prudens, et idem sincerum et solidum et exsiccatum orationis genus. *h. e.* purgatum, defæcatum castumque: cui opponitur nova, et quasi de musto ac lacu fervida oratio, *ibid.* 83.

EXSĪCO. *V.* EXSECO init.

EXSIGNĀTUS, a, um. *V.* EXSIGNO.

EXSIGNĬFER, fĕri, m. 2. qui signifer fuit. *Inscript.* apud *Gruter.* 1159. 14., quæ est apud *Orell.* 3484. C. SEMILIO FERVIAC. VETER. EXSIGNIFERO LEG. III. ITALICAE.

EXSIGNO, as, āvi, ātum, are. a. 1. (ex *et* signo). Part. *Exsignatus.* — Exsigno est signo, consigno, obsigno. *Plaut. Trin.* 3. 2. 29. Omnia ego istic quæ dixisti, scio; vel exsignavero. *h. e.* recensuero, consignavero. *Liv.* 1. 20. Pontifici sacra omnia exscripta exsignataque attribuit.

EX SĬLENTĬĀRĬO, m. qui silentiarii munere functus est. *Inscript.* apud *Gruter.* 1053. 10. IVL. FELIX VALENTINIANVS V. C. ET EX SILENTIARIO SACRI PALATII. *Cf. Inscript.* apud *Orell.* 3194.

EXSĬLICA, seu exilica causa, quæ adversus exulem agitur. *Paul. Diac. p.* 81. 5. *Müll.*

EXSĬLĬCĬO *vel* exilicio, ōnis, f. 3. exsultatio. *Vet. Scholiast.* locus ad *Horat.* 4. *Od.* 1. 28. ex MS. descriptus a *Guberletho*, allatus a *Marin. Frat. Arv. p.* 600. Salii dicuntur ab exsilicione, eo quod in circuitu ararum deorum tripudiando salitarent. *Alii pro exsilicione legunt* exsultatione.

EXSĬLĬO *vel* exilio, salis, silui *vel* silii, silire, n. 4. (ex *et* salio). Alterum præteritum *exsilii* legunt quidam apud *Ovid.* 9. *Met.* 314., *Sil. It.* 7. 46. etc.; sed ubique lectio variat. Itaque *exsilui* tutius, et usitatius. — Part. *Exsiliens* II. — Exsilio est extra salio, prosilio, erumpo, me proripio (It. *saltare o balzar fuori, uscire con impeto*; Fr. *sauter hors de, sortir avec précipitation*; Hisp. *saltar fuera, salir con precipitacion*; Germ. *heraus- oder hervorspringen, hervorheilen, in die Höhe springen*; Angl. *to leap out of or from, spring or bound forth*).

I.) Proprie usurpatur de hominibus et brutis animalibus. — *a*) Generatim. *Plaut. Amph.* 5. 1. 63. Citus e cunis exsilit puer. *Id. Cas.* 3. 5. 8. Quid est, quod hæc huc timida atque exanimata exsiluit foras? *Id. Most.* 5. 1. 16. intra limen adstate illic, ut quum extemplo vocem, continuo exsiliatis. *Ter. Heaut.* 4. 1. 41. Illico cognovi, ad te exsilui. *h. e.* properavi. *Cic.* 4. *Verr.* 30. 75. Properans de cella exsiluit. *Id.* 7. *ibid.* 64. 165. Populi Romani clamore atque impetu perturbatus exsiluisti. *Virg.* 3. *G.* 433. Anguis stagna colens exsilit in siccum. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 98. domo (*mus*) levis exsilit. *Ovid.* 5. *Met.* 35. Exsiluit stratis. *Id.* 10. *ibid.* 410. Exsilire gremio. *Val. Flacc.* 6. 107. turba canum Exsilit ad litus, pugnasque capessit heriles. *Stat.* 9. *Theb.* 110. Ipse nec ire retro, nec in obvia concitus arma Exsilit. *h. e.* fertur in hostem. Et poetice *Id.* 2. *ibid.* 55. fusca volucer deus obsitus umbra Exsilit ad superos. *h. e.* revolat. — *b*) Speciatim exsilire dicimur in aliquo vehementiore affectu. *Q. Cic.* apud *Cic.* 16. *Fam.* 16. Tuis litteris perlectis, exsilui gaudio. *Ovid. Heroid.* 6. 27. Protinus exsilui, tunicisque a pectore ruptis etc.

II.) Translate dicitur de inanimis. *Lucret.* 6. 162. ceu lapidem si Percutiat lapis, aut ferrum: nam tum quoque lumen Exsilit. *Ovid.* 6. *Met.* 696. Exsiliuntque cavis elisi nubibus ignes. *Id.* 12. *ibid.* 252. Exsiluere oculi, disjectisque ossibus oris etc. *Lucan.* 2. 200. Exsiliunt aquæ. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (107). E medio laci exsiliens fonticulus. *Seneca Herc. Œt.* 818. In cælum exsilit arundo. *h. e.* sagitta. *Stat.* 1. *Achill.* 522. exsiliunt crines, rigidisque laborat Vitta comis. *h. e.* arriguntur. *Id.* 6. *Theb.* 422. gelidis non crebrior exsilit Arcto Grando.

EXSĬLĬUM *vel* exilium, ii, n. 2. Ratione habita etymi, *exsilium* est ab *exsul*, quod ab *ex* et *solum*, qui est extra patrium solum: Cf. EXTORRIS; sic *Cassiod. de orthogr. p.* 2285. *Putsch.* Exsilium cum a, ex solo enim ire est, quasi *exsolium*, quod Græci ἐξορισμὸν dicunt, antiqui *exsoles* dicebant: (videtur tamen *exsilium* ab *exsiliendo* deductum esse in illo *Plauti Capt.* 3. 3. 4. Neque exsilium exitio est, neque spes). — Ceterum exsilium est privatio soli patrii sive ultro subeatur ad pœnam vitandam, vel mutandæ sedis gratia; sive lege et damnatione inferatur. *Martian. Dig.* 48. 22. 5. Exsilium (*pœnale*) triplex est, ut certorum locorum interdictio; aut lata fuga, ut omnium locorum præter certum locum; aut relegatio in insulam: V. *Cic. Cæcin.* 34. 100. (It. *esilio, bando*; Fr. *exil, bannissement*; Hisp. *exilio, destierro*; Germ. *d. Verweisung vom Grund und Boden, d. Heimath, d. Verbannung*; Angl. *escape, flight*).

I.) Proprie. — *a*) De exsilio tamquam pœna lato (de quo V. *Klotz* ad *Cic. Dom.* 32. 86.). *Cic.* 4. *Parad.* 2. 31. Sceleratos exsilio afficere. *Id. Cæcin.* 34. 100. Maleficium exsilio multare. *Id.* 1. *Cat.* 8. 20. Ire, et proficisci in exsilium. *Id.* 2. *ibid.* 7. 14. Ejicere in exsilium. *Id.* 2. *Orat.* 13. 56. In exsilium pellere. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (111).; et *Tac.* 4. *Ann.* 63. agere. *Nepos Phoc.* 2. expellere. *Tac.* 13. *Ann.* 23. Exsilium irrogare alicui. *Id.* 6. *ibid.* 18. Statuere exsilium in aliquem. *Vellej.* 2. 62. In exsilio vivere. *Cic.* 3. *Nat. D.* 32. 80. Esse in exsilio. *Virg.* 2. *Æn.* 638. Exsilium pati. *Tac.* 4. *Ann.* 71. Viginti annis exsilium tolerare. *Plaut. Merc.* 5. 2. 106. Exsilio redire. *Cic.* 9. *Att.* 14. De exsilio reducere. *Liv.* 27. 34. revocare. *Tac.* 4. *Hist.* 28. Ab exilio revocare. — *Exsilium delicatum* vocat *Seneca Clem.* 15. relegationem rei in urbem Massiliam, quia hæc rebus omnibus ad vitam necessariis affluebat. — *b*) *Exsilii causa solum vertere* est in exsilium proficisci, et dicitur fere de iis, qui metu pœnæ ultro sibi exsilium consciscunt. *Cic.* 5. *Phil.* 5. 14.; *Liv.* 3. 38. *sub fin.* etc. — Similiter de loco extra patriam, quem quis ultro eligit, et patriæ præfert. *Curt.* 3. 7. Erat in exercitu Sisines Perses, quondam a prætore Ægypti missus ad Philippum: donisque et omni honore cultus, exsilium patria sede mutaverat.

II.) Improprie. ¶ 1. Translate. *Plin.* 35. *Hist.*

nat. 4. 9. (26). Satius fuisset tabulas omnes signaque publicare, quam in villarum exsilia pelli. ¶ 2. Aliquando dicitur de ipso loco exsilii. *Virg.* 3. *Æn.* 4. Diversa exsilia et desertas quærere terras. *Curt.* 6. 4. Multa exsilia patere fugienti. *Tac.* 13. *Ann.* 55. Tutum exsilium orabant. *Id.* 4. *Hist.* 41. Octavium et Antistium egressos exsilium, in easdem insulas redegit. ¶ 3. *Exsilia* pro exsulibus, *h. e.* abstractum pro concreto. *Tac.* 1. *Hist.* 2. Plenum exsiliis mare.

EXSINCĒRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *exsincero*, corruptus, labefactatus. *Plaut. Most.* 4. 1. 11. Libet cavere malam rem prius, quam ut meum tergum exsinceratum fiat. *h. e.* verberibus laceratum, fœdatum, corruptum. At hæc duo verba *exsinceratum fiat* sunt ex vana conjectura *Camerarii*.

EX SINGŬLĀRI, m. qui fuit singularis, *h. e.* notarius: *V.* SINGULARIS in fin. *Inscript.* apud *Henzen.* 5749. SILVANO INVICTO Q. CORNELIVS GENTIVOS DECVRIO EX SING. V. L. M. II. SILANIS COS. *h. e.* ann. a Chr. n. 189. *Labus* interpretatus est *ex equite singulari*; sed minus recte, ut ait *Henzen.* ad h. l.

EXSĬNŬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXSĬNŬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* sinuo). Part. *Exsinuatus.* — Exsinuo est sinum collectum explico, expando, e sinu emitto. *Propert.* 3. 13. 3. Ut mihi prætextæ pudor exsinuatus amictu. *h. e.* postquam posui cum prætexta pudorem. *Plerique recentiorum præcipue leg.* est elatus, *alii* est velatus, *alii* evelatus. *Auct. carm.* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 700. *Burmann de rosa.* Huic dum virgineus pudor exsinuatur amictu. *Auson. Edyll.* 14. 29. *de rosa.* Vertice collectos illa exsinuabat amictus. *Paulin. Nolan. Ep.* 49. (*al.* 36.) 3. Quum velum vinceret jam exsinuatum in contos suos. *Prudent.* 11. περὶ στεφ. 221. recessus Qui laterum seriem jugiter exsinuent.

EXSISTO *vel* existo, sistis, stiti, stitum, sistere, n. 3. (ex *et* sisto, sto). Part. *Exstiturus* apud *Ulp. Dig.* 42. 4. 8. Si diu incertum sit, heres exstiturus, necne sit. Ita *Haloand.*, at *Torrentin.* exstaturus. *V.* EXSTO. — Exsistere, ἐξέρχομαι, est exire, exeundo apparere, prodire (It. *uscire*, *venir fuori*, *apparire*; Fr. *sortir de*, *paraître*, *se montrer*; Hisp. *salir*, *aparecer*, *mostrarse*; Germ. *heraus* —, *hervortreten*, *hervorkommen*, *zum Vorschein kommen*; Angl. *to come forth or out*, *proceed*, *appear*).

I.) Proprie, seu stricto sensu. — *a*) Cum addito Ablativo loci, ex quo quis exsistit, vel exit, et præpos. *ex* vel *ab*, aut sine præpos. *Liv.* 25. 21. Qui signo dato simul omnes e latebris exsisterent. *Auct. B. Afr.* 69. Ex collibus milites exstiterunt. *Cic.* 3. *Verr.* 37. 91. Quid exspectas? an dum ab inferis ille Malleolus exsistat? *Liv.* 39. 37. Si exsistat hodie ab inferis Lycurgus. *Cic.* 2. *Divinat.* 30. 65. Anguem ab ara exstitisse. Sic *Id.* 1. *ibid.* 45. 101. Vocem ab æde Junonis ex arce exstitisse, ut etc. *Cæs.* 6. *B. G.* 26. Est bos cervi figura, cujus a media fronte inter aures unum cornu exsistit excelsius. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 73. Equus submersus voraginibus non exstitit. *Id.* 6. *Verr.* 48. 107. Spelunca infinitæ altitudinis, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse. *Ovid.* 5. *Met.* 413. Gurgite quæ (*nympha*) medio summa tenus exstitit alvo. — *b*) Absolute. *Cic.* 3. *Verr.* 15. 39. Eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis: hoc vero occultum, intestinum ac domesticum malum (*scil.* insidiæ, quæ latent in simulatione officii), non modo non exsistit (*h. e.* non apparet), verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris. *Id. Balb.* 20. 47. Exsistat ille vir parumper cogitatione vestra, quoniam re non potest. *comparisca, si rappresenti.*

II.) Translate, vel, ut aliis placet, latiori significatione ¶ 1. Est nasci, originem ducere, exoriri. — *a*) De rebus physicis. *Lucret.* 2. 870. vivos exsistere vermes Stercore de tetro. *Id.* 5. 211. Si non fecundas vertentes vomere glebas Terraique solum subigentes cimus ad ortus, Sponte sua nequeunt liquidas exsistere in auras. *Varro* 1. *R. R.* 34. 1. Quæ a bruma sata sunt, quadragesimo die vix exsistunt. *spuntano, nascono.* *Cic.* 2. *Nat. D.* 33. 86. Ut si qui dentes et pubertatem natura dicat exsistere, ipsum autem hominem, cui ea exsistant, non constare natura. — *b*) De abstractis, et quidem — Cum addito Ablativo et præpos. *ex.* *Cic.* 1. *de republ.* 44. Ex hac nimia licentia ait ille, ut ex stirpe quadam, exsistere et quasi nasci tyrannum. *Id. Rosc. Am.* 27. 75. Ex luxuria exsistat avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia. *nasca.* *Id.* 1. *de republ.* 45. Et illa prima facile in contraria vitia convertuntur, ut exsistat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio. Cf. *Cæs.* 3. *B. C.* 104. Ut plerumque in calamitate ex amicis inimici exsistunt. (Et cum præpos. *de*, *Cic.* 2. *de republ.* 26. Videtis igitur, ut de rege dominus exstiterit.). Ceterum *Id. Cic.* 3. *de republ.* 11. Ex quo exsistit id, quod Scipio laudabat, conjunctum civitatis genus. *Id. Brut.* 8. 31. Hujus ex uberrimis sermonibus exstiterunt doctissimi viri. Adde *eumd. Orat.* 3. 12. et 5. *Tusc.* 25. 72. Similiter *Id.* 1. *Nat. D.* 3. 6. Sermo admirantium, unde hoc philosophandi nobis subito studium exstitisset. — *b*) Absolute. *Cic. Amic.* 19. 67. Exsistit hoc loco quæstio subdifficilis. *Cæs.* 5. *B. G.* 28. Ad concilium rem deferunt, magnaque inter eos exsistit controversia. — *c*) Sequente part. *ut.* *Cic.* 5. *Fin.* 23. 67. Quoniam igitur inest in omni virtute cura quædam quasi foras spectans —, exsistit illud, ut amici, ut fratres — propter se expetendi sint. *h. e.* sequitur. Sic *Id. Fat.* 9. 18. Ex quo exsistet, ut de nihilo quippiam fiat. ¶ 2. Item sæpe ponitur pro *esse*, *apparere*, ita tamen, ut aliquem semper motum adsignificet exeuntis ac apparentis, *essere*, *comparire*. Sic verbo *esse* opponitur apud *Cic.* 1. *Off.* 30. 107. Ut in corporibus magnæ dissimilitudines sunt, sic in animis exsistunt majores etiam varietates. Et verbo *apparere* jungitur apud *eumd.* 1. *Tusc.* 15. 33. Idque in maximis ingeniis exsistit maxime et apparet facillime. — *a*) Absolute, sive sine ullo adjectivo. *Cic. Rabir. Post.* 1. 1. Si exstitisset in rege fides, nihil sapientius Postumo. *Id.* 1. *Divinat.* 29. 61. Illa pars animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata atque restincta. *Id. Amic.* 7. 21. Si quando aliquod officium exstitit amici in periculis adeundis aut communicandis. *Id. Arch.* 10. 24. Nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset. *Seneca Ep.* 91. Inter placidissima terror exsistit: mala, unde minime exspectabantur, erumpunt. — *b*) Cum addito adjectivo. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 11. Cujus ego dignitatis ab adolescentia fautor, in prætura autem et in consulatu adjutor etiam exstitissem. *Id. Rosc. Am.* 2. 5. His de causis ego huic causæ patronus exstiti. *Id.* 10. *Att.* 11. 3. Eo magis timeo, ne in eum exsistam crudelior. *Id.* 2. *Orat.* 51. 217. Sic insulsi exstiterunt, ut nihil aliud eorum, nisi ipsa insulsitas, videatur. *Id. ibid.* 46. 194. Poetam bonum neminem sine inflammatione animorum exsistere posse. *Id. ibid.* 2. 6. Talem exstitere eloquentiam, qualis fuerit in Crasso. — Huc pertinet et illud *ejusd.* 10. *Fam.* 6. *a med.* Quorum nemo consularis habitus, nisi qui animo exstitit in rempublicam consulari.

EXSŌLENS. *V.* EXSULANS.

EXSOLES pro *Exsules*: *V.* EXSILIUM init.

EXSŌLESCO, is, ere, n. 3. desuesco: ab *ex*, et *soleo.* *Tertull. Virg. veland.* 17. Ne sic a disciplina velaminis exsolescatis. *Al. leg.* exolescatis.

EXSOLIDO, as, are, a. 1. idem ac consolido. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 66.

EXSOLIUM. *V.* EXSILIUM init.

EXSŎLŪTĒ, adverb. absolute. *Auct. de casis litter. p.* 211. *Goes.* Rivus finem exsolute facit.

EXSŎLŪTIO, ōnis, f. 3. exsolvendi actus; sed occurrit translate tantum. ¶ 1. Generatim est liberatio. *Festus p.* 238. 19. *Müll.* Exsolutio contractæ religionis. *V.* EXSOLVO II. 2. ¶ 2. Speciatim in jure est æris alieni satisfactio. *Scævola Dig.* 20. 1. 31. Exsolutio vectigalis. *Id. ibid.* 32. 1. 33. *a med.* totius debiti. *V.* EXSOLVO II. 3.

EXSŎLŪTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXSOLVO, solvis, solvi, sŏlūtum, solvere, a. 3. (ex *et* solvo). A Poetis interdum metri causa per diæresin disjungitur. *Lucret.* 1. 809. vita quoque omnis Omnibus e nervis atque ossibus exsoluatur. *Ovid.* 4. *Fast.* 534. Longamque imprudens exsoluisse famem. *h. e.* jejunium rupisse. — Part. *Exsolutus* I. 1. 2. et II. 1. 2.; *Exsoluturus* II. 3.; *Exsolvendus* II. 1. — Exsolvere, ἀπολύω, ἐκλύω, est idem quod solvere, aut omnino solvere, dissolvere (It. *sciorre*, *slegare*; Fr. *délier*, *dénouer*, *détacher*, *relâcher*; Hisp. *desatar*, *desliar*, *desligar*, *deslazar*; Germ. *auflösen*, *aus einander lösen*, *losbinden*; Angl. *to loose*, *unloose*, *unbind*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est id, quod ligatum vel constrictum est, dissolvere. *Plaut. Rud.* 2. 3. 36. Quin videmus ad saxa navem ferrier, properare exsolvi restim. *Id. Amph.* 2. 2. 152. AM. Agedum, eam solve cistulam. SO. Quid ego istam exsolvam? obsignata' st recte. *dissuggelli.* *Lucret.* 1. 219. Nulla vi foret usus enim, quæ partibus ejus Discidium parere et nexus exsolvere posset. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 4. Compede exsoluta. *Tac.* 3. *Hist.* 68. Exsolvere pugionem a latere. *Id.* 15. *Ann.* 63. Brachia ferro exsolvere. *h. e.* venas brachiorum incidere. *Stat.* 1. *Silv.* 5. 53. Exsolvere amictus. *h. e.* exuere. *Tac.* 13. *Ann.* 15. Venenum exsoluta alvo transmisit. — Et de inanimis. *Lucret.* 6. 878. Ignis exsolvit glaciem nodosque relaxat. ¶ 2. Speciatim ponitur pro liberare a vinculis. *Plaut. Truc.* 4. 3. 10. Si verum mihi eritis fassæ, vinclis exsolvemini. Cf. *Sueton. Ner.* 49. Exsolutus vinculis. *Plaut. Bacch.* 4. 8. 16. Jubesin me exsolvi cito; nam nisi ego exsolvor, jam manifesto hominem opprimet. Similiter *Lucret.* 3. 697. Animæ exsolvunt se omnibus e nervis atque ossibus articulisque, scil. in morte. Sic *Virg.* de Camilla moriente 11. *Æn.* 828. tum frigida toto Paullatim exsolvit se corpore etc.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphora sumpta a superiori paragr. 1. — *a*) Cum Accusativo. *Tac.* 3. *Ann.* 28. Exsoluti legis nexus. *h. e.* obscuritates explanatæ. *Lucan.* 5. 259. Exsolvere metus. *h. e.* deponere, abjicere. *Stat.* 1. *Achill.* 565. Exsolvitque rudem genitrix digressa pudorem. *gli levò.* *Tac.* 3. *Ann.* 30. Ipse robur peditum ad exsolvendum obsidium ducit. — *b*) Sequente relativo. *Lucret.* 2. 381. Perfacile est animi ratione exsolvere nobis, Quare fulmineus multo penetralior ignis, Quam noster. *sciogliere la questione*, *renderci conto del perchè* etc. ¶ 2. Speciatim, metaphora sumpta a superiori paragr. 2., est liberare, expedire, *liberare*, *sciogliere*: ad rem *Lucret.* 1. 931. et 4. 7. arctis religionum animos nodis exsolvere pergo. Cf. *Liv.* 8. 9. *ad fin.* Exsoluti religione animi. *et* 3. 20. Exsolvere populum religione. *Ter. Hecyr.* 5. 2. 26. Illas errore, et te simul suspicione exsolves. *Cic.* 7. *Fam.* 1. 5. Si me occupationibus relaxaro: nam ut plane exsolvam, non postulo. *Liv.* 6. 14. *ad fin.* Exsolvere aliquem ære alieno. *Virg.* 4. *Æn.* 652. meque his exsolvite curis. Sic *Plin. Paneg.* 79. Exsolutus curis. *Id.* 1. *Ep.* 22. *ad fin.* Exsolvere aliquem sollicitudine. *Tac.* 11. *Ann.* 12. aliquem pœna. *Id.* 6. *ibid.* 44. *extr.* pudore proditionis. *Id.* 12. *ibid.* 46. Exsolvi custode. *Id.* 13. *ibid.* 36. contumelia. Huc pertinet et illud *Martial.* 6. 47. Exsolvere se votis virgine porca. ¶ 3. Item speciatim significat etiam æs alienum dissolvere, satisfacere, *pagare*, *soddisfare*. *Plaut. Men.* 5. 6. 26. Exsolvere pretium. *Cic.* 16. *Att.* 6. 3. Nomina mea, per deos, expedi, exsolve. *Id.* 5. *Verr.* 22. 55. Ille vi adductus, tantum decumanis, quantum iste imperavit, exsolvit. *Liv.* 6. 14. Exsolvere multiplicem sortem. *Plin.* 3. *Ep.* 11. æs alienum. *Tac.* 1. *Ann.* 36. *extr.* legata. *Id.* 1. *Hist.* 46. Fiscum suum vacationes annuas exsoluturum promisit. *Aurel. Vict. vir. illustr.* 56. Exsolvere dotem uxori venditis possessionibus. ¶ 4. Hinc est etiam cuicumque morali obligationi satisfacere: ad rem *Cic.* 3. *Off.* 2. 7. De tertio genere se scripsit dicturum, nec exsolvit quod promiserat. *Plaut. Amph.* 3. 2. 67. Exsolvere vota Herculi. Adde *Liv.* 21. 21., ubi τῷ *exsolvere* opponitur s. *obligare*. Ceterum *Tibull.* 4. 7. 5. Exsolvere promissa. *Liv.* 24. 16. *a med.* et 26. 31. *ad fin.* Exsolvere fidem. *sciogliere l'impegno*, fidem liberare, promissa præstando. Et eodem sensu *Id.* 24. 18. jusjurandum. *Id.* 26. 40. Civitatum principibus pro cujusque merito præmia pœnasque exsolvere. *Id.* 28. 25. Recte factis alicujus gratiam exsolvere. *Tac.* 11. *Ann.* 13.; *Val. Flacc.* 7. 281.; et *Stat.* 5. *Silv.* 5. 45. grates. *rendere.* *Tac.* 1. *Ann.* 18. beneficia. *h. e.* æquare remunerando. *Id.* 4. *Hist.* 3. Proclivius est injuriæ, quam beneficio vicem exsolvere. *rendere la pariglia.* *Tac.* 1. *Ann.* 10. Pœnas morte exsolvere. *pagar le pene, il fio, luere.* Sic *Vellej.* 2. 88. pœnas male consultorum. *Val. Flacc.* 5. 291. nullos Minyis exsolvet honores. *h. e.* præstabit, reddet.

EXSOMNIO, as, are, 1. ¶ 1. Mediali significatione est expergiscor. *Gloss. Philox.* Exsomnio, ἐξ-

ὑπνίζομαι. ¶ 2. Et activo sensu, idem quod expergisco, e somno excito. *Ibid.* Exsomniat, ἐξυπνίζει.

EXSOMNIS, e, adject. insomnis, vigilans. *Virg.* 6. *Æn.* 556. de *Tisiphone*. Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque. Sic *Horat.* 3. *Od.* 25. 9. Exsomnis stupet Enhias. h. e. ἄυπνος, somno non indulgens, instinctore deo, dum ceteri mortales quiete noctis fruuntur. *Vellej.* 2. 88. Vir sane exsomnis, ubi res vigiliam exigeret. *Id. ibid.* 127. Vultu tranquillos, animo exsomnis. *Sil. It.* 9. 5. Traducere noctem exsomnem.

EXSŌNO, nas, nŭi, nare, n. 1. (ex et sono) est idem ac personare; et occurrit tum de rebus, tum de hominibus. *Petron. Satyr.* 19. Omnia mimico risu exsonuerant. *Id. ibid.* 109. Navigium exsonat cantibus. et 73. Ceteri convivæ ingenti clamore exsonabant.

EXSORBĔO vel exorbeo, bes, bŭi, bere, a. 2. (ex et sorbeo) sorbendo exhaurio.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Phil.* 29. 71. Gustaras civilem sanguinem, vel potius exsorbueras. *Id.* 1. *Orat.* 52. 225. Omitto fauces, ex quibus te eripi vis, ne judicio iniquo exsorbeatur sanguis tuus. Cf. *Id. Harusp. resp.* 27. 59. Quantas iste Byzantiorum prædas exsorbuit? h. e. devoravit. *Ovid.* 6. *Fast.* 115. de *strigibus*. Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (19). Ut quisque ova exsorbuerit. *Apul. de Mag.* Continuatio litterati laboris habitudinem tenuat, succum exsorbet.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Bacch.* 4. 8. 28. Illorum ego animam amborum exsorbebo. h. e. extraham, illos occidam. *Turpilius* apud *Non.* p. 102. 32. *Merc.* Jam ego istam tibi tristitiam exsorbebo. h. e. eximam. *Cic. Mur.* 9. 19. Multorum stultitiam perpessus est, arrogantiam pertulit, difficultates exsorbuit. h. e. tulit, toleravit. ¶ 2. Speciatim obscœno sensu. *Juvenal.* 10. 223. quot longa viros exsorbeat uno Maura die.

EXSORDESCO vel exordesco, is, ere, n. 3. valde sordesco, in sordibus jaceo. *Gell.* 9. 2. Nomen philosophiæ illustrissimum in hominibus deterrimis exsordescere.

EXSORS vel exors, ortis, adject. qui est extra sortem, qui sorti non committitur.

I.) Proprie. *Virg.* 8. *Æn.* 551. Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva: Ducunt exsortem Æneæ. h. e. electum de industria, non qui sorte ei contigerit. *Id.* 5. *ibid.* 534. exsortem ducere honorem. *Val. Flacc.* 4. 340. exsortia terga Laconi Præcipiunt pecudum.

II.) Translate est non particeps, expers: et occurrit — a) Cum Genitivo. *Virg.* 6. *Æn.* 428. Dulcis vitæ exsortes. *Horat. Art. P.* 304. Fungar vice cotis, acutum Reddere quæ ferrum valet exsors ipsa secandi. *Liv.* 22. 14. Omnis culpæ exsors. *Id.* 23. 10. Exsors amicitiæ et fœderis. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 8. 8. (151). Matrimoniorum exsortes. *Tac.* 6. *Ann.* 10. Ne feminæ quidem exsortes periculi. *Id.* 22. *ibid.* 44. Exsors culpæ. *Ennod. Opusc.* 2. p. 1096. Exsors pluviarum terra. — b) Cum Dativo. *Sidon.* 8. *Ep.* 12. *sub fin.* Hospitem meum conflictui huic facies exsortem.

EXSORTĬUM, ii, n. 2. privatio sortis, seu hereditatis. *Apul. de Deo Socrat.* Incerta vacatione, ceu quodam exsortio, punitur. *Al. melius leg.* exsilio.

EXPARGO. *V.* **EXSPERGO**.

EXSPĀTĬOR vel expatior, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (ex et spatior.) Part. *Exspatians* et *Exspatiatus* I. — Exspatior est extra spatium vagor, excurro, evagor.

I.) Proprie. *Ovid.* 2. *Met.* 202. Exspatiantur equi, nulloque inhibente, per auras Ignotæ regionis eunt. *Id.* 15. *ibid.* 453. Ne tamen oblitis ad metam tendere longe Exspatientur equis. *Id.* 1. *ibid.* 285. Exspatiata ruunt per apertos flumina campos. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 53. (121). Arbores latissima umbra exspatiantes. *Id.* 3. *ibid.* 5. 9. (67). Exspatiantia tecta. *Quintil.* 11. 3. 84. Brachium exspatiatur in latus. *Sil. It.* 17. 95. Ignes exspatiantur in auras.

II.) Translate. *Quintil.* 2. 16. 4. Finis non erit, si exspatiari parte in hac et indulgere voluptati velim. *Id.* 2. 10. 5. Poetica themata juvenibus pertractare permittemus, ut exspatientur et gaudeant materia. Adde eumd. 4. 3. 4.

EXSPECTĀBĬLIS vel expectabilis, e, adject. qui exspectatur. *Tac.* 16. *Ann.* 21. Parum exspectabilem operam præbere. *Alii leg.* expetibilem. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 16. Nomen Jesu non tam exspectabile apud Judæos.

EXSPECTĀMEN. *V.* **ASPECTAMEN**.

EXSPECTĀTĬO vel expectatio, ōnis, f. 3. προσδοκία, ὑπομονή, actus exspectandi, et sæpe in bonam partem accipitur, quando scilicet cum desiderio aut spe alicujus boni conjuncta est; tum active, tum passive (It. *aspettazione, lo aspettare*; Fr. *attente, desir de voir ou d'apprendre, impatience*; Hisp. *espera*; Germ. d. *Erwartung*, d. *Erwarten*; Angl. *an exspecting, exspectation.*) Occurrit — a) Cum Genitivo rei, quæ exspectatur. — In sing. num. *Cic.* 4. *Tusc.* 37. 80. Si spes est exspectatio boni, mali exspectationem esse necesse est metum. *Id. Rabir. perduell.* 5. 16. Harum rerum non solum eventus, sed etiam exspectatio indigna cive Romano est. *Id. Brut.* 76. 266. Præteritorum recordatio est acerba, et acerbior exspectatio reliquorum. Cf. *Quintil.* 12. 1. 7. Mala mens pœnarum omnium exspectatione torquetur. Rursus *Cic.* 2. *Att.* 12. 2. Quantam mihi exspectationem dedisti convivii istius! *Id.* 3. *ibid.* 14. 2. Ego propter viæ celebritatem et quotidianam exspectationem rerum novarum non commovi me Thessalonica. *Id.* 15. *Fam.* 4. 5. In hoc tanto motu tantaque exspectatione maximi belli etc. *Id.* 3. *Orat.* 5. 18. Ibi magna cum audiendi exspectatione considitur. *Id.* 3. *Off.* 2. 6. Sustines enim non parvam exspectationem imitandæ industriæ nostræ, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. *sei in non picciolo impegno di etc. Id.* 2. *Fam.* 1. 2. Tanta est exspectatio vel animi, vel ingenii tui, ut ego te obsecrare non dubitem, sic ad nos conformatus revertare, ut quam exspectationem tui concitasti, hanc sustinere tuerique possis. *mantenere e conservare. Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 4. 10. Facere magnam exspectationem sui. *Id.* 3. *Att.* 15. 3. Varronis sermo facit exspectationem Cæsaris. h. e. facit, ut de Cæsare bene speremus. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 4. Sum in exspectatione omnium rerum, quid in Gallia, quid in urbe geratur. h. e. exspecto. *Nepos Alcib.* 6. Tanta fuit exspectatio visendi Alcibiadis, ut etc. *Cæs.* 1. *B. C.* 21. Tanta erat summa rerum exspectatio. *Auct. B. G.* 8. 9. Sive certaminis periculo, sive exspectatione nostri consilii, copias instruunt. *Sueton. Cæs.* 42. Novarum tabularum exspectatione disjecta. — In plur. num. *Cic.* 1. *Att.* 4. 1. Crebras exspectationes nobis tui commoves. — b) Cum Ablativo rei, quæ exspectatur, et præpos. de. *Cic.* 2. *Att.* 11. 1. Quantam tu mihi moves exspectationem de sermone Bibuli! *quanta voglia di sapere etc. Id.* 3. *ibid.* 14. 1. Ex tuis litteris plenus sum exspectatione de Pompejo, quidnam de nobis velit aut ostendat. — c) Sequente relativo. — In sing. num. *Cic.* 2. *Orat.* 18. 74. Major me exspectatio tenet, quibusnam rationibus ea tanta vis comparetur. Adde *ejusd. loc.* 3. *Att.* 14. 1. superius allatum sub *b.* — In plur. num. *Cic.* 7. *Att.* 16. 2. Nunc has exspectationes habemus duas: unam, quid Cæsar acturus sit, alteram, quid Pompejus agat. — d) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 64. Vide ne sis in exspectatione, (*Forcellinus* et *al. leg.* exspectationi), ne illam animi excrucies. *guarda di non ti far aspettare. Cic.* 8. *Att.* 5. 2. Pendeo animi exspectatione Corfiniensi, in qua de salute reipublicæ decernitur. *Id.* 2. *leg. Agr.* 25. 66. Suspensum et incertum obscura spe et cæca exspectatione pendere. *Id. Orat.* 30. 107. Sunt omnia, sicut adolescentis, non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione laudata. *Id.* 3. *Att.* 18. Afferre alicui magnam exspectationem. *Id.* 1. *Tusc.* 17. 39. Adducere quempiam in summam exspectationem. *Id.* 1. *de republ.* 23. Permagnam exspectationem orationi alicujus imponere. *Id.* 1. *Orat.* 39. 180. Clarissima M. Curii causa nuper apud centumviros quo concursu hominum, qua exspectatione defensa est! *Id.* 2. *Orat.* 70. 284. Ex his omnibus nihil magis videtur, quam quod est præter exspectationem. *ciò che accade etc. inaspettatamente.* Cf. *Auct. B. G.* 8. 10. Contra omnium exspectationem. *contra ogni credere.* et *Quintil.* 3. 7. 16. Supra exspectationem. *Id.* 4. 1. 39. Exspectatione minor. Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 47. 205. Ea si paullo latius dixeris, expleris omnem exspectationem desiderii nostri. *Id.* 5. *Fam.* 12. 5. Viri excellentis ancipites casus habent admirationem, exspectationem, lætitiam, etc. *Id.* ad *Pompej.* 2. *post ep.* 11. 1. 8. *Att. a med.* Quum res in summa exspectatione esset. h. e. passive, scil. exspectaretur. Contra active *Cæs.* 2. *B. C.* 17. Magna esse in spe atque exspectatione. *Auct. B. Afr.* 14. Quum utrinque exspectatio fieret, neque Cæsar se moveret. h. e. quum utrinque acies exspectarent. *Liv.* 5. 19. Profectus cum exercitu exspectatione hominum majore, quam spe. *Curt.* 4. 12. *ad fin.* Macedones sive alacritate, sive tædio exspectationis etc. *Id.* 4. 10. Multiplici exspectatione commotus. — In plur. num. *Cic.* 2. *Orat.* 71. 289. Exspectationibus decipiendis et naturis aliorum irridendis risus moventur.

Homonym. Inter spem et exspectationem hoc interest, inquit *Donatus* ad *Ter. Eun.* 1. 2. 115., quod exspectatio certorum est, spes incertorum: exspectatio propinquarum rerum, spes longinquarum: exspectatio destinat tempus, spes non destinat.

EXSPECTĀTOR vel expectator, ōris, m. 3. spectator. Nam et exspecto pro specto reperitur. *Paulin. Nolan. Ep.* 6. (*al.* 42.) 3. Fructus, quo pascuntur oculi temporalium exspectatores. *Id. Ep.* 31. (*al.* 11.) 5. *extr.* Illico inter exspectatores suos redivivus. Ita utroque loco MSS. et editi nonnulli. Al. *spectatores. Seneca Med.* 28. Spectat hoc nostri sator Sol generis? exspectator et curru insidens, etc. Ita in Cod. MSS. apud nos; alii aliter. Apud *Augustin.* quoque in MSS. non semel *exspectator* pro *spectator* legi, testantur nonnulli critici.

EXSPECTĀTRIX vel expectatrix, īcis, f. 3. quæ exspectat. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 16. Proinde patientiam docet vindictæ exspectatricem.

EXSPECTĀTUS vel expectatus, a, um. *V.* voc. seq.

EXSPECTO vel expecto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et specto.) Part. *Exspectans* II. 1. *a.* et *b.*; *Exspectatus* II. 2. *a.* et in fin.; *Exspectaturus* et *Exspectandus* II. 1. *a.* — Exspectare proprie est idem ac spectare, vel potius prospectare, *guardare, prospettare.*

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Plaut. Aulul.* 4. 8. 6. Multo prius me collocavi in arborem, indeque exspectabam, ubi aurum abstrudebat senex. *At meliores libri leg.* spectabam vel aspectabam. *Varro* apud *Non.* p. 99. 25. *Merc.* Sin autem delectationis causa venamini, quanto satius est, salvis cruribus in Circo exspectare, quam his deambulatis in silva currere? *Al. leg.* spectare. *Petron. Satyr.* 17. Attoniti exspectavimus lacrimas ad ostentationem doloris paratas. *Al. leg.* spectavimus. Adde *Paul. Dig.* 41. 1. 26., ubi edidit *Torrentin.* exspectaretur. Certa lectio est solummodo apud *Stat.* 5. *Silv.* 2. 21. qualis per jugera Circi Quum pulcher visu, titulis generosus avitis Exspectatur equus etc. tilium omnes acuunt plausus etc. — Nonnullis huc referendum videtur et illud *Ovid.* 14. *Met.* 117., quod *V.* infra sub II. 2. *a.*; sed minus recte. — Quidam hoc sensu scribunt *expecto* in locis *Plauti* et *Petron.* allatis.

II.) Translate duo præcipue significat, prout objective potius quam subjective, uti ajunt, aut vice versa exspectandi actio cogitatur: objective enim exspectare est illud, quod imminet aut futurum est, præstolari, opperiri, quia dum aliquid exspectamus, sæpe adspicimus; subjective autem exspectare proprium est animi, qui de futuro anxius est, idque cupit atque optat, aut timet. Hæc duo per jocum junguntur in illo apud *Quintil.* 9. 3. 68. Quum Proculejus quereretur de filio, quod is mortem suam exspectaret, et ille dixisset, se vero non exspectare: *Immo*, inquit, *rogo exspectes.* V. eumdem jocum apud *Rutil. Lup.* 1. 5. Hinc *Forcellinus*: Videtur inesse discrimen aliquod inter *exspectare* et *optare*. Nam qui exspectat, optat quidem, nihil tamen facit, quo potiatur: at qui optat, magis anxius est. *Seneca* 5. *Benef.* 17. Quis non patri suo supremum diem, ut innocens sit, optat; ut moderatus, exspectat; ut plus, cogitat? Itaque ¶ 1. Objective, uti ajunt, exspectare, ἀναμένω, προσδοκάω, est illud, quod imminet aut futurum est, præstolari, opperiri (It. *aspettare, attendere, stare in attesa*: Fr. *attendre quelque chose qui doit arriver ou se faire, être dans l'attente*; Hisp. *aguardar, detenerse*; Germ. *auf etwas, das kommen oder geschehen soll, warten, es abwarten, erwarten, dessen gewärtig sein*; Angl. *to look for, wait for*). Occurrit — a) Cum Accusativo. *Plaut. Asin.* 3. 1. 28. Ecastor nobis periculum magnum portenditur, dum ejus exspectamus mortem, ne nos moriamur fame. *Cato R. R.* 3. Lubet caritatem exspectare. *Cic.* 2. *de republ.* 38.

Quum ea Scipio dixisset, silentioque omnium reliqua ejus exspectaretur oratio etc. *Id.* 2. *Att.* 21. 2. transitum tempestatis. *Cæs.* 1. *B. G.* 27. Quum eos (*Helvetios*) in eo loco, quo tum essent, suum adventum exspectare jussisset. *Id.* 6. *ibid.* 9. Exspectare adventum hostium. *Id.* 7. *ibid.* 49. Ipse paullum ex eo loco progressus, ubi constiterat, eventum pugnæ exspectabat. *Id.* 1. *B. C.* 5. Exspectare responsum suis postulatis. *Liv.* 36. 43. Classis ibi aptius exspectatura hostem. *Cels.* 2. 10. Exspectanda igitur remissio est. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 9. cœnantes haud animo æquo Exspectans comites. *Ovid.* 3. *Met.* 136. scilicet ultima semper Exspectanda dies homini est, dicique beatus Ante obitum nemo debet. *Id. de nuce* 120. Non exspectata quum venit imber aqua. *inaspettata.* *Curt.* 8. 9. Exspectatam mortem pro dedecore vitæ habent. — De abstractis occurrit pro *manere* in illo *Horat.* 2. *Sat.* 1. 57. seu me tranquilla senectus Exspectat, seu mors atris circumvolat alis. — *b*) Sequente relativo. *Ennius* 1. *Ann.* 100. uter esset induperator Exspectant, veluti consul quum mittere signum Vult, omnes avidi spectant ad carceris oras. – Sic exspectabat populus atque ora tenebat Rebus, utri magni victoria sit data regni. *Plaut. Pœn.* 4. 1. 1. Exspecto, quo pacto meæ technæ processuræ sient. *Ter. Andr.* 1. 1. 7. Exspecto, quid velis. *Cic.* 2. *Invent.* 28. 85. Ne utile quidem est, quam mox judicium fiat, exspectare. *h. e.* differre. *Cæs.* 3. *B. G.* 24. Quid hostes consilii caperent, exspectabat. *Quintil.* 11. 3. 159. Velut exspectans, quando incipiendum sit. *Curt.* 10. 2. Quidnam dicturus esset, exspectabant. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (121). Exspectante Antonio, quidnam esset actura. *stando a vedere.* — *c*) Sequentibus part. *dum, donec, si, ut, quin.* — Sequente *dum, donec.* *Cic.* 2. *Tusc.* 7. 17. Exspectas fortasse, dum dicat etc. *Cæs.* 4. *B. G.* 13. Exspectare, dum hostium copiæ augerentur, summæ dementiæ esse judicabat. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 42. Rusticus exspectat, dum defluat amnis. *Quintil.* 4. 2. 45. Nec dum repetatur, exspectat. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 122. Si exspectasses, donec me consuleres. — Et impersonaliter. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 19. Nec vero hoc loco exspectandum est, de remo inflexo aut de collo columbæ respondeam. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Cæsar non exspectandum sibi statuit, dum in Santonos Helvetii pervenirent. Et *exspectato* Ablat. absol. *Tac.* 11. *Ann.* 26. Nec ultra exspectato, quam dum Claudius Ostiam proficisceretur. Cf. *eumd.* 12. *ibid.* 7. — Sequente *si.* *Plaut. Pœn. prol.* 12. Jamdudum exspecto, si tuum officium scias. *Id. Trin.* 1. 2. 61. Exspecto, si quid dicas. *Cæs.* 2. *B. G.* 9. Paludem si nostri transirent, hostes exspectabant. *Id.* 2. *B. C.* 34. Vallem uterque, si adversariorum copiæ transire conarentur, exspectabat. — Sequente *ut.* *Cæs.* 1. *B. C.* 6. Neque exspectant, ut de eorum imperio ad populum referatur. *Quintil.* 7. 10. 14. Quare nemo exspectet, ut alieno tantum sit labore disertus. — Dicitur etiam *exspecto te, ut hoc facias,* pro *exspecto, ut tu hoc facias.* *Liv.* 42. 40. Exspectari nos arbitror, ut respondeamus litteris tuis. — Sequente *quin* et impersonaliter. *Cæs.* 3. *B. G.* 24. Quum omnium voces audirentur, exspectari diutius non oportere, quin ad castra iretur. — *d*) Absolute. *Cic.* 15. *Fam.* 17. Comites ad portam exspectare dicunt. *Quintil.* 4. 5. 19. Frequentius sunt admonendi, exspectent paullum et agi ordine sinant. Huc referendum videtur et illud *Cic.*, in quo *diem* tamquam Accusativus temporis accipi potest, 7. *Att.* 26. 3. Tibi crebro ad me scribenti nihil rescripsi, quod diem ex die exspectabam, ut statuerem, quid esset faciendum. — Metonymice est morari, otiosum esse, tempus terere. *Virg.* 4. *Æn.* 225. Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc Exspectat, fatisque datas non respicit urbes, Alloquere. ¶ 2. Subjective, uti ajunt, exspectare proprium est animi, qui de re futura anxius est cupidine ac desiderio, aut timore; adeoque est cupere, optare, sperare, timere, *desiderare, bramare, sperare, temere.* Occurrit — *a*) Cum Accusativo tantum et quidem — Cum Accusativo rei, quæ cupitur, optatur. *Plaut. Curc.* 1. 2. 56. Magnum inceptas, si id exspectas, quod nusquam'st. *Ter. Adelph.* 5. 4. 20. Illum, ut vivat, optant; meam autem mortem exspectant scilicet. *desiderano.* *Cic.* 15. *Fam.* 21. *extr.* Reliquum est, ut tuam profectionem amore prosequar, reditum spe exspectem, absentem memoria colam. *Id. ad Planc.* 16. *Att.* 16. *s. extr.* Quod magna cum spe exspectamus. *Id.* 3. *ibid.* 22. *extr.* Ego jam aut rem, aut ne spem quidem exspecto. *Id.* 14. *Phil.* 1. 1. Avidissime exspectare aliquid. *Id.* 15. *Fam.* 16. 1. Longiores epistolas exspectabo, vel potius exigam. *Cæs.* 7. *B. G.* 85. Romani, si rem obtinuerint, finem laborum omnium exspectant. — Cum Accusativo rei, quam quis timet. *Ter. Phorm.* 1. 4. 16. Nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum. *Id. Hecyr.* 3. 4. 8. Semper mortem exspectabam miser. *Cæs.* 6. *B. G.* 1. et 7. *ibid.* 43. Multis de causis majorem Galliæ motum exspectans. – Cum Accusativo personæ. *Plaut. Capt.* 2. 3. 22. Pater exspectat aut me, aut aliquem nuncium. *Id. Bacch.* 5. 2. 86. Ite intro, filii vos exspectant intus. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 82. hic ego mendacem usque puellam Ad mediam noctem exspecto. Cf. *Propert.* 2. 22. 13. Hæc te non meritum totas exspectat in horas. *Cic.* 2. *de republ.* 42. Video jam, illum, quem exspectabam, virum, cui præficias officio et muneri. *Ovid.* 14. *Met.* 416. Presserat occiduus Tartessia litora Phœbus, Et frustra conjux oculis animoque Canentis Exspectatus erat. Et de timore *Lucan.* 5. 671. Dum metuar semper terraque exspecter ab omni. — *b*) Poetice de inanimis. *Virg.* 2. *G.* 21. Silvarumque aliæ pressos propaginis arcus Exspectant et viva sua plantaria terra. *h. e.* requirunt, indigent. Sic *Id. ibid.* 420. non ulla est oleis cultura, neque illæ Procurvam exspectant falcem rastrosque tenaces. — *c*) Cum Accusativo rei et Ablativo personæ per præpos. *ab* vel raro admodum *ex*; qua ratione eleganter *exspectare* dicitur, qui beneficium sperat ab aliquo. *Cic.* 11. *Fam.* 5. 3. A te hoc civitas, vel omnes potius gentes non exspectant solum, sed etiam postulant. *Id.* 3. *ibid.* 10. 1. Omnia volo a me et postules et exspectes: vincam meis officiis cogitationes tuas. *Id. ibid.* 12. 4. Dixi Servilio, ut omnia a me majora exspectaret. *Id.* 1. *de republ.* 4. Neque hac nos patria lege genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis. *Id.* 6. *ibid.* 19. *extr.* A quibus exspectare gloriam certe nullam potestis. *Cæs.* 2. *B. C.* 28. His pauca ad spem largitionis addit, quæ ab sua liberalitate exspectare deberent. *Cic.* 2. *de republ.* 22. Proletarios nominavit, ut ex iis quasi proles civitatis exspectari videretur. — Et de re mala *Cic.* 2. *Tusc.* 12. 28. Quo dedecus majus a philosopho nullum exspecto. — *d*) Sequente relativo. *Ter. Phorm.* 1. 3. 9. Dum exspecto, quam mox veniat, qui adimat hanc mihi consuetudinem. — *e*) Cum Infinito. *Fronto ad L. Verum imp.* 6. Nunc exspecto cognoscere ex tuis litteris, quantum etc. — *f*) Absolute. *Ter. Phorm.* 5. 8. 36. Quid mihi affers, quamobrem exspectem, aut sperem, porro non fore? *Cic.* 1. *de republ.* 4. Si aliter, ut dixi, accidisset, qui possum queri, quum mihi nihil improviso, nec gravius quam exspectavissem pro tantis meis factis evenisset? *Quintil.* 12. 8. 11. Dum omnia quærimus, aliquando ad verum, ubi minime exspectavimus, pervenimus. — Hinc part. præter pass., cujus exempla etiam sub II. 1. retulimus,

Exspectatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Exspectatior* et Sup. *Exspectatissimus*; et est exoptatus, quæsitus (*V.* supra sub II. 2.), *bramato*, ἐλπισθείς. — *a*) Posit. *Cic.* 16. *Fam.* 17. Carus omnibus exspectatusque venies. *Id.* 4. *ibid.* 10. 1. Cura, ut quam primum venias; venies enim, mihi crede, exspectatus, neque solum nobis, sed prorsus omnibus. Cf. *Liv.* 26. 40. Consul in Siciliam, veteribus noxisque sociis exspectatus, quum venisset. et *Virg.* 2. *Æn.* 282. quibus Hector ab oris Exspectate venis? *Catull.* 62. 2. Diu exspectatus. *Val. Flacc.* 4. 437. Longum exspectatus. *Cic. Senect.* 19. 68. Fratres tui exspectati ad altissimam dignitatem. — In illo *Ter. Adelph.* 1. 2. 29. Ubi te exspectatum ejecisset foras. *exspectatum* est illum, cujus mors exspectatur, adeoque odiosum, gravem. — *b*) Comp. *Plaut. Most.* 2. 2. 12. Nimio ille potuit exspectatior venire, qui te nunciaret mortuum. — *c*) Sup. *Cic.* 4. *Att.* 4. Mihi tuum adventum suavissimum exspectatissimumque esse. *Id.* 10. *Fam.* 5. Ut ad me mihi exspectatissimæ litteræ perferrentur. *Auct. B. G.* 8. 51. Exspectatissimus triumphus. — Hinc

Exspectatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. — *a*) *Exspectata* sunt res exspectatæ. *Vellej.* 2. 75. 2. Quis non diversa præsentibus contrariaque exspectatis aut speret, aut timeat? — *b*) *Exspectato maturius* Italice significat *più presto di quello che si aspettava.* *Vellej.* 2. 123. 1. Ille ad patrem patriæ exspectato revolavit maturius. — *c*) *Ante exspectatum*, eodem sensu, ἀπροσδοκήτως, *inaspettatamente.* *Virg.* 3. *G.* 348. et hosti Ante exspectatum positis stat in agmine castris. *Seneca Ep.* 114. Verba ante exspectatum cadentia. Adde *Ovid.* 4. *Met.* 789. et 8. *ibid.* 5. — *d*) *Non exspectato*, adverbii ritu, idem *Sil. It.* 16. 499. Non exspectato subitusque erumpit.

EXSPERGO *vel* exspargo *vel* expergo, gis, si, sum, gere, a. 3. (ex *et* spargo). Apud *Lucret.* 5. 371. nonnulli pro *exspergi* legunt *exspargi*; item apud *Veget.* — Part. *Exspersus* 1. et 2. — Exspergo ¶ 1. Est dispergo, dissipo, spargo. *Lucret.* 3. 828. Exspergi quo possit vis animai. *h. e.* dilatari, diffundi. *Id.* 5. 371. Nec porro natura loci spatiumque profundi Deficit, exspergi quo possint mœnia mundi. *Veget.* 3. *Milit.* 15. Melius est plures acies facere, quam militem exspergere. *Id. ibid.* Hostibus in campos exspersis atque securis opportunum prælium semper infertur. ¶ 2. Item est conspergo, seu liquidis madefacio. *Virg.* 3. *Æn.* 625. sanieque exspersa natarent Limina. Ubi *Servius*: Hæc fuit vera lectio, idest madefacta: nam si *aspersa* dixeris, idest inrorata, tapinosis et hyperbole junguntur.

EXSPERSUS, a, um. *V.* voc. præced.

EXSPES *vel* expes, adject., qui occurrit tantum in Nominativo sing. numeri: in obliquis casibus exempla nondum vidimus. — Exspes est extra spem positus, desperatus; et occurrit — *a*) Absolute. *Horat. Art. P.* 20. si fractis enatat exspes Navibus. *Ovid.* 4. *Met.* 217. Solus, inops, exspes. — *b*) Cum Genitivo. *Accius* apud *Non.* p. 12. 7. *Merc.* Ille orbus, exspes liberum. *Tac.* 6. *Ann.* 24. Ubi exspes vitæ fuit.

EXSPĪRĀTĬO *vel* expiratio, ōnis, f. 3. actus exspirandi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 33. 83. Terræ exspirationibus aer alitur.

EXSPĪRĀTUS *vel* expiratus, a, um. *V.* voc. seq.

EXSPĪRO *vel* expiro, as, āvi, ātum, are, 1. (ex et spiro). Part. *Exspirans* in omnibus fere paragr.; *Exspiraturus* sub *B.* II. 2. — Exspirare usurpatur *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active exspirare, ἐκπνέω, est exhalare, spirando emittere (It. *esalare, mandar fuori soffiando*; Fr. *rendre par le souffle, souffler, exhaler, faire évaporer*; Hisp. *exhalar, echar de si, vahar, vahear*; Germ. *aushauchen, -blasen*; Angl. *to breathe out, expire*).

1.) Proprie. *Lucilius* apud *Non.* p. 38. 27. *Merc.* Exspirans animam pulmonibus æger agebat. Sic *Auct. B. Afr.* 88. Anima nondum exspirata. et *Ovid.* 5. *Met.* 106. medios animam exspirat in ignes. Similiter *Id.* 3. *ibid.* 120. exspirat, modo quas acceperat, auras. *spira l'ultimo fiato.* Ceterum *Lucret.* 2. 354. Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen. Sic *Virg.* 1. *Æn.* 48. Exspirare flammas pectore. Rursus *Lucret.* 4. 121. Exspirare aerem de corpore odorem. *Sil. It.* 9. 284. unda freti fundo emota minaces Exspirat per saxa sonos. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 56. (115). Uniones senescere coloremque exspirare.

II.) Translate. *Lucret.* 3. 720. Unde cadavera rancenti jam viscere vermes Exspirant. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 70. nescia falcis Silva comas tollit fructumque exspirat in umbras. *h. e.* luxurians exit in frondes umbrosas pro fructu.

B) Neutrorum more, sive absolute, est spirando exire (It. *uscire soffiando*; Fr. *s'exhaler, sortir, s'évaporer, s'échapper*; Hisp. *exhalarse, evaporarse*; Germ. *herausblasen, hervorkommen*; Angl. *to pass off in breath, smoke or vapour*).

1.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 6. 639. per fauces montis ut Ætnæ Exspirent ignes interdum turbine tanto. *Id. ibid.* 886. ignis exspirare foras exireque in auras. *Ovid.* 15. *Met.* 299. Vis fera ventorum, cæcis inclusa cavernis, Exspirare aliqua cupiens. *Val. Flacc.* 4. 493. patriique exspirat Averni halitus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 3. 4. (20). Unguenta illico exspirant. *svaporano.* Huc pertinet et illud *Lucilii* apud *Non.* p. 38. 30. *Merc.* Distento corpore exspiret vis. ¶ 2. Specialim ponitur pro mori, *spirar l'anima, morire.* *Virg.* 10. *Æn.* 731. atram Tundit humum exspirans. *Horat. Epod.* 5. 91. Ubi perire jussus exspiravero. *Liv.* 2. 20. Inter primam curationem exspiravit. *Id.* 28. 19. Exspirare inter

verbera et vincula. *Curt.* 9. 8. *a med.* Barbari veneno tinxerant gladios: itaque saucii subinde exspirabant. *Quintil.* 6. 2. 31. Extremus exspirantis hiatus. *Id.* 9. 2. 73. Marito exspiranti. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 45. 46. (149). Destinatio exspirandi et quatridui inedia major pars mortis in corpus recepta. — Passive impersonaliter. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 67. (178). Quoniam membranâ cerebri incisâ statim exspiretur.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiori paragr. 1. *Catull.* 64. 194. Iræ pectoris exspirantes. ¶ 2. Metaphora sumpta a superiori paragr. 2.: ad rem *Varro* apud *Non. p.* 106. 5. *Merc.* Si qui patriam, majorem parentem, exstinguit, in eo est culpa, quod etc. *Liv.* 28. 28. Si ego morerer, mecum exspiratura respublica erat. *Plin. Paneg.* 57. Libertate jam exspirante. — Apud JCtos *exspirare* dicuntur, quæ finiuntur solvunturve. *Martian. Dig.* 48. 17. 1. *extr.* Criminis causa exspirat. *Paul. ibid.* 45. 1. 58. Prior obligatio exspirat. *Ulp. ibid.* 24. 3. 19. Redintegrato matrimonio, judicium exspirat.

EXSPISSĀTUS *vel* expissatus, a, um. *V.* voc. seq.

EXSPISSO *vel* expisso, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* spisso). Part. *Exspissatus.* — Exspisso est spissum facio. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 95. (152). Necat, sanguinem exspissando. *Alii leg.* spissando. *Id.* 20. *ibid.* 7. 24. (58). Lac exspissatum. *Alii plerique leg.* spissatum. *Sillig.* utrobique spiss.

EXSPLENDEO *vel* explendeo, es, *et rectius*

EXSPLENDESCO *vel* explendesco, splendescis, splendui, splendescere, n. 3. (ex *et* splendesco). Part. *Exsplendescens* I. — Exsplendesco est valde splendesco.

I.) Proprie. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 23. Ignis, qui exsplendescat, nec exsiliat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 12. 12. (30). Præcipue ipso Sirio exsplendescente fit.

II.) Translate. *Nepos Att.* 1. Clarius exsplendescebat, quam generosi condiscipuli æquo animo ferre possent. *Sueton. Tit.* 3. In puero statim corporis animique dotes exsplenduerunt.

EXSPLENDĬDUS, a, um, adject. valde splendidus. *Tabula æn. hospitalis* reperta Genusiæ non multis abhinc annis, quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CCCCXCV., nunc vero exstat in *Mus. Borbon. Neapol.*, edita a *Constant. Gazzera, Decret. di patron. e client. p.* 99. FLAVIVS SVCCESSVS ORNATVS ET EXSPLENDIDVS VIR.

EXSPŎLIĀTĬO *vel* expoliatio, ōnis, f. 3. actus exspoliandi. *Augustin.* 20. *Civ. Dei* 8. *extr.* Ut et ligati et soluti exspoliatio sequeretur. *Vulgat. interpr. Coloss.* 2. 11. Circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi.

EXSPŎLĬĀTOR *vel* expoliator, ōris, m. 3. qui spoliat. *Salvian.* 7. *Gub. Dei* 21. *p.* 288. *Rittersh.* Puniti exspoliatores domorum, quum sit ipse exspoliator civitatum atque provinciarum.

EXSPŎLĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXSPŎLĬO *vel* expolio, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et spolio). Part. *Exspoliatus* II.; *Exspoliandus* I. — Deponentis forma, *exspoliari* habet *Claudius Quadrigarius* apud *Non. p.* 480. 16. *Merc.* Ita per sexennium agrum Campanum exspoliabantur. *Vet. Poeta* apud *Donat. de Barbar. p.* 1769. *Putsch.* Exspoliantur eos, et corpora nuda relinquunt. — Ceterum exspolio est idem ac spolio, seu omnino spolio.

I.) Proprie. *Sall. Cat.* 50. Exspoliare fana atque domos. *Cic. Dejot.* 9. 25. Auctionatus est, seseque exspoliare maluit, quam tibi pecuniam non subministrare. *Curt.* 9. 5. 10. Ad exspoliandum corpus alacer gaudio accurrit. *Ovid.* 13. *Met.* 561. digitos in perfida lumina condit, Exspoliatque genas oculis. *Alii tamen aliter leg.*

II.) Translate. *Plaut. Truc.* 2. 7. 3. Improbis sese artibus exspoliare. *Cæs.* 7. *B. G.* 7. Nos vestro auxilio exspoliastis. *Cic.* 10. *Att.* 1. 3. Exspoliare aliquem provincia et exercitu. *Auct. B. G.* 8. 50. Omni honore et dignitate exspoliare aliquem. *Ambros.* in *Psalm.* 38. Minorem etiam laborem nobis exspoliatus homo vetus, quam supervestitus afferret.

EXSPŎLĬOR, āris, etc. dep. 1. *V.* vocem præced. init.

EXSPŪĬTĬO, ōnis, f. 3. exspuendi actus, ut Exspuitio sanguinis, *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 14. (20).

EXSPŪMO *vel* expumo, as, are, n. 1. (ex et spumo) spumando emano. *Cels.* 6. 7. *n.* 8. Donec inde humor aliquis expumet.

EXSPŬO *vel* expuo, pŭis, pŭi, pūtum, pŭere, a. 3. (ex et spuo). Part. *Exspuens* I. *a.* et II. 1.; *Exsputus* II. 1. — Exspuo est salivam vel aliud quidpiam ore emitto (It. *sputar fuori*; Fr. *cracher, rejeter en crachant*; Hisp. *escupir fuera*; Germ. *ausspeien*; Angl. *to spit out, spit*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 23. 23. (87). Exspuit linguam in os tyranni. *Id.* 35. *ibid.* 16. 53. (191). Prosunt sanguinem exspuentibus. *Scribon. Compos.* 194. Ab ore sanguinem exspuere. — *b*) Absolute. *Varro* 3. *R. R.* 3. 9. Quum ille gustasset et exspuisset. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 2. 6. (17). Exspuere in mare fas non putant. *Id.* 14. *ibid.* 22. 28. (146). Non respirasse in hauriendo, neque exspuisse.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro ejicere, magna cum vi emittere. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 73. Pumiceos oculos habeo: non queo lacrimam exorare ut exspuant unam modo. *Catull.* 64. 154. Quænam te genuit sola sub rupe leæna? Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis? *Sidon.* 1. *Ep.* 7. *sub fin.* In insulam conjectos est, ubi usque ad inimicorum dolorem devenustatus, et a rebus humanis veluti vomitu fortunæ nauseantis exsputus vitam trahit, uncum et laqueum per horas turbulenti carnificis horrescens. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 93. 101. (220). Circa Messanam fimo similia exspuuntur in litus purgamenta. *Id.* 9. *ibid.* 36. 60. (126). Purpuras cum testis vivas frangunt, ita damnum rorem cum exspuentes. *Id.* 16. *ibid.* 10. 19. (45). Tædæ carbonem repente exspuunt cum eruptionis crepitu. *Id.* 33. *ibid.* 6. 32. (99). Argentum vivum optime purgat aurum, ceteras ejus sordes exspuens crebro jactatu. ¶ 2. Parum concionæ translationes videntur hæ, quæ tamen frequentes sunt, in quibus *exspuere* ponitur pro amovere, amoliri. *Ter. Eun.* 3. 1. 16. Illam ubi exspueret miseriam ex animo. *Lucret.* 2. 1038. Desine quapropter, novitate exterritus ipsa, Exspuere ex animo rationem; sed magis acri Judicio perpende. *Seneca* 3. *Ira in fin.* Jam ipsum spiritum exspuimus, interim dum trahimus. *Val. Flacc.* 3. 107. purpuream singultibus exspuit auram. *Seneca Thyest.* 215. Ferro peremptus spiritum inimicum exspuat. Adde *eumd. Herc. Œt.* 1169. et *Troad.* 1169.

EXSPŪTUS *vel* exputus, a, um. *V.* voc. præced.

EXSTANS *vel* extans, antis. *V.* EXSTO.

EXSTANTĬA *vel* extantia, æ, f. 1. prominentia. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 12. Capita sine ulla exstantia neque aratro, neque bubus obnoxia. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. Ventris exstantia. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 10.

EXTERNĀTUS *vel* externatus, a, um. *V.* voc. seq.

EXSTERNO *vel* externo, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Exsternatus* sub *A.* — Exsternare duo diversa significat, prout *A*) Est ab *ex* et *sterno*, vel *B*) Ab *externus.*

A) *Exsternare* ab *ex* et *sterno* est præ consternatione dementem facio. *Catull.* 64. 71. Ab miseram, assiduis quam luctibus exsternavit Spinosas Erycina serens in pectore curas! *Id.* 64. 164. Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris, Exsternata malo? *Ovid.* 1. *Met.* 641. se externata refugit. *Id.* 11. *ibid.* 77. Externata fugam frustra tentabat. *Id. ibid.* 434. Externati equi.

B) *Externare* est etiam externum facere, seu exheredare. *Apul. de Mag.* Filiam Rufini heredem non reliquit, *etc.* ut intelligeretur potius externare, quam oblitus præteriisse. *Al. leg.* extraneasse. Similiter *Cassiod. Complex.* ad 1. *Petr.* 1. Ut ab eis mundi exsternaret affectum. *Alii leg.* extranearet. — Porro in hac significatione est ab *extra*, et scribendum est sine *s*. Quamquam et in priore *s* omitti potest, si non a *sterno*, sed ab *externus* ducatur, ut significet externum et alienatum a mente reddere. Hucusque *Forcellinus.* Ceterum apud *Apul.* et *Cassiod.* præferendum est *extraneare.*

EXSTILLO *vel* extillo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* stillo) guttatim defluo; et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 29. Sinapi, oculi ut exstillent, facit. *Ter. Phorm.* 5. 7. 82. Exstillare lacrimis. — *b*) Cum Accusativo. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 2. *Schneid.* Atque omnem amurcam exstillare.

EXSTĬMŬLĀTOR, ōris, m. 3. qui exstimulat et excitat, ut translato Acerrimus exstimulator rebellionis, *Tac.* 3. *Ann.* 40.

EXSTĬMŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXSTĬMŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et stimulo). Part. *Exstimulatus* I. — Exstimulo est valde stimulo, pungo.

I.) Proprie. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 37. 61. (132). Cochleæ aculeo exstimulatæ.

II.) Figurate sæpius usurpatur pro incitare. *Ovid.* 5. *Met.* 165. Tigris exstimulata fame. *Id.* 6. *Fast.* 588. His solita est dictis exstimulare virum. *Id.* 3. *Trist.* 2. 29. Exstimulare fata cessantia. *Colum.* 6. *R. R.* 27. 3. Id præcipue armentum libidinis exstimulatur cibis. *Id.* 8. *ibid.* 11. 8. Exstimulare libidinem. *Tac.* 15. *Ann.* 50. animum. *Id.* 1. *Hist.* 65. Exstimulare milites, et impellere in eversionem. *Sil. It.* 1. 32. Corda exstimulare furore bellandi. — Passive. *Tac.* 4. *Ann.* 59. Dum a libertis et clientibus, apiscendæ potentiæ properis, exstimulatur, ut erectum et fidentem animi ostenderet.

EXSTINCTĬO *vel* extinctio, ōnis, f. 3. actus exstinguendi, exstinctus.

I.) Proprie. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 2. 9. *p.* 549. Exstinctio luminis. *Cf. eumd. ibid. p.* 550. Sonus exstinctionis ignis in nube.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 117. Supremus ille dies (*mortis*) non exstinctionem, sed commutationem affert loci. *Augustin. de Trin.* 14. Exstinctio et quasi quies vitæ.

EXSTINCTOR *vel* extinctor, ōris, m. 3. qui exstinguit.

I.) Proprie. *Cic. Pis.* 11. 26. Prope a meis ædibus sedebas, non exstinctor, sed auctor incendii.

II.) Figurate est interfector, qui vitam adimit. *Cic. Sull.* 31. 88. Exstinctor patriæ. *h. e.* eversor. *Justin.* 16. 1. Cassander exstinctor regiæ domus. — Et cum abstractis. *Cic. Dom.* 38. 101. Non exstinctor conjurationis, sed auctor et dux. *Id. Haruspresp.* 23. 94. Exstinctor belli.

EXSTINCTUS *vel* extinctus, a, um. *V.* EXSTINGUO.

EXSTINCTUS *vel* extinctus, us, m. 4. exstinctio. In sexto casu singulari. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 7. 5. (43). Quum plerumque abortus causa fiat odor a lucernarum exstinctu.

EXSTINGUĬBĬLIS, e, adject. qui exstingui potest. *Lactant.* 7. 20. Ut si animæ non exstinguibiles in totum, tamen cruciabiles fiant. Adde *Epitom.* 36.

EXSTINGUO *vel* extinguo, stinguis, stinxi, stinctum, stinguere, a. 3. *Exstinxit* pro *exstinxerit* ἀρχαικῶς est *Plaut. Truc.* 2. 6. 43. (*V.* infra sub II. 1.). *Extinxem* per syncop. pro *exstinxissem* apud *Virg.* 4. *Æn.* 606.; et *ibid.* 682. *exstinxti* pro *exstinxisti.* — Part. *Exstinctus* in omnibus paragr.; *Exstincturus* I.; *Exstinguendus* II. 2. — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* est ab *ex* et *stinguo*, quod significat opprimere, restinguere, delere: vel ab *ex* et *tinguo* pro *tingo*, ut proprie dicatur de igne, qui aqua tinctus opprimitur; qua ratione sine *s* scribi oportebit. At fortasse *stinguere* conjungendum est cum Gr. στίζω, unde et *instigare*, *instinctus*, *stimulus* et similia; ita ut *exstinguere* sit stimulum sive innatam vim auferre, adeoque opprimere, delere. — Ceterum quidquid sit de etymo, exstinguere, ἀποσβέννυμι, est opprimere, restinguere, delere; et proprie refertur ad ignem et lumen (It. *estinguere, smorzare, spegnere*; Fr. *éteindre*; Hisp. *apagar, matar el fuego ó la luz*; Germ. *auslöschen, verlöschen*; Angl. *to put out, extinguish, quench*).

I.) Proprie usurpatur, ut diximus, de igne et lumine. *Lucret.* 6. 792. Nocturnumque recens exstinctum lumen ubi acres Nidore offendit nares etc. Sic *Cic.* 4. *Fam.* 3. 2. Exstincta lumina. Similiter *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (228). Fons immersas faces exstinguit. *Id.* 31. *ibid.* 3. 28. (49). Exstinguere lucernam. Rursus *Cic.* 6. *de republ.* 22. Deficere sol hominibus exstinguique visus est. *Id. Senect.* 19. 71. Adolescentes mihi mori sic videntur, ut quum aquæ multitudine flammæ vis opprimitur; senes autem sic, ut sua sponte nulla adhibita vi consumptus ignis exstinguitur. Sic *Liv.* 10. 24. Eum ignem se exstincturum ait. *Ovid.* 1. *Fast.* 712. Exstincti ignes. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (81). Carbo in sanguine exstinctus. *Cic.* 4. *Fam.* 13. 2. Exstinguere incendium. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 44. Exstincti foci. *Id.* 5. *Fast.* 425. Exstinctus cinis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 23. Refrigerato et exstincto calore occidimus ipsi et exstinguimur. *Vitruv.* 2. 5. Exstinguere calcem. *h. e.* postquam excocta est, aqua perfundere, *spegnere.*

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad vitam et ad alias naturales vires, et significat vita aut viribus privare. — a) De vita. *Plaut. Truc.* 2. 6. 43. Ne, ille priusquam spolia capiat, hic nos exstinxit fames. *h. e.* extinxerit. *Ter. Adelph.* 3. 2. 10. Seni animam primum exstinguerem ipsi, qui illud produxit scelus. *Virg.* 2. *Æn.* 585. exstinxisse nefas (*h. e.* nefarium) et sumpsisse merentis Laudabor pœnas. *Cic. Cæl.* 32. 79. Nolite, hunc jam natura ipsa occidentem, velle, maturius exstingui vulnere vestro. *Id. Brut.* 1. 1. Vir egregius alienissimo reipublicæ tempore exstinctus. Adde eumd. 6. *de republ.* 14. *Liv.* 8. 3. Invictum bellis juvenem fortuna morbo exstinxit. *Virg.* 5. *Ecl.* 20. exstinctus crudeli funere Daphnis. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 11. exstinctus amabitur idem. *Ovid.* 3. *Met.* 470. Exstingui in ævo primo. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 7. (20). Exstinctus nuper in longa senecta. *Id.* 9. *ibid.* 8. 8. (25). Exstinctus morbo. *Tac.* 3. *Ann.* 7. subita morte. *Id.* 4. *ibid.* 33. Familiæ exstinctæ. *Ovid.* 1. *Pont.* 9. *extr.* Exstinctis connumerare aliquem. — b) De aliis naturalibus viribus. *Cic. Brut.* 96. 329. Sic Q. Hortensii vox exstincta fato suo est, nostra publico. *Quintil.* 6. *proœm.* 13. Fortuna vires ingenii exstinguit. *Curt.* 6. 4. Vel modico tepore succus exstinguitur. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 2. 32. (67). Exstinguere mammas. *h. e.* exsiccare. *Id.* 20. *ibid.* 23. 97. (259). Semen cannabis geniturum virorum exstinguit. *h. e.* tollit, sistit. *Id. ibid.* 17. 69. (179). Exstinguere venena. *Id.* 19. *ibid.* 6. 31. (113). odorem allii. *Liv.* 5. 16. *sub fin.* Aquam emissam per agros rigare dissipatamque rivis exstinguere. ¶ 2. item refertur ad alia plurima, et significat delere, destruere, tollere, evertere, perdere. — a) Generatim. *Cic.* 4. *Verr.* 70. 172. Ut, si posset, quæ antea scripserat, ea plane exstingueret. *Id.* 7. *ibid.* 43. 113. Non posse Verrem, testes interficiendo, crimina sua exstinguere. *Id.* 3. *Off.* 1. 2. Exstinctus senatus, deleta judicia. *Id.* 3. *leg. Agr.* 2. 5. Tyrannis institutis leges omnes exstinguuntur atque tolluntur. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 8. 26. Ut mihi non tantum unus homo improbus opprimendus sit, sed omnino improbitas exstinguenda atque delenda sit. *Id. Harusp. resp.* 4. 6. Pestem comprimere, exstinguere, funditus delere. *Id. Rosc. Am.* 13. 36. Vos hominum ejusmodi intolerandam potentiam primo quoque tempore exstinguere atque opprimere debetis. *Id. Amic.* 21. 78. Danda opera est, ne qua amicorum discidia fiant: sin tale aliquid evenerit, ut exstinctæ potius amicitiæ, quam oppressæ esse videantur. *Id.* 1. *Orat.* 16. 60. Admovere orationem ad sensus animorum atque motus vel inflammandos vel etiam exstinguendos. *Id.* 6. *Phil.* 7. 18. Exstinguere furorem alicujus. *Petron. Satyr.* 91. iram. *Cic. Balb.* 6. 16. invidiam. *Id. Prov. cons.* 9. 22. inimicitias. *Matius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 28. causam dissensionis nascentem. Rursus *Cic.* 10. *Fam.* 25. 1. reliquias belli. Sic *Plin.* 7. *Hist. nat.* 26. 27. (96). Exstinctum bellum civile. *Cic. Dom.* 35. 94. Exstinctum maledictum crudelitatis. *Nepos Themist.* 1. Exstinguere contumeliam. *Cic. Amic.* 10. 35. familiaritates. *Id. Cat.* 23. 61. Exstincta consuetudo. *Id.* 1. *Fam.* 1. 4. Gratiam nostram exstinguit hominum suspicio. *Liv.* 23. 45. Exstincta spes. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Exstincta artis auctoritas. *Cic.* 3. *Orat.* 1. 1. Exstincta virtus. *Id.* 3. *Verr.* 18. 48. Exstinguere religionem. *Id. Mil.* 2. 5. salutem alicujus. *Id.* 4. *Cat.* 4. 7. nomen populi Romani. *Cæs.* 5. *B. G.* 29. superiorem gloriam rei militaris. *Cic. Mil.* 27. 73. memoriam publicam. *Id.* 4. *Verr.* 69. 168. infamiam. *Liv.* 27. 16. famam proditionis. *Cic. Cæl.* 30. 71. Memoria non exstincta, sed repressa vetustate. *Id.* 6. *de republ.* 23. *extr.* Sermo omnis ille et obruitur hominum interitu et oblivione posteritatis exstinguitur. *Id.* 15. *Att.* 1. *a med.* Rumor exstinguitur. *Cæs.* 1. *B. C.* 60. *ad fin.* Exstinctis rumoribus de auxiliis legionum. *Liv.* 23. 22. Vocem hominis temerariam silentio exstinguere. *Ter. Phorm.* 1. 2. 58.; et *Cic.* 4. *Herenn.* 27. 37. Exstinguere formam. *guastare la bellezza.* Cf. *Petron. Satyr.* 110. Matrona anus et floris exstincti. *di smorta bellezza.* *Virg.* 4. *Æn.* 322. Exstinctus pudor. *Liv.* 39. 8. Discrimen omne pudoris exstinguere. *Id.* 25. 20. Vestigia quoque urbis exstinguere. *Sall. Jug.* 100. Sulla gentis patriciæ nobilis fuit, familia prope jam exstincta majorum ignavia. *h. e.* in qua pauci honores fuerant et jamdiu cessaverant. *Ovid.* 7. *Met.* 550. Exstinguere sitim. *Seneca Ep.* 18. famem. *Petron. Satyr.* 126. Pedum candor Parium marmor exstinxerat. *facea scomparire.* — b) Speciatim illa sunt JCtorum propria. *Ulp. Dig.* 47. 2. 42. Exstinguitur actio. *h. e.* evanescit, intercidit, tollitur. Sic *Id. ibid.* 9. 1. 1. *med.* Si ante litem contestatam decesserit animal, exstincta erit actio. *Id. ibid.* 32. 1. 11. *circa med.* Exstinguere fideicommissum. *et ibid.* Exstinguitur constantia debiti. *Modestin. ibid.* 20. 1. 9. Jus pignoris exstinctum est. *Nerat. ibid.* 34. 3. 1. Exstinguitur legatum. *et ibid.* Confusione perinde exstinguitur obligatio, ac solutione. *Cajus ibid.* 7. 1. 3. usus fructus. *Paul. ibid.* 46. 7. 8. stipulatio.

EXSTIRPĀTĬO *vel* extirpatio, ōnis, actus exstirpandi, eradicatio. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 13. Filicis exstirpatio frequens, quæ aratro fieri potest.

EXSTIRPĀTUS *vel* extirpatus, a, um. *V.* voc. seq.

EXSTIRPO *vel* extirpo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* stirps). Part. *Exstirpatus* I. 1. et II.; *Exstirpandus* II. — Exstirpo est una cum stirpe seu radice evello.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Martial.* 6. 56. Exstirpa, mihi crede, pilos de corpore toto. *Curt.* 7. 8. 14. Arbores magnas diu crescere, una hora exstirpari. Cf. *Prudent. Hamartig.* 241. Et radit immodicis silva exstirpata procellis. ¶ 2. Latiori sensu exstirpari dicuntur, quæ per exstirpationem purgantur. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 52. Silvestris ager decrescente luna utilissime exstirpatur. *Pallad.* 8. *R. R.* 1. 1. Agros arboribus atque virgultis exstirpare.

II.) Figurate est funditus evertere, omnino tollere. *Cic. Amic.* 13. 48. Nisi ex ejus animo exstirpatam humanitatem arbitremur. *Id.* 4. *Tusc.* 19. 43. Perturbationes exstirpandas putamus. *Id. Fat.* 5. 11. Vitia ex naturalibus causis nata exstirpari et funditus tolli. *Seneca* 1. *Ira* 16. *a med.* Exstirpare nomina inimica libertati. *h. e.* tollere, vetando, ne quis deinceps nomen habeat ejus, qui libertatem violavit, ut in Manlio Capitolino factum narrat *Liv.* 6. 20.

EXSTO *vel* exto, stas, (stiti, stātum), stare, n. 1. Præteritum *exstiti* cum *exsisto* commune est; *V.* legitur in EXSISTO. — A supino *exstatum* fit *exstaturus*. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35 (n. 7.). Exstatura vitis duabus gemmis. In *Silligii* editione hunc locum a *Forcellino* allatum non inveni. *Pompon. Dig.* 47. 2. 78. Si rei dominus nemo exstaret, nec exstaturus esset. *Al. leg.* exstiturus. *V.* EXSISTO init. — Part. *Exstans* I., II. 2. et in fin. — Exstare, ἐξέχω, est extra stare, eminere, prominere (It. *stare in fuori, essere eminente o rilevato*; Fr. *être élevé au-dessus, dépasser, être proéminent, saillant*; Hisp. *ser saliente*; Germ. *hervorstehen, hervorragen*; Angl. *to stand out, stand or stick up, appear or be above*).

I.) Proprie. *Cæs.* 5. *B. G.* 18. Quum milites capite solo ex aqua exstarent. Et absolute *Id.* 1. *B. C.* 62. Ut equites possent flumen transire, pedites vero tantummodo humeris ac summo pectore exstare. Ceterum *Ovid.* 11. *Met.* 358. celsoque exstant super æquora collo. *Id.* 5. *Trist.* 11. 14. Navis exstat aquis. *galleggia.* *Id.* 9. *Met.* 128. exstabat ferrum de pectore. *Colum.* 5. *R. R.* 11. 5. Surculos sic inserito, ut semipede, nec amplius de arbore exstent. *Ovid.* 8. *Met.* 803. Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis. *Id. Heroid.* 13. 103. Sive latet Phœbus, seu terris altior exstat. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (89). Ædificia modice ab humo exstantia. *Gell.* 19. 13. Brevi atque humili corpore homines, paullum supra terram exstantes. *Virg.* 6. *Æn.* 668. humeris exstans suspicit altis. *Id.* 3. *G.* 370. summis vix cornibus exstant. *Tac.* 1. *Ann.* 70. Modo pectore, modo ore tenus exstantes. — Poetice cum Accusativo. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 116. quantum egomet Nereidas exsto. *h. e.* procerior sum.

II.) Improprie. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiori paragr. *Cic.* 3. *Orat.* 26. 101. Quod magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur. *Quintil.* 8. 5. 29. Hæc eminere et exstare aliquatenus. *Val. Flacc.* 5. 252. Excubias, tradive, tene: præsentia luco Arma tubæque sonent: vox et tua noctibus exstet. *si faccia sentire*: vincat vox tua armorum tubarumque sonum. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 232. Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus exstat Utilior. ¶ 2. Sæpius, significata causa pro effectu, exstare est superesse, exsistere, durare, apparere, esse, *durare, sussistere, apparire, vedersi*. — a) De hominibus. *Plaut. Trin.* 2. 4. 142. Nemo exstat, qui ibi sex menses vixerit. *Liv.* 1. 18. Auctorem doctrinæ ejus, quia non exstat alius, Pythagoram edunt. Cf. *Quintil.* 7. 2. 57. Pecunia, cujus auctor non exstat. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 55. Sarmenti domina exstat. *vive.* — b) De rebus. *Cic. Balb.* 5. 7. Qui locus est, in quo non exstent hujus fortitudinis impressa vestigia? *Id.* 2. *Att.* 1. Curabo, ut hujus peregrinationis aliquod tibi opus exstet. Cf. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 7. (20). Hodieque pulcris ejus operibus Veronæ exstantibus. Rursus *Cic.* 2. *Off.* 11. 48. Exstant epistolæ Philippi ad Alexandrum. *Id.* 1. *Invent.* 39. 70. Si litteræ non exstarent. *Id.* 5. *de republ.* 2. Numa legum etiam scriptor, quas scitis exstare. *Quintil.* 10. 7. 30. Cujus tres orationes exstant. — c) De abstractis. *Cato* apud *Cic. Planc.* 27. 66. Clarorum virorum non minus otii, quam negotii rationem exstare oportere. *Cic.* 1. *Divinat.* 37. 71. Sine oculis non potest exstare officium et munus oculorum. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 52. 107. *Id.* 1. *Fam.* 8. *extr.* Studium nostrum exstabit in conveniendis magistratibus. *Id. Planc.* 1. 2. Video hoc in numero neminem, cujus non exstet in me suum meritum. *Nepos Timol.* 2. Ejus benignitatis memoriam volebat exstare. — d) Impersonaliter. *Cic. Brut.* 15. 57. Quem vero exstet et de quo sit memoriæ proditum eloquentem fuisse. *Id.* 1. *Orat.* 16. 72. Quibus ipsis (*artibus*) si in dicendo non utimur, tamen apparet atque exstat, utrum simus earum rudes, an didicerimus. — Hinc Part. præs., cujus exempla et supra retulimus,

Exstans, antis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Exstantior*, et proprie est extra stans, eminens, *eminente, che sta in fuori, rilevato.* *Ovid. Halieut.* 235. Signis exstantibus asper crater. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 24. (112). Duos digitos exstans. *Stat.* 9. *Theb.* 455. Amnis super ripas utroque exstantior ibat Aggere. — Hinc *exstantia* absolute sunt partes exstantes vel eminentes apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (127). Magna prorsus arte in æquo exstantia ostendente, et in confracto solida omnia. *le parti eminenti.*

EXSTRUCTĬO *vel* extructio, ōnis, f. 3. actus exstruendi. ¶ 1. Generatim — a) In singulari numero. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 150. Exstructio tectorum. *Id.* 14. *Phil.* 13. 34. Eaque exstructione, quæ sit ad memoriam æternitatis. — b) In plurali numero *Vitruv.* 7. 1. *circa med.* Pavimenta struantur sive sectilibus, sive tesseris: quum ea exstructa fuerint, et fastigia exstructiones habuerint, ita fricentur, ut nulli gradus exstent. *h. e.* exstructiones habuerint fastigia, seu prominentias. ¶ 2. Speciatim apud *Tertull.* accipitur pro exornatione et cultu corporis, 2. *ad Uxor.* 3.

EXSTRUCTŌRĬUS *vel* extructorius, a, um, adject. qui exstruit. Translate. *Tertull. Car. Christ.* 17. Dei verbum exstructorium vitæ.

EXSTRUCTUS *vel* extructus, a, um. *V.* EXSTRUO.

EXSTRUCTUS *vel* extructus, us. m. 4. idem quod exstructio. *Manil.* 5. 285. Et quia dispositis aptatur spica per artem Frugibus, exstructu simili componitur ordo, Seminibusque suis cellas atque horrea præbet. *h. e.* sicut in spica grana suis cellis atque folliculis inclusa et disposita sunt, ita qui sub sidere spicæ nascuntur, disponent fruges per horrea et cellas, scilicet erunt horrearii. Ita edidit *Lemaire* ex *Cod. Gembac.*; alii pro *exstructu simili* habent *instructus similis*; et *Jacobius* (v. 287.) aliter omnino legit.

EXSTRUO *vel* extruo, strŭis, struxi, structum, struere, a. 3. (ex *et* struo). Part. *Exstructus* in omnibus paragr. et in fin.; *Exstructurus* et *Exstruendus* I. 2. — Exstruere, κατασκευάζω, est strues facere, accumulare (It. *accatastare, ammonticchiare, accumulare*; Fr. *accumuler, entasser*; Hisp. *acumular, cumular, amontonar*; Germ. *in die Höhe haufen, aufthürmen, aufhäufen*; Angl. *to accumulate, heap together, amass*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu pro struere, accumulare. *Cic.* 2. *Att.* 2. 2. Magnum acervum (*librorum*) Dicæarchi mihi ante pedes exstruxeram. *Colum.* 6. *R. R.* 3. 1. Stramenta in acervum exstrui debent. *Cæs.* 3. *B. G.* 29. Omnem eam materiam pro vallo ad utramque latus exstruebat. *ammonticchiava.* *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 62. Mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. *si caricavano.* *Id. Senect.* 13. 44. et *Pis.* 27. 67.; et *Ovid.* 11. *Met.* 119. Mensas exstructas dapibus. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 104. Fer-

culaque exstructis inerant hesterna canistris. Cf. *Tibull.* 2. 5. 99. festas exstruet alte Cespitibus mensas cespitibusque torum. *Horat. Epod.* 2. 43. Lignis focum exstruere. *h. e.* ingerere ardenti grandia ligna foco, ut *Tibull.* 2. 1. 22. ait. *Horat.* 2. *Od.* 3. 19. exstructis in altum Divitiis potietur heres. *accumulate.* Cf. *Petron. Satyr.* 84. Solas exstruere divitias curant. *accumulare, ammassare.* ¶ 2. Latiori sensu est struendo educere, excitare, *innalzare fabbricando. Cic.* 2. *Legg.* 27. 68. Exstrui vetat sepulcrum altius quam etc. *Id. Dom.* 47. 124. Ad cælum exstruxit villam in Tusculano. Cf. *Ovid.* 5. *Fast.* 39. Exstruere hi montes ad sidera summa parabant. Rursus *Cic. Mil.* 27. 74. Exstruere ædificium in alieno. V. *Klotz* ad h. l. *Id.* 14. *Phil.* 12. 33. monumentum, molem opere magnifico. *Tac.* 3. *Ann.* 72. Pompeji theatrum, igne fortuito haustum, Cæsar exstructurum pollicitus est. *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Estructi tumuli. *Id.* 2. *B. C.* 1. Aggerem in altitudinem pedum octoginta exstruit. *Nepos Themist.* 6. Quum satis altitudo muri exstructa videretur. *Sall. Jug.* 23.; et *Cæs.* 3. *B. C.* 54. et 112. Exstruere turres. *Cic.* 3. *Fin.* 22. 76. rogum. Sic *Ovid.* 3. *Fast.* 546. Dido Asserat exstructis in sua fata rogis. *Sall. Cat.* 20. Divitias profundere in exstruendo mari. *h. e.* jactis in altum molibus, in mari ædificando. Huc referri potest et illud *Cic.* 2. *de republ.* 11. Aream sibi sumpsit, in qua civitatem exstrueret arbitratu suo.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiori paragr. 1. *Cic.* 4. *Herenn.* 32. 44. Verba sint ad poeticum quemdam numerum exstructa. *h. e.* constructa, composita. *Gell.* 13. 24. Crimen unum vocibus multis atque sævis exstruere. *h. e.* exaggerare, *amplificare, esagerare.* ¶ 2. Metaphora sumpta a superiori paragr. 2. *Cic.* 5. *Fin.* 24. 71. Exstrue animo altitudinem excellentiamque virtutum. *Id.* 4. *ibid.* 1. 1. Non modo fundata, sed etiam exstructa disciplina. *Petron. Satyr.* 118. Exstruere poema. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Exstructus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Exstructissimus,* et est alte eductus. *Apul. de Deo Socrat. sub fin.* Species ædificiorum amœnissimæ, exstructissimæ, ornatissimæ.

EX SŬBOPTĬŌNE, m. qui fuit suboptio. *Inscript.* apud *Gruter.* 529. 8., quæ est apud *Orell.* 3470., quamque *V.* in OPTIO.

EXSŬCCĀTUS, a, um. *V.* EXSUCO.

EXSUCCĬDUS, a um.

EXSŬCCO, as. etc. *et*

EXSUCCUS. *V.* EXSUCIDUS, EXSUCO *et* EXSUCUS.

EXSŪCĬDUS *vel* exsuccidus, a, um, adject. exsuccus, sine succo. *Tertull. Anim.* 32. Arida et exsuccida.

EXSŪCO *vel* exsucco, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* sucus). Part. *Exsucatus.* — Exsuco est sucum extraho, exsicco. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 14. Exsucare marrubium. *Id. ibid.* 13. Tanto valentius mala (*cydonia*) exsucamus, quo expressa ultimum atque crassiorem sucum dimittant, ut etiam eorum cortex, si quid humoris habuerit, sudet. *Id.* 4. *ibid.* 8. *a med.* Facit idem sinapi exsucatum. *h. e.* recens expressum. *Pallad.* 10. *R. R.* 1. 1. Ne stercora exsucata nihil prosint. *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 2. *c.* 16. Quum postea (*malogranata* et *cydonia*) exsucata fuerint, separantur. *Cassiod. Instit. div. litt.* 1. Quem (*Origenem*) quidam non immerito more anethi habendum esse dixerunt, qui, dum sacrarum condiat pulmentaria litterarum, ipse tamen decoctus exsucatusque projicitur.

EXSUCTUS *vel* exuctus, a, um. *V.* EXSUGO.

EXSŪCUS *vel* exsuccus, a, um, adject. Comp. *Exsuccior.* — Exsuccus est sine succo.

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 30. Scis, illum semper infirmi corporis et exsucci fuisse. *Plerique omnes leg.* exhausti. *Tertull. Anim.* 50. Corporis substantia exsuccior.

II.) Translate. *Quintil.* 12. 10. 15. Oratores aridi et exsucci et exsangues.

EXSŪDĀTĬO *vel* exudatio, ōnis, f. 3. expressio sudoris. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 10. *ante med.* Alii ajunt vias esse latentes, per quas limpida vel purulenta quadam exsudatione ferantur.

EXSŪDĀTUS *vel* exudatus, a, um. V. voc. seq.

EXSŪDO *vel* exudo, as, āvi, ātum, are, 1. (ex *et* sudo). Part. *Exsudatus* sub *B.* II. — Exsudare est *A)* Verbum neutrum, et *B)* Activum.

A) Neutrorum more *exsudare* est sudando emitti. *Virg.* 1. *G.* 88. omne per ignem Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor.

B) Active *exsudare* est per sudorem emittere.

I.) Proprie. *Colum.* 12. *R. R.* 48. 2. Quum oliva, quidquid habuit, exsudavit. *Id.* 7. *ibid.* 8. 4. Exsudare acidum liquorem. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 37. (56). sucum. *V.* et ESUDATUS.

II.) Translate. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 28. Exsudare causas. *h. e.* magno labore agere. *Liv.* 4. 13. Exsudare certamen. *h. e.* sudando perferre. Sic *Id.* 5. 5. Exsudare labores. *Ammian.* 15. 5. 28. Exsudati pro republica labores. Adde *Sil. It.* 3. 531.

EXSUFFLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXSUFFLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* sufflo). Part. *Exsufflatus.* — Exsufflo est sufflando ejicio. Usurpatur a *Sulpic. Sev.* 3. *Dial.* 8., sed ipso quoque fatente, parum Latine dici. Habent tamen et *Augustin. Ep.* 105. *sub fin.* et *Tertull. Idolol.* 11. Immo Part. *Exsufflatus* legitur apud *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Exsufflatis omnibus, quæ de se forte admiserint, ac depurgatis. Similiter *Vulgat. interpr. Eccli.* 43. 4. Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans. Adde *ibid. Agg.* 1. 9. et *Malach.* 1. 13.: et *Pelagon. loc. cit.* in FISTELLA.

EXSŪGEO, es, ere, a. 2. *ac sæpius*

EXSŪGO *vel* exugo, gis, xi, ctum, gere, a. 3. (ex *et* sugo). Ad formam *exsugeo* pertinet tantum fut. *exsugebo,* quod habet *Plaut. Epid.* 2. 2. 5. Atque exruoi exsugebo sanguinem, senati qui columen cluent. — Part. *Exsugens* et *Exsuctus* etiam in fin. — Exsugo est sugendo elicio. *Plaut. Pœn.* 3. 2. *in fin.* Nunc ego illi egredienti sanguinem exsugam procul. *Varro* 2. *R. R.* 4. 15. Arenam injicere oportet, aut aliud quod exsugat humorem. *Vitruv.* 2. 8. Exsugere liquorem de materia. *Id. proœm. l.* 8. Animalia exsanguinata et exsucta. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 9. Ab uno latere exsugitur. *Id.* 1. *præfat.* 16. Exsucto sudore sitim quærimus. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 27. (56). Aceto os colluunt venena exsugentes. *Cels.* 5. 27. *n.* 3. Quisquis, exemplum Psylli secutus, id vulnus exsuxerit. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla et supra retulimus,

Exsuctus vel *exuctus, a, um,* adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Exsuctior* apud *Varron.* 2. *R. R.* 7. 11. Restibiles segetes sunt exsuctiores. *Gell.* 20. 8. Luna nunc videlicet senescit; ea re ostrea quoque tenuis exsuctaque est.

EXSUL *vel* exul, ŭlis, comm. gen. 3. (ex *et* solum) ex patria ejectus, exsilio multatus, extorris, quasi extra solum, ut *Paul. Diac.* docet p. 350. 5. *Müll.,* quorum cf. *Fest.* p. 351. 4. *ibid.,* et *Non.* p. 14. 25. *Merc.* Quare melius interjecto *s* scribitur: quod et *Cellar.* probat (It. *esule, bandito*; Fr. *exilé, banni, proscrit*; Hisp. *desterrado*; Germ. d. v. *seinem Grund und Boden Vertriebene,* d. *Verbannte, Ausgewanderte*; Angl. *one banished from his country, an exile*).

I.) Proprie de tribus exsulum generibus in EXSILIUM dictum est. — Ceterum *exsul* occurrit — *a)* Masc. genere; et quidem — Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 18. 75. Quum Hannibal, Carthagine expulsus, Ephesum ad Antiochum venisset exsul. *Id. Cluent.* 62. 175. Quum vagus et exsul erraret, atque undique exclusus. *Id.* 4. *Parad.* 2. 31. Omnes scelerati atque impii, quos leges exsilio affici volunt, exsules sunt, etiamsi solum non mutarent. *Cæs.* 5. *B. G.* 55. Exsules damnatosque ad se allicere. Adde *eumd.* 3. *B. C.* 110. *Nepos Att.* 20. Exsul his terris. — Cum Verbis. *Cic.* 1. *Phil.* 1. 3.; et *Sueton. Claud.* 12. Exsulem restituere. *Cic.* 2. *Herenn.* 28. 45. et 12. *Fam.* 1. 1. Exsulem reducere. — Cum addito Genitivo. *Horat.* 2. *Od.* 16. 19. patriæ quis exsul Se quoque fugit? *Alii leg.* patriâ, *ut a præcedentibus pendeat.* — *b)* Fem. genere. *Ovid.* 6. *Met.* 188. Nec cælo, nec humo, nec aquis dea vestra recepta est: Exsul erat mundi. *Id. Heroid.* 14. 129. Exsul Hypermnestra. *Tac.* 14. *Ann.* 63. Non alia exsul (*Octavia*). Cf. *Lucan.* 8. 837. Exsul adhuc jacet umbra ducis.

II.) Figurate. *Publ. Syrus* apud *Petron. Satyr.* 55. Ciconia avis exsul hiemis. *h. e.* quæ æstate apud nos degit, hieme alio migrat, ut *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 31. (61). — Poetice *Ovid.* 9. *Met.* 410. Attonitusque malis, exsul mentisque domusque. *Martial.* 10. 5. Erret per urbem pontis exsul et clivi. *h. e.* extra pontis et clivi, in quo stipem quærat, ut solent mendici. *Id.* 19. 34. Libertis exsul non erit ille suis. *h. e.* patronus non erit extraneus libertis suis, quia heres non fuerit.

EXSŬLĀBUNDUS *vel* exulabundus, a, um, adject. qui exsulat, vel exsulaturus est. *Gloss. Philox.* Exsulabundus, φυγαδικός.

EXSŬLANS *vel* exulans, antis. *V.* EXSULO.

EXSŬLĀRIS *vel* exularis, e, adject. ad exsulem, seu ad exsilium pertinens. *Ammian.* 14. 5. Exsularis mæror. *et* 15. 3. pœna.

EXSŬLĀTĬCĬUS *vel* exulaticius, a, um, adject. qui ad exsulem pertinet. *Gloss. Philox* Exsulaticius, φυγάς.

EXSŬLĀTĬO *vel* exulatio, ōnis, f. 3. exsilium. *Flor.* 1. 22. Clarissimos principes exsulatione multavit.

EXSŬLĀTUS *vel* exulatus, us, m. 4. exsulatio, exsilium. *Messala Corvin. de prog. Aug.* 29. Tarquinius Junii Bruti opera pulsus, in exsulatum cum scelesta conjuge ac filiis fuga perrexit.

EXSŬLĬUM pro *exsilium,* antique dictum fuit. Ita *Forcellinus.*

EXSŬLO *vel* exulo, as, āvi, ātum, are, n. 1. Part. *Exsulans* sub *A.* I. et II.; *Exsulaturus* sub *A.* I. — Exsulare est *A)* Verbum neutrum, et *B)* Activum.

A) Neutrorum more exsulo est exsul sum, in exsilio sum (It. *essere esiliato, stare in bando*; Fr. *être exilé, être banni, vivre en exil*; Hisp. *ser desterrado, vivir en exilio*; Germ. *in d. Verbannung, als Verbannter leben*; Angl. *to live in exile, be an exile*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Orat.* 39. 177. Qui Romam in exsilium venisset, cui Romæ exsulare jus esset. *Id.* 3. *Tusc.* 18. 39. Pulsus patria, exsulans atque egens. *Id.* 4. *Parad.* 2. 32. De te privilegium tulit, ut si in opertum Bonæ Deæ accessisses, exsulares. *Id.* 2. *Divinat.* 24. 52. Hannibal apud Prusiam regem exsulavit. *Id.* 4. *Fam.* 8. 2. Aptissimus ad exsulandum locus. *Id.* 5. *Tusc.* 37. 107. Jure exsulantem consolari non oportet. *Liv.* 2. 35. Damnatus absens, in Volscos exsulatum abiit. *Curt.* 5. 8. Exsulare in regno. *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 41. Mente tamen, quæ sola loco non exsulat, utar. *Id.* 3. *Trist.* 11. 11. per extremas profugus pater exsulat oras. *Justin.* 26. 1. Perpetuum cum viris exsulaturæ. *Id.* 2. 10. Exsulare apud aliquem. — *Exsulare e patria* affertur ex *Plaut. Most.* 3. 1. 69., sed varia ibi lectio et incerta. *Martial.* tamen habet *Spectac.* 4. Exsulare ab urbe Ausonia.

II.) Translate. *Plaut. Pers.* 4. 4. 7. Perfidia ex urbe et avaritia si exsulant. *Id. Merc. prol.* 42. Amare cœpi meretricem: illico res exsulatum ad illam abibat clam patris. *Ter. Eun.* 3. 5. 62. Perii, nam domo exsulo nunc. *Cic.* 4. *Parad.* 2. 30. Quum omnes meo discessu exsulasse rempubl. putent. — Hinc Part. præs.

Exsulans, antis, adjective ac translate legitur apud *Tertull. Cult. fem.* 9. Exsulantes animalibus. *h. e.* abstinentes animalium carne in cibis. Al. leg. *exsolentes,* h. e. solitum et usitatum usum esus carnium abdicantes.

B) Active *exsulare aliquem* est in exsilium pellere. Hinc passive *Hygin. fab.* 26. de *Medea.* Tunc iterum exsulatur. *Dict. Creten.* 5. 4. *extr.* Decernitur, Antimachum ex omni Phrygia exsulandum.

EXSULTĀBUNDUS *vel* exultabundus, a, um, adject., seu potius particip. futurum ab *exsulto*; idem quod *exsultans,* sed majorem habet vim. *Justin.* 18. 7. Ausosne es mæsta ac lugentia castra velut exsultabundus intrare? *Solin.* 5. Exsultabundus ad caelum elevatur.

EXSULTANS *vel* exultans, antis. *V.* EXSULTO.

EXSULTANTER, adverb. cum exsultatione et lætitia: occurrit translate tantum Comp. *Exsultantius* apud *Plin.* 3. *Ep.* 18. *sub fin.* Quum ea potius, quæ pressius et adstrictius, quam illa, quæ hilarius et quasi exsultantius scripsi, possint videri arcessita.

EXSULTANTĬA *vel* exultantia, æ, f. 1. actus exsultandi, exsultatio. Translate. *Gell.* 12. 5. Cum petulantia morbi dolorisque exsultantia colluctantem. *h. e.* insolentia. *Paulin. Nolan. carm.* 21. *v.* 564. ludibrium Hostilis exsultantiæ.

EXSULTĀTĬO *vel* exultatio, ōnis, f. 3. actus exsultandi.

I.) Proprie. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 18. Agnum claudi oportebit, ne velut puerili nimia exsultatione macescat. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 54. 80. (215). Simias luna cava tristes esse, novam exsultatione adorare. *Quintil.* 2. 2. 12. Proni atque succincti, ad omnem clausulam non assurgunt modo, verum etiam excurrunt, et cum indecora exsultatione conclamant.

II.) Translate. *Auct. B. Afr.* 31. *extr.* Constituerat, gloriam exsultationemque eorum pati, donec etc. *Seneca Tranquill.* 15. *sub fin.* Animus in exsultationem libertatemque extrahendus. *Id.* 2. *Ira* 21. Gaudium exsultatio, exsultationem tumor et nimia æstimatio sui sequitur. *Tac.* 1. *Hist.* 72 Par exultatio, impetrato Tigellini exitio. *Gell.* 2. 27. Lætitia dicitur exsultatio quædam animi cum gaudio efferventiore.

EXSULTIM *vel* exultim, adverb. saltando, exsultando. *Horat.* 3. *Od.* 11. 10. Quæ, velut latis equa trima campis, Ludit exsultim, metuitque tangi.

EXSULTO *vel* exulto, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ex *et* salto *a* salio). Part. *Exsultans* I., II. 2. et in fin. — Exsultare, σκιρτάω, intensivum ab *exsilire*, est in altum salire, immoderate et veluti extra limites saltare (It. *saltellare, saltare fortemente in alto*; Fr. *sauter vivement, bondir*; Hisp. *saltar vivamente, brincar, levantarse en alto*; Germ. *aufspringen, stark in die Höhe springen*; Angl. *to leap, frisk, bound*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus et brutis animantibus. *Ennius* apud *Charis.* 2. *p.* 214. *Putsch.* euhoe euhium ignotus juvenum cœtus alterna vice Inibat alacris, Bacchico exsultans modo. *Lucret.* 2. 631. Curetes inter se forte catenas Ludunt, in numerumque exsultant. *ballano, danzano.* *Tac.* 14. *Ann.* 34. Hostis exsultare per turmas et catervas. *caracollare.* *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. Equi ferocitate exsultantes. Cf. *Nepos Eumen.* 5. Equos verberibus cogebat exsultare et calces remittere. *Cic.* 2. *Divinat.* 70. 145. Gubernatores, quum exsultantes loligines viderint, tempestatem significari putant. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 66. 1. *Merc.* Exsultantes pisciculi. *Ovid.* 2. *Met.* 864. *de tauro.* Et nunc alludit viridique exsultat in herba. *Plin.* 18. *Hist. nat* 35. 88. (361). Pecora exsultantia et indecora lascivia ludentia. — *b*) De inanimis. *Lucret.* 2. 195. e nostro quum missus corpore sanguis Emicat exsultans alte. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 10. *sub fin.* Pila quum cecidit, exsultat ac sæpius pellitur. *Virg.* 7. *Æn.* 464. Exsultant æstu latices. *bollono.* Cf. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (114). Nitrum uritur in testa opertum, ne exsultet. *Virg.* 3. *Æn.* 557. Exsultantque vada atque æstu miscentur arenæ. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (179). Scamna inter duos sulcos cruda ne relinquantur, glebæ ne exsultent. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (180). Sic coercetur impetus materiæ, densioresque circa pampini exsultant. *nascono, saltano fuori.* Huc referri potest et illud *Quintil.* 9. 4. 91. Breves syllabæ si miscentur cum quibusdam longis, currunt; si continuantur, exsultant. *h. e.* si continuantur, iis veluti subsultat oratio.

II.) Translate. ¶ 1. Exsultare est libere se movere, sed improprie. *Lucret.* 3. 142. Hic (*in corde*) exsultat pavor et metus; hæc loca circum Lætitiæ mulcent. *h. e.* salit, trepidat: *batte il cuore di paura.* *Cic.* 1. *Acad.* (2. *pr.*) 35. 112. Quum sit campus, in quo exsultare possit oratio, cur eam in tantas angustias compellimus? Sic *Id. Orat.* 8. 26. In reliquis orationibus exsultavit audacius Demosthenes. Cf. *Quintil.* 2. 2. 9. Assurgendi exsultandique in laudando licentia. — In bonam partem. *Stat.* 4. *Silv.* 4. 37. Te quoque flammabit tacite repetita parumper Desidia, et solidos novus exsultabis in actus. *h. e.* alacer accedes ad res magnas agendas. — Cum Accusativo. *Tac.* 11. *Ann.* 28. Dum histrio cubiculum principis exsultaverit, dedecus quidem illatum etc. *h. e.* adulterio infamaverit, contaminaverit, quasique fabulam, ceu in scena, saltaverit. Al. tamen leg. *insultaverit*; meliores libri *adulteraverit.* ¶ 2. Sæpius est immodice jactare se gaudio, gestire, immoderate gaudere, atque adeo successu aliquo efferri ac superbire, *esultare, trionfare, gioire, imbaldanzire.* *Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *Orat.* 41. 156. Erras, erras: nam exsultantem te et prælidentem tibi Repriment validæ legum habenæ atque imperi Insistent jugo. *Cic.* 2. *de republ.* 25. Rex (*Tarquinius*) victoriis divitiisque subnixus, exsultabat insolentia, neque suos mores regere poterat, neque suorum libidines. *Id.* 1. *ibid.* 40. Tarquinio exacto mira quadam exsultasse populum insolentia libertatis. *Id.* 1. *Divinat.* 29. 60. Illa (*pars animi*), in qua feritas quædam sit atque agrestis immanitas, quum sit immoderato tumefacta potu atque pastu, exsultare eam in somno immoderateque jactari. *Id. fragm. de republ.* apud *Non. p.* 301. 7. *Merc.* Est quiddam turbulentum in hominibus singulis, quod vel exsultat voluptate, vel molestia frangitur. *Id. Cluent.* 5. 14. Tum vero illa egregia mater palam exsultare lætitia, triumphare gaudio cœpit. *Id.* 5. *Tusc.* 6. 16. Elatus levitate, inanique lætitia exsultans et temere gestiens. *Id.* 15. *Att.* 21. 1.; et *Liv.* 27. 2. Exsultare lætitia. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 66. gaudio. *Id. Rosc. Am.* 6. 16. victoria. *Virg.* 2. *Æn.* 386. successu exsultans animisque Corœbus. *Quintil.* 6. 4. 17. Exsultare vana spe. *Tac. Agric.* 8. Nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit: ad auctorem et ducem, ut minister, fortunam referebat. *s'inorgoglio.* *Cic. Balb.* 26. 58. Non exsultavit in ruinis nostris Cornelius. *Id.* 1. *Att.* 16. *circa med.* Alacris exsultat improbitas in victoria. *salta e gavazza.* *Id. fragm. de republ.* apud *Non. p.* 300. 26. Quæ mens immoderata in omni crudelitate sic exsultat, ut vis hominum acerbis funeribus satietur. *Id. Senect.* 4. 10. Hannibalem juveniliter exsultantem patientia sua molliebat. *Id. Harusp. resp.* 1. 1. Hominem furentem exsultantemque continui. *Id. Sext.* 44. 95. Qui aliqua ex parte ejus furorem exsultantem repressit. *Id. Topic.* 22. 86. Oratio quum iracundiam restinguens, tum metum eripiens, tum exsultantem lætitiam comprimens. Cf. *Gell.* 12. 5. Affectiones animi exsultantes opprimere et obterere. *che insolentiscono* Rursus *Cic.* 6. *Att.* 1. 15. Græci exsultant, quod peregrinis judicibus utuntur. *Id.* 2. *Legg.* 15. 39. Illa theatra (*h. e.* spectatores), quæ solebant quondam compleri severitate jucunda Livianis et Nævianis modis, nunc ut eadem exsultant! ut cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquent! — Hinc Part. præs., cujus plurima superius exempla retulimus,

Exsultans, antis, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Exsultantissimus* I.

I.) Proprie est exsiliens, immoderate saltans. *Quintil.* 9. 4. 108. Paullulum moræ damus inter ultimum et proximum verbum —: alioqui sit exsultantissimum. *h. e.* quo veluti subsultet oratio. *V.* sub I. *b.*

II.) Translate (*V.* supra II. 2.) de oratione occurrit, et est immodicus. *Quintil.* 10. 2. 16. Fiunt pro grandibus tumidi, pressis exiles, lætis corrupti, compositis exsultantes. *Id.* 12. 10. 12. M. Tullium suorum homines temporum incessere audebant, ut tumidiorem, et in compositione fractum, exsultantem ac pæne viro molliorem. *h. e.* nimis oratione lascivientem et petulantem. *Id.* 8. *ibid.* 3. 56. In elocutione et tumida et exilia et abundantia et arcessita et exsultantia sub idem nomen κακόζηλον cadunt. Adde *eumd.* 9. 4. 69. et 10. 4. 1.

EXSUO. *V.* EXUO.

EXSUPERA. æ, f. 1. PATRICALIS.

EXSŬPĔRĀBĬLIS *vel* exuperabilis, e, adject. ¶ 1. Passive est qui superari potest, superabilis. *Stat.* 1. *Theb.* 214. nec exsuperabile diris Ingenium mortale. ¶ 2. Item active qui superare potest. *Claudius Quadrigarius* apud *Gell.* 17. 2. Cujus operam apud Gallos cum prime fortem atque exsuperabilem respublica sensit. *Servius* huc trahit illud *Virg.* 3. *G.* 39. Immanemque rotam, et non exsuperabile saxum. *scil.* Sisyphi: non quod, inquit, superari non potest, sed quod superare non valet summum montis cacumen. Idem ab *Homer. Odyss.* *l.* 11. *v.* 597. λᾶας ἀναιδής dicitur.

EXSŬPĔRANS *vel* exuperans, antis. *V.* EXSUPERO.

EXSŬPĔRANTĬA *vel* exuperantia, æ, f. 1. occurrit translate tantum, et est excellentia, præstantia, quæ intra mediocritatem non continetur, sed rara est et singularis. *Cic.* 5. *Tusc.* 36. 105. An hoc non ita fit omni in populo? nonne omnem exsuperantiam virtutis oderunt? Aristides nonne ob eam causam expulsus est patria? *Gell.* 4. 18. Sunt hæc duo exempla ejus (*Scipionis Africani*) fiduciæ atque exsuperantiæ ingentis. *Id.* 11. 1. *ante med.* Eos planetas cernere homines non possunt propter exsuperantiam vel splendoris, vel altitudinis.

EXSŬPĔRĀTĬO *vel* exuperatio, ōnis, f. 3. exsuperantia, superlatio; et occurrit tantum pro figura rhetorica (Gr. ὑπερβολή), de qua ita *Cic.* 4. *Herenn.* 53. 67. Significatio per exsuperationem fit, quum plus dictum est, quam patitur veritas. *Al. leg.* exuberationem.

EXSŬPĔRĀTOR *vel* exuperator, ōris, m. 3. superator, victor. In nummo Constantini M. apud *Eckhel. D. N. V. T.* 8. *p.* 83. Exsuperator omnium gentium.

EXSŬPĔRĀTŌRĬUS *vel* exuperatorius, a, um, adject. *Lamprid. Commod.* 11. Menses quoque in honorem ejus, pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exsuperatorium, adulatores vocabant. *et* 12. Appellatus imperator v. kal. Exsuperatorias. Commodus autem dici se ὑπεραίροντα, quod idem significat, unice gaudebat: *Salmas. ex Dione.*

EXSŬPĔRĀTUS *vel* exuperatus, a, um. *V.* voc. seq.

EXSŬPĔRO *vel* exupero, as, āvi, ātum, are, 1. (ex *et* supero). Part. *Exsuperans* sub *A.* II., *B.* II. et in fin.; *Exsuperatus* sub *B.* I. — Exsuperare, ὑπερβάλλω, usurpatur *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more exsuperare est ascendere, super alias res exstare, *sormontare, sporgere in fuori.*

I.) Proprie. *Virg.* 2. *Æn.* 758. Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento Volvitur: exsuperant flammæ; furit æstus ad auras.

II.) Translate est præ aliis eminere, *preponderare, avere il sopravvento.* *Lucret.* 5. 381. quum sol et vapor omnis Omnibus epotis humoribus exsuperarint. *Id.* 6. 1276. præsens dolor exsuperabat. *Virg.* 12. *Æn.* 19. quantum ipse feroci Virtute exsuperas, tanto me impensius æquum est Consulere. *Ovid.* 6. *Fast.* 372. arma capessant, Et, si non poterunt exsuperare, cadant. *Sil. It.* 1. 56. Hannibal exsuperans astu, sed devius æqui. *h. e.* abundans. Cf. *Gell.* 1. 21. Abundans nimis et affluens et exsuperans. — Apud *Cic. post red. ad Quirit.* 10. 24. Dum anima exsuperabo mea. *rectius legendum est* spirabo.

B) Active exsuperare est idem quod superare, ascendere adeoque præterire, *ascendere, sormontare, oltrepassare.*

I.) Proprie. *Virg.* 2. *Æn.* 206. Pectora quorum inter fluctus arrecta jubæque Sanguineæ exsuperant undas. *stanno sopra l'onde.* Al. leg. *superant.* *Plin.* 11. *Hist. nat.* 1. 3. (12). Vites ulmos exsuperant. *Lucret.* 2. 232. corpus aquæ naturaque tenuis Aeris haud possunt æque rem quamque morari, Sed citius cedunt gravioribus exsuperata. *Virg.* 11. *Æn.* 905. Exsuperatque jugum, silvaque evadit opaca. *Seneca Ep.* 31. Surge et respira et clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera. *Val. Flacc.* 2. 622. Jam juga Percotes Pariumque infame fragosis Exsuperant Pityaque vadis. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 21. (62). Exsuperare amnem. *Id.* 36. *ibid.* (2). 1. 1. Alpes ab Hannibale exsuperatæ. — Huc pertinent et illa *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 47. (168). Nilus exsuperavit sedecim cubita. *h. e.* excessit. *Id.* 9. *ibid.* 17. 30. (64). Binas libras ponderis raro exsuperant.

II.) Translate. *Vet. Poeta* (*h. e. Ennius*; V. *Ennianæ poesis reliq.* ed. *J. Vahleno*) apud *Cic.* 4. *Tusc.* 36. 77. Quis homo te exsuperavit usquam gentium impudentia? *Liv.* 3. 11. Exsuperare omnes Tarquinios superbia. *Id.* 28. 43. Laudes alicujus non solum assequi, sed etiam exsuperare. *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 2. Exsuperas morum nobilitate genus. *Id.* 1. *Trist.* 5. 56. Materia vires exsuperante meas. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 11. 8. (50). Exsuperare aliquid latitudine. *Id.* 17. *ibid.* 23. 35. (213). Redituum impendia exsuperant. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 10. 25. Quod fore paratum est, id summum exsuperat Jovem. *h. e.* vincit. Sic *Virg.* 7. *Æn.* 591. Exsuperare cæcum consilium. *h. e.* furentem populi reprimere impetum. *Liv.* 7. 24. Multitudo Gallorum, sensum omnem talis damni exsuperans, velut nova rursus exoriente acie, etc. *Val. Max.* 5. 9. *extr.* Tu vero, pater, vive, et me quoque exsupera. *h. e.* mihi superstes sis, *a me sopravvivi.* *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (33). Vitis vinum, quod genuit, ætatem non exsuperans. *h. e.* ultra ætatem non durans. — Hinc Part. præs., cujus exempla et superius retulimus,

Exsuperans, antis, adjective quoque occurrit,

unde Comp. *Exsuperantior* et Sup. *Exsuperantissimus*: translate usurpatur, et est præstans, excellens, *eccellente*. *Gell.* 6. 8. Mulier exsuperanti forma. *Id.* 3. 9. *de equo Sejano.* Haud credibili pulcritudine vigoreque, et colore exsuperantissimo. Ita *Calv.* emendandum putat pro *exuberantissimo*, quod exhibent vulgati libri. *Id.* 14. 3. *extr.* De iis apud alios, uter esset exsuperantior, certabatur. *Apul. Dogm. Plat.* 1. Providentiam esse summi exsuperantissimique deorum omnium. *Inscript.* apud *Spon. Miscell. erud. antiq. p.* 71. I. O. M. SVMMO EXSVPERANTISSIMO. Adde *aliam* apud *Don. cl.* 3. *n.* 31. In nummo Commodi Aug. apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. *p.* 115. IOVI EXSVPERANTISSIMO. Hic idem Juppiter a *Callymacho hymn. in Jov. v.* 91. appellatur Κρονίδης πανυπέρτατος. V. *Winkelmann. T.* 8. *p.* 99.

EXSUPPŪRO, as, are, a. 1. pus amoveo. Translate. *Tertull. Pall.* 5. *extr.* Non facile quis has purulentias civitatis eliciet et exsuppurabit. *Al. leg.* exvaporabit.

EXSURDĀTUS *vel* exurdatus, a, um. *V.* voc. seq.

EXSŬRDO *vel* exurdo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* surdus). Part. *Exsurdatus*, 1. — Exsurdo est surdum reddo.

I.) Proprie. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 52. (141). Paniculæ flos aures si intravit, exsurdat. *Val. Max.* 2. 2. n. 3. Græcis actionibus aures curiæ exsurdantur. *Seneca Ep.* 94. *a med.* Exsurdatus clamoribus.

II.) Translate. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 38. Fervida quod subtile exsurdant vina palatum. *h. e.* hebetant.

EXSURGO *vel* exurgo, surgis, surrexi, surrectum, surgere, n. 3. (ex *et* surgo), ἐξανίσταμαι, est idem quod surgere, consurgere, erigi (It. *sorgere, alzarsi in piè, rizzarsi*; Fr. *se lever quand on est assis, se mettre debout*; Hisp. *levantarse de la silla, ponerse en pie*; Germ. *sich erheben, emporheben, in d. Höhe richten, aufstehen*; Angl. *to rise, rise up*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de hominibus. *Plaut. Rud.* 1. 5. 22. Manus mihi date, exsurgite a genibus ambæ. *levatevi da' miei ginocchi.* Cf. *Liv.* 27. 41. Tempus exsurgendi ex insidiis et aggrediendi hostem. Rursus *Plaut. Rud.* 4. 2. 10. De nocte multa impigreque exsurrexi. *Id. Bacch.* 4. 4. 105. Ubi erit accubitum semel, ne quoquam exsurgatis. *non vi moviate per andare altrove. Id. Mil. glor.* 2. 1. 3. Qui auscultare nolit, exsurgat foras. *sorga e vada. Cic.* 1. *Orat.* 62. 265. Et quum exsurgeret, simul arridens etc. *Id. Cluent.* 60. 168. Tu autem, nisi molestum est, paullisper exsurge. *Id. Planc.* 42. 102. Huc exsurge tamen, quæso: retinebo et complectar. *alzati e vien qua. Tac.* 2. *Hist.* 14. Acies ita instructa, ut pars in colles exsurgeret, etc. *salisse e si postasse sui colli.* ¶ 2. Latiori sensu de inanimis, quæ exsurgere dicuntur, quum attolluntur. *Liv.* 6. 4. Et Roma quum frequentia crescere, tum tota simul exsurgere ædificiis. *Seneca Hippol.* 1012. furenti pontus exsurgit sinu, regnante Curo. *si gonfia. Sil. It.* 7. 274. Qua nemorosa juga et scopulosi vertice colles Exsurgunt. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 27. 27. (97). Ubi Taurus ab Indico mari exsurgit. *Id.* 24. *ibid.* 19. 113. (173). inde alii ramuli exsurgunt. *Seneca Troad.* 536. Generosa in ortus semina exsurgunt suos. *h. e.* enascuntur crescuntque. — Passive impersonaliter. *Plaut. Pseud. prol. in fin.* Exporgi melius est lumbos atque exsurgier. *paragoge pro exsurgi.*

II.) Translate est erigi atque adeo — *a*) Recreari, confirmari, *sollevarsi, rimettersi, prendere animo. Cic.* 2. *leg. Agr.* 32. 87. Hæc non solum afflixerunt, sed etiam, ne quando recreata exsurgere atque erigere se possent, funditus sustulerunt. *Id.* 13. *Phil.* 18. 35. Si causa Pompejanorum esset jugulata, numquam exsurgeret. *Id.* 12. *Fam.* 10. *extr.* Auctoritate vestra respublica exsurget, et in aliquo statu tolerabili consistet. *Albinov.* 1. 353. Alta mane, supraque tuos exsurge dolores. — *b*) Item insurgere, crescere. *Seneca Med.* 49. Gravior exsurgat dolor. *Petron. Satyr.* 2. Grandis et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa, nec turgida, sed naturali pulcritudine exsurgit.

EXSUSCITĀTĬO *vel* exsuscitatio, ōnis, f. 3. actus exsuscitandi: appellatur translate figura rhetorica, de qua *Cic.* 4. *Herenn.* 43. 55. Mutatur res tractando, si traducitur ad exsuscitationem, quum et nos commoti dicere videamur, et auditoris animum commovemus. *Id. ibid.* 42. 55. Si sententiam trajiciemus aut ad sermocinationem, aut ad exsuscitationem.

EXSUSCĬTO *vel* exuscito, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex *et* suscito) idem quod suscito, addita *ex* intensiva, *h. e.* a somno suscito.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic. Mur.* 9. 22. Te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat. ¶ 2. Latiori sensu dicitur de igne. *Liv.* 21. 3. *extr.* Parvus ignis magnum incendium exsuscitat. *Ovid.* 5. *Fast.* 507. Ipse genu posito flammas exsuscitat aura.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Herenn.* 21. 34. Si naturalem memoriam exsuscitaverimus hac notatione. *Id.* 1. *Off.* 4. 12. Quæ cura exsuscitat animos, et majores ad rem gerendam facit. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. Magis tu te exsuscita, ut etc.

EXSUSURRO, as, are, n. 1. valde susurro. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 45.

EXTA, ōrum, n. plur. 2. *Extum* pro *extorum* dure dixit *Pacuvius* apud *Cic. Orat.* 46. 155. — *Exta, æ*, f. 1. legitur in *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. n.* 41. *lin.* 18. DEINDE REVERSVS AD ARAM EXTAS REDDIDIT PVLLICARIAS; ITEM IN CIRCO EXTAM VACCINAM REDDIDIT. *et n.* 42. *lin.* 12. QVORVM EXTAE REDDITAE SVNT. *et n.* 42. *lin.* 22. EXTAS REDDIT AD ARAM. Hæ *Inscriptiones* pertinent ad an. a. Chr. n. 218. et seqq., imperante Antonino Aug. Elagabalo. — Ratione habita etymi, *Paul. Diac. p.* 78. 18. *Müll.* Exta, *inquit*, dicta, quod ea diis prosecentur, quæ maxime extant eminentque. Alii deducunt ab *exsecando*, quasi *exsecta*. *Döderlein, Latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 117. contendit, *exta* esse per syncopen ab ἔγκατα *intestina*. — Ceterum *exta* sunt viscera, ac præsertim cor, pulmo, jecur, lien; in eo autem differunt a *visceribus*, quod *viscera* est nomen generale, exta vero particulare, ut patet ex *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 77. (197). Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membrana. *Id. ibid.* Exta serpentibus et lacertis longa. *Id.* 28. *ibid.* 5. 14. (56). Hippocrates tradit, non prandentium exta celerius senescere. *Plaut. Pœn.* 3. 6. 9. Extis satur sum factus probe. — Porro veteres et ad divinationem et ad sacrificia extis utebantur. Ab extis multa solebant divinare. Inspiciebantur enim cæsæ hostiæ viscera, quæ si felicia essent, (felicissima autem habebantur, si duplicia apparerent; item si integra, sana, etc.: contra vero tristia, si aliqua confecta tabe, aut si eorum aliquid deesset) coquebantur in foco, deinde secabantur partes, quæ diis essent immolandæ, et quæ ad vescendum sacrificulis relinquendæ. Caput in extis quid sit, in CAPUT dictum est. *Cic.* 2. *Divinat.* 12. 28. Si est in extis aliqua vis, quæ declaret futura, necesse est, etc. *et mox.* Num dicam gallinaceum fel, (sunt enim, qui vel argutissima hæc exta esse dicant) sed tauri opimi jecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale, quod declarare possit, quid futurum sit? *et* 13. 32. Extis exquirere aliquid. *et ibid.* Exta inspicere. *et* 15. 36. Tristissima exta sine capite. *Curt.* 7. 7. et 9. 4. Exta spectare. *Virg.* 4. *Æn.* 63. pecudumque reclusis Pectoribus inhians, spirantia consulit exta. *Sueton. Aug.* 1. prosecare. *Id. ibid.*; et *Virg.* 2. *G.* 194. reddere Marti pandis lancibus. *h. e.* offerre. *Reddi* enim *exta* dicebantur, ut hoc loco *Servius* docet, quum probata et elixa aræ superponebantur. Simile est illud *Liv.* 26. 23. *in fin.* C. Claudius flamen Dialis, quod exta perperam dederat, flaminio abiit. *Dare* enim *exta* est ea ita distribuere, ut ritus postulat sacrificii: nempe quædam in extis abscindebantur et projiciebantur; quædam diis in ara offerebantur; quædam a sacerdote et populo consumebantur, ut ex *Festo p.* 218. 29. *Müll.* colligitur. Cf. *Varro* 1. *R. R.* 29. 2. Sic quoque exta diis quum dabant, porrigere dicebant. *Veranius* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 2. Exta porriciunto, diis danto in altaria, aramve, focumve, eove, quo exta dari debebunt. *Martial.* 11. 57. Exta Jovi dare. *Virg.* 6. *Æn.* 252. Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras, Et solida imponit taurorum viscera flammis, Pingue super oleum infundens ardentibus extis. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 31. Si sacrificem summo Jovi, atque in manibus exta teneam, ut porriciam. (*V.* PORRICIO.) *Id. Pœn. a.* 2. *v.* 18. Omnibus in extis ajebat portendi mihi malum damnumque. *Sueton. Cæs.* 77. Exta lætiora. *Cic.* 2. *Divinat.* 17. 38. Primis extis minari, bene promittere secundis. *et mox ibid.* Exta bona, aut non bona. *Id. Topic.* 20. 77. Præsensio per exta. *Tibull.* 3. 4. 5. venturæ nuncis sortis Vera monent Tuscis exta probata viris. — *Muta exta* appellabant, in quibus nihil divinationis animadvertebant. *Paul. Diac. p.* 156. 12. *Müll.* Hinc fibræ *loqui* dicuntur, quum significant ac portendunt. *V.* FIBRA. — *Regalia exta* appellantur, quæ potentibus insperatum honorem pollicentur; privatis et humilioribus hereditates; filio familiæ dominationem. *Festus p.* 289. 27. *Müll.* — Extorum tristium notæ quæ fuerint omnes, habes apud *Senec. Œd.* 353. *et seqq.* et *Lucan.* 1. 608. *et seqq.* — Arietum exta non in veru, sed in olla coqui solita in sacrificiis, docet *Varro* 5. *L. L.* 98. *Müll.* — *Exta obscœna* vocat membra virilia *Minuc. Fel. Octav.* 24. *ad fin.*

EX TABELLĀRĬO, m. qui in militia fuit tabellarius. *Inscript.* apud *Rénier.* 416. D. M. S. ET BONAE QVIETI AVRELIAE SEVERAE — HELIODORVS AVGG. LIB. EX TABELLARIO CONIVGI PIISSIMAE.

EXTĀBĔO, bes, *vel rectius*

EXTĀBESCO, bescis, būi, bescere, n. 2. (ex *et* tabesco) tabe consumor, contabesco.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Tusc.* 12. 26. ex *vet. Poeta.* Refugere oculi, corpus macie extabuit, Lacrimæ peredere humore exsangues genas. *Sueton. Galb.* 7. Fame extabuit.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 5. Videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. *h. e.* evanuisse.

EX TĀBULĀRĬO, m. qui fuit tabularius inter officia domus Augustæ enumeratus. *Inscript.* apud *Orell.* 2963. LVCIDAE AVGG. VERN. MARITAE INCOMPARABILI QVAE VIX. ANN. XXIII. M. II. D. XXV. CATERVARIVS AVGG. LIB. EX TABVLAR. *h. e.* libertus ex tabulario, seu tabulariis, ut apud *Don. p.* 312. 5. *Alia* apud *Murat. p.* 890. M. AVREL. VICTORINO AVG. LIB. EX TABVLARIS. *h. e.* tabulariis.

EXTÆNIĀTUS. *V.* EXTENUATUS.

EXTĀLIS, is, m. 3. In *Gloss. Philox.* exponitur χόρδη, quod tum podicem, tum intestinum rectum podici commissum significat. *Veget.* 5. *Veterin.* 5. 1. *et* 2. *et* 3., et 5. *ibid.* 10. 1. *Schneid.* pro intestino recto, quod morbo aliquo ex podice exstet, accipere videtur. Hinc *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 5. 9. Computrescebant prominentes extales eorum. *h. e.* hæmorroides. Et *Marcell. Empir.* 31. *ante med.* Extalem prominentem vino lavari prius, deinde cedro ungi, et pollice propelli introrsum oportet.

EXTANS. *V.* EXSTANS.

EXTANTĬA. *V.* EXSTANTIA.

EXTAR, olla, ubi exta coquebantur. Ita *Gloss. Philox.* Hæc cl. *Furlanetto*: ipse legendum puto: Extaris olla etc. *V.* voc. seq.

EXTĀRIS, e, adject. ad exta pertinens. *Plaut. Rud.* 1. 2. 47. Semper petunt aut cultrum, aut veru, aut aulam extarem. *h. e.* ollam extis coquendis, nam exta aut veru assabantur, aut ollis elixabantur. *V.* voc. præced.; et *Marin. Frat. Arv. p.* 593.

EXTĀSIS, is, f. 3. alienatio a sensibus, stupor: a v. Græco ἐξίστημι *effero*, et *obstupefacio*. *Vulgat. interpr. Act.* 3. 10. Et impleti sunt stupore et extasi in eo, quod contigerat illi. *In lemmate Psalm.* 30. Psalmus David, pro extasi.

EXTEMPLO, adverb. Videtur quibusdam dictum esse per syncopen ab *extempulo*, quod eodem sensu usurpatur a *Plaut. Aulul.* 1. 2. 15., *Cist.* 1. 1. 99. et 2. 3. 30., *Bacch.* 4. 9. 11., *Mil. glor.* 2. 5. 51. et *Pœn.* 1. 1. 55. Itaque *extemplo* idem esse putant, quod *ex tempore*, ut a *tempus* factum sit deminut. *tempulum*, inde *extempulo*, *extemplo*. Hanc sententiam recentiores plerique tuentur. At *Forcellinus* hæc addit: Verius est tamen, illud *u* per epenthesin interjectum esse metri causa, quia semper in fine versus a *Plauto* adhibetur in eo metri genere, quod penultimam syllabam brevem habet. — Ceterum *extemplo* (omissis variis etymologorum sententiis) idem omnino est atque *ilico*, teste *Merusio*. Ut enim hoc ab *e loco* factum est, ita illud ab *ex templo*: templum enim et ipsum locum aliquando significat. Itaque ut *a vestigio* dicimus pro statim; ita *ilico*, h. e. *e loco*, et *extemplo*. Porro hac ratione ab auguriis fortasse traxit originem, in quibus augures, auspicio impetrato, continuo ex templo capto disce-

dicbant, deorum exploratam voluntatem nunciaturi. V. Servium ad Virg. 1. Æn. 92. et 2. ibid. 599. — Porro hoc adverbium sæpissime occurrit apud Plautum et apud alios ante Augusteam ætatem, nec non apud serioris ævi scriptores; semel tantum apud Cic., numquam apud Cæs. et Quintil. — Itaque extemplo αὐτίκα, est ex tempore, e vestigio, repente, ilico, statim, continuo, cito (It. tosto, subito, incontanente; Fr. à l'instant, sur-le-champ, aussitôt, tout de suite; Hisp. luego, al instante; Germ. von dem Momente oder Augenblicke aus, im Augenblicke, sofort, unverzüglich; Angl. immediately, quickly, soon). Occurrit — a) Absolute. Ennius 11. Ann. 5. Verrunt extemplo placide mare marmore flavo. Plaut. Rud. 3. 6. 3. et. Quin occidisti extemplo? TR. Gladius non erat. Adde eumd. plurimis in locis, Nævium, Cæcilium et Claudium Quadrigarium apud Gell. 2. 19. 23. et 26. et 9. 13. Cic. Rosc. com. 3. 8. Erubescit: quid respondeat, nescit: quid fingat extemplo, non habet. Virg. 1. Æn. 96. Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra. Id. 2. ibid. 376. Dixit et extemplo sensit etc. Ovid. 15. Met. 663. Extemplo somnus abit. Liv. 31. 1. Alii gerendum bellum extemplo, antequam contrahere copias hostes possent, alii consulendum prius senatum censebant. Id. 29. 18. Hæc extemplo in fastidium, mox etiam in perniciem verterunt. Id. 40. 48. Extemplo fusi, fugati: mox intra vallum compulsi; postremo exuuntur castris. — Huc referri potest et illud Stat., ubi extemplo est primo aspectu, a prima vista, 2. Achill. 88. sed nox illataque fallunt Lumina: et extemplo latuit mensura jacentis. — b) Interdum respondet temporalibus aut conditionalibus particulis ubi, ut, quum, quando, postquam, si. — Cum part. ubi apud Plaut. Curc. 1. 1. 80. Vinosissima est, eaque extemplo, ubi vino has conspersi fores, de odore adesse me scit, aperit ilico. Adde eumd. Capt. 3. 4. 27.; et Cæcilium apud Gell. 2. 23. — Cum part. ut apud Virg. 8. Æn. 3. Utque acres concussit equos, utque impulit arma, Extemplo turbati animi etc. Adde Plin. Paneg. 55. — Cum part. quum apud Ter. Andr. 3. 2. 37. Quum intellexeras id consilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo? Curt. 4. 16. Quam quum diu avidi turbidam hausissent, tendebantur extemplo præcordia premente limo. — Cum part. quando apud Plaut. Bacch. 4. 5. 9. Adambulabo ad ostium, ut, quando exeat, extemplo advenienti ei tabellas dem in manum. — Cum part. postquam apud Ter. Hecyr. 3. 3. 13. Postquam introii, extemplo ejus morbum cognovi miser. — Cum part. si habet Nævius apud Gell. 2. 19. Si unquam quidquam filium rescivero Argentum amoris causa sumpse mutuum; Extemplo illo te ducam, ubi non despuas. Adde Plaut. Amph. 1. 1. 52., Rud. 2. 3. 74. et Truc. 1. 1. 24. — c) Apud Plaut. sæpe occurrit quum extemplo pro simul ac, tosto che: sic Bacch. 2. 3. 70. Quum extemplo a portu ire nos cum auro vident, subducunt lembum. Id. Most. 1. 2. 18. Ædes quum extemplo sunt paratæ, expolitæ, laudant fabrum. Adde eumd. Merc. 2. 2. 24. et Pseud. 3. 2. 15. Id. Capt. 4. 2. 6. Quum extemplo ad forum advenero, omnes loquuntur: Hic ille est senex etc. Adde eumd. Trin. 3. 2. 99.

EXTEMPŎRĀLIS, e, adject. qui ex tempore fit: et fere ad dicendum refertur. Quintil. 2. 4. 15. Extemporalis garrulitas, nec exspectata cogitatio, circulatoriæ vere jactationis est. Id. 10. 7. 16. Extemporalis actio auditorum frequentia excitatur. Id. 10. 6. 5. Si aliquis inter dicendum affulserit extemporalis color. Id. 11. 2. 3. et 4. 1. 54. Extemporalis oratio. Id. 2. 4. 27. dictiones. Id. 10. 7. 18. facilitas. Petron. Satyr. 6. declamatio. Tac. Dial. de Orat. 6. audacia. Sueton. Aug. 84. facultas. Martial. 5. 54. rhetor. Plin. 1. Ep. 30. figuræ. V. Hieronym. 3. in Rufin. n. 10. ad fin.

EXTEMPŎRĀLĬTAS, ātis, f. 3. facultas ex tempore aliquid dicendi, faciendive. Sueton. Tit. 3. Latinæ Græcæque linguæ vel in orando, vel in fingendis poematibus promptus, facilisque vel ad extemporalitatem usque.

EXTEMPŎRĀLĬTER, adverb. extemplo. Sidon. 9. Ep. 14. Extemporaliter scribere.

EXTEMPŎRE. V. TEMPUS.

EXTEMPŬLO. V. EXTEMPLO.

EXTENDO, tendis, tendi, tensum et sæpius tentum, tendere, a. 3. (ex et tendo). Part. Extendens II. 1.; Extensus et Extentus I. et in fin. — Extendere, ἐκτείνω, est extra seu ultra tendere, porrigere, explicare (It. stendere, distendere, allungare; Fr. étendre, allonger; élargir; Hisp. extender, estirar, alargar, ensanchar; Germ. ausdehnen, ausspannen, ausbreiten; Angl. to stretch out, extend, continue, lengthen, elarge).

I.) Proprie. — a) Generatim. Plaut. Men. 1. 1. 18. Istæc nimis lenta vincla sunt escaria; quam magis extendas, tanto astringunt arctius. quanto più li tiri. Lucret. 6. 433. quasi quid pugno brachiique superne Conjectu trudatur et extendatur in undas. vi cacci, si ficchi, s'immerga. Varro apud Non. p. 215. 14. Merc. Scientia docet, quemadmodum in psalterio extendamus nervias. Cic. 2. Orat. 59. 242. Idem Crassus quum per tuas statuas dixit, et extento brachio paullum etiam de gestu addidit, vehementius risimus. Id. 4. Acad. (2. pr.) 47. 145. Extensis digitis adversam manum ostenderat. Sic Quintil. 11. 3. 119. Extendere manum. Vellej. 2. 70. 2. Extentam cervicem præbere. Plin. 10. Hist. nat. 61. 84. (183). Extendere crura ad longitudinem. Id. 32. ibid. 6. 21. (65). Testæ ostreorum cutis cutem mulierum extendit. Id. 13. ibid. 12. 26. (83). Extendere malleo chartam. Id. 2. ibid. 59. 85. (182). lineam. Cæs. 2. B. C. 9. capita tignorum. Plin. 34. Hist. nat. 12. 32. (123). Hestes super piscinas ligneas extentæ. Ovid. 4. Trist. 6. 9. extentis tumet uva racemis. h. e. musto distentis. Horat. 1. Ep. 20. 21. Majores pennas nido extendisse. h. e. majora ausum esse, quam domestica fortuna ferebat. Plin. 3. Ep. 5. extr. Extendere epistolam. h. e. longiorem facere. Cf. eumd. 2. ibid. 13. preces. et 7. ibid. 9. extr. Immodice epistola me extendi. mi sono steso. Horat. Art. P. 208. Extendere agros. dilatare, ingrandire, agros agris adjungere. V. alia sub d. Quintil. 10. 1. 29. Extendere verba, aut corripere. allungare, producere aliquid addendo per prosthesin, epenthesin, aut paragogen. — b) Speciatim in re militari. Curt. 3. 9. ad fin. Extendere agmen ad mare. porlo in ordine di battaglia. Id. ibid. latius aciem. Id. 4. 16. 23. phalangem in duo cornua. Frontin. 2. Strateg. 1. 18. ex consuetudine classem. — Item pro nimis extendere atque adeo extenuare, assottigliare apud Curt. 4. 14. Ordine rari, cornua extenta, media acies rara et exhausta. Id. 4. 13. ad fin. Qui cornibus præerant, extendere ea jussi, ita ut nec circumvenirentur, si arctius starent; nec tamen mediam aciem exinanirent. — c) Item speciatim ponitur pro sternere, prosternere, distendere, prostrare. Petron. Satyr. 20. Extendere lodiculam in pavimento. Virg. 5. Æn. 374. Perculit et multa moribundum extendit arena. V. plura sub d. — d) Meliorum apud Græcos ratione. Colum. Arbor. 17. Oleæ, quæ in proceritatem extenduntur, exaridæ fiunt. Id. 4. R. R. 20. 3. Quum ad summum palum vitis extenta est. Ovid. 1. Met. 43. Jussit et extendi campos, subsidere valles. Virg. 10. Æn. 407. Ignis extenditur per campos. si dilata. Id. 6. ibid. 423. Fusus humi totoque ingens extenditur antro. Curt. 9. 5. ad fin. Cœpit linqui animo et veluti moribundus extendi. Id. 4. 9. Si qua eminebant, jussit æquari totumque fastigium extendi. appianare, atterrare. — e) Per extentum funem ire posse proverbiali locutione dicitur is, qui quamvis rem arduam, difficilem, mirabilem aggredi potest et perficere. Horat. 2. Ep. 1. 210. Ille per extentum funem mihi posse videtur Ire poeta, meum qui pectus etc.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Virg. 10. Æn. 468. Extendere famam factis. Horat. 3. Od. 3. 45. nomen in ultimas oras. h. e. diffundere. Liv. 28. 43. Longius quam quantum vitæ humanæ spatium est, cupiditas gloriæ extenditur. Id. 24. 48. In Africam quoque spem extenderunt. Quintil. 4. 5. 3. Extendere partitionem ultra tres propositiones. Liv. 31. 4. Extendere se supra vires. far più di quel che si può. Quintil. 3. Declam. 13. Ad altiorem se honorum gradum extendere. ascendere, avanzarsi. Petron. Satyr. 140. Per hanc successionem artem suam perseverabat extendere. continuare. Sueton. Cal. 38. Pectia (rerum) extendens usque eo, ut etc. accrescendo. Adde Justin. 11. 4. Martial. 12. 6. Extendere breves census. Virg. 12. Æn. 909. Extendere cursum. stendere il corso, avanzarsi, currendo progredi. Sic Cæs. 3. B. C. 77. Magnis itineribus se extendere. et Liv. 30. 19. Extentis itineribus ire. h. e. intento gradu, celeriter, a marcie continuate. — Illa sunt JCtorum, Modestin. Dig. 32. 1. 33. extr. Nisi specialiter defunctus ad ulteriores voluntatem suam extenderit. Callistrat. ibid. 48. 10. 15. a med. Quod ad liberas personas extendi non debet. Scævola ibid. 20. 4. 21. Ad lapidum venditionem officium suum extendit. ¶ 2. Speciatim refertur ad tempus. Liv. 27. 2. Extendere pugnam ab hora tertia ad noctem. Sueton. Tit. 7. comissationes ad mediam noctem. Martial. 4. 8. labores in horam quintam. Virg. 2. G. 405. curas venientem extendit in annum. pensa per l'anno vegnente. Plin. Paneg. 49. Non ipsum tempus epularum tuarum, quum frugalitas contrahat, extendit humanitas? Cf. Seneca 4. Benef. 13. Sol diem extendit et contrahit. Plin. Paneg. 61. Extendere consulatum. Horat. 2. Od. 2. 5. Extento ævo vivere. lunga vita. Sic Sil. It. 3. 94. te longa stare senecta Ævumque extendisse velim. et Vellej. 1. 11. Extentum vitæ spatium. Et poetice Stat. 3. Silv. 1. 172. Extendere colos. allungar la vita. — Huc referri potest et illud Plaut. Bacch. 3. 3. 26. Extendere ætatem suam in exercitio aliquo. passare gli anni. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Extensus vel sæpius extentus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. Extensior et Sup. Extensissimus et Extentissimus; et est intentus, prolatus, steso, tirato in lungo, allungato. Horat. 2. Od. 15. 2. undique latius Extenta visentur Lucrino Stagna lacu. Quintil. 11. 3. 76. Oculi rigidi et extenti, aut languidi et torpentes. Plin. 10. Hist. nat. 29. 43. (81). de luscinia. Sonus acutus, creber, extentus. tirato in lungo, disteso, continuato. Quintil. 11. 3. 116. Manus extensiores. Al. leg. exsertiores. Theod. Priscian. 2. p. 1. c. 2. Si passio augmenta perceperit, ita ut extensioribus vigiliis et febribus et alienationibus adhuc molestissimis terreamur, etc. Liv. 21. 32. Castra quam extensissima potest valle collocat. Al. leg. extentissima: V. Drakenborg ad h. l. Solin. 52. Extentissima spatia.

EXTĔNĔBRO, as, are, a. 1. e tenebris educo, in lucem profero. Varro: Atque omnes adeo perquirit, atque extenebrat artes. Ita refert Gevartius ad Stat. 2. Silv. 3. 71., quem penes sit fides, unde enim hoc fragmentum eruerit, non comperi.

EXTENSĒ, adverb. late, ample. Occurrit tantum Comp. Extensius apud Tertull. Idolol. 2. Dominus extensius ista disponit.

EXTENSĬO, ōnis, f. 3. actus extendendi. Veget. 5. Veterin. 11. 2. Schneid. Propter quod (in ischuria) extensiones et tubercula nascuntur in dorso, et præfocatio circa fauces ex dolore ventris. Isid. 2. Orig. 15. Ex malleorum percussu et chordarum extensione. Vulgat. interpr. Esai. 8. 8. Et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ. V. et EXTENTIO.

EXTENSĬPES, pĕdis, m. 3. apud Diomed. 3. p. 475. Putsch. nomen est pedis molossi, qui tribus longis constat.

EXTENSĪVUS, a, um, adject. qui extenditur, vel extendi potest. Translate Paul. Dig. 38. 17. 5. Quum verba extensiva sunt, pœnitentia ejus usque ad annum admittenda est.

EXTENSUS, a, um. V. EXTENDO.

EXTENSUS, us. m. 4. V. EXTENTUS, us.

EXTENTĒ, adverb. Comp. Extentius. — Extente est extendendo. Ammian. 23. 4. de ballista. Quadratus eminet stilus extentius. Al. leg. extensus. — De syllabarum quantitate est idem ac producte. Rufin. p. 2711. Putsch. Fuit, extente prima syllaba, metri causa.

EXTENTĬO, ōnis, f. 3. actus extendendi. Vitruv. 9. 1. 13. Schneid. Radii solis extentionibus porrecti. Al. leg. extensionibus. Theod. Priscian. l. 2. part. 1. c. 3. Lethargicis et phreneticis simile est capitis aut meningæ sub extensione vel constrictione periculum. In cap. proxime præced. meningæ tensio legitur.

EXTENTO, as, ātum, are, a. 1. intensivum ab extendo. Part. Extentans I.; Extentatus II. — Extentare est totis viribus extendere.

I.) Proprie. Lucret. 3. 491. extentat nervos, torquetur, anhelat. Ammian. 22. 14. Ridebatur, ut homo brevis humeros extentans angustos.

II.) Translate. Plaut. Bacch. 4. 2. 2. Quænam istæc est pultatio? Quæ te mala crux agitat, ad istum qui modum alieno vires tuas extentes ostio? Id. Most. 3. 1. 63. Quid tu te homo omnium teterrime

venisti huc extentatum? h. e. ut vires laterum tuorum clamando experireris atque ostenderes?

EXTENTUS, a, um. V. EXTENDO.

EXTENTUS, us, m. 4. extentio. *Sil. It.* 4. 617. Immensosque per armos (*elephanti*) Et laterum extentus venit atra cuspide vulnus. Al. leg. *extensus* eod. sensu: significantur enim spatia laterum. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 29. *laterum passus*, et 4. *Theb.* 173. *laterum tractus* dixit.

EXTĚNUĀTĬO, ōnis, f. 3. actus extenuandi, deminutio.

I.) Proprie. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 57. Aera aut motus extenuat, aut extenuatio incendit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 39. (246). Vitium extenuatio et domitura palmitum. *Theod. Priscian.* 4. p. 313. *retro ed. Ald.* Qui sunt pinguissimi corpore ut extenuentur. Ossifragi avis ventriculum siccum ad ventrem alligabis, ita ut corpus contingat et cum homine maneat: ad extenuationem, quantum voluerit, veniet.

II.) Improprie est hoc nomine figura rhetorica sententiarum, qua res extenuamus dicendo et imminuimus: Græcis ἐλάττωσις, μείωσις, ἐξουδενισμός. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 202. Et distincte concisa brevitas, et extenuatio. Adde *Quintil.* 9. 1. 28. et 9. 2. 3.

EXTĚNUĀTŌRĬUS, a, um, adject. extenuandi vim habens. *Theod. Priscian. de diæta* 15. Extenuatoria virtus.

EXTĚNUĀTUS, a, um. V. EXTENUO.

EXTĚNUISSĬMĒ, adverb. superl. Legitur a quibusdam apud *Senec.* 1. *Controv.* 4. *in fin.*, sed lectio admodum varia est.

EXTĚNUO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et tenuo). Part. *Extenuans* I. 2.; *Extenuatus* I. 1., II. et in fin.; *Extenuandus* II. 1. — Extenuare, καταλεπτύνω, est tenuem ac subtilem facere (It. *assottigliare, diminuire*; Fr. *rendre mince, ténu, amincir, diminuer*; Hisp. *extenuar, adelgazar, disminuir*; Germ. *verdünnen, verkleinern, vermindern, schwächen*; Angl. *to make small or slender*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Varro* 1. *R. R.* 40. 6. Falce lignum extenuare. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 101. Aer extenuatus sublime fertur. *Id. ibid.* 54. 134. Dentibus manditur, extenuatur et molitur cibus. *Catull.* 61. 295. Extenuata vestigia. *che appena si veggono.* *Ovid.* 5. *Met.* 429. Extenuari in aquas. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 43. (148). Arescit et in pulverem extenuatur. *Id. ibid.* 7. 10. (53). Panici paullatim extenuatus culmus, pæne in surculum. *Id.* 15. *ibid.* 3. 3. (10). Serenitas corpus oleæ extenuat. *Id.* 31. *ibid.* 3. 21. (31). Aquæ cursu percussuque ipso extenuantur. *si fanno più leggiere.* *Id. ibid.* 9. 45. (105). Extenuare et lævare cutem. *ammorbidire.* At *Sillig.* rectius legit *extendere*; sequitur enim *lævare*. *Curt.* 7. 7. Modicus cibus et cervicis dolor extenuabat vocem. *infiacchiva.* *Liv.* 5. 38. Extenuare aciem. *h. e.* ita disponere, ut in longum tantummodo protendatur: *indebolire l'ordinanza.* Sic *Id.* 31. 22. Media acies dilutis cornibus extenuata. *indebolita.* *Id.* 21. 62. In Piceno lapidibus pluisse et Cære sortes extenuatas. *Lipsius* mallet *extæniatæ*, h. e. tæniis, quibus involvebantur, solutæ: sed aliis criticis non placet; et sane dixit *Id. Liv.* 22. 1. Attenuatæ sortes. V. *Drakenborg.* ad h. l. ¶ 2. Speciatim est verbum medicorum quo minuere, attenuare et discutere significant. *Cels.* 6. 6. n. 8. Vitatis tamen omnibus pituitam extenuantibus. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 3. 8. (14). Extenuare morbos. *Id.* 29. *ibid.* 6. 38. (127). albugines. *Id.* 21. *ibid.* 21. 89. (151). destillationes. *Id.* 22. *ibid.* 23. 49. (101). nervorum vitia. *Id.* 20. *ibid.* 6. 23. (53). raucitatem. *Id.* 32. *ibid.* 10. 51. (140). scabiem. *Id. ibid.* 4. 14. (37). cicatrices.

II.) Translate est imminuere, debilitare. *sminuire, attenuare.* *Cic.* 2. *Off.* 20. 70. Neque verbis auget suum munus, sed etiam extenuat. *Id.* 4. *Verr.* 55. 138. Locupletissimi cujusque census extenuarant, tenuissimi auxerant. *Id.* 2. *Legg.* 23. 59. Sumptus extenuatus. *spesa diminuita.* Cf. *Callistrat.* *Dig.* 50. 5. 5. *a med.* Extenuare facultates. et *Ulp.* *ibid.* 27. 9. 13. *circa med.* Expedire peculium ad extenuandum æs alienum. *per diffalcare.* Rursus *Cic.* 3. *Att.* 13. 1. Spes nostra extenuatur et evanescit. *Id.* 3. *Tusc.* 16. 34. Quæ cogitatio una maxime molestias omnes extenuat et diluit. *Id.* 7. *Verr.* 40. 108. Si hoc crimen extenuare vellet: nam omnino tolli posse, non arbitrabatur. *Liv.* 5. 37. Extenuantes etiam famam belli. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 14. Extenuare vires. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 57. extenua forti mala corde ferendo. *alleggerisci le disgrazie.* *Id.* 1. *Pont.* 3. 25. Cura quoque interdum nulla medicabilis arte; Aut, ut sit, longa est extenuanda mora. *Tac.* 1. *Hist.* 46. Extenuare consensum multitudinis. — Hinc Part. præter pass., cujus et supra exempla retulimus,

Extenuatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Extenuatissimus* I.; et est attenuatus, deminutus.

I.) Proprie. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. 2. Copiolæ meæ sunt extenuatissimæ et inopia omnium rerum pessime acceptæ. *Frontin. de colon.* p. 114. *Goes.* Extenuati limites.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Herenn.* 24. 37. Hujusmodi in rationibus non universa neque absoluta, sed extenuata ratione expositio confirmatur.

EXTER vel exterus, a, um, adject. (ab extra, ex). Comp. *Exterior* sub *B.*; Sup. *Extremus* (cujus alio Comp. *Extremior* et Sup. *Extremissimus*) sub *C.*, et *Extimus* sub *D.* — Rectus casus *exter* agnoscitur a *Priscian.* *sub init. l.* 3., qui ita legit illud *Statii* 11. *Theb.* 428. Sed quid apud tales, queis nec sua pignora curæ, Exter honos? Verum hodie in libris aliter legitur, ut et illud *Ennii* apud *Festum* p. 258. 9. *Müll.* Et quis exter erat Romæ regnare quadratæ (quod *Vahlen.* in *Enn. Poes. rel.* leg. Et qui sextus erat Romæ etc.). *Papinian.* *Dig.* 31. 1. 71. Quod exter etiam heres præstare cogetur. *Paulin. Nolan. carm.* 21. 507. Nunc iste vobis exter et vester manet. Adde *eumd. ibid.* 816. — Ceterum *exterus*, ἀλλότριος, est externus, extraneus, alienus; et quum de personis sermo est, significatur is, qui alienus est vel civitate, vel ditione, vel familia, vel collegio etc. (It. *esterno, straniero*; Fr. *du dehors, extérieur, externe, étranger*; Hisp. *exterior, externo, extraño, extrangero, forastero*; Germ. *ausserhalb befindlich, auswärtig, fremd*; Angl. *of another country, foreign*).

A) Posit. *Exterus* apud *Cic.* et *Cæs.* in plurali tantum numero occurrit; quod enim *Forcellinus* affert *Cic.* 2. *Cat.* 13. 29. Ab extero hoste atque longinquo *corrigendum est* externo, ex plurimorum optimorumque Codicum fide. *Papinian.* *Dig.* 29. 2. 83. Exterus heres institutus. *Id. ibid.* 29. 2. 84. Emancipatus vero aut exterus non aliter possunt hereditatem capere etc. *Id. ibid.* 31. 1. 69. Si duos de familia heredes scripserit, et partem quartam extero legaverit. *Lucret.* 2. 435. tactus Corporis est sensus, vel quum res extera sese Insinuat. vel etc. *Id. ibid.* v. 277. Extera vis multos pellit. *Virg.* 4. *Æn.* 350. et nos fas extera quærere regna. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 5. 18. Hæc lex socialis est, hoc jus nationum exterarum est. *Id. Fontej.* 11. 25. Dubitabitis non modo vestris civibus, verum etiam exteris nationibus ac gentibus ostendere, vos etc. *Id. Cæcin.* 34. 100. Apud exteras civitates. *Cæs.* 3. *B. C.* 43. Apud exteras nationes. *Quintil.* 11. 1. 89. Ad exteras nationes. *Sueton. Cæs.* 84. Exterarum gentium multitudo. — Absolute. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 5. (22). De cultura agri præcipere principale fuit etiam apud exteros. — Et neutr. plur. num. cum Genitivo. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 67. 67. (169). Ad extera Europæ noscenda missus Himilco. *i paesi fuori d'Europa.* *Id.* 24. *ibid.* 23. 49. (103). Laser ad extera corporum indubitatas concessiones habet. *pe' mali, che vengono al di fuori de' corpi.*

B) Comp. *Exterior*, ius, ōris, ἐξώτερος (It. *esteriore, al di fuori*; Fr. *du dehors, extérieur*; Hisp. *exterior, lo que está por la parte de afuera*; Germ. *weiter nach Aussen befindlich, äusserlicher*; Angl. *more outward, outer, exterior*) positivi fere significationem habet, eique contrarium est *interior*, ut apud *Cic. Tim.* 7. Quum alterum fecisset exteriorem, interiorem alterum amplexus orbem. Sic apud *Cæs.* 3. *B. C.* 63. Simul ex navibus milites in exteriorem vallum tela jaciebant; — et legionarii, interioris munitionis defensores etc. *Id.* 7. *B. G.* 79. Colle exteriore occupato. *Id. ibid.* 87. Circumire exteriores munitiones. *Id. ibid.* 74. Pares munitiones contra exteriorem hostem perfecit. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 15. Qui quamvis perjurus erit, sine gente, cruentus Sanguine fraterno, fugitivus: ne tamen illi Tu comes exterior, si postulet, ire recuses. *h. e.* comitari loco inferiore, ita ut, tamquam minor, tegas latus et obsequare. V. INTERIOR.

C) Sup. *Extremus*, *a*, *um*, (ex quo et Comp. *Extremior* apud *Apul.* 1. et 7. *Met.*, et Sup. *Extremissimus* apud *Tertull.* *Apolog.* 19.), ὕστατος, ἔσχατος, est ultimus, postremus (It. *ultimo, estremo, fuori di tutti*; Fr. *extrême, dernier*; Hisp. *extremo, postrero, ultimo*; Germ. *der, die, das äusserste, letzte*; Angl. *extreme, last, final*).

I.) Proprie usurpatur de loco. — *a*) Generatim. *Cæs.* 1. *B. G.* 6. Extremum oppidum Allobrogum est proximumque Helvetiorum finibus Geneva. *Id.* 2. *ibid.* 5. Flumen Axona, quod est in extremis Remorum finibus. Sic *Liv.* 39. 28. et 45. 29. Extremi fines. et 40. 16. Ad extremum finem provinciæ Galliæ venerunt. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 45. Impiger extremos currit mercator ad Indos. *h. e.* positos in extremis terræ regionibus, longe dissitos, remotissimos. Sic *Id.* 3. *Od.* 10. 1. Extremum Tanaim biberes. *Cic.* 6. *Att.* 1. 20. In extrema fere parte epistolæ. Cf. *eumd.* *Cluent.* 65. 185. Ne in extrema quidem, aut media, aut in aliqua quidem parte quæstionis. — *b*) Speciatim *extremus liber, extrema oratio, epistola* et similia non solum significat ultimum e multis libris, ultimam e multis epistolis, etc., sed ejusdem libri aut epistolæ partem ultimam. *Cic.* 3. *Off.* 2. 9. In extremo libro tertio. *sul fine del terzo libro.* *Id.* 1. *Orat.* 10. 41. Quod vero in extrema oratione sumpsisti. *Id.* 13. *Att.* 45. 1. Lamia epistolam attulit, in qua extrema scriptum erat, etc. *Id.* 14. *ibid.* 8. Litteræ, quibus in extremis erat sibi insidias fieri. *Id.* 3. *Verr.* 36. 92. In codicis extrema cera. — Hujus generis sunt illa quoque: *Cæs.* 6. *B. G.* 28. In extremo ponte turrim constituit. *sul capo del ponte.* *Id.* 2. *ibid.* 8. Ad extremas fossas castella constituit. *Id.* 2. *ibid.* 11. Quum ab extremo agmine consisterent. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 4. In extrema Cappadocia. *sui confini.* *Id. Cæl.* 12. 28. Extremis digitis attingere. *con la punta delle dita.* — *c*) Absolute, substantivorum more. — Cum addito Genitivo. *Cic.* 2. *Divinat.* 43. 91. Cælum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est. *Cæs.* 1. *B. G.* 10. Ab Oceto, quod est citerioris provinciæ extremum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 68. (179). Summum gulæ fauces vocantur, extremum stomachus. *Sall. Jug.* 27. In extremo montis. *sulla sommità.* Et in plur. num. *Liv.* 6. 32. Extrema agminis. *Flor.* 3. 3. Extrema Galliæ. *le parti più lontane della Gallia.* *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 10. (31). In extremis Africæ, qua confinis Æthiopiæ est. — Sine addito Genitivo. *Cic. Amic.* 6. 20. Divitias alii præponunt, alii honores, multi etiam voluptates: belluarum hoc quidem extremum. *Id.* 2. *Divinat.* 50. 103. Quod finitimum est, habet extremum. Sic *ad extremum* est in extrema parte. *Liv.* 21. 8. *ad fin.* Missile telum hastili oblongo, et cetera tereti, præterquam ad extremum.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de tempore, itemque de rerum serie. — *a*) Generatim. *Varro* 6. *L. L.* 10. *Müll.* Inter prioris mensis senescentis extremum diem et novam lunam. *Cic.* 2. *Legg.* 21. 54. Mensis extremus anni Februarius. *Auct. B. G.* 8. 15. Extremo tempore diei. *Liv.* 37. 53. Eam amicitiam ad extremum finem vitæ perduxit. *Cic.* 7. *Verr.* 45. 118. Matres ab extremo complexu liberûm exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret. *Id. Brut.* 33. 126. Extrema manus non accessit ejus operibus. *l'ultima mano.* Huc pertinent et illa ejusd. *Cic.* 4. *Fam.* 13. 7. Extremum illud est, ut te orem et obsecrem. *mi resta questo solo che* etc. vel *l'ultima cosa ch'io dico, è, che ti prego* etc. et 11. *Att.* 16. *ad fin.* Extremum est, quod te orem, si putas rectum esse, cum Camillo communices. — *b*) Speciatim *extrema luna, extrema hiems* et similia sunt finis, *il fine.* *Varro* 6. *L. L.* 10. *Müll.* Quod eo die potest videri extrema et prima luna. *h. e.* lunæ finis et principium. *Cic. pro leg. Manil.* 12. 35. Ita tantum bellum Cn. Pompejus extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit. *sul finir dell'inverno.* *Liv.* 2. 61. Extremo anno. *al fin dell'anno.* *Cic. pro leg. Manil.* 10. 28. Extrema pueritia. *negli ultimi anni della fanciullezza.* *Nepos Con.* 1. Prætor fuit extremo Peloponnesio bello. *sul fine della guerra.* Et poetice *Sil. It.* 7. 172. et 14. 8. Extremus dies. *h. e.* vesper et regio occidentalis, ubi sol vespere occidit. — *c*) Absolute, substantivorum more, modo cum Genitivo, modo sine Genitivo. *Sall. Jug.* 21. Extremum diei. *Id. ibid.* 90. Extremum æstatis. *Liv.* 35. 11. Extremo anni. *Sil. It.* 4. 8. Sub extremum noctis. *Tac.* 4. *Ann.* 74. Extrema imperii. *il fine, l'ultime azioni del comando.*

Id. 4. *Hist.* 42. An Neronem extremum dominorum putatis? *Horat.* 1. *Sat.* 1. 115. Instat equis auriga suos vincentibus, illum Præteritum temnens extremos inter euntem. *Id.* 2. *Ep.* 2. 204. Extremi primorum, extremis usque priores. — *Extrema* absolute per euphemismum pro morte dicuntur: ad rem *Sall.* apud *Non. p.* 137. 9. *Merc.* Ac tum maxime, uti solet in extremis rebus, sibi quisque carissimum domi recordari, cunctique omnium ordinum extrema munia sequi. *h. e.* testamentum facere, quod a militibus in summo rerum discrimine fieri solitum, omisso ritu solemni. *Flor.* 4. 2. 83. Dicitur in illa perturbatione et de extremis agitasse secum, et ita manifesto vultu fuisse, quasi occupare manu mortem vellet. Adde *eumd.* 4. 12. 50. Sic *Tac.* 2. *Hist.* 47. Plura de extremis loqui, pars ignaviæ est. *h. e.* de morte. *Julian. Dig.* 40. 5. 47. Esse in extremis. *essere negli estremi di vita.* — d) *Extremum, in extremum, ad extremum, extremo* aliquando adverbii loco ponuntur. — *Extremum* occurrit apud *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 15. Alloquor extremum mœstos abiturus amicos. *per l'ultima volta.* Et alio sensu *Id.* 14. *Met.* 431. extremum tenues liquefacta medullas Tabuit. *alla fine, finalmente.* — *In extremum* est usque ad finem. *Ovid. Heroid.* 7. 111. Durare in extremum. — *Ad extremum* est usque ad extremum, *sino al fine. Cic. Cæcin.* 10. 28. Decimo loco testis exspectatus et ad extremum reservatus dixit etc. *Ovid.* 1. *Pont.* 9. 28. Ne sit ad extremum Cæsaris ira tenax. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 7. 20. — Sæpius *ad extremum* pro tandem et denique sumitur, *alla fine, finalmente. Cic.* 2. *Att.* 21. 2. Quum diu occulte suspirassent, postea jam gemere, ad extremum vero loqui omnes et clamare cœperunt. *Id.* 2. *Orat.* 19. 79. Inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriæ mandare, tum ad extremum agere. Adde *eumd.* 13. *Phil.* 20. 45. *Cæs.* 4. *B. G.* 4. Compluras annos Suevorum vim sustinuerunt: ad extremum agris expulsi etc. Interdum cum adv. *denique* jungitur, ut majore vi polleat. *Cic. Sext.* 47. 100. Boni nescio quo modo tardiores sunt et principiis rerum neglectis ad extremum ipsa denique necessitate excitantur. — *Extremo* eod. sensu. *Modestin. Dig.* 32. 1. 81. Qui extremo mortuus est. *Cic. fragm. in Pison.* apud *Pseudo-Ascon.* in edit. *Orell. Cic. Vol.* 2. *P.* 2. *pag.* 331. Prius Gallus, dein Gallicanus, extremo Semiplacentinus haberi cœpius est. *Nepos Hamilc.* 2. Sed extremo Hamilcarem imperatorem fecerunt. ¶ 2. Usurpatur etiam de qualitate ac gradu, et est maximus, summus. — a) In philosophia pro Gr. τέλος occurrit apud *Cic.* 3. *Fin.* 7. 26. Quum extremum hoc sit (sentis enim, credo, me jamdiu, quod τέλος Græci dicunt, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum: licebit etiam finem pro extremo aut ultimo dicere) quum igitur hoc sit extremum, congruenter naturæ vivere, etc. — b) Sæpius usurpatur de iis rebus, quas ultra nulla est spes, desperatis, in præcipiti positis. — Cum suo nomine subst. *Cic. Quinct.* 15. 48. Ad extrema et inimicissima jura cupide descendere. *agli ultimi rigori del giur. Cæs.* 1. *B. C.* 5. Decurritur ad illud extremum et ultimum Senatusconsultum. *Dent operam consules* etc. *Id.* 3. *ibid.* 11. Relinquebatur, ut extremam rationem belli sequens quam plurimos colles occuparet. *Id.* 3. *B. G.* 5. Eruptione facta extremum auxilium experiri. *Id.* 2. *ibid.* 27. et 33. Hostes in extrema spe salutis tantam virtutem præstiterunt, ut etc. *Sall. Jug.* 3. Neque aliud, se fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. *somma ed insanabile pazzia. Julian. Dig.* 40. 5. 47. In extrema valetudine esse. *in malattia disperata. Cæs.* 7. *B. G.* 40. In extrema fortuna deserere patronos. *Id.* 3. *ibid.* 5. Res ad extremum adducta casum. *Id.* 2. *ibid.* 25. Quum jam in extremis suis rebus operam navare cuperent. Sic *Sueton. Ner.* 6. Rursusque extremis suis rebus frustra requisivit. *nelle maggiori urgenze.* — Absolute, substantivorum more, modo cum Genitivo, modo sine Genitivo. *Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 33. 4. Si nihil in Lepido spei sit, descensurum ad extrema et non modo nationes, sed etiam servitia concitaturum. *ad estremi e disperati partiti, a fare gli ultimi sforzi. Curt.* 4. 14. *a med.* Ad extrema perventum est. *Flor.* 4. 5. Compellere ad extrema deditionis. *all'ultima necessità della resa. Tac.* 4. *Hist.* 59. Famem, ferrum et extrema pati. — Hinc *in extremo, in extremum, ad extremum* adverbii loco ponuntur. *Sall. Cat.* 55. Respublica est in extremo. *è ridotta all'estremo.* Sic *Tac.* 14. *Ann.* 61. Vita in extremum adducta. *ad estremo pericolo. Liv.* 23. 2. Improbus homo, sed non ad extremum perditus, quum mallet incolumi, quam eversa republica dominari. *h. e.* omnino, *estremamente.* — c) Hinc aliquando *extremus* in malam omnino partem usurpatur, et est nullius pretii, pessimus. *Liv.* 22. 29. Qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, extremi ingenii est. *Seneca Ep.* 70. *sub fin.* Extrema mancipia. *vilissimi schiavi. Justin.* 35. 1. Subornant quemdam sortis extremæ juvenem. *h. e.* incertæ stirpis, ignotum egenumque rerum omnium. *Tac.* 6. *Ann.* 24. Orare extrema vitæ alimenta. *h. e.* cibos vel vilissimos, dummodo vita trahatur. *Apul.* 3. *Met.* Extremi latrones. *h. e.* pessimi, nequissimi.

D) Sup. *Extimus, a, um,* est idem quod extremus, sed raro occurrit. — a) Cum nomine subst. *Lucret.* 4. 618. Extima membrorum circumtextura. Adde *eumd.* 2. 220. *Cic.* 6. *de republ.* 17. Novem orbes, quorum unus est cælestis, extimus, qui reliquos omnes complectitur. *Varro* apud *Non. p.* 193. 7. Qua voluptate ævitatis extimam attigit metam? *Plin.* 5. *Hist. nat. sect.* 1. (1). Promontorium Oceani extimum. *Sil. It.* 7. 590. Et modo claudentes aciem, nunc extima cingens etc. *l'ultime file che sono alle spalle. Plin.* 2. *Hist. nat.* 78. 80. (190). Extimæ gentes. *h. e.* quæ extremas orbis terras incolunt. *Plaut. fragm.* apud *Priscian.* 3. *p.* 609. *Putsch.* Bona perdidi; mala reperi; factus sum extimus a vobis. *h. e.* ejectus, expulsus, extorris. — b) Absolute, substantivorum more. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 34. 39. (217). Apuliæ extima. *i confini, le parti estreme.* — Hinc

Extremum, i, et

Extrema, orum, absolute, substantivorum more sub *C.* I. et II. 1. 2.

Extremo, adverbii more, sub *C.* II. 1.

EX TERCĒNĀRĬO. *V.* EX TRECENARIO.

EXTĔRĒBRO, as, atum, are, a. 1. (ex et terebro). Part. *Exterebratus* I. — Exterebro est terebrando extraho.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Divinat.* 24. 48. Ex eo auro, quod exterebratum esset.

II.) Translate est extorquere. *Plaut. Pers.* 2. 2. 55. Nunquam hercle istuc exterebrabis tu, ut sis pejor, quam ego siem. *V.* EVERRO. — Nonnunquam est perscrutari, curiosius quærere. Ita *Non. p.* 62. 32. *Merc.,* ubi id confirmat exemplo *Plauti,* quod nihil ad rem facit.

EXTERĒBRŌNĬDES. *V.* ARGENTIEXTEREBRONIDES.

EXTERGĔO, terges, tersi, tersum, tergere, a. 2. In Conjunctivo *extergantur* pro *extergeantur,* forma nempe tertiæ conjugationis, habet *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. § 22. — Part. *Extersus* I. et II. — Extergo est tergendo purgo.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 162. Extergeto spongia bene. *Plaut. Men.* 2. 3. 40. Peniculus, qui extergentur baseæ. *Id. Rud.* 5. 2. 14. Quanto magis extergeo, tenuius fit. *Id. Most.* 1. 3. 110. Linteo extergere manus. *Vitruv.* 7. 3. Coronæ puræ fieri debent, ut eæ facilius extergeantur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 9. 21. (99). Extersa æra rubiginem celerius trahunt. *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. § 22. Spongiæ, quibus columnæ, pavimenta, podia extergantur. *Petron. Satyr.* 9. Extergere pollice lacrimas manantes.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Verr.* 21. 52. Quod fanum adisti, quod non eversum atque extersum reliqueris? *V.* EVERSUS.

EXTĔRĬOR, rius, ōris, adject. *V.* EXTER *vel* exterus.

EXTĔRĬUS, adverb. ab exteriori parte, extrinsecus. *Ovid.* 6. *Met.* 420. Urbes exterius sitæ. *Colum.* 12. *R. R.* 44. 5. Vasa intrinsecus et exterius crasse picare.

EXTERMENTĀRĬUM, linteum quod teritur corpore. *Varro* 5. *L. L.* 21. *Müll.*

EXTERMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus exterminandi, perditio. *Vulgat. interpr. Sapient.* 18. 7. Injustorum exterminatio.

EXTERMĬNĀTOR, ōris, m. 3. qui exterminat atque expellit. *Cic. Dom.* 55. 141. Respublica quanquam erat exterminata mecum, tamen obversabatur ante oculos exterminatoris sui. *Plerique alii et ipse Orell. leg.* exstinctoris. Certior est lectio apud *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 10. *extr.* Item apud *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 10. 10. Perierunt ab exterminatore. *et Judith* 8. 25. Exterminati sunt ab exterminatore et a serpentibus perierunt.

EXTERMĬNĀTUS, a, um. *V.* EXTERMINO.

EXTERMĬNĬUM, ii, n. 2. eversio, expulsio. *Tertull. advers. Jud.* 8. Exterminium civitatis Jerusalem.

EXTERMĬNO, as, avi, atum, are, a. 1. (ex et terminus). Part. *Exterminatus* II.; *Exterminandus* I. et II. — Exterminare, ἐξορίζω, est extra terminos mittere, ut ait *Non. p.* 27. 8. *Merc.,* ex terminis seu finibus ejicere, expellere, exsulare jubere, cum vi, impetu extrudere (It. *cacciar via, bandire, esigliare;* Fr. *chasser, bannir, exiler;* Hisp. *echar fuera, desterrar;* Germ. *aus d. Bereiche, d. Grenzen schaffen, vertreiben, verjagen;* Angl. *to drive out, banish*).

I.) Proprie. — a) Cum additis. *Cic. Sext.* 4. 9. Marcellum exterminandum ex illa urbe curavit. *Id. Mil.* 37. 101. Hæc tanta virtus (*h. e.* Milo) ex hac urbe expelletur, exterminabitur, projicietur? Cf. *eumd.* 3. *Off.* 6. 32. Genus pestiferum atque impium (*tyrannorum*) ex hominum communitate exterminandum. *Id. Balb.* 22. 51. Oppugnatores reipublicæ de civitate exterminari. *Id. Sext.* 13. 30. Exterminabit cives Romanos edicto consul a suis diis penatibus, expellet a patria. *Id.* 1. *Nat. D.* 23. 63. Protagoras, Atheniensium jussu, urbe atque agro est exterminatus. — b) Sine additis. *Id.* 3. *Off.* 11. 47. Peregrinos urbibus uti prohibere eosque exterminare. *Id.* 3. *de republ.* 17. Manus ei denique afferantur, — damnetur, vinciatur, uratur, exterminetur. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 2. Fucos in totum exterminare. Et poetice *Id.* 10. *ibid.* 148. ferroque bicorni Pectat, et angentem sulcis exterminet herbam. — Neutrorum more, si salva est lectio, occurrit apud *Tertull. Pall.* 3. *de Adamo.* Deinde quum de originis loco exterminat (*h. e.* exterminatur), quippe deliquerat, pellitus orbi, ut metallo, datur.

II.) Translate. *Cic. Prov. cons.* 2. 3. Ut non ante attigerint provincias, quam hunc ordinem condemnarint, quam auctoritatem vestram e civitate exterminarint. *Id.* 13. *Phil.* 1. 1. Ex finibus humanæ naturæ aliquem exterminare. *Id. post redit. ad Quirit.* 6. 14. Neque, republica exterminata, mihi locum in hac urbe esse duxi. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 41. 127. Quæstiones physicorum exterminandas puto. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (121). Exterminare morbum. *Harduin.* legit *extenuare* ex MSS., quem secutus est *Sillig. Apul.* 5. *Met.* Exterminare aliquem opibus. *Id.* 3. *ibid.* Sic exterminatus animi vigilans somniabar. *nempe extra terminos mentis meæ positus,* ut *Id.* 5. *ibid.* loquitur.

EXTERMĬNUS, a, um, adject. qui est extra terminum, exsul, expulsus. *Tertull. carm. de Sodom.* 3. atque hinc exterminus ito.

EXTERNĀTUS *vel*

EXTERNO, as, etc. *V.* EXSTERNO sub *B.*

EXTERNUS, a, um, adject. (*ab* exter, exterus) qui est extra, exterior; cui *internus* opponitur (It. *esterno, di fuori;* Fr. *du dehors, extérieur, externe;* Hisp. *externo, lo que está por la parte de afuera;* Germ. *ausserhalb befindlich, äusserlich, fremd;* Angl. *outward, external*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 26. Nec enim ille externus et adventicius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus. *Id.* 2. *Divinat.* 58. 120. Externa et adventicia visio. *Id.* 1. *Nat. D.* 11. 25. Quid interius mente? cingatur igitur (*ipsa mens*) corpore externo. *Id.* 6. *de republ.* 26. Inanimum est omne, quod pulsu agitatur externo. — *Externa bona* sunt, quæ non sunt in nobis ipsis, sed extra, nosque circumstant, ut divitiæ, honores, gratia et hujusmodi: ad rem *Cic.* 5. *Tusc.* 9. 25. Si tot sunt in corpore bona, tot extra corpus in casu atque fortuna: nonne consentaneum est, plus fortunam, quæ domina rerum sit et externarum et ad corpus pertinentium, quam consilium valere? *Id. Topic.* 33. 89. Externa commoda vel incommoda. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 35. mercede caret, per seque petenda est Externis virtus incomitata bonis. — Absoluta, substantivorum more. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 4. Quæ populari gloria decorari in Lucullo debuerant, ea fere sunt et Græcis litteris celebrata et Latinis. Nos autem illa externa cum multis; hæc interiora cum paucis ex ipso sæpe cognovimus. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 86. et in se ipso totus, teres atque rotun-

dus, Externi ne quid valeat per leve morari. ¶ 2. Specialim ac sæpissime *externus* dicitur de iis, quæ peregrina sunt et extranea, seu alterius ditionis. patriæ, civitatis, familiæ, nationis (It. *straniero, forestiero*; Fr. *étranger, importé, exotique*; Hisp. *extrangero, forastero*; Germ. *auswärtig, ausländisch, fremd*; Angl. *of another country, foreign, alien*). *Cæs*. 2. *B. C*. 5. Si superavissent vel domesticis opibus, vel externis auxiliis. *Cic*. 1. *ad Brut*. 10. Nunc externis hostibus magis, quam domesticis laboramus. *Id*. 2. *Cat*. 13. 29. Qui (*dii*) jam non procul ab externo hoste atque propinquo, sed hic præsentes sua templa defendunt. *Auct. B. G*. 8. 37. Caninius ad obsidendos oppidanos revertitur – externo hoste deleto. *Quintil*. 8. 3. 78. Bella civilia et externa. *Cic*. 6. *Verr*. 51. 114. Externa et aliena religio. *Quintil*. 8. 1. 2. Quam minime peregrina et externa verba. *Id*. 1. 5. 58. Verba externa et nostra. *Nepos Hamilc*. 2. Diuturnitate externi mali exarsit intestinum bellum. *Cic*. 2. *Off*. 18. 64. Per hospites apud externos populus valere opibus et gratia. *Virg*. 7. *Æn*. 367. Externa gens. *Id*. 3. *ibid*. 43. non me tibi Troja Externum tulit. *Id. ibid*. 68. externus vir. *Id. ibid*. 424. externus heres. *Cic*. 4. *Fam*. 9. *extr*. In externis locis minor est ad facinus verecundia. *Virg*. 7. *Æn*. 370. externa terra. *Id. ibid*. 255. externa ab sede profectus. *da paese straniero*. *Plin*. 22. *Hist. nat*. 24. 56. (118). Externus urbis. *h. e*. Africa, aut Asia. *Tac*. 12. *Ann*. 15. Externas gratias quærere. *Id*. 11. *ibid*. 16. Externi mores. *Curt*. 8. 5. Morum mutatio externa. *h. e*. ab externis petita. *Ovid. Heroid*. 5. 102. Externus amor. *h. e*. quo externus vir amatur. — Absolute, substantivorum more. *Cic*. 2. *Nat. D*. 63. 158. Canum tam amans dominorum adulatio, tantumque odium in externos. *Ovid*. 4. *Met*. 467. Arcebatque suis externos finibus omnes. *Sall. orat. Lepidi contra Sull. a med*. Arma ab externis in nosmet versa. *Cic*. 2. *Off*. 8. 26. Externa libentius in hac re, quam domestica recordor. *Tac*. 4. *Hist*. 32. Ut absisteret bello, neve externa armis falsis velaret. *Id*. 3. *ibid*. 5. Externa molliri. — Hinc

Externi, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, *V*. sub 2.

Externum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, *V*. sub 1. et 2.

Homonym. De discrimine inter externum et alienigenam, *V*. ALIENIGENA.

EXTĔRO, tĕris, trivi, tritum, tĕrere, a. 3. (ex *et* tero). Part. *Extritus* et *Exterendus* I. — Exterere, ἐκτρίβειν, est idem quod terere, vel terendo excutere, terendo auferre, terendo eximere, extrahere (It. *triturare, fregar via, stropicciar via*; Fr. *broyer, froisser, faire sortir ou disparaitre en frottant*; Hisp. *flotar, estregar, levantar, deshacer estregando*; Germ. *ausreiben, abreiben*; Angl. *to beat or rub out, bruise*).

I.) Proprie. *Lucret*. 5. 1097. Exprimitur validis extritus viribus ignis. *Varro* 1. *R. R*. 52. 2. Jumentorum ungulis e spica exteruntur grana. *Plin*. 18. *Hist. nat*. 30. 72. (298). Messis alibi tribulis in area, alibi equarum gressibus exteritur. *Colum*. 2. *R. R*. 9. 11. Quam amplior messis provenerit, quidquid exteretur, capisterio expurgandum erit. *h. e*. terendo colligetur. *Cic*. 2. *Nat. D*. 54. 136. Alvus calorem multum habet exterendo cibo. *h. e*. comminuendo, conficiendo. At rectius leg. *atterendo*. *Varro* 5. *L. L*. 96. *Müll*. Armenta aramenta dicta: postea tertia littera extrita. *Id*. 7. *ibid*. 27. Quare est Casmena Carmena –; *r* extritu Camena factum. *Id*. 2. *R. R*. 1. 7. Oves beelare, vocem efferentes: a quo belare dicunt, extrita littera. *Id*. 10. *L. L*. 81. *Müll*. Ex *ne* et *quidam*, media extrita syllaba, coactum est *nequam*. *Plin*. 37. *Hist. nat*. 10. 62. (172). Gemma politur in angustias, ut inutilia exterantur. Cf. *Quintil*. 10. 4. 4. Opus poliat lima, non exterat. *non logori*. *Plin*. 31. *Hist. nat*. 6. 33. (66). Marinæ aquæ rubiginem ferro celerrime exterunt. *Id*. 34. *ibid*. 13. 34. (131). Digitis scabritiæ spodi exteruntur. *Sillig*. vero *excernuntur* legit ex optimis Codd. *Phædr*. 1. 21. Calcibus frontem exterit. *g'i pesta, gli rompe*. Al. tamen leg. *extudit*. *Stat*. 10. *Theb*. 478. gravis exterit artus Ungula. *h. e*. protrivit, obterit. *Ovid*. 1. *Amor*. 9. 12. congestas exteret ille nives. *calcherà, camminerà sulle nevi*. *Seneca Ep*. 57. *a med*. Animam hominis magno pondere extriti permeare non posse.

II.) Translate est consumere, *consumare*. *Plin*. 34. *Hist. nat*. 11. 25. (108). Tabes mercium, aut fraus Seplasiæ sic exteritur.

EXTERRĀNĔUS, a, um, adject. qui est ex alia terra. *Paul. Diac*. p. 79. 1. *Müll*. — *Exterraneus* etiam dicitur, qui ante tempus natus, vel potius ejectus est; quod eum mater exterrita alvo ejecit. *Paul. Diac*. p. 79. 2. *Müll*. *Al. vero leg*. Exterricineus.

EXTERRĔO, terres, terrŭi, territum, terrere, a. 2. (ex *et* terreo). Part. *Exterritus* in fin. — Exterreo est valde terreo (It. *atterrire, spaventare*; Fr. *épouvanter, effrayer*; Hisp. *espantar, asustar*; Germ. *Jemanden in Schrecken setzen, plötzlich aufschrecken*; Angl. *to terrify, frighten greatly*). *Cic*. 2. *Off*. 10. 37. Dolorum quum admoventur faces, præter modum plerique exterrentur. *Cæs*. 1. *B. C*. 41. Ne milites repentino hostium incursu exterrerentur. *Id*. 2. *ibid*. 4. Vehementius exterreri. *Horat*. 1. *Ep*. 6. 11. Improvisa simul species exterret utrumque. *Ovid*. 2. *Trist*. 35. *de Jove*. Hic ubi detonuit, strepituque exterruit orbem. *Val. Flacc*. 5. 233. soterumque exterruit ingens Vox. *Sueton. Cæs*. 45. Per somnum exterreri. *Tac*. 1. *Ann*. 12. Exterrere vultu. *Id. ibid*. 57. Fuerat animus Cheruscis juvare Cattos: sed exterruit Cæcina, huc illuc ferens arma. *Id*. 15. *ibid*. 11. Vi ac minis alares exterruit, legionarius obtrivit. — Hinc Part. præter. pass.

Exterritus, a, um, frequentius occurrit. *Ennius* apud *Cic*. 1. *Divinat*. 20. 40. Talia commemorat lacrimans (*anus*), exterrita somno. *Varro* apud *Non*. p. 434. 23. *Merc*. Videmus populum Furiis instinctum tribus Diversum ferri exterritum formidine. *Cic*. 1. *Divinat*. 36. 79. Quo aspectu exterrita nutrix clamorem sustulit. *Liv*. 4. 23. Vejentes exterriti metu similis excidii. *Cæs*. 1. *B. C*. 75. Repentino periculo exterriti. *Tac*. 4. *Ann*. 28. Innocens et falsa exterritus. ψευδῆ ἐκπεπληγμένος, rebus falsis exterritus. *Al. leg*. falso. *Plin*. 1. *Ep*. 5. Exterritus conscientia. *Virg*. 3. *G*. 149. exterrita silvis Diffugiunt armenta. *Id*. 3. *Æn*. 307. magnis exterrita monstris Diriguit visu in medio. *Id*. 5. *ibid*. 505. timuitque exterrita pennis Ales. *Id*. 3. *G*. 434. anguis Sævit agris, asperque siti atque exterritus æstu. *h. e*. furens, rabidus, quasi extra se ob æstum. In illo *Virg*. 5. *Æn*. 215. *de columba*: Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis Dat tecto ingentem: *Servius* recte monet, non timorem columbæ significari, sed crebram alarum agitationem, qualis in timore esse solet.

EXTERRĬCĬNĔUS. *V*. EXTERRANEUS.

EXTERRĬTUS, a, um. *V*. EXTERREO.

EXTERSUS, a, um. *V*. EXTERGEO.

EXTERSUS, us, m. 4. actus extergendi. *Plaut. Curc*. 4. 4. 22. Linteumque extersui. *h. e*. ad extergendum aptum. *Al. leg*. extersum.

EXTERUS, a, um. *V*. EXTER.

EXTEXO, is, ere, a. 3. (ex *et* texo) retexo, destruo quod textum est. Translate *Plaut. Bacch*. 2. 3. 5. Exteram ego illum pulcre jam, si dii volunt. *h. e*. auro cum spoliabo: vel omnia ejus consilia et rationes pervertam et destruam.

EXTILLO. *V*. EXSTILLO.

EXTĬMĀTĬO pro *existimatio* legitur a nonnullis apud *Macrob*. 7. *Saturn*. 6., ubi al. leg. *æstimatio*.

EXTĬMEO, es, *vel rectius*

EXTĬMESCO, timescis, timui, timescere, 3. (*ex et* timesco). Part. *Extimescens* et *Extimescendus* sub *d*. — Extimesco est valde timeo; et occurrit — *a*) Absolute. *Ter. Hecyr*. 5. 3. 26. Extimui illico. *Cic. Sext*. 59. 126. Equi ipsi gladiatorum repentinis sibilis extimescebant. *Id. Dejot*. 1. 3. De fortunis communibus extimescere. — *b*) Sequente part. ne cum Conjunct. *Cic*. 4. *Acad*. (2. *pr*.) 38. 121. Si quid adversi acciderit, extimescere, ne id jure evenerit. *Horat*. 2. *Sat*. 3. 174. Extimui, ne vos ageret vesania discors. — *c*) Passive impersonaliter. *Tac*. 11. *Ann*. 16. Si filius Arminii in regnum venisset, posse extimesci. — *d*) Cum Accusativo. *Cic*. 9. *Fam*. 26. 4. Nihil est quod adventum nostrum extimescas. *Plancus* apud *Cic*. 10. *ibid*. 18. Non ullam rem extimescens. *Horat*. 2. *Ep*. 3. 415. Extimescere magistrum. *Stat*. 9. *Theb*. 155. tamen ille loquentis Extimuit vultus, admiraturque timorem. *Cic*. 7. *Phil*. 1. 2. Ab Antonio majus periculum extimescendum est. *Id. Fat*. 12. 28. Nec ob eam causam factum aut necessitas extimescenda est. — Apud *Tac*. 15. *Ann*. 71. Quasi principem non quidem odissent, sed tamen extimerentur. *al. rectius leg*. existimarentur.

EXTĬMO, as, pro *existimo*, *Tacito*, et *Macrobio* tribuitur a nonnullis, illi quidem 13. *Ann*. 17.; huic vero 7. *Saturn*. 2. et 6.: verum alii ubique *æstimo* reponunt, aut *existimo*. Quod idem puta de loco *Phædri*, quod *V*. in ÆSTIMO. *Gargil*. (ab *A. A. Scottio* editus) 1. 3. Eadem cydonea Dioscorides et diuretica extimat austeritatis beneficio. Quamvis *extimat* legatur in *Cod*., tamen editor *existimat* vulgavit; at *A. Maius* in *Class. Auct. T*. 1. p. 393. rectius *Codicis* lectionem servavit.

EXTĬMŬLO. *V*. EXSTIMULO.

EXTĬMUS, a, um. *V*. EXTER.

EXTINCTUS *et*

EXTINGUO cum derivatis. *V*. EXSTINCTUS, EXSTINGUO, etc.

EXTIRPO cum derivatis. *V*. EXSTIRPO.

EXTISPEX, icis, m. 3. Etiam *extispicus, i*, m. 2. legitur in *Inscriptt*. — Extispex est qui exta inspicit auguriis capiendis, idem quod haruspex. *Cic*. 2. *Divinat*. 18. 42. Hac extispicum divinatione sublata, omnis haruspicina sublata est. Adde *eumd*. 1. *ibid*. 16. 29. et 2. *ibid*. 11. 26. *Varro* apud *Non*. p. 16. 14. *Merc*. Hostias extispici disputanti relinquo. *Oehler, Satur. Menipp*. p. 203. *leg*. Ad extispices disputantes: *Riese vero leg*. Et hostias et extispices disputantes. *Inscript*. mutila apud *Fabrett*. p. 677. n. 37. L. VETVRIVS RVFIO . . . . SPEX EXTISPICVS . . . ERDOS PVBLICVS . . PRIVATVS. Quæ ita supplenda videtur: *haruspex* EXTISPICVS *sacerdos* PVBLICVS *et* PRIVATVS. Hæc eadem tamen ita perperam apud *Murat*. 171. 7. AVISPEX EXTISPICVS SACERDOS PRIVATVS.

EXTISPĬCĬUM, ii, n. 2. extorum inspectio, haruspicium. *Sueton. Ner*. 56. Attendit et extispicio, nec unquam litavit.

EXTISPĬCUS, i, m. 2. *V*. EXTISPEX.

EXTO. *V*. EXSTO.

EXTOLLENTĬA, æ, f. 1. actus extollendi. *Vulgat. interpr. Eccli*. 26. 12. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum et in palpebris illius agnoscetur. *Id. ibid*. 23. 5. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium averte a me.

EXTOLLO, extollis, (extŭli, ēlātum) extollere, a. 3. (ex *et* tollo). Præter. *extuli* et Part. *elatus*, V. in EFFERO. — Part. *Extollens* I. 1. — Extollere, ἐξαίρω, est in altum tollere, efferre, erigere (It. *innalzare, portar in alto*; Fr. *lever, élever, hausser, relever*; Hisp. *alzar, levantar en alto, elevar*; Germ. *herausnehmen, in die Höhe heben, aufrichten*; Angl. *to lift or hold up, raise up*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Festive *Plaut. Epid. in fin*. Plaudite, valete; lumbos surgite atque extollite. *h. e. rizzatevi, levatevi in piè*. *Novius* apud *Non*. p. 474. 14. Extollere pedes. *V*. PES. *Ennius* apud *Cic. Orat*. 46. 155. Neque tuum unquam in gremium extollas liberorum ex te genus. *Varro* 2. *R. R*. 10. 3. Qui onera extollere in jumenta possint. *Ennius* apud *Macrob*. 6. *Saturn*. 2. (*Venti*) mari magno fluctus extollere certant. *Cic*. 2. *Phil*. 12. 28. Cruentum alte extollens pugionem. *Auct. B. Afr*. 84. Elephantus militem proboscide circumdat atque in sublime extollit. Rursus *Cic. Marcell*. 3. 8. Extollere jacentem. — Absolute. *Cic*. 5. *Fin*. 14. 39. Quæ sit scientia atque ars agricolarum, quæ circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur. *subaudi* vites. ¶ 2. Specialim de ædificiis dicitur pro exstruere, erigere. *Plaut. Most*. 1. 2. 11. Fundamentum substruunt, extollunt, parant sedulo in firmitatem. *Paul. Dig*. 8. 5. 5. Donec tu non extollis, est utilitas servitutis. Cf. *Petron. Satyr*. 120. Ecquid Romano sentis te (o *Fortuna*) pondere victam? Nec posse ulterius perlaturam extollere molem?

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiori paragr. 1. — *a*) Generatim. *Cic. Planc*. 13. 33. Ubi illa antiqua libertas, quæ malis oppressa civilibus, extollere jam caput et aliquando recreata se erigere debeat? *Id. Pis*. 18. 41. Vos meam fortunam deprimitis, vestram extollitis. *Id. Amic*. 20. 72. Ut ii, qui superiores sunt, summittere se debent in amicitia, sic quodam modo inferiores extollere. *Id*. 2. *Tusc*. 23. 54. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt: simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. — *b*) Specialim de iis, quæ laudantur, et est

amplificare, augere. — Cum additis. *Cic.* 12. *Fam.* 25. *extr.* Aliquem ad cælum extollere laudibus. *Id. Harusp. resp.* 22. 47. Quempiam in cælum laudibus extollere. *Id. Planc.* 40. 95. meritum alicujus verbis. *Id.* 1. *Herenn.* 5. 8. nostram causam laudando. *Liv.* 28. 31.; et *Plin.* 3. *Ep.* 11. aliquid in majus. *Quintil.* 12. 10. 62. Amplificationibus orationem extollere. *Id.* 10. 4. 1. humilia stilo. *Justin.* 12. 6. rerum suarum magnitudinem cælo tenus. *Tac.* 4. *Ann.* 17. honoribus aliquem ad superbiam. *Id.* 6. *ibid.* 8. quempiam supra ceteros. — Sine additis. *Plaut. Most.* 1. 3. 21. Mavis vituperari falso, quam vero extolli? *esser lodato.* *Curt.* 7. 4. 1. Suas vires extollere, hostium paucitatem spernere. *Quintil.* 11. 1. 16. Extollere - se supra modum, premere et despicere alios. *Tac.* 2. *Ann.* 88. Vetera extollimus, recentium incuriosi. — Similiter *Cic. Partit. orat.* 23. 81.; et *Lucan.* 8. 345. Extollere animos. *insuperbirsi.* ¶ 2. Apud veteres ad tempus quoque refertur, et est differre, *differire, portare innanzi.* *Plaut. Pœn. a.* 2. *v.* 51. Res serias omnes extollo ex hoc die in alium diem. Adde *eumd. Mil. glor.* 3. 2. 47. *Cæcilius* apud *Non. p.* 297. 28. *Merc.* Hodie extollat nuptias.

EXTORNO, as, are, a. 1. idem quod torno. *Boeth.* 1. *Music.* 3. *p.* 1375. Si conum quis diligenter extornet etc.

EXTORPĔO, es, *vel rectius*

EXTORPESCO, pescis, pui, pescere, n. 3. obtorpesco. *Venant. Fortun.* 1. *de Vita Martin.* 240. Obvia turba riget, gressuque extorpuit ægro.

EXTORQUĔO, torques, torsi, tortum, torquere, a. 2. (ex *et* torqueo). Sup. *extorsum* quoque dici posse ait *Priscian.* 9. *p.* 871. *Putsch.*, sed nullo confirmat auctore. — Part. *Extortus* in omnibus paragr.; *Extorquendus* I. 3. — Extorquere est torquendo et trahendo evellere, extrahere (It. *torcendo e stirando strappar fuori, cavar fuori*; Fr. *arracher en tordant, arracher*; Hisp. *arrancar torcendo, quitar con violencia*; Germ. *herausdrehen, herauswinden, entwinden*; Angl. *to wrest, take away forcibly*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Brut.* 2. 7. Quum extorquere arma posset e manibus iratorum civium boni civis auctoritas et oratio. *Id. Mil.* 7. 18. et 1. *Cat.* 6. 16. Extorta alicui sica de manibus. *Petron. Satyr.* 136. Pedem mensulæ extorsi, cœpique pugnacissimum animal armata elidere manu. *cavai, staccai.* *Flor.* 2. 6. 57. Sic factum est, ut inhærentem atque incubantem Italiæ extorqueret Hannibalem. *h. e.* extraheret. expelleret, venire cogeret. ¶ 2. Specialim de corporis membris usurpatur, et est luxare. — *a*) Universim. *Seneca Ep.* 104. Fregit aliquis crus, aut extorsit articulum. *si slogò una giuntura.* *Plin.* 8. *Ep.* 18. *a med.* Omnibus membris extortus et fractus. tantas opes solis oculis obibat. *Seneca Ep.* 66. *a med.* Per longam nervorum contractionem extorti minutatim. *Juvenal.* 8. 33. prava extortaque puella. — *b*) Peculiariter est luxando, vel tormentis adigo verum dicere, *torturare.* *Ter. Adelph.* 3. 5. 36. MI. Hunc abduce, vinci, quære rem. DE. Immo hercle extorque, nisi ita factum st. *Liv.* 32. 38. *fin.* In servilem modum lacerati atque extorti. Adde *eumd.* 34. 25. *ad fin.*; et *Senec. Ep.* 24. *circa med.* ¶ 3. Item specialim de pecunia et bonis dicitur, et est vi quidpiam elicere, exprimere, eripere, *torre o cavar per forza,* ἐκβιάζομαι. *Cic.* 6. *Att.* 1. *ad fin.* A Cæsare per Herodem talenta Attica quinquaginta extorsistis. *Id. Cluent.* 28. 78. Ut pecunia omnis a Staieno extorta atque erepta sit. *Id. Prov. cons.* 3. 5. Nihil exprimere ab egentibus, nihil ulla vi a miseris extorquere. *Id. Pis.* 35. 86. Qui motus tibi fuit frumenti æstimandi? qui honorarii? si quidem potest vi et metu extortum honorarium nominari. *Cæs.* 7. *B. G.* 54. Obsidibus summa cum contumelia extortis. Cf. *Justin.* 16. 3. Missus Lamachus cum exercitu ad extorquendum quod negabatur.

II.) Translate est per vim evellere, eripere. *a*) Sæpissime cum Accusativo. *Lucret.* 6. 1222. Extorquebat enim vitam vis morbida membris. *h. e.* expellebat, eripiebat. *Cic.* 2. *Fin.* 5. 16. Hoc est vim afferre, Torquate, sensibus: extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti sumus. *h. e.* evellere. *Id.* 2. *Orat.* 18. 74. Numquam sententias de manibus judicum vi quadam orationis extorsimus. Cf. *Liv.* 25. 4. Extorquere per vim suffragium populi. *carpire.* *Claudian.* 2. *in Rufin.* 170. extortas invito principe voces. Rursus *Cic. Cluent.* 2. 6. Si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, eam ratio convellet, veritas extorquebit. *Id. Ligar.* 5. 16. Suam citius abjiciet humanitatem, quam extorquebit tuam. *h. e.* coget te, ut humanitatem abjicias. Sic *Seneca* 1. *Clement.* 1. Temeritas hominum et contumacia. quæ sæpe tranquillissimis pectoribus patientiam extorsit. *et Plin.* 3. *Ep.* 19. 6. Quum ea præcepta et extorta defensioni suæ cerneret, in quibus omnem fiduciam reponebat. *Cic. Senect.* 23. 83. Nec mihi hunc errorem extorqueri volo. *che mi sia cavato di testa.* *Horat.* 2. *Ep.* 2. 139. pol me occidistis, amici, - cui sic extorta voluptas, Et demptus per vim mentis gratissimus error. *Id. ibid.* 2. 56. anni euntes Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum: Tendunt extorquere poemata. *Petron. Satyr.* 9. Extorquere alicui pudorem. *h. e.* pudicitiam. *Flor.* 4. 2. Deditionem fames extorsit Antonio. *h. e.* ad deditionem compulit. *Cic. Orat.* 48. 160. Aliquando idque sero convicio aurium quum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi. — *b*) Raro admodum sequente part. *ut.* *Cic.* 1. *Tusc.* 7. 14. Age jam, concedo non esse miseros, qui mortui sint, quoniam extorsisti, ut faterer. qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse

EXTORRĔO, es, ere, n. 2. valde torreo. *Cels.* 3. 7. *n.* 2. Si vero ardens febris extorret, nulla medicamenti danda potio est.

EXTORRIS, e, adject. (ex *et* terra) exsul: quasi extra terram patriam pulsus.

I.) Proprie. *Turpilius* apud *Non. p.* 14. 31. *Merc.* Extorrem aliquem facere. *Cic.* 5. *Verr.* 51. 120. Hinc centum triginta septem patresfamilias extorres profugerunt. *Sall. Jug.* 15. Extorris patria, domo. *Liv.* 5. 30. Ne exsulem, extorrem populum R. ab solo patrio ac diis penatibus in hostium urbem agerent. *Id.* 27. 37. Extorris agro Romano. *Id.* 26. 41. *post med.* Brevi extorre hinc omne Punicum nomen etc. *Id.* 31. 13. *ad fin.* Extorre agmen sedibus suis. *Virg.* 4. *Æn.* 616. Finibus extorris, complexu avulsus Iuli. *Sueton. Aug.* 12. Nursinos grandi pecunia, et quam pendere nequirent, mulctatos, extorres egit oppido. *Flor.* 3. 13. 2. Ne populus. gentium victor orbisque possessor, extorris aris focisque ageret. *Gell.* 2. 12. is domo, patria, fortunisque omnibus careto; exsul extorrisque esto.

II.) Translate. *Edict. Dioclet. lin.* 18. Quis adeo obtunsi pectoris et a sensu humanitatis extorris est, qui ignorare possit etc.

EXTORSUS, a, um. *V.* EXTORQUEO.

EXTORTOR, ōris, m. 3. qui vi rapit et aufert. *Ter. Phorm.* 2. 3. 27. Bonorum extortor, legum contortor. *V.* CONTORTOR et DISTORTOR.

EXTORTUS, a, um. *V.* EXTORQUEO.

EXTRĀ. Ultimam syllabam breviat *Paulin. Nol. carm.* 1. 76. edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 372. Omnibus immixtis extra vel intra regis. — Ceterum *extra* per syncopen pro *extera*, nempe *parte*, ab *exter, exterus*, est *A*) Adverbium; et *B*) Præpositio, quæ Accusativum regit.

A) *Extra*, quum est Adverbium, ἀρχαϊκῶς et *extrad* scribebatur (*V.* infra sub II. 1.); et habet Comp. *Exterius* sub I. in fin. Significat autem extera parte, ἔξω, eique contrarium est *intus* et *intra* (It. *fuori, di fuori*; Fr. *au dehors, du dehors, à l'extérieur*; Hisp. *por de fuera, por fuera*: Germ. *auf der Aussenseite, von aussen, ausserhalb*; Angl. *without, outside of, on the outside*).

I.) Proprie de spatio seu loco usurpatur. — *a*) Cum opposito *intus* vel *intra*. *Varro* 3. *R. R.* 16. 16. Vitiles alvos apium fimo bubulo oblinunt intus et extra, ne asperitate absterreantur. *Cæs.* 3. *B. C.* 69. Veriti, ne angustiis intercluderentur, quum extra et intus hostes haberent. *Cels.* 6. 18. *n.* 7. Si quidquid læsum est, extra est, neque intus reconditum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (98). Ut extra fiat membrana, quod fuerat intus. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 2. Ea tota maceries opere tectorio levigatur extra intraque. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 31. Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 32. 38. (205). Abunde orbe terrarum extra intra indicato. — *b*) Cum aliis oppositis internam partem significantibus, quæ aut reapse exponuntur, aut facile subaudiri possunt. *Cic.* 2. *Fin.* 21. 68. Et in corpore et extra esse quædam bona. *Id. Partit. orat.* 11. 37. Aut in animis, aut in corporibus, aut extra esse possunt. *Id.* 6. *de republ.* 26. Si jam tum animus, quum erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quæ extra erunt, contemplans etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 59. 147. Quod et sensibus et animo ea, quæ extra sunt, percipimus atque comprehendimus. *Id.* 5. *Fin.* 23 *extr.* Si omnia illa, quæ sunt extra (*Græce* τὰ ἔξω), quamquam expetenda, summo bono continerentur. *Quintil.* 1. 10. 48. Sunt extra licet usus bellici. *Id.* 4. 1. 31. Ad causam extra pertinet tempus, locus, habitus. Nihil enim horum est in causa: ad causam tamen pertinet. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 25. (61). Helleborum medetur extra corporis eruptionibus pituitæ etc. *h. e.* externis corporis vitiis. *Id.* 31. *ibid.* 9. 45. (101). Sal extra fauribus illitus. — *c*) Cum Verbis motum significantibus. *Cic. Tim.* 5. Earum quatuor rerum sic in omni mundo omnes partes collocatæ sunt, ut nulla pars hujusce generis excederet extra. *Cels.* 7. 27. Ubi jam nihil tale extra fertur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 37. (117). Quum extra fulgorem spargunt, atque non in se continent. *Quintil.* 5. 12. 4. Ad causam extra arcessitum. *Id.* 5. 11. 41. Extra petita. — *d*) Comp. *Exterius* apud *Colum.* 12. *R. R.* 44. 5. Vasa intrinsecus et exterius crasse picari. *Ovid.* 6. *Met.* 420. Exterius sitæ (urbes) bimari spectantur ab Isthmo.

II.) Translate. ¶ 1. Locum habet in exceptionibus, in quibus occurrit formula *extra quam* et sæpius *extra quam si, eccettuato se.* — *a*) Frequentissime in jure. *Senatuscons. de Bacchan. extr.* VTEI EA BACANALIA, SEI QVA SVNT, EXTRAD QVAM SEI QVID IBEI SACRI EST —, IN DIEBVS X. FACIATIS VTEI DISMOTA SIENT. Cf. *Liv.* 39. 18. Datum deinde consulibus negotium est, ut omnia Bacchanalia diruerent: extra quam si qua ibi vetusta ara aut signum consecratum esset. *Cic.* 1. *Invent.* 33. 56. Si judices. id, quod Epaminondas ait legis scriptorem sensisse, ascribat ad legem, et addat exceptionem hanc: extra quam si quis reipublicæ causa exercitum non tradiderit, patiemini? *Id.* 6. *Att.* 1. 15. Habeo exceptionem ἰσοδυναμοῦσαν, sed tectiorem, ex Q. Mucii edicto Asiatico: extra quam si ita negotium gestum est. ut eo stari non oporteat ex fide bona. *Liv.* 38. 38. Ibi ex decem legatorum sententia fœdus in hæc verba fere cum Antiocho conscriptum est —: Neve navigato citra Calycadnum —, extra quam si qua navis pecuniam portabit. *Ulp. Dig.* 43. 12. 1. § 16. Labeo scribit, non esse dandam exceptionem ei, qui interdicto convenitur; — sed ita excipiendum ait: extra quam si quid ita factum sit, uti de lege fieri licuit. — Et omissa particula *si.* *Cic.* 2. *Invent.* 20. 59. (si sana est lectio). Postulat is, quicum agitur. a prætore exceptionem: extra quam in reum capitis præjudicium fiat. *Liv.* 26. 34. Campanos omnes —, extra quam qui eorum apud hostes essent, liberos esse jusserunt. — *b*) Extra rem juridicam. *Cic.* 1. *de republ.* 6. Illa exceptio cui probari tandem potest, quod negant, sapientem suscepturum ullam reipublicæ partem. extra quam si eum tempus et necessitas coegerit? *Id.* 2. *Invent.* 57. 172. Homines mortales necesse est interire, sine adjunctione: ut cibo utantur. non necesse est, nisi cum illa exceptione: extra quam si nolint fame perire. ¶ 2. De adjectione quoque dicitur, et pro *præterea* occurrit apud *Senec.* 6. *Benef.* 15. Quædam, inquit, pluris sunt, quam venierunt, et ob hoc aliquid mihi extra pro illis, quamvis empta sint, debes.

B) *Extra* (et antique *extrad* sub I.), quum est Præpositio, Accusativum regit, et suo casui fere præponitur (suo casui postposita occurrit apud *Tac.* 13. *Ann.* 47. Ventitabat illuc Nero. quo solutius urbem extra lasciviret). Apud sequioris ævi scriptores etiam cum Ablativo occurrit. *Hygin. de limit.* Extra fano, extra sanctuario. *V. Salmas.* ad *Capitolin. Ver.* 9. Significat autem: It. *fuori, di fuori*; Fr. *hors de, au delà de*; Hisp. *fuera de*; Germ. *ausserhalb. ausser*; Angl. *without*).

I.) Proprie. — 1.°) Stricto sensu de spatio seu loco usurpatur. — *a*) Cum opposita *intra*. *Ennius* 15. *Ann.* 10. Occumbunt multi letum ferroque lapique Aut intra muros aut extra præcipe casu. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 2. 16. Iliacos intra muros peccatur et extra. — *b*) Opposito vel contrario subaudito. *Senatuscons. de Bacchan.* NEVE EXTRAD VRBEM SACRA QVISQVAM FECISE VELET. *Ennius* apud *Non. p.* 39. 5. *Merc.* Quid sic te extra ædes exanimata eliminas? *Cic.* 2. *Legg.* 23. 58. Nostis extra portam Collinam ædem Honoris. *Id.* 2. *de republ.* 4. Et ipsa Pelo

ponnesus fere tota in mari est –; et extra Peloponnesum Ænianes et Dores et Dolopes soli absunt a mari. *Cæs.* 1. *B. G.* 10. Hi sunt extra provinciam trans Rhodanum primi. *Cic.* 5. *Tusc.* 5. 13. Solane beata vita relinquitur extra ostium limenque carceris? *Horat.* 1. *Ep.* 19. 36. Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus. *Id.* 3. *Od.* 4. 10. Extra limen Apuliæ. *Liv.* 38. 8. Extra orbem terrarum. — *c*) Cum Verbis motum significantibus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 68. Imperatores in medium exeunt extra turbam ordinum. *Cic. Quinct.* 10. 35. Certos mihi fines terminosque constituam, extra quos egredi non possim. *Id. ibid.* § 36. Si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi. *Cels.* 6. 7. *n.* 9. Ut extra tabulam non emineat. *Cf. Cic.* 1. *Off.* 39. 140. Cavendum est, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas. *h. e.* præter modum, *fuor di misura.* — 2.°) Sæpe occurrit etiam cum Abstractis, quorum præcipua hic subjiciuntur. *Ter. Heaut.* 2. 3. 57. Magnum hoc quoque signum est, dominam esse extra noxiam. Adde *eumd. Hecyr.* 2. 3. 3. Sic *Liv.* 34. 61. Extra noxam. *Cic.* 7. *Verr.* 51. 134. Esse extra culpam. *senza colpe. Id.* 11. *Att.* 24. 2. Seponi et occultari possint, ut extra ruinam sint eam, quæ impendet. *h. e.* extra periculum belli. *Id. Sull.* 13. 39. Extra conjurationem. *h. e.* non esse ex conjuratis. *Liv.* 38. 9. Ut Cephallenia insula extra jus fœderis esset. *non fosse compresa. Cic. Cæcin.* 32. 94. Id tametsi extra causam est, percurram tamen breviter. *quantunque è fuori di questione.* Sic *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 12. 37. Extra hanc contentionem certamenque nostrum. *et Quintil.* 11. 3. 161. Minus contentionis habent ea, quæ sunt extra quæstionem. *Cic. Prov. cons.* 8. 19., *Cluent.* 31. 85., *Dom.* 8. 18. et 0. *Fam.* 5. 6. Extra ordinem. *straordinariamente. Cæs.* 3. *B. C.* 85. Extra quotidianam consuetudinem. *Plaut. Men.* 1. 3. 1.; *Cic.* 3. *Parad.* 2. 26.; et *Horat.* 1. *Ep.* 18. 59. Extra numerum. *Cic.* 3. *Orat.* 11. 41. Vox extra modum absona. *fuor di modo. Id.* 7. *Fam.* 16. 2. Extra jocum. *fuori di burla, sul serio. Tac.* 1. *Hist.* 49. Ipsi medium ingenium, magis extra vitia, quam cum virtutibus. *senza vizj.* Huc pertinet et illud *Titinii* apud *Non. p.* 95. 2. *Merc.* Desuevi, ne quo ad cœnam iret extra consilium meum. *Forcellinus* hunc locum singulari paragr. distinxit, et *extra* pro *sine* interpretatus est.

II.) Translate. ¶ 1. Aliquando exceptionem significat (*V.* supra sub *A.* II. 1.), et adhibetur pro præter, *eccetto, fuori. Plaut. Amph.* 2. 2. 203. Mi extra unum te mortalis nemo corpus corpore contigit. *Ter. Phorm.* 1. 2. 18. Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam, quisquam aderat. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 66. Optimam progeniem Priamo peperisti extra me. *Cic.* 7. *Fam.* 3. 2. Extra ducem, paucosque præterea, ceteri rapaces, crudeles. *Id.* 5. *Phil.* 19. 53. Vacationem militiæ ipsis liberisque eorum esse placere extra tumultum Gallicum Italicumque. *Liv.* 26. 31. Ipsos et conjuges vendendas, extra filias, quæ etc. *Id.* 8. 32. Ad hæc, quæ interrogatus es, responde: extra ea cave vocem mittas. ¶ 2. Raro additionem significat (*V.* supra sub *A.* II. 2.). *Varro* 1. *R. R.* 18. 3. Quod Cato si voluit, extra familiam debuit dicere villicum et villicam. *in aggiunta alla famiglia.*

EXTRACLŪSUS, a, um, particip. ab inusit. *extracludo*, rejectus, non assignatus, ut Ager, vel locus extraclusus. *Frontin.* apud *Goes. p.* 39. et *Aggenus ibid. p.* 60. Similiter *Hygin. ibid. p.* 189. Extraclusa regio ideo dicitur, quod ultra limites finitima linea cluditur.

EXTRACTŌRĬUS, a, um, adject. qui extrahit. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 50. (87). Vulgaris arundo extractoriam vim habet.

EXTRACTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXTRĂHO, trahis, traxi, tractum, trahere, a. 3. (ex *et* traho). Part. *Extrahens* II. 2.; *Extractus* I. et II. 2.; *Extracturus* II. 2.; *Extrahendus* I. — Extrahere, ἐξέλκω, est extra trahere, educere, evellere, elicere (It. *tirare, trascinare o cavar fuori*; Fr. *tirer de, retirer, faire sortir, extraire*; Hisp. *tirar, sacar a fuera, extraer*; Germ. *herausziehen, hervorschleppen*; Angl. *to draw out, extract*).

I.) Proprie occurrit cum Ablativo rei, ex qua quid extrahitur, et præpos. *ex* vel *de*, aut sine præpos., et interdum etiam cum Dativo, aut absolute. — *a*) Cum Accusativo rei. *Plaut. Rud.* 4. 4. 124. Prius ne me quis inspectaret, quam rete extraxi ex aqua. *Cic. Rosc. Am.* 7. 19. Extractum e corpore telum. *Quintil.* 4. 2. 13. Extrahere gladium e vulnere. *Ovid.* 12. *Met.* 419. telum de vulnere. *Horat. Art. P.* 340. vivum puerum alvo. *Ulp. Dig.* 5. 2. 6. filium exsectu ventre. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 13. 38. (112). Extractæ testis cochleæ. *Id.* 28. *ibid.* 18. 76. (245). et 7. *ibid.* 2. 2. (13). Extrahere spinas, venena corpori. *Sueton. Tib.* 73. Extractus alicui anulus. *Plaut. Rud.* 2. 5. 2. Ut hanc aquam traxi lubens! Nimio minus altus puteus visus est, quam prius. Ut sine labore hanc extraxi! *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 159. Cervices boum natæ ad jugum, tum vires humerorum et latitudines ad aratra extrahenda. — *b*) Cum Accusativo personæ. *Sueton. Vitell.* 10. Extractus e latebra. *Nepos Agesil.* 3. Extrahere copias ex hibernaculis. *Seneca Thyest.* 1. aliquem ab sede infausta inferorum. *Cic. Cluent.* 13. 39. Extrahitur domo latitans Oppianicus a Manlio. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 11. rure extractus in urbem. *Id.* 2. *ibid.* 5. 94. Extrahere aliquem turba oppositis humeris. *Liv.* 26. 13. senatores vi in publicum. *Id.* 6. 29. hostes invitos in aciem. *Seneca Tranquill.* 3. candidatos. *V.* CANDIDATUS.

II.) Translate est extricare, liberare, eripere. — *a*) Mala, quibus quis aut quid liberatur, occurrunt in Ablativo vel raro in Dativo. *Ter. Phorm.* 1. 4. 3. Quæ (*mala*) neque uti devitem scio, neque quo modo me inde extraham. *Id. Hecyr.* 5. 4. 36. Nescis, Parmeno, quantum hodie profueris mihi et ex quanta ærumna extraxeris. *Cic. Sext.* 4. 11. Quum jam Capuam meta Sextius liberasset, urbem senatus atque omnes boni, me duce, ex periculis maximis extraxissent. *Seneca Phœniss.* 5. Inveniam viam, quæ me ab hac vita extrahat. *Ulp. Dig.* 21. 1. 23. § 3. Qui (*servus*) aliquid fecit, quo magis se rebus humanis extrahat, ut puta laqueum torsit, medicamentum pro veneno bibit etc. *Seneca Ep.* 95. *circa med.* Imbecilliores adjuvabit malisque opinionibus extrahet. *Seneca Troad.* 657. Aliquem pœnæ extrahere. *sottrarre.* Et absolute *Nepos Eumen.* 5. Se ac suos omnes extraxit incolumes. — *b*) Aliquando mala in Accusativo occurrunt cum addito Ablativo ejus, qui ab iis liberatur; et extrahere est evellere, delere. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 34. 108. Carneades opinationem et temeritatem ex animis nostris extraxit. Cf. *eumd.* 1. *Nat. D.* 43. 121. Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem. — *c*) Interdum additur finis, in quem quid extrahitur, et est producere, publicare. *Liv.* 39. 16. *ad fin.* Qui (*dii*) ex occultis ea (*scelera*) tenebris in lucem extraxerunt. *Seneca Hippol.* 884. Secreta mentis verberum vis extrahit. ¶ 2. Speciatim usurpatur de tempore; et occurrit — *a*) Cum Nominativo personæ et Accusativo rei, et est in longum trahere, protrahere, *tirare in lungo, portare innanzi. Cic.* 1. *Fam.* 4. 1. Res ab adversariis nostris extracta est variis calumniis. *Liv.* 34. 46. Si videretur ei, maturaret venire: se tergiversando in adventum ejus rem extracturum. *Id.* 4. 41. Usque ad noctem extractum certamen. *Id.* 3. 2. Extractum in tertium annum bellum est. *Tac.* 4. *Ann.* 73. Pugna in posterum extracta. *Id. Germ.* 22. Somnum plerumque in diem extrahunt. *Frontin. Aquæd.* 5. Qui (*Appius Claudius Cæcus*) multis tergiversationibus extraxisse censuram traditur, donec et viam et hujus aquæ ductum consummaret. *Quintil.* 4. 1. 43. Extrahere aliquid in infinitum. *allungare.* — *b*) Cum Nominativo personæ et Accusativo temporis, et est trahendo consumere, transigere, *consumare, passare tirando in lungo. Cæs.* 1. *B. C.* 32. Catone acerrime repugnante et pristina consuetudine dicendi mora dies extrahente. *Id. ibid.* 33. Triduum disputationibus excusationibusque extrahitur. *Id.* 3. *ibid.* 28. Simulatione deditionis extractum primum noctis tempus. *Liv.* 32. 9. Ne, misso e manibus hoste, sine ullo effectu æstas extraheretur. Adde *Cæs.* 5. *B. G.* 22. *Liv.* 38. 44. Et tempus eum morando extracturum diceret. *Senecn* 2. *Benef.* 5. *in fin.* Diem de die extrahere. *Curt.* 10. 2. Protatando aliquantum extraxerant temporis. Adde *eumd.* 8. 14. et alibi sæpe. *Frontin.* 1. *Strateg.* 1. 10. Extrahere simulato morbo aliquantum temporis. *Id. ibid.* 5. 19. conditionibus dies aliquot. *Val. Flacc.* 1. 277. noctem dulci testudine vates Extrahit. — *c*) Absolute. *Liv.* 2. 22. Jam vero eludi atque extrahi se multitudo putare. — *d*) Poetice. *Stat.* 3. *Theb.* 574. Bisseno premit ora die, populumque ducemque Extrahit incertis. *Id.* 1. *ibid.* 322. spes anxia mentem Extrahit, et longo consumit gaudia voto. *h. e.* suspensum tenet et cruciat animum.

EXTRAMEATUS *et* extrumeatus, us, m. 4. actus meandi extra. Vox a Lexico expungenda, occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 85.

EXTRĀMUNDĀNUS, a, um, adject. qui extra mundum est. *Capell.* 1. *p.* 14. Extramundanas petere latitudines. *Id.* 2. *p.* 45. Extramundanas latitudines eum transcendisse cognoverat. *Id.* 9. *p.* 308. Extramundanæ omnes intelligentiæ surrexerunt. *Capell.* quæ hic *extramundana*, alibi, scil. 2. *p.* 43., *ultramundana* vocat. Ceterum e Neo-Platonicorum doctrina hæc explicanda sunt, ut recte monet *Koppius* ad h. l. *Capella* enim Latine reddit Græcum ὑπερκόσμιος, quo Jamblicus et Sallustius philosophus utuntur duo deorum genera distinguentes: ὑπερκοσμίους et ἐγκοσμίους, ut Sallustius; sive, ut Jamblicus, περικοσμίους.

EXTRĀMŪRĀNUS, a, um, adject. qui extra murum est, cui opponitur intramuranus. *Lamprid. Elagab.* 27. Esoleti extramurani et intramurani. *V.* INTRAMURANUS.

EXTRĀNĀTŪRĀLIS, e, adject. ad naturam non pertinens. *Tertull. Anim.* 43. Naturalium et extranaturalium discretio.

EXTRĀNĔĒ, adverb. extranea ratione, adeoque improprie. *Boeth. Aristot. Topic.* 1. 14. *p.* 671. Quare commune in omnibus genus assignantes, arbitrabimur non extranee definire.

EXTRĀNĔO, as, etc. *V.* EXSTERNO, as.

EXTRĀNĔUS, a, um, adject. (extra) extrarius, externus. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Herenn.* 1. 2. Propter aliquam extraneam causam. *Id.* 4. *ibid.* 31. 42. Cognomine quodam extraneo. *Id.* 2. *Invent.* 56. 168. et 59. 177. Utilitas aut in corpore posita est, aut in extraneis rebus. *Plerique tamen leg.* extrariis. *Id. fragm.* apud *Colum.* 12. *R. R. præfat.* (si modo ea *Ciceronis* verba sunt, et non solæ sententiæ). A natura comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam; viri autem ad exercitationem forensem et extraneam. ¶ 2. Speciatim qui ex alia familia est, aut patria, aut gente. *Sueton. Aug.* 69. Filiam extraneorum cœtu adeo prohibuit, ut etc. *Id. Claud.* 4. *extr.* Ne heredem quidem, nisi inter tertios, ac pæne extraneos nuncupavit. *Tac. Agric.* 43. Finis vitæ ejus nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. *Justin.* 1. 10. Ut non tam in extraneum translatum, quam in familiam reversum videretur. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (39). Extranei interventu aut si dormiens spectetur infans.

EXTRĀŎRDĬNĀRĬUS, a, um, adject. qui est extra ordinem, qui præter consuetum morem cursumve rerum fit. *Varro* 2. *R. R.* 4. 28. Extraordinariæ fructuum species duæ accedunt magnæ, quarum una est tonsura, altera de lacte et caseo. *h. e.* præter ordinarium, qui est ex fetibus. *Cæs.* 1. *B. C.* 32. Se nullum extraordinarium honorem appetisse: sed exspectato legitimo tempore consulatus, eo fuisse contentum. *Cic.* 11. *Phil.* 8. 20. At enim C. Cæsari extraordinarium imperium mea sententia dedi: ille enim mihi præsidium extraordinarium dederat. *Id. Brut.* 63. 226. Extraordinaria consulatus petitio. *Id.* 7. *Verr.* 14. 35. Extraordinariæ cupiditates. *et* 3. *ibid.* 39. 100. pecuniæ. *h. e.* quæ nec de reditibus, neque de annonis, neque de aliqua legitima accessione videntur adjectæ, ut ait *Ascon.*, sed ex sordidis lucris et furtis: V. *Klotz* ad h. l. *Liv.* 40. 31. Equites extraordinarii sinistræ alæ. *Id. ibid.* 27. et 34. 47. Extraordinariæ cohortes. *h. e.* alariæ, ex militibus sociorum selectæ, qui erant extra ordinem ac numerum legionum. Vel legionariæ quidem, sed extra legionum aciem, separato ordine dispositæ. *et ibid.* Extraordinaria porta erumpere. *h. e.* prætoria, inquit *Gronov.*, ubi tendebant extraordinarii. Non ideo tamen ita dicta, quia ibi tenderent, sed quia illa porta extra ordinem erumpere jussi sunt, quo robur legionum exire mos erat, non cohortes aliquot extraordinariæ. *Lips.* vult, mendum esse, et *ordinaria* reponi, eamdem prætoriam intelligendo. — *Extraordinaria* a JCtis dicuntur ea, de quibus nihil lege est constitutum, sed eorum cognitio et judicium extra ordinem ad prætorem pertinet, ejusque arbitrio subjicitur. Hinc *titulus* 11. *lib.* 47. *Dig.* De extraordinariis criminibus inscribitur: et *tit.* 13. *lib.* 50. De extraordinariis cognitionibus. *Ulp. Dig.* 47. 20. 3. Coercitio extraordinaria.

EXTRĀRĬUS, a, um, adject. (extra) exterior, ex-

ternus. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 4. 277. Extraria ius oculos pertinget. *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 19. Absoluta judiciali constitutione utemur, quum ipsam rem jure factam dicemus, sine ulla assumptione extrariæ defensionis. *Id.* 2. *Invent.* 56. 168. Utilitas aut in corpore posita est, aut in extrariis rebus. *Al. leg.* extraneis. *Quintil.* 7. 2. 9. Aut in extrariam, aut in ipsius qui periit voluntatem. *Sueton. Vesp.* 5. Canis extrarius e trivio. ¶ 2. Speciatim est alienus, non domesticus, hoc est qui non est ex nostra domo, patria, gente, aut ditione. *Ter. Phorm.* 4. 1. 13. Hanc conditionem si cui tulero extrario. *Al. leg.* extraneo. *Afranius* apud *Non. p.* 103. 11. *Merc.* Extrarium esse ab aliquo. *Quintil.* 7. 4. 9. Sub extrario accusatorem prodesse numquam potest, in domesticis disceptationibus potest. *Al. leg.* extraneo. *Javolen. Dig.* 38. 2. 36. Libertus, præterito patrono, extrarios reliquit heredes. — *Paul. Diac. p.* 78. 16. *Müll.* inter *extrarium* et *extraneum* sic distinguit, ut *extrarius* sit, qui extra focum, sacramentum jusque sit: *extraneus* ex altera terra, quasi *exterraneus.*

EX TRĔCĒNĀRIO *vel* ex trecenario, m. qui in militia fuit trecenarius. *Inscript.* apud *Henzen.* 6767., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 66. M. VETTIO M. F. ANI VALENTI MIL. COH. VIII. PR. PRAEF. PR. DONIS DONATO BELLO BRITAN. TORQVIBVS ARMILLIS PHALARIS EVOC. AVG. CORONA AVREA DONAT. = EXERCITATORI EQVIT. SPECVLATORVM PRAETOR. > . LEG. XIII. GEM. E *trecenario* LEG. VI. VICTOR. DONIS DONATO etc. Adde *aliam* apud *Orell.* 3157., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 208.

EXTRĔMISCO, is, ere, n. 3. idem ac tremisco. Quidam tribuunt *Minucio Octav.* 28., sed plerique leg. *contremiscunt.*

EXTRĔMĪTAS, ātis, f. 3. Id quod in quaque re extremum est; et occurrit — *a*) In singulari numero. *Cic.* 2. *Fin.* 31. 102. Infinitasque regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas. *Id. Tim.* 6. Mundus globosus est fabricatus: quod σφαιροειδὲς Græci vocant: cujus omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 116. Extremitas et quasi libramentum. *h. e.* extima superficies, ἐπιφάνεια. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 14. (73). Extremitas circuli. *Id.* 35. *ibid.* 10. 35. (68). picturæ. Cf. *Petron. Satyr.* 83. Tanta enim subtilitate extremitates imaginum erant ad similitudinem præcisæ, ut crederes, etiam animorum esse picturam. — *b*) In plurali numero. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 30. 35. (187). Extremitates Æthiopiæ. *Id.* 31. *ibid.* 7. 39. (73). Extremitates lacuum tantum increscunt. *Id.* 28. *ibid.* 6. 17. (61). corporis. *Id.* 23. *ibid.* 1. 24. (48). Febrium accessiones cum frigore extremitatum. Adde *Petron. loc. cit.* sub *a.* — Speciatim de vocabulorum terminatione. *Charis.* 1. *p.* 36. *Putsch.* Omnia igitur nomina — non plus quam per duodecim ultimas litteras finiuntur: quinque vocales *a, e, i, o, u*; sex semivocales *l, m, n, r, s, x*; unam mutam *t.* Sequemur ergo has extremitates aut per omnia, aut per ea quæ in quibusdam nominibus sunt: singulisque extremitatibus quæstiones suas et subjiciemus et solvemus.

EXTRĔMO, mis, mŭi, mere, n. 3. idem ac tremo. *Sedul.* 4. 286. Extremuit letale chaos. *Al.* melius *leg.* Et tremuit.

EXTRĔMUS, a, um. *V.* EXTER.

EX TRĬBŪNO, qui tribuni munere functus est. *Inscript.* apud *Orell.* 3385. M. DEDIO EX TRIBVNO MILITAVIT ANN. XL. etc. — In plur. num. *V.* EXPROTECTORIBUS.

EXTRĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXTRĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et tricæ). Part. *Extricatus* I.; *Extricaturus* II. 1. — Extrico est exsolvo, expedio, explico, libero.

I.) Proprie. *Horat.* 3. *Od.* 5. 31. Extricata densis cerva plagis. *Ulp. Dig.* 9. 2. 27. *ad fin.* Si quum maritus uxori margaritas extricatas dedisset in usum, ea invito vel inscio viro perforasset, ut pertusis in linea uteretur. *h. e.* solutas, nullo funiculo colligatas.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro præstare, acquirere, colligere. *Plaut. Epid.* 1. 2. 49. Aliqua ope exsolvam, extricabor aliqua. *Varro* apud *Non. p.* 8. 28. *Merc.* Putas, eos non citius tricas Atellanas, quam id extricaturos? *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 10. De Dionysio tuo adhuc nihil extrico. *Phædr.* 4. 22. Qui magna quum minaris, extricas nihil. *h. e.* magna jactans, pollicitusque, nihil expedis, nihil præstas. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 88. Mercedem aut nummos unde unde extricat. *h. e.* parat, expedit. ¶ 2. Item pro purgare. *Colum.* 3. *R. R.* 11. 3. Silvestris ager etiamsi frutectis, aut arboribus obsessus est, facile extricatur.

EX TRĬĒRARCHO *vel* extrierarchus, i, m. qui trierarchi munere functus est. *Inscript.* apud *Orell.* 3600. D. M. L. DOMITIANI EXTRIERARCH. CLASSIS GERM. — Et in plur. num. *Inscript.* apud *Gruter. p.* 1031. D. M. P. FATAONI AFRODISI EX TRIERARCHIS NAVARC.

EXTRĬLĬDUS, a, um, adject. impavidus, quasi qui extra læsionem est: ab *extra* et *lædo. Gell.* 19. 1. Hominem conspicimus impavidum et extrilidum. Alii *extrilidum* interpretantur exalbidum, timore pallentem. *V.* ipsum Gellii locum. Alii denique ipsam lectionem sollicitant.

EXTRINSECUS, adverb., quod effictum videtur ab antiqua forma *extrim*, quæ ab adject. *exter, exterus*; et est ἔξωθεν, extra seu potius ab externo (*It. dall' esterno, dal di fuori*; *Fr. venant du dehors, de l'extérieur*; *Hisp. por fuera*; *Germ. von aussen her, von ausserhalb*; *Angl. from without, on the outside, extrinsically*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 48. Si qui tremerent vel ipsi per se motu mentis aliquo, vel objecta terribili re extrinsecus. *Id.* 2. *Orat.* 78. 318. Hæc in dicendo non extrinsecus alicunde quærenda, sed ex ipsis visceribus causæ sumenda sunt. Cf. *Quintil.* 7. 4. 7. Factum per se improbabile assumptis extrinsecus auxiliis tuemur. Adde *Cic.* 2. *Orat.* 39. 163. *Lucret.* 1. 528. Hæc (*corpora*) neque dissolvi plagis extrinsecus icta Possunt. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 40. 125. Irrumpunt extrinsecus in animos nostros per corpus imagines, nobis dormientibus. *Id.* 2. *Nat. D.* 54. 136. Quum pulmones et cor extrinsecus spiritum adducant. *Id.* 2. *Divinat.* 27. 58. Humor allapsus extrinsecus. *Id.* 2. *ibid.* 11. 26. Naturale genus divinandi, quod animus arriperet aut exciperet extrinsecus ex divinitate. *Id.* 2. *ibid.* 50. 103. Quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus. *Liv.* 2. 32. Sine ullo metu extrinsecus imminentis belli. *Cels.* 5. 26. Quum quid extrinsecus læsit, ut in vulneribus: quum quid intra seipsum corruptum est, ut in cancro. *Seneca Ep.* 33. Extrinsecus auscultare. *ascoltar dal di fuori, stando di fuori.*

II.) Improprie. ¶ 1. Extrinsecus est ab vel in exteriori parte, *esteriormente*: quo sensu eidem opponitur *intrinsecus, intus, introrsus*, ut apud *Cels.* 4. 1. Jecur intrinsecus cavum, extrinsecus gibberum. *Colum.* 2. *R. R.* 9. 13. Extrinsecus albidum, intus candidum. *Seneca Tranquill. anim.* 10. Sed sciamus, omnia æque levia esse, extrinsecus diversas facies habentia, introrsus pariter vana. — Ceterum *Cic. Tim.* 6. Deinde quum animum circumdedit corpore et vestivit extrinsecus. Cf. *Varro* 7. *R. R.* 1. 79. Ut facilius obscuram operam Myrmecidis ex ebore oculi videant, extrinsecus admovent nigras setas. et *Sueton. Vesp.* 12. Adeoque nihil ornamentorum extrinsecus cupide appetivit. Rursus *Cic.* 1. *Divinat.* 24. 48. Hannibalem, quum columnam auream auferre vellet dubitaretque, utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perterebravisse. *Id.* 5. *Fin.* 14. 39. Et nunc quidem, quod eam tuetur, ut de vite potissimum loquar, est id extrinsecus. *Apul. de Mundo.* Extrinsecus singuli custodes locorum erant et janitores et atrienses. ¶ 2. Est etiam extra rem, *fuori di proposito*, apud *Colum.* 1. *R. R.* 6. 17. Hæc etsi extrinsecus, non tamen intempestive videor hoc loco retulisse. ¶ 3. Item pro præterea. *Eutrop.* 9. 25. Pulso Narseo castra ejus diripuit, uxores, sorores, liberos cepit, infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem. ¶ 4. Adjective. *Tertull. Pall.* 1. Pallium extrinsecus habitus, et ipse quadrangulus extrinseco. Sed non est imitandus.

EXTRĪTUS, a, um. *V.* EXTERO.

EXTRO, as, are, n. 1. exeo, apud veteres. *Afranius* apud *Non.* 104. 21. *Merc.* Simul limen intrabo, illi extrabunt illico. Cf. INTRO, as.

EXTROMEATUS. *V.* EXTRAMEATUS.

EXTRORSUM *et*

EXTRORSUS, adverb. (extra *et* versus) in locum exteriorem. *Charis.* 2. p. 168. *Putsch.* Adverbia in locum, ut *quo* —, *foras, introrsum, extrorsum, sinistrorsum, retrorsum.* Eadem et per *s* litteram extremam efferuntur, ut *extrorsus, sinistrorsus,* et cetera. *Gloss. Cyrill.* Εἰς τὸ ἔξωθεν, extrorsum.

EXTRUCTĬO. *V.* EXSTRUCTIO.

EXTRUCTUS. *V.* EXSTRUCTUS.

EXTRŪDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (ex *et* trudo). Part. *Extrusus* I. et 3. — Extrudo est extra trudo, per vim expello, compello aliquem celeriter proficisci, quadam vi et veluti manu adhibita. ¶ 1. Stricto sensu de hominibus. *Plaut. Aulul.* 1. 1. 5. Me extrusisti ex ædibus. *et* 31. Decies die uno sæpe extrudit ædibus. *Ter. Eun.* 4. 5. 11. Extrudere aliquem foras. *Id. Hecyr.* 1. 2. 98. Eo invitum Pamphilum extrusit pater. *Cic.* 7. *Verr.* 15. 38. Domo aliquem extrudere. *Id.* 2. *Orat.* 58. 234. Non nimis liberale hospitium meum dices; nam te in viam, simul ac perpaulum gustaris, extrudam et ejiciam. *Id.* 10. *Phil.* 5. 10. Extrudi a senatu in Macedoniam. Cf. *eumd.* 16. *Att.* 2. 4. *Id.* 14. *Fam.* 6. Pollicem, si non est profectus, quamprimum fac extrudas. Adde *eumd.* 1. *ad Brut.* 14. *Tac. Agric.* 33. A latebris suis extrusi hostes. ¶ 2. Latiori sensu de inanimis. *Lucret.* 6. 693. Extruditque (*Ætna*) simul mirando pondere saxa. *Cæs.* 3. *B. G.* 12. Mare aggere ac molibus extrudere. *Mela* 7. 9. Eubœa ad meridiem promontorium Geræston et Caphærea extrudit. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 10. Multa fidem promissa levant, ubi plenius æquo Laudat venales, qui vult extrudere, merces. *h. e.* cupido vendere, et quasi invitis emptoribus distrahere. ¶ 3. De abstractis. *Lucret.* 3. 978. Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas.

EXTRUO. *V.* EXSTRUO.

EXTRŪSUS, a, um. *V.* EXTRUDO.

EXTŪBĔRASCO, is, ere, n. 3. idem quod extubero. Part. *Extuberascens* apud *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (edente *A. Mai*) 1. 29. Eminentias quinque, quibus in cetero æquore extuberascentibus decus urbis est maximum.

EXTŪBĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. caro ex morbida causa alicubi in corpore excrescens. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (104). Luxatis imponitur sal cum farina et melle: item extuberationibus.

EXTŪBĔRO, as, āvi, ātum, are, 1. (ex *et* tuber). Part. *Extuberans* sub *A*; *Extuberatus* sub *B.* — Extuberare est verbum *A*) Neutrum, et *B*) Activum vel causativum.

A) Neutrorum more extubero est intumesco, excresco. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 16. 56. (96). Radice foliosa, ex qua media veluti malum extuberat. *Id.* 37. *ibid.* 8. 33. (110). Gemma oculi figura extuberans.

B) Active ponitur pro tumescere facio. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 4. Defert montes, subrigit plana, valles extuberat. *Ammian.* 22. 15. Aviditate nimia extuberatus venter. *Id.* 25. 10. Extuberato capite periisse fertur succensione prunarum immensa. Cf. *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 6. *Solin.* 27. *circa med.* Enormi corpulentia extuberatus.

EXTŪLO, is, dicebant antiqui pro extra fero. Itaque legunt nonnulli in *Plaut. Most.* 1. 2. 41. Extulunt, parant sedulo, *etc.* Alii *extollunt.*

EXTŪMĔO, es, ere, n. 2. tumeo, vel valde tumeo. *Plaut. Truc.* 1. 2. 97. Uterum illi numquam extumere sensi.

EXTŪMESCO, is, ere, n. 3. idem quod extumeo.

I.) Proprie. Occurrit tantum Part. *Extumescens* apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (69). Smaragdi extumescentes. *Codices fere omnes ita leg.*; *at Bamberg. habet* intumescentes, *quam lectionem* Sillig. *in textum recepit.*

II.) Translate. *Donatus de trag. et com. ante med.* Terentianæ fabulæ eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abjiciantur ad mimicam vilitatem.

EXTŪMĬDUS, a, um, adject. idem ac tumidus. *Varro* 1. *R. R.* 51. 1. Aream potissimum rotundam, et mediam paullo extumidam.

EX TUNC, adverb. ex illo tempore. *Apul.* 7. *Met.* Ex tunc pœnæ reservatus. Alii melius leg. *Extremæ pœnæ.* Adducunt quidam locum *Val. Max.* 1. 5. *in fin.*, sed ibi *et tunc* est legendum. Occurrit tamen apud *Vulgat. interpr. Psalm.* 75. 8. et 92. 2., *Esai.* 16. 13. et alibi.

EXTUNDO, tundis, tūdi, tūsum, tundere, a. 3. (ex *et* tundo). Part. *Extundendus* II. 1. — Extundere, ἐκκόπτειν, occurrit tantum apud Poetas vel antiqui et serioris ævi scriptores, numquam vero apud *Cic.* et *Cæs.*; et est tundendo expellere, excutere (*It. cacciar fuori battendo*; *Fr. faire sortir en frappant*; *Hisp. sacar á fuera cascando, golpean-*

do; Germ. *herausschlagen, - treiben*; Angl. *to beat, hammer, or force out*).

I.) Proprie. *Phædr.* 1. 21. calcibus frontem extudit. *Al. leg.* exterit. *Seneca* 5. *Controv.* 33. Alium distorquet, alium delumbat, alterius deminutas scapulas in deforme tuber extundit. *Cels.* 4. 4. n. 5. Frequens tussis sanguinem quoque extundit. Huc referri potest et illud *Auct. Paneg. ad Pis.* 164. Illo dulce melos Nereius extudit heros Pollice, terribilis quo Pellas ibat in hostem. *h. e.* chelyn pulsando elicuit sonum.

II.) Translate. ¶ 1. Quum de bonis agitur — *a*) Sumitur pro tundendo, hoc est precibus instando, aut alia quapiam ratione obtinere, extorquere ab invito, *ottenere a stento, cavare a forza di preghiere, per importunità.* — Cum Accusativo rei, quæ obtinetur. *Plaut. Most.* 1. 3. 63. Eumdem animum oportet nunc mihi esse gratum, ut impetravi, atque olim, priusquam id extudi, quum illi subblandiebar. *Sueton. Vesp.* 2. Latum clavum diu aversatus est, nec, ut tandem appeteret, compelli, nisi a matre, potuit. Ea demum extudit magis convicio, quam precibus vel auctoritate. — Sequente part. ut. *Val. Max.* 1. 4. n. 4. Corvi duo in os ejus adversum, velut iter impedientes, advolaverunt; vixque extuderunt, ut domum rediret. *Id.* 5. 2. n. 10. Perseveranti postulatione extuderunt, ut etc. — Cum Accusativo personæ. *Quintil.* 1. 3. 6. Quosdam continet metus, quosdam debilitat: alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit. *h. e.* extorquet, exprimit: ab iis, ut litteras addiscant. — *b*) Item pro excutere inveniendi causa, studiose quærere, explicari, excogitare, *trovar fuori.* *Virg.* 4. *G.* 315. Quis deus hanc, Musæ, quis nobis extudit artem? *Id. ibid.* 326. hunc vitæ mortalis honorem, Quem mihi vix frugum et pecudum custodia solers Omnia tentanti extuderat etc. *h. e.* pepererat, comparaverat. *Gell.* 17. 20. Eloquentiæ unius extundendæ gratia Athenas venisse. *h. e.* acquirendæ, addiscendæ. Huc pertinet et illud *Tac. Dial. de orat.* 9. Ut quum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extudit et elucubravit, rogare ultro cogatur, ut sint qui dignentur audire. *h. e.* multiendo fecit, confecit: nos *Veneti* vulgo dicimus *ha buttato fuori.* ¶ 2. Quum de malis agitur, extundere est expellere. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 11. Quum labor extuderit fastidia. *Bentlejus* perperam *extulerit* legit.

EXTURBĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXTURBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et turbo). Part. *Exturbans* et *Exturbatus* I.; *Exturbandus* II. — Exturbare, ἐξωθέω, ἐκβάλλω, est per vim ejicere, expellere, excutere (It. *cacciar fuori, scacciare*; Fr. *faire sortir de force, repousser, chasser, bannir*; Hisp. *echar fuera, rempujar*; Germ. *stürmisch heraustreiben, verstossen, verjagen*; Angl. *to drive or thrust out*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo personæ et — Ablativo loci cum præpos. *ex*. *Plaut. Trin.* 1. 2. 100. et 2. 4. 200. Eum, nos, exturbasti ex ædibus. *Cic. Sull.* 25. 71. Exturbare homines e possessionibus. *Id. Mur.* 22. 15. hominem e civitate. *Id.* 2. *leg. Agr.* 31. 84. Exturbare et expellere plebem ex agris. Cf. *eumd. Cluent.* 5. 14. Expulsa atque exturbata filia. et *Id. Quinct.* 15. 49. Exturbare quempiam ex numero virorum. — Cum Ablativo loci sine præpos. *Plaut. Trin.* 3. 3. 76. Cunctos exturba ædibus. *Accius* apud *Non. p.* 14. 27. *Merc.* Extorris regno, exturbatus mari. *Cic.* 6. *Verr.* 30. 67. Antiochus præceps provincia exturbatus. *Id. Rosc. Am.* 8. 23. Nudum ejicit domo, atque focis patriis diisque penatibus præcipitem *Sextum* exturbat. *Id. Quinct.* 31. 95. Exturbari fortunis omnibus. *h. e.* spoliari. — Absolute. *Plaut. Trin.* 4. 3. 77. Nos exturbavit foras. Cf. *Ovid.* 15. *Met.* 175. cæde nefanda Exturbare animas. *h. e.* ex corporibus ejicere. — *b*) De inanimis. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 168. Non ego homo trioboli sum, nisi ego illi mastigiæ exturbo oculos atque dentes. *Catull.* 61. 108. Pinus radicitus exturbata. *Ascon. argum. Milonianæ p.* 33. *Bait.* Milo exturbari tabernam jussit. *h. e.* dejici, everti, *buttar giù le porte.* At *Madvigius* eumque secutus *Baiter.* rectius leg. *Clodium vulneratum exturbari taberna jussit.* *Plin.* 20. *Hist. nat.* 10. 42. (109). Radix ex vino pota calculos quoque exturbat. *Sil. It.* 16. 182. Oculus offusis nervo exturbante sagittis.

II.) Translate. *Plaut. Curc.* 2. 1. 8. Ausculteś mihi atque istam exturbes ex animo ægritudinem. Sic *Justin.* 14. 3. Exturbare ex animo facti memoriam. *Tac.* 11. *Ann.* 12. Messalina in Silium ita exarserat, ut Juniam matrimonio ejus exturbaret, vacuoque adultero potiretur. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 4. 4. Multa convenerunt, quæ mentem exturbarent meam. *h. e.* de statu dejicerent. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *sub fin.* Cicero judicium suum tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio. *Plaut. Most.* 4. 3. 38. ST. Numquid Tranio turbavit? TH. Immo exturbavit omnia. *Stat.* 1. *Theb.* 441. Exturbare odiis tranquilla silentia noctis. *Forcellinus* postrema hæc duo loca singulari paragrapho distinxit, et exturbare interpretatus est valde turbare, miscere, perturbare, *mettere in confusione.*

EXTUSSĬO *vel* etussio, is, ĭtum, ire, n. 4. (ex et tussio). Part. *Extussiens* et *Extussitus.* — Extussio est tussiendo aliquid ejicere. *Cels.* 2. 8. *a med.* Vomicam excitat, sic ut extussiatur. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 3. 35. (72). Sanguinem ejicientibus, et suppurata extussientibus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 16. Singula etiam extussita de pulmone venire manifestum est. *Id.* 5. *Tard.* 10. Quo liquida et purulenta etussientur.

EXŪBĔRANS, antis. *V.* EXUBERO.

EXŪBĔRANTĬA, æ, f. 1. exuberatio. *Gell.* 2. 26. Phœniceus color exuberantiam splendoremque significat ruboris. *Id.* in titulo *c.* 7. *l.* 8. Exuberantia memoriæ.

EXŪBĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. abundantia. *Vitruv.* 1. 4. Exuberationibus, aut defectionibus laborare. *Theod. Priscian.* 4. *ad fin. p.* 317. ed. *Ald.* Atque ex ipsa (*fellis*) exuberatione facta, aliud ad vesicam, aliud ad oculos, aliud ad superficiem totius corporis effundi.

EXŪBĔRO, as, are, 1. (ex et ubero). Part. *Exuberans* sub *A*; *Exuberandus* sub *B*. — Exuberare est *A*) Neutrum, et *B*) Activum, sed raro admodum.

A) Neutrorum more exubero est superabundo. *Virg.* 2. *G.* 516. pomisque exuberat arbor. et 1. *ibid.* 191. luxuria foliorum exuberat umbra. *Id.* 7. *Æn.* 465. alte spumis exuberat amnis. *Tac. Dial. de orat.* 30. Ex multa eruditione, ex pluribus artibus exundat et exuberat eloquentia. *Colum. proœm.* 24. In Asia Mysiaque densa et glutinosa terra maxime exuberat. *Sueton. Cal.* 10. Luctum exuberat. *Val. Flacc.* 3. 234. sanguis exuberat ulna. *h. e.* abunde exit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (228). Fons increscens ad medium noctis exuberat, ab eo rursus sensim deficit. *Gell.* 7. 22. Luxuriare et exuberare. — Hinc Part. præs.

Exuberans, antis, adjective quoque usurpatur, unde Sup. *Exuberantissimus*, et est uberius abundans. *Pacuvius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 18. *Müll.* Calydonia altrix terra exuberantium virum *h. e.* multorum: vel fortium, magnorum, illustrium, virtute exuberantium. At *Müllerus* pro *exuberantium* rectius legit *exsuperantum*, h. e. exsuperantium: V. *Exsuperans* in fin. v. EXSUPERO. *Gell.* 3. 9. Vigoreque et colore exuberantissimo. *Lactant.* 4. 29. Fons exuberans.

B) Active raro admodum occurrit. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 2. Materiam meliorem vindemiis exuberandis. *h. e.* vindemiis uberibus reddendis. *Id.* 9. *ibid.* 1. 5. Quæ favorum ceras exuberant. *h. e.* uberes reddunt.

EXUCCUS. *V.* EXSUCCUS.

EXUCTUS. *V.* EXSUCTUS.

EXŪDO. *V.* EXSUDO et ESUDATUS.

EXŪGO. *V.* EXSUGO.

EXUL cum derivatis. *V.* EXSUL.

EXULCĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. plaga.

I.) Proprie. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 8. (17). Et intaneorum vesicarumque exulcerationibus. *Cels.* 1. 22. Si nulla exulceratio est.

II.) Translate. *Seneca Consol. ad Helv.* 1. Verebar, ne hæc non consolatio, sed exulceratio esset. *h. e.* doloris renovatio.

EXULCĔRĀTŌRĬUS, a, um, adject. exulcerandi vim habens. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 64. (126). Exulceratoria medicamenta.

EXULCĔRĀTRIX, īcis, f. 3. quæ exulcerat. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 80. (105). Vis ei septica et exulceratrix.

EXULCĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXULCĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (ex et ulcus). Part. *Exulceratus* I. et II.; *Exulcerandus* I. — Exulcero est ulcus induco.

I.) Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 9. 14. *de canib.* Perungunt aures et inter digitos, quod muscæ et ricini et pulices solent ea exulcerare. *Cels.* 3. 21. *a med.* Ferramentis candentibus venter exulcerandus est. *Id.* 4. 16. Cutis exulcerata. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 90. (112). Polyanthemum caustica vi exulcerat cicatrices. *Id.* 28. *ibid.* 13. 54. (196). Exulceratus stomachus. *Id.* 23. *ibid.* 2. 32. (66). Fæx aceti panos discutit nondum exulceratos. *Colum.* 7. *R. R.* 9. 5. Exulcerare vulvas. — Absolute. *Cels.* 4. 15. Omnis agitatio exulcerat.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Orat.* 75. 303. Cur aut adversariorum adjumenta confirmant, aut ea, quæ sanare nequeunt, exulcerant? *Id. Brut.* 42. 156. Ut ea non modo non exulcerare vestram gratiam, sed etiam conciliare videatur. Cf. *Plin.* 1. *Ep.* 12. Exulcerare dolorem. Rursus *Cic. Dom.* 11. 28. Tot suspicionibus certorum hominum et scelere exulceratus. *Id. Dejot.* 3. 8. Ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. *Id.* 1. *Fam.* 1. 4. Ut in rebus ab ipso rege et ab intimis Pompeji clam exulceratis, deinde palam a consularibus exagitatis et in summam invidiam adductis; ita versamur. *Liv.* 19. 14. Ira exulceratos ignominia stimulabat animos. *Petron. Satyr.* 141. Cetera, quibus exulceratæ mentes ad sanitatem revocantur. *h. e.* ægræ, afflictæ, mærentes.

EXULO. *V.* EXSULO.

EXULTO cum derivatis. *V.* EXSULTO.

EXŬLŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

EXŬLŬLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (ex et ululo). Part. *Exululans* sub init.; *Exululatus* in fin. — Exululo est valde ululo. *Ovid.* 1. *Met.* 233. nactusque silentia ruris Exululat, frustraque loqui conatur. *Val. Flacc.* 8. 171. Sic genitrix, similique implet soror omnia questu, Exululans. *Sil. It.* 12. 598. sparsæque solutis Crinibus exululant matres. — Hinc part. præter.

Exululatus, a, um, ¶ 1. Deponentis forma est qui exululat. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 41. Usque suum Bacchis non sentit saucia vulnus, Dum stupet Edonis exululata jugis. ¶ 2. Passive est ululando clamatus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 507. Ista jube faciant, quorum Cybeleia mater Concinitur, Phrygiis exululata modis.

EXUNCTUS, a, um. *V.* EXUNGO.

EXUNDANTĬA, æ, f. 1. exundatio, supereffluentia. *Ambros.* 2. *Hexæm.* 1. In quo (*die*) conditum cœlum, terram creatam, aquarum exundantiam, circumfusum aerem — cognovimus.

EXUNDĀTĬO, ōnis, f. 3. supereffluentia. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 13. (37). Nisi exundatione fluminum inverto semine a Tiaris.

EXUNDO, as, āvi, are, a. (ex et undo). Part. *Exundans* sub *A.* II. — Exundare occurrit *A*) Neutrorum more, et *B*) Active.

A) Neutrorum more exundare est extra undare, abunde fluere.

I.) Proprie usurpatur de liquidis. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 6. Rivis, per quos exundat piscina, præligantur ænei cancelli. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (229). Fons a tertia noctis hora in sextam exundat. *Seneca Agamemn.* 222. Alto sanguine exundans solum. *et* 903. Trunco cruor exundat. *Tac. Germ.* 45. Tura balsamaque in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in proxima litora exundant. *h. e.* fluunt, feruntur, exeunt in litus.

II.) Translate. *Juvenal.* 10. 119. Exundans ingenii fons. Cf. *Sil. It.* 14. 62. Exundat flammarum torrens. *Tac. Dial. de orat.* 30. Exundat et exuberat eloquentia. *Seneca Œdip.* 924. Mersus alte magnus exundat dolor. et *Med.* 402. Exundat furor. *Senec.* 1. *Ira* 7. Temperare iram: eoque detracto, quod exundat, ad salutarem modum cogere. *Sil. It.* 3. 314. In Lybiam dirum fluxisse cruorem: Inde Medusæis terram exundasse chelydris. *Id.* 5. 156. Spiritus exundans perflavit campum. *h. e.* morientis anima exiens. *Stat.* 12. *Theb.* 431. exundant diviso vertice flammæ.

B) Active, seu cum Accusativo. *Sil. It.* 2. 630. densum qua turbine nigro Exundat fumum piceus caligine vertex. *Al. leg.* Exundat fumans.

EXUNGO, ungis, unctum, ungere, a. 3. (ex et ungo). Part. *Exunctus.* — Exungo est valde ungo.

Plaut. Rud. 2. 7. 21. Exuas tu, an exungare, ciccum non interduim. Id. Trin. 2. 4. 5. Quid factum est eo (argento)? Comesum, expotum, exunctum, elotum in balneis. h. e. unguentis emendis absumptum.

EXUNGUIS, e, adject. qui ungue caret. Tertull. Pall. 5. Muræna bestia edentula et exunguis et excornis.

EXUNGŬLO, as, āvi, are, n. 1. (ex et ungula) ungues amitto. Veget. 3. Veterin. 57. 1. Schneid. Si exungulaverit jumentum. — Active pro ungues auferre affertur locus ex Plaut. Truc. 2. 2. 57., sed ibi legendum est sexungula, quam vocem V. suo loco.

EXŬO, uis, ui, ūtum, uere, a. 3. Quod ad etymon attinet, juxta Forcellinum est ab ἐκδύω, quasi exduo, ut Voss. docet et probat Cellar. (confirmatque vox Exdutus pro exutus apud Paul. Diac.; V. EXDUTUS): opponitur autem τῷ induo, quod ab ἐνδύω subeo. Sunt, qui minus recte ab ex et suo ducunt, et exsuo scribunt. — Part. Exuens II. 2.; Exutus I., II. 1. et 2.; Exuendus II. 2. — Exuere, ἀποδύω, ἐκδύω, est indumenta, aut quidpiam aliud corpori adhærens detrahere, aut deponere, spoliare (It. spoliare; Fr. dépouiller; Hisp. despojar; Germ. ausziehen, abziehen, abthun, entblössen; Angl. to strip off, put off).

I.) Proprie occurrit — a) Cum Accusativo vestis, vel rei, quæ exuitur, cum addito interdum Ablativo vel etiam Dativo ejus, e quo exuitur. Plaut. Men. 1. 3. 16. Si non saltas, exue igitur. scil. pallam. Lucret. 4. 59. quum lubrica serpens Exuit in spinis vestem. Apul. 1. Met. Exuere manticam humero. Ovid. 2. Met. 419. pharetram humero. Poetice Stat. 9. Theb. 287. Sed miseratur equum, magnoque a vulnere telum Exuit. h. e. extrahit, educit, tira fuori, cava. Sic Id. ibid. 76. Exuere vagina ensem. snudare il ferro. Ovid. Heroid. 13. 147. clipeum alicui. Id. ibid. 7. 773. jamdudum vincula pugnat Exuere ipse sibi. Liv. 35. 17. jugum. Virg. 1. Æn. 693. Amor exuit alas. Id. 5. ibid. 421. Trojanus exue cæstus. Huc referri potest et illud Ovid. 9. Met. 52. Exuere amplexus. sbrigarsi, cavarsi, liberarsi. — b) Cum Accusativo membrorum vel personæ, quæ exuuntur, addito sæpe Ablativo vestis vel rei, qua exuuntur. Horat. Epod. 17. 15. Setosa duris exuere pellibus membra. Virg. 5. Æn. 423. Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque Exuit. Id. 2. ibid. 153. Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas. Martial. 14. 109. Exuere digitos. scil. anulis. Sueton. Ner. 32. Veste aliquem exuere. Martial. 10. 4. Exutus puer pennis labentibus. h. e. Icarus. Huc referri potest et illud Ovid. Medic. faciei 51. hordea Exue de palea tegminibusque suis. netta, purga, spoglia. Item illud Martial. 9. 60. mensas et opertos exuit orbes. h. e. detexit, scoprì. Ceterum Cic. 7. Verr. 58. 151. Exuere se ex laqueis. Liv. 34. 13. se jugo. — Passive et Græca constructione. Virg. 4. Æn. 518. Unum exuta pedem vinclis. Ovid. 7. Met. 317. minuuntur corporis artus, Cornuaque exuitur necnon cum cornibus annos. Stat. 11. Theb. 460. vittis exuta comam. Id. 9. ibid. 163. Exutus canus lacero diademate crines. — Insignis est hypallage in illo Ovid. Heroid. 9. 111. hirsuti costas exuta leonis Aspera texerunt vellera molle latus. h. e. vellera detracta costis leonis. Usitata hypallage erat, costæ exutæ vellera.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de personis pro spoliare, privare; et occurrit — a) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei. Cæs. 3. B. G. 6. Omnibus hostium copiis fusis armisque exutis se in castra recipiunt. Sic Sall. Jug. 93.; Liv. 34. 28.; et Virg. 11. Æn. 395. Exuere hostem armis. Cæs. 7. B. G. 14. et 42.; et Curt. 4. 15. hostem impedimentis. Sall. fragm. epist. Mithrid. classe. Liv. 31. 42., 41. 3. et 41. 12.; et Vellej. 1. 9. 4. hostem castris. Flor. 3. 1. Hostis exutus urbibus. Tac. 13. Ann. 39. Exuere hostem sedibus. cacciarlo dal suo paese. Id. 14. ibid. 31. aliquem avitis bonis. Sueton. Gramm. 11. Exutus patrimonio. Tac. 16. Ann. 33. Omnibus fortunis exutus. Sall. fragm. in orat. Lepidi. Exutus imperio, gloria. Cf. Stat. 4. Silv. 3. 50. Hi cædunt nemus exuuntque montes. h. e. spoliant arboribus. — Illud quoque eleganter translatum est Liv. 2. 23. Primo se agro paterno avitoque exuisse, deinde fortunis aliis. h. e. divendendo agro æris alieni causa. — b) Absolute. Tac. 1. Ann. 2. Pompejus apud Siciliam oppressus exutoque Lepido, interfecto Antonio. h. e. Lepido spoliato auctoritate et potentia. ¶ 2. De re et est deponere, abjicere, removere, deporre, spogliarsi, rimuovere; et occurrit. — a) Cum Accusativo rei, quæ abjicitur. Cic. Ligar. 5. 14. Si clamare cœpisses, Cæsar, cave ignoscas, cave te fratrum misereatur: nonne omnem humanitatem exuisses? Sic Id. 13. Att. 2. 1. Sed jam ad ista obduruimus et humanitatem omnem exuimus. Seneca Ep. 90. a med. Sapientia vanitatem exuit mentibus. h. e. removet, detrahit, expellit. Cf. Juvenal. 13. 188. Paullatim vitia atque errores exuit omnes Prima docens rectum sapientia. Ovid. 11. Met. 777. Exuere animam. morire. Cf. Plin. 35. Hist. nat. 11. 40. (139). Herculem ab Œta monte Doridos exuta mortalitate consensu deorum in cælum euntem. Sillig. ex Codice Bamberg. et aliis leg. exusta, quod placet. Juvenal. 11. 188. ante meum, quidquid dolet, exue limen. Quintil. 12. 10. 76. illum exuant mentitum colorem. Virg. 2. G. 51. Exuere silvestrem animum. Ovid. 3. Amor. 4. 43. vultus severos. Id. 3. Fast. 281. feritatem. Liv. 27. 8. mores antiquos. Id. 31. 7. ad fin. servitutem. Ovid. 2. Art. am. 241. fastus. Id. 1. Met. 622. metum omnem. Martial. 10. 39. curas. Petron. Satyr. 122. in carm. moras omnes. togliere ogni indugio. Tac. 6. Ann. 25. vitia. Virg. 1. Æn. 319. exue mentem. deponi il pensiero. Sil. It. 7. 496. mente monita. Tac. 3. Ann. 17. Exuta dignitas. Id. 12. ibid. 11. Exuendam ad fidem hostes enercati. per mutar casacca. Id. 1. ibid. 75. virtutes. Id. 6. ibid. 8. amicitiam alicujus. Id. 3. Hist. 5. jus fasque. Id. 13. Ann. 13. obsequium in matrem. Id. 11. Ann. 19. jussa. disobbedire. Id. 4. ibid. 72. pacem. romper la pace. Id. 6. ibid. 43. pacta. non istare al pattuito. Id. 13. ibid. 44. promissa. mancar di parola. Id. 5. Hist. 5. patriam. scordarsi, deporre ogni affetto della patria. Cic. 5. Fin. 12. 35. Fugere plane se ipse, et hominem ex homine exuens, naturam odisse videatur. Tac. 14. Ann. 52. Finitam Neronis pueritiam et robur juventæ adesse. Exueret magistrum satis amplis doctoribus instructus. lasciasse da parte, non badasse. — b) Passive cum Accusativo more Græcorum. Martial. 5. 7. exuta est veterem nova Roma senectam. Sil. It. 6. 100. Exutus senium. Id. 5. 15. castumque exuta pudorem. h. e. quæ abjecit. — c) Sequente Infinito. Cic. 3. Nat. D. 3. 7. Mihi quidem ex animo exui non potest, esse deos. non mi si può cavar di testa, che non si diano dei. Sic plerique leg. ex conjectura; Forcellinus vero exuri, quod translatum sit pro delere, tollere. ¶ 3. Interdum ponitur pro liberare. Cic. 5. Tusc. 25. 70. Mens exuta vitiis. Plerique tamen aliter legunt. Seneca Ep. 11. Exuere se omnibus vitiis.

EXURDO. V. EXSURDO.

EXURGEO, es, ere, a. 2. exprimo, elicio: ductum a spongia, quæ ut humorem reddat, urgetur et comprimitur. Plaut. Rud. 4. 3. 69. Ego te, itidem quasi peniculus novus exurgeri solet, exurgebo quidquid humoris tibi est. Cato R. R. 156. In linteum exurgeto succum. Al. et ipse Schneider. leg. exsugeto. V. EXSUGO.

EXURGO. V. EXSURGO.

EXŪRO, uris, ussi, ustum, ūrere, a. 3. (ex et uro). Part. Exurens II.; Exustus II. 1. et 2.; Exusturus II. 1. — Exurere, κατακαίω, est idem quod urere, aut valde et ex omni parte urere, perurere (It. abbruciare intieramente; Fr. brûler complétement, embraser, incendier; Hisp. quemar, abrasar totalmente; Germ. zu Ende —, völlig verbrennen; Angl. to burn, set on fire).

I.) Proprie. Cic. 3. Verr. 27. 70. Domi suæ vivos exustus est. Id. pro leg. Manil. 2. 5. Exurere vicos complures. Auct. B. Afr. 26. Villas exuri, agros vastari, pecus diripi. Virg. 1. Æn. 43. Exurere classem Argivum.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur pro exsiccare, torrere, inflammare, disseccare, scottare, infiammare, riscaldare. Sall. Jug. 19. Loca exusta solis ardoribus. disseccoti, inariditi. Virg. 3. G. 432. Exusta palus. seccato. Phædr. 1. 6. Sol omnes unus exurit lacus. secca. Virg. 1. G. 107. Exustus ager. Lucret. 5. 411. torrentes auræ exurunt res. Colum. 7. R. R. 8. 5. Sole exustus caseus. Plin. 2. Hist. nat. 11. 8. (52). Sol exusturus terras. Id. 17. ibid. 9. 7. (56). Hæc omnia segetem exurunt. Curt. 4. 7. Ferrido solo exurente vestigia. scottava. Sic Tibull. 2. 3. 9. Nec quererer, quod sol graciles exureret artus. et Plin. 30. Hist. nat. 4. 9. (27). Si ferventia os intus exusserint. et Sil. It. 5. 606. Clausus ubi exusto liquor indignatur aeno. h. e. fervent. ¶ 2. Metaphora sumpta a sup. par. I., ponitur pro consumere, ad nihilum redigere. Virg. 6. Æn. 742. aliis sub gurgite vasto Infectum eluitur scelus aut exuritur igni. Cic. Brut. 4. 16. Sic omnis fetus repressus, exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit. Curt. 1. 10. extr. Vim veneni tale esse constat, ut ferrum quoque exurat. corroda, consumi. Ammian. 21. 1. Pyrrhus Italiam bellis sævissimis exurens. — NB. De loco Cic. 3. Nat. D. 3. 7., V. EXUO II. 2. c. ¶ 2. Metaphora sumpta a super. paragr. II. 1., ponitur pro accendere, vexare: ad rem Petron. Satyr. 121. in carm. nec enim minor ira rebellat Pectore in hoc, leviorve exurit flamma medullas. h. e. stimulat, ad furorem incitat. Tibull. 4. 2. 5. Illius ex oculis, quum vult exurere divos, Accendit geminas lampadas acer Amor. h. e. amore accendere. Lucret. 3. 931. Quod sitis exurat miserus atque arida torrea... Sic Curt. 4. 16. Sitis exurit fatigatos. Seneca Agamemn. 665. Magis exurant, quos secretæ lacerant curæ. h. e. pungunt, angunt. Sil. It. 8. 273. quos plurima passos Tertius exurit lacrimosis casibus annus. molesta, travaglia, strazia, maltratta.

EXUSCITO. V. EXSUSCITO.

EXUSTIO, ōnis, f. 3. ustio. Cic. 6. de republ. 21. Propter eluviones exustionesque terrarum. Plin. 17. Hist. nat. 24. 37. (223). Exustio solis. Vulgat. interpr. Exai. 64. 2. et 11. Exustio ignis.

EXŪTUS, a, um. V. EXUO.

EXŬVIÆ, ārum, f. plur. 4. Exuvium, ii, n. 2. singulare, quod ponitur a quibusdam Lexicographis, caret adhuc idoneo Latino auctore. — Hoc nomen singulari numero omnino caret. — Exuviæ, ἐκδύματα, sunt vestes aliudve corpori adhærens, quo quis se exuit; ab exuendo, ut Paul. Diac. p. 81. 1. Müll. docet (It. spoglie; Fr. dépouilles; Hisp. despojo; Germ. was vom Körper abgezogen, abgenommen wird, Kleidung, Rüstung, Waffen etc.; Angl. clothes put off or left). Occurrunt ¶ 1. Generatim. — a) De hominibus et diis. Plaut. Men. 1. 3. 9. Induviæ tuæ atque uxoris exuviæ. h. e. vestis surrepta a Menechmo uxori et amicæ delata. Sic apud eumd. ibid. v. 13. Exuvias facere. h. e. se spoliare ad amicam vestiendam. Virg. 8. Ecl. 91. Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit. Id. 4. Æn. 496. pyram Erige et arma viri, thalamo quæ fixa reliquit Impius, exuviasque omnes — super imponas. Festus p. 364. 10. Müll. Tensam ait vocari Sinnius Capito vehiculum, quo exuviæ deorum ludicris Circensibus in circum ad pulvinar vehuntur. h. e. ornamenta, insignia deorum. Adde Paul. Diac. p. 365. 1. Sic Sueton. Aug. 94. Cum fulmine et sceptro exuviisque Jovis. — b) Dicuntur et de pelle quomodocumque detracta animalibus. Virg. 2. Æn. 473. de angui pellem exuente. Quum positis novus exuviis nitidusque juventa etc. scoglia. Accius apud Non. p. 458. 13. Merc. Tunc pecudum exuvias lævo pictas lateri accommodant. Virg. 9. Æn. 307. pellem horrentisque leonis Exuvias. Id. 11. ibid. 577. Tigridis exuviæ. Val. Flacc. 6. 19. et 8. 65. Exuviæ sacræ pecudis. h. e. vellus aureum. Id. ibid. 358. bubis exuvias multo frangere olivo. cojame. Festive Plaut. Most. 4. 1. 26. lora ex corio bubulo, quibus cæduntur servi, exuvias bubulas vocat. — c) Exuviæ verticis apud Catull. 66. 62., et capitis apud Senec. Hippol. 1181. sunt capilli. ¶ 2. Speciatim ac sæpe de iis, quæ victo detrahuntur hosti, ut arma, vestes, ceteraque spolia omnia, λάφυρα, ἔναρα. Virg. 2. Æn. 274. quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis. Id. 10. ibid. 423. Hæc arma exuviasque viri tua quercus habebit. Tibull. 1. 1. 54. Ut domus hostiles præferat exuvias. Liv. 30. 28. Exercitum exuvias non militum tantum, sed etiam imperatorum, portantem. Juvenal. 10. 133. Bellorum exuviæ. Cic. pro leg. Manil. 18. 55. Quum eum locum (h. e. Rostra) nobis majores nostri exuviis nauticis et classium spoliis ornatum reliquissent.

EXVĀPŎRO. V. EXSUPPURO et EVAPORO.

EXVĔHO. V. EVEHO.

EX VĒLĀRIO, m. qui fuit velarius. Inscript. apud Murat. 861. 4., quæ est apud Orell. 3612., quamque V. in VELARIUS.

EXVĔLĀTUS. *V.* EXSINUATUS.

EXVERRÆ. *V.* EVERRÆ.

EXVERTO, is, ere, a. 3. prævenire, præoccupare. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 52. Cito homo exverti potest. *Optimi codices habent* perverti.

EXVIBRISSO, as, are, n. 1. idem ac vibrisso. *Titinius* apud *Paul. Diac.* p. 370. 2. *Müll.* Si erit tibi cantandum, facito usque exvibrisses. At *Müllerus* divisim legit *ex vibrisses.*

EX VĬCĀRĬO, indeclin. qui vicarius fuit. *Inscript.* apud *Gruter.* 28. 5., quæ est apud *Orell.* 2355. CEJONIVS RVFIVS VOLVSIANVS V. C. ET EX VICARIO ASIAE. *Ammian.* 22. 11. Gaudentius ille notarius, Julianus quin etiam ex vicario morte periere pœnali. — In plur. num. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod. Theod.* 6. 21. 1. Ita ut eorum, qui sunt ex vicariis, dignitate potiantur. Adde *ibid.* 1. 1. 5. et 6. 22. 7.

De littera F

F, indecl. n., vel f. si nomen *littera* subaudiatur. — *a*) *F* littera a *Prisciano* 1. p. 542. et 560 et 569. *Putsch.* inter mutas numeratur, quod vim mutæ habeat, tametsi, quia in proferendo a vocali incipit, prolationem habeat semivocalis: a *Diomede* 2. p. 417. et 419. et aliis inter semivocales. Pronuncianda est non tam fixis labris, ut *ph*; ut *Priscian.* docet *ibid.* p. 543., hoc enim inter illas differt, quod nostra *f* minore spiritu exprimitur, quam Græca *ph.* Habet autem vim *v* consonantis vocalibus præpositæ, sed aliquantu pleniorem: qua de re *Quintil.* 12. 10. 29. illa, quæ est sexta nostrarum, pæne non humana voce, vel omnino non voce potius, inter discrimina dentium efflanda est: quæ, etiam quum vocalem proxima accipit, quassa quodam modo, utique quoties aliquam consonantem frangit, (ut in hoc ipso *frangit*) multo fit horridior. *V.* FRANGO. — *b*) Figuram habet Græci digammatis: et aliquando pro illo adhibita fuit, ut in DIGAMMA dictum est. Sic in *frango* pro *frago* ab etymo ῥαγ verbi ῥήγνυμι, in *frigus* a ῥῖγος, etc.; *V.* etiam FRIGERE et FRUMEN. — *c*) Applicari quoque mos erat loco aspirationis, præcipue apud Sabinos et in rustico Romanorum sermone: sic dictum est *fircus* pro *hircus* (*Varro* 5. *L. L.* 97. *Müll.*) et *fasena* pro *harena*; item *fordeum*, *trafo*, *vefo*, *fœdus* pro *hordeum*, *traho*, *veho*, *hædus* (*Priscian. loc. cit.* p. 560. et *Paul. Diac.* p. 84. 5. *Müll.*) His adde *fostia*, *fostis*, *folus*; *Formiæ* et similia; quæ *V.* suis locis: et confer *filius* ab υἱός. Contra pro *f* interdum usurpata est aspirata *h*, ut in *haba* pro *faba.* (*Vel. Long.* p. 2230. *Putsch.*). Cf. et *Servium* ad *Virg.* 7. *Æn.* 695. et *Scaur. Orthogr.* p. 2252. *Putsch.* — *d*) Quoniam, ut diximus, littera *f* sono suo ad Græcum φ proxime accedit (*V. Quintil.* 1. 4. 14.), eam Latini pro Gr. φ usurparunt in voc. *fama*, *fero*, *fuga*, *fur*, φήμη, φέρω, φυγή, φώρ: sed quoties aspirationem significare voluerunt, præcipue in iis vocabulis, quæ ipsi a Græca lingua mutuati sunt, φ per *ph* scripserunt. — *e*) Aliquando *f* et pro *b* usurpata est, ut in *sifilare* pro *sibilare*, teste *Non.* p. 531. 3. *Merc.* V. si lubet *Lips. de recta rat. pronunc. Lat. ling.* c. 12. Hinc in derivatis aliquando pro *b* ponitur, ut in *rufus* a *ruber.* Confer et *fel bilis*, *fremo* βρέμω, *fascino* βασκαίνω, etc. — *f*) Interdum et pro *s* usurpatur, ut in *sors*, *fors*, *fortuna*, et *sum*, *fui* (obsol. *fuo*). — *g*) Præponitur vocalibus omnibus, (*faba*, *ferrum*, *filius*, *forum*, *funis*), et duabus consonantibus liquidis *l* et *r*, ut *fleo*, *frigus.* — *h*) In compositione *b*, *d*, *s* et *x* per assimilationem in *f* mutantur, ut in *offero*, *affero*, *differo*, *effero.* — *i*) In notis Romanorum F sæpissime *filium* significat. In illo tamen *Cic. Brut.* 48. 177. Festivitate et facetiis C. Julius L. F. et superioribus etc. illud F fratrem significare quidam putant. Nam C. et L. Julios Cæsares fratres fuisse, tum ex *Pseudo-Ascon. in orat. pro Scauro*, tum ex ipso *Cic.* constat 3. *Orat.* 3. 10. Ceterum in Inscriptionibus F valet *filius*, ut F. F. C. *filius ponendum curavit*: F. A. *filio amantissimo* etc. Item sæpissime valet *facere*, ut V. F. *vivus fecit*: F. M. *fecit monumentum*: F. C. *faciundum curavit.* F. C. H. *fieri curavit heres*: F. I. *fieri jussit*: F. E. D. *factum esse dicitur* etc.

FA

FĂBA, æ, f. 1. Scribitur et *haba*: V. supra de littera F sub *c.* — Quod ad genus nominis attinet, in veteri Calendario apud *Gruter.* 139. legitur in mense Decembr. VINEAS STERC. FABA SERENTES, MATERIAS DEICIENTES., ut sint *faba*, *orum*, neutr. gen. Sed illud incertæ auctoritatis est, præsertim quum in V. FABA *s* littera facillime omitti potuit a lapicida *s* alia sequente. *V.* tamen FABATUS, ubi in *Gloss. Philox.* habetur φαβᾶτος κόκκος, ex quibus verbis patet, sequiori tempore usitatum fuisse etiam apud Græcos τό φάβα, τοῦ φάβατος. V. *Ducangium* in *Glossar. Græcitatis* in V. Φάβα. — Faba est genus leguminis. *Isid.* 17. *Orig.* 4. Faba, Græca etymologia, a vescendo vocabulum sumpsit quasi *faga*: φαγεῖν enim Græce comedere dicitur; primum enim homines hoc legumine usi sunt. Ita *Isid.* Sunt vero qui putant, sic esse appellatam a φάω *findo*, inserto digammate Æolico, quasi *effissa*, ex folliculis nempe, quibus innascitur; seu quia grana habet bifariam divisa. Qui accurate de plantis scripsere, putant fabam veterum, Græce κύαμον, non esse eam, quæ a nobis *fava* dicitur, sed aliud legumen fructu rotundo et multo minore, quam nostra est. Hanc autem nostram *phaselum* fuisse dictam. Viderint alii (It. *fava*; Fr. *fève*; Hisp. *haba*; Germ. *d. Bohne*; Angl. *a bean*).

I.) Proprie. ¶ 1. De legumine, ut diximus, quod equis præcipue esui præbetur. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 35. Fabam in locis validis non calamitosis serito. *Virg.* 1. *G.* 215. Vere fabis satio. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 44. 1.; *Colum.* 2. *R. R.* 10. 5. et 12. 6. et 7. *ibid.* 12. 2.; *Pallad.* 2. *R. R.* 9. 2., 7. *ibid.* 3. et 12. *ibid.* 1. 1.; et *Veget.* 2. *Veterin.* 57. 2. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (117). Inter legumina maximus honos fabæ, quippe ex qua tentatus sit etiam panis. *Id.* 19. *ibid.* 3. 15. (40). et 27. *ibid.* 5. 23. (40). Faba fracta *aut* fresa. *faverella*, *favetta.* — Pythagoricis interdictum erat, ne faba vescerentur, ut docet *Cic.* 1. *Divinat.* 30. 62. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quærenti vera, contrariam. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 58. 119. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 63. faba Pythagoræ cognata. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (118). Faba hebetare existimata, insomnia quoque facere: ob hoc Pythagorica sententia damnata: ut alii tradidere, quoniam mortuorum animæ sint in ea. Aliter autem sensisse videtur Aristoxenus, teste *Gell.* 4. 11. Aristoxenus nullo sæpius legumento Pythagoram dicit usum, quam fabis, quoniam is cibus et subduceret sensim alvum et levigaret. *Gell.* vero *ibid.* sententiam hanc refellere conatur. — Fabam ad mortuos pertinere docet *Fabius Pictor* apud *Gell.* 10. 15. Fabam neque tangere Diali mos est, neque nominare: quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam et lemuralibus jacitur larvis, et parentalibus adhibetur sacrificiis, et in flore ejus luctus litteræ apparere videntur. Ita etiam *Plin. loc. cit.* et *Paul. Diac.* p. 87. 13. *Müll.* Similiter *Ovid.* 5. *Fast.* 436. nigras accipit ante fabas, Aversusque jacit; sed dum jacit, hæc ego mitto, His, inquit, redimo meque meosque fabis. *Varro* apud *Non.* p. 135. 16. *Merc.* Quibus temporibus in sacris fabam jactant noctu, et dicunt, se lemures domo extra januam ejicere. — Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 2. p. 158) hanc exhibet synonymiam: Κύαμος Plut. Pollt. 2., Dioscor. 2. 127. et Homer. 13. Iliad. 589.; Κύαμος ἑλληνικός Hippocr. Morb. mul. 608. et Theophr. Hist. 8. 3.; et *Faba* Virg., Varron. et Gell. loc. cit., Colum. 2. R. R. 10. et Plin. 18. Hist. nat. 12. 30. (117). sunt *Faba vulgaris* Moench. Meth. 150. — *b*) Proverbium est illud *Plaut. Aulul. act.* 5. v. 9. STRO. Reperi. LY. Quid reperisti? STRO. Non quod clamitant in faba se reperisse. h. e. non rem nihili, puta hilum, aut curculionem aliumve similem vermiculum, sed rem pretiosam. — *c*) *Istæc in me cudetur faba*, h. e. hoc malum in me recidet; proverb. apud *Ter. Eun.* 2. 3. 89. vel inde ductum, quod quidam olim mala coctam fabam supra caput cuqui saxo comminuerit; vel quia, quum faba cuditur, solum laborat, in quo cuditur. *Donatus.* Alii ducunt ex eo, quod antiqui fabam peccantibus in manum cudebant: unde usus inoleverit, fabam pro culpa aut pœna dici. Alii scuticam servilem significari ajunt, cujus extremum nodos haberet in modum fabæ. Sed postremum hoc non placet. — *d*) *Tam perit*, *quam extrema faba*, h. e. omnino certeque perit, quod faba, quæ est in extremo agro, plerumque aut proteritur, aut decerpitur a prætereuntibus. *Festus* p. 363. 17. *Müll.* ¶ 2. *Faba Ægyptia* fuisse videtur eadem ac colocasia, quæque a *Theophr. Hist. plant.* l. 4. c. 9. itidem κύαμος Αἰγύπτιος dicitur. Hujus meminit *Cels.* 6. 7. n. 1. Vel id quod amarum in Ægyptia faba est, conteritur, rosa adjecta. *Id. ibid.* n. 2. Est Menophili validum admodum medicamentum, quod constat ex Ægyptiæ fabæ partis interioris, nucum amararum etc. ¶ 3. *Faba Græca* est fructus pomi figura, carne pellucida, rufa et pulposa, Italice *guajaco*, a *Colum.* 7. *R. R.* 9. 6. et 5. *ibid.* 10. 20. *siliqua Græce* dicitur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 53. (123). Alia arbor in cacumine ramosa, ut pinus, lotos, sive faba Græca, quam Romæ a suavitate fructus silvestris quidem, sed cerasorum pæne natura, loton appellant. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 369.) ait ad h. l. « Ce lotus est le micocoulier, *Celtis australis* de Linné, le *perlaro* des Italiens. – Pline a accolé sans doute par erreur le nom de *Faba Græca* à ce lotus: il n'y a aucun rapport entre la fève grecque et le micocoulier ». Porro *lotos arbor* volgo dicebatur etiam *faba Syriaca*, teste *Hygin.* (ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct.* T. 3. p. 45.) *fab.* 126. Lotos nympha quædam fuit, quam quum amatam Priapus insequeretur, illa deorum miseratione in arborem versa est, quæ faba Syriaca dicitur. His similia habet *Lactant. Plac.* apud *eumd. ibid.* p. 148. *fab.* 179.

II.) Improprie. ¶ 1. Transfertur et ad alius generis grana. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 21. (95). Fertilissima tritici genera, ramosum, aut quod centigranum vocant. Inventus est jam et scapus unus centum fabis onustus. h. e. spicis. *Id.* 19. *ibid.* 12. 60. (185). In fabis caprini fimi singulis cavatis si porri, erucæ, lactucæ, nasturtii semina inclusa serantur, mire provenire. h. e. globulis fimi fabæ magnitudine. ¶ 2. In medicamentis conficiendis occurrit pro mensura. *Veget.* 5. *Veterin.* 66. 2. *Schneid.* Optimi laseris, quantum fabæ patitur magnitudo, commisces. *Id. ibid.* 11. 3. Quod etiam hominibus prodest ad fabæ magnitudinem cum ovo dedisse. Adde *Scribon. Compos.* 75., 89., 113. et 138.; et *V. Salmas.* ad *Solin.* p. 688.

FĂBĀCĔUS *vel*

FĂBĀCĬUS, a, um, adject. fabalis. *Pallad.* 12. *R. R.* 1. 2. Ager, qui calamos fabaceæ messis eduxit. *Macrob.* 1. *Saturn.* 12. *a med.* Carnæ deæ pulte fabacia et larido sacrificatur. *Theod. Priscian.* 4. p. 314. *retro ed. Ald.* Lomentum fabacium. — *Fabaceus mucus*, apud *Veget.* 3. *Veterin.* 36. 2. *Schneid.* est humor candidus et viscosus effluens e naribus equorum. — Hinc

Fabacia, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est fabacia puls. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (118). Quia et prisco ritu fabacia suæ religionis diis in sacro est. *Sillig.* leg. *fabata.* — *Fabaciæ virides* apud *Apic.* 5. 6. sunt caules et siliquæ virides fabarum.

FĂBĀGĬNUS, a, um, adject. fabalis, fabaceus. *Cato R. R.* 54. Paleas triticeas, acus fabaginum, viciam dato.

FĂBĀLIS, e, adject. ad fabam pertinens, fabaceus. *Varro* 1. *R. R.* 31. 4. Fabalis seges. *Ovid.* 4. *Fast.* 725. de vitulo cinerem stipulasque fabales Sæpe tuli. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 12. 30. (120). — Hinc

Fabalia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt culmi fabales, ex quibus siliquæ pendent. *Cato R. R.* 37. Stercus unde facias, stramenta, lupinum, paleas, fabalia, acus. *Schneiderus* melius leg. *fabalium acus.* *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 69. (141). Fabalium siliquarumque eiuis. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 23. 3. et 31. 4.; *Colum.* 2. *R. R.* 10. 9.; et *Tertull. Anim.* 31.

FABARIUM, ii, n. 2. est locus fabis consitus, ut pomarium pomis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 111.

FĂBĀRĬUS, a, um, adject. fabalis, ad fabam pertinens. Hinc *fabarium pilum*, scilicet fabis tunden-

dis, et farrearium inter agrestia instrumenta enumerat *Cato R. R.* 10. *extr.* — *Fabaria insula*, nunc *Borkum*, in Oceano Germanico, contra ostia Amisii fluvii, qui nunc *Ems*. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 13. 27. (97). Earum insularum nobilissima Burchana, Fabaria nostris dicta, a frugis similitudine sponte provenientis. *Id.* 18. *ibid.* 12. 30. (121). Fabariæ insulæ *in plur. num.* — *Fabaria negotiatio* in *Inscript.* apud *Murat.* 132. 3., ubi pro *eorum negotiationis fabariæ* legendum est *forum negotiationis fabariæ*, ut est apud *Orell.* 2515. — *Fabariæ kalendæ* dicebantur Juniæ, quod in iis fabæ recentes rebus divinis adhibebantur. *Macrob.* 1. *Saturn.* 12. — *Fabarius* item est appellatus cantor, qui emolliendæ vocis causa fabis vescebatur. *Isid.* 2. *de eccles. Offic.* 12. Antiqui pridie, quam cantandum erat, cibis abstinebant, psallentes tamen, legumine causa vocis assidue utebantur: unde et cantores apud Gentiles fabarii dicti sunt. — Hinc

Fabaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est mulier negotiatrix fabaria. *Inscript.* apud *Donat.* 165. 9. ANTISTIA VICTURINA FABARIA.

FĂBĀTĀRĬUM, ii, n. 2. vas amplum, in quo fabata, *h. e.* fabarum grana reponuntur. *V.* FABATUS et FABA. *Lamprid. Elagab.* 20. Barbas mullorum jubebat exhiberi plenis fabatariis et discis.

FĂBĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *fabare*, faba conditus, ex faba factus. *Festus p.* 277. 21. *Müll.* In sacrificiis publicis, quum puls fabata diis datur, nominatur refriva. *V.* FABACIUS. — Hinc

Fabatum, i, n. 2. est granum fabæ in *Gloss. Philox.* Fabatum, φαβατος κυαμος. Menduse in editionibus legitur *fabatrum*. *V.* FABA. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

FĂBĀTUM, i, n. 2. *V.* voc. præced.

FĂBEA. *V.* FAVEA.

FĂBELLA, æ, f. 1. *deminut.* a fabula, parva fabula. ¶ 1. Generatim dicitur de brevi aliqua ac vera narratione. *Cic.* 5. *Fin.* 15. 42. Parva fabellarum auditione duci. *Phædr.* 2. 4. Hanc emendare, si tamen possum, volo Vera fabella. *Seneca Ep.* 77. *circa med.* In fabellam excessi non ingratam tibi: exitum enim amici tui cognosces non difficilem, nec miserum. Adde *Quintil.* 5. 11. 21. ¶ 2. Speciatim est narratiuncula commenticia, anilis, et longe a vero remota. *Cic.* 2. *Divinat.* 38. 80. Nihil debet esse in philosophia commenticiis fabellis loci. *Tibull.* 1. 5. 85. Referre fabellas. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 77. aniles fabellas garrire. *Id.* 2. *Ep.* 1. 199. surdo asello narrare fabellam. (proverb.) *Phædr.* 4. 6. *extr.* Quid ergo possum facere tibi, lector Cato, Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ? *h. e.* nec Æsopiæ breves humilesque fabulæ, nec longiores grandioresque narrationes, cujusmodi in tragicis argumentis tractantur. *Quintil.* 1. 9. 2. et 5. 11. 19. Æsopi fabellæ. *Apul.* 6. *Met.* Bella fabella. ¶ 3. Item speciatim ponitur pro narratione, quæ in comœdiis et tragœdiis exhibetur. *Cic.* 2. *ad Q. Fr.* 8. 3. Quanquam a te etiam fabellam video esse festive.

FĂBER, fabra, fabrum, adject. translate tantum occurrit, metaphora sumpta a voc. seq., pro artificioso, *artificioso, ingegnoso*. *Ovid.* 8. *Met.* 159. Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis. *Id.* 3. *Fast.* 383. Mamurius morum, fabræne exactior artis, Difficile est dicere. *Apul. de Mag.* Fabra levitas speculi. *Id. Florid. n.* 8. Faberrimum anuli aurei signaculum. *Prudent. Apotheos.* 1034. Solus homo emeruit Domini formabili dextra Os capere, et fabro deitatis figmine nasci. Cf. *Furlanetto* in *Append.* addit etiam illud *Plaut. Most.* 1. 2. 39. Parentes fabri liberum sunt: quod tamen rectius referas ad voc. seq.

FĂBER, fabri, m. 2. In Genit. plur. usitatius est *fabrum*, quam *fabrorum*. *Cic. Orat.* 46. 156. Jam, ut censoriæ tabulæ loquuntur, *fabrum* et *procum* audeo dicere, non *fabrorum* et *procorum*. *Cæs.* apud *Cic.* 9. *Att.* 8. C. 2. Jam duo præfecti fabrum Pompeji in meam potestatem venerunt. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 24. *Liv.* 1. 43. Duæ fabrum centuriæ. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Ærarium fabrum collegium. — Reperitur tamen etiam *fabrorum*. *Plaut. Most.* 1. 2. 51. Frugi usque et probus fui, in fabrorum potestate dum fui. *Cic.* 3. *Verr.* 50. 147. Quantum paucæ operæ fabrorum tulerunt. Adde *Vitruv.* 10. 1. *in fin.* *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 51. (182). Ferrariæ fabrorum officinæ. *Inscript.* apud *Don. cl.* 9. *n.* 9. Collegio fabrorum D. D. — Ceterum *faber* est omnis artifex, qui e quavis duriore materia facit aliquid: a *facio*: nam qui ex gypso, argilla, aut cera aliquid conficit, *plastes* vocatur, τεκτων, χειρωναξ (It. *fabbro, artefice*; Fr. *ouvrier, artisan, travailleur*; Hisp. *oficial, oficialazo, obrero, obrador*; Germ. *d. Tischler, Zimmermann, Schmied*; Angl. *a forger, smith, artificer, handicraftsman*).

I.) Proprie. — *a*) Habet amplam significationem, quæ tamen limitibus circumscribitur addito adjectivo, ut *faber ferrarius*, qui aliquid ex ferro conficit; *tignarius*, qui tigna ad ædificia concinnat; *aurarius*, qui ex auro aliquid excudit; *navalis*, qui naves fabricatur, et sic de ceteris. *Plaut. Rud.* 2. 6. 47. Ut fortunati sunt fabri ferrarii, qui apud carbones assident! Sic *Inscript.* apud *Orell.* 4083. Fabri ferrarii Dibionenses. *Cic. Brut.* 73. 257. Ego me Phidiam esse mallem, quam vel optimum fabrum tignarium. Adde *eumd.* 2. *de republ.* 22.; et *Inscript.* apud *Henzen.* 7230. Sic *Cajus Dig.* 50. 16. 235. Fabros tignarios dicimus non eos dumtaxat, qui tigna dolant, sed omnes qui ædificant. *Inscript* apud *Gruter.* 640. 1. P. LONGIDIENVS P. F. CAM. FABER NAVALIS SE VIVO CONSTITVIT. *Alia* apud *Nibby. Viagg. antiq. T.* 2. *p.* 293. L. LEPIDIO EVTYCHO QVINQVENNALI PERPETVO CORPORIS FABRVM NAVALIVM OSTIENSIVM. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 1245. *Alia* apud *Orell.* 4182. Faber intestinarius. *Alia* apud *eumd.* 1280. Faber flaturarius sigillarius. *Alia* apud *eumd.* 4302. Faber eborarius. *Aliæ* apud *eumd.* 7. et 1302. et apud *Henzen.* 5755. Faber argentarius. Similiter *alia* apud *Orell.* 4181. Faber a Corinthiis. *Alia* apud *eumd.* 4185. Faber ocularius. — Et cum Genitivo materiæ, ex qua faber aliquid conficit, *Horat.* 2. *Ep.* 1. 96. Marmoris aut eboris fabros aut æris amavit. *Juvenal.* 8. 175. Inter carnifices et fabros sandapilarum. — Alii porro fuerunt fabri, quorum collegia in omnibus fere municipiis et coloniis olim fuisse constat ex plurimis vetustis inscriptionibus, quæ eorum mentionem faciunt: hæc instituta præcipue fuerunt arcendorum in urbibus incendiorum causa, quique iis præerat *præfectus fabrum* dicebatur: alia præterea fuerunt collegia fabrum tignariorum, ferrariorum etc., iis similia, quæ apud nos *fraglie dei falegnami, fabbri etc.* *Plin.* 10. *Ep.* 42. Dispice, an instituendum putes collegium fabrorum, dumtaxat hominum CL.; ego attendam ne quis nisi faber recipiatur. Hinc *Symmach.* 10. *Ep.* 27. (al. 34.). Sunt qui fabriles manus angustis operibus accommodant, per alios fortuita arceantur incendia. *Inscript.* apud *Gruter.* 261. 4. MAGISTRI QVINQVENNALES COLLEGII CORPORUM, FABRVM FERRARIORUM, TIGNARIORUM, DENDROPHORORUM ET CENTONARIORUM. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 3690., 4088., 3361., 80., 2177., 4160., 3319.; apud *Henzen.* 6745., 7201., 7021., 7198. et alias quamplurimas. *V.* PRÆFECTUS. — *b*) Absolute. *Cic. Planc.* 25. 62. Ut nos in mancipiis parandis quamvis frugi hominem, si pro fabro aut pro tectore emimus, ferre moleste solemus, si eas artes, quas in emendo secuti sumus, forte nesciverit etc. *Id.* 7. *Verr.* 19. 48. Vel Capitolium publice, coactis fabris operisque imperatis, gratis ædificari potuit. *Id.* 9. *Fam.* 2. 5. Non deesse, non modo ut architectos, verum etiam ut fabros ad ædificandam rempublicam. *Tibull.* 1. 3. 38. nec ensem Immiti sævus duxerat arte faber. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 116. tractant fabrilia fabri. *Id.* 1. *Sat.* 8. 2. Quum faber, incertus scamnum faceretne Priapum etc. Adde *Quintil.* 7. 10. 9.; et *Juvenal.* 14. 106. Et poetice de Dædalo *Juvenal.* 1. 54. Et mare percussum puero (*h. e.* Icaro) fabrumque volantem. — Fabri fuerunt etiam in legionibus. *Cæs.* 5. *B. G.* 11. Ex legionibus fabros delegit et ex continenti alios arcessiri jubet. His qui præerat, apud *eumd. Cæs.* 1. *B. C.* 24. præfectus fabrum dicitur. Adde *Cælium* apud *Cic.* 8. *Att.* 6. Horum fabrorum munera ita describit *Veget.* 2. *Milit.* 11. Habet præterea legio fabros tignarios, structores, carpentarios, ferrarios, pictores, reliquosque artifices ad hibernorum ædificia fabricanda, ad machinas, turres ligneas ceteraque, quibus vel expugnantur adversariorum civitates, vel defenduntur propriæ, præparatus, qui arma, qui vehicula, *etc.* Horum judex proprius præfectus fabrorum dicitur. *V.* PRÆFECTUS. De discrimine fabrum in militia et in municipiis, V. *Bullettin. dell' Institut. archeol. a.* 1839. *p.* 66. — *c*) Proverbium est illud *Appii* apud *Sall. ad Cæs. de rep. ordin.* 1. Res docuit id verum esse, quod in carminibus Appius ait, fabrum esse quemque fortunæ suæ. — *d*) *Fabrum cædere, quum ferimus fullonem*, proverb. apud *Arnob.* 6. 9. de iis dictum, qui dum quidpiam quæritant, in aliud deterius incidunt. Al. leg. *cadere*.

II.) Improprie faber est piscis genus, alio nomine zeus, proprium Atlantici et Gaditani maris. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 18. 32. (68). et 32. *ibid.* 11. 53. (148); et *Colum.* 8. *R. R.* 16. 9. *V.* ZEUS.

FĂBRĒ, adverb. Sup. *Faberrime*. — Fabre est artificiose. *Plaut. Men.* 1. 2. 23. Hoc factum est fabre. Adde *eumd. Stich.* 4. 1. 64. *Sil. It.* 14. 320. Trabs fabre teres, atque erasis undique nodis. *Alii leg.* Trabs trabe juncta teres, derasis undique nodis. *Apul.* 11. *Met.* Navis faberrime facta. *Ammian.* 23. 5. Fabre polire aliquid. *Id.* 29. 3. Thorace polito faberrime. *Id.* 20. 11. Faberrime aptare aliquid. *V.* et voc. seq.

FĂBRĔFĂCIO, facis, feci, factum, facere, a. 3. Part. *Fabrefactus* sub I., quod et *fabre factus* divisim scribitur: Pass. *Fabrefio* sub I. — Fabrefacio est artificiose ædifico, compono.

I.) Proprie. — *a*) De navibus. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 38. Classem magis validam, quam decoram fabrefecit. *Liv.* 37. 27. Fabrefacta navigia. *Apul. Florid. n.* 22. Navis bona, fabrefacta. *Al. scrib. divisim.* — *b*) De aliis rebus. *Liv.* 26. 21. Pacis diuturnæ regiæque opulentiæ ornamenta, argenti ærisque fabrefacti vis, alia supellex pretiosaque vestis etc. *Ammian.* 29. 1. Lanx ex diversis metallicis materiis fabrefacta. *Vulgat. interpr. Exod.* 31. 4. Quidquid fabrefieri potest ex auro et argento et ære, marmore et gemmis et diversitate lignorum.

II.) Translate. *Plaut. Cas.* 5. 4. 7. Nec fallaciam astutiorem ullus fecit poeta, atque ut hæc est fabrefacta a nobis. *Al. divisim* leg. fabre facta.

FĂBRĔFACTUS, a, um, *et*

FĂBRĔFĪO. *V.* voc. præced.

FĂBRĬCA, æ, f. 1. proprie est fabri officina, ἐργαστηριον (It. *bottega*; Fr. *atelier des ouvriers ou artistes*; Hisp. *oficina*; Germ. *die Werkstatt des in harten Stoffen arbeitenden Handwerkers oder Künstlers*; Angl. *a shop, place to work in*).

I.) Proprie. *Ter. Adelp.* 4. 2. 45. SY. Apud ipsum lacum est pistrilla et ex adversum fabrica: ibi est. DE. Quid ibi facit? SY. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit. Adde *eumd. ibid.* 4. 6. 4. *Cic.* 3. *Nat. D.* 22. 55. Vulcanus, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse. — *Fabricas armorum*, quas *Cæs.* 1. *B. C.* 31. *officinas armorum* dixit, *Veget.* 2. *Milit.* 11. (item *Lamprid. Alex. Sev.* 31.; et *Coripp.* 4. 12.) eas vocat, quas publicas per singulas provincias Romani sequiori tempore habebant, *manifatture d'armi*; privatim enim exercere vetitum erat, ut ex *Novell.* 85. constat. *Notit. Imper. Occid.* 32. Fabricæ infrascriptæ Italiæ: Concordiensis sagittaria; Veronensis scutorum et armorum; Mantuana coriaria; Cremonensis scutaria; Ticinensis arcuaria; Lucensis spatharia. Porro *fabricenses* dicebantur, qui hujus modi fabricas exercebant ad arma publica cudenda; quique iis præerat, *præfectus fabrorum* apud *Veget. loc. cit.* et *præpositus fabricæ* apud *Ammian.* 29. 3. et in *Inscript.* apud *Gruter.* 283. 1., quæ est apud *Henzen.* 6751., appellabatur. V. *Ziradini, Edit. di Rav. p.* 14. et 19. Horum *fabricensium collegium* memoratur in *Inscript.* apud *Orell.* 4079. IVLIVS VITALIS FABRICIESIS (*h. e.* fabricensis) LEG. XX. V. V. STIPENDIORVM IX. ANNOR. XXIX. NATIONE BELGA EX COLEGIO FABRICE (*h. e.* fabricæ) ELATVS H. S. E.

II.) Translate. ¶ 1. Fabrica est ipsa ars fabrilis, *arte, mestiere*. *Vitruv.* 1. 1. Fabrica est continuata ac trita usus meditatio, quæ manibus perficitur a materia, cujuscumque generis opus est, ad propositum deformationis. Sic de arte tignaria, *h. e.* ædificandi, *Lucret.* 4. 516. Denique ut in fabrica, si prava est regula prima, Normaque si fallax rectis regionibus exit, Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum, Omnia menduse fieri — prona, supina atque absona tecta. *Cic.* 2. *Nat. D.* 13. 35. Pictura et fabrica ceteræque artes habent quemdam absoluti operis effectum. *Id.* 1. *Divinat.* 51. 161. Materia quid juvaret, nisi confectionis ejus fabricam haberemus? *Id.* 1. *Nat. D.* 20. 53. Natura effectum esse mundum: nihil opus fuisse fabrica. *Id.* 2. *ibid.* 60. 150. Omnis fabrica æris et ferri. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (197). Fabrica materiaria, æraria, ferrea, *h. e.* ars ducendi

ferrum etc. *Justin.* 36. 4. Tradere se fabricæ ærariæ artis. *Plin.* 16. *Ep.* 8. Fabrica carpentaria. *Quintil.* 2. 21. 10. Ejus fabricæ, quam Græci χαλκευτικὴν vocant. *Id.* 2. 17. 10. Nec fabrica sit ars: casus enim primi illi sine arte fecerunt. *Apul.* 6. *Met.* Fanum solerti fabrica constructum. *Lamprid. Alex. Sev.* 20. Fabricarum peritissimus. Adde *Vopisc. Tac.* 11. — Hinc adjective, seu per appositionem. *Paul. Dig.* 33. 7. 19. *extr.* Servus arte fabrica peritus. ¶ 2. Hinc *fabrica* dicitur peritissima et exquisita rei alicujus elaboratio. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Admirabilis fabrica membrorum animantium. *Id.* 1. *Off.* 35. 127. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Cf. *Capitolin. Pertin.* 8. Vehicula arte fabricæ nova. ¶ 3. Metaphora hinc sumpta pro dolo, seu machinatione accipitur, *inganno, frode. Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 69. Ei nos facetis fabricis et doctis dolis glaucomam ob oculos objiciemus. *Id. Cist.* 2. 2. 5. Quot admœnivi illi fabricas, quot fallacias! *Id. Pœn.* 5. 2. 39. et *Bacch.* 2. 3. 132. Fabricas apparare. *Ter. Heaut.* 3. 2. 34. Nunne ad senem aliquam fabricam fingit? *Ammian.* 14. 9. Prædiximus enim Montium, sub ipso vivendi termino, — fabricarum culpasse tribunos. — Huc referri potest et illud ejusdem *Ammian.* 18. 4. Comitensis fabrica eamdem incudem, ut dicitur, diu noctuque tundendo ad spadonum arbitrium, imperatori suspicaci ac timido intendebat Ursicinum. *h. e.* delatores aulici, qui in comitatu imperatoris Constantii priorem locum obtinebant, quique calumniarum perpetui erant fabricatores. ¶ 4. Abstractum pro concreto, apud sequioris ævi scriptores, fabrica est opus ipsum fabricatum, *fabbrica. Pallad.* 1. *R. R.* 9. 2. In fabricis planis observandum est, ut æqualis et solida contignatio fiat, ne gradus ambulantium tremor fabricæ titubantis excutiat. *Id. ibid.* 7. 4. Fabrica villatica. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 22. et 8., et 12. *ibid.* 15. 1. *Trebell. Poll. Gall. duob.* 5. Fabricæ devorstæ sunt cum habitatoribus. — A *Prudent. Hymn. de Nat. Dom.* 43. fabrica dicitur homo, quippe qui a Deo formatus.

FĂBRĬCĀBĬLIS, *e*, adject. qui fabricari potest. *Gloss. Philox.* Fabricabilis, ἐργάσιμος.

FĂBRĬCĀRĬUS, a, um, adject. qui fabricando idoneus est. *Gloss. Philox.* Ξύλα ἐργάσιμα, ligna fabricaria.

FĂBRĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus fabricandi, item ipsa fabrica.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 133. Si erit tota hominis fabricatio perspecta. *Vitruv.* 2. 1. Fabricationes ædificiorum. *Id.* 9. 2. Pythagoras normam sine artificis fabricationibus inventam ostendit.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Orat.* 42. 167. Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quamdam fabricationem habet, sed in oratione. *h. e.* artificium, artem.

FĂBRĬCĀTOR, ōris, m. 3. qui fabricatur, seu aliquid facit ac componit.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 38. 120. Minutorum opusculorum fabricator. *Id. Tim.* 2. Utrum ille fabricator tanti operis sit imitatus exemplar. *Quintil.* 2. 16. 12. Fabricator mundi. Cf. *Capell.* 7. *p.* 239. Monadem fabricatori deo, dyadem materiæ procreanti, triadem idealibus formis consequenter aptamus. *h. e.* δημιουργῷ. *Virg.* 2. *Æn.* 264. Doli fabricator. *h. e.* equi. *Pacat. Pan. Theod.* 4. rerum. *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. *n.* 9. Fabricatores deorum. *h. e.* qui deorum signa faciunt. ¶ 2. Latiori sensu fabricator dicitur etiam qui aliquid fabricandum curat. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 100. *n.* 227. FABRICATORI EX MAXIMA PARTE ETIAM CIVITATIS NOSTRAE, MVLTA ET VSVI ET ORNATVI ADDENTI VMBRONIO (*Guarinius Ricerche di Eclano p.* 104. ex ipso lapide corrigit *Umbonio*) MANNACIO V. C. PATRONO DIGNISSIMO ORDO CIVITATIS AECLANENSIVM STATVAM PONENDAM CENSVIT.

II.) Translate. *Lucret.* 3. 473. Nam dolor et morbus leti fabricator uterque est.

FĂBRĬCĀTRIX, īcis, f. 3. quæ fabricatur. Translate *Lactant.* 6. 22. Mortis fabricatrix voluptas. Adde 17. 12. et *Epitom.* 9. *ad fin.*

FĂBRĬCĀTUS, a, um. *V.* FABRICO.

FĂBRĬCĀTUS, us, m. 4. idem quod fabricatio. In sexto casu singulari *Sidon.* 3. *Ep.* 13. *ad fin.* Hoc fabricatu amicitiarum culmen ædificat.

FĂBRĬCENSIS, e, adject. ad fabricam pertinens. — Hinc

Fabricensis, is, m. 3. absolute, substantivorum more, est qui in publicis fabricis ad arma cudenda exercetur: *V.* FABRICA. I. in fin. *Cod. Justin.* 11. *tit.* 9.

FĂBRĬCĬUS, a, um, adject. idem ac fabrilis. *Vera fabricia pro fabrilis* (*V.* FABRILIS ad fin.) legitur apud *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 1. c. 13., si tamen salva est lectio.

FĂBRĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. apud Poetas et in prosa oratione apud scriptores, qui post Augusteum ævum floruerunt: *et frequentius*

FĂBRĬCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Fabricans* I. a.; *Fabricatus* I. a. et b.; *Fabricandus* I. a. — Fabricari vel fabricare est fabrili arte quidpiam facere, τεκταίνομαι (It. *fare*, *lavorare*, *fabbricare*; Fr. *faire*, *façonner*, *confectionner*, *fabriquer*; Hisp. *hacer*, *labrar artistamente*, *componer*, *fabricar*; Germ. *arbeiten*, *etwas verfertigen aus Holz*, *Stein*, *Metall*; Angl. *to make*, *frame*, *forge*, *fabricat*, *construct*, *build*).

I.) Proprie. — *a*) Forma *fabricor* apud *Cic.* 1. *Off.* 41. 147. Pictores et ii, qui signa fabricantur, suum quisque opus a vulgo considerari vult. *Id.* 3. *Orat.* 46. 180. Capitolii fastigium illud non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. *Id. Rabir. Post.* 3. 7. Qui fabricatus gladium est. *Id.* 2. *Divinat.* 19. 43. Non te puto esse eum, qui Jovi fulmen fabricatos esse Cyclopas putes. Cf. *Lucret.* 6. 365. Quorum utrumque opus est fabricanda ad fulmina nobis. Rursus *Cic. Tim.* 6. Mundum globosum est fabricatus. *Orell.* recte ita leg.; *Forcellinus* et alii: *Mundus globosus* passive. *Sueton. Claud.* 19. Naves mercaturæ causa fabricantibus magna cibaria constituit. *Tac.* 14. *Ann.* 29. Naves fabricatur plano alveo. *Id.* 4. *ibid.* 51. Pontes et scalas fabricati. *Sil. It.* 15. 197. Ad tela fabricanda. — *b*) Forma *fabrico*. — Active. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 102. Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus. Adde *Vopisc. Prob.* 20. *Ovid.* 13. *Met.* 683. Miserat hunc (*cratera*) illi Therses, fabricaverat Alcon. *Phædr.* 4. 6. Fabricasset Argus opere Palladio ratem. *Sueton. Cal.* 37. Fabricavit et de cedris liburnicas, gemmatis puppibus. Adde *Colum.* 4. *R. R.* 3. 1. et 6. *ibid.* 2. 10.; et *Quintil.* 2. 17. 3. *Capitolin. Anton. Phil.* 13. Fabricare sepulcrum. — Passive. *Virg.* 9. *Æn.* 141. mœnia Trojæ Neptuni fabricata manu. *Id.* 2. *ibid.* 46. in nostros fabricata est machina muros. *Ovid.* 8. *Met.* 669. Sistitur argilla crater fabricataque fago Pocula. *Id.* 1. *ibid.* 259. Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum. *Quintil.* 2. 16. 6. Non fabricetur militi gladius. *Vopisc. Prob.* 23. Fabricari arma. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 10. 8.; *Pallad.* 1. *R. R.* 38. 1.; et *Ammian.* 24. 2. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 8. vasa. *Sueton. Ner.* 32. Simulacra ex auro vel argento fabricata. *Id. Aug.* 16. Fabricari naves. *Id. Claud.* 16. essedam. *Id. Ner.* 12. In amphitheatro ligneo intra anni spatium fabricato. *Id. Cæs.* 25. pontem. *Sil. It.* 1. 445. tecta. *Vellej.* 2. 27. Cuniculi miro opere fabricati. *Id.* 2. 79. Speciosissima fabricata classe. *Ammian.* 14. 6. Fabricari organa hydraulica.

II.) Translate. — *a*) Forma *fabricor* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 27. 87. Jam illa præclara, quanto artificio esset sensus nostros mentemque et totam constructionem hominis fabricata natura! — Hoc affirmare potes, Luculle, esse aliquam vim cum prudentia et consilio scilicet, quæ finxerit, vel, ut tuo verbo utar, quæ fabricata sit hominem? qualis ista fabrica est? ubi adhibita? *Id. ibid.* 10. 30. Quanto quasi artificio natura fabricata esset primum animal omne, deinde hominem maxime. *Id.* 1. *Nat. D.* 2. 4. Ut ea ipsa dii immortales ad usum hominum fabricati pæne videantur. *Id.* 3. *Orat.* 45. 178. Ut in plerisque rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata. *Apul.* 7. *Met.* Prandium fabricatur opipare. *h. e.* instruit, apparat. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 17. Nihil est clarius ἐναργείᾳ, ut Græci: *perspicuitatem* aut *evidentiam* nos, si placet, nominemus fabricemurque, si opus erit, verba. *inventiamo*, *formiamo nuove parole*. — Hinc pro machinari, excogitare fallacias. *Plaut. Asin.* 1. 1. 89. Fabricare quidvis, quidvis comminiscere, perficito, argentum hodie ut habeat filius. *Id. Bacch.* 4. 4. 42. Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina, ut senem hodie doctum docte fallas. Et absolute *Id. Cas.* 2. 8. 52. Age modo, fabricamini. — *b*) Forma *fabrico* apud *Senec. Ep.* 16. Philosophia animum format et fabricat. *Manil.* 1. 772. Ætheriusque Platon, et qui fabricaverat illum Damnatusque suas melius damnavit Athenas. *h. e.* instituerat, docuerat. *Sil. It.* 16. 671. Ne fabricate moras. *Apul.* 3. *Met.* risum. *Id. ibid.* 6. *extr.* mortem sibi manibus. — Et passive *Quintil.* 10. 7. 2. Dum illa verba fabricentur et vox præparetur.

FĂBRĬCŬLA, æ, f. 1. deminut. a fabrica, parva fabrica. Ita appellatur agellus apud *Cassiod.* 8. *Variar.* 28., quia fortasse eidem parva fuerat fabrica imposita. Ceterum absolute *Alcim. Ep.* 2. *addit. a med.* Fabriculæ videtur injuncta esse dedicatio.

FĂBRĬCUS, a, um, adject. fabrilis. *V.* FABRICA.

FĂBRĬLĀTĬO, ōnis, f. 3. fabricandi actio. *Tertull. Apolog.* 12. Non sentiunt injurias et contumelias suæ fabricationis dii vestri.

FĂBRĪLIS, e, adject. ad fabrum pertinens. *Cic.* 6. *Att.* 1. *a med.* Erratum fabrile putavi. *Liv.* 27. 49. Fabrile scalprum. *Ovid.* 4. *Met.* 175. et quod opus fabrilis dextra tenebat, Excidit. *Id.* 1. *Amor.* 9. 39. Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit. *Cels.* 8. 7. Fabrile gluten. *Seneca* 6. *Benef.* 38. Nullo igne redantur tecta; jacebit opera fabrilis. *Capell.* 9. *p.* 302. Lemnius Mulciber fabrilium tantum operum solers maritus. *h. e.* sordidarum, illiberalium, quas Græci βαναυσικάς appellant, ingenuisque et liberalibus opponunt. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 49. (182). Fabrile glutinum. *Id.* 14. *ibid.* 1. 3. (16). Vinis gratiam affert fumus fabrilis. — Sic *fabrilem uvam* dici ait *Cœl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. *post med.* quæ fumi vapore siccata est. *Edict. Diocle. p.* 20. Uvæ passæ fabriles. — *Fabriles bulbi. V.* BULBUS. — Hinc

Fabrilia, ium, n. plur. 3. absoluta, substantivorum more, sunt res fabrorum. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 116. tractant fabrilia fabri.

Fabriles ium, m. plur. 3. absolute, substantivorum more, appellantur vascularii fictiliarii, qui amphoras aliaque vasa ex argilla fingebant. *Inscript.* in quadam amphora apud *Don. præf. p.* 86. FABRILES MARCELLAE N. FELICITATEM. Artifices scilicet e familia Marcellæ Saturnalibus dono eidem dederunt hanc amphoram cum læta acclamatione.

FĂBRĪLĬTER, adverb. artificiose, more fabri. *Prudent. Apotheos.* 583. Opifex fabriliter aptans Composuit.

FĂBRĬO, is, īvi, ire, a. 4. idem ac fabrico. *Venant.* 2. *carm.* 12. 23. Quod nullus veniens Romana gente fabrivit, Hoc vir barbarica prole peregit opus.

FĀBŬLA, æ, f. 1. narratio, id quod in ore omnium versatur, rumor populi, sermo pervagatus, res passim divulgata, sive sit vera, sive falsa; a *fari*: nam, ut ait *Diomed.* 3. *p.* 488 *Putsch.* Latine fabulæ appellantur, sive fatibulæ. λόγος, μῦθος (It. *discorso*, *racconto*, *favola*; Fr. *récit*, *histoire*, *bruit public*; Hisp. *recitacion*, *narracion*, *historia*; Germ. d. *Erzählung von einem Ereignisse*, *Geschichte*, *Sage*; Angl. *a report or saying*, *tale*, *story*, *hearsay*, *rumour*). Occurrit autem *A*) Generatim; et *B*) Specialim.

A) Generatim est, ut diximus, narratio, rumor populi, sermo pervulgatus.

I.) Proprie. ¶ 1. De narratione dicitur. *Liv.* 1. 11. Additur fabulæ, quod vulgo Sabini aureas armillas brachio lævo habuerint, pepigisse eam etc. *Id. præfat.* Quæ ante conditam condendamve urbem poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur etc. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 97. Fabula narrata est postquam vulgaris ab illo, Laudarunt omnes facta piamque fidem. *Id.* 4. *Met.* 189. notissima fabula. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 95. Ummidius, qui tam (non longa est fabula) dives, Ut metiretur nummos etc. *Id.* 1. *Ep.* 2. 6. Fabula, qua Paridis propter narratur amorem Græcia Barbariæ lento collisa duello etc. *Id.* 1. *Sat.* 1. 70. mutato nomine de te Fabula narratur. *Petron. Satyr.* 92. Utcumque tamen, tamquam non agnoscerem fabulam, tacui. *quasi ch' io non sapessi, come la cosa stava.* Et sequente infinito *Gell.* 19. 12. Ne id accidat, quod cuipiam Thraco venisse usu, fabula est. *si dice*, *si racconta*. *Curt.* 5. 1. 32. Super arce, vulgatum Græcorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt. *Justin.* 1. 1. 13. Hinc igitur fabulæ Scyllam et Charybdin pepererе. *et paullo post* § 17. Neque hoc ab antiquis in dulcedinem fabulæ compositum, sed metu et admiratione transeuntium. *Juvenal.* 15. 72. A deverticulo repetatur fabula. *Stat.* 2.

Achill. 273. Fabula puerilis. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 350. monstruosa. *Hieronym. Ep.* 1. 38. Brevem tibi fabulam referam. Adde *Spartian. Pesc.* 11.; et *Capitolin. Gord. tr.* 21. — Sæpe (etiam in malam partem) de iis quæ publice narrantur. *Sueton. Domit.* 15. Idque ei cœnanti, a mimo Latino, qui prætericns forte animadverterat, inter ceteras diei fabulas referretur. *Id. Ner.* 6. Emanavit in vulgus, missos a Messalina uxore Claudii, qui eum meridiantem quasi Britannici æmulum strangularent. Additum fabulæ est, eosdem dracone e pulvino se proferente conterritos refugisse. Quæ fabula exorta est etc. *Plin.* 8. *Ep.* 18. *sub fin.* Habes omnes fabulas urbis. *tutte le dicerie e le chiacchiere della città.* Cf. *Petron. Satyr.* 111. Una igitur in tota civitate fabula erat. *non si parlava d'oltri che di costei.* Rursus *Plin.* 1. *Ep.* 13. Ad audiendum pigre coitur, plerique in stationibus sedent, tempusque audiendis fabulis conterunt. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 15. *Justin.* 12. 6. 12. Reputabat deinde, quantum in exercitu suo, quantum apud devictas gentes fabularum atque invidiæ, quantum apud ceteros amicos metum et odium sui fecerit. *Martial.* 1. 91. tibi mœchum fabula nulla dabat. *niuno sparlava di te, come se avessi degli adulteri.* Adde *Propert.* 2. 10. 11.; *Quintil.* 9. 2. 95.; *Tac. Dial. de orat.* 3.; et *Lucan.* 8. 605. ¶ 2. Item de ipsa publicarum narrationum sermonumque materia, *l'oggetto dei pubblici discorsi, delle pubbliche dicerie, la favola. Horat.* 1. *Ep.* 13. 8. Asinæque paternum Cognomen vertas in risum et fabula fias. *diventi la favola del volgo.* Sic *Tibull.* 1. 4. 83. Parce puer, quæso, ne turbis fabula fiam, Quum mea videbunt vana magisteria. *Id.* 2. 3. 31. Fabula nunc ille est: sed cui sua cara puella est, Fabula sit, mavult, quam sine amore deus. *Propert.* eodem sensu 1. 5. 26. rumor eris. *Horat. Epod.* 11. 8. heu me, per urbem Fabula quanta fui! *quanto ho dato a dire di me! Ovid.* 3. *Amor.* 1. 21. Fabula (nec sentis) tota jactaris in urbe. *si dice di te per tutta la città. Propert.* 2. 32. 26. Semper formosis fabula pœna fuit. *Sueton. Aug.* 70. Cœna ejus secretior fuit in fabulis. *si fecero molti discorsi d'una sua cena etc.* ¶ 3. Item confabulatio, sermo, qui privatim inter aliquos fit, *conversazione. Tac. Dial. de orat.* 2. Quos ego in judiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotæ dictionis exciperem. *privati discorsi. Lamprid. Elagab.* 25. Quum inter fabulas privatas sermo esset ortus, quanti herniosi esse possent in urbe Roma. *Id. Alex. Sev.* 33.; et *Capitolin. Pertin.* 12. Fabulæ litteratæ. *Lamprid. Alex. Sev.* 43. In fabulis amabilis. *Tac.* 6. *Ann.* 5. Ne verba prave detorta, neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur, postulavit. Adde *eumd.* 2. *Hist.* 72. Cf. *Juvenal.* 1. 145. It nova, nec tristis per cunctas fabula cœnas. Adde *Lucan.* 4. 200. — Huc referri potest et illud *Martial.* 5. 20. Sed gestatio, fabulæ, libelli, Campus, porticus, umbra, virgo, thermæ; Hæc essent loca semper, hi labores. Cf. tamen *Furlanetto* in *Append.* ait *fabulam* hic esse locum, in quo multi fabulantur otiandi causa. ¶ 4. De salse dictis dixit *Capitolin. Pertin.* 13.

II.) Translate apud Comicos interdum dicitur de re, cujus principium et ratio non intelligitur. *Plaut. Pers.* 5. 2. 11. Sed quid ego aspicio? quæ hæc est fabula? *che negozio è questo? Ter. Andr.* 4. 4. 8. Quæ hæc est fabula? eho, Mysis, puer hic unde est? Cf. *Vopisc. Prob.* 10. Inepta fabula est scire.

B) Specialim. ¶ 1. Sæpissime de narratione rei fictæ, ut docet *Cic.* 1. *Herenn.* 8. 13. Fabula est, quæ neque veras, neque veri similes continet res. *favola, novella. Ter. Andr.* 5. 4. 22. Fabulam inceptat. *Cic.* 2. *Divinat.* 55. 113. Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quæ delectationis habeant quantum voles, — auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commenticiis rebus adjungere. *Id. Mil.* 3. 8. Hoc, judices, non sine causa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, sapientissimæ deæ sententia liberatum. *Id.* 2. *de republ.* 10. Antiquitas recepit fabulas, fictas etiam nonnumquam incondite: hæc ætas autem jam exculta, præsertim eludens omne, quod fieri non potest, respuit. *Id. ibid.* 2. Ut jam a fabulis ad facta veniamus. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 61. Quid tamen ista velit sibi fabula, ede. *Ovid.* 10. *Met.* 561. non fabula rumor ille fuit. *h. e.* non fuit fictus. *Quintil.* 1. 9. 2. Fabulæ nutricularum. *Id.* 1. 8. 19. aniles. Adde *eumd.* 6. 1. 41. et 11. 2. 11.; *Curt.* 8. 1. 17.; *Justin.* 44. 3. 1.; et *Sueton. Rhet.* 1. — Per appositionem, *Horat.* 1. *Od.* 4. 16. Jam te premet nox fabulæque Manes. Sic *Auct. carm.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 473. *Burmann.* Avernus, Fabulas Manes ubi rex coercet. *V.* MANES. — Hinc adhibetur eleganter in responsionibus, ubi quis narranti non credit. *Ter. Heaut.* 2. 3. 95. *sq.* Quamobrem id faciam, vera causa est. *Cl.* Fabulæ! *Id. Andr.* 1. 3. 19. Ibi tum hanc ejectam Chrysidis patrem recepisse orbam, parvam. Fabulæ! Mihi quidem hercle non fit verisimile: atqui ipsis commentum placet. — Quomodo fabula hoc sensu ab apologo differat, *V.* APOLOGUS. ¶ 2. Fabulæ sunt etiam compositiones rerum magna ex parte confictarum, ad delectationem et utilitatem inventæ, quæ publice ab histrionibus agantur, scilicet comœdiæ et tragœdiæ. *Cic. Brut.* 18. 72. Odyssea Latina est tamquam opus aliquod Dædali, et Livianæ fabulæ non satis dignæ, quæ iterum legantur. Atque hic Livius primus fabulam, C. Clodio Cæci F. et M. Tuditano coss., docuit. *Id. Senect.* 19. 70. Neque histrioni, ut placeat, peragenda est fabula; modo in quocumque fuerit actu, probetur. *Id. Amic.* 7. 24. Qui clamores tota cavea nuper in M. Pacuvii nova fabula! *Horat.* 1. *Sat.* 2. 21. fabula Terentii. *Id.* 2. *Ep.* 1. 80. Attæ. *Quintil.* 10. 1. 66. Æschyli. Adde *eumd.* 11. 3. 73. Rursus *Horat.* 2. *Ep.* 1. 176. Securus, cadat an recto stet fabula talo. *Id. Art. P.* 190. Neve minor, neu sit quinto productior actu Fabula. *Seneca Ep.* 77. Fabulas agere. *Quintil.* 5. 10. 9. ad scœnam componere. *Ammian.* 14. 6. Fabulæ theatrales. — *Docere fabulas* dicuntur, qui fabulas seu comœdias componunt, et agendas dant histrionibus. *V.* loc. *Cic. Brut.* 18. 72. superius allatum, et v. DOCEO. — *Dare fabulam* eodem fere sensu dicitur. *Ter. prol. Hecyr.* 1. Hecyra est huic nomen fabulæ; hæc quum data est nova etc. ubi *Donatus*: Ita dicitur, data est fabula, ut data est cœna, datum est prandium. et dari dicitur fabula, quum agitur; stare, quum placet. Adde *Ter. Eun. prol.* 9. *Cic.* 1. *Tusc.* 1. 3. Annis fere DX. post Romam conditam Livius fabulam dedit. — *Facere fabulam* idem est quod docere: agere ad histrionem pertinet. *Varro* 6. *L. L.* 77. *Müll.* Poeta facit fabulam et non agit: contra actor agit et non facit. Adde *Ter. Andr. prol.* 3. et *Eun. prol.* 25. — Hujusmodi autem fabulæ diversa sortiuntur nomina pro habitu et qualitate personarum, quæ in eis introducuntur. Aliæ enim *Togatæ* dicebantur, quarum personæ togis et Romanorum cultu erant ornatæ. Aliæ *Palliatæ*, quum personæ Græco more palliis indutæ in scœnam prodibant: erat enim pallium Græcis peculiare, ut Romanis toga. Deinde togatarum genera quatuor erant, *Prætextatæ*, *Tabernariæ*, *Atellanæ*, *Planipediæ*. *Prætextatæ* erant, in quibus regum, vel magistratuum, qui prætexta induti erant, acta comprehendebantur. *Tabernariæ* illæ erant, quibus humiles et privatæ personæ inducebantur, quales fere sunt mercatores et institores, qui in tabernis merces suas vendere consueverunt. *Atellanæ* erant, in quibus ridiculæ personæ inducebantur jocis et salibus vellicantes: dictæ ab Atella Campaniæ oppido. *Planipediæ* dictæ sunt a planis histrionum pedibus, qui ob humilitatem argumenti et vilitatem personarum neque cothurnis utebantur, neque soccis. — Translate *Cic.* 2. *Phil.* 14. 34. Si meus stilus ille fuisset, ut dicitur, mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem. ¶ 3. Item fabulæ sunt narrationes rerum confictarum ad delectationem et utilitatem inventæ, *favole, come produzione letteraria*: cujusmodi sunt Æsopi et Phædri, de quibus *Id. prol.* 4. 3. Nunc, fabularum cur sit inventum genus, Brevi docebo. *Cic.* 1. *Invent.* 17. 25. Sin res dabit, non inutile est, ab aliqua re nova et ridicula incipere, aut ex tempore quæ nata sit, aut jam parata, quæ vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat irrisionem. *Quintil.* 5. 11. 19. Nota illa de membris humanis adversus ventrem discordantibus fabula. *Justin.* 43. 4. 4. Subnectit et illam fabulam: Canem aliquando partu gravidam locum a pastore precario petisse, in quo pareret etc. — *Lupus in fabula* proverb. est, quo utimur, quum is ipse, de quo adhuc collocuti sumus, repente adest. *Ter. Adelph.* 4. 1. 21.; et *Cic.* 13. *Att.* 33. 4. Eodem sensu *Plaut. Stich.* 4. 1. 71. Lupus in sermone. *V.* LUPUS.

FĂBŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* faba, parva faba. *Plaut. Stich.* 5. 4. 8. Hoc convivium est pro opibus nostris satis commodule, nucibus, fabulis, ficulis.

FĂBŬLĀRIS, e, *favoloso*, adject. idem ac fabulosus, ut Historia fabularis in qua multa falsa. *Sueton. Tib.* 70. Maxime tamen curavit historiæ fabularis notitiam. Adde *Censorin. de die nat.* 4. *Priscian. Præexerc. rhet. p.* 1131. *Putsch.* Species autem narrationis quatuor sunt, fabularis, fictilis, historica, civilis. Fabularis est, ad fabulas supradictas pertinens.

FĂBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. *novella*, faceta narratio vel collocutio. *Capell.* 6. *p.* 189. Cura districtior tibi forensis fabulationis partibus alligata aciem industriæ melioris obtudit. Cf. *Vulgat. interpr. Psalm.* 118. 85. Narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua.

FĂBŬLĀTOR, ōris, m. 3. *novellatore*, qui fabulatur. ¶ 1. Generatim est facetus allocutor. *Seneca Ep.* 122. *a med.* Pedonem Albinovanum narrantem audieramus (erat autem fabulator elegantissimus) habitasse se etc. *Sueton. Aug.* 78. Lectoribus, aut fabulatoribus arcessitis somnum resumebat. *Gell.* 3. 10. Herodotus homo fabulator. ¶ 2. Specialim est qui fabellas narrat. *Gell.* 2. 29. Æsopus ille e Phrygia fabulator. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

FĂBŬLIS, e, adject. idem quod fabalis, ut *seges fabulis* apud *Varron.* 1. *R. R.* 31.; et *fabulia stramenta*, h. e. fabæ segetem, *Id. ibid.* 23. Alii tamen leg. *fabalis et fabalia.*

FĂBŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. idem quod fabulor, sed veterum proprium. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 18. Quæ cum hoc insano fabulem. *Id. ibid.* 2. 5. 33. Stulta, quæ vobiscum fabulem. *Alii tamen his locis legunt* fabuler. *Afranius* apud *Non. p.* 232. 26. *Merc.* De vita ac morte domini fabulavere adrursum fratrem illius ac dominum suum. — Hinc passive *fabularier* per paragogen pro *dici. Plaut. in supposit. Amph. sc. Dii vostr. fid. v.* 3. Verum est, quod olim est auditum fabularier.

FĂBŬLO, ōnis, m. 3. congerro, qui nugas loquitur: item fabularum inventor, ut legitur in *Gloss. Isid. Macrob.* 2. *Saturn.* 1. Planipes et fabulo impudica verba jaciens. *Al. aliter leg.* V. SABULO.

FĂBŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (fari). De veteri forma *fabulare*, *V.* supra FABULO, as. — Part. *Fabulans* I. — Fabulor est loquor, dico, narro, μυθέομαι, *dire, favellare, ragionare.* ¶ 1. Generatim. *Ennius* apud *Non. p.* 475. 3. *Merc.* Ita sapere opino esse optumum, ut pro viribus Tacere ac fabulari tute noveris. *Plaut. Pœn.* 3. 4. 8. Age, ambula; ibi reliqua alia fabulabimur. *Id. Amph.* 1. 1. 144. Clare adversum fabulabor: hic auscultet quæ loquar. *Id. Cist. a.* 5. *v.* 1. Quid hoc negotii est, quod homines fabulantur per vias mihi esse filiam inventam? *Id. Epid.* 2. 2. 53. Fabulari inter se. *Ter. Phorm.* 4. 3. 41. Sed mihi opus erat ut aperte tibi nunc fabuler, aliquantulum quæ afferret etc. *per dirtela ora schietta. Sueton. Cal.* 22. Fabulari cum aliquo. Adde *eumd. Aug.* 74. *Gell.* 19. 13. Stabant forte una in vestibulo palatii Fronto et Festus fabulantes. *Id.* 15. 1. Vir læta inter fabulandum venustate. ¶ 2. Specialim est rem falsam fictamque narrare, inepte garrire. *Plaut. Capt.* 3. 4. 2. Quid loquar, quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? *Id. Truc.* 1. 2. 79. et 80. Non didici fabulari. *Liv.* 45. 39. *ad fin.* Tu miles quid de imperatore Paulo senatus decrerit potius, quam quid Sergius Galba fabuletur, audi. Cf. *Quintil.* 11. 3. 131. Quidam (oratores) sinistra gestum facientes spatiantur et fabulantur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Ars medendi, ictum fulmine Æsculapium, fabulata. *Ammian.* 22. 16. Insula Pharos, ubi Proteum cum phocarum gregibus diversatum Homerus fabulatur inflatius.

FĂBŬLŌSĒ, adverb. Comp. *Fabulosius* et Sup. *Fabulosissime.* — Fabulose est cum fabula, μυθωδῶς, *favolosamente. Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (143). Accedat his Taprobane, insulæque aliæ oceani fabulose narratæ. *Id.* 5. *ibid.* 1. 1. (3). Colonia a Claudio Cæsare facta Lixos vel fabulosissime ab antiquis narrata. *Id.* 7. *ibid.* 48. 49. (153). Hesiodus fabulose multa de hominum ævo referens; et reliqua fabulosius in phœnice. *Ammian.* 23. 6. Ut Homerus fabulosius canit. Adde *Apul.* 1. *Met.* ubi Comp.; et *Augustin.* 1. *Retract.* 15. ubi Sup. occurrit.

FĂBŬLŌSĬTAS, atis, f. 3. *ciance, favole*, fabulantium vanitas. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (174). Corvi effigie, magna quidem fabulositate. *Id. ibid.* 28. 29. (101). Si recipiatur poetica fabulositas. *Diomed.* 3. p. 474. *Putsch.* Sed nativitatis eorum (*Idæorum Dactylorum*) causam vetusta fabulositas docet hanc fuisse.

FĂBŬLŌSUS, a, um, adject. Comp. *Fabulosior* et Sup. *Fabulosissimus* I. — Fabulosus est qui fabulis et figmentis celebratur, de quo multa finguntur, commenticius, μυθώδης, *favoloso*.

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Od.* 22. 7. quæ loca fabulosus Lambit Hydaspes. *Id.* 3. *ibid.* 4. 9. Fabulosæ palumbæ. *Curt.* 3. 1. 2. Marsyas amnis, fabulosis Græcorum carminibus inclitus. *Sueton. Cæs.* 81. Res fabulosa aut commenticia. *Quintil.* 5. 13. 24. Fabulosa exempla. Adde *eumd.* 2. 10. 5. et 11. 2. 16. *Flor.* 2. 2. 5. monstra. *Id.* 2. 6. 9. altitudo. *Justin.* 2. 6. 7. et 4. 1. 8. antiquitas. *Ammian.* 14. 11. et 22. 2. vetustas. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 95. (232). Fabulosum arbitror de strigibus, ubera eas infantium labris immulgere. *Id.* 5. *ibid.* 1. 1. (5). Mons Atlas fabulosissimus. *Id.* 33. *ibid.* 1. 4. (8). Fabulosior anulus. *Apul.* 1. *Met.* Nihil hac fabula fabulosius.

II.) Translate ponitur pro maximo, incredibili. *Ammian.* 23. 6. Cyrus Bosphori fretum cum multitudine fabulosa transgressus.

FĂBŬLUS, i, m. 2. *deminut.* a faba. *Forcellinus* effert etiam *fabulum*, i, n. 2.; sed nullo id confirmat exemplo. — Fabulus, *fava*, est parva faba vel fabæ granum. *Cato R. R.* 70. Rutæ folia tria, vitis albæ caules tres, fabulos albos tres. *Colum.* 6. *R. R.* 4. 3. ubi hæc fere verba repetit, habet *valvulos ervi*. Dubia igitur est lectio apud *Catonem*. V. *Schneider.* ad *Caton.* et *Colum.* loc. cit. *Gell.* 4. 11. Pythagoram abstinuisse fabulo, quem κύαμον Græci appellant.

FACELA, æ, f. 1. olusculum, quod aceto maceratum mensæ apponitur, unde sequens *facelare*. *Auct. incert. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 369. *Burm.* Augustum penitus torret Phaethontius ardor, Quem recreat fessum gilio, facela, melo. *Burmannus* hic recte legendum putat *tabella*, quæ flabellum significat, quo utebantur veteres ad æstivos calores refrigerandos.

FACELARE, is, n. 3. *insalata*, acetarium. *Lamprid. Elagab.* 20. Barbas mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro nasturtiis, apiastris et facelaribus exhiberet plenis fabatariis et discis. *Alii melius leg.* faselaribus *vel* faselariis, *h. e.* siliquis faselorum seu phaseolorum conditis; nam faseli una cum siliquis ex aceto apponebantur ad orexim initio cœnæ excitandam.

FĂCELLA, æ, f. 1. *deminut. duplex a* fax, parvula fax. Occurrit translate tantum, et est nummus aureus, qui instar facis splendet, apud *Coripp.* 3. *Johann.* 369. magnis cumulata est arca facellis.

FĂCESSO, cessis, cessi (cessivi), cessitum, cessere, 3. intensivum (παραγωγόν vocant *Diomed.* 1. p. 373. et *Charis.* 3. p. 227. *Putsch.*, desiderativum *Priscian.* loc. cit. in CAPESSO, frequentativum *Forcellinus*) a *facio*, ut *capesso* a *capio*. — In illis *Taciti* 4. *Hist.* 43. Nulli unquam periculum facessisset, volunt quidam grammatici *facessisset* esse pro *facessivisset* a præterito *facessivi*, quod simile est in *capesso* et *lacesso*. Quod si verum est, etiam illud *facesseris*, quod ex *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* sub *A.* 2. attulimus, pro *facessiveris* dictum erit. — Part. *Facessitus* sub *A.* 2. — Facessere est maximo studio facere, præstare, exsequi (It. *fare, eseguire con sommo zelo*; Fr. *faire, exécuter, accomplir avec ardeur*; Hisp. *hacer, executar, cumplir con ardor grande*; Germ. *mit Eifer betreiben, etwas thun, verrichten, verfertigen*; Angl. *to do, perform, execute, accomplish*). Occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active. ¶ 1. Generatim est, ut diximus, maximo studio facere, præstare, exsequi: quo sensu occurrit tantum apud Poetas. *Ennius* apud *Non.* p. 306. 21. *Merc.* Hæc effatus ibus, latrones dicta facessunt. Sic *Afranius* apud *eumd. ibid.* Facessere dicta. *Virg.* 4. *Æn.* 295. Imperio læti parent, ac jussa facessunt. *Id.* 4. *G.* 548. Haud mora: continuo matris præcepta facessit. *Ovid.* 3. *Art. am.* 367. Mille facesse jocos: turpe est nescire puellam Ludere. *Al. leg.* fac esto, *vel* face esse. — Huc pertinet et illud *Plaut. Men.* 2. 1. 24. Dictum facessas doctum, et discaveas malo. *Forcellinus* pro removere accepit, et interpretatus est: *va via con coteste tue sentenze*. Rectius tamen accipias pro ad finem adducere, ut sensus sit: *finiscila una volta con coteste tue sentenze*. ¶ 2. Speciatim in malam partem accipitur pro exhibere, creare, afferre, *recare, apportare*. *Cic.* 3. *Fam.* 10. 1. De temeritate eorum, qui tibi negotium facesserent. Et passive *Id. Cluent.* 57. 158. Si cui forte hac lege negotium facesseretur. *Id.* 6. *Verr.* 61. 142. Quum audissent ei negotium facessitum. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 14. 45. Ipse profecto metuere incipies, ne innocenti periculum facesseris. Adde *Tac.* 4. *Hist.* 43. allatum sub init. — Huc pertinet et illud *Plaut. Rud.* 4. 1. 17. Ego, opinor, qui rem facesso, *h. e.* qui litem facio, actionem intendo. *Est qui legit* reum facesso.

B) Neutrorum more facessere est abire, discedere, recedere, *ritirarsi, andar via, torsi via*: subauditur enim Accusat. se, ut docet *Donatus* ad illud *Ter. Phorm.* 4. 3. 30. Hæc hinc facessat: tu molestus ne sies. Ubi *Donatus*: pro *hinc se faciat*, id est abeat: *huc se faciat*, huc accedat, significat. — *a*) Cum addito, unde quis recedit. *Ennius* apud *Non.* p. 306. 29. *Merc.* Vos ab hoc facessite. *Cf. Cic.* 1. *Legg.* 13. 39. Ab omni societate reipublicæ paulisper facessant, rogamus. *Liv.* 6. 17. Facesserent propere ex urbe ab ore atque oculis populi Romani. Sic *Id.* 1. 48. Facessere ex tanto tumultu. *Apul.* 10. *Met.* e conspectu. *Trebell. Poll. Claud.* 13. a militum congressu. *Titinius* apud *Non.* p. 306. 31. *Merc.* Ædibus facessat. *Liv.* 4. 58. Ni facesserent propere urbe finibusque. *Apul.* 2. *Met.* facessere cubiculo. *Id.* 3. *ibid.* theatro. *Pacuvius* apud *Non.* p. 306. 33 *Merc.* Facessite hinc omnes parumper, tu mane. *Afranius* apud *eumd.* p. 307. 3.; et *Plaut. Rud.* 4. 4. 16. hinc. Adde *Curt.* 10. 2. 27. *Liv.* 1. 47. Facesse hinc Tarquinios, aut Corinthum. — *b*) Absolute. *Cic. Flacc.* 38. 97. Vis absit: ferrum ac lapides removeantur: operæ facessant, servitia sileant. *Id. fragm. Hortens.* apud *Non.* p. 307. 6. *Merc.* Facessant igitur omnes qui docere nihil possunt, quo melius sapientiusque vivamus. *Apul.* 6. *Met.* Facessere cubitum. *andar a dormire*. — *c*) De abstractis. *Justin.* 34. 4. 2. Facessere interim privatam amicitiam jubet, quum mandata patriæ intercedant. *Apul.* 3. *Met.* ignavia omnis facessat e pectore.

FĂCĒTĒ, adverb. Comp. *Facetius* et Sup. *Facetissime* II. — Facete ¶ 1. Est apte, commode, urbane, κομψῶς, *facetamente*. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 39. Facete advertis animum tuum ad animum meum. *Id. Pers.* 4. 4. 7. Hanc ego rem exorsus facete et callide; igitur proventuram bene confido mihi. *Id. Men.* 1. 2. 22. Facete verba dare. *Id. Stich.* 1. 3. 114. Hoc vide, satin' ut facete atque ex pictura hic adstitit! *con che grazia e brio!* *Id. Capt.* 1. 2. 72. Propterea te vocari ad cœnam volo. PARASIT. Facete dictum. *ben detto*. Sic *Ter. Eun.* 2. 2. 57. Facete dictum. — Huc pertinet quum adhibetur in acclamationibus. *Ter. Eun.* 3. 1. 37. Facete, lepide, laute, nihil supra. ¶ 2. Hinc est etiam salse, venuste, eleganter. *Plaut. Asin.* 3. 2. 31. Edepol senem Demænetum lepidum fuisse nobis. Ut assimulabat Sauream med esse, quam facete! *Cic.* 6. *Verr.* 43. 95. Numquam tantum mali est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant. *Id. Rosc. Am.* 44. 128. Nosque ab istu nebulone facetius eludimur. *Id.* 2. *Orat.* 55. 223. Facetissime tres libellos tribus legendos dedit. *Id.* 1. *ibid.* 57. 243. Non modo acute, sed etiam ridicule ac facete. *Id.* 1. *Fin.* 11. 39. Facete et urbane ridere Stoicos. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (12). Facete ludere in aliquam rem. *Gell.* 2. 23. Præclare et apposite et facete scripsit. Adde *Sueton. Cæs.* 50.; et *Plin.* 1. *Ep.* 9. 8. et 9. *ibid.* 22. 2.

FĂCĒTĬÆ, arum, f. 1. In sing. numero. *Plaut. Stich.* 5. 4. 47. Hæc facetia est, amare inter se rivales duos. (Huc loco *facetia* non pro dicto, sed pro re singulari, admirabili ponitur. *V.* tamen infra sub 1.). *Gell.* 3. 3. Facetia sermonis. *Apul. de Mag.* Nonnullos facetiæ sibi habere, res divinas deridere. *hanno per una facezia*. — Ceterum facetiæ ¶ 1. Ratione habita etymi, quod vide in voc. FACETUS, apud *Plautum* est agendi ratio vel consuetudo prudens, cauta, callida. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 187. Ecquam tu potes reperire forma lepida mulierem, cui facetiarum cor corpusque sit plenum et doli. *Id. Stich.* 5. 2. 7. Fecisti, here, facetias, quum hoc donavisti dono tuum servum Stichum. Huc pertinet et *ejusd. Plaut.* locus allat. init. ¶ 2. Sæpius facetiæ sunt dicta arguta et salsa ad delectandum et risum movendum, deliciæ quædam sermonis, urbana dicta sine scurrilitate, joci, sales, lepores, urbanitates, argutiæ, εὐτραπελία (It. *facezie, scherzi, burle, detti piacevoli*; Fr. *finesse, esprit, mots plaisants, plaisanterie, enjouements, facéties*; Hisp. *dicho agudo, divertimiento, chanza, facecia, chiste*; Germ. *der Witz, witzige Redeweise*; Angl. *facetiousness, pleasantry, wit, humour, drollery*). *Cic. Brut.* 34. 128. P. Scipio omnes sale facetiisque superabat. *Id. ibid.* 48. 177. Festivitate et facetiis C. Julius et superioribus et æqualibus suis omnibus præstitit, oratorque fuit minime ille quidem vehemens, sed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior. *Id.* 1. *Orat.* 57. 243. Sale tuo et lepore et politissimis facetiis pellexisti. *Id. ibid.* 5. 17. Accedat oportet lepos quidam facetiæque. *Id. ibid.* 34. 159. Libandus ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos. *Id.* 1. *Att.* 13. 2. Facie magis, quam facetiis ridiculus. *Id.* 9. *Fam.* 15. 2. Ego mirifice rapior facetiis, maxime nostratibus. *Catull.* 12. 9. est enim leporum Disertus puer ac facetiarum. *Vellej.* 1. 17. 1. Dulces Latini leporis facetiæ per Cæcilium Terentiumque et Afranium sub paritate nituerunt. Adde *Quintil.* 6. 3. 12.; *Tac.* 1. *Ann.* 23.; et *Trebell. Poll. Gall. duob.* 9. *Tac.* 15. *Ann.* 68. Asperis facetiis illudere aliquem. *Id.* 5. *ibid.* 2. Acerbis facetiis irridere. *Id.* 15. *ibid.* 25. *extr.* Facetiis insectari quempiam. *Id.* 11. *ibid.* 1. Per facetias incusare aliquem. — Duo sunt genera facetiarum, alterum æquabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve: illa a veteribus superior cavillatio; hæc altera dicacitas nominata est. Ita *Cic.* 2. *Orat.* 54. 218. — Aliquando *facetiæ* dicuntur de solo illo priori genere. *Id. Orat.* 26. 87. Qui (*sales*) in dicendo nimium quantum valent: quorum duo genera sunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis. Utetur utroque: sed altero in narrando aliquid venuste, altero in jaciendo mittendoque ridiculo.

FĂCĒTĬOR, aris, ari, dep. 1. facetiis utor. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Qui, quod verbis inverecundis aurium publicarum reverentiam incestant, granditer sibi videntur facetiari.

FĂCĒTO, as, are, a. 1. (facetus) exorno, elegantem aliquem reddo. *Venant.* 2. *Vit. S. Martin.* 453. Hunc prætexta nitens, illum diadema facetat.

FACETOSUS, a, um, adject. idem ac facetus. *Cic.* 2. *Fin.* 31. 103. Et in quantam hominum facetosam urbanitatem incurratis. *Ita quidam leg.; sed* facetorum *omnino reponendum est cum optimis quibusque libris.*

FĂCĒTUS, a, um, adject. Comp. *Facetior* et Sup. *Facetissimus* II. 3. — Ratione habita etymi *facetus* est a *facio* (V. *Voss.*), ac propterea est bene formatus, optime factus, atque adeo elegans (It. *elegante*; Fr. *élégant*; Hisp. *elegante*; Germ. *zierlich, fein*; Angl. *elegant, fit*)

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Brutus* apud *Quintil.* 6. 3. 20. Næ illi sunt pedes faceti ac deliciis ingredienti molles. Huc pertinet et illud *Plaut. Most.* 1. 1. 41. Non omnes possunt olere unguenta exotica, si tu oles: neque tam facetis, quam tu vives, victibus. *h. e.* victu eleganti, lauto.

II.) Translate. ¶ 1. De agendi ratione sive de hominibus ponitur, et est cautus, callidus. *Plaut. Most.* 2. 2. 84. Extemplo facio facetum me atque magnificum virum. *Ter. Heaut.* 3. 2. 11. Mulier commoda et faceta hæc meretrix. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 54. frater, pater, adde, ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta. *Forcellino* h. l. facetus est qui blande loquitur et ad voluntatem alterius. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 25. Malchinus tunicis demissis ambulat: est qui inguen ad obscœnum subductis usque facetus. *Forcellino* h. l. facetus est scurra, quique per turpia aut indecora risum captat. ¶ 2. De oratione est amœnus, elegans. *Quintil.* 6. 3. 20. *Facetus* non tantum circa ridicula opinor consistere. Neque enim diceret Horatius (1. *Sat.* 10. 44.) facetum carminis genus natura concessum esse Virgilio. Decoris hanc magis et excultæ elegantiæ appellationem puto. Ideoque in epistolis Cicero (*in fragm.*) hæc Bruti refert verba: Næ illi sunt pedes faceti ac deliciis ingredienti molles. Quod convenit cum illo Horatiano:

molle atque facetum Virgilio. Hactenus *Quintil.* Advertendum autem, facetum carmen *Virgilio* tribui ab *Horatio* præsertim in Bucolicis et Georgicis. Ait enim: molle atque facetum Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenæ. Significat ergo amœnum, elegans, jucundum, eruditum, floribus poetici leporis respersum. Quo pertinet illud *Colum.* 1. *R. R.* 1. 14. Duo volumina similium præceptorum de vineis Jul. Græcinus composita facetius et eruditius, posteritati tradenda curavit. ¶ 3. Item de oratione, et quidem sæpissime, facetus est qui salibus et sermonis urbanitate, citra scurrilitatem tamen, abundat, festivus, salsus, urbanus, scitus in dictis, venustus, εὐτράπελος (It. *faceto, scherzevole, burliero, piacevole ed anche ironico*; Fr. *fin, spirituel, enjoué, plaisant, facétieux, divertissant, ironique*; Hisp. *fino, espiritual, festivo, lozano, placentero, chistoso, faceicioso, irónico*; Germ. *witzig, fein, auch ironisch*; Angl. *facetious, merry, pleasant, witty, jocose, humorous, ironicall*). Dicitur tum de personis, tum de rebus. — a) Posit. *Cic.* 1. *Off.* 30. 108. Dulcem et facetum festivique sermonis atque in omni sermone simulatorem, quem εἴρωνα Græci nominarunt, Socratem accepimus. *Id.* 2. *Phil.* 8. 20. At etiam quodam loco facetus esse voluisti. Quam id, dii boni, non decebat! *Id. Brut.* 16. 63. Homo acutus, elegans, facetus. *Id.* 2. *Orat.* 56. 228. Esse quamvis facetum atque salsum, non nimis est per se ipsum invidendum: sed quum omnium sis venustissimus et urbanissimus etc. *Id. ibid.* 54. 219. Natura fingit homines et creat imitatores et narratores facetos et vultu adjuvante et voce. *Id. Brut.* 47. 173. In altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus. *Juvenal.* 9. 10. conviva joco mordente facetus. — *Cic.* 1. *Off.* 29. 104. Duplex jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. *Id.* 2. *Orat.* 56. 227. Faceta et urbana innumerabilia. *Id. Brut.* 85. 292. Ironiam illam facetam et elegantem puto. *Id.* 1. *Orat.* 8. 32. Facetus sermo. *Id.* 2. *ibid.* 54. 219. dictum. *Justin.* 39. 2. 5. joci. — b) Comp. *Lucilius* apud *Festum p.* 273. 10. *Müll.* Quo facetior videare et scire plus quam ceteri. — c) Sup. *Cic.* 2. *Legg.* 15. 37. Aristophanes, facetissimus poeta veteris comœdiæ. Adde *eumd.* 1. *Herenn.* 11. 19. *Sueton. Vesp.* 22. Nonnulla ejus facetissima. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (117). Argutiæ facetissimi salis.

FĂCĬES, ēi, f. 5. Olim declinabant *facies*, hujus *facies* et hujus *facii*, et in Dativo huic *facie*: cujus rei testis est *Gell.* 9. 14. Sic *dies dii*, *fames famii*, etc. *V.* DIES init. — In secundo casu plurali, *facierum*, vix est in usu. *Cato* apud *Priscian.* 7. p. 782. *Putsch.* Exempla earum facierum. — In tertio vel sexto casu plurali, *faciebus*, nusquam legitur. — Facies (cujus etymon *V.* infra sub I. 2.) est pars anterior capitis humani, constans fronte, oculis, naso, malis, ore, mento, πρόσωπον (It. *faccia*, *viso*; Fr. *visage*, *face*; Hisp. *cara*, *faz*, *rostro*; Germ. *das Gesicht*, *Antlitz des Menschen*; Angl. *the face*, *countenance*, *visage*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est, ut diximus, pars anterior capitis humani, etc. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 51. (138). Facies homini tantum: ceteris os, aut rostra. *Id.* 7. *ibid.* 1. 1. (8). Jam in facie vultuque nostro quum sint decem, aut paullo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiscretas effigies existere. — a) Generatim. *Cic.* 2. *Phil.* 16. 41. Velim, mihi dicas, L. Turselius qua facie fuerit, qua statura. *Id. Pis.* 32. 81. Quam tu ne de facie quidem nosti, *di vista*. *Tibull.* 1. 9. 15. Uretur facies, urentur sole capilli. Adde *eumd.* 1. 5. 43. *Horat.* 1. *Od.* 5. 11. Curvo nec faciem litore demovet. *Sueton. Oth.* 12. Faciem rasitare. *Juvenal.* 3. 280. Cubare in faciem. *dormire boccone*. *Id.* 9. 199. facies tua computat annos. *h. e.* annos tuos manifestos facit. *Id.* 9. 146. Multas facies fingere. *molte teste o ritratti*. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 9. Peregrina facies videtur hominis atque ignobilis. *ha ciera da forastiero*. *Cic. Flacc.* 29. 70. Longo intervallo Romam venis, affers faciem novam, nomen vetus, purpuram Tyriam. *Ter. Eun.* 3. 2. 20. Homo facie liberali. *che ha viso da galantuomo*. *Id. Phorm.* 1. 2. 50. Virgo facie egregia. *di rara bellezza*. *Horat.* 4. *Od.* 10. 5. Facies hispida. *Quintil.* 1. 1. 61. cicatricosa. *Id.* 2. 13. 9. adversa. — b) Specialim a Poetis interdum ponitur pro pulcra vel formosa facie, pro pulcritudine. *Ovid.* 3. *Art. am.* 105. Cura dabit faciem, facies neglecta peribit. *Id. Heroid.* 16. 191. Hanc faciem largis sine fine paratibus uti Deliciisque decet luxuriare novis. *Id.* 14. *Met.* 337. Rara quidem facie, sed rarior arte canendi. Adde *eumd. Heroid.* 5. 125.; et cf. *Virg.* 9. *Æn.* 583. — c) *Perfricare faciem*, ut perfricare os, frontem, est pudorem abjicere: ad rem *Quintil.* 11. 3. 60. Vitiosa sunt illa, intueri lacunaria, perfricare faciem et quasi improbam facere, tendere confidentia vultum etc. *Plin. Hist. nat. præfat.* § 4. Hanc igitur (*audaciam*) tibi imputabis et in nostra culpa tibi ignosces. Perfricui faciem, nec tamen profeci, quoniam etc. Eodem sensu dixit *Sueton. Claud.* 8. Confricare faciem. ¶ 2. Latiore significatione accipitur pro universa forma et modo et factura corporis totius, *aspetto, figura, apparicenza, sembianza*, uti docet hisce verbis *Gell.* 13. 29. Quidam *faciem* esse hominis putant os tantum et oculos et genas, quod Græci πρόσωπον dicunt: quando *facies* sit forma omnis et modus et factura quædam corporis totius, a *faciendo* dicta, ut ab *aspectu species* et a *fingendo figura*. Adde *Non.* p. 52. 27. *Merc.* — a) De hominibus et aliis animantibus. *Gell. loc. cit.* Ecce autem id quoque in mentem venit, quod etiam *Plautus faciem* pro totius corporis colorisque habitu dixit. Verba *Plauti* hæc sunt *Pœn.* 5. 2. 151. HA. Sed earum nutrix qua sit facie, mihi expedi. MI. Statura haud magna, corpore aquilo. HA. Ipsa ea'st. MI. Specie venusta, ore parvo atque oculis pernigris. HA. Formam quidem hercle verbis depinxti mihi. *Gell.* subdit: Præterea memini, *Quadrigarium* in undecimo *faciem* pro statura totiusque corporis figura dixisse. *Pacuvius* apud *Gell.* et *Non. loc. cit.* Ætate integra, feroci ingenio, facie procera virum. *Seneca Ep.* 33. Non est formosa, cujus crus laudatur aut brachium, sed illa, cujus universa facies admirationem singulis partibus abstulit. *Lucret.* 5. 1169. Quippe etenim jam tum divum mortalia secla Egregias animo facies vigilante videbant, Et magis in somnis, mirando corporis auctu. His igitur sensum tribuebant, propterea quod Membra movere videbantur vocesque superbas Mittere pro facie præclara et viribus amplis: Æternamque dabant vitam, quia semper eorum Suppeditabatur facies et forma manebat. *Id.* 5. 1110. Condere cœperunt urbes — Et pecudes et agros divisere atque dedere Pro facie cujusque et viribus ingenioque: Nam facies multum valuit viresque vigebant. *Cic. Rosc. com.* 10. 28. Quid erat enim Fannii? Corpus. Quid Roscii? Disciplina. Facies non erat, ars erat pretiosa. *Id.* 2. *Divinat.* 67. 139. Num igitur, quum aut muros Babylonis aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit? Adde *Sall. Jug.* 63. *Nepos Ages.* 8. Maleficam (*naturam*) nactus est in corpore, exiguus et claudus altero pede. Quæ res nonnullam etiam afferebat deformitatem: atque ignoti, faciem ejus quum intuerentur, contemnebant. Adde *eumd. Datam.* 3. *Virg.* 5. *Æn.* 722. Visa dehinc cælo facies delapsa parentis Anchisæ subito tales effundere voces. Sic *Ovid.* 11. *Met.* 827. Pulcra subit facies et pulvinaribus altis Dignior, et qualis trabeati forma Quirini. *Plin.* 1. *Ep.* 10. Ad hoc proceritas corporis et decora facies, demissus capillus, ingens et cana barba. — Et in plur. num. *Curt.* 4. 13. 5. At interdiu primum terribiles occursuras facies Scytharum Bactrianorumque: hirta illis ora et intonsas comas esse; præterea eximiam vastorum magnitudinem corporum. — Hac ratione *facies* differt a *vultu*, qui de ore tantummodo dicitur. *Cic.* 1. *Orat.* 28. 127. Non queruntur ea, quæ nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. *Sall. Cat.* 15. Prorsus in facie vultuque vecordia inerat. Aliud discrimen *vultus* et *faciei* V. in VULTUS. — De brutis. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 87. ubi equos mercantur, opertos inspiciunt, ne, si facies, ut sæpe, decora Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem. — b) De rebus inanimis. *Plaut. Rud.* 4. 4. 105. et 111. DAE. Crepundia qua facie sunt? responde ex ordine. EX. Ensiculus est aureolus litteratus: post est securicula anceps etc. *come son fatte*? Eodem modo adnotante *Gell. loc. cit.* probe dicitur *montis* et *cæli* et *maris facies*. *Sall. fragm. ibid.* Sardinia in Africo mari, facie vestigii humani. *di figura d'una pianta d'uomo*. *Virg.* 5. *Æn.* 767. ipsi, quibus aspera Visa maris facies et non tolerabile numen, etc. *Id.* 4. *G.* 361. Unda curvata in faciem montis. *a guisa di monte*. *Val. Flacc.* 2. 38. Auxerat hora metus; jam se vertentis Olympi Ut faciem, raptosque simul montesque locosque Ex oculis, circumque graves videre tenebras. Cf. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 21. (58). Alia illius cæli facies, alii siderum ortus. *aspetto, vista*. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 26. Hæc facies Trojæ, quum caperetur, erat. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *ad fin.* Intermissa tecta villarum, quæ præstant multarum urbium faciem. *fanno una vista*. *Tac.* 4. *Ann.* 67. Antequam Vesuvius, mons ardescens, faciem loci verteret. *Id.* 5. *Hist.* 23. Superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Sub his per latus omne vineæ porriguntur, unamque faciem longe lateque contexunt. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 12. Longa quibus facies ovis erit. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 31. (55). Nec, arboris ipsius quæ sit facies, constat. *la forma, la figura*. *Gell.* 15. 30. Faciem vehiculi ementitus est longe alienam falsamque. *ha descritto falsamente la figura*. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 10. (27). Tabulæ, quæ belli faciem pictam habent. *Id.* 25. *ibid.* 2. 4. (8). Herbæ quadripartitis varietatibus anni faciem mutant. *Gell.* 10. 18. Ossa contusa in faciem pulveris. — Dicitur et in quibusdam rebus, qua parte melius apparent et conspiciuntur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (109). *de margaritis*. Quibus una tantum est facies, et ab ea rotunditas, aversis planities, ob id tympania nominantur. *una sola faccia*. — *Vertere se in omnes facies* est facere, experiri omnia, ad Proteum respiciendo. *Virg.* 12. *Æn.* 891. Verte omnes te te in facies, et contrahe quidquid Sive animis, sive arte vales.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur pro forma, conditione specieque rei. *Cic. Flacc.* 22. 53. Fateantur in Mæandrii persona esse expressam faciem civitatis. *Id.* 8. *Phil.* 8. 23. Senatus faciem legatus secum attulerat auctoritatemque populi Romani. *Sall. Cat.* 32. Quibus rebus permota civitas atque immutata facies urbis erat. *la città avea mutata faccia*. Rursus *Cic.* 1. *Off.* 5. 14. Formam quidem ipsam et tamquam faciem honesti vides, quæ si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sapientiæ. *Quintil.* 3. 6. 88. Hæc velut intermixta simulacra propriam tamen faciem ostendentia. *Id.* 4. 1. 42. Ubi frons causæ non satis honesta est, aut si facie quoque ipsa premitur. *Id.* 2. 4. 28. Quarum (*causarum*) varia ac nova semper est facies. *Id.* 8. 3. 66. Interim ex pluribus efficitur illa, quam conamur exprimere, facies. *h. e.* imago, species alicujus rei descripta verbis per hypotyposin. *Virg.* 2. *G.* 83. Præterea genus haud unum nec fortibus ulmis, Nec salici lotoque, neque Idæis cyparissis; Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ. *h. e.* plures sunt olivarum species. *Id.* 6. *Æn.* 103. Incipit Æneas heros: Non ulla laborum, O virgo, nova mi facies inopinave surgit. *Id.* 1. *G.* 506. Tam multæ scelerum facies. Adde *Val. Flacc.* 2. 216. *Sil. It.* 4. 593. Facies leti. Adde *Senec. Œdip.* 180.; et *Lucan* 3. 652. *Quintil.* 12. 10. 69. Plures eloquentiæ facies. *Tac.* 3. *Hist.* 30. Ac rursus nova laborum facies, ardua urbis mœnia, saxeæ turres, ferrati portarum obices. *Id.* 1. *Ann.* 49. Diversa omnium, quæ unquam accidere, civilium armorum facies. *h. e.* conditio, ratio, modus. Sic *Plaut. Cist.* 1. 1. 73. Ad istam faciem est morbus, qui me macerat. *di questa fatta è il morbo* etc. *Quintil.* 1. 5. 52. Quædam faciem solœcismi habent, et dici vitiosa non possunt. *hanno sembianza*. *Id.* 8. 5. 22. Inventiunculis gaudent, quæ excussæ risum habent, inventæ facie ingenii blandiuntur. *avendo apparenza d'ingegnose*. Cf. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 13. Nam stella, quam diximus Græcæ litteræ faciem obtinere, etc. ¶ 2. Facies aliquando est species, prætextus. *Tac.* 2. *Hist.* 51. Quod publici consilii facie discessum Mutina, desertæque partes forent. Cf. *eumd.* 13. *Ann.* 38. Dum positis loricis et galeis, in faciem pacis veniretur. *come se fosse pace*. ¶ 3. Apud Augustei ævi Poetas et apud prosarios sequioris ævi scriptores facies ponitur pro aspectu, *l'aspetto, la vista*. *Virg.* 6. *Æn.* 560. Quæ scelerum facies? o virgo, effare, quibusve Urgentur pœnis? *Sil. It.* 7. 367. At facie subita volitantum montibus altis Flammarum, horrere. *Val. Flacc.* 6. 534. Hac tunc attonitos facie defixerat hostes. *Curt.* 7. 11. 16. Illa vero miserabilis erat facies, quum ii, quos instabilis gradus fefellerat, ex præcipiti devolveren-

tur. Adde eumd. 8. 14. 27. et 5. 4. 28. *Tac.* 2. *Hist.* 13. Et per locos arboribus ac vineis impeditos non una pugnæ facies: comminus eminus, catervis et cuneis concurrebant. *Id.* 3. *ibid.* 68. Nec quisquam adeo rerum humanarum immemor, quem non commoveret illa facies, Romanum principem et generis humani paullo ante dominum relicta fortunæ suæ sede per populum, per urbem exire de imperio. *Id.* 2. *ibid.* 89. Et militum phaleræ torquesque splendebant: decora facies, et non Vitellio principe dignus exercitus. Cf. *Plin. Paneg.* 56. Et *Id. Plin. ibid.* 82. Fœda facies. *et ibid.* 35. Memoranda facies, delatorum classis permissa omnibus ventis, coactaque vela tempestatibus pandere, iratosque fluctus sequi quoscumque in scopulos detulissent. — Hinc *prima facie* Italice *a prima vista*. *Cajus Dig.* 16. 1. 13. Quum prima facie quidem alienam, re vera suam obligationem suscipit. *Id.* 1. *Instit.* (edente iterum *Goeschenio*) § 126. Exceptio, quæ prima facie justa videatur.

FĂCĬLĔ, adverb. Alias hujusce adverbii formas, *faciliter, facul* et *faculter*, V. suis locis. — Comp. *Facilius* et Sup. *Facillime* sub I. et II. 2. Facile est nullo negotio, sine labore, ῥᾳδίως, εὐχερῶς (It. *facilmente, agevolmente*; Fr. *facilement, sans peine, sans difficulté, aisément*; Hisp. *facilmente, sin trabajo, ni fatiga*; Germ. *leicht, ohne Mühe, Anstrengung, mühelos*; Angl. *easily, readily, without difficulty*).

I.) Proprie, seu stricto sensu. — *a*) Posit. *Plaut. Amph. prol.* 130. Facile meus pater quod vult, facit. Sic *Ter. Heaut.* 3. 2. 36. Facile equidem facere possum, si jubes: etenim quo pacto id fieri soleat, calleo. *Id. Andr.* 3. 3. 30. Deinde facile ex illis sese emersurum malis. *Varro* 1. *R. R.* 9. 7. Si terra facile frietur. *Cic.* 2. *Orat.* 57. 232. Quis hæc non vel facile, vel certe aliquo modo posset ediscere? *Id.* 1. *de republ.* 45. Illa prima facile in contraria vitia convertuntur. *Id.* 1. *Fam.* 2. *sub fin.* Injuriis, quæ propositæ sunt a Catone, facile resistemus. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. Minus facile finitimis bellum inferre. *Id. ibid.* 11. Non facile ab oppidis hostium vim prohibere. *Nepos Themist.* 1. Facile explicare oratione aliquid. *Id. Alcib.* 9. Sperabat se facile consecuturum. *Id. Con.* 4. Facile induci ad credendum. *Quintil.* 4. 3. 10. Facile persuadetur. *Gell.* 1. 6. *sub fin.* Facile et procliviter persuasit. — *b*) Comp. *Cic.* 1. *de republ.* 5. Quo facilius otio perfruantur. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. Id hoc facilius eis persuasit, quod etc. *Nepos Milt.* 6. Quo facilius intelligi possit. Adde eumd. *Pausan.* 5.; *Liv.* 37. 35.; et *Quintil.* 10. 1. 7. — *c*) Sup. *Plaut. Stich.* 1. 2. 59. Ubi facillime spectatur mulier, quæ ingenio est bono? *Cic. Amic.* 1. 11. Ut optimi cujusque animus in morte facillime evolet tanquam e custodia. *Id. Cæl.* 9. 22. Quæ facillime fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri potest. *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Facillime mederi inopiæ frumentariæ. Adde *Nepot. Alcib.* 9.; et *Quintil.* 12. 10. 77.

II.) Improprie, seu latiori significatione ¶ 1. Ponitur pro longe, certe, aut multo, *di gran lunga, assai, senza dubbio*; usurpatur ad vim alicui vocabulo addendam, et Ciceroni præcipue in deliciis fuit. — *a*) Additur Adjectivo *princeps* vel similibus. *Cic. Cluent.* 5. 11. A. Cluentius non solum municipii Larinatis, sed etiam regionis illius et vicinitatis virtute, existimatione, nobilitate facile princeps. *Id.* 6. *Fam.* 10. 2. Tui ordinis facile princeps. Adde eumd. 2. *Divinat* 42. 87. et *Tim.* 1.; et *Flor.* 3. 11. 1. Rursus *Cic. Rosc. Am.* 6. 15. Sex. Roscius genere et nobilitate et pecunia non modo sui municipii, verum etiam ejus vicinitatis facile primus. *Quintil.* 10. 1. 68. Facile præcipuus. — *b*) Additur et Superlativis. *Plaut. Pers.* 5. 2. 2. Facile miserrimus omnium. *Cic.* 1. *Tusc.* 33. 81. Facie vel patris, vità omnium perditorum ita similis, ut esset facile deterrimus. *Id. Rabir. Post.* 9. 23. Virum unum totius Græciæ facile doctissimum, Platonem etc. — *c*) Additur quoque Verbis, quæ vincere, superare et similia significant. *Plaut. Trin.* 3. 2. 80. Facile palmam habes: hic victus: vicit tua comœdia. *Cic.* 2. *Orat.* 13. 56. Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit. *Id.* 1. *de republ.* 23. Non dubito, quin usu in republica rerum maximarum facile omnes viceris. Adde eumd. 6. *ibid.* 16. et 1. *Orat.* 33. 150. *Id.* 1. *Legg.* 2. 7. Sisenna omnes adhuc nostros scriptores facile superavit. *Id.* 3. *Orat.* 11. 43. Eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus facile superabit. — Huc pertinent et illa *Plaut. Epid.* 3. 4. 65. PE. Sed tu novistin' fidicinam? PL. Tam facile, quam me. *h. e.* valde, vel optime, ut recte *Forcellinus* interpretatur, qui hunc locum singulari paragrapho distinxit. Adde *Plaut. Curc.* 5. 2. 57. *Ter. Andr.* 1. 3. 5. Facile hic plus mali est, quam illic boni. Ubi *Donatus*: Adverbium confirmantis est, id est liquido, manifesto. Veteres dicebant *facile* pro certo. *Cic.* 4. *Verr.* 13. 33. Huic hereditas facile ad HS. tricies venit testamento propinqui sui. *Sall. Cat.* 37. Turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno. *Id. ibid.* 26. Sperans, si designatus foret (*consul*), facile se ex voluntate Antonio usurum. *Cæs.* 7. *B. G.* 18. Simul et cursu et spatio pugnæ defatigati non facile recentes atque integros sustinebant. — *d*) Denique additur Particulæ negativæ *haud, non*, præcipue cum Verbis *dicere* et similia significantibus modo Conjunct. prolatis, et est vix, difficulter, seu negativæ vim auget. *Cic.* 1. *de republ.* 3. Sed haud facile dixerim, cur etc. Sic *Curt.* 6. 7. 35.; et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 3. 3. (6). Non facile dixerim. *Sall. Jug.* 17. De iis haud facile compertum narraverim. *Tac.* 15. *Ann.* 19. Nec tamen facile memoraverim, quis primus auctor. — Sic *Cic. Brut.* 67. 238. In inveniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem majoremque cognoverim. — Et cum Indicativo. *Sall. Cat.* 13. Animus imbutus malis artibus haud facile libidinibus carebat. *Curt.* 6. 1. 5. Clipeo suo exceptum armigeri raptim in castra referebant, jactationem vulnerum haud facile tolerantem. ¶ 2. Ponitur pro libenter, æquo animo. — *a*) Cum Verbo *pati*. *Ter. Andr.* 1. 1. 35. Facile omnes perferre ac pati. *Cic.* 1. *Tusc.* 33. 81. Te aberrare a proposito facile patiebar. Sic *Nepos Epam.* 3. Paupertatem adeo facile perpessus est, ut etc. Adde *Ter. Andr.* 1. 2. 32.; *Cic.* 1. *Cat.* 6. 14.; et *Sueton. Cal.* 11. — *b*) Cum aliis Verbis. *Cic. Topic.* 18. 69.; et *Nepos Phoc.* 1. Facile carere aliqua re. Cf. *Lucret.* 4. 1278. *Cic.* 2. *Off.* 19. 66. Diserti igitur hominis et facile laborantis etc. *Sueton. Aug.* 21. Facile cedere. *Id. Cæs.* 80. Facile tempus et locum prætulerunt. *Liv.* 45. 44. Facile Nicomedis commendationem accipere. *Ter. Heaut.* 5. 5. 16. Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames, filiam Phanocratæ nostri. *Id. Eun.* 1. 3. 6. Qui nunc si detur mihi, ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico! *quanto volentieri etc.* — Comp. apud *Cic.* 13. *Att.* 26. 2. Locum habeo nullum, ubi facilius esse possim, quam Asturæ. *più volentieri, con minor incommodo.* — Sup. apud *Cic.* 2. *Fam.* 16. 2. Quod autem in maritimis facillime sum, moveo nonnullis suspicionem etc. *Orellius* tamen. leg. *in maritimis sum, facillime moveo* etc. *Id.* 12. *Att.* 34. Ego hic vel sine Sicca facillime possem esse. — *Forcellinus* huc retulit, sed minus recte, etiam illud *Cic.* 3. *Verr.* 36. 91. Vina ceteraque, quæ in Asia facillime comparantur. *se ne trova in abbondanza, a buon mercato.* ¶ 3. Pro bene, laute, beate, ex sententia. *Plaut. Curc.* 5. 2. 6. PL. Nugas garris. CUNC. Soleo: nam propter eas vivo facilius. *Id. Epid.* 2. 2. 59. Quam facile et quam fortunate evenit illi mulieri! *Ter. Adelph.* 3. 5. 56. Quam vos facillime agitis, quam estis maxime potentes, dites, fortunati; tam maxime vos oportet etc. *Petron. fragm. Tragur.* 43. *Burmann.* Facile est, ubi omnia quadrata currunt. Similiter cum part. negativa *Cæs.* 3. *B. G.* 23. Ubi Crassus animadvertit, suas copias propter exiguitatem non facile diduci.

FĂCĬLIS, e, adject. Antiquam formam FACUL V. loco suo. — Comp. *Facilior* I. et II. 2. et 3.; Sup. *Facillimus* I. — Facilis, a v. *facio*, est qui fieri potest, qui est sine labore, expeditus, explicatus, proclivis, εὐχερής, ῥᾴδιος (It. *facile, agevole*; Fr. *qui se fait facilement, aisément, sans peine, facile*; Hisp. *facil, lo que no cuesta trabajo*; Germ. *leicht, nicht mühsam, nicht, schwierig*; Angl. *easy, ready*).

I.) Proprie sæpissime de rebus dicitur, raro admodum de hominibus; et occurrit — *a*) Absolute. — Cum oppositis *difficilis, impeditus* et cum junctis *explicatus, expeditus, proclivis, levis*, ut apud *Ter. Heaut.* 4. 6. 1. Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet, quam invitus facias. *Plaut. Trin.* 3. 2. 20. Tibi paterque avosque facilem fecit et planam viam ad quærendum honorem; tu fecisti, ut difficilis foret culpa maxuma et desidia. *Cæs.* 2. *B. G.* 27. Quæ facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat. *et Cic. Planc.* 2. 5. Mihi in causa facili atque explicata perdifficilis et lubrica defensionis ratio proponitur. Cf. eumd. 1. *Orat.* 56. 237. Utriusque rei facilis est et prompta defensio. *Id.* 1. *Fin.* 10. 33. Harum rerum facilis est et expedita distinctio. Sic *Cæs.* 1. *B. G.* 6. Alterum (*iter*) per provinciam nostram multo facilius atque expeditius. *Cic. Partit. orat.* 27. 95. Curandum etiam, ut illa facilia, proclivia, jucunda videantur. Sic *Id.* 1. *de republ.* 28. Cujus (*Phalaridis*) in similitudinem dominatus unius proclivi cursu et facili delabitur. *Curt.* 4. 6. 8. Humus facilis ac levis. *h. e.* quæ facile effoditur, μαλακόν, πεδίον. *Plin.* 3. *Ep.* 5. Cibus facilis et levis. — Ceterum plurimis jungitur Substantivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic. pro leg. Manil.* 14. 41. Aditus faciles ad eum privatorum. Adde *Tibull.* 2. 4. 19. *Cæs.* 1. *B. G.* 21. ascensus. *Val. Flacc.* 1. 109. faciles arcus. *h. e.* qui facile gestantur, vel flectuntur. *Ovid. Heroid.* 16. 123. faciles auræ. *h. e.* leves. *Sil. It.* 3. 407. faciles campi. *h. e.* per quos facile et expeditum est iter. *Juvenal.* 4. 63. facilis cardo. *h. e.* qui facile movetur et vertitur. *Ovid.* 15. *Met.* 169. facilis cera. *h. e.* in qua cujuscumque generis formæ facile imprimuntur. Cf. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 266. *Virg.* 1. *G.* 40. Da facilem cursum. *prospero.* *Id.* 6. *Æn.* 127. descensus Averni. *Cæs.* 3. *B. C.* 22.; et *Virg.* 6. *Æn.* 894. exitus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 81. (229). fagus facilis. *buono da lavorare.* *Ovid.* 10. *Met.* 602. gloria. *Lucan.* 1. 173. iræ faciles. *h. e.* quæ facile accenduntur. *Virg.* 2. *Æn.* 646. facilis jactura sepulcri. *h. e.* quæ æquo animo ferri potest. *Propert.* 4. 10. 1. jugum facile. *di facile salita.* *Virg.* 1. *G.* 79. labor. *Tac.* 1. *Hist.* 79. facilis lorica. *h. e.* levis, quæque propterea facile geritur. *Tibull.* 1. 1. 40. Pocula de facili composuitque luto. *Grat. Cyneg.* 307. maza. *Nepos Att.* 21.; et *Quintil.* 1. 2. 6. et 2. 4. 6. remedium. *h. e.* quod facile vim suam exercet. *Horat.* 2. *Od.* 11. 8. et 3. *ibid.* 21. 4. facilis somnus. *h. e.* qui facile capitur. *Val. Flacc.* 8. 253. venatus. *Virg.* 1. *G.* 122. colendi haud facilis via. *non facile maniera.* *Juvenal.* 9. 43. facilis victoria. *Virg.* 2. *G.* 460. facilis victus. *h. e.* copiosus. *Petron. Satyr.* 93. Atque Afræ volucres placent palato, Quod non sunt faciles. *h. e.* non facile inveniuntur. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 2. 119. facilis et parabilis. — Comp. *Cic. Amic.* 1. 14. Cui censemus cursum ad deos faciliorem fuisse, quam Scipioni? *Id. Cæcin.* 3. 8. Potuisti ad tuum jus faciliore et commodiore judicio pervenire. *Id.* 1. *Off.* 21. 70. Vita facilior. *Sall. Cat.* 43. Aditus ad consulem facilior. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 9. 19. (36). Facilius bdellium. *Sillig* vero ex Cod. *B.* leg. *fragilius*, quod præstat. *Id.* 8. *ibid.* 32. 50. (112). Feminæ faciliore utentes utero. *h. e.* facilius edentes partum. *Flor.* 4. 11. 2. Et promisit Antonius: quasi facilior esset Partho Romanus. *h. e.* facilius vinci posset Romanus, quam Parthus. *Quintil.* 6. 4. 21. Facilior exercitatio. *Id.* 2. 5. 18. intellectus. — Sup. *Plaut. Trin.* 3. 2. 4. Quod est facillimum, facis. *Cic.* 2. *de republ.* 3. Neque ad mare admovit urbem, quod ei fuit facillimum. *Id.* 1. *ibid.* 32. Facillimam in ea republica esse concordiam, in qua idem conducat omnibus. *Virg.* 11. *Æn.* 771. quæ sit fortuna facillima, tentat. *Quintil.* 8. 3. 71. Hujus summæ virtutis facillima est via. *Id.* 10. 3. 31. In quibus (*ceris*) facillima est ratio delendi. — *b*) Cum Infinito. — Raro admodum cum addito nomine rei. *Cic.* 2. *Phil.* 17. 42. Materia facilis est, in te et in tuos dicta dicere. — Sæpe occurrit neutrum *facile est, è cosa facile*, et Comp. quoque et Sup. *Ter. Adelph.* 5. 4. 8. Id esse verum, cuivis facile est noscere. *Cæs.* 1. *B. C.* 50. Quod illis prohibere erat facile. *Id.* 3. *ibid.* 45. Neque erat facile nostris, uno tempore propugnare et munire. *Cic.* 2. *Orat.* 15. 190. Facile est perficere. *Quintil.* 6. 4. 20. Si rem evolvere propositam facile non sit. *Curt.* 6. 10. Verba innocenti reperire facile est. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (46). Nec situs originesque persequi, facile est. *Sueton. Aug.* 57. Facile est existimare. *Id. Cal.* 25. discernere. *Plin. Paneg.* 28. conjectare. *Id.* 10. *Ep.* 97. opinari. *Quintil.* 10.

2. 10. Plerumque facilius est plus facere, quam idem. *Id.* 12. 6. 7. Dum facilius est audere. *Id.* 6. 3. 71. Stulta reprehendere facillimum est. *Id.* 11. 1. 81. Vel facillimum est, ibi alienam culpam incusare, ubi fateris tuam. — c) Cum Infinito a Poetis præcipue etiam de hominibus *facilis* usurpatur cum Verbo activo, deponenti, neutro et passivo. *Propert.* 2. 21. 15. ed. *Kuinœl.* Ah nimium faciles aurem præbere puellæ. *Stat.* 1. *Theb.* 606. lecti juvenum, qui robore primi, Famam postbabita faciles extendere vita. *Lucan.* 2. 460. terror facilis vertere mentes. *Sil. It.* 4. 753. facilis sprevisse medentes. *Id.* 8. 59. facilis dedisse lacrimas. *Ammian.* 31. 16. facilis adimere. *Sil. It.* 1. 225. Prodiga gens animæ et properare facillima mortem. *Claudian.* 4. *Cons. Honor.* 311. vir facilis mirari nova. *Seneca Herc. Œt.* 2. facilis mori. *Ammian.* 31. 2. irasci. *Val. Flacc.* 4. 723. Pontus et exorta facilis concrescere bruma. *Lucan.* 10. 310. facilis cedere. *Id.* 2. 656. Roma capi facilis. *Sil. It.* 12. 163. Planities facilis adiri. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 426. sperni faciles. *Tac.* 4. *Hist.* 39. facilis corrumpi. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (58). Acetaria facilia concoqui. *Gell.* 17. 9. facilis legi. *Ammian.* 16. 9. Flecti a veritate pecunia facilis. — d) Cum Supino. *Ter. Heaut.* 4. 3. 26. Bonam rem imperas et factu facilem. *Id. Hecyr.* 3. 1. 15. Cuivis facile scitu est, quam fuerim miser. *Nepos Dion.* 9. Cuivis facile intellectu fuit. *Virg.* 3. *Æn.* 621. Nec visu facilis, nec dictu affabilis. *Al. leg.* affabilis. *Id.* 1. *ibid.* 449. Facilis victu gens. *h. e.* abundans, dives. Adde *Senec. Ep.* 91. *Ter. Phorm.* 2. 1. 70. Nihil est dictu facilius. *Sall. Cat.* 14. Id quod factu facillimum erat. — e) Cum præpos. *ad* et Gerund. *Cic.* 2. *Orat.* 45. 190. Nulla materies tam facilis ad exardescendum est. *Id.* 2. *de republ.* 41. Quæ (*mens*) non unam (*belluam*), aut facilem ad subigendum frenat et domat. *Id.* 1. *Tusc.* 32. 78. Illud autem facile ad credendum est. *Quintil.* 4. 2. 26. faciles ad diluendum. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (29). Palmæ faciles ad scandendum. *Quintil.* 2. 3. 8. Facilora ad intelligendum. *Cic.* 3. *Off.* 6. 30. Hæc ad judicandum sunt facillima. *Id.* 2. *Fin.* 20. 61. Cibus facillimus ad concoquendum. — f) Cum Accusativo rei et præpos. *ad. Liv.* 32. 12. Faciles ad receptum angustiæ. *Lucan.* 2. 314. Ad juga faciles populi. *Quintil.* 1. 2. 4. Mens ad pejora facilis. *Tac.* 14. *Hist.* 4. Facili feminarum credulitate ad gaudia. *Quintil.* 2. 3. 1. Mediocritas præceptoris ad imitationem facilior. — g) *Facile est, è cosa facile,* occurrit etiam sequente part. *ut* vel *quod* et Conjunctivo. *Plin. Paneg.* 41. Facilius est, ut esse aliquis successor tuus possit, quam ut velit. *Id. ibid.* 87. Facilius est, ut oculis ejus vultus absentis, quam ut animo caritas excidat. *Varro* 2. *R. R.* 10. 6. Qui (*pastores*) in fundo perpetuo manent, facile est, quod habeant conservam in villa. — h) Cum Dativo, *facilis alicui rei*, est aptus, idoneus; et occurrit tum de rebus, tum de hominibus. *Virg.* 2. *G.* 223. Terra facilis pecori. *h. e.* quæ facile et abunde suppeditat alendo pecori. *Liv.* 33. 17. Campus operi facilis. *Id.* 45. 30. Macedonia divisui facilis. *Sall. Jug.* 98. Sed ea cuncta Romanis ex tenebris et editioribus locis facilis visu (*h. e.* visui) magnoque hortamento erant. *Sil. It.* 4. 432. Mars clipeum galeamque deorum Haud illi facilem capit. *Quintil.* 7. 1. 31. Quod faciliorem divisioni viam præstat. *Tac. Germ.* 5. Numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus. *Tibull.* 1. 3. 57. quod facilis tenero sum semper amori. *Liv.* 40. 58. Neque Thraces commercio faciles erant. *Tac. Agric.* 21. Homines rudes eoque bello faciles. *Id.* 2. *Hist.* 17. Faciles occupantibus et melioribus incuriosi. *Id.* 2. *Ann.* 27. Juvenis improvidus et facilis inanibus. *Sil. It.* 15. 721. milites Nec soli faciles, longique laboris anhelus. *non assuefatti a tollerare i calori del sole. Id.* 12. 161. audenti pravus facilisque periclis. *Id.* 16. 77. Servitio si tam faciles, cur bella refertis? *Lucan.* 4. 506. Morti faciles animi. *h. e.* parati ad mortem subeundam. — Passive. *Quintil. Declam.* 16. Cæcus contumeliæ opportunus, injuriæ facilis. *h. e.* cui facile inferri injuria potest. — i) Cum Ablativo: *Sall. Jug.* 95. Facundus, callidus et amicitia facilis. *h. e.* facile sibi amicos parans. *Sil. It.* 1. 615. Exiguo faciles, et opum non indiga corda. *h. e.* qui tenuem victum, facilem paratu, parabilem habent (cf. *Virg.* 2. *G.* 472. exiguoque adsueta juventus); possint tamen *faciles* esse contenti. — l) Cum Genitivo. *Claudian. laud. Serenæ* 54. Hispania dives equis, frugum facilis. *h. e.* copiosa, fertilis. — m) Hinc *in facili, ex facili, de facili* adverbii more usurpatur et est facile, *facilmente.* — *Liv.* 3. 8. Quum exitus haud in facili essent. *Al. aliter leg.*; V. *Drakenborg.* ad h. l. *Tryphonin. Dig.* 26. 3. 8. Quod in facili est. Adde *Senec.* 1. *Clem.* 7.; et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (274). — *Cels.* 7. 9. *circa med.* Ita adducendum, ut ex facili subsequatur. *Colum.* 6. *R. R.* 1. 1. Quæ in emendis bubus sequenda, non ex facili dixerim. *Plin.* 30. *Hist.* 3. 8. (23). Cinis conjectus exesis dentibus, ex facili cadere eos cogit. *Ovid.* 1. *Art. am.* 350. Quod petis, e facili, si volet illa, feres. Adde *Tac.* 2. *Ann.* 2., 3. *Hist.* 49. et *Agric.* 15.; et *Quintil.* 9. 2. 53. — Apud *Capell.* 4. *p.* 100. legitur *ut e facile possit intelligi.* At *Kopp.* rectius legit: *ut eo facile etc.* — *Firmic.* 5. *Mathes.* 6. De facili ab eis superabuntur.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro agili, actuoso, pro eo qui facile movetur. — a) De brutis et de inanimis. *Nemesian. Cyneg.* 50. facilis canis. *h. e.* agilis, celer: vel qui facile impellitur ad venandum, paratus, promptus. *Virg.* 8. *Æn.* 310.; et *Manil.* 1. 617. faciles oculos fert omnia circum. *h. e.* agiles, celeres, et facile se moventes. *Tibull.* 1. 1. 7. Ipse seram teneras maturo tempore vites Rusticus, et facili grandia poma manu. *h. e.* nava, solerti, industria. *Ovid.* 3. *Fast.* 535. Illic et cantant quidquid didicere theatris; Et jactant faciles ad sua verba manus. *h. e.* saltant agiles. *Martial. Spectac.* 23. 3. ille tulit teneros facili cervice juvencos. *h. e.* agili. Huc referri potest et illud *Plaut. Epid.* 3. 2. 6. Dies facilis. *h. e.* quasi actuosus, qui multa operatus est. Alii tamen aliter interpretantur. — b) Quum refertur ad personam significat eum, qui facile quidpiam facit. *Cic. Brut.* 48. 180. Facilis et expeditus ad dicendum T. Junius. *Sueton. Tit.* 3. Latine Græceque vel in orando, vel in fingendis poematibus promptus et facilis ad extemporalitatem usque. *Id. Tib.* 71. Sermone Græco, quamquam alias promptus et facilis, non tamen usquequaque usus est. *Quintil.* 1. 1. 1. Faciles in excogitando et ad discendum prompti. *Id.* 10. 1. 79. Isocrates in inventione facilis. ¶ 2. Item de eo, qui facile cedit, non repugnat, se dat alteri et submittit. *condiscendente, servizievole, compiacente.* — a) De iis, quæ ad hominem pertinent. *Quintil.* 6. 5. 8. Faciles aures. *accessibili.* Cf. *Ovid.* 1. *Art. am.* 357. Illa legat tempus (medici quoque tempora servant) Quo facilis dominæ mens sit et apta capi. *Val. Flacc.* 1. 151. Haccine nos animæ faciles rate nubila contra Mittimur? *h. e.* faciles ad credendum, *anime credule.* Cf. *eumd.* 4. 6. Sic *Ovid.* 2. *Fast.* 45. Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis Fluminea tolli posse putatis aqua! *Id. ibid.* 5. Certe ego vos (*elegos*) habui faciles in amore ministros, Quum lusit numeris prima juventa suis. *condiscendenti.* — b) Sæpius de ipsis hominibus. *Cic.* 2. *Divinat.* 52. 107. Etiamsi faciles nos ad concedendum habuerit, id tamen, quod assumit, concedi nullo modo potest. *Id. Brut.* 57. 207. Antonius facilis in causis recipiendis erat, fastidiosior Crassus, sed tamen recipiebat. *Id. ibid.* 21. 85. Ut faciles essent in suum cuique tribuendo. *Id.* 7. *Fam.* 1. 4. Si tam facilem populum haberem, quam Æsopus habuit. *Stat.* 8. *Theb.* 571. faciles grassatus cuspide turmas. *Lucan.* 2. 314. ad juga faciles populi. *Horat.* 2. *Od.* 12. 26. Sævitia facilis. *h. e.* quæ facile placatur. ¶ 3. Item de eo, qui mitis, lenis est et humanus, affabilis, comis, communis, *affabile, umano, trattabile.* *Ter. Hecyr.* 5. 1. 35. Facilem benevolumque lingua tua tibi me reddit. *Id. Adelph.* 5. 9. 29. Facilem et festivum esse alicui. *Id. Heaut.* 2. 1. 5. Facilis et liberalis pater. *condiscendente, indulgente.* Sic *Cic.* 3. *Nat. D.* 29. 73. Idem facilem et liberalem patrem incommodum esse amanti filio disputat. *Id. Balb.* 16. 36. Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 11. 32. Facilem se in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis admittendisque præbere, præclarum magis est, quam difficile. *Sueton. Aug.* 67. Patronus dominusque non minus severus, quam facilis et clemens, multos libertorum in honore et usu maximo habuit. *Id. Tib.* 13. Is forte tunc M. Lollio offensior, facilis exorabilisque in vitricum fuit. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 117. Sed placidus facilisque parens, veniæque paratus. *Id. Heroid.* 16. 195. Da modo te facilem, nec dedignare maritum, Rure Therapnæo nata puella, Phrygem. *Id.* 2. *Amor.* 3. 5. Mollis in obsequium facilisque rogantibus esses. *Id. Heroid.* 16. 282. Sic habeas faciles in tua vota deos. *Id.* 5. *Met.* 558. Posse super fluctus alarum insistere remis Optastis: facilesque deos habuistis, et artus Vidistis vestros subitis flavescere pennis. *Virg.* 3. *Ecl.* 9. Nymphæ faciles. ubi *Servius:* mites, exorabiles. *Sueton. Gramm.* 7. Comi facilique natura. *Id. Vitell.* 7. Facili ac prodigo animo. *Quintil.* 1. 2. 112. Faciliore animo ejus abusurus. *Sueton. Vesp.* 21. Nec ullo tempore facilior aut indulgentior traditur. *Quintil.* 7. 1. 27. Quæ faciliorem nobis judicem faciant. *Cic. Amic.* 3. 11. Quid dicam de moribus facillimis, de pietate in matrem etc. — Cum Genitivo. *Liv.* 26. 15. Facilis impetrandæ veniæ Claudius. *Val. Flacc.* 5. 407. Rex alloquii facilis. *Al. leg.* alloquiis. ¶ 4. Res faciles sunt expeditæ, felices, prosperæ, *in buono stato.* *Cic.* 6. *Fam.* 5. 1. Res et fortunæ mihi maximæ curæ sunt: quæ quidem quotidie faciliores mihi et meliores videntur. *Liv.* 23. 11. Si ita faxitis, Romani, vestræ res meliores facilioresque erunt. Adde *eumd. ibid.* 70., ubi alii leg. *feliciores.* — *NB.* Facilis est etiam cogn. R. *V.* ONOM. — Hinc *Facile*, adverb. *V.* loco suo.

FACILITAS, ātis, f. 3. Occurrit in singulari num. tantum: sed etiam in plur. num. usurpari posse, colligi videtur ex *Quintil.* 9. 4. 97., ubi pro exemplo duplicis pedis uno verbo comprehensi ponit *facilitates, temeritates.* — Facilitas est habitus, quo quis facile quidpiam facit, promptitudo, facultas, ῥᾳστώνη (It. *facilità, agevolezza;* Fr. *facilité à faire quelque chose;* Hisp. *facilidad en hacer las cosas;* Germ. *die Leichtigkeit im Thun, Handeln, daher die Neigung, Geneigtheit zu etwas;* Angl. *easiness, facility, readiness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Tusc.* 12. 28. Hæc in bonis rebus, quod alii ad alia bona sunt aptiores, *facilitas* nominetur: in malis *proclivitas.* Cf. *Quintil.* 1. 12. 11. Secundum aliam ætatis illius (*h. e.* pueritiæ) facilitatem. *h. e.* qua pueri facile omnia discunt. *Id.* 12. 6. 7. Sic et tirocinii metum, dum facilius est audere, transierit, nec audendi facilitatem usque ad contemptum operis adduxerit. *Tac.* 11. *Ann.* 22. Et quamquam equites judicia reciperavissent, quæstura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur. *Id.* 16. *ibid.* 2. Quæque alii summâ facundiâ nec minore adulatione servilia fingebant, securi de facilitate credentis. *Id. Germ.* 21. Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris: et poscendi in vicem eadem facilitas. *Ammian.* 15. 1. Rem arduam tota facilitate completam. *Plin.* 6. *Ep.* 29. Commode agendo, factum est, ut sæpe agerem; sæpe agendo, ut minus commode: quia scilicet assiduitate nimia facilitas magis quam facultas; nec fiducia, sed temeritas paratur. *Quintil.* 10. 7. 26. Facilitas oris. *h. e.* pronunciandi, *speditezza di lingua.* *Seneca Ep.* 11. corporis. *h. e.* proclivitas ad erubescendum. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 95. (167). Facilitas pariendi. *Id.* 18. *ibid.* 19. 49. (178). Proscindi jugerum uno die, si sit facilitas soli. *Tac.* 15. *Ann.* 17. Ut pedes confectus spatiis itinerum alacrem et facilitate camporum præevenientem equitem assequeretur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 18. (40). Picea tonsili facilitate. *Id.* 37. *ibid.* 5. 16. (63). Smaragdi sensim radiantes, et visum admittentes, ad crassitudinem sui facilitate translucida. *h. e.* facile penetrante lumine usque ad interna crassitudinis. *Pallad.* 11. *R. R.* 12. 5. Ego sic hujus arboris facilitatem (*subaudi* proveniendi) probavi, ut virgulta ex ceraso pro adminiculis per vineam posita in arborem prosiluisse confirmem. ¶ 2. Speciatim de oratione. *Seneca Ep.* 40. Fabianus disputabat expedite magis quam concitate, ut possis dicere, facilitatem esse illam, non celeritatem. *Quintil.* 10. 2. 12. Quæ in oratore maxima sunt, ingenium, inventio, vis, facilitas. Adde *eumd.* 10. 5. 1., 10. 7. 20. et alibi. *Id.* 10. 7. *in lemmate.* Quemadmodum extemporalis facilitas paretur et contineatur. Huc referri potest et illud *Justin.* 9. 8. 10. Ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventio deesset.

II.) Translate. ¶ 1. In bonam partem est humanitas, lenitas, qua nos faciles præbemus, mites, exorabiles, benignos, *piacevolezza, condiscendenza, trattabilità, dolcezza.* Opponitur severitati; et

jungitur cum *comitate, humanitate, indulgentia, festivitate, clementia*, ut apud *Cic. Mur.* 31. 66. Si illius comitatem et facilitatem tuæ gravitati severitatique asperseris. Cf. *Nepos Att.* 15. Ejus comitas non sine severitate erat; neque gravitas sine facilitate. Rursus *Cic. Amic.* 18. 66. Tristitia et in omni re severitas habet illa quidem gravitatem, sed amicitia remissior esse debet et liberior et dulcior et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior. Adde eumd. *Cæl.* 13. 66. *Id.* 13. *Fam.* 24.; et *Plin. Paneg.* 2. Pro tua facilitate atque humanitate. *Sueton. Cæs.* 72. Amicos tanta semper facilitate indulgentiaque tractavit, ut etc. *Ter. Eun.* 5. 9. 18. An fortunam collaudem —, an mei patris festivitatem et facilitatem? *Id. Adelph.* 5. 4. 6. Reipsa reperi, facilitate nihil esse homini melius, neque clementia. *Constantiæ* quoque opponitur apud *Sall. Cat.* 54. In altero (*Cæsare*) miseris perfugium erat, in altero (*Catone*) malis pernicies; illius facilitas, hujus constantia laudabatur. — Ceterum *Ter. Heaut.* 4. 1. 35. Male docet te mea facilitas multa. *Cic.* 2. *Orat.* 4. 15. Magis adeo id facilitate, quam alia ulla culpa mea contigit. *Id.* 12. *Fam.* 1. *extr.* Immoderate et ingrate facilitate nostra abutuntur. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 7. 21. Facilitas in audiendo, lenitas in decernendo. *Id.* 1. *Off.* 25. 88. In juris æquabilitate exercenda est facilitas et lenitudo animi. *Id.* 2. *Orat.* 43. 184. Adhibita actione leni facilitatemque significanti efficitur, ut etc. *Id. pro leg. Manil.* 14. 41. Ut is qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. *Id.* 12. *Att.* 40. 2. Quis congressum meum, aut facilitatem sermonis desideravit? *Tac. Agric.* 9. Nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. *Plin.* 8. *Ep.* 2. Magno mihi seu ratio hæc, seu facilitas stetit. *h. e.* benignitas in debito remittendo. ¶ 2. In malam partem. *Ter. Adelph.* 3. 4. 27. Inepta lenitas patris et facilitas prava. Cf. *Tac. Agric.* 6. Proconsul in omnem aviditatem pronus quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. *con tutta la condiscendenza e arrendevolezza.* Aliter *Sueton. Claud.* 29. In xxxv. senatores et ccc. amplius equites R. tanta facilitate animadvertit, ut etc.

FĂCĬLĬTER, adverb. *facilmente*, idem quod facile. *Quintil.* 1. 6. 17. Inhærent quidam molestissima diligentiæ perversitate, ut *audaciter* potius dicant quam *audacter*, licet omnes oratores aliud sequantur. His permittamus et *audivisse* et *scivisse* et *tribunale* et *faciliter* dicere. *Vitruv.* 1. 4. Ferrum percalefactum faciliter fabricatur. *Id.* 2. 1. Manibus et articulis, quam vellent rem, faciliter tractarent. Adde eumd. 3. et alibi; et *V.* FACILE, FACULTER et FACUL.

FĂCĬNĔRŌSUS vel sæpius

FĂCĬNŎRŌSUS, a, um, adject. Forma *facinerosus* est a *facinus, facineris*: sicuti *pignus, pigneris, pignerare*. Legitur etiam apud *Augustin. serm.* 3. ex Codice seculi VII. edit. ab *A. Mai.* in *Spicil. T.* 8. *p.* 719. Quæ facinerosi concubitus partum exhorruit. — Comp. *Facinorosior* et Sup. *Facinorosissimus*. — Facinorosus occurrit — *a*) De personis, et est qui mala facinora perpetrat, flagitiosus, scelestus, *facinoroso, malfattore, malvagio*, κακοῦργος. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 22. Quintum genus est parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum. *Id. Sext.* 38. 81. Respublica a facinorosissimis sicariis oppressa. *Id.* 3. *de republ.* 17. Ut illum virum sceleratum, facinorosum, nefarium putet. *Justin.* 16. 4. 6. Clearchus exsilio facinorosior redditus. — *b*) De rebus. *Cic.* 1. *Legg.* 14. 40. Deterrere aliquem ab injuriosa facinorosaque vita. *Justin.* 2. 1. Impius et facinorosus animus. *Val. Max.* 2. 6. 3. Facinorosa culpa. Adde *Sidon.* 3. *Ep.* 13.

FĂCĬNUS, ŏris, n. 3. insigne factum, *a facio*, ἀνδραγάθημα (It. *azione, impresa, fatto*; Fr. *action, acte, fait*; Hisp. *accion, acto, hecho*; Germ. *das Gethane, die That, Handlung, Begebenheit*; Angl. *an action, deed*, or *exploit*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim vox est mediæ significationis, et in utramque partem sumitur tum de honesto ac laudabili, tum de malo pravoque. — *a*) In singulari num. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 1. Atridæ duo fratres cluent, fecisse facinus maximum, quum Priami patriam Pergamum — subegerunt. *Id. ibid.* 4. 4. 2. Duplex hodie facinus feci, duplicibus spoliis sum affectus. *Ter. Heaut.* 2. 3. 73. Non fit sine periculo facinus magnum et memorabile. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 2. *Fam.* 9. 2. Non edepol, quantam egeris rem, neque quantum facinus feceris. *Cic.* 4. *Herenn.* 53. 68. Quasi facinus præclarissimum fecisset. *Id. Rabir. perduell.* 6. 19. Id facinus pulcherrimum esse arbitrares. *Antonius* apud *Cic.* 13 *Phil.* 17. 36. Qui judicaverint hostem Dolabellam ob rectissimum facinus. Sic *Sall. Cat.* 2. et *Jug.* 79. et 91.; et *Liv.* 3. 12. Facinus præclarum. *Nepos Timol.* 1. præclarissimum. *Sall. Cat.* 20. maximum atque pulcherrimum. *Ammian.* 21. 4. pulcrum. *Ovid.* 9. *Met.* 150. forte. Cf. *Ammian.* 22. 8. *Justin.* 18. 3. 17. celebre. *Ammian.* 16. 11. memorabile. *Tac.* 3. *Ann.* 21. Rarum ea tempestate facinus. Huc pertinet et illud *Ter. Phorm.* 5. 6. 30. Hic pulcherrimum facinus audivi. *il racconto di un bellissimo avvenimento.* — Et in malam partem. *Ter. Eun.* 1. 1. 25. O indignum facinus! nunc ego et illam scelestam esse et me miserum sentio. Adde *Cic.* 6. *Verr.* 66. 147.; et *Quintil.* 5. 12. 12. *Cato* apud *Gell.* 13. 24. Tuum nefarium facinus pejore facinore operire postulas. *Cæs.* 7. *B. G.* 38. Nefario facinore admisso. Huc pertinet et illud *Tac.* 4. *Hist.* 25. Instituitque pessimum facinus, ut epistolæ aquiliferis legionum traderentur. *h. e.* pessimam consuetudinem. — *b*) In plurali numero. *Ter. Heaut.* 2. 1. 8. Is mihi, ubi adbibit plus paullo, sua quæ narrat facinora! *Cic.* 2. *Phil.* 42. 109. Statim illa mirabilia facinora fecit. *Sall. Jug.* 2. Ingenii egregia facinora. *Fronto Princ. Hist. p.* 315. Haud ignarus, fortissima facinora viventium gravatius, mortuorum gratius accipi; faveri præteritis, invideri præsentibus. *Ammian.* 24. 4. Speciosa facinora. — Et in malam partem. *Cic.* 7. *Verr.* 72. 189. Inaudita et singularia facinora sceleris, audaciæ, perfidiæ, libidinis, avaritiæ, crudelitatis. *Ammian.* 14. 1. Dira facinora. ¶ 2. Speciatim ac sæpius in malam partem accipitur, et dicitur de insigni facto malo, pravo, *misfatto, scelleraggine*, κακούργημα. — Inano inter *flagitium* et *facinus* hoc differt, quod *flagitium* est quidquid agit cupiditas indomita ad corrumpendum animum et corpus suum: *facinus*, quod agit, ut alteri noceat. Ita *Augustin.* 3. *de doctrin. Christ.* 10. Præterea flagitium infamiam semper habet, facinus non semper. *Liv.* 39. 13. Nihil facinoris, nihil flagitii prætermittere. *Sall. Cat.* 24. Homo flagitiis atque facinoribus coopertus. Adde *Cic.* 1. *Cat.* 6. 13. *Scelus* vero utrumque complectitur; et præterea significat ipsam turpitudinem, aut malitiam flagitii et facinoris. Ad hæc *facinus* etiam in bonam partem accipitur, *flagitium* et *scelus* semper in malam. *Cic. Mil.* 16. 43. Cruentis manibus scelus et facinus præ se ferens et confitens. *Id.* 3. *Nat. D.* 18. 46. Furiæ vindices facinorum et sceleris. *Id.* 9. *Fam.* 3. Quum omnes in omni genere et scelerum et flagitiorum volutentur. *Tac. Germ.* 12. Distinctio pœnarum ex delicto. Proditores et transfugas arboribus suspendunt; ignavos et imbelles et corpore infames cœno ac palude, injecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. — Ceterum *Cic.* 7. *Verr.* 66. 170. Facinus est, vincire civem Romanum; scelus, verberare; prope parricidium, necare: quid dicam in crucem tollere? *Id. Mil.* 27. 73. Cui nihil unquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine. *Id.* 2. *leg. Agr.* 28. 77. Quinque hominum millibus ad vim, facinus cædemque delectis. *Id.* 2. *Fin.* 29. 95. Vide, ne facinus facias, quum mori suadeas. *Ter. Adelph.* 3. 4. 3. Facinus illiberale. *Id. Eun.* 4. 3. 2. infandum. *Liv.* 28. 22. fœdum ac ferum. *Seneca Hippol.* 169. horrendum. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 149. obscœnum. *Sueton. Cal.* 12. Atrocitas facinoris. *Id. Tib.* 19. Confessio cogitati facinoris. *Tac.* 1. *Hist.* 71. Ad omne facinus corruptus. *Id.* 12. *Ann.* 54. Non rudis facinorum. *Ovid.* 1. *Fast.* 219. Nundum Justitiam facinus mortale fugarat. *le umane scelleraggini.* *Id.* 2. *Trist.* 207. Nec tamen est facinus molles evolvere libros. *Id.* 4. *ibid.* 4. 43. abfuit omne Peccatu facinus consiliumque meo. *Id.* 1. *ibid.* 2. 92. A culpa facinus scitis abesse mea. *Id. Heroid.* 16. 213. Heu facinus! *o vergogna!* *Id. ibid.* 10. 6. per facinus, *h. e.* per scelus. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua hæc sunt. *Cæs.* 3. *B. G.* 9. Facinus in se admittere. *Juvenal.* 10. 255. admittere. *Ter. Andr.* 4. 4. 28. animadvertere. *Sueton. Cal.* 49.; et *Tac.* 1. *Hist.* 18. audere ingentia facinora. *Sueton. Cæs.* 12. augere pœnas facinorum. *Id. Aug.* 32. coire ad facinoris societatem. *Cic.* 3. *Fam.* 10. 2.; et *Cæs.* 3. *B. C.* 60. facinus committere. *Sall. Cat.* 19. facere. *Ovid.* 10. *Met.* 471. geminare. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 124. 31. *Merc.* impellere aliquem ad omne facinus. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 20. *Ter. Heaut.* 3. 3. 39. increpare facinus. *Ovid.* 9. *Met.* 150. jurare in facinus. *Sil. It.* 11. 196. moliri facinus. *Tac.* 12. *Ann.* 8. nutescere malis facinoribus. *Cic.* 1. *Cat.* 10. 25. obire facinus. *Sall. Cat.* 18. patrare. *Ovid.* 15. *Met.* 777. repellere. *Stat.* 5. *Theb.* 489. reposcere. *Tibull.* 2. 4. 25. suadere. *Sall. Jug.* 31. suscipere.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiore paragr. 1., *facinus* est quodcumque factum, seu potius res, *fatto, cosa.* *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 21. et 58. Nimis mirum est facinus, quomodo hæc hinc potuerit transire! *è ben cosa maravigliosa.* *Id. Rud.* 1. 2. 73. SC. Quod facinus video! DAE. Quid vides? SC. Mulierculas video sedentes in scapha solas duas. *che veggo io mai!* ¶ 2. Metaphora sumpta a superiore paragr. 2., abstractum pro concreto, *facinus* dicitur id, cujus opera scelus patratur. *Ovid.* 7. *Met.* 423. Sumpserat ignarâ Theseus data pocula dextrâ — facinusque excussit ab ore. *h. e.* poculum veneno plenum. *Apul.* 4. *Met.* Senile illud facinus. *h. e.* facinorosa anus, ut *scelus* pro *scelesto*.

FĂCIO, făcis, fēci, factum, facere, a. et n. 3.; *et passive* Fio, fis, factus sum, fieri. Primam syllabam in *fiunt* licenter corripit *Prudent.* 1. *in Symmach.* 223. Vera ratus, quæcumque fiant, auctore senatu. — Plures sunt antiquæ vel anomalæ hujus verbi formæ: scilicet — *a*) *Face* in Imperativo pro *fac*, præter *Plautum* (*Asin. prol.* 4. et 1. 1. 77., *Aulul.* 2. 1. 30. *Cist.* 2. 1. 28., *Epid.* 1. 1. 37. et 2. 2. 117., *Most.* 3. 2. 167. et alibi) et *Terentium* (*Andr.* 4. 1. 57., 4. 2. 29. et 5. 1. 2. et 14., *Eun.* 1. 2. 10. et alibi), habet et *Cato* sæpissime (*R. R.* 23., 26., 32. etc.), item *Catullus* (63. 78. et 79. et 82.) et *Ovidius* non semel, ut *Medicam. fac.* 60. In hæc solidi sexta face assis erit. et *Val. Flacc.* 7. 179. Tu face, lucifetæ citus ad delubra Dianæ Deveniat. *Nepos Pausan.* 2. Certum hominem ad eum mittas face, cum quo colloquatur. V. *Kopp.* ad *Capell.* 3. *p.* 89. qui *Capellam* ipsum, citatis exemplis ex *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 61. et 3. *Fast.* 690., defendit contra *Quintiliani* sententiam 1. 6. 21. Insolentiæ est, abolita atque abrogata, ut *face* et *dice* et similia, retinere. — *b*) *Faciem* futur. pro *faciam* olim dictum fuit a *Catone*, teste *Quintil.* 1. 7. 23.; et legitur a quibusdam apud *Plaut. Asin.* 3. 3. 136. *V.* DICO init. — *c*) *Faxo* et *faxim, is, it*, pro *faciam, fecerim* et *fecero*, in aliquot personis usitata sunt, quæ in subjectis exemplis enumerantur. — *Faxo* apud *Plaut. Pœn.* 1. 1. 15. At ego jam faxo scies. *Id. Curc.* 4. 4. 31. Faxo reperias. *Ter. Phorm.* 5. 8. 66. et 2. 1. 78. Jam faxo hic aderit. *Id. Heaut.* 2. 3. 100. Ademptum tibi jam faxo omnem metum. *Virg.* 12. *Æn.* 316. ego fœdera faxo Firma manu. Adde *Plaut. Amph.* 1. 1. 199., 2. 1. 42., 3. 3. 17., 3. 4. 14., 5. 1. 55. et alibi; et *Ter. Andr.* 5. 2. 13., *Eun.* 2. 2. 54. et 4. 3. 21. et alibi. — *Faxim* apud *Plaut. Amph.* 1. 3. 13. Ego faxim, te Amphitruonem esse malis, quam Jovem. *Id. Trin.* a. 4. sc. 2. *extr.* Pauci sint, faxim, qui sciant quod nesciunt. Adde *Ennium* apud *Non. p.* 507. 23. *Merc.*; *Plaut. Aulul.* 3. 2. 6. et 3. 5. 20. et alibi. — NB. *Faxo* et *faxim* interdum est minitantis. *Virg.* 9. *Æn.* 154. Haud sibi cum Danais jam faxo et pube Pelasga Esse putent. *Liv.* 6. 35. Faxo, ne juvet vox ista, veto. *Ovid.* 3. *Met.* 271. mater De Jove vult fieri: tanta est fiducia formæ. Fallat eam, faxo. *Id.* 12. *ibid.* 594. Det mihi se faxo, triplici quid cuspide possim, Sentiat. *farò ben io che* etc. *Sil. It.* 17. 236. Faxo, ut vallata revuectur Scipio Roma. *Al. omittunt* ut. *Plaut. Merc.* 4. 6. 10. Ecastor faxim, si itidem plectantur viri, plures viri sint vidui, quam nunc mulieres. — *Faxis* apud *Ter. Andr.* 4. 4. 14. Unum præterquam quod te rogo, faxis, cave. Adde eumd. *Heaut.* 1. 2. 13.; *Horat.* 2. *Sat.* 3. 38.; et *Sil. It.* 15. 362. — *Faxit* in *Leg. vet.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 8. 19. Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit. Adde *Leg. Numæ* apud *Paul. Diac. p.* 6. 1. *Müll.*; *Legg. XII. Tabul.* apud *Gell.* 20. 1.; *Plaut. Capt.* 3. 4. 90. et 3. 5. 54., *Cas.* 3. 5. 6. et alibi; et *Ter. Heaut.* 1. 2. 24. et *Phorm.* 3. 3. 21. — *Faximus* apud *Plaut. Truc.* 1. 1. 40. Quos quum celamus, si faximus conscios etc. — *Faxitis* apud *Liv.* in solemni precatione Scipionis solventis in Africam, 29. 27. Hostium ulciscendorum copiam

faxitis. Adde eumd. in veteribus formulis 23. 11. et 25. 12. — *Faxint* apud *Ter. Heaut.* 1. 1. 109. Utinam ita dii faxint. *Cic.* 5. *Verr.* 35. 81. Dii immortales faxint, ne sit alter. *Id.* 14. *Fam.* 3. 3. Dii faxint, ut tali genero mihi frui liceat. Adde *Plaut. Amph.* 2. 1.85., *Aulul.* 2. 1. 27. et 2. 2. 79. et alibi; et *Ter. Hecyr.* 1. 2. 27. et 3. 2. 19. — *Faxem* quoque reperitur pro *facerem* aut *fecissem* apud *Plaut. Pseud.* 1. 5. 84. Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi. — d) Passive *facior* pro *fio* sequentibus personis occurrit. *Nigidius* apud *Non.* p. 507. 15. *Merc.* Ποιεῖ facit, ποιεῖται facitur. *Titinius* apud eumd. ibid. et apud *Priscian.* 8. p. 801. *Putsch.* Ut parvi faciator. *Petron. fragm. Tragur.* 71. *Burmann.* Faciatur, si tibi videtur, et triclinia. *Al. leg.* faciantur. — e) Ceterum passive a *fio*, voces *fi*, *fite* et *fitote* sunt imperativi modi. *Plaut. Pers.* 1. 1. 39. Age, fi benignus, subveni. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 38. fi cognitor. *Plaut. Curc.* 1. 2. 63. fite causa mea Lydi barbari. *Id. Pœn. prol.* 8. saturi fite fabulis. *Id.* in *suppos. Amph. scœna quæ incipit,* Quos tam, *sub fin.* Id si fuat, Amphitruones fitote gemini. Adde *Caton.*, *Crassum*, *Livium Andronichum* in *Odyss.* apud *Non.* p. 475. 14. *Merc.* — *Fimus* legunt quidam apud *Ter. Heaut.* 3. 1. 71. Deteriores omnes fimus licentia. *Al. leg.* sumus. Sed *Arnob.* 2. 16. Causæ, quibus mali fimus et pessimi. *Editor Lugd. Batav. ita legit*: Orellius vero *leg.* simus. — f) Olim et *fior* usurpatum fuit. *Cato* apud *Priscian.* 8. p. 789. *Putsch.* Postquam diutius fitur. *Id.* apud eumd. ibid. Græco ritu fiebantor Saturnalia. *Livius Andronichus* in *Odyss.* apud *Non.* p. 475. 16. *Merc.* Fitum est. — g) Part. *Faciens* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 33. 73. Per agrum Leontinum iter faciens. — *Factus* sub *A.* 1. *a.* et in fin. — *Facturus* apud *Ovid.* 3. *Met.* 26. Sacra Jovi facturus erat. — *Faciendus* apud *Cic.* 3. *Off.* 25. 95. Promissum potius non faciendum fuit. — *Fiens* partic. ponitur a *Diomed.* 1. p. 352. et 377. *Putsch.*, rarum tamen esse dicitur. Certe caret, quod sciam, exemplis. — Part. *Fiendus* apud *Commodian.* 76. 14. Sacerdos Domini quum *Sursum corda* præcepit in prece fienda, ut fiant silentia vestra. — Facere, ποιέω, ἐργάζομαι, significat efficere, ut aliquid sit, agere, conficere. Verbum est latissimæ significationis atque usus, accommodaturque omnibus fere actionibus. *Papinian. Dig.* 50. 16. 208. Verbum *facere* omnem omnino faciendi causam complectitur, donandi, solvendi, judicandi, ambulandi, numerandi. (It. *fare*, *operare*; Fr. *faire dans le sens le plus étendu*; Hisp. *hacer*, *formar*; Germ. *thun*, *machen*; Angl. *to make*, *do*, *act*). Facere usurpatur *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active, et quidem ¶ 1. Generatim. — 1.°) Cum Accusativo rei — a) Universim. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 36. casu tum respondere vadato Debebat; quod ni fecisset, perdere litem. *Id. Art. P.* 468. Nec semel hoc fecit, nec etc. Adde eumd. 2. *Sat.* 3. 132. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 3. Orabat, ut ad te scriberem: quod facio, et vehementer rogo, ut etc. *Sall. Cat.* 23. Prorsus neque dicere, neque facere quidquam pensi habebat. Sic *Liv.* 26. 15. Queis, neque quid facerent, neque quid dicerent quidquam pensi fuisset. — b) De rebus, quæ manuum labore fiunt, et est fabricari. *Cic. fragm.* apud *Lactant.* 2. 8. Ut faber, quum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quæ sit parata, fictorque item cera: sic isti providentiæ divinæ materiam præsto esse oportuit, non quam ipsa faceret, sed quam haberet paratam. Quod si non est a Deo materia facta, ne terra quidem et aqua et aer et ignis a Deo factus est. *Id.* 6. *Verr.* 18. 38. Pocula, Mentoris manu, summo artificio facta. *Quintil.* 7. 10. 9. Faber vasculum fecit. Rursus *Cic.* 6. *Verr.* 12. 29. Phaleræ pulcherrime factæ. *Id. ibid.* 18. 39. Argentum optime factum. *Id.* 1. *de republ.* 14. Quam (*sphæram*) ab eodem Archimede factam posuerat in templo Virtutis. *Id.* 6. *Verr.* 25. 56. Facere anulum. *far fare. Horat.* 1. *Sat.* 3. 128. soleas. *Seneca Ep.* 9. statuam. (Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 33. ad unguem factus homo. *h. e.* perfectus. *V.* UNGUIS). *Colum.* 2. *R. R.* 22. 3. caseum. *Cato R. R.* 115. oleum. *Ulp. Dig.* 32. 1. 68. *a med.* Linum factum. *lavorato, purgato. Nepos Eumen.* 9. ignem. *Cæs.* 4. *B. G.* 21. Quam (*classem*) ad Veneticum bellum fecerat. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 43. naves. *Cic.* 2. *de republ.* 17. Fecitque idem et sæpsit de manubiis comitium et curiam. *Id.* 2. *ibid.* 20. ædem. *Nepos Miltiad.* 3.; *Cæs.* 1. *B. G.* 13.; et *Flor.* 3. 10. 15. pontem. *Quintil.* 3. 8. 16. Portus fieri Ostiæ. *Justin.* 8. 3. 8. Facere muros. *Id.* 12. 12. 12. tumulum. — In veteribus inscriptionibus, præsertim sepulcralibus, passim legitur *fecit* aut *faciendum curavit* etc. sola F. littera adscripta aut F. C., hoc est tumulum, sepulcrum construxit. Hinc ludit in ambiguo *Martial.* 9. 16. Inscripsit tumulo septem celebrata virorum, Se fecisse Chloe: quid pote simplicius? *h. e.* se tumulum fecisse, aut se fuisse, quæ veneno viros sustulerit. — *Fieri fecit*, jussit, curavit. *Inscript.* apud *Rader.* ad *Martial.* 1. 93. Q. TITIO TASTORALI FILIO SATTRALI L. AXILIVS MVRETVS PATER AMANTISSIMO FILIEIRI F. — c) De iis, quæ mentis atque ingenii viribus fiunt, et est componere, lucubrare. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 5. *a med.*; et *Horat.* 2. *Sat.* 1. 5., 2. *Ep.* 2. 52. et *Art. P.* 427. versus. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 58. Versiculi magis facti et euntes mollius. *più lavorati e artifiziosi. Cic. Arch.* 10. 25. epigramma in aliquem. *Id. Pis.* 29. 70. Poema porro facit ita festivum, ita concinnum, nihil ut fieri possit argutius. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 3. 20., 2. *Ep.* 2. 109. et *Art. P.* 353. poema. *Ovid.* 3. *Art. am.* 533. carmina. *Cic.* 1. *Orat.* 14. 63. orationem. *Nepos Cat.* 3. librum. *Cic.* 9. *Fam.* 8. 1. Feci sermonem inter nos habitum in Cumano. *introdussi. Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 6. Non modo operam nostram numquam a populari cœtu removemus, sed ne litteram quidem ullam facimus, nisi forensem. *Sueton. Tib.* 70.; et *Justin.* 27. 2. 7. litteras. *Quintil.* 7. 8. 2. Fiet syllogismus. — d) Ponitur et pro exsequi, *eseguire, effettuare. Cic. Flacc.* 20. 48. Quum judicatum non faceret, addictus Hermippo et ab hoc ductus est. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 152.; *Sall. Jug.* 62. et 77.; *Liv.* 37. 48.; *Nepos Eumen.* 9.; *Curt.* 8. 10. 1. et 7. 9. 17.; et *Plin. Paneg.* 12. Facere imperata. *Cæs.* 5. *B. G.* 37. imperatum. *Sall. Jug.* 46. et 112. omnia quæ imperarentur. *Ovid.* 1. *Fast.* 379. jussa. — d) Item pro edere. *Cic.* 15. *Att.* 10. Ludos vero non facere quid fœdius? Adde *Liv.* 25. 12. *Nepos Alcib.* 3. Facere mysteria. *h. e.* celebrare. *Plaut. Most.* 5. 1. 66. Exempla edepol faciam ego in te. — e) Item pro procreare, gignere, parere, emittere, comparare. *Varro* 3. *R. R.* 5. 6. et 10. 2. Faciunt volucres pullos. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 7. Facit asinus sobolem. Sic *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 19. (62). Apes faciunt sobolem. *Varro* 3. *R. R.* 9. 17. Facere ova et pullos. *h. e.* incubare. *Justin.* 9. 2. 16. Viginti millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa. *a far razza. Colum. Arbor.* 54. Rapa et napi antequam caulem, aut eymam faciant. *Id.* 7. *ibid.* 5. 12. Facit grana malum. *Id.* 11. *ibid.* 3. 35. frutices longa. *Pallad.* 1. *R. R.* 10. 35. Faciunt plantas cacumina ficulnea. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 21. et 3. 58. caulem spiræ. *Id. Arbor.* 3. vinum uvæ. *Id.* 11. *R. R.* 3. 46. Spinam facit asparagus. *Id.* 2. *ibid.* 10. 9. exiguas paleas. *Varro* 2. *R. R. proœm.* 5. Fructum faciunt, quæ e terra nascuntur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 19. (59). Apes faciunt mella. *Colum.* 2. *R. R.* 15. 2. Maxime columbinum stercus probamus: secundum deinde, quod homines faciunt. Adde eumd. 11. *ibid.* 3. 12. et 12. *ibid.* 15. 4. *Id.* 6. *ibid.* 30. 3.; et *Veget.* 1. *Veterin.* 51. Facere urinam. *Varro* 1. *R. R.* 7. 2. Itaque majores nostri ex arvo æque magno, sed male consito, et minus multum et minus bonum faciebant vinum et frumentum. *Cato R. R.* 52. Facere vitem. *h. e.* propagare. Sic *Colum. Arbor.* 30. Violam facturus. *Schneid.* tamen legit *saturus. Id.* 11. *R. R.* 3. 33. Apium isti folii facere. — Et passive. *Plaut. Cist.* a. 5. v. 5. Nihil sooror mihi fieri plures liberos. *h. e.* gigni. *Varro* 3. *R. R.* 12. 5. Lepores in Gallia fiunt permagni, in Hispania mediocres. *Plaut. Trin.* 4. 2. 90. Arabia, ubi absinthium fit et cunila gallinacea. — f) Hinc pro parere, excitare. *Cic. Orat.* 34. 121. Controversiam aut res facit, aut verba. *h. e.* parit. *Id. Brut.* 95. 326. Hortensius utroque genere florens, clamores faciebat adolescens. *h. e.* excitabat. *Nepos Dion.* 9. Fit strepitus. *Cic. Rosc. Am.* 9. 21. Ut urbe tota fletus gemitusque fieret. *Id. Dejot.* 10. 28. Quos concursus facere solebat! *quale concorso eccitava! quanta gente ei tirava attorno!* Et universim *Cic.* 2. *Divinat.* 7. 19. Omnia quæ fiunt, quæque futura sunt. et *mox.* Nihil fieri potest, nihil accidere, nihil evenire. — g) Item pro afferre sive in bonam, sive in malam partem. *Cic.* 11. *Fam.* 7. Statim ita sum levatus, ut mihi Deus aliquis medicinam fecisse videatur. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 6. 17. (51). Facere remedium lieni. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 7. Ager pestilens mortem facit. *cagiona. Tac.* 2. *Hist.* 70. Perniciem alicui facere. Similiter *Plaut. Merc.* 2. 1. 11.; et *Cic.* 10. *Fam.* 16. Convicium alicui facere. *Ter. Phorm.* 5. 7. 9.; *Cato* apud *Gell.* 10. 4.; et *Quintil.* 9. 3. 13. contumelias. *Cic. Orat.* 68. 228. gravem plagam. *Ter. Adelph.* 1. 2. 68.; et *Cic.* 9. *Phil.* 4. 8. et 1. *de republ.* 14. injuriam. *Cic.* 11. *Att.* 8. 2. et 5. *Fam.* 15.; et *Scribon. Compos.* 60. dolorem alicui. — h) Et pro dare, concedere. *Ovid.* 2. *Amor.* 19. 6. Et faciat voto rara repulsa locum. *Vellej.* 2. 105. Ubi negotia fecissent otio locum. Adde *Ovid.* 2. *Amor.* 13. 26.; et *Curt.* 3. 1. 4., 3. 11. 5. et 4. 11. 9. *Virg.* 1. *Ecl.* 6. Deus nobis hæc otia fecit. *Cic.* 3. *Cat.* 5. 11. Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Sic *Justin.* 34. 2. 1. Facere potestatem pugnandi. *Id.* 2. 5. 10. potestatem pugnæ. *Nepos Ages.* 3. potestatem sui. *Liv.* 32. 13. potestatem alicujus. — i) Item pro cogere, colligere, conflare. *Cic.* 4. *Verr.* 6. 17. Quærere cœpit quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere posset. Adde *Nepot. Cimon.* 1. — Tabulæ publicæ rationum aliæ erant pecuniæ acceptæ et expensæ, aliæ *pecuniæ factæ*. Hæ memorantur in vet. *Tabula ænea* apud *Murat.* 582. *tab.* 1. *lin.* 49., et ex *Mazochii* sententia in *Comment. Tab. Heracl.* p. 314. sunt pecuniæ paratæ et quæsitæ, nondum tamen numeratæ et acceptæ. At *Marezolius* in *Comment. Tab. ejusd.* p. 99. putat, ut privatorum tabulæ expensi et accepti dicuntur, ita publicas pecuniæ factæ dictas fuisse: nisi forte levi mutatione *pecuniæ pactæ* pro *pecuniæ factæ* legendum sit, quod magis vero simile videtur; plura enim sunt in ea tabula sculptoris menda. — *Cic. Cæcin.* 12. 33. Manum facere, copias parare. *Cæs.* 3. *B. C.* 87. Facere cohortes. *Sall.* apud *Senec. Ep.* 114.; *Vellej.* 2. 109. 2.; *Flor.* 3. 19. 6.; et *Aurel. Vict. vir. ill.* 67. exercitum. *Tac.* 6. *Ann.* 33. auxilia mercede. Similiter *Flor.* 1. 1. 9. populum. — l) Item pro comparare, acquirere. *Cic. Flacc.* 37. 91. Facere lucrum. *Id.* 3. *Verr.* 59. 151. Qui manubias sibi tantas ex Metelli manubiis fecerit. *Plaut. Pers.* 4. 4. 100. Divitias facere ex re aliqua. Cf. *Ter. Adelph.* 5. 4. 15. *Petron. Satyr.* 38. Omnia ad se facere. *h. e.*, sermone plebejo, abradere aliorum bona et suis aggregare. — m) Et pro addere, adjungere, conciliare. *Cic. Divin.* in *Q. Cæcil.* 13. 42. Facere audientiam orationi. *Id.* pro *leg. Manil.* 15. 13. auctoritatem. *Id.* 3. *Cat.* 2. 4. et 7. *Att.* 8. 1.; et *Quintil.* 6. 2. 18. fidem alicui. *Liv.* 42. 14.; et *Quintil.* 1. 1. 33. favorem alicui. — n) Et pro agere, degere, vivere. *Seneca Ep.* 66. Quamvis paucissimos una fecerimus dies. *Est qui legit* egerimus, *invito Gronovio. Ulp. Dig.* 40. 7. 14. Is servus fugerat et annum in fuga fecerat. *Inscript.* apud *Gruter.* 838. 12. et 843. 7. CONJVGI KARISSIMAE, CVM QVA FECIT ANN. IX. MEN. VI. DIEB. XXV. Adde aliam apud eumd. 417. 3.; et quatuor apud *Reines. cl.* 11. n. 119. et *cl.* 20. n. 216. 311. et 445. — Hinc *factum est* ad tempus refertur. *Plaut. Merc. prol.* 12. Biennium jam factum, postquam abii domo. *sono passati due anni. Id. Trin.* 4. 3. 3. Jamdudum factum est, quum abiisti domo. *è un pezzo che* etc. — o) Habet etiam vim patiendi et subeundi. *Plaut. Capt.* 2. 2. 77; et *Cic. Brut.* 33. 125. Facere damnum. *Cic.* 6. *Verr.* 9. 20. detrimentum. Sic *Nepos Cat.* 2. detrimentum existimationis. *Cic.* 2. *Fin.* 24. 79. et 3. *Off.* 23. 89.; *Cæs.* 7. *B. G.* 77.; et *Plin.* 1. *Ep.* 12. jacturam. *Cic.* 16. *Fam.* 9. 1. naufragium. — p) Aliquando pertinet ad rem obscœnam. *Catull.* 8. 6. Ibi illa multa tam jocosa fiebant. *Juvenal.* 7. 240. ne turpia faciant. Ne faciant vicibus. Adde *Plaut. Cas.* 2. 8. 32.; *Ovid.* 3. *Amor.* 4. 4; *Petron. Satyr.* 87.; *Paul. Dig.* 3. 14. 27. *a med.*; *Martial. etc.* Hinc eodem sensu *facere iter* apud *Propert.* 2. 24. 22. Noctibus his vacuis ter faciamus iter. — q) Ceterum cum variis Accusativis innumeros prope usus habet: quorum hic aliquot, servato litterarum ordine, subtexuimus. *Quintil.* 4. 1. 46. aditum sibi facere ad aliquem. *farsi strada, insinuarsi. Liv.* 25. 11 *ad fin.*; et *Seneca Ep.* 115. admirationem facere alicujus rei alicui. *h. e.* ingerere, *mettere in pregio, far ammirare. Cic.* 1. *Att.* 46; et *Liv.* 2. 23. æs alienum facere. *indebitarsi. Cic. Amic.* 21. 76. alienationem disjunctionemque. *Plin.* 6. *Ep.* 17. 5. ali-

quid in studiis. *far qualche profitto*. (Sic *Id.* 6. *ibid.* 17. 5. plurimum in arte). *Ammian.* 24. 6. aliquid clarum in pugna. *Nepos Alcib.* 4. et *Datam.* 10.; et *Justin.* 12. 4. 6. amicitiam. *Liv.* 25. 11. alicui animum. *far animo, incoraggiare*. Sic *Id.* 4. 3. Divitiæ animos faciunt. Adde *Ovid.* 5. *Trist.* 8. 3. *Horat.* 4. *Od.* 7. 21. arbitrium facere de aliquo. *dar la sentenza*. Alio sensu *Liv.* 43. 15. arbitrium facere alicui in re quapiam. *dar l'elezione*. *Id.* 29. 34. audaciam hosti. *dare, accrescere l'ardire*. *Id.* 1. 34.; et *Horat.* 1. *Ep.* 1. 86. auspicium alicui. *dare, mostrare*. *Nepos Dion.* 4. et *Ages.* 2.; et *Justin.* 3. 6. 5. bellum alicui. *portar la guerra*. Sic *Tac.* 3. *Ann.* 18. bellum patriæ. Et absolute *Cæs.* 3. *B. G.* 29.; *Cic.* 1. *Off.* 11. 35.; et *Flor.* 3. 7. 1. bellum. *far guerra*. (Cf. *Flor.* 2. 3. 4. Latrocinia magis, quam bella facere). *Ter. Adelph.* 5. 8. 25. bene aliquid alicui. *fargli del bene*. *Cic.* 6. *Fam.* 77. beneficium. *Sall. Cat.* 8. benefacta. *Ter. Heaut.* 4. 5. 15. boni aliquid alicui. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 46. bona multa alicui. *Nepos Themist.* 9. bona. *Id. Thrasyb.* 3.; et *Justin.* 16. 1. 10. cædem. *fare strage*. Et passive *Nepos Epam.* 10. fit cædes. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (49). calorem. *eccitar calore, riscaldare*. *Cic.* 15. *Fam.* 4. 4.; *Nepos Miltiad.* 5.; et *Tac.* 5. *Hist.* 1. castra. *piantare, porre il campo*. *Tac.* 11. *Ann.* 12. causam periculi sibi. *Id.* 15. *Ann.* 1. certamen. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (119). claritatem oculis. *apportare luce*. *Cic.* 9. *Att.* 13. *ad fin.* cœnam. h. e. apparare et præbere, quod est heri cœna alios excipientis. *fare un convito*. Adde *Plaut. Merc.* 4. 2. 3. Similiter *Cic.* 9. *Fam.* 21. cœnulas. *Liv.* 1. 3. cognomen alicui. *dare*. *Id.* 3. 15. commercium sermonis. *abboccarsi, aver comunicazione*. *Colum.* 7. *R. R.* 6. 5. conceptum. *concepire, ingravidarsi*. Alii tamen et ipse *Schneiderus* aliter omnino legunt. *Cæs.* 3. *B. C.* 106. concitationes. *far tumulti*. *Id.* 4. *B. G.* 30.; *Justin.* 10. 2. 5.; et *Flor.* 3. 10. 7. conjurationem. *congiurare*. *Liv.* 35. 12. consilium alicui. *suggerire un partito*. *Justin.* 18. 5. 7. conspirationem. *cospirare*. *Cic. Cœl.* 25. 61. constitutum cum aliquo. *mettere accordo*. *Id.* 13. *Fam.* 24. consuetudinem alicui cum altero. *stringere amicizia*. *Id.* 1. *Off.* 38. 137. contentionem cum aliquo. *contendere, contrastare*. *Plin. Paneg.* 76. copiam judicii sui reipublicæ. *dire il proprio parere pel bene della republica*. *Liv.* 7. 13. copiam pugnandi militibus. *dar licenza*. Cf. *Sall. Jug.* 52. Neque ab hoste cupiam pugnandi fieri. et *Plaut. Cas.* 2. 3. 13. Gratiam habeo tibi, quum copiam istam mihi et potestatem facis, ut ego ad parentes hunc remittam nuncium. *Phædr.* 3. 7.; et *Cels.* 7. 3. *ad fin.* corpus. *far corpo, ingrassarsi*. *Tac.* 3. *Ann.* 52. curam, ne etc. *procurare che non etc.* *Liv.* 3. 34. et 7. 24. desiderium rei cujuspiam alicui. *far venir voglia*. *Ovid.* 2. *Fast.* 375. et 3. *ibid.* 515. dicta. *mantener la parola*. *Quintil.* 10. 3. 10. difficultatem. *fare, recare*. *Justin.* 5. 3. 3. discordiam. *eccitar la discordia*. *Quintil.* 7. 2. 14. et 11. 1. 13. discrimen. *far differenza*. *Ter. Adelph.* 2. 2. 53. dividuum. *dividere*. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 10. divisiones agrorum. *Quintil.* 7. 1. 58. dubium. *far dubbio, render dubbioso*. *Seneca Ep.* 111. dulcedinem. *recar dolcezza, piacere*. *Quintil.* 6. 2. 26. eloquentiam alicui facit ira. *l'ira lo rende eloquente*. *Cic.* 2. *Fin.* 18. 59. emolumentum. *procacciare*. *Seneca Ep.* 67. errorem. *cagionare, far fallare*. *Cæs.* 2. *B. C.* 2. eruptionem ex oppido. Adde *eumd.* 3. *B. G.* 22.; *Nepot. Thrasyb.* 4.; *Flor.* 3. 20. 14.; et *Tac.* 2. *Ann.* 2. *Plaut. Curc.* 4. 3. 2. excidionem oppidis. *abbattere*. *Quintil.* 5. 2. 2. exemplum. *Seneca Ep.* 114. *a med.* ex *Sall.* exercitum. *mettere in piede*. *Id. Ep.* 115. *a med.*; et *Quintil. Declam.* 8. 3. exitum. *far fine, aver fine*. *Justin.* 38. 10. 10. exsequias alicui. *fare i funerali*. *Quintil.* 9. 2. 23.; et *Cic.* 3. *Att.* 15. exspectationem. *destare*. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 1.; at *Cic.* 2. *Fin.* 29. 95. facinus magnum. *compiere una grande azione*. Adde *Liv.* 1. 41. et 21. 22.; et *Tac.* 12. *Ann.* 31. *Cic.* 4. *Verr.* 73. 170. facultatem recte judicandi alicui. *dar facoltà, comodo, occasione*. *Plaut. Cas.* 5. 1. 6.; et *Ter. Andr.* 1. 3. 7. fallaciam. *Quintil.* 11. 2. 46. et 12. 5. 5. famam ingenii alicui. *far concetto, fama*. *Flor.* 3. 12. 8. famem. *produrre carestia*. *Liv.* 3. 1. fastidium. *recar noia*. *Id.* 42. 14. *extr.* favorem alicui. *recare*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 31. 46. (88). fetus. *partorire*. *Cic.* 3. *Cat.* 2. 4. fidem alicui. *provare, far credere*. *Justin.* 12. 16. 10.; et *Ammian.* 21. 16. fiduciam. *ingenerare*. *Cic. ad Planc. in fin. l.* 16. *ad Att.* et 2. *de republ.* 44. finem. *finire, far fine*. Sic *Nepos Hamilc.* 1.; et *Justin.* 12. 8. 10. finem belli. *Flor.* 3. 18. 11. finem cædium. *Nepos Hann.* 13. finem libri. *Lucret.* 3. 956.; et *Nepos Timoth.* 4. finem vitæ. *Ter. Andr.* 5. 1. 2. finem orandi. *Sall. Jug.* 34. finem dicundi. *Ter. Heaut. prol.* 21. finem maledictis. *Sall. Jug.* 5. finem studiis civilibus. *Val. Flacc.* 4. 624. finis factus. *Justin.* 12. 2. 12. fœdus. *fare alleanza*. *Tac.* 3. *Hist.* 10. formidinem. *far paura*. *Liv.* 24. 22. fortunam magnam facere et parare. *far grandi fortune*. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 9.; et *Cic.* 4. *Att.* 12. fraudem legi, senatusconsulto. *contravvenire, far un contrabbando*. *Cic. Dom.* 25. 67. fugam. *far fuggire*. Alio sensu *Liv.* 8. 9. *sub fin.*; et *Ter. Eun.* 4. 7. 17. fugam. *fuggire*. Sic passive *Liv.* 25. 31. Fuga fieri cœpta est. Adde *Sall. Jug.* 58. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 60.; et *Horat.* 1. *Sat.* 3. 94. et 1. *Ep.* 16. 46. furtum. *rubare*. Et passive *Plaut. Rud.* 4. 3. 16. Dominus, cui furtum fiebat. *Quintil.* 11. 3. 71. gestum vultu. *far cenno*. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (15). gloriam alicui. *recare, rendere glorioso*. At *Sillig* ex plurium Codicum varietate aliter leg. *Cic.* 2. *Orat.* 61. 249. gradum. *fare un passo, camminare*. Alio sensu *Id.* 4. *Verr.* 1. 3. gradum. *avanzarsi, passare*. *Liv.* 3. 56. *ante med.* et 8. 31. gratiam alicujus rei. *rimettere, condonare*. *Cic.* 11. *Fam.* 18. 3.; et *Seneca Ep.* 6. gratulationem alicui. *congratularsi*. *Ter. Eun.* 4. 4. 55.; et *Cic.* 1. *de republ.* 21. gratum alicui. *far cosa grata, far piacere o servigio*. Sic *Cic.* 7. *Fam.* 21. *extr.* gratissimum alicui. *Quintil.* 5. 9. 9. homicidium. *commettere*. *Virg.* 5. *Æn.* 763. honos factus aris. *Cic. Balb.* 18. 42. hospitium cum aliquo. *far unione o alleanza di ospitalità*. *Censorin. de die nat.* 2. hostiam. h. e. mactare, *sacrificare*. *Cic.* 3. *Verr.* 17. 45. ignem ex lignis viridibus. *far fuoco, accendere*. *Id.* 1. *Fin.* 10. 34.; et *Liv.* 25. 11. impetum in hostes. *assalire, dar addosso*. Adde *Plaut. Men.* 5. 2. 116.; *Nepot. Datam.* 9.; et *Aurel. Vict. vir. ill.* 26. Similiter *Plaut. Capt.* 4. 4. 4.; et *Flor.* 3. 1. 11., 3. 7. 5. et 4. 10. 2. impetum. *Auct. B. G.* 8. 6.; et *Justin.* 1. 6. 16. impressionem. *assaltare*. *Liv.* 3. 38. incursionem. *fare una scorreria*. *Cic.* 3. *Verr.* 57. 150. indicium. *palesare, manifestare*. *Id.* 8. *Phil.* 7. 20. inducias. *far tregua*. Cf. *Liv.* 29. 12. Et passive *Plaut. Amph.* 1. 1. 233. Induciæ parumper fiant. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 29. 79. initium. *cominciare, dar principio*. *Id.* 9. *Att.* 11. et 5. *Phil.* 7. 20. initium alicujus rei. *Liv.* 25. 23. initium colloquendi. *Cic.* 1. *de republ.* 19. initia ab aliquo. *Tac.* 3. *Hist.* 48. inopiam hosti. *arrecare, cagionare*. *Cic. Mil.* 9. 23.; *Nepos Alcib.* 9.; et *Justin.* 10. 1. 10. insidias alicui. *tendere*. *Quintil.* 6. 1. 14. iram. *muovere*. *Cic.* 3. *Att.* 1. et 4. *ibid.* 1.; *Nepos Themist.* 5.; *Horat.* 1. *Od.* 22. 6. et 2. *Sat.* 6. 43.; *Ovid.* 2. *Fast.* 571. et 15. *Met.* 105.; *Curt.* 4. 10. 18.; et *Seneca Herc. Œt.* 17. iter. *far viaggio*. *Auct. B. Hisp.* 9. jactum. *gettare, lanciare*. *Cic.* 7. *Att.* 23. judicium. *formare, giudicare*. *Seneca* 2. *Clem.* 1. juramentum. *giurare*. Al. aliter leg. *Liv.* 32. 13. jus alicui. *dar facoltà, o licenza*. *Ovid.* 1. *Fast.* 379.; et *Cæs.* 2. *B. G.* 3. jussa, imperata. *eseguire i comandi*. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 25. lætitiam. *recare, cagionare*. *Id.* 3. *Tusc.* 20. 48. largitionem. *donare*. *Plaut. Asin.* 1. 1. 22.; et *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 6. litteram. *fare, scrivere*. *Justin.* 27. 2. litteras ad aliquem. *scrivere una lettera*. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (123). maculas. *far macchie, macchiare*. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. § 7. valde magnum. *fare un gran che*, ironia. *Plaut. Men.* 1. 1. 23.; et *Phædr.* 1. 8. medicinam. *fare, dare, applicare*. Alio sensu *Phædr.* 1. 14. medicinam. *esercitare, fare il mestiere di medico*: V. infra paragr. 7. *Quintil.* 11. 2. 4. memoriam. *far buona memoria*. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 11. 2. mentionem. *far menzione*. Adde *Plaut. Aulul.* 2. 2. 27. et 4. 7. 3., *Pers.* 1. 3. 29. et *Cist.* 1. 2. 15.; et *Nepot. Alcib.* 5., *Epam.* 4. et alibi. *Colum.* 2. *R. R.* 21. 2. messem. *mietere*. *Tac.* 6. *Ann.* 36. metum. *far paura*. Sic *Justin.* 12. 6. 12. metum sui apud aliquem. *metter paura di se*. *Id.* 22. 3. 16. ministerium alicui. *servire*. *Cic.* 5. *Verr.* 58. 131. missum aliquem. *licenziare, mandar via*. *Liv.* 4. 50. modum iræ. *moderare*. *Cic.* 16. *Att.* 2. 1. moram. *indugiare*. Sic *Liv.* 21. 32. moram dimicandi nullam facere. Cf. *Justin.* 12. 8. 1. Alio sensu *Plaut. Most.* 1. 1. 71; *Cic. Sull.* 20. 58.; et *Liv.* 6. 31. moram alicui. *ritardarlo, farlo indugiare*. Similiter *Justin.* 5. 6. 1. moram bello. *Id.* 18. 1. 5. moram certamini. *Id.* 6. 2. 16. moram rebus gerendis. Et passive *Val. Flacc.* 3. 490. Inceptis fieret mora. *Liv.* 35. 35. morem alicujus rei sibi. *avvezzarsi, farsi costume di qualche cosa*. *Id.* 28. 46. motus. *cagionare sollevazioni*. Cf. *Justin.* 30. 3. 2. et 13. 5. 3. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 5. § 16. multa alicui, quæ voluit. *far molti servigi*. *Cato* apud *Gell.* 11. 1. multam alicui. *imporre*. V. MULTA. *Id. R. R.* 2. munditias. *far netto*. *Cic. Sext.* 12. 27. et 1. *Off.* 33. 120. mutationem. *mutare*. *Quintil.* 5. 12. 13.; et *Justin.* 21. 1. negotium innocenti. h. e. facessere, exhibere, *travagliare un innocente*. *Titinius* apud *Non.* p. 277. 16. *Merc.* noctem de die. *far di giorno notte*. *Liv.* 8. 15. nomen alicui. *dargli il nome, nominarlo*. *Cic.* 3. *Off.* 14. 59. nomina. *far un debito*. Alio sensu *Seneca Vit. beat.* 24. nomina. *far un credito*, pecuniam occupare, unde fenus lucreris. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 18. 76. (199). odium vitæ. *far venire in odio la vita*. *Ter. Phorm.* 4. 5. 12. officium suum. *far il suo dovere*. *Cic. Amic.* 10. 35. omnia amici causa. *far di tutto per l'amico*. Adde *eumd.* 5. *Fam.* 11. 2. *Id.* 7. *Att.* 3. *circa med.* omnia, ne armis decernatur. *usar tutti i mezzi, fare ogni sforzo, affinchè etc.* *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 14. 45. opinionem alicui. *dar l'arbitrio di scegliere*. *Nepos Thrasyb.* 3. pacem inter aliquos. h. e. conciliare, *fare, metter pace*. Alio sensu *Id. Dion.* 5. *extr.*; *Cic.* 3. *Off.* 30. 109.; *Cæs.* 2. *B. G.* 29.; *Justin.* 3. 9. 13. et alibi; et *Flor.* 1. 1. 14. pacem. *far pace, pacificarsi col nemico*. et *Justin.* 12. 2. 6. pacem cum aliquo. *Justin.* 15. 2. 2. et 15. 4. 21. pactionem. *far patti, patteggiare*. *Nepos Hann.* 11.; et *Justin.* 9. 7. 11. palam alicui aliquid facere. *pubblicare, manifestare*. *Justin.* 1. 9. 5. parricidium. *commettere*. *Cic.* 2. *Orat.* 90. 366. partes. *far le parti*. *Plaut. Cist.* 1. 1. 74. peculatum. *rendersi reo di peculato*. *Cic.* 1. *Divinat.* 49. 111. pecuniam. *far danari*. *Ter. Eun.* 3. 2. 23. et *Heaut.* 2. 1. 9. periculum. *far prova, esperienza, tentare*. et *Tac.* 16. *Ann.* 19. pericula. *Cic. Rosc. Am.* 19. 54. planum. *far vedere chiaramente*. *Liv.* 28. 4. populationes. *devastare*. *Cic.* 3. *Cat.* 5. 11. et 2. *de republ.* 28. potestatem. *dar permissione, comodo*. *Cæs.* 4. *B. G.* 34. prædam. *far preda*. *Nepos Chabr.* 2. prædas ab aliquo. *asportare*. *Quintil.* 4. 10. 47. prodigium divinitus factum. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. prælium. *dare una battaglia*. Adde *Cic. Dejot.* 5. 13.; *Liv.* 25. 1.; *Nepot. Themist.* 9. et *Chabr.* 1.; et *Tac.* 12. *Ann.* 40. et 4. *Hist.* 79. *Nepos Hann.* 10. prælium navale. *Nepos Cat.* 3. progressum. h. e. proficere, *progredire, far progressi*. *Cic.* 3. *Off.* 25. 95. promissum. *mantenere*. *Vellej.* 2. 38. Siciliam provinciam. *ridurre in provincia*. *Liv.* 3. 31. pudorem. *far vergognare*. *Nepos Con.* 5.; et *Tac.* 3. *Ann.* 21. pugnam. *combattere*. *Liv.* 28. 39. ratum. *ratificare*. *Cic.* 5. *Verr.* 55. 128. aliquid reliquum. h. e. relinquere, *lasciare*. Sic *Cæs.* 2. *B. G.* 26. *extr.* Nihil reliqui sibi facere. *non tralasciar cosa alcuna*. *Ter. Adelph.* 2. 2. 12.; et *Horat.* 1. *Ep.* 1. 65. rem. *far roba*. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 9.; et *Quintil.* 6. 1. 19. et 18. risum. *far da ridere*. *Quintil.* 10. 3. 11. robur. *far forze, rinvigorirsi*. *Auct. B. Afr.* 85. salutationem. *salutare*. *Liv.* 2. 30. *extr.* et 35. 51. sanguinem. h. e. per cædes effundere, *spargere, far sangue*. *Cic. Balb.* 1. 2., 5. *Att.* 18. *extr.*, 1. *Orat.* 37. 170. et *Brut.* 5. 21. satis alicui. *soddisfare, contentare*. *Cic.* 1. *Orat.* 51. 220. et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 43. 133.; et *Tac.* 15. *Ann.* 67. et 1. *Hist.* 40. scelus. *commettere una scelleraggine*. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 94. nihil sceleris. *Apul.* 5. *Met. sub init.* se intra limen. *farsi innanzi, entrare*. *Liv.* 36. 41. securitatem alicui. *assicurarlo*. *Cæs.* 1. *B. C.* 87. seditionem. *Plaut. Curc.* 1. 1. 36. semitam per fundum. *fare strada, camminare*. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. sermonem. *discorrere*. *Cæs.* 2. *B. G.* 32. significationem ignibus. *dar segno*. *Liv.* 21. 7. *extr.* silentium. *usar silenzio*. V. SILENTIUM. Alio sensu *Val. Flacc.* 1. 210. facta silentia vati. *tacque il vate*. *Tac.* 3. *Ann.* 51. simultates. *destar malcontento*. *Justin.* 5. 1. 7. societatem. *fare alleanza*. Cf. *Nepot. Themist.* 8., *Con.* 2. et *Eumen.* 2. societatem cum aliquo. *Curt.* 3. 4. 3.; et *Tac. Agric.* 30. solitudinem. *fare un deserto*. Sic *Liv.* 8. 13. Vastas inde (h. e. et Latio) solitudines facere. *Ju-*

stin. 11. 8. stadia quingenta cursu. h. e. conficere, explere. Plin. 20. Hist. nat. 7. 26. (61). somnum. far dormire. Liv. 39. 31. ad fin. speciem. far mostra, rappresentare. Cf. Tac. 4. Hist. 78. Speciem novi auxilii fecerant. Cic. 3. Att. 16.; et Liv. 30. 3. et 4. spem. dare speranza. Sic Justin. 22. 2. 12. magnam de se spem omnibus. Liv. 30. 11. spiritus. dare spirito, far coraggio. Id. 5. 7.; et Justin. 24. 4. 10. stipendia. militare. Cic. 1. Fam. 9. 10. et 5. Att. 11. 2. stomachum alicui. fare sdegno. Liv. 40. 2. stragem. fare strage. Plaut. Asin. 4. 1. 53. suavium cuipiam. dare un bacio. Id. Capt. 4. 2. 76. sumptum. spendere. Cic. Flacc. 33. 83. suspicionem. dar sospetto. Liv. 1. 57. tædium rei alicujus. recar tedio, fastidio. Id. 34. 11. extr. aliquem testem. chiamare in testimonio. Sic Ter. Adelph. 2. 1. 48. Testes faciet illico, vendidisse me. Ulp. Dig. 28. 5. 35. a med. Totum quidem facit voluntas defuncti: nam quid senserit, spectandum est. fa tutto: tutto sta nella volontà del defunto. Plaut. Merc. 5. 2. 36. tranquillitatem. sedare il mare. Liv. 26. 25. transitum alicui. dare il passo. Ter. Eun. 4. 1. 2.; et Plaut. Pers. 4. 7. 19. turbam. far susurri, turbolenze. Seneca Ep. 76. tussim. cagionare. Plin. 19. Hist. nat. 1. 6. (23). umbram. far ombra. Quintil. 10. 3. 28. usum. far uso, avvezzarsi. Cic. Quinct. 18. 57. vadimonium. promettere di comparire in giudizio. Id. 4. Tusc. 1. 9. vela. spiegar le vele, far vela. Alfen. Dig. 8. 5. 17. ventrem facit paries. fa pancia, intumescit media sui parte ac ruinam minatur. Plaut. Cas. 3. 5. 15.; et Ter. Eun. 3. 5. 47. ventulum alicui. far vento. Ter. Andr. 1. 2. 7.; et Cic. 6. Verr. 65. 147. verbum. dir parola. Cic. ibid. 66. 147. verba. parlare, fare un discorso. Id. Orat. 20. 68., 24. 80. et 52. 176., et 3. Orat. 38. 154. verba. inventare, formar nuove parole, novare: quod fit vel conjungendis verbis, ut expectorat, versutiloquus, vel sine conjunctione, ut genitalis, incurvesco. Nepot. Att. 2. versuram. dare a prestito. Cic. Rabir. Post. 17. 47. vestigium. camminare. Plaut. Bacch. 4. 1. 41.; Ovid. Heroid. 16. 21.; Phædr. 3. 1.; et Lucan. 1. 159. viam. andare. Cf. Val. Flacc. 1. 545. viam per undas. Alio sensu Liv. 3. 5. viam sibi. farsi strada. Id. 38. 21. et 3. 5.; et Tac. 2. Ann. 61. vim alicui vel in aliquem. usar la forza. Quintil. 10. 3. 3. vires. fare, acquistar forze. Plaut. Pers. 4. 8. 4. bonam vitam cuipiam. dar del piacere, trattar bene, far buona vita. Cic. Topic. 3. 15. vitium faciunt parietes. fanno pelo. Ovid. Heroid. 21. 210. vulnus. far piaga. — 2.°) Cum Infinito, sed raro. Varro 3. R. R. 5. 3. Aspectus et desiderium arborum macrescere facit volucres inclusas. Sall. fragm. apud Senec. Ep. 114. a med. Quæ audita Panormitanos dedere Romanis fecere. costrinsero, indussero. Liv. 22. 13. Casilinum pro Casino ducem accipere fecit. Al. leg. dux ut acciperet. Virg. 2. Æn. 538. qui nati coram me cernere letum fecisti. Ovid. Heroid. 17. 171. Illum Securum probitas, forma timere fecit. Colum. 12. R. R. 38. 5. Mel ter infervere facito. Adde Scribon. Compos. 103. Pallad. 6. R. R. 12. Quæ res eos faciet scissuris aperiri. Adde eumd. 5. ibid. 8. 3. et 10. ibid. 16. Ammian. 27. 1. Agmina fecit introire. Adde eumd. 27. 7. et 15. 6. Aurel. Vict. Orig. G. R. 6. Boves restitui fecit. h. e. curavit, ut restituerentur. — 3.°) Sæpius cum Conjunctivo et part. ut, ne, quin, quo, vel etiam omissa part. — Ac primo quidem animadversione digna videntur illa, in quibus etiam Accusativus occurrit. Plaut. Pœn. a. 2. v. 5. Nec potui tamen propitiam Venerem facere uti esset mihi. h. e. facere ut propitia mihi esset Venus. Ter. Hecyr. prol. alt. 4. Novas (fabulas) qui exactas feci ut inveterascerent. Cato R. R. 41. Surculos facito sint longi pedes binos. h. e. facito, ut surculi etc. Varro 2. R. R. 9. 15. Reliquas quoque canes facit, ut sint in tuto. h. e. facit, ut reliquæ quoque canes etc. Ceterum — a) Cum part. ut apud Plaut. Capt. 4. 2. 20. Faciam, ut ejus diei locique meique semper meminerit. Cic. 1. Acad. (post.) 2. 8. Ea, quantum potui, feci, ut essent nota nostris. Id. 2. Att. 4. 4. et 5. Fam. 19. extr. Tu, quidquid indagaris, facito, ut sciam. Id. 11. ibid. 21. 1. Non potuisti ullo modo facere, ut mihi illam epistolam non mitteres. Sic Id. 8. ibid. 14. 1. Ut nihil ad te dem litterarum, facere non possum. Adde Plaut. Capt. 3. 1. 78. et Pers. 5. 4. 8.; Ter. Adelph. 4. 7. 32.; Nepot. Epam. 3., Hann. 10. et Ages. 4.; et alios passim. — Cum part. ut, eleganter circumlocutioni servit, et quodam pleonasmo pro curare et efficere usurpatur. Cic. Senect. 12. 42. Invitus quidem feci, ut L. Flamininum e senatu ejicerem. h. e. invitus quidem ejeci. Id. 6. Fam. 12. Hoc Pansa, Hirtius, Balbus plane ita faciunt, ut me unice diligant. Id. 11. Att. 23. Acusius tardius iter faciebat: eo feci, ut celeriter eunti darem. In vet. Edicto censorio apud Sueton. Rhetor. 1. iis, qui eos ludos habent, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere. Adde Quintil. 12. 1. 38. — b) Cum part. ut ne apud Cic. Cluent. 60. 168. Fecisti, ut ne cui innocenti mæror tuus calamitatem afferret. — c) Cum part. ne apud Cic. 16. Fam. 11. 1. Fac, ne quid aliud cures, nisi ut quam commodissime convalescas. Ovid. 1. Pont. 1. 65. Mors faciet certe, ne sim, quum venerit, exsul. — d) Cum part. quin apud Cic. 12. Att. 27. 2. Facere non possum, quin ad te mittam. non posso a meno di non mandare. — e) Cum part. eo quo apud Ter. Eun. 1. 2. 16. Non pol, quo quemquam plus amem aut plus diligam, eo feci: sed ita erat res: faciundum fuit. — f) Omissa part. ut usurpatur sæpissime Imperativus. Plaut. Aulul. 3. 1. 2. Date viam qua fugere liceat, facite totæ plateæ pateant. Ter. Eun. 3. 2. 53. Domi adsitis, facite. Cato R. R. 8. Hæc facito uti serantur. Cic. 5. Fam. 21. 5. Fac cupidus mei videndi sis. Id. 11. ibid. 3. 4. Fac cogites. Adde Nepot. Pausan. 2.; Colum. Arbor. 4.; et alios. — Conjunctivus occurrit apud Sueton. Aug. 51. Faciam sciat Ælianus et me linguam habere. — g) Similiter passive fieri est sequi, nasci, venire in conseguenza. — Sic ita fit, ec fit, ut etc. apud Cic. 3. Tusc. 5. 10. Ita fit, ut sapientia sanitas sit animi, insipientia autem quasi insanitas quædam. Adde eumd. 6. Att. 5. et Rosc. Am. 1. 1. Sic Sall. Cat. 52. Eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam. et Plin. 2. Hist. nat. 75. 77. (186). Sic fit, ut longissimus dies duodecim horas colligat. — Quo fiebat ut apud Nepot. Dion. 2. Quo fiebat, ut uni huic maxime indulgeret. Sic Id. Miltiad. 2. Quibus rebus fiebat, ut — perpetuo imperium obtineret. Similiter Id. Alcib. 7. Ex quo fiebat, ut etc. Cf. Ter. Andr. 2. 3. 11. Ex ea re quid fiat, vide. et Sueton. Cæs. 54. Unde factum est, ut etc. — Quo factum est ut apud Nepot. Miltiad. 5. Quo factum est, ut plus, quam collegæ, Miltiades valuerit. Adde eumd. Ages. 2. et Att. 3. — Fieri potest, fieri non potest, est quod minus Latine dicitur possibile, impossibile est, può essere, si può dare. Cic. 1. Tusc. 3. 6. Fieri potest, ut recte quis sentiat, et id quod sentit, polite eloqui non possit. Crassus apud Cic. 2. Orat. 70. 285. Potest fieri, ut iratus dixerit. Cic. Amic. 21. 76. Nec fieri potest, ut non statim alienatio disjunctioque facienda sit. Adde eumd. 4. Verr. 77. 190. Quintil. 7. 1. 37. Vix videtur posse fieri, ut etc. — 4.°) Absolute. Cic. 11. Fam. 14. 3. Eo plus, quam feci, facere non possum. Id. Senect. 3. 7. Faciam, ut potero, Læli. Id. 16. Att. 15. 1. Noli putare, pigritia me facere, quod non mea manu scribam. Id. 2. de republ. 28. Ut jam Romulum patribus lectis fecisse diximus. Id. ibid. 11. Quæ ipse reperias, tribuere aliis malis, quam, ut facit apud Platonem Socrates, ipse fingere. Id. 1. ad Brut. 2. Quod scribis, statuisse te ducere exercitum in Chersonesum, facis ex tua dignitate et e republica. Nepos Datam. 7. Qui quum cogitasset, facere auderet. Adde Horat. 1. Sat. 4. 78. et 2. ibid. 3. 85. Quintil. 6. 1. 54. Ut in Verrem Cicero fecit. Id. 2. 3. 11. Qui dicere et facere doceat. Adde Vellej. 2. 45. 1.; Petron. Satyr. 99.; et Pacat. Paneg. Theod. 3. — Faciebat, mos fuit pingendi fingendique conditoribus subscribere operibus suis: raro admodum fecit. Plin. præfat. Hist. nat. ad fin. Id autem ex usu Græcorum, qui ἐποίει et antiquitus ἐποίει scribebant. V. Marini, Iscriz. Alb. p. 175. — Facere a se videtur esse quod Itali dicunt fare a sue spese, de suo. Inscript. apud Donat. p. 302. 2. D. M. M. STATII M. F. QVI. ADIVTORIS FECIT A SE M. STATIVS SECVNDVS FRATER ET COMMANIPVLARIS. ¶ 2. Speciatim cum altero Accusativo est instituere, creare, reddere, efficere, in causa esse, ut aliquid fiat. — a) De magistratibus et similibus, qui creantur. Cic. Senect. 5. 14. Anno undevicesimo post ejus mortem hi consules facti sunt. Id. Mur. 21. 45. Alium faciam (consulem), quoniam sibi hic ipse desperat. Liv. 2. 21. Facere aliquem dictatorem. Nepos Hamilc. 2. aliquem imperatorem. Justin. 9. 6. 1. aliquem regem. Curt. 8. 5. 18. regem deum. Et passive Nepos Alcib. 5. Ab exercitu recipitur prætorque fit. In Fast. Capitol. apud Gruter. 292. CENS. T. MANLIVS TORQVATVS, T. FVLVIVS FLACC. VITIO FACTI ABDICAVERVNT. — b) Similiter de aliis, quæ secundum legem fiunt. Nepos Att. 3. Ut huic omnes honores — publice haberent, civemque facere studerent. Cic. 3. Verr. 43. 111. Testamento fecit heredem filiam. Adde Nepot. Att. 5.; et Justin. 14. 4. 3. Id. 1. ibid. 38. 93. Si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet. Adde Nepot. Alcib. 4. Ovid. 5. Fast. 683. Facere aliquem testem. Sic Flor. 2. 17. 8. et 4. 12. 29. Facere regionem aliquam provinciam. — c) Universim pro reddere, efficere, tum de hominibus, tum de rebus. — De hominibus. Cic. 2. Phil. 39. 101. Quid, si te disertum facere potuisset? Id. 1. Orat. 51. 220. Orator quum iratum adversario judicem facere vellet. Id. 6. ibid. 7. 18. Senatum bene sua sponte firmum firmiorem vestra auctoritate fecistis. Id. pro leg. Manil. 10. 27. Quæ res est, quæ cujusquam animum in hac causa dubium facere possit? Id. 4. Fam. 12.; et Nepos Datam. 11. Facere aliquem certiorem. Nepos Themist. 2. aliquem rei peritum. Horat. 1. Ep. 15. 4. Illis me invisum. Justin. 1. 10. 2. Persas victores. Plin. Paneg. 70. aliquem bonum. Tac. 2. Hist. 76. jam desiderabilem principem. — Et passive. Plaut. Amph. 3. 1. 1. Interdum fio Juppiter, quando lubet. Id. Aulul. 2. 4. 31. Ut det, qui fiamus liberi. Ter. Heaut. 5. 1. 11. Non patiar flagitiis meis me infamem fieri. (Cf. eumd. Andr. 1. 3. 9. Mihi non fit verisimile. non si rende.) Cic. 2. de republ. 19. Disciplinâ doctior facta esse civitas videtur. Horat. 2. Ep. 2. 211. melior fis accedente senecta. Id. 1. ibid. 1. 16. Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis. — Hinc facere aliquem suum est sibi conciliare, cattivarselo. Ter. Adelph. 5. 6. 10. Paulatim plebem facio meam. Ovid. 2. Art. am. 259. Fac plebem (mihi crede) tuam. Stat. 2. Achill. 377. Paulatim facere suam. — De rebus. Cic. 4. Verr. 26. 63. Ut omnes istius injurias rescinderet et irritas faceret. Cæs. 1. B. G. 36. Qui suo adventu vectigalia sibi deteriora faceret. Horat. 1. Sat. 5. 95. iter factum corruptius imbri. Id. 2. ibid. 6. 14. Facere pingue pecus. Colum. 8. R. R. 7. 1. pinguem gallinam. Justin. 2. 3. 15. Asiam vectigalem. Id. 1. 10. 2. electionem difficilem. Sall. Jug. 14. Jugurtha regnum ejus sceleris sui prædam fecit. — d) Sæpe cum addito Ablat. et præpos. ex, vel raro de. Cic. 2. de republ. 10. Qui dii ex hominibus facti esse dicuntur. Sall. Jug. 10. Tua virtute nobis Romanos ex amicis amicissimos fecisti. Ovid. Heroid. 14. 86. ex bove facta dea. Id. 2. Met. 647. e deo fies corpus exsangue. Adde eumd. 5. ibid. 317. Justin. 14. 4. 3. ex victore victum facere. Id. 22. 1. 14. ex inope dives factus. Sic Cic. 2. Fin. 7. 20. Rem unam ex duabus facere. Justin. 7. 2. 11. facere captivum de rege. Juvenal. 6. 185. de Tusca Græcula facta est. Ovid. 14. Met. 313. factum signum de marmore. Flor. 3. 7. 32. mediam de Italia Africam facere. — e) Pro altero Accusativo Genitivus occurrit in sequentibus. Nepos Thrasyb. 1. Quæ ille universa naturali quodam bono fecit fieri. Justin. 34. 1. 5. Facere urbes juris proprii. ¶ 3. Item speciatim cum casibus pretii est æstimare, stimare. Plaut. Pers. 2. 2. 42. Nihili facio scire. Al. leg. nihil. Sic Cic. 2. Fin. 27. 88. Dolorem nihili facere. Rursus Plaut. Mil. glor. 4. 2. 41. Aliquid parvi facere. Ter. Hecyr. 2. 2. 18. magni. Id. Andr. 1. 5. 58. maximi. Cic. 3. Fam. 10. 2. Ex quo perspicere posses, quanti te, quanti Pompejum, quem unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi, quanti Brutum facerem. Adde Horat. 1. Ep. 9. 2.; et Nepot. Iphicr. 3. Rursus Cic. 3. Fam. 4. 2. Te quotidie pluris feci. Adde Plaut. Pseud. 1. 3. 35.; et Horat. 1. Sat. 9. 23. Cic. 2. Fin. 13. 12. Voluptatem virtus minimi facit. Nepos Chabr. 4. tanti facere. Catull. 12. 13. non assis. — Et passive Cic. Amic. 16. 57. Ut quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. Nepos Datam. 5. Illum unum pluris, quam se omnes, fieri videbant. — Cum Adverbiis. Sall. Jug. 85. Non sunt composita verba mea: parum id facio. Al. leg. parvi. Plaut. Stich. 1. 1. 42. Si illi improbi sint, atque aliter nos faciant, quam æquum est. ¶ 4. Item pro repræsentare pingendo, sculpendo, vel alio quocumque modo. — a) De artibus plasti-

cis. *Ovid.* 6. *Met.* 108. de *Arachne, quæ acu pingebat.* Fecit et Asterien aquila luctante teneri: Fecit olorinis Ledam recubare sub alis. Adde *eumd. ibid.* 70. — *b*) De iis, quæ in scenis repræsentantur. *Ter. Heaut. prol.* 31. Qui nuper fecit servo currenti in via decesse populum. Cf. *Ovid.* 13. *Met.* 692. Ecce facit mediis natas Orione Thebis, Hanc non femineum jugulo dare pectus aperto, Illam dimisso per fortia vulnera telo Pro populo cecidisse suo; pulcrisque per urbem Funeribus ferri celebrique in parte cremari. — *c*) Sæpius de oratione. *Cic.* 3. *Nat. D.* 16. 41. Herculem Homerus apud inferos conveniri facit ab Ulixe. *Id. Brut.* 60. 218. In eo libro, ubi se exeuntem e senatu et cum Pansa colloquentem facit. *Id.* 1. *Nat. D.* 11. 31. Xenophon facit in iis, quæ a Socrate dicta retulit, Socratem disputantem. *Id. Opt. gen. orat.* 6. 17. Plato quum Isocratem admirabiliter in Phædro laudari fecit a Socrate. *Id.* 1. *Nat. D.* 8. 19. Plato construi a Deo atque ædificari mundum facit. Huc pertinet et illud *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 13. (43). Hanc etiam (*herbam*) præcisos nervus glutinare faciunt. *h. e.* putant, ducunt, volunt. ¶ 5. Hinc pro fingere, simulare. *Cic.* 15. *Fam.* 18. Facio, me alias res agere. *fingo di non badare.* *Id. Planc.* 27. 65. Destiti stomachari, et me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent. *mi finsi.* ¶ 6. Imperativus *fac* sæpissime occurrit pro imaginandi vi tibi finge, *imaginati, supponi.* — *a*) Cum Infinito. *Cic.* 7. *Fam.* 23. Fac, quæso, qui ego sum, esse te. *mettiti nel mio piede.* *Id.* 2. *Phil.* 3. 5. Fac, potuisse. *concediamo, che tu abbia potuto; dinsi, che etc.* *Id.* 1. *Tusc.* 29. 70. Quæ est animo natura? propria, puto, et sua: sed fac igneam, spirabilem: nihil ad id, de quo agimus. *facciamo, supponiamo, che sia di fuoco.* *Id. ibid.* 34. 82. Fac, quod isti volunt, animos non remanere post mortem. *Virg.* 4. *Æn.* 540. Quis me autem (fac velle) sinet? — *b*) Cum Conjunctivo. *Stat.* 2. *Achill.* 211. Fac, velit: ipsam illam matrem sprevisset Achilles. *metti, che voglia.* ¶ 7. Cum Accusativo artis alicujus est exercere, *esercitare.* *Plaut. Amph. prol.* 89. Quasi vero novum nunc proferatur, Jovem facere histrioniam. *Cic.* 7. *Verr.* 28. 72. Quum mercaturas facerent, aut aliquam ob causam navigarent. *Id. ibid.* 49. 155. et *Cæcin.* 4. 10.; et *Aucel. Vict. vir. ill.* 72. Facere argentariam. *Cic.* 7. *Verr.* 18. 46. naviculariam. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. § 5. topiariam. *Id.* 6. *Fam.* 18. 1. haruspicinam. *Id. ibid.* præconium. *Id. post redit. in senat.* 5. 11. Egestate et improbitate coactus piraticam fecit. *Sueton. Cæs.* 42. pecuariam. *Apul.* 4. *Met.* scrutariam. Similiter *Fronto* 2. *ad amic.* (edente iterum *A. Mai.*) *ep.* 6. Facere scribam, facere decurionem. ¶ 8. Pertinet sæpe ad rem divinam: ut *facere sacrum*, item *facere* absolute, *far sacrifizio.* — *a*) Cum Accus. *Cic.* 6. *Verr.* 8. 18. Res illum divinas apud eos deus in suo sacrario quotidie facere vidisti. Adde *Sueton. Aug.* 1. *Cic. Balb.* 24. 55. Sacra pro civibus civem facere voluerunt. Adde *Liv.* 1. 20.; *Ovid.* 3. *Met.* 26.; et *Justin.* 9. 4. 1. *Cic. Brut.* 14. 56. Sacrificium publicum cum læna facere. Adde *Liv.* 36. 30. et 1. 45.; et *Justin.* 20. 2. 13. — *b*) Absolute. *Cic. Mur.* 40. 90. Nolite a sacris patriis Junonis Sospitæ, cui omnes consules facere necesse est, domesticum et suum consulem potissimum avellere. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. Larentiæ vos pontifices ad aram in Velabro facere soletis. *Varro* 1. *R. R.* 1. 4. Et quoniam (ut ajunt) dei facientes adjuvant, prius invocabo eos. — *c*) Cum Ablativo rei, qua quis sacrum facit. *Cato R. R.* 139. Facere porco piaculo. *Virg.* 3. *Ecl.* 77. Quum faciam vitula pro frugibus. *Sulpicia* apud *Tibull.* 4. 6. 14. Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero. *Colum.* 2. *R. R.* 22. 4. Facere catulo. — *d*) Cum Accus. hostiæ. *Cato R. R.* 134. Priusquam messim facies, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. — *e*) Passive impersonaliter. *Cic.* 1. *Att.* 13. 3. Quum pro populo fieret. *Liv.* 37. 3. Quibus diis decemviri ex libris ut fieret. — *f*) Huc referri possunt et illa *Tac.* 2. *Hist.* 95. Facere inferias alicui. *Cato R. R.* 83.; *Cic.* 8. *Att.* 25.; et *Val. Flacc.* 1. 323. Vota facere. ¶ 9. *Facere aliquid in aliquem vel alicui* est statuere. *Ter. Heaut.* 1. 1. 55. Si id non facis, ego quod me in te sit facere dignum, invenero. *Id. ibid.* 1. 2. 21. Vereor, ne quid in illum iratus faxit pater. *Id. Eun.* 5. 6. 31. Causam quærebat senex, quamobrem insigne aliquid faceret eis. ¶ 10. Refertur etiam in re grammatica ad positionem nominum et verborum. *Quintil.* 1. 6. 13. Cur *aper apri* et *pater patris* faciat? *Id.* 1. 5. 63. Sic genitivos *Achillis* et *Ulixi* fecit. *Id.* 1. 4. 15. Eadem (*littera*) fecit ex *duello bellum*. Adde eumd. 1. 6. 14. et 15. et 26. et 27. ¶ 11. *Quid faciam, facerem, fiet* etc. cum Ablativo, vel cum Dativo, et interdum cum Ablat. et præpos. *de*, vel etiam absolute, est interrogantis de modo agendi. — *a*) Cum Ablativo. *Cic. Sext.* 13. 29. Quid hoc homine facias? aut quo civem importunum reserves? *che devi mai far di costui?* Sic *Id.* 4. *Verr.* 16. 40. Quid hoc homine facias? *Plaut. Bacch.* 2. 3. 99. CH. Tantas divitias habet: nescit quid faciat auro. NI. Mihi dederit velim. *non sa che fare dell'oro: tanto è ricco.* *Liv.* 38. 37. Quid capta Capua fecerītis? *Sall. Cat.* 52. Vos cunctamini etiamnum, quid intra mœnia deprensis hostibus faciatis? — *b*) Cum Dativo. *Ter. Andr.* 1. 1. 85. Quid hic mihi faciet patri? *Cic. Cæcin.* 11. 30. Quid tu huic homini facias? *Id.* 7. *Att.* 3. 2. Quid enim tibi faciam, qui illos libros devorasti? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 96. Quid enim faceret huic conclusioni, si *lucet, lucet* etc.? cederet scilicet. *che risponderebbe? che direbbe di* etc. — *c*) Cum Ablat. et præp. *de*. *Nepos Themist.* 2. Miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. — *d*) Singulare est illud *Plaut. Capt.* 4. 2. 21. Quid hic homo incipisсit facere cum tantis minis? — *e*) Passive. *Cic.* 14. *Fam.* 4. 3. Quid Tulliola mea fiet? *che sarà di* etc. *Id.* 6. *Att.* 1. 14. Quid illo fiet, quem relinquero? quid me autem, si non tam cito decedo? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 33. 107. Quid fiet artibus? — *Ovid.* 1. *Art. am.* 536. Perfidus ille abiit? quid mihi fiet? — *Plaut. Epid.* 1. 2. 48. Quid de illa fiet fidicina? *Ter. Adelph.* 5. 9. 39. De fratre quid fiet? — *f*) Absolute. *Ovid.* 6. *Met.* 572. Quid faciat Philomela? fugam custodia claudit. *Virg.* 1. *Ecl.* 41. Quid facerem? neque servitio me exire licebat etc. *che potera io fare?* hoc loco est excusantis. — *g*) Interdum *facere* cum Ablativo occurrit etiam sine interrogatione. *Cato R. R.* 147. Si non ante ea exportaveris, dominus vino, quod volet, faciet. *farà del vino quello che gli piacerà.* Adde *eumd. ibid.* 148. *Sall. Jug.* 85. Quod si jure me despiciunt, faciant idem majoribus suis. Cum præpos. *in* apud *Ovid.* 2. *Met.* 523. Vindicet antiquam faciem, vultusque ferinos Detrahat; Argolicâ quod in arte Phoronide fecit. ¶ 12. *Factum est aliquo vel aliqua re* — *a*) Locum habet in interrogationibus de re amissa. *Plaut. Capt.* 5. 1. 32. Volo ecrugitare, meo minore quid sit factum filio? *che sia di mio figliuolo?* *Plin.* 8. *Hist. nat.* 6. 6. (17). Nec quid deinde iis (*elephantis*) factum sit, auctores explicant, qui non putant interfectos. *Plaut. Most.* 3. 1. 101. Quid eo est argento factum? *che s'è fatta di que' denari?* Sic *Id. Cas.* 5. 4. 6. Quid fecisti scipione? *che hai fatto del bastone?* et *ibid.* v. 9. Quin responde, tuo quid factum est pallio? — *b*) *Si quid me factum sit*, ominis mali et tristioris verbi vitandi causa dicitur, ea ratione, qua *si quid mihi acciderit humanitus*, h. e. si moriar. *Cic. pro leg. Manil.* 20. 59. Si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri? Simile est illud *Plaut. Pæn.* 5. 1. 22. Hic mihi antehac hospes Antidamas fuit: eum fecisse ajunt, sibi quod faciundum fuit. *h. e.* obiisse. ¶ 13. *Fiet aliquid* est quod Italice dicimus *si farà qualche cosa, qualche cosa sarà.* *Plaut. Merc.* 2. 4. 25. Invenietur, exquiretur, aliquid fiet. *Ter. Andr.* 2. 1. 13. Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies: interea fiet aliquid, spero. ¶ 14. Contra *fit nihil* dicitur, quum vanus est conatus, et opera luditur, nihil conficitur. *Plaut. Curc.* 5. 3. 5. Postquam nihil fit, clamore hominem posco. *h. e.* argentum non redditur. *Cic.* 7. *Fam.* 18. An hoc significas, nihil fieri, frigere te? *Gell.* 2. 29. Sol fervit, et fit nihil. ¶ 15. *Ut fit, ita ut fit*, ut fieri solet, *come accade, come s'usa.* *Cic. Orat.* 53. 177. Præsertim quum, ut fit, fortuito sæpe aliquid concluse apteque dicerent. *Id.* 4. *Verr.* 23. 56. Queri cum multis, ita ut fit, incipiunt, sese HS. LXXX. nummûm frustra dedisse. *Id. Mil.* 10. 28. Paullisper dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est. *Liv.* 3. 1. Fecit statim, ut fit, fastidium copia. *Curt.* 8. 10. 16. Quum orta licentia a paucis, ut fere fit, in omnes se repente volgasset. Adde *eumd.* 8. 2. 31. et 8. 11. 20. ¶ 16. *Fiat* est concedentis, permittentis, annuentis. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 145. PS. Meis vicissim date locum fallaciis. SI. Fiat; geratur mos tibi. *Id. Most.* 1. 3. 41. I mecum hac, obsecro, una simul. SI. Fiat. Adde *eumd. Asin.* 1. 1. 27. et *Amph.* 2. 2. 138.; et *Senec. in fin. proœm.* 3. *Controv.* ¶ 17. *Factum velle* — *a*) Absolute est affirmantis et confirmantis. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 91. Serva tibi sodalem et mihi filium. MNESIL. Factum volo. — *b*) Hinc cum Dativo personæ est ejus causa cupere, favere, precari. *Ter. Adelph.* 5. 7. 20. Dii tibi benefaciant, quum te video nostræ familiæ tam ex animo factum velle. *Gell.* 7. 3. *ante med.* Quum et utiles essent, et vellent regi esse factum, nihil tamen adjuvandi ejus gratia fecerunt. ¶ 18. *Fac, si facis*, eodem fere sensu, quo *age, quod agis*, formula est hortantis instantisque cum querela, ut quod quis incepit, celeriter conficiat. *Seneca* 2. *Benef.* 5. Inde illæ voces, quas ingenuus dolor exprimit: Fac, si quid facis etc. *mo via finiscila.* *Martial.* 1. 47. Fac, si facis. Sic *Plaut. Pers.* 1. 3. 66. Huc si facturus, face. ¶ 19. Passivum *fieri* in tertiis personis est evenire, accidere, *accadere, avvenire.* *Cic.* 16. *Att.* 2. Fit sæpe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus. *Id. Amic.* 21. 77. Si morum commutatio quædam (ut fieri solet) facta erit. *Id. ibid.* 20. 75. Ne intemperata quædam benevolentia (quod persæpe fit) impediat magnas utilitates amicorum. *Id.* 7. *Att.* 12. *ad fin.* Si ita factum esset, ut ille senatum offenderet. *V.* supra § 1. 3.° *g.* ¶ 20. Aliquando passivum *fieri* poni videtur pro esse, *essere.* *Plaut. Merc.* 4. 3. 1. Miserior mulier me nec fiet, nec fuit. *Cic.* 3. *Fam.* 7. Scilicet contempsi te: nec fieri potest me quidquam superbius.

B) Neutrorum more, vel sine Accusativo ¶ 1. *Facere* jungitur Adverbiis, et est agere, se gerere, *far la da, diportarsi, condursi.* — *a*) Sine additis. *Plaut. Capt.* 5. 2. 7. Recta et vera loquere, sed neque vere, neque recte adhuc fecisti unquam. *Cic. Quinct.* 8. 31. Recte, aut perperam facere. *operar bene o male.* *Id.* 12. *Att.* 24. 1. Bene fecit Silius, qui transegerit. *ha fatto bene a conchiudere.* Cf. *eumd.* 7. *Att.* 7. Bene hoc fecit, quod mihi sui cognoscendi facultatem dedit. *ha fatto questo di buono, che mi ha dato* etc. *Id. Amic.* 2. 9. Tu, Fanni, quod mihi tantum tribui dicis, facis amice. *tratti da amico.* *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. 1. Fecit humaniter Licinius, quod ad me venit. *Id.* 1. *Legg.* 1. 4. Faciunt imperite, qui a poeta veritatem exigunt. *mostrano poca cognizione ad esigere* etc. Adde *Nepot. Timoth.* 3. *Nepos Hann.* 2. Facere imprudenter. *Id. Themist.* 7. male et injuste. *Id. Alcib.* 7. malitiose. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 38. viriliter. *Quintil.* 9. 2. 85.; et *Seneca* 1. *Controv.* 8. fortiter. *portarsi da valoroso, far qualche bella impresa.* Sic *Ammian.* 24. 4. et 27. 1. fortissime. *Quintil.* 5. 10. 68. Tutius Cicero facit. Huc referri potest et illud *Cic. Rosc. Com.* 7. 21. Facere per malitiam. *con malizia.* — *b*) Cum Dativo personæ, *facere bene* vel *male alicui*, est prodesse vel nocere. *Ter. Adelph.* 5. 8. 24. Hegio his est cognatus proximus, affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet. Cf. *Sall. Cat.* 3. Pulchrum est bene facere reipublicæ. *V.* BENEFACIO; et adde *Plaut. Capt.* 5. 1. 21. *Id. Plaut. ibid.* v. 23. Atque te nolim succensere, quod ego iratus ei feci male. Adde *eumd. Most.* 3. 2. 22. Sic *Ter. Eun.* 4. 1. 10. Facere alicui ægre. *fare un dispiacere.* — Similiter in formulis precandi. *Ter. Adelph.* 5. 7. 19. Dii tibi, Demea, bene faciant. *Cic.* 5. *Fam.* 11. *extr.* Dalmatis di male faciant. — Huc referri potest et illud *Cic.* 1. *Tusc.* 35. 86. Pompejo nostro familiari, quum graviter ægrotaret Neapoli, melius est factum. *s'è riavuto.* — *c*) *Bene facis!* est etiam approbantis. *Ter. Adelph.* 4. 3. 10. MI. Si ita æquum censes, aut ita opus est facto, eamus. HE. Bene facis! *bravo! molto bene!* Adde *eumd. ibid.* 5. 9. 13. ¶ 2. *Facere cum aliquo* et *ab aliquo* est convenire, favere, stare ab aliquo: cui contrarium est *facere contra* vel *adversus aliquem.* — *a*) *Facere cum aliquo* apud *Cic. Sull.* 13. 36. Si respondisset, idem sentire et secum facere Sullam. *che è dalla sua, fa per sè.* *Id.* 6. *Att.* 8. 2. Cum illo (*Cæsare*) prætores designatos Cassium trib. pl., Lentulum consulem facere. *Id. Planc.* 35. 86. Furialis illa vox secum et illos et consules facere acerbissime personabat. *Id. Cæcin.* 38. 104. Auctoritatem sapientissimorum hominum facere nobiscum. *Id. ibid.* 28. 79. Rem et senten-

tiam interdicti mecum facere fatebatur. *Id. Quinct.* 30. 91. Veritas cum illo facit. *sta per lui.* Cf. *Ovid.* 3. *Art. am.* 762. Cum Veneris puero non male, Bacche, facis. *non disconvieni.* — *b) Facere ab aliquo* apud *Cic.* 1. *Invent.* 48. 90. Commune est, quod nihilo magis ab adversariis, quam a nobis facit. Sic *Id.* 7. *Att.* 3. 5. Omnes damnatos, omnes ignominia affectos illac facere. *h. e.* a Cæsare. *Al. leg.* illic, *al.* illuc. — *c) Facere contra* vel *adversus aliquem* apud *Cic. Quinct.* 1. 1. Quæ res in civitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore. *Nepos Eumen.* 8. Neque minus eos, cum quibus steterint, quam adversus quos fecerint. ¶ 3. *Facere alicui, ad aliquid* et *facere* absolute, præcipue in re medica, est conferre, prodesse, *giovare.* — *a) Facere alicui* apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 19. 22. (48). Radix coronopi cœliacis præclare facit, in cinere tosta. *Plin. Valer.* 2. 1. Mirifice pulmoni facit. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 17. Incolumi Rhodos et Mitylene pulcra facit, quod Pænula solstitio, campestre nivalibus auris. *et Propert.* 3. 1. 19. Mollia, Pegasides, vestro date serta poetæ: Non faciet capiti dura corona meo. *non istarà bene sul mio capo.* — *b) Facere ad aliquid* apud *Plin.* 22. *Hist. nat.* 18. 21. (46). Chamæleon facit ad difficultatem urinæ. *Scribon. Compos.* 122. Ad coli dolorem faciunt. — Similiter *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 16. Frena minus sentit, quisquis ad arma facit. *è buono per la guerra.* *Id.* 3. *Art. am.* 540. Et facit ad mores ars quoque nostra suos. *Id. Heroid.* 16. 189. Parca sed est Sparte: tu cultu divite digna es: Ad talem formam non facit iste locus. *h. e.* non est aptus, non convenit. *Id.* 3. *Amor.* 11. 41. Aut formosa fores minus, aut minus improba, vellem: Non facit ad mores tam bona forma malos. *Id.* 1. *Trist.* 9. 43. Hanc si contigerit, meritæ cadet agna Minervæ: Non facit ad nostras hostia major opes. *Seneca Tranquill. anim.* 4. Quorumdam contumacia non facit ad aulam. *nam*, ut *Tacitus* ait, aula vult obsequentes. *Martial.* 10. 45. Non facit ad stomachum nostra lagena tuum. *h. e.* nostri versus tibi non conveniunt. — *c) Facere adversus aliquid* apud *Scribon. Compos.* 108. et 176. Medicamentum, quod adversus solutionem stomachi facit. — *d) Facere* absolute apud *Caton. R. R.* 157. Id (*h. e.* medicamentum) bene faciet, et mali nihil sinet in corpore consistere. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 7. Facit autem commode ea compositio, quam etc. *Id.* 8. *ibid.* 17. 13. Facit etiam ex pomis viridibus adaperta ficus. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 13. 2. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 23. Nec cœlum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec auræ. *non mi conferiscono.* Similiter *Quintil.* 11. 3. 173. Mire facit in peroratione confessio. Adde *eumd. ibid.* § 171. Et cum Infinito loco Nominativi, *Id.* 6. 4. 8. Plurimum facit, totas diligenter nosse causas. — Hinc Part. præter. pass.

Factus, a, um, adjective quoque occurrit; unde Comp. *Factior* est apud *Plaut. Trin.* 2. 3. 6. Miser ex animo fit: factius nihilo facit. *Alii leg.* factius nihil facit, *h. e.* nihil magis curatum et expilcatum reddit. Ceterum ¶ 1. *Factus ad aliquid* est natus, aptus, idoneus. *Cic. Mil.* 4. 10. Est hæc non scripta, sed nata lex; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus. *Id.* 1. *Off.* 29. 103. Neque ita generati a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur. *Id.* 14. *Att.* 18. Ego Erotem, ad ista expedienda factum, mihi videbar reliquisse. *ottimo, fatto a posta, nato fatto.* — Poetice cum Dativo. *Propert.* 1. 5. 49. Nec tibi displiceat miles non factus amori. — Et cum Infinito. *Tac.* 14. *Ann.* 56. His (*verbis*) adjicit complexus et oscula, factus natura et consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis. — Absolute. *Cic. Brut.* 80. 276. Sive quod natura non esset its factus, sive quod non posset. *non era naturalmente portato a questo.* ¶ 2. Item arte institutus, comparatus, compositus: ad rem *Seneca Ep.* 27. Magnā summā emit servos, unum qui Homerum teneret, alterum qui Hesiodum. — Non invenerat: faciendos curavit. *Nepos Att.* 13. Artifices domi nati domique facti. *educati, ammaestrati.* *Cic.* 2. *Att.* 24. *circa med.* Qui illuc factus institutusque venisset. *apparecchiato e instruito.* *Liv.* 1. 56. Ex industria factus ad imitationem stultitiæ. *h. e.* compositus. — Similiter de rebus. *Cic.* 3. *Orat.* 48. 184. Orationem, quæ quidem sit polita atque facta, quodam modo — remissius numerosam esse oportere. *Id. ibid.* 52. 201., 3. *Fin.* 15. 51. et *Partit. orat.* 21. 72. Verba facta. *h. e.* de novo ficta et inventa. Ceterum *facere verba* alio sensu, V. FACIO sub *A.* 1. 1.° ¶ 3. *Dictum factum* celeritatem rei significat. *Ter. Heaut.* 5. 1. 31. Dictum factum, huc abit Clitipho. V. *Dictum* in fin. v. DICO. Similiter *Ovid.* 4. *Met.* 477. Facta puta, quæcumque jubes. Cf. *Ter. Andr.* 1. 1. 2. Dictum puta. ¶ 4. *Factum*, h. e. *factum est*, in responsionibus affirmat, si. *Ter. Eun.* 4. 4. 40. PHOE. Chærea tuam vestem detraxit tibi? DO. Factum. PHOE. et ea est indutus? DO. Factum. ¶ 5. *Factum bene, aptime* sunt exclamantis ex lætitia et gratulantis apud *Plaut. Pseud.* 4. 6. 37.; et *Ter. Andr.* 1. 1. 78. et 3. 4. 14. Et *factum* omisso *Martial.* 7. 15. O bene, quod silva colitur Tirynthius ista! ¶ 6. *Factum male* est damnantis et improbantis apud *Plaut. Most.* 2. 2. 27.; *Ter. Phorm.* 5. 1. 24.; et *Cic.* 15. *Att.* 1. — Hinc

Factum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. In Genitivo plur. num. *factûm* pro *factorum* dixit *Pacuvius*, teste *Cic. Orat.* 46. 155. hisce verbis: Itaque idem poeta, qui inusitatius contraxerat *Patris mei meûm factum pudet*, pro *meorum factorum* etc. — Ceterum factum est actio, facinus, res gesta, *fatto, azione, impresa*, πρᾶξις, ἔργον, in utramque partem. ¶ 1. Generatim. — *a) Factum* opponitur *dicto*, ut apud *Liv.* 6. 40. Neque ullum factum dictumve nostrum contra utilitatem vestram referri posse. *Sall. Jug.* 64. Ita cupidine atque ira, pessimis consultoribus, grassari, neque facto ullo, neque dictu abstinere, quod modo ambitiosum foret. *Sueton. Cal.* 32. Animum quoque remittenti, ludoque et epulis dedito, eadem dictorum factorumque sævitia aderat. Adde *eumd. Aug.* 12. et *Ner.* 32. — Item *voluntati* opponitur. *Gell.* 7. 3. Facta sola censenda dicit Cato atque in judicium vocanda; sed voluntates nudas inanesque neque legibus, neque pœnis fieri obnoxias. — *b)* Universim. *Cic.* 8. *Att.* 14. 2. Quod unquam eorum in republica forte factum exstitit? *Id.* 1. *Fin.* 11. 37. De clarorum hominum factis illustribus et gloriosis satis hoc loco dictum. *Id. Sull.* 26. 72. Ecquod hujus factum, aut commissum non dicam audacius, sed quod cuiquam paullo minus consideratum videretur? *Id. Cæl.* 10. 23. Qui non modo a facto, verum etiam a conscientiæ suspicione abfuit. *Cæs.* apud *Cic.* 9. *Att.* 16. A. 1. Meum factum probari a te triumpho gaudeo. *Liv.* 45. 24. Distinguere voluntatem a facto. *Virg.* 1. *Æn.* 368. dux femina facti. *Id.* 10. *ibid.* 468. famam extendere factis, Hoc virtutis opus. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 40. Dimidium facti, qui cœpit, habet. *la metà dell'opera.* *Ovid.* 14. *Met.* 36. unoque duos ulciscere facto. *con un solo atto.* *Val. Flacc.* 3. 455. nostrive luant ea facta minores. — *c)* Cum addito Genit. personæ, quæ fecit. *Sall. Cat.* 8. Per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. *Cic.* 11. *Att.* 19. *med.* Facta Dolabellæ. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 43. regum. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 17. 16. — *d)* Jungitur pluribus Adjectivis. *Cic. Dom.* 36. 97. Factum laudabile. *Id.* 2. *Phil.* 44. 114. præclarum atque divinum. *Id.* 10. *Fam.* 16. egregium. *Nepos Arist.* 2. illustre. *Id. Thrasyb.* 1. magnificentissimum. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 137. Facta splendida. *Quintil.* 6. 1. 22. Factum honestum. *Virg.* 11. *Æn.* 812. audax. *Catull.* 23. 10. Facta impia. *Ovid.* 3. *Met.* 248. fera. *Id. Heroid.* 14. 16. nefanda. *Id.* 6. *Met.* 533. dira. *Quintil.* 1. 2. 2. turpia. *Juvenal.* 13. 126. Factum detestabile. *Seneca Thyest.* 630. trux. — *e)* Cum Adverbiis. *Sall. Cat.* 8. Sua ab aliis bene facta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat. Adde *eumd. Jug.* 85.; et *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 64. Rursus *Cic.* 3. *Cat.* 12. 27. Vestrum est, Quirites, si ceteris sua recte facta prosunt, mihi mea ne quando obsint, providere. Adde *Liv.* 28. 25. — *f) Facto est opus*, aut usus, faciendum est. *Ter. Andr.* 3. 2. 10. Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperæ. *Id. ibid.* 4. 2. 32. Ita facto est opus. *Id. Phorm.* 5. 1. 35. Quid opus facto sit, vide. *Id. Hecyr.* 3. 1. 47. Non usus facto est mihi nunc intro sequi. Cf. *Plaut. Amph.* 1. 1. 15. Quo facto, aut dicto adest opus. *Tac.* 1. *Hist.* 62. Facto magis, quam consulto opus est. ¶ 2. Speciatim *bonum factum est*, Itali dicunt *è cosa ben fatta, sta bene.* *Plaut. Pseud.* 1. 2. 52. Nunc adeo hoc factum est optimum, ut nomine quemque appellem suo. ¶ 3. In edictis *bonum factum* præfari mos fuit, ominis causa; ut apud Græcos: Ἀγαθῇ τύχῃ. Quem morem significat *Tertull. Pudic.* 1. O edictum, cui adscribi non poterit, Bonum factum. Hinc *Sueton. Cæs.* 80. Peregrinis in senatum allectis, libellus propositus est. Bonum factum: ne quis senatori novo curiam monstrare velit. *Id. Vitell.* 14. Exacerbatus, quod post edictum suum, quo jubebat *etc.*, statim libellus est propositus: et Chaldæos edicere, Bonum factum, ne Vitellius etc. Quo pertinent illa *Plauti Pœn. prol.* 16. Bonum factum est, edicta ut servetis mea. *et* 44. Hæc, imperata quæ sunt pro imperio histrico, bonum hercle factum, pro se quisque ut meminerit. *et Aurelii Victor. vir. illustr.* 49. Hac die Carthaginem vici: bonum factum: in Capitolium eamus, et diis supplicemus. ¶ 4. De boum aratione dixit *Ovid. Heroid.* 10. 60. vacat insula cultu: Non hominum video, non ego facta boum. *opere, lavori.* ¶ 5. Abstractum pro concreto, uti ajunt, sive pro eo qui fecit. *Plaut. Pœn.* 3. 5. 16. AG. Servum esse audivi meum apud te. LY. Apud me? numquam factum reperies. AG. Mentire: nam ad te venit aurumque attulit.

Homonym. I.) *Facere* et *agere* in eo præcipue differunt, quod *agere* ad tempus, *facere* ad spatium refertur; *actio* itaque non cadit sub sensus, *factum* vero sub sensus cadit: præterea *agere* significat vim actuosam, quæ ad aliquid producendum exseritur; *facere* autem significat hujus actuosæ vis effectum, qui reapse existit; hinc *actio* est conditio, qua τὸ *facere* vel *factum* eget, contra vero *agere* vel *actio* etiam sine *facto* locum habere potest. *Varro* 6. *L. L.* 77. *Müll.* Poeta facit fabulam et non agit; contra actor agit et non facit. — Qui quid administrat, cujus opus non exstat quod sub sensum veniat, ab agitatu — magis agere, quam facere putatur. *Ter. Adelph.* 4. 4. 2. Ut neque quid faciam, nec quid agam certum siet. Cf. *eumd. ibid.* 5. 3. 2. *Cic.* 3. *Phil.* 13. 33. Nullum tempus dimittam, quin — quod agendum ac faciendum sit, id non modo recusem, sed etiam appetam atque deposcam. *Liv.* 27. 10. Consules — agerent facerentque, ut e republica ducerent.

II.) Inter *opus* et *factum* illud interest, quod *opus* est substantivum verbi *facere*, *factum* vero est substantivum verbi *agere*: *opera* sunt carmina, libri, statuæ etc.; *facta* vero sunt humani actus, qui *verbis* frequenter opponuntur, interdum *facta* sunt etiam præclara facinora; *res gestæ* sunt illustria facinora belli vel domi facta; *acta* denique unum idemque sunt cum *rebus gestis* et *factis*, nisi quod *facta* verbum est poetarum proprium, *acta* verbum est magistratuum, imperatorum etc. proprium, quo leges, edicta, decreta, jussa etc. significantur, ipsique commentarii, in quibus populi, senatus etc. acta perscribebantur ad memoriam posteritatis. *Virg.* 10. *Æn.* 468. famam extendere factis, Hoc virtutis opus. *Plin. Paneg.* 80. Facta mortalium inter divina opera numerare dignatus est. *Cic.* 14. *Att.* 17. Multa de facto et de re gesta tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum unquam, nihil reipublicæ salutarius. *Id.* 2. *Orat.* 15. 63. Rerum ratio vult, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum quid actum (*al. leg.* factum) aut dictum sit, sed etiam quomodo.

FACITERGIUM, ii, n. 2. (facies *et* tergere) pannus qui faciei tergendæ inservit, ut docet *Isid.* 9. *Orig.* 26. Facitergium et manutergium a tergendo faciem vel manus vocatur. *Venant. Vit. S. Radeg.* 2. Circa altare cum facitergio jacentem pulverem colligens.

FACTICIŌSUS, a, um, adject. *industrioso*, qui multum vel recte factitat. *Gloss. Philox.* Facticiosus, πολυπράγμων.

FACTICIUS *vel* factitius, a, um adject. ¶ 1. Generatim est manu et arte factus: cui opponitur naturalis, nativus, *fattizio, artifiziale*, τεχνικός. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 39. (81). Facticium sal. *Id.* 37. *ibid.* 7. 26. (98). Facticiæ gemmæ. *Sillig* vero ex Cod. Bamberg. *leg. fictæ.* *Id.* 31. *ibid.* 7. 42. (91). Facticius color. *Id.* 12. *ibid.* 17. 37. (75). Terrenum ladanum friabile, facticium lentum. ¶ 2. Speciatim apud Grammaticos, *Facticium nomen* dicitur a *Prisciano* 2. p. 581. *Putsch.*, quod a præ-

prietate sonorum per imitationem factum est, ut *tintinnabulum, turtur*.

FACTIO, ōnis, f. 3. occurrit *A*) Raro admodum abstracto; *B*) Sæpius concreto, uti ajunt, sensu.

A) Abstracte factio est actus, seu facultas faciendi, confectio, *il fare, facimento*, ποίησις. *Cic. Topic.* 11. 50. Tabulæ, quas is instituisset, cui testamenti factio nulla est. *Id.* 7. *Fam.* 21. Negare ajebat Servium tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is, qui factionem testamenti non habuerit. — Huc pertinet et illud *Plaut. Rud.* 5. 3. 14. GR. Propera. LA. Quid properabo? GR. Reddere argentum mihi. LA. Neque edepol tibi do, neque quidquam debeo. GR. Quæ hæc factio est? Non debes? LA. Non hercle vero? *che affare è questo? tu non mi sei debitore?* Cf. *eumd. Bacch.* 4. 8. 2. Meam ne hic ut per vim retineat mulierem? quæ hæc factio est? *che prepotenza è questa?*

B) Abstractum pro concreto. ¶ 1. Generatim factio est ordo, sodalitas, conspiratio plurium in idem consentientium, honestum initio vocabulum, inquit *Paul. Diac. p.* 86. 12. *Müll.*, unde adhuc factiones histrionum, quadrigariorum, medicorum, divitum et nobilium, quibus suas quisque partes, sectatorum, clientium, fautorum copia tuentur et se mutuo juvant, *società, fazione, partito, setta*. Sic de cognatis et affinibus. *Plaut. Trin.* 2. 4. 51. PH. Mena me oravit filius, ut tuam sororem poscerem uxorem sibi. LE. Mearum rerum me novisse æquum est ordinem: cum vostris nostra non est æqua factio; affinitatem vobis aliam quærite. *h. e.* vestri ordinis homines, Italice *la vostra parentela*, divites ac potentes, nos inopes tenuesque pares esse non possumus. *Id. Cist.* 2. 1. 17. Neque nos factione tanta, quanta tu, sumus; neque opes nostræ tam sunt validæ, quam tuæ. Adde *eumd. Aulul.* 2. 1. 45.; et *Trin.* 2. 4. 65. et 90. et 96. — Et latiori significatione. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 198. *Putsch.* Utrimque iram (*al.* utrinde), utrimque factiones tibi pares. *delle aderenze, dei fautori.* — De doctorum secta. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 4. (5). Alia (*medicorum*) factio (ab experimentis cognominant empiricen) cœpit in Sicilia. *un'altra scuola di medici.* *Id.* 30. *ibid.* 1. 2. (11). Est et alia magices factio, a Mose pendens etc. — De factione forensi et ejus origine, V. *Liv.* 4. 9. et 46. ¶ 2. Speciatim ac sæpe in malam partem accipitur pro consensu et conspiratione eorum, qui omnia posse volunt in republica, etiam contra leges, id quod recentiores voce *camarilla* designant: item pro nimia potentia et plus quam civili. *Sall. Jug.* 31. *extr.* Hæc inter bonos amicitia, inter malos factio est. *Id. in orat. Macri Licin.* § 3. Neque me præterit, quantas opes nobilitatis solus, impotens, inani specie magistratus, pellere dominatione incipiam; quantoque tutius factio noxiorum agat, quam soli innocentes. *Cæs.* 6. *B. G.* 10. In Gallia non solum in omnibus civitatibus atque pagis, sed pæne etiam in singulis domibus factiones sunt: earumque factionum sunt principes, qui *etc.* — Hæc eadem ratio est in summa totius Galliæ; namque omnes civitates in partes divisæ sunt duas. *Id.* 1. *B. C.* 22. Ut se et populum Romanum paucorum factione oppressum in libertatem vindicaret. *Cic. Brut.* 44. 164. In qua (*Scævolæ oratione*) invidia incitatur in judicum et in accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. *Id.* 1. *Herenn.* 5. 8. In invidiam trahemus, si vim, si potentiam, factionem, divitias proferemus. *Id.* 7. *Att.* 9. 4. Tenuisti provinciam per decem annos, non tibi a senatu, sed a te ipso per vim et factionem datus. *Nepos Att.* 8. Officia amicis sine factione præstanda sunt. *Sueton. Claud.* 13. Et a singulis et per factionem et denique civili bello infestatus est. *Tac.* 1. *Hist.* 13. Circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. *Justin.* 15. 4. 8. In duas factiones diduci. — *Sall. in orat. Macri Licin.* § 8. Cotta, ex factione media consul. *Faber* interpretatur *qui vel maxime ad factionem pertinet*, quasi dictum sit *ex medio factionis*. At *Kritz* rectius *factionem mediam* intelligi putat eam, quæ inter nobilitatem plebi infensissimam et acres plebejorum propugnatores quasi media fuit moderatis partium studiis, *i moderati*. V. *Kritz* ad h. l. ¶ 3. Si vero de forma reipublicæ sermo sit, factio eam significat, quam Itali *oligarchia* Græco vocabulo vocant. *Cic.* 1. *de republ.* 28. Illi Massiliensium paucorum et principum administrationi civitatis finitimus est, qui fuit quodam tempore apud Athenienses triginta illorum consensus et factio. *Id.* 3. *ibid.* 14. Sunt enim omnes, qui in populum vitæ necisque potestatem habent, tyranni; sed se Jovis optimi nomine malunt reges vocari. Quum autem certi propter divitias, aut genus, aut aliquas opes rempublicam teneant, est factio; sed vocantur illi optimates. Si vero populus plurimum potest omniaque ejus arbitrio reguntur, dicitur illa libertas; est vero licentia. *Id.* 1. *ibid.* 45. Illa in contraria vitia convertuntur, ut exsistat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio. *Id.* 3. *ibid.* 32. Vides igitur, ne illam quidem, quæ tota sit in factionis potestate, posse vere dici rempublicam. Cf. *Liv.* 2. 27. Factio nobilium. *Sueton. Cæs.* 11. optimatum. ¶ 4. Item speciatim in publ. ludis. — *a*) *Factio theatralis*, Italice *un partito di teatro*, apud *Sueton. Tib.* 37. Cæde in theatro per discordiam admissa, capita factionum et histriones, propter quos dissidebatur, relegavit. Cf. *eumd. Ner.* 20. Quinque millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in factiones, plausuum genera condiscerent, operamque navarent cantanti sibi. — *b*) Quod ad Circum attinet, quatuor Romæ fuere nobiles aurigarum factiones, Albata, Prasina, Russata et Veneta, ab albo, prasino seu viridi, russeo seu rubeo, veneto seu cæruleo colore tunicarum, quibus in certamine utebantur, cognominatæ; quas quidam quatuor anni temporibus, alii quatuor mundi elementis assimilarunt, Albatam scilicet nivosæ hiemi, vel aeri; Prasinam viridanti veri, vel terræ; Russatam æstati flammeæ, vel igni; Venetam nubilo auctumno, vel aquæ. Verum antiquitus duæ tantum fuisse videntur: etenim Œnomanum Pisarum regem in Elide omnium primum Circensium ludorum colores viridem et cæruleum invenisse, ut terræ et maris quasi certamen repræsentaret: ita ut si color viridis vicisset, terræ fertilitatem agricolæ: si cæruleus maris tranquillitatem nautæ sperarent (hinc duæ principes erant factiones, Veneta et Prasina): Romæ vero Romulum (imitatum Etruscos a Græcis oriundos, ut constat ex *Tac.* 4. *Ann.* 55. et *Tertull. Spectac.* 5.) quatuor pro duabus factionibus, totidem anni tempora, vel mundi elementa referentibus, usum fuisse, affirmat *Auct. Chronici Paschal.* seu *Alexandr. p.* 110. His alias duas a Domitiano additas fuisse narrat *Sueton. Domit.* 7.; quo mortuo ad quatuor iterum redierunt Romani. At quum apud Latinos scriptores passim *Prasinæ* tantum et *Venetæ*, et apud *Capitolin. Ver.* 6. *Prasinianorum* et *Venetianorum* factionis mentio sit, vero simile videtur, quatuor quidem fuisse factiones, in duas tamen partes ita divisas, ut Albata Prasinæ, Russata Venetæ adjuncta fuerit: hinc apud *Sidon. carm.* 23. Albati aurigæ collegæ dicuntur Prasinorum, ut Russati Venetorum. *Tertull. Spectac.* 9. Quadrigas Soli, bigas Lunæ sanxerunt. Romæ Romulus quadrigas primus ostendit. Initio duo soli fuerunt colores, albus et russeus. Albus Hiemi ob nives candidas, russeus Æstati ob solis ruborem voti erant. Sed postea tam voluptate, quam superstitione provecta, russeum alii Marti; alii album Zephyris consecraverunt; prasinum vero Terræ matri, vel Verno; venetum Cælo et Mari, vel Auctumno. *Sueton. loc. cit.* Duas Circensibus (*ludis*) gregum factiones aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit. Hinc *Sidon. loc. cit.* 320. Uno e quatuor axe forte lecto, Curvas ingrederis premens habenas. Id collega tuus simulque vobis Pars adversa facit: micant colores Albus, vel venetus, virens rubensque. *et* 362. Fit collega tuus prior duobus, Qui te transierant; ita ipse quartus Gyri conditione tum fuisti. *et Martial.* 10. 48. De prasino conviva meus venetoque loquatur. Hinc *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 18. His ergo in circensi spectaculo relertis, populus clamabat, justam principis esse sententiam, ut, sicut dupliciter coloribus divisi sunt spectatores, sic oporteret, alterum his, alterum aliis præsidere. Adde *eumd.* 3. *Variar.* 51.; et *Coripp.* 1. *Laud. Justin.* 300.-330., unde patet etiam Constantinopoli quatuor fuisse factiones: itemque adde *Inscript.* apud *Orell.* 2593.; *Paul. Diac. p.* 86. 12. *Müll.*; et *V.* AURIGA. — Hinc *dominus factionum* est idem ac factionarius, seu qui præest factionibus aurigarum. *Sueton. Ner.* 5. Perfidiæ tantæ fuit, ut — in prætura mercede palmarum aurigarios fraudaverit. Notatus ob hæc et sororis joco, querentibus dominis factionum, repræsentanda præmia in posterum sanxit. Adde *eumd. ibid.* 22., ubi *dominis factionum* opponitur *grex*; et *Lamprid. Commod.* 16. — *c*) *Factio* dicitur etiam histrionum grex, *una compagnia di teatro*, apud *Sueton. Ner.* 16. Vetiti quadrigariorum lusus, quibus — fallere ac furari per jocum jus erat; pantomimorum factiones cum ipsis simul relegatæ. *Petron. fragm. Tragur.* 59. *Burmann.* Intravit factio statim, hastisque scuta concrepuit. *et paullo post.* Soltis, inquit, quam fabulam agant? *Paul. Diac. p.* 86. 12. *Müll.* Factio histrionum. — *d*) *Factionem* usurpari quandoque etiam quum de gladiatoribus sermo est docet *Avellino, Osserv. sulle iscriz. graffite p.* 12., et *Bullettin. archeol. Napol.* 1. *p.* 124.

FACTIŌNĀRĬUS, ii, m. 2. ita dicitur — *a*) Qui præest factionibus aurigarum. *Imppp. Valentin., Valens* et *Gratian. Cod. Theod.* 15. 10. 1. Equos vendendi solitam factionariis copiam non negamus. *Inscript. Smet.* 17. 3. et apud *Gruter.* 338. 3. CL. AVRELIO POLYPHEMO DOMINO ET AGITATORI FACTIONIS RVSSATAE SVI TEMPORIS PRIMO ET SOLO FACTIONARIO. — *b*) In *Inscript.*, quæ legitur in *Bullett. archeol. Napol. T.* 1. *p.* 124., factionarius dicitur, qui præest factionibus gladiatorum.

FACTĬŌSĒ, adverb. *faziosamente*, per factionem. *Sidon.* 4. *Ep.* 24. Dixit sacerdotio fungi, quo recusantem factiose ligasset civicus amor.

FACTĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Factiosior* et Sup. *Factiosissimus*. 2. — Factiosus ¶ 1. Stricto sensu est qui plurima facit, adeoque potens. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 11. Quos quum censeas esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis, lingua factiosi, inertes opera, etc. *factiosi lingua* sunt, qui verbo multa pollicentur se facturos, re nihil præstant: quæ primaria videtur vocis hujus significatio. Hinc *Tac.* 1. *Hist.* 35. Ignavissimus quisque, et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguæ feroces. ¶ 2. Latiori sensu est qui factionem habet, qui homines sibi adjungit factionis comparandæ causa, qui princeps est factionis, qui factionibus se libenter adjungit: et plerumque in malam partem, *fazioso, che ha delle aderenze*, στασιώδης, στασιωτικός. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 49. Venit hoc mihi in mentem te esse hominem divitem factiosum; me item esse hominum pauperum pauperrimum. Adde *eumd. Trin.* 2. 4. 5. *Nepos Lysand.* 1. Quum antea semper factiosus audaxque fuisset. *Id. Ages.* 1. Homo factiosus et potens. *Sall. Cat.* 57. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore certabat. *Id. ibid.* 51. Scelesti et factiosi homines. Adde *eumd. Jug.* 8., 28. et 85. *Plin.* 1. *Ep.* 5. Est enim locuples factiosus: curatur a multis, timetur a pluribus. *Id.* 4. *ibid.* 9. Factiosissimum quemque offendere. *Aurel. Vict. Cæsar.* 21. Mulier factiosior. *h. e.* magis studiosa potentiæ sibi adsciscendæ.

FACTĬTĀMENTA, ōrum, n. plur. 2. sunt res factæ, apud *Tertull. Anim.* 18. *sub fin. ex dic. Paulo ad Rom.* 1. 20.

FACTĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus factitandi, ut Factitatio corporum, apud *Tertull. advers. Hermog.* 31. et 32.

FACTĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui factitat. *Tertull. advers. Prax.* 18. Idolorum factitatores atque cultores. *Id. Apolog.* 21. Hunc enim Zeno determinat factitatorem. *Id. ibid.* 46. Factitator universitatis Deus.

FACTĬTĀTUS, a, um. *V.* FACTITO.

FACTĬTĬUS, a, um. *V.* FACTICIUS.

FACTĬTO, as, āvi, ātum, are. a. 1. *frequentat. a* facio. — Part. *Factitans* 3.; *Factitatus* 1. — Factitare est sæpe facere, *fare spesso, soler fare, praticare*, ἐνεργέω. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Epid.* 3. 3. 50. Stultitia'st, me illi vitio vertere, egomet quod factitavi in adolescentia. *Ter. Eun.* 4. 7. 12. Ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco. THR. Idem hoc jam Pyrrhus factitavit. *Id. ibid. prol.* 42. Quare æquum est vos cognoscere atque ignoscere, quæ veteres factitarunt, si (*æquales vestri*) faciunt novi. *Cic. Brut.* 17. 68. Verba compone et quasi coagmenta, quod ne Græci quidem veteres factitaverunt. Adde *Quintil.* 12. 3. 4. Rursus *Cic.* 2. *Off.* 21. 85. Hæc apud majores nostros factitata. *Id. Orat.* 42. 143. Alterum factitatum est, alterum novum. *Id. Brut.* 34. 130. Iisdem temporibus M. Bru-

lus accusationem factitavit. *Sueton.* *Tib.* 59. Multa sæve factitare. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 9. 17. (61). Simulacra ex ea arbore factitavere. *Id.* 37. *ibid.* 6. 23. (87). Gemmæ tantæ magnitudinis, ut inde capulos factitarent. Alter *Plin.* 6. *Ep.* 23. Solitum hoc mihi, etiam in pluribus claris adolescentibus factitatum. *Gell.* 19. 5. *in fin.* Factitare inducias cum aliquo. ¶ 2. Speciatim cum altero Accusativo. *Cic.* 2. *Phil.* 16. 41. Quem palam heredem semper factitarat. ¶ 3. Item speciatim de artibus pro exercere. *Vetus Poeta* apud *Cic. Orat.* 43. 147. Artem pudere proloqui, quam factites. *che tu eserciti, professi.* Sic *Quintil.* 7. 2. 26. Factitare medicinam. *Sueton. Vesp.* 1. coactiones argentarias. *Gell.* 5. 3. vecturas onerum corpore suo. *Tac.* 2. *Hist.* 10. delationes. — Similiter per contemptum *Horat. Art. P.* 470. Factitare versus. *Tac.* 6. *Ann.* 39., 14. *ibid.* 48. et 52., et 16. *ibid.* 14. Factitare carmina. Sic *Id.* 16. *ibid.* 28. Nimium mites patres, qui Curtium Montanum detestanda carmina factitantem eludere impune sinerent.

FACTO, as, are, a. 1. *intensivum a* facio, totis viribus facio. *Plaut. Merc. prol.* 93. Omnes merces, ut volui, vendidi ex sententia, lucrum ingens facio. *Id. Truc. a.* 5. *v.* 23. Neque ruri, neque hic operis quicquam facto.

FACTOR, ōris. m. 3. *facitore,* ποιητής, qui efficit. ¶ 1. Generatim. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 2. Caprarum dolorumque factores. *Coripp.* 1. *Laud. Justin.* 340. Factor solis. h. e. creator, *scil.* Deus: quo sensu etiam a *Tertull. Apolog.* 11. et a *Lactant.* 2. 8. *ant. med.* usurpatur. *Arrius Menand. Dig.* 49. 16. 6. *extr.* Qui præpositum suum non protexit, quum posset, in pari causa factori habendus est. *h. e.* illi, qui fecit injuriam. *Macer ibid.* 48. 3. 7. Solent præsides scribere ad collegas suos, ubi factores agere dicuntur. *h. e.* rei qui accius fecerant. *Ulp. ibid.* 29. 5. 1. *circa med.* Conscii vel factores sceleris. ¶ 2. Speciatim *factores* dicuntur qui oleas premunt, oleumque conficiunt. *Cato R. R.* 64. Factores volunt, ut olea in tabulato diu sit, ut fracida sit, quo facilius efficiant. Adde *eumd. ibid.* 13. et 66. ¶ 3. Item speciatim *factor* dicebatur qui in pilæ ludo pilam ab alio datam excipiebat. *Plaut. Curc.* 2. 3. 18. Tum isti, qui ludunt datatim, servi scurrarum in via, et datores et factores omnes subdam sub solum. *V.* DATOR § 2. ¶ 4. Denique est officium militare, non absimile fortasse actori et procuratori, cujus partes erant pecunias et res ducum vel commilitonum curare et administrare: itali quoque etiamnum *fattore* vocant. *Inscript. apud Gruter.* 542. 9. FVLVIO ATRATINO FRVMENT*ario* IN LEG. VII. G. P. F. FACTORE COS. Legendum videtur *factori consulis.* At *Orellius Inscript.* 3513. pro *factore consulis* putat legendum *facto b. f. cos.* h. e. *facto beneficiario consulis.* Alia in *Mus. Vatic.*, quam vidit *Barpt. Borghesius.* VEXILLARIUS L. LOTEA L. F. SAB. CONSTITVTVS VOLATERRA, OPTIO C. IVLIVS C. F. CAM. PRIMITIVVS RAVENNA, FAC. 7 (*h. e.* factores centuriæ) SCHOLAM VETVSTATE CORRVPTAM PECVNIA PVBLICA REFICIENDAM CVRARVNT. *Kellermann. Vigil. Rom. laterc. p.* 55. *n.* 121. interpretatur *facti centuriones,* quemadmodum in alia *ibid. p.* 29. *n.* 12. M. F. interpretatus est *miles factus,* ut apud *Gruter.* 18. 5. FACTVS MIL. AN. XXI. MISSVS HONESTA MISSIONE AN. XXXVI.

FACTŌRIUM, ii, n. 2. instrumentum, quo fit oleum, quod qui conficiunt, *factores* dicuntur. *Pallad.* 11. *R. R.* 10. 1. Olivam quam recentissimam colligis, et expandis ne calefiat. Ubi compleveris modum factorii, etc.

FACTUM, i, n. 2. *V.* FACIO in fin.; et FACTUS, us 2.

FACTŪRA, æ, f. 1. ¶ 1. Abstracte est compositio rei, quam facimus, *fattura, composizione,* ποίησις. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 41. (145). Alibi vena bonitatem ferri præstat, alibi factura. *Gell.* 13. 29. Facies est forma omnis et modus et factura quædam corporis totius. ¶ 2. Abstractum pro concreto est opus ipsum factum. *Prudent. Apotheos.* 892. Animæ factura Dei est. Adde *eumd. ibid.* 856. *Alcim.* 1. 47. placet ipsa tuenti Artifici factura suo.

FACTUS, a, um. *V.* FACIO.

FACTUS, us, m. ¶ 1. Generatim est structura. *Varro* 3. *R. R.* 1. 10. Quo ornatior villa esse posset fructu, quam factu. ¶ 2. Speciatim *factus* et *factum, i,* n. 2. est tanta olearum quantitas, quanta uno tempore et opere commolitur, *una macinatura.* *Cato R. R.* 67. Factoribus det in singulos factus, olei sextarios. *Varro* 1. *R. R.* 24. 3. Hostum dicunt, quod ex uno facto olei reficitur (*lege* efficitur): factum dictum, quod uno tempore conficiunt, quem alii CLX. ajunt esse modiorum, alii ita minus magnum, ut ad CXXX. descendat, et exinde, ut vasa olearia quot et quanta habeant quibus conficiunt illud. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 19. Quum facti unius mensuram rusticus sub tecto reposuerit. *et mox* § 22. Quum fisci expresserint facta, statim ferventissima debent aqua bis aut ter elui. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (23). Premi plus quam centenos modios, non probant: factus vocatur, quod vero post molam primum est flos. Factus tres gemino foro a quaternis hominibus nocte et die premi justum est.

FĀCUL, adverb. idem quod facile, vel faciliter, apud veteres. *Lucilius* apud *Non. p.* 111. 19. *Merc.* Peccare impune rati sunt Posse et nobilitate facul propellere iniquos. *Afranius* apud *eumd ibid.* Haud facul, ut ait Pacuvius, femina invenietur bona. *Accius* apud *eumd. ibid.* Erat virile, istuc ferre advorsam fortunam facul. Adde *Pacuvium* apud *eumd. ibid.*; et *Paul. Diac. p.* 87. 1. *Müll.* — *Forcellinus* affert etiam illud *Varron.* apud *Non. loc. cit.* Utrum sit magnum, an parvum; facul, an difficul. *ubi* facul *esset Adject.* *At ibi Mercerus* legit facile.

FĀCULA, æ, f. 1. *deminut. a* fax, parva fax, *facella,* λαμπάδιον, seu frustum ligni aptum facibus.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 37. Palos siccos dolato, faculas facito. *scheggie da accender fuoco.* *Varro* 5. *L. L.* 137. *Müll.* Utuntur in vinea alligando fasces, incisos fustes, faculas. *Propert.* 2. 22. 5. Quorum alii faculas, alii retinere sagittas.

II.) Translate. *Plaut. Pers.* 4. 3. 46. Nequicquam tibi fortuna faculam lucrificam allucere vult. *h. e.* occasionem viamque lucrandi præbere. — De cognom. Rom. *V.* ONOM.

FĀCULĀRIUS, ii, m. 2. qui faculam fert. *Gloss. Philox.* Facularii, δᾳδοῦχοι.

FĀCULTAS, ātis, f. 3. *Facultatium* in Genit. plur. dixit *Paul. Dig.* 32. 1. 78. (*al.* 76.), ut *Torrentin.* edidit. — Facultas proprie est facilitas agendi: ab antiquo *facul,* et a *facilitate* per syncopen. Hinc omnis ars facultas appellatur, quia dat regulas et rationem faciendi aliquid. *Ter. Andr.* 1. 4. 5. Dii, date facultatem huic pariendi. *Cic.* 1. *Invent.* 27. 41. Facultates sunt, aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest. — Sed *Plinius* distinguit *facultatem* a *facilitate,* illam vocans gratiam ac virtutem faciendi, hanc promptitudinem dumtaxat. Sic enim inquit 6. *Ep.* 29. Quia nimia assiduitate facilitas magis, quam facultas, nec fiducia, sed temeritas paratur. — Distinguit etiam *Paul. Diac. p.* 87. 1. *Müll.*, quod *facilitas* ad mores pertinet, *facultas* ad res, opes, artes. — Quin etiam differt, si proprie loquaris, *facultas* a potestate. *Cic.* 2. *Invent.* 7. 24. Aut potestas alius defuisse demonstranda est, aut facultas, aut voluntas: potestas, si aut nescisse, aut non adfuisse dicetur; facultas, si ratio, adjutores, adjumenta defuisse demonstrabuntur. — Ceterum facultas universim significat commoditatem, potestatem, vim, occasionem faciendi aliquid, sive a natura sit, sive a fortuna, ab arte, ab ingenio, industria etc. δύναμις (*It. potenza, forza, potestà, facoltà, possa, capacità, occasione;* Fr. *vertu, pouvoir, faculté, possibilité, capacité, occasion;* Hisp. *virtud, poder, potencia, facultad, posibilidad, capacidad, ocasion;* Germ. *d. Vermögen, d. Fähigkeit, Möglichkeit, Kraft, Gelegenheit;* Angl. *power, ability, faculty, occasion, opportunity*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — a) Cum Genitivo: et cum Verborum Gerund. *Lucret.* 1. 111. restandi nulla facultas. *Cic. Mil.* 17. 45. Miloni manendi nulla facultas, exeundi etiam necessitas fuit. *Id. Rosc. Am.* 33. 92. Videamus, ecqua facultas suscipiendi maleficii fuerit. *Id. Flacc.* 8. 19. Libenter arripere facultatem lædendi, quæcumque detur. *Id. pro leg. Manil.* 7. 18. Neque iisdem redimendi facultas erit propter calamitatem, neque aliis voluntas propter timorem. *Id.* 4. *Verr.* 73. 170. Facere facultatem alicui vere atque honeste judicandi. *Id. Orat.* 32. 113.; et *Brutus et Cassius ad Anton.* apud *Cic.* 11. *Fam.* 2. Habere facultatem alicujus rei faciendæ. *Cæs.* 3. *B. G.* 6. Facultatem sui colligendi relinquere hostibus. *Nepos Phoc.* 4. Qua de re ne perorandi quidem ei data est facultas et dicendi causam. Adde *eumd. Att.* 2. — Cum Genitivo Nominis. *Cic.* 2. *Off.* 16. 56. Theophrastus est multus in laudanda magnificentia et apparatione popularium munerum, taliumque sumptuum facultatem fructum divitiarum putat. *il poter far tali spese.* *Cæs.* 1. *B. G.* 32. Quod reliquis fugæ facultas daretur. *Quintil.* 6. 3. 2. Demostheni facultatem defuisse hujus rei, Ciceroni modum. *Ovid.* 4. *Trist.* 9. 15. Facultas vindictæ. *Justin.* 20. 3. 1. victoriæ. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 4. *ad fin.* Si facultas tui præsentis esset. *s'io potessi averti presente.* et *Cic.* 2. *Orat.* 53. 215. Omnium rerum in contrarias partes facultatem ex iisdem suppeditari locis. *h. e.* ut in utramque partem tractari possint. — b) Cum præpos. *ad.* *Cic. Fontej.* 6. 12. Ne irato facultas ad dicendum data esse videatur. *Id.* 1. *de republ.* 9. Dabant hæ feriæ tibi opportunam sane facultatem ad explicandas tuas litteras. *Cæs.* 2. *B. G.* 38. Ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem. — Et in plur. num. *Cic. Cluent.* 4. 10. Tibi si in præsentia satis facere non potuero, tamen multæ mihi ad satis faciendum reliquo tempore facultates dabuntur. — c) Sequente *ut.* *Cic. Cæcin.* 25. 71. Nonnumquam improbo facultas dari, ut etc. *Id. Rabir. perduell.* 6. 18. Utinam hanc mihi facultatem causa concederet, ut etc. *Id.* 3. *Cat.* 2. 4. Facultatem mihi oblatam putavi, ut etc. Adde *eumd. Cluent.* 28. 77. *Id.* 2. *Off.* 6. 19. Assequi hanc facultatem, ut hominum studia complectamur. *Id. Orat.* 33. 117. Erit igitur hæc facultas in eo, quem volumus esse eloquentem, ut etc. *Id.* 1. *Fam.* 7. 4. Si res facultatem habitura videatur, ut Alexandream tenere possis. *se l'affare porterà, permetterà, che* etc. — d) Cum Dativo. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 1. Si sit sarmentis alendis facultas. *se abbian le viti forza e virtù di* etc. — e) Cum Infinitu apud sequioris ævi Poetas. *Val. Flacc.* 3. 16. tibi enim superum data, virgo, facultas Nosse animos rerumque vias. Adde *Stat.* 4. *Theb.* 513. et 12. *ibid.* 36. Habet tamen etiam *Auct. B. Afr.* 78. Equites exporrigere cœpit in longitudinem, ut haberent facultatem turmas Jubianas circumfundere et nihilo minus fortissime acerrimeque pugnare. — f) Absolute. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 9. 4. Cave quidquam, quod ad meum commodum attineat, nisi maximo tuo commodo et maxima tua facultate cogitaris. *Id.* 7. *Fam.* 8. 2. Quin tu urges istam occasionem et facultatem, qua melior numquam reperietur. *Id.* 2. *Orat.* 84. 342. Ut opes et copiæ non superbiæ videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem et materiam dedisse. *Id.* 2. *Phil.* 17. 43. Quam facultatem mihi multitudo istius vitiorum peccatorumque largitur. *Id.* 1. *Invent.* 66. 86. Illa nobis alio tempore atque ad aliud institutum, si facultas erit, explicabuntur. Cf. *Cæs.* 7. *B. G.* 50. Hinc abite, dum est facultas. *sinchè potete farlo.* *Cic.* 2. *Invent.* 3. 10. Quoad facultas feret. *per quanto ci sarà possibile.* Eodem sensu *Sueton. Oth.* 10.; et *Quintil.* 10. 3. 15. et 10. 7. 7. pro facultate. et *Quintil.* 6. 5. 1. pro nostra facultate. — Et in plur. num. *Cic. Partit. orat.* 35. 119. Facultatum infirmatione utetur, si aut vires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit, aut alienum tempus, aut locum non idoneum etc. *Id. Rosc. Am.* 33. 93. Age nunc ceteras facultates quoque consideremus. *le altre facilità e comodità.* ¶ 2. Speciatim dicitur de facundia, eloquentia, vel arte oratoria. — a) Cum Genitivo. *Cic. Quinct.* 2. 8. Hortensius, cui summam copiam facultatemque dicendi natura largita est. *Quintil.* 12. 1. 32. Facultas dicendi si in malos incidit. *Id.* 11. 2. 40. Sibi facultatem aliquam dicendi ex tempore paraverunt. *Id.* 12. 1. 33. Vis ac facultas dicendi. *Id.* 2. 1. 2. Scientiam declamandi ac facultatem tradere. *Id.* 10. 1. 69. Tanta in eo inveniendi copia et eloquendi facultas. *Id.* 2. 4. 15. Facultas loquendi. *Id.* 3. 5. 1. orandi. *Id.* 2. 15. 3. persuadendi. Cf. *Id.* 1. 1. 1. legendi scribendique. — Similiter *Cic.* 1. *Off.* 1. 1. Idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate. *Id.* 1. *Orat.* 14. 62. Neque Asclepiades in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinæ facultate utebatur, non eloquentiæ. *arte.* *Id. ibid.* 31. 142. Omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes dis-

tributa est. — b) Cum aliis additis, aut absolute. *Sueton. Galb.* 3. Modicæ in dicendo facultatis, causas industrie actitavit. *Quintil.* 2. 2. 11. Sic stilo facultas continget. *Cic.* 2. *Orat.* 7. 30. Artificium dicendi res mihi videtur esse facultate præclara, arte mediocris. *per la forza, virtù e possanza. Tac. Dial. de orat.* 33. Neque enim arte et scientia, sed longe magis facultate eloquentiam contineri. *consistere nella copia e facilità di dire. Cic.* 2. *Orat.* 12. 50. Facultas ex ceteris rebus comparata. *Id. Brut.* 95. 327. Minus fortasse placuit, quam placuisset, si illum flagrantem studio et florentem facultate audire potuisses. Adde *Plin.* 1. *Ep.* 20. 18. *Sueton. Aug.* 84. Neque apud milites locutus est unquam, nisi meditata et composita oratione; quamvis non deficeret ad subita extemporali facultate. ¶ 3. Item specialim de animi dotibus. *Cic.* 2. *Orat.* 84. 343. Virtutes, quæ positæ sunt in aliqua ingenii facultate. *pregio, dote.* — Et in plur. num. *Cic.* 3. *Att.* 10. Ecquis umquam tam ex amplo statu, tam in bona causa, tantis facultatibus ingenii, consilii, gratiæ, concidit? Sic *Nepos Epam.* 1. Quare dicemus primum de genere ejus, — tum de moribus ingeniique facultatibus. ¶ 4. A *Celso* 5. *in præfat.* et *ibid.* 17. dicitur *facultas* virtus, quæ inest in medicamentis, herbis, aliisque rebus ad sanandum. *virtù.*

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro copia et abundantia, *abbondanza. Cic. Quinct.* 4. 16. Romæ sibi nummorum facultatem esse, quam, si saperet, communem existimaret. *Cæs.* 1. *B. G.* 38. Omnium rerum, quæ ad bellum usui erant, summa erat in eo oppido facultas. *Id.* 3. *ibid.* 9. Romanos neque ullam facultatem habere navium, neque etc. *Colum.* 12. *R. R.* 38. 8. Si facultas ejus sacci sit copiosior. *Id.* 8. *ibid.* 17. 12. Ut ex his aliqua, quorum erit facultas, præbeamus. *che si potranno avere.* Sic *Cic. Sull.* 14. 42. At quos viros! non solum summa virtute et fide, cujus generis in senatu facultas maxima: sed etiam etc. *Id. Partit. orat.* 28. 98. Quas ad causas facultas petitur argumentationum ex iis, de quibus mox dicetur, æquitatis locis. ¶ 2. *Facultates* sunt bona, patrimonium, *la facoltà, gli averi. Cæs.* 6. *B. G.* 1. Tantas videri Italiæ facultates, ut, si quid esset in bello detrimenti acceptum, non modo id brevi tempore sarciri, sed etiam majoribus adaugeri copiis posset. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 49. Cf. *Nepot. Hann.* 6. Exhaustis jam patriæ facultatibus. *Cic.* 2. *Off.* 4. 15. Effectumque, ut dando et accipiendo, mutandisque facultatibus et commodis, nulla re egeremus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 3. 9. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. 7. Quasi vero nunc me non tuæ facultates sustineant. *Sueton. Galb.* 3. Attritis facultatibus urbe cessit. *Quintil.* 6. *procem.* 16. Facultates patrimonii nostri aliis relinquemus. *Petron. Satyr.* 112. Quidquid boni per facultates poterat, coemebat. *V.* et paragr. seq. ¶ 3. Interdum *facultas* est quantum quisque potest re sua familiari. *Paul. Dig.* 26. 7. 11. Mercedes præceptoribus pro facultate patrimonii constituet. *Forcellinus* addit etiam illa *Cic.* et *Cæs.*, quæ sequuntur, quæque ad paragr. proxime præcedentem pertinent. *Cic.* 1. *Off.* 14. 42. Videndum, ne major benignitas sit, quam facultas. *At rectius leg.* facultates. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Et suam rem familiarem auxisse, et facultates ad largiendum magnas comparasse. Illud *Cic.* 2. *Off.* 16. 56., quod hoc loco addit *Forcellinus*, V. supra sub I. 1. *a.*

H o m o n y m. I.) In quo *facultas* differat a *facilitate*, et a *potestate*, V. supra init.

II.) *Facultates* qua bona et patrimonium significant, differunt a *copiis* et *opibus*, itemque a *divitiis*. Et sane *divitiæ* genus; *facultates*, *copiæ* et *opes* totidem species dici possunt. *Divitiæ* sunt ampla fortunæ, omnium rerum abundantia, quæ, ut ait *Cic.* 1. *Off.* 8. 25. expetuntur quum ad usus necessarios, tum ad perfruendas voluptates: *divitiæ* itaque sunt amplæ fortunæ et qua possessio et qua instrumentum, quo quisque cupiditatibus animi satisfaciat. *Facultates* sunt ipsæ divitiæ, qua ea tantum suppeditant, quæ ad victum necessaria sunt: *copiæ* sunt ipsæ divitiæ, qua ea, quæ ad victum necessaria sunt, abunde sufficere denotant: *opes* denique sunt ipsæ divitiæ, qua instrumentum ad aliorum existimationem, potentiam honoresque assequendos. *Opes* itaque ad publicam vel forensem, *divitiæ*, *facultates* et *copiæ* ad privatam vel domesticam hominis vitam referuntur. Præterea ex quatuor his vocibus opes et *copiæ* tantum ad exercitum quoque significandum usurpantur. *Cic. Amic.* 6. 22. Ceteræ res, quæ expetuntur, opportunæ sunt singulæ rebus fere singulis: d i v i t i æ, ut utare; o p e s ut colare; honores, ut laudere. *Id.* 1. *de republ.* 34. D i v i t i æ, nomen, o p e s. *Id. ibid.* 32. D i v i t i o r e s o p u l e n t i o r e s q u e. *Id.* 1. *Off.* 3. 9. Anquirunt aut consultant, ad vitæ commoditatem jucunditatemque, ad f a c u l t a t e s rerum atque c o p i a s, ad o p e s, ad potentiam, quibus et se possent juvare et suos, conducat id necne, de quo deliberant. *Id.* 8. *Att.* 11. Moderatori reipublicæ beata civium vita proposita est, ut o p i b u s firma, c o p i i s locuples sit.

FACULTATICULA, æ, f. 1. eadem ac facultatula. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 51.

FĂCULTĀTŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* facultas, parva facultas: *V.* FACULTAS II. 3. *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 10. Pro facultatula sua, pecunia pauperibus distributa. Adde *Augustin. Ep.* 45. *circa med. Ennod.* 2. *Ep.* 23. Universas matris ejus facultatulas Tocisa vel aliis asseris fuisse competitas.

FĂCULTER antiqui dicebant pro facile. *Paul. Diac. p.* 87. 1. *Müll.* Similiter *Charis.* 2. *p.* 163. *Putsch.* Nonnulli etiam *faculter* ajunt oportere dici, cujus compositum hodieque in usu est, quoniam quidem dicunt *difficulter*.

FĂCUNDĒ, adverb. Comp. *Facundius* et Sup. *Facundissime.* — Facunde est diserte, eloquenter, *eloquentemente, facondamente*, εὐφραδῶς. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 5. Nimis facete nimisque facunde mala est. *Liv.* 28. 18. Ut hostem etiam infensissimum facunde alloquendo sibi conciliaret. *Tac.* 1. *Ann.* 39. Quantum dedecoris adierit legio facunde miseratur. *Id.* 12. *ibid.* 58. Facunde exsequi aliquid. *Fronto B. Parth.* (edente iterum *A. Maio*) *p.* 204. Nemo unquam neque Romana, neque Græcorum lingua facundius laudatus, quam Cn. Pompejus in ista oratione. *Seneca Suasor.* 2. *a med.* Locum facundissime describere. Adde *Val. Max.* 3. 3. 4.; et *Gell.* 13. 8., apud quos Sup. occurrit.

FĂCUNDĬA, æ, f. 1. facultas disserendi, quam præcipue natura largita est, λεγιότης (It. *facondia*; Fr. *faconde, facilité d'élocution*; Hisp. *facilidad de hablar*; Germ. *d. Beredtsamkeit*; Angl. *eloquence*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Sall. Cat.* 53. Facundia Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse. *Id. Jug.* 63. Græca facundia se exercere. Sic *Sueton. Cal.* 20. Facundia Græca Latinaque. et *Quintil.* 12. 10. 27. Latina facundia similis Græcæ ac prorsus ejus discipula. Cf. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (117). Facundiæ Latiarumque litterarum parens Cicero. *Quintil.* 1. *procem.* 23. Alere facundiam, vires augere eloquentiæ. *Id.* 12. 3. 9. Facundiæ virtus. *Id.* 2. 16. 10. Arma facundiæ. *Id.* 12. 10. 16. Quod nondum satis perite loquendi facundiam concupierint. *Horat.* 4. *Od.* 7. 21. Quum semel occideris, non te facundia, non te Restituet pietas. *Sall. Jug.* 32. Memmii facundia clara pollensque. *Quintil.* 12. 10. 64. Facundia summa in Ulixe. *Gell.* 19. 14. Facundia præstanti vir. *Id.* 18. 5. Vir facundiæ florentis. *Sall. fragm.* apud *Lactant.* 6. 18. et apud *Non. p.* 60. 25. *Merc.* Canina, ut ait Appius, facundia exercebatur. *h. e.* facundia mordacium rabularum de foro turbulentorumque hominum, adversarios proterva dicacitate lacessentium ac lacerantium. V. *Kritz.* ad h. l. *Gell.* 19. 9. Clamator tantum, et facundia rabida jurgiosaque. *Id.* 11. 13. *ad fin.* Ne vos facile præstringeret modulatus aliquis currentis facundiæ sonitus. *torrente di parole. Id.* 4. 15. Facundia verborum Sallustii. *h. e.* vis significandi, verba valde exprimentia et veluti gravida sententiæ. Adde *Juvenal.* 10. 10.; *Tac.* 2. *Hist.* 80. et 6. *Ann.* 15.; *Justin.* 13. 4. 1.; et *Ammian.* 29. 1. — *b*) In plurali numero. *Gell.* 3. 17. Facinus Græcarum facundiarum magniloquentia condignum.

II.) Improprie de persona. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 69. Suscipe Romanæ facundia, Maxime, linguæ.

H o m o n y m. Differt quidem ab *eloquentia*, ut ex allato *Quintil.* 1. *procem.* 23. loco colligitur. Est enim *facundia* facilitas dicendi et copia: *eloquentia* addit insuper, ut bene apteque facilitas illa et copia adhibeatur. Facundi enim, docente *Varron.* 6. *L. L.* 52. *Müll.*, sunt qui facile fantur: eloquentes, qui facile et bene. Sæpe tamen pro eloquentia ponitur, ut apud *Sall. loc. cit.*, *Tac.* 11. *Ann.* 6., *Petron. Satyr.* 83., *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 55. etc. Huc usque *Forcellinus*. V. et DISERTUS. Ut vero hæc omnia in unum colligantur, hæc addenda putamus. *Facundus* appellatur, qui facile et eleganter dicit, ut facetus conviva: *disertus*, qui dilucide ac bene de re aliqua disserit, ut qui discipulus docet: *eloquens* vero, qui facile perspicue ornateque dicit et cum vi persuadendi, ut classici scriptores et publici oratores (*hommes d'État*); atque *eloquens rhetoris* et *oratoris* significationem in se uno complectitur. *Sueton. Cal.* 53. E l o q u e n t i æ quam plurimum attendit, quantumvis f a c u n d u s et promptus. *h. e.* naturâ facundus. *Sall.* apud *Quintil.* 4. 2. 2. et *Gell.* 1. 15. Attilius l o q u a x magis, quam f a c u n d u s. *Vellej.* 2. 48. 3. Curio e l o q u e n s, audax et f a c u n d u s malo publico. *h. e.* eloquens in foro, facundus in privatis sermonibus. Similiter Sempronius Gracchus dicitur a *Tac.* 1. *Ann.* 53. prave f a c u n d u s. *Cic. Orat.* 5. 18. Antonius d i s e r t o s ait se vidisse multos, e l o q u e n t e m omnino neminem. *Id.* 1. *Orat.* 21. 94. Eum statuebam d i s e r t u m, qui posset satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam opinione dicere: e l o q u e n t e m vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare, quæ vellet, omnesque omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. *Quintil.* 8. *procem.* 13. D i s e r t o satis dicere, quæ oporteat; ornate autem dicere proprium est e l o q u e n t i s s i m i. *Cic. Brut.* 70. 247. Lentulus Marcellinus nec umquam i n d i s e r t u s et in consulatu p e r e l o q u e n s visus est. *Id.* 3. *Orat.* 32. 129. E l o q u e n t i o r fuit et d i s e r t i o r Socrates. *Id. Orat.* 3. 13. Ita et d o c t i s popularis e l o q u e n t i a, et d i s e r t i s e l e g a n s d o c t r i n a defuit. *Id. Brut.* 25. 77. Cassius multum potuit non e l o q u e n t i a, sed d i c e n d o.

FĂCUNDĬŌSUS, a, um, adject. facundus. Prisca et obsoleta vox. *Sempron. Asellio* apud *Gell.* 4. 9. *ad fin.* Facta sua spectari oportere, dicta non, si minus facundiosa essent.

FĂCUNDĬTAS, ātis, f. 3. Idem quod facundia, sed minus usitatum. *Plaut. Truc.* 2. 6. 13. Facile sibi facunditatem virtus argutam invenit.

FĂCUNDUS, a, um, adject. εὐφραδής. Comp. *Facundior* et Sup. *Facundissimus.* — Facundus est verbis copiosus, disertus, eloquens. Est a *fando*, ut *Varro* docet 6. *L. L.* 52. *Müll.*; et proprie significat eum qui facile loquitur, cuique verba non desunt: in quo differt ab *eloquente* ut in FACUNDIA dictum est: tametsi cum eo aliquando confunditur (It. *facondo, verboso, eloquente*; Fr. *qui parle facilement, qui a le talent de la parole, éloquent*; Hisp. *discreto, eloquente*; Germ. *einer, welcher leicht redet, die Gabe hat, leicht zu reden*; Angl. *eloquent*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu de hominibus. *Ennius* apud *Gell.* 12. 4. Suavis homo, facundus, suo contentus beatus. *Sall. Jug.* 100. Sulla facundus, callidus et amicitia facilis. *Id. fragm.* apud *Quintil.* 4. 2. 2. et *Gell.* 1. 15. M. Attilius loquax magis, quam facundus. Adde *Liv.* 2. 32. *Horat.* 1. *Od.* 10. 1. Mercuri facunde nepos Atlantis. *Ovid.* 13. *Met.* 92. facundus Ulyxes. *Sueton. Cal.* 53. Minimum eruditioni, eloquentiæ quamplurimum attendit, quantumvis facundus et promptus. *Tac.* 1. *Hist.* 8. Rufus, vir facundus. *Vellej.* 2. 48. 3. Facundus homo. *Quintil.* 12. 10. 44. In omnibus gentibus alius alio facundior habetur. *Id.* 12. 2. 27. In exemplum bene dicendi, facundissimum quemque proponet sibi ad imitandum. Adde *Prudent.* 2. *Symmach.* 19.; et *Pacat. Paneg. Theod.* 4., apud quos Sup. occurrit. ¶ 2. Latiori sensu dicitur etiam de inanimis. *Sall. Jug.* 85. Facunda et composita oratio. *Horat.* 4. *Od.* 1. 35. lingua. *Ovid.* 4. *Fast.* 245. vox. *Id.* 5. *ibid.* 668. os. *Id. Heroid.* 15. 195. pectora. *Id.* 13. *Met.* 127. dicta. *Quintil.* 10. 1. 65. libertas. *Martial.* 12. 43. Facundi versus. — *NB.* De nom. serv. *V.* ONOM.

FÆCĀCEUS, a, um, adject. idem ac fæcosus. *Pelagon. Veterin.* 5. *a med.* Muccus fæcaceus, spissus a glandulis.

FÆCĀRIUS, a, um, adject. ad fæcem pertinens, ut Fæcariæ sportæ apud *Caton. R. R.* 11. quibus inclusa fæx musti prælo supponitur, ut vinum fæcatum exprimatur: quod explicat *Id. ibid.* 153. *V.* vocem sequent.

FÆCĀTUS, a, um, adject. seu potius particip. ab inusit. *fæco, are*, e fæcibus expressus, *quel che si trae dalla fondata o feccia*, τρυγώδης. *Cato R. R.* 155. Vinum fæcatum sic facito: Fiscinas olearias Campanicas duas illæ rei habeto: eas fæcis impleto, sub prælum subdito exprimitoque. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 10. 12. (86). Tertium est fæcibus vini expressum, quod fæcatum Cato appellat. Hoc idem *Colum.* 12. *R. R.* 40. 1. *loram* vocat.

FÆCĬNĬUS vel

FÆCĬNUS, a, um, adject. qui multum fæcis habet, ut Fæciniæ uvæ apud *Colum.* 3. *R. R.* 2. 14., quæ plus quam ceteræ, fæcis afferunt; eædem ab *eod. ibid.* a colore *rubellianæ*, et a loco *Nomentanæ* vocantur. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (17). easdem *fecenias* appellat, quod in fæcinias mutandum videtur. Hinc apud *Colum.* 12. *R. R.* 47. 6. Fæcinum vinum. *Schneiderus* quoque ita legit: at *Cod. Lips.* habet *Setinum*, quam lectionem præferebat *Gesnerus*.

FÆCŌSUS, a, um, adject. *feccioso*, fæculentus, fæce abundans. *Martial.* 13. 102. Accipe fæcosum, munera cara, garum. *Garum* enim fæx quædam est liquore denso: quare quo magis fæce abundat, eo est pretiosius. Alii leg. *fastosum*, h. e. dite homine dignum.

FÆCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a fæx*, parva fæx. — *Fæcla* per syncopen occurrit apud *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. — Ceterum fæcula ¶ 1. Speciatim dicitur genus liquaminis et condimenti (quod et *alec* dicitur) de quo *V.* in FÆX. *Lucret.* 2. 430. et quæ Titillare magis sensus, quam lædere possunt, Fæcula jam quo de genere est inulæque sapores. — Distincta ab hac, quamvis et ipsa liquamen et condimentum, est quæ *Coa* appellatur ab *Horat.* 2. *Sat.* 8. 9., sive quod in Co insula optima fiebat, sive quod ex Coi vini fæce constaret. Hanc *Horat.* hoc loco ab alece distinguit, *siser, alec, fæcula Coa*: illam autem priorem cum eo conjungit 2. *Sat.* 4. 73. ego fæcem primus et alec etc. (ea ratione qua *Virg.* dixit *pateris libamus et auro*), item *Plin.* ut in FÆX dicemus. Quare *fæcula Coa* erit liquamen *fæcula*, seu fæce multo pretiosius, et sumptuosis cœnis aptum, qualis est, quæ ab *Horat.* in illa *Sat.* 8. describitur, ut aper (animal propter convivia natum, ut ait *Juvenal.* 1. 141.) et nobilia vina illata satis ostendunt. ¶ 2. Item speciatim fæculæ usus fuit etiam in medicina. *Scribon. Compos.* 228. et 236.; et *Veget.* 6. *Veterin.* 16. 1. *Schneid.* Sic *Marcell. Empir.* c. 12. Si fæcula vini, qua tinctores utuntur, cum aqua permixta locum perunxeris – et continuo destringas; nam si diutius fuerit, altius vis ejus insidet et ulcus grande faciet. V. *Schneider.* ad *Veget.* 3. *Veterin.* 19. 2.

FÆCŬLENTĬA, æ, f. 1. fæcis abundantia.

I.) Proprie. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Fæculentia par cloacali, quæ quo plus commota, plus fœtida est.

II.) Translate. *Fulgent. Contin. Virgil.* p. 756. *Staver.* Dum quis in temporales gurgitis cœnositates morumque fæculentias transit.

FÆCŬLENTUS, a, um, adject. De orthographia *V.* in FÆX init. — Comp. *Fæculentior* et Sup. *Fæculentissimus* I. — Fæculentus est fæcibus plenus, *pien di feccia*, τρυγώδης.

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 20. et *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 19. Fæculentum vinum. *Cels.* 5. 26. n. 19. Fæculentum pus. *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. tabes. *Veget.* 5. *Veterin.* 3. Fæculentum mingit animal. *Solin.* 33. Fæculentior superficies. *Augustin de vera relig.* 40. Quorum aliud fæculentissimum redditur terræ. *h. e.* excrementa. — Sardonyches fæculentæ apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 23. (89). sunt colore veluti fæce conspurcato.

II.) Translate. *Arnob.* 3. 33. Semeleius Liber fæculentæ hilaritatis dator. *Cf. Varro*, qui vini dotes congessit, apud *Non.* p. 28. 20. *Merc.* Vino nihil jucundius quisquam bibit. Hoc ægritudinem ad medendam invenerunt, hoc hilaritatis dulce seminarium: hoc continet coagulum convivia.

FÆCŪTĪNUS, a, um, adject. idem quod fæcatus. Translate *Val. Prob.* apud *Gell.* 13. 20. Non eas finitiones prætenebras, neque fæcutinas grammaticas spectaveris. *Al. leg.* fætutinas *a* fœteo. — *NB.* In *Thesaur. Latin.* edit. ab *A. Mai.* in *Class. Auct.* *T.* 8. p. 230. *fæcutina, æ*, est quælibet sordida causa, per quam mulier fetum tentat ejicere.

FÆNUM, cum derivatis et compositis. *V.* FŒNUM.

FÆX, fæcis, f. 3. Sunt qui scribunt *fex*, sed contra *Priscian.* 2. p. 572. *Putsch.*, *Manut.*, *Dausqu.*, *Cellar.*, qui diphthongum tuentur: non tamen ob eam rationem, quod ita distinguatur in Dativo a præterito *feci*, quæ levis admodum est et nugatoria. Etymon est a πηξις *coagulum*, quod a πήγνυμι sive πήγω *cogo*, mutata tamen littera *p* in affinem *f*. Latine vero diphthongum recipit, ut etiam *scæna*, licet hæc sit a σκηνη. — In Genitivo plur. *fæcum* habet, teste *Charis.* 1. p. 114. *Putsch.*, non *fæcium*. — Ceterum fæx est multarum rerum excrementum, præsertim liquidarum, purgamentum subsidens, aut supernatans (It. *feccia*; Fr. *sédiment, dépôt des liquides, lie, résidu, fesces, bourbe*; Hisp. *sedimento, poso, borra, hez*; Germ. d. *Bodensatz*, d. *Hefe*; Angl. *the dregs or lees of wine, sediment*).

I.) Proprie. — *a*) De liquidis. *Lucret.* 5. 498. omnis mundi quasi limus in imum Confluxit gravis et subsedit funditus, ut fæx. *Horat.* 3. *Od.* 15. 16. Poti fæce tenus cadi. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 35. 27. *Id. Art. P.* 277. peruncti fæcibus ora. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 2. 31. (63). Fæx vini. Cf. *Martial.* 10. 48. vinum sine fæce. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 16. 62. (214). Fæx aceti. *Id.* 23. *ibid.* 2. [illegible] (68). sapæ. — Quodnam sit discrimen inter *fæcem olei* et *amurcam*, vide in hac voce. — *b*) De solidis. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 42. (92). Fæx salis. *Id.* 33. *ibid.* 6. 31. (103). plumbosissima stibii. *Id.* 34. *ibid.* 13. 37. (135). æris. — *c*) Huc referri potest et illud *Ovid.* 1. *Met.* 68. æther nihil terrenæ fæcis habens. — *d*) Jocularitér *Martial.* 14. 13. Si quid adhuc superest de nostri fæce loculi. *h. e.* de reliquiis pecuniæ.

II.) Improprie. ¶ 1. Pro eo, quod Italice *sale di tartaro*, apud *Horat.* 2. *Sat.* 4. 55. Surrentina vafer qui miscet fæce Falernâ Vina. *h. e.* ut vinum Surrentinum tenue admixta fæce Falerna robur assumat. De re *Colum.* 12. *R. R.* 30. 2. Si qua vina erunt duriora, aut minus bona, – sumito fæcem vini boni et panes facito et in sole arefacito et coquito in igne: postea terito et pondo quadrantem amphoris singulis infricato. *Horatius* igitur *loc. cit.* fæcem dicit in crustam vel panem duratam. ¶ 2. Est etiam genus condimenti (idem quod *fæcula* et *alec*) ex pisciculis quibusdam sale maceratis et putrefactis, fæculento liquore innatante, *salamoja*: vitium gari a *Plin.* 31. *Hist. nat.* 8. 44. (95). appellatur, quia est gari imperfecta nec colata fæx: sed primo a pauperioribus adhiberi ceptum, transiit paulatim in luxuriam, creveruntque ejus genera in infinitum. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 73. ego fæcem primus et alec etc. *V.* dicta in ALEC. *Ovid.* 8. *Met.* 665. Conditaque in liquida corna autumnalia fæce. ¶ 3. Item genus fuci, quo faciem pingunt mulieres, qui ab *Ovid. Medic. fac.* pluribus describitur, *belletto*. *Id.* 3. *Art. am.* 211. Quem non offendat toto fæx illita vultu, Quum fluit in tepidos pondere lapsa sinus? ¶ 4. Translate dicitur de vilioribus hominibus et abjectis, itemque, sed raro admodum, de rebus. — *a*) De hominibus. *Lucret.* 5. 1140. Res itaque ad summam fæcem turbasque residit, Imperium sibi quom ac summatum quisque petebat. *h. e.* ad regimen infimæ plebis. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 9. 5. Apud illam perditissimam atque infimam fæcem populi. *Id.* 1. *Att.* 16. 11. Apud sordem urbis et fæcem. *Id.* 2. *ibid.* 1. 8. Dicit enim tamquam in Platonis πολιτείᾳ, non tamquam in Romuli fæce sententiam. *Id.* 3. *Verr.* 39. 99. Ex ea fæce legationis quæstoriæque tuæ procurationis illa sunt nomina. — *b*) De rebus. *Martial.* 1. 27. A caupone tibi fæx Laletana petatur. *h. e.* vinum Laletanum, scilicet vile et nullius pretii. — *c*) De fæce haurire proverbium est de eo, qui viliora quæque et abjectiora persequitur. *Cic. Brut.* 69. 244. Tu quidem de fæce hauris, idque jamdudum. *h. e.* infimos quosque oratores enumeras. — *d*) *Dies sine fæce* est lux pura. *Martial.* 8. 14. Hibernis objecta Notis specularia puros Admittunt soles et sine fæce diem. *h. e.* sine pluvia, aut nive, quæ diei lucem quodammodo fœdant.

FAFÆ, interjectio, *fi, fi*, quum putoris aliquid perhorrescimus et aversamur. *Charis.* 2. p. 213. *Putsch.*, si sanus est ille locus. *Lindemannus* secutus *Niebuhrium* edidit *fufæ*; pro quo *fue* corrigendum putat *Klotz*.

FĀGEUS, a, um, adject. qui est ex fago arbore. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 91. (242). Fageum nemus. *Id. ibid.* 5. 6. (16). Fagea glans.

FĀGĬNEUS, a, um, adject. *di faggio*, φήγινος, idem ac fageus. *Cato R. R.* 21. Faginea materia. *Ovid.* 4. *Fast.* 656. Bis sua faginea tempora fronde premis. *Id.* 8. *Met.* 654. Fagineus alveus.

FĀGĬNUS, a, um, adject. *di faggio*, φήγινος, idem ac fagineus vel fageus. *Tibull.* 1. 10. 8. faginus scyphus. *Virg.* 3. *Ecl.* 37. fagina pocula. *Id.* 3. *G.* 172. faginus axis. *Colum.* 12. *R. R.* 45. 5. Arcula fagina. — Hinc

Faginus, i, absolute, substantivorum more, pro *fagus* occurrit apud *Calpurn.* 2. *Ecl.* 59. Inter pampineas ponetur faginus ulmos. Sic *humani* pro *homines* apud *Lucret.* 3. 79.

FĀGUS, i, f. 2. φηγός, *faggio*. Reperitur etiam in quarta declinat. *Virg. Cul.* 139. Umbrosæque manent fagus, hederæque ligantes Brachia. — Fagus est arbor glandifera, quales præter ea sunt tres aliæ, robur, quercus, æsculus. Dicta est a φάγω pro φαγῶ *comedo*, quia glandes primis mortalibus cibus fuisse dicuntur. *Virg.* 1. *Ecl.* 1. Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi. *Id.* 2. *ibid.* 3. Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos. *Id.* 1. *G.* 173. Cæditur et tilia ante jugo levis, altaque fagus. *Cæs.* 5. *B. G.* 12. Materia cujusque generis in Britannia est, præter fagum et abietem. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 5. 6. (16). Dulcissima omnium fagi glans, ut qua obsessos etiam homines durasse in oppido Chio tradat Cornelius Alexander. *Id. ibid.* 6. 7. (18). eam accurate describit. *Id.* vero 24. *ibid.* 5. 9. (14). ejus et foliorum usus in medicina exsequitur. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 289.) hanc exhibet synonymiam: Ὀξύα Theophr. 3. 10.; φηγός Dioscor. 1. 144.; et *Fagus* Plin. loc. cit. et *Pallad.* 12. *R. R.* 15. sunt *Fagus silvatica* Lamrk. Dict. 3. 125. DC. Flor. fr. 2113.

FĀGŪTAL, ālis. *V.* voc. seq.

FĀGŪTĀLIS, e, adject. ad fagum pertinens: ita cognominatus est locus Romæ in Esquiliis, ubi fagus fuit, Jovi sacra. *Varro* 5. *L. L.* 152. *Müll.* Lucus fagutalis. *Müllerus* vero legit *fagutal*. — Juppiter ipse, cui eo in loco sacellum dicatum erat, *fagutalis* cognominatus est. *Varro loc. cit.*; et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 15. (37). — Hinc

Fagutal, ālis, n. 3. est ipsum sacellum eo in loco Jovi dicatum. *Paul. Diac.* p. 87. 6. *Müll.*

FĀLA, æ, f. 1. turris lignea militaris, ex qua missilia jaciebantur: unde *falarica*. Dicta est, inquit *Paul. Diac.* p. 88. 12. *Müll.*, ab altitudine, scil. a *falando* seu *falanto*, quod apud Etruscos cælum significat. Possis etiam ducere a Græco φάλαι, quæ sunt ὄρη, σκοπιαί, ut *Hesych.* docet, *h. e.* montes, arces, speculæ. Quare aliis placet *phala* scribi et *phalarica*. Quamquam apud *Hesych.* alii aliter legunt.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Ennius* apud *Non.* p. 114. 7. *Merc.* Malos defendunt; fiunt tabulata falæque. Cf. *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 705. (*V.* mox infra sub 2.); et *Salmas. ad Solin.* p. 640. ¶ 2. Latiori sensu, *falæ* etiam sunt appellatæ septem illæ ligneæ turriculæ, in ovi seu coni similitudinem formatæ, quæ ad singulos bigarum vel quadrigarum circuitus designandos in Circo supra columnas, quemadmodum et supra alias totidem delphinorum simulacra, erigebantur; quod fuit inventum M. Agrippæ teste *Dione l.* 49. c. 43. (at *Liv.* 41. 27. hoc factum narrat ann. ab U. C. 579.): has memorant *Non. loc. cit.* et *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 705. qui tamen locus corruptus videtur. *Juvenal.* 6. 589. Consulit ante falas delphinorumque columnas. *V.* OVUM.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1. *Plaut. Most.* 2. 1. 10. Isti qui hastis trium nummorum causa subeunt sub falas. *h. e.* gravissima subeunt pericula, ut qui sub hostium turres ligneas accedunt. *V.* et FALLA: namque locus ibi cit., a *Forcellino* huc refertur, et pro machina, fallacia accipitur.

FĂLĂCER, cris, m. 3. unus ex quindecim flaminibus, quos Romani, aucta civitate, atque adeo et sacerdotiis, constituerunt. Nomen habet a deo Falacre, quem *Turnebus* putat præfuisse falis Circi. Illius mentionem facit tantummodo *Varro* 5. *L. L.* 84. *Müll.* Flamen Falacer a divo patre Falacre. *Id.* 6. *ibid.* 3. Flamines Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis. (*Ennii* versus he-

roos apud *Varron.* hoc loco agnovit *Müllerus*: V. *Ennianæ poesis reliq.* edente *J. Vahlen* p. 20.). Eorum origo Volturnus, Palatua, Furina, Flora, Falacer pater, Pomona. — *Falacer* fortasse significat flaminem, φαλακρός enim (ex φαλός *crista* et ἄκρον *apex*) illum denotat, cujus caput acuto tegmine seu pileo tegitur, quod erat proprium flaminis. *Inscript.* apud *Murat.* 100. 6. T. FLAVIO PRIMIGENIO FALACRI DEAE POMONAE T. FLAVIVS T. F. EIGRINVS ORNAMENT*arius*. h. e. qui ornamenta tantum flaminatus habet.

FĀLANCĀRĬUS et

FALANGĀRIUS. *V.* PHALANGARIUS.

FĀLANGĬO, ōnis, m. 3. *V.* PHALANGIUM.

FĀLĀRĬCA, æ, f. 1. φαλαρική, χειροβαλίστρα, genus teli ad modum hastæ, valido ferro præfixum: a *falis*, id est locis exstructis, unde jaciebatur, ut affirmant *Paul. Diac.* p. 88. 10. *Müll.* et *Non.* p. 553. 14. *Merc.* Alii derivant a φαλός *splendidus*; at *phalarica* scribunt. — Saguntinorum falaricam in obsidione Hannibalis his verbis describit *Liv.* 21. 9. Erat missile telum hastili abiegno et cetera tereti præterquam ad extremum, unde ferrum exstabat: id, sicut in pilo, quadratum stuppa circumligabant, linebantque pice: ferrum autem tres longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus posset. Sed id maxime, etiam si hæsisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pavorem faciebat, quod quum medium accensum mitteretur, conceptumque ipso motu multo majorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad insequentes ictus præbebat. Hæc *Liv.*, cui addendus *Sil. It.* 1. 350. Armavit clausos ac portis arcuit hostem Librati multa consueta falarica dextra, Horrendum visu robur, celsisque nivosæ Pyrenes trabs lecta jugis, cui plurima cuspis, Vix muris toleranda lues; sed cetera pingui Uncta pice atque atro circumlita sulphure fumant. Fulminis hæc ritu summis e mœnibus arcis Incita, sulcatum tremula secat aera flamma. et *mox.* Hæc ictu rapido pugnatum sæpe per auras, Attonito ductore, tulit fumantia membra. Hæc vastæ lateri turris ceu turbine fixa, Dum penitus pluteis Vulcanum exercet adesis, Arma virosque simul pressit flagrante ruina. V. *Drakenborg* ad *Sil. It. l. c.*; et adde *Veget.* 1. *Milit.* 18., et *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 705. — Falaricæ figuram habes in lapide sepulcrali C. Firmidii Rufi, militis cohortis VI. prætoriæ apud *Bartoli A.A. di Aquileja* p. 153. — Duplex fuit: una major, quæ catapulta: altera minor, quæ manu mittebatur. De hac *Virg. loc. cit.* tum (*Bitian*) sternit, Non jaculo; neque enim jaculo vitam ipse dedisset: Sed magnum stridens contorta falarica venit, Fulminis acta modo. et *Grat. Cyneg.* 342. Terribilemque manu vibrata falarica dextra Det sonitum. et *Liv.* 34. 14. Ut emissis soliferreis falaricisque gladios strinxerunt. Adde *Ennium* apud *Non.* p. 555. 16. *Merc.*

FALCĀRĬUS, ii, m. 2. qui falces conficit. *Gloss. Græc. Lat.* Δρεπανοποιός, falcarius. — Hinc factum nomen vico cuidam Romæ, quod ibi falcarii habitarent. *Cic.* 1. *Cat.* 4. 8. Dico te priori nocte venisse inter falcarios. Adde *eumd.* *Sull.* 18. 52.; et *V.* LIGNARIUS.

FALCASTRUM, i, n. 2. *Isid.* 20. *Orig.* 14. 5. Falcastrum a similitudine falcis vocatum. Est autem ferramentum curvum cum manubrio longo ad densitatem veprium succidendam. Hi et runcones dicti, quibus vepres secantur, a runcando dicti.

FALCĀTUS, a, um, adject. seu potius particip. ab inusit. *falcare.* ¶ 1. Est falcibus instructus, armatus, ut Falcati currus, apud *Liv.* 37. 41.; *Auct. B. Alex.* 75.; at *Val. Flacc.* 6. 105. et *Veget.* 3. *Milit.* 24. Similiter *Val. Flacc.* 6. 387. Falcati axes. *Curt.* 4. 9. 4. quadrigæ. — Horum curruum usus fuit in prœliis, concitatis equis in medias acies permittendo, ut prominentibus a temone hastis, ad axes falcibus et ad rotarum radios, quidquid incurrerent, abscinderent lacerarentque. Pluribus eos describunt *Liv.* et *Curt. locis cit.* ¶ 2. Item formam falcis habens, *simile a falce, falcato,* δρεπανοειδής. *Ovid.* 4. *Met.* 727.; et *Sil. It.* 3. 378. Falcatus ensis. *Ovid.* 11. *Met.* 221. Est sinus Hæmoniæ curvos falcatus in arcus. *Id.* 3. *ibid.* 681. *de delphinis.* falcata novissima cauda est. A *Seneca Œdip.* 45. *dicitur* cauda lunata. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 21. (48). In sublime caudam quoque falcatam erigens. *Id.* 17. *ibid.* 10. 11. (63). Secundas (*amygdalas*) quam maxime falcatas et e novella. h. e. quæ maxime altera sui parte in modum falcis curvatæ sint. Sic *Id.* 15. *ibid.* 24. 26. (95). Digitorum omnis longitudo illis (prædulcibus siliquis, *alle carobe*) et interim falcata.

FALCĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a falx*, parva falx. *Pallad.* 1. *R. R.* 43. 5. Falciculas brevissimas tribulatas, quibus filicem solemus abscindere. Adde *Arnob.* 6. 26.

FALCĬFER, fĕra, fĕrum, adject. ¶ 1. Generatim est falcem ferens. *Ovid.* 13. *Met.* 928. Non apis inde tulit collectos sedula flores; Non data sunt capiti genialia serta, nec unquam Falciferæ secuere manus. Cf. *Sil. It.* 17. 418. Agmina falcifero circumvenit arcta covino. h. e. falcato. V. *Lucret.* 3. 642., ubi multis describitur cædes curruum falciferorum. ¶ 2. Speciatim est cognomen Saturni, quod primus in Italia agriculturæ usum credatur indicasse: vel quod tempus omnia metat, exsecet et incidat, ut *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. et 8. docet. Hinc *Ovid. Ib.* 218. falciferum senem vocat. Sic *Martial.* 5. 16. Falciferi defendere templa Tonantis.

FĀLCĬGER, gĕra, gĕrum, adject. idem ac falcifer, et eodem usu. *Auson. Eclogar. de Fer. Rom.* 26. Falcigerum placant sanguine Cæligenam. *V.* voc. præced. sub 2.

FALCĬPĔDĬUS, a, um, adject. qui pedes habet in modum falcis curvatos, vel crura, simulant quæ cornua Lunæ, ut *Martial.* 2. 35. jocatur. *Petron. fragm. Tragur.* 75. *Burmann.* V. FULCIPEDIA.

FALCO, ōnis, m. 3. *falcone,* ἱέραξ, φάλκων apud *Suidam.* ¶ 1. Avis est accipitrum genere, quod ungues more falcis habeat introrsum flexos. *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 145. *Firmic.* 5. *Mathes.* 8. n. 2. Equorum nutritores, accipitrum, falconum ceterarumque avium, quæ ad aucupium pertinent. *Sidon.* 5. *Ep.* 5. Quasi de hilario (*al.* harilao, *al.* harilio) vetere novus falco prorumpas. Adde *Isid.* 12. *Orig.* 7. 57. ¶ 2. *Falcones* etiam illi homines dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curvati, a similitudine falcis. *Paul. Diac.* p. 88. 8. *Müll.* Adde *Servium* loc. cit. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

FALCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a falx*, parva falx, *falcetto,* δρεπάνιον.

I.) Propr. *Cato R. R.* 11. Falculæ vineaticæ, ruscariæ. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 2. Falculæ et ungues parandi et exacuendi sunt.

II.) Improprie a similitudine falculæ appellantur curvæ acutæque ungues quorumdam animalium, ut felium, pardorum, etc. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 15. 17. (41). Pardos, pantheras, leones et similia, condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringantur hebetenturve ingrediendo; aversisque falculis currere, nec nisi in appetendo protendere. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

FĀLĒRE, is, n. 3. verbum est architecturæ. *Varro* 3. *R. R.* 5. 14. Subter columnarum stylobatem est lapis, a falere pedem et dodrantem altus: ipsum falere ad duos pedes altum a stagno, latum ad quinque. Ad quem loc. *Scalig.* Falere vocat id, quod magis proprie esset pila: χηλὴν vocat Thucydides, *Virgil.* saxeam pilam. Sustinet autem falere omne peristylii onus, et stagno oppositum et oppilatum est. Itaque pilæ litoribus immolitæ a veteribus *faleria* dicuntur, quia ante *haleria* dicerentur παρὰ τὴν ἅλα *sal.* Argumento quod Falerii populi ita dicti sunt, quia apud eos sal fieret; antea Halerii dicti, auctore *Paul. Diac.* p. 91. 8. *Müll.* (qui tamen *fale, non sale,* legit). Nisi sit, quod omnia alta φάληρα vocabant Græci. Hactenus *Scalig.* At *Turnebus* interpretatur crepidinem lapideam stagnum ambientem, nomine scilicet a candore lapidis imposito; Græce enim φαληρός significat candidum; unde etiam Athenis portus Phalereus a candido lapide dictus.

FĀLISCUS, a, um, adject. ad Faliscos Etruriæ populos pertinens: *V.* ONOM. — Hinc ¶ 1. Quas *Cato R. R.* 4. memorat *bonas præsepes, faliscas clathratas,* et 14. *præsepes bubus hibernas, æstivas faliscas,* putat *Turneb. Adversar. l.* 14. *c.* 2., intelligendas esse præsepes lignis in clathri modum intervallo distinctis confectas, in quibus pabulum gramineum et herbaceum bubus apponitur: ideoque easdem dici *æstivas*, quia æstate fœnum herbæque dantur: quum *hibernas* perpetuo ligno in modum canalis constare oporteat, quia hieme pabulum minutum iis datur, hordeum, lupinum, ervum et hujusmodi, quæ clathratis lignis contineri non possent. Porro *faliscas* vel dictas esse a *falis*, vel potius a Faliscis populis, qui hujusmodi præsepibus usi sint. Alii putant dici, quasi *paliscas*, a palis, seu lignis, quibus clathri constant. ¶ 2. *Faliscus venter* et *faliscus* absolute est venter suillus, aut alterius animalis, farcimine plenus, conditusque more a Faliscis usurpato. *Varro* 5. *L. L.* 111. *Müll.*; *Stat.* 4. *Silv.* 5. 35.; et *Martial.* 4. 46. ¶ 3. *Faliscum metrum* constat tribus dactylis et pyrrhichio, ut est hoc: Docta Falisca Pheronyme paras. *Servius* in *Centimetr.* p. 1824. *Putsch.* Vide *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min.* *T.* 2. p. 252.

FALLA, æ, f. 1. idem ac fallacia. *Nævius* apud *Non.* p. 109. 20. *Merc.* Me non vocant: ob eam rem hanc feci fallam. *Alii legunt* falam (*V.* FALA), et translate accipiunt, eadem tamen significatione. At *Gloss. Placid.* edente *A. Mai* in *Class. Auct.* *T.* 3. p. 462. Falla, fallacia, artificii subtilitas.

FALLĀCĬA, æ, f. 1. Aliam formam *V.* in voc. seq. — Quod ad etymon attinet, hæc *Varro* 6. *L. L.* 55. *Müll.* A fando falli, falsum, fallacia, quæ propterea quod fando quem decipit, ac, contra quam dixit, facit. Itaque si quis re fallit, in hoc non proprio nomine fallacia, sed translatione, ut a pede nostro pes lecti ac pes betæ. Hæc *Varro*: at rectius etymon *V.* in FALLO. — Fallacia est quidquid ad fallendum fit aut dicitur, præcipue vero quum aliud promittitur, aliud præstatur, ἀπάτη, δόλος; (*It. inganno, fallacia, furberia*; Fr. *tromperie, fourberie, ruse, supercherie, artifice, tour d'adresse*; Hisp. *falacia, engaño, embuste, dolo*; Germ. *d. Täuschung, List, Betrug, Ranke, Verstellungskünste*; Angl. *deceit, trick, artifice, craft*). ¶ 1. Generatim. *a*) In plurali numero sæpius occurrit. *Plaut. Cist.* 2. 2. 5. Quot admœnivi fabricas! quot fallacias! *Id. Pœn.* 3. 5. 29. Componere fallacias. *Id. Pseud.* 1. 7. 97. Fallaciis ab aliquo mulierem abducere. Adde *eumd.* *Capt.* 3. 5. 13. et 16. et 20.; et *Mil. glor.* 2. 2. 37., 3. 3. 2., 4. 4. 20. et alibi. *Cic.* 3. *Nat. D.* 29. 73. Doli, machinæ, fallaciæ, præstigiæ num sine ratione esse potuerunt? *Id. Rosc. Com.* 7. 20. Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? *Id. Cluent.* 36. 101. Exagitabantur omnes ejus fraudes atque fallaciæ. *Id.* 2. *Orat.* 46. 191. Nihil est opus simulatione et fallaciis. *Id.* 1. *Att.* 1. 1. Negare sine fuco et fallaciis. *Auct. B. Alex.* 21. Fallaciis aliquem eludere. *Ammian.* 15. 5. Fallaciarum nubem discutere. — *b*) In singulari numero. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 15. Per malitiam et per dolum et fallaciam. *Id. Asin.* 2. 1. 2. et 4. Fingere fallaciam. *Id. Cas.* 5. 1. 6.; et *Ter. Andr.* 1. 3. 7. Astutam fallaciam facere. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 67. et *Pseud.* 2. 4. 75. Fallaciam ferre. h. e. inferre, adhibere. Sic *Ter. Andr.* 2. 6. 1. portare alicui. *Id. Heaut.* 3. 2. 2. intendere in aliquem. *Id. ibid.* 3. 3. 36. invenire. *Id. Andr.* 4. 5. 39. Fallacia alia aliam trudit. *Phædr.* 3. 16. Fallacia aggredi aliquem. *Id.* 1. 31. Consilium vertere ad fallaciam. *Petron. Satyr.* 12. 5. Fallaciam proditione detegere vel detexere. *scoprire.* *Flor.* 1. 16. 7. Fallacia insidiarum. *Sueton. Tib.* 62. Per fallaciam. Adde *eumd. Cal.* 39. et *Rhetor.* 1.; et *Ammian.* 28. 6. ¶ 2. Speciatim de fascinatione et præstigiis magicis. *Propert.* 1. 1. 19. At vos, deductæ quibus est fallacia lunæ, Et labor in magicis sacra piare focis etc. ¶ 3. De rebus inanimis. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 68. Nonnulli gustu explorare uvæ maturitatem tentaverunt: sed et hæc ipsa res habet aliquam fallaciam.

FALLĀCĬES, ei, f. 5. Idem ac fallacia. *Apul.* 5. *Met.* Fallacie germanitatis inducta.

FALLĀCĬLŎQUENTĬA, æ, f. 1. sermo fallax. *Accius* apud *Cic.* 4. *Fin.* 25. 68. *malitiæ fallaciloquentiæ*, ut quidem legit *Non.* p. 113. 18. *Merc.*, vel *fallacis loquelæ*: alii vero melius *fallaciloquæ malitiæ*, ut ipse *Orellius* addidit.

FALLĀCĬLŎQUUS, a, um, adject. qui alios loquendo fallit. *V.* voc. præced.

FALLĀCĬŌSUS, a, um, adject. *ingannevole*, ἀπατηλός, fallaciis plenus. *Gell.* 14. 1. *ad fin.* Quibus hujusmodi ambages fallaciosæ confutantur. *Id.* 7. 3. *a med.* Argumenta vafra et fallaciosa. *Apul.* 8. *Met.* Fallaciosa promissio. *Id.* 9. *ibid.* Fallaciosa mulier.

FALLĂCĬTAS, ātis, f. 3. fallacia. *Gloss. Cyrill.* Ἀπάτη, fraus, seductio, fallacitas.

FALLĀCĬTER, adverb. Sup. *Fallacissime.* — Fallaciter est per fallaciam, dolose, *fallacemente, con inganno*, δολερῶς. *Cic. Dom.* 29. 77. Qui non ficte et fallaciter populares, sed vere et sapienter fuerunt. *Id.* 3. *Off.* 17. 68. Ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. *Id.* 1. *Divinat.* 18. 35. Fallaciter portenta interpretari. *Id. Partit. orat.* 25. 90. Voluptas boni naturam fallaciter imitando adulterat. *Id. Harusp. resp.* 23. 48. Fallacissime se venditare alicui. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 16. 35. (71). Myrrha fallacissime adulteratur.

FALLAX, ācis, adject. omn. gen. *Fallacum* in Genit. plur. pro *fallacium* habet *Catull.* 30. 4. Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent. — Comp. *Fallacior* et Sup. *Fallacissimus* sub *a.* et *b.* — Fallax est qui fallit, hoc est promittit et non præstat, vel aliud promittit, aliud præstat, dolosus, mendax, ἀπατηλός (It. *fallace, ingannevole, frodolento*; Fr. *trompeur, imposteur, perfide*; Hisp. *engañador, engaytador, embustero, trampista*; Germ. *betrügerisch, täuschend*; Angl. *deceitful, evasive, fallacious, treacherous, hollow, false*). Occurrit — *a)* De hominibus. *Cic.* 1. *Divinat.* 19. 37. Astrologi vani atque fallaces. *Id. Amic.* 25. 91. Multis hominibus est hoc vitium notandum levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. *Id. Planc.* 9. 22. Vicinitas non assueta mendaciis, non fucosa, non fallax, non erudita artificio simulationis. *Id. Dom.* 9. 23. Homo teterrimus, crudelissimus, fallacissimus. *Virg.* 6. *Æn.* 343. fallax Apollo. *Tibull.* 3. 7. 19. puella. *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 38. amics. *Id.* 13. *Met.* 799. Galatea Durior annosa quercu, fallacior undis. *Id.* 1. *Amor.* 15. 17. fallax servus. Cf. *eumd.* 3. *Met.* 1. Jamque deus posita fallacis imagine tauri Se confessus erat. — *b)* De inanimis et abstractis. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 113. Fallacem Circum vespertinumque pererro Sæpe forum. *h. e.* ubi astrologi sive divinatores populum fallebant. *Cic. Amic.* 19. 68. Ut tamquam in herbis non fallacibus fructus appareat. *Ovid.* 1. *Art. am.* 401. Non semper credenda Ceres fallacibus arvis. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Fallaces campi. *Virg.* 1. *G.* 195. Siliquæ fallaces. *Id.* 4. *Ecl.* 24. fallax herba veneni. *h. e.* quæ non videtur, et est venenata. *Lucret.* 4. 517. Fallax norma. *Cic. Rabir. Post.* 14. 40. Fallaces et fucosæ merces. *Virg.* 5. *Æn.* 850. credere fallacibus Austris. *Id.* 9. *ibid.* 392. silva. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 41. Fallax alea. *Id.* 2. *Amor.* 11. 8. via. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 8. 8. (24). Convallis manu facta et longo tractu fallax. *h. e.* quæ exitum habere videtur, sed re vera non habet. *Id.* 5. *ibid.* 31. 34. (128). Fallacia vada. *Id.* 3. *ibid.* 6. 12. (80). Planaria insula a specie dicta, æqualis freto, ideoque navigiis fallax. *Martial.* 4. 56. Fallax hamus. *Ammian.* 24. 4. Foveæ fallaces. *Val. Flacc.* 3. 186. tenebris fallacibus acti. *Ovid. Remed. am.* 687. At tu nec voces (quid enim fallacius illis?) Crede, nec æternos pondus habere deos. *Cic.* 2. *Divinat.* 43. 91. Oculorum fallacissimo sensu judicant ea, quæ ratione et animo videre debebant. *Id.* 12. *Phil.* 2. 7. Quod si est erratum spe falsa atque fallaci, redeamus in viam. *Id. Mil.* 34. 94.; et *Sil. It.* 7. 57. Fallax spes. *Cic.* 1. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 46. Fallaces et captiosæ interrogationes. *Id. ibid.* 46. 140. Fallax imitatio simulatioque virtutis. *Id.* 3. *Nat. D.* 30. 75. Malitia est versuta et fallax nocendi ratio. *Auct. B. Alex.* 24. Fallaces disciplinæ. *Ovid.* 5. *Fast.* 191. sententia hominum. *Id. Heroid.* 16. 321. fiducia. *Plin. Paneg.* 32. anni fides. *Id.* 1. *Ep.* 19. 17. judicium ingenia. *Val. Flacc.* 5. 631. insidiæ. *Id.* 1. 809. senecta. — *c)* Absolute. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 62. (186). Subdialia pavimenta Græci invenere, talibus domos contegentes, facile tractu tepente, sed fallax ubicumque imbres gelant. — *d)* Cum Genitivo. *Tac.* 16. *Ann.* 32. Homines specie bonarum artium falsi et amicitiæ fallaces.

FALLENTER, adverb. fallaci ratione, fallendo. Est *Novatian. Trinit.* 18. Ortus luminaris istius (*h. e.* solis) mediocribus incrementis fallenter assurgens oculus hominum sensim assuefacit ad totum orbem suum ferendum per incrementa radiorum.

FALLO, fallis, fĕfelli, falsum, fallere, a. 3. *Fallier* pro *falli* est apud *Pers.* 3. 50. — Præteritum passivum *falsus sum* vide sub 1. *b.*; pro quo *fefellitus sum* habetur apud *Petron. fragm. Tragur.* 61. *Burmann.* — Part. *Fallens* sub I. 1. *e.*; *Falsus* sub 1. 1. e. et in fin.; *Fallendus* sub 1. 1. *a.* — Quod ad etymon attinet, *Varro* 6. *L. L.* 55. *Müll.* ducit a *fando*: V. FALLACIA init.: alii a φηλόω *decipio*: alii melius a σφάλλω *supplanto, everto*; fallere enim est decipere, inducere: et juxta *Varronem* proprie videtur esse ejus, qui verbis decipit; latius vero ejus, qui quacumque ratione, ἐξαπατᾶν, φενακίζω (It. *ingannare*; Fr. *tromper, duper, imposer*; Hisp. *engañar, seducir*; Germ. *täuschen, hintergehen, betrügen*; Angl. *to deceive*).

I.) Proprie. Generatim refertur tum ad personas, tum ad res. ¶ 1. De personis est decipere, inducere; et occurrit — *a)* Cum Accusativo et Nominativo personæ. *Cic. Rosc. Am.* 40. 116. Recte majores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. At vero T. Roscius non unum rei pecuniariæ socium fefellit, verum novem homines honestissimos ejusdem muneris — induxit, decepit, destituit, omni fraude et perfidia fefellit. Ceterum *Plaut. Bacch.* 4. 4. 43. Ut senem hodie doctum docte fallas aurumque auferas. *Ter. Andr.* 3. 2. 13. Fallere aliquem dolis. *Id. Heaut.* 3. 1. 61. Falli te sinas technis per servulum. *Id. Eun.* 2. 3. 93. Referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 29. 73. Tu illum fructu fallas. *Cic.* 3. *Nat. D.* 31. 76. Qua spe possumus falli: Deus falli qui potuit? *Id. Rosc. Am.* 39. 112. Perditissimi est hominis fallere eum, qui læsus non esset, ni credidisset. *Cæs.* 7. *B. G.* 50. Id ipsum sui fallendi causa milites ab hostibus factum existimabant. *Nepos Epam.* 5. Cives tuos fallis verbo. *Id. Lysandr.* 3. Fefellerunt eum Jovis antistites. *Liv.* 31. 38. Fallere hostem. Sic *Quintil.* 12. 1. 39. Hostis pro salute patriæ fallendus. *Horat.* 4. *Od.* 6. 16. Fallere Troas. *Virg.* 6. *Æn.* 324. numen. Sic *Val. Flacc.* 3. 490. Pallada. et *Ovid.* 3. *Amor.* 11. 15. per omnes, Qui dent fallendos se tibi sæpe, deos. *Id. Remed. am.* 303. sic me jurata fefellit. *Seneca Ep.* 3. Multi timent falli. *Sueton. Galb.* 3. fallere — ignarant mulierem. *Quintil.* 2. 12. 13. imperitos. *Id.* 12. 7. 7. litigantem vana spe. *Id.* 4. 5. 5. judicem. *Id.* 4. *procem.* 3. principem. Adde *Ammian.* 28. 6. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 117. Falli visu. *stravedere.* Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 59. (118). Picas memoria falli. *dimenticarsi.* — Sic poetice *Lucret.* 5. 63. Sed simulacra solere in somnis fallere mentem, Cernere quum videamur, quem vita reliquit. — Item poetice *Virg.* 1. *G.* 139. Tum laqueis captare feras et fallere visco Inventum. et *Ovid.* 15. *Met.* 474. volucrem viscata fallere virga. — Huc pertinet et illud *Cic.* 12. *Phil.* 8. 21. Is enim sum, nisi forte me fallo, qui vigiliis, curis, periculis perfecerim, ut etc. Item illud *Cic.* 1. *Fam.* 6.; et *Cæs.* 3. *B. C.* 86. Opinionem alicujus fallere. et *Horat. Art. P.* 437. Numquam te fallant animi sub vulpe latentes. — *b)* Cum Accusativo personæ et Nominativo rei, præcipue in certis dicendi modis. *Cic.* 1. *Cat.* 3. 7. Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox —, verum id quod multo magis est admirandum, dies? *Id.* 1. *Fam.* 3. Quæ ne spes eum fallat, vehementer rogo te. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 10.; et cf. *Phædr.* 5. 3. spes fefellit impudentem audaciam. *h. e.* audacem. *Ter. Heaut.* 4. 4. 1. Nisi me animus fallit, hic profecto est anulus. Cf. *eumd. Phorm.* 5. 1. 8. Sic *Cic. Rosc. Am.* 17. 48. Permultos et ego novi, et, nisi me fallit animus, unusquisque vestrum etc. *Cæs.* 3. *B. C.* 67. Neque eum prima opinio fefellit. *Nepos Ages.* 3. In quo eum opinio fefellit. Cf. *Auct. declam.* in *Sall.* 12. Longe opinione falli. *Cic. Sull.* 14. 41. Nam id me multum fefellit. *Nepos Alcib.* 8. Neque ea res illum fefellit. Adde *Sueton. Vesp.* 25. *Id. Ner.* 32. Conjectura eum fefellit. *Plin.* 7. *Ep.* 33. Nec me fallit augurium. *Cic.* 8. *Att.* 7. 1. Nisi me omnia fallunt, deseret. et *Seneca Ep.* 95. *a med.* Omnia me fallunt, nisi etc. *Cic.* 5. *Fam.* 20. 6. Nisi quid me fallit. Jocose *Ter. Phorm.* 1. 4. 44. Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit. *Gell.* 20. 1. Nisi me fallit memoria. — Poetice *Ovid.* 1. *Art. am.* 450. dominum sterilis sæpe fefellit ager. — *c)* Passiva forma et sæpe Medio̧rum apud Græcos significatione. *Cic.* 3. *de republ.* 33. Errore quodam fallimur in disputando. *Nepos Epam.* 5. Quod me Agamemnonem æmulari putas, falleris. *h. e.* opinione. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 78. Fallimur et quondam non dignum tradimus. *Quintil.* 12. 10. 33. Falluntur, qui existimant etc. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 30. Falluntur, quibus luxuriæ specie libertatis imponit. *Id.* 11. *Ann.* 24. Libertinorum filiis magistratus mandari non, ut plerique falluntur, repens, sed priori populo factitatum est. *Plin.* 1. *Ep.* 5. Cœpit vereri, ne sibi irasceret: nec fallebatur; irascebar. *Virg.* 5. *Æn.* 49. Jamque dies, ni fallor, adest. *Horat. Art. P.* 42. Ordinis hæc virtus erit et venus, aut ego fallor. *Val. Flacc.* 4. 674. sequor o, quicumque deorum, Æsonides, vel fallor, ait. *Id.* 8. 351. Fallor? an hos nobis magico nunc carmine ventos ipsa movet? — Similiter *Plaut. Aulul.* 2. 1. 4. Haud falsa sum, nos odiosas haberi. *non mi sono ingannata. Id. Men.* 5. 2. 3. Id quam facile sit mihi, haud sum falsus. *Ter. Andr.* 4. 1. 23. Me miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo! PAM. Falsus es. *ti se' ingannato. Sall. Jug.* 85. Ne illi falsi sunt, qui diversissimas res pariter exspectant, ignaviæ voluptatem et præmia virtutis. *Id. ibid.* 10. Neque ea res falsum me habuit. *m'ingannò. Liv.* 4. 46. Nec falsus vates fuit. *nè il vate s'ingannò. Tac.* 2. *Hist.* 17. Ut adesse omnem Cæcinæ exercitum trepidi ac falsi nunciarent. *trepidi ed ingannati.* Sic *Lactant.* 4. 14. Falsi deceptique sunt. *Auson. Ep.* 22. 13. Hic sæpe falsus messibus vegrandibus, Numen perosus villici. *h. e.* deceptus a messe minus copiosa. *Ter. Eun.* 2. 2. 43. Ut falsus animi est! et *Sil. It.* 13. 886. *de Hannibale.* Assyrio famulus regi falsusque cupiti Ausoniæ motus. *h. e.* frustratus spe excitandi in Romanos belli. — Et cum Infinito. *Lucan.* 7. 288. cælumque tremens quum lancea transit, Dicere non fallar, quo sit vibrata lacerto. *non fallerò dicendo.* — *d)* Singulare est illud *Val. Flacc.* 7. 298. Promisi: ne falle, precor. *h. e.* ne credas, te a me falli. — *e)* Absolute, h. e. sine Accusativo personæ, qui tamen subauditur. — Cum Nominativo personæ. *Cæcilius* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 29. 73. Neque quo pacto fallam, nec quid inde auferam, Nec quem dolum ad eum aut machinam commoliar, Scio quidquam. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 9. At faciem quum aspicias eorum, haud mali videntur; operâ fallunt. *Cic.* 1. *Off.* 13. 41. Totius injustitiæ nulla capitalior quam eorum, qui, quum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. Simul, ut, si quid possent, de induciis fallendo impetrarent. *Nepos Themist.* 7. Quum Lacedæmonii quærerentur, opus nihilominus fieri, eumque ea re conari fallere etc. *Sueton. Ner.* 16. Quibus — fallere ac furari per jocum jus erat. Adde *Sil. It.* 17. 559. Huc pertinet et illud, quod *Forcellinus* singulari paragr. distinxit, *Gell.* 7. 14. Plerumque infleti atque tumidi (*in dicendo*) fallunt pro uberibus. *facilmente passano per facondi, copiosi.* — Cum Nominativo rei. *Cic.* 1. *Divinat.* 14. 25. Ea (*divinatio*) fallit fortasse nonnunquam, sed tamen ad veritatem sæpissime dirigit. *Liv.* 29. 35. Veriti, ne falleret bis relata eadem res. *Horat. Epod.* 16. 45. Germinat et numquam fallentis termes olivæ. *Quintil.* 11. 3. 121. Si memoria fefellerit. *Id.* 5. 11. 26. Solent fallere similitudinum species. *Id.* 10. 7. 3. Sæpe ea, quæ opinati sumus —, fallunt. *Tac.* 2. *Hist.* 8. Propior ad fallendum fides. *Val. Flacc.* 2. 282. semel orgia fallent. Adde *Ammian.* 26. 1. — *f)* Impersonaliter *me fallit* (subaudi *opinio*) est idem ac fallor, *io m'inganno. Ter. Hecyr.* 5. 1. 2. Nec pol me multum fallit, quin quod suspicor, sit quod velit. *nè m'inganna di molto. Cic.* 11. *Att.* 12. 2. Qui quidem semper erunt clari; conscientia vero facti sui etiam beati. Sed nos, nisi me fallit, jacebimus. *Id.* 1. *ad Brut.* 18. *sub fin.* Maximus autem, nisi me forte fallit, in republica nodus est, inopia rei pecuniariæ. *Id. Cæl.* 19. 45. Nisi me propter benevolentiam forte fallebat. *Id.* 2. *Off.* 7. 25. Nec eum fefellit. *Varro* 2. *R. R.* 1. 23. Vide, ne te fallat. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (18). Fallit plerosque, quod arbitrantur etc. Cf. etiam infra sub II. 1. in fin. ¶ 2. Item generatim de rebus, et est violare, scilicet non præstando quod exspectabatur. *Cic.* 1. *Off.* 13. 39. Regulus ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere. *di quello che mancare alla parola.* Sic poetice *Virg.* 6. *Æn.* 612. quique arma secuti impia, nec veriti dominorum fallere dextras. *Curt.* 7. 10. Fallere promissum. *Tac.* 1. *Ann.* 73. Jovem perjurio. *Ovid. Heroid.* 16. 284. legitimi fallere jura tori. *Id.* 9. *Met.* 119. Nessoque paranti Fallere depositum. *h. e.* Dejaniram auferre, quæ ipsi

credita fuerat. Sic *Id.* 5. *ibid.* 480. arvaque jussit Fallere depositum, vitiataque semina fecit. h. e. arvis mandavit, ne sibi credita semina redderent, atque adeo coloni spem frustrarentur. *Cic.* 1. *Orat.* 1. 2. Quam spem cogitationum et consiliorum meorum quum graves communium temporum, tum varii nostri casus fefellerunt. *deluse·o, tradirono. Id.* 4. *Cat.* 11. 23. Quod si meam spem vis improborum fefellerit atque superaverit. Cf. *Ovid. Heroid.* 17. 234. Fallitur augurio spes bona sæpe suo. Rursus *Cic.* 1. *Fam.* 6. *extr.* A me omnia summa in te studia officiaque exspecta: non fallam opinionem tuam. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 86. Ne usu manuque reliquorum opinionem fallerent. *Justin.* 2. 15. 21. Nec in bello judicium diligentium fefellit: siquidem non inferior virtutibus patris etc. *Claudian.* 6. *Cons. Honor.* 87. nec eventus vota fefellit. *Ovid.* 9. *Met.* 696. fallere mandata alicujus. *h. e.* non exsequi. Sic *Plin.* 7. *Hist. nat.* 37. 38. (125). Fefellit imperium militaris imprudentia. *Ovid.* 2. *Fast.* 837. Brutus adest, tandemque animo sua nomina fallit. *h. e.* contra agit, ac suum nomen Bruti significabat. Huc pertinet et illud *Curt.* 4. 9. Quum lubrica saxa vestigium fallerent. Sic *Sil. It.* 17. 469. Lubrica qua tellus labantis sanguine fratris Fallebat nisus. *h. e.* impediebat et minuebat vim standi pugnandique. — Huc referri possent et poetica illa, in quibus fallere ponitur pro fingere, simulare, itemque abscondere, tegere decipiendi causa. *Virg.* 1. *Æn.* 687. Tu faciem illius noctem non amplius unam Falle dolo, et notos pueri puer indue vultus. *Propert.* 4. 5. 14. Et sua nocturno fallere terga lupo. *h.* e. formam suam sub forma lupi tegere. Cf. *Ovid.* 3. *Fast.* 22. Et sua divina furta fefellit ope. *nascose.* ¶ 3. Speciatim *si sciens fallo, tum me Juppiter* etc. formula est jurantis, et sibi mala precantis, si fidem fefellerit. *Paul. Diac.* p. 115. 4. *Müll.* Lapidem silicem tenebant juraturi per Jovem hæc verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Dispiter salva urbe arceque bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem. *Cic.* 7. *Fam.* 1. 2. Is jurare quum cœpisset, vox eum defecit in illo loco: Si sciens fallo. *Plin. Paneg.* 64. Si sciens fefellisset. *Liv.* 21. 45. Ea ut rata scirent fore, agnum læva manu, dextera silicem retinens, si falleret, Jovem ceterosque precatus deos, ita se mactarent etc. Sic *Propert.* 2. 16. 15. Ossa tibi juro per matris et ossa parentis: Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis. Adde *eumd.* 4. 7. 53.; et cf. *Horat.* 2. *Od.* 8. 9. Fallere matris cineres opertos et toto signa cum cælo.

II.) Improprie, vel latiori significatione. ¶ 1. Eleganter *fallere* dicuntur, quæ latent, et scientiam visumve nostrum effugiunt. — *a*) Cum Accusativo personæ. *Cic.* 1. *Orat.* 60. 255. Neque enim hoc te, Crasse, fallit, quam multa sint genera dicendi. *tu sai benissimo, che* etc. *Liv.* 5. 47. Tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem excitarent. Sic *Ovid.* 4. *Met.* 85. Fallere custodes nocte silenti. et *Horat.* 1. *Od.* 10. 16. Quin et Atridas duce te (*Mercurio*) — Priamus — Thessalosque ignes et iniqua Trojæ Castra fefellit. *Id.* 4. *ibid.* 4. 52. Quos fallere et effugere est triumphus. *Id.* 1. *Ep.* 5. 31. Atria servantem postico falle clientem. *Id.* 3. *Od.* 14. 19. Spartacum si qua potuit vagantem Fallere testa. *h. e.* latere. Cf. *Sueton. Cæs.* 43. Si qua obsonia custodes fefellissent. Rursus *Horat.* 1. *Ep.* 6. 45. Exilis domus est, ubi non et multa supersunt, Et dominum fallunt et prosunt furibus. *Id. Epod.* 15. 21. Nec te Pythagoræ fallant arcana. *Liv.* 41. 2. Nec quidquam eos, quæ terra marique agerentur, fallebat. *Id.* 4. 11. Ut plebem tribunosque falleret judicii rescindendi consilium initum. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 98. acta deos numquam mortalia fallunt. *Id.* 4. *ibid.* 2. 17. Nos procul expulsos communia gaudia fallunt. *Id.* 13. *Met.* 462. Mors tantum vellem matrem mea fallere posset. *Id.* 3. *Art. am.* 627. Tuta quoque est fallitque oculos e lacte recenti Littera: carbonis pulvere tange; leges. *Id.* 6. *Met.* 64. In quo diversi niteant quum mille colores, Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit. *h.* e. unius coloris ad alium transitus oculis non distinguitur. *Id.* 4. *ibid.* 177. Retiaque et laqueos, quæ lumina fallere possint, Elimat. Sic *Plin.* 9. *Hist. nat.* 50. 74. (157). Tanta celeritate, ut visum fallant. *non si veggono, non si può accorgersene. Ovid. Heroid.* 20. 190. Fallere casses. *h.* e. evitare, effugere, *schivare, sfuggire.* Similiter *Id. ibid.* v. 45. retia. *Curt.* 4. 16. Nulla adeo aria lacuna erat, quæ vestigantium sitim falleret. *Tac.* 13. *Ann.* 13. Quæ mutatio neque Neronem fefellit. — *b*) Passiva forma et Mediorum significatione. *Plaut. Epid.* 2. 2. 55. Nec satis exaudiebam, nec sermonis fallebar tamen. *sapea però quel che discorreano.* — *c*) Absolute, h. e. sine Accusativo. *Liv.* 22. 33. Speculator Carthaginiensium, qui per biennium fefellerat, Romæ deprehensus. Adde *eumd.* 25. 9.; et *V. Drakenborg.* ad *eumd.* 41. 2. *Id.* 8. 20. Ne alio itinere hostis falleret ad urbem incedens. *Id.* 5. 47. Vigiles ejus loci, qua fefellerat ascendens hostis, citati. *Tac.* 2. *Hist.* 98. Deprehensi cum litteris edictisque Vespasiani — militum et centurionum quidam, ad Vitellium missi necantur: plures fefellere, fide amicorum aut suomet astu occultati. *Quintil.* 8. 2. 13. Fallunt etiam verba vel quibusdam regionibus familiaria, vel artium propria. *h. e.* ignorantur. — Proverbium est *vivens falle*, quo monemur vitare turbam, abstinere a republica, et nobiscum habitare. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 10. Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit. Cf. *Plutarchi* commentatio εἰ καλῶς εἴρηται τὸ λάθε βιώσας. et *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 25. Crede mihi; bene qui latuit, bene vixit. *V.* et *Cic.* 3. *Tusc.* 24. 57. — *d*) Impersonaliter, *fallit me*, præcipue cum particulis negativis atque in interrogationibus, est idem ac *latet me*, Italice *non so, ignoro.* Sic apud *Plaut. Bacch.* 2. 3. 64. Non me fefellit: sensi: eo exanimatus fui. *non mi sfuggì: me ne accorsi:* etc. — Cum Infinito. *Ter. Heaut.* 3. 2. 3. Num me fefellit, hosce id struere? *non lo diss' io? Cic.* 3. *Att.* 23. 4. In lege nulla esse ejusmodi capita, te non fallit. *tu sai benissimo che* etc. Adde *Quintil.* 2. 4. 40. et 3. 6. 58. Sic *Virg.* 4. *Æn.* 96. Nec me adeo fallit, veritam te mœnia nostra Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (233). Jam omnes fontes æstate, quam hieme, gelidiores esse, quem fallit? *chi nol sa?* — Et cum Gen. *animi* apud *Lucret.* 1. 137. Nec me animi fallit, Grajorum obscura reperta Difficile illustrare Latinis versibus esse. — Cum relativo. *Lucret.* 5. 98. Nec me animi fallit, quam res nova miraque menti Accidat. Adde *eumd.* 1. 921. *Quintil.* 3. 8. 41. Nec me fallit, quæ statim cogitatio subire possit legentem. — Sequente part. *quin* apud *Cæs.* 3. *B. C.* 94. Neque vero Cæsarem fefellit, quin ab iis cohortibus initium victoriæ oriretur. ¶ 2. De tempore vel de re molesta est levare, lenire, ita transigere et evadere, ut ne advertamus quidem; qua significatione occurrit apud Poetas et raro apud alios sequioris ævi scriptores. *Ovid.* 8. *Met.* 651. Interea medias fallunt sermonibus horas Sentirique moram prohibent. *passare senza sentirne il tedio. Id. Heroid.* 1. 9. spatiosam fallere noctem. *Val. Flacc.* 2. 349. dapibus captis mox tempora fallunt Noctis et in seras durant sermonibus umbras. *Ovid. Heroid.* 19. 37. Tortaque versato ducentes stamina fuso Feminea tardas fallimus arte moras. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 114. Jam vino quærens, jam somno fallere curam. *divertire.* Sic *Ovid.* 3. *Trist.* 2. 16. Fallebat curas ægraque corda labor. *et* 5. *ibid.* 7. 39. Detineo studiis animum falloque dolores. Sic *Val. Flacc.* 3. 319. tenui luctum solamine fallens. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 12. Molliter austerum studio fallente laborem. Sic *Ovid.* 6. *Met.* 60. Brachia docta movent, studio fallente laborem. *Id.* 14. *ibid.* 121. Cum duce Cumeâ fallit sermone laborem. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (49). Absinthium pueris dedere in fico sicca, ut amaritudinem fallerent. *acciocchè non sentissero.* — Hinc Part. præter. pass.

Falsus, a, um, adjective quoque occurrit; unde Comp. *Falsior*, de quo *Paul. Diac.* p. 92. 11. *Müll.* Falsius et falsior quum rationabiliter dici possint, non tamen sunt in consuetudine. *Petron.* tamen *Satyr.* 132. *extr.* Nihil est hominum inepta persuasione falsius, nec ficta severitate ineptius. Adde *Augustin.* 7. *Civ. D.* 5. et *Boeth.* p. 286. Falsior et magis contraria est opinio illa, quæ etc. Adde *eumd.* p. 460. — Sup. *Falsissimus* occurrit apud *Colum.* 1. *R. R.* 6. 17. Id autem falsissimum est. — Ceterum *falsus* usurpatur passive, ut supra retulimus sub I. 1. c.: at sæpius active dicitur de eo, qui fallit, decipit, *ingannatore, infedele, mendace,* ψευδής: itemque de rebus, et est fictus, simulatus, vanus, inanis, mendax, *falso.* — *a*) De hominibus. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 12. Quos quum censeas esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis. *Sall. Cat.* 10. Ambitio multos mortales falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere. *Cic.* 2. *Divinat.* 11. 27. Testes aut casu veri, aut malitia falsi fictique esse possunt. *Id.* 1. *Orat.* 38. 175. De cujus morte quum domum falsus ab exercitu nuncius venisset. *Sueton. Cæs.* 81. Spurinnam falsum arguens. *Id. Tib.* 14. Falsus conscius. *Tac.* 16. *Ann.* 32. Falsi specie bonarum artium. *Id.* 13. *ibid.* 13. Orabantque cavere insidias mulieris semper atroris, tum et falsæ. *Id.* 3. *ibid.* 3. Ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intelligerentur. *Id.* 1. *ibid.* 7. Quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac festinantes. *Id.* 6. *ibid.* 41. Sensit vetus regnandi falsos in amore odia non fingere. *V.* et sub *c.* — Cum Dativo. *Catull.* 30. 1. Alfene immemor, atque unanimis false sodalibus. Sic *Claudian.* 4. *Cons. Honor.* 277. falsus amicis. — *b*) De rebus et præcipue de abstractis. *Ennius* apud *Non.* p. 511. 5. *Merc.* Sæviter suspectionem ferre falsam, futilem est. *Plaut. Rud. prol.* 13. Qui falsas lites falsis testimoniis petunt. *Ter. Eun.* 1. 1. 23. Falsa lacrimula. *Id. Hecyr.* 5. 4. 2. gaudium. *Cic.* 2. *de republ.* 15. Falsum est id totum, neque solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum. *Id.* 2. *Nat. D.* 21. 55. Omnis ordo, veritas, ratio, constantia: quæque his vacant, ementita et falsa plenaque erroris sunt. *Id.* 2. *Orat.* 45. 189. Nihil nisi falsum et imitatione simulatum. *Id.* 2. *Divinat.* 62. 127. Falsa et mendacia visa. *et ibid.* Visa falsa et inania. *Id. Rosc. Am.* 38. 110. Pro re certa spem falsam domum retulerunt. *Id.* 12. *Phil.* 2. 7. Spe falsa atque fallaci errare. *Id. Sull.* 32. 91. Falsa spes. *Id.* 11. *Phil.* 2. 5. Complexus summæ benevolentiæ falsi indicer in amore simulato. *Id.* 1. *Invent.* 48. 90. Falsum est argumentum, in quo perspicue mendacium est. *Id. Flacc.* 17. 39. Pœna falsarum et corruptarum litterarum. Cf. *Liv.* 40. 56. Falsas esse litteras et a scriba vitiatas. et *Sueton. Aug.* 19. Falsarum tabularum rei. Rursus *Cic.* 3. *Orat.* 25. 98. Molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et falsæ voculæ, quam certæ et severæ. *falsetto, voci contraffatte, canto in quilio. Id. Amic.* 4. 15. Non tam ista me sapientiæ fama delectat, falsa præsertim. *Cæs.* 6. *B. G.* 20. Falsi rumores. *Virg.* 6. *Æn.* 513. gaudia. *Horat.* 3. *Od.* 7. 14.; *Ovid.* 13. *Met.* 308.; et *Sueton. Ner.* 35. crimina. *Id.* 1. *Ep.* 16. 38. opprobria. *h. e.* haud merita. *Id. ibid.* 16. 39. Falsus honor juvat et mendax infamia terret Quem nisi mendosum? *Id.* 2. *ibid.* 1. 212. terrores. *Id.* 1. *Sat.* 1. 61. cupido. *Id.* 2. *Od.* 2. 19. voces. *Ovid. Heroid.* 7. 67. falsæ perjuria linguæ. *Id.* 10. *Met.* 19. os. *Id.* 7. *ibid.* 289. odium. *Val. Flacc.* 6. 661. vultus. *Quintil.* 8. 5. 7. sententiæ. *Id.* 7. 3. 5. appellatio. *Id.* 1. 10. 39. ratio. *Justin.* 38. 2. 9. nomina. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 29. 46. (87). opinio. *Id.* 16. *ibid.* 22. 34. (82). definitio. *Id.* 33. *ibid.* 9. 40. (132). Falsa moneta, falsus denarius. *Tac.* 4. *Ann.* 11. auditiones. *Id.* 1. *ibid.* 67. pavor. *Id.* 4. *Hist.* 32. Et missus cum mandatis Montanus ad Civilem, ut absisteret bello, neve externa armis falsis velaret. *e non celasse la sua avversione a Roma sotto l'apparenza della guerra per Vespasiano.* — *c*) De eo, qui videri vult, aut qui putatur is esse, qui re vera non est, *finto, creduto. Virg.* 3. *Æn.* 302. in luco, falsi Simoentis ad undam, Libabat cineri Andromache. *Ovid.* 3. *Met.* 249. mersisque in corpore rostris Dilacerant falsi dominum sub imagine cervi. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 360. *Val. Flacc.* 8. 265. neque enim fugit æquore raptor Juppiter, aut falsi sequimur vestigia tauri. *Stat.* 7. *Theb.* 739. Lernæo falso simulans Ailagmona vultu. Cf. *Tac.* 1. *Hist.* 2. Mota prope etiam Parthorum arma falsi Neronis ludibrio. et *Justin.* 1. 9. 18. Et in cædem falsi regis impulsos, sacramenti religione obstringit. — *d*) Cum Genitivo. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 18. 41. (82). Felix appellatur Arabia, falsa et ingrata cognominis. — Hinc

Falsum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est res falsa, falsitas, *il falso*; et occurrit tum singulari, tum plurali numero. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum contrario verum, ut apud *Lucret.* 1. 477. Notitiam veri quæ res falsique crearit. *Cic.* 2. *Divinat.* 51. 106. Ex falsis verum effici non potest. *Horat. Art. P.* 151. veris falsa remiscet. Cf. *Sil. It.* 11. 130. tum veris falsa per artem Vierius admiscens. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 29. vero distinguere fal-

sum. *Nepos Datam.* 9. Experiri voluit, verum falsumne sibi esset relatum. *Ovid.* 9. *Met.* 138. falsa addere veris. *Tac.* 2. *Hist.* 70. Jam tribuni præfectique, sua quisque facta extollentes, falsa vera aut majora vero miscebant. Cf. *Sall. Cat.* 51. Falsum aliquid pro vero credere. — *b*) Universim. *Cic.* 7. *Att.* 11. 2. De quibus ante ad te falsum scripseram. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 6. Acclinis falsis animus. *Tac.* 2. *Ann.* 82. Nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent. *Id.* 3. *ibid.* 12. Falsa in majus vulgare. *Id.* 3. *Hist.* 51. Falsis ingravescit malum. *Id.* 6. *Ann.* 46. Simulationum falsa in sinu avi perdidicerat. *Id.* 3. *ibid.* 56. Modica de moribus adolescentis, neque in falsum aucta retulit. — *c*) Adverbii more. *Cic.* 3. *Off.* 29. 108. Non enim falsum jurare perjurare est. Adde *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 11. Cf. *eumd. Ovid.* 13. *Met.* 558. spectat truculenta loquentem Falsaque jurantem. *Tac.* 4. *Ann.* 60. Enimvero Tiberius torvus, aut falsum renidens vultu. *Id. ibid.* 50. *extr.* Tela in falsum jacere. *h. e.* in vanum et sine ictu. — *d*) Adverbium FALSO *V.* loco suo. ¶ 2. Speciatim *crimen falsi* est, si quis chirographum alienum imitetur, aut libellum, aut rationes intercidat, vel describat, si falsam monetam cudat, testamentum supponat, pro advocatione testibusve pecuniam accipiat, etc., de quibus JCti *Dig.* 48. *tit.* 10. qui *Ad leg. Cornel. de falsis* inscribitur. *Hinc* falsum facere et committere *Martian. ibid. leg.* 1., accusare aliquem falsi *ibid.*, subjici pœnæ falsi *ibid.*, falsi reus *Papinian. ibid. leg.* 12., et sexcenta hujusmodi. Absolute *Quintil.* 7. 2. 53. In falso quoque ratio similis: aut enim plures in culpam vocantur, aut unus.

Homonym. *Fallere* et *frustrari* unum idemque significant, hoc est in errorem inducere, *ingannare*; in eo tamen differunt, quod *fallere* ad mentis cognitionem, *frustrari* ad animi spem refertur: atque hinc *falsus* dicitur is, cui aliquid contigit aliter omnino atque ejus ferebat opinio; *frustratus* vero is, cui res non successit ex voto, sed aliter atque ipse sperabat. Item *fraudare* et *imponere* utrumque ad perfidiam pertinet: sed *fraudans* aliorum fide, *imponens* aliorum credulitate abutitur, ille ut aliquid sibi comparet aliosque spoliet, hic ut alii fidem dictis habeant, quibus ipse fraudem vel fallaciam facit. Denique *decipere* et *circumvenire* ad rationem referuntur, qua quis utitur ad fallendum; illud tamen discriminis interest, quod *decipiens* clam atque occulto aliquem irretit, *circumveniens* autem machinatione callide et diu excogitata velut ex improviso aggressus alium fallit. *Tac.* 4. *Ann.* 45. Per derupta et avia sequentes frustratus est; neque diu fefellit. *Vellej.* 2. 82. Ardavasden fraude deceptum. *Cic. Mur.* 36. 77. In eo quidem fallis et decipis. *Id. Rosc. Am.* 40. 117. Novem homines honestissimos — induxit, decepit, destituit, adversariis tradidit, omni fraude et perfidia fefellit. *Id. Rosc. com.* 6. 17. Qui socium fraudarit et fefellerit, consideremus. *Tac.* 1. *Hist.* 30. Falluntur, quibus luxuria specie (*al. leg.* speciem) liberalitatis imponit.

FALSĀRĬUS, ii, m. 2. *falsario, falsificatore*, μεταγράφων, qui decipiendi gratia verum supprimit, ac præcipue scripta publica corrumpit, ut testamenta, etc. *Cato* apud *Isid. de diff. verb.* 220. (*vol.* 5. *p.* 29. *Arevali.*). Tu, inquam, si verum supprimis, falsarius agnosceris; si falsa confingis, mendax esse videris. *Sueton. Ner.* 17. Adversus falsarios tum primum repertum, ne tabulæ, nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto obsignarentur. *Id. Tit.* 3. Imitari chirographa, quæcumque vidisset, ac profiteri, se maximum falsarium esse potuisse. *Tertull. Idolol.* 5. Credo, falsarius utique non pedibus, sed manibus operari malas litteras.

FALSĀTĬO, ōnis, f. 3. falsandi actus, *falsificamento*. *Hieronym.* 2. *in Rufin.* 5. Falsatio Apostolorum ab hæreticis.

FALSĀTUS, a, um. *V.* FALSO, as.

FALSĒ, adverb. Sup. *Falsissime.* — False est fallaciter, inaniter, *falsamente*, ψευδῶς. *Plaut. Capt.* 3. 4. 79. False facere. *Sisenna* apud *Charis.* 2. *p.* 179. *Putsch.* Judicium false factum. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 46. 141. Cui si assensus sim, non assentiar sæpe false. *Orellius* edidit *falso*, addita var. lect. *Augustin.* 10. *Confess.* 13. Quæ adversus hæc falsissime disputantur. *V.* FALSO.

FALSĬDĪCENTĬA, æ, f. 1. falsiloquium. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 2. 2. Increpare vatem falsidicentiæ cœperat.

FALSĬDĬCUS, a, um, adject. ψευδολόγος, qui falsa consuevit dicere. *Plaut. Capt.* 3. 3. 13. Me meamque rem tuis scelestis falsidicis fallaciis dilaceravisti. Adde *eumd. Trin.* 3. 3. 40.; et *Accium* apud *Priscian.* 6. *p.* 709. *Putsch. Auson. Epigr.* 118. 17. Falsidici vates, temerant qui carmine verum.

FALSĬFĬCĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *falsifico*, falsus, falsificus. *Prudent. Hamartig.* 551. Nil de pestiferis opibus aut falsificatis Terrarum spoliis stulto oblectamine libans.

FALSĬFĬCUS, a, um, adject. *falsario*, ψευδοποιός, qui facit fallacias. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 38. Domi habet animum falsiloquum, falsificum, falsijurium.

FALSĬJŪRĬUS, a, um, adject. qui falsa jurat, *spergiuro*, ψευδόμνυων. *V.* voc. præced.

FALSĬLŎQUAX, ācis, adject. omn. gen. idem ac falsiloquus. *Venant.* 1. *Vit. S. Martin.* 101. Mentitus speciem humanæ sub imagine formæ, Falsiloquax pereunte fide, male doctus in arte, Quod peteretur iter, quærit.

FALSĬLŎQUĬUM, ii, n. 2. mendacium. *Augustin. proœm. Retract. ad fin.* Ex multiloquio incidunt in falsiloquium.

FALSĬLŎQUUS, a, um, adject. ψευδολόγος, qui falsa loqui consuevit. *V.* FALSIFICUS; et adde *Plaut. Capt.* 2. 2. 14.; et *Prudent. Apotheos.* 107. Sic *Vulgat. interpr. Job.* 16. 9. Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi.

FALSĬMŌNĬA, æ, f. 1. vel falsimonium, ii, n. 2. *frode, fallacia*, ἐξαπάτη, fraus, fallacia. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 12. Quos quum censeas tibi amicos, reperiuntur falsi falsimoniis.

FALSĬPĂRENS, tis, adject. qui falsum habet parentem, id est cujus pater is esse creditur, qui minime est. *Catull.* 68. 111. Quod quondam cæsis montis fodisse medullis Audit falsiparens Amphitryoniades.

FALSĬTAS, ātis, f. 3. *falsità*, ψεῦδος, vitium, quo id asserimus esse quod non est: item ipsa res falsa. *Cic. Cluent.* 2. 5. Etenim sicut aliis in locis parum firmamenti et parum virium falsitas habet etc. *Alii leg.* veritas habet. *Arnob.* 1. 56. Inditæ scriptis falsitates. *Ammian.* 16. 1. Quidquid autem narrabitur, quod non falsitas arguta concinnat, sed fides integra rerum absolvit, documentis evidentibus fulta.

FALSĬTESTIS, is, m. 3. falsus testis. *Gloss. Philox.* Falsitestis, ψευδομάρτυς.

FALSŌ, adverb., seu potius Ablativus ab Adject. *falsus* adverbii more usurpatus, et significat non vere, ψευδῶς (It. *falsamente*; Fr. *faussement*, *à faux, à tort, sans raison, sans fondement*; Hisp. *falsamente*; Germ. *fälschlich, fälschlicher Weise, mit Unrecht*; Angl. *falsely, untruly*). Occurrit — *a*) Cum opposito *vero* vel *vere*, ut apud *Plaut. Most.* 1. 3. 21. Nimis tu quidem stulta es mulier. Eho mavis vituperari falso, quam vero extolli? Equidem pol vel falso tamen laudari multo malo, quam vero culpari. *Id. Trin.* 1. 2. 173. Falson' an vero laudent, culpent, quam velint, non flocci faciunt. Cf. *Curt. loc. infra cit. Sueton. Galb.* 12. Illa quoque, verene an falso, per ludibrium jactabantur, etc. — *b*) Universim. *Ennius* apud *Non. p.* 470. 16. *Merc.* Is non bene vult tibi, qui falso criminat apud te. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 179. *Putsch.* Ei rei dant operam, ut mihi falso maledicatur. *Plaut. Amph.* 2. 2. 181. Vir ego tuus sim? ne me appella falso falso nomine. *Id. Bacch.* 3. 6. 43. Habere aliquem falso suspectum. Cf. *Ter. Heaut.* 2. 3. 27. Falso suspicari. Rursus *Plaut. Amph.* 3. 2. 21. Falso aliquid dicere. *Id. ibid.* 4. 2. 7. Neque me perpetiar probri falso insimulatam. *Cic.* 7. *Verr.* 41. 107. Non possum quemquam insimulare falso. *Id.* 5. *Fam.* 5. 2. Ne forte id ipsum verbum ponam, quod abs te ajunt falso in me solere conferri. *Id. pro leg. Manil.* 11. 41. Quod jam nationibus exteris incredibile ac falso memoriæ proditum videbatur. *Id.* 2. *de republ.* 21. Quum Tarquinius ex vulnere æger fuisse et vivere falso diceretur. *Cæs.* 1. *B. C.* 14. Cæsar adventare jam jamque et adesse ejus equites falso nunciabantur. *Liv.* 42. 2. Quum alii abesse eum, alii ægrum esse, falso utrumque fingerent. *Curt.* 8. 8. Quod falso creditum est. *Ovid.* 3. *Amor.* 12. 43. Laudata falso femina. *Nævius* apud *Charis.* 2. *p.* 179. *Putsch.* Hujus gnatus dicitur germanum alterum falso occidisse. *h. e.* per errorem. *Liv.* 34. 32. Jube vinctos produci, ut miseri parentes quos falso lugent, vivere sciant. Cf. *Curt.* 3. 12. Falso lamentari eas Darium vivum. *Tac. Germ.* 36. Inter impotentes et validos falso quiescas. *Tibull.* 3. 3. 20. falso plurima vulgus amat. *senza ragione, a torto*, immerito. Sic *Sall. Jug.* 1. Falso queritur de natura sua genus humanum. et *Curt.* 5. 2. Vero ne an falso honos cuique haberetur, ignorari non poterat. *immeritamente.* — *c*) Per ellipsin. *Ter. Andr.* 3. 2. 24. DA. Si quid narrare occepi, continuo dari tibi verba censes. SI. Falso. *Cic.* 3. *Off.* 18. 75. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso: nam eadem utilitatis, quæ honestatis est regula. Sic *Quintil.* 2. 17. 12. Ad cujus rei confirmationem afferunt, Demaden remigem et Eschinem hypocriten oratores fuisse. Falso: nam etc. Cf. *Nepos Alcib.* 9. Alcibiades in Thraciam se abdidit, sperans ibi facillime fortunam suam occuli posse. Falso: nam Thraces insidias ei fecerunt, etc.

FALSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (fallo). Part. *Falsatus.* — Falso est falsum facio, corrumpo, adultero, *falsificare*. *Modestin. Dig.* 48. 10. 32. Qui pondera, aut mensuras falsassent. *Hieronym.* 2. *in Rufin.* 5. *a med.* Liber Hilarii falsatus ab hæreticis. Adde *Sulpic. Sev.* 1. *Dial.* 6.

FALSŌSUS, a, um, adject. qui alium fallit vel decipit. *Gloss. Isid.* Falsosum, circumventosum, deceptosum.

FALSUS, a, um. *V.* FALLO in fin.

FALX, cis, f. 3. In Genitivo multitudinis *falcium* habet, non *falcum*. *Charis.* 1. *p.* 114. *Putsch.* — Falx ¶ 1. Est ferramentum incurvum, seu aduncum, ad varios usus in re rustica: aliud est, quo segetes metuntur, *falce da mietere, falciuola*; aliud quo fenum secatur, *falce*; aliud quo putantur arborea, *falcetto, pennato, segolo*; aliud quo vepres rubi abscinduntur, *ronca, falcione, roncone*, etc. Videtur *falx* esse pro *falex* ex πέλεκυς securis, quod ab Hebr. פלח *phalach*, secuit. At minus recte *Varro* 5. *L. L.* 137. *Müll.* Falces a farre, littera commutata: hæc in Campania seculæ, a secando: a quadam similitudine harum aliæ, ut quod apertum unde, falces fenariæ et arborariæ; et, quod non apertum unde, falces lumariæ et sirpiculæ. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 65. Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. *Varro* 1. *R. R.* 22. 5. Falces silvaticæ, arborariæ, rustariæ. *Cato R. R.* 10. fenariæ, stramentariæ. et 11. vineaticæ. *Pallad.* 1. *R. R.* 43. 2. putatoriæ, messoriæ. — Vinitoriæ seu putatoriæ falcis figuram, partes, usum accurate describit *Colum.* 4. *R. R.* 25. 1. Ad hanc pertinent illa *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (101). Falce levigare truncum. et *ibid.* 22. 35. (175). Supina falce oculos vitis auferre. et (176). Vitem falce curare. *Horat.* 1. *Od.* 31. 9. Falce vitem premere. *Colum. loc. cit.* Ductu falcis putationem conficere. *Quintil.* 2. 4. 11. Frondibus adhibere falcem. *Virg.* 3. *Ecl.* 11. Vites falce incidere. — Ad messoriam pertinent illa *Virg.* 1. *G.* 348. maturis falcem supponere aristis. *Ovid.* 3. *Amor.* 10. 12. Falce subsecare. *Id.* 4. *Fast.* 914. Sata falcibus apta. *h. e.* matura. *Id.* 2. *Art. am.* 322. plena falce metere. ¶ 2. Est etiam bellica falx, similis, opinor, iis quas hastili oblongo, ferroque partim curvo et falcato, partim acuto rectoque, *alabarde* vocamus. *Sisenna* apud *Non. p.* 556. 22. *Merc.* Falces injectas communiunt; pluteos, prope collocatis harpagis, dejiciunt. *Cic. Mil.* 33. 91. Cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum falcibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt. *Id. Sull.* 5. 17. Ille arma misit, cornua, tubas, falces, signa, legiones. *Curt.* 9. 2. Elephantos securibus falcibusque mutilare. *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Falces præacutæ, insertæ affixæque longuriis: non absimili forma muralium falcium. et 7. *ibid.* 86. Falcibus vallum et loricam rescindunt. *Stat.* 2. *Achill.* 416. didici, quo Pæones arma rotatu, Quo Macetæ sua gæsa citent, quo turbine castum Sauromates, falcemque Getes, arcumque Gelonus etc. Adde *Lucret.* 3. 650.; *Curt.* 4. 3. 24.; *Tac.* 3. *Hist.* 27.; *Veget.* 4. *Milit.* 23. et 46.; et *Martial.* 14. 32. — Falces murales, quas *Cæs.* memorat, erant majora ferramenta adunca, cuspide curvata et solida, ad perfodiendum aggerem, evellendos

lapides muramque subruendum. Græci δορυδρέπανα appellant. *Id.* 7. *B. G.* 22. Laqueis falces avertebant; quas quum destinaverant, tormentis introrsus reducebant. De usu istarum falcium V. *Liv.* 38. 5. Inter arma navalia eas enumerat *Veget.* 5. *Milit.* 14. Cf. etiam v. FALCATUS.

FAMA, æ, f. 1. In plurali num. raro admodum occurrit. *Plaut. Trin.* 1. 2. 149. Maledictas famas ferunt. *Al. tamen aliter leg. Sall. fragm.* apud *Senec. Ep.* 114. *a med.* Inter arma civilia æqui boni famas petit. *Arruntius ibid.* ingentes esse famas de Regulo. *Seneca* hoc in Arruntio reprehendit, ut nimis affectatum. *Arnob.* 7. 12. Inhonestas famas adjungere diis. — Fama, a Dorico φάμα pro φήμη, quod a φημί *dico*, generatim est idem ac rumor, id est quidquid de aliquo divulgatur, sive in bonum, sive in malum (It. *diceria, voce, fama*; Fr. *ce qui se dit, bruit public, rumeur, nouvelle, conte*; Hisp. *rumor, novelas, cuento*; Germ. *d. Gerede, Gerücht, Sage, Rede*; Angl. *report, rumour, fame*). *Fama* tamen et *rumor* differunt: *rumor* enim est res sine teste, sine indice, ut ait *Quintil. Declam.* 18. 6., vel sine capite, sine auctore, ut *Cic.* 12. *Fam.* 10.; at *fama* est communis et consentiens opinio. Hinc *Quintil.* 5. 3. Famam atque rumores pars altera consensum civitatis et velut publicum testimonium vocat, altera sermonem sine ullo certo auctore dispersum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas. *Ammian.* 31. 5. Fama rumorum nutrix maligna. Allatum tamen discrimen non est perpetuum. *V.* Homonym. in fin. — Ceterum occurrit *A*) Generatim; et *B*) Speciatim.

A) Generatim. ¶ 1. Fama est quæcumque vulgo feruntur ac narrantur, sive ea nova sint ac recentia (*voci, notizie, dicerie*), sive jamdiu inveterata et firmata in opinione hominum (*opinione, credenza, tradizione*): et occurrit — *a*) Cum Infinito rem significante, quæ divulgatur. *Plaut. Trin.* 3. 2. 63. Ne mihi hanc famam differant, me germanam meam sororem in concubinatum tibi sic sine dote dedisse. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 95. Si essent, qui sub terra semper habitavissent —; accepissent autem famam et auditione, esse quoddam numen et vim deorum. *e avessero inteso per fama. Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. 24. Quod tibi et esse antiquissimum et ab initio fuisse, constante fama atque omnium sermone celebratum est. *Id.* 2. *de republ.* 13. Quum esse præstantem Numam Pompilium fama ferret. *Id.* 12. *Fam.* 4. 2. Fama nunciabat, te isse in Syriam. *Cæs.* 3. *B. C.* 43. Quum fama per orbem terrarum percrebuisset, illum (*Pompejum*) a Cæsare obsideri, neque audere prælio dimicare. *Nepos Ages.* 2. Fama exierat, Artaxersem comparare classem. *Id. Themist.* 10. Fama fuit, venenum sua sponte sumpsisse. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 63. capsis quem (*Cassium*) fama est esse librisque Ambustum propriis. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (88). Famam dispersit, se emere. *divulgò. Justin.* 2. 14. 8. Fama venit, vicisse Græcos. *Val. Flacc.* 5. 318. nec fama fefellit, sulligenam Æeten regnare. — *b*) Cum Conjunctivo et part. *quasi* apud *Sueton. Domit.* 22. Eratque fama, quasi concubinas ipse divelleret. — *c*) Cum Ablativo rei et præpos. *de. Cic. Flacc.* 6. 13. Si quid ipsi audistis communi fama atque sermone de vi, de manu, de armis. *Id. Mil.* 35. 98. Qua fines imperii populi Romani sunt, ea non solum fama jam de illo (*interitu P. Clodii*), sed etiam lætitia peragravit. *Id.* 6. *Verr.* 30. 68. De cujus avaritia fama percrebuit. *Id.* 7. *Att.* 26. 1. Bona de Domitio, præclara de Afranio fama est. *Cæs.* 5. *B. G.* 39. Nondum ad eam fama de Titurii morte perlata. Sic *Id. ibid.* 53. Interim ad Labienum per Remos incredibili celeritate de victoria Cæsaris fama perfertur. *Id.* 3. *B. C.* 80. Eo fama jam præcurrerat, quam supra docuimus, de prælio Dyrrhachino. *Nepos Themist.* 2. Fama de adventu perlata. *Id. Datam.* 6. Fama de re pervenit ad suos. *Sueton. Claud.* 44. De subsequentibus diversa fama est. *Tac.* 1. *Hist.* 73. Adversam de Domitiano famam accipit. — In plur. num. *V. Arruntii* locum allatum init. — *d*) Cum Genitivo rei. *Cic. Sull.* 4. 12. Vix ad aures meas istius suspicionis fama pervenit. *Nepos Datam.* 3. Cujus facti ne prius fama ad regem, quam ipse perveniret. *Sueton. Cal.* 6. Quum ad primam famam valetudinis attonita et mœsta civitas sequentes nuncios opperiretur etc. *Curt.* 9. 6. Convaluisse apud barbaros famam morbis suæ. *Tac.* 4. *Hist.* 12. Iisdem diebus crebrescentem cladis Germanicæ famam nequaquam mœsta civitas excipiebat. — *e*) Absolute. *Ter. Andr.* 1. 1. 69. Uno ore omnes omnia bona dicere, et laudare fortunas meas, qui gnatum haberem tali ingenio præditum. Quid verbis opus est? Hac fama impulsus Chremes etc. *Cic.* 9. *Att.* 3. 2. A Brundisio nulla adhuc fama venerat. *niuna nuova. Id.* 14. *Phil.* 6. 15. Quum tristis a Mutina fama manarit. *Id. Cœl.* 16. 38. Quid signi? Nulli sumptus, nulla jactura, nulla versura. – At fuit fama. – Quotusquisque est, qui istam effugere potest in tam maledica civitate? *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 2. Magna illico fama surrexit, et de damnatione ferventer loqui est cœptum. *Cæs.* 6. *B. G.* 30. Ut prius ejus adventus ab hominibus videretur, quam fama ac nunciis afferretur. *Id. ibid.* 21. Reliquos (*deos*) ne fama quidem acceperunt. *non gli hanno nè men sentiti a dire. Id. ibid.* 24. Quam (*Hercyniam silvam*) – quibusdam Græcis fama notam esse video. — Sic pro inveterata re et firmata in opinione hominum, *credenza, tradizione. Cic.* 2. *de republ.* 2. Qui Romulus patre Marte natus (concedamus enim famæ hominum, præsertim non inveteratæ solum, sed etiam sapienter a majoribus proditæ etc.). *Id. Harusp. resp.* 10. 20. Mitto illam veterem ab ipsis diis immortalibus, ut hominum fama est, Etruriæ datam disciplinam. *Virg.* 4. *Æn.* 218. nos munera templis Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem. *Non.* p. 305. 18. *Merc.* interpretatur spem profuturi numinis. *Virg.* 6. *Æn.* 14. Dædalus, ut fama est, fugiens Minoia regna etc. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 36. pulsis (vetus est ut fama) Sabellis. *Ovid.* 12. *Met.* 197. Æquorei vim passa dei est: ita fama ferebat. — Ceterum *Virg.* 4. *G.* 42. si vera est fama. *Id.* 4. *Æn.* 173. It fama per urbes. *Id.* 4. *ibid.* 666. bacchatur fama per urbem. *Id.* 9. *ibid.* 473. Nuncia fama ruit. *Id.* 3. *ibid.* 121. Fama volat. Cf. *Ammian.* 18. 6. volitat. *Curt.* 4. 1. Fama totas urbes discurrit. *Plin.* 9. *Ep.* 33. 5. Serpit per coloniam fama. *Sueton. Cæs.* 79. Valida fama percrebuit. *Lucan.* 5. 775. ferit fama mœsta remotas terras. *Val. Flacc.* 1. 46. Fama refert. *Ammian.* 16. 8. vulgat. *Vellej.* 2. 93. Ut fama loquitur. *Justin.* 18. 4. Fama hanc rem loquebatur. *Id.* 2. 13. Fama in majus omnia extollens. *Tac.* 2. *Hist.* 9. Gliscens in dies fama. *Id. ibid.* 73. Esse in ore et fama. *parlarsene da tutti.* — In plur. num. V. *Arnobii* loc. allatum init. ¶ 2. In fabulis Fama est Terræ filia, Cœi et Enceladi soror, in Gigantum ultionem a matre edita: nam per ipsam deorum crimina vulgata sunt, ut ait *Servius* ad 4. *Æn.* 179., ubi *Virg.* eam describit pedibus celerem et pernicibus alis: Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ, Tot vigiles oculi subter, tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures, etc. Ejus domum describit *Ovid.* 12. *Met.* 39. V. etiam eumd. *Ovid.* 9. *ibid.* 37.; *Val. Flacc.* 2. 116. et *Stat.* 3. *Theb.* 426. Cf. et *Homer.* 2. *Iliad.* 93.; et *Hesiod.* ἔργα καὶ ἡμ. 760. Hinc *Catull.* 76. 10. et quia sis, fama loquetur anus. *Inscript.* apud *Henzen.* 5817. FAMAE PVBLIVS... V. S. L. M. ¶ 3. Improprie de hominibus. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 18. An, quia ruri crebro esse soleo, nescire arbitramini, quo quisque pacto hic vitam vestrarum exigat? Multo melius hic quæ fiunt, quam illic ubi sum assidue, scio: ideo quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris. *scil.* quod ab illarum vita et conversatione domestica sua fama foris penderet; quæ bona, si vita illarum talis; mala, si et illa. *Casaubon.*

B) Speciatim. ¶ 1. Sæpe dicitur de hominum opinione, judicio et existimatione, *opinione, fama, concetto*, tum bona, tum mala. — *a*) Universim. *Cæs.* 1. *B. C.* 82. Cæsar aciem instruit: contra opinionem enim militum famamque omnium videri prælium defugisse, magnum detrimentum afferebat. *Id.* 3. *ibid.* 56. Pompejus, ut famam et opinionem hominum teneret, sic pro castris exercitum constituebat, ut etc. *Cic.* 3. *Tusc.* 2. 4. Illa quæ se ejus (*gloriæ*) imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata, et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis simulatione honestatis formam ejus pulcritudinemque corrumpit. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 16. 46. *Q. Cic. Petit. cons.* 5. 17. Fere omnis sermo ad forensem famam a domesticis emanat auctoribus. *Plaut. Most.* 1. 3. 70. Ut fama est homini, exin solet pecuniam invenire: ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives. *Cic.* 3. *Fin.* 17. 57. De bona autem fama (quam enim appellant εὐδοξίαν, aptius est hoc loco bonam famam appellare, quam gloriam) Chrysippus et Diogenes, detracta utilitate, ne digitum quidem ejus causa porrigendum esse dicebant. *Id. Sext.* 66. 139. Qui bonam famam bonorum, quæ sola vere gloria nominari potest, expetunt. Cf. *Catull.* 61. 62. bona fama. Rursus *Cic. Brut.* 74. 259. Suavitas vocis et lenis appellatio litterarum (*Catulo*) bene loquendi famam confecerat. *Quintil.* 7. 1. 41. Fama eloquentiæ. *Cic. Amic.* 4. 15. sapientiæ. *Quintil.* 8. 2. 12. eruditionis. *Sueton. Tit.* 4. modestiæ. *Tac.* 15. *Ann.* 49. Quod famam carminum ejus premebat Nero. *Plin.* 7. *Ep.* 25. Famæ subtrahit aliquid quies et modestia. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 11. Non putavi famam inconstantiæ mihi pertimescendam, si quibusdam in sententiis paullum me immutassem. *Id.* 1. *ad Brut.* 18. Subire famam temeritatis. *Id. Mur.* 4. 8. Summam crudelitatis famam inurere. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 12. Fufidius vappæ famam timet ac nebulonis. — Jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua hæc sunt. *Cic.* 5. *Att.* 10.; et *Nepos Themist.* 1. Famæ servire. *Sall. Cat.* 51.; et *Vellej.* 2. 115. consulere. *Quintil.* 3. 6. 62. studere. *Sall. Cat.* 26. et 50. parcere. *aver riguardo all'onore. Nepos Lysand.* 1. Magnam sui famam relinquere, magis felicitate, quam virtute partam. *Quintil.* 7. 1. *med.* Affectare famam eloquentiæ. *Id.* 2. 12. 9. quærere. *Plin. præfat. Hist. nat.* (30). aucupare. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 83. captare. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (43). consequi. *Quintil.* 10. 1. 116. insignem merere. *Plin.* 4. *Ep.* 9. *ad fin.* ferre justitiæ et constantiæ. *riportare. Cic.* 3. *Fam.* 8. Detrahere de fama alicujus. *Sall. Jug.* 101.; at *Plin.* 3. *Ep.* 7. Famam lædere. *Firmic.* 5. *Mathes.* 10. denigrare. *Id. ibid.* 12. Suam famam dissipare. *Nepos Timoth.* 4. De fama dimicare. *Quintil.* 12. 5. 5.; et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 11. (13). Alicui famam facere. *Tac.* 16. *Ann.* 18. Proferre quemplam ad famam. *farlo famoso. Plin.* 36. *Hist. nat.* 21. 39. (149). Famam magnam habere. *Nepos Reg.* 1. Fama justitiæ florere. *Plin.* 5. *Ep.* 15. 3. Fama optima frui. *Tac.* 2. *Ann.* 13. sui frui. *Sueton. Cæs.* 2. Secundiore fama esse. *Sall. Jug.* 65. De Metello fama præclara esse. *Virg.* 1. *Æn.* 383. notus super æthera fama. *Plin.* 2. *Ep.* 4. Magnum habes facilitatis meæ pignus, cujus fiducia debes famam defuncti (*patris tui*) pudoremque suscipere. *h. e.* debes quamprimum paternam hereditatem adire: hoc pacto tutaberis famam ac pudorem patris tui mortui; sin minus, declarares illum omnia sua dilapidasse. — In plur. num. V. *Sallustii* loc. allatum init. — *b*) Speciatim de bona fama, seu de nominis celebritate et gloria. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 30. Animum fodicant, bona distimulant, facta et famam sauciant. *Cic. Amic.* 17. 61. Ut amicorum aut caput agatur, aut fama. *Id.* 2. *Off.* 20. 71. Fundamentum est perpetuæ commendationis et famæ justitia, sine qua nihil potest esse laudabile. *Id. Quinct.* 15. 50. Ergo cujus bona ex edicto possidentur, hujus omnis fama et existimatio cum bonis simul possidetur. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 22. 71. Ut ante collectam famam conservet. *Id. Arch.* 3. 5. Post in ceteris Asiæ partibus sic ejus adventus celebrabantur, ut famam ingenii exspectatio hominis superaret. – Hac tanta celebritate famæ quum esset ja[m] absentibus notus etc. Cf. *eumd. ibid. paullo ante.* Celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Similiter *fama* et *gloria* sibi invicem respondent apud *eumd.* 1. *Tusc.* 46. 110. Prius Bœotia Leuctra tolletur, quam pugnæ Leuctricæ gloria. Multo autem tardius fama deserat Curium, Fabricium, etc. *Id.* 9. *Fam.* 16. 3. Fama ingenii abjicienda. Cf. *Quintil.* 11. 1. 74. Se non de ingenii fama, sed de fide esse sollicitum. *Id.* 11. 3. 8. Ejus scripta tantum intra famam sunt. *Id.* 12. 11. 7. Quum jam famam in tuto collocarit. *Liv.* 10. 24. Ad famam populi Romani pertinere, eos consules esse, quorum utrolibet duce bellum Etruscum geri recte possit. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 95. Virtus, fama, decus divitiis parent. *Id.* 1. *Ep.* 4. 10. Cui gratia, fama, valetudo contingat abunde. *Auson. præf. Eidyll.* 11. Quem (*libellum*), juvante Vulcano, liberabis infamia, si pervenire non debet ad famam. — *c*) De infamia. *Turpilius* apud *Non.* p. 306. 2. *Merc.* Quæ te semper studuit perdere, detegere, despoliare, opplereque adeo fama ac flagitiis. *Ter. Adelph.* 2. 3. 10. Maledicta, famam, meum amorem et peccatum in se transtulit. *Virg.* 4. *Æn.*

170. neque enim specie famave movetur, Nec jam furtivum Dido meditatur amorem. ¶ 2. Improprie de homine famoso. *Tibull.* 4. 1. 110. Testis Arupinis et pauper natus in armis, Quem si quis videat vetus ut non fregerit ætas, Terna minus Pyliæ miretur secula famæ. *h. e.* famosi Nestoris. *Cf. Propert.* 1. 15. 21. Conjugis Evadne miseros elata per ignes Occidit Argivæ fama pudicitiæ.

Homonym. I.) *Fama* differt a *rumore*: *rumor* enim est sermo in populo de recenti re, interdum secreto, dispersus, sine teste, sine indice, ut ait *Quintil. Declam.* 18. 6., vel sine capite, sine auctore, ut ait *Cic.* 12. *Fam.* 10.; *fama* est sermo de re aliqua publice aperteque vulgatus: *rumores* præcedunt; *fama* subsequitur: illi proprii sunt eorum, qui nimia cura utuntur in rebus alienis exquirendis, et ad recentes eventus referuntur; hæc non modo eventui cuicumque, verum etiam historiæ celebrandæ tradendæque inservit: *rumor* ex rei novitate; *fama* ex maximo rei pretio ac momento constat: *rumor* certo nuncio; *fama* oculari testi opponitur. *Cæs.* 6. *B. G.* 20. Si quis quid de republica a finitimis rumore ac fama acceperit. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 25. Calamitas tanta fuit, ut eam ad aures Luculli non ex prælio nuncius, sed ex sermone rumor afferret. *Cato* apud *Festum p.* 193. 11. *Müll.* Rumorem, famam flocci fecit. *Liv.* 22. 39. Resistes adversus famam rumoresque, si satis firme steteris, si te neque collegæ vana gloria, neque tua falsa infamia moverit.

II.) *Fama*, alio sensu, est *vocabulum medium*, quod tum pro bona, tum pro mala usurpatur (*V.* supra sub *B.* 1.). *Bona* autem *fama* differt ab *existimatione*, quod *bona fama* est, qui quamcumque aliorum animadversionem effugit; *existimatione* vero gaudet, qui, aliorum judicio jam lato, eâ dignus habitus est. *Cic. Quinct.* 15. 50. Hujus omnis fama et existimatio cum bonis simul possidetur.

III.) *Fama* et *existimatio* sunt infimus, ut ita dicam, nominis celebritatisque gradus: majora sunt *laus* et *honor*, quæ significant præstantiam vel excellentiam quamdam in eo inesse, cui hæc debentur, sive dictis, ut *laudibus*, sive factis, ut *honoribus* tribuantur. Denique *gloria* et *claritas* summum nominis celebritatisque fastigium dici possunt: porro *laus* et *gloria* in eo differunt, quod *laus* est aliquid temporarium ac peculiare; *gloria* vero aliquid perpetuum et generale: demum *gloria* et *claritas* unum idemque sunt, nisi quod *gloria* admirantium hominum sermones denotat; *claritas* vero nominis veluti splendorem præ se fert. *Plin. Paneg.* 58. Magnum est differre honorem; majus, gloriam. *Tac. Dial. de orat.* 12. Nec ullis aut gloria major, aut augustior honor (*quam poetis*), primum apud deos —, deinde apud illos dis genitos sacrosque reges. *Curt.* 8. 1. 1. Alexander majore fama, quam gloria in ditionem redacta petra. *Cic. Mur.* 5. 12. Ex Asia — laus familiæ, memoria generi, honos et gloria nomini constituta est. *Id.* 1. *Phil.* 13. 33. Num te, quum hæc pro salute reipublicæ tanta gessisses, fortunæ tuæ, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat?

FĀMĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *famo*, idem ac pervulgatus vel diffamatus. *Cic. fragm. pro Scaur.* (edente iterum *A. Maio*) p. 22. Quibus criminibus hæc tota apud ignaros aut invidos famata causa est. *Cramerus* barbaricum et insiticium, *Heinrichius* vero et *Peyronius* antiquum et genuinum verbum putant atque ita interpretantur: Quorum criminum gratia, hæc causa famam obtinuit apud ignaros facti, vel invidos Scauro. *Klotz* contra legendum putat *diffamata*; quod magis placet. *Scholiast. Cruq.* ad *Horat. Art. P.* 301. Licinus nomen tonsoris famati, qui postea dicitur factus senator a Cæsare.

FĀMEL, idem quod famulus, apud Oscos teste *Paul. Diac.* p. 87. 5. *Müll.* V. FAMILIA.

FĀMĒLĬCĒ, adverb. esurienter. *Gloss. Philox.* Famelice, λιμοξήρως.

FĀMĒLĬCŌSUS, a, um, adject. *Gloss. Philox.* Famelicosus, βουλιμιώδης. *Paul. Diac.* p. 87. 4. *Müll.* Famelicosam terram, terram palustrem vocabant. *h. e.* plenam famelicorum. Alii tamen rectius leg. *famicosam*, quæ nempe alibi scaturiginosa dicitur. *V.* FAMEX.

FĀMĒLĬCUS, a, um, adject. *famelico, affamato*, βουλιμιῶν, fame laborans, esuriens.

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 2. 2. 6. Salvete fures maritimi, famelica hominum natio. *Phædr.* 1. 20. canes famelici. *Juvenal.* 14. 146. Nocte boves macri, lassoque famelica collo Armenta ad virides hujus mittuntur aristas. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 10. 12. (28). Milvus rapacissima et famelica semper ales.

II.) Translate. *Apul.* 1. *Met. in fin.* Famelicum convivium. *h. e.* nimis parcum, et famelicos dimittens convivas. — Hinc

Famelicus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui fame laborat. *Ter. Eun.* 2. 2. 29. Ad cœnam vocant, adventum gratulantur. Ubi ille miser famelicus videt etc.

FĀMELLA, æ, deminutivum a fama. *Paul. Diac.* p. 87. 17. *Müll.*

FĀMEN, inis, n. 3. (fari) eloquium; a φάμα *verbum, sermo.* *Capell.* 9. p. 336. Habes senilem, Marciane, fabulam, Miscella lusit quam lucernis famine Satura Pelasgo, dum docere nititur Artes creagris vix amicas Atticis. *Alii leg.* flamine. *Id. mox.* Felicis, inquit, sed Capellæ famine. *Grotius* ita recte legendum putat; sed *Codd.* et editiones passim habent *flamine*. At *Grotii* lectio confirmatur ex *Venant. Vit. S. Martin.* 1. 549. Oblectans rabidum et permollia famina mulcens. Itemque ex *Inscript.* apud *Gruter.* p. 1168. TRISTA MEDERI FERRO RECUSABANT FAMINE PECTVS.

FĀMES, is, f. 3. In sexto casu singulari e productum habet more quintæ declinationis; nisi velis ad cæsuræ jura recurrere. *Virg.* 6. *Æn.* 421. Objicit: ille fame rabida tria guttura pandens. Adde *Lucret.* 3. 732.; *Lucan.* 10. 158., *Juvenal.* 15. 102.; *Martial.* 1. 100.; *Ovid.*; *Tibull.* etc. — In recto reperitur etiam *famis*. *Varro* 2. *R. R.* 5. 15. Algor eas et famis macrescere cogit. *Prudent. Psychom.* 479. spoliatque suos famis impia natos. — Olim habuit in Genitivo *famis* et *fami*. Unde *Cato* apud *Gell.* 9. 14. Pueri atque mulieres extrudebantur fami causa. *Lucilius* apud *eumd. ibid.* Rugosum atque fami plenum. V. *Pompejum grammat. p.* 180. — Ratione habita etymi, videtur esse a πέφαμαι præter. pass. verbi φάω *aperio*, nam qui fame laborat, ore hiante perstat; et est edendi cupiditas, λιμός (It. *fame*; Fr. *faim, appétit*; Hisp. *hambre*; Germ. *d. Hunger, daher die Begierde zum Essen*; Angl. *hunger, fasting*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Most.* 1. 3. 36. Nisi ego illam anum interfecero siti fameque atque algu. Adde *eumd. Rud.* 2. 2. 7. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 37. Quum cibo et potione fames sitisque depulsa est. *Id.* 2. *ibid.* 28. 90. Cibi condimentum esse famem, potionis sitim. *Id. Cluent.* 25. 67. Ut etiam bestiæ fame monitæ (*Forcellinus* cum veter. edition. leg. *dominante*) plerumque ad eum locum, ubi pastæ aliquando sint, revertantur. *Id.* 1. *Cat.* 10. 26. Ubi ostentes tuam patientiam famis, frigoris, inopiæ rerum omnium. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Quod omnibus fructibus amissis domi nihil erat, quo famem tolerarent. *Colum.* 7. *R. R.* 11. 3. Famis impatientissimæ sues. *Tertull. Resurr. carn.* 61. Cibi fames, potus sitis. — Jungitur multis Adjectivis, quorum præcipue hæc sunt. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 6. dura. *Sil. It.* 7. 280. arcta. *Ovid.* 8. *Met.* 791. jejuna. *Id. ibid.* 845. dira. *Flor.* 4. 5. 3. turpis. *Horat.* 1. *Od.* 21. 13. misera. *Virg.* 6. *Æn.* 421. rabida. *Id.* 9. *ibid.* 340. vesana. *Lucan.* 7. 413. insana. *Quintil. Declam.* 12. 8. ignea. *h. e.* vehementissima. — Jungitur et plurimis Verbis. *Tibull.* 1. 6. 17. Fames stimulat. *Val. Flacc.* 4. 499. sævit. *Quintil. Declam.* 12. 9. urit. *Curt.* 9. 10. 13. urget. *Cic.* 2. *Divinat.* 35. 73. Fame enectus. *Id.* 7. *Verr.* 51. 134. confectus. *Cæs.* 7. *B. G.* 20. extr. consumptus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 32. (107). pressus. *Sillig.* ex optimis Codicibus *fessus* legit. *Id.* 9. *ibid.* 8. 7. (21). concitus. *Id.* 17. *ibid.* 24. 37. (219). Fame laborare. *Nepos Eumen.* 12. fatigari. *Ammian.* 17. 9. et 25. 7. Fame ignavissimo genere mortis absumi. Adde *Flor.* 3. 19. 8. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 20. (64). mori. *morir di fame.* *Nepos Hamilc.* 2. interire. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 3. 2. Plebem fame necare. *far morire di fame.* *Cæs.* 7. *B. G.* 20. excruciare. *Seneca Thyest.* 165. Famem accendere. *Propert.* 4. 3. 22. pascere. *Cic. Dom.* 23. 61. explere. *Virg.* 1. *Æn.* 220. exempta fames epulis. *Seneca Thyest.* 64. Famem solvere ad mensam. *Ovid. Heroid.* 14. 96. levare. *Id.* 6. *Fast.* 530. et 4. *Met.* 98. deponere. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 6. propellere. *Tibull.* 2. 1. 38. quernа pellere glande. *Tac. Germ.* 23. expellere. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 1.; et *Tac.* 14. *Ann.* 24. propulsare. *Val. Flacc.* 2. 347. vincere sacris escis. *Stat.* 8. *Theb.* 576. consumere. *Symmach.* 1. *Ep.* 23. frangere. *Seneca Hippol.* 515. compescere. *Cæs.* 7. *B. G.* 17. extremam sustentare. *Catull.* 26. 5. ferre. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 87. tolerare. *Id. in Ib.* 617. pati. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 10. 24. (82). In fame diutius vivere. *senza mangiare.* ¶ 2. Speciatim pro abstinentia virtus, quæ imperari a medicis solet, *dieta, inedia.* *Cels.* 8. 10. n. 7. Primis diebus fames; deinde liberalius alimentum. *Id. ibid.* In principio fame utendum. ¶ 3. Famis, tamquam deæ, poeticam descriptionem habes apud *Ovid.* 8. *Met.* 788. et *seqq.* (et famelici hominis *ibid.* 823. et *seqq.*). Adde *Virg.* 6. *Æn.* 276.; et cf. *Hesiodi Theog.* 227.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice ponitur pro annonæ caritate, *carestia, fame.* *Cic.* 5. *Att.* 21. 8. Fames, quæ tum erat in hac mea Asia: messis enim nulla fuerat. *Curt.* 10. 8. 12. Fames esse cœpit. Rursus *Cic. Flacc.* 7. 17. Cæsus est virgis Cymæus ille Athenagoras, qui in fame frumentum exportare erat ausus. *Justin.* 36. 2. 9. Perissetque omnis Ægyptus fame. *Id.* 24. 3. 7. Famem et sterilitatem passi. Adde *Flor.* 1. 10. 2., 3. 5. 10., 3. 22. 9. et alibi. *Cf. Horat.* 1. *Od.* 21. 13. Hic (*Apollo*) bellum lacrimosum, hic miseram famem Pestemque a populo et principe Cæsare in Persas atque Britannos Vestra motus aget prece. *Veget.* 3. *Milit.* 3. Sæpius ferro sævior fames est. *Id. ibid.* 9. Fames, ut dicitur, intrinsecus pugnat, et vincit sæpius, quam ferrum. *Inscript.* apud *Henzen.* 6904. IVLIO FESTO HYMETIO C. V. — PROCONSVLI PROVINCIAE AFRICAE OB INSIGNIA EIVS IN REMPVBLICAM MERITA ET OB DEPVLSAM AB EADEM PROVINCIA FAMIS ET INOPIAE VASTITATEM CONSILIIS ET PROVISIONIBVS etc. ¶ 2. Et pro inopia, paupertate, *povertà, miseria.* *Ter. Phorm. prol.* 18. Ille ad famem hunc ab studio studuit rejicere. Cf. *Seneca Ep.* 110. 17. Famem fames finit. *h. e.* morte. ¶ 3. Metaphorice dicitur de quacumque vehementiori cupiditate; ad rem *Ovid.* 15. *Met.* 138. Unde fames homini vetitorum tanta ciborum? *Virg.* 3. *Æn.* 56. Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames? *Horat.* 1. *Ep.* 18. 23. Quem tenet argenti sitis importuna famesque. Cf. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 3. (6). Utinam posset aurum in vita totum abdicari, sacrum fame, ut celeberrimi auctores dixere. *Id. ibid.* 1. 21. (72). Inter omnia auri fames durissima est. Sic *Seneca Octav.* 7. Auri fames. *Horat.* 3. *Od.* 16. 17. Crescentem sequitur cura pecuniam Majorumque fames. Cf. *Curt.* 5. 1. 6. Occuparet sane gazam avidissima gens et ex longa fame satiaret se auro. et *Pacat. Paneg. Theod.* 25. Crescebat in dies habendi fames, et parandi rabiem parta irritabant. *Flor.* 3. 21. 6. Inexplebilis honorum Marii fames. ¶ 4. De oratione. *Cic.* 2. *Tusc.* 1. 3. Quum obruerentur copia sententiarum atque verborum, jejunitatem et famem se malle, quam ubertatem et copiam, dicerent.

Homonym. V. in fin. v. INEDIA.

FĀMESCENS, entis, part. præsens ab inusit. *famesco*, fame laborans, esuriens. *Alcim. Avit. Carm. ad Sor.* 738. Ora famescentum satiet qui dira ferarum. *Id.* 2. *carm.* 18. Nulla famescentem fulcirent pabula vitam. *Alii leg.* Nullaque constantem.

FĀMEX vel famix, icis, m. 3. *tumore*, abscessus, sanguis contusione coactus; a φῦμα *tumor*, ut a κύλιξ *calix*, quam vocem vide; hinc *famicosus*: V. FAMELICOSUS. *Colum.* 6. *R. R.* 12. 2. Hic idem sanguis, nisi emissus fuerit, famicem (*vulgo male* saniem) creabit, qui, si suppuraverit, tarde percurabitur. Ita *Pontedera Antiq. Gr. et Lat.* p. 541. ex *Politiano* legendum putat: *Schneiderus* vero ex *Codd.* in textum recepit. *Veget.* 4. *Veterin.* 19. Refrigerato ad famicem et cicatrices reducendas uteris. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 19. 2. *Schneid. Gargil. fragm. de cura boum, ad fin.* Famicem si boves habuerint, salis et aceto diligenter eluito. In quibus tamen omnibus locis *Morgagnius* in *Epist.* legit *ramicem*. Sed *famicem* legendum demonstrat vox *famicalis*; ac præterea *Gloss. Cyrill.* Θλάσμα, hic femex. et *Gloss. Isid.* Famis (*lege* Famix), contusio faucis. Item *Pelagon. Veterin.* 16. 8. Ad famicem; Si tam apertus fuerit famix, grana salis cum

secto apertæ ungulæ imponito. *Pro* apertus *legitur* aperta, *qui error ex* aperto *ortus videtur*.

FĀMĬCĀLIS, e, adject. ad famicem pertinens. *Pelagon. Veterin.* 16. *a med.* Si nihil profecerit cura, tunc necessitate cogente subter molliter raditur scalpello famicali. *h. e.* quo utuntur veterinarii ad famices curandos.

FĀMĬCŌSUS, a, um. *V.* FAMELICOSUS.

FĀMĬGER, geri. m. 2. qui fert famam, nuncius. *Gloss. Philox.* Famiger, ἀγγελιαφόρος. *Varro* 6. *L. L.* 55. *Müll.* Hinc etiam famiger, affabile, et sic composita alia item, ut declinata multa. Alii et ipse *Müllerus* rectius leg. *famigerabile* pro *famiger*; illic enim de fama sermo est, ejusque derivatis tantum.

FĀMĬGĔRĀBĬLIS, e, adject. *conosciuto per fama*, celebris, clarus, fama notus. *Apul.* 1. *Met.* Satis famigerabile spectaculum. *Id. ibid.* 2. Provincia famigerabilis *V.* vocem præced.

FĀMĬGĔRĀTIO, ōnis, f. 3. διαβόησις, famæ disseminatio. *Plaut. Trin.* 3. 2. 66. Hæc famigeratio te honestet, me conlutulet.

FĀMĬGĔRĀTOR, ōris, m. 3. qui fert famam, qui rei alicujus famam spargit. *Plaut. Trin.* 1. 2. 178. Ego de verbis eorum famigeratorum insciens prosilui.

FĀMĬGĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FĀMĬGĔRO, as, ātum, are, a. 1. (fama et gero). Part. *Famigeratus*. — Famigero est evulgo. divulgo. *Gloss. Philox.* Famigero, διαφημίζω. *Apul. Florid.* n. 15. Famigeratum antiquitus fanum. *Mela* 2. 7. *ante med.* Creta multis famigerata fabulis, adventu Europæ, Pasiphaes et Ariadnæ amoribus.

FĂMĪLĬA, æ, f. 1. Genitivus *familias*, ut *Monetas*, *Latonas*, *fortunas* etc. antiquus est: hæretque adhuc tribus his vocibus *pater*, *mater*, *filius* aut *filia*. V. infra sub II. 2. 2°. — Familia, si originem spectas, primo et proprie significat servorum cœtum in aliqua domo. Est enim ab Osco *famel* servus (uti docet *Paul. Diac.* p. 87. 5. *Müll.*, pro quo *famul* dixit *Ennius* apud *Non.* p. 110. 9. et *Lucret.* 3. 1048.) δουλεία, οἰκία (It. *la servitù*; Fr. *ensemble des serviteurs, domestiques, esclaves*; Hisp. *union de los esclavos, servidumbre*; Germ. *die Dienerschaft, das Gesinde, die Sclaven, die Hausgenossenschaft*; Angl. *the slaves belonging to one master, a retinue of slaves subject to one master*).

I.) Proprie. *Cic. Cæcin.* 19. 55. VNDE TV, AVT FAMILIA, AVT PROCVRATOR TVVS. Si me villicus tuus solus dejecisset: non familia dejecisset, ut opinor, sed aliquis de familia: — neque enim dubium est, quin, si ad rem judicandam verbo ducimur, non re, familiam intelligamus, quæ constet ex servis pluribus, quin unus homo familia non sit: verbum certe hoc non modo postulat, sed etiam cogit. Adde *Ulp. Dig.* 50. 16. 40. § 3. et *Apul. de Mag.* Quindecim liberi homines, populus est: totidem servi, familia: totidem vincti, ergastulum. *Cato R. R.* 5. Villicus familiam exerceat: consideret, quæ dominus imperaverit fiant. Cf. *Cic.* 1. *de republ.* 39. Animum adverti, nuper quum essemus in Formiano, te familiæ valde interdicere, ut uni dicto audiens esset. L. Quippe villico. *Cato R. R.* 56. Familia cibaria et vestimenta quæ requirat. *Varro* 1. *R. R.* 18. 6. Familiam Cato dirigit ad duas metas: ad certum modum agri, et genus sationis. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 5. Qui emeret eam familiam a Catone, et *ibid.* 6. 7. Tabulam proscripsit, se familiam Catonianam venditurum. *Id. Brut.* 22. 85. Quum insimularetur familia, partim etiam liberi, societatis ejus. *Id.* 2. *Nat. D.* 63. 157. Neque homines murium aut formicarum causa frumentum condunt, sed conjugum et liberorum et familiarum suarum. *Cæs.* 1. *B. C.* 75. Petrejus non deserit sese, armat familiam, cum hac et prætoria cohorte cetratorum improviso ad vallum advolat. *Nepos Att.* 13. Usus est familia, si utilitate judicandum est, optima; si forma, vix mediocri. *Liv.* 8. 15. Minucia Vestalis jussa sacris abstinere, familiamque in potestate habere. *V.* POTESTAS. *Phædr.* 3. 19. Æsopus domino solus quum esset familia. *tutta la servitù consisteva in Esopo solo. Colum.* 11. *R. R.* 1. 21. Cultam vestitamque familiam utiliter magis habeat, quam delicate. *Quintil.* 7. 2. 26. Alienæ se familiæ venali immiscuisse. *Justin.* 15. 1. 8. Privatum omne instrumentum et familiam reddere. *Flor.* 3. 19. 9. Familia ergastulo liberata. *Tac.* 3. *Ann.* 53. Quid enim primum prohibere et priscum ad morem recidere aggrediar? villarumne infinita spatia? familiarum numerum et nationes? *Ammian.* 14. 6. Familiarum agmina tamquam prædatorios globos post terga trahentes. — Dicitur etiam de servorum cœtu, qui alicuo in templo ministrant. *Cic. Cluent.* 15. 43. Martiales quidam Larini appellabantur, ministri publici Martis atque ei deo consecrati, quorum quum satis magnus numerus esset, quumque item ut in Sicilia permulti Venerii sunt, sic illi Larini in Martis familia numerarentur. Cf. *Inscript.* apud *Henzen.* 7116., in qua *Augustalium familia* memoratur. — Erant et servi publici, qui *familia publica* dicebantur. *Inscript.* apud *Orell.* 2851. DANAVS DE FAMILIA PVBLIC. REG. VIII. Adde *aliam* apud *eumd.* 2850. — Aliquando etiam ita accipitur, ut omnes tum liberos, tum servos, qui unam aliquam domum constituunt, et sub uno patrefamilias sunt, complectatur. *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Orgetorix ad judicium omnem suam familiam, ad hominum millia decem, undique coegit.

II.) Translate. ¶ 1. Familiæ nomen extenditur ad liberos homines unius domus, partemque gentis significat; et ab aliis ejusdem gentis familiis cognomine distinguitur: v. gr. in Æmilia gente familiæ fuere Mamercorum, Barbulárum, Scaurorum, Lepidorum etc. Sunt qui hanc esse primam hujus vocis notionem putant: confugiuntque ad Græcam originem ὁμιλία, et Æolice ὀμιλία, *conversatio*, *consuetudo*. Ipse *Paul. Diac.*, licet primum etymon probet, docet tamen, primo in liberis hominibus dici, postea in servis. Ut ut sit, complectitur hac ratione parentes, filios, nepotes, affines etc. una in domo simul viventes, *famiglia*: quorum princeps et caput *paterfamilias*, *materfamilias* appellatur. Itaque — 1°.) Familia dicitur de tota re et possessione familiæ. *Ulp. Dig.* 50. 16. 195. Familiæ appellatio varie accepta est: nam et in res et in personas deducitur: in res, ut puta in lege XII. Tab. his verbis: AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO. Sic *Lex XII. Tabul.* in *Collat. Legg. Mosaic.* et *Rom.* tit. 16. § 4. SI AGNATVS NEC ESCIT, GENTILIS FAMILIAM NANCITOR. *Cic.* 1. *Orat.* 56. 237. Idcirco qui, quibus verbis erctum cieri oporteat, nesciat, idem erciscundæ familiæ causam agere non possit. *Id. Cæcin.* 7. 19. Arbitrum familiæ erciscundæ postulavit. Adde *Dig.* 10. tit. 2. qui inscribitur *Familiæ erciscundæ*, ubi de dividenda universa hereditate agitur, tum quæ in servis, tum quæ in pecuniis ceterisque bonis continetur. Cf. *Sueton. Ner.* 4. Ex hoc Domitius nascitur, quem emptorem familiæ pecuniæque in testamento Augusti fuisse, mox vulgo notatum est. Sic *Gell.* 1. 9. *extr.* Quod quisque familiæ pecuniæque habebat, in medium dabant. *et* 16. 10. *med.* Quia familia pecuniaque his aut tenuis, aut nulla esset. *Tac.* 11. *Ann.* 7. Ditium familiarum heredes. *Aurel. Vict. vir. illustr.* 64. De familia, quæ ex Attali hereditate erat, agere. Adde *Quintil.* 10. 3. 9. — Huc pertinet illud *Ter. Heaut.* 5. 1. 36. Decem dierum vix mihi est familia. *appena ho da vivere per dieci giorni.* — 2.°) Familia, ut diximus, complectitur etiam parentes, filios, nepotes, affines etc., liberos tamen omnes et una in domo simul viventes: unde *paterfamilias*, *materfamilias*, *filiusfamilias* et *filiafamilias*, vel *paterfamiliæ*, etc., quod et divisim scribitur. — *a*) *Paterfamilias* vel *paterfamiliæ* est familiæ caput, herus, dominus, teste *Paul. Dig.* 50. 16. 195. Paterfamilias appellatur, qui in domo dominium habet: recteque hoc nomine appellatur, quamvis filium non habeat; non enim solam personam ejus, sed et jus demonstramus. Denique et pupillum patremfamilias appellamus: et quum paterfamilias moritur, quotquot capita ei subjecta fuerunt, singulas familias incipiunt habere; singuli enim patrumfamiliarum nomen subeunt: idemque eveniet in eo, qui emancipatus est. Hæc *Paulus*. Ceterum — α) Forma *paterfamilias* occurrit apud *Caton. R. R.* 2. Paterfamilias ubi ad villam venit. *Cato ibid.* ejus officia percenset. — Sæpe refertur ad curam rei familiaris. *Cic. Quinct.* 3. 11. C. Quinctius fuit P. Quinctii hujus frater, sane ceterarum rerum paterfamilias et prudens et attentus. *economo. Id. fragm.* apud *Non.* p. 497. 19. *Merc.* Bono patrifamilias colendi, ædificandi, ratiocinandi quidam usus opus est. *Nepos Att.* 4. Quum rei familiari tantum operæ daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias. *Id. ibid.* 13. Neque vero minus ille vir, bonus paterfamilias habitus est, quam civis. Nam quum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator. *Seneca* 4. *Benef.* 27. *ad fin.* Malus paterfamilias habebitur, qui negotiorum gestorum damnato patrimonii sui curam mandaverit. — Interdum ponitur pro simplici plebejo et rudi homine. *Cic.* 1. *Orat.* 29. 132. De hoc uno minime est facile præcipere, non mihi modo, qui sicut unus paterfamilias his de rebus loquor, sed etiam ipsi Roscio. *Id. ibid.* 34. 159. Effudi vobis omnia, quæ sentiebam: quæ fortasse quemcumque patremfamilias arripuissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus respondisset. Huc pertinere videtur et illud *Cæs.* 2. *B. C.* 44., quod mox afferemus. — In plur. num. *Cic. Rosc. Am.* 13. 43. Patresfamilias, qui liberos habent etc. *Id.* 3. *Verr.* 79. 183. et *Rosc. Am.* 16. 48.; et *Liv.* 5. 30. *in fin.* Patribusfamilias, viris bonis atque honestis. — β) Forma *paterfamiliæ* occurrit apud *Cic. Rosc. Am.* 41. 120. Ex Amerina disciplina patrisfamiliæ rusticani. *Liv.* 1. 45. Bos in Sabinis nata cuidam patrifamiliæ. *Seneca Ep.* 47. *a med.* Dominum, patremfamiliæ appellaverunt; servus, familiares. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 19.; *Tac. Dial. de orat.* 22.; et *Paul. Diac.* p. 86. 15. *Müll.* — In plur. num. *Cæs.* 2. *B. C.* 44. Quibus rebus accidit, ut pauci milites patresque familiæ, qui aut gratia aut misericordia valerent aut naves adnare possent, recepti, in Siciliam incolumes pervenirent. Adde *Brutum et Gracchum* apud *Charis.* 1. p. 83. *Putsch.*; et *Liv.* 5. 30. *in fin.* — γ) In Genit. plur. *Sueton. Cal.* 26. *extr.* Patresfamiliarum notos subjiciebat. Adde *Sisennam* apud *Varron.* 8. *L. L.* 73. *Müll.*; et *Ulp. Dig.* 1. 6. 4. — *b*) *Materfamilias* vel *materfamiliæ* est familiæ hera, domina, *madre di famiglia, padrona di casa*, οἰκοδέσποινα. *Gell.* 18. 6. ex idoneis vocum antiquarum enarratoribus docet, matremfamilias appellatam esse eam solam, quæ in mariti manu mancipioque, aut in ejus, in cujus manu mancipioque esset: quoniam non in matrimonium tantum (ut *matrona*), sed in familiam quoque mariti et in sui heredis locum venisset. *Cic. Topic.* 3. 14. Uxoris duæ formæ: una matrumfamilias, eæ sunt, quæ in manum convenerunt: altera earum, quæ tantummodo uxores habentur. *V.* COEMPTIO. — *Materfamilias* intelligitur non tantum nupta, sed etiam vidua, ut diserte docet *Papinian. Dig.* 48. 5. 10., quamvis *Paul. Diac.* p. 125. 16. *Müll.* id neget, cujus hæc sunt verba: Materfamiliæ non ante dicebatur, quam vir ejus paterfamiliæ dictus esset: nec possunt hoc nomine plures in una familia, præter unam, appellari: sed nec vidua hoc nomine, nec quæ sine filiis est, appellari potest. Hæc *Paul Diac.*, qui intelligendus est ad antiquorum loquendi morem respexisse, ut dicamus etiam a *Papiniano* vera scribi, quod paulatim etiam viduæ *matresfamilias* appellari cœperint. Sane *Cic. Cæl.* 13. 32. Clodiam, quæ vidua erat, *matremfamilias* vocat. Idem dicendum est de ea, quæ sine liberis sit. Nam JCti aliter sentiunt. *Ulp. Dig.* 1. 6. 4. Patresfamiliarum sunt, qui suæ potestatis sunt, sive puberes, sive impuberes: simili modo et matresfamiliarum. *Id. ibid.* 50. 16. 46. Matremfamilias accipere debemus eam, quæ non inhoneste vixit. Matrem enim familias a ceteris feminis mores discernunt. Proinde nihil intererit, nupta sit, an vidua; ingenua sit, an libertina: nam neque nuptiæ, neque natales faciunt matresfamiliarum, sed boni mores. Hæc *Ulp.* Sic *Tertull. Virg. veland.* 11. Materfamiliæ vocatur, licet virgo; et paterfamiliæ, licet investis. — De quacumque uxore, *donna maritata, moglie*, etiam optimi scriptores ante JCtos usurparunt; ut qui infra citantur. — Ceterum tota hæc de re accurate *Manut.* ad *Cic.* 5. *Fam.* 10. — α) Forma *materfamilias* occurrit apud *Cic.* 2. *de republ.* 19. Demaratus quum de matrefamilias Tarquiniensi duos filios procreavisset. Adde *eumd. Topic.* 3. 14. et *Cæl. loc. cit.*, itemque *Ulp.* et *Papinian. Dig. loc. cit.* — In plur. num. *Cic.* 3. *Verr.* 24. 62. Quam multis matribusfamilias vim attulisse existimatis? Adde *eumd. Topic. loc. supra cit.* et 5. *Fam.* 10. Transposuit *Arnob.* 4. 35. et *familias matrem* dixit. — β) Forma *materfamiliæ* occurrit apud *Liv.* 34. 7. Quum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, matremfamiliæ tuam purpureum amiculum habere non sines? *Forcellinus* et alii, addita variante lect., leg. *matremfamilias*: idemque dicendum de alio loco *Liv.* 39.

53. Hunc justa matrefamiliæ, illum pellice ortum esse. Adde *Tertull. loc. cit.* — In plur. num. habent *Varro* apud *Charis.* 1. p. 83. *Putsch.*; *Cæs.* 1. *B. G.* 50., 7. *ibid.* 28. et 47., et 2. *B. C.* 4. — γ) In Genit. plur. *matresfamiliarum* occurrit apud *Sall. Cat.* 51.; et *Ulp. Dig.* 1. 6. 4. — c) *Filiusfamilias* vel *filiusfamiliæ* dicitur, qui sub patris adhuc est potestate: itemque *filiafamilias* vel *filiafamiliæ*, quæ patrem vivum habet et sub ejus potestate est. — α) Forma *filiusfamilias* et *filiafamilias* occurrit apud *Cic. Cœl.* 15. 36. Illum filiumfamilias, patre parco ac tenaci, habere tuis copiis devinctum non potes. Adde *Ulp. Dig.* 14. 6. 1. *Seneca Consol. ad Helv.* 14. Tu filiafamilias locupletibus filiis ultro contulisti. *Ulp. Dig.* 14. 6. 9. Filiæfamilias mutuum dare. — β) In Genit. plur. *Sall. Cat.* 43. Uti filiifamiliarum parentes interficerent. *Forcellino* in plur. num. *filiifamiliarum* videntur esse, qui sunt ejusdem familiæ. Adde *Tac.* 3. *Ann.* 8. et 11. et 13.; et *Ulp. Dig.* 1. 6. 4. *Id. Ulp.* 14. 6. 9. Hoc senatusconsultum ad filias quoque familiarum pertinet. Sic *Id. ibid.* 1. 6. 4. Filiæfamiliarum. — 3.°) Familia partem quoque gentis significat, et ab aliis ejusdem gentis familiis cognomine distinguitur, ut supra diximus: ita enim docet *Ulp. Dig.* 50. 16. 195. *extr.* Item appellatur familia plurium personarum, quæ ab ejusdem ultimi genitoris sanguine proficiscuntur, sicuti dicimus *familiam Juliam.* Mulier autem familiæ suæ et caput et finis est. Adde *fragm. Legg. XII. Tabul.* apud *eumd. ibid. Cic. Rabir. Post.* 1. 2. Quum sit hoc generi hominum prope natura datum, uti, qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere, qui sunt ejusdem stirpis, cupidissime persequantur. *Id. Cluent.* 6. 16. Tulit hoc commune dedecus jam familiæ, cognationis, nominis graviter filius. *Nepos Att.* 18. Sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Rursus *Cic.* 9. *Phil.* 2. 4. Qui primus in eam familiam, quæ postea viris fortissimis floruit, attulit consulatum. *Id. Brut.* 72. 252. Ut dudum de Læliorum et Muciorum familiis audiebamus. *Id.* 1. *de republ.* 19. Nobilissima in familia natus. *Id. Mur.* 8. 17. Ex familia vetere et illustri. *Id. ibid.* 7. 15. Ampla et honestæ familiæ plebejæ. *Cæs.* 7. *B. C.* 32. Antiquissima familia natus. *Id. ibid.* 37. amplissima. *Auct. B. Afr.* 57. Homo familia, dignitate honoribusque præstans. *Sall. Jug.* 95. Sulla gentis patriciæ nobilis fuit, familia prope jam exstincta majorum ignavia. *Vellej.* 2. 17. 1. Quum familiæ ejus claritudo intermissa esset. *Sueton. Ner.* 1. Ex gente Domitia duæ familiæ claruerunt. *Id. Cæs.* 1. Familia equestris. *Id. Cal.* 36. consularis. *Id. Claud.* 39. Adscire aliquem in familiam. *Flor.* 3. 16. 1. Adoptare aliquem in familiam. *Quintil.* 3. 6. 99. A familia silenari. *Id.* 3. 6. 96. Redire in familiam. *Id.* 3. 7. 20. Prænomen e familia exemptum. *Tac.* 2. *Hist.* 49. In familiam novam inferre imperium. *Varro* 5. *L. L.* 23. *Müll.* Familia funesta. *V.* FUNESTUS. — Aliquando dicitur de ipsa gente. Nam *Liv.* 2. 48. et 49. narrans de Fabiis Vejens bellum suscipientibus, quam primo *gentem Fabiam* appellaverat, postmodum *familiam* dicit. *Tac.* 3. *Ann. in fin.* Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ (*in funere*). *Gell.* 13. 19. *extr.* Quum librum commentariorum de familia Porcia legeremus. *Nepos Att.* 18. Juniam familiam a stirpe ad hanc ætatem ordine enumeravit. ¶ 2. Transfertur ad sectas philosophorum, cœtum, corpus, *setta, scuola*; item ad gladiatorum manum sub uno lanista aut domino. *Cic.* 1. *Orat.* 10. 42. Et quum universi philosophi in te impetum fecissent, tum singulæ familiæ litem tibi intenderent. Instaret Academia etc. *Id.* 2. *Divinat.* 1. 3. Tota Peripateticorum familia. *Id.* 4. *Fin.* 18. 49. Aristoteles, Xenocrates, tota illa familia non dabit. *Id.* 3. *Orat.* 16. 61. Proseminatæ sunt quasi familiæ dissentientes inter se. *Id. Sull.* 19. 54. Gladiatores emptos esse, Fausti simulatione, ad cædem ac tumultum. – Arrepta est familia (*gladiatorum*): quæ si esset prætermissa, posset alia familia Fausti munus præbere. *Sueton. Aug.* 42. Familia lanistarum. *Sall. Cat.* 29. Gladiatoriæ familiæ. Sic *Inscript.* apud *Orell.* 2556., 2559., 2566., 2569., 2573. et 4047., et apud *Henzen.* 6152., 6158., 6166., 6167., 6169., 7017. et 7165. Familia gladiatoria. *Inscript.* apud *Henzen.* 6176. Familia ludi magni. — De histrionibus dixit *Plaut. Men. prol.* 74. Sicut familiæ quoque solent mutarier: modo enim fit leno, modo adolescens, modo senex etc. ¶ 3. Specialim in re militari *familiæ tironum* erant recentes juvenum copiæ. *Cod. Theod.* 10. 1.; et *Ammian.* 20. 4. *a med.* ¶ 4. *Familiam ducere* dicitur, qui princeps est in familia: ductum a familia venalium servorum, in cujus capite pulcriora et vendibiliora ponebantur. Hinc translate *Cic.* 5. *Phil.* 11. 30. Lucius quidem frater ejus, utpote qui peregre depugnavit, familiam ducit. *Id.* 7. *Fam.* 5. 3. Accedit etiam, quod familiam ducit in jure civili singularis memoria, summa scientia. *h. e.* quod caput est. Alii ita distinguunt: Accedit etiam, quod familiam ducit in jure civili: singularis memoria etc. *Id.* 4. *Fin.* 16. 45. Sed primum illud vide, gravissimam illam vestram sententiam, quæ familiam ducit, honestum quod sit, id esse solum bonum etc. ¶ 5. A familia, qua gentis partem significat (V. supra sub 2. 3°.), translatum est illud *Quintil.* 1. 4. 3. Grammatici versus censoria virgula notare, et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subditicios, submovere familia, permiserunt sibi.

FĂMĬLĬĀRESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.*, *divenir famigliare*, familiaris fio. *Sidon.* 7. *Ep.* 2. Summatibus agnosci, innotescere, familiarescere. *Cave usurpes.*

FĂMĬLĬĀRICUS, a, um, adject. ¶ 1. Est ad familiam, hoc est ad servos pertinens. *Vitruv.* 6. 10. Circum autem in porticibus triclinia quotidiana, cubicula etiam et cellæ familiaricæ constituuntur. *h. e.* in quibus familia, h. e. servi habitant. *Cato R. R.* 14. cellas familiæ vocat. *V.* huc pertinentia apud *Marini Pap. diplom.* p. 356., qui plura loca affert ex monumentis ann. 896., 960. et 982., in quibus *sala familiarica* nominatur, quæ antiquitus *cella familiarica* dicebatur. Cf. *Zirardini Edif. di Rav.* p. 266. *Ulp. Dig.* 34. 2. 23. apud *Torrentin.* (24. apud *Haloand.*) Vestimenta familiarica sunt, quæ ad familiam vestiendam parata sunt. *Haloand.* habet *familiaria.* ¶ 2. Item ad domum pertinens. *Varro* 1. *R. R.* 13. 4. In eoque (*sterquilinio*) quidam sellas familiaricas ponunt. *h. e.* loca ventri exonerando, *i cessi, la cameretta.* Sunt qui *sellas* reponunt etiam in allatis *Vitruvii* et *Catonis* locis; sed ibi hæ locum non habent: apud *Varron.* recte habent.

FĂMĬLĬĀRIS, e, adject. In Ablativo fere semper in i desinit. *Brutus* apud *Charis.* 1. p. 105. *Putsch.* A Sceptio familiari meo. *Cic.* 1. *Divinat.* 37. 80. In Æsopo familiari tuo. — Aliquando et in e. *Varro* apud *Charis. loc. cit.* A Lare familiare. *P. Rutil. ibid.* Pro L. familiare veniebam. — Comp. *Familiarior* et Sup. *Familiarissimus* sub *B.* II. 2. et in fin. — Familiaris est ad familiam pertinens: et refertur *A)* Ad servos; et *B)* Ad rem familiæ sive domesticam.

A) Stricto sensu refertur ad servos; et *familiaris* dicitur, qui cum aliis ejusdem familiæ servus est. *Plaut. Epid.* 1. 1. 2. (ubi duo conservi colloquuntur). EP. Heus adolescens. THE. Quis properantem me prehendit pallio? EP. Familiaris. *Id. Capt.* 2. 2. 23. Quamquam non fuit molesta servitus, nec mihi secus erat, quam si essem familiaris servus. — Et absolute, substantivorum more, ut in allato *Plauti* loc. *Epid.*, *Id. Plaut. Amph.* 1. 1. 203. SOSIA. Me esse hujus familiæ familiarem prædico. *Seneca Ep.* 47. *a med.* Majores nostri dominum, patremfamiliæ appellaverunt; servos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares. *Ammian.* 28. 2. Subito percussi familiares hebetatis sensibus non defenderant dominum.

B) Latiori sensu, seu potius improprie (*V.* FAMILIA II. 1.), refertur ad rem familiæ seu domesticam: et

I.) Proprie familiaris est ad rem vel ad capita unius domus pertinens, οἰκεῖος (It. *di famiglia, famigliare, domestico*; Fr. *qui concerne la maison, le ménage, la famille, domestique*; Hisp. *domestico, familiar, lo que es proprio de una casa*; Germ. *zum Hauswesen gehörig, häuslich, auf die Familie sich beziehend*; Angl. *belonging to a family, familiar*). *Plaut. Asin.* 5. 2. 24. Fundum alienum erat, incultum familiarem deserit. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 19. Consuescat rusticos circa larem domini focumque familiarem semper epulari. *Cic.* 1. *Herenn.* 1. 1. Negotiis familiaribus impediti. *Id.* 1. *Tusc.* 1. 2. Mores et instituta vitæ, resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur et lautius. *Plaut. Stich.* 1. 2. 88. Rem familiarem curare. *h. e.* facultates, bona. Eodem sensu *Cæs.* 1. *B. G.* 18.; et *Quintil.* 12. 1. 6. et 12. 7. 9. Res familiares. Sic *Liv.* 2. 16. Copiis familiaribus adeo exiguis, ut funeri sumptus deesset. *Tac.* 4. *Ann.* 15. Pecuniæ familiares. *Id.* 6. *ibid.* 16. rationes. *Id.* 11. *ibid.* 7. curæ. *Ammian.* 25. 3. opes. *Plaut. Asin.* 2. 2. 1. Ubi nunc requiram familiarem filium. *hic* sermo est de homine libero, de filiofamilias. *Sueton. Aug.* 61. Quoniam, qualis in imperiis et magistratibus fuerit, exposui: referam nunc interiorem ac familiarem ejus vitam, quibusque moribus atque fortuna domi et inter suos egerit. *Plaut. Pers.* 1. 3. 46. Vita familiaris. *domestica, privata, menata in casa. Sueton. Tib.* 13. convivium. *Id. Tit.* 9. cœna. *Cic. Vatin.* 13. 31. Quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnavit cum toga pulla? *Accius* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 26. 67. Familiare parricidium. *h. e.* quo interficitur aliquis sanguine conjunctus. *Plaut. Cist.* 4. 2. 6. Familiaris mœror. *di quei di casa. Cic. Sull.* 28. 77. dignitas. *Liv.* 4. 48. consilium. *consiglio di famiglia. Id.* 9. 29. sacerdotium. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 23. (10). Familiare exemplum. *h. e.* quod domi capitur. *Cic. Quinct.* 27. 85., 5. *Verr.* 11. 27. et 5. *de republ.* 6. Lar. Cf. *Quintil.* 10. 1. 91. numen Minervæ.

II.) Translate. ¶ 1. In haruspicina est domesticus et *hostili* opponitur. *Liv.* 8. 9. Decio caput jecinoris a familiari parte cæsum haruspex dicitur ostendisse. *h. e.* ab ea parte, quæ *familiaris* ideo vocabatur, quia ex ea petebantur auguria rerum domesticarum, amicorum, et suæ reipublicæ: quum altera *hostilis* esset, ex qua quid hostibus portenderetur, consulebant. Ita enim dividebant haruspices vel jecur, vel omnia exta, vel totam victimam: tametsi de jecore præcipue hæc dici videntur. *Cic.* 2. *Divinat.* 13. 32. Haruspices fissum familiare et vitale tractant: caput jecoris ex omni parte diligentissime considerant. — De contrario *hostilis* hæc *Lucan.* 1. 621. Cernit tabe jecur madidum, venasque minaces Hostili de parte videt. *Seneca Œdip.* 363. Hostile valido robore insurgit latus. ¶ 2. Generatim est domesticus et *externo* opponitur: et dicitur tum de rebus, tum de hominibus. — *a)* De rebus et de abstractis quoque varios habet usus, *proprio, indigeno, commune, ordinario, amico. Plin.* 13. *Hist. nat.* 5. 10. (51). Utraque arbor jam familiaris Italiæ. *acclimatizzata. Id.* 34. *ibid.* 7. 16. (33). Ars statuaria familiaris Italiæ atque vetusta. *Id.* 33. *ibid.* 3. 19. (58). Color argenti militaribus signis familiarior. *Id.* 16. *ibid.* 18. 30. (75). Facibus familiarissimæ carpinus et corylus. *Id. ibid.* 31. 57. (131). Prostratas arbores restitui, vulgare est: et familiarissimum hoc platanis. *Id.* 2. *ibid.* 9. 6. (41). Luna terris familiarissimum sidus. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 4. Viridia aquæ familiaria. *h. e.* herbæ, quæ aquas amant. *Id.* 6. *ibid.* 2. 6. Quo boves familiariores bubulco fiant. *Cic.* 3. *Orat.* 19. 71. Hic, qui familiarior nobis propter multitudinem scriptorum est, Demosthenes. *Plin.* 2. *Ep.* 5. 10. Dices te non posse satis diligenter id facere, nisi prius totam actionem cognoveris. Fateor: in præsentia tamen et ista tibi familiariora fient, etc. *Id.* 4. *ibid.* 24. *extr.* Mihi familiare est, omnes cogitationes meas tecum communicare. *Petron. Satyr.* 100. Vox auribus meis familiaris. *h. e.* nota, alias sæpe audita. Sic *Id. ibid.* 12. Rusticus quidam, familiaris oculis meis. *h. e.* quem vidisse alias videbar mihi quique oculis meis haud tunc ignorabilis videbatur. *Quintil.* 5. 10. 96. Familiaribus magis ei ætati exemplis. Adde *eumd.* 7. 2. 17. et 9. 4. 44. *Id.* 8. 2. 13. Verba regionibus quibusdam magis familiaria. *Apul.* 9. *Met.* Familiaris curiositas. *ordinaria.* Sic *Id. ibid.* insolentia. *Sueton. Cæs.* 78. Minus familiari vultu aliquem respicere. *con occhio severo, con viso mezzo sdegnato. Liv.* 24. 5. Quibus solis aditus in domum familiarior erat. *h. e.* frequentior et liberior. *Id. ibid.* Jam inde a puero in omnia familiaria jura assuetus. *tutti i privilegi della confidenza. Cic.* 2. *Off.* 11. 39. Familiares sermones conferre. *Quintil.* 1. 1. 29. Familiares epistolæ. *Sueton. Tib.* 62. litteræ. — *b)* De hominibus sæpissime familiaris dicitur, qui notus est, amicus, necessarius, intimus, cum quo sæpe et libenter vivimus, *intrinseco, famigliare, confidente, amico.* — Cum Dativo. *Cic. Amic.* 11. 39. Videmus Papum Æmilium C. Luscino fami-

liarem fuisse —, tum et cum iis et inter se conjunctissimos fuisse M. Curium, Ti. Coruncanium memoriæ proditum est. *Id.* 3. *Fam.* 1. 2. Biduo factus est mihi familiaris. Adde *eumd.* 2. *Phil.* 32. 78. et 2. *de republ.* 20. *Id.* 7. *Fam.* 8. 1. Scripsit ad me Cæsar, nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certe fore. *Nepos Att.* 16. Quamquam eum præcipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior. *Cic.* 13. *Fam.* 30. Vir optimus mihique familiarissimus. *Auct. B. Afr.* 68. C. Mutius Scipioni familiarissimus. *Sueton. Gramm.* 20. Nec eo secius plurimos (*Hyginus*) docuit, fuitque familiarissimus Ovidio poetæ et Clodio Licinio consulari. Adde *eumd. Aug.* 53. et *Tit.* 2. — Sine Dativo. *Cic. fil.* 16. *Fam.* 21. Utor familiaribus et quotidianis convictoribus, quos Cratippus adduxit, hominibus probatissimis. *Plin.* 9. *Ep.* 31. Recitaturus familiaribus amicis. Adde *eumd. ibid.* 37. *Cic. Sull.* 20. 57. An in tantis rebus – hominem amantissimum sui, familiarissimum, conjunctissimum officiis, usu, consuetudine dimittendum esse arbitraretur? *Id.* 16. *Att.* 16. r. 17. Hominis familiarissimi et mihi omnibus rebus conjunctissimi permagna res agitur. — Absolute, substantivorum more. *Nepos Eumen.* 2. Alexandro mortuo, quum regna singulis familiaribus dispartirentur. *Id. Att.* 9. Non modo nihil eis indulsit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares ejus ex urbe profugientes, quantum potuit, texit. *Cic.* 3. *Fam.* 1. 3. Valde hominem diligo: est ex meis domesticis atque intimis familiaribus. *Id. Amic.* 24. 89. Quod in Andria familiaris meus dicit: Obsequium amicos etc. *Id. Cœl.* 25. 61. Datum hoc esse ajunt P. Licinio, Cælii familiari. *Id. Amic.* 1. 2. Quum et ego essem una et pauci admodum familiares. *Cæs.* 1. *B. G.* 19. Per C. Valerium Procillum familiarem suum, cui summam omnium rerum fidem habebat, cum eo colloquitur. *Sueton. Tib.* 55. Veteres amici et familiares. *Id. Claud.* 16. Orantibus familiaribus. *Id. Domit.* 11. Unus e familiaribus. *Id. Ner.* 13. Innixus humeris familiarium. *Id. Aug.* 85. In cœtu familiarium. *Id. Cæs.* 56. Epistolæ ad familiares. Similiter in Sup. *Cic.* 13. *Fam.* 27. 2. Quod M. Æmilius unus est ex meis familiarissimis atque intimis maxime necessarius. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 1. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 4. 1. Intimus, proximus, familiarissimus quisque aut sibi pertimuit, aut mihi invidit. *Id.* 13. *Fam.* 73. Quod tibi L. Egnatius, familiarissimus meus, curæ fuisset. *Id.* 1. *de republ.* 9. Quum familiarissimi ejus ad eum frequentes per eos dies ventitaturos se esse dixissent. Adde *eumd.* 2. *Fam.* 19. *Sueton. Cæs.* 81. Familiarissimus Cæsaris. — Hinc

Familiaris, is, m. 3. absolute, substantivorum more: *V.* supra sub *A.* in fin., et sub *B.* 2. *b.* in fin.

H o m o n y m. inter *familiarem*, *amicum* et *sodalem* hoc interest, quod *sodalis* est is, quocum versari animi causa solemus, qui rerum leviorum lætiorumque particeps est, ut convivii, venationis etc.; *amicus* est benevolus, nostri amans ac studiosus; *familiaris* denique est necessarius, intimus, cum quo sæpe et libenter vivimus, quasi ejusdem familiæ, vel qui nobiscum est cor unum atque anima una, ut ait *Popma*. *Plaut. Cas.* 3. 3. 18. Hic s o d a l i s tuus, a m i c u s optimus. *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 14. *ad fin.* Qui s o d a l i s et f a m i l i a r i s s i m u s Dolabellæ eram. *Plin.* 2. *Ep.* 13. Cum hoc seria, cum hoc jocos miscui: quid enim illo aut a m i c o fidelius, aut s o d a l e jucundius? *Cic. Planc.* 19. 46. Plancium dico habuisse in petitione multos cupidos sui, gratiosos (*Döderlein* mallet *gratos*); quos tu si s o d a l e s vocas, officiosam a m i c i t i a m nomine inquinas criminoso. *Sueton. Tib.* 55. Veteres a m i c i ac f a m i l i a r e s.

FĂMĬLĬĀRĬTAS, ātis, f. 3. consuetudo inter familiares et amicos, συνήθεια (It. *famigliarità, domestichezza, confidenza*; Fr. *intimité, amitié, commerce intime, étroites relations, familiarité*; Hisp. *familiaridad, intimidad, confianza amistosa*; Germ. *d. Vertraulichkeit, d. Freundschaft*; Angl. *familiarity, acquaintance, amity, familiar friendship, intimacy*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Ter. Heaut.* 1. 2. 10. Familiaritas magna mihi cum eo fuit semper, jam inde usque a pueritia. *Id. Eun.* 5. 2. 35. magna conflata est. *Id. Phorm.* 4. 1. 17. intercedit. *Cic.* 13. *Fam.* 19. 1. Cum Lysone Patrensi est mihi quidem hospitium vetus: quam ego necessitudinem sancte colendam puto. Sed ea causa etiam cum aliis compluribus: familiaritas tanta nullo cum hospite: et ea quum officiis ejus multis, tum etiam consuetudine quotidiana sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra conjunctius. *Id. ibid.* 73. 2. Cum Antipatro Derbete mihi non solum hospitium, verum etiam summa familiaritas intercedit. *Id. ibid.* 65. 1. Cum P. Terentio Hispone mihi summa familiaritas consuetudoque est. *Id.* 1. *Off.* 17. 55. Omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior, quam quum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti. *Id. Amic.* 1. 4. Digna mihi res nostra familiaritate visa est. *Id. ibid.* 27. 101. Equidem etiam admodum P. Rutilii, A. Virginii familiaritate delector. *Id. Dejot.* 14. 39. Familiaritatem consuetudo affert. *Id.* 7. *Fam.* 15. 2. In familiaritatem alicujus venire. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. 15. intrare penitus. *Id. Cæcin.* 5. 13. se insinuare. *Id.* 4. *Verr.* 60. 169. sese dare. *Id.* 2. *Phil.* 32. 78. recipere aliquem. *Id. Cluent.* 16. 46. Ad familiaritatem alicujus se applicare. *Id. Balb.* 26. 58. Versari in alicujus intima familiaritate. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. 4. Aliquem familiaritate devincire. *Id.* 2. *Phil.* 10. 23. Pompejum a mea familiaritate disjunxit. *Nepos Att.* 19. Familiaritatem alicujus consequi. *Id. ibid.* 9. Uti intima familiaritate alicujus. *Id. ibid.* 12. Intima cuipiam familiaritate conjunctus. *Id. ibid.* 19. Familiaritatem frequentiorem reddere. *Tac.* 13. *Ann.* 46. Familiaritate dejici. *Justin.* 7. 3. 3. Legati rogant Amyntam, ut apparatui epularum adjiciat jus familiaritatis, adhibitis in convivium suis ac filii uxoribus. Sic *Id.* 16. 5. 16. Ipsi more jurgantium, ad tyrannum veluti ad regem in arcem contendunt: qui jure familiaritatis admissi, dum alterum priorem dicentem intentus audit tyrannus, ab altero obtruncatur. *b*) In plurali numero. *Cic.* 1. *Off.* 17. 53. Consuetudines præterea et familiaritates multæque cum multis res rationesque contractæ. *Id. Balb.* 27. 60. Familiaritatibus implicari. *Id.* 2. *Off.* 8. 30. Familiaritates fidas habere amantium nos amicorum. *Id. Amic.* 10. 35. Eorum querela inveteratas non solum familiaritates exstingui solere, sed odia etiam gigni sempiterna. Adde *eumd. ibid.* 21. 76.

II.) Improprie, abstractum pro concreto, familiaritates sunt ipsi familiares. *Sueton. Tib.* 51. Omnes amicitias et familiaritates, etiam quibus ex funeris sui curam moriens demandaverat, intra breve tempus afflixit. *Tac.* 15. *Ann.* 50. Ex quibus Senecio, e præcipua familiaritate Neronis. *h. e.* unus ex præcipuis Neronis familiaribus.

FĂMĬLĬĀRĬTER, adverb. Comp. *Familiarius* et Sup. *Familiarissime* 2. — Familiariter ¶ 1. Est per familias. *Frontin. de Colon. p.* 119. *Goes.* Agros in montibus Romani acceperunt familiariter. ¶ 2. Sæpissime — *a*) De hominibus dicitur, et est amice et libere more familiarium, οἰκείως (It. *famigliarmente, con confidenza, domesticamente*; Fr. *en ami, amicalement, intimement, familièrement*; Hisp. *familiarmente, intimamente*; Germ. *vertraulich, auf vertraute Weise*; Angl. *familiarly, tenderly, intimately*). Occurrit — Posit. *Plaut. Men.* 2. 3. 23. Certo hæc mulier aut insana, aut ebria est, quæ hominem ignotum compellet me tam familiariter. *Id. Rud.* 2. 4. 6. sc. Quid ais, mea lepida, hilara? AM. Aha, nimium familiariter me attrectas. *Id. Epid.* 1. 1. 2. Odio es nimium familiariter. *mi ti rendi odioso con troppa confidenza e libertà.* *Ter. Heaut.* 1. 1. 6. Audacter et familiariter monere aliquem. *Id. Andr.* 1. 1. 108. Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres, rejecit se in eum flens quam familiariter. *Cic. Amic.* 21. 77. Nihil turpius, quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter vixeris. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 12. 37. Jam hoc, extra hanc contentionem, familiariter tecum loquar. *Id.* 9. *Att.* 4. Quæ soluto animo familiariter scribi solent. *Nepos Phoc.* 4. at *Eumen.* 4. *extr.* Familiariter aliquo uti. *Plin.* 9. *Ep.* 19. Familiariter aliquem diligere. *Quintil.* 1. 2. 15. Fieri alicui familiariter amicum. *Id.* 10. 3. 12. Familiariter amatus a me. Adde *Senec. Tranquill. anim.* 1. *extr.*; *Sueton. Aug.* 69.; et *Justin.* 20. 5. 52. Rursus *Quintil.* 5. 7. 7. Totas causas non diligenter modo, sed etiam familiariter nosse. *con grande pratica di tutte le particolarità*, eo modo, quo noscuntur res nostræ familiares. Similiter *Ter. Andr.* 1. 1. 81. Familiariter ferre alicujus mortem. *h. e.* ægre, graviter, ut nostrorum domesticorum amissionem magis dolemus, quam alienorum. — Comp. *Cic. Cœl.* 23. 57. Licentius, liberius, familiarius vivere cum aliquo. Adde *Nepot. Att.* 3. Rursus *Cic.* 2. *Orat.* 3. 11. Hoc si tu cupidius factum existimas, Cæsari attribues: si familiarius, otcique nostrum. *Justin.* 27. 3. 12. Familiarius nosse aliquem. *Quintil.* 2. 7. 3. Quæ ipsi composuerunt, jam familiarius animo suo affigent. — Sup. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 9. 29. Esse cum Verre familiarissime et amicissime vivere. *Nepos Ages.* 1. Aliquo familiarissime uti. *Sueton. Gramm.* 16. Vixit una familiarissime. *Id. ibid.* 10. Familiarissime colere aliquem. — *b*) Raro admodum de rebus. *V.* FAMILIARIS sub *B.* II. 2. *a.* *Colum. Arbor.* 1. *circa med. de vitib.* Quod ex longinquo petitur, parum familiariter nostro solo venit.

FĂMĬLĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* familia, parva familia. *Hieronym. Ep.* 108. n. 2. Familiola, quam de servis et ancillis in fratres sororesque mutaverat.

FĂMĬNO dicito. *Paul. Diac. p.* 87. 10. *Müll. V.* FOR, faris.

FĂMIS, is, f. 3. *V.* FAMES init.

FĂMIX, icis. *V.* FAMEX.

FĀMŌSĒ, adverb. Comp. *Famosius.* — Famose est cum fama. *Aurel. Vict. Cæs.* 20. Uxorem adeo famose amplexus est, uti, cognita libidine, ac eam conjurationis retentarit. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 22. Quid de tali medico judicabis, qui nutriat morbum, quo pretiosius aut famosius curet?

FĀMŌSĬTAS, ātis, f. 3. *infamia, ignominia*, infamia. *Tertull. Spectac.* 23. Damnandi in quemdam scopulum famositatis.

FĀMŌSUS, a, um, adject. Sup. *Famosissimus* I. 1. et II. — Famosus est celebris, qui famam habet, πολύφημος (It. *famoso, di cui si discorre assai*; Fr. *qui est en grande renommée, fameux*; Hisp. *famoso, celebre*; Germ. *ruhmvoll, berühmt oder berüchtigt*; Angl. *famous, much talked of, celebrated*).

I.) Proprie. ¶ 1. In bonam partem ante Augusteum ævum nusquam occurrit. *Horat. Art. P.* 469. ponet famosæ mortis amorem. Sic *Tac.* 3. *Hist.* 38. Nota per eos dies Junii Blæsi mors, et famosa fuit. *Id.* 5. *ibid.* 2. Sed quia famosæ urbis supremum tradituri sumus. *h. e.* Hierosolymorum. *Id.* 1. *ibid.* 10. Licinius Mucianus, vir secundis adversisque juxta famosus. *Sueton. Cal.* 19. Famosi equi. *Lucan.* 7. 277. regna. *Plin.* 6. *Ep.* 23. causa. *Flor.* 3. 7. *extr.* Nec quidquam amplius de tam famosa victoria, quam cognomen Creticum reportavit. *Apul.* 11. *Met.* Vir gravis et sobriæ religionis observatione famosus. *Id.* 4. *ibid.* Gladiatores isti famosæ manus, venatores illi probatæ pernicitatis. Sic *Id.* 10. *ibid.* Nobilissimas feras et famosos inde gladiatores comparaturus. *Ammian.* 23. 6. Famosi nominis flumen. *Gell.* 7. 3. Quum superbia illa Rhodiensium famosissima multorum odio flagraret. ¶ 2. Sæpius in malam partem accipitur pro infami, *infame, di mala fama.* *Plaut. fragm.* apud *Non. p.* 305. 28. *Merc.* Qui etiam me miserum famosum fecit flagitiis suis. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 2. *Orat.* 68. 277. Nam me ad famosas vetuit mater accedere. *nempe* ad meretrices. Cf. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 306. 4. *Merc.* Atque etiam, si qua erat famosa, ei cognati osculum non ferebant. *Lucilius* apud *eumd. p.* 305. 31. Et formosus homo fuit et famosus. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 5. Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui Famosus. *Ovid. Heroid.* 9. 78. Famosa hera. *Justin.* 22. 1. 5. Apud utrumque sexum famosus Agathocles. *Sueton. Tib.* 35. Famosæ feminæ. *Id. Claud.* 16. Adulteriis famosos. *Tac.* 5. *Ann.* 47. Multorum amoribus famosa Albucilla. *Id.* 3. *ibid.* 7. Famosus veneficiis. *Id.* 11. *ibid.* 25. probris. *Id.* 4. *Hist.* 41. crebris apud Neronem delationibus. *Id.* 13. *Ann.* 23. exercendis apud ærarium sectionibus. *Ammian.* 15. 3. Pravitate famosus. *Id.* 24. 2. Famosus latro. Adde *Martial.* 2. 39. et 47. — Et de rebus et abstractis. *Sall. Jug.* 18. Postquam videt regis largitionem famosam impudentemque. *Ovid. Heroid.* 9. 134. Famosus Hymen. *Id.* 3. *Amor.* 6. 78. pudor. *Sueton. Vitell.* 13. cœna. *Id. Tib.* 35. judicium. *Apul. de Mag.* Famosissimæ litteræ. *h. e.* de quibus tam multa locuti sunt accusatores, quas tantopere urgent.

II.) Improprie et activa significatione sumitur pro eo, quod vulgo dicimus *diffamatorio*. Hinc *fa-*

mosi libelli, qui alicujus famam lædunt. *Tac.* 1. *Ann.* 72. Cognitionem de famosis libellis tractavit commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque diffamaverat. *Sueton. Aug.* 55. Sparsos de se famosos libellos nec expavit etc. Adde *Ammian.* 20. 4. Sic *Titulus* 10. *lib.* 46. *Digest.* inscribitur *De injuriis et libellis famosis*, ubi prætor judicium se daturum profitetur in hujus criminis reos. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Justin.* 9. 36. 1. et *Cod. Theod.* 9. 34. 7. capitali sententia eos puniunt. Similiter *Horat.* 1. *Ep.* 19. 31. Famosum carmen. *Sueton. Tib.* 28. carmina. *Id. Cæs.* 73. epigrammata. *Id. Domit.* 8. scripta. *Spartian. Hadrian.* 15. Famosissimæ litteræ. *h. e.* contumeliæ et odii plenæ.

FĂMUL, idem quod famulus. *Ennius* apud *Non.* p. 110. 7. *Merc.* talem summum fortuna repente Reddidit, e summo regno ut famul infimus esset. Adde *Lucret.* 3. 1049. eadem fere verba repetentem. Simile autem est illis, *volup*, *facul*, *capital* etc.

FĂMŬLA, æ. *V.* FAMULUS.

FĂMŬLĀBUNDUS, a, um, adject. famulatorius. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 7. et *Daniel. c.* 7. Omnis gloria famulabunda.

FĂMŬLANS. *V.* in FAMULOR.

FĂMŬLANTER, adverb. *servilmente*, suppliciter, in modum famuli. *Accius* apud *Non.* p. 111. 28. *Merc.* Famulanter pete.

FĂMŬLĀRE, adverb. *V.* voc. seq in fin.

FĂMŬLĀRIS, e, adject. *servile*, δούλειος, ad famulum sive famulam pertinens. *Cic.* 1. *Tusc.* 48. 116. Codrum, qui se in medios immisit hostes famulari veste, ne posset agnosci si esset ornatu regio. *Seneca Troad.* 747. Famulare jugum collo subire. *Stat.* 2. *Achill.* 67. Turba famularis mensas instruit. *Seneca Herc. Œt.* 564. Famularis manus. — *Jura famularia dare*, est imperare populo regia potestate. *Ovid.* 15. *Met.* 597. Si Romam intrarit, famularia jura daturum. — *Famulares hederæ* apud *Val. Flacc.* 2. 268. sunt, quas Bacchæ Bacchi ministræ in ejus sacris capiti circumdabant. Porro *famulus* de ministro deorum sæpe dicitur. — Hinc

Famulare, adverbii more, servilem in modum. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 40. Nec famulare timens.

FĂMŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. *famiglia*, famulorum famularumque multitudo. *Apul.* 2. *Met.* Et ecce mulierem quampiam frequenti stipatam famulatione. *Id.* 6. *ibid.* Proximanti occurrit una de famulatione Veneris. *Cassiod.* 8. *Variar.* 33. Hos (*pueros ac puellas*) merito parentes vendunt, quoniam de ipsa famulatione proficiunt.

FĂMŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. *servile*, ut Famulatoria mendicitas, *Tertull.* 2. *adv. Nation.* 14. et Famulatoria animalia, *Id. anim.* 33. *h. e.* quæ ad famulatum comparantur.

FĂMŬLĀTRIX, icis, f. 3. quæ famulatur, serva. *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 3. Coquina medicinæ famulatrix est. *Sidon. carm.* 1. 128. Lusit venturas famulatris penna coronas.

FĂMŬLĀTUS, a, um. *V.* FAMULOR.

FĂMŬLĀTUS, us, m. 4. *servitù*, δουλεία, servitus. *Cic. Amic.* 19. 72. Qui aliquandiu propter ignorantiam stirpis et generis in famulatu fuerint. *Id.* 3. *Off.* 33. 117. Quam miser virtutis famulatus servientis voluptati! *Colum.* 1. *R. R. proœm.* 10. Miserrimoque famulatu per dedecus, fascium decus et imperium, profuso tamen patrimonio, mercari. Non gratuita servitute, sed donis rependitur honor. *Seneca Hippol.* 991. Famulatus gravis. *Arnob.* 1. 46. In famulatum subeunte natura.

FĂMŬLĪTAS, ātis, f. 3. servitus. *Accius* apud *Non.* p. 109. 29. *Merc.* Postquam parvos vos oppressit famulitas. Adde *Pacuvium* apud *eumd. ibid.*

FĂMŬLĪTĬUM, ii, n. 2. ¶ 1. Est servitus. Afferunt Lexicographi hæc verba *Varronis*. Apud ignavum dominum duro famulitio astrictus. Certa tamen est lectio apud *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* edente *A. Mai.* 1. 27. Famulitium præstare. Adde *Paul. Diac.* p. 87. 3. *Müll.* Famulitium (*Müll.* legit famuletium) dicebatur, quod nunc servitium. ¶ 2. Item servorum copia. *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. Unus e famulitio, cui provincia erat admittere volentes dominum convenire. *Capell.* 5. p. 227. Si properc Venus cum deliciis famulitioque tam comi appulsa est lascivire. *Id.* 2. p. 47. Ac singulas ex famulitio delecto Cyllenio incipit admovere. Sic *Id.* 1. p. 13. Ejus (*Philologiæ*) studio comparatas habere (*sentio*) quamplurimas in famulitio disciplinas. *Spartian. Sever.* 6. Occurrente omni famulitio aulico. Adde *Apul. de Mag.* et 8. *Met.*

FĂMŬLO, as, etc. *V.* voc. seq. init.

FĂMŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *Famulo* pro *famulor* antiquos dixisse, testatur *Diomed.* 1. p. 360. *Putsch.*; sed nullo confirmat auctore. Tamen est *Tertull.* pro famulos constituere, famulis uti, *Apolog.* 21. Quum elementa ipsa Christus famularet. Hinc Part. *Famulatus* est in famulatum redactus apud *eumd. Resurr. carn.* 47. ex *D. Paulo ad Rom.* 6. Nunc vero liberi facti a delinquentia, famulati autem Deo, habetis fructum etc. — Part. *Famulans*. — Famulor est servio, famuli officio fungor, *servire*, λατρεύω. *Cic.* 3. *de Republ.* apud *Non.* p. 109. 6. *Merc.* Est genus injustæ servitutis, quum hi sunt alterius, qui sui possunt esse; quum autem hi famulantur (ita supplendum putat *A. Maius* ad *Cic.* 3. *de Republ.* 25.) *qui sibi moderari nequeunt, nulla injuria est. Catull.* 64. 161. tibi jucundo famularer serva labore. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (157). Terra omnibus cruciatur horis, multoque plus ut deliciis, quam ut alimentis famuletur nostris. *Val. Flacc.* 2. 146. raptæ indigno famulatur amore. *Stat.* 9. *Theb.* 794. famulata Lyæo genetrix. *Id.* 3. *Silv.* 3. 58. famulantia fistula Phœbi. *Claudian. B. Gel.* 513. semper iniquos, Fortuna famulante, premit. *Ammian.* 22. 7. Ad famulandum rei Romanæ. *Sever. Sanct.* 121. nil moror, Quin veris famuler religionibus.

FAMULOSUS, a, um, adject. quidam tribuunt *Catoni* apud *Gell.* 9. 12.; sed ibi meliores editiones habent *fabulosus*, qua voce is denotatur, qui fabulis locum præbet, seu qui ludibrii causa multus est in ore hominum.

FĂMŬLUS, i, m. 2. et Famula, æ, f. 1. Antiquam formam FAMUL, *V.* loco suo. — *Famulûm* pro *famulorum* habet *Val. Flacc.* 3. 20. et 1. 752.; et *Stat.* 3. *Silv.* 4. 57. *Famulûm* pro *famularum* habet *Val. Flacc.* 3. 282. — Ceterum *famulus* et *famula*, ab Osco *famel* teste *Paul. Diac.* p. 87. 5. *Müll.*, unde et *familia*, est minister, pedisequus, servus, serva, ancilla (It. *servente*, *servo*, *serva*, *fantesca*; Fr. *serviteur*, *domestique*, *servante*; Hisp. *servidor*, *domestico*, *criado*, *servidora*, *criada*; Germ. d. *Diener*, *Bediente*; Angl. *a slave*, *servant*, *attendant*, *a female slave*, *maid servant*).

A) Famulus, i, occurrit ¶ 1. Stricto sensu de hominibus. *Cic.* 2. *Off.* 7. 24. Iis qui vi oppressos imperio coercent, sit sane adhibenda sævitia, ut heris in famulos. *Id. Amic.* 15. 55. Parare pecunia equos, famulos. *Id.* 2. *Tusc.* 21. 48. Hos, ut famulos, vinclis prope ac custodia arceamus. ¶ 2. Latiori sensu dicitur de deorum ministris. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. Idææ matris famuli. *V.* alia infra in Homonym. ¶ 3. Item latiori sensu dicitur etiam de heroibus et locorum geniis. Singula enim numina habent inferiores potestates ministras, ut Venus Adonim, Diana Virbium, Bacchus Silenum, ut docet *Servius* ad *Virg.* 5. *Æn.* 95. *Horat. Art. P.* 239. custos famulusque dei Silenus alumni. — Porro genios locorum credebant sub variis animalium formis apparere, anguium præcipue. Multa *Heinsius* hac de re ad illud *Sil. It.* 13. 124. Numen erat jam cerva loci, famulumque Dianæ Credebant ac tura deûm de more dabantur. Plura vero *Heynius* ad *Virg.* 5. *Æn.* 84. et 95., ac præcipue *Rupertius* ad *Sil. It.* 2. 584. *Virg.* 5. *Æn.* 95. de *angue*. Incertus, geniumne loci, famulumne parentis Esse putet. Similiter *Sil. It.* 6. 288. de *angue*. famulumque sororum Naiadum violare manu. *Val. Flacc.* 3. 457. Libavitque dapes: placidi quas protinus angues, Umbrarum famuli, liguis rapuere coruscis. *Ovid.* 8. *Met.* 272. Sus erat, infestæ famulus vindexque Dianæ. Ili porro omnes vocantur *Famuli Divi* in *Inscript.* apud *Morin. Frat. Arv.* n. 32. FAMVLIS DIVIS IMMOLAVIT VERVECES DVOS. ¶ 4. Latissimo sensu occurrit etiam de brutis. *Ovid.* 3. *Met.* 228. Ille (*Actæon*) fugit, per quæ fuerat loca sæpe secutus: Heu famulos fugit ipse suos! *h. e.* canes.

B) Famula, æ, f. 1. usurpatur

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de feminis. *Lucret.* 4. 1170. Quam famulæ longo fugitant furtimque cachinnant. *Virg.* 4. *Æn.* 391. suscipiunt famulæ, collapsaque membra Marmoreo referunt thalamo. *Id.* 1. *ibid.* 703. Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo Cura penum struere. Adde *Ovid.* 4. *Met.* 35.; et *Curt.* 3. 12. 25. *Lucan.* 8. 63. postquam famulæ videre fideles, — attollere terra Semianimem conantur heram. *Val. Flacc.* 2. 341. mediis famulæ convivia tectis Expediunt. Adde *eumd.* 6. 502. Et in sing. num. *Ovid.* 2. *Amor.* 7. 21. Quis Veneris famulæ connubia liber inire, Tergaque complecti verbere secta velit? ¶ 2. Latiori sensu de deorum ministris. *Juvenal.* 14. 81. Sed leporem aut capream famulæ Jovis, et generosæ In saltu venantur aves. *h. e.* aquilæ. *Val. Flacc.* 1. 302. Dodonida quercum, Chaoniique vides famulam Jovis. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 2449.

II.) Translate. *Cic.* 5. *Tusc.* 1. 2. Si virtus famula fortunæ est. *Id.* 1. *ibid.* 31. Res familiaris est ministra et famula corporis. — Hinc

C) Famulus, a, um, adject. servilis, famularis: vox poetica. *Ovid.* 1. *Fast.* 286. Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas. *Id.* 2. *Pont.* 2. 79. Nec dedignata est abjectis Illyris armis Cæsareum famulo vertice ferre pedem. *Sil. It.* 13. 360. Famulæ turbæ. Adde *eumd.* 10. 647. *Lucan.* 4. 207. Famulæ dextræ. *Val. Flacc.* 1. 749. Quin rapis hanc animam, et famulos citus effugis artus? *Claudian.* 2. *in Rufin.* 386. Catenas famulas alicui imponere. *Id. III. Cons. Honor.* 202. jam Bactra teneri Legibus, et famulis Gangen pallescere ripis. Adde *Martial.* 9. 2. *Tertull. Anim.* 37. Omnia famula sunt hominis, omnia subjecta, omnia mancipata. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

Homonym. Ad usum quod attinet, differunt *servus* et *famulus*, quod hæc vox est poetis familiarior usitatiorque. *Virg.* 1. *Æn.* 701. Dant famuli manibus lymphas. *Horat.* 3. *Od.* 17. 13. cras genium mero Curabis, et porco bimestri, Cum famulis operum solutis. *Ovid. Heroid.* 20. 77. Utque solent famuli, quum verbera sæva verentur, Tendere submissas ad tua crura manus. — Est etiam discrimen, quod ad significationem attinet. Nam *famulus* dicitur etiam de ingenuo homine alteri inserviente ac ministrante. Hinc *Ulp. Dig.* 21. 1. 25. docet *familiæ* nomine contineri omnes, qui in servitio sunt, etiam liberos homines, qui bona fide serviunt. Hinc etiam *famulus* sæpe dicitur de ministris deorum. *Val. Flacc.* 3. 20. Dindyma sanguineis famulûm bacchata lacertis. *Id.* 6. 642. Hinc puero cognomen erat famulumque ferebant Phasidis, intonso nequicquam crine, parentes. *Ovid.* 3. *Met.* 574. comes famulusque sacrorum. Adde *Senec. Agam.* 255. et *Herc. fur.* 100., ubi Furias famulas Ditis vocat. Quæ igitur de *famulo* et *servo*, eadem de *famula* et *serva* dicenda sunt. — Iis, quæ ex *Forcellino* attulimus ad statuendum discrimen inter *famulum* et *servum*, hæc adde. *Famulus* est minister seu qui in servitute est sensu tamen, uti ajunt, patriarchali, h. e. tamquam familiæ pars, haud aliter ac Gr. οἰκέτης: *servus* est minister seu qui in servitute est sensu politico et juridico, ut Gr. δοῦλος vel δμώς. *mancipium* vero œconomiæ, scilicet possessionis et mercis rationem præfert, ut Gr. ἀνδράποδον, h. e. ἀνὴρ ἀποδοτός. *Famulus* et *herus* invicem opponuntur et, si Comicos excipias, ad vitam spectant privatam: *servus* et *dominus* pariter opponuntur et ad vitam publicam pertinent. Est et *verna*, quamvis haud frequenter occurrat, et significat servum non pretio emptum, sed domi nostræ, vel etiam in terra nostra natum. Denique pro *servo* feminino genere non *serva* (quæ vox raro admodum adhibetur), sed *ancilla* ab optimis quibusque scriptoribus usurpatur. *Cic.* 2. *Off.* 7. 24. Adhibenda sævitia est, ut heris in famulos. *Id.* 6. *Verr.* 50. 112. Neque tam servi illi dominorum, quam tu libidinum. *Id.* 5. *Parad.* 1. Non enim ita dicunt, eos esse servos, ut mancipia, quæ dominorum sunt facta nexu, aut aliquo jure civili. Cf. *Liv.* 42. 6. Nihil inter se et argento parata mancipia interesse. *Justin.* 38. 6. *ad fin.* Aut exsules Corinthiorum, aut servos vernasque Tuscorum. *Liv.* 3. 44. Interim dominum sequi ancillam æquum esse. *Cic.* 2. *Orat.* 68. 276. Nasica sensit illam (ancillam) domini jussu dixisse. *Id.* 5. *Verr.* 4. 8. Hunc vestri janitores, hunc cubicularii diligunt, hunc liberti vestri, hunc servi ancillæque amant. *Sueton. Vesp.* 11. Ut, quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur.

FANA. *V.* FATUA.

FĀNĀTĬCĒ, adverb. *da fanatico*, furiose. *Apul.*

8. *Met.* Absonis ululatibus constrepentes, fanatice pervolant.

FĀNĀTĬCUS, a, um, adject. proprie est ad fanum pertinens.

I.) Proprie. ¶ 1. *Pecunia fanatica* est ea, quæ ad fanum aliquod pertinet, seu quæ alicujus fani tuitioni assignata et sacra est. *Inscript.* in agro Veronensi, eo loci quo mons est *Marano* appellatus, in *Val-Pollicella* reperta ann. 1835., edita autem in *Bullett. dell' Institut. archeol. dell' ann.* 1836. *p.* 141. P. FANNIVS M. F., C. MASVRIVS C. F. SABINVS, P. CVTIVS P. F. BIBVLVS, L. AEMILIVS C. F. MALO FANORVM CVRATORES EX PECVNIA FANATICA FACIVNDVM CVRARVNT IIDEMQVE PROBARVNT. ¶ 2. Apud optimos vero scriptores *fanaticus* dicitur quicumque est numine afflatus: unde *Paul. Diac. p.* 92. 19. *Müll.* Fanatica dicitur arbor fulmine icta. *h. e.* quasi numine afflata. — *a*) Generatim. *Juvenal.* 4. 123. sed ut fanaticus, œstro Percussus, Bellona, tuo. — *b*) Speciatim dicebatur de sacerdotibus Isidis, Bellonæ et Cybeles. *Inscript.* apud *Gruter.* 312. 7. L. CORNELIO IANVARIO, FANATICO AB ISIS, SERAPIS, AB AEDEM (*lege* ab æde) BELLONAE RVFILIAE. *Alia* apud *eumd.* 313. 1. Q. CAECILIO APOLLINARI, FANATICO DE AEDE BELLONAE PVLVINENSIS. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 2316. et *seq.* Cf. et *Lactant.* 1. 21. Sacerdotes Bellonæ non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris et utraque manu districtos gladios exserentes currunt, efferuntur, insaniunt. *Liv.* 37. 9. Jam subeuntibus armatis muros fanatici Galli primum cum solemni habitu ante portam occurrunt. *Juvenal.* 2. 112. *de ministris Cybeles.* et crine senex fanaticus albo Sacrorum antistes. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 1061. Cultrum in lacertos exserit fanaticus, Sectisque matrem brachiis placat deam. *V.* BALLATOR. — *c*) *Fanaticum carmen* est, quo quidpiam vaticinando prædicitur. *Liv.* 38. 18. *a med.* Galli Matris Magnæ occurrere, vaticinantes fanatico carmine, deam Romanis viam belli et victoriam dare. — *d*) De fanaticis non sacerdotibus *Ulp. Dig.* 21. 1. 1. § 9. Si servus inter fanaticos non semper caput jactaret etc. Cf. *eumd. mox* § 10. Quamvis aliquando circa fana bacchatus, responsa reddiderit etc.

II.) Translate. Quia sacerdotes superius dicti, oraculum edituri, divino furore corripi putabantur, eamque opinionem crebra capitis quassatione atque aliis insolentium indiciis adjuvabant, inde est, quod *fanaticus* etiam sumitur pro furioso atque insano, *fanatico, furioso. Cic. Dom.* 40. 105. Quid tibi necesse fuit anili superstitione, homo fanatice, sacrificium, quod alienæ domi fieret, invisere? *Id.* 2. *Divinat.* 57. 118. Philosophi superstitiosi et pæne fanatici. *Liv.* 4. 33. Multitudo velut fanatico instincta cursu. *Id.* 39. 13. Viros velut mente captos, cum jactatione fanatica corporis vaticinari. *Horat. Art. P.* 453. Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget, aut fanaticus error. *Flor.* 3. 19. 10. Fanaticus furor. *Tac.* 14. *Ann.* 30. Fanaticum agmen. *Quintil.* 11. 3. 71. Jactare caput et comas excutientem rotare, fanaticum est.

FANDO et

FANDUS. *V.* FOR.

FĀNĪTĀLIS, e, adject. ad fanum pertinens. *Inscript.* non multis abhinc annis Boviani in Samnio reperta, edita vero a *Raym. Guarinio* in *Comment.* XII. p. 28., quæ est apud *Henzen.* 5072. Q. ARRVNTIO Q. F. VOL. IVSTO, Q., AED., PAT. COL., PAT. MVN. SAEPIN., PAT. MVN. VICENTIN., PAT. ET CVR. R. P. TERVENT., SACER. TVSCVL. FANITALI ORDO ET POPVLVS OB INSIGNEM FIDEM, INDVSTRIAM ERGA SE IN CIVILIB. OFFICIIS ET SPLENDOR. MVNERIS GLADIATORII . . . . GATO FISC. (sic enim pro SIGC. *Id. ibid. p.* 37. legit, quod probandum) STAT. HEREDITATIVM. Ea verba SACER. TVSCVL. FANITALI interpretanda videntur *sacerdoti Tusculano fanitali*, hoc est qui Tusculi præerat fano alicui, quod numini cuipiam ibidem sacrum erat; nam, quemadmodum ex *Inscript.* apud *Gruter* 263. 7. innotescit *sacerdos Tusculanus*, ita *sacerdos Tusculanus fanitalis* præcipuum quoddam templum Tusculi existens denotat, quod a fano aliquo ibidem celeberrimo, nobisque hactenus ignoto, nomen habuit, ut in *Inscript.* apud *eumd.* 347. 1. est *flamen lucularis Laurentium Lavinatium*, et apud *Varron.* 5. *L. L.* 152. *Müll.* est *lucus fagutalis.* Hinc hujusmodi *sacerdos fanitalis* comparandus erit cum *magistro fani* in *Inscript.* apud *Gruter.* 315. 1., et cum *curatore fani* in *alia* apud *eumd.* 424. 8., et cum *sacerdote templi* in *alia* apud *eumd.* 317. 3. et 395. 10., et cum *sacerdote ad templum* in *alia* apud *Murat.* 1088. 7.

FĀNO, as, are, a. 1. dicare, sacrare. *Varro* 6. *L. L.* 54. *Müll.* Atque inde Herculi decuma appellata ab eo est, quod sacrificio quodam fanatur, idest, ut fani lege sit. *Varro* ipse videtur hoc verbum effinxisse, ut clarius ejus derivata paterent. — *NB. Fanor, aris,* depon. furo, insanio: unde *fanaticus.* Tribuitur *Mæcenati* a *Lips.* in *not.* ad *Senec. Ep.* 114.

FANS. *V.* FOR.

FANTUA. *V.* FATUA.

FĀNŬLUM, i, n. 2. est vox efficta ad vocem *hanulum* declarandam, et exhibet formam deminutivi a *fanum. Paul. Diac.* p. 103. 7. *Müll.* Hanula parva delubra quasi fanula.

FĀNUM, i, n. 2. Etiam *fanus, i,* m. Latine dici contendit *Voss.* ad *Melam* 2. 3. p. 453., quod in antiquissimo suo codice legatur apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 18. 46. Eumenidum, quarum et Athenis fanus est. *Alii tamen omnes leg.* fanum. — Fanum est sacer locus, templum, ἱερόν, ναός (It. *luogo sacro, tempio;* Fr. *lieu consacré, sanctuaire, temple;* Hisp. *santuario, templo;* Germ. *e. Heiligthum der Gottheit eingeweihte u. m. Mauern umgebene Ort;* Angl. *a piece of ground consecrated, a temple, fane*). *Varro* 6. *L. L.* 54. *Müll.* Fana nominata, quod pontifices in sacrando fati sunt finem. *Paul. Diac. p.* 93. 17. *Müll.* Fana, quod fando consecrantur. *Id.* p. 88. 1. Fanum a Fauo (*al.* Fauno), sive a fando, quod dum pontifex dedicat, certa verba fatur. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 20. Fanum, religiosissimum templum, unde fata petuntur. *Voss.* tamen docet a Græco Accus. ναόν, a quo per metathesin sit ἀνόν, et spiritu in *f* abeunte *fanum.* Sunt etiam qui minus recte a Fauno, vel quod is primus fana instituerit; vel quia ei primum instituta sint; vel quia (ut *Cincius* et *Cassius* tradunt apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 10.) quum *Faunus* nomen sit, quo Euander deos appellavit, inde templa diis facta *fana* sint dicta. Differt a templo et delubro aliquid quidem certe: sed in quo sit discrimen, obscurum est. Videtur autem proprie significare quemvis locum diis sacrum, sive ædes sit aliqua, sive nihil adhuc exstructum sit. *Liv.* 10. 37. In ea pugna Jovis Statoris ædem votam, ut Romulus ante voverat: sed fanum tantum, id est locus templo effatus, sacratus fuerat. *Seneca* 7. *Benef.* 7. A sacris profana discerni, et non omnia licere in angulo, cui nomen fani impositum est, quæ sub cælo et conspectu siderum licent. *Cic.* 3. *de republ.* 9. Græciæ, sicut apud nos, delubra magnifica humanis consecrata simulacris, quæ Persæ nefaria putaverunt; eamque unam ob causam Xerses inflammari Atheniensium fana jussisse dicitur, quod deos inclusos parietibus contineri nefas esse duceret. *Id. Rabir. perduell.* 10. 30. Pro patriis fanis atque delubris propugnare. *Id.* 4. *Cat.* 11. 24. De aris ac focis, de fanis ac templis. *Sueton. Cæs.* 54. Fana templaque deum expilavit. — Quæcumque tamen illa differentia sit, passim pro eodem sumuntur: ut apud *Cic.* 2. *Invent.* 1. 1. Templum Junonis egregiis picturis locupletare. et *mox.* propter fani religionem. — *a*) In singulari numero, præcipue de celeberrimis fanis. *Cic.* 5. *Fam.* 20. Pecuniam in fano deponere. *Cæs.* 1. *B. C.* 6. E fano aliquid tollere. *Cic.* 3. *Verr.* 20. 54. Pergæ fanum antiquissimum et sanctissimum Dianæ scimus esse. *Cæs.* 3. *B. C.* 33. Fanum Dianæ Ephesi. *Cic.* 3. *Verr.* 20. 52. Junonis. *Cæs.* 2. *B. C.* 18. Herculis. *Cic.* 3. *Verr.* 17. 46. Apollinis. *Liv.* 43. 6. Æsculapii. *Nepos Pausan.* 4. Neptuni. *Id. Lysand.* 3. Sacerdotes fani Jovis Hammonis. Adde *Lucret.* 6. 849. *Liv.* 1. 30. Feroniæ. *Id.* 4. 41. Quietis. — *b*) In plurali numero ac generatim. *Claudius Quadrigarius* apud *Gell.* 17. 2. *a med.* Fana violare. *Sall. Cat.* 51. spoliare. *Cic.* 3. *Nat. D.* 34. 83. expilare. *Id.* 1. *ibid.* 31. 86. compilare. *Nepos Timol.* 3. Fana deleta reficere. *Lucret.* 5. 75. terrarum qui in orbi sancta tuetur Fana, lacus, lucos, aras simulacraque divum. *Horat.* 4. *Od.* 4. 46. et impio Vastata Pœnorum tumultu Fana deos habuere rectos. *Id. Epod.* 16. 19. Agros atque lares patrios habitandaque fana Apris reliquit et rapacibus lupis. Adde *Liv.* 5. 50.; et *Juvenal.* 10. 290. — *NB.* De nomine proprio *V.* ONOM.

FAR, farris, n. 3. *farro,* ζέα, alio nomine ador, adoreum et semen adoreum,

I.) Proprie genus est frumenti omnium durissimum et contra hiemes firmissimum, patiens frigidissimos locos, et minus subactos vel æstuosos sitientesque. Difficulter excutitur: ideoque convenit cum palea sua condi, stipula tantum et aristis liberatum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 8. 19. (83). et *ibid.* 30. 72. (298).; et *Varro* 1. *R. R.* 63. — Ejus quatuor genera recenset *Colum.* 2. *R. R.* 6. 3. Sed *Pontedera Oper. post. T.* I. *p.* 21. 27., ubi accurate de farris generibus disputat, triplex esse statuit, far nempe Clusinum, τίφην Græcorum, Italorum *farro;* alterum venuculum, Græcorum ὄλυραν, Italorum *spellone;* tertium trimestre seu halicastrum, Græcorum ζειάν, Italorum *spelta.* Clarissimus *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 125.) hanc exhibet synonymiam: Ζέα vel Ζειά Theophr. 8. 9.; Ζειά Homer. Iliad. E. 196. et Odyss. Δ. 41.; φάρρος Dionys. Halic. 4. 95.; *Far* Catull. 2. 4., Varron. 1. R. R. 9. 4., Virg. 1. G. 73. et 185. et Colum. loc. cit.; *Far, Adoreum* et *Semen* Plin. loc. cit.; et *Semen* Isid. 17. Orig. 3. sunt *Triticum dicoccum* Schubl., *Triticum Spelta* Linn. — Fuit per trecentos annos Romanorum cibus, qui pultibus ex farre plurimum primis illis temporibus usi sunt: et in sacris quoque et nuptiis (*V.* infra sub II. 3. et 4.) adhibebant. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 2. 2. (7). et *ibid.* 8. 19. (83). — Ceterum occurrit etiam poetice pro quocumque frumento. — *a*) In singulari numero. *Varro* 1. *R. R.* 9. 4. Far adoreum. *Liv.* 4. 15. Bilibra farris. *Ovid.* 5. *Met.* 130. Dives agri Dorylas: quo non possederat alter Latius, aut totidem tollebat farris acervos. *Scribon. Compos.* 135. Grana farris. *Pers.* 3. 25. Far modicum. *Stat.* 4. *Silv.* 9. 31. asperum. — *b*) In plurali numero. *Virg.* 1. *G.* 73. ibi flava seres mutato sidere farra. *Id. ibid.* 101. hiberno lætissima pulvere farra. *Id. ibid.* 219. robusta. *Ovid.* 6. *Fast.* 180. dura. *Id.* 2. *ibid.* 519. Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant: Primitias Cereri farra resecta dabant. *Id.* 1. *ibid.* 693. pasturaque farra bis ignem. *h. e.* semel quum torrentur, iterum quum facto pane coquuntur. *Val. Flacc.* 2. 448. tracto pars frangit adorea saxo Farra.

II.) Improprie. ¶ 1. Pro farina adhiberi videtur a *Colum.* (fortasse quia olim solam ex farre farinam noscebant) illis verbis 8. *R. R.* 4. 1. Possunt etiam objici gallinis furfures modice a farina excreti: qui si nihil habent farris, non sunt idonei, nec tantum appetuntur. *Id. ibid.* 11. 14. memorat *far hordeaceum vino respersum,* et 5. 23. *far triticeum:* ubique autem farinam intelligit. Agit enim de alendis pullis pavoninis recens natis. Hoc idem *Pallad.* 1. *R. R.* 29. 2. vocat *far hordei, cui vini imber aspergitur,* agens de cibo phasianis dando, primis, quibus nati sunt, diebus. Cf. *eumd. ibid.* 28. 5. Similiter *Varro* 3. *R. R.* farinam significat, quum ait 14. 5. Ollam cum foraminibus incrustent sapa et farre. Apud *Caton.* discrimen est inter *farinam* et *far:* ubi enim agit de villica ait *R. R.* 143. *extr.* Farinam bonam et far subtile sciat facere. Cf. *Sueton. Vitell.* 13.; et *fragm. Legg. XII. Tabul.* apud *Gell.* 20. 1. ¶ 2. Poetice de pane ex farre. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 67. rogabat Denique cur unquam fugisset, cui satis una Farris libra foret, gracili sic tamque pusillo. *h. e.* ob cibum parcius demensum fugere non debuisti, cui minima portio satis esset. Similiter *Juvenal.* 5. 11. et sordes farris mordere canini. *h. e.* panes sordidos mendicis et canibus objiciendos. *Scholiast. Juvenal.* ad *h. l.* habet: Far caninum, cantabrum. *h. e. crusca* Italorum: sic *Pelagon.* 1. 2. Far cantabrum. Ceterum *Horat.* 2. *Sat.* 8. 86. discerpta — Membra gruis, sparsi sale multo non sine farre. *h. e.* crusta farrea carnibus circumdata. ¶ 3. Et pro pulte ex farre, quæ in sacris adhibebatur, uno verbo mola salsa. *Horat.* 3. *Od.* 23. 18. Non sumptuosa blandior hostia Mollibit aversos Penates Farre pio et saliente mica. Sic *Tibull.* 3. 4. 10. omina noctis Farre pio placant et saliente sale. et *Virg.* 5. *Æn.* 745. Farre pio et plena supplex veneratur acerra. Eodem sensu *salsa farra* dixit *Ovid.* 3. *Fast.* 283. Atque aliquis modo trux visâ jam vertitur arâ: Vinaque dat tepidis salsaque farra focis. ¶ 4. Pro mola salsa, quæ in nuptiis adhibebatur. *Arnob.* 4. 20. Usu, farre, coemptione, genialis lectuli sacramenta condicunt. *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 30. Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant:

usu, farre, coemptione. – Farre, quum per pontificem maximum et dialem flaminem per frugem et molam salsam conjungebantur; unde confarreatio appellabatur; ex quibus nuptiis patrimi et matrimi nascebantur. Adde *Boeth.* in *Cic. Topic.* 2. *p.* 69.

FARCĪMEN, inis, n. 3. (farcio) *salsiccia, lucanica*, ἀλλᾶς, intestinum varie ac minutim concisa carne refertum, ut docet *Isid.* 20. *Orig.* 2. Farcimen caro concisa et minuta, quod eo intestinum farciatur, hoc est, impleatur, cum aliarum rerum commixtione. *Varro* 5. *L. L.* 111. *Müll.* A fartura in extis farcimina appellata. *Laberius* apud *Gell.* 16. 7. botulum pro farcimine appellat. *Arnob.* 7. 24. Quæ sunt nomina et farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus.

FARCĪMĬNŌSUS, a, um, adject. ad farciminum pertinens. *Veget.* 1. *Veterin.* 14. 1. Farciminosus autem morbus, a similitudine farciminis appellatus est; quia velut per fistulas quasdam inter cutem et carnem corruptus humor emanat, et per totum corpus collectiones plurimas facit, et aliis velut minuentibus aliæ rursum nascuntur. Adde *eumd. ibid.* 7. 1. et *V.* voc. seq.

FARCĪMĬNUM, i, n. 2. *male del verme muro*, genus morbi in jumentis, de quo vide in voce præcedenti. *Veget.* 1. *Veterin.* 7. 2. Sed contraria ista curatio est; nam affectis farcimino, quidquid superest virium, tollit.

FARCĪNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FARCĪNO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Farcinatus*. — Farcino est idem ferme quod farcio, confercio; sed occurrit translate tantum. *Capell.* 9. *sub fin.* Fandis tacenda farcinat. *h. e.* miscet, conjungit. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 3. Divinis dogmatibus farcinatus. *h. e.* repletus. Sic *Id. ibid.* 12. Is erat etiam Apollinari vesania farcinatus.

FARCĬO, farcis, farsi, farctum *vel* fartum, farcire, a. 4. Pro *farctum* vel *fartum* etiam *farsum* legitur a quibusdam in *Epitom. Liv.* 50., apud *Petron. fragm. Tragur.* 60. *Burmann.*, *Apic.* 4. 2. et 8. 8., et *Hygin. fab.* 126. Item *farcitus* occurrit (translate) apud *Cassiod. Instit. div. litt.* 22. Cujus (*Augustini*) aperta suavia sunt, obscura vero magnis utilitatibus farcita pinguescunt. — Part. *Farciens* I. 1. et 2.; *Fartus* in omnibus paragr. — Farcire, ratione habita etymi, videtur esse a πέφαρκα, præter. perf. verbi φάρω *seco, divido*: unde factum primum *farco*, mox *farcio*. Alii ducunt a φαρκτός pro φρακτός, quod a φράσσω *obstruo, obturo*. Significat autem sine delectu atque acervatim congerendo et inculcando implere, σάττω, συμπληρόω (It. *riempire alla rinfusa, riempire ben bene, infarcire*; Fr. *remplir, fourrer, farcir*; Hisp. *llenar, mezclar, rellenar*; Germ. *vollstopfen, vollfüllen*; Angl. *to fill or cram with mingled ingredients*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 7. *Verr.* 11. 27. Pulvinus perlucidus Melitensi rosa fartus. Cf. *Martial.* 8. 44. Torus fartus papyro. *Vitruv.* 2. 8. *ante med.* Nostri celeritati studentes, erecta coria locantes, frontibus serviunt, et in medio farciunt, fractis cum materia cæmentis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 51. (172). Medios parietes farcire fractis cæmentis, (*Græci*) diamicton vocant. *murare a cassa*. Alter *Plin.* 10. *Ep.* 48. Parietes cæmento medii farti. *Apic.* 2. 3. Botellum sic facies; ex ovis vitellis coctis, nucleis pineis, *etc.* – et sic intestinum farcies. *farai una salsiccia*. *Colum.* 10. *R. R.* 393. Fartus semine cucumis. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 16. (60). Mustelæ ventriculus coriandro fartus. *Cic.* vertens versus *Eschyli*, 2. *Tusc.* 10. 24. Jovis satelles (*me*) pastu dilaniat fero: Tum jecore opimo farta et satiata affatim etc. Cf. *Seneca Ep.* 108. Edaces et se ultra quam capiunt farcientes. *Apul. Florid. n.* 16. Fartum totum theatrum. ¶ 2. Speciatim sumitur pro saginare, quod fit congesto affatim cibo, *ingrassare*. *Cato R. R.* 89. Gallinas et anseres sic farcito, *et mox*. Bis in die farciat. *h. e.* cibum præbeat farciendi causa. *Varro* 3. *R. R.* 9. 20. Gallinas ex triticeo pane intrito in aquam, mixto bono vino, farcire. *Id.* 2. *ibid.* 5. 10. Boves farcire ad victimas. *Colum.* 8. *R. R.* 7. 4. Hæc fere communis est cura farcientium.

II.) Translate. ¶ 1. *Farcire aliquem aliqua re* est onerare. *Vitruv.* 2. 8. *circa med.* Neque is rex ab inopia hoc fecit: infinitis enim vectigalibus erat fartus. *h. e.* dives, abundans. *Catull.* 28. 12. nihilo minore verpa Farti estis. *h. e.* ab æque turpi homine male mulcati estis, sumpta obscœna metaphora ab irrumatione, quum qui patitur, contumeliam ferre putabatur. ¶ 2. Est etiam ingerere, infercire, congerere, inculcare, *cacciar dentro*. *Seneca* 3. *Ira* 19. Quum spongiæ non invenirentur, scindi vestimenta miserorum, et in os farciri pannos imperavit. *Id. Ep.* 70. *a med.* Lignum id, quod ad emundanda obscœna, adhærente spongia, positum est, totum in gulam farsit. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 45. (83). Ischæmon (*herba*) farcitur in nares. *Martial.* 3. 58. Hinc farta premitur angulo Ceres omni. *h. e.* accumulata, congesta, *ammucchiata*. — Allegorice *Plaut. Epid.* 3. 4. 19. Hic non est locus: proin tu alium quæras, cui centones farcias. *h. e.* quem gloriosis mendaciis et consarcinatis fabulis impleas, obtundas obruasque. Alii tamen aliter leg. — Hinc a Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Fartum vel *farctum* i, n. 2. absolute, substantivorum more, est quidquid farcit atque implet, *il pieno*. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (117). *de chamæleone*. Intestina et fartum eorum, quum id animal nullo cibo vivat etc. *e ciò che v'è dentro*. *Colum. Arbor.* 21. Ea res efficit uberiorem fructum, et fartum speciosius ac plenius. *Id.* 5. *R. R.* 10. 11. Ea res efficit uberiorem fructum, et fartum fici pleniorem et meliorem. *Quod hic* fartum fici *vocat*, *Pallad.* 4. *R. R.* 10. sub fin. *appellat* pulpam fici. — *Fartum vestis* jocularitur dicitur corpus ipsum vestitum. *Plaut. Most.* 1. 3. 13. Non vestem amatores mulieris amant, sed vestis fartum. — *Fartum facere* est farcire, item jocularitur apud *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 8. Machæra gestit fartum facere ex hostibus. *h. e.* ita minutatim concidere, ut solent coqui carnes dissecare farsiminibus faciendis. *Al. minus recte leg.* fratrem facere.

FARCĪTUS et

FARCTUS, a, um. *V.* voc. præced.

FARĒDO, inis, f. 3. ignotum aliquod ulceris genus, quod fortasse *farredo* scribendum est, quia farri similitudinem habet. *Plin. Valerian.* 3. 22. *ante med.* Semen raphani ex aqua tritum et impositum sistit ulcera, quæ faredines appellant.

FARFĂRUS, i, m. 2. est herba quæ et *farfugium*, et chamæleuce dicitur, nascens secus fluvios, folio populi sed ampliore. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 85. (135). Fortasse eadem est cum illa, de qua *Paul. Diac. p.* 88. 13. *Müll.* Farferum virgulti genus. *Müllerus* ita pro vulgari lectione *farfenum* legendum esse recte monet: eadem enim vox occurrit etiam apud *Plaut. Pœn. a.* 2. *v.* 32. Prosternebant folia farferi. Quidam putant esse *ungulam caballinam*, seu *populaginem*. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 282.) hanc exhibet synonymiam: Βήχιον Hippocr. et Dioscor. 3. 126.; Χαμαιλεύκη Galen. de Fac. simpl. med. 241., *Rhichion, petrina, peganon, pithion, pagonaton, chamæleuce, procheton, arcophyton, chamægeron* Dioscor. in Nothis; *Chamæleuce* Græcor. teste Plin. loc. cit.; *Farfara* Plaut. Pœn. a. 2. v. 32. et Apul. 14. Met.; *Farfara* sive *farfugium* Latin. teste Plin. loc. cit.; et *Saartha* Ægyptior. teste Dioscor. in Nothis sunt *Tussilago Farfara* L. Spec. plant. 1214.

FARFENUM
FARFERUS et } *V.* voc. præced.
FARFUGIUM

FARI. *V.* FOR.

FĀRĪNA, æ, f. 1. proprie est far tostum, pinsitum molitumve, et in pulverem redactum. Ut enim far primus fuit Romanorum cibus; ita eo molito, farinæ nomen est factum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (88). Farinam a farre dictam, nomine ipso apparet. — Dicitur tamen de omnibus frumentis, quibus vescimur, ἄλφιτον (It. *farina*; Fr. *farine*; Hisp. *harina*; Germ. *gemahlen Getreide, Mehl*; Angl. *bread-corn, meal, flower*).

I.) Proprie. *Varro* apud *Non. p.* 152. 13. *Merc.* Nec pistorem ullum nossent, nisi eum, qui in pistrino pinseret farinam. *Varro* 2. *R. R.* 5. 7.; *Scribon. Compos.* 160.; et *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (135). Farina hordeacea. *Plin.* 18. *ibid.* 9. 20. (88). siliginea. *Id.* 22. *ibid.* 25. 58. (124). triticea. *Id. ibid.* 67. (137). avenacea. *Id.* 16. *ibid.* 5. 6. (15). Farinam molere. *Id.* 18. *ibid.* 7. 11. (74). Hordeum in subtilem farinam molere. *Id.* 18. *ibid.* 9. 20. (88). Quæ sicca moluntur, plus farinæ reddunt. *Pers.* 3. 112. cribro decussa farina. *Martial.* 8. 16. *de pistore*. Et panem facis et facis farinam. *h. e.* rem tuam familiarem teris et consumis. *Id.* 13. 62. Pascitur et dulci facilis gallina (*h. e.* altilis) farina, Pascitur et tenebris. *Ammian.* 12. 16. Omnes ambitus liminales farina respersit.

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur de omnibus quæ in pulverem teri possunt. *Ovid. Medic. fac.* 61. Jamque ubi pulvereæ fuerint confusa farinæ, Protinus in cribris omnia cerne cavis. *quando saranno ridotte in polvere e mescolate insieme*. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 9. 81. (162). Folia myrti siccantur in farinam. *Id.* 36. *ibid.* 24. 59. (183). Gypsum resolvitur in farinam. *Id.* 33. *ibid.* 7. 40. (119). Minium tunditur in farinam. *Id.* 34. *ibid.* 18. 50. (170). Plumbum ustum terere in farinam. *Id.* 28. *ibid.* 9. 37. (140). Farina testæ salsamentariæ. *Id. ibid.* 7. 23. (84). caminorum. *filiggine*. *Id. ibid.* 11. 49. (178). cornus cervini. *Id.* 17. *ibid.* 20. 34. (147). tofi. *Id.* 32. *ibid.* 7. 26. (79). marmoris. *Id.* 22. *ibid.* 25. 60. (127). qua chartæ glutinantur. *colla*. *Scribon. Compos.* 187. Farina seminis lini. ¶ 2. Translate. *Pers.* 5. 115. quum fueris nostræ paullo ante farinæ. *h. e.* naturæ et morum; quum fueris nobis omnino similis. *Sueton. Aug.* 4. Cassius Parmensis non tantum ut pistoris, sed etiam ut nummularii nepotem, sic taxat Augustum: Materna tibi farina.

FĀRĪNĀCEUS, a, um, adject. *farinaceo*, qui farinæ formam habet. *Gloss. Philox.* Farinaceus, ἀλευρώδης.

FĀRĪNĀRIUM, ii, n. 2. *farinaio*, locus in quo farina asservatur. *Gloss. Philox.* Farinarium, ἀλευρεῖον.

FĀRĪNĀRIUS, a, um, adject. *da farina*, ad farinam pertinens. *Cato R. R.* 76.; et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (115). Farinario cribro subcernunt.

FĀRĪNŌSUS, a, um, adject. farinarius. *Veget.* 2. *Veterin.* 30. 1. Farinosa congeries.

FĀRĪNŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* farina. *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 17. 13. Mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum et affer ad me. *Paul. Diac. p.* 105. 11. *Müll.* Insipere farinulam, jacere pullis. *Farinolam* leg. vett. editt.; *farinulam* Lindmann.; at Müllerus *Insipere far in olam*.

FĀRĪNŬLENTUS, a, um, adject. farinosus. *Apul.* 9. *Met.* Farinulento cinere sordide candidati.

FĀRĬO, ōnis, m. 3. piscis in Mosella degens, qui media ætate sic appellatur, sequente salmo, præcedente salar. Quidam vocant *trutta*; dissimilem tamen puto esse nostratibus. *Auson. Mosell.* 128. Teque inter species geminas, neutrumque et utrumque, Qui nec dum salmo, nec jam salar ambiguusque Amborum, medio fario intercepte sub ævo. *Isid.* 12. *Orig.* 6. *varios* vocat a varietate, quos vulgo *tructas* dicunt.

FĀRĬŎLUS, i, m. 2. pro *hariolus* dixisse veteres, testatur *Scaurus p.* 2252. *Putsch.*; sed nullo confirmat auctore.

FĀRĬOR, āris, ari, dep. 1. olim dictum fuisse videtur pro for, loquor. *Leg. XII. Tab.* apud *Gell.* 15. 13. *extr.* NI TESTIMONIVM FARIATVR. *Al. leg.* fari iatur.

FARNĔUS, a, um, adject. ad farnum pertinens, ut Farnei fungi apud *Apic.* 7. 13., ubi alii leg. *faginei*.

FARNUS, i, f. 2. *farnia*, arbor de genere quercuum, quæ describitur ab *Aldrovand.*, habens folia cerro similia, longiora tamen, angustiora, duriora, et ad atrum inclinantia, quibus incisuræ sunt minus latæ, cum asperitate aliqua in parte superna. Meminit hujus arboris *Vitruv.* 7. 1. Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 9. 3., ubi tamen al. leg. *fraxinus*: dubitant etiam de loco *Vitruvii*. V. tamen *Schneideri* adnotat. ad h. l.

FARRĀCEUS *vel* farracius, a, um, adject. ad far pertinens, farreus. *Varro* 1. *R. R.* 31. 5. Farracia seges. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 7. 23. (39). Bruttia pix cum polline farraceo.

FARRAGINARIA, orum, n. plur. 2. farragines, seu varia frumentorum genera simul commixta ad pecora per hiemem pascenda. *Colum.* 11. *R. R.* 2. *post med.* Farraginaria quoque, pecori futura per hiemem præsidio. Ita leg. *Gesnerus*: sed *Pontedera Antiq. Gr. et Lat. p.* 583. monuit, hoc esse monstrum verbi, et multis argumentis probavit pro *farraginaria* legendum *farrago hordearia*, quam quidem lectionem in textum recepit *Schneiderus*; hinc supra allatam vocem Latio exsulare jubemus.

FARRĀGO, inis, f. 3. πολυμιγία, far, hordeum, vicia, et legumina viridia, cæsa antequam spicam siliquamque gignant, admixtaque pabuli causa, ut *Varro* 1. *R. R.* 31. 5. docet. His enim equi et jumenta cetera per hiemem aluntur, purgantur, saginantur. Dicta est *farrago*, quia præcipue ex farre constat. Similis est quæ a nostris rusticis dicitur *sorgale*. *Paul. Diac. p.* 91. 14. *Müll.* Farrago appellatur id, quod ex pluribus satis pabuli causa datur jumentis (It. *farragine, pastura, mistura*; Fr. *mélange de divers grains, farrago*; Hisp. *mezcla, mixtura*; Germ. *d. gemischte Futter d. Viehes, Gemengsel*; Angl. *a mixture of grains or herbs, given to cattle*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Varro* 2. *R. R.* 7. 13. Sunt qui dicant post annum et sex menses equulum domari posse, sed melius post trimum, a quo tempore farrago dari solet. *Plin.* 18. *Hist.* 16. 41. (142). Farrago ex recrementis farris prædensa seritur, admixta aliquando et vicia. Eadem in Africa fit ex hordeo. *V. Colum.* 2. *R. R.* 11., ubi ejus serendæ rationem docet. *Virg.* 3. *G.* 205. Tum demum crassa magnum farragine corpus Crescere jam domitis sinito. *Nemesian. Cyneg.* 283. Pasce igitur sub vere novo farragine molli Cornipedes. Adde *Colum.* 2. *R. R.* 7. 2. et 11. *ibid.* 2. 99.; et *Pallad.* 10. *R. R.* 8. — *b*) In plurali numero. *Veget.* 2. *Veterin.* 28. 26. *Schneid.* Æstate vero — species illas, quas diximus, pro æstimatione mensuræ farragines ad invicem præbeantur, hoc est, hordei viridis plures majoresque fasciculi, tritici et ciceris vel fœnigræci minores et pauci. At *Schneiderus Gesnerum* secutus leg. *species illæ — farraginis*, quod præstat.

II.) Translate. ¶ 1. Est commixtio et compositio, materia, argumentum. *Juvenal.* 1. 85. Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas, Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli. ¶ 2. Item res levis et parvi pretii, ut est farrago. *Pers.* 5. 77. et in tenui farragine mendax.

FARRĀRĬUS, a, um, adject. ad far pertinens. *Cato R. R.* 10. Farraria fistula. *Scævola Dig.* 7. 1. 58. Sempronio do, lego ex redactu fructuum, oleris et porrinæ, quæ habeo in agro farrariorum. *Torrentin.* ita leg.; alii *farrario*; sed prius præstat, et videtur locum denotare, in quo ager sit. — Hinc

Farraria, orum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt locus ubi farrago, et similia jumentorum pabula, præter fœnum, conduntur. *Vitruv.* 6. 9. *ad fin.* Horrea, fœnilia, farraria, pistrina extra villam facienda videntur.

FARRĀTUS, a, um, adject. seu potius particip., ab inusit. *farrare*; et ¶ 1. Est farre præditus. *Pers.* 4. 30. tunicatum cum sale mordens Cæpe, et farratam, pueris plaudentibus, ollam. *h. e.* in qua puls e farre cocta est. ¶ 2. Item qui ex farre constat. *Juvenal.* 11. 109. Ponebant igitur Tusco farrata catino Omnia tunc. *h. e.* omnes cibi, quos mensæ inferebant, erant e farre, ut in FAR dictum est.

FARRĔĀRĬUS, a, um, adject. farrarius, ut Forrearium pilum, quo far pinsitur, *Cato R. R.* 10.

FARRĔĀTĬO, ōnis, f. 3. usus farrei in nuptiis. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 374. Sane etiam hic mentio cæremoniarum inducitur. Mos enim apud veteres fuit flamini et flaminicæ, ut per farreationem in nuptias convenirent, sellas duas jugatas ovili pelle superinjecta poni, ejus ovis quæ hostia fuisset, et ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione flamen ac flaminica residerent, quod Dido meminit, quum queritur, se ab Ænea contra jus nexus maritalis deseri, his verbis: *regni demens in parte locavi*. Locata enim uxor dicitur, quod simul cum eo sedeat, dum confarreatur. Cf. *Boeth. p.* 779.

FARRĔĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *farreo*, junctus conjugio per farreationem. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 104. Quid est enim aliud: *Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ*, quam in manum convenire? quæ conventio eo ritu perficitur, ut, aqua et igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura conjuncta habeatur, quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus flaminem et flaminicam jure pontificio in matrimonium necesse est convenire.

FARRĔUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

FARRĔUS, a, um, adject. ex farre confectus. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 10. Canes farreo, vel triticeo pane satiandi sunt. — Farreum spicum *Paul. Diac. p.* 280. 9. *Müll.* vocat semen quodlibet spicam ferens. *Auct. de Orig. gent. Rom.* 10. Farreæ mensæ. — *Farrea nubes* vocatur a *Seren. Sammon.* ingens copia porriginis, quæ e capite decidit., 3. 44. Desinet interea glomerari farrea nubes, Cessabitque gravis crebræ porriginis imber. — Hinc

Farreum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Est libi genus ex farre, ut *Paul. Diac. p.* 88. 9. *Müll.* docet. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (10). In sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat: novæque nuptæ farreum præferebant. Adde *Ulp. lib. regular. tit.* 9. ¶ 2. *Paul. Diac. p.* 102. 6. *Müll.* Horreum antiqui dicebant farreum a farre. — Ceterum hoc est exemplum litteræ *f* et *h* permutatæ; sic *fordus* et *hordus*, *fostis* et *hostis*, *fœdus* et *hœdus* etc.

FARRĪCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* far, et significat libum ex farre factum. *Pallad.* 9. *R. R.* 21. Ex novo tritico purgato farriculum facies, et ex musto curabis infundere, ita ut modio farris lagenam musti adjicias: deinde sole siccabis, et item similiter infundis ac siccas. Hoc quum tertio feceris, pane ex eo brevissimos ad modum facies musteorum; et in sole siccatos vasculis novis fictilibus recondis et gypsas. Pro fermento, quo tempore anni musteos facere volueris, hoc uteris.

FARSĪLIS, e, adject., idem ac fartilis, ut Farsilis porcellus apud *Apic.* 8. 7., *h. e.* variis condimentis fartus coctusque cibi causa. Adde *eumd.* 5. 3.

FARSŪRA. *V.* FARTURA init.

FARSUS, a, um. *V.* FARCIO.

FARTĬCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* fartum, parvum fartum. *Titinius* apud *Non. p.* 331. 27. *Merc.* Farticula, cerebellum, lactes agninas. Hic idem locus ita legitur apud *Priscian.* 6. *p.* 686. Craticula, cerebellum, lactis agnina. *Craticula* ex *Non.* corrigendum videtur in *Farticula*; contra *lactes agninas* apud *Non.* corrigendum in *lactis agnina* ex *Priscian.*, qui exemplum singularis numeri se afferre ait: *V.* LACTES *vel* lactis, is.

FARTĪLIS, e, adject. *atto ad ingrassarsi*, qui farciri, hoc est saginari potest. *Fartilia* enim sunt animalia, quæ cibi causa saginari solent, uti anseres, gallinæ, et hujusmodi.

I.) Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 27. (52). Fartilibus (*anseribus*) jecur in magnam amplitudinem crescit. *Apul.* 3. *Met. sub fin.* insolicius et fartilis asinus. *h. e.* exenteratus, et vivæ puellæ corpore, mediæ alvo insuto, fartus.

II.) Translate. *Tertull. advers. Valentin.* 27. Fartilia nescio quæ commenti et hominum et deorum suorum. *h. e.* animale quiddam et corporeum spirituali ac divinæ naturæ veluti infarcientes.

FARTIM, adverb. farciendo, implendo. *Apul.* 2. *Met.* Suis dominis parabat viscum fartim concisum et pulpam frustatim consectam. *h. e.* minutatim: nam quæ farciendo parantur, minutatim conciduntur, ut in botellis et lucanicis. *Id.* 3. *ibid. sub init.* Aditus etiam et tectum omne fartim stipaverat. *h. e.* cumulatim, acervatim.

FARTOR, ōris, m. 3. qui farcit.

I.) Proprie. ¶ 1. Est qui isicia et farcimina facit, ut *Donatus* docet ad illud *Ter. Eun.* 2. 2. 26. Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes. Quæ verba *Cic.* quoque refert 1. *Off.* 42. 150. ubi fartorum artem inter eas recenset, quæ sunt ministræ voluptatum. Horum artificio fingebantur interdum ex farina animalia, avesque variæ nucibus, uvis passis, aliisque condimentis fartæ, qualis fuit epidipnis illa apud *Petron. Fragm. Tragur.* 60. *Burmann. Plautus Truc.* 1. 2. 11. De nostro sæpe edunt, quod fartores faciunt. *scil.* quia de iis, quæ ad eos deferimus, ut farcimina nobis conficiant, partem detrahunt sibi et vescuntur. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 3. 229. ¶ 2. Item qui aves saginat, quæ fartiles dicuntur, *gallinaio*, σιτευτής, ὀρνιθοτρόφος. *Colum.* 8. *R. R.* 7. 1. Pinguem quoque facere gallinam, quamvis fartoris, non rustici sit officium etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 580. 15. ANTIGONVS DRVSI CAESARIS AVIVM FARTOR. Adde *aliam* apud *Reines. cl.* 9. n. 12. *V.* ALTILIARIUS et AVIARIUS, ii.

II.) Translate *fartores* dicti sunt nomenclatores, qui clam velut infarcirent nomina salutatorum in aurem candidati. *Paul. Diac. p.* 88. 15. *Müll.*

FARTRIX, icis, f. 3. quæ farcit. Affertur a *Priscian. super XII. Vers. Æn. p.* 1272. *Putsch.*, nullo tamen auctore laudato.

FARTUM, i, n. 2. *V.* FARCIO in fin.

FARTŪRA, æ, f. 1. Scribitur et *farctura*. Quin apud *Tertull. advers. Valentin.* 27. etiam *farsura* legitur: ut et apud *Varron.* 3. *R. R.* 9. 1., dubia tamen lectione. — Ceterum fartura est quidquid ad farciendum implendumque congeritur, immittitur et inculcatur. Hinc ¶ 1. Generatim. *Varro* 5. *L. L.* 111. *Müll.* hac voce utitur, ubi de intestinis farciendis in usum cibi verba facit. *V.* loc. in FARCIMEN. ¶ 2. Speciatim est altilium saginatio, *ingrassamento*, eo modo quo in FARCIO I. 2. dictum est. *Varro* 3. *R. R.* 8. 3. *de turturib.* Tunc pulli plurimi gignuntur, qui ad farturam meliores. *Colum.* 8. *R. R.* 9. 4. Turtures farturæ destinantur. Adde *eumd. ibid.* 7. 5. ¶ 3. In architectura est quidquid parietibus implendis inservit. *Vitruv.* 2. 8. *ante med.* Tres suscitantur in structura (*parietum*) crustæ, duæ frontium, et una media farturæ. *et paullo ante.* Monumenta facta e marmore, intrinsecusque medio calcata farturis.

FARTUS, a, um. *V.* FARCIO.

FARTUS, us, m. 4. *il pieno*, idem quod fartum, seu quidquid farcit atque implet. *Arnob.* 7. 25. Quid cum pultibus Deo sit, quid cum libis, quid diversis cum fartibus confectionis jure multiplici atque impensarum varietate conditis?

FAS, neutr. indeclin. (in recto, quarto et quinto casu), quod justum, pium licitumque est, ratione habita deorum ac religionis. Derivant etymologi a *fando*, quasi fatum, *h. e.* dictum sit a diis, aut sacerdotibus. Nam *fas* ad deos ac religionem refertur; sicut *jus* ad homines, ut *Servius* docet ad illud *Virg.* 1. *G.* 268. festis quædam exercere diebus Fas et jura sinunt: rivos deducere nulla Religio vetuit etc. (It. *il diritto divino, la legge o il decreto divino o religioso*; Fr. *droit divin, loi religieuse, précepte religieux*; Hisp. *derecho divino, ley, regla religiosa*; Germ. *d. göttliche Recht, d. göttliche, religiöse Ausspruch*; Angl. *divine law, what is just or right by the rules of religion*).

I.) Proprie. — *a*) Cum opposito *jus* apud *Cic. Harusp. resp.* 16. 34. Oratores contra jus fasque interfectos. Adde *Sal. Cat.* 15. Rursus *Cic.* 1. *Att.* 16. 6. Delere omne jus fasque. Cf. *Tac.* 3. *Hist.* 5. Jus fasque exercere. *Liv.* 7. 31. Legatos, sicut fas jusque est ad socios precatum mittemus. *Id.* 27. 17. Ubi jus et fas crederent coli. — *b*) Sine opposito. *Cic.* 7. *Verr.* 13. 34. Contra fas, contra auspicia, contra omnes divinas atque humanas religiones. Cf. *Sueton. Tib.* 2. Etiam virgo Vestalis fratrem injussu populi triumphantem, adscenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est, ne vetare aut intercedere fas cuiquam tribunorum esset. *Flor.* 2. 20. 7. Quæ res ut maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe quum, contra fas deûm moresque majorum, medicaminibus impuris in id tempus sacrosancta Romana arma violasset. — *Forcellinus* addit etiam illud *Virg.* 9. *Æn.* 95. Mortali ne manu factæ, immortale carinæ Fas habeant? *il privilegio dell' immortalità*, — *c*) Hinc dicitur aliquando de ipsis numinibus, seu sumitur pro numine. In veteri formula publice repetentium res, apud *Liv.* 1. 32. Audi Juppiter, audite fines, audiat fas. Apud *Auson.* est ipsa Themis *Technopægn. Edyll.* 12. *de diis.* prima deûm fas, quæ Themis est Grajis. *Seneca Herc. fur.* 658. Fas omne mundi teque dominantem precor Regno capaci. *h. e.* omnes deos superos.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad dies fastos, ut nefas ad nefastos. *Varro* 6. *L. L.* 31. et 32. *Müll.* Dies qui vocatur sic: *Quando rex comitiavit, fas*, is dictus ab eo, quod eo die rex sacrificiolus itat ad comitium, ad quod tempus est *nefas*, ab eo *fas*. — Dies qui vocatur: *Quando stercum delatum, fas*, ab eo appellatus, quod eo die ex æde Vestæ stercus everritur. ¶ 2. Generatim et frequentissime sumitur pro omni eo, quod justum est et licet per quascumque leges, mores voluntatemve hominum, *il giusto, il diritto, il lecito, il permesso*. Occurrit — *a*) Cum Genitivo, aut absolute. *Tac.* 1. *Ann.* 42. Fas gentium. *il gius delle genti.* *Id.* 4. *Hist.* 58. Fas armorum. *il gius dell' armi.* Cf. *Justin.* 39. 3. 8. Præter bellantium fas. Rursus *Tac.* 2. *Ann.* 10. Fas patriæ. *il gius della patria*, quod patria a bonis civibus postulat exigitque. (Sic *Id.* 1. *ibid.* 19. Fas disciplinæ. *h. e.* quod disciplinæ ratio postulat). *Flor.* 3. 14. 5. Fas collegit. *Plin.* 9. *Ep.* 13. 5. Sed non ita me jura privata, ut publicum fas et indignitas facti et exempli ratio incitabat. *Ammian.* 14. 7.

Velut exturbatum e judiciis fas omne discessit. *Quintil.* 3. 8. 26. Fas, justum, pium, æquum subjici possunt honestati. — Ad *fas* in universum et illa pertinent *Cic. Dom.* 13. 35. Factus es ejus filius, contra fas, cujus per ætatem pater esse potuisti. Sic *Sueton. Claud.* 39. Ducturus contra fas Agrippinam uxorem. *Horat.* 3. *Od.* 29. 32. ridetque (deus) si mortalis ultra Fas trepidat. *Virg.* 3. *Æn.* 55. Fas omne abrumpere. *Tac.* 13. *Ann.* 5. Neque fas, neque fidem pensi habere. *Id.* 1. *Hist.* 67. Fas et fœdera respicere. *Ammian.* 14. 1. *med.* Fas jusque perpensum. — Sæpe jungitur cum *nefas. Horat.* 1. *Od.* 18. 10. Quum fas atque nefas exiguo fine libidinum Discernunt avidi. *Ovid.* 6. *Met.* 585. Fas nefasque confundere. Adde *eumd.* 1. *Art. am.* 739.; et *Tac.* 2. *Hist.* 56. Significatur autem hac ratione loquendi, nullam rationem discrimenque haberi æqui et iniqui, honesti et inhonesti. Cf. *Virg.* 1. *G.* 505. Quippe ubi fas versum atque nefas, tot bella per orbem. et *Horat. Epod.* 5. 87. Venena, magnum fas nefasque. *h. e.* venena magnum fas sunt, quum medendis vulneribus, tollendis morbis rite adhibentur, etiam ubi noxii morte puniuntur; magnum nefas sunt venena, ubi ad evertendos et infestandos homines innoxios usurpantur. — *b*) Sæpissime occurrit *fas est*, h. e. licet et justum est. — *Jusque fasque est* apud *Plaut. Cist.* 1. 1. 22. GY. Amabo, hiccine istud decet? LE. Jusque fasque est: nemo alienus hic est. Cf. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 27. Si jus, si fas est. *Liv.* 1. 2. Situs est, quemcumque eum dici jus fasque est, super Numicium flumen. — *Fas est* et *licet* sæpe junguntur. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 7. 19. Domitius, quod per cæremonias populi fieri non poterat, ratione assecutus est, ut id, quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret, populi ad partes daret. *Id.* 3. *de republ.* 22. Huic legi nec obrogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. *Ovid.* 9. *Met.* 551. quid liceat, nefasque fasque sit. *Lucan.* 1. 359. et 9. 214. Si licet et fas est veras expromere voces. *V.* infra sub 3. — Sæpissime *fas est* cum Infinito usurpatur. *Plaut. Bacch.* 1. 9. 102. Nunc si me fas est obsecrare abs te, pater, da mihi ducentos nummos. *Cic. Amic.* 3. 11. Quid non adeptus est, quod homini fas esset optare? *Id. Mur.* 37. 80. Hæc cives, cives, inquam, si eos hoc nomine appellari fas est, de patria sua cogitant. *Id. Dom.* 35. 94. Quum mihi uni, opera mea hanc urbem esse salvam, jurato dicere fas fuisset. *Id. Cluent.* 5. 12. Generi sui, contra quam fas erat, amore capta. *ubi Infinitus subauditur.* Ceterum *Liv.* 1. 16. Ut contra intueri fas esset. *Virg.* 5. *Æn.* 800. Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis. *tu hai tutto il diritto, ogni ragion vuole che* etc. *Id.* 6. *ibid.* 63. fas est vos parcere genti. *Horat.* 1. *Od.* 1. 22. Nec scire fas est omnia. *Ovid.* 15. *Met.* 867. fas appellare pium. *subaudi est. Id.* 1. *Pont.* 8. 55. Illi quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt. et *Stat.* 2. *Achill.* 221. dixisse. *Sueton. Tib.* 41. Nedum credi fas sit. *Quintil.* 10. 5. 7. Fas erat existimari. *Id.* 10. 7. 31. Ad quos (*libellos*) interim respicere fas est. *Id.* 2. 13. 1. Velut si aliter facere fas non sit. *Plin. Paneg.* 5. An fas erat nihil differre? *Id.* 2. *Ep.* 1. 10. Fas est flere. *Tac. Agric.* 46. Neque plangi fas est. *Val. Flacc.* 3. 414. fas accedere cœtus. *Id.* 7. 208. fas dilexisse manes. *Id.* 3. 309. fas jungere pectora. *Id.* 8. 419. consultaque vestra Fas audire mihi. — *Fas est dictu* apud *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 38. Humanus animus decerptus ex mente divina cum alio nullo, nisi cum ipso Deo, si hoc fas est dictu, comparari potest. — *Fas existimare, putare, habere* cum Infinito. *Plaut. Asin.* 3. 1. 11. Neque te accuso, neque me id facere, fas existimo. *Cæs.* 6. *B. G.* 14. Neque fas esse existimant, ea litteris mandare. *Id.* 5. *ibid.* 12. Leporem et gallinam et anserem gustare fas non putant. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 23. Sic *Plin.* 1. *Ep.* 5. 7. Ne interrogare quidem fas puto. *Plaut. Trin.* 2. 2. 10. Quod manu non queunt tangere, tantum fas habent, quo manus abstineant. *h. e.* solum putant, fas esse abstinere manus ab iis, quæ tangere et rapere non possunt. *Tac.* 14. *Ann.* 30. Cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant. Adde *eumd. Germ.* 9.; et *Quintil.* 3. 8. 13. — Huc pertinet et illud *Ovid.* 2. *Trist.* 205. Fas prohibet, Latio quemquam de sanguine natum, Cæsaribus salvis, barbara vincla pati. — *c*) Aliquando adjectivi vim habet. *Ovid. Heroid.* 4. 131. Juppiter esse pium statuit, quodcumque juvaret: Et fas omne facit fratre marita soror. *rende ogni cosa lecita e permessa.* ¶ 3. *Fas est* aliquando significat *è possibile,* fieri potest. *Cæs.* 1. *B. G.* 50. Non esse fas, Germanos superare, si ante novam lunam prælio contendissent. *Cic. post redit. ad Quir.* 7. 17. Huic ego homini, Quirites, tantum debeo, quantum hominem homini debere vix fas est. *Id. Dom.* 43. 113. Negabas fas esse, duos consules esse in hac civitate inimicos reipublicæ. Duo sunt inventi, qui senatum tribuno furenti constrictum traderent etc. *diceci che non era possibile* etc. *Ovid.* 2. *Art. am.* 151. Nec mihi tot positus numero comprendere fas est. *Virg.* 7. *Æn.* 692. Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 41. Fas quoque, ab ore freti longæque Propontidos undis Huc aliquem certo vela dedisse Noto. *si può dare, può essere che* etc. — Fortasse ita quoque verti potest, quotiescumque cum *licet* jungitur. *Id.* 1. *Fast.* 25. Si licet et fas est, vates rege vatis habenas. *Stat.* 8. *Theb.* 90. Si licet et sanctis hic ora resolvere fas est Manibus. ¶ 4. *Fas* interdum et pro *fato* ponitur. *Ovid. Heroid.* 13. 71. Si cadere Argolico fas est sub milite Trojam, Te quoque non ullum vulnus habente cadat. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 436. quam vellent æthere in alto Nunc et pauperiem et duros perferre labores! Fas obstat, tristique palus inamabilis unda Alligat etc.

Homonymi. *Fas esse* et *licere* sic rectius distinguenda sunt: *fas* esse dicimus, quod divina vel naturali lege conceditur; *licere* autem dicimus, ut ait *Cic.* 13. *Phil.* 6. 14., quod (humanis) legibus, quod more majorum institutisque conceditur. Porro quum *fas esse* et *licere* pro fieri posse accipiuntur, sic accipiuntur ut utrumque moralem significet possibilitatem, cui opponitur hinc verbum *posse* physicam possibilitatem significans, illinc verbum *oportet* moralem sæpissime obligationem denotans. *Cic. Mil.* 16. 43. Clodius ita judicia contempserat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret. *Id. Balb.* 1. 10. Hujus de facto ita quæri, ut id agatur, licueritne ei facere, quod fecit; an vero, non dicam non licuerit, sed nefas fuerit (contra fœdus enim, id est contra populi Romani religionem et fidem fecisse dicitur), non turpe populo Romano? *Tac.* 3. *Hist.* 33. Aliud cuique fas, nec quicquam illicitum. *Cic. Cæl.* 11. 27. Si licet, si fas est. *Id.* 2. *leg. Agr.* 7. 19. Quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret. *Ovid. Heroid.* 12. 235. Qua licet et possum, luctor celare furorem. *Cic.* 6. *Verr.* 20. 44. Licuit posse domesticis copiis ornare convivium. *Id.* 3. *Parad. sub fin.* Quidquid non oportet, scelus esse: quicquid non licet, nefas putare debemus.

FASCĀLIS, e, adject. ad fascem pertinens. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 274. *n.* 154. MAXIMO FASCALI AUG. N. BICTORIA CONJUGI INCOMPARABILI. Idem *Fabrettus* hic adnotat, fasces hinc inde cum securibus in lapide repræsentari, unde intelligimus hunc Maximum fuisse Augusti cujusdam lictorem, cujus professio hac voce cadentis Latinitatis propria significatur.

FASCĔA, **FASCĔĀTIM** et **FASCĔĀTUS**, } *V.* **FASCIA, FASCIATIM, FASCIATUS.**

FASCĬA, æ, f. 1. olim et *fascea* scriptum fuit. Ceterum fascia

I.) Proprie est pannus lineus, vel laneus, oblongus et angustus, ad obligandum, vestiendumve, *fascia*, ἐπίδεσμος, σπάργανον. — *a*) Quales sunt, quibus infantes, aut vulnera obvolvuntur. *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 13. Puero fasciis opus est, pulvinis, cunis. *Cic. Brut.* 60. 217. Devinctus erat fasciis, et multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus. *Sueton. Domit.* 17. Brachium lanis fasciisque obvolvere. *Id. Galb.* 21. Latus fascia substringere. *Gell.* 16. 3. Fasciis ventrem strictissime colligare. — *b*) Fuit fasciarum usus etiam vestiendi, et sustentandi, et obtegendi causa: ut quas adhibebant viri cruribus fovendis, amiciendo pedi, ne in calceo aut læderetur, aut nataret: et quas iidem herniis sustinendis; et quas mulieres tegendo pectori et papillis. De prioribus *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 537. 5. *Merc.* Quum vincirentur pedes fasciis, quum calanticam capiti accommodaretur. *scarpette, peduli. V.* CALVATICA. *Quintil.* 11. 3. 144. Fascias quibus crura vestiuntur, et focalia, et aurium ligamenta sola excusare potest valetudo. *Cic.* 2. *Att.* 3. Epicratem suspicor lascivum fuisse: etenim mihi caligæ ejus, ut fasciæ cretatæ, non placebant. De Pompejo loquitur, de quo et *Val. Max.* 6. 2. *n.* 7. Candida fascia crus alligatum habenti, Favonius: Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 57. 82. (221). Fasciæ, quibus in calceatu utebatur. *Lamprid. Alex. Sev.* 40. Fasciis semper usus est. *h. e.* pedulibus: de quibus multa ibi *Salmas*. disserit. *Ulp. Dig.* 34. 2. 25. Fasciæ crurales pedulesque loco vestium sunt. *Grat. Cyneg.* 338. tegat imas fascia suras. Adde *Justin.* 38. 1. *ad fin.* et *V.* CRURALIS. — *c*) De alteris, *V.* VINCTURA. — *d*) De tertiis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 274. Inflatum circa fascia pectus eat. *Id. Remed. am.* 337. omne papillæ Pectus habent tumidæ; fascia nulla tegat. *Propert.* 4. 9. 49. *de Hercule.* Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus. *Martial.* 14. 134. cujus lemma est *fascia pectoralis*. Fascia crescentes dominæ compesce papillas. Adde *Caton.* apud *Festum p.* 265. 2. *Müll. V.* PECTORALIS et STROPHIUM. — *e*) *Fascias* lecti cubicularis memorat *Cic.* 2. *Divinat.* 65. 134., et sunt quibus culcita ipsa sustinebatur. *Martial.* 5. 62. Nulla tegit fractos nec inanis culcita lectos: Putris et abrupta fascia veste jacet. *Id.* 14. 159. cui titulus *Tomentum Lingonicum*. Oppressæ nimium vicina est fascia plumæ. — *f*) *Fascia* coronæ addita regium erat insigne, nempe diadema. *Sueton. Cæs.* 79. Quum quidam statuæ ejus coronam lauream candida fascia præligatam imposuisset, et tribuni pleb. coronæ fasciam detrahi, hominemque duci in vincula jussissent. *Seneca Ep.* 80. *extr.* Vides illum Scythiæ regem, insigni capitis decorum? Si vis illum æstimare, fasciam solve, multum mali sub illa latet. — *g*) Quas in publico epulo Caligulam pueris et feminis fascias purpuræ ac conchylii distribuisse, narrat *Sueton.* 17., fuisse videntur institæ prætexendæ in ima toga et fasciæ pectorales. — *h*) *Fascia junci* apud *Plin.* est involucrum e junco 15. *Hist. nat.* 17. 18. (66). Uvas sole siccatas junci fasciis involvit, cadisque conditas gypso includit.

II.) Improprie. ¶ 1. Fascia aliquando corticem significat, inquit *Non. p.* 541. 19. *Merc.* afferens illud *Varronis:* Libyssa citrus fasciis cingit fores. Quæ verba affert etiam *Id. p.* 86. 9. *Merc.*, et intelligenda sunt de opere vermiculato, Itali dicunt *tarsia, intarsiatura*, in quo veteres utebantur citreis laminis ad fores, mensas, subsellia, lectos et reliquam domorum supellectilem ornandam. *V.* CITRUS. ¶ 2. In architectura *fasciæ* per similitudinem dicuntur membra quædam oblonga et angustiora in epistyliis longe eodem tenore procurrentia, et fasciæ instar extensa. Referunt enim speciem adpactarum regularum, *liste, listelli. Vitruv.* 3. 5. 11. *Schneid.* Corona cum suo cymatio præter simam, quantum media fascia epistylii. ¶ 3. Nubes quoque in modum fasciarum longo per cœlum tractu protensæ, et tempestatis nunciæ, *fasciæ* dicuntur. *Juvenal.* 14. 294. Nil color hic cœli, nil fascia nigra minatur. ¶ 4. Etiam zonæ in cœlo. *Capell.* 6. *p.* 196. Orbis terræ in quinque zonas, sive melius fascias dico, discernitur. ¶ 5. *Non est nostræ fasciæ, h. e.* nostræ sortis, conditionis, ordinis: proverb. apud *Petron. fragm. Tragur.* 46. *Burmann.*, in quo alii respectum volunt ad fascias infantium; alii ad mercatorum consuetudinem, unius generis merces eadem fascia involvendi; alii ad fascias crurales, quas ditiores ex pretioso panno, et sordido pauperes gestare solent.

FASCĬĀTIM vel fasceatim (nam et *fascea* olim scribebant), adverb. per fasces. *V.* locum *Quintil.* 1. 4. 20. in ATTRACTIO.

FASCĬĀTUS, a, um. *V.* FASCIO.

FASCĬCŬLĀRĬA, um, n. 3. quæ in fasciculum colligantur et fascis modo portantur. *Veget.* 2. *Milit.* 19. *extr.* Fascicularia tamen, id est lignum, fœnum, aquam, stramen, etiam legitimi milites in castra portabant.

FASCĬCŬLUS, i, m. 2. *fascetto*, δεσμίς, φακελλος, *deminut. a* fascis, parvus fascis. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 12. Fasciculum illum epistolarum, in quo fuerat et mea, et Balbi, totum sibi aqua madidum redditum esse. *plico.* Adde *eumd.* 2. *Att.* 13. 1. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 12. ne forte sub ala Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum. *Cic.* 3. *Tusc.* 18. 43. Fasciculum (*florum*) ad nares admovere. *Colum.* 2.

R. R. 10. 11. Fasciculus leguminum. *Id.* 12. *ibid.* 19. 4. fœniculi. *Scribon. Compos.* 114. murti. Adde *eumd. Compos.* 83. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (16). Linum in fasciculos manuales colligatum siccatur in sole.

FASCĬGER, gĕra, gĕrum, adject. fascem, vel fasces gerens. *Paulin. Nolan.* 13. *Natal. S. Felicis* 321. Te duce fascigerum gessi primævus honorem. *h. e.* honorem consularitatis Campaniæ, in qua dignitate non bissenos fasces, sed bis ternos gerebant consulares, ut ipse *ibid.* 342. Ergo ubi bis terno dilionis fasce levatus Deposui nulla maculatam cæde securim.

FASCĪNA, æ, f. 1. *fascina*, fascis sarmentorum et virgarum. *Cato R. R.* 37. De vinea et arboribus putatis sarmenta degere et fascinam face. *Schneiderus* omnium primus in textum pro *fiscinam* recepit ex *Pontederæ* conjectura, qui in *Antiquit. Gr. et Lat.* p. 51., Codicis *Politiani* auctoritate fultus, Lexicis hanc vocem addendam censuit, quum et Itali et Galli eamdem admiserint a vetustissimis Latinis vulgo eam usurpantibus mutuati.

FASCINABELLUM *et*

FASCINABULUM, i, n. 2. *deminut. a* fascinum. Voces a Lexico expungendæ: occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 182.

FASCĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. *malia*, βασκανία, actus fascinandi. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (22). Cur et ascinationibus adoratione peculiari occurrimus? *Sillig.* vero pro *et fascinationibus* leg. *effascinationibus. Id. ibid.* 4. 7. (35). Fascinationes repercutere. *Id. ibid.* 8. 27. (101). Fascinationibus resistere. *Vulgat. interpr. Sap.* 14. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.

FASCĪNĀTOR, βάσκανος. *Gloss. Lat. Græc.*

FASCĪNĀTŌRĬUS, a, um. adject. ad fascinandum pertinens. Est *Servii* ad *Virg.* 7. *Ecl.* 28. Lingua fascinatoria. *V. Catulli* loc. in v. FASCINO.

FASCĪNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FASCĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *ammaliare*, βασκαίνω. Part. *Fascinans* et *Fascinatus.* — Fascino est malefico aspectu, aut alio quovis veneficio alieni noceo. *Virg.* 3. *Ecl.* 103. Nescio qui teneros oculus mihi fascinat agnos. *Catull.* 7. 11. Quæ (*basia*) nec pernumerare curiosi Possint, nec mala fascinare lingua. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (40). Contra fascinantes. *Veget.* 7. *Veterin.* 73. *Schneid.* Animal fascinatum. *Vulgat. interpr. Galat.* 3. 1. O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?

FASCĪNŌSUS, a, um, adject. Comp. *Fascinosior.* — Fascinosus est bene peculiatus, magno pene præditus. *Auct. Priap.* 80. Non es poeta fascinosior nostro. *Al. leg.* sarcinosior *eod. sensu*; *sed prior lectio verior est. V.* voc. seq.

FASCĪNUM, i, n. *et*

FASCĪNUS, i, m. 2. Genere neutro sæpius occurrit; masculino autem genere habent *Virg.*, cujus verba *V.* infra sub 2. in fin., et *Plin.* quem *V.* sub 3. — Ceterum ¶ 1. Fascinum, Græce βασκανία, est quoddam incantationis genus, quo homines ita ligantur, ut liberi non sint, nec mentis compotes, et sæpe ad extremam corporis maciem deveniant: a βάσκανος, ut *Cloatius Verus* apud *Gell.* 16. 12. docet. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (18). scribit ex *Cic.*, mulieres omnes, quæ duplices habent pupillas, oculis fascinum circumferre. Translate *Symmach.* 1. *Ep.* 7. (*al.* 13.). Nullo fascino felicitas publica mordeatur. ¶ 2. Usurpatur etiam pro veretro, quia veteres adversus fascinationem veretro utebantur. Nam omnia turpia malos invidorum oculos ab instituto avertunt atque avocant. Ut igitur aves inauspicatæ foribus affixæ amoliri infortunium credebantur; sic veretra, quorum in fascinando usus erat, fascinum etiam depellere censebantur. Hinc teste *Varron.* 7. *L. L.* 97. *Müll.* pueris figura veretri pro amuleto de collo suspendebatur; quod etiam num apud nostrates obtinet, etsi propter hujusce rei ignorationem alia de causa id fieri plerique putent. Et *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (50). Hortoque et foro tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus in remedio satyrica signa. *h. e.* tenta veretra. *Cœl.* vero *Rhodiginus Antiq. lect. l.* 4. *c.* 6. ex *Varron.* narrat, in sacris Bacchi veretrum magna celebritate plaustris per agros et per urbes circumferri solitum fuisse, ut fascinatio a plantis et segetibus, ab agnis et aliis bestiis, ab hominibus etiam averteretur. Hinc est quod paucis abhinc annis Pompejis supra furni os repertum fuerit lapideum veretrum cum hac Inscriptione: HIC HABITAT FELICITAS. *V. Mich. Arditi* dissert. *Il fascino presso gli antichi. Napoli* 1825.; ex quo sane invento magna lux affunditur *Symmachi* loco supra § 1. allato. *Horat. Epod.* 8. 18. Minusve languet fascinum. Adde *Auct. Priapej.* 22. 79. et 83. *Auct. carm.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 473. *Burmann.* ad *Priapum.* Da mihi, ut pueris et ut puellis Fascino placeam bonis procaci. *V.* SPURIUS. *Petron. Satyr.* 138. Profert Enothea scorteum fascinum. *h. e.* veretrum e corio. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 62. (96). Altera satyrus (*herba*) distinguitur internodiis et ramosiore frutice, radice fascini. *Arnob.* 5. 28. Simulacra virilium fascinorum. Adde *Tertull. Apolog.* 25.; et *Augustin.* 6. *Civ. Dei* 9. et 7. *ibid.* 24. Mascul. genere *Virg. Catal.* 5. 19. Non me vocabis pulcra per Cotyttia Ad feriatos fascinos. ¶ 3. *Fascinus* est etiam dei nomen apud veteres, qui nihil aliud fuit, quam veretrum, de quo sic *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (39). Illos religione tutatur et fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium, custos, qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur, et currus triumphantium sub his pendens defendit, medicus invidiæ etc. ¶ 4. Est etiam nomen cujusdam piscis apud *Apul. de Mag.* Posse dicitis ad res venereas sumpta de mari spuria et fascina, propter nominum similitudinem. *Paullo ante* spuria *dixerat* virginal, fascina *vero* veretillam.

FASCĬO, as, ātum, are, a. 1. *fasciare*, σπαργανόω. Part. *Fasciatus.* — Fasciare est fascia ligare. *Martial.* 12. 57. Nec fasciato naufragus loquax trunco. *Capitolin. Antonin.* 13. Tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur, ut rectus incederet. *Veget.* 3. *Veterin.* 17. 4 *Schneid.* Anacollema lanæ infundes et super oculum curatum impones ac desuper fasciabis. Adde *Vulgat. interp. Ezech.* 30. 21.

FASCĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* fascia, parva fascia, *piccola fascia, fascetta*, ἐπίδεσμον. *Cic. Harusp. resp.* 21. 44. A muliebribus soleis purpureisque fasciolis. *Varro* 5. *L. L.* 29. *Müll.* Texta fasciola, qua capillum in capite alligarent, dictum *capital* a capite. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 255. ponas insignia morbi, Fasciolas, cubital, focalia. Adde *Scribon. Compos.* 57. *Theod. Priscian.* 2. *p.* 2. *c.* 9. Eorum (*quibus de thorace sanguis emerserit*) articulos vel extrema femorum fasciculis (*lege* fasciolis) competenter astringo. *Apul.* 2. *Met.* Ipsa linea tunica mundule amicta, et russea fasciola prænitente altiuscule sub ipsa papillas succinctula etc. *Vopisc. Aurel.* 4. Vinclum fasciola Aurelianum aquila innoxie de cunis levavit. *V.* et voc. seq.

FASCĬŎLUS, i, m. 2. *deminut.* idem quod fasciola, parva fascia. *Veget.* 3. *Veterin.* 57. 1. *Schneid.* Si exunguiaverit jumentum, – papyrum candelarum purgatam subtiliter carpis, intingis in ovi crudi albumento, circa nudatum pedem in circuitum pones, panno et fasciolo superligabis.

FASCIS, is, m. 3. φάκελος, δέσμη, lignorum alteriusve rei congeries simul colligata (It. *fascio, fastello*; Fr. *faisceau, paquet*; Hisp. *lio, fardo, paquete*; Germ. d. *Bündel, Bund*; Angl. *a bundle of wood, twigs, straw, reeds etc., a fagot, fascine*). Occurrit autem *A*) Generatim; et *B*) Specialim.

A) Generatim.

I.) Proprie. *Plaut. Epid.* 1. 1. 26. Viminei fasces virgarum. *Auct. B. G.* 8. 15. Fasces stramentorum ac virgultorum, per manus inter se transditos, ante aciem collocaverunt. *Liv.* 6. 10. Fasces sarmentorum. *Tac.* 13. *Ann.* 35. Fascem lignorum portare. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (16). Fascis lini. *Martial.* 14. 38. calamorum. *Justin.* 12. 5. 7.; et *Ammian.* 21. 16. epistolarum. *Ammian.* 15. 5. Fascem committere. *h. e.* colligare. *Virg.* 9. *Ecl.* 65. ego hoc te fasce levabo. *Id.* 3. *G.* 347. Injusto sub fasce viam carpere. *h. e.* sub gravi pondere sarcinæ militaris (quod illustrat *Cic.* 2. *Tusc.* 16. 37.). *Id.* 4. *ibid.* 203. *de apib.* Sæpe etiam duris errando in cotibus alas Attrivere, ultroque animam sub fasce dedere. *h. e.* sub onere florum.

II.) Translate. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Tot crimina, tot reos uno velut fasce complecti. *far come un fascio di tante accuse.*

B) Specialim.

I.) Proprie. Apud Romanos *fasces* erant virgarum seu bacillorum fasciculi, plerumque ex betulla arbore, quibus simul colligata erat securis, ferro ejus extante. Hi a lictoribus præferebantur magistratibus tamquam eorum insigne atque animadversionum instrumenta: bini quidem prætoribus urbanis; seni proconsulibus et prætoribus provincialibus; duodecim consulibus; vigintiquatuor dictatori. Duumviris quoque municipalibus in suis municipiis, primo bacillos, deinde fasces binos cum securibus habere, mos fuit. *V. Cic.* 2. *leg. Agr.* 34. 93. et *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 10. 31. 53. Quæstores etiam in provinciis fascibus usos, colligitur ex *eod. Cic.* 4. *Verr.* 4. 11. *V.* LICTOR. Vetuloniam Etruriæ urbem fasces cum securibus invenisse tradit *Sil. It.* 8. 483. Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis: Bissenos hæc prima dedit præcedere fasces, Et junxit totidem tacito terrore secures. Si castigatione opus erat, virgis; si graviori supplicio, securi utebantur: quamquam interdum virgis quoque ad necem usque cæsos quosdam legimus. Quod autem colligata hæc potestatis instrumenta instituta sint, eo pertinuit, ut intelligerent magistratus, eorum iram non debere esse in puniendo præcipitem; et ut dum solvuntur fasces expediunturque secures, mora afferretur aliqua iratis animis et cunctando res maturius deliberaretur, ut est apud *Plutarch. Quæst. Rom.* — Præferebantur a lictoribus sublati in humerum sinistrum: quod si forte majori magistratui in via minor occurreret, demittebantur ex humero, honoris habendi causa. Hoc dicebatur *fasces submittere:* quod primum fecisse Valer. Poplicolam Cos., qui submissis fascibus (et securi vacuefactis, ut est apud *Val. Max.* 4. 1. *n.* 1.) in concionem ascendit, narrat *Liv.* 2. 7., gratum multitudini spectaculum, veluti confessionem, populi, quam consulis, majestatem vimque esse majorem. Simile quiddam de Pompejo narrat *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (112). Hinc *submittere fasces* translate est cedere, seque minorem fateri. *Cic. Brut.* 6. 22. Quum tibi ætas nostra jam cederet fascesque submitteret. — Hinc *Lucret.* 5. 1232. Usque adeo res humanas vis addita quædam Obterit, et pulcros fasces sævasque secures Proculcare ac ludibrio sibi habere videtur. *Horat.* 1. *Od.* 12. 35. Superbi fasces. *Ovid.* 1. *Fast.* 81. novi. *Tac.* 3. *Ann.* 2. versi. *Albinov.* ad *Liv.* 177. fracti. *Aurel. Vict. vir. ill.* 20. lictorii. *Virg.* 7. *Æn.* 173. attollere fasces. *Cic.* 1. *de republ.* 40. demittere. *Quintil.* 3. 7. 18. submittere. Adde *Liv.* 1. 8. et 3. 33.; *Sueton. Cæs.* 71., *Claud.* 7. et *Tib.* 4.; *Vellej.* 2. 99. 4.; *Flor.* 1. 22. 2., 3. 20. 7. et 1 3. 3.; *Plin. Paneg.* 61.; et *Claudian. Cons. Olybr.* 233. — Inter consules ita comparatum aliquando fuit, ut non ambo, sed alter fasces imperiumque haberet, si ambo adessent, alternis aliquando diebus (ut constat ex loco *Livii* mox citando, minime vero ex auctoritate *Diarii consularis* apud *Murat. Inscript. T.* 2. *p.* 610., quod spurium esse et ficticium multis probat argumentis *Jo. Labusius* in *adnot.* ad *Morcelli Dissert. dei littori de' magistr. R. p.* 30. et *Baumgarten.* ad *Sueton.* (*Cæs.* 20.) plerumque mensibus; altero vel securim tantummodo, vel fasces ipsos omnino dumi attinente. Cui vero jus esset primi mensis fasces sumere, pluribus docet *Gell.* 2. 15. ex lege Julia. *Sueton. Cæs.* 20. Antiquum etiam retulit morem, ut quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur. *Liv.* 8. 12. Æmilius, cujus tum fasces erant, collegam dictatorem dixit. *Val. Max. loc. cit.* Ad quem, quia major natu erat, priores fasces transferri jussit. — A Pupilcola jam laudato mos institutus, ut in Urbe consules fascibus sine securi uterentur; cujus rei exemplum habes apud *Liv.* 24. 9.: non item dictatores et decemviri, quia sine provocatione erant: qua de re *V. eumd.* 3. 36. et quæ diximus in DICTATOR. — *Fasces coronati* erant quibus laurea corona præfixa erat, quosque in nummis videre est a *Spanhem. de usu et præst. numm. T.* 2. *p.* 88. *et seqq.* illustratis. *Laureati* vero, qui lauri tantum folia præferebant, insignia nempe imperatorum post reportatam victoriam, quemadmodum et litteræ, quas publice de hoste victo mittebant Romam, iisdem foliis exornabantur; quæ videre est apud *Maff. Mus. Ver. p.* 117. et apud *Winckelmann. Monum. Ined. T.* 2. *tab.* 178. et alibi. *Cæs.* 3. *B. C.* 71. Neque in litteris, quas Pompejus scribere est solitus, neque in fascibus insignia lauræ prætulit. *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 59. Visus C. Marius cum fasci-

bus laureatis. Adde *eumd.* 8. *Att.* 3. *a med.*; et *Tac.* 13. *Ann.* 9. — Fascibus decorabantur etiam duumviri et quatuorviri in coloniis et municipiis. *Apul.* 10. *Met. p.* 711. *Oudend.* Gradatim permensis honoribus, quinquennali magistratui fuerat destinatus, et, ut splendori capessendorum responderet fascium, munus gladiatorium triduanis spectaculis pollicitus, latius munificentiam suam porrigebat. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 10. 31. 33. et *Cod. Theod.* 12. 1. 174. Duumvirum impune non licet extollere potestatem fascium extra metas propriæ civitatis. *Inscript.* apud *Henzen.* 5758. a. NVMINI AQVAE ALEXANDRIANAE. HANC AQAM NYMPHIS EXTRVXI NVMINE LAETVS, CVM GEREREM FASCES PATRIAE NVMORE SECVNDO. PLVS TAMEN EST MIHI GRATVS HONOS, QVOD FASCIBVS ANNVS IS NOSTRIS DATVS EST, QVOD SANCTO NOMINE DIVES LAMBAENSEM LARGO PERFVDIT FLVMINE NYMPHA. Hinc est quod in antiquis monumentis sæpe videre est insculptos fasces, sine securibus tamen, qui ostendunt, eos, quorum nomina ibidem leguntur, fuisse duumviros aut quatuorviros, vel saltem duumviralibus aut quatuorviralibus ornamentis decoratos, vel denique, licet Augustales tantum fuerint, iisdem fascibus honoratos esse. V. *Labus* adnotat. ad *Rosmini, Stor. di Milano T.* 1. *p.* 138. — Etiam præfectis Urbis fasces tribuebantur, ut compertum est ex *Cassiod.* 1. *Variar.* 42. Te ad præfecturam Urbis erigimus, tribuentes tibi in ea civitate fasces, ubi sunt perpetui honores. Adde *eumd. ibid.* 13. — Item consularibus Campaniæ fasces tributos constat ex *Inscript.* apud *Orell.* 3170. CLAVDIO IVLIO PACATO V. C. CONS. CAMP. OB AEQVITATEM IVDICIS ET PATROCINIA JAM PRIVATI ORDO AFNNVENTANORVM PATRONO POST FASCES DEPOSITOS CENSVIT CONLOCANDAM. *scil.* statuam.

II.) Metonymice fasces ponuntur pro magistratu, præcipue vero pro consulatu. *Lucret.* 3. 1009. Petere fasces. *Cic. Dom.* 10. 24. Qui locus in orbe terrarum vacuus extraordinariis fascibus atque imperio Clodiano fuisset? *Virg.* 2. *G.* 495. Illum non populi fasces, non purpura regum Flexit. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 96. Parentes honesti fascibus et sellis. *Id.* 1. *Ep.* 16. 34. Deferre et detrahere fasces indigno. *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 61. alterna feretis Gaudia, tu fratris fascibus, ille tuis. *Juvenal.* 5. 110. et titulis et fascibus olim Major habebatur donandi gloria. Adde *Sil. It.* 11. 152. *Sueton. Ner.* 43. Suscipere fasces. *Flor.* 1. 9. 3. Fasces abrogati. *Id.* 1. 24. 2. retenti. — De loco *Cic. Brut.* 6. 22. *V.* supra sub *B.* 1.

FĀSĔLĀRE. *V.* **FACELARE.**

FĀSĔLĀRĬA *et*

FĀSĔLUS *et*

FĀSĔŎLUS. *V.* **PHASELARIA, PHASELUS, PHASEOLUS.**

FĀSĬĀNUS. *V.* **PHASIANUS.**

FASSUS, a, um. *V.* **FATEOR.**

FASTI, ōrum, m. plur. 2. *V.* **FASTUS**, a, um.

FASTĪDĬBĬLIS, e, adject. fastidium afferens, ut Fastidibilia judicia, *Tertull. Anim.* 33. *ad fin.*

FASTĪDĬENTER, adverb. fastidiose. *Apul.* 5. *Met.* Parentibus fastidienter appellatis.

FASTĪDĬLĬTER, adverb. fastidiose. *Varro* apud *Non. p.* 112. 11. *Merc.* Quibus instabilis animus ardens mutabiliter avet habere, et non habere, fastidibiliter inconstanti pectore.

FĀSTĪDĬO, is, ivi *vel* ii, itum, ire, n. et a. 4. Part. *Fastidiens* I. *A.* et in fin.; *Fastiditus* II. *B.*; *Fastidiendus* I. *B.* — Fastidire, quod juxta *Forcellinum* est a *fastus*, ut sit proprie cum fastu despicere, rejicere (*V.* tamen **FASTIDIUM**), est respuere, recusare, abhorrere, aversari, aspernari (It. *infastidirsi, annoiarsi, sdegnare, rigettare*; Fr. *avoir du dégoût, de la répugnance, être dégoûté*; Hisp. *haber desgana, inapetencia, disgusto*; Germ. *Widerwillen, Ekel haben, fühlen, empfinden gegen etwas, verschmähen*; Angl. *to despise with a degree of haughtiness, disdain, scorn, dislike, loathe*).

I). Proprie refertur ad stomachum cibos respuentem; et interdum etiam ad nares et aures; ei occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more. — De stomacho. *Plaut. Stich.* 5. 4. 33. Bibendum hercle hoc est, ne nega: quid hic fastidis? *cos'è che non ti piace? Horat. Epod.* 5. 78. Majus parabo, majus infundam tibi Fastidienti poculum. *Seneca Ep.* 2. Fastidientis stomachi est multa degustare. — De naribus. *Plaut. Men.* 1. 2. 58. ME. Olfacta igitur hinc, penicule lepide. Ut fastidis! PE. Decet. ME. Quid igitur? quid olet?

B) Active. — De stomacho. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 115. num esuriens fastidis omnia præter Pavonem rhombumque? *Id.* 1. *Ep.* 17. 15. olus. *Phædr.* 3. 7. pulmentarium. *Colum.* 8. *R. R.* 16. 4. Docta palata fastidiunt fluviatem lupum. *Id.* 2. *ibid.* 9. 19. Fastidire pultem. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 16. 57. (97). Cactus non fastidiunt in cibis, inveteratos quoque. *Vet. Poeta* apud *Sueton. Tib.* 59. Fastidire vinum. — De naribus. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 38. (79). Euphorbiæ succus fastidiendum odorem habet. — De auribus. *Quintil.* 9. 4. 116. Aures plena sentiunt, parum expleta desiderant, — clauda deprehendunt, redundantia ac nimia fastidiunt.

II.) Translate quoque occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more. — *a*) Absolute. *Plaut. Curc.* 5. 2. 34. Ut fastidit gloriosus! *Id. Most.* 4. 2. 4. Vide, ut fastidit simia! *Cic. Mil.* 16. 42. Nihil est tam fragile aut flexibile, quam voluntas erga nos sensusque civium, qui non modo improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam in recte factis sæpe fastidiunt. *Al. delent* in. — *b*) Cum Genitivo, quo modo *tædet* et similia. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 67. Abiit, neque me certiorem fecit: fastidit mei. *Titinius* apud *Non. p.* 496. 15. *Merc.* Quo te avortisti? mei fastidis? *Lucilius* apud *eumd. ibid.* Tristes, difficiles sumu', fastidimu' bonorum.

B) Active. — *a*) Cum Accusativo. — De hominibus. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 98. CH. Soccis habet auro subpactum solum. NI. Cur ita fastidit? CH. Tantas divitias habet: nescit quid faciat auro. *Virg.* 2. *Ecl.* 73. Invenies alium, si te hic fastidit, Alexim. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 20. Cetera nequaquam simili ratione modoque Æstimat, et nisi quæ terris semota suisque Temporibus defuncta videt, fastidit et odit. *Id.* 1. *ibid.* 14. 2. villice silvarum et agelli, Quem tu fastidis. *Id. ibid.* 3. 11. Fastidire lacus et apertos rivos. *Id.* 1. *Sat.* 3. 43. pater ut gnati, sic nos debemus, amici Si quod sit vitium, non fastidire. *Liv.* 31. 5. *extr.* preces alicujus. *Curt.* 6. 10. 23. mores alicujus. *Id.* 8. 7. 13. Jovem. *Quintil.* 1. 1. 18. hoc lucrum. *Id.* 1. 4. 6. tamquam parva, grammatices elementa. *Justin.* 14. 2. 7. Argyraspides post Alexandrum omnes duces fastidiebant. *Martial.* 3. 31. Fastidire minores. Adde *Claudian.* 4. *Cons. Honor.* 302. *Quintil.* 5. 13. 22. Ut quæ dicendo refutare non possumus, quasi fastidiendo calcemus. — De rebus et abstractis. *Martial.* 5. 44. te Quum fastidierit popina dives, Antiquæ venies ad ossa cœnæ. *Horat.* 3. *Od.* 1. 21. Somnus agrestium Lenis virorum non humiles domos Fastidit umbrosamque ripam. *Claudian. Epithal. Pallad. et Celer.* 6. Æstus fastidit amictum. — *b*) In Part. præter. pass. *Ovid.* 1. *Trist.* 6. 31. laudatus abunde, Non fastiditus si tibi, lector, ero. *Id.* 2. *ibid.* 119. Turbaque doctorum Nasonem novit, et audet Non fastiditis annumerare viris. *Lucan.* 7. 814. Latiæ pars maxima turbæ Fastidita jacet. *Ovid.* 4. *Pont.* 1. 19. oro, ne fastidita repellas Verba. — Et neutr. absolute, substantivorum more. *Plin. præfat. Hist. nat.* § 15. Res ardua vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, fastiditis gratiam. — *c*) Cum Infinito. *Ovid. Remed. am.* 305. Diligit ipsa alios: a me fastidit amari. *Phædr.* 4. 6. jocorum legere fastidis genus. *Liv.* 10. 8. Ne fastidieris nos in sacerdotum numerum accipere. *Id.* 2. 41. Plebs cœperat fastidire munus vulgatum esse. *Curt.* 4. 11. *a med.* An creditis, æquo animo iis servire, quorum reges esse fastidiant? *Petron. Satyr.* 127. Ne fastidias hominem peregrinum inter cultores admittere. *Quintil.* 2. 3. 1. Fastidit præstare hanc inferioribus curam. *Id.* 5. 11. 39. Repetere auctoritatem a plurimis versibus non fastidierunt. *Val. Max.* 2. 6. 8. Nec mortis spectator esse fastidisti. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 32. 59. (135). Fastidit balsamum alibi nasci. — Hinc Part.

Fastidiens, entis, adjective cum Genitivo nominis apud *Gell.* 6. 15. Communium vorum respuens olmis ac fastidiens.

Fastiditus, a, um, activa significatione, pro eo qui fastidivit, occurrit apud *Petron. Satyr.* 48. Ne me putes studia fastiditum.

FASTĪDĬŌSĒ, adverb. Comp. *Fastidiosius.* — Fastidiose est cum fastidio, *fastidiosamente, con avversione, con disdegno,* ὑπεροπτικῶς. *Cic. Planc.* 27. 65. Huic ergo jam stomachans fastidiose, immo ex Sicilia, inquam. *Id.* 2. *Orat.* 89. 364. Quem ego paullo sciebam vel pudentius, vel invitius (nolo enim dicere de tam suavi homine fastidiosius) ad hoc genus sermonis accedere. *Id.* 1. *ibid.* 26. 118. Diligenter et prope fastidiose judicare. *difficilmente contentandosi. Id.* 2. *Att.* 1. Lente ac fastidiose probare. *Phædr.* 3. *prol.* 23. Fastidiose in cœtum recipi. *Petron. Satyr.* 13. Tamquam mendici spolium etiam fastidiose venditabat. *con disprezzo, senza stima o cura di ciò che vendea.*

FASTĪDĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Fastidiosior* sub *A.* II. et Sup. *Fastidiosissimus* sub *A.* I. et II. — Fastidiosus dicitur et est *A*) Qui fastidio capitur; et *B*) Qui fastidium affert.

A) Fastidiosus est qui fastidio capitur, qui fastidit, abhorrens, δύσκολος, *fastidioso.*

I.) Proprie. — De stomacho: *V.* **FASTIDIO** I. *Varro* 2. *R. R.* 5. 15. Vaccæ quum parere cœperunt, secundum stabula pabulum servari oportet integrum, quod egredientes degustare possint: fastidiosæ enim fiunt. — De auribus. *Cic.* 4. *Herenn.* 23. 32. Aurium sensus fastidiosissimus. — Huc referri potest et illud *Plaut. Mil. glor.* 4. 6. 18. MI. Ille illas spernit segregatque a se omnes extra te unam. AC. Ergo iste metus me macerat, quod ille fastidiosus est, ne oculi ejus sententiam mutent, ubi viderit me, atque ejus elegantia meam extemplo speciem spernat.

II.) Translate est qui abhorret, difficilis, *disdegnoso, difficile da contentare. Plaut. Rud.* 2. 3. 42. Neptunus quamvis fastidiosus ædilis est: si quæ improbæ sunt merces, jactat omnes. *Cic.* 1. *de republ.* 43. Ex hac infinita licentia hæc summa cogitur, ut ita fastidiosæ mollesque mentes evadant civium, ut, si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant. *Id.* 4. *Herenn.* 40. 52. In superiores contumax, in æquos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis. *Id. Brut.* 57. 207. Antonius facilis in causis recipiendis erat, fastidiosior Crassus. *Id. ibid.* 70. 247. C. Memmius perfectus litteris, sed Græcis: fastidiosus sane Latinarum. Sic *Horat.* 3. *Od.* 1. 36. Dominus terræ fastidiosus. *h. e.* fastidiens ædes, quas in terra habet, in mari ædificare parat. et *Capell.* 9. *p.* 312. Virgo fastidiosa mortalium. *Seneca* 1. *Benef.* 11. Fastidiosus æstimator. *h. e.* qui pluris æstimat, quam res postulat. *Plin.* 8. *Ep.* 6. *a med.* Fastidiosissimum mancipium. *h. e.* superbissimum. *Id.* 6. *ibid.* 17. *ad fin.* Res difficilis, ardua, fastidiosa, et quæ eos, a quibus contemnitur, dedignatur.

B) Item qui fastidium affert, *nauseoso, noioso.* Translate *Horat.* 3. *Od.* 29. 9. Fastidiosam desere copiam. Respicit *Horat.* ad fastidium ciborum. *Id. Epod.* 17. 73. Frustra vincla gutturi nectes tuo Fastidiosa tristis ægrimonia.

FASTĪDĬTAS, ātis, f. 3. idem ac fastidium, aversatio. *Cassiod.* 7. *Variar.* 1. *ad fin.* Nec tamen spes vestra velut fastiditate deseritur; nam, si bene provinciarum administrationibus præsidetis, honores vos amplissimos sperare leges merito censuerunt.

FASTĪDĬUM, ii, n. 2. Quod ad etymon spectat, volunt nonnulli esse per syncopen a voce *fastûs tædium*: certe cum nom. *fastus* conjungendum est. Fastidium autem est aversatio, tædium, offensio, contemptus: et fere dicitur de offensione stomachi cibum respuentis, aut non retinentis; quæ et nausea appellatur, καταφρόνησις (It. *inappetenza, svogliatezza, nausea, fastidio, avversione*; Fr. *dégoût, répugnance*; Hisp. *desgana, inapetencia, disgusto*; Germ. *Ekel gegen etwas, Widerwille, Abneigung*; Angl. *loathing, squeamishness, fastidiousness, nauseousness, aversion, disgust*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Invent.* 17. 25. Cibi satietas et fastidium aut subamara aliqua re relevatur, aut dulci mitigatur. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 78. Magna movet animo fastidia, seu puer unctis Tractavit calicem manibus, sive etc. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 7. Os hebes est, positæque movent fastidia mensæ: Et queror, invisi quum venit ora cibi. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 18. Tantum in illis esse fastidium, ut nollent attingere, nisi eodem die captum piscem. *Juvenal.* 11. 183. grata post munus aristæ Contingunt homines veteris fastidia quercus. *Colum.* 6. *R. R.* 8. 1. Fasti-

dium afferre cibo. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 24. 50. (109). Mel stomachum inflat, fastidium creat. *Id.* 11. *ibid.* 16. 18. (99). Fastidium alicui gignere uvas appetendi. *Id.* 29. *ibid.* 5. 32. (100). Fastidium sentire. *Id.* 23. *ibid.* 9. 81. (161). abigere. *Id.* 26. *ibid.* 7. 25. (41). abstergere. *Id.* 19. *ibid.* 8. 38. (127). auferre. *Id.* 22. *ibid.* 25. 74. (155). detrahere. *Id.* 23. *ibid.* 1. 27. (54). discutere. *Id.* 25. *ibid.* 8. 51. (91). Fastidium deducunt canes herba canaria. *scil.* vomitum excitando. Sic *Id.* 8. *ibid.* 27. 41. (101). purgare. Adde *Varron.* 8. *R. R.* 9. 18.; *Quintil.* 1. 12. 5.; et *Favorin.* apud *Gell.* 15. 8. *Pelagon. Veterin.* 29. 4. Cardiacum equum intelligimus, si stans sudaverit, si fastidium sustinuerit. *h. e. se fastidisca il cibo.*

II.) Translate. ¶ 1. Transfertur et ad sensum videndi apud *Cic.* 2. *Fam.* 16. 2. Nosti non modo stomachi mei, sed etiam oculorum in hominum insolentium indignitate fastidium. ¶ 2. Ceterum de animo dicitur, et generatim est aversatio, contemptus, *antipatia, avversione, disistima, disprezzo.* — *a*) In singulari numero. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 98. Cur ea, quæ specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienemur. Cf. *Quintil.* 5. 14. 30. Si eloquentia et ex copia satietatem, et ex amplitudine fastidium tulerit. Rursus *Cic. Mur.* 9. 21. Ista nostra assiduitas, Servi, nescis quantum interdum afferat hominibus fastidii, quantum satietatis. *Id.* 3. *Orat.* 50. 193. Horum vicissitudines efficient, ut neque ii satientur, qui audient, fastidio similitudinis, nec nos etc. Cf. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 40. (81). Nulla voluptas est, quæ non assiduitate fastidium pariat. Sic *Sueton. Tib.* 10. Vitato assiduitatis fastidio. *Cic.* 1. *Fin.* 2. 5. Rudem esse omnino in nostris poetis, aut inertissimæ segnitiæ est, aut fastidii delicatissimi. *Id.* 1. *Tusc.* 10. 23. Habere ad certas res vitiosam offensionem atque fastidium. *Id. Opt. gen. orat.* 4. 12. Intelligentiam ponunt in audiendi fastidio. *h. e.* quo vix quidquam audiunt, quod placeat, qui vix cibum inveniunt, quod non fastidiant. *difficoltà di contentarsi.* Sic *Sueton. Ner.* 44. Exegit pari fastidio et acerbitate nummum asperum etc. Cf. et *Horat.* locum sub *b.* allatum. *Cic.* 1. *Fin.* 3. 10. Ego satis mirari non queo, unde hoc sit tam insolens rerum domesticarum fastidium. *Id.* 12. *Phil.* 10. 20. Non possum animo æquo videre tot, tam importunos, tam sceleratos hostes: nec id fit fastidio meo, sed caritate reipublicæ. *h. e.* superbia, aversatione, odio, contemptu. *Seneca Ep.* 9. *in fin.* Omnis stultitia laborat fastidio sui. *Sueton. Aug.* 44. Cacozelos et antiquarios pari fastidio sprevit. *Curt.* 4. 10. Patriam fastidio esse, abdicari Philippum patrem. *Quintil.* 9. 3. 3. Quotidiani sermonis fastidium levare. *Id.* 2. 4. 29. Fastidium movere. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 1. 1. (8). Ne sit fastidio Græcos sequi. *Id.* 12. *ibid.* 19. 42. (94). Ipsum vero lignum in fastidio est. *h. e.* rejicitur, contemnitur. *Id.* 11. *ibid.* 2. 1. (4). Fastidio damnare aliquid. *Id. præfat. ibid.* § 14. Adducere quidpiam in fastidium. *Tac.* 11. *Ann.* 26. vertere. Rursus *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 41. (79). Parcere fastidio. *aver riguardo di non recar noia. Macrob.* 5. *Saturn. in fin.* Si fastidium facere non timerem, ingentia poteram volumina de his implere. *fare o dar fastidio.* — In arboribus *fastidium* est, quum in aliam terram translatæ non proveniunt difficultate comprehendendi. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 32. 58. (134). Non omnia (*h. e.* arbores) in omnibus locis nasci docuimus, nec translata vivere. Hoc alias fastidio, alias contumacia, sæpius imbecillitate eorum, quæ transferantur, evenit. — *b*) In plurali numero. *Cic.* 1. *Orat.* 61. 258. Et dixisti, non tam ea, quæ recta sunt, probari, quam quæ prava sunt, fastidiis adhærescere. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 214. qui se lectori credere malunt, Quam spectatoris fastidia ferre superbi. *Id. Epod.* 12. 13. Agitare verbis fastidia alicujus. *h. e.* movere, excitare, augere. *Virg.* 4. *Ecl.* 61. Matri longa decem tulerunt fastidia menses. Adde *Val. Flacc.* 4. 496. *Ovid. Heroid.* 16. 97. At mihi cunctarum subeunt fastidia (*puellarum*). *Tac.* 11. *Ann.* 36. Accitus ultro noctemque intra unam a Messalina proturbatus erat, paribus lascivis ad cupidinem et fastidia. ¶ 3. Speciatim pro arrogantia, superbia, quæ aversationem et contemptum complectitur. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 1. *de republ.* 32. Quum in populis aliquis unus pluresve divitiores opulentioresque extitissent, tum ex eorum fastidio et superbia (*regna*) nata esse commemorant, cedentibus ignavis et imbecillis et arrogantiæ divitum succumbentibus. *Id.* 1. *Off.* 26. 90. Atque etiam in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam magno opere, fastidium arrogantiamque fugiamus. *Id.* 1. *leg. Agr.* 7. 20. Quid enim cavendum est in coloniis deducendis? si luxuries, Hannibalem ipsum Capua corrupit: si superbia, nata inibi esse hæc ex Campanorum fastidio videtur. Cf. *Plin. Paneg.* 55. Ut appareat, non superbia et fastidio te amplissimos honores repudiare, qui minores non dedigneris. *Cic.* 10. *Phil.* 9. 18. Quorum, si essent arrogantes, non possem ferre fastidium. *Id. Amic.* 15. 54. Non solum ipsa fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa est: itaque efferuntur fere fastidio et contumacia. *Tac.* 11. *Ann.* 38. Decreta Narcisso quæstoria insignia, levissimum fastidii ejus. — *b*) In plurali numero. *Virg.* 4. *Ecl.* 14. tristes Amaryllidis iras Atque superba pati fastidia. *V.* FASTUS, us. *Tibull.* 1. 8. 60. Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia divi.

Homonym. I.) *Fastidium* et *nausea* unum idemque significant, scilicet offensionem stomachi, cibum respuentis aut non retinentis: in eo tamen differunt, quod *fastidio* stomachus quoque bene valens afficitur propter nimium ciborum usum; contra *nausea*, præterquamquod præcipue navigantibus evenire solet (unde et nomen, ut Græce ναυτία) vitiati stomachi propria est. Porro *fastidium* est *satietatis* sensus, ut algor est sensus frigoris. *Cic. Mur.* 9. 21. Assiduitas quantum interdum afferat hominibus fastidii, quantum satietatis. *Id.* 3. *Orat.* 25. 98. Fastidio quodam et satietate. *V.* hæc eadem pluribus sub II. 2. *a.*, et *ibid.* etiam *Quintil.* loc. *Cic.* 1. *Invent.* 17. 25. Cibi satietas et fastidium. *Id.* 5. *Att.* 13. Navigavimus sine timore et nausea. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 69. (112). Cruditates nauseam faciunt.

II.) Translate *nausea* et *nauseare*, raro quidem, pro *fastidio* et *fastidire* occurrunt. *Martial.* 4. 37. Numeres oportet aliquid, ut pati possim; Quotidianam nauseam refice nummis; Audire gratis, Afer, ista non possum. *Phædr.* 4. 6. Hoc illis dictum est, qui stultitia nauseant.

III.) Item *fastidium* est corporis, quod ex nimio ciborum usu, h. e. satietate, cibum ipsum aversatur; *tædium* est animi, qui ex nimia patiendi exercitatione nimioque labore fessus languet: *fastidium* capimus ex iis, quæ affatim usurpavimus; *tædium* ex iis quæ aliquamdiu pertulimus: *fastidio* sapor seu gustus amittitur, *tædio* patientia exuitur. Sic *Liv.* 31. 34. Oppugnatio urbium obsidentibus prius quam obsessis tædium affert. Sic *Id.* 4. 61. Tædioque recessum foret inde. *h. e.* ab arce obsessa. et *Tac.* 12. *Ann.* 39. Tædio curarum fessus. Ceterum ad rem *Sueton. Tib.* 10. Statuit repente secedere —, dubium, uxorisne tædio, quam neque criminari, neque dimittere auderet, neque ultra perferre posset; an ut, vitato assiduitatis fastidio, auctoritatem absentia tueretur atque etiam augeret, si quando indiguisset sui respublica.

FASTĬGĀTĬO, ōnis, f. 3. actus fastigandi. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (106). Ut fastigatio levi descendat cuneo. *Apul. Florid. n.* 9. Strigilecula, recta fastigatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ. Al. leg. *fastigiatione.* V. FASTIGO.

FASTĬGĀTUS *vel*

FASTĬGĬĀTUS, a, um. *V.* FASTIGO.

FASTĬGĬUM, ii, n. 3. (fastus *et* ago) summitas tecti, cacumen a latitudine surgens et paullatim in acumen desinens, ἄκρα, κορυφή, αἴτωμα (It. *frontispizio del tetto*; Fr. *faîte, sommet, faîtage*; Hisp. *la cumbre de un edificio*; Germ. *d. Spitze d. Giebels, d. Giebel, Fronton*; Angl. *the roof of a house*).

I.) Proprie. — *a*) Dicitur primo de tectis sacrarium ædium, quæ olim ex una tantum parte inclinata erant, et in unum locum pluviam demittebant: postea inventum est, ut medio sui assurgerent altius, atque ex utraque parte pluviam dejicerent. *Cic.* 3. *Orat.* 46. 180. Capitolii fastigium illud et ceterarum ædium non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est; nam quum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque tecti parte aqua delaberetur, utilitatem templi fastigii dignitas consecuta est; ut etiam si in cælo statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum fuisse videatur. *Liv.* 40. 2. Atrox tempestas fastigia aliqua templorum a culminibus abrupta fœde dissipavit. *Ovid.* 15. *Met.* 672.; et *Sueton. Aug.* 94. Fastigia templi. *Plin. Paneg.* 54. templorum. *Ammian.* 22. 16. Altis sublata fastigiis templa. *Ovid.* 1. *Met.* 373. delubrorum. *Sueton. Cæs.* 81. ædis. — *b*) A sacris ædibus transiit ad Cæsarum domos, postquam divinos honores Romani illis tribuere cœperunt. *Cic.* 2. *Phil.* 43. 110. *de Julio Cæs.* Quem is majorem honorem consecutus erat, quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem? *Flor.* 4. 2. *ad fin. de eod.* Omnes unum in principem congesti honores: circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona, suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in cælo. *V.* ÆTOMA. *Sueton. Claud.* 17. Navalem coronam fastigio Palatinæ domus juxta civicam fixit. Similiter de regia Solis *Ovid.* 2. *Met.* 3. Cujus ebur nitidum fastigia summa tenebat. — Hujusmodi fastigia ornabantur signis fictilibus, æneis, lapideis, ut colligitur ex *Vitruv.* 3. 2.; *Liv.* 26. 23. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 43. (152). Sic *Id. Plin.* 36. *ibid.* 5. 4. (13). Romæ signa eorum sunt in Palatina æde Apollinis in fastigio. — *c*) Neque vero putes, in privatis ædium tectis nulla fuisse fastigia. Nam contra habes apud *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4., 14., ubi de ædibus Q. fratris Romæ positis verba facit. Verum quod in sacris ædibus alia peculiarique ratione formata erant, et exquisitiore ornatu, et altiore ad dignitatem cacumine, et acroteriis impositis, quæ fere constabant fictilibus, vel æneis signis deorum; *fastigia* veluti per antonomasian appellata sunt. Certe *Plin. cit. l.* 35. *Hist. nat.* 12. 43. (152). ab ectypis signis fictilibus fastigia templorum orta fuisse tradit, et *l.* 36. *ibid.* 2. 2. (6). *fictilia deorum fastigia* appellat. Huc spectare videtur *Inscript.* apud *Don. cl.* 5. n. 120. Q. VERRIO Q. F. PAL. FLACCO SEVIRO AVGVSTALI, CVRATORI MVNERIS PVBLICI DECRETO STATVAM ET FAS. (*h. e.* fastigium) ORDO DECVRIONVM ET AVGVSTALIVM ET PLEBS VNIVERSA S. P. F. P. D. D. Hic tamen *Donius* putat, non domus fastigium, sed ædificium columnis suffultum significari, cui imposita fuerit statua. At fortasse hujusmodi fastigium fuit arcus quidam, qui statuam ipsam quodammodo tegeret et a temporis injuria defenderet, quo quidem cumulatior honor viro illi præstitus fuisse videtur. Sed juxta clar. *Henzen, Inscript. Latin. vol.* 3. p. 436., lapis hic, qui est apud *Orell.* 4009., confictus esse videtur ex *Sueton. Gramm.* 17., nec FAS pro *fastigio* posuit falsarius, sed FASTOS Verrii indicare voluit. — Ceterum, præter allatum *Cic.* locum, fastigia etiam de privatis ædium tectis dici confirmat *Virg.* 2. *Æn.* 303. Excutior somno, et summi fastigia tecti Ascensu supero, atque arrectis auribus adsto. Adde *eumd. ibid.* 458. Cf. *Sueton. Ner.* 12. Hos ludos spectavit e proscenii fastigio. Et poetice *Virg.* 1. *Æn.* 437. O fortunati, quorum jam mœnia surgunt! Æneas ait, et fastigia suspicit urbis. — *d*) Per synecdochen dicitur de tecto ipso. *Virg.* 8. *Æn.* 491. et 9. *ibid.* 568. Ignem ad fastigia jactant. Sic *Val. Flacc.* 2. 235. diras aliæ ad fastigia tædas injiciunt. — Similiter figurate pro fine ac termino cujusque rei. *Cic.* 3. *Off.* 7. 33. Quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tamquam fastigium imponimus.

II.) Translate occurrit *A*) De forma rerum; et *B*) De statu ac conditione hominum et rerum.

A) De forma rerum. ¶ 1. Sumitur pro quacumque summitate paullatim in angustum desinente. — *a*) In sing. num. *Cæs.* 7. *B. G.* 69. Colles pari altitudinis fastigio oppidum cingebant. *Id. ibid.* 73. Scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paullatim angustiore ad summum fastigio. *h. e.* summis earum parietibus angustioribus, quam imis. *Curt.* 2. 4. Opus nondum aquæ fastigium æquabat. *l'altezza. Liv.* 1. 38. *fin.* Cloacis e fastigio in Tiberim ductis. *Al. delent* e. *dall'alto al basso. Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (200). Trabs e larice, longa pedes CXX., bipedali crassitudine æqualis: quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo, fastigium ad cacumen æstimantibus. *facendo il conto da dove principiava ad assottigliarsi fino alla cima. Id.* 10. *ibid.* 52. 74. (145). Aquatilium ova rotunda: reliqua fere fastigio acuminata. *Id.* 11. *ibid.* 37. 45. (124). Cornua in leve fastigium exacuta. *Id.* 16. *ibid.* 33. 60. (140). Cupressus meta in fastigium convoluta. *Id. ibid.* 36.

64. (158). *de arundine*. Gracilitas nodis distincta, leni fastigio tenuatur in cacumina. *assottigliandosi a poco a poco*. — *b*) In plur. num. *Lucret.* 4. 823. ideo fastigia posse Surarum ac feminum pedibus fundata plicari. *Val. Flacc.* 2. 553. *de Troja*. aerii fastigia muri. — *c*) Generatim de prominentia, exstantia, *V.* locum *Vitruvii* in EXSTRUCTIO. ¶ 2. Dicitur et de profunditate. *Virg.* 2. *G.* 288. Forsitan et scrobibus quæ sint fastigia, quæras. Sic *altus* non sublimem solum, sed etiam profundum significat. ¶ 3. Dicitur aliquando de ipsa declivitate fastigii, il *declive*. *Cæs.* 3. *B. C.* 10. Columellas inter se capreolis molli fastigio conjungunt. *Id.* 2. *ibid.* 11. Quidquid incidit, musculi fastigio elabitur. *Id.* 1. *ibid.* 45. Præruptus locus erat utraque ex parte directus —, ab oppido autem declivis locus tenui fastigio vergebat. Sic *Id.* 2. *ibid.* 24. Id autem est jugum directum, eminens in mare, utraque ex parte præruptum atque asperum, sed tamen paullo leniore fastigio ab ea parte, quæ ad Uticam vergit. *Curt.* 6. 6. *circa med.* Rupes leniore submissa fastigio. *Virg.* 9. *Ecl.* 8. hoc idem significaturus, *mollem clivum* dixit. *Varro* 1. *R. R.* 14. 2. Fossa ita idonea, si totam aquam, quæ e cælo venit, recipere potest, aut fastigium habet, ut exeat e fundo. — Et de superficie. *Varro* 1. *R. R.* 20. 5. Spectandum, quo fastigio sit fundus: in confragoso enim ac difficili hæc valentiora parandum. Cf. *ejusd.* locum infra sub *B.* 2. *Forcellinus* hæc postrema singulari paragrapho distinxit: sed tamen ad proxime superiora commode referri possunt: sensus enim est: *deesi guardare quale pendenza abbia il fondo*. ¶ 4. *Fastigia* quidam Grammatici vocant accentus, qui verborum syllabis appinguntur, quod sint veluti quædam fastigia, vel fastigatæ lineolæ ipsi impositæ. *Capell.* 3. p. 60. et 63.; et *Diomed.* 2. p. 428. *Putsch.* V. voc. seq. sub II. *A.* 2.

B) De statu ac conditione hominum et rerum. ¶ 1. Quod ad homines attinet, dicitur — *a*) De alto dignitatis et fortunæ statu: ad rem *Vellej.* 2. 131. Quidquid numinum hanc Romani imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit. *Plin. Paneg.* 52. Sic fit, ut dei summum inter homines fastigium servent. *il posto sommo*. *Liv.* 6. 38. *extr.* Et quoad usque ad memoriam nostram tribuniciis consularibusque certatum viribus est, dictaturæ semper altius fastigium fuit. *Vellej.* 2. 60. In consulare fastigium provectus. *Val. Max.* 1. 6. *n.* 1. Ad regium fastigium evehere aliquem. *Justin.* 1. 1. 1. Ad fastigium majestatis regiæ provehere aliquem. *Id.* 13. 1. 5. A fastigio tantæ majestatis in captivitatem redigi. *Id.* 25. 1. 1. In tanto fastigio regni collocatus. Cf. *Plin.* 1. *Ep.* 7. Vide, in quo me fastigio collocaris, quum etc. *Id. Paneg.* 71. Fastigium imperatorium augere. *Id.* 2. *Ep.* 1. Summum fastigium privati hominis implere. *Liv.* 3. 35. Dejectis honore per coitionem duobus Quinctiis, Capitolino et Cincinnato et aliis ejusdem fastigii civibus. *Nepos Att.* 10. Tanta varietas fuit fortunæ, ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio, aut periculo. *Curt.* 3. 12. 25. Et præteritæ fortunæ fastigium capio, et præsentis jugum pati possum. *Ammian.* 11. 11. Adsumptus in amplissimum fortunæ fastigium. *Juvenal.* 3. 39. Quales ex humili magna ad fastigia rerum Extollit, quoties voluit Fortuna jocari. *Quintil.* 12. 1. 20. Stetisse Ciceronem in fastigio eloquentiæ, fateor. *Id.* 2. 17. 3. Rhetoricen in tam sublime fastigium sine arte venisse. *Id.* 12. 11. 26. Et poesis ab Homero et Virgilio tantum fastigium accepit, et eloquentia a Demosthene. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Magice in tantum fastigii adolevit, ut hodieque in magna parte gentium prævaleat. *crebbe in tanta altezza di stima*. — *b*) Item pro conditione et pro ipsa dignitate, *la posizione, la condizione della persona, la dignità*. *Nepos Att.* 14. Pari fastigio stetit in utraque fortuna. *h. e.* modo et cultu vitæ. *Liv.* 2. 27. Populus dedicationem ædis dat M. Lætorio primi pili centurioni: quod facile appareret, non tam ad honorem ejus, cui curatio altior fastigio suo data esset, factum, quam ad consulum ignominiam. *più alta della sua posizione o condizione*. *Sueton. Cæs.* 76. Ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est. *Curt.* 9. 10. *a med.* Animus super humanum fastigium elatus. Sic *Tac.* 15. *Ann.* 74. Tamquam mortale fastigium egressus. *Curt.* 4. 1. 16. et 17. Hephæstionique permissum, ut, quem eo fastigio Sidones dignissimum arbitrarentur, constitueret regem. Erant Hephæstioni hospites clari qui negaverunt, quemquam patrio more in id fastigium recipi, nisi regia stirpe ortum. Adde *eumd.* 3. 13. 12. *Tac.* 6. *Ann.* 32. Ornat Phraaten accingitque paternum ad fastigium. *Id.* 4. *ibid.* 40. Excedere equestre fastigium. *Id.* 15. *ibid.* 65. Destinavisse, ut, post occisum opera Pisonis Neronem, Piso quoque interficeretur, traderetурque imperium Senecæ, quasi insontibus claritudine virtutum ad summum fastigium delecto. *Id.* 3. *ibid.* 56. Mittit litteras ad senatum, quis potestatem tribuniciam Druso petebat. Id summi fastigii vocabulum Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret. ¶ 2. *Fastigia summa rerum* sunt summa capita, *i capi principali, la somma delle cose*. *Virg.* 1. *Æn.* 345. longa est injuria, longæ Ambages, sed summa sequar fastigia rerum. (*Servius* exponit primordia). Similiter apud *Varron.* ponuntur *fastigia* pro generibus. Ait enim 1. *R. R.* 7. 2. E quibus tribus fastigiis simplicibus. h. e. tribus generibus agrorum, campestri, collino et montano. et § 5. Propter hæc tria fastigia formæ, discrimina quædam fiunt sationum. *et* § 6. Hæc atque hujuscemodi tria fastigia agri etc.

FASTĪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (fastus et ago: *V.* FASTIGIUM). Part. præter. pass. et *fastigatus* et *fastigiatus* reperitur. Lis tamen est inter criticos, utra ex duabus his vocibus retinenda sit; alterutram enim rejiciunt. Est qui excludit *fastigiatus*: est qui *fastigatus* expungit. Utraque sane in MSS. reperitur, sed posterior ista frequentius: quod et de *fastigo* et *fastigio* verbo dicendum est. — Part. *Fastigans* I.; *Fastigatus* et *Fastigiatus* I., II. *A.* 1., *B.* et in fin. — Fastigare est acuminare, in fastigium erigere, ὀξύνω (It. *aguzzare*, *tirare in punta*; Fr. *rendre pointu*, *élever en pointe*; Hisp. *aguzar*, *hacer puntiagudo*, Germ. *zuspitzen*, *spitzen*, *erhöhen in eine Spitze*; Angl. *to narrow gradually into a sharp point*.)

I.) Proprie. *Liv.* 44. 9. Scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nixis, fastigatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant. *Id.* 37. 27. *ad fin.* Collis in modum metæ in acutum cacumen a fundo satis lato fastigiatus. *Forcellinus* hoc loc. interpretatus est *erectus*. Ceterum *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (52). Frumenta hieme in herba sunt, verno tempore fastigantur in stipulam. *Id.* 21. *ibid.* 19. 118. (178). Folia in exilitatem fastigantur. *Id.* 2. *ibid.* 25. 22. (89). Fastigiatus in mucronem. *Id.* 9. *ibid.* 35. 56. (113). Margaritas proceriores, elenchos appellant, fastigata longitudine. *Sil. It.* 5. 18. Ore levem patulo texens de vimine nassam, Cautius interiora ligat, mediamque per alvum Sensim fastigans, compressa cacumina nectit. *restringendo a poco a poco*. *Mela* 2. 1. 5. Terra spatiosa modice paullatim se ipsa fastigat, et, quasi in mucronem longa colligens latera, facie positi ensis allecta est. *Id.* 1. 4. 1. et 3. 10. 5. Africa molliter se fastigat. *Solin.* 32. *extr.* Pyramides turres sunt in Ægypto, fastigatæ ultra excelsitatem omnem, quæ fieri manu possit. *Forcellinus* interpretatus est *evectæ*, h. e. *innalzate*; sed tamen fastigii modo erectæ. *Ammian.* 31. 2. Arundine fastigatum tugurium. *Fulgent. Mythol.* 1. Sphæræ cavitatem fastigans.

II.) Translate, quemadmodum et *Fastigium*, dicitur *A*) De rebus, quæ fastigii formam referunt; et *B*) De hominum statu et conditione.

A) De rebus, quæ fastigii formam referunt. ¶ 1. Fastigatus est in fastigii morem declivis, devexus, ut sunt tecta domorum, inclinata ad deferendam pluviam. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Collis leniter fastigatus paullatim ad planitiem redibat. *Id.* 4. *ibid.* 17. Tigna non sublicæ modo directa ad perpendiculum, sed prona ac fastigiata, ut secundum naturam fluminis procumberent. *Vitruv.* 8. 7. Solum rivi libramenta habeat fastigiata, ne minus in centenos pedes semipede. *declivi*, *pendenti*. et *Id.* 7. 4. *sub fin.* Pavimentum fastigatum. *Hygin. Grom.* p. 10. *col.* 1. Fastigata fossa. *V.* FOSSA. ¶ 2. In re grammatica fastigare est vocalibus fastigium appingere, ^, ut longas esse omnibus innotescat. *Capell.* 3. p. 59. Ut fastigetur longa, brevisque (*lege* brevisve) fuat.

B) De hominum statu et conditione. *Sidon.* 3. *Ep.* 6. Qui statum celsitudinis tuæ titulorum parilitate fastigat. *h. e.* extollit. *Id.* 2. *carm.* 5. quamquam diademate crinem Fastigatus eas. *h. e.* diademate in modum coni erecto ornatus; seu potius diademate insignitus atque adeo ad maximam dignitatem provectus. — Hinc part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Fastigatus vel *fastigiatus*, *a*, *um*, adjective quoque occurrit; unde Sup. *Fastigatissimus* translate occurrit apud *Sidon.* 2. *Ep.* 4. Ita sibi videbitur ad arcem fastigatissimæ felicitatis evectus. *Id.* 1. *ibid.* 9. Duo fastigatissimi consulares. h. e. dignitate sublimes.

FASTŌSUS, a, um, adject. superbus, fastu plenus, *fastoso, arrogante*, ὑπερήφανος. *Petron. Satyr.* 131. Quid est, fastose? ecquid bonam mentem habere cœpisti? *Martial.* 10. 13. Ad nocturna jaces fastosæ limina mœchæ. *Auct. Paneg. ad Pison.* 107. Domus fastosa. *V.* et voc. seq.

FASTŪŌSUS, a, um, adject. idem quod fastosus; duplex enim forma in talibus frequens est, ut *montosus* et *montuosus* etc. *Capell.* 6. p. 190. Vides igitur utrique feminæ quam insit fastuosa censura.

FASTUS, a, um, adject. a φημί, tantum quod cum voce *dies* conjungitur, et dicitur de iis diebus, quibus lege agi licet et forensem jurisdictionem exercere. *Ovid.* 1. *Fast.* 47. Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur: Fastus erit, per quem lege licebit agi. Cf. *Varron.* 6. *L. L.* 29. et 53. *Müll.*; et *Liv.* 4. 7. — *Fastis diebus* opponuntur *nefasti*, ut apud *Liv.* 1. 19. Numa nefastos dies fastosque fecit. — Hi omnes dies, qui a primis inde Urbis conditæ temporibus Pontificibus tantum noti erant, in vulgus editi sunt a Cn. Flavio; qui, ut ait *Liv.* 9. 46., fastos circa forum in albo proposuit. V. infra in *Fasti, orum*. — Ceterum *dies fasti*, ut diximus, illi erant, quibus prætoribus licebat lege agere, idest jurisdictionem exercere et absolvere ac condemnare: a *fando*, quod illis diebus permissum erat prætoribus fari tria illa verba solemnia in jurisdictione exercenda: *Do, Dico, Addico*. Alii erant festi, alii profesti, alii senatorii, alii non senatorii, alii comitiales, alii non comitiales. Sed divisio celebrior est, qua in tres species dividuntur. Prima erat eorum, qui erant *fasti proprie et toti*: *proprie*, quia prætor semper et poterat et solebat lege agere, nisi quum casus aliquis extra ordinem interveniebat: *toti* quia horis omnibus lege agere licebat. Hi simpliciter *fasti* dicebantur et in Kalendario littera *F.* signabantur. Erant in toto anno XXXVIII.: quia annus Etruscorum erat dierum CCCIV., qui in nundinas XXXVIII. resolvebatur. Secunda eorum erat, qui *proprie*, sed non *toti fasti* erant, siquidem prætor omnibus his diebus quidem, sed non omnibus horis poterat lege agere. Notabantur his litteris *Fp.*, *Np.*, *En.*, *Q. Rex C. F.*, *Q. St. Df.*; idest *Fastus primo*, *Nefastus primo*, *Endotercisus*, *Quando rex comitio fugit*, *Quando stercus defertur*. Erant LXV. Tertia eorum, qui non *proprie*, *sed casu fasti* erant, cujus generis erant comitiales. Interdum enim comitia non habebantur, et tunc lege agere licebat. Hi interdum erant fasti toti, idest quum nulla comitia habebantur, interdum ex parte, idest quum comitia fiebant, sed non toto die. Erant CLXXXIV. Ex *Manut.* De veterum dierum ratione. *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. *a med.* tradit, lege Hortensia nundinas quoque *fastas* fuisse. *V.* HORTENSIUS, a, um, in ONOM. — Hinc

Fasti, *ōrum*, m. plur. 2. (subaudi *dies*) *fasti*, *annali*, *calendario*, ἡμερολόγιον. — De altera forma *fastus*, *uum*, m. plur. 4. *V.* hanc ipsam vocem in fin. — Ceterum *fasti* absolute, substantivorum more, fuerunt libri, in quibus perscribebatur Romæ a pontifice maximo, itemque in aliis civitatibus, quid quoque anno ac die accideret in republica, res gestæ tum belli, tum pacis, victoriæ, triumphi, honores ac præmia, templorum dedicationes, consulum ceterorumque magistratuum nomina, ratio et ordo dierum festorum fastorumque, et forensis administrationis, sacra, epulæ, ludi, feriæ, etc. Hac ratione differunt ab annalibus nihil: hinc *Ovid.* 1. *Fast.* 7. Sacra recognosces annalibus eruta priscis. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. *circa med.* Ego D. Bruto liberato, quum lætissimus ille civitati dies illuxisset, decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur. Cf. *Tac.* 3. *Ann.* 17. Alicujus nomen e

fastis radere. Rursus *Cic.* 6. *Verr.* 67. 151. Illud in Syracusanis merito reprehenderetur, si quum diem festum ludorum de fastis suis sustulissent, etc. Cf. *Lucan.* 7. 403. Et damnata diu Romanis Allia fastis. Similiter *Flor.* 1. 13. 7. Fastis damnavit diem. *Horat.* 4. *Od.* 13. 14. tempora quæ semel Notis condita fastis Inclusit volucris dies. *Id. ibid.* 14. 4. et 3. *ibid.* 17. 4. memores fasti. *Id.* 1. *Sat.* 3. 112. Tempora si, fastosque velis evolvere mundi. *Ovid.* 1. *Fast.* 657. Fasti signantes tempora. *Sueton. Cæs.* 40. Fastos corrigere. *Id. Gramm.* 17. Fasti Prænestini. *Val. Flacc.* 2. 245.; et *Sidon. carm.* 5. 112. Latii fasti. *Tac.* 4. *Hist.* 40. Fasti fœdati. *Plin. Paneg.* 58. Fastos reserare. *Ammian.* 29. 2. Fastorum monumenta. *Claudian. Cons. Prob.* 278. Longaque perpetui ducent in sæcula fasti. — Dicti sunt a *diebus fastis*, quorum præcipue ratio singulis annis diligenter describebatur, et suis deinde temporibus populo edicebatur: qua ratione ab *annalibus* differunt, qui latius plura complectuntur. *V.* ACTA, orum. Hinc *Fastos* opus suum *Ovid.* inscripsit, in quo singulorum totius anni dierum festos dies et sacra enumerat describitque, originem et causas exponit. Quod quum facit, illud simul efficit, ut sciatur, qui fasti dies sint, quive nefasti, quibus diebus lege agi in foro liceat, quibus non liceat. Quæ ratio quum primis temporibus de industria in penetralibus pontificum celaretur, quidam Cn. Flavius scriba Appii Cæci pontificis maximi clam descripsit et publicavit, tanta gratia apud populum, ut eum ædilem curulem cresverit, uti narrant *Cic. Mur.* 11. 25. et *Liv.* 9. 46. — Sæpe *Fasti* ea ratione usurpantur, qua magistratuum nomina continent: unde et *consulares* dicuntur, et *Capitolini* ab eruditis vocantur. *Cic.* 5 *Fam.* 12. Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum. At viri sæpe excellentis ancipites casus habent admirationem etc. *Liv.* 9. 18. *a med.* Paginas in annalibus magistratuum fastisque percurrere licet, consulum dictatorumque, quorum etc. *Cic. Sext.* 14. 33. Si appellandi sunt consules, quos nemo est qui non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet. *Id. Pis.* 13. 30. Hos consules fasti ulli ferre possunt. *Stat.* 4. *Silv.* 1. 20. da gaudia fastis Continua: hos humeros multo sinus ambiat ostro etc. *Plin. Paneg.* 58. Fastis nomina inducere. Cf. *Ammian.* 16. 1. In collegium fastorum adscitus. — Sunt etiam *Fastus, uum,* 4. *decl. Varro* apud *Priscian.* 6. p. 711. *Putsch.* Honoris causa Julii Cæsaris, qui fastus correxit. *Lucan.* 10. 187. Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus. *Colum.* (*V. R. R.* 11. 12. In hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi et Metonis, antiquorumque fastus astrologorum. *i calendarii, gli almanacchi.* Sic *Inscript.* apud *Marin. Iscr. Alb.* p. 20. OSTIA ET FASTVS DE SVA PECVNIA FECERVNT. *Sil. It.* 2. 10. Ausonios atavo ducebat consule fastus. Adde *Claudian. epist. ad Probin.* 15., ubi alii aliter leg.

FASTUS, us, m. 4. Aliam formam *fastus, i,* m. 2. habet *Coripp.* 4. 137. — Fastus est superbia et elatio quædam animi, nimia sui æstimatio cum contemptu aliorum, ἀλαζονεία (It. *fasto, superbia, sprezzo*; Fr. *orgueil, mépris, dédain*; Hisp. *orgullo, soberbia, menosprecio, desden*; Germ. d. *Stolz, Hochmuth, d. Verachtung*; Angl. *pride, haughtiness, arrogance, disdain*). Occurrit apud optimos Poetas; sed in prosa oratione apud sequioris ævi scriptores. — *a*) In sing. num. *Propert.* 1. 17. 25. Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu. *Ovid.* 1. *Fast.* 419. Fastus inest pulcris, sequiturque superbia formam. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 92. adspice primum, Quanto cum fastu, quanto molimine circum Spectemus. *Id.* 1. *Sat.* 6. 95. Legare sibi parentes ad fastum. *Catull.* 55. 14. Tanto te in fastu negas, amice. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 51. (138). Supercilia maxime indicant fastum. *Sillig* vero legit *factum*; at præcedentia ipsa aliter leg. *Id.* 9. *ibid.* 35. 58. (119). Superbo simul ac procaci fastu, ut regina meretrix. *Tac.* 2. *Ann.* 2. Accendebat dedignantes et ipse diversus a majorum institutis raro venatu, — lecticæ gestamine, fastuque erga patrias epulas. *Ammian.* 16. 7. Potentiæ fastu superbior. *Id.* 19. 11. Salutis fastu fidentior. *Id.* 17. 3. Fastu vitæ prioris abolito. *Id.* 27. 7. Altiore fastu agere. *Claudian. I. Cons. Stilich.* 2. 159. Alto fastu turgidus. *Petron. Satyr.* 96. Fastum facere alicui. *h. e.* eum despicere et a se repellere: phrasis minus imitanda. — *b*) In plur. num. *Propert.* 3. 17. 11. et 23. 35. pati superbos fastus alicujus. *h. e.* superbiam et repulsas amicæ: quo sensu *Id.* 4. 5. 42. *de Medea.* Nempe tulit fastus, ausa rogare prior. et *Virg.* 4. *Ecl.* 14. superba pati fastidia. et rursus *Propert.* 2. 11. 13. opponere amanti fastus iniquos. et *Ovid.* 14. *Met.* 461. O mea lentos Pone, precor, fastus, et amanti jungere, Nymphe. *Tibull.* 1. 8. 75. Nunc omnes odit fastus deus. *Propert.* 2. 17. 61. Assumere fastus. *Id.* 3. 11. 10. fastus Penelopeos terere. *h. e.* Penelopes vestigiis insistere ejusque superciliosam pudicitiam imitari: *Forcellinus* interpretatus est proculcare. *Id. ibid.* 15. 3. compescere. *Ovid.* 2. *Art. am.* 241. exuere. *Id.* 1. *ibid.* 715. Tumidi fastus. Cf. *Ammian.* 14. 11. tumentes. *Tac.* 4. *Ann.* 74. Noctem ac diem juxta gratiam aut fastus janitorum perpetiebantur. *Ammian.* 30. 7. Voraces militum fastus ferre. *Id.* 14. 1. Efferri in fastus. — *NB. Fastus, uum,* in plur. num. sunt Fasti, in quibus magistratuum nomina perscribebantur. *V.* voc. præced.

FASTUS, uum, m. plur. 4. *V.* FASTUS, a, um, in fin.

FATA, æ, f. 1. *V.* FATUM sub II. *A.* 4. in fin.

FĀTĀLIS, e, adject. ex fato impendens, fato destinatus: et tam de iis dicitur, quæ exitium afferunt, quam de iis, quæ salutem, εἱμαρμένος (It. *fatale, destinato dal fato*; Fr. *du destin, du sort, qui est marqué par le destin, fatal*; Hisp. *del destino, de la suerte, fatal*; Germ. d. *Schicksal betreffend, vom Schicksal verhängt, bestimmt, entscheidend, verhängnissvoll*; Angl. *fatal, ordained by fate*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) De iis, quæ ex fato impendent, quæ fato destinata sunt. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 55. Illa fatalis necessitas, quam εἱμαρμένην dicitis. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 7. 29. Fatalis et immutabilis continuatio ordinis sempiterni. *Id.* 6. *de republ.* 12. Quum die hi numeri circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint. *Id. Partit. orat.* 21. 73. Si quæ accidisse videbuntur divina atque fatalia. *Id.* 6. *Phil.* 7. 19. Fuit aliquis fatalis casus; nunc si quis erit, erit voluntarius. *Id. Harusp. resp.* 4. 6. Fatalis eventus. *Id.* 4. *Cat.* 1. 2. Meum consulatum ad salutem reipublicæ prope fatalem exstitisse. *Id.* 3. *ibid.* 4. 9. Ille annus fatalis est ad interitum hujus urbis. Sic *Id. post redit. in senat.* 2. 4. Ille annus, quem ego mihi, quam patriæ, malueram esse fatalem. V. *Klotz* ad h. l. et *Tibull.* 1. 3. 53.; et *Inscript.* apud *Orell.* 4851. Fatales anni. *Cic. Marcell.* 10. 31.; et *Vopisc. Prob.* 6. Fatale bellum. *Liv.* 5. 33. clades. *Id.* 22. 53. juvenis. *h. e.* Scipio. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 11. *de Hercule.* Notaque fatali portenta labore subegit. *Virg.* 4. *Æn.* 355. Fatalia arva. *Id.* 2. *ibid.* 165. Palladium. *Id.* 6. *ibid.* 409. virga. *Ovid.* 3. *Met.* 316. et 10. *ibid.* 203. lex. *h. e.* fatum. Adde *Ammian.* 28. 6. Rursus *Ovid.* 15. *Met.* 54. ora fluminis. Sic *Sil. It.* 1. 23. Fatali Dido Libyæ adpellitur oræ. *Vellej.* 2. 52. 1.; et *Justin.* 12. 2. 14. et 12. 13. 3. locus. *Justin.* 13. 4. 24. munus. *Sueton. Ner.* 10. mala. *Vellej.* 2. 6. et 49. Fatalis mors. *h. e.* quæ fato et secundum naturam venit: et opponitur violentæ. *morte naturale.* Sic *fato mori* dixit *Tacit.*, et *fataliter mori Eutrop.* Cf. *Plin.* 1. *Ep.* 12.; et *Ammian.* 25. 10. *Lamprid. Helagab.* 23. Vis fatalis. *h. e.* fatum. — Absolute. *Cic. Fat.* 13. 30. Tam fatale est, medicum adhibere, quam convalescere. *Sueton. Ner.* 43. Quasi fatale esset, non posse Gallias debellari nisi a se consule. *Vopisc. Aurelian.* 4. Fatalia scire. *h. e.* futura. — *b*) De iis, quæ fatum continent. *Liv.* 5. 14. et 15., 22. 9. et 42. 2.; et *Sueton. Cæs.* 79. Fatales libri. *h. e.* quibus vaticinia et fata continentur, cujusmodi erant Sibyllini. *Ovid.* 4. *Fast.* 257. Fatalia verba. *h. e.* fatum continentia. *Id.* 1. *Pont.* 8. 64. Fatales deæ. *h. e.* Parcæ, quæ fatum suum cuique statuunt: unde *Id.* 8. *Met.* 452.; et *Tibull.* 1. 3. 53. stamina. *Flor.* 3. 21. 16. Fatalis manus. *h. e.* quæ fata vitasque hominum in potestate habet. ¶ 2. Speciatim a Poetis et prosariis sequioris ævi scriptoribus in malam partem sumitur pro noxio et exitiali. *Lucret.* 5. 873. hæc (*animalia*) aliis prædæ lucroque jacebant Indupedita suis fatalibus omnia vinclis, Donec ad interitum genus id natura redegit. *Virg.* 12. *Æn.* 919. Cunctanti telum Æneas fatale coruscat. Sic *Ovid.* 5. *Met.* 182. jaculum. et *Sil. It.* 2. 400. hasta. Rursus *Virg.* 6. *Æn.* 515. equus. *Horat.* 1. *Od.* 37. 21. monstrum. *Ovid.* 8. *Met.* 479. lignum. *Id. ibid.* 85. crinis. *Id.* 9. *ibid.* 411. aurum. *Id.* 13. *ibid.* 381. signum. *Id.* 15. *ibid.* 554. glæbæ. *Id. ibid.* 602. tyrannus. *Lucan.* 10. 34. malum. *Val. Flacc.* 6. 653. vulnus. *Id. ibid.* 608. cometæ. *Tac.* 11. *Ann.* 21. præsagium. *Id. ibid.* 25. vecordia. *Flor.* 4. 7. 6. Arena fatalis Pompejo. *Id.* 2. 15. 12. Nomen Scipionum fatale Africæ. *Id.* 3. 15. 4. Capitolium fatale Gracchis. *Vulcat. Gall. Avid. Cass.* 1. sors. *Id. ibid.* laquei. *Sueton. Ner.* 49. hora. Sic *Inscript.* apud *Orell.* 3023., et *alia* apud *Henzen.* 7382. *h. e.* supremus dies. Eodem sensu *Spartian. Hadrian.* 3. Si quid mihi fatale proveniret. et *ibid.* 4. Si quid mihi fatale contigerit. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

FĀTĀLĬTAS, ātis, f. 3. fati necessitas. *Imp. Zeno Cod.* 4. 66. 1. Quod fatalitate ingruebat.

FĀTĀLĬTER, adverb. secundum fata, vel ex fatis, *fatalmente, per fatalità*, πεπρωμένως. *Cic.* 2. *Divinat.* 7. 19. Ex omni æternitate dicis definita esse fataliter. *Ovid.* 12. *Met.* 67. Hectorea primus fataliter hasta, Protesilæe, cadis. *Tac.* 1. *Hist.* 71. Mansitque Celso, velut fataliter, etiam pro Othone fides integra et infelix. Adde *Vopisc. Carin.* 1. et 9., *Prob.* 9. et *Aurel.* 36.; et *Trebell. Poll. XXX. Tyr.* 10. — Fataliter mori, apud *Eutrop.* 1. 11. est fato mori, *morir di morte naturale.* *V.* FATALIS 1.

FĀTĀTUS, a, um, adject. idem quod fatalis, fatis constitutus. *Mythogr.* I. sive *Hygin.* edente *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. p. 55. Fatatum erat, quod, si Amphiaraus sacerdos in bello — periret, Polynices victor esset. *An legendum* Fatum erat? Quamquam *Gloss. Philox.* Fatatus, εἱμαρμένος.

FĀTĔOR, fatēris, fassus sum, fāteri, dep. 2. *Faterier* pro *fateri* per paragogen occurrit apud *Horat.* 2. *Ep.* 2. 147. quod quanto plura parasti, Tanto plura cupis, nulli ne faterier audes? — Part. *Fatens* f. *b.*; *Fassus* I. *a. d.* et *e.*; *Fassurus* et *Fatendus* 1. *a.* — Fateri, a φατός *dicendum*, seu rectius ab etymo φα verbi φημί et *fari*, est confiteri; et fere dicitur de iis, qui in culpa sunt, vel qui aut coacti aut impulsi ea dicunt, quæ alioquin tacerent, ἐξομολογεῖν (It. *confessare*; Fr. *avouer, confesser*; Hisp. *confesar*; Germ. *gestehen, bekennen, eingestehen, zugestehen*; Angl. *to confess, own, grant, acknowledge*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo rei. *Plaut. Truc.* 4. 3. 10. Si verum mihi eritis fassæ, vinclis exsolvemini. Cf. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 1. 1. (2).; et *Curt.* 6. 3. 6. Si verum fateri volumus. *Eumen. Grat. act.* 1. Ut verius fatear. *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 16. Sunt tamen eventu vera fatenda meo. Rursus *Plaut. Capt.* 3. 4. 3. Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? *Id. ibid.* 2. 2. 67. Faterin' eadem, quæ hic fassus est mihi? *Cic. Partit. orat.* 11. 50. Multi in tormentis mori maluerunt falsum fatendo, quam infitiando dolere. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 4. Fateri peccata. *Ovid.* 4. *Met.* 684. delicta. *Id.* 2. *Trist.* 315. culpam. *Id.* 3. *Amor.* 10. 24. Fassuram Cererem crimina nota puto. *Ovid.* 8. *Met.* 633. paupertatemque fatendo Effecere levem. *Id. Heroid.* 21. 201. Fateri sensus suos. *Sueton. Aug.* 27. nihil. *Quintil.* 10. 1. 100. mores suos. *Id.* 11. 3. 36. contemptum. *Id.* 11. 3. 158. sollicitudinem. *Val. Flacc.* 8. 223. meritum. *Claudian.* 2. *Eutrop.* 7. errores. — *b*) Sæpius cum Accusativo et Infinito. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 73. Me despexe ad te per impluvium tuum, fateor. *Id. Most.* 5. 2. 18. Fateor peccavisse, amicam liberasse, fenori argentum sumpsisse. *Id. Asin.* 1. 1. 47. Fateor eam esse importunam atque incommodam. *Ter. Adelph.* 1. 1. 52. Hoc qui nequit, fateatur nescire se imperare liberis. *Cic. Amic.* 12. 40. Turpis est excusatio et minime accipienda, si quis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur. *Id.* 2. *Nat. D.* 63. 158. Hominum igitur causa eas rerum copias comparatas, fatendum est. Similiter *Id.* 1. *Fin.* 12. 42. Fatendum est, summum bonum esse jucunde vivere. *Cæs.* 3. *B. C.* 20. Qui se debere fateantur. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 37. Fateor me duci ventre. *Id.* 2. *Ep.* 1. 85. turpe putant, quæ imberbi didicere, senes perdenda fateri. *Id. Art. P.* 417. mihi turpe Est, quod non didici, sane nescire fateri. *Id.* 2. *Ep.* 1. 17. Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes. *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 17. Acrius invitos multoque ferocius urget, Quam qui servitium ferre fatentur, amor. *Curt.* 7. 2. 7. Fatetur se peccasse. *Sueton. Ner.* 35. dolo stupratam a se. *Quintil.* 10. 1. 40. Quum se Cicero ab illis quoque vetustissimis au-

ctoribus plurimum fateatur adjutum. *Id.* 4. 2. 10. Fatetur ipse pro Rabirio Postumo narrasse Ciceronem. — c) Cum Ablativo et præpos. de. *Cic.* 2. *Invent.* 26. 77. Loci communes erunt accusatoris in eum, qui, quum de facto turpi aliquo aut inutili aut utroque fateatur, quærat tamen aliquam defensionem. *Liv.* 24. 5.; et *Curt.* 6. 9. 16. De se fateri, celare alios. Adde *Vopisc. Aurelian.* 26. — d) Absolute. *Plaut. Men.* 5. 9. 48. ME. Est tibi nomen Menæchmo? M. Fateor. *Ter. Eun.* 4. 4. 46. Non potes sine malo fateri. *Cic. Brut.* 19. 76. Qui a Nævio vel sumpsisti multa, si fateris, vel, si negas, surripuisti. Cf. *Quintil.* 5. 12. 13. Non est tam grave argumentum, si fatetur, quam si convincitur. Nam si fatetur *etc.* –; si negat *etc. Nepos Dion.* 2. Quæsivit a medicis Dion, quemadmodum se haberet: simulque ab his petiit, si forte majori esset periculo, ut sibi faterentur. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 23. Da veniam fasso. *Quintil.* 11. 3. 63. In fatendo lenis et summissa vox. *Id.* 5. 13. 46. Ad fatendum impulsus. Adde *Juvenal.* 3. 50. et 13. 222. — Etiam per parenthesin absolute usurpatur. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 16. STRO. Facisne injuriam mihi, an non? EV. Fateor, quia non pendes, maximam: atque id quoque jam fiet, nisi fatere. STRO. Quid fatear tibi? *Ter. Adelph.* 2. 1. 34. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium. *Virg.* 4. *Æn.* 20. Anna, fatebor enim; miseri post fata Sichæi – Solus hic inflexit sensus. Adde *Ovid.* 9. *Met.* 362., 8. *ibid.* 127., 10. *ibid.* 643. et 14. *ibid.* 440. — e) Passive. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 21. 57. Illum agrum publicum esse fatentur. – Ac si est privatus ager Recentoricus, quid eum excipis? sin autem publicus, quæ est ista æquitas, ceteros, etiam si privati sint, permittere, ut publici judicentur; hunc excipere nominatim, qui publicus esse fateatur? *Alii leg.* quem publicum esse fateatur *vel melius* fatentur *vel* fateantur: *tametsi etiam* confessus *passive usurpatur* (*V.* CONFITEOR), *immo et* fassus *ab Ovid.* 2. *Art. am.* 556. Fassus ab ore pudor. — f) Impersonaliter. *Paul. Dig.* 30. 1. 39. *ad fin.* Vulgo fatebatur, utique minorem eum legasse.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro indicare, prodere, manifestare, *manifestare, mostrare. Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. 4. Laterensis nostri et fidem et animum singularem in rempublicam semper fatebor. h. e. testabor, prædicabo. *Quintil.* 1. 6. 23. Sicut Antonius Gnipho, qui robur quidem et ebur, atque etiam *marmur* fatetur esse. *Id.* 1. 10. 37. Plures invenias, qui dialecticæ similem, quam qui rhetoricæ fateantur hanc artem. *Ovid.* 2. *Trist.* 225. Utque sedet vultu fassus Telamonius iram. *Id.* 1. *Art. am.* 115. Protinus exsiliunt, animum clamore fatentes. *Id.* 6. *Fast.* 19. Horrueram, tacitoque animum pallore fatebar. *Id.* 2. *Met.* 836. Sevocat hunc genitor; nec causam fassus amoris, Fide minister, ait, etc. *Id.* 8. *ibid.* 53. Fassaque me flammasque meas, qua dote, rogarem, Vellet emi. *Id.* 3. *Amor.* 8. 22. Fassæ manus. *Sueton. Ner.* 39. Nero nihil amplius quam urbe Italiaque (*eos*) submovit, vel contemptu omnis infamiæ, vel, ne fatendo dolorem, irritaret ingenia. *Val. Flacc.* 4. 114. Intonat alto Insurgens cœlo genitor curamque fatetur. *Juvenal.* 2. 17. qui vultu morbum incessuque fatetur. *Id.* 15. 131. mollissima corda Humano generi dare se natura fatetur, Quæ lacrimas dedit. *Id.* 10. 172. mors sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 57. 83. (177). Patinarum calore pisces vitalem motum fateri. *Id.* 36. *ibid.* 26. 65. (190). Beius amnis, non nisi refuso mari, arenas fatetur. *Flor.* 4. 12. 62. Et ipse hominum (*Indorum*) color ab alio venire cælo fatebatur. *Id.* 2. 6. 39. Quam velociter (*tot ac tanta perfecerit*), quatuor anni fatentur. *Pallad.* 2. *R. R.* 15. 12. Amygdala ad legendum maturitatem fatentur, quum fuerint spoliata corticibus. *Id.* 11. *ibid.* 11. 2. In sinapi semen dentibus fractum, si album fuerit, vetustatem fatetur. ¶ 2. Hinc *fatendi modus* in verbis est indicativus apud Grammaticos. *Quintil.* 1. 6. 7. Omnia quæ e et o litteris fatendi modo terminantur, eadem, si infinitis e litteram media syllaba acceperant, utique productam habent. *Forcellinus* laudat etiam *Varron.* 9. *L. L.* 101. *Müll.*, ubi vulgati libri (8. *L. L.* 58.) habent *fatendi*, Codices vero *imperandi*, et *Spengelius* proposuit *indicandi*, quam lectionem *Müllerus* recepit.

Homonym. *Fateor* et *confiteor* (ut in CONFITEOR dictum est) unum idemque sunt, *h. e.* manifesto et dico, quod a me quæsitum est: et fere de his dicuntur, quæ sciri nollemus et dicere pudet. Sed tamen *confiteri* aliquid pluris complectitur: non modo enim *fateri*, verum etiam propter additam præpositionem significat, ea quæ fatemur ac manifestamus, cum iis convenire, quæ ipsi jam fassi sumus, vel cum aliorum opinione ac suspicione, vel cum oblatis indiciis: hinc *Cic. Ligar.* 1. 2. Habes igitur, Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum. Denique *profiteri* honestum est et significat sponte, palam, coram, et quadam animi magnitudine manifestare, præ se ferre et quodammodo jactare. *Cic. Cæcin.* 9. 24. Quid confitetur, atque ita confitetur, ut non solum fateri, sed etiam profiteri videatur? Cf. *eumd. Planc.* 25. 62. Omnes enim istiusmodi artes in iis reprehenduntur, qui, quum professi fuerint, satisfacere non possunt: non in iis, qui se abfuisse ab istis studiis confitentur. *Id. Rabir. perduell.* 5. 17. Quamobrem fateor, atque etiam, T. Labiene, profiteor et præ me fero, te ex illa crudeli, importuna, non tribunicia actione, sed regia, meo consilio, virtute, auctoritate esse depulsum. Sic *Id.* 1. *Nat. D.* 5. 12. Rei tantæ facultatem consecutum esse me, non profiteor; secutum me esse, præ me fero. Cf. *eumd.* 12. *Phil.* 3. 7. — *Fateri* et *confiteri* opponitur *infitiari*, ut apud *Cic. Partit. orat.* 14. 50. Multi mori maluerunt falsum fatendo, quam verum infitiando dolere. *Id.* 3. *Cat.* 5. 11. Quum id posset infitiari, repente – confessus est. *Id. Sext.* 18. 40. Tacendo loqui, non infitiando confitari videbantur. Similiter *Plaut. Cist.* 4. 1. 9. Omnia infitias ire ea, quæ dudum confessa est mihi.

FATIBULA, æ, f. 1. *Diomed.* 3. p. 488. *Putsch.* Dramata Latine fabulæ appellantur, sive fatibulæ. *Fatibula* itaque est vox efficta a *Diomede*, si tamen salva est lectio, eo consilio, ut vox *fabula* a verbo *fari* derivata esse appareret.

FĀTĬCĀNUS, a, um, adject. *indovino*, qui fata canit, idest futura prædicit. *Ovid.* 9. *Met.* 417. Hæc ubi faticano venturi præscia dixit Ore Themis. *Al. leg.* faticino, *al.* fatidico, *al.* vaticino.

FĀTĬCĬNUS, a, um, adject. idem ac faticanus. *Ovid.* 15. *Met.* 436. sic dicere Vates, Faticinasque ferunt sortes. *Al. aliter leg.*, ut in voce præced.

FĀTĬDĬCUS, a, um, adject. (fatum et dico) qui futura prædicit, ut docet *Varro* 6. *L. L.* 52. *Müll.* Qui futura prædivinando solent fari, fatidici dicti: *fatidico, indovino*, χρησμολόγος. — a) De hominibus. *Virg.* 8. *Æn.* 340. Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima, futuros Æneadas magnos. Adde *Ovid.* 3. *Met.* 348.; et *Val. Flacc.* 1. 2. *Cic.* 1. *Nat. D.* 8. 18. Audite non futiles sententias, non anum fatidicam, etc. *Virg.* 7. *Æn.* 81. genitor. *Sueton. Galb.* 9. puella. *Ovid.* 2. *Fast.* 262. deus. *h. e.* Phœbus. *Id.* 1. *Met.* 321. Themis. *Plin.* 8. *Ep.* 8. 5. numen. — b) De rebus. *Ovid.* 2. *Met.* 640. fatidicos concepit mente furores. *Sueton. Aug.* 31. libri. *h. e.* libri Sibyllini. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 36. (120). Fatidicum et memorabile augurium. *Id.* 2. *ibid.* 43. 43. (113). fulmina. *Id. ibid.* 93. 95. (208). specus. *Val. Flacc.* 1. 304. silvæ. *Sil. It.* 1. 414., 2. 67. et 3. 11. lucus. *Id.* 3. 680. murmur. *Id.* 13. 412. umbra. *Id.* 15. 672. arenæ. *Claudian.* 2. *Cons. Stilich.* 59. lauri. *Id. B. Get.* 232. carmen. *Ammian.* 21. 1. exta. *Id.* 22. 12. Venæ fatidicæ Castalii fontis. — Hinc

Fatidicus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est vates, propheta. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 20. Alterum (*genus sacerdotum*) quod interpretatur fatidicorum et vatum effata incognita.

FĀTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. *mortifero*, μορσιμος, mortifer, fatum, idest mortem afferens. *Virg.* 8. *Æn.* 621. Fatiferumque ensem. *Id.* 9. *ibid.* 631.; et *Sil. It.* 2. 16. Fatifer arcus. *Al. leg.* letifer. *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 27. fatifero Mavors accingitur ense. *Id.* 6. *Met.* 251. Fatiferum ferrum. *Sil. It.* 1. 641. dextræ.

FĀTĬGĀBĬLIS, e, adject. *stancabile*, qui fatigari potest. *Tertull. Anim.* 32. Ascensu scalarum fatigabilis.

FĀTĬGĀTĬO, ōnis, f. 3. *stanchezza*, κόπος, καματος, magna lassitudo; et occurrit *A*) Abstracto, et *B*) Concreto, uti ajunt, sensu.

A) Abstracto, et quidem

I.) Proprie. *Cels.* 1. 2. *a med.* Exercitationis finis esse debet lassitudo, quæ citra fatigationem sit. *Liv.* 32. 15. Fatigatio equorum atque hominum. *Curt.* 6. 8. 21. Illum fatigatione resolutum somnus oppresserat. *Id.* 7. 11. 17. Affectus fatigatione. *Colum.* 4. *R. R.* 18. 2. Minuere fatigationem. *Quintil.* 11. 3. 147. Fatigatione deficere. Adde *Tac.* 2. *Hist.* 60.; et *Seneca* 3. *Ira* 9.

II.) Improprie est dictum jocosum, facetiæ, cavillatio, qua risus causa quempiam fatigamus, et, ut Veneti vulgo dicunt, *facciamo vogare. Sidon.* 1. *Ep.* 8. Morari me Romæ gratularis: id tamen quasi facete, et fatigationum salibus admixtis. *Sulpic. Sever.* 1. *dial.* 4. *a med.* Aliquantum erubescens, dum fatigationem meam accepit. *V.* FATIGO.

B) Concretum pro abstracto significat homines fatigatos. *Ammian.* 24. 4. Quum anceps pugna diutius fervens, sanguine utrimque multis cædibus fuso, diei finisset occasu, tandem fatigationi consulitur.

FĀTĬGĀTŌRĬUS, a, um, adject. qui fatigat: sed occurrit translate tantum apud *Sidon.* 5. *Ep.* 17. Verba erant dulcia, jocosa, fatigatoria. *h. e.* faceta. *V.* vocem præced. sub *A.* II.

FĀTĬGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FĀTĬGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Fatigans* II. 1.; *Fatigatus* I. et II. 1.; *Fatigaturus* et *Fatigandus* I. — Part. *fatigatus*, si *Servio* credere libet ad *Virg.* 8. *Æn.* 232., proprie refertur ad corpus, ut *fessus* ad animum: sed tamen *V.* infra Homonym. Ceterum fatigare a *fatim* et *agere* ad litteram est usque ad satietatem agere vel agitare, vexare, atque adeo significat vires urgendo instandoque cuipiam adimere, lassare, ad lassitudinem deducere, domare, καταπονέω, κοπόω (It. *stancare, fiaccare, spossare, domare*; Fr. *fatiguer, lasser, épuiser, exténuer, abattre*; Hisp. *fatigar, acosar, cansar, oprimir, congojar, abollar*; Germ. *zur Genüge treiben, daher bis zur Ermüdung plagen, treiben, placken, ermüden, beschäftigen, ermatten*; Angl. *to tire, weary, fatigue*).

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 488. vi morbi sæpe coactus (*aliquis*) ingemit et tremit artus, Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat Inconstanter, et in jactando membra fatigat. *Id.* 6. 1161. Fatigare defessos nervos. Sic *Ovid.* 8. *Met.* 824. petit ille dapes sub imagine somni, Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat. *Id. Heroid.* 18. 83. fatigatis humero sub utroque lacertis. Cf. *Quintil.* 11. 3. 82. Fatigare vocem. *Ovid.* 8. *Met.* 687. Ille (*anser*) celer penna tardos ætate fatigat Eluditque diu. *Virg.* 3. *G.* 132. Sæpe etiam cursu quatiunt (*armenta*) et sole fatigant. *Horat.* 3. *Od.* 6. 42. Juga demere bobus fatigatis. *Juvenal.* 4. 5. Fatigare jumenta. *Vopisc. Aurel.* 49. equos. *Sall. Cat.* 27. Vigilare, neque insomniis, neque labore fatigari. *Horat.* 3. *Od.* 4. 11. Ludo et somno fatigatus puer. *stanco dal giuocare e vinto, oppresso dal sonno.* nam somnus, etiam adventans, vires capit. Rursum *Sall. Jug.* 76. Denique Romani multo ante labore præliisque fatigati. Adde *Curt.* 4. 10. 19. et 9. 8. 25. *Liv.* 8. 10. Aliquandiu pugna atroci quum semet ipsi fatigassent. *Virg.* 11. *Æn.* 306. quos nulla fatigant Prælia, nec victi possunt absistere bello. Cf. *Vellej.* 2. 34. 1. Per triennium Romanos exercitus fatigaverat. et *Justin.* 43. 3. 13. Græcos assiduis bellis. *Id.* 18. 3. Tyrios diu varieque bellis. *Id.* 44. 2. 7. annis decem Romanos varia victoria. *Val. Flacc.* 138. famulasque fatigat Velleribus – longo mulcens insomnia penso. *Cic. Topic.* 20. 74. Verberibus, tormentis, igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere. *Id.* 3. *Off.* 18. 73. Sicarii, venefici, fures non verbis sunt et disputatione philosophorum, sed vinculis et carcere fatigandi. Cf. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 11. Pervicax contumacia plerumque sævientem bovem fatigat. *Cæs.* 3. *B. C.* 95. Milites magno æstu fatigatis, nam ad meridiem res erat perducta. *Curt.* 5. 4. 22. Medius erat dies, et fatigatis necessaria quies; quippe tantumdem itineris supererat, quantum emensi erant. *Nepos Eumen.* 12. Triduo fame fatigatus. *Tac.* 5. *Hist.* 3. inopia aquæ. *Liv.* 38. 19. Tædio se fatigaturos hostem censebant. *Sueton. Vesp.* 12. Triumphi die fatigatus tarditate et tædio pompæ. *Nepos Lysand.* 2. Ne de eodem plura enumerando, fatigemus lectores.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est agitare, flectere, urgere, vexare, domare; et varios elegantesque habet usus. Sic — 1.°) *Fatigare aliquem preci-*

bus vel similibus est adeo instare, obtundere, molestum esse, enecare precando, donec victus se exorari sinat. — a) Cum Accusativo personæ. Liv. 9. 20. Quum per aliquot dies fatigassent singulos precibus. Adde eumd. 27. 45.; Justin. 1. 4. 10. et 18. 1. 1.; et Val. Flacc. 8. 386. Sic Horat. 1. Od. 2. 26. prece qua fatigent Virgines sanctæ Vestam. Val. Flacc. 7. 311. Fatigare questu superos. Adde Sil. It. 6. 573. Rursus Val. Flacc. 4. 69. gemitu Jovem. Stat. 2. Theb. 214. gemitu mœstaque voce. Martial. 7. 60., et Tac. 1. Hist. 29. votis Jovem. et Val. Flacc. 4. 69. deos in vota. Justin. 9. 3. 6. et 18. 1. 1. aliquem legationibus. Id. 6. 2. 12. per epistolam. Id. 23. 1. 11. Querelis sociorum fatigari. — Dicimus etiam fatigare absolute pro fatigare precibus. Lucret. 4. 1236. Nequidquam divûm numen sortesque fatigant. Adde Stat. 5. Silv. 1. 72. Virg. 7. Æn. 582. Undique collecti coeunt, Martemque fatigant. h. e. flagitant, instanter rogant Martem, ut adsit: quod est, bellum deposcunt. Tac. 1. Hist. 29. Galba fatigabat alieni imperii deos. Val. Flacc. 8. 86. atque omnem linguaque manuque fatigat Vim Stygiam. h. e. magicis verbis ac signis petit, arcessit, invocat. Sall. Jug. 111. Denique sæpius fatigatus lenitur et ex voluntate Sullæ omnia se facturum promittit. — b) Sequente part. ut vel ne. Sall. Jug. 11. Dein tamen ut ætati concederet fatigatus a fratre, vix in partem alteram transductus est. Id. ibid. 14. Quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid statuatis. — c) Cum Accusativo rei, sed verbo rogare junctum, apud Plaut. Cist. 4. 2. 12. Non sum scitior, quæ hos rogem, aut quæ fatigem. — d) Cum Ablativo rei et præpos. de apud Sall. Jug. 73. Metellus Marium fatigantem de profectione domum remittit. Cf. Propert. 2. 20. 3. Quidve mea de fraude deos fatigas? Ammian. 17. 10. Sciret se rursus ea de re fatigandum. — e) Huc pertinent et illa Tac. 3. Hist. 31. Aspernantem tumentemque lacrimis fatigant. Id. 15. Ann. 71. Fatigare dextram osculis. caricare di baci: vel dexteram osculis jaciendis lassare, quod minus placet. Val. Flacc. 1. 635. miscent suprema paventes Verba alii, junguntque manus, atque ora fatigant. h. e. osculis. — 2.°) Aliquando est vehementer impellere, stimulare, agitare, cacciare, pungere, spingere. Cic. 1. Off. 25. 88. Omnis animadversio et castigatio contumelia vacare debet, neque ad ejus, qui punit aliquem aut verbis fatigat, sed ad reipublicæ utilitatem referri. Sil. It. 12. 192. Incumbens hasta, socios nunc voce fatigat: Perge, age, fer gressus etc. Eodem sensu Virg. 4. Æn. 572. Corripit e somno corpus, sociosque fatigat: Præcipites vigilate viri etc. Id. 1. ibid. 320. qualis equos Threissa fatigat Harpalice, volucremque fuga prævertitur Hebrum. Id. 11. ibid. 714. Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat. Sic Sil. It. 13. 142. spumantis equi fera corda fatigans Evehitur porta bellator. Et rursus Virg. 9. Æn. 609. versaque juvencum Terga fatigamus hasta. et 5. ibid. 253. jaculo cervos cursuque fatigat. Id. 6. ibid. 533. quæ te fortuna fatigat, ut etc.? et 9. ibid. 63. collecta fatigat edendi Ex longo rabies. Sil. It. 1. 63. Dat mentem Juno, ac laudum spe corda fatigat. — 3.°) Item est vexare, exercere, sollicitare. Lucret. 3. 838. Advenit id, quod eam (animam) de rebus sæpe futuris Macerat inque metu male habet curisque fatigat. Pseudo-Sall. orat. 2. ad Cæs. de republ. ordin. a med. Curis fatigatur animus. Claudian. Cons. Prob. 64. me cura fatigat. Paullo aliter Sil. It. 12. 496. et 1. 675. curasque ita corde fatigat: Quo mens ægra vocas? etc. h. e. agitat, versat. Sall. Jug. 70. Bomilcar inceperat novas res cupere, die noctuque fatigare animum. Horat. 2. Od. 11. 11. quid æternis minorem Consiliis animum fatigas? Lucret. 5. 1422. Tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura, curis Exercent hominum vitam belloque fatigant. Horat. 4. Od. 11. 18. Devota morti pectora liberæ Quantis fatigaret ruinis. h. e. urgeret, obrueret. Stat. 9. Theb. 280. Mille modis leti miseros mors una fatigat. Sall. Jug. 56. Romanus imperator ubi se dolis fatigari videt. Virg. 1. Æn. 280. aspera Juno, Quæ mare nunc terrasque metu cœlumque fatigat. h. e. miscet, sollicitat, exercet. Cf. Val. Flacc. 2. 120. Fama terras fatigat. h. e. implet rumoribus suis, turbat, vexat. Tac. 4. Ann. 6. Plebes acri quidem annona fatigabatur. Id. 4. Hist. 81. Cunctantem varia pernicies morbique et manifesta cœlestium ira graviorque in dies fatigabat. Sall. Jug. 3. Frustra niti, neque aliud se fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Ovid. 2. Art. am. 227. de Hercule. Ille fatigatæ perdendo monstra novercæ. Id. 3. Amor. 11. 2. Cede fatigato pectore, turpis Amor. Id. Heroid. 13. 97. Inter mille rates tua sit millesima puppis: Jamque fatigatas ultima verset aquas. Sil. It. 1. 208. Tum geminæ laterum cautes maria alta fatigant. Ovid. 1. Met. 573. fluvius sonitu plus quam vicina fatigat. h. e. molestia afficit, assorda col mormorio delle acque. Justin. 44. 1. 4. Nam (Hispania) neque ut Africa violento sole torretur, neque ut Gallia assiduis ventis fatigatur. Ovid. 5. Met. 485. loliumque tribulique fatigant Triticeas messes. h. e. obruunt, nec crescere sinunt. Cf. Colum. 4. R. R. 1. 6. Quod et celeriter adolescunt semina, quæ non fatigentur multo soli pressa pondere, flantque uberiora, quæ leviter suspensa sint. — 4.°) Item pro lassare, domare, vincere. Virg. 6. Æn. 78. Bacchatur vates, magnum si pectore possit Excussisse deum: tanto magis ille fatigat Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo. Sall. Cat. 11. Secundæ res sapientium animos fatigant. h. e. eorum virtutem et constantiam vincunt. Id. Jug. 68. Vagantes fatigati regis suppliciis, neque antea voluntate alienati. Val. Flacc. 7. 348. Te ducente sequor: tua me grandæva fatigant Consilia, et monitis cedo minor. h. e. meam animi firmitatem vincunt. Quintil. 4. proœm. 7. Ipsa cogitatione suscepti muneris fatigor. Id. 1. 12. 1. Quia confundatur animus ac fatigetur tot disciplinis in diversum tendentibus. Stat. 5. Silv. 1. 8. Fatigare curas artificum. stancare dando loro molto da lavorare. Curt. 8. 3. 1. Sed hanc quoque expeditionem, ut pleraque alia, fortuna indulgendo ei numquam fatigata, pro absente transegit. (Cf. Lucan. 2. 727. lassata triumphis Descivit fortuna.) et Justin. 12. 8. 15. Ac si non militibus, vel ipse sibi parcat, ne fortunam suam nimis onerando fatiget. Flor. 1. 7. 4. Quum (Tarquinius Superbus) sævitiam domi fatigasset, tandem in hostes conversus. Colum. 4. R. R. 27. 6. Si autem continuis superioribus annis dapsili proventu fatigata vitis fuerit, requiescere ac refici par erit. Huc referri potest et illud Imp. Constantin. M. Cod. Theod. 1. 19. 2. Si contra pupillos, viduas, morbo fatigatos et debiles impetratum fuerit nostræ lenitatis judicium etc. — 5.°) Speciatim de re est frequenter usurpare, exercere. Val. Flacc. 5. 142. arma fatigant Ruricolæ, Gradive, tui. h. e. ferramenta in usum belli fabricando, ictibus malleorum quasi fatigant. Juvenal. 6. 441. Jam nemo tubas atque æra fatiget. h. e. tubis personet. Sil. It. 7. 492. Hic dabit ex sese, qui tertia bella fatiget. Cf. eumd. ibid. 125. Infractasque minas dilato Marte fatigat. — 6.°) Item speciatim de tempore, fatigare diem est totum in opere occupando veluti lassare. Virg. 8. Æn. 94. Olli remigio noctemque diemque fatigant. Val. Flacc. 5. 602. Marte diem noctemque fatigant. Cf. Propert. 4. 11. 81. Sat tibi sint noctes, quas de me, Paule, fatigas. — 7.°) Item de loco et est agitare, sive agitando percurrere, pertransire. Virg. 9. Æn. 605. Fatigare silvas. h. e. silvis veluti molestum esse venatu, clamoribus, agitatione ferarum. Sic Val. Flacc. 3. 21. Dum volucri quatit asper equo silvasque fatigat Cyzicus, ingenti prædæ deceptus amore etc. Sil. It. 15. 208. Progreditur celeratque vias, et corripit agmen Pernici rapidum cursu camposque fatigat. Id. 2. 73. Quales Threiciæ Rhodopen Pangæaque lustrant Saxosis nemora alta jugis, cursuque fatigant Hebrum innuptæ manus. ¶ 2. Speciatim apud sequioris ævi scriptores fatigari argutiis, jocis etc. est per argutias, jocos etc. molestia affici, vexari. Sidon. 6. Ep. 2. Fatigari argutiis. Sulpic. Sever. 1. dial. 5. Sed supersedendum est, ne Gallus se æstimet fatigari. Id. ibid. 4. Nullam occasionem omittis, quin nos edacitatis fatiges. V. FATIGATIO sub A. II.

Homonym. Omissis, quæ minus recte affert Servius ad Virg. 8. Æn. 232. et Diomed. 1. p. 372. Putsch., inter fatigatum et fessum hoc interest discriminis, quod fatigatus passivum est, fessus vero neutrum; fatigatus dicitur et est homo, cui exercitatio vel aliquis labor vires exhausit; contra fessus conditionem seu statum ejus significat, qui aliquid diu perpetiendo viribus deficit. Ad rem Livius, qui affertur a Popma, loco tamen non laudato: Longo itinere fatigatum et onere fessum. Hinc dicitur fatigatus prœlio, cursu; et contra fessus ætate, senio, morbo. Sed hoc quoque discrimen non est perpetuum (V. Cæs. 3. B. C. 95.; et Liv. 1. 25.). — Præterea lassitudo ea est conditio, qua corpus et animus propter exercitationem debilitata otii ac quietis indiget; fatigatio vero ea est conditio, qua quis conando ac labore perpetiendo ita fessus est, ut otium ac quietem expetat: hinc lassitudo est objectivum, ut in scholis ajunt; fatigatio est subjectivum. Cels. 1. 2. a med. Exercitationis finis esse debet sudor, aut certe lassitudo, quæ citra fatigationem sit. Hæc tamen duo (itemque lassare et fatigare, lassus et fessus) modo junguntur, modo alterum alteri sufficitur. Cic. 12. Fam. 25. Rempublicam nos more nostro tuebimur, quamquam admodum jam sumus fatigati; sed nulla lassitudo impedire officium et fidem debet. Solin. 15. Concors cura omnium pro fatigatis, ut lassatas sustollant. Cels. 1. 3. Fatigato quotidianum cubile tutissimum est; lassat enim quod contra consuetudinem seu molle seu durum. Sall. Jug. 53. Opere castrorum et præliorum fessi lassique erant. Döderlinius ita legendum putat; MSS. Codices habent lætique. Plin. 28. Hist. nat. 9. 37. (137). Axungia itinerum lassitudines et fatigationes levat. Ammian. 16. 12. Lassitudine nos itineris fatigatos scrupulosi tramites excipient. Id. 19. 8. Fatigato mihi lassitudine gravi levamen impendio tempestivum.

FĀTĬLĔGUS, a, um, adject. fatum, seu mortem colligens. Lucan. 9. 821. Toxica fatilegi carpunt matura Sabæi.

FĀTĬLŎQUĬUM, ii, n. 2. profezia, prædictio. Apul. de Deo Socrat. Vel Sybillæ fatiloquia versificet.

FĀTĬLŎQUUS, a, um, adject. idem ac fatidicus. Liv. 1. 7. Carmenta mater, quam fatiloquam ante Sybillæ in Italiam adventum miratæ hæ gentes fuerant. Apul. Florid. 2. n. 15. Fertur Cretensem Epimenidem, inclitum fatiloquum et poetam, disciplinæ gratia sectatus.

FĀTIM, adverb. abundanter, teste Servio ad Virg. 1. Æn. 127., unde affatim, quam vocem V. Fulgent. 2. Mythol. 8. Conceptionem fatim subministrat. Al. leg. conceptionale fatum. Sidon. 1. Ep. 8. Morari me Romæ congratularis, illud tamen quasi facete, et fatim Gnathonum salibus admixtis. Forsasse legendum affatim: mendum enim inesse suspicor.

FĀTĬO, ōnis, f. 3. actus fandi: a Prisciano affertur super xii. vers. Æn. p. 1250. Putsch., nullo tamen auctore laudato.

FĀTIS. V. AFFATIM.

FĀTISCO, is, ere, n. et

FĀTISCOR, iscĕris, isci, dep. 3. — Fatesco legitur tantum in Not. Tir. p. 119., quæ tamen omni carent auctoritate. — Part. Fatiscens I. et II. — Fatisco et fatiscor, a fatim et hisco, ut Servius docet ad Virg. 1. Æn. 127., vel potius ab etymo χα verbi χαίνω quod idem significat, est idem ac findor, aperior, hisco, viribus fractis deficio, ita ut solvar, dissolutus proruam (It. aprirsi, fendersi; Fr. se fendre, s'ouvrir, s'entr'ouvrir; Hisp. abrirse; Germ. von einander gehen, zerfallen, zergehen, Spalte, Risse bekommen; Angl. to chink, open or gape with chinks).

A) Activa forma.

I.) Proprie. Virg. 1. Æn. 127. laxis laterum compagibus omnes Accipiunt (naves) inimicum imbrem rimisque fatiscunt. Sic Ammian. 26. 10. Navis diuturna carie fatiscens. Rursus Virg. 9. Æn. 809. saxis solida æra fatiscunt. Id. 1. G. 180. Area pulvere victa fatiscit. et 2. ibid. 249. Pinguis tellus haud unquam manibus jactata fatiscit, Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo. non si scioglie in polvere. Cf. Solin. 35. a med. Pomum fatiscit in pulverem. Tibull. 1. 6. 31. Heu canimus frustra, nec verbis victa fatiscit Janua: sed plena est percutienda manu. Al. leg. patescit. Plin. 11. Hist. nat. 45. 105. (251). Camelo ungues in longiore itinere sine calceatu fatiscunt. Val. Flacc. 4. 48. Icta fatiscit aquis donec domus, haustaque fluctu est. Ammian. 19. 9. Nostrorum cadavera mox cæsorum fatiscunt et defluunt, adeo ut nullius mortui facies post quatriduum agnoscatur. Stat. 4. Silv. 4. 32. Fatiscit chelys. Prudent. 6. Cathemer. 51. unda. Gell. 12.

1. Ne æquor illud ventris irrugetur, ac de gravitate oneris et labore partûs fatiscat.

II.) Translate est deficere, *mancare, venir meno. Colum.* 2. *R. R.* 13. 3. Omni solo, quod prædictorum leguminum segetibus fatiscit, una medicina est, ut stercore adjuves. *Id.* 7. *ibid.* 3. 6. Ovis fatiscit post annum septimum. *Id. ibid.* 9. 13. Scrofa celerrime fatiscit, quæ plures educat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (46). Hunc (*apum regem*) esse solum marem, præcipua magnitudine ne (*coeundo*) fatiscat. *Ammian.* 18. 6. Equo jam fatiscente. *Stat.* 11. *Theb.* 92. corda longo sudore fatiscunt. *Id.* 5. *Silv.* 5. 21. Fatiscere clamore. *Val. Flacc.* 7. 598. Ille fatiscens, In caput inque humeros ipsa vi molis et iræ Proruit. *Tac.* 14. *Ann.* 24. Ipse exercitusque per inopiam et labores fatiscebant. *Ammian.* 14. 6. Ab ortu lucis ad vesperam sole fatiscunt vel pluviis. *scil.* spectatores in Circo nudis capitibus perstantes. *Tac.* 16. *Ann.* 5. Manibus nesciis fatiscere, *mancare, fallare per l'inesperienza delle mani. Sil. It.* 2. 315. num gentibus istis Mortales animi? aut ferro flammave fatiscunt? *Val. Flacc.* 3. 395. viri resides In lacrimas humilesque metus ægramque fatiscunt Segnitiem. *Tac.* 6. *Ann.* 7. Scriptores copia fatiscunt. *Id.* 3. *Ann.* 37. Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant. *Id.* 3. *Hist.* 10. Donec fatisceret seditio. *Auson.* 4. *Edyll.* 10. studium puerile. *Ammian.* 20. 11. imperii opes.

B) Deponentium forma.

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 309. delubra deûm simulacraque fessa fatisci.

II.) Translate est fractis viribus deficere. *Lucret.* 3. 458. quandoquidem (*omnia*) gigni pariterque videmus Crescere, et, ut docui, simul ævo fessa fatisci. *Paullo ante dixerat v.* 455. Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt. *Varro* apud *Non. p.* 479. 13. *Merc.* Altera ira, altera vulneribus fatiscuntur. *Fronto Princip. hist.* (edente iterum *A. Mai*) p. 318. Primus ipse in agmine haud sæpius equo vehi, quam pedibus fatisci. — Sequente part. *quin*, aut infinito. *Accius* apud *Non. p.* 307. 9. *Merc.* Haud fatiscar, quin tuam implorem fidem. *Pacuvius* apud *eumd. p.* 479. 14. *Merc.* Si unquam fatiscar facere quod quibo boni.

FATOR, ăris, ari, dep. 1. *intensivum a* fari. *Paul. Diac.* p. 88. 11. *Müll.* Fatantur, multa fantur. *Gloss. Philox.* Fator, πολυλογία.

FĂTŪA, æ. *V.* FATUUS in fin.

FĂTŬĒ, adverb. *scioccamente*, more eorum qui fari nesciunt, stulte, insipienter. *Quintil.* 6. 4. 8. (si sanus est locus). Alioquin et tacendum est sæpe, et aliis subjicientibus, plerumque studio loquendi fatue modo accedendum. *Alii leg.* fatuæ modo. *V.* FATUUS. Adde *Tertull. advers. Hermog.* 10. et *de Patient.* 6.; ubi hæc vox certa lectione occurrit. *Varro* quoque hanc vocem agnoscit 6. *L. L.* 55. *Müll.* et a *fari* derivat: sed recte *Müllerus* τὸ *fatue* corrigendum censet in *Fatuæ*.

FĂTŬĪNUS, a, um, adject. idem ac fatuus. *Apul. Herb.* 64. Itali pæoniam, alii rosam fatuinam vocant. *rosa fatua*.

FĂTŬĬTAS, ātis, f. 3. insipientia, stultitia, stoliditas. *Cic.* 1. *Att.* 25. Ego hujus miserrima fatuitate conflictor. *Al. pleriq. leg.* facultate. *Id.* 2. *Invent.* 32. 99. Non hanc imprudentiam, aut casum, aut necessitudinem, sed inertiam, negligentiam, fatuitatem nominari oportere. Adde *Firmic.* 8. *Mathes.* 19.; et *Vulgat. interpr. Proverb.* 16. 22. Sic *Cassiod.* 9. *Variar.* 18. *a med.* Qualis enim fatuitas est, creatorem vitæ relinquere etc.

FĀTŬĪTO, adverb. idem ac fataliter. *Priscian.* 15. p. 1016. *Putsch.* Similiter a fato fatuito, μοιρῆθεν, fato et fataliter, μοιραίως.

FĀTUM, i, n. 2. Etiam *fatus, i*, m. 2. vel us, m. 4. legitur in *fragm. Trag. Petron.* 42. malus fatus. et 77. fatus meus. Sic *Inscript.* apud *Gruter.* 661. 6. et 663. 5. Fatus malus. et apud *Fabrett.* p. 123. n. 28. Fatus infelix. et apud *Murat.* 660. 4. Fatus suus. Sic *Inscript. Vercellensis in Memor. dell' Accad. di Torino T.* 33. *p.* 211. D. M. VALERI RESTITVTI POSVIT BASSAEVS SEVERIANVS ET OMNES DOMESTICI SCIVNT MANES TVAE ME VOLVISSE ET LABORASSE TE LIBERVM VIDERE, SI ORA ET FATVS DICTASSET. Nonnulli putant Genitivum esse *fatus*; sed tamen *fati* occurrit in *Inscript.* apud *Orell.* 4776. NOS AB ANIMO POTVIT DISIVNGERE NEMO, NISI FINITIO FATI. — *Fatum* proprie ac stricto sensu est dictum, effatum, quo quippiam futurum monstratur, ut sunt oracula et responsa vatum: a *fari*; hinc *Fronto de nep. am.* (edente iterum *A. Mai*) 2. Fata a fando appellata ajunt. *Minuc. Octav.* 30. Quid enim aliud est fatum, quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est? (It. *vaticinio, oracolo, predizione*; Fr. *prédiction, oracle*; Hisp. *prediccion, oráculo*; Germ. *d. Weissagung*; Angl. *a prophecy, oracle, prediction*).

I.) Proprie. *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 66. Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet. *Cic.* 3. *Cat.* 4. 9. Lentulum sibi confirmasse ex fatis Sybillinis haruspicumque responsis, se esse tertium illum Cornelium etc. *Id.* 1. *Divinat.* 44. 100. Ex fatis, quæ Vejentes scripta haberent, Vejos capi non posse, dum lacus is redundaret —: in iisdem fatis scriptum Vejentes habere, fore ut etc. *Liv.* 29. 10. Quo maturius fatis, ominibus oraculisque portendentis sese victoriæ compotes fierent. *Id.* 5. 15. Interpres fatis oblatus. *Virg.* 5. *Æn.* 703. Pater Æneas pectore curas versans, Siculisne resideret arvis Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras. *Justin.* 7. 6. 1. Ut (*Philippus*) est ingressus imperium, magna de illo spes omnibus fuit — propter vetera Macedoniæ fata; quæ cecinerant, uno ex Amyntæ filiis regnante, florentissimum fore Macedoniæ statum. Cf. *eumd.* 12. 2. 11., 4. 5. 6. et 16. 3. 7. *Vopisc. Aurel.* 19. Fata reipublicæ requirere. *h. e.* Sibyllinos libros. *et Rutil.* 2. *Itiner.* 52. Sibyllinæ fata cremavit opis. *Sidon.* 9. *Ep.* 13. Removete ficta fata. *h. e.* falsa oracula.

II.) Translate occurrit *A*) Generatim; et *B*) Speciatim.

A) Generatim. ¶ 1. Fatum (ut *Cic.* definit 1. *Divinat.* 55. 125.) est ordo seriesque causarum, quum causa causæ nexa rem ex se gignit, Græce εἱμαρμένη: ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna, *fato, fatalità, destino.* Hoc fatum *physicum* nonnulli appellant. Sed est et *astrologicum* seu *mathematicum*, ex astrorum præcipue vana observatione pendens, *h. e.* necessitas quædam ante deos, qua quidpiam ex liberis causis fieri aliquando statutum est: idque necessario futurum est, ne ipso quidem Jove immutare (bene tamen differre ad decem annos, inquit *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 398. ex *haruspicinæ libris* et *sacris Acherontiis*) valente, ut Stoici docuere, qui scelera quoque necessitate patrari putabant. (V. *Gell.* 6. 2.; et *Cic. de Fato* 4. *in fin.*). Quæ omnia tum aliorum philosophorum sanior doctrina, tum certissima omnium Christiana veritas, falsa et insana esse demonstrat. Cf. et *Boeth.* 4. *pros.* 6. *ante med.*, ubi disputat, in quo differat fatum a providentia. — Porro hæc ideo fata dicuntur, quia illa Jovem *fari* et tradere Parcis fabulantur, quæ suo quæque tempore exsequenda curent. *Cic. Fat.* 17. 39. Quum duæ sententiæ fuissent veterum philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret; in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit: altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii. *Id. Topic.* 15. 59. Ex hoc genere causarum ex æternitate pendentium fatum a Stoicis nectitur. *Id. Fat* 15. 33. Stoici omnia fato fieri dicunt. *Id.* 2. *Divinat.* 7. 19. Omnia, quæ fiunt, fato contineri. *Id.* 2. *ibid.* 8. 20. Ruina oppressus esset. At hi, neque si fatum fuerat, effugisset; nec si non fuerat, in eum casum incidisset. *Id. Fat.* 3. 5. Si Daphitæ fatum fuit, de equo cadere. *Id. ibid.* 12. 28. Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere. *Id. Balb.* 26. 58. Fuit hoc sive meum, sive reipublicæ fatum, ut in me unum omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. *Id.* 1. *Divinat.* 1. 2. Ut prædici posset, quid cuique eventurum et quo quisque fato natus esset. *Id. Mil.* 11. 30. Qui (*Milo*) hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit. *Id. Fontej.* 16. 35. Ea conditione atque eo fato se in terris collocatam esse (*Massiliensium civitas*) arbitratur, ne etc. *Id.* 2. *Phil.* 1. 1. Quonam meo fato fieri dicam, ut etc. *Cæcin.* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. 1. Qua quidem in re singulari sum fato. *ho un destino particolare. Cic. Marcell.* 5. 13. Ad illa arma fato nescio quo misero funestoque compulsi. *Id.* 3. *Cat.* 8. 19. Nisi dii immortales omni ratione placati suo numine prope fata ipsa flexissent. *Liv.* 3. 40. Quonam fato incidisset, mirari se dictitans, ut decemviros oppugnarent. *Id.* 26. 41. Ea fato quodam data nobis sors est, ut magnis omnibus bellis victi vicerimus. *Id.* 1. 7. Fata implere. *Horat.* 1. *Od.* 12. 51. Orte Saturno, tibi cura magni Cæsaris fatis data. *Id.* 4. *ibid.* 2. 38. Quo (*Cæsare*) nihil majus meliusve terris Fata donavere bonique divi. *Id. Epod.* 7. 17. Acerba fata Romanos agunt. *Id.* 1. *Od.* 15. 5. Ut caneret fera Nereus fata. *Id.* 2. *ibid.* 13. 16. cæca. *Virg.* 5. *Æn.* 709. quo fata trahunt retrahuntque, sequamur. *Id.* 1. *G.* 199. omnia fatis In pejus ruere. *per disposizione de' fati. Id.* 1. *Æn.* 43. vetari fatis. *Id. ibid.* 36. agi fatis. *Ovid.* 1. *Pont.* 7. 56. fuit in fatis hoc quoque credo meis. Adde *Sueton. Claud.* 43. Rursus *Ovid.* 1. *Fast.* 481. Sic erat in fatis. *Id.* 3. *Trist.* 2. 1. Ergo erat in fatis, Scythiam quoque visere, nostris. *Curt.* 4. 6. 17. Sed, ut opinor, inevitabile est fatum. Cf. *Tac.* Quæ fato manent, quamvis significata non vitantur. *Sueton. Aug.* 94. *extr.* Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit. *Plin.* 8. *Ep.* 18. 5. Fuit alioqui fratribus illis quasi fato datum, ut divites fierent. ¶ 2. Aliquando *fatum* dicitur voluntas et placitum deorum, ut *Non.* p. 455. 25. *Merc.* docet. *Virg.* 7. *Æn.* 293. Heu stirpem invisam et fatis contraria nostris Fata Phrygum! Adde *eumd. ibid.* 50. *Val. Flacc.* 4. 126. Jamjam aliæ vires majoraque sanguine nostro Vincunt fata Jovis; potior cui cura suorum est. ¶ 3. Item res ipsa, qua fatum alicujus continetur. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 29. Ilio tria fuisse audivi fata, quæ illi forent exitio: signum ex arce si periisset: alterum etiam est Troili mors: tertium, quum portæ Scææ limen superum scinderetur. Eodem sensu *Ovid. Heroid.* 1. 28. Illi (*h. e.* Græci) victa suis Troia fata canunt. *Justin.* 20. 1. 16. Herculis sagittæ, quæ fatum Trojæ fuere. — Huc referri potest et illud *Tac.* 2. *Ann.* 73. Et erant, qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus (*Germanicus*) interiit, magni Alexandri fatis adæquarent. Cf. *Mamertin. Paneg. Theod.* 6. Item *Capitolin. Clod. Alb.* 13. Publica fata Neronis. *h. e.* rerum publicarum sive imperii administratio. ¶ 4. Quoniam antiqui fabulabantur Jovem effari fata, ut supra diximus, et Parcis tradere, quæ suo quæque tempora exsequenda curarent: ipsæ quoque Parcæ *Fata* dictæ sunt, ut Græce μοίρας, teste *Apul de Mundo in fin.* et eas fati dominas *Ovid.* 5. *Trist.* 3. 17. appellat. *Propert.* 4. 7. 51. Juro ego Fatorum nulli revocabile carmen. *V.* interpp. ad h. l.; et adde *Stat.* 8. *Theb.* 26. et 5. *Silv.* 1. 259. Porro *Fata* pro diis habita ostendunt etiam duo inscripti lapides apud *Gruter.* 98. 1. et 2., quorum prior: FATIS Q FABIVS AVAVS EX VOTO. *Inscript.* (quam vide in v. COLLUSTRIUM) FATIS FATALIBVS. *Aliæ* apud *Labus. Ant. Monum. Bresc.* p. 109. FATIS DIVINIS, et FATIS AVGVSTIS. In nummo Diocletiani apud *Eckel. D. N. V. T.* 8. p. 6. FATIS VICTRICIBVS. Figuræ enim tum hic, tum in allato *Gruteri* lapide insculptæ tres exhibent mulieres stantes, quarum singulæ cornu copiæ et gubernaculum manu tenent, quæ signa cum Fortuna, Parcis et Nemesi communia sunt. Sic in lapide apud *Maff. Mus. Veron.* 170. 3. DEBITA CVM FATIS VENERIT HORA TRIBVS. *Procop. B. Goth. l.* 1. *c.* 25. *ad fin.* Τρία Φᾶτα Ῥωμαῖοι τὰς Μοίρας νενομίκασι καλεῖν. V. *Bulletin. archeol. ann.* 1835. *p.* 87. Hinc nonnulli ex allato Diocletiani nummo *Fatis victricibus* putarunt casum rectum esse *fata, æ*, f. 1., h. e. Parca; quod tamen non est necesse, nam adjectivum *victrix* sæpe cum nominibus substantivis neutrius generis conjungitur. *V.* VICTRIX.

B) Speciatim. ¶ 1. Interdum fatum est casus, calamitas, infortunium, *disgrazia*: quod ex ipso orationis contextu patere debet; nam contra *Horat. carm. sæc.* 27. bona fata. *h. e.* prosperas res dixit. *et Lucan.* 7. 252. Nil opus est votis: jam fatum arcessite ferro. *h. e.* bonam fortunam, victoriam. *et Juvenal.* 7. 189. Exempla novorum fatorum transi. Ceterum pro calamitate, infortunio *Cic.* 3. *Verr.* 10. 29. Hoc Verrem dicere ajebant, te (*h. e.* Metellum) non fato, ut ceteros ex vestra familia, sed opera sua consulem factum. *Pseudo-Ascon.* ad *h. l.* p. 140. *Bait.* Dictum facete et contumeliose in Metellos antiquum Nævii est: Fato Metelli Romæ consules fiunt. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 11. Quibus ego confido impendere fatum aliquod, et pœnas jamdiu improbitatis — debitas instare. *Id.* 3. *ibid.* 7. 17. Non ille

(*Catilina*) nobis Saturnalia constituisset, neque tanto ante exitii ac fati diem reipublicæ denunciasset. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Abditi in tabernaculis aut suum fatum querebantur, aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur. *Id.* 2. *B. G.* 6. Ut quibus in pugna vitæ periculum accideret, non ita multo se reliquorum civium fatum antecedere existimarent, quibus urbe capta eadem esset belli fortuna patienda. *Ovid.* 1. *Met.* 358. Quid tibi, si sine me fatis (*h. e.* diluvio) erepta fuisses, Nunc animi, miseranda, foret? quo sola timorem Ferre modo posses? *Juvenal.* 14. 136. Quum furor haud dubius, quum sit manifesta phrenesis, Ut locuples moriaris, egenti vivere fato. *h. e.* inopi sorte. *Val. Flacc.* 3. 734. Nec quo tentet iter, comitis nec fata perempti Quæ referat, videt, aut socios qua mente revisat. *Id.* 4. 458. nec rumpere fata Morte licet: trahitur victu crudelis egestas. *Cic.* 3. *Phil.* 14. 35. Quod si jam (quod dii omen avertant) fatum extremum reipublicæ venit. ¶ 2. Sæpe interitus, mors, *rovina, morte. Cic. Dom.* 57. 145. Si in illo pæne fato reipublicæ objeci meum caput civium furori. *Id.* 1. *Phil.* 4. 10. Si quid mihi humanitus accidisset (multa autem impendere videntur præter naturam etiam præterque fatum) etc. *Id. Brut.* 96. 328. Sic Hortensii vox exstincta fato suo est, nostra publico. *Id. Cæl.* 32. 79. Nolite hunc maturius exstingui vulnere vestro, quam suo fato. *Virg.* 4. *Æn.* 696. quia nec fato, merita nec morte peribat. *Poeta* apud *Quintil.* 8. 6. 10. Ferro, non fato mœrus Argivum (*h. e.* Achilles) occidit. *Sueton. Cal.* 6.; et *Quintil.* 3. 7. 10. Fato fungi. *Liv.* 26. 13. Fato cedere. *Plin. Paneg.* 11. concedere. *Modestin. Dig.* 31. 3. 20. Concedere in fatum. *Tac.* 6. *Ann.* 10. 1. Piso pontifex, rerum in tanta claritudine, fato obiit. *mori di sua buona morte. Curt.* 9. 6. Si me præceperit fatum. *Justin.* 39. 4. 5. Interficitur, spiritumque non fato, sed parricidio dedit. — Sequioris Latinitatis tempore *fatum facere* est fato fungi. *Inscript.* apud *Murat.* 1999. 2. D. N. MAGNO MAXIMO AVG. II. CONSS. III. ID. MAIAS FATVM FECIT LEO ET DEPOSITVS PRIDIE ID. MAIAS. — In pl. num. *Ovid.* 6. *Met.* 642. satis illi ad fata vel unum Vulnus erat. *Quintil.* 12. 11. 7. Sentiet vivus eam, quæ post fata præstari magis solet, venerationem. *Id.* 6. *proœm.* 1. Si me fata intercepissent. *Id. ibid.* 4. Mater acerbissimis rapta fatis. *Flor.* 3. 9. 4. Fata veneno præcipere. *Val. Flacc.* 8. 106. patrios extinxit noxia tauros; Terrigenas in fata dedi; fusum ecce draconis Corpus habes. *Id.* 3. 220. Cyzicus hic aciem vanis discursibus implet Fata trahens (*h. e.* stragem ferens): jam pulsa sibi cessisse Pelasgûm Agmina, jam passim vacuos disjecta per agros Credit ovans. *Inscript.* apud *Mommsen. Inscr. Neap.* 5341., quæ est apud *Henzen.* 7390. IVNIAE M. F. IVCVNDAE M. IVNIVS M. F. SVCCESSVS ET LAELIA L. LIB. VRSILA INFELICISSIMI PARENTES PIENTISSIMAE FILIAE ET C. REFIDIVS GEMINVS VXS. VIX. AN. XVI. MR. VIII. D. DV. COT (quod) FATA PROPOSTERA FVERVNT, DEBVIT IN HOC TVMVLO MATER ANTE LEGI. P. — Quum mortem significat, de illa intelligitur, quæ naturæ lege cuique obvenit et violentæ atque inopinatæ opponitur, quod et *Gell.* 13. 1. observat. Huic tamen sententiæ videtur adversari locus ille *Ovid. Heroid.* 19. 118. Jamdudum pereas, si mea fata petis. Hic enim loquitur Hero, quæ ait, se morituram ex dolore, si Leander diutius moratus fuerit ad illam venire. *V.* et FATALIS. Ceterum in prosa oratione fato naturalem mortem significari, apud Poetas vero etiam violentam, exempla paullo superius allata confirmant. ¶ 3. Metonymice de eo dicitur, qui perniciem, interitum affert. *Cic. Sext.* 43. 93. Duo illa reipublicæ pæne fata, Gabinium et Pisonem. ¶ 4. Eadem ratione *fata* reliquias funeris, ossa, cineres significant (quamquam alii aliter explicant) in illo *Propert.* 4. 17. 11. An poteris siccis mea fata reponere ocellis? Sic apud *Melam* 2. 2. *med.* fata sunt Manes, vel mortuorum umbræ. ¶ 5. *Fato inscribere* apud *Tertull. Anim.* 37. dicebantur veteres eo die, quo filiis nomina imponebant; et *fata scribundo advocare, ibid.* 39., quia eo die quodcumque bonum omen arripere poterant, id ad filii futuram vitæ prosperitatem arripiebant. V. *Scalig.* l. 2. *lection. Auson.* c. 22.

Homonym. Plura sunt hujusce vocabula homonyma, quæ inter se tamen differunt. *Casus* est aliquid velut irrationale ac brutum, seu cæca rerum series, unde eventus fortuiti et non prævisi, ut Græcum συμφορά: *fors*, ut Græcum τύχη, ab antiquis tamquam ens habita est, quod temere nullo consilio nulloque fine, res atque eventus præter exspectationem gigneret atque afferret: *fortuna* pro dea habita est et humanarum rerum domina, cui tribuebant facultatem distribuendi omnibus bona aut mala in vita, non pro cujusque merito, sed plerumque temere atque inconsiderate, interdum tamen non sine consilio et ex personarum acceptione; hinc *fortuna* usurpatur etiam pro statu et conditione hominum prospera aut adversa, quo sensu jam inde ab Augusti ætate etiam sors usuvenit: hisce omnibus *fatum* et *dii* opponuntur, rerum seriem regentes, hi ex justitiæ et æquitatis legibus, illud vero ex quadam necessitate ante deos existente, seu ex quodam mundi ordine sempiterno. *Cic.* 2. *Divinat.* 6. 15. Quid est aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid eventus, nisi quum sic aliquid cecidit, sic evenit, ut vel non cadere atque evenire, vel aliter cadere atque evenire potuerit? Quomodo ergo id, quod temere fit cæco casu et volubilitate fortunæ, præsentiri et prædici potest? *Id.* 2. *Legg.* 11. 28. Fortuna (consecrata sit) vel fors, in quo incerti casus significantur magis. *Id.* 2. *Divinat.* 7. 18. Quid est tandem, quod casu fieri, aut forte fortuna putemus? *Horat.* 1. *Sat.* 1. 1. nemo, quam sibi sortem Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa Contentus vivit. *Plin. Paneg.* 1. Si adhuc dubium fuisset, forte casuque rectores terris, an aliquo numine darentur. *Tac.* 4. *Hist.* 26. Quod in pace fors seu natura, tunc fatum et ira deorum vocabatur.

FĂTŬE, adverb. *V.* FATUOSE.

FĂTŬOR, āris, ari, 1. est *A*) Verbum deponens; et *B*) Passive quoque occurrit.

A) Deponentium more usurpatum fatuari ¶ 1. Est ineptire, vel fatue loqui. *Seneca Apocolocyn. ante med.* Audi me, et desine fatuari. ¶ 2. Item divino furore corripi, a Fatua uxore Fauni. *Justin.* 43. 1. Fauno fuit uxor nomine Fatua, quæ assidue divino spiritu impleta velut per furorem futura præmonebat: unde adhuc qui inspirari solent, fatuari dicuntur. Adde *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 443.

B) Passive, translate tantum occurrit pro debilitari, enervari. *Cassiod.* 1. *Variar.* 30. Natura siquidem humana sicut duris laboribus instruitur, ita per otia torpentia fatuatur.

FĂTŬŌSĒ, adverb. *Acro* ad illud *Horat.* ebrietas addocet artes, 1. *Ep.* 5. 18. Docet fatuose loqui ebrium et vino exhilaratum. *Al. leg.* fatue se; *al.* fatuo se: *at* Fr. Pauly *cum* Dillenb. *ex* Comm. Cruq. *rectius leg.* fatuose. *h. e.*, ni fallor, eo facundo furore, quo vates corripi dicebantur (*V.* FATUUS init.); sequitur enim apud *Horat.* Fecundi calices quem non fecere disertum?

FĀTUS, a, um. *V.* FOR, faris.

FĀTUS, i, m. 2. *V.* voc. seq. sub 2.

FĀTUS, us, m. 4. ¶ 1. Est dictum, verbum: a *fari. Prudent. Apotheos.* 599. Promite secretos fatus. *Alii leg.* fastus. Nutantem vocis auctoritatem obfirma exemplis *Capell.* 1. *p.* 10. sed acceptis Apollinis fatibus respondit ipse Majugena. *et ibid.* Quam cum Deliaco meare fatu, Cura atque arbitrio monemur isto. *Id.* 2. *p.* 31. Intrepidis nec dubitans fatibus antevortis. *Id.* 7. *p.* 269. *ad fin.* Me spatium admonuit jam claudere fatibus orsa. *h. e.* finem dicendi facere. ¶ 2. Item est idem quod fatum. Legitur in *fragm. Tragur. Petron.* 42. *Burmann.* malus fatus. *et* 77. fatus meus. *V.* alia in FATUM init. *Forcellinus* hæc omnia ad secundam retulit declinationem: et quidem jure.

FĂTŬUS, a, um, adject. εὐήθης, μωρός, ἀνόητος. insipiens, stultus, insulsus: a *fando*, quo notat vaticinari. Nam veteres vates suos *fatuos* a *fatu* vocabant, quomodo et ipsum nomen vates est a φάτης: sed quia vates furore correpti vaticinarentur, inde *fatuus* pro vesano sumi cœpit (It. *pazzo, sciocco*; Fr. *fou, insensé, sot, stupide*; Hisp. *loco, bobo, fatuo, necio*; Germ. *albern, einfältig, thöricht, ein Thor*; Angl. *foolish, silly, simple*).

I.) Proprie. Fatuus et stultus differunt, quia stultus est obtusis sensibus, fatuus nullis. *Afranius* (ut quidam putant) apud *Isid.* 10. *Orig.* in *Stultus.* Ego meipsum stultum esse existimo, fatuum esse non opinor. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. Tamen *fatuus* et *stultissimus* unum idemque sunt apud *Cic.* 10. *Fam.* 26. Scribis enim, si in Sextilem comitia, cito te: sin jam confecta, citius, ne diutius cum periculo fatuus sis. – Tu nunc candidatum te putas et id cogitas, ut aut ad comitia curras, aut, si jam confecta, domi tuæ sis, ne cum maximo periculo, ut scribis, stultissimus sis? *Ter. Eun.* 5. 9. 49. Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctesque et dies. *Cic. Dejot.* 7. 21. Non modo nequam et improbus, sed fatuus et amens es. *Id.* 2. *Orat.* 24. 99. Hoc præceptum est magis monitoris non fatui, quam eruditi magistri. *Poeta* apud *eumd. ibid.* 67. 274. homo fatuus, Postquam rem habere cœpit, est emortuus. Adde *Catull.* 99. 2. et 84. 2. *Juvenal.* 9. 8. fatuos non invenit Pollio. Adde *Lamprid. Commod.* 4.

II.) Improprie. — *a*) De abstractis. *Plaut. Trin.* 2. 2. 18. Fatui mores et turbidi. *Juvenal.* 6. 657. Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem Insulsam et fatuam dextrâ lævâque tenebat. — *b*) Item de cibis dicitur, qui insipidi sunt, *insipido. Martial.* 13. 13. Ut sapiant fatuæ, fabrorum prandia, betæ. Adde *Apic.* 4. 2. 25. — Fortasse huc pertinet illud *Varronis* apud *Non. p.* 341. 27. *Merc.* Quod Cal. Jun. et publice, et privatim fatuam pultem diis mactat. *h. e.* sine sale; et fortasse intelligit libum ex farre et faba, quod eo ipso die Carnæ deæ offerri solitum tradit *Ovid.* 6. *Fast.* 170. At *Aloys. Lanzius, Saggio di ling. Etr. T.* 2. *p.* 674. putat, *pultem* esse interpretationem vocis *fatuam*, nam in *Tab. Eugub.* puls appellatur *fatua.* Verum *Mercerus* pro *fatuam pultem* legit *favatam pultem*, et interpretatur *fabaceam*, non favo dulcorata, ex *Ovid. loc. cit.* et *Macrob.* 1. *Saturn.* 12. V. FABATUS. — Hinc

Fatuus, i, m. 2. et

Fatua, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, qui fatuus est, et risus causa in ditiorum domibus ali solet, *pazzo. Seneca Ep.* 50. Harpasten, uxoris meæ fatuam, scis, hæreditarium onus in domo remansisse. Ipse enim aversissimus ab istis prodigiis sum: si quando fatuo delectari volo, me rideo. Hæc fatua subito desiit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram: nescit esse se cæcam. V. *ibid.* reliqua, et STUPIDUS. — Ceterum *V.* ONOM.

FAUCES, cium, f. plur. 3. In recto singulari *faux* non est, quod sciam, in usu: et dici posse negat *Varro* hisce verbis 10. *L. L.* 78. *Müll.* Quædam verba contra usum veterem inclinata patietur, ut passa Hortensium dicere pro hæ *cervices, cervix*: quædam non, ut si dicas pro *fauces, faux.* Adde *Charis.* 1. *p.* 72. *Putsch.* Sane omisit *Auson.* in *Technopægn.*, ubi studiose conquisita membrorum nomina monosyllaba collegit. At *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 11. Loci, ex quibus sanguis fluit, sunt plurimi, summitas faucium, arteria asperior, quæ etiam faux nuncupatur, pulmo, thorax, et membrana, quæ interius latera cingit etc. — In singulari tamen numero apud Poetas occurrit in sexto casu. *Horat. Epod.* 14. 3. Pocula arente fauce traxerim. *Phædr.* 1. 8. Os devoratum fauce quum hæreret lupi. *et* 1. Lupus fauce improba incitatus. *h. e.* fame. *Ovid. Heroid.* 9. 98. Prægrave, compressa fauce, pependit onus. Adde *Martial.* 7. 37. — Fauces (fortasse a βοάω *clamo*, vel ab eodem etymo ac φωνή) sunt superior interiorque gulæ pars ad linguæ radices, ubi os contrahitur, et cibus incipit descendere in stomachum. Duæ sunt: altera, qua cibus in stomachum, quæ φάρυγξ; altera, qua spiritus ad pulmones fertur, quæ λάρυγξ dicitur. Præcipue tamen de priori a Latinis usurpatur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 68. (179). Summum gulæ fauces vocantur, extremum stomachus. – Quibus fauces non sunt, ne stomachus quidem est. *Cels.* 4. 1. Exigua in arteria sub ipsis faucibus lingula est, quæ, quum spiramus, attollitur (It. *fauci, gola*; Fr. *gosier, gorge, pharynx*; Hisp. *gaznate, gorja, gorguero, garganta*; Germ. *der obere engere Theil des Schlundes zwischen Zunge und Kehle, allgem. Kehle, Schlund*; Angl. *the larynx, the gullet, weasand*).

I.) Proprie. — a) Stricto sensu. *Plaut. Most.* 2. 1. 34. Miserum est opus igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 114. Sitis fauces urit. Rursus *Plaut. Curc.* 2. 3. 39. Os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame. *Id. ibid.* 1. 2. 25. Ingurgitare se in merum

faucibus plenis. Id. Asin. 1. 1. 27. Exscreare ex penitis faucibus. Lucret. 6. 1187. Fauces raucæ. Virg. 9. Æn. 64. siccæ. Ovid. 6. Met. 355. arent. Cels. 5. 25. n. 11. tussientes. Sueton. Ner. 41. Languor faucium. Scribon. Compos. 64. Tumor faucium. Tac. 14. Ann. 51. Fauces tumescunt. Sueton. Aug. 81. Infirmatis faucibus, præconis voce ad populum concionatus est. Plin. 23. Hist. nat. 8. 74. (142) Nuces videntur fauces exasperare. Id. 28. ibid. 9. 33. (129). Lac gargarizatur faucibus exulceratis utilissime. Quintil. 11. 3. 20. Fauces tumentes strangulant vocem, obtusæ obscurant, rasæ exasperant, convulsæ fractis sunt organis similes. Id. 11. 3. 56. Tamquam major vis eloquentiæ ingruat, quam quæ emitti faucibus possit. Id. 1. 11. 6. Verba in faucibus audiri. Sil. It. 3. 194. immani fauces diduxit hiatu. — b) Latiori sensu accipiuntur pro ipsa gula. Cels. 7. 44. Intortæ fauces et expressus per aures sanguis. Plaut. Most. 1. 3. 62. Fauces alicui prehendere atque enecare. Id. Rud. 3. 2. 41. Fauces alicui interprimere. Sueton. Cal. 12. manu opprimere. Ovid. 12. Met. 142. elidere. Tac. 5. Ann. 9. oblidere. Cels. 2. 10. strangulare. Flor. 2. 11. 6. offocare. Ovid. 10. Met. 378. Laqueo fauces innectere. Lucan. 2. 154. Hic laqueo fauces elisaque guttura fregit. Ovid. Ib. 551. laqueo præstringere. Tac. 6. Ann. 40. laqueo vexare. Sueton. Cal. 23. serare novacula. Id. Vesp. 20. Fauces sibi defricare. Id. Vitell. 2. fovere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. Plaut. Cas. 5. 3. 4. Omnibus modis occidi miser: ita manifesto faucibus teneor. Itali dicimus: son preso per la gola, sono col collello alla gola. Sic Cic. Cluent. 31. 84. Istam conciliationem gratiæ Stajenus tum recenti re, quum faucibus premeretur, excogitavit. Id. 5. Verr. 76. 176. Timarchides premit fauces defensionis tuæ. Crassus apud Cic. 1. Orat. 52. 225. Eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri. Cf. Plin. Paneg. 94. Tunc illum in tutelam recepisti, quum prædonis avidissimis faucibus eripuisti. Cic. 1. ad Q. fr. 1. 6. 19. Cujus tu ex impurissimis faucibus in honestissimam cupiditatem eripuisti. Liv. 26. 2. Aliasque urbes velut faucibus Hannibalis ereptas populo Romano restituerunt. Cic. Arch. 9. 21. Urbem Cyzicenorum ex omni impetu regio ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse. Cf. Ter. Heaut. 4. 2. 6. Crucior bolum (h. e. prædam) tantum mihi ereptum tam desubito e faucibus. Cic. 3. Cat. 1. 1. Rempublicam, Quirites, vitamque omnium vestrum, atque hanc urbem – ex flamma atque ferro, ac pæne ex faucibus fati ereptam, et vobis conservatam ac restitutam videtis. Apul. 7. Met. E mediis Orci faucibus ad hunc evasi modum. — Huc pertinent etiam illa Cic. 1. de republ. 43. Quum inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti. Phædr. 1. 1. Lupus fauce improba incitatus. h. e. fame. Ammian. 16. 8. Proximorum (h. e. amicorum et comitum) fauces primus omnium aperuit Constantinus. ¶ 2. Sæpe dicitur de loco quovis angusto, unde in patentiorem exitus est. Cic. 2. leg. Agr. 32. 87. Corinthus posita in angustiis atque in faucibus Græciæ. sulla bocca, sull'entrata. Cf. Curt. 7. 4. 4. In Ciliciæ angustissimis faucibus. nei passi stretti. Cæs. 1. B. C. 25. Fauces portus angustissimæ. la bocca del porto. Id. 3. ibid. 24. et 39. Fauces portus. Liv. 29. 32. Masinissam persecutus in valle arcta, faucibus utrimque obsessis, inclusit. le uscite. Cic. 5. Verr. 62. 145. Æmilius sedens in faucibus macelli. Adde eumd. Quinct. 6. 25. Curt. 5. 3. 17. Donec in arctissimas fauces penetraret agmen. Id. 8. 2. 20. Fauces regionis, qua in arctissimum cogitur, valido munimento sæpserant. Adde eumd. 3. 4. 13., 3. 8. 13. et 3. 4. 2. Cic. 1. Cat. 2. 5. Castra sunt in Italia contra rempublicam Etruriæ faucibus collocata. Plin. 6. Hist. nat. 1. 1. (3). Fauces Bosphori. lo stretto. Flor. 2. 16. 5. Exercitum sub ipsis isthmi faucibus fudit. Id. 3. 6. 10. Ipsas Propontidis fauces Porcius Cato obditis navibus quasi portam obseravit. Justin. 4. 1. 1. Siciliam ferunt angustis quondam faucibus Italiæ adhæsisse. Flor. 1. 18. 3. Tarentus in ipsis Hadriatici maris faucibus posita. Id. 4. 2. 31. Fauces Hadriatici maris jussi occupare Dolabella et Antonius. Val. Flacc. 2. 586. Phrixea subibant Æquora, et angustas quondam sine nomine fauces. Lucret. 6. 640. per fauces montis ut Ætnæ Exspirent ignes interdum turbine tanto. Adde eumd. ibid. 698. Cf. Flor. 3. 20. 4. Per fauces cavi montis (h. e. Vesuvii) vitineis delapsi vinculis etc. Plin. 5. Hist. nat. 9. 10. (54). Nilus multis faucibus in Ægyptium mare se evomit. Ennius apud Cic. 1. Divinat. 48. 108. omnes avidi spectant ad carceris oras, Quam mox emittat pictis e faucibu' currus. h. e. carceres, unde emittantur quadrigæ in ludis circensibus. Cato R. R. 38. Quum fornacem facies, fauces præcipites deorsum facito. Ammian. 24. 4. extr. Collectam stipulam et sarmenta speccum faucibus aggesserunt. Val. Flacc. 1. 783. neque enim ante leves niger avehit umbras Portitor, et cunctæ primis stant faucibus Orci. Adde Stat. 8. Theb. 378.; et cf. Lucret. 3. 1021. Cerberus et Furiæ jam vero et lucis egestas, Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus. ¶ 3. De profunditate dixit Cic. 2. Nat. D. 37. 95. Patefactis terræ faucibus ex illis abditis sedibus evadere in hæc loca. ¶ 4. Transfertur etiam ad locorum proximitatem. Sall. Cat. 52. extr. Catilina cum exercitu in faucibus Etruriæ agit. h. e. prope Etruriam: alii tamen aliter interpretantur. Flor. 1. 10. 2. Hunc (Porsenam) tamen, quamvis et armis et fame urgeret, occupatoque Janiculo ipsis Urbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit, etc. h. e. ea ratione, qua dicitur imminere cervicibus, quamquam et aliter accipi potest.

FAUNĀLIA, ōrum vel ium, n. 2. vel 3. festa in Fauni honorem instituta. Porphyr. ad illud Horat. 3. Od. 18. 1. Faune Nympharum fugientum amator. et 10. Quum tibi nonæ redeunt Decembres, Festus in pratis vacat otioso Cum grege pagus; hæc habet: Nonis Decembribus Faunalia sunt, hoc est, dies festus Fauni, in cujus honorem pecudes lasciviunt. Adde Acron. ibid.

FAUNĬUS, a, um, adject. ad Faunum pertinens, et de versu dicitur. Mar. Victorin. 3. p. 2586. Putsch. Cui (versui) prisca apud Latinos ætas, tamquam Italo et indigenæ, Saturnio sive Faunio nomen dedit. V. SATURNIUS.

FAUSTĒ, adverb. felicemente, feliciter, fortunate. Cic. Mur. 1. 1. Ut his hominibus ea res fauste, feliciter prospereque eveniret.

FAUSTĬTAS, ātis, f. 3. felicità, εὐτυχία. Horat. 4. Od. 5. 18. Nutrit rura Ceres almaque Faustitas. Videtur Horat. significare deam feturis armentorum præsidem. Nihil enim rusticis hominibus faustius, quam si fetura gregem suppleret: et faustulum porcellum Paul. Diac. p. 93. 15. Müll. interpretatur feturam porcorum. Hæc Forcellinus. At Ritterus ad h. l.: Faustitas nove pro Copia sive Abundantia: carm. sæc. 59. beata pleno Copia cornu.

FAUSTUARIUS et

FAUSTUOSUS, a, um, adject. qui faustitate gaudet. Voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in Not. Tir. p. 152.

FAUSTULUM porcellum, feturam porcorum. Paul. Diac. p. 93. 15. Müll. Porcellum Genitivum pluralis num. esse contendit Gothofr. Non ita Müllerus, qui putat faustulum porcellum eum esse, quem rustici non vendebant, sed ad feturam porcorum adolescere sinebant.

FAUSTUS, a, um, adject. seu particip. a faveo pro fautus, εὐτυχής, prosper, felix, cui fortuna favet (It. fausto, prospero, felice; Fr. favorable, heureux, prospère; Hisp. favorable, próspero, feliz; Germ. begünstigend, daher glücklich, beglückend; Angl. auspicious, favourable, fortunate, prosperous). Cic. 1. Divinat. 45. 102. Idcirco omnibus rebus agendis, Quod bonum, faustum, felix fortunatumque esset, præfabantur. In formula censoria apud Varron. 6. L. L. 86. Müll. Quod bonum, fortunatum, felixque salutareque siet populo Romano Quiritium, etc. Plaut. Trin. 1. 2. 2. Ut nobis hæc habitatio bona, fausta, felix fortunataque eveniat. Ter. Andr. a. 5. sc. 4. extr. O faustum et felicem hunc diem! Lucret. 1. 804. nisi tempestas indulget tempore fausto Imbribus. h. e. idoneo, opportuno. Horat. 2. Ep. 2. 3. I pede fausto, Grandia laturus meritorum præmia. Ovid. 3. Fast. 27. Utile sit faustumque, precor, quod imagine somni Vidimus. Id. 1. ibid. 63. Faustus annus. Id. Heroid. 21. 182. Faustum carmen. Id. ibid. 19. 153. Fausti ignes. Liv. 7. 25. a med.; Sueton. Aug. 57. et Cal. 13.; et Ovid. 6. Met. 448. Faustum omen. Tac. 1. Ann. 9. precationes. Sueton. Oth. 6. acclamationes. Mamertin. Grat. act. Jul. 29. colloquia. — Absolute. Claudian. Nupt. Honor. et Mar. 196. Faustum canere. Et Fausta, h. e. faustæ acclamationes, apud Capitolin. Macr. et Balb. 13. — NB. De cognom. Rom. V. ONOM.

Homonym. In quo faustus differat a felice, beato et similibus, V. in fin. v. FELIX.

FAUTOR, ōris, m. 3. Charis. 1. p. 66. Putsch. Fautor antiqui dixerunt: at favitor nec auctoritate, nec ratione dicitur. Ceterum nugatorem hic, non grammaticum agere videtur Charisius: habent enim Plautus (V. infra sub 1. c.) et Lucilius (V. infra sub 1. b.). Est et alia forma favissor, vel favisor, quam V. infra sub 1. a. et sub 1. c. — Itaque fautor, per syncopen pro favitor, est qui favet, σπουδαστής (It. fautore; Fr. celui qui favorise, fauteur; Hisp. fautor, favorecedor; Germ. der Gönner, Begünstiger, Beschützer; Angl. a favourer, furtherer, maintainer, promoter). ¶ 1. Stricto sensu occurrit — a) Cum Genitivo, et — Fere in bonam partem. Lucilius apud Gell. 9. 14. Qui te diligat, ætati (al. ætatis) facieque tuæ se Fautorem ostendat, fore amicum polliceatur. Varro 3. R. R. 5. 18. Fautores competitorum. Cic. 12. Fam. 25. Ego tuorum consiliorum auctor, dignitatisque fautor. Id. 1. ibid. 9. Cujus ego dignitatis ab adolescentia fautor, in consulatu adjutor etiam exstitissem. Id. 10. ibid. 12. Tuæ dignitatis non modo fautor, sed etiam amplificator. Id. 1. Att. 16. 8. Studiosi et fautores illius victoriæ. Id. Planc. 23. 55. Multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuæ. Sall. Jug. 27. Fautores regis. Nepos Alcib. 5.; et Sueton. Gramm. 3. Fautor optimatum. Horat. 1. Sat. 10. 2. Quis tam Lucili fautor inepte est, ut etc? Id. 2. Ep. 1. 23. Fautor veterum. Liv. 1. 7. Fautor immortalitatis. Id. 1. 48. Clamor ab utriusque fautoribus oritur. dai parziali. Id. 9. 46. Populus fautor et cultor bonorum. Sueton. Cal. 16. Fautor boni exempli. Id. Aug. 48. amicitiæ. Apul. de Mag. Ego quietis et concordiæ et pietatis auctor, conciliator, favissor. Alii plerique leg. favitor. — In malam partem. Cic. 1. Att. 16. 11. Fautores illius flagitii. Horat. 1. Ep. 15. 33. Nequitiæ fautores. — b) Cum Dativo. Non. p. 113. 23. Merc. Favitor, fautor. Lucilius lib. xxix. Favitorem me tibi, amicum, amatorem putes. Cic. Planc. 1. 1. Quum multos et bonos viros ejus honori viderem esse fautores. — c) Absolute fere dicitur de iis, qui in circo et theatro favent ac plaudunt. Plaut. Amph. prol. 78. Virtute ambire oportet, non favitoribus. Sat habet favitorum semper, qui recte facit. Id. ibid. 67. Si cui fautores delegatos viderint, Ut his in cavea pignus capiantur togæ. Id. Curc. 2. 3. 17. Tum isti qui ludunt datatim servi scurrarum in via, et datores et fautores omnes subdam sub solum. Al. tamen leg. factores. Horat. 1. Ep. 18. 66. Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum. Adde Tac. 1. Ann. 25. et 28. Symmach. Laud. in patres (edente iterum A. Mai) 3. Vetustas tribus exoret libertina ac plebeja fæce pollutus, nos patricios favisores. ¶ 2. Latiori significatione fautor dicitur, qui alicujus gladiatoris, histrionis etc. partibus studet, partigiano. Sueton. Tit. 8. Quin et studium armaturæ Thracum præ se ferens, sæpe cum populo et voce et gestu, ut fautor, cavillatus est. Id. in vita Juvenal. Erat tum in deliciis aulæ histrio, multique fautorum ejus quotidie provehebantur.

FAUTRIX, īcis, f. 3. fautrice, quæ favet; et occurrit — a) Cum Genitivo. Cic. 1. Fin. 20. 67. Amicitiæ non modo fautrices fidelissimæ, sed etiam effectrices sunt voluptatum, tam amicis, quam sibi. Id. Planc. 9. 22. Tota illa nostra et fidelis et simplex et fautrix suorum regio. Ovid. 3. Met. 101. Ecce viri fautrix superas delapsa per auras Pallas adest. — b) Cum Dativo. Ter. Eun. 5. 9. 22. Thais nostræ omni est fautrix familiæ. Id. Hecyr. 2. prol. 40. Facite, ut vestra auctoritas meæ auctoritati fautrix adjutrixque sit. — c) Absolute, sequente Ablativo cum præpos. in. Nepos Agesil. 8. Ut naturam fautricem habuit in tribuendis animi virtutibus; sic maleficam nactus est in corpore.

FAUX, faucis. V. FAUCES init.

FĀVĔA, æ, f. 1. ita vocabantur apud Latinos ancillæ, quia dominis suis favebant, seu serviebant. Plaut. Mil. glor. 3. 1. 202. Quasique hunc anulum faveæ suæ dederit. Hinc in Gloss. Lat. Græc. MSS.

Sangerman. apud *Ducang. Gloss. Lat.* Fabea, παιδίσκη, puella: Fabeus, παῖς, puer. *Juvenal.* 6. 353. et faveam, cui det mandata, puellam Conducit. *Alii. leg.* flavam.

FĀVĔNTĬA, æ, f. 1. favor, *favore*, εὐφημία; ut docet *Paul. Diac.* p. 88. 6. *Müll.* Faventia bonam ominationem significat. Nam præcones clamantes, populum sacrificiis favere jubebant. Hinc *Accius* apud *Non.* p. 206. 2. et 357. 15. *Merc.* Edicite per orbem, ut omnes ominibus faustis augustam adhibeant faventiam, ore obscœna dicta segregent. *h. e.* faveant linguis. *V.* FAVEO 2. — *NB.* De nom. pr. *V.* ONOM.

FĀVĔO, faves, fāvi, fautum, făvere, n. 2. Part. *Favens* in omnibus paragr.; *Fauturus* 1. — *Charis.* 5. p. 265. *Putsch.* æque Latine dici ait *faveo tibi* et *faveo te*: sed nulla auctoritate fulcit. — Favere, ratione habita etymi, est fortasse idem atque *avere* addito digammate; et sane haud aliter atque *avere*, occurrit et pro cupere, velle, cum infinito. *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 18. Matronæ mœros complent, spectare faventes. *Ovid. Heroid.* 6. 99. adscribi factis procerumque tuisque se favet. Hinc *favere alicui* est avere seu cupere bona alicui; atque adeo favore complecti, cupere ac velle prodesse, studere, amare, sive id corde tantum, sive operibus quoque fiat, συμπράττω (It. *favorire*, *favoreggiare*; Fr. *être propice*, *favorable*, *favoriser*, *séconder*, *aider*; Hisp. *favorecer*, *acalorar*, *fomentar*, *sostener*, *apoyar*; Germ. *Jemanden gewogen sein*, *ihm Gutes wünschen*, *sich freuen*, *günstig sein*, *ihn begünstigen*; Angl. *to favour*, *countenance*, *befriend*). ¶ 1. Generatim occursit — a) Cum Dativo. — De personis. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Favere et cupere Helvetiis propter eam affinitatem. *Cic. Brut.* 97. 331. Tibi favemus: te tua frui virtute cupimus; tibi optamus eam rempublicam, in qua etc. *Id. Rosc. Com.* 10. 29. Qui diligebant hunc, illi favebant: qui admirabantur hunc, illum probabant. *Id.* 12. *Att.* 49. 1. Rescripsi patrono illi nihil opus esse: me tamen ei fauturum. *Id.* 3. *Fam.* 6. 1. Quum meum factum cum tuo comparo, etsi non magis mihi faveo in nostra amicitia tuenda, quam tibi, tamen multo magis meo facto delector, quam tuo. Cf. *Nazar. Paneg. Constant.* 37. Quumque miraretur fratrem, etiam sibi favit, quod et annis ejus quam proximus tantæ gloriæ esset agnovit. *Quintil.* 2. 2. 8. Quanto libentius imitemur eos, quibus favemus. *Sueton. Cal.* 55. Omnibus ad insaniam favit. *Val. Flacc.* 1. 11. fave canenti. *Cic.* 10. *Fam.* 19. 2. Non multo plus patriæ faveo, quam tuæ gloriæ. *Id.* 12. *ibid.* 7. 1. Favebam et reipublicæ, cui semper favi, et dignitati ac gloriæ tuæ. *Id.* 1. *ibid.* 7. 8. Quod olim nascenti prope nostræ laudi dignitatique favisti. *Id.* 15. *ibid.* 4. 14. Huic meæ voluntati ut faveas adjutorque sis, vehementer te rogo. Cf. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. Cujus ipse honori et dignitati semper faverit adjutorque fuerit. *Cic.* 1. *Tusc.* 23. 55. Favere sententiæ. *Id. Planc.* 1. 1. Invidos huic accusationi esse fauturos. *Orellius* vero var. lectionem *fautores* prætulit. *Id. Ligar.* 3. 8. Industriæ alicujus. *Id.* 12. *Fam.* 4. *med.* voluptati alicujus. *Cæs.* 6. *B. G.* 6. rebus Gallicis. *Id.* 2. *B. C.* 18. rebus Cæsaris. *Nepos Att.* 2.; et *Liv.* 45. 22. Dissociatis animis civium, quum alii Sullanis, alii Cinnanis partibus faverent. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 88. favere et plaudere ingeniis sepultis. *Tibull.* 2. 5. 110. Et faveo morbo (*h. e.* amori), tam juvat ipse dolor. *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 11. Favere dolori suo. *Quintil.* 9. 2. 78. Favet ingenio suo. *Id.* 9. 2. 68. Nemo non illi furto favet. *Plin.* 5. *Ep.* 17. Faveo enim sæculo, ne sit sterile et effœtum. — Singulare est illud *Ovid.* 5. *Met.* 152. Hac pro parte socer frustre pius et nova conjux Cum genitrice favent. *h. e.* parti, quasi pro parte stare. — De brutis animantibus et inanimis. *Cic.* 2. *Divinat.* 26. 57. Qui (*galli*) silentio noctis, ut ait Ennius, favent faucibus russis cantu plausuque premunt alas. *Ovid.* 15. *Met.* 366. Floriligæ nascuntur apes: quæ more parentum Rura colunt, operique favent, in spemque laborant. *Id.* 3. *ibid.* 388. Huc coeamus, ait. – Coeamus, retulit Echo, Et verbis favet ipsa suis. *Cic. Planc.* 8. 20. Quid ego de me, de fratre meo loquar? quorum honoribus agri ipsi prope dicam montesque faverunt. *Claudian. Cons. Mall. Theodos.* 179. Gleba, quæ favet frugibus. *h. e.* quæ fertilis est. — b) Passive impersonaliter. *Cic.* 2. *Off.* 13. 45. Non invidetur illi ætati, verum etiam favetur. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 51. 207. Sic *Quintil.* 5. 7. 31. Ei præcipue vulgo favetur. *Spartian. Pescenn.* 2. Huic Romæ ita fautum est, ut etc. — c) Absolute occurrit apud Poetas et argentei ævi scriptores. *Tibull.* 2. 5. 1. Phœbe, fava. *Id.* 3. 3. 31. Faveas, Cypria. *Virg.* 1. *G.* 18. Adsis, o Tegææ favens. *Horat.* 3. *Od.* 11. 50. Dum favet nox et Venus. *Ovid.* 4. *Fast.* 722. Si favet alma Pales. *Id.* 3. *Met.* 613. Quisquis es, o faveas. *Plin.* 6. *Ep.* 25. *extr.* Dii faveant, ut sic inveniat ipsum, quemadmodum jam cum quo fuisset, invenit. *Tibull.* 1. 10. 30. Favente Marte. *Sueton. Galb.* 10. Faventibus diis. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 3. 7. (13). Cunctis faventibus. *Quintil.* 6. 2. 6. Irasci, favere, odisse, misereri. *Id.* 3. 7. 25. Maxime favet judex, qui sibi dicentem assentiri putet. *Id.* 4. 1. 73. Judices, ut faveant, rogamus. — *Ovid.* 15. *Met.* 49. ventisque faventibus æquor Navigat Ionium. *h. e.* secundis, prosperis. ¶ 2. Speciatim in re sacra. — a) *Favere linguis* præco jubebat in sacris publicis boni ominis causa. *Cic.* 1. *Divinat.* 45. 102. Omina majores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, *quod bonum*, *faustum*, *felix fortunatumque esset*, præfabantur: rebusque divinis, quæ publice fierent, ut *faverent linguis*, imperabatur; inque feriis imperandis, ut *litibus et jurgiis se abstinerent*. — Porro hæc loquendi ratio duo significat. *Paul. Diac.* p. 88. 6. *Müll.* Faventia bonam ominationem significat. Nam præcones clamantes populum sacrificiis *favere* jubebant. *Favere* enim est bona fari: at veteres poetæ pro *silere* usi sunt *favere*. Hæc *Paul. Diac.* *Ennius* apud *Philargyr.* ad *Virg.* 1. *G.* 230. Hic insidiantes vigilant, partim requiescunt, Contecti gladiis sub scutis, ore faventes. Itaque *favere linguis*, *ore*, *animis* etc. est εὐφημεῖν, bona verba dicere, votis, faustis ominibus, precibus sacrum ipsum et sacerdotem preces et vota concipientem comitari aut sequi. *Ovid.* 1. *Fast.* 71. Prospera lux oritur: linguis animisque favete: Nunc dicenda bono sunt bona verba die. *Tibull.* 2. 2. 1. Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras. Quisquis ades, lingua vir mulierque fave. *Al. leg.* venit Natalis, ad aras Quisquis ades etc. *Ovid.* 15. *Met.* 677. Et deus en, deus en: linguis animisque favete Quisquis ades, dixit: sis, o pulcherrime, visus Utiliter, populosque juves tua sacra colentes. Quisquis adest jussum veneratur numen, et omnes Verba sacerdotis referunt geminata, piumque Æneadæ præstant et mente et voce favorem. Cf. *Id.* 3. *Trist.* 13. 18. Concipiamque bonas ore favente preces. et 5. *ibid.* 5. 5. Lingua favens adsit (*diei natali*), longorum oblita malorum. — Et in malam partem. *Ovid. Ib.* 97. peragam rata vota sacerdos: Quisquis ades sacris, ore favete, meis: Quisquis ades sacris, lugubria dicite verba etc. Hinc *Lactant.* 1. 21. docet sacra Herculis non εὐφημίᾳ, bonis verbis, sed exsecratione et maledictis celebrari solita, et pro violatis habere si inter faciendum cuipiam vel imprudenti bonum verbum excidisset. — b) Deinde significat etiam tacere, silentium sacris præstare, non quidem absolute, sed eatenus, quatenus abstinebatur profanis vocibus et mali ominis, ne sacra religio violaretur, et publice precantibus obstreperetur. Aliquando enim favetur sacris bona verba dicendo, aliquando tacendo, quod et in Christianis sacris usuvenit. Hoc sensu videtur locutus *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 3. (11). Videmus, certis precationibus obsecrasse magistratus, et, ne quid verborum prætereatur aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem: rursusque alium custodem dari, qui attendat; aliquem vero præponi, qui *favere linguis* jubebat; tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur. *Sil. It.* 16. 295. Mente favete pari, atque aures advertite vestras. *Seneca Vit. beat.* 26. *extr.* Quoties mentio sacra litterarum intervenerit, favete linguis. Hoc verbum, non, ut plerique existimant, a favore trahitur: sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla male voce obstrepente. Hæc *Seneca*; ubi illa *hoc verbum*, et deinceps, nonnullos criticos adscititia putare et addita a nescio quo interpretandi causa, jam adnotavit *Lipsius*. *Aristoph.* in *Thesmoph.* v. 39. Εὔφημος πᾶς ἔστω λαός στόμα συγκλείσας. — c) In alterutram trahi possunt illa *Propert.* 4. 6. 1. Sacra facit vates: sint ora faventia sacris. *Horat.* 3. *Od.* 1. 2. Favete linguis: carmina non prius Audita Musarum sacerdos Virginibus puerisque canto. *Virg.* 5. *Æn.* 71. Ore favete omnes et cingite tempora ramis. — Nonnulli huc referunt etiam illud *Ter. Andr. prol.* 21. Favete, adeste æquo animo. *h. e.* silete. *Forcellinus* vero hunc locum retulit ad paragr. præced. ¶ 3. Item speciatim ad circum et theatrum pertinet, et significat non solum studiosum esse, sed etiam plaudere, fausta acclamare, *applaudire*, *fare acclamazioni*. *Horat.* 3. *Od.* 21. 46. Vel nos in Capitolium, Quo clamor vocat et turba faventium etc. Cf. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 43. Aurea pompa venit: linguis animisque favete: Tempus adest plausus. et 1. *Art. am.* 148. Tu Veneri dominæ plaude favente manu. *Liv.* 1. 25. Tum clamore, qualis ex insperato faventium solet, Romani adjuvant militem suum. *h. e.* Horatium. *Sueton. Cal.* 30. Infensus turbæ faventi (*subaudi* histrionibus) et gladiatoribus adversus studium suum. *Sil. It.* 16. 315. Fluctuat æquoreo fremitu rabieque faventum, Carceribus nondum reseratis, mobile vulgus. *Lamprid. Commod.* 15. Quum illi sæpe pugnanti, ut deo, populus favisset. Adde *Plin.* 9. *Ep.* 6.; *Martial.* 11. 131.; et *Coripp.* 4. 63.

FĀVILLA, æ, f. 1. cinis illa tenuior ac levior, quæ, exstincto igne remanet, fuligo, αἴθαλη, σποδός: a φάω luceo (It. *cenere*, *fuliggine*; Fr. *cendres chaudes*, *brûlantes*; Hisp. *ceniza calida*; Germ. *die leichte*, *noch glimmende*, *glühende Asche*; Angl. *ashes*, *cinders*, *soot*).

I.) Proprie. ¶. 1. Generatim. *Ter. Adelph.* 5. 3. 60. Atque ibi favillæ plena, fumi ac pollinis coquendo sit faxo et molendo. *Lucret.* 2. 675. Scintillas agere ac late differre favillam. Cf. *Ovid.* 7. *Met.* 79. Ut solet a ventis alimenta resumere, quæque Parva sub inducta latuit scintilla favilla, Crescere et in veteres agitata resurgere vires. et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 84. (358). Quum contectus ignis ex se favillam discutit scintillamve emittit. *Id.* 26. *ibid.* 11. 72. (118). E carbone restincto favilla digito sublata. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 8. 14. (88). et 19. *ibid.* 1. 4. (19). *Id.* 36. *ibid.* 25. 63. (188). Sabulo, calce ac favilla mixtis. *Vitruv.* 8. 7. Coagmenta fistularum favilla oblinere. — Favillam stercorando inservire docet *Colum.* 2. *R. R.* 11. 5. Quin etiam satis profuit cineris usus et favillæ. *Id.* 3. *ibid.* 11. 4. et 5. *ibid.* 9. 14. hoc genus appellat *fimum siccum*. — Item fictilibus tubis glutinandis inservire ait *Pallad.* 9. *R. R.* 11. 3. Sed antequam in iis (*tubis*) aquæ cursus admittatur, favilla per eos mixta exiguo liquore decurrat, ut glutinare possit, si qua sunt vitia tuborum. Cf. *Claudian. Apon.* 55. Nullo cum strepitu madidisque infecta favillis Despumat niveum fistula cana salem. ¶ 2. Speciatim ac sæpe a Poetis dicitur de rogi cineribus. *Virg.* 6. *Æn.* 227. Reliquias vino et bibulam lavere favillam. *Tibull.* 3. 2. 10. Candidaque ossa super nigra favilla teget. *Horat.* 2. *Od.* 6. 22. Ibi tu calentem Debita sparges lacrima favillam Vatis amici. *Propert.* 1. 19. 19. Quæ tu, vita, mea possis sentire favilla. Adde *Ovid.* 3. *Fast.* 561.; et *Lucan.* 6. 537. ¶ 3. Est etiam ignis favilla tectus, cinis igne mistus, scintilla, *favilla*, *scintilla*, *fuoco*. *Sueton. Tib.* 74. Cinis e favilla et carbonibus ad calefaciendum triclinium illatus. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 2. ante rogos et adhuc vivente favilla. *Sil. It.* 17. 105. Ardenti volitant per nubila summa favilla. *Ovid.* 8. *Met.* 670. Ovaque non acri leviter versata favilla. Sic *Martial.* 11. 52. ova tenui versata favilla. *Claudian. B. Get.* 24. Et juga taurorum rapidis ambusta favillis.

II.) Improprie. ¶ 1. *Favilla salis* apud *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 42. (90). est pars ejus levissima et candidissima. ¶ 2. Transfertur etiam ad significandum principium, indicium. *Propert.* 1. 9. 17. Nec dum etiam palles, vero nec tangeris igni: Hæc est venturi prima favilla mali.

FĀVILLĀCĔUS et

FĀVILLĀTĬCUS, a, um, adject. a favilla, ut Fuligo favillacea, *Solin.* 35. Favillatica humus, *Id.* 27. *a med.*

FĀVILLESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* In favillas redigor. *Fulgent. Contin. Virg. ante med.* Amor sepultus in oblivionis cinere favillescit.

FĀVISSÆ, ārum, f. plur. 1. ita videntur appellatæ a φάω, vel φαίω findo, cognatum verbo inusit. φόω, unde *fovea*: vel a favis apum, quia eosdem figura sua imitantur. Locum porro sic appellabant, inquit *Paul. Diac.* p. 88. 4. *Müll.*, in quo erat aqua inclusa circa templa. Sunt autem qui putant, favisses esse in Capitolio cellis cisternisque similes,

ubi reponi erant solita ea, quæ in templo vetustate erant facta inutilia. Hæc *Paul. Diac.*, quorum consentiunt *Placidi Gloss.* edente *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3 *p.* 462. Favissæ fossæ quædam in Capitolio, quæ in modum cisternarum cavatæ excipiebant dona Jovis, si quæ vetusta erant hominum, a fruge danda. Cf. *Ovid.* 10. *Met.* 691. Luminis exigui fuerat prope templa recessus Speluncæ similis, nativo pumice tectus, Religione sacer prisca: quo multa sacerdos Lignea contulerat veterum simulacra deorum. In nostris quoque templis etiamnum hujusmodi locus eidem usui est destinatus, et *sacrario* dicitur. In *Giorn.* vero *Arcad. T.* 3. *p.* 119. ubi Fæsulani veteris ædificii, nunc *Chiesa di S. Alessandro*, reliquiæ describuntur, sermo est de tribus subterraneis cellis ibidem repertis, in quibus cornuum, ferreorum utensilium, idolorum etiam æneorum, et fictilium ollarum lucernarumque, et vitreorum phialorum fragmenta constipata fuerant, unde, quinam fuerit illarum cellarum usus, satis apparet. Etiam *Varro* apud *Gell.* 2. 10. et *Non. p.* 112. 29. *Merc.* interrogatus, quid essent *favissæ Capitolinæ*, eadem fere tradit, quæ *Paul. Diac.* Addit etiam ex *Val. Sorano*, Græco nomine thesauros appellari: priscos Latinos *flavissas* dixisse, quod eo *flata* signataque pecunia conderetur. Conjecturare igitur se, detractam esse ex eo verbo secundam litteram, et *favissas* dictas esse cellas quasdam et specus, quibus æditui Capitolini uterentur ad custodiendum res veteres religiosas. Hinc porro legitur in *Gloss. Philox.* Favissæ, Θησαυροί, *ripostigli.*

FĀVISSOR et

FĀVĪTOR, ōris. *V.* FAUTOR.

FĂVŌNIĀLIS, e, adject. ad Favonium pertinens. *Gloss. Philox.* Favonialis, Ζεφύριος.

FĂVŌNIĀNUS, a, um, adject. ut Favoniana pira, genus pirorum rubrorum, a quodam Favonio insitore. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 16. (54).; et *Colum.* 5. *R. R.* 10. 18. — *Dalechampius* affirmat, aliquos putasse, Favoniana fuisse appellata, quod Favonio flante formentur.

FĂVŌNIUS, ii, m. 2. *Zeffiro, Ponente,* Ζέφυρος, ventus, al. Zephyrus, qui spirat ab occasu æquinoctiali, contra Subsolanum: a *favendo,* quia favet genituræ, siquidem est spiritus genitalis mundi, quo plantæ hiberno frigore enectæ reviviscunt, et quo hausto quædam animalia concipere existimantur. Aliqui derivant a *fovendo,* quasi Fovonium, quia foveat sata. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (119). et 18. *ibid.* 31. 77. (337).; *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 16.; *Gell.* 2. 22.; et *Vitruv.* 1. 6. — Hujus ortum Latini rustici assignabant circa Idus Februar., teste *Varron.* 1. *R. R.* 28. quod eo primum tempore tellus moveri, et plantarum non paucæ vivere incipiant. Hinc *Id. ibid.* 29. In primo intervallo, inter Favonium et æquinoctium vernum, hæc fieri oportet: Seminaria ut serantur, etc. *Cic.* 7. *Verr.* 10. 27. Veris initium iste non a Favonio notabat; sed quum rosam viderat, etc. *Horat.* 1. *Od.* 4. 1. Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni. *Catull.* 64. 282. Aura parit flores tepidi fecunda Favoni. *Lucret.* 1. 11. Genitalis aura Favoni. *Ovid.* 9. *Met.* 660. Lene spirans Favonius. Ceterum adde *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 71.; *Horat.* 3. *Od.* 7. 2.; *Colum.* 2. *R. R.* 21. 5.; *Stat.* 3. *Silv.* 1. 72.; et *Claudian. Cons. Prob.* 272. — In plurali numero. *Colum.* 8. *R. R.* 11. 7. Quum Favonii spirare cœperunt, id est tempus ab Idibus Februariis ante Martium mensem. Adde *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (122).; et alterum *Plin.* 2. *Ep.* 17. 19. — *Veget.* 4. *Milit.* 38. Favonium eumdem facit ac Iapyga, et ad dexteram Zephyri spirare ait. Hic autem ventus Corus, et Argestes dicitur, *Ponente Maestro,* ab occidente solstitiali. — *NB.* De nom. Rom. *V.* ONOM.

FĂVOR, ōris, m. 3. εὐφημία, voluntas, studium: a *faveo* (It. *favore, propensione, amore, parzialità, genio;* Fr. *faveur, intérêt, sympathie, protection, appui;* Hisp. *favor, inclinacion, ayuda, patrocinio;* Germ. d. *Begünstigung, Gunst, Zuneigung, Neigung;* Angl. *favour, good-will, kindness, partiality*). Vox hæc hac significatione nova erat Ciceronis ætate. Ita enim legitur in *fragm. epist. ad Brut.* apud *Quintil.* 8. 3. 34. Eum amorem, et eum, ut hoc verbo utar, favorem in consilium advocabis. *Cic. Sext.* 54. 115. Ei vero, qui pendet a rebus levissimis, qui rumore, et, ut ipsi loquuntur, favore populi tenetur et ducitur, plausum immortalitatem, sibilum mortem videri necesse est. *V.* § 2., ubi ex locis ibidem allatis apparet, vocem fuisse propriam populi in ludis theatralibus et gladiatoriis, et in contionibus. ¶ 1. Generatim. *Sall. Jug.* 76. Imperatori nobilitas, quæ antea decori, invidiæ esse; at illi alteri generis humilitas favorem addiderat. *Id. ibid.* 13. Ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Jugurtha venit. *Id. ibid.* 73. Favor populi. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 9. Ploravere, suis non respondere favorem Speratum meritis. *Ovid.* 4. *Fast.* 868. Poscere favorem populi. *Id.* 9. *Met.* 246. Tutus favore. *Id. Ib.* 121. Solitus favor. *Liv.* 7. 25. Triumphus a Popilio de Gallis actus, magno favore plebis. *Id.* 2. 56. Amplecti favore aliquem. *Vellej.* 2. 54. Ingens partium Pompeji favor bellum excitaverat Africum. *Seneca Thyest.* 351. Numquam stabilis favor. *Quintil.* 4. 1. 9. Est enim naturalis favor pro laborantibus. *Id.* 7. 1. 2. Favoris emerendi gratia. *Id.* 7. 1. 33. Favorem facere. *h. e.* parere, conciliare. *Id.* 6. 1. 23. Favorem captare ex aliqua re. *Tac.* 15. *Ann.* 53. elicere. *Id.* 1. *ibid.* 52. quærere. *Id.* 1. *Hist.* 53. *extr.* et 15. *Ann.* 48. Favor militum in aliquem. *Id.* 2. *Hist.* 30. Favor inanis. *Id.* 3. *ibid.* 44. Inclitus erga Vespasianum favor. *Flor.* 1. 9. 3. Velificari favori civium. *Id.* 3. 12. 10. Plebis favorem conciliare. *Id.* 3. 13. 1. Studium ac favorem populi aucupari. *Sueton. Tib.* 57. et *Vitell.* 15. Favor hominum. *Id. Vesp.* 6. Favor absentium. *Id. Cal.* 12. Favorem colligere. *Id. Vitell.* 7. Per favorem. *Justin.* 27. 1. Favorem afferre alicui. *Id.* 13. 6. Sollicitare quempiam in favorem sui. *Id.* 33. 1. In favorem sui trahere. *Id.* 17. 2. Quum in gratiam memoriæ Ptolomæi, et in favorem ultionis Lysimachi ambitiosus apud populares esset. *Id.* 5. 1. *extr.* Quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat. *Ammian.* 29. 5. *init.* In favorem concinere. *Val. Flacc.* 3. 701. Favor versus ad Alciden. *Id.* 4. 669. Pendet favor ab oris. *Claudian. Cons. Stilich.* 6. 45. Favorem dividere. *Id. Ep. ad Hadrian.* 2. Permutare favorem odiis. ¶ 2. Specialim sæpissime dicitur de studio et plausu spectantium in theatro, vel circo, ἐπιβόησις, εὐφημία; ideoque nova vox visa est Ciceroni in priori usu. Nam in his et ipse, sine ulla veniæ petitione, usurpat: *Rosc. com.* 10. 29. Quod studium et quem favorem secum in scænam attulit Panurgus? *Id.* 2. *Legg.* 5. 11. Quæ sunt autem varie et ad tempus descripta populis, favore magis, quam re, legum nomen tenent. *Phædr.* 5. 5. Jam favor mentes tenet, Et derisuri, non spectaturi sedent. — Hinc ponitur et pro plausu et acclamationibus, *acclamazione, applauso.* *Virg.* 5. *Æn.* 343. Tutatur favor Euryalum. *Ovid.* 2. *Trist.* 506. Plauditur, et magno palma favore datur. *Val. Flacc.* 4. 228. Nec sonat Œbalius caveæ favor. *Sueton. Claud.* 21. Quum essedario, magno omnium favore, indulsisset rudem. *Quintil.* 3. 8. 7. Audientium in panegyricis favor. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 81. Tollunt innumeras ad astra voces Et dulci dominum favore clamant. *Vopisc. Aurelian.* 48. *extr.* Ipsum primum donasse oraria populo R., quibus uteretur populus ad favorem. *Ammian.* 21. 1. In favores principis consurgere. *Id.* 29. 5. *med.* Celebrabili favore susceptus. Adde *Cassiod.* 6. *Variar.* 1. *Macrob.* 7. *Saturn.* 13. *de plausu conviviali.* His dictis favor ab omnibus exortus est. ¶ 3. In fabulis *Favor* deus est minorum gentium, teste *Capell.* 1. *p.* 16. eadem sorte, qua Invidia, Fortuna, etc. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

Homonym. *Favor* a *studio* differt. *Studium,* ut definitur a *Cic.* 1. *Invent.* 25. 36., est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, ut philosophiæ, poeticæ etc.; hinc generatim *studium* est in rem vel hominem cura, voluntas, animus, ardor, quæ quidem summa esse possunt, carent tamen amore seu benevolentia; homines enim ipsi tamquam res ducuntur nostra cura ac voluntate dignæ: præterea *studium* fere proprium est inferiorum in superiores, atque ideo de iis etiam dicitur, qui alicujus partes sequuntur. Contra *favor* semper in se benevolentiam complectitur, et fere proprius est superiorum in inferiores, vel saltem eorum, qui utilitati aut detrimento esse possunt. *Cic.* 1. *Att.* 14. Neque id magis amicitia Clodii adductus facit, quam studio perditarum rerum et partium. *Id. Rosc. com.* 10. 29. Quod studium et quem favorem secum attulit in scænam Panurgus? *Sueton. Galb.* 14. Ad retinendum ceterorum hominum studium ac favorem. *Flor.* 1. 13. Studium ac favorem populi aucupari. — Ceterum *V.* et Homonym. in fin. v. GRATIA.

FĂVŌRĀBĪLIS, e, adject. Comp. *Favorabilior* 1. et 2. — Favorabilis ¶ 1. Active dicitur de eo, qui favorem affert, *favorevole.* *Liv.* 22. 26. Auram favorabilis populi ex dictatoris invidia petiit. *Al. leg.* favoris popularis. *Plin.* 5. *Ep.* 14. 3. Ut deprecari magis (id enim favorabilius et tutius), quam defendi videretur. *Quintil.* 12. 10. 74. Jucundior ac favorabilis eloquentia. *Id.* 4. 1. 26. Quæ sint in causis favorabilia. *Id.* 10. 5. 21. Favorabilia decerpere. *Tac.* 12. *Ann.* 6. Favorabilis oratio. ¶ 2. Passive de eo, qui favorem habet, *favorito, gradito.* *Quintil.* 11. 1. 42. Ut quisque honestus, humilis, invidiosus, favorabilis erit. *Id.* 12. 6. 6. Facilis et favorabilis causa. *Seneca* 3. *Ira* 2. Modo eloquio favorabilis habitus, iram suæ contionis excepit. *Sueton. Ner.* 57. Nomen favorabile reddere. *Tac.* 2. *Hist.* 97. Integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 30. (74). Succo cichorii cum oleo perunctos, favorabiliores fieri, et quæ velint, facilius impetrare. *Plin. alter* 4. *Ep.* 9. Fecerat eum favorabilem renovata discriminum vetus fama. *Flor.* 4. 4. Octavius Cæsar ætate et injuria favorabilis. *Ammian.* 17. 13. Decore corporum favorabiles. *Id.* 26. 7. Favorabilis princeps. *Id.* 29. 3. auriga. *Id.* 17. 13. Favorabilis ore omnium. *Val. Max.* 9. 15. 4. In centumvirale judicium favorabilis descendit. Adde *Eutrop.* 8. 23.

FĂVŌRĀBĬLĬTER, adverb. Comp. *Favorabilius.* — Favorabiliter est cum favore, *favorevolmente,* ἰσχυραγωγῶς. *Quintil.* 4. 3. 1. In aliquem lætum atque plausibilem locum, quam maxime possint, favorabiliter excurrere. *Sueton. Ner.* 7. Trojam favorabiliter lusit. Adde *Pallad. R. R. proœm.* 13.; et *Macrob.* 7. *Saturn.* 1. *Paul. Dig.* 40. 4. 10. Tunc favorabilius respondetur, liberum fore.

FAVORALIS, e, adject. idem ac favorabilis. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 134.

FĀVUS, i, m. 2. κηρίον, loculus, quem apes fingunt multicavatum e cera, quum singula cava sena latera habeant, quot singulis pedes dedit natura. Ita *Varro* 3. *R. R.* 16. 24. describit: est autem a φάω *findo, separo* (It. *fiale, favo;* Fr. *gâteau ou gauffre de miel des abeilles, rayons;* Hisp. *panal de miel;* Germ. d. *Honigscheibe;* Angl. *a honeycomb*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Off.* 44. 157. Apum examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed quum congregabilia natura sint, fingunt favos. *Varro* 3. *R. R.* 16. 32. Eximendorum favorum primum putant esse tempus vergiliarum exortu. *Id. ibid.* 16. 22. Favi mellitii. *Tibull.* 2. 1. 50. apis complet dulci sedula melle favos. *Virg.* 4. *G.* 344. Cui tu lacte favos, et miti dilue Baccho. *h. e.* mel. *metonymia.* *Id.* 4. *ibid.* 161. favos ponere. *Ovid.* 1. *Fast.* 152. expressis mella liquata favis. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 50. Nonnullis locis favi demetuntur. *h. e.* eximuntur, et mellatio fit. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 15. 6. *Vulgat. interpr. Luc.* 24. 43. Favus mellis. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 48. Hybleis vox tincta favis. — *Crescere tamquam favum,* proverbio dicuntur ea, quæ feliciter, parvo impendio, et occulte augentur, ita ut prius crevisse intelligas, quam incrementi initia deprehenderis. *Petron. fragm. Tragur.* 43. et 76. *Burmann.*

II.) Translate. ¶ 1. *Vitruv.* 7. 1. *de pavimentis.* Ita fricentur, uti, si sectilia sint, nulli gradus in scutulis, aut trigonis, aut quadratis, seu favis extent. *h. e.* exagonis lapillis. ¶ 2. Est etiam genus quoddam dulciorum. *V.* NEPHELA.

FAX, făcis, f. 3. Olim in recto singulari *faces* dictum fuit, teste *Paul. Diac.* p. 87. 9. *Müll.* — In Genitivo plurali est *facum,* ut *Charis.* docet 1. p. 113. *Putsch.* Sic *dux* habet *ducum,* et *vox vocum.* Neque tamen, si quis *facium* dixerit, damnare ausim. — Fax est frustum ligni, ut pinus, tædæ, laricis etc., cera aut oleo inunctum, aut etiam per se solum; vel alterius materiæ igni concipiendo aptæ, ad lumen faciendum ignemque circumferendum, frequenti usu præsertim apud rusticos: videturque

esse a φάω splendeo, unde φάος lumen, δαίς, λαμπάς (It. face, facella; Fr. torche, flambeau, tison, brandon; Hisp. antorcha, hacha; Germ. Kienholz, Holzbrand, Fackel; Angl. a torch, flambeau, link, taper, fire-brand).

I.) Proprie. — a) Generatim. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (75). Facibus carpinus et corylus familiarissimæ. *Id.* 19. *ibid.* 2. 7. (27). Faces e sparto. *Id.* 18. *ibid.* 26. 63. (233). Reliqua opera nocturna maxime vigilia constant: qualos texere, faces incidere, ridicas præparare. *Virg.* 1. *G.* 291. seros hiberni ad luminis ignes Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto. *Ovid.* 5. *Fast.* 507. Ipse genu posito flammas exsuscitat aurâ, Et profert quassas comminuitque faces. *Varro* 1. *R. R.* 14. 1. Primum naturale sæpimentum viva sæpes, quod obseri solet virgultis aut spinis, quoniam habet radices, vistoris prætereuntis non metuit facem ardentem. *Cf. Ovid.* 4. *Fast.* 167. Semustamque facem vigilata nocte viator Ponet. et 1. *Met.* 493. Ut facibus sæpes ardent, quum forte viator Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 52. Ebrius (et magnum quod dedecus) ambulet ante Noctem cum facibus. *Ammian.* 18. 6. *med.* Prælucere sebatam facem duci lenius gradienti Persæ credentes etc. *Plin.* 4. *Ep.* 9. 11. Ut enim faces ignem assidua concussione custodiunt, dimissum ægerrime reparant: sic et dicentis calor et audientis intentio continuatione servatur, intercapedine et quasi remissione languescit. *Cic.* 6. *Verr.* 34. 74. Erat admodum amplum et excelsum signum (*Dianæ*) cum stola: sagittæ pendebant ab humero, sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem præferebat. *Horat.* 4. *Od.* 13. 28. Dilapsam in cineres facem. — b) Facum usus plurimus fuit in inferendis incendiis. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 32. Obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad flammandam urbem comparare. *Id. Pis.* 2. 5. Ego faces jam accensas ad hujus urbis incendium comprehendi, protuli, extinxi. *Id. Harusp. resp.* 18. 39. Ardentes faces in vicinorum tecta jactare. *Id.* 14. *Att.* 10. 1. Servi in tecta nostra cum facibus immissi. *Id.* 2. *Phil.* 36. 91. Tu illas faces incendisti, et eas quibus semustulatus ille est, et eas quibus incensa L. Bellieni domus deflagravit. *Id. Amic.* 11. 37. Si te in Capitolium faces ferre vellet. *Cf. Ovid.* 14. *Met.* 530. fert ecce avidas in pinea Turnus Texta faces. *h. e.* in naves. *Cæs.* 7. *B. G.* 24. Alii faces atque aridam materiem de muro in aggerem eminus jaciebant. Adde *Liv.* 22. 16. *Sueton. Galb.* 3. Illitis galbano facibus oppidum succendit. *Curt.* 5. 7. 4. Subdere faces urbi. *et mox.* Aggerere faces. *Tac.* 4. *Hist.* 60. Direptis castris faces injicere. Sic *Flor.* 1. 13. 14. injicere tectis. *Id.* 1. 18. 6. vibrare in turres. *Seneca Herc. Œt.* 1915. jaculari. *Val. Flacc.* 1. 623. inferre tectis. *Ammian.* 20. 6. Facesque cum tædis ardentibus et malleolis ad exurendam imminens malum undique convolabant. — c) Mos fuit novæ nuptæ ad sponsum transeunti facem e foco ejus accensam præferri, ab ingenuo puero patrimo et matrimo, vel in honorem Cereris, quæ facibus filiam Proserpinam, a Plutone raptam, diu conquisivit; vel ut nova nupta ignem, quod maxime necessarium est vitæ elementum, cum marito communicare videretur, vel quia (quod verius est) olim non nisi noctu nubentes ducebantur ab sponsis, ut *Varro* docet apud *Servium* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 29. Hæc autem fax auspicatissima erat ex spina alba, quoniam inde fecerant pastores, qui rapuerunt Sabinas, ut *ex Masurio* tradit *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (75). et *Festus p.* 245. 3. *Müll.*, itemque *Varro* apud *Non. p.* 112. 27. *Merc.*, ubi quod quidam legunt *fax e pinu ablata esset*, corrigendum *e spina alba esset*. Ideo autem hæc arbor prælata ceteris, quia noxiis pellendis aptissima habita est, ut *Ovid.* 6. *Fast.* 129. colligitur. Quamquam et alia materia nonnunquam adhibita est. *Virg. Cir.* 439. Pronuba nec castos accendet pinus odores. *Festus p.* 289. 7. *Müll.* tradit, morem fuisse, ut raperetur fax, qua prælucente nova nupta deducta erat, ab utriusque amicis, ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte poneret, aut vir in sepulcro comburendam curaret: quo utroque mors propinqua alterutrius captari putabatur. — Quidam tradunt, non unam, sed quinque faces præferri solitas in honorem Jovis, Junonis, Veneris, Suadelæ et Lucinæ. *Plaut. Cas. a.* 1. *v.* 30. Huic lucebis novæ nuptæ facem. *Varro* apud *Non. p.* 112. 27. *Merc.* Quum a nova nupta ignis in face afferretur. *Catull.* 61. 98. viden'? faces Aureas quatiunt comas: Prodeas nova nupta. *Virg.* 8. *Ecl.* 29. Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor. Adde *Ovid.* 10. *Met.* 6.; *Stat.* 2. *Theb.* 259.; *Sil. It.* 17. 78.; *Petron. Satyr.* 26.; et *Justin.* 11. 1. 4. Hinc *Cic. Cluent.* 6. 15.; et *Liv.* 30. 13. Faces nuptiales. *Ovid. Heroid.* 11. 101. maritæ. *Val. Flacc.* 2. 344. jugales. *Lucan.* 2. 356. legitimæ. — d) Celebris est etiam fax funerea, qua defuncto conjunctior sanguine aversa facie rogum accendebat. *Ovid.* 2. *Fast.* 561. Conde tuas, Hymenæe, faces, et ab ignibus atris Aufer: habent alias mœsta sepulcra faces. *Propert.* 4. 11. 46. Viximus insignes inter utramque facem. — Funereæ quoque illæ erant, quæ adhibebantur in exsequiis eorum præsertim, qui immatura morte efferrentur: quia noctu efferri solebant, ut *Tac.* 13. *Ann.* 17. et *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 143. docent, ne funere immaturo sobolis domus funestaretur: quod præcipue servabatur in filiis eorum, qui erant in magistratu. *Seneca Tranquill. anim.* 11. Toties in vicinia mea conclamatum est: toties præter limen immaturas exsequias fax cereusque præcessit. *Id. Brevit. vit. in fin.* Mehercule istorum funera, tamquam minimum vixerint, ad faces et cereos ducenda sunt. *Id. Ep.* 122. Quantulum enim a funere absunt, et quidem acerbo, qui ad faces et cereos vivunt? *Virg.* 11. *Æn.* 142. *de funere Pallantis.* Arcades ad portas ruere, et de more vetusto Funestas rapuere faces: lucet via longo Ordine flammarum etc. *Ovid.* 3. *Met.* 508. Jamque rogum quassasque faces feretrumque parabant. *Id. Heroid.* 2. 120. fax sepulcralis. *Martial.* 8. 43. funerea. Adde *Flor.* 3. 18. 4. — e) Faces tribuebantur Cupidini. *Tibull.* 2. 1. 81. Sancte (*Amor*) veni dapibus festis, sed pone sagittas Et procul ardentes hinc procul abde faces. Adde *eumd. ibid.* 5. 114.; *Propert.* 3. 11. 16.; *Ovid. Remed. am.* 140., 3. *Amor.* 9. 8. etc. De amore ipso *Stat.* 1. *Achill.* 301. et 637. — f) Item de Furiis. *Virg.* 7. *Æn.* 337.; *Ovid.* 4. *Met.* 482. et 508., 6. *ibid.* 430. et 10. *ibid.* 350.; *Quintil.* 9. 3. 47.; *Val. Flacc.* 4. 393.; *Senec. Herc. Œt.* 1014.; et *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 215. — Hinc *Tac.* 14. *Ann.* 30. Stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus feminis: in modum Furiarum, veste ferali, crinibus dejectis, faces præferebant. *et Flor.* 3. 12. 13. Hæc (*dominandi cupido*) Cæsarem atque Pompejum furialibus in exitium reipublicæ facibus armavit. Sic *Ammian.* 31. 5. Ubi aliud accessit atrocius, quod arsuras in commune exitium faces furiales accendit.

II.) Translate. ¶ 1. Quoniam faces in nuptiis adhibebantur, poetice pro nuptiis ponuntur. *Horat.* 3. *Od.* 11. 33. Una de multis, face nuptiali Digna, perjurum fuit in parentem Splendide mendax. *Ovid.* 7. *Met.* 49. Te face solemni junget sibi. *Cf.* et *Propert.* 4. 11. 46. allatum sub I. c. ¶ 2. Item poetice de splendore solis et stellarum. *Lucret.* 5. 974. Dum rosea face sol inferret lumina cœlo. *Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 11. 18. Phœbi fax, tristis nuncia belli, Quæ magnum ad columen flammato ardore volabat. Sic *Seneca Hippol.* 379. Phœbea fax. et *Thyest.* 835. Æternæ facis exortus. *Horat.* 4. *Od.* 6. 38. canentes Rite crescentem face Noctilucam. Hinc *Val. Flacc.* 5. 370. et sævo quum nox accenditur auro, Luciferas (*rectius* Lucriferas) crinita faces. ¶ 3. Item pro fulgure. *Val. Flacc.* 1. 568. Dixit, et ingenti flammantem nubila sulco Direxit per inane facem. *Id.* 4. 670. Prima coruscanti signum dedit ægide virgo Fulmineam jaculata facem. ¶ 4. Dicuntur etiam faces ignes in aera apparentes et brevi evanescentes. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 26. 25. (96). Emicant et faces, non nisi quum decidunt, visæ. Duo genera earum: lampades vocant plane faces: alterum bolidas. Distant, quod faces vestigia longa faciunt, priore ardente parte: bolis vero perpetua ardens, longiorem trahit limitem. Hinc *Virg.* 2. *Æn.* 694. de cælo lapsa per umbras Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit. *Lucret.* 5. 1190. Per cælum volvi quia nox et luna videtur – Noctivagæque faces cœli flammæque volantes. *Id.* 2. 206. Nocturnasque faces, cœli sublime volantes. *Cic.* 2. *Nat. D.* 5. 14. Tum facibus visis cœlestibus, tum stellis iis, quas Græci cometas, nostri crinitas vocant. Adde *eumd.* 3. *Cat.* 8. 18.; *Liv.* 41. 21. et 29. 14.; *Ovid.* 15. *Met.* 787; et *Ammian.* 25. 2. *Lucan.* 1. 528. cœloque volantes Obliquas per inane faces. Sic de cometis *Petron. Satyr.* 122. Fax stellis comitata novis incendia duxit. *Cf. Claudian. B. G.* 242.; et adde *Senec. Octav.* 232. ¶ 5. Poetice item dicitur de pulcris oculis. *Propert.* 2. 2. 24. oculi, geminæ, sidera nostra, faces. *Val. Flacc.* 5. 38. Has ego credo faces, hæc virginis ora Dianæ. *Stat.* 1. *Achill.* 164. tranquillæque faces oculis. ¶ 6. *Fax prima noctis* est primum noctis tempus, quum faces accendi incipiunt. *Macrob.* 1. *Saturn.* 3. *sub fin.* Tempus diei occiduum, mox suprema tempestas, hoc est diei novissimum tempus: deinde vespera: ab hoc tempore prima fax dicitur, deinde conubia etc. *Gell.* 3. 2. Post mediam noctem proficiscuntur, et post primam facem, ante mediam sequentem, revertuntur. Adde *eumd.* 12. 1.; et *Apul.* 2. *Met.* ¶ 7. Generatim transfertur ad significandum stimulum, incitamentum, auctorem, originem et similia, fere in malam partem. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 44. Quum corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates. *h. e.* irritamentis ac stimulis, quibus animus aliqua cupiditate accenditur. *Horat.* 3. *Od.* 9. 13. Me torret face mutua Calais. *h. e.* amore. Sic *Val. Max.* 7. 3. 10. Amantissimus quidam filii, quum eum incoarctatis ac periculosis facibus accensum ab insana cupiditate inhibere vellet, salubri consilio petiit, ut prius quam ad eam, quam diligebat, iret, vulgari ac permissa venere uteretur. *Lucret.* 3. 304. irai fax numquam subdita percit. *h. e.* ardor ac vis. *Plin. Paneg.* 8. Irritamentum irarum et fax tumultus. *Val. Flacc.* 3. 664. Non ea fax odiis. *Pallad.* 8. *R. R.* 4. 15. Ut facem libidinis augeat dilatio voluptatis. Et in bonam partem *Sil. It.* 6. 332. traxitque virum fax mentis honestæ Gloria. *h. e.* stimulus, incitamentum. *Cic.* 2. *Orat.* 51. 205. Neque parvis in rebus adhibendæ sunt hæ dicendi faces. *h. e.* ardens vis orationis, qua auditorum animi inflammantur. *Id.* 3. *ibid.* 1. 4. Quum homini et vehementi et diserto Philippo quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille et graviter exarsit. *Quintil.* 1. 2. 25. Id nobis acriores ad studia dicendi faces subdidisse. *Ovid.* 1. *Pont.* 7. 28. Hortator studii causaque faxque mei. *guida e maestro.* *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 67. imitator et fax omnium. *Cic. Mil.* 35. 98. Quum omnes a meis inimicis faces invidiæ meæ subjiciantur. *Vellej.* 2. 48. Subjicere facem bellis civilibus. *Tac.* 1. *Hist.* 24. Flagrantibus jam militum animis velut faces addiderat Mævius Pudens. *Liv.* 32. 38. Rogationes, duas faces novantibus res ad plebem in optimates accendendam. *Cic. Dom.* 5. 13. Ne in hanc tantam materiem seditionis ista funesta fax adhæresceret. *Id.* 1. *Cat.* 6. 13. Cui tu adolescentulo non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem prætulisti? *h. e.* incitasti, dux fuisti, viam ostendisti. Sic *Tac.* 2. *Hist.* 86. Acerrimam bello facem præferre. *Cic.* 2. *Phil.* 19. 48. Antonius omnium Clodii incendiorum fax. *Plin.* 4. *Ep.* 9. Princeps et fax accusationis et origo. *h. e.* qui primus accusationem, quasi incendium aliquod, quo reus conflagraret, accendit et instituit. *Liv.* 21. 10. Juvenem (*Hannibalem*) tamquam furiam facemque hujus belli. Sic *Vellej.* 2. 25. Sertorius belli fax. *h. e.* auctor. Adde *Flor.* 2. 9. 1. *Ammian.* 24. 7. Fax Bellonæ. — Et funereæ facis ratione habita *Flor.* 3. 18. 4. Eadem fax, quæ illum (*Drusum*) cremavit, socios in arma et oppugnationem Urbis accendit. Sic *Id.* 3. 23. 2. Fax illius motus ab ipso Syllæ rogo exarsit. *Cf. Val. Max.* 9. 1. 9. *de Catilina.* Maritalem facem ex rogo filii accendit. — *Cic.* 2. *Off.* 10. 37. Dolorum quum admoventur faces, præter modum plerique exterrentur. Sic *Id.* 2. *Tusc.* 25. 61. Quumque quasi faces ei doloris admoverentur. et 5. *ibid.* 27. 76. Dolor esse videtur acerrimus virtuti adversarius, is ardentes faces intentat. — *Plin.* 7. *Hist. nat.* 8. 6. (45). Cujus et Nero totidem faces generis humani. *h. e.* exitium, pernicies. *Cf. Flor.* 4. 3. 1. Populus Romanus, Cæsare et Pompejo trucidatis, redisse in statum pristinæ libertatis videbatur: et redierat – si non collega quondam, mox æmulus Cæsarianæ potentiæ, fax et turbo sequentis sæculi, superfuisset Antonius. ¶ 8. Speciatim pro ardore. *Flor.* 1. 1. 5. Igitur statim prima juventæ face, patruum Amulium ab arce deturbat, avum reponit. *h. e.* primo juvenilis fervoris ardore atque impetu. *Seneca Ep.* 115. Accedunt deinde carmina poetarum, quæ affectibus nostris facem subdant. *Claudian.* I. *Cons. Stilich.* 2. 220. et mens aliorum prona favori, Index dura sui, facibus succensa pudo-

ris. *h. e.* accensa pudore et velut igne quondam affuso erubescens.

FAXIM et

FAXO, is, it *pro* faciam, fecerim *et* fecero. *V.* in FACIO.

FE

FEBRĀRĬUS, a, um. *V.* FEBRUARIUS.

FĔBRESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* febri laborare incipio. *Solin.* 19. *a med.* Patuit, nunquam eos febrescere.

FĔBRĬBĬLIS, e, adject. qui febrem excitat. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 8. *ante med.* Diocles lumbricos vivos, vel plenos ac sanguinolentos febribiles dixit.

FĔBRĬCĬTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Quod ad quantitatem attinet, cl. *Furlanetto* in APPEND. monet, secundam syllabam esse producendam, nam in allato *Martial.* loco ea syllaba in *febricitantem* longa profecto est, et in *febriculosi* apud *Catull.* loco *ibid.* citato; quare item in *febricula* secunda syllaba longa esse debet. — Part. *Febricitans.* — Febricito est febri laboro, febri corripior, *aver la febbre,* πυρέττω. *Cels.* 3. 6. Scire oportet, non febricitare eum, cujus venæ naturaliter ordinatæ sunt. *Id.* 2. 7. *ad fin.* Ab eo die, quo primum febricitavit aliquis. *Seneca* 4. *Benef.* 39. Surgam ad sponsalia, quia promisi, quamvis non concoxerim: sed non, si febricitavero. *Colum.* 6. *R. R.* 9. 1. Febricitanti bovi convenit abstinere cibo uno die. *Martial.* 11. 98. Febricitantem basiabit et flentem. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 5. 10.; et *Scribon. Compos.* 114., 131. et 169.

FĔBRĬCŌSUS, a, um, adject. qui febri laborat, *febbricitante. Veget.* 2. *Veterin.* 10. 4. Ex qua re (equi) fiunt hydropici, febricosi.

FĔBRĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a febris, parva febris, *febbretta,* πυρέτιον. *Cic.* 6. *Att.* 9. 1. Febriculam habere. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 21. Qui ex labore in febriculam incidit, assiduam et satis molestam. *Cels.* 3. 5. Manet febricula. *Id.* 2. 17. Lentis febriculis diu detineri. *Plin.* 10. *Ep.* 28. 1. Febricula vexari.

FĔBRĪCŬLENTUS, a, um, adject. febriculosus. *Marcell. Empir.* 22. Febriculento potionem dare.

FĔBRĪCŬLŌSUS, a, um, adject. πυρετώδης. ¶ 1. Est qui sæpe habet febrem. *Catull.* 6. 4. Verum nescio quid febriculosi Scorti diligis. *malaticcia, malsana.* ¶ 2. Item qui cum febri conjungitur. *Gell.* 20. 1. Non morbus his febriculosus, aut nimium gravis. ¶ 3. Item qui febrem excitat. *Fronto de orat.* (edente iterum *A. Mai*) *Ep.* 1. Partim Senecæ mollibus et febriculosis prunuleis insita.

FĔBRĪFŪGIA, æ, f. 1. herba vim habens fugandæ febris, alio nomine centaurea minor. *Apul. Herb.* 35.

FĔBRĪLIS, e, adject. ad febrem pertinens. *Gloss. Philox.* Febrile, πυρέτιον.

FĔBRIO, is, ivi, itum, ire, n. 4. Part. *Febriens.* — Febrio est febrem patior, *aver la febbre,* πυρέττω. *Cels.* 4. 4. *n.* 2. Si non febrit, venter solvendus est. *Colum.* 6. *R. R.* 38. 1. Febrienti mulæ cruda brassica datur. *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. Febrienti simplicem cibum dare. Adde *Veget.* 1. *Veterin.* 13. 8.; *Spartian. Hadrian.* 25. *init.*; *Auson. Epigr.* 117.; et *Theod. Priscian.* 4. *p.* 311. *retro Ald.*

FĔBRIS, is, f. 3. In quarto et sexto casu singulari duplicem habet terminationem, in e et in i; passimque occurrunt exempla: et quidem in quarto sæpius in e, in sexto sæpius in i desinit. — Febris, πυρετός, est intemperies calida totius corporis: a *ferveo,* seu *ferbeo,* unde est *ferbis,* et per metathesin *febris. Varro* apud *Non. p.* 46. 21. *Merc.* Appellamus a calendo calorem, a fervore febrim (It. *febbre*; Fr. *fièvre*; Hisp. *calentura, fiebre*; Germ. d. *Fieber*; Angl. *a fever*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a)* In singulari numero. *Cic.* 16. *Fam.* 15. Is mihi nunciavit, te plane febri carere. *Id. Fat.* 8. 15. Febrem habere. *Id.* 6. *Att.* 9. Te Romam venisse cum febri. *Id.* 1. *Cat.* 13. 31. Æstu febrique jactari. *Lucret.* 6. 656. Accipere febrim. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 52. (171). Febre corripi. *Juvenal.* 10. 218. calere. *Sueton. Vitell.* 14. Febre affici. *Id. Tit.* 10. Febrim nancisci. *Id. Oth.* 6. Febrem simulare. *Plin.* 7. *Ep.* 1. 4. Febri perustus. *Cels.* 2. 17. Liberari febre. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 71. (116). A febre liberari. *Sillig.* omittit *a. Cels.* 3. 5. *ad fin.* Febris instat, augetur, consistit, decedit, finitur. *Id. ibid.* 4. accedit, desinit, inhæret, se inclinat. *Id.* 2. 14. remittit. *Id.* 3. 9. remittitur. *Id. ibid.* 14. ex toto intermittit. *Id.* 2. 14. increscit. *Id. ibid.* levatur. *Id.* 3. 6. conquievit. *Id. ibid.* decrescit. *Id. ibid.* 7. *n.* 2. ardens extorret. *Id. ibid.* 9. intenditur. *et* 3. quotidiana, tertiana, quartana. *Id.* 2. 8. ardens, continens, assidua. *et* 14. increscens. *Id.* 3. 5. consistens. *et* 9. lenta. *et* 4. recidiva. *et ibid.* inclinata, sed tamen adhuc inhærens. *et ibid.* continua. *Id.* 3. 7. tenuata aut levata. *Lucret.* 6. 804. fervida. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 71. (115).; et *Quintil.* 5. 11. 31. frigida. *Sueton. Tib.* 73. Fortuita febris accessio et decessio. *et* 9. remissio. *et* 12. circuitus. *periodo.* — *b)* In plurali numero. *Nepos Att.* 21. Febres accedunt. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 5. febribus uror anhelis. *Cels.* 3. 3. Febres aliæ ab horrore incipiunt, aliæ a frigore, aliæ a calore. *Id.* 7. 18. *sub fin.* Febres afferre. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 9. adducere. *Martial.* 2. 16. facere. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (130). habere. *Id. ibid.* 8. 25. (90). Mederi quotidianis febribus. *Id.* 25. *ibid.* 9. 59. (106). Febres abigere. *Id. ibid.* 4. 17. (37). depellere. *Id.* 28. *ibid.* 8. 28. (107). arcere. *Id.* 24. *ibid.* 9. 38. (60). solvere. *Id.* 28. *ibid.* 8. 31. (121). sanare. *Cels.* 2. 17. tollere. *Id.* 3. 21. submovere. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 48. deducere. *Quintil.* 2. 17. 9. quiete et abstinentia mitigare. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 8. (13). Febres periodicæ. *Ammian.* 26. 4. rapidæ. *Id.* 31. 11. intervallatæ. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 7. (12). Ardor febrium. *Cels.* 2. 7. Discessiones febrium. ¶ 2. A Romanis ut dea culta est, ne noceret, ejusque fanum in Palatio prope Velabrum, alterum in area Marianorum monumentorum, in monte Esquilino, tertium in summa parte vici Longi Aquilæ in regione Transtiberina publice dedicatum fuit, teste *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (16). et *Val. Max.* 2. 5. *extr.*, in eaque remedia, quæ corporibus ægrorum adnota fuerant, deferebantur. *Cic.* 3. *Nat. D.* 25. 63. Febris fanum in Palatio. *Id.* 2. *Legg.* 11. 28. Araque, quæ vetustissima est in Palatio, Febris. *Inscript.* apud *Gruter.* 97. 1. FEBRI DIVAE, FEBRI SANCTAE, FEBRI MAGNAE CAMILLA AMATA PRO FILIO MALE AFFECTO P. V. *Theod. Priscian. loc. cit.* In QUARTANA. De cultu huic deæ a Romanis tributo doctam *Dissertat.* edidit Romæ an. 1814. *Jos. de Matthæis,* quam legesis.

II.) Metaphorice atque urbane *Plaut. Pseud.* 2. 2. 48. Scio, hoc tibi febrim esse, quia non licet hoc injicere ungulas. *h. e.* cruciare te instar febris.

FĔBRUA, ōrum. *V.* FEBRUUS in fin.

FĔBRUĀLIS, e. *V.* FEBRULIS.

FĔBRUĀMENTUM, i, n. 2. usurpatur tantum de re sacra, et est expiatio, purgatio. *Censorin. de die Nat.* 22.

FĔBRUĀRĬUS, a, um. *V.* voc. seq. in fin.

FĔBRUĀRĬUS, ii, m. 2. *Febrarius* quoque scribitur in vet. *Inscript.* apud *Visconti, Monum. Gab. p.* 99. 111. IDVS FEBRAR. *et ibid.* VII. IDVS FEBRAR. — Februarius, Φεβρουάριος, *febbrajo,* unus est ex mensibus anni, dictus a *februis,* quod tum februaretur populus, id est expurgaretur. Nam Luperci primo die, qui *februatus* dicebatur, omnem urbem veterem, pelles caprinas in manibus gestantes, circumcursabant, idque piamen censebatur. Præterea duodecim diebus continuis pro defunctorum Manibus februa, id est sacrificia expiatoria fiebant. *Varro* 6. *L. L.* 34. *Müll.*; *Ovid.* 2. *Fast.* 31.; et *Paul. Diac. p.* 85. 13. *Müll.* Sed aliqui dictum putant a deo Februo, id est Plutone vel Plutonis patre, cui eo mense sacrificabatur. Nam Januarium diis superis, Februarium diis Manibus consecraverunt, inquit *Isid.* 5. *Orig.* 33. Sed res eodem recidit. Nam *Macrob.* 1. *Saturn.* 13. hunc tradit deum esse lustrationum potentem. V. *Ovid.* 2. *Fast.* 19. et seqq. — Hinc

Februarius, a, um, adject. *Cic.* 2. *Legg.* 21. 54. Februarius mensis. *Varro* 6. *L. L.* 13. *Müll.* Nonis Februariis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 18. 30. (136). Ab idibus Februariis in æquinoctium. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

FĔBRUĀTIO, ōnis, f. 3. lustratio, purgatio. *Varro* 6. *L. L.* 13. *Müll.* Lupercalia dicta, quod in Lupercali Luperci sacra faciunt. Rex quum ferias menstruas Nonis Februariis edicit, hunc diem Februatum appellat. Februum Sabini purgamentum, et id in sacris nostris verbum; nam et Lupercalia februatio, ut in Antiquitatum libris demonstravi.

FĔBRUĀTUS, a, um. *V.* FEBRUO.

FĔBRŪLIS *vel* februalis dicta est Juno a Romanis, quod ipsi Februario mense sacra fiebant. *Paul. Diac. p.* 85. 14. *Müll.* et *Capell.* 2. *p.* 37. — Apud *Arnob.* 3. 30. legitur *Februtis,* quod mendosum videtur pro *Februlis.*

FĔBRŬO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Februatus.* — Februare est lustrare, expiare, purgare, expurgare: a februis; *purgare* καθαρίζω. *Varro* apud *Non. p.* 114. 22. *Merc.* In eorum enim sacris, liba quum sint facta, injicere solent farris semina ac dicere, se ea *februare,* id est pura facere. *Id.* 6. *L. L.* 34. *Müll.* Ego arbitror Februarium a die februato, quod tum februatur populus, id est Lupercis nudis lustratur antiquum oppidum Palatinum gregibus humanis cinctum. *Paul. Diac. p.* 85. 13. *Müll.* Februarius mensis dictus, quod tum, id est extremo mense anni, populus februaretur, id est lustraretur ac purgaretur; vel a Junone Februata – quo ipsi eo mense sacra fiebant ejusque feriæ erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur a Lupercis amiculo Junonis, id est pelle caprina: quam ob causam is quoque dies februatus appellabatur. – Id vero quod purgatur, dicitur februatum. Cf. *Censorin. de die Nat.* 22.

FEBRUTIS. *V.* FEBRULIS.

FĔBRŬUS, a, um, adject. ad purgamentum pertinens. *Macrob.* 1. *Saturn.* 13. Deus februus lustrationum potens. Adde *Isid.* 5. *Orig.* 33.; et *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 43. — Hinc

Februum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est vocabulum Sabinorum sacrum, quod purgamentum significat. *Varro* 6. *L. L.* 13. *Müll.* Februum Sabini appellant purgamentum: et id in sacris nostris verbum. Cf. *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 343., cujus verba *V.* infra in fin. — Hinc

Februa, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, dicebantur sacra expiatoria, et omne id quod vim purgandi habere existimabatur: a *ferveo,* seu *ferbeo,* unde est *ferbuum,* et trajectis litteris *februum.* Nam lustratio fiebat plurimum igne, aut undis ferventibus. *Ovid.* 2. *Fast.* 19. Februa Romani dixere piamina patres: Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem. Pontifices ab rege petunt et flamine lanas, Queis veteri lingua Februa nomen erat. Quæque capit lictor domibus purgamina certis, Torrida cum mica farra, vocantur idem. Nomen idem ramo, qui cæsus ab arbore pura, Casta sacerdotum tempora fronde tegit. Ipse ego flaminicam poscentem Februa vidi: Februa poscenti pinea virga data est. Denique quodcumque est, quo pectora nostra piamus, Hoc apud intonsos nomen habebat avos. Addit *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 343. ipsam caprinam pellem, qua Luperci mulieres feriebant, *februum* dictam esse. *Ovid.* 4. *Fast.* 725. Certe ego de vitulo cinerem stipulasque fabales Sæpe tuli plena, Februa casta, manu. — Hinc *Februa* dicta quoque sunt sacra, quæ purgandi atque expiandi gratia quoque anno fiebant XIV. Kal. Mart., fortasse a *Junone februali* vel *februata,* cui ea sacra fiebant. *Varro* 6. *L. L.* 13. *Müll.*; et *Paul. Diac.* p. 85. 17. *Müll.* Huc spectant verba *Ovid.* 5. *Fast.* 423. pia Februa.

FĒCIĀLIS, is, m. 3. *V.* FETIALIS.

FĒCUNDĀTUS, a, um. *V.* FECUNDO.

FĒCUNDĒ, adverb. Comp. *Fecundius* et Sup. *Fecundissime.* — Fecunde est multo fetu aut fructu, *fecondamente, fertilmente,* γονίμως, εὐφόρως. *Varro* 7. *L. L.* 2. *Müll.* Fecundius poemata ferrent fructum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 65. (163). Arundo recisa fecundius resurgit. *Id.* 29. *ibid.* 4. 30. (94). Cantharides nascuntur fecundissime in fraxino. *Apul. de Mundo.* At quam pulcre et fecunde floræ procreantur! *Al. leg.* pulcræ et fecundæ.

FECUNDIA, æ, f. 1. idem ac fecunditas. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 122.

FĒCUNDĬTAS, ātis, f. 3. De ratione scribendi et etymo *V.* voc. seq. init. — Fecunditas est copia fructuum aut fetuum, feracitas, fertilitas; et proprie dicitur de agris et animantibus, εὐφορία, εὐγονία (It. *fecondità, fertilità*; Fr. *fécondité, fertilité*; Hisp. *fecundidad, fertilidad*; Germ. d. *Fruchtbarkeit*; Angl. *fruitfulness, fertility*).

I.) Proprie. — Generatim. *Colum.* 3. *R. R.* 8. 1. Natura parem legem fecunditatis dixit virentibus atque hominibus ceterisque animantibus. — Specialim de agris. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 152. Aquarum inductionibus terris fecunditatem damus. *Id.* 2. *ibid.* 5. 13. Fecunditas terrarum. *Id.* 2. *Divinat.* 42. 94. agrorum. — De hominibus. *Cic.* 2. *Phil.* 21. 58. O miseræ mulieris fecunditatem calamitosam! *Plin.* 14. *Hist. nat.* 18. 22. (116). Vinum fecunditatem feminis importat. *Id.* 28. *ibid.* 19. 77. (248). Fecunditatem afferre. *Id.* 16. *ibid.* 44. 95. (251). dare. *Id.* 37. *ibid.* 10. 66. (178). addere. *Id.* 10. *ibid.* 59. 79. (162). corrumpere. *Id.* 29. *ibid.* 4. 27. (85). Quoniam aliquarum fecunditas plena liberis tali venia indiget. *Tac.* 12. *Ann.* 2. Femina expertæ fecunditatis. *Id.* 2. *ibid.* 75. Femina infelici fecunditate fortunæ toties obnoxia. Adde *Plin.* 8. *Ep.* 10. — Huc referri potest et illud *Vopisc. Aurelian.* 4. Substituta fecunditas prolis. *h. e.* per adoptionem. — De brutis. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 2. Sed cibis idoneis fecunditas earum (*gallinarum*) elicienda est, quo maturius partum edant. *Justin.* 41. 3. 1. Quæ fabulæ ex equarum fecunditate et gregum multitudine natæ sunt. — Fecunditati quasi deæ templum Romæ exstructum fuit in gratiam Poppææ uxoris Neronis. *Tac.* 15. *Ann.* 23.

II.) Improprie. ¶ 1. Ponitur pro cujusque rei copia, abundantia. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 59. (162). Galactitis nutricibus lactis fecunditatem facit. *Sillig.* hanc lectionem minime damnat; sed *fecunda* leg. *Justin.* 25. 2. 8. Gallorum tantæ fecunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo impleret. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (11). Fecunditas voluminum M. Varronis. ¶ 2. Transfertur et ad animum. *Cic.* 2. *Orat.* 21. 88. Volo se efferat in adolescente fecunditas (*h. e.* stili ubertas): nam facilius, sicut in vitibus, revocantur ea, quæ sese nimium profuderunt. *Plin. Hist. nat. præfat.* § 5. Magna fecunditas animi.

FĒCUNDĬTO, as, are, a. 1. idem quod fecundo; et occurrit tantum in *Inscript.* apud *Fabrett.* 169.

FĒCUNDO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Fecundatus.* — Fecundare est fecundum facere, *fecondare*, εὐδαιμονίζω. *Virg.* 4. *G.* 291. Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena. *Pallad.* 3. *R. R.* 9. Pampinarius in suo loco fecundatur a matre: translatus vero tenet sterilitatis vitium. *Id.* 12. *ibid.* 16. 7. Fecundare vites. *Id. ibid.* 1. 2. terram. *Id.* 10. *ibid.* 9. loca. *Vopisc. Prob.* 15. Fecundare pecus equinum. *Claudian. I. Cons. Stilich.* 239. Quod pulcro Mariæ fecundet semine regnum. Adde *eumd.* 1. *Rapt. Pros.* 186.; *Claud. Mamert. Paneg. Jul.* 22.; et *Augustin. Trinit.* 13. 18. *Alcim. Avit. Ep.* 2. Hic (*Gabriel*) verbo Virginem fecundatam divini germinis promissione dotarit.

FĒCUNDUS, a, um, adject. Legitur et *fœcundus* per *ae*; fuit etiam qui *fœcundus* per *oe* scriberet: sed omnem diphthongum tollunt *Varro* apud *Gell.* 16. 12. et apud *Non. p.* 54. 8. *Merc.*, item *Manut.* et *Cellar.* in *Orthograph.* et *Voss.* in *Etymolog.* Nummos quoque prope innumeros Augustarum apud *Rasch. Lex. num. T.* 2. *p.* 930. et seqq. habes, in quibus omnibus *Fecunditas* et *Fecundus*, et apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 137. DIFFIDENS FECVNDITATI SVAE. Derivant autem etymologi ab obsoleto *feo*: unde etiam *fetus*, *femina* et *fenus* oriri ajunt: eamdemque esse in omnibus scribendi rationem. — Comp. *Fecundior* sub *A.* 1.; Sup. *Fecundissimus* sub *A.* II. 1. et 2. — Fecundus dicitur *A*) De eo, qui per se fertilis est; et *B*) De eo, qui alios fecundat.

A) De eo, qui per se fertilis est, fecundus est qui frugibus aut fetu abundat, uber, fertilis, ferax; et dicitur de agris et animantibus, εὔφορος, γόνιμος (*It. fecondo, fertile, ferace*; *Fr. fecond, fertile*; *Hisp. fecundo, fertil*; *Germ. fruchtbar*; *Angl. fruitful, fertile*).

I.) Proprie. — De agris. *Cic. Senect.* 15. 73. Fossiones agri repastinationesque, quibus fit multo terra fecundior. *Cf. Quintil.* 10. 3. 2. Terra generandis alendisque seminibus fecundior. *Lucret.* 1. 212. et 5. 271. Fecundæ glebæ. *Tac. Agric.* 12. Solum patiens frugum, fecundum. Adde *Quintil.* 2. 19. 2. Cf. *Justin.* 2. 1. 8. Solum Ægypti ita fecundum, ut alimentorum nulla terra feracior fuerit. *Colum.* 9. *R. R.* 4. 2. Regio fecunda fruticis exigui, et maxime thymi aut origani. *Justin.* 41. 1. 4. Hispania in omnia frugum genera fecunda est. *Ammian.* 23. 6. *med.* Carmania cæspitis ubere fecunda. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (78). Tellus fecunda metallorum. Cf. *Ovid.* 10. *Met.* 220. Amathus metallis. *Tac.* 4. *Ann.* 65. Mons silvæ frequens et fecundus. *Lucan.* 9. 696. sterilis tellus fecundaque nulli Arva bono. — Similiter *Cic. Orat.* 15. 48. Segetes fecundæ et uberes. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 7. 36. (120). Nihil ocimo fecundius. — De animantibus. *Lucret.* 4. 1250. quibus ante domi fecundæ sæpe nequissent Uxores parere. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 31. Fecunda conjux. *Id.* 3. *Od.* 23. 6.; *Catull.* 63. 281.; *Ovid.* 2. *Met.* 472.; et *Quintil.* 2. 19. 2. mulier. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 44. lepus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 61. 160. Sue, quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius. *Ovid.* 4. *Fast.* 631. bos.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro copioso, abundanti, præcipue apud Poetas. — *a*) Absolute. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 19. Fecundi calices quem non fecere disertum? *Ovid.* 14. *Met.* 791. Lurida supponunt fecundo sulphura fonti. *Id. ibid.* 347. Utque novas legeret fecundis collibus herbas. *Val. Flacc.* 5. 205. Fecundus Juppiter. *h. e.* pluviis abundans. *Cic. Harusp. resp.* 20. 42. Quæstus fecundus et uber. *Tac.* 12. *Ann.* 63. Byzantium fertili solo, fecundo mari. *h. e.* piscibus abundanti. *Plin. Paneg.* 31. Fecundissima gens. *h. e.* annona et frugibus dives. — *b*) Cum addito Ablativo vel Genitivo rei, qua quid abundat. *Ovid.* 3. *Met.* 31. specus Uberibus fecundus aquis. *Id.* 8. *ibid.* 222. fecunda melle Calymne. *Sil. It.* 1. 212. Africa fecunda veneno. *Id.* 12. 1. Fecunda nimbis tempora. *Lucan.* 10. 303. nigris Meroe fecunda colonis. *Val. Flacc.* 6. 470. fecundaque monstris Cingula. *Tac.* 13. *Ann.* 57. Flumen gignendo sale fecundum. *Id.* 1. *Hist.* 11. Ægyptum, provinciam aditu difficilem, annonæ fecundam. *Id.* 6. *Ann.* 27. Æmilium genus fecundum bonorum civium. ¶ 2. Item qui aliquid ex se parit, translata tamen significatione. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 13. 22. Inque Academia umbrifero nitidoque Lyceo Fuderunt claras fecundi pectoris artes. *Id. Orat.* 4. 15. A quo (*Anaxagora*) eum (*Periclem*), quum alia præclara quædam et magnifica didicisset, uberem et fecundum fuisse. *h. e.* non modo dicendi copia, sed etiam facilitate ornatum fuisse. *Forcellinus* vero hunc locum ad superiorem paragr. retulit, et fecundum interpretatus est in dicendo copiosum. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 10. 15. (72). Fecundum mathematici ingenium. *Sillig.* legit *Facundi* tamquam nomen proprium. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (71). Fecundus artifex. *Id.* 34. *ibid.* 8. 19. (62). Fecundissima ars. *Tac. Dial. de orat.* 33. Differentiamque nostræ desidiæ et inscientiæ adversus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti. *Varro* 8. *L. L.* 9. *Müll.* Duo genera verborum: unum fecundum, quod declinando multas ex se parit disparites formas, ut est *lego, legis, legam*, sic alia: alterum genus sterile, quod ex se parit nihil, ut est *etiam, vix* etc. — *b*) Cum addito Ablativo vel Genitivo rei vel Accusativo ac præpos. *in.* *Plaut. Cist.* 1. 1. 71. Amor et melle et felle est fecundissimus. *Tac.* 4. *Hist.* 50. Garamantas exciverat, gentem indomitam et inter accolas latrociniis fecundam. *Horat.* 3. *Od.* 6. 17. Fecunda culpæ sæcula. *Sil. It.* 13. 490. vert fecunda sacerdos. *Id.* 2. 498. Fecundum in fraudes hominum genus.

B) Fecundus est etiam, qui fecundat. *Virg.* 2. *G.* 325. Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus. Sic *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (51). Nilus certis diebus auctu magno per totam spatiatus Ægyptum, fecundus innatat terræ. *Ovid.* 2. *Fast.* 427. Excipe fecundæ patienter verbera dextræ. *h. e.* Lupercorum ferientium pelle capræ mulieres, unde fecunditas iis dari credebatur. *Id.* 4. *Met.* 698. quam (*Danaen*) implevit fecundo Juppiter auro.

Homonym. *V.* in fin. v. FRUCTUOSUS.

FĒDUM antiqui dicebant pro hedo. *Paul. Diac. p.* 84. 5. *Müll. V.* DIGAMMA.

FEL, fellis, n. 3. In plurali numero *fella* habet. *Seren. Sammon.* 19. 333. Lutea si crescunt et cunctis noxia fella. Adde *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 19. et 1. *Tard.* 6. *sub init.*; et *Tertull. Cor. mil.* 14. — Ceterum fel est bilis flava, quæ in corpore animalis vesicula continetur sub hepate: etymon hujus vocis cum *bilis*, facili duarum priorum litterarum permutatione, cognationem quamdam habere videtur: non longe tamen a vero aberrare putandus, qui *fel* a Gr. voce χολή, quæ idem significat, deduceret (*It. fiele*; *Fr. poche du fiel, fiel*; *Hisp. hiel*; *Germ. d. Galle*; *Angl. gall*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 74. (191). In jecore est fel, non omnibus datum animalibus. In Eubœæ Chalcide nullum pecori: in Naxo prægrande geminumque. Equi, muli, asini, cervi, capreæ, apri, cameli, delphini non habent, etc. *Cels.* 4. 1. Jecur a dextra parte sub præcordiis: ex inferiore parte ei fel inhæret. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (119). Felle suffusorum pruritus nitrum comprimit. *degl'itterici.* *Cic.* 2. *Divinat.* 12. 29. Fel gallinaceum. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 5. et 15., et 4. *ibid.* 10. 4.; et *Scribon. Compos.* 70. et 230. taurinum. *Scribon. Compos.* 38. hyænæ. — Fel nigrum est atra bilis, insaniæ causa homini, morsque, si totum reddatur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 75. (193). ¶ 2. Latiori sensu dicitur de succis venenatis. *Virg.* 12. *Æn.* 856. Sagitta armata felle veneni. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 17. mortis sævo geminent ut vulnere causas, Omnia vipereo spicula felle linunt. Adde *eumd.* 5. *Trist.* 7. 16. Adde *Prudent.* 9. *Cathemer.* 176.; et *Seren. Sammon.* 17. Scribit *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 16. (60). mustelarum silvestrium fel contra aspides efficax dici, cetero venenum esse.

II.) Improprie. ¶ 1. Quod est amarissimi gustus, ita ut a canibus non attingatur, ut ait *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 74. (192)., hinc translate ponitur pro quacumque re amara, mordaci, adversa. *Plaut. Cist.* 1. 1. 71. Amor et melle et felle fecundissimus. Cf. *Plin.* 3. *Ep.* 21. 1. Fellis et salis plurimum habere. et *Auson. Epigr.* 15. qui melle carmen atque felle temperans. Rursus *Plaut. Truc.* 1. 2. 76. In melle sunt linguæ sitæ vestræ atque orationes lacteque: corda felle sunt lita atque acerbo aceto. *Ovid.* 2. *Trist.* 565. Candidus a salibus suffusis felle refugi. *detti mordaci, pungenti, maledici.* *Id.* 2. *Art. am.* 519. Litore quot conchæ, tot sunt in amore dolores: Quæ patimur, multo spicula felle madent. *Auson. Profess.* 2. 31. Nullo felle tibi mens livida. *h. e.* nullus tibi livor. *Tibull.* 2. 4. 11. Nunc et amara dies, et noctis amarior umbra est: Omnia jam tristi tempora felle madent. *h. e.* tristia sunt, adversa, calamitosa. *Martial.* 7. 25. Dulcia quum tantum scribas epigrammata semper, Et cerussata candidiora cute; Nullaque mica salis, nec amari fellis in illis Gutta sit; o demens, vis tamen ista legi! *h. e.* severitas, acrimonia, quæ dulcedinem veluti corrigat. — Hinc dicitur de ira, ut bilis. *Virg.* 8. *Æn.* 219. Hic vero Alcidæ furiis exarserat atro Felle dolor. ¶ 2. *Fel terræ* apud *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 31. (68).; *Scribon. Compos.* 227.; et *Apul. Herb.* 34. herba est, de qua *V.* CENTAUREUM.

FĒLES, is, f. 3. Reperitur etiam *feles*, et aliquando etiam *fæles*, quod in vocis etymon inferius sub I. 1. allatum apprime convenit. — Nominativus *felis* occurrit tantum apud *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 35. (178). — Feles

I.) Proprie ¶ 1. Est animal quadrupes domesticum, acutis unguibus, mira velocitate, oculisque etiam noctu cernentibus præditum, muribus et avibus infestissimum: est a Græca voce αἴλουρος, præfixo Æolico digammate F; ea vero composita est ab αἰεὶ αἰλεῖν τὴν οὐράν, quod felis proprium est, ut etiam leonis, pardi aliorumque animalium ejusdem generis (*It. gatto*; *Fr. chat*; *Hisp. gato*; *Germ. d. Katze*; *Angl. a cat*). *Cic.* 5. *Tusc.* 27. 78. Ægyptii quamvis carnificinam prius subierint, quam aut felem, aut canem, aut crocodilum violent. *Id.* 1. *Nat. D.* 29. 82. Fana multa exspoliata et simulacra deorum de locis sanctissimis ablata videmus a nostris; at vero ne fando quidem auditum est crocodilum, aut ibim, aut felem violatum ab Ægyptio. *Phædr.* 2. 4. Feles cavernam nacta, in media pepererat. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 35. (178). Oppidum, in quo felis aurea pro deo colebatur. *Id.* 10. *ibid.* 73. 94. (202). Feles quidem quo silentio, quam levibus vestigiis obrepunt avibus! quam occulte speculatæ in musculos exsiliunt! Excrementa sua effossa obruunt terra, intelligentes odorem illum indicem sui esse. *Id.* 11. *ibid.* 37. 65. (172). Leonibus, pardis, omnibusque generis ejus, etiam felibus lingua imbricatæ asperitatis, ac limæ similis. *et ibid.* 55. (151). Felium in tenebris fulgent radiantque oculi. — In fabulis, metu Gigantum diis bellum inferentium, Fe-

le soror Phœbi, nivea Saturnia vacca, Pisce Venus latuit, ut est apud *Ovid.* 5. *Met.* 330., *h. e.* in eas bestias sese transformarunt. ¶ 2. Item fera illa, quæ et *martes* dicitur, a nostris *martorello* et *faino*, altilibus avibus infestissima, et præcipue gallinis. *Varro* 3. *R. R.* 11. 3. *de sæpto anatum.* Omnes parietes tectorio lævigantur, ne feles, aliave bestia introire ad nocendum possit. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 9. *de anseribus.* Ne coluber, ne vipera, felesque, aut etiam mustela possit aspirare. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 3. 6.; et *Nemesian.* 55.

II.) Translate. *Plaut. Pers.* 4. 9. 14. *de lenone.* Scelesta feles virginaria. *Id. Rud.* 3. 4. 43. Tu ne hic, feles virginalis, liberos parentibus sublectos habebis? *Auson. Epigr.* 70. *de pædicone.* feles nuper pullaria dictus.

FĒLĪCĀTUS. *V.* **FILICATUS.**

FĒLĪCĬTAS, ātis, f. 3.

I.) Proprie est fecunditas ac fertilitas terræ, aut plantarum. *Plin.* 3. *Ep.* 19. 5. Agri sunt fertiles, pingues, aquosi; sed hæc felicitas terræ imbecillis cultoribus fatigatur. *Plin. alter* 18. *Hist. nat.* 18. 47. (170). Excellentius Thebaidis regioni frumentum: similis ratio, sed felicitas major Babyloniæ Seleuciæ, Euphrate atque Tigri restagnantibus. *Fronto* 2. *ad Amic.* (edente iterum *A. Mai*) *ep.* 6. Quænam est arboris felicitas? rami fecundi et frugiferi, baccis et pomis onusti.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est εὐδαιμονία, status et conditio ejus, cui res omnes secundæ fluunt, bona fortuna, prosperitas, beatitudo (It. *felicità*; Fr. *prospérité, bonheur*; Hisp. *prosperidad, felicidad*; Germ. d. *Glück*, d. *Glückseligkeit*; Angl. *felicity, happiness*). *Cic. fragm.* apud *Ammian.* 21. 16. Neque enim quidquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas. *Id.* 2. *Phil.* 24. 59. Fuit felix, si potest ulla esse in scelere felicitas. *Id. Brut.* 96. 329. *de Hortensio.* Illum videtur felicitas ipsius, qua semper est usus, ab eis miseriis vindicasse. *Curt.* 6. 5. 3. Perpetua felicitate florere. *Plin.* 10. *Ep.* 7. Felicitas temporum. *Plin. alter* 7. *Hist. nat.* 44. 45. (146). Nulla est profecto solida felicitas, quam contumelia ulla vitæ rumpit. *Sueton. Aug.* 58. Quod bonum, inquit, faustumque sit tibi domuique tuæ, Cæsar Auguste (sic enim nos perpetuam felicitatem reipublicæ et læta huic precari existimamus) senatus etc. Adde *eumd. ibid.* 94. et *Ner.* 40. *Quintil.* 8. 5. 15. Felicitatem tuam fortiter feras. *Id.* 12. 5. 6. Sed hoc votum est et rara felicitas, quæ si non adsit etc. *Justin.* 16. 3. 8. Accedit sævitiæ insolentia, crudelitati arrogantia: interdum enim ex successu continuæ felicitatis obliviscitur se hominem; interdum Jovis filium se dicit. ¶ 2. Speciatim dicitur de bona cujuscumque fortuna in rebus agendis, ac præcipue de bona imperatoris fortuna militari. — *a*) In singul. num. *Cic. pro leg. Manil.* 10. 28. In summo imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. *Id. ibid.* 16. 47.; et *Nepos Timol.* 2. Incredibili felicitate Dionysium tota Sicilia depulit. *Cæs.* 2. *B. C.* 31. Felicitas rerum gestarum exercitus benevolentiam imperatoribus, et res adversæ odia conciliant. *Sueton. Domit.* 6. Bellum civile motum a L. Antonio superioris Germaniæ præside confecit absens, felicitate mira; quum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias barbarorum inhibuisset. Adde *eumd. Cæs.* 35. *Justin.* 23. 3. 11. Imperium Siciliæ tam cito amisit, quam facile quæsierat. Sed nec in Italia meliore felicitate usus, in Epirum revertitur. Adde *Flor.* 3. 6. 15., 3. 5. 2. et 4. 2. 29. *Ammian.* 16. 1. Res virtute felicitateque corrigere. *Id.* 15. 5. Prosperis felicitatis cursibus. Adde *Vopisc. Aurelian.* 32. — *b*) In plurali numero. *Ter. Eun.* 2. 3. 32. Nec quemquam esse ego hominem arbitror, cui magis bonæ felicitates omnes adversæ sient. *tutte le buone fortune.* Sic *Cic. Mil.* 31. 84. Ea vis, ea igitur ipsa, quæ sæpe incredibiles huic urbi felicitates atque opes attulit, illam perniciem exstinxit ac sustulit. ¶ 3. Apud Romanos dea fuit, templo, ara, sacris culta. *Augustin.* 4. *Civ. D.* 18. et 23. *V.* et *Sueton. Tib.* 5. ¶ 4. Fuit etiam Romanorum Imperatorum titulus, ut apud *Symmach.* 10. *Ep.* 31. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

FĒLĪCĬTER, adverb. Comp. *Felicius* I. et II. 2.; Sup. *Felicissime* II. 2. — Feliciter

I.) Proprie refertur aliquando ad feracitatem terræ, et facilitatem proveniendi in herbis et arboribus. *Virg.* 1. *G.* 54. Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ.

II.) Translate. ¶ 1. Est favorabiliter, ita ut fortuna afferatur. *Ennius* apud *Non. p.* 112. 2. *Merc.* Quod mihi meæque fide et regno, vobisque, Quirites, se fortunatim, feliciter ac bene vortat. *Plaut. Aulul.* 5. 10. 57. Quæ res tibi et gnatæ tuæ bene feliciterque vortat. — Hinc *feliciter* frequens est acclamandi et bene precandi formula. *Phædr.* 5. 1. Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt, Feliciter, succlamant. *Cic.* 13. *Att.* 42. Feliciter velim, inquam, teque laudo. *Sueton. Claud.* 7. Acclamanti populo, feliciter, partim patruo imperatoris, partim Germanici fratri. Adde *eumd. Domit.* 13., *Juvenal.* 2. 119.; et *Flor.* 3. 3. 20. Sic *feliciter quod agis* apud *Senecam Ep.* 67. *sub fin.*; et *feliciter optare*, εὖ πράττειν, apud *Spartian. Pesc.* 2. ¶ 2. Sæpius est prospere, beate, fortunate, *felicemente, fortunatamente*, εὐδαιμόνως. *Plaut. Merc.* 4. 5. Rem feliciter gerere. Adde *Sueton. Tib.* 21. *Cic.* 3. *Fin.* 7. 26. Omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere. *Id.* 14. *Phil.* 14. 37. Res bene, fortiter feliciterque gestæ. *Id. Mur.* 1. 1. Ut ea res fauste, feliciter prospereque eveniret. *Id.* 4. *Verr.* 38. 95. Satis feliciter navigare. *Id.* 7. *Fam.* 28. Sapienter hæc reliquisti, si consilio; feliciter, si casu. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. Rempublicam felicissime gessisse. Adde *Cic. Prov. cons.* 13. 33.; et *Quintil.* 10. 1. 96., ubi quoque Superlativus occurrit. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 166. Nam spirat tragicum satis, et feliciter audet. *Ovid.* 10. *Met.* 247. niveum mira feliciter arte Sculpsit ebur. *Id. ibid.* 305. Nec tua, quam Pyrrhi felicius ossa quiescant. *Id. Heroid.* 7. 161. Ascaniusque suos feliciter impleat annos. *Spartian. Hadrian.* 19. Feliciter venari.

FĒLĪCĬTO, as, are, a. 1. frequentat. *felicitare*, felicem identidem reddo. Part. *Felicitandus* habet *Donatus in vita Virg.* 4. Rogat, quam ad felicitandos homines facultatem haberet.

FĒLĪNĔUS, a, um, adject. *di gatto*, ad felem pertinens, ut Felinei oculi, apud *Servium* ad *Virg.* 3. *G.* 82.

FĒLĪNUS, a, um, adject. felineus. *Cels.* 5. 18. n. 15. Malagma, quod habet visci, felini stercoris, resinæ, sulphuris pares portiones. *Targa* putat legend. *suilli stercoris*, quia illius memorat in medicina usum *Plin.* 28. *Hist. nat.* 17. 70. (231).

FĒLĬO, is, ire, n. 4. verbum exprimens vocem pardi. *Auct. carm. Philom.* 50. Panther caurit amans, pardus hiendo felit. Alii derivant a *Felo, is*, 3. conjugat.

FĒLIS. *V.* **FELES** init.

FĒLIX, icis, adject. omn. gen. Sunt qui scribunt *fœlix*; sed male. Contra enim sunt libri veteres, lapides, nummi, *Manut.*, *Dausqu.*, *Cellar.*: immo et etymon ipsum, est enim a *feo*, unde *fetus, fecundus, femina, fenus* (*V.* FECUNDUS init.). Porro *feo* conjungi etiam potest cum *beo, as*: V. quæ dicta sunt de littera F. — Comp. *Felicior* sub I. et *B.* II.; Sup. *Felicissimus* sub II. *B.* — Felix proprie est fecundus, frugifer, ferax, εὔφορος, γόνιμος (It. *fecondo, fertile, ferace*; Fr. *fécond, fertile*; Hisp. *fecundo, fertil*; Germ. *fruchtbar*; Angl. *fruitful, fertile*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Paul. Diac. p.* 92. 10. *Müll.* Felices arbores Cato dixit, quæ fructum ferunt, infelices quæ non ferunt. V. *Frontonis* verba in paragr. proxime seq. *Liv.* 5. 24. Nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum. *Lucret.* 5. 1377. Arbustisque tenent felicibus obsita circum. *Virg.* 2. *G.* 81. Exiit ad cælum ramis felicibus arbos, Miraturque novas frondes et non sua poma. *Horat. Epod.* 2. 13. Inutilesque falce ramos amputans, Feliciores inserit. Cf. *Virg.* 4. *G.* 329. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (60). Hinc felix illa Campania est. (Confer nom. pr. *Arabia Felix*: V. ARABIA in ONOM.). *Ovid.* 2. *Pont.* 10. 51. Felicior regio. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 179. Quis felix oleæ tractus. *Val. Flacc.* 6. 711. si quis aquis et fertilis ubere terræ Educat, ac ventis oleam felicibus implet. *Sil. It.* 3. 463. Æquana felicia Baccho. *h. e.* vino. *Martial.* 13. 29. Felices horti. Adde *Grat. Cyneg.* 442. ¶ 2. Speciatim in sacris *felices arbores* habebantur quercus, æsculus, ilex, suber, fagus, corylus, sorbus, ficus alba, pirus, malus, vitis, prunus, cornus, lotus: atque hæ diis superis sacræ erant. Contra *infelices* ficus atra, filix, acrifolium, ruscus, pirus silvestris, rubus, sentes, alaternus, salix, et quæcumque baccam nigram nigrosque fructus ferunt: quæ inferum deorum in tutela erant. Hæc ex *Veranio de verbis pontificalib.* et *Tarquinio Prisco* habet *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. 2. At *Fronto* 2. *ad Amic.* (edente iterum *A. Mai*) *ep.* 6. Leges pleræque (*Dig.* 47. 72. et *Paul. Sentent. recept.* 5. 20.). pœna sanciunt, ne quis felicem arborem succidat. Quænam est arboris felicitas? rami fecundi et frugiferi, baccis et pomis onusti. Nemo cannam et arundinem, quamvis proceram, felicem dixerit. Ceterum sacra, de qua dictum est, significatione *Ammian.* 29. 1. Linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis soccis, torulo capiti circumflexo, verbenas felicis arboris gestans, litato conceptis carminibus numine præscitionum auctore etc. *Tac.* 4. *Hist.* 53. Undecimo Kal. Jul. serena luce spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque. Ingressi milites, quis fausta nomina, felicibus ramis.

II.) Translate dicitur *A*) De eo, qui felicitatem affert; et *B*) De eo, qui felicitate fruitur.

A) Active, h. e. de eo, qui felicitatem affert, quum de re dicitur, faustum significat, prosperum, secundum, utilem, commodum, *prospero, utile*; quum de persona, est propitius, seu qui alios facit felices. — *a*) De rebus. *Cic.* 1. *Divinat.* 45. 102. Quæ (*omina*) majores nostri quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIX FORTVNATVMQVE ESSET præfabantur. *Vet. formula* apud *Varron.* 6. *L. L.* 86. *Müll.* QVOD BONVM, FORTVNATVM FELIXQVE SALVTAREQVE SIET POPVLO ROMANO QVIRITIVM. *Liv.* 10. 28. Quod bonum, faustum felixque sit. *Id.* 22. 30. Quod tibi mihique sit felix, sub imperium tuum redeo. *Plaut. Trin.* 1. 2. 3. Ut nobis hæc habitatio bona, fausta, felix fortunataque eveniat. *Virg.* 1. *G.* 345. Terque novas circum felix eat hostia fruges. *Id.* 3. *Æn.* 120. Nigram Hiemi pecudem (*profecturus mactavit*), Zephyris felicibus albam. *Id.* 11. *ibid.* 32. felicibus auspiciis. Adde *Justin.* 1. 18. 3. *Ovid.* 10. *Met.* 5. et 2. *Pont.* 1. 35. omen. *Id.* 1. *Amor.* 2. 51. arma. *Id.* 1. *Trist.* 2. 103. sæcula. *Id.* 13. *Met.* 319. sententia. *Lucret.* 1. 101. exitus. *Propert.* 4. 4. 69. tutela. *Plin.* 14. *Hist. nat. proœm.* (3). Felix industria. *cui ibid. respondet* fertilis cura. *Id.* 37. *ibid.* 9. 40. (122). Amethysti Indicæ absolutum felicis purpuræ colorem habent. *h. e.* præstantis et pretiosæ, et, quam habere, felix fortunatumque est. *Martial.* de librario suo defuncto 1. 102. Illa manus quondam studiorum fida meorum, Et felix domino. — *b*) De personis. *Virg.* 1. *Æn.* 331. Sis felix, nostrumque leves quæcumque laborem. *Id.* 5. *Ecl.* 65. Sis bonus o felixque tuis. Cf. *Propert.* 3. 11. 15.

B) De eo, qui felicitate fruitur, felix est is cui omnia succedunt, fortunatus, florens, beatus, εὐδαίμων, μακάριος (It. *felice, fortunato*; Fr. *heureux, qui a du bonheur*; Hisp. *dichoso, feliz, afortunado*; Germ. *glücklich, im glücklichen Zustande befindlich, glückselig, beglückt*; Angl. *happy, fortunate, felicitous*). Occurrit — *a*) Absolute. — Cum contrario *infelix* apud *Cic.* 2. *Phil.* 26. 64. Cæsar Alexandria se recepit, felix, ut sibi quidem videbatur: mea autem sententia si quis reipublicæ sit infelix, felix esse non potest. *Id.* 5. *Fin.* 30. 92. Polycratem Samium felicem appellabant. Nihil acciderat ei, quod nollet, nisi quod anulum, quo delectabatur, in mari abjecerat. Ergo infelix una molestia: felix rursus, quum is ipse anulus in præcordiis piscis inventus est. — *Id. Cic. Fontej.* 15. 33. Virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, – ad consilia prudentem, ad casum fortunamque felicem. *Sall. Jug.* 95. Sulla felicissimus omnium ante civilem victoriam. *Horat.* 1. *Od.* 13. 17. felices ter et amplius, Quos irrupta tenet copula. *Id.* 1. *Sat.* 1. 12. Solos felices viventes clamat in urbe. *Quintil.* 6. *proœm.* 4. Felix decessit. *Plin.* 5. *Ep.* 18. Felicior, antequam felicissimus fieret. *h. e.* Nerva beatior quam postquam princeps est creatus. *Val. Flacc.* 7. 37. tu prima malorum Causa mihi, tu, Phryxe gener: non te æquore mersum Quo soror, ut felix nullos nunc nomine Grajos Nossem ego? *Horat. carm. sæcul.* 66. Latium felix. *Ovid.* 14. *Met.* 112. sed jam felicior ætas Terga dedit; tremu-

ioque gradu venit ægra senectus. *Justin.* 5. 7. 11. Feliciores prorsus priores urbis ruinas ducentes, quæ etc. *Val. Flacc.* 4. 329. Felix labor. *Quintil.* 10. 1. 111. Felicissima facilitas. *Id.* 9. 4. 27. Felicissimus sermo. — Nonnunquam *felix* dicitur de mortuo, ut Græce μακάριος et μακαρίτης. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 28. Omnes composui. Felices! nunc ego resto. *V.* BEATUS. — Interdum est dives, beatus, *ricco. Ovid.* 1. *Amor.* 8. 27. Tam felix esses, quam formosissima, vellem: Non ego, te facta divite, pauper ero. — *b*) Cum Ablativo. *Cic. Brut.* 16. 63. Ille Græcus ab omni laude felicior. — *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 10. 30. In te retinendo fuit Asia felicior, quam nos in deducendo. *Id. Amic.* 16. 60. Quin etiam si minus felices in diligendo fuissemus. — *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (60). Praxiteles quoque marmore felicior, ideo et clarior fuit. *riusci più ne' marmi. Virg.* 6. *Æn.* 787. Felix prole virum. Sic *Val. Flacc.* 5. 384. Felix prole parens. (Cf. *Petron. Satyr.* 94. O felicem, inquit, matrem tuam, quæ te talem peperit!). *Ovid.* 11. *Met.* 266. Felix et nato, felix et conjuge Peleus. *Trebell. Poll. XXX. Tyr.* 32. Felix imperio. *Val. Flacc.* 1. 441. Te quoque dant campi tanto pastore Pheræi Felicem, Admete. — *c*) Cum Genitivo. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 12. o te, Bolane, cerebri Felicem, ajebam tacitus. *Sil. It.* 4. 359. Felix uteri. εὔτεκνος. *Ovid.* 4. *Met.* 267. Felicesque vocat pariter studiique locique Mnemonidas. *Sil. It.* 4. 398. leti. *Id.* 2. 570. necis. *Id.* 4. 731. famæ. *Juvenal.* 14. 119. animi. *Stat.* 4. *Silv.* 4. curarum. *Plin.* 14. *Hist. nat. proœm.* (7). Virgilius beatus felixque gratiæ. *Virg.* 1. *G.* 276. Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna Felices operum. — *d*) Cum Infinito. *Virg.* 9. *Æn.* 772. quo non felicior alter Ungere tela manu ferrumque armare veneno. *h. e.* peritior, inquit *Servius.* Significat autem semper successum habuisse inferendæ necis tela ab eo venenis illita. Cf. *eumd.* 1. *G.* 284. Septuma post decumam felix et ponere vitem, Et prensos domitare boves, et licia telæ Addere. *Sil. It.* 13. 127. felixque senectam duxisse. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

Homonym. *Felix* activa et neutra significatione occurrit; *prosper* et *faustus* activa tantum, sunt enim felicitatem afferentes; *fortunatus* et *beatus* passiva, sunt enim fortunæ donis locupletati. *Felix* et *beatus* tum de personis, tum de rebus; *prosper, faustus* itemque *secundus* de rebus tantum usurpantur. *Secundum* a v. *sequi* dicitur id, quod ad rei cursum pertinet eique favendo in causa est, cur ad eventum festinet; *prosperum* (quod a *pro spe* deducunt) ad successum pertinet et significat rem ex voto successisse; *faustum* ad religionem spectat, ac rem ex deorum immortalium munere et benignitate evenisse denotat; *fortunatus* est is, cui fortuna maxime favit, fortunæ filius; *felix* vero is, cui omnia, quæ cœpit ac gessit, prospere evenerunt, ita tamen ut felicitas objectiva, uti ajunt, sit potius quam subjectiva, sive in externis potius rebus, quam in homine ipso consistat; contra *beatus* est is, cui omnia abunde sufficiunt, ut cupiditatibus suis satisfaciat; is cui nihil deest, qui talis est subjective, uti ajunt, sentit enim se beatum esse ac sorte sua contentus est.

FELLĀTOR, ōris, m. 3. qui fellat. ¶ 1. Dicitur de corvo, quia corvos ore coire et parere vulgus arbitratur, falso tamen, ut *Plin.* 10. *Hist. nat.* 12. 15. (32). docet. *Martial.* 14. 74. ¶ 2. Item qui obscæna utitur libidine, de qua *V.* FELLO. *Martial.* 11. 30.

FELLĔBRIS, e, adject. a fellando. *Solin.* 2. *a med. de boa serpente.* Uberibus bovis se innectit, suctuque continuo saginata, ita fellebri satietate exuberatur, ut etc. *h. e.* copioso lactis suctu. *Alii leg.* celebri, *alii* funebri. Ceterum *Gloss. Isid.* et *Gloss. Pith.* Fellebrem, adhuc lætum viventem. *Martin.* conjecit *adhuc lacte viventem,* et dictionem a v. *fellare* deducit.

FELLĔUS, a, um, adject. ad fel spectans. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 12. 76. (124). Sudores felleos movent. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 6. Urina fellea.

FELLĬCO, as, are, a. 1. *frequentat. a* fello, ut *vellico a vello.* Part. *Fellicans* et *Fellicandus.* — Fellicare est lac exsugere. *Solin.* 45. *sub fin.* Nequaquam mater pullo ubera præbet fellicanda. *Alii leg.* fellitanda, *vel* fellitanda, *eodem sensu. Arnob.* 2. 39. Exsugerent fellicantes mammas. *Al. leg.* fellitantes. *Gloss. Isid.* Fellitat, sugit.

FELLĬCŬLA, æ, f. 1. cholera, ut docet *Isid.* 4. *Orig.* 5. Unde et cholera, id est fellicula, nominata est, hoc est fellis effusio.

FELLĬDŬCUS, a, um, adject. fel abducens, ut Fellíduca medicamenta, apud *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 4., quæ χολαγωγά Græci vocant.

FELLĬFLŬUS, a, um, adject. felle fluens. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 19. *de cholera.* Felliflua passio.

FELLĪTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* fello, ut *cœnito a cœno. V.* FELLICO.

FELLĪTUS, a, um, adject. seu potius particip. præter. pass. ab inusit. *fellire,* est idem ac fellosus, felle imbutus.

I.) Proprie. *Rufus Fest. Avien.* in *Anthol. Lat. Burmann. T.* 1. *p.* 195. *Epigr.* 58. fellitus amarans Ora sapor. *V.* AMARANS. *Pelagon. Veterin.* 1. In morbo regio aut sulphurei oculi, aut felliti admodum sunt. *Gloss. Lat. Gr.* Fellitus, χολικός.

II.) Translate. *Cassiod.* 1. *Variar.* 13. Qui nec malevolentiæ studio nocendi artes fellitis sensibus exquisivit.

FELLO, as, āvi, are, a. 1. Sunt qui contendunt *felo* scribendum esse. — Ceterum *fello* ¶ 1. Est lac exsugo, ab Æolico φηλάω pro θηλάω *mammam sugo, succhiare, poppare,* θηλάζω. *Varro* apud *Non. p.* 113. 14. *Merc.* Tum eum lac humanum fellasse. *Id. ibid. p.* 242. 33. Lupam alumni fellarunt olim. ¶ 2. Refertur et ad obscœnam infandamque libidinem. *Martial.* variis in locis, ut 1. 9. γλωττοδέψέω, ore morigeror.

FELLŌSUS, a, um, adject. felle imbutus, felle abundans. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 6. Fellosa, aut saniosa ventris egestio.

FĒLO. *V.* FELIO et FELLO.

FĒMELLA, æ, f. 1. *deminut. a* femina, *femminella, donnicciuola,* γύναιον, parva femina. *Catull.* 55. 7. Femellas omnes, amice, prendi.

FĒMELLĀRĬUS, ii, m. 2. *donnajuolo,* qui femellas consectatur. *Isid.* 10. *Orig.* Femellarius, feminis deditus, quem antiqui mulierarium appellabant.

FĒMEN, inis. *V.* FEMUR.

FĒMĬNA, æ, f. 1. Scribitur et *fæmina* per *ae* et *fœmina* per *oe.* Priorem scribendi rationem pauci: alteram plures cum *Dausquio:* nostram vero, qua diphthongum omnem excludimus, tuentur *Manut., Cellar.* et *Voss.* in *Etymol.* cum antiquis libris et lapidib. Est autem ab inusit. φέω pro φύω, unde Latinum *feo,* et *fendo* vel *findo:* ait enim *Isid.* 11. *Orig.* 2. Femina a partibus femorum dicta, ubi sexus species a viro distinguitur. Ita *Isid.* Hinc femina *Hebr.* נְקֵבָה, *h. e.* perforata appellatur. Hinc *Arnob.* 5. 25. cunnum vocat partem corporis, per quam sexus femineum nomen solet acquirere generi, hoc est per quam femina ita est appellata. Unde etiam repetenda sunt *fetus, fecundus, femur,* aliaque quamplurima his similia et ex eisdem derivata. — Femina est idem quod mulier: latius tamen patet usus, quum æque dicatur de omnibus animalibus; mulier vero de homine tantum, γυνή (It. *femmina, donna;* Fr. *femme;* Hisp. *hembra;* Germ. *d. Geschöpf weiblichen Geschlechtes, d. Frau, d. Weib;* Angl. *a woman, the female in all animals*).

I.) Proprie. — 1.°) De hominibus. — *a*) Cum contrariis *mas* vel *vir,* ut apud *Cic.* 1. *de republ.* 24. Ut a prima congressione maris et feminæ, deinde a progenie et cognatione ordiar. *Id.* 1. *Nat. D.* 34. 95. Et mares deos et feminas esse dicitis. *Ovid.* 4. *Met.* 280. Ambiguus fuerit modo vir, modo femina Sithon. *Lucret.* 4. 821. Femina vir uti factus videatur adesse. *Cic.* 1. *Tusc.* 12. 27. Mors in claris viris et feminis. *Ovid.* 6. *Met.* 313. Tum vero cuncti manifestam numinis iram Femina virque timent. *Sueton. Aug.* 25. Eosque servos adhuc viris feminisque pecuniosioribus indictos. *Justin.* 2. 1. 2. Nec virorum imperio magis, quam feminarum virtutibus claruere. Cf. *Liv.* 36. 24. Utpote congregatis feminis puerisque et imbelli alia turba in arcem. — Generatim. *Cic.* 1. *Divinat.* 25. 52. Socrates dicens, vidisse se in somnis pulcritudine eximia feminam. *Cæs.* 6. *B. G.* 21. Intra annum vicesimum feminæ notitiam habuisse, in turpissimis (*Germani*) habent rebus. *Cic.* 2. *Legg.* 12. 29. Ei (*Vestæ*) colendæ virgines præsint, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis, et sentiant mulieres, naturam feminarum omnem castitatem pati. *Id.* 3. *de republ.* 10. Cur pecuniam non habeat mulier? – Cur autem si pecuniæ modus statuendus sit feminis, P. Crassi filia posset habere, mea non posset? *Id.* 3. *Phil.* 6. 16. Tua conjux, bona femina. *Id.* 5. *Fam.* 8. 2. Præstantissima omnium feminarum uxor tua. *Id. ibid.* 11. 2. primaria. *Id.* 1. *ad Brut.* 18. prudentissima et diligentissima. *Id.* 3. *Phil.* 6. 16. sanctissima atque optima. *Id. Cæcin.* 4. 10. probatissima. *Petron. Satyr.* 111. singularis exempli. *Sueton. Cæs.* 49. generosissima. *Id. Vitell.* 3. ignobilis. *Id. Cæs.* 50. illustres feminæ. *Id. Tib.* 35. famosæ. *Horat. carm. sæcul.* 17. Diva (*Lucina*) producas sobolem, patrumque Prosperes decreta super jugandis Feminis. *Virg.* 4. *Æn.* 569. varium et mutabile semper Femina. — *b*) Adjective *femina turba* pro *feminea* dictum est a *Propert.* 2. 23. 4. Inter quas Danai femina turba senis. — *c*) Aliquando convicium est in virum effeminatum et mollem. *Ovid.* 12. *Met.* 470.; *Justin.* 1. 3. 3.; *Sil. It.* 2. 361.; *Sueton. Cæs.* 22.; et *Curt.* 3. 10. 10., 6. 11. 3. et 8. 1. 37. Quo pertinet illud *Virg.* 9. *Æn.* 617. O vere Phrygiæ; neque enim Phryges. et *Homeri* Ἀχαιΐδας, οὐκέτ' Ἀχαιοί. Similiter *Sall.* in *orat. Lepidi fragm. Hist.* 1. 4. 45. ed. *Kritz.* An, quibus prælatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum? Et *Cic.* de Curione, Cæsaris studioso, 1. *Att.* 14. Concursabant barbatuli juvenes, duce filiola Curionis. *Id.* de Clodio 4. *ibid.* 11. Perscribe ad me, quid Appius, quid illa populi Apuleja? *Horat.* 1. *Sat.* 8. 39. fragilis Pediatia. *h. e.* mollis Pediatius, eques Romanus. *V.* plura, quæ *Heindorf.* ad hunc *Horat.* locum congessit. Itaque, ut ex iis patet, cum irrisione, feminarum vocabula ad viros transferuntur, ut significetur eos ingenio ac moribus ad femineam infirmitatem et impotentiam degenerasse. — 2.°) De brutis animalibus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 128. Bestiæ aliæ mares, aliæ feminæ sunt. *Quintil.* 9. 3. 6. Tam mares esse talpas damasque, quam feminas. *Ennius* 1. *Ann.* 70. *Vahl.* Lupus femina feta repente. *Plaut. Truc.* 2. 2. 29. Femina musca. *Cic.* 2. *Legg.* 22. 57. Porco femina piaculum pati. *Id.* 2. *Divinat.* 29. 62. Femina anguis. *Colum.* 7. *R. R.* 9. 3. sus. *Id.* 8. *ibid.* 11. 10. pavones. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 1. 3. *Ovid.* 2. *Art. am.* 482.; et *Plin.* 9. *Hist. nat.* 50. 74. (157). piscis. *Plin.* 29. *ibid.* 5. 33. (104). Sanguis feminæ anatis. *Justin.* 1. 4. 10. Canis femina. *Ovid.* 2. *Met.* 701. Juncta suo pretium dabitur tibi femina tauro.

II.) Translate occurrit — *a*) De plantis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (31). Mas in palmite floret, femina circa florem germinat tantum spicæ modo. *Id. ibid.* (34). Cetero sine maribus non gignere feminas sponte edito nemore confirmant. Adde *eumd.* 16. *ibid.* 33. 60. (139). et 34. 62. (145)., et 21. *ibid.* 10. 32. (58). — *b*) De gemmis aliisque lapidibus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. In omni genere carbunculorum masculi appellati acrius, at feminæ languidius refulgentes. Sic de magnete *Id.* 36. *ibid.* 16. 25. (128). Differentia prima mas sit an femina; proxima in colore. — *c*) *Vitruv.* 9. 9. *a med.* cardinem *masculum* a cardine *femina* distinguit. *V.* MASCULUS. — *d*) In re grammatica. *Quintil.* 1. 4. 24. Quæ feminina positione mares, neutrali feminas significant. Adde *eumd.* 1. 6. 12.

Homonym. *Femina* et *mulier* unum idemque significant, namque in utroque ratio naturæ physicæ habetur: hoc tamen discrimine, quod in *femina* spectatur sexus et ideo *mas* ipsi opponitur; in *muliere* spectatur natura debilis ac mollis (ab hac enim voce illam deducunt) et ideo *vir* ipsi opponitur: hinc etiam, ut diximus, *femina* de omnibus animalibus; *mulier* vero de homine tantum usurpatur. *Varro* 7. *L. L.* 17. *Müll.* Homo mas an femina sit. Adde *Liv.* 27. 37.; et *Cic.* 1. *Nat. D.* 34. 95. supra cit. *Id. Cic.* supra cit. 2. *Nat. D.* 51. 128. Bestiæ aliæ mares, aliæ feminæ sunt. *Varro* 8. *L. L.* 41. *Müll.* Alterum nomen virum, alterum mulierem significat. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. Negavit moris esse Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. — *V.* alia in fin. v. MULIER.

FĒMĬNAL, ālis, n. 3. femineum pudendum, interfeminium. *Apul.* 2. *Met.* Glabellum feminal rosea palmula potius obumbrans de industria, quam tegens verecundia. Adde *eumd. de Mag. ante med.*

Sic *Solin.* 4. Feminis perinde est infausta nativitas, si consertum feminal fuerit.

FĔMĬNĀLĬA, tum, n. plur. 3. παραμήρια, περισκελίδες, tegumenta feminum et subligacula. *Sueton. Aug.* 82. Hieme quaternis tunicis et feminalibus (al. *femoralibus*) et tibialibus muniebatur. Ubi notat *Casaubon.* per *feminalia* et *tibialia* non intelligi quod hodie *bracas* et *tibialia* dirimus (*calzoni e calze*), sed fascias quibus antiqui pedes, tibias et femina tegebant vel valetudinis, vel mollitiei, vel inclementis cæli causa: neque enim tunc in usu fuisse, ut bracati et calceati essent. Quæ omnia confirmat *Ferrar. l.* 2. *elector.* c. 2. *Hieronym. Ep.* 64. *n.* 10. Lineis feminalibus, quæ usque ad genua et poplites veniunt, verenda celantur, et superior pars sub umbilico vehementer astringitur. Hoc genus vestimenti Græce περισκελῆ, a nostris feminalia, vel bracæ usque ad genua pertingentes. Cf. *Isid. in Exod.* 59. *de pontifice.* Feminalia vero illa, quibus induitur, castitatem corporis Christi et integritatem ostendunt. *V.* BRACA.

FĔMĬNĀLIS, e, adject. ad feminam pertinens. *Theod. Priscian.* 4. 1. *ad fin.* Nam sponsæ feminalis vis magna est, siquidem ex paucis infrascriptis noscitur. *At legendum videtur* seminalis.

FĔMĬNĀMAS, măris, legitur apud *Tertull. advers. Valentin.* 10. et est androgynos; sed rectius divisim scribendum *femina mas.*

FĔMĬNĀRĬA. *V.* SEMINARIA.

FĔMĬNĀTUS, a, um. *V.* FEMINO.

FĔMĬNĔUS, a, um, adject. θηλυκός, ad feminam pertinens, muliebris (It. *femminile, donnesco, femminino*; Fr. *de femme, féminin*; Hisp. *femenino, femineo*; Germ. *d. Frau angehörig, weiblich*; Angl. *of* or *belonging to a woman, womanly, like a woman*). ¶ 1. Stricto sensu. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 8. 20. Feminea manus. *Virg.* 2. *Æn.* 488. cavæ plangoribus ædes Femineis ululant. *Val. Flacc.* 4. 318. Feminei ululatus. *Virg.* 11. *Æn.* 878. Femineus clamor. *Val. Flacc.* 4. 603. Femineæ catervæ. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 16. 25. (129). Femineus sexus. *Ovid.* 6. *Met.* 651. Feminea sors. *condizione di donna. Id.* 12. *ibid.* 610. Marte femineo cadere. *per man di donna. Id.* 3. *Amor.* 2. 40. Femineus amor. *h. e.* quo femina amatur. *Id.* 1. *ibid.* 13. 23.; et *Tibull.* 2. 1. 63. labor. *h. e.* lanificium. *Ovid.* 9. *Met.* 151. dolor. *h. e.* quo femina dolet. *Id.* 11. *ibid.* 341.; et *Quintil.* 1. 11. 1. Femineа vox. *Ovid. Heroid.* 19. 38. Feminea ars. *Stat.* 1. *Achill.* 527. doli. *Lucan.* 7. 39. vulgus. *Scribon. Compos.* 16. genus. *Virg.* 2. *Æn.* 583. nullum memorabile nomen Feminea in pœna est. *h. e.* quo punitur femina. *Juvenal.* 9. 53. Calendæ femineæ. *h. e.* cal. Martii. *V.* CALENDÆ. *Ovid.* 10. *Met.* 80. Feminea Venus. *scilic.* libido, qua quis utitur in feminis, et *aversa Venus,* qua quis in pueris vitiandis (*V.* VENUS); quemadmodum *mascula libido* dicitur, qua mulier utitur tum in feminis, tum in maribus tribadum more constuprandis. *V.* MASCULUS. ¶ 2. Latiori significatione sæpe est effeminatus, languidus, imbellis, mollis. *Cic.* 3. *Herenn.* 15. 27. Si utemur amplificatione per conquestionem, femineo plangore et capitis ictu uti oportebit. *Orellius* rectius legit *feminis plangore. Ovid.* 3. *Art. am.* 286. Sed leve nescio quid femineumque sonent. *Id.* 13. *Met.* 693. Pectus non femineum. *Virg.* 11. *Æn.* 782. Femineo prædæ et spoliorum ardebat amore. *h. e.* impotenti, nimio, quales sunt feminarum affectus. *Sil. It.* 9. 262. Ferte hæc, ait, omina Paulo: Namque illum, cui femineo stant corde timores, Moverit ista manus etc. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 101. 104. (223). Lunæ feminеum ac molle sidus.

FĔMĬNĪNĒ, adverb. feminino genere. *Festus p.* 250. 85. *Müll.* Amnem feminine enunciabant antiqui. Adde *Arnob.* 1. 59.; et *Charis.* 1. *p.* 55. *Putsch.*

FĔMĬNĪNUS, a, um, adject. *femminino,* femineus: et occurrit fere in re grammatica. *Varro* 3. *R. R.* 5. 6. Femininum nomen. *Quintil.* 1. 4. 24. Nomina quæ feminina positione mares, neutrali feminas significant. Adde *eumd.* 1. 6. 14. et 1. 6. 5. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 68. 87. (189). Neque est iis (*salamandris*) genus masculinum femininumve. Adde *Arnob.* 1. 59.

FĔMĬNO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Feminatus* II. — Feminare est in femineam naturam vertere, idem atque effeminare.

I.) Proprie. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 9. Nemo pruriens corpus feminando correxit, vel virilis veretri tactu mitigavit. *Id.* hic loquitur de viris mollibus, qui se alicui pædicandos præbent, vel se masturbant.

II.) Translate. *Cic.* vertens particulam *Trachinior. Sophocl.* 2. *Tusc.* 9. 21. Sic feminata virtus afflicta occidit. *h. e.* effeminata, infracta, perdomita. At legendum est *Ecfeminata,* h. e. *effeminata,* ut recte atque aperte demonstravit *Klotz, Nachträge und Berichtigungen zu Cicer. Disput. Tuscul. Lips.* 1843. *p.* 76.

FĔMŎRĀLĬA, ium, n. plur. 3. tegumenta femorum. *Isid.* 19. *Orig.* 22. Femoralia appellata, eo quod femora tegant. *V.* FEMINALIA. *Vulgat. Interpr. Eccli.* 45. 10. Circumpedes et femoralia et humerale posuit ei (*Aaron*).

FĔMUR, fĕmĭnis, *frequentius quam* femoris, n. 3. Lis est non una inter grammaticos de hoc nomine. Negat primo *Charis.* 1. *p.* 105. *Putsch.* in recto casu *femen* a veteribus usurpatum: agnoscunt tamen, ut Latinum, *Caper* apud *Servium* ad *Virg.* 10. *Æn.* 344. et 778. et *Priscian.* 6. *p.* 701., quamquam in raro usu esse fateantur: V. *Zumpt.* ad *Cic.* 6. *Verr.* 43. 93. Sunt etiam quid id legunt apud *Apul.* 2. *Met.*; sed ille locus est legendus, ut eum retulimus in *V.* FEMINAL. Deinde discrimen quidam inducunt hujusmodi, ut *femora* exteriores eorum partes, *femina* interiores molliores que significent. Sed hoc nullum est. Tertio sunt qui scribunt *fœmen,* quos refellit *Dausqu.* in *Orthograph.* Etiam *femus* dici contendit *Oudendorpius* ad *Apul.* 8. *Met. p.* 590. — Obliqui casus *femoris, femori* etc. leguntur apud *Tibull., Ovid.* et alios, qui allati sunt sub I. *c.* — Ceterum femina sunt membra duo in corpore animalis, crassa et carnosa, post ossa imi ventris ad crus pertinentia. In quadrupedibus posteriora intelliguntur. *Cels.* 8. 1. *a med.* Ima spina in coxarum osse desinit, etc. Inde femina oriuntur, μηρός (It. *coscia*; Fr. *cuisse*; Hisp. *muslo*; Germ. *d. Oberschenkel*; Angl. *the thigh*).

I.) Proprie. — *a*) Nom. et Accus. *femur* apud *Cic. Brut.* 80. 278. Frons non percussa, non femur. Cf. *Quintil.* 11. 3. 123. Femur ferire et usitatum est et indignantes decet et excitat auditorem. *Id.* 2. 12. 10. Femur cædere. *Liv.* 21. 7. Hannibal ipse adversum femur tragula graviter ictus cecidit. Adde *Horat. Epod.* 8. 9. et 1. *Sat.* 2. 81. *Sueton. Vitell.* 17. Alterum femur subdebile. *Curt.* 3. 11. 10. Femur dextrum mucrone perstrictum est. *Ammian.* 18. 8. Femur sagitta transfixus. — De brutis animantibus. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 25. AR. Edepol vel elephanto in India quo pacto pugno perfregisti brachium! PY. Quid, brachium? AR. Illud dicere volui, femur. *Martial.* 6. 75. Quum mittis turdumque mihi, quadramve placentæ, Sive femur leporis, sive quid his simile etc. *Id.* 21. 37. Femur pulli. — *b*) Obliqui casus *feminis,* etc. apud *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 48. Nisus lævâ, in femine habet lævam manum, dexterâ digitis rationem computat. *Cic.* 3. *Herenn.* 15. 27. Sin utemur amplificatione per conquestionem, feminis plangore et capitis ictu uti oportebit. *Id.* 6. *Verr.* 43. 93. Signum Apollinis pulcherrimum, cujus in femine nomen Myronis erat inscriptum. *Id.* 1. *Nat. D.* 35. 99. Totus deus non digito uno redundat, sed capite, manibus, pedibus, feminibus, cruribus. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Teretes stipites feminis crassitudine. *Virg.* 10. *Æn.* 788. ensem Eripit a femine. Adde *Liv.* 30. 18. *Curt.* 8. 10. 12. Jovis femine Liberum Patrem esse celatum. *Id.* 6. 1. 4. Femina perfossa. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 15. 61. (218). Femina atteri adurique equitatu, notum est. Adde *Sueton. Tib.* 44. et *Tit.* 4. — De brutis animantibus. *Varro* 3. *R. R.* 9. 5. Galli feminibus pilosis, cruribus brevibus. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 6. Ventri quoque (*boum*) et sub femina manum subjicere, ut ricini, qui plerumque feminibus inhærent, eximantur. — *c*) Obliqui casus *femoris,* etc. apud *Tibull.* 1. 9. 26. Sed nocuit femori conseruisse femur. Adde *Ovid.* 1. *Amor.* 4. 43. et 3. *ibid.* 7. 10. Et *Id. Ovid.* 14. *Met.* 64. Et corpus quærens femorum crurumque pedumque. *Lucan.* 9. 770. sine ullo Tegmine poples erat: femorum quoque musculus omnis Linquitur. *Sueton. Cæs.* 68. Transfixus femore et humero. *Id. Aug.* 80. Femore valere. *Apul. de Mag.* Votum in alicujus statum femore assignasti.

II.) Translate. ¶ 1. In architectura *femur* dicitur a *Vitruv.* 4. 3., Græce μηρός, pars triglyphi in zophoro Dorico, quamdam habens cum humano femore similitudinem, *pianetto.* ¶ 2. *Femur bubulum* appellatur herba, nervis et ipsa utilis, recens in aceto ac sale trita. Ita *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 56. (81)., nihilque de ea prætera neque ipse, neque alii. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 450.) ait hanc herbam nobis quoque incognitam esse; et C. Bauhin, nullo fretum argumento, putasse eamdem esse *Leonurum Cardiacam* L.

FĒNĀRĬUS *vel* fœnarius, a, um. adject. *da fieno,* χορτώδης, ad fenum pertinens. *Cato R. R.* 10. et *Varro* 5. *L. L.* 137. *Müll.* Fenariæ falces. *falci fenaje.* Adde *Pallad.* 7. *R. R.* 93. 2.; et *Trebell. Poll. Claud.* 11. *ad med.* — Hinc

Fenarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est fœni venditor, *mercante di fieno.* Fenariorum collegium, eorum nempe, qui fenum in fenilibus asservatum divenderent, Romæ erat. *Inscript.* apud *Gruter.* 175. 9., quæ est apud *Orell.* 35. VERNA AVG. L. AEGLVS PROCURATOR MAVSOLAEI IMAGINEM CORINTHEAM TRAIANI CAESARIS COLLEGIO FAENARIORUM D. D. *Alia* apud *Mommsen. Inscr. Neap.* 2905., quæ est apud *Henzen.* 7232. L. SATTI. L. L. ONESIMI FAENARI DOMITIA SP. F. MAXIMA. — Ceterum *V.* FENERARIUS.

FENDĬCÆ, ārum, f. plur. 1. *budelle,* hiræ. *Arnob.* 7. 21. Non enim placet fendicas nominare, quæ et ipsæ sunt hiræ, quas plebis oratio illa solet, quum eloquitur, nuncupare. *Fendicæ* dictæ a *fendo,* quod e fessis dissectisque intestinis fiant. *V.* OFFENDIX.

FENDO, is, ere, a. 3. ad iram concito apud veteres. Verbum est obsoletum, cujus composita *offendo* et *defendo* sunt in usu. *Priscian.* 11. *p.* 923. *Putsch.* — In *Gloss. Isid.* legitur *fensus,* iratus. — Hucusque *Forcellinus.* Ceterum *fendo* proprie est pello, impingo, *urtare*; et a *Prisciano* affertur ad composita tantum declaranda.

FĒNĔBRIS *vel* fœnebris, e, adject. *di usura,* δανειστικός, ad fenus pertinens. *Liv.* 35. 7. Quum multis fenebribus legibus constricta avaritia esset. *Sueton. Cal.* 41. Præbere alicui pecuniam fenebrem. *prestar danaro ad usura. Tac.* 6. *Ann.* 16. Vetus urbi fenebre malum et seditionum discordiarumque creberrima causa.

FĒNĔRALĬA, ium, n. plur. 3. Affertur pro hac voce, qua significari ajunt tempus, quo fenus cessabat et finiebatur, locus *Liv.* 35. 7.; sed ibi rectius legitur *Feralia.*

FĒNĔRĀRĬUS *vel* fœnerarius, ii, m. 2. fenerator. *Firmic.* 3. *Astron.* 8. *sub fin.* — Apud *Cassiod.* 10. *Variar.* 28. Macellarios, vinarios, fenerarios et celtaritas sic servari desideramus. *pro* fenerarios *videtur legendum* fenarios.

FĒNĔRĀTĪCĬUS *vel* fœneratitius, a, um, adject. ad fenus pertinens, feneratorius. *Imp. Justinian. Cod.* 4. 30. 14. Feneraticia cautio. *Alii leg.* feneratica. *et ibid.* Feneraticium instrumentum.

FĒNĔRĀTĬO *vel* fœneratio, ōnis, f. 3. *il dare ad usura, usureggiamento,* δανεισμός, actus fenerandi. *Cic. Flacc.* 23. 56. Hæc pecunia ab honoribus translata est in quæstum et fenerationem. *Id.* 2. *Fin.* 35. 117. Nec enim, si tuam ob causam cuiquam commodes, beneficium illud habendum est, sed feneratio. Adde *eumd.* 5. *Verr.* 72. 168. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 8. An feneratio probabilior sit, etiam iis invisa, quibus succurrere videtur? *la professione di usurajo.*

FĒNĔRĀTĪCUS *vel* fœneraticus. *V.* FENERATICIUS.

FĒNĔRĀTO *vel* fœnerato, adverb. *con usura,* ἐπὶ τόκῳ, sub fenore. *Plaut. Men.* 4. 2. 40. Næ illam mecastor fenerato abstulisti. *con tuo scapito e danno. Id. Asin.* 5. 2. 52. Næ ille ecastor fenerato funditat.

FĒNĔRĀTOR, ōris, m. 3. qui pecuniam dat fenori, δανειστής, *che dà denaro ad usura, anche usurajo. Cato R. R. procœm.* 1. Majores nostri hoc sic habuerunt, et ita in legibus posiverunt, furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli: quanto pejorem civem existimarint feneratorem, quam furem, hinc licet existimari. *Cic.* 1. *Off.* 42. 150. Improbantur ii quæstus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut feneratorum. *Id.* 6. *Att.* 1. 6. Acerbissimi feneratores. Adde *eumd.* 5. *Fam.* 6. 2. *Sall. Cat.* 33. Miseri egentes, violentia atque cru-

delitate feneratorum plerique patria, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus. *Horat. Epod.* 2. 67. Hæc ubi locutus fenerator Alphius, Omnem redegit (*al.* relegit) Idibus pecuniam, Quærit Calendis ponere. *Colum.* 1. *R. R.* 7. 2. Vel optime nomina non appellando fieri mala, fenerator Alphius dixisse verissime fertur. Adde *Sueton. Tib.* 48., *Vitell.* 14. et *Vesp.* 11.; *Flor.* 1. 23. 1.; et *Gell.* 16. 12. *Val. Max.* 4. 8. 3. Q. Considius nummorum suorum, non civilis sanguinis, fenerator. — Est etiam hoc nomine una ex comœdiis C. Cæcilii Statii, cujus meminit *Non. p.* 543. 27. *Merc.*

FĒNĔRĀTŌRĬUS *vel* fœneratorius, a, um, adject. *usurario*, ad fenus pertinens, fenebris. *Val. Max.* 2. 6. *n.* 11. Avara et feneratoria Gallorum philosophia.

FĒNĔRĀTRIX *vel* fœneratrix, Icis, f. 3. quæ fenori dat. *Val. Max.* 8. 2. *n.* 2. Ex amica obsequenti subito districtam feneratricem agere cœpit, nummos petendo. — Est etiam titulus unius comœdiæ *Plauti* deperditæ, quam memorat *Festus* p. 372.27. *Müll.*

FĒNĔRĀTUS *vel* fœneratus, a, um. *V.* voc. seq.

FĒNĔRO, as, avi, ātum, are, a. 1. *et apud optimos scriptores*

FĒNĔROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Feneratus* I. et II. 4.; *Fenerandus* II. 1. — Fenerari est pecuniam dare sub fenore, δανείζω (It. *dare ad usura, a censo*; Fr. *prêter de l'argent à intérêt, faire l'usure*; Hisp. *prestar a usura*; Germ. *gegen Zins ausleihen, wuchern*; Angl. *to lend money on interest or usury*.).

I.) Proprie. — *a*) Depon. forma. *Cato R. R. proœm.* 1. Est interdum præstare mercaturis rem quærere, ni tam periculosum siet; et item fenerari, si tam honestum siet. *Cic.* 4. *Verr.* 70. 170. Pecunias istius extraordinarias grandes suo nomine fenerabatur. *Id.* 5. *ibid.* 70. 165. Primum quum posita esset pecunia apud eas societates, binis centesimis feneratus est. *il 2 per 100 al mese, il 24 per 100 all'anno. Id.* 2. *Off.* 25. 89. A quo (*Catone*) quum quæreretur, quid maxime in re familiari expediret? respondit: Bene pascere. – Et quum ille qui quæsierat, dixisset: Quid fenerari? tum Cato: Quid hominem occidere? — *b*) Activa forma. *Paul. Dig.* 22. 1. 11. Feneravit pecuniam publicam sub usuris solitis. *Id. ibid.* 26. 7. 16. § 2. Fenerare pecuniam pupillarem. *Seneca Ep.* 41. Multum fenerat. *Scævola Dig.* 26. 7. 46. Pecunia fenerata a tutoribus. Adde *Paul. ibid.* 46. 3. 100. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin.* in *Q. Cæcil.* 7. 24. Pecunia gravioribus usuris fenerata, quam pro consuetudine. — Et absolute. *Liv.* 7. 42. Invenio apud quosdam, L. Genucium, tribunum plebis, tulisse ad populum ne fenerare liceret. *Al. leg.* fenerari. *Dig.* 14. 6. 1. Qui pessimo exemplo fenerarent. Adde *Senec. Ep.* 2. *Martial.* 1. 86. nil debet: fenerat immo magis.

II.) Improprie. ¶ 1. Est fenore pauperem reddere, exhaurire. *Cic.* 6. *Parad.* 2. 46. Dimissiones libertorum ad fenerandas diripiendasque provincias. ¶ 2. Est etiam sub fenore accipere, *torre ad usura. Ulp. Dig.* 40. 3. 35. Si quis pecuniam dominicam a servo feneratus esset. ¶ 3. Significat mutuam dare pecuniam, etiam sine usuris: atque ita intelligendum videtur in verbis S. C. Macedoniani apud *Ulp. Dig.* 14. 6. 1. Hinc translate *Plin.* 2. *Hist. nat.* 6. 4. (13). Sol suum lumen ceteris quoque sideribus fenerat. *h. e.* commodat, largitur. *Martial.* 1. 77. nummos habet arca Minervæ: Hæc sapit, omnes fenerat una deos. *h. e.* mutuum dat omnibus diis. *Seneca Suasor.* 7. Juba et Petrejus mutuis vulneribus concurrerunt et mortes feneraverunt. *s'imprestarono l'un l'altro, cioè si diedero reciprocamente.* ¶ 4. Item translate est reddere cum fenore, fenore multiplicare. *Ter. Adelph.* 2. 2. 9. Metuisti, si de tuo jure concessisses paululum, atque adolescenti esses morigeratus, ne non tibi istuc feneraret? *che non tel rendesse con usura. Id. Phorm.* 3. 2. 8. Feneratum istuc beneficium tibi pulcre dices. *Cic. Amic.* 9. 31. Benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam (neque enim beneficium feneramur), sed etc. *Capell.* 6. p. 216. Cujus (*regionis*) satio centesimo messis incremento feneratur. Aliis verbis *Plin.* 5. *Hist. nat.* 4. 3. (24). Cum centesima fruge agricolis fenus reddente terra. Cf. *Solin.* 27. 6.; et V. FENUS II. 2., ubi plura hujus generis.

FĔNESTELLA, æ, f. 1. *deminut. a fenestra*, parva fenestra, *finestrella, finestrella, finestrino*, θυρίδιον. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 10. Granaria modicis fenestellis Aquilonibus inspirentur. Adde *eund.* 8. *ibid.* 3. 3. et 9 *ibid.* 5. 3. *Pallad.* 1. *R. R.* 24. 1. Fenestellæ brevissimæ. *Al. leg.* Fenestrellæ. — *NB.* De nom. prop. *V.* ONOM.

FĔNESTRA, æ, f. 1. Per syncopen dicitur et FESTRA, quam voc. *V.* loco suo. — Fenestra est foramen in pariete ad ædem illustrandam, item valvæ, quibus id foramen clauditur: a φαίνω *luceo*, unde et φανερός *lucens*, quasi phænestra, vel ab aoristo ἔφανον, vel a φανίζω, quod a φανεῖν, unde φανόστρα, vel tandem, sed minus recte, a φένω *findo*, ita ut fenestra idem sit ac fissura, θυρίς (It. *finestra*; Fr. *fenêtre, croisée*; Hisp. *ventana*; Germ. *das Fenster*; Angl. *a window, opening in the wall of a house to admit light*).

I.) Proprie. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 26. Neque solarium est apud nos, neque hortus ullus, neque fenestra, nisi clatrata. *Id. Rud.* 1. 1. 6. Detexit ventus villam –: ita omnes de tecto deturbavit tegulas, illustriores fecit fenestrasque indidit. *Cic.* 2. *Att.* 3. 2. Fenestrarum angustias reprehendere. *Nepos Dion.* 9. Cui – Lyco quidam Syracusanus per fenestras gladium. dedit, quo Dion interfectus est. *Ovid.* 3. *Art. am.* 807. luceat in thalamos totis admissa fenestris. *Id.* 3. *Pont.* 3. 5. bifores intrabat luna fenestras. *Id.* 14. *Met.* 752. Patulæ fenestræ. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 3. Fenestras aperire. *Juvenal.* 9. 105. claudere. *Horat.* 1. *Od.* 25. 1. Junctas fenestras quatere. *chiuse. Juvenal.* 6. 31. fenestræ altæ caligantesque. *Vitruv.* 6. 6. Fenestrarum lumina valvata. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Aliud minus (*cubiculum*), quod altera fenestra admittit orientem, occidentem altera retinet. Hæc et subjacens mare longius quidem, sed securius intuetur. *Id.* 5. *ibid.* 6. 19. Triclinium multum ruris videt fenestris. *Id. ibid.* § 23. Sed ante piscina, quæ fenestris servit ac subjacet, strepitu visuque jucunda. *servit est* oblectat a fenestris intuentes. Sic *Stat.* 2. *Silv.* 2. 75. servit sua terra fenestris. *Paul. Dig.* 8. 2. 40. Fenestram immittere. *h. e.* aperto pariete fenestram facere. — *Cæs.* 2. *B. C.* 9. *extr.* Fenestras, ad tormenta mittenda, in struendo reliquerunt. *feritoje.* Has fenestras *Hieronym.* in *Ezech.* 40. 16. vocat obliquas, *Symmachus* vero *ibid.* τοξικάς a τὸ τόξον *sagitta*. — Apud *Varron.* 3. *R. R.* 7. 3. *fenestra Punicana* est, quæ etiam cataracta dicitur, Italice *saracinesca*: eadem *ibid.* 5. 3. cochlea vocatur, quod similis sit operculo cochlearum. — In illo *Plauti Cas.* 1. 1. 44. CH. Quid facies? OL. Concludere in fenestram firmiter, ut auscultare possis, quum etc. *fenestra* videtur esse armarium excavatum in pariete cum valvis. Ut autem constet ratio illius versiculi, monent critici, *festram* legi oportere. *V.* FESTRA. — *Virg.* 2. *Æn.* 481. jamque excisa trabe firma cavavit Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram. *fece una grande opertura.*

II.) Improprie. ¶ 1. Dicitur pro quocumque foramine · ad rem *Cic.* 1. *Tusc.* 20. 46. Ut facile intelligi possit, animum et videre et audire, non eas partes, quæ quasi fenestræ sint animi. *h. e.* oculi, aures, etc. Sic *Prudent.* fenestras pro oculis dixit, *Hamartig.* 876. Impediuntque vagas obducto humore fenestras. Hinc *Petrarca son.* 289. *O belle ed alte e lucide finestre. Juvenal.* 1. 104. Natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestræ Arguerint. *h. e.* foramina, e quibus inaures pendent. ¶ 2. Translate ponitur pro aditu, via et occasione. *Ter. Heaut.* 3. 1. 72. Hui quantam fenestram ad nequitiam patefeceris! *Tiberius* apud *Sueton. Tib.* 28. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis.

FĔNESTRĀLIS, e, adject. qui ad fenestram pertinet. *Ovid.* 6. *Fast.* 578. Porta fenestralis. *Alii rectius* Fenestella, *quam vocem V.* in ONOM.

FĔNESTRĀTUS, a, um. *V.* FENESTRO.

FĔNESTRELLA, æ, f. 1. fenestella. *Pallad.* 1. *R. R.* 24. 1., ubi aliis rectius leg. *fenestella*.

FĔNESTRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Fenestratus* I. et II. — Fenestro est fenestras aperio, fenestram facio, *aprir finestre.*

I.) Proprie. *Varro* 8. *L. L.* 29. *Müll.* Fenestrata triclinia. *Vitruv.* 10. 19. Turris tabulatorum decem, singulis partibus fenestratis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 55. (148). Media oculorum cornea fenestravit pupilla. *Sillig.* leg. cornua. *Cassiod.* 1. *Variar.* 6. Janua fenestratæ.

II.) Translate. *Vitruv.* 3. *præfat.* Oportuit hominum pectora fenestrata et aperta esse.

FĔNESTRŬLA, æ, f. 1. *deminut. a fenestra*, parva fenestra. *Apul.* 9. *Met. sub fin.* Dum obliquata cervice per quamdam fenestrulam, quidnam sibi vellet tumultus ille, prospicere gestio.

FĒNĔUS *vel* fœneus, e, um, adject. *di fieno*, ex feno constans.

I.) Proprie. *Cic. fragm. pro Cornel. de majest.* apud *Ascon.* Homines feneos in medium ad tentandum periculum projectos. Ubi hæc adnotat *Ascon.* Simulacra effigiesque hominum ex feno fieri solebant, quibus objectis ad spectaculum præbendum tauri incitarentur.

II.) Translate est nullius pretii; ut *principes feneos* vocat *Pescennius* apud *Spartian. Pescenn.* 12. imperatores τοὺς οὐτιδανούς, *h. e.* nullius ingenii et imbelles. *Imp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11. 28. 3. Noverint igitur officia ad se omne dispendium redituum, si occultatis idoneis, in eorum locum feneos defectosque subjecerint. *h. e.* qui solvendo non sunt. *Auct. Excerptor.*, quæ cum *Ammiano* edi solent, § 60. Quamquam (*Theodericus*) ærarium publicum ex toto feneum invenisset, suo labore recuperavit et opulentum fecit.

FĒNĬCŬLĀRĬUS *vel* fœnicularius, a, um, adject. ad feniculum pertinens, ut *Fenicularius campus*, locus nempe in Hispania Tarraconensi, ita appellatus, teste *Strab. l.* 3. *c.* 4., a copia feniculi, quam gignit. *Cic.* 12. *Att.* 8. Scribe, quæso, quid referat Celer egisse Cæsarem cum candidatis, utrum ipse in Fenicularium, an in Martium campum cogitet, *h. e.* utrum Cæsar bellum in Hispania sit persecuturus, an Romam ad comitia venturus; seu utrum candidatos in campum Fenicularium, an in campum Martium evocare cogitet, utrum scilicet liberam sit creandorum magistratuum potestatem permissurus, nec ne. Ita recte interpretantur *Lips. Elector. l.* 2. *c.* 20. et *Schützius* ad *Cic. loc. cit.*

FĒNĬCŬLUM *vel* fœniculum, i, n. 2. *finocchio*, μάραθρον, herbæ species. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 95. (254). Feniculum nobilitavere serpentes gustatu senectam exuendo, oculorumque aciem succo ejus reficiendo: unde intellectum est, hominum quoque caliginem præcipue eo levari. *Seren. Sammon.* 43. 809. Præterea nimios reserati vulneris amnes Feniculi cinis astringit aut fimbria porri. Adde *Theod. Priscian.* 1. 10.; *Pallad.* 3. *R. R.* 24. 9.; *Scribon. Compos.* 38. et 176.; et *Isid.* 19. *Orig.* 11. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 155.) hanc exhibet synonymiam: Μάραθρον Hipp. de Morb. mulier. 1. 597., Nicand. de Theriac. 391. et 893., Dioscor. 3. 81. et Galen. de Fac. simpl. 7.; et *Feniculum* Plin. et Pallad. locc. citt. et Apul. Herb. 104. sunt *Anethum Feniculum* L. Spec. plant. 377.

FĒNĪLE *vel* fœnile, is, *seu rectius*

FĒNĪLĬA *vel* fœnilia, ium, n. plur. 3. *fenile*, χορτοδοχεῖον, locus, in quo asservatur fenum. *Virg.* 3. *G.* 321. nec tota claudas fenilia bruma. Adde *Ovid.* 6. *Met.* 457.; *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (258).; et *Colum.* 1. *R. R.* 6. 9. *Calpurn.* 5. *Ecl.* 102. Fenilia tepida. *Sever. Ætn.* 365. Plenaque desecto surgunt fenilia campo.

FĒNĪLIS, e, adject. idem ac fenebris. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 68.

FĒNĪSĔCA *vel* fœniseca, æ, m. 1. idem ac fenisex. *Colum.* 2. *R. R.* 18. 5. Ut necubi ferramentum fenisecæ possint offendere. *Pers.* 6. 40. Fenisecæ crasso vitiarunt unguine pultes. *h. e.* oleo condire cœperunt pultes, quas olim nullis vitiatas condimentis edere solebant. *V. Plinii* locum in FENISEX.

FĒNĪSĔCĬA *vel* fœnisecia, æ, f. 1. *V.* FENISICIA.

FĒNĪSĔCĬUM *vel* fœnisecium, ii, n. 2. *V.* FENISICIUM.

FĒNĪSECTOR *vel* fœnisector, *vel rectius divisim* feni sector, ōris, m. 3. fenisex. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 12. Arator reperitur aliquis bonus, et optimus fossor, aut fenisector.

FĒNĪSECTUM *vel* fœnisectum, i, n. 2. *V.* FENISICIUM.

FĒNĪSEX, *vel* fœnisex, sĕcis, m. 3. qui fenum secat. *Varro* 1. *R. R.* 49. 2. Falcibus consectanda,

quæ feniseces præterierunt. Adde *Colum.* 2. *R. R.* 18. 1. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (260). Fuit hoc (*fenisicium*) majoris impendii apud priores: Creticis tantum transmarinisque cotibus notis, nec nisi oleo falcis aciem excitantibus. Igitur cornu propter oleum ad crus ligato fenisex incedebat.

FĒNĪSĬCĬA *vel* fœnisicia, æ, f. 1. Scribitur a nonnullis etiam *feniseria*; et est idem ac fenisicium. *Varro* 1. *R. R.* 49. 1. Atque addere fenisiciæ cumulum. Adde *eumd. ibid.* 47. et 56.

FĒNĪSĬCĬUM *vel* fœnisicium, ii, n. 2. Scribitur et *fenisecium*, et est feni sectio et veluti messis feni. *Varro* 1. *R. R.* 17. 2. Vindemias ac fenisicia administrare. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 21. 7. et 3. *ibid.* 2. 6. *Id.* 5. *L. L.* 136. *Müll.* Qui homo in pratis, per fenisicia eundo, festucas corradit, quo ab rasu rastelli dicti. *Ita leg. vett. editt.*; *at.* Müllerus *leg.* fenisecta. *Colum.* 2. *R. R.* 18. 6. Altero tamen anno minora pecora post fenisicia permittemus admitti. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (255); et *V.* FENUM sub I.

FĒNUM, *vel* fœnum *et* fænum, i, n. 2. Ad scriptionem quod attinet, per diphthongum *œ* scribi in *Pandect. Florentin.* testatur *Dausq.* in *Orthogr.* Sunt etiam qui *fenum* malunt, ut sit ab eadem origine, unde *fecundus* et *fetus*, inter quos est *Paul. Diac.* p. 86. 4. *Müll.*, quem recentiores fere omnes nosque ipsi secuti sumus. Frequentior tamen est ea scriptio, qua diphthongus *œ* adhibetur, teste eodem *Dausquio*: ita enim scriptum in Inscriptione, quam *V.* in voc. *Fenarius*: adde plures in antiquis lapidibus mentionem fieri gentis Fœniæ, quæ a fœnum derivari videtur, numquam vero Fæniæ. — Ceterum fenum est herba resecta et arefacta in pabulum, χόρτος (It. *fieno*; Fr. *foin*; Hisp. *heno*; Germ. *d. Heu*; Angl. *hay*).

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 19. 1. Fenum cædere. et *ibid.* succisum. *Pallad.* 6. *R. R.* 1. 2. Feni sectio. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 12. sector. *Id.* 2. *ibid.* 18. 2. *Schneid.* Fenum in metas exstruere. *Id. ibid.* 18. 4. Feni semina. — Ceterum feni secandi et condendi rationem docent *Varro* 1. *R. R.* 49.; *Colum.* 2. *R. R.* 18. *Schneid.*; et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (260). — In plurali num. *Apul.* 3. *Met. in fin.* In asini faciem fena rodebam. *Al. leg.* frena. — *Cic.* 2. *Orat.* 57. 233. Ego primum loquar de facetiis et docebo sus, ut ajunt, oratorem eum, quem quum Catulus nuper audisset, *fenum alios* ajebat esse *oportere*. h. e. alios esse stupidos ac bardos homines. — *Fenum habet in cornu*, proverb. apud *Horat.* 1. *Sat.* 4. 34. de iis, qui ad ulciscendum paratissimi sunt, si vel minime lædantur: tractum a bobus cornupetis, quorum in cornu bubulci manipulum feneum alligare solent, ne ictu noceant, et obvii ad cavendum admoneantur.

II.) Improprie *fenum Græcum* vel *fenumgræcum* herba est, alio nomine silicia, aut siliqua, quæ in pabulum bubus seritur, levi aratione proscisso agro: quantoque pejus tractatur, tanto provenit melius. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 39. (140).; et *Colum.* 2. *R. R.* 11. 33. De synonym. *V.* SILICIA.

FĒNUS, ŏris, n. 3. In Genit. pro *fenoris* legitur etiam *feneris*, unde *fenerare*, *fenerator*: immo *Capell.* 3. *p.* 80. dubitat, num *fenoris*, an *feneris* scribendum sit. *V.* locum cit. in STERCORO. — *Varro* apud *Gell.* 16. 12. et apud *Non. p.* 54. 5. *Merc.* Fenus dictum a *fetu* et quasi a *fetura* quadam pecuniæ parientis atque increscentis. *Paul. Diac. p.* 94. 1. *Müll.* Fenus appellatur naturalis terræ fetus: ob quam causam et nummorum fetus fenus est vocatum, et de ea re leges fenebres. Similiter *Id. p.* 86. 1. Fenus et feneratores et lex de credita pecunia fenebris a fetu dicta, quod crediti nummi alios pariant, ut apud Græcos eadem res τόκος dicitur. Addit *Varro* Catonem et ceteros antiquiores sine *o* littera *fenus* pronunciasse, ut *fetus* et *fecunditas*. Ex quo intelligimus rectius sine diphthongo scribi: quod *Manut.* et *Cellar.* probant, itemque *Voss.* in *Etymol.*, qui recte ab obsoleto *feo* deducit, unde et *fecundus* et *fetus*. Alii ducunt a ποινος *merces*, *pretium*, et scribunt *fœnus*, *fœtus*, *fœcundus*: quæ scriptio *Dausquio* et aliis minus recte placet. — Ceterum fenus, τόκος, est lucrum ex pecunia proveniens, quum creditur alteri pecunia ea lege, ut et aliquando tota restituatur, et interim, dum abest, aliquid ab eo, qui accepit, quotannis aut quotmensibus creditori solvatur. Quis fenoris modus apud Romanos fuerit, *Tac.* 6. *Ann.* 16. docet (*It. usura*; Fr. *intérêt*, *usure*; Hisp. *interes*, *usura*; Germ. *d. Gewinn von etwas*, *Zinsen vom Capital*; Angl. *usury*, *the interest of money*).

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Att.* 21. *ad fin.* Senatusconsultum factum est, ut centesimæ perpetuo fenore ducerentur. *h. e.* sine anatocismo, seu renovatione usuræ in singulos annos, seu sine usuris usurarum. *Id.* 6. *ibid.* 3. Scaptius centesimis, renovato in singulos annos fenore, contentus non fuit. *Id.* 4. *ibid.* 15. Fenus ex triente Idib. Quint. factum erat bessibus. *Id.* 6. *ibid.* 1. *a med.* Græci solvunt tolerabili fenore. *Id.* 16. *ibid.* 15. *ad fin.* Iniquissimo fenore versuram facere coactus est. *Varro* 6. *L. L.* 65. *Müll.* Pecunia, quæ est in fenore. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 80. Multis occulto crescit res fenore. *Id.* 1. *Sat.* 2. 13. et *Art. P.* 421. dives positis in fenore nummis. *dati a censo. Id. Epod.* 2. 4. Solutus omni fenore. *Lactant.* 1. 20. Pecuniam reliquit, cujus ex annuo fenore suus natalis dies celebraretur. — Ceterum jungitur et aliis Verbis. *Plaut. Curc.* 4. 1. 19. Pecuniam fenore dare. *Id. Most.* 3. 1. 4. Dare argentum fenori. et *Cic.* 4. *Verr.* 70. 170. Pecuniam alicui dare fenori. *Ulp. Dig.* 32. 1. 11. *a med.* Certam summam usuris certis fenori dare. *Varro* 3. *R. R.* 5. 8.; et *Scævola Dig.* 26. 7. 46. Dare pecunias in fenus. *Plaut. Most.* 3. 1. 34. Dare alicui fenus et sortem argenti. *Sueton. Aug.* 39. Pecunias graviore fenore collocare. *Nepos Att.* 9. Pecuniam sine fenore alicui credere. *senza interesse. Cic. Flacc.* 21. 51. Pecuniam adolescentulo, grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupavisti. *Plaut. Asin.* 2. 4. 23. Quæritare argentum in fenus. *Id. ibid.* 1. 3. 95. Si mutuas (*minas*) non potero, certum est, sumam fenore. Sic *Ter. Phorm.* 2. 2. 71. Pecuniam sumere fenore. Rursus *Plaut. Curc.* 4. 1. 19.; et *Liv.* 5. 10. Accipere pecuniam fenore. *Cic.* 5. *Verr.* 72. 169. Fenus accipere ab aliquo. *Ulp. Dig.* 17. 1. 12. *circa med.* Majoribus usuris fenus accipere. *Id. ibid.* 16. 3. 7. Pecunias fenore apud nummularios exercere. *Tac.* 6. *Ann.* 16. unciario fenore exercere. *Modestin. Dig.* 12. 1. 33.; et *Sueton. Vesp.* 1. Exercere fenus. *Lamprid. Alex. Sev.* 20. Fenus trientarium exercuit. *Liv.* 27. 2. Fenus facere. *Plaut. Men.* 4. 2. 14. Fenore rem partam habere. *Tac.* 6. *Ann.* 16. Auctitare pecunias fenore. *Sueton. Cæs.* 27. Aliquem levi fenore obstringere. *Plaut. Curc.* 4. 2. 22. Fenore lacerare homines. *Cic. Cœl.* 18. 42. Fenore trucidari. *Liv.* 35. 7. Fenus coercere. *Sueton. Aug.* 41. deminuere.

II.) Translate. ¶ 1. De ipsa sorte *fenus* dicitur, *h. e.* de pecunia fenebri seu fenori data, *il capitale. Plaut. Most.* 3. 1. 101. Adeo etiam argenti fenus creditum audio? *Cic.* 6. *Att.* 1. 4. Itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scævula, fenus et impendium recusare. *V.* IMPENDIUM. *Tac. Germ.* 26. Fenus agitare et in usuras extendere, ignotum. *Id.* 6. *Ann.* 17. Senatus præscripserat, duas quisque fenoris partes in agris per Italiam collocaret. *due parti del capitale. Seneca Ep.* 17. Exspectabisne fenoris quæstum, aut ex merce compendium, — quum fieri possis statim dives? Sic *Pers.* 6. 67. Fenoris accedat merces. *V.* et locum *Isid.* cit. in v. USURA. — Hinc etiam pro sorte ac lucro inde proveniente simul sumptis, *h. e.* pro ære alieno, *debiti. Liv.* 6. 14. Fenore obrui. *Id.* 35. 7. laborare. *Id.* 6. 17. Fenore immersum esse. *Id.* 7. 21. Fenus levare. *Id.* 7. 27. Fenus ingravescens. Hoc fortasse spectat et illud *Gell.* 2. 17. Et Cato et Sallustius fenoribus, inquiunt, copertus (*pro coopertus*) est. — Et metaphorâ hinc sumpta de semine, quod terræ creditur, *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (155). Quam bona fide terra creditum fenus reddit! ¶ 2. Transfertur ad quodcumque lucrum et accessionem significandam. *Cic. Senect.* 15. 51. Terra, quæ numquam recusat imperium, nec umquam sine usura reddit quod accepit, sed alias minore, plerumque majore cum fenore. *Tibull.* 2. 7. 3. spes sulcis credit aratis Semina, quæ magno fenore reddat ager. *Manil.* 5. 273. Seminaque in fenus sulcatis credere terris. *Ovid.* 1. *Fast.* 694. Hordeaque ingenti fenore reddat ager. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 4. 3. (24). Cum centesima fruge agricolis fenus reddente terra. *Id.* 18. *ibid.* 17. 45. (162). Sic quoque cum quinquagesimo fenore messes reddit exilitas soli: verum diligentioribus cum centesimo. *cinquanta*, *cento per uno. Tac.* 14. *Ann.* 53. Ubi est animus ille modicis contentus? talis hortos exstruit, et per hæc suburbana incedit, et tantis agrorum spatiis, tam lato fenore exuberat? Cf. *eumd. ibid.* 55. *Propert.* 1. 7. *extr.* Sæpe venit magno fenore tardus amor. *Id.* 3. 1. 22. At mihi quod vivo detraxerit invida turba, Post obitum duplici fenore reddet honos.

FĒNUSCŬLUM *vel* fœnusculum, i, n. 2. *deminut. a* fenus, parvum fenus, lucellum. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 52. Amabas? invenires mutuum, Ad danistam devenires, adderes fenusculum.

FĔRA, æ, f. 1. *V.* FERUS, a, um, sub I.

FĔRĀBĪTE, positum pro agresti. *Sisenna Hist. l.* 4. Et partim ferabite, partim tauro et arbusto, ac multa pinu ac myrtetis abundant. Ita *Non.* p. 113. 23. *Merc.*, sed legendum est *fera vite*.

FĒRĀCĬTAS, ātis, f. 3. *fertilità*, εὐφορία, fertilitas, fecunditas. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 31. Ubi nihil erit, quod proficiet, feracitatem vitis potius sequemur.

FĒRĀCĬTER, adverb. *fertilmente*, εὐφόρως, fertiliter. Occurrit tantum Comp. *Feracius* apud *Liv.* 6. 1. Velut ab stirpibus lætius feraciusque renata urbs.

FĒRĀLE, adverb. *V.* FERALIS in fin.

FĒRĀLĬA, ium. *V.* voc. seq.

FĒRĀLIS, *e*, adject. Primam syllabam corripit *Prudent. Psychom.* 565. monstrumque ferale sequuntur. Ceterum prima syllaba, licet a *fero* vel a *ferio* deducatur, longa est, quum tamen brevis in *Feralia* (*V.* infra sub I. 3.); ideoque potius ab Æolico φὴρ pro θὴρ *fera* deducendum esse cl. *Furlanetto* videbatur. V. et *Bach.* ad *Ovid.* 9. *Met.* 213. — Comp. *Feralior* et Sup. *Feralissimus* II. — Feralis, quod juxta *Varronem* derivat a *fero*, universim est ad mortuos pertinens, funebris, funestus, νεκρικός (It. *relativo ai morti*, *mortuario*, *ferale*, *funebre*; Fr. *relatif aux Mânes*, *de morts*, *lugubre*; Hisp. *de muerto*, *funereo*; Germ. *auf die Todten sich beziehend*; Angl. *deadly*, *mournful*, *dismal*, *belonging to funerals*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 81. Tu tamen exstincto feralia munera ferto. *Virg.* 6. *Æn.* 216.; et *Ovid.* 3. *Trist.* 13. 21. cupressus. Sic *Sil. It.* 10. 535. Ac, ferale decus, mœstas ad busta cupressos. *Ovid. Ib.* 101. ferales sumere vittas. Sic *Val. Flacc.* 7. 37. Haud ego cum vittis statui feralibus Hellen. *Lucan.* 1. 616. Feralia sacra. *Apul.* 1. *Met.* officia. *Lucan.* 8. 733. pompa. *Val. Flacc.* 5. 31. acervus. *h. e.* rogus. *Tac.* 3. *Ann.* 1. urna. *Id.* 2. *ibid.* 75. reliquiæ. *Id.* 14. *ibid.* 30. vestis. *Flor.* 1. 12. 7. habitus. *Juvenal.* 5. 85. exigua feralis cœna patella. Sic *Apul. Florid.* n. 19. Feralem cœnam a tumulo ad mensam referrent. *V.* SILICERNIUM. *Colum.* 10. *R. R.* 350. feralia carmina flere. Cf. *Virg.* 4. *Æn.* 462. Solaque culminibus ferali carmine bubo Visa queri. et *Sil. It.* 3. 223. Letiferum murmur feralique horrida cantu Buccina. *Petron. Satyr.* 120. Enyo feralis. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 272. *de Plutonis curru.* ferales habenæ. — Et absolute *Tac.* 1. *Ann.* 62. Neque imperatorem auguratu et vetustissimis cæremoniis præditum attrectare feralia debuisse. — Similiter de magicis artibus. *Apul.* 2. *Met. init.* Omnia prorsus ferali murmure in aliam effigiem translata. *Id.* 3. *ibid.* Priusque apparatu solito (*saga*) instruit feralem officinam. *Lucan.* 6. 338. Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes Rupibus ingenuit sensuraque saxa canentes Arcanum ferale Magos. ¶ 2. Speciatim est ad festa pertinens diis Manibus sacrata; de quibus mox dicemus sub 3. *Ovid.* 2. *Fast.* 34. placatis sunt tempora pura sepulcris, Tunc quum ferales præteriere dies. *Id.* 5. *ibid.* 486. Ferale tempus. *Colum.* 10. *R. R.* 191. Feralis mensis. *h. e.* Februarius. Hinc ¶ 3. *Fērālia*, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more. *Paul. Diac. p.* 85. 11. *Müll.* Feralia diis Manibus sacrata festa, a ferendis epulis, vel a feriendis pecudibus appellata. *Varro* 6. *L. L.* 13. *Müll.* Feralia ab inferis et ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare. Celebrabantur mense Februario per aliquot dies, quorum ultimus erat dies decimus septimus, ut est apud *Ovid.* 2. *Fast.* 567. *Id. ibid.* 569. Hanc, quia justa ferunt, dixere Feralia lucem. Ultima placandis Manibus illa dies. *Cic.* 8. *Att.* 14. 1. Eodem die video Cæsarem a Corfinio profectum esse, id est Feralibus. *Liv.* 35. 7. Cujus

(*fenoris*) coercendi quum ratio quæreretur, diem finiri placuit Feralia, quæ proxime fuissent. *V. Drakenborg.* ad h. l. — Alii dicunt fuisse diem decimum nonum (quæ est recentiorum ferme omnium sententia), alii vigesimum primum, ut in *Calendar.* apud *Gruter. p.* 133., alii vigesimum tertium ejus mensis. — Quod vero prima syllaba a poetis producitur, mallet *Jos. Scalig.* legere apud *Ovid.* dicunt Feralia.

II.) Translate feralis est exitialis, perniciosus, tristis, terribilis. *Ovid.* 9. *Met.* 214. Tu ne, Licha, dixit, feralia dona tulisti? Tu ne meæ necis auctor eris? *Id.* 15. *Met.* 374. Feralis papilio. *h. e.* qui a *Plin.* 11. *Hist. nat.* 19. 21. (65). papilio pestifer dicitur. *Lucan.* 10. 59. de *Cleopatra.* Latii feralis Erynnis. *Ammian.* 22. 5. Ferales plerique Christianorum. *h. e.* sibi ipsi exitiosi, quia mortem pro religione subibant. *Tac.* 4. *Ann.* 64. Feralis annus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 65. (237). Idus Mart. ferales Cæsari. *Pacat. Paneg. Theod.* 46. Cui (*Romæ*) Alliensi die Emathia funestior, Cannis Collina feralior. *Tac.* 5. *Hist.* 25. Ferale bellum. *h. e.* exitiosum. *Lucan.* 6. 396. bella. *Id.* 2. 261. arma. *Claudian. B. Gild.* 124. removet ferales Allia pugnas. *Lucan.* 8. 874. austri. *Ammian.* 15. 7. turbo. *Id.* 22. 9. dens apri. *Lucan.* 7. 408. nomina. *Flor.* 3. 22. 2. tabula. *Id.* 4. 7. 7. signum. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 233. auspicium. *Id.* 1. *in Rufin.* 131. ferale sensit Britannia murmur. *h. e.* terribile. *Prudent. Psychom.* 565. monstrum. *h. e.* avaritia. *Nazar. Paneg. Constant.* 33. dominatio. *Ammian.* 22. 11. Delatorum ausa feralia. *Id.* 19. 12. supplicia. *Salvian.* 1. *Gub. D. ad fin.* Nefas feralissimum. *Id.* 6. *ibid.* 2. Illud est feralissimum et gravissimum. *Sil. It.* 6. 216. Feralis aula. *h. e.* sedes, cubile immanis serpentis, in Africa ab exercitu occisi. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 312. domus. *h. e.* carcer. — Hinc

Ferale, adverbii ritu, feralem in modum. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 130. Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt.

Feralia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, *V.* supra sub I. 1. et 3.

Homonym. *V.* in fin. v. FUNESTUS et FUNUS.

FĒRĀLĬTER, adverb. more ferarum. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 1. *a med.* Ut leo feraliter invadit.

FĔRĀTRĪNA, æ, f. 1. *parco,* vivarium, locus in quo feræ inclusæ servantur. *Non. p.* 63. 26. *Merc.* Moletrina a molendo, quod pistrinum dicimus, ut feratrina, ut fetutina. *Alii leg.* seratrina.

FĔRAX, ācis, adject. Comp. *Feracior* sub *A.* I. et II.; Sup. *Feracissimus* sub *A.* I. — Ferax a *fero* usurpatur *A)* Fere passive, *B)* Raro admodum active.

A) Passive ferax, εὔφορος, est feracitate præditus, fertilis, frugifer, uber, fecundus (It. *ferace, fertile, abbondante*; Fr. *fertile, fécond, productif*; Hisp. *fertil, fecundo, abundante*; Germ. *fruchtbar*; Angl. *fruitful, fertile, abundant*).

I.) Proprie occurrit — *a)* Absolute. *Cato R. R.* 44. Locus ferax. *Plaut. Epid.* 2. 3. 2. Agros feracissimos possidere. *Cæs.* 2. *B. G.* 4. Agri feracissimi. *Horat.* 1. *Od.* 31. 3. opimæ Sardiniæ segetes feracis. *Virg.* 2. *G.* 79. Feraces plantæ. *Plin. Paneg.* 30. 1. Feracissima terra. *Sueton. Aug.* 18. Ægyptus. *Justin.* 2. 1. Feracior terra. *Pallad.* 4. *R. R.* 9. vitis. — *b)* Cum Ablativo. *Virg.* 2. *G.* 222. Illa ferax oleo est. Ita leg. *Non. p.* 500. 19. *Merc.* et ita in codice vetustissimo Romano notæ, et in Mediceo haberi testatur *Pierius*: al. leg. *oleæ*. *Ovid.* 2. *Amor.* 16. 7. Terra ferax Cerere, multoque feracior uvis. *Al. leg.* Cereris *et* uvæ. — *c)* Cum Genitivo. *Horat. Epod.* 5. 22. Iberia venenorum ferax. *Ovid.* 7. *Met.* 470. nitidæque ferax Peparethos olivæ. *Colum.* 6. *R. R.* 36. 3. Terræ feraces seminum. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 24. 29. (100). Acini feraces musti. *Plin. alter* 2. *Ep.* 17. Terra ferax arborum. *Justin.* 44. 1. 7. minii. *Val. Flacc.* 6. 102. niveûmque ferax Evarchus olorum.

II.) Translate, et quidem — *a)* Absolute. *Cic.* 3. *Off.* 2. 5. Nullus feracior in philosophia locus est, nec uberior, quam de officiis. *Id. Orat.* 15. 48. Nihil est feracius ingeniis, iis præsertim, quæ disciplinis exculta sunt. *Plin. Paneg.* 43. Sit ne feracius et uberius, non ad laudem modo, sed ad pecuniam principi, si etc. — *b)* Cum Ablativo. *Plin.* 4. *Ep.* 15. Ferax sæculum bonis artibus. — *c)* Cum Genitivo. *Horat. Carm. sæc.* 19. prolisque novæ feraci lege marita. *Justin.* 4. 2. 3. Tyrannorum nulla terra feracior. *Tac.* 4. *Ann.* 72. Saltus belluarum feraces. *Plin.* 8. *Ep.* 20. 2. Terra miraculorum ferax. — *d)* Singulare est illud *Capitolin. Anton. Phil.* 15. Animus ad virtutes feracior.

B) Active ferax dicitur qui aliquid fertile reddit. *Pallad.* 12. *R. R.* 5. Amat hæc arbor (*olea*) feracibus ventis clementer agitari.

Homonym. *V.* in fin. v. FRUCTUOSUS.

FERBUI. *V.* FERVEO.

FERCTUM. *V.* FERTUM.

FERCŬLUM, i, n. 2. a verbo *fero,* est machina ferendo apta, gestamen: *plaustrum* appellat *Tertull. Spectac.* 7., vehicula alii, *carrette* dicunt nunc vulgo Patavini, *barelle* Itali.

I.) Proprie erat — *a)* Gestamen, quo signa deorum in pompa circensi vehebantur. *Cic.* 1. *Off.* 36. 131. Cavendum, ne tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur. *Sueton. Cæs.* 76. Sedem auream in curia, tensam et ferculum circensi pompa, templa, aras, etc. recepit. — *b)* Item gestamen, quo in exsequiis cineres, aut majorum imagines transvehebantur. *Sueton. Cal.* 15. Matris fratrisque cineres Romam Tiberi subvectos, per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die, duobus ferculis mausoleo intulit. Adde *Stat.* 6. *Theb.* 126. — *c)* Item gestamen, quo in triumphis hostium spolia, simulacra oppidorum ac regionum, etc. vehebantur. *Liv.* 1. 10. Spolia ducis hostium cæsi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium ascendit. (In hoc *Livii* loco memoratur M. Claudius Marcellus, qui ann. U. C. DXXXII., cæso manu propria hostium duce Viridomaro Gallo Insubre, ferculum cum ejusdem spoliis Jovi Capitolino obtulit, quem expressum videre est in nummo gentis Claudiæ apud *Morell. Thesaur. Fam. Rom. tab.* 1. *n.* 1. Hic igitur ferculum dicitur hasta, circa quam spolia hostilia, seu tropæum, adnexa sunt. Idem vero ferculum manu et humero dextris habet M. Æmilius Lepidus eques in nummo apud *eumd. ibid. tab.* 1. *n.* 4. et D., cujus hæc est inscriptio: M. LEPIDVS ANNORUM XV. PRÆTEXTATUS HOSTEM OCCIDIT, CIVEM SERVAVIT. V. etiam *ibid.* nummos G. Antiæ *n.* 1. et 2., in quibus Hercules nudus dextra clavam sublimem, sinistra ferculum cum tropæo et leonis exuvias gestat). Ceterum *Sueton. Cæs.* 37. Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, Veni, vidi, vici. Adde *Plin. Paneg.* 17.; *Flor.* 4. 2. 88.; *Senec. Herc. Œt.* 110.; *Val. Flacc.* 3. 539.; *Claudian. Laud. Stilich.* 3. 23.; et *Prudent.* 2. in *Symmach.* 580.

II.) Improprie ferculum est missus ciborum, qui singulis vicibus mensæ inferuntur, sive ex pluribus lancibus constet patinisve, sive ex singulis tantum: a ferendo, *portata, servizio.* *Petron. Satyr.* 35. Laudationem ferculum est insecutum, plane non pro exspectatione magnum. Repositorium enim rotundum duodecim habebat signa in orbe disposita, super quæ proprium convenientemque materiæ structor imposuerat cibum: super Arietem cicer arietinum, super Taurum bubulæ frustum, etc. *Id. ibid.* 36. Videmus in altero ferculo altilia et sumina, etc. *Sueton. Aug.* 74. Cœnam ternis ferculis, aut quum abundantissime senis præbebat. *Lamprid. Elagab.* 5. Exhibuit aliquando et tale convivium, ut haberet viginti duo fercula ingentium epularum. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10. 47. (136). Ptolemæum mille convivas, totidem aureis potoriis, mutantem ea vasa cum ferculis, saginasse. *Juvenal.* 1. 94. quis fercula septem Secreto cœnavit avus? *Id.* 7. 184. Fercula docta componere. *Id.* 11. 64. cuncta singillatim enumerat fercula cœnæ suæ. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 104. Multaque de magna superessent fercula cœna. *h. e.* multi cibi. Adde *Auson. Epigr.* 8. et *Propert.* 4. 4. 74. — *Fercula funerum* sunt etiam ferales epulæ, quas Manibus placandis ad sepulcra afferre mos fuit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 10. 12. (28). Milvus rapacissima et famelica semper ales nihil esculenti rapit unquam ex funerum ferculis.

FĔRĔ, adverb. Secunda syllaba ab *Auson.* corripitur (*epigr.* 105. 5. Nam tecum fere totos ero.) præter morem veterum meliorumque poetarum, ut *Virg.* 3. *Æn.* 135. et 5. *ibid.* 327. et 835.; et *Ovid. Heroid.* 19. 45., 1. *Amor.* 5. 4. et 7. *Met.* 804. — *Fere* a *fero* deducit *Varro* 7. *L. L.* 92. *Müll.* *Ferme* dicitur quod nunc *fere*; utrumque dictum a *ferendo*, quod id, quod fertur, est in motu atque adventat. — Itaque *fere* appropinquandi vel accedendi significationem præ se fert: ac propterea ¶ 1. Generatim significat alicui rei aliquantum accedere, atque idem est ac ferme, pæne, prope; et dicitur de numeris, mensuris et similibus, μικροῦ δεῖν (It. *quasi, poco più poco meno, a un di presso, all'incirca*; Fr. *presque, à peu près, environ, en grande partie*; Hisp. *casi, cerca, poco falta*; Germ. *ungefähr, beinahe, etwa, fast, nahe an, grösstentheils, hauptsächlich, besonders*; Angl. *almost, within a little, nearly, well near, well nigh*). *Ter. Hecyr.* 5. 3. 24. Memini abhinc menses decem fere ad me nocte prima confugere anhelantem domum. *Id. Phorm.* 5. 8. 28. Vinolentus fere abhinc annos quindecim mulierculam compressit. *Id. Andr.* 1. 1. 77. Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt, Chrysis vicina hæc moritur. *Cic. Pis.* 6. 13. Quum ad te quinta fere hora cum C. Pisone venissem. *Id.* 7. *Att.* 16. Litteras hora fere nona accepi. *Id.* 14. *ibid.* 20. 1. Hora fere tertia. *Cæs.* 4. *B. G.* 23. Tertia fere vigilia. *Cic.* 1. *de republ.* 48. Nec tantum Carthago habuisset opum sexcentos fere annos. *Id.* 2. *ibid.* 33. Non longo intervallo, sexto decimo fere anno, consecutum est. *Id.* 1. *ibid.* 5. Ille quum legatus noster esset, anno fere ante, quam consul est declaratus. *Id.* 2. *ibid.* 15. Ex quo intelligi potest, anno fere centesimo et quadragesimo post mortem Numæ primum Italiam Pythagoram attigisse. *Id.* 1. *ibid.* 16. Qui (*Ennius*), ut scribit, anno trecentesimo et quinquagesimo fere post Romam conditam. *Id.* 2. *ibid.* 32. His ipsis temporibus dictator etiam est institutus decem fere annis post primos consules. *Nepos Arist.* 1. Sexto fere anno post. *Id. ibid.* 3. Fere post annum quartum. *Justin.* 15. 2. 3. Fere annos quatuordecim excesserat. *Gell.* 4. 3. Quingentis fere annis. *Cic. Pis.* 6. 14. Illo fere biduo. *Curt.* 7. 9. 16. Media fere nocte in castra redierunt. *Cic.* 14. *Att.* 20. Eadem fere hora, qua veni. *Curt.* 10. 1. 43. et 4. 5. 11. Iisdem fere diebus. *Sall. Cat.* 42. Iisdem fere temporibus. *Justin.* 5. 11. 1. et 31. 4. 1. Eodem fere tempore. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 80. Heros meus Agorastocles ibidem gnatus, inde subreptus fere sexennis. *Cic. Brut.* 48. 179. Cujus auditor, meus fere æqualis. *Id.* 3. *Off.* 1. 1. Cato, qui fuit ejus fere æqualis. — *Curt.* 2. 8. 15. Sed postquam regem adventare compertum est, pulsi ab incolis duo millia fere et ducenti congregantur. *Id.* 10. 9. 18. Tum Perdicca, ut torpentes et obnoxios vidit, trecentos fere, a ceteris discretos, elephantis objicit. *Id.* 5. 5. 5. Captivi erant Græci ad quatuor millia fere, quos etc. *Id.* 7. 9. 16. Ceciderunt autem Macedonum equites sexaginta, pedites centum fere, mille saucii fuerunt. *Id.* 7. 5. 27. Inter hæc res, electis nongentis fere, equiti bina talenta dedit, pediti terna denarium millia. *Cic. Cluent.* 16. 46. In quibus quantus splendor sit, quam fere omnium constans ratio vitæ, nemo ignorat. *Id.* 6. *de republ.* 18. Qui numerus rerum omnium fere nodus est. *Cæs.* 7. *B. G.* 19. Hunc (*collem*) ex omnibus fere partibus palus difficilis et impedita cingebat. *Cic.* 6. *Fam.* 10. 3. Omnes fere familiarissimi Cæsaris me observant. Sic *Cæs.* 2. *B. G.* 25.; *Liv.* 21. 60.; et *Sueton. Cæs.* 87. omnes fere. *Cæs.* 5. *B. G.* 53. Omnes fere Galliæ civitates. *Nepos Arist.* 2. omnes fere civitates Græciæ. *Id. Chabr.* 3. omnes fere principes. *Id. Pelop.* 2. hi omnes fere. *Cæs.* 4. *B. G.* 20. omnibus fere bellis. Similiter *Nepos Pelop.* 4. ceteræ fere omnes. *Id. Eumen.* 2.; *Cæs.* 5. *B. G.* 13. et 23.; et *Colum.* 2. *R. R.* 1. 1. fere omnes. *Plaut. Capt.* 2. 1. 36. nam fere maxima pars. *Cic.* 2. *Fin.* 31. 100. Totidem fere verbis interpretatus sum. *Quintil.* 11. 1. 4. Nec fere pluribus in Oratore eadem disserit. *Plaut. Truc.* 1. 1. 45. Nunc lenonum et scortorum plus est fere, quam olim muscarum. *Quintil.* 10. 1. 126. Solus hic fere in manibus adolescentium fuit. *Cic. Amic.* 4. 14. Cujus disputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum. *Quintil.* 10. 1. 80. Phalereus ille Demetrius ultimus est fere ex Atticis. *Id.* 10. 1. 53. Quamvis ei secundas fere deferat. — *Cic.* 3. *Off.* 2. 4. Ipsa Peloponnesus fere tota in mari est. *Cæs.* 1. *B. G.* 30. Totius fere Galliæ legati ad Cæsarem gratulatum convenerunt. *Id.* 2. *ibid.* 23. Tum totis fere a fronte et ab sinistra nudatis castris. *Curt.* 7. 11. 3. Per totum fere spatium fontes manant. *Nepos Eumen.* 9. dimidium fere spatium. *Plin.* 3. *Ep.* 6. 20. Contra mediam fe-

re porticum diæta paullum recedit. *Cæs.* 7. *B. G.* 35. Quum uterque utrique esset exercitus in conspectu, fereque e regione castris castra poneret. — *Cic.* 2. *Orat.* 6. 22. Semper fere cum Scipione solitum rusticari. *Id.* 1. *Off.* 18. 60. Ab iis rebus quemadmodum ducatur officium, satis fere diximus. *Id.* 2. *de republ.* 18. Temporum illorum tantum fere regum illustrata sunt nomina. *Id.* 2. *ibid.* 23. Et antiquissimus ille Lycurgus eadem vidit fere. *Sall. Cat.* 48. Eadem fere, quæ Vulturcius, de paratis incendiis – senatum docet. *Quintil.* 5. 10. 1. Etiamsi vis eodem fere tendit. *Cic.* 1. *de republ.* 34. Hæc fere et quædam ejus generis ab iis disputari solent. *Id.* 3. *Nat. D.* 39. 93. Hæc fere dicere habui de natura deorum. *Id.* 7. *Att.* 1. Hæc fere sunt in illa epistola. Sic *Id.* 2. *ibid.* 16., 12. *Fam.* 30. *extr.*, *Orat.* 54. 182. et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 32. 102. hæc fere. *Nepos Reg.* 1. Hi fere fuerunt Græciæ gentis duces. *Liv.* 38. 38. In hæc fere verba. *Quintil.* 2. 4. 41. His fere veteres facultatem dicendi exercuerunt. *Sueton. Cæs.* 25. Gessit autem novem annis, quibus in imperio fuit, hæc fere. *Cic.* 12. *Fam.* 5. *extr.* Hæc erant fere, quæ tibi nota esse vellem. *Quintil.* 2. 15. 37. Hi sunt fere fines etc. *Cic.* 1. *Nat. D.* 16. 42. Exposui fere non philosophorum judicia, sed delirantium somnia. *Quintil.* 9. 4. 138. Sic fere componendum, quomodo pronunciandum erit. Adde *eumd.* 5. 12. 16. et 12. 2. 25. ¶ 2. Item significat alicui rei quam maxime accedere, atque ideo habet eamdem vim ac *valde* aut *omnino*. — *a*) Affirmative. *Ter. Heaut.* 1. 1. 70. Domum revertor mœstus, atque animo fere perturbato atque incerto præ ægritudine. *Cic.* 1. *Off.* 18. 61. Declaratur autem studium bellicæ gloriæ, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari. *Id. Amic.* 1. 2. In eum sermonem illum incidere, qui tum fere multis erat in ore. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 96. Quis paria esse fere placuit peccata, laborant, Quum ventum ad verum est. *Liv.* 36. 7. Quum circa hanc fere consultationem disceptatio omnis verteretur. *Id.* 37. 20. Ad radices fere collis, in quo posita est urbs, regii succedebant. *Curt.* 6. 10. 9. Maligna est calamitas; et fere noxius, quum suo supplicio crucietur, acquiescit alieno. — *Jam fere* est *Ennii* 8. *Ann.* 286. *Vahl.* Jamque fere pulvis ad cœlum vasta videtur. Adde *ibid.* 580. Sic *Id.* apud *Non. p.* 355. 17. *Merc.* Hector vi summa armatos educit foras, Castrisque castra ultro jam fere occupat. — *b*) Cum part. negativis, et est haud facile. *Ter. Heaut.* 1. 1. 3. Nec rei fere sane amplius quidquam fuit. *e per verità non c'è stato quasi altro di più.* *Cic.* 7. *Att.* 6. De republica valde timeo: nec adhuc fere inveni, qui non concedendum putaret Cæsari. *e fin ora non ho trovato così facilmente uno, che etc.* *Id. Sext.* 24. 51. Denique ex bellica victoria non fere quemquam est invidia civium consecuta. *quasi nessuno affatto.* *Id. Brut.* 10. 150. Ætates vestræ, ut illorum, nihil aut non fere multum differunt. *Id.* 3. *Off.* 3. 13. Vulgus, quid absit a perfecto, nihil fere intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum. *Id.* 2. *Tusc.* 3. 8. Non fere præter suos quisquam in manus sumit (*Epicurum*). *Id. Topic.* 16. 60. Illud genus causarum errorem afferre non fere solet. *non suole quasi mai etc.* *Id. ibid.* 21. 79. Nec fere omnes locos incidere in omnem quæstionem. *e che non tutti i luoghi così facilmente etc.* *Cæs.* 7. *B. G.* 35. Erat in magnis Cæsari difficultatibus res, ne majorem æstatis partem flumine impediretur, quod non fere ante autumnum Elaver vado transiri solet. *Quintil.* 9. 4. 101. Duo spondei non fere jungi patiuntur. — *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 38. Rationem illi sententiæ suæ non fere reddebant, nisi quid erat numeris aut descriptionibus explicandum. *Id. Amic.* 20. 72. Quod non fere contingit, nisi iis qui etc. *Quintil.* 6. 3. 82. In se dicere non est fere nisi scurrarum. — *Cic.* 1. *de republ.* 8. In qua disputatione nihil fere, quod magno opere ad rationes omnium rerum pertineret, prætermissum puto. *Id. Amic.* 1. 5. Tum est Cato locutus; quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior. — *Cæs.* 5. *B. G.* 53. Neque ullum fere totius hiemis tempus sine sollicitudine Cæsaris intercessit, quin etc. *Quintil.* 10. 7. 27. Neque enim fere tam est ullius dies occupatus, ut nihil etc. — Huc referri potest et illud ejusdem *Quintil.* 1. 2. 15. Nam quid fere undique placet? ¶ 3. Specialim quum de tempore agitur ratioque habetur eorum, quæ accidere solent, *fere* ponitur pro *plerumque*, *per lo più.* — *a*) Sine additis. *Cic.* 6. *de republ.* 10. Fit fere, ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius. *Id. pro leg. Manil.* 9. 24. Jam hoc fere sic fieri solere accepimus. *Id.* 1. *Invent.* 29. 46. Probabile autem est id, quod fere solet fieri. *Id.* 2. *ibid.* 4. 14. Cum hoc, ut fere fit, in via sermonem contulit. Sic *Curt.* 8. 2. 34. et 8. 10. 16. ut fere fit. *Id.* 8. 4. 20. quod fere fit. Cf. *Quintil.* 9. 3. 77. Ex quibus fere fiunt, quæ τρίκωλα dicuntur. *Id.* 5. 13. 55., 7. 4. 24. et 9. 4. 109. fere accidit. *Sueton. Claud.* 8. quod ei fere accidebat. — *Plaut. Capt.* 2. 1. 36. Nam fere maxima pars morem hunc homines habent: quod sibi volunt, dum id impetrant, boni sunt etc. *Ter. Phorm.* 2. 3. 16. Ruri fere se continebat. *Cic.* 2. *Off.* 20. 69. A quo expeditior et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior. *Id.* 1. *de republ.* 44. Sic omnia nimia in contraria fere convertuntur, maximeque id in rebus publicis evenit. *Id.* 2. *Herenn.* 18. 27. Nam fere non difficile est invenire, quid sit causæ adjumento. Sic *Scribon. Compos.* 53. fere non difficile est. *Cæs.* 3. *B. G.* 18. Quod fere libenter homines id, quod volunt, credunt. *Id.* 6. *ibid.* 30. Ædificio circumdato silva, ut sunt fere domicilia Gallorum. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 235. Sed veluti tractata notam labemque remittunt Atramenta, fere scriptores carmine fœdo Splendida facta linunt. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 19. 5. et 6. 9. *Ovid.* 4. *Pont.* 4. 4. Mixta fere duris utilis herba rubis. *Sueton. Aug.* 82. Itinera noctibus fere faciebat. *Id. ibid.* 76. Cibi minimi erat atque vulgaris fere. *Id. Claud.* 32. Convivia agitavit ac fere patentissimis locis. *Quintil.* 11. 2. 44. Etiam illa prævelox (*memoria*) fere cito effluit. *Id.* 11. 1. 8. Quod decet, fere prodest. — *b*) Junctum cum *plerumque* pleonasmus est, non inelegans tamen; interdum et cum *plerique* jungitur. *Ter. Phorm.* 1. 2. 39. Hic solebamus fere plerumque eas opperiri. *Cic.* 3. *Tusc.* 30. 73. Qui suos casus aliter ferunt, atque ut auctores aliis ipsi fuerunt, non sunt vitiosiores, quam fere plerique, qui avari avaros reprehendunt. — *c*) Interdum *fere* et *plerumque* sibi invicem respondent. *Cic. Amic.* 15. 54. Fortuna eos plerumque efficit cæcos, quos complexa est: itaque efferuntur fere fastidio et contumacia. *Sueton. Tib.* 68. Adducto fere vultu, plerumque tacitus. — *d*) *Fere* opponitur *raro*, *interdum*, *sæpe* apud *Cels.* 6. 2. Fereque id in capillo fit: rarius in barba; aliquando etiam in supercilio. *Colum.* 4. *R. R.* 17. 5. Fere prædicta ætas læto solo truncoque tres materias, raro quatuor desiderat. *Sueton. Aug.* 15. Ipse Circenses ex amicorum fere libertinorumque cœnaculis spectabat, interdum e pulvinari. *Id. ibid.* 53. In consulatu pedibus fere, extra consulatum sæpe adaperta sella per publicum incessit.

FĔRENS, entis, particip. *V.* FERO.

FĔRENTĀRĬUS, a, um, adject. *vel rectius*

FĔRENTĀRĬUS, ii, m. 2. *Ferentarii* erant levis armaturæ milites, a *ferendo*, quia ea tantum arma habebant, quæ feruntur, non quæ tenentur, quippe qui fundis lapidibusque, vel arcu et telis pugnabant, ut *Paul. Diac. p.* 85. 7., et 14. 15. et 369. 5. *Müll.* (ubi et *Catonem* auctorem affert) docet, itemque *Varro* 7. *L. L.* 57. *Müll.* et apud *Non. p.* 520. 11. *Merc.* Sed *Non. p.* 554. 26. *Merc.* ferentarios vocat milites levis armaturæ auxiliatores, ense et telis instructos, a ferendo auxilio, quia, quicquid opus erat, opem ferebant, et tela pugnantibus ministrabant. *Sall. Cat.* 60. Postquam eo ventum est, ut a ferentariis prælium committi posset. *Veget.* 1. *Milit.* 20. Erant inter pedites, qui dicebantur funditores et ferentarii, qui præcipue in cornibus locabantur, et a quibus pugnandi sumebatur exordium: sed hi et velocissimi, et exercitatissimi legebantur. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 2.; et *Tac.* 12. *Ann.* 35. *Varro loc. cit.* etiam equites ferentarios nominat. — *Ferentarius amicus* a *Plaut. Trin.* 2. 4. 55. dicitur qui celer et expeditus est ad opem ferendum. Quod vero hunc eumdem locum *Varro ibid.* referens, *ferentarium* exponit, inanem et sine fructu; censet *Turneb.* alludi ab eo ad levem ferentariorum armaturam, a *Plauto* vero ad vocem ipsam, nempe a *ferendo*. Certe quidem *Varronis* interpretatio ad *Plauti* integram sententiam minime facit. *Bothe* ad *Plaut. loc. cit.* leg. *ferentaneum*, ita enim in MSS. esse affirmat. *Müllerus* autem *Varronis* locum corruptum putat.

FĔRĔŎLA vitis. Fortasse a *ferendo*, h. e. ab illius feracitate, ita est appellata. De ea sic *Colum.* 3. *R. R.* 2. 28. Nuper mihi cognitas pergulanam et irtiolam fereolamque, non facile asseverem, quo gradu habendæ sint. *Alii leg.* ferreolam.

FĔRĔTRUM, i, n. 2. φέρετρον, a *fero*, est — *a*) Capulus, instrumentum, quo cadavera efferuntur ad sepulturam: vox Græca est, sed usu Latina facta, *feretro, cataletto, bara.* *Virg.* 6. *Æn.* 222. pars ingenti subiere feretro, Triste ministerium, etc. Sic *Id.* 11. *ibid.* 149. feretro Pallanta reposto Procubuit super atque hæret lacrimansque gemensque. *Ovid.* 3. *Met.* 508. Jamque rogum, quassasque faces feretrumque parabant. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 747. *Val. Flacc.* 5. 11. positumque feretro Congemuere. Adde *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (176)., ubi tamen *Sillig.* pro *feretro* ex plur. Codic. leg. *foro*: *Stat.* 2. *Silv.* 1. 20. et 6. *Theb.* 55. — *b*) Item ferculum portandis imaginibus in exsequiis. *Sil. It.* 10. 567. celsis de more feretris Præcedens prisca exsequias decorabat imago. — *c*) Item ferculum portandis spoliis in pompa triumphali. *Sil. It.* 5. 168. quis opima volenti Dona Jovi portet feretro suspensa cruento. *Id.* 17. 630. Ante Syphax, feretro residens captiva premebat Lumina. *Grat. Cyneg.* 488. et viridi fumantia liba feretro. *h. e.* feretro e frondibus composito. Adde *Tertull. Patient.* 14. Apud *Liv.* quoque 1. 10. hæc vox a nonnullis reponitur pro *ferculo*, ubi de Romulo spolia opima Jovi Feretrio dicante sermo est: docentque fuisse truncum arboris ramosum, vel duo ligna transversa, e quibus suspendebantur arma hostibus capta in morem trophæi.

FĔRĬA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. init.

FĔRĬÆ, arum, f. plur. 1. In singulari numero *Paul. Diac. p.* 85. 12. *Müll.* Feria a feriendis victimis appellata. *Cod. Theod.* 3. 12. 2. A die octavo Calendarum Julii usque in Calendas Augusti messis feria concedatur. A decimo autem Calendarum Septembris usque in Idus Octobris vindemialis feria concedatur. *Tertull. Jejun.* 2. *feriam* vocat quemcumque hebdomadæ diem. — Ceterum feriæ, *ferie, di festivi*, ἑορταὶ ἡμέραι,

I.) Proprie sunt dies cessationum ab opere. Aliquibus dictæ videntur a *feriendis* victimis: aliis ab epulis *ferendis*, quod in iis fiebant epulationes ex proventu fetus pecudum et frugum. *Cic.* 2. *Legg.* 12. 29. Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium et jurgiorum, in servis operum et laborum. — Aliæ erant cum festo, ut *Saturnalia*, quibus epulationes adjungebantur: aliæ sine festo, ut *Nundinæ*. Deinde aliæ erant publicæ, aliæ privatæ. Feriarum publicarum quatuor erant genera, *stativæ*, *conceptivæ*, *imperativæ*, *nundinæ*, de quibus *V.* suis loc. Privatæ feriæ erant vel propriæ quorumdam familiarum, vel singulorum hominum. Feriæ propriæ familiarum erant, quas quæque familia ex usu domesticæ celebritatis observabat, ut *Feriæ Claudiæ*, *Æmiliæ*, etc. Propriæ singulorum erant, ut natalium dierum, quæ nataliciæ dicebantur, expiationes fulgurum, et funerum. *Cic.* 3. *Orat.* 22. 85. Forenses feriæ. *feste di palazzo.* *Cæs.* 3. *B. C.* 2.; et *Liv.* 21. 1. et 32. 1. Latinæ. *Cic.* 2. *Legg.* 22. 57. Habere triduum ferias. *Liv.* 3. 5. Ferias indicere in triduum. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Custodire ferias. et *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. observare. *fare osservare le feste.* *Sueton. Cal.* 23. Solemnibus feriis celebrare victorias. De feriarum diebus V. *Martial.* 10. 62.; *Dig.* 2. 12. 1. et 3.; *Cod. Justin.* 3. 12. 7. et *Cod. Theod.* 2. 8. 2. — *Feriis* et *per ferias*, diebus feriarum. *Cato R. R.* 2. Per ferias potuisse fossas tergeri, vias muniri. *Colum.* 2. *R. R.* 22. 2. Feriis licet flumine abluere gregem. *et mox.* Feriis ritus majorum illa permittit, far pinsere, faces incidere, etc. — Ferias de diebus, quibus otium agebatur, dixit *Cato R. R.* 138. Boves feriis conjungere licet. — De brutis animantibus *Id. ibid.* 132. Eo die feriæ bubus et bubulcis, et qui dapem facient.

II.) Translate. *Varro* apud *Gell.* 1. 25. Feriæ belli. *h. e.* induciæ, *sospensione d'armi, tregua.* — Hinc feriæ usurpantur pro otio ac vitæ tranquillitate. *Plaut. Capt.* 4. 1. 1. Juppiter supreme – maximas opimitates opiparasque offers mihi: laudem, lucrum, ludum, jocum, festivitatem, ferias. *Id. E-*

pid. 3. 4. 32. Si sexaginta mihi denumerantur minæ, tuas possidebit mulier faxo ferias. *h. e.* hæc mulier tuarum feriarum tuique otii erit particeps. Cf. *Horat.* 4. *Od.* 5. 37. Præstare Hesperiæ longas ferias. *h. e.* longam pacem. Et *Petron. Satyr.* 24. Agere ferias. *stare in ozio.* — Rursus *Plaut. Capt.* 3. 2. 18. Venter gutturque resident esuriales ferias. *h. e.* jejunant. — Et de messis et vindemiæ tempore *Sueton. Cæs.* 40. Fastos correxit, jampridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum auctumno competerent. Cf. de scholarum feriis *Augustin.* 9. *Confess.* 2. Opportune jam paucissimi dies supererant ad vindemiales ferias, et statui tolerare illos, ut solemniter abscederem. Et de forensibus feriis *Minuc. Fel. Octav.* 2. Sane et ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant. — De feriis scholarum, quæ pueris discentibus dantur. *Prudent.* 9. περὶ στεφ. 75. Non petimus toties te præceptore negatas, Avare doctor, jam scholarum ferias. Hic pueri Cassianum præceptorem increpant. — Hinc *sine ullis feriis*, proverb. sine ulla intermissione. *Arnob.* 1. 13. Numquam omnino respirasse mortalia, et sine ullis, ut dicitur, feriis, multiplicium formas sustinuisse discriminum. — *Feriis caret necessitas*, aliud proverb. apud *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 7.: Itali dicunt *necessità non ha legge.*

FĒRĪĀLE, is, n. 3. *registro delle ferie*, edictum, seu potius index in quo feriæ per cujusque anni dies celebrandæ enumerantur. *Inscript.* non multis abhinc annis Capuæ reperta, quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CCCLXXXVII., edita vero et illustrata a *Franc. M.ª Avellino* in *Opusc. div. T.* 3. *p.* 245.-304., et apud *Henzen.* 6112. ADMINISTRANTE ROMANO JUN. SACERDOTE FERIALE DOMNORUM SIC. III. NONAS JAN. VOTA, III. IDUS FEBR. GENIALIA etc. In feriali soli dies feriati, in calendario etiam ceteri recensentur.

FĒRĬĀTĬCUS, a, um, adject. idem quod feriatus, seu festus, ut Feriatici dies, *Ulp. Dig.* 2. 12. 2., ubi al. leg. *feriati.* Sed nihil mutandum, nam præterquam quod in optimis Codicibus ita legitur, sic habetur in *Respons. Papian. tit.* 11. *ad fin.* Fiscalia vero negotia dici etiam feriaticis diebus licebit.

FĒRĬĀTUS, a, um. *V.* FERIOR.

FĒRĬCŬLUS, a, um, *diminut.* a ferus, aliquantisper ferus, subagrestis. *Petron. fragm. Tragur.* 39. *Burmann.* Nam mihi nihil novi potest afferri, sicut illi. Fericulus tamen (*h. e.* tamen ille) habuit praxim. *h. e.* callebat tamen, quæ magistra rerum experientia docet. Ita restituit locum ex Cod. Tragur. *Fr. Oriolius* in *Opusc. letter. di Bologna T.* 1. *p.* 63.

FĔRĪNUS, a, um, adject. θήρειος, ad feras pertinens (It. *di fiera, ferino*; Fr. *de bête, sauvage*; Hisp. *de bestia, bestial*; Germ. *von wilden Thieren, thierisch*; Angl. *of or belonging to a wild beast*).

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 1417. Ferina vestis. *h. e.* ex pellibus ferarum. *Cic.* 1. *Invent.* 2. 2. Victu ferino sibi vitam propagare. *Alii leg.* fero. *Catull. Pervig. Ven.* 38. Strages ferinæ. *Sall. Jug.* 21. et 91.; *Liv.* 35. 49.; et *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (161). caro. *Virg.* 11. *Æn.* 571.; et *Val. Flacc.* 2. 157. lac. *Ovid.* 2. *Met.* 523. Ferini vultus. *Id.* 5. *Trist.* 12. 55. Ferina vox. *Id.* 7. *Met.* 675. Sum nemorum studiosus, ait, cædisque ferinæ. *Id.* 15. *Met.* 457. Ferina domus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (43). Pomum sapore ferino, quem ferme in apris novimus. *Sillig.* legit: Sapore quodam ferinæ in apris. evidentissime quæ causa nominis. *Justin.* 2. 2. 9. Ferina pellis. *Val. Flacc.* 6. 379. Ferina galea.

II.) Improprie. *Gell.* 19. 2. Ferinæ voluptates. *piaceri brutali.* Sic *Ammian.* 26. 6. Ferina vita. *h. e.* vilis et abjecta. *Id.* 15. 3. Honorum vertices ferinis morsibus appetunt. *Ammian.* hoc loco metaphoram sumpsit ab *apro*, qui sæpe *ferus* dicitur: V. *Salmas.* ad *Scriptores rer. August.* vol. 2. *p.* 133. — Hinc

Ferina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est ferina caro. *Virg.* 1. *Æn.* 219. Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ. *salvaticina.* Adde *Val. Flacc.* 3. 569.

FĔRĬO, is, ire, a. 4. *Ferinunt* pro *feriunt* antiquum est, teste *Paul. Diac. p.* 162. 24. *Müll.* — *Feribo* pro *feriam* ponit *Charis.* 3. *p.* 222. *Putsch.*, quæ positio est in verbis quartæ conjugationis apud antiquos usitata. — Caret Præterito et Supino, et, quum opus est, ab *ico* aut *percutio* mutuatur. *Charis.* tamen 3. *p.* 222. *Putsch.* integram ejus conjugationem referens, *ferii, ferieram, ferierim, ferissem, ferisse, feritum ire* ei tribuit, sed sine exemplis. *Feriturus* usurpavit *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 498. — Imperat. *feri* legitur apud *Plaut. Men.* 1. 2. 63.; et *Sueton. Cal.* 30. — Part. *Feriens* I. 1. 2. et II. 1.; *Feriendus* I. 1. et 2. — Ferire est percutere, pulsare, cædere, vulnus inferre, τύπτω, κόπτω, παίω (It. *ferire, colpire, percuotere, battere*; Fr. *frapper, heurter, choquer, battre*; Hisp. *cascar, herir, golpear, aporrear*; Germ. *stechen, hauen, stossen*; Angl. *to strike, smite, beat, hit, knock*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est percutere, pulsare. — *a*) De hominibus et brutis animantibus. *Plaut. Men.* 1. 2. 63. PE. Jam fores ferio? ME. Feri. *battere alla porta.* *Cic. Cæl.* 24. 59. Quum Metellus parietem sæpe feriens eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebro Catulum nominabat. *battendo la mano sul muro.* Cf. *Sall. Jug.* 76. Si postquam murum arietibus feriri vident etc. *Lucret.* 2. 441. si forte manu corporis ipse Tute tibi partem ferias. *ti tocchi o ti percuota.* Sic *Cic.* 1. *Att.* 1. Ferire frontem. *battersi la fronte.* *Quintil.* 11. 3. 123. femur. *Id.* 11. 3. 106. manus. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 48. pectora manu. *Id.* 4. *Met.* 553. plangore pectora. *Seneca Herc. Œt.* 831. ore terram languidus prono ferit. Cf. *Lucan.* 4. 786. ferientia terram Corpora. *Cels.* 6. 7. *in fin.* Ferire tabulam malleo. *Tibull.* 2. 5. 85. ferit pede rusticus uvas. *Virg.* 2. *Æn.* 290. Certatim socii feriunt mare. *h. e.* remis pulsant. *Calpurn.* 4. *Ecl.* 128. Seu cantare juvat, seu ter pede læta ferire Gramina. *ballare*, ter pede humum pulsare, ut ait *Ovid.* 1. *Art. am.* 112. (Al. leg. *lenta ferire carmina*, h. e. cantum carminum lenta saltatione exprimere et sequi. Simile est illud *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 50. *de Horatio.* Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.). Rursus *Calpurn.* 2. *Ecl.* 11. ales ferit aera pennis. Et poetice *Horat.* 1. *Od.* 1. 36. Sublimi feriam sidera vertice. *h. e.* contingam. — *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 56. Pugiles etiam quum feriunt adversarium, in jactandis cestibus ingemiscunt. *Id. Topic.* 17. 64. Jacere telum voluntatis est; ferire quem nolueris, fortunæ. *Val. Flacc.* 6. 249. gladio Sibotes ferit ultima teli. *Ovid.* 3. *Fast.* 755. Ille cadit præceps et calce feritur aselli. *Id. Ib.* 483. venenato ab angue feriri. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 22. (71). Constat, contra omnium serpentium ictus ipsarum serpentium exta auxiliari, eosque, qui aliquando viperæ jecur coctum hauserint, numquam postea feriri a serpente. Adde *eumd. ibid.* 4. 23. (74). *Virg.* 4. *Æn.* 579. vagina eripit ensem Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro. *h. e.* incidit funes. — Absolute. *Quintil.* 2. 8. 13. Sicut ille exercendi corpora peritus, non, si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire vel calce tantum docebit. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 98. velut si Re vera pugnent, feriant vitentque moventes Arma viri. *vilent* est *ictus vilent*, quod nomen ex verbo *feriant* eliciendum est. *Virg.* 9. *Ecl.* 25. Occursare capro; cornu ferit ille, caveto. — *b*) De inanimis. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 17. Nec levius tabulæ laterum feriuntur ab undis, Quam grave ballistæ mœnia pulsat onus. *Id. ibid.* 11. 40. cæruleis charta feritur aquis. *Id.* 1. *Art. am.* 528. Qua brevis æquoreis Dia (*insula*) feritur aquis. Sic *Sil. It.* 5. 395. quam sæva Tethye Calpen Herculeam ferit. *Ovid.* 6. *Met.* 57. subtemen inter stamina ductum Percusso feriunt insecti pectine dentes. *Seneca Troad.* 833. Tinnulas plectro feriente chordas. *Val. Flacc.* 1. 384. puniceo cui circumfusa cothurno Palla imos ferit alba pedes. *h. e.* pulsat atque adeo contingit. *Lucan.* 10. 244. Venti aquas assidue feriunt. *Horat.* 2. *Od.* 10. 11. feriuntque summos Fulmina montes. *Id.* 3. *ibid.* 3. 7. Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ. Cf. *Sil. It.* 14. 768. Nec turbatum animi, tanta feriente ruina. Rursus *Horat. Art. P.* 350. Nec semper feriet, quodcumque minabitur, arcus. ¶ 2. Speciatim ponitur pro occidere; qua significatione occurrit — *a*) De hominibus et brutis animantibus. *Ennius* 8. *Ann.* 40. Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis. Sic *Sall. Cat.* 7. et 60. et *Jug.* 85. Ferire hostem. *Cic.* 3. *Verr.* 30. 75. Condemnatur Philodamus et ejus filius: urget Dolabella, ut quam primum securi feriantur. *Virg.* 12. *Æn.* 294. Telo trabali aliquem graviter ferire. *Sueton. Cal.* 30. Ita feri, ut se mori sentiat. *Quintil.* 6. 3. 61. Ferire retiarium. *Val. Flacc.* 1. 225. Ense ferire aliquos. Adde *eumd.* 3. 176. et 200. *Sall. Jug.* 6. Ad hoc pleraque tempora in venando egere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire. *Ovid.* 3. *Met.* 715. Ille mihi feriendus aper. *Trebell. Poll. Gall. duob.* 12. Ferire taurum. — *b*) De victimis et hostiis. *Horat.* 2. *Od.* 17. 30. reddere victimas Ædemque votivam memento: Nos humilem feriemus agnam. *scannerò in sacrifizio.* Sic *Virg.* 6. *Æn.* 251. ferire vaccam Proserpinæ. — *c*) Huc pertinet etiam dicendi ratio *ferire fœdus*, hoc est jungere, facere, quia in fœderibus faciendis mactabatur victima, et cæsa jungebant fœdera porca, ut ait *Virg.* 8. *Æn.* 641. seu rectius *ferire fœdus* proprie est ferire, *h. e.* mactare hœdum ad societatem ineundam (*V.* quæ dicta sunt de littera F). *Vetus formula* apud *Liv.* 1. 24. Si prior defexit (*populus Romanus*) publico consilio dolo malo, tu illo die, Juppiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque. *Id.* 9. 5. Quid aut sponsoribus in fœdere opus esset aut obsidibus, ubi precatione res transigitur? Per quem (*est hæc precationis formula*) populum fiat, quo minus legibus dictis stetur, ut eum ita Juppiter feriat, quemadmodum a Fetialibus porcus feriatur. *Cic. Rabir. Post.* 3. 6. Nec ei regi, qui alienus ab hoc imperio esset, sed ei, quicum fœdus feriri in Capitolio viderat. *Virg.* 10. *Æn.* 154. Tarchon jungit opes fœdusque ferit. *Cic. Dom.* 50. 129. Fœdera feriebantur provinciarum. *Id. Cæl.* 14. 34. Ideone ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpissimorum quotidie fœdera ferires? *affinchè tu stringessi illecite amicizie.* Adde *eumd.* 2. *Invent.* 30. 92.; *Varron.* 2. *R. R.* 4. 9.; *Flor.* 1. 10. 20.; et *Ammian.* 17. 12. ¶ 3. *Ferire pecuniam* est cudere, *batter moneta.* *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (44). Constitutumque, ut asses sextantario pondere ferirentur. — Hinc illa in vet. nummis et lapidibus III. VIR A. A. A. F. F. *h. e.* auro, argento, ære flando, feriundo.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de iis, quæ sub sensibus cadunt eosque vehementer percellunt; itemque de iis, quæ animum afficiunt. *Lucret.* 6. 692. Res feriunt oculorum acies visumque lacessunt. Adde *eumd.* 4. 218., 258. et 329. *Id.* 6. 242. Propterea fit, uti speciem quo vertimus, omnes Res ibi eam contra feriant forma atque colore. *h. e.* incurrant in oculos. *Cic.* 15. *Fam.* 16. 2. His spectris etiamsi oculi possent feriri, animus qui possit, non video. *Sil. It.* 3. 694. major repente lux oculos ferit. *Lucan.* 6. 742. pessime mundi Arbiter, immittam ruptis Titana cavernis, Et subito feriere die. *h. e.* percellam perstringamque tuos oculos subita tibique invisa luce. Cf. *Ovid.* 7. *Met.* 804. Sole fere radiis feriente cacumina primis. et *Claudian. cons. Probi et Olybr.* 122. *de hastæ cuspide.* tremulisque ferit splendoribus Hebrum. — *Cic. Orat.* 67. 226. Nec ullum genus est dicendi aut melius, aut fortius, quam binis aut ternis ferire verbis. *Quintil.* 8. 5. 13. Ut omnis sensus in fine sermonis feriat aurem. *Id.* 9. 3. 4. Quæ etiamsi fuerint crebriores, consuetas aures minus feriunt. *Seneca Herc. Œt.* 1944. Sonus trepidas aures ferit. *Lucan.* 2. 23. ferire crebris ululatibus aures. *Virg.* 5. *Æn.* 140. ferit æthera clamor. *Lucan.* 5. 774. feriat dum mœsta remotas Fama procul terras. *h. e.* rumoribus suis impleat. — *Horat.* 2. *Sat.* 3. 274. ferire verba palato. *h. e.* exprimere, loqui, lingua palatum veluti feriente. Cf. *Quintil.* 11. 3. 61. Sonat vox, ut feritur. — *Lucret.* 4. 260. Acre ferit frigus. *Lucan.* 9. 396. Me calor æthereus feriat. *Stat.* 3. *Theb.* 422. armorum tonitru ferit corda. *Seneca Hippol.* 293. Cupido virginum ignoto ferit igne pectus. *Quintil.* 12. 10. 48. Feriunt animum sententiæ. *Id.* 6. *proœm.* 3. Accidit, ut ictu simili ferirer. *h. e.* morte propinqui. *Cic.* 1. *Off.* 21. 73. Quæ faciliora sunt philosophis, quo minus multa patent in eorum vita, quæ fortuna feriat. *Lucan.* 7. 580. libertas ultima mundi, Quo steterit ferienda loco. ¶ 2. Apud Comicos est dolo fraudare, fallere, per fraudem quippiam alicui auferre, multare. *Plaut. Trin.* 2. 1. 19. Ubi illa pendentem ferit, jam amplius orat. *Ter. Phorm.* 1. 1. 13. Porro autem Geta ferietur alio munere, ubi hera pepererit. Hinc *Propert.* 4. 5. 44. Quum ferit astutos comica mœcha Getas. *Id.* 3. 2. 50. Qui volet austeros arte ferire viros. ¶ 3. Est etiam puni-

re. *Cod.* 11. 11. 1. Ferire aliquem condemnatione centum librarum auri.

Homonym. Plura sunt apud Latinos, quæ percutere, pulsare, cædere generatim significant: horum præcipua ita distinguenda videntur.

I.) *Ferire* proxime accedit verbo *icere*: utrumque ictus vim talem exhibet, ut, si sermo sit de animalibus, occidere, si de victimis, immolare significet: in eo fortasse differunt, quod in uno verbo *icere* ratio habetur termini a quo ac præcipue termini ad quem ictus descendit (*V.* ICERE loco suo). Quoniam vero utrumque defectivum est, verbi enim *ferire* præsens, imperfectum et futurum, verbi autem *icere* perfectum et plusquamperfectum solummodo in usu sunt; ita sæpe alterum alteri sufficitur. *Liv.* 2. 33. Cum Latinis populis ictum fœdus. Ad id feriendum consul alter Romæ mansit.

II.) *Ferire* et *verberare* (quod volunt esse ex eodem etymo geminato *verber* pro *ferfer*) percutiendi significationem præ se ferunt, ita tamen, ut *feriens* percutiat instrumento acuto, penetrabili et aliquando lacerante, contra *verberans* instrumento, quod resultat. Præterea utrumque lædendi significationem complectitur; sed unum *verberare*, proprio ac stricto sensu, de hominibus tantum ceterisque animalibus usurpatur. *Cic. Topic.* 17. 64. Jacere telum voluntatis est; ferire quem nolueris, fortunæ. *Plaut. Amph.* 2. 1. 60. SOS. Sum obtusus pugnis pessume. AMPH. Quis te verberavit?

III.) *Ferire* est percutere et vulnerare generatim; *cædere, pulsare, mulcare* et *tundere* unum idemque significant, sed speciatim. *Ferimus* enim non modo securi, gladio, flagello, virgis etc., verum etiam baculo, pugnis, pedibus: sed qui *cædit*, instrumento utitur, quod secat, ut securi, gladio etc., vel quod vulnerat, ut flagello, virgis etc.: qui vero *pulsat, tundit* et *mulcat* instrumento utitur duro atque obtuso, ut baculo, pugnis, pedibus. Præterea *pulsari* et *tundi* quidquid dicitur, ut homo, janua, humus etc.: *mulcari* fere de animalibus et præcipue de homine usurpatur. Denique qui *pulsat, tundit* et *mulcat*, rei superficiem percutit, nec semper discindit ac dilacerat: qui *cædit* et *ferit*, rem plerumque discindit ac dilacerat, hoc tamen discrimine, quod cædens lineam (*cæsim*), *feriens* vero punctum (*punctim*) tangit. *Curt.* 8. 11. 14. Quum superne tela barbari ingererent, sæpius ipsi feriebantur, quam vulnerabant. *Liv.* 35. 5. Obstabant duces hastilibus cædentes terga trepidantium. *Id.* 2. 5. Nudatos virgis cædunt, securique feriunt. *Id.* 22. 48. Tergaque ferientes ac poplites cædentes stragem ingentem fecerunt. *Cic.* 7. *Verr.* 54. 142. Cædunt acerrime virgis: denique proximus lictor – converso bacillo oculos misero tundere vehementissime cœpit. – Quum jacenti latera tunderentur etc. *Id.* 6. *ibid.* 43. 94. Male mulcati clavis et fustibus repelluntur.

IV.) *Verberare* de reo vel servo speciatim usurpatur, a quo, jure ac legitime, publicus magistratus vel dominus pœnas exigit ac sumit; eique respondet verbum *vapulare*: *pulsare* vero, *mulcare* et *tundere* dicuntur, qui alium injuria et vi, odii ulciscendi causa percutiunt; et præterea qui *pulsat*, levius percutit et, potius quam corpus, hominis lædit dignitatem; qui *tundit* et *mulcat*, violentius ac ferocius percutit summoque dolore corpus afficit. *Cic.* 5. *Verr.* 26. 66. Videtis pendere alios ex arbore, pulsari autem alios et verberari. *Id.* 7. *ibid.* 51. 141. Lictores valentissimi et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi. Pro *tundere*. V. locum *Cic.* allatum sub III. Rursus *Cic. Mil.* 14. 37. Vibienus ita est mulcatus, ut vitam amiserit.

V.) Denique etiam *pavire* et *cudere* significant percutere: sed *pavire* a Gr. παίω est rem mollem pulsando et calcando solidare, unde *pavimentum*; *cudere*, unde *incus, cudis*, est rem solidam ac duram percutere, donec nova ei forma induratur. *Varro* 1. *R. R.* 51. 1. Aream esse oportet solidam, terra pavita. *Cudere* autem et *ferire* eodem sensu occurrunt, quum de pecunia sermo est, *æs cudere, æs ferire*. — A verbo *cudere* differt etiam *tundere*, hoc est maximo conatu et violenter percutere, immo aliquando comminuere: quod discrimen ex compositis præcipue patet; namque *excudere* est aliquid artificiose, *extundere* est aliquid per vim percutiendo eruere et efficere. *Virg.* 6. *Æn.* 848. Excudent alii spirantia mollius æra. *Cels.* 4. 4. Frequens tussis sanguinem quoque extundit. *Virg.* 1. *G.* 133. Ut varias usus meditando extunderet artes, Et silicis venis abstrusum excuderet ignem. — *NB.* Alia, ut *battuere, hostire* etc., quippe parum usitata ac vetera, omittenda putavimus.

FĒRIOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Feriatus* in fin.; *Feriaturus* init. — Ferior usum habet maxime in præteritis; et est ferias ago, ab opere cesso, otiosus sum, σχολάζω (It. *far vacanza, oziare*; Fr. *ne rien faire, prendre du repos*; Hisp. *estar ocioso*; Germ. *ruhen, feiern, müssig sein, Feiertag haben, halten*; Angl. to *keep holiday, be vacant or free from work or study*). *Varro* 6. *L. L.* 55. *Müll.* Qui Fornacalibus suis non fuerint feriati. *Cic.* apud *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 4. Tertium diem jam feriati sumus. *Macrob. ibid.* 7. Achilles recenti lacessitus injuria ab armis cum suo milite feriabatur. *Id.* 1. *Saturn.* 2. Non ludo, sed serio feriari. *Sidon.* 9. *Ep.* 11. *a med.* Animus tandem feriaturus. — Hinc Part. præter.

Feriatus, a, um, adjective occurrit, et est qui otiosus et quietus est et nihil agit.

I.) Proprie de hominibus. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 62. Feriatus ne sis. *Varro* 1. *R. R.* 16. 4. Ne de fundo familia ab opere discedat, ac pro festis diebus ambulet feriata (italice *vada a spasso*) potius quam opere faciundo agrum fructuosiorem reddat. *Cic.* 1. *Nat. D.* 37. 102. Deum sic feriatum volumus cessatione torpere. *Id.* 3. *Orat.* 15. 58. Sic illi a negotiis publicis, tamquam ab opere, aut temporibus exclusi aut voluntate sua feriati, totos se ad poetas contulerunt. *Trebonius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 16. 2. Ne putes, in Asia feriatum illum ab iis studiis, in quæ tua cohortatione incitatur, futurum. *Martial.* 3. 47. Nec feriatus ibat ante carrucam, Sed tota fœno cursor ova portabat. *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. Flaminica feriata erat. *Capell.* 1. p. 13. Jam velut maritali vacatione feriatus. *h. e.* ob matrimonium consecutus muneris vacationem. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 2. Musæ feriatæ. — *Male feriatus* dicitur, qui intempestivo otio deditus est. *Horat.* 4. *Od.* 6. 14. male feriatos Troas, et lætam Priami choreis Falleret aulam. Sic *Gell.* 10. 22. *ad fin.* Hæc Plato disseruit de ista futili atque puerili meditatione argutiarum, in qua id genus homines consenescunt male feriati, quos philosophos esse vulgus putat.

II.) Translate de rebus. *Feriati dies* sunt, in quibus feriæ aguntur, *giorni di festa*. *Plin.* 10. *Ep.* 24. Et sequens mensis complures dies feriatos habet. *Id.* 3. *ibid.* 14. Et charta adhuc superest, et dies feriatus patitur plura contexi. Adde *Ulp. Dig.* 2. 12. 2. — *Plaut. Mil. glor.* 1. 7. Ego hanc machæram mihi consolari volo, ne lamentetur, quia se jampridem feriatam gestitem. *h. e.* quod ea jampridem non sim usus. Sic *Pacat. Paneg. Theod.* 40. An ego quum ab Alpibus Juliis otioso feriatoque ferro, non prælium fuisse videam, sed triumphum etc. *Plin.* 7. *Ep.* 3. Toga feriata. *h. e.* qua nemo utitur. *Prudent.* 6. *Cathemer.* 27. pectus. *Id.* 6. περὶ στεφ. 156. freta. *h. e.* tranquilla. *Ennod.* 4. *Ep.* 14. In Panfronii mei commendatione ure feriato mens dictat epistolam.

FĔRĪTAS, ātis, f. 3. duo diversa significat, prout est *A*) a *ferus, a, um*; vel *B*) a *fero, fers*.

A) Feritas a *ferus*, ἀγριότης, est natura ejus, qui ferus est, *h. e.* nullo cultu mitigatus, aut mansuefactus, silvestris, non domitus, feræ similis, mores ferini, naturæ asperitas, immanitas, crudelitas (It. *selvatichezza, rozzezza, fierezza*; Fr. *mœurs sauvages, férocité, naturel farouche*; Hisp. *costumbre silvestre, ferocidad*; Germ. *die Wildheit, d. Rohheit, d. wilde Wesen*; Angl. *savageness, wildness, fierceness, cruelty, barbarity*).

I.) Proprie usurpatur de hominibus. *Cic.* 1. *Off.* 44. 157. Magnitudo animi, remota communitate conjunctioneque humana, feritas est quædam et immanitas. *Id. Sext.* 42. 91. Ex feritate ad justitiam atque mansuetudinem traducere homines. *Id.* 2. *Tusc.* 8. 20. Feritatem expellere. *Auct. B. G.* 8. 25. Trevirorum civitas cultu et feritate non multum a Germanis differebat. *Ovid.* 4. *Fast.* 217. Feritas mollita. et 103. deposita. *et* 3. *ibid.* 281. Feritatem exuere. *Id.* 1. *Pont.* 7. 5. Inamabilis feritas. *Sil. It.* 1. 148. Fructus regni feritas erat. *Tac. Germ.* 43. Feritas insita. *scil.* Ariorum. *Flor.* 1. 22. 1. Feritas populi Romani. *Id.* 2. 11. 4. Genuina feritas eorum (*Gallorum*). *Sueton. Cal.* 25. Feritas infantis. *Justin.* 23. 1. 16. Feritatem incendere. *Id.* 18. 3. 8. Trux feritas. *Id.* 25. 2. 7. Feritas finitimorum. *Id.* 43. 3. 4. Feritas Gallica. *Vellej.* 2. 106. Langobardi, gens etiam Germana feritate ferocior. *Ammian.* 14. 10. *init.* Inopia simul et feritas. *Eumen.* pro *rest. Schol.* 18. Feritas Francorum. *Id. Pan. Const. Aug.* 5. Feritatem ponere.

II.) Improprie dicitur de rebus inanimis. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 112. Scythici loci feritas. *asprezza del paese*. Cf. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 33. Feritas inamœna viæ. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 37. *de menta*. Quæ res feritatem detrahit, atque edomitam reddit. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (124). Compescere nimiam musti feritatem.

B) Feritas, a *ferendo*, pro fertilitate videtur usurpari a *Tertull. carm. de Sodoma*.

FĔRĬTO, as, are, a. 1. *frequentat.* a fero. Occurrit tantum Part. *Feritans* apud *Solin.* 56. Palmeta caryotas feritantia. *Alii leg.* ferentia.

FERMĒ, adverb. idem ac *fere*, illud enim me nihil aliud est quam suffixum: ita enim docet *Varro* 7. *L. L.* 92. *Müll. Ferme* dicitur, quod nunc *fere*; utrumque dictum a *ferendo*, quod id, quod fertur, est in motu atque advenit. — Itaque ¶ 1. Ferme significat alicui rei aliquantum accedere, et est quasi, propemodum, circiter, σχεδὸν (It. *quasi, a un di presso, presso che, all' incirca*; Fr. *presque, à peu près, environ, en grande partie*; Hisp. *casi, cerca, poco falta*; Germ. *ziemlich, höchstens, ungefähr, beinahe, fast, grösstentheils, hauptsächlich*; Angl. *almost, nearly*). Occurrit — *a*) De numero, mensura etc. *Plaut. Bacch.* 3. 2. 4. Ut in Ephesum hinc abii (hoc factum est ferme abhinc biennium) etc. *Liv.* 1. 40. Duo de quadragesimo ferme anno, ex quo regnare cœperat Tarquinius, etc. *Vellej.* 2. 90. *extr.* Ad eam pacem abhinc annos ferme quinquaginta perduxit Cæsar Augustus. *Id.* 1. 5. 3. Nam ferme ante annos nongentos et quinquaginta floruit, intra mille (*Homerus*) natus est. *Id.* 2. 11. *extr.* Quippe intra duodecim ferme annos hujus temporis consules fuere Metelli aut censores. *Id.* 2. 10. 2. ante annum ferme. *Tac.* 6. *Ann.* 51. tribus ferme et viginti annis. *Justin.* 41. 6. 1. eodem ferme tempore. *Id.* 17. 1. 1. per idem ferme tempus. *Id.* 18. 2. 8. et 29. 1. 1. iisdem ferme temporibus. *Apul.* 1. *Met. init.* diem ferme circa medium. *Sall. Jug.* 48. A quo flumine aberat mons ferme millia viginti. *Liv.* 30. 9. *extr.* Abest ab Carthagine quindecim millia ferme passuum. *Id.* 30. 8. In tumulo quatuor ferme millia distante ab castris regiis consedit. Adde *eumd.* 9. 1. *Curt.* 9. 8. 30. Defluxit ad insulam medio ferme alveo enatam. *Liv.* 30. 10. *sub fin.* Sex ferme onerariæ abstractæ sunt. *Tac.* 15. *Ann.* 18. ducentæ ferme naves. *Liv.* 30. 10. Mille ferme delecti propugnatores onerariis imponuntur. *Curt.* 4. 10. 10. Persarum exploratores erant mille ferme. *Id.* 3. 3. 21. Dextra lævaque regem ducenti ferme nobilissimi propinquorum comitabantur. *Liv.* 42. 51. Summa omnium quadraginta millia armata fuere, quorum pars ferme dimidia phalangitæ erant. *Justin.* 22. 4. 5. major pars ferme militum. *Mamertin. Grat. act.* 24. duo aut tria ferme amicorum paria. *Justin.* 24. 1. 2. omnes ferme Græciæ civitates. *Id.* 12. 1. 6. Græcia ferme omnis. *Id.* 20. 1. 2. universa ferme Italia. *Id.* 35. 1. 9. totius ferme orientis. *Id.* 42. 2. 11. totius ferme orbis. *Tac.* 3. *Ann.* 76. Quum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Cæsarem omisit. *Ter. Phorm.* 5. 7. 21. Ferme eadem omnia, quæ tute dudum coram me incusaveras. *Cic.* 1. *ad Brut.* 2. *sub fin.* De me possum idem, quod Plautinus pater in Trinummo (2. 2. 38.): Mihi quidem ætas acta est ferme. *Tac.* 15. *Ann.* 25. In tantum ferme modum aucta potestate. — *b*) Item de aliis, ac præcipue de iis, quæ sermone aliquo, vel scriptura etc. continentur. *Liv.* 23. 21. In has ferme leges fœdus ictum. *Id.* 6. 29. his ferme incisa litteris. *Tac.* 2. *Ann.* 38. his ferme verbis usus. *Id.* 14. *ibid.* 55. sic ferme respondit. *Id.* 30. 24. In conspectum ferme Africæ prospero cursu vectus. *Cæs.* 3. *B. G.* 12. Erant ejusmodi ferme situs oppidorum. *Liv.* 1. 15. Hæc ferme Romulo regnante gesta sunt. *h. e.* præcipue. *Id.* 21. 59. Æquata ferme pugna est. *h. e.* maxima ex parte. ¶ 2. Item significat alicui rei quam

proxime accedere, et est valde, omnino. — *a*) Affirmative. *Nævius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 92. *Müll.* Eccum venire video ferme injuria. *Cic.* 1. *Divinat.* 11. 18. Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinæ. *Plaut. Pers.* 4. 1. 3. Atque edepol, ferme ut quisquam rem accurat suam, sic ei procedunt postprincipia denique. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 32. Illæ mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia. *Id. Andr.* 1. 5. 49. Jam ferme moriens me vocat. *Lucret.* 3. 65. Turpis enim ferme contemptus et acris egestas. *Gell.* 11. 2. Eum constabat virum esse ferme bonum, notæque et expertæ fidei, et vitæ inculpatissimæ. — *b*) Sæpe jungitur negativis, et est non facile. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 40. Facio, quod manifesto mœchi haud ferme solent: refero vasa salva. *Id. Trin.* 3. 3. 3. Namque hercle honeste fieri ferme non potest. *Ter. Andr.* 3. 1. 1. Fidelem haud ferme mulieri invenias virum, *non così facilmente troverai. Cic.* 1. *de republ.* 45. Hoc in hac moderateque permixta conformatione reipublicæ non ferme sine magnis principum vitiis evenit. *Id.* 5. *Tusc.* 38. 111. Sapientis cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos. *Id. Brut.* 43. 161. Ut nihil eo ferme quisquam possit addere. *Id.* 2. *de republ.* 34. Quod quum honore longe antecederent ceteris, voluptatibus erant inferiores, nec pecunia ferme superiores. *Liv.* 1. 21. Nec ferme res antiqua alia est nobilior. *Id.* 36. 43. Ita numero non ferme impares futuros. *Id.* 22. 9. *ad fin.* Quod non ferme decernitur, nisi quum etc. ¶ 3. Quum ad eventus refertur, est plerumque, *per lo più, per l'ordinario, per solito. Cic.* 1. *de republ.* 42. Quem (tyrannum), si optimates oppresserunt, quod ferme evenit, etc. *Sall. Jug.* 74. Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti: nam ferme apud Numidas in omnibus prœliis magis pedes, quam arma tuta sunt. *Liv.* 21. 54. Rivus circa obsitus palustribus herbis, et, quibus inculta ferme vestiuntur, virgultis vepribusque. *Id.* 34. 13. Nocte ferme proficiscebantur. *Id.* 7. 2. Ceterum parva quoque, ut ferme principia omnia, et ea ipsa peregrina res fuit. *Tac.* 2. *Ann.* 2. Et accepere barbari lætantes, ut ferme ad nova imperia. *Id.* 6. *ibid.* 17. Arribus, ut ferme talia, initiis. *Id.* 2. *ibid.* 54. Sed certis e familiis et ferme Mileto adscitus sacerdos. *Id.* 12. *ibid.* 36. Ut ferme intuta sunt adversa. *Id.* 4. *Hist.* 70. Ut ferme acerrima proximorum odia sunt. *Juvenal.* 13. 236. Mobilis et varia est ferme natura malorum.

FERMENTĀRIUS, a, um. *V.* voc. seq.

FERMENTĀTĪCIUS, a, um, adject. fermento imbutus, ut Fermentaticius panis apud *Isid.* 20. *Orig.* 2. Alii leg. *fermentarius* vel *fermentatius*; sed *fermentaticius* retinendum; nam *clibanicius* etiam et *focacius* alius dicitur.

FERMENTĀTUS, a, um. *V.* FERMENTO.

FERMENTESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* a fermento, ζυμόομαι. Part. *Fermentescens.* — Fermentescere est crescere et rarescere, addito fermento, et proprie de pane dicitur. Translate de terra, quum densitas illa glæbarum rarefit et resolvitur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (15). Tellus quoque illo modo (h. e. *ex nive diutius sedente*) fermentescit. *Id.* 28. *ibid.* 8. 28. (109). Crocodilea, quum teratur inter digitos, fermentescens.

FERMENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Fermentatus* I., II. 1., et in fin. — Fermento, ζυμόω, est fermento imbuo (It. *lievitare, fermentare*; Fr. *faire fermenter, faire entrer en fermentation*; Hisp. *fermentar*; Germ. *in Gährung bringen*; Angl. *to leaven or ferment*).

I.) Proprie dicitur de pane. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 26. (103). Quum fieret panis hordeaceus, ervi aut cicerculæ farina ipse fermentabatur. *Id. ibid.* (104). Validiora esse corpora, quæ fermentato pane aluntur. Adde *Cels.* 2. 25. et 29. — Et de aliis. *Colum.* 12. *R. R.* 17. 1. Ficus viridis in amphoras conditur, et ibi sinitur fermentari: deinde quum exacuit, etc.

II.) Improprie. ¶ 1. Transfertur ad terram, quæ stercoratione solvitur, rarefit atque intumescit. *Varro* 1. *R. R.* 38. 1. et *Colum.* 2. *R. R.* 15. 1. De his præstare columbinum stercus, quod calidissimum sit et fermentare possit terram. *Colum.* 11. *ibid.* 3. 13. Vis frigoris excoquit terram fermentatamque solvit. ¶ 2. Metaphorice. *Paulin. Nolan. carm.* 10. 263. et male dulces Fermentare jocos satyræ mordentis aceto. — Hinc Part. præter. pass., cujus superius exempla retulimus,

Fermentatus, a, um, adjective quoque usurpatur, et quidem translate tantum et ¶ 1. Est mollis. *Varro* 2. *R. R.* 9. 4. *de notis optimorum canum.* Debent esse pedibus magnis, digitis discretis, unguibus duris, solo nec ut corneo, nec nimium duro, sed ut fermentato ac molli. *h. e.* leviter intumescente simul et lentescente. *Colum.* 4. *R. R.* 1. 3. Si deprimantur semina in regesto, quod est fermentatum, plus dipondio seculisse. *h. e.* solutum laxumque, et velut fermento quodam intumescens, ut *ibid. paullo post* dicit, atque adeo in altitudinem crevit. ¶ 2. Hinc metaphorice *fermentati mores* apud *Prudent. Apotheos.* 354., *h. e.* corrupti, mali. Fermentum enim ex corruptis rebus et acescentibus fit, ut videre est apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 26. (101).

FERMENTŌSUS, a, um, adject., quod translate tantum occurrit pro corrupto: *V.* FERMENTUM II. 2. *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. *bis retro Ald.* Tribus ergo, ut supra diximus, officiis ac discretionibus non recte constitutis, non digeri cibos, et in alborem inquit verti, putredinem seu fermentosam sumere qualitatem, quam zymosin appellavit.

FERMENTUM, i, n. 2. ζύμη,

I.) Proprie est intritum ex farina aqua subacta et macerata sine sale, donec acescat, ut *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 26. (104). docet: a *fervendo,* quasi *ferrimentum,* quia massam ad panificium subactam, cui injicitur, quasi fervefacit et attollit, turgidamque reddit (It. *fermento, lievito*; Fr. *ferment, levain*; Hisp. *fermento, levadura*; Germ. *das was zum Gährung bringt, daher Sauerteig*; Angl. *leaven, ferment, barm*). *Cels.* 2. 24. Stomacho autem apta sunt — panis sine fermento, et ciota alica, vel oryza etc. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (68). Spuma item concreta pro fermento utuntur. *V.* PANIFEX.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de eo quod terram resolvit et raram ac tumidam reddit. *Colum.* 4. *R. R.* 1. 7. Repastinata humus, dum est recens, soluta laxaque velut fermento quodam intumescit. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 11. 13. et 2. *ibid.* 2. 19. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (159). Solum apricum — bidente pastinari debet, ternos pedes bipalio alto, marra rejici quaternum pedum fermento, ita ut pedes binos fossa procedat. Ita *Harduin.* (quem et *Sillig.* sequitur) legit ex MSS. (al. *ferramento*) et interpretatur: humus e fossa duum altitudinis pedum extracta, ad pedum quatuor altitudinem debet crescere, quum laxior facta est repastinationis ope. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 18. 1. ¶ 2. Apud *Virg.* 3. *G.* 379. et pocula læti Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis. *fermentum* est cervisia, quæ fit ex hordeo, aut frumento, in quamdam similitudinem vini corrupto, ut ait *Tac. Germ.* 23. ¶ 3. Metaphorice dicitur de ira, quia animus ira, tamquam fermento, et aresrit et turgescit. *Plaut. Merc.* 5. 3. 3. et *Cas.* 2. 5. 17. Mea uxor tota in fermento jacet. ¶ 4. Item pro causa irascendi et indignandi. *Juvenal.* 3. 188. accipe, et illud Fermentum tibi habe. ¶ 5. *Pers.* 1. 24. Quo didicisse, nisi hoc fermentum, et quæ simul intus Innata est, rupto jecore exierit caprificus? *h. e.* sicut frustra injicias fermentum in massam, nisi ut eam inflet et majorem faciat, sic, quid mea mihi eruditio proderit, nisi erumpat et clariorem me faciat? Cf. *Solin. Epist. ad Advent.* Cui libro, si animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei inesse, quam bracteas eloquentiæ deprehendes. *h. e.* res ejusmodi, unde cognitio multiplex augeatur, quemadmodum fermentum massæ farinæ adjectum eam crescere facit.

FĔRO, fers, tŭli, lātum, ferre, anom. Præteritum cum reduplicatione non semel apud veteres legitur: *tetuli* enim occurrit apud *Plaut. Amph.* 2. 2. 81. et 168., *Men.* 4. 2. 25. et 66. et *Rud. prol.* 68.; *tetulisti* apud *Accium* et *Cæcilium* apud *Non. p.* 178. 17.; *tetulit* apud *Plaut. Most.* 2. 2. 40. et *Men.* 2. 3. 30., et *Ter. Andr.* 5. 1. 13.; *tetulerunt* apud *Lucret.* 6. 673.; *tetulero* apud *Plaut. Cist. a.* 3. *v.* 19.; *tetulerit* apud *Plaut. Pœn.* 3. 1. 58. et *Rud.* 4. 3. 101.; *tetulissem* apud *Ter. Andr.* 4. 5. 13.; *tetulisse* apud *Plaut. Rud.* 4. 1. 2. — *Ferris* per syncopen pro *fereris, h. e.* diceris, est apud *Auson. epigr.* 114. — Part. *Ferens* I. 1. et in fin.; *Latus* I. 1. et II. 12. *b.*; *Laturus* II. 7. 1."; *Ferendus* I. 1. — De hoc verbo *Quintil.* 1. 4. 29. Quædam etiam mutantur, ut *fero* in præterito. *Id.* 1. 6. 26. Quod verbis etiam accidit, ut *fero,* cujus præteritum perfectum et ulterius non invenitur. — Itaque *fero* est verbum compositum ex duobus primitivis *fero* φέρω, et *tulo* (unde *tollo* et deinde *tolero*) τλάω, τλῆμι, *latum* enim est pro *tlatum,* ut a τλάω est τλητός. Significat autem portare, gerere (It. *portare*; Fr. *porter, apporter*; Hisp. *llevar, traer*; Germ. *tragen, bringen*; Angl. *to carry, bear, bring*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu ferre est bajulare, ut docet *Cajus* 50. 16. 235. *Ferri* proprie dicimus, quæ quis suo corpore bajulat: *portari* ea, quæ quis in jumento secum ducit: *agi* ea, quæ animalia sunt. *Liv.* 39. 54. Arma deinde sibi, et postremo omnia, quæ ferrent agerentve, adempta. Hæc tamen discrimina inter *fero* et *porto* non fere observantur. — *Ter. Phorm.* 3. 3. 29. Audacissime oneris quidvis impone et feret. *Id. Heaut.* 1. 1. 17. Quin te in fundo conspicer fodere, aut arare, aut aliquid ferre. *Cæs.* 1. *B. G.* 29. Qui numerus domo exisset eorum, qui arma ferre possent, et item separatim pueri, senes mulieresque. *Horat. Epod.* 9. 13. Ferre arma et vallum. *Flor.* 2. 18. 10. vallum. *Tac.* 14. *Ann.* 64. Caput amputatum latumque in urbem Poppæa vidit. *Cic.* 1. *Divinat.* 26. 55. Servus per circum, quum virgis cæderetur, furcam ferens ductus est. *Nepos Pelop.* 2. Illi igitur duodecim (*adolescentuli*) cum canibus venaticis exierunt, retia ferentes. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 11. Ferre sacra Junonis (in capite). *Id.* 2. *ibid.* 5. 86. cadaver humeris. *Quintil.* 8. 4. 24. loricam humeris. *Petron. Satyr.* 122. aliquid humeris. *Val. Flacc.* 2. 459. super terga leonem. *Ovid.* 2. *Met.* 872. mediique per æquora ponti (*Juppiter in taurum conversus*) Fert prædam. *h. e.* Europen, quæ dicitur paullo ante *v.* 869. ausa tergo considere tauri. *Sil. It.* 9. 586. Clamantemque ferens calcata per agmina portat. *h. e.* sustinens. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 85. *de mure.* Ore ferens acinum semesaque lardi frusta. *Plaut. Asin.* 3. 3. 142. Pater nos ferre hoc argentum jussit ad te. *Id. Bacch.* 2. 3. 30. Extemplo ostendit symbolum, quem tute dederas ad eum, ut ferret filio. *Ter. Andr.* 2. 2. 32. Olera et pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni. *Horat.* 2. *Od.* 3. 14. Huc vina et unguenta et flores ferre jube. *Id.* 2. *Sat.* 8. 15. Cæcuba vina. *Id. ibid.* 8. 86. deinde secuti Mazonomo pueri magno discerpta ferentes Membra gruis. *Id. ibid.* 3. 172. postquam te talos, Aule, nucesque Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi. *Justin.* 1. 5. 10. Epistola, quia palam ferri nequibat, exenterato lepori inseritur; leporisque in Persas Cyro ferendus fido servo traditur. *Id.* 18. 4. 7. Nec aliter ferri, nisi in ungula equi, venenum potuit. *Id.* 31. 7. 4. Ferre peculiare donum Africano. *Curt.* 3. 1. 23. tributum alicui. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 77. Surda sit oranti tua janua, laxa ferenti. *h. e.* ferenti munera. *Cic. Amic.* 11. 37. Si te in Capitolium faces ferre vellet. *Id.* 2. *Phil.* 41. 106. Operta lectica latus per oppidum est ut mortuus. *Nepos Hann.* 4. Qua valetudine quum etiam premeretur lecticaque ferretur. et *Sueton. Claud.* 2. Lectica in Capitolium latus est. *Quintil.* 6. 1. 47. Circa judices latus puer. *Sueton. Cal.* 19. Præ se ferens (*in essedo*) Darium puerum. *Virg.* 11. *Æn.* 730. Tarchon fertur equo. *Id.* 8. *ibid.* 549. pars cetera prona Fertur aqua. *naviga a seconda.* V. paragr. proxime seq. — Poetice sequente infinito. *Stat.* 1. *Achill.* 133. natum ad Stygios iterum fero mergere fontes. — Huc pertinent et poetica illa *Virg.* 3. *Æn.* 490. Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat. *portava.* et *Stat.* 1. *Achill.* 339. sic ergo gradus, sic ora manusque, Nate, feres. Similiter *Virg.* 1. *Æn.* 193. cervi capita alta ferentes Cornibus arboreis. — Huc denique pertinet et illud *ferre aliquem in oculis,* h. e. vehementer amare, *tener caro, amare teneramente. Cic.* 6. *Phil.* 4. 11. Oderat tunc, nunc fert in oculis. Adde *eumd.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. 9. et *Harusp. resp.* 23. 48.; et *Q. Cic.* 16. *Fam.* 27. Sic per ellipsin *Ter. Eun.* 3. 1. 11. Rex te ergo in oculis. *h. e.* fert. Alii tamen aliter interpretantur. ¶ 2. Generatim de quocumque motu, et præcipue de celeri ac rapido usurpatur. — *a*) Sic de motu ab inferiore parte ad superiorem, sive pro extollere, *innalzare. Lucret.* 3. 433. in somnis sopiti ubi cernimus alta Exhalare vapore altaria ferreque fumum. *Id.* 1. 726. ut vis evomat ignes, Ad cælumque ferat flammai fulgura rursum. *Horat.* 3. *Od.* 23. 1. Cælo supinas si tuleris manus. *Val. Flacc.* 3. 137. hinc alto Phœbi surgentis ad orbem

Ferre manus. Cf. *Sil. It.* 1. 360. Hæc (*ignea lampas, seu stella transcurrens*) ictu rapido pugnantum sæpe per auras, Attonito ductore, tulit fumantia membra. *Sueton. Aug.* 94. Flamma supergressa fastigium templi ad cælum usque fertur. — *b*) Sæpius de motu a loco ad locum, sive pro *transferre*. *Ovid.* 4. *Met.* 335. manus ad eburnea colla ferenti. *Quintil.* 11. 3. 99. Supina manus in sinistrum latus fertur. *Plaut. Truc.* 1. 2. 24. To fer contra manum et pariter gradere. *h. e.* manum porrige, *porgere, stendere,* quod in salutationibus fieri solebat. Contra *Virg.* 5. *Æn.* 401. In medium geminos immani pondere cæstus Projecit: quibus acer Eryx in prælia suetus Ferre manum, duroque intendere brachia tergo. *h. e.* conserere, congredi, *azzuffarsi, venire alle mani.* *Cic. Amic.* 11. 36. Ferre arma contra patriam. *guerreggiare.* *Nepos Att.* 4. Cum quibus, *ne* contra te arma ferrem, Italiam reliqui. *Liv.* 38. 11. Hostes eosdem habeto, quos populus Romanus, armaque in eos ferto, bellum pariter gerito. — Similiter in re militari *ferre signa* est castra movere, *muovere, levare il campo.* *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Nonnulli Cæsari renunciabant, quum castra moveri ac signa ferri jussisset, non fore dicto audientes milites, neque propter timorem signa laturos. Adde eumd. 1. *ibid.* 40.; et *Liv.* 9. 23., 10. 5. et 30. 10. Postice *Sil. It.* 1. 112. Dum fert Herculeis Garamantica signa columnis, Occubuit sævo Tyrius certamine ductor. *h. e.* duci fert arma, agmina. — *c*) *Ferre pedem* est ire, accedere, *andare, accostarsi.* *Ter. Andr.* 4. 5. 13. Pol, si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem. *Virg.* 2. *Æn.* 756.; *Horat.* 2. *Od.* 12. 17.; et *Val. Flacc.* 7. 112. pedem. *Lucret.* 4. 683. gressum. *Ovid.* 4. *Fast.* 498.; et *Sil. It.* 3. 180. agiles gressus. *Plaut. Merc.* 5. 2. 11. gradum. *Ovid.* 7. *Met.* 185. vagos gradus. *Sil. It.* 9. 101. vestigia. *Id.* 9. 243. vagos cursus. — *d*) *Ferre se* est ire, incedere, *portarsi, andare.* *Cic. Planc.* 40. 96. Ferre se obviam alicui. Cf. *eumd.* 1. *de republ.* 4. Non dubitaverim me gravissimis tempestatibus obviam ferre. *Virg.* 2. *Æn.* 672. neque extra tecta ferebam. *Id. ibid.* 455. infelix qua se, dum regna manebant, Sæpius Andromache ferre incomitata solebat Ad soceros. *Seneca Med.* 916. Ferte vos huc. *Sil. It.* 5. 492. huc sese cohors tulit. *Val. Flacc.* 8. 110. Ferre se ad caput arboris. *Id.* 1. 199. se silvis. *Id.* 8. 148. se jugis. *Id.* 5. 405. se adytis. *Sil. It.* 2. 527. ferens sese Saturnia castris. *Id.* 14. 317. se propius tectis tulere. *Virg.* 8. *Æn.* 199. *de Caco.* magna se mole ferebat. Sic *Sil. It.* 1. 497. tota se mole tulit. Rursus *Virg.* 11. *Æn.* 779. capitis ut se ferret in auro. *per farsi vedere, comparire.* *Sueton. Aug.* 32. Grassatorum plurimi palam se ferebant. *Forcellinus* addit etiam illud *Nepot. Datam.* 4. Quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem, pertimescit. — Et de inanimis. *Lucret.* 6. 673. Ubi forte ita sese retulerunt semina aquarum. — *e*) Etiam *ferri* hoc sensu dicitur, sed velocitatem atque impetum plerumque significat. *Cæs.* 3. *B. C.* 78. Timens, ne præoccuparetur, ad eum omni celeritate et studio incitatus ferebatur. *Virg.* 9. *Æn.* 553. fera saltu supra venabula fertur. *Id.* 11. *ibid.* 530. Huc juvenis nota fertur regione viarum. *Id.* 2. *ibid.* 511. densos fertur moriturus in hostes. *si slancia, si scaglia.* *Id.* 10. *ibid.* 442. In Pallanta feror. *Id.* 12. *ibid.* 346. in prælia. *Ovid.* 4. *Trist.* 9. 27. in pugnas. Cf. *eumd.* 2. *Met.* 69. in præceps. *Val. Flacc.* 6. 330. feror Arctois nam liber in arvis. *Virg.* 2. *Æn.* 725. ferimur per opaca locorum. *Val. Flacc.* 2. 299. læta per urbem ferar. *Flor.* 3. 3. 6. Tripartito agmine per Alpes ferebantur. *Horat. Epod.* 11. 20. incerto pede fertur. *Val. Flacc.* 1. 65. rapidis fertur passibus. *Virg.* 1. *G.* 514. fertur equis auriga. Sic *Id.* 5. *ibid.* 574. equis. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 200. ego, utrum Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem. *Virg.* 3. *Æn.* 268. ferimur spumantibus undis. *Val. Flacc.* 4. 36. æquore ferri. *Quintil.* 12. 10. 37. Non alto semper feremur: nam et litora interim sequenda sunt. Cf. *Cic. Orat.* 23. 75. Nunc quidem jam, quocumque ferimur, danda nimirum vela sunt. *Catull.* 53. 25. volatu ferri. *Horat.* 2. *Od.* 20. 1. non tenui ferar Penna biformis per liquidum æthera Vates. *Virg.* 5. *Æn.* 587. facta nunc pace feruntur. *Sil. It.* 1. 521. glomerata mole feruntur. *Id.* 1. 521. rumpens iter fertur. *Val. Flacc.* 3. 678. ferri comes abnuit. *h. e.* in Colchos. — *f*) Res ipsæ *ferri* dicuntur. *Lucret.* 4. 747. Quæ (*corpuscula rerum*) quum mobiliter summa levitate feruntur. Adde *eumd. ibid.* 204. *Id.* 5. 622. Quanto quæque magis sint terram sidera propter, Tanto posse minus cum cæli turbine ferri. Adde *eumd.* 6. 522. *Cic.* 6. *de republ.* 17. Tellus neque movetur et infima est, et in eam feruntur omnia nutu suo pondera. *Id.* 1. *Fin.* 6. 19. Si omnia deorsum ferrentur. *Cæs.* 4. *B. G.* 10. Rhenus longo spatio per fines Nantuatium — citatus fertur. *Auct. B. G.* 8. 40. Flumen sic in imis radicibus montis ferebatur, ut nullam in partem derivari possit. *Cels.* 4. 4. *n.* 5. Sanguis fertur a faucibus. *Nepos Themist.* 8. Fertur navis tempestate Naxum. *Virg.* 5. *Æn.* 33. classis cita gurgite fertur. *Val. Flacc.* 6. 195. Jamque latet; currusque super turmæque feruntur. *Flor.* 3. 3. 15. Pulvis in oculos et ora fertur. *Virg.* 3. *Æn.* 39. gemitus lacrimabilis imo Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad aures. — *g*) Item *pedes, venti, via* et similia *ferre* dicuntur, *h. e.* ducere, deducere, *menare, portare.* *Horat. Epod.* 16. 21. Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas Notus vocabit. *Id.* 3. *Od.* 29. 62. Tum me biremis præsidio scaphæ Tutum per Ægæos tumultus Aura feret geminusque Pollux. *Virg.* 4. *Æn.* 430.; et *Plin. Paneg.* 31. Venti ferentes. *secondi, favorevoli,* eo ferentes, quo tendimus. *Tac.* 2. *Ann.* 23. Eodem, quo ventus ferebat. *Cæs.* 1. *B. C.* 27. Itinera duo, quæ extra murum ad portam ferebant. *Virg.* 6. *Æn.* 295. Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas. *Liv.* 8. 8. Via ad Veserim ferebat. *Curt.* 5. 4. 11. Via in Persidem ferens. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Fert via eodem. *Liv.* 7. 30. Via hinc ferens. *Id.* 5. 28. Qua ferebat via. *Val. Flacc.* 4. 438. Novimus et divis geniti quibus, et via jussos Quæ ferat. *Curt.* 7. 11. 10. Aditus ad cacumen ferentes. *Liv.* 1. 7. Pergit ad speluncam, si forte eo vestigia ferrent. Similiter *Horat. Art. P.* 308. quo ferat error. et *Cic.* 1. *Orat.* 30. 135. Studia nihil prosunt perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo, quo intendas, ferat deducatque, cognoris. — Huc referri possunt et illa, in quibus *venti, unda* et similia *ferre* dicuntur, *h. e.* transferre, aut violenter rapere et agitare. *Virg.* 5. *Æn.* 832. ferunt sua flamina classem. *Val. Flacc.* 4. 748. Tunc aderam, quum vos mediis contenta ferebant Vela fretis. *Id.* 8. 174. te venti procul et tua fata ferebant. *Id.* 4. 677. Cœperat hinc cedens abductis montibus unda Ferre ratem. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 58. Cum ripâ simul avulsos feret Aufidus acer. *Id.* 2. *Od.* 7. 16. Te rursus in bellum resorbens Unda fretis tulit æstuosis. Cf. *eumd. Epod.* 9. 31. Exercitatas aut petit Syrtes Noto, Aut fertur incerto mari. et *ibid.* 17. 33. donec cinis injuriosis aridus ventis ferar. ¶ 3. Specialim ponitur pro auferre, diripere, asportare, *togliere, portar via, saccheggiare.* *Virg.* 12. *Æn.* 492. apicem tamen incita summum Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas. *Lamprid. Ant. Diadum.* 5. Aquila pileum ambulanti tulit. Sic *Vulcat. Avid. Cass.* 4. Ferre aliquid provincialibus per vim. *Virg.* 2. *Æn.* 374. alii rapiunt incensa feruntque Pergama. *h. e.* diripiunt, asportant, *saccheggiano.* Sic *Liv.* 10. 49. Quum ferrent passim cuncta atque agerent. *ferri* res, agri homines et jumenta dicuntur. *Id.* 22. 3. res sociorum. *Id.* 3. 37. plebem plebisque res. Adde *eumd.* 38. 15. Sic *Curt.* 4. 13. 13. Adhuc lymphatos ferri agique, arma jacientes. — Similiter *Virg.* 5. *Ecl.* 34. postquam te fata tulerunt. *h. e.* nobis abstulerunt, mortuus es. *Martial. Spectac.* 23. Illa tulit geminos facili cervice juvencos. *h. e.* interfecit. Sic *Virg.* 2. *Æn.* 554. Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum Sorte tulit. et *ibid.* 598. quos omnes undique Grajæ Circum errant acies: at, ni mea cura resistat, Jam flammæ tulerint, inimicus et hauserit ensis. ¶ 4. Item pro inferre. *Nepos Timoth.* 1. Ille cives suos agro atque urbibus augeri maluit, quam id (*h. e.* pecuniam) sumere, cujus partem domum suam ferre posset. *Sil. It.* 9. 514. cui tela inimica ferebas. *Id. ibid.* 518. Interdum intentos pugnæ, et jam jamque ferentes Hostili jugulo ferrum etc. *Drakenborg.* laudat etiam illud *Virg.* 1. *G.* 330. Fer stabulis inimicum ignem atque interfice messes. Item illud *Tac.* 1. *Ann.* 35. Ferrum a latere deripuit, elatumque ferebat in pectus. *Alii tamen leg.* deferebat. ¶ 5. Item specialim de iis, quæ numinibus afferuntur. *Tibull.* 1. 7. 53. Sic venias hodierne: tibi dem turis honores, Liba et Mopsopio dulcia melle feram. *Id.* 1. 10. 23. liba. *Virg.* 2. *G.* 394. lancesque et liba Baccho. *Ovid.* 11. *Met.* 577. et 7. *ibid.* 589. tura superis, altaribus. *Id.* 1. *ibid.* 248. tura in aras. *Val. Flacc.* 5. 94. libamina. Cf. *Justin.* 18. 7. 7. Quo decimas Herculis ferre missus erat. — Similiter *ferre sacra, h. e. far sacrifizio,* apud *Virg.* 3. *Æn.* 19. Sacra Dionææ matri divisque ferebam. *Val. Flacc.* 1. 730. Tartareo tum sacra Jovi Stygiisque ferebat Manibus Alcimede. Adde *eumd.* 8. 96. — Item *Val. Flacc.* 2. 600. celeres hic prima piacula Phryxo Ferte manu. *Id.* 5. 6. comiti pia justa. *Id.* 5. 511. munera ad patrios penates. — Et figurate *ferre preces, h. e. pregare,* apud *Virg.* 8. *Æn.* 6. Junoni fer rite preces. et *Sil. It.* 12. 327.; et *Val. Flacc.* 3. 415. vota diis. *far voti.* Sic *Sil. It.* 16. 655. grates et laudem Deo. *ringraziare e lodare.* Apud *Liv.* 8. 9. veniam petere et ferre, in *formula* devotionis Decii, est ea ratione dictum, qua *ferre preces, grates, vota,* estque velut synonymum τοῦ *petere.* ¶ 6. Est etiam gignere, *produrre.* *Lucret.* 5. 938. quæ nunc hiberno tempore cernis Arbuta puniceo fieri matura colore, Plurima tum tellus, etiam majora ferebat: Multaque præterea novitas tum florida mundi Pabula dira tulit. *Cic.* 2. *Legg.* 27. 67. Terra fruges ferre et, ut mater, cibos suppeditare potest. *Horat.* 1. *Od.* 4. 10. Quem (*florem*) ferunt terræ solutæ. *Id.* 3. *ibid.* 24. 13. quibus jugera fruges et Cererem ferunt. *Id.* 1. *Ep.* 16. 9. si corna vepres et pruna ferunt. *Id. ibid.* 14. 23. Angulus iste feret piper et tus. *Quintil.* 8. 3. 10. Olea fructum ramis pluribus feret. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 6. (26). Palmæ ferunt fructum. — Et absolute *Cato R. R.* 6. Si in loco crasso sereris, ferundo arbor peribit. ¶ 7. *Ventrem ferre, partum ferre, utero ferre,* vel *ferre* absolute, dicitur de muliere, quæ gravida est vel parit. — De hominibus. *Liv.* 1. 34. Quum ignorans nurum ventrem ferre immemor in testando nepotis decessisset. *esser gravida.* *Hirtius* apud *Quintil.* 8. 3. 54. In utero filium latum esse. Cf. *Justin.* 12. 16. 2. *de Olympia matre Alexandri M.* Nam profecto majus humana mortalitate opus utero tulit. — De brutis animantibus. *Varro* 2. *R. R.* 1. 19. Equa ventrem fert duodecim menses, vacca decem, ovis et capra quinque, sus quatuor. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (112). Cervi octonis mensibus ferunt partus. *Tibull.* 3. 4. 90. Nec te conceptam sæva leæna tulit. — Poetice. *Sil. It.* 7. 666. Quem tulerat mater claro Phœnissa Lacoon. *h. e.* pepererat. — Ceterum *liberos ferre ex uxore* est idem ac tollere, *aver figli,* apud *Sueton. Aug.* 4. Octavius morte obiit repentina, superstitibus liberis, Octavia majore, quam ex Ancharia; et Octavia minore, item Augusto, quos ex Atia tulerat. Adde *eumd. Cal.* 7., *Claud.* 27., *Ner.* 35., *Oth.* 1., *Vesp.* 3. et *Domit.* 3. ¶ 8. Item ferre ponitur pro consequi, reportare, *riportare, ottenere,* in utramque partem. *Plaut. Merc.* 2. 3. 106. Quod posces, feres. *Ter. Eun.* 5. 9. 27. Quodvis donum et præmium a me optato, id optatum feres. *Cic. Planc.* 38. 92. Fructus ex republica non lætos et uberes, sed magna acerbitate permixtos tulissem. *Id. Rosc. Am.* 37. 107. Qui ab eo partem prædæ tulerunt. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 44. Coram rege sua de paupertate tacentes Plus poscente ferent. *Horat.* 4. *Od.* 8. 1. Donarem pateras, - æra sodalibus, Donarem tripodas, præmia fortium Grajorum, neque tu pessima munerum Ferres. Adde *eumd.* 2. *Ep.* 1. 246. *Id.* 1. *ibid.* 7. 17. munuscula. *Id.* 4. *Od.* 8. 22. mercedem. *Id.* 2. *Ep.* 2. 38. meritorum præmia. *Id.* 2. *Sat.* 1. 12. laborum præmia. Adde *Sil. It.* 1. 484. Rursus *Horat.* 2. *Ep.* 2. 17. pretium (*rei venditæ*). *Justin.* 12. 11. 1. prædam præmiaque. *Sil. It.* 15. 583. thoraca. *Id.* 16. 388. lora secundus tulit. *Juvenal.* 13. 105. Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema. *V.* alia plura, sed figurate, sub II.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1., jungitur multis Accusativis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibentur. — *a*) Ferre acceptum alicui: *V.* ACCIPIO. — *b*) arbitrium ad judicem. *h. e.* deferre. *Petron. Satyr.* 91. — *c*) auxilium, opem, præsidium etc. alicui, *recar ajuto, ajutare.* *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 89. Fer mi auxilium: pestem abige a me. *Cic.* 4. *Verr.* 3. 9. Si vobis indigni essent visi, quibus opem auxiliumque ferretis. *Plaut. Stich.* 2. 2. 5.; *Ter. Adelph.* 2. 1. 1.; *Lucret.* 3. 1077.; *Cic.* 2. *Cat.* 9. 19.; *Cæs.* 1. *B. G.* 13.; *Horat. Epod.* 1. 21.; et *Justin.* 4. 3. 1. auxilium alicui.

Plaut. Bacch. 4. 3. 23.; Ter. Andr. 3. 1. 15.; Cic. 5. Fam. 2.; Nepos Eumen. 6. et Att. 10.; Horat. Art. P. 461.; Sueton. Aug. 10. et Galb. 7. opem alicui. Cic. Rabir. perduell. 1. 3. opem et succurrere saluti. Id. 2. Fin. 35. 118. opem et salutem. Sil. It. 4. 20. opem muris. h. e. eos reficere. Cæs. 2. B. G. 26. subsidium alicui. Cic. 1. ad Brut. 18. præsidium alicui. Plaut. Epid. 5. 1. 52.; Sueton. Vesp. 4.; et Ammian. 14. 11. et 20. 4. suppetias alicui. — d) casum. V. infra sub l. — e) complexum alicui, osculum, abbracciare, baciare. Liv. 2. 40. Coriolanus ab sede sua quum ferret matri obviæ complexum. Plaut. Epid. 4. 2. 4.; Cic. fragm. apud Non. p. 306. 5. Merc.; Ovid. 1. Pont. 4. 50.; et Val. Flacc. 7. 216. osculum. — f) conditionem, imporre una condizione, et dicitur de victoribus et potentioribus. Plaut. Rud. 5. 3. 50. LA. Mille nummos denumeravi. DAE. Vin' tibi conditionem luculentam ferre me? LA. Sane volo. DAE. Dividuum talentum faciam. Adde Ter. Phorm. 1. 1. 13. Cæs. 1. B. C. 32. Latæ conditiones. Id. 1. B. G. 11. Ea conditione, quæ a Cesare ferretur, se usuros ostendebant. Cic. Rosc. Am. 11. 30. Hanc conditionem misero fertur, ut optet, utrum malit etc. Adde eumd. 7. Att. 21. Eodem sensu Justin. 5. 9. 3. Soli Lacedæmonii et legem et regem (Philippum) contempserunt: servitutem, non pacem rati, quæ non ipsis civitatibus conveniret, sed a victore ferretur, ma pace ch'era imposta dal vincitore. — g) crimina in aliquem. h. e. accusare. Tac. 12. Ann. 4. — h) dedecus. V. infra sub l. — i) desideria, preces alicujus ad aliquem, presentare. Tac. 1. Ann. 19. Non per seditionem et turbas desideria militum ad Cæsarem ferenda ait. Id. 2. Hist. 51. Earum cohortium preces Rubrius Gallus (ad Cæsarem) tulit, et venia statim impetrata etc. — l) dolorem, lacrimas, luctum, casum, dedecus, perniciem etc. alicui, apportare, arrecare. Virg. 6. Æn. 463. nec credere quivi Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem. Adde Tac. 2. Ann. 81. Liv. 6. 3. Camillus parcere lamentis Sutrinos jussit: Etruscis se luctum lacrimasque ferre. Cic. 8. Att. 1. Ut quemcumque fors tulerit casum, subeam. Horat. 2. Sat. 2. 95. grandes rhombi patinæque Grande ferunt una cum damno dedecus. Id. 1. ibid. 1. 129. et hoc ego sanus ab illis, Perniciem quæcumque ferunt. Id. 2. ibid. 2. 75. Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum Lenta feret pituita. Cic. 7. Att. 26.; et Liv. 24. 38. ad fin. Ferre fraudem. fare, recare. — m) expensum. V. EXPENDO. — n) fidem alicui rei. h. e. habere, credere. Virg. 10. Æn. 792. Si qua fidem tanto est operi latura vetustas. V. infra sub mm. — o) finem, impor fine. Virg. 7. Æn. 117. ea vox audita laborum Prima tulit finem. — p) fraudem. V. supra sub l. — q) fructum, voluptatem alicui, apportare, arrecare. Cic. 1. Fam. 9. a med. Ea contentio mihi magnum fructum tulit. Ter. Hecyr. 4. 2. 17. Nihil pol jam mihi istæc res voluptatis ferunt. — r) gloriam majorum in bellum. Justin. 30. 4. 15. — s) impune, aut inultum, portarla fuori senza castigo o vendetta. Cæs. 1. B. G. 14.; et Ter. Heaut. 5. 1. 45. — t) lacrimas. V. supra sub l. — u) luctum. V. supra sub l. — v) nomen alicujus, portare, avere. Cic. 3. Off. 18. 74. Quum Basilus M. Satrium sororis filium nomen suum ferre voluisset eumque fecisset heredem. Horat. 1. Ep. 6. 15. Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui. Adde Sueton. Aug. 101. et Cal. 47. Sic Id. Sueton. Aug. 43. et Galb. 3. cognomen. — z) opem alicui. V. supra sub c. — aa) osculum alicui V. supra sub e. — bb) pacem. V. supra sub f. — cc) perniciem. V. supra sub l. — dd) personam alicujus, rappresentare. Liv. 3. 36. Ille finis Appio alienæ personæ ferendæ fuit: suo jam inde vivere ingenio cœpit. Sueton. Vesp. 19. Archimimus personam ejus ferens. Similiter Horat. 1. Sat. 9. 45. haberes Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas. V. PARS. — ee) preces. V. supra sub i. — ff) præsidium alicui. V. supra sub c. — gg) salutem alicui. Virg. 1. Æn. 467. — hh) secundas. V. supra sub bb. — ii) servum alicui, dare. Cic. Cluent. 64. 181. Mulieri crudelissimæ servum fidelissimum in quæstionem tulit. — ll) similitudinem, avere, esser simile. Plin. 12. Hist. nat. 7. 15. (30). Cariophyllon fert et in spiris piperis similitudinem. — mm) spem, avere speranza. Virg. 9. Æn. 291. Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo etc. Similiter spem secum, fidem secum, apud Sueton. Aug. 28. Et moriens, ut feram mecum spem, mansura in vestigio suo fundamenta reipublicæ, quæ jecero. Sil. It. 1. 481. Far tecum castamque fidem servataque jura. — nn) subsidium alicui. V. supra sub c. — oo) suffragium, dare il voto. Cic. 11. Fam. 27. et post redit. in sen. 7. 18. V. alio sensu infra sub 6. — pp) suppetias alicui. V. supra sub c. — qq) testimonium alicui, fare testimonianza. Trebell. Poll. XXX. Tyr. 30. — rr) tumultum stomacho. V. supra sub l. — ss) verbera in aliquem. Ovid. 1. Amor. 2. 13. — tt) vetustatem, annos, ætatem, durare: dicitur de vino, quod non fugit, sed durat. Cic. Amic. 19. 67. Veterrima quæque, ut ea vina quæ vetustatem ferunt, esse debent suavissima. Cf. Ovid. 5. Trist. 9. 8. Scripta vetustatem si modo nostra ferant. Adde Cic. apud Macrob. 2. Saturn. 3.; et Quintil. 2. 4. 9. Hinc in multis Inscriptionibus præsertim apud Fabrett. p. 257. n. 83. et p. 325. n. 452. et 453. idem est tulit annos, quod vixit annos. Eodem sensu ferre diem dixit Sil. It. 4. 399. Si modo ferre diem serosque videre nepotes Carmina nostra valent, nec famam invidit Apollo. — Huc referri potest et illud Cic. 2. Att. 30. Cetera si reprehenderis, non tacitum feres. h. e. non impune feres. V. supra sub s. Et Plaut. Amph. 1. 1. 152. Non feret, quin vapulet. non la porterà fuori. ¶ 2. Generatim, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2., ponitur de quocumque motu figurato. Sic — a) Pro efferre, extollere, innalzare. Lucret. 6. 8. extincti ad cælum gloria fertur. Cic. 10. Fam. 26. Tantæ laudes, quibus te omnes in cælum jure et vere ferunt. Sil. It. 1. 277. cæloque ea facta ferebat. Cic. 1. de republ. 43. Eos qui ferunt laudibus et mactant honoribus etc. Sic Sueton. Oth. 12. et Vesp. 6.; et Quintil. 10. 1. 99. Ferre aliquem laudibus. et Plin. 8. Ep. 18 Alii contra hoc ipsum ferunt laudibus, quod sit frustratus improbas spes hominum. Nepos Att. 10. præcipua laude ferri. Virg. 1. Æn. 629. Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat. Liv. 7. 10. extr. Miris pro concione eam pugnam laudibus tulit. Id. 4. 5. Ferte sermonibus et multiplicate fama bella. Et absolute, omisso Ablat. laudibus, Cic. 3. Orat. 56. 214. Quid fuit in Graccho, quod me puero tantopere ferretur? Id. Arch. 9. 21. Quare, quorum ingeniis hæc feruntur, ab iis populi Romani fama celebratur. Sil. It. 9. 63. nec Grajo posthac Diomede ferentur, Sed te, si perstas, insignes consule campi. Similiter Cic. Orat. 40. 139. Sæpe rem dicendo subjiciet oculis; sæpe supra feret, quam fieri possit. h. e. hyperbole utetur. Liv. 21. 32. Ferre in majus vero incertas res fama solet. Virg. 10. Æn. 548. cæloque animum fortasse ferebat. Ammian. 31. 14. Altius se ferre. h. e. efferre. — b) Pro adducere. Horat. 2. Ep. 1. 177. Quem tulit ad scænam ventoso gloria curru. Quintil. 5. 10. 123. Animi quædam ingenita natura – recta nos ad ea, quæ conveniunt causæ, ferant. Tac. dial. de orat. 10. Quum natura tua in ipsam arcem eloquentiæ ferat. Cf. Lactant. 5. 16. Omnes homines ad utilitates suas natura duce ferri. Sall. Cat. 3. Sed ego adolescentulus initio sicuti plerique studio ad rempublicam latus sum. Ammian. 18. 5. Vellificatione plena in rempublicam ferebatur. — c) Ceterum ferri, Mediorum significatione, dicitur præcipue de concitato ac vehementi animi motu. Nepos Alcib. 9. Ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. Id. Att. 10. Tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut etc. Cic. Cluent. 70. 199. Mater, quam cæcam crudelitate et scelere ferri videtis. Id. 3. Tusc. 5. 11. Ferri libidine et iracundia. Id. Quinct. 11. Fervere et ferri avaritia. Plin. 10. Hist. nat. 33. 51. (102). Ferri rabie. Horat. 1. Sat. 4. 30. Per mala præceps fertur. Ovid. Heroid. 18. 30. Mente ferri. Quintil. 6. 2. 6. Judex æstu fertur. Id. 12. proœm. 3. Orator suo jam impetu fertur. Cic. Orat. 28. 97. Eloquentia, quæ cursu magno sonituque fertur. Id. ibid. 37. 128. Genus orationis quum rapide feratur, nullo pacto sustineri potest. Quintil. 5. 14. 31. Eloquentia feratur non semitis, sed campis. Id. 9. 4. 112. Oratio, quæ ferri debet ac fluere. Sic Id. 9. 4. 18. Quæ (historia) currere debet ac ferri. ¶ 3. Ponitur et pro auferre, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 3. Virg. 9. Ecl. 51. Omnia fert ætas, animum quoque. Sæpe ego longos Cantando puerum memini me condere soles: Nunc oblita mihi tot carmina: vox quoque Mœrin Jam fugit ipsa. Val. Flacc. 6. 267. in cujus thalamis Æetia virgo Dicta manet, nostrusque feret qui victor amores. Capitolin. Ant. Phil. 23. Ferre spectacula. h. e. tollere, abolire. Sic Spartian. Hadrian. 17. argastula. et Capitolin. Pertin. 6. quæstionem majestatis. ¶ 4. Item pro inferre, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 4. Justin. 25. 4. 2. Nec quisquam Pyrrhum, qua tulisset impetum, sustinere valuit. Sil. It. 1. 386. Nunc Stygio fer bella Jovi. Cf. Justin. 22. 5. 12. Rursus Sil. It. 7. 554. Nec fœdior ulla Culpa sub extremas fertur mortalibus umbras. ¶ 5. Item pro gignere, producre, metaphorâ sumptâ a superior. paragr. 6. et 7. Cic. Brut. 12. 45. Hæc ætas prima Athenis oratorem prope perfectum tulit. Nepos Att. 12. Tulit hunc ætas nostra elegantissimum poetam. Horat. 3. Od. 6. 46. Ætas parentum, pejor avis, tulit Nos nequiores. Quintil. 10. 1. 76. Quum decem (oratores) simul Athenis una ætas tulerit. Adde Plin. 5. Ep. 15. tempora. Quintil. 3. 7. 3. Quos priora tulerant. Virg. 1. Æn. 609. quæ te tam læta tulerunt Sæcula? Quintil. 10. 1. 123. Quo in genere paucissimos eloquentes litteræ Romanæ tulerunt. Horat. 1. Od. 12. 42. Curium tulit et Camillum Sæva paupertas. Id. 1. Ep. 7. 21. Hæc seges ingratos tulit et feret omnibus annis. ¶ 6. Item pro consequi, reportare, riportare, ottenere, in utramque partem, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 8. Cic. Brut. 49. 183. Cotta et Sulpicius omnium judicio facile primas tulerunt. Id. 4. Att. 15. 6. Ferre palmam. Liv. 39. 51. a med. victoriam ex inermi. Id. 4. 12. gratiam et gloriam annonæ levatæ. Id. 38. 53.; et Tac. 3. Hist. 19. gloriam. Cæs. 6. B. G. 21. maximam laudem inter suos. Liv. 2. 27. partem laudum. Horat. 2. Sat. 3. 185. plausum. Cic. Planc. 20. 49. et 22. 52., et 2. Phil. 2. 4. tribum, centuriam. h. e. consequi tribus, vel centuriæ suffragia. Sueton. Cæs. 13. suffragia. h. e. obtinere, avere il voto. Cic. 1. Cat. 8. 19. Id a me responsum tulit. ebbe da me questa risposta. Adde Cæs. 6. B. G. 4.; et Val. Flacc. 5. 518. Liv. 3. 31. jus incorruptum a magistratibus. Sic Quintil. 11. 2. 50. jus sibi redditum. Sueton. Tib. 16. pretium perseverantiæ. Id. Cal. 4. pretium virtutum. Cic. 5. Tusc. 19. 51. A vano populo repulsam tulit. Id. 2. Orat. 69. 280., 11. Phil. 8. 19. et 5. Att. 19. repulsam. Adde Nepot. Pausan. 2. Cælius apud Cic. 8. Fam. 8. calumniam. h. e. accusationem. Ovid. 2. Fast. 522. Multaque peccato damna tulere suo. Cæs. 7. B. G. 62. Omnes interfecti sunt: eamdem fortunam tulit Camulogenus. Quintil. 5. 14. 30. Ferre odium ex servitute. Sulpic. Sev. 1. Dial. 51. dignum se exitium. ¶ 7. Speciatim ponitur pro perferre, tolerare, subire, pati, permittere, tollerare, sopportare, portare, patire. — 1.°) Cum additis ægre, æquo animo, iniquo animo, et similibus. — a) Cum Accusativo rei. Cato apud Gell. 10. 3. Servi injurias nimias ægre ferunt. Cic. Senect. 1. 2. Hoc onere senectutis et te et me ipsum levari volo: etsi te quidem id modice ac sapienter sicut omnia et ferre et laturum esse certe scio. Id. 4. Tusc. 17. 40. Ægre tulisse P. Rupilium fratris repulsam consulatus scriptum apud Fannium est –: moderatius igitur ferre debuit. Id. 4. Fam. 6. 2. Quum frangerem jam ipse cogeremque illa ferre toleranter. Id. 6. Att. 1. 3. Cnæus noster clementer id fert. Id. 14. ibid. 13. ferre aliquid fortiter ac sapienter. Id. 3. ad Q. fr. 9. levissime. Id. Senect. 1. 3. facile. Horat. 3. Od. 27. 71. bene. Ovid. 15. Met. 495. mitius. Sueton. Vesp. 13. lenissime. Id. Ner. 40. lente. Id. Aug. 65. patientius. Id. Domit. 23. indifferenter. Cic. 4. Fam. 5. graviter molesteque. Ter. Andr. 1. 2. 20.; Sueton. Tib. 51.; et Justin. 38. 1. 7. graviter. Justin. 19. 3. 8. gravius. Sueton. Domit. 23. gravissime. Cic. Planc. 1. 1. acerbe. Sueton. Cal. 39. moleste. Nepos Eumen. 1.; Sueton. Tib. 4.; et Justin. 18. 7. 8. indigne. Sueton. Tib. 50. perindigne. Id. Cæs. 45. iniquissime. Tac. Agric. 28. ambitiose et mollebriter. Cic. 6. Fam. 1. 6. Hoc moderatiore animo ferre debes. Id. 7. Verr. 48. 126. Quod eo magis ferre animo æquo et concedere videmur, quia etc. Sic Nepos Att. 1. et Dion. 6., et Sueton. Oth. 3. animo æquo. Cic. 15. Att. 26. ad fin.; et Quintil. 11. 1. 66. iniquo animo. Sue-

ton. *Cæs.* 75. civili animo. *Justin.* 15. 3. 10. magno animo. *Id.* 8. 1. 4. imbecillo animo. *Horat.* 1. *Ep.* 8. 17. Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus. — *b*) Cum Infinito. *Cic.* 4. *Tusc.* 27. 59. Ut si quis ægre ferat, se pauperem esse. *Id.* 3. *Verr.* 58. 152. Hoc ab isto prædone ereptum esse, graviter tum et acerbe homines ferebant. *Id.* 10. *Phil.* 7. 15. Timere se dicunt, quomodo ferant veterani, exercitum Brutum habere. *Quintil.* 11. 1. 66. Quomodo contra nos agi ab hominibus conditionis ejusdem iniquo animo tulissemus? — *c*) Cum Ablativo et præpos. *de.* *Cic.* 5. *Att.* 2. 3. Nondum satis huc erat allatum, quomodo Cæsar ferret de auctoritate perscripta. *Id.* 6. *ibid.* 8. Numquid moleste fers de illo, qui se solet anteferre etc.? Adde *eumd.* 4. *ibid.* 6. — *d*) Absolute. *Cic.* 1. *Att.* 2. Spero, si absolutus erit, conjunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis: sin aliter acciderit, humaniter feremus. *Id.* 15. *ibid.* 26. Ego autem, si mihi imposuisset aliquid, animo iniquo tulissem. *Quintil.* 7. 2. 6. Quomodo laturus sit Cæsar, si Ptolemæus Pompejum occiderit. — 2.°) Omissis *ægre, æquo animo,* etc. atque adeo prægnante, uti ajunt, significatione. — *a*) Cum Accusativo rei. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Quis hanc contumeliam, quis hoc imperium, quis hanc servitutem ferre potest? *Cic.* 6. *Att.* 3. 6. Qui potentissimorum hominum contumaciam numquam tulerim, ferrem hujus asseclæ? *Id.* 10. *Phil.* 10. 21. Cujus desiderium civitas ferre diutius non potest. *Id. Brut.* 77. 268. Cogitandi non ferebat laborem. *Cæs.* 3. *B. G.* 19. Ut ne unum quidem nostrorum impetum ferrent ac statim terga verterent. *h. e.* sustinerent. *Id.* 1. *ibid.* 39 Sæpenumero esse cum eis congressos ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 121. vultum alicujus. *Id.* 2. *Ep.* 1. 214. qui se lectori credere malunt, Quam spectatoris fastidia ferre superbi. *Id. Art. P.* 413. Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit. Similiter *Ter. Adelph.* 4. 2. 6. Me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis. *Cæs.* 1. *B. G.* 84. Satis se supplicia tulisse. *Virg.* 2. *Æn.* 144. miserere animi non digna ferentis. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 141. Animus spe finis dura ferens. *Ovid.* 2. *Pont.* 6. 6. Et mala me meritis ferre minora, docet. *Id.* 4. *Trist.* 10. 107. Totque tuli terra casus pelagoque, quot inter Occultum stellæ conspicuumque polum. — Jungitur et aliis Accusativis. *Tac.* 4. *Ann.* 24. aciem peditum. *Virg.* 2. *G.* 422. auras. *avvezzarsi al mutamento dell'aria.* *Nepos Hamilc.* 1. calamitatem belli. *Justin.* 38. 9. 4. captivitatem. *Pacat. Paneg. Theod.* 34. conjectum oculorum. *Sueton. Ner.* 34. conscientiam sceleris. *Justin.* 5. 1. 12. conscientiam. *Plaut. Merc.* 4. 3. 5. contumelias. *Quintil.* 6. 2. 11. convicium. *Justin.* 22. 7. 9. crudelitatem. *Quintil.* 7. 3. 34. dolorem. *Capitolin. Pertin.* 6. exprobrationem. *Justin.* 28. 4. 3. fortunam. *Ter. Adelph.* 2. 1. 24. infortunium. *Horat.* 1. *Od.* 35. 38. jugum. *Plin.* 7. *Ep.* 21. lucem. *Ovid.* 6. *Met.* 467. moras. *Justin.* 3. 7. 1. odium inimicitiæ. *Id.* 8. 2. 1. potentiam. *Sueton. Aug.* 87. præsentia. *Cic. Amic.* 6. 22. res adversas. *Justin.* 21. 2. 5. splendorem lucis. *Quintil.* 2. 20. 10. tormenta sine gemitu. *Id.* 11. 1. 83. turpitudinem. *Flor.* 4. 12. 22. vitia. — *b*) Cum Accusativo personæ. *Ter. Heaut.* 4. 3. 14. Quid faciam, Syre mi? gaudeo: fer me. *compatiscimi.* *Id. ibid.* 1. 2. 28. Quem ferret, si parentem non ferret suum? *Cic.* 1. *de republ.* 33. Optimates quis ferat, qui non populi concessu, sed suis comitiis hoc sibi nomen arrogaverunt? *Nepos Att.* 5. Quem nemo ferre posset, hujus etc. *Id. Dion.* 7. Ferre tyrannum. *Quintil.* 7. 1. 24. An laturi sint Romani talem regem. *Id.* 8. 3. 25. Vereor, ut jam nos ferat quisquam. *Vellej.* 2. 33. 4.; et *Flor* 4. 2. 12. parem. *Lucan.* 1. 125. quemquam priorem. *Quintil.* 8. 5. 8. Quis enim ferat puerum aut adolescentulum, si judicet in dicendo et quodammodo præcipiat? — *c*) Cum Infinito. *Horat. Epod.* 15. 12. Nam si quid in Flacco viri est, Non feret, assiduas potiori te dare noctes. *h. e.* non permittet, non sinet. *Ovid. Heroid.* 5. 12. servo nubere Nympha tuli. *Id.* 13. *Met.* 460. Scilicet aut ulli servire Polyxena ferrem, Aut etc. *Quintil.* 11. 1. 69. Quid enim aliud esset, quo se virtum — magis ferret? *Id.* 11. 3. 27. illa quidem in hoc opere præcipi quis ferat? ¶ 8. Est etiam proferre, ostendere, palam facere, *mostrare, palesare*: et hac significatione occurrit — *a*) Cum additis *palam, vultu, aperte,* etc. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 39. Nos nunc palam sic ferre per urbem hæc omnia, nequis tibi hoc vitio vertat. *Al. pro* palam sic *leg.* secundum. (*Ferre occulte, obscure, clam* recta opponitur. *Ter. Adelph.* 3. 2. 29. os. Amare occepit aliam. so. Væ miseræ mihi. os. Neque id occulte fert: ab lenone ipsus eripuit palam. *Cic. Cluent.* 19. 54. Neque id obscure ferebat, nec dissimulare ullo modo poterat: aderat frequens, advocabat etc. *Liv.* 31. 47. Haud clam tulit iram adversus prætorem, quod absente se rem gessisset.). *Tac.* 2. *Hist.* 65. Lætitiam et gratulationem vultu ferens. Et cum propos. pendente *Id.* 4. *ibid.* 85. Dus hostium Valentinus, nequaquam abjecto animo, quos spiritus gessisset, vultu ferebat. *Cic. Planc.* 11. 34. Eum ipsum dolorem hic tulit paullo apertius. *Id.* 14. *Att.* 13. 2. Lætitiam apertissime tulimus omnes. *Id.* 9. *Phil.* 3. 7. Auctorem senatus exstinctum, læte atque insolenter tulit. — *b*) Sæpe dicimus *præ se ferre,* quod et conjunctim scriptum *præseferre* in omnibus personis reperitur; et dicitur tum de hominibus, tum de rebus cum Infinito vel cum Accusativo. *Cic.* 1. *Nat. D.* 5. 12. Cujus rei tantæ facultatem consecutum esse me, non profiteor: secutum me esse, præ me fero. Cf. *Fronto* 1. *ad amic.* 18. Dixeram et præ me tuleram, satis me diligenter in ista oratione conjecturam divisisse argumentis et refutasse. *Cic.* 2. *Nat. D.* 18. 47. Noli quæso præ te ferre, nos plane expertes esse doctrinæ. *Id.* 2. *Att.* 23. 3. Non mediocres terrores jacit, et Sampsiceramo negat: ceteris præ se fert et ostentat. *Liv.* 42. 10. Præ se ferens si quid decernerent, intercessurum. Sic *Justin.* 20. 4. 12. Præ se ferentes, vera ornamenta matronarum, pudicitiam, non vestes esse. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 2. 4. Non tabellam, vindicem taciti libertatis, sed vocem vivam præ vobis, indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum, tulistis. *Quintil.* 2. 13. 11. Hanc virtutem præ se ferunt. *Id.* 12. 11. 21. Liberalium disciplinarum præ se scientiam tulit. *Sueton. Aug.* 28. Præ se ferre voluntatem. *Id. Cal.* 14. odium. *Id. Vesp.* 12. mediocritatem. *Id. Tit.* 8. studium armaturæ. *Quintil.* 11. 3. 148. Turbatæ comæ aliquid affectus præ se ferunt. *Id.* 10. 1. 11. Oratio præ se fert felicissimam facilitatem. *Id.* 11. 1. 37. Verba præ se ferunt animum. — *c*) Huc referri possunt et illa *Tac. Germ.* 7. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt (*h. e.* ostentant); nec illæ numerare aut exigere plagas pavent. *Id. Dial. de orat.* 25. Adstrictior Calvus, numerosior Asinius, etc. —: omnes tamen eamdem sanitatem eloquentiæ ferunt. ¶ 9. Item est nunciare, narrare, dicere, *apportare, narrare, raccontare, dire.* — *a*) Generatim. *Plaut. Pers.* 3. 1. 21. Nam inimici famam non ita, ut nata est, ferunt. *divulgano, pubblicano.* *Ter. Phorm.* 5. 6 18. Quod fers, cedo. *di' su quel che porti di nuovo.* *Id. Adelph.* 4. 7. 3. Fero alia flagitia ad te ingentia boni illius adolescentis. *Virg.* 1. *Æn.* 644. rapidum ad naves præmittit Achatem, Ascanio ferat hæc, ipsumque ad mœnia ducat. *Sil. It.* 4. 286. ferre hæc umbris proavoque memento, Quam procul occumbas Tarpeja sede. *Id.* 11. 64. Ergo electa manus gressu fert dicta citato. *Tac.* 15. *Ann.* 60. Hæc ferre Gavius Silvanus juberet. *Virg.* 2. *Æn.* 160. promissis maneas, si vera feram. *Tac.* 6. *Ann.* 47. Tormentis servorum Macronem præsedisse, commentarii ad senatum missi ferebant. — *Cæs.* 2. *B. G.* 17. M. Varro amicissime de Cæsare loquebatur. — Hæc omnibus ferebat sermonibus. *Liv.* 23. 31. Patres fama ferebant, id dis cordi non esse. *Id.* 1. 42. Ut Servium conditorem posteri fama ferrent. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 5. Simul excessisse Augustum, et rerum potiri Neronem fama eadem tulit. — *Lucret.* 3. 42. Quod sæpe homines morbos magis esse timendos Infamemque ferunt vitam, quam Tartara leti. *Liv.* 22. 14. Si militaris suffragii res esset, haud dubie ferebant, Minucium Fabio duci prælaturos. *Ovid.* 6. *Met.* 469. Facundum faciebat amor: quotiesque rogabat Ulterius justo; Procnen ita velle ferebat. *Tac.* 15. *Ann.* 72. Et Cajo Cæsare se genitum ferebat. — *b*) Speciatim *ferunt, fertur, feruntur* etc. usurpatur fere de iis, quæ non ab uno, sed vulgo in ore et sermone habentur. *Cic.* 1. *de republ.* 2. Quin etiam Xenocratem ferunt, quum quæreretur ex eo *etc.* —, respondisse. *Id.* 2. *ibid.* 19. Fuisse quemdam ferunt Demaratum etc. *Id.* 3. *Nat. D.* 23. 57. Quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse. *Cæs.* 6. *B. G.* 17. Deum maxime Mercurium colunt: hunc omnium inventorem artium ferunt. *Virg.* 6. *Æn.* 283. quam sedem somnia vulgo Vana tenere ferunt. *Id.* 2. *ibid.* 229. scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt. *Horat.* 3. *Od.* 17. 2. Quando et priores hinc Lamias ferunt Denominatos. *Liv.* 1. 4. Faustulo fuisse nomen ferunt. *Quintil.* 2. 3. 3. Timotheum ferunt solitum etc. *Sueton. Aug.* 23. Adeo namque consternatum ferunt, ut etc. Adde *eumd. Cæs.* 20. et 45.; et *Justin.* 20. 1. 6. *Sueton. Cæs.* 86. Sunt qui putent confisum eum *etc.* — Alii e diverso opinantur *etc.* — Alii ferunt dicere solitum *etc.* — *Cic.* 1. *Orat.* 11. 45. Homo omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimus et copiosissimus. *Sueton. Aug.* 71. Circa libidines hæsit: postea quoque, ut ferunt, ad vitiandas virgines promptior. — *Lucret.* 5. 14. Ceres fertur fruges Liberque liquoris Vitigeni laticem mortalibus instituisse. *Cic.* 2. *de republ.* 3. Romulus Amulium regem interemisse fertur. *Id. ibid.* 10. Qui in concione dixisse fertur, a se visum esse Romulum etc. Adde *Sall. Jug.* 64. *Virg.* 1. *Æn.* 19. Quam Juno fertur coluisse. *Phædr.* 1. 10. Dixisse fertur simius sententiam. *Id. ibid.* 27. Fertur locutus. *Justin.* 7. 1. 5. Regnasse fertur Pelagonus. *Id.* 14. 6. 12. Crura contexisse fertur. *Virg.* 7. *Æn.* 208. Threiciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur. *si dice, si chiama.* *Nepos Att.* 1. Nobilis inter æquales ferebatur. *Sueton. Cæs.* 59. Invictum nomen Scipionum ferebatur. *Horat.* 2. *Od.* 19. 26. Quamquam choreis aptior et jocis Ludoque dictus, non sat idoneus Pugnæ ferebaris. *Sueton. Vitell.* 5. Dona atque ornamenta templorum surripuisse et commutasse quædam, ferebatur. — *Cic.* 1. *Orat.* 11. 49. Si ornate locutus est, sicut fertur et mihi videtur. *Id. ibid.* § 45. Quum quæstor ex Macedonia venissem Athenas florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quod etc. ¶ 10. Hinc ponitur etiam pro jactare, prædicare, *vantarsi.* *Liv.* 4. 45. Facto Senatusconsulto, ut duo ex tribunis ad bellum proficiscerentur, unus res Romæ curaret, certamen subito inter tribunos exortum: se quisque belli ducem potiorem ferre, curam urbis, ut ingratam ignobilemque aspernari. Cf. *eumd.* 45. 44. Polybius, eum regem (*Prusiam*) indignum majestate nominis tanti tradit, pileatum, capite raso, obviam ire legatis solitum libertumque se populi Romani ferre. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 21. tu poscis vilia, verum Dante minor, quamvis fers te nullius egentem. *Virg.* 5. *Æn.* 372. qui se Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat. *Liv.* 35. 47. Qui, se oriundum a Magno Alexandro ferens, filiis duobus Philippum atque Alexandrum et filiæ Apamiam nomina imposuerat. *Sueton. Vesp.* 23. Qui ingenuum se et Lachetem mutato nomine cœperat ferre. *Vellej.* 1. 11. Qui se Philippum regiæque stirpis ferebat, quum esset ultimæ. ¶ 11. Hinc etiam de dictis et scriptis ferri est idem ac circumferri, esse in ore vel manibus hominum, *andare intorno per le bocche o per le mani di tutti.* *Cic. Amic.* 2. 6. Multa ejus (*Catonis*) et in senatu et in foro vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute ferebantur. *Sueton. Domit.* 9. Ferebaturque vox ejus: Princeps qui delatores non castigat, irritat. *Lucilius* apud *Non. p.* 303. 20. *Merc.* Et sola ex multis nunc nostra poemata ferri. *Cic. Brut.* 7. 27. Pericles, cujus scripta quædam feruntur. *Quintil. præfat.* 7. Sub nomine meo libri ferebantur artis rhetoricæ. *Id.* 7. 2. 24. Cetera, quæ sub nomine meo feruntur. *Sueton. Cæs.* 55. Feruntur quædam ejus orationes. *Id. Aug.* 31. Quidquid fatidicorum librorum vulgo ferebatur. *Id. Cæs.* 20. hi versus. *Id. ibid.* 56. scripta. *Id. Gramm.* 1. volumina. *Id. ibid.* 4. commentarii. *Vopisc. Tac.* 11. Multa hujus feruntur. *Id. Aurel.* 21. Fertur epistola ejus. ¶ 12. In re publica et juridica — *a*) *Ferre suffragium* vel *sententiam* italice est *dare il proprio voto, pronunciare la propria opinione.* *Varro* 2. *R. R.* 2. 1. Comitiis ædiliciis, quum ego et Q. Axius senator tribulis suffragium tulissemus, et candidato, cui studebamus, vellemus esse præsto. *Cic.* 1. *de republ.* 31. Qui æqua potest esse (*libertas*) in istis civitatibus, in quibus verbo sunt liberi omnes? Ferunt enim suffragia, mandant imperia etc. Adde *Sueton. Aug.* 56.; et *Justin.* 22. 3. 6. *Cic. Balb.* 15. 34.

De quo fœdere populus Romanus sententiam non tulit. *Id.* 6. *Verr.* 47. 104. De quo vos, judices, sententiam per tabellas feretis. *Id. Cluent.* 26. 72. Sua illum sententia, quum palam omnes laturi essent, condemnatum iri. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 74. Proclamavit, se quoque in ea causa laturum sententiam palam et juratum, quo ceteris eadem necessitas fieret. — *b*) *Ferre legem, privilegium, rogationem* est proponere aliquid deliberandum decernendumque. Dicebatur enim magistratus *ferre ad populum* vel *ferre* absolute, quum pro concione interrogabat, vellet ne juberetque aliquid fieri: id si faceret in senatu, *referre* dicebatur. *Cic.* 2. *Off.* 21. 73. Perniciose Philippus in tribunatu, quum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est. *Id. Sull.* 23. 65. Lex dies fuit proposita paucos, ferri cœpta numquam, deposita est in senatu. Adde *eumd. Cornel.* 1. 3. *Id. Sext.* 16. 37. In legem per vim latam jurare noluerat. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 152. lex pœnaque lata. *decretata, imposta. Cic.* 4. *Parad.* 2. 32. Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut si in opertum Bonæ Deæ accessisses, exsulares. *Id. Sull.* 23. 65. Sullam illam rogationem de se nolle fieri. *Id. Balb.* 14. 33., *Cluent.* 51. 140. et *Brut.* 23. 89.; *Cæs.* 3. *B. C.* 1.; et *Liv.* 33. 25. Ferre rogationem de aliquo, contra vel in aliquem ad populum, ad plebem. *Liv.* 4. 51. Jacere tamdiu irritas sanctiones, quæ de suis commodis ferrentur. — *Cic.* 2. *Phil.* 43. 100. Nescis, te ipsum ad populum tulisse, ut quinjus dies Cæsari tribueretur? *Id.* 2. *Fin.* 16. 54. Ut P. Scævola tribunus plebis ferret ad plebem, vellentne de ea re quæri. Adde *Liv.* 33. 25. — *Cic. Sull.* 22. 63. Nihil de judicio ferebat, sed pœnam ambitus auferebat. Adde *eumd. Cæcin.* 35 102. *Id.* 7. *Att.* 6. 2. Quum ut absentis ratio haberetur, ferebamus. — Impersonaliter. *Liv.* 23. 14. Lato ut solet ad populum, ut equum escendere liceret. *portata parte.* — *Ferre legem alicui* apud *Cic. Dom.* 30. 81., h. e. in favorem alicujus. — *Ferre ad senatum* pro *referre* dixerunt *Ammian.* 30. 8.; et *Capitolin. Anton. Phil.* 5. — Figurate *Quintil.* 2. 13. 1. Leges studiosis dicendi ferre. — *c*) *Ferre judicem* dicitur actor, et est dare, *dare, assegnare. Cic. Rosc. com.* 15. 45. Quem ego si ferrem judicem, refugere non deberet: quum testem producam, reprehendere audebit? Adde *eumd.* 2. *Orat.* 70. 285.; et V. *Klotz* ad *Cic. Oration. vol.* 1. *p.* 563. *Liv.* 8. 33. Provoco ad populum, eumque tibi judicem fero. Adde *eumd.* 3. 57. et 3. 24. ¶ 13. Absolute, h. e. sine Accusativo, de abstractis usurpatur, et est requirere, postulare, velle. *Ter. Andr.* 1. 2. 17. Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum. *Cic.* 1. *Fam.* 7. 6. In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat, tu perspicies. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 4. 5. Ad me, ut tempora nostra, non ut amor tuus fert, vere perscribe. *Id. Pis.* 2. 5. Provinciam, quod ita existimabam tempora reipublicæ ferre, in concione deposui. *così richiedere. Id.* 2. *leg. Agr.* 28. 77. Paulisper, si ita commodum vestrum feret, connivebo. *Ter. Adelph.* 1. 1. 28. Clanculum patres faciunt, quæ fert adolescentia. *Id. Andr.* 2. 6. 12. Dumque ætas tulit. *Cic. Cluent.* 60. 168. Quum ad illud prandium crudior venisset et, ut ætas illa fert, sibi tum non pepercisset. *come suol fare quell' età. Id.* 4. *Verr.* 34. 83. Prout Thermitani hominis facultates ferebant. *come portavano. Quintil.* 3. 1. 1. Ut vires nostræ tulerunt. *Cic.* 3. *Fam.* 2. 6. Meæ rationes ita tulerunt. *Id.* 7. *Verr.* 40. 105. Dicit ei, se statuisse animadvertere in omnes navarchos: ita sui periculi rationes ferre ac postulare. *Cic.* 1. *ad Brut.* 9. Accusasti me gravioribus verbis, quam tua consuetudo ferebat. *portava il tuo costume.* Adde *eumd. Cæcin.* 29. 85. *Ter. Andr.* 5. 1. 13. Dum res te tulit: nunc non fert. *Liv.* 3. 27. Inde composito agmine, non itineri magis apti, quam prœlio, si res ita tulisset, etc. *Quintil.* 5. 2. 3. Si res feret. *Id.* 12. *proœm.* 4. Ut res feret. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 21. Si occasio tulerit. *se porterà l'occasione. Nepos Eumen.* 6. Si tulisset ita fortuna. *Ovid.* 1. *Met.* 297. Figitur in viridi, si fors tulit, anchora prato. *Sall. Jug.* 78. Cetera, uti fors tulit, alta alia, alia in tempestate vadosa. *Cic. Quinct.* 18. 57. Vereor, ne aut gravioribus utar verbis, quam natura fert, aut levioribus, quam causa postulat. *Cæs.* 3. *B. C.* 61. Prout cujusque eorum qui negotiis præerant, aut natura aut studium ferebat, hæc ad Pompejum omnia detulerunt. *Cic* 6. *de republ.* 18. Natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent. *così porta la natura delle cose. Id.* 5. *Verr.* 23. 57. Tamdiu pependit in arbore socius populi Romani, quamdiu voluntas Apronii tulit. *Id. pro leg. Manil.* 24. 70. Si vestra voluntas feret. *se vorrete, se vi piacerà. Virg.* 6. *Æn.* 675. Sed vos, si fert ita corde voluntas, Hoc superate jugum. *Sall. Cat.* 58. Diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. *Ovid.* 1. *Met.* 775. Si modo fert animus, gradere et scitabere ab ipso. *Ter. Heaut.* 3. 3. 11. At certe concedas hinc aliquo ab ore eorum aliquantisper, multa fert libido. *Cic.* 2. *Att.* 25. 2. Nos, ut opinio et spes et conjectura nostra fert, firmissima benevolentia hominum muniti sumus. *Id. Cluent.* 16. 46. Ut mea fert opinio. *Quintil.* 4. 3. 14. Ut mea quidem fert opinio. *Id.* 9. 4. 122. Quantum mea fert opinio. — Per ellipsin, omisso Nom. *res. Curt.* 3. 3. 6. Vetera quoque omina, ut fert, sollicitudo revocaverat. *At ibi fortasse legendum ut fere fit: al. conjecerunt ut fit. Tac.* 3. *Ann.* 15. Socium se cujuscumque fortunæ et, si ita ferret, comitem exitii promittebat. *Id.* 2. *Hist.* 44. Hos certe nondum victos, et, si ita ferret, honestius in acie perituros. — *Animus, mens fert* sequente Infinito. *Ovid.* 1. *Met.* 1. In nova fert animus mutatas dicere formas. *l'animo mi porta a dire, ho voglia di dire. Lucan.* 1. 67. Fert animus causas tantarum expromere rerum. *Sueton. Oth.* 6. Tulerat animus post adoptionem statim castra occupare. *Stat.* 4. *Theb.* 753. nos ferro meritas exscindere Thebas Mens tulit. — Hinc Part. præs.

Ferens, entis, adjective quoque occurrit cum Genitivo, et est patiens. *Tac.* 5. *Hist.* 6. Corpora salubria et ferentia laborum. *tolleranti.*

Homonym. *Ferre*, si cum homonymis comparetur, et proprie et figurate generalius est et latius patet. Cum verbo *portare* collatum, *ferre* de leviori, *portare* de graviori onere usurpatur; idem dicendum de compositis *conferre* et *comportare*, *inferre* et *importare*. *Bajulare* est quidem portare, sed speciatim bajuli (*del facchino*) operam præstare vel artem factitare. *Ovid.* 10. *Met.* 470. Semine fert utero conceptaque crimina portat. *Horat.* 2. *Od.* 3. 14. Huc vina et unguenta et nimium brevis Flores amœnos ferre jube rosæ. et *Cæs.* 1. *B. C.* 78. Quorum corpora erant insueta ad onera portanda. *Plaut. Asin.* 3. 3. 68. Nolo ego te, qui herus sis mihi, onus istuc mihi sustinere. — Ego bajulabo; tu, ut decet dominum, ante me ito inanis. — In verbo *gerere* ejusque frequentativo *gestare* speciatim ratio habetur membrorum, quibus onus geritur: præterea inter *gerentem* et onus interna ratio intercedit, quia *gerens* est rei possessor, quam gerit; contra externa tantum ratio intercedit inter onus et *ferentem* vel *portantem*, hic enim est is qui simpliciter fert vel portat. *Nepos Datam.* 3. Ipse gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clavam, sinistra copulam, qua etc. *Val. Max.* 7. 2. Ego vero, inquit (*Bias*), bona mea mecum porto. Pectore enim illa gerebat, non humeris. — Denique *vehere* est equo, curru, navi et similibus ab uno in alium locum transferre: hinc inter onus et *gerentem* immediata, inter onus et *vehentem* mediata ratio intercedit, ut in scholis barbare loqui solent. *Cic.* 2. *Divinat.* 68. 140. Equus, in quo ego vehebar, mecum una demersus. *Quintil.* 4. 2. 47. In portum veni, navim prospexi, quanti veheret interrogavi, de pretio conveni. — Ceterum generatim hæc omnia unum idemque significant: sic *Cic.* 2. *Phil.* 41. 106. lectica ferre, *Id. ibid* 24. 58. lectica portare, *Horat.* 2. *Sat.* 3. 214. lectica gestare, et *Sueton. Claud.* 28. lectica per urbem vehendi jus. Quod præcipue animadvertendum in verbis *gerere* et *ferre*: sic *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (112). Cervæ octonis mensibus ferunt partus. et *Id. ibid.* 47. 72. (187). Oves gerunt partus diebus centum. Similiter *Liv.* 3. 36. Personam alienam ferre. et *Cic.* 1. *Off.* 32. 115. Personam civitatis gerere. Sic dicimus arma ferre et gerere, consulem se ferre et regem se gerere; itemque terra fruges fert et gerit. Cf. *Liv.* 38. 11. Hostes eosdem habeto, quos populus Romanus, armaque in eos ferto bellumque gerito. Et *Apul.* 3. *Met.* Sic se gerebat ferebatque. — *NB.* Discrimen, quod interest inter *ferre, pati, perferre, tolerare* etc., *V.* in v. PATIOR.

FĔRŌCĬA, æ, f. 1. (ferox) animus, effrenatus animus (it. *coraggio, valore, straordinario coraggio*; Fr. *courage, valeur*; Hisp. *corage, ardimiento, valor*; Germ. d. *Muth*, d. *Herzhaftigkeit*, d. ungezügelte *Muth*; Angl. *valour, bravery, courage*).

I.) Proprie usurpatur ¶ 1. In bonam partem pro virtute. *Cato* apud *Gell.* 6. 3. Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere. *Liv.* 9. 6. Habere Samnites victoriam, non præclaram solum, sed etiam perpetuam: cepisse enim non Romam, sed, quod multo bellicosius fuerit, Romanam virtutem ferociamque. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Si quis quid ardoris ac ferociæ miles habuit. Adde *Liv.* 37. 40.; *Sall. Cat.* 61.; *Flor.* 2. 12. 3.; *Tac. Agr.* 11. *Id. ibid.* 31. Virtus porro ac ferocia subjectorum ingrata imperantibus. *Id.* 4. *Hist.* 71. Ipse pugnæ avidus ferocia verborum militem incendebat. ¶ 2. In malam partem. *Pacuvius* apud *Non. p.* 490. 19. *Merc. ferocitatem* et *ferociam* conjunxit, quasi illa naturam, hæc actionem significet. *Cic. Haruspresp.* 1. 1. Duobus inceptis verbis omnem impetum gladiatoris ferociamque compressi. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 492. 3. *Merc.* Qui comperit ejus vim et effrenatam ferociam. *Id.* 2. *leg. Agr.* 33. 91. Ferocia intoleranda. *Ovid. Halieut.* 58. stolidæque ferocia mentis. *Vellej.* 2. 115. ingeniorum. *Tac.* 2. *Ann.* 72. Exuere ferociam. *Ammian.* 14. 10. *extr.* Ferociæ flatus perniciosos mitigare. *Id.* 28. 1. Ferocia genuina pectori crudo adfixa.

II.) Impropria. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 19. 24. (121). Sapa infusa ferociam vini frangere. *l'asprezza o amarezza.*

Homonym. *V.* in fin. v. FEROX.

FĔRŌCĬO, is, ivi vel ii, ire, n. 4. Part. *Ferociens.* — Ferocio est ferox fio, ferociam exerceo: et occurrit fere translate, *esser feroce, inferocire*, ἀγριόομαι. *Paul. Diac. p.* 92. 7. *Müll.* Ferocit apud Catonem, ferociter agit. *Quintil.* 10. 3. 10. Ferociantes equos frenis coercere. *Apul.* 9. *Met. p.* 218. Peste infertum ferocire. *Ammian.* 14. 9. Nihilo lenius ferociens. Adde *eumd.* 21. 12. *Tertull. Apolog.* 5. Reperietis, Neronem in hanc (*accusatorum*) sectam ferocisse. *Gell.* 1. 11. Quam si permulceti sonis mitioribus non immodice ferocirent. *Id. ibid. ad fin.* Ferocientem sævientemque orationem cohibere. *Eumen. Paneg. Const.* 7. Xerxes pedicas jecit aureas in profundum, Neptunum se dictitans alligare, qui fluctibus ferociret.

FĔRŌCĬTAS, ātis, f. 3. (ferus) natura ejus, qui ferox est, ἀγριότης, *fierezza.* ¶ 1. In bonam partem ponitur pro animo seu virtute fera atque indomita. *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. Equos ferocitate exsultantes domitoribus tradere. *Id.* 2. *ibid.* 11. 40. Viriati Lælius ferocitatem ita repressit, ut etc. *Val. Max.* 3. 2. 7. Ferocitas gentis. *Lamprid. Alex. Sev.* 61. mentis. ¶ 2. In malam partem est indomita feritas ac sævitia. *Cic. Vatin.* 1. 2. Alicujus ferocitatem comprimere, et audaciam frangere. *Id. Dejot.* 5. 15. Cujus tantæ ferocitatis fuerit, ut etc. *Id. Marcell.* 6. 16. Victoriæ ferocitatem extimescere. *Sueton. Vitell.* 12. Gravari aliquem ob nimiam contumaciam et ferocitatem. Adde *Pacuvium* apud *Non. loc. cit.* in FEROCIA I. 2.

FĔRŌCĬTER, adverb. Comp. *Ferocius* et Sup. *Ferocissime* 1. et 2. — Ferociter ¶ 1. In bonam partem est fortiter, strenue, magna cum virtute, *con bravura e valore, coraggiosamente. Liv.* 3. 47. Strenue et ferociter facta in bello plura memorari possunt. *h. e.* fortiter. *Id.* 23. 8. Cum quo ferocissime pro Romana societate adversum Punicum fœdus steterat. *Sall. Jug.* 112. Ferocius decernere. *Curt.* 3. 11. 1. Ferociter in lævum cornu hostium invehi. ¶ 2. In malam partem est cum feritate ac sævitia, *ferocemente*, ἀγρίως. *Plaut. Amph.* 1. 1. 58. Ferociter increpare. *Cic.* 2. *Phil.* 29. 72. Respondere plane ferociter. *Id. Planc.* 13. 33. Publicanorum in Q. Scævolam aspere et ferociter et libere dicta commemorem? *Id.* 2. *ad Q. fr.* 13. 2. C. noster Lamia paullo ferocius exagitatus est. *Nepos Eumen.* 11. Ferocius loqui. *Liv.* 2. 55. Ferociter dictæ sententiæ. *Curt.* 10. 2. *extr.* Ferocissime obloqui. *Tac.* 2. *Hist.* 29. Hæc ferociter jactan-

do, ipsum invadunt. *Martial.* 1. 58. Arguit et vitio datur esse ferociter ausum.

FĔRŌCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* ferox, aliquantulum ferox, *bravetto, ferocetto. Turpilius* apud *Non. p.* 75. 30. *Merc.* Ne me attigas, atque aufer manum: eja, quam ferocula es! *Auct. B. Afr.* 16. Quid tu, miles tiro, tam ferocnlus es?

FĔROX, ōcis, adject. omn. gen. *Ferocum* pro *ferocium* in Genit. plurali. *Albinov.* 1. 275. Inque illa ferocum lavitis lacrimas decidere ora genis. — Comp. *Ferocior* et Sup. *Ferocissimus* sub *A.* et *B.* — Ferox est qui nimium confidit, nihil metuit, atque adeo vehemens, insolens superbusque est: a *ferus* (quo modo *atrox* ab *ater*): a quo ita quidam differre volunt, ut *ferox* ad mores referatur, *ferus* ad naturam, et dicatur proprie de brutis iis, quæ nullo septo servantur nullaque cura mansuefacta sunt, quamvis sæva non sint, ἄγριος (It. *feroce, fiero, altero*; Fr. *fier, hautain,* emporté; Hisp. *altanero, orgulloso*; Germ. *wilden Antlitzes*, stürmisch; Angl. *insolent, fierce, bold, headstrong*). Occurrit autem ¶ 1. In bonam partem pro forti, animoso, strenuo, bellicoso. — *a*) Absolute. — Raro de brutis animantibus. *Virg.* 4. *Æn.* 131. ostroque insignis et auro Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit. *Horat.* 4. *Od.* 4. 31. nec imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam. — Sæpius de hominibus, vel eorum qualitatibus. *Sall. Cat.* 43. Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum —: naturâ ferox, vehemens, manu promptus erat: maximum bonum in celeritate putabat. Adde *eumd. Jug.* 11. Sic *Cic. Vatin.* 2. 4. Nimium es vehemens feroxque natura. *Plaut. Amph.* 1. 1. 82. Vicimus vi feroces. *Cic.* 2. *de republ.* 20. Postquam bello subegit Æquorum magnam gentem et ferocem et rebus populi Romani imminentem. *Horat.* 1. *Od.* 35. 10. ferox Latium. *Id.* 3. *ibid.* 3. 44. Roma. *Id.* 3. *ibid.* 2. 3. Parthi. *Id.* 4. *ibid.* 2. 34. Sygambri. *Id.* 1. *ibid.* 6. 3. miles. *Id.* 4. *ibid.* 9. 21. Hector. *Liv.* 1. 12. In eum hæc gloriantem, cum globo ferocissimorum juvenum Romulus impetum facit. *Tac.* 2. *Hist.* 24. Ferocissimos auxiliarium componit. *Id.* 1. *Ann.* 2. Quum ferocissimi cecidissent. *Martial.* 14. 179. *de Minerva.* Dic mihi, virgo ferox, quum sit tibi cassis et hasta. Adde *Sil. It.* 9. 457. *Tac.* 4. *Ann.* 21. Vir nobilis et ferox. *Nepos Themist.* 2. Prætor a populo factus, non solum præsenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. — *Sall. Cat.* 11. Loca amœna, voluptaria facile in otio feroces militum animos molliverant. *Id. Jug.* 106. Ille animo feroci negat, se toties fusum Numidam pertimescere. *Sil. It.* 1. 191. Continuoque ferox oritur fiducia menti. *Flor.* 3. 10. 21. Ferocibus dictis ad jus pristinæ libertatis erexit. Cf. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 305. 10. *Merc.* Ferox oratio. *Mercerus* vero aliter legit. — *b*) Cum additis. *Horat.* 1. *Od.* 32. 6. Qui (*Alcæus*) ferox bello, tamen inter arma Liberum et Musas — canebat. *Ovid.* 2. *Pont.* 9. 45. Sed quam Marte ferox et vinci nescius armis, Tam numquam facta pace cruoris amans. *Liv.* 38. 13. Integris viribus regionis ejus feroces ad bellandum habebat viros. *Tac.* 3. *Hist.* 69. Miles Vitellii adversus pericula ferox. — *c*) De vino dixit *Sil. It.* 7. 211. Ac Methymna ferox cessit Falernis. *h. e.* vinum Methimnæum seu Lesbium austerum, generosum cessit Falernis. ¶ 2. In malam partem ponitur pro duro, immiti, indomito, effrenato, arrogante. — *a*) Absolute vel cum addito Ablativo causæ. — Raro de brutis animantibus. *Plaut. Men.* 5. 2. 109. Multa mihi imperas, Apollo: nunc equos junctos jubes capere me indomitos, feroces, atque in currum inscendere. *Lucret.* 5. 902. Qui fieri potuit, triplici cum corpore ut una Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra, Ore ferox acrem efflaret de corpore flammam. Sic *Id.* 4. 719. Feroces leones. *Nepos Eumen.* 11. Quum præfectus custodum quæsisset, quemadmodum (*Eumenem*) servari vellet: ut acerrimum, inquit, leonem, aut ferocissimum elephantum. *Virg.* 10. *Æn.* 711. *de apro.* infremuitque ferox et inhorruit armos. — Sæpius de hominibus vel hominum qualitatibus. *Plaut. Mil. glor.* 1. 8. 13. Quia tecum eram, propterea animo eram ferocior. *Id. Men.* 5. 2. 17. Ita istæc solent, dote fretæ, feroces. *Id. Mil. glor.* 4. 9. 13.; et *Titinius* apud *Non. p.* 305. 6. *Merc.* Mœchus formâ ferox. *Ter. Eun.* 3. 1. 25. Eone es ferox, quia habes imperium in belluas? *Cic.* 10. *Att.* 11. 3. Indulgentia ferocem fortasse atque arrogantem et infestum facit. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 305. 10. *Merc.* Vereor, ne ferociorem eum faciant tua tam præclara de eo judicia. *Id.* 4. *Fam.* 9. 3. Victoria civilis, etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit. *Sall. Jug.* 94. Numidæ secundis rebus feroces. Cf. *Tac.* 3. *Hist.* 77. Recens victoriâ miles et super insitam pervicaciam secundis ferox. *Liv.* 1. 7. Pastor nomine Cacus, ferox viribus. *Id.* 7. 5. Illum juvenem, stolide ferocem viribus suis cerneret. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 3. Robore corporis stolide ferox. *Liv.* 7. 40. Ut potuerim tres et viginti annos natus consul patribus quoque ferox esse, non solum plebi. *h. e.* in patres et plebem. *Horat.* 4. *Od.* 15. 43. Veneris præsidio ferox. *Id. Art. P.* 123. Sit Medea ferox invictaque. *Ovid.* 1. *Met.* 758. Ille ferox tacuit. *Id. Heroid.* 15. 189. o scopulis undaque ferocior illa. *Tac.* 2. *Hist.* 63. Cunctantem super tanta re Flavium Sabinum Triaria L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit e periculo principis famam clementiæ affectare. *Val. Flacc.* 5. 549. Ferox ardore prædæ. *Id.* 6. 615. neque parte ferox, neque cæde moratur in una Torbidus. *Flor.* 1. 2. 4. et 1. 8. 3. Ferox populus. *Id.* 2. 17. 8. Ferocissimæ gentes. *Vopisc. Carin.* 9. Feroces Probi morte. — *Sall. Cat.* 5. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris. *Id. ibid.* 38. Quibus ætas animusque ferox erat. Sic *Horat.* 2. *Od.* 5. 13. Currit enim ferox ætas. *h. e.* ferocis juventæ tempus. Et *Quintil.* 2. 2. 3. Ut et teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat, et ferociores a licentia gravitas deterreat. *Sueton. Aug.* 65. Ingenium sordidum ac ferox. *Lucan.* 5. 244. Feroces oculi. *Gell.* 1. 3. *sub fin.* Duas ferocissimas affectiones amoris atque odii coercere. — *b*) Cum Genitivo. *Ovid.* 8. *Met.* 612. deorum Spretor erat mentisque ferox Ixione natus. *Tac.* 1. *Ann.* 32. Cassius Chærea —, tum adolescens et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit. Adde *Vopisc. Aurel.* 32. Rursus *Tac.* 1. *Hist.* 35. Ignavissimus quisque nimii verbis, linguæ feroces. *Id.* 4. *Ann.* 13. Ferox scelerum. *h. e.* propter scelera. — *c*) Sequente Infinito. *Plaut. Asin.* 2. 4. 62. Ferox est viginti minas meas tractare sese. *h. e.* quia tractat, *ha dell'umore, perchè* etc. *Sil. It.* 11. 8. Atque odium renovare ferox in tempore Samnis. *h. e.* ferociter paratus.

Homonym. Inter *ferum* et *ferocem* eadem intercedit ratio, quæ inter *atrum* et *atrocem*, inter *torvum* et *trucem*. Hinc *Accius* apud *Non. p.* 511. 3. Ferum feroci contundendum imperio, sævum sæviter, ut *Mercerus* legit. *Ferus*, ut addit *Popma*, de inanimatis quoque dicitur; *ferox* de animatis tantum: *ferus* omni cultu, *ferox* aliquo cultu caret. — Animadvertendum potius videtur discrimen inter *feritatem* et *ferociam*, quod respexisse videtur *Non. p.* 423. 21. *Merc. Feritas* et *ferocia* unum idemque significant: sed *feritas* humanitati et cultui opponitur, ac propterea ferinos mores naturæque asperitatem significat; *ferocia* vero timiditati et mollitiæ opponitur, ac propterea naturam denotat ejus, qui nimium confidit, nihil metuit, animo et vigore plenus. Hinc *feritas* cum *sævitia* conjungitur: sed *feritas* naturæ instinctu insita est et belluina; contra *sævitia* est sanguinis cupido, cujus homo sibi conscius est quæque, potius quam belluina, tartarea vel infernalis dici potest. *Tac.* 1. *Hist.* 41. Ceteri crura brachiaque (*Galbæ*) fœde laniavere; pleraque vulnera feritate et sævitia trunco jam corpori adjecta. Cf. et *Senecam* 2. *Clem.* 4. Possumus dicere, non esse hanc crudelitatem (quam *Seneca* ipse definit *atrocitatem animi in exigendis pœnis*), sed feritatem, cui voluptati sævitia sit. — Hinc vero cum *ferocia* conjungitur *virtus* seu *fortitudo*: sed *ferocia* naturalis est et hominibus æque ac brutis communis; *virtus* seu *fortitudo* est moralis vis, educatione cultuque comparata et unius hominis propria. *Tac.* 14. *Ann.* 19. Nos virtutem ausimus, barbari ferociam infregere. *Id.* 5. *Hist.* 11. Poscebantque pericula, pars virtute, multi ferocia et cupidine præmiorum. *Id.* 2. *Ann.* 25. Qui (*Romani*) perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora, eadem virtute, pari ferocia, et velut aucti numero irrupissent. Adde *eumd. Agric.* 31.

FERRĀGO, inis, f. 3. id, quod ferro cæditur. Ita legendum putat *Pontedera Antiq. Gr. et Lat. p.* 139. locum *Varronis* 1. *R. R.* 31. 5. Legumina viridia, quod ferro cæsa, ferrago dicitur. *Gesneri* editio habet: Legumina viridia, quod far ferro cæsa, ferrago dicta. *Schneiderus* in sua editione *Pontederæ* conjecturam probavit, et textum ad illius mentem refinxit.

FERRĀMENTĀRĬUS, *ii*, m. 2. qui ferramenta conficit. *Firmic.* 3. *Mathes.* 13. *sub fin.* Ærarii, ferramentarii, statuarii.

FERRĀMENTUM, i, n. 2. σιδήριον, quodvis instrumentum ex ferro. *Varro* 1. *R. R.* 22. 5. De ferramentorum varietate Cato scribit permulta, et genere et multitudine quæ sint, ut falces, palas, rastros. *Colum.* 2. *R. R.* 18. 4. Ut necubi ferramentum fœnisecis possit offendere. *Id.* 3. *ibid.* 18. 1. Ferramentum bifurcum. *V.* BIFŬRCUS; et adde *eumd.* 4. *ibid.* 29. 15. et 24. 21. *Martial.* in lemmate *l.* 14. *Epigr.* 36. ferramenta vocat instrumenta tonsoria. Cf. *Petron. Satyr.* 94. *Cic.* 3. *Cat.* 5. 10. ferramenta pro armis (sic *Sueton. Tit.* 9. Ferramenta pugnantium.) et *Liv.* 1. 40. pro securibus posuit. *Horat.* vero 1. *Ep.* 1. 86. pro fabrilibus instrumentis. Similiter *Justin.* 20. 2. 1. Metapontini quoque in templo Minervæ ferramenta, quibus Epeus, a quo conditi sunt, equum Trojanum fabricavit, ostentant. Et in re medica *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. Aliquando etiam ipsæ gingivæ scarificandæ vel circumseparandæ a dentibus ferramento, quod pericharactera vocant. *Veget.* 3. *Veterin.* 42. 1. Candentia prius cauteria præparabis: deinde ferramento decarnabis sic, ne nervos tangas.

FERRĀRĬA, æ, f. 1. *V.* FERRARIUS, in fin.

FERRĀRĬĀRĬUS, ii, m. 2. est qui in ferrifodinis operatur, quem nostrates vulgo dicunt *canopo*. *Inscript.* apud *Murat.* 972. 10., quæ est apud *Orell.* 4188. D. M. PRIMIONIS FERRARIARII VITALIS CONTVBERN*alis*.

FERRĀRĬUS, a, um, adject. *di ferro*, σιδηρικός, ad ferrum pertinens. *Plaut. Rud.* 4. 6. 47. et *Inscript.* apud *Orell.* 4083. Ferrarius faber. *Inscript.* apud *Gruter.* 640. 2. et 4. negotiator. Sic *Trebell. Poll.* XXX. *Tyr.* 8. opifex. *Auct. B. Afr.* 20.; et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 51. (182). Ferrariæ fabrorum officinæ. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (144). Ferraria metalla. *Id.* 28. *ibid.* 16. 63. (226). Ferraria aqua. *h. e.* qua fabri ignita ferramenta extinguunt. — Hinc

Ferrarius, *ii*, m. 2. absolute, substantivorum more, est ferrarius faber. *Inscript.* apud *Spon. Miscell. antiq. p.* 66. et apud *Orell.* 4066. COLLEGIUM FERRARIORUM. *Firmic.* 4. *Mathes.* 7. *a med.* Caligarii, coqui, ferrarii.

Ferraria, *æ*, f. 1. absolute, substantivorum more, est ferrifodina. *Cæs.* 7. *B. G.* 22. Apud eos magnæ sunt ferrariæ. Adde *Caton.* apud *Gell.* 2. 22.; et *Liv.* 34. 21.; et *Cassiod.* 3. *Variar.* 26., qui *ibid.* 25. eas *ferrarias venas* appellat. *Inscript.* apud *Orell.* 2341. Ferrariæ Noricæ. Adde *alias* apud *Henzen.* 6652. et 7253.

Ferraria, *æ*, f. 1. dicitur etiam herba, alio nomine *crista gallinacea*, apud *Apul. Herb.* 65.

FERRĀTĪLIS, e, adject. *Plaut. Most.* 1. 1. 18. genus *ferratile* joculariter vocat servos ferreis compedibus vinctos.

FERRĀTUS, a, um, adject. seu potius particip. ab inusit. *ferrare*, (*V.* in fine hujus voc.) *ferrato*, σιδηρόδετος, ferro munitus. *Lucret.* 6. 551.; et *Virg.* 3. *G.* 361. Ferrati orbes rotarum. *Liv.* 1. 32. *ad fin.* Ferrata hasta. *Virg.* 5. *Æn.* 208. Ferratæ sudes. *Id.* 11. *ibid.* 714. Ferrata calx. *h. e.* stimulo ferreo armata. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 61. *ex Ennio.* Ferrati postes. *Tac.* 3. *Hist.* 30.; et *Ammian.* 21. 12. et 13. Ferrati portarum obices. *h. e.* repagula, *travi, traverse*. *Stat.* 10. *Theb.* 504. portæ. *Vopisc. Prob.* 21. turris. *Val. Flacc.* 6. 90. Ferrata forma suum. *h. e.* ferrea imago. *Plaut. Bacch.* 4. 6. 11. Ferratus servus. *h. e.* ferreis compedibus vinctus. *Tac.* 3. *Ann.* 45. In fronte statuerat ferratos, in cornibus cohortes. *h. e.* ferreis loricis indutos. Sic *Horat.* 4. *Od.* 14. 30. Ferrata agmina. *Ammian.* 25. 1. catervæ. *Claudian. Cons. Honor.* 6. 571. viri. *Trebell. Poll.* XXX. *Tyr.* 8. populus. *Rutil. Itiner.* 1. 365. Ferratus Mars. *Inscript.* apud *Murat.* 823. 4. C. IVLIVS BAVTTIANVS (*miles*) LEG. VI. FERRAT. Adde alias apud *Gruter.* 45. 13., 416. 6., 457. 10. et ali-

bi. Colum. 10. R. R. 45. ferratum robur. Scribon. Compos. 146.; et Seneca 3. Quæst. nat. 2. Ferratæ aquæ. h. e. e ferri metallis erumpentes. Virg. 3. G. 398. excretos prohibent a matribus hædos, Primaque ferratis præfigunt ora capistris. Servius exponit. duris: alii ferreo aculeo armatis. V. CAPISTRUM. — Ceterum verbum ferrare, h. e. ferro munire, fuisse priscis inusitatum testatur hisce verbis Priscian. 8. p. 835. Putsch. Quid impedit nos quoque aliquid copiæ ad opulentiam Latinæ conferre eloquentiæ, et ad imitationem armo et armor, armatus dicere, et ut æro, æror, æratus, ferro, ferror, ferratus?

FERRĔUS, a, um, adject. qui est ex ferro, σιδήρεος (It. di ferro, ferreo; Fr. de fer, en fer; Hisp. de hierro; Germ. eisern, aus Eisem gemacht; Angl. of iron, ferreous).

I.) Proprie. Lucret. 1. 315. Ferreus occulte decrescit vomer in arvis. Id. 5. 1292. Ferreus ensis. Cæs. 5. B. G. 12. Britanni utuntur aut ære, aut taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Id. 3. ibid. 13. Ferrei clavi. Id. 7. ibid. 73. hami. Id. 1. B. C. 57. et 58. et 2. ibid. 6.; Liv. 36. 44. et 24. 34.; Curt. 4. 2. 12.; Flor. 2. 2. 9.; et Lucan. 3. 635. manus. h. e. machina bellica, de qua V. in MANUS. Varro 1. R. R. 22. 3. furcæ. (Has Cato R. R. 10. absolute dicit ferreas). Liv. 30. 10.; et Curt. 4. 3. 34. uncus. Virg. 11. Æn. 817. mucro. Curt. 7. 11. 13. cunei. Plin. 8. Hist. nat. 7. 7. (21). clathri. ferrata. Quintil. 6. 3. 58. fibula. Id. 7. 6. 8.; et Sueton. Aug. 100. anulus. Seneca Thyest. 7. claustra. Virg. 6. Æn. 554. de Inferorum sedibus. turris. Plin. 34. Hist. nat. 11. 40. (141). Hercules. h. e. Herculis signum. Sueton. Aug. 7. litteræ, imaguneulæ. Sall. fragm. apud Non. p. 556. 18. Merc. Prægrediebantur equites cataphracti, ferrea omni specie. Sic Ammian. 24. 2. med. Ferrea nimirum facie omni; quia laminæ singulis membrorum lineamentis cohærenter aptatæ, fido operimento totam hominis speciem contegebant. Id. 19. 1. Ferreus equitatus. h. e. ferrati equites. — Poetice Ennius 8. Ann. 16. Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber. una pioggia di saette. Similiter Virg. 12. Æn. 284. ferreus imber. Id. 3. ibid. 45. Ferrea telorum seges. Eodem sensu Sil. It. 13. 626. ruit acer apertis Turbo equitum portis, atque omnis ferrea late Tempestas operit campos. Virg. 11. Æn. 601. tum late ferreus hastis Horret ager campique armis sublimibus ardent.

II.) Improprie. ¶ 1. Ferreus dicitur, qui ferro similis est, vel ad ferrum quomodocumque refertur. Plin. 37. Hist. nat. 10. 61. (170). Ferreus color. (Cf. Stat. 1. Theb. 104. de Tisiphone. sedet intus abactis Ferrea lux oculis, qualis per nubila Phœbes Atracia rubet arte labor. h. e. atra, ferruginea). Plin. 7. Hist. nat. 56. 57. (198). Ferrea fabrica. l'arte del ferraio. — Hinc etiam Vet. Poeta apud Cic. 2. Nat. D. 63. 159. Ferrea tum vero proles exorta repente est. h. e. ferreæ ætatis homines. Sic Tibull. 2. 3. 35.; et Sueton. Tib. 59. ferrea secula. Flor. 2. 19. 3. Ferrei anni et cruenti. V. ÆTAS. ¶ 2. Transfertur ad moralem hominis characterem sive ad animum, et ferreus dicitur qui affectibus caret humanæ naturæ propriis: hinc — a) Est durus, inhumanus. Cic. Amic. 13. 48. Qui virtutem duram et quasi ferream esse quamdam volunt: quæ quidem est quum multis in rebus, tum in amicitia tenera atque tractabilis. Id. 5. Verr. 46. 121. Quis tam fuit durus et ferreus, quis tam inhumanus, qui etc.? Id. 13. Att. 30. O te ferreum, qui illius periculis non moveris! Id. 15. Fam. 21. 3. Ferreus essem, si te non amarem. Id. 1. ad Q. fr. 3. 3. Quem ego ferus et ferreus e complexu dimisi meo. Cf. Tibull. 1. 10. 2. Quam ferus et vere ferreus ille fuit! Rursus Cic. Amic. 23. 87. Quis tam esset ferreus, qui eam vitam (solitariam) ferre posset? Propert. 2. 8. 12. qualia carmina feci! Illa tamen numquam ferrea dixit: amo. Adde Tibull. 2. 3. 2. et 3. 2. 2. Ovid. 14. Met. 721. Vincis enim, moriorque libens: age, ferrea, gaude. Adde eumd. Heroid. 17. 136. Virg. 2. G. 310. virumque Ferrea progenies. Ammian. 28. 1. med. A jure tamen justitiaque crebro discedens ferreus cognitor etc. — Sic Ovid. Heroid. 12. 183. Ferrea præcordia. Id. ibid. 13. 64. bella. Virg. 2. G. 501. ferrea jura Insanumque forum. h. e. leges, quæ nulla flectuntur misericordia. Ovid. 5. Trist. 3. 28. me Ferrea sors vitæ difficilisque premit. — b) Item impudens. Cic. Pis. 26. 63. Si os tuum ferreum senatus convicio verberari noluisti. Cf. Catull. 42. 16. Quod si non aliud potest, ruborem Ferreo canis exprimamus ore. et Sueton. Ner. 2. Cui os ferreum, cor plumbeum esset. ¶ 3. Item fortis, durus, validus. Liv. 39. 40. sub fin. de Catone. In parsimonia, in patientia laboris periculique, ferrei prope corporis animique. Juvenal. 1. 30. Difficile est Satiram non scribere. Nam quis iniquæ Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se? Virg. 6. Æn. 625. et 2. G. 44. Non, mihi si linguæ centum sint oraque centum, Ferrea vox etc. Licinius poet. apud Cic. 1. Fin. 2. 5. Atilius ferreus scriptor. h. e. qui duro dicendi genere utitur. Virg. 10. Æn. 745. et 12. ibid. 309. Olli dura quies oculos et ferreus urget Somnus. Homer. χάλκεος ὕπνος. Ovid. 15. Met. 781. qui (Superi) rumpere quamquam Ferrea non possunt veterum decreta sororum. Stat. 2. Theb. 31. de Cerbero. Ferrea tergemino domuisset lumina somno. h. e. atra, torva, rigida, et simul fortia et contra somnum vigilacia.

FERRĬCRĔPĬNUS, a, um, adject. Ferricrepinæ insulæ dicuntur jlocaliter a Plaut. Asin. 1. 1. 21. ergastula, ubi servi ferro vincti laborabant. Ibi enim assiduus compedum catenarumque crepitus exaudiebatur. V. FUSTITUDINAS.

FERRĬFŎDĪNA, æ, f. 1. ferraria, ubi ferrum foditur. improbat hanc vocem Varro 8. L. L. 62. Müll., non quod sit contra analogiam, sed quod in usu non sit.

FERRĪTĔRIUM, ii, n. 2. locus, ubi ferrum teritur, h. e. ubi servi compedibus ferreis vincti asservantur, ergastulum. Plaut. Most. 3. 2. 55. Inde in ferriterium, postea in crucem recta.

FERRĪTĔRUS, i, m. 2. adject. servus vinctus ferreis compedibus, quia ferrum terit. Plaut. Trin. 4. 3. 14.

FERRĪTRĪBAX, ācis, adject. omn. gen. idem ac ferriterus: a ferrum et τρίβω tero. Plaut. Most. 2. 1. 9. V. PLAGIPATIDA.

FERRO, as, etc. V. FERRATUS in fin.

FERRŪGĬNANS, antis, particip. ab inusit. ferrugino, ferrum sapore referens. Tertull. advers. Valentin. 15. Guttæ bituminosæ, ferruginantes et sulphurantes.

FERRŪGĬNEUS, a, um, adject. ¶ 1. Est colorem habens, qualis est ferri longa rubigine exesi, qui ex rufo et nigro commistus est, quem hodie colorem castaneum vocant, di color di ruggine, ferrigno, fosco, σιδηροειδής. Interdum hic color dicitur thalassicus, quod nautæ et piscatores eo uti soleant in mari. Plaut. Mil. glor. 4. 4. 43. Palliolum habeas ferrugineum: nam is color est thalassicus. Lucret. 4. 73. Vela lutea, russa, ferruginea. Al. leg. ferrugina, ut metrum constet. Virg. 6. Æn. 303. de Charonte. Et ferruginea subvectat corpora cymba. Id. ibid. 410. hanc eamdem cæruleam puppim vocat, quia affines hi valde colores sunt, fusci videlicet. V. CÆRULEUS. Id. 4. G. 183.; et Colum. 10. R. R. 305. Ferruginei hyacinthi. Claudian. 2. Rapt. Pros. 275. Ferrugineus Plutonis amictus. Stat. 2. Theb. 13. ferrugineum nemus Inferorum. Id. 1. ibid. 600. ferruginea frons strigis. Auson. 10. Ep. 62. Ferrugineum venenum. ¶ 2. Ferrugineus sapor est ferri sapor, quem aquæ contrahunt ex ferri metallis erumpentes. Plin. 31. Hist. nat. 2. 8. (12). Fons ferruginei saporis. V. Senecæ loc. in FERRATUS. — Ceterum ferrugineæ aquæ quænam sint, vide in STIPTERIAZUSA.

FERRŪGĬNUS, a, um, adject. ferrugineus. V. voc. præced. 1.

FERRŪGO, inis, f. 3. rubigo ferri, ἰὸς σιδήρου (It. ruggine del ferro; Fr. rouille du fer; Hisp. moho, orin, herrumbre; Germ. der Eisenrost; Angl. rust of iron).

I.) Proprie. Plin. 23. Hist. nat. 8. 79. (151). Ilitaque inde ferrugo incipientes lichenas sanat.

II.) Translate. ¶ 1. Ferrugo dicitur color rufus nigrioris rubedinis, similitudine coloris rubigine exesi, ipsaque res talem colorem habens, color ferrigno, castagno, fosco. Plin. 15. Hist. nat. 10. 9. (35). Fructus grandissimus pineis nucibus, intus exiles nucleos includit, vestitos alia ferruginis tunica. Val. Flacc. 1. 775. multa pollens ferrugine taurus. Claudian. 2. Rapt. Pros. 93. Dulci violas ferrugine pingit. Tibull. 1. 4. 43. picea ferrugo. Prudent. 9. Cathemer 78. lugubris. Virg. 1. G. 467. Sol caput obscura nitidum ferrugine texit. Ovid. 15. Met. 789. vultum ferrugine Lucifer atra Sparsus erat. et 13. ibid. 960. de Glauco deo marino. Viridis ferrugine barba. h. e. colore fusco, aut cæruleo, qui marinis rebus tribuitur, ut in FERRUGINEUS 1. dictum est. Virg. 9. Æn. 582. Pictus acu chlamydem et ferrugine clarus Ibera. h. e. purpurea veste, vel purpureæ admodum simili. Nam purpuræ optimæ color ex rubro ad nigrum accedit. Sic Id. 11. ibid. 772. peregrina ferrugine clarus et ostro. ¶ 2. Metaphorice. Auct. Paneg. ad Pis. 90. animusque mala ferrugine purus. h. e. ab invidia liber, quæ ita exest animum, ut rubigo ferrum.

FERRUM, i, n. 2. metallum notissimum et plurimi usus, σίδηρος (It. ferro; Fr. fer; Hisp. hierro; Germ. d. Eisen; Angl. iron).

I.) Proprie. Lucret. 5. 1240. æs atque aurum ferrumque repertum est Et simul argenti pondus plumbique potestas. Id. 5. 1286. Et prior æris erat, quam ferri, cognitus usus. Id. 1. 491. ferrum candescit in igne. Cic. 2. Legg. 18. 45. Æs atque ferrum, duelli instrumenta. Id. 2. Nat. D. 60. 151. E terræ cavernis ferrum elicere, rem ad colendos agros necessariam. Horat. 1. Sat. 4. 20. conclusas hircinis follibus auras Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis. Adde Cæs. 5. B. G. 12.; et Virg. 1. G. 57. Ovid. 15. Met. 810. Ferrum solidum. Claudian. 3. Rapt. Pros. 94. rigidum. Curt. 9. 8. 1. candidum. Flor. 3. 20. 6. recoctum. Colum. 12. R. R. 5. 2. Ferri massæ ignitæ. Curt. 4. 2. 13. Fornacibus ferrum, quod excudi oportebat, imponere. Val. Flacc. 5. 145. cubilia ferri eruere. Ammian. 22. 8. Ferrum eruere et domare. V. præcipue Plin. 34. Hist. nat. 14. 39. (138). et seqq. — Varro 1. R. R. 54. 3. Mustum quod resipit ferrum. h. e. ferri saporem habet: Itali dicunt sa di ferro, è brusco e ruvido al gusto. V. FERRUGINEUS 2.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen dicitur de vomere, falce, gladio, ense aliisque hujusmodi ferreis instrumentis. — a) De vomere. Lucilius apud Non. p. 401. 19. Merc. glebas proscindere ferro. Lucret. 5. 1291. ferro cœpere solum proscindere terræ. Ovid. 7. Met. 119. ferro proscindere campum. Virg. 1. G. 50. æquor ferro scindere. h. e. terram vomere. — b) De bipenni similibusque ad cædendas arbores instrumentis. Horat. 2. Ep. 2. 186. Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum. h. e. ferro silvas cædat, solum scindat, flammis ligna et herbas silvestres comburat. Id. 4. Od. 6. 9. mordaci icta ferro pinus. Cf. Lucret. 6. 167. cædere si quem Ancipiti videas ferro procul arboris auctum. Quintil. 8. 3. 10. Surgentia in altum cacumina oleæ ferro coercebo. Huc referri potest et illud Plin. 10. Hist. nat. 32. 47. (91). Halcyonum nidi ferro intercidi non queunt. — c) De sagittis venationi aptis. Horat. Epod. 5. 10. Petita ferro bellua. — d) De catenis. Seneca Hippol. 884. vincire aliquem ferro. Cf. Quintil. 1. 5. 8. Ferrum, quo rotæ vinciuntur. — e) De instrumentis, quibus secantur, aut crispantur capilli. Ovid. 11. Met. 18. solitus longos ferro resecare capillos. Id. 1. Art. am. 505. ferro torquere capillos. Sic Virg. 12. Æn. 10. crines vibratos calido ferro. — f) De stilo, quo veteres in ceratis tabulis scribebant. Ovid. 9. Met. 522. Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram. — g) De chirurgorum instrumentis. Scribon. in epist. Compos. præpos. init. Siquidem verum est, antiquos herbis ac radicibus earum corporis vitia curasse: quia etiam tunc genus mortalium inter initia non facile se ferro committebat. — h) De sagittæ spiculo. Ovid. 7. Met. 127. et missa fugientia terga sagitta Trajicit: exstabat ferrum de pectore aduncum. — i) De spiculo hastilium. Nepos Epam. 9. Epaminondas, quum animadverteret mortiferum se vulnus accepisse, simulque si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset etc. Virg. 1. Æn. 313. Bina manu lato crispans hastilia ferro. Sic Id. 10. ibid. 479. Hic Turnus ferro præfixum robur acuto In Pallanta diu librans jacit. — l) Sæpe pro gladio, de qua translatione V. Quintil. 8. 6. 20., atque adeo pro armis cujuscumque generis, quæ interficiendo inserviunt. Quintil. 2. 16. 6. Non fabricetur militi gladius, potest uti eodem ferro latro. Quintil. 8. 6. 12. Ferrum armare. h. e. acuere.

Justin. 1. 9. 19. Occultato sub veste ferro. *Quintil.* 7. 6. 8. Cum ferro deprehensus. *Sueton. Aug.* 35. Ferro cinctus. *Virg.* 6. *Æn.* 260. Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum. Eodem sensu *Lucan.* 3. 128. detegere. *Stat.* 8. *Theb.* 140. stringere ferrum. *Sueton. Cal.* 12. abjicere. *Id. Domit.* 17. extorquere. *Lucan.* 1. 118. excutere alicui ferrum. *Cic. Cæcin.* 9. 25. In aliquem cum ferro invadere. *Nepos Alcib.* 10. Ferro aggredi aliquem. *Ovid.* 1. *Pont.* 16. 51. Demittere ferrum in artus. *Id.* 6. *Met.* 274. ferro per pectus adacto. *Sil. It.* 7. 626. Adigere ferrum in viscera. *Ovid.* 8. *Met.* 440. hausit pectora ferro. *Stat.* 12. *Theb.* 745. consumere pectore ferrum. *Cic.* 3. *Nat. D.* 33. 81. Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. Ne rejecti et relegati longe ab ceteris aut ferro aut fame intereant. *Sall. Jug.* 38. Tametsi ipsum cum exercitu fame et ferro clausum tenet. *Id. ibid.* 42. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa multos mortales ferro aut fuga exstinxit. *Inscript.* apud *Henzen.* 7390. Q. MARCIO AVITICO FERRO PETITO, QVI VIXIT ANN. XXXIII. M. III. etc. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 58. Quid refert, uri virgis ferroque necari Auctoratus eas? *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 41. Quis mediocris gladiator, quum decubuisset, ferrum recipere jussus, collum contraxit? *Sueton. Ner.* 12. Exhibuit ad ferrum etiam quadringentos senatores. *h. e.* qui gladiis depugnarent. *Flor.* 1. 12. 7. Fidenæ, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum facibus armatæ etc. — *m*) *Ferrum et ignis* junguntur ad servorum pœnas significandas. *Ovid.* 3. *Met.* 697. Clauditur in tectis: et dum crudelia jussæ Instrumenta necis ferrumque ignesque parantur etc. *Propert.* 1. 1. 27. Fortiter et ferrum, sævos patiemur et ignes: Sit modo libertas, quæ velit ira, loqui. — *n*) Sæpius *ferrum et ignis* et interdum *ferrum et flammæ* junguntur, ut maxima in bello vastatio significetur, *mandare a ferro e fuoco*, ut nos dicimus: ad rem *Liv.* 2. 10. Itaque monere, prædicere, ut pontem ferro, igni, quacumque vi possent, interrumpant. *Cic.* 11. *Phil.* 14. 37. Huic urbi ferro ignique minitantur. *Liv.* 31. 7. *a med.* Hostium urbes agrique ferro atque igni vastentur. Adde *eumd.* 3. 68. et 8. 1.; et *Sueton. Claud.* 21. *Ovid.* 13. *Met.* 91. Ecce ferunt Troes ferrumque ignemque Jovemque In Danaas classes. *Curt.* 3. 4. 3. igni ferroque Ciliciam vastat. *Flor.* 1. 13. 14. Totam urbem igne, ferro, manibus exæquant. *Auct. B. Alex.* 60. Ferro flammaque agros consumere. Cf. *Ovid.* 13. *Met.* 91. inque meos ferrum flammasque penates Impulit. Huc pertinet et illud *Curt.* 4. 1. 18. Admiratus magnitudinem animi spernentis (*regnum*), quod alii per ignes ferrumque peterent. ¶ 2. Hinc ferrum et pro bello vel armis ponitur. *Ennius* 6. *Ann.* 28. Non cauponantes bellum, sed belligerantes, Ferro, non auro, vitam cernamus utrique. *h. e.* prælio, pugna. *Id.* apud *Cic.* 3. *de republ.* 3. Quem nemo ferro potuit superare, neque auro. *Id.* apud *eumd.* 2. *ibid.* 18. Annuvit', sese mecum decernere ferro. Sic *Cic.* 2. *Orat.* 78. 317.; *Liv.* 40. 8. *extr.*; *Virg.* 7. *Æn.* 525., 11. *ibid.* 218. et 12. *ibid.* 282. decernere ferro. *h. e.* prælio, pugna. et *Virg.* 12. *ibid.* 709. cernere ferro. *Id. ibid.* 185. Cedet Iulus agris, nec post arma ulla rebelles Æneadæ referent, ferrove hæc regna lacessent. *h. e.* bello et armis. Sic *Lucan.* 7. 228. Atque omnis, Latio quæ servit, purpura, ferro. *h. e.* omnes reges, qui armis subacti Romano imperio parent. *Virg.* 6. *Æn.* 553. excindere ferro mœnia. ¶ 3. Metaphorice est durities morum. *Ovid.* 9. *Met.* 613. Nec rigidus silices solidumve in pectore ferrum Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leænæ. *Id.* 7. *ibid.* 33. Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor. *Id.* 1. *Trist.* 8. 42. Et rigidum ferri semina pectus habet. Cf. *eumd.* 14. *Met.* 711. surdior ille freto surgente, durior et ferro. — Hinc *ferrum* dictum est etiam de ultima mundi ætate juxta Poetarum fabulas. *Ovid.* 1. *Met.* 127. De duro est ultima ferro. Protinus irrumpit venæ pejoris in ævum Omne nefas: fugere pudor verumque fidesque *etc. Id.* 15. *ibid.* 260. sic ad ferrum venistis ab auro Secula. *Horat. Epod.* 16. 65. Ære, dehinc ferro duravit secula. ¶ 4. Item de patientia ac duritia in malis. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 3. Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum Duritiæ confers, Albinovane, meæ? ¶ 5. *Ferrum meum in igne est* proverb. apud *Senec. Apocoloc. a med.*, h. e. mea nunc res agitur. Simili sensu Itali dicunt, *si legge sul mio libro*.

FERRŪMEN, ĭnis, n. 3. σιδήρου κόλλησις, σιδήρωμα, quoddam quasi gluten, junctura, qua ferrum ferro jungitur, et generatim qua etiam aliæ res consolidari solent (It. *saldatura*, *incollatura*; Fr. *soudure*; Hisp. *soldadura*; Germ. *Kitt*, *Leim*; Angl. *solder*, *glue*, *cement*).

I.) Proprie. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 55. (176). Quod furto calcis sine ferrumine suo cæmenta componuntur. *Petron. Satyr.* 102. Nec vestem atramento adhæsuram, quod frequenter, etiam non arcessito ferrumine, infigitur. *Pompon. Dig.* 41. 1. 27. Quum partes duorum dominorum ferrumine cohærerent.

II.) Translate. ¶ 1. *Gell.* 13. 26. Esse videtur Homeri simplicior et sincerior, Virgilii autem νεωτερικώτερος, et quodam quasi ferrumine immisso, fucatior, Ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι, Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo. τὸ *pulcher* ferrumen *Gell.* appellat. *un taccone*, *riempitura*, *borra*. ¶ 2. Est etiam ferrugo, rubigo, aut color ferri. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 10. (28). Crystalla infestantur plurimis vitiis, scabro ferrumine, maculosa nube etc. Ita *Harduin.* ex MSS., alii *ferrugine*. *Sillig.* etiam ex Cod. Bamberg. *Harduini* lectionem tuetur.

FERRŪMĬNĀTIO, ōnis, f. 3. actus ferruminandi, *saldatura*, συγκόλλησις. *Paul. Dig.* 6. 1. 23. Dicit enim, si statuæ ferruminatione injunctum brachium sit, unitate id majoris partis consumi. Non idem est in eo, quod opplumbatum sit, quia ferruminatio per eamdem materiam facit confusionem: plumbatura vero non idem efficit.

FERRŪMĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FERRŪMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Ferruminans*, *Ferruminatus* et *Ferruminandus*. — Ferrumino est jungo, consolido; et dicitur proprie de ferro primum, aliisque rebus, quæ materia sua altera alteri conglutinantur: latius vero de aliis, *saldare*, συνάπτω, κολλάω. *Petron. Satyr.* 32. Anulus totus aureus, sed plane ferreis veluti stellis ferruminatus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 21. (182). Bitumen calcis quoque usum præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. *Id.* 31. *ibid.* 7. 39. (78). Muros domosque massis salis faciunt, ferruminantes aqua. *Id.* 34. *ibid.* 11. 24. (107). Squama decussa vi clavis, in quos panes æris ferruminantur. *Id.* 36. *ibid.* 26. 67. (199). Vitrum sulphuri concoctum ferruminatur in lapidem. *Id.* 10. *ibid.* 33. 50. (98). Surculo super bina ova imposito, ac ferruminato sivi glutino. *Id.* 30. *ibid.* 6. 33. (62). Ad ferruminandas fracturas ossaque contusa. *Id.* 11. *ibid.* 37. 86. (214). Cruribus canum fracta ossa non ferruminantur. *Id.* 16. *ibid.* 36. 64. (158). Arundinis coma, ubi lignosiore callo induruit, contusa et interjecta navium commissuris ferruminat textus, glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice. *calafata*. *Pompon. Dig.* 41. 1. 27. Si tuum scypheum alieno plumbo plumbaveris, aut alieno argento ferruminaveris. — Festive *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 25. Labra labellis ferruminant.

FERTĀTUS. *V.* **FESTATUS.**

FERTĪLIS, e, adject. Comp. *Fertilior* sub *A.* I. et II.; Sup. *Fertilissimus* sub *A.* I. et II. et *B.* — Fertilis a *fero* (*V.* FERO I. 6.) est ferax, fecundus, uber, fructuosus, εὔφορος (It. *fertile*, *abbondante*, *fruttuoso*, *fecondo*; Fr. *fertile*, *fécond*, *abondant*; Hisp. *fertil*, *fecundo*, *abundante*; Germ. *fruchtbar*, *tragbar*, *fruchttragend*, *-bringend*; Angl. *fertile*, *fruitful*, *rank*, *abundant*, *copious*, *rich*). Occurrit *A*) De eo, qui per se fecundus est; et *B*) De eo, qui fertilitatem inducit.

A) De eo, qui per se fecundus est.

I.) Proprie usurpatur — *a*) Absolute. — De regionibus et agris. *Cic. pro leg. Manil.* 6. 14. Asia tam opima est ac fertilis, ut et ubertate agrorum et varietate fructuum et magnitudine pastionis et multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat. *Id.* 2. *Nat. D.* 52. 130. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates. *Horat.* 3. *Od.* 16. 31. Fertilis Africæ. *Id.* 1. *ibid.* 3. 10. Tibur. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 19. 51. Agri opimi et fertiles. *Id.* 1. *Divinat.* 42. 94. Agri uberrimi maximeque fertiles. *Id.* 5. *Verr.* 51. 120. Agros lætos ac fertiles desererent. *Sall. Jug.* 87. Ager fertilis et præda onustus. *Cic.* 1. *Off.* 15. 48.; et *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 23. Fertilis ager. *Liv.* 29. 25. Fertilissimus ager. *Cæs.* 6. *B. G.* 7. Regio agri fertilissima. *Id. ibid.* 24. Quæ fertilissima sunt Germaniæ loca circum Hercyniam silvam. *Ovid.* 1. *Art. am.* 90. Loca fertiliora. *Tibull.* 2. 1. 44. fertilis hortus. *Ovid.* 4. *Pont.* 15. 7. arvum. — De plantis, herbis et similibus. *Virg.* 4. *G.* 142. Fertilis arbos. *Id.* 2. *ibid.* 191. uva. *Horat.* 2. *Od.* 15. 7. Oliveta fertilia domino. *Id. ibid.* 6. 19. Fertilis Bacchus. *h. e.* vinea. *Ovid.* 3. *Fast.* 240. herba. *Id. Remed. am.* 178. gramen. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (55). Milium omnium frugum fertilissimum. *Ovid.* 1. *Art. am.* 349. Fertilior seges est alienis semper in agris. Sic *Quintil.* 12. 10. 25. Uberius solum fertilioremve segetem. — De aliis. *Propert.* 4. 8. 14. Fertilis annus. *Ovid.* 5. *Fast.* 127. cornu nutricis. *h. e.* cornu Copiæ. *Plin.* 14. *Hist. nat. proœm.* (5). Fertilissimus quæstus. Et poetice *Ovid. Heroid.* 9. 95. Fertilis serpens. *h. e.* Hydra, cui uno ex multis reciso capite, aliud statim renascebatur. — *b*) Cum Genitivo. *Liv.* 5. 34. Fertilis hominum frugumque Gallia. *Cic.* 2. *Nat. D.* 52. 131. Proferre possum multos fertiles agros alios aliorum fructuum. *Sall. Jug.* 17. Ager frugum fertilis. *Horat. carm. secul.* 29. tellus frugum pecorisque fertilis. *Id.* 2. *Sat.* 4. 31. Mare fertile testæ. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (86). Insulæ pabuli tantum fertiles. *Id.* 5. *ibid.* 19. 17. (75). Arenæ vitri fertiles. *Id.* 6. *ibid.* 22. 24. (81). Populi auri margaritarumque fertiliores, quam Indi. — *c*) Cum Ablativo. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 5. 5. (33). Ager a litore arboribus fertilis; intus frugibus tantum. *Id.* 6. *ibid.* 23. 26. (98). Flumen auro fertile. Huc referri potest et illud *Sever. Ætn.* 553. quantis fornacibus Ætna Uritur, a sacro numquam non fertilis igne. — *d*) Cum Accusativo et præpos. *ad*. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 78. 80. (190). Tractus fertilis ad omnia.

II.) Translate. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 11. Fertile pectus habes, interque Helicona colentes Uberius nulli provenit ista seges. *Propert.* 4. 6. 75. Ingenium potis irritat Musa poetis: Bacche, soles Phœbo fertilis esse tuo. *Plin.* 11. *Hist. nat. proœm.* (3). Priscorum cura fertilior et industria felicior fuit. *Val. Max.* 8. 7. *extern.* 3. Plato autem patriam Athenas, præceptorem Socratem sortitus, et locum et hominem doctrinæ fertilissimum. — Huc referri potest et illud *Tibull.* 4. 1. 50. Vixerit ille senex (*Nestor*) quamvis, dum terna per orbem Sæcula fertilibus Titan decurreret horis. *h. e.* multa secum afferentibus; qua significatione dixit *Horat. Art. P.* 175. Multa ferunt anni venientes commoda secum. Hinc apud *Tibull.* sensus est: quamvis Nestor eloquentiam suam vel maxime perficere potuit, quum tribus vixerit sæculis. Alii tamen *fertilibus horis* interpretantur *omnia secum auferentibus*; qua significatione dixit *Virg.* 9. *Ecl.* 51. Omnia fert ætas; animum quoque. At hæc interpretatio et communi hujus vocis significationi repugnat, et ipsi Tibulli carmini Messalæ laudes canenti minime congruit.

B) De eo, qui fertilitatem inducit. *Ovid.* 5. *Met.* 624. Dea fertilis. *h. e.* Ceres. *Tibull.* 1. 8. 32., et *Val. Flacc.* 7. 608. Nilus fertilis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (43). Majores fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt.

Homonym. *V.* in fin. v. FRUCTUOSUS.

FERTĪLĬTAS, ātis, f. 3. (fero) εὐφορία, feracitas, ubertas, fecunditas (It. *fertilità*, *fecondità*; Fr. *fertilité*, *fécondité*; Hisp. *fertilidad*; Germ. *die Fruchtbarkeit*, *Ergiebigkeit*; Angl. *fertility*, *fruitfulness*, *abundance*, *richness*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim de terra ac frugibus. *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 131. Quæ sit vel sterilitas agrorum, vel fertilitas futura. *Cæs.* 2. *B. G.* 4. Fertilitas loci. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 1. Fertilitas palmitis. Adde *Pallad.* 3. *R. R.* 9. 6. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (41). Frugum et vitium olearumque fertilitas. *Id.* 3. *ibid.* 20. 24. (138). Italia metallorum fertilitate nullis cedit terris. *Ammian.* 14. 8. Fertilitate rerum omnium abundat Cyprus. — *b*) Speciatim de fecunditate prolis; et quidem — In hominibus. *Ovid.* 4. *Fast.* 201. Sæpe Rhea questa est, toties fecunda, nec unquam Mater, et indoluit fertilitate sua. *Poeta* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 15. 36. Virginibus Lacænis magis palæstra, Eurotas, sol, pulvis, labor, militia in studio est, quam fertilitas barbara. *h. e.* mollis luxus et delicatus cultus ornatusque corporis, quæ ex copia rerum ac divitiis auri, gemmarum ac

pretiosarum vestium constat. — In brutis animalibus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 66. (164). Fertilitas animalium ad generandum.

II.) Translate ponitur pro abundantia, copia. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (101). *de Protogene.* Artis ejus summa intentio, et ideo minor fertilitas. *h. e.* pauciora opera fecit. *Sedul.* 4. 10. dives opima fertilitate tumens.

FERTĬLĬTER, adverb. *fertilmente,* cum fertilitate. Occurrit tantum Comp. *Fertilius* apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 17. 49. (164). Derelicta metalla fertilius reviviscunt.

FERTOR, ōris, m. 3. qui fert, vel fortasse qui ferto libat. *Varro* 8. *L. L.* 57. *Müll.* hanc vocem a ferendo derivatam, sed non esse in consuetudine affirmat. In *Gloss. Isid.* Fertores ferto libantes. *V.* STRUFERTARIUS.

FERTŌRĬUS, a, um, adject. ad ferendum aptus, ut lectus, sella fertoria. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. et 5. *ibid.* 1. *V.* GESTATORIUS et PORTATORIUS. — Hinc

Fertorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est sella fertoria, gestamen. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *ante med.* Adhibenda vectatio pro viribus ægrotantis fertorio vel sella procurata.

FERTUM *vel* ferctum, i, n. 2. libi opimi genus: a *fertus* seu *ferctus,* bonus, apud veteres, vel a *fartum,* quod pluribus variisque rebus farciretur. *Pers.* 2. 48. Attamen hic extis et opimo vincere ferto Intendit. *Al. leg.* farto. Adde *Fab. Pict.* apud *Gell.* 10. 15.; *Caton. R. R.* 134. et 141.; et *Isid.* 6. *Orig.* 19. *Forcellinus* addit etiam *Festum* voc. *Struer,* quem locum in edit. *Mülleri* non inveni.

FERTUS, a, um, particip. ab inusit. *fercio* pro *farcio,* plenus, refertus, effertus. *Vet. Poeta* apud *Cic. Orat.* 49. 163. Frugifera et ferta arva Asiæ tenet.

FĔRŬLA, æ, f. 1.

I.) Proprie *canna d'India,* νάρθηξ, arbor est externa, ex genere earum, quæ corticis loco lignum forinsecus habent, ligni autem loco fungosam intus medullam, ut sambuci, vel inanem cavitatem, ut arundines. Nascitur calidis locis, atque trans maria geniculatis nodata scapis. Duo ejus genera: narthecia Græci vocant assurgentem in altitudinem: narthecyam vero semper humilem. A genibus exeuntia folia maxima, ut quæque terræ proxima. Cetero natura eadem, quæ anetho, et fructu similis. Nulli fruticum levitas major; ob id gestatu facilior (nempe a *fero* dicta, non a *ferio,* ut habet *Isid.* 17. *Orig.* 9.) baculorum usum senectuti præbet. Hæc *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 42. (122).: qui 7. *ibid.* 56. 57. (198). ignem in ferulæ medulla asservare, inventum Promethei fuisse tradit (detulit enim in ferula Prometheus ignem e cælo in terras, ut est in fabulis apud *Hygin. fab.* 144. et *Servium* ad *Virg.* 6. *Ecl.* 42.); et 24. *ibid.* 1. 1. (2). ferulas gratissimo asinis in pabulo esse, ceteris vero jumentis præsentaneo veneno: qua de causa id animal Libero Patri assignari, cui et ferulam. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 130.) hanc exhibet synonymiam: Νάρθηξ et Ναρθηκία Theophr. 6. 12.; Νάρθηξ Dioscor. 3. 91.; et *Ferula* Plin. ll. citt. sunt *Ferula communis* L. Sp. plant. 355. — Νάρθηξ Græcorum recentior. est *Ferula glauca* L. loc. cit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim dicitur de siccis et exilioribus cujuscumque arboris ramis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (152). Vitium surculis et quarumdam arborum, quibus fungosior intus natura est, geniculati scaporum nodi intersæpiunt medullam: ferulæ ipsæ breves, et ad summa breviores, articulis utique duobus internodia includunt. *Virg.* 10. *Ecl.* 24. Venit et agresti capitis Silvanus honore, Florentes ferulas et grandia lilia quassans. Similiter *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (117). *ferulas* vocat parvos ramos cornuum cervinorum. ¶ 2. Speciatim de virga, — *a*) Qua cædebantur puerorum manus, aut nates a magistro in ludo litterario, *bacchetta, sferza. Martial.* 14. 80. cujus titulus *Ferulæ.* Invisæ nimium pueris, gratæque magistris, Clara Promethero munere ligna sumus. *Id.* 10. 62. Ferulæque tristes, sceptra pædagogorum. *Juvenal.* 1. 15. Et nos ergo manum ferulæ subduximus. *h. e.* jam in litteris aliquid profecimus; jam desiimus in ludo litterario versari, *abbiam mangiato il pan de' putti. Apul.* 9. *Met.* Quam altissime sublato puero, ferula nates ejus obverberans, etc. *V.* CATOMIDIO. — Lepide vero ferulæ et scuticæ mentionem facit *Capell.* 3. *p.* 49. Grammatice quoddam etiam medicamen acerrimum, quod ex ferulæ flore caprigenique tergoris resectione confecerat, rubri coloris, exprompsit, quod manebat faucibus admovendum, quum indocta rusticitate vexatæ fœtidos ructus vitiosi oris exhalant. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 4. *ad fin.* Erit improbanda etiam ferularum tenerarum vel tabellarum usque ad ruborem cutis ab iis probata percussio, item ustio et scarificatio faciendæ pubetenus atque clunibus et circa initium veretri circulatim, quod Græci περίνεον vocant. — *b*) Servos quoque in levioribus peccatis ferula, in gravioribus scutica, in gravissimis flagello cæsos fuisse colligitur ex *Horat.* 1. *Sat.* 3. 119. Ne scutica dignum horribili sectere flagello: Nam, ut ferula cædas meritum majora subire Verbera, non vereor. *Juvenal.* 6. 479. hic frangit ferulas, rubet ille flagellis, Hic scutica. Adde *Colum.* 10. *R. R.* 119.; *Sueton. Cal.* 20., *Claud.* 8. et *Gramm.* 9.; et *Auson.* 4. *Edyll.* 29. — *c*) Item jumenta ab equitantibus, aut agasonibus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 546. Quadrupedem ferula dum malus urget eques. ¶ 3. Item speciatim de canalis, quarum usus erat includendis ossibus fractis, dum conferveant. *Cels.* 8. 10. *n.* 1. Ferulæ superaccommodandæ sunt, quæ fissæ compositæque ossa in sua sede contineant. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 5. 18.; *Veget.* 3. *Veterin.* 47. 4.; et *Pallad.* 6. *R. R.* 7. 1. ¶ 4. De apum alvearibus. *Varro* 3. *R. R.* 16. 15. Alvos alii faciunt ex viminibus rotundos, alii e ligno ac corticibus, alii ex arbore cava, alii fictiles, alii etiam e ferulis quadratos. ¶ 5. Ex *Colum.* 12. *R. R.* 7. 1. patet, caulem ferulæ et flores seu corymbos, id est umbellas, in cibum condiri solitos olim fuisse: quod confirmat *Plin.* 19. *Hist. nat.* 9. 56. (175). et 20. *ibid.* 23. 98. (260).; quemadmodum et *Dioscor.* 3. 91.

FĔRŬLĀCĔUS, a, um, adject. ¶ 1. Est ex ferula factus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 50. (170). Versare rudibus ferreis, aut ferulaceis. ¶ 2. Item ad ferulam pertinens, ferulæ similis, ναρθηκοειδής. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 9. 56. (173). Cetera sunt ferulacei generis, ut fœniculum, etc. *Id.* 27. *ibid.* 10. 62. (89). Herba caule ferulaceo.

FĔRŬLĀGO, inis, f. 3. frutex ferula humilior, cetera omnino similis. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 12. Thapsia, quam nos ferulaginem dicimus. Hanc *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 42. (123). narthecyam appellat.

FĔRŬLĀRIS, e, adject. ad ferulam pertinens. *Ferularis amygdalus* apud *Gargil. de re hort.* (edente *A. Scottio*) 2. 3. est ea, cujus nux sine putamine in ferulæ diffissæ medulla conditur, atque ita adobruitur, ut nata amygdalus nuces ferat molliores et fragili putamine, quales esse solent Tarentinæ, quas *Gargilius ibid.* vocat *runcinias.* V. RUNCINIUS.

FĔRŬLĔUS, a, um, adject. ¶ 1. Est ex ferula factus. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. Alearis tabella, aut ferulea. ¶ 2. Item ferulæ similis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 83. (228). Stamineam probant venam, et vocant feruleam argumento similitudinis, quoniam laciniose crispa. Ita *Harduin.,* quem consule; itemque *Sillig.*

FĔRUS, a, um, adject. agrestis, silvester, indomitus, nullo cultu mitigatus; cui opponitur cicur, mansuetus, domesticus: et proprie dicitur de brutis, quæ domita non sunt, quamvis sæva non sint; item de plantis. Volunt esse ab Æolico φὴρ pro θὴρ, licet obstet prioris syllabæ modus, qui tamen sæpissime a Latinis in Græcis vocibus mutatur, ἄγριος (It. *selvaggio, rozzo, indomito;* Fr. *sauvage, non apprivoisé, ou non cultivé;* Hisp. *salvage, silvestre, agreste;* Germ. von *Thieren wild lebend,* von *Pflanzen wildwachsend;* Angl. *savage, wild, rude, uncultivated, untutored, uncivilized*).

I.) Proprie. — *a*) De brutis animalibus. — Cum oppositis *cicur, mansuefactus* etc. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 99. Quæ vero et quam varia genera bestiarum vel cicurum, vel ferarum! *Id. Amic.* 21. 81. Si hoc apparet in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris. Sic *Varro* 3. *R. R.* 16. 19. Apes feræ et cicures. *Colum.* 7. *R. R.* 2. 4. Silvestres ac feros arietes — mercatus in agros transtulit, et mansuefactos tectis ovibus admisit. *Id.* 8. *ibid.* 10. 1. Sic enim consuescent et aquam et cibos appetere feri (*turdi*), si mansuetos id facere viderint. — Ceterum *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 161. Immanes et feras belluas. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 31. 108. Fera et immanis bellua. *Nepos Datam.* 3.; *Liv.* 26. 13.; et *Ammian.* 23. 6. *med.* Fera bestia *vel* bestiæ. *Varro* 2. *R. R.* 1. 5. et 2. 2. pecudes. *Virg.* 4. *Æn.* 152. capræ. *Horat. Epod.* 7. 12. leones. *Id.* 1. *Sat.* 5. 57. equus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 7. 20. (60). palumbus. — *b*) De plantis. *Colum.* 3. *R. R.* 1. 2. Sed quæ (*arbores*) non ope humana gignuntur, silvestres ac feræ sui cujusque ingenii poma vel semina gerunt: at quibus labor adhibetur, magis aptæ sunt frugibus. Sic *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (127). Feræ arbores. *Stat.* 6. *Theb.* 7. fera oliva, *h. e.* oleaster. *Virg.* 2. *G.* 36. fructusque feros mollire colendo. — *c*) Hinc transfertur et ad ipsa loca. *Paul. Diac. p.* 86. 11. *Müll.* Ferus ager, incultus. *Varro* 1. *R. R.* 7. 7. In locis feris arbores plura ferunt; in his, quæ sunt culta, meliora. *Catull.* 63. 89. Fera nemora. *Virg.* 5. *Ecl.* 28. montes. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 92. silvæ. — *d*) Item transfertur ad odorem. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 37. (76). Ferus odor et quodammodo solitudinem redolens, *odor di selvatico.* — Hinc

Ferus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, de quavis bestia dicitur, sed a Poetis. — De leone. *Catull.* 63. 85. Ferus ipse (*leo Cybeles*) sese adhortans rapidum incitat animum. Sic *Phædr.* 1. 21. Asinus ut vidit ferum impune lædi etc. Adde *Ovid. Heroid.* 9. 114. — De apro. *Phædr.* 4. 3. Sonipes iratus fero. *Ovid.* 8. *Met.* 354. Ira feri mota est. Adde eumd. *ibid.* 400. et 422. — De equo. *Virg.* 2. *Æn.* 51. inque feri curvam compagibus alvum. *Id.* 5. *ibid.* 818. spumantiaque addit Frena feris. Adde *Ovid.* 6. *Met.* 77.; *Petron. Satyr.* 89.; et *Auson. ep.* 24. 17. — De cervo. *Virg.* 7. *Æn.* 489. Petebatque ferum. — De serpente. *Sil. It.* 6. 268. — De bobus. *Ovid.* 1. *Fast.* 550. Traxerat aversos Cacus in antra feros. *Al. leg.* boves.

Fera, æ. (*ferai* pro *feræ* habet more suo *Lucret.* 1. 404.) f. 1. absolute, substantivorum more, est animal non mansuefactum, et naturalem feritatem habens sive sævum sit, sive non, bellua, bestia: *V.* BELLUA, *fiera, bestia. Cic.* 2. *de republ.* 40. Immani et vastæ insidens belluæ, coercet et regit belluam; quocumque vult, levi admonitu, non actu, inflectit illam feram. *Id.* 1. *Off.* 16. 50. Neque ulla re longius absumus a natura ferarum, in quibus inesse fortitudinem sæpe dicimus, ut in equis, in leonibus; justitiam, bonitatem, æquitatem non dicimus: sunt enim rationis et orationis expertes. *Id.* 3. *ibid.* 17. 68. Ipsæ feræ nullo insequente sæpe in plagas incidunt. *Cæs.* 6. *B. G.* 25. Multa in ea (*silva Hercynia*) genera ferarum nasci constat. *Id. ibid.* 27. Uri neque homini, neque feræ, quam conspexerint, parcunt. *Horat. Epod.* 5. 55. Formidolosæ dum latent silvis feræ. *Ovid.* 15. *Met.* 83. carne feræ sedant jejunia. *Sueton. Ner.* 29. Feræ pelle contectus. *Sil. It.* 13. 120. Cerva exuta feram. *Ovid. Heroid.* 7. 38. te sævæ progenuere feræ. (*de homine crudeli, duro, inexorabili*). — *Horat.* 1. *Sat.* 3. 109. more ferarum. *Flor.* 4. 12. 48. ferarum ritu. Sic *Curt.* 6. 5. Ritu ferarum virgulta subire soliti. *Quintil.* 9. 2. 61. vita. *Id.* 12. 6. 6. catuli. *Lucret.* 5. 219. genus. *Sueton. Tit.* 7. omne genus ferarum. *Id. Aug.* 72. Immanium belluarum ferarumque membra. *Sil. It.* 10. 104. ferarum rabies. *Justin.* 44. 4. 3. lac. *Virg.* 10. *Ecl.* 52. spelæa. *Ovid.* 11. *Met.* 21. agmen. *Id.* 10. *ibid.* 144. concilium. *Sueton. Aug.* 43. et *Ner.* 12. Ferarum confectores. Sic *adjutor ad feras* in *Inscript.* a *B. Borghesi* Romæ exscripta n. 3. est idem atque *ad bestias.* M. AVRELIVS VICTOR AVGG. LIB. ADIVTOR AD FERAS SE VIVO FECIT ET SVIS LIBERTIS LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM ITV AMBITV. — *Lucret.* 2. 597. Feræ montivagæ. *Ovid.* 2. *Fast.* 216. montanæ. *Id. Heroid.* 11. 118. avidæ. *Id. ibid. v.* 111. rapidæ. *Id. ibid.* 9. 34. terribiles. *Seneca Troad.* 506. immanes. *Id. Herc. Œt.* 1295. horridæ. *Stat.* 8. *Theb.* 71. rabidæ. *Ammian.* 14. 2. fame monitæ. *Id.* 29. 1. arenariæ. *Id.* 28. 1. amphitheatrales. — *Cic. Rosc. Am.* 26. 71. Feris corpus objicere. Cf. *Ammian.* 14. 2.; et *Lamprid. Comm.* 10. Feris prædatricibus objici. *Ovid.* 2. *Fast.* 163. Feras venari. *Seneca Thyest.* 497. vestigare. *Cic.* 3. *Off.* 17. 68. excitare et agitare. *Ovid.* 2. *Fast.* 286. concitare. *Id.* 2. 498. sequi. *Justin.* 37. 2. 8. persequi. *Seneca Hippol.* 110. consequi. *Ovid.* 10. *Met.* 546. lacessere. *Id.* 3. *Art. am.* 144. petere. *Seneca Herc.*

Et. 752. domare. *Virg.* 1. *G.* 139. feras fallere visco. *h. e.* aves. — De marina bellua dixit *Ovid.* 4. *Met.* 713. et 719.: de serpentibus *Hygin.* 2. *Astron.* 14.: de formica *Martial.* 6. 15. — Denique de utriusque Ursæ sidere dixit *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 1. Magna minorque feræ, quarum regis altera Grajas, Altera Sidonias, utraque sicca, rates: Omnia quum summo positæ videatis in axe, Et maris occiduas non subeatis aquas etc. *V.* Homonym. in fine hujus vocis.

II.) Translate. ¶ 1. Est agrestis, silvestris, rudis, cujusmodi ab initio hominum vita fuisse dicitur; itemque sævus, durus, crudelis, immitis, barbarus: valde enim affinia sunt incultum esse et sævum, *selvaggio, rozzo, fiero, duro, crudele. Cic.* 1. *Orat.* 8. 33. Homines a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere. Sic *Id.* 1. *Invent.* 2. 2. Ferus victus. *Horat.* 1. *Od.* 10. 1. Mercuri, facunde nepos Atlantis, Qui feros cultus hominum recentum Voce formasti catus. Adde eumd. 1. *Ep.* 1. 39.; et cf. eumd. 1. *Sat.* 3. 99. et seqq. *Cic.* 1. *Legg.* 8. 24. Ipsis in hominibus nulla gens est neque tam mansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. *Id.* 1. *Tusc.* 13. 30. Nulla gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. *Id.* 1. *Invent.* 2. 2. Ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos. *Id. Rosc. Am.* 27. 74. Hunc hominem ferum atque agrestem fuisse: numquam cum homine quoquam collocutum esse. *Id.* 3. *Phil.* 9. 23. Cur tam subito mansuetus in senatu fuerit, qui in edictis tam fuisset ferus. *Ter. Andr.* 1. 5. 43. Adeon' porro ingratum putas, aut inhumanum, aut ferum, ut etc.? *Cic.* 1. *de republ.* 37. Utor neque perantiquis, neque inhumanis ac feris testibus. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 39. Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit, Si modo culturæ patientem accommodet aurem. *Cic.* 4. *Verr.* 21. 51. Hostis ferus et immanis. *Id.* 2. *de republ.* 14. Quibus rebus institutis ad humanitatem atque mansuetudinem revocavit animos hominum, studiis bellandi jam immanes ac feros. *Nepos Alcib.* 6. Ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus casum lacrimarit. *Horat.* 3. *Od.* 4. 33. Britannos hospitibus feri. *Id.* 2. *ibid.* 12. 1. fera Numantia. *Id.* 4. *ibid.* 5. 27. Iberia. *Virg.* 10. *Æn.* 12. Carthago. *Sall. Jug.* 80. genus hominum. *Sueton. Cæs.* 24. gentes. *Justin.* 38. 1. 15. et 41. 5. 8. populus. *Val. Flacc.* 7. 505. terrigenæ. *Ammian.* 23. 6. habitatores. *Virg.* 2. *Æn.* 326. ferus omnia Juppiter Argos Transtulit. *Horat.* 2. *Od.* 8. 14. ferus et Cupido Semper ardentes acuens sagittas Cote cruenta. *Cic.* 2. *de republ.* 23. Animus immanis ac ferus. Adde *Tac.* 14. *Ann.* 4. et 34. *Ovid.* 15. *Met.* 85. ingenium immansuetum ferumque. *Val. Flacc.* 5. 531. Fera pectora. *Lucret.* 1. 30. munera militiai. *Id. ibid.* 33. munera belli. *Ovid. Heroid.* 3. 123. bella. *Lucret.* 2. 48. tela. *Ovid. Heroid.* 8. 60. ensis. *Id.* 4. *Trist.* 2. 38. cædes. *Id.* 8. *Met.* 469. ardor animi. *Val. Flacc.* 6. 516. furor. *Id.* 7. 563. ferus horror Boreæ. *Ovid.* 13. *Met.* 317. feros requiis lenire dolores. *Id.* 5. *Trist.* 8. 21. gaudia. *Id.* 4. *Pont.* 16. 31. dicta. *Val. Flacc.* 1. 596. et 5. 564. murmura. *Sil. It.* 16. 95. clamores. *Ovid.* 13. *Met.* 454. sacra. *Sil. It.* 17. 160. somnia. *Horat.* 3. *Od.* 29. 40. fera diluvies quietos irritat amnes. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 42. fera hiems. *fiera tempesta. Val. Flacc.* 4. 584. sata. — In amatoriis *ferus* est, qui nulla re ad amandum trahi potest. *Tibull.* 2. 5. 5. Ure, puer, quæso, tua qui ferus otia liquit. *Seneca Hippol.* 272. Tentemus animum tristem et intractabilem: Meus iste labor est aggredi juvenem ferum etc. Adde eumd. *ibid.* 415. — Cum Accusativo Græcorum more. *Sil. It.* 5. 645. Advolat ora ferus mentemque Ducarius. ¶ 2. Pro feroci in bonam partem *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 36. Sed pia cura parentis agit, Virgo animosa domi ut lateat, Ne fera sanguinis in pretium Mortis amore puella ruat. — Hinc

Ferus, i, m. 2. et

Fera, æ, f. 1. *V.* supra sub 1. in fin.

Homonym. 1.) Inter *ferum* et *ferocem* hoc statuit *Nonius p.* 425. 22. *Merc.* discrimen; quod *ferus* sævum, *ferox* fortem significet: verius dixisset, *ferum* esse incultum, agrestem, non domitum, sive sævus sit, sive non, ut dictum est; *ferocem* vero supra ferum addere vim, impetum, fortitudinem, sine timore.

II.) Ceterum *fera*, quæ substantivorum more usurpatur, differt a *bestia, bellua* et *pecude. Bestia* est genus; *bellua* species: *bestia* non modo de immani, sed etiam de parvo bruto; *bellua* de immani tantum et formidabili dicitur: in *bestia* feritatem, in *bellua* immanitatem spectamus: hinc quum sermo est de ludis, *bestiæ* semper occurrunt, numquam vero *belluæ*. *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 38. Natura alias bestias nantes, aquarum incolas esse voluit; alias volucres, cælo frui libero; serpentes quasdam; quasdam esse gradientes: earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas; immanes alias, quasdam autem cicures; nonnullas abditas terraque tectas. *Id.* 1. *Divinat.* 24. 49. Visa est bellua vasta et immanis. *Id. Pis.* 36. 89. Sexcentos ad bestias misisti. — Item ratione habita *bestiarum, pecudes* et *feræ* sunt species: scilicet *pecudes* sunt bestiæ cicures, contra *feræ* bestiæ silvestres, quæ venatione capiuntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 99. Quam varia genera bestiarum vel cicurum, vel ferarum! *Cæs.* 6. *B. G.* 25. Multa in ea (*silva Hercynia*) genera ferarum nasci constat. *Cic.* 3. *Off.* 17. 68. Ipsæ feræ, nullo insequente, sæpe (in *plagas*) incidunt. *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 99. Qui pecudum pastus! quæ vita silvestrium! *Seneca Ep.* 108. Non credis in his pecudibus ferisve, aut aqua mersis, illum quondam hominis animum morari? *Id.* 3. *Quæst. nat.* 25. Noxiam aquam – et feræ et pecus omne devitat. *Sueton. Ner.* 31. Cum multitudine pecudum ac ferarum. — Si *belluis feræ* opponuntur, *belluæ* de marinis, *feræ* de terrestribus usurpantur. *Curt.* 9. 10. 10. Indi maritimi – ferarum pellibus tecti, piscibus sole duratis et majorum quoque belluarum, quas fluctus ejecit, carne vescuntur. *Tac. Germ.* 17. Eligunt feras, et detracta velamina spargunt maculis pellibusque belluarum, quas exterior oceanus – gignit. *Sueton. Aug.* 72. Immanium belluarum ferarumque membra prægrandia. — Si *homini* opponitur, *bestia* et *pecus* opponitur intellectuali tantum ratione, quippe rationis vi caret; *bellua* vero physica opponitur, et interdum etiam morali ratione, quippe silvestris et ferox est, sive humanitatis expers. *Cic.* 2. *Nat. D.* 53. 133. Hic quærat quispiam, cujusnam causa tantarum rerum molitio facta sit? – An bestiarum? Nihilo probabilius, deos mutorum et nihil intelligentium causa tantum laborasse. Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quæ ratione utuntur. Hi sunt dii et homines. *Id. ibid.* 11. 31. Quum homines bestiæque hoc calore teneantur. *Id.* 1. *Off.* 30. 105. Quantum natura hominis pecudibus reliquisque bestiis antecedat. *Al. leg.* belluis. *Justin.* 38. 10. Ptolemæus – sagina ventris non homini, sed belluæ similis. *Liv.* 7. 10. Volo ego illi belluæ ostendere, quando adeo ferox præsultat. — Hæc tamen discrimina non sunt perpetua; *Cicero* enim ipse *belluam* et *feram* pro quocumque bruto animali usurpat.

FĔRŪTA, æ, f. 1. vulnus, *ferita. Veget.* 3. *Veterin.* 42. 2. Cataplasma imponere incipies, ablutaque ferutam lotio calido fovebis. *Id. ibid.* 48. 9. Cui post ferutam malagma oportet imponi. *Gesnerus* utroque in loco legendum putat *feruntam*; *Schneiderus* vero *ferutam* vel *fervura* φλεγμονή.

FERVĔFĂCĬO, făcis, fēci, factum, făcere, a. 3. (fervere et facio). Part. *Fervefactus* in fin. — Fervefacio est fervere et bullire facio. *Cato R. R.* 156. Eodem addito et oleum, postea fervefacito. Per tmesin divisit *Id. Cato ibid.* 157. Postea ferve bene facito: ubi ferverit, in catinum indito. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 44. Eæ ipsæ se patinæ fervefaciunt illico. *Cels.* 4. 21. Muriam fervefacere. Adde *Apic.* 4. 2. — Hinc Part. præter. pass.

Fervefactus, a, um, apud *Cæs.* 7. *B. G.* 22. Fervefacta pix. *Id.* 5. *ibid.* 42. Fervefacta jacula in casas jacere cœperunt. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 8. (10). Vinum cum colocynthide fervefactum. *Solin.* 29. Radicis omnia fervefacta.

FERVĔFACTUS, a, um. *V.* voc. præced.

FERVENS, entis. *V.* FERVEO.

FERVENTER, adverb. Comp. *Ferventius* et Sup. *Ferventissime.* — Ferventer est cum fervore, *caldamente, con calore,* θερμῶς; sed occurrit translate tantum. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. Et de damnatione ferventer loqui est cœptum. *Id. ibid.* 6. 5. Curio ferventissime concerpitur. *Augustin.* 2. *de Genes. ad litt.* 5. Moles, quæ celerius circulari motu agitur, utique ferventius.

FERVĔO, ferves, ferbui, fervere, n. 2. Præteritum *ferbui* locum habet præcipue in compositis *deferbui, conferbui.* — In quibusdam personis et infinito præsenti aliquando est tertiæ conjugationis, *fervo, fervis, fervi, fervere,* præsertim apud Poetas. *Lucilius* apud *Quintil.* 1. 6. 7. et apud *Non.* p. 503. 2. *Merc.* Fervit aqua et fervet: fervit nunc, fervet ad annum. *Barth. l.* 56. *Adversar. c.* 9. hinc eruit discrimen inter *fervit* et *fervet*, quod illud dicatur de aqua, quæ nunc æstuat caletque; hoc de aqua, quæ fervorem diu retinet. *Quintil. ibid.* vult τὸ *fervit* esse simile non τῷ *legit*, sed τῷ *servit.* At fortasse *Lucilius* litem illam grammaticam, utrum recte diceretur *fervit*, an *fervet*, ita diremit, ut pronunciaret, utrumque pro diverso tempore recte dici, *fervit* nempe pro præsenti, *fervet* pro futuro ex *fervo*, ia tertiæ conjugationis. Ita enim utitur hoc verbo *Virg.* 1. *G.* 456. et 471., ut et 4. *Æn.* 409. et 8. *ibid.* 677. V. *Servium* ad utrumque locorum posteriorum. *Ferrat* etiam pro *ferveat* dixere *Pomponius* et *Accius* apud *Non. loc. cit.*, et *fervitur* pro *fervit* dixit *Afranius ibid.* Sed hæc perantiqua sunt: ait enim *Quintil. loc. cit.* Si quis antiquos secutus *fervĕre* brevi media syllaba dicat, deprehendatur vitiose loqui. — Part. *Fervens* 1. et in fin. — Fervere, quod fortasse a θέρω *caleo*, quo modo *ferus* a θήρ, est igni vel æstu commoveri, agitari, æstuare, bullire, calefieri, inflammari, ζέω (It. *bollire, essere infocato o riscaldato*; Fr. *être chaud, ardent, brûlante*; Hisp. *ser calido, ardiente, abrazando*; Germ. *wallen, aufwallen, heiss sein, glühen*; Angl. *to be hot, boil, rage, be in a ferment*).

I.) Proprie. — *a*) Forma *ferveo. Colum.* 12. *R. R.* 19. 5. Quum aliqua jam parte mustum excoctum in se fervebit. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (83). Fervere mustum prohibetur; sic appellant musti in vina transitum. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 62. Quæcumque immundis fervent allata popinis. *h. e.* fumantia obsonia, ut ait *Sueton. Vitell.* 13. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 5. 18. (51). Ossiculo in aquam ferventem dejecto refrigerari vas, nec postea fervere, nisi exempto. *Pallad.* 2. *R. R.* 20. Baccas bullire facies: et ubi diu ferbuerint etc. *Stat.* 4. *Silv.* 5. 15. exemptusque testa, Qua modo ferbuerat, Lyæus. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 1. (15). Loca inhabitabilia fervere, quamquam hiberno tempore, expertos. At *Sillig.* pro *fervere* rectius leg. *fervore.* — *b*) Forma *fervo. Titinius* apud *Non. p.* 503. 5. *Merc.* Cocus magnum ahenum, quando fervit, paula confutat trua. *Pomponius* apud eumd. *p.* 504. 27. Facite ut ignis fervat, ligna insipite, far concidite. *Cato R. R.* 157. Postea ferve bene facito (*brassicam*): ubi ferverit, in catinum indito. *Apic.* 3. 2. Facias, ut ferveat (*liquamen*), quum ferbuerit, inferes. *Propert.* 2. 19. 3. Venit enim tempus, quo torridus æstuat aer, Incipit et sicco fervere terra Cane. *Gell.* 2. 29. Sol fervit, *è cocente.*

II.) Translate. ¶ 1. A Poetis fervere dicuntur maria et similia, quum vehementer agitantur et murmurant. *Lucret.* 6. 42. Ille (*turbo*) in aquam subito totum se immittet, et omne Excitat ingenti sonitu mare, fervere cogens. *Virg.* 1. *G.* 456. Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis Fervere. *h. e.* agitari, misceri, turbari. *Val. Flacc.* 1. 639. Illam (*navem*) huc atque illuc nunc torquens verberat Eurus, Nunc stridens Zephyris aufert Notus; undique fervent Æquora. *Sil. It.* 12. 656. Incumbunt venti, crassusque, rotante Austro, nimborum fervet globus. *Ovid. Heroid.* 18. 26. Sollicitum raucis ut mare fervet aquis. ¶ 2. Item a Poetis de locis dicitur, quæ opere et turba frequentantur. *Varro* apud *Non. p.* 503. 22. *Merc.* Fervere piratis castarique omnia circum. *Virg.* 8. *Æn.* 676. totumque instructo Marte videres Fervere Leucaten auroque effulgere fluctus. *Id.* 4. *ibid.* 407. opere omnis semita fervet. Quosque dabas gemitus, quum litora fervere late Prospiceres – totumque videres Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor! *Val. Flacc.* 1. 121. Fervere cuncta virûm cœtu. *Martial.* 2. 64. fora litibus omnia fervent. — Similiter *Lucret.* 2. 40. Si non forte tuas legiones per loca campi Fervere quum videas, belli simulacra cientes; Fervere quum videas classem lateque vagari. *Sil.*

It. 9. 242. Cetera jam Numidis circumvolitare, vagosque Ferre datur cursus, et toto fervere campo. *Ovid.* 1. *Fast.* 379. fervent examina putri De bove. ¶ 3. Refertur etiam ad vehementiores perturbationes, quibus animus incalescit agitaturque. — *a*) Forma *ferveo*. *Cic. Quinct.* 11. 38. Usque eo fervet (*al. minus recte ferrit*) effertürque avaritia, ut etc. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 1. 33. Fervet avaritia miseroque cupidine pectus. *Ovid.* 2. *Fast.* 732. Et fervent multo linguaque corque mero. *Id.* 2. *Met.* 602. animus tumida fervebat ab ira. *Sil. It.* 15. 805. cupientem adnectere plura Ferventemque ira mortis transverberat ense. *Id.* 17. 567. leti fervebat amore. *Id.* 7. 98. fervetque secundis Fortunæ juvenis. *Id.* 1. 456. Sed postquam a trepidis allatum, fervere partem Diversam Marte infausto. *h. e.* angi. *Val. Flacc.* 7. 150. Atque iterum infestæ se fervere cæde Lacænæ Credit. *Horat.* 4. *Od.* 2. 7. Fervet immensusque ruit profundo Pindarus ore. — Et cum Infinito. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 295. Sceptrumque capessere fervet. *h. e.* vehementer cupit. *Id. B. Gild.* 350. jam stagna secare fervet. — *b*) Forma *fervo*. *Accius* apud *Non. p.* 503. 7. *Merc.* Heu cor ira fervit cæcum: amentia rapior ferorque. *Ter. Adelph.* 4. 1. 18. Quum fervit maxime, tam placidum, quam ovem reddo. Ita legit etiam *Priscian.* 9. *p.* 866. *Putsch.* *Afranius* apud *Non. p.* 503. 9. Hoc nunc fervit animus, hoc volo. *Pomponius* apud *eumd. ibid.* Domus hæc fervit flagiti. — Et passive impersonaliter. *Afranius* apud *Non. p.* 505. 25. *Merc.* Quanta vociferatione fervitur! Hei miseræ mihi! ¶ 4. Item ad ea, quæ studio diligentiaque fiunt. *Virg.* 4. *G.* 169. Fervet opus redolentque thymo fragrantia mella. *Sil. It.* 6. 316. Confertæ campis acies, multusque per arva Fervebat Mavors. *h. e.* prælium. *Flor.* 2. 15. 11. Mancino deinde consule, terra marique fervebat obsidio. *Ammian.* 18. 6. Apparatus omnes apud hostes fervere. — Hoc referri potest *Vulcat. Sedig.* apud *Gell.* 15. 24. Dein Nævius, qui fervet, pretio in tertio est. *h. e.* studiose passim legitur. *Al.* aliter leg. — Hinc Part. præs.

Fervens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Ferventior* et Sup. *Ferventissimus* I. et II., et est qui fervet, ζέων, *bollente, acceso, infocato.*

I.) Proprie. *Plaut. Capt.* 4. 2. 67. Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 67. Aqua denique ferventi a Rubrio ipso Philodamus perfunditur. Adde *Lucret.* 6. 801.; *Plin.* 32. *Hist. nat.* 5. 18. (51).; et *Prudent.* περὶ στεφ. 20. et 439. Sic *Colum.* 12. *R. R.* 50. 21. Baccæ eluantur non ferventissima aqua, rarum modice calida. Et absolute *Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 9. (27). Si ferventia os intus exusserint. Ceterum cum addito nomine subst. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Ferventes ex fusili argilla glandes fundis et fervefacta jacula in casas jacere cœperunt. *Lucret.* 1. 492. Fervens vapor. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 45. (127). cera. *Id.* 14. *ibid.* 9. 11. (81). oleum. et *Scribon. Compos.* 56. Oleum ferventissimum. *Veget.* 4. *Veterin.* 12. 3. Fervens sol. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 50. (90). In cinere ferventi leniter decoquere. *Ammian.* 19. 4. Fervens Æthiopum plaga. *Sil. It.* 17. 489. sanguis. *Id.* 9. 483. ferventia rædibus arva. *h. e.* sanguine. *Ovid.* 4. *Met.* 120. vulnus. *recente e caldo.* *Ammian.* 21. 5. Corpus in modum foculi fervens. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (189). Ferventes horæ diei. *Id.* 25. *ibid.* 8. 53. (92). Dictamnum fervens et acre gustu. *Pallad.* 1. *R. R.* 33. Ferventissimum sterquilinium. *Plaut. Amph.* 4. 2. 11. Quem pol ego hodie ob istæc dicta faciam ferventem flagris. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 68.; et *Sil. It.* 2. 199. Fervens rota. Sic *Sil. It.* 1. 221. Non Eleus est campo ferventior axis. *Ovid.* 3. *Met.* 571. Spumeus et fervens et ab obice sævior (*fluvius*) ibat. *Justin.* 4. 1. 10. Æstus fervens. *il mare ondeggiante.* Figurate *Plin.* 2. *Hist. nat.* 80. 82. (193). Sonus raucus in recursu, resultans in duris, fervens in humidis. *gorgogliante.* Ferventis auri saccum *Martial.* dixit 10. 74. *h. e.* crumenam refertam aureis nummis recenter cusis, nitidis, radiantibus instar auri igne ferventis.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Off.* 15. 46. Fortis animus et magnus in homine non perfecto, nec sapiente ferventior plerumque est. *più impetuoso e ardente.* *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. 3. Ut non quidquam impedimentorum ab illis ferventibus latronibus interciperetur. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 62. Quale fuit Cassi rapido ferventius amni Ingenium. *Ammian.* 15. 3. Fervens natura. *Id.* 21. 12. Fervens impetus. *Capitolin. Maxim.* et *Balb.* 15. amor. *Id. ibid.* 1. Ferventissimum tempus. *h. e.* maximum periculum. *Horat.* 1. *Od.* 13. 4. Fervens jecur bile tumet. *Ovid.* 8. *Met.* 466. Fervens ira oculis. *Ammian.* 25. 3. Ira et dolore ferventior. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 100. lucri cupidine fervens.

FERVESCO, is, ere, n. inchoat. 3. In omnibus *Lucretii* locis infra cit. pro *fervesco* al. leg. *fervisco*. — Part. *Fervescens* I. — Fervesco est incipio fervere, *incominciare a riscaldarsi.*

I.) Proprie. *Plaut. Capt.* 4. 1. 9. Possentne seriæ fervescere. *Lucret.* 6. 851. Terræ fervescunt Sole. *Id. ibid.* 427. freta circum fulmina. *Id. ibid.* 176. ventus mobilitate sua. Adde *eumd.* 6. 1162. *Cels.* 6. 10. *extr.* Passi quam dulcissimi tres heminæ ad unam coquuntur; tum adjicitur thuris P. 1. etc. - iterumque omnia fervescunt. Sic *Scribon. Compos.* 167. Medicamentum fervescit. *Vitruv.* 2. 7. Tum etiam ignis - vacuitates occupans fervescit et efficit ea suis ardentia corporibus similia. Adde *Senec.* 4. *Quæst. nat.* 2. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (107). Fervescentis materiæ spuma. Alter *Plin.* 8. *Ep.* 1. Iter commode explicui, excepto quod quidam ex meis adversam valetudinem fervescentibus æstibus (*al.* actibus) contraxerunt. — Similiter *Lucret.* 3. 492. spumanti ut in æquore salso Ventorum validis fervescunt viribus undæ.

II.) Translate. *Lucret.* 3. 289. Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira, Quum fervescit et ex oculis micat acrius ardor. *Cassiod.* 1. *Variar.* 32. Meminerint cuncti, non ad hoc voluptatum sibi exhiberi certamina, ut exinde hostilis ira fervescat.

FERVĬDĒ, adverb. cum fervore. *Plaut. Truc.* 2. 4. 1. PHR. Num tibi nam, amabo, janua est mordax mea, quo introire metuas, mea voluptas? DI. Fervide. Ut tota floret! *Ita recentiores nonnulli: vulgati libri habent* Ver ride.

FERVĬDUS, a, um, adject. Comp. *Fervidior* I. et II.; Sup. *Fervidissimus* I. — Fervidus, θερμός, ζεστός, est valde fervens, prædcalidus (It. *bollente, infocato, caldo*; Fr. *échauffé, ardent, brûlant*; Hisp. *acalorado, ardiente, que quema*; Germ. *glühend, brennend, brausend, erhitzt*; Angl. *hot, boiling, burning*).

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 205. Fervidus ardor. *Varro* apud *Non. p.* 180. 14. Et pater divum trisulcum fulmen igni fervido actum mittat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 27. Quarta pars mundi tota naturâ fervida est. *Virg.* 3. *G.* 107. volat vi fervidus axis. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 38. Fervidus æstus. *Id.* 1. *Od.* 9. 10. Venti æquore fervido deprælliantes. *Id. Epod.* 11. 14. Fervidius merum. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 72. cumulant altos fervida musta lacus. *Curt.* 3. 5. 1. Diei fervidissimum tempus. *Id.* 4. 7. 22. Fervida aqua. *Id.* 4. 3. 25. arena. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 44. (113). Herba sapore acri et fervido. *Ammian.* 15. 9. Fervidum mare.

II.) Translate est vehemens, acer, incensus, *caldo, acceso, ardente, impetuoso.* — *a*) Absolute. *Cic. Brut.* 68. 241. Fervidum quoddam et petulans et furiosum genus dicendi. *Id. ibid.* 28. 108. Appii volubilis et paullo fervidior erat oratio. *Virg.* 12. *Æn.* 894. Fervida dicta. *h. e.* iræ plena et minarum. *Id.* 12. *ibid.* 950. ferrum adverso sub pectore condit Fervidus. *Id. ibid.* 325. subita spe fervidus ardet. *Id.* 9. *ibid.* 736. mortis fraternæ fervidus ira. *Id. ibid.* 295. fervidus hasta Messapus ferit. Cf. *Sil. It.* 1. 386. fervidus hastam torquens. *Horat. Art. P.* 115. Maturusne senex, an adhuc florente juventa Fervidus. *Id.* 1. *Od.* 30. 5. Fervidus puer. *hoc est* Cupido. *Liv.* 27. 33. *sub fin.* Præproperum ac fervidum ingenium. *Ovid.* 14. *Met.* 185. Fervidus ingenio. *Tac.* 15. *Ann.* 70. Fervidum pectus. *Sil. It.* 3. 365. Fervida bella. *Id.* 7. 34. consulta. — *Fervida cura* est amoris plena. *Tibull.* 4. 12. 1. Ne tibi sim, mea lux, æque jam fervida cura. *h. e.* ne æque ferventer amer a te. — *Fervida virtus* est ardens, vivida, studiosa. *Catull. carm.* 64. 218. — *b*) Cum Genitivo. *Sil. It.* 17. 414. Fervidus ingenii Masinissa et fervidus ævi. *Liv.* 2. 52. *ad fin.* Fervidus animi vir. *Al. rectius leg.* fervidi.

FERVISCO. *V.* FERVESCO init.

FERVO, is. *V.* FERVEO init.

FERVOR, ōris, m. 3. ζέσις, agitatio, æstus, calor vehemens, qualis est ignis vel solis (It. *bollore, fervore, calore*; Fr. *chaleur, ardeur*; Hisp. *calor, ardor*; Germ. *d. Brausen, Wallen, d. Gluth*; Angl. *a violent heat, fervour, boiling, raging*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Varro* 1. *R. R.* 13. 6. Fervor vini. *Cic.* 2. *Nat. D.* 11. 30. Mundi fervor ille purior. *Id. Prov. cons.* 12. 31. Fervor maris. *Lucan.* 4. 460. contorti verticis undæ Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (121). Fervor musti. *Id.* 31. *ibid.* 9. 15. (104). febris. *Id.* 37. *ibid.* 13. 76. (200). terebrarum. *Id.* 9. *ibid.* 60. 86. (183). fervor igneus. *Sil. It.* 1. 281. medio fervore. *nel mezzo giorno.* *Justin.* 36. 4. Fervor solis. — *Fervor* dicitur etiam morbi vis, quam et impetum Latini, Itali nunc *infiammazione* appellant. *V.* IMPETUS. *Inscript.* apud *Tochon, cachets des ocul.* p. 62. M. IVLII CHARITONIS DIARRHODON AD FERVOREM. *h. e.* ad impetum oculorum. Sic in plurali num. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 4. 5. (19). Fervores capitis. *infiammazione di capo.* — *b*) In plurali numero. *Virg.* 3. *G.* 154. mediis fervoribus. *nel maggior caldo della state.* *Ovid.* 1. *Met.* 119. Fervores sicci. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 3. æstivi. *Curt.* 7. 5. 4. terræ.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro impetu, amore, etc. — *a*) In singulari numero. *Cic. Senect.* 13. 45. Fervor ætatis. Cf. *Sil. It.* 7. 25. fervore carentes anni. Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 51. 220. Fervor mentis. *Horat.* 1. *Od.* 16. 22. Me quoque pectoris Tentavit in dulci juventa Fervor. *Claudian. B. Get.* 176. Pronus nimium fervor. — *b*) In plurali numero. *Gell.* 20. 1. *circa med.* Leges pro vitiorum, quibus medendum est, fervoribus mutari atque flecti. — De stellis. *Vitruv.* 9. 1. 13. *Schneid.* Fortasse desiderabitur, quid ita sol - faciat in his fervoribus retentiones? *h. e.* stellis, ut interpretatur *Turneb. Adversar.* 22. *c.* 28.

FERVUNCŬLUS, i, m. 2. idem ac furunculus, a fervendo dictus. *Arnob.* 2. 11. Fervunculum, scabiem, aut inhærentem spinulam sanare. Alii leg. *furunculum*: metuunt quippe ne quid peccatum sit ab insciente librario, sed *fervunculum* melius servat etymon suum, et hæc habet *Caper de verb. dub.* apud *Putsch. p.* 2248. Feruneulum a fervore, non furunculum. *V.* FURUNCULUS.

FERVŪRA, æ. *V.* FERUTA.

FESCEMNOE vocabantur qui depellere fascinum credebantur. *Paul. Diac. p.* 86. 6. *Müll.* Antiqui libri leg. *fesnoe*; sed *Scalig.* leg. *fascinoe*, h. e. fascini.

FESCENNĪNĬCŎLA, æ, m. et f. 1. qui vel quæ fescenninis versibus gaudet. *Sidon. Paneg.* 10. 20. Quid si me, etsi valeam parare carmen Fescenninicolæ jubes Diones.

FESCENNĪNUS, a, um, adject. ad Fescenniam pertinens, quod fuit oppidum Etruriæ ad Tiberim, de quo *V.* ONOM. — *a*) Ab hoc oppido ortum habuit genus quoddam carminis incompositi ac rudis, simulque obscœni, jocosi et dicteriis pleni, quod tum diebus festis relaxandi animi causa, tum præcipue in nuptiis canebatur, ut *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 695. docet. *Paul.* tamen *Diac.* aliam etiam appellationis causam ponit, nempe a *fascino*, quod fascinum putabatur arcere. Cl. viri *R. Klotz* (*Handbuch d. lat. Litt. Gesch. T.* 1. *p.* 293. *n.* 308.) et *G. Bernhardy* (*Grundr. d. lat. Litt. p.* 165. *n.* 118.) contendunt, versus Fesceninos non a Fescenniæ oppido nomen duxisse, sed a Græcis vocibus βάσκανος, βασκαίνω, Latine *fascinum, fascinare*: ita ut versus *fescenninus* sit idem ac *versus fascininus, versus fascinosus sive fascini, id est orationis invidiosæ plenus*: alii tamen ex recentioribus huic sententiæ minime accedunt (V. *Annal. Lips. T.* 38. 2. *p.* 120.) et priorem tuentur. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 145. Fescennina per hunc inventa licentia morem Versibus alternis opprobria rustica fudit. *Liv.* 7. 2. Qui (*histriones*) non sicut ante Fescennino versu similem, incompositum temere ac rudem, alternis jaciebant. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. in Fescennina materia vernans verbis. — *b*) Quia versus Fescennini ex tempore et alterni e risoribus jaciebantur, nomen etiam ad jocos nuptiales translatum est, de quibus mentionem injecit *Servius loc. cit.*: item *Catull.* 61. 124. Nec diu taceat procax Fescennina locutio. *Capell.* 9. *p.* 306. Hymenæo Fescennina quadam licentia personante. *V.* et infra *Fescennini* sub *b.* Hujus carminis exemplum in nuptiis Honorii Augusti edidit *Claudianus.* — *c*) *Fescen-*

ninus pes apud Diomed. 3. p. 475. Putsch. est amphimacrus, constans longa, brevi et longa, ut dicites. — Hinc

Fescennini, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt — a) ipsi versus Fescennini. Macrob. 2. Saturn. 4. Fescenninos scribere in aliquem. — b) iii sæpius Fescennini nuptiales dicti sunt, quoniam ad jocos nuptiales translati: V. supra sub b. Seneca 3. Controv. 21. ante med. Inter nuptiales Fescenninos in crucem generi nostri jocabantur. Plin. 15. Hist. nat. 22. 24. (86). Nuces juglandes nuptialium Fescenninorum comites. V. et loc. proxime seq.

Fescennina, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt Fescennina carmina. Calpurn. Flacc. declam. 44. Civis ergo, nisi faces accenderit et Fescennina cecinerit, pater esse non poterit. Capell. 9. p. 310. Fidibusque loxa Fescennina prodient. Kopp. ita legit. Arnob. 4. 20. Quod participes Fescenninorum non essent, perturbasse discordiis omnia. h. e. nuptiarum. Adde Prudent. 1. in Symmach. 261.

Fescenninus, i, m. 2. subaudi homo, absolute, substantivorum more et translate, est ridicularius, obscœni sermonis et dicax. Cato apud Festum p. 344. 1. Müll. In coloniam mehercules scribere nolim, si trium virum sim, spatiatorem atque Fescenninum.

FĒSIÆ, arum, f. plur. 1. antique pro feriæ, teste Paul. Diac. p. 86. 7. Müll.

FESNOE. V. FESCEMNOE.

FESSŬLUS, a, um, adject. deminut. a fessus, aliquantulum fessus. Apul. Ἀνεχομ. 10. Trepida in decursu Venere, et anima fessula.

FESSUS, a, um, part. præter. Diomed. 1. p. 372. Putsch. suæ originis vocem esse putat. Priscian. 8. p. 825. videtur tamquam Particip. verbi fatiscor agnoscere. Sane participii formam ac vim habet in illo Phædr. 1. 21. Qui postquam cæde fessus est, asinum evocat. Videtur itaque esse fessus pro fetsus, ab inusit. fetiscor pro fatiscor, quod maxime evincitur ex Lucret. loc. citand. sub II. — Itaque fessus est fatigatus, κατακοπος (It. stanco, lasso, stracco; Fr. fatigué, las, épuisé, accablé; Hisp. fatigado, cansado, agotado; Germ. ermüdet, müde, schwach, matt, entkräftet, ermattet, lass; Angl. wearied, tired, fatigued).

I.) Proprie usurpatur de hominibus et brutis animantibus; et occurrit — a) Cum addito Ablativo rei, qua quis fessus est. Sall. Jug. 53. Romani quamquam itinere atque opere castrorum et prælio fessi lassique erant etc. Id. ibid. 68. Milites itineris magnitudine fessi. Cic. Planc. 10. 26. Quod tecto receperunt, quod fessum inedia fluctibusque recrearunt. Justin. 24. 7. 1. Fessi via milites. Ovid. 11. Met. 274. fessus curaque viaque. Varro 1. R. R. 13. 1. et 2. ibid. 1. 1. Fessi opere, frigore, aut calore. Cic. 1. Divinat. 41. 100. Vejentes bello fessi. Adde Tac. 5. Hist. 16. Justin. 6. 6. 4. Fessi tot bellis Græci. Id. 2. 5. 2. Fessus longa expeditione. Horat. 3. Od. 4. 38. Militia fessæ cohortes. Claudian. B. Get. 129. Fessi clade. Horat. 3. Od. 13. 11. Fessi vomere tauri. Cic. 15. Att. 9. Rides, inquies, in talibus rebus? quid faciam? plorando fessus sum. Lucret. 2. 1036. fessus satiate videndi. Tac. 3. Ann. 63. Fessi copia rerum. Plin. 5. Hist. nat. 17. 15. (73). Homo vita fessus. h. e. quem vitæ tædet. Tibull. 1. 3. 88. Puella fessa somno. Ovid. 9. Met. 293. Fessa malis. Seneca Hippol. 247. curis. Flor. 2. 6. 6. Fessi fame Saguntini. Ammian. 26. 8. Fessos inopia. — Eleganter refertur ad morbos et senium, quia utraque res vires adimit. Virg. 2. Æn. 596. ubi fessum ætate parentem Liqueris Anchisen? Spartian. Hadrian. 22. Socer fessus ætate. Ovid. 9. Met. 439. Fessus annis. Lucan. 3. 721. senecta. Val. Flacc. 1. 471. ævo. Liv. 37. 33. Fessus morbis. Tac. 3. Hist. 2. valetudinibus. Plin. 8. Hist. nat. 1. 1. (3). Elephanti fessi ægritudine. — b) Cum Ablat. et præpos. de dixit Cic. 1. Acad. (post.) 1. 1. Nisi de via fessus esset. — c) Cum Genitivo. Virg. 1. Æn. 181. tum Cererem Cerealiaque arma Expediunt fessi rerum. h. e. navigatione, tempestate, penuria, labore. Stat. 3. Theb. 395. fessus belliquo viæque. Symmach. 1. Ep. 11. (al. 21.) ad fin. Fessi virium. h. e. viribus. Sil. It. 2. 234. Dum pavitant trepidi rerum fessique salutis. h. e. defessi quærere et sperare salutem. — d) Cum Accus., Græcorum more. Sil. It. 4. 30. Sed Lybiæ ductor tuto fovet agmina vallo, Fessa gradum, multoque gelu torpentia nervos. — e) Absolute. Sall. Jug. 71. Forte Nabdalsa exercito corpore fessus in lecto quiescebat. Liv. 21. 37. Quies fessis data triduo. Horat. 2. Ep. 1. 221. quum tibi librum Sollicito damus aut fesso. Id. 1. Sat. 5. 94. Inde Rubos fessi pervenimus. Id. ibid. 5. 17. Fessus viator. Id. 3. Od. 29. 22. pastor. Id. 2. ibid. 4. 11. Graji fessi. scil. bello. Id. Epod. 2. 63. boves. Stat. 3. Silv. 3. 14. fessique senectus Longa patris. aggravato dagli anni. Ovid. Heroid. 21. 14. Adjuvor et nulla fessa medentis ope. h. e. ægra. — f) Huc referenda putamus et sequentia, quamvis figurate dicta. Liv. 1. 25. ad fin. Alter fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus. Horat. 2. Od. 7. 18. Longa fessum militia latus Depone sub lauru mea. Lucret. 4. 849. fessum corpus mandare quieti. Ovid. 3. Met. 502. Ille caput viridi fessum submisit in herba. Tibull. 4. 4. 9. quicumque sapores, Quicumque et cantus corpora fessa levant. Adde eumd. 4. 11. 2. Horat. carm. sæcul. 63. Phœbus, Qui salutari levat arte fessos Corporis artus. h. e. ægros. Sic Ovid. Heroid. 4. 90. Hæc reparat vires fessaque membra novat. Claudian. 1. Rapt. Pros. 121. Fessaque post primos hæserunt viscera partus. h. e. exhausta. Val. Flacc. 2. 69. Cereris munere fessas vires restituere. Ovid. 3. Trist 3. 85. vox mihi fessa loquendo. Adde Spartian. Hadrian. 4. Tac. 14. Ann. 33. Si quos imbellis sexus, aut fessa ætas, vel loci dulcedo attinuerat. h. e. senectus. Adde eumd. 1. Hist. 12., 3. ibid. 67. et 3. Ann. 59.; et Capitolin. Anton. Phil. 2.

II.) Translate. V. allata superius sub f. Ceterum Propert. 3. 19. 19. Deinde per Ionium vectus quum fessa Lechæo Sedarit placidâ vela phaselus aquâ. Virg. 2. Æn. 29. Fessæ naves. Ovid. 6. Met. 519. puppes. Id. 11. ibid. 393. carinæ. Val. Flacc. 7. 25. Grataque jam fessis descendunt flumina remis. Ovid. 1. Met. 582. amnes in mare deducunt fessas erroribus undas. Val. Flacc. 6. 77. fessæque prius rediere sagittæ, Arboris ad summum quam pervenere cacumen. Id. 5. 280. Retulerat (nox) fessis optata silentia terris. Id. 4. 66. Fessa cum silvis juga. Adde eumd. ibid. 20. Lucret. 3. 775. domus ætatis spatio ne fessa vetusto Obruat? Sic Id. 5. 308. nonne vides putrescere saxa? Non delubra deûm simulacraque fessa fatisci? Plin. 36. Hist. nat. 15. 24. (120). Cardines fessi et turbati. Tac. 11. Ann. 24. Quum Transpadani in civitatem recepti, quum specie deductarum per orbem terræ legionum additis provincialium validissimis fesso imperio subventum est. Id. 15. ibid. 50. Ergo dum scelera principis, et finem adesse imperio, deligendumque qui fessis rebus succurreret, inter se aut inter amicos jaciunt. h. e. afflictis. Sic Plin. 2. Hist. nat. 7. 5. (18). Vespasianus fessis rebus subveniens. Stat. 2. Silv. 2. 48. fessa dies. h. e. nocti proxima. Sil. It. 14. 43. fesso Minoia turba Bellandi studio Sicanis subsedit in oris.

Homonym. Verrius apud Diomed. 1. p. 372. Putsch. discrimen statuit inter fatigatum et fessum: quod ille sit ab alio laborare compulsus, ut lassatus; hic qui ultro laborans deficit, ut lassus. Fronto vero de Differ. vocabul. statuit defatigatum de animo, fessum vero de corpore usurpari. Sed contra est, quod Manutius ad Cic. 10. Fam. 19. affert.

FESTĀLĬA, iōrum vel ium, n. plur. 2. vel 3. registro delle feste, liber, in quo dies festi inscripti sunt. Fulgent. de prisc. serm. p. 560. 6. Merc. Bæbius Macer, qui festalia sacrorum scripsit, ait etc. Al. leg. fastalia. Cf. Vet. Scholiast. ad Lucan. 1. 550. Latinæ festalia sacrificia. Adjectivus confirmatur etiam a Gloss. Isid. Festalis dies, solemnis. V. et FETALIA.

FESTĀLIS, e, adject. V. voc. praeced. in fin.

FESTĀTUS, a, um, adject. seu potius particip. ab inusit. festare, ad festum paratus. Fabius Pictor apud Gell. 10. 15. Dialis quotidie festatus est. Al. leg. fertatus, h. e. ferto instructus: alii feriatus: alii etiam aliter.

FESTĪCĒ, adverb. læte. V. voc. seq.

FESTĪCUS, a, um, adject. festivus, lætus. Varro apud Non. p. 451. 33. Merc. Et ceteri scholastici satoris auribus scholica dape atque ebriis festica ἀκεραυνολογία consurgimus jejunis oculis. Ita leg. Riese; Mercerus vero festice; Oehlerus conjecit festivæ ἀκεραυνολογίας injuria.

FESTĪNĀBUNDUS, a, um, adject. festinans. Val. Max. 2. 8. n. 5. Festinabunda manu. Augustin. 1. Confess. 11. Festinabunda mater.

FESTĪNANTER, adverb. Comp. Festinantius et Sup. Festinantissime. — Festinanter est celeriter, cito, velocemente, in fretta, in prescia, διὰ σπουδῆς. Cic. 5. Fin. 26. 77. Illud mihi a te nimium festinanter dictum videtur. Sueton. Cal. 43. Festinanter ac rapide iter conficere. Plin. 17. Hist. nat. 11. 15. (78). Quia festinantius germinant. Alter Plin. 5. Ep. 17. 1. Festinantius nunciare. Sueton. Aug. 29. Festinantius publicare. Tac. 15. Ann. 3. Festinantius agere. Colum. 2. R. R. 19. 15. Festinantius demetere. Augustin. Ep. 250. sub fin. Festinantissime respondisse.

FESTĪNĀTĒ, adverb. festinanter. Gloss. Placid. edente A. Mai in Class. Auct. T. 3. p. 445. Festinate, cito, adulto. — Ceterum occurrit tantum Comp. Festinatius apud Ammian. 21. 6. med. Quantum (miles) interiora festinatius occupabat. Gell. 10. 11. Quod non segnius, sed festinatius fit. V. voc. seq. et FESTINATO.

FESTĪNĀTIM, adverb. festinanter. Sisenna apud Non. p. 514. 5. Merc. Prætor festinatim de castellis ad castra maxime milites conducit. Adde Pompon. ibid.

FESTĪNĀTIO, ōnis, f. 3. σπουδή, properatio (It. fretta, prescia; Fr. empressement, précipitation, hâte; Hisp. presteza, prontitud, priesa; Germ. d. Eile, d. Eilen; Angl. haste, speed, hurry, expedition, despatch). Occurrit — a) In singulari numero. Cic. 3. Phil. 1. 2. Mea festinatio non victoriæ solum avida est, sed etiam celeritatis. Id. 12. Fam. 25. Ventis remis in patriam omni festinatione properavi. Id. Rosc. Am. 31. 96. Quid hic incredibilis cursus, quid hæc tanta celeritas festinatioque significat? Id. 5. Att. 14. Habes epistolam plenam festinationis et pulveris. Id. 5. Fam. 12. 1. Ignoscere festinationi alicujus. Nepos præfat. extr. Plura persequi prohibet festinatio, ut explicem etc. Colum. 11. R. R. 2. 6. Adhibere festinationem. Curt. 8. 2. Morari alicujus festinationem. Id. 3. 8. 25. Festinatio discurrentium. Petron. Satyr. 80. Conditionem præcipiti festinatione rapui. Frontin. Aquæd. 121. Hæc opera sollicita festinatione explicanda sunt. Quintil. 1. 4. 22. Ambitiosa festinatio. Adde eumd. 1. 1. 32. Id. 2. 1. 12. Festinatio mea. Tac. 2. Hist. 21. Festinationem hostium elicere. Id. 1. ibid. 67. Avaritia ac festinatio. Flor. 1. 18. 19. In reparando exercitu festinatio. Sueton. Aug. 25. Nihil autem minus in perfecto duce, quam festinationem temeritatemque convenire arbitrabatur. Id. Cæs. 18. Neque more, neque jure, antequam provinciæ ornarentur, profectus est. Pacataque provincia, pari festinatione, non exspectato successore, ad triumphum simul consulatumque decessit. Justin. 11. 8. 2. Magna celeritate Taurum transcendit: in qua festinatione quingenta stadia cursu fecit. Adde Vopisc. Aurel. 5. — Speciatim pro trepida concursatione. Sall. apud Non. p. 138. 3. Merc. Quasi par in oppido festinatio et ingens terror erat, ne etc. Cf. eumd. Cat. 31. et Jug. 66. — b) In plurali numero. Cic. 1. Off. 36. 131. Cavendum, ne in festinationibus suscipiamus nimias celeritates.

FESTĪNĀTO, adverb. festinanter. Quintil. 4. 2. 58. Nihil festinato fecisse videtur Milo. Justin. 38. 10. in fin. Quum equites festinato misisset. Adde Vulgat. interpr. Genes. 44. 11., 2. Paral. 24. 5. et alibi sæpe.

FESTĪNĀTOR, ōris, m. 3. qui festinat. Legitur a quibusdam apud Quintil. 2. Declam. 19. ad fin., ubi plures alii festinatio.

FESTĪNĀTUS, a, um. V. FESTINO.

FESTĪNĒ, adverb. idem ac festinanter. Cic. 4. Att. 14. Festine odorari. Alii leg. festive. Certior est lectio apud Cassiod. 3. Variar. 40. Festine tamen remedia vestræ utilitatis adspeximus.

FESTĪNIS, e, adject. festinus. Titinius apud Non. p. 492. 33. Merc. Hæc res me facit festinem. Forcellinus leg. fecit. Ceterum festinem potest et esse Conjunctivus a v. festino, as.

FESTĪNO, as, āvi, ātum, are, n. et a. 1. Part. Festinans I. II. et in fin.; Festinatus II.; Festinaturus I. — Ratione habita etymi, plerique volunt esse a fertum vel festum particip. præter. inusit. ver-

bi *fero*, qua celeriter movere sive accelerare significat (*V.* FERO sub 1. 2.): ceterum cf. *Gell.* 16. 14. Festinare est properare, accelerare, esse in magno et continuo motu agendi aliquid, unde *confestim* seu *confertim*, σπεύδω (It. *affrettarsi, aver prescia, affrettare*; Fr. *se hâter, se presser, s'empresser*; Hisp. *apresurarse, darse priesa*; Germ. *eilen, eilig sein*; Angl. *to hasten, make haste, be in a hurry*).

I.) Proprie est verbum neutrum; et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Asin.* 1. 3. 5. Remigio veloque quantum poteris, festina, fuge. *Horat.* 1. *Od.* 28. 35. Quamquam festinas, non est mora longa. *Cic.* 12. *Fam.* 22. 4. Plura scripsissem, nisi tui festinarent. *Id.* 6. *Att.* 2. *extr.* Cupiebam nunc plura garrire: sed lucet, urget turba, festinat Philogenes. *Id.* 16. *Fam.* 9. 4. Solent nautæ festinare quæstus sui causa. *Virg.* 2. *Æn.* 373. Festinate, viri: nam quæ tam sera moratur Segnities? *Plin.* 4. *Ep.* 1. Festinatori, quantum itineris ratio permiserit. *Sueton. Gramm.* 22. Vis tu, inquit, magister, quoties festinantem aliquem vides, abligurire? *Tac.* 1. *Ann.* 7. At Romæ ruere in servitium consules, patres, eques: quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac festinantes. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 192. Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves. — *Festina lente*, σπεῦδε βραδέως, proverb. quo significatur, sedulitate quidem in rebus agendis opus esse, sed quæ tamen sit cum consilii maturitate conjuncta. Hoc Græce sæpe *Augustus* usurpabat, teste *Sueton. Aug.* 25. *V.* MATURE. Itali dicunt: *chi va piano, va ratto.* — Aliquando est satagere ob metum aut urgens negotium, itemque trepidare, *affaccendarsi*. *Plaut. Stich.* 5. 3. 4. Quoniam nunciatum est, istarum venturos viros; ibi festinamus omnes, lectis sternendis studuimus munditiisque apparandis. Adde *eumd. Cas.* 4. 1. 5. Sic *Ter. Heaut.* 1. 1. 70. Domum revertor mæstus. - Adsido: accurrunt servi; soccos detrahunt: video alios festinare, lectos sternere, cœnam apparare. *Horat.* 4. *Od.* 11. 9. Cuncta festinat manus, huc et illuc Cursitant mistæ pueris puellæ. *ognuno è in faccende*. *Sall. Jug.* 66. Interim Jugurtha, postquam omissa deditione bellum incipit, parare omnia, festinare, cogere exercitum. *Id. ibid.* 76. Contra hæc oppidani festinare, parare. *Id. Cat.* 6. At Romani domi militiæque intenti festinare, parare. *Id. Jug.* 55. Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare. Adde eumd. *ibid.* 39. *Id. Cat.* 42. Nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia, plus timoris, quam periculi effecerant. *Ter. Eun.* 4. 3. 8. Quid istuc? quid festinas? aut quem quæris, Pythias? *h. e.* trepidas. Sic *Sall. fragm.* apud *Donatum ibid.* Festinantibus in summa inopia patribus. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in, ad, adversus*. *Quintil.* 6. 3. 39. Contentio festinantium in provinciam. *Sueton. Tit.* 5. Festinare in Italiam. *Sall. Jug.* 69. Alii ad portas festinare. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 30. Festinare ad urbem. Similiter *Cic.* 1. *Phil.* 1. 3. Ad singulare Antonii factum festinat oratio. *s'affretta di arrivare.* Cf. *Horat. Art. P.* 148. Semper ad eventum festinat. *Quintil.* 4. 3. 8. Judex ordine audito, festinat ad probationem. Adde *eumd.* 4. 5. 10. *Sueton. Domit.* 16. Festinans ad corporis curam. *Flor.* 1. 11. 15. ad relictum opus. *Ammian.* 20. 1. ocius ad procinctum. *Id.* 21. 9. volucriter ad destinata. *Trebell. Poll. Gall. duob.* 3. ad filium capiendum. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 76. adversus Marium. — Huc referri potest et illud *Horat.* 1. *Ep.* 16. 68. Festinare in augenda re.

II.) Improprie usurpatur active; et occurrit — *a*) Cum Infinito. *Cic.* 7. *Fam.* 23. *sub fin.* Ut tanto opere migrare festines. *Sall. Jug.* 64. Ne festinaret abire: satis mature illum consulatum petiturum. *Id. ibid.* 68. Cum magna cura ultum iri injurias festinat. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 12. Nestor componere lites Inter Peliden festinat et inter Atriden. *Id. ibid.* 2. 38. Quæ lædunt oculum, festinas demere; si quid Est animum, differs curandi tempus in annum. *Quintil.* 9. 4. 146. Finem imponere festino. *Curt.* 6. 3. 14. videre. *Colum.* 4. *R. R.* 27. 1. emundare. *Juvenal.* 9. 126. decurrere. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (30). effugere. Alter *Plin.* 10. *Ep.* 1. admovere. *Ammian.* 16. 12. egredi. *Id.* 27. 9. superare hostes. *Id.* 31. 7. experiri postrema discrimina. — Huc pertinet et illud *Sall. Jug.* 81. Callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere. — *b*) Cum Accusativo rei et est properare, *fare in prescia, con fretta*. *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 401. et 4. *G.* 171. Festivum festinant diem. *scil.* agere, celebrare. *Sall. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 12. *Æn.* 425. Sulcos festinate. *scil.* dare. *Id. Jug.* 77. Ni id festinaret, in summo periculo suam salutem fore. *Virg.* 4. *Æn.* 575. Festinare fugam. *Id.* 6. *ibid.* 176. jussa Sibyllæ. *Ovid.* 11. *Met.* 575.; et *Stat.* 2. *Silv.* 1. 128. vestes. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 61. pœnas. *Sil. It.* 8. 52. pyram. *Stat.* 2. *Theb.* 478. vias. *Ammian.* 16. 10. iter. *Tac.* 14. *Ann.* 33. *extr.* Cædes, patibula, ignes, cruces festinare. *Id.* 4. *ibid.* 28. Festinare in se mortem. — *c*) Passive. *Sall. Jug.* 64. Animo cupienti nihil satis festinatur. *Tac.* 2. *Hist.* 82. Ea cuncta per idoneos ministros festinabantur. *Id.* 3. *ibid.* 37. *extr.* Consul uno die et ante fuerat Caninius Rebilus, quum bellis civilibus præmia festinarentur. *Id.* 12. *Ann.* 25. Adoptio in Domitium auctoritate Pallantis festinatur. *Id. Germ.* 20. Sera juvenum Venus: nec virgines festinantur. *h. e.* festinato despondentur. *Ammian.* 22. 12. Quæ festinari cernentes. — Et Part. præter. *Ovid.* 4. *Pont.* 5. 8. Festinatum iter. *Quintil.* 6. *procœm.* 10. Festinata maturitas celerius occidit. *Sueton. Aug.* 69. Festinatæ nuptiæ. *Id. ibid.* 87. res. *Lucan.* 8. 24.; et *Plin. Paneg.* 69. honores. *Tac.* 1. *Ann.* 52. missio. *Id.* 6. *ibid.* 44. casus. *Id.* 1. *Hist.* 90. exactio. *Id.* 2. *ibid.* 57. delectus. *Id.* 4. *ibid.* 67. prælium. *Id. Agric.* 44. mors. *Martial.* 7. 40. Annis festinatis raptus. *h. e.* morte immatura. *Sil. It.* 11. 193. festinata signa movere. — *d*) *Festinare se* est properare. *Gell.* 14. 2. *ante med.* Viri exercitati, atque in patrociniis et in operis fori celebres, semperque se, circumundique distrahentibus causis, festinantes. — Hinc Part. præs.

Festinans, antis, adjective quoque occurrit. *Cic.* 6. *Att.* 4. *extr.* Hæc festinans scripsi in itinere atque agmine. Adde *ejusd. locum mox citand.* in Homonym. *Sall. Jug.* 52. Dum legatus ad flumen, quo præmissus erat, festinans pergit.

Homonym. Inter *properare* et *festinare* discrimen assignabat *Cato* apud *Gell.* 16. 14. et *Non.* p. 441. 22. *Merc.* et *Festum* p. 234. 19. *Müll.* his verbis: Qui unum quid mature transigit, is properat: qui multa simul incipit, neque perficit, is festinat. Ipse vero *Non.* in eo differre ait, ut *properare* ad animum, *festinare* ad corpus pertineat. *Cic.* 9. *Phil.* 3. 6. At ille properans festinansque, mandata vestra conficere cupiens, in hac constantia perseveravit. — Neutrum tamen discrimen perpetuum est.

FESTĪNUS, a, um, adject. ταχύς, festinans, properans: vox fere poetica (It. *presto, veloce*; Fr. *qui se hâte, prompt*; Hisp. *pronto, veloz, accelerado*; Germ. *eilend, eilig*; Angl. *quick, speedy*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 9. *Att.* 9. Festino enim sbalilimus decurro. *Al. rectius leg.* Σοφιστεύω enim, simul ut rus decurro. *Virg.* 9. *Æn.* 488. tibi quam (*vestem*) noctes festina diesque Urgebam. *Ovid.* 11. *Met.* 347. cursu festinus anhelo. *Stat.* 9. *Theb.* 716. cruda festinaque virtus. *Ammian.* 3. 2. Festina celeritate. Adde *Cod. Theod.* 5. 16. 52. *Val. Flacc.* 6. 325. festinaque tædia vitæ. *h. e.* immatura. Adde *eumd.* 2. 191., 3. 341., 6. 472., 7. 187.; et *Apul.* 2. *Met.* *Claudian. Nupt. Honor.* 325. Festina canities. *Prudent. Cathemer.* 11. 6. Dies festina. — *Festinæ cohortes* in fragmento *Sallustii* apud *Servium* ad *citat.* 9. *Æn.* videntur esse levis armaturæ milites. — *b*) Cum Genitivo. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 135. Festinus laudum. *Id.* 6. *Theb.* 75. Festinus voti.

FESTĪTĀTŬLA, æ, f. 1. per syncopen pro *festivitatula, deminut.* a festivitas, parva festivitas. *Alcim. Ep.* 79. Fecerunt quidem peccata mea non qualemcumque necessitatem, qua nos in die susceptæ festitatulæ nostræ corporali vestræ pietatis præsentia frauderemur. *Rectius tamen cum cl.* Quicherat *legendum est* festivitatulæ.

FESTĪVĒ, adverb. Sup. *Festivissime* 2. — Festive ¶ 1. Stricto sensu est hilariter, comiter, læte. *Plaut. Pseud.* 5. 1. 9. In loco festivo sumus festive accepti. ¶ 2. Latiori sensu est lepide, facete, jucunde, *piacevolmente, con galanteria*, τερπνῶς. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 16. Quamquam a te actam fabellam video esse festive. *Gell.* 9. 15. *extr.* Atque ibi Julianus festivissime, nolite quærere, inquit, etc. Rursus *Cic.* 3. *Orat.* 26. 101. Quare, *bene* et *præclare* quamvis nobis sæpe dicatur; *belle* et *festive* nimium sæpe nolo. *Id. Dejot.* 6. 19. Quam festive crimen contexitur! *ironia*, quæ in sequentibus quoque inest, 2. *Divinat.* 15. 35. Quam festive dissolvitur! *scil.* argumentum. et 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 92. Dialectica primo progressu festive tradit elementa loquendi.

FESTĪVĬTAS, ātis, f. 3. occurrit *A*) Stricto, et *B*) Latiori sensu.

A) Stricto sensu festivitas est lætitia, jucunditas, qualis festis diebus haberi solet, *allegrezza, giocondità, contento*.

I.) Proprie. *Plaut. Capt.* 4. 1. 1. Juppiter supreme, servas me, offers mihi laudem, lucrum, ludum, jocum, festivitatem, ferias.

II.) Translate adhibetur in blandis appellationibus. *Plaut. Cas. a.* 1. *v.* 46. Mi animule, mea vita, mea festivitas. Adde *eumd. ibid.* 3. 3. 14. et *Pœn.* 1. 2. 176.

B) Latiori sensu. ¶ 1. Refertur ad mores, et est urbanitas, jucunditas. *Ter. Eun.* 5. 9. 18. An fortunam collaudem, an mei patris festivitatem et facilitatem. *piacevolezza*. *Sueton. Cal.* 7. Infans insigni festivitate. *amabilità*. ¶ 2. Specialim est urbanitas et lepor sermonis, jucunditas, gratia lætitiam quamdam et facilitatem animi in verbis præ se ferens, *lepidezza nel parlare, galanteria, grazia, giovialità*, ἀστειότης. *Cic. Brut.* 48. 177. Festivitate et facetiis C. Julius omnibus præstitit. *Id.* 2. *Orat.* 56. 227. Oratio lepore et festivitate condita. *Id.* 1. *ibid.* 57. 243. Dicendi vis egregia, summa festivitate et venustate conjuncta. *Id.* 9. *Fam.* 15. 2. Imago antiquæ et vernaculæ festivitatis. *Id. Orat.* 52. 176. Gorgias his festivitatibus insolentius abutitur. ¶ 3. Apud sequioris ævi Scriptores ponitur pro festo die, seu pro apparatu ludicro ac læto, qui festis diebus haberi solet, *festa*. *Lamprid. Alex. Sev.* 63. Addita et festivitas matris nomine. *Trebell. Poll. Gall. duob.* 3. Populum ad festivitatem et plausum vocare. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod. Theod.* 15. 5. 3. Ne festivitatem impediant in cunctis oppidis celebrandam. *Iidem ibid.* 6. 8. 1. Solemnes festivitates frequentare. *Impp. Arcad.* et *Honor. ibid.* 6. 4. 30. Festivitates natalium principis.

FESTĪVĬTĀTŬLA, æ. *V.* FESTITATULA.

FESTĪVĬTER, adverb. festivo more, *da festa*. ¶ 1. Stricto sensu est hilariter, læte. *Nævius* apud *Non.* p. 510. 16. *Merc.* O domus parata pulcræ familiæ festiviter! ¶ 2. Latiori sensu est jucunde, lepide, urbane, *lepidamente, con grazia, con giovialità*. *Gell.* 1. 2. Severe simul ac festiviter sejunxit a vero Stoico, qui esset ἀκώλυτος. et 22. Festiviter respondere.

FESTĪVO, as, are, 1. festa agere. *Lex. Lat. Gr.* Festivo, ἑορτάζω.

FESTĪVUS, a, um, adject. Comp. *Festivior* 2.; Sup. *Festivissimus* in omnibus paragr. — *Festivus* a *festus* proprie est ad festorum dierum jucunditatem pertinens, atque adeo est festus, hilaris, jucundus, lætus; festis enim diebus cuncta solent læta esse et hilaria (It. *festivo, da festa, allegro, giocondo*; Fr. *de fête, gai, amusant*; Hisp. *de fiesta, alegro, gozoso, chistoso*; Germ. *heiter, fröhlich*; Angl. *festive, festival, joyous, gladsome, pleasant*). ¶ 1. Stricto sensu est ad festorum dierum jucunditatem pertinens, festus, jucundus. *Plaut. Cas.* 4. 1. 3. Nec pol ego Nemeæ credo, neque ego Olympiæ, neque usquam ludos tam festivos fieri, quam hic intus fiunt ludi ludificabiles. Cf. *Gell.* 18. 13. Saturnalibus alea quadam festiva et honesta lusitabamus. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 5. Nunc qua assedistis causa in festivo loco, comœdiai argumentum eloquar. Adde *eumd. Pœn.* 5. 1. 9. et *ibid.* 1. 2. 95. Vin' tu facinus facere lepidum et festivum? *et ibid.* 3. 3. 82. Dare alicui hospitium festivum in lepido loco. *Justin.* 38. 8. 14. Festivissimum convivium. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 3. Connubii necdum festivos regia cantus Sopierat, etc. — Hinc *festivum, i*, n. 2. absolute, substantivorum more, pro die festo. *Lamprid. Elagab.* 11. *a med.* Ferunt multi, ab ipso repertum, ut in vindemiarum festivo multa in dominos jocularia dicerentur. *nella festa delle vendemmie.* ¶ 2. Aliquando refertur ad ea, quæ venusta sunt et jucunda visu. *Plaut. Epid.* 5. 1. 17. Contempla, Epidice: usque ab unguiculo ad capillum

summum (*mulier*) est festivissima. Sic *Id. Mil. glor.* 1. 1. 12. Luculenta atque festiva femina. *Cic.* 5. *Parad.* 2. 38. Nonne igitur sunt ista festiva? Sint: nam nos quoque oculos eruditos habemus. *Plaut. Curc.* 1. 1. 93. Ædes festivissimæ. *Plin.* 2. *Ep.* 17. 4. Area parvula, sed festiva. *Cic.* 2. *Att.* 6. Libris me delecto, quorum habeo Antii festivam copiam. *Forcellinus* hunc locum ad superiorem paragr. retulit, et interpretatus est *libri da divertimento:* festiva tamen librorum copia videtur esse jucunda visu. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 108. Nimium festivam mulier præbuit operam. ¶ 3. Sæpissime dicitur de iis, qui urbani ac lepidi sunt in sermone, jucundi, hilares, faceti, et lætitiam festivitatemque in verbis præ se ferunt; quod signum est facilitatis comitatisque: item de dictis et factis hujusmodi, *gioviale, faceto, piacevole, galante, arguto.* — *a*) De hominibus. *Ter. Adelph.* 5. 9. 29. Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivum putant, id non fieri ex vera vita —, sed ex assentando, indulgendo et largiundo. *Cic.* 1. *Att.* 12. *fin.* Puer festivus, anagnostes noster decesserat. *Id.* 6. *Fam.* 4. 3. Pueri, quibus nihil potest esse festivius. *Id. Flacc.* 36. 91. Festivus filius. *Id.* 5. *Phil.* 5. 13. et 2. *Orat.* 68. 277. homo. Sic *Gell. præfat.* Festivissimus homo. — Similiter et in blanditiis. *Ter. Adelph.* 5. 9. 27. O pater mi festivissime! *Id. ibid.* 2. 3. 8. Festivum caput! — *b*) De dictis. *Cic.* 1. *Off.* 30. 108. Dulcem et facetum festivique sermonis atque in omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Græci nominarunt, Socratem accepimus. *Id. Pis.* 29. 70. Poema facit ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius. *Id.* 3. *Orat.* 25. 100. Festiva oratio. *Id.* 6. *Verr.* 22. 49. acroama. *Quintil.* 6. 3. 39. In his omnibus quum elegans et venusta exigitur tota expositio, tum id festivissimum est, quod adjicit orator. — Hinc

Festivum, i, n. 2, *V.* sub I. in fin.

FESTRA, æ, f. 1. antiquis idem fuit, quod apud nos fenestra, teste *Paul. Diac. p.* 91. 5. *Müll.*; non tamen quælibet, sed ostiolum minusculum in sacrario (intellige primis urbis temporibus) ut ex *Antonio Gniphone* docet *Macrob.* 3. *Saturn.* 12., ubi et *Ennium* hac voce usum ait. Sic *Placidi Gloss.* edente *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 461. Festram fenestram. In *fragm. Petron. p.* 872. *Burmann.* Deridet festram, Romuleamque casam. *V.* FENESTRA.

FESTŪCA, æ, f. 1. ¶ 1. Est herbæ, aut paleæ exile frustum, stipula, κάρφος (It. *festuca, pagliuzza;* Fr. *fétu, tige ou brin d'herbe, tuyau de paille;* Hisp. *mioja de paja;* Germ. *d. Halm, Grashalm;* Angl. *a stalk, straw, stem*). ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Varro* 5. *L. L.* 136. *Müll.* Homo in pratis per fenisecia eundo festucas corradit. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 6. Festucæ surculique in areariis passim spargendi sunt, ut colligere possint aves, quibus nidos construant. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 41. 57. (116). Gallinæ, edito ovo, festuca aliqua se et ova lustrant. *Id.* 18. *ibid.* 27. 67. (254). Quum herba creverit in festucam, arcere aquas. — *b*) Speciatim *festuca liber* dicitur, qui e servo in libertatem assertus fuit. Nam Romani, quos in libertatem vindicabant, eorum corporibus stipulam tenuem injiciebant, κάρφος αὐτῶν λεπτὸν ἐπιβάλλουσι τοῖς σώμασιν, ut *Plutarch. in opusc. de his, qui sero a numine puniuntur,* tradit. Alii *festucam* hic intelligunt virgam, per quam leviter pulsabantur ii, quos prætor vindicta liberos esse jubebat. Hæc vero habet *Cajus* 1. *Institut.* (edente iterum *Goeschenio*) § 16. Festuca autem utebantur quasi hastæ loco, signo quodam justi dominii; maxime enim sua esse credebant, quæ ex hostibus cepissent: unde in centumviralibus judiciis hasta præponitur. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 15. Quid? ea ingenuan', an festuca facta e serva libera est? *Pers.* 5. 174. hic hic, quem quærimus, hic est, Non in festuca, lictor quem jactat ineptus. ¶ 2. Est etiam hoc nomine herba, quæ et ægilops dicitur, quæ inter hordeum nata, ipsum necat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (155). *V.* ÆGILOPS.

FESTŪCĀRĬUS, a, um, adject. ad festucam pertinens. *Gell.* 20. 10. *in fin.* Conferens vim illam civilem et festucariam, quæ verbo diceretur, non quæ manu fieret. *h. e.* vim et facultatem vindicandi in jure. *V.* cap. totum *Gellii*, et voc. præced. § 1. *b.*

FESTŪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* festuca, tenuis festuca. *Pallad.* 5. *R. R.* 8. 2. Dorsa apum bibentium tangamus, illo liquore tincta festucula.

FESTUS, a, um, adject. Comp. *Festior* et Sup. *Festissimus* II. — Ratione habita etymi, vox conjungenda videtur cum nomine *feriæ* et fortasse etiam cum v. *fari* et *fastus:* *festus* enim stricto sensu dicitur de die, et est feriatus, sacer, solemnis, cessatione ab opere, sacrificiis, aut ludis, aut conviviis, apparatuque lætitiæ, aut his omnibus simul celebratus: latiori autem significatione de iis omnibus usurpatur, quæ ad festos dies referuntur vel pertinent, ἑορτάσιμος (It. *di festa, festivo;* Fr. *de fête, sacré, consacré;* Hisp. *de fiesta, consagrado;* Germ. *festlich, geheiligt, geweiht;* Angl. *festival, festive*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu de diebus. *Cic. Pis.* 22. 51. Qui (*dies*) quasi deorum immortalium festi atque solemnes apud omnes sunt celebrati. *Id.* 6. *Verr.* 48. 107. Syracusani festos dies anniversarios agunt. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. 1. Mense decembri sub dies festos. *Id.* 6. *Verr.* 67. 151. Quum diem festum ludorum de fastis suis sustulissent celeberrimum et sanctissimum. *Sall. Jug.* 70. Dies festus celebratusque per omnem Africam. *Justin.* 24. 3. 4. Diem festum urbi indicere in adventum alicujus. *Nepos Timol.* 5. Ejus natalem (*scil.* diem) festum habuit universa Sicilia. *Ovid.* 6. *Fast.* 239. Festus dies. Adde *Cic.* 5. *Fin.* 21. 70.; *Nepot. Dion.* 9.; *Colum.* 11. *R. R.* 1. 19.; *Sueton. Cæs.* 65. et *Vesp.* 2.; *Justin.* 21. 3. 2.; *Flor.* 3. 18. 8.; *Curt.* 8. 5. 9.; et *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. Similiter *Horat.* 4. *Od.* 6. 42.; et *Ovid.* 5. *Trist.* 5. 42. lux. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 140. tempus. Cf. *Val. Flacc.* 5. 74. et festa vulgatam nocte Lyæi Callichoron. — *b*) De iis, quæ ad festos dies referuntur vel pertinent. *Horat. Epod.* 9. 1. Festæ dapes. *Sil. It.* 7. 198.; et *Val. Flacc.* 3. 159. mensæ. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 8. Festos choros agere. *Martial.* 1. 1. Festi lusus. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *a med.* Tectum festis clamoribus personat. *Tac.* 12. *Ann.* 69. voces. *Claudian.* 3. *Laud. Stilich.* 20. carmen. *Virg.* 4. *Æn.* 459. templum festa fronde revinctum. Sic *Val. Flacc.* 2. 188. simulantque choros delubraque festa Fronde tegunt. *Ovid.* 10. *Met.* 598. festa corona. *Val. Flacc.* 8. 240.; et *Claudian.* IV. *Cons. Honor.* 642. tædæ. *Tac.* 14. *Ann.* 13. Obvias tribus, festo cultu senatum, conjugum ac liberorum agmina etc. *Horat.* 3. *Od.* 18. 11. Festus in pratis vacat otioso Cum bove pagus. Sic *Sil. It.* 12. 752. et 11. 272. Festa urbs. *lieta, in festa. Tac. Germ.* 40. loca. *Ovid.* 2. *Met.* 712. Palladis arces. *Id.* 3. *ibid.* 111. theatra. *Martial.* 3. 58. Lares. *Tac.* 3. *Ann.* 9. Domus festa ornatu. *Id.* 2. *ibid.* 69. Admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam Antiochensium plebem per lictores proturbat. *Quintil.* 6. 3. 17. Festa licentia. *Ovid.* 2. *Met.* 795.; at *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 1. (2). pax. *Arnob.* 5. *init.* Lætitias festas exercere. — *c*) *Festus dies* est aliquando blanda amantis compellatio. *Plaut. Cas. a.* 1. *v.* 49. Mi animule, mea vita, meus festus dies. — Et lætantis. *Ter. Eun.* 3. 5. 12. O festus dies hominis! amice, salve.

II.) Translate est lætus, jucundus: sed occurrit raro admodum et apud sequioris ævi scriptores. *Val. Flacc.* 2. 582. vigili simul omnia ludo Festa vident, nisi *forte legendum sit* fausta. *Vopisc. Aurel.* 1. Quibus omnia festa et fieri debere scimus et dici. *Claudian.* III. *Cons. Honor.* 3. Festior annus. *Vopisc. Tacit.* 11. Festissimi dies. *Pacat. Paneg. Theod.* 37. Festus occursus. *Claudian. B. G.* 206. Festæ aures. *h. e.* lætæ, lætis nuncliis imbutæ. — Et absolute, substantivorum more, *Stat.* 2. *Silv.* 7. 9. O numquam data festa longa summis! *h. e.* res lætæ et prosperæ. — Inter translata referendum est et illud *Stat.* 2. *Silv.* 7. 134. Festus dolor. *h. e.* publicus et solemnis. — Hinc

Festum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est dies festus, *festa.* — *a*) In sing. numero. *Ovid.* 4. *Fast.* 877. Cur igitur Veneris festum Vinalia dicant, Quæritis? *Id.* 1. *ibid.* 190. Pars mihi de festo ne labet ulla tuo. *Id.* 4. *Met.* 390. profanare festum. *Id.* 11. *ibid.* 95. festum agere. — *Id.* 2. *Fast.* 247. Forte Jovi festum Phœbus solemne parabat. *h. e.* sacrum. — *b*) In plur. numero. *Ovid.* 4. *Fast.* 182. Idææ festa parentis erunt. *Id.* 3. *Amor.* 13. 3. Casta sacerdotes Junoni festa parabant. *Id.* 14. *Met.* 774. Festa Palilia. *Id.* 5. *ibid.* 3. conjugalia. *Id.* 4. *ibid.* 33. turbare festa. *Id.* 5. *ibid.* 328. vovere festa annua numinibus. *Id.* 6. *Fast.* 179. colere. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

FĒTĀLĬA, iōrum *vel* ium, n. plur. 2. *vel* 3. Videntur ita fuisse appellata festa rustica post fetuum vel agnorum ortum. Hinc translate *Augustin. Serm.* 193. Dignum erat, ut non mulierculæ humanis solemnitatibus, sed angeli divinis laudibus fetalia celebrarent. *Num legendum* festalia?

FĒTĬĀLIS, e, adject. Ad scriptionem quod attinet, *V.* voc. seq. init. — Fetialis est ad fetiales sacerdotes pertinens. *Cic.* 1. *Off.* 11. 36. Ac belli quidem æquitas sanctissime fetiali populi R. jure perscripta est. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 29. 108.; et *Val. Max. de nom. rat.* n. 10. Jus fetiale. *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 695. et 10. *ibid.* 14. Jura fetialia. *Pacat. Paneg.* 30. 1. Fetiale jus violare. *Liv.* 9. 11. Legatus fetialis. *Id. ibid. ad fin.* Fetiales cærimoniæ.

FĒTĬĀLIS, is, *et sæpius* Fetiales, ium, m. 3. Ad scriptionem quod attinet, per *t* scribunt *Manut.* et *Cellar.* ex consuetudine Græcorum, apud quos est φιτιάλεις et φετιάλεις et φητιάλεις et ex lapide, quem ipse *Manut.* affert; cui adde alium apud *Gruter.* 457. 2.: *Dausquio* placet per *c* ex etymologia, quam tradit *Paul. Diac.*, nempe a *faciendo;* cui suffragari videntur lapides alii apud *Gruter.* 360. 3. et 1107. 4.: sed *Marinius Frat. Arv. p.* 708. et 714. probat ex plurimis aliis *ibid.* cit. scribendum omnino *fetialis.* Cf. et *Orell. Inscript. vol.* 1. *p.* 392. et seqq. — Ratione habita etymi, hæc docet *Ignarra de Fratriis p.* 7. *Ferialis* est ab αἰκία, converso spiritu leni in digamma Æolium, ut ab αἴλος est *feles,* ab υἱός *filius.* Αἰκία autem est *damnum, injuria,* cujus persequendæ causa mittebantur Feriales, nomine ex ipsa re, quam gerebant, imposito, ut triumviri capitales, monetales etc. — Ceterum fetiales, instituti a Numa secundum *Dionys. Hal.* 2. 72., ab Anco Martio secundum *Liv.* 1. 33. (V. *Cic.* 2. *de republ.* 17. ibique ab *A. Mai* adnotata) erant sacerdotes, vel legati populi Rom., quos penes rerum publice repetendarum, imperandæ decessiones ex finibus, belli indicendi suscipiendique, et jungendorum fœderum potestas erat et administratio. Hi causas armorum inferendorum examinabant, consulebaturque eorum collegium a regibus, aut consulibus, juste ne posset bellum indici, quia bellum aliquod inire, quod pium non videretur, magna religio erat. Id indicturi, hastam ferratam in fines hostium jaciebant: pace comparata, fœdus feribant. Quæ omnia colliguntur ex *Varron.* 5. *L. L.* 86. *Müll.*; *Cic.* 2. *Legg.* 9. 21.; et *Liv.* 1. 32., 4. 30., 7. 6. et 9., 9. 5., 10. 12., 30. 43., 31. 8., et 36. 3. Similiter *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 14. Fetiales, qui faciendis præsunt fœderibus. — Formulam, qua fetiales utebantur, habes apud *Liv.* 1. 24.

FĒTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (fetus et fero) fetificus, fecundus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 3. 3. (33). Supra tergeminos nasci, inter ostenta dicitur, præterquam in Ægypto, ubi fetifer potu Nilus amnis.

FĒTĬFĬCO, as, are, n. 1. (fetum et facio). — *a*) Stricto sensu est fetum edere, parere, parturire. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 58. 79. (160). Columbarum pulli quinquemestres fetificant. *Id. ibid.* 8. 9. (22). Accipitres humi fetificant. — *b*) Latiori sensu apud *Solin.* 22. de piscibus occurrit, et est coitum concupiscere.

FĒTĬFĬCUS, a, um, adject. *fecondo, prolifico,* ἔγγονος, fecundus, fetifer. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (161). Fetificus humor.

FĒTO, as, are, 1. Part. *Fetans* et *Fetandus* sub *B.* — Fetare est *A*) Verbum neutrum; et *B*) Activum.

A) Neutrorum more fetare est fetum edere. De avibus ova edentibus *Colum.* 8. *R. R.* 15. 7. Anates circa paludes plerumque fetant. *Id. ibid.* 12. Gallinæ silvestres in servitute non fetant. *Vulgat. interpr. Ps.* 77. 70. Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de post fetantes accepit eum.

B) Active est idem ac fecundare. *Augustin.* 1. *de cons. Evangelist.* 25. In fetandis feminis. *Id.* 5. *Civ. D.* 7. Admittendis maribus, quibus equarum fetentur armenta. *Dracont.* 2. *Hexæm.* 89. verbo fetante marito.

FĒTŌSUS *et recentiori forma*

FĒTŬŌSUS, a, um, (ut a fructus *fructuosus,* a

luctus luctuosus) adject. qui fetu abundat, fecundus. *Vulgat. Interpr. Psalm.* 143. 16. Oves eorum fetosæ, abundantes in egressibus suis: boves eorum crassæ. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian.* 19. Liam deformem atque fetuosam. *Al. leg.* fetosam. *Id.* in *Galat.* 4. 27. Virum habuit Synagoga, et juxta Annæ quoque prophetiam fetosa quondam in liberis suis.

FĒTŪRA, æ, f. 1. a *fetus, us,*

I.) Proprie ¶ 1. Est tempus, quo animal conceptum fetum gerit, usque ad partum, ut *Varro* 2. *R. R.* 1. 18. definit, *tempo della gravidanza.* Cf. *Capell.* 6. p. 203. In ejus (*Olisiponis*) confinio equarum fetura ventis maritantibus innotescit. *la gravidanza.* ¶ 2. Item generatio. *Varro* 2. *R. R.* 10. 6. Quod ad feturam humanam pertinet pastorum, facile est, quod habeant in villa, etc. *Virg.* 7. *Ecl.* 36. Si fetura gregem suppleverit. *Id.* 3. *G.* 62. hos feturæ habilis. — Et figurate *Capell.* 7. p. 241. Quæ (*heptas*) quod naturæ opera sine feturarum contagione conformas, inter deas Tritoniæ virginis vocabulum possedisti. — Similiter *Id.* 6. p. 202. Hispania metallorum aurique fetura prædicanda.

II.) Improprie. ¶ 1. Concreto, uti ajunt, sensu ponitur de ipsa prole, sive de ipsis animalium catulis. *Ovid.* 13. *Met.* 827. Sunt, fetura minor, tepidis in ovilibus agni. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 53. 74. (150). Optima gallinarum fetura ante vernum æquinoctium. ¶ 2. Item de vite. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (179). Vitis in macro, etiamsi vires habebit, recisa intra jugum moretur, ut omnis fetura sub eo exeat. ¶ 3. Per metaphoram de libro, qui in vulgus editur. *Plin. Hist. nat. præfat.* 1. Libros naturalis historiæ, novitium Camenis Quiritium tuorum opus, natum apud me proxima fetura, etc.

FĒTŪRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *feturo. Tertull. advers. Valentin.* 25. Semen feturatum in corpore. *h. e.* formatum in fetum.

FĒTUS, a, um, adject., seu rectius particip. ab obsoleto *feo*, de quo et de scribendi ratione *V.* voc. seq. init. Fetus proprie est fecundatus; et duo præcipue significat, scilicet *A*) Est fetum habens, gravidus; et *B*) Partu levatus.

A) Fetus est fetum habens, gravidus, ἔγκυος (It. *gravido*; Fr. *pleine, enceinte*; Hisp. *preñada*; Germ. *schwanger, trächtig*; Angl. *big with young, pregnant*).

I.) Proprie. *Virg.* 3. *Ecl.* 83. Lenta salix feto pecori. *Id.* 1. *ibid.* 50. Non insueta graves tentabunt pabula fetas. *Colum.* 7. *R. R.* 6. 5. Huic pecudi (*scil.* caprorum) nocet æstus, sed magis frigus, et præcipue fetæ, quia gelicidio hiemis conceptum vitiat. *Id.* 8. *ibid.* 11. 5. Pavo quinque feminas desiderat: nam si unam, vel alteram fetam sæpius compressit, vix dum concepta in alvo vitiat ova, nec ad partum sinit perduci. *Horat.* 3. *Od.* 27. 5. Feta vulpes.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de locis et plantis, et est fertilis, fecundus, felix, *fertile, fecondo, fruttifero. Lucret.* 2. 993. Humoris guttas mater quum terra recepit, Feta parit nitidas fruges arbustaque læta. *Cic.* 2. *Nat. D.* 62. 156. Terra feta frugibus et vario leguminum genere. *Ovid.* 1. *Pont.* 7. 13. regio nec pomo feta, nec uvis. *Id.* 14. *Met.* 103. loca feta palustribus ulvis. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 3. Patre favente Libero feta palmitibus. ¶ 2. Hinc per metaphoram et generatim pro pleno. *Virg.* 1. *Æn.* 55. loca feta furentibus Austris. *Id.* 2. *ibid.* 237. scandit fatalis machina muros Feta armis. *Sil. It.* 17. 448. colla serpentis feta veneno. *Id.* 13. 592. feta furore Megæra. *Id.* 17. 380. feta viri bello præcordia. *Id.* 11. 203. præcordia feta irâ. — Et cum addito Accusativo Græcorum more. *Sil. It.* 10. 14. fetus tiradivo montem. εὔθεος. — Et cum Genitivo pro Ablativo. *Claudian. B. G.* 25. fetasque novales Martis. *h. e.* campos fecundos pugnæ.

B) Est etiam partu levatus, *fresco dal parto. Varro* apud *Non.* p. 312. 12. *Merc.* Veniebant fetam amice gratulatum. Sic *Id.* 2. *R. R.* 10. 8. Quum in Liburniam venisses, te vidisse matres familias eorum afferre ligna et simul pueros, quos alerent, alias singulos, alias binos, quæ ostenderent fetas nostras, quæ in conopeis jacent dies aliquot, esse ejunciidas ac contemnendas. *Virg.* 8. *Æn.* 630.; et *Ovid.* 2. *Fast.* 412. Venit ad expositos (mirum!) lupa feta gemellos. *Ovid.* 13. *Met.* 803. feta truculentior ursa. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 26. Ut neque tardiores et gravidas (*oves*), dum cunctantur, neque agiles et fetas, dum procurrant, separari a ceteris sinat.

FĒTUS, us, m. 4. *Fetis* pro *fetibus* dixit *Accius* apud *Non.* p. 189. 6. *Merc.* Cithæron frondet viridantibus fetis. — Ratione habita etymi et scriptionis, volunt esse ab obsoleto *feo*, unde et *fecundus, femina, fenus, felix*: scribuntque sine diphthongo; quod *Manut.*, *Cellar.* et recentioribus fere omnibus placet ex auctoritate *Varron.* apud *Gell.* 16. 12. et ex libris veteribus. Contra *Dausq.* cum *Scalig.*, *Pier.* et alii *fetus* per oe scribunt et ipsi ex antiquis MSS. etc., ut in FECUNDUS et in FENUS dictum est; ducuntque ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν — Ceterum fetus occurrit *A*) Abstracte; et sæpius *B*) Concreto, uti ajunt, sensu.

A) Abstracte fetus est ipse pariendi et gignendi actus, fetura, *il partorire, il figliare.*

1.) Proprie de hominibus et brutis animantibus. *Plaut. Amph.* 1. 2. 25. Juppiter curavit, ut uno fetu fieret, uno ut labore absolvat ærumnas duas. *ad un parto. Cic.* 3. *Fin.* 19. 63. Quarum (*bestiarum*) in fetu et in educatione laborem quum cernimus, naturæ ipsius vocem videmur audire. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 38. Secundi fetus pecudes signari oportet. *Id.* 6. *ibid.* 21. 1. Quum (*vaccæ*) excesserunt annos decem, fetibus inutiles sunt. *Id.* 8. *ibid.* 14. 5. Pariunt (*anseres*) singulis fetibus ova —: quem partum nonnulli permittunt ipsis matribus educare, quia reliquo tempore anni vacaturæ sunt a fetu. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 12. 14. (30). Cornix inauspicatissima fetus tempore.

II.) Translate de plantis. *Cic.* 1. *Legg.* 8. 25. Quæ frugibus atque baccis terræ fetu profunduntur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 18. 41. (83). Periti rerum asseverant, non ferre Arabiam tantum annuo fetu (*casiæ*), quantum Nero princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit.

B) Sæpius fetus concreto, uti ajunt, sensu occurrit, et est id quod genitum est partumque, *parto, prole, frutto*, γονή.

1.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 128. Quæ multiplices fetus procreant, ut sues, canes, his mammarum data est multitudo. et *mox.* Ova (*piscium*) aqua sustinentur et fetum fundunt. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 55. 81. (217). Fetus ventri exsecti vel uberibus ablati. *Quintil.* 2. 16. 16. Educare fetus. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 3. Mularum fetus. *Ammian.* 23. 6. equarum. *Id.* 22. 15. Per ova edens fetus anserinis similia. Et de ipsis ovis *Colum.* 8. *R. R.* 11. 8. et 9. Pavones includendæ sunt, ne extra clausum fetum edant: maximeque — pluribus stramentis exaggerandum est aviarium, quo tutius integri fetus excipiantur. Nam fere pavones perticis insistentes enituntur ova, quæ quo propius ac mollius deciderint, illibatam servant integritatem. — Frequentius apud Poetas. *Virg.* 1. *Ecl.* 21. quo sæpe solemus Pastores ovium teneros depellere fetus. *Id.* 4. *G.* 162. aliæ (*apes*) spem gentis adultos Educunt fetus. *Ovid.* 15. *Met.* 382. Nonne vides, quos cera tegit sexangula fetus Melliferarum apum? *Id.* 6. *ibid.* 636. traxit Ityn, veluti Gangetica cerva Lactentem fetum per silvas tigris opacas. *Val. Flacc.* 7. 375. Qualis adhuc teneros supremum pallida fetus Mater ab excelso produxit in aera nido, Hortaturque sequi. Similiter *Horat.* 4. *Od.* 5. 26. Quis, Germania quos horrida parturit Fetus (*paveat*), incolumi Cæsare?

II.) Translate. ¶ 1. De plantis et similibus. — *a*) De plantis. *Lucret.* 1. 1032. solis terra vapore Fota novet fetus. *Cic.* 2. *Orat.* 30. 131. Ager novatus et iteratus, quo meliores fetus possit et grandiores edere. *Horat. carm. sæcul.* 31. Fertilis frugum pecorisque tellus Spicea donet Cererem corona: Nutriant fetus et aquæ salubres Et Jovis auræ. *Lucret.* 1. 251. crescunt (*arbores*) fetuque gravantur. *Id. ibid.* 352. Crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt. *Virg.* 2. *G.* 69. fetus nucis. *h. e.* surculus. Cf. *Tac.* 13. *Ann.* 58. Ruminalem arborem — mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam prodigii loco habitum est, donec in novos fetus revivesceret. *h. e.* ramos. Rursus *Virg.* 1. *G.* 55. Arborei fetus alibi atque injussa virescunt Gramina. Adde *Ovid.* 4. *Met.* 125.; et *Ammian.* 23. 6. Rursus *Virg.* 2. *G.* 390. largo pubescit vinea fetu. *Id. ibid.* 429. fetu nemus omne gravescit. *Ovid.* 6. *Met.* 81. Prodere cum baccis fetum canentis olivæ. *Id.* 14. *ibid.* 689. fetus arbore dempti. *Id. Heroid.* 20. 9. demptus ab arbore fetus. *Lucret.* 6. 1. frugiferi fetus. *Ovid.* 1. *Fast.* 693. triticei fetus. *Colum.* 9. *R. R.* 1. 5. Præcipue saltus eliguntur, qui et terrenis fetibus et arboreis abundant. *Pallad.* 12. *R. R.* 9. Vites, quæ fructu carent, fronde luxuriant, et pauperiem fetuum compensant ubertate foliorum. — *b*) De metallorum venis. *Sil. It.* 1. 228. hic omne metallum · Electri gemino pallent de semine venæ, Atque atros chalybis fetus humus horrida nutrit. ¶ 2. Hinc ducta metaphora *Cic. Brut.* 49. 182. Nec ulla ætate uberior oratorum fetus fuit. *Id.* 5. *Tusc.* 24. 68. Ex quo triplex ille animi fetus exsistet, unus in cognitione rerum positus etc. *Catull.* 65. 3. Nec potis est dulces Musarum expromere fetus Mens animi. *Quintil.* 10. 4. 2. Ne nobis scripta nostra tamquam recentes fetus blandiantur.

FEX, fecis. *V.* FÆX.

FI

FĪ, interject. *fi, fi*; vox est, qua fœtida abiguntur. *Plaut. Cas.* 3. 6. 7. Fi, fi, fœtet tuus mihi sermo. *Alii leg.* Hei, hei; *alii vero* Heu, heu.

FĪ, imperat. a verbo *Fio*, *V.* FACIO.

FĪBER, bri, m. 2. *castoro, bèvero*, κάστωρ, animal quadrupes, amphibium, de quo satis in CASTOR dictum est. *Varro* 5. *L. L.* 79. *Müll.*; *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 47. (109). et 32. *ibid.* 3. 13. (26).; *Sil. It.* 15. 487.; et *Paul. Diac.* p. 90. 3. *Müll.* — *Varro loc. cit.* et *Paul. Diac.* inde docent hanc vocem derivari, quod ab extrema ora fluminis id animal soleat videri: *fibrum* autem antiquos extremum dixisse. Sed fortasse est ab inusit. *feo* pro *findo*; hoc enim animal horrendi morsus dicitur a *Plin. loc.* prius *cit.*

FĪBLA pro *fibula*, *V.* FIBULA init.

FĪBLĀTŌRIUS. *V.* FIBULATORIUS.

FĪBRA, æ, f. 1. extremitas cujuscumque rei filorum similitudinem referens: ab obsoleto *fiber*, h. e. extremus, testibus *Varron.* 5. *L. L.* 79. *Müll.* et *Paul. Diac.* p. 90. 4. *Müll.*; vel a *filum*, ut putat *Döderlein. Latein. Synonym.* vol. 3. p. 22., ἴς, ἰνός (It. *fibra, filamento, punta, estremità*; Fr. *fibre, filament, brin*; Hisp. *fibra, filamento*; Germ. *d. Faser, Fiber*; Angl. *fibres, filaments, the point or extremity of any thing*).

I.) Proprie. — *a*) Dicitur de extremis venis radicibusque in capillamenta quædam desinentibus, foliorumque oblongis et laciniosis cacuminibus etc. *Cic. Senect.* 15. 51. Viriditas herbescens, nisa fibris stirpium, sensim adolescit. *Id.* 3. *Tusc.* 6. 13. Non solum ramos amputare, sed omnes radicum fibras evellere. *Ovid.* 14. *Met.* 633. bibulæque recurvas Radicis fibras labentibus irrigat undis. *Colum.* 10. *R. R.* 112. jam teneris frondes lactucula fibris. *Id.* 11. *ibid.* 2. 9. Quum enata frumenta quatuor fibrarum esse cœperunt. *Id. ibid.* 3. 21. Quum ternas fibras emiserunt spicæ allii, sarriantur. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 11. (33). Tubera undique terra circumdata, nullis nexa fibris, aut saltem capillamentis. — *b*) Significat etiam extremitatem quorumdam extorum, ut pulmonis, jecoris etc. *Cels.* 4. 1. Pulmo in duas fibras, ungulæ bubulæ modo, dividitur. *et mox.* Jecur in quatuor fibras dividitur. *Ovid.* 6. *Met.* 390. salientia viscera possis Et perlucentes numerare in pectore fibras. *Cic.* 1. *Divinat.* 10. 16. Quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio. Cf. *Virg.* 4. *G.* 483. Tristibus aut extis fibræ adparere minaces. et *Tibull.* 2. 1. 26. viden' ut felicibus extis Significet placidos nuncia fibra deos? et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 28. 42. (102). Pericula præmonent, non fibris modo extisque, sed alia quadam significatione. *Sueton. Aug.* 95. Victimarum jocinera replicata intrinsecus ab ima fibra. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 76. (196). Ranarum rubetarum altera fibra (*scil.* jecoris) a formicis non attingitur. *Ammian.* 25. 3. Hæsit hasta in ima jecinoris fibra. *Lucan.* 1. 623. fibra pulmonis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 89. (220). Venæ in prætenues postremo fibras subter totam cutem dispersæ, adeo in angustam subtilitatem tenuantur, ut etc. *vene capillari. Id.* 32. *ibid.* 6. 21. (60). Ostrea spondylo brevi, atque non carnoso, nec fibris lacinioso. *Cic. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 120. Fibræ cincinnorum madentes. — *Servius loc. cit.* et ad *Virg.* 1. *G.* 484. venas

quoque et nervos per jecur decurrentes, *fibras* appellari tradit. *Plin.* quoque 11. *Hist. nat.* 37. 76. (196). et *Lucilius* apud *Gell.* 20. 8., ubi tradunt, in murium jecinoribus fibras numero dierum lunæ congruere crescendo et decrescendo, venulas in iis et nervos intercurrentes intelligere videntur. Neque enim de duabus illis extremitatibus, quas supra ex *Celso* diximus, intelligi potest, ut earum numerus augeatur. *Gell.* quoque consimili significatione fibras usurpat, quum ait 16. 3. Esuritionem faciunt inanes patentesque intestinorum fibræ, et cava intus ventris ac stomachi vacua et hiantia.

II.) Improprie. ¶ 1. Fibra significat etiam ipsa integra exta, seu viscera. *Ovid.* 4. *Fast.* 935. Tura focis vinumque dedit fibrasque bidentes. *Id.* 13. *Met.* 637. Cæsorumque boum fibris de more crematis. Sic *Lucan.* 6. 524. litantes fibræ. *et* 1. 588. venæ calentes fibrarum. *Sil. It.* 3. 344. Fibrarum, et pennæ, divinarumque sagacem Flammarum misit dives Gallæcia pubem. *scil.* his verbis triplex divinandi genus jungitur, extispicium, augurium ex avibus, et auspicium ex tonitru et fulmine. Præcesserat *Virg.* 10. *Æn.* 175. Ille hominum divumque interpres Asylas, Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent, et linguæ volucrum, et præsagi fulminis ignes. *Val. Flacc.* 7. 355. Promethea fibra. *h. e.* jecur, quod a vulture carpitur, de quo ita *Virg.* 6. *Æn.* 598. immortale jecur tondens (*vultur*) fecundaque pœnis Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis. *Seneca Thyest.* 1064. gracili trajectas veru Mugire fibras vidi. — *Loqui* et *significare* dicuntur fibræ in haruspicina, quod deorum mentem et futura demonstrare putabantur. *Propert.* 4. 1. 100. sibi commissos fibra locuta deos. *Tibull.* 1. 9. 3. conscia fibra deorum. *Manil.* 1. 92. Consultare fibras et rumpere vocibus angues. Sic *Tac.* 14. *Ann.* 30. Cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos, fas (*Druides*) habebant. ¶ 2. Hinc translate. *Pers.* 1. 47. neque enim mihi cornea fibra est. *h. e.* non sum ita hebes et duris præcordiis, ut laudis gustum non habeam: *V.* JECUR. Sic *Id.* 3. 32. Sed stupet hic vitio et fibris increvit opimum Pingue. Alio sensu *Id.* 5. 29. tutumque hoc verba resignent, Quod latet arcanâ non enarrabile fibrâ. *h. e.* aperiat illud omnes terræ fibras; *le viscere della terra*, de metallis enim loquitur. *Mela* 3. 2. Peloponnesos, ob sinus et promontoria, queis, ut fibris, litora ejus incisa sunt, platani folio simillima.

FĪBRĀTUS, a, um, adject. seu potius particip. ab inusit. *fibrare*, fibras habens. *Auct. Priap.* 52. 22. Acresque cæpas, aliumque fibratum. Hinc *Virg.* *Mor.* 88. cum spissis allia fibris. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 80. (105). Fibrata radix. *Harduin.* et *Sillig.* legunt *fimbriata* ex MSS.

FĪBRĪNUS, a, um, adject. *di castoro*, ad fibrum pertinens. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 36. (110). et *ibid.* 10. 42. (124). Fibrinæ pelles. — Hinc

Fibrinum, i, n. 2. lana est animalium, quos fibros vocant, ut docet *Isid.* 19. *Orig.* 27. *V.* FIBER.

FĪBRUM antiqui dicebant extremum: unde in sagis extrema, fimbriæ, et in jecore extremum, fibra. *Varro* 5. *L. L.* 79. *Müll.*

FĪBŬLA, æ, f. 1. πόρπη, ἐνετή. *Fibla* pro *fibula* legitur apud *Apic.* 8. 7. et in quadam *Inscript.* non optimæ notæ apud *Gruter.* 474. 4., ubi quidam libertus Severi Alexandri R. Imp. dicitur *præpositus a fiblis.* — Ceterum *fibula* dicitur el est quidquid rem unam adnectit, vel uni cum altera colligandæ inservit; ac propterea videtur nonnullis esse pro *figibula* a *figere* (It. *fibbia, fibbiaglio, nastro, legaccio*; Fr. *agrafe, crochet, boucle, aiguille, broche*; Hisp. *corchete, broche, hebilla, aguja*; Germ. *d. Spange, Schnalle, Klammer, Heftnadel, Nadel, Band*; Angl. *a clasp, buckle*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De vitta aliave re colligandis crinibus apta. *Virg.* 7. *Æn.* 815. fibula crinem Auro internectit. — *b*) Est instrumentum, quo vestes subnectuntur, vel sagi, chlamydis, pallii, aut baltei pars altari adnectitur. *Virg.* 4. *Æn.* 139. Aurea purpuream subnectit fibula vestem. *Id.* 5. *ibid.* 312. pharetra, lato quam circumplectitur auro Balteus, et tereti subnectit fibula gemma. *Id.* 12. *ibid.* 274. laterum juncturas fibula mordet. *Ovid.* 2. *Met.* 412. Fibula vestem coercet. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 318.; *Sueton. Tib.* 6.; et *Val. Flacc.* 1. 433. *Sidon. carm.* 2. 397. Fibula mordaci refugas a pectore vestes Dente capit. Adde *Tertull. Pall.* 1.; et *Isid.* 19. *Orig.* 31. — Tales fibulæ ex auro, argento interdum fiebant, et gemmis item ornabantur. Recensentur a *Liv.* inter dona militaria 39. 31. et 27. 19., et inter insignia equitum et nobiliorum a *Martial.* 5. 41. Adde *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 12. (39)., qui fibulas tribunicias ex auro nominat. — Fibula paludamenti apud Romanos erat super humerum dextrum, apud Græcos super sinistrum, ut docet *Fabrett.* p. 400. V. *Cavedoni Marm. Moden.* p. 424. — Alias est insigne pauperiorum et infimæ sortis hominum, ut in illo *Nemesiani* 7. *Ecl.* 79. O utinam nobis non rustica vestis inesset! Vidissem propius mea numina: sed mihi sordes, Pullaque paupertas et adunco fibula morsu Obfuerunt. — *c*) Fibula quoque dicitur vinculum ferreum, vel ligneum, colligandis inter se trabibus, aliave materie. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Trabes binis utrinque fibulis ab extrema parte distinebantur. *Vitruv.* 1. 5. In crassitudine perpetuæ taleæ oleagineæ ustulatæ quam creberrime instruantur, ut utræque muri frontes inter se, quemadmodum fibulis, his taleis colligatæ æternam habeant firmitatem. Adde *eumd.* 10. 2. — *d*) Quas memorat *Cato R. R.* 21. fibulas ligneas, ulmeas, ficulneas, videntur esse lignei circuli compingendis corbulis apti. Cf. *eumd. ibid.* 3. 5. et 12. ¶ 2. Speciatim fibulæ usus fuit constringendis vulneribus. *Cels.* 5. 26. *n.* 23. Si vulnus hiat, neque in unum oræ facile attrahuntur, sutura quidem aliena est: imponendæ vero fibulæ sunt (ἀγκτῆρας Græci nominarunt) quæ oras contrahant. *Id.* 7. 4. Excidendus callus est, superque fibulæ dandæ. *et mox.* Fibula oris cutis injicienda est. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 5. 5.; *Scribon. Compos.* 206.; et *Veget.* 3. *Veterin.* 15. 4., 1. *ibid.* 22. 6. et 3. *ibid.* 3. 31. — Hujusmodi chirurgorum fibulæ fiunt sæpe acia et acu: inter quas et suturam hoc interest, quod sutura filo perpetuo constat, quo os vulneris totum consuitur, donec omnis hiatus committatur: in fibula quotiescumque filum per utrumque labrum vulneris (sed per intervalla) trajectum est, nodo constringitur et præciditur. *Cels.* 5. 26. *n.* 23. Comprehendi vero sutura, vel fibula non cutem tantum, sed etiam aliquid ex carne oportebit. Utraque optima est ex acia molli, non nimis torta, etc. *et mox.* Fibulæ latius vulnus esse patiuntur, sutura oras jungit. *Id.* 7. 19. *ad fin.* Ubi fibulæ sunt, hæ incidendæ: ubi linamentum, id mutandum est. V. *Joann. Rhod. de Acia c.* 10. *et seq.* — ¶ 3. Item speciatim fibulæ usus fuit valetudinis causa olim pueris, quorum nempe præputio perforato circellus sive anulus argenteus inserebatur, et a fabro, ne facile solveretur, ferruminabatur, ad coercendam Venerem: qua de re multa habet *Cels.* 7. 25. *n.* 3. Hinc *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (152). Quum pædagogia ad transitum virilitatis custodiantur argento. *V.* INFIBULO et REFIBULO. ¶ 4. Alterum vero fuit fibulæ genus, quo tragœdi, comœdi, citharœdi, choraulæ et palestritæ utebantur tum verecundiæ causa ad virilia obtegenda, tum conservandæ vocis gratia ad Venerem coercendam, tum etiam fortasse ad inguina comprimenda, ne scilicet nimia vocis, vel corporis contentione herniosi fierent: ea porro præter anulum thecam habebat aheneam, vel alutaciam cingulo quodam suspensam atque constrictam in modum fasciæ inguinalis, de qua *V.* VINCTURA, quamque Itali *allacciatura* vocant. *Cicero* vero 1. *Off.* 35. 129. subligaculum. *Juvenal.* 6. 73. Solvitur his (*mulieribus*) magno comœdi fibula. at 379. Si (*mulier*) gaudet cantu, nullius fibula durat Vocem vendentis prætoribus. Huic loco hæc adnotat *Vet. Scholiast.*: Fibulam dicit circellos, quos tragœdi, sive comœdi in pene habent, ut coitum non faciant, ne vocem perdant. *Martial.* 7. 81. Menophili penem tam grandis fibula vestit, Ut sit comœdis omnibus una satis. Hunc ego credideram (nam sæpe lavamur in uno) Sollicitum voci parcere, Flacce, suæ. Dum ludit media, populo spectante, palæstra, Delapsa est misero fibula, verpus erat. *Id.* 11. 76. Theca tectus ahenea lavatur Tecum, Cælia, Servus; ut quid, oro, Non sit quum citharœdus, aut choraules? Servo, Cælia, fibulam remitte. Adde *eumd.* 7. 35. et 14. 215.; *Cels.* 7. 25: at *Tertull. Pudic.* 16.

II.) Translate. *Seneca* apud *Lactant.* 1. 16. Quid ergo est, quare apud poetas salacissimus Juppiter desierit liberos tollere? Utrum sexagenarius factus, et illi lex Papia fibulam imposuit? *Auct. Priap.* 69. 21. Neve imponite fibulam Priapo. *Tertull. Cor. mil.* 11. Fibulam laxare voluntariis delictis. *Id. Pudic.* 16. Hujus boni fibulam quis nesciat illum (*D. Paulum* 1. *ad Corinth.* 7. 26) invitum relaxasse, ut fornicationi obviam isset? *Tertull. advers. Hermog.* 27. Nam et autem ipsum, velut fibula conjunctivæ particulæ ad connexum orationi oppositum est. *Id. Resurr. carn.* 40. Ita vocabulum homo consertarum duarum substantiarum quodammodo fibula est. — Similiter *fibula* vocatur sententia arguta, quæ epigramma quodlibet complet seu concludit. *Fronto Laud. fumi init.* Ut novissimos in epigrammatis versus habere oportet aliquid luminis, sententia clavi aliqua vel fibula terminanda est.

FĪBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. conjunctio et colligatio per fibulam. *Vitruv.* 10. 3. Eadem ratione in summo fibulationibus, in imo sucularum versationibus expediundom.

FĪBŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. *D. Claud. Imp.* in quadam *epist.* apud *Trebell.* XXX. *Tyrann.* 10. Duo saga ad me velim mittas, sed fibulatoria, quum ipse miserim de nostris. (Al. leg. *fiblatoria.*) h. e. fibulis instructa.

FĪBŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FĪBŬLO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Fibulatus* in fin. — Fibulo est fibula necto. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 13. Omnes parietum et soli juncturæ testaceis pulvinis fibulantur. *h. e.* connectuntur, committuntur. — Hinc Part. præter. pass.

Fibulatus, a, um, est fibulis instructus. *Valerian. Imp.* in quadam *epist.* apud *Vopisc. Prob.* 4. Huic dari jubebis pallia Gallica duo fibulata.

FĪCĀRĬA, æ, f. 1. et

FĪCĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

FĪCĀRĬUS, a, um, adject. ad ficum pertinens. *Cato R. R.* 48. Eo sarmenta, aut crates ficarias imponito, quæ frigus defendant. *h. e.* quibus fici in sole expansi conteguntur ea ratione, quam *Colum.* 12. *R. R.* 15. tradit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 35. 41. (118). Ficarios culices caprificus generat. *Festus p.* 181. 30. *Müll.* Ficaria vasa. — *Fauni ficarii* appellati ita videntur a salacitate. *Hieronym.* in *Isaj.* 5. 13. 21. Vel incubones, vel satyros, vel silvestres quosdam homines, quos nonnulli Faunos ficarios vocant, aut dæmonum genera intelligunt. Adde *Vulgat. interpr. Jerem.* 50. 39.; et *Isid.* 8. *Orig.* 11. *ad fin.* Cf. *Pelagon. Veterin.* 2. *ad fin.* Frequenter equi per noctem fatuo ficario venantur. *V.* FATUELLUS in ONOM. — Hinc

Ficaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est idem ac ficetum. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 28. *de ficu.* Alii inter ficarias caprifici arborem serunt, ut non sit necesse per singulas arbores pro remedio eadem poma suspendi.

Ficarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui ficus vendit. *Augustin. de morib. Manich.* 19. Sanctus, ad cujus disputationem in ficariorum vicum ventitabamus.

Ficarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est fiscella ficuum capax. *Gloss. Cyrill.* Συκοφορεῖον, ficarium, fiscella.

FĪCĀTUM, i, n. 2. proprie adjectivum est, ut Græce συκωτόν, ficis saginatum; adhibetur tamen substantive, ac proprie significat jecur anseris ficis saginati, deinde etiam jecur aliorum animalium, inde Itali suum habent *fegato*: de quo *Horat.* 2. *Sat.* 8. 88. Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albi. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (209). Adhibetur et ars jecori feminarum suum, sicut anserum, inventum M. Apicii, fico arida saginatis ac satie, necatis repente mulsi potu dato. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 22. 27. (52).; *Juvenal.* 5. 114.; *Pers.* 6. 71.; et *Martial.* 13. 58. Similiter *Pallad.* 1. *R. R.* 30. 4. Peractis XXX. diebus, si, ut jecur his (*anseribus*) tenerescat, optabis, tunsas caricas et aqua maceratas in offas volutabis exiguas, per dies XX. continuo ministrabis anseribus. *Apic.* 7. 3. Ficatum præcidis ad cannam. *Marcell. Empir.* 22. a med. Ficatum lupi integrum foliis lauri involves. *Edict. Dioclet.* Ficati optimi Ital. po. unum ✳ sedecim. *Vespæ judic. coci* ed. *Wernsdorf.* in *Poet. Latin. min.* T. 2. p. 237. Pentheo pono caput, ficatum do Titioni. *Gloss. Isid.* Ficatum, quod Græci συκωτόν vocant. *V.* SYCOTUM. — *Figatum* legitur apud *Plin. Valerian.* 1. 3.

FĪCĒDŬLA, æ, f. 1. Secunda syllaba in versu est communis. *Martial.* 13. 5. Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo Quum tibi forte datur, si sapis, adde piper. *Juvenal.* 11. 9. Boletum condire, et eodem jure natantes Mergere ficedulas didicit, nebulone parente. — Ceterum ficedula est avis quædam ita dicta, quod fico pinguescit, ut *Varro* 5. *L. L.* 76. *Müll.* docet. συκαλίς, *beccafico*. *Martial.* 13. 49. cujus *lemma* Ficedulæ: Quum me ficus alat, quum pascor dulcibus uvis, Cur potius nomen non dedit uva mihi? *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 44. (86). Alia ratio ficedulis: nam formam simul coloremque mutant: hoc nomen auctumno: non habent postea: melancoryphi vocantur. *Gell.* 15. 8. Præfecti popinæ atque luxuriæ negant, ullam avem, præter ficedulam, totam comesse oportere. *Petron. Satyr.* 33. Pinguissimam ficedulam inveni piperato vitello circumdatam.

FĪCĒDŬLENSIS, e, adject. a ficedula. Hinc Milites ficedulenses *Plaut.* appellat *Capt.* 1. 2. 60. jocose et ambigue, *h. e.* gulosos et ficedularum hostes. Quidam volunt alludi ad *Ficedulam*, qui vicus Romæ fuerit, de quo tamen non constat. *V.* TURDETANI.

FĪCĒTUM, i, n. 2. locus, ubi ficus consitæ sunt, συκεών, *fichereto*.

I.) Proprie. *Varro* 1. *R. R.* 41. 1. In locis frigidis ficeta fieri non possunt. Adde *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (80).; et *Vulgat. interpr.* 1. *Paral.* 27. 28. et *Amos* 4. 9.

II.) Translate ponitur pro obscœnis partibus ficosis, idest multis ulceribus, quæ ficos vocant, obsitis. *V.* FICUS. *Martial.* 12. 33. Ut pueros emeret, Labienus vendidit hortos: Nil, nisi ficetum, nunc Labienus habet. *h. e.* pueros, quorum podices ficosissimi facti sunt.

FĪCĪTAS, ātis, f. 3. ficorum fructuum abundantia, ut olivitas olivarum. *Novius* apud *Non.* p. 109. 21. *Merc.* Ficitores omnes capiunt ficitatem; mers est sine molestia.

FĪCĪTOR, ōris, m. 3. ficorum collector, seu cultor. *V. Nonii* loc. in voce præced.

FĪCŎLEA, palus ficulneus. *Paul. Diac.* p. 93. 5. *Müll.*

FĪCŌSUS, a, um, adject. Sup. *Ficosissimus*. — Ficosus occurrit translate tantum, et est ficis, seu ulceribus et tuberculis in podice plenus. *Martial.* 7. 71. Ficosa est uxor, ficosus et ipse maritus. *Auct. Priap.* 42. Inter eruditos Ficosissimus ambulet poetas. *Id. ibid.* 51. Ficosissima me puella ludit. *V.* FICUS.

FICTĒ, adverb. simulate, πεπλασμένως, *fintamente*. *Cic.* 3. *Fam.* 12. 4. Ne cui suspicionem ficte reconciliatæ gratiæ darem. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. 13. Ficte et simulate, quæstus causa, in aures alicujus insusurrare. *Id. Dom.* 29. 77. Non ficte et fallaciter, sed vere et sapienter popularem esse. *Ammian.* 29. 2. Itineri ad mendacium ficte instructo.

FICTĪCĬUS *vel* fictitius, a, um, adject. (fingo) fictus, simulatus, πλασματώδης, *fittizio, finto*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 76. (199). Ficticiis gemmis pusulæ in profundo apparent. *Id.* 14. *ibid.* 16. 18. (98). Ficticium vinum. *h. e.* quod ex alio, quam ex uva factum est. *Id.* 15. *ibid.* 7. 7. (24). Ficticium oleum. *Ulp. Regul. tit.* 28. *extrem.* Ficticiæ actiones. — Alii apud *Plin. locis cit.* leg. *facticiis* et *facticium*.

FICTĪLĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui fictilia facit, figulus, ὀστρακοποιός, *figulino*. *Inscript.* apud *Gruter.* 643. 1., quæ est apud *Orell.* 4189. CASATO GARATIO FICTILIARIO FELICI F. C. *Gloss. Gr. Lat.* Ὀστρακοποιός, fictiliarius.

FICTĪLIS, e, adject. qui fingitur, qui a figulo factus est, πλαστός (It. *di terra*; Fr. *de terre, d'argile*; Hisp. *de tierro, de arcilla ó argilla*; Germ. *thönern, irden*; Angl. *made of earth or clay, earthen, fictile*). *Cic.* 1. *Nat. D.* 26. 71. Si id in ceris fingeretur, aut fictilibus figuris. *Id.* 1. *Divinat.* 10. 16. Summanus fictilis. *Propert.* 4. 1. 5. dii. *Id.* 3. 3. 30. imago. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 16. (34). simulacra. *Cic.* 1. *Parad.* 2. 11. hircula. *Id.* 6. *Att.* 1. *circa med.*; *Nepos Hann.* 10.; et *Scribon. Compos.* 65. vasa. *stoviglì*. *Tibull.* 1. 1. 39. Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula. *Sueton. Claud.* 32. calix. *Justin.* 32. 4. 7. lagenæ. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (160). dolia. *V.* DOLIUM. — Jculariter *Plaut. Pœn.* 4. 2. 14. amphoras cadosve vini plenos, quibus vini ætas, adscripto consule, inscripta est, *litteratas fictiles epistolas, pice signatas*, appellat. — Fictilium laudes habes apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 43. (151). — *NB.* Latissima significatione a *fingendo* occurrit apud *Priscian. Præexercit.* p. 1331. *Putsch.* Species narrationis quatuor sunt: fabularis, fictilis, historica, civilis. — Fictilis ad tragœdias sive comœdias pertinet etc. — Hinc

Fictile, is, n. 3. et sæpius in plur. num. *fictilia, ium*, absolute, substantivorum more, pro vase vel vasibus fictilibus occurrunt. *Colum.* 12. *R. R.* 10. 4. Tum in fictili picata fidelia reponito. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 9. (31). In fictili crudo componere quidpiam. *testo*. *Id.* 12. *ibid.* 25. 54. (116). Balsamum ovo fictili conditur. *Juvenal.* 11. 19. Et quadringentis nummis condire gulosum Fictile. *Ovid.* 8. *Met.* 668. Omnia fictilibus (*scil.* ponuntur). *Juvenal.* 3. 168. Fictilibus cœnare pudet. *Id.* 10. 25. nulla aconita bibuntur Fictilibus. Adde *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 43. (151).; *Flor.* 1. 18. 22.; *Val. Max.* 4. 3. 5.; et *Justin.* 32. 4. 7. *Liv.* 34. 4. Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, et antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes.

FICTĬO, ōnis, f. 3. fingendi actus. ¶ 1. Generatim est actus formandi, ποίησις, *formazione*. *Lactant. de opific. D.* 12. Fictio (*animalis in utero*) a capite sumit exordium. *Id.* 1. 4. et 2. 9. Fictio hominis. *h. e.* creatio. *Quintil.* 6. 3. 53., 9. 1. 5. et 8. 6. 32. Fictio nominum, adjectis, detractis, mutatis litteris. *Gell.* 18. 11. Furium veterem poetam dedecorasse linguam Latinam hujuscemodi fictionibus vocum. ¶ 2. Speciatim est inventio, sive id quod imaginandi vi fingimus. *Lactant.* 1. 21. *ad fin.* Poetarum fictionibus credere. *Quintil.* 9. 2. 46. In ironia voluntatis fictio est. *Id. ibid.* 3. 89. et 11. 1. 39. Fictio personæ. *h. e.* prosopopœja. ¶ 3. Item speciatim est simulatio, *finzione*. *Capitolin. Macr.* 4. Imperatorem interemit tanta fictione, ut ab eo non videretur occisus. ¶ 4. Apud Rhetores est figura, qua aliquid per hypothesin fingimus, *ipotesi, supposto*. *Quintil.* 5. 10. 97. Utitur fictione: si miles, si infans sit, si reipubl. causa abalt. Cf. *eumd.* 6. 3. 61. et 6. 3. 91. ¶ 5. Apud JCtos *fictio legis* dicitur quum per legem aliquam culpiam conceditur, ut alia conditione censeatur, atque in præsenti est: v. gr. lex Cornelia sanxit, ut qui apud hostes morerentur, eorum testamenta perinde valerent, ac si in civitate decessissent. Itaque lex quodammodo fingit, eos in civitate testamentum condidisse, quamvis inter hostes fecerint. *Paul. Dig.* 35. 2. 1. et 18., et 41. 3. 15.

FICTOR, ōris m. 3. qui fingit et format.

I.) Proprie. — *a*) Generatim *fictores* dicti sunt, qui liba in sacris faciebant, teste *Varron.* 7. *L. L.* 43. *Müll.* ex *Ennio*. De hujus artificii causa ita *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 116. Et sciendum in sacris simulata pro veris accipi. Unde quum de animalibus, quæ difficile inveniuntur, est sacrificandum, de pane, vel cera fiunt et pro veris accipiuntur. Adde *eumd.* ad *Virg.* 4. *Æn.* 512. Hinc *Inscript.* apud *Gruter.* 270. 6., quæ est apud *Orell.* 934. CVM STATILIO DIONYSIO DISCIPVLO FICTORVM PONTIFICVM. et 1081. 1. IN AGRO AVRELII PRIMIANI FICTORIS PONTIFICVM. et 311. 1. (cf. apud *Orell.* 2458.). Q. VETVRIVS MEMPHIVS V. E. FICTOR V. V. *h. e.* *vir egregius* fictor *Virginum Vestalium*. Prior inscriptio pertinet ad an. a Chr. n. CCIII., altera ad an. CCLII., tertia ad an. CCV. Hinc *Cic. Dom.* 54. 139. Neduni valeat id, quod imperitus adolescens, novus sacerdos, sororis precibus, matris minis adductus, ignarus, invitus, sine collegis, sine libris, sine auctore, sine fictore, furtim, mente ac lingua titubante fecisse dicatur. *Nonnulli, minus recte, leg.* scriptore. Alii putant, fictores fuisse, qui pontificibus, vel virginibus vestalibus inservirent deorum signis ornandis, vel faciendis. — *b*) Speciatim fictor dicitur figulus, statuarius, etc. πλάστης, *vasajo, statuario*. *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 81. Deos ea facie novimus, qua pictores fictoresque voluerunt. *Id. fragm.* apud *Lactant.* 2. 8. Faber non ipse facit materiam, sed ea utitur, quæ sit parata: fictorque item e cera. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (128). Idem (*Euphranor*), qui inter fictores dictus est a nobis, fecit et colossos et marmorea, ac scyphos sculpsit.

II.) Translate. *Plaut. Trin.* 2. 3. 84. Sapiens pol ipse fingit fortunam sibi. Eo ne multa (*h. e.* non multa) quæ nevolt eveniunt, nisi fictor malus est. Multa est opera opus ficturæ, qui se fictorem probum vitæ esse agendæ expetit. *Id. Epid.* 3. 4. 85. Legum atque jurium fictor, conditor cluet. *Virg.* 9. *Æn.* 602. fandi fictor Ulysses. Ubi *Servius*: aut fallax, aut λογοδαίδαλος, id est qui dolum celat sermonis ornatu. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

FICTRIX, īcis, f. 3. quæ fingit et format. *Cic.* 3. *Nat. D.* 39. 92. Ejus universæ materiæ fictrix et moderatrix divina est providentia. Adde *Tertull. resurr. carn.* 16.

FICTŪRA, æ, f. 1. fictio, compositio. — *a*) Generatim V. *Plauti* locum in *V.* FICTOR sub II. — *b*) Speciatim de verborum derivatione. *Gell.* 10. 5. *Avarus* ab uno solum verbo inclinatum, quod est *aveo*, eademque fictura, qua est *amarus*.

FICTUS, a, um. *V.* FINGO.

FĪCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* ficus, parva ficus, *ficarcio*. *Plaut. Stich.* 5. 4. 8. Nucibus, fabulis, ficulis.

FĪCULNĔUS, a, um, adject. ad ficum arborem pertinens. *Cato R. R.* 31. Ficulneæ fibulæ. *Varro* 3. *R. R.* 16. 37. Cinis e ficulneis lignis. *Colum.* 6. *R. R.* 3. 7. Ficulnea folia. *Id.* 5. *ibid.* 11. 14. et 11. *ibid.* 2. 56. arbor. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 35. cacumina. — Hinc

Ficulnea, eæ, f. 1. (subaudi *arbor*) absolute, substantivorum more, est ipsa ficus arbor. *Venant.* 5. *carm.* 2. 33. Imponenda focis sine spe ficulnea tristis Præparat ad fructum stercore culta sinum. *Ambros.* 3. *Hexæm.* 14. Ficulneæ quoque folium quadrifida interscinditur divisione. Adde *Alcim. Avit.* 3. *carm.* 12.; et *Vulgat. interp. Psalm.* 104. 33. et sæpe alias.

FĪCULNUS, a, um, adject. idem quod ficulneus. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 1. Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 18. 8.

FĪCUS, i, f. 2. *et* ficus, us, f. 4. Grammaticorum lites de genere et declinatione hujus nominis, præsertim qua morbum significat, *V.* apud *Voss. de grammat. l.* 3. *c.* 14. — Masculino genere occurrit apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. *V.* in fin. sub I. 2. — Neutro quoque genere *ficum, i*, legitur apud *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. *ante med.* Tundendum igitur aridum ficum, sed quod sit pingue ac succidum. Ceterum

I.) Proprie. ¶ 1. Ficus est arbor, quæ ficos fructus profert. Est ab Hebr. פַּג *fag*, *grossus*, quod a Chald. נְפַק *egressus est*, sic dictus, quod nec staminis habeat, nec ex calyce floris, sicut ceteri fructus, coalescatur, sed ex ipsa arbore formatus egreditur. *Cic.* 2. *Orat.* 69. 278. Uxorem suam suspendisse se de ficu. Cf. *Quintil.* 6. 3. 88. Ex fico se suspendere. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 31. 56. (127). Radices copiosæ fico, robori, platano. *et ibid.* (130). Fici, quarum radices longissimæ. *et ibid.* 27. 50. (114). Ficos biferæ. Cf. *Sueton. Aug.* 76. Ficos virides biferas appetere. Rursus *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (21). In India sub una fico turbæ conduntur equitum. *V. eumd.* 12. *ibid.* 5. 11. (22). ubi mira de India ficu tradit. Adde *Caton. R. R.* 28. et 94.; *Varron.* 2. *R. R.* 11. 5.; *Ovid.* 2. *Fast.* 253.; *Colum.* 5. *R. R.* 10. 9., 10. 10., 11. 7. et alibi; *Juvenal.* 10. 145.; et *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 23. et 5. *ibid.* 5. 1. — De synonymia *V.* cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 246), qui triginta ficuum genera a Latinis memorata enumerat ac definit. ¶ 2. Item ejus arboris fructus. In secunda declin. perraro est masculini generis: in quarta feminini tantum. *Cic. Flacc.* 17. 41. Fiscinam ficorum alicui objicere. *Varro* 1. *R. R.* 41. 5. Fici semen naturale intus in ea fico, quam edimus. *et ibid.* Per ficos, quas edimus. *Cels.* 4. 7. Ficus arida incocta. *Macrob.* 2. *Saturn.* 16. Grossi appellantur fici, qui non maturescunt. *Auct. B. Afr.* 67. Magno invento hordei, olei, vini, fici numero, atque recreato exercitu, rediit in castra. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 5. Dum ficus prima, calorque. *h. e. fico fiore*. Adde *eumd. Epod.* 16. 46.; *Cic. Senect.* 15. 52.; *Colum.* 12. *R. R.* 5. 1. et 15. 4., et 11. *ibid.* 2. 62.; *Scribon. Compos.* 66.; et *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 33. — Ficorum varia genera *Cloatius* enumerat apud *Macrob. loc. cit.* Ipse autem *Macrob. ibid.* addit, ficum, tamquam non pomum, secerni a pomis apud idoneos scriptores. *Cic. fragm. ibid.* Oleum, ficos, poma non habet. *Afranius ibid.* Pomum, olus, ficum, uvam. *Ovid.*

tamen 2. *Fast.* 253. Stabat adhoc duris ficus densissima pomis. et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 49. (113). Excepta fico, cui folium maximum, et supra id pomum. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 5. 11. (22). — *Ficus duplex* quid sit, *V.* in DUPLEX. ¶ 3. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 7. 14. (56). pluribus verbis accurate describit sycaminum, vel sycomorum, quam ipse appellat ficum Ægyptiam. ¶ 4. Est etiam nomen marini fruticis, sine foliis, rubro cortice. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 25. 49. (138). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 139.) hæc ait ad h. l. «Il s'agit ici d'une madrépore difficile à determiner».

II.) Impropria *ficus, i,* m. 2. — *a*) Genus est ulceris, quod nascitur in capite tum in capillo, tum in barba, inque aliis etiam locis quæ pilis teguntur, *porrofico, fico,* ita dictum, quia desuper fundit se ad similitudinem fici fructus. *Cels.* 6. 3. σύκωσιν Græce appellat. — *b*) Huic simile est morbi genus eorum proprium, qui muliebria patiuntur. *V.* MARISCA. *Martial.* 1. 66. Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci, Dicemus ficos, Cæciliane, tuos. Adde *Marcell. Empir.* 31. Huc pertinent dicta in FICOSUS et FICETUM — Hinc ipsum Hedylum, puerum pathicum, ficum vocat *Martial.* 1. 52. Gestari junctis nisi desinis, Hedyle, capris; Qui modo ficus eras, jam caprificus eris.

FĪDĀMEN, inis, n. 3. fiducia. *Tertull. carm. ad senat.* 83. Corrige delictum fidamine, corrige mentem.

FĪDĔ, adverb. fideliter, πιστῶς, *fedelmente.* Occurrit tantum Sup. *Fidissime* apud *Cic.* 2. *Fam.* 16. 4. Quæ mihi a te ad timorem fidissime atque amantissime proponuntur. *Gell.* 12. 8. *extr.* Fidissime amicissimeque vixerant.

FĪDĔDICTOR, ōris, m. 3. fidejussor. *Bonifacius in epist. ad Augustin.* apud hunc *epist.* 23. *a med.* Quando ad baptismum afferuntur, pro eis parentes tamquam fidedictores respondent.

FĪDĔĪCOMMISSĀRĬUS, a, um, adject. ad fideicommissum pertinens. *Papinian. Dig.* 31. 1. 77. § 21. Fideicommissaria hereditas. *h. e.* quæ ex fideicommisso venit. *Ulp. Regular. tit.* 25. *de fideicommissis.* Fideicommissarius prætor. *h. e.* qui de fideicommissis cognoscit. *Dig.* 32. 1. 37. Fideicommissaria epistola. *h. e.* quæ fideicommissum instituit. — Hinc etiam *fideicommissarius heres;* V. FIDUCIARIUS. — Hinc

Fideicommissarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui fidei commissionem recipit. *Ulp. Dig.* 32. 1. 11. Fideicommissario restituere. et *ibid.* Si fideicommissarius ante decesserit.

FĪDĔĪCOMMISSUM, i, n. 2. *fidecommisso,* species depositionis ultimæ voluntatis, quum testator alicujus fidei aliquid committit, quod alteri traditurus sit. Dictum est fideicommissum, quia ex fide ejus, cui committebatur, pendebat. Sed postea fideicommissa, ut omnis fraudis humanæ occasio amputaretur, ab Augusto ad necessitatem juris sunt retracta, justisque legatis exæquata. *V.* JCtos *Dig. lib.* 30. 31. *et* 32. *et alibi. Sueton. Claud.* 23. Jurisdictionem de fideicommissis, quotannis et tantum in Urbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum atque etiam per provincias potestatibus demandavit. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 12. Divus Claudius duos prætores adjecit, qui de fideicommisso jus dicerent, ex quibus unum divus Titus detraxit; et adjecit divus Nerva, qui inter fiscum et privatos diceret. Sic *Dig.* 32. 1. 11. Fideicommissum relinquere. *Et ibid.* 31. 1. 69. dare. Adde *ibid.* 40. 5. 30. *Ammian.* 21. 15. Julianum scripsit heredem; et iis, quos diligebat, fideicommissa detulit et legata. Habet hanc vocem etiam *Quintil.* 3. 6. 70. et 9. 2. 74. Sic *Inscript.* apud *Murat.* 90. 3. PACI AVG. T. DOMITIVS ROMVLVS VOTVM POSVIT, QVOD FIDE COMMISSVM PHOEBVS LIBERTVS RECEPIT. — *Per fideicommissa aliquid tradere* proverbiali locutione apud *Arnob.* 6. 9. est ita trajicere, ut non illi, cui tradimus, sed alteri detur, seroque ad illum, et fortasse numquam perveniat: quemadmodum hereditas fideicommisso relicta, non ad illum, cui relinquitur, sed ad heredem pertinet, qui sero (si loquamur secundum veterum fideicommissorum jus) numquam fideicommissario tradet, si noluerit. — *Prætor Fid. Com.*, h. e. prætor fideicommissorum, dicitur, qui ex prætorum numero præerat judiciis daudis inter litigantes de fideicommissis. *Inscript.* apud *B. Borghesium* in *Dichiar. di una lapide Gruter.* p. 40. TI. CLAVDIO SAETRIANAE CAELIANO CL. FRONTINI COS. F. PRAET. FID. COM. etc. *Alia* apud *Gruter.* 393. 6. P. CAELIO P. F. SER. BALBINO VIBVLLIO PIO PR. DE FIDEI COMMISS. etc.

FĪDĔĪCOMMISSUS, a, um. *V.* voc seq.

FĪDĔĪCOMMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (fidei et committo). Divisim occurrit in *Dig.* 30. 1. 114. et 32. 1. 37. Fidei fisci committere. — Part. *Fideicommissus.* — Fideicommitto est fidei alicujus committo, fideicommissum do, *fidecommettere. Scævola Dig.* 32. 1. 36. Pater filium prædia alienare prohibuerat, sed conservare liberis et ceteris cognatis, fideicommiserat. *Papinian. ibid.* 35. 2. 14. Avia nepotibus fideicommisit, ut solida legata fratribus solverent. *Martian. ibid.* 30. 1. 111. Quidam ab eo, cui fundum legaverat, fideicommiserat, ut eum fundum post mortem suam restitueret Sempronio. Adde *Tertull. Præscript. advers. hær.* 37. *Ulp. Dig.* 19. 1. 43. Fideicommissa libertas.

FĪDĔJŬBĔO, jŭbes, jussi, jussum, jŭbere, n. 2. (fide *et* jubeo) pro altero fide mea spondeo, fidem meam pro alio obligo, *promettere per altri, far sicurtà,* ἐγγυάομαι, τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω. *Ulp. Dig.* 46. 1. 10. Filiusfamilias pro patre poterit fidejubere. — Dicitur etiam divisim, *fide mea esse jubeo. Id. ibid.* 45. 1. 75. *a med.* Fidejussores et ita interrogantur: id fide tua esse jubes? *Scævola ibid.* 17. 1. 60. Seias, quodcumque ab ea stipulatus fueris, id me mea fide jussisse, salvum te habiturum.

FĪDĔJUSSĬO, ōnis, f. 3. obligatio fidei pro alio, *sicurtà,* ἐγγύησις. *Javolen. Dig.* 46. 1. 20. Servus fidejussionis nomine obligari non potest. Adde *ibid.* 10. 2.

FĪDĔJUSSOR, ōris m. 3. Apud *Vulgat. interpr. Prov.* 10. 16. et *Eccli.* 29. 20. legitur *fidejussor.* — Fidejussor est sponsor, qui pro alio aliquid promittit: *V.* EXPROMISSOR, *mallevadore, sicurtà,* ἐγγυητής. *Donatus* ad *Ter. Eun.* 1. 2. 59. Fidejussor est auctor credendi, *V. Ulpian., Pompon., Paul.* et alios *Dig.* 46. *tit.* 1. qui est *de fidejussoribus.*

FĪDĔJUSSŌRĬUS, a, um, adject. ad fidejussorem, seu fidejussionem pertinens, ut Fidejussoria causa apud *African. Dig.* 46. 3. 38. *extr.*

FĪDĒLE, adverb. idem ac fideliter. *Plaut. Capt.* 2. 3. 79. Fac, fidele sis fidelis. *Non.* p. 512. 25. *Merc.* adverbium agnoscit. Verum alii rectius leg. *Fac fideli sis fidelis. Prudent.* tamen 10. περὶ στεφ. 428. Numquam aliter precabor, quam fidele ut militent. *Quæ potest esse enallage, ut dulce ridere.*

FĪDĒLĬA, æ, f. 1. genus vasis, plerumque fictilis, variis rebus servandis: est a πίθος, dolium, *pignatta, olla,* κεράμιον. *Plaut. Aulul.* 4. 2. 15. Si reperero, o Fides, mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam. *Colum.* 12. *R. R.* 56. 1. Medullam radicis in fideliam vitream, vel novam fictilem conjicito. *Id. ibid.* 13. 2. Hæ herbæ diligenter purgantur, deinde quarto die sal in fundis fideliarum substernitur, et separatim unaquæque componitur. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 7. 3., 10. 4. et 38. 1. *Pers.* 3. 21. sonat vitium percussa, maligne Respondet viridi non cocta fidelia limo. *Id.* 5. 183. tumet alta fidelia limo. — *Duos parietes de eadem fidelia dealbare,* proverb. apud *Curium* ad *Cic.* 7. *Fam.* 29. *h. e.* una opera duos velle demereri, vel universim duas re conficere. *Cic.* dixit *Rosc. Am.* 29. 80. Una mercede duas res assequi velle. Itali, *far d'una figlia due generi,* et *pigliar due colombi ad una fava,* vel *due rigogoli a un fico,* et *far un viaggio a due servigi.* Simile est illud *Plauti Cas.* 2. 8. 40. Jam ego uno in saltu lepide apros capiam duos.

FĪDĒLIS, e, adject. Comp. *Fidelior* et Sup. *Fidelissimus* I. et II. — Fidelis est qui fidem præstat, cui credere tuto possumus, constans, fidus, πιστός (It. *fedele, fido, fidato;* Fr. *fidèle, sûr, qui ne trompe pas;* Hisp. *leal, fiel, qui executa fielmente loque promete;* Germ. *zuverlässig, treu, dem man vertrauen kann, rechtschaffen, redlich;* Angl. *faithful, sincere, trusty, sure, that may be relied on*).

I.) Proprie occurrit fere de personis et abstractis earumdem qualitatibus. — *a*) Absolute. — De personis. *Ennius* 7. *Ann.* 105. doctu', fidelis, suavis homo. *Cic. Cæl.* 6. 14. Quum et civis mihi bonus et firmus amicus ac fidelis videretur. *Id. Rosc. Am.* 39. 112. Neque mandat quisquam fere nisi amico, neque credit nisi ei, quem fidelem putat. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. 3. Fidelissima conjux. *Id.* 5. *Att.* 18. 2. Sociis multo fidelioribus utimur, quam quisquam usus esset. *Id. Fontej.* 1. 3. Est urbs Massilia fortissimorum fidelissimorumque sociorum. *Liv.* 22. 37. Quibus a bonis fidelibusque sociis bella juvari soleant. *Id.* 9. 2. et 29. 7. Boni ac fideles socii. Sic *Sall. Jug.* 79. Amicitia societateque impetrata, semper boni fidelesque manserunt. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 147. Hunc medicus multum celer atque fidelis Excitat hoc pacto. *Nepos Datam.* 1. Fidelis repertus. *Id. Themist.* 4. Servus fidelissimus. Cf. *Plin.* 3. *Ep.* 14. Servi fideliores. et *Quintil.* 1. 2. 5. Fidelis libertus. *Sueton. Galb.* 12. Cohors fidelissima. *Lamprid. Alex. Sev.* 22. Homines fideles. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 443. et 5. *ibid.* 334. Fideles Christiani. — De brutis. *Horat.* 1. *Od.* 1. 27. Seu visa est catulis cerva fidelibus. *Id.* 4. *ibid.* 4. 1. Qualem ministrum fulminis alitem – expertus fidelem Juppiter. — De abstractis personarum qualitatibus. *Tibull.* 1. 6. 75. Fidelis mens. *Cic. Amic.* 15. 54. Multorum opes præpotentium excludunt amicitias fideles. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. 16. Fideles familiaritates. *Id. Mil.* 27. 76. gratia. *Id.* 2. *leg. Agr.* 2. 5. Cui non dubitanti fidele consilium, non laboranti certum subsidium nobilitatis ostenditur. Sic *Id. Cluent.* 31. 85. Minus ei fidele consilium dedisse. *Id. Cæcin.* 5. 14. Fidelis opera. Adde *Plaut. Pers.* 1. 1. 49.; et *Cæs.* 7. *B. G.* 76. *Ovid. Heroid.* 1. 104. et 1. *Art. am.* 555. cura. *Id.* 13. *Met.* 722. monitus. *Horat.* 2. *Od.* 2. 25. silentium. *Id.* 4. *ibid.* 5. 15. desiderium patriæ. *Id. Art. P.* 181. oculi. *Quintil.* 10. 7. 7. stilus. *Ovid. Heroid.* 14. 127. lacrimæ. *h. e.* veræ. — *b*) Cum Dativo. *Plaut. Aulul.* 4. 2. 11. Cave tu illi fidelis, quæso, potius fueris quam mihi. *Id. Bacch.* 3. 3. 87. Satin' ut quem tu habeas fidelem tibi aut cui credas, nescias. *Id. Capt.* 2. 3. 79. Fac fidelis sis fideli; cave fidem fluxam geras. *Cic.* 11. *Phil.* 13. 34. Unum Dejotarum ex animo amicum vereque benevolum, unum fidelem populo Romano judicavit. *Id. Cluent.* 63. 176. Servus domino fidelis. *Cæs.* 4. *B. G.* 21. Quem sibi fidelem arbitrabatur. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 1. Flore, bono claroque fidelis amice Neroni. *Quintil.* 11. 2. 42. Minime fidelem esse tardioribus ingeniis recentem memoriam. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *in. Ter. Hecyr.* 3. 5. 22. Quam fideli animo et benigno in illam fui. *Cic. Mil.* 10. 29. Servi animo fideli in dominum. — *d*) Cum Ablativo et præpos. *in. Sall. Cat.* 9. In suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicis fideles erant. *trattandosi degli amici.* Al. leg. *in amicos.* At V. *Kritz* ad h. l.

II.) Translate tribuitur rebus inanimis, ut docet *Cic.* 16. *Fam.* 17. Cui verbo (*fideliter*) domicilium et proprium in officio, migrationes in alienum multæ. Nam et *doctrina* et *domus* et *ars* et *ager* etiam fidelis dici potest: ut sit, quomodo Theophrasto placet, verecunda translatio. — Ceterum de iis fere dicitur, quæ perdurant, quæ tuta et firma sunt. *Cic. Planc.* 41. 97. In nave tuta ac fideli collocatus. *Ovid.* 4. *Trist.* 5. 5. Fideles portus. *Virg.* 9. *Æn.* 707. duplici squama lorica fidelis et auro. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 6. 12. (54). Terebinthi materies fidelis ad vetustatem. *Id.* 28. *ibid.* 17. 71. (236). Fidelissimum glutinum. *Id.* 16. *ibid.* 36. 64. (158). Glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice. *Frontin. Aquæd.* 123. Structura fidelis. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 167. fumoque fideli Lambit contiguas innoxia flamma pruinas. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM. — Hinc

Fidelis, is, m. 3. absolute, substantivorum more, est homo fidelis. *Cic.* 4. *Fam.* 1. 2. Si quem tuorum fidelium voles, ad me mittas.

FĪDĒLĬTAS, ātis, f. 3. virtus ejus, qui est fidelis, constantia in fide, *fedeltà,* πιστότης. *Plaut. Trin.* 5. 2. 2. Fides fidelitasque erga amicum. *Fides* et *fidelitas* differre dicuntur in eo, quod illa animo, hæc re spectatur. *Cic.* 12. *Phil.* 9. 22. Ubi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam universæ civitatis oculi custodiunt. *Id. Planc.* 29. 71. Fidelitatem servare. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 17. 2. Illi fidelitas erga patriam non defuit. *Plin. Paneg.* 67. 3. Fidelitas temporum. *Trebell. Poll.* XXX. *Tyr.* 11. Fidelitas historica.

FĪDĒLĬTER, adverb. Comp. *Fidelius* et Sup. *Fidelissime.* — Fideliter est cum fide, constanter,

sincere, magna cum cura, *fedelmente, sinceramente, costantemente*, πιστῶς. *Liv.* 33. 35. Constanter et fideliter permanere in amicitia populi Rom. *Plin. Paneg.* 56. Fidelissime narrare. *Cic.* 11. *Fam.* 21. Quo fidelius ad te litteræ perferantur. *Id.* 1. *Off.* 26. 92. Vivere simpliciter, fideliter, vitæque hominum amice. *Ovid.* 2. *Pont.* 47. Discere fideliter artes ingenuas. *Id. Heroid.* 15. 67. Fideliter monere. *Id.* 6. *Fast.* 41. Fideliter iras ponere. *Plin.* 6. *Ep.* 24. Fidelius judicare. *Gell.* 17. 12. Qui quartanam passus convaluerit, fidelius constantiusque postea valiturum. *Id.* 15. 2. *ad fin.* Fideliter continentem et temperantem esse. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (61). Simulacrum fidelissime inauratum. *h. e.* magna cum fide, et sumptui nihil parcendo. *Quintil.* 10. 6. 2. Memoriæ inhæret fidelius. Adde *eumd.* 6. 4. 14. et 10. 3. 2. *Flor.* 3. 5. Exstincta parum fideliter incendia majore flamma reviviscunt. *h. e.* parva cum cura, et non omnino. *Plin.* 7. *Ep.* 31. Fideliter amicus colere. *Id.* 10. *ibid.* 28. Mensuras fideliter agere. *Capitolin. Clod. Alb.* 6. Exercitus fideliter continere. — *Valetudini fideliter inservire* dixerat *Tiro* ad *Ciceronem* scribens, qui id velut ἄκυρον, *h. e.* improprium reprehendit 16. *Fam.* 17. At non improprium, inquit *Cortius*, videbitur iis, qui de officiis erga se ipsum tam multa disserunt. Potest *Tiro* respexisse ad mandatum patroni, quod summa fide se executurum promittit: potest sumpsisse pro exacte, probe, ut *Flor. loc. cit.* Simillimum *Tironis* est illud *Ovid.* 7. *Met.* 563. *de pestilentia.* Quo propior quisque est, servitque fidelius ægro, In partem leti citius venit. Denique ipse *Cic. ibid. fatetur*, multas esse hujus vocis migrationes in alienum: quod videtur non debuisse dicere, si ἄκυρον volebat ostendere.

FĪDENS, entis, particip. præs. *V.* FIDO.

FĪDENTER, adverb. Comp. *Fidentius.* — Fidenter est intrepide, sine timore, cum fiducia, *arditamente, con coraggio*, τεθαῤῥηκότως. *Cic.* 2. *Divinat.* 31. 67. Timide fortasse signifer evellebat, quod fidenter infixerat. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 56. 240., 1. *Nat. D.* 8. 18. et 2. *Fin.* 7. 21.; et *Apul.* 2. *Met.* Rursus *Cic.* 6. *Att.* 1. *post med.* Paullo vellem fidentius. *Ammian.* 14. 9. Fidentius negare. *Id.* 23. 5. affirmare. *Id. ibid.* ultra tendere. *Id.* 17. 1. Ausi omnes accedere fidentissime. Superl. occurrit etiam apud *eumd.* 19. 8.; et *Augustin. de ver. Rel.* 3.

FĪDENTĬA, æ, f. 1. firma animi confisio, et fortitudinis pars, ut *Cic.* 2. *Invent.* 54. 163. definit, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocavit. *Id.* 4. *Tusc.* 37. 80. Et, si fidentia, id est firma animi confisio, scientia quædam est et opinio gravis, non temere assentiens, metus quoque est diffidentia exspectati et impendentis mali. — *NB.* De nom. prop. *V.* ONOM.

FĪDĔPRŌMISSOR, ōris, m. 3. qui fide sua aliquid se facturum promittit. *Cajus* 3. *Institut.* (edente iterum *Goeschenio*) § 115. Pro eo qui promittit, solent alii obligari: quorum alios sponsores, alios fidepromissores, alios fidejussores appellamus. Sponsor ita interrogatur: idem dari spondes? fidepromissor: idem fidepromittis? fidejussor ita: idem fide tua esse jubes? Sponsoris vero et fidepromissoris similis conditio, fidejussoris valde dissimilis. Nam illi quidem nullis obligationibus accedere possunt, nisi verborum: fidejussor vero omnibus, id est, sive re, sive litteris, sive consensu contractæ fuerint obligationes, adjici potest. Præterea sponsoris et fidepromissoris heres non tenetur: fidejussoris autem etiam heres tenetur. Item sponsor et fidepromissor biennio liberantur, et quotquot erunt numero eo tempore, quo pecunia peti potest, in tot partes deducitur inter eos obligatio, et singuli in viriles partes debent: fidejussores vero perpetuo tenentur, et quotquot erunt numero, singuli in solidum obligantur, etc. — Scribitur et *fideipromissor. Gloss. Philox.* Fideipromissor, πιστικελευστής.

FĪDĔPRŌMITTO, mittis, mittere, a. 3. fide mea aliquid me facturum promitto. *V.* vocem præced.

FĪDES, ei, f. 5. Pænultimam in *fidei* producit *Ennius* (ut multi legunt) apud *Cic. Senect.* 1. 1. Ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidei. et *Lucret.* 5. 103. Nec jacere indu manus, via qua munita fidei. Adde *Paulin. Nolan. carm.* 6. 143. et *carm.* 15. 127. et alibi. — In Genitivo singul. *fide* pro *fidei*, eo modo quo *die* pro *diei*, *facie* pro *faciei*, non caret exemplis. *Ovid.* 3. *Met.* 341. Prima fide vocisque ratæ tentamina sumpsit Cærulea Liriope. *Id.* 6. *ibid.* 506. Utque fide pignus etc. Sic enim utroque loco legit *Priscian.* 7. *p.* 781. *Putsch.*, et defendunt critici *Heins.*, *Burmann.* et alii ex MSS. alia ejusdem poetæ loca congerentes *lib.* 7. *v.* 728. et 737. etc. — *Plaut.* quoque *Aulul.* 4. 6. 1. *fide* pro *fidei* in Dativo posuit, ut quidem legit *Charis.* 1. p. 53. *Putsch.*; item *Sall. Jug.* 12., sed lectio variat; et *Horat.* 1. *Sat.* 3. 95. — Fides (de cujus etymo *V.* infra sub II. 1. et in v. FIDO init.) est firma opinio ac persuasio, quam habemus de aliqua persona aut re, πίστις (It. *credenza, fede, fiducia in una persona o cosa*; Fr. *foi, confiance, créance, croyance*; Hisp. *fe, confianza, creencia*; Germ. d. *Vertrauen, Zutrauen zu einer Person oder Sache, Glaube, Treue*; Angl. *faith, belief*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Absolute, h. e. sine ulla pendente propositione. *Plaut. Asin.* 2. 4. 52. Si sciat noster senex fidem non esse huic habitam, succenseat, cui omnium rerum ipsus semper credit. *che non si prestò fede a quello, al quale egli la prestò in ogni cosa. Ter. Eun.* 1. 2. 117. Me miseram! forsitan hic mihi parvam habeat fidem, atque ex aliarum ingeniis me judicet. *Cic.* 2. *Off.* 9. 33. Fides ut habeatur, duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti conjunctam cum justitia prudentiam. Nam et iis fidem habemus, quos plus intelligere quam nos arbitramur. — Justis autem et fidis hominibus, id est bonis viris, ita fides habetur, ut nulla sit in iis fraudis injuriæque suspicio. — Harum igitur duarum ad justitiam faciendam justitia plus pollet: quippe quum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine justitia nihil valeat ad faciendam fidem. *Id.* 2. *de republ.* 10. Quum jam plena Græcia poetarum esset, minorque fabulis haberetur fides. *Id.* 5. *Fam.* 20. 2. Fidem majorem tibi habui, quam pæne ipsi mihi. Sic *Id.* 7. *ibid.* 18. et 7. *Verr.* 57. 148.; *Cæs.* 1. *B. G.* 19. et 41.; *Nepos Themist.* 7. et *Dion.* 5.; et *Colum.* 11. *R. R.* 3. 8. Habere fidem. *prestar fede, credere.* Cf. *Plaut. Pers.* 5. 2. 8. Ei fidem non habui argenti. *h. e.* nolui ei credere argentum. *Cic.* 2. *Divinat.* 55. 113. Num igitur me cogis etiam fabulis credere? — auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commenticiis rebus adjungere. *prestar fede.* Eodem sensu *Id.* 1. *ibid.* 3. 5. Cratippus iisdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera rejecit. Sic etiam *Dig.* 17. 17. et 48. 18. 1. Adhibere fidem. *h. e.* habere. *V.* ADHIBEO. et *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 70. Admittere fidem. *h. e.* credere. *Cic. Brut.* 50. 187. Credit iis, quæ dicuntur, qui audit oratorem; vera putat, assentitur: fidem facit oratio. *fa credere.* Sic *Id.* 3. *Cat.* 2. 4. Quoniam auribus vestris propter incredibilem magnitudinem sceleris minorem fidem faceret oratio mea. Similiter *Nepos Ages.* 8.; *Ovid.* 6. *Met.* 566.; *Sueton. Oth.* 10. et *Ner.* 7.; *Lucan.* 5. 142.; *Flor.* 1. 1. 18. et 3. 16. 6.; et *Plin.* 9. *Ep.* 21. Facere fidem. Et passive *Cæs.* 3. *B. C.* 37. Nunciabantur hæc Curioni, sed aliquamdiu fides fieri non poterat. *non si potea fare, che si credessero. Cic. Orat.* 31. 120. Commemoratio antiquitatis exemplorumque prolatio et auctoritatem orationi affert et fidem. *credibilità.* Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 792. Ferre fidem. Rursus *Cic.* 1. *Fin.* 21. 71. Si tota oratio nostra omnem sibi fidem sensibus confirmat. id est incorruptis atque integris testibus. *Id. Partit. orat.* 9. 31. Narratio est rerum explicatio et quædam quasi sedes et fundamentum constituendæ fidei. *Ovid.* 2. *Fast.* 20. et *Plin. Paneg.* 74. Dare fidem vocibus. *h. e.* dictis fidem facere. Sic *Ovid. Heroid.* 21. 136. et 15. *Met.* 361.; *Liv.* 2. 24.; et *Ammian.* 18. 7. Dictis fidem addere. Alio sensu *Tac. Germ.* 3. Quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem. *non vi creda, o vi creda. Nazar. Paneg. Constant.* 15. Fidem conciliare. *Seneca Troad.* 168. Fidem alicujus rei non capere. *credere appena. Ovid.* 9. *Met.* 705. Res fidem habuit. *fu creduta. Id. Heroid.* 18. 119. Si qua fides vero est. *Plin.* 3. *Ep.* 14. Fidem peractæ mortis implevit. *finì di far credere d' esser morto. Justin.* 13. 1. 4. Mortis ejus fides adfuit. *Cic. Fontej.* 7. 13. Quorum virtuti, generi, rebus gestis fidem et auctoritatem in testimonio cupiditatis atque inimicitiarum suspicio derogavit. *Id. Rosc. Com.* 15. 41., 4. *Acad.* (2. *pr.*) 11. 36. et 1. *Herenn.* 10. 17.; *Cæs.* 6. *B. G.* 22.; et *Sueton. Tib.* 61. Cuipiam fidem abrogare. *Plin. Paneg.* 74. detrahere. *Tac. Germ.* 3. *loc. cit.* demere. *Cic.* 2. *Orat.* 37. 156. Imminuit et oratoris auctoritatem et orationis fidem. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 10. Multa fidem promissa levant. *Ovid. Heroid.* 17. 10. Fide carere. *Inscript.* optimæ notæ apud *Marin. Inscriz. Alb.* p. 138. FIDEM EXVERVNT, MVTARVNT CERTA DVAEIS. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 13 (31). Excedit fidem impudens cura, qua etc. *non si può credere.* Sic *Flor.* 1. 18. 24. Fidem superare. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 17. (38). supra humanam fidem. *oltra ogni credere. Seneca Ep.* 92. *circa med.* Hoc est extra fidem. *è incredibile. Sueton. Cæs.* 57. ultra fidem. *Tac. Agric.* 1. citra fidem. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 3. Historici quum unam aliquam rem nolunt spondere, adjiciunt: penes auctores fides erit. Sic *Plin.* 17. *Hist. nat.* 12. 19. (93). Fides penes auctores erit. et *Terentian.* p. 2418. *Putsch.* Spectet auctorem fides. — *Cic. Rosc. Am.* 4. 10. Opprimi me onere offici malo, quam id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere. *Tac.* 4. *Ann.* 59. Major (*Sejanus*) ex eo, et quamquam seditiosa suaderet, ut non sui anxius, cum fide audiebatur. *Id.* 1. *Hist.* 1. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim: sed incorruptam fidem professis neque amore quisquam et sine odio dicendus est. — *b)* Cum pendente propositione. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 8. 22. Si populo consulis, remove te a suspicione alicujus tui commodi: fac fidem, te nihil, nisi populi utilitatem quærere. *mostra, prova, fa vedere. Balbus* et *Oppius* apud *Cic.* 9. *Att.* 8. A. *extr.* Statim quæ sentiemus, ad te scribemus: et tibi fidem faciemus, nos ea suadere, quæ nobis videntur tuæ dignitati esse utilissima. *a faremo sì, che crederai, conoscerai* etc. Sic *Ter. Heaut.* 3. 3. 10. Mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum. *Sueton. Vesp.* 7. Quum vix fides esset, rem ullo modo successuram. *a mala pena credendosi* etc. — *c)* *Est fides*, creditur, *si crede. Stat.* 7. *Theb.* 577. domus omnis et omnia sacris Templa calent: ipsumque fides intrasse Lyæum. — *d)* *Per fidem decipere, violare*, etc. est idem ac per fraudem et contra fidem datam; nos vulgo dicimus *ingannare alcuno sulla buona fede. Plaut. Most.* 2. 2. 69. Per fidem deceptus sum, hospes hic me necavit. *Nonnulli leg.* perfide. *Ter. Phorm.* 3. 1. 5. Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali. *Cæs.* 1. *B. G.* 46. Committendum non putabat, ut, pulsis hostibus, dici posset, eos a se per fidem in colloquio circumventos. Sic *Liv.* 38. 25. Multo major pars (*Gallorum*) per fidem violati colloquii pœnas morte luerunt. *Id.* 1. 9. Per fidem decipere. ¶ 2. Specialim inter negotiatores fides est constantia illa promissorum, quæ in creditis pecuniis adhibetur: unde est existimatio fidelitatis, qua facile in vicem perficiuntur contractus, et pecuniæ mercesque creduntur, *credito. Cic. pro leg. Manil.* 7. 19. Scimus Romæ, solutione impedita, fidem concidisse. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 1. Quum fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ solverentur. Rursus *Cic.* 2. *leg. Agr.* 3. 8. Fides de foro sublata erat. *Liv.* 6. 41. Altera (*rogatione Sextii*) fidem abrogari, cum qua omnis societas humana tollitur. *Id.* 6. 11. Non contentus agrariis legibus, fidem moliri cœpit. *Sueton. Vesp.* 4. Labefacta jam fide. *Sall. Cat.* 24. Pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Fæsulas portare. *Tac.* 1. *Ann.* 88. Multi afflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres et per incerta tutissimi — *Liv.* 23. 48. Nisi fide staret respublica, opibus non staturam. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 10. Res eos jampridem, fides deficere nuper cœpit. *Plaut. Epid.* 2. 2. 36. Ubi fidemque remque, seque teque properat perdere. *e credito e sostanze.* Similiter *res fidesque* junguntur apud *eumd. Curc.* 4. 2. 18., *Truc.* 1. 1. 24. et *Most.* 1. 2. 64.; et *Sall. Jug.* 73. — Hinc *Græca fide mercari* apud *Plaut. Asin.* 1. 3. 47. est præsenti pecunia, nam Græcis ob insitam levitatem nulla habebatur fides, nisi præsentem pecuniam numerassent. ¶ 3. De inanimis quoque occurrit apud scriptores, qui post Augusteum ævum floru-

runt. *Virg.* 3. *Æn.* 69. Inde ubi prima fides pelago, placataque venti Dant maria etc. *Horat.* 3. *Od.* 16. 30. silvaque jugerum Paucorum et segetis certa fides meæ. *h. e.* silva modica fruges ferens, quæ spem non facile mentiuntur. *Tibull.* 2. 3. 62. at tibi – Persolvat nulla semina terra fide. *Plin. Paneg.* 32. Non equidem reposcimus fenus: putet tamen esse solvendum, fallacemque unius anni fidem omnibus annis omnibusque postea sæculis tanto magis, quia non exigimus, excuset. *Quintil.* 12. 10. 25. Quia hanc ejus terræ fidem Menander eludit

II.) Translate (*causa pro effectu*) de iis usurpatur, quæ in causa sunt, cur alicui fidem habeamus, h. e. credamus. ¶ 1. Generatim de hominibus; et virtus est consistens in constantia promissorum, itemque, ut ait *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 7., in commendatorum fida executione, vel observantia; atque adeo in summa morum honestate ac probitate. *lealtà, fedeltà, veracità, il mantener la parola, probità scrupolosa, onestà. Cic.* 1. *Off.* 7. 23. Fundamentum justitiæ est fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas. Ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta; credamusque, quia *fiat* quod dictum est, appellatam fidem. *Vossio* hæc derivatio non placet: ducitque a *fido*, hoc a πείθω. Cf. eumd. *fragm.* apud *Non. p.* 21. 17. *Merc.*, et 16. *Fam.* 10. *extr. Id. Partit. orat.* 22. 78. Justitia erga parentes pietas, creditis in rebus fides nominatur. *Plaut. Capt.* 2. 2. 99. Nec quemquam fideliorem, neque cui plus credat, potes mittere ad eum, nec qui magis sit servus ex sententia: neque adeo cui tuum concredat filium hodie audacius. Ne vereare, meo periculo hujus ego experiar fidem. Adde *Sueton. Oth.* 8. Rursus *Plaut. Trin.* 5. 2. 2. Neque fuit, neque erit, neque esse quemquam hominum in terra dum arbitror, cui fides fidelitasque amicum erga æquiparet suum. *Ter. Andr.* 1. 1. 7. Opus est fide et taciturnitate. *Nepos Iphicr.* 3. Bonus vero civis (*fuit*) fideque magna. *Ter. Adelph.* 3. 3. 88. Homo antiqua virtute ac fide. *Cic.* 3. *de republ.* 5. Quum ipse sis quasi unicum exemplum antiquæ probitatis et fidei. *Id.* 3. *ibid.* 17. Esse summa probitate ac fide. *et ibid.* Vir æquissimus, summa justitia, singulari fide. *Id.* 2. *ibid.* 36. In annum posterum decemviros alios subrogaverunt, quorum non similiter fides est, nec justitia laudata. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 14. *Id.* 1. *ibid.* 2. Unde justitia, fides, æquitas? unde pudor? *Id. Prov. cons.* 14. 35. Sit in ejus tutela Gallia, cujus virtuti, fidei, felicitati commendata est. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 35. *Id.* 3. *de republ.* 18. *extr.* Si pudor quæritur, si probitas, si fides, Mancinus hæc attulit: si ratio, consilium, prudentia, Pompejus antistat. *Id. Fontej.* 6. 13. Quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione etc. Contra *Nepos Dion.* 8. Homo et callidus et ad fraudem acutus, sine ulla religione ac fide. Rursus *Cic.* 2. *Cat.* 11. 25. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Ubi societas? ubi fides majorum? *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 8. 26. Nulla sancta societas, nec fides regni est. *Cic.* 1. *Fam.* 5. 1. Ut meam erga te fidem et benevolentiam experirere. *Cæs.* 5. *B. G.* 54. Æduos præcipuo semper honore Cæsar habuit pro vetere ac perpetua erga populum Romanum fide. *Id.* 2. *ibid.* 14. Bellovacos omni tempore in fide atque amicitia civitatis Æduæ fuisse. *collegati ed amici. Id.* 7. *ibid.* 4. Obtestatur, ut in fide maneant. Adde *Flor.* 1. 21. 1. Sic *Id.* 1. 3. 6. Nec diu in fide Albanus. *h. e.* mansit. *Id.* 1. 2. 17. Nisi in fide permanerent, non se remittere exercitum. *Sueton. Cæs.* 4. Nutantes ac dubias civitates retinuit in fide. *Flor.* 2. 6. 3. Saguntus, vetus Hispaniæ civitas et opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum. *Liv.* 10. 34. Sincera fide in pace Ligures esse. *Id.* 1. 27. Albano non plus animi fuit, quam fidei. *Tac.* 1. *Ann.* 35. At ille moriturum potius, quam fidem exueret clamitans. *Ovid.* 2. *Art. am.* 9. 50. Fides ambigua. *Tac.* 2. *Ann.* 75. Flexam per discordias militum fidem, et periculum ex singulis. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 23.; et *Ammian.* 15. 5. *Tac.* 2. *Ann.* 91. Unde primum creditur Cæcinæ fides fluitasse. *Id.* 3. *ibid.* 61. Nec ulla apud Vitellianos flagitii pœna, et præmiis defectorum versa fides. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 500. Emere fidem. *Seneca Troad.* 611. Alligare fidem jurejurando. *Nepos Eumen.* 1. Fides cognita. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 14. explorata. *Sil. It.* 13. 679. impolluta. *Ammian.* 22. 11. intemerata. *Colum.* 3. *R. R.* 8. 29. certa. *Ovid.* 3. *Pont.* 7. 24. vera fide perisse. *Flor.* 1. 12. 6. Eam namque vir sanctus et sapiens veram sciebat victoriam, quæ salva fide et integra dignitate pareretur. *Cic. Rosc. Am.* 49. 144. Si nulla in re te fraudavit; si tibi optima fide sua omnia concessit, annumeravit, appendit. *con tutta la puntualità. Id.* 1. *Fam.* 1. *in fin.* Si esset in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus. *costanza, fermezza. Id.* 16. *Att.* 7. 2. Quid debet, qui consilium dat, præstare, præter fidem? Sic *Id.* 2. *Divinat.* 37. 79. Quia (*virtus*) vetat spectare fortunam, dum præstetur fides. *Id.* 12. *Phil.* 12. 30. Suam fidem reipublicæ constantiamque præstare. Adde *eumd. Topic.* 10. 42. et 1. *Fam.* 7. 6. *Liv.* 32. 33. Neque de pace cum fide Philippum agere, neque bella vera virtute unquam gessisse. *Horat. Epod.* 17. 37. jussas cum fide pœnas luam, Paratus expiare etc. *Propert.* 4. 3. 11. Hæcne marita fides? *Ovid. Heroid.* 17. 4. nuptæ sollicitare fidem. *Horat.* 3. *Od.* 24. 59. Quum perjura patris fides Consortem socium fallat et hospitem. *Ter. Andr.* 1. 5. 55. Te oro per tuam fidem, ne etc. — Hinc abstractum pro concreto. *Ammian.* 26. 6. Quia cum omnibus loqui periculosum erat et arduum, fidem paucorum elegit. *h. e.* paucos fidos. ¶ 2. Item generatim de rebus inanimis; et quidem — a) Primo *fides* dicitur de iis, quæ sincera sunt, incorrupta, et veluti legitima, ut iis credi tuto possit; ac propterea de iis etiam, quæ veracitatem præ se ferunt, *autenticità, integrità, credibilità, veracità. Cic. Arch.* 5. 9. Quæ (*tabulæ*) solæ ex illa professione collegioque prætorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem. Nam quum Gabinii levitas – omnem tabularum fidem resignasset etc. *Id. Flacc.* 9. 21. Sed fuerint incorruptæ litteræ domi: nunc vero quam habere auctoritatem et quam fidem possunt? *credito. Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 58. Quasi vero non specie visa judicentur! quæ fidem nullam habebunt, sublata veri et falsi nota. *non sarebber credibili. Gell.* 1. 7. Liber spectatæ fidei, Tironiana cura atque disciplina factus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 8. 13. (62). Lapis parum distans ab onyche in unguentorum fide. *h. e.* in unguentis incorrupte servandis. Adde *Frontin. Acquæd.* 123. *in fin.* Et poetice *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 265. de *Ætna.* Scit nivibus servare fidem. *Quintil.* 10. 1. 32. Neque illa Livii lactea ubertas satis docebit eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quærit. *la veracità.* Sic *Trebell. Poll. Claud.* 10. Vera dicere fides (*historica*) cogit. *Ammian.* 28. 1. Indicii fide discussa. *Nazar. Paneg. Constant.* 15. Fides miraculi claudicat. *Flor.* 1. 12. 11. Hoc tunc Veji fuere: nunc fuisse quis meminit? quæ reliquiæ? quod vestigium? Laborat annalium fides, ut Vejos fuisse credamus. Sic *Ammian.* 23. 14. Suadere nobis laborat monumentorum veterum fides, ut has civitates aliquando valuisse credamus. *Pacat. Paneg. Theod.* 33. Facti fides laborat. *Sueton. Cal.* 8. Versiculorum quoque fidem eadem hæc elevant; et eo facilius, quod hi sine auctore sint. *Id. Claud.* 15. Dubia utrimque argumentorum fide. *Id. ibid.* 37. Quasi plane repræsentaretur somnii fides. *Tac.* 2. *Ann.* 78. Consulatus et Judaicæ victoriæ decus implesse fidem ominis videbatur. — b) Secundo nonnumquam *fides* dicitur id ipsum, quod fidem facit. *Petron. Satyr.* 97. In lance argentea indicium et fidem præferebat. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 32. Sumque fides hujus maxima vocis ego. — Hinc partem illam orationis, quæ confirmatio dicitur, in qua ponuntur, quæ ad faciendam fidem pertinent, et πίστις dicitur ab *Aristot. l.* 3. *Rhetor. c.* 34. et alibi; ei *fides* a *Cic. Partit. or.* 12. 44. Quoniam in confirmationem et reprehensionem diviseras orationis fidem. *Ter. Andr.* 5. 2. 16. Tristis severitas inest in vultu, atque in verbis fides. *h. e.* vis persuadendi et faciendæ fidei, ἀξιοπιστία. *Justin.* 9. 2. *extr.* Capta pecoris magna vis, auri argentique nihil. Ea primum fides, auri inopiæ Scythicæ fuit. *la prima prova, che fe' credere, essere gli Sciti poveri. Liv.* 6. 13. *sub fin.* Pars maxima captivorum ex Latinis atque Hernicis fuit; nec hominum de plebe, sed principes quidam juventutis inventi; manifesta fides, publica ope Volscos hostes adjutos. *prova evidente, che etc. Id.* 38. 51. Tribuni plebis vetera luxuriæ crimina – quum ad fidem præsentium criminum retulissent etc. *Id.* 23. 12. Ad fidem deinde tam lætarum rerum, effundi in vestibulo curiæ jussit annulos aureos. *Id.* 26. 24. Ubi quum Syracusas Capuamque captam, in fidem in Sicilia Italiaque rerum secundarum, ostentasset etc. Adde *Vopisc. Aurel.* 20.; et *Stat.* 2. *Theb.* 117. — c) Tertio, aliquando *fides* dicitur res ipsa quæ credi debet. *Ammian.* 24. 3. *extr. de palmarum arboribus.* Et si qua femina cujus arboris amore perculsa sit ignoretur, unguento ipsius inficitur truncus, et arbor alia naturaliter odoris dulcedinem concipit: hisque indiciis velut coeundi quædam proditur fides. — Hinc *mira fides!* formula admirantis, quum res narratur, quæ supra fidem esse videtur, *gran cosa! cosa maravigliosa a credersi! Stat.* 2. *Achill.* 205., 4. *Silv.* 4. 81. et 3. *ibid.* 3. 21., etc. Sic *Id.* 1. *Silv.* 3. 20. miranda fides! — d) Quarto denique *fides* dicitur factum ipsum, quo vaticinium, omen etc. impletur, *l'adempimento di un vaticinio. Ovid.* 3. *Met.* 519. Jamque dies aderit, jamque haud procul auguror esse, Qua novus huc veniat proles Semeleia Liber. *et mox v.* 526. Dicta fides sequitur; responsaque vatis aguntur. Liber adest: festisque fremunt ululatibus agri. Sic *Id.* 8. *ibid.* 709. Auferat hora duos eadem: nec conjugis unquam Busta meæ videam, neu sim tumulandus ab illa. Vota fides sequitur: templi tutela fuere Donec vita data est etc. ¶ 3. Specialim *bona fides* — a) Primo contraria est dolo, calliditati, fraudi, astutiæ: contra *mala fides* hæc ipsa significat. *Augustin.* 2. *contra Acad.* 5. *ad fin.* Bona fides est, ex animi sententia. *African. Dig.* 40. 4. 20. Ut bona fide et citra fraudem tutoris id fiat. *Cic.* 3. *Nat. D.* 30. 74. Inde tot judicia de fide mala, tutelæ, mandati, pro socio, fiduciæ reliqua, quæ ex empto aut vendito aut conducto aut locato contra fidem fiunt. — b) Deinde idem est, quod æquum et bonum. Hinc *judicia bonæ fidei* dicuntur a JCtis, in quibus judici non præscribitur formula, ex qua judicet, sed potestas permittitur, ut ex bono et æquo æstimet, quantum actori restitui debeat, ut *Justinian.* 4. *Institut. tit.* 1. *a med.* docet. Quo pertinet illud *Cic.* 3. *Off.* 17. 70. Quanti verba illa: *Uti ne propter te fidemve tuam captus fraudatusve siem etc.* Q. quidem Scævola pontifex maximus summam vim esse dicebat in omnibus his arbitriis, in quibus adderetur *ex fide bona*: *fideique bonæ* nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis venditis, conductis locatis etc. *Id. ibid.* 16. 66. Arbitrum illud adegit: *Quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona.* M. Cato sententiam dixit: Quum in vendendo rem eam scisset et non pronunciasset, emptori damnum præstari oportere. *V.* ARBITER. Hinc *fides* et *bona fides* dici potest, quam Itali dicunt *buona coscienza*, nempe studium et amor honestatis et justitiæ, quo quis peccare metuit et alterum injuria lædere: quemadmodum in judiciis bonæ fidei non præscriptam legis aut prætoris judex sequitur, sed quod sibi æquitatis ratio et conscientia dictat. *Cic.* 6. *Att.* 1. 15. Edicto Asiatico: *Extra quam si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat ex fide bona.* It. *in coscienza.* Cf. *eumd.* 13. *Fam.* 72. Peto, ut memineris, te omnia, quæ tua fides pateretur, mihi cumulate recepisse. et *Plaut. Aulul.* 4. 10. 42. EV. Dic bona fide (*di' in tua coscienza*): tu id aurum non surripuisti? LY. Bona. EV. Neque scis, quis abstulerit? LY. Istuc quoque bona. — c) Tertio significat innoxiam ignorationem, qua quis aliquid sibi licere putat, quamvis re vera non liceat: ut si quis rem, quam possidet, suam esse putat. Contra *mala fides* est in eo, qui sciens rem agit injustam, v. gr. possidet alienam. *buona o mala fede. Ulp. Dig.* 6. 2. 7. § 11. Prætor ait: *Qui bona fide emit.* Non igitur omnis emptio proderit, sed ea quæ bonam fidem habet. Proinde hoc sufficit, me bonæ fidei emptorem fuisse, quamvis non a domino emerim, licet ille callido consilio vendiderit; neque enim dolus venditoris mihi nocebit. – Bonam autem fidem solius emptoris continet. Ut igitur Publiciana competat, hæc debent concurrere, ut et bona fide quis emerit, et ei res empta eo nomine sit tradita. Ceterum ante traditionem, quamvis bonæ fidei quis emptor sit, experiri Publiciana

non potest. *Julian. ibid.* 41. 5. 8. Bona fide emptorem esse. *Cajus ibid.* 41. 1. 9. Si bonæ fidei possessor fuerit. *Ulp. ibid.* 11. 7. 14. Quia bonæ fidei possessor est. *Pompon. ibid.* 41. 3. 24. Ubi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest. *Paul. ibid.* 41. 2. 1. Per eum, quem bona fide possidemus, quamvis alienus sit, possessionem acquirimus: quod si mala fide possideamus, non puto etc. — d) *Bona fide* translate est re vera, omnino, exacte, *da vero, pienamente. Quintil.* 10. 3. 23. Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest. *Seneca Ep.* 85. Numquam bona fide mansuescunt vitia. *Flor.* 2. 3. 1. Argumentumque pacis et bona fide cessantium armorum, tunc primum post Numam clausa fuit porta Jani. *Id.* 2. 1. 1. Domita subactaque Italia, populus Romanus prope quingentesimum annum agens, quum bona fide adolevisset; si quod est robur, si qua juventus, tum illa vere robustus et juvenis et par orbi terrarum esse cœpit. ¶ 4. Item ponitur — a) Sæpissime pro pollicitatione, et quidem generatim, *promessa, parola, impegno. Ennius* 1. *Ann.* 33. *Vahl.* Accipe daque fidem fœdusque feri bene firmum. *Cic.* 2. *Fin.* 20. 65. Regulus, sua voluntate, nulla vi coactus, propter fidem, quam dederat hosti, ex patria Carthaginem revertit. Sic *Id.* 1. *Off.* 13. 39. Atque etiam, si quid singuli temporibus adducti hosti promiserunt, est in eo ipso fides conservanda: ut primo Punico bello Regulus — ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere. — Jungitur plurimis Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, exhibemus. *Ennius loc. cit.*; et *Sall. Jug.* 81. accipere et dare fidem. *Ammian.* 27. 12. accipere. *Ter. Andr.* 1. 1. 19. adstringere. *Nepos Eumen.* 10. amittere. *h. e.* abjicere, perfidum esse. *Id. Ages.* 2. conservare. *Cic. loc. cit.* et *Rabir. perduell.* 16. 28.; et *Nepos Hann.* 2. et *Datam.* 10. dare fidem alicui. *dar parola, promettere.* Sic *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Hac oratione adducti inter se fidem et jusjurandum dant. *Cic.* 1. *Fam.* 9. 12. fidem dare alicui de altero. *impegnarsi per un altro. Liv.* 22. 23., 21. 16. *a med.* et 27. 5.; *Plin.* 2. *Ep.* 12. 6.; et *Lucan.* 9. 98. exsolvere fidem. *h. e.* præstando promissa liberare: *soddisfare all' impegno.* Sic *Liv.* 3. 19. Pace parta, instare tum tribuni patribus, ut P. Valerii fidem exsolverent. *h. e.* præstarent, quod P. Valerius promiserat. *Cic.* 1. *Off.* 13. 39.; et *Plin.* 10. *Ep.* 97. 7. fallere. *Cic. Rosc. com.* 6. 16. frangere fidem, quæ continet vitam, et pupillum fraudare, et socium fallere, æque perfidiosum et nefarium est. *h. e.* fidem violare. *Ter. Adelph.* 3. 4. 43. frustrari fidem. *Cæs.* 5. *B. G.* 6. interponere reliquis fidem, jusjurandum poscere. *Cic. Flacc.* 20. 47. liberare fidem suam. *h. e.* præstando promissa. Sic *Id.* 12. *Fam.* 7. 2. In eo velim fidem meam liberes: promisi enim et prope confirmavi te non exspectasse. *Id. Dom.* 25. 66. manere in fide. *Sall. Jug.* 60.; et *Liv.* 4. 49. mutare fidem. *mutar casacca. Ter. Phorm.* 3. 2. 27. mutare cum aliquo. *Cic.* 5. *Phil.* 18. 51. obligare audebo fidem meam vobis populoque Romano. *impegnare la mia fede, la mia parola.* Sic *Sueton. Claud.* 9. obligatam ærario fidem liberare. *Plin.* 4. *Ep.* 13. 10.; et alter *Plin.* 7. *Hist. nat.* 1. 1. (8). obstringere. *Sueton. Tit.* 9. præstare. *mantener la parola. Sall. Cat.* 55.; et *Propert.* 4. 4. 87. prodere. *h. e.* frangere, violare. *Flor.* 4. 2. 15.; *Seneca Med.* 55.; et *Ammian.* 30. 1. rumpere. *Cic. Vatin.* 6. 15.; *Cæs.* 6. *B. G.* 36.; *Liv.* 43. 28.; *Justin.* 4. 4. *init.*; et *Val. Flacc.* 8. 48. servare in aliqua re. *Plaut. Curc.* 1. 2. 49. et *Merc.* 3. 1. 33. servare cum aliquo. *Ter. Andr.* 4. 1. 19.; et *Ovid. Heroid.* 10. 78. solvere. *Cic. Rabir. perduell.* 10. 28. in fide non stare. *Id. ibid.*; et *Curt.* 3. 13. 15. violare fidem. — *Pollicita fides* est fides data. *Ovid.* 11. *Met.* 107. Pollicitamque fidem tangendo singula tentat. Vixque sibi credens, non alta fronde virentem Ilice detraxit virgam: virga aurea facta est. Cf. *eumd.* 3. *Fast.* 366. Pollicitam dictis Juppiter adde fidem. — *Mea fide* est quod Itali dicunt *sulla mia parola. Plaut. Pseud.* 1. 3. 82. Fac hoc, quod te rogamus, Ballio, mea fide, si isti formidas credere. *Id. Capt.* 2. 2. 101. Mittam equidem istunc æstimatum tua fide, si vis. *Cic.* 13. *Fam.* 28. Te rogo, ut cures, ut illi satisdetur fide mea. *Plin.* 1. *Ep.* 14. *extr.* Fide mea spondeo, futurum, ut etc. Cf. *Nepos Lysand.* 1. *extr.* Fide confirmare, se fore etc. — b) Interdum ponitur pro persona aut re, quæ pignori datur, pro pignore, *prestazione di malleveria, testimonianza, pegno. Ovid.* 12. *Met.* 363. Armiger (*Crantor*) ille tui fuerat genitoris, Achille: Quem Dolopum rector bello superatus Amyntor Æacidæ dederat pacis pignusque fidemque. *h. e.* Crantora Peleo obsidem dedit. *Lucan.* 7. 726. Nunc tibi, Magne, fides quæsiti vera favoris Contigit ac fructus. *avesti una testimonianza, un pegno del favor che godevi, perchè tutti ti piansero.* Cf. *Ovid.* 6. *Fast.* 609. *Flor.* 1. 2. 3. Ille (*Numa*) Ancilia atque Palladium, secreta quædam imperii pignora, Janumque geminum, fidem pacis ac belli. ¶ 5. Prægnante, uti ajunt, significatione est data fides de securitate: hinc — a) Est promissio, rei publicæ nomine de securitate et impunitate, vitam donando, pœnam remittendo, *salvocondotto, fede pubblica, sicurezza.* — Hac significatione *fides publica* sæpe occurrit. *Cic.* 3. *Cat.* 4. 8. Introduxi Volturcium sine Gallis: fidem ei publicam jussu senatus dedi: hortatus sum, ut ea, quæ sciret, sine timore indicaret. Sic *Sall. Cat.* 47. Volturcius interrogatus — primo fingere alia: post, ubi fide publica dicere jussus est, omnia uti gesta erant, aperit. Adde *eumd. ibid.* 48. *Cic.* 2. *Att.* 24. Fidem publicam postulare. *Sall. Jug.* 32. Uti L. Cassius ad Jugurtham mitteretur, eumque interposita fide publica Romam duceret. Cf. *eumd. ibid. extr.* Privatim præterea fidem suam interponit, quam ille non minoris quam publicam ducebat. *Id. ibid.* 35. Fit reus magis ex æquo bonoque, quam ex jure gentium Bomilcar, qui Romam fide publica venerat. — Et omisso adject. *publica,* quia facile subauditur. *Cic. Brut.* 23. 89. Lusitani contra interpositam fidem interfecti. *Liv.* 38. 33. Fide accepta ab legatis, vim abfuturam. *Id.* 36. 16. et 17. Oppidani oratores veniam fidemque petentes miserunt. — b) Hinc sæpe dicitur de patrocinio, defensione, tutela, *protezione:* qua significatione *fides* et *clientela,* vel *tutela* junguntur. *Ter. Eun.* 5. 9. 9. Commendare se alicui in clientelam et fidem. Cf. *Cic. Rosc. Am.* 37. 106. Conferre se in fidem et clientelam alicujus. *et ibid.* 33. 93. Quære in cujus fide sint et clientela. *Liv.* 38. 31. Quum in fidem Achæorum tutelamque Laconicæ oræ castella et vicos tradidissent. — Etiam *fides* et *potestas,* vel *dicio* junguntur. *Cic. Fontej.* 14. 30. Frugi hominem, plenum religionis videtis positum in vestra fide ac potestate: atque ita, ut commissus sit fidei, permissus potestati. *Cæs.* 2. *B. G.* 3. Se suaque omnia in fidem atque potestatem populi Romani permittere. *Id.* 2. *ibid.* 13. Manus ad Cæsarem tendere et voce significare cœperunt, sese in ejus fidem ac potestatem venire. *Liv.* 38. 31. *in fin.* In fidem dicionemque populi Romani oppidum accipere. — *Cic.* 7. *Fam.* 17. In amicitiam et fidem cujuspiam se conferre. *Id.* 13. *ibid.* 19. 2. Ut Lysonem in fidem necessitudinemque tuam recipias. — Ceterum *Ter. Hecyr. prol.* 45. Se in alicujus fidem committere. Sic *Cic.* 1. *Off.* 31. 124. Ea jura fidei suæ commissa meminisse. *Ter. Andr.* 1. 5. 61. Bona nostra hæc tibi permitto et tuæ mando fidei. *Cic.* 6. *Att.* 1. 5. Civitatem in Catonis et in ipsius Bruti fide locatam funditus perdidissem. *Id. Planc.* 41. 97. Municipia, quæ in fide mea sunt. Sic *Id.* 13. *Fam.* 65. Quod ea societas universa in mea fide est. *Id. Arch.* 12. 31. Accipere aliquem in fidem suam. *Id.* 1. *Off.* 11. 35. Nationes devictas bello in fidem recipere. Adde *Cæs.* 2. *B. G.* 15. et 4. *ibid.* 22.; et *Nepot. Themist.* 8. *Flor.* 3. 22. 9. Ipsæ quoque in Romanam fidem venere urbes, Osca, Termes etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 21. Adeat civitates, horteturque, ut populi Romani fidem sequantur. Adde *Vellej.* 2. 2. 107. *Nepos Cim.* 4. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. *Sueton. Cæs.* 71. Studium et fides erga clientes, ne juveni quidem, defuerunt. *Nepos Epam.* 3. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus; fide ad alios sublevandos sæpe sic usus est, ut etc. — c) Et de ope, auxilio, ajuto. *Plaut. Cist.* 4. 1. 11. PH. Di, obsecro vestram fidem! LA. Quid deos obsecras? PH. Servate nos. Adde *eumd. Amph.* 5. 1. 78.; *Most.* 1. 1. 71. et 2. 2. 97. *Cic. Mur.* 40. 86. Fidem vestram oro atque obsecro, judices. *Id.* 3. *Verr.* 9. 25. Deum atque hominum fidem implorabis. *Auct. B. Afr.* 26. Iis se in miseriis suamque fidem implorantibus auxilio propter copiarum paucitatem esse non posse. Sic *Liv.* 2. 55., 31. 7. et 37. 26.; et *Sueton. Tib.* 75. Hominum fidem implorare. — Hinc formulæ illæ apud *Plaut. Capt.* 2. 3. 58., *Men.* 5. 2. 119.; *Pœn.* 1. 78. et alibi. Di vestram fidem! Sic *Ter. Andr.* 4. 3. 1. Nihilne esse proprium cuiquam? Di vestram fidem! Adde *eumd. ibid.* 4. 4. 5. et *Eun.* 3. 1. 28. *Plaut Curc.* 1. 3. 40. Tuam fidem, Venus! *Id. ibid.* 5. 3. 16. et *Epid.* 4. 2. 10.; *Ter. Andr.* 1. 5. 2. et 11. et *Heaut.* 1. 1. 9.; et *Sall. Cat.* 20. Pro deum atque hominum fidem! *Cic.* 5. *Tusc.* 16. 18. Pro deorum atque hominum fidem! *Id. Amic.* 15. 52. Pro deorum fidem atque hominum! *Liv.* 3. 67. Pro deum fidem! *Tac. Dial. de orat.* 35. Controversiæ, quales, per fidem, et quam incredibiliter compositæ! *per mia fe',* jurandi formula. Adde *Petron. Satyr.* 100. *Flor.* 3. 3. 7. Prioresque Theutonas sub ipsis Alpium radicibus (*Marius*) assecutus, in loco, quem Aquas Sextias vocant, quo, fidem numinum! prælio oppressit! Adde *eumd.* 1. 11. 15. ¶ 6. *Fides* dea habita est Romanis, constantiæ dictorum, servandi promissi, removendæque fraudis ac doli præses. *Cic.* 3. *Off.* 29. 104. Præclare Ennius: *O Fides alma, apta pinnis et jus jurandum Jovis!* Qui jus igitur jurandum violat, is Fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis Optimi Maximi (ut in Catonis oratione est) majores nostri esse voluerunt. Adde *eumd.* 3. *Nat. D.* 18. 17., 2. *ibid.* 23. 61. et 31. 79., et 2. *Legg.* 8. 19. et 11. 28.; *Plaut. Cas. prol.* 2. et *Aulul.* 3. 6. 46. et 4. 2. 14. Hanc *Horat.* 1. *Od.* 35. 21. albo panno velatam facit. *Albus* pannus candorem animi fidelis et a simulatione abhorrentis notat. Pannus vero non est vestis, sed particula vestis ad dextram velandam; ut colligimus ex *Liv.* 1. 21. Et soli Fidei solemne instituit. Ad id sacrarium Flamines bigis, curru arcuato, vehi jussit, manuque ad digitos usque involuta rem divinam facere, significantes fidem tutandam sedemque ejus etiam in dextris sacratam esse. *V.* DEXTRA. Hinc *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 292. Ei (*Fidei*) albo panno involuta manu sacrificabatur, per quod ostenditur fidem debere esse secretam. Cf. *Dionys. A. R.* 2. 75. Ceterum *Inscript.* apud *Henzen.* 5428. QVAE (*tabula*) FIXA EST ROMAE IN CAPITOLIO POST AEDEM FIDEI *populi romani* IN MVRO. Adde *alias* apud *eumd.* 5433. et 5088. ¶ 7. Apud Scriptores Ecclesiasticos Fides inter theologicas virtutes primum tenet locum, et de ea *Paulus* in *Vulgat. interpr. Hebr.* 11. 1. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Adde *Tertull.*, *Hieronym.*, *Ambros.*, *Augustin.* passim.

Homonym. *Fides* et *fidelitas* virtutes denotant, quas in nobis ipsis habemus aliisque, data occasione, præstamus; *fiducia* et *fidentia* spem certam ac securam significant, quam in aliis collocamus. *Fides* tamen a *fidelitate* differt, ut genus a specie: *fides* enim, ut πίστις, virtus est consistens in constantia promissorum, unde est existimatio, qua facile invicem perficiuntur contractus, et pecuniæ, merces ceteraque tuto creduntur; *fidelitas*, ut πιστότης, est virtus, qua maximo amoris vinculo alicui devincti ac prope devoti, in fide eidem præstanda constantes sumus. Item *fiducia* et *fidentia* differunt, quia *fiducia* est habitus, *fidentia* vero actus laude dignus, quo honestis in rebus, et quibus quisque tuto credere ac fidere potest, certam spem collocamus; unde *fiducia* timori opponitur: contra *confidentia*, quemadmodum et participium *confidens* (aliter ac verbum *confidere*) fere in malam partem accipitur et est habitus vituperatione dignus et prudentiæ contrarius, quo quis in semetipso suisque viribus inconsiderate spem habet atque innititur: hinc *Scholiast. Cruq.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 7. 5. ait: Confidens in malis, fidens in bonis: hinc etiam *fiducia* per se fert animum, *confidentia* vero superbiam, illa ad virtutem, hæc ad temeritatem pertinet. Denique ipsa *fiducia* et *confidentia* ab *audacia* et *audentia* in eo differunt, quod illæ e magna spe boni exitus, hæ a periculorum contemptu originem ducunt: quamquam *audacia* tum in bonam, tum in malam partem; *audentia* vero semper in bonam partem accipitur; hinc *Nonius p.* 431. 6. *Merc.* Audacia et audentia hoc differunt, quod audacia temeritatis est, audentia fortitudinis. Apud *Cic.* 12. *Phil.* 12. 30. Suam fidem reipublicæ constantiamque præstare. et 10. *Fam.* 17. Illi fidelitas erga patriam non defuit. *fides* ad debitum muneris officium, *fidelitas* ad

communis patriæ caritatem spectat. Ceterum *Plaut. Trin.* 5. 2. 2. Fides fidelitasque erga amicum. *Cic. Amic.* 15. 52. Hæc est tyrannorum vita, in qua nulla fides (*h. e.* quia subditi tyranno fidere nequeunt), nulla stabilis benevolentiæ esse potest fiducia (*h. e.* quia tyrannus numquam in animum inducere potest, subditos sibi fore benevolos). *Id.* 2. *Invent.* 54. 163. Fidentia est firma animi confisio et fortitudinis pars, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocavit. *Id.* 3. *Tusc.* 7. 14. Qui fortis est, idem est fidens, quoniam confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur, ductum verbum a confidendo, quod laudis est. *Seneca Ep.* 87. Quæ bona sunt, fiduciam faciunt; divitiæ audaciam. *Juvenal.* 13. 108. Nam quum magna malæ superest audacia causæ, Creditur a multis fiducia. *Plin.* 6. *Ep.* 29. Assiduitate nimia facilitas, magis quam facultas; nec fiducia, sed temeritas paratur. Cf. *Auct. B. Alex.* 74. Vel temeritate, vel fiducia commotus. *Liv.* 25. 37. Mirabundi unde tanta audacia, tanta fiducia sui victis ac fugatis. In malam partem *Tac.* 11. *Ann.* 26. Flagitiis manifestis subsidium ab audacia petendum. *Id. Germ.* 31. Nec defuit audentia Druso Germanico. et *Quintil.* 12. *proœm.* 4. Velut tutioris audentiæ est, tentare quibus paratior venia est.

FĬDES, is, et *sæpius plur. num.* fides, ium, f. 3. proprie sunt chordæ, seu nervi in lyra contenti, *le corde*: videtur esse a σφίδες. *Hesych.* Σφίδες, χορδαὶ μαγειρικαί.

I.) Proprie. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 81. Quæ veterum tuba, quæque lyra Flatibus inclyta, vel fidibus etc.

II.) Translate. ¶ 1. Fides dicitur instrumentum, in chordis habens harmoniam, lyra, cithara, ab etymo superius allato; male enim *Paul. Diac. p.* 89. 16. *Müll.* Fides, genus citharæ dicta, quod tantum inter se chordæ ejus, quantum inter homines fides concordet; cujus diminutivum fidicula est, *strumento musicale da corda, cetra, lira, violino*, λύρα, κιθάρα. — a) In singulari numero. *Horat. Epod.* 13. 9. fide Cyllenea Levare duris pectora sollicitudinibus. *Ovid. Heroid.* 5. 139. Me fide conspicuus Trojæ munitor amavit. *h. e.* Apollo. *Id. ibid.* 15. 23. Sume fidem, et pharetram: fies manifestus Apollo. *Id.* 5. *Fast.* 104. Inventor curvæ, furibus apte, fidis. *h. e.* Mercuri. *Id.* 11. *Met.* 167. Instructamque fidem gemmis et dentibus Indis Sustinet a læva: tenuit manus altera plectrum. *Pers.* 6. 4. Fides Latina. *Val. Flacc.* 4. 88. Adsumpta fide. *Sidon. carm.* 16. 5. Phœbum, et ter ternas decima cum Pallade Musas Sperne, fidis. Adde *Auson. Eidill.* 10. 143. — b) In plurali numero, in quo solum modo prosæ scriptores utuntur. *Plaut. Epid.* 3. 4. 63. Fidibus cantare. *Ter. Eun.* 1. 2. 53. scire. *Cic. Senect.* 8. 26. discere. *Id.* 9. *Fam.* 22. docere aliquem. *Id. Brut.* 54. 199. Ut enim ex nervorum sono in fidibus, quam scienter ii pulsi sint, intelligi solet; sic etc. *Id.* 2. *Legg.* 15. 39. Illa severa Lacedæmon nervos jussit, quod plures quam septem haberet, in Timothei fidibus demi. *Id.* 1. *Tusc.* 2. 4. Fidibus canere præclare. *Id.* 5. *ibid.* 39. 113. Fidibus uti. *Quintil.* 1. 10. 14. Fidibus et tibiis canere. *Id.* 5. 10. 124. Vox fidibus jungenda. *Id.* 9. 2. 5. Quod in fidibus fieri videmus. *Horat.* 1. *Od.* 12. 11. *de Orpheo*. Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus. *Id.* 2. *Ep.* 2. 143. verba sequi fidibus modulanda Latinis. *h. e.* lyrico carmine. — c) *Nihil cum fidibus graculo*, proverbium, quo significatur, imperito homini et a studiis ac doctrina imparato, nullum cum Musis commercium esse debere. Habet *Gell. præfat. ad fin.* ¶ 2. Est etiam nomen signi cœlestis, quæ et *Lyra* dicitur. *Varro* 2. *R. R.* 5. 12. Hoc secundum astri exortum facio, quod Græci vocant Λύραν, Fidem nostri. *Cic. Arat.* 381. Cedit clara Fides Cyllenia, mergitur unda Delphinus. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 14. Cal. Febr. Fidis incipit occidere. et *ibid.* Tert. Id. Majas Fidis mane oritur. et *ibid. sub fin.* Non. Januariis Fidis exoritur mane. Adde *Sidon. carm.* 16. 5. ubi quoque *fidis* habetur: quod in recto videtur rectius: inde est enim *fidicula*, non *fidecula*.

FĬDĬCEN, cinis, m. 3. (fide et cano) qui fidibus canit, *suonatore di strumenti da corde*, κιθαριστής. ¶ 1. Generatim pro citharista. *Cic.* 9. *Fam.* 22. 3. Socratem fidibus docuit nobilis fidicen. *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 27. Et qui Mæoniam Phæacida vertit, et una Pindaricæ fidicen tu quoque, Rufe, lyræ. — Fidicinum Romanorum collegium memoratur in *Inscript.* apud *Henzen.* 6098. D. M. T. AVR. T. F. PONT. CLITO DEC. COLL. FIDICINUM ROMANORUM. Cf. *aliam* apud *Orell.* 2448. ¶ 2. Speciatim pro poeta lyrico. *Horat.* 4. *Od.* 3. 23. Romanæ fidicen lyræ. *h. e.* poeta lyricus. Sic *Id.* 1. *Ep.* 19. 33. Hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinus Vulgavi fidicen.

FĬDĬCĪNA, æ, f. 1. (fide et cano) quæ lyra canit, citharistria. *Ter. Phorm.* 1. 2. 59. et *Eun.* 3. 2. 4.; et *Plaut.* multis in locis. *V.* PSALTRIA.

FĬDĬCĬNĀRĬUS, ii, m. 2. idem ac fidicen. *Gloss. Philox.* Fidicinarius, λυριστής.

FĬDĬCĬNĬUS vel fidicinus, a, um, adject. ad fides et fidicinem pertinens. *Plaut. Rud. prol.* 43. Eam vidit ire e ludo fidicinio domum. *Al. leg.* fidicino.

FĬDĬCĬNO, as, are, n. 1. fidibus cano. *Capell.* 9. p. 314. Megaris, saxum, ad ictum pulsus cujuscumque fidicinat. Idem et *Pausan.* 1. 42. 1. narrat. *Gloss. Philox.* Fidicino, λυρίζω.

FĬDĬCĬNUS. *V.* FIDICINIUS.

FĬDĬCŬLA, æ, f. 1. *Fidicla* syncope est *Prudentii* 10. περὶ στεφ. 481. et 550. — Fidicula, et sæpius in plurali numero fidiculæ

I.) Proprie apud sequioris ævi scriptores sunt nervi, aut chordæ tenuiores, quibus arcte constringuntur ac torquentur rei, sive in equuleo, sive extra: e similitudine fidium. Neque enim placere potest, quod *Isid.* tradit 5. *Orig.* 27., inde dictas esse, quod iis rei in equuleo torquentur, ut *fides* inveniatur. At *A. Maius* ad *Scriptor. vet. N. Collect. T.* 3. p. XXVI. n. XVIII. ex *Cod. Vatic.* hic putat legendum *fodiculas* pro *fidiculas*. *Seneca* 3. *Ira* 3. Apparatus illi reddendus est unus, equulei et fidiculæ et ergastula et cruces. *Sueton. Tib.* 62. Excogitaverat etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum simul urinæque tormento distenderet. *Id. Cal.* 33. Exquirere fidiculis de aliquo. *Quintil. Declam.* 19. 12. Tendebam fidiculas. *Imppp. Valentinian. Valens et Gratian. Cod. Theod.* 9. 35. 1. Fidiculas perferre.

II.) Translate. ¶ 1. Est parva cithara, *piccola cetera*, λύριον. *Cic.* 2. *Nat. D.* 8. 22. Quid, si platani fidiculas ferrent numerose sonantes? ¶ 2. Est etiam signum cœleste: *V.* LYRA. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 37.; et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 50. (222). — NB. De nom. urbis *V.* ONOM.

FĬDĬCŬLĀRĬUS, a, um, adject. ad fidiculam pertinens, qui fidicularum seu chordarum more flexilis et contortus est. Translate *Fronto de eloq.* (edente iterum *A. Mai*) p. 229. Discere autem ceratinas, et soritas, et pseudomenus, verba contorta et fidicularia, *nempe* captiosa.

FĬDIS, is. *V.* FIDES, is.

FĬDĬUS, ii, m. Quia Græce Ζεὺς Πίστιος Juppiter Fidius dicitur, quidam putant τὸ *Fidius* pro fido et fideli arripiendum: nam πίστις *fides* est. Plerique tamen *Fidius* vel sæpius *Dius Fidius* et *Deus Fidius* est Jovis filius, quem *Sancum* vel *Sanqum* Sabina lingua, Herculem Græca appellari putabant, ut *Varro* 5. *L. L.* 66. *Müll.* docet. *Paul. Diac. p.* 147. 8. *Müll.* Mediusfidius compositum videtur, et significare Jovis filius, id est Hercules, quod Jovem Græci Δία: et nos Jovem: ac fidium pro filio; quod sæpe antea pro L littera D utebantur — a) *Fidius* absolute legitur apud *Ovid.* 6. *Fast.* 213. Quærebam, Nonas Sanco, Fidione referrem, An tibi, Semo pater: quum mihi Sancus ait: Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo. Nomina trina fero: sic voluere Cures. — b) *Deus Fidius* occurrit apud *Plaut. Asin.* 1. 1. 8. Per deum Fidium quæris: juratu mihi video necesse esse eloqui, quidquid roges. *Vetus formula* apud *Varron.* 5. *L. L.* 52. *Müll.* Apud ædem dei Fidii in delubro. *Id.* apud *Non.* p. 494. 30. *Merc.* Itaque domi rituis nostri, qui per deum Fidium jurare vult, prodire solet in compluvium. — c) *Medius Fidius* et copulatis vocibus *Mediusfidius*, juramenti genus est, quod valet *me dius Fidius juvet* vel *amet*, ut *mehercules*, *mecastor*, h. e. *me Hercules*, *me Castor juvet* vel *amet*: nos dicimus simili sensu, *così Dio m'ajuti*, *così Dio mi voglia bene*. Aliis illud *me* adverbium esse videtur, ut quod Græci μὰ Δία dicebant, hoc est per Jovem, Latini *medius* dixerint. *Cic.* 5. *Fam.* 21. Unum medius Fidius tecum diem libentius posuerim, quam etc. *Sall. Cat.* 35. Satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi, quam mediusfidius veram licet cognoscas. Adde *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 74.; *Liv.* 5. 6.; *Quintil.* 5. 12. 17; *Tertull. Idol.* 20.; et *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 301. Sic *Plin.* 4. *Ep.* 3. Hominem ne Romanum tam Græce loqui? non, medius Fidius, ipsas Athenas tam Atticas dixerim. — *Paul. Diac. loc. cit.* aliorum item opinionem refert, qui *mediusfidius* idem esse putabant, ac *per divi fidem*: et aliorum, qui *per diurni temporis*, id est *diei fidem*. Hoc juramentum est proprium virorum, ut notat *Charis.* 1. p. 183. *Putsch.*

FĪDO, fidis, fisus sum fidere, n. 3. vox fere poetica; sed Part. præs. occurrit etiam apud optimos auctores in prosa oratione. — *Fidebo* antique pro *fidam* est *Novii* apud *Non* p. 509. 4. *Merc.* Tibi quum fidebo, fidelis ero. — Præteritum est *fisus sum*, teste *Charis.* 1. p. 222. *Putsch.*, *Diomed.* 1. p. 352. et *Priscian.* 8. p. 818. — Part. *Fidens* etiam in fin., et *Fisus*. — Fidere, ratione habita etymi, conjungendum est cum Gr. πιθ, unde πείθω πείθομαι, πίστις; et significat fiduciam habere, spem ponere, confidere, θαῤῥέω (It. *fidarsi, confidarsi*; Fr. *se fier, se confier, avoir confiance*; Hisp. *fiar, confiar*; Germ. *vertrauen, sich verlassen*; Angl. *to trust to, rely upon, put confidence in*). Occurrit — a) Cum Dativo. *Virg.* 9. *Æn.* 378. celerare fugam in silvas et fidere nocti. *Id.* 11. *ibid.* 351. Fugæ fidens. *Ovid.* 15. *Met.* 827. tædæ non bene fisa. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 22. qui sibi fidit, Dux regit examen. *Id.* 2. *Sat.* 2. 108. uterne Ad casus dubios fidet sibi certius? *Cic.* 6. *Att.* 6. 4. Puer bene sibi fidens. Adde *Liv.* 3. 62. *Tac.* 4. *Ann.* 59. Præbuitque ipsi (*Cæsari*) materiem, cur amicitiæ constantiæque Sejani magis fideret. — b) Cum Ablativo. *Cic.* vertens *Arati* versus 4. *Acad.* (2. pr.) 20. 66. et 2. *Nat. D.* 41. 106. Hac (*Cynosura*) fidunt duce nocturna Phœnices in alto. *Id.* 1. *Off.* 23. 81. Hæc sunt opera magni animi et prudentia consilioque fidentis. *Virg.* 3. *G.* 31. Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis. *Ovid.* 4. *Pont.* 9. 78. Hinc arcu fisos terruit ense Getas. *Id.* 7. *Met.* 545. fidere cursu. *Id.* 9. *ibid.* 125. Haud tamen effugies, quamvis ope fidis equina. *Nepos Lysand.* 3. Fidens pecunia. *Sueton. Aug.* 65. sobole. Apud *Nepot. Chabr.* 1. alii leg. *in ea victoria fidens*; alii *ea victoria*. — Figurate *Lucan.* 8. 303. Spicula nec solo spargunt fidentia ferro; Stridula sed multo saturantur tela veneno. *h. e.* spargunt spicula non solum munita ferro, verum etiam imbuta veneno. — c) Cum Dativo, an cum Ablativo, incertum. *Cic.* 10. *Att.* 8. 2. Dubitantem magis, quam fidentem suis rebus. *Sall. Jug.* 112. Jugurtham cupere omnia, quæ imperarentur facere, sed Mario parum fidere. *Horat.* 1. *Od.* 14. 15. Nil pictis timidus navita puppibus Fidit. *Id.* 3. *ibid.* 24. 20. nec nitido fidit adultero. *Quintil.* 10. 7. 18. Nec quisquam tantum fidat ingenio, ut etc. Adde *Plin.* 4. *Ep.* 13. *extr.* et 8. *ibid.* 21. 4. *Val. Flacc.* 1. 118. fidens auxiliis. *Id.* 6. 248. thoracibus. *Id.* 6. 260. nexibus umbræ populem. *Id.* 8. 112. dictis. *Tac.* 4. *Ann.* 59. officiis. — d) Cum Infinito. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 41. fidis enim manare poetica mella Te solum. *Lucan.* 4. 615. parum fidens pedibus contingere matrem. *Id.* 5. 577. Fisus cuncta sibi cessura pericula Cæsar. *Sil. It.* 1. 432. qui carmine pollens Fidebat magica ferrum crudescere lingua. — e) Absolute. *Plaut. Asin.* 3. 2. 15. Ubi fidentem fraudaveris. *h. e.* illum, qui fidem habebat, qui credebat. *Forcellinus* hunc locum singulari paragr. distinxit. *Val. Flacc.* 4. 544. Fidere mens sed cæca nequit: quantumque propinquat Phasis et ille operum summus labor; hoc magis angunt Proxima. — Hinc Part. præs., cujus multa superius exempla retulimus,

Fidens, *entis*, adjective quoque occurrit; unde Comp. *Fidentior* et Sup. *Fidentissimus* sub *a*: et est qui fidit, *animoso, ardito, sicuro*, θαρσαλέος. — a) Absolute. *Cic.* 3. *Tusc.* 7. 14. Qui fortis est, idem est fidens (quoniam confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur, ductum verbum a confidendo, quod laudis est), qui autem est fidens, is profecto non extimescit: discrepat enim a timendo confidere. *Id.* 1. *ibid.* 46. 110. Fidenti animo gradietur ad mortem. *Id.* vertens *Homeri* versus 2. *Divinat.* 30. 64. Tum Calchas hæc est fidenti voce locutus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 21. (57). Dum for-

tuitu fidens non est contra feram. *non ha coraggio.* *Ammian.* 16. 12. Romanus fidentior. *Id.* 27. 10. Fidentissimo impetu acies motæ. — *b*) Cum Genitivo. *Virg.* 2. *Æn.* 61.; et *Tac.* 4. *Ann.* 59. Fidens animi. *Lucan.* 9. 373. fidens armorum.

FĪDŪCĬA, æ, f. 1. est opinio et spes certa, confidentia, securitas, θάρσος. Est autem plus, quam spes, major nimirum ac certior, ut patet ex *Liv.* 45. 8. Populorum casibus cognita populi Romani clementia non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis præbet. Cf. *Seneca Ep.* 16. Dicam tamen quid sentiam: jam de te spem habeo, nondum fiduciam (It. *fiducia, confidenza, speranza*; Fr. *confiance, assurance, conviction*; Hisp. *confianza, presuncion, esperanza*; Germ. *d. Zuversicht, Sicherheit, das Vertrauen*; Angl. *trust, confidence, reliance, boldness, assurance, hope*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Amic.* 15. 52. Hæc enim est tyrannorum vita, in qua nulla fides, nulla stabilis benevolentiæ potest esse fiducia. *Id.* 2. *Invent.* 54. 163. Fidentia est, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocavit. Sic *Plin.* 3. *Ep.* 9. *ante med.* Fiduciam omnem in re aliqua reponere. *Ovid.* 11. *Met.* 430. Neve tuum fallas animum fiducia tangat, Quod socer Hippotades tibi sit. — Cum Gerund. *Quintil.* 7. 2. 30. Hanc fiduciam fuisse accusatoribus falsa objiciendi. *Id.* 7. *proœm.* 3. Præstandi, quod exigebatur, fiducia. — Sequente part. ut. *Quintil.* 5. 12. 1. Nec mihi fiducia est, ut ea sola esse contendam. — Et sequente Infinito. *Sueton. Oth.* 5. Per hos sollicitati reliqui, nec adeo multi, haud dubia fiducia in ipso negotio plures affuturos. *Al. aliter leg.* — *b*) Sæpius cum Genitivo rei, in qua quis fiduciam reponit. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 12. 5. Nihil esse, quod posthac arcæ nostræ fiducia conturbaret. *Cæs.* 7. *B. G.* 19. Hoc se colle Galli fiducia loci continebant. *Id.* 2. *B. C.* 37. Nunciabantur hæc eadem Curioni; sed aliquamdiu fides fieri non poterat: tantam habebat suarum rerum fiduciam. Cf. *Virg.* 9. *Æn.* 188. Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum. *Propert.* 3. 23. 1. Falsa est ista tuæ, mulier, fiducia formæ. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 434. *Quintil.* 12. 8. 8. Fiducia memoriæ. *Id.* 9. 2. 51. causæ. *Id.* 4. 2. 113. juris. *Id.* 11. 1. 75. justitiæ alienjus. *Id.* 12. 7. 3. Ex fiducia bonæ mentis. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 82. Tibi eam fiduciam diligentiæ habeo, ut etc. *confido tanto nella tua diligenza, che* etc. *Tac. Agric.* 1. Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt. — *c*) Cum Genitivo personæ, in qua quis fiduciam habet. *Cic.* 2. *Verr.* 14. 40. Se habere hominem potentem, cujus fiducia provinciam spoliaret. *Cæs.* 1. *B. C.* 20. Ducem suum Domitium, cujus spe atque fiducia permanserint, fugæ consilium capere. *Virg.* 1. *Æn.* 136. Tantane vos generis tenuit fiducia vestri? *Liv.* 25. 37. *a med.* Mirabundi, unde tanta audacia, tanta fiducia sui victis ac fugatis. *Justin.* 12. 16. Alexander tantam fiduciam sui militibus fecit, ut, illo præsente, nullius hostis arma, nec inermes, timuerint. *h. e.* attulit. *Plin.* 4. *Ep.* 29. Nihil est, quod in dextram aurem fiducia mei dormias. *fidandoti sopra di me.* Eodem sensu *fiducia tua* pro *fiducia tui* est apud *Plaut Bacch.* 3. 3. 9. Nunc propter te tuamque pravus factus fiduciam. *per la fiducia che ha in te.* V. paragr. proxime sequentem. — *d*) Abstractum pro concreto. *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 1. Tu quoque nostrarum quondam fiducia rerum. *Sil. It.* 2. 342. spes et fiducia gentis Regulus Hectoreæ. Cf. *Tac.* 2. *Hist.* 4. Titus aucto animo ad patrem pervectus suspensis provinciarum et exercituum mentibus ingens rerum fiducia accessit. ¶ 2. Speciatim *fiducia* ponitur pro *fiducia sui*. *Ter. Andr.* 3. 5. 6. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo qui sum pollicitus ducere? qua fiducia id facere audeam? *con quale coraggio etc?* *Cæs.* 7. *B. G.* 76. Omnes alacres et fiduciæ pleni ad Alesiam proficiscuntur. *e pieni di coraggio.* *Auct. B. G.* 8. 10. Timorem suum sperabat fiduciam barbaris allaturum. *Liv.* 34. 46. Consul ubi, quanta fiducia esset hosti, sensit, nuncium ad collegam mittit — ut stolidam fiduciam hosti augeret. Adde *eumd.* 30. 29. *Id.* 6. 23. Superbam fiduciam ostentare. *Phædr.* 5. 7. Insolentem arripere. *Ovid. Heroid.* 17. 37. Hoc quoque enim dubito: non quod (*mihi*) fiducia desit, Aut etc. *Nepos Pelop.* 3. Fiducia nimia magnæ calamitati solet esse. *Sueton. Claud.* 25. Simplicitate eorum et fiducia motus. *Id. Galb.* 19. Prodiit tanta fiducia. *Quintil.* 5. 13. 51. Fiduciam igitur orator præ se ferat —, tamquam de causa optime sentiat. *Id.* 4. 1. 19. Fiduciam jactare. *Ammian.* 24. 1. Certiore jam spe provectus exercitus ad fiduciam.

II.) Translate. ¶ 1. Est fidelitas, fides, *fedeltà*. *Plaut. Trin.* 1. 2. 79. Quid tu adolescentem, qui tuæ mandatus est fidei et fiduciæ, quin eum restituis? Adde *eumd. ibid.* v. 105. ¶ 2. In re forensi *fiducia* est res, quæ pignori datur creditori, ea lege, ut, soluta ad diem pecunia restituatur: ita dicta, quod debitor creditoris fidei quodammodo commendat pignus, donec, soluta pecunia, ad se redeat, *pegno, ipoteca*. *Cic. Flacc.* 21. 51. Pecuniam adolescentulo, grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupavisti. Hanc fiduciam commissam tibi dicis: tenes hodie ac possides. *h. e.* dicis, hoc, quod fiduciæ et pignoris causa ab adolescentulo acceperas, tuum proprium factum esse, quia ille debitam pecuniam non solvit. *V.* COMMITTO in fin. — Præterea quælibet alienatio, aut venditio traditiove rei, adjecta restituendi aliquando obligatione sub quibusdam conditionibus, *fiducia* dicitur, quia alterius fidei veluti servanda committitur. Præcipue vero locum habuit in emancipationibus liberorum, in quibus per trinam fictam venditionem a patre factam, et restitutionem ab emptore, manumissio fiebat. Dicebatur enim pater vendere sub spe ac fiducia, ut ab emptore sibi restitueretur. Sed de his consulendi JCti. *Cic.* 3. *Off.* 17. 70. Scævola fidei bonæ nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis. *Id. Cæcin.* 3. 7. Qui per tutelam, aut societatem, aut rem mandatam, aut fiduciæ rationem fraudavit quempiam etc. — *Fiduciam accipere* dicitur is, qui quidpiam sub obligatione remittendi acceperit. *Cic. Topic.* 10. 42. Si tutor fidem præstare debet, si socius, si cui mandaris, si qui fiduciam acceperit; debet etiam procurator. — *Judicia fiduciæ* sunt, in quibus agitur de violata fide ab eo, qui sub fiduciæ ratione, hoc est sub conditione restitutionis, aliquid accepit, neque, quum debuit, restituit, sed fraudavit. In iis solemnis erat illa formula, ut *inter bonos bene agier*, quam *Cic.* 3. *Off.* 15. 61., *Topic.* 17. 66. et 7. *Fam.* 12. 2. commemorat. Porro gravissima hæc judicia habebantur et pæne capitalia. Qua de re hæc habet *Cic. Rosc. com.* 6. 16. Si qua sunt privata judicia summæ existimationis, et pæne dicam capitis, tria hæc sunt, fiduciæ, tutelæ, societatis. Æque enim perfidiosum et nefarium est fidem frangere, quæ continet vitam; et pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit; et socium fallere, qui se in negotio conjunxit. Adde *eumd.* 3. *Nat. D.* 30. 74.; et cf. *Isid.* 5. *Orig.* 21.

Homonym. *V.* in fin. v. FIDES.

FĪDŪCĬĀLĬTER, adverb. cum spe ac fiducia. *Augustin.* 9 *Confess.* 13. Fiducialiter speramus. Adde *Ambros. Virg. laps.* 3.; et *Vulgat. interpr. Act.* 9. 27. Sic *Cassiod.* 8. *Variar.* 31. *a med.* Mortalium penatibus fiducialiter nidos philomela suspendit.

FĪDŪCĬĀRĬUS, a, um, adject. ad fiduciæ contractum spectans. ¶ 1. Generatim *res fiduciaria* est, quæ alteri ea lege traditur, ut postea tradenti reddatur. *Liv.* 32. 38. Eam urbem Nabidi veluti fiduciariam dare. Hinc *Cæs.* 2. *B. C.* 17. operam legati vocat fiduciariam; quia legatus potestatem suam ab imperatore accipit, quam redeunti ad exercitum imperatori debet cedere. V. *Herzog.* ad h. l. *Auct. B. Alex.* 23. Fiduciarium regnum. *Curt.* 5. 9. 8. Fiduciarium imperium. ¶ 2. Speciatim apud JCtos est idem ac fideicommissarius. Hinc *fiduciarius heres* est, qui nunc fideicommissarius dicitur, quod hereditatem velut fiduciam videtur accepisse, quam mox alteri traditurus sit. *Javolen. Dig.* 36. 1. 46. — *Fiduciarius tutor* apud *Cajum* 1. *Institut.* (edente iterum *Goeschenio*) § 172. est, qui se tutelæ oneri subjecerit, ideoque legitimus tutor habetur, et non minus huic, quam patronis honor præstandus est.

FĪDŪCĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FĪDŪCĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Fiduciatus*. — Fiduciare est fiduciæ contractu aliquid dare. *Inscript.* apud *Gruter.* 638. 4. M. ULPIUS AUG. LIB. SYMPHORUS SIBI, ET ULPIAE HELPIDI UXORI FECIT, ET LIBERTIS LIBERTABUSQUE, EA CONDICIONE, NE FIDUCIENT, NE VENDANT, NEVE ALIO QUO GENERE ID SEPULCRUM ALIENARE ULLI POTESTAS SIT. *Alia* apud *Henzen.* 7331. VALERA VOLO AB HEREDIBUS MEIS, ET NE VENDAT, NE FIDUCIARE LICEAT, NEC DE NOMINE EXIRE LICEAT. Adde *aliam* apud *Murat.* 794. 1. *Gloss. Philox.* Fiduciat, ὑποτίθεται. *Tertull. Idolol.* 23. Sub pignoribus fiduciati. *Gloss. Philox.* Fiduciatus, ὑποτιθέμενος.

FĪDUS, a, um, adject. (fido). Comp. *Fidior* I.; Sup. *Fidissimus* I. et II. — Fidus est is, cui fidi potest, fidelis, πιστός (It. *fido, fedele, fidato*; Fr. *fidèle, sûr, loyal, à qui l'on peut se fier*; Hisp. *leal, fiel*; Germ. *treu, zuverlässig, redlich*; Angl. *faithful, trusty, to be relied on*).

I.) Proprie dicitur de hominibus eorumque operibus, itemque de canibus; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Amic.* 18. 65. Firmamentum stabilitatis constantiæque est ejus, quam in amicitia quærimus, fides: nihil est enim stabile, quod infidum. — Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum; neque vero qui non eisdem rebus movetur naturaque consentit, aut fidus aut stabilis potest esse. *Id. ibid.* 15. 53. Tum se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, quum jam neutris gratiam referre posset. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 24. Fidi amici. *Id.* 2. *Sat.* 1. 30. sodales. *Cic.* 14. *Fam.* 4. *extr.* Mea Terentia, fidissima atque optima uxor. Sic *Val. Flacc.* 8. 419. conjux fidissimus. Adde *Horat.* 2. *Ep.* 1. 142. *Id. Horat.* 4. *Od.* 9. 40. Bonus atque fidus judex. *Id.* 1. *Ep.* 8. 9. medici. *Id. Art P.* 133. interpres. *Sall. Jug.* 71. Erat ei Numida quidam negotiorum curator, fidus acceptusque et omnium consiliorum — particeps. *Liv.* 26. 32. Fidissimus cultor. *Val. Flacc.* 8. 197. rector. *Liv.* 40. 3. Fidiora hæc genera hominum fore ratus. — *Cic. Amic.* 26. 97. In qua (*amicitia*) nisi, ut dicitur, apertum pectus videas tuumque ostendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas. Cf. *Liv.* 1. 11. Ne quid usquam fidum proditori esset. *Cic.* 2. *Off.* 8. 30. Familiaritates habere fidas amantium nos amicorum. *Nepos Datam.* 8. Pax et amicitia fida. *Horat.* 2. *Od.* 12. 15. bene mutuis Fidum pectus amoribus. *Val. Flacc.* 3. 710. Fida ministeria. *Id.* 5. 61. dextra. *Id.* 1. 810. manus. — *Lucret.* 6. 1221. Fida canum vis. *Id.* 5. 862. Fidum pectus canum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 158. Canum tam fida custodia, tamque amans dominorum adulatio. — *b*) Cum Genitivo pro Nominativo, Græco more. *Sueton. Ner.* 47. Præmissis libertorum fidissimis Ostiam ad classem præparandam. — Et cum positivo vice superlativi. *Stat.* 2. *Theb.* 483. juvenum fidos, lectissima bello Corpora, sollicitat pretio etc. — *c*) Cum Dativo. *Liv.* 33. 28. Servus fidus domino. *Justin.* 16. 5. 3. Ut eos (*servos*) sibi fidiores et dominis infestiores redderet. *Auct. B. Afr.* 76. Ne fidissimos suis rebus Thapsitanos amitteret. — *d*) Cum Genitivo pro Dativo. *Virg.* 12. *Æn.* 659. Regina tui fidissima. — *e*) *Fidus animus* aliquando est fidens et constans. *Liv.* 25. 15. Inconditam Thurinorum turbam, nec satis fido animo, unde pugnabat, stantem, extemplo in fugam averterunt.

II.) Translate usurpatur de rebus physicis et de abstractis apud Poetas aurei, et apud prosæ quoque auctores sequioris ævi. *Virg.* 6. *Æn.* 524. Fidus ensis. *Ovid.* 10. *Met.* 382. Murmura verborum fidas nutricis ad aures Pervenisse ferunt. Cf. *Virg.* 5. *Æn.* 547. fidam sic fatur ad aurem. *Ovid. Ib.* 299. fida pocula. *h. e.* in quibus nulla veneni suspicio. *Val. Flacc.* 5. 101. amnis ante alios Triviæ fidus. *h. e.* gratus, carus, dilectus. *Sil. It.* 3. 473. Non peditl fidus (*fluvius*), patulis non puppibus æquus. *Id.* 3. 665. Cynosura fidissima nautis. *Tac.* 15. *Ann.* 15. Qui pontem ingredi ausi sunt, validum et fidum intellexere. *Id.* 5. *Hist.* 6. Montem tantos inter ardores opacum et fidum nivibus. *Id.* 3. *Ann.* 1. Ruere ad oppidum Brundisium, quod naviganti celerrimum fidissimumque appulsu erat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 49. 109. (261). Camelino genitali arcus intendere, orientis populis fidissimum. *h. e.* tutissimum. *Ovid.* 7. *Met.* 192. Nox arcanis fidissima. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 330. fida incendia. *h. e.* ignes arte facti, qui non exurunt. *Sil. It.* 4. 24. Et fidos certant obices arcessere silva. *Ammian.* 21. 2. Fidum ope-

rimentum. *h. e.* scutum. *Virg.* 3. *Æn.* 112. Fida silentia. *Id.* 2. *ibid.* 23. statio male fida carinis. *Id. ibid.* 281. spes fidissima Teucrum. *h. e.* certissima. *Ovid.* 13. *Met.* 319. Fida sententia. *Tac.* 1. *Ann.* 52. Paucioribus Drusum et finem Illyrici motus laudavit, sed intentior et fida oratione. *Id.* 2. *Hist.* 92. Nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est.

Homonym. *Plaut. Trin.* 1. 1. 3. CH. Qualin' amico mea commendavi bona? LY. Probo et fideli et fido et cum magna fide. Ex hoc *Plauti* loco inter *fidum* et *fidelem* quidam non unum discrimen statuunt, ut *fidus* dicatur in maximis, *fidelis* in minoribus: *fidus* sit amicus, *fidelis* servus: *fidus* natura sit, *fidelis* virtute ac studio: *fidus*, cui fidendum, *fidelis*, qui fidem præstat. Verum hæc discrimina vel nulla sunt, vel non servantur. Hucusque *Forcellinus*. Ceterum inter *fidum* et *fidelem* illud certe discriminis interest, quod *fidus* natura est; *fidelis* virtute ac studio: quo respicit etiam *Fronto* p. 1335. *Putsch.* hisce verbis: *Fidelis* fit, *fidus* nascitur. Hinc *fidus*, cui fidendum; *fidelis*, qui fidem præstat, etiamsi quis ei parum vel minime fidit: *fidus* secundum quid; *fidelis* absolute dignus, qui laudetur. Allato *Plauti* loco adde *Liv.* 22. 22. Eo vinculo Hispaniam vir unus sollerti magis, quam fideli consilio exsolvit. Abelux erat Sagunti, nobilis Hispanus, fidus ante Pœnis.

FIDUSTA, a fide denominata ea, quæ maxime fidei erant (ut a vetus *vetustus*, ab onus *onustus*.) *Paul. Diac.* p. 89. 15. *Müll.*

FĪGĀTUM, i, n. 2. *V.* FICATUM.

FĪGLĪNA, æ, et

FĪGLĪNUM, i. *V.* voc. seq.

FĪGLĪNUS, a, um, adject. per syncopen a *figulinus*, ad figulum pertinens, figularis. *Varro* 3. *R. R.* 9. 3. Ucem oblinunt figlina creta. Adde *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 25. (30). *Vitruv.* 5. 10. 3. *Schneid.* Concamerationes vero si ex structura factæ fuerint, erunt utiliores: sin autem contignationes fuerint, figlinum opus subjiciatur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (66). Zeuxis fecit et figlina opera. — Integrum *figulinus* legitur apud *Plin.* 31. *Hist. nat.* 11. 17. (130). In cruda olla figulini operis. et *Arnob.* 6. 14. Simulacra fornacibus incocta figulinis. — Figulina tegula cum nota consulum incipit ab anno U. C. 721. V. *Memorie dell' Instit. Archeol.* p. 178. in nota. — Hinc

Figlina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Est ars figuli. *Varro* 1. *R. R.* 2. 23. Figlinas exercere. ¶ 2. Item officina figuli. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 6. 12. (32). Pithecusa dicta a figlinis doliorum. *Sillig.* leg. figulinis. *Id.* 7. *ibid.* 56. 57. (198). Figlinas invenit Corœbus Atheniensis. Apud *Gud.* p. 76. 77. et 78. multæ de figlinis, *h. e.* officinis Inscriptiones veteres leguntur. — Integrum *figulina* legitur in *Inscript.* apud *Orell.* 935.

Figlinum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est opus figuli, v. gr. vas fictile. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 27. (46). Si figlinum humidum, ruptum reperiatur. *Id.* 34. *ibid.* 18. 50. (170). Alii elimatam scobem in fictili crudo coquunt in caminis, donec percoquatur figlinum.

FIGMEN, inis, n. 3. figmentum, simulacrum. *Prudent. Apotheos.* 798. Factor utroque hominem meditans de figmine junctim Ædificare sui similem. Adde *eumd. ibid.* 1035.; et *Capell.* 3. p. 49.

FIGMENTUM, i, n. 2. (fingo) id quod fictum est, πλάσμα. ¶ 1. Generatim. — *a*) Abstracte. Figmenta verborum apud *Gell.* 20. 9. sunt novorum verborum formationes, qualia sunt illa *Cn. Matii*, ibid. *columbatim*, *venerare*, etc. — *b*) Concrete, uti ajunt, sensu est ipsa res ficta et formata, simulacrum. *Gell.* 5. 12. Ejusque animalis figmentum juxta simulacrum stat. *Prudent.* 2. *in Symmach.* 215. Figmentum animæ. *Ammian.* 22. 9. Figmento deæ cœlitus lapso. Adde *eumd.* 17. 1., 14. 6. et 22. 13. *Id.* 23. 6. Post direptum hoc idem figmentum. *Id.* 22. 16. Figmentum signorum. *Id.* 19. 1. Figmentum hominum mortuorum. *Id. ibid.* Figmentum aureum capitis arietini. *Id.* 15. 5. Ad arbitrium figmenti. *Id. ibid.* Figmentum tentatæ cupiditatis. ¶ 2. Speciatim est commentum, id quod quis imaginandi vi fingit, et nusquam exsistit. *Lactant.* 7. 2. Figmenta poetarum. *Apul.* 4. *Met.* Figmenta somniorum. *Ammian.* 19. 12. Per quietem deducentia se habitus tragici figmenta viderat. Adde *Spartian. Alex. Sev.* 21. — Exempla autem, quæ afferunt quidam lexicographi ex *Plin.* 10. *Hist. nat.* 51. 73. (153). et ex *Cic.* 2. *Orat.* 45. 188., nihil huc pertinent. Nam apud *Plin.* pro *figmentis* legendum est *fimetis*; apud *Cicer.* vero *pigmentis*.

FIGO, gis, xi, xum, gere, a. 3. Ἀραρίσκω; pro *fixum* dictum est *fictum*, ut apud *Lucret.* 3. 4. Inque tuis nunc Ficta pedum pono pressis vestigia signis. *Al. leg.* fixa. *Varro* 3. *R. R.* 7. 4. Sub ordines singulas tabulæ fictæ ut sint bipalmes, quo columbæ utantur vestibulo ac prodeant. *V.* CONFIGO.
Part. *Figens* II. 1.; *Fixus* I., II. 1. et in fin.; *Fixurus* II. 1. — Figere (ejusdem etymi ac *pangere*, a Gr. πήγνυμι, unde ἔπηξα *fixi* et πηκτόν *fictum* seu *fixum*) est immittere, adigere, affigere, πήγνυμι (It. *ficcare*, *conficcare*; Fr. *ficher*, *enfoncer*, *attacher*, *fixer*; Hisp. *fixar*, *hincar*, *introducir*, *encaxar*; Germ. *heften*, *an–*, *hineinheften*, *– schlagen*, *– fügen*, *befestigen*; Angl. *to fix*, *fasten*, *thrust in*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 21. Imbrices medias clavulis figere. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 1. Figere palum in parietem. *Cic.* 14. *Phil.* 3. 6. Dubitare, utrum mucrones in cive, an in hoste figantur. *Id.* 7. *Verr.* 6. 12. Quam damnatis crucem servis fixeras. *h. e.* in terram fixeras atque ante extuleras. *Virg.* 1. *G.* 115. feraces Figat humo plantas. *h. e.* serat, *pianti*. *Horat.* 3. *Od.* 24. 5. Figere clavos verticibus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 21. (100). cuneos. *Pers.* 5. 111. nummum in luto. *Virg.* 10. *Æn.* 701. cristas vertice. *Propert.* 2. 19. 2. spicula pectore. *Ovid.* 5. *Met.* 116. mucronem lævo tempore. *Id.* 3. *Fast.* 398. Sagitta læva pede fixa. *Id.* 1. *Met.* 472. Hoc (*telum*) deus in Nympha fixit. *Id. Heroid.* 16. 362. Figere sagittam in loco. *Liv.* 8. 8. cuspidem in terra. *Id.* 2. 65. pila in terram. *Id.* 10. 29. pila in scuta. *Virg.* 7. *Æn.* 457. fumantes fixit sub pectore tædas. *Ovid.* 8. *Met.* 382. Arundo fixa sub aure feri. *Tibull.* 1. 9. 38. in collo figere dente notas. *Cic. Arat.* 432. virus in venas per vulnera. *Ovid.* 5. *Trist.* 7. 19. fixo dare vulnera cultro. *Val. Flacc.* 8. 368. Figere aliquem sub aquis. *sommergere*. *Justin.* 38. 10. 3. caligas auro. *h. e.* aurum suffigere caligis. *Martial.* 11. 21. Figat acus tortas sustineatque comas. *Virg.* 1. *Æn.* 316. in frusta secant verubusque trementia figunt. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 11. (57). Canes vivi in furca fixi. — *b*) Speciatim pro affigere, suspendere, *appendere*, *sospendere*, *attaccare*. *Ovid.* 1. *Fast.* 158. Inter opus celsa sub trabe figit hirundo. *Ennius* apud *Cic. Pis.* 19. 43. Naufragio expulsus, saxis fixus asperis. *Sueton. Domit.* 10.; et *Quintil.* 7. 4. 30. Figere aliquem cruci. *Justin.* 21. 4. 17. corpus lacerum in cruce. *Al. leg.* in crucem. — Præcipue de armis et donis. *Cic.* 1. *Divinat.* 34. 74. Arma, quæ fixa in parietibus fuerant, ea sunt humi inventa. Sic *Id.* 2. *ibid.* 31. 67. Ea scuta, quæ fuerant sublime fixa, sunt humi inventa. *Virg.* 4. *Æn.* 495. arma fixa thalamo. *Id.* 3. *ibid.* 287. clipeum postibus adversis figo. *Id.* 12. *ibid.* 768. nautis venerabile lignum, Servati ex undis ubi figere dona solebant Laurenti divo. *Val. Flacc.* 1. 529. Quippiam Marti dono figere. In quodam *S. C.* apud *Plin.* 8. *Ep.* 6. Fixit id æs ad statuam loricatam divi Julii. Sic *Sueton. Claud.* 17. Figere navalem coronam fastigio Palatinæ domus juxta civicam. Similiter *Flor.* 3. 2. 6. Domitius Ænobarbus et Fabius Maximus ipsis, quibus dimicaverant locis, saxeas erexere turres, et desuper exornata armis hostilibus tropæa fixere. Sic *Id.* 2. 17. 16. Claudium Unimanum pæne ad internecionem exercitus cecidit, et insignia trabeis et fascibus nostris, quæ ceperat, in montibus suis tropæa fixit. Cf. *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 6. — Hinc *figere arma* dicuntur etiam milites defuncti jam bello, et gladiatores rude donati. *Virg.* 1. *Æn.* 251. Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit Troia. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 1. Vejanius armis Herculis ad postem fixis, latet abditus agro. Adde *Sil. It.* 15. 191. et 678. — *c*) Item speciatim *figere tabulas legis* vel *figere leges* est legem ferre, *promulgare*, *fare leggi*, quia mos erat æreis tabulis incisas publice suspendere, ut legi vulgo possent. Contra *refigere* est tollere, abrogare, rescindere. *Cic.* 1. *Phil.* 1. 3. Ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti Cæsaris aut beneficii figeretur. Cf. *eumd.* 3. *Cat.* 8. 19. *Id.* 12. *Phil.* 5. 12. Num figentur rursus eæ tabulæ, quas vos decretis vestris refixistis? Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 91. Pœna metusque aberant: nec verba minacia fixo Ære legebantur. *Cic.* 14. *Att.* 12. Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani. *Virg.* 6. *Æn.* 622. leges fixit pretio atque refixit. — *d*) Poetica et figurata sunt illa *Virg.* 12. *Æn.* 70. figitque in virgine vultus. *fissa lo sguardo*. *Ovid.* 4. *Met.* 196. Leucothoen spectas; et virgine figis in una, Quos mundo debes, oculos. *Id.* 7. *ibid.* 87. in vultu lumina fixa tenet. *Id.* 13. *ibid.* 456. Inque suo vidit figentem lumina vultu. *Sil. It.* 4. 264. atque oculos optato in corpore figit. *Virg.* 1. *Æn.* 486. solo fixos oculos tenere. *Ovid.* 13. *Met.* 541. adversâ figit modo lumina terrâ, interdum etc. *Seneca Ep.* 11. Figere oculos in terram. Cf. *Ovid. Heroid.* 20. 205. Ut, te conspecta, subito (si forte notasti) Restiterim fixis in tua membra genis. Et Græcorum more *Virg.* 11. *Æn.* 507. oculos horrenda in virgine fixus. (Sic *Id.* 6. *ibid.* 156. defixus lumina vultu.) Et *Pers.* 3. 80. Obstipo capite et figentes lumine terram. ὑπαλλαγή pro *lumina terrâ*. — Similiter *Lucret.* 4. 1172. foribus miser oscula figit. *Virg.* 1. *Æn.* 691. oscula dulcia figere. Adde *Val. Flacc.* 7. 254. *Sil. It.* 11. 333. oscula pedibus. — Similiter *Virg.* 6. *Æn.* 159. cui fidus Achates It comes, et paribus curis vestigia figit. — *e*) Hinc etiam illa, quæ apud Poetas et apud prosarios quoque sequioris ævi scriptores occurrunt, in quibus figere ponitur pro sistere, statuere. *Sil. It.* 11. 471. Placavit (*Orpheus*) plectro, et fixit revolubile saxum. *h. e.* vi cantus effecit, ut Sisyphus saxum in montem volvere paullulum desisteret. *Val. Flacc.* 7. 559. Figere gradus. *fermare il passo*. *Id.* 6. 116. vagus hos ibi fixerat error. *h. e.* posuerat, statuerat. *Juvenal.* 3. 2. sedem figere Cumis. *piantar abitazione*, *metter casa*. Sic *Tac.* 13. *Ann.* 54. domos. *Ammian.* 16. 12. munimenta. *Id.* 31. 11. præsidia.

II.) Translate. ¶ 1. Figere est ferire, vulnerare, trajicere, *trafiggere*. *Virg.* 10. *Æn.* 382. Hunc intorto figit telo. *Auct. B. Alex.* 30. *extr.* Figere hostes telis. *Ovid.* 2. *Art. am.* 190. apros cuspide. *Seneca Provid.* 3. cutem clavi. *Ovid.* 2. *Met.* 504. Vulnifico fuerat fixurus pectora telo. Sic *Virg.* 5. *Æn.* 544. volucri qui fixit arundine malum. *Sil. It.* 1. 305. figitque per arma Stantem pro muro et minitantem vana Caicum. *Tibull.* 2. 1. 71. Amor fixit puellas. *ferisce*. *Virg.* 2. *Ecl.* 29. Figere cervos. *Id.* 5. *Æn.* 516. columbam. *Martial. Spect.* 12. suem. *Virg.* 12. *Æn.* 537. Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro. *Ovid.* 5. *Met.* 650. figere pectus. *Sueton. Domit.* 19. Spectavere ex industria ita quarumdam ferarum capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornua effingeret. Sic *Ovid. Heroid.* 16. 277. Hoc mihi, nam repeto, fore ut a celeste sagitta Figar, erat verax vaticinata soror. *Martial.* 1. 61. figere vulnus. *dar una ferita*. *Seneca Herc. Œt.* 519. figere mortem. *h. e.* figendo mortem inferre. — Et metaphorâ hinc sumptâ *Virg.* 7. *Æn.* 291. acri fixa dolore. ¶ 2. Item est adigere, sistere, *fermare*, *fissare*: ad rem *Cic.* 7. *Verr.* 21. 53. Ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret. *Id.* 2. *Fam.* 6. 3. Ego omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi et locavi. *Stat.* 1. *Achill.* 380. dum repetit monitus, arcanaque murmura figit Auribus. *inculca*, *imprime*. *Virg.* 3. *Æn.* 250. Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta. *h. e.* memori pectore condite. *Juvenal.* 9. 91. Et tacitus nostras intra te fige querelas. *h. e.* reconde in animo tuo, ne vulgentur. *Seneca Tranquill. anim.* 15. Adeo penitus hoc se malum fixit, ut etc. *h. e.* invaluit, obtinuit, radices egit. *Horat.* 3. *Od.* 15. 2. Tandem nequitiæ fige modum tuæ. *pon fine*. ¶ 3. Et pro addere. *Sil. It.* 7. 111. Est etiam, cur Flaminio mihi gloria cæso Creverit; et titulis libeat cur figere nostris Crudum Marte viri nomen. *Heinsius* conjecit *suffigere*. ¶ 4. Denique, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. II. 1., est alicujus famam lacerare. *Cic.* 1. *Nat. D.* 34. 93. Zeno non eos solum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, ceteros figebat maledictis, sed Socratem ipsum scurram Atticum fuisse dicebat. *Id. Orat.* 26. 89. Vitabit insanabiles contumelias, tantummodo adversarios figet, nec eos tamen semper. *h. e.* dictis et salibus feriet. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Fixus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Fixior* II.; et est affixus, infixus, *fitto, fisso*.

I.) Proprie. *Cic. Rabir. Post.* 9. 25. Illud maneat et fixum sit, quod neque moveri, neque mutari potest. *Val. Flacc.* 8. 195. Hæc ait, ignarus fixas jam numine rupes Stace, neque adversis ultra concurrere saxis. *Cf. Sil. It.* 9. 317. Nec magis aut Libyco protrudi Dardana nisu Avertive potest pubes, aut ordine pelli Fixa suo Sarrana manus, quam etc. — Stellæ fixæ in cœlo, quas *Cic.* appellat *inerrantes*, sunt de quibus *Manil.* 2. 35. Ceteraque ex variis pendentia casibus astra, Æthera per summum voluerunt fixa revolvi. Similiter *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 15. Quodque polo fixæ nequeunt tibi dicere flammæ etc. et *Val. Flacc.* 6. 441. Illius ad fremitum sparsosque per avia succos Sidera fixa pavent et avi stupet orbita Solis. *Capell.* 8. p. 290. Observa lunæ ortum, et stellam fixam simul cum ea orientem.

II.) Translate. *Cic. Sext.* 5. 13. Cujus (*integritatis*) ego nuper in Macedonia vidi vestigia non pressa leviter ad exigui prædicationem temporis, sed fixa ad memoriam illius provinciæ sempiternam. *Id. Cluent.* 45. 126. Id non ita fixum esse deberet, ut convelli non liceret. *Id. Balb.* 28. 64. Illud fixum in animis vestris tenetote, vos de beneficio Pompeji judicaturos. *Lepidus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 34. 3. Quæ perpetuo animo meo fixa manebunt. *Cic.* 8. *Att.* 14. 2. Scito, labare meum consilium illud, quod satis jam fixum videbatur. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 9. 27. Decretum stabile, fixum, ratum. *Id. ibid.* 46. 141. Ratum, fixum, firmum fuisse vis. *Id. Mur.* 30. 62. Dixisti: quippe jam fixum et statutum est. *Virg.* 4. *Æn.* 15. Si mihi non animo fixum immotumque sederet, Ne cui me vinclo vellem sociare jugali. *Sil. It.* 4. 797. Aut si, velle nefas Superos, fixumque sedetque etc. *Id.* 2. 364. et 3. 114. Fixum est hoc facere. *h. e.* certum est, statutum, omnino deliberatum. *Val. Flacc.* 5. 289. stat pectore fixum, Æetæ sociare manus. *Id.* 8. 405. Hæc ubi fixa viris, tempus fluctusque quietos Exspectant. *Sil. It.* 9. 475. Ne speret fixas Parcarum vertere leges. *Juvenal.* 13. 239. tamen ad mores natura recurrit Damnatos, fixa et mutari nescia. *Arator.* 1. *Act. Apost.* 322. Arva tremunt concussa locis, tu fixior hæres. *più saldo e ostinato*: quo sensu *Virg.* quoque 2. *Æn.* 650. Talia perstabat memorans fixusque manebat.

FĬGŬLĀRIS, e, adject. ad figulum pertinens. *Plaut. Epid.* 3. 2. 35. Versatior es, quam rota figularis. *Colum.* 8. *R. R.* 9. 3. et 6. *ibid.* 17. 8. Figularis creta. *Cels.* 1. 3. *ad fin.* Alvum adstringit labor, sedile, creta figularis corpori illita, cibus imminutus. Sic absolute *Colum.* 7. *R. R.* 5. 9. Deinde figularis triti et picis liquidæ et fricti salis singulos sextarios infundunt. *Gesner.* Ita legendum putat: et sane *tritum latericium* in simili medicina est apud *eumd. Colum.* 6. *ibid.* 14. 7.

FĬGŬLĀRĬUS, κεραμεύς. *Gloss. Lat. Gr.*

FĬGŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. compositio. *Tertull. Anim.* 25. Animam non in utero concipi, nec cum carnis figulatione compingi.

FĬGŬLĀTOR faber, κεραμεύς. *Gloss. Lat. Gr.*

FĬGŬLĀTURIT, Figulum (cognomen civis R.), et *Fimbriaturit*, Fimbriam imitatur, aut colit: voces sunt fictæ ab *Asinio* apud *Quintil.* 8. 3. 32., ubi tamen *Spalding.* rectius legit *Figulatus* et *Fimbriatus*.

FĬGŬLĀTUS, a, um. *V.* FIGULO, et voc. præced.

FĬGŬLĪNA, æ, f. 1. *et*

FĬGŬLĪNUS, a, um. *V.* FIGLINUS.

FĬGŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Figulatus.* — Figulare est formare, effingere in morem figuli. *Tertull. advers. Valentin.* 24. Figulat ita hominem Demiurgus, et de afflatu suo animat. *Id. Exhort. cast.* Nam quum hominem figulasset. *Alii hic leg.* figurasset. *Id. Car. Chr.* 9. Corpus hoc nostrum de limo figulatum.

FĬGŬLUS, i, m. 2. (fingo) κεραμεύς. fictor, qui ex argilla opera facit (It. *vasajo, figulino*; Fr. *potier*; Hisp. *ollero*; Germ. d. *Töpfer*; Angl. *a potter or worker in clay*). *Varro* 3. *R. R.* 15. 2. Hi saginantur in doliis, quæ etiam in villis habent multi, quæ figuli faciunt multo aliter atque alia, quod in lateribus eorum semitas faciunt, et cavum, ubi cibum constituant. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 1. 9.; et *Justin.* 22. 1. 2. *Seneca Ep.* 90. § 30. Anacharsis, inquit Posidonius, invenit rotam figuli, cujus circuitu vasa formantur. Ego nec Anacharsin hujus rei fuisse auctorem contendo. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 43. (151). Dibutades Sicyonius figulos primus invenit ex argilla fingere similitudines. *Juvenal.* 10. 171. *de Alex. M.* Quam tamen a figulis munitam intraverit urbem, Sarcophago contentus erit. *h. e.* Babylonem cocto latere exstructam. *Inscript.* apud *Murat.* 963. 2. et apud *Orell.* 4190. FIGVLVS AB IMBR. (*V.* IMBREX) et opponitur tegulario. Sic *figulus sigillator*. V. hanc vocem. Hæc postrema cl. *Furlanetto* in *Append.* At *Labus*, in *epistol.* 14. Aug. 1822., allatam ex *Murat.* lapidem fictilium putat. — In quibusdam municipiis et coloniis figulorum fuit collegium. *Inscript.* prope *Spalatro* in Dalmatia reperta. A. SERVILIO V. C. PROVINCIÆ DALMATIAE PRAESIDI CLARISSIMO INTEGERRIMOQVE COLLEGIUM FIGVLORUM D. D. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

FĬGŪRA, æ, f. 1. a *fingo* (*fig*) est conformatio rei, forma, species, σχῆμα (It. *figura, forma, sembianza, fattezza*; Fr. *figure, forme, configuration, apparence*; Hisp. *figura, forma*; Germ. d. *geformte Gestalt, Figur, Form, d. Körper*; Angl. *a figure, form, shape, make, fashion, likeness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De hominibus et brutis. — *Figura* et *forma* junguntur apud *Cic.* 5. *Fin.* 12. 35. Corporis nostri partes totaque figura et forma et statura quam apta ad naturam sit, apparet. *Id.* 3. *Orat.* 45. 179. Referte nunc animum ad hominum vel etiam ceterarum animantium formam et figuram. — Etiam *formæ figura* interdum dicitur. *Lucret.* 4. 67. formai servare figuram. *Cic.* 1. *Nat. D.* 32. 90. Hoc dico, non ab hominibus formæ figuram venisse ad deos. — Item *conformatio* et sæpius *species* et *figura* junguntur. *Cic.* 1. *Orat.* 25. 114. Conformatio quædam et figura totius oris et corporis. *Id.* 1. *Nat. D.* 18. 47. Quæ conformatio lineamentorum, quæ figura, quæ species humana potest esse pulcrior? – Quod si omnium animantium formam vincit hominis figura, deus autem animans est: eâ figurâ profecto est, quæ pulcherrima sit omnium. *Id. Rosc. Am.* 22. 63. Monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut etc. *Liv.* 29. 17. In hoc legatu vestro nec hominis quidquam est præter figuram et speciem. *Cæs.* 6. *B. G.* 28. Uri sunt specie et colore et figura tauri. *Ovid.* 1. *Met.* 436. Edidit innumeras species, partimque figuras Rettulit antiquas, partim nova monstra creavit. — Item *figura* et *lineamenta*, *figura* et *habitus* junguntur. *Cic.* 4. *Verr.* 36. 89. Eum multo magis figura et lineamenta hospitæ delectabant. *Id. ibid.* 35. 87. Signum in muliebrem figuram habitumque formatum. — Ceterum *Cic.* 3. *Verr.* 21. 57. Non solum numerum signorum, sed etiam magnitudinem, figuram, statum definice. Ubi *Pseudo-Ascon.* p. 171. *Bait.* figura est circa gestum situmque membrorum, status circa ornatum et habitum vestis, insignium et armorum. *Id.* 3. *Off.* 8. 32. Feritas bestiæ in figura hominis. *Id.* 1. *Tusc.* 16. 37. Has imagines loqui volunt; quod fieri nec sine lingua, nec sine palato, nec sine faucium, laterum, pulmonum vi et figura potest. *Nepos Eumen.* 12. Homo non tam magno corpore, quam figura venusta. *Ter. Eun.* 2. 3. 25. PA. Quid tua istæc? CH. Nova figura oris. PA. Papæ! CH. Color verus, corpus solidum et succi plenum. *Ovid. Heroid.* 10. 133. Di facerent, ut me summa de puppe videres: Movisset vultus mœsta figura tuos. *Id.* 2. *Art. am.* 143. Ergo age, fallaci timide confide figuræ, Quisquis es. *h. e.* timidius spem pone in pulcritudine tua. *Cæs.* 6. *B. G.* 25. Bos cervi figura. — *b*) De inanimis. *Cæs.* 4. *B. G.* 25. Figura navium. *Justin.* 15. 4. ancoræ. *Ovid.* 3. *Met.* 399. lapidis figuram trahere. *mutarsi in sasso*. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (90). Figura doliorum. *Id.* 27. *ibid.* 12. 98. (124). Semen nigrum, latum, ad lenticulæ dimidiæ figuram. *Scribon. Compos.* 157. Figura emplastri. *Ammian.* 18. 6. Figuræ rotarum. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 9. (49). Figura rotunditatis aut proceritatis. *Id. ibid.* 22. 38. (118). Granum quadrangula figura. *Id.* 3. *ibid.* 16. 20. (121). Padus triquetram figuram inter Alpes atque oram maris facere proditus. *Varro* 5. *L. L.* 105. *Müll.* Postea ei (*pani*) figuras facere instituerunt alias. *darci altre forme o figure*. *Id.* 8. *ibid.* 78. *Müll.* Ut fictor quum dicit fingo figuram imponit. *dà figura*. *Ovid.* 11. *Met.* 253. mentiri figuras centum. *trasformarsi*. *Id.* 8. *ibid.* 615. Di dant adimuntque figuras. *Id.* 15. *ibid.* 338. nec non et lympha figuras Datque capitque novas. *Id. ibid.* 169. Utque novis fragilis signatur cera figuris etc. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 131. Te quoque flebilibus mœrens, hyacinthe, figuris. *h. e.* notis, litteris. ¶ 2. Speciatim *figuræ* dicuntur mortuorum umbræ, φαντάσματα, quas viventibus apparere putabant veteres. *Lucret.* 4. 37. eadem nobis vigilantibus obvia mentes Terrificant atque in somnis, quum sæpe figuras Contuimur miseri simulacraque luce carentum. *Virg.* 10. *Æn.* 641. Morte obita quales fama est volitare figuras, Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus. *Inscript.* apud *Orell.* 4817. CVM VITA FVNCTVS IVNGAR TIS (*h. e.* tuis) VMBRA FIGVRIS. ¶ 3. Item speciatim apud philosophos Epicureos dicitur de atomis. *Lucret.* 2. 385. Dicere enim possis, cælestem fulminis ignem Subtilem magis e parvis constare figuris, Atque ideo transire foramina. Adde *eumd.* 2. 682. et 778., 3. 191. et alibi sæpe. Sic *Quintil.* 10. 2. 15. Illas figuras Epicuri, quas e summis corporibus dicit effluere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est modus, ratio, species. *Cic.* 3. *Herenn.* 15. 25. De figura vocis satis dictum est: nunc de corporis motu dicendum videtur. *h. e.* de vocis conformatione et forma. *Id.* 1. *Invent.* 28. 41. Majus et minus ex figura negotii, sicut et statura corporis, consideratur. *Id.* 3. *Orat.* 55. 212. Ut figuram orationis plenioris et tenuioris et item illius mediocris ad id, quod agimus, accommodatam deligamus. *h. e.* stilum, genus dicendi. *Id.* 2. *ibid.* 23. 98. Qui (*Curio*) verborum gravitate et elegantia et copia suam quamdam expressit quasi formam figuramque dicendi. *Ovid. Heroid.* 10. 81. Occurrunt animo pereundi mille figuræ. *h. e.* modi. *Cajus Dig.* 39. 6. 30. Mortis causa capitur, quum propter mortem alicujus capiendi occasio obvenit, exceptis his capiendi figuris. *h. e.* capiendi speciebus, *questi casi*. *Marcian. ibid.* 35. 2. 30. *a med.* Id, quod non figura conditionis accipere jussus est. *h. e.* sub conditione, vel sub ratione conditionis. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 43. Figuram veri ducere. *h. e.* imaginem habere, verum imitari. ¶ 2. Speciatim apud Grammaticos significat positionem, casum, *desinenza, forma*. *Varro* 9. *L. L.* 52. *Müll.* Nomina, quod quinque habent figuras, habere quinque casus. *Id. ibid.* 55. *Müll.* Non debuisse ex singulis vocibus ternas vocabulorum figuras fieri, ut *albus, alba, album*. Sic *Id.* 9. *ibid.* 37. et 10. 27. et 58. *Müll.* Figura verbi. *Quintil.* 1. 4. 29. Quædam verba tertiæ personæ figura dicuntur, ut *licet, piget*. Adde *eumd.* 8. 2. 15. ¶ 3. Item speciatim — *a*) Apud Grammaticos et Rhetores figura, σχῆμα, est conformatio quædam orationis, remota a communi et primum se offerente ratione, ut *Quintil.* 9. 1. 4: definit. Duplicis autem est generis, verborum et sententiarum: illud in singulis verbis, hoc in integra sententia fit. Utriusque generis plurimas enumerat *Cic.* 3. *Orat.* 53. et 54. et *Orat.* 39. et 40.; et *Quintil.* 9. 2. et 3. Adde *Sueton. Rhet.* 1. et 6.; et *Quintil.* 9. 1. 1., 6. 3. 70. et 12. 5. 1. — Differt a tropo. *V.* TROPUS. — *b*) Aliquando apud Rhetores *figura* dicitur integra oratio, vel orationis bona pars, in qua aliquid describitur obliqua forma, et ex qua aliud intelligatur; unde *figuratis controversiis* nomen est factum: item descriptio artificiosa alicujus rei, vel ut magis placeat, vel ut plenius percipiatur, vel ut magis id conficiat, quod volumus: quo sensu cum *colore* nonnihil convenit. *Seneca* 4. *Controv.* 29. *a med.* Totam hac figura declamavit: non sum, inquit, vobis dicturus etc. *Id.* 5. *ibid.* 33. *a med.* Hoc genere insectatus sæculi vitia, egregia figura, inquinatum et infamem reum majorum criminum impunitate defendit. *Quintil.* 9. 2. 93. Quæsitum etiam est, quomodo responderi contra figuras oporteret: et quidam semper ex diverso aperiendas putaverunt, sicut latentia vitia rescinduntur. — Similis est ironiæ, nisi quod ironia contrarium dicit, figura aliud. *Seneca* 2. *Benef.* 11. Hæc ipsa non verniliter, nec ea figura, qua quidam rejiciunt, quæ magis ad se volunt attrahere. ¶ 4. Dicitur aliquando de scommate et dicto, *botta, motto, bottone, motteggio*. *Sueton. Vesp.* 13. Amicorum libertatem, causidicorum figuras ac philosophorum contumaciam lenissime tulit. *Id. Domit.* 10. Hermogenem Tarsensem (*occidit*) propter quasdam in historia figuras; librariis etiam, qui eam descri-

sperant, cruci fixis. *Quintil.* 9. 2. 82. Nemo se tenuit, agens pro patre, quin figuras in filium faceret.

Homonym. *Figura*, *forma* et *species* in eo differunt, quod *figura* res nobis sistit mathematice; forma vero αἰσθητικῶς et moraliter; *species* denique physice: *figura* ex lineamentis constat, qua ratione in pictura per solas lineas effigies hominis dignoscitur; *forma* consistit in exteriore partium dispositione, quæ interiorem rei naturam præ se fert exprimitque (unde *formosus*); *species* autem sita est in rei colore, magnitudine seu statura, et similibus, quæ sub oculos cadunt. (Cf. *Fr. Lex.* apud *Herm. Em. Rat. Gr.* p. 310. Μορφὴ ἐπὶ ἐμψύχων; σχῆμα δὲ ἐπὶ ἀψύχων). Hinc in *figurâ* et *formâ* ratio præcipue habetur ejus rei, in qua ipsæ sunt cuique adhærent; in *specie* ratio habetur hominis, qui rem videt ejusque ideam (εἶδος) sibi format: *figura* et *forma* sunt aliquid reapse existens et verum; *species* est externus rei adspectus vel apparentia, sæpe quidem pulcra, sed qua tamen decipi possumus (unde *Horat.* 1. *Ep.* 16. 45. Introrsùs turpem, speciosum pelle decora). Similiter *figurare* est in informi quadam materia futuri operis lineamenta ducere; *formare* est rei partes in ordinem recte disponere atque ita, ut intimam ipsius rei naturam deceat; *speciem addere* est pulcritudinem ac venustatem extrinsecus addere. *Cic.* 5. *Fin.* 12. 35. Corporis nostri partes totaque figura et forma et statura quam apta ad naturam sit, apparet. *Id.* 3. *Orat.* 45. 179. Referte nunc animum ad hominum, vel etiam ceterarum animantium formam ac figuram. *Id.* 1. *Tusc.* 16. 37. Animorum formam aliquam figuramque quærebant. *Plin. Paneg.* 55. Quin etiam leviora hæc, formam principis figuramque non aurum melius vel argentum, quam favor hominum exprimat teneatque. — Aliquando alterum verbum alteri subjicitur, ut apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 32. 90. Hoc dico, non ab hominibus formæ figuram venisse ad deos. *Lucret.* 4. 67. veterem formai servare figuram. *Id.* 5. 731. Ordine formarum certo certisque figuris. — *Cæs.* 6. *B. G.* 28. Uri sunt magnitudine paullo infra elephantos; specie et colore et figura tauri (*species* hic est vocabulum generale ratione habita *coloris* et *figuræ*). *Id. mox.* Amplitudo cornuum et figura et species multum a nostrorum boum cornibus differt. *Cic.* 5. *Tusc.* 39. 114. Quæ species formæque pugnæ? etc. Confer etiam *eumd.* 1. *Nat. D.* 10. 26. Quasi aer sine ulla forma Deus esse possit, quum præsertim Deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie deceat esse. *Quintil.* 6. 2. 1. Opus (*oratorum*) – judicum animos, in quem volumus habitum, formandi et velut transfigurandi.

FĬGŪRĀLĬTAS, ātis, f. 3. figuratus dicendi modus. *Fulgent. de contin. Virg. ante med.* Ergo sub figuralitate historiæ plenum hominis monstravimus statum.

FĬGŪRĀLĬTER, adverb. ἐσχηματισμένως, figurate. *Tertull. Testim. anim.* 2.; *Sidon.* 8. *Ep.* 14. *a med.*; et *Augustin. Gen.* 1. *init.*

FĬGŪRĀTĒ, adverb. Comp. *Figuratius.* — Figurate est per figuras, *figuratamente.* *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 2. *Verr.* 6. 17. p. 132. *Bait.* Figurate dixit. *Sidon.* 5. *Ep.* 8. Figuratius quem pungere.

FĬGŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus figurandi.

I.) Proprie est actus figurandi, itemque ipsa figura et conformatio. *Vitruv.* 9. 4. Zona duodecim signis conformata exprimit depictam a natura figurationem. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 88. (217). Nervi hic teretes, illic lati, ut in unoquoque poscit figuratio. *Apul. Dogm. Plat.* 1. Quum quædam Apollinis figuratio (*h. e.* ipsius Apollinis phantasma, sive ipse Apollo) Perictione se miscuisset, Plato natus est. *Hygin. Astron. præf.* Sphæræ figuratio.

II.) Translate. ¶ 1. Est imaginatio. *Quintil.* 6. *Declam.* 15. Si quisquam figuratione quadam in hac malorum conditione judicem ponat. *Id.* 12. *ibid.* 27. Si spei figuratione tardius cadit. *Id.* 6. *ibid.* 4. O vanæ figurationes, et pectora hominum alto errore confusa! ¶ 2. Item vocabulorum positio, casus, forma. *Gell.* 17. 2. *a med.* Inusitate dixit *diurnare*, pro diu vivere: sed ex ea figuratione est, qua dicimus *perennare*. ¶ 3. Item figurarum usus in dicendo, exornatio. *Fronto* 1. *ad Antonin. Aug.* (edente iterum *A. Mai*) *Ep.* 2. Quisquam illorum iis figurationibus uteretur, quæ Græci schemata vocant? *Lactant.* 1. 11. *ante med.* Officium poetæ est in eo, ut quæ gesta sunt vere, in aliquas species obliquis figurationibus, cum decore aliquo conversa, traducat.

FĬGŪRĀTĪVUS, a, um, adject. *figurativo*, ad figuram pertinens, figuris constans. *Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 38. *sub init.* Illa subtilia et figurativa legis Mosaicæ quieverunt. Hinc

Figurativa, *æ*, f. 1. absolute, substantivorum more, est ipsa figura, seu figuræ alicujus descriptio. Hinc *Hygin.* (edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 46.) *fab.* 127. In *lemmate.* Panis figurativa. *h. e.* figura; etenim mox describitur ipse Pan, ejusque vestes et insignia indicantur.

FĬGŪRĀTO, adverb. figurate. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 14. Licuit Christo esse sermonis Dei præcingi figurato. *Ubi tamen alii putant* figurato *esse adjectivum.* Adde *eumd. advers. Jud.* 9.

FĬGŪRĀTOR, ōris, m. 3. qui figurat et fingit. *Arnob.* 6. 10. Vobis ducibus et figuratoribus, luna femina est.

FĬGŪRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FĬGŪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Figurans* II. 2.; *Figuratus* in fin.; *Figurandus* I. — Figurare est figuram formamque inducere, formare, effingere, σχηματίζω (It. *dar forma, formare*; Fr. *donner la forme, former, façonner*; Hisp. *formar, dar forma à alguna cosa*; Germ. *bilden, eine Gestalt geben, gestalten*; Angl. to *forme, fashion, shape, figure*).

I.) Proprie. *Cic. Tim.* 6. Mundum ea forma figuravit, qua una omnes reliquæ formæ concluduntur. *Seneca Ep.* 61. Figurare æs in habitum statuæ. *Ovid.* 3. *Amor.* 14. 24. Inque modos venerem mille figuret Amor. *Petron. Satyr.* 102. Barbam peregrina ratione figurare. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 9. aliquid in speciem cunei. *Id. ibid.* 21. 1. vineam. *Id.* 9. *ibid.* 15. 7. ceras. *Id.* 7. *ibid.* 8. 7. caseum. Sic *Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 72. (181). Ficis humor lacteus: huic ad caseos figurandos coaguli vis. *Id.* 36. *ibid.* 22. 45. (162). Medullæ in ossibus in lapidis naturam figurantur. *Id.* 8. *ibid.* 36. 54. (126). *de fetibus ursinis.* Hi sunt candida informisque caro: hanc lambendo paullatim figurant. Adde *Pallad.* 1. *R. R.* 34. 4. et 7. *ibid.* 2. 3. *Lamprid. Alex. Sev.* 24. Figurare nummos. *Id. Helagab.* 5. vultum. — Absolute. *Cic.* 1. *Nat. D.* 39. 110. Atomi pellere se et agitari inter se concursu fortasse possent; formare, figurare, colorare, animare non possent.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 4. 550. Mobilis articulat (*voces*), verborum dædala, lingua, Formaturaque labrorum pro parte figurat. *la lingua e la disposizione che si dà alle labbra forma le parole.* *Id.* 2. 412. Musæa mele, per chordas organici quæ Mobilibus digitis expergefacta figurant. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 126. Os tenerum pueri balbumque poeta figurat. *h. e.* informat, instituit. *Nazar. Paneg. Constant.* 30. O si nunc mihi facultas daretur sermonis pro rerum dignitate figurandi! — Huc pertinet et illud *Prudent. Psychom.* 66. matrona sub umbra Legis adhuc pugnans, dum tempora nostra figurat. *h. e.* typus et figura est nostrorum temporum. ¶ 2. Speciatim est imaginari, fingere, *figurarsi.* *Curt.* 7. 1. 36. Utinam prudentius esset sollicita pro filio, et non inanes quoque species anxio animo figuraret. *Seneca* 3. *Controv.* 17. *ante med.* Qui in crepidine viderat Marium, in sella figuravit. *Seneca alter* 2. *Ira* 35. *post med.* Quales ad bella excitanda exeunt Furiæ, talem nobis iram figuremus. *Colum.* 6. *R. R.* 27. 4. Equæ assidua et nimia cupiditate figurantes sibi ipsæ venerem. *Quintil.* 9. *Declam.* 6. *extr.* Figurare potestis, qui tunc animus mihi, quæ cogitatio fuerit. *Id.* 12. *ibid.* 7. Figura tibi exesos vultus, decrescentem populum, jam præmortuas vires. ¶ 3. Item speciatim est figuris rhethoricis exornare. *Quintil.* 9. 1. 9. Tam translatis verbis, quam propriis, figuratur oratio. *Id.* 10. 1. 12. Plurima mutatione figuramus. — Et absolute. *Seneca proœm.* l. 3. *Controv.* Affectus efficaciter movit: figurabat egregie, præparabat suspiciose. Sic *Plin.* 3. *Ep.* 13. Invenire præclare, enunciare magnifice, interdum etiam barbari: disponere apte, figurare varie, nisi eruditis, negatum est. — Hinc Part. præter. pass.

Figuratus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, et est conformatus, *formato*.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 159. Boum ipsa terga declarant, non esse se ad onus accipiendum figurata. *Id.* 5. *Fin.* 12. 34. Ita figuratum (*hominis*) corpus, ut excellat aliis. *Tac. Germ.* 9. Signum in modum liburnæ figuratum. *Petron. Satyr.* 33. Ova figurata ex farina pingui. *Scribon. Compos.* 46. Spongiæ particula apta forcipe ad amplitudinem et patorem narium figurata. *Ammian.* 29. 5. Aciem in rotundo habitu figuratam opponit. — Est etiam simpliciter figuram habens; cui opponitur liquidus et fluens, *figurato*. *Cels.* 2. 3. *a med.* Venter ei, qui a periculo tutus est, reddit (*excrementa*) mollia, figurata. Adde *eumd. ibid.* 8. *ante med.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est figuris dicendi exornatus. *Quintil.* 9. 1. 13. Aliam orationem esse ἀσχημάτιστον, id est figuris carentem, aliam ἐσχηματισμένην, id est figuratam. *Id.* 8. 1. 1. Verba figurata. *Id.* 9. 2. 7. Simplex est sic rogare: Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris? Figuratum autem, quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi etc. Adde *eumd.* 9. 1. 12.; et *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. *Spartian. Sev.* 14. Pleraque figurata dicere. — *Figuratæ controversiæ*, ἐσχηματισμένοι λόγοι, sunt, in quibus tota oratione dissimulatio adhibetur, et causa non aperte et simpliciter, sed oblique agitur, et quasi furtim, ut per quamdam suspicionem, quod non dicimus, intelligatur: quod fit, quum palam dicere vel tutum non est; vel non decet; vel si ea ratione major causæ venustas ac probabilitas acquiratur. Hujus rei exemplum volunt quidam esse Æschinis et Demosthenis orationem contra et pro Ctesiphonte. *Quintil.* 9. 2. 65. et 88., 9. 1. 14. et 5. 10. 70. *Hieronym. Ep.* 81. *n.* 1. Præfatiuncula tua oblique, imo aperte petor. Poteram et ego, qui sæpissime figuratas controversias declamavi, aliquid de vetere artificio repetere, et tuo te more laudare. Sed absit a me, ut, quod in te reprehendo, imiter. ¶ 2. Speciatim *figurata febris* apud *Theod. Priscian.* 2. 1. *ante med.* opponitur simplici, et videtur esse ea, quæ vulgo a medicis *febbre larvata* appellatur.

Homonym. *V.* in fin. v. FIGURA.

FĪLĀMEN. *V.* FLAMEN, inis, m. 3. sub init.

FĪLANS, antis, particip. ab inusit. *filo*, unde Itali *filare* dicunt: fili instar destillans. Translate *Venant. Vit. S. Martin.* 3. 112. Turgida plaga necem vomuit de vulnere filans.

FĪLĀTIM, adverb. per fila, vel filorum in modum. *Lucret.* 2. 828. Ut fit, ubi in parvas partes discerpitur aurum, Purpura puniceusque color clarissimu' multo, Filatim quum distractus disperditur omnis.

FILECTUM, i, n. 2. *V.* FILICTUM.

FILEX, icis. *V.* FILIX.

FĪLĬA, æ, f. 1. De Dat. et Ablat. pluralis numeri *V.* infra sub I. in fin. — Filia est proles femina, θυγάτηρ (It. *figlia, figliuola*; Fr. *fille*; Hisp. *hija, muchaca, niña*; Germ. d. *Tochter*; Angl. *a daughter*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Rufinian.* § 37. Tua reconcilietur uxor, mea necetur filia. *Ter. Phorm.* 4. 3. 40. Filiam suam unicam locare. *Id. Adelph.* 3. 2. 3. Herilis filia. *Id. Heaut.* 3. 3. 41. Filia adolescentula. *Cic.* 2. *de republ.* 18. Numæ Pompilii nepos ex filia rex a populo est Ancus Martius constitutus. *Id. Cluent.* 64. 179. Despondit ei filiam suam. *Horat.* 1. *Od.* 16. 1. O matre pulcra filia pulcrior. Adde *Cæs.* 1. *B. G.* 18.; *Nepot. Arist.* 3., *Hamilc.* 3. et *Att.* 19.; *Virg.* 7. *Æn.* 52.; *Quintil.* 3. 11. 6. et 8. 4. 22.; *Justin.* 1. 4. 2. et 28. 1. 1.; *Flor.* 1. 14. 3. et alios frequenter. — *Filiafamilias V.* in FAMILIA. — Cum apposito *virgine* occurrit apud *Ter. Adelph.* 3. 4. 20.; *Curt.* 8. 4. 25. et 4. 10. 19.; et *Quintil.* 9. 2. 70. Filia virgo. Sic *Cic.* 2. *de republ.* 37. Quam Decimus quidam Virginius virginem filiam – in foro sua manu interemisset. — In Dativo plurali habet *filiis*. *Liv.* 38. 57. Huic Graccho minorem ex duabus filiis nuptam fuisse convenit. Adde *Ennium* apud *Priscian.* 7. *p.* 733. *Putsch.*; *Plaut. Stich.* 4. 1. 61. et *Pœn.* 5. 3. 9.; *Auct. B. Alex.* 33.; *Justin.* 7. 3. 3.; et *Frontin.* 4. *Strateg.* 3. 5. — Item *filiabus*, si distinctione opus sit, ut in ASINA dictum est. *Inscript.* apud *Gruter.* 750. 6. BENE SIT FILIIS, FILIABVS MEIS, QVI ME BENE COLVERVNT. Quamquam et ubi distinguere non est opus, *filiabus* usurpatum legitur. *Cato* apud *Priscian. loc. cit.* Dotes filiabus suis non dant. *Liv.* 21. 26. Cum duabus filiabus virginibus. Adde *Senec.* 1.

Quæst. nat. 17. *sub fin.*; et V. *Plin.* apud *Charis.* p. 103. *Putsch.*

II.) Translate. *Horat.* 1. *Od.* 14. 11. Pontica pinus, Silvæ filia nobilis. Cf. *Martial.* 14. 90. Non sum crispa quidem, nec silvæ filia (*mensa*) Mauræ. *Id.* 13. 35. Filia Picenæ venio lucanica porcæ. *Gell.* 13. 8. Eximie hoc atque verissime Afranius poeta de gignenda comparandaque Sapientia opinatus est; quod eam filiam Usus et Memoriæ dixit. – Versus Afranii sunt: Usus me genuit; mater peperit Memoria: Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam. *Paulin. Nolan. carm.* 21. 305. posita Gallorum solo Massilia Grajum filia. *h. e.* cujus cives a Grajis oriundi.

FĪLIĀLIS, e, adject. ad filium pertinens, ut Filialis amor, apud *Augustin. serm.* 2.

FĪLIASTER, tri, m. 2. privignus, *figliastro.* Legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 645. 4., 681. 8. et 682. 9., apud *Murat.* 1135. 1. et 1152. 4., apud *Maff. Mus. Ver.* 319. 2., et apud *Don. cl.* 10. n. 67. Est tamen non probæ notæ verbum, seu potius plebis Romanæ proprium. At melioris notæ est *Inscript.* in *Giorn. Arcad. T.* 11. p. 45. M. CLODIO SATYRO ANTONIA FORTVNATA FILIASTRO SVO bene merenti.

FĪLIASTRA vel filiatra, æ, f. 1. privigna, *figliastra.* Vox ejusdem notæ cum præcedenti. *Inscript.* non malæ tamen notæ in *Giorn. Arcad. T.* 8. p. 147. L. DOMITIVS EVTYCHVS FECIT FILIASTRAE PIISSIMAE. *Alia* apud *Murat.* 1938. 6. VITALIS PATRATER FILIATRAE SVAE VICTORIAE. *Alia* melioris notæ apud *Henzen.* 6207. Q. M. CLAVDIAE SATVRNINAE FILIASTRAE FLAVI PROCVLI ET CLAVDIAE SYNTYCHES FAVSTVS VERNA etc.

FĪLIĀTĬO, ōnis, f. 3. *filiazione,* derivatio filii a patre. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 14. *ante med.* Quum, etsi Paulus vel Petrus ad hoc pervenissent, nihil Jesus potuerat ab horum filiatione differre.

FĪLĬCĀTUS, a, um, (quod et *felicatus* legitur) particip. ab inusit. *filico,* filicis folia insculpta habens, *lavorato a fogliami. Cic.* 1. *Parad.* 2. 11. Minus ne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles hirnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? *Id.* 6. *Att.* 1. *circa med.* In filicatis lancibus et splendidissimis canistris. V. *Salmas.* ad *Solin.* p. 771. Similiter *Paul. Diac.* p. 86. 2. *Müll.* F e l i c a t a patera dicta, quod ad felicis herbæ speciem sit cælata. V. *Winkelmann. T.* 2. p. 80.

FĪLĪCĪNA, æ, f. 1. herba eadem, quæ *radiolus,* apud *Apul. Herb.* 83.

FĪLĪCŌNES mali et nullius usus a filice dicti. *Paul. Diac.* p. 86. 10. *Müll.*

FĪLICTUM vel felictum, i, n. 2. locus filice obsitus, *felceto. Colum.* 2. *R. R.* 2. 8. Locus filictis aliisque frutetis impeditus. *Pallad.* 9. *R. R.* 3. Exstirpare possumus carecta atque filicta.

FĪLĬCŬLA vel felicula, æ, f. 1. *deminut. a* filix, parva filix, herba. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 37. (58). Detrahit bilem polypodion, quam nostri filiculam vocant: similis enim est filici. Radix in usu, pilosa, coloris intus herbacei, crassitudine digiti minimi, acetabulis cavernosa, ceu polyporum cirri, subdulcis, in petris nascens, aut sub arboribus vetustis. Adde *Caton. R. R.* 158. ubi *felicula* legitur; et *Colum.* 6. *R. R.* 27. 11. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 395.) hanc exhibet synonymiam: Πολυπόδιον Theophr. de Caus. 2. 23. et Hist. plant. 9. 14., et Dioscor. 4. 188.; et *Polypodion* Plin. loc. cit.; et *Filicula* Apul. Herb. 83. et Marcell. Empir. 30. sunt *Polypodium vulgare* L. Spec. plant. 1544.

FĪLĬĬTAS, ātis, f. 3. *figliuolanza,* idem ac filiatio. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 14. *ante med.* Ex quo apparet filietas Salvatoris nostri nullam habere commistionem ad ceterorum filietatem.

FĪLĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* filia, parva filia, *figliuoletta,* θυγάτριον.

I.) Proprie. *Plaut. Cist.* 4. 1. 12. Crepundia hæc sunt, quibuscum tu extulisti filiolam nostram ad necem. *Cic.* 1. *Divinat.* 46. 103. Filiolam suam Tertiam animadvertit esse tristiculam. Adde *M. Aurel.* apud *Fronton.* ad *M. Cæs.* (edente iterum *A. Mai*) 5. *Ep.* 53.; *Juvenal.* 6. 241.; et *Sueton. Tib.* 53.

II.) Translate. ¶ 1. De jurisprudentia. *Cic. Mur.* 10. 23. Quoniam mihi videris, hanc scientiam juris, tamquam filiolam osculari tuam. ¶ 2. Dicitur per contemptum de homine imbelli ac molli. *Id.* 1. *Att.* 14. 5. Totus ille grex Catilinæ, duce filiola Curionis. *h. e.* C. Curione C. F. ¶ 3. De litteris a Cadmo inventis. *Auson. Ep.* 7. 52. Nec jam fissipedis per calami vias Grassatur Gnidiæ sulcus arundinis, Pingens aridulæ subdita paginæ Cadmi filiolis atricoloribus.

FĪLĬŎLUS, i, m. 2. *deminut. a* filius, parvus filius, *figliuolino,* τεκνίον. *Cic.* 1. *Att.* 2. 1. Filiolo me auctum scito, salva Terentia. Adde *Juvenal.* 6. 390. et 9. 83.

FĪLĬUS, ii, n. 2. *Filie* in Vocativo pro *fili* obsoletum est. *Livius Andronicus* apud *Priscian.* 7. *p.* 741. *Putsch.* Pater noster, Saturni filie. — Filius, ratione habita etymi, *Forcellino* videbatur esse a φίλιος *fœderatus,* quod a φίλος *amicus,* vel a φῦλον *genus,* mutata littera υ in ι, ut sæpe alias: rectius videtur esse a Græco υἱός *filius,* præposito digammate Æolico et inserta l. Ceterum est proles masculina, gnatus (It. *figlio, figliuolo*; Fr. *fils, enfant*; Hisp. *hijo, niño, muchacho*; Germ. *d. Sohn*; Angl. *a son*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 13. *Müll.* Extemplo acceptum me necato et filium. *J. Vahlen.* leg. *acceptam* – et *filiam. Ter. Adelph.* 4. 5. 73. Quid hoc est negoti? hoc est patrem esse, aut hoc est filium esse? *Id. Heaut.* 1. 1. 41. Filium unicum adolescentulum habeo. *Id. Phorm.* 2. 1. 23. Phædria, mei fratris filius. *mio nipote. Cic.* 3. *Nat. D.* 38. 90. Ut condemnaretur filius aut nepos, si pater aut avus deliquisset. *Id.* 2. *Fin.* 18. 58. Sex. Peducæus, cui hunc nostrum reliquit, effigiem et humanitatis et probitatis suæ filium. *Id.* 2. *de republ.* 19. Quum de matrefamilias Tarquiniensi duo filios procreavisset. *Horat.* 3. *Od.* 27. 68. Venus et remisso filius arcu. *h. e.* Cupido. *Quintil. proœm. l.* 6. Filios eniti. *Id.* 4. 2. 42. educare. Adde *Nepot. Ages.* 1., *Dion.* 2. et *Att.* 7.; *Quintil.* 11. 2. 15. et 9. 2. 85.; *Justin.* 38. 8. 13.; *Plin. Paneg.* 89.; *Flor.* 1. 14. 2. et alios frequenter. — *Cic. Dom.* 14. 36. Qui filii tibi loco per ætatem esse potuit. *Id. post redit. in senat.* 15. 37. Frater, qui in me pietate filius, consiliis parens inventus est. *Id. Dom.* 14. 37. Adoptare sibi aliquem filium. *et ibid.* Aliquem filium instituere. *eodem sensu.* — *Filiusfamilias* V. in FAMILIA. — Cum apposito nomine propr. *Cic. Amic.* 1. 3. Cum altero genero C. Fannio Marci filio. *Nepos Att.* 1. C. Marius filius. *Sulpic. Sev.* 2. *Dial.* 23. Antiocho filio interfecto. — In quibusdam Inscriptionibus optimæ notæ sigla *F.* vel *Fil.* vel integra vox *Filius* iteratur, ut nempe ille, cujus mentio ibi fieret, a patre, vel ab alio aliquo distingueretur, qui eodem prænomine, nomine et cognomine præditus esset. Hinc *Inscript.* apud *Catalanium, Antich. Firman.* p. 39. L. PAPIRII C. F. LEM. ADOPTAT. F. *Alia* apud *eumd. ibid.* L. SCRIBONIVS L. F. LIBO PATER, L. SCRIBONIVS L. F. LIBO FIL. *Alia* apud *eumd. ibid.* M. LAEVIVS T. L. DIONYSIVS HOC MONVMENTUM FECIT M. LAEVIO M. F. FAL. NIGRO FILIO SVO. — De filio naturali *V.* in NATURALIS.

II.) Translate. ¶ 1. Filius interdum usurpatur ad alicujus originem significandam. Sic *terræ filius* dicitur is, cujus pater genusque ignoratur, ignobilis, obscurus: terra enim communis omnium parens est. *Cic.* 1. *Att.* 13. 4. Et huic terræ filio nescio cui committere epistolam tantis de rebus non audeo. Adde *eumd.* 7. *Fam.* 9.; et *Pers.* 6. 59. — *Cellæ* autem *filius* dicitur, qui in lupanari a meretrice conceptus est, cella enim est meretricum cubiculum, in quo prostabant: *V.* CELLA. *Fronto ad Antonin. imp.* 12. Abripere (*hereditatem*) terræ, ut dicitur, immo cellæ filius? ita pro te præ ut *legendum videtur.* — Contra *cæli filius* de admirabili ac nobili viro dicitur. *Lactant.* 1. 11. ex *Minucio Fel.* Saturnum, quum fugatus esset a filio in Italiamque venisset, Cæli filium dictum, quod soleamus eos, quorum virtutem miremur, aut repentino advenerint, de cælo cecidisse dicere: terræ autem, quod ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus. Eadem habet *Tertull. Apolog.* 10. — *Fortunæ filius* dicitur, cui omnia ad votum succedunt, *fortunato. Horat.* 2. *Sat.* 6. 49. Eodem sensu dicitur *albæ gallinæ filius* a *Juvenal.* 13. 141. — Apud *Catull. carm.* 37. 18. Celtiberiæ filius. *h. e.* incola, civis, natione Celtiber. — *Castrorum filius* appellari voluit Caligula, teste *Sueton. Cal.* 22., quia a puero in castris educatus fuerit: *V.* CALIGULA in ONOM.; quemadmodum nonnullæ Augustorum uxores dictæ fuerunt *castrorum matres*: V. MATER. ¶ 2. Aliquando et pro liberis *filii* dicuntur. *Quintil.* 9. 3. 63. Συνεζευγμένον jungit et diversos sexus, ut quum marem feminamque filios dicimus. Adde *eumd.* 3. 8. 51. *Gell.* 12. 1. Quo vinculo parentes cum filiis natura consociat. ¶ 3. Dicitur, sed raro admodum, de brutis animalibus. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 4. Ejusmodi admissarius nepotibus magis, quam filiis, utilior est. ¶ 4. Per periphrasin *Plaut. Bacch.* 2. 3. 74. Medicorum filius. *h. e.* medicus. Alii tamen aliter omnino legunt.

FĪLIX vel filex vel fēlix, icis, f. 3. *felce,* πτέρις.

I.) Proprie herba est, de qua ita *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 55. Filicis duo genera nec florem habent, nec semen. Pterin Græci vocant, cujus ex una radice complures exeunt filices, bina etiam cubita excedentes longitudine, non graves odore: hanc marem existimant. Alterum genus thelypterim Græci vocant: est autem singularis atque non fruticosa, brevior molliorque et densior, foliis ad radicem canaliculata. Folia utrimque lateribus pinnata: radices longæ in obliquum, nigræ, etc. *Virg.* 3. *G.* 297. filicumque maniplis Sternere humum. *Id.* 2. *ibid.* 189. Filix invisa aratris. *scil.* quia radicibus removetur. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 37. Neglectis urenda filix innascitur agris. Adde *Colum.* 2. *R. R.* 2. 13.; *Pallad.* 6. *R. R.* 3. 3. et 2. *ibid.* 9. 3.; *Scribon. Compos.* 136. et 140.; et *Isid.* 17. *Orig.* 9. *Paulin. Nolan. carm.* 1. 1. Sume igitur pastas dumoso in rure volucres, Quas latitans filicis sub tegmine callidus auceps etc. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 449.) hanc exhibet synonymiam: I. Βλῆχρον Nicandr. de Ther. v. 39.; Βλάχνον Phan. in Athen. 2.; Πτέρις, οἱ δὲ βλῆχνον, οἱ δὲ πολύῤῥιζον Dioscor. 4. 186.; *Pteris seu blechnon* Plin. loc. cit.; et *Avia*? Cels. apud Colum. 6. R. R. 14. 3. sunt *Polypodium Filix* L. Spec. plant. 1551. — II. Θηλυπτερίς, οἱ δὲ νυμφαίαν πτέριν ὀνομάζουσι Dioscor. 4. 187. et *Thelypteris seu nymphæa pteris* Plin. loc. cit. sunt *Polypodium Filix femina* L. Spec. plant. 1551.

II.) Translate de pilis circa virorum genitalia nascentibus usurpat *Pers.* 4. 41. Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.

FĪLUM, i, n. 2. Etiam *filus, i,* m. usurpatum aliquando fuisse, testatur *Arnob.* 1. 59. — Quod ad etymon attinet, *Varro* 5. *L. L.* 113. *Müll.* Filum, quod minimum est hilum, id enim minimum est in vestimento. *Isid.* 19. *Orig.* 29. Fila dicta, vel quia ex pilis animalium sunt, vel quia lanificium filis tenuibus constat in modum pilorum, id est quasi filorum. Hæc *Isid.* Sunt etiam qui *filum* ex *fixilum* dictum autumant, ut *velum* pro *vexillum,* quippe quo conseritur et configitur vestimentum. Denique recentiores plerique, ratione habita etymi, *filum* conjungendum putant cum *fibra* et *fimbria.* — Ceterum filum est quod ex lino lanave trahendo ducitur; itemque aliud quidlibet huic simile, νῆμα (It. *filo*; Fr. *fil*; Hisp. *hilo*; Germ. *d. Faden*; Angl. *a thread*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Stricto sensu de lini, lanæ etc. filo. *Virg.* 6. *Æn.* 30. cæca regens filo vestigia. *Cels.* 7. 16. Filum in acum conjicere. *Ovid.* 4. *Met.* 36. levi deducens pollice filum. Sic *Id.* 1. *Amor.* 14. 7. pede deducit aranea filum. *Martial.* 6. 3. fila trahere. *Ovid.* 6. *Met.* 34. incipere fila. *h. e.* telam. *Id.* 3. *Art. am.* 445. toga filo tenuissima. *di drappo fino. Id. ibid.* 267. pleno velamina filo. *di panno grosso. Id.* 6. *Met.* 68. lentum filis immittitur aurum. *s' intesse. Vopisc. Aurel.* 45. Absit, ut auro fila pensentur. — *b*) De re quapiam subtili et filo simili. *Ennius* apud *Non.* p. 116. 6. *Merc.* Deducunt habiles gladios filo gracilento. *Lucret.* 3. 384. aranei tenvia fila. *Ovid.* 15. *Met.* 372. solent canis frondes intexere filis Agrestes tineæ. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 22. (98). Filum aureum commissuris omnibus politi lapidis subjecit artifex. *un filetto d'oro.* Cf. *Capitolin. Pertin.* 8. Vestis aureis filis insignior. *Juvenal.* 3. 286. vel breve lumen Candelæ, cujus dispenso et tempero filum. *h. e.* funiculum. — *c*) A Poetis sæpe dicitur de stamine vitæ, quod nere Parcas fabulantur. *Horat.* 2. *Od.* 3. 15. Dum res et ætas et sororum Fila trium patiuntur atra. *Virg.* 10. *Æn.* 815. extremaque Lauso Parcæ fila legunt. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 63. tibi nascenti Nerunt fatales fortia fila deæ. Adde *eumd.* 6. *Fast.* 757. *Id. Heroid.* 12. 3. quæ dispen-

sunt fatalia fila sorores, Debuerant fusos evoluisse meos. *Id. ibid.* 15. 82. ita nascenti legem dixere sorores: Nec data sunt vitæ fila severa meæ. *h. e.* mores severi. *Id.* 2. *Met.* 653. Teque ex æterno patientem numina mortis Efficient; triplicesque deæ tua fila resolvent. *Id.* 5. *Trist.* 10. 45. O duram Lachesin, quæ tam grave sidus habenti Fila dedit vitæ non breviora meæ! *Martial.* 11. 36. rupta sororum fila. *h. e.* vita amissa. *Id.* 10. 5. Et quum supremæ fila venerint horæ. *Sil. It.* 4. 28. Grandævi senes ducentes ultima fila. *Inscript.* apud *Gruter.* 690. 5. SIC ETENIM DVXERE OLIM PRIMORDIA PARCAE ET NEVERE SVPER VOBIS VITALIA FILA. — *d) Pendere filo* vel *tenui filo*, h. e. in summo discrimine versari, proverb. *Ennius* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. Hac noctu filo pendebit Etruria tota. *Ovid.* 4. *Pont.* 3. 35. Omnia sunt hominum tenui pendentia filo: Et subito casu, quæ valuere, ruunt. *Val. Max.* 6. 1. 1. Quum admodum tenui filo suspensa reipublicæ salus ex sociorum fide penderet. Cf. *Ammian.* 14. 5. A principis salute, velut a filo, pendere statum orbis terrarum. ¶ 2. Speciatim *filum* dicitur velamen capitis flaminis. *Paul. Diac. p.* 23. 2. *Müll.* Apiculum filum, quo flamines velatum apicem gerunt. *Liv.* 1. 32. Legatus capite velato filo (lanæ velamen est): Audi, Juppiter, inquit, etc. *Tibull.* 1. 5. 15. Ipse ego velatus filo vota novem Triviæ dedi.

II.) Translate. ¶ 1. A Poetis, et a sequioris ævi scriptoribus dicitur de iis omnibus, quæ fili similitudinem referunt. Sic — De fidibus. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 60. Tractat inauratæ consona fila lyræ. *le corde. Id.* 5. *Met.* 17. digitis morientibus ille retentat Fila lyræ. Sic 10. *ibid.* 89. fila sonantia movit. Adde eumd. 5. *Fast.* 106.; et *Val. Flacc.* 1. 409. — De herbarum laciniis. *Ovid.* 4. *Fast.* 342. fila croci. Sic *Plin.* 21. *Hist. nat.* 5. 11. (23). Tenui filo stantibus in medio croris. *Sillig* vero legit *pilo*: V. ibi adnotata et v. PILUS. *Martial.* 11. 52. porris fila resecta suis. *Id.* 13. 57. fila oleris. *Colum.* 10. *R. R.* 375. asparagi corruda simillima filo. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 16. (30). Foliorum exilitas usque in fila attenuata. *filamenti.* — De aliis rebus laciniosis. *Id.* 11. *ibid.* 15. 15. (39). Mel thymosum non coit, et tactu prætenuia fila mittit. Et de nervis, h. e. ossium ligamentis *Vegel.* 6. *Veterin.* 3. *Schneid.* A mediis naribus per caput, cervicem ac mediam spinam, usque ad imum muscarium, descendit filum duplex, quod continet pedes duodecim. *Id.* 5. *ibid.* 17. 4. Sed si coxam ejecerit emoveritque, quod a mulomedicis dicitur filum læsisse, certior et facilior curatio. — Et de linea (ut est linea margaritarum, *un filo di perle*, V. *Scævolæ* et *Ulpiani loc.* in LINEA). *Inscript.* apud *Henzen.* 6141. SIGN. ARG. VII. ET IMAGINE EX AVRI P. II. ET FILA II. EX CYLINDRIS N. XXXIII. AVRO CLVS. T. P. I. — De hamo piscatorio *Claudian. de torped.* 20. Emicat horror aquis, et pendula lila secutus Transit arundineos arcano frigore nodos. ¶ 2. Aliquando dicitur de figura et textura cujusque rei; itemque de hominum lineamentis, *figura, fattezze. Lucret.* 5. 573. Forma quoque hinc solis debet filumque videri, Nil adeo ut possis plus aut minus addere vera. *Id. ibid. v.* 581. omnia, quæ longe semota tuemur Aera per multum, specie confusa videntur, Quam minui filum. *Id.* 2. 341. Debent nimirum non omnibus omnia prorsum Esse pari filo similique affecta figura. *Id.* 4. 85. formarum vestigia certa, Quæ vulgo volitaret subtili prædita filo. *Plaut. Merc.* 4. 4. 15. Satis scitum filum mulieris. *Petron. fragm. Tragur.* 46. *Burmann.* ingeniosus est et bono filo. *h. e.* bona specie, bene habitus. *Gell.* 1. 2. Mures naturasque hominum conjectatione quadam, de oris et vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu sciscitari. *Id.* 14. 4. Forma atque filo virginali, aspectu vehementi etc. *Apul.* 4. *Met.* Virginem filo liberali. *Ammian.* 14. *sub fin.* Fuit forma conspicuus bona, decente filo corporis. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 7. fila senectæ. Adde *Apul. de deo Socrat. Arnob.* 6. 13. Filum capitis prostituti Cythereis in simulacra traducere. ¶ 3. Sæpe dicitur de textura verborum ac stilo, *tessitura, stile. Horat.* 2. *Ep.* 1. 225. tenui deducta poemata filo. Cf. *Colum.* 10. *R. R.* 228. gracili connectere carmina filo. *Cic.* 3. *Orat.* 26. 103. Primum silva rerum ac sententiarum comparanda est: hæc formanda illo ipso et genere orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis. *Id.* 2. *ibid.* 22. 93. Omnes etiam tum retinebant illum Periclis succum, sed erant paullo uberiore filo. *Id.* 9. *Fam.* 12. Oratiunculam pro Dejotaro tibi misi, quam velim sic legas, ut causam tenuem et inopem, nec scriptione magno opere dignam. Sed ego hospiti veteri et amico munusculum mittere volui levidense, crasso filo. *h. e.* stilo tenui et nihil elaborato, ut vestes, quæ crasso filo texuntur. Nam ut *Id.* ait *Orat.* 36. 124. Si tenues causæ, tum etiam argumentandi tenue filum et in dicendo et in refellendo. *Id. Amic.* 7. 25. Sed aliud quoddam filum orationis tuæ.

FĪLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. init.

FIMBRIÆ, ārum, f. plur. 1. Singularis numeri, quo *Forcellinus* hanc vocem effert, nullum adhuc exstat exemplum. — Fimbriæ, θύσανοι, κάσπεδον, sunt extremitates vestis, aliusve rei, præsertim si incisuras habeant (It. *orlo, fimbria, estremità*; Fr. *frange, extrémité, bout, borde*; Hisp. *franja, ribete, galon de oro, oro*; Germ. *die Fasern, Fransen, d. äussersten Theile, bes. am Gewande*; Angl. *the border, hem, guard or welt of a garment, a fringe, flounce, the extremity*). Occurrit — *a)* Sæpissime de vestibus. *Varro* 5. *L. L.* 79. *Müll.* Antiqui fibrum dicebant extremum: unde in sagis extrema, fimbriæ. *Paul. Diac. p.* 90. 4. *Müll.* fere eadem habet. *Cels.* 2. 6. Mors denunciatur, si quis in febre, aut acuto morbo, ut in insania pulmonisve dolore vel capitis, in veste floccos legit, fimbriasve diducit. Ita in secunda editione legendum *Targa* putat. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 52. (171). Jam signa letalia: in furoris morbo risum, sapientiæ vero ægritudine fimbriarum curam et stragulæ vestis plicaturas. *Apul.* 11. *Met.* Palla ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter confluctuabat. Adde *Petron. Satyr.* 32. — *b)* De capillorum cincinnis. *Cic. Pis.* 11. 25. Erant illi compti capilli, et madentes cincinnorum fimbriæ. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

FIMBRIĀTŪRIT. *V.* FIGULATURIT.

FIMBRIĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *fimbrio*, fimbrias habens, laciniosus, *orlato, fimbriato, con frangia*, θυσανωτός. *Sueton. Cæs.* 45. Usus est lato clavo ad manus fimbriato. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 55. (92). Urtica caule quoque mordaci, fimbriatis foliis. *Id.* 18. *ibid.* 7. 10. (53). Milii comæ granum complexæ, fimbriato capillo curvantur. *Id.* 25. *ibid.* 5. 21. (48). Radix ceparum modo fimbriata. *Apul.* 8. *Met.* Flagrum contortis tæniis lanosi velleris prolixe fimbriatum.

FĪMĒTUM, i, n. 2. sterquilinium, quo fimus congeritur, *letamaio*, κοπρών. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 8. (57). Fimeta sub dio, concavo loco, et qui humorem colligat. Adde eumd. 24. *ibid.* 19. 110. (171). et 10. *ibid.* 54. 75. (153).

FĪMUM, i, m. 2. *V.* voc. seq. init.

FĪMUS, i, m. 2. Recentior forma est *fimum, i*, n., quam *V.* infra sub I. *b.* — *Fimus* quoque neutro genere usurpasse videtur *Seren. Sammon. v.* 605. Sive palumborum capitur fimus acre ferorum. *Nisi fortasse legendum antiquorum more fimum acre.* — Carere plurali numero docent *Diomed.* 1. p. 314., *Phocas p.* 1708. et *Beda de Orthograph.* p. 2332. *Putsch.* — Fimus, κόπρος, sunt excrementa animalium, quibus agri stercorantur: videtur esse a θῦμα *suffimentum*; inde etiam fumus (It. *letame, sterco*; Fr. *fumier, engrais, excréments*; Hisp. *estiercol, excremento*; Germ. *Mist, Dünger*; Angl. *dung, ordure, compost*).

I.) Proprie. — *a)* Masculino genere. *Liv.* 38. 18. Fimo bubulo pro lignis utuntur. *Virg.* 1. *G.* 80. arida tantum Ne saturare fimo pingui pudeat sola. *Colum.* 2. *R. R.* 14. 4. Asinus bene confectum atque idoneum protinus arvo fimum reddit. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 9. 23. (78). Palumborum fimus articulorum doloribus illinitur. *Id.* 28. *ibid.* 17. 71. (235). Caprarum fimus sine cicatrice sanare dicitur. *Id.* 30. *ibid.* 9. 23. (76). Fimus pecudum. — *b)* In femin. genere. *Apul.* 7. *Met. in fin.* Liquida fimo strictim egesta. Ita *Elmenhorst.*, at *Oudendorp.* melius leg. *liquido f. s. egesto.* — *c)* Neutro genere. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 48. (174). Fimum asini recens cum rosaceo instillatur. *Id.* 29. *ibid.* 5. 32. (101). Prodest et fimum gallinaceum, dumtaxat rufum ex aceto impositum. Adde *Seren. Sammon.* 721. At *Sillig* neutro gen. legit etiam illa *Plinii*, quæ allata sunt sub *a*.

II.) Translate de luto. *Virg.* 5. *Æn.* 332. pronus in ipso Concidit immundoque fimo sacroque cruore. Adde eumd. *ibid.* 358.

FĪNĀLIS, e, adject. ¶ 1. Est ad fines pertinens, *attenente ai confini*, ὅριος. *Papinian. Dig.* 10. 1. 11. In finalibus quæstionibus vetera monumenta et census auctoritas sequenda est. *h. e.* quæ de agrorum finibus instituuntur. Adde *Callistrat. Dig.* 47. 21. 3. et *Sidon.* 8. *Ep.* 11. *Ammian.* 15. 4. Finale libramentum. *Al. leg.* funale. *Cassiod.* 3. *Variar.* 52. Finalis contentio. ¶ 2. Item ad finem pertinens, *finale*, τελικός. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 5. *ante med.* Terram dividit orizon, idest finalis circulus. *Donatus* ad *Ter. Eun.* 5. 5. 18. *finalem causam* vocat controversiam status finitivi. *Augustin.* 19. *Civ. D.* 4. *extr.* Finalis beatitudo. *Id. ibid.* 11. pas.

FĪNĀLĬTAS, atis, f. 3. *desinenza*, terminatio: occurrit enim tantum in re grammatica. *Eutyches proœm.* apud *Putsch. p.* 2143. Opusculum hoc ad discernendas pertinens conjugationes duobus libellis inclusi: quorum prior observationibus instruitur generalibus, alter indicio finalitatis speciales exsequitur regulas. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 116. *Ibi* et *ubi* naturaliter breves sunt, sed ratione finalitatis plerumque producuntur in versu. Cf. *Gramm. incert. p.* 162. *Eichenf.* Quæ participia et finalitatem solitam verborum et significationem amiserint.

FINDO, findis, fidi, fissum, findere. a. 3. De Præter. hæc habet *Priscian.* 10. *p.* 890. *Putsch.* Findo quoque *fidi* facit: licet quidam *fisi* putaverunt. Deinde affert exempla de *diffindo*. — Part. *Findens* I. 1.; *Fissus* I. 1. et II. et in fin.; *Findendus* I. 1. — Ratione habita etymi, juxta Forcellinum *findere* est ab inusit. ἰδω, ex quo Latinum *iduo*, deinde *fido* cum F digammate nempe Æolico, unde est etiam *divido*; et significat scindere, diffindere, aperire, dividere, σχίζω (It. *fendere, spaccare*; Fr. *fendre, séparer, diviser*; Hisp. *hender, dividir, rajar*; Germ. *spalten, zerspalten, zertheilen, trennen*; Angl. *to cleave, cut, split open, sever, divide*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 6. Ventum in insulam est: hoc enim quasi rostro finditur Fibrenus et divisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit. *Virg.* 10. *Æn.* 295. Inimicam findite rostris Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina. *Horat.* 1. *Od.* 1. 11. patrios findere sarculo agros. *Ovid.* 2. *Art. am.* 671. vomere findere terras. Cf. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 112. rura finduntur vomere. Et de re, quæ fieri nequit, *Ovid.* 1. *Trist.* 8. 3. findere cælum aratro. Ceterum *Propert.* 3. 9. 35. findere mare carina. *solcare l'onde navigando. Id.* 3. 3. 2. Et freta gemmiferi findere classe maris. *Ovid. Heroid.* 16. 32. fretum carina. Cf. eumd. 1. *Trist.* 3. 105. Nos tamen Ionium non nostra findimus æquor Sponte. *h. e.* navigamus, *solchiamo. Sil. It.* 14. 381. sinus cærula findit. Similiter *Ovid. Heroid.* 19. 207. Spes tamen est fractis vicinæ pacis in undis: Tum placitas tuto pectore finde vias. *fendi l'acque nuotando.* Et *Id.* 1. *Met.* 666. Et liquidum motis talaribus aera findit. *fende l'aria volando. Horat. Epod.* 13. 13. Assaraci tellus, quam frigida parvi Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois. *h. e.* interfluunt, intersecant. *Virg.* 2. *G.* 353. hiulca siti findit Canis æstifer arva. *Cels.* 8. 4. *ante med. de calvaria fracta.* Solet etiam evenire, ut altera parte fuerit ictus, et os altera fiderit. *Id.* 8. 3. *extr.* Potest evenire, ut ex ictu neque findatur os, neque perfringatur, sed summum tamen collidatur exasperetorque. *Id.* 7. 26. *n.* 3. Si quando autem calculus major non videtur, nisi rupta cervice extrahi posse, findendus est. *Curt.* 8. 9. Ganges findens ripas, multas arbores cum magna soli parte exsorbet. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 45. (160). Specularis lapis finditur in quamlibet tenues crustas. *Id.* 6. *ibid.* 26. 30. (120). Ubi eum (*Euphratem*) diximus findi. *Quintil.* 11. 3. 21. Finditur etiam spiritus objectu aliquo, sicut lapillo tenues aquæ. Cf. *Stat.* 12. *Theb.* 255. *de tauro.* Nunc pede torvus humum, nunc cornibus aera findit. *Id.* 3. *Silv.* 1. 155. nubila disco findere. *Ammian.* 16. 12. Loricæ gladiis findebantur. *Virg.* 6. *Æn.* 540. Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas. *Id.* 2. *G.* 78. enodes trunci resecantur, et alte Finditur in solidum cuneis via. — Part. præter. pass. *Lucret.* 4. 683. fissa ferarum ungula. Sic *Sueton. Cæs.* 61. Equus ungulis fissis in modum digitorum. *Virg.* 9. *Æn.* 413. Fissum lignum. *Ovid.* 4. *Met.* 65. Paries fissus tenui rima. *Id. ibid.* 585. Lingua fissa in partes duas.

Cels. 8. 10. Ferulæ fissæ circumpositæque ossa in sua sede contineant. *Id.* 8. 3. Quæ fracta, fissa, forata, collisa sunt. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 43. (253). Fissa radice inditur lapis. *Val. Flacc.* 1. 479. *de nave.* fissaque fluctu Vel pice vel molli conducere vulnera cera. ¶ 2. Latiori sensu *findi* aliquando est præ ira rumpi. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 17. Cor meum et cerebrum, Nicobule, finditur, istius hominis ubi fit mentio. *Pers.* 3. 8. turgescit vitrea bilis: Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere credas. *crepo di rabbia. Ovid. Medic. fac.* 39. Marsis finduntur cantibus angues. *si fanno crepare.*

II.) Translate. *Horat.* 4. *Od.* 11. 15. Idus tibi sunt agendæ, Qui dies mensem Veneris marinæ Findit Aprilem. *divide in due parti. Prudent. Psychom.* 760. fissa voluntas Confundit variis arcana biformia fibris. — Hinc a Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Fissum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est fissura, *fessura, fesso.* — *a)* Generatim. *Cels.* 7. 30. Si qua fissa in suo vetustate induruerant jamque callum habent. *crepature,* ῥαγάδες: fissuras aui diutinas *Scribon. Compos.* 223. vocat. *V.* RHAGADES; et adde *Cels.* 5. 20. — *b)* Speciatim *fissum jecoris* apud haruspices est scissura et divisura, qua jecur in duas partes, seu λοβοὺς dividitur, quarum unam familiarem dicebant, hostilem alteram: *V.* FISSICULO et FAMILIARIS. *Cic.* 1. *Divinat.* 52. 118. Non placet Stoicis, singulis jecorum fissis, aut avium cantibus interesse Deum. *Id.* 3. *Nat. D.* 6. 14. Fissum jecoris. *Id.* 1. *Divinat.* 10. 16. Quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ causa sit, nescio. *Id.* 2. *ibid.* 13. 32. Fissum familiare et vitale tractant.

Homonym. Ratione habita etymi *findere* conjungitur cum v. *dividere*; utrumque enim est a *vido* sive ab Etrusco *ido*: unde *Horat.* 4. *Od.* 11. 15. Idus tibi sunt agendæ, Qui dies mensem Veneris marinæ Findit Aprilem. Sic *Id.* 1. *Ep.* 17. 49. Et mihi dividuo findetur munere quadra. Confer et locum *Cic.* 2. *Legg.* 3. 6. supra cit. sub I. Nihilominus *findere* et *diffindere* differt a v. *dividere,* quod *findens* physica ratione agit; *dividens* autem mathematica: *findens* instrumento aliquo vel manu corpus aliquod in minuta et varia frusta secat; *dividens* superficiem vel numerum in partes, quibus componuntur, dissolvit. Hinc *Horat.* 1. *Od.* 1. 11. Findere sarculo agros. *Ovid.* 2. *Art. am.* 671. Findere vomere terram. *Cato R. R.* 41. Vitem mediam diffindito per medullam. (et translate *Varro* 1. *R. R.* 2. Æstivo die si non diffinderem meo insititio somno meridie, vivere non possem.). Contra *Cæs.* 3. *B. G.* 2. Vicus in duas partes flumine dividitur. *Auct. B. Afr.* 17. Dividere aliquid medium. (et translate *Horat.* 1. *Sat.* 1. 99. at hunc liberta securi Divisit medium). *Lucan.* 5. 493. Dividere aliquid ex æquo. *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 40. Bona dividere tripertito. *Id. Orat.* 33. 117. Dividere et partiri genus universum in species certas. — Præterea *findere* et *diffindere* a v. *scindere* et *discindere* differt: quia *findens* rigida corpora, ut puta ligna, lapides etc. in partes secat ratione habita naturalium, quibus constant, commissurarum; *scindens* autem solida quæque corpora, *h. e.* non modo ligna, lapides etc., verum etiam vestem, comam et similia, nulla ratione habita commissurarum nulloque consilio laniat ac discerpit. *Cic.* 1. *Divinat.* 13. 23. Fingebat Carneades, in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput extitisse Panisci. Cf. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 22. 45. (160). Specularis lapis — faciliore multo natura finditur in quamlibet tenues crustas. Contra *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 32. Cotem in comitium allatam — novacula esse discissam. *Id.* 5. *Fam.* 20. Hanc epistolam cur non scindi velim, nulla causa est. *Colum.* 2. *R. R.* 17. 1. Pecora majora demergunt ungulas, et atterunt scinduntque radices herbarum. — Si quando tamen hæc duo quocumque modo junguntur, verbum *scindere,* quod latius patet, præfertur. *Virg.* 1. *G.* 144. primi cuneis scindebant fissile lignum. *Id.* 6. *Æn.* 181. cuneis et fissile robur Scinditur. Cf. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 17. 27. (131). Sarcophagus lapis fissili vena scinditur.

FINGIBILIS, e, adject. qui fingi potest. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. n. 104. Aurium tinnitus, vel præ oculis scintillarum fingibilis visus.

FINGO, fingis, finxi, fictum, fingere, a. 3. Part. *Fingens* I. 2.; *Fictus* 1. 2. et 3. et in fin.; *Fingendus* I. 1. et 2. — Ratione habita etymi, juxta *Forcellinum* est a σφίγγω *stringo, premo, in solidum cogo*; unde et *figulus,* qui nempe tenuem ac liquidam fere materiam compingit: juxta recentiores vero (V. *Döderlein., Latein. Synonym.* vol. 1. p. 160.) *fingo* ab etymo *fig* vel *fic* conjungendum est cum etymo *fac* verbi *facere.* Ceterum fingere est facere, figurare, formare, fabricari, πλάττω (It. *fare, formare, dar forma*; Fr. *former, façonner, donner une forme*; Hisp. *formar, labrar, dar forma*; Germ. *gestalten, bilden, formen, verfertigen, machen, darstellen*; Angl. *to form, fashion, frame, make*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 27. 87. Esse aliquam vim, quæ finxerit, vel, ut tuo verbo utar, fabricata sit hominem: qualis ista fabrica est? *Id.* 1. *Orat.* 25. 115. Sunt quidam ita naturæ muneribus in iisdem rebus habiles, ut non nati, sed ab aliquo deo ficti esse videantur. *Sall. Cat.* 1. Quæ (*pecora*) natura prona atque ventri obedientia finxit. *Cic.* 2. *ibid.* 6. 23. Quemadmodum volucres videmus fingere et construere nidos. Cf. *Ovid.* 1. *Fast.* 157. Ignotaque prodit hirundo; Et luteum celsa sub trabe fingit opus. Rursus *Cic.* 1. *Off.* 44. 157. Ut apum examina non fingendorum favorum causa congregantur; sed, quum congregabilia natura sint, fingunt favos. Sic *Colum.* 9. *R. R.* 15. 7. *de apibus.* Suum quæque plebs morem figurandi ceram fingendique servant. *Sueton. Aug.* 4. Fingere manibus farinam. *Scribon. Compos.* 90. et 130. pastillos. *Id. ibid.* 138. pilulas. *Cic.* 1. *Orat.* 24. 127. Non quæritur mobilitas linguæ, non celeritas verborum, non denique quæ nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. *Ovid.* 14. *Met.* 685. *de Vertumno.* formasque apte fingetur in omnes. *Colum.* 6. *R. R.* 36. 1. Quorum (*feminæ et maris*) si alter alteri non est idoneus, labat etiam quod ex duobus fingitur. *Spartian. Hadrian.* 24. Fingere inferos. *h. e.* templum inferis diis. ¶ 2. Speciatim est manu artificiose formare, rem vera imitatione exprimere, et sæpissime usurpatur de sculptoribus, pictoribus similibusque artificibus. *Cic.* 6. *Verr.* 13. 30. Cibyratæ sunt fratres quidam Tlepolemus et Hiero: quorum alterum fingere opinor e cera solitum esse, alterum esse pictorem. *Id.* 1. *Nat. D.* 26. 71. Hoc intelligerem quale esset, si id in ceris fingeretur aut fictilibus figuris. Cf. *Justin.* 36. 4. Ceris fingendis et ære fundendo procudendoque oblectabatur. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 43. (151). Fingere similitudines ex argilla. Et per ironiam *Cic. Pis.* 25. 59. Hic homullus, ex argilla et luto fictus Epicurus. *Ovid.* 2. *Trist.* 489. fingere pocula de humo. *Lamprid. Commod.* 1. calices. — *Cic.* 5. *Fam.* 12. 7. Alexander ab Apelle potissimum pingi et a Lysippo fingi volebat. *et ibid.* Picta, aut ficta imago. *ritratto in pittura o in statua. Id.* 3. *Orat.* 7. 26. Una fingendi est ars, in qua præstantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus —; una est ars ratioque picturæ. *Quintil.* 5. 12. 21. Corpora speciosissima fingendo pingendove efficere. *Id.* 3. 9. 9. Nec pingere quisquam, aut fingere cœpit a pedibus. *Sueton. Ner.* 53. Studium pingendi fingendique. Cf. *Ammian.* 24. 6. Nec apud eos pingitur vel fingitur aliud præter varias cædes et bella. Adde *Macrob.* 2. *Saturn.* 2. ubi *fingere* et *pingere* ambigue dicta occurrunt. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 264. Fictus vultus in pejus. *ritratto malamente.* ¶ 3. Item speciatim, præcipue apud Poetas, ponitur pro componere, excolere, ornare, capillos comere etc. *Plaut. Stich.* 5. 5. 4. Mulier bene quum lauta est, tersa, ornata, ficta est; infecta est tamen. Cf. *Ovid. Remed. am.* 341. Proderit et subito, dum se non finxerit ulli, Ad dominam celeres mane tulisse gradus. Rursus *Plaut. Truc.* 2. 2. 34. Ficti, compositi, crispi cincinni. *Tibull.* 1. 5. 50. Et sibi blanditias tremula componere voce Et manibus canas fingere velle comas. *Propert.* 3. 8. 14. Et nitidas presso pollice finge comas. *Ovid.* 1. *Art. am.* 306. Quid toties positas fingis inepta comas? Adde *Martial.* 6. 57.; et *Senec. Hippol.* 372. *Virg.* 4. *Æn.* 148. molliqua fluentem Fronde premit crinem fingens atque implicat auro. Cf. *Stat.* 5. *Theb.* 228. fingere comas auro. *Phædr.* 2. 2. Quum se putaret fingi cura mulierum, Calvus repente factus est. — Huc referri possunt et illa *Virg.* 2. *G.* 406. curvo Saturni dente relictam Persequitur (*rusticus*) vitem attondens fingitque putando. — Item illud *Ovid.* 5. *Fast.* 409. Sæpe manus ægras manibus fingebat amicis. *h. e.* leniter tractabat, mulcebat. ¶ 4. Item dicitur de eo, qui vultu, habitu etc. ea præ se fert, quibus caret, adeoque est simulare. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Neque vultum fingere, neque interdum lacrimas tenere poterant. *Ovid.* 4. *Met.* 317. Nec tamen ante adiit, etsi properabat adire, Quam se composuit, quam circumspexit amictus, Et finxit vultum. *h. e.* sumpsit vultum blandum amantique aptum. Cf. *Val. Flacc.* 3. 506. At virgo, quamquam insidias æstusque novercæ Sentiat et blandos quærentem fingere vultus, Obsequitur tamen. Cf. *Quintil.* 11. 3. 83. Quum se in habitum adulationis fingunt humeri. — Similiter *Tac.* 4. *Hist.* 4. Multo cum honore verborum Muciano triumphalia de bello civium data: sed in Sarmatas expeditio fingebatur. *si facevano le mostre di tentare una spedizione contro i Sarmati.* et *Capitolin. Anton. Phil.* 14. Fingere fugam. — Item *Aurel. Vict. vir. illustr.* 10. *de Bruto.* Fingere stultitiam. Sic *Tac.* 6. *Ann.* 51. Occultus ac subdolus fingendis virtutibus. *Justin.* 9. 8. 9. *de Philippo.* Gratiam fingere in odio.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphora sumpta a superiore paragr. 1., est formare, comparare, accommodare, componere: et occurrit — *a)* Cum uno tantum Accus. — Universim. *Plaut. Capt.* 2. 2. 54. Fortuna humana fingit artatque ut lubet. *Nepos Att.* 11. Sui cuique mores fingunt fortunam. *Cic.* 2. *Orat.* 54. 219. Natura fingit homines et creat imitatores et narratores facetos. *Id. Brut.* 38. 142. Nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit. *Id.* 3. *Legg.* 18. 40. Actor et moderatur et fingit non modo mentem ac voluntates, sed pæne vultus eorum, apud quos agit. Cf. *Sil. It.* 1. 440. Dannum etiam, grata quo non spectatior alter Voce movere fora atque orando fingere mentes. *h. e.* persuadere. Rursus *Cic.* 6. *Att.* 3. 4. Formam totius reipublicæ velim mittas, quæ mihi obviam fiat, ex qua me fingere possim. *Id. Orat.* 8. 24. Omnes qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque, et ad eorum arbitrium et nutum, totos se fingunt et accommodant. *Val. Flacc.* 5. 533. Interea quoniam belli pugnæque propinquæ Cura prior, fingit placidis fera pectora dictis. — Sic de verbis. *Cic.* 3. *Orat.* 45. 177. Ea (*verba*) nos sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. Cf. *eumd. Brut.* 79. 274. Nihil tam tenerum, quam illius comprehensio verborum; nihil tam flexibile, nihil quod magis ipsius arbitrio fingeretur. *Quintil.* 9. 2. 31. Et corpora et verba fingimus. Huc referri potest et illud *Horat. Art. P.* 52. nova fictaque nuper verba. *formate di nuovo.* Al. leg. *facta.* Item illud *Cic.* 2. *Nat. D.* 59. 149. Lingua vocem immoderate profusam fingit et terminat. — De oratione ac præcipue de carminibus. *Cic. Brut.* 31. 119. Quod si omnia a philosophis essent petenda, Peripateticorum institutis commodius fingeretur oratio. *Horat.* 4. *Od.* 2. 32. ego apis Matinæ more modoque operosa parvus carmina fingo. *Id.* 2. *Ep.* 1. 227. et *Art. P.* 240. et 331. fingere carmina. *Id. Art. P.* 382. versus. *Sueton. Tit.* 3. poemata. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 30. opprobria in aliquem. — *b)* Cum altero Accus. est ad aliquid informare. *Cic. Mur.* 29. 60. Finxit te ipsa natura ad honestatem, gravitatem, — ad omnes denique virtutes magnum hominem et excelsum. *Virg.* 2. *Æn.* 79. nec, si miserum fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget. *Horat.* 4. *Od.* 3. 12. spissæ nemorum comæ Fingent (*illum*) Æolio carmine dignum. *Id.* 1. *Sat.* 4. 18. Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli Finxerunt animi. *Id.* 1. *Ep.* 9. 8. Timui, mea ne finxisse minora putarer Dissimulator opis propriæ. Cf. *Martial.* 2. 64. Dum modo causidicum, dum te modo rhetora fingis, Et non decernis, Taure, quid esse velis etc. ¶ 2. Metaphora sumpta a super. paragr. 2., ponitur pro docere, instituere. *Ter. Heaut.* 5. 1. 25. Sed ille quoque tuus Syrus, idem mire finxit filium. *Horat. Art. P.* 367. quamvis et voce paterna Fingeris ad rectum et per te sapis. Cf. *eumd.* 3. *Od.* 6. 22. Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo et fingitur artibus. *Id.* 1. *Ep.* 2. 64. Fingit equum tenera docilem cervice magister Ire viam, qua monstret eques. ¶ 3. Ponitur etiam pro excogitare, comminisci, meditari, mente parare, struere, *inventare, macchinare con*

la mente. Plaut. Asin. 2. 1. 2. Argento comparando fingere fallaciam. *inventare, ritrovare un inganno per procacciarsi danaro*. Sic Ter. Heaut. 3. 2. 22. Aliquid reperiret, fingeret fallacias. Id. Andr. 1. 3. 15. Fingunt quamdam inter se nunc fallaciam. Adde eumd. Heaut. 3. 2. 31. Id. Eun. 1. 2. 58. Fingit causas, ne det. Sic Id. Hecyr. 4. 4. 71. falsas causas ad discordiam. Cic. 2. de republ. 1. Facilius, quod est propositum, consequar, si nostram rempublicam vobis ostendero, quam si mihi aliquam, ut apud Platonem Socrates, ipse finxero. Id. 6. Fam. 6. 4. Dicerem, quæ ante futura dixissem, ni vererer, ne ex eventis fingere viderer. Adde eumd. 3. Verr. 5. 15. et Amic. 5. 18. Sall. Cat. 47. Volturcius interrogatus – primo fingere alia, dissimulare de conjuratione. Tibull. 1. 5. 19. At mihi felicem vitam, si salva fuisses, Fingebam demens, sed renuente deo. Cf. eumd. ibid. v. 35. Horat. 1. Sat. 4. 84. Fingere qui non visa potest, commissa tacere Qui nequit. Quintil. 7. 4. 39. Finguntur et testamenta. Lamprid. Alex. Sev. 34. Fingendo aliquid vendere. Trebell. Poll. Gall. duob. 4. Pueri fingunt per ludibria potestates. — Similiter Plaut. Capt. 2. 1. 13. At fugam fingitis. CA. Nos fugiamus. *h. e.* fugam meditamini, paratis. Sic Seneca Consol. ad Marc. 26. Nec parricidia aut fingi, aut cogitari. ¶ 4. Item est imaginari, sive id mente fiat, sive oratione; et occurrit — *a*) Cum Accusativo rei, quam quis fingit. — Cum addito *animo* vel *cogitatione*, ut apud Cic. Mil. 29. 79. Fingite animis, (liberæ sunt enim nostræ cogitationes, et quæ volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quæ videmus) fingite cogitatione imaginem hujus conditionis meæ etc. Id. 3. Nat. D. 18. 47. Omnia quæ cogitatione nobismet ipsi possumus fingere. Id. Senect. 12. 41. Quod quo magis intelligi possit, fingere animo jubebat tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi posset maxima. Id. 5. Tusc. 21. 68. Sumatur nobis quidam præstans vir optimis artibus, isque animo parumper et cogitatione fingatur. Cf. Plin. 6. Ep. 26. Quo melior fingi ne voto quidem potuit. — Sine addito. Cic. Rosc. Am. 9. 26. Homines antiqui, qui ex natura sua ceteros fingerent. Id. Mil. 2. 5. Quid nobis duobus laboriosius? quid magis exercitum dici aut fingi potest? Id. Rosc. Am. 40. 116. Fingi maleficium nullum posse, quo iste sese non contaminarit. Propert. 3. 20. 17. tecum finge triumphos. Quintil. 5. 13. 42. Fingere sibi stultum adversarium. Id. 6. 2. 36. sibi res veras. Plin. Paneg. 4. Fingere et formare sibi principem. Vopisc. Prob. 1. Homerus Achillem in virtutum studio finxit. Ammian. 14. 6. Quæ finxere theatrales fabulæ. — In re oratoria aliquando *fingere* est proponere aliquid, quod si verum sit, aut solvat quæstionem, aut adjuvet: deinde id, de quo quæritur, facere illi simile. Ita Quintil. 5. 10. med. Nos dicimus *fare una supposizione, supporre*. V. Quintil. infra sub *b*. et *c*.; item v. FICTIO; et cf. Ovid. 1. Trist. 2. 57. Fingite me dignum tali nece. — *b*) Cum Accusativo et Infinito. Lucret. 1. 1082. quoniam non omnis corpora fingunt In medium niti. Adde eumd. 2. 175. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 36. 117. Finge, aliquem nunc fieri sapientem, nondum esse. Id. 3. Fam. 12. Suscipe meas partes, et eum te esse finge, qui ego sum. Forcellinus hoc loco *fingere* pro *simulare* accepit. Ovid. Heroid. 16. 351. finge tamen, ingens consurgere bellum. Id. ibid. 4. 176. lacrimas finge (*subaudi* te) videre meas. Quintil. 7. 1. 20. Finge nos remittere. Id. 5. 7. 15. Fingamus in præsentia scire. Adde eumd. 3. 6. 100., 1. 1. 24., 6. 3. 85. et alibi sæpe. — *c*) Passive cum Nominativo et Infinito. Quintil. 8. 5. 22. Qui naufragus fingitur se suspendisse. Id. 8. 2. 20. Qui suos artus morsu lacerasset, fingitur in scholis supra se cubasse. — Hinc Part. præter. pass., cujus et supra exempla retulimus,

Fictus, a, um, adjective quoque usurpatur, et est simulatus, præter verum excogitatus, *falso, finto*. Occurrit — *a*) Sæpissime de rebus. Cic. Amic. 8. 26. In amicitia nihil fictum est, nihil simulatum, et quidquid est, id et verum est et voluntarium. Id. ibid. 18. 65. Ne quid (*in amicitia*) fictum sit, neve simulatum. Id. Cæcin. 5. 14. Ficto officio et simulata sedulitate conjunctus. Id. Amic. 7. 24. Stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera facturos fuisse? Id. 2. de republ. 15. Falsum est id totum, neque solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum. Id. 2. Nat. D. 28. 70. Commenticii et ficti dii. Id. 3. Off. 9. 39. Ficta et commenticia fabula. Cf. Phædr. epil. l. 2. Fictæ arte fabulæ. Rursus Cic. Amic. 26. 97. In rebus fictis et adumbratis. Martial. 6. 57. Capilli ficti. Horat. Art. P. 338. Ficta voluptatis causa sint proxima veris. Virg. 2. G. 45. Fictum carmen. *pieno di finzioni o favole*. Ovid. 9. Met. 54.; et Ammian. 14. 5. vox. Val. Flacc. 1. 30. dicta. Quintil. 4. 1. 19. narratio. Id. 3. 8. 54. oratio personarum. Ovid. 1. Art. am. 597. ebrietas. Lucret. 4. 1188. amor. Virg. 2. Æn. 107. pectus. Ovid. 6. Met. 565. Fictos gemitus dare. Tac. 3. Ann. 37. Petere aliquem fictis criminibus. Id. 1. ibid. 46. Cunctatione ficta ludificari aliquem. *con affettato prolungamento*. — *b*) *Fictus* dicitur interdum etiam de personis, et est qui fingit, *simulatore, fingitore, finto*. Horat. 1. Sat. 3. 61. pro bene sano Ac non incauto fictum astutumque vocamus. Plin. 8. Ep. 18. 3. Alii fictum (eum), ingratum, immemorem loquuntur. Adde Capitolin. Anton. Phil. 29. et Clod. Alb. 12.; et Spartian. Pescenn. 6. — Hinc

Fictum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est res ficta. Virg. 4. Æn. 188. ficti pravique tenax. Ovid. 9. Met. 767. jam consumpserat omnem Materiam ficti. — Hinc etiam

Fictum adverbii vice pro *ficte*. Stat. 6. Theb. 876. fictumque in colla minatus, Crura subit.

FĪNIENS, entis. V. voc. seq.

FĪNĬO, is, ivi vel ii, itum, ire, a. 4. Part. *Finiens* I. 2.; *Finitus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Finiturus* II. 3.; *Finiendus* II. 1. — Finire proprie ac stricto sensu de locis dicitur, et est locorum fines vel terminos designare, aliquam regionem finibus circumscribere, ὁρίζω (It. *determinare i confini, chiudere tra confini*; Fr. *limiter, délimiter, borner, circonscrire*; Hisp. *limitar, alindar, terminar*; Germ. *ab –, begränzen, in Gränzen einschliessen, durch Gränzen festsetzen*; Angl. *to limit, bound*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cæs. 4. B. G. 16. Populi Romani imperium Rhenum finire. *che il Reno è il confine* etc. Auct. B. Alex. 35. Quo (*jugo*) Cappadocia finitur ab Armenia. Ovid. 11. Met. 152. Tmolus Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis. Justin. 12. 7. 4. Post hæc (*Alexander*) Indiam petit, ut Oceano ultimoque Oriente finiret imperium. Id. 1. 1. 3. Fines imperii tueri magis, quam proferre, mos erat: intra suam cuique patriam regna finiebantur. Vellej. 2. 126. 3. Quidquid meridiano, aut septentrione finitur. Sil. It. 3. 3. Extemplo positos finiti cardine mundi Victor adit populos cognataque limina Gades. *h. e.* extrema parte mundi, tunc temporis cogniti. Lucret. 1. 997. Postremo ante oculos rem res finire videtur: Aer dissæpit colles atque aera montes, Terra mare et contra mare terras terminat omnes. Ovid. 2. Fast. 222. Riparum clausas margine finit aquas. *tiene dentro i confini delle rive*. Liv. 1. 18. Signum contra, quo longissime conspectum oculi ferebant, animo finivit. Cic. 2. Nat. D. 59. 149. In ore sita lingua est, finita dentibus. ¶ 2. Speciatim *finiens orbis* vel *circulus* dicitur is, quem Græci ὁρίζοντα vocant, *l'orizzonte*. Cic. 2. Divinat. 44. 92. Illi orbes, qui cælum quasi medium dividunt, et aspectum nostrum definiunt, qui a Græcis ὁρίζοντες nominantur, a nobis finientes rectissime nominari possunt. Seneca 5. Quæst. nat. 17. Hanc lineam, quæ inter aperta et occulta est, Græci ὁρίζοντα vocant, nostri (*circulum*) finitorem dixere, alii finientem.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim refertur ad modum, metaphora sumpta a superiore paragr. 1., et est certis finibus concludere, circumscribere. Lucret. 1. 76. Unde refert nobis victor, quid possit oriri, Quid nequeat; finita potestas denique cuique Quanam sit ratione atque alte terminus hærens. Cic. 2. Fin. 20. 61. Cupiditates non Epicuri divisione finiebat, sed sua satietate. Id. ibid. 9. 27. Illud ipsum non nimium probo, philosophum loqui de cupiditatibus finiendis. An potest cupiditas finiri? tollenda est atque extrahenda radicitus. – Qualis ista philosophia est, quæ non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum? *h. e.* intra certos fines circumscribendis. Liv. 34. 6. Nam si ista lex ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem, verendum foret, ne abrogata incitaret. *h. e.* ut luxuriam muliebrem coerceret. Quintil. 3. 8. 1. Deliberativas miror a quibusdam sola utilitate finitas. ¶ 2. Item finire ponitur pro definire: hinc — *a*) Ponitur pro determinare, statuere, decernere; et refertur ad modum, itemque ad tempus. Cic. 2. Legg. 26. 66. Sepulcris novis finivit modum: nam super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam. Id. ibid. 8. 20. Ad eam rem ratione cursus annuos sacerdotes finiunto. Liv. 42. 47. Indicere prius, quam gerere solitos bella; interdum locum finire, in quo dimicaturi essent. Vellej. 1. 10. Egredi finito arenæ circulo. Val. Max. 5. 3. 2. Tanti namque pœna finita est. Similiter Cic. 3. Tusc. 25. 59. *Euripidem vertens*. multis sunt humandi liberi: Rursum creandi; morsque est finita omnibus. — Id. Cic. 8. Att. 3. Finire provincias Gallias. *h. e.* præscribere tempus imperii in Gallia habendi. Id. 15. Fam. 9. Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi et senatusconsulto et lege finisti. *mi hai assegnato*. Cæs. 6. B. G. 25. Hercyniæ silvæ latitudo IX. dierum iter expedito patet: non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum noverunt. Id. ibid. 18. Finiunt spatia omnis temporis numero noctium. Liv. 1. 17. Quinque dierum spatio finiebatur imperium. Id. 9. 33. Finienda censura. *h. e.* quinque annorum spatio circumscribenda. Sic eodem sensu Id. 9. 34. Finita potestas. Ovid. 5. Fast. 65. finitaque certis Legibus est ætas, unde petatur honos. Sueton. Aug. 101. Quibus solvendis annuum diem finiit. *prescrisse*. Plin. 2. Hist. nat. 53. 54. (141). Ventura finito die præcinere. — Et de numero. Curt. 4. 16. 26. Cecidere Persarum, quorum numerum victores finire potuerunt, millia XL. Al. leg. inire. — Passive impersonaliter Liv. 40. 44. *a med.* De pecunia finitur, Ne major causa ludorum consumeretur, quam etc. — *b*) Ponitur etiam pro definire, seu explicare quid res sit. Quintil. 7. 3. 3. Finitio est rei propositæ propria et dilucida – enunciatio etc.: ut si finias equum, genus est animal, species mortale etc. Id. 2. 15. 1. Quid sit rhetorice, quæ finitur quidem varie, sed etc. Id. 12. 1. 1. Sit nobis orator is, qui a M. Catone finitur. Adde eumd. 12. 3. 40., 6. 3. *fin.* et alibi. — *c*) In re grammatica *finiendi modus* est indicativus. V. FINITIVUS. ¶ 3. Item finire est finem imponere, *finire, terminare, por fine*. — *a*) Generatim. Cæs. 3. B. C. 51. Si acrius insequi voluisset, bellum eo die potuisse finiri. Sic Justin. 12. 9. 6. et 29. 3. 6.; Vopisc. Aurel. 20.; et Capitolin. Anton. Phil. 9. Finire bellum, vel bella. Flor. 2. 13. Finitum bellum. et Vopisc. Aurel. 21. prælium. et Justin. 15. 1. Finitum certamen. Horat. 2. Sat. 4. 22. Finire prandia moris. Id. 2. Ep. 2. 146. Si tibi nulla sitim finiret copia lymphæ, Narrares medicis. Cf. Ovid. 11. Met. 370. neque enim jejunia curat Cæde boum diramque famem finire. Al. leg. satiare, alii aliter. Id. 3. Fast. 883. Luna finit tempora mensis. Vet. Poeta apud Cic. 1. Tusc. 48. 115. At qui labores morte finisset graves. Sic Horat. 3. Od. 4. 39. et 1. Sat. 1. 93. finire labores. Id. 2. Sat. 3. 263. dolores. Sic Ovid. 1. Pont. 6. 41. gladio finire dolorem. Rursus Horat. 2. Ep. 2. 104. Finita studia. Id. 1. Od. 19. 4. Finiti amores. Ovid. 15. Met. 602. finire metum morte tyranni. Id. 1. Amor. 13. 47. jurgia. Liv. 1. 1. errorem. Petron. Satyr. 99. Osculo finire iram. Adde Justin. 28. 4. 13. Flor. 4. 2. 7. partium odia. Justin. 26. 1. 29. privato periculo publicum. Curt. 4. 14. Hic dies imperium aut constituet, aut finiet. Plin. 18. Hist. nat. 2. 2. (6). Honos is nonnisi vita finitur. Vellej. 2. 33. 3. Finire honores æquo animo. *h. e.* deponere. Justin. 9. 3. 11. Finivit hic dies Græciæ gloriam. Ovid. 3. Trist. 2. 17. Via finita. Plin. 18. Hist. nat. 27. 67. (253). Finiti frigoris indicium. Id. 19. ibid. 3. 15. (44). Finitus sudor. Ammian. 17. 12. His finitis. Vopisc. Aurel. 19. Mala publica esse finita. Lamprid. Alex. Sev. 21. Finire causas. *h. e.* decidere. — Absolute. Ammian. 24. 4. Quum pugna diei finisset occasu. *h. e.* finita esset. — *b*) Speciatim de verbis et oratione. — Cum Accusativo. Quintil. 1. 5. 60. Latinum (*nomen*), quod o et n litteris finiretur, non reperiebant. Id. 1. 6. 14. Ut nomina, quamvis feminina, singulari nominativo us litteris finita, numquam in ris syllaba terminentur. Id. 1. 5. 23. Verbum acuto sono finire. *pronunziare coll'accento sull'ultima*. Id. 11. 3. 37. Distinctiones interest sermonem finiant, an sensum. Cic. 3. Orat. 49. 191. Ut sententiæ verbis finiantur. *h. e.* verbis, non autem nominibus claudantur. Cf. eumd. Orat. 49. 164. Quintil. 12. 9. 4. Finire orationem. — Hinc abso-

lute *finire* est sermoni finem imponere. *Ovid.* 1. *Met.* 566. Finierat Pæan. *scil.* loqui. *Id.* 1. *Art. am.* 755. Finiturus eram: sed etc. Adde *eumd.* 13. *Met.* 123. et 14. *ibid.* 441. *Petron. Satyr.* 122. Vix dum finierat. *Quintil.* 9. 4. 138. Denique, ut semel finiam, sic fere componendum, quo modo pronunciandum erit. *per finirla una volta.* Sic *Id.* 1. 12. 6. et 8. 3. 55. Ut semel finiam. et 5. 13. 3. Ut, quod sentio, semel finiam. — *Finito*, sermone finito. *Plin.* 9. *Ep.* 13. *a med.* Finito, incipit respondere Vejento. *Al. leg. multo rectius*: Finio. Incipit respondere etc. — c) Item speciatim pro mori. — Cum Accusativo. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 49. Ense alicui vitam finire. *Justin.* 2. 5. 7., 9. 7. 12., 18. 6. 7. et 10. 3. 7. Finire vitam ferro, suspendio. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 19. 23. (66). et 8. *ibid.* 42. 64. (158). Voluntaria morte, aut inedia vitam finire. Cf. *Sueton. Aug.* 65.; *Trebell. Poll.* XXX. *Tyr.* 9.; et *Capitolin. Maxim. et Balb.* 9. *Ovid.* 7. *Met.* 591. Non exoratis animam finivit in aris. Cf. *Tac.* 14. *Ann.* 51. In se tumescentibus paullatim faucibus et impedito meatu spiritum finiebat. — Absolute. *Tac.* 6. *Ann.* 50. Sic Tiberius finivit octavo et septuagesimo ætatis anno. — Sic etiam *mora*, *morbi etc.* aliquem finire dicuntur. *Seneca Provid.* 6. Mors vos finit. *Martial.* 5. 6. Sic te serior et beata quondam Salvo Cæsare finiat senectus. Et passive *Plin.* 1. *Ep.* 12. 2. Iis, qui morbo finiuntur. *Justin.* 27. 3. 12. Seleucus quoque iisdem ferme diebus, amisso regno, equo præcipitatus, finitur. *Val. Max.* 3. 2. *extern.* 6. Theramenes perinde atque in domestico lectulo moriens vita excessit: inimicorum existimatione punitus, sua judicio finitus. *Id.* 9. 12. *extern.* 4. Atrocius aliquanto Euripides finitus est. Cf. *Cic.* 1. *Tusc.* 48. 115. *Crantorem vertens.* Sic fuit utilius finiri ipsique tibique. — d) Item pro evertere, delere, ad nihilum redigere. *Ovid.* 15. *Met.* 315. Has finire potest, illas aperire cavernas. *h. e.* claudere adeoque delere. *Flor.* 2. 15. 1. Carthago finita est. *h. e.* eversa, sublata. Cf. *Trebell. Poll.* XXX. *Tyr.* 5. Finire imperium nominis Romani. *h. e.* delere, evertere. *Tac.* 1. *Hist.* 16. Finita Juliorum Claudiorumque domo optimum quemque adoptio inveniet. *h. e.* deleta, exstincta. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Finitus, a, um, adjective quoque usurpatur: et — a) Apud Rhetores de verbis dicitur et est quod plenum et convenientem reddit sonum. *Cic. Orat.* 51. 170. Et ipsi infracta et amputata loquuntur, et eos vituperant, qui apta et finita pronunciant. — b) Item apud Rhetores est certus, determinatus, definitus. *Cic. Partit. orat.* 18. 61. Duo sunt quæstionum genera: quorum alterum finitum temporibus et personis; alterum infinitum, nullis neque personis neque temporibus notatum. — c) Apud Grammaticos *finitus articulus* est qui certum quidpiam significat, ut *hic, hæc*; *infinitus*, qui incertum, ut *quis, quæ*. Ita *Varro* 10. *L. L.* 18. et 30. *Müll.*

FINIS, is, *m. et f.* 3. Ablativus sing. num. apud optimos est *fine*: legitur tamen et *fini* apud *Lucret.* 1. 977.; et in formulis *fini*, *ea fini*, *qua fini* adverbii more usurpatis apud *Caton. R. R.* 21., 28. et 154; *Gell.* 1. 3. et 7. 3.; et *Papinian. Dig.* 16. 2. 19. Similiter *Terentian. de metr. p.* 1093. *Putsch.* Quem (*trochæum*) tantum in fini sumunt heroica metra. — Feminino genere efferunt *Accius*, *Cæcilius*, *Sisenna*, *Cassius Hemina* et *Varro* apud *Non. p.* 205. 6. et seq. *Merc.*; *Lucret.* 1. 107. et 551. et alibi; *Virg.* 2. *Æn.* 554., 5. *ibid.* 384. et 12. *ibid.* 793.; *Cic.* 2. *Legg.* 22. 55., 12. *Fam.* 1. et 9. *Att.* 10. 4.; *Liv.* 4. 2., 9. 26. et 22. 57.; *Colum.* 5. *R. R.* 11. 5.; *Gell.* et *Papinian.* locc. citt. — Quod ad etymon attinet, recentiores philologi *finem* conjungunt cum v. *filum*, *fibra*, *fimbriæ*, de quibus hæc *Varro* 5. *L. L.* 79. *Müll.* Antiqui *fibrum* dicebant *extremum*, a quo in sagis *fimbriæ* et in jecore extremum *fibra.* Hæc *Varro.* Hinc *finis* esset extremum rei extremitas alicujus terræ vel regionis. Ceterum finis est limes, terminus et extremitas locorum, ὅρος (It. *fine, confine*; Fr. *confins, frontière, limite, borne*; Hisp. *confines, término, límite, frontera*; Germ. d. *Gränzlinie, Gränze*; Angl. *a boundary, limit*).

I.) Proprie. — a) In singulari numero. *Cic. Cæcin.* 8. 22. Ejus fundi extremam partem oleæ directo ordine definiunt —: accessit propius et jam ingrediens intra finem ejus loci, quem oleæ terminabant. Cf. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 19. Tu potius ripis effuse capacibus amnis (Sic æternus eas) labere fine tuo. *scorri dentro i tuoi limiti.* *Cæs.* 2. *B. G.* 19. Neque nostri longius quam quem ad finem porrecta ac loca aperta pertinebant, cedentes (*hostes*) insequi auderent. *Sall. Jug.* 19. Deinde Philænon aræ, quem locum Ægyptum versus finem imperii habuere Carthaginienses. *Liv.* 40. 16. Fere ad extremum finem provinciæ Galliæ. *Id.* 33. 37. Redeuntes inde Ligurum extremo fine. *Id.* 4. 58. Quibus recedentibus ad finem legatio Vejentium obviam fuit. Adde *eumd.* 10. 35. et 28. 5. *Curt.* 7. 7. 2. Tanais Asiam et Europam finis interfluit. Adde *eumd.* 5. 2. 16.; *Senec.* 6. *Benef.* 23.; *Sueton. Cæs.* 31.; *Tac.* 15. *Ann.* 16.; *Justin.* 30. 4. 6.; *Val. Flacc.* 3. 501.; et *Sil. It.* 3. 122. — b) In plurali numero. *Ter. Heaut.* 3. 4. 93. Vicini nostri hic ambigunt de finibus. *Cic.* 1. *Legg.* 21. 55. Nec Mamilia lege singuli, sed ex hic tres arbitri fines regemus. *Id.* 1. *Off.* 10. 33. Arbiter de finibus a senatu datus — illorum fines sic, ut ipsi dixerant, terminavit. *Id.* 3. *de republ.* 12. et *Mur.* 9. 22. Fines proferre, propagare. *Id. Prov. cons.* 12. 29. Finium imperii propagatio. Cf. *eumd. Dejot.* 8. 22. Tueri fines ab excursionibus hostium. *et Orat.* 41. 141. Suas regiones finesque defendere. *Liv.* 1. 18. Inter eos fines, quos feci. *Sueton. Oth.* 4. De parte finium litigare. *Claudian.* 4. *Cons. Honor.* 303. transcendere fines. *Inscript.* apud *Henzen.* 5806. FINIBVS ET GENIO LOCI ET I. O. M. MILIT LEG. XXX. V. V. (*h. e.* Ulpiæ victricis)... MASSIANIVS SECVNDVS ET L. AVRELIVS DOSSO V. S. L. M.

II.) Translate. ¶ 1. In plur. num. *fines* sunt ipsa regio, quæ certis finibus continetur, *paese.* *Plaut. Amph.* 1. 1. 60. Propere de finibus suis exercitus deducerent. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. *extr.* Fines Helvetiorum in longitudinem millia passuum ducenta quadraginta, in latitudinem centum octoginta patebant. *Id.* 1. *ibid.* 10. Per agrum Sequanorum iter in Santonum fines facere, qui non longe a Tolosatium finibus absunt. *Id.* 6. *ibid.* 31. In mediis Eburonum finibus. *Id.* 1. *ibid.* 6. Ut per suos fines eos ire paterentur. *Sall. Jug.* 14. Ego his finibus ejectus sum, quos majoribus meis populus Romanus dedit. *Id. ibid.* 79. Neque flumen, neque mons erat, qui fines eorum discerneret. *Liv.* 28. 8. Megalopolitis, quod suorum fuisse finium satis probabant. *Id. ibid.* 41. Multum interest, alienos populare fines, an tuos uri excindive videas. Adde *Nepot. Hann.* 8.; et *Sueton. Cæs.* 25. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 21. Scythicique in finibus Istri Ille pharetrati lusor Amoris abest. *Flor.* 2. 15. 8. Tum evocatis principibus, si salvi esse vellent, ut migrarent finibus, imperatum. *Id.* 1. 9. 6. Jam hinc liber populus Romanus prima adversus exteros arma pro libertate corripuit; mox pro finibus; deinde pro sociis; tum pro gloria et imperio. Cf. *eumd.* 1. 11. 5. *Id.* 4. 1. 1. In extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur. *Tac.* 3. *Ann.* 45. Vastat Sequanorum pagos, qui finium extremi et Æduis contermini sociique in armis erant. ¶ 2. *Fine* vel apud antiquos *fini* ablativus, adverbii more usurpatus, est tenus, usque ad, *fino a.* *Cato R. R.* 113. Amphoras nolito implere nimium ansarum infimarum fini. *Cæs.* 7. *B. G.* 47. Matresfamiliæ de muro — pectoris fine prominentes. *Alii male leg.* pectore nudo. *Auct. B. Afr.* 85. Per mare umbilici fine ingressi. *fino al bellico.* *Sall. fragm.* apud *Arusian. Mess.* Fine inguinum ingrediuntur mare. *Ovid.* 10. *Met.* 536. Fine genus, vestem ritu succincta Dianæ. *fino al ginocchio.* *Al. leg.* Nuda genu. — Et cum Ablativo *Cato R. R.* 28. Oleas, ulmos, ficos — in scrobe quum pones, summam terram subdito: postea operito terra radicibus fini, deinde calcato pedibus bene. ¶ 3. Metaphora sumpta a superiore paragr. 1., finis est cujusque rei modus, limes. *Lucret.* 3. 501. vitæ fines dum vertitur intra. *Id.* 3. 60. avarities et cæca cupido — homines cogunt transcendere fines Juris. *Cic.* 1. *Off.* 29. 102. Qui appetitus longius evagantur —, ii sine dubio finem et modum transeunt. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 106. Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum. *Cic.* 4. *Verr.* 48. 118. Modum aliquem et finem orationi nostræ criminibusque faciamus. Cf. *Quintil.* 10. 7. 7. Dicentes habebunt modum et finem, qui esse citra divisionem nullus potest. *Cic.* 1. *Orat.* 49. 214. Crassus mihi visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus, immensis pæne, describere. *Id. Quinct.* 10. 35. Certos mihi fines terminosque constituam, extra quos egredi non possim. *Id. Harusp. resp.* 3. 4. Illud scelus tam importunum, audaciam tam immanem non posse arceri otii finibus. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 49. Intra fines naturæ vivere. ¶ 4. Quemadmodum τέλος apud Græcos, finis generatim est etiam terminus, extremitas in unaquaque re, exitus, *il fine, il termine.* — a) Generatim. *Cic. Cluent.* 3. 7. In hoc uno (*judicio*) falsæ infamiæ finis aliquis atque exitus reperiatur. *Id. Sext.* 65. 136. Sed, ut extremum habeat aliquid oratio mea, et ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me tam attente audiendi, concludam illud de optimatibus etc. *Id.* 2. *de republ.* 44. Si placet, in hunc diem hactenus. — Quum ita placuisset, finis disputandi in eum diem factus est. Sic *Id.* 2. *Orat.* 55. 234. Facere finem scribendi. *Ter. Heaut. prol.* 34. facere maledictis. *Cæs.* 1. *B. G.* 33. injuriis. et *Quintil.* 12. 11. 1. Hic dicendi virtutibus usus orator, finem quoque dignum et optimo viro et opere sanctissimo faciet. *Cic.* 6. *Phil.* 1. 2. Etiamsi ille dies vitæ finem mihi allaturus esset. *Id.* 6. *de republ.* 25. Quod motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. *Id.* 1. *Orat.* 34. 154. Oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere. *sino a quel segno, che etc.* *Plaut. Merc.* 3. 4. 67. Finis fugæ. *Lucret.* 3. 1035. pœnarum. *Sueton. Vitell.* 12. muneris. *Id. Claud.* 46. mortalitatis. *Tac.* 2. *Ann.* 42. implere vitæ finem. *Id.* 6. *ibid.* 11. Messala Corvinus eam potestatem et paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi. *Plin.* 9. *Ep.* 28. Polliceris in fine, te statim ad nos evolaturum. *in fine della lettera.* *Liv.* 30. 1. Scipioni non temporis, sed rei gerendæ fine prorogatum imperium est. — Jungitur plurimis Verbis, quorum præcipua hæc sunt. *Plaut. Asin.* 3. 3. 15.; *Sall. Cat.* 52.; *Nepos Hamilc.* 1. et *Hann.* 13.; *Sueton. Aug.* 43. et alii sæpe. Finem facere alicui rei, vel alicujus rei. *V.* et superius allata. *Ter. Andr.* 1. 1. 12. Rebus finem præscribere. *Id. Hecyr.* 1. 2. 21. statuere orationi. *Lucret.* 6. 24. Finem timoris statuere. *Cic.* 3. *Verr.* 2. 5. alicui rei constituere. *Virg.* 10. *Æn.* 106.; *Liv.* 5. 51.; et *Tac.* 4. *Hist.* 3. Finem capere. *h. e.* habere vel facere. *Virg.* 6. *Æn.* 76. finem dedit ore loquendi. Cf. *Flor.* 1. 16. 12. Finem dare cædibus. Rursus *Virg.* 3. *Æn.* 145. fessis rebus finem ferre. *Id.* 4. *ibid.* 639. curis imponere finem. Sic *Flor.* 2. 2. 33. imponere bello. *Tac.* 6. *Ann.* 40. *extr.* Finem vitæ sibi ponere. *uccidersi.* *Lucret.* 2. 1114. ad finem perducere. *Nepos Epam.* 3. ad finem adducere. — Feminino genere. *Cic.* 2. *Legg.* 22. 55. Necesse est edisseri a nobis, quæ finis funestæ familiæ etc. *Virg.* 2. *Æn.* 554. Hæc finis Priami fatorum, hic exitus illum Sorte tulit. *Liv.* 22. 57. Quænam futura finis tantis cladibus foret. — b) *Ad finem* est usque ad finem, *fino al fine.* *Ovid.* 11. *Met.* 750. ad finem servatos laudat amores. *Id.* 2. *Amor.* 7. 14. Et stetit ad finem longa tenaxque fides. Cf. *Liv.* 10. 32. Non venit ad finem tam audax inceptum. *non ebbe il suo intento.* — c) *Nullo fine, nullo cum fine, dempto fine,* est sine fine. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 73. Sic mea perpetuos curarum pectora morsus, Fine quibus nullo conficiantur, habent. *Id.* 13. *Met.* 755. Hunc ego, me Cyclops, nullo cum fine petebat. *Id. Heroid.* 1. 50. Virque mihi dempto fine carendus abest. Adde *eumd.* 1. *Amor.* 9. 10.; et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (11). — d) *Ad eum finem* est tamdiu, *sino a tanto.* *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 129. Amor bestiarum in educandis custodiendisque iis, quæ procreaverunt, usque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere. *Id.* 2. *Verr.* 6. 16. Mansit in conditione usque ad eum finem, dum judices rejecti sunt. *Nepos Epam.* 2. Exercebatur plurimum currendo et luctando, ad eum finem, quoad stans complecti posset atque contendere. — e) *Quem ad finem* est quamdiu, *fino a quando.* *Cic.* 1. *Cat.* 1. 1. Quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? *Id.* 7. *Verr.* 29. 75. Piratam vivum tenuisti: quem ad finem? dum cum imperio fuisti. Adde *eumd. Mur.* 5. 11.; et 9. *Fam.* 26. ¶ 5. Speciatim *finis* interdum dicitur de fine vitæ, *morte.* *Horat.* 2. *Ep.* 1. 12. Comperit invidiam supremo fine domari. *Id.* 1. *Od.* 11. 2. Tu ne quæsieris, quem mihi, quem tibi Finem di dederint. *Vellej.* 2. 123. 2. Nec quicquam

jam de fine, si fata poscerent, recusans. *Tac.* 1. *Hist.* 37. Septem a Neronis fine menses sunt. Adde *eumd.* 2. *Ann.* 39., 15. *ibid.* 63. et alibi sæpe. *Vopisc. Aurel.* 37. Hic finis fuit Aureliano. Adde *Val. Flacc.* 1. 768.; et *Capitolin. Maxim. duob.* 24. ¶ 6. Sæpe dicitur de causa et proposito, cujus gratia fit aliquid, et ad quod referuntur omnia. — Est enim illud ultimum ac summum, quod ab operante quæritur, ut docet *Cic.* 3. *Fin.* 7. 26. Quum extremum hoc sit (sentis enim, credo, me jamdiu, quod τέλος Græci dicunt, id dicere tum *extremum*, tum *ultimum*, tum *summum*: licebit etiam *finem* pro extremo aut ultimo dicere), quum igitur hoc sit extremum, congruenter naturæ vivere, etc. et *Id.* 1. *ibid.* 4. 11. Quid est in vita tantopere quærendum, quam quum omnia in philosophia, tum id quod his libris quæritur, quid sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda? quid sequatur natura, ut summum ex rebus expetendis? quid fugiat, ut extremum malorum? Sic *Id.* 1. *Legg.* 20. 52. Ad finem bonorum, quo referuntur et cujus causa sunt facienda omnia. *h. e.* summum bonum. Hinc Tullii libri *de Finibus*, Gr. περὶ τελῶν: V. *Cic.* 13. *Att.* 21. 4. Similiter *Id. Planc.* 25. 60. Honorum populi finis est consulatus. *h. e.* summus honor. et *Tac.* 3. *Ann.* 27. Duodecim tabulæ, finis æqui juris. — Hinc, ut diximus, pro causa et proposito, cujus gratia fit aliquid, et ad quod referuntur omnia. *Cic.* 1. *Off.* 39. 138. Domus finis est usus. *Id.* 1. *Invent.* 5. 6. Officium ejus facultatis videtur esse, dicere apposite ad persuasionem: finis, persuadere dictione. *Quintil.* 2. 15. 38. Quem finem, vel quid summum et ultimum habeat rhetorice. *Id.* 2. 17. 22. Omnes artes habere finem aliquem propositum, ad quem tendunt. *Id.* 8. 3. 11. Ad solum finem laudis et gloriæ tendat. *Id.* 3. 8. 42. Suasoris finis est utilitas. *Cic.* 1. *Off.* 16. 52. Liberalitas referenda est ad illum finem etc. *Quintil.* 2. 17. 41. Ars ad finem vitæ utilis. Adde *eumd.* 2. 21. 3, 3. 5. 12. et alibi sæpe. *Tac.* 14. *Ann.* 64. Quod ad eum finem memoravimus, ut etc. *affinché.* ¶ 7. Apud Rhetores finis ponitur aliquando pro finitione seu definitione. *Quintil.* 5. 10. 54. Dicuntur argumenta ex finitione seu fine. *Id.* 2. 15. 3. Est igitur frequentissimus finis, rhetoricen esse vim persuadendi. Sic *pluries eo cap.* et 4. 4. 3. ¶ 8. Non semel apud ICtos *finis* pro modo accipitur. *Papinian. Dig.* 20. 1. 1. *a med.* Placuit, ut fructus hypothecarum usuris compensaret, fini legitimæ usuræ. *Id. ibid.* 21. 2. 66. *extr.* Finem pretii deminuere, vel excedere. *Id. ibid.* 49. 17. 17. Cogetur ad finem peculii perpetuo legata præstare. *Gell.* 1. 3. Quatenus quoque fini dari amicitiæ venia debeat. — Hinc *ea fini, hac fini, qua fini* vel *fini qua* est eatenus, quatenus: ad rem *Cato R. R.* 21. Cupam qua fini in modiolos erit, utrimque secus imbricibus ferreis quatuor desues. et *Colum.* 5. *R. R.* 11. 5. Ea autem fine, qua adraseris, surculos sic inserito, ut semipede vel amplius de arbore existent. Adde *eumd. Arbor.* 26. *Papinian. Dig.* 16. 2. 19. Obligatio pristina remanebit: sed dabitur ei compensatio peculii, fini, qua servus publicus habebit. *Gell.* 7. 3. *circa med.* Eo consilio atque ea fini etc. Sic *Id.* 1. 3. *sub fin.* et 13. 20. Hac fini ames, tamquam etc.

Homonym. Inter *finem* et *terminum* illud interest, quod *finis* est extremum cujusque rei, a natura statutum, ubi res ipsa per se desinit esse vel cessat; *terminus* autem est signum, v. gr. lapis aut stipes, ab hominibus positum, ubi spatium vel locus ille desinere debet: hinc *Palæmo p.* 977. *Putsch.* Terminus est loci, finis rei. Et terminus dicitur esse ab eo, quod quasi terram minuat; finis potest esse etiam ultra terminum. — Itaque *finis* est aliquid abstractum, est linea mathematica; contra *terminus* et *limes* est materiale aliquid re vera existens. Porro *terminus*, utpote lapis aut stipes, finale punctum; *limes*, utpote septum vel agger, finalem lineam denotat. — Denique *finis* nihil sancti in se complectitur; at *terminus* morali lege, limes jure et religione sanctus est, sive inviolabilis. *Cic. Quinct.* 10. 35. Certos mihi fines terminosque constituam, extra quos egredi non possim. *Cf. Inscript.* apud *Orell.* 3110. Fines terminosque statui jussit. Rursus *Cic. Amic.* 16. 56. Constituendi sunt, qui sint in amicitia fines et quasi termini diligendi. *Id.* 1. *Orat.* 49. 214. Crassus mihi visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed sui ingenii finibus immensis pæne describere. *Liv.* 36. 18. Oceano fines terminemus, qui orbem terrarum amplexu finit. *Horat.* 2. *Od.* 18. 24. Revellis agri terminos, et ultra Limites clientium Salis avarus. *Virg.* 1. *G.* 126. Nec signare quidem, aut partiri limite campum Fas erat. *Tac.* 1. *Ann.* 50. Germanicus — limitem a Tiberio factum scindit. et *Stat.* 4. *Silv.* 3. 40. inchoare sulcos et rescindere limites.

FĪNĪTĒ, adverb. ¶ 1. Est intra certos fines. *Cic.* 2. *Fin.* 9. 27. Ergo et avarus erit, sed finite, et adulter, verum habebit modum. ¶ 2. Item latiori sensu determinate, speciatim. *Gell.* 14. 7. *a med.* Referri oportere ad senatum aut infinite de republ., aut de singulis rebus finite.

FĪNĪTĬMUS *vel* finitumus, a, um, adject. πρόσορος, vicinus, propinquus, proximus, qui fines nostros attingit (It. *vicino, confinante*; Fr. *voisin, contigu, limitrophe*; Hisp. *vecino, cercano, limitaneo*; Germ. *angränzend, benachbart*; Angl. *neighbouring, bordering upon, adjoining*).

I.) Proprie. *Cæs.* 2. *B. G.* 2. Dat negotium Senonibus, reliquisque Gallis qui finitimi Belgis erant. *Cic. pro leg. Manil.* 2. 5. Regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus. *Nepos Eumen.* 8. Finitima regio. *Liv.* 1. 32. Civitates finitimæ. *Ovid. Remed. am.* 626. Finitima loca. *Id.* 4. *Trist.* 10. 111. Finitimis quamvis circumsoner armis. *Sueton. Aug.* 1. Finitimum bellum. *Ammian.* 15. 8. Finitima vicinitas. — Hinc *finitimi, orum*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more dicuntur populi, qui fines nostros attingunt. *Cic. pro leg. Manil.* 4. 9. Bosphoranis finitimis suis bellum inferre simulasset. *Virg.* 6. *Æn.* 378. Nam tua finitimi, longe lateque per urbes, Prodigiis acti cælestibus, ossa piabunt. Adde *Cic. Sull.* 20. 58.; et *Cæs.* 1. *B. G.* 2. et 2. *ibid.* 16. *Ovid.* 1. *Fast.* 551. Cacus Aventinæ timor atque infamia silvæ, Non leve finitimis hospitibusque malum.

II.) Translate ponitur pro simili, conjuncto. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 21. 68. Ita finitima sunt falsa veris. *Id. Brut.* 42. 156. Artium studiorumque quasi finitima vicinitas. *Id.* 2. *Orat.* 44. 185. Motus, qui finitimi sunt et propinqui his animi perturbationibus. *Id.* 4. *Tusc.* 30. 64. Ægritudini finitimus est metus. *Id. Sull.* 25. 71. Autronii nomen finitimum maxime est hujus periculo et crimini. *Id.* 2. *Tusc.* 15. 35. Extrema sunt finitima. *scil.* sibi. *Id.* 2. *Nat. D.* 39. 101. Mari finitimus aer. *Gell.* 1. 4. *extr.* Verbum verbo finitimum. — Hinc

Finitimi, orum, m. plur. 2. absolute, *V.* supra sub I. in fin.

FĪNĪTĬO, ōnis, f. 3. finis, finium assignatio.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est finis, terminus, status. *Vitruv.* 2. 1. Liber hoc non profitetur, unde architectura nascatur, sed unde origines ædificiorum sint institutæ, et quibus rationibus enutritæ et progressæ sint gradatim ad hanc finitionem. *Id.* 8. 1. Visum ad libratam altitudinem certa finitione designare. Adde *eumd.* 5. 4. et 9. 9. ¶ 2. Item finium assignatio, circumscriptio, divisio. *Hygin.* 1. *Astron.* 6. *extr.* Si non in triginta partes unumquodque hemisphærium dividatur, sed in alias quodlibet finitiones.

II.) Figurate. ¶ 1. Est rei alicujus determinatio, scilicet — *a*) Definitio. *Quintil.* 7. 3. 18. Finitio est rei propositæ propria et dilucida, et breviter comprehensa verbis enunciatio. Adde *eumd.* 7. 3. 20., 3. 6. 49., 5. 13. 19., 6. 3. 65., 7. 8. 1., 7. 3. 12. et 18., 9. 3. 65., 12. 2. 13., 12. 2. 15.; et *Gell.* 13. 20. *init.* — *b*) Item propositio, regula. *Colum.* 5. *R. R.* 11. 12. Illam quasi finitionem, qua nos paulo ante usi sumus, veluti quamdam legem sanxerunt, eos tantum surculos posse coalescere, qui sunt cortice consimiles. ¶ 2. Item mors. *Inscript.* apud *Gruter.* 810. 10. NAEVIA PRISCA, SI PERMANSERIT VSQVE IN DIEM FINITIONIS SVAE, RECIPIATVR IBI IVXTA MARITVM SVVM. *Alia* apud *Gruter.* 827. 3., quæ est apud *Orell.* 4776. HOS AB ANIMO POTVIT DISIVNGERE NEMO, NISI FINITIO FATI. *Cf. Vulgat. interpr. Eccli.* 40. 1. Occupatio magna creata est omnibus hominibus et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium. Cogitationes eorum et timores cordis, adinventio expectationis et dies finitionis.

FĪNĪTĪVUS, a, um, adject. qui definit. ¶ 1. Apud Rhetores *finitivus status* dicitur, in quo quæritur, quid quis fecerit, *Quintil.* 3. 6. 5. et 12. 2. 19. Similiter *Id.* 7. 3. 26. Finitiva causa. *Capell.* 5. p. 150. quæstio. ¶ 2. Apud Grammaticos *finitivus modus* verborum est, quum quasi definita et simplici utimur expositione, ut *accuso, accusabam*: qui et *indicativus* dicitur, et a *Quintil.* 1. 6. 7. *finiendi modus* appellatur, ubi tamen alii *fatendi* leg. *Diomed.* 1. p. 328. *Putsch.* — *Finitiva littera* dicitur, quæ vocem claudit et finit. *Capell.* 3. p. 54. Littera *f* nullum claudit finitiva sermonem.

FĪNĪTOR, ōris, m. 3. qui fines statuit, ὁρίζων. ¶ 1. Est terræ mensor, aut etiam alius arbiter, qui, lite de agrorum finibus exorta, suos cuique limites præscribit. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. 34. Quæstori permittant, finitorem mittant. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 20. 53. — Hinc jlocalariter *Plaut. Pœn. prol.* 48. Argumenti regiones, limites, confinia determinabo: ei rei ego sum factus finitor. Pœnultimam hic *Plaut.* corripit, quasi non a verbo *finio*, sed a nomine *finis* ducens, ut a vino est *vinitor*. Alii tamen melius ordinem verborum sic mutant, *ei rei ego finitor factu' sum.* — Hinc etiam *finitor circulus* est Græcum ὁρίζων, *l'orizzonte*, V. FINIO sub I. 2. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 17. Hanc lineam, quæ inter aperta et occulta est, Græci ὁρίζοντα vocant, nostri finitorem dixere, alii finientem. Adde *Lucan.* 9. 406. Et absolute *Capell.* 8. p. 276. Verum ex parallelis primus is est, qui et semper apparens et contingens confinia finitoris numquam mersus assurgit; qui septemptrionalis circulus perhibetur. Adde *eumd. ibid.* p. 278.; et *Censorin. de die nat.* 17. ¶ 2. *Finitor* etiam dicitur, qui cuicumque rei quocumque modo finem facit. *Stat.* 8. *Theb.* 91. *de Plutone.* O cunctis finitor maxime rerum.

FĪNĪTŪMUS. *V.* FINITIMUS.

FĪNĪTUS, a, um. *V.* FINIO.

FĪO, fis, factus, sum, fieri. *V.* FACIO.

FIRCUS. *V.* HIRCUS.

FIRMĀMEN, inis, n. 3. firmitas, *fermezza. Ovid.* 10. *Met.* 491. Porrigitur radix, longi firmamina, trunci.

FIRMĀMENTUM, i, n. 2. στερέωμα, id, quo quippiam firmatur, ne vacillet, aut ruat (It. *fermezza, rassodamento*; Fr. *soutien, renfort, appui*; Hisp. *refuerzo, apoyo, sustento*; Germ. *d. Stütze, Befestigungsmittel*; Angl. *a ground, stay, support, rest*).

I.) Proprie. *Cæs.* 2. *B. C.* 5. Ubi imbecillitas materiæ postulare videretur, pilæ interponuntur, transversaria tigna injiciuntur, quæ firmamento esse possint. *Gell.* 13. 22. Nervi sunt vincula et firmamenta membrorum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) In singulari numero. *Cic. Cluent.* 2. 5. Parum firmamenti et parum virium veritas habet. *Id. Mur.* 28. 58. Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum ac robur totius accusationis. *Id. Planc.* 9. 23. Flos equitum Rom., ornamentum civitatis, firmamentum reipubl., publicanorum ordine continetur. Adde *eumd.* 1. *Att.* 18. *Id. Amic.* 18. 65. Firmamentum stabilitatis constantiæque ejus, quam in amicitia quærimus, fides est. *Id.* 4. *Tusc.* 3. 7. Firmamentum disciplinæ. *Id. Flacc.* 37. 92. Si ullum firmamentum in illo teste poneres. *Liv.* 29. 2. Legionem firmamentum ducit. *Ammian.* 22. 16. Juri firmamentum addere. *Id.* 21. 5. Virtutis vestræ firmamento confisus. *Id.* 24. 1. Firmamentum roboris. Adde *Senecam* 1. *Ira* 16. 28. et 2. *ibid.* 1. — *b*) In plurali numero. *Grat. Cyneg.* 10. Firmamenta dare. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores *firmamentum* est illud, quod ab accusatore opponitur contra rationem defensoris, ad firmandam scilicet suam accusationem, quæ sine eo omnino corrueret. *Cic. Partit. orat.* 29. 103. Distinguendi gratia rationem appellamus eam, quæ affertur a reo ad recusandum, depellendi criminis causa: quæ nisi esset, quod defenderet, non haberet: firmamentum autem, quod ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest. Eadem habet *Id.* 1. *Herenn.* 16. 26. — Item *Id.* 1. *Invent.* 14. 19. quæ adolescens multo ante scripserat, aliter *firmamentum* definit, ac in *Partitionibus*, nempe firmissimam argumentationem non accusatoris, sed defensoris. Adde *Quintil.* 3. 11. 9. ¶ 3. *Firmamen-*

tum pro cœlo, in quo stellæ fixæ sunt, usurpatur ab *Augustin*. 2. *de Gen. ad litt.* etc. *Tertull. de Bapt.* 3. Firmamentum cœleste.

FIRMĀTĬO ōnis, f. 3. eadem est ac confirmatio, firmamentum. *Capell*. 5. *p*. 154. Quum enim objeceris: occidisti, ut doceas argumentationem et firmationem, vis, maxime quum negatur etiam ipsum non occidi, exigit argumentum, licet ad faciendam fidem etiam illa, quæ inartificialia nominantur, debeant adhiberi, ut tabulæ, testimonia, etc.

FIRMĀTOR, ōris, m. 3. qui firmat, *raffermatore, rassodatore*. Translate *Tac*. 2. *Ann*. 46. Missus tamen Drusus pacis firmator. *Plin*. 10. *Ep*. 38. Firmator disciplinæ militaris.

FIRMĀTRIX, tcis, f. 3. quæ firmat. *Coripp. Laud. Justin*. 2. 16. Et cœli liquidos firmatrix (*sapientia*) condidit ignes.

FIRMĀTUS, a, um. *V*. FIRMO.

FIRMĒ, adverb. Comp. *Firmius* I.; Sup. *Firmissime* II. — Firme est firmiter, stabiliter, *con fermezza*.

I.) Proprie. *Vitruv*. 5. 12. Pulvinus quam firmissime statuatur. *Sueton. Cal*. 26. Firme insistere. *star saldo in piè, star a piè fermo*. *Ammian*. 16. 12. Munire latera firmius. *Plin*. 35. *Hist. nat*. 12. 46. (165). Ut firmius durent, calce addita. *Ovid. Heroid*. 19. 67. Firmius o cupidi tandem coeamus amantes.

II.) Translate. *Plaut. Mil. glor*. 4. 2. 21. Infidos celas: ego sum tibi firme fidelis. *Al. minus recte leg*. firmâ fide. *Cic*. 1. *Fin*. 21. 71. Firme graviterque aliquid comprehendere. *Id*. 2. *ibid*. 2. 6. Habere bene cognitam voluptatem, et satis firme conceptam animo. *Id*. 10. *Att*. 11. Firmissime asseverare aliquid. *Id*. 3. *Fin*. 9. 31. Assensus suos firme sustinere. *Plin*. 8. *Ep*. 13. Graviter et firme respondere. *Quintil*. 11. 2. 2. Firme continere aliquid. *h. e.* optime meminisse.

FIRMĬTAS, ātis, f. 3. στερεότης, βεβαιότης, stabilitas, soliditas, constantia (It. *fermezza, sodezza, stabilità*; Fr. *solidité, consistance, force*; Hisp. *solidez, consistencia, estabilidad, firmeza*; Germ. *d. Stärke, Festigkeit*; Angl. *firmness, constancy, validity, stability*).

I.) Proprie. *Plaut. Most*. 3. 2. 133. Age, specta, postes cujusmodi! quanta firmitate et quanta crassitudine! *Cæs*. 2. *B. C*. 11. Ictum firmitas materiæ sustinet. *Vitruv*. 2. 6. Pulvis (*Puteolanus*) commixtus calce et cæmento ædificiis præstat firmitates. *Plin*. 35. *Hist. nat*. 12. 46. (161). Cois amphoris laus maxima, Hadrianis firmitas. *Eumen. Paneg. Constant*. 6. Firmitas murorum. *Cic*. 2. *Phil*. 25. 63. Gladiatoria totius corporis firmitas. *forza, robustezza*. Adde *Nepot. Alcib*. 11. et *Epam*. 31.; *Quintil*. 11. 3. 19.; et *Plin. Paneg*. 4. *Quintil*. 2. 16. 13. Firmitate præstans corpus. *Id*. 12. 11. 2. Neque scientia modo constat orator, sed voce, latere, firmitate. *Id*. 10. 7. 26.; et *Gell*. 2. 3. Firmitas et vigor vocis. *Plin*. 14. *Hist. nat*. 3. 4. (40). Uva sine ullis vasis in vite servabilis: tanta est contra frigora, æstus tempestatesque firmitas. *Id*. 19. *ibid*. 1. 2. (14). Ægyptio lino minimum firmitatis. *Id*. 35. *ibid*. 12. 46. (158). Fastigia templorum mira cælatura et arte, suique firmitate sanctiora auro. *durabilità*. Sic *Id*. 14. *ibid*. 2. 4. (21). Firmitas vini. *Id*. 20. *ibid*. 5. 20. (42). Firmitas valetudinis.

II.) Translate. *Cic. Sext*. 41. 95. Virtus et firmitas animi. Adde *Quintil*. 6. *proœm*. 4. *Sueton. Vesp*. 7. Firmitas imperii. Rursus *Cic*. 9. *Fam*. 11. Firmitatem et constantiam, si modo fuit aliquando in nobis, eamdem cognosces quam reliquisti. *Id. Amic*. 13. 46. Itaque, ut quisque minimum firmitatis habeat minimumque virium, ita amicitias appetere maxime. *Plancus* apud *Cic*. 10 *Fam*. 24. Universus exercitus numero amplissimus est, firmitate exiguus. *di valore*. *V*. in CLANCULARIUS. *Ammian*. 16. 12. Miles fixa firmitate confisus. *Id*. 26. 2. Firmitas factorum. *Id*. 17. 1. fœderum. *Id*. 21. 14. fatalis.

FIRMĬTER, adverb. firme, stabiliter, *con fermezza, sodamente*, στερεῶς.

I.) Proprie. *Plaut. Cas*. 1. 44. Firmiter concludere aliquem in fenestram. *Id. Epid*. 1. 1. 77. Nisi suffulcis firmiter, non posses subsistere. *Cæs*. 4. *B. G*. 26. Neque ordines servare, neque firmiter insistere poterant. *Varro* 3. *R. R*. 9. 8. Firmiter affigere aliquid. *Sueton. Vitell*. 24. imperare.

II.) Translate: ad rem *Lucilius* apud *Non*. *p*. 512. 20. *Merc*. Firmiter hoc pariterque tuo sit pectore fixum. *Cic. fragm.* apud *eumd. ibid*. Firmiter stabilita matrimonia. *Plaut. Pseud*. 3. 2. 111. Firmiter alicui promittere. *Gell*. 13. 8. Firmiter meminisse.

FIRMĬTŪDO, inis, f. 3. firmitas, *fermezza*, στερεότης.

I.) Proprie. *Cic*. 3. *Herenn*. 11. 20. Firmitudinem vocis maxime natura comparat, nonnihil adauget, et maxime conservat exercitatio declamationis. *Ammian*. 23. 6. Firmitudo murorum. *Id*. 18. 9. armorum. *Id*. 22. 9. originis alienæ.

II.) Translate. *Plaut. Asin*. 2. 2. 54.; et *Cic*. 5. *Fam*. 13. Firmitudo gravitasque animi. *Tac*. 3. *Ann*. 6. Referendum jam animum ad firmitudinem, ut quondam divus Julius amissa unica filia – abstruserit tristitiam. *Id*. 4. *ibid*. 8. Firmitudinem animi ostentare. Adde *eumd*. 15. *ibid*. 62. *Cic*. 11. *Att*. 14. Salus ab isto data nihil habitura est firmitudinis. *stabilità*. *Id*. 2. *Invent*. 19. 58. In ipsis autem judiciis – si quando incidunt (*translationes*), ejusmodi sunt, ut per se minus habeant firmitudinis, confirmentur autem assumpta alia aliqua constitutione.

FIRMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Firmans* I.; *Firmatus* I. et II. 1. et 2.; *Firmaturus* II. 1.; *Firmandus* I. — Firmare est firmum stabilemque reddere, stabilire, ne vacillet aut ruat, roborare, reficere, στερεόω (It. *rassodare, rinforzare, stabilire, fermare*; Fr. *rendre solide, durable, donner de la consistance, affermir, fortifier*; Hisp. *afirmar, asegurar alguna cosa, hacer que sea estable, endurecer, poner solida alguna cosa, fortificar*; Germ. *starck, fest machen, befestigen, kräftigen, stärken, in Sicherheit setzen*; Angl. *to secure, make sure, make firm, strengthen, establish, confirm*.)

I.) Proprie. *Lucret*. 6. 397. Tum brachia consuescunt firmantque lacertos. *Cic*. 2. *Tusc*. 15. 36. Illi, qui Græciæ formam rerum publicarum dederunt, corpora juvenum firmari labore voluerunt. *Liv*. 27. 13. Firmare corpora cibo. *Curt*. 9. 10. vexatos milites quiete. *Id*. 7. 5. Milites mature cibo ac potione firmati. *ristorati, rinvigoriti*. *Colum*. 6. *R. R*. 27. 10. Major prægnantibus (*equis*) adhibenda cura est, largoque pascuo firmandæ. *Pallad*. 12. *R. R*. 13. 2. Qui (*agni*), donec firmentur, intra stabulum furfuribus vel media herba – pascantur. Cf. *Virg*. 3. *G*. 209. Sed non ulla magis vires industria firmat, Quam venerem et cæci stimulos avertere amoris. *Tac*. 4. *Ann*. 73. Æstuaria aggeribus et pontibus, traducendo graviori agmini, firmat. *Plin*. 18. *Hist. nat*. 6. 8. (47) Fossas in solutiore terra sæpibus firmari, ne procidant. *Id*. 35. *ibid*. 15. 51. (182). Bitumen æramentis illinitur, firmatque ea contra ignes. *Id*. 21. *ibid*. 31. 105. (180). Remedium ad dentium mobiles firmandos. *Id*. 17. *ibid*. 23. 35. (212). Vitium gracilitas firmata circumligatis hastilibus. *Virg*. 3. *Æn*. 659. Trunca manum pinus regit et vestigia firmat. *Curt*. 4. 9. 18. Gradum firmare vix poterant, quum modo saxa lubrica vestigium fallerent, modo rapidior unda subduceret. Sic *Quintil*. 9. 4. 129. Firmare gradum. et *Ammian*. 14. 2. gressus. Cf. *Stat*. 4. *Theb*. 582. Nec jam firmantii baculo, neque virgine fida Nititur. *Cels*. 1. 3.; et *Plin*. 14. *Hist. nat*. 18. 22. (118). Uva, quæ alvum solutam firmat. *h. e.* sistit, *ferma*.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, ratione habita virium ac stabilitatis, firmare est munire, corroborare, fortem, tutum, constantem reddere, *fortificare, rinforzare*. *Cæs*. 6. *B. G*. 28. Præsidium pontis tuendi causa ponit, magnisque eum locum munitionibus firmat. Cf. *Ammian*. 14. 2. Firmare locum muro. *Liv*. 22. 8. muros. *Sall. Jug*. 23. Turres extruit easque præsidiis firmat. *Cic*. 1. *Fam*. 7. 4. Firmare provinciam præsidiis. Cf. *Curt*. 3. 7. 7. cuncta præsidiis. *Virg*. 11. *Æn*. 465. aditus urbis firmare. *presidiare*. *Cic*. 2. *de republ*. 18. Ancus Marcius ad ostium Tiberis urbem condidit colonisque firmavit. *Auct. B. Afr*. 15. Sinistrum cornu magnis equitum copiis firmaverat *Liv*. 9. 17. Firmare aciem subsidiis. *Curt*. 4. 13. 30. cornua subsidiis. *Tac*. 1. *Ann*. 51. terga agminis. *Sueton. Galb*. 19. se præsidiis. Hinc *Ammian*. 28. 5. Sonitu enim adventantium perciti exsilivere quidam intempestive, visique subito dum se firmare festinant etc. *h. e.* dum se in aciem ordinant. *Cic*. 2. *Off*. 11. 40. Quum igitur tanta vis justitiæ sit, ut ea etiam latronum opes firmet atque augeat etc. *Id*. 3. *Orat*. 61. 227. Idem illud ad firmandam est vocem salutare. Cf. *Quintil*. 11. 3. 24. Nec silentio subsidat, sed firmetur consuetudine. *Cic. Cæl*. 18. 43. Quorum quum adolescentiæ cupiditates defervissent, eximiæ virtutes firmata jam ætate exstiterunt. Cf. *Virg*. 4. *Ecl*. 37. ubi jam firmata virum te fecerit ætas. *Cic. Cluent*. 6. 13. Animum adolescentis nondum consilio ac ratione firmatum pellexit. *Horat*. 3. *Od*. 5. 45. Donec labantes consilio Firmaret. *Quintil*. 1. 1. 36. Memoria præcipue firmatur atque alitur exercitatione. Adde *eumd*. 2. 4. 15. *Cic. Sull*. 11. 32. Qui filium suum vita privavit, ut in ceteros firmaret imperium. Adde *Sueton. Vesp*. 1. *Justin*. 1. 10. 14. Regalibus nuptiis regnum firmaturus. *Id*. 1. 1. 7. Firmare magnitudinem dominationis. *Cæs*. 4. *B. G*. 28. Firmata pax. Sic *Liv*. 9. 3. Priore se consilio cum potentissimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem amicitiamque. *Cic*. 1. *Divinat*. 1. 1. Vetus opinio est jam omnium gentium firmata consensu. *Virg*. 2. *Æn*. 691. Da deinde auxilium, pater, atque hæc omina firma. *Liv*. 4. 7. Non tamen pro firmato jam stetit magistratus ejus jus, quia tertio mense, quam inierunt, honore abiere. *Capitolin. Anton. Phil*. 9. Firmare legem. — Singulare est illud *Ammian*. 21. 13. Ut eam (*multitudinem*) ad firmanda promptius adigeret imperanda tribunali celso sistens, dixit. h. e. ad exequenda. ¶ 2. Speciatim, ratione habita animi, est animum addere, securum reddere, *incoraggiare, confortare, assicurare*. *Cæs*. 1. *B. G*. 65. Cujus adventus Pompejanos compressit, nostrosque firmavit, ut se ex maximo timore colligerent. *Justin*. 2. 11. 9. Leonida quum in bellum proficisceretur, ita suos firmaverat, ut ire se parato ad moriendum animo scirent. *Liv*. 3. 55. Firmare plebem hinc provocatione, hinc tribunicio auxilio. *Tac*. 1. *Ann*. 71. Vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio et cura sibique et prælio firmabat. *Val. Flacc*. 5. 359. Firmare aliquem dictis. *Id*. 5. 216. aliquem in omnes casus. *Ammian*. 16. 10. Bellorum usu et maturitate firmatus. Adde *eumd*. 24. 11. — Et cum Accus. *animum*: cf. *Sall. fragm.* apud *Arusian. Mess*. Ad Cyzicum perrexit firmatus animi. *Virg*. 3. *Æn*. 610. dextram Anchises Dat juveni, atque animum præsenti pignore firmat. *Ovid*. 9. *Met*. 744. Quin animum firmas teque ipsa recolligis, Iphi? *Tac*. 16. *Ann*. 35. Firmare animum constantibus exemplis. *Justin*. 7. 6. 5. Quorum victoria et militum trepidos animos firmaret et contemptum sibi hostium demeret. *Id*. 22. 4. 3. Animos firmare in obsidionis patientiam. *Val. Flacc*. 5. 324. animos firmate repulsæ. Similiter *Ovid*. 1. *Fast*. 497. Vocibus Evander firmata mente parentis Nave secat fluctus. Cf. *eumd*. 3. *Met*. 689. vix mentem firmat deus, Excute, dicens, Corde metum. *Al. leg*. vixque meum, *al. aliter*. ¶ 3. Item, ratione habita fidei, est aliquem arctius in fide retinere. *Auct. B. G*. 8. 27. Complures civitates in fidem recipit, obsidibus firmat. ¶ 4. Item pro confirmare: et — a) *Firmare fidem* est ratum facere. *Plaut. Mil. glor*. 2. 5. 45. Te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem, te huc, si omisero, intro ituram. *Ter. Andr*. 3. 1. 3. Pamphilus firmavit fidem. Nam quod peperisset, jussit tolli. *confermò la parola o promessa data*. Cf. *eumd. Hecyr*. 4. 2. 5. Fidem alicui rei firmare. *h. e.* facere, ut magis credatur. Sic *Sueton. Rhet*. 1. Sæpe fabulis fidem firmare, aut demere. Cf. *Tac. Germ*. 39. Fides antiquitatis religione firmatur. — b) *Firmare aliquid* est probare, ostendere, *confermare, provare*. *Lucret*. 6. 918. Hoc genus in rebus firmandum est multa prius quam ipsius rei rationem reddere possis. *Cic. Harusp. resp*. 14. 30. Tabulis hoc censorum, memoria multorum firmabo ac docebo. *Id. Fat*. 5. 11. Si vis et natura fati ex divinationis ratione firmabitur. *Id*. 2. *Legg*. 7. 16. Quum intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quantæ salutis sint fœderum religiones. *Sil. It*. 9. 61. Fata cano vates: sistis ni crastina signa, Firmabis nostro Phœbeæ dicta Sybillæ Sanguine. *Val. Flacc*. 3. 711. et hoc omni ductor tibi numine firmo. *Quintil*. 4. 2. 102. Firmare aliquid argumentatione. *Tac*. 1. *Ann*. 81. De comitiis consularibus – vix quidquam firmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius orationibus reperiuntur.

affermare. Quamquam — c) Pro affirmare, asseverare, fere cum Infinito usurpatur, *affermare, promettere, assicurare*. *Lucret.* 6. 911. firmare necesse est, Nil esse in promptu, nisi corpus mixtum in inani. Adde *eumd.* 3. 320. *Auct. B. G.* 8. 48. Seque et ibi futurum, ubi præscripserit, et ea facturum, quæ imperaverit, obsidibus datis firmat. *Tac.* 2. *Hist.* 9. Paratis omnium animis, reversuros firmaverunt. *Id.* 6. *Ann.* 50. Charicles tamen labi spiritum, nec ultra biduum duraturum, Macroni firmavit. *Pallad.* 11. *R. R.* 12. 3. Alii amygdalu inseri posse firmaront. *Ammian.* 15. 5. Nec enim intellexisse firmabat. *Spartian. Hadrian.* 4. Opinio multa firmavit, corrupisse eum Trajani libertos. — Et passive. *Pallad.* 10. *R. R.* 3. Sata bene provenire firmantur, si *dice, che* etc.

FIRMUS, a, um, adject. Comp. *Firmior* et Sup. *Firmissimus* I. et II. — Ratione habita etymi, ἀπὸ τοῦ ἔρματος, quod est fulcrum, *Paulo Diac.* p. 91. 6. *Müll.* dictum videtur; aliis ab εἱρμός *nexus*; aliis a βριμὸς *fortis, validus*. — Ceterum firmus est qui non vacillat, aut ruit, qui dimoveri aut labefactari non potest, stabilis, fixus, durus, qui diu durat, βέβαιος, στερεός (It. *fermo, solido, stabile, saldo*; Fr. *solide, qui a de la consistance, dur, fort, ferme, robuste*; Hisp. *sólido, firme, macizo*; Germ. *kräftig, stark, feststehend, unbeweglich*; Angl. *firm, steady, constant, stable, sure, solid*).

I.) Proprie. — a) De rebus physicis, quæ stabiles, fixæ, duræ sunt. *Ovid.* 1. *Pont.* 4. 35. Nos fragili vastum ligno sulcavimus æquor: Quæ tulit Æsoniden, firma carina fuit. *Virg.* 2. *Æn.* 481. firma robora. *Ovid.* 2. *Art. am.* 652. arbor. Sic *Sueton. Vesp.* 5. Firmior arbor. *Ovid.* 1. *Fast.* 370. firma vincula. *Id.* 2. *Amor.* 12. 3. janua. *Id.* 1. *Pont.* 2. 21. sera. *Curt.* 5. 1. 29. solum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (102). Firmioris testæ murices. — b) Item de iis, quæ diu durant, *durevole*. *Virg.* 2. *G.* 97. Sunt etiam Amineæ vites, firmissima vina. Cf. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 3. 7. (12). Durabat antiquitas firma. — c) Dicitur et de cibis, qui sunt solidioris alimenti et vires addunt. *Varro* 2. *R. R.* 11. 2. Firmo cibo pasta pecus. *Cels.* 2. 18. Firmius est triticum, quam milium: idipsum, quam hordeum: ex tritico firmissima siligo. *et ibid.* Firmior ex frumento potio. — d) Refertur et ad vires corporis, *forte, robusto*. *Cic.* 16. *Fam.* 8. Te penitus rogo, ne te tam longæ navigationi per hiemem nisi bene firmum committas. – Effice ut valeas, et ut ad res firmus ac valens quam primum venias. *Id. ibid.* 5. Mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportares. Cf. *Ovid.* 2. *Art. am.* 319. Illa quidem valeat: sed si male firma cubabit, Et vitium cœli senserit ægra sui etc. et *Sueton. Aug.* 8. Vixdum firmus a gravi valetudine. Rursus *Cic.* 11. *Fam.* 27. Nondum satis firmo corpore quum esset, ad me mane venit. *Horat. Epod.* 12. 3. Firmissimus juvenis. *Phædr.* 1. 19. catuli *Sueton. Tib.* 44. infantes. *Vellej.* 2. 84. 2. Firmissimi remiges. *Quintil.* 5. 10. 49. Occisos a firmioribus imbecilliores. Sic *Ovid.* 15. *Met.* 221. *de homine*. Editus in lucem jacuit sine viribus infans: Mox quadrupes rituque tulit sua membra ferarum: Paullatimque tremens et nondum poplite firmo Constitit, adjutis aliquo conamine nervis. — Huc referri possunt et illa *Nepot. Eumen.* 11. Fuit viribus ad laborem ferendum firmis. Cf. *Ovid.* 3. *Fast.* 39. Dixerat: et plenam non firmis viribus urnam Sustulit. *Quintil.* 1. 6. 8. Firmius ætatis robur. Cf. *Sil. It.* 3. 84. Inde, ubi flore novo pubescet firmior ætas. *h. e.* juventus.

II.) Translate. — a) Generatim. *Ter. Heaut.* 2. 3. 96. Nihil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi expediat metum. *Cic. Orat.* 71. 237. Ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inveni firmius, quod tenerem, quam etc. *Id.* 16. *Att.* 5. Nisi judicassem hoc, quod dico, firmum fore. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 46. 141. Illud ratum, firmum, fixum fuisse vis. *Id.* 7. *Verr.* 29. 75. Utrum tandem tibi ad defensionem firmius fore putasti? *Id.* 1. *Off.* 2. 6. Præcepta officii firma, stabilia, conjuncta naturæ. *Id. Brut.* 30. 114. Opinio firma et stabilis. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 11. 42. Firma et constans assensio. *Id. Brut.* 78. 272. Argumenta firma ad probandum. *Quintil.* 11. 2. 4. Firma memoria *Id.* 11. 2. 45. Firmissima memoriæ pars. *Cic.* 2. *Att.* 25. Firmissima benevolentia hominum munitum esse. *Id.* 6. *Fam.* 5. *extr.* Spem firmissimam habere. *Id.* 1. *Att.* 1. 2. Firmior candidatus. *il più sicuro, quello che ha maggiore speranza degli altri*. Sic *Id.* 7. *ibid.* 25. Attulit a te litteras hilariores, nec tamen firmas, ut soles. *h. e.* in quibus certæ res atque exploratæ narrentur. — b) Speciatim transfertur ad vires militares ac robur reipublicæ. *Cic. Amic.* 7. 23. Quæ enim domus tam stabilis, quæ firma civitas est, quæ non odiis et discidiis funditus possit everti? *Id.* 2. *de republ.* 1. Si nostram rempublicam vobis et nascentem et crescentem et adultam et jam firmam atque robustam ostendero. *Cæs.* 5. *B. G.* 52. Senones, quæ est civitas in primis firma. *Cic.* 5. *Phil.* 9. 21. Mutina firmissima et splendidissima colonia. *Id.* 15. *Fam.* 4. 3. Evocatorum firma manus et equitatus sane idoneus. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 15. 2. Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur. *Pompejus* apud *eumd.* 8. *Att.* 12. A. 1. Domitius non satis firmus esset ad castra facienda. *Liv.* 23. 25. Exercitus satis firmos ad tantum bellum efficere. *Cæs.* 7. *B. G.* 60. Cohortes firmæ ad dimicandum. *Id.* 3. *B. C.* 88. firmissimæ. *Nepos Eumen.* 3. Quum neque magnas copias, neque firmas haberet, quod inexercitatæ et non multo ante erant contractæ. *Cic.* 1. *de republ.* 32. Concordi populo nihil esse immutabilius, nihil firmius. *Id.* 1. *Fin.* 10. 35. Laus et caritas sunt vitæ sine metu degendæ præsidia firmissima. *Id. Cœl.* 2. 7. Videor mihi jecisse fundamenta defensionis meæ: quæ firmissima sunt, si nituntur judicio suorum. — c) Item sæpissime transfertur ad animi vires et constantiam, qua nulla re quis a proposito dimoveri potest, *fermo, costante, franco*. *Cic.* 6. *Phil.* 7. 18. Senatum sua sponte bene firmum firmiorem vestra auctoritate fecistis. *Id. Mil.* 33. 91. Vir et in republica fortissimus et in suscepta causa firmissimus. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 9. 29. Accusator firmus et verus. *Plin.* 2. *Ep.* 11. 19. Vir egregius et pro veritate firmissimus. Rursus *Cic. Balb.* 27. 61. Firmiorem esse in sententia. *Tibull.* 3. 2. 6. Non ego firmus in hoc. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 26. Aut quia non firmus rectum defendis et hæres. *h. e.* non es constans in defendendo. *Tac. Agric.* 35. Promptior in spem et firmus adversis. *Id.* 4. *Hist.* 5. Firmus adversus fortuita. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 82. Firmus adversus largitionem. *et* 3. *Ann.* 18. adversus pecuniam. *Sall. Jug.* 28. Patiens laborum, – belli haud ignarus, firmissimus contra pericula et insidias. *Vellej.* 2. 63. *extr.* Firmus proposito. Cf. *Vopisc. Firm.* 4. Mente firmissimus. *Ovid.* 7. *Met.* 457. firmissimus ira. Similiter *Cic. fil.* apud *Cic.* 16. *Fam.* 21. Firmo constantique animo quippiam facere. *Virg.* 6. *Æn.* 261. Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo. — d) Item ad fidelitatem. *Plaut. Trin.* 2. 2. 102. Hic meo hero amico solus firmus restitit. *Id. Stich.* 4. 1. 16. Ut cuique homini res parata est, firmi amici sunt: si res lassa labat, itidem amici collabascunt. *Cic. Amic.* 17. 62. Sunt igitur firmi et stabiles et constantes amici eligendi. *Cic. Cœl.* 6. 14; et *Nepos Lysandr.* 2. Firmus amicus ac fidelis. *Cic.* 15. *Fam.* 4. *ad fin.* Ut ex infidelissimis sociis firmissimos redderem. Similiter *Ter. Hecyr.* 4. 1. 18. Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires *Q. Cic. Petit.* cons. 7. 26. Non brevis et suffragatoria, sed firma et perpetua amicitia. *Quintil.* 1. 2. 20. Firmissimæ amicitiæ. *Ovid. Heroid.* 20. 86. Servabor firmo vinctus amore tui. Adde *eumd.* 2. *Art. am.* 386. *Plaut. Capt.* 5. 1. 6. Quum hæc reperta est fides firma vobis. — Cum Infinito. *Horat.* 2. *Ep.* 17. 47. Et fundus nec vendibilis, nec pascere firmus. *h. e.* non valens, non sufficiens. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

FISCĀLIS, e. adject. ad fiscum pertinens, *fiscale, del fisco*. *Ulp. Dig.* 43. 8. 2. Res fiscales quasi propriæ et privatæ principis sunt. *Vopisc. Aurelian.* 48. Fiscalia vina. *Fragm. de iure fisci cum Caj. Institut.* editum § 6. Servi fiscales. *Papinian. Dig.* 2. 14. 42. Fiscale jus. *Paul. ibid.* 49. 14. 45. *a med.* Debitores fiscales. *Sueton. Domit.* 9. Fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit. *h. e.* delationes et pœnas, quibus in utilitatem fisci cives a delatoribus accusati afficiebantur. *Aurel. Vict. Cæsar.* 41. Fiscales molestiæ severius pressæ. *h. e.* acerbæ exactiones rerum fiscalium. *Oros.* 7. 15. Fiscalia negotia. *Paulin. Nol. Ep.* 49. Fiscale horreum. Sic *Salvian.* 6. *Gub. Dei* 12. Quæ (*bella*) vastatis urbibus mari clausis, eversis Sardinia ac Sicilia, id est fiscalibus horreis, atque abscisis velut vitalibus venis, Africam ipsam, id est quasi animam captivavere rei publicæ. *Cassiod.* 3. *Variar.* 32. Fiscalia tributa Arelatensibus nostra relaxat humanitas. *Id.* 11. *ibid.* 7. *ante med.* Fiscalia onera nulla occasione volumus infirmari. — *Fiscalis cursus* est cursus publicus, privata fisci impensa institutus. *V.* CURSUS. *Spartian. Hadrian.* 7. Statim cursum fiscalem instituit, ne magistratus hoc onere gravarentur. — Gladiatores fiscales, *h. e.* e fisco principis alti. *Capitolin. Gord. III.* 33. Gladiatorum fiscalium paria mille. — Hinc

Fiscalia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt res ad fiscum pertinentes. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 634. n. 290. FECI SECVRA SOLVS SEMPER FISCALIA MANCEPS. *h. e.* manceps, seu publicanus ea, quæ ad fiscum pertinent, vectigalia, conduxi a procuratore Cæsaris locata. *Alia* apud *Maffej. Antiq. Gall.* p. 84. IN PROVINCIA LVGDVNENSI QVINQVE FISCALIA *cum* AGRVM, PLEROSQVE VIROS BONOS PRAESPEXI etc. Priori loco fecit fiscalia manceps quæstus sui causa, altero vero egit fiscalia per quinquennium procurator Cæsaris reipublicæ commodo.

FISCĀRIUS, ii, m. 2. fisco aliquid debens. *Firmic.* 3. *Mathes.* 13. *a med.* Annuæ fiscariorum præstationes.

FISCELLA, æ, f. 1. *deminut. a* fiscina, parva fiscina, parvus fiscus, vas ex virgis salicis, aut junco, aliave materie textum: quale est, in quo caseus exprimitur, uvæ deferuntur, etc., *fiscella, fistella, cestella, canestro*, σιβη, ταλαρίσκος: unde *Gloss. Isid.* Fiscella, forma, ubi casei exprimuntur. *Virg.* 10. *Ecl.* 71. gracili fiscellam texit hibisco. *Tibull.* 2. 3. 15. Tunc fiscella levi detexta est vimine junci, Raraque per nexus est via facta sero. *Ovid.* 4. *Fast.* 743. Libaque de milio milii fiscella sequatur. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 2. *de vindemia*. Si vineta grandia sunt, fabricandæ decimodiæ et trimodiæ, et fiscellæ texendæ et picandæ. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 8. 3. et 12. *ibid.* 39. 1.; *Pallad.* 11. *R. R.* 19. 4.; et *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 492. — A similitudine ita dicitur capistrum e vimine, aut funiculis, quo boum ora inter arandum coercentur, *musoliera*, φιμός. *Cato R. R.* 54. Boves fiscellas habere oportet, ne herbas sectentur, quum arabunt. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (177). Si inter arbores vitesque aretur, fiscellis capistrari oportet, ne germinum tenera præcerpant. — Item ad prohibendas oves a salientibus arietibus. *Varro* 2. *R. R.* 2. 14. Deterrent ab saliendo fiscellis e junco, aliave qua re, quod adligant ad naturam.

FISCELLUS, i, m. 2. *deminut. a* fiscus.

I.) Proprie est idem quod fiscella. *Colum.* 12. *R. R.* 38. 6. Baccas myrti fiscello ligneo inclusas exprimito. *Cod. Lipsiensis legit* fiscella.

II.) Improprie Fiscellus appellatur casei mollis appetitor: ut catillones catillorum liguritores. *Paul. Diac.* p. 90. 2. *Müll.* Adde *Gloss. Isid.*

FISCĬNA, æ, f. 1. alia forma pro *fiscus*, dicitur omne genus vasis ex vimine, junco, sparto, aliave materie contexti, *canestro, cesta, cestone*, τάλαρος. *Cato R. R.* 153. Vinum fæcatum sic facito. Fiscinas olearias Campanicas duas illæ rei habeto. Adde *eumd. ibid.* 135. et 13. *Varro* 1. *R. R.* 22. 1. Quæ nasci in fundo ac fieri a domesticis poterunt, eorum ne quid ematur, ut fere sunt quæ ex viminibus et materia rustica fiunt, ut corbes, fiscinæ, tribula, mallei, rastelli. *Cic. Flacc.* 17. 41. Homini Phrygi, qui arborem fici numquam vidisset, fiscinam ficorum objecisti. *Virg.* 1. *G.* 266. Nunc facilis rubea texatur fiscina virga. *Nævius* apud *Serv.* ad *hunc loc.* Quod quæso ut in pectus tuum demittas, tamquam vindemiator in fiscinam. *Colum.* 12. *R. R.* 39. 3. In fiscina nova uvas premito. *Id. ibid.* 50. 10. Baccam oleæ in fiscinis novis includi, prælisque subjici. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 2. 90. et 10. *ibid.* 307. *Martial.* 1. 44. Rustica lactantes nec misit fiscina metas. *h. e.* metam lactis. *Ovid.* 4. *Fast.* 754. data ægræ fiscina frondis ovi. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (314). Unus frondator quatuor frondarias fiscinas cumplere in die justum habet. — Item fiscina dicitur capistrum e vimine, aut funiculis, quo boum ora inter arandum coercentur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (68). Equus cum fiscinis. *Forcellinus* tamen aliter interpretatus est; fiscinas enim peras esse affirmavit. *V.* FISCELLA a med., ibique *Caton.* et *Plin.*

FISCLUM, i, n. 2. quasi fisculum, a colando oleum dictum, vel quasi fiscella olei. Ita *Isid.* 20. *Orig.* 14.

FISCUS, i, m. 2. τάλαρος, vas vimineum, junceum, aut ex simili alia materia, ad eos præsertim usus, quos in FISCINA et FISCELLA exemplis indicavimus, corbis, quasillus, cista, sporta: est a φίσκος; *botulus*, hinc φύσκη *vesica*, quæ a φυσάω *sufflo, flatu distendo* (It. *cesto*, *cestello*, *paniere*, *sportella*; Fr. *panier de jonc ou d'osier*; Hisp. *cesta*, *canasta*; Germ. *d. Gefäss*, *Korb*; Angl. *a basket*, *frail*). Hinc ¶ 1. Stricto sensu *Colum.* 12. *R. R.* 50. 22. Fiscis novis oleum premi oportebit. et 52. 2. Oleam in novo fisco adjicito, subjectamque prælo sic premito, ne vasa intorqueas. Adde *eumd. ibid.* 38. 7. et 17. 9. ¶ 2. Mos fuit majoris summæ pecuniam in fiscos condi: quare *fiscus* sæpe loculum, arcam, sacellum, cophinum, follem pecuniæ significat, *cassa del danaro, scrigno, sacchetto, borsa.* *Cic.* 5. *Verr.* 79. 183. Viator, ac Venerius, qui fiscum sustulit. *Id.* 2. *ibid.* 8. 22. Fiscus complures cum pecunia Siciliensi a quodam senatore ad equitem R. esse translatos: ex his quasi decem fiscos ad senatorem illum relictos esse. *Phædr.* 2. 7. Mulus ferebat fiscos cum pecunia. *Sueton. Claud.* 18. Po-itis ante se cum pecunia fiscis. *Seneca* 3. *de Ira* 33. Fiscos in angulo jacentes. — Et pro ipso ære *Juvenal.* 11. 259. ærata multus in arca Fiscus. *V.* SUFFISCUS. ¶ 3. Dicitur speciatim de pecunia publica, quia hæc majoris summæ est, quam privata. *Cic.* 5. *Verr.* 85. 197. Quaternos HS, quos mihi senatus decrevit, et ex ærario dedit, ego habebo, et in cistam transferam ex fisco. Adde *eumd.* 3. *ad Q. fr.* 4. 5. — Postea *fiscus* appellata est omnis pecunia publica, itemque jus ac dominium reipublicæ in agros, vectigalia et ceteras res, unde reditus in publicum veniunt, *fisco.* Hinc *Eutrop.* 2. 16. aperte fiscum pro ærario posuit. ¶ 4. Item speciatim sub imperatoribus *fiscus* dicta est pecunia et patrimonium principis, sicut ærarium reipublicæ. *Plin. Paneg.* 36. At fortasse non eadem severitate fiscum, qua ærarium, cohibes. *Id. ibid.* 42. Locupletabant et fiscum et ærarium. *Spartian. Hadrian.* 7. Damnatorum bona in fiscum privatum redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta. *Seneca* 7. *Benef.* 6. Cæsar omnia habet, fiscus ejus privata tantum ac sua. *Juvenal.* 4. 54. Quidquid conspicuum pulcrumque ex æquore toto est, Res fisci est, ubicumque natat. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (84). Qui maris rubri vectigal a fisco redemerat. *Paul. Dig.* 39. 4. 9. *extr.* Fiscus ab omnium vectigalium præstationibus immunis est. Adde *Sueton. Aug.* 101., *Vesp.* 16., 18. et 23., *Ner.* 44. et *Claud.* 28.; *Tac.* 4. *Hist.* 72., 2. *Ann.* 48., 6. *ibid.* 17. et alibi sæpe, et *Capitolin. Anton. Phil.* 12. — Hinc et vectigal ipsum fiscus dicitur a *Sueton. Domit.* 12. Judaicus fiscus acerbissime actus est. *h. e.* exacta pecunia, quæ a Judæis fisco debebatur ex tributi impositione. *Plin. Paneg.* 36. *a med.* Sæpius vincitur fiscus, cujus mala causa numquam est, nisi sub bono principe.

FISSĬCŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FISSĬCŬLO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Fissiculatus* et *Fissiculandus.* — Fissiculare a *fissus*, quod a *findo*, est findendo dividere. *Apul. de Deo Socrat.* Dæmonum cuique tributa provincia, vel somniis conformandis, vel extis fissiculandis, vel præpetibus gubernandis, vel oscinibus erudiendis etc. *h. e.* extis minutatim ita dividendis, ut appareat *fissum jecoris. V.* FINDO in fin. *Capell.* 1. *p.* 5. In fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, aut denunciata pecudum cæde fissiculatis extorum prosiciis viscera loquebantur. *Id.* 2. *p.* 38. Hæc (*numina*) haruspicio exta fissiculant admonentia quædam, vocesque transmittunt, auguratisque loquuntur ominibus. Adde *Fronton.* loc. in DIFFINDO.

FĬSSĬLIS, e, adject. (findo, fissus). ¶ 1. Est qui findi potest, qui facile finditur, *facile da fendersi*, σχιστός. *Virg.* 6. *Æn.* 181. cuneis et fissile robur Scinditur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (158). Arundo fissilis præacuta semper acie. *Id. ibid.* 39. 73. (187). Lignum nullis rimis fissile. *Id.* 36. *ibid.* 17. 27. (131). Lapis fissili vena scinditur. ¶ 2. Item fissus, findendo scissus. *Colum.* 9. *R. R.* 1. 3. Et sive teres arboris truncus, sive ut crassitudo postulavit fissilis stipes etc. *Id.* 4. *ibid.* 33. 4. Etenim taleæ propius stirpem recisæ quadrifidas plerumque, ac deinde secundæ taleæ ejusdem arboris bifidas ridicas subministrant: quod genus fissilis adminiculi manet diutius, quam teres palus. *Sidon.* 9. *Ep.* 11. *ad fin.* Humus fissilis. — Hinc jocolariter *Plaut. Aulul.* 3. 2. 25. Ad focum si adesses, non fissile haberes caput. *non avresti il capo rotto.*

FISSĬO, ōnis, f. 3. actus findendi, *fenditura*, σχίσις. *Cic.* 3. *Nat. D.* 63. 159. Quibus quum terræ subigerentur fissione glebarum, etc.

FISSĬPES, pĕdis, adject. omn. gen. qui pedes, seu ungulas fissas habet.

I.) Proprie. *Auson. Epist.* 5. 3. Fissipedes juvencæ.

II.) Translate. *Auson. ibid.* 7. 49. Fissipes calamus. *h. e.* qui scribendo inservit, *penna da scrivere.*

FISSUM, i, n. 2. *V.* FINDO in fin.

FISSŪRA, æ, f. 1. rima, vel divisio, quæ fit findendo, *fessura*, *crepatura*, σχισμή. — a) In singulari numero. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (176). Quorum in digitos pedum fissura divisa est. *Scribon. Compos.* 122. et 123. Fissura ani. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 9. Totius obtruncatione vitis, et cum ejusdem resectionis fissura præcipit fieri. *Id.* 5. *ibid.* 10. 17. In fissuram cuneum adigere. — b) In plurali numero. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 33. (101). Lapis friabilis, fissurisque, non globis dehiscens. *Id.* 28. *ibid.* 12. 50. (188). Asini sebum labrorum fissuris cum adipe anserino.

FISSURARIUS, ii, m. 2. qui fissuras facit. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 122.

FISSUS, a, um. *V.* FINDO.

FISTELLA, æ, f. 1. *deminut. a* fistula, parva fistula. *Pelagon. Veterin.* 24. Si sanguis per nares fluxerit, linteolum et lanam combures, et per fistellam in nares exsufflas. *Sed videtur scribendum fistulam, ut putat etiam* Sanchiani.

FISTŪCA, æ, f. 1. ab *ictum statuo*, ut videtur, est crassum lignum, aut ferrum, quo areæ complanantur, calcantur, solidantur, et pavimenta paviuntur, *mazzeranga*, *orso.* *Cato R. R.* 28. Operito terra radicibus fini, deinde calcato pedibus bene: deinde fistucis vectibusque calcato quam optime poteris. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 61. (185). Pavimenta in Italia fistucis pavita. — Similiter instrumentum utrinque ansatum, ponderosum, quo alte plurium manibus sublato pali magna vi terræ infiguntur, *battipalo.* *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Hæc tigna cum machinationibus demissa in flumen defixerat, fistucisque adegerat, etc.

FISTŪCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus fistucandi, calcatura, solidatio, *calcamento.* *Vitruv.* 10. 3. Pali resupinati defodiantur, et circum fistucatione solidentur. *Id.* 7. 1. Si congesticius locus fuerit, fistucationibus solidetur.

FISTŪCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FISTŪCO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Fistucatus.* — Fistucare est fistuca pavire, calcare, solidare, *calcare, mazzerangare.* *Cato R. R.* 18. Fundamenta primum fistucato, postea cæmentis struito. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 62. (186). Rudus pedali crassitudine fistucari. *Vitruv.* 7. 4. *ad fin.*; et *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 63. (188). Solo fistucato injicitur rudus. — Hinc *fistucato* est per fistucationem. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (87). Terram circa radices fistucato spissandam.

FISTŪLA, æ, f. 1. est tubus, canalis opertus claususque, per quem aqua fluit; item quicumque cavatus tubus per quem quid defluit, σίφων, σωλήν (It. *tubo*, *doccia*, *doccione*, *cannone*; Fr. *tuyau*, *tube*, *conduit*, *canal*; Hisp. *canal*, *caño*, *cañon*, *tubo*; Germ. *d. Röhre*; Angl. *a pipe*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) De tubo, canalive operto clausoque, fere semper plumbeo, per quem aqua fluit. *Cic. Rabir. perduell.* 11. 31. Fistulas, quibus aqua suppeditabatur Jovis O. M. templis ac sedibus, præcidi imperarat. *Varro* 3. *R. R.* 5. 2. In hoc tectum aquam venire oportet per fistulam. *Ovid.* 4. *Met.* 122. Non aliter, quam quum vitiato fistula plumbo Scinditur, et tenues stridente foramine longe Ejaculatur aquas. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (224). Aquæ dulces juxta mare, ut fistulis, emicantes. Adde *eumd.* 31. *ibid.* 6. 31. (58)., ubi quinarias, octonarias, denarias fistulas describit: itemque *Frontin. Aquæd.* 25. et seqq.; *Justin.* 4. 1. 1.; *Plin.* 5. *Ep.* 6. *extr.*; *Lucan.* 3. 206.; *Pallad.* 9. *R. R.* 11. 2.; *Capitolin. Maxim. et Balb.* 10.; et *Inscript.* apud *Orell.* 3322., 3324. et 3892. V. *Schneideri* adnotat. ad *Pallad.* loc. cit. *Inscript.* apud *Henzen.* 6428. NE EA AQVA QVAE ITA DISTRIBVTA DISCRIPTA DEVE QVA ITA DECRETVM ERIT ALITER QVAM FISTVLIS PLVMBEIS D. T. AB RIVO P. L. DVCATVR NEVE EAE FISTVLAE AVT RIVOS NISI SVB TERRA etc. — Similiter de fistularum usu in balneis *Pallad.* 1. *R. R.* 40. 3. Ad quod miliarium fistula frigidaria dirigatur, et ab hoc ad solium similis magnitudinis fistula procedat, quæ tantum calidæ ducat interius, quantum fistula illi frigidi liquoris intulerit. — b) Speciatim de aspera arteria, pulmonum et intestinorum ductu. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 66. (175). Sub uva minor lingua, nulli uva generantium: opera ejus gemina, duabus interpositæ fistulis. *esofago e aspera arteria.* Adde *Gell.* 17. 11., *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 72. (188). Pulmo spongiosus ac fistulis inanibus cavus. *Id.* 9. *ibid.* 7. 6. (19). Hæc duo genera fistulis spirant, quæ ad pulmonem pertinent, balænis a fronte, delphinis a dorso. *Id.* 28. *ibid.* 8. 27. (106). Extrema fistula intestini. *Veget.* 5. *Veterin.* 14. 7. *Schneid.* Fistula urinatis. — c) De spongiarum et ossium foramine, cavitate medullæ etc. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 11. 47. (123). Spongiarum alias mares existimavere, tenui fistula; alias feminas, majoribus fistulis ac perpetuis: in maribus duriores alias, tenuissimis fistulis atque densissimis. *Id.* 11. *ibid.* 37. 62. (163). Dentes aspidi tenui fistula perforati. *h. e.* intus cavi ad modum fistulæ. *Id.* 30. *ibid.* 3. 8. (26). Ossiculis gallinarum in pariete servatis, fistula salva. — d) Item de muscarum aculeo et foraminibus in apum cellis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (100). Muscarum generi lingua evidens fistula est. *h. e.* perforata, aculeus fistulosus. *Colum.* 9. *R. R.* 11. 1. Fere in ipso fine cerarum velut papilla uberis apparet eminentior et laxioris fistulæ, quam sunt reliqua foramina, quibus popularis notæ pulli detinentur. — e) Huc pertinent et illa *Plin.* 31. *Hist. nat.* 11. 25. (109). et *ibid.* 12. 32. (127). Impellere et inspirare aliquid in aures flatu per fistulam. *con un cannello.* Sic *Veget.* 2. *Veterin.* 15. 4. Post exempta sagitta subjicies fistulam –, quam mulomedici portare consueverunt, minutis foraminibus multisque pertusam, per quam foras humor emanat, quem suscipies in vase. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 10. 4. et 5. *ibid.* 21. 4. ¶ 2. Speciatim dicitur de cannarum et florum foramine. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 22. 48. (106). Fistula calami odorati. *h. e.* internodium totus pertusum. *Id.* 19. *ibid.* 5. 23. (66). Cucumeres, in fistula flore demisso, longitudine crescunt. *h. e.* cannæ inserto, cui prius nodos perforaveris, ut *Pallad.* 4. *R. R.* 9. *ante med.* explicat.

II.) Translate. ¶ 1. Fistula, σύριγξ, *zampogna* (quam *Forcellinus* ut primam hujusce vocabuli significationem affert) est avena, musicum instrumentum pastorale, quod inflando sonum edit (unde *Isid.* 2. *Orig.* 20. Fistula dicta, quod vocem emittat), ex pluribus calamis, imparibus, varii sonoris, cera compactis conflatum, cujus inventor Pan primus fuisse dicitur a *Virg.* 2. *Ecl.* 32., ab *Ovid.* 1. *Met.* 690. et seqq. et a *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (204). Volunt esse quasi φύσηλα, a φυσάω *inflo.* Quid a tibia differat, ibi dicitur. *Tibull.* 2. 5. 31. Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo: Nam calamus cera jungitur usque minor. *Virg.* 2. *Ecl.* 36. Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula. *Id.* 3. *ibid.* 25. aut unquam tibi fistula cera Juncta fuit? *Ovid.* 13. *Met.* 784. Sumptaque arundinibus compacta est fistula centum: Senserunt toti pastoria sibila montes. *Horat.* 4. *Od.* 1. 23. Delectabere tibia, Mixtis carminibus non sine fistula. *h. e.* ut voces canentium et fistula concinant. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 12. 10., 1. *ibid.* 17. 10. et 3. *ibid.* 19. 20.; *Lucret.* 4. 590.; *Ovid.* 8. *Met.* 191.; *Val. Flacc.* 4. 384.; *Nemesian.* 3. *Ecl.* 5.; *Calpurn.* 4. 60.; *Martial.* 11. 63.; et *Ammian.* 16. 5. — Potest etiam dici de tibia, quæ unius calami est. *Macrob. præfat. l.* 1. *Saturn. a med.* Vides, quam multorum vocibus chorus constet; una tamen ex his omnibus redditur: aliqua est illic acuta, aliqua gravis, media: accedunt viris feminæ, interponitur fistula. — De fistulæ usu apud oratores vel contionatores hæc *Cic.* 3. *Orat.* 60. 225. Gracchus – cum eburneola solitus est habere fistula, qui staret occulte post

ipsum, quum contionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut a contentione revocaret. Adde *Quintil.* 1. 10. 27. Sic *Ammian.* 36. 4. *ad fin.* Ut contionaris Gracchi fistula post occipitium desit. — Jlocalariter ac translate *Cic.* 1. *Att.* 16. 11. Itaque et ludis et gladiatoribus ἐπισημασίας sine ulla pastoricia fistula auferebamus. *h. e.* sine sibilis, quin sibilis improbaremur. ¶ 2. *Pers.* 3. 14. *fistulam* vocat calamum scriptorium. ¶ 3. Fistula est etiam ulcus oblongum, angustum et profundum in corpore sive ex vitio, sive ex morbo, pus trahens. *fistola.* *Cato R. R.* 157. 11. *Schneid.* Et si quis ulcus tetrum vel recens habebit, hanc brassicam erraticam aqua spargito, opponito, sanum facies. Et si fistula erit, turundam intro tradito. *Nepos Att.* 21. Tanta vis morbi in unum intestinum erupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. *Al. leg.* fistula puris. *Cels.* 7. 4. Adversus fistulas. si altius penetrant, si tortuosæ sunt, etc. *et ibid.* Solent inter costas fistulæ subter ire etc. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 33. (82). Fistulas et humores evorare. *Id.* 24. *ibid.* 11. 51. (88). Lavare et siccare fistulas etc. *Id. ibid.* 8. 33. (49). Tumores sanant extrahuntque per fistulas. ¶ 4. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 23. (100). fistulam vocat ferramentum sutorium, quo coria inciduntur. ¶ 5. Quam *Cato R. R.* 10. memorat *fistulam farrariam*, est pilum præferratum multis ferramentis oblongis obtusisque, et, ad modum calamorum in fistula musicali, in capite pili infixis compactisque: simile opinor iis, quibus teruntur lineri panni ad chartam faciendam. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 10. 23. (97). Etruria spicam farris tosti pisit pilo præferrato, fistula serrata, et stella intus denticulata, ut nisi intenti pisant, concidantur grana ferrumque frangatur. ¶ 6. Est etiam baculus teres, quo pistores et bellarii tracta ex quibus lagana fiunt, complanant, *spianatojo.* *Apic.* 42. Unum laganum fistula percuties.

FISTŬLANS, antis, particip. ab inusit. *fistulo*, fistulosus, fistulam agens. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (100). Terra bibula, et pumicis vice fistulans. *Harduin.* legit *fistulosa* ex MSS. *Sillig* vero vulgatam lectionem retinuit.

FISTŬLĀRIS, e, adject. ad fistulam pertinens. ¶ 1. *Fistulares versus* apud *Diomed.* 3. p. 498. *Putsch.* dicuntur qui ab una syllaba ad plures surgunt, ideoque fistulæ figuram repræsentant. ¶ 2. Fistulare medicamentum apud *Veget.* 3. *Veterin.* 13. 6. est quod per fistulam injicitur. Similiter *Id.* 6. *ibid.* 16. 1. Collyrium fistulare.

FISTŬLĀRĬUS, ii, m. 2. qui fistula canit. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 623. n. 218., quæ est apud *Orell.* 2615. Q. CRISIDIO (*leg.* CARSIDIO) Q. F. SABINIANO FISTVLARIO, CANTORI, etc. *V.* IMAGINARIUS. Allata tamen *Inscriptio* est dubiæ fidei.

FISTŬLĀTIM, adverb. per fistulas. *Apul.* 4. *Met.* Fimus fistulatim excussus.

FISTŬLĀTOR, ōris, m. 3. qui fistula canit, *sonator di zampogna*, συριστής. *Cic.* 3. *Orat.* 61. 227. Sed fistulatorem domi relinquetis. *Gell.* 1. 11. Halyattes rex Lydiæ, quum bellum Milesiis faceret, concinentes habuit fistulatores et fidicines atque feminas etiam tibicines.

FISTŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad fistulatorem pertinens, ut Fistulatoriæ artes, *Arnob.* 2. 42.

FISTŬLĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *fistulo.* ¶ 1. Et fistulis ornatus. *Sueton. Ner.* 31. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores; fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Ita recte leg. *Salmas.* ad *Vopisc. Aurelian.* 46., ita etiam edidit *Baumgarten*: alii aliter. ¶ 2. Item cavatus in modum fistulæ. *Arnob.* 2. 59. Venæ fistulatæ, et commeabiles. *Sidon. carm.* 2. *post ep.* 13. *l.* 9. Æra fistulata.

FISTŬLESCO, is, ere, n. *inchoat.* 3. in fistulæ morem pertundor. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 19. Crementis lunæ abscisa ligna furfuraceis tinearum terebramlnibus fistulescunt.

FISTŬLO. *V.* FISTULANS et FISTULATUS.

FISTŬLŌSUS, a, um, adject. ¶ 1. Est in modum fistulæ intus cavatus, pertusus, *pertugiato, bucato.* *Plin.* 11. *Hist. nat.* 2. 1. (3). Telum culicis fodiendo acuminatum, sorbendo fistulosum. *Id. ibid.* 37. 65. (173). Quibus aculeus in ore fistulosus, iis nec lingua, nec dentes. ¶ 2. Item fistulis, seu foraminibus oblongis abundans, *pieno di buchi.* *Colum.* 7. *R. R.* 8. 5. Caseus neque fistulosus, neque salsus, neque aridus. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (114). Nitrum spongiosum fistulosumque. *Id.* 17. *ibid.* 5. 5. (35). Terra arida, fistulosa, scabra. *Id.* 36. *ibid.* 23. 53. Fistulosus lapis. ¶ 3. Item fistulæ morbo laborans. *Cato R. R.* 157. Fistulosus cancer subtus suppurat sub carne.

FISUS, a, um. *V.* FIDO.

FITILLA. *V.* FRITILLA.

FIVERE, item pro figere. *Cato* apud *Paul. Diac.* p. 92. 8. *Müll.*

FIXE, adverb. Comp. *Fixius.* — Fixe est figendo, inhærendo. *Cassiod.* 2. *Variar.* 16. Quum divina judicia fixe sustineret. *Id. fragm.* edente *A. Mai. T.* 3. p. 353. Quod si fixe atque inviolabiliter credimus. *Augustin. Ep.* 6. *extr.* Ubi tenacius habitabit et fixius.

FIXĬO, onis, *f.* 3. *V.* FIXUS, us.

FIXULAS fibulas. *Paul. Diac.* p. 90. 1. *Müll.*

FIXŪRA, æ, f. 1. figendi actus, locus, in quo aliquid infixum est, *conficcatura, trafiggitura.* *Tertull. advers. Gnost.* 1. *circa med.* Perire sine causa, prima fixura. *Vulgat. interpr. Joann.* 20. 25. Fixuræ clavorum.

FIXUS, a, um. *V.* FIGO.

FIXUS, us, m. 4. fixio. *Gloss. Cyrill.* Πῆξις, fixus, fixio. *Auct. Itiner. Alex. M.* 49. edente *A. Mai.* Hanc quoque obtinet fixu vectium.

FL

FLĀBELLĬFER, fĕra, ferum, adject. Flabelliferæ ancillæ, quæ flabellum ferunt et ventilationem faciunt. *Plaut. Trin.* 2. 1. 22. Flabelliferæ, sandaligerulæ, cantrices, etc.

FLĀBELLO, as, are, a. 1. *Tertull. Pallad.* 4. Quum calor in affectationem flabellatur. *h. e.* flabello agitatur et accenditur.

FLĀBELLŬLUM, i, n. 2. *deminut.* a flabellum. *Ter. Eun.* 3. 5. 50. Qui esset status, flabellulum tenere te asinum tantum. Cf. *Quicherat* ad hanc voc.: «Vocem *Forcellinus* temere in dubium vocat, variam lectionem referens *flabellum*, quam in quibusdam editionibus video. Illa autem unice vera, ut metri ratio constet. Nec obest, quod *Ter.* dictionem *flabellum* proxime usurpet ».

FLABELLUM, i, n. 2. *deminut.* a flabrum, parvum flabrum, instrumentum, quo fit ventilatio ad refrigerandum, vel ad ignem excitandum.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Ter. Eun.* 3. 5. 47. Cape hoc flabellum: ventulum huic sic facito. *Martial.* 3. 82. Et æstuanti tenue ventilat frigus Supina prasino concubina flabello. *Ammian.* 28. 4. Ubi si inter aurata flabella laciniis sericis insederint muscæ etc. — Cf. *Varro* 1. *R. R.* 31. 3. Ejuscidum enim sarmentum propter infirmitatem sterile, neque ex se potest ejicere vitem: quam vocant minorem flagellum, majorem etiam, unde uvæ nascuntur palmam. Prior, littera una mutata, declinata a venti flatu, similiter flabellum ac flagellum. Posterior etc. ¶ 2. Latiori sensu per similitudinem dicitur de cauda avium. *Propert.* 2. 18. 59. Et modo pavonis caudæ flabella superbi.

II.) Translate. *Cic. Flacc.* 23. 54. Cujus lingua, quasi flabello seditionis, illa tum est agentium contio ventilata.

FLĀBĬLIS, e, adject. spirabilis, aereus, *spirabile.*

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Tusc.* 27. 66. Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. *Arnob.* 2. 49. Qualitatem materiæ universitas elementi probat, non pulvisculi flabiles. *h. e.* ita minuti, ut vento perflante dissipentur.

II.) Translate. De spirituali Christianorum significatione. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 317. Ædem sibi ipse (*Deus*) mente in hominis condidit Vivam, serenam, sensualem, flabilem, Solvi incapacem posse, nec destructilem. Alii minus recte leg. *stabilem*, vel *flebilem*. Eodem sensu *Id.* 2. *in Symmach.* 187. *perflabilem* dixit. Et *Id. Apotheos.* 867. Res flabilis.

FLĀBRĀLIS, e, adject. flabilis, ad flabrum pertinens. *Prudent. Apotheos.* 841. Quum libet, in gelidum flabrali frigore ventum Spiritus exsistit. *Al. leg.* flabrari, *h. e.* flare, *soffiare*, ab inusit. *flabro, as.*

FLĀBRĀRĬUS, ii, m. 2. qui flabello muscas abigit a cadaveribus publice expositis. *Isid. Gloss.* Flabrarius, custos corporum. *Alii mendose leg.* flabarius et porcorum. *V.* VENTILO.

FLĀBRO. as. *V.* FLABRALIS.

FLĀBRUM, i, *vel potius* flabra, ōrum, n. 2. (flo). In singulari numero exempla nondum vidimus; quod et *Servius* adnotavit ad *Virg. loc.* mox citandum. — Flabrum est flatus, flamen, *soffio, vento,* πνοή, πνεῦμα; est vox fere poetica, et occurrit de ventis tantum: et quidem — *a*) Cum addito genitivo. *Lucret.* 5. 218. et 6. 731. Flabra ventorum. *Propert.* 2. 20. 70. neque hic Boreæ flabra, neque arma timet. *Val. Flacc.* 6. 665. Lenibus alludit flabris levis Auster. *Avien. Perieg.* 33. flabra Aquilonis. *Id. ibid.* 52. Favoni. *Id. ibid.* 1270. Noti. *Id. ibid.* 150. Zephyri. Adde *Virg.* 3. *G.* 199. *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottia*) 4. 6. Adminicula, quibus (*tenera germina*) se tueri contra violentia ventorum flabra consuescant. — *b*) Absolute. *Lucret.* 6. 427. freta fervescunt spirantibus incita flabris. *Virg.* 2. *G.* 293. non hiemes illam, non flabra, neque imbres Convellunt. *Terentian. de Metr.* p. 2427. *Putsch.* Pinea brachia quum trepidant stridentia flabris.

FLACCEO, es, ere, n. 2. Præter. *flaccui* V. in voc. seq. — Part. *Flaccens* I. — Flacceo est flaccus fio, languesco, marcesco, παραμαραίνομαι, μαραίνομαι, *divenir passo, languido*: est a βλακεύω *torpeo, langueo*, mutata scilicet littera β in *f*, ut sæpe alias, et geminata *c*.

I.) Proprie. *Lucilius* apud *Non.* p. 110. 10. *Merc.* Lorum flaccet. *Lactant. Opif. Dei* 8. Aures pendulæ atque flaccentes. Cf. *Vulgat. interpr. Esai.* 19. 10. Et erunt irrigua ejus flaccentia: omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.

II.) Translate. *Ennius* apud *Non.* p. 110. 11. *Merc.* Sin flaccebunt conditiones, repudiato et reddito. *Afranius* apud *eund.* p. 110. 12. *Merc.* Disperii: perturbata sum: jam flaccet fortitudo. *Cic.* 2. *ad Q. Fr.* 15. 4. Messala flaccet. h. e. languet, in petitione consulatus deficit. (V. *eumd.* 4. *Att.* 15. *a med.*) *Apul. de Mag.* Oratio vestra rebus flaccet, spiritu viget. *Claud. Mamert.* 1. *de statu anim.* 3. Sententia flaccente.

FLACCESCO, cescis, cui, cescere, n. 3. *inchoat.* a flaccere. — Legitur et *flaccisco.* *Pacuvius* apud *Non.* p. 488. 14. *Merc.* Flucti flacciscunt, silescunt venti. Ita etiam *Livius Andronicus* apud *Non.* p. 231. 30. *Merc.* Flaccescunt utria. *Forcellinus* ita legit: *Mercerus* vero leg. *Flacci teget utria.* — Part. *Flaccescens* I. et II. — Flaccesco est flaccere incipio, languesco.

I.) Proprie. *Colum.* 12. *R. R.* 7. 4. Feniculum quum legeris, sub tecto exponito, dum flaccescat. *Vitruv.* 2. 9. Flaccescente fronde. *Varro* 1. *R. R.* 13. 3. Stercus quod infertur recens, minus bonum: id quod flaccuit, melius. *Schneiderus* quoque ita edidit: sed *Ursinum* probat, qui corrigebat; *quod est quam recens, quod confracuit, melius.*

II.) Translate. *Cic. Brut.* 24. 91. Quum otiosus stilum prehenderat, motusque omnis animi, tamquam ventus, hominem defecerat, flaccescebat oratio. *Arnob.* 4. 22. Flaccescentium voluptatum ardorem restituere. *Id.* 7. 32. Ad numerum cymbalorum mollita indignatione flaccescunt. *h. e.* iram ac vires deponunt, placantur, mitescunt.

FLACCĬDUS, a, um, adject. Comp. *Flaccidior* II. — Flaccidus est languidus, et ad debilitatem, aut lentitudinem pendulus, *passo, languido, pendente,* μαλθακός, χαλαρός.

I.) Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 9. 4. *de canibus*; et *Colum.* 7. *R. R.* 6. 2. *de capro*; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (205). *de sue.* Aures flaccidæ et prægravantes. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (127). Flaccidum folium. *Apul. Florid.* n. 23. Vela pendula et flaccida.

II.) Translate. *Apul.* 7. *Met.* Vestis muliebris in sinus flaccidos abundans. *Al. leg.* floccidos, *h. e.* floccis abundantes. *Lucret.* 5. 631. Flaccidiore turbine fertur. *h. e.* cursu remissiore ac tardiore. *Arnob.* 7. 43. Argumentatio flaccida est. *h. e.* infirma, levis.

FLACCŬLUS, a, um, adject. *deminut.* flacci. *Trebell. Poll. Gallien.* 8. Pugiles flacculis, non veritate pugnantes. *h. e.* pilis flaccidis et mollibus, innoxium ictum inferentibus. Ita legit et exponit *Salmas.* Alii *sacculis.* V. PUGILOR.

FLACCUS, a, um, adject. flaccidus.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 2. Flaccæ aures. *Varro* 2. *R. R.* 9. 4. auriculæ.

II.) Figurate de homine dicitur, cui sint auriculæ solito majores, mobiles ac pendulæ. *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 80. Equos deos pætulos esse arbitramur? ecquos silos? flaccos, frontones, capitones, quæ sunt in nobis? — Hinc factum cognomen Romanis gentibus non unis, ut Corneliæ, Horatiæ, Valeriæ, Fulviæ, etc. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 50. (136). Aures homini tantum immobiles: ab iis Flaccorum cognomina. *V.* FLACCUS in ONOM.

FLĂGELLĀTĪCIUS, ii, m. 2. flagellis dignus, verbero. *Gloss. Philox.* Flagellaticius, μαστιγίας.

FLĂGELLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus flagellandi, *flagellazione*, διαμαστίγωσις. *Tertull. ad Martyr.* 4. *ad fin.*

FLĂGELLĀTUS, a, um. *V.* voc seq.

FLĂGELLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Flagellatus* I. et II. 1. — Flagellare μαστιγόω (cujus etymon *V.* in FLO) est flagellis, virgis, fuste etc. cædere (It. *battere*, *sferzare*, *flagellare*; Fr. *fouetter*, *flageller*, *battre*; Hisp. *azotar*, *palmear*, *latiguear*, *pegar*; Germ. mit d. *Peitsche oder Geissel schlagen*, *hauen*, *daher geisseln*, *peitschen*; Angl. *to whip*, *scourge*, *beat*, *lash*, *jerk*).

I.) Proprie. *Sueton. Cal.* 26. Quæstorem suum in conjuratione nominatum flagellavit, veste detracta, subjectaque militum pedibus, quo firme verberaturi insisterent. Adde *eumd. ibid.* 55. et *Claud.* 38. *Ovid.* 3. *Met.* 93. Pondere serpentis curvata est arbor, et imæ Parte flagellari gemuit sua robora caudæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (49). *de leone.* In principio iracundiæ terra cauda verberatur: incremento terga, ceu quodam incitamento, flagellantur. *Id.* 25. *ibid* 8. 53. (101). Serpentes sese interimunt flagellando. *Id.* 9. *ibid.* 30. 48. (92). Canes extremis polypi crinibus flagellati. *Id.* 18. *ibid.* 30. 72. (298). Messis alibi tribulis in area, alibi equarum gressibus exteritur, alibi perticis flagellatur. *Quintil.* 11. 3. 118. *ubi de gestu.* Repetito ultra lævum humerum gestu flagellare in tergum.

II.) Translate. ¶ 1. Poetica sunt illa *Plin.* 2. *Hist. nat.* 15. 45. (116). Radiorum multiformi jactu flagellatus aer. *Martial.* 4. 42. Lumina sideribus certent, mollesque flagellent Ora romæ: tortos non amo, Flacce, comas. *h. e.* prolisæ extensæque comæ jactatu vultum verberent. *Stat.* 10. *Theb.* 169. Sertaque mista comis sparsa cervice flagellat. *h. e.* diverberat, agitat, concutit. *Id.* 5. *ibid.* 273. puppemque insana flagellat Arbor. *h. e.* arbor navem movet. *Id.* 3. *ibid.* 36. ima flagellatis, signum lugubre malorum, Ponderibus trepidavit humus. *h. e.* concussis, emotis, agitatis. ¶ 2. *Flagellare opes* dicitur arca ditis avarique hominis, quæ multam pecuniam continet, coercet, premit avareque custodit, ne aut insumatur, aut surripiatur. *Martial.* 2. 30. et 5. 13. — Similiter *flagellare annonam* est vexare, arctare, continendo apud se, ne copia sit, et difficilis coemptio fiat. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 13. 57. (164). Pretia rerum, quæ usquam ponimus, non ignoramus, alia in aliis locis esse, et omnibus pæne annis mutari, prout navigationes constiterint, aut ut quisque mercatus sit, aut aliquis prævalens manceps annonam flagellet. — Similiter *Pers.* 4. 48. Si puteal multa cautus vibice flagellas. *V.* PUTEAL.

FLĂGELLUM, i, n. 2. *deminut. a n.* flagrum, est lorum, seu aliud quodvis flexile verber, seu potius instrumentum pluribus loris junctum, ac sæpe scorpionibus sive aculeis munitum (*V.* figuram ejus in *Annal. dell' Instit. Archeol. a.* 1840. *p.* 157.), quo servos nudatos cædere solebant, quod pœnæ genus gravius erat, quam fustibus cædi, μάστιξ (It. *sferza*, *flagello*; Fr. *fouet*, *houssine*; Hisp. *latigo*, *azote*; Germ. *d. Peitsche*, *Geissel*; Angl. *a whip*, *scourge*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu de servis; et flagellum pœnæ genus erat gravius, quam scutica, ut patet ex *Horat.* 1. *Sat.* 3. 117. adsit Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas, Nec scutica dignum horribili sectere flagello. Cf. *Juvenal.* 6. 478. hic frangit ferulas, rubet ille flagellis, Hic scutica. Rursus *Horat.* 1. *Sat.* 2. 42. ille flagellis Ad mortem cæsus. *Cic. Rabir. perduell.* 4. 12. Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit, hic misericors flagella retulit. *Marcell. Dig.* 48. 19. 10. Ex quibus causis liber fustibus cæditur, ex his servus flagellis cædi et domino reddi jubetur. *Horat. Epod.* 4. 11. Sectus flagellis præconis ad fastidium. Adde *Juvenal.* 14. 19. — *b*) Latiori sensu de aliis, qui servorum more puniuntur. *Curt.* 6. 11. 17. Philota flagellorum ictus nudis ossibus incussos ferre non poterat. *Sueton. Cal.* 33. Apellem tragœdum — flagellis discidit. Adde *eumd. Aug.* 45. et *Tit.* 8. *Justin.* 1. 5. 2. Mox rex inter ludentes sorte delectus (*Cyrus adhuc puer*), quum per lasciviam contumaces flagellis cecidisset etc. Similiter de adulterorum pœna *Catull.* 25. 10. Ne laneum latusculum manusque mollicellas Inusta turpiter tibi flagella conscribillent. — *c*) Flagellum nonnullis quoque diis tribuitur. *Virg.* 8. *Æn.* 703. Quam (*discordiam*) cum sanguineo sequitur Bellona flagello. *Ovid. Ib.* 185. tibi de Furiis scindet latus una flagello. Sic *Val. Flacc.* 8. 20. Inde, velut torto Furiarum erecta flagello, Prosilit. Cf. *eumd.* 7. 149. Ipsum (*Orestem*) angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli. — Huc referri potest et illud *Horat.* 3. *Od.* 26. 11. sublimi flagello Tange (o *Venus*) Chloen semel arrogantem.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de scutica, qua aurigæ utuntur, quæ excussa clarum reddit sonum. *Virg.* 5. *Æn.* 579. signum clamore paratis Epitides longe dedit insonuitque flagello. *Sil. It.* 4. 440. Quadrijugos atro stimulat Bellona flagello. Adde *Juvenal.* 2. 169. et 8. 151.; et *Martial.* 6. 40. et 11. 55. — Similiter *Colum.* 2. *R. R.* 2. 26. Boves admovere flagello. *Veget.* 5. *Veterin.* 47. 8. *Schneid.* Assiduo flagello (*jumentum lethargicum*) excitandum, aut voce, ut vitium timore deponat. ¶ 2. Item lorum, quo jacula emittuntur. *Virg.* 7. *Æn.* 730. teretes sunt aclydes illis Tela: sed hæc lento mos est aptare flagello. ¶ 3. Item de polyporum brachiis. *Ovid.* 4. *Met.* 366. Utque sub æquoribus deprensus polypus hostem Continet, ex omni dimissis parte flagellis. ¶ 4. Et de hominum crinibus. *Sidon.* 1. *Ep.* 2. Aurium legulæ crinium superjacentium flagellis operiuntur. ¶ 5. Item ac sæpius de summa palmitis parte et de virgis flexilibus aliarum arborum, *tralcio*, *capo di vite*, βλαστός: a *flagellum*, qua notat lorum, quia, ut ait *Forcellinus*, sarmentorum et virgarum usus in cædendo fuit, vel rectius, quia hæc flagelli similitudinem referunt. *Varro* 1. *R. R.* 31. 3. Ejuncidum sarmentum non potest ex se ejicere vitem, quam vocant minorem, flagellum; majorem, unde uvæ nascuntur, palmam. *Virg.* 2. *G.* 299. neve flagella Summa pete, aut summa destringe ex arbore plantas. *Catull.* 62. 52. Jam jam contingit summum radice flagellum. *le cime.* *Colum.* 4. *R. R.* 21. 12. Nonnulli fructus avidius eliciunt, extrema et media flagella submittendo. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 6. 3., 4. *ibid.* 10. 2. et 3. *ibid.* 21. 7. ¶ 6. Apud sequioris ævi scriptores ponitur etiam pro tribulo. *Hieronym.* in *Esai.* 28. ¶ 7. Per metaphoram dicitur de mala conscientia. *Lucret.* 3. 1033. mens sibi conscia facti Præmetuens adhibet stimulos torretque flagellis. *Juvenal.* 13. 195. Occultum quatiente animo tortore flagellum.

FLĀGĬTĀMENTUM. *V.* FLAMENTUM.

FLĀGĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus flagitandi, *istanza*, *chiesta*, αἴτησις. — *a*) In singulari numero. *Cic. Topic.* 1. 5. Nolui deesse ne tacitæ quidem flagitationi tuæ. *Justin.* 2. 4. Quindecim annis pacandæ Asiæ immorati, uxorum flagitatione revocantur. — *b*) In plurali numero. *Tac.* 13. *Ann.* 50. Crebræ populi flagitationes, immodestiam publicanorum arguentis.

FLĀGĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui flagitat, *domandatore*.

I.) Proprie. — *a*) Dicitur de creditore, qui debitum reposcit. *Plaut. Cas. prol.* 23. Ejicite ex animo curam atque alienum æs, ne quis formidet flagitatorem suum. *Id. Most.* 3. 2. 81. Quasi flagitator astans usque ad ostium. Adde *Gell.* 17. 6. *ad fin.* — *b*) Generatim. *Liv.* 8. 12. *a med.* Triumphi ante victoriam flagitator *Id.* 5. 45. *ad fin.* Flagitator pugnæ. *Ammian.* 29. 1. molestus. — *c*) Et de iis, qui apud magistratum de aliqua re queruntur. *Ammian.* 21. 16. Augebat etiam amaritudinem temporum flagitatorum rapacitas inexpleta.

II.) Figurate, metaphorâ sumptâ a creditore, qui debitum reposcit. *Cic. Brut.* 5. 18. Hunc video flagitatorem, non illum quidem tibi molestum, sed assiduum tamen et acrem fore.

FLĀGĬTĀTRIX, īcis, f. 3. quæ flagitat. *Augustin. Ep.* 140. Epistola vehemens flagitatrix.

FLĀGĬTĀTUS, a, um. *V.* FLAGITO.

FLĀGĬTĬŌSĒ, adverb. Comp. *Flagitiosius* et Sup. *Flagitiosissime*. — Flagitiose est turpiter, inhoneste, fœde, cum infamia et probro, *turpemente*, *vergognosamente*, *con infamia*, βδελυρῶς, αἰσχρῶς. *Cic.* 3. *Fin.* 11. 38. Quis animo æquo videt eum, quem impune et flagitiose putet vivere? *Id.* 2. *Verr.* 15. 41. Patres conscriptos judicia male et flagitiose tueri. *Id. Divinat. in Q. Cæcil.* 22. 71. Ut turpissime flagitiosissimeque discedat, nihil de suis veteribus ornamentis requiret. *Id.* 2. *Cat.* 4. 8. Aliorum amori flagitiosissime servire. *Id.* 7. *Att.* 15. Sumus enim flagitiose imparati quum a militibus, tum a pecunia. *Id. Fontej.* 11. 24. Legationes flagitiose obitæ. *Id.* 5. *Fin.* 31. 94. Flagitiose desciscere ab aliquo. *Arnob.* 4. 22. Flagitiosius procreare liberos.

FLĀGĬTĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Flagitiosior* et Sup. *Flagitiosissimus*. — Flagitiosus est flagitiis contaminatus, vitiosus cum dedecore, turpis, fœdus, infamis, impurus, *infame*, *vergognoso*, *turpe*, *dissoluto*, βδελυρός, αἰσχρός: et occurrit — *a*) De homine. *Cic.* 4. *Tusc.* 32. 68. Ut turpes sunt, qui efferunt se lætitia, quum fruuntur Veneris voluptatibus, sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. *Id.* 4. *Verr.* 78. 192. Homo flagitiosissimus, libidinosissimus nequissimusque. Adde *Isid.* 10. *Orig.* 107. Hinc *Sall. Cat.* 5. Civitas paullatim immutata, ex pulcherrima pessima ac flagitiosissima facta est. — *b*) De rebus. *Cic.* 2. *Fin.* 28. 94. Vitiosa et flagitiosa vita. *Id.* 4. *Verr.* 54. 131. Flagitiosæ libidines. *Id. Rosc. Am.* 9. 24. Bonorum emptio flagitiosa, flagitiosa possessio. *Sall. Jug.* 37. Flagitiosissima facinora facere. Cf. *Plin.* 9. *Ep.* 13. 12. Factum flagitiosissimum. Rursus *Sall. Jug.* 88. Quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. *Tac.* 1. *Ann.* 59. Flagitiosa servitus. *Id.* 6. *ibid.* 32. senectus. *Quintil.* 12. 11. 18. animus. *Tac.* 2. *Hist.* 31. Egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam meruere. — *c*) Absolute. *Sall. Jug.* 118. Regem armis, quam munificentia, vinci, minus flagitiosum. *Tac.* 3. *Ann.* 54. Tot a majoribus repertæ leges, tot, quas divus Augustus tulit, illæ oblivione, hæ (quod flagitiosius est) contemptu abolitæ.

FLĀGĬTĬUM, ii, n. 2. *a* flagito. Juxta *Forcellinum* proprie est strepitus. *Plaut. Pæn.* 3. 2. 32. (*V.* locum infra sub II. 1.) At sæpe est acris turpisque efflagitatio cum convicio ac tumultu. Hinc *Id. Plaut. flagitium* vocat, quum puellæ causa protervi juvenes aliorum ostia occentant et carbonibus elogia inscribunt, *Merc.* 2. 3. 82. (*V.* locum infra sub II. 3.). Et acrem molestamque creditoris petitionem debiti, *Epid.* 3. 4. 77. (*V.* locum infra sub II. 3.). V. *Voss. Etymol.* — Specialim est appellatio virginis de stupro, ipsumque stuprum, ut est apud *Non. p.* 313. 14. *Merc.* Hucusque *Forcellinus*, qui *flagitium* a v. *flagito* deduxit, qua postulare significat. — Ceterum *flagitium* a *flagito* atque adeo a *flagro*, proprie est flagrans cupiditas, maximus cupiditatis ardor, facinus summo libidinis ardore æstuante patratum; atque hinc est facinus cum dedecore infamiaque conjunctum, præsertim libidinosum, impurum, sordidum, unde certissima infamia est: ita enim *Augustin.* 3. *Doctr. Christ.* 10. Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum et corpus suum, flagitium vocatur: quod autem agit, ut alteri noceat, facinus dicitur. βδελυρία, αἰσχρότης (It. *infamità*, *ribalderia*, *bruttura*, *scelleraggine*; Fr. *action déshonorante*, *ignominieuse*, *acte d'infamie*, *turpitude*; Hisp. *acto deshonoroso*, *ignominioso*, *acto de turpitud*, *infamia*; Germ. *die einen Menschen entehrende*, *leidenschaftliche Handlung*, *die Schandthat*; Angl. *a disgraceful or shameful*, *crime*, *profligacy*, *dissoluteness*, *lewdness*, *flagitiousness*).

I.) Proprie. — *a*) Conjungitur cum *stupris* et *adulteriis*, ut apud *Cic.* 6. *Verr.* 32. 71. Quæ (*convivia*) domesticis stupris flagitiisque flagrabant. *Id.* 7. *ibid.* 10. 26. Noctis longitudo stupris et flagitiis conterebatur. *Id. fragm. in C. Anton.* apud *Ascon.* Stupris se ac flagitiis contaminare. *Id. Senect.* 12. 40. Stupra vero et adulteria et omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. — *b*) Item cum *vitiis*, *sceleribus*, *facinoribus*, ut apud

Cic. 1. *Tusc.* 30. 72. Qui se humanis vitiis contaminavissent et se totos libidinibus dedissent, quibus cæcati vel domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent. *Id. Prov. Cons.* 6. 14. Homo sceleribus flagitiisque contaminatissimus. *Id. Rosc. Am.* 9. 25. Intelligitur, imprudente L. Sulla scelera hæc et flagitia fieri. *Id.* 9. *Att.* 10. 3. Fore, ut aliquid conveniret potius, quam aut hic tantum sceleris et ille tantum flagitii admitteret. *Id.* 1. *Cat.* 6. 13. Quæ libido ab oculis, quod facinus a manibus unquam his, quod flagitium a toto corpore abfuit? *Sall. Cat.* 23. Q. Curius, flagitiis atque facinoribus coopertus. *Id. ibid.* 14. Qui alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret. *Liv.* 39. 13. Nihil facinoris, nihil flagitii prætermittere. Cf. *eumd.* 39. 16. Minus tamen esset si flagitiis tantum effeminati forent; a facinoribus manus, mentem a fraudibus abstinuissent. *V.* FACINUS. — *c*) Generatim. *Ter. Phorm.* 5. 2. 5. Aliquid flagitii conficere. *Cic.* 4. *Tusc.* 34. 73. Quasi vero non propter libidinem tanta flagitia faciat et dicat. *Id. ibid.* 70. Poetas ludere sinamus, quorum fabulis in hoc flagitio (*h. e.* stupro) versari ipsum videmus Jovem. *Id. Pis.* 18. 42. Quos utinam ita audires, ut erant audiendi! nunquam te in tot flagitia ingurgitasses. *Tac.* 4. *Ann.* 3. Hanc (*Liviam*) ut amore incensus adulterio pellexit, et postquam primi flagitii potitus est etc.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de aliis rebus, quæ dedecus aliqua ratione afferunt: ad rem *Tac. Germ.* 12. Proditores et transfugas arboribus suspendunt: ignavos et imbelles et corpore infames cœno ac palude, injecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. *Plaut. Cas.* 5. 3. 1. Maximo ardeo flagitio. *Ter. Heaut.* 5. 4. 14. Flagitiis infamem fieri. *Id. Adelph.* 1. 2. 3. Non est flagitium, facere hæc adolescentulum? *non è cosa vergognosa?* Sic *Id. Heaut.* 5. 1. 49. Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare, foris sapere, tibi non posse auxiliarier? *Ennius* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 33. 70. Flagitii principium est, nudare inter cives corpora. *Cic. Cluent.* 46. 128. Si a multis esset flagitium rei militaris admissum. *Id. Rosc. Am.* 18. 50. Qui præesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum judicares. *Id. Cic. Brut.* 61. 219. vocat *flagitium*, quum quis in scriptis obliviscitur quid paullo ante posuerit. *Id.* 1. *Nat. D.* 24. 66. Democriti *flagitia* appellat, quod atomos in philosophia invenerit, ex quibus mundus effectus sit: tamquam sit hoc immanis error et opinio ejusmodi, quæ dedecus ipsi pepererit. *Sall. Jug.* 85. Dedecorare se flagitiis. *Horat.* 3. *Od.* 5. 26. Flagitio additis damnum. *h. e.* infami captivitati, quæ adest, additur damnum, sive pecunia perperam impensa. *Quintil.* 1. 2. 26. Multa flagitia ante actæ vitæ et gravia, quæ prius nouveranda sunt. *Tac.* 4. *Ann.* 51. His partæ victoriæ spes et, si cedant, insignitius flagitium. *Id.* 1. *ibid.* 27. Maxime infensi Gnæo Lentulo, quod is ante alios ætate et gloria belli firmare Drusum credebatur et illa militiæ flagitia primus aspernari. *h. e.* inhonestos sermones. Sic *Apul.* 6. *Met.* Majora atque pejora flagitia comminans. *h. e.* verba ignominiosa. — Jocolariter *Plaut. Pœn.* 3. 2. 32. co. Hæ fores fecerunt magnum flagitium modo. AD. Quid est flagitii? co. Crepuerunt clare. *Plautus* ludit in ambiguo: alludit enim ad crepitum ventris, qui et indecorus est et strepitum facit. ¶ 2. Abstractum pro concreto, *flagitium hominis* apud *Plaut. Cas.* 2. 1. 8. et 3. 2. 22., *Asin.* 2. 4. 67. et *Men.* 3. 2. 24. et 5. 1. 9. est homo flagitiosissimus. Sic *Id. Truc.* 2. 7. 60. Scelus viri. *h. e.* scelestissimus. — Similiter *flagitii stabulum* ab eodem dicitur, qui flagitiorum plenus est, *Truc.* 2. 7. 31. Eodemque sensu *flagitii flagrantia*, *Rud.* 3. 4. 28. ¶ 3. Causa pro effectu, flagitium per metonymiam dicitur de infamia, quæ flagitium consequitur, *infamia, disonore, vergogna, scorno*. *Cic.* 16. *Att.* 7. 4. Id erat meum factum flagitii plenum et dedecoris. *Id.* 3. *Off.* 22. 86. Magnum dedecus et flagitium, quicum laudis certamen fuisset, eum non virtute, sed scelere superatum. *Sall. Orat. Macri Licinii ad pleb. ad fin.* Occupavit nescio quæ vos torpedo, qui non gloria movemini, neque flagitio. *Nepos Hamilc.* 1. *extr.* Periturum se potius, quam cum tanto flagitio domum rediret. *Liv.* 25. 15. *sub fin.* Consules in Campanum agrum legiones ducunt ad Capuam oppugnandam, rati se ingens flagitium imperio dempturos, quod urbi tam propinquæ tertium annum impunita defectio esset. *Id.* 42. 60. Consul moveri flagitio timoris fatendi. *Tac.* 3. *Ann.* 17. Pro Plancina cum pudore et flagitio disseruit. *Id.* 2. *Hist.* 12. Neque in victoria decus esset, neque in fuga flagitium. *Flor.* 1. 16. 11. Hic armis exutos mittere sub jugum maluit: ut nec amici forent beneficio, et post flagitium hostes magis. — Huc pertinent et illa *Plauti*, quæ init. citata sunt, *Merc.* 2. 3. 71. Neque illa (*ancilla*) matrem satis honeste tuam sequi poterit comes —, quia illa forma matrem familias, flagitium sit, si sequatur, quando incedat per vias: contemplent —, sibilent, occentent ostium, impleantur meæ fores elogiorum carbonibus, mihique objectent lenocinium facere —. Ego emero ancillam forma mala, ea pinsetur flagro, neque propter eam quidquam eveniet nostris foribus flagitii —. Facere damni mavulo, quam opprobramentum aut flagitium muliebre afferri domo. et *Epid.* 3. 4. 77. m. Fides non reddis? FE. Neque fides, neque tibias. FE. Flagitio cum majore post reddas tamen. *h. e.* majore cum dedecore. *Forcellinus* vero (*V.* init.) interpretatus est: efflagitatione, convicio, quo tibi usque molesta ero, usque donec reddas. ¶ 4. Pro flagitatione, h. e. acri ac vehementi postulatione, occurrit apud *Rutil. Itin.* 1. 362. Auri flagitiis ambitus ipse furit. — *NB.* In illo *Lucilii l.* 29. præbeat rectius multo et sine flagitio; *Non. p.* 313. 15. *Merc. flagitium* exponit periculum: quam recte, alii viderint.

Homonym. *Flagitium* differt ab homonymis: et quidem

I.) Quoniam officia omnia ad tria potissimum genera redigi possunt; sunt enim officia hominis in semetipsum, in alios et in Deum: ita tria sunt verba, quæ peccata iisdem officiis contraria significant, scilicet *flagitium* et est ejus qui in semetipsum peccat suamque lædit dignitatem, crimina patrando suo dedecore infamiâque conjuncta, præsertim libidinosa, impura, sordida; secundo *scelus* et est ejus qui in alios vel in hominum societatem peccat, ut ex. gr. furto, homicidio etc.; tertio denique *nefas* et est ejus qui in Deum vel in legem naturalem peccat, ut v. gr. sacrilegio, parricidio etc.: *flagitium* ab ignavia; *scelus* a malitia; *nefas* ab impietate procedit: per *flagitium* infamia paritur; per *scelus* damnum aliis infertur; per *nefas* religio ac natura violatur. *Cic.* 9. *Fam.* 3. In omni genere et scelerum et flagitiorum. *ubi* geminata copula diversitatem indicat. *Id.* 9. *Att.* 10. Et tamen spes quædam me obtentabat, fore ut aliquid conveniret potius, quam aut hic (*Cæsar*) tantum sceleris, aut ille (*Pompejus*) tantum flagitii admitteret. *Id. Mur.* 30. 62. Improbi est, exorari scelus, misereri flagitium. *Id. Rosc. Am.* 40. 118. Ubi multa avare, multa audacter, multa improbe, multa perfidiose facta videtis, ibi scelus quoque latere inter tot flagitia putatote. *Tac.* 13. *Ann.* 31. Celer — magnitudine sceleris cetera flagitia obtegebat. *Id. ibid.* 47. Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quæsivit. Præcipue animadversione dignus est locus *ejusd. Tac. Germ.* 12. Distinctio pœnarum ex delicto: proditores et transfugas arboribus suspendunt; ignavos et imbelles et corpore infames cœno ac palude, injecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, flagitia abscondi. *Cic. Mil.* 27. 73. Cui nihil unquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine.

II.) *Flagitium* differt etiam a *facinore*, ut supra in FLAGITIUM sub init. docuimus allatis *D. Augustini* verbis *Doctr. Christ.* 3. 10. Hinc *facinus*, δεινόν τι, insigne factum, quum in malam partem accipitur *flagitio*que opponitur, pro *scelere* usurpatur. *Cic.* 1. *Cat.* 6. 13. Quod facinus a manibus tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? Cf. *eumd.* 3. *Fam.* 10. Commissum facinus et admissum dedecus confitebor. *Sall. Cat.* 23. Flagitiis atque facinoribus coopertus. *Id. ibid.* 14. Alienum æs —, quo flagitium aut facinus redimeret. *Liv.* 39. 13. Nihil ibi facinoris, nihil flagitii prætermissum. *Id. ibid.* 16. Minus tamen esset, si flagitiis tantum effeminati forent (ipsorum id magna ex parte dedecus erat), a facinoribus manus, mentem a fraudibus abstinuissent. — Hinc etiam *facinus peccato* et *culpæ* oppositum pro *scelere* occurrit. *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 43. Ergo ut jure damus pœnam, sic absit omne Peccato facinus consiliumque meo. *Id.* 1. *ibid.* 2. 98. A culpa facinus scitis abesse mea. — Quod si quando *facinus* et *scelus* junguntur, in *facinore* audacia, in *scelere* malitia spectatur: ut apud *Tac.* 11. *Ann.* 34. Quum modo incusaret flagitia uxoris, aliquando *etc.*, nihil aliud prolocutum Vitellium, quam: o facinus! o scelus! — Interdum tamen, quum duo hæc junguntur, *facinus* est scelus extraordinarium, ut apud *Cic. Sext.* 27. 59. Postea quod scelus, quod facinus parricida non edidit? et *Martial.* 11. 94. O scelus, o magnum facinus crimenque deorum!

III). Demum *delictum* et *peccatum* sunt vocabula in hac re admodum generalia; utrumque enim et levia et gravia simul significat, alterum vero pro altero interdum usurpatur. In eo tamen differunt, quod *delinquere* est a recta via aberrare; *peccare* est tamquam transire lineas, ut ait *Cic.* 3. *Parad.* 1. 20., vel *peccatum* est prave factum, ut *Id.* ait 1. *Acad.* (*post*). 10. 37. Sic *Id.* 2. *Invent.* 10. 35. Non esse mirum, si nunc primum deliquerit; nam necesse est, eum, qui velit peccare, aliquando primum delinquere.

FLĀGĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Flagitarier* pro *flagitari* occurrit apud *Plaut. Men. prol.* 46. — Part. *Flagitans* 1. *a.* et *g.*; *Flagitatus* 1. *a.* et 3.; *Flagitandus* 1. *b.* — Ratione habita etymi, hæc *Forcellinus*: Flagitare plus est, quam *postulare*, et significat vehementer et acriter postulare, idque interdum cum clamore et convicio: est a φλάζω *loquor* et *ferveo*, h. e. cum fervore loquor, quam strepitus et vehementiæ notionem ipsæ litteræ *fl*, ut et Græce φλ, indicare videntur. *Donatus* ad *Ter. Eun.* 2. 3. 90. Flagitatio a strepitu dicitur, unde *flamma* et *flagella* et *flagitare*, id est personare, intelligimus dici: nam hæc omnia sine strepitu crepituque non sunt. Hucusque *Forcellinus*. Ceterum recentiores philologi intensivum *flagitare* rectius deducunt ab etymo *flag* verbi *flagrare*, est enim flagranter poscere, exigere, rogare, ἀξιοῦν (*It. domandare, supplicare con ardore, con istanza o importunità*; Fr. *demander avec ardeur, avec chaleur, avec instance, vivement, solliciter*; Hisp. *demandar, rogar con instancias, vivamente*; Germ. *mit Geräusch, glühend, dringend verlangen, fordern, begehren*; Angl. *to ask importunely, demande earnestly, solicit*). Occurrit ¶ 1. Generatim; et quidem — *a*) Cum Accusativo rei, aut personæ. — Cum Accus. rei. *Cic. Planc.* 19. 48. Etiam atque etiam insto atque urgeo, insector, posco atque adeo flagito crimen. *Id.* 9. *Fam.* 8. Etsi munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet nisi concitatus: tamen ego exspectatione promissi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem. Sic *Id.* 1. *Att.* 8. *extr.* Flagitare munusculum. *Id. Rabir. perduell.* 3. 9. Alicujus auxilium implorare et flagitare. Adde *Sueton. Tib.* 48. *Liv.* 3. 60. Flagitare pugnam. *Nepos Dion.* 9. telum. *Tibull.* 2. 4. 14. Illa cava pretium flagitat usque manu. *Sueton. Cæs.* 70. præmia. *Id. Aug.* 42. promissum. *Id. Ner.* 21. vocem. *Id. Galb.* 12. signa. *Id. Oth.* 8. cædem. *Plin.* 9. *Ep.* 25. ineptias. — Et pro arcessere. Alter *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 28. (90). Siser Tiberius nobilitavit, flagitans omnibus annis ex Germania. — Huc pertinent et illa *Lucret.* 6. 9. Nam, quum vidit hic, ad victum quæ flagitat usus, etc. *h. e.* requirit, exigit. *Cic.* 5. *Phil.* 19. 53. Facilius apparabitis ea, quæ tempus et necessitas flagitat. *Id. Quinct.* 3. 13. Tametsi causa postulat; tamen quia postulat, non flagitat, præteribo. — Et passive. *Cic. Vatin.* 11. 26. Ne ejus sceleris in te ipsum quæstio flagitaretur. *Cæs.* 1. *B. C.* 87. Quum stipendium ab legionibus pæne seditione facta flagitaretur. *Alii male leg.* Petrejus et Afranius, quum stipendium flagitarentur etc. *Trebell. Poll. Gall. duob.* 11. Aliud in poeta flagitatur. — Cum Accusativo personæ. *Cic. Fontej.* 1. 1. Insector ultro atque insto accusatori; insector, inquam, et flagito testes. *Id.* 7. *Verr.* 28. 71. In tanto conventu nemo erat, quin rationem numerumque haberet, et reliquos non desideraret solum, sed etiam posceret et flagitaret. *Id.* 2. *de republ.* 12. Populus

desiderio Romuli regem flagitare non destitit. *Id.* 9. *Fam.* 8. Metuo, ne te forte flagiteot: ego autem mandavi, ut rogarent. *Sueton. Cæs.* 80. Ne populo quidem jam præsenti statu læto, sed clam palamque detrectante dominationem atque assertores flagitante. *Tac.* 3. *Ann.* 14. Offerebatque familiam reus, et ministros in tormenta flagitabat. *Id.* 1. *ibid.* 32. Eo usque flagitatus est, donec ad exitium dederetur. *Cic. Dom.* 7. 16. Flagitabar bonorum expostulatione. — Ceterum *flagitare aliquem* dicuntur creditores assidue et moleste, clamoribus, convicio debitum reposcentes. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 36. Neque nos quemquam flagitamus, neque nos quisquam flagitat. Et passive *Id. Pseud.* 1. 5. 143. Si non dabis, clamore magno et multum flagitabere. *Id. Men. prol.* 46. Illum clamore vidi flagitarier. παραγωγῇ. Cf. *Cic.* 3. *Orat.* 5. 17. Admonitum te venimus, non flagitatum. — *b*) Cum Accusativo rei aut personæ, et Ablativo personæ cum præpos. *ab*. *Cic.* 3. *Fam.* 11. 4. A te tua promissa per litteras flagitabam. *Id.* 1. *Tusc.* 15. 34. Mercedem gloriæ flagitat ab iis, quorum patres affecerat gloria. *Id.* 1. *Fin.* 5. 15. A philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner: si non habeat, non admodum flagitem. *Id.* 1. *Fam.* 13. *circa med.* Quid acta tua vita, quid studia, quid artes, quibus a pueritia floruisti, a te flagitent, tu videbis. *h. e.* requirant, exigant. *Cæs.* 1. *B. G.* 71. Id ex omnibus partibus ab eo flagitabatur. *Justin.* 22. 8. Stipendia illis non a se flagitanda esse, sed ab hoste quærenda. *Cic.* 7. *Verr.* 49. 128. Unicum miser abs te filium optimum atque innocentissimum flagitat. — *c*) Cum Accusativo et personæ et rei. *Cic.* 2. *Orat.* 45. 188. Hæc sunt illa, quæ me ludens Crassus modo flagitabat. *Id. Planc.* 2. 6. Dicendum est id, quod ille me flagitat, Laterensem a Plancio dignitate esse superatum. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. Quotidie Cæsar Æduos frumentum, quod essent publice polliciti, flagitare. Sic *Cic. Dom.* 6. 14. Me frumentum flagitabant. *Horat.* 2. *Od.* 18. 13. nec potentem amicum Largiora flagito. *Sueton. Vitell.* 11. Tum foeneratorum et stipulatorum publicanorumque, qui unquam se aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitassent, vix ulli pepercit. *Val. Flacc.* 2. 362. tunc urget enim, tunc flagitat iras In populos Astræa Jovem. — *d*) Sequente *ut*. *Plaut. Merc.* 1. 2. 66. Flagitas me, ut eloquar. *Cic.* 5. *Phil.* 11. 30. Ut primum senatus haberi potuit, semper flagitavi, ut convocaremur. *Id.* 10. *Fam.* 16. Flagitare senatus institit Cornutum, ut referret statim. *Id. Sext.* 11. 25. Flagitabatur ab his quotidie quum querelis bonorum omnium, tum etiam precibus senatus, ut meam causam susciperent. *Sueton. Tib.* 25. Flagitabant ambo exercitus multa extra ordinem; ante omnia, ut æquaretur stipendio prætorianis. — *e*) Cum Accus. et Infinito. *Sueton. Ner.* 44. Consensu flagitantes a delatoribus potius revocanda præmia, quæ cepissent. *Id. Claud.* 15. Carnificem statim acciri flagitavit. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (62). Populus magnis theatri clamoribus, reponi Apoxyomenon, flagitavit. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (65). Flagitavit ostendi picturam. — *f*) Cum Infinito et Nominat. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 60. pernâ magis ac magis hillis Flagitat (*stomachus*) immorsus refici. — *g*) Sequente Relativo. *Virg.* 2. *Æn.* 123. quæ sint ea numina divum, Flagitat. — *h*) Absolute. *Cic.* 15. *Fam.* 18. *extr.* Valebis igitur etc. Sed flagitat tabellarius. *Id. Harusp. resp.* 22. 46. Cupientem Italiam, populum Romanum desiderantem, flagitantes vos excitavit. *Sueton. Aug.* 16. Modo pace facta, flagitante populo, ob interclusos commeatus famemque ingravescentem. ¶ 2. Speciatim aliquando est postulare ad judicium, accusare, *accusare*. *Tac.* 1. *Hist.* 53. Compertum publicam pecuniam avertisse, ut peculatorem flagitari jussit. ¶ 3. Item speciatim habet nonnunquam usum in re turpi, ut *flagitium*, et est ardenter ad stuprum sollicitare; immo stupro contaminare, corrumpere, teste *Paul. Diac. p.* 110. 23. *Müll.* Inter cutem flagitatos dicebant antiqui mares, qui stuprum passi essent. *Cato* apud *Priscian.* 6. *p.* 719. *Putsch.* Intercutibus stupris flagitatus. *V.* FULLO. *Apul.* 8. *Met.* Flagitare juvenem. *V.* integrum *loc.* in CINÆDUS. *Ulp. Dig.* 47. 1. 2. Si quis ancillam alienam surripuit et flagitaverit, utraque actione tenebitur; nam et servi corrupti agi poterit et furti. *Lactant.* 6. 23. Pudorem exstinxit, pudicitiam flagitavit. *Al. leg.* profligavit.

Homonym. *V.* in fin. v. PETO.

FLĂGRANS, antis. *V.* FLAGRO.

FLĂGRANTER, adverb. Occurrunt tantum Comp. *Flagrantius* et Sup. *Flagrantissime.* — Flagranter est ardenter; sed translate tantum legitur et est percupide, *ardentemente, vogliosamente*, φλεγομένως. *Fronto ad Antonin. Aug.* (edente iterum *A. Mai*) *Ep.* 2. Et spondeo, quanto sæpius audierit, tanto flagrantius amabit. *Tac.* 1. *Ann.* 3. Destinare consules, specie recusantis, flagrantissime cupiverat. *Ammian.* 31. 10. Germani exarsere flagrantius. Adde *Augustin.* 8. *de Trin.* 9. Rursus *Ammian.* 30. 8. Aviditas plus habendi sine honesti pravique differentia – exundavit in hoc principe flagrantius adolescens.

FLĂGRANTĬA, æ, f. 1. actus flagrandi, ardor, *ardore, incendio*, φλογμός.

1.) Proprie. *Gell.* 17. 10. *de Ætna.* Quod de natura atque flagrantia montis ejus compositum est. Adde *Macrob.* 5. *Saturn.* 17. *Apul.* 1. *Met.* Flagrantia solis. Sic *Capell.* 6. *p.* 196. Flagrantia solis æstivi. *Id. ibid. p.* 205. Flagrantia æstatis. et *Capell.* 8. *p.* 276. Æstiva flagrantia.

II.) Translate. *Plaut. Rud.* 3. 1. 28. Etiam vim opprobras, flagitii flagrantia? *h. e.* omnibus pravis cupiditatibus ac flagitiis flagrans. *Cic. Cæl.* 20. 49. Flagrantia oculorum. *h. e.* amor vehemens, qui ex oculis, velut flamma, emicat. *Gell.* 12. 1. Vigor maternæ flagrantiæ. *ardente amor materno. Prudent.* 10. περὶ στεφ. 731. sedare omnem pectoris flagrantiam. *h. e.* cupiditatem, desiderium. *Arnob.* 7. 37. Deum sedasse flagrantiam luis.

FLĂGRĀTŌRES, qui flagris conducti cædunt. Ita *Gloss. Placid.* edente *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. p. 463. Inde corrigenda, ait *Dac.* et cl. *Quicherat*, quæ sequuntur *Paul. Diac. p.* 89. 5. *Müll.* Flagratores dicebantur genus hominum, quod mercede flagris cædebantur. *lege* cædebant.

FLĂGRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. qui flagrum gestat. *Auson. Epist.* 11. 10. Flagrifer Automedon.

FLĂGRIŌNES dicti servi, quod flagris subjecti sunt. *Afranius* apud *Non. p.* 28. 27. *Merc.*

FLĂGRĬTRĬBA, æ, m. 1. qui assidue vapulando flagra terit. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 5. Eo ingenio sunt flagritribæ.

FLĂGRO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Flagrans* sub *A.* I., II. 3. et in fin.; *Flagraturus* sub *A.* II. 1. — Flagrare ab etymo *flag*, quod conjungendum est cum Gr. φλέγομαι ejusdem significationis, occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more est *ardere*, accensum esse, conflagrare (It. *ardere, essere acceso*; Fr. *brûler, être en feu, être enflammé*; Hisp. *abrasar, estar hecho en fuego, arder*; Germ. *brennen, lodern, glühen, glühend werden*; Angl. *to burn, be on fire, be enflamed*).

1.) Proprie. *Lucret.* 6. 1168. per membra sacer quum diditur ignis: Intima pars hominum vero flagrabat ad ossa: Flagrabat stomacho flamma, ut fornacibus, intus. *Cic.* 1. *Divinat.* 32. 69. Noctu flagrantes onerarias, quas incendebant milites, videbatis. *Virg.* 2. *Æn.* 685. crinemque flagrantem Excutere et sanctos restinguere fontibus ignes. *Ovid.* 6. *Fast.* 439. Flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes. Sic *Sil. It.* 1. 96. flagrant altaribus ignes. Cf. *Val. Flacc.* 1. 755. Flagrantes aras vestemque nemusque sacerdos Præcipitat. *Id.* 5. 35. geminis flagrantia cernens Corpora cara rogis. *Sueton. Vitell.* 8. Nec ante in prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini. *Id.* in *Vita Plin.* Quum flagrante Vesuvio ad explorandas propius causas Liburnica pertendisset etc. *Curt.* 7. 5. 3. Arenas vapor æstivi solis accendit, quæ ubi flagrare cœperunt etc. Adde eumd. 6. 6. 17.; et cf. *Ammian.* 16. 12. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 20. 26. (131). Fæx vini siccata per se flagrat. *Id.* 16. *ibid.* 7. 10. (28). Flocci molles et sine oleo flagrant. *Juvenal.* 3. 138. vel qui Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam. *Tac.* 5. *Hist.* 7. Ego inclutas quondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim. — Poetice. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 252. quid enim servum mollemque pudebit? Aut quid in hoc poterit vultu flagrare ruboris? *V.* in fin. *Flagrans* 1.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro splendere, fulgere. *Ovid.* 4. *Met.* 347. flagrant quoque lumina Nymphes. *h. e.* ardent oculi. Adde *Lucan.* 6. 704. *Nazar. Paneg. Constant.* 14. Umbones corusci flagrabant. *Coripp.* 3. 97. pocula. *Id.* 3. 22. mella. ¶ 2. Sæpius flagrare ponitur pro æstuare, et occurrit de persona quæ cupiditate aliqua vehementer accensa est, aut de re quæ vehementer agitatur, aut de animi studio quod maxima pollet vi. — *a*) Cum Ablativo → De persona. *Cic.* 5. *Att.* 11. Non dici potest, quam flagrem desiderio urbis. *Id.* 7. *ibid.* 4. desiderio tui. *Id.* 1. *Orat.* 4. 14. Post auditis oratoribus Græcis incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. Sic *Sueton. Ner.* 22. Flagrans studio equorum. *Quintil. proœm.* 6. Eximio litterarum amore flagrans. *Martial.* 10. 86. Flagrare amore pilæ. *Sil. It.* 5. 245. amore cædis. *Id.* 6. 209. amore audendi. *Eumen. Orat. pro restaur. schol.* 16. amore civitatis. *Mamertin. Grat. act.* 17. et 31. amore consulatus. *Colum.* 12. *R. R. proœm.* 7. æmulatione diligentiæ. *Sil. It.* 5. 389. dulcedine laudis. *Id.* 15. 15. flagret meliore Gradivo. *h. e.* belli fortuna meliore flagret, ad virtutem incendatur. *Cic.* 6. *Verr.* 34. 75. Quasi illa ipsa face percussus esset, ita flagrare cupiditate atque amentia cœpit. *Id. Cluent.* 5. 12. Deinde (*mulier*) ita flagrare cœpit amentia, sic inflammata ferri libidine etc. *Id.* 4. *Tusc.* 33. 71.; *Horat. Epod.* 5. 81.; et *Ammian.* 14. 1. Flagrare amore. *Cic.* 2. *Orat.* 45. 190.; et *Ovid.* 4. *Trist.* 9. 7. odio. *h. e.* vehementer odisse. *Ovid.* 2. *Met.* 104. cupidine currus. *Justin.* 38. 1. 1. cupiditate regni. Adde *Ammian.* 18. 4. *Colum.* 6. *R. R.* 27. 4. ardore coeundi. *Sueton. Gramm.* 21. libidinibus in mulieres. — De rebus et animi studiis. *Cic.* 7. *Att.* 17. 4. Totam Italiam flagraturam bello intelligo. Sic *Id.* 3. *Orat.* 2. 8. Bello flagrans Italia. Cf. *Justin.* 31. 3. 10. Hispanis bello flagrantibus, ducem tantum deesse. Rursus *Cic.* 6. *Verr.* 32. 71. Quæ (*convivia*) domesticis stupris flagitiisque flagrabant. *Seneca Thyest.* 98. Flagrat incensum siti cor. *Vellej.* 2. 130. pectus incendio. *Sil. It.* 7. 285. curis flagrantia corda. — *b*) Cum Accusativo apud Poetas *flagrare aliquem* per hellenismum est ardenter amare. *Propert.* 1. 13. 23. cælestem flagrans amor Herculis Heben. — *c*) Cum Infinito. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 133. flagrant elidere saxis Prodigiale caput. *Stat.* 10. *Theb.* 221. flagrant comitari et jungere casus. — *d*) Absolute. *Cic. Cæl.* 5. 12. Flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam studia rei militaris. *Sall. Cat.* 11. Uti cujusque studium ex ætate flagrabat. *Ovid. Heroid.* 16. 121. flagrat amor in pectore. *Tac.* 11. *Ann.* 39. Apud quos flagrante etiam tum libertate nondum cognita libertinorum potentia erat. — Et pro irasci. *Lucan.* 7. 384. tam mœsta locuti Voce ducis flagrant animi: Romanaque virtus Erigit; placuitque mori. ¶ 2. In malam partem *flagrare infamiâ, invidiâ* et similibus, est valde laborare. *Cic.* 4. *Att.* 18. 2. Consules flagrant infamia. Sic *Sueton. Cæs.* 52. et *Tib.* 44. Flagrare infamia. Rursus *Cic.* 2. *Verr.* 2. 5. Quum e provincia recens esset invidiaque et infamia flagraret. Sic *Sueton. Aug.* 27. et *Galb.* 16.; et *Plin.* 9. *Ep.* 13. 21. Flagrare invidia. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 125. rumore malo. *Flor.* 2. 18. ignominia et pudore. *Ovid.* 6. *Met.* 460. vitio gentis suoque. *Sall. orat. Philippi contra Lepid.* inopia et cupidinibus. — Et sequente Infinito *Ascon.* in *argum. orat. pro C. Cornel. p.* 59. *Bait.* Cuminii autem magna infamia flagraverunt vendidisse silentium magna pecunia. *V. ibid.* adnotat. a *Madv.*

B) Active pro amore accendere occurrit tantum apud *Stat.* 5. *Silv.* 2. 119. novercales ibat venator in agros Ascanius, miseramque patri flagrabat Elyssam. — Hinc Part. præs., cujus multa superius exempla retulimus,

Flagrans, antis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Flagrantior* I. et II. 1. 2.; Sup. *Flagrantissimus* 1. et II. 2., et est qui flagrat, ardens, καιόμενος, *ardente*.

I.) Proprie. *Virg.* 1. *G.* 331. ille flagranti Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo Dejicit. *h. e.* fulmine. Sic *Sil. It.* 9. 538. discute telo Flagranti (nil oramus) Carthaginis arces. et *Varro Atacin.* apud *Quintil.* 1. 5. 18. Quum te flagranti dejectum fulmine Phaeton. Rursus *Virg.* 9. *Æn.* 71. sociosque incendia poscit ovantes, Atque manum pinu flagranti fervidus implet. *Sil. It.* 1. 362. Hæc (*h. e.* telum ignitum) vastæ lateri turris ceu turbine fixa, – Arma virosque simul pressit flagrante ruina. *Vellej.* 2. 48. 3. Fax flagrantior. *Ammian.*

25. 2. flagrantissima. *Horat.* 3. *Od.* 13. 9. flagrantis hora Caniculæ. *Solin.* 46. Soles flagrantes. *Liv.* 41. 36. Flagrantissimo æstu. — Poetice. *Virg.* 12. *Æn.* 65. Flagrantes perfusa genas, cui plurimus ignem Subjecit rubor et calefacta per ora cucurrit. *h. e.* rubore veloti accensas. *Horat.* 2. *Od.* 12. 35. Flagrantia oscula. *caldi baci:* sed *Forcellinus* translate accepit et interpretatus est cupida, amore ardentia.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de colore, et ponitur pro splendido, nitente. *Virg.* 12. *Æn.* 167. Sidereo flagrans clipeo et cælestibus armis. *Sil. It.* 12. 731. flagrantior æthera lampas. *h. e.* sol splendidior. *Id.* 3. 117. Atque acies inter flagrantiaque arma. *Val. Flacc.* 6. 668. Interdum blandæ derepta monilia divæ Contrectat miseroque aptat flagrantia collo. *Claudian.* 2. *Cons. I. Stilich.* 170. flagrantibus inde Cæsariem sertis — subligat. *Al. leg.* fragrantibus. *Ammian.* 15. 8. Flagrare fulgore imperatorii muricis. *Id.* 25. 4. venustate oculorum. ¶ 2. Item de animo ejusque motibus, et est cupidus, vehemens. *Cic. Fat.* 2. 3. Nec enim oratoria illa studia deserui, quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum, acceperam. *Id. Mar.* 31. 65. Te ipsum nunc et animi quodam impetu concitatum, et vi naturæ atque ingenii elatum, et recentibus præceptorum studiis flagrantem jam usus flectet, dies leniet, ætas mitigabit. *Lucret.* 4. 1161. flagrans, odiosa, loquacula, λαμπάδιον fit. *Ammian.* 14. 11. Ad insidiandum acer et flagrans. *Propert.* 3. 17. 13. Thessalico flagrans Salmonis Enipeo. *innamorata. Val. Max.* 6. 9. *extern.* 1. Flagrans ingenium. *Tac. Agric.* 4. animus. *Catull.* 61. 91. Non prius ex illo flagrantia declinavit Lumina. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 44. Philosophiæ principes numquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent. *Propert.* 1. 13. 23.; *Horat.* 1. *Od.* 25. 13.; et *Plin.* 6. *Ep.* 8. Flagrans amor. *Juvenal.* 13. 11. flagrantior æquo Non debet dolor esse viri. *Apul. Dogm. Plat.* 1. ira flagrantior. *Val. Max.* 3. 2. 21. Flagrans pectus. *h. e.* iratum. Et poetice *Sil. It.* 1. 296. abrupto flagrantia fœdere castra. *h. e.* irata. *Virg.* 11. *Æn.* 225. Hos inter motus medio in flagrante tumultu. Cf. *Plin. Hist. nat. præfat.* §. 9. Flagrantia comitia. *Tac.* 11. *Ann.* 51. Flagitia flagrantissima. *Id.* 11. *ibid.* 29. Flagrantissima gratia esse. *h. e.* maxime gratiosum et carum esse. — *Justinian. Cod.* 9. 13. 1. § 1. Ubi inventi fuerint in ipsa rapina et adhuc flagranti crimine comprehensi. *sul fatto:* in ipso crimine perpetrando, Itali una voce *in flagranti* vulgo dicunt.

Homonym. *Flagrare* et *ardere* unum idemque significare videntur; et sane sine ullo discrimine occurrunt apud *Liv.* 35. 40. Incendio — diem noctemque ædificia in Tiberim versa arsere, tabernæque omnes cum magni pretii mercibus conflagraverunt. — In eo tamen differunt, quod *ardere* interiorem atque adeo latentem denotat ignis actionem, qua res in aliqua sui parte rubentes fiunt atque consumuntur; at *flagrare* exteriorem atque adeo visibilem indicat ipsius ignis actionem, qua res fulgentibus et sæpe agitatis flammis correptæ comburuntur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 106. 10. (236). Montes tæda flammante tacti flagrant adeo, ut lapides quoque rivorum ardeant. *Cic.* 3. *Orat.* 2. 8. Crassus non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum. Cf. *Tac.* 1. *Hist.* 24. Flagrantibus jam militum animis velut faces addiderat Mævius. *h. e.* non subdiderat faces, ut ardor adhuc suppressus exardesceret; sed addiderat, ut flamma jam flagrans ne extingueretur. — His addi possunt et alia, in quibus pro *ardere* usurpatur *incendi,* quod idem valet. *Tac. Agric.* 4. Ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset. Cf. *Cic. Fat.* 2. 3. Oratoriis studiis — etiam te incendi quamquam flagrantissimum acceperam. — Idem ferme discrimen, quod inter *ardere* et *flagrare*, interest etiam inter *incendi* et *inflammari.* Sic *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 44. Quum corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates, eoque magis incendi, quod iis æmulemur, qui ea habeant, quæ nos habere cupiamus. *Id.* 2. *Orat.* 45. 190. Nulla mens — possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam et ardens accesseris.

FLĂGRUM, i, n. 2. μάστιξ, lorum, scutica, flagellum ad cædendum: a *flagro,* quia flagris cæsus uritur, vel, ut alii volunt, ab etymo verbi *plecto* (It. *sferza, staffile;* Fr. *fouet, courroie, lanière, étrivières;* Hisp. *latigo, azote, correa;* Germ. d. *Geissel, Peitsche;* Angl. *a whip, scourge, lash*).

I.) Proprie. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Jussit vestimenta detrahi atque flagro cædi. *Plaut. Merc.* 2. 3. 81. Pinsere flagro aliquem. *Id. Amph.* 4. 2. 11. Quem pol ego hodie ob istæc dicta faciam ferventem flagris. *Id. Cas. a.* 1. *v.* 36. Ego te implebo flagris. *Liv.* 28. 11. Cæsaque flagro est Vestalis, cujus custodia noctis ejus fuerat. Adde *Quintil.* 6. 3. 25. *Sueton. Oth.* 2. A prima adolescentia prodigus et procax adeo, ut sæpe flagris objurgaretur a patre. *Id. Claud.* 8. Flagris excitari. *Juvenal.* 5. 172. nec dura timebis Flagra pati. *Ulp. Dig.* 47. 10. 9. Servum flagris rumpere. *Ammian.* 31. 8. Flagris concrepitantibus agitari. — Videtur proprie dici de eo, quo cæduntur servi, nam *Martial.* 11. 79. cujus *lemma* Flagra: Ludite lascivi, sed tantum ludite servi. Hæc signata mihi quinque diebus erunt. *Juvenal.* 10. 109. At ...a qui domitos deduxit flagra Quirites. *h. e.* in servitutem redegit: *h. e.* Jul. Cæsar. — Poetica sunt illa *Plaut. Asin.* 2. 2. 31. Gymnasium flagri, salveto. *Titinius* apud *Festum* p. 270. 20. *Müll.* Redivivæ flagri.

II.) Translate. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 177. *de amica.* Hujus colostra, hujus dulciculus caseus, hujus jecur, hujus studium, hujus flagrum. *h. e.* ardor, ignis, amor: vel flagellum, quo assidue in amore vapulat et cruciatur. Recentiores plerique leg. savium.

FLĀMEĀRIUS, ii. *V.* FLAMMEARIUS.

FLĀMEN, inis, m. 2. sacerdos apud Romanos. — *a*) Dicti Flamines, testibus *Varron.* 5. *L. L.* 84. *Müll.* et *Festo* p. 151. 27. *Müll.*, quod capite velato erant semper, et caput cinctum habebant filo, quasi *filamines.* Quod etymon confirmat *Inscript.* apud *Gruter.* 227. 6. DIVO AVGVSTO ALBINVS ALB. F. FILAMEN DIVAE AVG. PROVINCIAE LVSITANIAE. Cf. *Paul. Diac.* p. 155. 11. *Müll.*; et *Isid.* 5. *Orig.* 12. Alii a pileo, quem gestabant, quasi *pileamines:* alii a flameo, quod idem fere significat, dictos putant. De hoc ita *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 661. Flamines in capite habebant pileum, in quo erat brevis virga, desuper habens lanæ aliquid: quod quum per æstus ferre non possent, filo tantum capita religare cœperunt: nam nudi penitus eos capitibus incedere, nefas fuerat. Unde a filo, quo utebantur, flamines sunt dicti, quasi *filamines.* Verum festis diebus, filo deposito, pilea necesse erat arripere, quæ secundum alios ad ostendendam sacerdotalem eminentiam sunt reperta (V. et APICULUM). Alii dicunt, quia quum sacrificarent apud Laurolavinium, et eis exta frequenter aves abriperent, eminentia virgarum eas terrere voluerunt. Exinde etiam consuetudo permansit, ut apud Laurolavinium ingentes haberentur virgæ, non breves, ut in Urbe. Hæc *Servius. V.* pilei figuram cum virga eminente in nummo gentis Quinctiæ apud *Morell. Fam. Rom.* n. 5. — Initio tres a Numa instituti fuere, Jovis, Martis, Quirini, ut est apud *Liv.* 1. 20. Deinde ad magnum numerum crevere paullatim, adscitis variis diis ac religionibus: quin singulis imperatoribus suos instituere mos fuit, in deorum numerum relatis. Appellabantur autem cognomine ejus, cujus sacra curabant, ut Dialis, Martialis, Quirinalis, Floralis, Vulcanalis, etc. suberantque omnes pontifici maximo. *Müllerus* hæc habet in adnotatis ad *Festum* loc. cit. p. 385. Quindecim Flamines memorantur a *Festo,* de quibus docte *A. Augustin.* sic: *Vide ordinem sacerdotum* (Fest. p. 185. 19. Müll.), *et decem Flaminum nomina ponit Varro* (5. L. L. 84. et 7. ibid. 45.): *Dialis, Martialis, Quirinalis, Vulcanalis* (Cf. Macrob. 1. Saturn. 12.), *Volturnalis* (V. etiam Kalend. Capranic. ad VI. Kal. Sept.), *Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis. Adde Carmentalem ex Cicerone in Bruto* (14. 56.), *Portumnalem ex Festo* (ita hæc *A. Augustin.* voluit conjungi apud Festum p. 217. 14.), *Virbialem ex marmoreis monumentis: item divi Julii et divi Augusti ex eisdem et eorum temporum historia.* At Virbialis flamen, addit *Müllerus,* apud *Gruter.* 415. 3. et *Murat.* 166. 6. Aricinorum est, nec magis Romæ triboi potest, quam Lanuvius ille apud *Cic. Mil.* 10. 27.: d. Julii autem et Augusti flamen, nescio an in id collegium recepti sint, quoniam flamines divorum Augustorum, numero eorum aucto, singulare collegium effecisse, monumentis ostenditur (V. *Marini, Atti Frat. Arv.* p. 386.). Itaque tres loci etiamtum vacui sunt, in quos nec flaminem Arvalem invexerim (*Marini* p. 67.), nec fluminalem ex *Gloss. Isid.* v. *fluctus,* qui recte in flaminem Dialem mutatus est. Hucusque *Müllerus.* V. in fine hujus vocis. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 20. Divis aliis alii sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. *Id.* 2. *Phil.* 43. 110. Quem Cæsar majorem honorem consecutus erat, quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem? *Id. Mil.* 10. 27. Iter solemne Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum. *Liv.* 27. 8. Inaugurare flaminem. — Ceterum de Flaminum consecratione, vide *Liv.* 27. 8.: de ipsorum electione in comitiis vide *Gell.* 15. 27. — Præcipui qui occurrunt flamines sunt sequentes. *Cic.* 2. *de republ.* 14.; *Liv.* 1. 20., 5. 52., 26. 23., 27. 8. et 31. 50.; *Ovid.* 2. *Fast.* 282.; et *Sueton. Cæs.* 1. Flamen Dialis (qui et *Dialis sacerdos* dicitur ab eod. *Sueton. Domit.* 4.). *Val. Max.* 1. 1. 2. Martialis. *Liv.* 29. 11. et 45. 15. Martis. *Cic. Harusp. resp.* 6. 12.; *Liv.* 5. 40., 21. 8., 1. 21. et 33., 7. 20. et 37. 47.; *Tac.* 1. *Ann.* 10., 2. *ibid.* 75. et 3. *ibid.* 58.; et *Val. Max.* 6. 9. 3. Quirinalis. — Sic divorum imperatorum flamines sequentes occurrunt. *Sueton. Cæs.* 76. Flamen Julius. *Id. Tib.* 26. Tiberii. *Inscript.* apud *Orell.* 311. Augusti. *Alia* apud *eumd.* 2219. Neronis. Alia apud *eumd.* 2366. Flamen Augustalis. (ex qua, ut arguit *B. Borghesius* in *Memor. dell' Instit.* T. 1. p. 166., constat flamines ex sodalium numero selectos fuisse.) — Similiter *Inscript.* apud *Orell.* 2183. Flamen Romæ. Item *Cic. Brut.* 14. 56. Carmentalis. Cf. *Lucan.* 1. 604.

FLĀMEN, inis, n. 3. (flo) flatus. Vox poetica, quæ fere de ventis usurpatur, πνεῦμα, *soffio di vento, fiato, vento.*

I.) Proprie. — *a*) Cum addito nomine *ventus.* — In singulari numero. *Ennius* 17. *Ann.* 15. Aquiloque suo cum flamine contra. *Varro* apud *Non.* p. 233. 33. *Merc.* Detis habenas animæ leni, Dum nos ventus flamine sudo Suavem ad patriam perducit. *Sil. It.* 7. 243. sinusque Destituat tumidos, subducto flamine, ventus. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 54. Borea, surdas flamine tunde fores. *Id.* 11. *Met.* 663. Nubilus Ægæo deprendit in æquore navim Auster, et ingenti jactatam flamine solvit. — In plurali numero. *Lucret.* 1. 291. Sic igitur debent venti quoque flamina ferri. Sic *Horat.* 3. *Od.* 19. 19. cur Berecyntiæ Cessant flamina tibiæ? Adde *Nemesian.* 1. *Ecl.* 16. — *b*) Absolute pro vento. — In singulari numero. *Virg.* 4. *Æn.* 241. talaria, quæ sublimem alis rapido pariter cum flamine portant. *Ovid.* 3. *Fast.* 590. Figitur ad Laurens ingenti flamine litus Puppis. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 73. rapturus silvas sonoro flamina. — Sæpius in plurali numero. *Virg.* 5. *Æn.* 832. ferunt sua flamina classem. *Id.* 10. *ibid.* 97. ceu flamina prima, Quum deprensa fremunt silvis, et cæca volutant Murmura. *Ovid.* 13. *Met.* 183. flamina contraria classi. *Id.* 1. *ibid.* 263. fugant inductas flamina nubes. *Val. Flacc.* 3. 732. Flamina conticuere: jacet sine fluctibus æquor. *Lucan.* 5. 217. Flamina rauca. *Val. Flacc.* 7. 25. Descendunt flamina. Adde *eumd.* 2. 429., 4. 98., 5. 634. *Sil. It.* 9. 491. *de Æolo.* cui flamina carcer Imperio compressa tenet.

II.) Translate est afflatus, instinctus. V. *Capellæ loc. cit.* in FAMEN.

FLĀMENTUM, i, n. 2. *soffio di vento,* idem ac flamen, hæc poetica, illa prosaica vox. *Fulgent.* 1. *Mythol. præf.* Egredimur nautarum more, quos tempestatum flamento confractos exoptata reduces excipit ripa. *Alii male leg.* flagitamentum.

FLĀMEŎLUM, i. n. 2. *V.* FLAMMEOLUM.

FLĀMEUM, i. n. 2. *V.* FLAMMEUM.

FLĀMĬNA, æ, f. 1. mulier flaminio prædita. *Inscript.* apud *Gruter.* 459. 9. L. PRAESENTIO L. F. LEM. PAETO L. ATTIO SEVERO PRAEF. COH. I. AFR. C. R. EQ., IVDICI SELECTO EX V. DEC., PR. AVXIMI, PAT. COL., AEDILI II. VIR. ANCONAE VIBIA L. F. MARCELLA FLAMINA AVGVST. MARITO OMNIBVS EXEMPLIS DE SE BENE MERITO.

FLĀMĬNĀLIS, e, adject. qui flaminatu functus est. *Inscript.* apud *Gruter.* 325. 3. C. VABINIO FLAMINALI PROVINCIAE BAETICAE. *Alia* apud *eumd.* 478. 2., quæ est apud *Orell.* 155. STATVA INTER FLAMINALES VIROS POSITA. *Alia* apud *Henzen.* 6150. C. CATVCVLANO C. F. QVIR. MAXIMO AEDILI. — FLAMINALI AVG. etc.

FLĀMINATUS, us, m. 4. flaminis munus et dignitas. *Inscript.* apud *Gruter.* 1096. 7. FVNCTVS FLAMINATV PROVINCIAE HISPANIAE CITERIORIS. *Alia* apud *eumd.* 268. 3. OB HONOREM DECURIONATUS ET FLAMINATUS. Adde *aliam* apud *Orell.* 3281. *Alia* apud *Henzen.* 5314. OB HONOREM FLAMINATUS AVI PERPETVI. — Symbolum autem flaminatus erat apex, quo nempe utebatur flameo, ut ostendit *B. Borghesius* in *Dec. numism.* 7. oss. 8.

FLĀMINIA, æ, f. 1. ¶ 1. Uxor flaminis, quæ et flaminica dicitur. *Priscian.* 5. *p.* 643. *Putsch.* Papirius propter mortem flaminiæ flaminio abiit. ¶ 2. Item sacerdotula, quæ flamini Diali præministrabat; eaque patrem matremque adhuc vivos habebat. *Paul. Diac. p.* 93. 6. *Müll.* — *V.* FLAMINIUS in fin.

FLĀMINICA, æ, f. 1. uxor flaminis. *Massurius Sabinus* apud *Gell.* 10. 15. Eadem ferme cæremoniæ sunt, quas flaminicas Diales seorsum ajunt observitare. *Tertull. de exhort. ad castit.* Certe flaminica non nisi univira est, quæ et flaminis lex est. *Tac.* 4. *Ann.* 16. Sed lata lex, qua flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri, cetera in promiscuo feminarum jure ageret. Adde *Capell.* 10. 15.; *Macrob.* 1. *Saturn.* 16.; *Capitolin. Anton. Phil.* 6.; *Inscript.* apud *Orell.* 120., 216., et alias; apud *Henzen.* 6003. et 6004.; et *Paul. Diac. p.* 93. 6. *Müll.* et p. 89. 13. — Etiam in municipiis et coloniis erant flaminicæ. V. *Cavedoni Marm. Moden. p.* 120.

FLĀMINICUS, i, m. 2. idem ac flamen. *Gloss. Cyrill.* Ἱερεὺς Καισαρος, flaminicus, Salius, flamen.

FLĀMINIUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

FLĀMINIUS, a, um, adject. ad flaminem pertinens. *Paul. Diac. p.* 89. 10. *Müll.* Flaminia ædes, domus flaminis Dialis. *Id. p.* 93. 2. *Müll.* Flaminius camillus, puer ingenuus, qui flamini Diali præministrabat. *Id.* 93. 9. *Müll.* Flaminius lictor, qui flamini Diali sacrorum causa præsto est. — Hinc

Flaminia, æ, f. 1. (subaudi *ædes*) absolute, substantivorum more, est domus flaminis. *Fabius Pictor* apud *Gell.* 10. 15. Ignem e flaminia, id est, flaminis Dialis domo, nisi in sacrum, efferri jus non est. — Alio sensu *V.* FLAMINIA loco suo.

Flaminium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est dignitas flaminis, sacerdotium. *Cic.* 13. *Phil.* 19. 41. Cæsaris flaminium cur reliquisti? *Liv.* 26. 23. *extr.* C. Claudius flamen Dialis, quod exta perperam dederat, flaminio abiit. *Massurius Sabinus* apud *Gell.* 10. 15. Flaminio decedere. Adde *Sueton Aug.* 31.; et *Tac.* 2. *Ann.* 73. et 13. *ibid.* 2. *Id. Tac.* 4. *Ann.* 16. Flaminium apisci. *Inscript.* apud *Gruter.* 195. 5. L. FL. VALENS OB HONOREM FLAMONII S. P. D. Adde *aliam* apud *eumd.* 254. 5., et *Sidon.* 5. *Ep.* 7. *ante med.*, ubi quoque pro *flaminium* legitur *flamonium*, quemadmodum et in *Inscript.* apud *Renier.* 1730., 1128., 1824. et 3096.; item in *Inscript.* apud *Henzen.* 5317.

FLAMMA, æ, f. 1. Etiam *flama* in quibusdam codicibus scriptum legi (unde et *flameus* apud *Monut.* in *Orthogr.* et *flamearius*) notant *Voss.* in *Etymol.* et *Dausqu.* in *Orthogr.*; sed hoc priscæ scribendi rationi tribuendum videtur et antiquo mori litteras non geminantium. — *Flammai* pro *flammæ* in secundo casu est apud *Lucret.* 1. 725. et 5. 1098. — Ceterum ita appellata proprie est fornacis flamma, si credimus *Isid.* 19. *Orig.* 6., quod flatu follium excitetur: est vero flamma pro *flagma* a φλέγμα, Æolice φλέμμα, quod a φλέγω *inflammo*: V. FLAGRO; et est vapor accensus, qui ex re flagrante egreditur, mobilis ac splendens ignis, φλόξ (It. *fiamma*; Fr. *flamme qui pétille*, *feu*; Hisp. *llama*, *flama*; Germ. *d. Flackernde*, *Brennende*, *daher hellloderude Flamme*, *Feuer*; Angl. *a flame, blaze, flash or flake of fire*.)

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Fana flamma deflagrata, tosti alti stant parietes. Sic *Lucret.* 6. 1168. Flagrabat stomacho flamma, ut fornacibus, intus. *Cato R. R.* 38. Flamma minus fumosa exibit. *Cic.* 2. *Orat.* 54. 222. Dicere ajunt Ennium, flammam a sapiente facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat. *Id.* 1. *de republ.* 42. Cave putes, aut mare ullum aut flammam esse tantam, quam non facilius sit sedare, quam effrenatam insolentia multitudinem. *Nepos Alcib.* 10. Sonitu flammæ excitatus. *Cæs.* 2. *B. C.* 14. Secundo magnoque vento ignem operibus inferunt. Hunc sic distulit ventus, uti uno tempore agger, plutei, testudo, turris flammam conciperent. *Id.* 5. *B. G.* 42. Quum undique flamma torrerentur. *Id.* 6. *ibid.* 15. Circumventi flamma exanimantur homines. *Liv.* 30. 6. Effusa flamma pluribus locis reluxit: dein per continua serpens, uno repente omnia incendio hausit. *Virg.* 7. *Æn.* 74. omnem ornatum flamma crepitante cremari. *Id.* 1. *ibid.* 179. Suscepitque ignem foliis, atque arida circum Nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam. Cf. *Ovid.* 8. *Met.* 641. Inde foco tepidum cinerem dimovit, et ignes Suscitat hesternos, foliisque et cortice sicco Nutrit, et ad flammas animâ producit anili. Rursus *Virg.* 1. *G.* 473. undantem ruptis fornacibus Ætnam Flammarum globos volvere. *Id.* 4. *Æn.* 670. flammæ furentes volvuntur per culmina. *Horat.* 4. *Od.* 11. 11. Sordidum flammæ trepidant rotantes Vertice fumum. *Seneca Hippol.* 644. agilis altas flamma percurrit trabes. *Quintil.* 8. 5. 29. Lumina illa non flammæ, sed scintillis inter fumum emicantibus similia. *Ovid.* 14. *Met.* 532. alimenta flammæ. *Stat.* 1. *Achill.* 521. apices flammarum. *Ammian.* 17. 7. flammarum ardores. *Ovid.* 2. *Met.* 123. flamma rapida. *Seneca Herc. Œt.* 121. rapax. *Claudian.* 2. *Cons. I. Stilich.* 176. fabrilis. *Id.* 2. *in Eutrop.* 751. hostiles. *Coripp.* 1. 321. æstivæ flammæ. *h. e.* æstivus ardor. — Jungitur multis Verbis, quorum præcipua hæc sunt. *Ovid.* 5. *Fast.* 507. flammas exsuscitare aura. *Curt.* 8. 10. 8. excitare. *Ovid.* 10. *Met.* 279. accendere. *Id. ibid.* 173.; et *Quintil.* 5. 13. 13. alere. *Quintil.* 4. 10. 12. Flamma splendet. *Stribon. Compos.* 267. Flamma subducitur. *Ammian.* 24. 7. Dum flammæ senescerent. *h. e.* minuerentur. *Ovid.* 7. *Met.* 210. flammam hebetare. *Id. Heroid.* 16. 229. compescere. *Id.* 3. *Art. am.* 463. et 15. *Met.* 778. exstinguere. *Quintil.* 6. 6. 16. restinguere. *Curt.* 4. 10. 12. Tectis flammas injicere. *Quintil. procem.* l. 6. Flammis aliquid injicere. *dare alle fiamme.* *Virg.* 4. *Æn.* 640. permittere flammis. Cf. *Seneca Phœniss.* 663. Flammis dare patriam, penates. *Id. Agamemn.* 602. Flamma muros populans. *Ovid.* 2. *Met.* 210. Flammis corripi. *Liv.* 30. 7. conflagrare. *Horat. Epod.* 5. 24. aduri. — *b*) Speciatim pro igne. *Liv.* 30. 6. Flamma ferroque absumi. *Juvenal.* 10. 266. flammis Asiam ferroque cadentem. — *c*) Item de stellarum et similium rerum fulgore. *Lucret.* 1. 1089. solis flammam per cæli cærula pasci. *Cic.* 6. *de republ.* 16. Erat is splendidissimo candore inter flammas circulus elucens. *h. e.* inter fulgidas stellas. Sic *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 15. noto flava flammæ. *h. e.* sidera. Cf. *Val. Flacc.* 5. 227. Illius extremo sub funere mira repente Flamma poli magnoque Aries apparuit astro. Adde *Coripp.* 2. 289. Et *Ammian.* 25. 2. *de stellis, quas vulgo cadentes dicimus.* Quidam putant radiorum flammas injectas nubibus densis acri scintillare contactu. *Ovid.* 3. *Fast.* 285. deûm genitor rutilas per nubila flammas Spargit. *h. e.* fulgura, aut fulmina. *Virg.* 6. *Æn.* 518. flammam media ipsa tenebat Ingentem. *h. e.* facem. — *d*) *Flamma fumo est proxima: fumo comburi nihil potest, flamma potest*, proverb. apud *Plaut. Curc.* 1. 1. 53., quibus monemur vitandam esse occasionem peccandi, et fugienda illa mala leviora, ex quibus gravius malum sequi fere solet. — *e*) *Prius undis flamma* (subaudi *miscebitur*), dictum de re, quæ fieri non potest. *Poeta* apud *Cic.* 13. *Phil.* 21. 49. Eodem sensu *unda dabit flammas* apud *Ovid.* 1. *Trist.* 8. 4. Cf. et *Lucret.* 3. 622. flamma fluminibus creari non solita est. — *f*) *E flamma cibum petere*, proverb. apud *Ter. Eun.* 3. 2. 38. de eo, qui quidlibet audeat patiaturve cibi et victus causa: ductum, ut videtur, ab iis, qui præ paupertate rapiebant de rogo cœnam, ut *Catull.* loquitur 59. 3. *V.* CŒNA 1. *g.*

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de flammeo colorum et oculorum splendore. Sic de colore *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 27. (46). Reddit enim flammam excellentia purpuræ. Et de igneis oculis Charontis *Virg.* 6. *Æn.* 300. stant lumina flamma. *Al. leg.* flammæ. V. *Wagn.* ad h. l.; et cf. *Ovid.* 11. *Met.* 368. rubra suffusus lumina flamma. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a flammæ ardore, dicitur de vehementi aliquo animi motu, et quidem — *a*) De amore, præsertim turpi. *Cic.* 7. *Verr.* 35. 92. Una atque eadem nox erat, qua prætor amoris turpissimi flamma, classis populi Romani prædonum incendio conflagrabat. Cf. *Ovid.* 9. *Met.* 508. discedite obscœnæ flammæ. *Catull.* 61. 92. cuncto concepit pectore flammam Funditus, atque imis exarsit tota medullis. Cf. *Ovid.* 7. *Met.* 17. Excute virgineo conceptas pectore flammas. et *Virg.* 3. *G.* 271. avidis subdita flamma medullis. *Horat.* 1. *Od.* 27. 20. Digne puer meliore flamma. *Ovid. Remed. am.* 485. novas flammas assumere. *Id.* 1. *Met.* 495. Sic deus in flammas abiit; sic pectore toto Uritur, et sterilem sperando nutrit amorem. *Id. Remed. am.* 53. sævas exstinguere flammas. *Val. Flacc.* 6. 663. sævæ trahitur dulcedine flammæ. *Ovid.* 1. *Amor.* 2. 46. fervida flamma. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 131. teneram jam pronuba flamma pudorem Sollicitat. — *b*) De ira. *Ovid.* 8. *Met.* 355. Ira feri mota est, nec fulmine lenius arsit: Emicat ex oculis, spirat quoque pectore flammas. *Sil. It.* 17. 294. ignifero mentes furiabat in iram Hortatu, decorisque urebat pectora flammis. — *c*) De nobili animi ardore. *Cic. Brut.* 21. 93. Ardor animi non semper adest, isque quum consedit, omnis illa vis et quasi flamma oratoris exstinguitur. *Sall. Jug.* 4. Vehementissime sibi animum ad virtutem accendi: scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a flammarum vi res comburente ac destruente, ponitur de iis, quibus aliquis in summum discrimen vocatur. *Cic.* 16. *Fam.* 11. et 16. *Att.* 7. Incidi in ipsam flammam civilis discordiæ, vel potius belli. *Id.* 3. *Orat.* 3. 11. Sulpicius, qui in eadem invidiæ flamma fuisset. *Id. Brut.* 23. 90. Galba se tum eripuit flamma, propter pueros misericordia populi commota. *h. e.* judicii et damnationis periculum evasit. *Virg.* 2. *Æn.* 585. sumpsisse merentis Laudabor pœnas animumque explesse juvabit Ultricis flammæ et cineres satiasse meorum. *h. e.* ultione, *vendetta.* *Ovid.* 8. *Met.* 845. implacatæque vigebat Flamma gulæ. *h. e.* cupiditas, fames. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

FLAMMĀBUNDUS, a, um, adject. flammanti similis. *Capell.* 1. *p.* 22. Tunc subsellia flammabunda cœtum suscepere sidereum.

FLAMMANS, antis. *V.* FLAMMO.

FLAMMĀTRIX, icis, f. 3. quæ inflammat. *Capell.* 5. *p.* 137. Femina (*scil.* rhetorica) exilis in modicis, in mediocribus facilis, in elatione flammatrix.

FLAMMĀTUS, a, um. *V.* FLAMMO.

FLAMMEĀRIUS *vel* flamearius, ii, m. 2. infector flammei coloris, ut habet *Paul. Diac. p.* 89. 11. *Müll.*; vel potius flammeorum confector aut venditor. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 35. Ciniflones, patagiarii, indusiarii, flammearii, violarii, etc. *Al. leg.* flammarii.

FLAMMĔO, es. *V.* FLAVEO.

FLAMMEŎLUM *vel* flameolum, i, n. 2. *deminut.* a flammeum, parvum flammeum. *Juvenal.* 10. 333. sedet illa parato Flammeolo.

FLAMMEŎLUS, a, um, adject. *deminut.* a flammeus, flammæ colorem habens, dilutiorem tamen. *Colum.* 10. *R. R.* 307. Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha.

FLAMMESCO, escis, escere, n. 3. flammas concipere, ignescere, *infiammarsi*. *Lucret.* 6. 669. Ignis abundare Ætnæus, flammescere cælum.

FLAMMEUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

FLAMMEUS *vel* flameus, a, um, adject. ignitus, accensus, φλογερός, *di fiamma, fiammeggiante.*

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 118. Sunt stellæ natura flammeæ. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 15. Veluti flammeo halitu fluctus uritur. *Martial.* 10. 62. Albæ leone flammeo calent luces. *solleone.*

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de colore, qui tamquam flamma rubescit. *Ovid. Heroid.* 12. 107. Lumina flammea. *occhi di fuoco.* *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 38. (64). Viola alba, purpurea, flammea. *Val. Flacc.* 5. 361. flammea murice cerno tegmina. *Paul. Diac. p.* 92. 16. *Müll.* Flammeo vestimento flaminica utebatur, id est Dialis uxor et Jovis sacerdos, cui telum fulminis eodem erat colore. *Isid.* 19. *Orig.* 28. Unde et color ejusdem tincturæ flammeus est. ¶ 2. Refertur etiam ad animum. *Ennius* apud *Non. p.* 139. 15. *Merc.* Mortalibus versus propinas flammeos medullitus. *Catull.* 64. 337. Flammea præ-

vortet celeris vestigia cervæ. h. e. concitata. Sidon. 1. Ep. 7. Acres et flammei viri. — Hinc

Flammeum vel *flameum*, i, n. 2. absolute, substantivorum more, subaudi *velum*. — Recentiores scribunt *flammeum*, ut sit a flammeo colore; *Forcellinus* vero *flameum*, quia per unicum *m* in veterib. libris scriptum reperiri, testatur *Manut*. in *Orthogr*. V. FLAMMA init. et *Kopp*. ad *Capell*. p. 151. — Apud *Non*. p. 151. 31. *Merc*. legitur *flammeus*, i, gen. masc. Ceterum — a) Flammeum, κρόκιος πέπλος, est genus veli crocei, seu lutei, quo sponsæ utebantur, ne proderetur virginis pudor. Nonnulli dictum putant, quia flammæ colorem referret; verum potior est eorum sententia, quibus placet dici a flaminica flaminis uxore, quæ, ut *Paul. Diac*. p. 89. 13. *Müll*. ait, semper flammeo utebatur: hinc institutum fuisse, ut etiam novæ nuptæ hoc amiculi genus gestarent boni ominis causa, et in signum indissolubilis conjugii, quia flamini non erat permissum cum uxore divortium facere. Aliqui dicunt fuisse albogalerum, seu velamentum capitis, quo flamen Dialis utebatur; vocatum fuisse flammeum a flammeo colore; hujus coloris fuisse, quia erat sacerdos Jovis Tonantis, cui is color convenit propter telum fulminis; item vestimentum flaminicæ Dialis, quæ et ipsa Jovi sacra faciebat. Aliis flammeum erat pileus, quem flamines omnes generatim gestabant, in coni figuram desinentem; hic *apex* dicebatur, quam vocem vide: summum fastigium vocabant *tutulum*, infra mentum amenta, quæ et *offendices* dicta, pileum retinebant. *Catull*. 60. 6. Cinge tempora floribus Suaveolentis amaraci: Flammeum cape. *Plin*. 21. *Hist. nat*. 8. 22. (16). Lutei coloris video honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis totum feminis concessum. *Lucan*. 3. 361. Lutea demissos velarunt flammea vultus. *Juvenal*. 6. 225. Flammea conterit. h. e. sæpius nubit. — b) Apud Scriptores Ecclesiasticos *flammeum* dictum fuit velum seu velamen sacrum, impositum ab Episcopo sacratarum virginum capiti, *il velo monacale*. Hinc *Hieronym. Ep*. 130. n. 2. Scio, quod ad imprecationem pontificis flammeum virginale sanctum operuerit caput. *Id. Ep*. 147. n. 6. In apostoli Petri basilica Christi flammeo consecrata est.

FLAMMĬCŌMANS, antis, *et*

FLAMMĬCŌMUS, a, um, adject. (flamma et comare, coma) flammeas comas habens. *Juvenc*. in *Matth*. 25. l. 4. 202. Tædæ flammicomantes. *Prudent. Psychom*. 775. Flammicomi ignes.

FLAMMĬCRĔMUS, a, um, adject. (flamma et cremare) flammis crematus. *Venant. Fortun*. 1. *carm*. 15. 47. Nullaque flammicremæ senserunt damna ruinæ.

FLAMMĬDUS, a, um, adject. idem quod flammeus. *Apul. de Mundo*. Humida aridis, glacialibus flammida confundit. *Id*. 11. *Met*. Roseo rubore flammida.

FLAMMĬFER, fĕra, fĕrum, adject. flammam ferens, inflammatus: vox poetica. *Cic*. 4. *Acad*. (2. pr.) 28. 89. ex vet. *Poet*. (scil. *Ennio*: V. *Ennianæ poesis reliq*. edente *J. Vahlen* p. 97.). Pestem abige a me, flammiferam hanc vim, quæ me excruciat. *Val. Flacc*. 1. 4. flammifero consedit Olympo. *Ovid*. 15. *Met*. 849. Flammiferumque trahens spatioso limite crinem, Stella micat. *Sil. It*. 5. 56. flammiferum tollentes æquore currum Solis equi. *Lucan*. 5. 400. Iliacæ numen quod præsidet Albæ Vidit flammifera confectas nocte Latinas. h. e. facibus illustrata: quia Latinæ noctu peragebantur.

FLAMMĬGĔNA, æ, comm. gen. 1. e flamma genitus. Flammigena fur apud *Sidon. carm*. 13. 9. est Cacus Vulcani filius, atros Ore vomens ignes, ut ait *Virg*. 8. *Æn*. 198.

FLAMMĬGER, gĕra, gĕrum, adject. qui flammas gerit vel fert. *Varro* apud *Probum* ad *Virg*. 6. *Ecl*. 31. Mundus domus est maxima homulli, Quam quinque altitonæ flammigeræ Zonæ cingunt. *Riese* ita leg.; *Oehlerus* vero *flammeæ*; alii aliter. *Val. Flacc*. 5. 582. et *Lucan*. 1. 415. Sol flammiger. *Stat*. 8. *Theb*. 686. Flammiger ales. h. e. aquila.

FLAMMĬGĔRO, as, are, n. 1. Part. *Flammigerans*. — Flammigerare est flagrare, flammas ingerere vel accendere. *Ambros*. in *Luc*. 7. 12. Ignis ille divinus, qui flammigerabat in ossibus prophetarum. *Id*. in *Psalm*. 118. *serm*. 18. Et erat ignis flammigerans in ossibus meis. Adde *eumd. Ep*. 8. 38.; et *V*. voc. seq.

FLAMMĬGO, as, are, n. 1. (flammas et agere) flammas emittere, *fiammeggiare*. *Gell*. 17. 10., et qui ab eo excerpsit, *Macrob*. 5. *Saturn*. 17. Interdiu fumare Ætnam, noctu flammigare. *Est qui legit* flammigerare.

FLAMMĬPES, pĕdis, adject. qui ignitos pedes habet. *Juvenc. Matth*. 11. l. 1. 551. Flammipedes quadrijugi.

FLAMMĬPŎTENS, entis, adject. Vulcani cognomen. *Arnob*. 3. 21. Flammipotens Vulcanus fabricatur enses.

FLAMMĬVŎLUS, a, um, adject. cum flammis volans. *Arator*. *Act. Apost*. 2. 531. Flammivolo sub sole jacet.

FLAMMĬVŎMUS, a, um, adject. qui flammas vomit. *Juvenc. prol*. 23. flammivoma descendit nube coruscans Judex. *Coripp*. 1. *Johann*. 338. Flammivomis (*Phaeton*) raptatus equis. *Capell*. 1. p. 19. Prætendebat (*Saturnus*) dextra flammivomum quemdam draconem caudæ suæ ultima devorantem.

FLAMMO, as, āvi, ātum, are. 1. Part. *Flammans* sub *A*. et *B*. I.: *Flammatus* sub *B*. I. et II.; *Flammandus* sub *B*. I. — Flammare est verbum *A*) Neutrum, et *B*) Activum.

A) Neutrum flammare est ardere, quo sensu occurrit tantum Part. præs. *Flammans*, et est flammatus, ardens, *ardente, acceso*. *Propert*. 4. 4. 75. super raros feni flammantis acervos Trajicit immundos ebria turba pedes. *Virg*. 3. *G*. 434. flammantia lumina torquens. *Seneca Med*. 241. Os tauri ferocis flammans. h. e. flammas emittens.

B) Activum flammare est incendere, cremare, φλέγω, *infiammare, accendere*.

I.) Proprie. *Lucret*. 2. 671. quæcumque igni flammata cremantur. *Catull*. 61. 291. sorores flammati Phaetontis. *Cic*. 1. *Divinat*. 11. 17. æthereo flammatus Juppiter igni. *Tac*. 15. *Ann*. 44. Ut interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi. *Apul. de Mundo*. Ignea illi immortalis Dei vivacitate flammantur. *Val. Flacc*. 1. 568. et lugenti flammantem nubila sulco Direxit per inane facem.

II.) Improprie. ¶ 1. Refertur ad colores, et est purpureo colore inficere. *Martial*. 5. 19. Flammata toga. *Val. Flacc*. 4. 655. flammata pudore juventus. *Seneca Med*. 387. Flammata facies. h. e. rubore suffusa præ furore. *Stat*. 1. *Achill*. 297. illius roseo flammatur purpura vultu. ¶ 2. Figurate est incitare, accendere cupidine, ira, furore etc. *Virg*. 1. *Æn*. 54. Talia flammato secum dea corde volutans. *Colum*. 10. *R. R*. 209. flammata cupidine tellus. *Tac*. 4. *Hist*. 24. His inter se vocibus instinctos flammavere insuper allatæ a Vespasiano litteræ. *Id* 2. *ibid*. 74. Omnes exercitus flammaverat arrogantia venientium a Vitellio militum. h. e. ad iram incitaverat, offenderat, irritaverat. *Sil. It*. 16. 303. Sic donis vulgum laudumque cupidine flammat. *Id*. 1. 55. juvenem facta ad Mavortia flammat. *Stat*. 8. *Theb*. 390. flammantur in hostem Cornipedes. *Val. Flacc*. 8. 300. sponsæ flammatus amore. *Id*. 1. 108. tela flammata veneno. h. e. veneno more ignis adurente. — Pro implere, *V*. INCENDO.

FLAMMŌSUS, a, um, adject. idem quod ardens. *Cœl. Aurel*. 2. *Acut*. 32. Febris celerrima est et flammosa. *Id*. 3. *ibid*. 17. *ad fin*. Carbones non flammosi.

FLAMMŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* flamma, parva flamma, *fiammetta, fiammella*.

I.) Proprie. *Cic*. 4. *Acad*. (2. pr.) 25. 80. Duas ex lucerna flammulas esse visas. *Colum*. 9. *R. R*. 14. 9. Papiliones dum circa flammulam volitant, aduruntur.

II.) Improprie apud sequioris ævi scriptores *flammulæ* fuerunt appellata vexilla equitum ex contis suspensa, flammei seu purpurei coloris. *Veget*. 2. *Milit*. 1. Equitum alii alares dicuntur, qui nunc vexillationes vocantur a velo, quia velis, hoc est flammulis utuntur. Adde *eumd*. 3. *ibid*. 5. *V. Ducang. Gloss. Gr*. et *Lat*. in V. Φλάμουλον, et *Flammula*. Hinc *flammularius* videtur appellatus a Latinis scriptoribus infimæ Latinitatis miles, e cujus hastæ cuspide pannus puniceus pendebat. Etenim hæc habet *Lydus de mag. Rom*. 1. 46. Φλαμμουλάριοι, ὧν ἐπὶ τῆς ἄκρας τοῦ δόρατος φοινικᾶ ῥάκη ἐξήρτηντο.

FLAMMŬLĀRIUS, ii, m. 2. *V*. voc. præced.

FLĀMŌNIUM, ii. *V*. *Flaminium* in fin. v. FLAMINIUS, a, um.

FLASCA. *V*. PHLASCA.

FLĀTELLÆ, ārum. f. plur. 1. *Gloss. Placid*. edente *A. Mai*. in *Class. Auct*. *T*. 3. p. 463. Flatellis, sordium glomusculis. — Hac voce *flatellæ*, si salva est lectio, significanturne sordes vel reliquiæ, quæ flaturariis in moneta cudenda excidebant?

FLĀTĬLIS, e, adject. idem quod flabilis. *Varro* apud *Non*. p. 365. 12. *Merc*. Capitis corona baccis Liberi faciem labore flatili viridis premit. *Mercerus* et *Riese* ita leg.; alii aliter. *Ammian*. 30. 1. Flatili sonitu. h. e. qui flando fit. *Prudent. Hamartig*. 533. Flatile virus. h. e. qui flatu immittitur. *Arnob*. 6. 16. Laminarum flatilium crates. h. e. conflatilium. — Sic *flatilis linea* est aspirationis signum. *V*. DASYS.

FLĀTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* flo, as. Occurrit tantum Part. *Flatans* apud *Arnob*. 2. 38. Cantores, tibia calamoque flatantes.

FLĀTOR, ōris, m. 3. ¶ 1. Est tibicen: a *flo*, quod tibias inflet. *Paul. Diac*. p. 89. 7. *Müll*. Similiter *Gloss. Placid*. edente *A. Mai* in *Class. Auct*. *T*. 3. p. 463. Flatores, tubicines, a flando. ¶ 2. Item qui conflat. *Pompon. Dig*. 1. 2. 2. § 30. Æris, argenti, auri flatores. *V*. FLATURARIUS.

FLĀTŪRA, æ, f. 1. ¶ 1. Est idem quod flatus. *Arnob*. 1. 9. Ventos jamdiu non esse, et cæli conquievisse flaturas. ¶ 2. Item conflatura. *Vitruv*. 2. 7. In æris flatura. *Inscript*. apud *Don*. cl. 8. n. 16. P. CALVIVS P. F. IVSTVS, MANCEPS OFFICINARVM AERARIARVM QVINQVE, ITEM FLATVRAE ARGENTARIAE etc. Adde *alias* apud *Murat*. 319. 2. et 3.

FLĀTŪRĀLIS, e, adject. ad flandum pertinens. *Tertull. Anim*. 10. Quædam spiritu carent, quia flaturalibus artubus structa non sunt.

FLĀTŪRĀRĬUS, ii, m. 2. flator, qui nempe metallum monetæ cudendæ destinatum conflat. *Inscript*. apud *Gruter*. 638. 4. M. VLPIVS AVG. LIB. EVTYCHVS FLATVRARIVS AVRI ET ARGENTI MONETAE. *Imp. Constantius Cod. Theod*. 9. 21. 6. Comperimus, nonnullos flaturarios pecuniam non minus criminose, quam crebre, separato argento ab ære, purgare. — Alii erant, qui privatim suoque sumptu signa, statuas, et alius generis vasa ex metallo conflabant. *Inscript*. apud *Gruter*. 638. 6. C. IVNIO THALAMIONI C. MAECENATIS LIBERTO FLATVRARIO SIGILLARIARIO. *Alia* apud *Fabrett*. p. 720. n. 415. T. FLAVIO T. F. LAGONIO FABRO FLATVRARIO SIGILLARIARIO. *Alia* apud *Don*. cl. 8. n. 61. C. SELLIVS ONESIMVS FLATVRARIVS DE VIA SACRA. Cf. *Inscript*. apud *Orell*. 4192. et 4193.

FLĀTUS, a, um. *V*. FLO.

FLĀTUS, us, m. 4. (*flo*) flamen, spiritus, ventus: vox fere poetica, πνοή (It. *fiato, soffio, vento*; Fr. *souffle, vent*; Hisp. *soplo, viento, flato*; Germ. *das Blasen, Wehen, Hauchen*; Angl. *a blast or gale of wind, breeze*).

I.) Proprie. — a) De homine et ceteris animantibus. *Ovid*. 1. *Fast*. 428. Ipsa sui flatus ne sonet aura, cavet. *Plin*. 36. *Hist. nat*. 26. 66. (193). Flatu figuratur vitrum. *Virg*. 3. *G*. 111. humescunt (equi) spumis flatuque sequentum. Cf. *Cic. Arat*. 111. Æstiferi validis erumpunt flatibus ignes. *Terentian. de metr*. p. 2384. *Putsch*. Cæcis flatibus intimi Tenduntur laterum sinus. — b) De sonitu tibiæ. *Horat. Art. P*. 203. Tibia non ut nunc orichalco juncta — Aspirare et adesse choris erat utilis, atque Nondum spissa nimis complere sedilia flatu. Adde *Phædr*. 5. 7. — c) Sæpius de aura et ventis. *Ovid*. 13. *Met*. 418. flatuque secundo Carbasa mota sonant. Adde *eumd*. 14. *ibid*. 226. *Horat*. 4. *Od*. 5. 9. quem Notus invido Flatu Carpathii trans maris æquora — distinet. Et in plur. num. *Virg*. 2. *G*. 339. hibernis parcebant flatibus Euri. Adde *Ovid*. 15. *Met*. 302. — d) Huc pertinet et illud *Sueton*. *Claud*. 32. Flatum crepitumque ventris emittere. *Flatus* est tacitus exitus, βδέσμα; *crepitus* cum sonitu, πορδή.

II.) Translate. ¶ 1. Concreto, uti ajunt, sensu, de anima. *Prudent*. 3. περὶ στεφ. 168. Pax datur artubus exanimis, Flatus in æthere plaudit ovans. ¶ 2. Metaphorâ a vento sumptâ *Cic*. 2. *Off*. 6. 19. Quum prospero flatu fortunæ utimur, ad exitus pervehimur optatos: et quum reflavit, affligimur. *Id*. 2. *Orat*. 44. 187. Si se dant, et sua sponte, quo impellimus, inclinant atque propendent; accipio quod datur, et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. ¶ 3. A Poetis, fere in plur. num., dicitur de fastu

ac superbia. *Virg.* 11. *Æn.* 345. Det libertatem fandi, flatusque remittat. *Ovid.* 1. *Art. am.* 715. Si tamen a precibus tumidos accedere flatus Senseris, incepto parce, referque pedem. *Val. Flacc.* 3. 699. Non hi tum flatus, non ista superbia dictis, Quum etc. *Stat.* 3. *Theb.* 192. magniloquos luit impia flatus. *Id.* 11. *ibid.* 321. Attollit flatus ducis.

FLĀVĔO, es, ere, n. 2. Part. *Flavens.* — Flaveo est flavus sum, *esser biondo*, ξανθίζω. *Virg.* 4. *G.* 126. Flaventia culta. *Id.* 10. *Æn.* 324. Clytius flavens prima lanugine malas. *Ovid.* 8. *Met.* 670. Flaventes ceræ. *Colum.* 10. *R. R.* 311. Sed cum maturis flavebit messis aristis. In quodam MS. leg. *flammebit*, ut sit a *flammeo, es*: a quo *flammesco*. *Paulin. Nolan. carm.* 20. 121. *de lychno.* Fuoditus albet aqua, super undam flavet olivo.

FLĀVESCO, is, ere, n. 3. Part. *Flavescens.* — Flavesco est flavus fio (It. *biondeggiare*; Fr. *jaunir, devenir jaune, se dorer*; Hisp. *amarillar*; Germ. *blond, goldfarben werden*; Angl. *to grow or become yellow*). *Virg.* 4. *Ecl.* 28. Molli paullatim flavescet campus arista. *Martial.* 9. 24. O, cui virgineo flavescere contigit auro. *h. e.* decoratum esse aurea corona dono data in ludis Minervæ. *Id.* 7. 57. Flavescere aphe. *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 30. ebur longis flavescit ab annis. — In illo *ejusdem* 8. *Met.* 699. casa parva Vertitur in templum: furcas subiere columnæ: Stramina flavescunt: *flavescere* est aureum, vel auratum fieri. — *Flavescere* etiam dicuntur folia plantarum, quæ virorem amittunt, et ad ariditatem accedunt, aut corruptionem. Flavum enim tunc colorem induunt. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 36. (121). Quæ (*myrtus*) postquam evaluit, flavescente patricia, etc. Ita *Harduin.* ex MSS. Alii *flaccescente.* At hæc additamenta, quæ h. l. prorsus nullum sensum præbent, ex inferiore loco huc translata esse vidit *Jan.* in *nunt. litter. Monac.* 1836. n. 167. p. 190. *Id.* 16. *ibid.* 6. 7. (18). Folium fagi celerrime flavescens. *Id.* 19. *ibid.* 8. 47. (159). Menta æstate viret, hieme flavescit. *Val. Cato Dir.* 16. Pallida flavescant æstu sitientia prata.

FLĀVĬĀLIS, e, adject. ad Flavium pertinens. *Flaviales* dicti sunt sacerdotes divorum gentis Flaviæ, quos, teste *Stat.* 5. *Silv.* 1. 239., Domitianus Aug. instituit. *Sueton. Domit.* 4. Assidentibus Diali sacerdote et collegio Flavialium. — Hi Romæ quindecim fuisse videntur, quibus flamen seu pontifex præfuit. *Inscript.* apud *Gor. Inscr. Etr. T.* 2. p. 18. C. BELLICIVS NATALIS XV. VIR. FLAVIALIVM. *Alia* apud *Gruter.* 350. 4., quæ est apud *Orell.* 2220. L. APPAEO L. F. PVP. PVDENTI FLAMINI FLAVIALI. *Alia* apud *eumd.* 361. 1., quæ est apud *Orell.* 3672. L. ARADIO VALERIO PROCVLO PONTIFICI FLAVIALI. — In coloniis fuerunt etiam *sexviri Flaviales.* *Alia* apud *eumd.* 98. 10. PRO SALVTE COLONIAE ET ORDINIS DECVRIONVM ET POPVLI TVDERTIS L. CANCRIVS CLEMENTIS LIBERTVS SEXVIR AVGVSTALIS ET FLAVIALIS.

FLĀVĬCŌMANS, antis, *et*

FLĀVĬCŌMUS, a, um, adject. flavam comam habens, *che ha la chioma bionda*, ξανθόκομος. *Petron. Satyr.* 110. Flavicomum corymbion. *Alii leg.* flavum. *Prudent. Apotheos.* 495. Armiger e cuneo puerorum flavicomantum.

FLĀVĬDUS, a, um, adject. idem quod flavus. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 20. Fel flavidum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 13. 34. (127). Flavida rapacia, *ut quidem leg.* Harduin. *et* Sillig *ex MSS., nam alii* flaccida. *V.* FLAVESCO.

FLĀVISSÆ. *V.* FAVISSÆ.

FLĀVUS, a, um, adject. Comp. *Flavior* in fin. — Flavus ratione habita etymi conjungi potest cum *fulvus* et Gr. φλέγω, et est idem quod Gr. ξανθός, qui eo colore est, qui in spicis maturis videtur, in auro, melle et similibus (It. *biondo, giallo, di color d'oro*; Fr. *jaune, jaune-rougeâtre, blond*; Hisp. *lo que es de color de oro, de citron, amarillo*; Germ. *blond, röthlichgelb, goldgelb*; Angl. *yellow, of the colour of gold*). Occurrit — *a*) De rebus. *Lucret.* 1. 937. mellis dulci flavoque liquore. Cf. *Martial.* 1. 56. Flava mella. *Virg.* 1. *G.* 96. Flava Ceres. *et* 316. arva. *Id.* 1. *Æn.* 596. Flavum aurum. *Horat.* 1. *Od.* 5. 4. Flava coma. Rursus *Virg.* 12. *Æn.* 605. Flavi crines. *Id.* 5. *ibid.* 309. Flava oliva. *h. e.* quæ ex viridi ad flavum colorem accedit. *Gellius* 2. 26. refert *Ennii* versum: Verrunt extemplo placidum mare marmore flavo *et subdit*: Non videbatur cærulaum mare cum marmore flavo convenire. Sed quum sit, ita ut dixisti, flavus color viridi et albo mixtus, pulcherrime prorsus spumas virentis maris flavum marmor appellavit. — *b*) De hominibus, qui flavas habent comas, de fluviis, qui arenas. *Catull.* 64. 98. in flavo sæpe hospite suspirans puella. *Horat.* 4. *Od.* 4. 4. Flavus Ganimedes. *Id.* 2. *ibid.* 4. 14. Flava Phyllis. *Sil. It.* 9. 414. flavusque comarum Curio. *Auson. epist.* 4. 44. crinem flavus niveusque lacertos. *Horat.* 1. *Od.* 8. 8. Flavus Tiberis. — *c*) De nummis. *Martial.* 12. 65. An de moneta Cæsaris decem flavos? h. e. aureos nummos. Al. perperam leg. *Flavios*, h. e. Flavii Domitiani imagine percussos. — *d*) Quia flavus color ex albo ad rubentem accedit, *flavus* dicitur a *Seneca* pudor, quo erubescimus, *Hippol.* 652. Et ora flavus tenera tingebat pudor. — *e*) Comp. occurrit apud *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 2. p. 31. Potest alius procerior, alius fuscior; deductioribus alius capillis, alius flavioribus nasci. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

FLAXTABULÆ. *V.* FLEXIBULA.

FLĒBĬLE. *V.* voc. seq. sub *A.* in fin.

FLĒBĬLIS, e, adject. (fleo). Comp. *Flebilior* sub *A.* — Flebilis occurrit *A*) Passive, et *B*) Active.

A) Passive flebilis dicitur qui fletur, vel flendus est, *flebile, lugubre, degno di pianto*, πολύδακρυς. *Cic.* 11. *Phil.* 3. 7. Ponite ante oculos miseram illam et flebilem speciem. *Id. Planc.* 42. 101. O flebiles vigiliæ, o noctes acerbas! *Horat.* 1. *Od.* 24. 9. Multis ille bonis flebilis occidit, Nulli flebilior, quam tibi, Virgili. *Id. Art. P.* 123. Flebilis Ino. *Ovid.* 2. *Amor.* 1. 32. Flebilis Hector. — Et absolute. *Sil. It.* 7. 648. medio sed (flebile!) mento Armigeri Cascæ penetrabilis hæsit arundo. *o cosa da piangere!*

B) Active. ¶ 1. Adhibetur de eo, qui alios flere facit. *Lucilius* et *Varro* apud *Non.* p. 201. 2. *Mere.* Flebile cæpe. *Ovid. Heroid.* 13. 48. Hei mihi, quam multis flebilis ultor eris! *Sil. It.* 9. 502. Flebile dictu. ¶ 2. Item de eo, qui multum flet, qua significatione occurrit — *a*) De personis. *Horat.* 4. *Od.* 2. 23. Flebili sponsæ raptus juvenis. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 68. Spargebat tepidos flebilis imbre sinus. — *b*) De rebus. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 57. Si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur: sin erit elamentabilis, si imbecillus, si abjectus, si flebilis; ei qui se dederit, vix eum virum dixerim. *Horat.* 2. *Od.* 9. 9. Tu semper urges flebilibus modis Mysten ademptum. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 3. flebilis elegia. *Quintil.* 11. 3. 162. Vox flebilis. *Id. ibid.* 170. Flebilis suavitas. — Hinc

Flebile, adverbii more ponitur. *Ovid. Remed. am.* 36. exclusus flebile cantet amans. *Stat.* 12 *Theb.* 426. simulque flebile gavisæ.

FLĒBĬLĬTER, adverb. Comp. *Flebilius.* — Flebiliter est cum fletu, *piangevolmente, flebilmente*, θρηνητικῶς. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 39. Flebiliter respondere. *Id. ibid.* 21. 49. lamentari. *Id.* 1. *ibid.* 35. 85. canere. *Horat.* 4. *Od.* 12. 5. gemere. *Paulin. Nolan. carm.* 20. 57. Dæmones flebilius ululant.

FLECTO, etis, xi, xum, ctere, 3. Part. *Flectens* sub *A.* I.; *Flexus* sub *A.* in omnibus paragr. et in fin.; *Flectendus* sub *A.* I. 1. 2. et II. 1. 2. — Flectere, ratione habita etymi, conjungi potest cum *plectere* et cum Gr. πλέκω *plico*, unde et πλεκτός *plexus*; nisi sit intensivum a *flaccere*, ut mavult *Döderlein, Latein. Synonym. vol.* 6. p. 131. Occurrit autem *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active significat torquere, detorquere, inflectere, κάμπτω (It. *piegare, torcere, volgere*; Fr. *courber, ployer, plier, tourner, faire tourner, détourner*; Hisp. *corvar, torcer, plegar, volver*; Germ. *biegen, drehen, wenden*; Angl. *to bend, bow, turn*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accusativo rei. *Cic.* 1. *Divinat.* 53. 120. Animal omne membra, quocumque vult, flectit, contorquet, porrigit, contrahit. *Ovid.* 3. *Met.* 188. flectere ora retro. *Id.* 4. *ibid.* 265. vultus ad illum. *Virg.* 6. *Æn.* 788. Huc geminas, huc flecte acies. *Ovid.* 8. *Met.* 864. In nullam lumina partem Gurgite ab hoc flexi. *Virg.* 8. *Æn.* 698. flectere oculos. *Cæs.* 4. *B. G.* 33. Equos moderari ac flectere. *Horat.* 3. *Od.* 7. 25. equum. *Cic.* 7. *Verr.* 30. 77. Currum de foro in Capitolium flectere. *Ovid.* 10. *Met.* 447. plaustrum. *Auct. B. Alex.* 61. *extr.* Flectere navem, aut directam tenere. *Ovid.* 2. *Met.* 169. habenas. Sic *Claudian. Laud. Stilich.* 1. 67. Flectenti faciles Medus tibi cessit habenas. Similiter *Ovid.* 6. *Met.* 225. flectere cursus in orbem. *Id.* 1. *Trist.* 10. 17. Fleximus in lævum cursus. *Liv.* 8. 19. iter ad Privernum. *Id.* 35. 31. iter Demetriadem. *Nepos Eumen.* 9. iter suum. *Horat.* 2. *Od.* 19. 17. Tu (*Bacche*) flectis amnes, tu mare barbarum. *h. e.* flectis de alveo et aliorsum dirigis, ut cum comitibus in sicco ire possis. *Virg.* 5. *Æn.* 500. flexos incurvant viribus arcus. *Ovid.* 4. *Met.* 302. Nympha nec venatibus apta, nec arcus Flectere quæ soleat. *Curt.* 6. 5. Teneros ramos manu flectere. *Virg.* 4. *G.* 123. aut flexi tacuissem vimen acanthi. *Ovid.* 4. *Met.* 340. Flexum genu submittere. *Juvenal.* 6. 492.; et *Martial.* 10. 65.; et *Petron. Satyr.* 126. Flexi crines, flexa coma. *arricciata artifiziosamente.* Cf. *Martial.* 3. 63. flexu qui digerit ordine crines. *Tac.* 11. *Ann.* 4. Flexum mare. *h. e.* sinus maris. *Cic.* 5. *Fin.* 12. 35. Flexi fractique motus, quales protervorum hominum, aut mollium esse solent, contra naturam sunt. — Singulare est illud *Stat.* 1. *Silv.* 2. 119. flexus onyx. *h. e.* marmor hujus nominis varie elaboratum, *lavorato.* — *b*) Cum Accusativo *se.* *Petron. Satyr.* 126. Flexit se in daphnona, si volse. Sic *Cæs.* 6. *B. G.* 24. Hercynia silva pertinet ad fines Dacorum; hinc se flectit sinistrorsus. — *c*) Et passiva forma atque Mediorum apud Græcos significatione *Ovid.* 2. *Met.* 718. Milvus flectitur in gyrum. *Id.* 8. *ibid.* 883. Nam modo, quod nunc sum, videor; modo flector in anguem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (261). Sol ad Aquilonem scandens, ab ea (*Cancri*) meta incipit flecti et degredi ad Austrum. *Id.* 6. *ibid.* 26. 30. (125). Euphrates flectitur ad meridiem. Sic *Id. ibid.* 17. 21. (56). Pars terrarum, qua flectitur in meridiem. ¶ 2. Specialim in re nautica *flectere promontorium* est navigando proram flectere ad promontorium superandum, *voltare, superare.* *Cic.* 2. *Divinat.* 45. 94. Quum in flectendis promontoriis ventorum mutationes maximas sæpe sentiant. *Id.* 5. *Att.* 9. Leucaten flectere molestum videbatur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim dicitur de iis omnibus, quæ aliquo modo torquentur atque inflectuntur. — *a*) Absolute. *Lucret.* 5. 1405. Ducere multimodis voces et flectere cantus. *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 25. hæc dulce canit flectitque facillima vocem. *inflette.* Sic *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (171). Tibia apertioribus ligulis ad flectendos sonos. *Cic. Sull.* 28. 79. Quam (*vitam videtis*) subito flecti fingique non posse. *Id.* 1. *Legg.* 17. 47. Qui teneros et rudes quum acceperunt, inficiunt et flectunt, ut volunt. Cf. *eumd. ibid.* 10. 29. Quod si opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret et flecteret, quocumque cœpisset. et *Id. Cœl.* 6. 13. Versare suam naturam et regere ad tempus atque huc et illuc torquere ac flectere. *Ter. Hecyr.* 4. 3. 2. Qui ubicumque opus sit, animum possis flectere. *h. e.* advertere. — *b*) Cum addito termino, a quo aut ad quem quid flectitur; et est vertere, convertere, deflectere. *Cic. Balb.* 17. 39. Ab omni studio sensuque Pœnorum mentes suas ad nostrum imperium nomenque flexerunt. *h. e.* converterunt. *Liv.* 28. 22. Si quem a proposito spes mollitiave animi flexisset. *h. e.* deflexisset, deduxisset. Sic *Quintil.* 1. 2. 80. Animus ab aliqua opinione flectendus. *Lucret.* 5. 107. Omnia conquassari in parvo tempore cernes: Quod procul a nobis flectat natura gubernans. *h. e.* avertat: alii leg. *fortuna gubernans.* *Liv.* 28. 44. *circa med.* Oblata casu flectere ad consilium. *h. e.* vertere. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 23. animos ad publica carmina flexi. *h. e.* verti et applicavi animum ad epistolas carmine scribendas. *Horat. Art. P.* 163. Juvenis cereus in vitium flecti. *Tac.* 3. *Ann.* 16. Cæsar flexo in mœstitiam ore etc. *Id.* 6. *ibid.* 29. Additis versibus, qui in Tiberium flectebantur. *si torcevano contro Tiberio.* Similiter *Id.* 1. *ibid.* 16. Flexus in vesperam dies. *volto a sera.* — Et cum Accus. *se.* *Ennius* apud *Cic. Senect.* 6. 16. Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant Antehac, dementes sese flexere viai? ¶ 2. Specialim et frequenter de animo ac voluntate dicitur, et est movere, exorare, *piegare, svolgere, placare.* *Ennius* apud *Gell.* 11. 4. Hæc tametsi perverse dices, Achivos flexeris. *Id.* 7. *Ann.* 86. quianam dictis nostris sententia flexa est. *Cic. Sull.* 6. 18. Quibus rebus ita flectebar animo atque frangebar, ut etiam

ex memoria, quas mihi ipse fecerat insidias, deponerem. *Id.* 1. *Phil.* 14. 35. Oratione aliquem flectere. *Id.* 2. *Orat.* 52. 211. Hæc (*orationis pars*), quæ suscipitur ab oratore ad commutandos animos atque omni ratione flectendos, intenta ac vehemens esse debet. *Id.* 3. *Cat.* 8. 19. Haruspices totius urbis atque imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi dii immortales omni ratione placati suo numine prope fata ipsa flexissent. Cf. *Virg.* 6. *Æn.* 376. Desine fata deum flecti sperare precando. Ceterum *Sall. Jug.* 102. Uti ingenium aut aversum flecterent, aut cupidum pacis vehementius accenderent. *Virg.* 2. *Æn.* 689. precibus si flecteris ullis. *Id.* 7. *ibid.* 312. Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo. *Horat.* 4. *Od.* 1. 6. Mater sæva Cupidinum, Circa lustra decem flectere mollibus Jam durum imperiis. *Ovid.* 1. *Met.* 378. si precibus numina justis Victa remollescunt, si flectitur ira deorum. Cf. *eumd.* 3. *Trist.* 5. 43. Neve hominum referam flexas ad mitius iras. *Val. Flacc.* 3. 615. animum flexum dictis instantis Iason. *piegato, vinto. Quintil.* 6. 1. 9. Huic concitare judices, illi flectere convenit. Et Mediorum significatione *Id.* 6. 1. 23. Plurimum valet miseratio, quæ judicem flecti non tantum cogit, sed motum quoque animi sui lacrimis confiteri. — Similiter pro mollire, *addolcire. Stat.* 5. *Silv.* 1. 119. fovet anxia curas Conjugis, hortaturque simul flectitque labores. *Id.* 3. *ibid.* 5. 65. voce paterna Discendum Musis sonat, et mea carmina flectit. ¶ 3. Item speciatim, metaphorâ sumptâ a re nautica (*V.* sub I. 2.), ponitur pro vitare, viam alio dirigendo, *schivare voltando altrove. Cic.* 11. *Att.* 18. 2. Intellexi ex Oppii sermone, quæ istorum vis esset: sed ut eam flectas, te rogo. ¶ 4. Item in re grammatica — *a*) *Flectere verbum* est ab alia lingua traducere, derivare. *Quintil.* 8. 3. 36. Verba derivare, flectere, conjungere. *Gell.* 1. 3. *extr.* Ut pleraque alia, ita hoc quoque vocabulum (*pollex*) de Græco flexum est. — *b*) *Flecti* etiam dicuntur nomina et verba, quum in casus et personas declinantur. *Varro* 9. *L. L.* 1. *ad fin.* Hæc *Forcellinus*. Sed *Varronis* locum in *Mülleri* editione non inveni. — *c*) *Flexa syllaba* apud *Quintil.* 1. 5. 23. et 12. 10. *med.* est, quæ circumflexo accentu notatur, atque ita pronunciatur, ut acuti pariter et gravis accentus vim habeat: v. gr. in voce *amarus* penultima ita efferenda est, quasi duplex *a a* sit, et acuto prior extollatur accentu, posterior gravi deprimatur et in longam producatur. Dicitur autem *flexa*, quia non uno rectoque tenore effertur, sed inflexo et mutato. — Similiter *flexa vox* in ipsa oratione dicitur, quæ non uno eodemque sono emittitur, sed vario, mutato et inflexo; partimque attollitur, partim deprimitur: quod præcipue fit in miseratione movenda. *Quintil.* 11. 3. 64. Vox in metu contracta, adhortationibus fortis, disputationibus teres, miseratione flexa et flebilis. *Cic.* 3. *Orat.* 57. 216. Vocis plura genera, lene, asperum; contractum, diffusum; fractum, scissum; flexo sono attenuatum, inflatum. *Id. ibid.* 58. 217. Aliud vocis genus sibi sumat miseratio et mœror, flexibile, plenum, interruptum, flebili voce: *Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi? Domum paternam ne? anne ad Peliæ filias?* Et illa, *O pater, o patria, o Priami domus! Id. Orat.* 17. 56. et 2. *Orat.* 46. 193. vocat *inflexam*: sed *Schützius* corrigit *flexam*, nam statim sequitur *inflexus sonus* alia significatione. *V.* in fine *Flexum, i*, sub II.

B) Neutrorum more *flectere* est iter flectere, viam aliquo dirigere, ire, *piegare verso qualche luogo, prender la via, dirigersi.*

I.) Proprie. *Virg.* 9. *Æn.* 371. Jamque propinquabant castris muroque subibant, Quum procul hos lævo flectentes limite cernunt. *Liv.* 3. 8. Vastavere agros Prænestinum Gabinumque: ex Gabino in Tusculanos flexere colles. *Id.* 28. 16. Clauso transitu fluminis, ad Oceanum flexit. *Sueton. Tib.* 20. Priusquam in Capitolium flecteret. *Tac.* 2. *Hist.* 70. Inde Vitellius Cremonam flexit. — Cum addito termino a quo, est pro devertere in illo *Val. Flac.* 2. 2. neque enim patrius cognoscere casus Juno sinit, mediis ardens ne flectat ab undis.

II.) Translate. *Tac.* 13. *Ann.* 3. Postquam ad providentiam sapientiamque flexit. *passò, si rivolse col discorso. Id.* 4. *ibid.* 37. Arguebatur in ambitionem flexisse. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus.

Flexus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Flexior* apud *Capell.* 8. p. 297. Zodiacum circa Cancrum Capricornumque flexior æquinoctialem pœne directum secat. — Hinc

Flexum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, idem est ac flexio; et occurrit plurali tantum num.

I.) Proprie. *Minuc. Fel. Octav.* 17. Quid loquar apte disposita erecta montium, collium flexa, porrecta camporum?

II.) Translate de sono vocis. *Quintil.* 11. 3. 172. Infinito magis illa flexa et circumducta sunt. *V.* FLECTERE sub *A.* II. 4. *c.*

FLEGMA, ătis. *V.* PHLEGMA.

FLĒMEN, inis. *V.* voc. seq.

FLĒMĬNA, um, n. plur. 3. Flemen in sing. num. affertur, sed nullo confirmatur auctore, a *Priscian.* p. 691. *Putsch.* — Flemina, *enfiature*, dicuntur, quum ex labore viæ sanguis effluit circa talos. *Paul. Diac.* p. 89. 8. *Müll.* — Dicta sunt quod ad significationem, a φλεγμονή *tumor*, quod vero ad formam attinet, a φλεγόμενα *accensa, ardentia.* Quidam censuere, idem esse ac varices, et dici quasi flegmina a *flectendo*, ut quæ flexuosa sint et obtorta. *Plaut. Epid.* 5. 2. 5. Lassitudine invaserunt misero in genua flemina. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 17. (28). Bryonia in jumento homineque flemina, aut sanguinem, qui se ad talos dejecerit, circumligata sanat. Ita *Harduin.* ex MSS., alii *phlegma. Caper de Orthogr.* p. 2243. *Putsch.* Flemina sunt, ubi abundant cruca sanguine: plemina, quum in manibus, vel in pedibus callosi sutri sunt. — De fleminibus in equo curandis integrum caput undecimum habet *Pelagon. Veterin.*

FLĔO, fles, flēvi, flētum, flere, 2. *Flesse* pro *flevisse* legitur apud *Ovid.* 6. *Met.* 404. et *Liv.* 30. 44.; *flesset* pro *flevisset* apud *Stat.* 2. *Silv.* 1. 145.; *flesti* pro *flevisti* apud *Ovid. Heroid.* 5. 43. et 45.; *flerunt* pro *fleverunt* apud *Virg.* 4. *G.* 461., *Stat. loc. cit.* 175. et *Inscript.* apud *Don. cl.* 10. n. 10. — Part. *Flens* sub *A.* 1. et sub *B. d.*; *Fletus* sub *B. c.* in fin.; *Fleturus* sub *A.* 1.; *Flendus* sub *B.* — Flere (quod ratione habita etymi conjungi potest cum *fluo, pluo* et *ploo* unde *ploro*, in quibus omnibus inest notio liquoris decurrentis) occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active, seu cum Accusativo.

A) Neutrorum more est lacrimas effundere, δακρύω (It. *piangere*; Fr. *pleurer*; Hisp. *llorar, derramar lagrimas*; Germ. *weinen*; Angl. *to weep, shed tears, lament, bewail, plain*).

1.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 14. Nimium hæc flet. *Id. Epid.* 4. 2. 31. Ne fle, mulier? *Id. Mil. glor.* 4. 8. 18. Quando aspicio hunc, fleo, quia disjungimur. *Cic.* 6. *de republ.* 14. Ille me complexus atque osculans flere prohibebat. *Id.* 2. *Phil.* 31. 77. Quum mulier fleret uberius. *Id.* 1. *Orat.* 57. 245. Pater complexus esset filium, flensque eum centumviris commendasset: lapides mehercule omnes flere et lamentari coegisset. *Cæs.* 1. *B. G.* 20. Hæc quum pluribus verbis flens a Cæsare peteret. *Id.* 7. *ibid.* 26. Flentes projectæ ad pedes suorum. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 76. et 3. *ibid.* 98. *Catull.* 3. *extr.* Flendo turgiduli rubent ocelli. *Propert.* 2. 16. 51. Deceptus quoniam flevit et ipse deus. *Horat. Epod.* 5. 74. O multa fleturum caput! — *b*) Cum addito Dativo personæ. *Propert.* 1. 12. 15. Felix qui potuit præsenti flere puellæ. *h. e.* coram puella. Sic *plorare suæ* dixit *Tibull.* 2. 5. 103. Similiter *Id. Tibull.* 1. 10. 64. quater ille beatus. Cui tenera irato flere puella potest. — *c*) Cum addita, per Ablat. et præpos. *de*, re de qua flemus. *Cic.* 3. *Verr.* 30. 76. Flebat uterque non de suo supplicio, sed pater de filii morte, de patris filius. — *d*) Passive impersonaliter. *Ter. Andr.* 1. 1. 101. Ad sepulcrum venimus: in ignem posita est: fletur. *Quintil.* 6. *præfat.* 8. Minus est, quod flendum meo nomine, quam quod gaudendum illius est. Adde *eumd.* 6. 2. 3. et 11. 1. 52. *Apul.* 4. *Met.* Mœretur, fletur, lacrimatur.

II.) Translate. ¶ 1. Transfertur ad equos hinnientes. *Sueton. Cæs.* 81. Equorum greges comperit pertinacissime pabulo abstinere ubertimque flere. ¶ 2. Item ad liquida, et est rorare, stillare, *grondare, stillare, gemere. Lucret.* 1. 349. In saxis ac speluncis permanat aquarum Liquidus humor, et uberibus flent omnia guttis. *Seneca Thyest.* 702. Flevit in templis ebur. *Prudent.* 5. *Cathemer.* 24. Imbrem de madido flere cacumine.

B) Active, seu cum Accusativo, eodem sensu usurpatur, et occurrit fere apud Poetas.

1.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo personæ, aut rei. *Plaut. Capt.* 1. 2. 36. HE. Ne fle. PAR. Egone illum non fleam? egone non defleam talem adolescentem? *Catull.* 39. 5. Orba quum flet unicum (*filium*) mater. *Horat.* 2. *Od.* 9. 17. nec impubem parentes Troilon aut Phrygiæ sorores Flevere semper. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 7. 1. *Val. Flacc.* 5. 430. flebant Phaetonta sorores. *Id.* 8. 94. seque suumque flevit alumnum. Cf. *Ovid. Heroid.* 10. 43. Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent? Et *Horat.* 1. *Ep.* 17. 56. flere catellam raptam sibi. — *Catull.* 96. 4. Olim amissas flemus amicitias. *Phædr.* 1. 2. Flere servitutem tristem. *Horat.* 1. *Od.* 5. 6. fidem mutatosque deos. *Ovid. Ib.* 16. miseri funera flere viri. *Id.* 1. *Amor.* 12. 1. Flete meos casus. *Id.* 4. *Met.* 426. inultos flere dolores. *Tac.* 6. *Ann.* 10. Quod filii necem flevisset. *Horat. Epod.* 14. 11. Flere amorem testudine. *h. e.* flebiliter canere. Sic *Colum.* 10. *R. R.* 350. feralia carmina flere. — *b*) Passive. *Tibull.* 2. 4. 45. centum licet annos Vixerit, ardentem flebitur ante rogum. *Ovid. Heroid.* 19. 124. Mersaque roratis nata fleatur aquis. *Seneca Herc. Œt.* 1835. Virtus Herculem fleri vetat. *Ovid. Heroid.* 15. 7. Flendus amor. *Sil. It.* 5. 186. Nec jam ultra monitus et verba morantia Martem Ferre valet: longo Æneadis quod flebitur ævo. — *c*) Part. præter. pass., *Virg.* 6. *Æn.* 481. Hic multum fleti ad superos belloque caduci Dardanidæ. *Stat.* 4. *Theb.* 103. Fletaque cognatis avibus meleagria Pleuron. — *d*) Cum Infinito. *Propert.* 1. 7. 18. Longe castra tibi, longe miser agmina septem Flebis in æterno surda jacere situ. *Val. Flacc.* 1. 633. Hæc iterant, segni flentes occumbere leto.

II.) Translate pro stillare. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 705. plaga flet sanguinem. — Hinc Part. præter., cujus exempla et supra retulimus,

Fletus, a, um, adjective occurrit, et

1.) Proprie est qui multum flevit. *Apul.* 7. *Met. sub fin.* Mater pueri, mortem deplorans acerbam filii, fleta et lacrimosa.

II.) Translate est rorans, stillans. *Lucret.* 2. 631. *de Gallis Cybeles.* Ludunt, in numerumque exsultant, sanguine fleti. *Al. leg.* pleti vel læti.

H o m o n y m. Omnia, quæ ad lacrimas pertinent, verba simul junxit *Ennius* apud *Cic.* 4. *Herenn.* 12. 18. F l e n t e s, p l o r a n t e s, lacrimantes (Cf. *Vahlen, Ennianæ Poeseos reliq.*, paullo aliter leg., Grammaticos et *Naekium* secutus). Jam vero *lacrimare*, δακρύειν, δακρυχέειν, physicæ tantum actionis ratione habita ac simpliciter significat lacrimas fundere, sive ex animo aut de industria, sive dolore aut gaudio; *flere* (cui recta opponitur *ridere*, ut apud *Horat. Art. P.* 101. Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt Humani vultus), κλαίειν, est dolorem in lacrimas effundere, lacrimis dolorem significare: hinc dicimus *lacrimare gaudio*, ut *Ter. Adelph.* 3. 4. 36. et 4. 1. 20. et *Liv.* 27. 17., minime vero *flere*: hinc etiam *lacrimatio* sub oculos tantum, *fletus* autem plerumque etiam sub aures cadit. Denique *plorare* est lacrimis clamores addere, immoderati ac perdurantis doloris indices. *Afranius* apud *Non.* p. 514. 31. *Merc.* Quid f l e s? quid l a c r i m a s? *Apul.* 4. *Met.* Mœretur, f l e t u r, l a c r i m a t u r. *Seneca Ep.* 63. Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant; l a c r i m a n d u m est, non p l o r a n d u m. *Ovid.* 3. *Art. am.* 291. Quo non ars penetrat? discunt l a c r i m a r e decenter, Quoque volunt p l o r a n t tempore, quoque modo.

FLĒTĬFER, fera, fĕrum, adject. a *fero* et *fletus*, qui flet; et translate stillans, rorans. *Auson. Edyll.* 6. 74. Gemmea fletiferi jaculatur succina trunci.

FLĒTUS, a, um. *V.* FLEO.

FLĒTUS, us, m. 4. (*fleo*) ploratus, ejulatus cum lacrimis, θρῆνος (It. *pianto, lagrime*; Fr. *larmes, pleurs, lamentations, gémissements*; Hisp. *lagrimas, lloro, llanto, lamentacion*; Germ. d. *Weinen, Wehklagen, Jammern*; Angl. *weeping, wailing, lamenting, tears*). *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 15. 34. Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu Faxit. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Quantum fletum factum audivi. *Cæs.* 1. *B. G.* 32. Magno fletu auxilium petere cœperunt. *Id.* 5. *ibid.* 33. Clamore ac fletu omnia complere. *Id.* 2. *B. C.* 4. Virginum pre-

cibus et fletu excitati. *Id. ibid.* 12. Magna cum misericordia fletuque pronunciantur. *Cic.* 1. *Orat.* 53. 228. Patris clarissimi recordatione et memoria fletum populi movere. *Id. Rosc. Am.* 9. 24. Usque eo visum est indignum, ut urbe tota fletus gemitusque fieret. *Id.* 6. *Verr.* 21. 47. Quos putatis fletus mulierum, quas lamentationes fieri solitas in hisce rebus? *Id. Planc.* 31. 76. Multas lacrimas et fletum cum singultu videre potuisti. *Id. Cluent.* 6. 15. Augebatur molestia assiduo fletu sororis. *Id.* 1. *Tusc.* 13. 30. Illa lugubris lamentatio fletusque mœrens. *Id.* 11. *Att.* 7. 6. Non possum præ fletu et dolore diutius in hoc loco commorari. *Catull.* 39. 3. Fletum excitare. *Albinov.* 1. 467. comprimere. *Virg.* 4. *Æn.* 439. nullis ille movetur Fletibus. *Id. ibid.* 463. longas in fletum ducere voces. *Id.* 2. *ibid.* 271. largos effundere fletus. *Id.* 3. *ibid.* 344. longos fletus ciere. *Id.* 6. *ibid.* 699. largo fletu ora rigare. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 157. fletu verba scindere. *Id.* 2. *Met.* 340. fletus et lacrimas dare. *Petron. Satyr.* 89. Fletibus manant genæ. *Quintil.* 5. 11. 38. Fletibus natos, lætitia defunctos prosequuntur. *Id.* 6. 2. 7. Qui plerisque perorationibus petitur, erumpit fletus. *Val. Flacc.* 5. 311. lumina rumpere fletu.

FLEXĂNĬMUS, a, um, adject. (flecto et animus) qui occurrit *A)* Active, et *B)* Passive.

A) Active est animum flectens. *Cic.* 2. *Orat.* 44. 187. Quæ recte a bono poeta (*Pacuvio*, teste *Non.* p. 113. 32. *Merc.*) dicta est flexanima, atque omnium regina rerum, oratio. *Catull.* 64. 330. Quæ tibi flexanimo mentem perfundat amore. *Capell.* 9. p. 307. Flexanimus concentus.

B) Passive est flexus animo, *h. e.* a recto statu deflexus, perturbatus, commotus. *Pacuvius* ap. *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 80. Flexanima, tamquam lymphata, ut Bacchi sacris commota, in tumulis Teucrum commemorans suum.

FLEXĬBĬLIS, e, adject. (flecto) qui flecti potest, χαμπτός (It. *flessibile, pieghevole*; Fr. *flexible, souple*; Hisp. *flexible*; Germ. *geschmeidig, gelenkig, biegsam*; Angl. *that may be bent, pliant, flexible*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Nat. D.* 39. 92. Materiam rerum totam esse flexibilem et commutabilem. *Ovid.* 3. *Amor.* 3. 29. Flexibiles arcus curvare. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 18. 30. (75). Betulla circulis flexibilis, item corbium costis. *Id. ibid.* 43. 83. (228). Fraxinus ad currus flexibilis. *Id.* 36. *ibid.* 26. 66. (195). Excogitatum vitri temperamentum, ut esset flexibile. *Sillig* hoc in loco leg. *flexile*, item in allato 16. *ibid.* 18. 30. (75).

II.) Figurate. ¶ 1. Est mollis, tener, cui recta *durus* opponitur. *Cic. Orat.* 16. 52. Oratio mollis et tenera, et ita flexibilis, ut sequatur, quocumque torqueas. Adde *eumd. Brut.* 79. 274. *Id.* 2. *Nat. D.* 58. 146. Genera vocis permulta, canorum, fuscum: Leve, asperum: grave, acutum: flexibile, durum. De voce flexibili *V.* etiam in *Flexus* in fin. v. FLECTO. Cf. *Quintil.* 11. 3. 15. Flexibilis vox. Rursus *Cic.* 10. *Att.* 11. Nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem, nihil, quod non, quo velis, uno sermone possis perducere. *Id.* 1. *ad Brut.* 18. Videtur in eo esse indoles: sed flexibilis ætas, multique ad depravandum parati. *Plin. Paneg.* 45. Flexibiles quamcumque in partem ducimur a principe, atque, ut ita dicam, sequaces sumus. ¶ 2. In malam partem est inconstans, varius. *Cic. Amic.* 25. 92. Quid potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

FLEXĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. facilitas flectendi, *flessibilità. Solin.* 52. *circa med.* Circumferunt cornua flexibilitate, qua volunt. *Cassiod.* 5. *Variar.* 42. Consularem munificentiam provocant, qui peruncta corporum flexibilitate jactantur.

FLEXĬBŬLA, æ, f. 1. Satyræ nomen apud *Varron.* aliquoties a *Non.* citatæ, ut *p.* 27. 3., 28. 8., 82. 13., 219. 16. *Merc.* et alibi: quæ vox ex Latino *flectere*, et Græco βουλή coaluisse videtur, ut sit Flexibula, quasi consilium flectens. Sed alii aliter legunt. *Mercerus* legit *Flaxtabulæ*, quam lectionem retinuit et *Oehler.*, *M. Ter. Varron. Satur. Menipp. reliq. p.* 130., qui tamen ait: Quomodo interpretemur vocabulum adhuc in dubio hæsitamus, nec ulla in promptu probabilis conjectura est.

FLEXĬLIS, e, adject. qui flecti potest, flexibilis, *flessibile, pieghevole*, εὐκαμπτος. ¶ 1. Stricto sensu. *Ovid.* 5. *Met.* 383. Oppositoque genu curvavit flexile cornu. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 79. (219). Ulmus et fraxinus flexiles. *Id.* 11. *ibid.* 37. 67. (177). Cervix ex multis vertebratisque orbiculatim ossibus flexilis, ad circumspectum. *V.* alia quoque in v. FLEXIBILIS sub I. in fin. *Ammian.* 22. 4. Pluma et flexiles lectuli. *soffici.* ¶ 2. Latiori sensu est flexus, inflexus. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 26. Sinus flexilis comæ. *h. e.* flexus, inflexus. *Apul.* 6. *Met. post init.* Videt spicas frumentarias in acervo, et alias flexiles in corona. Cf. *Sidon. carm.* 16. 79. quum solis torridus ignis Flexilibus rimis sitientes scriberet agros. *h. e.* flexuosis.

FLEXĬLŎQUUS, a, um, adject. (flexus et loqui) qui ambigua et obscura loquitur. *Cic.* 2. *Divinat.* 56. 115. Oraculis partim falsis, partim casu veris, partim flexiloquis et obscuris.

FLEXĬO, ōnis, f. 3. actus flectendi, flexura, *piegamento, inflessione*, καμψις.

I.) Proprie. *Cic. Orat.* 18. 49. Trunco toto se ipse moderans, et virili laterum flexione.

II.) Figurate. ¶ 1. Ponitur præcipue de voce pro modulatione. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 98. Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et falsæ voculæ, quam certæ et severæ. *Id. Orat.* 18. 57. Alter alteri objicit vocis flexiones. *Id.* 2. *Legg.* 15. 39. Cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquent. ¶ 2. Interdum est perfugium, seu callida declinatio et vitatio rei difficilis: *V.* FLECTO sub II. 3. *Cic. Pis.* 22. 53. Quos tu mæandros, dum omnes solitudines persequeris, quæ diverticula flexionesque quæsisti! *h. e.* vias a recto itinere deflectentes.

FLEXĬPES, pĕdis, adject. omn. gen. qui flexis est et curvis pedibus. *Ovid.* 10. *Met.* 99. Vos quoque flexipedes hederæ.

FLEXĬVĬCE, adverb. (flexus et vicis) flexuose. *Pacuvius* apud *Non. p.* 260. 11. *Merc.* Nihil conjectura qui interpretarier, quorsum flexivice contenderet. *Vossius* legendum putat *flexifice*; sed *Bothius* ita refingendum locum arbitratur: Quorsum cervice flexa tum contenderet. *Steiglitz de Pacuvii Dulor. p.* 101. Quorsum flexa cervice tum contenderet.

FLEXO, as, are, a. 1. *intensiv. a* flecto. *Cato R. R.* 49. Vineam statuito, alligato flexatoque.

FLEXUMĬNES, um, m. plur. 3. equites Romani erant, a flectendis equis dicti. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 9. (35). Equitum nomen sæpe variatum est. — Celeres sub Romulo regibusque appellati sunt, deinde flexumines, postea Trossuli. — A *Servio* ad *Virg.* 9. *Æn.* 606. vocantur flexuntæ, seu potius, ut habet *Varro*, flexutes: quam lectionem probat et *Sillig*, qui *Plinii* loc. cit. leg. *flexuntes.*

FLEXUNTES. *V.* voc. præced.

FLEXŬŌSE, adverb. cum flexu, *tortamente. Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 84. (358). Si flexuose volitet flamma.

FLEXŬŌSĬTAS, ātis, f. 3. flexus. *Auct.* in *Gromat. vet. p.* 342. Lapis, qui flexuositatem limitis ostendit.

FLEXŬŌSUS, a, um, adject. Sup. *Flexuosissimus* I. — Flexuosus est varius, vel multos habens flexus, *tortuoso*, στρεβλός.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 144. Flexuosum iter habet auditus, ne quid intrare possit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 79. (200). Intestina flexuosissimis orbibus. *Id.* 10. *ibid.* 24. 35. (73). Hirundini flexuosi volatus. *Id.* 5. *ibid.* 27. 27. (98). Taurus mons flexuosus. — Et absolute. *Pallad.* 12. *R. R.* 9. Quidam lapides inserunt inter flexuosa radicum.

II.) Translate. *Prudent. Cathemer.* 6. 143. Flexuosæ fraudes.

FLEXŪRA, æ, f. 1. flexio, flexus, *curvatura, piegatura*, καμψις.

I.) Proprie. *Lucret.* 4. 312. Flexura lateris. *Sueton. Ner.* 38. Offensus angustiis flexurisque vicorum. *Vulgat. interpr.* 2. *Esdr.* 3. 24. Post eum ædificavit Bennui filius Henadad mensuram secundam, a domo Azariæ usque ad flexuram, ad angulum. *Seneca Ep.* 71. *a med.* Virtus recta est: flexuram non recipit.

II.) Figurate in re grammatica flexura nominum, aut verborum est eorum inflexio et declinatio. *Varro* 10. *L. L.* 28. *Müll.* Flexuræ quoque similitudo videnda.

FLEXUS, a, um. *V.* FLECTO.

FLEXUS, us, m. 4. (flecto) flexio, flexura, καμψις (It. *piegatura, torcimento, volta*; Fr. *flexion, courbure, courbe, tour, détour*; Hisp. *corvadura, vuelta, movimiento circular*; Germ. *d. Biegung, Krümmung, Windung*; Angl. *a bending, bowing, winding, turning*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 144. Aures duros et quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus. Cf. *Quintil.* 6. 13. 9. Recti corporis vel minima gratia est —: flexus ille et, ut sic dixerim, motus dat actum quemdam et affectum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 15. 16. (39). Fera nullo suffraginum flexu. *Id.* 5. *ibid.* 29. 31. (113). Mæander ita sinuosus flexibus, ut sæpe credatur reverti. *Quintil.* 9. 2. 73. Ut qui cursu parum valent, flexu eludunt. *Id.* 8. 2. 7. Vertex est contorta in se aqua: inde propter flexum capillorum, pars est summa capitis. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 13. Capilli dociles et centum flexibus apti. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 19. (46). Picea mollior flexu. *Catull.* 64. 114. Labyrinthei flexus. *Lucret.* 5. 615. quo pacto sol — Brumales adeat flexus atque inde revortens Cancri se ut vortat metas ad solstitiales. Adde *eumd. ibid. v.* 639. *Cic.* 16. *Att.* 13. Quum venissem ad pontem Tirenum, in quo flexus est ad iter Arpinas. *Liv.* 22. 12. In aliquo flexu viæ. *Id.* 32. 4. Confragosa loca implicatasque flexibus vallium vias. *Pers.* 3. 63. Flexus metæ. *Tac. Germ.* 1. Rhenus modico flexu in occidentem versus. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 24. (76). Pontus Euxinus medio flexu jungitur ostio Mæotii lacus. *Tac.* 12. *Ann.* 12. Non comminus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petunt. *h. e.* flectendo iter. *Quintil.* 2. 17. 29. Recta via depulsus, reduci ad eam nisi alio flexu non potest.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *de republ.* 25. Hic ille jam vertetur orbis, cujus naturalem motum atque circuitum a primo discite agnoscere. Id enim est caput civilis prudentiæ, videre itinera flexusque rerum publicarum, ut, quum sciatis, quo quæque res inclinet, retinere aut ante possitis occurrere. — Sic *flexus ætatis* est transitus ab una ætate ad aliam in decursu totius vitæ: ductum a circo, ubi plures flexus faciendi erant, et septies totum spatium percurrendum, antequam victoria contingeret: iique flexus erant tum in medio cursu, tum præsertim ad metam. *Cic. Cœl.* 31. 75. In hoc flexu quasi ætatis fama adolescentis paullulum hæsit ad metas. *Id.* 1. *Orat.* 1. 1. Si infinitus forensium rerum labor decursu honorum et jam ætatis flexu constitisset. — Similiter *flexus auctumni* est, quum incipit ad brumam vergere. *Tac.* 5. *Hist.* 23. Flexu auctumni et crebris pluvialibus imbribus. *Plerique tamen recentiorum leg.* fluxu. ¶ 2. Specialim in actione oratoria *flexus vocis* est ejus inflexio et mutatio, *inflessione, mutazione di voce. Quintil.* 1. 8. 1. Superest lectio, in qua puer ut sciat, ubi suspendere spiritum debeat, quo loco versum distinguere, quid quo flexu, quid lentius, quid concitatius dicendum etc. *Id.* 7. 9. 8. Ambiguitas fit per flexum: *Quinquaginta, ubi erant centum, inde occidit Achilles. Id.* 1. 8. 3. Nec prosopopœias, ut quibusdam placet, ad comicum morem pronunciari velim; esse tamen flexum quemdam, quo distinguantur ab iis, in quibus poeta persona sua utetur. *Id.* 1. 12. 3. Citharœdi simul et sono vocis et plurimis flexibus serviunt. *Id.* 1. 11. 12. Qui flexus deceat miserationem. *Id.* 11. 3. 182. Flexus vocis et flebilis suavitas, qua præcipue franguntur animi. ¶ 3. Item specialim in re grammatica *flexus verborum* aut *nominum* est eorum per casus aut tempora declinatio aut positio. *Quintil.* 1. 6. 15. Quid vero? quæ tota positionis ejusdem in diversos flexus eunt? quum *Alba* faciat *Albanos* et *Albenses*; *volo, volui* et *volavi.* V. FLEXURA II. ¶ 4. Denique in re oratoria sumitur etiam pro callida declinatione et artificiosa vitatione rei difficilis; et quum non recta, sed quasi per anfractus aliquid petitur. *Quintil.* 5. 13. 2. Quare inde recta fere, atque, ut sic dixerim, clamosa est actio. Hinc mille flexus et artes desiderantur. *Id.* 10. 5. 12. Qui hæc recta tantum et in nullos flexus recedentia tractaverit.

FLEXŪTES. *V.* FLEXUMINES.

FLICTUS, us, m. 4. (fligo) afflictus, collisio, *collisione*, παρατριψις, ἀραγμός. *Pacuvius* apud *Servium* ad *Virg. loco infr. cit.* Flictus navium. *Virg.* 9. *Æn.* 666. tum scuta cavæque Dant sonitum fli-

ctu galeæ: pugna aspera surgit. *Sil. It.* 9. 322. galea horrida flictu Adversæ ardescit galeæ, clipeusque fatiscit Impulsu clipei.

FLĪGO, gis, xi, ctum, gere, a. 3. verbum, quod in compositis *affligo, confligo* etc. locum habet, juxta *Döderlein* est a *plaga*, πλῆξαι, *plectere*, cum aspiratione, et significat percutere, affligere, allidere, collidere, *percuotere, atterrare*, θλίβω. *Livius Andronicus* apud *Non. p.* 110. 29. *Merc.* Ipse se in terram saucius fligit cadens. *Accius ibid.* Nec perdolescit, fligi socius, morte campos contegi. *et rursus.* Heu cujatis stirpem funditus fligi studet! — Item confligo, alii rei impingo. *Lucret.* 2. 85. Obvia cum flixere, fit, ut diversa repente Dissiliant.

FLO, flas, flāvi, flātum, flare, 1. Part. *Flans* et *Flaturus* sub *A.*; *Flatus* sub *B.* I. et II. 1.; *Flandus* sub *B.* II 1. — Flare ratione habita etymi conjungi potest cum Gr. ἀποφλῦσαι et παφλάζειν, itemque cum Germ. *blähen* et *blasen*, V. *Döderlein. Latein. Synonym.* vol. 6. *p.* 131.: quamquam *Forcellino* videbatur esse ab inusit. φλάω, cognatum alteri φλέβω, unde est φλέψ, φλεβὸς *vena*: porro a φλαίβω est *flabrum*, et ab ejusdem præter. pass. πέφλεμμαι est *flamma*, ut ab inusit. φλάγω, quod cognatum est alteri φλέγω, est *flagrum* et *flagellum*. — Ceterum flare occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active, seu cum Accusativo.

A) Neutrorum more flare est flatum emittere, spirare, exspirare, πνέω (It. *soffiare, spirare*; Fr. *souffler*; Hisp. *soplar*; Germ. *blasen, wehen*; Angl. *to blow*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 718. Etesiæ contra fluvium flantes. *Cic.* 7. *Att.* 2. Belle nobis flavit ab Epiro lenissimus ventus. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. Corus ventus in his locis flare consuevit. Adde *eumd.* 3. *B. C.* 25. et 26. et 47.; *Ovid.* 7. *Met.* 664.; et *Quintil.* 12. 10. 67. *Auct. B. Alex.* 11. Vento leniter flante. *Plin.* 3. *Hist nat.* 9. 14. (91). Quinam flaturi sint venti. — Similiter *Ovid.* 4. *Fast.* 182. Inflexo Berecynthia tibia cornu Flabit. *h. e.* sonabit. — Proverbium est de duobus rebus dissimilibus et natura disjunctis, quæ simul eodem tempore fieri non possunt, illud *Plaut. Most.* 3. 2. 104. Simul flare sorbereque, haud facile est: ego hic esse et illic simul haud potui. Itali dicunt, *non si può suonare e ballare: non si può bere e zufolare.*

B) Active, sive cum Accusativo est efflare, inflare, *soffiare, soffiar via, riempiere di fiato.*

I.) Proprie. *Varro* 6. *L. L.* 9. *Müll.* Hieme anima, quæ flatur, omnium apparet. *Lucret.* 5. 901. Ore foras (*Chimæra*) acrem flaret de corpore flammam. *Auct. B. Afr.* 52. Pulvis vento flatus omnium prospectui offecit. *Ovid.* 4. *Fast.* 341. Exululant comites, furiosaque tibia flatur. *h. e.* inflatur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 19. 36. (143). Phrygius lapis uritur ante vino perfusus, flaturque follibus, donec rufescat.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro conflare, *h. e.* flando metalla igne mollire et fundere, *fondere*. *Varro* 2. *R. R.* 1. 9. Æs antiquissimum, quod est flatum, pecore est notatum. *Cic. Sext.* 30. 66. Quæ ratio aut flandæ, aut conflandæ pecuniæ. *Klotz* et *Holm* ita leg., quos videsis: vulgati libri pro *aut flandæ* habent *auferendæ*. *Gell.* 2. 10. Quod in eas (*favissas*) non rude æs argentumque, sed flata signataque pecunia conderetur. *Ulp. Dig.* 48. 10. 9. Qui argenteos nummos adulterinos flaverit. *Al. leg.* conflaverit. Hinc III. VIRI A. A. A. F. F., *h. e.* Triumviri auro, argento, ære flando, feriundo: qui sæpe occurrunt in *Inscript.*, ut apud *Orell.* 569. ¶ 2. Tropice. *Quintil.* 12. 6. 5. Omisso magno semper flandi tumore, in quibusdam causis loquendum est, *h. e.* inflate dicendi et magnifice. *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 21. Spernere succina, flare rosas, Fulva monilia respuere. *h. e.* abjicere, projicere, contemnere.

FLOCCĪDUS. *V.* FLACCIDUS.

FLOCCĬFACTĔON. Hanc vocem afferunt quidam ex *Cic.* 1. *Att.* 16. 13. Quare, ut opinor, φιλοσοφητέον, id quod tu facis; et istos consulatus non flocciſacteon, *h. e.* flocci faciendum: ut sit Latina vox jrculariter formata ad rationem Græcæ φιλοσοφητέον. Alii miras ibi varietates partim e MSS., partim ex conjectura comminiscuntur: verum allata interpretatio potior videtur.

FLOCCŌSUS, a, um, adject. floccis plenus. *Apul. Herb.* 62. Floccosis, vel lanugineis adnationibus.

FLOCCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* flocci. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 7. 10. (28). Nascuntur in robore pilulæ nucibus non absimiles, intus habentes flocculos molles. *Alii et ipse Sillig. leg.* floccos. *Auct. de magistr. Rom.* editus Vratislaviæ a *T. E. Huschkio*, iterumque in *Antolog. di Firenze T.* 37. *Genn.* 1830. *p.* 117. Sacerdotes flamines, qui erant a flocculo lanæ, quem præeminentiæ causa super apice ferebant, denominati.

FLOCCUS, i, m. 2. Alii derivant ab Hebr. פלח *palach* secuit, ut significet segmentum; alii a φλόξ, φλογός, quod nempe flatur, vel proflatur; *Döderlein* vero a *flaccus* et βλάξ. — Ceterum floccus est lanarum, vestium, fructuum et similium particula divisa atque inutiliter evolans, κροκίς (It. *fiocco*; Fr. *flocon, brin*; Hisp. *vedija, miaja*; Germ. *d. Flocke von Wolle, Kleidern, Früchten* etc.; Angl. *a lock or flock of wool*).

I.) Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 11. 8. Diligentiores tegeticulis subjectis oves tondere solent, ne qui flocci intereant. *Cels.* 2. 6. scribit, signum mortis esse, si quis in febre et acuto morbo, manibus in veste floccos legit, fimbriasque diducit: ubi *flocci* dicuntur de vestium villis, id est de particulis quibusdam lanæ eminentioribus. Rursus *Varro* 1. *R. R.* 59. 3. Pomis substrarti flocci. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 7. 10. Pilulæ intus habentes floccos molles. *Al. leg.* flocculos; *quam vocem* V.

II.) Translate dicitur de re nullius pretii. — *a*) Generatim. *Plaut. Trin.* 4. 2. 152. Tu qui sis, qui non sis, floccum non interduim. *per me non monta un frullo*. Dixit *Id. Rud.* 2. 7. 22. ciccum non interduim. — *b*) Speciatim *flocci facere*, aut *pendere* est parvi quidem, aliquo tamen pretio æstimare, non contemnere. *Ter. Eun.* 2. 3. 10. Ut illum dii deæque senium perdant, qui me hodie remoratus est; meque adeo, qui restiterim, tum autem qui illum flocci fecerim. Ubi *Donatus* notat *flocci fecerim* et *contemnere* et *non contemnere* significare: ut nunc qui illum *flocci fecerim*, deest *vel*, ut sit *vel flocci fecerim*. *Plaut. Men.* 5. 7. 5. Cave quisquam, quod illic minitetur, vestrum flocci fecerit. *Id. Most.* 3. 2. 121. Cave tu illam flocci facias mulierem. — *c*) *Non flocci facere, pendere*, aut *æstimare*, est nihili facere, ne tanti quidem, quanti floccus valet, contemnere, *non istimare un fico o un frullo*. *Cic.* 13. *Att.* 50. Prorsus aveo scire, nec tamen flocci facio. *Id.* 4. *ibid.* 15. Intellectum est, τρεῖς ἀρεοπαγίτας ambitum, comitia, interregnum, majestatem, totam denique rempublicam flocci non facere. *Ter. Eun.* 3. 1. 20. Invidere omnes mihi, mordere clanculum: ego non flocci pendere. *Plaut. Most.* 1. 1. 73. Neque quod dixi, flocci existimat. *Al. leg.* æstimat. — *d*) Etiam omissa negatione est parvi admodum facere, *h. e.* tanti quanti floccus est. *Cato* apud *Festum* p. 193. 11. *Müll.* Rumorem, famam flocci fecit, intercutibus stupris obstinatus. *Plaut. Cas.* 2. 5. 23. Unus tibi hic dum propitius sit Juppiter, tu istos minutos deos flocci feceris. *Id. Epid.* 3. 2. 12. Dum tibi ego placeam atque obsequar, meum tergum flocci facio. *Id. fragm.* apud *Paul. Diac.* p. 113. 4. *Müll.* Rogata fuerint, nec ne, flocci æstimo. *Id.* apud *Fulgent. Exposit. serm. antiq.* Flocci pendo, quid rerum gerat. — *e*) *Flocco habere* idem significat. *Plaut. Asin.* 3. 3. 111. Perii! illic habebit flocco jam homo lumbos meos. *In multis libb. hæc ibi verba desunt.* — *NB.* Placet nonnullis junctim scribere, *floccifacio, floccipendo*.

FLŎCES, um, f. plur. 3. fæx, et speciatim vini ex vinaceis expressa, quia ei insint flocci quidem et panni: *Döderlinius* vero hanc vocem, quod ad formam attinet, cum Gr. φλόξ, quod ad significationem, cum Gr. φλέγμα et Lat. *flemina* conjungendam putat. *Fragm.* apud *Gell.* 11. 7. Hic eques Romanus apludam edit, et floces bibit. *Cæcilius* apud *Non.* p. 114. 17. *Merc.* Ego neque florem, neque floces volo mihi, vinum volo. *Gell loc. cit.* ut nimis antiquam, et obsoletam desitamque vocem, damnat.

FLŎGIUM, ii, n. 2. deminut. a φλόγιον *flammula*. Est nomen collyrii. *Inscript.* apud *Tochon, cachets des ocul.* p. 70. Q. IVNII TAVRI FLOGIVM AD GENAS ET CLARITATEM.

FLŌRĀLIA, ium *vel* iōrum, n. plur. 3. proprie ab adject. FLORALIS, quem *V.*

I.) Proprie. ¶ 1. Floralia dicebantur dies festi, ludique in honorem Floræ instituti. Celebrabantur fine Aprilis, et initio Maji: quo sensu in Genit. pluralis numeri dicitur etiam *Floraliorum*. *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. Varro Floralium, non Floraliorum ait, quum non ludos Florales illic, sed ipsum festum, Floralia, significaret. *Justin.* 43. 4. Solemni Floraliorum die. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 69. (286). Prisci Floralia quarto Cal. Maji instituerunt, Urbis anno DXVI. ex oraculis Sibyllinis, ut omnia bene deflorescerent. *Varro* 1. *R. R.* 1. 6. Floræ ludi Floralia instituti. *V.* FLORA. — Ex *Plinii loc. cit.* constat, an. U. C. DXVI., seu potius DXIV., ut probat *Fogginius* ad *Verrii Flacc. Fastos* p. 68., et *B. Borghesi Dec.* 14. *oss.* 10. p. 56. confirmat, instituta fuisse Floralia; tametsi *Vellej.* 1. 14. Floralium initium posuit ann. U. C. DXIII. Ceterum quum hæc deinde fuerint intermissa an. U. C. DLXXXI., ut affirmat *Ovid.* 5. *Fast.* 329., a C. Servilio C. F. ædili plebis primum publice instaurata sunt, quod indicat nummus apud *Eckhel D. N. V. T.* 5. p. 309. (ubi *V.* plura huc pertinentia). FLORALIA PRIMVS C. SERVILIUS C. F. *fecit.* Itaque *Sillig* in allato *Plin.* loco correxit DXIII. — *Floraliorum* festum excepit deinde *Majuma*, quam vocem vide. ¶ 2. Item ad florem pertinens, qui flores gignit, seu locus floribus consitus. *Varro* 1. *R. R.* 23. 4. Nec minus ea loca discriminanda in conserendo, quæ sunt fructuosa, propter (*Pontedera* legend. monet *præter*) voluptatem, ut quæ pomaria et floralia appellantur.

II.) Figurate, metaphora sumpta a superiori paragr. 1., *Floralia ludere* dicuntur pueri, quum se se invicem incestant, aut masturbant. *Vet. poeta* in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 451. *Burmann.* Projectis pueri tabulis Floralia ludunt.

FLŌRĀLĬCIUS *vel* floralitius, a, um, adject. ad Floralia pertinens. *Martial.* 8. 67. Et Floralicias lasset arena feras. *h. e.* quæ Floralibus in Circo dabantur.

FLŌRĀLIS, e, adject. ad Floram pertinens. *Varro* 7. *L. L.* 45. *Müll.* Floralis flamen. *Ovid.* 4. *Fast.* 947. Florale sacrum. *Varro* 5. *L. L.* 158. *Müll.* Clivus proximus ad Florales usus versus. *Müllerus* tamen aliter omnino legit. *Seneca Ep.* 97. Florales joci. Similiter *Inscript.* apud *Gruter.* 352. 1. QVOD AMPLIVS LVDOS FLORALES EDIDERIT. *Fulgent.* 1. *Mythol. præf.* p. 619. Hanc præibat Florali lasciviens virguncula petulantia. — Hinc

Floralia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, *V.* loco suo.

FLŌRENS, entis. *V.* FLOREO.

FLŌRENTER, adverb. idem ac floride. Occurrit tantum Sup. *Florentissime*, et quidem translate, apud *Hieronym.* in *Chron. Euseb.* ad an. *Chr.* 358. Minervius Burdigalensis rhetor Romæ florentissime docet. *Id. ibid.* Alcimus et Delphidius rhetores in Aquitania florentissime docent.

FLŌRENTĬA, æ, f. 1. genus vitis Tuscia peculiare, de qua *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (36). — *NB.* De nomine urbis, *V.* ONOM.

FLŌRENTĪNĀRĬUS, ii, m. 2. fortasse qui florentia, *h. e. cipolle di fiori*, vel uvam e vite florentia, vendit. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 293. 6. .... O L. C. QVIN. SVCCESSINO FLORENTINARIO. etc.

FLŌRĔO, es, ui, (itum), ere, n. 2. (flos). Part. *Florens* II. 2. et in fin.; *Floriturus* legitur tantum apud *Porphyr.* ad *Horat.* 2. *Od.* 20. 6. Negat se obiturum, quo per allegoriam intelligi vult carmina sua semper floritura. — Florere est florem emittere, florescere, ἀνθεῖν (It. *fiorire*; Fr. *fleurir, être en fleur*; Hisp. *florecer*; Germ. *blühen*; Angl. *to flourish, bloom, blossom, flower*).

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 215. Quum jam per terras frondent atque omnia florent. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 69. Segetes largiri fruges, florere omnia. *Cic.* 1. *Divinat.* 9. 16. Hæc arbor una ter floret. *Virg.* 8. *Ecl.* 53. aurea duræ Mala ferant quercus, narcisso floreat alnus. *Horat. Epod.* 16. 43. Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis. Et imputata floret usque vinea. Sic *Ovid.* 5. *Fast.* 263. floret vinea, segetes. *Cic.* 2. *Nat. D.* 7. 19. Posset-ne uno tempore florere, deinde vicissim horrere terra? *Virg.* 2. *G.* 6. pampineo gravidus autumno Floret ager. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 26. multis floreat Hybla thymis. — Et poetice. *Id.* 3. *Fast.* 527. si bene floreat annus.

II.) Translate. ¶ 1. *Florere* dicitur vinum, quum parvæ cuticulæ in eodem innatant. *Ovid.* 5. *Fast.* 269. Vina quoque in magnis operose condita

cellis Floreni: et nebulæ dolia summa tegunt. Colum. 12. R. R. 30. Post æquinoctium vernum, bis, aut si vinum florere incipiet, sæpius curare oportebit, ne flos ejus pessum eat et saporem vitiet. V. FLOS. ¶ 2. Dicitur etiam de genis primam barbam emittentibus. Martial. 3. 6. Libat florentes hæc tibi prima (dies) genas. ¶ 3. Item pro splendere, seu rectius abundare, plenum esse. — a) Cum Ablativo. Cato apud Charis. 2. p. 185. Putsch. Omnem classem ventus Auster lenis fert: mare velis florere videres. Lucret. 5. 1441. Tum mare velivolis florebat propter odores. Forcellinus leg. Tum mare velivolum florebat navibu' pandis. — b) Cum Genitivo, Græcorum more. Lucret. 1. 256. Hinc lætas urbes puerûm florere videres. Forcellinus leg. pueris. ¶ 4. Quia vero plantæ tum maxime vigent, quum flores emittunt, hinc sæpissime per translationem sumitur pro vigere, excellere, illustrem esse, abundare, prospere agere, *fiorire, essere in fiore:* ad rem Plin. 21. Hist. nat. 1. 1. (2). Quippe reliqua usus alimentique gratiâ (rerum natura) genuit ideoque sæcula annosque tribuit iis; flores vero odoresque in diem gignit, magnâ, ut palam est, admonitione hominum, quæ spectatissime floreant celerius marcescere. — Hac porro significatione occurrit — 1.) De hominibus; et quidem — a) Cum Ablativo rei, quâ quis excellit, sine ulla præpos. Cic. 7. Verr. 49. 128. In sua patria multis virtutibus ac beneficiis floruit princeps. Id. 3. Orat. 2. 7. Privatis magis officiis et ingenii laude floruit, quam fructu amplitudinis, aut reipublicæ dignitate. Id. Brut. 7. 28. Pericles, qui quum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude (h. e. eloquentiæ) clarissimus. Id. 3. Orat. 35. 141. Isocrates discipulorum nobilitate floruit. Id. 4. Acad. (2. pr.) 5. 16. Florere quum acumine ingenii, tum lepore dicendi. Id. 1. Orat. 1. 1. honoribus et rerum gestarum gloria. Id. 4. Fam. 13. gratia, auctoritate, gloria. Id. ibid. studiis et artibus. Id. 9. ibid. 14. laudibus. Id. 2. Invent. 1. 1. omnibus copiis. Nepos Reg. 1. fama justitiæ. — b) Cum Ablativo rei et præpos. in. Cic. Sext. 47. 101. Is, quum florentem hominem in populari ratione, L. Saturninum, censor notasset; etc. Id. 1. Fam. 9. In sententiis senatoriis et in omni actione atque administratione reipublicæ florere. V. tamen infra sub c. Nepos Epam. 5. in re militari. Tac. Agric. 11. Gallos quoque in bellis floruisse accepimus. — c) Absolute. Cic. Cæl. 24. 59. Ille vir, qui in curia, in rostris, in republica floruisset. Id. 4. Acad. (2. pr.) s. 1. In foro. Id. 1. Tusc. 2. 4. Ergo in Græcia musici floruerunt. Id. Amic. 1. 4. Qui (Cato) et senex diutissime fuisset, et in ipsa senectute præter ceteros floruisset. Nepos Eumen. 1. Ea tempora, quibus Macedones florebant. Quintil. 3. 1. 9. Is (Gorgias) beneficio longissimæ ætatis cum multis simul floruit. Id. 12. 10. 6. Floruit circa Philippum. Tac. 11. Ann. 24. Adversus externa floruimus. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 6. 16. Ipse Carneades diu tenuit; et qui illum audierant, admodum floruerunt. Id. 3. Off. 33. 116. Cyrenaicis obsoletis floret Epicurus. Id. Quinct. 26. 80. Qui inter illos florebas. Cf. Lucret 5. 882. circum tribus actis impiger annis Floret equus, puer haud ita quaquam. — 2.°) De rebus physicis et abstractis. — a) Cum Ablativo rei sine præpos. Lucret. 5. 1278. Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore: Porro aliud succedit — floretque Laudibus et miro mortales inter honore est. Cic. Flacc. 7. 16. Illa vetus (Græcia), quæ quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno malo concidit. Justin. 13. 1. 12. Neque enim unquam ante Macedonia tam clarorum virorum proventu floruit. Plin. 1. Ep. 10. Urbs nostra floret studiis liberalibus. Rursus Cic. 9. Phil. 2. 4. Primus in eam familiam, quæ postea viris fortissimis floruit, attulit consulatum. Id. 1. Nat. D. 3. 6. Domus nostra semper floruit doctissimorum virorum familiaritatibus. Id. Fontej. 14. 31. Præturæ, quæ et ceteris ornamentis et existimatione innocentiæ maxime floruerunt. Id. Sext. 63. 131. Meus ad urbem accessus incredibili hominum multitudine et gratulatione florebat. — b) Absolute. Lucret. 5. 330. tot facta virum Æternis famæ monumentis insita florent. h. e. vigent durantque in memoria hominum. Id. 5. 1163. Quæ nunc in magnis florent sacra rebu' locisque. Cic. Amic. 4. 13. Quæ (Magna Græcia) nunc quidem deleta est, tunc florebat. Id. 2. de republ. 34. Quorum auctoritas maxime florebat. Horat. Art. P. 62. verborum vetus interit ætas, Et juvenum ritu florent modo nata vigentque. Sueton. Ner. 6. Quæ familia, quamquam plebeja, tamen et ipsa admodum floruit. Stat. 1. Theb. 704. ætherii dono cessere parentes Æternum florere genas. h. e. imberbem et nitidum esse (est enim de Phœbo sermo), æterna frui juventute. — Hinc Part. præs.

Florens, entis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Florentior* et Sup. *Florentissimus* II. 3.; et est floridus, ἀνθῶν, *fiorito*.

I.) Proprie. Virg. 10. Ecl. 25. Florentes ferulas et grandia lilia quassans.

II.) Translate. ¶ 1. A Poetis præcipue ponitur pro nitido, splendenti; teste Servio ad Virg. 7. Æn. 804., qui ait: Ennius et Lucretius florere dicunt omne, quod nitidum est. Lucret. 4. 451. lucernarum florentia lumina flammis. Stat. 1. Theb. 210. arcano florentes lumine postes. Id. 2. ibid. 276. arcano florentes igne smaragdos. Virg. 7. Æn. 804. florentes ære catervas. Gell. 5. 5. Exercitus insignibus argenteis et aureis florens. Cf. Tac. 1. Ann. 41. Non florentis Cæsaris, neque suis in castris, sed velut in urbe victa facies gemitusque ac planctus etiam militum aures oraque advertere. V. integrum loc. Sic flos ignis est splendor et nitor ignis. Lucret. 1. 898. flammai fulserunt flore coorto. A Græcis hæc sumpta sunt. Hesychius: Πυρὸς ἄνθος, τὸ λαμπρότατον. Homer. apud Dan. Pareum et Gifan. in Lex. Lucret. Αὐτὰρ ἐπεὶ πυρὸς ἄνθος ἀπέπτατο, παύσατο δὲ φλόξ. ¶ 2. Dicitur de iis etiam, quæ variis coloribus picta sunt: v. gr. de avium plumis. Nemesian. Cyneg. 318. illic sine fine greges florentibus alis Invenies avium. ¶ 3. Sæpius est qui aliqua re viget et abundat, *chi è in fiore*; et occurrit — 1.°) De hominibus; et quidem — a) Cum Ablativo rei. Refertur interdum ad vigorem ætatis. Virg. 7. Ecl. 4. Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo. Tac. 2. Hist. 81. Berenice florens ætate formaque. V. infra sub 2.° a. et b.; et Cic. loc. proxime seq. — Item ad alia. Cic. 2. Fam. 13. M. Brutus florens ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis. Id. Rosc. Am. 6. 15. Roscius quum genere et nobilitate — facile primus, tum gratia atque hospitiis florens hominum nobilissimorum. Justin. 28. 2. 12. Macedonas imperio terrarum florentes. Tac. 16. Ann. 33. Obsequio florentem Soranum. — b) Absolute. Lucret. 1. 125. Unde sibi exortam semper florentis Homeri Commemorat speciem. Cic. Dom. 19. 49. Quum tu florens ac potens per medium forum popularis volitares. Id. 2. Parad. 18. Qui te beatum, qui florentem putas. Id. Planc. 35. 86. Quos ego florentes atque integros sine ferro vicerim. Cæs. 7. B. G. 32. Horum esse alterum Convictolitanem, florentem et illustrem adolescentem; alterum etc. — 2.°) De rebus physicis et abstractis. a) Cum Ablativo rei. Refertur ad vigorem ætatis: V. paullo superius sub 1.° a. Petron. Satyr. 132. Anni primo florentes vigore. Sil. It. 1. 226. ubi transcendit florentes viribus annos. — De animo. Gell. 6. 13. Ἐνθυμήματα quædam lepida et minuta, et florentem vino animum lacessentia. h. e. hilarem, lætum, ut recte interpretatus est Forcellinus, qui hunc locum singulari paragr. distinxit. — b) Absolute. — De ætatis vigore: V. supra sub 1.° a. et 2.° a. Lucret. 5. 1073. florenti ætate juvencus. Id. 3. 1021. ævo florente puellæ. Horat. Art. P. 115. Maturusne senex, an adhuc florente juventa Fervidus. — De aliis. Cic. Rosc. Am. 18. 50. Majores nostri ex minima tenuissimaque republica maximam et florentissimam nobis reliquerunt. Cæs. 4. B. G. 3. Civitas ampla atque florens. Cic. 1. Divinat. 33. 72. Postumius florentissima Samnitium castra cepit. Cæs. 1. B. G. 30. Helvetii florentissimis rebus domus suas reliquerunt. Sic Sall. Jug. 83. Neu florentes res suas cum Jugurthæ perditis misceret. Liv. 1. 2. Ad florentes Etruscorum opes confugiunt. Sic Justin. 5. 1. 9. Tam florentes Atheniensium opes fuisse. et Id. 18. 6. 1. Quum successu rerum florentes Carthaginis opes essent. Cic. 2. Orat. 52. 210. Invidere præstanti florentique fortunæ. Id. Quinct. 30. 93. Ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam devolare. Id. 2. Parad. 19. Quidquid est laudabile, idem et beatum et florens et expetendum videri. Lucret. 3. 911. Florentia facta. h. e. illustria. Al. tamen aliter leg. — Refertur etiam ad orationis ornatum. Cic. 16. Att. 11. Nostrum opus tibi probari lætor: ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quæ mihi florentiora sunt visa tuo judicio. Id. 3. Orat. 41. 166. de metaphora. Modus autem nullus est florentior in singulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi. Gell. 15. 28. ad fin. Florentissima oratio. Id. 19. 9. Florentis facundiæ homo. Cf. Tac. 3. Ann. 30. Sallustius rerum Romanarum florentissimus auctor.

FLŌRESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* a floreo. Part. *Florescens* et *Florescendus* II. — Florescere est florere incipio (It. *principiar a fiorire*; Fr. *commencer à fleurir, entrer en fleur*; Hisp. *comenzar á florecer*; Germ. zu blühen *anfangen, in Blüthe kommen, aufblühen*; Angl. *to begin to flourish or blossom*).

I.) Proprie. Lucret. 5. 670. Florescunt tempore certo arbusta. Varro 1. R. R. 30. Antequam (plantæ) gemmas agant et florescere incipiant. Cic. 2. Divinat. 14. 33. Puleglum aridum florescere ipso brumali die.

II.) Translate. — a) Generatim. Lucret. 2. 73. Illa senescere, et hæc contra florescere cogunt. Id. 5. 895. Quæ neque florescunt pariter, nec robora sumunt. Cic. 3. Orat. 3. 11. Sulpicio ad summam gloriam eloquentiæ florescenti, ferro erepta vita est. Id. Brut. 88. 303. Hoc florescente Crassus est mortuus. Id. Cæl. 32. 79. Nolite hunc nunc primum florescentem, firmata jam stirpe virtutis, tamquam turbine aliquo aut subita tempestate pervertere. Id. Marcell. 4. 12. Hæc tua justitia et lenitas animi florescet quotidie magis. h. e. crescet illustriorque fiet. Plin. 5. Ep. 12. Patria nostra florescit. — b) Speciatim Part. *Florescendus* Mediorum apud Græcos significatione habet Verr. Flacc. in Fast. a Fogginio editis ad IIII. Kal. Majas, et apud Orell. Inscript. Vol. 2. p. 389. EODEM DIE AEDES FLORAE, QUAE REBUS FLORESCENDIS PRAEEST, DEDICATA EST.

FLŌRĔUS, a, um, adject. qui est ex floribus, florens, *di fiori*, ἀνθεινός.

I.) Proprie. Plaut. Aulul. 2. 8. 15. floreæ coronæ. h. e. quæ ex floribus constant. Virg. 1. Æn. 434. Florea rura. h. e. florentia, *fiorite*. Tibull. 1. 1. 12. Seu vetus in trivio florea serta (habet) lapis. Alii leg. florida. Eadem lectionis varietas est in illo ejusd. 1. 2. 14. quum posti florea serta darem. Val. Flacc. 5. 344. Florea juga Hymetti.

II.) Translate est pulcher, nitidus. Servius ad illud Virg. 12. Æn. 605. manu flavos Lavinia crines: hæc adscribit: Antiqua lectio *floreos* habuit, idest floruientos, pulcros: et est sermo Ennianus. Probus sic adnotavit: Neotericum erat *flavos*; ergo bene *floreos*; nam sequitur: Et roseas laniata genas. Accius in Bacchis: Nam florei crines vide ut propexi jacent. In iisdem: Et lanugo florea nunc demum irrigat. Pacuvius Antiopa: Cervicum floreos dispergite crines. Hæc Servius. Si *floreos* legis apud Virg., ad synæresin confugiendum est.

FLŌRĬCŎLOR, ōris, adject. qui est floridi ac vividi coloris. In vet. epigr. incertæ auctorit. inter pseudepigr. Petron. p. m. 217. Hoc sibi texit opus de stamine floricolore Hesperiæ teneras officiosa manus.

FLŌRĬCŎMUS, a, um, adject. floridas comas habens. Auson. Ep. 4. 49. Floricoma Ætna.

FLŌRĬDĒ, adverb. Comp. *Floridius*. — Floride est cum floribus, *fioritamente*; sed occurrit translate tantum. Apul. 11. Met. ad fin. Vestis floride depicta. Lactant. Mort. persecut. 3. Ecclesia clarius ac floridius enituit.

FLŌRĬDŬLUS, a, um, adject. deminut. floridi. Translate Catull. 61. 193. Ore floridulo nitens.

FLŌRĬDUS, a, um, adject. Comp. *Floridior* et Sup. *Floridissimus* II. 2. — Floridus est florens, floribus plenus, *di fiori, fiorito*, ἀνθεινός.

I.) Proprie. Lucret. 5. 785. Florida fulserunt viridanti prata colore. Cic. 3. Tusc. 18. 43. Expones, quæ spectet, florida et varia? Ovid. 6. Fast. 312. Et velant scabras florida serta molas. Itali dicunt *festoni*: V. ENCARPI. Id. 5. Trist. 6. 38. Florida quam multas Hybla tuetur apes. — De locis Tibull. 1. 2. 14. et 1. 1. 12. V. FLOREUS I.

II.) Translate. ¶ 1. *Floridus color* ὀξὺ χρῶμα, est color valde nitens, *vivo o lascivo*; cui opponitur *austerus* apud Plin. 35. Hist. nat. 6. 12. (30). Sunt autem colores austeri, aut floridi. Floridi sunt minium, Armenium, cinnabaris, chrysocolla, Indicum,

purporissum. Adde *eumd. ibid.* 10. 36. (97). ¶ 2. Hinc refertur ad pulcritudinem et ornatum. *Lucret.* 5. 943. novitas tum florida mundi. *Catull.* 61. 57. Puellula florida. *Ovid.* 13. *Met.* 790. Galatea Floridior pratis, longa procerior alno. *h. e.* pulcrior. *Sueton. Galb.* 20. Forma florida et vegeta. — *Florida ætas* est adolescentia. *Catull.* 68. 16. Jucundum quum ætas florida ver ageret. *Sil. It.* 12. 482. Ævi floridior Fabius rapida arma ferebat. Sic Græci ἀνθῶν ἐν ὥρᾳ, et ἀνθῶν ἀκμήν, et ἥβης ἄνθος. — Et de oratione. *Cic. Brut.* 82. 285. Demetrius Phalereus est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides. *Quintil.* 2. 5. 18. Floridius genus ad alenda primarum ætatum ingenia magis accommodatum. *Id.* 8. 3. 74. Florida oratio. *Id.* 12. 10. 58. dicendi genus. *Auson. Ep.* 17. Floridissimus tui sermonis afflatus.

FLŌRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. ferens flores, *che produce fiori*, ἀνθοφόρος. *Lucret.* 3. 11. Floriferis ut apes in saltibus omnia libant. *Lucan.* 9. 289. *de apib.* studiumque laboris Floriferi repetunt. *Al. leg.* florigeri.

FLŌRĬFERTUM dictum quod eo die spicæ feruntur ad sacrarium. *Paul. Diac.* p. 91. 10. *Müll.* Sic *Gloss. Labb.* Florifertum, ἀνθοφορία.

FLŌRĬGĔNUS, a, um, adject. qui florem gignit. ¶ Occurrit translate tantum de juvenum malis, quæ primum barbam, juventæ florem appellatam, emittunt. *V.* FLOS. *Epithalam. Laurentii* v. 14. in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 633. *Burm.* Florigenas plenasque decens lanugine malas Mollia votifero dempsisti vellera ferro. *V.* MALA.

FLŌRĬGER, gĕra, gĕrum, adject. idem ac florifer. *Sedul.* 2. 2. Expulerat primogenitum sævissimus anguis Florigera de sede virum. Adde *Venant. Fortun.* 3. *carm.* 9. 1.; et *V.* FLORIFER.

FLŌRĬLĔGUS, a, um, adject. qui flores legit, *che coglie fiori*, ἀνθολόγος. *Ovid.* 15. *Met.* 366. Florilegæ nascuntur apes.

FRORĬPĂRUS, a, um, adject. qui flores parit, ut Floriparum ver. *Auson. Edyll.* 12. *de vere* 1. Annus ab exorto quum floriparum referat ver.

FLŌRĬTĬO, ōnis, f. 3. florum emissio, *il fiorire.* Legitur in *Homil.* 2. *in Cantic.*, quam ex *Orig.* vertit *Hieronymus.*

FLŌRŌSUS, a, um, adject. idem ac florens, floribus abundans. *Venant.* 5. *carm.* 6. 7. *de paradiso terrestri.* Una fovens ambos florosa sede voluptas.

FRŌRŪLENTUS, a, um, adject. floribus plenus, *pien di fiori*, εὐανθής.

I.) Proprie. *Solin.* 7. Florulentus Hymettus. *Pervigil. Vener.* 19. *de rosis.* Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.

II.) Translate. *Venant. præf. l.* 1. Pomposæ facundiæ florulenta germina. — De scorto masculo in primo juventutis flore. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 191. Mox flevit imperatus occisum gravi Disco, et dicavit florulentum succubam. *h. e.* Hyacinthum puerum, Apollinis amasium, ab eodem imprudenter disco percussum.

FLŌRUS, a, um, adject. Comp. *Florior.* — *Florus* pro *floreus* antiqua vox est. *Pacuvius* apud *Paul. Diac.* p. 91. 8. *Müll.* Nunc primum opacat flora lanugo genas. *Al. leg.* flore. *Decimus Laberius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. Florum cacumen nostræ famæ frangere. *Al. leg.* floris. Ita quoque legunt aliqui apud *Virg.* 12. *Æn.* 605. floros Lavinia crines, Et roseas lacerata genas. *Al.* floreos, *al.* flavos: *V.* FLOREUS. At *Servius* ad allatum *Virg. loc. cit.* Antiqua lectio *floros* habuit, id est florulentos, pulcros: et est sermo Ennianus. *Gargil. de persic.* edente *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 1. *p.* 402. Sed Armenia, vel præcoqua peculiariter, prunis insita, floriora sunt. *Gell.* 3. 9. Equus flora et comanti juba. *Al. leg.* flava. — Nutantem hanc vocem, in cognominibus R. frequentissimam, ejusque significationem obfirmat nummus in gente Aquillia apud *Morell. Fam. R. n. V.*, qui promit cyanum florem apertis foliis cum inscriptione L. AQVILLIVS FLORVS III. VIR. Ex quo patet, ad cognominis significationem allusum fuisse. Sic *Inscript.* apud *Schiassi G. al Mus. Bologn.* p. 18. VALERIA FLORA.

FLOS, ōris, m. 3. Ratione habita etymi conjungi potest cum Gr. φλόος et φλυτόν a φλύω, et est quidquid in herbis et arboribus inter folia coloratum enascitur, fructus initium ac spem continens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 40. (95). pleni veris indicium et gaudium arborum appellat ἄνθος (*It. fiore; Fr. fleur;* Hisp. *flor;* Germ. d. *Blume, Blüthe;* Angl. *a flower, blossom*).

1.) Proprie. — a) Generatim. *Lucret.* 1. 8. Tibi suaves dædala tellus Summittit flores. *Cic. Senect.* 15. 54. Nec vero segetibus solum et pratis et vineis res rusticæ lætæ sunt, sed hortis etiam et pomariis; tum florum omnium varietate. *Id. ibid.* 17. 59. Suavitates odorum, qui afflantur e floribus. *Id.* 6. *Verr.* 48. 107. Quam (*Hennam*) circa lacus lucique sunt plurimi atque lætissimi flores omni tempore anni. *Horat.* 3. *Od.* 15. 15. Flos purpureus rosæ. Sic *Id.* 2. *ibid.* 3. 14. et 4. *ibid.* 10. 4. flos rosæ *vel* rosarum. Conf. *Lucret.* locum sub c allatum. Rursus *Horat.* 4. *Od.* 1. 32. Flores novi. *Id.* 3. *ibid.* 27. 44. recentes. *Id.* 2. *ibid.* 11. 9. verni. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 7. Prataque pubescunt variorum flore colorum. *Id.* 5. *Fast.* 255. decerpere pollice florem. *Id.* 4. *Met.* 315. legere. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 17. (34). Crocum floret Vergiliarum occasu paucis diebus, folioque florem expellit. *Id.* 20. *ibid.* 23. 99. (262). Carduus florem purpureum mittit inter medios aculeos. — *Arbor in flore est*, quæ flores adhuc servat, Italis quoque *essere in fiore* dicitur. *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*) 4. 8. Quum arbor (*persica*) in flore est, lactis caprini per triduum ternis sextariis irrigetur. Sic *Id.* 2. 6. Ne in flore depressas pruina comburat, hoc modo tradunt amygdalis subveniri. — Florum nomina varia habes apud *Colum.* 10. *R. R.* 96.; *Ovid.* 4. *Fast.* 435.; *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 128. et seqq. — b) Speciatim de iis, quibus Romani, præcipue in conviviis, coronabantur. *Lucret.* 1. 928. juvat novos decerpere flores Insignemque meo capiti petere inde coronam. *Horat.* 1. *Od.* 4. 9. Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto, Aut flore, terræ quem ferunt solutæ. *h. e.* corona florea. *Id.* 3. *ibid.* 29. 3. Merum cum flore rosarum et Pressa tuis balanus capillis Jamdudum apud me est. — Hinc *flores* et *coronæ* sæpe junguntur. *Curt.* 4. 4. 5. Orto sole navigia conscendunt, redimita coronis floribusque: adèo victuriæ non omen modo, sed etiam gratulationem præceperant. *Id.* 9. 10. 26. Primi ibant amici et cohors regia, variis redimita floribus coronisque; alibi tibicinum cantus, alibi lyræ sonus audiebatur. Confer *Capitolin. Ver.* 5. Fertur coronas quin etiam datas lemniscis aureis interpositis et alieni temporis floribus. Cf. mox sub *c.* — c) Item de iis, quibus viæ et theatrorum pulpita sternebantur. *Lucret.* 2. 629. Ære atque argento sternunt iter omne viarum — ningunt que rosarum Floribus. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 79. Recte necne crocum floresque perambulet Attæ Fabula, si dubitem etc. — Hinc *flores* et *coronæ* junguntur apud *Curt.* 5. 3. 20. Totum iter floribus coronisque consteaverat. Cf. *eumd.* 9. 10. 25. — d) De iis, qui in sacrificiis adhibebantur. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 144. piabant floribus et vino Genium. *Id.* 3. *Od.* 13. 2. Fons Bandusiæ, dulci digne mero non sine floribus. — Sic de sacrificiis sepulcralibus. *Inscript.* apud *Orell.* 4420. DIEBVS SOLEMNIBVS SACRIFICIVM MIHI FACIATIS ID EST IIII. ID. MART. DIE NATALIS MEI VSQVE AD *sestertios* XXV. (*die*) PARENTALIS *sestertios* XIIS. FLOS ROSA. V. etc. Cf. *Inscript.* apud *Murat.* 527. 1., 520. 2. et 529. 4.; et *V.* ROSALIA.

II.) Translate. ¶ 1. In architectura *florem* vocant ornamentum summi tholi, referens rosam, seu papaver, seu pineam, nostrates *lanterna* vocant, quæ casum illum complectitur et claudit, de qua multa habet *E. Q. Visconti. Mus. Pio-Clem. T.* 7. p. 204. *ed. Mediol. Vitruv.* 4. 7. Quanta diametros totius operis futura erit, dimidia altitudo fiat tholi, præter florem. Flos autem tantam habeat magnitudinem, quantam habuerit in summo columnæ capitulum, præter pyramidem. — Sunt etiam *flores*, qui scalpuntur in singulis frontibus summi capituli columnarum, præsertim in ordine Corinthio: de quibus *Vitruv.* 4. 1. *sub fin.* ¶ 2. Flores poetice sunt astra apud *Manil.* 5. 726. Tum conferta licet cœli fulgentia templa Cernere seminibus densis totisque micare Floribus. ¶ 3. Item flos dicitur optimus florum succus, quem apes extrahunt ad mella conficienda. *Tibull.* 2. 1. 49. Rure levis verno flores apis ingerit alveo, Compleat ut dulci sedula melle favos. *Virg.* 4. *G.* 39. fucoque et floribus oras Explent. Adde *Plin.* 11. *Hist. nat.* 7. 7. (17). ¶ 4. Hinc flos dicitur de multarum rerum parte eminente ac tenuiore; item de parte puriore, pulcriore ac præstantiore. — 1.°) De rerum parte eminente ac tenuiore. Sic — *Flos vini* dicitur illius vitium, quum nempe cuticulæ tenuis fragmenta vino innatant, quodque Itali etiamnum *fiore del vino* appellant. *Cato R. R.* 11. Cola, quæ florem vini demant. *Colum.* 12. *R. R.* 30. Si vinum florere incipiet, sæpius curare oportebit, ne flos ejus pessum eat et saporem vitiet. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (135). Flos vini candidus probatur; rubens triste signum est, si non is vini color sit. Quod celeriter florere cœperit, odoremque trahere, non fore diutinum. *V.* mox sub 2.° aliam significationem. — *Plin.* 26. *Hist. nat.* 4. 10. (21). Flos visci. *h. e.* pars ejus levior, quæ coquendo supernatat. — *Id.* 34. *ibid.* 11. 24. (107). Flos æris. *h. e.* quum ære fuso et in alias fornaces translato, ibi crebriore flatu excutiuntur velut milii squamæ: has enim vocant florem, ut *ibid.* dicitur. *Id.* 36. *ibid.* 17. 28. (133). Flos lapidis Assii. *h. e.* veluti farina mollis et adhærens. Similiter *Colum.* 12. *R. R.* 20. 8. Flos marmoris, vel gypsi. *h. e.* farina tenuior. — Poetice dicitur de prima barba. *Pacuvius* apud *Paul. Diac.* p. 94. 8. *Müll.* Nunc primum opacat flore lanugo genas. *Al. leg.* flora. *Virg.* 8. *Æn.* 160. ead. metaph. usus est. Et *Lucan.* 6. 562. Flos genæ. Eodem sensu *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 69. flos juvenilis. — Item poetice. *Lucret.* 1. 898. Flos flammai. *h. e.* flammæ lux et nitor (*V. Florens* in fin. v. FLOREO sub II. 1.), seu summitas, apex. — 2.°) De rerum parte puriore, pulcriore ac præstantiore; qua significatione etiam a Græcis ἄνθος usurpatur. Sic — *Flos vini* est vinum præstantissimum, ejusque vis atque odor. *Pacuvius* apud *Non.* p. 198. 12. *Merc.* Postquam est honoratus frugum et floris Liberi. *Plaut. Cas.* 3. 5. 16. Nisi hæc meraco se uspiam percussit flore Liberi. *Id. Curc.* 1. 2. 1. Flos veteris vini meis naribus objectus est. *Lucret.* 3. 222. Bacchi quum flos evanuit, aut quum Spiritus unguenti suavis diffugit in auras. — Similiter *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (23). Flos olei. *h. e.* quod post molam primum est. — Et *Vitruv.* 8. 3. Flos lactis. *Vitruv.* locum in editione *Schneideri* minime inveni. *Veget.* 3. *Veterin.* 22. 8. et 6. *ibid.* 28. 10. *Schneid.* Flos gari. *h. e.* garum optimum. *V.* infra *Flos cœnæ.* — De farina *Plin.* 18. *Hist. nat.* 9. 20. (96). Justum est e grano Campano, quam vocant castratam, e modio redire sextarios quatuor siliginis, vel e gregali sine castratura sextarios quinque: præterea floris semodium. — *Cato R. R.* 88.; et *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (85). Flos salis. *h. e.* purissimum sal et candidissimum. — *Plin.* 21. *Hist. nat.* 14. 49. (84). Flos ceræ. *h. e.* candidissimæ ejus particulæ. — Similiter *Pallad.* 1. *R. R.* 41. Flos calcis. *Capell.* 2. p. 45. Flos ignis. *h. e.* ignis purissimus, qui divinum aliquid putabatur: hinc ab eod. *Capell.* 6. p. 188. ignis flos dicitur ipsa Minerva. γλαυκῶπις Ἀθήνη, παντὸς γένου πυρός. — *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (124). et 16. *ibid.* 11. 22. (34). Flos resinæ. *h. e.* ipsa resina recens collecta et nondum percocta. — Denique *flos cœnæ* est præstantissimum cœnæ ferculum. *Favorin.* apud *Gell.* 15. 8. ¶ 5. Hinc etiam flos est vigor, pulcritudo, gratia, ornamentum, splendor, prosperus status, potentia. — a) Speciatim flos ætatis, pueritiæ, virium etc. est pueritia, ejusque pulcritudo, vigor et gratia, etc. Gr. ἀκμή. *Lucret.* 3. 770. Quove modo poterit, pariter cum corpore quoque Confirmata, cupitum ætatis tangere florem Vis animi? nisi erit consors in origine prima? Adde *eumd.* 5. 845. *Catull.* 17. 14. Viridissimo flore puella. *Cic.* 2. *Phil.* 2. 3. Non venirem contra gratiam, non virtutis spe, sed ætatis flore collectam. Adde *Liv.* 30. 30. *Curt.* 4. 8. 7. Hector eximio ætatis flore. *Id.* 17. 15. 10. In flore ætatis fortunæque. *Id.* 3. 12. 8. Illum florem juventæ, illam vim animi divelli a se querebantur. Cf. *Nemes. Cyneg.* 115. læto flore juventus. Adde *Justin.* 42. 1. *Plin.* 5. *Ep.* 9. In flore primo tantæ indolis juvenis exstinctus est. — Similiter *Liv.* 42. 15. Perseus jam bellum volebat, in flore virium se credens esse. Et *Stat.* 1. *Achill.* 625. Primus flos animi. *h. e.* primus vigor et vis. Neque alio sensu *flos animi* est senectus apud *Senec. Ep.* 26., quia sicut flore ætatis viget corpus, ita senectute animus. — Hinc etiam *in floribus ipsis* est in media voluptate ac deliciis, Gr. ἀκμῇ. *Lucret.* 4. 1126. medio de fonte leporum Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat. — b) Generatim ad rem *Cic. Brut.* 4. 16. Nec enim ex novis (ut agricolæ solent)

fructibus est, unde tibi reddam, quod accepi: sic omnis fetus repressus, exustusque siti flos veteris ubertatis exaruit. *Id. ibid.* 15. 58. ad illud *Ennii*: *Flos delibutus populi*: Ingenii lumen est eloquentia, qua virum excellentem præclare tum illi homines florem populi esse dixerunt. *Id.* 2. *Phil.* 15. 37. Illos ego præstantissimos viros, lumina rei publicæ, vivere volebam, tot consulares, tot prætorios –, omnem præterea florem nobilitatis ac juventutis. *Id. Flacc.* 26. 61. Flos legatorum. *Claud. Imp.* in *Tab. ænea Lugdun.* apud *Gruter. p.* 502. *col.* 2. *lin.* 3. Flos coloniarum ac municipiorum. *h. e.* boni viri et locupletes. Rursus *Cic. Orat.* 10. 34. Versaris in optimorum civium vel flore, vel robore. Cf. *Liv.* 37. 12. Quod floris, quod roboris in juventute fuerat, amiserant. Rursus *Cic.* 3. *Phil.* 5. 13. Provincia Galliæ – ille flos Italiæ, illud firmamentum imperii populi Romani, illud ornamentum dignitatis. *Id. Balb.* 6. 15. Virtuti invidere, velle ipsum florem dignitatis infringere. *Justin.* 30. 4. 15. Virentem recentibus experimentis virtutis florem. *Grat. Cyneg.* 198. Scilicet es omni florem virtute capessunt. *Cic.* 3. *Orat.* 3. 12. Ego te, Crasse, quum vitæ flore, tum mortis opportunitate, divino consilio et ortum et exstinctum esse arbitror. *h. e.* prospero statu, splendore, fama. Sic *Id.* 3. *Nat. D.* 33. 82. In ipso Græciæ flore. *h. e.* prospero statu, potentia, splendore. — *c*) In re litteraria *flores* dicuntur excerpta rerum pulcriorum: ad rem *Cic.* 16. *Att.* 11. Nostrum opus tibi probari lætor: ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quæ mihi florentiora sunt visa tuo judicio. *Plin.* 14. *Hist. nat. præfat.* (7). Nos obliterata quoque scrutabimur –; videmus Virgilium ea de causa hortorum dotes fugisse, et e tantis, quæ retulit, flores modo rerum decerpsisse. *Justin. præfat.* § 4. Breve veluti florum corpusculum feci. ¶ 6. Interdum *flos* significat decus virginitatis in puellis, in pueris vero corporis pudicitiam. *Catull.* 62. 46. Quum castum (*virgo*) amisit, polluto corpore, florem. *Liv.* 21. 2. Flore ætatis, uti ferunt, primo Hamilcari conciliatus Hasdrubal. Cf. *eumd.* 21. 3. Florem ætatis Hasdrubal, quem ipse patri Hannibalis fruendum præbuit, justo jure cum a filio repeti censet. *Sueton. Cæs.* 49. Florem ætatis (*Cæsaris*) in Bithynia contaminatum. *Apul.* 9. *Met. p.* 647. *Oudend.* Tu autem tam mollis ac tener, et admodum puer, defraudatis amatoribus ætatis tuæ flore, mulieres appetis. Hinc *Ter. Eun.* 3. 1. 36. Lepus tute es, et pulpamentum quæris. — Hinc *flos ætatulæ* est ipsum pudendum muliebre. *Apul.* de nuda puella, Venerem imitante, et tenui tantum pallio bombycino pubem suam inumbrante, hæc habet 10. *Met. a med.* Quam quidem laciniam curiosulus ventus satis amanter nunc lasciviens reflabat, ut, dimota, pateret flos ætatulæ; nunc luxurians aspirabat etc. ¶ 7. Speciatim de oratione flores dicuntur ipsius ornamenta. *Cic.* 3. *Orat.* 25. 96. Ornatur igitur oratio genere primum et quasi colore quodam et succo suo. – Ut porro conspersa sit quasi verborum sententiarumque floribus. *Id. Brut.* 17. 66. Jam vero Origines ejus (*Catonis*) quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent? *Id. ibid.* 66. 233. In hujus (*M. Crassi*) oratione sermo Latinus erat, verba non abjecta, res compositæ diligenter: nullus flos tamen, neque lumen ullum. *Id. ibid.* 87. 298. Vulvendi sunt libri Catonis: intelliges, nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quæ inventa nondum erant, florem et colorem defuisse. *il lustro, il vivo, il liscio. Quintil.* 8. 3. 87. Alia copia locuples, alia floribus læta. *Id.* 12. 10. 13. Male audire – nimiis floribus et ingenii affluentia.

FLOSCELLUS, i, m. 2. *deminut. duplex a* flos, parvulus flos, *fiorellino. Apul. Herb.* 49. Ad solis cursum floscelli se vertunt.

FLOSCŬLĒ, adverb. floride. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 6. Corpus floscule vividum, et naturali habitudine plenum.

FLOSCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* flos, parvus flos, ἀνθύλλιον (it. *fioretto*; Fr. *jeune fleur, tendre fleur*; Hisp. *flor joven*; Germ. *das Blümchen, die kleine Blume*; Angl. *a little flower, floweret, blossom*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Off.* 12. 43. Ficta omnia celeriter, tamquam flosculi, decidunt. — *b*) Speciatim *flosculos pomorum* vocat *Colum.* 12. *R. R.* 45. 5. eorum vertices, ubi flos fuit: contra quos est pediculus. Poma, inquit, sic imponi, ut flosculi sursum, pediculi deorsum spectent.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim pro decore, ornamento. *Catull.* 24. 1. O qui flosculus es Juventiorum. *Forcellinus* et al. leg. *juvenculorum. Juvenal.* 9. 127. Flosculus vitæ. *Quintil.* 6. *proœm.* 9. Non enim flosculos, sed jam decimum ætatis ingressus annum, certos atque deformatos fructus ostenderat. *Auson. Epist.* 16. 89. Flos flosculorum Romuli. ¶ 2. Speciatim de orationis ornamentis. *Cic. Sext.* 56. 119. Non sum tam ignarus, judices, causarum, ut omni ex genere orationem aucuper, et omnes undique flosculos carpam atque delibem. *Quintil.* 2. 5. 22. Ne recentis hujus lasciviæ (*in dicendo*) flosculis capti, voluptate quadam prava deliniantur. *Id.* 10. 5. 23. Juvenibus flosculis omnium partium in ea, quæ sunt dicturi, congerentibus. *Id.* 12. 10. 73. Genus dicendi, quod casuris, si leviter excutiantur, flosculis nitet. *Gell.* 17. 2. Ut Noctes istæ quadam tenus his quoque historiæ flosculis leviter injectis aspergerentur. *Ammian.* 29. 1. Horridula ejus verba et rudia flosculos Tullianos appellans. ¶ 3. Item speciatim pro sententia, seu dicto memorabili. *Seneca Ep.* 33. Non fuerunt circa flosculos occupati.

FLUCTĬCŎLA, æ, m. et f. adject. (fluctus et colo) in fluctibus habitans. *Sidon. carm.* 10. 1. Fluctícolæ quum festa nurus Pagasæa per antra etc.

FLUCTĬCŎLOR, ŏris, m. et f. 3. adject. (fluctus et color) cæruleum colorem referens, *di color d'aqua. Capell.* 1. *p.* 18. Cui gemmis insitum diadema pretiosis: nam neque Scythidis vireta, nec Ceraunorum vibrans fulgoransque lumen, nec flucticolor hyacinthi credebatur abesse profunditas. *h. e.* cui diademati inerant virides smaragdi, (*V.* SCYTHIS) et carbunculi ignei, et cærulei hyacinthi.

FLUCTĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* fluctus, parvus fluctus, *picciol' onda o flutto. Apul. de Mag.* Pleraque in litoribus omnibus congestim et acervatim jacent, et sine ullius opera, quamlibet leviter motis fluctículis ultro foras evolvuntur. *Diomed. p.* 312. et *Priscian. p.* 613. *Putsch.* hanc ipsam afferunt vocem, nullo tamen auctore laudato.

FLUCTĬFER. *V.* FLUCTIGER.

FLUCTĬFRĂGUS, a, um, adject. fluctus frangens, *che rompe l'onde. Lucret.* 1. 305. fluctifrago suspensæ in litore vestes.

FLUCTĬGĔNA, æ, m. et f. 1. (fluctus et gigno) in fluctibus natus. *Capell.* 1. *carm.* 2. *p.* 9. Fluctigena spectans qualis sub gurgite Nereus. *Id.* 9. *p.* 310. Nautes fluctigenas, choruinque Phorci Flagrans cura trahit. *h. e.* Nereidas. *Id. ibid. p.* 302. Cujus verbis ruricolæ omnes cunctique fluctigenæ assensere divi.

FLUCTĬGĔNUS, a, um, adject. (fluctus et gigno) fluctigena. *Avien. Arat.* 1157. Fluctigeni speciem monstri superinvehit Auster.

FLUCTĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (fluctus et gero) fluctus impellens, aut a fluctibus impulsus. *Cic.* apud *Isid.* 19. *Orig.* 1. 20. Tunc se fluctigero tradit mandatque paroni. *Al. leg.* fructifero; *G. Hermann. conjicit* fluctisecο.

FLUCTĬO, ŏnis, f. 3. idem quod fluxio. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 11. 47. (127). Spongiæ imponuntur et integris partibus, sed fluctione occulta laborantibus. *flussione.* Ita *Harduin.* et *Sillig* ex MSS.; alii *fluctuatione*, quod locum hic habere non videtur.

FLUCTĬSŎNUS, a, um, adject. fluctibus sonans et strepens. *Sil. It.* 12. 355. Insula fluctisono circumvallata profundo. *Seneca Herc. Œt.* 836. Fluctisona litora.

FLUCTĬVĂGUS, a, um, adject. κυματοπλανής, qui fluctibus vagatur, aut agitatur, ut Nautæ fluctivagi, Unda fluctivaga. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 84. et 1. *Theb.* 271.

FLUCTO, as, are, *n.* 1. *intensiv. a* fluere, fluctuare. *Cf.* FLUITO et FLUTO. *Lucret.* 4. 77. Per malos vulgata (*vela*) trabesque trementia fluctant. *Lachmannus* vero leg. *flutant*, quemadmodum et *Forcellinus*, juxta quem *flutant* fortasse est pro *fluitant*.

FLUCTŬĀTIM, adverb. jactanter, ex eo nempe sumptum, quod qui magnifice incedunt, laxam vestem, et, ut ait *Plaut. Epid.* 3. 3. 55., suam nudantem chlamydem quassando facit. Ita enim *Non. p.* 111. 29. *Merc.* Fluctuatim jactanter et solute, Afranius: Magnifice volo fluctuatim ire ad illum.

FLUCTŬĀTĬO, ŏnis, f. 3. actus fluctuandi, agitatio, *ondeggiamento*, κύμανσις.

I.) Proprie. *Seneca* 2. *Ira* 35. Tunc artus trepidi, inquietæ manus, totius corporis fluctuatio.

II.) Translate est animi perturbatio, confusio. *Liv.* 9. 25. In ea fluctuatione animorum opprimi incautos posse. Adde *Fulgent. interpr. Psalm.* 54. 23. et *Eccli.* 40. 4.

FLUCTŬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FLUCTŬO, as, āvi, ātum, are, n. 1. et

FLUCTŬOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (fluctus). De duabus hisce formis hæc *Quintil.* 9. 3. 7. Pleraque utroque modo efferuntur, *luxuriatur, luxuriat*; *fluctuatur, fluctuat*; *assentior, assentio.* — Part. *Fluctuans* in omnibus paragr.; *Fluctuatus* I. *b.* et II. 2. *b.* — Fluctuare est fluctibus agitari, huc et illuc fluitare, sive undarum more agitari, κυμαΐζομαι (it. *fluttuare, ondeggiare*; Fr. *flotter, ondoyer, être poussé çà et là*; Hisp. *fluctuar, ondear*; Germ. *wie von Fluthen getragen, hin und her getrieben werden, schwanken, wallen*; Angl. *to be tossed or driven by the waves*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Forma *fluctuo* apud *Plaut. Rud.* 2. 1. 14. Ut nunc valide fluctuat mare, nulla nobis spes est. *Id. ibid.* 4. 1. 12. Ita fluctuare video vehementer mare. *Cic.* 7. *Verr.* 35. 91. Quadriremem in salo fluctuantem reliquerat. *Id. Rosc. Am.* 26. 72. Quid tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? *Plin.* 2. *Hist. nat.* 95. 96. (209). Quædam insulæ semper fluctuant. — *b*) Forma *fluctuor* apud *Senec. Vit. beat.* 14. Deprehensi in mari Syrtico modo in sicco relinquuntur, modo fluctuantur. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 22. (66). Delos diu fluctuata. — Et pro fluitare, supernatare, *galleggiare. Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 73. (186). Lignum in longitudinem fluctuatur, ut quæ pars fuit ab radice, validius sidit. *Id.* 36. *ibid.* 16. 26. (130). Lapidem e Scyro insula integrum fluctuari tradunt, eumdem comminutum mergi. *Forcellinus* et alii leg. *fluctuare.* ¶ 2. Latiori sensu (fluctuare enim est a *fluo* et *fluctus*) dicitur de rebus plurimis, quæ fluctuante motu agitantur; et quidem forma *fluctuo.* Sic — *a*) Refertur ad aerem commotum. *Lucret.* 6. 366. magnoque tumultu Ignibus et ventis furibundus fluctuat aer. — *b*) Item ad lumen repercussum, et huc et illuc motu rei repercutientis volitans. *Virg.* 2. *G.* 281. Directæque acies, ac late fluctuat omnis Ære renidenti tellus. — *c*) Et ad turbam populi, more undarum, alium alios impellentis. *Tac.* 1. *Hist.* 40. Agebatur huc illuc Galba vario turbæ fluctuantis impulsu. *Gell.* 10. 6. Exiens turba undique confluentis fluctuantisque populi. — *d*) Et ad segetes vento agitatas. *Seneca Herc. fur.* 699. Adulta leni fluctuat Zephyro seges. — *e*) Et ad comas vagantes solutasque. *Gell.* 5. 14. Leo toris comisque cervicum fluctuantibus. — *e*) Et ad lumbos in concubitu agitatos. *Auct. Priap.* 19. 4. Telethusa Crissabit tibi fluctuante lumbo. *Arnob.* 2. 42. Et ad ultimum, clunibus et coxendicibus sublevatis, lumborum crispitudine fluctuaret. *V.* FLUCTUS I. 1.

II.) Translate. ¶ 1. In re militari dicitur de acie inclinata: *V.* sub I. 2. *c. Liv.* 6. 24. In fluctuantem aciem tradi equos. *Id.* 8. 39. Ubi turbata signa et fluctuantem aciem vidit. *Id.* 9. 35. Fluctuantem et instabilem aciem invadunt. *Curt.* 3. 10. 6. Totam aciem suo pavore fluctuantem umbonibus posse propelli. ¶ 2. Sæpius transfertur ad animum, et significat agitari, turbari, dubium esse. — *a*) Forma *fluctuo* apud *Plaut. Merc.* 5. 2. 49. EV. Potin' ut animo sis tranquillo? CH. Quid si animus fluctuat? EV. Ego istum in tranquillo et tuto sistam, ne time. Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 680. animo nunc huc, nunc fluctuat illuc. et *Catull.* 65. 4. Mens animi tantis fluctuat ipsa malis. *Id.* 64. 62. Prospicit et magnis curarum fluctuat undis. Sic *Virg.* 4. *Æn.* 532. magnoque irarum fluctuat æstu. et *Val. Flacc.* 3. 637. Ingenti fluctuat ira. *Lucret.* 4. 1072. potiundi tempore in ipso Fluctuat incertis erroribus ardor amantum. *Liv.* 42. 59. Fluctuante rege inter spem metumque tanta rei conandæ. Sic *Augustus* in quadam epist. apud *Sueton. Claud.* 4. Fluctuare inter spem et metum. et *Seneca Ep.* 52. inter varia consilia. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 9. 29. Non debere Academicos in suo decreto fluctuare. *Id.* 1. *Att.* 20. Quum hominis amplissima fortuna, auctoritate, gra-

tia fluctuantem sententiam confirmassem. *Id.* 4. *Herenn.* 11. 16. Genus orationis, quod appellamus fluctuans et dissolutum, eo quod sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc. Cf. *Seneca* 3. *Contror.* 19. Nihil in illa (*compositione*) placidum, nihil lene est: omnia et elata et fluctuantia. — *b*) Forma *fluctuor* apud *Liv.* 23. 33. Utrius populi mallet victoriam esse, fluctuatus animo fuerat. *h. e.* dubitaverat. Sic *Id.* 32. 13. Fluctuatus animo est, utrum etc. *Curt.* 4. 12. 21. Fluctuari animo rex, et modo suum, modo Parmenionis consilium perpendere. *Seneca Agam.* 109. Quid, segnis anime, fluctuaris? Alter *Seneca Ep.* 111. Sive secundo cursu vita procedit, sive fluctuatur per adversa et difficilia. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 11. (28). Ambrosia (*herba*) vagi nominis est, et circa alias herbas fluctuati.

FLUCTŪŌSUS, a, um, adject. undosus, inquietus, procellosus, *procelloso, tempestoso, ondoso*, κυματώδης.

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 4. 2. 5. In mari fluctuoso.

II.) Improprie, gemmæ fluctuosæ, quæ maculas habent fluctuum quamdam similitudinem referentes. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (71). *de smaragdis.* Ii sunt fluctuosi, et rerum imagines complexi, ut verbi gratia, papaverum, aut avium, pinnarumque, vel catulorum, et similium.

FLUCTUS, us, m. 4. (fluo). *Fluctuis* in Genit. sing. dixere *Varro* et *Nigidius* teste *Gell.* 4. 16. *V.* FRUCTUS. — Olim fuit secundæ declinationis, qua tamen occurrit tantum Nom. plur. *Accius* apud *Non. p.* 488. 13. *Merc.* Flucti cruoris. *Pacuvius* apud *eumd. ibid.* Flucti flacciscunt, silescunt venti, mollitur mare. — Fluctus est fluctio, profluxio, profluvium, motus fluctuans: ut patet etiam ex *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 1. Parum diligenter comprehendet quod vult, qui dixerit: Fluctus est maris agitatio: quia tranquillum quoque agitatur. At ille abunde sibi caverit, cujus hæc definitio fuerit: Fluctus est maris in unam partem agitatio (It. *flusso, scorrimento*; Fr. *mouvement ondoyant, agité, cours*: Hisp. *movimiento ondeante, curso, corriente*; Germ. d. *Strömung, wallende Bewegung*; Angl. *a flowing, flux*).

I.) Proprie. ¶ 1. Abstracte raro admodum occurrit, et est, ut diximus, fluctio, profluxio, profluvium. *Lucret.* 6. 553. Jactetur aquæ fluctu quoque terra vacillans, Ut vas in terra non quit constare, nisi humor Destitit in dubio fluctu jactarier intus. Similiter *Id.* 6. 1052. *de magnetis fluido.* Posterior lapidis venit æstus — neque habet, qua tranet, ut ante: Cogitur offensare igitur pulsareque fluctu Ferrea texta suo. — Sic *fluctus* dicitur etiam motus fluctuans in re venerea. *Lucret.* 4. 1263. Atque exossato ciet omni pectore fluctus. *V.* FLUCTUO sub I. 2. *e.* ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu sæpissime occurrit, et est unda, aqua mota, mare ipsum vel flumen, κῦμα (It. *flutto, onda, fiotto, corrente, mare*; Fr. *onde agitée, vague, flot, lame*; Hisp. *ola del mar, onda*; Germ. *die Strömung, das wogende Gewässer, besond. des Meeres, Meereswoge, Woge, Fluth*; Angl. *a wave, surge, billow*). Occurrit — *a*) In singulari numero. *Ennius* apud *Non. p.* 183. 18. *Merc.* Alia fluctus differt, dissipat Visceratim membra, maria salsa spumant sanguine. *Plaut. Rud.* 1. 2. 76. Ab saxo avortit fluctus ad litus scapham. *Lucret.* 5. 1000. Incursu fluctus mare sæviat. *At hic rectius legendum* In cassum frustra. V. *Lachmann.* ad h. l. *Cic.* 6. *Verr.* 53. 118. In hac insula extrema est fons aquæ dulcis, incredibili magnitudine, qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum disjunctus esset a mari. *Id.* 9. *Fam.* 16. 6. Quam (*fortunam*) ab animo firmo et gravi, tamquam fluctum a saxo, frangi oportere. *Id.* 5. *Fin.* 2. 5. Quo in loco ad fluctum ajunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere. *Virg.* 3. *G.* 237. Fluctus uti, in medio cœpit quum albescere ponto, Longius ex altoque sinum trahit: utque volutus Ad terras, immane sonat per saxa, neque ipso Monte minor procumbit. *Id.* 4. *ibid.* 195. cymbæ instabiles, fluctu jactante, saburram Tollunt. *Id.* 1. *Æn.* 539. subito adsurgens fluctu nimbosus Orion. *Id.* 8. *ibid.* 672. fluctu spumabant cærula cano. *Id.* 3. *ibid.* 270. medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos. *Curt.* 8. 13. *extr.* Navem fluctus petris illiserat. *Val. Flacc.* 4. 726. hiems tumido riget ardua fluctu. *Id.* 1. 285. currere fluctu. — *Forcellinus* huc refert etiam illud *Manil.* 5. 147. tortos in fluctum ponere crines. *h. e.* undarum modo inflexus, undulatos. — *Fluctus cæcus* dicitur qui nondum canus seu spumosus est. *Sueton. fragm. Annal.* Cæcus fluctus, nec dum tamen canus, de quo Atta in togata sic ait: Populo fluctus cæcos faciunt per discordiam. et Augustus ait: Nos venimus Neapolim fluctu quidem cæco. — *b*) In plurali numero. *Ennius* 7. *Ann.* 54. Mulserat huc navim compulsam fluctibu' pontus. *Id.* 17. *ibid.* 16. quum spiritus Austri Imbricitor Aquiloque suo cum flamine contra Indu mari magno fluctus extollere certant. *Cic.* 1. *de republ.* 6. Maxime mihi videri solet, quod, qui tranquillo mari gubernare se negent posse, iidem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis maximis fluctibus. *Id.* 2. *ibid.* 4. Quæ (*insulæ Græciæ*) fluctibus cinctæ natant pæne ipsæ cum civitatum institutis et moribus. Cf. *eumd. Flacc.* 26. 63. Massilia cincta Gallorum gentibus, barbariæ fluctibus alluitur. *Id.* 4. *Verr.* 37. 91. Hiemi sese fluctibusque committere maluit, quam etc. *Id. Rosc. Am.* 26. 72. ita jactantur fluctibus, ut numquam abluantur. *Id.* 2. *Invent.* 51. 154. Sedatis fluctibus et tempestate jam commutata, navis in portum provehitur. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Puppes ad magnitudinem fluctuum tempestatumque accommodatæ. *Id.* 4. *ibid.* 24. Simul et de navibus desiliendum et in fluctibus consistendum erat. *Id. ibid.* 28. Quæ (*naves*) quum fluctibus complerentur. *Virg.* 9. *Ecl.* 43. insani feriant, sine, litora fluctus. *Id.* 1. *Æn.* 107. procella fluctus ad sidera tollit. *Id. ibid.* 70. Et mulcere dedit fluctus et tollere vento. *Id. ibid.* 90. vastos volvere ad litora. *Id. ibid.* 139. motos componere. *Id.* 5. *ibid.* 2. fluctus atros Aquilone secare. *Id. ibid.* 182. salsos rident revomentem pectore fluctus. *Horat.* 1. *Od.* 1. 15. Luctantem Icariis fluctibus Africum Mercator metuens. *Id. ibid.* 14. 1. O navis, referent in mare te novi Fluctus. *Id.* 3. *ibid.* 27. 43. Ire per longos fluctus. *Ovid. Heroid.* 18. 137. fluctibus immodicis æquora canent. *Id.* 11. *Met.* 497. Fluctibus erigitur cælumque æquare videtur Pontus. *Val. Flacc.* 8. 382. vastis mare fluctibus perfurit. — *c*) Proverbium est illud *Cic.* 3. *Legg.* 16. 36. Excitare fluctus in simpulo. *h. e.* magnas excitare turbas propter rem nullius momenti.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiori paragr. 1. *Lucret.* 4. 677. res multas esse necesse est, Unde fluens volvat varius se fluctus odorum, Et fluere et mitti vulgo spargique putandum est. Similiter *Val. Flacc.* 7. 572. atro volvens incendia fluctu. ¶ 2. Metaphora sumpta a superiori paragr. 2., est perturbatio, periculum. *Lucret.* 6. 33. Volvere curarum tristes sub pectore fluctus. Sic *Virg.* 12. *Æn.* 831. Irarum tantos volvis sub pectore fluctus. *Lucret.* 3. 299. Nec capere irarum fluctus in pectore possunt. *Id.* 6. 71. fluctus irarum. *Id.* 5. 1289. fluctus belli miscere. *Id. ibid.* 11. qui (*deus*) per artem Fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris in tam tranquillo et tam clara luce locavit. *Cic. Planc.* 4. 11. Qui in hac tempestate populi jactemur et fluctibus. *Id. Mil.* 2. 5. Equidem ceteras tempestates et procellas in illis dumtaxat fluctibus contionum semper putavi Miloni esse subeundas. *Id.* 1. *Orat.* 1. 3. Hoc omne tempus post consulatum objecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peste depulsi, in nosmetipsos redundarunt. *Id. Harusp. resp.* 23. 48. Emergere auctoritatem vestram e fluctibus servitutis. *Id.* 8. *Att.* 3. 5. Qui autem locus erit nobis tutus —, ut jam placatis utamur fluctibus —, antequam ad illum venerimus? *Nepos Att.* 6. Civilibus fluctibus se committere. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 83. hic ego rerum Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis Verba lyræ — connectere digner? *Plin.* 5. *Hist. nat.* 17. 15. (73). Quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat.

H o m o n y m. *Fluctus* differt ab *aqua*, *unda*, *fluentum* et *lympha*. Et sane *aqua* spectatur tamquam elementum, alteri elemento, h. e. *terræ* oppositum: *unda* vero est aqua seu liquor in motu, ut docet *Isid.* 14. *Orig.* 20. hisce verbis: *Aqua* est stativa et sine motu æqualis; *unda* vero eminens liquor et qui semper in motu est; Lucretius (2. 151.): *Aerias undas*, id est motus et corpus illud quod refluctuat; nam nec *unda* per se aqua est, sed aqua in motu quodam et agitatione quasi ab eundo et redeundo *unda* vocatur. Hæc *Isid.* Hinc *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. Nec mergit c a d e n s u n d a (h. e. cataracta), sed p l a n i s a q u i s tradit. Hoc tamen discrimen non semper, a Poetis præcipue, servatur: sic *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 85. Dum loquor, increvit latis spatiosius u n d i s, Nec capit admissas alveus altus a q u a s. Adde *Martial.* 14. 118. — Præterea *fluctus* differt ab *unda* et qua pollet aquarum quantitate et quo exagitatur impetu: mare et amnes, tempestate commota, *fluctus* tollunt; contra quæcumque aqua, nisi sit stagnans, aliquot saltem *undis* volvitur: hinc per metaphoram *fluctus* agitationem tempestatis propriam, *undæ* mobilitatem significant: denique *unda* est medium aliquid inter *aquam* et *fluctum*, ut *aura* inter *aerem* et *ventum*. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 10. Quid si ullam u n d a m superesse mireris, quæ superveniat tot f l u c t i b u s fractis? *Cic. Mil.* 2. 5. Tempestates et procellas in illis dumtaxat f l u c t i b u s c o n t i o n u m semper putavi Miloni esse subeundas. et *Id. Planc.* 6. 15. Si campus et illæ u n d æ c o m i t i o r u m, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi æstu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant. — *Fluentum* est idem ac *fluctus*: ratione autem habita *fluminis*, *fluentum* est pars, *flumen* est totum; hinc *fluenta* in plur. num. tantum et fere a Poetis pro *fluminibus* usurpantur: *V.* FLUENTUM loco suo. — Demum *lympha* est idem quod *aqua*, nisi quod est vox poetica, et aquam significat puritate ac perspicuitate insignem. *Phædr.* 1. 4. Canis per f l u m e n, carnem dum ferret, natans, L y m p h a r u m in speculo vidit simulacrum suum.

FLŬENS, entis. *V.* FLUO.

FLŬENTER, adverb. fluendo. *Lucret.* 4. 225. omnibus ab rebus res quæque fluenter Fertur, et in cunctas dimittitur undique partes. *Apul.* 2. *Met.* Capillo fluenter undante. — Nonnulli etiam tribuunt *Ciceroni* 7. *Att.* 11. Quum fluenter lippirem, has litteras dedi. *Alii rectius leg.* leviter. — Apud *Lucret.* 6. 519. At retinere diu pluviæ longumque morari Consuerunt, ubi multa fluenter semina aquarum, Atque aliis aliæ nubes, nimbique rigantes Insuper atque omni vulgo de parte feruntur. pro *fluenter*, quod omni prorsus caret et Codicum auctoritate et significatione, lege *cientur*.

FLŬENTĬA, æ, f. 1. profluvium, fluxio, flumen, *profluenza*. Occurrit translate tantum apud *Ammian.* 30. 4. Eloquentiam inania quædam imitatur fluentia loquendi.

FLŬENTĬSŎNUS, a, um, adject. (fluentum et sono) fluctibus sonans. *Catull.* 64. 52. Litus fluentisonum. *Auct. Halieutici II.*, quod *Ovidio* tribui solet, 2. Antra fluentisona.

FLŬENTO, as, are, a. 1. humectare, *bagnare*. *Venant. Vit. S. Mart.* 4. 642. Pergis ad Augustam, quam Vindo Lycusque fluentant.

FLŬENTUM, i, n. 2. aquæ decursus, flumen, *corso d'acque, riviera, fiume*, ῥεῦμα, ῥόος. Est vox fere poetica, quæ concreto, uti ajunt, occurrit, sensu. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Sæpius adhibetur in plurali numero. *Lucret.* 5. 947. excibant humore fluenta Lubrica proluvie larga lavere humida saxa. *Virg.* 4. *Æn.* 143. Xanthique fluenta Deserit. *Id.* 6. *ibid.* 327. rauca fluenta Cocyti. *et* 12. *ibid.* 35. Tiberina fluenta. *Flor.* 2. 8. Quum inter fluenta tibiis fidibusque concineret. *h. e.* ad ripam Euripi. — *b*) In singulari numero usurpant *Auson. Edyll.* 10. *Mosell.* 59. arcanique patet penetrale fluenti. et 419. spatiumque novi metare fluenti. *Avien. Perieg.* 32. et inserto freta pellit vasta fluento. *Prudent.* 12. περὶ στεφ. 32. vegiu canens olivo, murmurans fluento. Adde *Apul. de deo Socrat.* ¶ 2. Latiori sensu. — *a*) De lacte. *Arnob.* 4. 21. Tonans (*Juppiter*) suxit fluenta mammarum. — *b*) De igne. *Apul. de Mund.* Fluenta flammarum. — *c*) Dicitur et de fluxione aeris. *Lucret.* 5. 276. quodcumque fluit de rebus, id omne Aeris in magnum fertur mare: qui nisi contra Corpora retribuat rebus, recreetque fluentis, Omnia jam resoluta forent, et in aera versa. At bona *Forcellini* venia, τὸ *fluentis*, nisi fallor, est pro *fluenteis*, Accusativus plur. num. gen. fem., et res *fluentes* sunt quæ particulas e semetipsis indesinenter emittentes pereunt.

H o m o n y m. *V.* in fin. v. FLUCTUS.

FLŬESCO vel fluisco, is, ere, m. 3. *inchoat.* a fluo, fluidus fio, liquesco, *liquefarsi*. *Augustin.* 21. *Civ. D.* 5. *ad fin.* Salem in aqua fluescere. *et ibid.* 7. *a med.* Palea fluescere nivem non sinit. *Alii utrobique leg.* fluiscere.

FLŬĬBUNDUS, a, um, adject. fluidus, diffluens. Translate *Capell.* 1. *p.* 21. *sub fin.* Fluibunda luxu puella.

FLŬĬDO, as, are, a. 1. fluidum reddo. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 11. Immisso liquore plurimo fluidantur accepta. *h. e.* cibi.

FLŬĬDUS, a, um, adject. qui occurrit *A*) Passive; et *B*) Active.

A) Passive est fluens, ῥευστικός (It. *fluido, scorrente*; Fr. *qui coule, fluide*; Hisp. *que corra, fluido*; Germ. *fliessend, flüssig*; Angl. *fluid, moist, watery*).

1.) Proprie. *Lucret.* 2. 452. fluido (*Lachmannus* leg. *fluvido*) quæ corpore liquida constant. *Virg.* 3. *G.* 484. Rursus abundabat fluidus liquor. *Id.* 3. *Æn.* 663. fluidus cruor. Sic *Ovid.* 4. *Met.* 482. sumit importuna facem, fluidoque cruore rubentem Induitur pallam. *Id.* 14. *ibid.* 167. iterum Polyphemon, et illos Aspiciam fluidos humano sanguine rictus. *h. e.* unde fluit et stillat cruor comesorum cadaverum. *Seren. Sammon.* 29. *extr.* Fluidam alvum morari. *Colum.* 8. *R. R.* 16. 1. Piscium reditum alienissimum agricultoribus puto: quid enim tam contrarium, quam terrenum fluido?

II.) Translate ponitur pro laxo, molli, languido, *flaccido*; cui *solidus* opponitur: ad rem *Seneca Ep.* 52. *ante med.* Fundamenta in mollem ac fluidam demissa humum. *Lucret.* 2. 596. Unde etiam fluidas (*Lachmannus* leg. *fluvias*) frondes — generi possit (*tellus*) præbere ferarum. *Ovid.* 15. *Met.* 229. fletque Milon senior, quum spectat inanes Illos, qui fuerant solidorum mole tororum Herculeis similes, fluidos pendere lacertos. *Liv.* 34. 47. Labor et æstus mollia et fluida Gallorum corpora decedere pugna coegit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 50. (95). Locusta, nisi viva ferventi aqua incoquatur, fluida carne non habet callum. *Auct. Paneg. ad Pis.* 90. Talis inest habitus, qualem nec dicere mœstum, Nec fluidum, læta sed tetricitate decorum Possumus. *h. e.* mollitie effusum. — Sic *fluida vestis* est fluitans, laxa, ampla. *Seneca Œdip.* 422. Inde tam molles placuere cultus, Et sinus laxi, fluidumque syrma. Adde *Justin.* 41. 2.

B) Active quoque occurrit, et fluidum dicitur quidquid rem aliquam mollem laxamque reddit. *Ovid.* 15. *Met.* 362. quæcumque mora, fluidoque calore Corpora tabuerint, in parva animalia verti. *h. e.* calore corrumpente, macerante et marcida fluentiaque corpora reddente.

FLUISCO. *V.* FLUESCO.

FLUĬTANS, antis. *V.* FLUITO.

FLŬĬTAS, ātis, f. 3. occurrit translate tantum, et est fluxa natura. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 1. 29. Docet poeta multam his esse fluitatem gloriæ.

FLŬĬTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. *intensiv. a* fluere. Part. *Fluitans* in omnibus paragr. — Fluitare, ἐπιπολάζω, ἐπιῤῥέω, est fluxu aquæ ferri, fluctuare, supernatare (It. *fluitare, ondeggiare, galleggiare*; Fr. *flotter, surnager*; Hisp. *fluctuar, sobrenadar*; Germ. *auf dem Wasser umhertreiben, treiben, schwimmen, schiffen*; Angl. *to flow, float, swim*).

1.) Proprie. *Cic. Sext.* 20. 46. Reipublicæ navis fluitans in alto. *Seneca Agam.* 503. Navis lacera et omni decore populato, levis fluitat. *Liv.* 1. 4. Quum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset. *Curt.* 4. 9. Cumuli sarcinarum passim fluitantes. *Seneca Med.* 631. caput tristi fluitavit Hebro. *Petron. Satyr.* 123. Jam classes fluitare mari. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 7. 14. (57). Materies primo sidit, postea fluitare incipit. *Id.* 16. *ibid.* 36. 66. (168). Fluitantes insulæ. *Id. ibid.* 40. 76. (204). Ebenus in aquis non fluitat. *Id.* 31. *ibid.* 2. 18. (22). In lacu Apuscidamo omnia fluitant, nihil mergitur. *Id.* 29. *ibid.* 3. 12. (53). Fluitare contra aquas. *Id.* 28. *ibid.* 9. 35. (131). Fluitare in summo. *Id.* 2. *ibid.* 88. 89. (203). Magna circa insulam multitudo piscium fluitans. *h. e.* confluens, adnatans. *Alter Plin.* 8. *Ep.* 8. Jucundum utrumque per jocum ludumque fluitantibus (*h. e.* navigantibus), ut flexerint cursum, laborem otio, otium labore variare.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate ponitur de iis, quæ fluctuum more feruntur atque agitantur. *Lucret.* 2. 555. Per terrarum omnes oras fluitantia aplustra. *Catull.* 64. 68. Fluitans amictus. *Ovid.* 11. *Met.* 470. Vela summo fluitantia malo. *Propert.* 3. 18. 3. pleno fluitantia vela theatro. *Tac. Germ.* 17. Veste non fluitante, sed stricta, et singulos artus exprimente. *h. e.* fluxa, laxa, ampla. *Ovid.* 2. *Art. am.* 433. fluitantia lora. — Huc pertinet et illud *Lucret.* 4. 78. intea russaque vela (*in theatro*) trementia fluctant — et omnem Scænalem speciem, patrum matrumque — cogunt suo fluitare colore. ¶ 2. Translate est nutare, vacillare, dubium aut inconstantem esse. *Lucret.* 3. 1052. animi incerto fluitans errore vagari. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 110. ne fluitem dubiæ spe pendulus horæ. *Tac.* 5. *Hist.* 18. Prælongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant. *h. e.* vacillantem, nutantem, dubium inter pugnam et fugam. *Id.* 2. *ibid.* 93. *extr.* Unde primum creditur Cæcinæ fides fluitasse. *Claudian. B. Gild.* 247. Fluitans fides.

FLŪMEN, inis, n. 3. (fluo) fluxio, decursus aquæ, defluxus amnis, aqua decurrens, ut ait *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 12. 2. Si ventus est fluens aer, et flumen est fluens aqua. (It. *corso d'acqua, acqua corrente*; Fr. *cours de l'eau, eau courante, courant*; Hisp. *curso, el movimiento, la corriente de las aguas*; Germ. *die Strömung, Fluth, das fliessende Wasser, Gewässer*; Angl. *a stream*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est, ut diximus, fluxio, decursus aquæ, defluxus amnis, aqua decurrens, quum abstracto, tum concreto, uti ajunt, sensu; et occurrit præcipue apud Poetas. — *a*) In singulari numero. — Abstracte. Vaticinandi formula apud *Liv.* 5. 16. *sub fin.* Romane, aquam Albanam cave lacu contineri, cave in mare manare suo flumine sinas. *Virg.* 2. *Æn.* 305. rapidus montano flumine torrens. *Horat.* 2. *Od.* 14. 16. ater flumine languido Cocytus errans. *Ovid. Remed. am.* 651. Flumine perpetuo torrens solet acrius ire. *Val. Flacc.* 8. 189. inde sequemur Ipsius amnis iter, donec nos flumine certo Perferat. — Huc referri possunt et illa, quæ tamen et ad paragr. proxime seq. pertinere possunt. *Cæs.* 7. *B. G.* 58. Secundo flumine iter facere. *a seconda.* et *Id. ibid.* 60. Adverso flumine proficisci. *contr'acqua.* — Concreto, uti ajunt, sensu. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Tiberis flumen vomit in mare salsum. *Id.* 1. *Ann.* 20. Teque, pater Tiberine, tuo cum flumine sancto. *Vetus Auct.* apud *Liv.* 1. 45. Quin tu ante vivo perfunderis flumine? Infima valle præfluit Tiberis. *h. e.* aqua viva, ut ait *Varro* 5. *L. L.* 123. *Müll.* Similiter *Virg.* 2. *Æn.* 719. donec me flumine vivo Abluero. *in acqua corrente.* — *b*) In plurali numero et fere concreto, uti ajunt, sensu. *Ovid.* 14. *Met.* 788. Nymphæ venas et flumina fontis Elicuere sui. *Horat. Epod.* 13. 14. frigida Scamandri flumina. *Id.* 1. *Sat.* 1. 69. Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina. Sic *Ovid.* 1. *Met.* 534. Incubat infelix limosaque flumina potat. — *Flumina maritima* sunt aquæ maris in piscinas immissæ, apud *Varron.* 3. *R. R.* 17. 9. Posteaquam L. Lucullus maritima flumina immisisset in piscinas, quæ reciproce fluerent, ipsi Neptuno non cedere de piscatu. ¶ 2. Speciatim est amnis, fluvius, *fiume*, ποταμός. Differt a *rivo*, ut major a minore: a *torrente*, quia flumen perpetuum est, torrens subinde siccatur. Celebriora multorum fluminum nomina recitat *Ovid.* 2. *Met.* 239. et *seqq.* — *a*) In singulari numero. *Ennius* 5. *Ann.* 19. Quod per amœnam orbem leni fluit agmine flumen. *Cic.* 2. *de republ.* 5. Romulus urbem perennis amnis posuit in ripa —, eodem ut flumine res ad victum maxime necessarias mari absorberet. *Id.* 2. *Legg.* 3. 6. Fibrenus præcipitat in Lirem eamque multo gelidiorem facit: neque enim ullum hoc frigidius flumen attigi. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen dividit. *Id. ibid.* 2. Continentur flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit. *h. e.* qui Rhenus etc. Cf. *Horat. Art. P.* 18. Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus. Rursus *Cæs.* 1. *B. G.* 6. Inter montem Juram et flumen Rhodanum. *Id. ibid.* 12. Flumen est Arar, quod per fines Æduorum in Rhodanum influit. *Id. ibid.* 38. Flumen Dubis pæne totum oppidum cingit. *Id.* 3. *B. C.* 37. Scipio biduum moratus ad flumen, quod inter eum et Domitii castra fluebat. *Liv.* 8. 13. Veliternos ad Asturæ flumen Mænius fudit. *Horat.* 4. *Od.* 15. 23. Non Seres, Non Tanain prope flumen orti. — *b*) In plurali numero. *Lucret.* 5. 910. Aurea tum dicat per terras flumina vulgo Fluxisse. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 78. Tantos terræ motus in Liguribus —, ut flumina in contrarias partes fluxerint, atque in amnes mare influxerit. *Id.* 2. *Nat. D.* 60. 152. Nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 19. Habet ergo non tantum venas aquarum terra, ex quibus corrivatis flumina effici possunt, sed et amnes magnitudinis vastæ. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 252. Terrarum situs et flumina dicere et arces Montibus impositas. — *c*) *Flumine vicino stultus sitit*, proverb. apud *Petron. fragm. Satyr. p.* 890. *Burmann.* de iis, qui bonis, quibus affluunt, uti nesciunt. *morir di fame in un forno di stiacciatine.* ¶ 3. Item speciatim est aquarum alveus hominum arte factus ductusque, *un canale. Auct. B. Alex.* 29. Flumen intercedebat angustum altissimis ripis. *V.* integrum locum.

II.) Translate. ¶ 1. Poetice per hyperbolen ponitur pro fluxu copioso, *profluvio. Lucret.* 2. 354. Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen. *Virg.* 1. *Æn.* 469. Multa gemens, largoque humectans flumine vultum. *con fiume di lagrime. Petron. Satyr.* 123. rigido concussæ flumine nubes Exonerabantur. *h. e.* imbre, pluvia. *Lucret.* 6. 255. persæpe niger quoque per mare nimbus, Ut picis e cælo demissum flumen, in undas Sic cadit. *Id. ibid.* 1061. ferri natura — Æris ubi accepit quædam corpuscula, tum fit, impellant ut eam magnesia flumina saxi. *gli effluvii della calamita.* Et *Sil. It.* 12. 185. Effosæque ruunt inopino flumine turbæ. *h. e.* eruptione instar fluminis exundantis. Simile est illud *Virg.* 2. *G.* 462. salutantum totis vomit ædibus undam. *et* 11. *Æn.* 236. fluuntque regia plenis Tecta viis. ¶ 2. Sæpe refertur ad ingenii copiam, et verborum ac dicendi vim. *Cic. Marcell.* 2. 4. Nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis tantaque copia etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 7. 20. Ut profluens amnis aut vix aut nullo modo, conclusa autem aqua facile corrumpitur: sic orationis flumine reprehensoris convicia diluuntur, angustia autem conclusæ orationis non facile se ipsa tutatur. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 38. 119. Veniet flumen orationis aureum fundens Aristoteles. *Id.* 2. *Orat.* 15. 62. Videtisne, quantum munus sit oratoris historia? haud scio, an flumine orationis et varietate maximum. *Id. Orat.* 16. 53. Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. *Id.* 2. *Orat.* 45. 188. Tantum est flumen gravissimorum optimorumque verborum, tam integræ sententiæ *etc. Id.* 2. *Nat. D.* 1. 1. Neque enim flumine conturbet inanium verborum, nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas. *Quintil.* 10. 1. 78. Lysias puro fonti, quam magno fluminі propior. *Id.* 9. 4. 61. Veint pro decurrentis orationis flumine. Adde *eumd.* 10. 1. 61. *Petron. Satyr.* 5. *extr.* sic flumine largo Plenus, Pierio defundes pectore verba. Cf. *eumd. ibid.* 118. Neque concipere, neque edere partum mens potest, nisi ingenti flumine litterarum inundata.

H o m o n y m. *Flumen* concreto, uti ajunt, sensu est generale nomen, quamcumque decurrentem aquam significans, etiam ipsum *torrentem*, ut docet *Ulp. Dig.* 1. 2. F l u m i n u m quædam sunt perennia, quædam t o r r e n t i a. Cf. *Ovid. Remed. am.* 651. F l u m i n e perpetuo t o r r e n s solet acrius ire: Sed tamen hæc brevis est; illa perennis aqua. Ex quibus patet etiam discrimen inter *flumen* et *torrentem*. — Præterea *flumen* differt ab *amne*, quod *flumen* fluendi tantum actionem; *amnis* vero aquarum insuper vel agendi vim indicat: hinc speciatim *amnis* de navigabili flumine dicitur: denique velocitas vel rapiditas et in *amne* et in *flumine* inest; magnitudo et majestas *amnis* fere propria est. — Demum *flumen* et *amnis* abstractam fluendi significationem exhibent, ac propterea dicimus: secundo, adverso flumine vel amne vehi; contra *fluvius* concreto tantum, uti ajunt, et materiali sensu accipitur, unde translate dicimus: *flumen* (numquam vero *fluvius*) orationis, ingenii etc.: paucis, *amnis* est Gr. ποταμός, *flumen* ῥεῦμα, *fluvius* ῥόος. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 19. Habet ergo non tantum venas aquarum terra, ex quibus corrivatis f l u m i n a effici possunt; sed et a m n e s magnitudinis vastæ. *Id. ibid.* Hanc magnis a m n i b u s æternam esse materiam, cujus non tangantur extrema, sicut f l u m i n u m et fontium. *Plin. Paneg.* 82. Nec deformitate ista saltem f l u m i n a carebant atque a m n e s. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 78. Ut f l u m i n a in contrarias partes fluxerint, atque in a m n e s mare influxerit. *Tac.* 5. *Hist.* 23. Quo Mo-

se fluminis os amnem Rhenum Oceano affundit. Hinc *amnis mari* opponitur, ut in allato *Cic.* loc., et apud *Senec.* 4. *Quæst. nat.* 2. Quum pontus et amnes invicem commeant.

FLŪMENTĀNUS, a, um, adject. ad flumen pertinens. ut Flumentana porta in veteri urbis Romæ circuitu inter collem Capitolinum et flumen Tiberim, huic vero proxima fuit, ubi nunc via est, quæ *di ponte Rotto* dicitur; hinc itur ad aliam novi circuitus portam, nunc *porta del Popolo* appellatam, unde via Flaminia incipit. *Paul. Diac.* p. 89. 12. *Müll.* Flumentana porta Romæ appellata, quod (od) Tiberis partem eam fluxisse (*lege* flexisse) affirmant. *Varro* 3. *R. R.* 2. Qui habitant extra portam Flumentanam. Adde *Liv.* 35. 9. et 18. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 254. L. SAMPRONIVS L. L. CEPHALIO AVRIFEX EXTRA PORTAM FLVMENTANAM.

FLŪMĪCELLUM, i, n. 2. *deminut.* a flumen, parvum flumen, *fiumicello. Innocent. de cas.* p. 227. *Goes.* Sub via habet flumicellum, et trans flumicellum aquam vivam. — Cl. *Furlanetto* generis masc. efferebat, *flumicellus*: at veteres Grammatici ad unum docent, nomina deminutiva ejusdem generis esse, ac positiva.

FLŪMICELLUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

FLŪMĬNĀLIS, e, adject. flumineus, ut Fluminalis navigatio, *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.*; 1. et Cancri fluminales, *ibid.* 4.; et Glarea fluminalis, *Auct. incert. de limitib.* ed. *Goes.* p. 267. Adde *Theod. Priscian.* 1. 17.

FLŪMĬNEUS, a, um, adject. ad flumen pertinens, fluvialis, *di fiume*, ποτάμιος.

I.) Proprie. *Ovid.* 2. *Fast.* 46. Aqua fluminea. *Id.* 14. *Met.* 599. et 15. *ibid.* 565. undæ. *Id.* 5. *Fast.* 519. ulva. *Stat.* 9. *Theb.* 286. ulmus. *Sil. It.* 3. 458. alnus. *Ovid. Heroid.* 8. 67. cycnus. *Id.* 2. *Met.* 253. volucres. *Sil. It.* 4. 494. classis.

II.) Translate. *Claudian.* 2. *Fescenn. de nupt. Honor.* 28. Geminaque parte ductum Cæsareum flumineo Stemma recurrit ortu. *h. e.* perenni et non interrupto successionis cursu, tamquam fluminis. *Al. rectius leg.* femineo.

FLŪMĬNĬA, æ, f. 1. *fiumicello*, flumicellum. *Innocent. de cas.* p. 225. *Goes.* Saltus fluminia transiens, et sub fluminia posita vinea, et subtus vineam alveus. et p. 228. In ipsum jugum fluminia excurrit. *Id.* alibi sæpius usurpat hanc vocem.

FLŪO, fluis, fluxi, fluxum, fluere, n. 3. Vetustissimi *fluctum* in supino pro *fluxum*, et *flucturus* soliti sunt dicere, teste *Priscian.* 9. *sub fin.* p. 817. *Putsch.* Hinc legitur in *Not. Tir.* p. 120. Fluo, fluctum. Hinc etiam *fluctio*, *fluctus* et *fluctuo*. — Futurum exactum *flueris* pro *fluxeris* legebatur olim apud *Lucret.* 6. 801.; nunc vero juxta *Lachmanni* emendationem legitur *laveris*. — Part. *Fluens* in omnibus paragr. et in fin.; *Fluxurus* I. 1. — Part. *Fluxus* passive. *Apul.* 2. *Met.* Fontanos latices de corporibus humanis fluxos crederem. — Fluere, quod ratione habita etymi conjungendum est cum Gr. βλύω scaturio, vel rectius φλύω, φλέω, πλέω (V. *Döderlein. Latein. Synonym.* vol. 6. p. 151), unde etiam *fleo* et *pluo* et *ploo* h. e. *ploro*, est idem ac manare, decurrere, labi, defluere, ῥέω (It. *scorrere*; Fr. *couler*, *fluer*; Hisp. *correr*, *distilar*, *manar*, *fluir*; Germ. *fliessen*; Angl. *to flow*.)

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de humoribus dicitur. *Ennius* 5. *Ann.* 19. Quod per amœnam urbem leni fluit agmine flumen. *Lucret.* 5. 910. Aurea tum dicat per terras flumina vulgo Fluxisse. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 78. Tantos terræ motus factos esse, ut flumina in contrarias partes fluxerint. *Id.* 2. *Invent.* 31. 96. Fluvius Eurotas, qui propter Lacedæmonem fluit. *Cæs.* 3. *B. C.* 37. Scipio biduum moratus ad flumen, quod inter eum et Domitii castra fluebat. *Id.* 1. *B. G.* 6. Helvetiorum inter fines et Allobrogum Rhodanus fluit. *Id.* 1. *ibid.* 12. Flumen Arar in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, indicari non possit. *Lucret.* 2. 474. Humor dulcis, ubi per terram crebrius idem Percolatur, ut in foveam fluat. *Cic.* 1. *Nat. D.* 15. 39. Ea, quæ natura fluerent atque manarent, ut aqua. *Ovid.* 3. *Art. am.* 62. eunt anni more fluentis aquæ. *Id.* 2. *Fast.* 820. fluunt lacrimæ more perennis aquæ. Cf. *eumd. Heroid.* 6. 63. lacrimæ fluentes in ora. *Id.* 11. *Met.* 656. madidis fluit unda capillis. *Id.* 4. *Pont.* 4. 2. Non intermissis ut fluat imber aquis. *Horat. Epod.* 7. 19. Fluxit in terram Remi cruor. Sic *Lucan.* 6. 61. Sanguis terras fluxurus in omnes. *Ovid.* 12. *Met.* 325. fluit e gutture sanguis in toros et carchesia. *Virg.* 5. *Æn.* 200. sudor fluit undique rivis. Sic *Ovid.* 9. *Met.* 173. fluit de corpore sudor. *Id. Remed. am.* 190. nudo sub pede musta fluunt. *Id.* 12. *Met.* 435. Perque cavas nares oculosque auresque cerebrum Molle fluit. *Horat. Epod.* 9. 35. Cæcubum fluentem nauseam coercet. *Cels.* 2. 6. Alvus fluens. *h. e.* cita, soluta. Sic *Id.* 4. 19. Uno die fluere alvum, sæpe pro valetudine est. *Ovid.* 2. *Met.* 251. fluit ignibus aurum. *si scioglie e liquefa.* ¶ 2. Lato sensu *fluere* dicuntur, quæ humore aliquo manant madentve. — *a*) Cum Ablativo rei, qua quid fluit. *Cic.* 1. *Divinat.* 43. 98. Fluvius Atratus sanguine fluxit. *Ovid.* 8. *Met.* 400. glomerataque sanguine multo Viscera lapsa fluunt. *Id.* 7. *ibid.* 343. Ille, cruore fluens, cubito tamen allevat artus. *Virg.* 3. *Æn.* 626. membra atro fluentia tabo. *grondanti di marcia. Ovid.* 9. *Met.* 57. sudore fluentia multo Brachia. *Liv.* 38. 17. Fluunt sudore et lassitudine membra. *Val. Flacc.* 6. 360. pingui fluit unguine tellus. *Virg.* 2. *G.* 190. vites prævalidæ multoque fluentes Baccho. *h. e.* vini feraces. *Sil. It.* 7. 190. vilisque rubenti Fluxit mulctra mero. — *b*) Absolute. *Virg.* 5. *Æn.* 179. madidaque fluens in veste Menœtes. *grondante.* — Similiter *fluentes* dicuntur *buccæ*, quæ pigmentis fluunt, apud *Cic. Pis.* 11. 25. Erant illi compti capilli, et madentes cincinnorum fimbriæ, et fluentes cerussatæque buccæ, dignæ Capua, sed illa vetere. Cf. *eumd. post redit. in senat.* 6. 15. Vini, somni plenus, madenti coma, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce et temulenta. *V.* alia significatione infra sub 4. ad fin. — *Fluentes morbi* apud *Cels. præfat. a med.* sunt, in quibus fluit aliquid, ut sanguis, bilis, alvus, etc. vel noxius humor aliquo in membro erumpit: quibus opponuntur *compressi*. — Fluere dicuntur etiam quæ abundant et diffluunt, ut vites et oleæ, quarum fructus expressi mustum et oleum reddunt. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 24. Grææcæ vites acinorum exiguitate minus fluunt. *rendono poco mosto. Id. ibid.* 2. 5. Talis nobis eligatur vitis vel mediocriter fecunda; si modo is locus habetur, in quo gustus nobilis pretiosusque fluit: nam si sordidus aut vilis est, feracissimam quamque serere conducit. *h. e.* vinum generosi saporis provenit. *Id.* 12. *ibid.* 50. 1. Acerbum oleum facere rationibus non conducit, quoniam exiguum fluit. — Huc fortasse referendum illud *Virg.* vere singulare 2. *G.* 165. Hæc eadem (*Italia*) argenti rivos ærisque metalla Ostendit venis atque auro plurima fluxit. ¶ 3. Item latiori sensu *fluere* dicuntur, a Poetis præcipue, quæ pervolant, discurrunt, fluitant. Sic — *a*) De aere, odoribus, ventis, igne et similibus. *Lucret.* 1. 280. Nec ratione fluunt alia (*venti*) stragemque propagant etc. Cf. *Lucan.* 8. 246. spirat de litore Coo Aura fluens. Rursus *Lucret.* 5. 514. Inde alium (*aera*) supra fluere. *Id. ibid.* 523. Sive aliunde fluens alicunde extrinsecus aer Versat agens ignes. *Id.* 1. 677. Unde fluens volvat varius se fluctus odorum. *Id.* 6. 922. et seqq. Principio omnibus a rebus, quascumque videmus, Perpetuo fluere ac mitti spargique necesse est Corpora, quæ feriant oculos visumque lacessant: Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores, Frigus ut a fluviis, calor a sole, æstus ab undis Æquoris. Sic *Id. ibid.* 1001. æstus e lapide. *Id.* 2. 382. Quare fulmineus multo penetralior ignis, Quam noster, fluat. *Lachmannus* vero rectius legit *fuat*. *Sil. It.* 17. 102. fluit undique victor Mulciber (*h. e.* ignis), et rapidis amplexibus arma virosque Corripit. — *b*) De comis, vestibus, etc. *Propert.* 2. 2. 23. comæ per levia colla fluentes. Cf. *eumd.* 4. 6. 72. Blanditæque fluant per mea colla rosæ. *Id.* 3. 15. 32. Et feries nudos veste fluente pedes. *h. e.* ampla, laxa et sinuosa. Similiter *Ovid.* 3. *Art. am.* 301. tunicisque fluentibus. Sic *Virg.* 1. *Æn.* 324. nodoque sinus collecta fluentes. et *Quintil.* 11. 3. 140. Balteus nec strangulet, nec fluat. Nec aliter *Martial.* 11. 41. Cedentes oneri ramo silvamque fluentem Vicit. *h. e.* arborem mobilem, fluctuantem, se inclinantem. — *c*) De aliis. *Martial.* 4. 66. 11. Nec mersa est pelago, nec fluit ulla ratis. *h. e.* fluitat, *galleggia. Virg.* 2. *G.* 370. ramos compesce fluentes. *h. e.* latius et liberius excrescentes. *Id.* 12. *Æn.* 442. simul agmine denso Antheusque Mnestheusque ruunt, omnisque relictis Turba fluit castris. *V.* alia in FLUMEN II. 1. ¶ 4. Latissima, vel prægnante, uti ajunt, significatione fluere dicuntur, quæ decidunt, dilabuntur, dissipantur. *Cic.* 12. *Phil.* 3. 8. Excident gladii, fluent arma de manibus. *Cels.* 6. 1. Capilli fluunt. Sic *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 5. (17). Capillum fluentem continere. *Ovid.* 2. *Amor.* 14. 24. Quid poma crudeli vellis acerba manu? Sponte fluent matura sua. *Virg.* 11. *Æn.* 828. Ad terram non sponte fluens. *h. e.* cadens. *Id.* 3. *G.* 524. Ad terramque fluit devexo pondere cervix. — *Lucret.* 2. 67. quoniam minui rem quamque videmus, Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo. Cf. *Ovid.* 15. *Met.* 177. nihil est toto quod perstet in orbe: Cuncta fluunt omnisque vagans formatur imago. Rursus *Lucret.* 4. 917. Dissolvuntur enim tum demum membra fluuntque. Sic *Curt.* 8. 14. *a med.* Rex fluentibus membris, omissisque armis, vix sui compos. *h. e.* languentibus cadentibusque. *Cic.* 2. *Orat.* 66. 266. Demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto, distortum, ejecta lingua, buccis fluentibus. *h. e.* buccis detumescentibus et laxata cute demissis ac pendentibus, *guancie scadute*. Sic *Lucan.* 9. 770. suræ fluxere: sine ullo Tegmine poples erat. Similiter *Id. ibid.* 789. Letum fluens. *h. e.* lues pestifera, qua contactis membra tabefacta fluunt et absumuntur. Eodem sensu *Id.* 7. 412. Fluentes morbi.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est manare, decurrere, *scorrere*: sed tamen — *a*) De oratione sæpissime usurpatur, quæ sponte sua, facilis, lenis, abundans defluit: ad rem *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 20. Et carmen vena pauperiore fluit. et *Quintil.* 2. 1. 4. Grammatice pleno jam satis alveo fluit. *Cic. Senect.* 10. 31. Ex ejus (*Nestoris*) lingua melle dulcior fluebat oratio. *Id. Brut.* 79. 274. Calidii oratio ita pura erat, ut nihil liquidius; ita libere fluebat, ut nusquam adhæresceret. *Quintil.* 9. 4. 18. In Herodoto omnia leniter fluunt. *Id.* 9. 4. 7. Quæ totis viribus fluit oratio. *Gell.* 11. 15. *extr.* Larga et fluens vis et copia. — Et de scriptoribus ipsis: ad rem *Cic. Orat.* 12. 39. Alter (*h. e.* Herodotus) sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit; alter (*h. e.* Thucydides) incitatior fertur, et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 4. 11. Quum (*Lucilius*) flueret lutulentus. Adde *eumd. ibid.* 10. 50. *Id. ibid.* 7. 28. Homo salsus multumque fluens. *h. e.* verbis et conviciis abundans. Sic *Plaut. Mil. glor.* 1. 8. 12. Fluere facetiis. *h. e.* abundare. — *b*) De rerum seu eventuum serie. *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. In rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam magno opere fugiamus. *Sall.* apud *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 169.; *Justin.* 23. 3. 12; et *Tac.* 3. *Hist.* 48. Cunctis super vota fluentibus. *h. e.* succedentibus. *Tac. Dial. de orat.* 5. Rebus prospere fluentibus. *Id.* 15. *Ann.* 5. Nec præsentia prospere fluebant. *Curt.* 8. 5. 19. Di propitii eodem cursu, quo fluxere adhuc res, ire patiantur. — Sic de tempore *Horat.* 1. *Ep.* 1. 23. tarda fluunt ingrataque tempora. *scorrono, passano.* — *c*) Cum addito termino, ex quo quid fluit, est derivari, proficisci, ortum habere: ad rem *Cic.* 3. *Nat. D.* 19. 48. Hæc omnia ex eodem fonte fluxerunt. Sic *Quintil.* 12. 2. 6. Dicendi facultatem ex intimis sapientiæ fontibus fluere. et 5. 10. 19. Omnia credibilia ex hujusmodi fontibus fluunt. et 5. 9. 4. Ut sanguis e cæde, ita illa ex impudicitia fluere. *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 50. Multa a luna manant et fluunt, quibus animantes aluntur. *Id.* 2. *Fin.* 11. 34. Ab isto capite fluere necesse est omnem rationem bonorum et malorum. *Quintil.* 6. 2. 13. Omnia ex natura rerum hominumque fluere. *Id.* 3. 4. 12. Nomen ex Græco fluxisse. *Id.* 1. 1. 12. Disciplinis Græcis prius instituendus est, unde et nostræ fluxerunt. *Id.* 11. 3. 109. Unde id quoque vitium fluit. *Id.* 7. 3. 33. Undecumque causa fluxit. *Tac.* 14. *Ann.* 16. Species carminum non impetu et instinctu, nec ore uno fluens. *composta da un solo. Stat.* 1. *Silv.* 1. 2. cælone peractum Fluxit opus. *Id.* 1. *Theb.* 225. Perseos alter (*sanguis*) in Argos Scinditur; Aonias fluit hic ab origine Thebas. — *d*) Cum addito termino, in quem quid fluit, est diffundi, exire: sic *Cic.* 4. *Tusc.* 1. 2. Pythagoræ doctrina quum longe lateque flueret, permanavisse mihi videtur in hanc civitatem. *h. e.* diffunderetur. Cf. *Horat.* 3. *Od.* 6. 19. Hoc fonte derivata

clades inque patres populumque fluxit. *ubi nota fontem, unde rivus deducitur, qui deinde magnum in flumen excrevit. Attius* apud *Cic.* 9. *Att.* 10. 4. Videamus, et Cnæus quid agat, et illius rationes quorsum fluant. *vadano a terminare. Cic.* 4. *Att.* 16. 11. Res fluit ad interregnum. *Tac.* 11. *Ann.* 9. Cuncta in Mithridatem fluxere. ¶ 2. Specialim est vagari, huc et illuc errare. *Cic.* 3. *Orat.* 49. 190. Ne fluat oratio, ne vagetur. *Quintil.* 10. 1. 2. Citra lectionis exemplum labor ille, carens rectore, fluit. ¶ 3. Item, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1., eleganter ponitur pro dilabi, præterire, evanescere, dissipari. *Cic. Orat.* 3. 10. Cetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu. *Id.* 2. *Fin.* 32. 106. Fluit voluptas corporis et prima quæque avolat. *Id. Marcell.* 8. 21. Omnia, quæ dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. *Vellej.* 2. 16. 4. Fluentem procumbentemque rempublicam restituere. *h. e.* labentem et veluti prono cursu ad interitum properantem. — Huc pertinent et illa cum Ablativo *Cic.* 2. *Tusc.* 22. 52. Quum voluptate liquescimus fluimusque mollitia, apis aculeum sine clamore ferre non possumus. *h. e.* labefactamur. *Vellej.* 1. 6. 2. Fluere mollitiis. V. *Kritz.* ad h. l. *Id.* 2. 88. 2. Mæcenas otio ac mollitia pæne ultra feminam fluens. *V.* infra *Fluens* sub 3.; et cf. *Curt.* 9. 3. Luxu omnia fluere. *h. e.* diffluere. et *Tibull.* 2. 6. 33. Jam veniant prædæ, = Ut mea luxuria Nemesis fluat. — Hinc Part. præs., cujus plurima superius exempla retulimus,

Fluens, entis, adjective quoque usurpatur, et quidem translate ¶ 1. De oratione, et est leniter ac tranquille decurrens (*V.* supra sub II. 1. *a.*), *andante, corrente. Cic. Orat.* 20. 66. In historia interponuntur etiam contiones et hortationes, sed in his tracta quædam et fluens expetitur, non hæc contorta et acris oratio. Sic *Quintil.* 9. 4. 127. Orationis contextus lenis et fluens. Cf. *Gell.* 19. 9. Fluentes carminum deliciæ. et *Val. Flacc.* 3. 158. Insignis cithara cantuque fluenti. *dolce.* (liquidum vocat *Lucret.* 4. 978., liquefactum *Sil. It.* 11. 417.). ¶ 2. Item de oratione, et est nimis prolixa, laxa et dissoluta (*V.* supra sub II. 3.), *troppo diffusa, dilavata. Cic. Orat.* 58. 198. In dicendo nihil est propositum, nisi ut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. Sic *Id. ibid.* 65. 220. Alterum nisi fit, dissipata et inculta et fluens est oratio. Ad ipsos oratores transfertur a *Quintil.* 9. 4. 133. In locis ac descriptionibus fusi sumus ac fluentes. ¶ 3. De hominibus, et est mollis, enervis: *V.* supra sub II. 3. *Quintil.* 1. 2. 8. Discunt hæc miseri pueri, antequam sciant vitia esse: inde soluti ac fluentes non accipiunt e scholis mala ista, sed in scholas afferunt. *h. e.* deliciis abundantes, molles, enervati, languentes, effeminati. *Seneca Tranquill.* 15. Incessu ipso ultra muliebrem mollitiem fluentes. Cf. *Augustin.* 7. *Civ. D.* 26. Madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu femineo. — Inde etiam Part. præter. pass.

Fluxus, a, um, adjective occurrit, unde Comp. *Fluxior* II. 1. et 3., et est qui fluit, *che scorre e passa,* ῥευστός.

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 19. quod (*vas*) fluxum pertusumque esse videbat. *h. e.* qui humore fluebat manabatque. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 38. 62. (133). *de purpuris.* Capi eas post canis ortum, utilissimum; quoniam quum cerificavere, fluxos habent succos. *Apul. de Mundo.* Elementa arida atque fluxa, glacialia et ignita.

II.) Translate. ¶ 1. De rebus dicitur, ex. gr. de crinibus, cinctura, armis, etc. et est diffluens, laxus. *Tac.* 11. *Ann.* 31. Ipsa crine fluxo thyrsum quatiens. *Liv.* 38. 29. Ne fluxa habens volutetur in jactu glans. *Lucan.* 2. 362. Balteus haud fluxos gemmis adstringit amictus. *Sueton. Cæs.* 45. Fluxiore cinctura cingi. *Tac.* 2. *Hist.* 99. Lentum et rarum agmen, fluxa arma, segnes equi. *h. e.* quasi fluentia e manibus. ¶ 2. Hinc sumitur pro imbecillo, molli, enervi, *floscio. Tac.* 2. *Hist.* 32. Germanos fluxis corporibus, mutationem soli cælique haud toleraturos. *Martial.* 5. 41. Spadone quum sis eviratior fluxo. — Sic *fluxus* etiam dicitur, qui defluxit et decidit, vel qui prope est, ut decidat. *Tac.* 2. *Hist.* 22. Murorum neglecta, aut ævo fluxa comminus aggredi. — Similiter *fluxi versus* dicuntur, qui soluto modo et oberi metro vacillantes quatiuntur. *Diomed.* 3. *p.* 499. *Putsch.* ¶ 3. Item ponitur pro remisso, languido, negligenti. *Sall. Cat.* 14. Animi molles, et ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. Cf. *Sueton. Tib.* 52. Drusus animi fluxioris remissiorisque vitæ erat. *Tac.* 3. *Hist.* 76. Duces non vigilias agere, non intuta mœnium firmare, noctu dieque fluxi, et amœna litorum personantes. *Plin. Paneg.* 33. Spectaculum non enerve, nec fluxum, nec quod animos virorum molliret et frangeret, sed quod ad pulcra vulnera contemptumque mortis accenderet. *Gell.* 4. 20. *de oscitatione.* Indicium vagi animi et alucinantis, et fluxæ atque apertæ securitatis. *h. e.* solutæ et manifestæ confidentiæ. ¶ 4. Hinc fluxus est vanus, inanis, fragilis, mobilis, et opponitur *firmo* et *stabili.* Sic *fluxa fides* est quæ cito deficit. *Plaut. Capt.* 2. 3. 79. Fac fidelis sis fideli; cave fidem fluxam geras. *Sall. Jug.* 111. Fluxa fide uti. *Liv.* 28. 6. Fides fluxa et vana. *Id.* 40. 50. Veram pacem non fluxa, ut ante, fide Celtiberos fecisse. — Ceterum *Cic.* 4. *Att.* 2. et 1. *ad Brut.* 10. Res nostræ, ut in secundis, fluxæ; ut in adversis, bonæ. *Sall. Jug.* 104. Res humanæ fluxæ et mobiles. *Id. Cat.* 1. Divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis est. Cf. *Tac.* 13. *Ann.* 19. Nihil rerum mortalium tam instabile et fluxum est, quam fama potentiæ. *Id.* 1. *Hist.* 21. Dum Galbæ fluxa auctoritas, Pisonis nondum coaluisset. *Id.* 3. *Ann.* 50. Studia illi, ut plena vecordiæ, ita inania et fluxa sunt. *Id.* 6. *ibid.* 38. Fluxam senio mentem alicui objectare.

Homonym. I.) *Fluere* et *manare* sæpe junguntur, ut apud *Cic.* 1. *Nat. D.* 15. 39. Tum ea, quæ natura fluerent atque manarent, ut et aquam et terram et aera. *Id.* 2. *ibid.* 19. 50. Multa a luna manant et fluunt, quibus animantes alantur augescantque. Aliquid tamen discriminis inter hæc interesse, patet ex eodem *Cic.* 4. *Tusc.* 1. 2. Pythagoræ doctrina quum longe lateque flueret, permanavisse mihi videtur in hanc civitatem. et *Curt.* 4. 2. 14. Si extrinsecus cruor fluxisset, Macedonibus id triste futurum; contra quum ab interiore parte manaverit, urbi, quam obsidere destinassent, exitium portendere. — In quo igitur hæc duo differunt? in eo scilicet, quod *fluere* liquoris motum significat; *manare* vero, præter liquoris motum, ejus quoque diffusionem et cum aliis rebus communicationem denotat: quæ *fluunt,* ad unam tantum partem decurrunt; quæ *manant,* in plures partes diffunduntur: *fluendi* causa in eo sita est, ut, quocumque impedimento remoto, liquor in inferiorem partem gravitatis vi deferatur (hinc *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 3. Ut stet aqua aut fluat, loci positio efficit; in devexo fluit, in plano continetur et stagnat. et *mox.* Nemo fluere dixit aquam, quæ intra se tantum movetur.); *manandi* vero causa est nimia liquoris copia, qua fit ut liquor vase suo minime possit contineri et exundet, vel quæcumque alia etiam externa causa, qua liquor e vase suo erumpere cogitur: Hinc *fluere* cum v. *labi; manare* cum v. *effundi* arctius conjungitur, ut apud *Cic. Marcell.* 8. 23. Omnia, quæ dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. et apud *eumd.* 5. *Tusc.* 25. 72. Disserendi ratio – per omnes partes sapientiæ manat et funditur. Ceterum *fluendi* et *manandi* discrimen exhibent verba *Gell.* 17. 11. Plato potum dixit defluere ad pulmonem, eoque satis humectato dimanare per eum, quia sit rimosior, et confluere inde in vesicam. Cf. et illa *Cic.* 12. *Phil.* 3. 8. Excident gladii; fluent arma de manibus. et 4. *Cat.* 3. 7. Hoc malum manavit non solum per Italiam etc. et *Tac.* 2. *Ann.* 23. Equi, jumenta, sarcinæ, etiam arma præcipitantur, quo levarentur alvei (*h. e.* naves), manantes per latera et fluctu superurgente.

II.) *Fluere* et *liquere* (*liquescere*) junguntur a *Cic.* 2. *Tusc.* 22. 52. Quum voluptate liquescimus fluimusque mollitie. Jam vero *fluida* aqua dicitur, quæ nullo obstante impedimento cursum tenet ac progreditur, eique *hærens* et *stans* opponitur; *liquida* vero ea, cujus particulæ sibi invicem parum adhærescunt ac propterea aliæ ab aliis facillime dissolvuntur, eique *concreta* et *rigens* opponitur: hinc *liquere* intimam liquoris naturam, hoc est necessariam significat conditionem, qua quid *fluere* et *manare* possit. *Cic. Brut.* 79. 274. Oratio Calidii ita libere fluebat, ut nusquam adhæresceret. *Id. Tim.* 14. Quæ vim habeant refrigerandi, calefaciendi, concretionis et liquoris. *Plin. Paneg.* 82. Quibus moris est, eadem illa nunc rigentia gelu flumina aut campis superfluа, nunc liquida ac deferentia lustrare navigiis.

FLŬOR, ōris, m. 3. fluxus, *flusso,* ῥοή. — *a*) Generatim occurrit apud sequioris ævi scriptores. *Capell.* 1. *p.* 18. Plurimum sudans ima subjecta roscidis videbatur inundare fluoribus. *Arnob.* 2. *p.* 84. Aqua naturâ res labilis, et ad fluorem semper deversionemque tam prona. *Solin.* 18. Fluor maris. *Apul. Florid. n.* 10. *extr.* Fluores amnium. *Nemes. Cyneg.* 227. Mox lactis liquidos sensim superadde fluores. *Arnob.* 6. *p.* 196. Intelligimus omnes ventos aeris esse fluores. *Apul. Florid. p.* 348. Profectæ a nobis imagines, veluti quædam exuviæ, jugi fluore a corporibus manantes. — *b*) Specialim in re medica est fluxus ventris, diarrhœa. *Cels.* 3. 6. *sub fin.* Quisquis fluore æger est. *h. e.* ventris fluxu. *Scribon. Compos.* 108. Solutio et fluor stomachi.

FLŪSĀRIS, is, m. 3. nomen mensis Julii seu Quintilis, apud Furfenses. *Inscript.* apud *Murat.* 587. 1. L. AIENUS L. F., Q. BAEBATIUS SEX. F. AEDEM DEDICARUNT JOVIS LIBERI FURFONE A. D. III. ID. QUINTILEIS L. PISONE A. GABINIO COS. (*h. e.* ann. U. C. DCXCVI.) MENSE FLUSARE etc. Ejusdem mensis mentio est in *Inscript.* apud Furfonem reperta et ab *Aloys. Lanzi* edita in *Sagg. di lingua Etr. T.* 2. p. 619. *tab.* 16. *n.* 1., in qua legitur MESE FLVSARE.

FLUSTRA, ōrum, n. plur. 2. *Paul. Diac. p.* 89. *Müll.* Flustra dicuntur, quum in mari fluctus non moventur: quam Græci μαλακίαν vocant. *Sueton. fragm.* edente *Wolf. T.* 8. *p.* 75. Flustra motus maris sine tempestate fluctuantis. Nævius in bello Punico quod ait: *Onerariæ onustæ stabant in flustris,* ut si diceret in salo. *Tertull. Pall.* 2. Mare de flustris temperatum.

FLŪTA, æ, f. 1. πλωτή quod a πλώω *navigo, fluito:* genus murænæ prægrandis et præpinguis, frequentisque in freto Siculo, et præ pinguedine in summa fere unda fluitantis, ut *Martial.* 13. 80. docet. *Varro* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 11. In Sicilia manu capi murænas flutas: quod hæ in summa aqua præ pinguitudine flutentur. *Al. leg.* flutent. *Id.* 2. *R. R.* 6. 2. Murænæ optimæ flutæ sunt in Sicilia. *Colum.* 8. *R. R.* 7. 8. Item flutas, quæ maxime probantur, murænas. *V.* EXORMISTON.

FLŪTO, as, are, n. 1. idem quod fluito, immo contractum pro fluito. *Lucret.* 3. 190. Namque movetur aqua, et tantillo momine flutat. *Al. leg.* fluctat, vel fluctuat. *V.* vocem præced. et FLUCTO.

FLŪVĬA, æ, f. 1. proprie est adjectivus feminini generis, et subintelligitur *aqua;* idem ac fluvius, *fiume. Sisenna* apud *Non. p.* 207. 7. *Merc.* Inter duas fluvias. *Id. ibid.* 8. Transgressus fluviam, quæ etc.

FLŪVĬĀLIS, e, adject. ad flumen pertinens, *di fiume, fluviale,* ποτάμιος. *Virg.* 9. *Æn.* 70. septus fluvialibus undis. *Id.* 2. *G.* 414. Fluvialis arundo. *Colum.* 6. *R. R.* 22. *extr.* aqua. *Id.* 8. *ibid.* 16. 4. lupus. *Pallad.* 11. *R. R.* 17. arena.

FLŪVĬĀTĬCUS, a, um, adject. ad flumen pertinens, fluvialis. *Vitruv.* 1. 2. *sub fin.* Fluviatica arena. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 5. animalia.

FLŪVĬĀTĬLIS, e, adject. ad flumen pertinens, fluvialis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 124. Fluviatiles testudines. *Liv.* 10. 2. *a med.* naves. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 7. Meminisse etiam in fluviatili negotio, quod in terreno præcipitur, *Et quid quæque ferat regio.* Adde *Theod. Priscian.* 2. 8.

FLŪVĬĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *fluvio,* in partes, quasi in fluvios divisus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 76. (195). ex *Theophr. Hist. plant. l.* 5. *c.* 2. Communia his (*larici et abieti*) plurque, ut quadripartitos venarum cursus, bifidosque habeant, vel omnino simplices (*Theophr. loc. cit.* τετραζόους habet, διζόους et μονοζόους). Ad fabrorum intestina opera medulla sectilis: optima quadripartitis materiis, et mollior quam ceteræ. – Abietis quæ pars a terra fuit, enodis est: hæc, qua diximus ratione, fluviata decorticatur, atque ita sapinus vocatur. Perperam *Harduino* vox *fluviata* idem videtur esse ac flumine mersa: at *Schneiderus* ad *Vitruv.* 2. 9. et *Pallad.* 12. *R. R.* 15. legendum monet *diffluviata* vel *quadrifluviata. V.* DIFFLUVIO et QUADRIFLUVIUM.

FLŪVĬDUS, a, um, adject. idem ac fluidus, apud veteres poetas usitatum ab antiquo præterito *fluvi*

vel *fluo*. *Lucret*. 2. 463. Sed quod amara vides eadem, quæ fluvida constant, Sudor uti maris est, minime credibile cuiquam. Nam quod fluvidum est, a levibus atque rotundis Est. Syllaba ultima *dum* more veterum non eliditur, sed brevis est ob concursum vocalis in voce sequenti. *Lachmannus* legit *fluvidus* pro *fluidus* etiam *ibid*. *v*. 452., repugnante tamen syllabarum quantitate.

FLŪVĬŎLUS, i, m. 2. *deminut*. *a* fluvius, parvus fluvius. *Vet*. *Scholiast*. ad *Lucan*. 1. 185. Rubico est parvus fluviolus ultra Alpes, qui Galliam ab Italia dividit.

FLŪVĪTO, as, *pro* fluito, legit *Salmas*. apud *Solin*. 35.

FLŪVĬUS, ii, m. 2. (a *fluo*, idest ab antiquo ejus præterito *fluvi*). *Virg*. 1. *G*. 482. ob metri necessitatem *fluviorum* trisyllab. dixit, ut sæpe *ărjĕtĕ* pro *ărĭĕtĕ*: alii vero putant eumdem *ibid*. anapæstum pro dactylo usurpasse. — *Fluvium* pro *fluviorum* habet *Val*. *Flacc*. 6. 391. — Fluvius, ῥόος, ποταμός, est idem atque amnis, flumen: nisi quod *fluvius* minus late patet quam *flumen*, atque ideo nusquam apud *Cæsarem* occurrit, et quum materialem tantummodo habeat significationem, translate non usurpatur (It. *fiume*; Fr. *fleuve*, *rivière*; Hisp. *rio grande*; Germ. *der Fluss*; Angl. *a river*). ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Plaut*. *Bacch*. 1. 1. 52. Fluvius rapidus. *Id*. *Men*. *prol*. 61. ingressus fluvium rapidum ab orbe longule. *Id*. *Truc*. 2. 7. 12. Quasi de fluvio qui aquam derivat sibi. *Ennius* 1. *Ann*. 51. O gnata, tibi sunt ante ferundæ Ærumnæ, post ex fluvio fortuna resistet. *Cic*. 2. *Invent*. 31. 96. Fluvius Eurotas. *Id*. 1. *Tusc*. 39. 94. fluvius Hypanis. *Id*. 2. *Nat*. *D*. 2. 6. Quum ad fluvium Sagram Crotoniatas Locri devicissent. *Liv*. 38. 15. fluvius Taurus. *Sueton*. *Aug*. 21. fluvius Albis. *Virg*. 7. *Æn*. 36. lætus fluvio succedit opaco. *Id*. *ibid*. 494. fluvio quum forte secundo Deflueret. *Id*. 8. *ibid*. 651. fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis. *Id*. 12. *ibid*. 886. se fluvio dea condidit alto. *Id*. 8. *ibid*. 31. amœnus. *et* 86. tumens. *et* 77. corniger. *V*. CORNU. *et* 1. *G*. 272. saluber. *et ibid*. 106. satis fluvium derivare. *Ovid*. 7. *Met*. 568. Fontibus et fluviis puteisque capacibus hærent. *Stat*. 9. *Theb*. 239. Fluvium transmittere nando. — *b*) Speciatim fluviorum varia nomina habet *Ovid*. 2. *Met*. 239. *et seqq*.: et fluvius de Stygе *Virg*. 6. *Æn*. 384. et 415. — *c*) Proverbium est illud apud *Plaut*. *Curc*. 1. 1. 86. Quisnam istic fluvius est, quem non recipiat mare? ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro aqua fluente. *Virg*. 3. *G*. 126. Pubentesque secant herbas fluviosque ministrant. *Id*. *ibid*. 301. Arbuta sufficere, et fluvios præbere recentes. *h*. *e*. aquam vivam. *Plin*. 34. *Hist*. *nat*. 14. 41. (142). Perfusa certo fluvio terras. *Stat*. 9. *Theb*. 573. gelidas ibat Ladonis ad undas, Purgatura malum fluvio vivente soporem.

FLUXĒ, adverb. Comp. *Fluxius* It. — Fluxe est fluenter, fluendo, *scorrendo*.

I.) Proprie. *Varro* 2. *R*. *R*. 11. 2. *de lacte*. Quod fit ab hordeo et firmo cibo pecude pasta, id alibile: ad perpurgandum, id quod a viridi pascuo; et eo magis fluxe ex herba, quæ ipsa sumpta perpurgare corpora nostra solet. *h*. *e*. eo magis fluenter purgat. At *Schneiderus* rectius leg. *et eo magis si usa est ea herba, quæ* etc.

II.) Translate est remisse, lente, negligenter. *Ammian*. 18. 7. More vitæ remissioris fluxius agens.

FLUXĬLIS, e, adject. fluens, fluxus. *Tertull*. *advers*. *Valentinian*. 24. Fusile et fluxile liquoris est qualitas.

FLUXĬO, ōnis, f. 3. actus fluendi, fluor, decursus, *scorrimento*, *flusso*, *flussione*, ῥοή, διάῤῥοια. *Cic*. 1. *Divinat*. 49. 111. Futura præsentiunt, ut aquarum fluxiones et deflagrationem futuram aliquando cœli atque terrarum. *Al*. *leg*. eluviones. *Plin*. 24. *Hist*. *nat*. 19. 119. (183). Sanguinis fluxiones e naribus. *Id*. 22. *ibid*. 18. 21. (46). Contra fluxiones, quas Græci rheumatismos vocant. *Id*. 28. *ibid*. 7. 21. (73). Fluxiones oculorum. *Id*. 23. *ibid*. 5. 53. (99). Fluxiones vulvæ et ventris sistere. *Id*. 30. *ibid*. 7. 19. (57). Dysentericos recreant femina pecudum decocta; et, si major fluxio sit, addunt, etc. *In plerisque locis sunt qui legunt* fluctio, fluctiones.

FLUXĬPĔDUS, a, um. *V*. in voce sequenti.

FLUXĬPĬLA vestis videtur esse, quæ fluvo est longoque pilo. *Avien*. *Arat*. 287. *de sidere Virginis*. viduataque vertice summo Fluxipilæ vestis vestigia. *Al*. *leg*. Fluxipedæ, *h*. *e*. *ad pedes fluentis*: rectius.

FLUXŪRA, æ, f. 1. fluxus, fluxio. *Colum*. 3. *R*. *R*. 2. 17. Nam duæ lanatæ (*vites*) quamvis frondibus et palmitum pari facie, fluxuræ qualitate sunt dispariles. h. e. musti fluentis, dum uva exprimitur. Adde *eumd*. *ibid*. 2. 32.

FLUXUS, a, um. *V*. FLUO in fin.

FLUXUS, us, m. 4. fluxio, fluor.

I.) Proprie. *Cels*. 4. 19. *in lemmate*. De ventris fluxu. *Plin*. 2. *Hist*. *nat*. 43. 44. (114). Ventus non aliud intelligitur, quam fluxus aeris. *Al*. *leg*. fluctus. *Id*. 9. *ibid*. 25. 41. (79). Fluxus gravidarum utero sistens. *Id*. 23. *ibid*. 1. 24. (46). Picem meminisse debemus non aliud esse, quam combustæ resinæ fluxum. *Tertull*. *Pall*. 4. *a med*. Mœandrico fluxu delicatam vestem humi protrahere. — De maris reciprocatione, Italis *flusso del mare*, *V*. REFLUXUS.

II.) Translate. *Seneca Ep*. 52. *a med*. Impudicum et incessus ostendit, et manus mota, et relatus ad caput digitus, et fluxus oculorum. *Alii rectius leg*. flexu. Item et in illo, quod nonnulli efferunt ex *Tac*. 5. *Hist*. 23., certe legendum est *flexu auctumni*, minime vero *fluxu*.

FO

FŌCĀCĬUS *vel* focatius, a, um, adject. in foco excoctus, ut Focacius panis (hinc est Italorum *focaccia*) apud *Isid*. 20. *Orig*. 2. 15. Subcinericius panis cinere coctus et reversatus; ipse est focacius. *Alii leg*. focarius, *alii* focatius. — Hinc

Focacium, ĭi, n. 2. absolute, substantivorum more, pro pane focacio, legitur in *Vulgat*. *vet*. *Ital*. 3. *Reg*. 17. 12. Et illa dixit: Vivit Dominus, si est mihi focacium, nisi pusillum farinæ. *Et rursus v*. 13. Fac mihi inde focacium pusillum.

FŌCĀLE, is, n. 3. pro *faucale* a *fauces*, fascia, qua ægroti et recitaturi obvolvebant fauces, sive collum et aures, προσγναθίδιον. *Horat*. 2. *Sat*. 3. 254. ponas insignia morbi, Fasciolas, cubital, focalia. *Quintil*. 11. 3. 144. Fasciæ, quibus crura vestiuntur, et focalia, et aurium ligamenta sola excusare potest valetudo. *Martial*. 14. 142. Si recitaturus dedero tibi forte libellum, Hoc focale tuas asserat auriculas. *h*. *e*. hoc focale non collo et faucibus, ne raucescant, sed auribus admoveas, ne mala carmina audias. — *Cels*. 4. 2. *sub fin*., *Gell*. 11. 9. et *Martial*. 4. 41. et 6. 41., qui *fauces* memorant *multa lana circumdatas*, focale intelligunt. Quare nihil dicunt, qui in loco *Horatii* allato legunt *fasciolas*, *cubitale*, *focalia* prima correpta, et a *focus* derivata putantes, significari vestem, qua ægri ad focum uterentur.

FŌCĀNEUS, a, um, adject. (pro fauc aneus) ad fauces pertinens, ut Focaneus palmes, Italice *focata*, apud *Colum*. 4. *R*. *R*. 24. 10. Vocatur etiam focaneus palmes, qui solet in bifurco medius prorepere, et idcirco eum prædicto vocabulo rustici appellant, quod inter duo brachia, qua se dividit vitis, enatus velut fauces obsidet. Adde *eumd*. 5. *ibid*. 6. 35.; et *Pallad*. 3. *R*. *R*. 12.

FŌCĀRIS, e, adject. ad focum pertinens. *Isid*. 16. *Orig*. 4. 5. Est alius pyrites vulgaris, quem vivum lapidem appellant: hunc vulgus focarem petram vocat. *Hinc apud Italos* pietra focaja.

FŌCĀRĬUS, ii,

FŌCĀRĬA, æ, f. 1. *et* m. 2. servus et serva, qui circa focum ministrat, *cuoca*, *cuciniere*. *Ulp*. *Dig*. 4. 9. 1. *a med*. Caupones et stabularios æque eos accipimus, qui cauponam et stabulum exercent, institoresve eorum. Ceterum si quis opera mediastini fungitur, non continetur, ut puta atriarii, et focarii, et his similes. *Id*. *ibid*. 33. 7. 12. Instrumento putat contineri mulieres, quæ panem coquunt: item molitores: item focariam et villicam. *Pompon*. *ibid*. 15. Et in cauponia institores, et focaria. *Vulgat*. *interpr*. 1. *Reg*. 8. 13. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias et focarias et panificas. — Volunt etiam amicam militis *focariam* dici, quia focum ei struit. V. *Orell*. ad *Inscript*. infra allatam. *Imp*. *Antonin*. *Cod*. 5. 16. 2. Donationis causa, focariæ tuæ nomine instrumentum emptionis esse conscriptum. *Inscript*. apud *Gruter*. 1107. 3., quæ est apud *Orell*. 2671. D. M. M. AVRELII VITALIS MILITIS CLASSIS PRÆTORIÆ ANTONINIAN. RAVENNATIS VALERIA FAVSTINA FOCARIA, ET HERES EIVS BENEMERENTI POSVIT. *Aliam* affert *Orell*. 2672., quam tamen spuriam esse ait *Mommsen*. *Inscript*. *Neap*. 61. — De *focario pane* V. FOCACIUS.

FŌCĀTĬUS. *V*. FOCACIUS.

FŌCILLĀTĬO, ōnis, f. 3. *Paul*. *Diac*. p. 85. 5. *Müll*. Focus, fomenta, focillationes, foculi a fovendo, id est calefaciendo dicta sunt.

FŌCILLĀTUS, a, um. *V*. voc. seq.

FŌCILLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (focus). Deponentium forma *focillor* occurrit apud *Varron*., cujus verba *V*. infra. — Part. *Focillatus*. — Focillare est fovere, calefacere; et occurrit translate tantum pro recreare, instaurare, *riscaldare*, *ristorare*, *rifocillare*, ἀναλαμβάνω. *Seneca Ep*. 13. *ad fin*. Pudet me sic tecum loqui, et tam levibus remediis te focillare. *Sueton*. *Aug*. 17. M. Antonii societatem semper dubiam et incertam, variisque reconciliationibus male focillatam abrupit. *Fronto* 5. *ad M*. *Cæs*. (edente iterum *A*. *Mai*.) *Ep*. 40. habet *focilatus*. — *Varro* apud *Non*. p. 481. 5. *Merc*. Non in commune spectant, sed suum diversi commodum focillantur. h. e. fovent, curant, student.

FŌCĬLO, as, are, a. 1. idem quod focillo, foveo. *Casaub*. derivat a faucibus, ut proprie sit ægras fauces apposita lana fovere. *Auct*. *Paneg*. *ad Pis*. 114. Sed miserum parva stipe focilat, ut pudibundos etc. *Ubi al*. *rectius* munerat.

FOCIMENTUM, i, n. 2. idem ac fomentum, et

FOCIS, is, f. 3. idem ac focillatio, sunt voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Not*. *Tir*. p. 134.

FŎCŬLA, orum. *V*. FOCULUS.

FŎCŬLO, as. are, a. 1. est calorem foculo restituere, fovere. Ita *Non*. p. 10. 1. *Merc*., sed sine exemplo Latini scriptoris.

FŎCŬLUS, i, m. 2. *deminut*. *a* focus. — In plur. numero *focula* sunt nutrimenta ignis, teste *Nonio* p. 10. 2. *Merc*.; at potius *focula* neutro genere est pro *foculi*, et occurrit tantum apud *Plaut*. *Pers*. 1. 3. 24. — Foculus est parvus focus (It. *picciolo focolare*, *scaldavivande*, *braciere*; Fr. *petit foyer*, *petit fourneau ou brasier*; Hisp. *pequeño hogar*, *pequeno hornillo*, *brasero*; Germ. *die kleine Feuerstätte*, *das kleine Feuerbehältniss*, *die Kohlenpfanne*; Angl. *a little heart*, *chafingdish*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut*. *Capt*. 4. 2. 67. Laridum atque epulas foveri foculis ardentibus. *Alii leg*. coculis. *V*. COCULA. — Hinc comica festivitate *Id*. *Pers*. 1. 3. 24. intus ventris fumant focula. — *Cato R*. *R*. 10. Foculos duo, dolia olearia centum. *Plin*. 35. *Hist*. *nat*. 10. 36. (89). Arrepto carbone exstincto e foculo imaginem in pariete delineavit. — *b*) Speciatim de ejus usu ad sacrificia. *Liv*. 2. 12. Dextram accenso ad sacrificium foculo injicit. *Cic*. *Dom*. 47. 139. Bona Metelli consecravit, foculo posito in Rostris, adhibitoque tibicine. *Fronto ad Verum Imp*. (edente iterum *A*. *Mai*.) *Ep*. 6. Apud omnes foculos, aras, lucos sacros, arbores sacratas, nam rure agebam, supplicavi. *V*. voc. seq. sub 1. *b*.

II.) Figurate, *h*. *e*. per metonymiam, idem est ac parvus ignis. *Juvenal*. 3. 262. patellas Jam lavat, et bucca foculum excitat. *V*. voc. seq. in fin.

FŎCUS, i, m. 2. Ratione habita etymi, hæc *Varro* apud *Isid*. 20. *Orig*. 10. 1. Varro *focos* ait dictos, quod foveat ignes, nam ignis ipsa flamma est: quicquid autem ignem fovet, focus vocatur, seu ara sit, seu quid aliud, in quo ignis fovetur. Similiter *Servius* ad *Virg*. 12. *Æn*. 118.; et *Paul*. *Diac*. p. 85. 6. *Müll*. focum a *fovendo* (ct. *fo*) dictum putant: et *Ovid*. 6. *Fast*. 301. At focus a flammis, et quod fovet omnia, dictus. *Fŏcus* tamen conjungi potest etiam cum et. φάω *luceo* (unde et φῶς, φωτός *lux*), itemque cum *fax*, φώγειν, φρύγανον: V. *Döderlein*., *Latein*. *Synonim*. *vol*. 6. p. 132. — Itaque focus ¶ 1. Stricto sensu est id, quo ignis servatur: sive sit stabili loco in ædibus, sive qui possit quolibet circumferri, ἐσχάρα (It. *focolare*; Fr. *foyer*, *âtres*, *cheminée*, *feu*; Hisp. *hogar*, *fogon*; Germ. *der Heerd*, *die Feuerstätte*; Angl. *a hearth*). Occurrit — *a*) Generatim. *Plaut*. *Aulul*. *prol*. 7. Mihi avus hujus concredidit thesaurum auri: in medio foco defodit. *Cic*. *Senect*. 16. 55. Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites quum attulissent,

Adde *eumd.* 3. *de republ.* 28. *Id.* 2. *Divinat.* 31. 66. In Solonio, ubi ad focum angues nundinari solent. *Tibull.* 1. 1. 4. Dum meus assiduo (*al. leg.* exiguo) luceat igne focus. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 7. Jamdudum splendet focus. *Id.* 1. *Od.* 9. 5. ligna super foco Large reponens. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 4. (19). Ardentes in focis conviviorum ex eo (*lino vivo*) vidimus mappas, sordibus exustis etc. *Id.* 18. *ibid.* 11. 26. (103). Offæ ferventi foco, vel fictili patina torrentur. — *b*) Specialim de ara, seu potius de foculo, qui vel fictilis, vel æneus, vel argenteus, et duabus ansis instructus circumferri solebat sacrificandi causa: hinc sæpissime *ara focusque* simul nominantur a Latinis scriptoribus. *Veranius* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 2. Exta porriciunto, diis danto, aramve, focumve. *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 79. Vis autem Vestæ ad aras et focos pertinet. *Tibull.* 1. 9. 74. Nec prodest sanctis tura dedisse focis. *Propert.* 2. 19. 14. hædus agrestes corruet ante focos. Adde *eumd.* 4. 5. 64. *Ovid.* 1. *Art. am.* 637. Expedit esse deos, et, ut expedit, esse putemus. Dentur in antiquos tura merumque focos. *Id.* 4. *Met.* 752. Dis tribus ille focos totidem de cæspite ponit. Adde *eumd.* 4. *Fast.* 953.; *V.* voc. præced. 1., ac præcipue *Marin. Frat. Arv.* p. 311. et seqq. de foculo docte disserentem. — *c*) Item poetice de rogo. *Virg.* 11. *Æn.* 212. confusæ ruebant Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ. — *d*) Item de loco super focum, ubi Larium imagines ponebantur. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 15. Nunc tusculum emi et hasce coronas floreas; hæc imponentur in foco nostro Lari, ut fortunatas faciat gnatæ nuptias. Sic *Plin.* 28. *Hist. nat.* 20. 81. (266). Focus Larium, quo familia convenit. *Horat. Epod.* 2. 43. Sacrum vetustis exstruat lignis focum. — *e*) Hinc per synecdochen dicitur de privatis domibus. Hinc etiam Itali nunc dicunt *città di cinquecento fuochi*, h. e. quæ quingenas domos habet. *Ter. Eun.* 4. 7. 45. Domi focique fac vicissim ut memineris. Cf. *Cic. Rosc. Am.* 8. 23. Nudum ejicit domo atque focis patriis disque penatibus præcipitem Sextum exturbat. *Forcellinus* huc retulit etiam illud ejusdem *Cic. Dom.* 40. 121. Unius cujusque vestrum sedes, aras, focos, deos penates subjectos esse libidini tribuniciæ. *Virg.* 3. *Æn.* 134. Pergameamque voco et lætam cognomine gentem Hortor amare focos. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 2. Agellus habitatus quinque focis. — Hinc formola *aræ et foci*, ut apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 40. 118. Certare pro aris et focis, de qua *V.* in ARA. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro vase ferreo, æneo, aut fictili, in quo cibi coquuntur. *Cato R. R.* 75. Panem in foco caldo sub testu coquito leniter. *Id. ibid.* 76. Unguitoque, ubi tracta erunt, focum, ubi coquas: calfacito bene et testum. Adde *eumd. ibid.* 10. et 11. *Seneca Ep.* 78. *ad fin.* Quia non circa cœnationem ejus tumultus coquorum est, ipsos cum obsoniis focos transferentium: hoc enim jam luxuria commenta est. Ne quis intepescat cibus, ne quid palato jam calloso parum ferveat, cœnam culina prosequitur. *scaldavivande. Petron. Satyr.* 35. clibanum vocat. *V.* CLIBANUS. — *NB.* Juxta *Forcellinum* dicitur etiam de igne aut flamma: hinc etiam Itali nunc *fuoco* usurpant eodem. *Propert.* 4. 11. 54. Exhibuit vivos carbasus alba focos. At bona *Forcellini* venia, hic *focus* pro foculo sive ara est accipiendus: *Val.* enim *Max.* eamdem, quam *Propert.*, historiam narrans, ait 1. 1. Maximæ vero virginis Æmiliæ discipulam, exstincto igne, tutam ab omni reprehensione Vestæ numen præstitit; qua adorante, quum carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subito ignis emicuit. Hinc apud *Propert.* loc. cit. *foci* significant flammam vel ignem, non per se, sed per adj. *vivi*. Similiter apud *eumd.* 4. 9. 10. *de Caco.* Per tria partitos qui dabat ora focos. *Alii leg.* sonos, ut *Forcellinus* ipse notavit.

FŎDANS, antis. *V.* FODO.

FŎDĬCO, as, ātum, are, a. 1. (fodio). Part. *Fodicans* II. — Fodicare est idem fere ac fodere, quæ significat stimulare, pungere, *punzecchiare*, νύττω.

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 51. Mercemur servum qui dictet nomina, lævum Qui fodicet latus et cogat dextram porrigere. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 17. *fodere* eodem sensu dixit.

II.) Translate pro angere, sive dolore afficere. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 30. Eodem in usu, atque ubi periculum facias, aculeata sunt, animum fodicant. *Cic.* 3. *Tusc.* 16. 35. Non est enim in nostra potestate, fodicantibus iis rebus, quas malas esse opinamur, dissimulatio, vel oblivio.

FŎDĬCŬLA, æ, f. 1. instrumentum ferreum, quo martyrum et reorum corpora fodiebantur. *Isid.* 5. *Orig.* 27. 20. Ungulæ dictæ, quod effodiant: hæ et fodiculæ, quia iis rei in equuleo torquentur, ut fides inveniatur. Ita se legisse in *Cod. Vatic.* testatur *A. Maius* in *Scriptor. vet. nov. Collect. T.* 5. *p.* xxxi. *n.* xviii.: in editionibus legitur *fidiculæ*.

FŎDĪNA, æ, f. 1. ¶ 1. Est locus, ubi quid effoditur, *miniera*, μέταλλον. *Ulp. Dig.* 27. 9. 3. Si lapidicinas, vel aliqua metalla pupillus habuerit, vel si cretæ, argenti fodinas, etc. Sic *argenti, auri fodina* (quæ et junctis vocibus scribi solent) apud *Varron.* 1. *R. R.* 2. 22.; *Vitruv.* 7. 7.; et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 31. (98). et *ibid.* 4. 21. (78). ¶ 2. Pro fovea occurrit apud *Ammian.* 24. 4. *extr.* Quibus cuniculorum erant fodinæ mandatæ.

FŎDĬO, fŏdis, fōdi, fossum, fŏdere, a. 3. De alia forma fodo, as, are, V. voc. seq. — In infinito præs. pass. aliquando est quartæ conjugationis. *Cato R. R.* 2. Per ferias potuisse hortum fodiri. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 21. Non possunt mihi minaciis tuis hisce oculi fodiri. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 35. Seminaria commode fodiri possunt. *Ulp. Dig.* 45. 1. 75. *ad fin.* Fossam fodiri, domum ædificari. Adde *Colum. Arbor.* 30.; et *Ammian.* 24. 6.: sic *circumfodiri* legitur apud *Colum.* 5. *R. R.* 9. 12. — Part. *Fodiens, Fossus, Fossurus* et *Fodiendus* I. — Fodere (quod ratione habita etymi conjungi potest cum βόθ, unde βόθρος *fovea* et βοθρόω, βοθρεύω *fodio*) est terram, aliudve quippiam eruere, effundere, ὀρύττω (It. *cavare, scavare*; Fr. *creuser, travailler en creusant, fouiller, percer*; Hisp. *ahondar, cavar*; Germ. *graben, umgraben, durchgraben*; Angl. *to dig, delve*).

I.) Proprie. — *a*) De terra, agro, et similibus. — Absolute. *Ter. Heaut.* 1. 1. 16. Quin te in fundo conspicer fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique. *zappare. Cic.* 2. *Divinat.* 65. 134. Respondit conjector, thesaurum defossum esse sub lecto. Fodit: invenit auri aliquantum. *Id.* 2. *Orat.* 41. 174. Ut si aurum cui, quod esse multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa et notas ostenderem locorum, quibus cognitis ille sibi ipse foderet, et id, quod vellet, parvulo labore inveniret. — Cum Accusativo. *Cato* loc. cit. *sub init.* Fodere hortum. Sic *Plaut. Pœn.* 5. 2. 59. Ut hortum fodiat, atque ut frumentum metat. *Justin.* 36. 4. 3. hortos. *Virg.* 2. *G.* 408. humum. *Ovid.* 11. *Met.* 33. arva. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 32. (107). Cæpas ter fosso solo seri jubent. *Pallad.* 12. *R. R.* 6. Terra fossa et subacta. *Varro* 1. *R. R.* 31. 1. Vineas novellas fodere, aut arare et postea occare. Sic *Martial.* 14. 49. Exercet melius vinea fossa viros. *Quintil.* 9. 4. 5. Fodere vites. *Colum.* loc. cit. *init.* seminaria. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 19. (42). Irio Pisidicam fossuri tribus ante mensibus hoc veluti placamento terræ blandiuntur. *Sillig.* et alii leg. *effossuri. Ovid.* 11. *Met.* 535. murum. — *b*) De metallis et similibus, et est fodiendo eruere. *Liv.* 28. 3. Ager frugifer; argentum etiam incolæ fodiunt. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 50. Sutticitis fodiens rimatur collibus aurum. Cf. *Lucan.* 7. 755. Sic *Plin.* 36. *Hist. nat.* 24. 59. (182). Fodere e terra gypsum. et *Virg. Cul.* 391. terram gramineam de cæspite. — *c*) De puteis et similibus, et est fodiendo facere. *Plaut. Rud.* 2. 4. 19. Puteum ferramentis fodere. Sic *Auct. B. Alex.* 91. (*al.* 3. 9.). Dat centurionibus negotium, ut, reliquis operibus intermissis, ad fodiendos puteos animum conferant. *Liv.* 3. 20.; et *Ulp. Dig.* loc. cit. *sub init.* Fodere fossam. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Scrobes trium in altitudinem pedum fodere. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (15). Fodere fundamenta. Sic *Virg.* 1. *G.* 183. Aut oculis capti fodere cubilia talpæ. — *d*) De personis est pungere, stimulare, transfodere, *punzecchiare, pungere, trafiggere*, νύττω. *Plaut. Men.* 5. 5. 48. At ego te pendentem fodiam stimulis triginta dies. Sic *Virg.* 6. *Æn.* 882. Seu spumantis equi foderet calcaribus armos. et *Sil. It.* 6. 212. Fodere quadrupedem planta. Adde *eumd.* 7. 77. Rursus *Plaut. Aulul.* 3. 2. 4. Fodere (*cultro*) latus. *Ovid.* 7. *Met.* 315. guttura cultro. *Liv.* 8. 10. ora hastis. *Ovid. Ib.* 627. tua confectis fodiant sic pectora telis. *Martial. Spectac.* 7. Vel domini jugulum foderat ense nocens. *Tac.* 4. *Hist.* 29. Fodere hostem pugionibus. *Id.* 2. *ibid.* 21. et 1. *Hist.* 79. aliquem gladio. *Curt.* 5. 4. 32. plerosque telis. *Id.* 4. 15. 31. adversa ora resistentium. *Tac.* 2. *Ann.* 21. et *Agric.* 36. ora. *Liv.* 21. 55. aversos. Cf. *Sil. It.* 5. 256. et 9. 173. Similiter *Ammian.* 20. 7. Coagmenta lapidum fodit aries. — *e*) Item de personis, et *fodere latus* vel *fodere* absolute, est alicui latus leviter manu icere admonendi causa: quod præcipue fiebat a nomenclatoribus, quum salutationis officium alteri in via dictabant. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 50. Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum Qui fodiat latus etc. *Plerique tamen ex optimis Codd. legunt* fodicet, *eodem sensu.* Sic *Ter. Hecyr.* 3. 5. 16. LA. Dic jussisse te. PH. Noli fodere: jussi. — *f*) Item de oculis, qui eruuntur. *Plaut.* loc. cit. *sub init.* Fodere alicui oculos. Sic *Ovid.* 1. *Art. am.* 339. Quid fodis immeritis, Phineu, sua lumina natis? — *g*) Item obscœno sensu est mulieres et pueros vitiare. *Martial.* 7. 102. Quo fodiatur ager non habet, uxor habet. *Auct. Priap.* 53. Qui quum te male foderint jacentem Pulcre pensilibus peculiati etc. Adde *Juvenal.* 9. 45.; et *Martial.* 1. 93. — *h*) Poetice. *Sil. It.* 14. 359. fodere æquora remis. Cf. *Ovid.* 3. *Fast.* 456. Quum levis Aonias ungula (*Pegasi*) fodit aquas. *Al. leg.* fudit.

II.) Translate. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 39. Cor stimulo foditur. Cf. *Cic.* 2. *Phil.* 34. 86. Num exspectas, dum te stimulis fodiam? hæc te, si ullam partem habes sensus, lacerat, hæc cruentat oratio. *Id.* 2. *Tusc.* 14. 33. Pungit dolor; vel fodiat sane: si nudus es, da jugulum; sin tectus, resiste. *Sil. It.* 7. 511. patrum Saturnia mentes Invidiæ stimulo fodit. *Id.* 5. 159. fodiant magnas quæ pectus in iras. *h. e.* ad iracundiam excitent stimulentque.

FŎDO, as, are, a. 1. pro fodio, is, etc. dixere veteres. *Paul. Diac. p.* 84. 7. *Müll.* Hinc *effodo, as*, legunt aliqui apud *Plaut. Capt.* 3. 5. 66. octonos lapides alii effodant. *Al.* effodint *pro* effoderint. *V.* EFFODIO *init.* Hinc *Fodans, antis*, quod juxta nonnullos habet *Ennius* apud *Paul. Diac. p.* 336. 5. *Müll.* Illyrici restant, sicis sibinisque fodantes. *h. e.* transfodientes, vulnerantes. *Al.* et ipse *Müll.* leg. *fodentes*, ut sit a *Fodo, is. V.* FODO.

FŒCUNDĒ,

FŒCUNDĬTAS,

FŒCUNDO, as, et

FŒCUNDUS. *V.* FECUNDE, FECUNDITAS, FECUNDO et FECUNDUS.

FŒDĀTUS, a, um. *V.* FŒDO.

FŒDĒ, adverb. Comp. *Fœdius* et Sup. *Fœdissime.* — Fœde est turpiter, inhoneste, deformiter, flagitiose (It. *bruttamente, turpemente, vergognosamente*; Fr. *d'une manière affreuse, hideuse, detestable*; Hisp. *horriblemente, con fealdad*; Germ. *scheusslich, garstig, hässlich, entsetzlich*; Angl. *basely, cruelly, foully, disgracefully*). *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 106. Neu reliquias sic meas siris denudatis ossibus, Tetra sanie delibutas, fœde divexarier. *Plaut. Pers.* 2. 2. 48. Fœde servire. *Id. Trin.* 4. 1. 14. Absque te foret, distraxissent satellites tui me miserum fœde. *Lucret.* 1. 86. Aulide quo pacto Trivial virginis aram – turparunt sanguine fœde Ductores Danaum. *Id.* 4. 170. Tempestas perquam subito fit turbida fœde. *Id.* 5. 1223. Ne quod ob admissum fœde dictumve superbe etc. *Cic.* 9. *Att.* 7. 4. Causam fœdissime agere. *Sall. Jug.* 33. Quam fœde, quamque inulti perierint vestri defensores. *Liv.* 25. 8. Tam fœde interempti. *Virg.* 10. *Æn.* 497. una sub nocte jugali Cæsa manus juvenum fœde. *Tac.* 1. *Hist.* 41. Ceteri crura brachiaque fœde laniavere. *Liv.* 6. 1. Ad Alliam cum exitio urbis fœde pugnatum est. *Id.* 2. 51. Fœdius inde pulsi, quam etc. *Flor.* 1. 18. Legationem fœde, per obscœnam turpemque dictu contumeliam, violare.

FŒDĔRĀTĬCĬUS *vel* fœderatitius, a, um, adject. ad fœdera, vel fœderatos pertinens, ut Fœderaticiæ dicessiones et expensæ, apud *Imp. Justinian.* in *novell. Constitut.* 147. 2. et 148. 2. *Forcellinus* cum aliis legebat *Fœderaticæ.* Ceterum, ait idem *Forcellinus, novellarum*, quæ extantur, *Constitut.* autographum Græce exaratum fuit; Latina vero interpretatio ad sequiora pertinet tempora, ideoque nullius sunt auctoritatis.

FŒDĔRĀTĬCUS, a, um. *V.* voc. præced.

FŒDĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. fœdus, vinculum. *Hieronym. Ep.* 2. 9. Vincula naturæ, secundaque post

Deum fœderatio. *Cassiod.* 2. *Variar.* 39. Elementa mirabili conjungi fœderatione.

FŒDĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq. in fin.

FŒDĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Fœderari* Medorum apud Græcos more (unde et *fœderatus*) occurrit in *Vulgat. interpr. Genes.* 31. 15. Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nobis etc. et *Daniel.* 11. 6. Et post finem annorum fœderabuntur; filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam. et *Jerem.* 15. 12. Numquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone et æs? — Part. *Fœderatus* etiam in fin. — Fœderare est fœdus facere, seu potius fœdere jungere, conciliare. *Paulin. Nolan. Ep.* 27. 10. Fœderare jugantes inter se. *Ammian.* 31. 4. Quum fœderaretur concordia. *Id.* 25. 7. Fœderata pace. *Hieronym. Ep.* 5. *n.* 1. Nascentes amicitias fœderemus reciprocis epistolis. *h. e.* firmemus. — Hinc Part.

Fœderatus, a, um, dicitur qui fœdere icto cum alio in societatem coivit, *confederato, collegato, alleato*, σύμμαχος. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 182. Siquis apud nos servisset ex populo fœderato. *Id. Balb.* 8. 22. Ut quibusdam populis sive fœderatis, sive liberis permittendum esse videatur. *Id. Arch.* 4. 7. Siqui fœderatis civitatibus adscripti essent. *Nepos Hann.* 3. Fœderata civitas. *Sueton. Cal.* 3. oppida. *Id. Aug.* 47. urbes. *Id. Cæs.* 24. gentes. *Nazar.* 18. 1. societates. *Eumen. Grat. Act.* 3. 1. Saguntus. — Fœderatæ civitates, vel fœderata oppida erant, quæ cum populo Rom. amicitiam cum aliquo fœdere contraxerant, sed suis legibus et magistratibus vivebant. Nam nullum aliud jus habebant, quam societatis et fœderis. Harum aliquæ erant omnino liberæ, aliquæ vectigales, aliquæ stipendiariæ. Deinde aliquæ erant fœderatæ fœdere seu jure Latii, ut Præneste et Tibur; aliquæ fœdere Italico, ut Heraclea, Neapolis, Velia; aliquæ fœdere provinciæ Galliæ, ut Ravenna. Quælibet urbs fœderata suam rempubl. habebat ab aliis distinctam. Sed urbes fœderatæ provinciæ Galliæ minore erant libertate et dignitate, quam Latii et Italiæ. Nam præter suos magistratus communem prætorem Romanum, vel proconsulem habebant, qui imperium et jurisdictionem exerceret. V. *Spanhem. Orbis Rom. exercit.* 2. *c.* 10. et *Eckhel. D. N. V. T.* 4. *p.* 271. et seqq. — Absolute. *Cic. Balb.* 8. 22. Ut omnium beneficiorum nostrorum expertes faciat fœderatus. — De ipsa regione. *Cic.* 6. *Verr.* 11. 26. Mamertinorum fœderatum atque pacatum solum. — De singulis personis. *Ammian.* 14. 8. Fœderato nobis et socio.

FŒDĔSUM antique pro *fœderum* dictum, ut *asena* pro *arena*, et similia, testatur *Varro* 7. *L. L.* 27. *Müll.*

FŒDĬFRĂGUS, a, um, adject. qui fœdera frangit, *chi rompe i patti*, παράσπονδος. *Cic.* 1. *Off.* 12. 38. Pœni fœdifragi, crudelis Hannibal. *Capell.* 9. *p.* 303. Fœdifragum chaos. — Ex *Gell.* 19. 7. videtur colligi, etiam *fœderifragus* dici posse.

FŒDĬTAS, ātis, f. 3. turpitudo, deformitas, αἰσχρότης (It. *bruttezza, deformità, schifezza, sozzura*; Fr. *laideur, difformité, aspect horrible*; Hisp. *fealdad, difformidad*; Germ. *die Scheusslichkeit, Ekelhaftigkeit, Hässlichkeit*; Angl. *ugliness, deformity, baseness*). Occurrit — *a*) De corpore. *Justin.* 2. 13. 13. Fœditas morientium. *Id.* 9. 6. 5. Indignitati fœditas accesserat. *Id.* 38. 3. 10. Fœditas corporis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (12). Hipponacti notabilis fœditas vultus erat. *Id.* 33. *ibid.* 6. 35. (110). Fœditates cicatricum. *Id.* 11. *ibid.* 33. 39. (111). Fœditas, qua Sulla obiit. *Liv.* 31. 31. Fœditas vulnerum. *Id.* 21. 58. Transeuntem Apenninum adeo atrox tempestas orta est, ut Alpium fœditatem prope superaverit. *Al. leg.* feritatem. *Cic.* 12. *Phil.* 6. 12. Cujus scelere in hac vestitus fœditate fuerimus. *h.* e. in sagis. Deforme enim erat (nisi belli legitimi causa intercederet) in Urbe sagis uti. *Id.* 2. *Nat. D.* 50. 127. Multæ belluæ insectantes odoris intolerabili fœditate depellunt. *Liv.* 1. 28. *de Mettio quadrigis discerpto.* Avertere omnes a tanta fœditate spectaculi animos. — *b*) De animo. *Cic.* 3. *Off.* 29. 105. Si turpitudo in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et fœditas turpificati animi debet videri? *Id.* 3. *Fin.* 11. 38. Nisi eos per se fœditate sua turpitudo ipsa deterreat. *Quintil.* 8. 6. 15. Si Cicero recte sentinam reipublicæ dixit fœditatem hominum significans. *Vopisc. Carin.* 16. Ingenti fœditate se maculare. *Quintil.* 1. 5. 4. Fœditas barbarismi ac solœcismi. Adde *eumd.* 12. 10. 76.

FŒDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (fœdus). Part. *Fœdans* I.; *Fœdatus* I. et II.; *Fœdaturus* I. — Fœdare est polluere, inquinare, corrumpere, μιαίνω, φθείρω (It. *bruttare, lordare, difformare, guastare*; Fr. *rendre affreux, hideux, défigurer, salir, souiller*; Hisp. *hacer espantoso, difforme, desfigurado, ensuciar, emporcar*; Germ. *scheusslich machen, entehren, entstellen, verunstalten, verunehren*; Angl. *to pollute, defile, foul, contaminate, disgrace, disfigure, mar, spoil*).

I.) Proprie usurpatur de rebus corporeis vel physicis. — *a*) Cum Nominativo personæ. *Virg.* 3. *Æn.* 227. Harpyiæ contactu omnia fœdant immundo. *Id.* 12. *ibid.* 99. fœdare in pulvere crines Vibratos calido ferro myrrhaque madentes. Sic *Catull.* 64. 224. Canitiem terra atque infuso pulvere fœdans. et *Ovid.* 8. *Met.* 528. Pulvere canitiem genitor vultusque seniles Fœdat humi fusus. *Id.* 1. *Trist.* 3. 93. crines fœdati pulvere turpi. *Virg.* 2. *Æn.* 502. fœdare aras sanguine. *Ovid.* 3. *Met.* 723. silvas matremque sanguine. *Id.* 6. *ibid.* 238. tellurem calido sanguine. *Id.* 14. *ibid.* 190. Brachia tabo fœdata. *Sil. It.* 5. 6. fœdare lacus limo. *Val. Max.* 9. 11. *extern.* 4. urbem strage. *Virg.* 11. *Æn.* 86. Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora. Cf. *Tac.* 3. *Hist.* 77. Julianus verberibus fœdatus, in ore ejus jugulatur. *Ennius* 1. *Ann.* 136. Ferro fœdati jacent. Sic *Plaut. Amph.* 1. 1. 90. Cum clamore involant impetu alacri: fœdant et proterunt hostium copias. et *Virg.* 3. *Æn.* 241. obscœnas ferro fœdare volucres. *h.* e. ferire. Similiter *Id.* 2. *ibid.* 55. Argolicas ferro fœdare latebras. *Id.* 7. *ibid.* 575. fœdatique ora Galesi. *h.* e. cruentati et cæsi. *Cic.* vertens *Æschyli* versus 2. *Tusc.* 10. 24. Qui me perenni vivum fœdat miseria. *Liv.* 3. 26. Fœdare agros. *dare il guasto.* — *b*) Cum Nominativo rei. *Sall. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 286. Nubes fœdavere lumen. Cf. *Claudian.* VI. *Cons. Honor.* 538. aer assiduo noctem fœdaverat imbre. *Justin.* 29. 3. Videre se ait procellam magno cruoris imbre omnia fœdaturam. *Curt.* 4. 10. 2. Luna - sanguinis colore suffuso lumen omne fœdavit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 55. (176). Nullæ tectoria eorum rimæ fœdavere.

II.) Translate. *Cato* apud *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 7. (14). Nos quoque (*Græci*) dictitant barbaros, et spurcius nos, quam alios opicos, appellatione fœdant. *disonorano, infamano. Plaut. Trin.* 3. 2. 30. Ut rem patriam et gloriam majorum fœdarim meum. *Lucret.* 3. 49. fœdati crimine turpi. *Cic. Harusp. resp.* 15. 45. Sanctissima sacella suffossa, incensa, inædificata, oppressa, summa denique turpitudine fœdata. *Id. ibid.* 23. 94. Domestici belli exstinctorem nefario scelere fœdavit. *h. e.* violavit, læsit. *Id. Pis.* 22. 53. Romam ipsam fœdavit adventus tuus. *Liv.* 3. 32. Multiplici clade fœdatus annus. *Tac.* 2. *Ann.* 33. Vestis serica viros fœdat. *Id. Germ.* 46. Peucini procerum connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. *Id.* 4. *Hist.* 58. Si vobis non fuit cordi, hæc castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui fœdarique a Classico ne sinatis. *Id. ibid.* 37. Egregia erga populum Romanum merita mox rebelles fœdarunt. *Id.* 15. *Ann.* 32. Fœdare senatores plures per arenam. *h.* e. gladiatorum ministerio. *Id.* 11. *ibid.* 6. Sordidis ministeriis fœdare eloquentiam. *Id.* 4. *ibid.* 19. Fœdata per avaritiam victoria. Sic *Flor.* 1. 3. 5. Fœdare victoriam parricidio. *Id.* 3. 4. 2. mortem ludibriis. *Justin.* 36. 4. 1. regnum cædibus. *Val. Flacc.* 2. 275. sine, fœdatum te funere pontus Expiet. *Vopisc. Numer.* 13. Fœdare seipsum.

FŒDUS, a, um, adject. Comp. *Fœdior* et Sup. *Fœdissimus* I. et II. — Fœdus, quod ratione habita etymi conjungi potest cum v. *fœteo*, est turpis, maculosus, deformis, fœtidus, teter, corruptus, αἰσχρός, μιαρός (It. *brutto, lordo, vergognoso, schifoso, deforme*; Fr. *affreux, hideux, laid, difforme, dégoûtant, désagréable, repoussant, sale*; Hisp. *feo, espantoso, horroroso, disforme, desfigurado, sucio*; Germ. *scheusslich, garstig, abscheulich, hässlich*; Angl. *ugly, deformed, unseemly, unsightly, foul, loathsome, filthy, nasty*).

I.) Proprie de rebus corporeis vel physicis. — *a*) Absolute. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 17. (61). Cimices fœdissimum animal. *Id.* 20. *ibid.* 16. 63. (171). Herba odoris fœdi. *Lucret.* 2. 400. At contra tetra absinthi natura ferique Centauri fœdo pertorquent ora sapore. *Id. ibid.* 420. Qui compungunt aciem lacrimareque cogunt. Aut fœda specie tetri turpesque videntur. *Ter. Eun.* 4. 4. 14. PY. Ne comparandus hic quidem ad illum est: ille erat honesta facie et liberali. PH. Ita visus est dudum, quia varia veste exornatus fuit. Nunc eo tibi videtur fœdus, quia illam non habet. Cf. *Quintil.* 6. 3. 32. Quum ipse fœdissimus esset, eum, contra quem aderat, ne faciem quidem liberi hominis habere dixit. *Virg.* 4. *Æn.* 195. dea fœda. *paullo ante* v. 181. Monstrum horrendum, ingens. *Cic. Pis.* 14. 31. Immanissimum et fœdissimum monstrum. *Ovid.* 5. *Met.* 549. Fœdaque fit volucris. *h.* e. bubo. *Justin.* 7. 3. 8. gens. *Sall. Cat.* 15. oculi. V. *Herzogh* ad h. l. *Tibull.* 1. 9. 73. corpora. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 125. caput impexa fœdum porrigine. *Id.* 3. *Od.* 6. 4. Fœda nigro simulacra fumo. Adde *Juvenal.* 6. 132. Rursus *Horat.* 1. *Sat.* 5. 60. at illi fœda cicatrix Setosam lævi frontem turpaverat oris. *Liv.* 8. 10.; et *Ovid.* 12. *Met.* 366. fœdum vulnus. *h. e.* ingens et horrendum. *Sall. Cat.* 52. Loca tetra, inculta, fœda, formidolosa. *Plin.* 10. *Ep.* 99. cloaca. *Val. Flacc.* 4. 497. stramina. *Horat. Art. P.* 392. homines victu fœdo deterruit Orpheus. *Liv.* 21. 47. *sub fin.* Fœdum incendium. *Id.* 25. 7.; *Virg.* 1. *G.* 323.; et *Plin.* 3. *Ep.* 18. 4. tempestates. *Tac.* 3. *Hist.* 59. hiems. *Id.* 1. *ibid.* 18.; et *Justin.* 9. 6. 4. dies. *Justin.* 8. 4. 7. spectaculum. — *b*) Cum Dativo. *Liv.* 3. 32. Pestilentia fœda homini, fœda pecori. — *c*) Neutro genere, absolute, substantivorum more. *Ovid.* 9. *Met.* 166. letiferam conatur scindere vestem: Qua trahitur, trahit illa cutem: fœdumque relatu. Aut hæret membris frustra tentata revelli, Aut laceros artus et grandia detegit ossa. *che fa raccapricciare e inorridire. Liv.* 3. 69. Spoliati vulneratique in agris, fœdiora iis, quæ oculis subjiciebantur, nunciabant. *Forcellinus* hunc loc. inter translata retulit.

II.) Translate est inhonestus, turpis, pudendus, infamiam afferens: aliquando ponitur etiam pro crudeli simul et turpi. — *a*) Absolute. *Cic.* 2. *de republ.* 26. Quo (*tyranno*) neque tetrius, neque fœdius, neque diis hominibusque invisius animal ullum cogitari potest: qui quamquam figura est hominis, morum tamen immanitate vastissimas vincit belluas. *Id. Harusp. resp.* 21. 96. Fœdior atque inquinatior in Pompejo accusando. *Sall. Cat.* 19. Fœdum hominem a republica procul esse (*senatus*) volebat. Adde *Plin.* 3. *Ep.* 9. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 236. scriptores carmine fœdo Splendida facta linunt. Cf. *Quintil.* 1. 6. 32. Ad fœdissima usque ludibria labuntur. *Cic.* 8. *Att.* 11. 4. Nihil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil fœdius. *Ter. Eun.* 5. 5. 1.; et *Justin.* 39. 3. 7. Fœdum facinus. *Lucret.* 5. 1342. malum. *Id.* 4. 1151. amor. *Cic.* 7. *Att.* 26. 3. Ego bellum fœdissimum futurum puto. *Virg.* 7. *Æn.* 619. aversusque refugit Fœda ministeria. *h. e.* recludendi templum Jani bellumque indicendi. *Horat.* 3. *Od.* 5. 14. Fœdæ conditiones. *Sall. Jug.* 43.; *Liv.* 30. 6.; *Tac.* 4. *Hist.* 18.; et *Flor.* 1. 1. 13. fuga. Sic *Val. Flacc.* 6. 723. fuga fœda ducum. *Liv.* 23. 7. Æstu anima interclusa, fœdum in modum exspirare. Adde *Sueton. Claud.* 36. *Ovid.* 1. *Met.* 165. fœda convivia; *h. e.* in quibus humana caro infertur. *Id.* 8. *ibid.* 156. adulterium. *Id.* 3. *Art. am.* 217. pudor. *vergognoso rossore.* Sic *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 66. (219). exprobratio. *vergognoso rimprovero. Sueton. Aug.* 13. convicium. *Id. Claud.* 21. vacillatio. *Quintil.* 8. 6. 50. Inconsequentia rerum fœdissima. *Plin.* 2. *Ep.* 11. 23. fœdus titulus. *Juvenal.* 11. 152. fama. *Id.* 8. 183. exempla. *Val. Flacc.* 6. 283. senectus. *Justin.* 23. 3. 12. pugna. *Id.* 12. 6. 11. merces. *Id.* 2. 11. 2. Turpis et fœdus discessus. *Tac.* 15. *Ann.* 59. Fœdæ adulationes. *Flor.* 4. 6. 4. exitus. *Id.* 2. 2. 23. clades. *Id.* 3. 5. 18. Classem tempestas fœda strage laceravit. — *b*) Cum Dativo. *Cic.* 1. *Off.* 34. 123. Luxuria quum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est. — *c*) Neutro genere cum Infinito. *Cic.* 15. *Att.* 10. Ludos vero non facere, quid fœdius? *h. e.* quid turpius? *Quintil.* 9. 4. 72. Versum in oratione fieri multo fœdissimum est. *Id.* 11. 3. 180. Quidquid horum alter fecisset, fœdissimum videbatur.

Homonym. Quæ *tetra* sunt, physicos generatim sensus, h. e. visum, auditum, gustum et olfactum lædunt; quæ *fœda* sunt, αἰσθητικὸν sensum

a natura inditum; quæ *deformia*, idipsum αἰσθητικὴν sensum arte ac disciplina excultum; quæ denique *turpia*, rationem. Hinc *tetra* tædium, *fœda* aversationem, *deformia* fastidium, *turpia* improbationem pariunt. — *Turpis* physica significatione a poetis præcipue usurpatur; apud prosarios enim scriptores morali fere significatione occurrit, et *honesto* opponitur, et moralem legem lædit ratione habita τῆς αἰσθητικῆς, ut *scelestus* eamdem lædit ratione habita juris, et *nefarius* ratione habita religionis. *Lucret.* 2. 510. Namque aliis aliud retro quoque tetrius esset Naribus, auribus atque oculis orisque sapori. *Cic.* 3. *Legg.* 8. 19. Quum esset (*pleb. tribunatus*) cito lætatus (*fortasse* leto datus) tamquam ex XII. Tabulis insignis ad deformitatem puer, brevi tempore nescio quo pacto recreatus multoque tetrior et fœdior natus est. *Id.* 2. *de republ.* 26. Tyrannus, quo neque tetrius, neque fœdius, nec dis hominibusque invisus animal ullum cogitari potest. Adde *eumd.* 3. *Off.* 8. 36. et 13. *Phil.* 6. 14. *Vellej.* 2. 69. 4. In Vatinio deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii. *Cic.* 3. *Fin.* 11. 38. Nisi eos fœditate suà turpitudo ipsa deterreat. *Id.* 1. *Off.* 34. 123. Luxuria quum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est. *Id.* 3. *ibid.* 29. 105. An est ullum majus malum turpitudine? Quæ si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et fœditas turpificati animi debet videri? *Id.* 2. *ibid.* 22. 79. Habere enim quæstui rempublicam, non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium.

FŒDUS, ĕris, n. 3. *Ennius* pro *fœdus* habet *fidus*, teste *Varron.* 5. *L. L.* 86. *Müll.* — In Genitivo pluralis numeri *fœdesum* pro *fœderum* antiqui dixerunt, ut docet *Varro* 7. *L. L.* 27. *Müll.* — Ratione habita etymi, *fœdus* conjungendum videtur cum v. *hædus*, quia *f* seu digamma aspirationis vicem præstat, ut in *frango* etc. (*V.* de littera *F.*): hinc formulæ *icere, percutere, ferire fœdus* apud *Cic. Balb.* 15. 34. et *Dom.* 50. 153. et *Justin.* 42. 3. 4., hoc est facere, seu hædum icere, percutere, ferire ad societatem ineundam, quia cæsa victima mos fuit fœdus jungere: cujus rei rationem ac ritum habes apud *Liv.* 1. 24. et 9. 5., et *Virg.* 12. *Æn.* 161. et seqq. Sic a Græcis dicitur σπονδή, quod est a σπένδω *libo*, quia hujusmodi pactiones atque amicitiæ sacris libationibus jungebantur. — Ceterum fœdus est pactio, fides, amicitia regum et populorum lege et religione sancita, σπονδή (It. *confederazione, lega, alleanza*; Fr. *alliance, traité, pacte, convention*; Hisp. *alianza, confederacion, tratado, convenio, asiento*; Germ. *das Bündniss, der Vertrag, die Uebereinkunft*; Angl. *a league, covenant, treaty*).

I.) Proprie de re publica occurrit — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 21. FOEDERVM, PACIS, BELLI, INDVCIARVM ORATORES FETIALES IVDICESVE SVNTO. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 32. *Id. Senect.* 6. 16. Quum sententia senatus inclinaret ad pacem fœdusque faciendum cum Pyrrho. Sic *Id.* 2. *de republ.* 8. Quæ ex Sabinis virgines raptæ postea fuerant oratrices pacis et fœderis. *Id.* 3. *Off.* 31. 111. Quibus (*fœderibus*) etiam cum hoste devincitur fides. *Id.* 2. *Phil.* 35. 89. Neque ullam societatem optimis civibus cum importunissimo hoste fœdere ullo confirmari posse credidi. *Cæs.* 6. *B. G.* 2. Ambiorigem sibi societate et fœdere adjungunt. *Sall. Jug.* 14. Ne quem coleremus, nisi populum Romanum, ne societates, ne fœdera nova acciperemus. *Id. ibid.* 104. Amicitiam et fœdus petentibus hoc modo respondetur. Sic *Justin.* 12. 3. 12. Fœdus amicitiamque facere. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 4. 11. Agri, de quibus fœdere cautum est. *Id. Arch.* 4. 10. Heraclea, quæ est civitas amplissimo jure ac fœdere. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 5. 11. (20). Præstare aliquid ex fœdere. *Liv.* 20. 10. Res repetere ex fœdere. Adde *eumd.* 1. 23. et 3. 25.; *Nepot. Hann.* 7.; et *Curt.* 3. 1. 20. Rursus *Liv.* 20. 18. Licet per fœdus hoc facere. *Cato* apud *Gell.* 10. 1. *extr.* De fœdere decedere. *Cic. Balb.* 4. 10. Contra fœdus, id est contra populi Romani religionem et fidem fecisse dicitur. Sic *Gell.* 10. 1. Contra fœdus facere. — Multis jungitur Verbis, quorum præcipua hæc sunt. *Cic.* 2. *Invent.* 30. 91. facere fœdus cum aliquo. *Id.* 3. *de republ.* 18.; *Cæs.* 3. *B. C.* 103.; *Sall. Jug.* 38.; *Liv.* 1. 13.; et *Tac.* 11. *Ann.* 9. facere. *Cic. Balb.* 15. 34.; *Sueton. Claud.* 25.; *Ammian.* 14. 10.; et *Claudian. B. Get.* 497. icere. *Cic.* 2. *Invent.* 30. 92.; et *Virg.* 10. *Æn.* 154. ferire. *Justin.* 42. 3. 4. et 43. 5. 10. percutere. *Propert.* 4. 4. 6. inire. *Liv.* 7. 30.; *Virg.* 12. *Æn.* 822.; et *Val. Flacc.* 4. 215 et 6. 692. jungere. Sic *Liv.* 26. 24. Fœdere jungi alicui. et *Ammian.* 15. 12. Fœderibus aliquos jungere. et *Justin.* 21. 1. Alligari in fœdera societatis. *Virg.* 10. *Æn.* 15. Fœdus componere. *Val. Flacc.* 3. 503. nectere. *Virg.* 10. *Æn.* 902. pangere cum aliquo. *Ammian.* 22. 5. pacisci. *Virg.* 11. *Æn.* 292. coire in fœdera. *Id.* 4. *ibid.* 334. venire in fœdera. *Id.* 11. *ibid.* 330. Fœdus firmare. *Lucan.* 7. 351. et 8. 218. sancire. *Cic. post redit. ad Quir.* 5. 13. sanguine sancire. *Sil. It.* 1. 9. jurare. *Tibull.* 1. 10. 1. fœdera alicui dare. *h. e.* fœdere alicui fidem dare. Cf. *Ovid.* 2. *Met.* 757.; et *Sil. It.* 5. 305. *Ovid.* 1. *Art. am.* 611. Fœdus servare. *Justin.* 43. 5. 3. summa fide custodire. *Liv.* 20. 19. Stare fœdere. *Cic. Balb.* 5. 13. Jura ac fœdera negligere, violare, rumpere. *Id.* 3. *de republ.* 29. negligere. *Id.* 4. *Herenn.* 14. 20.; *Liv.* 9. 1. et 21. 10.; et *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 213. rumpere. *Cic.* 1. *de republ.* 19. et 13. *Phil.* 2. 4.; et *Liv.* 28. 44. violare. *Cic. Pis.* 12. 37.; et *Ammian.* 18. 2. frangere. *Virg.* 10. *Æn.* 91. solvere. *Id.* 12. *ibid.* 633. turbare. *Id. ibid.* 190. confundere. *Vellej.* 2. 90. 3. rescindere. *Sil. It.* 3. 85. calcare. *Id.* 11. 323. polluere. — *b*) Specialim duplex fuit apud Romanos fœderis genus: primum *fœdus æquum* appellatum inter eos populos vel reges, qui numquam hostes fuerant, aut bello pares exstiterant, in quo utrimque æquo jure societas et amicitia jungebatur, quale fuit cum Carthaginiensibus ante primum bellum Punicum; alterum vero *fœdus iniquum*, inter victores et victos, in quo his leges ab illis imponebantur, quale sæpissime cum Græcis civitatibus et regulis, quin etiam et cum regibus majorum gentium inierunt Romani. *Liv.* 23. 5. Adjicite ad hæc, quod fœdus æquum deditis, quod leges vestras, quod civitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus communicavimusque vobiscum. Cf. *Id.* 7. 30. Ut qui ex æquo nos venisse in amicitiam meminissemus. *Id.* 35. 46. Nullam enim civitatem se in Græcia nosse, quæ aut præfectum habeat, aut stipendium Romanis pendeat, aut fœdere iniquo alligata, quas nolit, leges patiatur. V. *Spanhem. Orbis Rom. exercit.* 2. *c.* 10.; et v. FŒDERO, as. — *c*) Alia sunt fœderum genera, *pactio, sponsio* et *fœdus* proprie dictum: de quibus *V.* in PACTIO. Sed hæc communi fœderis significatione non raro denotantur: nam sponsionem Caudinam *Cic.* 2. *Invent.* 30. 91., *Gell.* 17. 21. *a med.*, et *Flor.* 2. 18. vocant *fœdus*; item Numantinam *Cic.* 3. *Off.* 30. 110. — *d*) *Fœdera* pro tabulis, in quibus fœdera scribebantur, dixit *Horat.* 2. *Ep.* 1. 23. Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes Quas bis quinque viri sanxerunt, fœdera regum Vel Gabiis vel cum rigidis æquata Sabinis, Pontificum libros, annosa volumina vatum Dictitet Albano Musas in monte locutas. *Fœdus cum Gabiis* æquo jure a Tarquinio Superbo factum (*æquatum*) servabatur in templo Sancti (Διὸς Πιστίου) in colle Quirinali, scriptum in pelle bovis quem fœdus sancientes mactaverant, visum ibi a Dionysio Halicarnassensi (*Ar.* 4. 58.), qui fuit Flacco ætate suppar. Ceterum *fœdera* æreis in tabulis scribebantur, ut patet ex *Liv.* 6. 1.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de privatis cujuscumque rei pactionibus, quæ inter homines fiunt, *patto, accordo. Cic. Sext.* 10. 24. Fœdus fecerunt cum tribuno plebis palam, ut ab eo provincias acciperent, quas ipsi vellent —, id autem fœdus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant. *Id. Pis.* 12. 28. Tu scilicet homo religiosus et sanctus fœdus, quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras, frangere noluisti. *Id.* 2. *Fin.* 26. 83. Fœdus quoddam inter se facere sapientes, ut, quemadmodum sint in se ipsos animati, eodem modo sint erga amicos. *Id. Cœl.* 14. 34. Fœdera amorum. *Ovid.* 3. *Trist.* 6. 1. amicitiæ. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 3. 35.; et *Ammian.* 17. 4. Rursus *Ovid.* 7. *Met.* 403. thalami. *h. e.* conjugium, quod *Stat.* fœdera vitæ 2. *Theb.* 112. appellat: et fœdera, absolute, *ibid.* 166. Rursus *Ovid.* 7. *Met.* 710. et 852. et 9. *ibid.* 502. lecti. Cf. *eumd. Ib.* 15.; et *Liv.* 29. 23. Sic *Lucan.* 2. 342. tori. *Val. Flacc.* 8. 222. et 7. 177.; et *Ammian.* 15. 8. fœdus jugale. *Stat.* 2. *Achill.* 354. fœdera genialia. (Hinc et pro coitu *Capell.* 6. *p.* 188. Hinc de patre ferunt sine matris fœdere (*Minervam*) natam). *Liv.* 3. 57. Fœdus civile. *Justin.* 7. 3. Pignus ac fœdus hospitii. Adde *Liv.* 1. 9. *Plin.* 3. *Ep.* 4. patrocinii. *Ovid.* 4. *Pont.* 13. 43. communia fœdera studii. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 38. et 2. *ibid.* 4. 11. scelerum. ¶ 2. De rebus physicis et abstractis apud Poetas occurrit pro lege et ordine certo rerum. *Lucret.* 5. 921. si quæque suo ritu procedit et omnes Fœdere naturæ certo discrimina servant. Adde *eumd.* 5. 58. et 6. 907.; et cf. *Ovid.* 10. *Met.* 353. *Tibull.* 4. 13. 1. Nulla tuum nobis subducet femina lectum: Hoc primum juncta est fœdere nostra Venus. *Virg.* 1. *Æn.* 66. regemque dedit (*ventis*), qui fœdere certo Et premere et laxas sciret dare jussus habenas. *Id.* 1. *G.* 60. Continuo has leges æternaque fœdera certis Imposuit natura locis. *Horat.* 3. *Od.* 24. 21. Dos est magna parentium Virtus, et metuens alterius viri Certo fœdere castitas. *Ovid.* 5. *Met.* 530. repetat Proserpina cœlum: Lege tamen certà, si nullos contigit illic Ore cibos: nam sic Parcarum fœdere cautum est. *Colum.* 10. *R. R.* 220. secretaque fœdera cœli. *Juvenal.* 7. 122. Si quater egisti, si contigit aureus unus, Inde cadunt partes, ex fœdere pragmaticorum. *Sil. It.* 14. 346. cur fœdere certo Hunc adfusa globum Tethys circumliget undis, Noverat. *Id.* 15. 75. sed fœdere certo Degeneres tenebris animas (*Natura*) damnavit Avernis. Adde *Manil.* 3. 54. — *NB.* Fœdus pro fœditate. *Ulp. Dig.* 23. 2. 47. Nec enim bonos ei servatur, quæ se in tantum fœdus deduxit. Ita *Torrentin.* Al. *scelus.*

Homonym. *Fœdus* differt a *societate*, quia *fœdus* est pactio, fides, amicitia duorum vel plurium regum et populorum ad mutuam tutelam ac præsidium inita; *societas* vero est conjunctio duorum vel plurium regum et populorum vel privatorum quoque hominum, quæ conciliatur ad aliquid simul faciendum, quod in commune bonum cedat: *fœdus* lege et religione semper sancitur; non item *societas* tanta sanctione firmatur. *Liv.* 24. 6. Hieronymus legatos Carthaginem mittit ad fœdus ex societate cum Hannibale faciendum. *Sall. Jug.* 14. Masinissa nos ita instituit, patres conscripti, ne quem coleremus, nisi populum Romanum, ne societates, ne fœdera nova acciperemus. *Cic.* 2. *Phil.* 35. 89. Neque ullam societatem optimis civibus cum importunissimo hoste fœdere ullo confirmari posse credidi. *Cæs.* 6. *B. G.* 2. Ambiorigem sibi societate et fœdere adjungunt.

FŒDUS, i. *V.* HÆDUS et voc. præced.

FŒLIX. *V.* FELIX.

FŒMEN. *V.* FEMUR.

FŒMĬNA, æ. *V.* FEMINA.

FŒNĀRĬUS, a, um. *V.* FENARIUS.

FŒNEBRIS,

FŒNERATICIUS, et similia. *V.* FENEBRIS, FENERATICIUS, etc.

FŒNSUS,

FŒNĬCŬLĀRIUS,

FŒNĬCŬLUM, et similia derivata a nom.

FŒNUM, i. *V.* FENUS, FENICULARIUS, FENICULUM, etc., FENUM.

FŒNUS, ŏris. *V.* FENUS.

FŒTĔO vel feteo, es, ere, n. 2. Part. *Fœtens.* — Fœtere est male olere, δυσωδέω (It. *puzzare*; Fr. *avoir une odeur fétide, puer*; Hisp. *heder, oler mal*; Germ. übel *riechen, stinken*; Angl. *to smell foul, have an offensive smell, stink*).

I.) Proprie. *Plaut. Asin.* 5. 2. 44. An fœtet anima uxori tuæ? *Colum.* 9. *R. R.* 14. 3. Abstineat a fœtentibus acrimoniis allii, vel cæparum. *Martial.* 5. 4. Fœtere multo Myrtale solet vino. *Ammian.* 22. 7. Judæi fœtentes.

II.) Translate. *Plaut. Cas.* 3. 6. 7. Fi! fi! fœtet tuus mihi sermo. *Salvian.* 7. *Gub. D.* 23. Omnes civitates lupanaribus fœtent.

FŒTESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* fœteo. *Isid.* 20. *Orig.* 3. Aqua vetusta fœtescit.

FŒTĬDĬTAS, ātis, f. 3. idem ac fœtor. *Seneca Ep.* 110. *a med.* At mehercule ista sollicite scrutata, varieque condita, quum ventrem subierint, una atque eadem fœtiditas occupavit. *Meliores tamen libri habent* fœditas.

FŒTĪDO, as, are, a. 1. fœtidum reddo. *Plaut. Merc.* 3. 3. 13. Jejunitatis plenus animam fœtidas. Ita legit *Non. p.* 233. 7. *Merc.*, ubi potius legendum videtur: Jejunitatis plenus, anima fœtida. Alii

vero minus recte: Jam plenus mialis, animaque fœtida.

FŒTĬDUS, a, um, adject. Comp. *Fœtidior* I.; Sup. *Fœtidissimus* II. — Fœtidus est male olens, δυσώδης (It. *fetido, puzzolente*; Fr. *fétide, qui pue*; Hisp. *fetido, hediondo*; Germ. *übelriechend, stinkend*; Angl. *fetid, stinking, rank, frowzy*).

I.) Proprie. *Plaut. Merc.* 3. 3. 13. Anima fœtida. *V.* voc. præced. *Id. Capt.* 4. 2. 23. Fœtidi pisces. *Cic. Pis.* 6. 13. Et quum isto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhalasset. *Cels.* 3. 2. Fœtidiores dejectiones. *Sueton. Ner.* 51. Fœtidum corpus. *Veget.* 1. *Veterin.* 17. Fœtidissimus odor. *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 11. Fœtidissimus fons. Adde *Augustin. De morib. Manich.* 16.

II.) Translate. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 215. Fœtida libido. *Salvian.* 1. *Gubern. D.* 36. Amor fœtidissimus.

FŒTOR, ōris, m. 3. malus odor, *puzzore*, δυσωδία.

I.) Proprie. *Cic. Pis.* 10. 22. Jacebat in suorum Græcorum fœtore atque vino. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 27. (100). Fœtores oris emendare. *Colum.* 12. *R. R.* 18. 3. Ne quem redoleat fœtorem acoremque. *Paulin. Nolan. carm.* 18. 348. nec fœtor fœtet amanti.

II.) Translate. *Augustus* apud *Sueton. Aug.* 86. Vitalis sententiarum ineptiis atque inconcinnitate, et reconditorum verborum, ut ipse dicit, fœtoribus. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 47. Fœtorem hæreticæ pestis evomuit.

FŒTŬLENTER, adverb. cum fœtore, ut Fœtulenter mingere, *Veget.* 3. *Veterin.* 4.

FŒTŬLENTĬA, æ, f. 1. odor fœtidus. *Gloss. Isid.* Lustramentum, fœtor, putor, oletum, fœtulentia. *V.* et OLACITAS.

FŒTULENTUS, a, um, adject. fœtidus. *Arnob.* 7. p. 225. Fœtulenta viscera. *Apul. de Mag.* Nihil immundum pati se fœtulentum.

FŒTUS, a, um. } *V.* FETUS.
FŒTUS, us, etc. }

FŒTŪTĬNA, æ, f. 1. locus fœtore oppletus, *sentina*.

I.) Proprie. *Non. p.* 63. 26. *Merc.* Moletrina a molendo, quod pistrinum dicimus, ut ferainina, ut fœtutina.

II.) Translate in plur. tantum numero. *Apul. de Mag.* Lingua mendaciorum præministra semper in fœtutinis et olenticetis suis jaceat. *Prob. Valer.* apud *Gell.* 13. 20. *init.* Si aut versum pangis, aut orationem solutam struis, non finitiones illas prærancidas, neque fœtutinas grammaticas spectareris; sed aurem tuam interroga. *h. e.* ineptas grammaticorum leges. *V.* OLENTICETUM.

FŎLĬĀCĔUS, a, um, adject. φύλλινος, ex foliis factus, vel foliis fartus, vel foliis similis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 7. 36. (119). Paucis foliacea et lata, ut atriplici, sunt semina. Adde *eumd. ibid.* 3. 15. (42).

FŎLĬĀTĬLIS, e, adject. ex foliis constans, *di foglia*. *Venant.* 4. *Vit. S. Mart.* 335. Vento motus iners simulans foliatilis umbræ.

FŎLĬĀTŪRA, æ, f. 1. ratio et modus foliorum. *Vitruv.* 2. 9. *med.* Arboris ejus sunt similes cupressæ foliaturæ.

FŎLĬĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *folio, as*, folia habens, *fogliuto, fronzuto*. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 16. 59. (99). Caule foliato est crepis et lotos. Adde *eumd. ibid.* 15. 51. (91).; et *Pallad.* 4. *R. R.* 10. *de citreo sub fin.* *Apul.* 4. *Met.* Arbores foliatæ. *Id.* 4. *ibid.* Palma auro subtiliter foliata. — Hinc

Foliatum, i, n. 2. (subaudi *unguentum*) absolute, substantivorum more, est unguenti genus, constans omphacio, balanino, junco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo, ut *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (15). docet. Dicitur *foliatum* a folio nardi: unde et nardinum appellatur. *V.* FOLIUM II. 3. *Juvenal.* 6. 464. Mœchis foliata parantur. *Martial.* 11. 27. At mea me libram foliati poscat amica. *Id.* 14. 110. Hac licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi, Luxuriose, bibas, si foliata sitis. *h. e.* si foliatu in potionibus tuis uti volueris: nam, teste *Plin.* 13. *Hist. nat.* 3. 5. (25)., etiam in potus unguenta addere, aliquando mos fuit.

FŎLĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Foliosior*. — Foliosus est foliis abundans, *foglioso, fogliuto*, φυλλώδης. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. (161). Aizoum fruticosum a radice, et foliosum usque ad cacumen. *Sillig.* vero leg. *fruticosum a radice, et susum usque ad cacumen foliis angustis etc.* *Id.* 12. *ibid.* 11. 23. (40). Arbor foliosior, roseique floris.

FŎLĬUM, ii, n. 2. Etiam *foleum* pro *folium* scribitur in *Inscript.* apud *Orell.* 5037. DE DECERNENDO FVNERE PVBLICO GAVIAE M. F. MARCIANAE, ITEM DECEM LIBRIS FOLEI. et *mox*. PLACERE HVIC ORDINI FVNVS PVBLICVM EI DECERNI ET DECEM LIBRAS FOLEI MITTI CONCEDIQVE. *V.* infra sub II. 3. — Folium, φύλλον, germen arborum, herbarum et florum: a Græca voce, quæ allata est, quia duobus λλ concurrentibus Latini interdum posterius in i mutant, ut ἄλλος alius (It. *foglia*; Fr. *feuille*; Hisp. *hoja*; Germ. *ein Blatt*; Angl. *a pair of bellows*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 75. *Schneid.* Inde panem facito. Folia subdito. *h. e.* folia laurina, ut *Id. ibid.* 76. ait. *Lucret.* 5. 968. membra Nudabant terræ, nocturno tempore capti, Circum se foliis ac frondibus involventes. *Cic.* 3. *Orat.* 46. 179. Quid in arboribus? in quibus non truncus, non rami, non folia sunt denique, nisi ad suam retinendam conservandamque naturam. *Id. Pis.* 40. 97. Arida folia laureæ. *Cæs.* 3. *B. C.* 58. Ut foliis ex arboribus strictis equos alerent. *Horat.* 1. *Od.* 23. 5. Nam seu mobilibus repris inhorruit foliis. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 17. 9., 4. *ibid.* 3. 7., 1. *Ep.* 19. 26. et *Art. P.* 60.; *Varron.* 1. *R. R.* 7. 6.; *Curt.* 6. 4. 22. et 8. 10. 15.; *Colum.* 11. *R. R.* 3. 33.; *Pallad.* 2. *R. R.* 18. et 8. *ibid.* 6.; et *Val. Flacc.* 2. 450. et 6. 167. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 24. 38. (90). Latissima folia fico, angusta myrto, capillata pino, aculeata aquifolio, carnosa cupresso, circinata piro, mucronata malo, angulosa hederæ, inserta pectinum modo piceæ, sinuosa robori: — disposita myrto, concava buxo, inordinata pomis, ramulosa ulmo. *Id.* 19. *ibid.* 5. 26. (82). Raphani folia angulis horrida. *Id.* 25. *ibid.* 13. 102. (161). pinguia, alia in terram convexa, alia stantia. *Id.* 21. *ibid.* 15. 55. (92). fimbriata. *Id.* 26. *ibid.* 8. 29. (46). multis incisuris. *Id.* 16. *ibid.* 23. 35. (86). Populo nigræ folia in juventa circinatæ rotunditatis sunt, vetustiora in angulos exeunt. *Id.* 18. *ibid.* 7. 10. (58). faseolis renosa. — *b*) *Pluma aut folio facilius moveri*, proverbialis locutio apud *Cic.* 8. *Att.* 15. de homine levissimo et minime constanti. *V.* sub II. 1. — *c*) De foliis, in quibus Sibylla oracula sua inscribebat, occurrit apud *Virg.* 3. *Æn.* 444. et 6. *ibid.* 74. Sic *Varro* apud *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 74. In foliis palmæ interdum notis, interdum scribebant sermonibus. Hinc *Juvenal.* 8. 126. Credite me vobis folium recitare Sibyllæ. *h. e.* oraculum Sibyllæ, sive rem certam proponere. *V.* sub II. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Folia sunt res vanæ et nullius pretii: *V.* supra sub *b.* *Apul.* 1. *Met.* Folia sunt artis et nugæ meræ. ¶ 2. Dicitur et de chartis, *foglio*: *V.* supra sub *c.* *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 29. (103). Gemmas a sole excalfactas, aut digitorum attritu paleas et chartarum folia ad se rapere. Ita *Harduin.* ex MSS. *Sillig.* et al. *fila*. Sic *Isid.* 6. *Orig.* 14. Folia librorum appellata ex similitudine foliorum arborum. ¶ 3. *Folium nardi* frutex est gravi et crassa radice, sed brevi ac nigra fragilique, quamvis pingui, situm redolente, ut cyperi, aspero sapore, folio parvo densoque: cacumina in aristas se spargunt: ideo gemina dote nardi spicas et folia celebrant: *V.* FOLIATUS et NARDUS. Usum habet in unguentis, ac præsertim in eo, quod *foliatum* dicitur. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (42). — Hoc foliato aut ture utebantur Romani recentiores, *h. e.* circa medium Christi sæculum ad cadavera humana condienda, ut integra in loculis servarentur, ut patet ex *Inscript.* allata *init.* hujus voc., quæ pertinet ad ann. a Chr. n. 187.; item ex alia *Inscript.* in *Giorn. Arcad. T.* 39. p. 231. HANC FVNERE PVBLICO EFFERENDAM STATVAMQVE ET TVRIS P. L. (*h. e.* pondo quinquaginta) CENSVERVNT. *Alia ibid.* p. 232. HVNC DECVRIONES FVNERE PVBLICO EFFERENDVM CENSVERVNT EIQVE HONORES OMNES ET TVRIS P. XX. DECREVERVNT.

FOLLĔĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *folleo, as*, pro *folleo, es*, follicans. *Isid.* 19. *Orig.* 34. Linguiati calcei sunt, quos nos folleatos vocamus. *V.* LIGULA.

FOLLĔO, es, ere, n. 2. more follis laxus sum. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 28. Si pes laxa pelle non folleat. *V.* FOLLICO.

FOLLESCO, is, ere, n. 3. idem ac folleo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 150.

FOLLĬCANS, antis. *V.* voc. seq.

FOLLĬCO, as, are, n. 1. Part. *Follicans*. — Follicare est more follium se contrahere ac dilatare. *Veget.* 5. *Veterin.* 75. 1. *Schneid.* Frequenter evenit, ut, dum animalia potionantur, tussiant, sudent graviter, et tremorem musculorum omnium patiantur, follicent etiam et submisso capite se sustinere vix possint. — Sæpius tamen occurrit Part. præs. *Apul.* 9. *Met.* Muli senes, vel cantherii debiles circa præsepium capita demersi, contruncabant moles palearum, cervice cariosa vulnerum putredine, follicantes nares languidas assiduo pulsu tussedinis hiulci. *Tertull. Pall.* 3. Chamæleon oscitans vescitur, follicans ruminat: de vento cibus. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 34. Laxæ manicæ, caligæ follicantes. *h. e.* in quibus pes vagus natat, ut ait *Ovid.* 1. *Art. am.* 516. *V.* STRIDOR.

FOLLICOSUS. *V.* FOLLICULOSUS.

FOLLĬCŬLĀRIS, e, adject. Folliculare appellatur pars remi, quæ folliculo est tecta: a quo vita follicularis. Hæc *Paul. Diac. p.* 85. 8. *Müll.*, quibus videtur significare partem remi pelle munitam, qua scalmo incumbit: quam Græci ἀσκωμα appellant, *Hesychio* teste: vel lorum, quo remus scalmo alligatur. Et *vitam follicularem* videtur intelligere eorum, qui remo sunt addicti.

FOLLĬCŬLŌSUS, a, um, adject. folliculis plenus. *Apul. Herb.* 53. Papaver agreste, folliculosum. Mecona Latini papaver dicunt. Ejus alia est ovalis (*species*), quæ etiam folliculosa vocatur, alia agrestis. *Alii leg.* follicosum *et* follicosa, *eodem tamen sensu.*

FOLLĬCŬLUS, i, m. 2. θυλάκιον *deminut. a* follis, et generatim accipitur pro omni eo, quod turgidum est et laxum in morem follis.

I.) Proprie. — *a*) Ponitur pro sacculo, et sæpe pro sacco coriaceo. *Liv.* 9. 13. *ad fin.* Eques in castra folliculis frumentum veheret. *Cic.* 1. *Herenn.* 13. 23. et 2. *Invent.* 50. 149. Statim folliculo lupino os (*parricidæ*) obvolutum est. — *b*) Specialim pro majore pilæ genere, quod ex aluta conficitur, et solo impletur, quod tamen *follis* frequentius appellatur, *pallone*. *Sueton. Aug.* 83. Post bella civilia ad pilam folliculumque transiit.

II.) Translate dicitur de thecis, seu siliquis frumenti, leguminum et cujuslibet alterius rei, quæ granum, aliudve quippiam continet involutum, *guscio, follicolo*. *Varro* 1. *R. R.* 48. 1. Gluma est grani folliculus. *Seneca Ep.* 124. Quum spica se exseruit folliculo. *Pallad.* 7. *R. R.* 2. 8. Grana tritici folliculis vestiuntur. *Petron. Satyr.* 135. Dentibus folliculos fabæ perite spoliare. Similiter *Varro* 1. *R. R.* 48. 2. Folliculus fici. *Id. ibid.* 54. 3. Folliculus acinorum. *Colum.* 2. *R. R.* 8. 5. Quoniam folliculum, quo continetur, firmum et durabilem adversus longioris temporis humorem habet. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 40. (65). Semen genistæ in folliculis, faseolorum modo, nascens. *Id. ibid.* 8. 33. (49). Humor in folliculis ulmi nascens cuti nitorem inducit. — De animalibus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 12. 37. (111). Folliculus fellis animalium. *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 136. folliculum muliebrem appellari ait vulvam, qua fetus continetur. Sic pro scroto *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. *n.* 104. Inflatio crurum et folliculi genitalis vel præputii. et *mox n.* 106. Apprehenso folliculo atque virili veretro. *Veget.* 5. *Veterin.* 16. 1. In folliculo vel in ano aliisque partibus corporis nascuntur aliquando verrucæ. — Pro corpore, quo continetur anima, vel pro cute, qua ipsum corpus involvitur. *Lucilius* apud *Non. p.* 110. 27. *Merc.* Ego, si quis sum, et quo folliculo sum indutus, non queo.

FOLLĬGĔNA, æ, adject. comm. gen. folle genitus, ut Folligenæ bombi, qui nempe excitantur in organo pneumatico. *Laurentii Epithalam.* in *Antholog. Lat. Burmann. T.* 2. p. 64. Jubila folligenis exclamant organa bombis. Ita legend. probat *Wernsdorf.* in not. ad *Poet. Lat. min. T.* 2. p. 402. pro mendosa lectione *Huia folligeris* e. o. vocis. *V.* ORGANUM.

FOLLĬS, is, m. 3. proprie est sacculus coriaceus, qui vento aliave re impletur. Hinc

I.) Proprie. ¶ 1. Follis dicitur instrumentum, quo attrahitur ventus atque emittitur ad ignem ex-

citandum: a sono, quem sufflando edit, *mantice*, φῦσα. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 54. Formæ, quas vos effici sine follibus et sine incudibus non putatis. *Liv.* 38. 7. Folle fabrili flando accenderunt. *Virg.* 4. *G.* 171. alii taurinis follibus auras Accipiunt redduntque, alii stridentia tingunt Æra lacu. *Id.* 8. *Æn.* 449. ventosi folles. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 19. conclusas hircinis follibus auras. *Pers.* 5. 11. Folle ventos premere. *Theod. Priscian.* 4. 5. Follis ferrarius. ¶ 2. Item pilæ genus omnium maximum, constans ex aluta vento inflata, quod etiam hodie Italis plurimo est in usu, ita dictum, quod instar fabrilis, vel coquinarii follis vento turget, *pallone*. *Plaut. Rud.* 3. 4. 16. Ego te follem pugillatorium faciam et pendentem incursabo pugnis. *V.* CORYCEUM. *Martial.* 14. 47. Folle decet pueros ludere, folle senes. ¶ 3. Follis etiam dicebatur pulvillus sedentibus subjectus, qui non tomento, aut pluma infarciebatur, sed vento inflabatur. *Lamprid. Elagab.* 25. Vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque subito sub mensis invenirentur prandentes. ¶ 4. Quandoque accipitur pro marsupio, receptaculoque nummorum, ex pelle aut corio confecto, *borsa*. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 23. Quin quum (*avarus*) it dormitum, follem obstringit ob gulam. *Alii tamen aliter interpretantur, immo nonnulli etiam aliter legunt.* *Juvenal.* 14. 281. et tenso folle reverti inde domum possis. *h. e.* pleno sacculo. *Callistrat. Dig.* 35. 1. 82. Non utique si servus in folle reliqua obtulerit. *Veget.* 2. *Milit.* 20. auctor est, ex disciplinæ militaris consuetudine decem folles, hoc est, decem saccos, per singulas cohortes solere disponi, in quibus militum pecunia condebatur.

II.) Translate. ¶ 1. Pro ipsa pecunia cœpit usurpari. *Lamprid. Elagab.* 22. Quum haberet in sorte centum aureos, et mille argenteos, et centum folles æris. *Augustin.* 22. *Civ. D.* 8. *a med.* Quasi a martyribus quinquaginta folles, unde vestimentum emeret, petivisset. *Id.* 3. *advers. Crescent.* 29. Populo dedit viginti folles. *Id. ibid.* Grandem piscem trecentis follibus vendidit. Adde *Cod. Theod.* 6. 4. 21. *Inscript.* apud *Murat.* 376. 5., quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CCCXXXVIII. DEDIT PLEBI VRBANAE AD EPVLVM CONVIVII PANEM ET VINVM, TAVROS II., VERBECES XV., PRAETEREA ET ARCAE EORVM FOLLES M. Adde *alias* apud *eumd.* 815. 1., 816. 4. et 1715. 8.; et cf. *Inscript.* apud *Orell.* 3357. Hinc etiamnum apud Turcas certam pecuniæ summam Itali *borsa* appellant. De follis valore V. *Gronov. de pecun. vet. l.* 4. *c.* 13. et 16. Juxta *Dupuy* in *Mém. de litterat. de l'Acad. des Inscript. T.* 28. *p.* 727., follis æreus, cujus pondus est uncia, est pars 288 solidi aurei; follis continet 250 denarios minutos, quorum quisque habet tres scrupulos argenti; item alius, qui continet 125 *miliaresi*, quorum quisque valet 21 folles sive uncias æris. ¶ 2. Item de pulmonibus et ventre. *Juvenal.* 7. 111. de *causidicis*. Tunc immensa cavi spirant mendacia folles. *h. e.* pulmones, vel buccæ et fauces magno spiritu causas perorantes. *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. *circa med.* Ventris duo sunt orificia, quorum superius recipit devorata, et in follem ventris recondit. *nel ventricolo*.

FOLLĪTIM, adverb. cum folle, per follem. *Plaut. Epid.* 3. 2. 14. Nihil moror vetera et vulgata verba, peratim ductore; at ego follitim ductitabo. Est autem *follitim ductitare*, argento circumducere, quantum nempe in folle gestatur (*V.* FOLLIS I. 4.); *peratim* vero *ductore*, minore quidem, nam pera minor folle est.

FŎLUS, antiqui dicebant pro holus. *Paul. Diac. p.* 81. 5. *Müll. V.* DIGAMMA.

FŌMENTĀTĬO, ōnis, f. 3. idem ac fomentum. *Ulp. Dig.* 32. 1. 70. §. 7. Ne ea quidem, quæ fomentationis gratia parata sunt, vel medicinæ, lanarum appellatione continentur. *Pelagon. Veterin.* 25. *a med.* Fomentatio ad omnes tumores sive duritias. Adde *Theod. Priscian.* 1. 10.

FŌMENTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FŌMENTO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Fomentatus*. — Fomentare est fomenta admovere, fovere. *Veget.* 2. *Veterin.* 8. Caput fomentando vaporare. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 9. Caput oleo fomentare. *Id.* 2. *ibid.* 12. *ad fin.* Nocent etiam succi frigidi, ut hederæ, fomentati atque capiti impositi.

FŌMENTUM, i, n. 2. a *foveo*, quasi sit syncop. pro *fovimentum*, est calefactio, nutritio, θάλψις (It. *fomentazione*, *fomento*; Fr. *fomentation*, *calmant*, *lénitif*; Hisp. *fomentacion*, *lenitivo*; Germ. d. *wärmende Umschlag*, d. *Bähung*, *Verband*; Angl. *a fomentation*, *application to assuage pain*).

I.) Proprie. ¶ 1. Apud Medicos *fomenta* dicuntur applicationes rerum calidarum et humidarum ad partes corporis læsas, medendi gratia. *Cels.* 2. 17. *a med.* Fomenta calida. *Id.* 4. 11. calida, sicca. Cf. *Sueton. Aug.* 81. Quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus. *Colum.* 6. *R. R.* 30. 3. Adhibere fomenta. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 82. Assideat, fomenta paret, medicum roget. *Id.* 1. *Ep.* 2. 52. non juvant fomenta podagram. Cf. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 94. Fomentisque juvas vulnera nostra tuis. *Curt.* 3. 6. 14. Fomenta corpori admovere. Adde *Flor.* 4. 2. 72.; et *Veget.* 4. *Veterin.* 12. 3. *Schneid. Tac.* 15. *Ann.* 55. Fomenta vulneribus nulla. *h. e.* fasciæ, seu *ligamenta*, ut *Id. ibid.* ait paullo ante. ¶ 2. Pro fomite ad alendum ignem. *Clodius* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 180. Se ex arboribus fomenta excidisse. Cf. *Ammian.* 20. 7. Denso saxorum molarium pondere fomentisque ignium variis ire protinus vetabantur.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1., ponitur pro remedio et mitigatione. *Cic.* 2. *Tusc.* 24. 59. Hæc sunt solatia, hæc fomenta summorum malorum. *Id.* 2. *Fin.* 29. 95. Virtutis, magnitudinis animi, patientiæ, fortitudinis fomentis dolor mitigari solet. *Plin.* 4. *Ep.* 21. Magno tamen fomento dolor meus acquiescet, si hunc saltem fortem et incolumen, paremque illi patri, illi avo fortuna servaverit. *Tac.* 1. *Ann.* 46. Militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint. *Apul.* 2. *Met.* Paupertati suæ fomenta conquirere. *Val. Max.* 8. 1. 3. Filius Gabini Sisenna consternationis impulsu ad pedes se Memmii supplex prostravit: inde aliquod fomentum procellæ petens, unde totus impetus tempestatis eruperat. *Quintil.* 4. 3. 10. Hic velut fomentis, si quid erit asperum, præmollienius. — Similiter *Horat. Epod.* 11. 15. Quod si meis inæstuat præcordiis Libera bilis, ut hæc ingrata ventis dividat Fomenta, vulnus nil malum levantia. *h. e.* hujusmodi solandi rationes. *Plin.* 6. *Ep.* 7. Scribis te absentia mea non mediocriter affici: unumque habere solatium, quod pro me libellos meos teneas, sæpe etiam in vestigio meo colloces. Gratum est quod nos requiris, quod his fomentis acquiescis. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2., ponitur pro alimento et pabulo. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 26. frigida curarum fomenta relinquere.

FŌMES, itis, m. 3. ὑπέκκαυμα, materia arida, idonea ut facile ignescat; a *foveo* (pro *fovimes*), quia ignem fovet et alit: *V.* quæ dicta sunt sub I. in fin. (It. *esca*; Fr. *matière inflammable*, *allumettes*: Hisp. *materia inflammable*, *pajuelas*; Germ. *der Zunder*, *das Zündwerk*; Angl. *fuel*, *coal*, *wood*).

I.) Proprie. *Virg.* 1. *Æn.* 178. silici scintillam excudit Achates, Suscepitque ignem foliis, atque arida circum Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam. *Lucan.* 8. 776. Excitat invalidas admoto fomite flammas. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 77. (208). Quoniam ad excudendum ignem non semper lapidis occasio est, teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi, vel foliorum facillimo conceptu. Adde *Ammian.* 21. 12. — Huc referri possunt et illa *Paul. Diac. p.* 84. 17. *Müll.* Fomites sunt assulæ ex arboribus, dum cæduntur excussæ: dictæ, quod in eo opere occupati cibis potuque confoventur. At Opilius adustas jam vites vocari existimat fomites. Alii vocari putant scintillas, quæ ex ferro candenti malleis excutiuntur; dictæ autem ita, quia igni sunt confotæ. Pari modo assulæ, quæ sunt securibus excussæ. et *Placidi Gloss.* edente *A. Mai. in Class. Auct. T.* 3. *p.* 463. Formidat (*corrige* Fomitat), fomitibus exassulat. Cf. *Paul. Diac.* loc. in DEFOMITATUM. Hinc *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Ingentes tiliæ duæ, connexis frondibus, fomitibus abjunctis, unam umbram non una radice conficiunt. *h. e.* ramis abjunctis.

II.) Translate ponitur pro occasione, causa, origine. *Gell.* 15. 2. Fomitem esse quemdam dicens et incitabulum ingenii virtutisque, si mens et corpus hominis vino flagraret. *Prudent. Apoth.* 942. fomes peccati. *Apul. Florid.* 2. *extr.* disciplinarum. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. Mons inferiores sibi colles tamquam genuino fomite effundit. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 13.

FŌMĪTO, as, are, a. 1. fomites, seu assulas ex arboribus cædo. V. *Placidi locum cit.* in voce præced. sub I. in fin. Hinc *Gloss. Philox.* seu *Labb.* Fomes, πελέκημα, et Fomeo (*corrige* Fomito), πελεκῶ.

FŌNĒMA. *V.* PHONEMA.

FONS, fontis, m. 3. In Ablativo etiam *fonti* pro *fonte* dici posse, colliges ex *Varron.* 9. *L. L.* 112. *Müll.* — Ratione habita etymi, a v. *fundere* deducit *Varro* 5. *ibid.* 123. *Müll.* Fons, unde funditur e terra aqua viva. Sic *Paul. Diac. p.* 84. 16. *Müll.* Fons a fundendo dictus. V. *Annal. dell'Instit. T.* 8. *p.* 81. *Forcellino* videtur esse a φένω *findo*, unde φόνος, atque hinc per syncop. *fons*. — Ceterum fons est locus, unde perennis aqua erumpit et ipsa aqua jugis erumpens, πηγή, κρήνη (It. *fontana*, *fonte*, *sorgente*, *sorgiva*; Fr. *source*, *fontaine*; Hisp. *fuente*, *manancial de agua*; Germ. d. *Quelle*, d. *Bronn*; Angl. *a fountain*, *spring*, *well*, *fount*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Non p.* 144. 16. *Merc.* Eunt ad fontem, nitidant (*h. e.* abluunt) corpora. *Lucret.* 5. 602. Nonne vides etiam quam latus parvos aquai Prata riget fons interdum campisque redundet? *Id.* 6. 891. Quod genus indu mari Aradio fons dulcis aquai, Qui scatit et salsas circum se dimovet undas. *Cic.* 6. *Verr.* 53. 118. Fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium. *Id. Topic.* 8. 33. Rivorum a fonte deductio. *Id.* 2. *de republ.* 6. Romulus locum delegit fontibus abundantem. *Cæs.* 2. *B. C.* 24. Hoc itinere est fons, quo mare succedit longius, lateque is locus restagnat. *Id.* 3. *ibid.* 49. Qui fontes a quibusdam præsidiis aberant longius et celeriter æstibus exarescebant. *Auct. B. G.* 8. 41. Magnus fons sub oppidi murum prorumpebat ab ea parte etc. *Horat.* 4. *Od.* 14. 45. Nilus, qui fontium celat originem. *Id.* 1. *Ep.* 16. 12. Fons etiam rivo dare nomen idoneus. *Id.* 3. *Od.* 4. 25. Vestris amicum fontibus et choris. *Id. Epod.* 2. 27. Fontesque lymphis obstrepunt manantibus: Somnos quod invitet leves. *Ovid.* 5. *Fast.* 210. hortus liquidæ fonte rigatur aquæ. *Lucan.* 10. 40. Nilum a fonte bibere. Adde *Martial.* 9. 102. Rursus *Lucan.* 10. 279. Nilum de fonte bibere. Adde *Curt.* 3. 1. 3., 5. 13. 24. et 7. 10. 14.; *Sueton. Claud.* 20. et *Tib.* 14.; *Colum.* 11. *R. R.* 3. 8.; *Quintil.* 5. 14. 31., 8. 3. 8. et 12. 10. 19.; *Flor.* 2. 20. 7.; *Plin.* 4. *Ep.* 30. et *Paneg.* 15.; *Juvenal.* 12. 41. et 14. 104.; *Val. Flacc.* 3. 531. et 4. 364.; et *Ammian.* 23. 13. et 24. 2. — Jungitur multis Adjectivis. *Virg.* 4. *G.* 32. irriguus. *Id.* 7. *Ecl.* 45. muscosus. *Horat.* 1. *Od.* 26. 6. Fontes integri. *Id.* 3. *ibid.* 13. 1. fons splendidior vitro. *Ovid.* 3. *Met.* 161. tenui perlucidus unda. *Id. ibid.* 407. illimis, nitidis argenteus undis. *Id.* 14. *ibid.* 791. fecundus. *Id.* 15. *ibid.* 550. gelidus. *Cels.* 4. 1. medicatus. *Lucan.* 2. 485. montanus. *Id.* 4. 266. largus. *Val. Flacc.* 3. 553. nitidus. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 253. perspicuus. *Ammian.* 18. 9. potabilis. *Inscript.* apud *Orell.* 1560. Fontes calidi. *h. e.* thermæ. — Huc pertinent et illa *Ovid.* 14. *Met.* 788. flumina fontis. *h. e.* aquæ currentes. *Horat.* 2. *Od.* 19. 9. Fas pervicaces est mihi Thyiadas Vinique fontem, lactis et uberes Cantare rivos. Cf. *Euripid. Bacch.* 706. ἄλλη δὲ νάρθηκ' ἐς πέδον καθῆκε γῆς, καὶ τῇδε κρήνην ἐξανῆκ' οἴνου θεός. *Curt.* 5. 1. 15. Caverna ibi est, ex qua fons ingentem vim bituminis effundit, adeo ut satis constet, Babylonios muros ingentis operis hujus fontis bitumine interlitos esse.

II.) Translate. ¶ 1. A Poetis per synecdochen dicitur de aqua. *Virg.* 12. *Æn.* 119. fontemque ignemque ferebant. *Lucan.* 5. 336. si cuncta minentur Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes. Rursus *Virg.* 2. *Æn.* 686. et sanctos exstinguere fontibus ignes. Sic *Sil. It.* 16. 123. Festinant gelidis restinguere fontibus ignes. *Id.* 7. 169. Pocula nec norant succis mulcere Lyæi, Fonte sitim et pura soliti defendere lympha. Adde *Val. Flacc.* 4. 29. — Et pro flumine. *Sil. It.* 1. 155. Auriferi Tagus adscito cognomine fontis. *h. e.* Tagus Hispaniæ regulus, qui eodem nomine, quo magnus et aurifer Hispaniæ fluvius, gaudebat. ¶ 2. *Fons* dicitur ipsa constructio fabricæ, unde aqua profluit. *Inscript.* apud *Murat.* 478. 7. FONTEM HVNC LYSIVM, QVEM C. LYSIVS C. L. SECVNDVS PATER CONSTRVXIT, C. LY-

SIVS POSTVMVS OEERE MVSIVO EXORNAVIT. ¶ 3. Sæpissime per metaphoram est origo, principium, causa, unde quippiam abunde suppetit. — *a*) *Rivulis* opponitur apud *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 8. Meos amicos, in quibus est studium –, ad Græcos ire jubeo, ut ea a fontibus potius hauriant, quam rivulos consectantur. *Id.* 2. *Orat.* 27. 117. Tardi ingenii est, rivulos consectari, fontes rerum non videre. — Jungitur cum *principio* apud *Cic.* 6. *de republ.* 25. Quin etiam ceteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium est movendi. *Horat. Art. P.* 309. Scribendi recte sapere est et principium et fons. — Cum *origine* apud *Flor.* 3. 6. *a med.* Cilicia origo et fons belli. — Cum *capite* apud *Cic.* 1. *Orat.* 10. 42. Urgerent philosophorum greges, jam ab illo fonte et capite Socrate. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 15. Atque rerum caput hoc erat et fons. *Justin.* 13. 6. 11. Placebat bellum in Macedoniam transferri, ad ipsum fontem et caput regni, ubi Olympias esset, mater Alexandri. Adde *Liv.* 27. 4. — *b*) Cum Genitivo rei. *Plaut. Truc.* 2. 7. 50 Meo ne hero tu, improbe, male dicere audes, fons vitii et perjurii? *Lucret.* 3. 82. Fons curarum est timor. *Id.* 5. 282. Largus item liquidi fons luminis, æ herius sol. *Cic. Planc.* 23. 57. Neque ego, si fontem maledicti reperietis, ut negligatis aut dissimuletis unquam postulabo. *Id.* 1. *ad Brut.* 10. Sceleratissim. rum consiliorum fontes aperire. *Id.* 1. *Tusc.* 3. 6. Multo studiosius philosophiæ fontes aperiemus. Sic *Quintil.* 6. 1. 51. Totos eloquentiæ fontes aperire. *Cic. fragm.* apud *Lactant.* 3. 16. Omnis justorum disputatio uberrimos fontes virtutis et scientiæ continet. *Id.* 1. *Orat.* 21. 94. Qui (*disertus*) omnes omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. *Id.* 5. *de republ.* 3. Fontes earum (*legum*) utique perspexerit. *Id. Amic.* 14. 50. Benevolentia, qui est amicitiæ fons a natura constitutus. *Liv.* 39. 15. *a med.* Is fons mali hujusce fuit. Sic *Sil. It.* 9. 414. Fons mali Varro. *Phædr.* 3. 10. Fons veritatis. *Quintil.* 12. 2. 6. Dicendi facultatem ex intimis sapientiæ fontibus fluere. Adde *eumd.* 5. 10. 19. *Petron. Satyr.* 24. O hominem acutum atque urbanitatis vernulæ fontem! *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (37). Fons ingeniorum Homerus. *h. e.* unde omnes hauriunt discendi causa. Alio sensu *Juvenal.* 10. 119. Largus et exundans ingenii fons. *h. e.* vis, copia, flumen. — c) Absolute. *Cic.* 3. *Nat. D.* 19. 48. Hæc omnia ex eodem fonte fluxerunt. *Id.* 2. *Orat.* 11. 45. Ex iis fontibus, unde omnia ornamenta dicendi sumuntur. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 94. fontes ut adire remotos, Atque haurire queam vitæ præcepta beatæ. *Id.* 3. *Od.* 6. 19. Hoc fonte derivata clades Inque patres populumque fluxit. *V.* FLUO sub II. *Id. Art. P.* 52. verba quæ Græco fonte cadunt. Cf. *Ammian.* 21. 1. Velut ex perpetuis fontium venis verba suppeditare. *Plin.* 1. *Ep.* 13. *ad fin.* Altius aliquid et quasi a fonte repetere. *h. e.* ab origine prima. ¶ 4. Fons tamquam deus habitus, eique sacellum sacratum est, teste *Cic.* 3. *Nat. D.* 20. 52. et 2. *Legg.* 22. 56. Adde *Varron.* 6. *L. L.* 22. *Müll.*; *Ovid.* 3. *Fast.* 300. et 4. *ibid.* 759.; *Arnob.* 3. *p.* 117.; *Capell.* 1. *p.* 16.; *Inscript.* apud *Gruter.* 37. 3., *p.* 94. 4.; et 6. et 121. et *p.* 1072. 7.; *Inscript.* apud *Orell.* 961., 1798., 2270. et 2271.; item apud *Henzen.* 5766. et *V.* FONTANALIA.

FONTĀLIS. *V.* FONTINALIS.

FONTĀNA, æ, f. 1. *V.* FONTANUS in fin.

FONTĀNĀLĬA, ium. *V.* FONTINALIS.

FONTĀNĀLIS, e. *V.* FONTINALIS.

FONTĀNEUS, a, um, adject. idem ac fontanus. *Solin.* 37. *extr.* Enydros (*gemma*) exsudat, ut clausam in eo putes fontaneam scaturiginem. Adde *Innocent. de casis p.* 233. et 237. *Goës.*

FONTĀNUS, a, um, adject. qui ex fonte est. *Cels.* 2. 18. Aqua levissima pluvialis, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo. *Colum.* 12. *R. R.* 9. 2. Extrinsecus munda spongia vasa pertergere, et aqua fontana quam recentissima refrigerare. *Ovid.* 1. *Fast.* 269. ora fontana. *h. e.* fontium scaturigines. — Hinc

Fontana, æ, f. 1. (subaudi *aqua*) absolute, substantivorum more, est aqua fontana seu fons. *Innocent. de casis p.* 245. *Goës.* Casa sub se habet aliam fontanam.

Fontani, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more sunt fontium curatores, *fontanieri,* quorum collegium Romæ fuit; huic præerant sex magistri. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 279. *n.* 170. ILLVD SERVASITVS FONTANIS, QVOD OBTINVERVNT APVD SVOS IVDICES. Alia apud *eumd. p.* 332. *n.* 495. MINERVAE AVG. SACRUM (*sequuntur nomina sex magistrorum*) MAGISTRI FONTANI *pecunia sua* POSUERUNT. Alia apud *Marin. Frat. Arv. p.* 556. P. CLODIVS FORTVNATVS *quinquennalis* COLLEGIO FONTANORUM. Alia apud *Cardinal. Iscriz. Velit. p.* 59., quæ est apud *Orell.* 4130. CORNELIVS NEPONIVS CLASSI FONTANORUM PAVIMENTVM, AREAE STRATVRAM, EXHIBVIT. *h. e.* collegio fontanorum. — *NB.* De cognom. R. *V.* ONOM.

FONTĬCŎLA, æ, adject. comm. gen. qui ad fontem habitat. *Augustin.* 3. *Music.* 7. Ite igitur Camenæ, fonticolæ puellæ.

FONTĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* a fons, parvus fons. *fonticello,* πηγίδιον. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 56. magno de flumine malim, Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (107). Exsiliente dulci fonticulo. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 3. 16.; et *Plin.* 5. *Ep.* 6.

FONTĬGĔNA, æ, adject. (fons et gigno). Fontigenæ dicuntur Musæ, Nymphæ, quod circa fontes libenter habitent, vel ex fontibus ortum trahant. *Capell.* 6. *p.* 189. O sacra doctarum prudentia fontigenarum. V. *Kopp.* ad h. l. *Id.* 9. *p.* 308. Fontigenarum virginum chorus. *Seren. Sammon.* 12. 602. *fontigenam* vocat saxifragam, fortasse quia *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 30. (63). eam umbrosas petras parietumque aspergines ac fontium maxime specus sequi tradit.

FONTĬGER, gĕra, gĕrum, adject. fontem habens. *Inscript.* sublestæ fidei apud *Gruter.* 93. 11. NVMINE FONTIGERO GRATES EX VNDIQVE SOLVENS.

FONTĬNĀLIS *vel* fontanalis, e, adject. fontanus. *Vitruv.* 8. 3. Fontinalis aqua. — *Paul. Diac. p.* 85. 4. *Müll.* Fontinalis porta Romæ. Hæc porro fuit in veteri Romæ ambitu inter portas Cælimontanam et Ferentinam, ejusque meminit etiam *Liv.* 35. 10. et *Inscript.* apud *Gruter.* 624. 11. DIS MANIBVS A. APIDII MAJORIS TABELLARII A PORTA FONTINALI. — Hinc

Fontinalis vel *fontanalis, is,* m. 3. absolute, substantivorum more, dicitur deus fontium. *Plaut. Stich.* 5. 1. 17. Utrum Fontinali, aut Libero imperium te inbibere mavis. *Est qui legit* Fontali, *quod improbat* Taubmann. Verum *Jo. Petr. Secchi* in *Annal. dell'Instit. Archeol. T.* 8. *p.* 90. probabili conjectura putat, etiam ut metri ratio in *Plauti loc. cit.* constet, pro *Fontinali* legendum *Fontiali,* quo quidem nomine intelligitur deus in Etruscis monumentis *Fenthial* appellatus, h. e. Fanthiæ seu Fantuæ filius (*V.* FATUA in ONOM.), Fonio scilicet seu Faunio, Fauni et ejusdem Bonæ deæ filius. *Arnob.* 1. *p.* 20. Fauna, Fatua, Fauni uxor, Bona quæ dea dicitur. *Capell.* 2. *p.* 41. Ipsam terram, quæ hominibus invia est, referciunt longævorum chori, qui habitant silvas, nemora, lucus, lacus, fontes ac fluvios, appellanturque Panes, Fauni, Fones, Satyri, Silvani, Nymphæ, Fatui, Fatuæque vel Fantuæ vel etiam Fanæ, a quibus fana dicta, quod soleant divinare. Hic porro pro *Fones* fortasse scribendum *Fontes.* Hinc *Plautus loc. cit.* Libero, *h. e.* Baccho, opponit *Fontialem,* nempe Fonionem, quippe qui deus fontium esset: etenim hæc habet *Varro* 6. *L. L.* 57. *Müll.* Fontinalia a Fonte, quod is dies feriæ ejus: ab eo autem tum et in fontes coronas jaciunt, et puteos coronant.

Fontinalia vel *fontanalia, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, feriæ erant fontibus dicatæ III. Id. Octobr. quo die et coronæ in fontes conjici, et putei coronari solebant. *Varro* 6. *L. L.* 57. *Müll.*; et *Paul. Diac. p.* 85. 4. *Müll. Vet. Kalend. Amitern.* apud *Foggin. Fast. Verrii Flacci p.* 100., et apud *Orell. Inscript. vol.* 2. *p.* 100. III. EID. OCTOBR. FONTINALIA. FERIAE FONTI.

FOR, fāris, fātus sum, fari, dep. 1. Verbum est defectivum, cujus primam et secundam personam *for, faris* agnoscunt *Diomed.* 1. *p.* 375. *Putsch.* et *Priscian.* 8. *p.* 791. et alii: usitata vero tempora, personæ, modi in subjectis apparent exemplis. — Antiquum est, ac propterea Poetarum præcipue proprium, teste *Quintil.* 8. 3. 27. Quædam vetera etiam necessario interim sumuntur, ut *fari.* — Part. *Fans* sub *A.* 1. et *B.* 1.; *Fatus* sub *A.* 1.; *Fandus* sub *A.* 2. et *B.* 1. et in fin. — *Fari,* quod ratione habita etymi est a φάω *aperio,* unde φημί *loquor,* et Latinum *faor,* deinde *for, faris* (ut ab ἀμάω, *amo, as* et *amor, aris*), significat loqui, dicere, narrare, λαλέω (It. *parlare, dire*; Fr. *parler, dire*; Hisp. *hablar, decir*; Germ. *sprechen, reden, sagen*; Angl. *to speak, utter an articulate sound*). Occurrit autem *A*) Neutrorum more; et *B*) Cum Accusativo.

A) Neutrorum more. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Quod ad significationem attinet, hæc *Varro* 6. *L. L.* 52. *Müll.* Fatur is, qui primum homo significabilem ore mittit vocem. Ab eo antequam ita faciant, pueri dicuntur infantes; quum id faciant, jam fari. Hinc *Sueton. Aug.* 94. Quum primum fari cœpisset, obstrepentes ranas silere jussit. *Gell.* 5. 9. Filius Crœsi, quum jam per ætatem fari posset, infans erat. *Horat.* 4. *Od.* 6. 18. fari nescios pueros. *Augustin.* 1. *Confess.* 8. Non enim eram infans, qui non farer. — 2.°) Dicitur tamen universim de omni ætate. — a) *Fatur, fari, fatus,* apud *Cic. Tim.* 11. Tum ad eos is deus, qui omnia genuit, fatur: Hæc vos etc. *Val. Flacc.* 3. 616. sociosque simul sic fatur ad omnes. *Virg.* 11. *Æn.* 241. tum facta silentia linguis, Et Venulus dicto parens ita farier infit. *paragoge* pro fari. *Lucan.* 2. 241. farique his vocibus orsus. *Varro* 6. *L. L.* 30. *Müll.* Prætor, qui tum fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia facta piatur; si prudens dixit etc. *Virg.* 6. *Æn.* 321. Olli sic breviter fata est longæva sacerdos. *Id.* 2. *ibid.* 50. Sic fatus, validis ingentem viribus hastam Contorsit. — b) *Fans* apud *Plaut. Pers.* 2. 1. 7. Tu meum ingenium fans non edidicisti, atque infans. — c) *Fandi* apud *Virg.* 1. *Æn.* 521. Postquam introgressi et coram data copia fandi. *Id.* 4. *ibid.* 293. quæ mollissima fandi Tempora. *Id.* 10. *ibid.* 225. fandi doctissima Cymodocea. *Id.* 9. *ibid.* 602. fandi fictor. *h. e.* Ulixes. — d) *Fando* duplicem vim habet activam et passivam, ut adnotarunt *Diomed.* 1. *p.* 333. *Putsch.* et *Priscian.* 9. *p.* 811. Activam in illo *Val. Flacc.* 4. 170. his fando si nuncius exstitit oris. Cf. *Stat.* 1. *Theb.* 655. quid fando tua tela manusque Demoror? *V.* alia infra sub *B.* 1. Passivam (et dicitur de iis, quæ rumore et fama accipiuntur) ut apud *Plaut. Amph.* 2. 1. 41. Neque fando unquam accepit quisquam etc. *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 82. Ne fando quidem auditum est, crocodilum aut ibim violatum ab Ægyptio. Adde *Virg.* 2. *Æn.* 81.; *Ovid.* 15. *Met.* 497.; et *Plin. Paneg.* 86. Sic *Sil. It.* 10. 484. si Porsena fando Auditus tibi. — e) *Fatu* apud *Virg.* 12. *Æn.* 25. sine, me hæc haud mollia fatu Sublatis aperire dolis. *Auct. Priap.* 38. Turpe quidem fatu, sed ne tentigine rumpar, etc. *Solin.* 3. *a med.* Lapis fatu dignissimus. ¶ 2. Speciatim est vaticinari, divinare. *Ennius* apud *Prob.* ad *Virg.* 6. *Ecl.* 31. Atque Anchises doctu', Venus quem pulcra dearum Fari donavit, divinum pectus habere. *Virg.* 1. *Æn.* 261. fabor enim, quando hæc te cura remordet, Longius et volvens fatorum arcana movebo. — Et cum Accusativo. *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 66. Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet. *Seneca Œdip.* 328. Quid sit parens, effare. TIR. Quid fari queam inter tumultus mentis attonitæ vagos? — Et sequente relativo. *Id. ibid.* 291. Sacrate divis, proximum Phœbo caput, Responsa solve: fare, quem pœnæ petant.

B) Cum Accusativo. ¶ 1. Generatim. — 1.°) Cum Accusativo. — a) *Fatur, fari, fatus* apud *Lucret.* 3. 465. dementit deliraque fatur. *Virg.* 1. *Æn.* 260. Oscula libavit natæ, dehinc talia fatur. *Horat.* 1. *Ep.* 4. 9. Qui sapere et fari possit, quæ sentiat. *Val. Flacc.* 3. 611. nil super liærente fari. *Virg.* 2. *Æn.* 323. Vix ea fatus eram. *Seneca Troad.* 197. Hæc fatus alta voce. — b) *Fabor* apud *Val. Flacc.* 8. 181. cursu, quem fabor, eundum est. *Cic.* vertens *Homeri* versus *Iliad. l.* 7. *v.* 90. apud *Gell.* 15. 6. Fabitur hoc aliquis: mea semper gloria vivet. — c) *Fans* apud *Virg.* 6. *Æn.* 46. cui talia fanti subito non vultus, non color unus. *Propert.* 3. 5. 19. Subtrahit hæc fantem torta vertigine fluctus. — d) *Fando* (*V.* supra sub *A.* 1. d.) vi activa apud *Virg.* 2. *Æn.* 6. quis talia fando Temperet a lacrimis? — e) *Famino* imperat., fare, dicito, *Paul. Diac. p.* 87. 10. *Müll.* teste. *Cato R. R.* 141. Janum Jovemque vino, prece famino. *h. e.* affare, adora. Alii rectius leg. *vino præfamino.* — 2.°) Sequente relativo. *Virg.* 6. *Æn.* 389. Fare age, quid

venias. *Id. ibid.* 531. Sed te qui vivum casus, age fare vicissim, Attulerint. *Val. Flacc.* 5. 552. Fare, an patriam spes ulla videndi. *V.* supra sub *A.* 2. — 3.°) Cum Infinito. Venus ad Famam apud *Val. Flacc.* 2. 131. Adfore jam luxu turpique cupidine captos Fare viros, carasque toris inducere Thressas. — 4.°) Passive, *fatur*, h. e. dicitur. *Sueton.* apud *Priscian.* 8. p. 793. *Putsch.* Fasti dies sunt, in quibus jus fatur. — Similiter *fandus*: *V.* supra sub *A.* 2., et in fin. ¶ 2. Speciatim apud Poetas est canere, versibus dicere. — *a*) Cum Accusativo. *Propert.* 4. 4. 1. Tarpejum nemus et Tarpejæ turpe sepulcrum Fabor et antiqui limina capta Jovis. — *b*) Sequente relativo. *Nævius* 1. 1. Qui terrai Latiai tuserunt homones Vires frudesque Pœnicas fabor. In recensione cl. *J. Vahleni* (*Cn. Nævii de bello Punico reliquiæ*, Lipsiæ 1854.) hi versus desunt. — Hinc Part. pass., cujus et superius exemplum retulimus,

Fandus, a, um, adjective quoque occurrit, præcipue cum opposito *nefandus*, et est qui dici potest, adeoque justus. *Catull.* 64. 406. Omnia fanda, nefanda malo permixta furore Justificam nobis mentem avertere deorum. *Virg.* 1. *Æn.* 517. At sperate deos memores fandi atque nefandi. *h. e.* justi et injusti. Cf. *Nazar. Paneg. Constant.* 7. Illa igitur vis, illa majestas fandi ac nefandi discriminatrix etc. *h. e.* Deus. *Liv.* 10. 41. Respersæ fando nefandoque sanguine aræ. *Alii tamen aliter legunt. Lucan.* 1. 631. non fanda timemus, Sed venient majora metu. *Id.* 2. 176. inexpleto non fanda piacula busto.

Fatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, *V.* FATUM loco suo.

FŎRĀBĬLIS, e, adject. qui forari potest. *Ovid.* 12. *Met.* 170. Contemptor ferri, nulloque forabilis ictu.

FŎRĀGO, inis, f. 3. filum est, auctore *Paul. Diac.* p. 90. 12. *Müll.*, quo textrices opus diurnum distinguunt: a forando dictum, quia forabant eo filo telam, ut signo hoc distinguerent pensa. *Symmach.* 6. *Ep.* 68. (*al.* 67.). Residens inter pensa et foragines puellarum. *Gloss. Isid.* Forago, trames diversi coloris.

FŎRĀMEN, inis, n. 3. (foro, as, are) apertura forando facta, ὀπή, *forame, buco, apertura.* Occurrit — *a*) Generatim. *Sisenna* apud *Non.* p. 113. 27. *Merc.* Neque porta, neque ullum foramen erat, qua posset eruptio fieri. *Colum.* 9. *R. R.* 15. 10. Foramina parietum et fenestrarum. *Justin.* 24. 6. 9. In hoc rupis anfractu, – planities exigua est, atque in ea profundum terræ foramen, quod in oracula patet. *Cæs.* 3. *B. C.* 53. Scuto ad eum relato Scævæ centurionis, inventa sunt in eo foramina ccxxx. *Horat. Art. P.* 203. Tibia tenuis, simplexque foramine pauco. *Ovid.* 4. *Met.* 122. vitiato fistula plumbo Scinditur, et tenues, stridente foramine, longe Ejaculatur aquas. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 31. (98). Crebris foraminibus aliquid excavare. Adde *eumd. ibid.* 26. 32. (93). et 10. *ibid.* 70. 89. (193).; *Cels.* 8. 4.; *Scribon. Compos.* 39. et 42.; *Quintil.* 1. 11. 7. et 11. 3. 20.; *Sueton. Ner.* 12.; *Curt.* 7. 3. 9.; *Lucan.* 9. 811.; et *Solin.* 5. *a med. Ammian.* 21. 4. Pervadere foraminum aditus. — *b*) Speciatim de humanis membris. *Cic.* 1. *Tusc.* 20. 47. Quamquam foramina illa, quæ patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est. *h. e.* aures, oculos, etc. *Jul. Obseq.* 113. Puer ex ancilla natus sine foramine naturæ, qua humor emittitur. *Pelagon. Veterin.* 8. 7. Collyrium tenue inde foramini, quo manat urina. — *c*) Item de cloaca dixit *Sueton. Gramm.* 2. Quum regione Palatii prolapsus in cloacæ foramen crus fregisset. — *d*) Item de puteo. *Ammian.* 23. 6. Quæ lues oriens a profundo quondam puteo – terras circumsitas inhabitabiles acerbitate fecit. Cujus simile foramen apud Hierapolim Phrygiæ antehac – videbatur; unde emergens itidem noxius spiritus etc.

FŎRĀMĬNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *foramino*, foraminibus scil. instruo, *forato, pertugiato*, ut Foraminatus paries. *Sidon.* 2. *Ep.* 2.; et Foraminati circuli loricarum cæsim atque punctim. *Id.* 3. *ibid.* 5.

FŎRĀMĬNŌSUS, a, um, adject. foraminibus abundans, *forato*, τρηματώδης. *Tertull. Patient.* 11. Foraminosa caro.

FŎRAS, adverb. Proprie est Accusativi forma, ut *alias, alteras*, etc.; quemadmodum *foris* est Ablativi forma; cf. et θύρας apud Græcos: ratione habita etymi conjungendum est cum n. *forum* a *fero*: et est adverbium motus ad locum, quod significat extra, ἔξω (It. *fuora, fuori*; Fr. *dehors, au dehors*; Hisp. *afuera, fuera*; Germ. *hinaus, nach aussen hin, heraus*; Angl. *out of doors, forth, out*). Occurrit — 1.°) Stricto sensu cum Verbis motus; et quidem — *a*) Apud classicos Auctores sine addito casu. — Cum Verbis exeundi. *Plaut. Amph.* 1. 2. 35. Crepuit foris: Amphitruo exit foras. *Id. Aulul.* 1. 1. 1. Exi, age exi; exeundum hercle tibi hinc est foras. *Id. Amph.* 5. 1. 28. Quid tu foras egressa es? *Ter. Phorm.* 3. 1. 20. Eccum ab sua palæstra exit foras. Adde eumd. *Andr.* 1. 2. 3. Similiter *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. Se foras dare. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 37. Edere se foras. *h. e.* exire, erumpere. *Ter. Eun.* 3. 5. 51. Promere se foras. *Cæs.* 2. *B. C.* 12. Hostes inermes cum infulis sese porta foras universi proripiunt. *Id. ibid.* 11. Portis se foras erumpunt. *Ter. Eun.* 5. 5. 3. Misera huc effugi foras. Cf. *Lucret.* 5. 490. Et tanto magis illa, foras elapsa, volabant Corpora multa vaporis et aeris. *Id.* 4. 529. Propterea radit vox fauces sæpe, facitque Asperiora foras gradiens arteria clamor. *Id.* 6. 682. Flamma foras vastis Ætnæ fornacibus efflat. — Cum Verbis evocandi et ejiciendi. *Ter. Hecyr.* 5. 1. 6. Te huc foras puerum evocare jussi. *Plaut. Asin.* 1. 2. 1. Siccine hoc fit? foras ædibus me ejici? *Id. ibid.* 3. 3. 6. Hanu hercle hinc exclusu' st foras. Sic *Ter. Eun.* 1. 2. 18. Foras quempiam excludere. *Plaut. Aulul. prol.* 38. Anum foras extrudit, ne sit conscia. Cf. *eumd. ibid.* 2. 1. 14. Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi. *Cic.* 2. *Cat.* 1. 2. Quæ (*urbs*) lætari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit forasque projecerit. — Cum Verbis efferendi, emittendi et exstandi. *Ter. Phorm.* 5. 7. 65. Vides, tuum peccatum esse elatum foras. Sic *Cic.* 10. *Phil.* 3. 6. An vero hoc pro nihilo putas efferri hoc foras et ad populi Romani aures pervenire? Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 24. ne fidos inter amicos Sit qui dicta foras eliminet. Rursus *Cic. Cæl.* 23. 57. Domus, in qua nihil geratur, quod foras perferendum sit. *Al. leg.* proferendum. *Lucret.* 1. 978. Sive foras fertur telum. Sic *Id.* 3. 496. quod semina vocis Ejiciuntur et ore foras glomerata feruntur. *Virg.* 8. *Ecl.* 101. Fer cineres, Amarylli, foras. *Cic.* 13. *Att.* 22. 3. Scripta nostra nusquam malo esse, quam apud te: sed ea tum foras dari, quum utrique nostrum videbitur. *pubblicarsi. Id.* 6. *de republ.* 26. Si jam tum, quum (*animus*) erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quæ extra sunt, contemplans etc. Cf. *Id. fragm.* apud *Non.* p. 373. 25. *Merc.* Justitia foras spectat et projecta tota est atque eminet. Adde *Senec. Ep.* 12. — Huc pertinet et illud *Plaut. Epid.* 1. 2. 62. Ambulare foras. — *I foras* formula viri divortium cum uxore facientis. *Plaut. Cas.* 2. 2. 36. I foras, mulier. *Martial.* 11. 104. Uxor vade foras, aut moribus utere nostris. Confer *Ovid.* 2. *Art. am.* 279. Ipse licet Musis venias comitatus, Homere; Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras. — *Feri canem foras*, h. e. feriendo ejice, Latine dicebant, teste *Donat.* ad illud *Ter. Eun.* 2. 3. 66. Homo certe quatietur cum dono foras. *h. e.* quatiendo ejicietur. — *Malum foras*, formula proverbialis malum deprecantis. *Tertull. advers. Valentinian.* 10. *sub fin.* Malum, quod ajunt, foras. — *Foras* aliquando per hyphen cum nomine conjungitur, ut *foras gerones.* V. hanc vocem infra loco suo. — *b*) Cum Genitivo. *Apul. de Mag.* Quæ tabes si foras corporis prospiravit etc. ἐκτὸς τοῦ σώματος. — *c*) Cum Accusativo. *Hieronym. Comment. in Matth.* c. 27. v. 33. Extra urbem et foras portam. Sic *Vulgat. interpr. Ezech.* 47. 2. Foras exteriorem partem. *Id. Act.* 21. 5. Usque foras civitatem. — 2.°) Latiori sensu cum Verbis status occurrit, quum *foras* ad homines refertur. *Plaut. Stich.* 1. 3. 66. Auctionem facere decretum est mihi; foras necessum, quidquid habeo, vendere. *Ter. Adelph.* 5. 8. 26. Agellus, quem locitas foras. *h. e.* extraneis locas. In his tamen duobus locis aliquam motus significationem verba ipsa continent: quod non æque apud *Petron. Satyr.* 30. Cœnare foras. *h. e.* apud amicum cœnare, non domi. *V.* FORIS, adverb.

FŎRAS-GĔRŌNES, um, m. plur. 3. qui omnia foras exportant. *Plaut. Truc.* 2. 7. 1. Ite damnigeruli, foras-gerones, bonorum hamaxagogæ.

FŎRASTĬCUS, a, um, adject. exterior. *Gloss. Placid.* edente *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. p. 463.

FŎRĀTUS, a, um. *V.* FORO.

FŎRĀTUS, us, m. 4. actus forandi, *forazione*, τρῆσις. In sexto casu sing. *Lactant. Opific.* 8. A quo foratu frontem nominatam Varro existimavit. *Tertull. Pall.* 4. Aurem foratu effeminatus.

FORBEAM antiqui omne genus cibi appellabant, quam Græci φορβήν vocant. *Paul. Diac.* p. 84. 6. *Müll.* Græca vox est a φέρβω pasco.

FORCEPS, cipis, m. et f. 3. In Genitivo plurali habet etiam *forcipium*, pro *forcipum.* Ita etiam jubent critici legi illud *Lucilii* apud *Charis. loc. mox citand.* scalprorum forcipiumque Millia viginti. — Ceterum forceps, idem ac forfex, πυράγρα, est instrumentum fabrum ferrariorum, chirurgorum, aliorumque, ad aliquid capiendum retinendumque. A *formus* et *capio* derivant, quasi *formucapes*: *V.* FORMUCALES, *tenaglia.*

I.) Proprie. *Virg.* 4. *G.* 175. Cyclopes versant tenaci forcipe ferrum. *Ovid.* 12. *Met.* 277. ferrum, quod curva forcipe faber Eduxit. *Lucilius* apud *Charis.* 1. p. 71. *Putsch.* et uncis Forcipibus dentes evelleret. *Cels.* 7. 12. Dentem forcipe excipere. *et mox.* Recta forceps ducendus est, ne etc. *et paullo post.* item 8. 4. *a med.* Radix dentis ad id facto forcipe, quam ῥιζάγραν Græci vocant, eximenda est. *Id.* 7. 5. Telum forcipe extrahere, educere. *Ovid.* 6. *Met.* 556. compressam forcipe linguam Abstulit ense fero. *Id.* 9. *ibid.* 78. ceu guttura forcipe pressus. — In machina tractoria forceps est ferramentum cuneatum, quod oneri infixum, apprehendit et continet. *Vitruv.* 10. 2. Ad rechamum imum ferrei forcipes religantur, quorum dentes in saxa forata accommodantur. *V.* FORFEX.

II.) Figurate. ¶ 1. Per similitudinem dicuntur *forcipes* de extremitatibus brachiorum, et veluti manibus in cancris, scorpionibus et similibus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (97). Cornua prælonga quibusdam scarabæis bisulcis dentata forcipibus in cacumine, quum libuit, ad morsum coeuntibus. *V.* FORFEX. ¶ 2. In re militari est genus aciei. *V.* FORFEX.

FORCILLO. *V.* FURCILLO.

FORCTIS. *V.* FORTIS *init.*

FORDA, æ. *V.* FORDUS.

FORDĬCĪDIA, ōrum, n. plur. 2. A *Paul. Diac.* p. 102. 4. *Müll.* dicuntur et *hordicidia.* — Fordicidia erant sacrificia, quibus boves fordæ, idest gravidæ, immolabantur: a *forda* et *cædo. Varro* 6. *L. L.* 15. *Müll.* et *Paul. Diac.* p. 83. 13. et 102. 15. *Müll.* V. voc. seq. — Celebrabantur fordicidia in honorem telluris, XII. Cal. Maji, ut colligitur ex *Ovid.* 4. *Fast.* 629. *et seqq.* et *Kalend. Maffej. Prænest.* et *Vatican.*

FORDUS, a, um, adject. Pro *fordus* etiam *hordus* occurrit: V. *Forda* in fin. — Bos forda est bos prægnans: a *ferendo*, quia fert in ventre, vel ab accus. φοράδα, *bestiam gravidam. Ovid.* 4. *Fast.* 629. Tertia post Veneris quum lux surrexerit Idus, Pontifices, forda sacra litate bove. Forda ferens bos est fecundaque, dicta ferendo. *Varro* 6. *L. L.* 15. *Müll.* Fordicidia a fordis bubus: bos forda, quæ fert in ventre. Quod eo die publice immolantur boves prægnantes in curiis complures, a fordis cædendis fordicidia dicta. *Paul. Diac.* p. 83. 13. *Müll.* Fordicidia boves fordæ, id est gravidæ immolabantur. — Hinc

Forda, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, eodem sensu. *Colum.* 6. *R. R.* 24. 3. Post unum coitum forda non admittit taurum. Adde *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 140. Cf. *Paul. Diac.* p. 102. 15. *Müll.* Horda prægnans, unde dies, quo gravidæ hostiæ immolabantur, hordicidia.

FŎRĔ et

FŎREM, es, etc. *V.* SUM.

FŎRENSIS, e, adject. ad forum pertinens. Hinc ¶ 1. De iis, quæ in foro fiunt, h. e. publice, *del foro, forense, di palazzo*, δικανικός. — *a*) Generatim *forenses causæ*, quæ in foro judiciali agitantur, *forensis homo*, qui in foro versari et causas agere consuevit, *forensis rhetorica*, quæ foro judiciisque est accommodata. *Cic. Orat.* 51. 170. Habet nomen invidiam, quum in oratione judiciali et forensi numerus, Græce ῥυθμός, inesse dicitur. *Id. Brut.* 83. 287. Thucydides hoc forense, concertatorium, judiciale non tractavit genus. *Id. Orat.* 61

208. Genus dicendi remotum a judiciis forensique certamine. *Id.* 2. *Fin.* 6. 17. Dicam rhetorice: sed hac rhetorica philosophorum, non nostra illa forensi. *Id. Brut.* 78. 272. Nullum tempus illi unquam vacabat aut a forensi dictione, aut a commentatione domestica. *Id. Planc.* 12. 29. Hæc signa probitatis non fucata forensi specie, sed domesticis inusta notis veritatis. *Id.* 5. *Fam.* 8. *extr.* Ut opera, consilio, auctoritate, gratia mea utantur in omnibus publicis, privatis, forensibus, domesticis, tuis, amicorum negotiis. *Id. Orat.* 43. *extr.* Forenses res, domesticæ litteræ. *Id.* 1. *Att.* 18. 8. Splendor forensis. *Quintil.* 2. 1. 27. et 4. 2. 20. Forenses actiones. *Id.* 1. 8. 11. Forensis asperitas. *Nepos Alcib.* 3. Forensis opera. *Val. Max.* 8. 5. Forensis militia. *Id.* 8. 7. et 3. 8. Forensia stipendia. *Ovid.* 4. *Pont.* 6. 29. Marte forensi florere. *Eumen. Orat. pro Restitut. Schol.* 2. Secta forensium patronorum. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 8. forensis opella. *Aurel. Vict. Epit.* 41. Licinius infestus litteris, quas per inscitiam immodicam virus ac pestem publicam nominabat, præsertim forensem industriam. — *Forensis formularius. V.* FORMULARIUS. — Et absolute *forensis, is,* substantivorum more, qui negotiis agit. *Quintil.* 5. 10. 27. Rusticus, forensis, negotiator, miles aliud atque aliud efficiunt. — *b)* Speciatim *forensis factio* vel *turba* dicebatur ingens hominum numerus, qui præter aerem lucemque nihil possidebant: sic dicti, quia in foro otiosi, quasi agrariis et frumentariis largitionibus inhiantes, versabantur, et seditiosissimo cuique magistratui facile se dedebant. His adjutoribus P. Clodius Ciceronem ex urbe expulit. *Liv.* 9. 46. Ex eo tempore in duas partes discessit civitas: aliud integer populus, fautor et cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat. Adde *Ovid.* 3. *Fast.* 94. Cf. *Horat. Art. P.* 245. velut innati triviis, ac pæne forenses. Adde *Quintil.* 12. 1. 25. ¶ 2. De iis, quæ foris fiunt, et opponuntur, quæ domi, seu domestica. *Liv.* 33. 47. Primis tenebris vestitu forensi ad portam cum duobus comitibus est egressus. Cf. *Cic.* 2. *Fin.* 24. 77. Ut vestitum, sic sententiam habeas aliam forensem. — Et absolute *forensia* sunt vestimenta, quibus in foro prodeuntes utebantur, *abiti da città* vel potius *abiti da gala, uniforme,* apud *Sueton. Aug.* 73. Forensia autem et calceos numquam non intra cubiculum habuit. — Generatim *Colum.* 12. *R. R. præfat.* 4. A natura comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam, viri ad exercitationem forensem et extraneam. *V.* integrum loc. Addit *paullo post.* Quod necesse erat foris et in aperto victum quærentibus etc. *V.* TILIAGINEUS.

FŎRES. *V.* FORIS.

FORFEX, icis, f. 3. De scribendi ratione *V.* infra sub I. — Forfex est instrumentum ferreum, quo filum, telam, pannos, et alia hujusmodi incidimus, ψαλίς, *forbice.*

I.) Proprie differt a *forcipe,* quia *forfice* incidimus, *forcipe* capimus. *Colum.* 12. *R. R.* 43. 10. Alii quum legerunt uvam, si qua sunt in ea vitiosa, forficibus amputant. *Calpurn. Ecl.* 5. 73. ne sit acuta forfice læsa cutis. *Cels.* 7. 21. Omentum forfice præcidere. *Martial.* 7. 95. Qualem (*barbam*) forficibus metit supinis Tonsor Cinyphio Cilix marito. Adde *Servium* ad *Virg.* 8. *Æn.* 453. — Quamquam hæc differentia non est perpetua: nam *forfex* pro *forcipe* passim legitur. *Vitruv.* enim 10. 2. ferreos forfices (et masc. genere usurpat) appellat ferrea manubria, quæ in saxa ferrata immittuntur ad ea tractoriis machinis sublevanda. Al. tamen leg. *forcipes.* Ceterum *Consent. de barbar.* et *metapl.* 14. *a med.* Item barbarismum facit, qui dicit forficem pro forcipe. Hinc est Italorum *forfice,* quod rarius usurpari solet pro *forbice.*

II.) Figurate. ¶ 1. Per similitudinem dicuntur *forfices* de extremitatibus brachiorum, et veluti manibus in cancris. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (97). Cancris bina brachia denticulatis forficibus. *V.* FORCEPS II. 1. ¶ 2. Est etiam *forfex* genus aciei instructæ in militia, ad figuram forficis opertæ: et cuneo opponitur. *Cato* apud *Festum p.* 344. 21. *Mull.*; *Gell.* 10. 9.; *Veget.* 3. *Milit.* 18.; et *Ammian.* 16. 11.

FORFĬCO, as, are, a. 1. forfice seco. *Gloss. Cyrill.* Ψαλίζω, forfico.

FORFĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* forfex, parva forfex, *forbicetta,* ψαλίδιον.

I.) Proprie. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 23. (58). Quod incisum forficulis, cribrant.

II.) Figurate dicitur de extremitatibus brachiorum, et veluti manibus, in cancris, scorpionibus et quibusdam locustis. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (148). Præterea brachia duo binis articulis, singulisque forficulis denticulatis. *Al. leg.* forficibus *vel* forcipibus, ut Sillig.

FŎRI, ōrum, m. plur. 2. *V.* FORUS.

FŎRĬA, æ, f. 1. apud *Varron.* 2. *R. R.* 4. 5. est morbus suum; et videtur solutionem alvi significare: quod colligimus etiam ex *Non. p.* 114. 11. *Merc.* Foria stercora liquidiora. *V.* FORIOLUS et CONFORIO. — Item equorum apud *Pelagon. Veterin.* 10. in *lemmate.* Ad eos, quibus membra deficiunt, quod mulomedici foria appellant.

FŎRĪCA, æ, f. 1. locus, in quem alvi stercora dejicimus; et dici videtur proprie de publico: ut de privato latrina: a *foriis, sterco, fogna,* ἀφεδρών. *Juvenal.* 3. 38. Quemlibet occidant populariter; inde reversi Conducunt foricas. — Sunt tamen, qui rectius putant, *foricas* (quæ et *foriculæ* vel *foriculi* fortasse appellatæ fuerunt, unde est *foriculiarium*) *fuisse tabernas publico sumptu fabricatas* et *foro vicinas* (vel potius ad ripam Tiberis prope emporium positas), ut ait *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal. loc. cit.,* in quibus promercalia deponebantur, quæque similia videntur fuisse iis, quæ nunc in nostris emporiis *dogane di transito* dicuntur. *V.* FORICULIARIUM.

FŎRĪCĀRĬUS, ii, m. 2. foricarum conductor. *Paul. Dig.* 22. 1. 17. § 5. Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed ipse accipit; ut solet a foricariis, qui tardius pecuniam inferunt, item ex vectigalibus. *Perperam quidam leg.* fornicariis.

FŎRĬCŬLA, æ, f. 1. valvulæ ad fenestras occludendas, *imposta.* *Varro* 1. *R. R.* 59. 1. Ut oporothecæ fenestras habeant, atque ut eæ perflentur, curant: neque tamen sine foriculis, ne, quum humorem (*poma*) amiserint, pertinaci vento victa fiant. — Est etiam deminutivum foricæ, quam vocem vide.

FŎRĪCŬLĬĀRĬUM, ii, n. 2. vectigal, quod mercatores pro mercibus in publicis alicujus emporii foricis, seu foriculis, depositis solvere solebant, *magazzinaggio. Inscript.* apud *Gruter.* 199. 6. et *Murat.* 573. 4., eadem vero emendatior apud *Marin. Iscriz. Alb. p.* 28., et apud *Orell.* 3347. IMP. CAESAR M. AVRELIVS ANTONINVS AVG. GERMANICVS SARMAT., ET IMP. CAESAR L. AVRELIVS COMODVS AVG. GERMANICVS SARMATIC. HOS LAPIDES CONSTITVI IVSSERVNT PROPTER CONTROVERSIAS, QVAE INTER MERCATORES ET MANCIPES ORTAE ERANT; VTI FINEM DEMONSTRARENT VECTIGALI FORICVLIARII ET ANSARII PROMERCALIVM SECVNDVM VETEREM LEGEM SEMEL DVMTAXAT EXIGVNDO. Alia *ibid.* QVIDQVID VSVARIVM INVEHITVR, ANSARIVM NON DEBET. In *Cod. Hermogen. tit.* 3. apud *Schulting. Jurisprud. ante-Justinian. p.* 710. Ideo proconsul, si partium vestrarum allegatione solutam ansariam pro aliena re cognoscit, ut tradat vobis hanc ipsam cum fructibus rem, æquitatis ratione provisum est. *Hic videtur legend.* solutum ansarium. — *Muratorius loc. cit.* putat, *foriculiarium* (quod ipse, aliique contra lapidis fidem *forictilarium* scribunt) fuisse vectigal, quod foricarum, seu latrinarum nomine impositum aliquando fuerit, quemadmodum urinæ imposuit Vespasianus Aug. (*V. Sueton. Vesp.* 23.): item ansarium fuisse, quod ob vasa ansata ad ventrem exonerandum, Italice *pitali,* solvebatur. — At ex locis veterum supra allatis, illud verosimilius videtur, *foriculiarium* fuisse vectigal, quod Romæ in foro, sive potius ad ripam Tiberis, ubi emporium erat (*V. Nardini Roma ant. T.* 3. *p.* 315.), mancipes a mercatoribus semel tantummodo exigebant pro mercibus rerum promercalium in foricis seu foriculis publicis (*V.* FORICA.) depositis, quæ loca nunc vocamus *dogane di transito:* aliud porro vectigal, *ansarium* appellatum fuisse, quod nunc Itali vocant *ancoraggio,* pro navibus intra portum ad ancoras deligatis, quarum navium funes ansis, *h. e.* ferreis anulis detinerentur. Hujusmodi interpretationem probant ii in supra allatæ inscriptionis verba *vectigali foriculiarii et ansarii promercalium semel dumtaxat exigundo,* quæ profecto *Muratorii* sententiæ minime congruunt; obfirmat etiam vox *promercalium,* qua nempe significantur res promercii causa omnibus in portu occurrentibus mercatoribus venui propositæ... stantes, pro quibus vectigal foriculiarii et ansarii, *h. e. magazzinaggio* et *ancoraggio,* mancipibus seu foricariis, qui foricas publicas conduxerant, erat solvendum: quum e contrario *usuariæ* merces dicerentur, pro quibus in usus civium illic degentium repositis mercatores portorium tantum, *h. e. dazio d'ingresso,* portitoribus, seu publicanis solvere solebant. Hinc *Gell.* 4. 2. *in fin.* distinguit *promercalia* ab *usuariis;* illis enim promercii tantum causa exteris mercatoribus, hæc annuo civium usui reservabantur. Eadem fere habet *Paul. Dig.* 33. 9. 4. § 2. et *Alfen. ibid.* 32. 1. 60. § 2.

FŎRINSĔCUS, adverb. ab exteriori parte: a *foris,* ut intrinsecus ab *intra, di fuori,* ἔξωθεν.

I.) Proprie. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 6. Ab cohorte forinsecus fenestellis scandulæ injungantur, quibus irrepant aves ad requiem nocturnam. — Sic *Sidon.* 1. *Ep.* 2. Si actionem diuturnam, quæ est forinsecus expedita, perquiras, *h. e.* in aperto, publice, in foro. Sic *Id.* 3. *ibid.* 1. Forinsecus decursæ actiones. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 42. (122). Lignum omne corticis loco habent, hoc est forinsecus. *Lactant.* 2. *Opif. D.* 9. Non forinsecus, ut cetera, sed interius armavit.

II.) Translate est idem ac foras. *Apul.* 9. *Met.* Insuper plagis castigatum puerum forinsecus abjicit. *Id.* 3. *ibid.* Mox in altum sublimata forinsecus totis alis evolat.

FŎRĪO, is, ire, n. 4. ventrem deonero, excrementa liquida ejicio: videtur esse a φορύνω *fædo;* hinc apud *Hesych.* φόρυς, podex. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 3. 38. Forire est onus foras ejicere, deonerare ventrem.

FŎRĬŎLUS, i, m. 2. qui ventre soluto est, et forias facile emittit: a *foriis. Laberius* apud *Non. p.* 114. 13. *Merc.* Foriolus esse videris, in culeos cacas.

FŎRIS, is, et *plur.* fores, um, f. 3. janua exterior ædium, et sæpius valvæ ipsius: videturque esse a Græca voce θύρα *janua,* seu potius a πόρος *transitus.* Frequentius adhibetur in plurali, quam in singulari numero (It. *porta, imposta;* Fr. *porte, et au plur. le deux battants de la porte:* Hisp. *puerta, puertecita;* Germ. *d. Thür, d. Thürflügel;* Angl. *a door, gate*).

I.) Proprie. — *a)* In singulari numero. *Plaut. Amph.* 1. 2. 34. Orationem comprimam, crepuit foris. *Id. Cas.* 5. 1. 17. Tace, vostra foris crepuit. *Id. Aulul.* 4. 5. 5., *Bacch.* 4. 9. 134. et *Cas.* 2. 1. 15.; et *Ter. Adelph.* 2. 3. 11. Foris crepuit, *vel* concrepuit. *Ovid. Heroid.* 12. 150. Constitit ad geminæ limina prima foris. *Catull.* 59. 168. Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes, Rasilemque subi forem. *Liv.* 6. 34. Forte ita incidit, ut lictor forem (ut mos est) virga percuteret. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 67. Exclusus fore, quum Longarenus foret intus. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 42. Forem abdere alicui, *serrargli la porta in faccia.* Cf. *Apul.* 10. *Met.* Obserata fore. *Ammian.* 30. 5. Foris ferrata. — Dicitur etiam de aliis quibusvis ostiis. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 59. Quum forem cubiculi clauserat. *Ovid.* 3. *Art. am.* 228. Forem thalami claudere. — *b)* In plurali numero frequentius, ut diximus, usurpatur. *Ennius* apud *Non. p.* 513. 12. *Merc.* Quis est, qui nostris foribus tam proterviter etc. *Plaut. Asin.* 2. 3. 4. LI. Quis nostras sic frangit fores? — Nolo ego fores conservas meas a te verberarier: sane ego sum amicus nostris ædibus. ME. Pol, haud periculum est, cardines ne foribus effringantur. *Id. Curc.* 1. 3. 1. Sonitum prohibe forum et crepitum cardinum. *Est qui legit* furium. *Ter. Heaut.* 2. 3. 37. Foribus pessulum obdere. *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 67. Ex quo (*Jano*) fores in liminibus profanarum ædium januæ nominantur. *Id.* 3. *Verr.* 26. 66. Ut januam clauderent, et ipsi ad fores assisterent, imperat. *Id.* 5. *Tusc.* 28. 80. Extra fores limenque carceris. *Tibull.* 1. 6. 34. Foribus inest clavis. *Liv.* 1. 14. *extr.,* 5. 13. *extr.,* 26. 29. *in fin.* et 28. 6. Fores portarum objicere. *Sueton. Aug.* 23. Caput foribus illidere. *Virg.* 2. *G.* 461. fores superbæ. *Tibull.* 1. 1. 56. duræ. *Horat.* 3. *Od.* 16. 2. robustæ. *Id.* 2. *Sat.* 3. 262. invisæ. *Id.* 3. *Od.* 10. 3. asperæ. *Sueton. Aug.* 6. ante fores. *Id. Oth.* 3. et *Tib.* 32. pro foribus. *Id. Aug.* 94. ad fores. Adde *Tac.* 1. *Ann.* 39. et 5. *Hist.* 13.; *Juvenal.* 6. 227., 10. 65. et 12. 84.; *Val. Flacc.* 2. 273., 3. 60. et 7. 114.; et *Macrob.* 6. *Saturn.* 8. — Jungitur multis Verbis. *Ter. Adelph.* 2. 1. 13.; *Curt.* 8. 6. 22.; et *Sueton. Aug.* 82. et *Tit.* 11.

Fores aperire. Sueton. Ner. 46. patefacere. Lucret. 3. 361. recludere. Ovid. 10. Met. 384. reserare. Sueton. Ner. 47. claudere. Lucret. 4. 600.; et Ovid. 2. Amor. 1. 17. cludere. Curt. 4. 4. 12.; et Justin. 19. 3. 12. obserare. Ovid. 1. Fast. 281. obdere. Ter. Adelph. 4. 5. 4. pellere. h. e. aperiendi causa commovere. Sic Coripp. 1. 300. et 3. 48. impellere. Rursus Ter. Heaut. 2. 3. 34. pultare. Ovid. 5. Met. 448. pulsare. Id. 1. Amor. 6. 50. concutere. Ter. Adelph. 4. 2. 9. effringere. Id. ibid. 2. 1. 13.; et Sueton. Cal. 6. revellere. Ovid. 4. Met. 85. excedere foribus. — Dicuntur etiam de aliis quibusvis ostiis: V. supra sub a. in fin. Plin. 36. Hist. nat. 13. 19. (85). Labyrinthi crebræ fores. — c) Mos erat, ut Romæ (non item in Græcia, teste Plutarch. loc. mox citando) ædium privatarum fores intus aperirentur, ne si quis opperiens ad januam esset, in eum impingerentur in reserando. Narrant Plutarch. in Poplic. c. 20., Dionys. Halic. l. 5. p. 307. et Plin. 36. Hist. nat. 15. 24. (112). ejus fratri L. Valerio domum publice ædificatam esse, cujus fores extra aperirentur et janua in publicum rejiceretur: idque honoris causa, ut significaretur, quotidie eam domum aliquid publice admissuram. V. Avellino, Descriz. d'una casa Pompej. p. 6. et 76.

II.) Translate. ¶ 1. Fores dicuntur de quocumque foramine, per quod est aditus: ad rem Lucret. 3. 368. Præterea, si pro foribus sunt lumina nostra, Jam magis, exemptis oculis, debere videtur Cernere res animus, sublatis postibus ipsis. Cic. 3. Off. 9. 38. Æneus equus, cujus in lateribus fores essent, quibus etc. Plin. 32. Hist. nat. 2. 5. (11). Fores nassarum. Id. 21. ibid. 14. 48. (82). apum. Colum. 8. R. R. 17. Præfigantur ænei exiguis foribus cancelli. Al. leg. foraminibus. ¶ 2. Per metaphoram Cic. 13. Fam. 10. 4. In omnibus novis conjunctionibus interest, qualis primus aditus sit, et qua commendatione quasi amicitiæ fores aperiantur. Plin. 35. Hist. nat. 9. 36. (61). Ab hoc artis fores apertas Zeuxis intravit. Id. 2. ibid. 8. 6. (31). Obliquitatem ejus (signiferi) intellexisse, hoc est rerum fores aperuisse Anaximander traditur primus. Ammian. 30. 4. Ille ad humiliandam celsitudinem potestatis negotiorum examina spectanda instituta esse arbitratus, ut monebat, abstinuit penitus, laxavitque rapinarum fores.

FŌRIS, adverb. Ultima syllaba longa est. Lucret. 2. 158. et 1043. et alibi. — Foris proprie est Ablativi forma, ut θύραζιν apud Græcos, quemadmodum foras est Accusativi forma: ratione habita etymi conjungi potest cum forum et fero, vel cum θύρα (V. vor. præced.): significat exterius, extra, et ad statum in loco pertinet, ἔξω (It. fuori, di fuori; Fr. de dehors, en dehors, extérieurement; Hisp. fuera, afuera, por de fuera; Germ. von aussen, auswärts, draussen, ausserhalb; Angl. without doors, abroad). ¶ 1. Stricto sensu, ut diximus, ad statum in loco pertinet; et usurpatur — 1.°) Absolute. — a) Cum opposito intus vel intra apud Plaut. Capt. 1. 2. 5. Sinito ambulare, si foris, si intus volent. Varro 3. R. R. 16. 5. Foris pascuntur, intus opus faciunt. Cic. Sull. 5. 17. Ille relictus intus, exspectatus foris. Plin. 15. Hist. nat. 28. 31. (112). Aliorum intus corpus et foris lignum, ut nucum; aliis foris corpus, intus lignum, ut prunis. — Figurate. Plaut. Cist. 4. 2. 20. Nam et intus paveo et foris formido: ita nunc utrobique me metus agitat. — Nepos Datam. 6. Futurum, ut adversarii non possent resistere, quum et intra vallum et foris cæderentur. — b) Cum opposito domi vel domo, proprie et figurate. Plaut. Cas. 2. 2. 8. Domi et foris ægre quod sit, satis semper est. Id. Bacch. 4. 4. 6. Regias copias aureasque obtuli, ut domo sumeret, neu foris quæreret. Cf. Cic. 2. Phil. 11. 26. Hi igitur his majoribus ab alienis potius consilium peterent, quam a suis? et foris potius, quam domo? Id. Arch. 7. 16. Hæc studia delectant domi, non impediunt foris. Id. 2. Phil. 28. 69. Fuit ille vir quum foris clarus, tum domi admirandus, neque rebus externis magis laudandus, quam institutis domesticis. Id. Rosc. Am. 47. 136. Et domi dignitatem et foris auctoritatem retinere. Id. 1. Off. 22. 76. Parvi sunt foris arma, nisi est consilium domi. Cf. Sall. Cat. 20. At nobis est domi inopia, foris æs alienum. Sueton. Cal. 3. Domi forisque civilis. Adde eumd. Claud. 22. Tac. 13. Ann. 25. Otium foris, fœda domi lascivia. Liv. 6. 11. Grave bellum foris, – seditio domi. Id. 3. 65. Consules – nihil magnopere ad patrum aut plebis causam inclinati, otium domi ac foris habuere. Sall. Cat. 52. Domi industria, foris justum imperium. Adde eumd. Jug. 85. Justin. 22. 5. 4. Quippe aliter domi, aliter foris bella tractari. Domi ea sola auxilia esse, quæ patriæ vires subministrent: foris hostem etiam suis viribus vinci, deficientibus sociis. Adde eumd. 31. 5. 8. Val. Max. 2. 9. 1. Quid enim prodest foris esse strenuum, si domi male vivitur? Pacat. Paneg. Theod. 22. Quum æstates omnes foris, hiemes domi ducens, civibus hostibusque pari sorte anni spatia divideris. Cf. Sueton. Cæs. 9. Pactumque, ut simul foris ille, ipse Romæ ad res novas consurgerent. — c) Cum aliis oppositis, vel sine oppositis, quæ tamen facile subaudiuntur, proprie et figurate. Sic cœnare foris (foras legitur apud Petron. Satyr. 30. V. FORAS 2.°) est apud amicum cœnare, non domi: quod parasiti factitant. Plaut. Stich. 1. 3. 36. Vocem te ad cœnam, nisi egomet cœnem foris. Adde eumd. Men. 1. 2. 17. Cic. 3. ad Q. fr. 1. 6. § 19. Venit ad nos Cicero tuus ad cœnam, quum Pomponia foris cœnaret. Sic Id. 7. Fam. 16. 2. Ego si foris cœnitarem, familiari tuo non defuissem. Adde eumd. 9. ibid. 24. 3. Petron. Satyr. 10. Ut foris cœnares, poetam laudasti. Martial. 2. 53. Liber eris cœnare foris, si, Maxime, nolis. Adde eumd. ibid. 69. — Ceterum Ter. Eun. 5. 4. 12. Quum dum foris sunt etc. quando sono fuori di casa: quibus ibid. v. 16. opponitur quum sint domi. Sic Horat. 2. Sat. 2. 16. foris est promus. il credenziere non è in casa; qui ex domestico penu promat cibum non adest. Cf. Plaut. Merc. 3. 4. 2. Si domi sum, foris est animus: sin foris sum, animus domi est. Nepos Dion. 9. Ut foris exaudiri strepitus posset. Cf. Sueton. Aug. 99. Supremo die identidem exquirens, an jam de se tumultus foris esset. Ter. Heaut. 5. 1. 49. Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare, foris sapere, tibi non posse te auxiliarier? Cic. 2. ad Q. fr. 8. 1. Foris valde plauditur. h. e. ab externis. Id. Pis. 6. 12. Egere, foris esse Gabinium, sine provincia stare non posse. essere in man di stranieri, ære alieno opprimi. Sueton. Ner. 36. Foris non minore sævitia grassatus est. h. e. in externos non minore, quam in libertos. Justin. 2. 4. 20. Bellum foris gerere. — Foris canere. V. ASPENDIUS. — 2.°) Cum Accusativo. Auct. incert. de limit. p. 273. Goës. Constitutus si sit fluvius, qui foris agrum non vagatur. Id. ibid. Ut terminos foris limites ponerentur. ¶ 2. Latiori sensu aliquando ad motum de loco refertur, proprie et figurate. — a) Absolute. Lucret. 5. 544. At quæcumque foris veniunt, impostaque nobis Pondera sunt, lædunt. Nepos Dion. 9. Illi inermes, telum foris flagitantes, vivum tenebant. Cic. Partit. orat. 14. 48. Nec ea dicuntur sine arte, quod ita sunt; sed quod ea non parit oratoris ars, sed foris ad se delata, tamen arte tractat. Id. 2. Orat. 39. 163. Omne quod sumitur in oratione aut ad probandum, aut ad refellendum, aut ex sua sumi vi et natura, aut assumi foris. Adde eumd. ibid. 40. 173., 1. Invent. 11. 15. et 2. ibid. 21. 71. Id. 3. Fin. 7. 24. Ut in ipsa arte insit, non foris petatur extremum. Sic Horat. 1. Sat. 10. 29. patriis intermiscere petita Verba foris malis, Canusini more bilinguis. — b) Cum addita prepos. a, et a foris est ab exteriori parte. Plin. 17. Hist. nat. 24. 37. (227). In ulcus penetrat omnis a foris injuria. aforis conjunctim quidam legunt, sed minus recte: nam a foris etiam legitur apud Auct. incert. de limit. p. 314. Goës.; et apud Vulgat. interpr. Baruch 2. 22., Matth. 23. 27. et 28., et alibi. — c) Cum addita præpos. de occurrit apud Vulgat. interpr. Jerem. 9. 21. ¶ 3. Videtur etiam poni pro foras. Plin. 21. Hist. nat. 3. 5. (7). ex XII. Tabulis. Mortuum foris ferre. Ter. Phorm. 5. 1. 19. Ne vos forte imprudentes foris effutiretis. Juvenal. 5. 125. Duræris plantâ, velut ictus ab Hercule Cacus; Et ponère foris, si quid tentaveris unquam Hiscere. Plin. 10. Hist. nat. 33. 49. (92). Foris saturitatem emittere. h. e. excrementa e nido.

FORMA, æ, f. 1. figura, species, facies, ratio et dispositio partium exterior in qualibet re; item delineatio et exemplar operis: a μορφή per metathesin, μορφή, σχῆμα, τύπος (It. forma, fattezza, figura; Fr. figure, extérieur, aspect, air; Hisp. figura, aspecto; Germ. d. Form, d. Gestalt, Figur, Umriss; Angl. a form, shape, make, figure, fashion).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) De hominibus et aliis animalibus. — Sæpe jungitur cum specie, facie, figura, statura, ut apud Plaut. Pœn. 5. 2. 151. HA. Earum nutrix qua sit facie, mihi expedi. MI. Statura est magna, corpore aquilo. HA. Ipsa east. MI. Specie venusta, ore parvo atque oculis pernigris. HA. Formam quidem hercle verbis depinxti mihi. Lucret. 5. 1174. Æternam dabant vitam, quia semper eorum Suppeditabatur facies et forma manebat. Cic. 5. Fin. 12. 35. Corporis nostri partes, totaque figura et forma et statura quam apta ad naturam sit, apparet. Id. 4. Herenn. 47. 60. Ipse citharœdus forma et specie sit et statura apposita ad dignitatem. Id. 1. Nat. D. 18. 48. Si omnium animantium formam vincit hominis figura. Id. Cæl. 3. 6. Quorum in adolescentia forma et species fuit liberalis. Id. 1. Nat. D. 14. 37. Idem (Cleanthes) fingit formam quamdam et speciem deorum. Cf. Id. 6. Verr. 58. 129. Quanta religione fuerit eadem specie ac forma signum (Jovis) illud. Id. 1. Nat. D. 10. 26. Quasi aer sine ulla forma deus esse possit, quum præsertim deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie deceat esse. — Hinc etiam imaginis forma, formæ figura et species formæ. Sic Ennius apud Cic. 1. Tusc. 15. 34. Aspicite, o cives, senis Enni imagini' formam. Cic. 1. Nat. D. 32. 90. Hoc dico, non ab hominibus formæ figuram venisse ad deos: dii enim semper fuerunt –; at homines nati: ante igitur humana forma, quam homines, ea, qua erant forma dii immortales. Non ergo illorum humana forma, sed nostra divina dicenda est. Lucret. 4. 67. formai servare figuram. Cic. 5. Tusc. 39. 114. Homeri picturam, non poesin videmus. Quæ regio, qui locus Græciæ, quæ species formæ, quæ pugna, qui motus hominum non ita expictus est, ut etc. — Sine additis. Ter. Hecyr. 4. 4. 57. Forma nosci non quita est. Cf. Nepot. Eumen. 11. Formam alicujus cognoscere. Cic. 5. Tusc. 21. 61. Ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere. Forcellinus h. l. formam pro corporis pulcritudine accepit. Liv. 1. 9. Virgines quasdam forma excellente domos deferebant. Ovid. Heroid. 3. 35. Forma præstante puellæ Lesbides. Cic. 2. Invent. 1. 1. Ut excellentem muliebris formæ pulcritudinem muta in sese imago contineret. Liv. 3. 44. Hanc virginem adultam, forma excellentem, Oppius pellicere adortus. Id. 4. 9. Virginem plebeji generis maxime forma notam petiere juvenes. Justin. 13. 1. a med. Formæ pulcritudo et proceritas corporis. Forcellinus hunc quoque locum ad proxime seq. paragraphum retulit. Propert. 3. 7. 13. forma Mentoris. Flor. 1. 1. 18. Augustiore forma Romulus. Lucan. 10. 136. fucata formam. Tac. 2. Ann. 24. forma hominum et belluarum. Id. 2. Hist. 70. equorum. Val. Flacc. 6. 91. ferrata forma suum. h. e. Italice il porcospino. Ammian. 31. 2. forma Hunnorum prodigiosa. — b) De inanimis. Lucret. 3. 573. Forma quoque hinc solis debet videri. Cic. 2. Nat. D. 37. 93. Si innumerabiles unius et viginti formæ litterarum vel aureæ vel quales libet aliquo conjiciantur. Adde Quintil. 1. 1. 21., 1. 7. 11. et 12. 10. 29. Cæs. 3. B. G. 14. Non absimili forma muralium falcium. Sueton. Domit. 10. Lanceæ novæ formæ. Varro 1. R. R. 14. 4. Forma parietum. Cic. 2. Fam. 8.; et Sueton. Ner. 16. Forma ædificii. disegno. Adde Sueton. Cæs. 31.; et Gell. 19. 10. Sic Plin. 9. Ep. 39. Forma porticus. Horat. 1. Ep. 16. 4. Forma et situs agri. Similiter Plin. 12. Hist. nat. 4. 8. (19). Forma Æthiopiæ allata Neroni. carta geografica. Hygin. de limit. p. 192. Goës. Si qua compascua, aut silvæ fundis concessæ fuerint, quo jure data sint, formis ingeremus. et mox. Hæc in forma similiter comprehensa ostendemus. in disegno. Inscript. legem Thoriam exhibens apud Gruter. 202. AGER, QVEM IN TERRA ITALIA III. VIR DEDIT, ASSIGNAVIT, RELIQVIT, INVE FORMAS TABVLASVE RETVLIT REFERIVE IVSSIT. in piante topografiche di agrimensore, et in tavole seu scritture di descrizione. V. PROPLASMA. Quintil. 10. 5. 9. Eadem cera aliæ atque aliæ formæ duci solent. Cic. 1. de republ. 17. Quem animadvertisse dicunt, in arena geometricas formas quasdam esse descriptas. figure matematiche. Sic Liv. 25. 31. Archimedes intentus formis, quas in pulvere descripserat. Adde Sil. It. 14. 677. Rursus Cic. 2. Orat. 42. 187. In

geometria lineamenta, formæ, intervalla, magnitudines. *Quintil.* 1. 10. 35. Quum sit geometria divisa in numeros atque formas. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 59. 60. (150). Dimidia circuli forma. *figura di semicircolo.* *Ovid.* 3. *Met.* 439. *de Narcisso imaginem suam in fonte spectante.* Spectat inexpleto mendacem lumine formam. *Cic. Mil.* 32. 86. Clarissimorum virorum formæ. *ritratti, imagini.* Cf. *Propert.* 4. 2. 61. formæ cælator ahenæ. *statua.* Rursus *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 101. In quo (*æthere*) cum admirabilitate maxima igneæ formæ cursus ordinatos definiunt. *h. e.* ignea corpora. *Ovid.* 2. *Amor.* 11. 47. Inque tori formam molles sternuntur arenæ. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 7. 20. (63). Sacellum crudis laterculis, ad formam camini. Cf. *Vellej.* 2. 61. In formam justi coiere exercitus. — c) Per periphrasin apud Poetas *formæ deorum, animatium* etc. sunt ipsi dii, ipsa animalia etc. *Ovid.* 1. *Met.* 73. Astra tenent cæleste solum formæque deorum. *Virg.* 7. *Æn.* 18. ac formæ magnorum ululare luporum. *Ovid.* 2. *Met.* 78. per insidias iter est formasque ferarum. *Sil. It.* 15. 86. Quum pecudes volucrumque genus formasque ferarum etc. — Similiter *Pacat. Paneg. Theod.* 6. Tua forma venerabilis. *h. e.* tu, venerabilis Cæsar. Sic *Vopisc. Aurelian.* 25. Forma numinis. *h. e.* numen. et *Fulcat.* 13. Forma publica. *h. e.* imperium. ¶ 2. Specialim forma sæpe dicitur de pulcritudine corporis, *bellezza.* *Ter. Andr.* 2. 5. 17. Virgo forma bona. *Id. Eun.* 3. 5. 18. Quum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem. *Horat.* 1. *Ep.* 4. 6. di tibi formam, Di tibi divitias dederint artemque fruendi. *Id. ibid.* 6. 37. Et genus et formam regina pecunia donat. *Id.* 2. *Od.* 4. 6. Movit Ajacem forma captivæ Tecmessæ. *Ovid. Heroid.* 15. 31. Si mihi difficilis formam natura negavit. *Id.* 2. *Art. am.* 113. Forma bonum fragile est; quantumque accedit ad annos, Fit minor, et spatio carpitur ipsa suo. Cf. *Seneca Hippol.* 771. Forma fugax. Rursus *Ovid.* 6. *Met.* 452. Philomela divitior forma. *Curt.* 3. 11. 24. Plus formæ, quam miserationi datum. *Flor.* 4. 2. 56. Forma Cleopatræ. *Tac.* 12. *Ann.* 51. Formæ dignitas. *Justin.* 5. 2. 5. Formæ veneratione insignis. *Stat.* 1. *Achill.* 290. decus eximium formæ. *Quintil.* 2. 5. 12. Atque etiam qui specie capiuntur, vulsis levatisque et inustas comas acu comentibus plus esse formæ putant, quam possit tribuere incorrupta natura: ut pulcritudo corporis venire videatur ex malis moribus. *Id.* 5. 12. 17. Quo vitio mancipiorum negotiatores formæ puerorum, virilitate excisa, lenocinantur. *Id.* 5. 11. 26. Neque, ut laudanda, quæ pecuniam suam pluribus largitur, ita quæ formam. Sic *Tibull.* 1. 9. 17. formam polluere. *Ovid. Medic. fac.* 45. popolari. *Petron. Satyr.* 126. prostituere.
Forma stata et *uxoria* est, quæ uxorem decet. *V.* STATUS, a, um. — Hinc forma dicitur etiam de puella formosa. *Ter. Eun.* 2. 3. 5. O faciem pulcram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres: tædet cotidianarum harum formarum. *Propert.* 2. 21. 53. Et quot Iona tulit vetus et quot Achaia formas. *h. e.* puellas formosas. Cf. *eumd.* 2. 2. 42. et 2. 4. 28. ¶ 3. Item specialim pro corporis magnitudine. *Justin.* 15. 4. 17. Leo ingentis formæ ad dormientem accessit. *paullo post ibid.* Elephantus ferus infinitæ magnitudinis. Cf. *Tac.* 4. *Ann.* 72. Ut in usus militares coria boum penderent, non intenta cujusquam cura quæ firmitudo, quæ mensura; donec Olennius – terga urorum delegit, quorum ad formam acciperentur. et *Plin.* 34. *Hist. nat.* 5. 10. (19). Statuam maxima forma ponere. *statura.* — Hinc *Nepos Iphicr.* 3. Fuit autem et animo magno et corpore, imperatoriaque forma, ut ipso adspectu cuivis injiceret admirationem. ¶ 4. Item forma dicitur delineatio et exemplar futuri operis, *modello, stampo.* *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 49. (168). Formæ, in quibus æra funduntur. *Colum.* 8. *R. R.* 7. 3. Formis buxeis caseum exprimere. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 106. Formæ sutorum. Sic *Ulp. Dig.* 9. 2. 5. § 3. Si sutor forma calcei cervicem puero discenti percussit. — Similiter *forma* de signata pecunia dicta est; nam forma nummi est character signumque in eo impressum, *impronta, impronto:* ad rem *Seneca Ep.* 34. Omnia facta dictaque tua inter se congruant ac respondeant sibi, et una forma percussa sint. *Quintil.* 1. 6. 3. Utendum plane sermone, ut nummo, cui publica forma est. Cf. *Ovid.* 1. *Fast.* 229. *Seneca* 5. *Benef.* 29. Denarius formæ publicæ. *Tac. Germ.* 5. Formas quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt. *Curt.* 5. 2. 11. Ut vero urbem intravit, incredibilem ex thesauris summam pecuniæ egessit: L. millia talentum argenti non signati forma, sed rudi pondere. *Lamprid. Alex. Sev.* 39. Formas binarias, ternarias et quaternarias, et denarias etiam resolvi præcepit, neque in usu cujusquam versari. *h. e.* monetas duum, trium etc. aureorum. Adde *Trebell. Poll.* XXX. *Tyr.* 31. ¶ 5. Item de externis alicujus rei veluti munimentis, quæ rem ipsam continent ejusdemque formam referunt, *cornici, casse.* *Vitruv.* 2. 8. 9. Lacedæmone e quibusdam parietibus etiam picturæ excisæ, intersectis lateribus, inclusæ sunt in ligneis formis, et in comitium ad ornatum ædilitatis Varronis et Murænæ fuerunt allatæ. Eamdemque rem narrans *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. 49. Excisum intericilis parietibus opus tectorium, propter excellentiam picturæ, ligneis formis inclusum Romam deportavere. *in casse di legno.* — Hinc etiam de canali, fistola, tubo, per quem aqua ducitur; quia adhibitis ligneis formis exstruitur, *doccione, acquidotto.* *Frontin. Aquæd.* 75. Formas rivorum perforare. *Ulp. Dig.* 7. 1. 27. Forma aquæductus, quæ per agrum transit. *Imppp. Valentin., Theod. et Arcad. Cod.* 11. 42. 3. Usum aquæ e castellis, aut ex ipsis formis elicere. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. *a med.* Patuit Roma conspectui: cujus mihi non solum formas, verum etiam naumachias videbar epotaturus. Cf. *Ammian.* 28. 2. Compaginatæ formæ e roboribus, conjectæ in alveum fluvii. *h. e.* ad meatum ipsum fluvii aliorsum vertendum. — Et de ipsis aquæductibus. *Frontin. Aquæd.* 126. Vicinales vias agrestesque per ipsas formas dirigunt. *Cassiod.* 5. *Variar.* 38. Admonet nos formarum cura præcipua, ut etc. *et mox.* Quapropter omnem silvam, quæ parietibus inimica consurgit, de Ravennate forma jubemus radicitus amputari. *Id. Chron. ad ann.* 502. His Coss. D. N. Theodericus aquam Ravennam perduxit, cujus formam sumptu proprio instauravit, quæ longis ante fuerat ad solum reducta temporibus. Similiter *Inscript.* apud *Orell.* 56. et 3695., item apud *Henzen* 6517. FORMA AQVAEDVCTVS. ¶ 6. Item de epistola, rescripto, aut constitutione principis, *V.* FORMULA, *decreto, costituzione, proclama:* ad rem *Tac.* 4. *Ann.* 39. Componit ad Cæsarem codicillos: moris quippe tum erat quamquam præsentem scripto adire. Ejus talis forma fuit: Benevolentia patris Augusti etc. Sic *Capitolin. Antonin.* 6. Neque de provinciis, neque de ullis actibus quidquam constituit, nisi quod prius ad amicos retulit: atque ex eorum sententia formas composuit. — Hinc de epistolæ, rescripti etc. sententia. *Sueton. Tib.* 30. Quid et qua forma regum litteris rescribi placeret. Adde *eumd. Cæs.* 30. *Paul. Dig.* 2. 8. 11. et *Ulp. ibid.* 3. 6. 8. Forma edicti. *il tenore.* *Justinian. Cod.* 1. 2. 20. Ex sacra forma annonam militarem ad clericos transferre. *Vopisc. Aurel.* 18. Senatusconsulti forma. Cf. *Trebell. Poll.* XXX. *Tyr.* 11. Epigramma in hanc formam. — Et pro littera, seu potius sigla, quæ in fine adscribebatur. *Lamprid. Commod.* 13. Ut libellis una forma multis subscriberet. *con una sola cifra.* ¶ 7. Denique, si fides *Paul. Diac. p.* 83. 6. *Müll.*, forma appellatur etiam puls miliacea ex melle.

II.) Translate. ¶ 1. Generalim est imago, effigies, exemplar, ratio, modus etc. *Cic.* 3. *Fam.* 11. 4. Ad me quasi formam communium temporum et totius reipublicæ misisti expressam. *Id.* 1. *Off.* 5. 14. Formam quidem ipsam et tamquam faciem honesti vides. *Id. ibid.* 29. 103. Forma officii. *Id.* 3. *Orat.* 9. 31. Innumerabiles pæne sunt quasi formæ figuræque dicendi. *Id.* 3. *Off.* 20. 81. Explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quæ sit in ea species et forma et notio viri boni. *Id. Brut.* 85. 294. Orationes ejus valde laudo: significant enim quamdam formam ingenii, sed admodum impolitam et plane rudem. *Id.* 2. *Fam.* 8. Exspecto, ut quum formam reipublicæ viderim, quale ædificium futurum sit, scire possim. *Id.* 2. *de republ.* 11. Reliqui disseruerunt sine ullo certo exemplari formaque reipublicæ de generibus et de rationibus civitatum. *Id.* 2. *Tusc.* 15. 36. Qui Græciæ formam rerum publicarum dederunt. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 34. et 2. *ibid.* 29. *Id. Orat.* 11. *fin.* Laudationum, scriptionum et historiarum et talium suasionum formam complecti. *h. e.* rationem modumque dicendo persequi. *Liv.* 3. 4. Tantumque terrorem incussere Patribus, ut (quæ forma senatusconsulti ultimæ semper necessitatis habita est) Postumio alteri consulum negotium daretur: Videre, ne quid respublica detrimenti caperet. *Id.* 41. 3. Nequaquam eadem est tum rei forma apud Romanos. *Id.* 2. 48. Ex eo tempore neque pax, neque bellum cum Vejentibus fuit; res proxime formam latrocinii venerat. *Virg.* 6. *Æn.* 615. Quæ forma viros fortunave mersit. *modo, qualità,* quæ species delicti, aut pœnæ. Sic *Id. ibid.* 626. Non, mihi si linguæ centum sint – omnes scelerum comprendere formas, Omnia pœnarum percurrere nomina possim. Similiter *Seneca Hippol.* 551. Mortis mille formæ. *Val. Flacc.* 6. 419. Forma necis. *Sil. It.* 17. 481. Aspera pugna novas varia sub imagine leti Dat formas. *Tac.* 3. *Hist.* 28. Integri cum sauciis, semineces cum exspirantibus volvuntur, varia pereuntium forma et omni imagine mortium. *Id.* 4. *Ann.* 60. Diversæ insuper sollicitudinum formæ oriebantur. *Id.* 1. *ibid.* 74. Qui (*Hispo*) formam vitæ iniit, quam postea celebrem miseriæ temporum fecerunt. *Martian. Dig.* 30. 1. 111. *ante med.* Secundum vulgarem formam juris. *l'ordine, il corso ordinario.* *Vellej.* 1. 16. Formam propositi excedere. *la misura dell'opera disegnata.* Adde *eumd.* 2. 49. 1., 2. 66. 3. et alibi. *Flor.* 2. 2. 8. Prœlii vero forma mirabilis; quum illas celeres volucresque hostium naves hæ graves tardæque comprehenderent. Cf. *Liv.* 4. 33. Forma insolita pugnæ Romanos parumper exterruit. *Papinian. Dig.* 31. 1. 79. *extr.* Certaminis formam declarare, quam quis celebrari singulis annis voluit. *il modo, la qualità.* *Sueton. Cal.* 22. Nec multum abfuit, quin – speciem principatus in regni formam converteret. *Id. Cæs.* 25. Omnem Galliam – in provinciæ formam redegit. Adde *eumd. Aug.* 18. *Ulp. Dig.* 45. 1. 52. In conventionalibus stipulationibus contractui formam contrahentes dant. *Gell.* 2. 8. Forma et ordo syllogismi. ¶ 2. Specialim a Dialecticis sumitur pro specie subjecta generi. *Cic. Topic.* 7. 31. Nollim, ne si Latine quidem dici possit, specierum et speciebus dicere –: at *formis* et *formarum* velim. – *Genus* et *formam* definiunt hoc modo: *genus* est notio ad plures differentias pertinens: *forma* est notio, cujus differentia ad caput generis et quasi fontem referri potest. Formæ igitur sunt hæ, in quas genus sine ullius prætermissione dividitur, ut si quis jus in legem, morem, æquitatem dividat etc. Cf. *Quintil.* 5. 10. 62. Genus et species, quam eamdem *formam* Cicero vocat. Rursus *Cic. Topic.* 4. 14. Genus est uxor: ejus duæ formæ: una matrumfamilias, earum quæ etc.; altera earum quæ etc. *Quintil.* 5. 10. 63. Quod hæc (*partitio*) sit totius in partes, illa (*divisio*) generis in formas. Adde *eumd.* 7. 4. 27., 8. 5. 26. et 12. 10. 66.; et *Sicul. Flacc.* p. 16. *Goes.* ¶ 3. Item specialim in re grammatica — *a*) Forma dicitur ipsa verborum natura et positio. *Varro* 9. *L. L.* 37. *Müll.* In quo animadvertito, natura quadruplicem esse formam, ad quam in declinando accommodari debeant verba. *Id. ibid.* 82. *Müll.* Numeri usque a quatuor ad centum, triplices habent formas, quod dicuntur hi quatuor, hæ quatuor, hæc quatuor. *Quintil.* 10. 1. 10. Nosse verborum non significationem modo, sed formas etiam mensurasque. — *b*) Forma etiam pro declinandi ratione sumitur. *Varro* 9. *L. L.* 109. *Müll.* Utrum in secunda forma verbum temporale habeat in extrema syllaba *as* an *is*, ad discernendas dissimilitudines interest. *Gell.* 12. 10. Æditimus ea forma dictum, qua finitimus.

FORMĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Formabilior.* — Formabilis est qui formari potest, *formabile.* *Prudent. Apotheos.* 1031. Solus homo meruit Domini formabile dextra Os capere. *Augustin.* 11. *Trinit.* 2. *ad fin.* Primordia formabiliora.

FORMĀCĔUS, a, um, adject. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. 48. (169). In Hispania ex terra parietes, quos appellant formaceos, quoniam in forma circumdatis utrinque duabus tabulis, inferciuntur verius, quam instruuntur, ævis durant, incorrupti imbribus, etc. Hinc *Arnob.* 4. p. 130. *de Laterano deo* Regni sui possessio luteis constructa est formis.

FORMĀLIS, e, adject. ad formam pertinens, *formale.*

I.) Proprie. ¶ 1. Est ad formam, sive ad exemplar pertinens. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 9. 20. (98). Formalis temperatura æris. *h. e.* ad formas faciendas.

sicut paullo supra *temperatura tabularis* ad faciendas tabulas æreas. ¶ 2. Item qui est juxta certam ac statam aliquam formam. *Sueton. Domit.* 13. Pari arrogantia, quum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit. Dominus et deus noster sic fieri jubet. *h. e.* quæ eadem forma ad plures scribebatur, ἐγκύκλιος, *circolare. Imp. Justinian. Cod.* 6. 23. 26. In testamentis sine scriptis faciendis omnem formalem observationem penitus amputamus. *h. e.* ritum, modum, qui in forma testamenti a jure præscribitur. *et ibid.* Etiamsi non ante prædixerit testator illa formalia verba: *Ideo eosdem testes convenisse etc.*

II.) Translate pro normali. *Ulp. Dig.* 35. 2. 62. Corpora, si qua sunt in bonis defuncti, secundum rei veritatem æstimanda erunt, hoc est, secundum præsens pretium: nec quidquam eorum formali pretio æstimandum esse sciendum est. *h. e.* pretio, quod communiter, et certa veluti forma et taxatione perpetua his tribui solet, *al prezzo consueto della piazza.*

FORMĀMENTUM, i, n. 2. formatio, res formata. *Lucret.* 2. 817. et omnia principiorum Formamenta queunt in quovis esse nitore. *Arnob.* 3. *p.* 109. Formamenta divina. *h. e.* formæ et figuræ deorum.

FORMASTER, aliquantum formosus, vel exornatus. Antiqua vox *Titinii* apud *Festum p.* 193. 18. *Müll.* V. locum in OBSTRUDO.

FORMĀTĬO, ōnis, f. 3. actus formandi, *disegno, formazione.*

I.) Proprie. *Vitruv. proœm. l.* 2. Formationem puto probandam, locum improbandum. *Id.* 5. 1. Oblonga fori formatio, et ad spectaculorum rationem utilis dispositio. *Id.* 4. 1. Formationes columnarum.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 117. Ista jam a formatione morum recesserunt. *Capell.* 3. *p.* 58. in *lemmate.* De formatione litterarum. Adde *Minuc. Fel. p.* 123.

FORMĀTOR, ōris, m. 3. qui format, *disegnatore, formatore.*

I.) Proprie, et quidem in singulari numero. *Seneca Consol. ad Helv.* 8. Quisquis formator universi fuit. *Coripp.* 2. 12. Formator rerum. *h. e.* Deus, qui ab eod. 1. 340. factor solis dicitur.

II.) Translate. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 4. Animi sibi quisque formatorem, præceptoremque virtutis e cœtu sapientum arcessat. *Plin.* 8. *Ep.* 23. Me formatore morum, me quasi magistro utebatur. *Quintil.* 10. 2. 20. Præceptor rector est alienorum ingeniorum atque formator. *Pallad.* 1. *R. R.* 1. Formator agricolæ. *Tertull. Apolog.* 34. Augustus imperii formator. — Et in plur. num. *Ammian.* 18. 6. Quod ideo per molestos formatores imperii struebatur, ut etc.

FORMĀTRIX, īcis, f. 3. quæ format. *Tertull. Monogam.* 17. *de Didone.* Regina tantæ civitatis formatrix. *Coripp.* 2. 16. Formatrix cœli. Adde *Claud. Mamert.* 1. *de stat. anim.* 26.

FORMATŪRA, æ, f. 1. conformatio, *forma. Lucret.* 4. 548. Hasce igitur penitus voces quum corpore nostro Exprimimus, rectoque foras emittimus ore, Mobilis articulat verborum dædala lingua, Formaturaque labrorum pro parte figurat. *Id. ibid. v.* 558. Servat enim (*vox*) formaturam servatque figuram. *Arnob.* 2. *p.* 50. Res formatura varia.

FORMĀTUS, a, um. *V.* FORMO.

FORMELLA, æ, f. 1. deminut. *duplex a* forma, parva forma. *Apic.* 9. 13. Si volueris, in formella piscem formabis. *h. e.* in vasculo, quod pro forma piscis faciendi esse possit. *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 17. 17. Accipe — et decem panes istos, et curre in castra ad fratres tuos, et decem formellas casei has deferes ad tribunum.

FORMĪCA, æ, f. 1. exiguum animal sed admirabilis solertiæ, æstate congerens et condens sub terra, quæ hieme victui sint: a voce Græca μύρμηξ: Æoles enim, a quibus verba pleraque derivant Romani, μ in β, et υ in ο mutant: *V.* MYRMEX. Porro ineptum est illud *Servii ad Virg.* 4. *Æn.* 402. Sane formica dicta ab eo, quod ore micas ferat. Adde et *Isid.* 12. *Orig.* 3. (It. *formica*; Fr. *fourmi*; Hisp. *hormiga*; Germ. *die Ameise*; Angl. *an ant, pismire*). Occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Curc.* 4. 4. 20. Jam ego te faciam ut hic formicæ frustillatim differant. *Id. Trin.* 2. 4. 8. Confit cito, quasi tu objicias formicis papaverem. *Proverb.* de re, quæ cito fit. *Cic.* 3. *Nat. D.* 9. 21. Num idcirco existimas, formicam anteponendam esse huic pulcherrimæ urbi, quod in urbe sensus sit nullus, in formica non modo sensus, sed etiam mens, ratio, memoria? *Virg.* 1. *G.* 186. inopi metuens formica senectæ. *et* 379. tectis penetralibus extulit ova Angustum formica terens iter. *Id.* 4. *Æn.* 402. Ac veluti ingentem formicæ farris acervum Quum populant, hiemis memores, tectoque reponunt. *Ovid.* 7. *Met.* 624. frugilegas aspeximus agmine longo Grande onus exiguo formicas ore gerentes. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 1. 33.; *Colum.* 10. *R. R.* 322.; *Pallad.* 1. *R. R.* 29. 2., 4. *ibid.* 10. 29. et 11. *ibid.* 22. 8.; *Sueton. Tib.* 72.; et *Juvenal.* 6. 361. — De formicarum solertia copiose *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (108)., qui *ibid.* 31. 36. (111). narrat in India septentrionali formicas e cavernis aurum egerere. Adde *Propert.* 3. 11. 5. — *b*) Speciatim de formicis alatis. *Sueton. Ner.* 46. Vidit per quietem navem sibi regenti extortum gubernaculum: trahique se ab Octavia uxore in arctissimas tenebras; et modo pennatarum formicarum multitudine oppleri, modo etc.

FORMĪCĀBĬLIS et

FORMĪCĀLIS, e, adject. formicans. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 27. Pulsus latens, aut formicabilis, quem Græci μυρμηκίζοντα vocant. *Id.* 2. *Tard.* 14. Formicalis pulsus. *Formicalis* tamen videtur esse falsa lectio. *V.* FORMICO 1.

FORMĪCANS, antis. *V.* FORMICO.

FORMĪCĀTĬO, ōnis, f. 3. extuberatio quædam parva et callosa, in summa cute latissimis radicibus inhærens, superneque angustior, quæ inter scalpendum mordentis formicæ sensum præbet: item pruritus cutis, quales formicæ pungentes efficerent, *mal della formica, informicolamento. Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 20. (71). Sanguinem sisti et formicationes corporum. *Id.* 30. *ibid.* 8. 22. (72). Verendorum formicationes. *Sillig* utroque loco legit *informicationes.*

FORMĪCĪNUS, a, um, adject. ad formicam pertinens, *di formica*, μυρμήκινος. *Plaut. Men.* 5. 3. 12. Incedit, movet formicinum gradum. *h. e.* incedit more formicæ, tarde.

FORMĪCO, as, are, n. 1. Part. *Formicans* 1. — Formicare ¶ 1. Est formicarum modo currere, ut Formicans pulsus, exiguus, debilis et frequens, omniumque maxime letalis, ita dictus, quod veluti formicas per arteriam discurrentes tactui repræsentet. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 52. (171). Venarum inæquabili aut formicante percussu. ¶ 2. Item est formicationem contrahere, prurire, μυρμηκίζω. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 13. 41. (120). In sole, donec formicet cutis, tolerandæ sunt.

FORMĪCŎLEON, ōnis, m. 3. formicæ genus, quod memoratur ab *Isid.* 12. *Orig.* 3. 10.

FORMĪCŌSUS, a, um, adject. plenus formicis, *pieno di formiche*, μυρμηκώδης. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (206). Formicosam arborem erucæ cavent.

FORMĪCŬLA, æ, f. 1. deminut. *a* formica, parva formica, *formichetta, formicuccia*, μυρμήκιον. *Fronto ad Verum Imp.* (edente iterum *A. Mai*) *Ep.* 8. Formicularum et apicularum ostentis res maxime portenduntur. *Apul.* 6. *Met.* Formicula illa parvula atque ruricola. *Arnob.* 4. *p.* 145. et 7. *p.* 240. Neque inter formiculam et sese plurimum esse discriminis. Adde *Augustin.* 22. *Civ. D.* 24.

FORMĪDĀBĬLE, adverbii more usurpatur. *V.* voc. seq. in fin.

FORMĪDĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Formidabilior.* — Formidabilis est formidandus, *formidabile, spaventevole*, φρικτός. *Ovid.* 2. *Met.* 857. Nullæ in fronte minæ, nec formidabile lumen. *et* 174. nec formidabilis ulli. *Id.* 14. *ibid.* 116. Formidabilis Orcus. *Gell.* 14. 4. Aspectus vehemens et formidabilis. *et* 19. 1. *a med.* Formidabilis sonus. *Ammian.* 16. 12. manus. *Id.* 29. 5. gestus. *Id.* 22. 8. Rex populis formidabilis. *Alcim. Ep.* 2. *a med.* Quod formidabilius videri potest. — Hinc neutr.

Formidabile, adverbii more occurrit apud *Stat.* 8. *Theb.* 582. formidabile ridens. *h. e.* risum edens, quo formido incutitur.

FORMĪDĀMEN, inis, n. 3. formido, terror, spectrum. *Apul. de Mag.* Bustorum formidamina, sepulcrorum terriculamenta.

FORMĪDĀTĬO, ōnis, f. 3. formido, metus, paura. Tribuitur a nonnullis *Ciceroni in Partit. Orat.* c. 4. Meliores tamen edit. habent *reformidatio* vel *reformatio.*

FORMĪDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FORMĪDO, as, āvi, ātum, are, a. et n. 1. Part. *Formidans* sub *c*; *Formidatus* et *Formidandus* sub *a*. — Formidare (quod, ratione habita etymi, nonnulli conjungunt cum *horreo*: V. quæ dicta sunt de littera *F*) est vehementer timere, metuere, vereri, φοβέω (It. *aver grande paura, temer forte*; Fr. *frissonner, craindre, redouter, trembler, avoir peur*; Hisp. *temblar de miedo ú de horror, temer, tener miedo*; Germ. *vor etwas Grausen, Schrecken empfinden, sich fürchten, Furcht, Entsetzen, Grausen haben*; Angl. *to fear, dread*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo. — Activa forma. *Plaut. Capt.* 4. 4. 5. Nimis hercle ego illum male formidabam: ita frendebat dentibus. *Id. Amph. prol.* 27. Non minus quam vostrum quivis formidat malum. *Cic.* 2. *Fin.* 16. 53. Quidquid fecerit, ipse se cruciat omniaque formidat. *Id.* 8. *Att.* 16. 2. Hujus insidiosa clementia delectantur, illius iracundiam formidant. Adde *eumd.* 3. *ad Q. fr.* 2. 2. *Id.* 2. *Phil.* 26. 64. Unus inventus est, qui id auderet, quod omnium fugisset et formidasset audacia. *Orellius* leg. *reformidasset. Horat.* 2. *Sat.* 7. 65. Quum formidet te mulier. *Id.* 1. *ibid.* 1. 77. Formidare malos fures. *Id. Art. P.* 354. acumen judicis. *Id.* 1. *Ep.* 18. 93. nocturnos vapores. *Curt.* 4. 16. 17. Quod primum formidare cœperunt. *Id.* 3. 11. 12. Adeo pavor etiam auxilia formidabat. *Juvenal.* 1. 176. Formidare hiatum. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 184. verbera. *Pallad.* 4. *R. R.* 9. 14. attactum. *Id.* 1. *ibid.* 28. 1. animalia. *Ammian.* 21. 1. aliquem. — Passive. *Cic. Orat.* 63. 213. Quo etiam satietas formidanda est magis. Sic *Vopisc. Tac.* 6. Nihil formidandum est. *Virg.* 3. *Æn.* 275. nautis formidatus Apollo. *Horat.* 3. *Od.* 6. 15. Dacus et Æthiops, Hic classe formidatus, ille Missilibus melior sagittis. *Id.* 2. *Ep.* 1. 256. formidata Parthis Roma. *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 62. formidata manus. *Idem*, Medicina, inquit 1. *Pont.* 3. 24. formidatis non auxiliatur aquis. *V.* HYDROPHOBIA. *Juvenal.* 6. 559. civis Othoni formidatus. *Flor.* 2. 17. 12. Formidatum militibus flumen. *Ammian.* 24. 6. Elephanti documentis prateritis formidati. *Id.* 14. 6. Formidata inopia. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 94. Et formidato clipeus Titana lacessit Lumine. *Pallad.* 3. *R. R.* 18. 5. Si clausus locus est, modice supra terram, quæ ponuntur, emineant. Si pecora formidantur, altiores trunci esse debebunt. *Ammian.* 14. 2. Formidabatur enim flagrans vesaniâ manus, et superior numero, et ruitura sine respectu salutis in ferrum. — *b*) Cum Infinito. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 81. Si isti formidas credere. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 19. 46. ad hæc ego naribus uti Formido. Rursus *Plaut. Bacch.* 2. 3. 4. Meus formidat animus, nostrum tam diu ibi desidere, neque redire filium. — *c*) Cum part. *ne. Plaut. Asin.* 2. 4. 55. Formido miser, ne hic me tibi arbitretur suasisse. Adde *eumd. Amph.* 1. 1. 148. — *d*) Cum part. *ut* occurrit apud *Vopisc. Tac.* 2. — *e*) Cum Dativo. *Plaut. Amph.* 5. 1. 61. Metuens pueris, mihi formidans. *Id. Aulul. in argum.* 6. Auro formidat Euclio: abstrudit foris. *teme per l'oro.* — *f*) Absolute. *Plaut. Cist.* 4. 2. 20. Intus paveo, formido foris. *Id. Mil. glor.* 4. 2. 20. Bonum habe animum, ne formida. Adde *eumd. ibid.* 3. 3. 20.; et *Asin.* 3. 3. 48. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 10. Hoc quoque acciperent homines, vereor etiam nunc: neque prius desinam formidare, quam tetigisse te Italiam audiero.

Homonym. *V.* in fin. v. METUS.

FORMĪDO, inis, f. 3. De etymo *V.* voc. præced. init. — Formido est metus vehementior et permanens, ut a *Cic.* 4. *Tusc.* 8. *fin.* ex Stoicorum sententia definitur. *Id.* 5. *ibid.* 18. 54. in quem cadit metus, in eumdem formido, timiditas, pavor, ignavia. — Universim tamen accipitur pro metu, timore, pavore, illo præsertim, qui horrorem conjunctum habet, φόβος (It. *paura, spavento*; Fr. *terreur, épouvante, effroi, crainte, peur*; Hisp. *terror, miedo, espanto, pavor*; Germ. *d. Furcht, d. Grausen, Entsetzen, d. dauernde Furcht*; Angl. *fear, terrour, dread*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) In singulari numero. *Plaut. Amph.* 1. 1. 181. Neque miser me commovere possum præ formidine. *Lucret.* 3.

68. hæc vulnera vitæ Non minumam partem mortis formidine aluntur. Adde eumd. v. 79. Sic Cic. 1. de republ. 3. Adjunguntur pericula vitæ, turpisque ab his formido mortis fortibus viris opponitur. Id. Rosc. Am. 2. 5. Forsitan quæratis, qui iste terror sit et quæ tanta formido, quæ tales viros impediat, quominus ele. Id. Prov. cons. 18. 43. Ecce illa subita atque improvisa formido. Horat. 1. Ep. 16. 53. Tu nihil admittes in te formidine pœnæ. Id. 2. ibid. 1. 154. fustis. Ovid. 2. Met. 65. Unde mare et terras ipsi mihi sæpe videre Fit timor, et pavida trepidat formidine pectus. Sueton. Ner. 49. Atque in ea voce defecit, exstantibus rigentibusque oculis usque ad horrorem formidinemque visentium. Id. Cal. 50. Vultum – ex industria efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. Tac. Germ. 6. Cedere loco (in prælio), dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Id. Agric. 36. Vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos et obvios incursabant. Juvenal. 15. 77. nimium formidine cursum præcipitare. Id. 13. 106. trepidus formidine culpæ. Ammian. 24. 2. Formidine advenientis exercitus. — Jungitur nonnullis Verbis. Cic. 5. Verr. 28. 68. Formidinem alicui injicere. Curt. 4. 10. 2. incutere. Tac. 2. Hist. 15. inferre. Id. 1. ibid. 71. afferre. Id. 2. ibid. 54. intendere. Id. 3. ibid. 10. facere. Seneca 2. Ira 12. Formidini esse. Curt. 8. 2. 26. Formidinem augere. Val. Flacc. 1. 197. pellere. Id. ibid. 700. discutere. Virg. 4. G. 356. percussus mentem formidine. Sil. It. 10. 544. subit horrida mentem Formido incerti casus. Curt. 3. 8. 25. Formido animos incessit. Adde Tac. 2. Hist. 63. Ovid. 4. Met. 804. attonitos formidine terreat hostes. Virg. 4. Ecl. 14. solvere formidine terras. — b) In plurali numero. Cic. Quinct. 14. 47. Jactare minas, intendere pericula, formidines opponere. Id. 1. Fin. 19. 63. Ex ignoratione rerum horribiles existunt sæpe formidines. Adde Liv. 30. 28. Plin. 28. Hist. nat. 8. 29. (115). Contra formidines pavoresque. — c) Notandum est illud Sallustii, ubi formido pro vecordia sive mentis deliramento ponitur, Jug. 72. Neque post id locorum Jugurthæ dies aut nox ulla quieta fuit: cives hostes juxta metuere; circumspectare omnia et omni strepitu pavescere –, interdum somno excitus arreptis armis tumultum facere: ita formidine quasi vecordia exagitari. — d) Item illud Horatii, ubi formido pro animi abjectione occurrit, 2. Sat. 7. 75. Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque Tot tantisque minor, quem ter vindicta quaterque imposita haud unquam misera formidine privet? ¶ 2. Speciatim formido est sacer vel religiosus horror, religio, V. RELIGIO, sacro orrore, orrore religioso: ad rem Lucret. 5. 1217. Præterea, cui non animus formidine divûm Contrahitur? Adde eumd. 6. 52.; et confer Val. Flacc. 2. 431. Tunc tenuis Lemnos; transitque Electria tellus Threiciis arcana sacris: hic numinis ingens Horror et incautis decreta piacula linguis. Item Curt. 4. 10. 2. de lunæ defectu. Sollicitisque sub ipsum tanti discriminis casum ingens religio et ex ea formido quædam incussa est. Virg. 7. Æn. 606. Sunt geminæ belli portæ, sic nomine dicunt, Religione sacræ et sævi formidine Martis. δεισιδαιμονία. Sil. It. 1. 83. (sacrum Elissæ) patria Tyriis formidine cultum. Val. Flacc. 2. 267. æraque circum, Tympanaque et plenas tacita formidine cistas. Tac. Germ. 39. Stato tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine sacram omnes – coeunt.

II.) Translate, abstractum pro concreto, ¶ 1. Generatim formido dicitur de iis, quæ formidinem incutiunt. — a) Extra rem sacram. Sall. Cat. 20. Ceteri omnes, strenui boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus, sine gratia sine auctoritate, eis obnoxii, quibus, si respublica valeret, formidini essemus. Justin. 6. 5. 7. Atque ita, undique belli formidine circumstrepente, clausi Spartani ad summam desperationem rediguntur. Sil. It. 13. 521. et nobis manesque silentum Enumera, Stygiamque aperi formidinis aulam. — b) In re sacra. Virg. 4. G. 467. alta ostia Ditis Et caligantem nigra formidine lucum Ingressus. oscuro orrore. Fronto de fer. Alsiens. (edente iterum A. Mai) ep. 3. Ditem patrem ferunt, cani custodi trinas latrandi fauces ac trinos hiatus trinasque dentium formidines addidisse. Cf. Cic. fragm. de ær. al. Mil. 5. edit. ab A. Mai in Class. Auct. T. 2. p. 227. Tum habuisti quasdam formidines, quæ quasi corpus quoddam exciderunt impleta. scil. ut cervorum. ¶ 2. Speciatim formidinem appellant venatores lineam rubentibus pennis distinctam, h. e. funiculum extensum et variis avium pinnis intextum ad terrendas coercendasque feras et in retia impellendas, μήρινθος. De ea sic Nemesian. Cyneg. 303. Linea quin etiam, magnos circumdare saltus Quæ possit, volucresque metu concludere prædas, Digerat innexas non una ex alite pinnas. Namque ursos magnosque sues cervosque fugaces Et vulpes acresque lupos, ceu fulgura cœli, Terrificant, linique vetant transcendere septum etc. Seneca 2. Ira 12. Quum maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat et in insidias agat; ab ipso effectu dicta formido. Virg. 12. Æn. 750. Cervum puniceæ septum formidine pennæ. Lucan. 4. 437. dum pavidos formidine cervos Claudat, odoratæ metuentes aera pennæ. Pro penna his locis al. leg. pinna: quod idem est. Huc spectat illud Horatii 1. Sat. 8. 3. de Priapo. deus inde ego, furum aviumque Maxima formido. ¶ 3. In fabulis Formido est dea, Veneris et Martis filia, Græce Δειμός, ipsius Martis ministra. Hygin. præfat. fab.

Homonym. V. in fin. v. METUS.

FORMĪDŎLŌSĒ, adverb. Comp. Formidolosius 2. — Formidolose ¶ 1. Active est tali modo, quo formido aliis incutitur, incutendo paura. Cic. Sext. 19. 42. Eos qui plurimum possent opponi omnibus contionibus falso, sed formidolose tamen, auctores ad perniciem meam. ¶ 2. Passive est timide, cum formidine, paurosamente, temendo. Cato apud Charis. p. 196. Putsch. Censores, qui posthac sient, formidolosius atque segnius atque timidius pro republica nitentur.

FORMĪDŎLŌSUS, a, um, adject. Comp. Formidolosior 1. et 2.; Sup. Formidolosissimus 2. — Formidolosus est horribilis, horrendus; et occurrit tum active, tum passive; aliquot autem hac forma verborum, qui tum active, tum passive significant, seriem enumerat Gell. 9. 12. Itaque ¶ 1. Active significat terribilem, formidinem incutientem, formidandum, terribile, formidabile, φοβερός. Plaut. Pseud. 3. 2. 35. Herbæ formidolosæ dictu, non esu modo. Id. Amph. 5. 1. 65. Nimis formidolosum facinus prædicas. Cic. Cluent. 3. 7. Consessus vester terribilis Cluentio et formidolosus. Id. Pis. 24. 58. Formidolosissimum bellum. Id. 7. Verr. 1. 1. Dubia et formidolosa tempora. Sall. Cat. 55. Loca tetra, inculta, fœda, formidolosa. Id. ibid. 19. Jam tum potentia Pompeji formidolosa erat. Horat. 2. Od. 17. 16. Seu Libra, seu me Scorpius aspicit Formidolosus. Id. Epod. 5. 55. Formidolosis dum latent silvis feræ. ¶ 2. Passive est qui formidat, pauroso, περίφοβος. Ter. Eun. 4. 6. 18. Num formidolosus, obsecro, es mi homo? CH. Apage sis: egon' formidolosus? nemo est hominum, qui vivat, minus. Varro 1. R. R. 17. 3. Mancipia esse oportet neque formidolosa, neque animosa. Colum. 6. R. R. 2. 14. Boves nec auditu, nec visu pavidi, nec ad ingredienda flumina, aut pontes formidolosi. Seneca de Clem. 17. Equus fiet formidolosus et contumax. — Et cum Genitivo. Tac. 1. Ann. 62. Exercitus formidolosior hostium. h. e. magis timens hostes.

FORMĪDUS, a, um, adject. idem ac formus, h. e. calidus. Cato apud Paul. Diac. p. 83. 11. Müll. Ædificium ætate frigidum, hiema formidum.

FORMĬPŎTENS. V. VERBILEVIS.

FORMIS, e, adject. formosus: unde deformis. Plaut. Bacch. 2. 2. 38. Sed Bacchis etiam formis tibi visa est? Ita legit Pareus: alii fortis; sed fortem pro formoso interpretantur, ut Non. p. 306. 14. Merc. et Servius ad Virg. 4. Æn. 149. In illo ejusdem Mil. glor. 4. 3. 13. Ecquid fortis visa est? Alii fortem intelligunt ætate integram et viro maturam.

FORMĪTAS, atis, f. 3. est idem ac forma. Isid. 6. Orig. 17. 4. Unde factum est, ut cujuscumque materiæ carmina simplici formitate facta cyclica vocarentur.

FORMO, as, avi, atum, are, a. 1. (forma). Part. Formans I.; Formatus. I. et II.; Formaturus et Formandus II. — Formare est formam alicui rei dare, effingere, figurare, facere, μορφόω, τυπόω (It. formare, figurare, dar forma; Fr. donner la forme, former, figurer; Hisp. dar forma á, figurar; Germ. bilden, formen, gestalten, ausprägen; Angl. to form, frame, fashion, shape, make).

I.) Proprie. — a) Cum Accusativo. Cic. 1. Acad. (post). 2. 6. Materia, quam fingit et format effectio. Id. 2. Divinat. 42. 89. Utcumque temperatus sit aer, ita pueros orientes animari atque formari. Id. 4. Verr. 35. 85. Signum in muliebrem figuram habitumque formatum. Cf. Ovid. 3. Met. 419. e Pario formatum marmore signum. Propert. 1. 3. 23. lapsos formare capillos. aggiustare. Sic Sueton. Ner. 51. Coma formata in gradus. Ovid. 3. Pont. 4. 25. gentes formatæ mille figuris. delineate, rappresentate. Id. 5. Met. 328. formatus cum cornibus Ammon. Plin. 35. Hist. nat. 8. 34. (56). Cimon catagrapha invenit, hoc est obliquas imagines, et varie formare vultus, respicientes, suspicientesque et despicientes. Tibull. 2. 5. 23. formare mœnia urbis. disegnare. At Heynius. interpretatur fabricare. Virg. 9. Æn. 8. Tempore, quo primum Phrygia formabat in Ida Æneas classem. Forcellinus huc retulit etiam illud Plin. 7. Ep. 12. Libellum formatum a me misi tibi. h. e. confectum quidem, sed nondum perfectum limatumque. — b) Absolute. Cic. 1. Nat. D. 38. 110. Individua corpora (h. e. atomi) pellere se ipsa et agitari inter se concursu fortasse possent: formare, figurare, colorare, animare non possent. Manil. 5. 364. formantibus astris.

II.) Translate. — a) Generatim. Cic. 3. Orat. 45. 177. Verba nos, quum jacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram, ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. Id. 2. ibid. 9. 36. Oratoris est formare orationem, eamque variare et distinguere. Sic Quintil. 10. 7. 7. Formare orationem multo ac fideli stilo. Cic. 3. Orat. 9. 34. Non posse ea, quæ inter se discrepant, iisdem præceptis atque in una institutione formari. Quintil. 2. 10. 2. Formare eloquentiam. Id. 11. 3. 180. actionem. Id. 4. procem. 1. disciplinam filii. Id. 1. præfat. 5. studia ejus. Cic. 1. Acad. (post.) 5. 20. Morum putabant studia esse et quasi consuetudinem: quam partim exercitationis assiduitate, partim ratione formabant. h. e. efficiebant. Sic Quintil. 12. 2. 27. Formare mores. Plin. Paneg. 47. vitam et mores juventutis. Quintil. 1. 2. 4. Formare et custodire pudorem. Cic. Brut. 38. 142. Nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt. Quintil. 1. 12. 10. Animi minore conatu moventur, nec suo nisu studiis insistunt, sed formandos se tantummodo præstant. Id. 4. 1. 60. Formare animum judicum. Id. 2. 16. 10. mentes. Justin. 22. 2. Ita veluti reipublicæ statum formaturus. Id. 41. 5. Dato laxamento, regnum Parthicum format. ordina, dà sesto. — b) Speciatim pro imaginari, concipere. Ovid. 3. Amor. 7. 63. tacita formare gaudia mente. Cf. Cic. 3. Nat. D. 7. 21. Formatas esse in animis hominum deorum notiones. et Quintil. 10. 7. 5. Semper nostram vocem provisa et formata cogitatio excipiat. — c) Et pro eloqui, proferre. Quintil. 1. 12. 7. Pueri intra biennium, quam verba recte formare potuerant, quamvis nullo instante, omnia fere loquuntur. — d) Et pro componere, conscribere. Sueton. Domit. 20. Epistolas orationesque et edicta alieno formabat ingenio. Id. Aug. 89. Si quid res exigeret, Latine formabat. Id. Ner. 47. Inventus est ejus de hac re sermo formatus. Cf. Plin. 7. Ep. 12. superius allatum sub I. a. — Huc referri potest et illud Horat. Art. P. 126. Si quid inexpertum scenæ committis, et audes Personam formare novam. h. e. fingere, inducere. — Sic formare versus cithara, apud Plin. 4. Ep. 19., est ad sonum citharæ modulari, mollire, flectere. Forma enim versus cantu præcipue dignoscitur. Flectere hoc sensu dixit Stat. 3. Silv. 5. 65. — e) Pro informare, erudire, statuere, educare, allevare, ammaestrare, istruire. Horat. 2. Ep. 1. 128. Mox etiam pectus præceptis format amicis. Id. 1. Sat. 4. 120. sic me (pater) Formabat puerum dictis. Cf. Ovid. 3. Met. 288. Talibus ignaram Juno Cadmeida dictis Formarat. et Colum. 11. R. R. 1. med. Villicus compluribus agrestium formatus artibus. h. e. institutus, istruito. Horat. Art. P. 307. Unde parentur opes, quid alat formetque poetam. Quintil. 1. 1. 10. Cogitet oratorem institui, rem arduam, etiam quum ei formando nihil defuerit. Id. 2. 15. 33. Formare perfectum oratorem. Id. 1. 10. 5. sapientem. Id. 12. 1. 41. virum. Plin. 1. Ep. 14. Juvenis ita a me for-

mari et instilui cupit, ut ego a vobis solebam. *Justin.* 18. 3. Ab eo formatus. *istruito, informato.* V. integr. locum. *Stat.* 1. *Achill.* 477. cujus ab ortu Cruda rudimenta et teneros formaverit annos Centaurus. — Similiter pro informare, componere, cum Accusativo et præpos. *ad* vel *in.* *Virg.* 3. *G.* 163. Formare boves ad studium et usum agrestem. *Horat. Art. P.* 108. Format enim natura prius nos intus ad omnem Fortunarum habitum. *Quintil.* 5. 7. 8. Ut est ad credendum vel non credendum ante formatus. *Id.* 7. 3. 14. Ad modum dialecticorum formata conclusio. *Id.* 6. 2. 1. Animum judicum in eum, quem volumus, habitum formare et velut transfigurare. *Id.* 11. 1. 2. In quæ (*verba*) judicem duci formarique volumus. *Justin.* 3. 8. In has leges traditam sibi urbem Lacedæmonii formandam Lysandro tradiderunt. *Liv.* 1. 21. Formare se in mores alicujus. *Sueton. Claud.* 37. Formatus in admirationem. *h. e.* compositus, admirationem simulans.

FORMŌSĒ, adverb. Comp. *Formosius* et Sup. *Formosissime.* — Formose est cum forma et apta ad speciem dispositione, *con bella figura o maniera*, εὐμόρφως. *Propert.* 1. 2. 11. Surgat et in volis formosius arbutus antris. *Al. leg.* formosior. *Quintil.* 8. 3. 10. Olea in orbem se formosius fundet. *Apul.* 5. *Met.* Cupidinem formosum deum formose cubantem *Id.* 6. *ibid.* Formose saltare. *Augustin.* 1. *Confess.* 7. Formosissime qui formas omnia.

FORMŌSĬTAS, ātis, f. 3. forma apta ad speciem, pulcritudo, *proporzione, bellezza*, εὐμορφία. *Cic.* 1. *Off.* 35. 126. Decorum positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto. *Apul.* 9. *Met.* Uxor eximia formositate prædita.

FORMŌSŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* formosus, pulchellus, *belluccio.* *Varro* apud *Non.* p. 27. 5. *Merc.* Formosula uxor. *Hieronym. Ep.* 117. Et iste formosulus tuus vel ditiorem reperiet, vel juniorem. *Id.* 2. *in Jovinian.* 14. Formosuli nostri et torosuli.

FORMŌSUS, a, um, adject. Comp. *Formosior* et Sup. *Formosissimus.* — Formosus est apte formatus, speciosus, pulcher, εὔμορφος (It. *bello, ben fatto*; Fr. *beau, qui a de belle formes*; Hisp. *hermoso, bello*; Germ. *schöngeformt, schön*; Angl. *beautiful, handsome*). Cum opposito *deformis* occurrit apud *Cic.* 1. *Invent.* 24. 35. Longus an brevis, formosus an deformis *Id.* 1. *Nat. D.* 10. 24. Deum rotundum esse volunt, quod ea forma ullam negat esse pulcriorem Plato: at mihi vel cylindri, vel quadrati videtur esse formosior. *Id.* 2. *Invent.* 1. 2. Præbete mihi ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id quod etc. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 11. latices epulasque deorum Dat mihi formosa nova Juventa manu. *Virg.* 2. *Ecl.* 1. Formosum pastor Corydon ardebat Alexim. *Horat. Art. P.* 4. mulier formosa. *Id.* 4. *Od.* 13. 3. vis formosa videri. *Virg.* 5. *Ecl.* 44. Formosi pecoris custos, formosior ipse. et 7. *ibid.* 38. Galatea hedera formosior ipsa. *et* 3. *ibid.* 57. Nunc frondent silvæ, nunc formosissimus annus. *Ovid.* 4. *Fast.* 129. Formosum tempus. *h. e.* ver. *Id. Remed. am.* 187. formosa est messibus æstas. *Martial.* 10. 24. Lux formosior omnibus calendis. *Propert.* 4. 4. 30. Et formosa oculis arma Sabina meis. *Ovid.* 7. *Met.* 679. sed non formosius isto Viderunt oculi telum jaculabile nostri. *Id.* 1. *Amor.* 14. 31. Formosæ comæ. *Id.* 1. *Art. am.* 296. boves. *Id.* 5. *Fast.* 117. hædorum mater formosa duorum. *Petron. Satyr.* 100. Quid aquis dici formosius potest? *Quintil.* 9. 4. 8. Habitus formosior. — Hinc absolute pro puero, vel puella formosa. *Tibull.* 1. 4. 3. *ad Priapum.* Quæ tua formosos cepit solertia? *Id.* 3. 1. 7. Carmine formosæ, pretio capiuntur avaræ. Itali dicunt *le belle.*

Homonym. *V.* in fin. v. PULCHER.

FORMŪCĀLES, forcipes dictæ, quod forma capiant, id est ferventia. *Paul. Diac.* p. 91. 13. *Müll.* Sed critici volunt legi *formucapes*, unde *forcipes*: quibuscum ipse *Müllerus* consentire videtur, nec non cl. *Furlanetto* in suis MSS.

FORMŪCĀPES. *V.* voc. præced.

FORMŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* forma, parva forma; et occurrit

I.) Proprie. ¶ 1. Speciatim pro pulcritudine (*V.* FORMA I. 2.), *bellezza.* *Plaut. Pers.* 2. 2. 47. Tempori hanc vigilare oportet formulam atque ætatulam. ¶ 2. Item est delineatio et exemplar futuri operis (*V.* FORMA I. 4.), *modello, stampo.* *Ammian.* 31. 2. Formula calcei. — Hinc etiam pro re, quæ juxta formam conferta est. *Pallad.* 6. *R. R.* 9. 2. *de caseo.* Solidatæ formulæ per crates ita statuantur, ne invicem se unaquæque contingat. ¶ 3. Item canalis, fistula, tubus, per quem aqua ducitur (*V.* FORMA I. 5.), *doccione, acquidotto.* *Frontin. Aquæd.* 36. Calix excogitatus videtur, quoniam rigore æris difficiliore ad flexum, non timeri potest laxari vel coarctari formulas modulorum. ¶ 4. Item in re forensi est modus, norma, ratio lege præscripta, sive in verbis, sive in factis servanda, *formula, regola* (*V.* FORMA I. 6.): ut ritus et ratio testamentorum, certa et concepta verba in actionibus, stipulationibus, judiciis etc. *Cic.* 1. *Legg.* 4. 14. Quo me vocas? ut libellos conficiam de stillicidiorum ac de parietum jure? aut ut stipulationum et judiciorum formulas componam? quæ et scripta sunt a multis diligenter etc. *Id.* 1. *Orat.* 39. 180. In testamentorum formulis, hoc est in medio jure civili, versari. (Testamenti formula legitur etiam in *Inscript.* apud *Orell.* 4356. et apud *Steiner Corp. Inscr. Rom.* n. 398.). Sic *Id. Brut.* 52. 195. Quid ille non dixit de testamentorum jure, de antiquis formulis? *Id.* 4. *Verr.* 60. 147. Formulæ postulationum. *Id.* 7. *Fam.* 12. fiduciæ. *Id. Rosc. com.* 4. 12. Aliquem in angustissimam sponsionis formulam concludere. *Id.* 3. *Off.* 11. 60. Proferre formulas de dolo malo. *Id. Rosc. com.* 8. 24. Sunt jura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere injuriæ, aut ratione actionis errare possit; expressæ sunt ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo publicæ a prætore formulæ, ad quas privata lis accommodatur. *Id. Quinct.* 8. 30. A prætore postulat, ut sibi Quinctius judicatum solvi satisdet, ex formula: *Quod ab eo petat, cujus ex edicto prætoris bona dies XXX. possessa sint.* *Quintil.* 7. 1. 37. Quod in foro atrocitate formularum dijudicatur. V. *Brisson. de formulis etc.*; et *Rein's Röm. Privatr.* p. 440.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 4., formula ponitur pro causa, actione, apud sequioris ævi scriptores. — Hinc *formulam intendere* aut *scribere* est dicam impingere, actionem intentare, *Sueton. Vitell.* 7.; et *Quintil.* 6. 3. 5.: et *formulam remittere* ab actione cessare, *Sueton. ibid.* — *Formula cadere* vel *excidere* dicuntur, qui concepta formulæ verba immutando plus petunt, quam debent; adeoque causa cadunt. Erant enim actionum formulæ ita certis conceptæ verbis, ut ab iis si quis agendo discederet, causam amitteret. *Sueton. Claud.* 14. Iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidissent, restituit actiones. Sic *Seneca Ep.* 48. *ad fin.*; et *Quintil.* 3. 7. 69. Formula cadere. ¶ 2. Extra rem forensem sumitur pro pacto certis verbis expresso, præscripto, lege, condicione, fœdere. *Liv.* 26. 24. Acarnanas restituturum se in antiquam formulam jurisque ac ditionis eorum. *Id.* 27. 10. Quæsierunt a coloniis, ecquid milites ex formula paratos haberent? *Id.* 43. 6. Lampsacenos in sociorum formulam referre prætor jussus. *nel ruolo.* *Id.* 39. 26. Paracheloida nullo jure Thessalorum formulæ factam. *Id.* 38. 9. Urbem ne quam formulæ sui juris facerent. *h. e.* ne sub ditione sua tenerent. *Id.* 33. 38. Antiochus omnes Asiæ civitates in antiquam imperii formulam redigere est conatus. *Forcellinus* hunc locum ad seq paragr. retulit. ¶ 3. Item pro ratione, modo, regula, mensura, quam mutari non liceat. *Cic.* 3. *Off.* 4. 19. Ut sine ullo errore dijudicare possimus, si quando cum illo, quod honestum intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, formula quædam constituenda est: quam si sequamur in comparatione rerum, ab officio numquam recedemus. Erit autem hæc formula Stoicorum rationi disciplinæque maxime consentanea. *Id.* 1. *Acad.* (*post*). 4. 17. Utrique (*Academici* et *Peripatetici*) certam quamdam disciplinæ formulam composuerunt. *Id. Orat.* 11. 36. Quid est, quo præscriptum aliquod aut formulam exprimas, quum in suo quodque genere præstet et genera plura sint? Adde *eumd. ibid.* 23. 75. *Id. Opt. gen. orat.* 7. 20. Causa ipsa abhorret illa quidem a formula consuetudinis nostræ. *Id. ibid.* 5. 14. Formula dicendi. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 45. hæc populos, hæc magnos formula reges, Excepto sapiente, tenet. *Seneca Ep.* 6. *a med.* Cleanthes Zenonis vitæ interfuit, secreta perspexit: observavit illum, an ex formula sua viveret. *h. e.* secundum ea vitæ præcepta, quæ aliis tradebat. *Id. Tranquill.* 11. Qui mortem timebit, nihil unquam pro homine vivo faciet: at qui scit, hoc sibi, quum conciperetur, statim condictum, vivet ad formulam. *Sueton. Aug.* 49. Quidquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxit. *Id. ibid.* 88. Orthographia, id est formula ratioque scribendi a grammaticis instituta.

FORMŬLĀRĬUS, ii, m. 2. *Quintil.* 12. 13. 11. Multos cognovimus, qui tædio laboris, quem ferre tendentibus ad eloquentiam necesse est, confugerunt ad hæc deverticula desidiæ: quorum alii se ad album et rubricas transtulerunt, et formularii, vel, ut Cicero ait, leguleji quidam esse maluerunt. *h. e.* formulas juris consectantes, et ex iis causas agentes. Cf. *Cic.* 1. *Orat.* 55. 217. Jurisconsultus ipse per se (*h. e. sine præsidio eloquentiæ*) nihil, nisi legulejus quidam cautus et acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum. — Ceterum *formularius* eodem sensu occurrit etiam apud *Spartian. Get.* 2. Severum ille (*Antoninus Pius*) ad fisci advocationem delegerat ex formulario forensi.

FORMUS, a, um, adject. apud veteres ab Æolico φορμός, pro θερμός, calidus. *Varro* apud *Non.* p. 532. 2. *Merc.* Formi vocabulum a formo dictum, id est a caldore. *Mercerus* pro *formo* legit *forno.* *Paul. Diac.* p. 83. 11. *Müll.* Forma significat modo faciem cujusque rei, modo calida. *Id.* p. 84. 3. *Müll.* Forcipes dicuntur, quod his forma, id est calida, capiuntur. *Id.* p. 91. 13. *Müll.* Formucales forcipes dictæ, quod forma capiant, id est ferventia. *Arnob.* 2. p. 72. Nec in formis erubescerent calamistris masculorum vibrare cæsariem. *Stewechius* legend. putat *informis, h. e.* valde calidis: sed hic nihil mutandum, atque ita sunt verba conjungenda, *in formis masculorum vibrare cæsariem calamistris*; ideoque locus pertinet ad *V.* FORMA I.

FORNĀCĀLĬA, ium. *V.* voc. seq. in fin.

FORNĀCĀLIS, e, adject. ad deam Fornacem pertinens. *Ovid.* 6. *Fast.* 312. Sola prius furnis torrebant farra coloni: Et Fornacali sunt sua sacra deæ. — Hinc

Fornacalia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt sacra non stata, sed indictiva, a Numa instituta in honorem deæ Fornacis, ut far recte torreretur: ideoque ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat, ut *Paul. Diac.* p. 83. 93. *Müll.* tradit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 2. 2. (8). Numa et Fornacalia instituit, farris torrendis ferias. *Ovid.* 2. *Fast.* 527. Curio legitimis nunc Fornacalia verbis Maximus indicit, nec stata sacra facit. *Lactant.* 1. 20. *a med.* Quis non rideat Fornacem deam, vel potius doctos viros celebrandis Fornacalibus operari?

FORNĀCĀRĬUS, a, um, adject. ad fornacem pertinens. *Ulp. Dig.* 9. 2. 27. *ante med.* Si fornacarius servus coloni ad fornacem obdormisset, et villa fuisset exusta. *h. e.* qui fornacem ardentem custodit.

FORNĀCĀTOR, ōris, m. 3. qui fornacem balnei succendit. *Paul. Dig.* 33. 7. 14. Ita enim ibi legendum est, non *fornicator*: quin immo *furnacator* legitur in *Inscript.* Pompejis reperta in externo balnei pariete, apud *Rosin. Dissert. Isagog.* p. 66. *tab.* 10. n. 2. SECVNDVM AEDilem FVRNACATOR. ROG. *h. e.* fornacatores rogant. V. *Guarini Fast. duumv.* p. 116.

FORNĀCĔUS, a, um, adject. ad fornacem pertinens. *Lucilius* apud *Non.* p. 506. 8. *Merc.* Primum fulgit, ut caldum et fornaceum ferrum. *Al. rectius leg.* uti caldum ex fornacibu' ferrum.

FORNĀCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* fornax, parva fornax, *fornacina.*

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Juvenal.* 10. 82. Magna est fornacula. *Fronton.* 1. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Mai*) *Ep.* 2. Bajarum ego calidos specus malo, quam istas fornaculas balnearum, in quibus ignis cum sumptu atque fumo accenditur, brevique restinguitur; at illi ingenui vapores puri perpetuique sunt, grati pariter et gratuiti. ¶ 2. Speciatim est etiam ea, quæ ab Italis nunc dicitur *caldano, braciere*, ad quam hiemis tempore accedentes calefacimur. *Sulpic. Sev.* 3. *Dial.* 11. Qui-

dam e fratribus quum ad fornaculam illius (*S. Martini*) carbonum copiam reperisset; et admota sibi sellula, divaricatis pedibus, super ignem illum nudato inguine resideret etc. *Venant.* 4. *Vit. S. Martin.* 490. Occurrit cellæ quum quidam e fratribus algens; Carbone injecto, ardebat fornacula sancti. Considet ergo celer, rapiens quasi lucra vaporis, Inguine nudato, pede jacto, poplite panso.

II.) Translate. *Apul. de Mag.* Hic accusationis auctor, hic testium coemptor, hic totius calumniæ fornacula.

FORNAX, ācis, f. 3. Ratione habita etymi, conjungenda est vox cum *fornus, furnus*, et cum Gr. *πῦρ ignis*: V. *Döderlein. Latein. Synon. vol.* 6. *p.* 135. — Fornax est ædificium, quod rei alicujus coquendæ, aut calefaciendæ gratia igni succenditur, cujusmodi sunt, quibus calx, aut lateres coquuntur, far torretur, metalla funduntur, κάμινος (It. *fornace*; Fr. *four, fourneau*; Hisp. *horno, hornillo*; Germ. *der Ofen*; Angl. *a furnace*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu. *Cato R. R.* 38. luculentam habet calcariæ fornacis descriptionem. *Lucret.* 6. 148. calidis candens ferrum e fornacibus olim Stridit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 37. 103. Apparentque in ardentibus fornacibus sæpe volitantes. *Virg.* 7. *Æn.* 636. recoquunt patrios fornacibus enses. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 36. 42. (119). Fornax æraria. *Id.* 17. *ibid.* 9. 6. (53). calcaria. *Labeo Dig.* 19. 2. 58. Fornax balinei. ¶ 2. Latiori sensu ac poetice dicitur de cratere montium, quos vulgo appellant Vulcanios. *Lucret.* 6. 581. Flamma foras vastis Ætnæ fornacibus efflat. *Virg.* 1. *G.* 472. Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam. *Ovid.* 15. *Met.* 340. sulfureis ardet fornacibus Ætnæ. ¶ 3. Item latiori sensu, Fornax dea fuit, cujus in honorem Numa Fornacalia instituit, *h. e.* farris torrendi ferias. *Ovid.* 2. *Fast.* 525. Facta dea est Fornax: læti Fornace coloni, Orant, ut fruges temperet illa suas. *V.* FORNACALIS.

FORNĬCĀRĬA, æ, f. 1. *et*

FORNĬCĀRĬUS, ii, m. 2. pro meretrice et scortatore occurrunt apud *Tertull. Anim.* 35. et *Pudic.* 9. et 16.; et *Isid.* 10. *Orig.* 110. Sic *Vett. Glossæ.* Fornicaria, πόρνη ἀπὸ καμάρας. — *V.* et FORICARIUS.

FORNĬCĀTĪM, adverb. In modum fornicis, *a volta. Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 81. (223). Palma, arbor valida: in diversum enim curvatur: et populus. Cetera omnia inferiora panduntur: palma e contrario fornicatim. Ita *Harduin.* et *Sillig.* ex MSS. Alii *fornicatur*, h. e. in modum fornicis curvatur.

FORNĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. A *fornicatus* est fornicis structura, *edifizio in volta*, καμάρωσις. *Seneca Ep.* 95. *post med.* Societas nostra lapidum fornicationi similis est, quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur. *Vitruv.* 5. 11. Parietum fornicatio. ¶ 2. A *fornicari* est scorti consuetudo, *fornicazione*, apud Eccles. scriptor. *Tertull. Pudic.* 1. 2. etc.

FORNĬCĀTOR, ōris, m. 3. *et*

FORNĬCĀTRIX, īcis, f. 3. qui, vel quæ scortatur. Voces sunt Ecclesiasticis scriptoribus usitatæ. Meretrices enim sub fornicibus prostabant. Hinc fornicatores dicti, qui illuc convenirent. *Isid.* 10. *Orig.* 110.; et *Tertull. Pudic.* 1. et 22.

FORNĬCĀTUS, a, um, adject. vel particip., in modum fornicis fabricatus, concameratus, *fatto a volta. Cic. Topic.* 4. 22. Parietem directum ad communem parietem adjungere vel solidum, vel fornicatum. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 5. 11. (22). Intra sepem æstivant pastores, decora specie subter intuenti proculve fornicato ambitu. — Romæ fuit via *Fornicata*, quæ ad Campum Martium ducebat. *Liv.* 22. 36. In via Fornicata, quæ ad Campum erat, aliquot homines de cœlo tacti exanimatique fuerant. *h. e.* via fornicibus ornata: alia via, quæ *Tecta* appellata fuit, memoratur ab *Ovid.* 6. *Fast.* 192., quæ itidem fornicibus, seu porticibus instructa erat, et a porta Capena ad Martis templum ducebat. *V.* INTEGO, RECTUS et TECTUS.

FORNĬCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. scortor, ea ratione, quæ in FORNICATRIX et FORNIX sub *B.* II. 1. dicta est. *Tertull. Pudic. sub fin.* Nemo nolens fornicatur. Adde *Eccles. scriptor.* sæpe.

FORNIX, icis, m. 3. καμάρα, ἀψίς, structura in arcus modum curvata et convexa, quæ plures arcus complectitur, quemadmodum est etiam *testudo*, quæ fuit quædam *cameræ* species, teste *Seneca Ep.* 90. *a med.* Democritus invenisse dicitur fornicem, ut lapidum curvatura paullatim inclinatorum medio saxo alligaretur. Hoc dicam falsum esse: necesse est enim, ante Democritum et pontes et portas fuisse, quarum fere summa curvantur (It. *arco, fabbrica in arco*; Fr. *voûte, cintre, arc, arche*; Hisp. *boveda, arco de boveda*; Germ. *die Wölbung, der Bogen, Schwibbogen*; Angl. *an arch or vault*). Occurrit autem *A*) Generatim, et *B*) Speciatim.

A) Generatim; et quidem

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Herenn.* 16. 29. Ut eos comprehendere et amplecti queamus, ut ædes, intercolumnium, angulum, fornicem. *Id. Topic.* 4. 22. Si quis in pariete communi demoliendo damni infecti promiserit, non debebit præstare, quod fornix vitii fecerit. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 24. (41). Aqua fornicibus structis perducta Romam. *Virg.* 6. *Æn.* 630. Cyclopum educta caminis Mœnia conspicio atque adverso fornice portas. *Liv.* 36. 23. Fornices in muro erant apti ad excurrendum. *Id.* 44. 11. Ibi quærenti prætori, quo regesta e fossa terra foret, monstrati sunt fornices.

II.) Improprie, seu per metaphoram *cœli ingentes fornices* dixit *Ennius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 19. *Müll.*, quæ translatio improbatur a *Cic.* 3. *Orat.* 40. 162. propter dissimilitudinem. Quamvis enim, inquit, sphæram in scenam, ut dicitur, attulerit Ennius, tamen in sphæra fornicis similitudo non potest inesse. *Voss. l.* 4. *institut. Oratoriar. c.* 6. *n.* 7. conatur *Ennium* aliosque eum imitatos defendere.

B) Speciatim dicitur de arcubus in memoriam rerum gestarum a triumphalibus viris exstructis, *arco trionfale.*

1.) Proprie. *Fornix Fabii* apud *Crassum* loc. infra cit., *Fabius fornix* apud *Cic. Planc.* 7. 17. et *Quintil.* 6. 3. 67. et *Fabianus fornix*, cujus meminit *Cic.* 2. *Verr.* 7. 19., vel *arcus*, ut est apud *Senec. Const. Sap.* 1., fuit Romæ juxta Regiam, in sacra via, a Fabio censore constructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est, ibique statua ejus propterea erecta fuerat. *Pseudo Ascon.* ad *Cic.* 2. *Verr. loc. cit.* Sic *Crassus* apud *Cic.* 2. *Orat.* 66. 267. Ita sibi ipsum magnum videri Memmium, ut in forum descendens, caput ad fornicem Fabii demitteret.

II.) Translate. ¶ 1. Per similitudinem fornices dictæ sunt *cellæ concameratæ*, vel *pergulæ*, in quibus prostabant meretrices. *Juvenal.* 3. 156. et 11. 171.; et *Horat.* 1. *Sat.* 2. 30. et 1. *Ep.* 14. 21. ¶ 2. Quin fornix est etiam puer meritorius, qui ibidem prostat. Hinc *Sueton. Cæs.* 49. Cæsarem vocat *Bithynicum fornicem*, quod is Nicomedi Bithyniæ regi, quum puer esset, flore ætatis conciliatus fuisset. *V.* SPONDA.

FORNUS, i. *V.* FURNUS.

FŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Forans.* I.; *Foratus* I. et II.; *Forandus* I. — Forare est pertundere, penetrare; a πόρος *meatus*, qui forando fit, τρυπάω, *forare, pertugiare.*

I.) Proprie. Joculariter *Plaut. Most.* 1. 1. 53. O carnificum cribrum, quod credo fore: ita te forabunt patibulatum per vias stimulis. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 20. Amygdala si parum ferax erit, forata arbore lapidem adjicito. *Cels.* 7. 29. Indice digito corpus illud forandum est. *Macrob. Saturn.* 7. 3. Deos foratas habere aures. *Sidon. Ep.* 9. 13. Jaculo jam forante cruor exit. *Lex* apud *Frontin. Aquæd.* 129. QVICVMQVE RIVOS, SPECVS, FORNICES, FISTVLAS, TVBVLOS, CASTELLA, LACVS AQVARVM PVBLICARVM SCIENS DOLO MALO FORAVERIT, RVPERIT, FORANDA, RVMPENDAVE CVRAVERIT, IS POPVLO ROM. C. MILLIA DARE DAMNAS ESTO.

II.) Translate. *Seneca Brevit. vit.* 10. Forati animi, *h. e.* nihil excipientes ac servantes quasi pertusi.

FORPEX, picis, f. 3. Instrumentum, quo a tonsoribus pili inciduntur, *forfice.* At reapse *forpex* originem dedit Italorum *forbice*, quod sæpius quam *forfice* ab eisdem usurpatur. *V.* FORFEX. *Voss.* et alii de latinitate hujus vocis dubitant. Habet quidem *Isid.* 20. *Orig.* 13. et *Cassiod. Orthograph.* 4., ubi ambo discrimen afferunt inter *forficem* et *forpicem*, quod hæc tonsoria sit, illa sutoris. *Sidon.* etiam in *Polemii Epithal. carm.* 15. 184. Rupit odoratam redolenti forpice barbam. Ita scriptum est in castigatissimis libris *Wowerii, Elmenhorstii, Savaronis* et *Sirmondi.* Rursus *Sidon.* 1. *Ep.* 2. Barba, quam stirpitus tonsor assiduus forpicibus evellit. *Ex hoc autem loco* videtur forpex esse instrumentum, quo evellitur, non inciditur, barba, scilicet volsella.

FORS, fortis, f. 3. Hujusce nominis (nisi cum *Fortuna* conjungatur: *V.* infra sub 2.) occurrit tantum Nominativus et Ablativus singularis numeri; unde etiam *fors* et *forte* adverbii modo usurpantur, *V.* in fin. hujus vocis. De aliis casibus *V.* FORTUNA et SORS. — Fors (a *ferendo*, quia fors est, prout res fert, ut ait *Voss. Etymol.*, quocum Cf. *Döderlein. Latein. Synonym. vol.* 5. *p.* 296.) abstracte tantum occurrit et est casus extemporalis, τύχη (It. *fortuna, caso*; Fr. *le hasard, la fortune, le sort*; Hisp. *acaso, caso fortuito, aventura, fortuna, suerte*; Germ. *der Zufall, das Ungefähr*; Angl. *chance, luck, hap, fortune*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — 1.°) Nominat. sing. num. — *a*) Videtur a *fortuna* differre, quia *fors* casus est, *fortuna* ipsa dea, si *Nonio p.* 425. 8. *Merc.* credimus. Certe quidem differunt in locis, quæ ibi affert, *Accii*: Quibus natura prava magis, quam fors aut fortuna obfuit. *Lucilii*: Cui parilem fortuna locum fatumque tulit fors. *Cic.* quoque distinguit 2. *Legg.* 11. *extr.* — *b*) Allatum tamen discrimen non est perpetuum. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 23. 36. Fortunam insanam esse et cæcam perhibent philosophi —. Ideo quo saxum impulerit fors, cadere eo fortunam autumant. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 10. Quia tam incommode illi fors obtulerat adventum tuum. *Id. Phorm.* 1. 2. 88. Unum hoc scio: quod fors feret, feramus æquo animo. *Cic.* 7. *Att.* 14. *fin.* Sed hæc, ut fors tulerit. Sic *Tac.* 3. *Hist.* 21. Hic aquilarum signorumque ordo: milites mixti per tenebras, ut fors tulerat. Rursus *Cic.* 14. *Att.* 13. 3. Sed hæc fors viderit, ea, quæ talibus in rebus plus quam ratio potest. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 2. quam sibi sortem Seu ratio dederit, seu fors objecerit. *Id. ibid.* 6. 54. Nulla etenim mihi te fors obtulit. *Tac.* 14. *Ann.* 5. Contis et remis et, quæ fors obtulerat, navalibus telis conficitur. *Id.* 1. *ibid.* 49. Clamor, vulnera, sanguis palam, causa in occulto; cetera fors regit. *Id.* 2. *Hist.* 70. Et erant, quos varia fors rerum lacrimæque et misericordia subiret. *Id.* 4. *ibid.* 26. Quod in pace fors seu natura, tunc fatum et ira deorum vocabantur. — *c*) *Fors fuat* est bona fortuna sit, bona fors faveat, *sia con buona fortuna*, ut interpretatur *Donatus* ad illud *Ter. Hecyr.* 4. 3. 2. LA. Istuc est sapere, qui ubicumque opus sit, animum possis flectere: quod faciundum fortasse sit post, idem hoc nunc si feceris. SO. Fors fuat pol! — Ceterum apud sequioris ævi scriptores *fors fuat* sequente part. *ut* vel *an* (unde factum est adverbium *forsitan*) est idem ac forsit, fortasse, *forse. Auson. Ep.* 16. Fors fuat, ut aliquid rerum tuarum quamvis incultus expoliam. *Symmach.* 2. *Ep.* 7. Fors fuat, ut his remediis convalescamus. *Id.* 1. *ibid.* 39. Fors fuat, an hæc mature in manus scripta sint ventura. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 28. et 29. Confer *eumd.* 9. *ibid.* 7. Scribam tuum, pretio, fors fuat, officiove demeritum, copiosissimo declamationum tuarum schedio emunxit. *h. e.* forsit, fortasse. — *d*) *Fors fuit, ut etc.* est idem ac fors tulit, *volle il caso, la sorte volle, che etc. Gell.* 12. 8. Fors fuit, ut apud eamdem mensam duo illi juncti locarentur. — *e*) Per ellipsin *fors* pro *fors est* cum Infinito legebatur apud *Lucret.* 1. 486. Etsi difficile esse videtur, fors ita quicquam In rebus solido reperiri corpore posse. At *Lachmann.* pro *fors ita* recte legendum putat *credere.* — 2.°) Ablat. sing. num. *Accius* apud *Non. p.* 425. 11. *Merc.* Fortuna ne, an forte reperitur? *Liv.* 1. 4. Forte quadam divinitus super ripas Tiberis effusus lenibus stagnis. *Forcellinus* leg. *Forte quadam, an divinitus etc.*; et addit illud *Virg.* 1. *Æn.* 381. Nos forte sua tempestas appulit. *Vellej.* 2. 66. Vel forte, vel providentia, vel utcumque constitutum. *V.* alia hujus generis in fin. sub *Forte.* ¶ 2. Interdum pro ipsa dea Fortuna ponitur. — *a*) Absolute, h. e. sine addito nom. *Fortuna. Ennius* 6. *Ann.* 29. Vosne velit, an me regnare, hera quidve ferat Fors, Virtute experiamur. *Catull.* 64. 169. Insultans sæva Fors nostris invidit questubus aures. *Cic. Pis.* 2. 3. Sit sane Fors domina campi. *Id.* 4. *Att.* 10. Sed de illa ambulatione Fors viderit, aut

si quis est, qui curet, deus. — *b*) Cum addito *Fortuna*. *Varro* 6. *L. L.* 17. *Müll.* Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Servio Tullio rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio mense. Sic *Liv.* 10. 46. De reliquo ære ædem Fortis Fortunæ de manubiis faciendam locavit. et *Tac.* 2. *Ann.* 41. Ædes Fortis Fortunæ Tiberim juxta in hortis, quos Cæsar legaverat, dicantur. *Ovid.* 6. *Fast.* 773. Quod cito venerunt Fortunæ Fortis honores. Cf. *eumd. ibid.* 775. deam læti Fortem celebrate Quirites. *Colum.* 10. *R. R.* 316. Et celebres Fortis Fortunæ dicite laudes. — *Fors Fortuna* sæpe est bona fortuna, vel eventus bonæ fortunæ, *buona fortuna*. *Ter. Phorm.* 5. 6. 1. O Fortuna, o Fors Fortuna, quantis commoditatibus hunc onerastis diem! *Donatus* ad hunc locum scribit, Fortis Fortunæ templum trans Tiberim fuisse, cujus festum colebant, qui sine arte vivebant. Illi etiam gratias agebant, quibus aliquid successerat. Eo igitur vocabulo significatur magna vis fortunæ. Rursus *Ter. Hecyr.* 3. 3. 26. Quæque Fors Fortuna est, quæ nobis te hodie obtulit. *qual buona fortuna* etc. Eodem sensu interpretari possumus nonnulla superius allata. — Hinc

Fors, rectus casus, adverbii more usurpatur pro *fors sit* (*V.* supra sub 1. *c.*), hoc est fieri potest, atque adeo fortasse, *forse*, teste *Priscian.*, qui ait *p.* 1015. *Putsch.* Similiter *fors*, quum sit nominativus, accipitur pro adverbio. Quamquam nonnulli hoc negant: V. *Döderlein.*, *Latein. Synonym. vol.* 5. *p.* 296. Occurrit autem — *a*) Absolute. *Virg.* 5. *Æn.* 232. Et fors æquatis cepissent præmia rostris, Ni etc. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 537. *Id.* 12. *ibid.* 183. Cesserit Ausonio si fors victoria Turno. *Val. Flacc.* 3. 665. nova Tartareo fors semine monstra. *Tertull.* 2. *ad Uxor.* 2. Hanc monitionem fors de fidelibus junctis simpliciter intelligendo, putent etiam infidelibus nubere licere. — *b*) *Fors et* sæpius occurrit. *Propert.* 2. 9. 1. Iste quod est, ego sæpe fui, sed fors et in hora Hoc ipso ejecto carior alter erit. *Virg.* 11. *Æn.* 50. spe multum captus inani Fors et vota facit cumulatque altaria donis. *Id.* 2. *ibid.* 139. Quos illi fors et pœnas ob nostra reposcent Effugia. *Vulgati libri habent* ad pœnas: *at V.* Wagner. ad h. l. *Horat.* 1. *Od.* 28. 31. fors et Debita jura vicesque superbæ Te maneant ipsum. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 4. fors et de puppe timenda Transferet inque sua (*Cytherea*) ducet super æquora concha. — *c*) *Fors etiam* legitur apud *Val. Flacc.* 4. 620. Fors etiam optatam dabitur contingere pellem. — Hinc etiam

Forte, ablativus casus, adverbii modo usurpatur, et est fortuito, casu, τυχὸν, ἐκ τύχης, *per avventura*, *a caso*. Occurrit autem ¶ 1. Stricto sensu de eventu, quod extemporali casui tribuitur, et est, ut diximus, fortuito, casu. — *a*) Cum *fortuna* jungitur. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 6. Forte fortuna per impluvium huc despexi in proximum. *Id. Bacch.* 4. 8. 75. Ni illic hodie forte fortuna hic foret. *Ter. Eun.* 1. 2. 54. Forte fortuna adfuit hic meus amicus. *per buona fortuna*. V. supra sub 2. *b. Cic.* 2. *Divinat.* 7. 28. Si hæc habent aliquam talem necessitatem, quid est tandem, quod casu fieri aut forte fortuna putemus? *Lucilius* apud *Non. p.* 425. 16. *Merc.* Aut forte omnino ac fortuna vincere bello: Si forte et temere omnino, quid cursum ad honorem? — *b*) Jungitur etiam cum *temere* et *casu*, ut apud *Lucilium* loco mox cit.; et apud *Ter. Phorm.* 5. 1. 30. Quam sæpe forte temere eveniunt, quæ non audeas optare! *Liv.* 41. 2. Una vox audiebatur ad mare vocantium. Id forte temere ab uno exclamatum totis passim personabat castris. *Id.* 23. 3. Nec quidquam raptim, aut forte temere egeritis. Adde *eumd.* 2. 31.; 25. 38. et 30. 15. *Curt.* 5. 11. 10. Eludant videlicet, quibus forte temere humana negotia volvi agique persuasum est. *Cic. Fat.* 3. 6. Si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset, et forte, temere, casu aut pleraque fierent, aut omnia etc. *Id.* 2. *Divinat.* 68. 141. Nisi ista casu nonnunquam, forte, temere concurrerent. — *c*) Cum oppositis *consilio*, *fato*, *numine* etc., ut apud *Liv.* 9. 31. Transfugæ quidam pars forte, pars consilio oblati. *Tac.* 6. *Ann.* 22. Mihi hæc et talia audienti in incerto judicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili, an forte volvantur. *Plin. Paneg.* 1. Si adhuc dubium fuisset, forte casuque rectores terris, an aliquo numine darentur. *Tac.* 2. *Hist.* 42. Seu dolo, seu forte surrexerit, parum compertum. *Sueton. Aug.* 6. Seu forte, seu tentandi causa. *Tac.* 4. *Ann.* 54. Donec advertit Tiberius forte, an quia audiverat. — *d*) Sine additis aut oppositis. *Plaut. Curc.* 2. 3. 58. Abeo ab illo ad forum: forte aspicio militem: aggredior hominem. *Id. Most.* 2. 2. 56. Lucernam forte oblitus fueram exstinguere. *Ter. Phorm.* 4. 3. 11. Ut abii abs te, fit forte obviam mihi Phormio. *Id. ibid. v.* 63. Rus ut ibat forte. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 1. Ibam forte via sacra. *Cic. Planc.* 26. 65. Quum casu diebus iis, itineris faciendi causa, decedens e provincia, Puteolos forte venissem. *Crassus* apud *Cic.* 2. *Orat.* 55. 224. Forte evenit, ut in Privernati essemus. Cf. *Cic. Cluent.* 51. 141. *Tac.* 11. *Ann.* 31. Ferunt Vettium — respondisse tempestatem ab Ostia atrocem, sive cœperat ea species, seu forte lapsa vox in præsagium vertit. *Curt.* 5. 9. 18. Ac forte Macedonicas vestes tradi jubet. *Sueton. Aug.* 10. In locum tribuni plebis forte demortui candidatum se ostendit. *Plaut. Men. prol.* 29. Tarenti ludi forte erant, quum illuc venit. *Liv.* 21. 54. Erat forte tempus. *Id.* 32. 11. Et pernox forte luna erat. *Id.* 37. 20. Per eosdem forte dies mille pedites accesserunt. Adde *eumd.* 37. 34. *Curt.* 4. 15. 19. Iisdem forte diebus Carthaginiensium legati supervenium. *Justin.* 2. 14. 7. Eodem forte die etiam navali prælio adversus Persas dimicatum est. *Tac.* 4. *Ann.* 59. Ac forte illis diebus oblatum Cæsari anceps periculum auxit vana rumoris. *Justin.* 1. 1. 8. Forte eodem tempore et ipsi pastori filius natus erat. ¶ 2. Latiori sensu, vel, ut alii putant, translate, *forte* usurpatur quum sermo est de re dubia, incerta et quæ fieri tantum potest seu possibilis est; ac Græcæ part. ἂν respondet, Italis vero *forte*, *si forte* est *per avventura*, *se mai*: hac porro significatione locum habet raro in propositionibus generalibus, sæpius in conditionalibus. — 1.°) In propositionibus generalibus. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 47. Qui si apud te veniat, de subito prandium, aut potatio forte, aut cœna. *Cic.* 2. *Off.* 20. 70. Quod si opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo, aut forte in liberis ejus manet gratia. *Horat. Epod.* 16. 15. Forte, quid expediat, communiter aut melior pars Malis carere quæritis laboribus? *h. e.* forte communiter (*scil.* omnes) aut melior pars quæritis quid expediat malis carere laboribus? Gr. τί συμφέρει ἐλευθέρους (ὑμᾶς) εἶναι κακῶν πόνων: confer *eumd. Epod.* 11. 4. *Quintil.* 9. 4. 49. Neque solum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, sed ne dactylum quidem aut forte spondeum alterum pro altero. *Id.* 2. 4. 35. Sive non trino forte nundino promulgata, sive non idoneo die. *Id.* 5. 10. 122. Ut sciant, an ad probandum id, quod intendimus, forte respondeant. *Cajus* 1. *Instit.* 150. Quo casu licet uxori vel in omnes res, vel in unam forte aut duas optare. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 74. et *Dig.* 20. 1. 15. § 2. et 30. 1. 67.; et *Ulp. Dig.* 48. 22. 7. § 6. De locis *Cic.* 10. *Att.* 12. 5. et *Liv.* 22. 55., qui suspecti vel dubii sunt, V. *Döderlein.*, *Latein. Synonym. vol.* 5. *p.* 297., et *Fabri* ad *Liv.* loc. cit. — 2.°) In propositionibus conditionalibus occurrit — *a*) Cum part. *si*. *Plaut. Bacch.* 3. 5. 4. Ibo et visam huc ad eum, si forte est domi. Adde *eumd. Pœn.* 5. 2. 104.; et *Liv.* 1. 7. Rursus *Plaut. Amph.* 3. 2. 60. Iræ si quæ forte eveniunt hujusmodi. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 1. 1. Si quis vestrum, judices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur etc. *Id.* 3. *Orat.* 12. *extr.* De iis te, si qui me forte locus admonuerit, commonebo. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 7. 25. Quin etiam Græcis licebit utare, quum voles, si te Latina forte deficient. Adde *eumd.* 7. *Fam.* 17. *Id.* 2. *Nat. D.* 35. 90. Sic philosophi debuerunt, si forte eos primus adspectus mundi conturbaverat. *Id.* 2. *Fam.* 10. Sin quid forte titubatum esset, exercitu tuo niteremur. *Id.* 3. *Orat.* 12. 47. Vereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis imitatus, et pauca quædam verba, et aliquem, si forte, motum. *se pur è vero*. Cf. *eumd.* 1. *de republ.* 38. Si quando, si forte, tibi visus es irasci alicui. — *b*) Cum part. *nisi*, qua interdum multa vi membrum incisum effertur. — Recta oratione. *Plaut. Capt.* 2. 2. 59. Hoc te monitum, nisi forte ipse non vis, volueram. *Cic. Mur.* 6. 13. Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit. *Id.* 1. *Off.* 33. 120. Is constantiam teneat; nisi forte se intellexerit errasse in deligendo genere vitæ. *Id.* 2. *ibid.* 18. 62. Propensior benignitas esse debebit in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate. *Id. Amic.* 9. 32. Ortum quidem amicitiæ videtis, nisi quid ad hæc forte vultis. Adde *eumd.* 3. *Off.* 24. 93. et 2. *Fin.* 14. 44. — Obliqua oratione. *Tac.* 2. *Ann.* 33. Distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent —, nisi forte clarissimo cuique plures curas, majora pericula subeunda, delenimentis curarum et periculorum carendum esse. — Sæpe *nisi forte* contrarium, ἀδύνατον sive impossibile, vel improbabile per ironiam admittit. *Cic. Rosc. Am.* 29. 82. Eruci criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est, nisi forte exspectatis, ut illa diluam, quæ etc. *Id. Mil.* 7. 17. Nisi forte magis erit parricida, si quis consularem patrem, quam si quis humilem necaverit. Adde *eumd. ibid.* 31. 84., 5. *Verr.* 64. 149., 1. *Legg.* 1. 2., 3. *Nat. D.* 18. 45. et *Fat.* 16. 37. *Sall. Cat.* 20. *extr.* Hæc ipsa, ut spero, vobiscum una consul agam, nisi forte me animus fallit, et vos servire magis quam imperare parati estis. Adde *Quintil.* 10. 1. 70.; et *Tac.* 4. *Hist.* 74. — *c*) Cum part. *ne*. *Plaut. Curc.* 2. 2. 21. Pacem ab Æsculapio petas, ne forte tibi eveniat magnum malum. *Id. Aulul.* 2. 4. 24. Ne quid animæ forte amittat dormiens. *Ter. Eun.* 2. 2. 55. Numnam hic relictus custos, ne quis forte internuncius clam a milite ad istam cursitet? *Cic.* 9. *Fam.* 8. Qui metuo, ne te forte flagitent. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. 4. Qua de re, ne forte me in Græcos tam ambitiosum factum esse mirere, pauca cognosce. *Id.* 2. *Orat.* 46. 191. Ac ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur, hominem toties irasci. Adde *eumd.* 2. *Att.* 18. 2. et 5. 2.; et *Liv.* 1. 12. — d) Cum part. *num*. *Quintil.* 7. 3. 20. At in foro providendum, num forte supervacua —, an ambigua, an contraria, an communis sit finitio.

Homonym. *V.* in fin. v. FATUM.

FORSAN, adverb. dubitandi (pro *fors sit an*: *V.* voc. seq.), idem ac fortasse: vox fere poetica, *forse*, ἴσως. *Ter. Andr.* 5. 5. 1. Aliquis forsan me putet non putare hoc verum. *Lucret.* 6. 729. Fit quoque, uti pluviæ, forsan, magis ad caput ejus Tempore eo fiant. *Auct. B. Afr.* 44. Et forsan isto uterer beneficio. *Virg.* 1. *Æn.* 203. forsan et hæc olim meminisse juvabit. *Id.* 4. *ibid.* 19. Huic uni forsan potui succumbere culpæ. *Horat.* 2. *Od.* 16. 31. Et mihi forsan tibi quod negarit Porriget hora. *Liv.* 3. 47. Forsan aliquem verum auctores antiqui tradiderint. *Phædr.* 2. 4. 7. Pernicies tibi paratur, forsan et miseræ mihi. *Martial.* 10. 75. 7. Transierant binæ forsan trinæve Kalendæ. *Quintil.* 1. 5. 6. Occurrat mihi forsan aliquis. *Id.* 12. 1. 31. Forsan et consummare contingat. — Apud *Curt.* 3. 2. et alibi *Mützell* pro *forsan* restituit *forsitan*.

FORSIT, adverb. fortasse, idem ac fors sit, *forse*. *Lucret.* 6. 735. Forsit et Æthiopum penitus de montibus altis Crearat. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 49. Dissimile hoc illi est: quia non, ut forsit honorem Jure mihi invideat quivis, ita etc. Hæc verba recitat etiam *Priscian.* 15. *p.* 1015. *Putsch.* Tribuitur et *Virgilio* 11. *Æn.* 50. et *Propertio.* 2. 7. 33., sed utrobique alii *fors et*.

FORSITAN, adverb. idem ac forsan, pro *fors sit an*, quasi an fors sit, sive an ferat hoc fors, *forse*. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 17. Forsitan ea tibi dicta sunt mendacia. *Ter. Eun.* 1. 2. 117. Forsitan hic mihi parvam habeat fidem. *Id. Phorm.* 4. 5. 5. Si altera illa magis instabit, forsitan non rejiciat. *Cic.* 2. *Orat.* 45. 189. Major ars aliqua forsitan esset requirenda. *Id.* 3. *ibid.* 9. 34. Ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud. *Id. Brut.* 13. 52. Hæc ipsa forsitan fuerint non necessaria. *Id. Rosc. Am.* 2. 5. Forsitan quæratis, qui iste terror sit. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 121. Nimium forsitan hæc illi mirentur atque afferant. *Id. Ligar.* 12. 38. Longiorem orationem causa forsitan postulat, tua certe natura breviorem. *Id.* 3. *Off.* 6. 29. Forsitan quispiam dixerit. *Id.* 1. *Fam.* 8. 2. Ut forsitan quibusdam videar. *Sall. Jug.* 114. Incertæ, ac forsitan paullo post interituræ vitæ parcere. *Virg.* 6. *Ecl.* 59. forsitan illum Perducant aliquæ stabula ad Gortynia vaccæ. *Id.* 2. *G.* 288. Forsitan et, scrobibus quæ sint fastigia, quæras. *Liv.* 9. 11. Et illi quidem, forsitan et publica, sua certe liberata fide, in castra re-

dicrunt. *Sil. It.* 15. 644. Forsitan et pugnas veniet germanas in ipsas.

Homonym. *V.* in fin. v. FORTASSE.

FORTAN, adverb. pro fortean, idem ac fortassean. *Cic.* 3. *de Rep.* (edente *A. Mai*) 35. Quare cogitato Romulum, aut Pompilium, aut Tullum regem, fortan non tam illius te reipublicæ pœnitebit.

FORTASSE *et* fortassis, adverb. *Fortassis* multo rarius occurrit, quam *fortasse*; scil. apud *Plaut. Asin.* 2. 4. 86. et *Bacch.* 4. 4. 20.; *Horat.* 1. *Sat.* 1. 131. et 2. *ibid.* 7. 40.; *Plin.* 2. *Hist. nat.* 20. 18. (82). et 27. *ibid.* 12. 77. (102).; *Trajan.* apud *Plin.* 10. *Ep.* 63.; et *Ulp. Dig.* 7. 1. 12. § 5. et 11. 7. 11. § 9.: apud *Cic.* 2. *Fam.* 16. 6. meliores Codd. et Critici *fortasse* legunt. *Charis.* quoque 2. p. 165. *Putsch.* docet *fortassis* Latinis auribus absurdius videri. — Fortasse et fortassis sunt idem quod forsitan, ἴσως (It. *forse, può essere*; Fr. *peut-être bien, problablement*; Hisp. *puede ser, quiza ó quizas, acaso, por ventura*; Germ. *vielleicht, etwa, möglicher Weise, wohl*; Angl. *perhaps*). Occurrit — 1.°) Generatim; et — *a*) Jungitur Verbis. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 10. sc. Nescis tu fortasse, apud nos facinus quod natum est novum. PA. Quid est facinus? *Id. Bacch.* 4. 4. 20. Fortassis tu auri dempsisti parum. *Cic.* 1. *de republ.* 19. Dicam me hercule, et contemnar a te fortasse, quum tu etc. *Id. Orat.* 5. 19. Qualis esse debeat, poterimus fortasse dicere. *Id.* 2. *Fam.* 16. Moveo nonnullis suspicionem velle me navigare; quod tamen fortasse non nollem, si possem ad otium. *Id. pro leg. Manil.* 9. 26. L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro jussu coactus partem militum dimisit etc. *Id.* 2. *de republ.* 31. Fuerat fortasse aliqua ratio majoribus nostris in illo ære alieno medendi. *Id.* 3. *ibid.* 33. Venio nunc ad tertium genus illud, in quo esse videbuntur fortasse angustiæ. *Id.* 6. *Fam.* 1. 7. Sed hæc longiora fortasse fuerunt, quam necesse fuit. *Cf. eumd.* 7. *ibid.* 3. *Cæs.* 3. *B. C.* 51. Quæ res tamen fortasse aliquem reciperet casum. *Virg.* 10. *Æn.* 548. cæloque animum fortasse ferebat. — Servit interdum anteoccupationi. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 12. 40. Fortasse dices: Quid ergo? hæc in te sunt omnia? *Id. pro leg. Manil.* 9. 22. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, quum hæc ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. *Id. Senect.* 3. 8. Fortasse dixerit quispiam. *Forsitan* eodem sensu dixit *Id.* 3. *Off.* 6. 29. — *b*) Jungitur et Adjectivis. *Cic.* 3. *Off.* 2. 6. Sustines enim non parvam exspectationem imitandæ industriæ nostræ, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. *Id.* 6. *Att.* 6. 2. Nos provinciæ præfecimus Cælium: puerum, inquies, et fortasse fatuum, et non gravem et non continentem. *Id.* 1. *Orat.* 22. 102. Mihi nunc vos, tamquam alicui Græculo otioso et loquaci et fortasse docto atque erudito, quæstiunculam ponitis? *V.* mox sub d. — *c*) *Fortasse* aliquando inservit ironiæ: V. *Forte* in fin. voc. FORS sub 2. *b. Ter. Heaut.* 4. 5. 29. CH. Prorsum nihil intelligo. SY. Hui, tardus es. CH. Fortasse. *Cic.* 2. *Fam.* 16. 6. Sed ego fortasse (*est qui legit* fortassis, *sed minus recte*) vaticinor, et hæc omnia meliores habebunt exitus. Recordor enim desperationes eorum, qui senes erant adolescente me: eos ego fortasse nunc imitor et utor ætatis vitio. — *d*) Sæpius adverbio *fortasse* respondent subsequentes particulæ *sed, sed tamen, verumtamen, quidem*. Sic sequente *sed*, *Cic.* 2. *Divinat.* 33. 70. Difficilis auguri locus ad contra dicendum. Marso fortasse, sed Romano facillimus. *Id.* 2. *de republ.* 11. Civitatem (*Platonis*), præclaram illam quidem fortasse, sed a vita hominum abhorrentem et moribus. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 22. 59. et 1. *Tusc.* 13. 30. — Sequente *sed tamen* apud *Plaut. Asin.* 2. 4. 86. Neque est aliter, cui credi recte æque putent. MR. Fortassis: sed tamen me numquam hodie induces, ut tibi credam. *Cic.* 3. *Off.* 21. 82. Dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi. Adde *eumd.* 2. *de republ.* 33. et *Sext.* 5. 12. — Sequente *verumtamen* apud *Cic. Arch.* 11. 28. De meo quodam amore gloriæ, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis confitebor. Adde *eumd.* 2. *Verr.* 12. 35. — Sequente *quidem* apud *Cic. Orat.* 62. 210. Id nos fortasse non perfecimus, conati quidem sæpissime sumus. Adde *eumd.* 2. *Tusc.* 17. 41. — *e*) Præcedente *si, an* aut *nisi*, raro *fortasse* subditur, sed *forte*. *Cic.* tamen 1. *ad Brut.* 15. Tu hoc: alius fortasse, quod in animadversione pœnaque durior: nisi fortasse utrumque tu. et *Plaut. Capt.* 2. 2. *in fin.* Nisi fortasse blanda verba. *Id. Capt.* 3. 1. 96. An tu fortasse fuisti meæ matris obstetrix? — 2.°) Speciatim *fortasse* numero additur non definito nec certo, sed qui tamen definito ac certo proximus est, et significat circiter. Itali quoque dicunt *circa trenta, forse trenta*. Sic *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 79. Illic noster est fortasse circiter triennium. *Cic. Orat.* 56. 190. Elegit ex multis Isocratis libris triginta fortasse versus Hieronymus. *Id. Brut.* 68. 240. Q. Pompejus biennio quam nos fortasse major. *Id.* 5. *Verr.* 50. 118. Bina aut terna millia nummum addebat: fiunt per triennium HS. D. millia fortasse. *Id.* 7. *Att.* 4. 2. Pompejum vidi IV. Id. Decembres: fuimus una horas duas fortasse. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 163. modo isto Paullatim mercaris agrum, fortasse trecentis, Aut etiam supra, nummorum millibus emptum. — 3.°) Item speciatim apud Comicos *fortasse* occurrit cum Accusativo et Infinito, ita ut *fortasse*, quemadmodum et *fors*, integrum per se membrum constituat: quod testatur et iam *Donatus* ad *Ter. Hecyr.* 3. 1. 33. Sic Plautus: *Fortasse te amare suspicarier*. Nam veteres infinitivo modo adjungebant fortasse. *Plaut. Asin.* 1. 1. 21. Ubi fit polenta, te fortasse dicere. *è possibile che tu dica*. *Id. Epid.* 2. 2. 111. Ad quadraginta fortasse eam posse emi minimo minis. *Id. Pœn.* 5. 2. 44. Fortasse medicos nos esse arbitrarier. Adde *eumd. Merc.* 4. 4. 42. et *Truc.* 3. 2. 12. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 33. Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc concivisse.

Homonym. Discrimen, quod inter *fortasse* et *forsitan* interest, definivit *G. Hermann.* (in *Opp. T.* 4. *p.* 10.) hisce verbis: Possibilibus indicandis inservit ἴσως, *forsitan*, quod est conjicientis, sed non scientis. Verisimilibus autem significandis adhibetur πού, *fortasse*, quod est opinantis, sed non affirmantis. — Huc accedit, quod *fortasse* fere Indicativo, *forsitan* Conjunctivo jungitur. *Ter. Eun.* 2. 2. 49. Detineo te fortasse. et *Id. Phorm.* 1. 5. 5. Forsitan nos rejiciat. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 12. 40. Fortasse dices. et *Id. Rosc. Am.* 2. 5. Forsitan quæratis. *Cæs.* 3. *B. C.* 20. Et fortasse inopiam excusare etiam mediocris est animi. et *Auct. B. Alex.* 58. Et forsitan etiam hoc fecerit odio Cæsaris.

FORTASSEAN, adverb. idem ac forsan: a *fortasse* addito *an*; ac propterea interdum etiam divisim scribitur, *forse*. *Sisenna* apud *Non. p.* 82. 6. *Merc.* Quod fortassean ex voluntate sua summa cum claritudine celeriter confecisset. *Accius ibid. p.* 138. 33. Fortassean sit, quos hic non mertet metus. *Varro* 3. *R. R.* 16. 10. De fructo, inquit, hoc dico, quod fortassean tibi satis sit. *Id. ibid.* 6. 1. Gentilitatis causa fortassean tecum duceret servum. *Id.* 7. *L. L.* 40. *Müll.* Fortasse an pantheræ quoque et leones non Africæ bestiæ dicerentur. *Gell.* 11. 9. Critolaus arripsit, legatos Mileto publicæ rei causa venisse Athenas, fortassean dixerit auxilii petendi gratia. *Id.* 19. 8. Fortassean de quadrigis veterum auctoritati concessero.

FORTASSIS. *V.* FORTASSE.

FORTAX, ācis, m. 3. φόρταξ, fornix fornacis ex lapidibus calcariis ita structus, ut tam pateat, quam infima fovea; sub quo ignis succenditur, itque tota lapidum strues se ipsam sustentet. *Cato R. R.* 38. Fornacem bene struito; facito, fortax totam fornacem infimam complectatur.

FORTĒ. *V.* FORS.

FORTESCO, is, ere, n. inchoat. 3. fortem fieri, dictum a *Lævio* in *Alcesti* apud *Gell.* 19. 7., ab ipso *Gellio* improbatur.

FORTĬCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* fortis, aliquantulum fortis, *forticello, bravetto*. *Cic.* 2. *Tusc.* 19. 45. Quamvis idem Epicurus forticulum se in torminibus et in stranguria sua præbeat. *Apul.* 8. *Met.* Satis forticulum me denunciat. *Hieronym. Ep.* 66. n. 13. Matronæ, quæ inæquale solum molestius transcendebant, nunc tui comparatione forticulæ lucernas concinnant, vel succendunt focum, pavimenta verrunt, etc. *Auson. Edyll.* 3. *sub fin.* Carmina venustula ut essent magis, quam forticula.

FORTĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus fortificandi. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. Fortificationem corpori adhibere.

FORTĬFĬCO, as, are, a. 1. fortem facere, *fortificare*, ἰσχυρίζω. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. Fortificare corpora. *Id.* 2. *ibid.* 4. Constringere atque fortificare dentes. — Quod ex Plauto afferunt quidam Lexicographi *fortifica animum*, suspectum, ne dicam falsum, valde est.

FORTIS, e, adject. *Forctis* pro *fortis* olim dictum fuit, teste *Paul. Diac.* p. 84. 8. *Müll.* Forctes, frugi et bonus, sive validus. *Alii tamen* fortis: quamquam *Festus p.* 318. 14. *Müll.* itaque in XII. (*h. e.* Tabulis) cautum est, ut idem juris esset Sanatibus quod Forctibus, id est bonis, et qui numquam defecerant a P. R. — Huc pertinet et alia forma, quam exhibet *Paul. Diac.* p. 102. 12. Horctum et forctum pro bono dicebant. Genitivum *forti* vel *forcti* habet *Festus p.* 321. 18. et *Müllerus* in adnot. ad h. l. tuetur. — Comp. *Fortior* et Sup. *Fortissimus* in omnibus paragr. — Ratione habita etymi, ex antiquis formis nuper allatis volunt nonnulli esse a v. *farcire*, unde *farctus, forctus* et *fortis*; plerique deducunt a *fero* (ut φέρτερος et φέρτατος apud Græcos), quia fortis est qui multa ferre valet et corpore et animo: est etiam qui deducit a Gr. στέργω (unde et Germ. *stark*), sed minus recte: V. *Döderlein, Latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 136. — Ceterum fortis dicitur et est, qui corporis robore pollet, ἰσχυρός (It. *forte, gagliardo, robusto*; Fr. *fort, solide, durable*; Hisp. *fuerte, robusto, vigoroso, sólido*; Germ. *stark, muthig, dauerhaft, gesund, kräftig*; Angl. *stout, strong, vigorous, lusty*).

1.) Proprie de corporis robore usurpatur, qua significatione numquam apud *Cic.*, raro apud alios occurrit. *Plaut. Mil. glor.* 4. 3. 13. *de quadam muliere*. Ecquid fortis visa est? *h. e.* robusta, viribus plena, valida, ut recentiores interpretantur; formosa juxta *Forcellinum*, qui laudat dicta in FORMIS. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 5. Villicus fortis. *paullo ante* § 3. Mediæ sit (*villicus*) ætatis et firmi roboris. *Ennius* 18. *Ann.* 21. Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit. Similiter *Lucret.* 3. 8. et 763. et 4. 988. Sic et *Virg.* 11. *Æn.* 705. si femina forti Fidis equo. *h. e.* cursu præstanti. Et poetice *Lucret.* 6. 550. quum fortis equum vis Ferratos utrimque rotarum succutit orbes. *Virg.* 1. *G.* 65. Tauri fortes. *Plin.* 4. *Ep.* 1. *extr.* Contingat modo te filiamque tuam fortes invenire. *h. e.* bene valentes. Adde *eumd. ibid.* 21. et 6. *ibid.* 4. Alter *Plin.* 11. *Hist. nat.* 38. 90. (221). Animalium fortiora, quibus sanguis crassior. *Id.* 32. *ibid.* 7. 26. (80). Fortioribus stomachis ex jure ranas mandendas dabat. — Hinc etiam pro munito, firmo, valido. *Cæs.* 2. *B. C.* 2. Testudo facta ex fortissimis lignis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (130). Invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum. *Pallad.* 3. *R. R.* 24. 7. Plantæ licet serius comprehendant, fortiores fient. *Auct. B. Alex.* 19. Fortiorem illum pontem Alexandrini tuebantur. *Seneca Herc. fur.* 1116. Fortis arundo. *Id. ibid.* 1118.; et *Val. Flacc.* 1. 434. Fortes humeri. *Seneca Hippol.* 34. Fortia vincula. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (23). Eæ vites minus fertiles vino, acinis et fæce nimia, contra pruinas fortissimæ sunt. — *Fortis cibus* dicitur, qui valde est alibilis, valens, firmus, *di gran nutrimento*. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (60). Fortiora ad hiemes frumenta, legumina in cibo. — *Sol fortis*, calorem habens, *sole che ha della forza*. *Seneca Med.* 588. Aut ubi in rivos nivibus solutis Soli jam forti medioque vere Tabuit Æmus.

II.) Translate. ¶ 1. De animo usurpatur, et est qui præditus est virtute perferendarum rerum, valens, potens, animosus, constans, respondetque Gr. ἀνδρεῖος, *forte, costante, valoroso, coraggioso*. Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Off.* 23. 80. Fortis et constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur. *Id. Amic.* 13. 47. Temperantia libidinem (*aspernatur*), ignaviam fortitudo: itaque videas rebus injustis justos maxime dolere, imbellibus fortes. *Id. Mil.* 34. 92. Si in gladiatoriis pugnis timidos atque supplices et ut vivere liceat obsecrantes etiam odisse solemus, fortes et animosos et se acriter ipsos morti offerentes servare cupimus: quanto hoc magis in fortissimis civibus facere debemus? *Id.* 1. *Off.* 19. 63. Vi-

ros fortes ac magnanimos eosdem bonos et simplices esse volumus. *Id. Sext.* 20. 45. Unum restabat illud, quod forsitan non nemo vir fortis et acris animi magnique diserit: Restitisses, repugnasses, mortem oppetisses. *Id.* 1. *de republ.* 5. Quasi bonis et fortibus et magno animo præditis ulla sit ad rempublicam adeundi causa justior. *Id.* 1. *ibid.* 3. Adjunguntur pericula vitæ turpisque ab his formido mortis fortibus viris opponitur. *Id.* 1. *Off.* 20. 66. Omnino fortis animo et magnus duabus rebus maxime cernitur. *Id.* 3. *Tusc.* 7. 14. Qui fortis est, idem est fidens. *Sall. Jug.* 100. *de Sulla.* Multi dubitavere, fortior, an felicior esset. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Horum (*Gallorum*) omnium fortissimi sunt Belgæ. *Id.* 2. *ibid.* 33. Pugnatum ab hostibus ita acriter, ut a viris fortibus in extrema spe salutis – pugnari debuit. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 100. hunc liberta securi Divisit medium fortissima Tyndaridarum. *Id.* 2. *Od.* 10. 22. Rebus angustis animosus atque Fortis appare. *Id.* 1. *Ep.* 6. 29. Vis recte vivere? quis non? Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis Hoc age deliciis. — Habet etiam alias his affines notiones. *Ter. Andr.* 2. 6. 13. Cavit, ne unquam infamiæ ea res sibi esset, ut virum fortem decet. *h. e.* honestum, *uomo d'onore*. Cf. loc. *Paul. Diac.* supr. allatos init. *Plaut. Trin.* 5. 2. 9. Sororem despondisse suam in tam fortem familiam. – Familiam optimam occupavit. *h. e.* divitem et bene audientem. — *b*) Cum addito Accusativo et præpos. *ad*, *contra* vel *in*, aut Ablativo et præpos. *in*. *Cic. Fontej.* 15. 33. Vir ad labores belli impiger, ad pericula fortis, ad usum ac disciplinam peritus. *Liv.* 7. 40. Nondum erant tam fortes ad sanguinem civilem. *Cic. Rosc. Am.* 30. 85. Vir contra audaciam fortissimus. *Seneca Herc. Fur.* 1283. Fortis in pueros modo. *Cic.* 3. *Verr.* 1. 3. Si fortes fueritis in eo, quem nemo sit ausus defendere. *h. e.* contra eum. *Ejusd. fragm.* apud *Non. p.* 527. 33. *Merc.* Vidi in dolore podagræ nihilo ipsum Posidonium, quam Nicomachum hospitem meum fortiorem. *Quintil.* 12. 3. 5. Imperator in prœliis strenuus et fortis. — *c*) Cum Infinito apud Poetas. *Horat.* 1. *Od.* 38. 26. fortis et asperas Tractare serpentes. *Id.* 2. *Sat.* 7. 86. Responsare cupidinibus, contemnere honores (*sapiens est*) Fortis. *Id.* 3. *Od.* 3. 50. aurum spernere fortior, Quam cogere humanos in usus. *Stat.* 10. *Theb.* 906. pavidas tonitru turbare puellas (*Juppiter*) Fortior. — *d*) *Fortes Fortuna adjuvat*, proverb. apud *Ter. Phorm.* 1. 4. 26. et *Cic.* 2. *Tusc.* 4. 11., quo significatur, audendum conandumque esse prius, deinde exspectandum a Fortuna auxilium: *il coraggio è favorito dalla fortuna*. Verba *Cic.* sunt: Fortes enim non modo Fortuna adjuvat, ut est in vetere proverbio, sed multo magis ratio. Et per ellipsin *Id.* 3. *Fin.* 4. 16. In ceteris subvenies, si me hærentem videbis: sedulo, inquam, faciam: sed Fortuna fortes: quare conare, quæso. Cf. *Ennius* 7. *Ann.* 59. Fortibus est Fortuna viris data. — *e*) *Fortes creantur fortibus* (apud Græcos ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοί) aliud proverb. apud *Horat.* 4. *Od.* 4. 29. *la scheggia ritrae dal ceppo*. Cf. *Pindari Pyth.* 8. 44. Φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα. et *Senec. Troad.* 537. Generosa in ortus semina exsurgunt suos. ¶ 2. Dicitur etiam de rebus et de abstractis. Sic *fortes oculi* sunt acres ad intuendum et imperterritum animum significantes. *Cic.* 15. *Att.* 11. Hoc loco fortibus sane oculis Cassius (Martem spirare diceres) se in Siciliam non iturum. — Similiter *Cic. Senect.* 22. 72. Ex quo fit, ut animosior senectus sit, quam adolescentia, et fortior. *Id.* 6. *Fam.* 13. *in fin.* Fortissimo et maximo animo ferre omnia. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 5. 20. Fortis animus. *Id. Epod.* 1. 14. et 2. *Sat.* 2. 136. pectus. *Cic.* 3. *Orat.* 8. 31. Sulpicius fortissimo quodam animi impetu, verborum quoque ea gravitate et copia est etc. *Id.* 12. *Phil.* 3. 7. Acerrima et fortissima populi Romani libertatis recuperandæ cupiditas. *Id.* 8. *Att.* 22. 2. Quod enim unquam eorum in republica forte factum exstitit? *h. e.* fortiter patratum. Adde *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Sic *Virg.* 1. *Æn.* 645. Fortia facta patrum. *Cic.* 3. *Cat.* 6. 13. Dictæ sunt a principibus acerrimæ ac fortissimæ sententiæ. *Id.* 1. *Orat.* 54. 231. Illam orationem disertam sibi et oratoriam videri; fortem et virilem non videri. *h. e.* viro forti gravique dignam. *Id.* 3. *ibid.* 9. 32. Genus dicendi forte, vehemens, commotum in agendo. *h. e.* acre, vi præditum. *Id.* 2. *ibid.* 43. 183. Non semper fortis oratio quæritur, sed sæpe placida, summissa, lenis. Cf. *Ovid.* 4. *Met.* 652. Cunctantem et placidis miscentem fortia dictis. Alio sensu *Propert.* 1. 5. 14. Fortia dicta. *h. e.* plena jactationis ac superbiæ. *Corn. Sev. Ætn.* 2. Et quæ tam fortes volvant incendia causæ. *h. e.* tantis viribus præditæ. *Gell.* 5. 3. *extr.* Quanam verborum industria causa infirmior fieret fortior. *h. e.* melior, probabilior, verior. *Justin.* 44. 2. Sæpe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui: adeo illis fortior taciturnitatis cura, quam vitæ. *h. e.* diligentior, intentior.

Homonym. *V.* in fin. v. FORTITUDO.

FORTĬTER, adverb. Comp. *Fortius* et Sup. *Fortissime* I. et II. — Fortiter est magnis viribus, valide, ἰσχυρῶς (It. *con forza, vigorosamente, fortemente*; Fr. *fortement, avec force*; Hisp. *fuertemente, acerrimamente*; Germ. *stark, kräftig, dauerhaft*; Angl. *strongly, stoutly, vigorously*).

I.) Proprie de corpore. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 25. Hunc adstringite ad columnam fortiter. *Horat.* 1. *Od.* 14. 2. Fortiter occupare portum. *Petron. Satyr.* 9. Sublatis fortius manibus. *Ovid. Remed. am.* 397. Fortius attrahere lora. *Id.* 6. *Met.* 708. arserunt agitati fortius ignes. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 77. (210). Rigorem fortissime servat olmus. *Id.* 9. *ibid.* 8. 9. (32). Includi retibus se, fortissime urgentes gaudent. *Id.* 17. *ibid.* 14. 24. (108). Fortius durant. *Pallad.* 11. *R. R.* 18. Defrutum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit. *h. e.* valde, bene. Sic *Id. ibid.* 19. Fortiter verberare virgis uvas.

II.) Translate de animo, et est animose, acriter, constanter, strenue, ἀνδρείως. *Cic.* 14. *Att.* 13. 3. Quidquid acciderit, fortiter et sapienter feramus. *Id.* 11. *Phil.* 3. 7. Quæ (*vincula, verbera etc.*) tulisse illum fortiter et patienter ferunt. *Id.* 15. *Att.* 20. Fortiter hoc velim accipias, ut ego scribo. *Id.* 1. *Off.* 18. 61. Quæ magno animo, fortiter excellenterque gesta sunt. *Id. Prov. cons.* 27. 41. Constanter et fortiter repudiare aliquid. *Id. Quinct.* 8. 31. Dolabella injuriam facere fortissime perseverat. *Id.* 4. *Phil.* 2. 6. Animose et fortiter quippiam facere. (*Fortiter facere* sæpe est strenue se in bello gerere, forte aliquod facinus militare edere. *Quintil.* 9. 2. 7. et *Declam.* sæpissime). *Cic. Flacc.* 39. 98. Cum fugitivis fortiter bellum gesserat. *Cæs.* 2. *B. G.* 11. Fortiter impetum hostium sustinere. *Id. ibid.* 26. Fortius pugnare. *Id.* 4. *ibid.* 12. Fortissime resistere. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 42. Fortiter perire. *Id.* 1. *Ep.* 14. 4. fortius evellere spinas animo, quam agro. *Id.* 1. *Sat.* 10. 15. fortius et melius secat res. Et facete *Id.* 1. *Ep.* 15. 26. rebus maternis atque paternis Fortiter absumptis. *bravamente*, impigre et strenue. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 6. Apes fortius operibus inservient. *Pompon. Dig.* 32. 1. 83. Fortiter aliquid defendere. *Quintil.* 2. 4. 15. Fortissime affirmare. *Id.* 2. 12. 19. Fortius dicere. *h. e.* acrius, vehementius. *Justin.* 28. 2. *extr.* Fortius loqui. *h. e.* audacius, confidentius.

FORTĬTŪDO, inis, f. 3. robur corporis (It. *fortezza*; Fr. *force, puissance*; Hisp. *fuerza, vigor, robustez*; Germ. d. *Kraft, Stärke, Festigkeit, Dauerhaftigkeit*; Angl. *fortitude*).

I.) Proprie de corporis robore raro admodum occurrit. *Phædr.* 4. 15. Fortitudo hircorum. *Hieronym. Ep.* 64. *n.* 10. Hæc feminalia de bysso retorta ob fortitudinem solent contexi. *h. e.* quod Itali dicunt *consistenza*.

II.) Translate de animo sæpissime usurpatur, et est virtus animi, qua labores considerate suscipiuntur et dolores constanter perferuntur (Gr. ἀνδρεία), ut patet ex his definitionibus *Cic.* 2. *Invent.* 54. 163. Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. *Id.* 4. *Tusc.* 24. 53. Fortitudo est, inquit Chrysippus, scientia rerum perferendarum, vel affectio animi in patiendo ac perferendo summæ legi parens sine timore. Cf. *Gell.* 12. 5. *extr.* Ea vera et proba fortitudo est, quam majores nostri scientiam esse dixerunt rerum tolerandarum et non tolerandarum. Rursus *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 41. Fortitudo est animi affectio quum in adeundo periculo et in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu. *Id.* 3. *Off.* 33. 117. Fortitudo, quæ est dolorum laborumque contemptio, et paullo inferius. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, quum tradunt rationem negligendæ mortis perpetiendique doloris. *Id.* 3. *Herenn.* 2. 3. Fortitudo est rerum magnarum appetitio, et rerum humilium contemptio, et laboris cum utilitatis ratione perpessio. Adde *eund.* 2. *ibid.* 25. 35. *Id.* 1. *Off.* 19. 62. Probe definitur a Stoicis fortitudo, quum eam virtutem esse dicunt propugnantem pro æquitate. *Id.* 3. *ibid.* 27. 100. Magnitudinis animi et fortitudinis est, nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil quod homini accidere possit intolerandum putare. *Id.* 1. *de republ.* 2. Unde in laboribus et periculis fortitudo? *Id. pro leg. Manil.* 11. 29. Illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo etc. *Id. Sext.* 40. 86. Hoc sentire prudentiæ est; facere fortitudinis: et sentire vero et facere perfectæ cumulatæque virtutis. *Sall. Cat.* 52. Equidem nos vera rerum vocabula amisimus, quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. Pro multitudine hominum et pro gloria belli atque fortitudinis, angustos se fines habere arbitrabantur. *Quintil.* 8. 4. 20. Fortitudinem Gallorum Germanorumque miramur. *Val. Max.* 3. 1. 3. Quamquam et numero et fortitudine militum superiorem se crederet. *Id. ibid. proœm.* Nos quia jam initia procursusque virtutis patefecimus, actum ipsum persequemur; cujus ponderosissima vis et efficacissimi lacerti in fortitudine consistunt. Adde *eund.* sæpe in *eod. cap.*, in quo de fortitudine agitur. *Flor.* 1. 18. 16. Nec alia magis, quam Tarentina victoria, ostendit populi Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnanimitatem. — In plur. numero. *Vitruv.* 10. 22. Differentes sunt nationum fortitudines. *Cic.* 1. *Off.* 22. 68. Sunt igitur domesticæ fortitudines non inferiores militaribus, in quibus plus etiam quam in his operæ studiique ponendum est. *h. e.* res fortiter gestæ.

Homonym. *Fortitudo* a *virtute* differt: *virtus* enim, qua excellentem hominis vigorem animumque significat, est quodammodo genus; *fortitudo* vero, sive animi constantia in periculis ac rebus adversis, est species. Præterea *fortitudo*, ratione habita honestatis, multo majus est quam *strenuitas*: illa enim in animi constantia sita est, hæc in agilitate ac promptitudine: hinc *fortis constanti* et *pervicaci*; *strenuus* autem *gnavo* et *industrio* proxime accedit. *Cic.* 2. *Invent.* 54. 163. Virtus, quæ venientibus malis obstat, fortitudo; quæ, quod jam adest, tolerat et perfert, patientia. Cf. etiam *fortitudinis* definitiones superius ex *Cic.* allatas sub II. init. *Cic.* 3. *Herenn.* 14. 29. Strenue quod volumus ostendere factum, celeriuscule dicemus: aliud otiose; retardabimus. *Id.* 2. *Phil.* 32. 71. Celeriter isti, redisti, ut cognoscerent te, si minus fortem, at tamen strenuum. *Nepos Datam.* 1. Vir manu fortis et bello strenuus. *Cato* apud *Gell.* 3. 7. Operam reipublicæ fortem atque strenuam perhibere. *Id. Cato R. R. præfat.* Ex agricolis et viri fortissimi (*scilicet* in administranda republica) et milites strenuissimi (*scilicet* in committendis prœliis) gignuntur.

FORTIUSCŬLUS, a, um, adject. deminut. a fortis, idem ac forticulus. *Sutrius* apud *Fulgent.* 3. *Mythol.* 8. Nam et Sutrius comœdiarum scriptor introducit Glyconem (*fortasse legend.* Glycerium) meretricem dicentem: Myrrhinum mihi adfer, quo virilibus occurram armis fortiuscula.

FORTŬĪTO, adverb. Est et alia forma FORTUITU, quam *V.* infra loco suo. — Ceterum *fortuito* proprie est Ablativus casus adjectivi *Fortuitus*, adverbii more positus; et significat casu, forte, τυχόν, κατὰ τύχην (It. *a caso, per sorte*; Fr. *par hasard, fortuitement*; Hisp. *por acaso, casualmente*; Germ. *zufällig, von Ungefähr*; Angl. *by chance, casually, accidentally, fortuitously*). Occurrit — *a*) Sine additis. *Cæs.* 7. *B. G.* 20. Non hæc omnia fortuito, aut sine consilio accidere potuisse. *Cic.* 1. *Nat. D.* 24. 111. Fortuito in sermonem vestrum incidisse. *Id. Orat.* 53. 177. Quum, ut fit, fortuito sæpe aliquid concluse apteque dicerent. *Id.* 10. *Phil.* 2. 6. Quod verbum tibi non excidit fortuito: scriptum, meditatum, cogitatum attulisti. *Id.* 2. *Divinat.* 53. 109. Non id fortuito accidisse. *Id.* 1. *Legg.* 8. 25. Ut ea quæ gignuntur donata consulto nobis, non fortuito nata videantur. *Id.* 5. *Fin.* 11. 33. Sive major aliqua causa atque divinior hanc vim ingenuit, sive hoc ita fit fortuito. *Id.* 2. *de republ.* 16. Intelliges non fortuito pop. Rom., sed consilio et disci-

plina confirmatum esse. — *b*) Sæpe cum *temere* jungitur. *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 118. Non enim temere, nec fortuito sati et creati sumus. *Id. Orat.* 55. 186. Itaque et Herodotus, et eadem superiorque ætas numero caruit, nisi quando temere ac fortuito. *Id.* 1. *Off.* 29. 103. Ne quid temere ac fortuito, inconsiderate negligenterque agamus. Adde *eumd. Sull.* 4. 13.; et *Liv.* 2. 28. — *c*) Jungitur et cum *casu*. *Cic.* 2. *Divinat.* 7. 18. Ne in Deum quidem (fortuna) cadere videtur, ut sciat, quid casu et fortuito futurum sit. *Id.* 4. *Herenn.* 11. 23. Casu et fortuito navis in portum incolumis delata est. Alii utroque loco leg. *fortuitu*. Putant enim quum *fortuito* dicimus, *casu* subaudiri, quum sit adjectivum: si cum *casu* jungatur, *fortuitu* esse dicendum, quod revera adverbium est. *V.* et voc. seq.

FORTŬĬTU, adverb. idem quod fortuito: *a caso, per avventura, per sorte*, τυχὸν. *Plaut. Aulul.* 2. 1. 41. Si eam senex prægnantem fortuitu fecerit. Adde *Lactant.* 1. 2.; et *Vulgat. interpr. Num.* 35. 2. — Plerique et etiam *Forcellinus* afferunt etiam illa *Auct. B. Afr.* 5. *extr.* Occasio fortuitu oblata. *Juvenal.* 13. 225. Non quasi fortuitu, nec ventorum rabie, sed etc. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 21. (57). Dum fortuitu fidens non est contra feram. His addunt loc. *Cic.* 1. *Off.* 29. 103. et 10. *Phil.* 2. 6.: at in omnibus his locis alii leg. *fortuito* et quidem optimorum Codicum auctoritate freti. Quod vero ad allatum *Plinii* locum attinet, *Sillig.* eum aperte depravatum esse affirmat atque ita corrigendum putat: Os morsu avidiore inhæserat dentibus, cruciabatque inedia tantum, quantum pœna in ipsis ejus telis suspectantem ac velut mutis precibus orantem illum, fortuitis fidens diffidens non esset contra feram.

FORTŬĬTUS, a, um, adject. Ratione habita quantitatis, penultima producitur ab *Horat.* 2. *Od.* 15. 17. Nec fortuitum spernere cæspitem Leges sinebant. Sic *Phædr.* 2. 4. et *Auson. in VII. Sap. de Solone* 3. At *Manil.* 1. 182., *Petron. Satyr.* 135., *Juvenal.* 13. 225. et alii corripiunt: nisi malis ad synæresin confugere, et trisyllabam vocem facere: quod tamen durius esse videtur. — Fortuitus (a *forte*, ut *gratuitus* a *gratiis*) est forte et casu accidens, in fortuna positus, τυχηρός (It. *accidentale, casuale, avvenuto a sorte*; Fr. *qui tient au hasard, fortuit, accidentel*; Hisp. *fortuito, casual*; Germ. *zufällig, von Ungefähr geschehend, ohne Vorbereitung entstanden*; Angl. *happening or falling out by chance, accidental, casual, fortuitous*). *Cic. Topic.* 19. 73. Concursio rerum fortuitarum. *Id.* 1. *Nat. D.* 24. 66. Concursus atomorum. *et mox.* Ex his effectum esse cælum atque terram nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito. *Id.* 3. *ibid.* 36. 87. Si aliud quidpiam nacti sumus fortuiti boni, aut depulimus mali. *Id.* 2. *Divinat.* 53. 109. Sunt innumerabiles præsensiones non fortuitæ. *Phædr.* 2. 4. 4. Tunc fortuitum feles contubernium Fraude et scelesta sic evertit malitia. *Petron. Satyr.* 135. paries circa palea satiatus inani Fortuitoque luto. *h. e.* temere et sine cura inducto. *Quintil.* 1. 10. 46. Nihil esse inordinatum atque fortuitum. *Id.* 6. 5. 10. Fortuita pugna. *Id.* 10. 3. 20. cogitatio. *Id. ibid.* 30. clamores. *Id.* 10. 7. 3. sermo. — Speciatim *fortuita oratio* est eadem atque extemporalis (V. *Seyffert* ad *Cic. Amic.* 5. 17.). *Cic.* 1. *Orat.* 33. 150. Subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit. — Hinc

Fortuita, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt casus, fortuiti eventus. *Quintil.* 3. 7. 12. Fortuitorum laus brevior. *Id.* 6. *præf.* 11. Etiam illa fortuita aderant omnia. *Id.* 6. 1. 5. Occasiones ex quibusdam fortuitis quoque oriuntur. *Tac.* 14. *Ann.* 3. Nihil tam capax fortuitorum, quam mare.

FORTŪNA, æ, f. 1. *Fortunas* pro *fortunæ*, ut *familias, escas, vias, Monetas, Latonas*, in Genit. sing. *Nævius* apud *Priscian.* 6. p. 679. *Putsch.* Ei venit in mentem hominum fortunas. — Fortuna, nomen a breviore *fors* productum, est subitus et inopinatus eventus rerum accidentium (ut ait *Lactant.* 3. 29.), fors, casus, τύχη (It. *fortuna, sorte*; Fr. *fortune, hasard, cas fortuit, sort*; Hisp. *fortuna, acaso, suerte*; Germ. *d. Schicksal, d. Zufall, d. Loos, d. Ungefähr*; Angl. *fortune, chance, hazard, hap, luck*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim et abstracte. — *a*) In singulari numero. — Absolute de fortuna, quæ potest esse tum secunda, tum adversa. *Cic.* 2. *Divinat.* 6. 15. Quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid eventus, nisi quum sic aliquid cecidit, sic evenit, ut vel non cadere atque evenire, vel aliter cadere atque evenire potuerit? Quomodo ergo id, quod temere fit cæco casu et volubilitate fortunæ, præsentiri et prædici potest? *Id. ibid.* 7. 18. Nihil est tam contrarium rationi et constantiæ, quam fortuna. *Id. Fontej.* 15. 33. Virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad consilia prudentem, ad casum fortunamque felicem. *Id.* 5. *Tusc.* 9. 25. Si tot sunt in corpore bona, tot extra corpus in casu et fortuna: nonne consentaneum est, plus fortunam, quæ domina rerum sit et externarum et ad corpus pertinentium, quam consilium valere? Sic *Id. Amic.* 6. 20. Illa superiora (*bona*) caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris, quam in fortunæ temeritate. *Id.* 2. *de republ.* 16. Intelliges, non fortuito populum Romanum, sed consilio et disciplina confirmatum esse, nec tamen adversante fortuna. *Id. Mur.* 31. 64. Hos ad magistros, si qua te fortuna, Cato, cum ista natura detulisset. *Id. Pis.* 10. 22. In quo ne tum quidem, quum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat. *Id.* 14. *Phil.* 2. Vim fortunæ contemnere. — *Fortunæ se committere* vel *permittere*, h. e. *abbandonarsi alla fortuna*, sæpissime usurpatur. *Cic.* 9. *Att.* 6. 4. Quorum ego causa timidius me fortunæ committebam. *Id.* 10. *ibid.* 2. 2. Fortunæ sunt committenda omnia: sine spe conamur ulla. *Liv.* 7. 12. Quando nulla cogeret res fortunæ se committere adversus hostem. *Vellej.* 2. 72. 3. Domitius fugæ fortunæque se commisit, semetipso contentus partium duce. *Seneca* 3. *Quæst. nat. præfat.* Docere eos, qui sua permisere fortunæ, nihil stabile ab illa datum esse. *Curt.* 3. 2. 18. Homines, quum se permisere fortunæ, etiam naturam dediscunt. — Cum additis, quæ fortunam secundam esse, aut adversam definiunt. *Cic. Pis.* 16. 38. Nunc meam spoliatam fortunam conferam cum florente fortuna imperatoris. *Id.* 3. *Nat. D.* 37. 89. Sic enim res se habet, ut ad prosperam adversamve fortunam, qualis sis aut quemadmodum vixeris, nihil intersit. Cf. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. *sub fin.* Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam: fac aliquando intelligamus adversam quoque te æque ferre posse. Rursus *Cic. Sull.* 31. 89. Hic vos orat, judices, parvus, ut se aliquando, si non integra fortuna, et afflicta patri suo gratulari sinatis. *Id.* 10. *Att.* 4. 4. Qua (*fortuna*) illi florentissima, nos duriore conflictati videmur. *Id.* 1. *ad Brut.* 10. Belli fortuna, ut in secundis, fluxa, ut in adversis, bona. *Id. post redit. ad Quir.* 1. 2. Homini nihil magis optandum, quam prospera, æquabilis perpetuaque fortuna. *Id.* 1. *ad Brut.* 1. Fortuna optima esse. *Id.* 3. *de republ.* 17. *extr.* Dignissimus omni fortuna optima judicatur. *Id. Cluent.* 3. 7. Fortuna misera multumque jactata. *Id.* 1. *Fam.* 9. *ante med.* Afflicta fortuna. *Id. Sext.* 7. 17. Fuit profecto quædam illa reipublicæ fortuna fatalis, ut etc. *Cæs.* 2. *B. C.* 6. Ut quibus in pugna vitæ periculum accideret, non ita multo se reliquorum civium fatum antecedere existimarent, quibus, urbe capta, eadem esset belli fortuna patienda. Adde *eumd.* 1. *B. G.* 36. — *b*) In plurali numero. *Ter. Andr.* 1. 1. 69. Omnes omnia bona dicere, laudare fortunas meas, qui gnatum haberem tali ingenio præditum. *Id. Phorm.* 1. 4. 21. Si eo more fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar, nulla est mihi vita expetenda. *Cic. Sull.* 23. 66. Et secundas fortunas amittere coactus est, et in adversis sine ullo remedio permanere. *Cæs.* 5. *B. G.* 3. Se suas civitatisque fortunas ejus fidei permissurum. *Id.* 6. *ibid.* 7. Se suas exercitusque fortunas in dubium non devocaturum. *Fronto* p. 200. ed. *A Mai.* Fortunæ rarius magis tutæ. *Id. ad Amic.* 26. p. 305. Ille qui esse, quam videri, bonus maluit, fortunis parum prosperis usus est. — *c*) *Fortes fortuna adjuvat*, proverb. *V.* FORTIS II. 1. ¶ 2. Speciatim Fortuna pro dea habita est et humanarum rerum domina: habuit templum Præneste præcipue et Antii: Romæ etiam fana non una, variisque cognominibus colebatur. *Fors, Fortuna, respiciens, primigenia, hujusque diei*, h. e. in omnes dies, ut docet *Cic.* 2. *Legg.* 11. *extr.*, item *sancta, regina, conservatrix, obsequens* etc., ut videre est in *Inscript.* apud *Gruter.* p. 74. et *seqq.* V. suis locis et in HIC, item *virginalis*, quam vocem vide. Quibus quamque variis modis in monumentis repræsentaretur, *V.* in *Annal. dell' Instit. archeol. a.* 1839. p. 101. et *seqq.* Ceterum sæpissime pingebatur rotæ, aut globo insidens, ad volubilitatem inconstantiamque significandam (unde ab *Ovid.* dicitur 2. *Pont.* 3. 56. dea in orbe stans): cui tribuebant facultatem distribuendi omnibus bona aut mala in vita, non pro cujusque merito, sed temere, inconsiderate, nullo discrimine. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 23, 36. Fortunam insanam esse et cæcam perhibent philosophi, Saxoque illam instare globoso prædicant volubilem, etc. *Cic.* 3. *Nat. D.* 24. 61. Quo in genere vel maxime est Fortuna numeranda, quam nemo ab inconstantia et temeritate sejunget, quæ digna certe non sunt deo. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 53. 119. et 2. *Divinat.* 41. 85. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 61. Heu, Fortuna, quis est crudelior in nos Te deus? Adde *eumd. ibid.* 2. 126., et 1. *Od.* 35. quæ tota agit de Fortuna. *Cic.* 6. *Verr.* 3. *fin.* Bona Fortuna. *Id.* 2. *Legg.* 11. 28. et 3. *Nat. D.* 25. 63. Mala Fortuna. — *Fortunæ filius*, proverb. felix, fortunatus. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 49. *V.* FILIUS. ¶ 3. Item speciatim, interdum sine addito de secunda fortuna, h. e. de prospero evento dicitur; interdum de adversa fortuna, h. e. de tristi et malo eventu. — *a*) Sæpe de secunda fortuna. *Cic. pro leg. Manil.* 16. 47. Ego enim sic existimo: Maximo, Marcello — non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam sæpius imperia mandata. Fuit enim profecto quibusdam summis viris quædam — ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna: de hujus autem hominis felicitate — hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam etc. *Id. Amic.* 15. 54. Non solum ipsa fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa est. *Id.* 3. *Nat. D.* 36. 88. Judicium hoc omnium mortalium est, fortunam a deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. *Id.* 1. *Divinat.* 20. 39. Eum, quem illa peperisset, clarissimum Græciæ diuturna cum fortuna fore. *Id.* 8. *Att.* 4. Superbum se præbuit in fortuna. *Cæs.* 5. *B. G.* 34. Nostri etsi ab duce et a fortuna deserebantur, tamen omnem spem salutis in virtute ponebant. Cf. *eumd.* 3. *B. C.* 73. *Propert.* 1. 17. 7. Nullane placatæ veniat fortuna procellæ? *Virg.* 3. *Æn.* 15. Hospitium antiquum Trojæ sociique Penates, Dum fortuna fuit. *Horat.* 4. *Od.* 4. 70. occidit Spes omnis et fortuna nostri Nominis. *Id. Art. P.* 200. deos precetur et oret, Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis. *Id.* 2. *Ep.* 1. 32. Venimus ad summum fortunæ. Cf. *eumd.* 1. *ibid.* 12. 9. ut te Confestim liquidus fortunæ rivus inauret. *Curt.* 8. 3. 11. Fortuna indulgendo ei numquam fatigata. *Justin.* 12. 8. 15. Ipse sibi parcat, ne fortunam suam nimis onerando fatiget. — *Sortiri fortunam oculis* de Ænea telum in Turnum intorquente, et locum in corpore vulneri maxime opportunum, quem fortuna dabat, oculis designante, apud *Virg.* 12. *Æn.* 920. Cunctanti telum Æneas fatale coruscat Sortitus fortunam oculis, et corpore toto Eminus intorquet. Id ex *Homer. Iliad.* l. 10. v. 311. Εἰσορόων χροα καλόν, ὅπῃ εἴξειε μάλιστα. In re non dissimili ita locutus *Tac.* 2. *Ann.* 14. Densarent ictus, ora mucronibus quærerent. *trassero di punta spesso al viso*. — *Fortuna præsens* de conjuge dictum est in *Inscript.* apud *Henzen.* 7383. D. M. ET QVIETI AETERNAE — TERTINIAE — CONIVGI KARISSIMAE ET PIENTISSIMAE CASTISSIMAE CONSERVATRICI MIHI PIENTISSIMAE FORTVNAE PRAESENTI, QVAE MIHI NVLLAM CONTVMELIAM, NEC ANIMI LAESIONEM FECIT etc. — *b*) Raro de adversa fortuna. *Horat.* 3. *Od.* 3. 62. Trojæ renascens alite lugubri Fortuna tristi clade iterabitur. *Id.* 2. *Sat.* 8. 85. Emendare fortunam arte. Cf. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. *ad fin.* In eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit. et *Quintil.* 7. 9. 2. *Gallus* utrum avem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis significet, incertum est. *h. e.* castratum esse. Hic tamen *Quintiliani* locus ad paragr. proxime seq. commode referri potest.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim fortuna sumitur pro statu et conditione rerum, aut hominum, præcipue quum status vel conditio ea sit, quæ potestate et excellentia supra ceteros polleat: V. *Seyffert* ad *Cic. Amic.* p. 528. et *Kritz* ad *Sall. Jug.* 64. Cum *conditione* conjungitur apud *Cic. Mil.* 34. 92. Si in

gladiatoriis pugnis et infimi generis hominum conditione atque fortuna timidos atque supplices odisse solemus. *Id.* 3. *Verr.* 32. 81. Lampsaceni populi Romani conditione socii, fortuna servi, voluntate supplices. *Id.* 1. *Off.* 13. 41. Est autem infima conditio et fortuna servorum. — Ceterum *Id. Cic. Pis.* 22. 52. Ut non modo omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri ac mulieres, omnis fortunæ ac loci, sed etiam mœnia ipsa viderentur et tecta urbis lætari. *Id.* 5. *Fin.* 19. 52. Homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum, delectantur historia. *Id.* 13. *Fam.* 5. Gravissimum est, quum superior factus sit ordine, inferiorem esse fortuna. *Id. Amic.* 16. 59. Sæpe in quibusdam (*amicis*) aut animus abjectior est, aut spes amplificandæ fortunæ fractior. *la speranza di elevare la propria condizione. Nepos Att.* 11. Sui cuique mores fingunt fortunam. *Sall. Cat.* 51. In maxima fortuna minima licentia est. *Liv.* 1. 42. Inter gradus dignitatis fortunæque. *Id.* 29. 1. Principes genere et fortuna. *Id.* 22. 10. Agrestes in aliqua sua fortuna publica quoque contingebat cura. *Quintil.* 3. 8. 50. Non uniuscujusque eorum fortunam, dignitatem, res gestas intuitus. *Justin.* 2. 10. 6. Huc accedere, quod Artemenes non patre tantum, sed et matre privatæ adhuc fortunæ, avo quoque materno privato, procreatus sit: se vero et matre regina natum, et patrem non nisi regem vidisse, avum quoque maternum Cyrum se regem habuisse. — Fortuna populi Romani, fortuna imperii, apud *Tac.* 3. *Hist.* 47. et 4. *ibid.* 57. est non solum status et spes, sed etiam auspicium et majestas. ¶ 2. Hinc speciatim *fortunæ* ponuntur pro facultatibus, re familiari, divitiis, *averi, facoltà, beni.* — *a*) Sæpe in plurali num. *Fortunæ* cum pecunia et *bonis* junguntur apud *Cic. Rosc. Am.* 3. 7. A Chrysogono peto, ut pecunia fortunisque nostris contentus sit. *Id. Dom.* 10. 23. Imminebat furor tuus omnium fortunis et bonis. *Id.* 3. *Verr.* 44. 113. Quibuscum vivi bona nostra partimur, iis prætor adimere, nobis mortuis, bona fortunasque poterit? Ubi *Pseudo-Ascon. p.* 190. *Bait.* Bona in ipsis possessionibus, fortunæ in fructibus earum. Quamquam *fortunæ possessionibus* respondere videntur in illo *Cic. Rosc. Com.* 12. 33. Tum propter reipublicæ calamitates omnium possessiones erant incertæ: nunc deum immortalium benignitate omnium fortunæ sunt certæ. — Ceterum *Id.* 1. *Tusc.* 6. 12. Miserum esse M. Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit. *Id.* 2. *de republ.* 19. Fuisse quemdam ferunt Demaratum Corinthium, et honore et auctoritate et fortunis facile civitatis suæ principem. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Cæsar non exspectandum sibi statuit, dum, omnibus fortunis sociorum consumptis, in Santonos Helvetii pervenirent. *Quintil.* 4. 2. 122. Fortunarum pericula. *Tac.* 13. *Ann.* 21. Fortunis omnibus adesis. *Id. Germ.* 46. Fortunas versare spe ac metu. — *b*) In singulari num. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 12. Quo mihi fortunam, si non conceditur uti? *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 55. vitamque dedisti: Nec mihi jus civis, nec mihi nomen abest: Nec mea concessa est aliis fortuna. *Liv.* 22. 41. Castra plena omnis fortunæ publicæ privatæque. *Id.* 24. 21. Huic et genus et fortuna honesta erant. *Id.* 45. 32. Prædivites alii, alii, quos fortuna non æquaret, his sumptibus pares. *Quintil.* 6. 1. 50. Fortuna, qua uterque abundabat. *Tac. Germ.* 21. Pro fortuna quisque apparatis epulis excipit hospitem. *Vellej.* 2. 60. 1. Adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris. *Scævola Dig.* 4. 7. 10. *ad fin.* Argentarius coactor totam fortunam in nominibus habebat. — *c*) *Per fortunas*, adjurandi obsecrandique formula (V. *Sophocl. Œdip. Col.* 251.), *per tutti i tuoi averi, per tutte le tue possessioni, per vita tua. Cic.* 5. *Att.* 11. Ne provincia nobis prorogetur, per fortunas! dum ades, quidquid provideri potest, provide. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 13. et 3. *ibid.* 20.

Homonym. *V.* in fin. v. FATUM.

FORTŪNĀRIUS, a, um, adject. idem ac fortuitus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 44. edente *A. Mai.* In hæc et hujusmodi fortunaria dispositis equis et itinere proviso.

FORTŪNĀTĒ, adverb. feliciter, prospere, *felicemente, fortunatamente*, εὐτυχῶς. *Cic.* 3. *Fin.* 7. 26. Necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere.

FORTŪNĀTIM, adverb. idem quod fortunate. *Ennius* apud *Non. p.* 112. 2. *Merc.* Fortunatim, feliciter ac bene vortat.

FORTŪNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FORTŪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (fortuna) *Fortunassint* pro *fortunaverint* ἀρχαϊκῶς dixit *Afranius* in loco infra cit. — Part. *Fortunatus* in fin. — Fortunare est prosperare, secundare, seu *prosperare, omnibus bonis augere*, ut *Nonius* interpretatur *p.* 109. 17. *Merc.*; et ubique diis tribuitur, quorum in manu fortunæ vis esse dicitur, εὐδαιμονίζω (It. *felicitare, prosperare*; Fr. *rendre heureux, faire prospérer*; Hisp. *hacer prosperar*; Germ. *glücklich machen, beglücken, glücklich sein lassen, zum Glück gereichen lassen*; Angl. *to prosper, make happy or prosperous, bless*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Trin.* 2. 4. 175. Di fortunabunt vestra consilia. Adde *eumd. Pers.* 2. 45. *Cic.* 2. *Fam.* 2. Tibi patrimonium dii fortunent. *Id.* 15. *ibid.* 7. Maxima sum lætitia affectus, quum audivi consulem te factum esse: eumque honorem deos tibi fortunare volo. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 22. Tu quamcumque deus tibi fortunaverit horam, Grato sume manu. — *b*) Absolute. *Afranius* apud *Non. p.* 109. 18. *Merc.* Deos ego omnes, ut fortunassint, precor. — Hinc Part. præter. pass.

Fortunatus, a, um, adjective occurrit, unde Comp. *Fortunatior* 1.; Sup. *Fortunatissimus* 1. et 2. — Fortunatus ¶ 1. Stricto sensu dicitur is, cui fortuna favet, felix, εὐτυχής, *fortunato, avventuroso, felice.* — *a*) Posit. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 5. Salvus ac fortunatus semper sies. *Id. Capt.* 5. 3. 16. Et miser sum et fortunatus, si vos vera dicitis. *Id. Curc.* 1. 2. 52. Qui me in terra æque fortunatus erit? *Id. Trin.* 1. 2. 3. Ut nobis hæc habitatio bona, fausta, felix fortunataque eveniat. *Vetus formula* apud *Varron* 6. *L. L.* 86. *Müll.* Quod bonum, fortunatum, felixque, salutareque siet populo R. Quiritium. *Similes alias formulas bene ominandi V.* in FAUSTUS et FELIX. *Cic. Brut.* 96. 329. Fortunatus illius exitus: qui ea non vidit quum fierent, quæ providit futura. *Id.* 2. *Cat.* 4. 7. O fortunatam rempublicam, siquidem hanc sentinam hujus urbis ejecerit. *Id. Amic.* 15. 54. Nec quicquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. *Id. Senect.* 9. 29. Mihi vero Sciplones comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur. *Id.* 3. *Tusc.* 24. 57. Fortunatum esse dicit, quod inglorius sit atque ignobilis ad supremum diem perventurus. *Virg.* 1. *Ecl.* 47. Fortunate senex. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 49. Si fortunatum species et gratia præstat. *Id.* 1. *ibid.* 11. 14. laudat Ut fortunatam plene præstantia vitam. — *b*) Comp. *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 87. Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatiorem quam Præneste vidisse Fortunam. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 14. Nihil nobis expeditius, si valebimus, fore fortunatius. *Horat.* 2. *Ep.* 3. 295. Ingenium misera quia fortunatius arte Credit. — *c*) Sup. *Cato* apud *Festum p.* 234. 15. *Müll.* Camerini cives nostri oppidum pulcrum habuere, agrum optimum atque pulcherrimum, rem fortunatissimam. *Cic.* 5. *Tusc.* 12. 34. Qui tum fortunatissimus haberetur. *Vellej.* 2. 12. 5. Consules fortunatissimo prælio decertavere. — *d*) Poetice cum casu genit. Græcorum more. *Virg.* 11. *Æn.* 416. Ille mihi ante alios fortunatusque laborum Egregiusque animi. *h. e.* felix in malis et calamitatibus suis. ¶ 2. Latiori sensu (*V.* FORTUNA II. 2.) est idem ac dives. *Cæs.* 6. *B. G.* 35. Quid vos hanc miseram ac tenuem sectamini prædam, quibus licet jam esse fortunatissimis? *Cic.* 2. *Orat.* 86. 352. Quum cœnaret Simonides apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem. *Id.* 2. *Off.* 20. 69. Quis est tandem, qui inopis et optimi viri causæ non anteponat in opera danda gratiam fortunati et potentis? ¶ 3. Speciatim *Fortunatæ* vel *Fortunatorum insulæ*, Gr. αἱ τῶν Μακάρων νῆσοι, in oceano Atlantico sunt, ad Africam pertinentes, quas *Plaut. Trin.* 2. 4. 148. Fortunatorum insulas appellat. Nomen habent a cœli temperie et soli fertilitate: olim creditæ Elysium et beatarum animarum sedes: quo allusit *Virg.* 6. *Æn.* 638. Devenere locos lætos et amœna vireta Fortunatorum nemorum. *V. Plin.* 6. *Hist. nat.* 32. 37. (202).; et *Flor.* 3. 32. Eas memorat etiam *Eumen. Paneg. Constantin.* 7., earumdemque fertilitatem celebrat *Mamertin. jun. Grat. act.* 23. Cf. et *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 495. 33. *Merc.*

Homonym. *V.* in fin. v. FELIX.

FŎRŬLI, ōrum, m. plur. 2. *deminut. a* forus. ¶ 1. Sunt loculi, plutei, quibus libri asservantur. *armarj, scansie. Sueton. Aug.* 31. Libros Sibyllinos condidit duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. *Juvenal.* 3. 219. Hic libros dabit et forulos mediamque Minervam. ¶ 2. Ita dicta sunt etiam loca erecta, ut ex iis Circenses spectarentur. *Paul. Diac. p.* 84. 14. *Müll.* — *NB.* De nomine vici in Sabinis, *V.* ONOM.

FŎRUM, i, n. 2. *Forus, i*, m. 2. (subaudi *locus*) antiqua forma, qua usus est *Lucilius* apud *Charis.* 1. *p.* 55. *Putsch.* et apud *Non. p.* 206. 15. *Merc.* Romanis ludis forus olim ornatu' lucernis. *Pomponius ibid.* Balnea, forus, macellus, fana, portus. Adde *Sall. fragm. ibid.*; et cf. *Victorin. p.* 2470. *Putsch.* — *NB.* De foris navium etc. *V.* FORI loco suo. — Ceterum *forum* duo diversa significat.

A) *Forum* ab eodem etymo est, a quo *foras, foris* et *fori*, atque ideo significat locum, qui foras fert vel ducit, et ipsum locum externum ratione habita ædium vel domus, *il luogo che conduce al di fuori, lo spazio al di fuori*; hinc a v. *ferre* deducitur, ut vult *Varro* 5. *L. L.* 145. *Müll.*, cujus verba vide infra sub 2. Quam vero late pateat hujusce vocabuli significatio, docet *Paul. Diac. p.* 84. 9. *Müll.* Forum sex modis intelligitur. Primo negotiationis locus, ut forum Flaminium, forum Julium, ab eorum nominibus, qui ea fora constituenda curarunt, quod etiam locis privatis et in viis et in agris fieri solet. Alio, in quo judicia fieri, cum populo agi, contiones haberi solent. Tertio, quum is, qui provinciæ præest, forum agere dicitur, quum civitates vocat et de controversiis eorum cognoscit. Quarto, quum id forum antiqui appellabant, quod nunc vestibulum sepulcri dicari solet. Quinto, locus in navi, sed tum masculini generis est et plurale. Sexto, fori significant et Circensia spectacula, ex quibus etiam minores *foruli* dicimus. Inde et *forare* foras dare, et *fores, forus* et *foreculæ*, id est ostiola dicuntur. Hæc *Paul. Diac.* ¶ 1. Generatim pro loco qui foras fert vel ducit, atque adeo pro vestibulo sepulcri, ut *Paul. Diac.* ait loc. supra cit. *Cic.* 2. *Legg.* 21. 61. Quod autem (*lex XII. Tabul.*) *forum*, id est vestibulum sepulcri, *bustumve usucapi* vetat, tuetur jus sepulcrorum. ¶ 2. Speciatim forum dicitur locus spatiosus in urbe, in quo res venduntur et negotia fiunt, ἀγορά, *piazza, mercato.* — *a*) Stricto sensu. *Varro* 5. *L. L.* 145. *Müll.* Quo vendere vellent quo conferrent, forum appellarunt. Ubi quid generatim (*h. e.* secundum singula genera), additum ab eo cognomen, ut forum boarium, forum olitorium, cupedinis, piscarium. *Plaut. Curc.* 4. 1. 13. Forum piscarium. *Ulp. Dig.* 1. 12. 1. *a med.* suarium. *Inscript.* apud *Orell.* 3314. et *alia* apud *Henzen.* 7057. Forum pecuarium. *Aliæ* apud *Orell.* 4087. et 4109. Forum vinarium. *V.* VINARIUS. *Alia* apud *Orell.* 2515. Forum negotiationis fabariæ. — *Varro cit. l.* 5. *L. L.* tradit, omnia fora rerum venalium, quæ Romæ erant, contracta postea fuisse in unum locum, quod *macellum* dictum fuit, ubi omnia, quæ ad victum pertinent, vendebantur. — *b*) Latiori sensu fora dicuntur etiam oppida aut vici in provinciis, quæ negotiorum seu nundinarum causa in primis celebrabantur, *le principali piazze di traffico, le fiere, i mercati. Sall. Jug.* 47. Oppidum Numidarum, nomine Vaga (*Forcellinus* leg. *Vacca*), forum rerum venalium totius regni maxime celebratum, ubi et incolere et mercari consueverant Italici generis multi mortales. *città di grande traffico. Cic. Cluent.* 14. 40. L. Clodius, pharmacopola circumforaneus, qui properaret, cui fora multa restarent, simul atque introductus est, rem confecit. — *c*) Speciatim *forum coquinum* fuit Romæ locus, ubi coqui conveniebant, parati suam locare operam conducentibus. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 1. Forum coquinum qui vocant, stulte vocant: nam non coquinum est, verum furinum est forum. — *d*) *Scisti uti foro* proverbium est apud *Ter. Phorm.* 1. 2. 29., h. e. scisti servire tempori, *hai saputo pigliare il panno pel verso*: ductum a negotiatoribus, qui ante locum commercii non præscribunt, quanti vendant quæ advehunt, sed secundum annonam fori, quam deprehenderint, consilium de vendendis aut non vendendis mercibus sumunt. *Donatus.* ¶ 3. Item speciatim forum dicebatur locus, quo populus conveniebat, *luogo dei*

pubblici convegni; item locus, in quo jurisdictio exercetur, contiones habentur ad populum, causæ aguntur, *foro, palazzo*; qui sæpe idem est locus cum foro negotiorum, quæ occasione convenientium civium fiunt, ut in Foro Romano, *piazza, banca*. Itaque — *a*) Forum dicebatur locus, quo populus conveniebat. *Cic.* 1. *de republ.* 17. Quis putare vere potest non magis solos esse, qui in foro turbaque, quicum colloqui libeat, non habeant, quam qui nullo arbitrio vel secum ipsi loquantur? *Id.* 3. *Fin.* 2. 4. Ars est enim philosophia vitæ: de qua disserens arripere verba de foro non potest. *Id.* 2. *de republ.* 37. Quum Decimus quidam Virginius virginem filiam in foro sua manu interemisset. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 48. foro nimium Carinas Jam grandis natu queritur. *Id.* 1. *Sat.* 6. 114. Fallacem Circum vespertinumque pererro Sæpe forum. *h. e.* Forum Romanum, de quo *V.* infra sub e. *Cæs.* 7. *B. G.* 28. Hostes muro turribusque dejecti, in foro ac locis patentioribus constiterunt. *Id.* 1. *B. C.* 14. Gladiatores, quos ibi (*Capuæ*) Cæsar in ludo habebat, ad forum productos Lentulus libertati confirmat. — *b*) Hinc in foro versari et similia est versari in publico, civilia studia exercere, reipublicæ operam dare, causas agere. *Cic.* 3. *de republ.* 30. Duas sibi res, quominus in vulgus et in foro diceret, confidentiam et vocem, defuisse. *Nepos Att.* 10. Ad adventum imperatorum foro decesserat, timens proscriptionem. *h. e.* publico abstinuerat. *Cic.* 5. *Fam.* 8. Ut primum forum attigi. *h. e.* cœpi versari in publico, civilia studia exercere, reipublicæ operam dare, causas agere. *Cf. Nepot. Cat.* 1. Hortatu L. Valerii Romam demigravit, in foroque esse cœpit. *Sueton. Ner.* 7. Deducere in forum. *h. e.* in publicum, et ad reipublicæ studia et officia admovere. *Seneca proœm. l.* 2. *Controv.* Parare se foro et honoribus. *Tac. Agric.* 39. Frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 8. forum putealque Libonis Mandabo siccis, adimam cantare severis. *h. e.* forum, ubi causidici et jurisconsulti ad prætorem conveniunt. — *c*) Forum erat etiam locus, in quo jurisdictio exercebatur. *Leg. XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 20. NI PACVNT, IN COMITIO AVT IN FORO ANTE MERIDIEM CAVSAM CONSCITO. *Cic.* 6. *Verr.* 54. 121. Pacem cum bello, leges cum vi, forum et jurisdictionem cum ferro et armis contulerit. *Quintil.* 10. 7. 20. Quod (*tempus*) in judiciis ac foro datur. *Virg.* 2. *G.* 502. nec ferrea jura Insanumque forum aut populi tabularia vidit. *Ovid.* 4. *Fast.* 188. Et fora Marte suo litigiosa vacent. — Hinc *forum agere* est jurisdictionem exercere, *tener tribunale, ascoltar cause*: et dicitur fere de magistratibus in provinciis. *Cic.* 5. *Att.* 16. *ad fin.* Appius in ultimam provinciam se conjecit, Tarsum usque: ibi forum agit. Adde *eumd.* 3. *Fam.* 6. 4. Sic poetice ac translate *Virg.* 5. *Æn.* 757. gaudet regno Trojanus Acestes, Indicitque forum et patribus dat jura vocatis. — Et de tribunali, cui quis ratione patriæ etc. obnoxius est. *Cic.* 4. *Verr.* 15. 38. Adversarii postulant, ut in eam rem judices dentur ex his civitatibus, quæ in id forum convenerant. *Id.* 5. *ibid.* 15. 38. Ne quis (*Siculorum*) extra suum forum vadimonium promittere cogatur. — Hinc translate *res in meo foro vertitur*, proverbium apud *Plaut. Most.* 5. 1. 10., h. e. res est mihi cum iis, quos vitare non possum, quemadmodum in suo foro recusare nemo potest, quin judicium subeat: vel versor in periculo, quod non possum effugere. — *In alieno foro litigare* apud *Martial. ep. præfixa l.* 12. est perplexum et turbatum esse, ut ii, qui alieno foro litigant, cujus neque morem judiciorum, neque rationem agendi aut loquendi plane sciunt. — *d*) Forum erat etiam locus, quo negotiorum, et præcipue fenerandi causa populus conveniebat. *Cic. pro leg. Manil.* 7. 19. Hæc fides atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro versatur, implicita est cum illis pecuniis Asiaticis et cohæret. *Id. Flacc.* 29. 70. Quousque negotiabere? annos jam triginta in foro versaris. *Id.* 2. *leg. Agr.* 3. *fin.* Sublata erat de foro fides. *Id. Rabir. Post.* 15. 41. Nisi C. Cæsaris summa in omnes, incredibilis in hunc eadem liberalitas exstitisset, nos hunc Postumum jampridem in foro non haberemus. *Postumo già da lungo tempo avrebbe fatto bancarotta, avrebbe fallito.* Similiter *Seneca* 4. *Benef.* 39. Cedere foro. *fallire.* Adde *Juvenal.* 11. 50.; et *Ulp. Dig.* 16. 3. 7. §. 2., quos *V.* in CEDO. — Hinc *foro mersi* apud *Plaut. Epid.* 1. 2. 16. dicuntur, qui ære alieno obruti sunt. In foro enim, ut diximus, erant argentariorum tabernæ, ubi pecunia dabatur cuivis fenori. — *e*) Fora plurima Romæ fuere, sed judicialia tria maxime, Romanum, Julii Cæsaris et Augusti; quibus alia postea adjecta sunt. Primum quod absolute et κατ' ἐξοχὴν Forum dicitur, fuit omnium ornatissimum propter ædificia, et frequentissimum propter judicia, inter colles Capitolinum et Palatinum: ibi curia, rostra, comitium, tabernæ argentariæ, porticus circa columnis nixæ, basilicæ, templa magnifica etc. De hoc intelligendi sunt plures loci superius allati: videsis præterea *Chr. Müller, Forum Romanum et Via Sacra, Stuttg.* et *Tub.* 1824. — De Foro Jul. Cæsaris *Sueton. Cæs.* 26. Forum de manubiis inchoavit, cujus area super HS. millies constitit. Adde *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (102). — De Foro Augusti *Sueton. Aug.* 29. Forum extruxit cum æde Martis ultoris *etc.* Fori exstruendi causa fuit hominum et judiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. *Ovid.* 4. *Pont.* 15. 16. domus Augusto continuata foro. — Porro de tribus foris *Seneca* 2. *Ira* 9. Circumscriptiones, furta, fraudes, quibus trina non sufficiunt fora. *Martial.* 3. 38. Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso: Atque erit in triplici par mihi nemo foro. Adde *Stat.* 4. *Silv.* 9. 15. — *f*) Ipsa oppida, aut vici in provinciis in quæ conveniebant provinciales negotiorum seu nundinarum, vel jurisdictionis et litium causa, *fora* appellantur: ut Forum Alieni in Gallia transpadana, nunc *Alenicle*, apud *Tac.* 3. *Hist.* 6.; Forum Appii in Latio juxta viam Appiam, nunc *S. Donato*, apud *Cic.* 2. *Att.* 10.; Forum Aurelium in Etruria, juxta viam Aureliam, nunc *Monte alto*, apud *Cic.* 1. *Cat.* 9. 24.; Forum Cornelii vel Corneilum in Gallia cispadana juxta viam Æmiliam, nunc *Imola*, apud *Cic.* 12. *Fam.* 5. (Ejus verba sunt: Erat Claternæ Hirtius, ad Forum Cornelium Cæsar.); Forum Gallorum in Gallia cispadana inter Mutinam et Bononiam, nunc *Castelfranco*, apud *Cic.* 10. *Fam.* 30.; Forum Julii in Gallia Narbonensi, nunc *Frejus*, apud *Plancum* inter *Cic.* 10. *Fam.* 15. et 17., *Plin.* 3. *Hist. nat.* 4. 5. (36)., *Tac.* 3. *Hist.* 43. et *Melam* 2. 5. 3.; Forum Voconii in eadem Gallia Narbonensi inter Pyrenæos, quod nunc nomine caret, apud *Cic.* 10. *Fam.* 17. et 34.; Forum Livii in Æmilia, nunc *Forlì*, Forum Sempronii etc., de quibus *V.* FOROLIVIENSES, FOROSEMPRONIENSES etc. in ONOM. — *NB. Forum aleatorium* per similitudinem dicitur cubiculum, in quo lusuri conveniunt, *Augustus* apud *Sueton. Aug.* 71., ubi alii rectius intelligunt alveolum lusorium. *V.* FORUS.

B) *Forum* est etiam vasis vinarii genus, nempe pars torcularis, in quo ponuntur uvæ, vel oleæ prelo calcandæ. *Varro* 1. *R. R.* 54. 2. Uva defertur in forum vinarium, unde in dolium inane veniat. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 71. Torcularia et fora diligenter emundata lotaque, et, si res ita exegerit, picata. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 18. 3.

FŌRUS, i, m. 2. Dicitur interdum et *forum* neutr. gen.: *V.* infra sub 1. — Fori (quod verbum, ratione habita etymi, juxta *Paul. Diac. p.* 84. 15. *Müll.* jungitur cum *forum, fores, foras* et *forare*, juxta *Döderlein. Latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 134. cum *forare* et πόρει) proprie significant angustiores spatii alicujus divisiones, seu partes, in quas aliqua superficies divisa est: hinc ¶ 1. Sunt tabulata navium, vel locus in navi apertior, qui iter navem perambulantibus præbet. *Isid.* 19. *Orig.* 2. scripsit: Fori, navium latera concava, a ferendo onere dicta: sive tabulata navium, quæ sternuntur, dicta ab eo, quod incessus ferant, vel foris emineant. Sunt igitur parvæ illæ semitæ intra naves, per quas nautæ ultro citroque discurrunt: item loca ubi sedent rectores: item ubi nautæ sedentes remigant, ut *Charis.* 1. *p.* 19. *Putsch.* et *Diomed.* 1. *p.* 314. docent, *la corsia*, καταστρώματα. — *a*) In singulari numero *Ennius* apud *Isid. loc. cit.* sive 7. *Ann.* 51. Multa foro ponit et agea longa repletur. *Gell.* 16. *ult.* Arion stans in summæ puppis foro, carmen voce sublatissima cantavit. *Sall.* apud *Non. p.* 206. 17. *Merc.* illum nautis forum. — *b*) In plurali numero sæpius occurrit. *Cic. Senect.* 6. 17. Cum alii malos scandant, alii per foros cursent. *Virg.* 6. *Æn.* 411. Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant, Deturbat, laxatque foros. *Tac.* 2. *Hist.* 35. Retentare puppes, scandere foros. — *c*) In neutro genere *fora* ouvium dixit *Cn. Gell.* apud *Charis.* 1. *p.* 55. *Putsch.* ¶ 2. Item *fori* dicuntur circensia spectacula, id est, loca erecta, ut ex iis spectetur, *palchi, palchetti*. *Liv.* 1. 35. Ubi sibi spectacula quisque faceret, fori appellati. Adde *Paul. Diac. p.* 84. 14. *Müll.* Rursus *Liv.* 1. 56. Foros in Circo faciendos. *Id.* 45. 1. Quum per Circum reveheretur ad foros publicos. ¶ 3. *Fori* etiam in agris sunt angustiores quidam sulci et oblongi, qui surculo effodiuntur in horto excolendo. *Colum.* 10. *R. R.* 93. Angustosque foros adverso limite ducens, Rursus in obliquum distinguat tramite parvo. ¶ 4. De variis favorum ordinibus, ubi apes consistunt: ea ratione, qua *foruli* dicuntur capsulæ librorum. *Virg.* 4. *G.* 249. Incumbent generis lapsi sarcire ruinas, Complebuntque foros, et floribus horrea texent. ¶ 5. Apud *Sueton. Aug.* 71. Lusimus per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus. *forus aleatorius* est tabula, seu alveus lusorius, ut volunt *Salmas., Gronov., Burmann.*, nam alii aliter judicant. *V.* FORUM sub *A.* in fin. Huc trahit *Gronov. de pec. vet. l.* 4. *c.* 3. illud *Manilii* 5. 317. ponitque forum, se datque Lyæo. *h. e.* statuit in mensa alveum lusorium, eoque et vino se oblectat. Alii interpretantur, seponit forenses curas.

FORVUS, formus, *h. e.* calidus, apud veteres. *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 453.

FOSSA, æ, f. 1. (a sup. fossum *verbi* fodio) est locus, unde effossa est terra, τάφρος (It. *fossa*; Fr. *fossé, fosse*; Hisp. *foso, hojo*; Germ. *der Graben*; Angl. *a ditch*).

I.) Proprie generatim, tum sæpe speciatim pro receptaculo aquæ manufacto ad urbes, oppida, castra aut alia hujusmodi munienda. *Lucret.* 5. 482. salso suffodit gurgite fossas. *Cf. Liv.* 3. 26. Fossam fodere. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 59. Ejusque fossæ transitum ponticulo ligneo conjunxisset. *Id.* 2. *de republ.* 6. Cujus (*urbis*) is est tractus ductusque muri, ut unus aditus maximo aggere objecto fossa cingeretur vastissima. V. FOVEA. *Festus* in voce *Quiritium*; et *Liv.* 1. 33. Quiritium fossæ dicuntur, quibus Ancus Martius circumdedit Urbem, quam secundum ostium Tiberis posuit: ex quo etiam Ostiam. Et quia populi opera eas fecerat, appellavit Quiritium. Rursus *Cic.* 9. *Att.* 12. 3. Populi Romani exercitus Cn. Pompejum circumsidet, fossa et vallo septum tenet, fuga prohibet. *Id.* 15. *Fam.* 4. 10. Oppidum vallo et fossa circumdedi. *Sall. Jug.* 23. Circumdare mœnia vallo atque fossa. *Cæs.* 2. *B. G.* 5. Castra vallo fossaque duodeviginti pedum munire jubet. *Id.* 2. *ibid.* 8. Transversam fossam obducere. *Id.* 7. *ibid.* 72. Fossam pedum viginti directis lateribus duxit. *Id.* 1. *B. C.* 27. Fossam præducere. *Id.* 3. *ibid.* 46. Instituere. *Auct. B. G.* 8. 9. deprimere. *Cic. Pis.* 33. 81. Non Rheni fossam gurgitibus illis redundantem Germanorum immanissimis gentibus objicio et oppono. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 28. cruor in fossam confusus. *Tac.* 15. *Ann.* 42. Ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros promiserant. *Id.* 3. *Hist.* 21. Agresti fossa præmunita. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (122). Fluvius fossa perductus. *Id.* 33. *ibid.* 4. 21. (76). Fossam cavare. *Id.* 6. *ibid.* 29. 33. (165). ducere. *Id.* 36. *ibid.* 9. 14. (67). perducere. *Id.* 18. *ibid.* 26. 64. (236). purgare, aut novam facere. *Plin. alter* 10. *Ep.* 50. percutere. *h. e.* ducere, facere. — Speciatim in agris aliæ sunt *fossæ cæcæ*, aliæ *patentes*. Patentium ratio cuivis clara et aperta: cæcarum vero conficiendarum modus traditur a *Colum.* 2. *R. R.* 2. et *Pallad.* 6. *R. R.* 3.: sulcis enim in altitudinem tripedaneam depressis, quum parte dimidia lapides, vel glaream receperint, æquentur superjecta terra, quæ fuerat effossa, vel, si nec lapis erit, nec glarea, sarmentis vel quibuscumque virgultis cooperiantur. Eadem fere habet *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (47)., sed rem non omnino intellexisse videtur. — *Fossa fastigata* dicitur, quæ a summa latitudine, lateribus devexis, in angustiam ad solum conjunctam pervenit. *Punica* dicitur, quæ latere exteriore ad perpendiculum dirigitur, contrario devexo fit, quemadmodum fastigata. Hæc *Hygin. Grom. p.* 10. *col.* 1. Aliquoties etiam fossa fit lateribus utrimque directis, cujus meminit sic *Auct. B. G.* 8. 9.

imperat fossam duplicem pedum quinum denum lateribus directis deprimi.

II.) Figurate. ¶ 1. Ponitur pro podice puerili. *Juvenal.* 2. 1. Inter Socraticos notissima fossa cinaedos. *V.* SOCRATICUS. ¶ 2. Item pro pudendo muliebri. *Auct. Priap.* 83. Tibi haec paratur, ut tuum ter aut quater Voret profunda fossa lubricum caput. Cf. *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. *ad fin.* Verrium Flaccum dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere jus non esset; ideo magis viduis, quam virginibus, idoneas esse ferias ad nubendum. ¶ 3. Pro finibus, vel termino. *Tertull. advers. Haeret.* 10. Hanc tibi fossam determinavit ipse, qui te non vult aliud credere, quam quod instituit. *h. e.* hos tibi fines praescripsit. ¶ 4. In Inscriptionibus usurpatur et pro sepulcro. *Inscript.* apud *Orell.* 4794. IVLIVA BALERIANVS QVI VIXIT ANNIS *bene* XX: NATALI SVO *decessit*, SODALICIARIVS BONVS AMORATVS FILETIVA VSQVE AT FOSSA. *h. e.* usque ad fossam.

FOSSĀRIUS, ii, m. 2. clericus, cui olim, ut ait *Hieronym. Ep.* 1. *n.* 12., id officii erat, ut linteo cadaver obvolveret, et fossam humum lapidibus construens ex more tumulum pararet: idem ac fossor, quam vocem *V.* infra. *Inscript.* apud *Murat.* 1969. 5. FELIX FOSSARIVS IN *pace*. *V.* COPIATAE et FOSSOR II. 4.

FOSSĀTUM, i, n. 2. *et*

FOSSĀTUS, i, n. 2. *V.* FOSSO.

FOSSĪCIUS *vel* fossitius, a, um, adject. idem quod fossilis, ὀρυκτός. *Varro* 1. *R. R.* 7. 8. Fossicia creta. *et mox.* Fossicius sal. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 23. 54. (175). Arenae tria genera, fossicia, fluviatilis et marina. *Pallad.* 1. *R. R.* 10. Arenae fossiciae tria sunt genera, nigra, cana, rufa. *Vitruv.* 2. 5. vocat arenam fossiciam pulverem Puteolanum. *h. e. la pozzolana.*

FOSSĬLIS, e, adject. qui e terra effoditur, *che si cava dalla terra, fossile*, ὀρυκτός. *Varro* 2. *R. R.* 11. 6. Sal melior fossilis, quam marinus. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 18. 29. (134). Fossile ebur. *Id. ibid.* 26. 66. (192). Fossiles arenae. *Alcim. Ep.* 78. Fossilis gleba. *Ammian.* 24. 6. Fossile flumen. *fatto a mano.*

FOSSĬO, ōnis, f. 3. actus fodiendi, *zappamento*, ὄρυξις. — *a)* In singulari numero. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 25. Et lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus, et recenti fossione terram fumare calentem. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 41. Omnibus mensibus non solum seminariis, sed etiam novellis vineis danda fossio est. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 26. 39. (247). Amygdalae si cotantur fossione, florem amittunt. — *b)* In plurali numero. *Cic. Senect.* 15. 53. Fossiones agri et repastinationes.

FOSSĪTIUS. *V.* FOSSICIUS.

FOSSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *intensiv. a* fodio, *scavare. Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 100. *Müll.* Decretum est fossari corpora telis. — Hinc a Part. praeter. pass.

Fossatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, significat vel fossam, vel munimentum fossa factum, *fosso, fossato. Pallad.* 10. *R. R.* 13. *de hortis.* Circumveniente fossato, vel luto structis parietibus. *Capitolin. Gord.* 28. Castra omnia fossato circuibat. Adde *Veget.* 4. *Milit.* 16.; et *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 45. — Sunt qui afferunt etiam verba *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (159). ubi ait: Fossatum purgari et extendi, ne crudum relinquatur. At *Harduin.* legit *fossum*, quam lectionem retinuit et *Sillig.*

Fossatus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est terminus in agris in ipsa fossa positus, apud Scriptores rei agrariae, *Goës. p.* 254. et 267.

FOSSOR, ōris, m. 3. qui fodit, seu villicus, qui plantandis arboribus, ac praecipue vitibus operam dat, *zappatore*, ὀρυκτήρ.

I.) Proprie. *Virg.* 2. *G.* 264. Et labefacta movens robustus jugera fossor. *Horat.* 3. *Od.* 18. 15. Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 38. Signa praeterea quae in vineis aut fossor disturbavit, aut negligentia omisit, diligens vinitor restituere debet. *Martial.* 7. 71. 4. Nec rigidus fossor, sed nec arator eget. Cf. *Inscript.* apud *Henzen.* 7403. CLAVDIA AGELE FECIT TI. CLAVDIVS GRATIAVA COLLIBERTAE SVAE, FOSSOR PARCE, HIC IAM CVRAT. — De fossore auri, *V.* AURIFOSSOR.

II.) Improprie. ¶ 1. Figurate dicitur de eo, qui cuniculos agit, ut obsessae urbis muros eruat. *Stat.* 2. *Theb.* 418. ceu saepta novus jam moenia laxet Fossor. ¶ 2. Translate dicitur de homine agresti et imperito. *Catull.* 22. 10. Bellus ille et urbanus Suffenus unus caprimulgus, aut fossor rursus videtur. *Pers.* 5. 122. quum sis cetera fossor. ¶ 3. Idem est etiam ac praedico. *Auson. epigr.* 70. Perversae Veneris postico vulnere fossor. ¶ 4. Item *fossores*, qui et *fossarii*, appellati sunt clerici, qui subterranea Christianorum coemeteria aut fodiebant, aut certe aptanda curabant. *Inscript.* apud *Murat.* 1970. 3. LEO FOSSOR FECIT SIBI ET VIRGINIAE SVAE. Adde alias *ibid.* 6. V. *Durandi delle ant. città di Pedona etc. p.* 13.-20., ubi multa de fossoribus. Cf. et FOSSARIUS.

FOSSŌRIUS, a, um, adject. aptus ad fodiendum. *Isid.* 19. *Orig.* 20. Ex una parte acuta est, ex altera fossoria. *Id.* 20. *ibid.* 14. Sarculum ferrum fossorium est. — Hinc

Fossorium, ii, n. 2. ferramentum ad fodiendum. *Isid.* 20. *Orig.* 14. Fossorium vocatur, quod foveam faciat.

FOSSRIX, icis, f. 3. quae fodit. Affertur a *Charis.* 1. *p.* 30. *Putsch.*, sed nullo confirmatur auctore.

FOSSŬLA, ae, f. 1. *deminut. a* fossa, parva fossa, *fossetta*, ὀρυγμάτιον. *Cato R. R.* 161. Deinde fossulas facito, qua radices asparagi demittas. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 54. Locum circumdare fossula. *Id.* 12. *ibid.* 14. 3. Fossulae tripedaneae.

FOSSŪRA, ae, f. 1. Occurrit ¶ 1. Abstracte, et est fossio, *zappamento, cavatura*, ὄρυγμα. *Colum.* 4. *R. R.* 14. 2. Hanc planam fossuram maxime nos probamus. *Sueton. Cal.* 37. Complanata fossuris montium juga. ¶ 2. Concrete, uti ajunt, sensu est ipsa fossa. *Vitruv.* 8. 1. Summa fossura operiatur arundinibus. *h. e.* summa fossae pars.

FOSSUS, a, um. *V.* FODIO.

FOSTĬA *pro* hostia, *et*

FOSTIS *pro* hostis, antiqui dicebant teste *Paul. Diac. p.* 84. 5. *Müll.*

FŌTUS, a, um. *V.* FOVEO.

FŌTUS, us, m. 4. occurrit saepius in sexto casu, et est fovendi actus, fomentum, *riscaldamento, fomento*, θαλπωρή.

I.) Proprie. — *a)* In singulari numero. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 9. 82. (164). Myrtidanum prodest fotu. *Id. ibid.* 1. 10. (14). Decoctum eorum coeliacos juvat et potione et fotu. *Theod. Priscian.* 1. 28. Perniohibus, quae cum pruritu sunt, aquae marinae fotus satis prodest. Adde *eumd.* alibi saepe. — *b)* In plurali numero. *Capell.* 1. *p.* 13. Ne uxoris Cyllenius fotibus repigratus, somnolento repente marcore torperet. *Prudent. Hamartig.* 304. tartus Palpamen tenerum blandis e fotibus ambit.

II.) Translate. *Prudent.* 2. *in Symmach.* 583. queis gloria fotibus aucta Sic eluat.

FŎVĔA, ae, f. 1. Ratione habita etymi, juxta *Döderlein.*, *Latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 136., vox haec conjungenda est cum *favus, favissae* (V. FAVISSAE) itemque cum Gr. φωλεός. — Fovea est fossa brevis, profunda, et lo summo tantum patens: quales sunt, quibus fronde obtectis feras decipiunt, et quibus sepeliuntur cadavera, etc. scrobs, caverna, βόθυνος (It. *fossa, cava, buca, caverna*; Fr. *petite fosse*; Hisp. *foso pequeño*; Germ. *die Grube, bes. zum Fangen des Wildes, Fallgrube*; Angl. *a pitfal, pit*).

I.) Proprie. — *a)* Generatim. *Lucret.* 2. 476. Ut in foveam fluat (*humor*) ac mansuescat. *Virg.* 3. *G.* 558. cadavera humo tegere, et foveis abscondere discunt. Ubi *Pier.* docet in antiquissimo codice *fossis* legi: esse autem discrimen, quia fossae sunt ampliores, et ad vallos murosque urbis pertinent: *foveae* angustiores brevioresque, atque ad eos usus, qui modo dicti sunt, aut iis similes. In loco *Virgilii* si *fossis* legatur, indicari multitudinem cadaverum, quibus sepeliendis foveae non satis essent, sed fossae postularentur. — Figurate. *Tertull. Anim.* 19. Genitales feminae foveae. *h. e.* uterus. — *b)* Specialim de fossis, quibus fronde obtectis foras decipiunt. *Lucret.* 5. 1250. Nam fovea atque igni prius est venarier ortum. *Cic.* 4. *Phil.* 5. 12. Res est vobis cum immani tetraque bellua: quae, quoniam in foveam incidit, obruatur. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 50. Cautus enim metuit foveam lupus. *Id.* 2. *ibid.* 3. 459. Merulis intentus decidit auceps in puteum foveamque. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 38. 54. (112). Foveis feras venari.

II.) Translate pro dolo et insidiis ponitur. *Plaut. Poen.* 1. 1. 59. Ita decipiemus fovea lenonem Lycum. *Id. Pers.* 4. 4. 45. Videsis: ego ille doctus leno paene in foveam incidi.

FŎVĔLA, ae, f. 1. idem ac fomentum, recreatio. *Tertull. Anim.* 7. Incorporalitas est immunis a poena et a fovela.

FŎVEO, fŏves, fōvi, fōtum, fŏvere, a. 2. Part. *Fovens* II. 2.; *Fotus* I. et II. 1.; *Fovendus* II. 1. et 2. — Quod ad etymon attinet, juxta *Döderlein.*, *Latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 136., est verbum causativum a *favere*, ἀφαύειν; alii vero deducunt ab eodem etymo, a quo *focus*, *fax* et similia. Ceterum fovere est calorem vigoremque nativum procurare ac tueri, calefacere, θάλπω (It. *riscaldare, tener caldo*; Fr. *échauffer, réchauffer, couver*; Hisp. *acalorar, dar calor, calentar*; Germ. *wärmen, warm halten, hegen, pflegen*; Angl. *to warm, keep warm, cherish, nourish*).

I.) Proprie. *Plaut. Capt.* 4. 2. 67. Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus. *Lucret.* 1. 807. Nisi sol sua pro parte fovet tribuitque calorem; Crescere non possint fruges. *Id.* 1. 1032. solis terra vapore Fota movet fetus. Cf. *Curt.* 5. 4. Mare modico tepore terras fovet. *Cic.* 2. *Nat. D.* 52. 129. Gallinae et ovis pullos quum excluserint, ita tuentur, ut et pennis foveant, ne frigore laedantur. Sic *Id. ibid.* 18. 124. Pulli a matribus exclusi fotique. et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (128). Ursi fetus rigentes apprimendo pectori fovent. — Huc pertinent et sequentia. *Plin.* 9. *ibid.* 10. 12. (37). Quidam oculis spectandoque ova foveri ab iis putant. *covare. Ovid.* 3. *Fast.* 427. Quos sancta fovet ille manu, bene vivitis ignes. *mantiene, conserva. Id.* 7. *Met.* 427. fovet ignibus aras. *Id.* 2. *ibid.* 338. nomen in marmore lectum Perfudit lacrimis et aperto pectore fovit.

II.) Translate. ¶ 1. De corpore usurpatum, est medicorum verbum, et significat membrum affectum aspergendo quidpiam aut applicando tepefacere, mollire, mitigare, refrigerare, unde dolor leniatur, *applicar fomenti, fomentare. Virg.* 12. *Aen.* 420. Fovit ea vulnus lympha longaevus Iapis. *Ovid.* 8. *Met.* 536. Dumque manet corpus, corpus refoventque foventque. *Cels.* 6. 8. Nares exulceratas fovere vapore aquae calidae. *Id.* 4. 2. *n.* 1. Multa aqua prius calida, post egelida fovendum es caputque. *Id.* 1. 5.; et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 50. (181). Aqua frigida fovere. *Colum.* 6. *R. R.* 12. 4. Si genua intumuerint, calido aceto fovenda sunt. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 37. (58). Cortice et foliis in vino decoctis foveri nervos. *Id.* 32. *ibid.* 9. 34. (106). Panos fovere ex scorpione in vino decocto. *Id.* 31. *ibid.* 9. 45. (105). Sal dentium dolori cum aceto fotus et illitus cum resina prodest. *h. e.* fovendo admotus. *Id.* 28. *ibid.* 12. 50. (183). Lacte asinino fovere cutem. *lavare, lisciare.* — Poetice. *Virg.* 1. *Aen.* 699. Ascanium fotum gremio dea tollit in altos Idaliae lucos. *h. e.* complexum quasi fovendi causa. Sic *Id. ibid.* 722. fovere gremio: et 4. *ibid.* 686. fovere sinu: et 8. *ibid.* 387. lacertis amplexu molli fovere. est *abbracciare, stringere al seno*, ut faciunt matres cum infantibus suis. Apud *eumd.* 10. *Aen.* 838. ipse aeger anhelans Colla fovet. *h. e.* collum caputque defatigatum manu sustinens, aut nixus trunco recreat. Alio sensu *Id.* 9. *ibid.* 56. Non aequo dare se campo, non obvia ferre Arma viros, sed castra fovere. *h. e.* sedere inclusos castris, more gallinarum ova foventium. Simile est illud 4. *ibid.* 193. Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere. Ubi *Servius*: Veteres *fovere* pro diu incolere et habitare dixerunt, ut ipse alibi (3. *G.* 420). coluber fovit humum. *Auct. Priap.* 83. Puella nec jocosa te levi manu Fovebit. ¶ 2. De animo usurpatum, est alere, nutrire, favere, provehere, tueri, *fomentare, nodrire, mantenere, favorire*: et occurrit — *a)* De hominibus. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. 9. Scribis de Caesaris summo in nos amore. Hunc et tu fovebis, et nos quibuscumque poterimus rebus augebimus. *Id.* 1. *Fam.* 9. *ante med.* Inimicum meum sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant, sic me praesente osculabantur etc. *Id.* 15. *Att.* 13. Vettienum, ut scribis, et Faberium foveo. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. 8. Puto, per Pomponium fovendum tibi esse

ipsum Hortensium. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 41. colere et fovere poetas. *Quintil.* 1. 2. 16. Magister eum, in quo studium ingeniumque perspexerit, in suam quoque gloriam peculiariter fovebit. *coltiverà, nodrirà, alleverà in maniera particolare, anche per acquistare a se gloria. Liv.* 38. 6. (*Duces*) pugnantes hortabantur et prope certa fovebant spe. *Tac.* 3. *Hist.* 83. Spectator populus hos, rursus illos clamore et plausu fovebat. — *b*) De rebus, præcipue abstractis. *Cic. Mur.* 35. 74. Fovere sensus hominum, delinire animos, adhibere voluptates. *accarezzare, solleticare. Tibull.* 2. 7. 6. Credula spes vitam fovet. *Virg.* 10. *Æn.* 93. fovere bella. *Id.* 4. *ibid.* 218. famam inanem. *Liv.* 3. 65. voluntatem alicujus. *secondare. Id.* 24. 36. Ut præsens suas res foventibus adderet animos. *Tac.* 1. *Hist.* 8. Fovere partes alicujus. *Plin.* 1. *Ep.* 14. adolescentiam alicujus exhortationibus. *Quintil.* 2. 8. 3. Ut propria naturæ bona doctrina foveret. *M. Aurel.* inter ep. *Fronton.* ad *Antonin. imp.* 2. 4. Mone, quas potissimum legendas (*Ciceronis epistolas*) mihi censeas ad facultatem sermonis fovendam. *Tac.* 11. *Ann.* 35. Ratione, consilio, præceptis pueritiam alicujus fovere. *Val. Max. prol.* virtutes. *Sueton. Vesp.* 18. ingenia et artes. — Et cum infinito per ζεῦγμα cum alio verbo. *Virg.* 1. *Æn.* 17. hoc regnum dea gentibus esse, Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque. — *c*) Item de iis, quæ animo cogitamus atque alimus. *Plaut. Bacch.* 4. 10. 1. Quam magis in pectore meo foveo, etc. *h. e.* cogito, mente revolvo. Sic *Ovid.* 7. *Met.* 633. fovere vota animo. *Martial.* 9. 49. spem. — *d*) Denique metaphorâ sumptâ a paragr. 1. proxime super.: ad rem *Lucilius* apud *Non. p.* 311. 24. *Merc.* Ventrem alienum mœstum fovere moltito hordeo, uti cataplasmo. *h. e.*, inquit *Mercerus*, si qua in nobis corporis pars male affecta est, fovetur cataplasmo: itidem venter, ubi mœstus est, fovetur cibo, quem iste hordeum molitum dixit, polentam significans. *Cic.* 12. *Att.* 18. Quæ res forsitan sit refricatura vulnus meum. — Habeo nihil tentatis rebus omnibus, in quo acquiescam. Nam dum illud tractabam, de quo antea scripsi ad te, quasi fovebam dolores meos. Cf. *Gell. præfat. a med.* Oblectare et fovere animum.

Homonym. *Calefacere* et *fovere* in eo differunt, quod *calefacere* physicam tantummodo caloris actionem denotat; *fovere* autem aliquid pluris, scilicet beneficam significat vim, quam calor in corpora exserit exercetque.

FR

FRĂCĒBUNT, displicebunt. *Paul. Diac. p.* 90. 6. *Müll.* et *Gloss. Placid. p.* 463. Est autem a *fraceo*, quod exhibent *Gloss. Philox.* Fracere, ἐξίστασθαι. *V.* FRACESCO.

FRĂCES, um, f. plur. 3. *Frax* in recto singulari legitur in *Gloss. Philox.* — *Frages* etiam pro *fraces* in quibusdam codd. scriptum est: unde apparet ab antiquo *frago* pro *frango* vocem deductam esse. V. *Voss. Etymol.*; et *Fragosus*: alii tamen deducunt a ῥάξ, ῥαγός, quod a ῥάσσω pro ῥήσσω *frango*: vocantur Græce στέμφυλα a στέμβω pro στείβω *calco*. — Ceterum fraces sunt carnes olearum trapeto commolitarum, et prelo expressarum reliquiæ: *Gloss. Philox.* Frax, τρυγία γάρου. Fraces, ἐλαίου τρυγία; ὑπόστασις ἐλαίου, *carne delle olive, sansa. Cato R. R.* 66. Oleum quam diutissime in amurca et in fracibus erit, tam deterrimum fiet. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (22). Oleum in tabulato minui deteriusque fieri; item et in fracibus; hæ sunt carnes, et inde fæces: quare sæpius die capulandum. *Id. ibid. mox.* Oleum e cortinis in labra fundendum, ut fraces et amurca liquentur. *Grat. Cyneg.* 474. Subsiduasque fraces defusaque Massica prisco Sparge cado. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 13. 3.; et *Vitruv.* 7. 1.

FRĂCESCO, cescis, cŭi, cescere, n. 3. (Cf. FRACEBUNT et FRACES). — Fracescere ¶ 1. In malam partem occurrit stricto sensu, et est fracidum fieri, putrescere, *imputridirsi, guastarsi*, σήπομαι, σύθομαι. *Varro* 1. *R. R.* 55. 5. Olea, de qua fit oleum, congeri solet acervatim per dies singulos in tabulata, ut ibi mediocriter fracescat. *appassisca. et mox.* Olea si nimium diu fuit in acervis, caldore fracescit, et oleum fœtidum fit. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 18. Oleum quoque minus provenit, si congelatur, quam si fracescat. Ita *Schneiderus* legend. monet, approbante *Del-Bene*, qui ita vertit: *anche l'olio congelandosi, in minor copia vien fuori, che sobbollendo.* ¶ 2. In bonam partem. *Cato R. R.* 128. Terram cretosam sumito, eo amurcam infundito, paleas indito: sinito quatriduum fracescat; ubi bene fracuerit *etc. h. e.* fermentetur, concalescat, atque intumescat.

FRĀCĬDUS, a, um, adject. plusquam maturus, putrescens. *Cato R. R.* 64. Factores (*volunt*) ut (*olea*) in tabulato diu sit, ut fracida sit, quo facilius (*oleum*) efficiant. *V.* voc. præced. *Gloss. Philox.* Fracidus, ὑπέρωρος.

FRACTĀRĬUS, a, um, adject. qui frangendo inservit. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (71). *de aurifodinis.* Occursant in utroque genere silices; hos igne et aceto rumpunt, sæpius vero, quoniam id cuniculos vapore et fumo strangulat, cædunt fractariis CL. libras ferri habentibus. *h. e.* fractariis machinis, arieti bellico similibus, quibus silices illi contundebantur. Ita ex *Codice Bamberg.* legunt *Janus* et *Sillig.*, quem postremum videsis. Vulgati libri habent *fracturis.*

FRACTILLUM, i, n. 2. deminut. instrumentum ad frangendum piper, *macinello.* Ita *Gloss. Isid.*

FRACTĬO, ōnis, f. 3. actus frangendi, κλάσις. *Hieronym. Ep.* 108. n. 8. et *Augustin.* 4. de *cons. Evangelist.* 25. Fractio panis. *spezzamento.* Adde *Vulgat. interpr. Luc.* 24. 35. et *Act.* 2. 42.

FRACTOR, ōris, m. 3. qui frangit. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. Vesicarum ruptor, fractorque ferularum.

FRACTŪRA, æ, f. 1. (frango) est locus ruptus, et occurrit de humano corpore, *frattura, rottura,* κλάσις. *Cato R. R.* 160. Ad luxum, aut ad fracturam alliga, sanum fiet. *Cels.* 8. 10. Quo propior fractura capiti (*ossis*) vel superiori, vel inferiori est, eo pejor est. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (137). Cochleæ fracturis aurium illinuntur. Adde *eumd.* 22. *ibid.* 8. 9. (22). et 31. *ibid.* 11. 47. (126).; et *Theod. Priscian.* 4. p. 312. ed. *Ald.* — Item fragmentum. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (72). Fracturis (*silicum*) CL. libras fere agentibus. *pezzi, frammenti.* At *V.* FRACTARIUS.

FRACTUS, a, um. *V.* FRANGO.

FRÆNO, as, et

FRÆNUM, i, cum derivatis; *V.* FRENO, FRENUM, etc.

FRĀGA, ōrum, n. plur. 2. In singulari numero caret exemplis. — Fraga sunt morum herbarum humi repentium, colore rubeo, gustu suavissimum: ita videntur appellata a ῥάξ, ῥαγός *acinus*, quia acinis similia sunt: Græce in *Gloss. Philox* μιμαίκυλον dicitur, *fragole. Virg.* 3. *Ecl.* 92. humi nascentia fraga. *Ovid.* 1. *Met.* 104. montanaque fraga legebant. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 24. 28. (98). Aliud corpus est terrestribus fragis, aliud etc. *Seneca Hippol.* 516. Fraga parvis vulsa rubetis. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 262.) hanc exhibet synonymiam: Φραγοῦλ Myreps; Κόμαρον Planud. trad. Ovid.; et *Fraga.* Plin. loc. cit. et 21. Hist. nat. 15. 50. (86)., et Virg. 3. Ecl. 92. sunt fructus *Fragariæ vescæ* L. Sp. pl. 708.

FRĀGES. *V.* FRACES.

FRĀGESCO, escis, ere, n. 3. *inchoat.* a frango, cujus etymon est *frag*, et significat frangi. Occurrit translate tantum. *Accius* apud *Non. p.* 111. 2. *Merc.* Neque fera hominum pectora fragescunt, donec vim persenserint imperii. *h. e.* vincuntur, molliuntur, domantur. *Id.* apud *eumd. ibid.* Nonnquam erit tam immanis, quum mea opera exstinctum sciat, quin fragescat.

FRĂGĬLIS, e, adject. Comp. *Fragilior* 1. et 11.; Sup. *Fragilissimus* apud *Hieronym.* in *cap.* 4. *Ezech.*, nam quod affertor e *Priscian.* 6. p. 718. *Putsch.* ex *Attio* in *Annal.* Ut quam fragilissimus alvus, *Nonius* p. 193. 26. *Merc.* habet *frigidissimus.* Hæc *Forcellinus*: at *Mercerus* legit *fragilissimus.* — Fragilis, ab etymo *frag* verbi *frango*, est qui facile frangitur, φαθυρός, καταχτός, εὔθρυπτος (It. *fragile*; Fr. *fragile, frêle, cassant*; Hisp. *fragil, quebradiso*; Germ. *zerbrechlich*; Angl. *soon broken, brittle, weak, frail, fragile*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 8. *Ecl.* 40. Fragiles rami. *Horat.* 3. *Od.* 23. 16. myrtus. Cf. *Ovid.* 10. *Met.* 93. coryli. Rursus *Horat.* 1. *Od.* 3. 10. rates. *Id.* 3. *ibid.* 2. 28. phaselus. *Ovid.* 12. *Met.* 243. cadi. *Id.* 3. *Trist.* 10. 26. aquæ. *h. e.* glacies. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 28. 34. (97). Tenuior fragiliorque pinna scarabæorum. *Id.* 12. *ibid.* 8. 17. (32). Saccharon est mel in arundinibus collectum, candidum, dentibus fragile. *Id.* 34. *ibid.* 8. 20. (94). Æs malleis fragile. *Gell.* 6. 1. *extr.* Caput ictibus parvis fragile. *Forcellinus* hoc retulit etiam illud *Ovid.* 15. *Met.* 169. Utque novis fragilis signatur cera figuris. *h. e.* quæ facile flectitur et fingitur. ¶ 2. Speciatim deducto adjectivo ab altera signif. v. *fragoris* (*V.* FRAGOR II.), *Lucret.* 6. 111. fragilis sonitus chartarum. *h. e.* similis sonitus et crepitus rerum, quæ franguntur. Sic *Virg.* 8. *Ecl.* 82. fragiles lauri. *h. e.* qui urendo fragorem et crepitum edunt. et *Propert.* 4. 7. 12. Pollicibus fragiles increpuere manus. *h. e.* similem fragori sonum dederunt et tamquam frangerentur.

II.) Translate est qui facile perit, atque adeo fluxus, caducus. — *a*) De rebus corporeis. *Cic.* 6. *de republ.* 24. Ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet. Cf. *Lucret.* 1. 582. Corpora fragili naturæ prædita. Absolute *Horat.* 2. *Sat.* 1. 77. fragili quærens illidere dentem, Offendet solido. — In illo ejusdem *Horat.* 1. *Sat.* 8. 39. fragilis Pediatia, furque Voranus, *fragilem* interpretantur mollem, impudicum: ut *frangere* in obscœnis simile sit τῷ *dividere.* Certe *fractus* pro molli, soluto, effeminato ponitur. V. *Fractus* in fin. v. FRANGO. — *b*) De animo et abstractis. *Cic.* 2. *Fin.* 27. 86. Quis enim confidit, semper sibi illud stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? *Id. Amic.* 27. 102. Res humanæ fragiles caducæque sunt. *Id.* 1. *Legg.* 8. 24. Quæ fragilia essent et caduca. *Id.* 2. *de republ.* 28. Est igitur fragilis ea fortuna populi, quæ posita est in unius voluntate. *Sall. Cat.* 1. Divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara æternaque habetur. *Seneca Hippol.* 489. fragilis favor. *h. e.* inconstans. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 24. 21. (89). *de memoria.* Nec aliud est æque fragile in homine. *Id. ibid. præfat.* (5). *de homine.* Nulli vita fragilior. Alter *Plin. Paneg.* 78. Hominum ævum omne et breve et fragile est. *Sil. It.* 3. 386. Sonipes ævi fragilis. *di corta vita. Ovid.* 4. *Trist.* 8. 3. Jam subeunt anni fragiles et inertior ætas. *h. e.* senectus morbis et morti obnoxia.

FRĂGĬLĬTAS, ātis, f. 3. frangendi facilitas, φαθυρότης (It. *fragilezza, fragilità*; Fr. *fragilité*; Hisp. *fragilidad*; Germ. *die Zerbrechlichkeit*; Angl. *brittleness, frailty, weakness, fragility*).

I.) Proprie. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (63). Tus probatur candore, amplitudine, fragilitate. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (146). Tenuiora ferramenta oleo restingui mos est, ne aqua in fragilitatem durentur.

II.) Translate. *Cic.* 5. *Tusc.* 1. 3. Incipio interdum humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. *Plin* 3. *Ep.* 7. Quod me recordantem fragilitatis humanæ miseratio subit. *Id.* 4. *ibid.* 24. Tantas conversiones aut fragilitas mortalitatis, aut fortunæ mobilitas facit. *Id. Paneg.* 37. Nemo jam parens filio, nisi fragilitatis humanæ vices horret. *Curt.* 4. 51. 20. Admonerent nos fragilitatis humanæ. *Justin.* 17. 2. 3. Ignarus prorsus, non multo post fragilitatis humanæ se ipsum exemplum futurum. *Id.* 23. 3. 12. Velut in ostentationem fragilitatis humanæ. *Apul.* 9. *Met. p.* 275. 11. Fragilitas fidei humanæ.

FRĀGĬUM, ii, n. 2. fractura, *frattura. Apul.* 9. *Met.* Crurum ei fragium abominata. *V.* CRURIFRAGIUM.

FRAGMEN, minis, n. 3. ¶ 1. Abstracte occurrit in singulari numero tantum, et est fractio, fractura. *Val. Flacc.* 3. 477. Percussit subitu deceptum fragmine pectus. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est pars rei fractæ, *pezzo, frammento*, κλάσμα; et occurrit — *a*) Sæpissime in plurali numero. — Cum Genitivo rei. *Lucret.* 1. 284. decursus aquai Fragmina conjiciens silvarum arbustaque tota. Adde *eumd.* 5. 1284. *Virg.* 10. *Æn.* 306. Fragmina remorum. *Id.* 12. *ibid.* 741. mucronis. *Ovid.* 11. *Met.* 561. navigii. *Id.* 14. *ibid.* 563. ratis. *Colum.* 9. *R. R.* 15. *fin.* Fragmina favorum, quæ in sacco remanserant. *Sueton. Claud.* 18. panis. *Id. Ner.* 26. subselliorum. — Absolute de lignis atque assulis. *Ovid.* 8. *Met.* 459. tædas et fragmina poni Imperat, et po-

sitis inimicos admovet ignes. — *b*) In singulari numero. *Virg.* 9. *Æn.* 569. Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis Lucetium sternit. *Id.* 10. *ibid.* 698. saxo atque ingenti fragmine montis Occupat os.

FRAGMENTUM, i, n. 2. idem quod fragmen, seu pars rei fractæ, *frammento.* — *a*) Sæpissime occurrit in plurali numero. *Cic. Sext.* 37. 79. Inermem atque imparatum tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis septorum et fustibus. *Virg.* 4. *G.* 304. Fragmenta ramea. *Liv.* 23. 39. ramorum. *Id.* 34. 39. tegularum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (24). panis. *Id.* 37. *ibid.* 2. 10. (29). Fragmenta crystalli sarciri nullo modo queunt. *Curt.* 9. 9. Avulsarum tabularum remorumque fragmenta. — Poetice et quidem audacter *Lucan.* 9. 33. mille carinis Abstulit Emathiæ secum fragmenta ruinæ. *h. e.* reliquias exercitus Pompejani cæsi. — *b*) In singulari numero. *Cic.* 2. *Nat. D.* 32. 82. Gleba aut fragmentum lapidis, aut aliquid ejusmodi.

FRĀGOR, ōris, m. 3. Ratione habita etymi est a radice *frag* verbi *frango.* — Itaque fragor est fractura, fractio, *frangimento, frattura,* κλάσις.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 747. Deinde quod omnino finem non esse secandis Corporibus faciunt, neque pausam stare fragori. *Id.* 5. 109. graviter terrarum motibus ortis – Succidere horrisono posse omnia victa fragore. *Id. ibid.* 317. pertolerassent Omnia tormenta ætatis privata fragore. *Capell.* 6. *p.* 201. Hinc defluxere per diversos sinus subsidentesque campos tot maria, tot fragores et quantum per diversa æquora tumescit. *fragores* hic videntur esse abruptio terræ, quæ insulas fecit.

II.) Improprie. ¶ 1. Metonymice, quia frangenda fit sonus, sæpius est strepitus, crepitusque rerum, quæ franguntur: omnisque sonus illi similis, *fracasso, fragore, scroscio, stroscio,* κτύπος. *Lucret.* 6. 129. validi venti collecta procella – perterricrepo sonitu dat missa fragorem. *Id. ibid.* 136. silvam quum flamina Cauri Perflant, Dant sonitus frondes ramique fragorem. *Id. ibid.* 156. sæpe geli multus fragor atque ruina grandinis sonitum dat. *Virg.* 1. *Æn.* 154. Fragor pelagi. *Id.* 2. *ibid.* 692. subitoque fragore Intonuit lævum. *Id.* 1. *G.* 306. Continuo ventis surgentibus aridus altis Montibus audiri fragor. *Ovid.* 8. *Met.* 340. Sternitur in cursu nemus, et propulsa fragorem Silva dat. *Id. ibid.* 269. Fit fragor. *Id.* 1. *Trist.* 2. 460. personat fragor. *Id.* 3. *Fast.* 368. gravis fragor. *Liv.* 1. 29. Fragor tectorum, quæ diruebantur, ultimis urbis partibus audiebatur. Sic *Quintil.* 8. 3. 68. Fragor ruentium tectorum. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 35. (181). Nilus præcipitans se fragore auditum accolis aufert. *Alter. Plin.* 6. *Ep.* 31. *sub fin.* Vastus illic fragor remumque circa mare. *Quintil.* 12. 10. 24. Quem fulminibus et cælesti fragori comparant comici. *Seneca Troad.* 174. Vastus fragor. *Val. Flacc.* 3. 218. Armorum fragor, et 6. 753. belli. *et* 2. 501. fragor fulmineus. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 163. raucus. *et* 6. 504. virorum, lituumque fragores. *Quintil.* 8. 3. 3. Populus Romanus admirationem suam non acclamatione tantum, sed et jam plausu confiteretur. Sublimitas profecto et magnificentia et nitor et auctoritas expressit illum fragorem. — Huc pertinent et illa *Cic.* 4. *Herenn.* 31. 42. Exornatio significandæ rei causa sic: «Postquam iste in rempublicam fecit impetum, fragor civitatis in primis est auditus». Hoc genere raro utendum est, ne novi verbi assiduitas odium pariat. *Id.* 2. *de republ.* 3. Terra continens adventus hostium non modo exspectatos, sed etiam repentinos multis indiciis et quasi fragore quodam et sonitu ipso denunciat. ¶ 2. Latiori sensu ac poetice pro rumore. *Val. Flacc.* 1. 753. regemque fragor per mœnia differt Mitte ciere manus.

FRĀGŌSĒ, adverb. sonore, cum strepitu, *con fracasso.* Occurrit tantum Comp. *Fragosius* apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 19. (47). Quippe a ligno laricis secures respuuntur, et fragosius sidunt, ægrius revelluntur.

FRĀGŌSUS, a, um, adject. a *frango,* quemadmodum et *fragilis,* similisque significationis; est enim fractus, deruptus.

I.) Proprie. *Lucret.* 2. 858. Cetera, quæ quum ita sunt tamen, ut mortalia constent, Mollia, lenta, fragosa putri, cava corpore raro. *Al. rectius leg.* Molli lenta, fragosa putri, cava corpore raro.

II.) Translate duo diversa significat, scilicet

A) Est asper, inæqualis: unde *confragosus.* *Ovid.* 4. *Met.* 777. silvis horrentia saxa fragosis. *Grat. Cyneg.* 527. fragosus mons. — Hinc per metaphoram de oratione. *Quintil.* 9. 4. 7. Quanto vehementior fluminum cursus est prono alveo, ac nullas moras objiciente, quam inter obstantia saxa fractis aquis ac reluctantibus; tanto quæ connexa est, et totis viribus fluit, fragosa et interrupta melior oratio. *et ibid.* 116. Optime de compositione judicant aures, quæ et plena sentiunt, et parum expleta desiderant, et fragosis offenduntur, et lenibus mulcentur, etc. Cf. *Terentian. de metr. p.* 2385. *Putsch.* Vocum ne series hiet, Neu compago fragosa sit. *Diomed.* 3. *p.* 499. *Putsch.* Fragosi versus sunt, qui illevigato sono et incondito variantur.

B) Est etiam fragoris plenus, *pien di fracasso, strepitoso*: *V.* FRAGOR. II. 1. *Virg.* 7. *Æn.* 566. medioque fragosus Dat sonitum saxis, et torto vertice torrens. *Val. Flacc.* 2. 198. nimbisque et face fragosa Prosequitur polus, et tonitru pater auget honoro. *h. e.* fulgure. *Id.* 2. 622. Fragosa vada. *Id.* 4. 261. Maleæ arx fragosa. *Claudian.* II. *Cons. Stilich.* 337. Murmure fragoso leonum. *Capell.* 1. *p.* 6. Tertius (*planeta Martis*) nimiu rubroque igne rutilantes, festinaque rapiditate præcipites fragososque cursus anhela sulphureus celeritate torquebat.

FRĀGRANS, antis. *V.* FRAGRO.

FRĀGRANTER, adverb. fragrando, *con fragranza.* Occurrit tantum Comp. *Fragrantius* apud *Solin.* 38. Crocum Ciliciæ spirat fragrantius.

FRĀGRANTĬA, æ, f. 1. magni odoris exhalatio, *fragranza.*

I.) Proprie. *Val. Max.* 9. 1. *extern.* 1. Unguentorum fragrantia. *Vulgat. interpr. Gen.* 27. 27. Ut sensit vestimentorum illius fragrantiam. *Gloss. Cyrill.* Ὀσμὴ καλή, odor, fragrantia.

II). Translate. *Ambros.* in *Luc.* 6. 7. Bonorum fragrantiam morum justorumque factorum effudit unguentum. *Hieronym. Ep. Hedibiæ.* Nominis Christi in omni loco bonus odor sumus Deo, et prædicationis nostræ longe lateque spirat fragrantia.

FRĀGRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Part. *Fragrans* etiam in fin. — Fragrare (cujus etymon refertur ad v. *flare*) est odorem emittere, olere, ὄζω (It. *rendere odore, olire*; Fr. *exhaler une odeur, sentir*; Hisp. *sentir, exhalar, echar olor*; Germ. *duften*; Angl. *to smell sweetly, be fragrant*). Est verbum mediæ significationis, tam de bonis, quam de malis odoribus usurpatum: — *a*) Sæpius tamen de bonis. *Martial.* 3. 58. Et multa fragrat testa senibus auctumnis. *Id.* 5. 37. Fragravit ore, quod rosarium Pæsti. *Id.* 6. 55. Fragrare rasia cinnamoque. *Solin.* 37. *ad fin.* Gemma vinum fragrat. — Apud optimos auctores occurrit fere Part. præs. *Virg.* 4. *G.* 169. redolentque thymo fragrantia mella. Adde *eund.* 1. *Æn.* 436. (*Diomed.* 1. *p.* 304. *Putsch.* ait, *thymo* non ad *redolent,* sed ad *fragrantia* referri). *Catull.* 68. 144. Domus Assyrio odore fragrans. *Id.* 6. 8. Cubile fragrans sertis ac Syrio olivo. *Sueton. Vesp.* 8. Adolescens fragrans unguento. *Apul.* 6. *Met.* Fragrans balsama Venus. et 10. *ibid.* Tota suave fragrans cavea. *Sil. It.* 15. 117. Fragrans amomum. — *b*) De malis. *Val. Flacc.* 4. 493. Fragrat acerbus odor, patriique exspirat Averni Halitus. *Martial.* 1. 88. Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino. — Hinc Part. præs., cujus multa exempla sub *a* retulimus,

Fragrans, antis, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Fragrantissimus* apud *Apul.* 10. *Met.* Fragrantissimum unguentum.

FRĀGUM. *V.* COMARON.

FRĀMĔA, æ, f. 1. ¶ 1. Lancea, vel hasta lingua Germanica: (Cf. Germ. *pfriem*). *Tac. Germ.* 6. Hastas, vel ipsorum vocabulo, frameas gerunt, angusto et brevi ferro; sed ita acri, et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel comminus, vel eminus pugnent. Adde *eund. ibid.* 11., 14., 18., 24. et 2. *Ann.* 21.; et *Gell.* 10. 25. *Juvenal.* 13. 78. Jurat per Martis frameam. *Capell.* 5. *p.* 136. Gradivi frameam non ausus poscere. ¶ 2. *Augustin. Ep.* 120. 16. non hastam, sed gladium esse contendit: fortasse quia tempore suo, vel saltem apud Afros, ea significatione usurpatur. *V.* RHOMPHÆA. Adde *Isid.* 10. *Orig.* 6.

FRANGO, frangis, frēgi, fractum, frangere, a. 3. Part. *Frangens* I. 2.; *Fractus* I. 1., 2. et in fin.; *Fracturus* I. 2.; *Frangendus* I. 2. et II. — Frangere est ab Hebr. פָּרַק *parac* fregit, vel a Gr. ῥήγνυμι, quod ab etymo ῥαγ *frango*; Latini enim, ut alias sæpissime, pro aspiratione digamma seu litteram *f* præfigunt; cf. et Germ. *brechen* et Goth. *brikan*: significat autem rumpere, comminuere, κλάω (It. *spezzare, rompere, frangere*; Fr. *casser, briser, rompre, fracasser, fracturer, partager en deux, mettre en pièces*; Hisp. *quebrar, romper, fracasar desmenuzar*; Germ. *brechen, zerschlagen, zerschmettern*; Angl. *to break, break in pieces*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu pro rumpere. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 3. Semper abundantes hastas frangitque quatitque. *Id.* apud *Non. p.* 504. 33. *Herc.* Æs sonit, Franguntur hastæ, terra sudat sanguine. *Id.* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Percellunt magnas quercus, exciditur ilex, Fraxinu' frangitur atque abies consternitur alta. *Plaut. Capt.* 1. 1. 21. Frangere aulas in caput alicui. *Lucret.* 6. 419. Cur Juppiter fulmine bene farta deûm frangit simulacra. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 125. Milvo est quoddam bellum quasi naturale cum corvo: ergo alter alterius ubicumque nactus est ova, frangit. *Id.* 6. *Verr.* 25. 56. Dum armis exercetur, anulus aureus, quem habebat, fractus et comminutus est. *Id.* 4. *Att.* 3. Fratris domus primo fracta conjectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata jussu Clodii. *Cæs.* 4. *B. G.* 29.; et *Horat. Art. P.* 20. fractæ naves. *V.* infra sub *b.* *Horat.* 1. *Sat.* 2. 128. Janua frangatur, latrat canis. *Id.* 2. *ibid.* 8. 72. si patinam pede lapsus frangat agaso. *Id. ibid.* 8. 81. fracta lagena. *Id. Epod.* 10. 6. fracti remi. — Similiter *Virg.* 3. *Æn.* 623. duo de numero quum corpora nostro Frangeret ad saxum. *Ovid.* 12. *Met.* 348. vultum minitantiaque ora Robore nodoso præduraque tempora fregit. *Sall. Cat.* 55. Vindices rerum capitalium laqueo gulam fregere. *strozzarono, strangolarono.* *Cic.* 7. *Verr.* 57. 147. Frangere cervices civium Romanorum in carcere. *Horat.* 2. *Od.* 13. 5. Illum et parentis crediderim sui Fregisse cervicem et penetralia Sparsisse nocturno cruore Hospitis. *Id. Epod.* 3. 2. Frangere senile guttur parentis impia manu. *Virg.* 5. *Æn.* 413. cerebrum. — *b*) Speciatim *frangere* dicitur, qui fracturam in aliqua re sua patitur. *Cic.* 2. *Orat.* 62. 253. Excusavit, quod cum brachium fregisse diceret. *Plin.* 2. *Ep.* 1. Per lubricum pavimentum, fallente vestigio, cecidit coxamque fregit. *Cic.* 11. *Phil.* 6. 15.; et *Horat.* 1. *Ep.* 17. 59. fractum crus. *Ovid.* 5. *Fast.* 121. Capra fregit in arbore cornu. Sic *Ter. Andr.* 1. 3. 17. Navem fregit apud Andrum insulam. *naufragò.* *Juvenal.* 6. 479. hic frangit ferulas, rubet ille flagello. *h. e.* in tergo suo, dum cæditur, ferularum fracturam patitur. — *c*) Item speciatim pro dilaniare, dilacerare. *Horat.* 1. *Od.* 23. 10. non ego te, tigris ut aspera Gætulusve leo, frangere persequor. *Val. Flacc.* 2. 458. implevit gemitu quum taurus acerbo Avia, frangentem morsu super alta leonem Terga ferens. *Stat.* 11. *Theb.* 27. indomitos ut quum Massyla per arva Armenti reges magno leo fregit hiatu. Adde *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (150).; et *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 21. *Solin.* 15. Apud Albanos nati canes feris anteponuntur: frangunt tauros, leones premunt. *h. e.* morsu rumpunt et interimunt. ¶ 2. Latiori sensu de iis quoque usurpatur, quæ frangi, h. e. in duas vel plures partes uno ictu disrumpi nequeunt, sed tamen in minutissimas partes rediguntur vel quomodocumque dividuntur; et est comminuere, pinsere, dividere, *sminuzzare, pestare, macinare, frangere, dividere.* *Virg.* 2. *G.* 400. Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis Æternum frangenda bidentibus. *Id.* 3. *ibid.* 161. fractæ glebæ. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (60). Adamas in parvas frangitur crustas. At *Sillig* pro *frangitur* legit *friatur*. *Lucret.* 1. 881. frangere fruges in robore saxi. *Val. Flacc.* 2. 448. farra saxo. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 14. (72). hordeum molis. *Id.* 19. *ibid.* 3. 15. (40). Fracta faba. *franta.* *Val. Flacc.* 3. 589. Frangere quidpiam sub dentibus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 30. (72). Crocottæ dentibus omnia frangentes. *Id.* 18. *ibid.* 24. 54. (196). Fractum dentibus granum. *Virg.* 2. *G.* 72. sues frangunt glandem. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 49. 110 (263). Testes homini injuria, aut sponte naturæ

franguntur. *h. e.* calcantur adeoque infirmantur. — *Frangere toros* est toris discumbere, eosque alte exstructos et molles pondere corporis deprimere et calcare. *Martial.* 2. 59. et 4. 8. — *Frangere comam in gradus* est inflectere apud *Quintil.* 1. 6. 44. — *Lucret.* 6. 696. magna ex parte mare montis ad ejus Radices frangit fluctus æstumque resolvit. *Cic.* 9. *Fam.* 16. 6. Quam (*fortunam*) existimo levem et imbecillam ab animo firmo et gravi tamquam fluctum a saxo frangi oportere. *Lucan.* 6. 265. quum se tollentibus Euris, Frangentem fluctus scopulum ferit. *Horat.* 2. *Od.* 14. 14. fracti fluctus. Sic *Ovid.* 4. *Fast.* 282. frangere undam. et *Quintil.* 9. 4. 7. aquas. — *Frangere fluvium* de natante et adversi fluminis impetum vi superante. *Sil. It.* 8. 555. undosum frangere nando, Indutus thoraca, vadum. *Lucan.* 8. 374. Nec franget nando violenti vorticis amnem. Adde *Sil. It.* 3. 457. Similiter *Val. Flacc.* 1. 363.; et *Claudian. III. Cons. Honor.* 56. frangere æquor remis. — Sic poetice *Val. Flacc.* 6. 354. veluti quum turbine sese Ipsius Æoliæ frangunt in limine venti. *Claudian. B. Gild.* 522. tenuemque per undam Obvia dimisit fracturum flamina collem. — Similiter *Virg.* 3. *Æn.* 556. fractæ ad litora voces. *h. e.* repercussæ. *Id.* 4. *G.* 72. vox Auditur fractos sonitus imitata tubarum. *h. e.* qui similes sunt his, quos edunt res, dum franguntur. — *Frangere iter* est deflectere ab itinere instituto, alio deverti: vel iter, seu gradum minuere. *Stat.* 12. *Theb.* 231. nec caligantibus arvis Terretur, nec frangit iter. — *Frangere clivum. V.* CLIVUS.

II.) Translate, sæpissime de incorporeis usurpatur, et significat multa cum vi infringere, domare, vincere, retundere, infirmare, contundere, debilitare, flectere, *abbattere, vincere, domare, fiaccare, reprimere, debilitare:* ad rem *Val. Flacc.* 6. 358. bovis exuvias multo frangere olivo. *h. e.* mollire, macerare. Ceterum occurrit — *a*) De hominibus. *Cic.* 2. *Off.* 11. *extr.* Quem (*Viriathum*) C. Lælius prætor ita fregit et comminuit, ferocitatemque ejus ita repressit etc. *Id. Prov. cons.* 13. 33. Quas nationes (*Germanorum et Helvetiorum*) nemo unquam fuit, qui frangi domarique cuperet. Cf. *Vellej.* 2. 24. Existimavit ante frangendum hostem, quam ulciscendum civem. et *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Ædui prælis calamitatibusque fracti. *fiaccati, spogliati di forze. Seneca Thyest.* 199. Novi ego ingenium viri indocile: flecti non potest, frangi potest. Rursus *Cic.* 1. *Cat.* 9. 22. Te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? *ti mortifichi. Ovid.* 1. *Pont.* 2. 63. Quum video quam sint mea fata tenacia, frangor. *Lucan.* 7. 653. nec te videre superbum Prospera bellorum, nec fractum adversa videbunt. *avvilito. Cic.* 1. *Off.* 20. 68. Non est consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate. *h. e.* propter vitæ cupiditatem. *Id.* 1. *Orat.* 26. 121. Simul ac me fractum ac debilitatum metu viderit. *Id. Sull.* 6. 18. Quibus ego rebus, judices, ita flectebar animo atque frangebar, ut etc. Sic *Id.* 2. *Phil.* 15. 37. Frangi animo. *Id.* 2. *Fin.* 29. 95. dolore. *Nepos Dion.* 7. cura rerum. *Cic.* 7. *Att.* 12. misericordiâ alicujus. *Id.* 2. *Tusc.* 21. 48. pudore. *Id.* 1. *ibid.* 21. *extr.* Ut enim rationem Plato nullam afferret, ipsa auctoritate me frangeret. *Id. Brut.* 25. 95. Qui injuria accepta fregit Ti. Gracchum patientia. *Virg.* 2. *Æn.* 13. Fracti bello fatisque repulsi Ductores Danaum. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 5. miles multo jam fractus membra labore. *spossato, infiacchito. Ovid.* 15. *Met.* 52. fractus morboque fameque. Cf. *Cic. Dom.* 10. 28. Civitatem fractam malis, mutam, debilitatam, abjectam metu ad spem libertatis erexit. Sic *Sil. It.* 1. 261. sternacem ad prælia frenis Frangere equum. *domare, maneggiare.* Huc referri potest et illud *Petron. Satyr.* 119. exsectaque viscera ferro In Venerem fregere viros. *h. e.* effeminarunt. Cf. nonnulla sub *b*. — *b*) De hominum membris, voce, vocabulis, oratione. *Quintil.* 1. 2. 6. Infantiam statim deliciis solvimus; mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. *h. e.* debilitat, infirmat. *Ovid.* 1. *Fast.* 301. Venus et vinum sublimia pectora fregit. *h. e.* corrumpit, labefactat, de statu dejicit. *Sil. It.* 11. 484. Sic tum Pierius bellis durata virorum Pectora Castalio frangebat carmine Teuthras. *h. e.* effeminabat. Sic *Stat.* 3. *Silv.* 1. 74. nunc frangere sexum, Atque hominem mutare, nefas. Sic *frangere gradum* dicuntur viri, qui muliebrem habitum in ambulando sumunt, apud *Salvian.* 7. *Gub. D.* 19. Quum enim muliebrem habitum viri sumerent et, magis quam mulieres, gradus frangerent. *Petron. Satyr.* 128. Risus frangit vultus. *h. e.* reddit lasciviores, molliores et amabiliores. *Quintil.* 11. 3. 20. Faucium vitio et frangitur et obscuratur et exasperatur et scinditur vox. *Id.* 12. 11. 2. Orator constat etiam voce, latere, firmitate: quibus fractis aut imminutis ætate seu valetudine etc. — Consonans una alteram *frangere* dicitur, quum posterior prioris sonum ac vim veluti comprimit atque imminuit, ut in *ptisana* et *pro*, ubi litteræ *t* et *r* litteram *p* frangere quodammodo, seu ejus potestatem imminuere videntur. *Quintil.* 12. 10. 29. Et illa (*littera*), quæ est sexta nostrarum (*h. e.* f), quoties aliquam consonantem frangit, ut in hoc ipso *frangit*, multo fit horridior. *Id.* 1. 4. 11. Quæret etiam hoc, quomodo duabus demum vocalibus in se ipsas coeundi natura sit, quum consonantium nulla, nisi alteram frangat. *V.* litteram F. — Similiter *Cic.* 2. *Fin.* 9. 26. Primum divisit ineleganter: duo enim genera quæ erant, fecit tria: hoc est non dividere, sed frangere. Cf. *Quintil.* 1. 3. 12. Frangas citius, quam corrigas, quæ in pravum induruerunt. — *c*) De abstractis. *Poeta quidam* apud *Cic. Rabir. Post.* 10. 28. Quæ (*vis*) summas frangit infirmatque opes. Sic *Virg.* 3. *Æn.* 53. fractæ opes. *h. e.* afflictæ, accisæ, *in decadenza, in rovina. Id.* 4. *G.* 210. res fractæ. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 18. postquam omnis res mea Janum Ad medium fracta est. *sono rovinate tutte le mie facoltà. Id.* 2. *Od.* 7. 11. Fracta virtus. *Vellej.* 2. 74. Fractæ Brutianæ partes. *vinta la fazione di Bruto. Cic. Prov. cons.* 13. 32. Ortum repente bellum præliis fregit. *Id.* 9. *Fam.* 16. 6. Ut neque offendam animum cujusquam, nec frangam dignitatem meam. *avvilisca. Plin.* 1. *Ep.* 12. Hunc pedum dolorem abstinentia, sanctitate vicit et fregit. *Quintil.* 9. 4. 113. Equorum cursum delicati minutis passibus frangunt. *Id.* 2. *Declam.* 16. Frangere et rumpere somnos. *Id.* 1. *procem. ad fin.* Nudæ illæ artes, nimia subtilitatis affectatione, frangunt atque concidunt quidquid est in oratione generosius. *Cic. Marcell.* 3. 7. Debilitare ac frangere aliquid. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 1. 2. Nostros animos maximis in rebus et gerendis et sustinendis exercitatos frangi et debilitari molestia non oportet. Cf. *eumd. Dom.* 36. 98. Animo fracto esse et afflicto. *mortificato, fiaccato. Ovid.* 3. *Trist.* 14. 33. Ingenium fregere meum mala. *Sil. It.* 6. 474. tot bellis atque annis fregimus ævum. *Cic. Dom.* 21. 57. Vim furiosam vesani tribuni superare et frangere. *Id.* 13. *Phil.* 13. *extr.* Contundere et frangere exsultantis prædonis audaciam. *Id.* apud *Non. p.* 301. 3. *Merc.* Est quiddam turbulentum in hominibus singulis, quod vel exsultat voluptate, vel molestia frangitur. *Id.* apud *eumd. p.* 104. 3. *Merc.* Frangere avaritiam, scelera ponere. *Id. Pis.* 14. 31. alicujus furorem et petulantiam. Cf. *Sil. It.* 7. 253. His dictis fractus furor et rabida arma quierunt. *vinto, compresso. Seneca Phœniss.* 186. Fractæ iræ. *placate.* Sic *Val. Flacc.* 2. 315. frangere iras. et *Quintil.* 6. 3. 9. Risus odium iramque frangit. *Cic.* 3. *Legg.* 13. 31. Frangere libidines. *Id.* 1. *Orat.* 19. 58. cupiditates. *Quintil.* 10. 3. 31. impetum. *Petron. Satyr.* 111. alicujus pertinaciam. *Lucret.* 4. 1077. Sed leviter pœnas frangit Venus inter amorem. *h. e.* minuit, leviores reddit. *Virg.* 4. *G.* 400. doli circum hæc demum frangentur inanes. *Cic.* 4. *Fam.* 4. 4. Frangere consilium alicujus. *rompere, disfare il disegno. Id.* 1. *ibid.* 4. alicujus sententiam. *ributtare il parere.* — *d*) Et pro rumpere, violare. *Cic. Pis.* 12. 28. Tu fœdus, quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras, frangere noluisti. Sic *Sil. It.* 17. 350. Fracta fœdera. *violate, rotte.* Rursus *Cic. Rosc. com.* 6. 16. Frangere fidem. *Propert.* 4. 5. 28. jura pudicitiæ. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 19. mandata. *Grat. Cyneg.* 451. fas. — *e*) *Frangere diem mero* apud *Horat.* 2. *Od.* 7. 6. est actiones curasque intermittendo, diem veluti rumpere, et genio poculisque indulgere. *partem solido demere de die* dixit *Id.* 1. *ibid.* 1. 20. — *f*) *Frangere vina* apud *Martial.* 14. 103. et 111.; et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 24. (138). est eorum vim austeritatemque mitigare ac leniorem reddere, quod vel nive refrigerando, vel saccis percolando fit. Hoc sensu etiam *castrare vina* dicitur. — *g*) *Frangere se* est flectere, debilitare, enervare, *piegarsi, snervarsi. Cic.* 4. *Fam.* 6. Quum frangerem jam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter. *h. e.* quum me flecterem: at *Forcellinus* interpretatus est, quum me ipsum vincerem, *superando me stesso*; quod eodem recidit. *Id. Arch.* 11. 29. Nec animus tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur. — *h*) *Calor se frangit*, h. e. remittit. *Cic.* 1. *Orat.* 62. 265. Scævola paulum quiescet, dum se calor frangat. *Varro* 2. *R. R.* 2. 18. Antequam calores aut frigora se fregerunt. *Cels.* 7. 7. *n.* 4. *sub fin.* Fracti æstus et nondum orta frigora. Sic *Martial.* 1. 50. Æstus serenos aureo franges Tago. *h. e.* refrigerabis, mitigabis. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Fractus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Fractior*; et translate est afflictus, debilitatus. *Lucret.* 2. 1149. Jamque adeo fracta est ætas, effetaque tellus Vix animalia parva creat. *indebolita. Cic.* 11. *Att.* 12. 4. Quod me audis fractiorem esse animo. *Al. leg.* fractiore. *Id. Amic.* 16. 59. Sæpe in quibusdam aut animus abjectior est, aut spes amplificandæ fortunæ fractior. *Quintil.* 12. 10. 12. M Tullium suorum homines temporum incessere audebant, ut in compositione fractum, exsultantem ac pæne viro molliorem. *h. e.* mollem, delicatum, solutum, enervem, elumbem, ut est apud *Tac. Dial. de orat.* 18. Alio sensu *Cic. Brut.* 88. 287. Genus dicendi fractum et minutum. *h. e.* in quo franguntur numeri orationis, et volubili comprehensione neglecta, incisim omnia dicuntur. V. *eumd. Orat.* 67. 198. *Quintil.* 10. 1. 125. Corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus. *Id.* 8. 3. 57. Corrupta oratio maxime comprehensione obscura, compositione fracta consistit. *Id.* 1. 10. 31. Musice effeminata et fracta impudicis modis. *Plin.* 2. *Ep.* 14. Fracta pronunciatione dicere. *h. e.* effeminata, enervi: cui opponitur intenta, incitata, fortis. Ceterum pro molli et effeminato ponitur *fractus* etiam in illo *Petron. Satyr.* 119. fractique enervi corpore gressus. et *Juvenal.* 2. 111. fracta voce loqui. et *Tac.* 14. *Ann.* 20. Fractos sonos et dulcedinem vocum perite audire. et *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 262. verbisque sonat plorabile quiddam Ultra nequitiam fractis. et *Capell.* 9. *p.* 302. Mars eminus conspicatus Venerem, teneræ cum admirationis obtutu languidiore fractior voce laudavit, profundaque visus est traxisse suspiria. — *Fractus* pro incurvo. *V.* in LIGO, onis.

FRĀTELLUS, i, m. 2. *deminut.* a frater; unde Itali dicunt *fratello.* Affertur a *Scaur. p.* 2252. *Putsch.*, sed nullo confirmatur auctore.

FRĀTER, tris, m. 3. In Genit. plur. *fratrium* pro *fratrum* est in *Inscript.* optimæ notæ, quæ mendosa quidem apud *Gruter.* 423. 7., emendata vero, ænea tabula expressa et pluribus illustrata legitur apud *Jo. Labus* in *Dissert. sui Dec. Bresc.* p. 1. et seqq. — Frater ab Æolico φράτηρ pro φράτωρ sodalis, inquit *Paul. Diac.* p. 90. 7. *Müll.*, (vel quod sit *fere alter*; quod posterius etymon etiam *Nigidius* apud *Gell.* 13. 10. et *Non. p.* 36. 2. *Merc.* posuit) est qui iisdem parentibus genitus est, ἀδελφός (It. *fratello, frate*; Fr. *frère*; Hisp. *hermano*; Germ. *der Bruder*; Angl. *a brother*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Curc.* 5. 2. 58. PH. Salve, mea soror. PL. Frater mi, salve. *Id. Pœn.* 5. 4. 25. Quid est, fratris mei gnate? *o mio nipote? Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 1. Mi frater, mi frater, mi frater, tu ne id veritus es, ne etc. Adde *eumd. ibid.* 1. 4. et 6. *Verr.* 11. 25. *Virg.* 4. *Æn.* 325. Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater Destruat? *Cæs.* 5. *B. G.* 14. Uxores habent inter se communes et max me fratres cum fratribus parentesque cum liberis. *Id.* 7. *ibid.* 33. Fratrem a fratre renunciatum. *Id.* 5. *ibid.* 27. Quod si et filius et fratris filius ab Cæsare remissi essent. *a il figlio e il nipote. Plin.* 8. *Ep.* 11. Quum affectum tuum erga fratris filiam cogito *tua nezza.* — *b*) Specialim *fratres gemini*, et aliquando *gemelli*, sunt duo eodem partu editi, *gemelli. Cic. Cluent.* 16. 46. C. et L. Fabricii fratres gemini fuerunt ex municipio Aletrinati. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 41. fratres gemini. *Ovid. Heroid.* 8. 77. Flebat avus Phœbeque

soror fratresque gemelli. *Quintil.* 9. 4. 24. minus recte dici ait *gemini fratres*, quia si præcesserint *gemini*, *fratres* addere non est necesse: *V.* ANCILLA. Id tamen poetæ non curant. *Virg.* 7. *Æn.* 670. Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt. *Ovid. Heroid.* 17. 250. Et geminos fratres Tyndareumque putas. *h. e.* Castorem et Pollucem, quos *fratres deos* appellant (ut et infra dicemus) etiam *Id.* 1. *Fast.* 707. et *Albinov.* 1. 290. Neque oratores et historici. *Cic.* 2. *Divinat.* 43. 90. Procles et Eurysthenes gemini fratres fuerunt. *Liv.* 1. 5. Quum audisset, geminos esse fratres etc. *Sueton. Cæs.* 10. Geminis fratribus ædes in foro constituta. — Et in singulari num. *Plaut. Pers.* 5. 2. 49. TO. Hic ejus geminus est frater. DO. Hiccine' st? TO. Ae geminissimus. DO. Di deæque et te et geminum fratrem excrucient. Similiter *Id. Mil. glor.* 2. 2. 103. Gemina soror. *V.* et mox sub c. — *c*) Item *fratres germani* dicuntur, qui ex eodem patre eademque matre nati sunt, *fratelli carnali. Cic.* 3. *Verr.* 49. 128. Cn. Phæolus frater germanus Q. Titinii. *Id. Fontej.* 17. 36. Quum virgo Vestalis germanum fratrem complexa teneat. *Id. Dom.* 45. 131. Quum se fratrem uxoris tuæ fratri tuo germano antelatum videbat. — Hinc etiam *fratres gemini germani* apud *Plaut. Men.* 5. 9. 43. Spes mihi est, vos inventuros fratres germanos duos geminos, una matre natos et patre uno uno die. Et in sing. num. *Id. ibid.* 2. 1. 7. MES. Quamobrem nunc Epidamnum venimus? ME. Fratrem quæsitum geminum germanum meum. — *d*) *Fratres uterini*, qui nati sunt ex eadem matre, sed non ex eodem patre, *uterini. Impp. Dioclet.* et *Maxim. Cod.* 5. 62. 21. — *e*) His opponuntur *consanguinei*, qui ex eodem patre sunt, sed non ex eadem matre. *V.* CONSANGUINEUS. — *f*) *Divi fratres* qui sint, *V.* in Divus. — *g*) *Dii fratres* apud *Propert.* 3. 12. 20. sunt Castor et Pollux. Sic apud *Ovid.* 1. *Fast.* 707. Fratribus illa (*templa*) dei fratres de gente deorum Circa Juturnæ composuere lacus. et *Sueton. Cal.* 22. Consistens sæpe inter fratres deos medium se adorandum adeuntibus exhibebat. — Quinam vero sint *fratres Siculi*, V. in ANAPIS. — *h*) *Fratres* dicuntur etiam Gigantes. *Horat.* 3. *Od.* 4. 51. Fratresque tendentes opaco Pelion imposuisse Olympo. *Virg.* 1. *G.* 280. Conjurati fratres. — *i*) De canibus. *Ovid.* 3. *Met.* 220. Et Thous et Cyprio velox cum fratre Lycisce.

I.) Translate. ¶ 1. Sæpe *frater* est blanda amici appellatio. — *a*) Generatim. *Cic.* 5. *Verr.* 66. 155. Quam copiose laudatur Apronius a Timarchide —: *Volo, mi frater, fraterculo tuo credas*: consorti quidem in lucris atque in furtis, gemino et simillimo nequitia, improbitate, audacia. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 54. *frater, pater* adde: Ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta. *Juvenal.* 5. 135. Da Trebio, pone ad Trebium: vis frater ab ipsis ilibus? o nummi, vobis hunc præstat honorem: Vos estis fratres. *Quintil. Declam.* 321. Quoties blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, quam ut fratres vocemus. *V.* SOROR. Huc fortasse referri potest *Inscript.* apud *Orell.* 1485. DEO SANCTO NVMINI DEO MAGNO LIBERO PATRI ET ADSTATORI ET CONSERVATORI *s. l.* (*h. e.* hujus) COLLEGII VELABRENSIVM DOMITIVS SECVND. CVRAT. ET RESTAVRATOR FRATRIB. SVIS. — *b*) Specialim vero *fratres* et *sorores*, turpes amicos et amicas dicebant. *Cic. Cæl.* 13. 32. Nisi intercederent mihi inimicitiæ cum istius mulieris viro: fratrem volui dicere: semper hic erro. *Tibull.* 3. 1. 23. Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra, Mittit. *Martial.* 2. 4. Fratrem te vocat, et soror vocatur. Cur vos nomina nequiora tangunt? Adde *eumd.* 10. 65.; et frequenter *Petron. Satyr.*; et *V.* SOROR. — *c*) Aliquando *fratres* ipsi cives dicuntur. *Horat.* 1. *Od.* 35. 33. Eheu cicatricum et sceleris pudet Fratrumque! ¶ 2. In re publica, honoris ergo, *fratres* appellati sunt socii populi, conjunctionis et benevolentiæ causa. *Cæs.* 2. *B. G.* 3. Ut ne Suessiones quidem, fratres consanguineosque suos, qui eodem jure, iisdem legibus utantur, unum imperium unumque magistratum cum ipsis habeant, deterrere potuerint, quin etc. *Id.* 1. *ibid.* 33.; et *Cic.* 7. *Fam.* 10. et 1. *Att.* 19. Ædui, fratres consanguineique sæpe numero ab senatu appellati. *V.* FRATERNITAS. Adde *Eumen. Paneg. ad Constantin. Aug.* 2. et 3. et *pro Restaurat. schol.* 4.; et *Lucan.* 1. 427. Sic in *Inscript.* apud *Gruter.* 499. 13. GENS BATAVORVM AMICI ET FRATRES ROM. IMP. ¶ 3. *Fratrum* nomine veniunt etiam sorores, quum simul enumerantur; similiter ἀδελφοί a Græcis dicuntur. *Paul. Dig.* 10. 2. 38. Lucius et Titia fratres emancipati a patre. *Modestin. ibid.* 2. 14. 35. Tres fratres, Titius, Mævius et Seja, communem hereditatem inter se diviserunt. *Tac.* 12. *Ann.* 4. Fratrum non incestum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit. *Inscript.* apud *Orell.* 4583. INFANTIBVS HILARIONI ET ABVOCATAE FRATRIBVS. ¶ 4. Quemadmodum apud Græcos ἀδελφοί et apud Hebræos אח, *fratres patrueles*, vel *fratres* absolute dicuntur, qui ex duobus fratribus progeniti sunt, *cugini, fratelli cugini. Cic. Planc.* 11. 27. Hic illius frater patruelis et socer. — Ii aliquando *fratres* absolute dicuntur, ut dicimus, utque *Augustin.* 15. *Civ. Dei* 16. *a med.* docet. *Ovid. Heroid.* 8. 27. Quid quod avus nobis idem Pelopeius Atreus? Et si non esses vir mihi, frater eras. Sic Ajax apud *eumd.* 13. *Met.* 31. fratrem dicit Achillem, qui erat filius Pelei patrui sui. Sic etiam *Catull.* 66. 22. Ptolemæum Euergeten maritum Berenices, fratrem ejusdem appellat, qui ex duobus fratribus uterinis nati erant: nam Ptolemæus Philadelphus Euergetis, Magas vero Berenices pater filii fuerunt prioris Berenices, quæ prius Philippo cuidam Macedoni, postea Ptolemæo Soteri Philadelphi patri nupserat. Patet igitur, *Hyginum* 2. *Astron.* 24., deinde plures recentiores, perperam putasse, Berenicen Euergetis uxorem ipsumque Euergeten, filios fuisse Philadelphi et Arsinoes, ideoque fratres germanos. V. *Viscont. Iconol. Gr. T.* 3. *p.* 320. *edit. Mediol.* Ceterum adde *Tac.* 3. *Ann.* 38. et 11. *ibid.* 9.; et *Justin.* 17. 3. 16. et 7. 6. 11. — Etiam consobrini fratres dicuntur. *Cic.* enim *post redit. in senat.* 10. 25. Q. Metellum Nepotem *fratrem* dicit P. Clodii Pulcri, quum essent duarum sororum filii. ¶ 5. Levir etiam dici frater videtur a *Liv.* 28. 35. Prope attonitus ipso congressu Numida, gratias de fratris filio remisso agit. Cf. *eumd.* 27. 19. ¶ 6. De fratribus Arvalibus, *V.* ARVALIS. ¶ 7. *Fratres Solis et Lunæ* vocabantur olim Parthorum reges, hinc etiamnum hac appellatione gaudent Turcarum imperatores: iidem vero imperatores Romanos *fratres* appellabant, quemadmodum etiam nostris hisce temporibus reges sese invicem solent compellare. *Ammian.* 23. 5. *de Parthis.* Certatim summatum, et vulgi sententiis concinentibus, astris, ut ipsi existimant, ritus sui consecratione permixtus est omnium primus Arsaces. Unde ad id tempus reges ejusdem gentis prætumidi appellari se patiuntur Solis fratres et Lunæ. *Id.* 17. 5. Sapor Persarum rex litteras ad Constantium Aug. dedit, nusquam a genuino fastu declinans, quarum hunc fuisse acceptimus sensum: Rex regum Sapor, particeps siderum, frater Solis et Lunæ, Constantio Cæsari fratri meo salutem plurimam dico etc. *et mox.* His litteris diu libratis, recto pectore, ut dicitur, consideratoque responsum est hoc modo: Victor terra marique Constantius semper Augustus fratri meo Sapori regi salutem plurimam dico etc. Hinc profecto, ut ait *Eckhel. D. N. V. T.* 4. *p.* 545., sæpe in nummis regum Parthorum regis capiti adstituuntur astra Solis et Lunæ. *V.* CONSESSOR, et *Sidonii loc. cit.* in RUCTO, et *Inscript.* apud *Gruter.* 178. 7., in qua Maximianus Aug. et Severius ac Maximinus Cæsares vocant fratrem suum Diocletianum Augustum. ¶ 8. *Fratres* etiam dicuntur et *sorores*, quemadmodum ἀδελφοί a Græcis, quæ similia sunt. Sic de libris ab uno eodemque auctore editis, *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 107. Aspicies illic positos et ordine fratres. et *Martial.* 12. 3. nec jam potes advena dici, Cujus habet fratres tot domus alta Remi. Cf. *Plaut. Pœn.* 1. 3. 8. Obsecro te, Milphio, per hanc dexteram, perque hanc sororem lævam. — Et de nomine proprio *Plin.* 5. *Hist. nat.* 2. 1. (18). Exsurgit (*Mauretania*) montibus septem, qui a similitudine Fratres appellantur. Adde *Melam.* 1. 5. 5.; et *Solin.* 25. Cf. *Ptolemæum*, a quo ἑπτὰ ἀδελφοί dicuntur. — *NB.* In illo *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 5. Ego hanc machæram mihi consolari volo, ne lamentetur, quia se jampridem feriatam gestitem, quæ misera gestit fratrem facere ex hostibus. *h. e.* hostium sanguini se immiscere ei veluti consanguineam fieri: *al.* melius leg. *fartum facere*. V. *Fartum* in v. FARCIO. Alii, qui *fratrem* retinent, interpretantur insicium ex carne concisa, afferuntque illud *Arnob.* 7. p. 231. Cupientes addiscere, quid cum pultibus Deo sit, quid eum libis, quid diversis eum fratribus. Sed hic quoque alii rectius leg. *fartibus*. V. *Fartum* in v. FARCIO.

FRĀTERCŬLO, as, are, n. 1. est idem ac fratro: a *fraterculus. Plaut.* in *Frivolar.* citante *Festo p.* 297. 1. *Müll.* Tunc papillæ primitus fraterculabant: illud volui dicere, sororiabant. Ita hos versus emendat *Scalig. V.* SORORIO et NUCLEO.

FRĀTERCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* a frater, parvus frater, *fratellino, fraticello*, ἀδελφίδιον. *Juvenal.* 4. 98. Unde fit, ut malim fraterculus esse Gigantum. *idest* homo obscurus, cujus majores sint incogniti, tamquam e terra subito enatus, ut de Gigantibus poetæ fabulantur. — Adhibetur et in blanditiis. *Timarchides* quidam in epist. ad *Apron.* apud *Cic.* 5. *Verr.* 66. 155. Volo, mihi fraterculo tuo credas. — *NB.* De cognom. *V.* ONOM.

FRĀTERNĒ, adverb. amore fraterno, ad similitudinem fratrum, *fraternamente*, da *fratello*, φιλαδέλφως. *Cic.* 2. *ad Q. Fr.* 15. 2. Quare facis tu quidem fraterne, quod me hortaris. *Id.* 1. *Att.* 5. *extr.* Tibi persuadeas, te a me fraterne amari.

FRĀTERNĬTAS, ātis, f. 3. fraterni amoris conjunctio, *fraternità*, ἀδελφότης. *Tac.* 11. *Ann.* 25. Ædui soli Gallorum fraternitatis nomen eum populo R. usurpant. *V.* FRATER et FRATERNUS. *Quintil.* 16. *Declam.* 2. Habet aliquem fraternitatis affectum. Adde *Vulgat. interpr.* 1. *Machab.* 12. 10. et alibi sæpe.

FRĀTERNUS, a, um, adject. ad fratrem pertinens, *fraterno*, ἀδελφικός.

I.) Proprie, sæpe vicem gerit Genitivi *fratris*, sive hoc nomen subjective, sive objective, uti ajunt, accipiatur. *Cæs.* 1. *B. G.* 20. Divitiacus Cæsarem obsecrare cœpit, ne quid gravius in fratrem (*Dumnorigem*) statueret —: sese et amore fraterno et existimatione vulgi commoveri. *Cic. Cluent.* 11. 31. Eodem veneno C. Oppianicum fratrem necavit. Neque est hoc satis: tametsi in ipso fraterno parricidio nullum scelus prætermissum videtur. *Id. ibid.* Mulierem, ne partu ejus ab hereditate fraterna excluderetur, necavit. *h. e.* ab hereditate, qua bona fratris acquireret. *Horat.* 1. *Od.* 21. 12. Fraterna Apollinis lyra. *h. e.* quam a Mercurio fratre accepit. *Id. Epod.* 7. 18. Scelus fraternæ necis. *h. e.* qua Romulus fratrem Remum occidit. Cf. *Lucan.* 1. 95. Fraterno primi maduerunt sanguine muri. *Ovid.* 7. *Met.* 366. quorum oculos Juppiter exosus, fraternis subdidit undis. *h. e.* mari, ubi suus frater Neptunus regnat. *Sall. Jug.* 39. Fraterna invidia. *h. e.* invidia in fratrem.

I.) Improprie. ¶ 1. Est ad similitudinem fratrum, adeoque vel maxime familiaris. *Cic. Quinct.* 4. 16. Pro fraterna illa necessitudine. *Id.* 1. *Q. Fr.* 1. 3. 10. Quem certe scio laborare de existimatione sua, ut propter amorem in nos fraternum, etiam de nostra laboret. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 35. Fraternum fœdus. *Id.* 1. *ibid.* 10. 4. Fraternis animis, quidquid negat alter et alter, Adnuimus pariter. ¶ 2. De iis, qui juncti sanguine sunt, licet non fratres. *Ovid.* 12. *Met.* 31. Frater eral, fraterna peto. *Val. Flacc.* 1. 163. amplexus fraternaque pectora jungens. et *ibid.* 178. fraternæ si des accrescere famæ. Sermo est de Acasto et Iasone, qui Peliæ et Æsonis fratrum filii erant. ¶ 3. Ponitur dicitur et de brutis animalibus. *Virg.* 3. *G.* 518. Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum.

FRATILLI, villi sordidi in tapetis. *Paul. Diac.* p. 90. 12. *Müll.*

FRĀTRĀBĬLĬTER, adverb. fraterne, suaviter. *Inscript.* apud *Avellino, Bullett. archeol. Nap. T.* 4. p. 50. SVLIMEA CISSONIO FRATRABILITER SALutem. Videtur jocosa acclamatio: cf. voc. seq.

FRĀTRĀRE puerorum mammæ dicuntur, quum primum tumescunt, quod, veluti fratres, pares oriuntur: quod etiam in fromento spica facere dicitur. *Paul. Diac. p.* 91. 1. *Müll. V.* SORORIO.

FRĀTRĬA, æ, f. 1. duo diversa significat, scilicet

A) Est uxor fratris, *moglie del fratello*, εἰνάτηρ. Fratrum uxores ita se invicem appellant. Ita ad hanc vocem *Paul. Diac. p.* 90. 15. *Müll.* et *Non. p.* 557. 9. *Merc.* Similiter *Gloss. Philox.* Fratria si-

νάτης. — Eadem fratrista vocatur ab *Isid.* 9. *Orig.* 7. Fratris uxor fratrissa vocatur.

B) Item pars hominum, apud Græcos, ut sodalitium, collegium, tribus. *Varro* 5. *L. L.* 85. *Müll.* Fratria est Græcum vocabulum partis hominum, ut Neapoli etiamnunc. Athenis φρατρία dicta est aliquando tertia pars tribus, teste *Poll. l.* 8. *c.* 9. Alias est ipsa tribus. *Id. l.* 3. *c.* 4. et *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 286. *V.* FRETRIACUS.

FRĀTRĪCĪDA, æ, m. et f. 1. (frater et cædere) qui, vel quæ fratrem suum occidit, *fratricida, ucciditore, ucciditrice del fratello*, ἀδελφοκτόνος. *Cic. Dom.* 10. 26. De me, quod tulisse tu dicis, parricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti? *Nepos Timol.* 1. Mater vero post id factum neque domum ad se filium admisit, neque adspexit, quin eum fratricidam impiumque detestans compellaret.

FRĀTRĪCĪDĬUM, ii, n. 2. fratris occisio, *fratricidio*, ἀδελφοκτονία. *Tertull.* 4. *de Abele a Caino occiso.* At ubi primum scelus homicidium in fratricidio dedicatum fuit. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian.* 14. Fratricidium et digamiam eadem cataclysmi pœna delevit.

FRĀTRISSA, æ, f. 1. *Isid.* 9. *Orig.* 7. 17. Fratris uxor fratrissa vocatur.

FRĀTRŬĔLIS, is, m. 3. (a *frater*, quemadmodum *patruelis* a *pater*) filius sororis matris meæ, *cugino materno. Isid.* 9. *Orig.* 6. Fratrueles materteræ filii sunt. *Hieronym. Ep.* 22. n. 26. ex *Cantic.* 5. 2., ubi Vulgata habet *dilecti*, ipse legit: *Vox fratruelis mei* etc. Adde *eumd.* in *proœm.* in *Isai.* ex *Cantic.* 7. 13. *Inscript.* apud *Murat.* 793. 1. AVRELIO VICTORI P. NONIVS SIBI.... FRATRVELI BENE MERENTI.

FRAUDĀBĬLIS, e, adject. *fraudolento*, qui fraudat. *Cassiod.* 1. *Variar.* 37. Si oblatæ petitionis minime sis veritate fraudabilis, et genialis tori maculam deprehensi adulteri sanguine diluisti, ab exsilio te præcipimus alienum.

FRAUDĀTĬO, ōnis, f. 3. actus fraudandi, fraus, πλεονέκτημα, ἀπάτη (It. *trufferia, frode, inganno, furberia*; Fr. *action de tromper, fraude, fourberie*; Hisp. *el acto de engañar, fraude, falacia*, Germ. *die Uebervortheilung, das Betrügen, der Betrug*; Angl. *a deceiving, beguiling, deceit, fraud*). *Plaut. Asin.* 2. 1. 9. Servi ad heri fraudationem callidum ingenium gerunt. *Cic.* 2. *Cat.* 11. 25. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia, hinc fides, illinc fraudatio. *In formula edicti* apud *eumd. Quinct.* 19. 60. Qui fraudationis causa latitarit. *In alia* apud *eumd.* 3. *Off.* 17. 70. Ut inter bonos bene agier oportet, et sine fraudatione. *Edictum* apud *Ulp. Dig.* 42. 8. 1. Quæ fraudationis causa gesta erunt cum eo, qui fraudem non ignoraverit.

FRAUDĀTOR, ōris, m. 3. qui fraudat, *frodatore, truffatore, barattiere*, πλεονέκτης. *Cic. Flacc.* 20. 48. Non unam et eamdem omnibus in locis esse fraudatorum impudentiam et infitiatorum. *Id.* 13. *Phil.* 12. 26. Fraudator creditorum Trebellius et homo diruptus dirutusque. *Seneca* 4. *Benef.* 26. Ingratus, qui beneficiorum fraudator est.

FRAUDĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad fraudandum pertinens. *Fraudatorium interdictum* est, quo rescinduntur ea, quæ in fraudem creditorum gesta sunt. *Papinian. Dig.* 46. 3. 96. et *Valens ibid.* 36. 1. 67.

FRAUDĀTRIX, īcis, f. quæ fraudat. *Tertull. de Resurr. carn.* 12. Mira ratio; de fraudatrice servatrix.

FRAUDĀTUS, a, um. *V.* FRAUDO.

FRAUDĬGER, gĕra, gĕrum, adject. fraudes gerens, fraudulentus. *Tertull. Genes.* 114. Femina fraudigeris misere decepta loquelis.

FRAUDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Fraudassis* pro *fraudaveris* est *Plauti Rud.* 5. 2. 58. — Deponentis formæ *frausus siet* etc., quasi ab inusit. *fraudeo*, ut *ausus* ab *audeo*, occurrit apud *Plaut. Asin.* 2. 2. 20. Metuo, in commune, ne quam fraudem frausus siet. *Paul. Diac. p.* 91. 16. *Müll.* Frausus erit, fraudem commiserit. *Liv.* 23. 14. Qui capitalem fraudem frausi. *Plerique omnes leg.* ausi. — Part. *Fraudans* et *Fraudandus* 1.; *Fraudatus* 1. et 2. — Fraudare, a fraude, est rem debitam, aut exspectatam non reddendo decipere, fallere, ludificare, per fraudem privare, fraudem facere, ἀποστερέω, πλεονεκτέω (It. *gabbare, truffare, defraudare, frodare*; Fr. *tromper, duper, faire tort par fraude, depouiller, priver, frustrer de*; Hisp. *engañar, frustrar, privar alguno de*; Germ. *Jemanden betrügen, übervortheilen, berauben, um etwas bringen*; Angl. *to defraud, cheat, deceive, cozen, impose upon*). Occurrit ¶ 1. Cum Accusativo personæ — *a*) Et Ablativo rei, quâ persona ipsa fraudatur. — Stricto sensu. *Cic.* 1. *Att.* 1. 3. Quum Cæcilius a Vario magna pecunia fraudaretur. *Id.* 5. *Verr.* 8. 20. Ut neque in segetibus, neque in areis, neque in horreis grano uno posset arator fraudare decumanum. *Id. Flacc.* 20. 47. Quam multos minutis mutuationibus fraudaret. *Liv.* 2. 42. Fraudare milites præda. *Justin.* 6. 2. 11. Milites præfecti regis fraudare stipendio soliti erant. *Sueton. Ner.* 5. Fraudare aurigarios mercede. — Latiore sensu transfertur ad alia, et ponitur pro spoliare, privare, adimere. *Ovid.* 14. *Met.* 715. spe quoque fraudat amantem. *Id.* 1. *Amor.* 13. 17. Aurora pueros somno fraudat. *Id. Heroid.* 6. 163. Fraudata conjugio. *Id.* 10. *Met.* 196. Laberis, Œbalide, prima fraudate juventa. *Quintil.* 2. 14. 1.; et *Curt.* 4. *sub fin.* Fraudare aliquem laude sua. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 21. (62). quempiam sua gloria. *Sueton. Cal.* 48. Fraudatus triumpho. *Quintil.* 9. 1. 25. Fraudare ingentes judicio maximi auctoris. *Phædr.* 4. 19. superos ture. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 31. (62). Nec Miletus fraudanda cive Cadmo. Sic *Liv.* 2. 10. *extr.* In magna inopia pro domesticis copiis unusquisque ei aliquid, fraudans se ipse victu suo, contulit. *togliendosi di bocca.* Adde *eumd.* 5. 47.; et *V.* DEFRAUDO. — Similiter *Colum.* 3. *R. R.* 9. 4. Benignissima parens natura quasque gentes atque terras ita muneribus propriis ditavit, ut tamen ceteras in universum similibus dotibus fraudaret. *Cic. Orat.* 53. 178. Animus mutila sentit quædam et quasi decurtata: quibus, tamquam debito fraudetur, offenditur. *Id.* 5. *Fin.* 30. 91. Audebo, quæ secundum naturam sint, bona appellare, nec fraudare suo veteri nomine. *Ovid.* 7. *Met.* 250. artus anima fraudare seniles. *Id. ibid.* 654. nomina origine. *Quintil.* 11. 3. 52. verba aliqua sui parte. *Lucan.* 2. 305. sanguine bellum. *Vellej.* 2. 92. Præclarum excellentis viri factum ne fraudetur memoria. *Plin.* 2. *Ep.* 10. 8. Fraudare studia fructu. *Prudent.* dixit 11. περὶ στεφ. 146. nec quicquam de corpore silva Obtinet, aut plenis fraudat ab exsequiis. — *b*) Cum Accusativo tantum personæ, quæ re aliqua per fraudem privatur. — Stricto sensu. *Vetus formula* apud *Cic.* 3. *Off.* 17. 70. VTI NE PROPTER TE FIDEMVE TVAM CAPTVS FRAVDATVSVE SIEM. *Plaut. Asin.* 3. 2. 15. Ubi fidentem fraudaveris, ubi hero infidelis fueris etc. *Cic. Rosc. com.* 6. 17. Socium fraudare et fallere. *Id. Cæcin.* 3. 7. Per tutelam, aut societatem, aut rem mandatam, aut fiduciæ rationem fraudare quempiam. *Id. Quinct.* 24. 76. Aliquem in hereditaria societate fraudare. *Id.* 6. *Phil.* 4. 11. Fraudare creditores. — Latiori sensu transfertur ad alia. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 123. ungor olivo, Non quo fraudatis immundus Natta lucernis. *Tibull.* 3. 5. 19. Quid fraudare juvat vitem, crescentibus uvis? et *Ovid.* 2. *Amor.* 14. 23. Quid plenam fraudas vitem, crescentibus uvis? *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 61. (129). Fraudatam profecto se luxuria credat. — *Fraudare legem* est aliquid in fraudem legis committere. *Terent. Dig.* 35. 1. 62. Ipso jure rescindi, quod fraudandæ legis causa esset adscriptum. — *c*) Absolute pro lædere, *danneggiare. Plaut. Rud.* 5. 2. 58. LA. Talentum argenti magnum continuo dabo. GR. Si fraudassis, dicito, uti te in quæstu tuo Venus eradicet caput etc. ¶ 2. Cum Accusativo rei, quæ alicui per fraudem adimitur: quo sensu a plerisque translate accipitur. *Cæs.* 3. *B. C.* 59. Despiciebant suos, stipendiumque equitum fraudabant, et prædam omnem domum avertebant. *Id. ibid.* 60. Quam maximas potuerunt pecunias mutuati, proinde ac suis satisfacere et fraudata restituere vellent. *Martian. Dig.* 48. 12. 1. Annonam publicam fraudare. *Papinian. ibid.* 39. 4. 8. Fraudati vectigalis crimen. *Justin.* 43. 1. 11. Bellum adversus Turnum propter fraudatas Laviniæ nuptias fuit. Cf. *Val. Flacc.* 2. 376. Vota patrum fraudata. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 39. 64. (138). *de purpura.* Sic gignitur laudatus ille pallor, saturitate fraudata. *h. e.* imminuta, ut color non satur sit, sed dilutior.

FRAUDŬLENTER, adverb. Comp. *Fraudulentius.* — Fraudulenter est dolose, cum fraude, *frodolentemente, furbescamente*, δολερῶς. *Cato* apud *Non. p.* 510. 21. *Merc.* Fraudulenter atque avariter. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 18. Crudeliter, aut fraudulenter infestare. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 10. 27. (89). Nullum animal fraudulentius invidere homini tradunt.

FRAUDŬLENTĬA, æ, f. 1. fraus, fallacia, dolus, *frode, furberia, inganno*, δολιότης. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 33. Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam, confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam. *Id. Pseud.* 2. 1. 7. Fretus mea industria, malitia, fraudulentia. — Et in plur. num. *Vulgat. interpr. Job* 13. 9. Aut (*Deus*) decipietur, ut homo, vestris fraudulentiis?

FRAUDŬLENTUS, a, um, adject. Comp. *Fraudulentior* et Sup. *Fraudulentissimus.* — Fraudulentus est fraudis plenus, fallax, dolosus, δολερός (It. *frodolento, truffatore, furbo, pien di frode*; Fr. *frauduleux, trompeur, fourbe*; Hisp. *fraudulente, engañador, falaz*; Germ. *betrügerisch*; Angl. *deceitful, full of fraud, fraudulent*). Occurrit — *a*) Posit. — Cum addito nom. *homo. Plaut. Pseud.* 1. 3. 132. CA. Fur. BA. Babæ. PS. Fugitive. BA. Bombax. CA. Fraus populi. BA. Planissime. PS. Fraudulente. CA. Impure leno. Adde *Cic.* 2. *Herenn.* 26. 41. *Id. Cic. Quinct.* 18. 56. Num malitiosum? negas; fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi, et præclarum putas. *Id.* 2. *leg. Agr.* 35. 95. Carthaginienses fraudulenti et mendaces. — De rebus. *Id.* 3. *Off.* 21. 83. Fraudulentæ venditiones. *Gell.* 7. 18. Fraudulenta calliditas. *Quintil.* 11. 3. 83. Humerorum raro decens contractio est; breviatur enim cervix, et gestum quemdam humilem atque servilem et quasi fraudulentum facit. — *b*) Comp. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 28. Tanto fraudulentior Deus noster, qui etc. — *c*) Sup. *Plaut. Capt.* 2. 1. 38. Ea bonis pessimi et fraudulentissimi sunt. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Magica fraudulentissima artium.

FRAUDŬLŌSUS, a, um, adject. fraudulentus. *Paul. Dig.* 47. 2. 1. Furtum est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia.

FRAUS, fraudis, f. 3. *Frudi* pro *fraudi* legit *Lachmannus* apud *Lucret.* 6. 192. et *frudum* pro *fraudum* apud *eumd.* 2. 187. ex optimo MSS. His *Freund.* addit etiam versus *Nævii* apud *Sueton. Gramm.*: qui tamen et a cl. *Vahleno* in *Nævii* recensione, et a *Dörgens* in *Suetonii* editione, tamquam suppositi, jure omittuntur. — In Genitivo plurali et *fraudium* habet et *fraudum. Cic.* 3. *Off.* 18. 75. Qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium. *Est qui legit* fraudum, *sed contra plerosque lib. vet. et MSS.* Fraudum habet *Gell.* 11. 2. Homo plenus perfidiarum et fraudum. Adde *Tac.* 6. *Ann.* 21.; et *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 214. — Ratione habita etymi, quidam putant *fraus* esse ab inusit. φράω pro φέρω *aufero*, quod confirmare videtur scriptio vocis, quam et *phraus* fuisse arguitur ex *Inscript.* apud *Guattan. Monum. ined. T.* 4. *p.* 85. TVLIA AEGIALE VIXIT ANNIS XXIX., SINE PHRAVDE HIC SITA EST. *nempe* jure, sine aliorum damno. Quicquid vero sit de etymo, fraus est fallacia, circumscriptio, deceptio, qua quippiam alteri debitum non redditur, aut aufertur et injuste acquiritur ac retinetur. Differt a *dolo*, qui tum in verbis, tum in rebus locum habet: *fraus* præcipue et proprie in rebus. Hoc tamen discrimen et raro servatur, et fere *fraus* de quocumque dolo, fallacia ac deceptione dicitur, δόλος, ἀπάτη, ἀποστέρησις (It. *frode, furberia, truffa, baratteria, gabbo, inganno*; Fr. *mauvaise foi, fraude, fourberie, ruse, perfidie*; Hisp. *fraude, engaño, malicia, falsedad y dolo*; Germ. *der Betrug, die List, die Täuschung, Uebervortheilung*; Angl. *fraud, deceit, guile, artful imposition, treachery, dishonesty*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu et active, est, ut diximus, fallacia, circumscriptio, deceptio, dolus, astutia. — *a*) Generatim. — Singulari numero. *Plaut. Rud.* 3. 2. 42. Fraudis, sceleris, parricidii, perjurii plenus. Adde *eumd. Asin.* 2. 2. 20. *Id. Pseud.* 2. 4. 15. Fraude parare aliquid. *Cic.* 1. *Off.* 13. 41. Quum duobus modis, id est aut vi aut fraude fiat injuria, fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur: utrumque homini alienissimum, sed fraus odio

digna majore. Totius autem injustitiæ nulla capitalior, quam eorum, qui, quum maxime falluot, id agunt, ut viri boni esse videautur. *Id. Rosc. com.* 7. 20. Nonne ab imis ungoibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? *Id. Quinct.* 18. 56. Quid, si numquam deseruit? si ista causa abs te tota per summam fraudem et malitiam ficta est? *Id. Amic.* 24. 89. Maxima culpa io eo, qui et veritatem aspernatur, et in fraudem obsequio impellitur. *Id.* 12. *Phil.* 5. *extr.* Sestertium septies millies avertisse Antonium judicavistis: num fraude poterit carere peculatus? *Cæs.* 7. *B. G.* 40. Iis cognitis et Litavici fraude perspecta. *Id.* 2. *B. C.* 14. Occasionem fraudis ac doli quærere. *Liv.* 1. 53. Postremo, minime arte Romana, fraude ac dolo aggressus est. Sic *Senec. Agam.* 207. Frande et furto aggredi aliquem. *Horat.* 1. *Od.* 3. 28. Audax Iapeti genus Ignem fraude mala gentibus intulit. *Phædr.* 4. 8. Fraudem moliri. *Seneca Herc. Œt.* 718. struere. *Sil. It.* 6. 326. nectere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 20. (61). excogitare. *Tac.* 2. *Hist.* 60. Pleraque fortuita fraudi suæ assignantes. *ascrivendo a lor frode molti effetti del caso.* *Justin.* 24. 2. 2. Fraude concordiæ pervenire ad aliquid. *h. e.* simulatæ concordiæ fallacia. *Id.* 24. 2. 11. Reclamante Ptolemæo filio fraudem subesse, in matrimonium fratris concedit. — Plurali numero. *Cic. Cluent.* 36. 101. Exagitabantur omnes ejus fraudes et fallaciæ. Adde *eumd.* 3. *Off.* 18. 75. loco cit. sub init. *Horat.* 3. 27. 26. scatentem Belluis pontum mediasque fraudes (*Europe*) Palluit audax. *Id.* 1. *Ep.* 16. 62. Noctem peccatis et fraudibus objice nubem. — *b*) Speciatim *fraus legum* est, inquit *Ulp. Dig.* 1. 3. 30., ubi id fit, quod lex fieri noluit, fieri autem non vetuit: et quod distat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, hoc distat fraus ab eo, quod contra legem fit. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 9. Ut ne legi fraudem faciant talariæ etc. *Liv.* 7. 16. *extr.* Quod emancipando filium fraudem legi fecisset. *Cic.* 1. *Att.* 12. Facio fraudem senatusconsulto. Similiter *Plin.* 10. *Hist. nat.* 50. 71. (140). Inventumque deverticulum est in fraude earum (*legum*), gallinaceos quoque pascendi. *Paul. Dig.* 1. 3. 29. In fraudem legis facit, qui salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit. — *c*) *In fraudem alicujus quippiam facere* est fraudandi ejus causa. *Ulp., Paul., Papinian.* etc. toto titulo 9. *qui inscribitur:* Quæ in fraudem creditorum etc. *Dig. l.* 49. et alibi. — *d*) *Sine fraude*, sine dolo, cum fide, vere, ex animo. *fedelmente, sinceramente.* *Liv.* 24. 47. Nihil præterea cum consule pacti, quam ut sine fraude Punicum emitteretur præsidium. *Cæs.* 2. *B. C.* 22. Auxiliis provinciarum desperatis, sese dedere sine fraude constituunt. Alio sensu *V.* infra sub II. 1. ¶ 2. Latiori senso fraus ponitur pro quocumque scelere, quod dolo malo admittitur aliisque detrimentum affert, *sceileraggine, peccato, reità.* *Cic.* 1. *Orat.* 46. 202. Qui scelus fraudemque nocentis possit dicendo subjicere odio civium suppliciaque constringere. *Id. Rabir. perduell.* 9. 26. Si C. Rabirius fraudem capitalem admisit, quod arma contra L. Saturninum tulit. *Id. Pis.* 18. 43. Accidere nemini potest, nisi nocenti suscepta fraus. *Id.* 1. *Divinat.* 4. 7. Neglectis rebus divinis, impia fraude obligari. *Horat.* 1. *Od.* 28. 30. Negligis immeritis nocituram Postmodo te natis fraudem committere. — Et in plur. num. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 72. Republica violanda fraudes inexpiabiles concipere.

II.) Improprie. ¶ 1. Causa pro effectu, fraus ponitur pro pœna, detrimento, *pena, danno, pregiudizio.* Aliud tamen est fraus, inquit *Ulp. Dig.* 50. 16. 131., aliud pœna. Fraus enim sine pœna esse potest (quum scilicet noxa quidem committitur, sed quam nulla pœna consequitur); pœna sine fraude esse non potest (quia omnis pœna damnum affert). Pœna est noxæ vindicta: fraus et ipsa noxa dicitur, et quasi quædam præparatio. Porro hac significatione — *a*) *Fraudem ferre alicui* occurrit, *apportare danno ad alcuno.* *Cic.* 7. *Att.* 26. Quod rectius fuit, id mihi fraudem tulit. — *b*) *Fraudi esse* est detrimento esse, *essere di pregiudizio.* *Cic. Mur.* 35. 73. Non igitur, si L. Natta in equitum centuriis voluit esse, id erit ejus vitrico fraudi, aut crimini. *Id. Cluent.* 33. 91. Multam petivit: qua lege? quod in legem non jurasset: quæ res nemini unquam fraudi fuit. *Id.* 5. *Att.* 21. *a med.* Fit gratia Bruti senatusconsultum: ut neve Salaminiis, neve qui eis dedisset, fraudi esset. *Id.* 5. *Phil.* 12. 34. Censeo, ut iis, qui in exercitu Antonii sunt, ne sit ea res fraudi, si ante Kalendas Februar. ab eo discesserint. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 11. 33. et *Rosc. Am.* 17. 49.; et *Liv.* 30. 19. *Senatuscons. Claudianum* apud *Orell.* 3115. NE QVID FRAVDI, MVLTAE POENAEQVE ESSET CELSILLAE, SI EA AEDIFICIA DEMOLITA FVISSENT, AVT etc. *fraus* est detrimentum, *multa* pecuniæ illatio, pœna vinculorum aut carceris. — *c*) *Sine fraude* et apud veteres *se* (*sed*)*fraude*, est sine noxa, aut sine damno, impune. *Legg. XII. Tabular.* apud *Gell.* 20. 1. *extr.* SI PLVS MINVSVE SECVERVNT, SE FRAVDE ESTO. In *vet. formula fœderis* apud *Liv.* 1. 24. Fetialis regem ita rogavit: Rex, facis ne me tu nuncium populi Rom. Quiritium? Rex respondit: Quod sine fraude mea populique Rom. Quiritium fiat, facio. *Cic.* 2. *Legg.* 24. 63.; et *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 5. (7). Coronam virtute partam, et ei qui peperisset, et ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet. *Sall. Cat.* 36. Senatus ceteræ multitudini diem statuit, antequam liceret sine fraude ab armis discedere. *Liv.* 26. 12. Ut, qui civis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset. Cf. *Horat.* 2. *Od.* 19. 19. Nodo coerces viperino Bistonidum sine fraude crines. *senza nocumento.* ¶ 2. Sumitur etiam *fraus* passive pro deceptione, dolo, periculo, quod quis subit. *Plaut. Mil. glor. a.* 5. *v.* 12. Verba mihi data esse video. Scelus viri Palæstrio! Is me in hanc illexit fraudem. Sic *Ter. Andr.* 5. 4. 8. imperitos in fraudem illicis. *Lucret.* 5. 1002. Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis. *Id.* 4. 1203. Quæ jacere in fraudem possent vinctosque tenere. *Id.* 4. 818. Ac nos fraudem induimus frustraminis ipsi. *Cic. Pis.* 1. 1. Non enim nos color iste servilis, non dentes putridi deceperunt: – vultus hic in fraudem homines impulit; hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. in fraudem deduci. *Al. leg.* induci. *Virg.* 10. *Æn.* 72. agere aliquem. *Cic.* 11. *Att.* 16. incidere. *Id.* 3. *Orat.* 60. 226. delabi. *Lucret* 6. 186. Nec tibi sit fraudi quod nos inferne videmus, Quam sint lata magis. etc. *h. e.* ne te in errorem inducat, decipiat. *Id.* 2. 187. dare alicui fraudem. *h. e.* occasionem errandi. *Virg.* 9. *Æn.* 397. Fraude loci et noctis oppressum rapit. *fraus loci* est error ex ignoratione loci. ¶ 3. Abstractum pro concreto, *fraus* interdum est convicium in fraudulentum hominem. ut *scelus* in scelestum. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 130. Legirupa, pernicies adolescentum, fur, fugitive, fraus populi, fraudolente. *Ter. Heaut.* 5. 4. 10. Gerro, iners, fraus, helluo, ganeo. ¶ 4. Fraus tamquam dea, Erebo et Nocte nata habita est, teste *Cic.* 3. *Nat. D.* 17. 44. Sic apud *Capell.* 1. p. 16. dea est, quæ crebro Cyllenio, *h. e.* Mercurio furum et mercatorum numini, obsequitur. Hæc ab *Horat.* 1. *Ep.* 16. 60. *Laverna*, ab *Hesiodo Theog.* 295. Ἀπάτη dicitur.

FRAUSUS, a, um. *V.* FRAUDO init.

FRAX. *V.* FRACES.

FRAXĀRE, vigiliam circumire. *Paul. Diac.* p. 91. 16. *Müll.*; unde *Fraxatores*, qui vigilias obeunt. Est fortasse a φράττω *munio*, vel a φυλάξω fut. verbi φυλάττω, *custodio.*

FRAXĬNEUS, a, um, adject. qui est ex fraxino, *di frassino*, μέλινος. *Virg.* 6. *Æn.* 181. Fraxineæque trabes. *Id.* 2. *G.* 359. Fraxineasque sudes. *Ovid.* 12. *Met.* 639. Fraxinea hasta. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 9. *Colum.* 6. *R. R.* 3. 6. Fraxineam frondem.

FRAXĬNUS, i, f. 2. Quod ad etymon attinet, ait *Isid.* 17. *Orig.* 7. 39. Fraxinus vocari fertur, quod magis in asperis locis montanisque fragis (*lege* montanis atque fragosis) nascatur. *Martini* in *Lex. philolog.* putat a *frago* seu *frango*, quod ut probet, adducit locum *Vitruv.* 2. 9. Fraxinus sunt lentæ, et in commissuris et in coagmentationibus ab lentitudine firmas recipiunt catenationes. Hinc *Plin.* 16. *Hist. nat.* 13. 24. (63). Fraxinum bumeliam vocant in Macedonia amplissimam lentissimamque. *Id. ibid.* 40. 77. (210). Siccior lentitia ulmo, fraxino, moro. *et* 43. 83. (228). Obedientissima quorumquo in opere fraxinus, eademque hastis corylo melior, corno levior, sorbo lentior. — Ceterum

I.) Proprie fraxinus est arbor procera et teres, pinnata folio, materie ad plurima utili, hastis præcipue; umbra inimica serpentibus. Ejus duo sunt genera, longa et enodis una, altera brevior, durior, fuscior, laureis foliis. Alii situ divisere, in campestrem crispam, et montanam spissam. Hæc, et alia *Plin.* 16. *Hist. nat.* 13. 24. (62). Hinc *Virg.* 7. *Ecl.* 65. Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Fraxinus frangitur atque abies consternitur alta. — Fraxinus locum habuit etiam in terminatione agrorum. *Inscript.* apud *Henzen.* 6432. EX EO PALO E REGIONE AD FRAXINVM NOTATAM PALVM FIXVM ESSE. Cf. *Sicul. Flacc. de condit. agr.* p. 138. 18. ed. *Lachm.* Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 322.) hanc exhibet synonymiam: Μελία Hesiod. Opera et dies 144., Homer. Iliad. N. 178., E. 65. etc., Theophr. 3. 2., Dioscor. 1. 108.; Βουμελία vel Βουμέλιος Theophr. 3. 11. et 4. 9.; *Fraxinus* Virg. loc. cit. et 2. G. 68. et Colum. 5. R. R. 6.; et *Fraxinus Bumelia seu Macedonica* Plin. loc. cit. sunt *Fraxinus excelsior* DC. Fl. fr. 2166. *V.* alia plura ibid.

II.) Improprie pro hasta. *Ovid.* 5. *Met.* 142. Nam Clytii per utrumque gravi librata lacerto Fraxinus acta femur. *h. e.* fraxinea hasta. synecdoche. Sic *Id.* 12. *ibid.* 321. ferrataque collo Fraxinus adacta est. *Stat.* 6. *Theb.* 102. et infandos belli potura cruores Fraxinus.

FRAXĬNUS, a, um, adject. idem ac fraxineus. *Ovid. Heroid.* 11. 76. Ut quatitur tepido fraxina virga Noto.

FRĔMĔBUNDUS, a, um, adject. valde fremens, *fremente.* *Accius* apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 35. 89. *de navi Argo.* Tanta moles labitur Fremebunda ex alto ingenti sonitu et spiritu. *Ovid.* 12. *Met.* 128. Tum vero præceps curru fremebundus ab alto Desilit. *Id.* 14. *ibid.* 188. *de Polyphemo.* Ille quidem totum fremebundus obambulat Ætnam. *Sed utroque loco al. aliter leg.* *Sil. It.* 3. 463. *de elephantis.* At gregis illapsu fremebundo territus, acres Expavit moles Rhodanus.

FRĔMENS, entis. *V.* FREMO.

FRĔMĬDUS, a, um, adject. fremens, fremebundus. *Ovid.* 5. *Met.* 2. fremida regalia turba Atria complentur. Ita *Heins.*, alii melius *fremitu regalia turbæ* etc.

FRĔMĬTUS, us, m. 4. fremor, strepitus, murmur: a *fremo.* Est autem proprie motus quidam, fractus et asper sonus, non plene emissus, sed latens et reconditus, fragori longius ducto similis: qualis est irati maris, leonis rugientis, canis hirrientis, obstrepentis multitudinis, tonantis cæli et hujusmodi. In *responso Haruspicum* apud *Cic. Har. resp.* 10. 23. Quod in agro Latiniensi auditus est strepitus cum fremitu. *et mox.* Strepitus quidam reconditus, et horribilis fremitus armorum (It. *fremito, romore, strepito*; Fr. *bruit sourd, bruissement, murmure, frémissement*; Hisp. *retumbo, mormullo, temblor*; Germ. *jedes dumpfe, unklare Getöse, Brausen, Murmeln, Rauschen, Schnauben, Summen*; Angl. *a great noise, loud or grumbling noise, roaring, raging*). Ceterum — *a*) Generatim de rebus naturalibus. *Ennius* 7. *Ann.* 32. Pinus proceras pervertunt: omne sonabat Arbustum fremitu silvai frondosai. *Id.* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 12. Agger oppletus imbrium fremitu. *Lucret.* 1. 276. ita perfurit acri Cum fremitu sævitque minaci murmure pontus. *Cic.* 5. *Tusc.* 40. 116. Fremitus murmurantis maris. Sic *Horat.* 3. *Od.* 27. 23. æquoris. Rursus *Cic.* 5. *Fin.* 2. 5. Ad fluctum ajunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere. *Id.* 1. *Divinat.* 18. 35. Quum terræ sæpe fremitus, sæpe mugitus, sæpe motus multa nostræ reipublicæ gravia et vera prædixerint. — *b*) De hominibus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 78. Boat cælum fremitu virum. *Cæs.* 2. *B. G.* 24. Simul eorum, qui cum impedimentis veniebant, clamor fremitusque oriebatur. *Id.* 4. *ibid.* 14. Quorum timor quum fremitu et concursu significaretur. *Id.* 5. *ibid.* 22. Hostes ex nocturno fremitu de profectione eorum senserunt. *Cic. Flacc.* 10. 23. Nego esse ista testimonia, sed fremitum egentium et motum quemdam temerarium Græculæ contionis. *Tac. Germ.* 11. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur. *Liv.* 30. 30. Quarto post die murmur repente populi tota spectacula pervasit, pugnatum in Macedonia et devictum regem esse. Dein fremitus increbuit: postremo clamor plaususque velut certo nuncio victoriæ exortus est. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 53. Ipse sono plausuque simul fremituque canentum Quadrijugos cernes

sæpe resistere equos. *Virg.* 5. *Æn.* 148. Plauso fremituque virum consonat omne nemus. *Liv.* 30. 30. Nos ab Carthagine fremitum castrorum Romanorum exaudimus. *Seneca Hippol.* 850. Flebilis fremitus. *h. e.* luctus, querela, clamor. *Val. Flacc.* 3. 637. At pius ingenti Telamon jam fluctuat ira, Cum fremitu sævisque furens in jurgia dictis. — c) De brutis animalibus, et præcipue de equis. *Lucret.* 5. 1075. equus fremitum patulis sub naribus edit. *nitrito.* *Cæs.* 3. *B. G.* 38. Ex fremitu equorum illata suspicione. Adde *Virg.* 11. *Æn.* 607. *Liv.* 2. 64. *extr.* Fremitus hinnitusque equorum. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 3. *de cane villæ custode.* Ut ne visus quidem, horribili fremitu suo fuget insidiantem. *h. e.* hirrito, quem ante latratum canes emittere solent. Adde *Val. Flacc.* 1. 159. Et *Id. Val. Flacc.* 3. 237. fremitus iræque leonum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 18. 25. (66). tigris. *Id.* 9. *ibid.* 13. 15. (41). inconditus vituli marini. *Virg.* 4. *G.* 216. apum. — d) In plurali numero. *Lucret.* 5. 1192. per cælum volvi videntur Et rapidi fremitus et murmura magna minarum. Sic *Id.* 6. 269. fremitus et fulgura fiunt. *tuoni.* Adde *eumd.* 6. 199., 289. et 410. *Quintil.* 10. 3. 30. Demosthenes in litore meditans consuescebat contionum fremitus non expavescere. *Seneca Octav.* 400. truces fremitus tubæ. *h. e.* clangores.

FRĔMO, mis, mŭi, mitum, mere, 3. Part. *Fremens* sub *A.* I.; *Fremendus* sub *B.* — Fremere est murmur, crepitum, sonitum edere validum quidem, sed obscurum et asperum et infractum: a Græca voce βρέμω idem significante, quæ a vocis et sonitus similitudine ficta est: cf. etiam βρυχάομαι, βρομεῖν, βροντή. *Varro* 7. *L. L.* 104. *Müll.* a leonis voce dictum docet, afferens illud *Ennii.* pausam fecere fremendi, *ruggire.* At de aliis quoque sonis dicitur, ut ex allatis infra exemplis patet (It. *fremere, fare romore o strepito;* Fr. *faire entendre un bruit sourd, murmurer, résonner, retentir, mugir, gronder, rugir;* Hisp. *retumbar, resonar mucho, rugir, cruxir, rechinar;* Germ. *dumpf brausen, brüllen, murmeln, rauschen, tosen;* Angl. *to make a great noise, roar, rage, murmur*). Occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active, seu cum Accusativo.

A) Neutrorum more

I.) Proprie usurpatur — a) De rebus physicis inanimisque. *Lucret.* 6. 581. Speluncas inter magnas (*ventus*) fremit ante tumultu. Sic *Virg.* 1. *Æn.* 59. Illi (*venti*) indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt. et *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 25. fremunt immani turbine venti. et *Val. Flacc.* 1. 594. Venti frementes. *Id.* 2. 646. Mare fremens. *Id.* 6. 329. tumida fremit Ister aqua. *Stat.* 12. *Theb.* 654. ventosaque sibilat Arctos: Tunc montes undique fremunt. (de aqua usurpat etiam *Virg.* 11. *Æn.* 229.; et *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 12. Sic fremitus ab *eodem* apud *eumd. ibid.*). Ceterum *Seneca Troad.* 171. cæco mugitu terra fremens. *Virg.* 12. *Æn.* 921. murali concita nunquam Tormento sic saxa fremunt. *fischiano.* Cf. *Val. Flacc.* 6. 182. frementia agmina telis. *Virg.* 8. *Æn.* 717. lætitiaque viæ plausuque fremebant. *h. e.* personabant. Sic *Ovid.* 3. *Met.* 628. festisque fremunt ululatibus agri. — b) De brutis animantibus. *Lucret.* 5. 1061. Irritata canum quum primum magna Molossum Mollia ricta fremunt, duros nudantia dentes. *Virg.* 9. *Æn.* 341. leo fremit ore cruento. Confer *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (48). Sic *Martial.* 8. 55. Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena. V. *Ennium* et *Varron.* cit. sub init. *Val. Flacc.* 2. 260. fremunt tigres. *Virg.* 9. *Æn.* 59. lupus insidiatus ovili Quum fremit ad caulas. Sic *Ovid.* 5. *Met.* 627. lupos audit circum stabula alta frementes. Cf. *Apul.* 8. *Met.* Aper frementis oris. *Ovid.* 3. *Met.* 70.; et *Virg.* 11. *Æn.* 496. et 599. fremit acer equus, *nitrisce.* Sic *Horat.* 4. *Od.* 14. 24. Equus fremens. Adde *eumd. Epod.* 9. 17. — c) Sæpe tribuitur hominibus. — Generatim. *Virg.* 10. *Æn.* 96. cunctique fremebant Cælicolæ assensu vario. *Phædr.* 5. 7. rumor de tibicine Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum etc. Cf. *Val. Flacc.* 2. 119. fremens Fama. — Frequenter in indignatione, questu, comminatione. *Cic.* 1. *Orat.* 44. 195. Fremant omnes licet, dicam, quod sentio. *Quintil.* 12. 5. 6. Quum in basilica Julia diceret primo tribunali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent. *Virg.* 12. *Æn.* 371. Non tulit instantem (*Turnum*) Phegeus animisque frementem. *Id. ibid.* 398. Stabat acerba fremens Æneas. Similiter *Id.* 4. *ibid.* 229. bello fremens Italia. et 7. *ibid.* 787. Chimæra fremens. — In precibus. *Virg.* 1. *Æn.* 563. cuncti simul ore fremebant Dardanidæ. — In luctu. *Id.* 6. *ibid.* 175. omnes magno circum ore fremebant. — In plausu. *Id.* 5. *ibid.* 555. quos omnis euntes Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus.

II.) Translate. *Calpurn. Ecl.* 4. *in fin.* jam fremit ætas. *h. e.* sævit.

B) Active est murmurare, queri. — a) Cum Accusativo rei. *Virg.* 11. *Æn.* 132. Dixerat hæc, unoque omnes eadem ore fremebant. *Id.* 7. *ibid.* 460. Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit. *Cassius* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 5. Si plebs fremere imperia cœpisset. *h. e.* recusare. *Forcellinus* addit etiam illud *Stat.* 12. *Theb.* 752. Sed solum votis, solum clamore fremendum Omnibus in turmis optatque vocatque Creonta. *Num potius legendum tremendo vel fremente?* — b) Cum Accusativo et Infinito. *Cic.* 2. *Att.* 7. 3. Arrius consulatum sibi ereptum fremit. *Liv.* 8. 13. Pedum expugnandum ac delendum, senatus fremit. *Tac.* 2. *Hist.* 44. Prætorianus miles, non virtute se, sed proditione victum, fremebat. *Id.* 4. *ibid.* 35. Palam fremebant, non se ultra famem toleraturos. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 12. (39). Bruti epistolæ frementes, fibulas tribunicias ex auro geri.

FRĔMOR, ŏris, m. 3. fremitus, strepitus, clamor, *fremito, strepito.* — a) In singulari numero. *Vet. Poeta* apud *Varron.* 6. *L. L.* 67. *Müll.* Arma sonant, fremor oritur. *Virg.* 11. *Æn.* 296. variusque per ora cucurrit Ausonidum turbata fremor. *Arnob.* 1. p. 32. Quidquid virium continet fremor ille verborum (*magicorum*), atque adjunctæ carminum necessitates. *h. e.* sonus, murmur. — b) In plurali numero. *Apul. Florid.* n. 17. Leonum indignati fremores.

FRĒNĀTOR, ōris, m. 3. qui frenat, *domatore.*

I.) Proprie. — a) Stricto sensu. *Stat.* 1. *Theb.* 27. ignipedum frenator equorum. *h. e.* Sol. — b) Latiori sensu. *Val. Flacc.* 6. 162. ingentis frenator Sarmata conti. *h. e.* moderator et jaculator hastæ amentatæ.

II.) Translate. *Plin. Paneg.* 55. Infinitæ potestatis domitor ac frenator animus.

FRĒNATUS, a, um. *V.* FRENO.

FRENDĔO, frendes. et sæpius

FRENDO, frendis, fresum *vel* fressum, frendere, 2. *vel* 3. Præteritum quidam faciunt *frendui;* sed adhuc sine auctoritate, aut exemplo: nisi placeat *Psalm.* 34. v. 16. — Supinum est *fresus*, seu *fressus*, teste *Paul. Diac.* p. 91. 12. *Müll.* — Part. *Frendens* sub *A; Fresus* sub *B.* — Frendere est *A*) Verbum neutrum, et *B*) Activum.

A) Neutrorum more *frendo* est dentes collidendo et constringendo strideo, infrendeo; quod est irati signum. Verbum est a sono fictum, *fremere co' denti,* βρύχω, μυλιάω. Occurrit — a) Absolute. *Plaut. Capt.* 4. 4. 5. Nimis ego illum male formidabam: ita frendebat dentibus. *Id. Truc.* 2. 7. 41. Dentibus frendit, icit femur. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 9. 22. Nemeæus leo frendens efflavit graviter extremum halitum. *Ovid.* 1. *Art. am.* 46. Frendens aper. *Virg.* 4. *G.* 452. Et graviter frendens sic fatis ora resolvit. *Ovid.* 8. *Met.* 487. tumida frendens Mavortius ira. *Liv.* 30. 20. Frendens gemensque ac vix lacrimis temperans dicitur (*Hannibal*) legatorum verba audisse. *Stat.* 6. *Theb.* 767. ruit omnis, et ambas Consumit sine lege manus, atque irrita frendit Insurgens. *Prudent.* 9. *Cathemer.* 52. Suetus antro bustuali sub catenis frendere. — Poetice *Seneca Herc. fur.* 693. frendens dolor. — b) Cum Infinito. *Curt.* 4. 16. Frendente Alexandro eripi sibi victoriam e manibus. — c) Cum Accusativo, more Græcorum. *Plaut. fragm.* apud *Non.* p. 447. 18. *Merc.* Nec, machæra, audes dentes frendere. *h. e.* irasci.

B) Active significat dentibus, aut alia re frangere, qua significatione conjungendum est cum tiræcis πρίω, πρίζω, κέρδειν, διαπρανδάειν.

I.) Proprie. *Accius* apud *Non.* p. 447. 21. *Merc.* saxo fruges frendas. *Varro* 2. *R. R.* 4. 17. Porci dicuntur nefrendes ab eo, quod nondum fabam frendere possunt, idest frangere. *Colum.* 6. *R. R.* 3. 4. Fresi et aqua macerati ervi sextarius. *Id.* 2. *ibid.* 11. 7. Cetera bubus ervi loco fresa faba datur. *Id. ibid.* 12. 4.; et *Cels.* 5. 18. n. 21. Faba fressa.

II.) Translate est queri de aliqua re dentes collidendo. *Pacuvius* apud *Non.* p. 447. 17. *Merc.* Frendere noctes, misera, quas perpessa sum. *h. e.* indignari, queri.

FRENDESCO, is, ere, n. 3. idem quod frendeo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 153.

FRENDOR, ōris, m. 3. frendendi actus. *Tertull. Resurr. carn.* 35. *sub fin.* Dentium frendor in gehenna. *Veget.* 3. *Veterin.* 31. Jumentum tremorem frendoremque patietur.

FRENI *vel* fræni, orum. *V.* FRENUM.

FRĒNĬGER *vel* fræniger, gĕra, gĕrum, adject. frenum gerens, *infrenato.* *Stat.* 5. *Silv.* 1. 98. Quisnam frenigeræ signum dare dignior alæ. *alla cavalleria.*

FRENO *vel* fræno, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Frenarier* paragoge pro *frenari* habet *Prudent. Psych.* 191. — Part. *Frenatus* I. et II. — Frenare est frenum imponere, χαλινόω (It. *por il freno, imbrigliare;* Fr. *mettre un frein, un mors, brider;* Hisp. *echar el freno, enfrenar;* Germ. *zäumen, mit Zaum versehen;* Angl. *to bridle, rein, curb*).

I.) Proprie. — a) Stricto sensu de equis. *Auct. B. G.* 8. 15. Equites frenatis equis in stationibus disponit. *Virg.* 5. *Æn.* 554. Frenatis lucent in equis. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 13. leva stomachosus habena Dicet eques; sed equi frenato est auris in ore. *Prudent. Psychom.* 191. Impatiens sonipes frenarier ora lupatis. — b) Latiori sensu de aliis animalibus. *Ovid.* 7. *Met.* 220. Medeam frenare colla draconum. *Id.* 3. *Trist.* 8. 3. Medeæ vellem frenare dracones. *Id.* 10. *Met.* 125. Frenare cervi ora capistris. *Id.* 11. *ibid.* 237. frenato delphine sedens Thetis. *Tibull.* 1. 5. 46. Vecta est frenato pisce Thetis. — Poetice. *Sil. It.* 11. 266. Frenata acies. *h. e.* equitatus, *cavalleria.*

II.) Translate. — a) Dicitur de inanimis et similibus. *Virg.* 1. *Æn.* 58. Quum Æolus ventos imperio premit, ac vinclis et carcere frenat. *Id.* 4. *G.* 136. quum Tristis hieme glacie cursus frenaret aquarum. *Sil. It.* 9. 418. subito ni turbine Pœnus Agmina frenasset. *Seren. Sammon.* 29. alvum frenat brassica. *h. e.* sistit. *Id.* 17. *extr.* Frenare tussim medicamine. — b) Sæpius de spiritalibus et moralibus. *Cic. Mil.* 28. 77. Clodii furores, quos nullis jam legibus, nullis judiciis frenare poteramus. *Phædr.* 4. 25. 7. Exigua materia impetum scribendi frenat. *Liv.* 30. 14. Voluptates sua temperantia frenavit ac domuit. *Plin. Paneg.* 66. Obsæpta diutina servitute ora reseramus, frenatamque tot malis linguam resolvimus. *Sil. It.* 8. 290. frenare dolores corde. *Id.* 10. 341. spes avidas. *Seneca Med.* 866. iras. *Virg.* 1. *Æn.* 527. *de Didone.* justitia gentes frenare superbas. *Val. Flacc.* 1. 22. Æmoniam primis Pelias frenabat ab annis. *h. e.* regebat, regnabat. — Et sequente Conjunctivo, quemadmodum verba *coercere, impedire,* occurrit apud *Liv.* 26. 20. Ne quis temere frenari eas diceret posset, quominus de eo libere querantur.

FRĒNUM *vel* frænum, i, n. 2. *et in Nom.* et *Accus. plurali etiam* freni, frenos, m. 2. Ad scriptionem quod attinet, diphthongus videtur placere *Dausquio,* tum et satis recepto usu, tum et origine, quam dictum putat quasi *feri æneum.* Sed et insulsa est etymologia, et vetera monumenta graviorque *Manutii* et *Cellarii* auctoritas *frenum* adstruunt. Præterea hæc habet *Isid.* 20. *Orig.* 16. Frena dicta, quod hæc equi frendant, id est imprimant dentibus et obmordeant. *V.* NEFRENDES. — Frenum est instrumentum, quo equorum ora coercentur, χαλινός (It. *freno, morso, briglia;* Fr. *frein, mors, embouchure;* Hisp. *freno;* Germ. *d. Zaum, d. Gebiss;* Angl. *a bit, bridle, curb*).

I.) Proprie. Frenos et strata equorum Pelethronium (*regem Lapitharum*) invenisse dicunt, ut docet *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (202). Hinc *Virg.* 3. *G.* 115. Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis Insultare solo et gressus glomerare superbos. At *Horat.* 1. *Ep.* 10. 34. fabulam refert, quam exhibet *Stesichorus* apud *Aristot.* 2. *Rhet.* 20. Ceterum — a) Raro in singulari numero. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 36. Imploravit (*equus*) opes hominis frenumque recepit. Adde *eumd. ibid.* v. 38. *Val. Flacc.* 1. 424. Ora

equi contundere freno. *V.* infra sub *c.* — *b*) Sæpe in plurali numero. — Neutr. gen. *Cic. Mil.* 24. 73. Scutorum, gladiorum, frenorum multitudo. *Id. Topic.* 8. 36. Equus, equa, quæ frena recipere solet. *Virg.* 5. *Æn.* 817. addere frena equis. *imbrigliare. Id.* 4. *ibid.* 135. frena sonipes spumantia mandit. *Ovid.* 15. *Met.* 518. ducere frena. *trattenere, tirare. Id.* 2. *ibid.* 185.; et *Val. Flacc.* 5. 131. remittere. *Val. Flacc.* 6. 377. tendere frena. *Lucan.* 7. 531. frena convertere. *voltare il cavallo.* et 1. 425. in gyrum flectere. *Val. Flacc.* 1. 455. contorquere. Similiter pro habenis *Ovid.* 3. *Amor.* 4. 15. ut primum concessas sensit habenas, Frenaque in effusa laxa jacere juba. *Lucret.* 5. 1297. Prius est armatum in equi conscendere costas Et moderarier hunc frenis. Adde *eumd. ibid. v.* 1310.; et *Virg.* 11. *Æn.* 719. et 880. et 12. *ibid.* 372. *Horat.* 1. *Od.* 8. 7. Ora equi temperare frenis. *Ovid.* 5. *Met.* 643. coercere. *Id.* 2. *Fast.* 736. frenis impedire equos. — Masc. gen. *Liv.* 1. 48. inhibere frenos. *trattenere, tirare. Tibull.* 1. 3. 42. frenos ore momordit equus. Adde *Varron.* 2. *R. R.* 7. 12.; *Virg.* 3. *G.* 184.; et *Senec. Tranquill.* 15. *extr. Curt.* 3. 13. 10. Jacebant totis campis opes regiæ —, aurea vasa, aurei freni, tabernacula etc. Adde *Senec.* 1. *Ira* 7. et *Ep.* 41. — *c*) *Frenum mordere* est se ferocem et recusantem ostendere, proverb. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 23. Si frenum momorderis, peream, si te omnes, quot sunt, conantem loqui ferre poterunt. Et ipse *Cic. ibid.* 24. Sed, ut moues, frenum momordi. Adde *Senec. Tranquill. in fin.* Alio sensu *V.* infra sub II. 1.

II.) Translate. ¶ 1. Frenum ponitur pro quacumque re, quæ cohibet, coercet, reprimit, moderatur. — *a*) Raro in sing. num. *Virg.* 12. *Æn.* 568. Ni frenum accipere et victi parere fatentur. *soggettarsi.* Cf. *Liv.* 37. 36., cujus verba *V.* infra sub *b. Seneca Ep.* 23. Voluptates tenere sub freno. — *b*) Sæpe in plur. num.; et quidem de imperio. *Cic.* 2. *de republ.* 34. Ac ne Lycurgi quidem disciplina tenuit illos in hominibus Græcis frenos. *Liv.* 37. 36. Concesso in Asiam transitu, et non solum frenis, sed etiam jugo accepto. *Val. Max.* 2. 9. 5. Freni sunt injecti vobis, Quirites, nullo modo perpetiendi; alligati et constricti estis amaro vinculo servitutis. *Curt.* 7. 10. *extr.* Tum velut freni domitarum gentium; nunc originis suæ oblita serviunt quibus imperaverunt. *Sil. It.* 1. 239. Hæ postquam Tyrio gentes cessere tyranno, Utque dati rerum freni, nunc arte paterna Conciliare viros. *Ovid.* 2. *Pont.* 9. 33. imperii frena moderare. *il governo. Id.* 2. *Trist.* 42. moderate frena imperii tenere. *Id.* 4. *Pont.* 13. 27. capere. *Prudent. præfat. Cathemer.* 17. frenos urbium regere. — De ingenio et animo. *Cic. Brut.* 56. 204. Ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. *h. e.* alterum retinere ac retrahere. Sic *Id.* de iisdem 3. *Orat.* 9. 36. In alio calcaribus, in alio frenis uti. Adde *Quintil.* 2. 8. 11. Rursus *Cic.* 6. *Att.* 1. 12. Alter frenis eget, alter calcaribus. *Id.* 13. *Phil.* 9. 20. Mutinam illi exsultanti tamquam frenos furoris injecit. *Liv.* 34. 2. *ad fin.* Dare frenos impotenti naturæ. *rallentare il freno.* Sic *Lucan.* 7. 124. frenos furentibus ira Laxat. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 73. tolle periclum: Jam vaga prosiliet frenis natura remotis. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 23. remittere frena studiis. *rallentare, lasciare. Seneca Hippol.* 574. Sæpe obstinatis induit frenos amor. *mette il freno. Stat.* 1. *Silv.* 2. 28. subiit leges et frena momordit Ille solutus amor. *h. e.* recepit vel invitus, et subactus est. *Horat.* 4. *Od.* 15. 10. frena licentiæ injicere. *metter freno, raffrenare.* Sic *Juvenal.* 8. 88. pone iræ frena modumque, Pone et avaritiæ. *Curt.* 7. 8. *a med.* Impone felicitati tuæ frenos; facilius illam reges. *Seneca Troad.* 279. regere frenis iram. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 62. animum rege: qui nisi paret, Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena. ¶ 2. Frenum pro ipso equo, poetice. *Stat.* 11. *Theb.* 243. frater maris circum omnibus instat, Portarumque moras frenis adsultat et hastis. *scorre con la cavalleria fin sulle porte.* Cf. *Propert.* 4. 10. 19. Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris. ¶ 3. Pro quocumque vinculo et compage. *Stat.* 10. *Theb.* 879. absiliunt pontes, tectique trementis Saxea frena labant. ¶ 4. Frenum etiam dicitur vinculum, quo præputium ab inferiori parte penis glandi adnectitur. *Cels.* 7. 25. n. 2. Subter a summa ora cutis inciditur usque ad frenum. *et mox.* Ut vertex ejus ad frenum, basis in tergo extremo sit. ¶ 5. Speciatim in re grammatica. *Capell.* 5. p. 168. Vitandi etiam freni, qui fiunt ex asperrimis litteris in unum concurrentibus. *scil.* quæ propterea litteræ impedimento sunt, quominus facile pronuncientur. Sic *Id. ibid.* p. 167. Cujus situm maximum est hiulcas et asperas voces, frenos etiam, iotacismos etc. non vitare.

FRĒNUSCŬLI, ulcera circa rictum oris, similia his, quæ fiunt jumentis asperitate frenorum. Ita *Isid.* 4. *Orig.* 8.

FRĔQUENS, entis, adject. Comp. *Frequentior* in omnibus paragr.; Sup. *Frequentissimus* I. 2. et II. 1. at 2. — Frequens est creber, assiduus, συχνός (It. *frequente, spesso, che si ripete spesso*; Fr. *qui se fait ou qui a lieu fréquemment, fréquent, multiplié, répété*; Hisp. *frequente*; Germ. *häufig, oftmalig*; Angl. *frequent, constant*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de personis usurpatur, quæ sæpissime, crebro, assiduo alicui rei intersunt. — *a*) Absolute. *Ter. Adelph.* 1. 1. 79. Ibi tum filius cum illis, qui amabant Chrysidem, una aderat frequens, curabat una funus. *Cic.* 2. *Off.* 13. 46. Adolescentes, qui se ad claros viros contulerunt: quibuscum si frequentes sunt etc. Cf. *Liv.* 39. 53. Quod filium frequentiorem prope cum illis, quam secum cernebat. Rursus *Cic. Rosc. Am.* 6. 16. Erat ille Romæ frequens, in foro et in ore omnium quotidie versabatur. *Id.* 1. *Orat.* 57. 243. Frequens te audivi atque affui. *Id. Orat.* 4. 15. Demosthenes frequens fuit Platonis auditor. Cf. *Quintil.* 10. 5. 19. Juvenis judiciis intersit quam plurimis, et sit certaminis, cui destinatur, frequens spectator. et *Martial.* 9. 98. Frequens conviva. *Liv.* 3. 24. Cæsonem tam frequentem ad signa fuisse. *Tac.* 4. *Ann.* 55. Cæsar, quo famam averteret, adesse frequens senatui. *Id.* 4. *Hist.* 69. *extr.* Haud perinde instruendo bello intentus, quam frequens contionibus. *Id.* 4. *Ann.* 3. Sumitur in conscientiam Eudemus medicus, specie artis frequens secretis. *Ovid.* 2. *Pont.* 6. 33. Crede mihi, nostrum si non mortale futurum Carmen, in ore frequens posteritatis eris. — *b*) Cum Infinito. *Stat.* 7. *Theb.* 705. Hic hominum casus lenire et demere fatis Jura frequens. ¶ 2. Latiori sensu dicitur de rebus physicis et de abstractis, quæ crebro et sæpe fiunt. — *a*) De rebus physicis et similibus. *Cic. Senect.* 13. 44. Senectus caret epulis exstructisque mensis et frequentibus poculis. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 26. (68). Quidam frequentiores lactucas in cibo officere claritati oculorum tradiderunt. *Sueton. Tib.* 11. Exorare filiæ patrem frequentibus litteris. *Id. Ner.* 41. Frequentia edicta. *Cic.* 3. *Orat.* 47. 182. Iambum et trochæum frequentem segregat ab oratore Aristoteles. *Quintil.* 1. 5. 39. Quum (hoc vocabulum) apud alios sit etiam frequens, apud alios numquam reperiatur. — *b*) De abstractis. *Varro* 7. *L. L.* 99. *Müll.* Apud eumdem (*Plautum Cist.* 1. 1. 7.) Mihi frequentem operam dedistis, valet assiduam. *Asinius Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 31. Saltus Castulonensis frequentioribus latrociniis infestior factus est. *Nepos Att.* 19. *extr.* Quæ conjunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem. *Id. Phoc.* 1. Frequentes delati honores. *Quintil.* 8. 6. 14. Ut modicus atque opportunus ejus (*comparationis*) usus illustrat orationem, ita frequens et obscurat et tædio complet. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (17). Frequentior usus annulorum. Cf. *eumd.* 37. *ibid.* 7. 31. (106). Nec fuit alia gemmæ apud antiquos usu frequentior. *Liv.* 2. 32. Ea frequentior fama est quam, cujus Piso auctor est, in Aventinum secessionem factam esse. *Frequens sententia* est quæ a multis comprobatur apud *Plin.* 2. *Ep.* 11. Quæ sententia non prævaluit modo, sed omnino post tantas dissensiones fuit sola frequens. *Gell.* 1. 8. Frequens apud Græcos adagium. *Quintil.* 8. 6. 37. Græcis frequentior tropus. cui ibid. *opponitur* rarissimus. *Id.* 8. 5. 1. Id est apud oratores frequentissimum. *Id.* 4. 1. 75. Id frequentius est, quam ut exemplis confirmandum sit. — Hinc *frequens est* cum Infinito pro usitatum est. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (183). Est frequens in prodigiis priscorum, bovem locutum. *Tac.* 2. *Ann.* 33. Erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e republica crederent, loco sententiæ promere. *Paul. Dig.* 44. 2. 6. Parere ergo exceptionem rei judicatæ, frequens est.

II.) Translate. ¶ 1. De personis dicitur, et est multus, copiosus, *numeroso. Cic.* 2. *Verr.* 3. 7. Videt multos equites Romanos, frequentes præterea cives atque socios. *Id.* 3. *Orat.* 55. 211. Refert etiam, qui audiant, frequentes, an pauci, an singuli. *Id. Brut.* 62. 222. Ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis abrogaverit. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. 1. Sane frequentes fuimus: omnino ad ducentos. *Id.* 7. *Phil.* 8. 21. Equites Romani, qui frequentissimi in gradibus Concordiæ steterunt. *Cæs.* 4. *B. G.* 11. Huc postero die quam frequentissimi convenirent, ut etc. *Id.* 7. *ibid.* 63. Eodem conveniunt undique frequentes. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 13. et 1. *B. C.* 13. *Liv.* 35. 7. De ea re nihil temere decerni placuit: ad frequentiores consultatio dilata. *Horat.* 3. *Od.* 1. 34. huc frequens Cæmenta demittit redemptor Cum famulis. *h. e.* cum famulis frequentibus. Similiter *Plin.* 9. *Hist. nat.* 59. 85. (180). Frequens ibi hic piscis et celeriter capitur. — Sic *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 111. Frequens senatus poterit nunc haberier. *Cic.* 10. *Fam.* 12. 3. Senatus est continuo convocatus, frequensque convenit. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 1. 1. Senatus fuit frequentior, quam putabamus esse mense Decembri sub dies festos. *Id.* 2. *Phil.* 38. 99. Frequentissimo senatu Calend. Januar. – dicere ausus es etc. *Liv.* 5. 5. *ad fin.* Si major frequentiorque legatio itura sit. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 10. Est numerus veteranorum satis frequens cum Ventidio. *Sueton. Aug.* 34. Frequens consessus. *Id. Claud.* 41.; et *Plin.* 2. *Ep.* 18. Frequens auditorium. *piena udienza. Sueton. Cæs.* 31. convivium. ¶ 2. Item de loco, ubi multi sunt, et est plenus, abundans, *frequentato, pieno.* Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 28. 59. Idque frequentissimo theatro incredibili plausu comprobatum est. *Id. Planc.* 8. 21. Hujus præfectura plena virorum fortissimorum, sic ut nulla tota Italia frequentior dici possit. *più popolata.* Sic *Id.* 2. *Phil.* 41. 106. Frequens municipium. *popolato.* et *Sall. Jug.* 78. Inter illas (*Syrtes*) et frequentem Numidiam multi vastique loci erant. *Liv.* 38. 18. *ad fin.* Celebre et frequens emporium. *Ovid.* 1. *Art. am.* 585. vis. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 25. compita. Similiter *Id. carm. sæc.* 24. ludi. *Ovid.* 1. *Art. am.* 117. pompa. — *b*) Cum addito Ablativo rei, qua quid abundat. *Liv.* 1. 9. Quum situm mœniaque et frequentem tectis urbem vidissent. *Id.* 31. 23. Frequentia ædificiis loca. *Id.* 35. 11. Ultra pars frequentior viris esset. *Ovid.* 4. *Met.* 620. Frequens terra colubris. *Id.* 15. *ibid.* 715. Sinuessa niveis columbis. *Id.* 8. *ibid.* 328. silva trabibus. *Id. Heroid.* 16. 54. locus piceis ilicibusque. *Id.* 9. *Met.* 106. amnis verticibus. *Colum.* 8. *R. R.* 16. 4. vivarium piscibus. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (53). Nilus feris et belluis. *Id. ibid.* 9. 11. (60). Ægyptos multis urbibus. *Seneca Herc. Fur.* 1233. pharetra telis Lernæis. — *c*) Cum Genitivo. *Tac.* 4. *Ann.* 65. Montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis silvæ frequens fecundusque erat.

FRĔQUENTĀMENTUM, i, n. 2. frequentatio. *Gell.* 1. 11. Si Graccho contionanti numeros et modos, et frequentamenta quædam varia tibicen incineret. *h. e.* frequentes vocis mutationes, discrimina, modulationes. Sic *Id.* 5. 1. Si vocem ejus festivitatibus, si modulis verborum, si quibusdam quasi frequentamentis orationis moventur.

FRĔQUENTĀRĬUM, frequentem. *Paul. Diac.* p. 93. 10. *Müll.*

FRĔQUENTĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Universim est crebritas, coacervatio, *frequenza, cumulo*, πυκνότης, πύκνωμα; et occurrit — *a*) Generatim. *Gell.* 1. 16. *ad fin.* Civitatem salvam esse sine matrimoniorum frequentatione non posse. — *b*) Speciatim in re oratoria. *Cic.* 4. *Herenn.* 19. 27. Frequentatio densa et continens verborum. *Id. Partit. orat.* 16. 55. Frequentatio consequentium. *Id. ibid.* 35. 122. argumentorum. — *c*) Inter figuras sententiarum Frequentatio est, ut ait *Cic.* 4. *Herenn.* 40. 52., quum res in tota causa disperse roguntur in unum, quo gravior, aut acrior, aut criminosior oratio sit, etc. — *d*) In re grammatica de verbis frequentativis. *Macrob. de diff. Gr. Lat. verb.* p. 2765. *Putsch.* Frequentativa forma compendio Latinitatis obsequitur, quum uno verbo frequentationem administrationis ostendit. Hæc forma nonnumquam uno gradu, nonnumquam duobus derivatur, ut *cano, canto, cantito:* nec tamen est in posterioribus, quam

in prioribus frequentationis expressio. ¶ 2. Speciatim de hominum frequentia. *Cassiod.* 8. *Variar.* 31. *a med.* Fœdum ergo nimis est nobili filios in desolationibus educare, quam frequentationi humanæ videat alios sua pignora commisisse.

FRĔQUENTĀTĪVĒ, adverb. more verbi frequentativi. *Paul. Diac. p.* 379. 9. *Müll.* Verberitare Cato frequentative ab eo, quod est verbero, dixit.

FRĔQUENTĀTĪVUS, a, um, adject. assiduitatem et frequentiam significans, *frequentativo:* ut Frequentativa verba, apud Grammaticos. *Gell.* 9. 6. Ab eo quod est *ago* et *egi*, verba sunt, quæ appellant grammatici frequentativa, *actito* et *actitavi*. Adde *Macrob.* loc. cit. in FREQUENTATIO 1. Et *Priscian.* 8. *p.* 826. et 10. *p.* 902. *Putsch.* liquet, frequentativa verba esse primæ conjugationis.

FRĔQUENTĀTO, adverb. crebro, *più volte*. *Apul.* 9. *Met.* Salutem ei fuerat imprecatus, et iterato rursum, et frequentato sæpius.

FRĔQUENTĀTOR, ōris, m. 3. qui frequentat, *frequentatore*. *Tertull. Monogam.* 8. *sub fin.* Prandiorum et cœnarum cum publicanis frequentator. — Est etiam qui continuo servat. *Apul. Trismeg.* Sol ipse semper gubernator vitalium, vel totius vivacitatis eorum frequentator et dispensator est.

FRĔQUENTĀTUS, a, um. *V.* FREQUENTO.

FRĔQUENTER, adverb. Comp. *Frequentius* et Sup. *Frequentissime* 1. — Frequenter ¶ 1. Stricto sensu est crebro, sæpe, συχνῶς, πολλάκις (It. *frequentemente, spesso*; Fr. *fréquemment, souvent*; Hisp. *freqüentemente, amenudo*; Germ. *häusig, wiederholentlich, oft*; Angl. *frequently, often*). Occurrit — *a*) Posit. *Cic.* 4. *Herenn.* 56. 69. Ut frequenter et assidue consequamur artis rationem studio et exercitatione. *Id.* 1. *de republ.* 9. Quum familiarissimi ejus ad eum frequenter per eos dies ventitaturos se esse dixissent. *Quintil.* 1. 8. 11. Præcipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium. *Id.* 3. 8. 4. Frequenter in his etiam conjecturæ locus est, nonnunquam tractatur aliqua finitio; aliquando etiam legales possunt incidere tractatus. *Id.* 8. 6. 47. Habet usum talis allegoriæ frequenter oratio, sed raro totius; plerumque apertis permixta est. *Id.* 9. 1. 11. Continuo, aut certe nimium frequenter. — *b*) Comp. *Ovid.* 3. *Fast.* 287. Non alias missi cecidere frequentius ignes. *Sueton. Aug.* 40. Ne plebs frequentius a negotiis avocaretur. *Quintil.* 1. 10. 4. Quod Cicero frequentius testatur. *Id.* 5. 10. 38. Hæc ad conjecturam frequentius pertinent, sed interim ad jus quoque. *Sueton. Aug.* 40. Ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis avocaretur. — *c*) Superl. *Cic. Orat.* 24. 81. Translatione frequentissime sermo omnis utitur. *Sueton. Aug.* 43. Trojæ lusum edidit frequentissime. *Quintil.* 2. 17. 36. Non semper, etiamsi frequentissime, tuenda veritas erit. ¶ 2. Latiori sensu *frequenter* fieri dicitur, quod a multis fit. *Cic.* 1. *Att.* 19. 5. Herennium quemdam, tribunum plebis, sæpe de Clodio ad plebem traducendo agere cœpisse: huic frequenter intercediturr. *Liv.* 1. 11. Romam inde frequenter migratum est, a parentibus maxime ac propinquis raptarum. V. *Ferr. Flacc. loc. cit.* in GRATIA.

FRĔQUENTĬA, æ, f. 1. (frequens) occurrit translate tantum, et est crebritas, multitudo, πυκνότης, πλῆθος (It. *frequenza, concorso, moltitudine*; Fr. *foule, affluence, concours, grand nombre*; Hisp. *multitudo, muchedumbre*; Germ. d. *Menge, grosse Anzahl, zahlreich anwesende Versammlung*; Angl. *a crowd, throng, press, concourse, multitude*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. C.* 19. Magna utrinque multitudo convenit, qua ex frequentia Labienus prodit. *Auct. B. G.* 8. 50. Ut iis gratias ageret, quod frequentiam atque officium suum Antonio præstitissent. *Cic. Mil.* 1. 1. Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat: usitata frequentia stipati sumus. *Id. Flacc.* 17. 41. Quum efferretur magna frequentia consessuque vestro. *Id. Planc.* 8. 21. Solidam et robustam et assiduam frequentiam præbuerunt. *Id.* 3. *Verr.* 7. 18. Domum reducebatur e campo cum maxima frequentia ac multitudine. *Id.* 4. *Att.* 1. 5. Similis et frequentia et plausus me usque ad Capitolium celebravit. *Id. Pis.* 13. 31. Frequentia egressum alicujus ornare atque celebrare. — *b*) Cum Addito Genitivo personarum. *Sall. Jug.* 47. Frequentia negotiatorum. *Cic.* 1. *Orat.* 45. 200. Hujusce vestibulum maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebratur. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 77. 189. Tabulas in foro summa hominum frequentia exscribo. *Id. Amic.* 23. 87. Frequentia hominum. *Nepos Att.* 22. Elatus est maxima vulgi frequentia. *Q. Cic. Petit. cons.* 1. 3. Quotidiana amicorum assiduitas et frequentia. *Quintil.* 1. 2. 1. scholarum. *Id.* 10. 7. 16. auditorum. — *c*) Cum addito Genitivo rerum. *Cic.* 4. *Att.* 16. 1. De epistolarum frequentia te nihil accuso. – Sed hæc epistolarum frequentia non tam ubertate sua, quam celeritate delectavit. *Id.* 5. *Tusc.* 23. 65. Frequentia magna sepulcrorum. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 91. (113). Polygonon alii polygonaton vocant, a frequentia geniculorum. *dalla spessezza de' nodi*. *Vitruv.* 9. 9. Frequentia cæli. *h. e.* densitas aeris. *V.* CREBRITAS. — Similiter *Cic.* 2. *Orat.* 13. 56. Thucydides ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur. *Id. Partit. orat.* 12. 41. Frequentia communium.

FRĔQUENTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Frequentans* et *Frequentandus* II. 1.; *Frequentatus* I. et in fin. — Frequentare, ab adjectivo *frequens* deductum, iisdem pollet significationibus: itaque proprie est frequenter adire, ventitare, visitare, sæpius cum aliquo esse, φοιτᾶν (It. *frequentare*; Fr. *fréquenter, venir ou être souvent quelque part*; Hisp. *freqüentar*; Germ. *häusig irgendwo hinkommen, oft besuchen*; Angl. *to frequent, go often to, resort much to, haunt*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de locis et hominibus, quos frequenter adimus ac visitamus: *V.* FREQUENS I. 1. — *a*) De locis. *Cic.* 5. *Fam.* 21. Sermones eorum, qui frequentant domum meam. *Id.* 1. *Off.* 39. 139. Ampla domus dedecori domino fit – maxime, si aliquando alio domino solita est frequentari. *Sall. Cat.* 14. Juventus, quæ domum Catilinæ frequentabat. Sic *Quintil.* 12. 11. 5. Frequentabunt ejus domum optimi juvenes. Rursus *Sall. Jug.* 17. Quæ loca et nationes ob calorem aut asperitatem, item solitudines, minus frequentata sunt. *Sueton. Vesp.* 2. Vespasianus educatus est in prædiis Cosanis: quare princeps quoque locum incunabulorum assidue frequentavit. *Id. Gramm.* 7. Scholam ejus claros quoque viros frequentasse ajunt. Cf. *Ovid.* 10. *Met.* 169. Dum deus Eurotam immunitamque frequentat Sparten. — *b*) De hominibus. *Sall. Jug.* 73. Opifices agrestesque omnes relictis operibus frequentare Marium. *Tac.* 5. *Ann.* 10. Juvenis jam juventutis concursu, jam publicis studiis frequentabatur. *Id.* 13. *ibid.* 18. Ne cœtu salutantium frequentaretur Agrippina. *Id.* 2. *Hist.* 16. Digressis, qui Pacarium frequentabant, nudus et auxilii inops interficitur. ¶ 2. Latiori sensu de actione dicitur, et est aliquid frequenter facere, repetere, ingeminare: *V.* FREQUENS I. 2., *fare spesso, eseguire di frequente, ripetere*. *Plaut. Cist.* 1. 1. 9. SIL. Omnibus relictis rebus mihi frequentem operam dedistis: eo ego vos amo. GY. Pol istoc quidem nos pretio facile est frequentare tibi utilesque habere. *h. e.* frequentem operam dare. *Cic.* 3. *Herenn.* 24. 40. Tu primas quasque partes in animo frequenta. *h. e.* frequenter animo revolve, repete. *Id. Orat.* 27. 94. Hæc frequentat Phalereus maxime: et quamquam translatio est apud eum multa, tamen immutationes nusquam crebriores. *Id.* 3. *Orat.* 38. 156. Verbi translatio instituta est inopiæ causa, frequentata delectationis. *Id.* 1. *de republ.* 3. Quæ (*exempla levitatis*) nata et frequentata apud illos (*Athenienses*), etiam in gravissimam civitatem nostram dicuntur redundasse. *Ovid. Heroid.* 12. 143. Turba ruunt, et Hymen clamant, Hymenæe frequentant. *h. e.* ingeminant. *Al. minus recte leg.* Hymenæa frequentant. *h. e.* Hymenæa sacra. *V.* HYMEN. *Seneca Consol. ad Marc.* 3. Frequentare memoriam alicujus. *h. e.* frequenter meminisse. *Sulpicia Sat.* Musa, quibus numeris heroas et arma frequentas. *h. e.* frequenter memoras celebrasque. *Tac.* 3. *Ann.* 25. Nec ideo conjugia et educationes liberum frequentabantur prævalida orbitate. *h. e.* frequenter fiebant. *Pallad.* 1. *R. R.* 24. Columbæ fetus frequentant, si etc. *Id. ibid.* 15. Prima trullis frequentetur inductio. scil. calcis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim frequentare de loco dicitur et est frequentem facere, implere, congregare, coacervare: *V.* FREQUENS II. 1., *popolare, riempire, far numeroso, radunare*. *Cic.* 2. *Off.* 4. 15. Urbes sine hominum cœtu non potuissent nec ædificari, nec frequentari. *essere popolate*. *Id.* 1. *Att.* 19. 4. Sentinam urbis exhauriri et Italiæ solitudinem frequentari posse arbitrabar. *Ovid.* 4. *Fast.* 871. Templa frequentari Collinæ proxima portæ Nunc decet. *Sueton. Aug.* 46. Italiam duodetriginta coloniarum numero frequentavit. *Inscript.* in *Bullett. archeol. Nap. T.* 2. *p.* 83. HOC SEPVLCRVM FREQVENTENT A ME QVI SINT LIBERI. *Colum.* 10. *R. R.* 214. frequentare nova prole mundum. *Id.* 4. *ibid.* 33. 3. castaneta. *Id. ibid.* 15. 1. vineam. Cf. *Auct. B. Afr.* 20. Sagittariis ex omnibus navibus ductis in castra compluribus, frequentabat suas copias. — Similiter *Cic.* 4. *Cat.* 7. 15. Scribas universos, quos casu hic dies ad ærarium frequentavit. *h. e.* frequentes seu multos congregavit. Sic *Id. Dom.* 33. 89. Quem tu tamen populum, nisi tabernis clausis, frequentare non poteras. — Item *Id. Orat.* 25. 85. Nec acervatim multa frequentans, una complexione devinciet. *h. e.* coacervans. Sic *Id.* 3. *Orat.* 52. 201. Tum est quasi luminibus distinguenda et frequentanda omnis oratio sententiarum atque verborum. *Gell.* 13. 24. Quæ a poetis, celebrandæ et ornandæ rei gratia, duobus eadem pluribusve nominibus frequentantur. — Huc referri potest et illud *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. *ante med.* Amicorum convivia, quæ cum ciborum parcitate, nulli tamen lascivitate frequentent. Cl. *Furlanetto* in suis MSS. neutraliter accepit et interpretatus est *frequentia sunt*: mihi vero corrigendum videtur *frequententur*, h. e. abundent. ¶ 2. Speciatim, sed raro, de sacris et similibus dicitur, et est idem quod celebrare, seu frequentia et multitudine celebrare, *celebrare*. *Cic.* 1. *Invent.* 27. 40. Publicum est, quod civitas universa aliqua de causa frequentat, ut ludi, dies festus, bellum. *Ovid.* 4. *Met.* 37. Frequentare sacra. *Sueton. Aug.* 53. dies solemnes. *Id. Tib.* 32. quorumdam exsequias usque ad rogum. *Auct. Priap.* 77. Ennææ Cererem nurus frequentant. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla et supra retulimus,

Frequentatus, a, um, adjective quoque occurrit; et ¶ 1. Ponitur pro abundanti, pleno. *Cic. Brut.* 95. 325. Aliud genus est non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre et incitatum. *h. e.* non tam sententiosum. ¶ 2. Item pro usitato. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 25. 61. (185). Frequentata pavimenta. *Id.* 37. *ibid.* 10. 54. (145). Aromatites, gemma regionis frequentata.

FRESSUS *vel*

FRĒSUS, a, um. *V.* FRENDEO *vel* frendo.

FRĔTĀLE, is, n. 3. genus est sartaginis ad frigendum aptæ. *Apic.* 7. 5. Infunditur in fretale piper, etc.

FRĔTĀLIS, e, adject. ad fretum pertinens. *Ammian.* 28. 2. A Rhætiarum exordio adusque fretalem oceanum. *h. e.* fretum Britannicum.

FRĔTENSIS, e, adject. fretalis, ut Fretensis legio, quæ scil. vel scripta est ex freti Siculi accolis, ut exponit *Turneb. l.* 18. *Advers. c.* 10., vel ad fretum stativa habuit. Ejus sæpe mentio fit in *Inscript.* apud *Gruter.* 457. 6. C. POPILIO C. F. QVIR. CARO PEDONI COS. VII. VIR. EPVLON. *etc.* LEGATO LEGIONIS X. FRETENSIS, etc. et 354. 5. L. ANNIO FABIANO III. VIRO CAPITALI, *etc.* LEG. LEG. X. FRETENSIS, etc. Adde 294. 2. et alibi. *Fretensis legio est impiegata in Oriente*, ut ait *B. Borghesi Iscriz. del Reno p.* 28. Porro hæc legio X. Fretensis Trajani temporibus primum occurrit: V. *Furlanetto Iscriz. Patavin. p.* 209. — Mare Fretense est mare, vel fretum Siculum. *Cic.* 10. *Att.* 7. 1. Hadriano mari Dolabella, Fretensi Curio. *Al. aliter leg.*

FRĔTRĬĀCUS, i, m. 2. φρητριακός Jonice pro φρατριακός, qui alicui fratriæ est adscriptus. De his vero sodalitatibus docte commentatus est *Ignarra de phratriis*, quod opus consulesis. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 456. *n.* XVI. P. SVFENATI P. F. PALMYRONI LVPERCO LAVRENTI LAVINATI, FRATRIACO NEAPOLI ANTINOITON ET EVNOSTIDON. Adde alias *ibid. n.* 74. et 75. *V.* FRATRIA sub *B.* et PHETRIUS.

FRĔTUM, i, n. 2. Est et alia forma *fretus*, us. m. 4., quam *V.* sub I. 1. et II. 3. — Fretum sunt maris angustiæ, πορθμός: a fervendo, quasi *fervetum*, quod eo semper concurrant æstus et effervescant, ut ait *Varro* 7. *L. L.* 22. *Müll.*; quamquam alii derivent a ῥέειν *fluere*, quasi ῥεῖθρον; alii, quemadmodum *Passowius*, a περάω, πείρω, ut πο-

ρος; *Döderlinius* vero, *Latein. Synonym.* vol. 6. p. 137., cum φρέατα conjungit (It. *stretto di mare*; Fr. *détroit, bras de mer, canal*; Hisp. *estrecho, paso estrecho, brazo de mar*; Germ. *d. Meerenge, d. Sund, d. Canal*; Angl. *a strait, narrow part of the sea*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Forma *fretum* apud *Lucret.* 6. 427. quam freta circum Fervescunt. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 34. Quid de fretis aut de marinis æstibus plura dicam? *Id.* 2. *Nat. D.* 7. 19. Æstus maritimi fretorumque angustiæ. *Ovid.* 1. *Trist.* 10. 28. Sestoo Abydena separat urbe fretum. Rursus *Cic.* 3. *Nat. D.* 10. 24. Fretum Siciliense. et *Cæs.* 2. *B. C.* 3. Fretum Siciliæ. *V.* mox sub 2. *Sall. Jug.* 17. Fretum nostri maris et Oceani. *h. e.* fretum Gaditanum. — *b*) Formam *fretus, us,* habet *Nævius* vel *Novius* apud *Non.* p. 205. 27. *Merc.* Dubii faventem per fretum introcurrimus. *Lucilius* apud *eumd. ibid.* Satis fretus. *Varro* apud *eumd. ibid.* Inter Italiam et Siciliam qui est fretus, inter Rhegium et Messanam. *Lucret.* 1. 271. angusto fretu rapidum mare. *Cic.* 7. *Verr.* 66. 169. Ut perangusto fretu divisa servitutis ac libertatis jura cognosceret. Ita enim *Gell.* 13. 20. legit. *Id. Cic.* apud *Charis.* 1. p. 103. *Putsch.* A Gaditano fretu. *Porc. Licin.* apud *eumd. ibid.* Salsi fretus. *Messala* apud *eumd. ibid.* Angustiæ fretus. ¶ 2. Speciatim absolute dicitur de freto Siculo, quod primum omnium fuit Romanis cognitum et maxime frequentatum *Cic.* 2. *Att.* 1. 5. Quum se ille septimo die venisse a Freto dixisset. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 59. 154., 4. *ibid.* 7. 21. et 7. *ibid.* 2. 5.; *Cæs.* 1. *B. C.* 29.; *Horat. Epod.* 9. 7.; et *Sueton. Tib.* 2. Sic *Flor.* 2. 2. Quum a terra Fretum usque venisset. — Hinc translate. *Cic. Sext.* 8. 18. Ne Scyllæo illo æris alieni in freto ad columnam adhæresceret, in tribunatus portum perfugerat. *h. e.* in puteali Libonis et ad columnam Mæniam. V. *Scholiast.* ad *h. l.* ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 2. p. 129.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim: a Poetis ponitur pro ipso mari. *Virg.* 1. *Æn.* 611. In freta dum fluvii current. *Horat.* 1. *Od.* 15. 1. Pastor quum traheret per freta navibus Idæis Helenen. *Id. ibid.* 33. 15. fretis acrior Hadriæ. *Id.* 2. *ibid.* 7. 15. Fretum æstuosum. *Ovid.* 3. *Fast.* 568. Libycum. *Id.* 2. *Pont.* 2. 2. Euxinum. Similiter *Justin.* 44. 1. 3. Hispania inter Africam et Galliam posita Oceani freto et Pyrenæis montibus clauditur. Cf. *Liv.* 23. 5., ubi quoque de Gaditano freto sermo est. Rursus *Justin.* 4. 1. 9. *de Ætna.* Quod nusquam alias tam torrens fretum. ¶ 2. Pro cælo fretum dixit *Ennius* apud *Non.* p. 205. 29. *Merc.* Crassa pulvis oritur, omnem pervolat cæli fretum. *Forcellinus* hæc addit: Sic *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 48. *Müll.* Quaque freto cava cæruleo cortina receptat. Ita legebat *Scaliger*: at *Müllerus*, qui tamen juxta cl. *Vahlenum* de corruptelæ ratione verum non est assecutus, legit: Quæ cava corpore cæruleo cortina receptat. Certe eadem ratione dixit *Lucret.* 5. 277. aeris mare. ¶ 3. Pro vere dixit *Lucret.* 6. 363. Nam fretus ipse anni permiscet frigus et æstus. *h. e.* tempus anni, quod inter frigus caloremque intercedit. ¶ 4. Pro fervore et impetu. *Lucret.* 4. 1024. Tum quibus ætatis freta primitus insinuantur. *Flor.* 1. 26. Talis pace belloque populus Romanus fretum illud adolescentiæ, id est secundam imperii ætatem habuit. *Gell.* 10. 3. Invidiæ atque acerbitatis fretum effervescit.

FRĒTUS, a, um, particip. a verbo aliquo jamdiu obsoleto, vel, ut putat cl. *Furlanetto*, a φορέω porto, cujus verbale φορητός, et syncop. φορτός, confisos, nixus, fultus, πεποιθώς (It. *confidente, affidato, appoggiato*; Fr. *appuyé sur, confiant à, se fiant à*; Hisp. *apoyado, el qui confia*; Germ. *worauf bauend, vertrauend, sich verlassend, stützend*; Angl. *trusting to, relying or depending on*). Occurrit — *a*) Sæpissime cum Ablativo. *Ennius* apud *Non.* p. 214. 10. *Merc.* Nec metus ulla tenet, freti virtute quiescunt. *Vahlenus* ita *leg. Plaut. Cas.* 2. 5. 39. Omnes mortales dis sunt freti, sed tamen vidi ego dis fretos sæpe multos decipi. *Id. Men.* 5. 2. 16. Quæ viros subservire sibi postulant, dote fretæ. *Ter. Phorm.* 2. 1. 43. Malitia fretus sua insidias facit. *Lucret.* 6. 1058. Pondere enim fretæ partim stant. *Cic.* 2. *Orat.* 21. 103. Plerique ingenio freti. *Id. Planc.* 42. 103. Quod vobis fretus huic sæpe promisi. *Id.* 1. *Nat. D.* 19. 49. Fretus intelligentia vestra, dissero brevius, quam etc. *Id.* 3. *Fam.* 7. 6. Hæc scripsi ad te liberius, fretus conscientia officii mei. *Id.* 5. *Att.* 21. 12. Fretus gratia Bruti. *Virg.* 5. *Æn.* 430. Ille pedum melior motu, fretusque juventa. *Id.* 4. *ibid.* 245. Illa fretus agit ventos, et nubila tranat. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. 25. Amicitiis fretum ac munitum esse. *Nepos Miltiad.* 5. Fretus numero copiarum suarum. *Tac.* 4. *Hist.* 66. Fretus loco. *Flor.* 3. 8. 6. opibus et regio nomine. *Id.* 2. 12. 9. religione. — *b*) Raro admodum cum Dativo. *Liv.* 6. 13. Multitudo hostium, nulli rei, præterquam numero freta, temere prælium iniit. — *c*) Poetice cum Infinito. *Stat.* 5. *Theb.* 23. tum pontum irrumpere fretæ (*naves*) ereptasque oculis non quærere terras. *h. e.* ausæ. *Inscript.* obelisci in Circo Max. Romæ apud *Orell.* 38. AT DOMINVS MVNDI CONSTANTIVS OMNIA FRETVS CEDERE VIRTVTI, TERRIS INCEDERE IVSSIT HAVT PARTEM EXIGVAM MONTIS, PONTOQVE TVMENTI CREDIDIT.

FRĒTUS, us, m. 4. pro fiducia in sexto casu singulari. *Symmach.* 2. *Ep.* 82. (*al.* 83.) Ut sancti animi tui fretu nubem invidiæ superioris abstergeat.

FRETUS, us. *V.* FRETUM *init.*

FRIĀBĬLIS, e, adject. qui facile friatur, et minutim teri potest, *che facilmente si può sminuzzare o tritare*, ψαθυρός. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 4. 3. (29). Tofus natura friabilis. *Id.* 34. *ibid.* 18. 55. (177). Sandaraca pura friabilisque.

FRIĀTUS, a, um. *V.* FRIO.

FRĪBUSCŬLUM, i, n. 2. jurgium et levis offensa inter conjuges. *Ulp. Dig.* 24. 1. 32. § 12. Quid si divortium non intercesserit, sed fribusculum? profecto valebit donatio, si fribusculum quievit. *Brisson.* putat legendum *frivusculum*, quasi deminutivum a *frivolum*, ut sit frivolum se breve jurgium. Sæpe autem in Pandectis Florentinis *b* pro *v* poni, ut hoc ipso in loco *quiebit* pro *quievit*. Hinc *Isid.* 9. *Orig.* 7. Fribolum est, quum eo animo conjuges separantur, ut rursus ad se invicem revertantur. Alii rectius leg. *frigusculum* a *frigus*: atque ita edidit *Haloander*, quia in jurgio friget conjugalis affectus, vel familiaris cura etc.; et præterea *frigus* eleganter de amissa gratia dicitur, quam vocem *V.*

FRĬCÆ, arum, f. plur. 1. Ita saxa quædam vocabant Siculi, quod iis fortasse ad fricandum uterentur, quemadmodum *Plinius* 36. *Hist. nat.* 6. 9. (52). ait, arena quadam combusta marmora fricando poliri. Nisi vero obstaret quantitas syllabæ primæ, quæ brevis est in *fricæ*, longa vero in φρύγω torreo, illorum potius esset amplectenda sententia, qui a φρύγω derivatum putant φρύξ, φρυκός, quod esset nomen lapidis, qui torreri ac deinde liquefieri posset: eruditorum itaque esto judicium. *Sever. Ætn.* 526. Quin ipsis quædam Siculi cognomina saxis imposuere fricas, etiam ipso nomine signant Fusilem esse notas.

FRĬCĀMENTUM, i, n. 2. fricatio. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 6. Blando articulorum fricamento uti. Adde *eumd.* 3. *Tard.* 2. et 5. *ibid.* 11. *Theod. Priscian.* 1. 32. Omnia etiam linimenta vel fricamenta, quæ pruritui in superioribus, nec non etiam scabiei convenientia significavimus, etiam his apta seu utilia asseveramus.

FRĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus fricandi, *fregagione*. *Cels.* 4. 3. Fricatio omnibus vertebris utilis est. *Colum.* 6. *R. R.* 12. 1. Fricatione assidua discutitur. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 14. (53). Vehemens fricatio spissat, lenis mollit, multa adimit corpus, auget modica. *Theod. Priscian.* 1. 2. p. 2. c. 6. Dehinc oleo sicyonio (*caput*) fomentandum, præcedentibus interea fricationibus calentium sabanorum. — In politionibus parietum. *Vitruv.* 7. 6. Quibus inductis, et diligenti tectoriorum fricatione lævigatis.

FRĬCĀTOR, ōris, m. 3. qui fricat: de eo, qui frictionem adhibet ægris. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 7. Adhibita fricatione, et ministris corpulentis et mollibus, quales esse fricatores salutaribus præceptis docuimus.

FRĬCĀTŪRA, æ, f. 1. fricatio. *Vitruv.* 7. 1. Super fricaturam incernatur marmor. *et paullo supra.* Non erit exacta fricatura.

FRĬCĀTUS, a, um. *V.* FRICO.

FRĬCĀTUS, us, m. 4. idem ac fricatio. In sexto casu sing. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (124). Emendat dentium vitia crebro fricatu.

FRĬCĬUM, ii, n. 2. frictio, fricatio, seu potius speciatim quidquid fricandis poliendisque dentibus inservit: *V.* FRICATUS, us. *Plin. Valer.* 1. 36. Albi bulbi cinis dentibus fricium est. *V.* DENTIFRICIUM.

FRĬCO, fricas, fricui, fricātum *et* frictum, fricare, a. 1. Part. *Fricatus*, *Frictus* et *Fricandus*. — Fricare, ab Hebr. פרך *fricuit*, et a *frio*, est scabere, destringere, θρυγανάω, ψήχω (It. *fregare*; Fr. *frotter, frictionner*; Hisp. *flotar, estregar*; Germ. *reiben, abreiben, frottiren*; Angl. *to rub, chafe*). Occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 9. Ex industria ambæ nunquam concessavimus lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari. *Virg.* 3. *G.* 256. Sus pede prosubigit terram, fricat arbore costas. *Vel. Poeta* apud *Gell.* 15. 4. Nam mulos qui fricabat, consul factus est. *Juvenal.* 6. 577. si prurit frictus ocelli Angulus. *Martial.* 4. 90. Oleo fricare corpus. *Plin.* 8. *Ep.* 18. Dentes lavandos fricandosque præbebat. *Scribon. Compos.* 58. Hoc medicamento si quis dentes fricuerit. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (120). Lacrimæ probatio, ut sit tenuis, et in fricando odorata. *Id.* 20. *ibid.* 5. 20. (41). Alopecias fricuere tusis cæpis. *Id.* 13. *ibid.* 15. 30. (99). Splendescunt mensæ manu sicca fricatæ. *Id.* 36. *ibid.* 22. 48. (166). Tofus exestur halitu maris, fricatur vento et verberatur imbri. *Vitruv.* 7. 1. Quum pavimenta exstructa fuerint, ita fricentur, ut nulli gradus in scutulis aut trigonis exstent. *Scribon. Compos.* 253. Fricatur locus diutius et pressius. *Seren. Sammon.* 6. 76. Et lutum prodest membris adhibere fricatis. — *b*) Speciatim *fricare genua* est supplicantium. *Plaut. Asin.* 3. 3. 88. Numquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares. *V.* CONFRICO. — *c*) Item speciatim habet obscœnum sensum apud *Petron. Satyr.* 92.; et *Martial.* 11. 29.

FRICTĪLIS, e, adject. qui frigitur, apud *Apic.* 4. 2., ubi alii aliter leg. *V.* etiam FRITILLA.

FRICTĬO, ōnis, f. 3. fricatio, *fregagione*. *Cels.* 2. 14. Frictione, si vehemens sit, durari corpus; si lenis, molliri; si multa, minui; si modica, impleri. *V. Plinii* locum in *V.* FRICATIO. *Cels.* 2. 14. Frictione uti. *et ibid.* Frictionem adhibere. *et* 3. 18. lenem admovere.

FRICTOR, oris, m. 3. fricator. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 152.

FRICTRIX, icis, f. 3. tribas, τριβάς. *Tertull. Pall.* 4. *ad fin.* et *Resurr. carn.* 16. *V.* TRIBAS.

FRICTŪRA, æ, f. 1. frictus, fricatio. *Apul. fragm.* 10. *Met.* apud *Oudend.* p. 717. Priapum frequenti frictura porrixabam.

FRICTUS, a, um. *V.* FRICO et FRIGO.

FRICTUS, us, m. 4. idem ac frictio, seu fricatio. *Juvenal.* 6. 322. Frictum crissantis adorat. *Alii melius leg.* fluctum. *Capell.* 7. p. 271. Frictuque palmulari Madida retergit (*male vulgo* detergit) ora.

FRIGDOR, *V.* FRIGOR.

FRĪGĔDO, inis, f. 3. frigus, apud veteres. *Varro* apud *Non.* p. 139. 11. et 206. 20. *Merc.* Aquilonium intus servat frigedinem.

FRĪGĔFĂCĬO, facis, facere, a. 3. *raffreddare*, frigidum facere, unde est *frigefacto* frequentativum. *Boeth.* in *Porphyr.* 3. p. 100. Dicimus ignem calefacere et frigefacere, quod scilicet ad faciendum refertur. Dicimus aquam calefieri et frigefieri, quod nihilo minus ad patiendi ductior prædicamentum.

FRĪGĔFACTO, as, are, a. 1. *frequentat.* a frigefacio, frigidum omnino facio. *Plaut. Pœn.* 3. 5. 14. Calidum prandisti prandium hodie, qui hos nunc frigefactas?

FRĪGĔFĪO, pass. anom. *raffreddarsi*, frigidus fio. *V.* FRIGEFACIO.

FRĪGĔO, ges, gui, (xi), gere, n. 2. Primam syllabam licenter corripit *Capell.* 3. *sub init.* Memorans frigente vero Nili posse comere usum. *h. e.* exstincta et cessante veritate. — Præteritum *frixi* agnoscitur a *Diomed.* 1. p. 369. et *Priscian.* 9. p. 870. *Putsch.*, et probatur etiam ex compositis *refrixi*, *perfrixi* etc. *Cic.* 1. *Att.* 1. Quum Romæ a judiciis forum refrixerit. *Frixi* tamen nusquam, quod sciam, reperitur. *V.* tamen *Liv. Andronic.* in v. FRIGESCO sub I. — *Friguí* pro *frixi* usurpat *Hieronym. Ep.* 52. n. 2. Isaac duplices David annos habuit, et eum Rebecca jam vetula numquam friguit. — Part. *Frigens* in omnibus paragr. — Frigere (causativum verbi *frigĕre* et *rigere*) a ῥιγέω, quod idem significat (cf.

etiam φρίσσω et φρῖκος), *f* præmissa, ut sæpe alias loco aspirationis, est frigidus sum, algeo (It. *essere rigido o intirizzito dal freddo, essere freddo*; Fr. *être engourdi de froid, être froid, être glacé*; Hisp. *ser entorpecido de frio, ser frio, ser helado*; Germ. *vor Kälte starr oder erstarrt sein*; Angl. *to be cold or cool*).

I.) Proprie. *Ter. Phorm.* 5. 8. 5. Tange: si non totus friget, me enica. *Virg.* 6. *Æn.* 219. corpusque lavant frigentis et ungunt. *h. e.* mortui. *Pers.* 3. 108. summosque pedes attinge manusque: Non frigent. *cui paullo ante respondet*: Nil calet hic. *Sever. Ætn.* 331. Quamvis cærulea siccus Jove frigeat æther. — Huc pertinet et vetus proverbium, quod affert *Ter. Eun.* 4. 5. 6. Verbum hercle hoc verum est: Sine Cerere et Libero friget Venus. Sic *Cic.* 2. *Nat. D.* 23. 60. Ex quo illud Terentii: Sine Cerere etc.

II.) Translate. ¶ 1. Frigere est calore omnino carere, atque adeo languere, cessare, segnem, otiosum esse: ad rem *Virg.* 5. *Æn.* 395. gelidus tardante senecta Sanguis hebet, frigentque effetæ in corpore vires. — *a*) De hominibus. *Cic.* 7. *Fam.* 10. Valde metuo, ne frigeas in hibernis: quamobrem camino luculento utendum censeo. *Id.* 4. *Herenn.* 15. 21. In re frigidissima cales, in ferventissima friges. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. *ad fin.* Curioni nostro tribunatus conglaciat. (*h. e.* iners, otiosus est). – Si Parthi vos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigescimus. Quod tibi supra scripsi, Curionem valde frigere, jam calet: nam ferventissime concerpitur. *Sil. It.* 16. 597. frigens animi, nec bello prospera turba. *h. e.* segnis, timida: cui *fervens* opponitur. *Gell.* 2. 23. Quantum stupere atque frigere, quantumque mutare a Menandro Cæcilius visus est! *h. e.* hebes ac frigidus esse. — *b*) De rebus. *Quintil.* 4. 2. 59. Frigere videntur ista plerisque. *Al. leg.* frigida. *Ter. Eun.* 3. 3. 9. Ipsa accumbere mecum, mihi sese dare, sermonem quærere. Ubi friget, huc evasit, quampridem pater etc. *h. e.* ubi friget sermo, etc. *Forcellinus* vero de persona interpretatus est, scilicet: ubi, deficiente materia, cessat, vel hæret in sermone instituto. ¶ 2. Frigere est etiam nullum ab aliis calorem in se recipere, frigidum jacere atque adeo aliorum gratiam amittere, aliorum favore carere. — *a*) De hominibus. *Ter. Eun.* 2. 2. 37. Nimirum hic homines frigent. *Cic. Brut.* 50. 187. Quare tibicen Antigenidas dixerit discipulo sane frigenti ad populum: Mihi cane et Musis. *al discepolo freddamente accolto.* *Id.* 11. *Fam.* 14. Mihi crede, plane jam, Brute, frigeo: ὄργανον enim erat meum senatus; id jam est dissolutum. *Id.* 6. *Phil.* 5. 14. Jacent beneficia Nuculæ, friget patronus Antonius. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 8. 3. Memmius in adventu Cæsaris habet spem; in quo illum puto errare: hic quidem friget, Scaurum autem jampridem Pompejus abjecit. *h. e.* languet in petitione consulatus, sive populi favore caret. V. *ibid.* 2. *sub fin.* et 4. *Att.* 18. 3.; et adde *eumd.* 7. *Fam.* 18. — *b*) De rebus *Cic.* 1. *Att.* 14. Prima contio Pompeji qualis fuisset, scripsi ad te antea, non jucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis; itaque frigebat. *passò inosservata.* *Id.* 4. *Verr.* 25. 60. Quum omnia consilia (*al. leg.* judicia) frigerent. *Id.* 7. *Fam.* 11. *extr.* Sin autem ista frigebunt, recipies te ad nos.

FRĪGĔRO, as, are, a. 1. Part. *Frigerans* et *Frigerandus*. — Frigerare est frigore afficere, *rinfrescare*. *Catull.* 61. 27. Perge linquere Thespiæ Rupis Aonios specus, Lympha quos super irrigat Frigerans Aganippe. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 21. *n.* 208. Frigerandi cholerici.

FRĪGESCO, frigescis, frixi, frigescere, *inchoat.* n. 3. Præteritum *frigui* pro *frixi* videsis in v. FRIGEO sub init. — Part. *Frigescens* I. — Frigescere est frigidum fieri, ἀποψύχομαι (It. *divenir freddo, raffreddarsi*; Fr. *devenir froid, se refroidir*; Hisp. *refrigerarse, refrescarse*; Germ. *kalt werden, zu frieren anfangen, frostig werden*; Angl. *to become or grow cold*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 156. Eodem addito oleum, postea fervefacito: infundito in catinum, uti frigescat. *Lucret.* 6. 864. ubi roriferis terram nox obruit umbris, Extemplo subtus frigescit terra coitque. *Liv. Andronicus* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 92. Igitur demum Ulixi cor frixit præ pavore. *Quintil.* 11. 3. 78. Sanguis abit omnis, et pallore frigescit. *Tac.* 15. *Ann.* 70. Ubi frigescere pedes manusque intelligit. *Curt.* 8. 10. Quum crus saucium penderet, et cruore siccato frigescens vulnus aggravaret dolorem.

II.) Translate est languescere, cessare. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. *ad fin.* Si Parthi vos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigescimus. – Quod tibi supra scripsi, Curionem valde frigere, jam calet: nam ferventissime concerpitur. *Quintil.* 11. 3. 133. Vis illa dicendi solvitur et frigescit affectus. *Id.* 6. 1. 29. Non patiamur frigescere hoc opus. *h. e.* miserationem. *Id.* 1. *Declam.* 6. Frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum. *Val. Flacc.* 3. 368. patria ex oculis, acerque laborum Pulsus amor, segnique juvat frigescere luctu. *Pers.* 1. 108. vide, sis, ne majorum tibi forte Limina frigescant. *h. e.* ne gratiam potentiorum amittas, et eorum ædibus excludaris. Sic *frigus* de gratia amissa et interrupta amicitia dicitur, quam vocem vide.

FRĪGĬDĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

FRĪGĬDĀRĬUS, a, um, adject. ad frigus inducendum pertinens. *Vitruv.* 5. 10. Ahena super hypocaustum tria sunt componenda, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium; et ita collocanda, ut ex tepidario in caldarium, quantum aquæ caldæ exierit, influat; de frigidario in tepidarium ad eumdem modum. *h. e.* ahenum aquam frigidam continens. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *ante med.* Balinei cella frigidaria. *h. e.* ubi frigida lavabant. *Pallad.* 1. *R. R.* 41. Frigidaria maltha. *V.* CALDARIUS. *Id. ibid.* 40. Frigidaria fistula. *h. e.* unde aqua frigida effluit. *Petron. Satyr.* 73. Cisterna frigidaria. — Hinc

Frigidarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, — *a*) In singulari numero dicebatur cella in balneis ad corpus frigerandum. *Vitruv.* 5. 11. — *b*) In plurali numero erant cellæ frigidæ reponendis cibis, ut servarentur, *ghiacciaja*. *Lucilius* apud *Priscian.* 10. *p.* 909. *Putsch.* Sallere murænas, mercem in frigdaria ferre. *syncop.*

FRĪGĬDĒ, adverb. Comp. *Frigidius* et Sup. *Frigidissime*. — Frigide proprie est cum frigore, *freddamente*, ψυχρῶς, sed occurrit translate tantum pro languide, remisse, sine vi et efficacia; et quidem — *a*) Generatim ponitur pro languide præ timore ac pavore. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 10. 3. Quæ cupiunt, tamen ita frigide agunt, ut nolle existimentur. — *b*) Speciatim locum habet apud Rhetores, et est idem atque inaniter, exigue; atque recta opponitur graviter. *Quintil.* 6. 1. 39. Transtulit patronus aliquando puellam, quæ soror esse adversarii dicebatur, in adversa subsellia, tamquam in gremio fratris relicturus: at is a nobis præmonitus, aufugerat Tum ille, alioqui vir facundus, inopinatæ rei casu obmutuit et infantem suam frigidissime reportavit. *Id.* 6. 3. 4. Cicero multa dixit facete; et illa ipsa, quæ sunt in Verrem dicta frigidius, aliis assignavit. *Id.* 11. 3. 133. Si aliquando concitate itur, numquam non frigide reditur. *Gell.* 13. 24. Videtur tibi M. Cicero duobus verbis, idem significantibus, inepte et frigide esse usus. *Id.* 7. 3. *a med.* Hæc Tiro in Catonem non minus frigide sane, quam inaniter. *Id.* 19. 3. Turpius est exigue atque frigide laudari, quam insectanter et graviter vituperari.

FRĪGĬDĔFACTO, as, are, a. 1. frigidum facio. *Plaut. Rud.* 5. 2. 39. Os calet tibi: num gith frigidefactas? *At alii legunt*: num id frigefactas? *V.* FRIGEFACTO.

FRĪGĬDĬTAS, ātis, f. 3. ¶ 1. Pro frigore, *freddo*, usurpat *Boeth.* in *Aristot. prædic.* 3. *p.* 173. Affectiones facile mobiles et permutabiles, ut calor et frigiditas. ¶ 2. Item est frigoris captatio. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *sub init.* Generatur (*cephalæa*) sæpius perfrictione, aut frigiditate, aut contrario solis exustione, aut continuatione vigiliarum.

FRĪGĬDĬUSCŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a frigidus, subfrigidus, *freddiccio*: sed occurrit translate tantum. *Gell.* 3. 10. *sub fin.* Sed alia quoque ibidem congerit frigidiuscula: veluti septem opera esse in orbe terrarum miranda, et sapientes item veteres septem etc. *h. e.* leviora, insubidiora, parvi momenti.

FRĪGĬDO, as, are, a. 1. Part. *Frigidans* et *Frigidandus*. — Frigidare est frigidum facere, frigore afficere, *raffreddare*. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. *a med.* Plumbum tactu frigidat. *Id. ibid.* Ob frigidandum corpus. *Id.* 1. *ibid.* 17. Frigidans membranam.

FRĪGĬDŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a frigidus, aliquantum frigidus, *freddiccio*, ὑπόψυχρος. *Virg. Cir.* 251. Frigidulam injecta circumdat veste puellam. *et* 348. Frigiduli ocelli. *Catull.* 64. 130. Atque hæc extremis mœstam dixisse querelis, Frigidulos udo singultus ora cientem. *h. e.* languidulos et semimortuos.

FRĪGĬDUS, a, um, adject. Ex *Inscript.* Pompejana in *Bullett. Archeol. T.* 3. *p.* 12., quæ legitur supra duos homines ibidem pictos, quorum alter ab altero potionem his verbis petit: *Da fridum pusillum*, argui posse videtur, olim vulgo ita per syncopen pronunciatum fuisse illud adjectivum *frigidum*, quemadmodum etiamnum Neapoli *friddo* dicitur, quod Italice *freddo* appellatur. — De etymo *V.* FRIGUS init. — Comp. *Frigidior* I. 1. et II. 2.; Sup. *Frigidissimus* I. 1. et II. 1. — Frigidus est frigus habens, gelidus, algidus, ψυχρός (It. *freddo*; Fr. *froid, glacé*; Hisp. *frio, helado*; Germ. *kalt, frostig, kühl*; Angl. *cold*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum addito substantivo. *Lucret.* 6. 849. Est apud Hammonis fanum fons luce diurna Frigidus, et calidus nocturno tempore fertur. Adde *eumd. ibid.* 875. et 880. Sic *Id. ibid.* 841. et 845. frigidior humor. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 6. Nec ullum hoc frigidius flumen attigi. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 16. 13. Ut nec frigidior Thracam ambiat Hebrus. Rursus *Cic.* 3. *de republ.* 8. *extr.* Ut calida et frigida, et amara et dulcia. *Horat.* 1. *Od.* 1. 25. Manet sub Jove frigido Venator. *Virg.* 8. *Ecl.* 14. Frigida noctis umbra. *Plin.* 5. *Ep.* 6. Cælum est hieme frigidum et gelidum. *h. e.* frigus et gelu inducens. *Virg.* 3. *G.* 336. frigidus aera vesper Temperat. *Ovid.* 2. *Amor.* 16. 36. Frigidaque arboreas mulceat aura comas. *Cæs.* 4. *B. G.* 1. Ut locis frigidissimis (*Suevi*) neque vestitus præter pelles habeant quidquam. *Virg.* 2. *G.* 469. Frigida Tempe. *fresca.* Sic *Id.* 3. *ibid.* 324. frigida rura Carpamus. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 15. 9. Sic *Id. Horat.* 3. *Od.* 4. 22. Præneste. *Lucret.* 6. 1193. frigida pellis duraque. *Vitruv.* 10. 15. 2. *Schneid.* Laminæ ferreæ ex frigido ductæ. *h. e.* ferro, *tirate a ferro freddo*. *Virg.* 8. *Ecl.* 71. frigidus anguis. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 71. (115). febris. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 290. quartana. — Poetice *Horat.* 3. *Od.* 7. 6. frigidas Noctes non sine multis Insomnis lacrimis agit. *h. e.* solus, absente amica. — *Aquam frigidam suffundere* proverb. apud *Plaut.* *V.* AQUA. — *b*) Absolute, *frigida, æ*, f. 1., substantivorum more, est aqua frigida, *acqua fredda o fresca*. *Cels.* 1. 3. *ante med.* Ne ex hac quidem causa sudanti frigidam bibendam esse. *Sueton. Claud.* 40. Frigidam ægro dare. Adde *Quintil.* 5. 11. 31. *Plin.* 3. *Ep.* 5. Frigida lavari. ¶ 2. Speciatim dicitur *frigidus* de mortuis et morientibus. *Virg.* 4. *G.* 506. *de Eurydice.* Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba. Adde *Ovid.* 7. *Met.* 136. Rursus *Virg.* 4. *G.* 525. Eurydicen vox ipsa et frigida lingua, Ah miseram Eurydicen anima fugiente vocabat. *Ovid.* 11. *Met.* 743. frigida membra nati. *Virg.* 4. *Æn.* 385.; et *Val. Flacc.* 5. 26. Frigida mors. Sic *Lucret.* 3. 930. *Lachmann.* Frigida quem semel est vitai pausa secuta. ¶ 3. Item speciatim de metu percussis, et de ipso metu. *Val. Flacc.* 7. 529. Quis fragor hic? quænam tantæ, dic virgo, ruinæ? Exclamat, stricto Æsonides stans frigidus ense. *Sil. It.* 9. 19. miles nec frigidus aspicit hostem. *Id.* 2. 338. formidine turpi Frigida corda tremunt. *Juvenal.* 1. 166. Frigida mens criminibus. *Virg.* 3. *Æn.* 29. mihi frigidus horror Membra quatit. Cf. *Lucret.* 3. 291. Est et frigida multa, comes formidinis, aura. — Huc referri potest et illud *Horat.* 2. *Sat.* 6. 50. Frigidus a rostris manat per compita rumor. *h. e.* qui formidinem sive horrorem in audientes inducit. Sic *Id.* 1. *Ep.* 3. 26. Frigida curarum fomenta relinquere. *h. e.* opes et pecunia, quæ delenimenta curarum quidem præbent, frigida tamen, quibus curæ non tolluntur, sed crescunt. *Forcellinus* addit etiam *Lucret.* 4. 1053. frigida cura. *At ibi recentiores rectius leg.* fervida. *V.* integrum locum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est lentus, languens, remissus, segnis, iners, sine vi et efficacia. — *a*) De hominibus. *Cic. Brut.* 48. 178. Nimis ille quidem lentus in dicendo et pæne frigidus. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 3. 3. Frigidissimis accusatoribus uti. *O-*

vid. 2. Amor. 1. 5. Me tegat in sponsi facie non frigida virgo. h. e. amore fervens. Juvenal. 6. 124. quibus incendi frigidus ævo Laomendotiades possit. Cf. Virg. 3. G. 97. Frigidus in Venerem (equus) senior. Horat. Art. P. 464. ardentem frigidus Ætnam (Empedocles) insiluit. — b) De rebus. Virg. 7. Æn. 338. Largus opum et lingua melior; sed frigida bello Dextera. Lucan. 5. 245. et 7. 502. Frigidus ensis. h. e. nulla cæde calens, otiosus. Val. Flacc. 7. 585. clipeoque illiditur ignis Frigidus, et viso pallescit flamma veneno. Ovid. 4. Pont. 2. 45. Quid, nisi Pierides, solatia frigida, restant? — Sic frigida tecta apum, apud Virg. 4. G. 104. sunt alvearia vacua melle, et in quibus nullum apum fervet opus, ut ait Id. ibid. 169. — Frigidæ et inconstantes litteræ, Cic. 10. Fam. 16., h. e. ineptæ, frivolæ et levissimis rebus refertæ. ¶ 2. Speciatim, præcipue apud Rhetores, est insulsus, ineptus, absurdus, quasi frugis expers et sententiæ; paucis jejunus, inanis, cui salsus, facetus opponitur: et fere de rebus dicitur. Cic. Cæcin. 21. 61. Cave in ista tam frigida, tam jejuna calumnia delitescas. Id. 2. Orat. 64. 260. Hæc aut frigida sunt, aut tum salsa, quum aliud est exspectatum. Id. Brut. 67. 236. Genus acuminis in reprehendendis verbis versutum et solers, sed sæpe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum. Id. 2. Orat. 63. 256. Verba frigidiora vitare. Id. Orat. 26. 89. Vitabit quæsita, nec ex tempore ficta, sed domo allata: quæ plerumque sunt frigida. Sueton. Claud. 21. Frigidi et arcessiti joci. Quintil. 9. 3. 61. Quod etiam in jocis frigidum equidem tradi inter præcepta miror. Id. 8. 5. 30. Sententiæ leves, frigidæ, ineptæ. Id. 10. 2. 17. Illud frigidum et inane. Id. 7. 3. 74. Frigida et inanis affectatio. Id. 4. 1. 77. Illa vero frigida et puerilis est affectatio, ut etc. Id. 12. 10. 12. Quem (Ciceronem) suorum homines temporum incessere audebant ut tumidiorem – et in salibus aliquando frigidum. — Frigida negotia, h. e. levia, nullius momenti. Plin. 9. Ep. 2. Multum distringebar, plerumque frigidis negotiis, quæ simul et evocant animum et comminuunt. Sic Id. 1. ibid. 9. Subit recordatio, quot dies quam frigidis rebus absumpsi! Id. 4. ibid. 17. Omnia ista frigida et inania videntur. Cf. Seneca 2. Ira 11. Quid enim est iracundia in supervacuum tumultuante frigidius? — Absolute cum Infinito. Sueton. Cal. 26. Leve ac frigidum sit bis addere, quo propinquos amicosque pacto tractaverit. — Forcellinus addit: Dicitur etiam frigidum, quod inertes ac segnes facit: affert illa Horat. 1. Ep. 3. 26. et Lucret. 4. 1053., quæ vide supra sub I. 3. in fin.

FRIGILLA. V. FRINGILLA.

FRĪGO, is, xi, ctum vel xum, gere, a. 3. Præteritum frixi agnoscitur a Diomed. 1. p. 369. Putsch. — Part. Frictum et Frixum. — Frigere, a voce Græca φρύγω, est in sartagine torrere (It. friggere; Fr. faire griller, faire rôtir, faire frire, torréfier; Hisp. freir, tostar, asar; Germ. rösten, dörren, braten; Angl. to fry, dry, parch). Festive Plaut. Bacch. 4. 5. 7. Versabo ego illum hodie, si vivo, probe: tam frictum ego illum reddam, quam frictum est cicer. Id. Pœn. 1. 2. 113. Frictæ nuces. Cato R. R. 106. Sesquilibram salis frigito. Varro 2. R. R. 4. 21. Porcis lactentibus triticum frictum dari oportet: crudum enim solvit alvum. Horat. Art. Poet. 247. Frictum cicer. Ovid. Medic. fac. 70. inflantes corpora frige fabas. Plin. 18. Hist. nat. 7. 14. (72). Frigunt hordeum, deinde molis frangunt. Id. 22. ibid. 25. 69. (140). Fricta faba. Id. 29. ibid. 3. 11. (44). Ova fricta ex oleo. Cels. 2. 30. Panicum, milium frictum. Id. 2. 18. a med. Res eadem magis alit jurulenta, quam assa: magis assa, quam frixa. Hic tamen Targa contendit, non frixa, sed elixa legend. Sidon. 8. Ep. 14. Simila frixa in sartagine. Pelagon. Veterin. 9. Stercus equinum cum oleo et aceto et sale frixo crudum imponito. h. e. sterco di cavallo con oglio, aceto, sale soffritto, ve l'applica crudo. Adde Apic. 1. 11.; et Vulgat. interpr. 2. Reg. 6. 19. et 17. 28., et 2. Paral. 16. 3. Et Jerem. 29. 22. Ponat te Dominus sicut Sedeciam et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne.

FRĬGO, gis, gere, n. 3. correpta penultima (confer Græcum βρύχω) exponitur a Non. p. 308. 16. Merc. frigutire. Afranius apud eumd. ibid. Occasionem nacta mulier involat in collum, plorat, orat: occurrit nepos Pausilius; neptis porro de lecto frigit. gagnola, frigge, Itali enim ita dicunt de pueris submissa voce lamentantibus; quod a sono eorum, quæ friguntur, ductum videtur. Hæc Forcellinus. At ratione habita etymi et quantitatis, aliter est interpretandum. V. FRIGUTIO sub II.

FRĪGO, gis, gere, a. 3. a Non. p. 7. 10. Merc. exponitur subsilire, erigere, excitare; quod quæ friguntur, cum sono sursum subsiliunt: correptamque itidem ait habere hoc sensu primam syllabam. Varro: Sæpe totius theatri tibiis, crebro flectendo, commutari mentes, frigi animos eorum. Addit Accii duo loca, de quibus vide Bothe ad loc. cit. in Poetar. tragic. fragm. p. 215. Mihi autem videtur frigere hoc sensu idem esse ac regere cum addito digammate, ut a ῥῖγος fit rigor et frigus.

FRĪGOR, ōris, m. 3. pro frigus, freddo, occurrit apud Theod. Priscian. 2. 29. Molestissimus frigor. — Et frigdor per syncopen pro frigidor apud eumd. 2. 16. Frigdore quodam et singultu. Id. de diæta. Frigdor cordis. Hæc ex Freund.; ipse vero apud Theod. Priscian. in edit. Ald. loca non inveni.

FRĪGŎRĬFĬCUS, a, um, adject. (frigus et facio) frigus inducens, frigido, ψυχροποιητικός. Gell. 17. 8. a med. Acetum omnium maxime frigorificum est: atque id numquam tamen concrescit.

FRĪGŎRO, as, are, a. 1. idem quod frigerare, raffreddare. Cœl. Aurel. 4. Tard. 1. Frigorare cholericos. Adde eumd. 3. Acut. 21.

FRĪGŬLO, as, are, n. 1. verbum exprimens vocem graculi. Auct. carm. Philom. 28. Graculus al frigulat.

FRĪGUS, ŏris, n. 3. qualitas calori contraria: est a ῥῖγος rigor, præmissa littera f loco aspirationis, ut sæpe alias. ψῦχος (It. freddo; Fr. froid, froidure; Hisp. frio; Germ. d. Kälte, Kühle, d. Frost; Angl. cold).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Plaut. Merc. 5. 2. 19. Neque mihi ulla obsistet amnis, neque mons, neque adeo mare, nec calor, nec frigus metuo, neque ventum, neque grandinem. Sic Cic. Rosc. Am. 45. 131. Aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit. Similiter frigus et calor opponuntur apud eumd. Tim. 14.; Lucret. 2. 517.; et 6. 371.; et Virg. 2. G. 341. et 4. ibid. 36. Lucret. 1. 300. nec frigora quimus Usurpare oculis. Cic. 6. Verr. 40. 87. Quum esset vinctus nudus in aere, in imbri, in frigore. Cæs. 1. B. G. 16. Propter frigora frumenta in agris matura non erant. Cels. 2. 1. Fere matutinis temporibus frigus est. fa freddo. Horat. 2. Sat. 6. 45. Matutina parum cautos jam frigora mordent. Colum. 1. R. R. 4. 9. Loca, quæ frigoribus hiemis intolerabiliter horrent. Curt. 8. 4. Imbrem vis frigoris gelu adstringit. — Jungitur et aliis Verbis. Cic. 16. Fam. 8. Vix in ipsis tectis frigus vitatur. Id. 2. Off. 4. 13. Tecta, quibus frigorum vis pelltitur. Sic Id. 2. Nat. D. 60. 151. Ut tectis sæpti frigora caloresque pellamus. Ovid. 3. Trist. 10. 19. Pellibus arcere frigora. Virg. 7. Ecl. 6. defendere a frigore. Id. 10. ibid. 48. ne te frigora lædant. Lucret. 4. 260. Aere ferit frigus. Virg. 1. G. 93. penetrabile frigus adurit. Horat. 1. Ep. 11. 13. colligere frigus. contrarre freddo. Cels. 2. 1. Infestari frigore. Cic. Arat. 68. tremulo quatietur frigore corpus. Lucret. 3. 906. rigere frigore. Horat. 1. Ep. 17. 31. mori frigore. morir di freddo. ¶ 2. Speciatim dicitur etiam de mitigatione caloris, frescura, fresco. Virg. 1. Ecl. 8. pecudes umbras et frigora captant. Id. ibid. 52. hic inter flumina nota Et fontes sacros frigus captabis opacum. Horat. 3. Od. 13. 10. Fons præbet tauris fessis frigus amabile. Ovid. 10. Met. 129. arborea ducebat frigus ab umbra. Martial. 4. 64. Et totam licet æstimare Romam, Albanos quoque Tusculosque colles, Et quodcumque jacet sub Urbe frigus. h. e. locus viridis, amœnus et æstati frangendæ aptus. Id. 1. 56. Quisquam picta colit Spartani frigora saxi. h. e. frequentat atria divitum marmore strata Laconico, vel pavimentum opere musivo variegatum. ¶ 3. Item speciatim frigus ponitur pro hieme, quemadmodum calor pro æstate: V. CALOR. Virg. 2. Ecl. 22. Lac mihi non æstate novum, non frigore defit. Id. 1. G. 300. Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur. nell'inverno. Huc pertinent et illa Tibull. 1. 9. 39. Non lapis hanc geminæque juvent, quæ frigore sola Dormiet. h. e. hibernis noctibus. et Colum. 5. R. R. 10. 9. Ficum frigoribus ne serito. h. e. frigida tempestate. ¶ 4. Item de morte. Lucret. 3. 401. discedit in auras, Et gelidos artus in leti frigore linquit. Sic Id. 4. 925. frigus æternum leti. Ovid. 2. Met. 611. letale frigus. Stat. 3. Silv. 3. 19. animæ supremum frigus. Virg. 12. Æn. 951. illi solvuntur frigore membra, Vitaque cum gemitu fugit. ¶ 5. Item de metu. Virg. 1. Æn. 93. Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra, ingemit etc.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro segnitia, inertia, languore. Cœlius apud Cic. 8. Fam. 6. 5. Curioni nostro tribunatus congiaciat. – Si Parthi vos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigescimus. Ovid. 2. Fast. 856. tuo Tereus frigore lætus erit. ¶ 2. Item pro amissa gratia, atque abrupta amicitia, nec non pro aversione, odio, disgusto, disfavore, freddezza con cui si accoglie qualche cosa. Horat. 2. Sat. 1. 60. O puer, metuo, majorum ne quis amicus Frigore te feriat. frigus est amicitia et gratia frigescens. Sic Seneca Ep. 122. a med. Montanus Julius et amicitia Tiberii notus et frigore. Adde Sueton. Aug. 66., ut leg. Lips. et Muret.; et V. FRIGUSCULUM, FRIGESCO et REFRIGERATUS. — Quintil. 6. 1. 37. Et imperitia et rusticitas et rigor et deformitas afferunt interim frigus. h. e. vim caloremque orationis extinguunt, ut ait Forcellinus; vel potius in causa sunt, cur auditores frigescant eorumque gratia favorque amittatur. Sic Plin. 6. Ep. 15. 4. Interim Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. lo raffreddò, lo sbigottì. Forcellinus addit etiam Cic. 2. ad Q. fr. 12. 1., ubi tamen aliter interpretandum videtur. Quintil. 5. 7. 31. Ut qui rogatur intelligat, aut ne intelligere se neget, quod interrogantis non leve frigus est. Id. 2. 2. 6. Illud quæstionum et argumentorum apud corrupta judicia frigus evitant. Forcellinus hoc loco interpretatus est de re inepta, insulsa, absurda, frugis experte.

Homonym. Frigus objective, uti ajunt, spectatur; algor autem subjective: frigus esse potest, quin nos algeamus; algemus vero, quum frigoris vim patimur molestiaque inde afficimur. Gelu et rigor item objective accipiuntur: gelu enim, κρύος, est frigus quum eo pervenit, ut aqua concrescat; hinc dici poteat gelidum frigus, quia gelu plus est quam frigus, numquam vero frigidum gelu: rigor est vis frigoris et asperitas, qua membra durescunt, torpent ac sensum amittunt; hinc dicimus frigore rigere. — Inter frigus et ejus contrarium, quod est calor, medium aliquid interest, scilicet tepor, θερμότης; calor, θερμός, dicitur qua temperatus et naturalis est; ardor et fervor est magnus vel maximus calor, eo tamen discrimine, quod ardor ad solida præcipue pertinet eaque arefacit et comburit, fervor ad liquida præcipue refertur eaque facit ut bulliant. Fervor objective; æstus vero subjective accipitur, scil. qua res vel homo ita calore afficitur, ut vehementi agitatione exerceatur. — Hinc objective frigidus opponitur gelido, quemadmodum frigeo (h. e. frigidus sum) opponitur τῷ caleo (h. e. calidus sum), et aliquando etiam τῷ ferveo; contra subjective algere (h. e. frigus pati) opponitur τῷ æstuare (h. e. calorem pati). Cic. 2. Off. 3. 13. Tectis, quibus vis frigorum pelleretur et calorum molestiæ sedarentur. Varro 3. R. R. 9. 15. Evitare item caldorem et frigus oportet. Virg. 4. G. 35. nam frigore mella Cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit. Seneca 2. Ira 18. Inde quasdam humidas vocamus aridasque regiones, et calidas et frigidas. Quibus paullo supra respondent ibid. Potestates pares his sunt, frigida, fervida, arida atque humida. Sic Cic. 4. Herenn. 15. 21. In re frigidissima cales, in ferventissima frigea. Id. 2. Tusc. 14. 34. Lycurgi leges erudiunt juventutem – esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. Plin. 14. Hist. nat. 2. 4. (23). Æstu magis quam algore (vites) vexantur. Seneca 3. Ira 12. Potest aliquis non algere, quamvis ex rerum natura hiems sit; et non æstuare, quamvis menses æstivi sint. — Id. Ep. 92. med. Frigidum aliquid et calidum novimus: inter utrumque tepidum est. Si tepido illi plus frigidi ingessero, fiet frigidum; si plus calidi affudero, fiet novissime calidum. Id. 3. Ira 10. Fomentis contra frigus rigoremque pugnatur. Plin. 8. Hist. nat. 28. 12. (103). Aure ad glaciem apposita conjectare crassitudinem gelus. Cic. 1. Tusc. 18. 42. Calidior est enim, vel potius ardentior ani-

mus, quam est hic aer. *Seneca* 2. *Ira* 20. Ut minuatur, non ut consumatur calor, nimiusque ille fervor despumet. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 21. Baccæ eluantur non ferventissima aqua, sed modice calida. *Liv.* 23. 7. Omnes comprehensos, velut custodiæ causa, balneis includi jussit: ubi fervore atque æstu anima interclusa, fœdum in modum exspirarent. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 26. Circa Messanam et Mylas fimo quiddam simile, turbulentum in litus mare profert, fervetque et æstuat, non sine odore fœdo.

FRĪGUSCŬLUM, i, n. 2. *deminut.* a frigus, parvum frigus.

I.) Proprie occurrit apud *Tertull. Anim.* 25. *a med.*

II.) Translate est jurgium, offensa. *V.* FRIBUSCULUM.

FRIGUTĪO, Fringutio, Friguttio, Friguitio, Fringuitio (*tot enim modis scriptum legitur, sed primus et secundus videntur tutiores*) is, ire, n. 4. Part. *Frigutiens.* — Ceterum

I.) Proprie hoc verbum, quod ratione habita etymi cum Græco βρύχω conjungendum est, exprimit vocem fringillæ, ut *Varro* 7. *L. L.* 104. *Müll.* et *Paul. Diac.* p. 90. 14. *Müll.* docent: item aliarum avium. *Apul. Florid.* n. 17. Merulæ in remotis tesquis fringutiunt.

II.) Translate tribuitur homini, et significat subtiliter garrire, gannire, singultire, et veluti fracto gutture loqui. *Plaut. Cas.* 2. 3. 49. Quid fringutis? quid istuc tam cupide cupis? *Lævius* apud *Fulgent. Planciad. de prisco serm.* Hæc anus admodum frigutit: nimirum sauciavit se flore Liberi. *Fronto de eloq.* (edente iterum *A. Mai*) p. 229. Hoc indicat loqui te, quam eloqui, malle: murmurare potius et frigutire, quam clangere. *V.* SUGILLATIUNCULA. *Apul. de Mag.* Ego illi justius exprobraverim, quod qui eloquentiæ patrocinium vulgo profiteatur, etiam honesta dictu sordide blateret, ac sæpe in rebus nequaquam difficilibus fringultiat, vel omnino obmutescat. — Et cum Accusativo. *Id. ibid.* Audisti privignum meum vix singulas syllabas fringultientem. *h. e.* male pronunciantem, balbutientem.

FRINGILLA, Frigilla *vel* Fringuilla, æ, f. 1. (cf. φρυγίλος *Aristoph. av.* 762.) avis dicta, quod frigore cantet et vigeat, inquit *Paul. Diac.* p. 90. 14. *Müll.* Alii dictam putant a sono, quem edit. Est parvæ molis, parvique pretii in cibis. Ejus meminere *Varro* 7. *L. L.* 104. *Müll.* et *Martial.* 9. 55.

FRINGULTIO et

FRINGUTIO, is. *V.* FRIGUTIO.

FRĪO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Friatus.* — Friare est terere, comminuere; et videtur esse a πρίω *serra seco, sminuzzare, stritolare, sfarinare*, θραύω, θρύπτω. *Varro* 1. *R. R.* 9. 7. Terra, quæ quum foditur, facile frietur. *Lucret.* 1. 188. Scilicet et glæbis terrarum sæpe friatis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 28. (49). Friatum amomum. *Id. ibid.* 14. 32. (66). Ut gemma in micas frietur. *Id. ibid.* 19. 12. (92). Ut inter se tritum tarde frietur. *Id.* 34. *ibid.* 12. 29. (117). Chalcitis friat se statim.

FRĪT, indecl. ἀθήρ, dicitur illud in summa spica matura, quod est minus quam granum: a *frio*, quia facile friatur. *Varro* 1. *R. R.* 48. 3., Sed credibile est legendum *frix* a Græco φρίξ, quæ vox horrorem significat, quia summa pars spicæ horret aristis. *V. Varronis locum cit.* in URRUNCUM, ibique annotata.

FRITĪLIS. *V.* in voce sequent.

FRITILLA, æ, f. 1. pultis genus, quod in sacrificiis adhibebatur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 8. 19. (84). Et hodie sacra prisca, atque natalium pulte fritilla conficiuntur. *Seneca* 1. *Benef.* 6. *extr.* Itaque boni etiam farre ac fritilla religiosi sunt, mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint. Adde *Arnob.* 2. 21. et 7. 24. ubi al. leg. *fitilla.* Sunt etiam qui putant legendum *frictilla* a *frigo.* Alii *fritillam* retinentes, derivant a *frit*, de quo supra: ut quemadmodum *frit*, Græce ἀθήρ dicitur, ita fritillam ἀθάραν vocari. Alii ducunt a veteri voce *fritinnus* (unde ὑποκοριστικῶς *fritillus*) motus subsilientis: ex quo *fritinnire*, subsilire cum sonitu: quod faciunt tali in fritillo jactati. Eadem ratione *fritillam* ita appellari, quod inter coquendum in sartagine subsiliret. Hinc esse *ollam fritilem*, apud *Festum* p. 158. 30. *Müll.* et *Varron.* apud *Non.* p. 223. 17. *Merc.* quia in ea sal coquendo subsiliret. Corrupisse autem, qui ibi *frictilem* pro *fritilem* reposuerint. *V.* FICTILIS; ita enim legendum est locis citt. Verum hæc omnia obsoleta sunt, incerta quoque, et parvi momenti. — Plerique tamen recentiores critici in omnibus *loc. cit.* legend. putant *fritilla*, quum in plerisque codd. ita scriptum sit; vocis tamen etymon se ignorare fatentur. *Doderlein. Latein. Synonym.* vol. 6. p. 138. hanc vocem conjungendam esse ait cum *frit*, *defrutum* et βροῦτον.

FRĪTILLŬS, i, m. 2. justa *Döderlein. Latein. Synonym.* vol. 6. p. 138. deminutivum a φίδυρος, est idem ac pyrgus, πύργος, idest turricula rotunda, per quam tali mittuntur, ne digitis ita a quoquam componi possint, ut cadant ad jacientis voluntatem: qui fritillus intus trochleatim erat effictus, certosque habebat excisos gradus, quibus tali impingentes subsilirent cum sonitu. *V.* voc. præced. Alii interpretantur ipsam lusoriam tabulam, in qua jacti tali subsiliunt, *tavoliere.* Alii pyxidem ligneam, in quam conjecti tali manu agitantur, deinde in lusoriam tabulam effunduntur. Quæ interpretatio valde congruit cum illo *Martial.* 11. 1. Nec timet ædilem moto spectare fritillo, Quum videat gelidos jam prope verna lacus. *Juvenal.* 14. 5. parvoque eadem movet arma fritillo. *Martial.* 4. 14. Incertis sonat hinc et hinc fritillis. *Seneca Apocolocynt. sub fin.* Nam quoties missurus erat resonante fritillo, Utraque subducto fugiebat tessera fundo.

FRĪTINNĪO, is, ire, n. 4. Part. *Fritinniens.* — Fritinnire

I.) Proprie est cantare proprium hirundinum, aliarumque minutarum avicularum: a sono. *Varro* apud *Non.* p. 7. 15. *Merc.* Et pullos peperit fritinnientes. Adde *eumd.* 7. *L. L.* 104. *Müll.* — *Auctor carm. Philom.* cicadis tribuit, 35. Et cuculi cuculant, et rauca cicada fritinnit. Alii minus recte leg. *fritinnit rauca c.*, ita ut prima in *fritinnit* longa sit.

II.) Translate ac Poetice dicitur de infantibus loqui incipientibus, et garrientibus. In *vet. epigr.* (quod *Senecæ* tribuunt) in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 603. *Burmann.* Sic dulci Marcus qui nunc sermone fritinnit, Facundo patruos provocet ore duos. *V.* quæ *ibid.* idem *Burm.* adnotat.

FRĪVŎLUS, a, um, adject. Videtur esse a *frio*, comminuo; et est nullius momenti, aut pretii, futilis, nugatorius, inanis, levis, fragilis, σαθρός, φλίαρος (It. *frivolo, da nulla*; Fr. *frivole, futile, de peu d'importance, de peu de prix*; Hisp. *frivolo, futil, vano*; Germ. *fade, abgeschmakt, geringfügig, werthlos, nichtswürdig, untauglich, schlecth*; Angl. *frivolous, trifling, of no account, worth, or value, sorry, pitiful, futile, nugatory, empty, vain*). Occurrit — a) De rebus. *Cic.* 1. *Herenn.* 11. 16. Frivolus hic quidem jam et illiberalis est sermo. *Phædr.* 5. 8. 1. Vanus animus aura captus frivola. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 7. 5. (43). Pudet æstimantem, quam sit frivola animalium superbissimi origo, quum plerumque abortus causa fiat odor a lucernarum exstinctu. *h. e.* quam fragilis et imbecilla. *Id. ibid.* 53. 54. (186). Frivolum dictu. *Id.* 11. *ibid.* 20. 35. (102). Tam frivola ratione morientes. *Id.* 22. *ibid.* 6. 7. (15). Frivolum opus. *Id.* 25. *ibid.* 3. 7. (22). Frivola cura. *Id.* 28. *ibid.* 12. 50. (184). Frivolum videatur, non tamen omittendum. *Id. ibid.* 19. 79. (260). Frivolo joco, cui tamen aliqua debeat subesse causa. *Quintil.* 1. 6. 2. Frivola jactantia in parvis. *Id.* 7. 2. 34. Convicia levia aut frivola. *Id.* 10. 7. 21. Quia etiam, quod est in primis frivolum ac scænicum, verbum petant (*declamatores*), a quo incipiant. *Seneca Ep.* 31. Frivolus et supervacuus labor. *Sueton. Cal.* 39. Huic sedenti in auctione misit, qui nescio quid frivoli ducentis millibus traderet. *Id. Ner.* 41. Leviter frivolo auspicio mente recreata. *Gell.* 16. 12. Quædam dicit futtilia et frivola. *Id.* 18. 7. Colligitis lexidia, res tetras et inanes et frivolas. *Id.* 2. 7. Argutiola frivola et inanis. — b) De hominibus. *Id.* 15. 30. Fiunt in litterarum ostentatione inepti et frivoli. Sic *Sueton. Claud.* 15. In cognoscendo ac discernendo mira varietate animi fuit, modo circumspectus et sagax, modo inconsultus ac præceps; nonnunquam frivolus amentique similis. *che dà in scioccherie.* — Hinc

Frivola, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, dicuntur reculæ parvi pretii, pauper supellex, *masseriziuola, stracci, robe di poco prezzo.* *Juvenal.* 3. 198. jam poscit aquam, jam frivola transfert Ucalegon. *Id.* 5. 58. Romanorum omnia regum frivola. *Seneca Tranquill.* 1. Nec inter frivola mea tam altus incedo. Adde *Ulp. Dig.* 13. 7. 11. — *Paul. Diac.* p. 90. 6. *Müll.* dicit, frivola proprie esse fictilia quassa (Patavini dicunt *crepe*); unde dicta verba frivola, quæ minus sunt fide subnixa. — *Frivolum, i*, absolute. *V.* FRIBUSCULUM.

FRIVUSCULUM. *V.* FRIBUSCULUM.

FRIX. *V.* FRIT.

FRIXO, as, are, a. 1. *frequentat.* a frigo, in sartagine frequenter torrere. Occurrit tantum Part. *Frixans* apud *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. *sub init.* Vapore nimio tamquam frixantes (*partes*) densamus.

FRICTŌRĪUM, vel

FRIXŌRĪUM, ii, n. 2. *padella*, sartago, in qua quidpiam frigitur: a supino *frixum*, vel *frictum.* *Gloss. Philox.* Frixorium, τήγανον. Habet etiam *Plin. Valer.* 2. 7. Et *Macrob. de diff. Gr. Lat. verb.* p. 2738. *Putsch.* Frigo, frixi, unde frigum, frixorium, id est calefactorium. *Vulgat. vet. Ital.*, quæ adhuc in Missa legitur, *Psalm.* 101. 4. Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt. *Vulgat interpr.* habet: et ossa mea sicut cremium aruerunt.

FRIXŪRA, æ, f. sartago, frixorium. Patavini vulgo etiamnum *fersura* vocant. *Venant.* 6. *carm.* 10. 13. *de coco.* Cui sua sordentem pinxerunt arma colorem, Frixuræ, cucumæ, scafa, patella, tripes.

FRIXUS, a, um. *V.* FRIGO.

FRONDĀRĬUS, a, um, adject. ad frondes pertinens, *di frondi*, φύλλινος. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (314). Unus frondator quatuor frondarias fiscinas complere in die, justum habet.

FRONDĀTĬO, ōnis, f. 3. frondium et ramorum redundantium resectio, *sfrondamento*, ἀποφύλλισις. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 16. In frondatione cavendum, ne prolixiores pollices fiant.

FRONDĀTOR, ōris, m. 3. qui arborum ramos supervacuos amputat, et qui e frondibus manipulos facit ad pabulum animantium, et manibus folia vitium vellit, quo ardor solis uvam maturiorem reddat, uti docet *Servius* ad illud *Virg.* 1. *Ecl.* 57. Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras. *sfrondatore*, ἀποφυλλίζων. *Ovid.* 11. *Met.* 649. Falce data frondator erat, vitisque putator. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 71. (314). — Dicitur etiam de ave, quæ in frondibus habitat, vel nidificat. *Servius* ad *Virg. loc. cit.*

FRONDĔO, des, dui, ditum, dere, n. 2. Præteritum *frondui* agnoscitur a *Prisciano* 9. p. 768. *Putsch.*, et Supinum *fronditum* ab eod. *Priscian. ibid.* p. 868. Præter. *frondui* habet *Vulgat. interpr. Hebr.* 19. 4. Virga Aaron, quæ fronduerat. et *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 46. Romulus captato augurio hastam de Aventino monte in Palatinum jecit, quæ fixa fronduit et arborem fecit — Part. *Frondens.* — Frondere est frondes emittere, vel habere, φυλλιάω (It. *frondeggiare, aver frondi*; Fr. *avoir de feuilles, verdir*; Hisp. *hojecer, verdear*; Germ. *belaubt sein, grünen*; Angl. *to produce leaves, sprout, spring*). *Lucret.* 5. 214. Quum jam per terras frondent atque omnia florent. *Virg.* 3. *Ecl.* 57. Nunc frondent silvæ. *Id.* 3. *G.* 300. frondentia arbuta. *Id.* 7. *Æn.* 67. examen ramo frondente pependit. *Id. ibid* 135. frondenti tempora ramo implicat. *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 49. nigra nemus ilice frondens. *Id.* 8. *Met.* 716. frondere Philemona Baucis, Baucida conspexit senior frondere Philemon. *Colum.* 3. *R. R.* 1. 5. Vitis multa materia frondens. *Lucan.* 6. 83. Frondens campus. *h. e.* herbis et arboribus consitus. *Id.* 10. 305. quæ quamvis arbore multa Frondeat, æstatem nulla sibi mitigat umbra. *Pallad.* 4. *R. R.* 9. Serpyllum lætius frondebit, si etc. *Poeta* apud *Varron.* 7. *L. L.* 21. *Müll.* frondem ac flores addidit: Non lanas, sed in latas frondentes comas. *h. e.* fronde coronatas.

FRONDESCO, is, ere, n. 3. *inchoat.* a frondeo. — Part. *Frondescens* I. — Frondesco est frondes emittere incipio, in frondes abeo, frondeo, *frondeggiare*, φυλλιάω.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 1092. arboribus summos frondescere ramos. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 28.

69. Cælum nitescere, arbores frondescere, Vites lætificæ pampinis pubescere. *Cic.* 5. *ibid.* 13. 37. Alia hieme nudata verno tempore tepefacta frondescunt. *Virg.* 6. *Æn.* 144. simili frondescit virga metallo. *Ovid.* 4. *Met.* 395. cœpere virescere telæ Inque hederæ faciem pendens frondescere vestis. *Id.* 15. *ibid.* 561. Quum subito vidit frondescere Romulus hastam.

II.) Translate. *Hieronym. Ep.* 36. *n.* 14. Oratio verborum compositione frondescat.

FRONDEUS, a, um, adject. qui est ex frondibus. *Virg.* 4. *G.* 61. apes aquas dulces, et frondea semper Tecta petunt. *h. e.* arbores frondentes. *Id.* 1. *Æn.* 195. nemora frondea. *Ovid.* 3. *Fast.* 528. casa. *h. e.* frondibus contecta. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 4. 5. (11).; et *Inscript.* in *Bullettin. archeol.* a. 1844. p. 25. *n.* 11. Frondea corona. *h. e.* ex frondibus. *Martial.* 14. 22. *Dentiscalpium.* Lentiscum melius: sed si tibi frondea cuspis Defuerit, dentes penna levare potest.

FRONDĬCO, as, are, n. 1. idem ac frondesco. Agnoscit hujusmodi verbum *Eutyches grammat.* p. 2161. *Putsch.*, sed nullam affert Latini scriptoris auctoritatem.

FRONDĬCŌMUS, a, um, adject. frondes habens quasi comas. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 102. Frondicomis habitare locis.

FRONDĬFER *vel* frundifer, fĕra, fĕrum, adject. frondes ferens, frondoeus, *frondoso, fronzuto,* φυλλοφόρος. *Nævius* apud *Non.* p. 323. 1. *Merc.* Ite in frundiferos lucos. *Lucret.* 2. 353. Frondiferum nemus. *Id.* 1. 18. et 256. Frondiferasque domos avium. *Seneca Œdip.* 276. Frondifera sanctæ nemora Castaliæ.

FRONDĬFLŪUS, a, um, adject. cujus causa frondes cadunt. *Boeth.* 1. *metr.* 5. Frondifluæ frigore brumæ.

FRONDŌSUS, a, um, adject. Apud *Ennium* legitur *frundosus.* — Comp. *Frondosior.* — Frondosus est frondibus abundans, *frondoso, fronzuto,* φυλλώδης, πολύφυλλος. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. omne sonabat Arbustum fremitu silvai frundosai. *V.* vocem sequent. *Varro* 2. *R. R.* 5. 11. Frondosi montes. *Virg.* 8. *Æn.* 351. Collis frondoso vertice. *Id.* 2. *Ecl.* 70. Frondosa vitis. *Id.* 3. *G.* 296. Frondosa æstas. *Ovid.* 8. *Met.* 409. Frondosus ramus. *Sil. It.* 13. 596. Taxus frondosior.

FRONS, frondis, f. 3. Olim Nominativus fuit *frondis*, teste *Servio* ad *Virg.* 2. *G.* 372.: hinc *Seren. Sammon.* 30. 572. Prodest præterea cum Baccho Persica frondis. Quin etiam *fruns, frundis* dixere. *Ennius* apud *Charis.* 1. p. 105. *Putsch.* rarescunt frundes. *Id.* apud *Auson. Edyll.* 12. in *Grammaticomast.* 19. populea fruns. Et in recto casu singulari *frus* et *fros* dictum fuit, sine *n*, teste *Charis. ibid.*, ubi *Varro*: Ulmos et populos, unde est fros. Verum hæc, tamquam rustico more dicta, postea repudiata sunt, ut est apud *Priscian.* 1. p. 554. — Ceterum frons est gramen tenerius plantarum cum foliis, θαλλός, φύλλος (It. *fronde, fronda, foglie*; Fr. *feuilles, feuillage*; Hisp. *hojas, follage*; Germ. d. *Laub, d. Laubgezweig, Laubwerk*; Angl. *the leas of a tree, a branch with leaves, green bough*).

I.) Proprie occurrit — a) In singulari numero. *Ennius fragm. cit.* Populea fruns. *Cato R. R.* 37. Frons ilignea, quernea. *Varro* apud *Non.* p. 486. 13. *Merc.* Cæditur lucus, alta frons decidit. *Id.* 2. *R. R.* 5. 11. In nemoribus, ubi virgulta et frons multa. *Lucret.* 1. 118. Detulit ex Helicone perenni fronde coronam. *Virg.* 2. *G.* 365. uncis carpendæ manibus frondes. *Id. ibid.* 372. *de vitib.* dum frons tenera, imprudensque laborum. *Horat.* 4. *Od.* 4. 58. Nigræ feraci frondis in Algido. *Ovid.* 4. *Fast.* 754. data est ægræ fiscina frondis ovi. *Id.* 2. *Amor.* 19. 31. arbore frondes carpere. *Id.* 3. *Trist.* 10. 75. Adspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 34. (113). Ne caules allii in frondem luxurient. *Id.* 18. *ibid.* 31. 74. (314). Frondis præparandæ tempus hoc est. *h. e.* in pabulum pecudum decerpendæ. *Quintil.* 12. 6. 2. Neque præpropere destringatur immatura frons. *Val. Flacc.* 2. 188. delubraque festa Fronde tegunt. — b) In plurali numero. *Ennius* apud *Charis.* p. 105. *Putsch.* Rarescunt frondes. *Cic. Cæl.* 18. 42. Deserta via et inculta atque interclusa jam frondibus et virgultis relinquatur. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 28. bovem Disjunctum curas et strictis frondibus exples. *Quintil.* 2. 4. 11. Frondibus teneris non adhibendam esse falcem. *Curt.* 5. 4. Frondibus læti colles. *Gell.* 19. 12. *a med.* Ligni et frondium cædem facere. — c) Speciatim a Poetis usurpatur de corona ex frondibus. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 64. donec Alterutrum velox victoria fronde coronet. *Id.* 4. *Od.* 2. 35. fronde merita decorus. Adde *eumd.* 2. *Ep.* 1. 110. *Ovid.* 1. *Art. am.* 108. Qualibet hirsutas fronde tegente comas. *Id.* 1. *Met.* 565. perpetuos semper gere frondis honores. *Id.* 1. *Fast.* 711. Frondibus Actiacis comptos redimita capillos Pax ades. *Id.* 3. *ibid.* 482. cingere tempora frondibus.

II.) Improprie, ob similitudinem *frons carnosa* vocentur brachia quorumdam mollium. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 45. 68. (146). Urticis carnosæ frondis natura: urtica contrahit se quam maxime rigens, ac prænatante pisciculo frondem suam spargit complectensque devorat. Hæc ita effert *Aristot. Hist. anim.* l. 4. c. 6. Σαρκοειδὴς τὸ σῶμα πᾶν ἐστιν αὐτῆς τῆς κνίδης.

FRONS, ontis, f. 3. Masculino genere usurpavit *Cato* apud *Gell.* 15. 9. et apud *Festum* p. 286. 13. *Müll.* Recto fronte sequi. *Plaut.* apud *Non.* p. 205. 4. *Merc.* Coloratum frontem habere. *Cæcilius* apud *Gell. loc. cit.* Fronte hilaro. *Vitruv.* 10. 17. Frons transversarius. — Ratione habita etymi, *Varro* apud *Lactant. Opif. D.* 8. a foratu dictam putat, nempe a foraminibus oculorum. Volunt alii esse a φρονὲς pro φρόνησις *intelligentia*, vel a φροντίς *cogitatio*, quibuscum consentit *Döderleinius*, qui *Latein. Synonym. vol.* 6. p. 138. hanc vocem conjungendam esse ait cum Gr. φρὴν et φροντεῖν: alii vero a πρόσω et πρὸ deducunt. — Ceterum frons est pars faciei a superciliis usque ad capillorum radices, hinc inde temporibus terminata: quam Genio sacram fuisse, *Servius* ad *Virg.* 6. *Ecl.* 3. et 3. *Æn.* 607. tradit: unde morem esse, ut deos venerantes frontem tangant, μέτωπον (It. *fronte*; Fr. *front*; Hisp. *frente*; Germ. die *Stirn*; Angl. *the front or forepart of the head, the forehead, brow*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim dicitur tum de homine, tum de brutis, ut *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 51. (138). docet. — a) De hominibus. *Plaut. Epid.* 5. 1. 3. Quid est, quod illi caperat frons severitudine? *Cic. Sext.* 8. 19. Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio respublica, tamquam Atlante cælum, niti videretur. Sic *Id. Cluent.* 26. 72.; et *Horat.* 2. *Sat.* 2. 125. Frontem contrahere. *Seneca* 1. *Benef.* 1. adducere. *Id.* 6. *ibid.* 7. attrahere. *Plin.* 2. *Ep.* 5. remittere. *Ter. Adelph.* 5. 3. 53. exporrigere. *Horat.* 3. *Od.* 29. 16. explicare. *Martial.* 14. 183. solvere. *h. e.* exhilarare. Sic *Horat. Epod.* 13. 5. frons obducta. *Petron. Satyr.* 132. constricta. *Martial.* 11. 40. adstricta. *Plaut. Cas.* 2. 4. 3. porrectiore fronte loqui. Rursus *Cic.* 1. *Att.* 1. Frontem ferire. scilicet quod fit in vehementiori affectu, v. gr. indignationis. Sic *Id. Brut.* 80. 278. Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur. et *Quintil.* 2. 12. 10. Femur, pectus, frontem cædere. *Seneca præfat.* l. 4. *Quæst. nat. ante med.* perfricare. *Quintil.* 11. 3. 160. Capillos a fronte retroagere. *Id.* 6. 3. 60. Quum frontem candido sudario tergeret. *Id.* 11. 3. 148. Siccare frontem sudario. Alio sensu *Plin. Paneg.* 73. *ad fin.* Abstergere frontem. *h. e.* abstergere lacrimas. — Frons angusta et brevis erat in laude pulcritudinis femineæ. *Horat.* 1. *Od.* 33. 5. Insignem tenui fronte Lycorida. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 7. 26.; *Petron. Satyr.* 126.; *Martial.* 4. 42.; et *Arnob.* 2. 41. — b) De brutis. *Cæs.* 6. *B. G.* 26. Est bos cervi figura: cujus a media fronte inter aures unum cornu existit excelsius. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (181). Tauri torva fronte. *Horat.* 4. *Od.* 2. 57. Vitulus fronte curvatos imitatus ignes Lunæ. *Id.* 3. *ibid.* 13. 3. hædus cui frons turgida cornibus primis. *Ovid.* 4. *Fast.* 102. frons ovis. *Id.* 5. *Trist.* 9. 30. equi. *Seneca Œdip.* 920. minax leonis. — Et in plur. num. *Lucret.* 5. 1033. Cornua nata prius vitulo, quam frontibus extent. ¶ 2. Speciatim frons est animi janua, ut est apud *Q. Cic. Petit. cons.* 11. 44. (cujus verba sunt: Cura, ut aditus apud te diurni atque nocturni pateant, neque foribus solum ædium tuarum, sed etiam vultu ac fronte, quæ est animi janua: quæ si significat voluntatem abditam esse ac retrusam, parvi refert patere ostium.): item frons ut *Plin.* loquitur 11. *Hist. nat.* 37. 51. (138). homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index; in animo sensus ejus: — hinc sæpe accipitur pro vultu, et pro animi affectu, quem vultu præferimus. *Plaut. Aulul.* 4. 1. 13. Herile imperium ediscat, ut quod frons velit, oculi sciant. *Cic.* 14. *Att.* 13. n. 1. Non solum ex oratione, sed etiam ex vultu et oculis et fronte, ut ajunt, meum erga te amorem perspicere potuisses. *Q. Cic. Petit. cons.* 12. 46. Homines fronte et oratione magis, quam beneficio capiuntur. Rursus *Cic. Rabir. Post.* 12. 33. Si verum tum, quum verissima fronte dixerunt, nunc mentiuntur. *con volto sincero.* *Id.* 5. *Att.* 10. Hæc ipsa fero equidem fronte et vultu bellissime (*Forcellinus* cum veter. edition. leg. *et volo bellissime*), sed angor intimis sensibus. Illud *Cic.* 4. *Att.* 14. *a med.*, quod hic loci affert *Forcellinus* V. infra sub II. 5. Rursus *Cic.* 1. *ad. Q. fr.* 1. 5. 15. Multis simulationum involucris tegitur uniuscujusque natura: frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur; oratio vero sæpissime. Cf. *eumd. Prov. cons.* 4. 8. Libidines fronte et supercilio, non pudore et temperantia contegebat. *Id. Pis.* 1. 1. Non enim nos color iste servilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit. *Id.* 1. *Fam.* 9. 17. Fronte atque vultu simulatio facillime sustinetur. *Id. Amic.* 18. 65. Aperte vel odisse magis ingenui est, quam fronte occultare sententiam. Sic *Id.* 2. *Fin.* 24. 77. Ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur. *Id.* 9. *Fam.* 10. Tu adeo mihi excussam severitatem veterem putas, ut ne in foro quidem reliquiæ pristinæ frontis appareant? *h. e.* gravitatis, severitatis. *Tibull.* 2. 6. 15. frons tristis. *h. e.* severa. *Plin. Paneg.* 41. Fronte gravi et tristi supercilio esse. *Horat.* 3. *Od.* 29. 16. sollicita. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 157. mœsta. *Martial.* 2. 11. nubila. *Seneca Hippol.* 432. turbida. *Id. Herc. fur.* 471. ferox. *et* 579. tetrica. *Cic.* 3. *Tusc.* 15. 31. Frons tranquilla et serena. *Seneca* 2. *Benef.* 13. Humana, leni, placida fronte aliquid tribuere. *Virg.* 6. *Æn.* 863. frons læta. *Seneca Œdip.* 7. blanda. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 43. Et castigatæ collecta modestia frontis. *Seneca Ep.* 11.; et *Martial.* 4. 6. frons tenera. *h. e.* quæ facile erubescit. *Papinian. Dig.* 22. 5. 13. *extr.* Integræ frontis homo. *h. e.* verecundus, prudens, probus. *Plin. Paneg.* 35. Frons exsanguis et ferrea. *h. e.* impudens quæque nullum sentit pudorem. *Horat.* 2. *Od.* 5. 16. proterva. *Quintil.* 2. 4. 16. Inverecunda. *Horat.* 1. *Ep.* 9. 11. urbana. *h. e.* impudens. *Juvenal.* 13. 242. Ejectum semel attrita de fronte pudorem. ¶ 3. Item speciatim at poetice, periisse frontem de rebus, apud *Pers.* 5. 103. est, quod ait *Horat.* 2. *Ep.* 1. 80., periisse pudorem, sublatum esse pudorem ex rerum natura et commerciis: quia frons pudoris est sedes. *V.* allata in fine paragr. proxime præcedentis. ¶ 4. Item *frons occipitio prior* proverb., quo significatur, rectius geri negotia, ubi præsens est is, cuja interest, quam quum absente eo alteri mandantur: *l'occhio del padrone ingrassa il cavallo: et chi vuole, vada; chi non vuole, mandi.* *Cato R. R.* 4. Ruri si recte habitaveris, libentius et sæpius venies: fundus melius erit, minus peccabitur, fructi plus capies, frons occipitio prior est. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 5. 6. (31). Frontem domini plus prodesse, quam occipitium.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim frons dicitur de anteriore parte cujusque rei. — a) Fronti *tergum* et *latus* opponuntur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (202). Intervallum justum arborum quadrageni pedes in terga frontemque, in latera viceni. *Justin.* 1. 6. Non minus post terga, quam a frontibus. *Tac. Agric.* 35. Veritus, ne simul in frontem, simul et latera suorum pugnaretur. *per fronte insieme e per fianco.* *Curt.* 4. 13. 8. In adversum ventum non latere, sed adversa fronte direxit. Et poetice *Lucret.* 6. 117. ut non tam concurrere Frontibus adversis possint, quam de latere ire. *V.* et infra sub *c.* — b) Sine oppositis. *Cæs.* 3. *B. C.* 37. Postero die copias ante frontem castrorum struit. *Vitruv.* 3. 2. Frons ædium. *facciata.* Sic *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 485. n. 160. FRONTEM TEMPLI VETVS ET HERMIS ORNAVIT. *la facciata del tempio.* *Frontin. Aquæduc.* 22. In campo Martio, secundum frontem Septorum. *in faccia.* *Vitruv.* 3. 8. Frontes parietum.

Ovid. 1. *Fast.* 135. Omnis habet geminas hinc atque hinc janua frontes: E quibus hæc populum spectat, at illa Larem. *due faccie. Virg.* 3. *G.* 24. Vel scæna ut versis discedat frontibus. *Id.* 5. *Æn.* 157. naves una ambæ junctisque feruntur Frontibus. di pari *fronte. Auct. B. G.* 8. 9. Frons pontis. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Collis ex utraque parte lateris dejectus habebat, et frontem leniter fastigatus paullatim ad planitiem redibat. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 7. 14. (26). Frons Caucasi solibus opposita. *Id.* 3. *ibid.* 10. 15. (95). Italiæ. *Id.* 6. *ibid.* 17. 20. (53). litorum. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Ea intervalla (*trabium*) in fronte saxis effarciuntur. *Curt.* 8. 14. Frons aciei. *le prime file. Sall. Cat.* 59. Octo cohortes in fronte constituit. *Tac.* 2. *Hist.* 89. Quatuor legionum aquilæ per frontem. *Cæs.* 1. *B. C.* 80. Una fronte contra hostem castra muniunt. *Liv.* 36. 44. Æqua fronte ad pugnam procedebat. *Curt.* 4. 13. *med.* Recta fronte concurrere hosti. *cui* ibid. *opponitur* dextrum cornu. Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 32. (63). Rostrato impetu feruntur, facilius ita findentes aera, quam si recta fronte impellerent. et *Quintil.* 5. 13. 11. Tum toto corpore obnitendum et, ut sic dixerim, directa fronte pugnandum est. *Tac. Agric.* 33. Transisse æstuaria pulcrum ac decorum in frontem (*h. e.* fronti), item fugientibus periculosissima, quæ hodie prosperrima sunt. *Forcellinus* hunc locum ad posteriorem paragr. 5. retulit, et *in frontem* interpretatus est *in speciem. Id.* 2. *Hist.* 21. Dextra fronte prima legio incessit. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 174. læva fronte. Cf. *Curt.* 4. 13. *ad fin.* Frons lævi cornu hæc erat. — c) Hinc *a fronte, di fronte, in faccia*; cui *a tergo* et *a latere* opponuntur. *Cic.* 3. *Phil.* 13. 32. A tergo, a fronte, a lateribus tenebitur si in Galliam venerit. *Cæs.* 1. *B. C.* 25. A fronte atque ab utroque latere cratibus et pluteis protegebat. *Id.* 2. *B. G.* 23. Totis fere a fronte et ab sinistra parte nudatis castris. ¶ 2. Speciatim in terminis sepulcrorum est latitudo, ut apud *Horat.* 1. *Sat.* 8. 12. Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum etc. Sic passim in *Inscriptionibus* apud *Gruter.*, ut apud *Orell.* 4558., 4560. etc. ¶ 3. Item speciatim apud *Vitruv.* 10. 4. 2. *Schneid. frons tympani* in organo hydraulico est pars anterior seu facies, *le davant*, ut *Perraltus, la fronte circolare*, ut *Galiani* vertit. ¶ 4. Frons libri, *il frontispizio*, prior libri pars, ubi libri titulus. In voluminibus duæ erant frontes: altera exterior, complicato volumine, ubi titulus: altera interior, eodem evoluto, ubi libri principium. At *Bern. Quaranta* in *Mus. Borbon. T.* 1. *tab.* 12. *p.* 7. probat, frontes geminas esse partes exteriores voluminis jam complicati, ex quarum altera titulus operis penderet, cornu anteriori adnexus. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 11. Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes. *Tibull.* 3. 1. 13. Atque inter geminas pingantur cornua frontes. *Martorell. de R. thec. calam. p.* 214. (quicum sentit *Morcell. Dissert. dello scriv. degli ant. Rom. p.* 30.) contendit, frontes esse gemina operculа librorum, quæ scil. Itali *coperte* vocant; *cornua* vero eorumdem quatuor extremitates, *puntali*: porro veteres mediis frontibus umbilicos seu scutula, Italice *borchie*, addere solitos fuisse, et cornua argento decorare, vel coloribus distinguere, quemadmodum etiamnum usuvenit in codicibus præstantioribus: hinc in *Inscript.* apud *Gruter.* 174. 7. memorantur *pugillares membranacei operculis eboreis.* V. CORNU et UMBILICUS. Id confirmatur ex loco *Sidon.* 8. *Ep.* 16. Malui, ut perveniret in manus tuas volumen istud: peracta promissio est. Nam peritia tua si conctorum in membranas inspiciat signa titulorum, jam copiosum te, ni fallor, pulsat exemplar, jam venitur ad margines umbilicorum, jam tempus est, ut Satyricus (*h. e.* Juvenalis) ait, Orestem nostrum vel super terga finiri. ¶ 5. Per metaphoram dicitur de principio, vel potius de primo cujusque rei aspectu, facie, specie. *Cic.* 4. *Att.* 15. 7. Pompejus Scauro studet: sed utrum fronte an mente, dubitatur. *in apparenza. Quintil.* 1. 4. 2. Plus habet in recessu, quam in fronte promittat. *Id.* 11. 1. 61. Quid asperiorem habere frontem potest, aut quid aures hominum magis respuunt, quam quum est filio filiive advocatis in matrem perorandum? *Id.* 4. 1. 42. Ubi frons causæ non satis honesta est. *Phædr.* 4. 1. Non semper ea sunt, quæ videntur: decipit Frons prima multos. Cf. *Juvenal.* 2. 8. Frontis nulla fides. *Quintil.* 7. 1. 55. Dura prima fronte quæstio. *a prima vista. Id.* 12. 7. 8. Ex prima statim fronte dijudicare imprudentium est. — Hinc, juxta *Forcellinum, in fronte*, et *in prima fronte* proverb., *a prima vista. Ovid.* 1. *Art. am.* 463. Sed lateant vires, nec sis in fronte disertus. *Arnob.* 7. 38. Quod in prima positum, quemadmodum dicitur, fronte perstringere aures possit. Sic *fronte* apud *Terentian. de metr. p.* 2385. *Putsch.* Fronte (*h. e.* prima fronte) exile negotium Et dignum pueris putes; Aggressis labor arduus, Nec tractabile pondus est.

FRONTĀLE, is, *vel rectius*

FRONTĀLĬA, ium, n. plur. 3. sunt ornamenta frontis, præcipue in equis et elephantis, *frontale*, κεφαλόδεσμος. *Liv.* 37. 40. Ingentes ipsi erant, addebant speciem frontalia et cristæ et tergo impositæ turres. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 12. 74. (194). Equis regum frontalia etc. *Ammian.* 23. 4. Constituuntur testudinis frontalibus trisulcæ cuspides. *nelle fronti.*

FRONTĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *fronto, as*, fronte vel frontibus instruo, *di fronte.* Frontati lapides sunt lateres ceteris majores, qui parietum frontem constituunt. Hi sunt duplicis generis: alii, qui utramque; alii, qui alterutram solummodo frontem conficiunt. *Vitruv.* 2. 8. Græci non media farciunt, sed e suis frontatis perpetuum parietem consolidant: et præter cetera interponunt singulos perpetua crassitudine, utraque parte frontatos, quod διατόνους appellant, qui maxime religando confirmant parietum soliditatem. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (159). Ad tecta cortilibus latereulis frontatisque. *Sillig.* ex optimis Codicib. et quidem rectius leg. *fundamentisque.*

FRONTO, ōnis, m. 3. latam habens frontem, *chi ha gran fronte*, μέτωπίας. *Cic.* 1. *Nat. D.* 29. 80. Equos nævum habere, equos silos, flaccos, frontones, capitones? — *NB.* De nomine proprio *V.* ONOM.

FRONTŌSUS, a, um, adject. Comp. *Frontosior* I. — Frontosus est multas habens frontes.

I.) Proprie. *Augustin.* 7. *Civ. D.* 4. *extr. de Jano.* Ut quanto iste innocentior esset, tanto frontosior appareret.

II.) Translate. *Id. serm.* 1. in *Psalm.* 68. *a med.* Frontosus esto, quando audis opprobrium de Christo: prorsus esto frontosus. *h. e.* non erubescens. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

FROS. *V.* FRONS, ondis.

FRUCTESCO, is, ere, n. inchoat. 3. fructifico. *Claud. Mar. Victor. de Genesi* 1. 85. Quas (*terras*) vario raptim jusses fructescere fetu, Luxuriosa novo texerunt germina limo.

FRUCTĒTUM, i, n. 2. *Servius* ad illud *Virg.* 1. *Ecl.* 40. *ipsa hæc arbusta vocabant*; fructeta, inquit, scholastici vocabant. *V.* FRUTECTUM, quod rectum est. Est enim a *frutex*, non a *fructus.*

FRUCTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. fructum ferens, *fruttifero*, καρποφόρος. *Colum.* 4. *R. R.* 21. 3. Ex quo quum processere fructiferæ materiæ, quidquid est supra, amputatur. *Schneider.* legit *frugiferæ.* Ceterum *Id.* 11. *ibid.* 2. 46.; *Quintil.* 8. 3. 8.; et *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (112). Arbor intra tertium annum fructifera. Apud *Quintil.* loc. cit. *Spalding.* legit *frugifera. Pallad.* 3. *R. R.* 29. 3. Fructiferum sarmentum. Adde *Vulgat. interpr.* 4. *Reg.* 3. 19. et alibi sæpe.

FRUCTĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus fructificandi. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 39. *ad fin.* Fructificationes signa sunt æstatis.

FRUCTĬFĬCO, as, āvi, are, n. 1. Part. *Fructificans* et *Fructificaturus.* — Fructificare est fructum ferre. *Calpurn.* 4. *Ecl.* 91. Laurus fructificat. *Tertull. Resurr. carn.* 52. Carnem credens fructificaturam. *Ennod. Dict.* 1. p. 1048. Fructificans ferrum. Adde *Vulgat. interpr. Eccli.* 14. 18., 21. 23. et alibi sæpe.

FRUCTŪĀRĬUS, a, um, adject. ¶ 1. Est qui fructum fert, qui ad fructus pertinet, *fruttuoso, fruttifero*, ἐπικάρπιος. *Varro* 2. *R. R.* 4. 17. Scrofam parere oportet porcos, quot mammas habeat: si minus pariat, fructuariam idoneam non esse. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 9. 4. Fructuarii agri. *h. e.* qui vectigal alicui pendunt. *Colum.* 3. *R. R.* 18. 4. Fructuarii oculi vitis. *Id.* 5. *ibid.* 6. 29.; et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (181). Palmes fructuarius. *h. e.* qui protinus fructum creat. *Colum.* 5. *R. R.* 9. 15. Fructuarii rami oleæ. *Id.* 1. *ibid.* 6. 1. Villa dividitur in tres partes, urbanam, rusticam, et fructuariam. *h. e.* ad fructus pertinens. *Id. ibid.* § 9. Pars fructuaria dividitur in cellam oleariam, torculariam, cellam vinariam, defrutariam, fœnilia, paleariaque, et apothecas et horrea. ¶ 2. Item ad usumfructum pertinens. Sic *fructuarius servus* est, cujus quis usum habet solummodo, proprietatem alius. *Tryphonin. Dig.* 41. 1. 63. Adde *Julian. ibid.* 37. etc. — *Fructuaria stipulatio* apud *Paul. Dig.* 45. 1. 4. *ad fin.* quæ ususfructus nomine interponitur. — Hinc

Fructuarius, ii, m. 2. et

Fructuaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, dicitur qui vel quæ jus utendi fruendi habet, *h. e.* uti potest re aliqua, atque ex ea fructum percipere, *usufruttuario. Ulp. Dig.* 7. 1. 22. et 23. et *Paul. ibid.* 24. etc. Sic fructuaria, *Scævola ibid.* 58.

FRUCTŪŌSĒ, adverb. Comp. *Fructuosius.* — Fructuose est cum fructu, utiliter. Occurrit translate tantum apud *Alcim. Sentent.* 1. Fructuose Deo miseranti pro luminum sanitate supplicari. *Augustin. Ep.* 77. Hoc nec dici brevius, nec agi fructuosius potest.

FRUCTŪŌSUS, a, um, adject. Comp. *Fructuosior* et Sup. *Fructuosissimus* I. — Fructuosum est fecundus, utilis, fructum afferens, πολύκαρπος, ἔγκαρπος (It. *fruttuoso, fecondo, utile*; Fr. *riche en fruits, productif, fécond, fertile, fructueux*; Hisp. *abundante, fertil, fructuoso*; Germ. *fruchtreich, fruchtbar, ergiebig, einträglich, nützlich*; Angl. *fruitful*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Tusc.* 5. 13. Ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest. *Id. Rosc. Am.* 15. 43. Prædia tam pulcra, tam fructuosa. *Id. Rosc. Com.* 12. 34. Fructuosissimum fundum abstulit. *Id.* 1. *leg. Agr.* 2. 5. Ager optimus et fructuosissimus. *Id.* 2. *ibid.* 32. 87. Imminere jam fructuosissimis insulis populi Romani videbatur. *Cæs.* 1. *B. G.* 30. Locum domicilio deligerent, quem ex omni Gallia opportunissimum ac fructuosissimum judicassent. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 13. Fructuosi palmites. *Cic. Quinct.* 3. 12. Erat ei pecuaria res ampla, et rustica sane bene culta et fructuosa. *Id.* 2. *Phil.* 39. 101. Hæ quondam arationes — grandi fenore et fructuosæ ferebantur. *Varro* 1. *R. R.* 65. 2. Falerna, quanto plures annos condita habuerunt, tanto, quum prompta, sunt fructuosiora. *h. e.* majori lucro sunt, quia carius venduntur.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Orat.* 84. 344. Omnes hæ virtutes non tam ipsis, qui eas in se habent, quam generi hominum fructuosæ putantur. *Id. ibid.* 85. 346. Ea denique virtus esse videtur præstantis viri, quæ est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa. *Id. Amic.* 21. 79. Neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit, et amicos tamquam pecudes eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. *Id.* 2. *Off.* 18. 64. Est enim non modo liberale, paulum nonnunquam de suo jure decedere, sed interdum etiam fructuosum. *Id.* 3. *ibid.* 2. 5. Quum tota philosophia frugifera et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac deserta sit, tum nullus feracior in ea locus est, nec uberior quam de officiis. *Quintil.* 1. 6. 29. Non quia abstinens sit, sed quia utilis multis, id est fructuosus. *Cic. pro leg. Manil.* 6. 16. Putatisne, vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructuosi sunt, conservaveritis? et *Seneca Ep.* 9. Fructuosior est adolescentia liberorum, sed infantia dulcior. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

Homonym. Quæ huc referri possunt homonyma, sunt *fecundus, fertilis, ferax, uber, frugifer* et *fructuosus.*

I.) *Fecundus*, αὔτοκος, cui *effœtus*, h. e. viribus exhaustus opponitur, usurpatur de iis, quæ animalia generant, gestant atque edunt, ac propterea *fecunda* dicuntur bruta animalia, itemque fundus vel regio, quæ tamen tamquam persona exhibeantur; contra *fertilis*, εὔφορος, cui *sterilis* opponitur, usurpatur de iis, quæ inanima gignunt efferuntque. *Tac.* 12. *Ann.* 63. Byzantium fertili solo fecundoque mari, quia vis piscium — hos ad portus affertur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 160. Hac pecude (*sue*) nihil genuit natura fecundius. *Mela* 2. 7. *ad fin.* Sardinia fertilis et soli quam cæli melioris, atque ut fecunda (*h. e.* hominum et ferarum), ita pæne

pestilens. *Id.* 1. 9. 1. Terra mire fertilis et – animalium perfecunda generatrix. Cf. et *Tac. Germ.* 5. Terra – satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera.

II.) *Ferax* et *fertilis* in eo differunt, quod *ferax* dicitur quidquid fructus ferre potest; *fertile* autem quidquid fructus reapse fert: in *feraci* ferendorum fructuum possibilitas; in *fertili* spectatur effectus: *ferax* naturalem ac suam ferendorum fructuum vim sub oculos exhibet, nulla ratione habita artis; *fertile* vero ratione habita artis, qua succurri potest, ut largiorem proventum dare queat. Sic intelligenda illa *Colum. Arbor.* 21. Firmiores arbores et feraciores fiunt. et *ibid.* 23. Ea res et fertilem arborem reddit. — Præterea *fertile* absolute et κατ' ἐξοχήν de frugibus; *ferax* secundum quid seu speciatim de fructu aliquo usurpatur. *Seneca Consol. ad Helv.* 9. At non est hæc terra frugiferarum aut lætarum arborum ferax; nihil gignit, quod aliæ gentes petant, vix ad tutelam colentium satis fertilis. *Justin.* 44. 1. *init.* Hispania inter Africam et Galliam posita –, sicut minor utraque terra, ita utraque fertilior. *et paullo post.* Nihil certe nulla feracior terra. Hoc tamen discrimen ab argentei ævi scriptoribus tantum, nec semper tamen, servatur. — Denique *ferax*, non vero *fertilis*, translate accipitur, ut apud *Cic. Orat.* 15. 47. Nihil est feracius ingeniis.

III.) In *ubere*, quod ab *ubere*, h. e. mamma, summa nutrientium succorum atque intima pinguedo alendique vis; contra in *fecundo*, *feraci* et *fertili* edendorum fructuum vis potissimum spectatur: hinc *uber* ratione habita *fecundi*, *feracis* et *fertilis* est idem quod nutrix ratione habita matris. *Cic. Orat.* 4. 15. Periclem uberem et fecundum fuisse. *Plin. Paneg.* 43. Sitne feracius et uberius, non ad laudem modo, sed ad pecuniam, si etc. *Propert.* 1. *extr.* Umbria Me genuit terris fertilis uberibus. Cf. *Virg.* 2. *G.* 185. Quique frequens herbis et fertilis ubere campus.

IV.) Denique inter *frugiferum* et *fructuosum* idem interest discrimen, quod inter *fruges* et *fructus* (*V.* FRUCTUS in fin.). Deinde in *frugifero* fructus absolute spectantur, hoc est ratione habita terræ, arboris etc., a qua procreantur; sed in *fructuoso* speciatim spectantur, hoc est ratione habita cultoris, cujus tamquam præmium ducuntur, et hi præterea copiosi sunt. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 5. 11. (53). Cedrus frugifera non floret. *Alii vero pro* frugifera *legunt* fructifera. *Cic. Quinct.* 3. 12. Erat ei pecuaria res ampla, et rustica sane bene culta et fructuosa. *Id.* 2. *Tusc.* 5. 13. Ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest. Ceterum plura ex his, translate sumpta, simul junxit *Cic.* 3. *Off.* 2. 5. Quum tota philosophia frugifera et fructuosa – sit, tum nullus feracior in ea locus est, nec uberior, quam de officiis. *frugifera* dicitur philosophia, quod mentem animumque alit; *fructuosa* vero, quod qui philosophiæ se dederit, magnum inde studii ac laboris fructum, velut præmium, consequetur.

FRUCTUS, a, um. *V.* FRUOR.

FRUCTUS, us, m. 4. In Genit. sing. apud veteres est *fructuis* et *fructi*. *Fructuis* dictum est more Græcorum, quibus ὁ βότρυς, τοῦ βότρυος *racemus*, i, unde Latini primo *fructuos*, nam *senatuos sententia* quater occurrit in vet. *S. C. de Bacchanal.* apud *Fabrett.* p. 427., dixisse videntur, mox *fructuis*, ut et *senatuis*, *domuis*, *fluctuis*, *rituis*, *victuis* etc., teste *Gell.* 4. 16., tandem *u* et *i* in unam litteram contractis, ac proinde ultima syllaba longa *fructūs*, *senatūs*, *domūs* etc. pronunciarunt, quemadmodum et in Nominat., Accusat., Vocativo plur. *fructus* ultima itidem longa, nam et Græcis οἱ βότρυες, βότρυς, τοὺς βότρυας, τρυς, ὦ βότρυες, τρυς. *Varro* apud *Non.* p. 492. 11. *Merc.* Utrum fructuis, an delectationis causa. *Id.* 1. *R. R.* 2. 19. Capræ salivam esse fructuis venenum. — *Fructi* in secunda declinatione est *Caton. R. R.* 4. Fructi plus capies. *Ter. Adelph.* 5. 4. 16. Hoc fructi pro labore ab his fero. *Turpilius* apud *Non.* p. 491. 7. *Merc.* Satis fructi reddunt. Hinc *Fructus*, i, est etiam cognomen Rom. *Inscript.* apud *Gruter.* 366. 6. CATIO FRVCTO VICUS FACIT C. CATIVS ALEXANDER LIBERTVS. — Ceterum *fructus* a *fruor* occurrit *A*) Raro admodum abstracto; *B*) Sæpissime concreto, uti ajunt, sensu.

A) Abstracte fructus est actus fruendi, ususfructus, *il godimento*, *l'usofrutto*.

I.) Proprie. *Plaut. Cas.* 4. 4. 15. OL. Mea hæc est. ST. Scio: sed meus fructus est prior. *h. e.* ususfructus: loquitur enim unus ex duobus, qui eadem muliere se fruiturum sperabat. Adde *Ulp. Dig.* 7. 8. 14.

II.) Translate. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 2. 5. Hoc vestrum beneficium ad animi mei fructum atque lætitiam duco esse permagnum. *Nepos Eumen.* 11. Qui propter odium fructum oculis ex ejus casu capere vellent. *h. e.* delectationem. Eodem sensu dixit *Liv.* 22. 14. Spectatumne huc, ut rem fruendam oculis, sociorum cædes venimus?

B) Concreto, uti ajunt, sensu sæpissime occurrit, et fructus est omne id, quod e terra percipimus, item fetus animalium; et universim quidquid undelibet habemus, quod nos ditat ac juvat, καρπός (It. *frutto*; Fr. *fruit*, *revenu*; Hisp. *fruto*; Germ. *die Frucht*, *der Ertrag*, *Genuss*, *das Erzeugniss*; Angl. *the fruits*, *or produce*, *of the earth*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *de republ.* 17. Agros et ædificia et pecudes et immensum argenti pondus atque auri qui bona nec putare, nec appellare soleat, quod earum rerum videatur ei levis fructus, exiguus usus, incertus dominatus etc. *Id.* 2. *Off.* 3. 12. Neque agri cultura, neque frugum fructuumque reliquorum perceptio et conservatio sine hominum opera ulla esse potuisset. *Id.* 1. *Legg.* 8. 25. Pecudes partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. *Id.* 2. *Off.* 4. 11. Ex quibus multisque aliis perspicuum est, qui fructus quæque utilitas ex rebus iis, quæ sunt inanimæ percipiantur, eas nos nullo modo sine hominum manu atque opera capere potuisse. Qui denique ex bestiis fructus aut quæ commoditas, nisi homines adjuvarent, percipi posset? *Varro* 1. *R. R.* 37. 4. Omnis fere fructus quinto denique gradu pervenit ad perfectum, ac videt in villa dolium ac modium; unde sexto prodit ad usum. — *b*) Speciatim de prædiis vel fundis. *Cato R. R.* 4. Ruri si recte habitaveris, fundus melior erit, fructi plus capies. *Cic.* 11. *Att.* 2. In quos sumptus abeunt fructus prædiorum? Confer *eumd.* 2. *Cat.* 8. 18. *Varro* 1. *R. R.* 23. 1. Quoniam fructum arbitror esse fundi eum, qui ex eo satus nascitur utilis ad aliquam rem, duo consideranda restant. *Ovid.* 4. *Fast.* 641. fructu non respondente labori, Irrita decepti vota colentis erant. — *c*) Item speciatim de fetibus arborum. *Cic. Senect.* 19. 70. Ver tamquam adolescentiam significat ostenditque futuros fructus: reliqua tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata sunt. *Quintil.* 8. 5. 26. In fructibus arborum. *Id.* 8. 3. 10. Protinus (*olea*) fructum ramis pluribus feret. *Id.* 8. 3. 8. Graves fructu vites. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 12. Palmes fructu induitur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Fructus caduci et pendentes. *Id.* 18. *ibid.* 27. 67. (253). æstivi. *Id. ibid.* 29. 69. (283). hiberni et præcoces. *Petron. Satyr.* 137. Nuces graves et plenæ integro fructu. — De vindemia unius anni. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 10. Credo equidem, potesse te, scelus, Massici montis uberrimos quatuor fructus ebibere in hora una. — *d*) Item de animalium fetu. *Varro* 2. *R. R.* 1. 13. Vacca a bima aut trima fructum ferre incipit, neque longius post decimum annum procedit. *Id.* 3. *ibid.* 3. 6. Gallinarum fructus erant ova et pulli. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 158. Quæ (*oves*) neque ali, neque ullum fructum edere ex se sine cultu hominum possent. — *e*) Item de pecuniæ usuris. *Cic.* 13. *Fam.* 56. Heracleotæ et Bargyletæ, qui item debent, aut pecuniam solvant, aut fructibus suis satisfaciant. *h. e.* *o restituiscano il capitale*, *o paghino le usure*. Cf. *eumd.* 2. *Off.* 18. 64. Posse liberalitate uti non spoliantem se patrimonio, nimirum is est pecuniæ fructus maximus. — *f*) De artibus, commercio, vectigalibus aliisque rebus. *Seneca Ep.* 9. Artifex fructu artis suæ fruitur. *Liv.* 45. 40. Pecunia ex fructu metallorum coacervata. *Id.* 21. 7. In tantas brevi creverant opes, seu maritimis, seu terrestribus fructibus. *Id.* 34. 36. Fuerat ei magno fructui mare. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 30. 83. Asia multos annos vobis fructum Mithridatico bello non tulit. *Id. ibid.* 29. 81. Agri Campani vectigal neque bellis infestum, nec fructibus varium esse solet. — *g*) Universim multis jungitur Verbis, quorum præcipua hæc sunt. *Cic.* 6. *Parad.* 1. 45. Alere exercitum suis fructibus. *col suo.* *Id.* 2. *leg. Agr.* 32. 88. Comparare et condere fructus. *Varro* 5. *L. L.* 139. *Müll.* comportare. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (265). convehere. *Cic. Senect.* 7. 21. serere, percipere, condere. *Id.* 2. *Off.* 4. 14. capere ex aliqua re. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 79. decerpere (*V.* locum infra sub II.). *Id.* 1. *Ep.* 12. 1. colligere. *Quintil.* 5. 11. 24. creare. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 6. 12. (24). mittere. *Id.* 16. *ibid.* 34. 62. (148). gignere. *Ter. Phorm.* 4. 3. 75. reddere. — *In fructu esse* est fructum afferre, utilitatem habere, ut docet *Jabolen. Dig.* 33. 2. 42. In fructu id esse intelligitur, quod ad usum hominis inductum est *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. (57). Nec corpori ipsi (*piceæ*) parcitur, quoniam assula in fructu est. *Id. ibid.* 8. 13. (34). Suberi glans pessima: cortex tantum in fructu. Similiter *Cic.* 1. *Fin.* 4. 12. An partus ancillæ in fructu sit habendus.

II.) Translate. ¶ 1. Est quodcumque commodum et utilitas: ad rem *Cic. Planc.* 38. 92. Ego fructus ex republica non lætos et uberes, sed magna acerbitate permixtos tuli. Sic *Id. Sext.* 31. 68. Cui fructum pietatis suæ neque ex me, neque a populo Rom. ferre licuit. *Id.* 1. *de republ.* 4. Is fueram, cui quum liceret majores ex otio fructus capere, quam ceteris etc. Similiter *Id. Brut.* 62. 222. Fusius ex accusatione Aquilii diligentiæ fructum ceperat. *Id.* 1. *ad Brut.* 3. Quo quidem die meorum laborum et vigiliarum fructum cepi maximum: si modo est aliquis fructus ex solida veraque gloria. *Id. Pis.* 14. 31. Fructum immortalem cepi vestri in me amoris et judicii. *Id. Senect.* 18. 62. Honeste acta superior ætas fructus capit utilitatis extremos. *Id. Cæl.* 32. 80. Fructus uberes et diuturnos capere. *Id. Sull.* 1. 1. Modestiæ fructum aliquem percipere. *Id. Pis.* 24. 57. Justam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare. *Id.* 2. *Off.* 16. 56. Theophrastus talium sumptuum facultatem fructum divitiarum putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis multo et major videtur et certior. *Id.* 2. *Cat.* 4. 8. Polliceri alicui fructum libidinum. *Id.* 3. *ibid.* 12. 28. Mihi quidem ipsi quid est quod jam ad vitæ fructum possit acquiri etc.? Sic *Id. Mur.* 23. 47. Fructus vitæ. *et* 2. *Divinat.* 9. 24. Omnem fructum vitæ superioris perdidissent. *Id. Rabir. perduell.* 10. 29. Qui spe posteritatis fructuque ducatur. *Id. Amic.* 23. 87. Aufert fructum voluptatum omnium solitudo. *Id. Mur.* 19. 40. Honestissimo ordini fructus jucunditatis est restitutus. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 79. unde laboris Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus. *Quintil.* 6. *proœm.* 2. Fructus laboris. *Id.* 8. *proœm.* 26., 10. 3. 2. et 10. 7. 1. studiorum. *Juvenal.* 8. 6. Quis fructus generis, tabula jactare capaci Corvinum? *Vellej.* 2. 116. Fructu amplissimæ principis amicitiæ privatus est. ¶ 2. Apud *Capell.* 1. p. 16. Solusque ex illa (*octava regione*) veris Fructus adhibetur. *Fructus* est deus, qui Februarius fuisse videtur *Koppio*.

Homonym. *Fruges* et *fructus*, ab eodem etymo *frui*, si junguntur, sæpe in eo differunt, quod *fruges* frumenta et legumina indicant; *fructus* vero poma et baccas, hoc est arborum vinearumque fetus: hinc *fruges* parat ἄροτος seu labor et cultura, *fructus* vero φύτευσις seu plantatio. *Cic.* 3. *Nat. D.* 36. 86. Vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum et fructuum. *Id.* 2. *ibid.* 11. 37. Eas fruges atque fructus, quos terra gignit animantium causa. *Mela* 3. 6. *ad fin.* Taige sine cultu fertilis, omni fruge atque fructibus abundans. — Aliquando tamen *fruges* sunt species, *fructus* sunt genus, ut apud *Cic.* 2. *Off.* 3. 12. Frugum fructuumque reliquorum perceptio et conservatio. — Denique *fruges* absolute spectantur, utpote quæ a terra gignuntur; *fructus* vero secundum quid spectantur, sive ratione habita possessoris, qui eisdem utitur utpote suo sibi labore vel fundo partis: hinc *fructus* translate usurpatur pro commodo, utilitate, præmio etc.

FRUENDUS, a, um, *et*

FRUENS, entis. *V.* FRUOR.

FRUGĀLIS, e, adject. Comp. *Frugalior* et Sup. *Frugalissimus* II. — Frugalis proprie est ad fruges vel fructus pertinens.

I.) Proprie occurrit tantum apud *Apul. de Mundo.* Frugalis maturitas. *h. e.* frugum.

II.) Sæpius occurrit translate, a *frugi* (*V.* FRUX) et est moderatus, parcus, prudens, abstinens, tem-

perans: quo sensu positivi gradus nullius est usus, immo a *Quintil.* 1. 6. 17. aperte improbatur, namque homo *frugi* dicitur: Comparativus vero et Superlativus frequenter usurpatur, *sobrio, temperante, frugale*, χρήσιμος. *Plaut. Trin.* 3. 1. 9. Tanton' in re perulta, quam in re salva factus est frugalior? *Ter. Heaut.* 4. 3. 3. Dedo me patri nunc jam, ut frugalior sim quam vult. *Cic.* 2. *Orat.* 71. 287. Optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimus. *Id. Flacc.* 29. 71. Homines sunt tota ex Asia frugalissimi, sanctissimi, a Græcorum luxuria et levitate remotissimi. — Et de rebus. *Varro* 3. *R. R.* 2. 3. Hæc villa frugalior ac melior est, quam tua illa perpolita. *fatta con più risparmio e moderazione.*

FRŪGĀLĬTAS, ātis, f. 3. nomen abstractum ab adject. frugalis.

I.) Proprie occurrit tantum concreto, uti ajont, sensu pro frugibus. *Apul.* 9. *Met.* Hostili modo vicini tenuis incursabat pauperiem, pecua trucidando, boves abigendo, fruges adhuc immaturas obterendo: jamque totum frugalitate spoliatum, ipsis etiam glebulis exterminare gestiebat.

II.) Translate. ¶ 1. A *frugi* (*V.* FRUX) et *frugalis* II., — *a*) Generatim est idem, quod Græca σωφροσύνη, *temperanza, moderazione.* Ita enim de vi hujus vocis *Cic.* 3. *Tusc.* 8. 16. Temperans, quem Græci σώφρονα appellant, eamque virtutem σωφροσύνην vocant: quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modestiam: sed haud scio, an recta ea virtus frugalitas appellari possit, etc. *et mox.* Reliquas etiam virtutes frugalitas continet. *et mox.* Tres virtutes fortitudinem, justitiam, prudentiam frugalitas est complexa, *etc.* reliqua igitur, et quarta virtus ut sit ipsa frugalitas, etc. *V.* integr. locum, et *eumd.* 4. *Tusc.* 16. 36. et infra in FRUGI, nec non *Quintil.* 1. 6. 17. et 29. — *b*) Hinc speciatim est abstinentia, parsimonia, modestia, temperantia, *frugalità, parsimonia. Cic. Dejot.* 9. 26. Omnes sunt in illo regiæ virtutes; sed præcipue singularis et admiranda frugalitas: etsi hoc verbo scio laudari reges non solere. *et mox.* Ego tamen frugalitatem, idest modestiam et temperantiam, virtutem esse maximam judico. *Plin.* 2. *Ep.* 4. *ad fin.* Quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur. *Petron. Satyr.* 115. Cibus avidum strangulavit, abstinentem frugalitas. *Cels. præf. a med.* Vitæ genus laboriosum, aut quietum; cum luxu, aut cum frugalitate. *Quintil.* 5. 10. 73. Ex contrariis: Frugalitas bonum, luxuria enim malum. *Id.* 10. 3. 26. Bona valetudo quæque eam maxime præstat frugalitas. Adde *eumd.* 3. 7. 21., 11. 3. 19. et 12. 1. 8. ¶ 2. Hinc metaphorâ ductâ dicitur de oratione, et est idem ac modus. *Quintil.* 12. 10. 21. Quadam eloquentiæ frugalitate contenti.

FRŪGĀLĬTER, adverb. Comp. *Frugalius.* — Frugaliter occurrit translate tantum, et ¶ 1. Est sobrie, abstinenter, moderate, temperanter, *con moderazione, con sobrietà, con onesto risparmio*, σωφρόνως. *Plaut. Epid.* 4. 1. 38. Ille eam rem adeo sobrie et frugaliter accuravit, ut alias res est impense improbus. *Id. Pers.* 4. 1. 1. Si quam rem accures sobrie aut frugaliter, solet illa recte sub manus succedere. *Id. ibid.* 4. 1. 5. Si malus, aut nequam est, male res vertunt, quas agit: sin autem frugi est, eveniunt frugaliter. *h. e.* feliciter, commode. *Cic.* 2. *Fin.* 8. 25. Cur non bene? quia quod bene, id recte, frugaliter, honeste: ille porro male, prave, nequiter, turpiter cœnabat. *Id. Dom.* 43. 111. τιμωτικῶς. Omnia signa, tabulas, tota e Græcia, sane frugaliter domum suam deportavit. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 107. Quum me hortaretur, parce, frugaliter, atque Viverem ut contentus eo, quod mi ipse parasset. *Quintil. declam.* 260. extr. et *Lactant. Ira D.* 20. Frugalius vivere. ¶ 2. Transfertur etiam ad orationem (*V.* FRUGALITAS II. 2.), et est moderate. *Cic.* 2. *Fin.* 9. 25. Semovenda est igitur voluptas, non solum ut recta sequamini, sed etiam ut loqui deceat frugaliter. *Fronto* ad *Verum Imp.* (edente iterum *A. Mai*) *Ep.* 1. Summum eloquentiæ genus est de sublimibus magnifice, de tenuioribus frugaliter dicere. *h. e.* temperate.

FRŪGĀMENTA, inquit *Paul. Diac.* p. 91. 11. *Müll.*, a frugibus sunt appellata. Porro *frugamenta* quid sint, adhuc est incompertum: et sunt qui *frumenta* legendum putent.

FRŪGE. *V.* FRUX.

FRŪGES, fructus terræ. *V.* FRUX.

FRŪGESCO, is, ere, n. 3. in fruges abire, fruges ferre. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 913. et steriles frugescere parcius agros. *Tertull. Resurr. carn.* 22. florescere atque frugescere.

FRŪGI, indecl. *V.* FRUX.

FRŪGĬFER, fĕra, fĕrum, adject. fruges ferens, καρποφόρος (*It. fruttifero, frugifero*; Fr. *qui produit, qui rapport, fertile, fécond*; Hisp. *fertil, fecundo*; Germ. *fruchtbringend, früchtetragend, fruchtreich, fruchtbar*; Angl. *fruitful, fertile, bearing fruit, frugiferous*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Charis.* 1. p. 7. *Putsch.* *terrai frugiferai* dixit pro *terræ frugiferæ* per diæresin diphthongi, quomodo prisci locuti sunt. Hinc *Martial.* 11. 91. Attonitusque legis, terrai frugiferai, Accius et quidquid, Pacuviusque vomunt. *Vetus Poeta* apud *Cic. Orat.* 49. 163. Frugifera et efferta arva Asiæ tenet. Sic *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 161. Cernes jam spatia frugifera et immensa camporum. *Id.* 2. *Tusc.* 5. 13. Agri omnes frugiferi sunt, qui coluntur. *Lucret.* 6. 1. Frugiferi fetus. *Al. leg.* frugipari. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 5. 11. (53). Cedrus frugifera non floret. *Sed alii pro frugifera legunt fructifera. Ovid.* 5. *Met.* 656. Frugiferæ messes. *Id. de nuce.* 19. frugiferæ nuces. *Id.* 2. *Pont.* 1. 15. frugiferum numen. *h. e.* Ceres. *Inscript.* apud *Gruter.* 26. 8. CERERI FRVGIF. SACR. L. VEJANVS etc. Adde similem apud *Reines. cl.* 1. *n.* 35. — *Frugifer* dictus est etiam Bacchus, quem leonis effigie colebant Ægyptii (ut est apud *Arnob.* 6. 10.) et eumdem esse dicebant, atque Osirim, quo nomine significabant solem, qui frugum omnium parens est.

II.) Translate idem est atque utilis. *Cic.* 3. *Off.* 2. 5. Quum tota philosophia frugifera et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac deserta sit, tum nullus feracior in ea locus, nec uberior, quam de officiis. *Liv. præf.* Hoc illud est præcipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, te etc.

Homonym. Discrimen inter *frugiferum* et *fructuosum V.* in fin. v. FRUCTUOSUS.

FRŪGĬFĔRENS, entis, particip. ab inusit. *frugifero*, frugifer. *Lucret.* 1. 3. alma Venus, Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferentes Concelebras.

FRŪGĬLĔGUS, a, um, adject. qui fruges legit, *h. e.* colligit. *Ovid.* 7. *Met.* 624. frugilegæ formicæ.

FRŪGĬPĂRENS, entis, adject. parens frugum, frugifer. *Venant.* 3. *carm.* 13. 12. Frugiparensque manet.

FRŪGĬPĂRUS, a, um, adject. qui fructus parit. *Lucret.* 6. 1. Frugipari fetus. *Alii leg.* frugiferi. *Avien. Arat.* 1051. Singula frugiparos attollunt tempora vultus.

FRŪGĬPERDUS, a, um, adject. qui facile fruges amittit. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 46. (110). Ocissime salix amittit semen, antequam omnino maturitatem sentiat, ob id dicta ab Homero frugiperda. ὠλεσίκαρπος.

FRŪGIUS, a, um, adject. idem quod indeclin. frugi. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 198., quam ipse *ibid.* spuriam, genuinam esse putavit *Id. Frat. Arv.* p. 300. SI CASTA ET FORMOSA ACVTA, SI FRVGIA ET PRETIOSA ACVTA, SI SEDVLA ET BONI CONSILII, MARITVS FECIT M. SEGVLLIVS SECVNDVS. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

FRŪISCOR. *V.* FRUNISCOR.

FRŬĬTŪRUS et } *V.* FRUOR.
FRŬĬTUS, a, um. }

FRŪMEN, inis, n. 3. duo diversa significat, prout *A*) Est a *fruor*, aut *B*) A *rumen.*

A) Frumen a *fruor* est genus pultis in sacris adhibitæ, uti docet *Arnob.* 7. 24., de qua nihil præterea scitur.

B) Frumen *laringe, fauci*, λάρυγξ, est idem ac *rumen*, præmissa *f* ob *r* litteram aspiratam, summa gulæ pars, per quam cibum lingua demittit in ventrem, ut *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 5. 8. 27. definit. Vel tractus gulæ, qua cibus in alvum demittitur, ut *Id.* ait ad *Ter. Phorm.* 2. 2. 18. Vel gulæ prominens pars, seu eminens sub mente gutturis pars, ut *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 74. et ad 1. *Æn.* 182. Uterque autem videtur idem velle significare. *Gloss. Isid.* Ructa vel frumen in homine, rumen in bestia: pars gutturis gurgulioni proxima. *Varro* apud *Non.* p. 358. 23. *Merc.* Deinde mittit virile veretrum in frumen: offendit buccam Volumnio. *Alii perperam leg.* flumen. Ceterum hanc vocem habet et *Isid.* 17. *Orig.* 3. 2. et 6. 23., et 20. *ibid.* 2. 27.

FRŪMENTĀCEUS, a, um, adject. qui ex frumento est, *di frumento*, σιτικός. *Veget.* 2. *Veterin.* 57. Farina frumentacea. *Hieronym. Ep.* 37. n. 4. Iesus in deserto plures hordaceis panibus pascit, frumentaceis pauciores.

FRŪMENTĀRIUS, a, um, adject. *di frumento*, σιτικός, ad frumentum pertinens, et in re militari ad commeatum et pabulationem pertinens. *Varro* 1. *R. R.* 7. 9. Frumentarius campus. *da frumento. Id. ibid.* 11. 2.; et *Colum.* 2. *R. R.* 2. 16. ager. *Cæs.* 1. *B. G.* 10. Frumentaria loca. *Id.* 3. *B. C.* 73. provinciæ. *h. e.* unde petuntur frumenta. *Id. ibid.* 96. navis. *da grano, da carico. Id.* 1. *B. G.* 37. Rem frumentariam comparare. *far provvisione di viveri. et* 23. Rei frumentariæ prospicere. *et* 39. Rem frumentariam supportare. *et* 6. *ibid.* 9. providere. *et* 3. *B. C.* 16. Profectus erat ad rem frumentariam expediendam, qua anguste utebatur. *et* 7. *B. G.* 10. Ab re frumentaria laborare. *Cic.* 3. *Acad.* 5. 11. Omnem utilitatem provinciæ Siciliæ consistere in re frumentaria. *h. e.* in copia frumenti. *Cato R. R.* 2. Frumentariam rationem putare. *calcolare la raccolta del frumento. Cic. Brut.* 62. 222., *Sext.* 48. 103. et 3. *Tusc.* 20. 48. Frumentaria lex. (Lege frumentaria cuivis civi permittebatur in singulos menses quinos tritici modios vili pretio emere; teste *Sall. fragm. Hist. l.* 3. *fr.* 80. 19. edente *Kritz.* et *l.* 1. *fr.* 45. 11. Pro modio autem senos asses cum triente solvebant, teste *Scholiast. Bob.* ad *Cic. Sext.* p. 300. et 303. *Bait.*). Rursus *Cic.* 3. *Acad.* 5. 10. Frumentaria causa. *h. e.* ubi agitur de administratione frumenti habita a Verre in Sicilia (unde illa oratio *frumentaria* appellatur a *Prisciano* 6. p. 679. *Putsch.* et *Servio* ad *Virg.* 10. *Æn.* 481. etc.). *Id. ibid.* 37. 85. Frumentaria lucra. *Id.* 2. *Off.* 21. 72. C. Gracchi frumentaria magna largitio. Adde *Epit. Livii* 60. et 71. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 26. 32. (94). Frumentaria cicada. *h. e.* quæ apparet simul cum frumentis arescentibus. *Paul. Dig.* 31. 1. 87. tessera. *Id. ibid.* 27. 1. 26. Mensores frumentarii. *V.* PORTUENSIS. *De canone frumentario* inscriptus est *tit.* 15. *l.* 14. *Cod. Teod.*, quo significatur quantitas frumenti, quæ ex provinciis ad portum Ostiensem quotannis subvecta, pistoribus urbis Romæ in publicum usum vendebatur, vel gratuito plebi distribuenda erat. *P. Victor de regionib. U. R.* in Regione IX. ponit *porticum Minuciam frumentariam*, h. e. in qua tesseræ frumentariæ publice populi distribuebantur. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 553. GENIALI AVG. L. TABVLARIO FISCI FRVMENTARII TROPHIME AVG. LIB. CONJVGI OPTIMO. *Fronto Princ.-Hist.* p. 323. Frumentaria plebes. *h. e.* quæ frumentum publicum accipiebat. Ex *Sueton. Cæs.* 41. constat, eorum numerum, qui Romæ frumentum publicum accipiebant, fuisse olim viginti et trecentorum millium, qui a Cæsare ad centum quinquaginta millium redactus est. — Hinc

Frumentarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Subaudi *negotiator*, est qui frumenta vendit, *mercante da biade. Cic.* 3. *Off.* 13. 57. et 16. 67.; et *Liv.* 4. 12. et 15., et 38. 35. At *Lucilius* apud *Non.* p. 18. 22. *Merc. frumentarium* absolute dixit pro frumentario mensore. ¶ 2. Item qui in exercitu quacumque ratione frumenta comparat, cujus mentio est apud *Auct. B. G.* 8. 35. Horum numerus certus fuisse videtur in unaquaque legione. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 473. D. M. L. AEMILII FLACCI *frumentarii* LEG. XX. *valentis victricis* T. SEMPRONIVS PVDENS FRVMENTARIVS *LEGIONIS* EJVSDEM. Adde alias *ibid.* et *pag.* 666. D. M. L. PONTII GAL. NIGRINI MIL. FRVM. LEG. VII. GEM. Q. SCARVIVS MAXIMVS MIL. FRVM. LEG. EJVSD. Adde *alias* apud *Henzen.* 5632. et 6797. ¶ 3. Sub imperatoribus *frumentarii* fuere iidem qui *agentes in rebus* et *curiosi*, qui inter cetera, etiam delatorum et speculatorum officio fungebantur. Cf. *Edict. Diocl.* p. 86. et seq. *Spartian. Hadrian.* 11. Et erat curiosus non solum domus suæ, sed etiam amicorum; ita ut per frumentarios occulte omnia exploraret. *Capitolin. Macrin.* 12. Quum quidam milites ancillæ hospitis pudorem depravasse suspecti essent, atque per frumentarios ille didicisset etc. *Aurel. Vict. Cæsar* 39. *ad fin.* Remoto pestilenti frumentariorum genere, quorum nunc agentes re-

rum simillimi sunt. Multa de his *Salmas.* ad *citat. loc. Spartiani.*

FRŪMENTĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est frumenti collectio; et in re militari egressio militum ad frumentum in castra congerendum, *raccolta di grani, foraggio*, σιτολογία. — *a*) In singulari numero. *Cæs.* 6. *B. G.* 38. Frumentationem conficere. Adde *Sueton. Galb.* 20. — *b*) In plurali numero *Cæs.* 7. *B. G.* 64. Frumentationibus pabulationibusque Romanos prohibere. Adde *eumd. ibid.* 16. ¶ 2. Item largitio frumenti, quæ fiebat populo ab imperatoribus R. *Sueton. Aug.* 40. *et* 42. Sic in *Monum. Ancyr.* apud *Gruter. p.* 231. *l.* 14. CONSVL VNDECIMVM DVODECIM FRVMENTATIONES, FRVMENTO PRIVATIM COEMPTO, EMENSVS SVM. *h. e.* singulis anni mensibus plebi tesseras frumentarias dedi.

FRŪMENTĀTOR, ōris, m. 3. qui frumenta colligit; et in re militari miles, qui frumentatum egreditur, frumentarius, *frumentiere, foraggiere*, σιτολόγος. *Liv.* 2. 34. In Volscis ne emi quidem potuit; periculum quoque ab impetu hominum ipsis frumentatoribus fuit. *Id.* 31. 36. Divisis copiis, partem ad consectandos vagos frumentatores emisit.

FRŪMENTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. qui frumentum fert. *Auct. orb. descript. sub Constantio Aug.* ab *A. Maio* editus in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 402. Sequitur Calabria frumentifera in omnibus bonis.

FRŪMENTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Frumentandus* sub *B.* — Frumentari est *A*) Verbum neutrum, et *B*) Activum.

A) Neutrorum more frumentari est frumenta colligere; et fere dicitur de militibus frumenti comparandi causa egredientibus, *raccoglier grani, foraggiare*, σιτολογεῖν. *Cæs.* 4. *B. G.* 32. Legione ex consuetudine una frumentatum missa. *Id.* 6. *ibid.* 36. Frumentatum mittere. *Id.* 7. *ibid.* 73. Erat eodem tempore et materiari et frumentari et tantas munitiones fieri necesse. *Id. ibid.* 75. Nec discernere suos, nec frumentandi rationem habere. *Id.* 1. *B. C.* 48. Pabulandi aut frumentandi causa progressi. *Liv.* 31. 36. Quum in propinquo agro frumentarentur. *Pompejus ad Domit. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Frumentatum ire.

B) Active *frumentari provinciam* est frumenta provinciæ abundanter comparare. *Tertull.* 2. *ad Nat.* 8. Pharao universæ Ægypto et frumentandæ et exinde curandæ eum (*Josephum*) præfecit.

FRŪMENTUM, i, n. 2. in segetibus est quod cul mus extulit, inquit *Varro* 1. *R. R.* 48. 1. *Val. Max. Epit. de nomin.* Olim dicebant frugmentum, nunc frumentum profertur. *Varro* 5. *L. L.* 104. *Müll.* derivat a *fero*, alii recentiores a *frumen*, alii a *fruor*, quasi *fruimentum*, sed prius etymon omnibus præstat. Docet etiam *Ulp. Dig.* 50. 16. 77. frumentum id esse, quod arista in se teneat: lupinum vero et fabas fruges potius dici, quia siliqua continentur. Paullo distinctius *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 9. (48). fruges dividit in frumenta et legumina; frumenta enumerat, hiberna, quæ terra per hiemem nutriuntur, triticum, far, hordeum; æstiva, quæ æstate seruntur, milium, panicum, sesamam, horminum, irionem. *et ibid.* 8. 19. (81). addit siliginem, quæ tritici genus est, et alia externis terris peculiaria, arincam Galliæ, zeam, olyram, tiphen Græciæ et Asiæ, etc. Sic *Colum.* 8. *R. R.* 9. 2. Triticum, vel alia frumenta.

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Ut in itinere copia frumenti suppeteret. *Id. ibid.* 48. Uti frumento commeatuque Cæsarem intercluderet. *Cic.* 3. *de republ.* 9. Galli turpe esse ducunt frumentum manu quærere: itaque armati alienos agros demetunt. *Id.* 5. *Att.* 18. 2. Frumentum ex agris in loca tuta comportant. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 45. Millia frumenti tua triverit area centum. *Id.* 2. *ibid.* 3. 111. Ingens frumenti acervus. — *Frumentum comprimere* est illud abscondere caritatis tempore, quo pluris deinceps vendatur. *Cic.* 5. *Att.* 21. *a med.* Auctoritate atque cohortatione perfeci, ut et Græci et cives Romani, qui frumentum compresserant, magnum numerum populis pollicerentur. — In quo differant frumentum *decumanum*, *æstimatum*, *emptum*, vide apud *Gentili Sitolog. T.* 2. *p.* 138. — *b*) In plurali numero. *Cato* apud *Gell.* 13. 17. 1. Nunc ita ajunt in segetibus et in herbis bona frumenta esse. *Cæs.* 1. *B. G.* 16. Frumenta in agris matura non erant. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 40., 3. *ibid.* 9., 5. *ibid.* 14. et alibi sæpe. *Virg.* 1. *G.* 315. Frumenta in viridi stipula lactentia turgent. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 16. 72., 2. *ibid.* 1. 140. et 2. 161. *Cassiod.* 1. *Variar.* 34. Copia frumentorum provinciæ debet primum prodesse, cui nascitur; quia justius est, ut incolis propria fecunditas serviat, quam peregrinis commerciis studiosæ cupiditatis exhauriatur. *V.* ibi reliqua. — Sic *Cic. Orat.* 24. 81. Qua (*translatione*) frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum, sed etiam rusticorum; siquidem est eorum *gemmare vites, lætas esse segetes, luxuriosa frumenta.* — *c*) Apud *Martial. in lemmate ep.* 12. *l.* 13. *frumentum triticeum* est ipsum triticum. — *d*) Aliquando sumitur pro genere frumenti peculiari, nempe pro tritico, ut videtur *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (65). Et fortunatam Italiam frumento canere candido. *Martial.* 12. 73. Frumentum, milium, ptisanamque, fabamque. — *e*) *Servus a frumento* fuit inter officia domus Augustæ, cui ministrandi et dispensandi frumenti cura demandata erat. *Inscript.* apud *Gruter.* 192. 8. *et* 9. et *p.* 193. 1. *et* 2. Sic apud *Murat.* 78. 1. CHRYSANTVS AVG. DISP. A FRVMENTO. *V.* TRITICARIUS. — Ceterum frumenti populo dividundi cura memoratur a *Sueton. Aug.* 37.; in *Inscript.* autem, qui ei rei præerat, dicebatur *præfectus frumenti dandi*, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 77., 2702., 3658. et 4910. Augustus primum prætoriis viris, deinde consularibus id muneris dedit, ut legitur apud *Dionem* allatum a *Baumgarten.* ad *Sueton. loc. cit.*

II.) Translate. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (82). et 17. *ibid.* 27. 44. (256). vocat *frumenta* minuta grana in ficis, quoniam milii similia sunt.

FRŪMO, is, ere, n. 3. vesci. *Isid.* 17. *Orig.* 3. Frumenta vel fruges a frumendo, hoc est a vescendo, dictæ. *V.* FRUMEN.

FRUNDĬFER, fĕra, fĕrum, *et*

FRUNDŌSUS, a, um. *V.* FRONDIFER et FRONDOSUS.

FRUNISCOR, nisceris, nitus sum, nisci, dep. 3. Idem quod fruor, *fruire, godere.* Verbum est antiquum et pæne obsoletum. Al. leg. *fruisci.* Et sane a *fruor* veri similius est *fruiscor* fieri, quam *fruniscor.* Tamen constanter legitur apud *Gell.*, qui de eo sic habet 17. 2. *Frunisci* rarius fuit in ætate M. Tullii, ac deinceps infra rarissimum: dubitatumque est ab imperitis antiquitatis, an Latinum foret: non modo autem Latinum, sed jucundius amœniusque etiam verbum est *fruniscor*, quam *fruor*; et ut *fatiscor* a *fateor*, ita *fruniscor* factum est a *fruor.* Deinde subdit exemplum *Q. Metelli Numidici*, qui caste pureque lingua usus Latina videtur; et *Novii* in *Atellana.* Verba *Q. Metelli Num.* sunt: Ego neque aqua, neque igni careo, et summa gloria fruniscor. Verba *Novii* sunt: Quod magno opere quæsiverunt, id frunisci non queunt. Qui non parsit apud se, frunitus est. Cf. *eumd.* apud *Non. p.* 113. 7. *Merc.* Sic *Q. Claudius Quadrigarius* apud *Gell. loc. cit.* et apud *Non.* (ubi male *Cælius* pro *Claudius*) *loc. cit.* Domus suas quemque ire jubet, et sua omnia frunisci. *Paul. Diac. p.* 92. 9. *Müll.* hæc habet: *Fruniscor* et *frunitum* dixit *Cato*: nosque quum adhuc dicimus *infrunitum*, certum est antiquos dixisse *frunitum. Plaut. Rud.* 4. 3. 73. Hinc tu nisi malum, frunisci nihil potes, ne postules. *Lucilius* apud *Non. loc. cit.* Æque fruniscor ego ac tu. *Petron. fragm. Tragur.* 43. *Burmann.* Frunitus est, quamdiu vixit. *et* 44. Ita meos fruniscar. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 237. *n.* 633. FILIIS SVIS INFELICISSIMIS, QVI AETATE SVA FRVNITI NON SVNT. *Alia* apud *Odoric. Dissert. p.* 164., quæ est apud *Orell.* 4768. QVEM NON LIQVIT (*h. e.* licuit) NOS FRVNISCI.

FRUNĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

FRUNS, undis. *V.* FRONS, ondis.

FRUNS, untis. *V.* FRONS, ontis.

FRŬOR, frŭĕris, fructus *vel* frūitus sum, frui, dep. 3. Part. *Fruens, Fructus, Fruitus, Fruiturus* sub 1.; *Fruendus* sub 1. et 2. — Ratione habita etymi, *Donatus* ad *Ter. Eun.* 4. 7. *extr.* docet *frui* proprie esse vesci, a *frumine*, quæ est summa gulæ pars: per catachresin autem dici de iis etiam, quibus non vescimur. Alii a Græco φορὸς, quod a φέρω, notationem trahunt. *Forcellino* fruor proprie est frango mihi et comminuo dentibus, a *fruo* pro *frao*, ex quo *frago*, dein *frango.* Illud *frustum* dedit, *h. e.* fractum. Hinc etiam deducendum vulgare nostrum *fruare*, h. e. consumare. Eadem origo verbi *freo*, unde *frendo* et *fresus*, et *frio*, unde *frivo.* Ceterum, quidquid sit de etymo, frui est fructum percipere, potiri, ἀπολαύω (It. *fruire, godere*; Fr. *jouir de, user de*; Hisp. *gozar de una cosa, usar de una cosa*; Germ. *Genuss haben von etwas, es geniessen*; Angl. *to enjoy, reap the fruits of*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Ablativo — Rei, qua quis fruitur. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 2. Frui gaudio. *Lucret.* 2. 647. divûm natura necesse est immortali ævo summa cum pace fruatur. Sic *Cic.* 6. *de republ.* 13. Omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in cælo ac definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur. Adde *Lucret.* 4. 1071. *Id.* 3. 358.; *Cic. Cluent.* 61. 170.; et *Sall. Cat.* 1. Frui vita. *Cic.* 1. *Nat. D.* 37. 103. Utatur suis bonis oportet et fruatur, qui beatus futurus est. *Id.* 2. *ibid.* 60. 152. Plurimis maritimis rebus fruimur atque utimur. *Id. Rosc. Am.* 45. 131. Commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, a Deo nobis dari videmus. Ceterum in quo differat *frui* ab *uti*, V. infra in Homonym. Rursus *Cic. Dom.* 30. 79. Frui civitate. *Id. Amic.* 4. 15. recordatione nostræ amicitiæ. *Id. ibid.* 9. 32. usu alicujus et moribus. *Id. ibid.* 13. 44. securitate. *Id.* 3. *Tusc.* 17. 38. Qui præsentibus voluptatibus frueretur, confideretque, se fruiturum in omni parte vitæ. Sic *Id.* 3. *de republ.* 12. Frui voluptatibus. *Id. post redit. ad Quir.* 1. 2. lætitiæ voluptate. *Cæs.* 3. *B. G.* 22. omnibus in vita commodis una cum aliquo. *Brutus* apud *Cic.* 1. *Ep.* 16. *ante med.* beneficiis atque honoribus. *Nepos Cimon.* 4. rebus. *Id. Epam.* 5. pace diutina. *Propert.* 2. 1. 48. uno amore. *Virg.* 7. *Æn.* 90. deorum colloquio. *Id.* 1. *G.* 300. parto. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 1. fructibus. *Ovid.* 3. *Fast.* 554. thalamis. *Id.* 2. *Met.* 779. somno. *Id. Heroid.* 6. 75. votis, *h. e.* iis, quæ voto petieras. Cf. *Justin.* 8. 3. 11. Urbem antiquam et nobilem exscindit, et fratres olim destinato supplicio tradit: prædaque ingenti pariter et parricidii voto fruitur. *Seneca Ep.* 93. *a med.* Omnium rerum cognitione fruiti sumus. *Sueton. Aug.* 98. Frui libertate et fortunis. *Quintil.* 11. 3. 11. persuasione sua. *Vellej.* 2. 104. Illi spectaculo, quo fructus sum. Adde *Eumen. Paneg. Constant. Aug.* 5. *Plin.* 2. *Ep.* 2. Ipse ad villam partim studiis, partim desidia fruor. *Id.* 7. *ibid.* 7. otio. *Amman.* 27. 3. otio copiisque. *Ulp. Dig.* 7. 4. 29. Non meo nomine, sed suo fruitus est emptor. *Gell.* 19. 8. Sermonibus alicujus frui. — Cum Ablativo personæ. *Cic.* 2. *Att.* 1. 4. Neque te fruimur, et tu nobis cares. *h. e.* convictu et consuetudine tua. Sic *Nepos Att.* 20. Quum propter suas occupationes minus sæpe, quam vellet, Attico frueretur. *Curt.* 9. 6. 17. Confitendum est, numquam mihi vitam meam fuisse tam caram, quam esse cœpit, ut vobis diu frui possim. *Plin.* 1. *Ep.* 10. 9. Quamquam quid ego plura de viro, quo mihi frui non licet? *Ovid. Heroid.* 2. 79. Illa (nec invideo) fruitur meliore marito. Sic *Tibull.* 3. 3. 32. cara conjuge. Obscœno sensu etiam *Plaut. Asin.* 5. 2. 68. Ut sinat sese alternas cum illo noctes hac frui. *Forcellinus et al. leg.* hanc: et cl. *Furlanetto* in suis MSS. nihil in *Forcellino* mutandum ait, *Caper* enim *p.* 2240. *Putsch.* Fruitus sum illam rem, veteres dixerunt, non fruitus sum illa re. Adde *Propert.* 2. 9. 24. — *b*) Cum Accusativo. *Cato R. R.* 149. Pabulum frui occipito ex Kalend. Septembr. *Ter. Heaut.* 2. 1. 21. Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui! *far a mio talento, seguire il mio genio. Lucret.* 3. 954. ea, quæ fructus cumque es, periere. *Apul.* 8. *Met.* Frui nuptias. *Al. leg.* nuptiis. *Inscript.* apud *Gruter.* 204. *ad fin.*, quæ est apud *Orell.* 3121. PRATA, QVAS PROXIMA AESTATE HABVERVNT FRVCTIQVE SVNT. *Tab. æn.* apud *eumd. p.* 500. et apud *Murat. p.* 582. QVODQVE EARVM RERVM II ANTEA HABVERVNT, POSSEDERVNT, VSI, FRVCTIVE SVNT. *Inscript.* apud *Gruter.* 986. 7. DVM LIBVIT, SVAVITER FRVCTI SVNT ANNOS LV. — Hinc Particip. pass. *fruendus* apud *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. 33. Permittitur infinita potestas innumerabilis pecuniæ conficiendæ de vestris vectigalibus, non fruendis, sed alienandis. *Id.* 1. *Fin.* 1. 3. Non paranda nobis solum ea (*sapientia*), sed fruenda etiam est. *Id. Senect.* 16. 57. Agro bene culto nihil potest esse uberius, nec ornatius: ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat senectus.

Id. 1. Off. 30. 106. Tenere voluptatis fruendæ modum. Id. 2. ibid. 12. 41. Apud majores nostros justitiæ fruendæ causa videntur olim bene morati reges constituti. Adde eumd. Mil. 23. 63. Liv. 21. 3. Florem ætatis Hasdrubal, quem ipse patri Hannibalis fruendum præbuit, justo jure eum a filio repeti censet. Adde eumd. 22. 14. Ovid. Heroid. 20. 119. Servetur facies lata fruenda mihi. — c) Absolute. Ter. Heaut. 2. 3. 104. Datur: fruare, dum licet. h. e. conceditur amica, ejus amore potiare. V. POTIOR. Cic. Senect. 14. 47. Cupidis rerum talium odiosum fortasse est carere: satiatis vero et expletis jucundius est carere, quam frui. Sic Id. post redit. ad Quir. 1. 3. Ludi quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. Id. 2. Legg. 7. 16. Quæ gignuntur nobis ad fruendum. Horat. 1. Ep. 4. 7. Di tibi divitias dederunt artemque fruendi. Adde Plin. Paneg. 50.; et Nazar. Paneg. Constant. Aug. 37. ¶ 2. Speciatim frui nonnunquam significat delectari, dilettarsi, prender piacere. — a) Cum Ablativo. Curt. 6. 3. 5. Frui laude et gloria. Flor. 2. 7. 15. cantu. Val. Flacc. 5. 380. pace fruens. Id. 4. 38. Visu fruens. Sil. It. 12. 566. fruiturque timore parentum. Martial. 8. 30. de Scævola. Aspicis, ut teneat flammas pœnaque fruatur! Claudian. Cons. Mall. 224. Qui fruitur pœna, ferus est. — b) Absolute. Plin. Paneg. 34. Agnoscebamus et fruebamur, quum velut piaculares victimæ ad supplicia ducerentur. Tac. 3. Hist. 83. Velut festis diebus id quoque gaudium accederet, exsultabant, fruebantur, nulla partium cura, malis publicis læti. ¶ 3. Item speciatim apud JCtos est re aliqua ita potiri, ut ejus fructum tantummodo percipias, re salva et integra domino suo manente. Latiori sensu Ter. Adelph. 5. 8. 27. Agelli est hic sub urbe paulum, quod locitas foras: huic demus, qui fruatur. Stricto sensu Cic. Rosc. Am. 15. 44. Quid? si constat, hunc non modo colendis prædiis præfuisse, sed certis fundis patre vivo frui solitum esse? Liv. 27. 11. Ut censores agrum Campanum fruendum locarent. dessero a godere. Adde eumd. 32. 7. Paul. Dig. 6. 3. 1. Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt a municipibus. Inscript. apud Orell. 3121. IS EVM AGRVM NEI HABETO NIVE FRVIMINO — QVAM QVISQVE EORVM AGRVM POSSIDEBIT INVITIS AIS NI QVIS SICET, NIVE PASCAT, NIVE FRVATVR.

Homonym. Inter fruor et utor hoc interest (quamquam non perpetuo), quod uti dicitur, qui rem aliquam usurpat, ut aliud quidpiam inde acquirat: frui, qui ita re quapiam delectatur atque utitur, ut in ea animo conquiescat. Flor. 2. 6. de Hannibale. Quum victoria posset uti, frui maluit; relictaque Roma, Campaniam peragrare (V. Liv. 23. 51.). Seneca Vit. beat. 10. sub fin. Tu voluptate frueris, ego utor: tu illam summum bonum putas, ego nec bonum. Augustin. 1. Doctr. Chr. 4. et 11. Civ. Dei 25. Utendum est terrenis, sed fruendum cœlestibus. — Interdum hæc duo junguntur ad significandam plenam possessionem ac dominium rei alicujus. Cic. 7. Fam. 30. Id cujusque est proprium, quo quisque fruitur atque utitur. Liv. 2. 34. ad fin. Fruantur, utantur annona, quam furore suo fecere.

FRUS. V. FRONS, ondis.

FRUSTĀTIM, adverb. per frusta, a pezzo a pezzo, κατὰ μέρη. Pomponius apud Non. p. 113. 7. Merc. Te objectes (leonibus) frustatim passerinum prandium. Plin. 20. Hist. nat. 9. 39. (99). Coquitur in olla, aut frustatim in patinis. Prudent. Psychom. 720. Frustatim sibi quisque rapit, quod spargat in auras. Adde Apul. 2. Met. et 9. ibid.; et Apic. 4. 2.

FRUSTILLĀTIM, adverb. per frustilla, a piccoli pezzi, κατὰ λεπτὰ μέρη. Plaut. Curc. 4. 4. 20. Ut hic formicæ te frustillatim differant. Vet. Poeta apud Non. p. 112. 8. Merc. Non frustillatim, nec minutatim dari.

FRUSTILLUM, i, n. 2. deminut. frusti, pezzetto. Arnob. 2. 58. Frustilla ignea. et 7. 25. Frustilla parvula. Marcell. Empir. 20. ante med. Cochleæ bullientis frustilla.

FRUSTO, as, are, a. 1. in frusta concidere, far in pezzi. Flor. 2. 2. ad fin. Quum Punicæ prædæ omnibus promontoriis insulisque frustarentur et fluitarent. Ita Salmas. et Græv. Alii perperam leg. frustrarentur, h. e. portum nullum tenere possent. Heinsius legendum conjecit eructarentur.

FRUSTRĀ, adverb. Ultimam vocis syllabam corripit Juvenal. 3. 210. quod nudum et frustra rogantem Nemo cibo, nemo hospitio tectoque juvabit. Alii rectius leg. frusta. Sed certo certius corripit Capell. 1. p. 23. Quæ nec frustra mihi est insita caritas. Adde Prudent. 1. περὶ στεφ. 13. — Frustra proprie est Ablativi forma a v. fraudo, unde particip. frausus et per contractionem frusus, addita eadem terminatione, qua factum est supra, extra, contra etc.; hinc frustra est in fraude, cum fraude, per fraudem, atque adeo per errorem (It. erroneamente, in modo erroneo, ingannevole; Fr. par erreur, par méprise, faussement, à faux; Hisp. por error, por falta, falsamente; Germ. irrthümlich, irrig, getäuschter Weise; Angl. by mistake, by false opinion, by error).

1.) Proprie occurrit — a) Frustra esse, et est frustrari, falli, deceptum esse. Plaut. Amph. 3. 3. 19. Jam hi ambo et servus et hera frustra sunt duo, qui me Amphitruonem rentur esse: errant probe. ambedue sono in errore, s'ingannano, credendomi etc. Id. Bacch. 4. 7. 41. CHRY. Quid illam, meretricemne esse censes? NI. Quippini! CHRY. Frustra es. NI. Quis igitur, obsecro, est? erri, t'inganni. Id. Merc. 3. 4. 30. Nunc, mulier, ne tu frustra sis: mea non es, ne arbitrere. Id. Pers. 1. 3. 60. Numquam hercle hic prius edis, ne frustra sies, quam te hoc facturum affirmas mihi. Adde eumd. Capt. 4. 2. 74., Men. 4. 3. 18., Mil. glor. a. 5. v. 29. et alibi. Sall. Jug. 85. Quo mihi acrius adnitendum est, uti neque vos capiamini, et illi frustra sint. — Cum addito animi legitur apud Apul. de Mag. Erras, Æmiliane, et longe hujus animi frustra es. — Apud Cels. 3. 2. Curatio minus his prodest, in quibus assidue frustra fuit. h. e. medicum et ægrotantem fefellit decepitque, vana enim fuit. — b) Frustra ductare est frustrari, ludificari, decipere; nos quoque vulgo dicimus menare attorno: sed Forcellinus interpretatus est gratis: apud Plaut. Men. 4. 3. 20. Nisi feres argentum, frustra me ductare non potes: aliam posthac invenito, quam tu habeas frustratui. — c) Hinc frustra habere similiter significat frustrari, ludificari, decipere. Auct. argum. 2. Amphitr. Plautini. Is advenientes servum et dominum frustra habet. tiene a bada e burla. Ammian. 18. 6. Si Persæ frustra habiti redissent ad sua. Id. 31. 12. Legati, ut ambigui, frustra habiti, discesserunt. Tac. 13. Ann. 51. Aliaque admodum æqua, quæ brevi servata, dein frustra habita sunt. h. e. neglecta, ut Forcellinus interpretatus est, ac ludibrio habita.

II.) Translate. ¶ 1. Si rei exitus ratio habeatur, frustra significat sine eventu, hoc est exitum speratum non habere, aliter evenire, atque sperabatur vel speratur (It. senza effetto, inutilmente, indarno; Fr. sans succès, sans résultat, inutilement; Hisp. sin suceso, inutilmente; Germ. erfolglos, vergeblich, umsonst; Angl. in vain, to no purpose). Hac significatione occurrit — a) Cum Verbo esse. Ennius in Satyris apud Gell. 18. 2. Nam qui lepide postulat alterum frustrari, Quem frustatur (el. Vahlen leg. frustra'st), frustra illum dicit frustra esse. Nam qui se frustrari quem frustras, sentit, Qui frustratur, frustra' st: si ille non est frustra. Muretus sic explicabat: qui vult alium lepide fallere, dicere non debet, errare ac falli eum, quem ipse fallere cogitat: nam ubi quis sentit, frustra alium operam dare, ut se fallat, tum nisi is, cui dolus tenditur, fallitur, is ipse fallitur, qui fallere volebat. Sall. Jug. 7. Cujus neque consilium, neque inceptum ullum frustra erat. gli andava fallito. Id. ibid. 71. Primo indicem persequi conatus, postquam id frustra fuit, Jugurtham placandi gratia accedit. Adde eumd. ibid. 73., 93. et 112. Id. orat. Licin. trib. ad pleb. Nam spem frustra fuisse, intellexistis. Liv. 2. 25. Ita frustra id inceptum Volscis fuit. Adde Quintil. 11. 2. 1. et 7. 9. 14.; et Justin. 39. 2. 1. — b) Cum aliis Verbis. Plaut. Capt. 3. 1. 34. Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludificarier. Item alii parasiti frustra obambulant in foro. Id. Aulul. 2. 2. 1. Præsagibat mihi animus, frustra me ire, quum exibam domo. Ter. Heaut. 4. 3. 15. Frustra operam sumere. Sic Cæs. 3. B. G. 14. Cæsar ubi intellexit, frustra tantum laborem sumi. Id. ibid. 4. Neque ullum frustra telum ex loco superiore mittere. Adde eumd. ibid. 25. Cic. 2. Orat. 33. 144. Neque ipse auxilium suum sæpe a viris bonis frustra implorari patietur. Sic Lucan. 4. 735. multum frustraque rogatus. Liv. 2. 31. Neque frustrabor ultra cives meos, neque ipse frustra dictator ero. Virg. 1. G. 158. Heu! magnum alterius frustra spectabis acervum. Horat. 2. Od. 14. 13. Frustra cruento Marte carebimus —, Frustra metuemus Austrum. — Visendus ater Cocytus etc. Auct. Priap. 3. Da mihi quod cupies frustra dare forsitan olim. Quintil. 10. 1. 2. Frustra sit in ceteris laboratum. Justin. 42. 1. 2. Frustra emensum iter. — c) Et omisso Verbo per ellipsin. Auct. B. G. 8. 5. Equites et auxiliarios pedites in omnes partes mittit, quascumque petisse dicebatur hostis. Nec frustra. Nam plerumque magna præda potiti nostri revertuntur. Adde Horat. 3. Od. 7. 21.; et Flor. 4. 11. 9. ¶ 2. Si animi vel finis ratio habeatur, frustra significat sine justa causa, nequidquam, incassum, μάτην (It. senza scopo, senza ragione, indarno, invano; Fr. sans but, sans motif, en vain; Hisp. sin motivo, sin causa; Germ. zwecklos, umsonst, ohne Grund; Angl. inconsiderately, in vain). Cic. 2. Divinat. 60. 125. Nec enim ignorare Deus potest, qua mente quisque sit: nec frustra ac sine causa quid facere dignum Deo est —: aut nescit hoc Deus, aut frustra somniorum significatione utitur. Id. Rosc. com. 14. 41. Frustra tempus contero. Id. Tim. 10. Frustra laborem suscipere. Id. 1. de republ. 7. Quæ (disputatio) ne frustra haberetur, dubitationem ad rempublicam adeundi in primis debui tollere. Adde eumd. 3. ibid. 2. Nepos Hann. 2. Neque id frustra fecissent. Adde Horat. Art. P. 440. et 1. Sat. 10. 46. Quintil. 1. 10. 15. Non igitur frustra Plato civili viro, quem πολιτικὸν vocant, necessariam musicen credidit. Adde eumd. 10. 1. 56.; et Tac. 6. Ann. 6., 1. Hist. 75. et Agric. 13. Justin. 2. 8. 1. Veriti, ne frustra arma movisse viderentur. Id. 2. 4. 26. Asiam frustra edomitam esse, si Græcorum non tam bellis, quam rapinis pateant. — Hinc temere et frustra junguntur apud Senec. Octav. 246. — Et omisso Verbo per ellipsin. Quintil. 9. 3. 60. Hanc quidam aposiopesin putant. Frustra. Nam etc. ¶ 3. Item per speciem, in apparenza, apud Tac. 2. Hist. 90. Abnuentique nomen Augusti expressere ut assumeret, tam frustra quam recusaverat. ¶ 4. Item pro nullius ponderis vel momenti, di nessun peso, di nessun rilievo. Trebell. Poll. XXX. tyr. 13. Fateor, Balista, imperium prudenti non frustra est. h. e. est res magni ponderis ac momenti.

FRUSTRĀBĬLIS, e, adject. vanus, inanis. Arnob. 2. 22. Res frustrabili exspectatione præsumpta. et 6. 22. Res vacua imaginatione frustrabiles.

FRUSTRĀMEN, inis, n. 3. fraus, fallacia, deceptio. Legunt nonnulli apud Lucret. 4. 817. Deinde adopinamur de signis maxima parvis, Ac nos in fraudem induimus frustraminis ipsi. Al. leg. frustramur et ipsi.

FRUSTRĀTĬO, ōnis, f. 3. deceptio, fraus, eventus contra exspectationem, inganno, delusione, ἀπάτη. — a) Stricto sensu. Plaut. Amph. 3. 1. 15. Nunc Amphitruonem meme esse assimulabo, atque in horum familiam frustrationem hodie injiciam maximam. Plancus apud Cic. 10. Fam. 23. 5. Tanto majorem his frustratio dolorem attulit. Varro 1. R. R. 1. 6. Sine successu frustratio est, non cultura. Colum. 11. R. R. 1. 14. Frustratio cupiditatis. Liv. 3. 24. Clamant fraude fieri, quod foris teneatur exercitus: frustrationem eam legis tollendæ esse. Id. 25. 25. Quum longo sermone habito dilatus per frustrationem esset. Id. 38. 25. Frustratio Gallorum eo spectabat, ut tererent tempus, donec etc. Justin. 9. 6. 8. Quum variis frustrationibus differretur. Quintil. 2. 20. 3. Grana ciceris, ex spatio distante missa, in acum continuo et sine frustratione inserebat. senza dar in fallo. — b) Latiori sensu apud JCtos est mora, tergiversatio. Dig. 17. 1. 37. et 35. 2. 89. V. voc. seq.

FRUSTRĀTOR, ōris, m. 3. qui frustratur et decipit. Symmach. 10. Ep. 44. (al. 51.) extr. Frustrator judicum. h. e. qui judicium subterfugit. Tryphonin. Dig. 43. 16. 19. Frustrator debitor constitutus est. h. e. qui in mora fuit et tergiversatus est.

FRUSTRĀTŌRĬUS, a, um, adject. vanus, fallax, elusorio. Tertull. Anim. 47. Frustratoria somnia. Arnob. 7. 12. Fortasse aliquid dicant magnum, nec quod auribus debeat frustratoriis, levibus, et contemnentibus sumi. h. e. frustrantibus, frustra excipientibus. Modestin. Dig. 22. 1. 41. Frustratoriam morandi causa appellationem interponere.

FRUSTRĀTUS, a, um. *V.* FRUSTRO.

FRUSTRĀTUS, us, m. 4. frustrandi actus. *Plaut. Men.* 4. 3. 21. Frustra me ductare non potes: Aliam posthac invenito, quam tu habeas frustratui. *h. e.* quam frustra habeas, decipias. *Non. p.* 6. 24. *Merc.* Calvitur dictum est frustratur: tractum a calvis mimicis, quod sint omnibus frustratui.

FRUSTRO, as, āvi, ātum, are, a 1. *et*

FRUSTROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1., qua posteriore forma est usitatius. Part. *Frustrans* et *Frustratus* 1. — Frustrare et frustrari a *frustra* est quippiam exspectantem decipere, fallere, frustra habere, ψεύδομαι, ἐξαπατάω (It. *deludere, ingannare*; Fr. *tromper, duper, décevoir, frustrer*; Hisp. *engañar, alucinar, frustrar*; Germ. *hintergehen, täuschen*; Angl. *to deceive, disappointe, frustrate*).

1.) Proprie. — 1.°) Forma *frustrare* occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ aut rei. — Active. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 9. Ego me frustro. *Cæs. fragm.* apud *Diomed.* 1. p. 393. *Putsch.* Non frustrabo vos, milites. *Pomponius* apud *Non. p.* 473. 28. *Merc.* Qui ventrem frustrarent suum. — Passive. *Laberius* apud *Priscian.* 8. p. 793. *Putsch.* Frustramur, irridemur. *Justin.* 8. 3. 8. Variis dilationibus frustratus. *Aurel. Vict. vir. ill.* 43. Hannibal a Fabio frustratus. *Sall. orat. Licin. trib. ad pleb. a med.* Ignavissimi quique tenuissima spe frustrantur. *Vellej.* 2. 21. 2. Frustratus spe continuandi consulatus. Adde *Lucan.* 5. 225. *Fenestella* apud *Priscian.* 8. *p.* 793. *Putsch.* Frustratus a spe. *Cassiod.* 10. *Variar.* 28. Frustretur ausibus suis. *Vellej.* 2. 43. Intellexit frustratum esse visum suum. — *b*) Cum Genitivo. *Gell.* 5. 10. *in fin.* Captiosis versute excogitatæ frustratus. — *c*) Absolute. *Prudent. Apotheos.* 610. frustrantia dona dare. *h. e.* quæ in cassum feruntur. — 2.°) Forma *frustrari* occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ aut rei. *Plaut. Amph.* 2. 2. 200. Nescio quis præstigiator hanc frustratur mulierem. *ammalia*, fascinat. *Ter. Eun. prol.* 14. Dehinc ne frustretur ipse se, aut sic cogitet. Sic *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 20. 65. Ego de omni statu consilioque totius vitæ aut certare cum aliis pugnaciter, aut frustrari quum alios, tum etiam me ipsum velim? *Horat.* 2. *Sat.* 3. 32. O bone, ne te frustrere. Adde *Nepot. Hann.* 5.; et *Cæs.* 3. *B. G.* 15., 4. *ibid.* 14., 2. *B. C.* 32. et 3. *ibid.* 97. *Liv.* 2. 13. Clœlia frustrata custodes. *Virg.* 6. *Æn.* 493. vox frustratur hiantes. *Curt.* 3. 8. 11. Frustrari milites. Adde *Justin.* 23. 2. 2. — Et cum addito Ablativo. *Liv.* 2. 15. *ad fin.* Nec Tarquinios spe auxilii, quod nullum est in me, frustrabor. Sic *Val. Flacc.* 7. 162. Frustrari aliquem amore. *Ammian.* 24. 2. aliquem tentamento. Cf. *eumd.* 23. 5. aliquem casu impediente. — *Ter. Andr.* 2. 2. 37. Sæpe jam me spes frustrata est. *Forcellinus* leg. *hospes.* Sic *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 14. Si Syriæ spes eum frustrata esset. Adde *Sall. Jug.* 101. Rursus *Ter. Adelph.* 4. 4. 11. Sat adhuc tua nos frustrata est fides. — *Liv.* 7. 38. Frustrari militarem impetum. Cf. *eumd.* 8. 38. *Plin.* 8. *Ep.* 18. Frustrari spes hominum improbas. *Sueton. Aug.* 75. Frustrari spem mercantium. cui ibid. opponitur explere. *Plin.* 2. *Ep.* 10. Frustrari et differre exspectationem alicujus. *Val. Max.* 3. 8. 2. Eludere et frustrari exitiales impetus. *Val. Flacc.* 5. 275. Frustrari prælia. *Solin.* 1. Frustratus vincula. — *b*) Cum Genitivo. *Sil. It.* 4. 578. Haurit subsidens fugientum corpora tellus; Infidaque soli frustrata voragine sorbet. *Schmid.* jungit verba, *tellus soli frustrata*, h. e. quæ frustra credita est solum. Rectius tamen jungenda videntur *voragine soli.* — *c*) Absolute. *Lucret.* 4. 573. pars (*vocum*) solidis allisa sonorem Reddit et interdum frustratur imagine verbi. Adde *eumd. ibid. v.* 973. *Cic.* 12. *Att.* 18. Cocejus vide ne frustretur. *Curt.* 4. 11. 22. Legati respondent, quum bellum in animo sit, facere eum simpliciter, quod spe pacis non frustraretur. *Sil. It.* 3. 518. Tum, qua durati concreto frigore collis Lubrica frustratur canenti semita clivo, Luctantem ferro glaciem premit.

II.) Translate est vanum vel irritum reddere. — Forma *frustrari* apud *Colum.* 1. *R. R.* 1. 2. Imprudenter facta opera frustrantur impensas. *rendono vane. Id. ibid. præfat.* § 22. Ne imbribus imminentibus opera inchoet, laboremque frustretur. *Curt.* 6. 5. 16. In se implicati arborum rami lento vimine frustrabantur ictus. *rendeano vani.* Cf. *Tac.* 16. *Ann.* 8. Qui appellato principe instantem damnationem frustrati, mox Neronem — quasi minores evasere. — Forma *frustrare* apud *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. *ante med.* Ex duobus brachiis atque venis sub lingua constitutis sanguinem detrahendum probat (*Hippocrates*), quod supra damnantes frustravimus. *h.* e. frustra fieri probavimus. — Passive. *Flor.* 1. 10. 5. Mucius Scævola regem per insidias in castris ipsius aggreditur: sed ubi frustrato circa purpuratum ejus ictu tenetur etc. *Alii tamen aliter leg.*

Homonym. Quid intersit inter *frustrari, decipere, fallere* et similia, *V.* in fin. v. FALLO.

FRUSTŬLENTUS, a, um, adject. frustis plenus, ut Frustulenta aqua, *Plaut. Curc.* 2. 3. 34. *h. e.* frustis esculentis immixta.

FRUSTŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* frustum, parvum frustum, *pezzolino, truciolo. Apul.* 1. *Met.* Ut mihi, præ metu, frustulum panis, quod primum sumpseram, mediis faucibus inhæreret.

FRUSTUM, i, n. 2. rei cujusque particula, τέμαχος (It. *pezzo, particella*; Fr. *morceau, bouchée, un peu*; Hisp. *pedazo, bocado, retal*; Germ. *Stück, Bissen*; Angl. *a bit, or piece of any thing*).

I.) Proprie. *Cato* apud *Gell.* 1. 15. Frusto panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur. *h. e.* vili pretio. *Cic.* 1. *Divinat.* 15. 27. Necesse est, offa objecta, cadere frustum ex pulli ore, quum pascitur. *Id.* 2. *Phil.* 25. 63. Frustis esculentis vinum redolentibus totum tribunal implevit. Cf. *Quintil.* 9. 4. 44. *Virg.* 1. *Æn.* 216. Pars in frusta secant verubusque trementia figunt. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 85. semesaque lardi Frusta dedit. *Seneca Brevit. vit.* 12. *a med.* Quanta arte scindantur aves in frusta non enormia. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 24. Frusta meri. *Juvenal.* 14. 128. panis. *Sueton. Aug.* 77. cucumeris. *Id. Ner.* 40. marmoris. *Ammian.* 15. 12. pannorum. Adde *Juvenal.* 5. 78., 3. 210., 11. 142. et 15. 79.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 89. Philosophiam in partes, non in frusta dividam. Dividi enim illam, non concidi, utile est. — De oratione. *Quintil.* 8. 5. 27. Unde soluta fere oratio. et e singulis non membris, sed frustis collata, structura caret. *Id.* 4. 5. 25. Nec jam membra, sed frusta. — Joculariter *frustum pueri* convicium est. *Plaut. Pers.* 5. 2. 67. Loquere tu etiam, frustum pueri? *ragazzino?*

FRŬTECTŌSUS *vel* frutetosus, a, um, adject. — *a*) Si de loco dicitur, est fruticibus abundans, θαμνώδης. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 11. Nemorosi frutectosique tractus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 46. (164). Frutectosus et rubricosus locus. *Sillig.* leg. *rudectus* sequutus *Pint.* et *Ponteder. antiquit. p.* 48. ex *Cat.* — *b*) Si de plantis dicitur, est fruticosus. *h. e.* ramulis copiosus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 35. 63. (153). milax spinosis frutectosa ramis. *Id. ibid.* 37. 71. (179). Frutectosi generis sunt rubi. Sic *Id.* 13. *ibid.* 23. 45. (128). Frutectosi est generis et saripha, circa Nilum nascens. *Alii perperam leg.* fruticosi.

FRŬTECTUM *vel* frutetum, i, n. 2. (nam promiscue in libris legitur) factum per syncop. a *fruticetum* (quam vocem *V.* loco suo) ut a *salicetum* salictum, a *caricetum carectum*. ¶ 1. Stricto sensu est locus fruticibus abundans, θάμνος (It. *luogo pieno di frutici, boscaglia, cespuglio*; Fr. *taillis, fourré, buisson*; Hisp. *espinal, breña, matorral*; Germ. *d. Gebüsch, d. Anlage e. Gebüsches*; Angl. *a shrubbery, place where shrubs grow, nursery of young trees or plants*). *Colum.* 3. *R. R.* 11. 3. Ager frutectis, aut arboribus obsessus. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 2. 8. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (46). Frutecta igni optime tolluntur. Adde *Apul.* 4. *Met. init. Prudent.* 2. *contra Symmach.* 872. tenebrosis tecta frutectis Semita. *Id. Psychom.* 443. attritis pedibus per acuta frutecta. ¶ 2. Latiori sensu pro frutice. *Solin.* 30. *a med. de cinnamo.* Id frutectum situ brevi nascitur, ramo humili et depresso.

FRŬTEX, icis, m. 3. In feminino genere occurrit tantum apud *Capell.* 3. *p.* 34.

I.) Proprie. ¶ 1. Frutex, *frutice*, θάμνος, est planta, quæ ad arboris magnitudinem non assurgit, et statura multis herbis similis est: lignosior tamen, et stolonibus et surculis numerosior, et non demoritur, neque arescit, ut herba. Talis est arundo, rubus, rosa, cinnamum, etc. *Colum. Arbor.* 1. 2. Ex surculo vel arbor procedit, ut olea, ficus, pirus; vel frutex, ut violæ, rosæ, arundines; vel tertium quiddam, quod neque arborem, neque fruticem proprie dixerimus, sicuti est vitis. Arborum et fruticum docebimus cultum, si etc. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (167). Arundo circa terram fruticis modo se spargens. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 5. Intersitis buxeis, aut myrteis fruticibus. ¶ 2. Dicitur et de caule, vel ramulo cujuscumque plantæ. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 62. Matutinis temporibus frutices olerum concutere. *Id.* 2. *ibid.* 15. 5. Frutex lupini succisus. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 3. 35. (71). *de olea.* Succus fruticis recentis accensi destillans sanat lichenas. *Id.* 18. *ibid.* 24. 55. (199). Pinguia arva ex uno semine fruticem numerosum fundunt. ¶ 3. Item poetice de quacumque arbore. *Ovid.* 3. *Art. am.* 249. turpe est sine gramine campus, Et sine fronde frutex. *Petron. Satyr.* 135. Ideos frutices in gurgite sistam, Et rursas fluvios in summo vertice ponam. ¶ 4. Item de frutecto, *cespuglio. Lucret.* 5. 954. frutices inter membra condebant. *Varro* 2. *R. R.* 1. 16. In montuosis potius locis et fruticibus, quam in herbidis campis. Et in sing. num. *Phædr.* 1. 11. Venari asello comite quum vellet leo, Contexit illum frutice. ¶ 5. Item de stirpe arboris. *Sueton. Vesp.* 5. Quercus antiqua, per tres Vespasiæ partus, singulos repente ramos a frutice dedit. *V.* tamen *Baumgarten.* ad h. l. ¶ 6. Præterea est proprium et peculiare nomen cujusdam arboris in Phrygia. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 5. 11. (53). At *Sillig.* aliter legit.

II.) Translate. ¶ 1. Est convicium hominis stupidi, ut caudex, stipes. *Plaut. Most.* 1. 1. 12. Nec veri simile loqueris, nec verum, frutex, comesse quemquam ut quisquam absentem possiet. *balordo, stolido.* Sic *Apul. de Mag.* Ne huic frutici credam. ¶ 2. Et per metaphoram. *Tertull. advers. Gnost.* 11. Apostolici seminis frutices.

FRŬTĬCĀTIO, ōnis, f. 3. *germogliamento*, in arboribus dicitur, quum multos ramos fruticantes producunt, qui stolones appellantur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (7). Ita (*sc.* stolo) enim appellatur in ipsis arboribus fruticatio inutilis.

FRŬTĬCESCO, is, ere, inchoat. n. 3. frutices emittere, *germogliare*, θαμνίζω. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 45. (257). Quia (*hæ arbores*) celeriter fruticescunt.

FRŬTĬCĒTUM, i, n. 2. locus fruticibus plenus, arbusculis sese implicantibus impeditus, *macchia, cespuglio, boscaglia. Horat.* 3. *Od.* 12. *extr.* Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum. *Sueton. Ner.* 48. Inter fruticeta ac vepres. *V.* FRUTECTUM.

FRŬTĬCO, as, āvi, ātum, are, n. 1. *et*

FRŬTĬCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Primam syllabam male producit *Tertull. Judic. Dom.* 135. Tempore nuda suo foliis quoque fruticat arbor. — Part. *Fruticans* 1. — Fruticare vel fruticari est frutices emittere, pullulare, θαμνίζω (It. *germogliare*; Fr. *pousser des rejetons, des tiges, se garnir de branches*; Hisp. *brotar, malear el trigo, echar bastagos*; Germ. *Zweige hervortreiben, bekommen, grünen, ausschlagen*; Angl. *to sprout, send forth shoots or sprigs*).

I.) Proprie. *Cic.* 15. *Att.* 4. 2. Excisa est arbor, non evulsa; itaque, quam fruticetur, vides. *Colum.* 2. *R. R.* 9. 6. Ubi ex uno semine pluribus culmis (*triticum*) fruticavit. *Id.* 2. *ibid.* 12. 2. et 11. 5. Seges fruticat. *Id.* 4. *ibid.* 31. 3. Salix e trunco fruticat. *Id.* 11. *ibid.* 2. 60. Quum fruticaverit lupinum. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (140). Brassica sub omnibus pæne foliis fruticat cauliculis peculiaribus. *Id. ibid.* 5. 29. (92). Inula spatiose fruticat. *Id.* 17. *ibid.* 10. 14. (70). Semina fruticantia supputare. *Sidon. carm.* 15. 29. Cernas ramosis palmas fruticare lacertis. — Poetice. *Sil. It.* 9. 205. centum Cereri fruticantia culmis rura.

II.) Translate. *Calpurn.* 6. *Ecl.* 37. *de cervo.* Aspicis, ut fruticat late caput? *Juvenal.* 9. 15. Sed fruticante pilo neglecta et squalida crura.

FRŬTĬCŌSUS, a, um, adject. Comp. *Fruticosior* et Sup. *Fruticosissimus* 1. — Fruticosus dicitur de plantis, et est stolonibus et ramulis abundans, longe lateque fruticans, *che germoglia assai*, θαμνώδης.

I.) Proprie. *Ovid.* 6. *Met.* 344. illic fruticosa legebant Vimina cum juncis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. (161). Aizoum fruticosum a radice. *Id.* 13. *ibid.* 6. 12. (54). Terebinthus arbor fruticosa. *Id.* 20. *ibid.* 13. 51. (131). Rutæ rami fruticosiores. *Id.* 16. *ibid.* 36. 66. (165). Calamus fruticosissimus.

II.) Improprie de locis dicitur, et est fruticibus

abundans, fruticosus. Ovid. Heroid. 2. 121. Mœsta tamen scopulos fruticosaque litora calco. Plin. 6. Hist. nat. 22. 24. (87). Mare fruticosum.

FRUTILLA, æ, f. 1. illicium Veneris. Gloss. Philox. Frutilla, ἴυγξ. V. FRUTIS et FRUTINAL in ONOM.

FRUX, frūgis, f. 3. In recto singulari frux rarum est et antiquum: V. infra sub 1. b. — In ipso recto singulari frugis quoque secundum consuetudinem dici ait Varro 9. L. L. 76. Müll. Frugi rectus est natura frux, at secundum consuetudinem dicimus, ut hæc avis, hæc ovis, sic hæc frugis. Sic Varro. Nullum tamen præterea hujus rei exemplum vidimus. — Frux, vox aliis a fruendo, aliis a φρύγω torreo, aliis a βρύω germino derivata, et sæpissime usurpata numero multitudinis, significat omnes terræ fructus, quibus ad alimentum utimur, frumenta, legumina, poma, nuces etc., tametsi de fetibus arborum Ulpian. dici negat Dig. 50. 16. 77., affirmat tamen, id quod ex vico, silvis cæduis, cretifodinis, lapicidinis capitur, frugis nomine contineri. Frugem salis dixit Colum. 10. R. R. 353. καρπός (It. frutti della terra, biade; Fr. productions de la terre, grains, céréales etc.; Hisp. todo lo que la tierra produce, granos, trigo; Germ. Hülsenfrucht, Erd –, Feldfrüchte; Angl. the fruit, or produce, of the earth).

I.) Proprie. — 1.°) In plurali numero. — a) Primo dicitur de frumentis et leguminibus. Plin. 18. Hist. nat. 7. 9. (48). Natura nunc indicabitur frugum: sunt autem duo prima earum genera, frumenta, ut triticum, hordeum: et legumina, ut faba, cicer. Cic. 2. Nat. D. 60. 152. Nos fruges serimus, nos arbores. Id. 1. Off. 18. 59. Fruges percipere. Orellius vero pro fruges legit fructus. Id. post redit. ad Quir. 8. 18. Frugum ubertas, copia, vilitas. Lucret. 4. 1086. laticum frugumque cupido, h. e. cibi et potus. Adde Cic., Horat. 3. Od. 23. 3. et Curt. inferius cit. sub 2.° — b) Deinde fruges præcipue de frumentis usurpatur, et ita etiam ut legumina excludant. Cic. 2. Nat. D. 62. 156. Terra fets frugibus et varia leguminum genere. Lucret. 2. 656. si quis mare Neptunum Cereremque vocare Constituet fruges. Sic Cic. 2. Nat. 23. 60. Tum illud, quod erat a deo donatum, nomine ipsius dei nuncupabant: ut quum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum. Id. Orat. 9. 31. Quæ est in hominibus tanta perversitas, ut inventis frugibus glande vescantur? Adde eumd. 6. Verr. 18. 106. et 2. de republ. 14. — c) De fetibus arborum. Cic. prognost. 1. Divinat. 9. 15. Lentiscus triplici solita grandescere fetu, Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi. Adde Horat. 1. Ep. infra cit. sub 2.° Liv. 5. 33. Dulcedine frugum, maxime vini nova pIste captam. Cornificius apud Servium ad Virg. 1. G. 55. Fruges arboreæ. Colum. 9. R. R. 1. 5. roburneæ. Id. 10. ibid. 39. Quo Bacchi genus et aliena stirpe gravata Mitis adoptatis curvetur frugibus arbos. Id. 3. ibid. 17. 1. Superior pars vitis idonea frugibus. — d) Aliquando tamen fruges ita usurpantur, ut fructus arborum excludant. Cic. 1. Divinat. 51. 116. Nec fruges terræ baccasve arborum cum utilitate ulla generi humano (natura) dedisset. Adde eumd. Senect. 2. 5. Id. 3. Nat. D. 36. 86. Ubertas frugum et fructuum. Sic Id. 2. Off. 3. 12. Neque agri cultura, neque frugum fructuumque reliquorum perceptio et conservatio. Id. 3. de republ. 9. Athenienses jurare publice solebant, omnem suam esse terram, quæ oleam frugesve ferret. — e) Aliquando ut significent reliquos terræ fructus, frumento excepto. Ulp. Dig. 7. 8. 12. Neque foliis, neque frumento, neque frugibus usurum. — f) Minutæ fruges apud Cic. 5. Verr. 7. 18. sunt legumina, si fides Servio, qui ita interpretatur ad Virg. 1. Æn. 182. Sed, opinor, fallitur, et intelligenda sunt frumenta minutioris grani, triticum, far, milium: nam ubicumque decumarum Siciliensium mentio fit, frumentum a Cicer. nominatur. Nisi malis dicere omnia ibi grana intelligi, quæ e terra nascuntur, quia si cum arborum fetibus comparentur, minuta sunt. Porro Cic. loc. cit. verba sunt: L. Octavio, C. Cottæ coss. senatus permisit, ut vini et olei decumas et frugum minutarum, quas ante te quæstores in Sicilia vendere consuessent, Romæ venderent. Sic Ammian. 23. 6. Persis habitatur antiqua, minutis frugibus dives et palmite. V. et Klotz ad Cic. loc. cit. — g) Ceterum universim. Attius apud Cic. 2. Tusc. 5. 13. Probæ etsi in segetem sunt deteriorem datæ Fruges. Lucret. 1. 743. Aera, solem, ignem, terras, animalia, fruges. Id. 5. 918. quæ de terris nunc quoque abundant Herbarum genera ac fruges arbustaque læta. Id. 2. 189. Et sursum nitidæ fruges arbustaque crescunt. Adde eumd. 1. 253. Cic. 6. Verr. 48. 106. Et natas esse has in iis locis deas (in insula Sicilia Cererem et Liberam) et fruges in ea terra primum repertas esse arbitrantur. Virg. 10. Ecl. 76. nocent et frugibus umbræ. Id. 1. G. 69. officiant lætis ne frugibus herbæ. Id. 2. ibid. 143. Sed gravidæ fruges et Bacchi Massicus humor Implevere (hæc loca): tenent oleæ armentaque læta. Id. ibid. 239. Infelix frugibus terra. Id. ibid. 172. parens frugum tellus. Horat. carm. sæc. 29. fertilis frugum tellus. Ovid. 3. Amor. 10. 35. diva potens frugum. Rursus Horat. 1. Ep. 2. 27. fruges consumere nati. Virg. 6. Æn. 420. Melle soporatam et medicatis frugibus offam Objicit. Curt. 6. 3. 7. Fruges quoque maturitatem statuto tempore exspectant. Id. 7. 8. 18. Fruges boum labore quæsitæ. Id. 7. 4. 24. conditæ. Colum. 8. R. R. 9. 4. caducæ. Sueton. Tib. 16. Summa frugum inopia. Quintil. 3. 7. 8. Frugum inventa in Cerere ostenduntur. — 2.°) In singulari numero. Ennius apud Priscian. 6. p. 724. Putsch. Si jam data sit frux. Auson. monosyllab. de cibis. Spicea frux. Cic. Rosc. Am. 27. 75. Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis. Id. Senect. 15. 51. Viriditas herbescens fundit frugem spici ordine structam. Horat. 1. Ep. 16. 9. quercus et ilex Multa fruge pecus, multa dominum juvat umbra. Id. 3. Od. 23. 3. horna fruge placare Lares. Curt. 7. 4. Squalida siccitate regio non hominem, non frugem alit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim usurpatur pro fructibus, sed translate acceptis. Hinc — a) Pro fructuum maturitate, et refertur ad ingenium, facultatem, artem, scientiam. Cic. Cæl. 31. 76. Quæ studia in his jam ætatibus nostris contractiora esse debent, in adolescentia vero tamquam in herbis significant, quæ virtutis maturitas et quantæ fruges industriæ sint futuræ. Cf. Sever. Ætn. 272. Implendus sibi quisque bonis est artibus: illæ Sunt animi fruges. Quintil. 1. 3. 3. Illud ingeniorum velut præcox genus, non temere umquam pervenit ad frugem. a maturezza, a far frutto. Sic Id. 6. 2. 3. Cetera forsitan tenuis quoque et angusta ingenii vena, si modo vel doctrina vel usu sit adjuta, generare atque ad frugem aliquam perducere queat. Apul. 8. Met. Videris mihi tantum sedulo ministerio amatores tuos promereri, jam ergo et ipsa frugem tuam periclitabor. la tua abilità. — b) Item pro emolumento, utilitate. Plaut. Pœn. 4. 2. 79. Herus si tuus volet facere frugem, meum herum perdet. se vuole agire con vantaggio. At Forcellinus interpretatus est far bene et ad seq. paragr. retulit. — c) Item quia fruges sunt optimum, quod terra creat, ut ait Cic. 3. Tusc. 8. 16., ideo sæpe de re optima dicuntur. Horat. Art. P. 341. Centuriæ seniorum agitant expertia frugis. h. e. carmina vacua et inania moralis institutionis rerumque seriarum. Pers. 5. 64. Cultor enim juvenum purgatas inseris aures Fruge Cleanthea. h. e. optimis præceptis moralis philosophiæ ex disciplina Cleanthis. ¶ 2. Specialim et sæpissime refertur ad rectam honestamque vivendi rationem: qua significatione — 1.°) Occurrit frugi, indecl.: quamquam plerique, et jure quidem, frugi volunt esse Dativum, ut quum dicimus homo frugi, per ellipsin intelligatur idoneus, aptus; alii Genitivum pro frugis ea ratione, qua fami pro famis dictum fuit; vel ut simile sit nauci, nihili, mancipi. Ceterum dicitur — a) De homine, et est moderatus, temperans, continens, prudens (cujus Comp. est Frugalior et Sup. Frugalissimus, quæ V. in FRUGALIS), moderato, temperante, da bene: cui opponitur nequam et nihili. Cic. 3. Tusc. 8. 16. docet, hominem frugi non eum solum intelligi, qui utilis sit (quod Græci faciunt qui χρήσιμον vel χρηστόν appellant), sed eum, qui sit temperans, modestus, abstinens atque innocens: frugalitatem enim tres virtutes, fortitudinem, justitiam, prudentiam complecti: ejus esse proprium, motus animi appetentis regere et sedare, semperque adversantem libidini, moderatam in omni re servare constantiam: cui contrarium vitium, nequitiam appellari: dictam videri a fruge, quia nihil melius e terra. Quod si frugi tantummodo diceretur, qui utilis esset, non fuisse L. Pisonis cognomen in tanta laude ponendum: de hoc Id. Fontej. 13. 29. L. Piso tanta virtute atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, quum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur. Quem quum in contionem Gracchus vocari juberet, et viator quæreret, quem Pisonem, quod erant plures: Cogis me, inquit, dicere inimicum meum frugi. Cf. eumd. 2. Fin. 28. 90.; et de significatione hujus vocis etiam Dejot. 9. 26. Plaut. Asin. 5. 2. 8. Ego præter alios meum virum fui rata siccum, frugi, continentem. ubi homini sicco madidus, frugi nihili, quod fere idem est ac nequam, et continenti incontinens opponitur. Ter. Heaut. 3. 3. 19. Hominis frugi et temperantis functus officium. Cic. 4. Tusc. 16. 36. Jam proverbii locum obtinet, hominem frugi omnia recte facere. Id. 2. Phil. 28. 69. Antonius frugi factus est: illam suam suas res sibi habere jussit. Brutus ad Cic. 1. ep. 6. Modestus homo et frugi. Horat. 2. Sat. 5. 77. mulier (Penelope) tam frugi tamque pudica. Id. 1. Ep. 16. 49. Sum bonus et frugi. Id. Art. P. 207. Quo sane populus numerabilis, utpote parvus Et frugi castusque verecundusque coibat. Quintil. 1. 6. 29. Homo frugi et temperans. Adde Sueton. Cal. 37.; et Auson. 9. Ep. 12. Ammian. 25. 3. Alumnus reipublicæ frugi. — Sæpe refertur ad laudem servorum. Servum enim frugi dicebant, tamquam sobrium, utilem et necessarium, et qui rem domini diligenter curaret: eo fere sensu accipientes, quo Græci, ut dictum est. Cic. Cluent. 16. 47. Servus non incallidus, sed, ut ipsa res declaravit, frugi atque integer, sermonem Fabricii non est aspernatus, rem ad dominum detulit. Adde eumd. 2. Orat. 61. 248. Horat. 2. Sat. 7. 2. Davus, amicum mancipium domino et frugi. Plin. Paneg. 88. Abunde sufficere libertis tuis credis, si probi et frugi existimentur. Id. 3. Ep. 19. Frugi mancipes. — Sæpe etiam frugi dicitur quilibet in rem suam attentus et diligens, quique studiose ac sedulo suas rationes curat. Plaut. Asin. 1. 3. 23. Frugi lena. h. e. quæ suis rationibus bene consulit. Ter. Eun. 3. 5. 59. ANT. Sed interim de symbolis quid actum est? CHÆR. Paratum est. ANT. Frugi es. Ubi Donatus: utilis et necessarius, ut fruges humano generi. Frugi est ergo, in quo est aliquid, quo fruamur, id est utamur. Rursus Ter. Heaut. 3. 3. 35. CHR. Reperisti, tibi quod placeat, an nondum etiam? SY. De fallacia dicis? SY. inveni quamdam nuper. CHR. Frugi es. Cic. 5. Verr. 27. 67. Sunt omnes Siculi non contemnendi, sed homines satis fortes et plane frugi ac sobrii. Id. Dejot. 9. 26. Frugi hominem dici, non multum habet laudis in rege. — Quum frugi sit, ut diximus, obliquus casus nominis frux, frugis, adjectivum bonæ etiam admittit, quod ei vim addit. Plaut. Trin. 2. 2. 39. Is probus est, quem pœnitet quam probus sit et frugi bonæ: qui ipsus sibi satis placet, nec probus est, nec frugi bonæ. Adde eumd. Asin. 3. 3. 12. et Pœn. 4. 2. 27. Cic. 4. Att. 8. ad fin. Fabius Luscus satis acutus et permodestus ac bonæ frugi. — b) Dicitur et de abstractis pro gnavo, honesto, et de iis quoque rebus quæ moderata et modica impensa fiunt. Cic. fil. apud Cic. 16. Fam. 21. 1. Cujus quum frugi severaque est vita, tum etiam jucundissima convictio. Quintil. 5. 10. 27. Victus luxuriosus, an frugi, an sordidus, quæritur. Plin. 2. Ep. 17. Atrium frugi, nec tamen sordidum. Id. 3. ibid. 1.; et Juvenal. 3. 167. Cœna frugi. Martial. 14. 31. jentacula sumere frugi. — 2.°) Ad frugem vel bonam frugem est ad rectam honestamque vivendi rationem. Plaut. Trin. 1. 2. 81. Quin adolescentem, quem esse corruptum vides, restituis? quin ad frugem corrigis? Id. Bacch. 4. 10. 10. Compellere aliquem ad frugem. Id. Trin. 2. 1. 34. Ad frugem applicare animum. Cic. Cæl. 12. 28. Equidem multos vidi et in hac civitate, qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent, emersisse aliquando et se ad frugem bonam, ut dicitur, recepisse gravesque homines atque illustres fuisse. Gell. 13. 27. Multa ad bonam frugem ducentia in eo libro scripta sunt. — 3.°) Bonæ frugis eodem sensu dicitur. Gell. 7. 11. Veteres nequam dixere hominem nihili neque rei, neque frugis bonæ. Trebell. Poll. XXX. tyr. 18. med. Si quid in te bonæ frugis est.

Homonym. V. in fin. v. FRUCTUS, us.

FU

FU. *V.* PHU.

FUAM, as, etc. *V.* SUM.

FUCÆ, arum, f. plur. 1. *Colum.* 10. *R. R.* 125. Ponitur et lactis gustum quæ condiat, herba, Deletura quidem fronti data signa fucarum: Vimque suam idcirco profitetur nomine Grajo. Ita quidam lexicographi, et interpretantur maculas in facie. Sed legendum est *fugarum*: et est metonymia. Loquitur enim *Colum.* de herba *lepidio*, quæ vim habet tollendi stigmata inusta in frontibus servorum fugitivorum; ut *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 70. (181). docet, unde et nomen habet: nam λεπίς, squamam, et ulcus cutis significat. Hinc etiam *Xenoph. Hist. Gr. l.* 5. *c.* 2. φυγὴν dixit pro φυγάδας. *Fugarum* in plurali dixit etiam *Sil. It.* 17. 148. *V.* FUGA sub I. 1. et 3.

FŪCĀTĒ, adverb. cum fuco. Occurrit tantum Comp. *Fucatius* apud *Auson.* in prosa post *Edyll.* 3. *ad Hesper. fil.* Fucatius concinnata carmina.

FŪCĀTĬO, ōnis, f. 3. fuci illatio.

I.) Proprie. *Acro* ad illud *Horat.* 3. *Od.* 28. 10. virides Nereidum comas. *virides* hisce verbis interpretatur: Herbis similes aquæ fucatione.

II.) Translate. *Ennod.* 2. *Ep.* 4. Sicut amoris elocutor et copiosus assertor es, ita nescis alicui blanda sermonum fucatione illudere.

FŪCĀTUS, a, um. *V.* FUCO.

FŪCĪLIS falsa: dicta autem quasi fucata. *Paul. Diac. p.* 92. 13. *Müll.*

FŪCĪNUS, a, um, adject. fuco infectus, fucatus. *Quintil.* 12. 10. 76. Si adhibeas fucinis sulphura. *Alii aliter leg.*: *V.* Spalding. *ad h. l.*

FŪCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Fucans* I. 1.; *Fucatus* in omnibus paragr. et in fin.; *Fucandus* I. 1. et 2. — Fucare est fuco inficere, tingere, pingere, φυκόω (*It. colorare, tingere, pingere*; *Fr. teindre, colorer*; *Hisp. teñir, colorear*; *Germ. färben*; *Angl. to colour, paint, dye, stain*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 2. *G.* 465. Alba nec Assyrio fucatur lana veneno. *Id.* 4. *ibid.* 334. Milesia vellera Nymphæ Carpebant, hyali saturo fucata colore. Sic *Sil. It.* 16. 176.; et *Solin.* 36. Fucare vellus. *Tac. Dial. de orat.* 26. vestes. *Ammian.* 14. 9. Purpura fucanda. *Tac.* 2. *Ann.* 14. Non loricam Germano, non galeam, sed tenues et fucatas colore tabulas. *Nemesian. Cyneg.* 309. pinnas vario fucare veneno. *Claudian.* 3. *Laud. Stilich.* 350. spumis fucantem serica frena Sanguineis flectebat equum. *Horat. Epod.* 12. 11. neque illi Jam manet humida creta colorque Stercore fucatus crocodili. *Cf. Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 28. (109). ¶ 2. Specialim de hominum facie dicitur et est fucicium colorem inducere, *imbellettare. Ovid.* 2. *Trist.* 487. Composita est aliis fucandi cura coloris. *Al. leg.* fuscandi. *Quintil.* 8. *proœm.* 19. Corpora vulsa et fucata muliebriter.

II.) Translate. *Gell.* 7. 14. Unumquodque genus (*dicendi*) quum caste pudiceque ornatur, fit illustrius: quum fucatur atque prælinitur, fit præstigiosum. *s'imbelletta troppo.* Adde locum *Vet. Poetæ* in v. BASTERNA. — Hinc Part. præter. pass., cujus et supra exempla retulimus,

Fucatus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Fucatior*, et quidem translate: est autem simulatus, fictus, fallax, *finto, artifizioso, affettato*; cui opponitur simplex, sincerus, verus. *Cic. Amic.* 25. 95. Secerni blandus amicus a vero et internosci tam potest adhibita diligentia, quam omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. *Id. Brut.* 9. 36. Succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. *Id. Orat.* 23. 79. Fucati medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur: elegantia modo et munditia remanebit. *Id. Planc.* 12. 29. Hæc sunt signa probitatis, non fucata forensi specie, sed domesticis inusta notis veritatis. *Id. Mur.* 12. 26. Iisdem ineptiis fucata sunt illa omnia quando te in jure conspicio etc. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (79). Puer subdolæ ac fucatæ vernilitatis. *Gell.* 13. 26. Versus Homeri simplicior et sincerior, Virgilii, quodam quasi ferrumine immisso, fucatior.

FŪCŌSUS, a, um, adject. fuco abundans, φυκώδης; sed occurrit translate tantum et est fictus, non sincerus, adulteratus, *finto, artifizioso, alterato. Cic. Rabir. Post.* 14. 40. Merces fallaces et fucosæ, chartis et linteis et vitro delatæ. *Id. Planc.* 7. 22. Vicinitas non assueta mendaciis, non fucosa, non fallax, non erudita artificio simulationis vel suburbano vel etiam urbano. *Id.* 1. *Att.* 18. 2. Illæ ambitiosæ nostræ fucosæque amicitiæ sunt in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habent. *di apparenza. Val. Max.* 2. 6. 7. Fucosa superstitio. *Porcius* apud *Sueton.* in *Vita Terentii.* Dum lasciviam nobilium et laudes fucosas petit etc.

FŪCUS, i, m. 2. duo admodum diversa significat: scilicet

A) Fucus, Græce φῦκος,

I.) Proprie ¶ 1. Est frutex marinus triplicis generis, ut describit *Plin.* 13. *Hist. nat.* 25. 48. (135)., quo circa Cretam nascente purpuras quoque inficiunt. *Id.* 26. *ibid.* 10. 66. (103). docet, in faciendo purpura moris fuisse, ut antequam conchylii color induceretur, hujus fruticis tinctura lana imbueretur. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 137.) hæc docet: «La première espèce dont parle Pline, à feuilles larges et vertes, et qui pouvait recevoir le nom de zostère (de ζωστήρ ceinture) devait certainement être une laminaire (*Ulva* L.); et si nous considérons que la laminaire saccharine (*Laminaria saccharina* Lam.) est fréquemment jetée sur nos rivages par les flots, nous serons tentés de la désigner de préférence. — La deuxième espèce à feuilles capillaires, semblables à celles de fenouil, rentre dans le genre *fucus*, et nous paraît devoir se rattacher à cette espèce qualifiée de barbue, *Fucus barbatus* L., ou au varec bruyère, *Fucus ericoides* L. — Le *fucus* qu'on trouve parmi le rochers de la Crète, et qui servait à teindre en pourpre pourrait être, suivant nous, le lichen connu des botanistes sous le nom de roccelle, *Roccella tinctoria*, avec lequel on prépare encore, de nos jours, l'orseille des teinturiers. — La troisième espèce ne paraît point appartenir aux *fucus*; il est douteux même que ce soit une plante cryptogame; c'est la zostère des modernes (*Zostera marina* L.), qui a l'aspect d'un gramen et la tige garnie de nœuds. La mer rejette cette plante sur nos rivages; elle y est mélangée avec des fucus ». ¶ 2. Hinc factum est aliquando nomen ipsi purpuræ. *Val. Flacc.* 1. 427. Illis Tænario pariter tremit igneus fuco Purpura. *Ovid.* 6. *Met.* 222. Tyrio rubentia fuco terga. *Tibull.* 4. 2. 15. cui mollia caris Vellera det fucis bis madefacta Tyros. ¶ 3. Sæpius colori purpuream imitanti. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 2. 3. (3). Infici vestes scimus admirabili fuco. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 27. qui Sidonio contendere callidus ostro Nescit Aquinatem potantia vellera fucum. ¶ 4. Item generatim cuicumque colori non sincero et naturali, sed facticio et arte inducto ad verum imitandum, qualis est v. gr. quo mulieres faciem tingunt ad augendam pulcritudinem, etc. *belletto, color falso. Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 42. (91). Adulteratur tingiturque rubrica, aut plerumque testa trita, qui fucus aqua deprehenditur diluente facticium colorem. *Plaut. Most.* 1. 13. 118. Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt. *Propert.* 2. 14. 27. An, si cæruleo quædam sua tempora fuco Tinxerit, idcirco cærula forma bona est? *Quintil.* 2. 15. 25. Mangones, qui colorem fuco mentiuntur. ¶ 5. Invenitur etiam simpliciter positum pro colore. *Lucret.* 2. 740. Nam quum cæcigeni cognoscant corpora tactu, Ex ineunte ævo nullo contincta colore; Scire licet, menti quoque nostræ corpora posse Verti in notitiam nullo circumlita fuco.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur — *a*) De quovis ornamento extrinseco, levi, simulato, et in speciem quidem pulcro, sed quod facile deprehendatur. *Cic.* 3. *Orat.* 52. 199. His tribus figuris insidere quidam venustatis non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color. *Id.* 2. *ibid.* 45. 188. Sententiæ tam veræ, tam novæ, tam sine pigmentis fucoque puerili. Sic *Quintil.* 8. 3. 6. Sed hic ornatus (*orationis*) non fuco eminentem colorem amet; sanguine et viribus niteat. Similiter *Cic.* 3. *Orat.* 25. 100. In oratoris aut in poetæ cincinnis ac fuco. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 83. mercem sine fucis gestat, aperte, Quod venale habet, ostendit. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 59. Sunt mulla fucis illita. *Cf. Ammian.* 26. 10. Judices fuco illiti. — *b*) Item pro simulatione et fallacia. *Plaut. Capt.* 3. 3. 6. Nec sycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam est. *Cic.* 1. *Att.* 1. 1. Prensat unus P. Galba sine fuco et fallaciis, more majorum. *Ter. Eun.* 3. 5. 40. Deum sese in hominem convertisse, atque in alienas tegulas venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri. *h. e.* ut mulierem deciperet. Sic *Q. Cic. Petit. Cons.* 9. 35. Si cum, qui tibi promiserit, fucum, ut dicitur, facere sudieris. *ti dà ad intendere, l'inganna.* Cf. *Petron. Satyr.* 24., et *Ovid.* 1. *Fast.* 303. ¶ 2. Fucus dicitur etiam genus glutinis, quo apes alvearia circumliniunt, idem ac propolis, quam vocem vide suo loco. *Virg.* 4. *G.* 39. tenuia cera Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras Explent. *Servius* ait, esse genus herbæ, unde tinguntur vestes. V. *Heyne* ad h. l.

B) Est etiam fucus genus insecti, apis similitudine, *pecchione, fuco. Plin.* 11. *Hist. nat.* 11. 11. (27). Sunt autem fuci sine aculeo, veluti imperfectæ apes novissimæque, a fessis et jam emeritis inchoatæ, serotinus fetus, et quasi servitia verarum apium: quamobrem imperant iis, etc. quum mellis raperunt maturescere, abigunt eos, etc. nec id genus, nisi vere conspicitur. *Virg.* 4. *G.* 244. Immunisque sedens aliena ad pabula fucus. et 167. agmine facto, Ignavum, fucus, pecus a præsepibus arcent. Adde *Varron.* 3. *R. R.* 16. 19.; *Colum.* 9. *R. R.* 15. 5.; *Pallad.* 2. *R. R.* 7. 1.; et *Phædr.* 3. 13.

FUE, interjectio ructum emittentis. *Plaut. Most.* 1. 1. 37. oa. Quam confidenter loquitur! fue. TR. At te Juppiter, dique omnes perdant! oboluisti allium. *V.* FI et PHU.

FŪĔREM. *V.* SUM.

FŬGA, æ, f. 1. In Genit. sing. num. *fugai* pro *fugæ* veterum more dixit *Lucret.* 1. 1046. et 4. 715. — Fuga est fugiendi actus, a Græca voce φυγή (*It. fuga*; *Fr. fuite, action de fuir, action d'échapper*; *Hisp. huida, fuga, evasion*; *Germ. die Flucht*; *Angl. flight, a running away*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) In sing. num. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Quid petam præsidii, aut exsequar? quove nunc Auxilio exsilii, aut fuga freta sim? Arce et urbe orba sum etc. *Cic.* 7. *Att.* 21. Mitto illam fugam ab urbe turpissimam. *Id.* 5. *Phil.* 11. 30. Post discessum latronis, vel potius desperatam fugam. — Ceterum jungitur pluribus Verbis, quorum præcipua hæc sunt. *Cic.* 7. *Att.* 20. Hortari ad fugam. *Nepos Datam.* 2. Fuga periculum evitare. *Id. Hann.* 11. Fuga salutem petere. *Curt.* 5. 13. 15. Fuga se alicui eripere. *Cæs.* 2. *B. G.* 11. In fuga sibi subsidium ponere. *Virg.* 2. *Æn.* 640. Fugam agitare. *Id. ibid.* 109. moliri. *Sueton. Tit.* 9. meditari. *Flor.* 3. 10. 4. Nutare in fugam. *Justin.* 14. 3. 7. Fugam tentare. *Ovid.* 14. *Met.* 219. orare. *Cic.* 7. *Att.* 26. parare. *Claudian. B. Get.* 97. aperire. *Cic.* 7. *Att.* 23. Dare se incertæ et periculosæ fugæ. *Cæs.* 2. *B. G.* 24. Fugæ sese mandare. *Auct. B. Afr.* 34. Commendare se fugæ. *Vellej.* 2. 72. Fugæ se committere. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 95. Dare se in fugam. *Id. Cæl.* 26. 63. In fugam se conjicere. *Id. Cæcin.* 8. 22. In fugam se conferre. *Cæs.* 7. *B. G.* 26. Fugam capere. *Curt.* 7. 9. 13.; et *Justin.* 6. 3. 11. et 8. 2. 4. capessere. *Val. Flacc.* 5. 272. rapere. *h. e.* celeriter capere. *Cæs.* 2. *B. G.* 24. Aliam in partem fugam petere. *Virg.* 4. *Æn.* 281. Abire fuga. *Id.* 9. *ibid.* 719. Immittere alicui fugam. *h. e.* fugiendi cupiditatem. *scompiglio.* Cf. *Liv.* 10. 44. Consternari in fugam. *Cæs.* 2. *B. G.* 23. Hostes in fugam dare. *mettere in fuga.* Sic *Liv.* 7. 34. movere. *Id.* 1. 37. et 30. 33. vertere. *Curt.* 5. 4. 28. avertere. *Justin.* 16. 2. 3. agere. *Tac. Agric.* 37. pellere. *Cic. Rabir. perduell.* 8. 22. impellere. *Cæs.* 6. *B. G.* 8. et 7. *ibid.* 70. conjicere. *Cic. Dom.* 25. 67.; *Liv.* 1. 56., 21. 6., 21. 52. et alibi sæpe. Fugam facere. *far fuggire.* Contra *Sall. Jug.* 53. et 58.; *Liv.* 8. 9.; et *Dig.* 49. 16. 6. § 3. Numidæ fugam faciunt. *fuggono.* Cf. *Virg.* 12. *Æn.* 367. infra cit. sub II. 1. *Cæs.* 1. *B. G.* 52. Hostium acies in fugam convertitur. *Justin.* 15. 4. 22. In fugam verti. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 8. terga præbere fugæ. *Cic.* 7. *Att.* 23. et 24. In fuga esse. *fuggire. Val. Flacc.* 4. 641. Fugam ferre. *Virg.* 1. *Æn.* 141. maturare. *Id.* 9. *ibid.* 378. celerare in silvas. *Stat.* 5. *Theb.* 278. accelerare. *Liv.* 7. 37. *ad fin.*; et *Curt.* 5. 12. 17. intendere. *Curt.* 4. 1. 27. Fuga aliquo pervenire. *Nepos Ages.* 4. Ex fuga conjicere se in templum. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Fuga se ad aliquem re-

cipere. *Id.* 2. *ibid.* 12. Ex terrore et fuga se recipere. *Val. Flacc.* 8. 144.; et *Stat.* 9. *Theb.* 784. Fugam sistere. *Ovid.* 1. *Met.* 511. inhibere. *Cic.* 7. *Att.* 26.; et *Cæs.* 3. *B. G.* 14. reprimere. *Claudian. B. Get.* 315. compescere. *Cic.* 7. *Att.* 20. interrumpere. *Ovid.* 6. *Met.* 572. claudere. *Flor.* 3. 10. 3. auferre. — *b*) In plur. num. apud Poetas. *Horat.* 4. *Od.* 8. 15. non celeres fugæ Rejectæque retrorsum Hannibalis minæ. *Sil. It.* 17. 148. notusque fugarum Vertit terga citus damnatis Hasdrubal ausis. *h. e.* notus quia non semel fugerat. *V.* FUCÆ. *Capell.* 1. p. 19. Hic me Camena vicit: Fugis jugabo ludum. *h. e.* cladi meæ statim subjungam poeticam fictionem. Rursus *Horat.* 2. *Ep.* 1. 121. Fugas servorum ridet. ¶ 2. Speciatim sumitur pro discessu a patria et exsilio, *bando*. *Cic.* 3. *Orat.* 3. 9. Quum sibi non incolumem fortunam, sed exsilium et fugam deprecaretur. *Id.* 1. *de republ.* 3. Vel exsilium Camilli, vel expulsio Ahalæ, vel Opimii damnatio, vel fuga Metelli. Similiter *Id.* 1. *Divinat.* 28. 59. Quum in illa fuga, nobis gloriosa, patriæ calamitosa etc. *cui mox respondent verba*: patriâ vi pulli. Cf. *Sall. Jug.* 3. et 12.; et *Nepot. Att.* 2. *Ovid.* 2. *Pont.* 8. 68. Vos eritis nostræ portus et ara fugæ. *Tac.* 3. *Ann.* 21. Fugâ punire aliquem. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 70.; *Justin.* 5. 9. 3.; et *Flor.* 3. 16. 3. *Ammian.* 19. 12. Lata fuga damnatus. De *lata fuga* V. in v. EXSILIUM. — In plur. num. *Tac.* 14. *Ann.* 64. Quoties fugas et cædes jussit princeps. *Id.* 5. *Hist.* 8. Qui, resumptâ per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces aliaque solita regibus ausi. ¶ 3. Abstractum pro concreto, fuga ponitur pro fugitivo. *Colum.* 10. *R. R.* 125. herba Deletura quidem fronti data signa fugarum. *h. e.* inusta servis fugitivis: sic *Xenophon.* 5. *Hist. Gr.* 2. 9. φυγὴν dixit φυγάδας. Alii tamen aliter leg. *V.* FUCÆ.

II.) Translate. ¶ 1. Apud Poetas ponitur pro rapido cursu, celeritate, pernicitate. *Lucret.* 3. 742. et fuga cervis A patribus datur et patrius pavor incitat artus. *Virg.* 1. *Æn.* 321. qualis equos Threissa fatigat Harpalyce volucremque fuga prævertitur Hebrum. *Al. leg.* Eurum. *Juvenal.* 8. 60. Nobilis hic (*equus*), quocumque venit de gramine, cujus Clara fuga ante alios et primus in æquore pulvis. *Val. Flacc.* 3. 584. tali se concitat ardens (*taurus*) In juga secta fuga. *Virg.* 5. *Æn.* 657. Quum dea se paribus per cælum sustulit alis, Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum. *Id.* 3. *G.* 201. *de Aquilone.* ille volat, simul arva fuga, simul æquora verrens. *Id.* 4. *Æn.* 430. Exspectet facilemque fugam ventosque ferentes. *h. e.* navigationem. *Id.* 7. *ibid.* 23. Neptunus ventis implevit vela secundis Atque fugam dedit. *spinse, fe' correre.* Adde *Sil. It.* 3. 308.; et cf. *Senec. Herc. Œt.* 140. et 1038. et *Thyest.* 629.; *Lucan.* 9. 453. et 10. 99.; et *Stat.* 9. *Theb.* 125. et 1. *Achill.* 226. Rursus *Virg.* 12. *Æn.* 367. fugam dant nubila cælo. *fuggono.* *Horat.* 3. *Od.* 30. 5. innumerabilis Annorum series et fuga temporum. Cf. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 29. Prælabentis vero temporis fuga quam sit irreparabilis, quis dubitet? — Pro errore dixit *Ammian.* 14. 4. Vita semper iis in fuga est. *V.* integrum locum. ¶ 2. Item pro evitatione, declinatione, *schivamento, scampo.* *Cic.* 1. *Fin.* 10. 33. Similis sunt in culpa, qui officia deserunt mollitia animi, id est laborum et dolorum fuga. *per isfuggire alle fatiche e ai dolori.* *Id. Mur.* 1. 9. Fuga laboris desidiam coarguit. *Id.* 1. *de republ.* 2. Fuga turpitudinis. *cui ibid. opponitur* appetentia honestatis. *Liv.* 38. 40. Prælio excedunt Thraces, non fuga vulnerum aut mortis, sed quia satis prædæ habebant. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 29. morbi. *Id. Art. P.* 31. culpæ. *Id.* 2. *Sat.* 6. 95. leti. *Id.* 1. *Ep.* 18. 21. paupertatis. *Virg.* 8. *Æn.* 251. periculi. *Quintil.* 1. 3. 66. Fuga et tædium ipsius lucis. Similiter *Liv.* 3. 67. Hanc ignominiam vel exsilio, vel morte, si alia fuga honoris non esset, vitassem. *se non vi fosse stato altro scampo.* Sic *Virg.* 4. *G.* 443. ubi nulla fugam reperit pellacia. *Propert.* 2. 22. 53. Quo fugis, ah demens? nulla est fuga: tu licet usque Ad Tanaim fugias, usque sequetur Amor. Cf. *Ovid.* 6. *Met.* 518. nulla fuga est capto. — Huc referri possunt et sequentia. *Cic. Orat.* 45. 153. *Axilla ala* factus est, fuga litteræ vastioris. *Sall. Jug.* 40. M. Scaurus inter lætitiam plebis et suorum fugam etc. *h. e.* suorum animos, qui abalienari cœperant: V. *Kritz.* ad h. l.

FŪGĀCĬTAS, ātis, f. 3. idem ac fuga. *Gloss. Philox.* Fugacitas, φυγή.

FŪGĀCĬTER, adverb. sæpe et facile fugiendo. Occurrit tantum Comp. *Fugacius* apud *Liv.* 28. 8. Vix rationem iniri posse, utrum ab se audacius, an fugacius ab hostibus geratur bellum.

FŪGĀLĬA, ium, n. plur. 3. festa, quæ Romæ celebrabantur VI. K. Mart. post Terminalia, in memoriam fugatorum regum, effusa omni licentia turpitudinis, ut ait *Augustin.* 2. *Civ. D.* 6. *V.* REGIFUGIUM. — Alii censent fuisse sacra, quæ exsules in Jovis honorem faciebant, quia Ζεὺς φύγιος præses exsulum habebatur, qui φυγάδες appellantur a φεύγω *fugio*.

FŪGĀTOR, ōris, m. 3. qui fugat. *Tertull. advers. Marcion. carm.* 5. 10. Mundator carnis seræ, mortisque fugator.

FŪGĀTRIX, īcis, f. 3. quæ fugat. *Tertull. advers. Gnost.* 12. Dilectio fugatrix timoris.

FŪGĀTUS, a, um. *V.* FUGO.

FŪGAX, ācis, adject. omn. gen. Comp. *Fugacior* I. *et* II. 2.; Sup. *Fugacissimus* I. et II. 1. et 2. — Fugax est qui facile fugit, fugiens, fugiendo celer ac velox, φευκτικός (It. *fugace*; Fr. *qui fuit, ou s'enfuit facilement, fuyard*; Hisp. *fugitivo*; Germ. *eilend, fliehend, flüchtig*; Angl. *apt to flee, running away, fugacious*).

I.) Proprie. — *a*) Est qui facile fugit. *Virg.* 10. *Æn.* 725. Fugax caprea. *Id.* 9. *ibid.* 591. feras terrere fugaces. *Liv.* 5. 28. Ignavissimus et fugacissimus hostis. *Id.* 30. 28. Dux fugacissimus. *Virg.* 10. *Æn.* 697. Latagus. *Ovid. Heroid.* 4. 16.; et *Virg.* 1. *G.* 280. Fugax equus. *Lucan.* 2. 588. Tethys. *Vellej.* 2. 85. miles. — *b*) Item simpliciter fugiens. *Horat.* 3. *Od.* 2. 14. Mors et fugacem persequitur virum. Cf. *eumd.* 2. *Sat.* 7. 115. Teque ipsum vitas fugitivus et erro. — Frustra: Nam comes atra (*cura*) premit sequiturque fugacem. *Id.* 3. *Od.* 3. 12. Lympha fugax. *aqua corrente.* — *c*) Item velox, celer, *veloce*. *Ovid.* 13. *Met.* 807. ventis volucrique fugacior aura. — *d*) Est etiam et convicium servi fugitivi. *Plaut. Pers.* 3. 3. 16. Perenniserve, lurco, edax, furax, fugax.

II.) Translate. ¶ 1. Cum Genitivo dicitur de homine, et est idem ac declinans, devitans. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 38. Sollicitæque fugax ambitionis eram. *Id.* 3. *ibid.* 2. 9. fugax rerum, securaque in otia natus. *Seneca* 4. *Benef.* 32. Fugacissimus gloriæ. ¶ 2. Quum de rebus dicitur, est cito præteriens, cito finem habens. *Cic.* 10. *Fam.* 12. *ad fin.* Hæc omnia, quæ habent speciem gloriæ, brevia, fugacia, cadura existima. *Al. leg.* fucata. *Horat.* 2. *Od.* 14. 1. Fugaces labuntur anni. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 12. 11. (40). *de persicis.* Non aliud pomum fugacius. *Seneca Ep.* 74. *circa med.* Fugacissima bona. *Id. ibid.* 1. Tempus fugax res. *Plin. carm. l.* 7. *Ep.* 4. Fugaces blanditiæ.

FŪGĒLA, æ, f. 1. idem quod fuga, cursus, vel potius studium fugiendi: ea forma, qua *tutela, cautela*, et similia, *fuga*, φυγή. *Cato* apud *Priscian.* 3. p. 601. *Putsch.* Ab optimis artibus fugit quam maxima fugela, perpetuissimo curriculo. *Apul. de Mag.* Ab iis nunc magna fugela in ganeum fugit.

FŪGĬBĬLIS, e, adject. *fuggibile*, φευκτός, qui fugi potest, vel debet. Occurrit tantum Comp. *Fugibilior* apud *Boeth. Aristot. Topic.* 3. 1. p. 680. Quod per se est causa mali, fugibilius est eo, quod per accidens: ut vitium, quam fortuna; nam illud quidem per se malum, fortuna autem per accidens.

FŪGĬENS, entis. *V.* voc. seq.

FŬGĬO, fūgis, fūgi, fŭgitum, fŭgere, 3. Penultima præteriti corripitur ab *Albinov.* 2. 23. Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo, Quæ bene præcinctos postmodo pulsa fugit. Nisi dicas esse tempus pro tempore. — Part. *Fugiens* sub *A.* I. et II. *B.* I. 1. et in fin.; *Fugiturus* sub *B.* I. 1.; *Fugiendus* sub *B.* II. 1. — Fugere occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active, seu cum Accusativo.

A) Neutrorum more fugere est cursu et celeriter discedere: a Græca voce φεύγω, extrita priore vocali diphthongi, seu potius ab ejusdem etymo φυγ (It. *fuggire, scampare*; Fr. *fuir, prendre la fuite, s'enfuir, s'évader*; Hisp. *huir, escaparse*; Germ. *fliehen, d. Flucht ergreifen, weglaufen, entfliehen*; Angl. *to flee or fly, run away, escape*).

I.) Proprie de hominibus et ceteris animalibus. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum addito, a quo quis fugit, per Adverbium, aut per Ablativum cum præpos. *ab, ex, de*, vel sine ulla præpos. *Plaut. Epid.* 3. 4. 78. PE. Propera igitur fugere hinc, si te dii amant. PE. Abiero. Cf. *Curt.* 7. 2. Miser, quo, aut unde fugiebas? Rursus *Plaut. Pers.* 3. 3. 31. Argentarii, ubi quid credideris, citius extemplo a foro fugiunt, quam ex porta ludis quum emissu'st lepus. *Cic.* 6. *Verr.* 33. 72. Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, quod ab Ænea fugiente a Troja atque in hæc loca veniente conditum esse demonstrant. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 107. Si quando ad eam accesserat confabulatum, fugere e conspectu illico: videre nolle. *Cic.* 10. *Fam.* 4. Fugisse ex prælio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces. *Cæs.* 7. *B. G.* 38. Hæc ab iis cognoscite, qui ex ipsa cæde fugerunt. *Martial.* 9. 89. Aper fugit ex cavea *Cæs.* 3. *B. C.* 29. Otacilius sibi timens oppido fugit, et ad Pompejum pervenit. — *b*) Cum addito, quo quis fugit. *Ter. Adelph.* 4. 1. 22. Fugere intro. Sic *Nepos Dion.* 9. Cogitans, si forte consiliis obstitisset fortuna, ut haberet, quo fugeret, ad salutem. *Val. Flacc.* 3. 270. Quo fugitis? *Cæs.* 7. *B. G.* 66. Fugere in provinciam Romanos. *Petron. Satyr.* 7. Per medium lupanar fugere cœpi in aliam partem. Cf. *Virg.* 5. *Æn.* 740. Dixerat, et tenuis fugit, ceu fumus, in auras. *Petron. Satyr.* 136. Fugere ad cœlum. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 13. Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam. *Juvenal.* 2. 1. ultra Sauromatas. — *c*) Absolute. *Ter. Heaut.* 5. 2. 47. Senex exit foras: ego fugio. *Id. Phorm. prol.* 7. Cervam videre fugere, sectari canes. *Cic.* 2. *de republ.* 19. Qui (*Demaratus*) quum Corinthiorum tyrannum Cypselum ferre non potuisset, fugisse cum magna pecunia dicitur ac se contulisse Tarquinios. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. Omnes hostes terga verterunt, nec prius fugere destiterunt, quam ad flumen Rhenum pervenerint. *Virg.* 2. *Æn.* 289. Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 34. Fenum habet in cornu: longe fuge. *Id.* 1. *Ep.* 16. 46. *de servo.* Nec furtum feci, nec fugi. Sic *Id. ibid.* 1. 78. formidare servos — ne te compilent fugientes. *Seneca Tranquill.* 8. Diogeni servus unicus fugit. *Nepos Datam.* 6. Fugientem persequi. *Curt.* 5. 13. 1. insequi. *Id.* 3. 8. 24. sequi. *Id.* 4. 15. 32. Hærere in tergis fugientium. *Id.* 8. 14. *a med.* Fugere acrius cœpit. *Flor.* 3. 5. 18. Spargi a fugientibus sarcinas jussit. *Val. Flacc.* 1. 147. Fugere equo. *a cavallo.* *Id.* 8. 426. rate. *Sil. It.* 2. 250. Instat atrox terga increpitans fugientia victor. *h. e.* fugientes. — *d*) Proverb. est illud apud *Ter. Phorm.* 5. 2. 3. Ita fugias, ne præter casam. *h. e.* ne sit tam præceps fuga, ut propriam domum, ubi tutissimum tibi præsidium, prætereas. — *e*) Passive impersonaliter. *Lucan.* 1. 504. sic urbe relicta In bellum fugitur. *Stat.* 2. *Achill.* 424. Nunc rapat aerii scandentem prendere montis, Quo fugitur per plana gradu. *h. e.* curritur, properatur. ¶ 2. Speciatim, quemadmodum et Græcum φεύγειν, ponitur pro exsulare, in exsilium ire. *Nepos Att.* 4. Ciceroni ex patria fugienti etc. Cf. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 66. A patria fugio victus et exsul ego. *Quintil.* 6. 1. 19. Quæ maneant eos, qui de vi et injuria questi sunt, nisi vindicentur: fugiendum de civitate, cedendum bonis et omnia perferenda. *Juvenal.* 10. 160. In exsilium præceps fugit. Cf. infra sub *B.* I. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro simplici currere, celeriter ire vel abire; ut docet *Seneca Ep.* 108. *a med.* Numquam Virgilius diem dicit *ire*, sed *fugere*, quod currendi genus concitatissimum est. Hac autem significatione fere poeticum est; et occurrit — *a*) Raro de hominibus et ceteris animalibus. *Virg.* 3. *G.* 462. acer Gelonus Quum fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum. *V.* tamen interpr.; alii enim alia. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 35. cum magno blateras clamore fugisque. *Sil. It.* 1. 571. Ast illi celerant, qua proxima littora, gressum, Et fugiunt tumido per spumea cærula velo. *Id.* 16. 333. Eruit ante omnes rapidoque per aera cursu Callaicus Lampon (*equus*) fugit. — *b*) Sæpius de inanimis, quæ tamen moventur. *Virg.* 4. *G.* 19. tenuis fugiens per gramina rivus. *Colum.* 10. *R. R.* 281. et arguto fugientes gramine fontes. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 68. Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina. *Sil. It.* 15. 238. Et fluctus rapido fugiebat in æquora lapsu. *Horat.* 1. *Od.* 12. 30. Concidunt venti fugiuntque nubes. *Ovid.* 11. *Met.* 468. insequitur fugientem lumine pinum. *h. e.* navem. Sic

Val. Flacc. 8. 139. fugit immissis nam puppis habenis. *Id.* 3. 724. Omnis adhuc vocat Alciden, fugiente carina. *Seneca Herc. fur.* 994. medio spiculum collo fugit, vulnere relicto. *Val. Flacc.* 3. 135. et pectus arundo Per medium contenta fugit. *Stat.* 9. *Theb.* 770. nullum sine vulnere fugit Missile. *Sil. It.* 4. 290. fugit illa (*hasta*) per oras Multiplicis lini subtextaque tegmina nervis. *Id.* 6. 281. tandem exhalavit in auras Liventem nebulam fugientis ab ore veneni. *Horat.* 3. *Od.* 2. 24. Spernit (*virtus*) humum fugiente penna. *Sil. It.* 15. 174. nemoroso vertice celsus Apparet collis, fugiuntque in nubila silvæ Pyrenes. *h. e.* apparent sese in altum extollentes. Huc referri potest et illud *Horat.* 1. *Sat.* 2. 108. meus amor Transvolat in medio posita, et fugientia captat. *h. e.* res fugaces et capi difficiles. — *c*) Speciatim a Poetis *fugere* dicuntur litora et similia, quæ a nobis prætereuntibus recedere videntur. *Lucret.* 4. 388. Qua vehimur navi, fertur, quum stare videtur: Quæ manet in statione, ea præter creditur ire; Et fugere ad puppim colles campique videntur, Quos agimus præter navem. *Propert.* 4. 6. 15. Est Phœbi fugiens Athamana ad litora portus. *h. e.* recedens, secedens: simile illi *Virg.* 1. *Æn.* 163. Est in secessu longo locus: insula portum Efficit objectu laterum. Cf. etiam *Virg.* 6. *Æn.* 61. Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras. ¶ 2. Prægnante, uti ajunt, significatione est evanescere, abire, perire. *Lucret.* 1. 306. fluctifrago suspensæ in litore vestes Uvescunt; eædem dispansæ in sole serescunt: At neque quo pacto persederit humor aquai Visum est, nec rursum quo pacto fugerit æstu. *Ovid.* 6. *Fast.* 730. e pratis cana pruina fugit. *Id.* 1. *Met.* 739. fugiunt de corpore sætæ. *Virg. Cir.* 447. Jam fessæ tandem fugiunt de corpore vires. Cf. *Ovid.* 7. *Met.* 859. fugiunt cum sanguine vires. *Id.* 14. *ibid.* 755. calidusque e corpore sanguis Inducto pallore fugit. *Id.* 2. *Art. am.* 556. fugit ab ore pudor. *Id. Heroid.* 11. 27. Fugerat ore color; macies adduxerat artus. *Horat.* 2. *Od.* 2. 15. nisi causa morbi Fugerit venis. *Val. Flacc.* 3. 179. jam candor et anni Deficiunt, vitaque fugit decus omne soluta. *Virg.* 3. *G.* 284. Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 40. fugit annus. *Id.* 3. *Od.* 29. 47. Fugiens hora. *h. e.* cito præteriens, *fugace. Id.* 1. *ibid.* 11. 7; et *Catull.* 68. 43. fugiens ætas. Similiter *mensis fugiens*, *h. e.* ad finem properans, *la fine del mese*, apud *Ovid.* 5. *Fast.* 186. Item *dies fugiens*, *h. e.* vesper, *la sera*, apud *Senec. Thyest.* 614.; et Dies veniens, *la mattina*, apud *eumd. ibid.* — Ceterum *Propert.* 1. 12. 12. Quantus in exiguo tempore fugit amor! Sic *Sil. It.* 2. 627. Sic thalami fugit omnis amor, dulcesque marito Effluxere tori et subiere oblivia tædæ. *Val. Flacc.* 6. 8. Protinus e castris fugit sopor: excita tela. *Liv.* 9. 44. Memoriane fugerit in annalibus digerendis, an etc. *Seneca Ep.* 12. Gratissima sunt poma, quum fugiunt: pueritiæ maximus in exitu decor est. *V.* et infra in *Fugiens*. ¶ 3. Per metaphoram raro usurpatur de hominibus et abstractis. *Cic.* 1. *Off.* 35. 128. Nos naturam sequamur et ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus. *Id.* 3. *Nat. D.* 13. 33. Omne animal appetit quædam et fugit a quibusdam. Quod autem refugit, id contra naturam est. *Quintil.* 11. 1. 54. Quo fugerit interim dolor ille? ubi lacrimæ substiterint? *Petron. Satyr.* 132. Ad verba, magis quæ poterant nocere, fugi. *h. e.* confugi, *ricorsi*.

B) Active, seu cum Accusativo est fugiendo declinare, evitare, relinquere, *schivare, sfuggire*.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de hominibus et brutis animantibus, et est declinare vel evitare homines aut inanima, quæ ingrata sunt. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 24. 38. Cur me huic locabas nuptiis? Duxi probum. Erravi: post cognovi et fugio cognitum. *Cæs.* 1. *B. C.* 19. Quum Domitius concilia conventusque hominum fugeret. *Liv.* 9. 1. Quem meorum suppliciorum judicem feram, neminem neque populum, neque privatum fugio. *Horat. Art. P.* 455. Vesanum fugiunt poetam qui sapiunt. *Id.* 1. *Ep.* 18. 69. percontatorem. *Id.* 1. *Sat.* 3. 10. sæpe velut qui Currebat fugiens hostem. Adde *eumd.* 3. *Od.* 7. 18. *Ovid. Heroid.* 2. 47. Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires. Sic *Id.* 11. *Met.* 694. Hoc erat, hoc animo quod divinante timebam; Et ne, me fugiens, ventos sequerere rogabam? Adde *Curt.* 10. 2. 27. *Virg.* 8. *Ecl.* 52. Nunc et oves ultro fugiat lupus. *Horat.* 1. *Od.* 22. 12. Lupus me fugit inermem. *Id.* 2. *Ep.* 2. 77. Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes. *Id.* 1. *Sat.* 6. 126. solus data pocula fugit. *ricusa.* Cf. *eumd.* 15. *ibid.* 323. Vina fugit, gaudetque meris abstemius undis. Huc referri potest et illud *Val. Flacc.* 2. 473. Nos illi veteris quondam genus, invida donec Laomedonteos fugeret Fortuna penates. — Passive. *Stat.* 7. *Theb.* 139. sic litora vento Incipiente fremunt, fugitur quum portus ubique. ¶ 2. Speciatim patriam fugere dicuntur, qui sponte aut jussi in exsilium abeunt: *V.* supra sub *A.* I. 2. *Virg.* 1. *Ecl.* 3. Nos patriæ fines et dulcia linquimus arva: Nos patriam fugimus. Cf. *Juvenal.* 11. 52. Ille dolor solus patriam fugientibus, illa Mœstitia est etc. *Horat.* 1. *Od.* 7. 24. Teucer Salamina patremque Quum fugeret. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 16. 20. quid terras alio calentes Sole mutamus patriâ? quis exsul Se quoque fugit? Hoc sensu præcesserat *Lucret.* 3. 1071. Quid sibi quisque velit, nescire, et quærere semper; Commutare locum, quasi onus deponere possit. Exit sæpe foras magnis ex ædibus ille, Esse domi quem pertæsum est, subitoque revertitur. — Hoc se quisque modo fugit.

II.) Translate. ¶ 1. Raro admodum rem aliam fugere dicitur res, quæ recedit, aut præterit. *Lucret.* 1. 6. Te, dea, te fugiunt venti, te nubila cœli Adventumque tuum. *Val. Flacc.* 2. 405. sic portus fugeret ratis, aspera si te Pilas in adversæ tenuisset litore Thraces. *Id.* 5. 103. ratis fugit omne Crobiali latus. *h. e.* prætervnavigat. ¶ 2. Item (causa pro effectu) homines, bestiæ et ipsa inanima aliquid fugere dicuntur, quum periculosam rem effugiunt ac devitant. *Horat.* 3. *Od.* 3. 16. hac Quirinus Martis equis Acheronta fugit. *Id.* 2. *Sat.* 5. 25. ni vafer unus et alter insidiatorem præroso fugerit hamo. *Val. Flacc.* 3. 530. Quum fugerent jam tela feræ. *Sil. It.* 16. 562. Et, cujus numquam fugisse hastilia cervi Prærapida potuere fuga, venator Aconteus. *Horat.* 4. *Od.* 7. 19. Cuncta manus avidas fugient heredis, amico Quæ dederis animo. Et poetice *Id.* 1. *ibid.* 28. 19. Mixta senum ac juvenum densentur funera, nullum Sæva caput Proserpina fugit. pro nullum caput seu nemo Proserpinam, *h. e.* mortem effugit. ¶ 3. Metaphorâ hinc sumptâ abstractis jungitur pro devitare, declinare, recusare, et usurpatur de iis quæ ingrata molestaque sunt, vel minus honesta. — *a*) Activa forma. *Ter. Andr.* 4. 4. 27. Fugere nuptias. Sic *Ovid.* 10. *Met.* 565. usum conjugis. *Id.* 14. *ibid.* 69. connubia. *Tibull.* 1. 9. 74. amplexus senis. *Cæs.* 7. *B. G.* 56. Quod neque se in occultum abdiderat et conspectum multitudinis fugerat. *Cic.* 12. *Att.* 18. Fugere recordationes. *Nepos Att.* 15. reipublicæ procurationem. *Sil. It.* 1. 21. regnum. *Quintil.* 2. 17. 15. Epicurus fugit disciplinas omnes. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 72. Nec sequar aut fugiam, quæ diligit ipse vel odit. Sic *Quintil.* 9. 4. 87. Licet pæona sequatur Ephorus —, fugiat spondeum et dactylum. *Ter. Andr.* 5. 4. 33. Fugiens bellum. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 46. pauperiem. *Liv.* 8. 33. judicium senatus. *Capitolin. Pertin.* 4. Pertinax interficiendi Commodi conscientiam delatam sibi ab aliis non fugit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 3. 5. (16). Fugiens a Corintho injurias tyranni. *Ter. Heaut.* 1. 1. 114. Fugere laborem. *h. e.* recusare. Sic *Propert.* 1. 1. 9. Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores, Sævitiam duræ contudit Iasidos. *Cic.* 3. *de republ.* 5. Nullam fugere molestiam. *Id.* 5. *ibid.* 4. In quibus (*civitatibus*) expetunt laudem optimi et decus, ignominiam fugiunt ac dedecus. *Id.* 2. *Orat.* 24. 101. Fugere vituperationem tarditatis. *Id.* 2. *Tusc.* 27. 66. turpitudinem. *Horat.* 1. *Ep.* 9. 10. majoris opprobria culpæ. *Quintil.* 2. 13. 16. vitium. *Id.* 8. 5. 32. Voluptatem reformidare et fugere. — *b*) Passiva forma. *Cic.* 1. *Legg.* 11. 31. Mors fugitur, quasi dissolutio naturæ, vita expetitur. *Id.* 4. *Herenn.* 38. 50. Quemadmodum ratione in vivendo fugitur invidia, sic in dicendo consilio vitatur odium. Adde *Lucan.* 1. 166.; et *Stat.* 4. *Theb.* 285. Sic *Augustin.* 22. *Civ. D.* 22. Labor fugitur. Rursus *Cic. Amic.* 13. 45. Fugiendas esse nimias amicitias. Adde *eumd. ibid.* 13. 47. *Id.* 1. *Off.* 8. 25. Fugienda semper injuria est. *Id.* 5. *Verr.* 43. 103. Sentio, judices, moderandum mihi esse jam orationi meæ, fugiendamque vestram satietatem. *Id. Orat.* 56. 189. Vitiosum genus et longa animi provisione fugiendum. *Quintil.* 11. 3. 128. Longissime fugienda mollis actio. *Id.* 3. 6. 49. Petenda ac fugienda. *Juvenal.* 16. 36. sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt. *h. e.* alios abripiunt evitanda parentum exempla. ¶ 4. Hinc apud Poetas cum Infinito occurrit pro cavere, omittere, *lasciare, omettere*. *Lucret.* 1. 1051. Illud in his rebus longe fuge credere etc. *Tibull.* 1. 4. 69. O fuge te teneræ puerorum credere turbæ. *Horat.* 1. *Od.* 9. 13. Quid sit futurum cras, fuge quærere. *Id.* 2. *ibid.* 4. 22. fuge suspicari, Cujus etc. *Virg.* 9. *Æn.* 200. Mene igitur socium summis adjungere rebus, Nise, fugis? *Ovid. Heroid.* 9. 75. Non fugis, Alcide, victricem mille laborum Rasilibus calathis imposuisse manum? *h. e.* non aspernaris? non abhorres? *Horat.* 2. *Ep.* 2. 150. fugeres radice vel herba Proficiente nihil curarier. ¶ 5. *Fugere aciem, visum* dicuntur, quæ cerni non possunt. *Cic.* 1. *Tusc.* 22. 50. Tanta est animi tenuitas, ut fugiat aciem. *Ovid.* 2. *Fast.* 80. Delphin fugiet visus nocte sequente tuos. ¶ 6. Hinc *hoc me fugit* est me latet, memoria excidit, ignoro: qua significatione occurrit — *a*) Cum Nominativo rei et Accusativo personæ. — Cum Nominat. *hoc, id* etc. *Cic.* 2. *de republ.* 12. Quo quidem tempore novus ille populus vidit tamen id, quod fugit Lacedæmonium Lycurgum, qui etc. *Id.* 4. *Fin.* 23. 63. Stoici hæc videlicet viderunt, illos autem id fugerat. *Id.* 6. *Verr.* 12. 27. Verum hominem amentem hoc fugit. Et cum addita negativa part. *Cic.* 1. *de republ.* 16. Id autem postea ne nostrum quidem Ennium fugit, qui etc. *Id.* 1. *Orat.* 59. 253. Non fugisset hoc Græcos homines, si ita necesse esse arbitrati essent. *Nepos Dion.* 2. Neque vero hæc Dionysium fugiebant: nam quanto esset sibi ornamento, sentiebat. — Cum Nominativo *res, ratio, sententia* et similia. *Cic.* 1. *Tusc.* 11. 21. Nisi quæ me forte fugiunt, hæ sunt fere de animo sententiæ. *Quintil.* 9. 2. 107. Alia vel sint forsitan, ac nos fugerint. *Id.* 7. 1. 40. Non tamen fere unquam (*figuræ*) nisi imprudentem fugerint. Et cum addita negativa part. *Cic.* 2. *de republ.* 1. Neque ullum ingenium tantum exstitisse dicebat, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuisset. *Id. ibid.* 34. Quæ (*ratio*) neque Solonem Atheniensem fugerat, neque post aliquanto nostrum senatum. *Quintil.* 2. 5. 17. Neminem hæc utilitas fugit. — Cum Accusativo *scientiam, memoriam*: ut apud *Cic. pro leg. Manil.* 10. 28. Nullam rem esse in usu militari positam, quæ hujus viri scientiam fugere possit. *Quintil.* 4. 5. 3. Quæ (*partitio*) fugiet memoriam judicis. *Gell.* 1. 18. *extr.* Ea res fugit Varronis memoriam. — *b*) Cum Infinito aut cum Relativo pro Nominativo rei. *Cic.* 7. *Att.* 18. De Dionysio, fugit me ad te antea scribere. *mi scordai, mi uscì di mente*. *Id.* 5. *ibid.* 12. Cui rei fugerat me rescribere. Adde *eumd.* 2. *ad Q. fr.* 12. *med. Id.* 12. *Att.* 42. Illud alterum quam sit difficile, te non fugit. *tu ben sai*. *Ovid.* 5. *Fast.* 445. Dicta sit unde dies, quæ nominis exstet origo, Me fugit: ex aliquo est invenienda deo. — Hinc Part. præs., cujus plurima superius exempla retulimus,

Fugiens, entis, adjective quoque occurrit; et quidem translate ¶ 1. Est evanescens, qui perit. *Catull.* 64. 43. Fugiens somnus. *Lucret.* 5. 885. Membra deficiunt, fugienti languida vita. Sic *Sil. It.* 1. 122. fugiens anima. Cf. *Quintil.* 6. *proœm.* 1. spiritus. Similiter *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 49. Fugientes oculi. *h. e.* morientes: *V.* LABOR, eris. Cf. supra sub *A.* II. 2. — Sic *vinum fugiens* apud *Cic.* 3. *Off.* 23. 91. est quod non fert ætatem, sed cito corrumpitur, *vino che non si conserva*. ¶ 2. Item est declinans, devitans, recusans: *V.* supra sub *B.* II. 3. *Cæs.* 1. *B. C.* 69. Nemo erat adeo tardus et fugiens laboris. *fuggifatica.* — Hinc

Fugiens, entis, m. 3. absolute, substantivorum more, pro reo legitur in *Justinian. Cod.* 2. 59. 2., ut Græci φεύγοντα reum vocant, ut φεύγοντα φόνου reum cædis, ὕβρεως injuriæ (ubi videtur subaudiri δίκην), quia qui re vera sunt rei, judicium declinant.

FŪGĬTANS, antis. *V.* FUGITO.

FŪGĬTĪVĀRĬUS, a, um, adject. ad fugam pertinens.

I.) Proprie. ¶ 1. *Fugitivarii* apud antiquos fugitivorum servorum conquisitores erant, qui eam operam profitebantur, ut fugitivos investigatos reducerent. *Flor.* 3. 19. 7. Qui per fugitivarios retrahi debuissent. Adde *Ulp. Dig.* 19. 5. 18. ¶ 2. *Fugitivarius* item dicitur, qui servum fugitivum occul-

tat. Imp. Valentinian. Cod. Theod. 10. 12. 1. Pœna, quæ de occultatoribus et fugitivariis data est.

II.) Improprie, metaphorá sumptá a superiori paragr. 1., dicitur de quocumque, qui rem fugientem cohibet et persequitur. Varro 3. R. R. 14. 1. de cochleis. Aqua, inquam, claudendæ, ne fugitivarius sit parandus. idest, ne, si locus fugæ pateat cochleis, cogaris postea, tamquam fugitivos servos, sic cochleas fugitivas persequi, et uti ministerio fugitivariorum.

FUGĪTĪVUS, a, um, adject. qui fugit, δραπέτης (It. fuggitivo, fuggiasco, fugace; Fr. fugitif, qui s'enfuit; Hisp. fugitivo, el que anda huyendo; Germ. flüchtig, entlaufen; Angl. fugitive, running away).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de hominibus et brutis. — a) Absolute. Plaut. Pseud. 1. 3. 85. Fugitivus canis. Varro 3. R. R. 16. 21. Si es bono loco transtuleris (apes) eo, ubi idonea pabulatio non est, fugitivæ fiunt. Cf. Juvenal. 4. 50. Non dubitaturi fugitivum dicere piscem, Depastumque diu vivaria Cæsaris, inde Elapsum, veterem ad dominum debere reverti. Juvenal. alludit ad servum fugitivum, de quo infra. Horat. 2. Sat. 7. 113. teque ipsum vitas fugitivus et erro. Juvenal. 13. 110. minimum agit ille, Urbani qualem fugitivus scurra Catulli. Vatinius apud Cic. 5. Fam. 9. Dicitur mihi tuus servus anagnostes fugitivus cum Vardæis esse. Adde Sall. Cat. 56.; et Justin. 2. 5. 5. Cf. Fugitivus, i, in fin. hujus v. — Plin. 36. Hist. nat. 15. 23. (99). Eodem in oppido est lapis fugitivus appellatus —; hunc e prytaneo — sæpe profugum vinxera plumbo. — Huc pertinet et illud Ter. Heaut. 4. 2. 11. Retraham ad me illud fugitivum argentum. — b) Cum addito a quo quis fugit per Ablativum et præpos. ab. Cic. 6. Verr. 50. 112. Neque tam servi illi dominorum, quam tu libidinum: neque tam fugitivi illi a dominis, quam tu a jure et ab legibus. — c) Cum Genitivo loci vel rei, a qua quis fugit. Flor. 3. 1. 12. Jugurtha finium suorum regnique fugitivus. Plin. 18. Hist. nat. 16. 41. (142). In tantum columbis grata, ut pastas ea negent illius loci fugitivas fieri. Alter Plin. 9. Ep. 28. Polliceris, futurum te fugitivum rei familiaris, statimque ad nos evolaturum. che abbandonerai gl'interessi di casa. ¶ 2. Speciatim fugitiva apud Senec. Med. 115. dicitur, quæ a patria exsulat.

II.) Translate fugitiva dicuntur, quæ cito prætereunt, cito finem habent. Ovid. Remed. am. 643. fugitivus amor. Plerique tamen leg. finitus. Martial. 7. 47. Fugitiva gaudia. Id. 7. 63. quies. Pacat. Paneg. 19. Fugitiva successuum repentinorum voluptas. — Hinc

Fugitivus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Dicitur servus, qui a domino ea mente recedit, ne ad eum redeat, etiamsi, mutato postea consilio, ad eum revertatur, ut ex Cælio docet Ulp. Dig. 21. 1. 17., qua in lege multa hac de re. Plaut. Capt. prol. 17. Fugitivus ille hujus patri, domo quem profugiens dominum abstulerat, vendidit. Cic. 5. Tusc. 22. 63. Vivebat cum fugitivis, cum facinorosis, cum barbaris. Cf. Juvenal. 8. 174. Permixtum nautis, aut furibus, aut fugitivis. Liv. 38. 38. Servos seu fugitivos, seu bello captos reddito Romanis. Id. 30. 43. extr. Perfugas, fugitivos, captivorum quatuor millia tradiderunt. Id. fragm. l. 91. (edente Romæ G. B. Niebhurio) p. 91. Transfugas liberos vivos ad se adduci jussit; fugitivos, quorum major multitudo erat, ipsis imperavit ut interficerent. Horat. 1. Ep. 10. 10. Utque sacerdotis fugitivus liba recuso. h. e. qui a sacerdote fugit, penes quem liba vulgaria sunt. Adde Cic. 5. Verr. 26. 66. et 11. Phil. 7. 16.; Cæs. 3. B. C. 19. et 110.; Sall. fragm. 74. ed. Gerlach.; Curt. 6. 3. 17.; Sueton. Aug. 3. et 7.; Quintil. 7. 4. 14.; et Vellej. 2. 30. 5. Inscript. apud Gor. Inscript. Etr. T. 1. p. 67. MINERVINVS FVGITIVVS ITALICI MILITIS TESSERARII COH. XII. VRB. — Apud Comicos est etiam convicium in hominem nequam. Plaut. Pseud. 1. 3. 131. Fur, fugitive, fraus populi, fraudulente. Adde Ter. Eun. 4. 4. 2. et Phorm. 5. 7. 38. ¶ 2. Dicitur aliquando de milite fugiente, qui fere aut perfuga, aut transfuga appellatur. Cæs. 1. B. G. 23. Ea res per fugitivos L. Æmilii, decurionis equitum Gallorum, hostibus nunciatur. Claud. Saturnin. Dig. 48. 19. 16. Tempus discernit emansorem a fugitivo. Adde Vopisc. Prob. 8.

FŬGĬTO, as, āvi, ātum, are, 1. frequentat. a fugio. — Volunt nonnulli esse etiam frequentativum a fugo, afferuntque illud Auct. prol. Pseud. Plaut. 7. Semper odistis malos, et lege et legionibus Hos fugitastis, Quirites, successis bonis. At critici hunc prologum supposititium putant. — Part. Fugitans sub B. et in fin. — Ceterum fugitare est totis viribus fugere; et occurrit A) Active, et B) Neutrorum more.

A) Active est idem ac declinare, devitare, scansare, schivare, sfuggire; et usurpatur — a) Cum Accusativo personæ aut rei. — Cum Accus. personæ. Plaut. Asin. 2. 4. 78. Ain' tu furcifer: herum nosmet fugitare censes? Id. Pœn. 3. 1. 5. Fugitare amicos senes dedita opera. Ter. Phorm. 5. 5. 7. patrem. Id. Adelph. 5. 4. 18. Illum amant, me fugitant. Lucret. 4. 1172. Quam (puellam) famulæ longa fugitant furtimque cachinnant. Cf. eumd. 6. 974. amaracinum fugitat sus et timet omne Unguentum. et 4. 325. Splendida porro oculi fugitant vitantque tueri. — Cum Accus. rei. Plaut. Capt. 3. 4. 9. Quid illuc est, quod meos te dicam fugitare oculos? Sic Id. ibid. v. 13. Si te fugitat, aut oculos tuos. Cf. Ter. Heaut. 3. 1. 25. Fugitat tuum conspectum. Rursus Plaut. Capt. 1. 2. 53. Fugitant omnes hanc provinciam. Cic. Rosc. Am. 28. 78. Qui quæstionem fugitant, bona possident. Lucret. 6. 754. fugitant (cornices) Palladis iras. Phædr. 1. 2. frustra necem Fugitant inertes ranæ. Ammian. 29. 1. Fugitare vitam. — b) Poetice cum Infinito. Ter. Hecyr. 5. 2. 9. Non pœnitet me famæ, solam fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant. Lucret. 6. 1237. Nam quicumque suos fugitabant visere ad ægros etc. Id. 1. 658. Sed quia multa sibi cernunt contraria mussant, Et fugitant (ignes) in rebus inane relinquere purum.

B) Neutrorum more est hac illac fugere, fuggire qua e là, δραπετεύω. Ter. Eun. 5. 2. 7. Ita miserrimus fui fugitando, ne quis me cognosceret. Ammian. 15. 9. Græci fugitantes. — Hinc part. præs.

Fugitans, antis, adjective quoque occurrit cum Genitivo. Ter. Phorm. 4. 3. 18. Herus meus liberalis est, et fugitans litium.

FŬGĬTOR, ōris, m. 3. qui fugit. Plaut. Trin. 3. 2. 97. Credo, acrem fugitorem fore.

FŬGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Fugans et Fugatus I.; Fugaturus II. 1.; Fugandus II. 2. — Fugare, causativum v. fugere ejusdemque etymi, est in fugam aliquem convertere et fugientem insequi, expellere, ejicere, τρέπω εἰς φυγήν (It. fugare, mettere in fuga, cacciare; Fr. faire fuir, mettre en fuite, repousser, chasser; Hisp. poner, meter en huida, rempujar, hacer salir; Germ. in d. Flucht schlagen, treiben, verjagen, vertreiben, verscheuchen; Angl. to put to flight, rout, discomfit).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cic. Harusp. resp. 4. 6. Armatum civem, qui lapidibus, qui ferro alios fugaret. Id. Cæcin. 12. 33. Qui homines inermes armis, viris, terrore repulerit, fugarit, averterit. Id. ibid. 11. 31. Is, qui armis perterritus, fugatus, pulsus est, non videtur esse dejectus? Id. 3. Off. 31. 112. Latini ad Veserim fusi et fugati. Sic Sall. Jug. 62. Numidas maxuma vi cædere, fundere atque fugare. et Id. ibid. 24. Hostes semisomnos fugare et fundere. et Vellej. 46. 2. in fin. Ut Parthos in Syriam transgressos fugaret ac funderet. Cæs. 7. B. G. 68. Fugato omni equitatu. Auct. B. G. 8. 36. Quum intelligeret, fugato duce altero, perterritos reliquos facile opprimi posse. Nepos Epam. 5. Fugatis Lacedæmoniis. Id. Hann. 4. Fugare hostem. Id. Timoth. 2. classem. Sueton. Aug. 16. hostium naves. Propert. 3. 2. 11. Hannibalemque Lares Romana sede fugantes. Horat. Art. P. 474. Indoctum doctumque fugat recitator acerbus. Ovid. Ib. 175. In loca ab Elysii diversa fugabere campis. Lucan. 8. 93. cunctosque fugavi A causa meliore deos. ¶ 2. Speciatim est in exsilium ejicere. Ovid. 3. Pont. 5. 21. nisi me mea Musa fugasset. h. e. in exsilium pepulisset. Id. 4. Pont. 14. 59. Fugatus patris sede. Val. Flacc. 5. 234. patria tellure fugatus. Adde eumd. 2. 81.; et Sueton. Vesp. 5. Cf. Lucret. 3. 48. Extorres idem patria longeque fugati Conspectu ex hominum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — a) De hominibus. Horat. 2. Ep. 1. 182. Sæpe etiam audacem fugat hoc terretque poetam, Quod etc. Quintil. 2. 2. 7. Id multos a proposito studendi fugat. Colum. 12. R. R. 20. 6. Cavendumque est, ne conditus sapor intelligatur: nam ea res emptorem fugat. Adde Lucan. 3. 370. — b) Sæpius de rebus et abstractis. Horat. 3. Od. 21. 24. Dum rediens fugat astra Phœbus. Id. 4. ibid. 4. 39. Fugatis tenebris. Ovid. Heroid. 18. 111. Jamque fugatura Tithoni conjuge noctem. Val. Flacc. 2. 51. subitus quum luce fugata Horruit imbre dies. Ovid. 13. Met. 8. Fugare flammas a classe. Id. Medic. fac. 78. maculas ora. h. e. ab ore. Id. 3. Art. am. 637. fugat e templis oculos Bona diva virorum. Tibull. 1. 1. 4. Martia cui somnos classica pulsa fugent. Ovid. Remed. am. 358. ex omni parte fugandus amor. Sic Id. 1. Met. 469. fugat hoc (telum), facit illud amorem. Id. 9. ibid. 501. nostro vultus de corde fugabitur ardor. ¶ 2. Speciatim pro jacere, jaculari, lanciare, gettare. Sil. It. 2. 90. celsis senior Gortynia muris Tela sonante fugat nervo, liquidasque per auras Dirigit aligero letalia vulnera ferro.

FULCĪMEN, inis, n. 3. idem quod fulcimentum. Ovid. 6. Fast. 269. Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa.

FULCĪMENTUM, i, n. 2. quod aliquid fulcit et sustinet, sostegno, sostenimento, ἔρεισμα.

I.) Proprie. Apul. 1. Met. Dum pede altero fulcimentum, quo sustinebar, repello. Macrob. 7. Saturn. 9. Desertum fulcimentis suis labitur in ruinam. Sic Solin. 20. Ut dum fera assuetis fulcimentis innititur, faciat ruinam. Al. leg. fulmentis. V. FULMENTUM.

II.) Translate. Ulp. Dig. 33. 7. 12. circa med. Fulcimenta, si qua habebat huic rei necessaria.

FULCĬO, cis, si (et civi), tum (et citum), cire, a. 4. Præter. fulcivi est cadentis Latinitatis. Inscript. sub Honor. et Theodos. apud Murat. 466. 3. CELLAM TEPIDARIAM ARGVTE DVPLICI MVNITIONE FVLCIVIT. — Part. Fulcitus occurrit apud Cæl. Aurel. 2. Tard. 1. Et tunc fulciti ex utroque alarum latere, ministrorum officio, deambulationem tentent. — Part. Fultus in omnibus paragr.; Fulciendus I. — Fulcire est sustentare, firmare, ἐρείδω, ὑποστηρίζω (It. puntellare, sorreggere; Fr. étayer, soutenir; Hisp. apuntalar, sostener, sustentar; Germ. stützen, stützend aufrecht halten; Angl. to prop, support, uphold, sustain, bear up).

I.) Proprie. — a) De ædificiis, arboribus et similibus. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 24. 75. Qui fulcire putatur porticum Stoicorum. Virg. 4. Æn. 247. Atlas, cælum qui vertice fulcit. Propert. 3. 1. 49. domus fulta columnis. Cf. Juvenal. 7. 182. Parte alia longis Numidarum fulta columnis Surgat et algentem rapiat cœnatio solem. Plin. 36. Hist. nat. 13. 19. (89). Fulcire aliquid trabibus. Martial. 2. 43. Fulcitur testa fagina mensa mihi. Sil. It. 13. 814. torus fultus e stramine culmi. Claudian. VI. cons. Honor. 167. de Eridano. Fultaque sub gremio cælatis nobilis astris Ætherium probet urna decus. Cic. Senect. 15. 52. Vitis, quæ natura caduca est, et, nisi fulta est, fertur ad terram. Plin. 11. Hist. nat. 10. 10. (23). Ruentes ceras fulciunt pilarum intergerinis a solo fornicatis. Huc referri potest et illud Cels. 7. 19. Linamenta super non fulcienda, sed leviter tantum ponenda sunt. — b) De hominibus. Poetice et Græca constructione. Sil. It. 6. 77. utque ora agnovit, et ægrum Vulneribus duris ac (lamentabile visu!) Labentes fultum truncata cuspide gressus etc. Horat. 1. Sat. 3. 47. hunc Varum distortis cruribus, illum Balbutit Scaurum pravis fultum male talis. Sic Id. ibid. 2. 87. si facies ut sæpe decora Molli fulta pede est. — Ceterum fultus aliqua re dicitur, qui super eam compositus nixusque jacet. Ovid. Ib. 237. Et ne non fultum nuda tellure jaceret, Molle super silices imposuere caput. appoggiato e sollevato. Virg. 6. Ecl. 53. juvencus latus niveum molli fultus hyacintho. Ubi Servius: Apud veteres unusquisque eo, super quod jacebat, fultus dicebatur. Lucilius in tertio: Et pulvino fultus. Virgilius (7. Æn. 94.): Atque harum effultus tergo stratisque jacebat Velleribus. Id. 11. Æn. 39. caput nivei fultum Pallantis. Pers. 5. 146. tibi torta cannabe fulto Cœna sit in transtro? Juvenal. 3. 81. me prior ille Signabit? fultusque toro meliore recumbet? h. e. innixus lecto superiore accumbet. Sic Claudian. 1. Rapt. Pros. 79. fultus solio. h. e. sedens. — Hinc absolute Plaut. Cas. 5. 2. 10. Colloco, fulcio. ubi fulcire pertinet ad componendum in lecto corpus, supponendo v. gr. pulvinaria, quibus fultum apte ja-

cest. — Poetice fultus est etiam implicitus, innexus. *Stat.* 6. *Theb.* 862. *de luctantib.* Interdumque diu pendent per mutua fulti Brachia, nunc sævi digitorum vincula frangunt. *Id.* 3. *ibid.* 326. stant fulti pulvere crines. *Freund* et *Klotz* huc referunt etiam illud *Propert.* 1. 8. 7. Tu pedibus teneris positas (potes) fulcire pruinas? *h. e.* implicare pedes pruina. *Al. tamen leg.* sulcare.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro firmare, munire, corroborare, *fortificare, munire. Virg.* 8. *Æn.* 227. fultusque emuniit objice postes. *Ovid.* 2. *Art. am.* 244. appositâ janua fulta serâ. — Hinc eleganter de cibis dicitur, qui vires reparant et corpus sustentant. *Lucret.* 2. 1146. Omnia debet enim cibus integrare novando, Et fulcire cibus, cibus omnia sustentare. Adde *eumd.* 4. 865. Sic *Seneca Ep.* 68. *ante med.* Fulcire stomachum cibo. *Id. ibid.* 95. *ante med.* Vino fulcire venas cadentes. *Colum.* 6. *R. R.* 24. 4. Bos quum partum edidit, nisi cibis fulta est, labore fatigata etc. *sostentata.* ¶ 2. Metaphora sumpta a paragr. super., ponitur de animo, civitatibus et abstractis pro erigere, sustinere, firmare: ad rem *Ovid.* 1. *Trist.* 6. 5. Te mea, supposita veluti trabe, fulta ruina est. — *a*) De hominibus, civitatibus et similibus. *Cic. Rabir. Post.* 16. 43. Veterem amicum suum labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit re, fortuna, fide. *Id.* 5. *Att.* 21. *in fin.* Thermum, ut rogas, creberrimis litteris fulcio. *Id.* 2. *de republ.* 9. Hoc consilio et quasi senatu (*Lycurgus*) fultos et munitus. *Liv.* 42. 12. His fultus societatibus atque amicitiis. Sic *Plin.* 9. *Ep.* 13. *circa med.* Homo gratia et amicitiis fultus. *Justin.* 43. 4. 5. Fultus præsidio domestico. *Ammian.* 14. 11. Fiduciâ fultus. Cf. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 11. valido mihi pectus robore fultum. et *Gell.* 6. 2. *a med.* Ingenia rudia, nullisque bonarum artium adminiculis fulta. *Cic.* 12. *Phil.* 21. 51. Quum labantem et prope cadentem rempublicam fulcire cuperetis. *Id.* 12. *Fam.* 5. Magnis subsidiis fulta est respublica. *Id.* 3. *Off.* 22. 88. Imperium, quod gloria fultum esse debet et benevolentia sociorum. *Liv.* 3. 60. Priusquam totis viribus fulta constaret hostium acies. *Id.* 9. 32. Quia nullis recentibus subsidiis fulta prima acies fuit. Cf. *Sil. It.* 9. 416. Fulta viris acies. *Ammian.* 22. 9. Urbs incrementis maximis fulta. *Id.* 28. 1. Civitas nullis adminiculis fulta. *Id.* 23. 6. Turba nec stipendiis fulta, nec donis. — *b*) De abstractis. *Cic. Harusp. resp.* 27. 60. Vix hæc, si undique fulciamus, jam labefacta, vix, inquam, innixa omnium nostrum humeris cohærebunt. *Id. post red. in senat.* 8. 18. Horum consulum ruinas vos consules vestra virtute fulsistis. *Id. Balb.* 15. 35. Causa Gaditanorum gravissimis et plurimis rebus est fulta. *Liv.* 40. 12. Ficto argumento vanam criminationem fulcire. *Lucret.* 3. 125. non æquas omnia partes Corpora habere, neque ex æquo fulcire salutem. *Propert.* 4. 11. 94. serie fulcire genus. *h. e.* prole sustentare familiam. *mantener la famiglia.* Sic *Plin.* 4. *Ep.* 21. Unus ex tribus liberis superest, domumque pluribus adminiculis ante fundatam, fulcit ac sustinet. ¶ 3. In malam partem. *Pers.* 1. 78. ex *Pacuvio.* Antiopa ærumnis cor luctificabile fulta? *h. e.* obsessa, circumdata; durior metaphora, et quæ a *Persio* ipso reprehenditur.

FULCĪPĔDĬA, æ, f. 1. quid sit apud *Petron. fragm. Tragur.* 75. *Burmann.* non constat inter criticos: et ipsa quoque lectio varia est. *V.* FULCIPEDIUS.

FULCĪTUS, a, um. *V.* FULCIO init.

FULCRĀLĬA, lecti ornamenta. *Gloss. Isid.*

FULCRUM, i, n. 2. fulcimentum, et speciatim illud, quo lectus sustinetur: a *fultum* sup. verbi *fulcio, sostegno, piede,* ἔρεισμα.

I.) Proprie. *Sueton. Claud.* 32. Qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur. *Propert.* 2. 13. 21. Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 4. (9). Tricliniorum pedibus fulcrisque. Adde *Virg.* 6. *Æn.* 604.; *Martial.* 8. 33.; et *Gell.* 10. 15. — In illo *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 13. Stabat Amor vultu, non quo prius esse solebat, Fulcra tenens læva tristis acerna manu. *Forcellinus* baculum interpretatur; alii lecti pedem; alii contra leg. *sceptra.* — Ceterum *Propert.* 1. 8. 68. Fulcrum pluteI.

II.) Improprie. Ex illo *Juvenal.* 6. 22. *sacri Genium contemnere fulcri,* colligi potest, morem fuisse, ut quemadmodum in puppi navis signum tutelæ sculpebatur, ita in fulcro conjugalis tori *Genius.* Vel *fulcrum* intellige ipsum lectum, ut apud *Propert.* 4. 7. 3. Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro.

FULCTŪRA. *V.* FULTURA.

FULGENS, entis. *V.* FULGEO.

FULGENTER, adverb. fulgendo, *risplendentemente,* λαμπρῶς. Occurrit tantum Comp. *Fulgentius* I. et II.

I.) Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 20. 22. (43). Gemmantes pavo expandit colores, adverso maxime sole, quia sic fulgentius radiant.

II.) Translate. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 2. 3. (4). Fulgentius instrui poterat luxuria, certe innocentius.

FULGĔO, ges, si, (sum), gere, n. 2. Antiqui *fulgĕre* dicebant, correpta penultima, uti docet *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 56., quod poetæ usurparunt: et sane *fulgit* est *Lucilii* et *Pomponii* apud *Non.* p. 506. 8. et 9. *Merc.*, et *Lucret.* 6. 159. et 174. et 211.; *fulgĕre* est *Pacuvii, Attii* et *Lucilii* apud *Non.* p. 506. 17. et seq., *Lucret.* 5. 1094. et 6. 165., *Virg.* 6. *Æn.* 827. et *Val. Flacc.* 8. 284. Hinc *fulgo* in prima persona affertur a *Priscian.* 8. p. 838. *Putsch.* et 9. p. 866. — Etiam *fulceo* pro *fulgeo* agnoscit *Diomed.* 1. p. 369. Sed V. *NB.* in fine hujus vocis. — Supinum *fulsum* nusquam occurrit: Part. tamen *Fulsurus* est apud *Augustin. de fide Symb.* 7. Claritas fulsura. — Part. *Fulgens* I. et II. 1., 2. et in fin. — Fulgere, quod a φλέγω, ut vult *Voss.*, est fulgurare, quum subita lux a nubibus erumpit, ἀστράπτω (*It. lampeggiare, balenare*; *Fr. éclairer, lancer des éclairs*; *Hisp. relampaguear, hacer relampagos*; *Germ. blitzen*; *Angl. to flash, lighten*).

1.) Proprie occurrit — *a*) Impersonaliter. *Lucret.* 6. 159. Fulgit item, nubes ignis quum semina multa Excussere suo concursu. — Sed tonitru fit uti post auribus accipiamus, Fulgere quam cernant oculi. *Cic.* 2. *Divinat.* 72. 149. Si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de cælo. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 81. (351). Quum æstate vehementius tonuit, quam fulsit. *Mela* 1. 19. 1. Responsum erat, ubi primum fulsisset, ibi sedem capessere. — *b*) Cum Nominativo. *Lucret.* 6. 174. Hoc etiam pacto volucri loca lumine tingunt Nubes et tremulo tempestas impete fulgit. *Cic. Vatin.* 8. 20. Jove fulgente, cum populo agi nefas esse. Sic *Id.* 2. *Nat. D.* 25. 65. Etiam augures nostri quum dicant *Jove fulgente, tonante*: dicunt enim *cælo fulgente, tonante. Virg.* 4. *Æn.* 167. fulsere ignes et æther. *Val. Flacc.* 1. 622. picei fulsere poli. — *c*) Hinc figurate de oratione. *Cic. Orat.* 9. 29. Qui (*Pericles*) si tenui genere uteretur, numquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Græciam dictus esset. Verba sunt *Aristoph. Acharn.* 530. Similiter *Quintil.* 2. 16. 19. Tantum assequi laudis et gloriæ, ut non loqui et orare, sed, quod Pericli contigit, fulgere ac tonare videaris.

II.) Translate. ¶ 1. De rebus physicis, et est fulgorem emittere, splendere, *risplendere. Ennius* 1. *Ann.* 140. Qui cælum versat stellis fulgentibus aptum. Sic *Lucret.* 6. 357. stellis fulgentibus apta Concutitur cæli domus. et *Sueton. Cæs.* 88. Stella crinita fulsit. *Lucret.* 6. 524. Hic ubi sol radiis, tempestatem inter opacam, Adversa fulsit nimborum aspergine contra etc. *Id.* 5. 767. ipsa suo si fulget luna nitore. *Horat. Epod.* 15. 1. cælo fulgebat luna sereno. *Id.* 2. *Od.* 16. 3. certa fulgent sidera nautis. *Ovid.* 2. *Met.* 722. Quanto splendidior quam cetera sidera fulget Lucifer. *Virg.* 7. *Æn.* 25. æthere ab alto Aurora in roseis fulgebat lutea bigis. *Tibull.* 1. 2. 36. fax. *Val. Flacc.* 8. 284. tot fulgere tædas. *Horat.* 2. *Od.* 12. 8. fulgens contremuit domus Saturni. *Ovid.* 3. *Art. am.* 55. fulget æther. *Id.* 1. *Amor.* 8. 10. puro fulget in orbe dies. *Horat.* 2. *Od.* 12. 15. lucidum fulgentes oculi. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 55. (151). Felium in tenebris fulgent radiantque oculi. *Liv.* 1. 25. Micantes fulsere gladii. *Virg.* 6. *Æn.* 490. fulgentiaque arma per umbras. Adde *Quintil.* 8. 3. 3. *Horat. carm. sæc.* 61. fulgente decorus arcu Phœbus. *Val. Flacc.* 5. 514. accinctum gemmis fulgentibus ensem. *Lucan.* 10. 122. fulget gemma toris. *Juvenal.* 7. 140. anulus. *Ovid.* 1. *Fast.* 81. nova purpura fulget. *Tibull.* 4. 1. 121. fulgens Tyrio subtemine vestis. *Quintil.* 11. 1. 31. vestes. *Lucret.* 2. 27. Nec domus argento fulget auroque renidet. *Cic.* 1. *Parad.* 3. 13. Marmorea tecta, ebore et auro fulgentia. *Virg.* 8. *Æn.* 593. fulgentes ære catervas. *Curt.* 3. 2. 12. Exercitus fulget armis. Cf. *Tac.* 2. *Hist.* 22. campi armis. *Horat.* 1. *Od.* 7. 19. fulgentia signis castra. *Virg.* 6. *Æn.* 827. paribus quem fulgere cernis in armis. *Curt.* 3. 10. 9. Acies auro purpuraque fulgebat. *Cic.* 2. *Cat.* 3. 5. Qui nitent unguentis, qui fulgent purpura. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 27. Is, qui Sidonio fulget sublimis in ostro, Dux fuerat belli. *Horat.* 3. *Od.* 3. 42. fulgens Capitolium. *Id. ibid.* 28. 14. fulgentes Cycladas. quas *Id.* 1. *ibid.* 14. 19. *nitentes* dixit. *Val. Flacc.* 8. 100. Heu sævum passure diem! jam nulla videbis Vellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra. *Sil. It.* 5. 87. tantum ne dedignare secundos Exspectare deos: quum fulserit hora, cruentam Quæ stragem Lybiæ portet, tum signa sequentur Nulla vulsa manu. ¶ 2. Metaphorâ hinc sumptâ usurpatur de splendore virtutis, potentiæ et famæ. *Horat.* 3. *Od.* 2. 17. Virtus, repulsæ nescia sordidæ, intaminatis fulget honoribus. *Nepos Eumen.* 1. Fulgebat jam in adolescentulo indoles virtutis. *Vopisc. Prob.* 5. Fulgere virtutibus. *Horat.* 3. *Od.* 16. 31. Fulgens imperio fertilis Africæ. *h. e.* clarus, illustris. *Sil. It.* 13. 605. Quam vellent nunquam sceptris fulsisse superbis! *Tac.* 4. *Hist.* 42. Fulgens sacerdotio. *Vopisc. Prob.* 2. Pompejus tribus fulgens triumphis. *Seneca Med.* 209. quondam nobili fulsi patre. *Sil. It.* 17. 11. Qui (*Scipio*), genitus patruo ductoris ad Africa bella Tunc lecti, multa fulgebat imagine avorum. — *NB.* Priscis *fulgere* significavit etiam ferire: unde *fulgur* dictum est. Ita *Paul. Diac.* p. 92. 21. *Müll.*, qui hoc videtur dicere, de fulgurum ictu *fulgeo* fuisse usurpatum. At *Müllerus* pro *fulgĕre* legit *fulcĕre*; hæc enim adnotat: Inter fulgendum et feriendum nulla notionis affinitas; *fulcire*, quod est ἐρείδειν, σκήπτειν, ab antiquioribus secundum tertiam conjugationem flecti poterat (quo etiam *fulsi* et *fultum* et *fulcrum* et alia derivata digitum intendunt): ac significatus hujus verbi, ut Græci σκήπτειν et Latini *cellere*, non longe distat a feriendo. Possem etiam *Diomede* uti (*V.* locum supra cit. *sub init.*). *Placidi Gloss.* edent. *A. Mai. p.* 163. Fulsit, periit (*scribe* feriit) vel percussit. Fulgere enim ferire est: unde quoque fulmen dictum. In his erroris origo apparere videtur. Aliter statuit *Döderlinius, Latein. Synonym. vol.* 5. p. 66. — Hinc Part. præs., cujus plurima superius exempla retulimus,

Fulgens, entis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Fulgentior* 1.; Sup. *Fulgentissimus* 1. et 2. Translate ¶ 1. Est splendens, *risplendente, rilucente*: V. supra sub II. 1. *Colum.* 6. *R. R. præfat.* Sidera fulgentissima. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 240. fulgentior astris. *Sil. It.* 11. 154. consul fulgentior ostro. ¶ 2. Item clarus, illustris, *illustre, chiaro, nobile*: V. supra sub II. 2. *Vellej.* 2. 71. 1. Messala fulgentissimus juvenis, proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati. *Id.* 2. 64. 3. Sed hic (*M. Tullius*) fulgentissimo et cælesti ore, at tribunus Cannutius canina rabie lacerabat Antonium. *Val. Max.* 3. 5. 1. Inter duo fulgentissima cognomina patris et patrui, altero oppressa Africa jam parto, altero jam majori ex parte recuperata Asia surgere incipiente.

Homonym. *V.* in fin. v. SPLENDEO.

FULGĔRĀTOR. *V.* FULGURATOR.

FULGĔRĪTA, æ, f. 1. idem ac fulgurita: ita vocatur villa, seu fundus, fulgure percussa in *Inscript.*, quæ pertinet ad an. CCLXXXV. a Chr. n. apud *Visconti. Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 33. *edit. Mediol.* KASA, CUI VOCABULUM FULGERITA REGIONE CAMPESTRI TERRITORII PRAENESTINI.

FULGESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. a* fulgeo. *Firmic.* 1. *Astron.* 4. *ad fin.* Solis radiatione fulgescere. et *fragm. Halieut.* quod *dedit Hesselius ad novam Ennii edition. p.* 151. crebris nubes fulgescere flammis.

FULGĔTRA, æ, f. 1. idem quod fulgetrum. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (25). Fulgetras poppysmis adorare consensus gentium est. *V.* voc. seq.

FULGĔTRUM, i, n. 2. Sunt et aliæ formæ, scilicet FULGETRA et FULGITRU, quas *V.* suis locis. — Fulgetrum, a fulgeo, est idem ac fulgur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 54. 55. (142). Fulgetrum prius cerni, quam tonitrua audiri, quum simul fiant, certum est. *Id. ibid.* 43. 43. (112). Si in nube luctetur vapor, tonitrua edi; si erumpat ardens, fulmina; si

longiore tractu nitantur, fulgetra. His findi nubem, illis perrumpi. *Sillig.* pro *fulgetra* hoc loco *fulgetras* legit. Adde *Senecam* 2. *Quæst. nat.* 56., ubi tradit, antiquam vocem esse; et pro ea *fulgurationem* magis esse in usu, innuere videtur: ejus enim verba sunt: Heraclitus existimat, fulgurationem esse velut apud nos incipientium ignium conatus et primum flammam incertam, modo intereuntem, modo resurgentem. Hæc antiqui fulgetra dicebant.

FULGĬDŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* fulgidus. *Terentian. de litter. p.* 2388. *Putsch.* Has versibus apte quoniam loqui negatur, Instar tituli fulgidula notabo milito.

FULGĬDUS, a, um, adject. Comp. *Fulgidior.* — Fulgidus est fulgens, splendens, micans, *risplendente, rilucente*, στίλβων. *Lucret.* 3. 364. Fulgida præsertim quum cernere sæpe nequimus Lumina, luminibus quia nobis præpediuntur. *Prudent. Cathemer.* 1. 9. Fulgidus sol. *Solin.* 37. Sidus fulgidum. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 351. acies ornatu fulgida Martis. *h. e.* fulgentes ære catervæ. *Capell.* 6. *p.* 189. Diva, quæ optatis fulgida dignaris annuere. Hic *Grotius* edidit *fulcida*, sed vidit ita scriptum fuisse ex facili litterarum C et G permutatione. *Venant.* 8. *carm.* 5. *sub fin.* Fulgidior radio.

FULGĬTRU, us, n. 4. idem ac fulgetrum. *Hygin. fab.* 183. Eous et Æthon masculi sunt equi Solis; feminæ jugariæ Bronte, quæ nos tonitrua appellamus, Sterope, quæ fulgitrua. *Munckerus* tamen putat legendum *fulgetra*; nota hæc enim vox est et a pluribus usurpata.

FULGO, is, ere, n. 3. *V.* FULGEO sub init.

FULGOR, ōris, m. 3. idem quod fulgur, seu flamma inter nubes coruscans, quæ tonitru præcedere solet, a *fulgeo*, σέλας (It. *lampo*; Fr. *éclair, foudre*; Hisp. *relampago*; Germ. *der leuchtende Blitz*; Angl. *a flash of lightning*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 170. fulgorem quoque cernimus ante Quam tonitrum accipimus. *Virg.* 8. *Æn.* 524. Namque improviso vibratus ab æthere fulgor Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente. *Ovid.* 7. *Met.* 619. Ille (*Juppiter*) notam fulgore dedit tonitruque secundo. *Quintil.* 8. 3. 5. Fulmina ipsa non tam nos confunderent, si vis eorum tantum, non etiam fulgor timeretur. — In plur. num. *Cic. poet.* 2. *Divinat.* 39. 82. Prospera Juppiter his dexteris fulgoribus edit. *Id. ibid.* 19. 44. Placet Stoicis, eos anhelitus terræ, qui frigidi sint, quum se in nubem induerint, ejusque tenuissimam quamque partem cœperint dividere atque disrumpere, idque crebrius facere et vehementius, tum et fulgores et tonitrua existere: si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. *Mos.* et *Orell.* ita legunt: *Forcellinus* et vulgati libri *fulgura.*

II.) Translate. ¶ 1. Pro fulmine est cadentis Latinitatis. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 16. 10. 1. Siquid de palatio nostro, aut ceteris operibus publicis degustatum fulgore constiterit, quid portendat, ad nostram scientiam referatur. ¶ 2. Sæpius abstracte, apud Poetas præcipue, est fulgens et micans splendor, lux, *splendore, fulgore. Cic.* 6. *Verr.* 32. 71. Verres habebat domi suæ candelabrum e gemmis auroque perfectum, cujus fulgore collucere atque illustrari Jovis templum oportebat. *Curt.* 7. 11. 21. Dubitare cogebat varietas cæli, nunc intermittente lucis fulgore, nunc condito. *Sueton. Aug.* 79. Gaudebatque, si quis sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem solis, vultum submitteret. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (142).; et *Tac. Germ.* 45. Fulgor solis. *Ammian.* 14. 2. lunæ. *Curt.* 4. 10. 3. siderum. *Ammian.* 11. 1. dierum. *Horat. Art. P.* 143. Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem Cogitat. *Ovid.* 2. *Art. am.* 721. oculos tremulo fulgore micantes. *Lucret.* 2. 50. fulgor ab auro. *Tac. Agric.* 32. Auri fulgor atque argenti. *Quintil.* 10. 1. 30. Non ego arma squalere situ ac rubigine velim, sed fulgorem inesse, qui terreat, qualis est ferri. *Horat.* 2. *Od.* 1. 19. Jam fulgur armorum fugaces Terret equos equitumque vultus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (93). Fulgor carbunculi. *Ammian.* 21. 1. lapidum. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (64). speculorum. Adde *Quintil.* 11. 3. 68. *Ovid.* 11. *Met.* 617.; et *Ammian.* 16. 5. vestis. *Sueton. Cal.* 35.; et *Vopisc. Aurelian.* 29. purpuræ abollæ. *Ammian.* 15. 8. muricis. — In plur. num. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 5. non inter lances mensasque nitentes, Quum stupet insanis acies fulgoribus. *Tac. Agric.* 33. Jamque agmina, et armorum fulgores audentissimi cujusque procursu. ¶ 3. Concreto, uti ajunt, sensu pro planeta, cui nomen Juppiter. *Cic.* 6. *de republ.* 17. Deinde est hominum generi prosperus et salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis: tum rutilus horribilisque terris, quem Martium dicitis: deinde Sol obtinet, dux et princeps luminum reliquorum. ¶ 4. Metaphorâ ductâ a superiore paragr. 2., dicitur de splendore nominis, dignitatis etc. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 39. Nominis et famæ quondam fulgore trahebar. *Val. Max.* 8. 1. 11. Fulgor gloriæ. *Quintil.* 10. 1. 72. Omnibus fulgore quodam suæ claritatis tenebras obduxit. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 13. Urit enim fulgore suo, qui prægravat artes infra se positas. *Curt.* 3. 3. 5. Quippe illustria Macedonum castra visa, fulgorem Alexandro portendere. V. *Mützell.* ad h. l. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 26. 27. (95). Pompejus æquato Alexandri M. rerum fulgore etc. *Vellej.* 2. 4. 6. Avitus fulgor. *h. e.* avorum dignitas. Adde *eumd.* 1. 5. 1. *Ammian.* 14. 6. Mundanus fulgor. *Mamertin. Paneg.* 3. Obsequiorum stipatio et fulgor. *Vopisc. Aurelian.* 3. Posteritati dare fulgorem.

Homonym. *V.* in fin. v. FULMEN.

FULGUR, ŭris, n. 3. Antiqui in recto casu dixerunt etiam *fulgus*, teste *Paul. Diac. p.* 92. 21. *Müll.* — Fulgur, a v. *fulgeo*, est idem quod fulgor, seu flamma inter nubes coruscans, quæ tonitru præcedere solet, splendor fulminis, σέλας (It. *lampo, baleno, folgore*; Fr. *éclair*; Hisp. *relampago*; Germ. *der leuchtende Blitz, das Wetterleuchten*; Angl. *a flash of lightning*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 6. 270. ideo passim fremitus et fulgura fiunt. *Ovid.* 3. *Met.* 300. deus nutu sequentia traxit Nubila, quis nimbos immixtaque fulgura ventis Addidit et tonitrus et inevitabile fulmen. *Id.* 14. *ibid.* 817. tonitruque et fulgure terruit orbem. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 21. Cæli fulgura regionibus ratis temperanto. *Id.* 1. *Divinat.* 10. 16. Quid? de fulgurum vi dubitare num possumus? *Id. ibid.* 6. 12. Fulgura interpretantes. Locum ejusd. *Cic.* 2. *ibid.* 19. 44. allatum a *Forcellino*, V. in FULGOR I. *Sueton. Domit.* 16. Consultus de fulgure haruspex. *Id. Aug.* 90. Tonitrua et fulgura paullo infirmius expavescebat. *Id. Cal.* 51. Ad minima tonitrua et fulgura connivere —, ad majora proripere se e strato solebat. *Liv.* 40. 58. Fulguribus perstringentibus aciem oculorum. Adde *Tac.* 13. *Ann.* 41. et 15. *ibid.* 47., *Juvenal.* 12. 17., 13. 223. et 14. 292.; et *Ammian.* 23. 5. *med.* — *b*) Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Jovis, ut nocturnum Summani. Hæc *Paul. Diac. p.* 75. 14. *Müll.* — *c*) Provorsum fulgur appellatur, quod ignoratur noctu an interdiu sit factum: itaque Jovi fulguri (*Forcellinus* mallet *fulguratori*, vel *fulgeratori*, vel *fulguritori*) et Summano fit, quod diurna Jovis, nocturna Summani fulgura habentur. Ita *Festus p.* 229. 1. *Müll.*

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro fulmine. — *a*) Generatim. *Lucret.* 6. 391. icti flammas ut fulguris habent Pectore perfixo. *Horat.* 2. *Od.* 10. 12. feriuntque summos Fulgura montes. *Virg.* 1. *G.* 488. Non alias cælo ceciderunt plura sereno Fulgura. *Sueton. Domit.* 15. Continuis octo mensibus tot fulgura facta nunciataque sunt, ut exclamaverit, feriat jam quem volet. Adde *eumd. Aug.* 29.; *Lucan.* 7. 157.; et *Vopisc. Carin.* 8. — *b*) Specialim *fulgur condere* dicebatur pontifex, quum ea, quæ fulmine icta essent, sub terra defoderet, quod certa precum formula fiebat. *Juvenal* 6. 586. aliquis senior, qui publica fulgura condit. *Inscript.* apud *Murat.* 129. 4., quæ est apud *Orell.* 2182. FVLGVR CONDITVM. Adde *alias* apud *Orell.* 1166., 1182., 1219. et cf. 4904. Cf. *Lucan.* 1. 606 Arruns dispersos fulminis ignes Colligit, et terræ mœsto cum murmure condit Datque locis numen. *V.* BIDENTAL. — *Procurare fulgur* apud *Sueton. Galb.* 4. et *Domit.* 16. erat verbum Sacrorum: *V.* PROCURO. ¶ 2. Item pro fulgente et micante luce, splendore. *Lucret.* 2. 163. Tempore, quo solis pervolgant fulgura cælum. *h. e.* quum sol cælum lumine complet. *Id.* 1. 726. fulgura flammai. *Id.* 6. 182. fulgura nictantia flammæ. *Id.* 5. 297. claræque coruscis Fulguribus tædæ. *Id.* 2. 325. magnæ legiones quum loca cursu Camporum complent, belli simulacra cientes, Fulgur ibi ad cælum se tollit totaque circum Ære renidescit tellus. Sic *Claudian.* 3. *Cons. Honor.* 31. galeæ nec triste timentem Fulgur. Et *Val. Flacc.* 8. 60. Ipsius en oculos et lumina torva draconis Adspicis: ille suis hæc vibrat fulgura cristis. *h. e.* igneam media inter nubila flammam, ut ipse ait paullo ante *ibid.* Adde *Coripp.* 3. 19.

Homonym. *V.* in fin. v. FULMEN.

FULGŬRĀLIS, e, adject. ad fulgura spectans, ut Libri fulgurales, qui tractant de fulmine condendo, et aliis ritibus. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 72. Quod Etruscorum declarant et haruspicini, et fulgurales, et rituales libri, nostri etiam augurales. Adde *Ammian.* 23. 5.

FULGŬRAT. ābat. āvit, are, impers. 1. Imperat. *fulgura* occurrit apud *Vulgat. interpr. Psalm.* 143. 6. Fulgura coruscationem, et dissipabis eos: emitte sagittas tuas, et conturbabis eos. — Part. *Fulgurans* I. — Fulgurare est fulgur emittere, ἀστράπτω (It. *folgorare, lampeggiare, balenare*; Fr. *lancer, faire des eclairs*; Hisp. *relampaguear*; Germ. *blitzen*; Angl. *to lighten, shine with flashes of lightning*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 18. 43. In nostris commentariis scriptum habemus; Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 51. 55. (145). Noctu magis, quam interdiu sine tonitribus fulgurat. *Id.* 18. *ibid.* 35. 81. (354). Quum ab Austro, vel Coro, aut Favonio nocte serena fulguravit, ventum et imbrem ex iisdem regionibus demonstrabit.

II.) Translate. ¶ 1. De oratione dicitur. *Cic. Orat.* 9. 29. Qui si tenui genere uteretur, numquam ab Aristophane poeta fulgurare, tonare, permiscere Græciam dictus esset. *Al. leg.* fulgere. Apud *Quintil.* eadem verba referentem 2. 16. 19. sunt qui leg. *fulgurare. Plin. præfat. Hist. nat.* Fulgurat in nullo verius vis eloquentiæ. ¶ 2. Item est fulgere, splendere. *Stat.* 4. *Theb.* 191. vetitoque domus jam fulgurat auro. *Sil. It.* 12. 723. cernis, oculis qui fulgurat ignis! *Id.* 6. 22. de lumine fulgurat ignis. *Id.* 1. 467. umbo. *Cappell.* 1. p. 18 tumen.

FULGŬRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus fulgurandi, fulgur, *lampeggiamento*, ἀστραπή. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 1. Nubes mediocriter collisæ fulgurationes faciunt; efficiunt, majore impetu pulsæ, fulmina. *Id.* 2. *ibid.* 16. Quid inter fulgurationem et fulmen interest? dicam. Fulguratio est late ignis explicitus: fulmen est coactus ignis, et impetu jactus. *et* 12. Fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit. *et* 21. Fulguratio nihil aliud est, quam flamma futura fulmen, si plus virium habuisset.

FULGŬRĀTOR, ōris, m. 3. Legitur etiam *fulgerator* et *fulguriator*. ¶ 1. Est fulgura, seu fulmina inspiciens, et condens: ut docet *Non. p.* 63. 21. *Merc.* hisce verbis: Fulguratores, ut extispices et haruspices, ita hi fulgurum inspectores. *Cato de moribus Claudii Neronis.* Haruspicem, fulguratorem si quis adducat. *Cic.* 2. *Divinat.* 53. 109. Haruspices et fulguratores et interpretes ostentorum et augures et sortilegos et Chaldæos. In *Inscript.* apud *Fabrett. c.* 10. *n.* 171., quæ est apud *Orell.* 2301., habetur HARVSPEX FVLGVRIATOR. ¶ 2. Item qui fulgura mittit. *Apul. de Mundo.* Juppiter dicitur et fulgurator, et tonitrualis, et fulminator, etiam imbricitor, et item serenator. *Inscript.* apud *Gruter.* 21. 5. DEO FVLGVRATORI ARA. *Ibid.* 3. et 4. legitur *fulgerator*: ut et apud *Gud.* 4. *n.* 7. 8. 9. 10. etc. et 5. *n.* 1. et apud *Don. cl.* 1. *n.* 1. Hoc idem discrimen habetur etiam in nummis Diocletiani apud *Rasch. Lex.* rei num. *T.* 2. *P.* 2. p. 883.

FULGŬRĀTŪRA, æ, f. 1. fulguratio. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 16. Ut testantur Etrusci libri de Fulguratura.

FULGŬRĀTUS, a, um. *V.* FULGURIO.

FULGŬREUS, a, um, adject. ad fulgur spectans, ut Fulgurea nubes, apud *Capell.* 5. *initio.*

FULGŬRĬĀTOR. *V.* FULGURATOR.

FULGŬRĬO, is, īvi, ītum, īre, 4. Part. *Fulguratus* pro *fulguritus* legitur apud *Varron.* 5. *L. L.* 150. *Müll.* Scribunt eum locum esse fulguratum, et ex S. C. septum esse. — Ceterum *Fulguritus* sub *B.* et in fin. — Fulgurire est *A*) Verbum neutrum, et *B*) Activum.

A) Neutrum fulgurire est idem ac fulgurare, seu fulgura emittere, *lampeggiare, folgoreggiare*, ἀστράπτω. *Nævius* apud *Non. p.* 110. 1., *Merc.* Sane suo sonitu claro fulgurivit Juppiter.

B) Active occurrit tantum Part. præter. *Fulguritus*, hoc est fulmine ictus. *Plaut. Trin.* 2. 4. 138. Arbor fulgurita. Sic *Lucilius* apud *Non. p.* 110. 19.

Merc. Luporum exactorem Silvanum et fulguritarum arborum. *Al. male leg.* fulguritatem arborum. — Hinc

Fulguritum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est locus fulgure percussus, qui statim fieri religiosus putabatur, quod eum deus sibi dicasse videretur, ut docet *Paul. Diac. p.* 92. 17. *Müll.* Aliter vocabatur *bidental. Arnob.* 5. 1. Expiabis capite fulgurita. Adde *eumd. ibid.* sæpe. *Seneca* 3. *Ira* 23. Nemo eum quasi fulguritum effugit. *Id.* 2. *Quæst. nat.* 21. Omnibus fulguritis odor sulfureus est.

FULGURITAS, atis, f. 3. fulguris ictus. Falsa lectio: *V.* voc. præced. sub *B.*

FULGŪRĪTUM, i, n. 2. et

FULGŪRĪTUS, a, um. *V.* FULGURIO.

FULGŪRO. *V.* FULGURAT.

FULGUS. *V.* FULGUR init.

FŪLICA, æ et fulix, icis, f. 1. et 3. *folaga*, avis aquatica anate paullo minor, sed corporis forma consimilis: eadem et gavia vocatur. *Cic. prognost.* 1. *Divinat.* 8. 14. Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti Nunciat horribiles clamans instare procellas. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 44. (122). Natura cristam per medium caput a rostro residentem et fulicarum generi dedit. *Virg.* 1. *G.* 363. marinæ in sicco ludunt fulicæ. *Ovid.* 8. *Met.* 625. Nunc celebres mergis fulicisque palustribus undæ. Adde *Auson. Ep.* 13.

FŪLĪGĬNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *fuligino*, fuligine aspersus. *Hieronym. Ep.* 54. *n.* 7. Orbes (*oculorum*) stibio fuliginati.

FŪLĪGĬNEUS, a, um, adject. fuliginosus. *Petron. Satyr.* 108. Omnia lineamenta fuliginea nube confundere. *Arnob.* 7. 47. Fuligineus color.

FŪLĪGĬNŌSUS, a, um, adject. plenus fuliginis, λιγνυώδης. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 261. Fuliginosi ture placantur Lares.

FŪLĪGO, ginis, f. 3. nigrum illud, quod ex pingui rerum ustarum fumo condensatur, et caminis, vel parietibus adhæret. *Paul. Diac. p.* 86. 6. *Müll.* deducit a *furvus*, niger. καπνία, λιγνύς (It. *fuliggine*; Fr. *suie*; Hisp. *hollin*; Germ. *d. Russ*; Angl. *soot, smut*).

I.) Proprie. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 23. Os oblitum fuligine. *Lucret.* 5. 296. claræque coruscis Fulguribus, pingues multa fuligine, tædæ. *Cic.* 2. *Phil.* 36. 91. Idem tamen quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio præclara senatusconsulta fecisti. *Virg.* 7. *Ecl.* 49. assidua postes fuligine nigri. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 60. Fuligo, quæ supra focos tectis inhæret. *Cels.* 5. 18. *n.* 28. Fuliginis turis acetabulum. *Quintil.* 11. 3. 23. Fuligo lucubrationum oratori bibenda, vigilandæ noctes etc. Adde *Juvenal.* 7. 227., 5. 35. et 10. 130.; *Colum.* 6. *R. R.* 16. 2. et 13. 2.; et *Veget.* 4. *Veterin.* 19. et 3. *ibid.* 63. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Pro fuco usurpavit *Juvenal.* 2. 93. Ille supercilium madida fuligine tactum Obliqua producit acu. Cf. *Tertull. Cult. fem.* 4. Oculos fuligine collinunt. *Commodian.* 63. 10. Oculos fuligine relinitis. ¶ 2. Metaphorâ sumpta a superiori n. 1. *Gell.* 1. 2. Verborum et argutiarum fuliginem ob oculos audientium jacere.

FŪLIX. *V.* FULICA.

FULLO, ōnis, m. 3.

I.) Proprie est nacta, qui vestes pedum insultu cogit et densat, easdemque purgat, maculis liberat, polit et creta candefacit: videtur esse a πολεῖν versans, vel potius a βύλλειν densans, particip. verbi βυλλόω apud *Hesychium* pro βύω *infarcio, stipo*, in βεβυλλωκότες, *purgatore, lavapanni*, γναφεύς. Romæ *fullonum collegium* fuisse constat ex *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 278. *n.* 170. et 171., qui cum fontanis diu litigarunt. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 18. (66). Urina virilis podagris medetur, argumento fullonum, quos ideo tentari eo morbo negant. *Martial.* 14. 51. Non tam sæpe teret lintea fullo tibi. *Id.* 6. 93. Tam male Thais olet, quam non fullonis avari Testa vetus, media sed modo fracta via. Adde *Lamprid. Alex. Sev.* 41.; *Arnob.* 2. 38.; et *Inscript.* apud *Orell.* 3291. et 4091. — De fullonibus, V. *Mus. Borbon. T.* 4. *tav.* 48.

II.) Improprie. ¶ 1. *Fullonem comprimere* turpi sententia dixit *Novius* apud *Priscian.* 10. *p.* 879. *Putsch.* Hinc *Tertull. Pall.* 4. Pugil Cleomachus intra cutem cæsus et ultra, inter fullones Novianos coronandus. *V.* CÆSUS et FLAGITATUS. ¶ 2. Est etiam scarabæi quoddam genus, albis guttis distinctum. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 11. 30. (100).; et *Varro* apud *Non. p.* 318. 13. *Merc. V.* ULULA. — *NB.* De nomine proprio *V.* ONOM.

FULLŌNĪCA vel fullonia, æ, f. 1. et

FULLŌNĪCA, ōrum, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

FULLŌNĪCUS, a, um, adject. ad fullonem pertinens. *Cato R. R.* 10. et 14. Fullonica pila. — Hinc

Fullonica, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est ¶ 1. Ars fullonum. *Plaut. Asin.* 5. 2. 57. Si non didicisti fullonicam, non mirandum est. *Est qui legit* fulloniam. Adde *Vitruv. præfat.* 6. *Schneid.* ¶ 2. Item officina fullonis, *purgo. Ulp. Dig.* 39. 3. 3. Eum, qui fullonicas circa fontem instituisset. — Porro hac eadem significatione etiam

Fullonica, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more occurrit apud *Ulp. Dig.* 7. 1. 13. ad *fin.* Quod autem dicitur, meritoria non facturum, ita accipe, quæ vulgo deversoria vel fullonica appellantur. *Frontin. Aquæd.* 91. Marciam ipsam (*aquam*) splendore et frigore gratissimam balneis ac fullonicis et relatu quoque fœdis ministeriis deprehendimus servientem. *Alii leg.* fullonibus.

FULLŌNĪUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

FULLŌNĪUS, a, um; adject. ad fullonem pertinens. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (196). Fulloniam artem invenit Nicias Megarensis. *Id.* 17. *ibid.* 8. 4. (46). Fullonia creta. *Id.* 24. *ibid.* 13. 68. (111). Fulloniæ cortinæ. *Sillig.* vero *fullonis aenæ* ex Codicibus legit. *Seneca Ep.* 15. Fullonius saltus. *h. e.* quo fullones subsultant in pannis cogendis et purgandis. (*V.* ARGUTOR et CONCILIO). — Et figurate ac joc
ulariter *Plaut. Pseud.* 3. 1. 15. Nisi lenoni munus hodie misero, cras mihi potandus fructus est fullonius. *h. e.* stuprum puerile patiendum mihi est. — Hinc

Fullonium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est officina fullonis, apud *Ammian.* 14. 11. *sub fin.* Fortuna Adramyttenum Andriscum in fullonio natum evexit.

FULLŌNĪA, æ, f. 1. *V.* FULLONICUS in fin.

FULMEN, inis, n. 3. a *fulgeo* pro *fulgimen*, *fulgmen*, est ignis, seu ignita exhalatio, quæ abruptis nubibus in terram decidit, κεραυνός (It. *fulmine, saetta*; Fr. *foudre, coup de foudre*; Hisp. *rayo*; Germ. *d. leuchtende und zugleich treffende, zündende Blitzstrahl, Blitz, Donnerkeil*; Angl. *fire darted from the clouds, lightning, a thunderbolt*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 6. 228. Transit enim validum fulmen per septa domorum — transit per saxa, per æra. *Id.* 2. 213. Fulmina volant. *Cic.* 5. *Phil.* 6. 15. Eo causam, cur lex tam egregia maximo imbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina et tonitrua ferretur. *Id.* 3. *Off.* 25. 94. Phaeton ictu fulminis deflagravit. *Id.* 2. *Divinat.* 21. 47. Romulus lactens fulmine ictus. *Id. ibid.* 20. 45. Romulus et Remus vi fulminis icti conciderunt. *Id.* 3. *Nat. D.* 22. 57. Fulmine percussus. Sic *Id.* 3. *ibid.* 35. 84. Hunc nec Olympius Juppiter fulmine percussit, nec etc. *Virg.* 4. *Æn.* 25. pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras. *Id.* 5. *ibid.* 691. infesto fulmine morti, Si mereor, demitte. *Id.* 6. *ibid.* 580. Titania pubes Fulmine dejecti. *Id.* 7. *ibid.* 773. Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit in undas. *Id.* 1. *G.* 283. exstructos disjecit fulmine montes. *Lucret.* 6. 401. Juppiter in terras fulmina jacit. *Cic.* 2. *Nat.* 19. 44. in medium mare jacit. *Id. ibid.* emittit. et *Virg.* 1. *G.* 328. Ipse pater media nimborum in nocte, corusca Fulmina molitur dextra. *Id.* 4. *Æn.* 208. torquet. *Ovid.* 5. *Fast.* 41. jaculatur. *Id.* 1. *Met.* 253. spargit in terras. *Phædr.* 1. 17. quassat. *Val. Flacc.* 6. 169. quatit ut sævo quum fulmine Phlegram Juppiter. *Virg.* 1. *Æn.* 234. fulmine terrere. *Id.* 2. *ibid.* 648. fulminis ventis afflare. Adde *Lucan.* 1. 151. Sic *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 21. afflari ignibus fulminis. Adde *Sueton. Tib.* 69. *Horat.* 4. *Od.* 4. 1. Qualem ministrum fulminis alitem etc. *Liv.* 40. 58. Fulmina micant. *Sueton. Galb.* 8. Fulmen decidit. *Fronto ad L. Ver. imp.* 1. *p.* 180. ed. *A. Mai.* Ne fulmen quidem æque terreret, nisi cum tonitru caderet. *Colum.* 10. *R. R.* 346. Fulmina prohibere. *Vopisc. Carin.* 8. Fulmine interimi. *Id. ibid.* 9. absumi. *Quintil.* 12. 10. 24. Quem (*Periclem*) fulminibus et cœlesti fragori comparant comici. — *Horat.* 3. *Od.* 4. 44. Fulmen caducum. *Ovid.* 3. *Art. am.* 490. Ætnæum. *Id.* 3. *Met.* 301. inevitabile. *Id.* 1. *Fast.* 202. futile. *Val. Flacc.* 7. 617. rutilum. *Id.* 2. 97. horrificum. *Stat.* 3. *Theb.* 321. quadrisulcum. *Lucan.* 1. 533. tacitum. *h. e.* nullo tonitru. *Id. ibid.* 206. incerta fulmina. *h. e.* quæ nos latet, quo cadant quemve feriant. *Val. Flacc.* 3. 354. præsaga. — *b*) Cyclopas fulmina Jovi fabricari, fabulati sunt Poetæ. *Cic.* 2. *Divinat.* 19. 43. Non enim te puto esse eum, qui Jovi fulmen fabricatos esse Cyclopas in Ætna putes: nam esset mirabile, quomodo id Juppiter toties jaceret, quum unum haberet. Cf. *Val. Flacc.* 2. 337. et 4. 287. — *c*) Antiqui soli Jovi fulmina tribuerunt; et quidem in tres manubias divisa: V. *Senec.* 2. *Quæst. nat.* 41. Sed et aliis diis undecim, Junoni, Minervæ, etc. sua sunt assignata fulmina, ut *Servius* tradit ad *Virg.* 1. *Æn.* 46. — *d*) Miros fulminis effectus recensent *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 31.; *Lucret.* 6. 227. et seqq.; et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 51. 52. (137). — *e*) Varia sunt fulminum genera. Quatuor facit *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 47., quod disjicit, quod transfigit, quod corripit, quod infigit. Tria *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 40., quod terebrat, quod discutit, quod urit: hoc autem postremum vel urendo afflat, vel comburit, vel accendit. Rursus *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 524. et *Cæcin.* apud *Senec. ibid.* 39. et 49. ex haruspicum disciplina, alia dicunt esse fulmina consiliaria, alia auctoritatis, alia status: priora esse, quæ ante rem gestam accidunt, et aut vetant, aut hortantur: altera, quæ re gesta, et aut probant, aut improbant: tertia, quæ nihil nobis agentibus aut cogitantibus, aut minantur aliquid, aut promittunt, aut monent. Item *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 231. aliud esse ait fulmen quod terret, aliud quod afflat, aliud quod punit. V. alia hujus disciplinæ effata apud *Senec. ibid.* 41. et seqq. — *f*) Triplex ars circa fulmina ab Etruscis tradita fuit, quomodo exploranda essent, quomodo interpretanda, quomodo exoranda, ut *Id. ibid.* 33. docet. Quibus adde quartam, quomodo elicienda: de qua *Plin.* 2. *Hist. nat.* 53. 54. (140). et *Ovid.* 3. *Fast.* 287. *V.* ELICIUS.

II.) Translate. — *a*) Fulmina dicuntur gravia infortunia, præcipue quæ ex improviso accidunt et affligunt. *Cic.* 1. *de republ.* 4. Non dubitaverim me gravissimis tempestatibus ac pæne fulminibus ipsis obvium ferre conservandorum civium causa. *Al. male leg.* fluminibus. *Id.* 2. *Tusc.* 27. 66. Non modo stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunæ contemnamus licebit. *Liv.* 45. 41. Quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint —, quum spectaculo vobis funera liberorum meorum fuerint. Sic *Quintil.* 6. *prooem.* 10. Juro per mea mala, has me in illo (*puero*) vidisse virtutes ingenii, ut prorsus posset hinc esse tanti fulminis (*h. e.* mortis pueri) metus, quod observatum fere est, celerius occidere festinatam maturitatem. *Plin. Paneg.* 90. Utrumque nostrum ille stragibus amicorum et jacto fulmine afflaverat. Cf. *eumd.* 3. *Ep.* 11. *Liv.* 6. 39. Primum intercessione collegarum in leges suas pugnatum esse —, postremo dictatorium fulmen in se intentatum. Sic *Id.* 22. 35. fulmen vocavit exsilii pœnam. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 53. Parce, precor (*Auguste*), minimamque tuo de fulmine partem Deme: satis pœnæ, quod superabit, erit. *Juvenal.* 8. 92. quam fulmine justo Et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu. *Lucan.* 5. 770. Fulminibus me, sæve, jubes tantæque ruinæ Absentem præstare caput. *h. e.* præliis. *Sil. It.* 15. 408. ceu patria gestet in armis Fulmina. *Flor.* 2. 6. 9. Fulmen Romanis destinatum Saguntino igne conflatur. *Ammian.* 15. 5. Quasi fulmine fati. — *b*) Dicitur et de vi atque impetu cujusque rei. *Cic.* 9. *Fam.* 21. Insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, ut scribis, fulmina. *Id. Orat.* 6. 21. Stilus quidam interjectus, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum. *Al. leg.* flumine. *Quintil.* 8. 6. 7. Eloquentiæ fulmina. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 30. Ciceronis fulmina. *Sil. It.* 16. 145. bella compesce fulmine linguæ. — Ceterum poetice *Ovid.* 10. *Met.* 550. Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri. *Id.* 1. *ibid.* 305. nec vires fulminis apro, Crura nec ablato prosunt veloela cervo. *Stat.* 2. *Theb.* 70. aper Erectus sætis et aduncæ fulmine malæ. *Sil. It.* 16. 115. tua contra fulmina stare. Huc pertinet et illud *ejusd. Sil. It.* 11. 311. tune illa viri, quæ vertice fundit, Fulmina pertuleris? *fulmina* h. l. sunt majestas oris ac terror, quem intuentibus Hannibal injiciebat, velut si fulmina haberet in oculis. — *c*) Strenui duces,

quod instar fulminis omnia pervadant sternantque, *fulmina* quasi cognomine dicuntur: ad rem *Flor.* 4. 2. 63. Hunc (*Pharnacem*) Cæsar aggressus, uno, et, ut sic dixerim, non toto prælio obtrivit, more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit. *Lucret.* 3. 1017. Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror. *Virg.* 6. *Æn.* 843. Quis Gracchi genus et geminos, duo fulmina belli, Scipiadas? et *Sil. It.* 7. 106. En ubi nunc Gracchi atque ubi nunc sunt fulmina gentis Scipiadæ? *Cic. Balb.* 15. 34. Quum duo fulmina nostri imperii, subito in Hispania, Cn. et P. Sciplones, extincti occidissent. *Sil. It.* 15. 667. *de Hannibale.* fulmen Carthaginis. Adde *Flor.* 2. 6. 13. Rursus *Sil. It.* 8. 223. *Hannibalis agmina* belli fulmina *vocat.* Et de ducibus *Ammian.* 24. 6. *extr.* Fulmina illa bellorum. *Pacat. Paneg. Constant.* 22. Virtutis fulmen. — d) Hinc inter ipsos Augustorum titulos locum habuit. *Eumen. Paneg. Constant. Cæs.* 13. et 15. Majestatis tuæ fulmen. — *NB. Fulmen* pro fulmento, a *fulcio*, poni vult *Scaliq.* in illo *Manil.* 2. 891. Imaque submersi contingens fulmina mundi. *Sed alii rectius leg.* culmina.

Homonym. Ex homonymis quæ huc spectant, *fulgor*, ut *decor*, abstracto; *fulgus* vero, ut decus, concreto, uti ajunt, sensu accipitur: *fulgor* est splendor qui diu lucet; *fulgur* est lux vel flamma, quæ brevi micat et mox evanescit; *fulgetra* et *fulguratio* est quædam fulgurum continuatio ac, pæne dixerim, series: — *fulgur* et *fulgetrum* flammam indicant inter nubes coruscantem, quæ tonitru præcedere solet, hoc est phænomenon; contra *fulmen* ignitam significat exhalationem, quæ abruptis nubibus aliquem vel aliquid ferit, hoc est effectum. *Lucret.* 6. 169. sic fulgorem quoque cernimus ante, Quam tonitrum accipimus. *h. e.* abstracte, sic fulgorem quoque fulgurum cernimus, antequam tonitruum sonitum accipimus. *Cic.* 2. *Divinat.* 19. 44. Quum venti se in nubem induerint ejusque tenuissimam quamque partem cœperint dividere ac disrumpere, idque crebrius facere et vehementius, tum et fulgura (*alii vero legunt* fulgores) et tonitrua existere; si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. Sic *Plin.* 2. *Hist. nat.* 43. 43. (112). Si in nube luctetur flatus aut vapor, tonitrua edi; si erumpat ardens, fulmina; si longiore tractu nitatur, fulgetras. His findi nubem, illis perrumpi. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 1. Nubes mediocriter collisæ fulgurationes efficiunt; majore impetu pulsæ, fulmina. *Id.* 2. *ibid.* 16. Fulguratio est late ignis explicitus; fulmen est coactus ignis et impetu jactus. *Ovid.* 3. *Met.* 300. nutu sequentia traxit (*Deus*) Nubila, quis nimbos immistaque fulgura ventis Addidit et tonitrus et inevitabile fulmen.

FULMENTA, æ, f. 1. per syncopen pro *fulcimenta.* ¶ 1. Fulmentæ sunt quælibet fulcimenta in ædibus apud *Caton. R. R.* 14. ¶ 2. Item solea, quæ calceo suppingitur, *suolo, pedule*, καττύμα. *Lucilius* apud *Non.* p. 206. 26. *Merc.* Fulmentas clavis æneis subeudere. *Plaut. Trin.* 3. 2. 94. Fulmentas jubeam suppingi soccis.

FULMENTUM, i, n. 2. per syncopen pro *fulcimentum.* — a) Generatim. *Vitruv.* 5. 1. *ad fin.* Supra trabes contra capitula ex fulmentis dispositæ pilæ sunt collocatæ. *Sidon.* 2. *Ep.* 10. *in carm.* Porticus fulmentis Aquitanicis superba. *h. e.* columnis. — b) Speciatim est lecticæ fulcrum, vel pes. *Cels.* 2. 15. Si nihil horum est, suspendi lectus debet et moveri: si ne id quidem est, ut certe uni pedi subjiciendum fulmentum est, atque ita lectus huc et illuc manu impellendus. Alii male *fulimentum*, alii pessime *funiculum* leg. — c) Vetus proverbium apud *Varron.* apud *Non.* p. 206. 25. *Merc. Fulmenta lectum scandunt*, de re præpostera, quum præesse vult, in quem imperium habemus.

FULMĬNĀRIS, e, adject. idem ac fulminator. *Inscript.* reperta in *Villa di Villa*, pagu quinque circiter pass. millib. a colonia Atestina, ann. 1813. IOVI SACR. FVLMINARI T. TROBIVS T. F.

FULMĬNĀTIO, ōnis, f. 3. fulminis emissio. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 12. Fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit.

FULMĬNĀTOR, ōris, m. 3. qui fulminat, *fulminatore.* *Arnob.* 6. 23. Ubinam fulminator (*Juppiter*) tempore illo fuit?

FULMĬNĀTRIX, īcis, f. 3. quæ fulminat, *fulminatrice.* *Inscript.* apud *Gruter.* 547. 6. et 567. 10., quæ sunt apud *Orell.* 517. et 3174. LEG. XII. FVLMINAT. Adde *alias* apud *Murat.* 869. 1. et 874. 4. De hac legione V. *Jablonsk. Opusc. T.* 4. *p.* 3.-37. At in omnibus lapidibus hic citatis scribendum esse *fulminata* pro *fulminatrice* probant binæ *Inscriptiones*, quarum altera paucis abhinc annis Tarquiniis in Etruria est detecta, edita autem in *Bullett. dell' Instit. archeol. T.* 2. *p.* 198. P. TVLLIO VARRONIS FIL. STELL. VARRONI LEG. XII. FVLMINATAE etc.; altera apud *Letronne Stat. de Memnon.* p. 119. A. INSTVLEIVS TENAX PRIMIPILARIS LEG. XII. FVLMINATAE etc. *V. eumd. ibid.* p. 120. et 258. Prior pertinet ad tempora Hadriani Aug., altera ad Neronis Aug.: V. *Borghesi, Iscriz. del Reno dello Steiner* p. 34. Sic alia *Inscript.*, quæ etiamnum Salonæ exstat. D. M. T. FL. FVMONIANO Ↄ. LEG. XII. FVLMINATAE — HEREDES. Cf. et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 54. 55. (145). Vulnera fulminatorum frigidiora sunt reliquo corpore.

FULMĬNĀTUS, a, um. *V.* FULMINO et voc. præced.

FULMĬNEUS, a, um, adject. ad fulmen pertinens.

I.) Proprie. *Lucret.* 2. 382.; et *Ovid.* 11. *Met.* 523. et 2. *Pont.* 2. 118. Fulmineus ignis. *Horat.* 3. *Od.* 16. 11.; et *Ovid.* 14. *Met.* 618. ictus. *Val. Flacc.* 2. 501. fragor.

II.) Translate est vehemens, rapidus, more fulminis agens. *Virg.* 9. *Æn.* 811. ingeminant hastis et Troes et ipse Fulmineus Mnestheus. *et* 441. rotat ensem fulmineum. *Val. Flacc.* 4. 167. Fulminea dextra. *Ovid.* 11. *Met.* 367. Fulminei rictus lupi. *Id.* 2. *Fast.* 232. os fulmineum (*apri*). *Id.* 2. *Art. am.* 374. Aper fulmineo quum rotat ore canes. *Phædr.* 1. 21. 5. dentes (*apri*) fulminei. *Sil. It.* 11. 99. Fulminea ira. *Claudian.* 1. *cons. Stilich.* 200. Fulmineum iter. *Nazar. Paneg.* 7. *ad fin.* Fulmineus miles.

FULMĬNO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Fulminans* sub *A.* I. et *B.* II.; *Fulminatus* sub *B.* I. et II.; *Fulminandus* sub *B.* I. — Fulminare est *A*) Verbum neutrum, et *B*) Activum.

A) Neutrum fulminare est fulmen jacere, *fulminare*, κεραυνόω.

I.) Proprie. *Virg.* 1. *G.* 370. Aut Boreæ de parte trucis quum fulminat. *Horat.* 3. *Od.* 3. 6. Nec fulminantis magna manus Jovis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (21). Fulminantem perjurant Jovem. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 23. Minore vi ad fulgurandum opus est, quam ad fulminandum.

II.) Translate. *Virg.* 4. *G.* 560. Cæsar dum magnus ad altum Fulminat Euphratem bello. *Propert.* 4. 8. 55. Fulminat illa oculis et, quantum femina, sævit. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 16. Oculis quoque pupula duplex Fulminat.

B) Active fulminare est fulmine percutere, *percuotere con fulmine.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 54. 55. (145). Vulnera fulminatorum frigidiora sunt reliquo corpore. *Claudian.* 1. *Ep.* 40. cælestis flamma ingentes quercus, annosas fulminat ornos. *Lactant.* 1. 10. Æsculapius mortem habuit clariorem, quod a Deo meruit fulminari. ¶ 2. Latiori sensu ac poetice *fulminare ignes* est ignes jacere more fulminis. *Sever. Ætn.* 342. spiritus ille, Qui rupes terramque vorat, qui fulminat ignes.

II.) Translate. *Petron. Satyr.* 80. Fulminatus hac pronunciatione in lectulum decidi. *Eumen. Restaur. schol.* 21. Maximianus perculsa Maurorum agmina fulminans.

FULTOR, ōris, m. 3. qui fulcit, *sostenitore.* Translate. *Venant.* 2. *carm.* 15. 19. Ecclesiæ fultor, laus regni, pastor egentum. *Eutych.* p. 2133. *Putsch.* Fultor, fultrix. *At nullam affert veterum scriptorum auctoritatem.*

FULTRIX, īcis, f. 3. quæ fulcit. *V.* voc. præced.

FULTRUM, i, n. 2. idem ac fulcrum. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 118.

FULTŪRA, æ, f. 1. Legitur et *fulctura*, sed minus recte. — Fultura est idem ac fulcimentum, *sostegno, puntello*, στήριγμα.

I.) Proprie. — a) In singulari numero. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 9. Fundamenta pro fultura et substructione fungentur. *Lipsius* et *Schneiderus* putant legend. *præfultura*, nam aliquid deesse videtur, si cum vulgatis editionibus legamus *pro fultura.* — b) In plurali numero. *Vitruv.* 10. 22. *ad fin.* Vehemens aquæ vis supplantavit fulturas. *Liv.* 38. 7. Suspenso fulturis ab hostibus muro. *Al. leg.* furculis.

II.) Translate. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 153. Deficient inopem venæ te, ni cibus, atque ingens accedit stomacho fultura ruenti. (*V.* FULCIO). *Plin.* 1. *Ep.* 9. Corpori vaco, cujus fulturis animus sustinetur.

FULTUS, a, um. *V.* FULCIO.

FULVASTER, a, um, adject. ὑπόξανθος, subfulvus, ad fulvum colorem accedens, ut Fulvastra radix. *Apul. Herb.* 109., et Fulvaster thyrsus, *Id. ibid.*

FULVĬĀNUS, a, um, adject. ad Fulvium vel Fulviam pertinens. *V.* ONOM. — Hinc *Fulviana herba*, vim urinas ciendi habens, ab inventore Fulvio nomen habet. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 6. 57. (88).

FULVĬASTER, tri, m. 2. Fulvium imitans. *Cic.* 12. *Att.* 44. 4. Solet omnino esse Fulviaster. *Al. leg.* Fulviniaster: *alii aliter.*

FULVĬDUS, a, um, adject. *fulvido*, idem ac fulvus et fulgidus. *Cassiod.* 9. *Variar.* 3. *sub init.* Omnis proventus acquiritur, ubi metallum fulvidum reperitur. *scil.* aurum.

FULVĬNIASTER. *V.* FULVIASTER.

FULVUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, alii ducunt a *furvus*, quia furvo est proximus: *Döderlinius* vero (*Latein. Synonym.* vol. 6. p. 140.) conjungendum putat cum *flavus* et φλέγω. Fulvus, vox fere poetica, est colorem habens, qui in leonino pilo esse solet ex viridi et rufo mistum, flavus, κιρρός, πυῤῥός (*It. di color di lione, biondo*; *Fr. jaunâtre, fauve, roux*; *Hisp. color de pagizo, amarillo, bermejo, rubio, roxo, leonado*; *Germ. dunkelgelb, röthlichgelb*; Angl. *of a deep yellow, or tawny, colour*). *Lucret.* 5. 899. corpora fulva leonum. *Horat.* 4. *Od.* 4. 14. fulvæ matris ab ubere Jam lacte depulsum leonem. *Virg.* 1. *Æn.* 279. lupæ fulvum tegmen. *Horat. Epod.* 6. 5. Fulvus canis Lacon. *Id.* 4. *Od.* 2. 60. vitulus. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 5. 5. (9). boves. *Virg.* 11. *Æn.* 642. cæsaries. *Id.* 12. *ibid.* 741. arena. *Id.* 7. *ibid.* 279. aurum. Sic *Sil. It.* 7. 80. subtemine fulvo. *h. e.* filo aureo. et *Martial.* 14. 12. moneta. *d'oro.* *Plin.* 21. *Hist. nat.* 14. 49. (83). cera. *Id.* 14. *ibid.* 9. 11. (80). Colores vinis quatuor, albus, fulvus, sanguineus, niger. *Tibull.* 2. 1. 88. Fulva sidera. Hinc poetice *Val. Flacc.* 7. 158. Fulvus Olympus. *scil.* propter sidera. In illo *Virg.* 12. *Æn.* 792. Junonem fulva pugnas de nube tuentem. *fulva* intellige, quasi aurei coloris, *rosseggiante, luminosa*: talem enim esse decet, in qua dea sedet. Alioqui fulva nubes *Lucretio* 6. 460. est obscura et nigrans. Nisi forte hic legendum est *furva*: quam commutationem in multis poetarum locis accidisse notant critici. — Ceterum pro fumido et nigricanti *fulvus* non raro accipitur. *Virg.* 7. *Æn.* 76. tum fumida lumine fulvo Involvi, et totis Vulcanum spargere tectis. *smorto.* *Id.* 11. *ibid.* 751. et 12. *ibid.* 247. fulva aquila. Sic *Cic. poet.* 1. *Legg.* 1. 2. Nuncia fulva Jovis, miranda visa figura. — Item pro viridi, sed subfusco, *verde carico.* *Virg.* 5. *Æn.* 309. fulvaque caput nectentur oliva. Ita legit *Servius* ad illud 4. *Æn.* 261. stellatus iaspide fulva Ensis. *Al.* flava. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

FŪMANS, antis. *V.* FUMO.

FŪMĀRĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* fumarium, locus ubi ignis asservatur et accenditur, *fumaiuolo.* *Tertull. Pœnit.* 12. *de Vesuvio.* Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, quum fumariola quædam ejus tales flammarum ictus suscitent, ut proximæ urbes aut jam nullæ exstent, aut idem sibi de die sperent? *V.* INFURNIBULUM; et *Winkelmann. T.* 7. *p.* 45. et seq.

FŪMĀRĬUM, ii, n. 2. locus, ubi fumus colligebatur, *fumaio*, καπνεῖον; hinc — a) Est locus, ubi vina fumo condiebantur. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 19. Apothecæ recte superponentur his locis, unde plerumque fumus (*balnearum*) exoritur: quoniam vina celerius vetustescunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt. *Martial.* 10. 36. Improba Massiliæ quidquid fumaria cogunt, Accipit ætatem quisquis ab igne cadus. — b) Item fortasse locus, ubi ligna comburanda siccantur. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 19. Fumarium quoque, quo materia, si non sit jampridem cæsa, festinato siccetur, in parte rusticæ villæ fieri potest junctum rusticis balneis. — c) Item locus, unde fumus exit. *Vulgat. interpr. Ose.* 13. 3. Erunt — sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario.

FŪMĀTĬO, ōnis, f. 3. *profumo*, fumi exhalatio. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *a med.* Odoribus tetris adhibitis et fumationibus et naribus aceti insufflatione atque volutatione in sindone adhibita.

FŪMĀTOR, ōris, m. 3. videtur esse qui fumo vina condire solebat: *V.* voc. præced.

I.) Proprie. *Inscript.* apud *Orell.* 5044. D. M. FECIT COLLEGIVM FVMATORVM BENE MERENTI. At *Mommsen. Inscript. Neap.* 169. spuriam esse hanc inscriptionem affirmat.

II.) Translate est qui fumum vendit, deceptor. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Ep.* 2. 28. Nebulones sunt homines callidi et fumatores mendacesque, dicti a nebula, quod obscuri sunt.

FŪMĀTUS, a, um. *V.* FUMO.

FŪMESCO, is, ere, n. 3. fumum reddere. *Isid.* 17. *Orig.* 8. Tus igni impositum ardescit, resina fumescit.

FŪMĔUS, a, um, adject. fumidus, fumans. *Virg.* 6. *Æn.* 593. fumea tædis Lumina. *Macrob.* 7. *Saturn.* 10. Fumeus flatus. *Val. Flacc.* 4. 595. Acheron exsudat fumeus. *Martial.* 13. 123. Fumea Massiliæ ponere vina potest. *h. e.* fumo condita. *V.* FUMARIUM sub *a. Augustin.* 21. *Civ. Dei* 7. *a med.* Poma terræ Sodomorum forinsecus quasi matura, intrinsecus fumea. *h. e. pieni di fumo.*

FŪMĬCUS, a, um, adject. fumeus, fumans, *fumante. Sidon.* 1. *Ep.* 11. Fumicæ culinæ.

FŪMĬDUS, a, um, adject. fumeus, fumans, *di fumo, fumante*, καπνώδης.

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 304. Fumida fax. *Id.* 6. 644. templa cæli ignibus Ætnæ. *Virg.* 7. *Æn.* 465. Fumidus atque alte spumis exuberat amnis. *et* 9. *ibid.* 75. piceum fert fumida lumen Tæda. *Ovid.* 4. *Met.* 405. Fumida tecta. *Id.* 12. *ibid.* 259. altaria. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (90). Fumida lux. *Id.* 2. *ibid.* 42. 42. (111). Fumida caligo exhalatur. *Id. ibid.* 43. 43. (112). Fumidus vortex. *Capell.* 2. p. 32. Fumida terra.

II.) Improprie. ¶ 1. Est fumum colorem referens. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (55). Fumidæ cautes. *Id.* 37. *ibid.* 8. 35. (114). Fumida topazius. *et ibid.* 7. 28. (101). Fumidus chrysolithus. ¶ 2. Item fumi odorem referens. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (127). Vitia resinæ, acor, aut fumidum virus.

FŪMĬFER, fĕra, fĕrum, adject. afferens fumum, fumosus, *fumoso. Virg.* 9. *Æn.* 522. Pinum, et fumiferos infert Mezentius ignes. *Id.* 8. *ibid.* 255. *de Caco.* glomeratque sub antro Fumiferam noctem, commixtis igne tenebris. *Lucan.* 7. 193. Aponus terris ubi fumifer exit.

FŪMĬFĬCO, as, are, n. 1. idem quod fumigo, vel suffio, *far profumi. Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 2. Ut Ephesiæ Dianæ grates agam, eique ut Arabico fumificem odore.

FŪMĬFĬCUS, a, um, adject. fumum faciens, vel emittens, *fumoso. Plaut. fragm.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 38. *Müll.* Cocus fumificus. *h. e.* qui in fumo versatur. *Ovid.* 7. *Met.* 114. Fumificisque locum mugitibus implevere (*tauri*). *h. e.* Vulcanum naribus efflant. *Prudent.* 3. περὶ στεφ. 118. fumificæ faces. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. Fumifica culina. *Rutil. Itin.* 1. 252. Fumificum sulphur.

FŪMĬGĀBUNDUS, a, um, adject. καπνιζόμενος, fumo repletus. *Vulgat. interpr. Sapient.* 10. 7. Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra.

FŪMĬGĀTUS, a, um. *V.* FUMIGO.

FŪMĬGER, gĕra, gĕrum, adject. fumeus, fumidus. *Ennod. Ep.* 5. 8. Fumiger hic patulis Aponus fluit undique venis.

FŪMĬGĬUM, ii, n. 2. suffitus. *Theod. Priscian.* 3. 5. Fumigia vaporatis partibus supponere. *Id.* 1. 10. His etiam et sulphuris vivi fumigium prodest, si idem fumus patentibus oculis hauriatur.

FŪMĬGO, as, āvi, ātum, are, 1. (fumus *et* ago). Part. *Fumigans* sub *A* et *B*; *Fumigatus* et *Fumigandus* sub *A.* — Fumigare est *A*) Verbum activum, et *B*) Neutrum.

A) Active fumigare est suffire, *profumare*, θυμιάω. *Varro* 3. *R. R.* 16. 17. Verno tempore et æstivo fere ter in mense mellarius inspicere debet, fumigans leniter. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 7. Verno tempore alvi aperiendæ sunt et fumigandæ. *Id.* 8. *ibid.* 5. 16. Pulli pulegii surculis fumigentur. *Apul. Apolog.* Fumigati parietes. *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 38. Lana sulphure fumigata. *Theod. Priscian.* 1. 10. Postea ture masculo et aphita, æquis ponderibus, carbonibus impositis, (*oculi*) fumigandi sunt.

B) Neutrorum more fumigare est fumum emittere. *Gell.* 19. 1. Turbines crebriores, et cælum atrum, et fumigantes globi. *Vulgat. interpr. Psalm.* 103. 32. Qui tangit montes, et fumigant. Adde *ibid.* 143. 5.; *Ezech.* 7. 4. et alibi.

FŪMO, as, are, n. 1. Part. *Fumans* sub *A.* I.; *Fumatus* sub *B.* — Fumare occurrit

A) Sæpissime neutrorum more; et *B*) Raro admodum active.

A) Neutrorum more *fumare* est fumum emittere, καπνίζω (It. *far fumo, fumare*; Fr. *fumer, jeter de la fumée*; Hisp. *humear, exhalar, arrojar, y echar de si humo*; Germ. *rauchen, dampfen*; Angl. *to emit smoke, reek, smoke, fume*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 523. Terraque quum fumans humorem tota redhalat. *Id. ibid.* 748. acri sulphure montes Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti. *Id. ibid.* 752. fumant altaria donis. *Cæs.* 7. *B. G.* 24. Animadversum est, fumare aggerem, quem cuniculo hostes succenderant. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 25. Recenti fossione terram fumare calentem. *Virg.* 2. *Æn.* 698. late circum loca sulphure fumant. *Id.* 3. *ibid.* 3. omnis humo fumat Neptunia Troja. *Id.* 8. *ibid.* 106. tepidusque cruor fumabat ad aras. *Id.* 10. *ibid.* 45. per eversæ fumantia Trojæ Excidia obtestor. *Id.* 12. *ibid.* 569. Eruam, et æqua solo fumantia culmina ponam. *et* 338. Equi sudore fumantes. *Id.* 7. *ibid.* 457. fumantes tædæ. *Id.* 11. *ibid.* 909. fumantes pulvere campos. *Horat.* 3. *Od.* 18. 7. vetus ara multo Fumat odore. *Ovid.* 10. *Met.* 273. Tura fumant. *Id.* 1. *Art. am.* 256. aqua calido de sulphure fumat. *Val. Flacc.* 1. 816. nigro fumantia pocula tabo.

II.) Translate: ad rem *Cic. Harusp. resp.* 21. *extr.* Quum in me illa flamma conjiciebatur, excepi et pro patria solus exarsi: me primum ictum pro vobis et fumantem vidistis. *Id. Sext.* 10. 24. Ita domus ipsa fumabat, ut multa ejus sermonis indicia redolerent. *V.* loc. *Senecæ* in FUMUS 1. *a. Virg.* 1. *Ecl.* 83. Et jam summa procul villarum culmina fumant. *Sil. It.* 1. 654. non obruta jam omne Semina fumarent belli. *Val. Flacc.* 2. 233. It cruor in thalamis, et anhela in pectora fumant Vulnera. *Id.* 4. 285. *de anhelantibus et fessis in pugna.* fumant crebro præcordia pulsu. *Id.* 7. 283. viso fumantes hospite tauri. *sbuffanti.* Proverbium est illud *Martial.* 6. 64. *ad fin.* rabido nec perditus ore Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.

B) Active nusquam occurrit: sed tamen Part. *Fumatus* passive pro fumo imbutus, *imbevuto di fumo*, legitur apud *Non. p.* 548. 17. *Merc.* Impluviatus color, quasi fumato stillicidio implutus. Auctorem quoque habet *Gargil. de pom.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 426.) 26. Ossa palmarum Thebaicarum carbonibus fumata, ut ait Hippocrates, extrahunt partum.

FŪMŌSUS, a, um, adject. fumo plenus, *fumante, fumoso*, καπνώδης.

I.) Proprie. — *a*) Est fumum emittens. *Cato R. R.* 130. Ligna amurca perspargito, et in sole ponito: perbibant bene: ita neque fumosa erunt, et ardebunt bene. *Id. ibid.* 38. *ad fin.* Flamma minus fumosa exibit. *Petron. Satyr.* 97. Facem fumosam magis, quam lucidam quassans. *Martial.* 5. 30. fumosus december. *h. e.* fumo abundans, quia foci frequentantur. — *b*) Item fumo tinctus. *Ovid.* 5. *Fast.* 518. fumoso condita vina cado. *V.* FUMARIUM. Sic *Tibull.* 2. 1. 27. fumosum Falernum. *Petron. Satyr.* 135. Fumosus paries. *Cic. Pis.* 1. 1. Fumosæ imagines. *h. e.* majorum asservatæ in ædibus, et jam ob vetustatem denigratæ. Sic *Juvenal.* 8. 8. Fumosos equitum cum dictatore magistros. — *c*) Item fumo siccatus. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 117. fumoso cum pede pernæ.

II.) Translate est fumi odorem habens. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (319). Defrutum nonnisi foliis despumandum, quia si ligno contingatur vas, adustum et fumosum fieri putant.

FŪMUS, i, m. 2. Ducunt a θυμός Æolice pro θυμὸς *vapor, aer.* — Ceterum fumus est vapor niger exigue, καπνός (It. *fumo*; Fr. *fumée*; Hisp. *humo*; Germ. d. *Rauch, Dampf, Brodem*; Angl. smoke, *reek, fume*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Ter. Adelph.* 5. 3. 60. Psaltria favilliæ plena, fumi ac pollinis coquendo sit faxo et molendo. *Lucret.* 1. 871. In lignis si flamma latet fumusque cinisque. *Id.* 3. 432. Exhalare vaporem altaria ferreque fumum. *Id.* 4. 56. Robora ceu fumum mittunt ignesque vaporem. *Cato R. R.* 162. Pernas in fumo suspendito. *Cæs.* 2. *B. G.* 7. Quæ castra, ut fumo atque ignibus significabatur, etc. *Id.* 5. *ibid.* 48. Fumi incendiorum procul videbantur. *Id.* 3. *B. C.* 65. Significatione per castella fumo facta. *Cic. Pis.* 6. 13. Paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo. *Id.* 3. *Verr.* 17. 45. Hominem ingenuum fumo excruciatum, semivivum reliquit. *Virg.* 3. *Æn.* 581. intremere omnem Murmure Trinacriam, et cælum subtexere fumo. *Id.* 12. *ibid.* 592. vacuas it fumus ad auras. *Id.* 9. *ibid.* 239. aterque ad sidera fumus Erigitur. *Id.* 8. *ibid.* 257. plurimus undam Fumus agit. *Id.* 5. *ibid.* 740. tenues fugit, ceu fumus, in auras. *Seneca Ep.* 64. Intervenerant quidam amici, propter quos major fumus fieret; non hic, qui erumpere ex lautorum culinis et terrere vigiles solet: sed hic modicus, qui, hospites venisse, significaret. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 5. *ad M. Cæs.* 5. Vel fumum, loquit, patriæ, Cajus poeta. *Hic alluditur ad Ulyssem; et Cajus fortasse est* C. Lucilius. *Curt.* 8. 4. Evolutus e tuguriis fumus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 24. (73). Cucurbitas fumo siccare. *Horat.* 3. *Od.* 8. 11. Amphoræ fumum bibere institutæ. Sic *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 22. (39). Fumo inveteratum vinum. *et* 14. *ibid.* 6. 8. (68). Fumo vinum tingere. (*Massiliæ fumos* dixit *Martial.* 14. 118. intelligens vinum Massiliæ in fumo inveteratum. *V.* FUMARIUM). *Horat. Art. P.* 143. Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem Cogitat. — Interdum fumus refertur ad colorem. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 37. (118). Iaspis veluti fumo infecta, quæ capnias vocatur. — *b*) *Flamma fumo est proxima*, proverbium apud *Plaut. Curc.* 1. 1. 53., quo significatur, admisso leviori peccato, facile transiri ad gravius, v. gr. ab osculis ad adulterium. — *c*) *Tendere de fumo ad flammam*, aliud proverbium apud *Ammian.* 14. 11. et 28. 1. ex leviori malo in gravius ultro incurrere. *cader dalla padella nelle brage.* et *fuggir l'acqua sotto le grondaie.* Τὸν καπνὸν φεύγων εἰς τὸ πῦρ ἐνέπεσεν. — *d*) *Fumum vendere* dicuntur amici principum, qui eorum gratiam pretio vendunt, caritudam tamen effectu. *Martial.* 4. 5. Vendere nec vanos circa palatia fumos. *Capitolin. Antonin.* 11. Amici ejus numquam de eo cum libertis suis per fumum aliquid vendiderunt. *Lamprid. Elagab.* 10. Familiaritatis nomine abutens, omnia Elagabali dicta et facta venderet fumis. *Id. Alex. Sev.* 36. narrat Turinum quemdam ab eo deprehensum quod fumos vendidisset, stipiti alligatum fumoque necatum, præcone dicente, *fumo punitur, qui vendidit fumum.* Usurpat *Apul. Apolog.* de eo, qui fucum fecit alteri et vana re quacumque decepit. Adde *Vespæ judic.* ed. *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 2. *p.* 235. — *e*) De more captandi ominis ex fumo, V. *Capell.* 2. p. 32., ibique *Koppii* adnotat.

II.) Improprie. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 37. idem Quidquid erat nactus prædæ majoris, ubi omne Verterat in fumum et cinerem. *h. e.* bona sua omnia obligurierat.

FŪNĀLIS, e, adject. ad funem pertinens. — *Funales equi* sub curru dicuntur, qui non ad jugum, sed ad latera junguntur, duobus jugalibus mediis: quia non jugo, sed fune loro've alligantur: σειραῖος, σειροφόρος. *Stat.* 6. *Theb.* 461. Nominibusque cient Pholoen Admetus, et Irin, Funalemque Thoen. *Sueton. Tib.* 6. Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore funali equo, quum Marcellus Octaviæ filius dexteriore veheretur. *Auson. epitaph.* 35. 9. Pegasus hic dexter currat tibi (*Phosphore*): lævus Arion Funalis: quartum det tibi Castor equum. — *Funalis cereus* est funis pice, sebo, vel cera illitus. *Val. Max.* 3. 6. n. 4. C. Duilius ad funalem cereum a cœna domum reverti solitus est. Etiam apud *Cic. loc.* infra *cit.* 2. quidam leg. *cereo funali. Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 143. Funalis candela. — Hinc

Funale, is, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est funis, *fune, corda*, σειρά. *Liv.* 42. 65. Funda media duo funalia imparia habebat. *V.* SCYTALA. ¶ 2. Sæpius est funalis cereus, seu funis pice, sebo, vel cera illitus, *torcia, candela, doppiere*, ut docet *Isid.* 20. *Orig.* 10. 5. Funalia sunt, quæ intra ceram sunt, dicta a funibus, quos ante usum

papyri cera circumdatos habuere majores: unde et funera dicuntur. Fere similia habet *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 731. *Gloss. Philox.* Funale, λαμπάδιον, funalia, δαλοί. *Cic. Senect.* 13. 44. C. Duillius delectabatur crebro funali et tibicine, quæ sibi nullo exemplo privatus sumpserat. *Virg.* 1. *Æn.* 731. et noctem flammis funalia vincunt. *Horat.* 3. *Od.* 26. 6. Lucida funalia. *Sil. It.* 6. 667. clara. ¶ 3. Item candelabrum, in quo funes cera illiti, vel cerei seu candelæ infiguntur. *Isid. loc. cit.* Funalia candelabra apud veteres exstantes stimulos habuerunt, aut uncos, quibus funiculi cera, vel hujusmodi alimento luminis obliti figebantur. Iidem itaque, et stimuli præacuti, funalia dicebantur. His similia habent *Servius loc. cit.* et *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 88. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 206. alii funalibus ordine ductis, Plurima venturæ suspendite lumina nocti. *Ovid.* 12. *Met.* 246. primus ab æde Lampadibus densum rapuit funale coruscis, Elatumque alte, illisit fronti Lapithæ Celadontis. *scil.* lychnuchum.

FŪNAMBŬLUS, i, m. 2. Apud *Augustin.* in *Psalm.* 39. *sect.* 9. legitur *funiambulus.* — Funambulus est qui per funem ambulat, *chi cammina o balla sulla corda*, σχοινοβάτης. *Ter. prol.* 1. *Hecyr.* 4. Ita populus studio stupidus, in funambulo animum occuparat. *Sueton. Galb.* 6. Novum spectaculi genus, elephantos funambulos edidit. *V.* CATADROMUS. *Capitolin. M. Aurel.* 12. Funambulis, post puerum lapsum, culcitras subjici jussit; unde hodie rete prætenditur. Adde *Arnob.* 2. 38.

FŪNĀRĬUS, a, um, adject. ad funem pertinens. Apud *Isid.* 18. *Orig.* 35. *funarii equi* iidem sunt qui *funales.* — Gratianus Valentiniani Imp. pater *funarius* appellatus est, eo quod venalicium funem portanti quinque milites nequirent extorquere, uti narrant *Aurel. Vict. Epit.* 45. et *Ammian.* 30. 7.

FUNCTĬO, ōnis, f. 3. actus fungendi, actio, *esercizio, esecuzione, funzione*, ἐνέργεια. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Tusc.* 15. 35. Labor est functio quædam vel animi, vel corporis, gravioris operis et muneris. *Id.* 5. *Verr.* 6. 15. Ut iis jucundior esset muneris illius functio. *l'adempimento di quell'obbligo.* — Sic *functionem recipere* dicuntur a JCtis res illæ, quæ numero, pondere, et mensura constant, et aliarum vice fungi possunt, et quum sint ejusdem pretii et naturæ, in solutionem dari: v. gr. pecunia pro pecunia, et ea omnia, quæ mutuo dantur. *Paul. Dig.* 12. 1. 2. ¶ 2. Specialim ponitur pro defungendi actione, hoc est morte. *Arnob.* 2. 78. Omnis passio inevitabilem rebus afferens functionem. *Id. ibid.* 104. Functio mortalium. ¶ 3. Item specialim sæpe in *Cod. Justin.* dicitur *functio* tributorum pensitatio, ut apud *Imp. Probum* 8. 51. 4.; *Imp. Martian.* 10. 22. 3.; *Impp. Dioclet. et Maximian.* 4. 49. 9. et 13. etc. Adde *Sidon. in conc. post epist.* 9. *l.* 7. *a med.*

FUNCTUS, a, um. *V.* FUNGOR.

FUNDA, æ, f. 1. est instrumentum e duobus funiculis, latiore sinu in medio, in quo lapis, vel plumbea glans imponitur, circumactisque circum caput funiculis, et altero eorum remisso, magna vi longissime jacitur: a *fundendo*, ut habet *Isid.* 18. *Orig.* 10. 1. Funda dicta, eo quod ex ea fundantur lapides, id est emittantur. Alii derivant a Græca voce σφενδόνη, vel a *fundus*, quod sit sinus inter duos funiculos. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (201). tradit esse Phœnicum inventum: *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 309. Balearium (It. *fionda, fronda, frombola*; Fr. *fronde*; Hisp. *honda*; Germ. *der Schleuder*; Angl. *a sling*).

I.) Proprie. *Plaut. Pœn.* 2. 31. Viscum legioni dedi fundasque: eo prusternebant folia farfari. *Ter. Eun.* 4. 7. 16. Fundam tibi nunc nimis vellem dari, ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes. *Cæs.* 4. *B. G.* 25. Ad latus apertum hostium constitui, atque inde fundis, sagittis, tormentis hostes propelli ac summoveri jussit. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 35. et 43. *Cic.* apud *Quintil.* 8. 6. 73. Fundum Varro vocat, quod possim mittere funda: Ni tamen exciderit, qua cava funda patet. *Virg.* 1. *G.* 308. tum figere damas, Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ. (*V.* BALEARES.) *Id.* 9. *Æn.* 586. stridentem fundam ipse ter adducta circum caput egit habena. *Val. Flacc.* 3. 96. tortæ pondera fundæ. *Ovid.* 4. *Met.* 515. parva Learchum Brachia tendentem rapit, et bis terque per auras More rotat fundæ. Adde *Liv.* 38. 29.

II.) Translate. ¶ 1. Est genus retis piscatorii, quod Græce βόλος, et Latine etiam *retiaculum*, aut *retejaculum* dicitur, ut *Servius* docet ad illud *Virg.* 1. *G.* 141. Atque alius latum funda jam verberat amnem. ¶ 2. Funda est etiam eadem ac pala, Italis *castone* dicitur, sinus anuli, quo gemma includitur, ita excavatus, ut circulo ambiente solus gemmæ margo circumdetur, reliquis ejus partibus in totum patentibus: qua significatione apud Græcos quoque usurpatur σφενδόνη; et dicitur a *Cic.* 3. *Off.* 9. 38. pala anuli. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 37. (117). Præstantiores iaspides funda clauduntur patentes, nec præter margines quidquam auro amplectente. *Id. ibid.* 9. 42. (126). Chrysolithi perspicuæ funda includuntur: ceteris subjicitur aurichalcum. ¶ 3. Denique est pera, sacculus, in quo pecuniæ et alia geruntur; a similitudine fundæ: videturque esse hominum pauperiorum, ut zona divitum. *Macrob.* 2. *Saturn.* 4. *extr.* Demissa in pauperem fundam manu, paucos denarios protulit.

FUNDĀLIS, e, adject. ad fundam pertinens. *Prudent. Psychom.* v. 293. *de Davide adversus Goliath pugnante.* Dextera fundali torsit stridore lapillum.

FUNDĀMEN, inis, n. 3. idem ac fundamentum. Vox fere poetica. *Virg.* 1. *G.* 160. et lentum de cortice gluten Prima favis ponunt fundamina. *Ovid.* 4. *Fast.* 835. Augurio læti jaciunt fundamina cives. *Id.* 5. *Met.* 361. Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ. *Id.* 15. *ibid.* 133. Mole sub ingenti rerum fundamina ponit. *Id.* 14. *ibid.* 808. quoniam fundamine magno Res Romana valet. Eadem voce utitur *Salvian.* 4. *Gub. D.* 9. Apes, quum fundamina favis ponunt, qua causa vel thymum jam nisi studio et cupiditate mellis sectantur?

FUNDĀMENTUM, i, n. 2. id quo quidpiam fundatur ac nititur, θεμέλιον (It. *fondamento*; Fr. *ce qui affermit, fondement, fondation*; Hisp. *fundamento*; Germ. *d. Grund, d. Grundlage*; Angl. *a foundation, ground-work, basis*).

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 1. 2. 40. Fundamentum illorum substruunt. *Id. ibid.* 68. Ædes totæ cum fundamento pereunt. *Id. ibid.* 2. 6. 55. Qui a fundamento mihi usque movisti mare. *sino dal fondo.* *Cæs.* 2. *B. C.* 11. Saxa turris, quibus fundamenta continebantur, convellunt. *Cic. Mil.* 27. 75. Instituit sic agere fundamenta, ut sororem vestibulo privaret. *Nepos Timol.* 3. Arcem a fundamentis disjecit. *Virg.* 1. *Æn.* 428. Alta theatri fundamenta locare. (Adde *eumd.* 4. *ibid.* 266.) *Id.* 2. *ibid.* 610. Neptunus muros, magnoque emota tridenti Fundamenta quatit. *Liv.* 1. 12. Fundamenta prima urbi jacere. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (15). Fundamenta fodere delubro. *Id.* 36. *ibid.* 14. 21. (95). Fundamenta tantæ molis locare in lubrico atque instabili. *Tac.* 4. *Ann.* 62. Fundamenta subdere per solidum. *Sueton. Cæs.* 46. Villa a fundamentis inchoata. *Id. Cal.* 22. Fundamenta novæ domus jacere. — *Fundamentum in terra* est, quod supra terram eminet, scilicet substructio in loco declivi: *in terram*, quod sub terra est. *Inscript.* apud *Gruter.* 165. 3. A. HIRTIVS A. F., M. LOLLIVS C. F. CENSORES FVNDAMENTA MVROSQVE E SOLO FACIVNDA COERAVER. EIDEMQ. PROBAVERE: IN TERRA FVNDAMENTVM EST ALTVM PEDES XXXIII., IN TERRAM AD IDEM EXEMPLVM, QVOD SVPRA TERRAM EST.

II.) Translate. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 3. *Orat.* 37. 151. Fundamentum eloquentiæ. *Id. Partit. Orat.* 9. 31. Narratio est quædam quasi sedes et fundamentum constituendæ fidei. *Id. Planc.* 12. 29. Meo judicio pietas fundamentum est omnium virtutum. *Id. Cluent.* 10. 30. Hoc utor initio ac fundamento defensionis. *Id.* 1. *Off.* 7. 23. Fundamentum justitiæ est fides. *Id.* 2. *Divinat.* 1. 2. Fundamentum philosophiæ positum in finibus bonorum et malorum. *Gell.* 14. 1. *circa med.* Disciplina nixa fundamento veritatis. *Id.* 17. 8. Cœnæ fundus ac fundamentum omne erat aula lentis. — *b*) In plurali numero. *Cic. Balb.* 13. 31. Hæc sunt fundamenta firmissima nostræ libertatis. *Id. Mur.* 6. 14. Fundamenta defensionis. *Id. Pis.* 4. 9. His fundamentis positis consulatus sui. *Id.* 1. *Phil.* 1. 1. Jacere fundamenta pacis. *Id.* 1. *ibid.* 1. 1. Hodierno die fundamenta jacta sunt reliquarum actionum. *Id. Flacc.* 2. 4. Cui causæ fundamenta jaciantur, non videtis. *Id. Sext.* 2. 5. Quibus initiis ac fundamentis hæ tantæ summis in rebus laudes excitatæ sunt. *Id. Senect.* 18. 62. Senectutem laudare, quæ fundamentis adolescentiæ constituta sit. *Id.* 2. *Fin.* 22. 72. Quarum omnium fundamenta vos in voluptate, tamquam in aqua, ponitis. *Id.* 4. *de republ.* 4. Ita sunt alte repetita quasi fundamenta verecundiæ. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 18. 20. (78). In medio foro, qua sidentia imperii fundamenta ostento fatali Curtius maximis bonis, hoc est, virtute ac pietate ac morte præclara explevcrat. *Quintil.* 1. 1. 5. Fundamenta futuri oratoris. *Id.* 10. 3. 3. Illic radices, illic fundamenta sunt. *Id.* 12. 6. 2. Fundamenta impudentiæ.

FUNDĀTĬO, ōnis, f. 3. actus fundandi et fundamenta jaciendi, *il fondare o porre i fondamenti*, θεμελίωσις. *Vitruv.* 5. 3. Fundationes ædium. *et* 3. 3. Substructionis fundationes fodere.

FUNDĀTOR, ōris, m. 3. qui fundat, *fondatore*, θεμελιωτής.

I.) Proprie. *Virg.* 7. *Æn.* 678. Prænestinæ fundator urbis. *Cassiod.* 4. *Variar.* 51. Symmachus fundator egregius fabricarum.

II.) Improprie. *Inscript.* apud *Gruter.* 56. 5. et 6. FVNDATOR IMPERII ROM. *h. e.* qui nutans et labans confirmavit. In Nummo *Severi Aug.* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. *p.* 178. FVNDATOR PACIS. et in *Inscript.* apud *Gruter.* 58. 1. IMP. AVGVSTVS DIVI IVLII FIL. FELIX FVNDATOR PACIS. *Alia* apud *Orell.* 1071. LICINIVS FVNDATOR SECVRITATIS PVBLICAE. *Alia* apud *eumd.* 1075. CONSTANTINVS FVNDATOR QVIETIS.

FUNDĀTRIX, icis, f. 3. *fondatrice.* *V.* ABBATISSA.

FUNDĀTUS, a, um. *V.* FUNDO, as.

FUNDĬBĂLĀTOR. *V.* FUSTIBALATOR.

FUNDĬBĂLUM, i, n. 2. *et*

FUNDĬBĂLUS, i, m. 2. vox hybrida, idem ac ballista. *Isid.* 18. *Orig.* 10. Ballista magna vi jacit aut hastas aut saxa; inde et fundibalus quasi fundens et emittens. *Id.* 14. *ibid.* 6. Βάλλειν enim Græce mittere dicitur: unde et ballista, et fundibalum. *Gloss. Lat. Gr.* Fundibali, λιθοβόλοι. *V.* FUSTIBALUS.

FUNDĬBĂLĀRĬUS *vel*

FUNDĬBŬLĀRĬUS, ii, m. 2. σφενδονήτης, *fromboliere*, qui fundas jacit. *Vulgat. interpr.* 4. *Reg.* 3. 25. Circumdata est civitas a fundibulariis et magna ex parte percussa. Adde *ibid. Judith* 6. 8. et 1. *Machab.* 9. 11. Sic *Gloss. Lat. Gr.* Fundibularii, σφενδονῖται.

FUNDĬBŬLUM, i, n. 2. ¶ 1. Est armorum genus, quod Græcis dicitur σφενδόνη, funda. *Vulgat. interpr.* 1. *Machab.* 6. 51. Et statuit illic ballistas et machinas ad mittendas sagittas et fundibula. ¶ 2. Item idem atque infundibulum, χώνη. *Gloss. Philox.* Fundibulum, χώνη. Cf. *Not. Tir.* p. 62. Fundibalum (*lege* Fundibulum), infundibulum.

FUNDĬTO, as, are, a. 1. *intensivum a* fundere. — Part. *Funditans* 1. — Funditare est funda petere, jaculari, percutere. *gettar con la fionda.*

I.) Proprie. *Plaut. Pœn. act.* 2. v. 35. In fundas indebant grandiculos globos: eo illos volantes jussi funditarier. *Ammian.* 24. 4. Creberrima spicula funditantes.

II.) Translate. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 61. En monstrum mulieris! tantilla tanta verba funditat. *Id. Amph.* 4. 2. 12. Istæc verba funditat. — Et absolute *Id. Asin.* 5. 2. 52. Ne ille ecastor fenerato funditat.

FUNDĬTOR, ōris, m. 3. idem ac Gr. σφενδονίτης, *h. e.* qui funda dimicat, *frombatore, fromboliere.* *Sall. Jug.* 99. Hostem sagittariis et funditoribus terrere. *Cæs.* 2. *B. G.* 7. Funditores Baleares subsidio oppidanis mittit. Adde *eumd. ibid.* 10., 19., 24.

FUNDĬTUS, adverb. ab ipso fundo, a fundamentis, radicitus, ἐκ θεμελίων (It. *fin dal fondo, da' fondamenti*; Fr. *jusqu'au fond, de fond en comble, radicalement*; Hisp. *radicalmente, a fondo, de raiz*; Germ. *aus der Tiefe, von Grund aus*; Angl. *from the very, bottom, from the very foundation, utterly*.

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Verr.* 38. 79. Non obstruxit aliqua ex parte monumenta P. Scipionis, sed id funditus sustulit ac delevit. *Id.* 1. *Off.* 11. 35. Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt. Adde *Vellej.* 1. 12. 5. *Horat.* 1. *Od.* 16. 20. Urbes funditus periere. *Phædr.* 2. 2. 10. Funditus canos (*capillos*) puella, nigros anus evellerat. *Sueton. Vesp.* 9. Templum funditus destructum. *Seneca Troad.* 663. Funditus busta eruere.

II.) Translate. ¶ 1. Est idem ac penitus, prorsus, omnino. *Ennius* apud *Charis.* 4. p. 239. *Putsch.*

Vosque Lares tectum nomen qui funditus curant. pro curatis. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 31. Perdidisti me sodalem funditus. *Id. Trin.* 1. 2. 128. Meam fidelitatem pæne ille ignavus funditus pessum dedit. *Lucret.* 1. 673. Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes. *Id. ibid.* 478. Res gestas funditus perspicere. *Id.* 5. *ibid.* 434. Et belli magnos commovit funditus æstus. *Cic.* 3. *Orat.* 50. 195. Neque earum rerum quemquam funditus natura voluit esse expertem. *Id. Orat.* 62. 209. Funditus tollere veritatem et fidem. *Id. ibid.* 64. 216. Ne spondeus quidem funditus est repudiandus. *Id. Amic.* 7. 20. Quæ tam firma civitas est, quæ non odiis et discidiis funditus possit everti? *Id. ibid.* 13. 48. Quæ causa est, cur amicitias funditus tollamus e vita? *Id.* 2. *Fin.* 25. 80. Præcepta, quæ probas, funditus evertunt amicitias. *Id.* 1. *Invent.* 33. 55. Lacedæmonios funditus vicit. Cf. *Justin.* 25. 3. Funditus victus. Rursus *Cic.* 6. *Fam.* 2. Rempubl. funditus interire. *Catull.* 64. 92. cuncto concepit pectore flammam Funditus. *Sall. orat.* 2. *ad Cæs. de rep. ordin. ante med.* Omnia funditus misceri. *Virg.* 11. *Æn.* 413. semel agmine verso Funditus occidimus. *Tac.* 3. *Ann.* 36. Abolitæ leges et versæ funditus. et 54. Funditus trahere rempublicam. ¶ 2. Raro admodum ponitur pro in fundo, in imo. *Lucret.* 5. 497. omnis mundi quasi limus in imum Confluxit gravis et subsedit funditus, ut fæx. *Spartian. Hadrian.* 12. *ad fin.* Stipitibus magnis in modum muralis sæpis funditus jactis atque connexis.

FUNDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (fundus). Part. *Fundatus* in omnibus paragr. et in fin.; *Fundaturus* I. — Fundare est fundamenta ponere, constituere, θεμελιόω (It. *fondare, porre il fondamento*; Fr. *affermir sur une base, fonder, jeter les fondements de*; Hisp. *fundar, echar los cimientos*; Germ. *gründen, begründen, mit einem Grunde oder Boden versehen*; Angl. *to found, lay the foundation or ground-work*).

I.) Proprie. *Fundata navis* est quæ fundum et carinam habet. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 43. Facilem esse navem facere, ubi fundata et constituta est: nunc hæc carina satis probe fundata et bene statuta est. *Ovid.* 4. *Pont.* 3. 5. Dum mea puppis erat valida fundata carina. Sic *Id. Heroid.* 16. 111. Fundatura citas flectuntur robora naves. — *Virg.* 5. *Æn.* 760. Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri Idaliæ. *Id.* 8. *ibid.* 478. saxo incolitur fundata vetusto Urbis Agyllinæ sedes. *Id.* 1. *ibid.* 250. Fundare arces.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro firmare, confirmare, stabilem reddere. *Lucret.* 4. 829. ideo fastigia posse Surarum ac feminum, pedibus fundata, plicari. *Forcellinus* hunc locum a I super. paragr. retulit. Rursus *Lucret.* 5. 926. Et majoribus et solidis magis ossibus intus Fundatum (*genus humanum*), validis aptum per viscera nervis. *Virg.* 6. *Æn.* 3. dente tenaci Ancora fundabat naves. *V.* et in fin. *Fundatus* 1. ¶ 2. Metaphora sumpta a præced. paragraphis. *Lucret.* 5. 162. Nec fas esse, deum quod sit ratione vetusta Gentibus humanis fundatum perpetuo ævo, Sollicitare suis ulla vi ex sedibus unquam. *Cic. Flacc.* 11. 26. Nihil religione testatum, nihil veritate fundatum, nihil dolore expressum. *Id. Rabir. Post.* 1. 1. Fundatæ atque optime constitutæ opes. Sic *Curt.* 10. 10. Fundare opes. et *Horat.* 1. *Ep.* 15. 46. nitidis fundata pecunia villis. *bene impiegata, bene investita.* Rursus *Cic. Balb.* 13. 31. Hæc sunt fundamenta firmissima nostræ libertatis —, illud vero maxime nostrum fundavit imperium et populi Romani nomen auxit, quod etc. *Id.* 4. *Cat.* 9. 19. Quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute stabilitam libertatem. *Id.* 1. *Att.* 16. *ante med.* Statum illum reipublicæ, qui bonorum omnium conjunctione et auctoritate consulatus mei fixus et fundatus videbatur, elapsum scito esse de manibus. Adde *eumd.* 1. *Parad.* 2. 10. *Id.* 4. *Fin.* 1. 1. Accurate non modo fundata, verum etiam exstructa disciplina. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. 25. Partis et fundatis amicitiis fretum ac munitum esse oportet. *Virg.* 6. *Æn.* 811. rex Romanus primus qui legibus urbem Fundavit. *Justin.* 3. 4. Possessio Tarentina Partheniis in æternum fundata. *Id.* 43. 5. Parta pax et fundata securitas. Sic *Plin. Paneg.* 8. Libertatem, salutem, securitatem fundare. *Pompon. Dig.* 1. *tit.* 2. *leg.* 2. *a med.* Post hos fuerunt P. Mutius et Brutus et Manilius, qui fundaverunt jus civile. *Stat.* 4. *Silv.* 7. 30. Prole fundare vacuos Penates. *fondar la famiglia, piantar la casa.* Ita *Sil. It.* 2. 65. fundarat thalamos Tritonide nympha. — Hinc Part. præter., cujus plurima superius exempla retulimus.

Fundatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Fundatior* 1. et Sup. *Fundatissimus* 2. Translate ¶ 1. Est firmatus, tenaciter atque arcte adhærens. *Vitruv.* 7. 3. *ante med.* Quo fundatior erit ex arenario directura, eo firmior erit ad vetustatem soliditas tectorii. ¶ 2. Metaphorâ hinc sumptâ *Cic. Dom.* 36. 96. Deflevi subitas fundatissimæ familiæ ruinas.

FUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. Part. *Fundens* I. 1. et II. 2.; *Fusus* I. 1. 2., II. 1. 4. et in fin.; *Fusurus* I. 1.; *Fundendus* I. 2. — Ratione habita etymi, *Forcellino* videbatur esse ab ὕδω, præfixa littera *f* pro Græcorum aspiratione, quod ab ὕω *pluvia perfundo*: recentioribus vero conjungendum videtur cum etymo χυ verbi χέω *fundo*, unde χεύω, χύσις etc. aut cum v. σπένδω; V. *Döderlein. Latein. Synonym. vol.* 6. p. 141. Ceterum fundere est emittere, effundere, χέω (It. *versare, versar fuori, mandar fuori, spargere*; Fr. *verser, répandre, épancher*; Hisp. *echar, verter, vaciar, derramar*; Germ. *giessen, vergiessen, ausgiessen, ausschütten*; Angl. *to pour, spill, fuse, melt*).

I.) Proprie de liquidis usurpatur. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accusativo liquoris. *Lucret.* 5. 810. (*Natura terram*) succum venis cogebat fundere apertis Consimilem lactis. *Cic.* 1. *Divinat.* 23. 46. Mercurium e patera, quam dextra manu teneret, sanguinem visum esse fundere. *Horat.* 1. *Od.* 31. 2. de patera novum Fundens liquorem. *Ovid.* 9. *Met.* 160. Fundere paterâ vina in aras. *Id.* 7. *ibid.* 594. vinum inter cornua. Et poetice *Virg.* 4. *Æn.* 61. pateram vaccæ media inter cornua fundit. *Id.* 5. *ibid.* 78. Fundere vinum humi. *Ovid.* 11. *Met.* 247. vinum super æquora fusum. *Id.* 3. *ibid.* 172. fundere laticem urnis. *Virg.* 3. *Æn.* 348. Et multum lacrimas verba inter singula fundit. *Ovid.* 8. *Met.* 510. fundere lacrimas in nomina. *Id.* 1. *Art. am.* 287. myrrha lacrimas arbore fundit odora. *Horat. Epod.* 7. 4. Parumne fusum est Latini sanguinis? *Curt.* 10. 5. Fundere sanguinem de regno. *h. e.* propter regnum. *Lucan.* 7. 566. fusura cruorem Vulnera. *Ovid.* 15. *Met.* 282. Fundit Anigros aquas. — *b*) Et Mediorum apud Græcos more. *Cic.* 2. *Orat.* 77. 310. Sanguis in corporibus fusus. *Liv.* 6. 32. Imber ingentibus procellis fusus. Adde *eumd.* 6. 8. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 10. 17. (38). Memorandum, in septem lacus eum (*Strymonem*) fundi, priusquam dirigat cursum. — *c*) Poetice (aut translate, ut alii accipiunt) cum Ablativo liquoris et Accusativo rei, qui liquore ipso perfunditur; et est perfundere, madefacere. *Tibull.* 1. 8. 50. et multo tempora funde mero. *Id.* 3. 2. 19. Et pomum annoso spargant collecta (*ossa*) Lyæo: Mox etiam niveo fundere lacte parent. ¶ 2. Speciatim est liquefacere atque adeo conflare, *liquefare, fondere, far di getto.* *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Exolevit fundendi æris pretiosi ratio. Adde *eumd. ibid.* 7. 18. (46). *Id. ibid.* 8. 20. (94). Caldarium æs funditur tantum, malleis fragile. *Id. ibid.* 11. 24. (107). Æris flos fit ære fuso et in alias fornaces translato. *Id. ibid.* 14. 42. (148). Lapis fundendo vitro utilis. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 22. olim quærere amabam, Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (83). Theodorus, qui labyrinthum fecit, Sami ipse se ex ære fudit. *Quintil.* 2. 1. 12. Quæ qui pertinere ad oratorem non putabit, is ne statuam quidem inchoari, quum ejus membra funduntur? h. e. si *fonderanno:* constat enim veteres solitos fuisse, statuarum partes separatim, mox conjungendas, fundere. Adde *eumd.* 7. *procem.* 2.; et *Auct. B. Afr.* 28. *Cassiod.* 7. *Variar.* 15. *de stat. æn.* Conspiciet expressas in ære venas, nisu quosdam musculos tumentes, nervus quasi gradu tensos, et sic hominem fusum in diversas similitudines, ut credas potius esse generatum. ¶ 3. Item speciatim in re medica *fundere* opponitur verbo *comprimere* et significat solvere, laxare, fluentem reducere. *Cels. præfat. a med.* Si compresserit aliquem morbus, vel fuderit. *V.* alia in *fusus* in fine huj. voc.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim usurpatur de solidis, et latissime patet: est enim emittere, jacere, jaculari, spargere, dilatare, extendere, *versare, gettare, spargere, diffondere, allargare, dilatare.* — *a*) Cum Accusativo rei. *Liv.* 2. 5. Desectam cum stramento segetem corbibus fudere in Tiberim. *Cæs.* 7. *B. G.* 24. Picem reliquasque res, quibus ignis excitari potest, fundebant. *Val. Flacc.* 3. 243. Talia magnanimi diverso turbine fundunt Tela viri. *Sil. It.* 7. 646. Ludificatus equo, volucrem post terga sagittam Fundit. *Val. Flacc.* 4. 167. Fulminea frontem dextra disjectaque fudit Lumina. *fracassò e sparse.* *Id.* 3. 498. ipse citis Gradivus habenis Fundit equos. *h. e.* incitat, immittit. *Lucret.* 2. 113. quum solis lumina quumque Inserim fundunt radios per opaca domorum. Sic *Seneca Med.* 793. Fundere lucem per auras. Similiter *Val. Flacc.* 5. 213. fulgor fusus ab auro. *Ovid.* 2. *Met.* 626. Fundere odores. Cf. *Val. Flacc.* 7. 610. fusus clangor. et *Horat. Art. P.* 352. quas (*maculas*) incuria fudit. *Seneca Œdip.* 151. Silva sua decurata coma Fundit opacis montibus umbras. *Id. ibid.* 440. Fundere comam. Sic *Virg.* 10. *Æn.* 137. Fusi crines. et *Ovid.* 2. *Fast.* 739. fusæ per colla coronæ. *Val. Flacc.* 4. 679. fundere vela. *Id.* 6. 391. habenas. Huc pertinet et illud *Stat.* 1. *Achill.* 368. quantum cervice comisque Emineat, quantumque humeros et pectora fundat. *h. e.* extendat, porrigat. — *b*) Cum Accusativo *se*, *fundere se* est se proripere, erumpere, quum sermo est de animantibus. *Val. Flacc.* 1. 610. fundunt se carcere læti Thraces equi. *Id.* 2. 662. Cunctaque se ratibus fundat manus. — Quum sermo est de inanimis, *fundere se* est spargi, dilatari, extendi. *Virg.* 3. *Æn.* 151. qua se Plena per insertas fundebat Luna fenestras. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 25. (81). Littera fundens se in charta. — *c*) Passive, sed Mediorum apud Græcos more, *fundi* dicuntur raro admodum homines, frequenter inanima, quæ dilatantur, extenduntur, sparguntur. *Cic. Sext.* 42. 91. Ut quodam tempore homines, nondum neque naturali, neque civili jure descripto, fusi per agros ac dispersi vagarentur —, dissipatos unum in locum congregarunt. *Id. Senect.* 15. 52. Quam (*vitem*), serpentem multiplici lapsu et erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne in omnes partes nimia fundatur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 13. 31. (129). Rapa in latitudinem funditur. Similiter *Id.* 12. *ibid.* 17. 39. (78). Fusa cupressus. *Id.* 8. *ibid.* 54. 80. (216). Fusa late cauda. *Virg.* 10. *Æn.* 838. fusus propexam in pectore barbam. *h. e.* barbam habens fusam in pectus. *Val. Flacc.* 8. 93. fusis circum projecta lacertis. *colle braccia aperte.* — Quum sermo est de hominibus, *fundi* est abjicere se, *coricarsi, porsi a giacere, sdrajarsi.* *Val. Flacc.* 1. 252. molli juvenes funduntur in alga. Similiter *Virg.* 1. *Æn.* 218. Fusi per herbam. *Id.* 6. *ibid.* 423. Fusus humi. *Stat.* 1. *Theb.* 407. Fusus humo gelida. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 8. Fusa membra toro. *Id.* 12. *Met.* 319. Fusus in Ossæm villosis pellibus ursæ. ¶ 2. Speciatim, ratione habita termini a quo, ponitur pro gignere, edere, parere, *produrre, partorire*; et copiam fere significat. — *a*) De inanimis, h. e. de agris, arboribus, etc. *Lucret.* 1. 352. Crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 62. 156. Terra feta frugibus et vario leguminum genere, quæ cum maxima largitate fundit, ea ferarumne an hominum causa gignere videtur? *Id.* 5. *Tusc.* 13. 37. Semen aut flores, aut fruges fundit, aut baccas. Adde *eumd. Senect.* 15. 51. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (192). Quo maturius vites putantur, eo plus materiæ fundunt. *Id.* 18. *ibid.* 10. 21. (95). Cum centesimo Leontini campi fundunt. *Virg.* 2. *G.* 460. Fundit humo facilem victum justissima tellus. — *b*) De animalibus. *Lucret.* 5. 820. genus ipsa (*terra*) creavit Humanum atque animans prope certo tempore fudit Omne. Sic *Virg.* 1. *G.* 13. Fudit equum magno tellus percussa tridenti. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 129. Pisces ova quum genuerunt, relinquunt; facile enim illa aqua et sustinentur et fetum fundunt. *Id. Pis. init.* Quæ te belluam ex utero, non hominem fudit. *Virg.* 8. *Æn.* 138. quem (*Mercurium*) candida Maja Cyllenæ gelido conceptum vertice fudit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 46. (108). Africa asinorum silvestrium multitudinem fundit. ¶ 3. Item speciatim, ratione habita termini ad quem, fundere ponitur pro sternere, *prostrare, atterrare.* *Liv.* 9. 43. *a med.* Victi hostes et de jugis, quæ ceperant, funduntur. *h. e.* dejiciuntur, depelluntur, ad vallem sternuntur. *Virg.* 1. *Æn.* 196. Nec prius absistit, quam septem ingentia victor Cor-

pura (*cervorum*) fundat humi. *h. e.* sternat. *Ovid.* 13. *Met.* 85. hunc successu cædis ovantem Comminos ingenti resupinum pondere fudi. Sic *Sil. It.* 4. 533. Alter in alterius fuderunt comminus ore. Adde *eumd.* 1. 113. *Val. Flacc.* 1. 146. Fundere aliquem arcu. *Sil. It.* 4. 233. multo vix fusum vulnere Bremum. *h. e.* prostratum, afflictum. *Id.* 7. 31. fusus vulnere equi. ¶ 4. Hinc in re militari *fundere hostem* est sternere, *atterrare, abbattere*; vel, ut *Forcellino* placet, dissipare, dispergere, *sbaragliare.* — *a*) Hoc sensu sæpe cum v. *fugare* jungitur. *Cic.* 3. *Off.* 31. 112. Latini ad Veserim fusi et fugati. *Liv.* 2. 6. Vejentes fusi fugatique. *Id.* 28. 28. Quatuor exercitus Carthaginiensium fudi, fugavi, Hispania expuli. *Sall. Jug.* 58. Sin Numidæ propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere, et eos maxima vi cædere, fundere atque fugare. *Id. ibid.* 21. Semisomnos partim, alios arma sumentes fugant funduntque. *Vellej.* 2. 46. Ut Parthos felici rerum eventu fugaret ac funderet. — *b*) Cum aliis additis. *Cic.* 14. *Phil.* 10. 27. Hostes nefarios prostravit, fudit, occidit. *Id. ibid.* 1. 1. Hostium exercitum cæsum fusumque cognovi. *Liv.* 35. 1. Ludos Jovi, si vi fudisset cecidissetque hostes, proprætor vovit. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Eas omnes copias a se uno prælio fusas ac superatas esse. *Id.* 2. *B. C.* 22. Massilienses bis prælio navali superati, crebris eruptionibus fusi, gravi etiam pestilentia conflictati. — *c*) Sine addito. *Cic. Mur.* 9. 20. Signa contulit, manum conseruit, magnas copias hostium fudit. *Id.* 2. *de republ.* 20. Sabinos equitatu fudit, belloque devicit. ¶ 5. Metaphorâ sumptâ a superioribus paragr. I. 1. et II. 1., generatim fundere usurpatur etiam de abstractis pro emittere, extendere, dilatare. *Lucret.* 3. 1046. animam moribundo corpore fudit. *Id. ibid.* 700. anima cum fusa. *Virg.* 2. *Æn.* 532. Concidit ac multo vitam cum sanguine fudit. *Varro* 5. *L. L.* 106. *Müll.* Circuli appellantur, quod mixta farina et caseo et aqua circuitum æquabiliter fundebant. *h. e.* trahebant, ducebant, extendebant. *Curt.* 4. 3. 3. Navis igne concepto latius fundere incendium cœpit. Adde *eumd.* 5. 7. 5. et 8. 10. 8. *Quintil.* 11. 2. 14. Quem secutus Cicero hanc famam latius fudit. *Id.* 10. 5. 11. Fundere quæ natura contracta sunt, augere parva. *h. e.* dilatare dicendo, amplificare. — *Fundere se* eodem sensu occurrit. *Cic. Orat.* 36. 125. Quum vero causa ea inciderit, in qua vis eloquentiæ possit exprimi; tum se latius fundet orator, tum reget et flectet animos. *Quintil.* 11. 3. 84. Ipsa quodammodo se cum gestu fundit oratio. *Id.* 12. 2. 23. Neque se tanta in eo (*Tullio*) fudisset ubertas. — Similiter et passive *fundi* Medorum apud Græcos more. *Cic.* 3. *Fin.* 15. 48. Quamquam negant, nec virtutes nec vitia crescere: et tamen utrumque eorum fundi quodammodo et quasi dilatari putant. *Id.* 5. *ibid.* 30. 92. Semper ex eo, quod maximas partes continet latissimeque funditur, tota res appellatur. *Id. Orat.* 62. 210. Sæpe etiam in amplificanda re concessu omnium funditur numerose et volubiliter oratio. *Id.* 2. *Orat.* 54. 218. Genus facetiarum æquabiliter in omni sermone fusum. *Virg.* 7. *Æn.* 421. Turne, tot incassum fusos patiere labores? *sparsi, gettati indarno.* ¶ 6. Speciatim refertur ad loquendum, et est offerre, proferre. *Cic.* 2. *Nat. D.* 59. 149. Per quam (*arteriam*) vox principium a mente ducens percipitur et funditur. *Id.* 2. *Tusc.* 21. 56. Latera, fauces, linguam intendere, e quibus eici vocem et fundi videmus. *Id.* 5. *ibid.* 26. 73. Inanes sonos fundere. Adde *eumd.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 23. 74. *Id.* 4. *Fin.* 4. 10. Aliud est poetarum more verba fundere, aliud ea, quæ dicas, ratione et arte distinguere. *Id.* 1. *Tusc.* 26. 61. Grave plenumque carmen fundere. *Id. ibid.* 44. 107. bonos septenarios ad tibiam. *Id.* 3. *Orat.* 50. 194. versus ex tempore. *Id.* 1. *Nat. D.* 26. 66. oracula physicorum. *Virg.* 6. *Æn.* 55. funditque preces rex pectore ab imo. *Id.* 5. *ibid.* 842. funditque has ore loquelas. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 33. mera mendacia. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 146. opprobria rustica. *Ovid.* 13. *Met.* 306. convicia in aliquem. *Val. Flacc.* 3. 697. iras inanes. *sfogarsi in maledizioni. Plaut. fragm.* apud *Non.* p. 313. 2. *Merc.* Næ ille ecastor funeratu fundit. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 120. Vehemens et liquidus puroque simillimus amni Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Fusus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Fusior* I. et 2. Translate ¶ 1. Est solutus, fluens, diffusus, dilatatus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 101. Aer tum fusus et extenuatus sublime fertur, tum concretus in nubes cogitur. *Cels.* 1. 3. *a med.* Melior est in juvene fusior alvus, in sene adstrictior. *Sueton. Aug.* 73. Togis usus est neque restrictis, neque fusis. *Liv.* 38. 21. Gallorum fusa et candida corpora. *h. e.* minime rugosa, sed extensa et lævia. *Virg.* 6. *Æn.* 440. partem fusi monstrantur in omnem Lugentes campi. *Lucan.* 4. 670. non fusior ulli Terra fuit domino. *h. e.* non latius regnum. ¶ 2. Hinc metaphorâ sumptâ *Cic.* 2. *Orat.* 38. 159. Genus sermonis non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum, minutum. *scorrente, andante. Id. ibid.* 15. 64. Genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam æquabili profluens. *Id.* 1. *Off.* 28. 98. Ut illud, quod ad omnem honestatem pertinet, decorum, quam late fusum sit, appareat. *Quintil.* 2. 13. 5. Constricta in latius fusa narratio. *Id.* 2. 4. 7. Materia abundantior, atque ultra quam oporteat fusa. *Id.* 11. 1. 5. Quamquam sit fusus locus, tracteturque a philosophis latius. *h. e.* abundans rerum et copiosus. Sic *Gell.* 2. 26. Lingua Græca prolixior fusiorque, quam nostra. *Quintil.* 9. 4. 128. Demonstrativum genus fusiores habet liberioresque numeros. *Id.* 11. 3. *post init.* Fusa vox. *Id.* 11. 3. 64. Vox in egressionibus fusa et securæ claritatis. *distesa*: cui opponitur contracta, *trattenuta.* — Similiter de oratoribus. *Quintil.* 9. 4. 138. In locis ac descriptionibus fusi ac fluentes, in epilogis plerumque dejecti et infracti. *distesi. Id.* 10. 1. 33. Dulcis et candidus et fusus Herodotus. *h. e.* copiose et bene fluens. *Id. ibid.* § 77. Plenior Demosthene Æschines et magis fusus. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

FUNDULÆ in oppidis dicuntur, ubi exitus non habetur, et pervium non est iter: a *fundo. Varro* 5. *L. L.* 145. *Müll.*

FUNDULUS, i, m. 2. *deminut. a* fundus, parvus fundus: sed occurrit speciatim tantum; et ¶ 1. Est intestinum cæcum fartum. *Varro* 5. *L. L.* 111. *Müll.* Fundulum (*dicunt*) a fundo, quod non ut reliquæ partes, sed ex una parte sola apertum. Ab hoc Græcos puto τυφλὸν ἔντερον appellasse. Loquitur *Varro* de variis lusiciorum et farciminum generibus. Fortasse ex hoc *fundulo* factum est nostrum vulgo *bondola.* ¶ 2. A *Vitruv.* 10. 13. *funduli ambulatiles* vocantur in machinis hydraulicis emboli, qui per modioli cavitatem sursum deorsum moventur, similes illis ligneis lancibus, quas Itali dicunt *taglieri. Bald.* in *Lex. Vitruv.* — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

FUNDUS, i, m. 2. Quidam proprio sensu ponunt *fundum, i, n.*, sed nullo confirmant Latino exemplo. Masculinum certe est apud *Paul. Dig.* loc. infra cit.; cui adde *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 758. — Fundus, quod deducunt a πυθμήν *fundus in modio*, est ima cujusque rei pars, ut vasis, fluminis, vallis etc. πυθμὴν, βυθὸς (*It. fondo*; Fr. *le fond, la base*; Hisp. *hondo, suelo*; Germ. *der Grund, Boden*; Angl. *the bottom of any thing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Cluent.* 64. 179. Armarii fundum exsecuit, et auri quinque pondo abstulit. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (60). Cotonea obrui terra in ollis fundo effracto. *Paul. Dig.* 41. 1. 26. Si quid additum esset, toti cedere, ut statuæ pes, scypho fundus, aut ansa. *Virg.* 3. *Æn.* 577. *de Ætna.* fundoque exæstuat imo. *Id.* 2. *ibid.* 419. imo Nereus ciet æquora fundo. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 16. 20. (122). Amnis fundo carens. — Huc pertinet et proverb. allatum a *Cic.* 2. *Off.* 15. 55. Meminisse debemus id, quod a nostris hominibus sæpissime usurpatum jam in proverbii consuetudinem venit, largitionem fundum non habere. *h. e.* finem et modum, quum numquam homines expleantur. — Figurate ac poetice pars pro toto, *fundus* pro vase, *Martial.* 8. 6. Hi duo longævo censentur Nestore fundi. *h. e.* hæc duo pocula. ¶ 2. Speciatim et sæpissime est ager cum villa, prædium, rus, χωρίον, ἀγρός, *podere, possessione, fondo. Florentin. Dig.* 50. 16. 211. Fundi appellatione omne ædificium et omnis ager continetur: sed in usu urbana ædificia, ædes; rustica, villæ dicuntur: locus sine ædificio in urbe, area; rure autem ager appellatur: idemque ager cum ædificio, fundus dicitur. *Varro* 5. *L. L.* 37. *Müll.* ex eo dictum docet, quod sit pecudum ac pecuniæ fundamentum, aut quod fundat quotquot annis multa. *Paul. Diac.* p. 89. 1. *Müll.* dici ait, quod ager planus sit ad similitudinem fundi vasorum. *Plaut. Truc.* 1. 2. 83. Euge, funde et ædes! per tempus subvenisti mihi. *Id. Epid.* 2. 2. 42. Fundis exornatæ multæ incedunt per vias. *h. e.* pretium fundi in mundo muliebri habentes. *Ter. Heaut.* 1. 1. 16. In fundo fodere, arare. *Id. Eun.* 1. 1. 34. Nostri fundi calamitas. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 249. Cui nostrum non licet fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa, vel delectationis invisere? *Crassus* apud *Cic.* 2. *ibid.* 55. 224. Testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse. Adde *Cic. Cæcin.* 36. 104., 5. *Verr.* 50. 119., 13. *Fam.* 69., 14. *ibid.* 7. et alibi sæpe; *Quintil.* 4. 2. 131. et 8. 3. 8.; et alios sæpe. — Obscœno sensu *Plaut. Asin.* 5. 2. 24. *de marito meretrices sectante.* Fundum alienum arare, incultum familiarem deserere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 10. *Æn.* 88. fluxas Phrygias res vertere fundo. *h. e.* funditus evertere. — Apud *Gell.* 17. 8. *fundus cœnæ* dicitur ferculum, quod in cœna est potissimum, et quo tota fere cœna constat. ¶ 2. Speciatim *fundus esse* aut *fieri* dicitur, qui rei cujuspiam auctor est et approbator, quasique solum ac fundamentum totius negotii: sive ducas a fundo vasis, quo liquor continetur, eoque dempto, effluit; sive a prædio, quo res familiaris nititur, *autore, mallevadore.* — *a*) In jure. *Paul. Diac.* p. 89. 1. *Müll.* Fundus dicitur populus esse rei, quam alienat, hoc est auctor. *Cic. Balb.* 8. 19. Negat ex fœderato populo quemquam potuisse, nisi is populus fundus factus esset, in hanc civitatem venire. *h. e.* nisi populus ejus rei auctor factus esset, et jus illud civitatis admisisset approbassetque. Ita *Balbi* accusator *fundum fieri* intelligebat. At *Cicero*, ut causæ suæ inserviat, paullo aliter *ibid.* rem interpretatur. V. *Mazoch.* in *Tab. Heracleens.* p. 468. *Gell.* 16. 13. Municipes sunt cives Romani ex municipiis — nulla populi Romani lege adstricti, nisi in quam populus eorum fundus factus est. *Id. ibid.* Quid enim potuit dici imperitius, quam fœderatus populos fieri fundos oportere? — *b*) Extra jus. *Plaut. Trin.* 5. 1. 6. Nunc mihi is propere conveniendus est, ut quæ cum ejus filio egi, ei rei fundus pater sit potior. *Gell.* 19. 8. *ad fin.* Hæc ego dixi, non ut hujus sententiæ legisque fundus subscriptorque fierem, sed ut ne Cæsaris viri docti opinionem ἀπαραμύθητον destituerem.

Homonym. Præter ea, quæ ex loquendi usu docuit *Florentin. Dig. loc. cit.* sub I. 2., hæc quoque animadvertenda putamus. *Fundo*, quamquam et *villa* contineatur, præcipue tamen agri significantur qui ad fructus colligendos coluntur; *villa* vero præcipue significatur domus extra urbem, in agro vel fundo, agri colendi et fructuum colligendorum, aut etiam habitationis causa constituta; *prædium* denique est possessio, quæ immobilia bona complectitur: vocabulum *fundus* ad œconomiam; *villa* ad architecturam; *prædium* ad jus pertinet, est enim a *præs, prædis* et hoc a *præstando*, ut *prædia* proprie sint bona, quibus quispiam alteri se obligare et pro re aliqua eidem cavere potest, pignori ea opponendo: hinc *fundus* fere de possessione rustica dicitur; *prædium* etiam de urbana. *Cato R. R.* 3. Ita ædifices, ne villa fundum quærat, neve fundus villam. Cf. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 51. Inopem et laris et fundi. *Cic. Cæcin.* 4. 11. Fulcinius huic fundo uxoris continentia quædam prædia atque adjuncta mercatur. — Porro, ut patet etiam ex allatis, *fundus, villa* et *prædium*, haud aliter ac *portio*, possessionis significationem præseferunt semperque ratione habita possessoris usurpantur; contra *ager* et similia, haud aliter ac *pars*, absolute adhibetur, nulla ratione habita possessoris. Denique *villa* est *prædiorum* pars. *Cic.* 4. *ad Q. fr.* 2. Fundum habet in agro Tigurino Tullius paternum. *Id.* 3. *leg. Agr.* 2. 8. Ut melior fundus Hirpinus sit, seu ager Hirpinus. *Id.* 3. *Orat.* 33. 133. De fundo emendo, de agro colendo. *Id.* 10. *Fam.* 33. Frumenta aut in agris, aut in villis sunt. *Nepos Att.* 14. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam aut maritimam villam sumptuosam, neque in Italia, præter Ardeatinum et Nomentanum, rusticum prædium. *Cic. Rosc. com.* 12. 33. Accepit agrum temporibus iis, quum jacerent pretia prædiorum; qui ager neque villam habuit, neque ex ulla parte fuit cultus. — Nunc est cultissimus cum optima villa.

FŪNĔBRĬA, ium. *V.* voc. seq. I. in fin.

FŪNĔBRIS, e, adject. ad funus pertinens, ἐπιτάφιος (It. *funebre*; Fr. *funèbre, de funérailles*; Hisp. *funeral*; Germ. *d. Leiche betreffend, zum Leichenbegängniss gehörend*; Angl. *of or pertaining to a funeral, mournful*).

I.) Propria. *Cic. Vatin.* 12. 30. Epulum funebre. *Id.* 2. *Legg.* 23. 59. Funebre vestimentum. *Id.* 2. *Orat.* 81. 341. Funebris contio. *Quintil.* 3. 7. 2. laudatio. *Id.* 8. 2. 8. carmen. *Tac.* 3. *Hist.* 67. pompa. *Cæs.* 6. *B. G.* 18. *extr.* Justa funebria. *Horat. Epod.* 5. 18. Funebres cupressi. *Petron. Satyr.* 114. Funebris lectus. *Paul. Diac. p.* 93. 1. *Müll.* Funebres tibiæ dicuntur, cum quibus in funere canitur: quas flamini audire, putabatur illicitum. — Hinc etiam *funebria, ium*, n. plur. absolute, substantivorum more, sunt ipsa justa funebria, seu funeris apparatus apud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (177). Comparare funebria. *l'apparato del funerale.*

II.) Impropria est funestus, letalis, exitialis, *funesto. Horat.* 1. *Ep.* 19. 49. Funebre bellum. *Ovid.* 4. *Trist.* 4. 85. Funebria sacra. *h. e.* in quibus victima humana faciebant. *Id.* 1. *Amor.* 12. 7. difficiles, funebria ligna, tabellæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 84. (209). Vulva funebris est, quoties versa spiritum inclusit. *h. e. mortifera*, letalis. *Id.* 26. *ibid.* 1. 5. (8). Elephantiasis, funebre populis malum. — Hinc

Funebria, ium, n. plur. 3. *V.* supra sub 1. in fin.

Homonym. *V.* in fin. v. FUNESTUS.

FŪNĔRA, æ, f. 1. *Servius* ad illud *Virg.* 9. *Æn.* 486. *nec te tua funera mater Produxi*: Apud majores funeras dicebant eas, ad quas funus pertinent, ut sororem, matrem: nam præficæ sunt planctus principes, non doloris. *Funeras* autem dicebant, quasi *funereas*. Hæc *Servius*. Huc trahunt alii illud *Ennii* apud *Cic. Senect.* 20. 73. Nemo me lacrimis decoret, neque funera fletum Faxit. Ita enim leg. *Scalig.* et alii. Quæ si vera est lectio, aptius hoc loco præficam intelligeres: quam tamen *Servius* distinguit a *funera*. Verum hæc omnia incerta sunt, aut obsoleta, et apud *Virg.* cum *Heynio* satius est legere *funere* pro *funera*.

FŪNĔRĀRĬUS, a, um, adject. ad funerationem pertinens, ut *actio funeraria*, quæ de funeris impensis instituitur, apud *Ulp. Dig.* 11. 7. 14. 16. *et* 20. et *Paul. ibid.* 21. etc. Similiter *privilegium funerarium* in *Dig.* 11. 7. 46. Ei, cui vestimenta legantur, si in funus erogata sint, utilem actionem in heredem dandam placuit et privilegium funerarium. — Hinc

Funerarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui funus administrat. *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. *circa med.* Facient pollinctores, aut funerarios, vel quibus sepulcrorum cura mandetur.

Homonym. *V.* in fin. v. FUNESTUS.

FŪNĔRĀTĪCĬUS *vel* funeratitius, a, um, adject. idem ac funerarius, ut Funeraticia actio, *Pompon. Dig.* 11. 7. 30., ut quidem edidit *Torrentin.*, nam *Haloander* habet *funeraria*, ut est in aliis legibus multis ejusdem tituli. — Hinc

Funeraticium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est pecunia, quæ pro funere impenditur. Hinc in sodaliciis, quæ Itali vocant *confraternite*, sodalium quisque parvam pecuniæ summam sodalicio seu collegio quotannis solvit funeraticii nomine, nostrates vulgo dicunt *la luminaria*, pro funeris nempe impensa: etenim collegii sumptibus sodales efferri mos est. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 724. *n.* 443. INFERAT ARCAE CONLEGII NOSTRI PARTEM DIMIDIAM FVNERATICII. Alia apud *Murat.* 525. 3., quæ est apud *Orell.* 4420. QVIDQVID EX CORPORE MENSORVM MACHINARIORVM FVNERATICII NOMINE SEQVETVR RELIQVVM, FINES *rem publicam supra scriptam* REMANERE VOLO. *et mox.* TVNC FISCO STATIONIS ANNONAE DVPLVM FVNERATICIVM DARE DEBERIS. *Imperia Cæs.* apud *Roncall. Chronic. T.* 2. *p.* 243. NERVA CONGIARIVM DEDIT ✕. LXXV., ET FVNERATICIVM PLEBI VRBANAE INSTITVIT ✕. LXII S. Cf. *Inscript.* apud *Henzen.* 6086. Apud *Fabrett.* et *Murat. loc. cit.* legitur *funeratici* pro *funeraticii*, more nempe Latinis usitato, de quo vide in *V.* AUGUSTALICIUS: in *Imperiis* vero *Cæsarum* mendose *funeraticum* legitur pro *funeraticium*, quod nos emendavimus. Ceterum adde *Inscript.* apud *Orell.* 2417. et 4107.; et *aliam* apud *Henzen.* 6087.

FŪNĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. funus, κήδευσις. *Capell.* 6. *p.* 224. Indi funerationes negligunt. Alii perperam leg. *fenerationes*: nam, ut ait *Mela* 3. 7., Indis cæsorum parentum visceribus epulari fas et maxime pium est; et ubi senectus, aut morbus incessit, procul a ceteris abeunt, mortemque in solitudine nihil anxii exspectant. et *Solin.* 52. 19. Indis nullus funerum apparatus.

FŪNĔRĀTOR, ōris, m. 3. qui curam habet funeris, idem ac funerarius. *Gloss. Philox.* Funerator, κηδευτὴς νεκροῦ.

FŪNĔRĀTUS, a, um. *V.* FUNERO.

FŪNĔRĔPUS. *V.* FUNIREPUS.

FŪNĔRĔUS, a, um, adject. idem ac funebris, vel funerarius, *funebre*, scilicet

I.) Proprie est ad funus pertinens. *Virg.* 4. *Æn.* 505. pyram fronde coronat funerea. *Id.* 11. *ibid.* 143. Funereæ faces.

II.) Improprie est funestus, letalis, exitialis, *funesto. Ovid.* 8. *Met.* 511. vosque ipsa sequor, dixit: dextrâque aversa trementi Funereum torrem medios conjecit in ignes. *Id.* 10. *ibid.* 453. ter omen Funereus bubo letali carmine fecit. *Id. Ib.* 225. Sedit in adverso nocturnus culmine bubo, Funereoque graves edidit ore sonos. *Val. Flacc.* 7. 468. galeamque resume, Quam modo funerea tenuit Discordia dextra. *Quintil.* 1. 10. *Declam.* 16. Quando donum tuum funereus et squalidus, quando te terruit?

Homonym. *V.* in fin. v. FUNESTUS.

FŪNĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Deponentis forma *V.* sub I. in fin. — Part. *Funerans* I.; *Funeratus* I. et II. — Funerare est sepelire, justa mortuo persolvere, pompam funebrem ducere, *seppellire, fare il funerale*, κηδεύω.

I.) Proprie. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10. 47. (135). Qui funerari se jussit sestertiis undecim millibus. *Id.* 11. *ibid.* 18. 20. (63). *de apib.* Defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exsequias. *Sueton. Domit.* 17. Per vespillones exportatum nutrix in suburbano funeravit. *Id. Cal.* 15. Pro contione laudatus, est funeratus amplissime. Adde *eumd. Tib.* 51., *Claud.* 45. et *Ner.* 50. *Ulp. Dig.* 11. 7. 14. Nec sit, unde funeretur. *Pindar.* seu *Auct. incert. Epit. Iliad.* 1009. Interea victor defleti corpus amici Funerat Æacides. — Deponentis forma. *Capitolin. Pertin.* 14. Corpus ejus quanto potuit honore funeratus est.

II.) Improprie est mori; sed occurrit tantum Part. præter. pass. *Horat.* 3. *Od.* 8. 7. Voveram album Libero caprum, prope funeratus Arboris ictu. *h. e.* neratus, *ucciso. Petron. Satyr.* 129. Funerata est pars illa corporis, qua quondam Achilles eram. *h. e.* debilis facta, *impotente*.

FŪNĔROR, āris, etc. dep. *V.* voc. præced. I. in fin.

FŪNESTĀLIS, e, adject. funestus. *Augustin. serm.* edente *A. Mai.* in *Nov. Patr. Bibl. T.* 1. *p.* 2. O muneratio deceptrix et præmium funestale!

FŪNESTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FŪNESTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (funus). Part. *Funestatus* 3 — Funestare est ¶ 1. Cæde polluere, funere inquinare, contaminare, *funestare, contaminare*, μιαίνω. *Cic. Fontej.* 10. 21. Qui etiam si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant. *Id. Mil.* 33. 90. Templum sanctitatis, consilii publici, aram sociorum inflammari, exscindi, funestari. *Id. Rabir. perd.* 4. 11. Funestari contionem contagione carnificis veto. *Juvenal.* 8. 17. emptorque veneni Frangenda miseram funestat imagine gentem. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro contaminare generatim. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 3. 12. 3. Qui sese nuptiis incestis funestarit. ¶ 3. Part. *Funestatus* est idem ac morte correptus apud *Salvian.* 3. *advers. Avar.* 15. Mirum est, quod hoc ipsum sinis, ut funestato te tua habeat (*heres*), nisi etiam exportatu atque tumulato.

FŪNESTUS, a, um, adject. (funus). Comp. *Funestior* 1. et 2.; Sup. *Funestissimus* 1. — Funestus ¶ 1. Active est funus seu mortem afferens, letalis, exitialis, perniciosus, ὀλέθριος (It. *mortale, funesto, letale*; Fr. *meurtrier, mortel, funeste*; Hisp. *matador, mortal, funesto*; Germ. *todtbringend, verderbenbereitend, trauererregend, verderblich, tödtlich, mörderisch*; Angl. *deadly, fatal, destructive*). Occurrit — *a*) Aliquando cum Dativo. *Cic.* 1. *Cat.* 9. 24. Aquilam argenteam, quam tibi perniciosam et funestam futuram confido. *Id. Sext.* 12. 27. O diem illum funestum senatui bonisque omnibus, reipublicæ luctuosum! *Id. Flacc.* 41. 103. O nox illa, fausta huic urbi, metuo, ne funesta nobis! *Id. Dom.* 3. 5. Funesta reipublicæ pestis. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. Victoria funesta orbi terrarum. — *b*) Sæpius absolute. *Cic.* 9. *Att.* 5. Majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quam urbis captæ, quod hoc malum ex illo. *Id.* 7. *Verr.* 47. 123. Qui (*Siculi*) ad C. Verris nefandam immanitatem et ad ejus securem funestam servati sunt. *Id.* 3. *Cat.* 9. 2. Qui deorum templis atque delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati. *Id. Dom.* 5. 13. Funesta fax. *Virg.* 7. *Æn.* 322. tæda. *Ovid.* 1. *Fast.* 521. arma. *Id.* 3. *Met.* 49. venenum. *Id.* 11. *ibid.* 373. morsus lupi. *Id.* 2. *ibid.* 88. munus. *Cic. Dom.* 5. 10. latrocinia. *Id. ibid.* 1. 2. Pestifer et funestus tribunatus. *Phædr.* 3. 10. scelus. *Eutrop.* 7. 12. Caligula sceleratissimus ac funestissimus. ¶ 2. Passive est funere pollutus. *Lucret.* 6. 1136. mortifer æstus Finibu' Cecropis funestos reddidit agros. *Ovid.* 6. *Fast.* 493. funestos ut erat lanista capillos. *Id.* 11. *Met.* 584. atque manus funestas arceat aris. *h. e.* utpote sanguine pollutas. *Cic.* 2. *Legg.* 22. 55.; et *Liv.* 2. 47. *ad fin.* Funesta familia. et *Albinovan.* 1. *in fin.* Funesta domus. *h. e.* quæ in luctu est, *in duolo, in lutto*, at quæ nondum justa defuncto persolvit: huic opponebatur *familia pura*, ut habet *Varro* apud *Non. p.* 163. 22. *Merc.* et *Cic. loc. cit.* ¶ 3. Item neutra significatione est tristia continens, atque adeo ominosus, tristis portendens, *tristo, doloroso, di mal augurio. Cic. Quinct.* 31. 95. Funestum est a forti atque honesto viro jugulari; funestius ab eo, cujus vox in præconio quæstu prostitit. *Liv.* 4. 20. Annales velut funesti. *Vellej.* 2. 117. 1. Funestæ epistolæ. *h. e.* eiadem nunciantes. Sic *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 474. funestior advolat alter Nuncius. *Propert.* 2. 16. 5. nocturna volucris funesta querela. *Id. ibid.* 21. 38. Nigraque funestum concinit omen avis. Cf. *Ovid.* 10. *Met.* 215. Ipse suos gemitus foliis inscribit; et ai ai Flos habet inscriptum; funestaque littera ducta est.

Homonym. *Funebris, funereus* et *funerarius* unum idemque significant, h. e. ad funus pertinens: sed *funebris* in prosa oratione; *funereus* in carminibus; *funerarius* in jure usurpatur. *Funestus* duplici præcipue pollet significatione; scil. activa, et est funus seu mortem afferens, letalis, perniciosus; et neutra, et est tristia portendens, ominosus. — Porro *feralis* pro *funesto*, h. e. letali, pernicioso, usu venit tantum apud argentei et sequioris ævi scriptores, et præcipue apud *Tacitum*, qui modo unum vel alterum sine discrimine usurpavit (sic 2. *Ann.* 30. *ferales* dixit *tenebras*, quas 1. *ibid.* 65. *funestas tenebras* dixerat), modo *feralis* pro *funesto* frequentat, ut 4. *Ann.* 64. feralis annus, et 5. *Hist.* 65. ferale bellum. Si quando tamen hæc duo junguntur, in eo differunt, quod *funestus* et *funebris* profanam, *feralis* autem religiosam præ se fert significationem: *V.* Funus et *Feralia* in fin. v. FUNUS. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 18. (40). Picea feralis arbor et funebri indicio ad fores posita. *Pacat. Paneg. Theod.* 46. Alliensi die Emathia funestior, Cannis Collina feralior. — Demum inter *funestum* et *luctuosum* eadem intercedit ratio, quæ inter antecedens et consequens, ut apud *Cic. Sext.* 12. 27. O diem illum funestum senatui, luctuosum reipublicæ.

FŪNĒTUM, i, n. 2. arcus ex vitibus, quum breviores palmites sarmento junguntur inter se funium modo. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (174).

FUNGĬDUS, a, um, adject. idem ac fungosus. *Gloss. Philox.* Fungidus, σομφός. *Gloss. Cyrill.* Σομφὸς, ὁ χαῦνος καὶ παχὺς, fungidus, fungosus.

FUNGĬNUS, a, um, adject. ex fungo, *di fungo. Plaut. Trin.* 4. 2. 9. Fungino genere est; capite se totum tegit.

FUNGOR, fungĕris, functus sum, fungi, dep. 3. Passive *fungi* habet *Sex. Pedius* apud *Paul. Dig.* 9. 2. 33. et 35. 2. 63. Pretia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed communiter fungi. *h. e.* taxari, statui, definiri. Est qui legit *fingi. Inscript.* in *Att. dell'Acad. Rom. Archeol. T.* 2. *p.* 463. EXEQVIAE AVTEM PEDIBVS FVNGENTVR. — Part. *Fungens* 1. *a.* et *b.*; *Functus* 1. *a. b.* et *c.*; *Functurus* et *Fungendus* 1. *b.* — Fungi est exercere, obire, præstare, efficere, ἐκτελεῖν (It. *adempiere, fare, esercitare*; Fr. *remplir une fonction, accom-*

plir, acquitter, administrer, executer, faire; Hisp. complir su funcion, acabar, executar; Germ. verrichten, verwalten, besorgen, erfüllen, abmachen, mit etwas zu thun haben, sich beschäftigen; Angl. to discharge, execute, or perform an office or duty, to execute, do). ¶ 1. Generatim. — a) Cum Ablativo. — De hominibus. *Cic. Amic.* 6. 22. Valetudo opportuna est, ut muneribus fungare corporis. *Id.* 3. *de republ.* 35. Omnes erant iidem tum de plebe, tum senatores, vicissitudinesque habebant, quibus mensibus populari munere fungerentur, quibus senatorio. *Id.* 2. *Off.* 16. 57. Functus est ædilicio maximo munere. *Cæs.* 7. *B. G.* 25. Hunc ex proximis unus jacentem transgressus, eodem illo munere fungebatur. Sic *Cic.* 1. *de republ.* 7., 5. *ibid.* 2., 2. *Off.* 20. 70., *Brut.* 16. 63. et 1. *Legg.* 3. 10.; *Horat.* 1. *Ep.* 9. 5.; *Tac.* 3. *Ann.* 17., et alii fere omnes *frequenter.* Fungi munere. *Cic.* 2. *Off.* 16. 57. magnificentissima ædilitate. *Sueton. Cæs.* 23. et *Galb.* 3. consulatu. *Id. Tib.* 4., *Claud.* 24. et 38. et *Gramm.* 7. præturâ. *Id. Aug.* 36. quæsturâ. *Nepos Themist.* 7. Functi summis honoribus. Sic *Inscript.* apud *Orell.* 3716. OMNIBVS ONERIBVS ET HONORIBVS FVNCTVS. *Sueton. Domit.* 1. magisterio. *Cic. Cœl.* 9. 21. Funguntur officio, defendunt suos. Sic *Id.* 2. *Off.* 13. 43. Qui adipisci veram gloriam volet, justitiæ fungatur officiis. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 109.; *Quintil.* 2. 1. 6.; et *Sueton. Claud.* 29. officio rhetoris. *Sueton. Claud.* 35. Neque convivia inire ausus est, nisi milites vice ministrorum fungerentur. *Quintil.* 3. 2. 4. legationibus. *Sueton. Gramm.* 9. militiâ. *Auct. B. G.* 8. 8. Legio functa stipendio. *Vellej.* 2. 95. 2. Oppugnationibus et acie feliciter functus. *h. e.* qui expugnavit oppida et acie vicit. *Horat. Art. P.* 224. sacris. *Id.* 2. *Od.* 18. 38. Functus laboribus. *h. e.* qui exanclavit. *Justin.* 7. 4. 8. Functus periculis. *h. e.* qui pericula evasit. *Id.* 2. 4. imperio. *h. e.* qui imperata fecit. *Ovid.* 2. *Fast.* 791. Functus erat dapibus: poscunt sua tempora somni. *h. e.* cœnaverat. *Id. Heroid.* 14. 19. Fungi cæde alicujus. *h. e.* interficere. *Justin.* 9. 2. Fungi voto. *h. e.* solvere. *Horat. Art. P.* 304. Fungar vice cotis. *farò da cote. Plin.* 3. *Ep.* 5. Fungar indicis partibus. *farò le parti d'un indice. Tac.* 2. *Hist.* 55. *extr.* Missa legatio, quæ gaudio fungeretur. *facesse l'officio di congratulazione.* — *Functus ævo, vita* est qui vixit. *Horat.* 2. *Od.* 9. 13. Ter ævo functus senex. *che visse tre secoli.* h. e. Nestor. *Cf. Vellej.* 2. 131. 2. Functus longissima statione mortali. *h. e.* qui diu vixit. — *Fungi vita* et *functus vita* de mortuis dicitur. *Papinian. Dig.* 49. 17. 14. Filiusfamilias miles si captus apud hostes vita fungatur. *muoja. Id. ibid.* 48. 5. 11. *ad fin.* Quum audisset absentem virum vita functum esse. *essere morto.* — *Functus morte, functus fato* idem significat. *Ovid.* 11. *Met.* 583. At dea non ultra pro functo morte rogari Sustinet. *Vellej.* 2. 49. 1. Quieta, aut certe non præcipitata morte functi sunt. *Val. Max.* 1. 8. *extern.* 5. Altera jam fato functa parit. Adde *Ovid.* 11. *Met.* 559.; *Quintil.* 3. 7. 10.; et *Sueton. Cal.* 6. *V.* alia sub *b.* et *c.* — *Functus virtute* dicitur ab *Horatio* 4. *Od.* 15. 29. qui virtutis munere functus est, ut *Cic.* 1. *Tusc.* 15. 109. loquitor, *chi ha operato virtuosamente.* Sic *Quintil.* 6. *procem.* 5. Omni virtute, quæ in feminas cadit, functa, insanabilem attulit marito dolorem. — De inanimis et abstractis. *Cic.* 1. *Divinat.* 32. 71. Possunt aliquando oculi non fungi suo munere. *Ovid. Heroid.* 8. 109. Pro somno lacrimis oculi funguntur. *Flor.* 2. 23. Omnibus (*membris*) opere fungentibus, solus venter immunis ageret. *Ovid.* 4. *Fast.* 824. Et novus accenso fungitur igne focus. *h. e.* habet, servat novum ignem; quod est foci munus et officium: ita *Forcellinus*, qui hunc locum translate accepit. *Quintil.* 1. 4. 10. Aliquæ (*vocales*) officio consonantium funguntur. *Id.* 4. 3. 11. Res eadem perorationis vice fungitur. *Id.* 3. 6. 8. Levissima quæque (*quæstio*) primo loco fungitur. — Corpora functa sepulcris. *h. e.* quæ sepulta fuere. *Ovid.* 2. *Fast.* 565. et 10. *Met.* 14. — *b*) Cum Accusativo apud classicos Auctores occurrit tantum Part. *Fungendus*; ceteri finiti Modi hujus verbi apud veteres et argentei vel sequioris ævi scriptores. *Lucilius* apud *Non. p.* 497. 12. *Merc.* Lælius pauperem ait se ingentia munera fungi. *Plaut. Men.* 1. 4. 4. Parasitus octo hominum munus facile fungitur. *nel mangiare fa per otto.* Adde *eumd. Trin. prol.* 1. *Nepos Pa*tam. 1. Militare munus fungens. *Sueton. Aug.* 35. Quo religiosius senatoria munera fungerentur. *Pacuvius* apud *Non. p.* 497. 16. *Merc.* Nonne officium fungar vulgi atque ægre male factum feram? Adde *Titinium* et *Turpilium* apud *eumd. ibid.* Sic *Ter. Heaut.* 1. 1. 14. Fungi officia servorum. *Id. ibid.* 3. 3. 19. officium hominis frugi et temperantis. Adde *eumd. Adelph.* 3. 4. 18. et *Phorm.* 2. 1. 51.; et *Tac.* 4. *Ann.* 38. *Sueton. Aug.* 45. Commendatis, qui suam vicem præsidendo fungerentur. *facessero le sue veci. Tertull. Pall.* 4. Larissæus heros certe jam hystriculus, certe jam virum alicui clanculo functus. *h. e.* Achilles functus viri munere in Deidamia stupranda. *V.* HYSTRICULUS. *Plaut. Most.* 1. 1. 41. Tu tibi istos habeas turtures, pisces, aves: sine me alliato fungi fortunas meas. *h. e.* frui meis fortunis. *Apul.* 6. *Met.* Non obsequium quidem illa functura, sed etc. — *Diem fungi* est supremum diem obire. *Justin.* 19. 1. 1. Mago, quum imperium Pœnorum condidisset, diem fungitur. — Huc pertinent et illa, in quibus *fungi* sumitur pro pati, *Lucret.* 3. 735. Et mala multa animus contage (*al.* contagi, *al.* contagibu') fungitur ejus (*corporis*). *Id.* 5. 359. Inane manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum. — Part. *Fungendus* apud *Cic.* 1. *de republ.* 17. Muneris fungendi gratis. *Auct. B. G.* 8. 12. Quibus ille dies fungendi muneris obvenerat. *Cic.* 1. *Att.* 1. In omni munere candidatorio fungendo. *Liv.* 24. 21. Spes facta militiæ fungendæ potioribus ducibus. *Id.* 1. 41. Per speciem alienæ fungendæ vicis. — *c*) Absolute. *Lucret.* 1. 440. quodcumque erit, aut faciet quid, Aut aliis fungi debebit agentibus ipsum, Aut erit, ut possunt in eo res esse gerique: At facere et fungi sine corpore nulla potest res. *h. e.* pati. Sic *Id.* 3. 168. Præterea pariter fungi eum corpore et una Consentire animum nobis in corpore cernis. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 9. Fundamenta et pro fultura et substractione (*al.* substructione) funguntur. *serviranno e di sostegno* etc. *V.* FULTURA. *Ulp. regular. tit.* 7. Dos, quæ semel functa est, amplius fungi non potest, nisi aliud matrimonium sit. *roba, che servi per dote una volta.* — *Functum monumentum* est in quod cadaver illatum est. *Paul. Dig.* 6. 1. 43. Si alieni lapides sine voluntate domini inædificati fuerint, et, nondum functo monumento, disjecti erunt etc. Alii reponunt *finito*; sed si *functo* retineas, quod legitur in opt. edit. *Torrentini*, Italice verti potest, *non per anco avendo servito di sepolcro.* — *Functus* absolute usurpatur pro vita functo, *defonto. Seneca Thyest.* 749. Ne tegat functos humus. *Auson. epitaph.* 33. Sed neque functorum socius miscebere vulgo. *Albinov.* 1. 393. Adde, quod est absens functus. Adde *Stat.* 2. *Theb.* 15., 4. *ibid.* 483. et 511. et 8. *ibid.* 11. Sic *Id.* 2. *Silv.* 1. 209. Omnia functa (*h. e.* mortua) aut moritura vides. ¶ 2. Speciatim refertur ad pensitationem tributorum, et præstationem eorum, quæ publice imperantur. *Cic.* 5. *Verr.* 86. 199. Huc vobis statuendum est, quid aratorem ipsum, arationis nomine, muneris in republica fungi ac sustinere velitis. Imponitis decumas; patiuntur: alteras etc. *Vellej.* 2. 15. 3. Duplici numero militum equitumque fungi. *Tac.* 14. *Ann.* 21. Quum eo sumptu respublica fungatur. *Ulp. Dig.* 50. 1. 22. *extr.* Qui fenus exercent, omnibus patrimonii intributionibus fungi debent, etsi possessionem non habeant.

FUNGŌSĬTAS, ātis, f. 3. raritas et levitas, qualis in fungis et in spongiis apparet. *Plin.* Tota fungositas derasa. Ita quidam lexicographi, sed nihil ejusmodi in *Plinio* adhuc invenimus.

FUNGŌSUS, a, um, adject. *Comp. Fungosior.* — Fungosus est rarus et levis ad similitudinem fungi, *fungoso, spugnoso*, μυκητώδης. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 6. Fungosa medulla. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (158). Arundo fungosior. *Id.* 16. *ibid.* 6. 8. (25). Fungosam carnem fieri suum esculea glande. *Id.* 23. *ibid.* 1. 21. (49). Fungosa lingua. *Id.* 19. *ibid.* 5. 26. (83). Fungosus raphanus.

FUNGŬLUS, i, m. 2. *deminut.* a fungus, parvus fungus. *Apic.* 3. 20. Spongioli, sive funguli. *Id.* 5. 1. Lenticula ex spongiolis, sive fungulis.

FUNGUS, i, m. 2. μύκης, excrementum terræ, vel arborum, varia forma ac figura: videtur esse a σπόγγος vel σφόγγος *spongia* (It. *fungo*; Fr. *champignon, morille*, Hisp. *seta, seta ó geta, hongo*; Germ. d. *Schwamm, Erdschwamm, Morchel*; Angl. *a mushroom, toadstool, fungus*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 20. pratensibus optima fungis Natura est. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 47. (96). Fungorum lentior natura, et numerosa genera: sed origo non nisi ex pituita arborum. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 137.) hanc exhibet synonymiam: *Fungus* (latiori sensu) *Agarici et Boleti spec. auct.* — Μύκης Græcor.; Theophr. 1. 8. 9.; Dioscor. 4. 83.; Simpl. med. 210. — α. *Fungus albus* Plin. est *Agaricus procerus* Schæf. Fung. t. 22. vel aliqua ex proximis speciebus. — β. *Fungus ruber* Plin.; *Fungus pratensis?* Horat. loc. cit. et Μύκης Theophr. 1. 8. sunt *Agaricus campestris* L. Spec. plant. 1641. vel *Agaricus deliciosus* L. — γ. *Suillus* Plin. et *Porcina* Italor. recentior. sunt *Boletus edulis?* Boll. *Champ. p.* 322. Ceterum V. et synonymiam *boleti* in BOLETUS. — *b*) Speciatim *fungi lignei*, quos nostrates vulgo *brise* et *sbrise*, alii *brizzatini* vocant, sunt qui e vetustis arborum truncis, sub equinæ ungulæ forma, nascuntur, ex quibus in lixivio decoctis, et postea contusis, ellychnia parantur ignis rapacissima. *Cœl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. § 20. Alii ligneos fungus patientibus apponunt locis, quos summitate accensos sinunt concremari, donec cinerescant atque sponte decidant.

II.) Translate. ¶ 1. Fungus dicitur in hominibus tuber, aut excrescens caro præter naturam. *Cels.* 6. 18. *n.* 11. Fungo simile ulcus in eadem sede nasci solet. *Tertull. Spectac.* 23. Tales cicatrices cæstuum et callos pugnorum et aurium fungos accepit. ¶ 2. Dicitur et fungus morbi quoddam genus in arboribus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (223). Olea clavum etiam patitur, sive fungum placet dici, vel patellam. Hæc est solis exustio. ¶ 3. Fungus etiam dicitur exusta papyri pars in lucerna. *Virg.* 1. *G.* 392. Scintillare oleum, et putres concrescere fungos. ¶ 4. Denique *Plaut. Bacch.* 5. 1. 2., 2. 3. 49. et 4. 7. 23. fungum vocat hominem stupidum stolidumque.

FŪNĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* a funis, parvus funis, *cordicella, funicella*, καλώδιον, σχοινίον.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Invent.* 51. 154. Funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat. *Gell.* 5. 3. Caudices ligni plurimos funiculo brevi circumdatos portabat. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (66). Funiculum appellat, quod *Varro* 1. *R. R.* 8. 3. restem e junco. Adde *Quintil.* 1. 6. 6.

II.) Improprie est mensura Ægyptiaca, quam Græci σχοῖνον vocant: *V.* SCHŒNUM. *Hieronym.* in *Joel.* 3. 18. Pro *torrente spinarum* Septuaginta transtulerunt *torrentem funiculorum*, id est σχοινίων: quod aut funiculos significat, aut juxta Ægyptios mensuram certi itineris, Psalmista dicente (*Psalm.* 138. 2.): *Semitam meam et funiculum meum investigasti.* In Nilo enim flumine, sive in rivis ejus, solent naves funibus trahere, certa habentes spatia, quæ appellant funiculos, ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant.

FŪNĬRĔPUS, i, m. 2. funambulus, qui per funes repit. *Apul. Florid.* n. 5. Nam si mimus est, riseris; si funirepus, timueris. *Id. ibid.* n. 18. Tragœdus vociferatur, funirepus periclitatur. *Utrobique alii leg.* funerepus.

FŪNIS, is, m. 3. Reperitur etiam in genere feminino, ut Funis aurea, apud *Lucret.* 2. 1153. Confirmant *Non. p.* 205. 22. *Merc.* et *Gell.* 13. 20. *ad fin.* Cf. *Quintil.* 1. 6. 6. — Funis est restis ex cannabe, aliave materia contorta, σχοῖνος, κάλως (It. *corda, fune*; Fr. *corde, cordage*; Hisp. *cuerda, soga, cordage*; Germ. d. *Seil*, d. *Strick*, d. *Tau*; Angl. *a rop, cord*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 135. Funem exordiri oportet longum pedes LXXII., toros tres habeat: lora in toros singulos novem. *Virg.* 2. *Æn.* 262. Demissum lapsi per funem. *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Funes, qui antennas ad malos destinabant. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 20. Qui jam contento, jam laxo fune laboret. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Ulva et palustri junco funes nectere ad prætexenda piscibus retia. *Ovid.* 3. *Trist.* 9. 13. solvitur aggere funis. (Adde *Juvenal.* 14. 292.). *Id.* 4. *Fast.* 325. funem trahere. *Id.* 8. *Met.* 775. adductaque funibus arbor Corruit. *Martial.* 5. 20. multo fune trahere marmora. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 22. 1. et *Cæs.* 3. *B. G.* 13. et 1. *ibid.* 29. *Quintil.* 2. 14. 13. Patiatur necesse est illam per funes ingredientium tarditatem. — *b*) Speciatim *funem ducere*, et *reducere*, ductum videtur a canibus, seu avibus, quos funiculo innexos trahimus, quumque aufugere aut avolare paullo longius tentant, eodem revocamus. *Horat.* 1.

Ep. 10. 47. Imperat, aut servit collecta pecunia cuique, Tortum digna sequi potius, quam ducere funem. *h. e.* servire potius, quam imperare. *Pers.* 5. 118. Quæ dederam supra, repeto, funemque reduco. *h. e.* habenas servitutis ante tibi laxatas et remissas retraho et inhibeo. Simile est et illud *Ter. Adelph.* 4. 7. 34. Tu inter eas restim ductans saltabis. *guidando la danza, capo di ballo.* — c) Apud *Tertull. Pudic.* 2. funem contentiosum alterno ductu in diversa distendere, h. e. disputare, dissidere, contendere: tractum a puerili genere ludi, funem in diversa trahentium. Adde *eumd.* 4. *advers. Marcion.* 4. — d) *Funem ex arena efficere,* proverbium de re impossibili, significatur a *Colum. præfat. l.* 10. *R. R.* 4. *in fin.* ἐξ ἄμμου σχοινίον πλέκειν.

Homonym. *V.* in fin. v. RESTIS.

FŪNUS, ĕris, n. 3. pompa, quæ fit in exsequiis mortuorum: a *funalibus* sive *funibus* accensis, quia cadavera noctu efferebantur cum facibus, propter sacrorum celebrationem diurnam. *Isid.* 11. *Orig.* 2. Funus dictum a funibus accensis, quos ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant. His similia habet *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 81. κηδεία (It. *funerale, pompa funebre*; Fr. *funérailles, convoi, pompe funebre*; Hisp. *exequias, honras funeraler, entierro*; Germ. d. *Leichenbestattung, d. Leichenzug*; Angl. *a funeral, funeral procession*).

I.) Proprie. — a) In singulari numero. *Cic. Cluent.* 71. 201. Mater exsequias illius funeris prosecuta. *Id. Amic.* 3. 11. Quam civitati carus fuerit, mœrore funeris indicatum est. *Id.* 7. *Verr.* 51. 134. Dico mercedem funeris ac sepulturæ constitui nefas fuisse. *Virg.* 9. *Æn.* 486. nec te tua funere mater Produxi. *Horat. Epod.* 8. 11. funus imagines ducant triumphales tuum. *Id.* 2. *Od.* 18. 18. sub ipsum funus. *Sueton. Cæs.* 85. statim a funere. *Id. Tib.* 57. Prætereunte funere. *Propert.* 2. 10. *a v.* 19. funeris pompam et ritus breviter tangit. — Jungitur multis Verbis, quorum præcipua hæc sunt. *Cic. Dom.* 16. 42. Funus indicere. *Id. Quinct.* 15. 50.; et *Sueton. Aug.* 100. Funus alicui ducere. *Cic. Cluent.* 9. 28. Funus alicui facere. *Liv.* 8. 10. celebrare. *Cic.* 6. *de republ.* 2.; et *Sueton. Aug.* 100. ornare. *Sueton. Tib.* 37. mittere ex foro. *lasciar passare. Cic. Rosc. Am.* 8. 23. Paterno funeri omnia justa solvere. Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 2. 2. (4). Justa funera alicui reddere. *Petron. fragm. Tragur.* 72. *Burmann.* Rogare in funus. *invitare al funerale. Cic.* 15. *Att.* 1. n. 1. Venire in funus. *Id. ibid.* Funeri operam dare. *Ter. Andr.* 1. 1. 88.; et *Varro* 1. *R. R.* 60. 2. Prodire alicui in funus. *Nepos Eumen.* 13. Honesto funere humare. *Cic.* 2. *Orat.* 55. 225.; et *Sueton. Ner.* 9., 30. et 53. Funere efferri. — *Funus censorium* Romæ dicebatur, quo nempe viri bene de republica meriti et clarissimi ex decreto senatus et pecunia publica efferebantur; in coloniis vero et municipiis eodem ipso funere honorabantur viri eximii, atque etiam feminæ illustres e decurionum decreto, ideoque funus tantum publicum in iisdem dicebatur. *Tac.* 4. *Ann.* 15. Lucilio Longo, quanquam novo homini, censorium funus, effigiem apud forum Augusti, pecunia publica patres decrevere. *Id.* 6. *ibid.* 11. Dein Piso publico funere ex decreto senatus celebratus est. *Id. ibid.* 27. Extremo anni mors Ælii Lamiæ funere censorio celebrata. *Id.* 13. *ibid.* 2. Decreti et a senatu duo lictores, flaminium Claudiale, simul Claudio censorium funus, et mox consecratio. *Id.* 4. *Hist.* 47. Funus censorium Flavio Sabino ductum. *Inscript.* in *Giorn. Arcad. T.* 39. *p.* 232. HVNC DECVRIONES FVNERE PVBLICO EFFERENDVM CENSVERVNT. *Alia ibid. p.* 230. HVNC D. F. P. (*h. e.* defunctum funere publico) EFFERENDVM CENS. *Alia* in *Bullett. dell'Instit. archeol. T.* 3. *p.* 141. SEX. VALERIO SEX. F. FAB. RVFO PRAEF. I. D. Q. ET AIVVNIAE P. FIL. PRISCILLAE FVNERE PVBLICO HONORATAE PARENTIBVS OPTIMIS SEX. VALERIVS SEX. F. FAB. PRIMVS. Vid. *Morcell. Apoteos. dell'Imp. Rom. p.* 4.; et v. IMAGINARIUS, ubi de *funere imaginario* agitur. — *Funus regium* apud *Capitolin. Macrin.* 5. Mandavit collegæ, ut Antonium (*Caracallam*) honorabiliter sepeliret, ducto funere regio. — b) In plurali numero. *Cic.* 9. *Phil.* 7. 16. Quum senatus auctoritatem suam in virorum fortium funeribus ornamentisque ostenderit, placere, eum quam amplissime supremo suo die efferri. *Id. ibid.* § 17. Edictum, quod de funeribus habeant. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 43. tria si concurrant foro funera. — Ceterum est fere poeticum. *Nævius* 3. 9. Funera agitant, exsequia itiitant. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 15. 34. et *Senect.* 20. 73. Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletu Faxit. *Cic. poet.* 1. *Tusc.* 49. 117. linquamus amicis Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 74. tristia funera. — c) Joculariter *Plaut. Men.* 3. 2. 27. Fecisti funus, absente me, prandio: cur ausu's facere, cui ego æque ac heres eram? *h. e.* totum prandium in ventrem condidisti.

II.) Translate. ¶ 1. Aliquando dicitur de rogo, qui est funeris pars. *Sueton. Domit.* 15. *sub fin.* Evenit, ut repentina tempestate dejecto funere, semiustum cadaver discerperent canes. ¶ 2. Interdum dicitur de ipso corpore vita functo, aut de ipsis Manibus et umbra mortuorum. *Propert.* 1. 17. 8. Hæccine parva meum funus arena teget? *Virg.* 9. *Æn.* 490. quæ nunc artus avulsaque membra Et lacerum funus tellus habet? *Horat.* 1. *Od.* 28. 19. Mixta senum ac juvenum densentur funera. *Eutrop.* 1. 23. Funus ejus (*Domitiani*) ignobiliter est sepultum. *Aurel. Vict. Cæsar.* 11. Senatus gladiatoris more funus ferri decrevit. — Huc referri potest et *inhumatum funus* apud *Lucan.* 7. 820., quod simile est atque *insepulta sepultura* apud *Cic.* 1. *Phil.* 2. 5. — *Propert.* 4. 11. 5. Quum semel infernas intrarunt funera leges. *h. e.* Manes. ¶ 3. Sæpius apud Poetas de morte, et præcipue de nece, cæde. *Virg.* 5. *Ecl.* 20. Exstinctum Nymphæ crudeli funere Daphnin Flebant. h. e. morte. *Id.* 6. *Æn.* 429. (*Quos*) Abstulit atra dies et funere mersit acerbo. *Horat.* 3. *Od.* 15. 4. Maturo propior desine funeri Inter ludere virgines. *Id.* 1. *Sat.* 4. 126. vicinum funus ut ægros Exanimat mortisque metu sibi parcere cogit. *Id.* 3. *Od.* 14. 49. non paventis funera Galliæ. *Virg.* 2. *Æn.* 538. qui nati coram me cernere letum Fecisti, et patrios fœdasti funere vultus. *h. e.* nece. *Id.* 9. *ibid.* 526. Quas ibi tunc ferro strages, quæ funera Turnus Ediderit. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 602.; et *Horat.* 1. *Od.* 15. 10. ¶ 4. Metaphorà hinc ductà, dicitur de exstinctione et interitu cujusque rei. — a) Abstracte. *Cic. Prov. cons.* 19. 45. Vir summa auctoritate, summa eloquentia dixit graviter, casum illum meum funus esse reipublicæ, sed funus justum et indictum. *Horat.* 1. *Od.* 37. 8. dum Capitolio Regina dementes ruinas, Funus et imperio parabat. *Id. ibid.* 8. 15. sub lacrimosa Trojæ funera. *Lucan.* 4. 231. pro dira pudoris funera! — b) Concreto, uti ajunt, sensu, seu de personis. *Cic. Prov. cons.* 1. 2. Gabinium et Pisonem, duo reipublicæ portenta ac pæne funera.

Homonym. *Funus* est mortuorum ad sepulturam elatio; *exsequiæ* vero et *pompa*, quæcumque funus comitantur; eo tamen discrimine, quod *exsequiarum* nomine homines, *pompæ* autem nomine res et præcipue majorum imagines indicantur. *Cic. Quinct.* 15. 50. Funus, quo amici conveniunt ad exsequias cohonestandas. Adde *eumd. Cluent.* 71. 201. allatum sub I.: et cf. *Fabium Pictor.* apud *Gell.* 10. 15. Flamen Dialis mortuum numquam attingit; funus tamen exsequi non est religio. *Ovid.* 3. *Trist.* 5. 39. Quæ ducis Emathii fuerit clementia, Poros Dariique docent funeris exsequiæ. *Flor.* 3. 20. Spartacus ducum funera imperatoriis celebravit exsequiis. *Cic. Mil.* 13. 33. Tu P. Clodii cruentum cadaver ejecisti domo; — tu spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione etc. *Ovid.* 6. *Fast.* 663. Adde quod Ædilis, pompam qui funeris irent, Artifices solos jusserat esse decem. *h. e.* musicos. *Nepos Att.* 28. Elatus est in lecticula, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. *Tac.* 3. *Ann.* 5. Fuere qui publici funeris pompam requirerent. et *mox.* Circumfusas lecto Claudiorum Juliorumque imagines. — Porro *justa funera* vel *justa* dicebantur, quum defunctis præstabantur quæ lege vel consuetudine debebantur, unde *justa persolvere* etc.; *feralia* erant dies festi Manibus sacrati; *inferiæ* vero sacrificia, quæ iisdem Manibus fiebant.

FŬO. *V.* SUM.

FŪR, fūris, comm. gen. φώρ. — Ratione habita quantitatis, *fur* longa est. *Martial.* 1. 54. Stat contra dicitque tibi tua pagina, fur es. — In Genit. plur. habet *furum,* non *furium. Ter. Eun.* 4. 7. 6. et *Paul. Diac. p.* 92. 12. *Müll.* — Fur est qui aliena clam aufert: a Græca voce ollata, ut est apud *Gell.* 1. 18. *a med.,* nam *Varro* a *furvus* ducebat, quod fures per noctem, quæ furva seu atra est, facilius furentur (It. *ladro, rubatore*; Fr. *voleur, voleuse, celui qui dérobe furtivement*; Hisp. *ladron, robador*; Germ. d. *Dieb*, d. *Diebin*; Angl. *a thief*).

I.) Proprie. — a) Mascul. gen. *Cato R. R. præf.* § 1. Ita in legibus posiverunt, furem duplici condemnari. *Id.* apud *Gell.* 11. 18. Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt, fures publici in auro atque in purpura. *Cic. Mil.* 3. 9. Nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt. *Id.* 9. *Fam.* 21. M. Carbo condemnatus, fur magnus ex Sicilia. *h.* e. repetundarum reus. *Id.* 2. *Orat.* 54. 220. A Philippo interrogatus, quid latraret, furem se videre respondit. *Id. Rosc. Am.* 20. 56. Canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 106. Neu quis fur esset, neu latro, neu quis adulter. *Id.* 1. *ibid.* 8. 3. Furum aviumque maxima formido. *Sueton. Gramm.* 15. Lenæus Sallustium historicum priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem appellavit. — b) Femin. gen. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 67. de *duab. meretricib.* Fures estis ambæ.

II.) Improprie. ¶ 1. Apud Comicos de servis usurpatur per convicium; nam furta specialiter servorum sunt, inquit *Servius* ad illud *Virg.* 3. *Ecl.* 16. Quid domini facient, audent quum talia fures? *Plaut. Aulul.* 2. 4. *in fin.* Tun' trium litterarum homo me vituperas? fur, etiam fur, trifurcifer. Adde *eumd. ibid.* 4. 4. 6. et 4. 10. 38., *Capt.* 5. 4. 21., *Cas.* 3. 6. 1. et *Pseud.* 1. 3. 131. — Illud quoque *Terentii* hac ratione intelligendum videtur, *Eun.* 4. 7. 6. Ubi est centurio Sanga, et manipulus furum? *h.* e. servorum. ¶ 2. *Fur* etiam dicitur fucus, qui inter apes degit. *Varro* 3. *R. R.* 16. 19. Fur, qui vocatur ab aliis fucus, alter est lato ventre.

FŪRĀCĬTAS, ātis, f. 3. proclivitas, seu inclinatio ad furandum, *inclinazione al rubare,* κλεπτοσύνη. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 41. (77). *de monedula.* Cui soli avi furacitas auri argentique præcipue mira est.

FŪRĀCĬTER, adverb. more furum, *da ladro,* κλεπτικῶς. Occurrit tantum Sup. *Furacissime* apud *Cic. Vatin.* 5. 12. Quumque omnium domos, apothecas, naves furacissime scrutarere. *V.* voc. seq.

FŪRANTER, adverb. furando. *Charis.* 2. *p.* 179. *Putsch.* Furax furaciter facere debet, furans furanter.

FŪRĀTOR, ōris, m. 3. qui furatur, *ladro. Tertull. Apolog.* 46. *extr.* Furator veritatis philosophus.

FŪRĀTRĪNA, æ, f. 1. furandi actus, furtum.

I.) Proprie. *Apul.* 6. *Met.* Furatrina facili. et 10. Et pulcherrime mihi furatrinæ procedebat artificium.

II.) Translate. *Apul.* 8. *Met.* Furatrina conjugalis. *h.* e. adulterium.

FŪRĀTRĪNUS, a, um, adject. qui ad furta pertinet. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 18. Hunc (*Mercurium*) etiam internuncium, furatrinumque deum dicunt.

FŪRAX, ācis, adject. Comp. *Furacior* et Sup. *Furacissimus.* — Furax est qui proclivis est ad furandum, *furace, dato al rubare,* κλεπτικός. *Cic.* 2. *Orat.* 61. 248. Ridiculum est illud Neronianum vetus in furace servo, Solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum. *Id. ibid.* 66. 268. Homo avarus et furax. *Id. Pis.* 30. 74. Nam furacissimis manibus detractam e cruentis fascibus lauream abjecisti. *Martial.* 8. 59. Nihil est furacius illo. *Tertull. Pall.* 4. Tam furax a mento volsella. *h. e.* quæ barbam furatur, seu evellit.

FŬRCA, æ, f. 1., quod a *ferendo* deducunt, est instrumentum bicorne, quo stramenta moventur, vel feruntur, δίκρανον (It. *forca, forcella*; Fr. *fourche*; Hisp. *horquilla, horca*; Germ. *zweizackige Gabel*; Angl. *a fork*).

I.) Proprie. *Virg.* 2. *G.* 359. et 1. *ibid.* 264. Exacuunt alii vallos furcasque bicornes. *Liv.* 28. 3. Qui erexerant ad murum scalas, furcis ad id ipsum factis detrudebantur. *Cæs.* 2. *B. C.* 11. Cupæ tæda ac pice refertæ – delapsæ ab lateribus, longuriis furcisque ab opere removentur. — Proverbium est illud *Horat.* 1. *Ep.* 10. 24. Naturam expellas furca, tamen usque recurret. *h. e.* omni studio conatuque. *V.* et FURCILLA.

II.) Figurate. ¶ 1. Furca est instrumentum e duobus lignis compactis, rusticam furcam, seu figu-

ram V referentibus: quo servi (aliquando et ingenui) cervici inserto, et manibus dispessis et ad cornua adalligatis, per urbem ducebantur et flagris cædebantur: idque ob admissa domi furta, aliudve quodve scelus, ut ignominia simul esset et pœna. Est et alia furcæ figura, in modum jugi et Græcæ litteræ Π, duobus scilicet rectis lignis, tertio transverso simul junctis: quæ vel portanda reo in collum imponebatur, brachiis hinc inde in recta ligna distentis; vel terræ infixa ipsum affixum sustinebat, patibulis, quæ et hodie in usu sunt, valde similis. — a) De prima furcæ pœna, servorum propria. *Plaut. Cas.* 2. 6. 37. Tu ut quidem hodie canem et furcam feras. *Id. Pers.* 5. 2. 72. TO. Satis sumpsimus supplicii jam. DO. Fateor: manus vobis do. TO. Et post dabis sub furcis. *Liv.* 1. 26. Quem modo decoratum victoria vidistis, eum sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis? *Id.* 2. 36. Servum quidam paterfamiliæ sub furca cæsum medio egerat Circo. Adde *Val. Max.* 1. 7. 4.; et *Lactant.* 2. 7. *Sueton. Ner.* 49. Nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 851. Et jam retortis brachiis furca eminus, Romanus actus lugerebatur rogo. — Hinc *ire sub furcam* est in servitutem redigi. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 66. Ibis sub furcam prudens, dominoque furenti Committes rem omnem. — b) De altera furcæ pœna. *Callistrat. Dig.* 48. 19. 28. *sub fin.* Famosos latrones in his locis, ubi grassati sunt, furca figendus quampluribus placuit. *Ulp. ibid.* 9. *a med.* Furcæ subjicere. *Paul. ibid.* 38. In furcam tollere. *Ulp. ibid.* 13. 6. In furcam suspendere. *Modestin. ibid.* 49. 16. 3. In furcam damnare. Cf. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 14. (57). Canes vivi in furca sambucea armo fixi. — Ceterum plura de furca *Lips. l.* 3. *de Cruce.* ¶ 2. Generatim *furca* dicitur omne id, quo quid sustentatur, in modum furcæ factum. *Liv.* 1. 35. *ad fin.* Spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. *h. e.* sedilibus in theatro positis. Cf. *Inscript.* apud *Henzen.* 6588. M. SEXTILIVS M. L. EROS GENIVM ET TRAETRVM STRAVIT, FVRCAS STATVIT, CLATHOS IN FENESTRIS POSVIT ET EXPOLIIT MONVMENTVM DE SVA PECVNIA. *Ovid.* 8. *Met.* 699. Illa vetus dominis etiam casa parva duobus, Vertitur in templum: furcas subiere columnæ: Stramina flavescunt etc. *h. e.* cervi lignei transeunt in marmoreas columnas. *Id. ibid.* 647. furcâ levat ille bicorni Sordida terga suis, nigro pendentia tigno. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (31). Tunc piscatores circumdant retia, furcisque sublevant. *Id.* 14. *ibid.* 2. 4. (32). Furcas subdere vitibus. ¶ 3. Item furca dicitur jugum, quo juvenci domantur. *Varro* 1. *R. R.* 20. 2. Novellos quum quis emerit juvencos, si eorum colla in furcas destitutas incluserit ac dederit cibum, diebus paucis erunt mansueti et ad domandum proni. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 10. hujusmodi furcam *jugum* appellat; quem ad locum hæc *Schneider*: Simili jugo utuntur incolæ Camarguæ in provincia Gallica, cui veteranum alterumque dextra, mediumque ferum ex grege juvencum jungunt, collari singulari jugo duobus in locis alligato. Sed ubi junctus est juvencus jugo, veteranus dexter disjungitur, sinisterque veteranus (*le domptaire*) currendo et retinendo, subigit juvencum. Cf. ampla hujus domituræ descriptio in *Mémoires d'Agriculture de la Societé de Paris*, 1787. I. p. 182. et seqq. ¶ 4. *Cancrorum furcæ* apud *Apul. de Mag.* sunt, quas *denticulatos forfices* appellat *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (97). ¶ 5. Furca etiam vocatur pars inferior corporis humani, quia utrumque femur et crus furcam assimilant. *Vet. Scholiast.* ad illud *Horat.* 1. *Sat.* 2. 93. Depygis, nasuta, brevi latere ac pede longo: hæc habet: Deforme est in feminis furcam latere habere minorem. *h. e.* partem inferiorem corporis minorem superiore. *V.* BIFURCUS et LATUS, eris. ¶ 6. *Furculæ Caudinæ* apud *Liv.* 9. 2. dictæ sunt duo juga montium anguste coeuntium inter se, et longe spectantibus furcæ figuram, seu litteræ V referentium. *Liv.* 9. 2. et *ibid.* 3. et 11.; et *Flor.* 1. 16. — *Val. Max.* 5. 1. *extern.* 5. et 7. 2. *extern.* 17. *furcas* appellat.

FURCĬFER, fĕri, m. 2. servus furcam ferens, ut in voce præcedenti II. 1. dictum est.

I.) Proprie est frequens convicium servi, *briccone, birbante, ceffo d'appiccato*. *Plaut. Amph.* 1. 1. 129. Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer, accipiam. *Ter. Eun.* 5. 2. 22. Debeam, credo, isti quidquam furcifero, si id fecero. Adde *Plaut. Amph.* 1. 3. 41., *Asin.* 2. 4. 78. et 3. 3. 87., *Capt.* 3. 4. 31. et 45., *Cas.* 1. 51., *Mil. glor.* 2. 6. 64., *Most.* 1. 1. 66. et 5. 2. 50., *Pseud.* 1. 2. 59. et 3. 127., *Pœn.* 3. 5. 39., et *Rud.* 3. 4. 12. et 4. 3. 57.; *Ter. Andr.* 3. 5. 12. et *Eun.* 4. 7. 28., 5. 2. 23. et 5. 6. 19.; *Cic. Dejot.* 9. 26.; et *Horat.* 2. *Sat.* 7. 22.

II.) Improprie de libero homine improbo. *Cic. Vatin.* 6. 15. Id tu tibi, furcifer, sumes? *forca*. Adde eumd. *Pis.* 7. 14.

FURCĬFĔRA, æ, f. 1. serva furcam ferens. Apud *Petron. Satyr.* 132. in carm. convicium εἰς τὸ αἰδοῖον χρονικόν.

FURCILLA, æ, f. 1. Aliam formam FURCILLES *V.* loco suo. — Furcilla, *deminut. a* furca, est parva furca, *forchetta, forcina*. *Varro* 1. *R. R.* 49. 1. Herba subsecari falcibus debet, et, quoad perarescat, furcillis versari. *Id. ibid.* 8. 6. Ubi nascitur uva, subjiciuntur circiter bipedales e surculis furcillæ, ne vindemia pereat. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 13. Fasciculos fabæ baculis furcillisque contundere. *Cic.* 16. *Att.* 2. 4. Quoniam furcillis extrudimur, Brundisium cogito. *Catull.* 103. 2. in *ment.* Furcillis ejicere aliquem præcipitem.

FURCILLĀTUS, a, um, adject. in furcillæ formam factus, *fatto a forcella*. *Varro* 5. *L. L.* 117. *Müll.* Vallum, quod singula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram litteræ V.

FURCILLES, sive furcilla, quibus homines suspendebant. *Paul. Diac.* p. 88. 17. *Müll.*, ubi *Scalig.* putat, illa verba, *quibus homines suspendebant*, esse inutile additamentum *Pauli*. *Dacerius* credit, vocem addendam, *quibus homines onera suspendebant*; vel *Paulum* loqui de patibulis. Hinc etiam doceri nos, et *furcilles* et *furcillæ* dici, ut *caules* et *caulæ*. Putat enim legendum *furcillæ*, non *furcilla*.

FURCILLO, vel forcillo, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 36. Væ tibi! tu inventus vero, qui meam furcilles fidem. Quasi mihi non sexcenta tanta soli soleant credier? *Pareus* in *Lex. crit.* et *Passerat.* furcillare fidem exponit infirmam judicare, ideoque quasi furcillis stabilire et sustentare. Alii interpretantur fidem in dubium revocare, et quasi furcillis abigere et rejicere. Al. aliter leg.

FURCŌSUS, a, um, adject. furcis plenus, habens furcas, in modum furcæ factus, *forcuto*. *Apul. Herb.* 7. Nascitur leontopodion sæpe cum tritico, thyrsis bipalmis, furcosis.

FURCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* furca, parva furca, furcilla; unde *Priscian.* p. 610. *Putsch.* Furca, furcula, *forchetta, forcella*. — a) Occurrit pro eo omni, quo quid sustentatur, in modum furcæ facto. *Liv.* 38. 7. Suspenso furculis ab hostibus muro. *V.* FULTURA. — b) Speciatim *Furculæ Caudinæ* apud *Liv.* 9. 2. dictæ sunt duo juga montium anguste coeuntium inter se, et longe spectantibus furcæ figuram, seu litteræ V referentium. *Liv.* 9. 2. et *ibid.* 3. et 14., et *Flor.* 1. 16. — *Val. Max.* 5. 1. *extern.* n. 5. et 7. 2. sub *fin.* *furcas* appellat.

FŬRENS, entis. *V.* FURO.

FŬRENTER, adverb. more furiosi, *furiosamente*, μανικῶς. *Cic.* 6. *Att.* 1. 12. Pueri ajunt, eum furenter irasci.

FURFUR, ŭris, m. 3. πίτυρον. *Diomed.* 1. p. 314. *Putsch.* et *Charis.* 1. p. 19., qui *furfures* ajunt semper plurali numero efferri, satis convincuntur exemplis *Plauti* et *Plinii* inferius allatis, quibus addi possat *Gell.* 11. 7. — Ceterum furfur est purgamentum farinæ, utriculi, seu glumæ frumenti, vel hordei pinsendo detritæ: a βορβορος cœnum, vel, ut putat *Döderlein, Latein. Synonym.* vol. 6. p. 162., a *foriæ* vel a *far* facta reduplicatione (It. *semola, crusca*; Fr. *son, la partie la plus grossière du blé moulu*; Hisp. *salvado*; Germ. *d. Kleie*; Angl. *bran, gurgion*).

I.) Proprie. — a) In singulari numero. *Plaut. Capt.* 4. 2. 27. Qui alunt furfure sues. Al. leg. *furfuri*; hanc enim quoque positionem in sexto casu habere dicitur, ut *fusti, vecti, igni* et alia. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 70. (115). Per cribrum effuso furfure. *Id.* 18. *ibid.* 30. 73. (304). Triticum furfure crasso vestitur. — b) In plurali numero. *Varro* 2. *R. R.* 6. 4.; et *Colum.* 12. *R. R.* 44. 3. Furfures hordeacei. *Varro* 2. *R. R.* 5. 17. triticei. *Colum.* 8. *R. R.* 4. 1. a farina modice excreti. *Phædr.* 4. 17. Furfuribus sibi conspersum quod panem darent.

II.) Improprie furfures, Græce πιτυρίασις, est porrigo, vitium capitis, vel faciei, quum excrementa sicca et alba super poros colliguntur, in capillo, barba, superciliis, quæ quasi furfuraceæ squamulæ in pectendo, aut scalpendo, sine ulceratione a cute resolvuntur et decidunt, *forfora, forforaggine*. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 2. (2). Mentagra descendens in colla pectusque ac manus, fœdo cutis furfure. *Id.* 20. *ibid.* 9. 39. (101). Furfures capitis et ulcera manantia. *Id.* 22. *ibid.* 21. 30. (64). Furfures in facie discutere.

FURFŬRĀCEUS, a, um, adject. furfureus. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 10. Furfuracea tinearum terebramina.

FURFŬRĀCŬLUM, i, n. 2. terebra apud *Arnob.* 6. 14., ut legit *Salmas.* in *Solin.*, et sic dictum putat, quod furfures, seu scobem furfuribus similem in ligno perforando faciat. *V.* PERFORACULUM.

FURFŬRĀRĬUS, a, um, adject. ad furfurem pertinens. *Inscript.* apud *Gruter.* 128. 5. TI. CLAVDIVS TI. F. FAB. MESSALINVS HERACLEotes 7. COH. 5. a. (*h. e.* centurio cohortis supra scriptæ, nempe quintæ Vigilum) AEDICULAM VETVSTATE CORRVPTAM ADAMPLIAVIT EX PECVNIA FVRFVRARIA 7. SVAE. *h. e.* centuriæ suæ. Ex his patet, pecuniam furfurariam appellari, quam ex divendito furfure collegerat ea centuria Vigilum: ii enim quoto mense certam frumenti mensuram ab imperatore accipiebant, quæ et demenso appellabatur. Hæc inscriptio pertinet ad an. a Ch. n. CLVI.

FURFŬREUS, a, um, adject. qui est ex furfure, ut Furfureum panem esitare; *pan di crusca*. *Gell.* 11. 7.

FURFŬRĬCŬLÆ, ārum, f. plur. 1. *deminut. a* furfures, minuti furfures. *Marcell. Empir.* 5. *ad fin.*

FURFŬRĬO, ōnis, m. 3. avis quædam, ex eo dicta quod furfuribus pascitur, ut ait *Isid.* 12. *Orig.* 7. 72.

FURFŬRŌSUS, a, um, adject. furfures habens admistos, aut quamdam furfurum similitudinem referens, *semoloso*, πιτυρώδης. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 55. (123). Color in quacumque natione præferuntur rufus, et pinguiter lentus: deterior furfurosus.

FŬRĬA, æ, *et sæpius*

FŬRĬÆ, ārum, f. 1. a verbo *furo*,

I.) Proprie. ¶ 1. Est vocabulum Poetarum proprium pro furore. *Virg.* 1. *Æn.* 45. Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei. *Id.* 4. *ibid.* 474. Ergo ubi concepit furias. *Id.* 12. *ibid.* 944. Ille, oculis postquam sævi monumenta doloris Exuviasque hausit, furiis accensus et ira Terribilis: Tunc etc. — Sic de rabie canum. *Grat. Cyneg.* 391. Scilicet hoc motu stimulisque potentibus acti In furias vertere canes. — De furibundo impetu, ira, furore. *Martial.* 2. 43. quæ passa est furias et cornua tauri. — Præcipue de stimulis amoris. *Virg.* 3. *G.* 242. Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque, Et genus æquoreum, pecudes pictæque volucres In furias ignemque ruunt. *Ovid.* 2. *Art. am.* 487. In furias agitantur equæ. Adde *Propert.* 4. 4. 68. — *Furiæ auri*, h. e. furens insanaque auri cupiditas. *Sil. It.* 2. 500. — *Furiæ honestæ* dicuntur a *Statio* impetus animi servitutem et infamiam abhorrentes. Sic enim habet 4. *Silv.* 6. 83. immeritasque domos ac templa Sagunti Polluit, et populis furias immisit honestas. *scil.* Saguntini maluerunt se ipsos perdere et fidem Romanis servare, quam in Hannibalis potestatem fœde venire. Simile est illud *Virg.* 8. *Æn.* 494. Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis. *h. e.* justa ira. — De inanimis, *scil.* de impetu aquarum. *Claudian. III. Cons. Honor.* 45. tranare sonoras Torrentum furias. ¶ 2. Est etiam nomen proprium; et Furiæ, Εὐμενίδες; vel Ἐρινύες, sunt deæ furoris, Acherontis et Noctis filiæ, quæ tres numerantur, Alecto, Tisiphone, Megæra, uno partu editæ, cerastis crinem implexum habentes, armatamque manum face et flagellis. Poetæ fabulantur, Furiarum numen circa scelerum cognitionem ultionemque, et in animorum male sibi consciorum exagitatione versari. Sapientes interpretantur, Furiarum nomine a poetis nihil aliud significari, quam animum sibi male conscium et scelerum quibusdam quasi stimulis assidue exagitatum. *Cic.* 3. *Nat. D.* 18. 46. Sin hæc (*Hecate*) dea est, cur non Eumenides? quæ si deæ sunt, quarum et Athenis fanum est, et apud nos, ut interpretor, lucus Furinæ; Furiæ deæ sunt speculatrices, credo, et vindices facinorum et scelerum. *Id.* 1. *Legg.* 14. 40. Ut eos agitent insectenturque Furiæ, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ fraudisque

cruciatu. Adde *eumd. Rosc. Am.* 24. 66. et *Pis.* 20. 46.; et *Auct.* apud *Quintil.* 9. 3. 47. — *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 609. causam affert, cur tres sint, quia et in cœlo reperiuntur, ubi Diræ vocantur, et in terris, ubi Furiæ, et apud Inferos, ubi Eumenides. *Lactant.* 6. 19. Tres Furiæ sunt tres affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido: ex quibus ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates. Hinc *Virg.* 3. *Æn.* 331. scelerum Furiis agitatus Orestes. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 135. malis Furiis actus. *Id. ibid.* 8. 45. Obruerim voces Furiarum et facta duarum.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2. ¶ 1. In plur. num. *furiæ* dicuntur vehementissimi ultionis et curarum stimuli. *Cic. Sull.* 27. 76. Itaque eos non ad perficiendum scelus, sed ad luendas reipublicæ pœnas furiæ quædam incitaverunt. *Liv.* 1. 48. Sceleratum vicum vocant, quo amens, agitantibus furiis sororis ac viri, Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur. Cf. *eumd.* 1. 59. et 40. 10. Sic *Id.* 1. 47. His muliebribus instinctus furiis Tarquinius circumire et prensare patres. ¶ 2. In sing. num. *furia*, ut *pestis* et *scelus*, dicitur quicumque furoris impetu vel mala cupiditate actus atque amens aliis perniciem affert. *Cic. Sext.* 14. 33. Producti in Circo Flaminio in contionem ab illa furia ac peste patriæ. *h. e.* a Clodio. Adde *eumd. ibid.* 17. 39. Sic de eodem Clodio *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. Uti ullum ad illam furiam verbum rescriberet. et 1. *Fam.* 9. 15. Primum illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam, quam tres sorores. *Liv.* 21. 10. Hunc juvenem (*Hannibalem*) tamquam furiam facemque hujus belli odi ac detestor. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 3. 141.

FŪRĬĀLE. *V.* voc. seq. sub 1. in fin.

FŪRĬĀLIS, e, adject. ad furentes et insanos pertinens, item ad Furias, μανιώδης (It. *furioso, da Furia*; Fr. *de furie, furieux, forcené*; Hisp. *furioso, enojado*; Germ. *furienartig, rasend, fürchterlich, grauenerregend*; Angl. *of or pertaining to fury, furious*). Occurrit ¶ 1. Neutra significatione, et est furiosus, furibundus. *Cic. Planc.* 35. 86. Furialis illa vox nefariis stupris effeminata. *Horat.* 3. *Od.* 11. 17. Cerberi caput furiale centum muniunt angues. *Ovid.* 6. *Met.* 84. Furialia ausa. *Id. ibid.* 591. arma. *h. e.* Bacchantum. *Id. ibid.* 657. Furialis cædes. *h. e.* a furente facta. *Id.* 3. *Amor.* 12. 39. Mensæ furiales Atrei. *Id. Heroid.* 15. 139. furialis Erichtho. *Liv.* 7. 17. Sacerdotes facibus ardentibus anguibus prælatis, incessu furiali militem Romanum insueta turbaverunt specie. *Id.* 10. 41. Dira exsecratio ac furiale carmen detestandæ familiæ stirpique compositum. *Martial.* 2. 75. Leo furiali dente duo corpora peremit. *h. e.* furibundo. *Sil. It.* 16. 320. Tollitur in cælum furiali turbine clamor. *Flor.* 1. 12. 2. Furialem in modum amicti Fidenates. *Id.* 3. 12. 13. Furialibus in exitium reipublicæ armati facibus. *Frontin.* 2. *Strateg.* 4. 18. Compluribus suorum in habitum sacerdotum subornatis, faces et angues furiali habitu præferentibus. *Flor.* 1. 12. Facibus armatæ et discoloribus serpentum in modum vittis furiali more processerant. — Hinc *Furiale* adverbii ritu pro *furialiter*. *Stat.* 6. *Theb.* 429. aurigæ furiale minatur. *Claudian. B. Get.* 326. leo tacitus per altas Incedit furiale nives. ¶ 2. Activa est qui furorem immittit, qui in furias agit. *Cic.* vertens carmina *Sophocl.* 2. *Tusc.* 8. 20. Furialis vestis. *h. e.* Nessi, qua indutus Hercules in furorem actus est. Sic apud *Val. Flacc.* 6. 670. Aurum furiale. *h. e.* furorem inducens. *et* 7. 254. furialia figit Oscula, permixtumque odiis inspirat amorem. *et* 2. 101. struit ille nefas, Lemnoque merenti Exitium furiale movet. — Hinc

Furiale, adverbii ritu, *V.* supra in fin. § 1.

FŪRĬĀLĬTER, adverb. furiose, *furiosamente*, ἐριννυωδῶς. *Ovid.* 3. *Fast.* 637. Non habet exactum quid agat: furialiter odit, Et parat insidias, et cupit ulta mori. *Porc. Latro* in *Catil.* 37. Adspexissemus bestias istas, emissas carceribus, per urbem omnem, per domos nostras furialiter exsultantes.

FŪRĬĀTĬLIS, e, adject. furiosus, efferus. *Venant.* 3. *de Vita S. Martin.* 306. Furiatile cornu. *h. e.* vaccæ furentis.

FŪRĬĀTUS, a, um. *V.* FURIO.

FŪRĬBUNDĒ, adverb. furiose. *Hieronym. in Isaj.* 5. 14. 5. Israel, qui fuit baculus impiorum, omnes furibunde concutiens, quomodo conquievit, et humiliatus est!

FŪRĬBUNDUS, a, um, adject. qui vehementer furit, *furibondo, infuriato*, μανιώδης. *Lucret.* 6. 367. Ignibus et ventis furibundus fluctuet aer. *Sall. Catil.* 31. Tum ille (*Catilina*) furibundus. *Cic. Sext.* 7. 5. Furibundus homo ac perditus. *Id.* 13. *Phil.* 9. 19. Cæsaris incredibilis ac divina virtus latronis impetus crudeles ac furibundos retardavit. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 17. Quum semel accepit solem furibundus (*Leo*) acutum. *Ovid.* 13. *Met.* 871. ut taurus vacca furibundus adempta Stare nequit. *Stat.* 10. *Theb.* 896. Junonem tacitam furibunda silentia torquent. — *Cic.* 1. *Divinat.* 2. 4. Hariolorum et vatum furibundæ prædictiones. *h. e.* mente alienata divinoque furore correpta factæ.

FŪRĪNĀLIS *vel* Furrinalis, e, adject. ad deam Furinam pertinens: *V.* ONOM. — Hinc

Furinalia, lium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt sacra et feriæ deæ Furinæ. *Paul. Diac.* p. 88. 16. *Müll.* Furinalia, sacra Furinæ, quam deam dicebant. *Varro* 6. *L. L.* 19. *Müll.* Furinalia Furinæ, quod ei deæ feriæ reipublicæ dies is, cujus deæ honos apud antiquos. Nam ei sacra instituta annua, et flamen attributus: nunc vix nomen notum paucis. — *Fogginius* ad *Verrii Flacci fragm.* p. 124. adnotat in Kalendario Maffejano (V. *Orell. Inscript. vol.* 2. *p.* 394. et 411.) et Pinciano et Allifano ad diem VIII. Kal. Aug. *Furrinalia* duplici *r* scriptum fuisse, quo die et *ludi* et *feriæ Furrinæ* celebrabantur.

FŪRĪNUS, a, um, adject. ad furem pertinens, *da ladro*: vox jaculariter efficta a *Plaut. Pseud.* 3. 2. 1. Forum coquinum qui vocant, stulte vocant: nam non coquinum est, verum furinum est forum.

FŪRĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Furiatus.* — Furiare est furore concitare, in furorem agere, *infuriare*, ἐκμαίνω. *Virg.* 2. *Æn.* 407. Non tulit hanc speciem furiata mente Chorœbus. *Horat.* 1. *Od.* 25. 14. libido, Quæ solet matres furiare equorum. *Ovid.* 2. *Fast.* 761. Furiatos ignes concipere. *h. e.* insanum amorem. *Sil. It.* 7. 617. exemplo laudis furiata juventus. *Id.* 13. 209. Concitat intortam furiatis viribus hastam. *Id.* 14. 279. Ductores faciles impelli, lætamque tumultus Vaniloquo plebem furiabat insuper ore. *Id.* 17. 294. ignifero mentes furiabat in iram Hortatu. *Stat.* 11. *Theb.* 487. quum bella cieret Bacchus, et armatas furiarent orgia matres.

FŪRĬO, is, ire, n. 4. idem quod furo, *infuriarsi, impazzire*. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 53. (147). Nec copia tantum argenti furit vita, sed validius pæne mancipiis. *Sillig.* ita legit; alii aliter. Ceterum hunc *Plinii* locum huc attuli ex MSS. cl. viri *Furlanetto*; nihil tamen obstat, quin τὸ *furit* sit a *furere*. *V.* FURO, is, init. *Sidon. carm.* 22. 91. Ipsa autem nato occiso Pentheia mater Amplius ut furiat, numquid vesana futura est? *Ulp. Dig.* 23. 2. 9. Si pater furiat, avus sapiat, sufficit avi voluntas. Ita *Haloand.*, at *Torrentin.* furit, *alii* furat.

FŪRĬŌSĒ, adverb. Comp. *Furiosius.* — Furiose est dementer, insane, *furiosamente*, μανικῶς. *Cic.* 8. *Att.* 5. 1. Etsi solet eum, quum aliquid furiose fecit, pœnitere. *Spartian. Hadrian.* 12. Servo in se cum gladio furiosius irruente.

FŪRĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Furiosior* et Sup. *Furiosissimus.* — Furiosus est furens, furibundus, furore percitus, μανιώδης (It. *furioso*; Fr. *furieux, forcené*; Hisp. *furioso, fuera de sentido, poseido de furor*; Germ. *voll Wuth oder Raserei, wahnsinnig, rasend, unsinnig, verworfen*; Angl. *furious, mad, frantic, outrageous*). Occurrit — a) Sæpissime gradus positivus. *Leg. XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Invent.* 50. 148. SI FVRIOSVS EST, AGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO. *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 11. Quem nos furorem, μελαγχολίαν illi (*Græci*) vocant; quasi vero atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia graviore, vel timore, vel dolore moveatur: quo genere Athamantem, Alcmæonem, Ajacem, Orestem furere dicimus. Qui ita sit affectus, eum dominum esse rerum suarum vetant duodecim tabulæ. Itaque non est scriptum: SI INSANVS, sed SI FVRIOSVS ESCIT. *Id.* 3. *de republ.* 33. Nec convenit, quum furiosorum bona legibus in agnatorum potestate sint etc. *Id. Pis.* 20. 47. Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste aut Athamante dementiorem putem, qui sis ausus etc. *Varro* apud *Non.* p. 35. 13. *Merc.* Nam ut arquatis et lutea quæ non sunt et quæ sunt lutea videntur, sic insanis sani et furiosi esse videntur insani. — Ceterum generatim. *Lucret.* 2. 985. Quod si delira hæc furiosaque cernimus esse. *Id.* 6. 1104. furiosus vultus et acer. *Cic. Brut.* 68. 241. Fervido quodam et petulanti et furioso genere dicendi. *Id.* 1. *Cat.* 10. 25. Quo te jampridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. *Id. Rosc. Am.* 12. 33. Hominem, ut erat furiosus, respondisse. *Id. Sext.* 45. 97. Omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti. *Id. Cluent.* 65. 182. Mulier jam non morbo, sed scelere furiosa. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 27. 88. Dormientium et vinolentorum et furiosorum visa imbecilliora esse, quam vigilantium, siccorum, sanorum. *Id. Dom.* 2. 3. Homo vesanus ac furiosus. *Horat.* 2. *Od.* 16. 5. bello furiosa Thrace. *Id.* 2. *Sat.* 3. 222. ubi prava Stultitia, hic summa est insania; qui sceleratus, Et furiosus erit. *Ovid.* 10. *Met.* 370. furiosa vota. *h. e.* quibus aliquid illicitum, absurdumve insane cupitur. *Id.* 4. *Fast.* 341. Exululant comites, furiosaque tibia flatur. *h. e.* tibia Magnæ Deum Matris furorem inspirans. *Liv.* 36. 34. A furioso incepto deterrere. *Quintil.* 2. 10. 8. Furiosa vociferatio. *Id.* 3. 8. 59. initium. *Id.* 11. 1. 37. dictum. *Id. ibid.* 3. 146. Lævam involvere toga pæne furiosum est. *Flor.* 3. 6. 2. Furiosi latrones. — b) Compar. *Ovid.* 9. *Met.* 736. meus est furiosior illo amor. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 83. quanto hoc furiosius, atque Majus peccatum est? — c) Superl. *Cic.* 4. *Att.* 3. 4. Contiones turbulentæ Metelli, temerariæ Appii, furiosissimæ Publii.

FŪRIPPUS, i, m. 2. magnus fur, si a *fure* derivatur: vel valde furens, si a *furo, is*; Ἵππος enim Græce interdum in composit. intensiva est. *Auson. epigr.* 115. Pars te Furippum vocitat, par vero Furippum: Altera producens, altera corripiens. Elige, utrum malis: aut tende aut corripe nomen: Conveniet quodvis, fur, furiose, tibi.

FURNĀCĀRĬUS. *V.* FORNACARIUS.

FURNĀCĀTOR. *V.* FORNACATOR.

FURNĀCĔUS, a, um, adject. ad furnum spectans, *di forno*, βαναυσικός, ἰπνίτης, ut Furnacei panes, qui in furno coquuntur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 27. (105). Panis varia genera, ut furnacei, a coquendi ratione etc.

FURNĀRĬA, æ, f. 1. furnarii ars et negotiatio, βαναυσική. *Sueton. Vitell.* 2. Mulier vulgaris, Antiochi cujusdam furnariam exercentis filia.

FURNĀRĬUS, ii, m. 2. qui ex furno quæstum facit, *fornajo*, ἰπνοκαύστης, ἰπνοποιός. *Ulp. Dig.* 39. 2. 24. *a med.* Si furni nomine damni infecti fuerit cautum, deinde furnarii culpa damnum datum fuerit. Adde *Inscript.* in *V.* CONCELLITA, ubi pro *furnerio* legend. *furnario*.

FURNĀTUS, a, um, adject. *infornato*, in furno coctus. *Pelagon. Veterin.* 2. 5. Castaneas furnatas, tostas et tonsas in pila cum hordeo præbeto.

FURNUS, i, m. 2. Legitur et *fornus* in *Varron.* apud *Non.* p. 531. 32. *Merc.* — Ratione habita etymi, alii derivant a *furvus*: alii a πύραυνον *foculus*: alii a *formus*, quod a *formus*, calidus: rectius a πύρινον igneus, deinde πύρνος, mox *furnus*: vel a *fornix* et *fornax* unde et *furnacator*, qui et *furnacator* dicitur, unde recte *furnus*. — Ceterum furnus — a) Stricto sensu est locus, in quo panis coquitur, ἰπνός, κλίβανος (It. *forno*; Fr. *four*; Hisp. *horno*; Germ. *d. Ofen, Backofen*; Angl. *an oven, furnace*). *Plaut. Cas.* 2. 5. 1. In furnum calidum condito, atque ibi torreto me pro pane rubido, hera. *Varro* apud *Non.* p. 531. 32. *Merc.* Coculs, qui coquebat panem, primum sub cinerem, postea in furno. *Ovid.* 6. *Fast.* 313.; et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (115). Furnis torrere farra. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (18). Cortices illi decussi clibanis et furnis præbent usum. *Id.* 20. *ibid.* 9. 39. (99). Olla quæ conjiciatur in clibanum, aut furnum. *Id.* 13. *ibid.* 4. 9. (48). Fructus marcescit non retostus furnis. *Id.* 32. *ibid.* 7. 26. (82). In furno arefacere. *Id.* 23. *ibid. proœm.* 5. (9). urere. — b) Latiori sensu est quidquid calefaciendo inservit. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 36. Et quodcumque semel chartis illeverit, omnes Gestiet a furno redeuntes scire lacuque Et pueros et anus. *Id.* 1. *Ep.* 11. 12. nec qui Frigus collegit, furnos et balnea laudat.

FŪRO, ris, rui, rere, n. 3. Prima singularis indi-

cativi præsentis *furo* (pro qua *furio* ponit *Priscian.* 8. *p.* 817. *Putsch.*) raro invenitur, inquit *Diomed.* 1. *p.* 375.; nullum tamen affert exemplum. Raræ sunt etiam *furitis*, et futuri pæne omnes et imperativi. *Furimus* et *furant* habet *Seneca Ep.* 95. Præteritum *furui* habet *Coripp.* 7. *Johann.* 137. Pœnituit furuisse viros. et *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 53. (147). Nec copia tantum argenti furuit vita, sed validius pæne manipretiis. Ita *Harduin.* ex MSS. *Al. leg.* fuerit. *Sedul.* 1. 196. Dacii furuerunt jussa tyranni. *Al. leg.* ferverunt. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 15. Duo Ajaces fuerunt, et ambo furuerunt. Adde eumd. ad 1. *ibid.* 471. — Frequentissimum est Part. *Furens*, quod *V.* in omnibus paragr. et in fin. — Ceterum *furo*, quod ratione habita etymi conjungi potest cum θύω vel cum v. *fervere*, est furore corripior, furiosus sum; item vehementiore aliquo affectu, ut ira, cupiditate, lætitia, timore agitor, efferor, insanio, μελαγχολάω, μαίνομαι (It. *essere furioso, infuriare, impazzire*; Fr. *être fou, insensé, furieux, être hors de soi, transporté de*; Hisp. *ser loco, insensato, furioso, transportado*; Germ. *rasen, schwärmen, toben, wahnsinnig, ausgelassen sein*; Angl. *to be mad, rage, to be transported with any violent passion*).

I.) Proprie de hominibus et raro de feris. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 38. 81. Qui valetudinis vitio furunt et melancholici dicuntur. Sic *Id.* 3. *Tusc.* 5. 11. Quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant, quasi vero atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia graviore, vel timore, vel dolore moveatur: quo genere Athamantem, Alcmæonem, Ajacem, Orestem furere dicimus. *Ulp. Dig.* 23. 2. 9. Si nepos uxorem velit ducere avo furente, omnimodo patris auctoritas erit necessaria. Sed si pater furit, avus sapiat, sufficit avi voluntas. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 41. Primum inquiram, quid sit furere. *Cic.* 6. *Verr.* 18. 39. Usque eo est commotus, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus ac furere videretur. *Id. Brut.* 80. 276. Quod eos, quorum altior oratio actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitraretur. Sic de vaticinante *Ovid. Heroid.* 5. 121. Dixerat: in cursu famulæ rapuere furentem. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 58. Rursus *Cic.* 2. *Orat.* 46. 193. Telamon iratus, furere luctu filii videbatur. *Id. Pis.* 21. 50. Ille, si non acerrime fureret, auderet etc. *Catull.* 64. 254. Qui tum alacres passim lymphata mente furebant. *Horat.* 2. *Od.* 7. 28. recepto Dulce mihi furere est amico. *Virg.* 7. *Æn.* 624. pars arduus altis Pulverulentus equis furit. *h. e.* sævit, fremit, ad arma ruens et prœlia poscens. *V. Furens* in fin. *Val. Flacc.* 1. 144. hic optimus hasta, hic ense furens. *h. e.* acriter dimicans. — Cum addito in quem quis furit, per Accusativum et præpos. *in, contra, adversus*, ut apud *Lucan.* 5. 319. Miles in absentem vultu dextraque furebas. *Curt.* 8. 14. Belluæ in suos acrius furunt. *Virg.* 9. *Æn.* 552. fera Contra tela furit. *Tiberius* apud *Sueton. Tib.* 61. Sejanum se punisse, quod comperisset, furere adversus liberos Germanici filii sui. — Cum addita per Ablativum causa, qua quis furit. *Cic.* 2. *Cat.* 1. 1. Catilina furens audacia, scelus anhelans. *Curt.* 8. 1. 45. Alexander Clitum adhuc eadem linguæ intemperantia furentem percutere conatus. *Ovid.* 12. *Met.* 478. furere dolore. *Val. Flacc.* 5. 427. amore. *Horat. Epod.* 11. 6. Hic tertius december, ex quo destiti Inachia furere. *h. e.* propter amorem Inachiæ. Cf. *Ovid.* 14. *Met.* 451. pactaque furit pro conjuge Turnus. et *Quintil. Declam.* 289. Furere in aliqua. *h. e.* amore alicujus insanire. Absolute eodem sensu *Horat.* 1. *Od.* 17. 22. Compesce mentem: me quoque pectoris Tentavit in dulci juventa Fervor, et in celeres iambos Misit furentem. — *b*) Cum Infinito, quo furoris causa significatur. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. 3. Clodius furebat, a Racilio se contumaciter urbaneque vexatum. *Seneca Med.* 397. Sed furit vinci dominus profundi. *Horat.* 1. *Od.* 15. 27. Ecce furit te reperire atrox Tydides. Sic *Stat.* 11. *Theb.* 356. volat Ogygii fastigia muri Exsuperare furens. — *c*) Cum Accusativo, Græca ratione, apud Poetas. *Virg.* 12. *Æn.* 680. hunc, sine, me furere ante furorem. *Stat.* 9. *Theb.* 5. Præcipuum tunc cædis opus, Gradive, furebas. *h. e.* furens edebas.

II.) Transfertur ad inanima et abstracta, et est fere poeticum. — *a*) De inanimis. *Lucret.* 6. 688. furit ventus. Sic *Virg.* 2. *Æn.* 304. In segetem veluti quum flamma furentibus Austris Incidit. Rursus *Lucret.* 6. 111. Interdum (*nubes*) perscissa furit petulantibus auris. *Virg.* 3. *G.* 150. furit mugitibus æther Concussus. *Id.* 4. *Æn.* 670. Furentes flammæ. Sic *Horat. Epod.* 17. 33. furit flamma in Ætna. et *Lucret.* 2. 594. furit impetus Ætnæ. *Virg.* 3. *G.* 100. in stipulis magnus sine viribus ignis Incassum furit. *Horat.* 3. *Od.* 29. 18. furit stella vesani leonis. *Lucan.* 1. 155. fulmen in sua templa furit. *Curt.* 4. 2. *a med.* Fretum, quo arctius volutatur, hoc acrius furit. *Virg.* 2. *Æn.* 496. aggeribus ruptis quum spumeus amnis Fertur in arva furens cumulo. Cf. eumd. 5. *ibid.* 693. effusis imbribus atra Tempestas sine more furit. — *b*) De abstractis. *Virg.* 1. *Æn.* 111. furit æstus arenis. *Id.* 3. *G.* 457. dolor furit. *incrudelisce.* *Ovid.* 8. *Met.* 828. furit ardor edendi. *la fame diventa arrabbiata.* Adde *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 53. (147). allatum sub init. *V.* et *Furens* infra. — Et cum Infinito. *Sil. It.* 7. 504. Fama furit, versos hostes Pœnumque salutem Invenisse fuga. — Hinc Part. præs., cujus multa superius exempla retulimus,

Furens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Furentior* sub I.; et est qui furit et impetu fertur temere, præcipitanter, *infuriato, furibondo, furioso.*

I.) Proprie. *Cic. Harusp. resp.* 1. 1. Hominem furentem exsultantemque continere. *Id. ibid.* 22. 46. Furens et violentus. *Orellius* tamen et alii aliter omnino legunt. *Virg.* 1. *Æn.* 495. Penthesilea furens. *h. e.* bellico spiritu incitata: vel quia, inquit *Servius*, majora viribus audebat; vel quia sororem suam in venatione confixit, simulans se cervam ferire. *Id.* 8. *ibid.* 228. furens animis aderat Tirynthius. Et cum Genitivo *Id.* 5. *ibid.* 202. Furens animi. *Claudian. Fescenn.* 26. Quis belluarum corde furentior?

II.) Translate. *Lucan.* 3. 195. pelagi furentes undæ. *Phædr.* 3. 10. Iræ furentis impetum non sustinens. *Sil. It.* 7. 571. venti quum bella furentia torquent.

FŪROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. præter. *Furatus* passiva significatione legitur apud *Apul.* 10. *Met.* — Supinum *Furatum* apud *Plaut. Rud.* 1. 2. 23. et *Trin.* 4. 2. 22. An quo furatum venias mox, vestigas loca? — Part. *Furans* sub I. *b.*; *Furatus* sensu activo sub I. *a.* — Furari est clam alienum auferre, κλέπτω (It. *rubare*; Fr. *voler, dérober, soustraire*; Hisp. *hurtar, robar*; Germ. *stehlen, entwenden*; Angl. *to steal, pilfer*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Cic.* 3. *Verr.* 22. 60. Solet hæc, quæ rapuit et furatus est, dicere se emisse. *Id.* 2. *Off.* 11. 40. Qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid aut eripit. *Id.* 2. *Nat. D.* 63. 157. Si quæ bestiæ furantur aliquid ex iis (*rebus*), aut rapiunt. *Ovid.* 2. *Amor.* 19. 45. Vacuo furari litore arenas. *Quintil.* 3. 6. 11. pecuniam ex templo. *Sueton. Cæs.* 54. tria millia pondo auri e Capitolio. *Auson. Edyll.* 10. 175. sæpe etiam mediis furata e collibus uvas. — *b*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 61. Ad furandum venire. *Cic.* 6. *Verr.* 15. 33. Ut iste in furando manibus suis uteretur. *Tac.* 3. *Ann.* 74. Robore exercitus impar, furandi melior. *h. e.* optior insidiis, et ad furta belli. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (24). Ne promptum sit, quod invitet furantem.

II.) Translate. ¶ 1. Significat ex aliorum operibus aliquid in proprium usum convertere. *Cic.* 2. *Att.* 1. Nam, si ego tuum commentarium ante legissem, furatum me abs te esse diceres. *V.* COMPILATIO, COMPILATOR et COMPILO. ¶ 2. Item furtim obtinere, simulare, subtrahere, obtegere, *sottrarre.* *Cic. Balb.* 2. 5. Non enim furatus esse civitatem, non genus suum ementitus dicitur. *Propert.* 4. 2. 31. *de Vertumno.* Cinge caput mitra: speciem furabor Iacchi: Furabor Phœbi, si modo plectra dabis. *h. e.* videbor esse Iacchus: vincam et obtinebo, ut credar Iacchus. *Virg.* 5. *Æn.* 815. Pone caput, fessosque oculos furare labori. *Sil. It.* 10. 74. Furari membra. *Id.* 14. 561. sese. *Seneca Agam.* 914. vultus veste furabor tuos *coprirò, nasconderò.*

FŪROR, ōris, m. 3. gravior mentis alienatio, concitatio, perturbatio, μελαγχολία, μανία (It. *furore, pazzia*; Fr. *fureur, délire, aveuglement, phrenesie, folie*; Hisp. *furor, mania, frenesi*; Germ. *d. Wahnsinn, d. Wuth, Raserei, blinde Leidenschaft, tolle Begierde*; Angl. *fury, madness, rage, distraction*).

I.) Proprie de hominibus. — *a*) Stricto sensu furor est gravior mentis alienatio; et differt ab insania, ut majus a minori, ut *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 11. docet; nihilominus in sapientem cadere potest, insania non potest: quia furor intermittitur aliquando, insania perpetua est. *V.* et Homonym. in fin. hujus v. *Id. Harusp. resp.* 18. 39. A diis quidem immortalibus quæ potest homini major esse pœna furore atque dementia? *Id.* 1. *Acad.* (2. *pr.*) 27. 88. Quasi quisquam neget, cujus furor consederit, putare non fuisse ea vera, quæ essent sibi visa in furore. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 62. Ira furor brevis est. Sic *Quintil.* 7. 1. 31. Fere ira et concitatio furori sunt similia. — *b*) Latiori sensu ac sæpe sumitur pro brevi aliquo, sed vehementiori affectu ac perturbatione, qua effrenate fertur animus, ac temere cæcoque impetu agit. *Cic.* 4. *Cat.* 6. 11. Versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, et furor in vestra cæde bacchantis. *Id. Pis.* 21. 50. Nisi pœnas patriæ furore atque insania penderet. Cf. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Si furore atque amentia impulsus bellum intulisset. Rursus *Cic. Amic.* 11. 37. Non paruit ille Ti. Gracchi temeritati, sed præfuit; nec se comitem illius furoris, sed ducem præbuit. *Id.* 1. *de republ.* 28. Atheniensium populi potestatem ad furorem multitudinis licentiamque conversam. *Id. Harusp. resp.* 1. 2. Effrenatus et præceps furor. *Id. Dom.* 55. 141. inflammatus atque ignitus. *Catull.* 63. 38. rabidus. *Val. Flacc.* 6. 516. ferus. *Horat. Epod.* 7. 13.; et *Seneca Herc. fur.* 991. cæcus. *Seneca Med.* 851. impotens. *Liv.* 28. 22. *ad fin.* Quum cæci furore in vulnus ac ferrum vecordi audacia ruerent. *Catull.* 64. 197. amenti cæca furore. *rabbia.* *Id. ibid.* 53. Thesea cedentem celeri cum classe tuetur, Indomitos in corde gerens Ariadna furores. *dolore inconsolabile*, vel *implacabile sdegno.* *Id.* 50. 11. toto indomitus furore lecto Versarer. *pieno d' impazienza.* *Virg.* 12. *Æn.* 680. hunc, sine, me furere ante furorem. *h. e.* furorem bellicum, pugnam inire. *Sueton. Ner.* 31. Impendiorum furor. *Seneca Hippol.* 540. Impius lucri furor. *cupidigia.* — Sic speciatim de amore. *Virg.* 4. *Æn.* 101. Ardet amans Dido traxitque per ossa furorem. *Ovid. Heroid.* 9. 145. quo me furor egit amantem. Adde *Propert.* 1. 13. 20. Et in plur. num. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 325. Mille puellarum, puerorum mille furores. — Item speciatim de seditione et tumultu. *Liv.* 28. 25. Nec jam erat aut civis, aut externus, cum quo furorem suum consociarent. Adde eumd. 2. 29. et 25. 4.; et *Cæs.* 2. *B. G.* 3. *Horat.* 4. *Od.* 15. 17. Custode rerum Cæsare non furor Civilis, aut vis eximet otium. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 11. *a med.* Si decima legio ad eumdem furorem redierit. *Vellej.* 2. 60. Antonii et Dolabellæ ad nefandam dominationem erupit furor. *Id. ibid.* 89. Sopitus ubique armorum furor. — Cum Infinito. *Ovid.* 3. *Art. am.* 172. Quis furor est, census corpore ferre suo? *quale pazzia?* *Plin.* 2. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Furor est, mensuram ejus (*mundi*) animo quosdam agitasse atque prodere ausos —: furor est, profecto furor, egredi ex eo etc. *è pazzia.* *Stat.* 8. *Theb.* 594. Innumeris leo forte potitus Cædibus, imbelles vitulos mollesque juvencas Transmittit: magno furor est in sanguine mergi. *h. e.* ardor, impetus, vis, libido est. — *c*) Speciatim sumitur aliquando pro mentis concitatione, quæ divinitus fit, quali est poetarum et vaticinantium: qua significatione Latini Græcam vocem μανίαν reddiderunt. *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 66. Inest igitur in animis præsagitio extrinsecus injecta atque inclusa divinitus. Ea si exarsit acrius, furor appellatur, quum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur. *Id. ibid.* 37. 80. Negat enim sine furore Democritus quemquam poetam magnum esse posse; idem dicit Plato. Quem, si placet, appellet furorem, dummodo is furor ita laudetur, ut in Phædro Platonis laudatus est. *Propert.* 3. 13. 65. Ille furor (*Cassandræ*) patriæ fuit utilis, ille parenti. Adde *Lucret.* 2. 622. Et in plur. num. *Ovid.* 2. *Met.* 640. fatidicos concepit mente furores. — *d*) Videtur aliquando in bonam partem sumi posse. *Sil. It.* 2. 321. Vidi animos mortesque virum decorisque furorem. *h. e.* vehementem cupidinem gloriæ et laudis. Sic *Id.* 3. 146. incautos laudum exhorrescere furores. — *e*) Apud Poetas unus est ex comitibus Martis. *Stat.* 3. *Theb.* 424. et 7. *ibid.* 52.; et *Sil. It.* 4. 327.

II.) Translate tribuitur rebus inanimis. *Catull.* 46. 2. Jam cæli furor æquinoctialis Jucundis Zephyri silescit auris.

Homonym. *V.* in fin. v. INSANIA.

FURRĪNĀLIS. *V.* FURINALIS.

FURTĪFĬCUS, a, um, adject. furtum faciens, furax, *furace, ladro*, κλεψίφρων. *Plaut. Epid.* 1. 1. 10. Minus jam furtificus sum, quam antehac: rapio propalam. *Id. Pers.* 2. 2. 44. Ubi illa altera est furtifica, læva? *Id. Pseud.* 3. 2. 9. Furtificæ manus.

FURTIM, adverb. latenter, λαθραίως (It. *nascostamente, furtivamente, di furto*; Fr. *à la derobée, en cachette, clandestinement, furtivement*; Hisp. *a escondidas, a hurtadillas, furtivamente*; Germ. *verstohlener Weise, heimlich, unvermerkt*; Angl. *by stealth, secretly*). Jungitur — a) Cum Verbis. *Ennius* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. Qua Galli furtim noctu summa arcis adorti Mœnia. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 49. At enim hic clam furtim esse vult, ne qui sciant. *Cic.* 2. *Orat.* 62. 252. Nobis tantum licet furtim, si quando, et cursim. *Id.* 2. *leg. Agr.* 16. 41. Ut occulte latet, ut recondita est, ut furtim tota decemviris traditur! *Cic. ad Tiron.* 16. *Fam.* 26. 2. Quæ (*lagenæ*) furtim essent exsiccatæ. *Liv.* 21. 63. Profectum clam furtim, haud aliter quam si exsilii causa solum vertisset. *Id.* 39. 4. Per infrequentiam furtim senatusconsultum factum. *Horat.* 1. *Od.* 13. 7. Humor et in genas furtim labitur. *Id.* 1. *Sat.* 1. 42. Quid juvat immensum te argenti pondus et auri Furtim defossa timidum deponere terra? *Id.* 1. *Ep.* 1. 18. Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor. *Virg.* 3. *Æn.* 50. Polydorum infelix Priamus furtim mandarat alendum Threicio regi. *Tibull.* 1. 2. 10. Neu furtim verso cardine (*janua*) aperta sones. *Ovid.* 14. *Met.* 275. Furtim latere. *Id.* 3. *Fast.* 19. Blanda quies victis furtim subrepit ocellis. *Id.* 3. *Trist.* 1. 21. Hæc ubi sum lingua furtivo titubante locutus. *a bassa voce.* Sic 2. *Amor.* 19. 39. furtim pulsare limina. *Quintil.* 1. 11. 19. Unde nos non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur. *Tac.* 4. *Hist.* 56. Furtim magis quam bello Marsacos incursabat. — b) Aliquando jungitur etiam cum Substantivis. *Tibull.* 2. 5. 53. Concubitusque tuos furtim vittasque jacentes.

FURTĪVĒ, adverb. furtim, *furtivamente*, κλεμμαδόν. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 62. Certiorem te esse volui, ne quid clam furtive accepisse censeas. *Ovid.* 2. *Amor.* 5. 6. Furtive data munera. *Seneca* 2. *Benef.* 23. Furtive gratias agere, et in angulo, et ad aurem. *Vulgat. interpr. Job.* 4. 12. Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.

FURTĪVUS, a, um, adject. furto ablatus, κλεπτικός (It. *furtivo, rubato*; Fr. *derobé, volé, enlevé*; Hisp. *robado, hurtado*; Germ. *gestohlen, entwendet*; Angl. *stolen, pilfered*).

I.) Proprie. *Plaut. Curc.* 5. 2. 22. Mercari furtivas atque ingenuas virgines. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 14. Furtivæ lanæ glomus. *Id. ibid.* 3. 19. moveat cornicula risum Furtivis nudata coloribus. *Id.* 2. *Sat.* 7. 100. Furtivus strigilis. *Propert.* 4. 5. 69. Furtiva vincula rari capilli. *Liv.* 45. 39. An noctu tamquam furtiva (*signa aurea*) in ærarium deportabuntur? *Quintil.* 5. 13. 49. Furtiva res.

II.) Translate est clandestinus, occultus. *Cic. Pis.* 40. 97. Occultus adventus, furtivum iter per Italiam. *Virg.* 4. *Æn.* 171. Furtivus amor. *Id.* 7. *ibid.* 660. quem Rhea sacerdos Furtivum partu sub luminis edidit oras. *h. e.* clam et illicite conceptum. *Tibull.* 1. 5. 7. Furtivus lectus. *Id. ibid.* 9. 55. Furtivus usus. *Ovid.* 1. *Amor.* 11. 3. Furtiva vox. *h. e.* furtivis amoribus apta. *Id.* 2. *ibid.* 2. 15. Furtiva libertas. *h. e.* clam data. *Id. Heroid.* 17. 265. Furtivæ conscia mentis Littera. *de' secreti del cuore.* *Id.* 3. *Pont.* 3. 56. furtivos viros habere. *adulteri.* *Id.* 3. *Art. am.* 640. Celent furtivos balnea tuta viros. *appiattati.* *Sil. It.* 9. 95. furtiva corpus componere terra. *h. e.* clam sepelire. *Vellej.* 2. 31. 2. Furtivæ expeditiones. *Justin.* 11. 6. *ad med.* Furtiva victoria. *h. e.* quæ furto et per insidias parta est. *Gell.* 17. 9. *ad fin.* Furtivo scripto cuipiam res occultas nunciare.

FURTO. *V.* voc. seq. II. 2. in fin.

FURTUM, i, n. 2. (*fur*) occulta ablatio rei alienæ, κλοπή (It. *furto*; Fr. *vol, larcin*; Hisp. *hurto, robo, latrocinio*; Germ. d. *Diebstahl*; Angl. *theft, robbery*).

I.) Proprie. *Leg. XII. Tabul.* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. et *Gell.* 11. 18. SI NOX FVRTVM FACTVM SIT, SI IM OCISIT, IVRE CAESVS ESTO. *Cato* apud *Gell. loc. cit.* Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt: fures publici in auro atque in purpura. *Plaut. Rud.* 4. 3. 15. et 18.; *Quintil.* 3. 6. 49. et 5. 10. 16.; et *Cels. Dig.* 47. 2. 69. Furtum facere, vel facere alicui. Sic *Cic. Cluent.* 64. 179. Strato ille medicus domi furtum fecit et cædem. Sic *Id. Rosc. com.* 9. 26. Res erat manifesta, furtum erat apertum. Cujus rei furtum factum erat? *Plaut. Rud.* 4. 7. 34. Furti se adstringere. *Ter. Eun.* 4. 7. 39. Furti se alligare. *Sabin. Dig.* 47. 2. 73. Alicujus rei furtum admittere. *Cæs.* 6. *B. G.* 15. Furto comprehensus. *colto in furto.* Cf. *Plin. Hist. nat. præfat.* § 23. Deprehendi in furto. *Cic. fragm. contra C. Anton.* apud *Pseudo-Ascon.* Furti aliquem arguere. *et ibid.* deferre. *Pompon. Dig.* 47. 2. 78. Furti teneri. *et ibid.* Furti agere. *Gell.* 11. 18. *in fin.* Furti condemnare. *Quintil.* 4. 2. 51. et 7. 2. 29. Furti reus. *Horat.* 1. *Od.* 10. 7. jocoso furto aliquid condere. *Id.* 1. *Ep.* 7. 86. Oves furto periere. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (208). Furto abactæ sues. *Id.* 36. *ibid.* 23. 55. (176). Ruinarum ea maxima causa, quod furto calcis sine ferrumine suo cæmenta componuntur. *sottraendo la necessaria calcina.* — Furtum est manifestum, cujus pœna quadruplum est; nec manifestum, cujus pœna duplum; conceptum, cujus pœna triplum; oblatum, cujus pœna triplum; prohibitum, cujus pœna quadruplum. Hæc ex *Caji* 3. *Instit.* § 183. et seq. et 4. *ibid.* § 173.

II.) Translate. ¶ 1. Abstractum pro concreto, uti ajunt, furtum est ipsa res furto ablata. *Cic.* 4. *Verr.* 70. 171. Quæ (*furta*) sine portorio Syracusis erant exportata. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 78. seu puer unctis Tractavit manibus calicem, dum furta ligurit. ¶ 2. Generatim ponitur pro qualibet astuta fallacia, pro qualibet latebra atque occultatione, pro fraude occulta et insidiis. *Q. Cic.* apud *Cic.* 16. *Fam.* 26. Etiam si, quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quæsivisse videaris. *h. e.* furtivam causam, prætextum. *Liv.* 43. 10. Nec obsides, pignus futuros furto et fraude agendæ rei, posceret. *Virg.* 10. *Æn.* 735. haud furto melior, sed fortibus armis. *Id.* 11. *ibid.* 515.; et *Sall.* apud *Servium* ad *Virg. loc. cit.* et apud *Non. p.* 310. 15. *Merc.* Furta belli. *stratagemmi.* *Ovid.* 13. *Met.* 104. furtis incautum decipit hostem. *Curt.* 4. 13. Furto, non prœlio opus esse: intempesta nocte opprimi hostes posse. *Sil. It.* 17. 91. furtum armorum tutantibus umbris. *Sex. Ruf. Brev.* 15. Furto hostes in paucis invenies esse lætatos, vera virtute semper Romanos probabis exstitisse victores. *Virg.* 4. *Æn.* 337. neque ego hanc abscondere furto Speravi, ne finge, fugam. *Id.* 6. *ibid.* 568. Quæ quis apud superos furto lætatus inani, Distulit in seram commissa piacula mortem. *Martial.* 5. 51. Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit? *h. e.* cœnare clanculum. — Hinc *furto* pro adverb. *furtim*, quemadmodum apud Græcos λάθρα. *Virg.* 6. *Æn.* 24. suppostaque furto Pasiphae. Hunc *Virg.* locum rectius referas ad paragr. proxime seq. *Val. Flacc.* 8. 228. Qualis sanguineo victor Gradivus ab Hæmo Idalium furto subit, aut dilecta Cythera. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 46. (108). Hyænæ parere furto cupiunt. *Vellej.* 2. 63. Furto creatus pontifex. *per vie indirette, di furto.* ¶ 3. Speciatim dicitur sæpe de furtivis amoribus. *Catull.* 68. 136. Rara verecundæ furta feremus heræ. *et ibid.* v. 140. Noscens (*Juno*) omnimodi plurima furta Jovis. *Tibull.* 1. 2. 34. celari vult sua furta Venus. *Virg.* 4. *G.* 346. Vulcani Martisque dolos et dulcia furta. Adde *Propert.* 2. 30. 28.; et *Ovid.* 1. *Met.* 606., 3. *ibid.* 7. et alibi sæpe. *Sil. It.* 7. 487. e furto genitus. Adde *eumd.* 13. 615.; et *Ovid.* 2. *Met.* 423., 1. *ibid.* 623. et alibi. — Hinc

Furto, adverbii more pro furtim. *V.* supra II. 2. in fin.

FŪRUNCŬLUS, i, m. 2. duo diversa significat: aut enim

A) Est deminutivum a *fur*, et significat parvum furem, *ladroncello*. *Cic. Pis.* 27. 66. Olim furunculus, nunc etiam rapax. Adde *Tertull. advers. Marcion.* 36.

B) Est etiam vel a *furo, is* (et tunc prima syllaba brevis sit oportet), vel alia forma pro *fervunculus* quam vocem vide) et significat

I.) Proprie tuberculum in cute, et ulcus, quod Itali *furuncolo* vocant. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 26. (130). et alibi: de quo et *Celsus* 5. 28. *n.* 8. Furunculus, inquit, est tuberculum acutum, cum inflammatione et dolore, maximeque ubi jam in pus vergit: qui ubi adapertus est, et exiit pus, subter apparet pars carnis in pus versa, pars corrupta subalbida, subrubra, quem ventriculum quidam furunculi nominant. *V.* FERVUNCULUS.

II.) Improprie in vitibus *furunculus* dicitur palmes juxta alium palmitem enatus, quod veluti succum vicinis partibus furetur: vel extuberatio quædam in modum verrucæ. *Colum.* 4. *R. R.* 22. 4. et 24. 5.; et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 36. (181).

FURVESCO, is, ere, n. inchoat. 3. Part. *Furvescens.* — Furvesco est furvus fio. *Capell.* 1. p. 20. Tartarea noctis obscuritate furvescens. *Id.* 8. p. 294. Luna luminis soliti ademptione furvescit.

FURVUS, a, um, adject. niger, ater, obscurus, ut docet *Gell.* 1. 18. Veteres Romani furvum atrum appellaverunt. *Paul. Diac.* p. 84. 6. et 93. 13. *Müll.* Furvum, nigrum, vel atrum: hinc dicta furnus, furiæ, fuligo, fumus. Certe etymon vocis *furvus* est *fur*, unde *fuscus*. Gr. μέλας, ἀμαυρός, σκοτεινός (It. *oscuro, nero, bruno*; Fr. *sombre, obscur, ténébreux, noir*; Hisp. *sombrio, obscuro, negro*; Germ. *dunkelfarbig, düster, schwarz*; Angl. *dusky, swarthy, dark, black*).

I.) Proprie. — a) De inferis. *Horat.* 2. *Od.* 13. 21. furva Proserpina. *Ovid.* 5. *Met.* 541. Ex Acheronte suo furvis peperisse sub antris. *Stat.* 8. *Theb.* 10. Furvus postis. *Id.* 5. *Silv.* 1. 155. Furvi plagæ leti. *Capell.* 6. p. 891. Furva nox. — Hinc hostiæ furvæ dicebantur, quæ nigri erant coloris, quod hostiarum genus diis inferis gratissimum putabatur. *Val. Max.* 2. 4. *n.* 5. et *Paul. Diac.* p. 93. 13. *Müll.* — b) De aliis. *Juvenal.* 12. 104. Furva gente (*h. e.* Maurorum, Indorum) petita bellua. — Furvus pullis vestibus indutus, atratus. *Propert.* 4. 7. 27. Denique quis nostro furvum te funere vidit? *Al.* rectius *leg.* curvum.

II.) Figurate. *Seneca* 1. *Controv.* 1. *ad fin.* Audivimus fratrum fabulosa certamina, impias epulas, detestabili parricidio furvum diem. *Prudent.* 1. *Cathemer.* 74. Culpa furva.

FUSCĀTĬO, ōnis, f. 3. actus fuscandi; et translate denigratio, detractio. *Gloss. Philox.* Fuscatio, κατάχρωσις.

FUSCĀTOR, ōris, m. 3. qui fuscat, *offuscatore*. *Lucan.* 4. 66. quidquid cæli fuscator Eoi Intulerat Corus.

FUSCĀTUS, a, um. *V.* FUSCO.

FUSCĬNA, æ, f. 1. De vocis etymo hæc docet *Priscian.* 2. p. 594. *Putsch.* Nec *fuscina* a *fusco* derivatum est, quum sit primitivum. — Ceterum *fuscina* est telum tridens, sive trisulcum, aut bisulcum, quo piscatores figunt anguillas, et ea, quæ in imo aquæ fundo natant, *tridente, fiocina, ruscella*, δίκρανον, τρίαινα. Erat autem hoc insigne et veluti sceptrum Neptuni. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. 101. Dant etiam deo arcum, hastam, clipeum, fuscinam, fulmen. Sic *Sueton. Cal.* 52. *de Neptuno.* Fulmen tenens aut fuscinam. *V.* TRIDENS. — Ceterum generatim *Petron. Satyr.* 109. Alius exsultantes quærebat fuscina pisces, alius hamis blandientibus convellebat prædam repugnantem. — Fuscina etiam utebantur retiarii in gladiatoriis pugnis. *Juvenal.* 2. 143. Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi. *Sueton. Cal.* 30. Unus resumpta fuscina omnes victores interemit.

FUSCĬNŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a fuscina, parva fuscina, *forchetta*: hac enim significatione occurrit apud *Vulgat. interpr. Numer.* 4. 14. Ignium receptacula, fuscinulas ac tridentes, uncinos et batilla. et 1. *Reg.* 2. 13. Veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum: et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi. Adde *ibid. Exod.* 27. 3. et alibi sæpe.

FUSCĬNUS, a, um, adject. qui est fusci coloris. *Capell.* 1. p. 17. Sub calceis vero fuscinum deprimebat. — Ceterum *V.* ONOM.

FUSCĬTAS, ātis, f. 1. fuscus color. *Apul. de Mundo ad fin.* Ab omni fuscitate liberum cælum.

FUSCO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Fuscans* et *Fuscatus* sub *A.* I. — Fuscare est verbum *A*) Activum; et *B*) Neutrum.

A) Active fuscare est fuscum, hoc est subnigrum facere, *far fosco, annerire*, ὑπομελαίνω.

I.) Proprie. *Ovid.* 1. *Art. am.* 513. Fuscentur cor-

pora campo. *Id.* 3. *ibid.* 197. ne fuscet inertia dentes. *Lucan.* 10. 135. fuscante lanugine malas. *Sil. It.* 11. 270. fuscabat et Hesperus umbra — properantem ad littora currum (*Solis*). *Val. Flacc.* 1. 396. longa fuscat nube diem. *Stat.* 6. *Theb.* 576. pinguique cutem fuscatur olivo. *Id.* 1. *Achill.* 307. Massagetæ pocula fuscant Sanguine puniceo. *Alcim. Avit.* 4. 430. fuscati lumina solis.

II.) Figurate. *Symmach.* 1. *Ep.* 34. (*al.* 40.) Quem ad hoc ævi nulla actuum culpa fuscavit. *Sidon. carm.* 7. 505. quem fuscat id unum, Quod te, Roma, capit.

B) Neutrorum more. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 65. ne prima genas lanugo nitentes Carperet, et pulcræ fuscaret gratia formæ. *Alii mallent* gaudia formæ, *alii* fuscetur.

FUSCUS, a, um, adject. Comp. *Fuscior* sub I. — De etymo *V.* FURVUS. — Fuscus est ad nigrum accedens, subniger, furvus, ater, obscurus, φαιός, λευκόφαιος (It. *fosco, nericcio, oscuro, bruno*; Fr. *brun, noirâtre, sombre, foncé*; Hisp. *moreno, obscuro, negrillo*; Germ. *dunkelfarbig, dunkel, schwarz*; Angl. *brown, tawny, blackish, swarthy, dusky, dark*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Paul. Diac. p.* 83. 5. *Müll.* Erebo creata fuscis crinibus Nox, te invoco. *Cic. Sext.* 8. 19. Purpura plebeja ac pæne fusca. *Id. Prognost.* 1. *Divinat.* 8. 14. Fusca cornix. *Virg.* 8. *Æn.* 369. Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis. *Tibull.* 3. 4. 55. quum te fusco Somnus velavit amictu. *Id.* 2. 6. 37. Illi sint comites fusci, quos India torret, Solis et admotis inficit ignis equis. *mori. Horat.* 2. *Sat.* 8. 14. Fuscus Hydaspes. *Ovid.* 5. *Met.* 286. Fusca repurgato fugiebant nubila cælo. *Id. Heroid.* 15. 35. Candida si non sum, placuit Cepheia Perseo Andromede, patriæ fusca colore suæ. *Martial.* 9. 36. Fusca Syene. *h. e.* cujus incolæ fusco sunt colore. *Id.* 14. 62. Laterna fuscior. *h. e.* minus pellucida. *Id. ibid.* 127. Fusca vestis. *h. e.* ut ipse sit, turbato simillima mulso. *Id.* 2. 40. Fusca Falerna. *Val. Flacc.* 6. 494. fuscis Notus imminet alis. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 10. (14). Nigra aut fusca pecora. *Id.* 16. *ibid.* 13. 24. (63). Fraxini duo genera: longa, enodis; altera brevis, durior fusciorque.

II.) Translate. ¶ 1. *Fusca* vox dicitur, quæ minus clara est, atque ad turbatam, obscuram raucamque accedit, *fosca*; cui opponitur *candida* (vel *canora*) apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 58. 146. Et vocis genera permulta: candidum (*al. leg.* canorum) fuscum, leve asperum, grave acutum, flexibile durum, quæ hominum solum auribus judicantur. *Quintil.* 11. 3. 15. Est vox et candida et fusca et plena et exilis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 16. (58). Vox revocatur, quum e candida declinat in fuscam. — Hanc in M. Antonio fuisse, et actioni ejus gratiam addidisse, notat ex Cicerone (*Brut.* 38. 141.) *Quintil.* 11. 3. 171. Cicero autem eo loco non *fuscam*, sed (quod idem est) *subraucam* appellat. ¶ 2. *Fuscæ* aves sunt mali ominis. *Apul.* 2. *Met.* Fuscis avibus Larissam accessi.

FŪSĒ, adverb. Comp. *Fusius* I. et II. — Fuse est late, χύδην (It. *largamente, diffusamente*; Fr. *loin*; Hisp. *á lo lejor*; Germ. *weit, ausgedehnt*; Angl. *diffusely*).

I.) Proprie. *Quintil.* 11. 3. 97. Fusius paullo in diversum resolvitur manus.

II.) Translate sæpius usurpatur, et est abundanter, copiose. *Cic. Orat.* 32. 113. Fuse lateque dicendi facultas. *Id.* 4. *Tusc.* 26. 57. Multa quidem dici quamvis fuse lateque possint. *Id.* 3. *Fin.* 7. 27. Potest id quidem fuse et copiose et omnibus electissimis verbis gravissimisque sententiis et augeri et ornari. *Id.* 1. *Legg.* 13. 36. Quæ fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur. *Id.* 2. *Nat. D.* 7. 20. Hæc uberius disputantur et fusius, brevius angustiusque concluduntur. *Quintil.* 4. 2. 123. Fusius et ornatius rem exponere.

FUSICIUS, a, um, adject. idem ac fusilis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 62.

FŪSĬLIS, e, adject. qui fundi et liquefieri potest: item fusus, liquefactus. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Ferventes fusili ex argilla glandes fundis jacere cœperunt. *Ovid.* 11. *Met.* 126. Fusile per rictus aurum fluitare videres. *strutto, liquefatto. Capell.* 8. *p.* 193. Fusilia vasa aenea. *h. e.* ex ære fuso facta. *Prudent.* 4. *Cathemer.* 40. Fusile numen. *h. e.* signum Dei ex fusili metallo factum. *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 5. 16. Capita columnarum fusilia ex ære. Adde *ibid.* 3. 7. 17. et alibi sæpe.

FŪSĬO, ōnis, f. 3. actus fundendi. ¶ 1. Generatim est diffusio, extensio, *diffusione*, χύσις. *Cic.* 1. *Nat. D.* 15. 39. Ipsumque mundum Deum (*Chrysippus*) dicit esse, et ejus animi fusionem universam. *Vitruv.* 9. 7. Tenuis fusio stellarum. *stelle sparse.* ¶ 2. Speciatim est actus metalla fundendi seu liquefaciendi. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 9. 21. 3. Si quis nummum falsa fusione formaverit. ¶ 3. Item est debiti solutio. *Gloss. Philox.* Fusio, εἰσφορὰ δημοσίων. *Ulp. Dig.* 7. 2. 27. *a med.* Solent possessores fisco fusiones præstare. Ita *Torrentin.* Alii *functiones*.

FŪSĬTRIX, icis, f. 3. quæ fundit. Improbata vox est apud *Hieronym.* in *Eccle.* 3. 8. De vini fusoribus et vini fusitricibus (ad distinctionem quippe nunc masculini feminino genere volui declinare, quod Latinus sermo non recipit) aliud multo, quam in promptu est, Aquila interpretatur.

FŪSOR, ōris, m. 3. qui fundit. ¶ 1. Generatim. *Poeta* in *Anthol. Lat.* ed. *Burmann. T.* 2. *p.* 312. *de Aquario.* Fusor aquæ simul et fulgenti lumine Pisces. ¶ 2. Speciatim est qui metalla fundit, *fonditore*. *Imp. Constantin. Cod.* 10. 64. 1. et *Inscript.* apud *Gruter.* 630. 9. DOMITIVS ABASCANTVS FVSOR OLLARIVS. *Cassiod.* 7. *Variar.* 5. Fusor æris. *V.* locum in GYPSOPLASTES.

FŪSŌRĬUM, ii, n. 2. locus, ubi aliquid funditur, *condotto*. *Pallad.* 1. *R. R.* 37. 4. Longe ab apum castris sint omnia odoris horrendi, balneæ, stabula, coquinæ, fusoria. *h. e.* quo funduntur sordes culinæ. *Id. ibid.* 17. 1. Solum alto rudere solidatum, relicto fusoriis loco, testacei pavimenti superfusione solidetur. *h. e.* canalibus, per quas aqua infunditur, vel effunditur: loquitur enim de piscina.

FUSŌRĬUS, a, um, adject. qui funditur. *Gloss. Philox.* Fusorius, χωνευτικός. *Vulgat. interpr. Exod.* 32. 4. Formavit opere fusorio vitulum.

FUSTERNA, æ, f. 1. *parte dell'abete, che ha nodi*, (proprie est per syncopen pro *fusterina*, subaudi *pars*, a *fustis*) postquam cæsa est abies in usum operum, pars ejus superior nodosa duriorque *fusterna* vocatur, quia crebros habet nodos, ut solet esse in fustibus et baculis: inferior vero terræ proxima, enodis ac tenerior, fluvio macerata, decorticata, et quatuor in partes scissa, *sapinus* et *sapinea* dicitur. *Vitruv.* 2. 9.; et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 76. (196). *V.* SAPINUS.

FUSTĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui fuste verberat. *Gloss. Philox.* Fustiarius, ξυλοκόπος, ὁ τύπτων τῷ ξύλῳ. — Adjective. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 529. *n.* 382. et *Gruter.* 1114. 6. FVSTIARIO SVPPLICIO SE NOVERIT ESSE SVBDENDVM. *Gruterus* tamen *loc. cit.* habet *fustuario*.

FUSTĬBĂLĀTOR, ōris, m. 3. (vox hybrida a *fustis* et βάλλω *jacio*) qui fustibalo jaculatur. Ita legitur in MSS. *Veget.* 3. *Milit.* 14., ut adnotat *Stewechius*; in libro autem ejusdem *fustibulator*. Vulgo tamen perperam legitur *fundibalator*, vel *fundibulator*: quod idem esset ac funditor. *V.* voc. seq.

FUSTĬBĂLUS, i, m. 2. (vox hybrida a *fustis* et βάλλω *jacio*) fustis est longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, et utraque manu impulsus, prope ad instar onagri dirigit saxa. Ita describit *Veget.* 3. *Milit.* 14.

FUSTĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* fustis, parvus fustis. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 6. Fusticulos alii sine capitibus comburere. *Apul.* 6. *Met.* Qui te rogabit, decidente sarcina, fusticulos aliquot porrigas ei. *Al. leg.* funiculos.

FUSTĬGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

FUSTĬGO, as, ātum, are, a. 1. fuste percutere, *bastonare*. *Gloss. Philox.* Fustigo, ξυλοκοπῶ, τύπτω τῷ ξύλῳ. *Id.* Fustigatus, βακλισθείς. *Cod. Theod.* 9. 29. 2. Si quis sciens in domo sua latronem susceperit, – fustigetur.

FUSTIM, adverb. cum fuste, *col bastone*. *Val. Max.* 6. 3. *n.* 9. Uxorem fustim interemit. Adde eumd. 8. 1. *sub fin.*; et *Vellej.* 2. 78. *extr.* Ubique autem al. leg. *fuste*, vel *fusti*: et priore loco etiam *furtim*. Sed ei *Furlanetto* nihil videtur mutandum; ita enim et *cæsim* et *punctim* recte Latine dicitur.

FUSTIS, is, m. 3. In sexto casu *fuste* legitur apud *Horat.* 1. *Sat.* 3. 134. et 5. 23., et 2. *ibid.* 3. 112.; *fusti* vero apud *Plaut. Asin.* 2. 4. 21. et *Capt.* 4. 2. 115.; et *Sall.* apud *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 201. — Ceterum fustis, fortasse a *ferio*, est lignum teres, ut vectis, clava, contus, βάκτρον (It. *bastone, palo*; Fr. *bâton, canne, rondin, gourdin*; Hisp. *baston, garrote, palo rollizo y corto*; Germ. *d. Knotenstok, Stock, Knittel*; Angl. *a stake, club, pole, staff*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Plaut. Asin.* 2. 4. 21. Tamquam si claudus sim, cum fusti est ambulandum. *Varro* 5. *L. L.* 137. *Müll.* Alligare fasces, incisos fustes, faculas. *Horat.* 3. *Od.* 6. 38. mascula Proles Sabellis docta ligonibus Versare glæbas, et severæ Matris ad arbitrium recisos Portare fustes. *Colum.* 2. *R. R.* 40. 4. Ipsæ spicæ melius fustibus cuduntur vannisque expurgantur. ¶ 2. Speciatim fustium usus frequens est in cædendo. *Plaut. Amph.* 1. 1. 202. Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero. *Id. Aulul.* 3. 1. 4. Fustibus aliquem male contundere. *et* 3. 3. 6. Implere fustibus caput alicujus. *et Mil. glor. act.* 1. *v.* 8. fustibus verberare. *Id. Capt.* 4. 2. 115. Nisi mantiscinatus ero probe, fusti pectito. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 94. Male mulcati clavis et fustibus. *Id. Pis.* 30. 73. Quid nunc te, asine, litteras doceam? non opus est verbis, sed fustibus. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. 9. Fustem alicui impingere. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 22. mulæ nautæque caput lumbosque saligno Fuste dolat. *et ibid.* 3. 134. fuste pueros coercere. *Id.* 2. *Ep.* 1. 154. formidine fustis ad bene dicendum redacti. *Auct. B. Hisp.* 27. Fuste percutere. *Tac.* 14. *Ann.* 8. Fustibus caput affligere. *Juvenal.* 9. 98. Fuste aperire caput. *Sueton. Cal.* 26. Aliquem fusti abigere. *Ulp. Dig.* 48. 19. 8. animadvertere. *Paul. ibid.* 1. 15. 3. castigare. *Dig.* 48. 19. 7. Fustium admonitio. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 101. Unguibus et pugnis et fustibus pugnare. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (200). Prælium Afri contra Ægyptios primi fecere fustibus, quos vocant phalangas. ¶ 3. Item speciatim in re militari *fusti necare* fuit ignominiosum ac grave supplicium. *V.* FUSTUARIUM. *Sall. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 201. Sorte ductos fusti necat. *Tac.* 3. *Ann.* 21. Decimum quemque ignominiosæ cohortis sorte ductos fusti necat. *Vellej.* 2. 78. Primipili centurionem ob turpem ex acie fugam fusti percussit.

FUSTITUDINUS, a, um, adject. a *fuste* et *tundere*. *Fustitudinas insulas* jocalariter vocat *Plaut.* ergastula, ubi servi fustibus cæduntur, *Asin.* 1. 1. 21. Apud fustitudinas ferricrepinas insulas, Ubi vivos homines mortui incursant boves. *Bothius* legendum censet *fustitudīnas*, non *fustitūdĭnas*, a *fuste* et *tudo* (*tundo*); ut *ferricrepīnas* a *ferro* et *crepo*.

FUSTŬĀRĬUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

FUSTŬĀRĬUS, a, um, adject. ad fustem pertinens, qui fuste fit. *Cassiod.* 4. *Variar.* 10. *ad fin.* Fustuario supplicio vindicetur. *Id.* 8. *ibid.* 33. Fustuariæ subdatur ultioni. *Imp. Leo* et *Majorian.* in *Novell.* 1. apud *Gothfr.* in calce *Cod. Theod.* Quisquis hoc posthac usurpandum esse crediderit, fustuariæ subditus pœnæ servilibus suppliciis periturum se esse cognoscat. *et paullo supra.* Si ingenuus probatur, collegiis applicetur; si servus erat, fustuario supplicio interficiendum se esse cognoscat. *V.* FUSTIARIUS. — Hinc

Fustuarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, pœna, quæ fustibus infligitur, *castigo di bastone*, ξυλοκοπία. Ex locis *Cic.* et *Livii* mox afferendis constat, fuisse pœnam militarem, et quidem capitalem, quum deberi dicant militibus capitale delictum admittentibus. Quare differt ab animadversione fustium, qua liberi homines, neque ii omnes, sed tenuiores, plectebantur: quæ minor erat flagellatione leviorque; nam hæc servorum fuit, ut *Callistrat. Dig.* 48. 19. 28. et *Marcell. ibid.* 10. et *Hermogenian. ibid.* 47. 10. 45. docent. Hanc *fustigationem* quidam appellant, nullo tamen, quod sciam, Latino auctore: *fustuarium* vero auctores habet, ut diximus, *Cic.* 3. *Phil.* 6. 14. Fustuarium meruerunt legiones, quæ consulem reliquerunt. et *Liv.* 5. 6. *ad fin.* Fustuarium meretur, qui signa relinquit, aut præsidio recedit. *Id.* apud *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 825. Fustuario necare aliquem. — Videtur tamen, aliquando fustuarium non fuisse pœnam capitalem ex *Papian. Respons. tit.* 20. Quod si forte servus hoc fecerit (*h. e.* mulierem per vim stupraverit), pro ingenuus occidatur, pro ancilla vero, judicante judice, fustuario supplicio subjacebit.

FŪSUM, i. *V.* FUSUS, i, init.

FŪSŪRA, æ, f. 1. ¶ 1. Abstracte est fusio, sive liquefactio, *liquefazione*, χύσις. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (106). Molybditis e plumbi ipsius fusura, quæ fit Puteolis, et inde habet nomen. *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 7. 37. In hunc modum fecit decem bases, fusura una, et mensura sculpturaque consimili. ¶ 2. Abstractum pro concreto, significat aquam effusam, vel effluentem. *Pallad.* 1. *R. R.* 42. Si aquæ copia est, fusuras balnearum debent pistrina suscipere, ut ibi formatis aquariis molis sine animalium vel hominum labore frumenta frangantur. *V.* FUSORIUM.

FUSURARIUS, ii, m. 2. qui fusuram facit, fusor. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 62.

FŪSUS, a, um. *V.* FUNDO.

FŪSUS, i, m. 2. Neutro genere utitur *Symmach. Laud. in Gratian. Aug.* (edente iterum *A. Maio*) 9. Jamdudum aureum sæculum currunt fusa Parcarum. Sic *Hieronym. Ep.* 130. *ad Demetriad.* n. 15. Ad torquenda subtemina in alveolis fusa volvantur. ¶ 1. Fusus est instrumentum, quod mulieres nendo digitis volvunt: a *fundendo*, quia per ipsum funduntur fila, κλωστήρ (It. *fuso*; Fr. *fuseau à filer*; Hisp. *huso*; Germ. d. *Spindel*; Angl. a *spindle*). Occurrit — *a*) Generatim. *Virg.* 4. *G.* 348. fusis mollia pensa devolvere. *Ovid.* 6. *Met.* 22. levi teretem versabat pollice fusum. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 221. et 229.; et *Tibull.* 2. 1. 64. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (194). Colus compta, et fusus cum stamine. *Id.* 11. *ibid.* 23. 27. (78). Lanam tenuari in fila junceo fuso. *Hieronym. Ep.* 107. n. 10.; et *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 239. rotare fusos. — *b*) Pagana lege in plerisque Italiæ prædiis cautum erat, ne per itinera ambulantes feminæ torquerent fusos, aut omnino detectos ferrent, quoniam credebatur adversari id omnium spei, præcipueque frugum. Risu digna superstitio, quam refert *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (28). — *c*) A Poetis tribuitur Parcis, quæ nere dicuntur humanæ vitæ stamina. *Virg.* 4. *Ecl.* 46. Talia secla, suis dixerunt, currite, fusis Concordes stabili fatorum numine Parcæ. *Ovid. Heroid.* 12. 3. Tunc, quæ dispensant mortalia fila, Sorores Debuerant fusos evoluisse meos. — *d*) Obscœno sensu pro mentula videtur usurpari a *Juvenal.* 2. 55. vos (*molles homines*) tenui prægnantem stamine fusum Penelope melius, melius torquetis Arachne. Cl. *Furlanetto* in suis MSS. hinc ductum putat italicum *far le fusa torte*. ¶ 2. A similitudine machina est volvendis oneribus apta. *Vitruv.* 10. 6. Circa lapidem fusos sextantales ad circinum compegit: deinde circa fusos funem involvit, et bubus junctis funem ducebat etc.

FŪSUS, us, m. 4. fundendi actio, fusio. *Varro* 5. *L. L.* 123. *Müll.* F o n s, unde funditur e terra aqua viva, ut f i s t u l a, a qua fusus aquæ.

FŪTĀRE. *V.* FUTO.

FŪTĀTIM, adverb. futiliter, vane. *Plaut. Truc.* 4. 4. 29. Id quoque interim futatim nomen commemorabitur. *h. e.* inutiliter. Alii tamen interpretantur profusim, sæpe: alii aliter legunt. *V.* INTERDUATIM.

FŪTĬLĒ, adverb. idem quod futiliter. *Plaut. Stich.* 2. 2. 73. Enimvero, Gelasime, opinor, provenisti futile. *Ennius* apud *Non. p.* 514. 11. *Merc.* Ut quod factum est futile, amici, vos feratis fortiter.

FŪTĬLE, is, n. 3. vas quoddam lato ore, fundo angusto et acuto, quo utebantur in sacris deæ Vestæ: a *fundendo*, quod illud ministri sacrorum non deponerent, sed instabile esset, et, si positum esset, statim aqua funderetur. Aqua enim ad sacra Vestæ in terra non ponebatur; quod si fieret, piaculum erat. Igitur excogitatum est vas, quod stare non posset. *Lactant. Plac.* ad *Stat.* 8. *Theb.* 297. et *Donatus* in *Ter. Andr.* 3. 5. 3. et *Phorm.* 5. 1. 19.

FŪTĬLIS, e, adject. (*V.* FUTIS). Et alia forma *futilus* occurrit. *Ennius* apud *Non. p.* 512. 6. *Merc.* Sæviter suspicionem ferre falsam, futilum est. — Futilis est qui facile funditur: hinc

I.) Proprie est qui liquorem infusum non continet, sed protinus emittit. Hinc de canibus metu concacantibus *Phædr.* 4. 17. Illi autem, qui miserunt vos tam futiles, etc. — Similiter qui facile funditur, et frangitur. *Virg.* 12. *Æn.* 740. Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu Dissiluit.

II.) Translate dicitur de homine vano et levi, qui continere tacenda non potest, quique facile loquitur, et nihil præstat. *Paul. Diac. p.* 89. 4. *Merc.* Futiles dicuntur, qui silere tacenda nequeunt, sed ea effundunt: sic et vasa futilia a fundendo vocata. (V. vocem præced.) Quum vero de rebus agitur, ponitur pro inutili, supervacuo, nullius pretii ac momenti, itemque pro vano, irrito. — *a*) De personis. *Ter. Andr.* 3. 5. 3. Servon' fortunas meas me commisisse futili? *Cic.* 3. *Fin.* 11. 38. Quis non odit sordidos, vanos, leves, futiles? *Id.* 1. *Divinat.* 19. 36. Irrideamus haruspices; vanos, futiles esse dicamus. *Virg.* 11. *Æn.* 339. consiliis habitus non futilis auctor. *Gell.* 1. 15. Leves et futiles et importuni locutores. *Id.* 4. 8. Competitores imbelles et futiles. — *b*) De rebus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 8. 18. Futiles commenticiæque sententiæ. *Id.* 4. *Tusc.* 17. 37. Nec alacritate futili gestiens deliquescat. *Id.* 5. *ibid.* 6. 16. Futilea lætitiæ. *Phædr.* 5. 2. Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 8. (32). Futili pæne de causa. *Plin.* 3. *Ep.* 7. 14. Futile et caducum tempus. *Gell.* 16. 12. Res futiles et frivolæ. *Id.* 13. 24. *a med.* Est hoc inane admodum et futile. — Sic pro vano, irrito. *Sil. It.* 15. 794. Hæc Nero, et intorquet jaculum: nec futilis ictus. Nam latere extremo cuspis librata resedit. — Hinc neutr.

Futile, adverbii more: *V.* FUTILE loco suo.

FŪTĬLĬTAS, atis, f. 3. vanitas, levitas, inutilitas, *leggerezza, vanità*, φλυαρία. *Cic.* 2. *Nat. D.* 28. 70. Et plena sunt futilitatis summæque levitatis.

FŪTĬLĬTER, adverb. vane, inutiliter, frustra. *Apul. Apolog. post princip.* Futiliter blaterata. Adde *Non. p.* 514. 13. *Merc.*

FŪTĬLUS, a, um. *V.* FUTILIS init.

FŪTĬO, is, ire, a quo *effutio*, agnoscitur a *Priscian.* 4. *p.* 631. *Putsch.*, sed nullo firmatur auctore.

FŪTIS, is, f. 3. (ab eodem themate, a quo v. *fundere*; hinc est *futilis*) vas fundendæ aquæ aptum. *Varro* 5. *L. L.* 119. *Müll.* Vas aquarium vocant futim, quod in triclinio allatam aquam infundebant. *Alii minus recte legunt* futum. Cf. *Servium* ad *Virg.* 11. *Æn.* 339.; et *Mythograph.* III. apud *Bode* 2. 1. *p.* 150.

FŪTO, as, are, a. 1. *Paul. Diac. p.* 89. 3. *Müll.* F u t a r e arguere est: unde est c o n f u t a r e. Sed Cato hoc pro *sæpius fuisse* posuit. (Hinc *Cato* usurpavit frequentativum ab absoleto *fuo* pro *sum*. Hinc *Gloss. Placid.* ed. *Mai.* in *Class. Auct. T.* 6. *p.* 463. Futavit, fuit. et *p.* 464. Futavere, fuere.).

FŪTUM, i, n. 2. *V.* FUTIS.

FŪTŪO, uis, ui, utum, uere, a. 3. Part. *Futuens* infra; *Fututus* apud *Martial.* 3. 87. et sæpe alias. — Futuere est Veneri operam dare, a φυτεύω *planto*; nisi sit ab eodem etymo, a quo *futis, futilis, fundo*: accipitur autem tum de feminæ, tum de pueri corruptione. *Catull.* 97. 9. Hic futuit multas. *Martial.* 10. 81. Quum duo venissent ad Phillida mane fututum. *Id.* 9. 3. Ducitur addictus, te futuente, cliens. Adde *eumd.* 11. 7.

FŪTŪRUS, a, um. *V.* SUM.

FŪTŪTĬO, onis, f. 3. actus futuendi. *Catull.* 32. 7.; et *Martial.* 1. 107.

FŪTŪTOR, oris, m. et f. 3. qui futuit. *Martial.* 1. 92. et 7. 30.

FŪTŪTRIX, icis, f. 3. quæ quasi futuit, vel fututionem imitatur. *Martial.* 11. 22. Fututrix manus. *Id. ibid.* 61. lingua. *h. e.* cunnilingi.

FŪTŪTUS, a, um. *V.* FUTUO.

FŪVI. *V.* SUM.

De littera G

G Septima Latinorum littera, una ex mutis, cognata est litteræ C, a qua originem habet. *Nova consonans* dicitur a *Diomed.* 2. *p.* 417. *Putsch.*, quia multo tempore Latini ea caruerunt, C litteram ejus loco adhibentes, sed duplici potestate, scilicet in quibusdam vocibus, ut C nunc habet, in aliis ut G: sic in *Columna Rostrata* legimus MACISTRATOS, LECIONES, PVCNAD, CARTACINIENSIS etc. pro *magistratus, legiones* etc. Tandem post quingentos fere annos ab U. C. Spurius quidam Carvilius, ut est apud *Plutarch.* de *Quæst. Rom.* n. 54., parvo apice inferius litteræ C adjecto in iis vocibus, quæ G sonum habebant, eam in Latium invexit: sic in *Senatuscons. de Bacchanal.* legimus MAGISTER, MAGISTRATVM, FIGIER, AGRO etc. Remansit tamen in quibusdam vocibus, ut in *Cajus, Cnæus*, licet per G efferantur, ut suo loco dictum est. Plura hac de re *Noris.* in *Cenotaph. Pis. dissert.* 4. *c.* 5. et *Orti Lap. scop. nel* 1825 *in Verona p.* 17. — Quod ad vocum initium pertinet, in vocabulis germanæ Latinitatis littera *g* duas tantum liquidas consonantes præcedit sibique adjungit, *l* scilicet et *r*: apud veteres, ratione habita etymi, jungebatur et litteræ *n* in vocibus *gnascor, gnatus, gnosco, gnovi, gnotus, gnarus, gnavus*; sed aurea tamen ætate factum est, ut ex his quoque extruderetur (unde *nascor, natus, nosco* etc.) et in earum compositione solummodo servaretur (*cognatus, cognosco, ignarus, ignavus* etc.). — In mediis vocibus littera *g* liquidis omnibus *l, m, n, r* jungitur, ut in *juglans, figmentum, dignus, flagrum*: aliquando tamen ante *m* omittitur, ut in *examen* pro *exagmen* ab *agmen* et in *contamino* pro *contagmino* a *tango*: ante *s* in *x* coalescit (*V.* quæ dicta sunt de littera X loco suo), quamquam interdum extruditur, ut in *mulsi* pro *mulgsi* a *mulgeo* et *indulsi* pro *indulgsi* ab *indulgeo*; quod locum habet etiam ante *t*, ut in *indultum*. Ceterum *g* sæpissime cum *c* mutatur (*V.* quæ diximus de littera C loco suo): aliquando vero in *j* transit, ut in *mejo* a *mingo* et in *major* a *magis*. — In fine vocum littera *g* numquam occurrit, si excipias obsoletum *vesperug* pro *vespera* seu *vespere*, de quo V. *Quintil.* 1. 7. 13. ibique *Spalding*. — Aliquando *g* pro *n* scripta fuit, ut *aggulus, aggens, agguilla, iggerunt* pro *angulus* etc., Græcorum more, ut ex *Varrone* docet *Priscian.* 1. *p.* 556. *Putsch.* — In compositione *b* et *d* si præcedant, in *g* per assimilationem mutantur, ut in *suggero* pro *subgero*, *aggredior* pro *adgredior* etc. — In Romanorum notis G. est Gajus, Gallia, Gallica, Gemina, Genius, Germania.

GA

GĂBĂLĬUM, ii, n. 2. genus plantæ aromaticæ apud Arabes. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 21. 45. (99). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 45.) ad h. l. hæc docet: « Les mots arabes *serichatum* et *gabalium* trouvent, suivant Poinsinet, leur origine dans la langue slavone: le premier désigne une drogue cordiale ou alexipharmaque; l'autre une drogue qui se débite en tablettes, témoin les expressions slavones *serce* cœur, et *glablotek* tablette. On ne peut espérer de découvrir le nom moderne de ces drogues, presque inconnues du temps de Pline ».

GĂBĂLUS, i, m. 2. crux, sive patibulum: est ab Hebr. גָּבַל *gabal* terminavit, etenim palus, qui olim pro cruce habitus est, terminus etiam fuit: et Græcis ὄρος est *mons*, ὅρος vero *terminus*: *patibolo, forca*, σταυρός.

I.) Proprie. *Varro* apud *Non. p.* 117. 15. *Merc.* Nos barbari, quod nocentes in gabalum suffigimus homines, vos non barbari, quod noxios absolvitis?

II.) Improprie gabalus dicitur homo sceleratus et cruce dignus. *Macrinus Imp.* apud *Capitolin. in ejus Vita* 11. Qualis Latinus gabalus iste fuit.

GĂBĂTA. *V.* voc. seq. in fin.

GĂBĂTÆ, arum, f. plur. 1. γάβαθα, vasa concava, edulis pulmentariisque apta: a *cavus*, quasi *cavatæ*, non a voce Græca allata, quia hanc posteriores Græci a Romanis acceperunt, uti censet *Voss.* in *Etymol. Martial.* 7. 48. Transcurrunt gabatæ volantque lances. *Id.* 11. 31. Sic implet gabatas paropsidasque. — *Gabata* sing. num. et prima syllaba producta legitur apud *Venant.* 11. *carm.* 10. Carnea dum tumens argentea gavata (*ita pro* gabata) perfert, Quo nimium pingui jure natabat olus.

GABBĂRÆ *vel* Gabbares, cadavera apud Ægyptios pollinctorum arte delibota, arefacta et a corruptione immunia, teste *Augustino serm.* 120. *de divers.* 12. Sed vox exotica est, et minime Latina: et præterea in MSS. *Augustini* eo loco deest. — Gabbarus in *Gloss. Isid.* exponitur insulsus, barbarus. Sed hoc item barbarum est.

GÆSĀTI, orum. *V.* GÆSUM sub *b*.

GÆSI. *V.* voc. seq. sub *d*.

GÆSUM, i, n. 2. Scribitur et *gesum*: atque ita habent *Paul. Diac. p.* 99. 2. *Müll.*, *Non. p.* 553.

13. *Merc.* et alii. Græce quoque occurrit γαισός et γαίσον. — *a*) Gæsum est jaculum grande longe feriens, proprium Gallorum Alpes incolentium, sed ab aliis quoque gentibus usurpatum. *Paul. Diac. loc. cit.* grave jaculum interpretatur. *Hesych.* et *Poll. l.* 7. *c.* 33. δόρυ ὁλοσίδηρον, hastam totam ferream. *Liv.* 8. 8. gæsa ab hastis distinguit: et sane inter jacula potius, quam inter hastas referenda videntur. *Cæs.* 3. *B. G.* 4. Gæsa in vultum conjicere. *Virg.* 8. *Æn.* 661. Alpina gæsa. *Liv.* 26. 6. Cui suos ante prima signa adhortanti summum pectus gæso ictum est. — *b*) Hinc Gæsatorum exercitum memorat *Oros.* 4. 23. (*h. e.* gæsis armatorum), nomenque esse ait non gentis, sed mercenariorum Gallorum. V. *Durand. del Vercellese p.* 7. *ad fin.* — *c*) *Stat.* 4. *Theb.* 64. gæsa Græcis; *Sil. It.* 2. 444. etiam Afris, sed poetice, tribuit. Observandum est autem, ubicumque hoc telo quis armatus describitur, bina ei gæsa assignari. *Varro* apud *Non. p.* 553. 14. *Merc.* et *Virg. loc. cit.* etc. — d) Gæsi, viri fortes a Gallis dicuntur: a *gæsum*. Ita *Servius* ad *Virg. Æn. loc. cit.*

GĀGĀTES, æ, m. 1. γαγάτης λίθος, (Franci nunc *jais* et *jayet* et *jaiet* vocant) lapis nomen habens loci et amnis Gagis Lyciæ: niger est, planus, pumicosus, non multum a ligno differens, levis, fragilis, odore, si teratur, gravis: fictilia ex eo inscripta non delentur: quum uritur, odorem sulphureum reddit: mirumque, accenditur aqua, oleo restinguitur: fugat serpentes ita, revocatque vulvæ strangulationes: deprehendit sonticum morbum et virginitatem suffitus, etc. Hæc fabularum similia *Plin.* 36. *Hist. nat.* 19. 34. (141). *Apul. de Mag.* Quum incensus gagates lapis pulcre et facile hunc morbum (*comitialem*) exploret: cujus odore etiam in venaliciis vulgo sanitatem aut morbum venalium experiantur. *Marcell. Empir.* 8. § 2. *sub init.* Lapidis gagatis scripula sex tundes, cribrabis et aqua pluviali vel fontana conspersum pulverem liquidum facies. Sic *Veget.* 1. *Veterin.* 20. 2. et 6. *ibid.* 12. 3. *Schneid.* Lapidis gagatis masculi, lapidis gagatis feminæ uncias etc. Adde *Mythograph.* ab *A. Mai* edit. in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 84. *fab.* 3.; et V. *Salmas.* ad *Solin. p.* 177. et seqq.

GĀISDA, æ *vel* gaisdo, ōnis, f. vulgare nomen herbæ ischiadis vel ischatis vel isatis, teste *Æm. Macr. de Herb. p.* 212. *vetro* ed. *Ald.* Ischas (*al.* Ischias, *al.* Isatis) a Græcis est vulgo gaisda (*vel* gaisdo) vocata, Non modicum quæstum præbens tinctoribus herba.

GĀLACTĪTES, æ, m. 1. *et*

GĀLACTĪTIS, idis. f. 3. γαλακτίτης λίθος et γαλακτιτις, gemma colore lactis, quæ trita lactis succum ac saporem habet. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 59. (162). Dicitur et GALAXIAS, quam voc. *V.* sub 1.

GĀLANGA, atis, n. 3. herbæ nomen, de qua hæc *Æm. Macer de Herb. p.* 245. *vetro* ed. *Ald.* Phlegmonem stomachi sumptum galanga resolvit: Et si phlegmaticus fuerit, corroborat ipsum etc.

GĀLĀTĪCOR, ātis, ari, dep. 1. Galatarum more Judaicas cæremonias Christianis ritibus admiscere. Verbum fictum a *Tertull. advers. Psych.* 14., quemadmodum Latini *græcari* dixerunt. Ejus verba sunt: Horum tempora observantes et dies et menses et annos, galaticamur plane, si Judaicarum cæremoniarum, si legalium solemnitatum observantes sumus.

GĀLAXĒUS, a, um, adject. γαλαξαῖος, ad galaxian, h. e. ad viam lacteam pertinens. *Capell.* 2. *p.* 45. Lætabunda igitur gratesque testata iter in galaxeum (*subaudi* circulum) flectit, ubi senatum deûm a Jove noverat congregatum.

GĀLAXĪAS, æ, m. 1. γαλαξίας. ¶ 1. Est lapis Ægyptius, al. galactites, lactei coloris, intercurrentibus sanguineis, aut candidis venis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 59. (162). ¶ 2. Item via lactea in cælo. *Capell.* 1. *p.* 24. Uti postridie omnis ille deorum senatus in palatis, quæ in galaxia Jovis habitationem potissimam faciunt, diluculo convenirent. *Id.* 8. *p.* 277. Galaxias vero lacteus (*circulus*) obliquorum multo majore ambitu porrectus etiam visibus approbatur. Adde *eumd. ibid. p.* 281.; et *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 4. *sub fin.* et 9.

GALBA, æ, f. 1. vermiculus miræ exilitatis, qui nascitur in æsculis: a colore galbo, ut ait *Sueton. Galb.* 3., qui ibidem addit, galbas a Gallis appellari etiam homines præpingues. Hinc nomen inditum Servio Sulpicio Galbæ septimo Rom. imperatori, cujus vitam habes apud *Sueton.* et *Sext. Aurel. Vict.* — *NB.* De nomine et cogn. Rom. *V.* ONOM.

GALBĀNĀTUS, a, um, adject. galbano indutus. *Martial.* 3. 82. Jacet occupato galbanatus in lecto: Cubitisque trudit hinc et inde convivas. *Al. leg.* galbinatus. *V.* in GALBANUM.

GALBĀNĒUS a, um, adject. *di galbano,* ex galbano. *Virg.* 4. *G.* 264. Hinc jam galbaneos suadebo incendere odores. *Id.* 3. *ibid.* 415. Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.

GALBĀNUM, i, n. 2. In Vulgata *Eccli.* 24. 21. dicitur et *galbanus*. — Græca forma *chalbane* habet *Marc. Dig.* 39. 4. 16. § 7.

I.) Proprie. ¶ 1. Galbanum, Græce γάλβανον, χαλβάνη, ab Hebr. חֶלְבְּנָה *chelbenà*, quod a חֵלֶב *pinguedo*, quia pingue est instar resinæ: succus, seu lacrima ex arbore ferulacea cognomine destillans resinæ modo, in Amano Syriæ monte. Quod maxime laudant cartilaginosum, purum, ad similitudinem hammoniaci, minimeque lignosum. Sincerum si uratur, fugat nidore serpentes. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 56. (126)., qui 24. *ibid.* 5. 13. (21). varios ejus recenset usus in medicina. *Lucan.* 9. 916. Hic ebulum stridet, peregrinaque galbana sudant. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 5. 18. et 10. *ibid.* 17.; *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 8.; *Sueton. Galb.* 3.; et *Calpurn.* 5. *Ecl.* 89. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 55.) hanc exhibet synonymiam: Γελβάνη vel μετώπιον Græcor.; et *Galbanum* Plin., Colum., Pallad. et Virg. loc. cit. sunt *Ferula africana galbanifera folio et facie ligustici* Herm. parad. tab. 163., seu *Bubon Galbanum* L. Spec. plant. 364. ¶ 2. Item genus vestimenti delicatioris, fortasse a colore galbani, vel a *galbus*, quod in *Gloss. Philox.* exponitur χλωρός, viridis, seu herbacei coloris, uti docet *Lips. Elector. l.* 1. *c.* 13. *sub fin.* Porro quum virilium togarum color esset albus, h. e. nativi coloris lanæ; alter ille viridis et herbaceus feminarum fuisse videtur, virorumque effeminato vestitu otentium. *Juvenal.* 2. 96. vitreo bibit ille Priapo, Reticulumque comis auratum ingentibus implet, Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa. Hinc *galbanus* adjective pro effeminato. *Martial.* 1. 97. habeat et licet semper Fuscos colores, galbanos habet mores. *Salmas.* ad *Lamprid.* in *Alex. Sev.* 41. legit *galbinum*, qua vestem coloremve significat: nihil enim commune habere cum *galbano*, lacrima: sed esse a *galbus*, seu *galbeus*, et ut est in *Gloss. Philox.* *gălvus*, et *galveus*, χλωρός, viridis, glaucus; item flavus, aut luteus: χλωρός enim tum viridem significat, tum colorem eum, qui in herbis arescentibus et flaccescentibus, pallore ad flavum, seu aureum accedente, apparet. Eadem ratione *galbinatus* legi vult apud *Martial.* pro *galbanatus*: et *galbinos mores* pro *galbanos* apud eumd. *loc. cit.* Porro *tunicam galbinam* apud *Vopisc. Aurelian.* 34. Idem *Salmas.* vult esse non viridis, sed aurei coloris, quia ibi de imperatoris ornatu sermo est. In illo *Petronii in fragm. Tragur.* 67. *Burmann.* galbino succincta cingillo: galbinum de alterutro colore intelligere licet, seu viridi, seu luteo.

II.) Translate. *Martial.* 1. 97. *loc. supra cit.* sub 2.

GALBĀNUS *vel* galbinus, a, um, adject. idem ac galbus, seu qui est galbi coloris.

1.) Proprie. *Juvenal.* 2. 97. Galbana vestimenta. *Vopisc. Aurelian.* 34. tunica. *Petron. fragm. Tragur.* 67. *Burmann.* Cingillo galbino. *Vide* hæc omnia in voce præced. sub I. 2.

II.) Translate. *Martial.* 1. 97. Galbani mores. *V.* voc. præced. sub I. 2.

GALBĒUM, i, n. 2. *et*

GALBĒUS, i, m. 2. ¶ 1. Galbeos (*calbeos* habet *Paul. Diac. p.* 46. 19. *Müll.*) armillas dicebant, quibus triumphantes utebantur, et quibus ob virtutem milites donabantur. *V.* CALBEI. Idem *Paul. Diac. p.* 96. 6. *Müll.* Galbeum, ornamenti genus. *Cato* apud *Festum p.* 262. 34. *Müll.* Mulieres opertæ auro purpuraque, etc. coronas aureas, cusseas fascias, galbeos, lineas, pelles, etc. *Müllerus* inter *galbeos* et *lineas* non distinguit; *Jordan* mallet *galbeos lineos*, atque hos fasciis similes fuisse suspicatur. ¶ 2. Alia notio hujus nominis colligitur ex illo *Sueton. Galb.* 3., uti ejus appellationis originem quærens, *alii*, inquit, *putant, quod in diuturna valetudine galbeo, idest remediis lana involutis assidue uteretur.* Videtur enim significare fasciam in armillæ modum brachio circumdatam, in qua remedia, seu amuleta involuta essent.

GALBĪNĀTUS, a, um. *V.* GALBANATUS.

GALBĪNĒUS, a, um, adject. idem ac galbus: de quo in GALBANUM I. 2. dictum est. *Veget.* 1. *Veterin.* 17. 14., ubi eryngium herbam in littore nascentem ait florem habere coloris galbinei, quem *Turnebus l.* 17. *c.* 8. scribit, ab eruditissimo herbario se accepisse, coloris esse cærulei dilutioris et pallescentis: et *Salmasius* ad *Vopiscum* in *Aurelian.* 34. observat ex *Dioscoride*, colorem ejus fuisse aureum; qui fere cum cæruleo dilutiore et pallescente convenit: quod confirmat ipse *Veget.*, qui ait 4. *Veterin.* 3. 7. *Schneid.* Eryngion autem herba florem habet quasi aureum vel galbineum.

GALBĪNUS, a, um. *V.* GALBANUS.

GALBŬLA, æ, f. 1. *rigogolo,* ἴκτερος, avicula, quæ, uvis maturescentibus, calamis et retibus capitur: a *galbulus*, quia galbi, hoc est, viridis coloris est. Eodem vocatur *chlorion* et *vireo*. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 28. (94). *galgulum* videtur appellare, quem eumdem facit, atque ἴκτερον. Sed *Plinii* locus corruptus videtur alis, et *galbulus* reponendum esse, eodem tamen sensu. *Martial.* 13. 68. Galbula decipitur calamis et retibus ales, Turget adhuc viridi quum rudis uva mero. — Ceterum hoc voc. videtur esse adjectivum deminutivum a *galbus*, sed absolute substantivorum more usurpatum, ita ut *galbula* sit *galbula avis*.

GALBŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a galbus, ut Galbula avis, apud *Martial.* *V.* vocem præced.

GALBŬLUS, i, m. 2. pilula cupressi arboris, in qua semen reconditur. *Varro* 1. *R. R.* 40. 1. Non enim galbuli, qui nascuntur, etc.

GALBUS, a, um, adject. qui coloris est viridis, vel flavi. *V.* in GALBANUM I. 2. — De galbis nucibus apud *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (90). *V.* dicta in CALVUS.

GĂLĔA, æ, f. 1. cassis, tegumentum capitis ad munimentum in bellis contra ictus ac tela. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (200). Galeam, gladium, hastam Lacædemonii invenere. Videtur esse a γαλέη, mustela, vel mustelina pellis: quod ex ejus corio galea olim fieret, ut eadem a Græcis etiam κυνέη vocatur, quod e canis corio fieri soleret: ita quoque Itali *celata* appellant, quod *cælata opere Corinthio* esset, ut ait *Cic. loc.* mox *citand.* *V. Servii* locum in GALERUS. Gr. κόρυς (It. *celata, elmo, barbuta*; Fr. *casque*; Hisp. *casco*; Germ. *d. lederne Helm*, *Helm*; Angl. *a helmet, helm, head-piece, cask, morion*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 3. Configunt parmam, tinnit hastilibus umbo Ærato sonitu galeæ. *Cic.* 6. *Verr.* 44. 97. Loricæ galeæque æneæ, cælatæ opere Corinthio. *Virg.* 2. *G.* 142. galeis densisque virum seges horruit hastis. *Id.* 8. *Æn.* 620. Terribilem cristis galeam flammasque vomentem. *Id.* 9. *ibid.* 365. (et *Cæs.* 2. *B. G.* 21.) galeam habilem cristisque decoram induere. *Id.* 12. *ibid.* 537. Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro. *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 25. Sub galea pastor junctis pice cantat avenis. *con l'elmo in testa.* *Id. Heroid.* 13. 140. galeam imponere alicui. *Id. ibid.* 147. resolvere. *Propert.* 4. 10. 20. galea lupina. *Seneca Phœniss.* 481. Galeam adstringere. *allacciare.* *Val. Flacc.* 7. 626. Et galeæ nexus ac vincula dissipat imæ. *Id.* 6. 365. molles galeæ habenæ. *Id. ibid.* 379. Galea ferina. *h. e.* ex feræ corio facta, vel feræ pelle contecta. *Stat.* 3. *Theb.* 223. galeæ teretes. *Horat.* 1. *Od.* 2. 38. leves. *Virg.* 5. *Æn.* 490. ærea. Adde *Sueton. Cal.* 25. et 46.; *Tac. Germ.* 6.; et *Veget.* 2. *Milit.* 17. — *b*) In sortitionibus militaribus galea pro urna utebantur. Testis *Virg.* 5. *Æn.* 490. et 498. — *c*) Poculi quoque usum præbet militibus. *Propert.* 3. 10. 8. Potabis galea fessus Araxis aquam. *Tibull.* 2. 6. 7. erit hic quoque miles ipse, levi galea qui sibi portet aquam. — *d*) Fuisse veteribus galeas, quæ faciem quoque tegerent, quæ pars *visiera* dicitur, satis colligitur ex illo *Sil. It.* 14. 636. galeis abscondunt ora malasque, Ne sit spes hosti, velatur casside pallor. et *Stat.* 4. *Theb.* 20. galeis juvat oscula clausis inserere. et *Quintil.* 3. *Declam.* 12. Clausam galea faciem, et ad terrorem belli cristas minantes. — *e*) *Galeæ loquuntur* gnome est apud *Fronton.* ad *L. Ver. imp.* 1. *p.* 181. Plerique ante parentes vestros propemodum infantes et elingues principes fuerunt,

qui de rebus militiæ a se gestis nihil magis loqui possent, quam galeæ loquuntur. — *f*) Fuit etiam nomen trieris in classe Ravennate, quod inditum ei fuisse apparet, quia ejusdem insigne galea erat; id enim innuere videtur *Ovid.* 1. *Trist.* 10. 1. Est mihi, sitque, precor, flavæ tutela Minervæ Navis, et a picta casside nomen habet. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 364. 2. CHALLAEVS DIOCLIS F. GVBERNATOR DE GALEA TRIERIS. Id populariter pro *de Galea triere* dictum videtur. Idem *Maffejus loc. cit.* hinc repetendam putat vocem *galéa*, qua Itali appellant navis cujusdam genus. V. *Letronne* ad *Dimilum p.* 125.; et *Gesenium de ling. Phœn. p.* 301.-303. — *g*) Num *galea* pro femineo galero sit interpretanda, vide in v. GALENUS in ONOM.

II.) Impropria per similitudinem dicitur de apice in capitibus gallinarum Africanarum. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 2. Africana rutilam galeam et cristam capite gerit: quæ utraque sunt in meleagride cærulea.

Homonym. Quid differant *galea* et *cassis*, *V.* CASSIS, idis.

GĂLĔĀRĬA, a galearum similitudine dicta. *Paul. Diac. p.* 96. 10. *Müll.*, ubi alii leg. *Galerita. V.* GALERITUS et voc. seq.

GĂLĔĀRĬI, ōrum, m. plur. 2. Inter calones ponuntur a *Veget. de re milit. l.* 3. *c.* 6. *a med.*, fortasse quia galeas et cetera arma suggerebant militibus: vel intelligit duces calonum, et ob id galea armatos. *Veget. loc. cit.* De ipsis calonibus, quos galearios vocant, idoneos ac peritos usu legebant, quos non amplius quam ducentis sagmariis puerisque præficerent. *Id.* 1. *ibid.* 10. Vel lixas (quos galearius vocant) ad natandum exercere percommodum est. *Isid. Gloss.* Calones, galearii militum. *Caper de orthogr. p.* 2245. *Putsch.* Sic militis puer galearius recte dicitur, nam galearia solœcismus: non est puer galearia, nam puer, ac sic rite voces, puer est galearius, hic ἀσόλοικος. *h. e.* sine vitio.

GĂLĔĀRIS, e, adject. ad galeam pertinens, ut Galearis reticula, *Claud. Quadrigar.* apud *Non. p.* 223. 2. *Merc.*

GĂLBĀTUS, a, um. *V.* GALEO.

GĂLĒNA, æ, f. 1. μολύβδαινα. ¶ 1. Est plumbi et argenti vena communis, ut *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 53. (173). et 33. *ibid.* 6. 31. (95). docet. ¶ 2. Paullo aliter *Id.* 34. *ibid.* 16. 47. (159). Plumbi nigri origo duplex est. Aut enim sua provenit vena, nec quidquam aliud ex sese parit: aut cum argento nascitur mixtisque venis conflatur. Hujus, qui primus fuit in fornacibus, liquor stannum appellatur; qui secundus argentum; quod remansit in fornacibus, galena, quæ fit tertia portio additæ venæ.

GĂLĔO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Galeatus* in fin. — Galeare est galea tegere, induere, *porre la celata. Auct. B. Afr.* 12. Milites in campo jubet galeari, et ad pugnam parari. *Cinna in epigramm.* apud *Non. p.* 87. 28. *Merc.* miseras audet galeare puellas. — Hinc Part. præter. pass.

Galeatus, a, um, sæpius usurpatur, et est galea indutus, *armato di celata*, κορυστής.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. 100. Et barbati quidem Jovis, galeatæ Minervæ. *Trebell. Poll. XXX. Tyr.* 30. Zenobia galeata processit. *Frontin.* 11. *Strateg.* 1. 27. Galeati centuriones. — Hinc accipitur etiam absolute pro milite galeato. *Juvenal.* 1. 169. galeatum sero duelli Pœnitet. *Vulgat. interpr.* 2. *Machab.* 5. 3. Contigit videri — congressiones fieri comminus, et scutorum motus, et galeatorum multitudinem gladiis districtis.

II.) Translate. *Galeatus prologus* dicitur per metaphoram, in quo ea dicuntur, quæ faciunt ad tuendam auctoritatem libri, cui præponitur. Ita prologum suum inscripsit *Hieronymus*, quem S. Scripturæ prælisit. Alii aliter explicant. *V. Voss. l.* 3. *Institut. orator. c.* 2. *sect.* 11. *sub fin.* — Hinc

Galeatus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, pro milite galeato, *V.* supra sub I.

GĂLĔOBDŎLON, i, n. 2. γαλεόβδολον, flatus ventris, quem feles emittit: a γαλέη *feles* et βδόλον *flatus ventris*. Ita etiam vocatur herba quædam a *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 57. (81)., de qua vide in GALEOPSIS.

GĂLĔŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* galea, parva galea, κορύδιον; sed occurrit translate tantum, et est vas sinuosum in galeæ similitudinem factum. *Varro* apud *Non. p.* 547. 23. *Merc.* Ubi erat vinum in mensa positum, aut galeola, aut sinu?

GĂLĔOPSIS, is, f. 3. quæ et galeobdolon, et galion, γαλίοψις, γαλεόβδολον, γάλιον, herba est, quæ caulem et folia habet urticæ leviora, et quæ gravem odorem trita reddant, flore purpureo: nascitur circa sæpes ac semitas ubique. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 57. (81). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 451.) hanc exhibet synonymiam: Γαλίοψις, οἱ δὲ γαλεόβδολον *Dioscor.* 4. 95., et *Galeopsis* vel *Galeobdolon* vel *Galion* Plin. loc. cit. sunt *Lamium purpureum* L. Spec. plant. 809.

GĂLĔOS, i, m. 2. γαλεός, piscis genus, al. mustela et canicula marina, quod a Rhodiis olim in maximo pretio habitum est. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 12. (25). Nihil venenatius, quam in mari pastinaca: hanc tamen persequitur galeos.

GĂLĔŌTES, æ, m. 1. γαλεώτης, species est stellionis, al. colotes et ascalabotes, qui *Plinii* ætate in Italia non nascebatur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 28. (90).

GĂLĒRA. *V.* GALERUS.

GĂLĒRĪCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* galerus *vel* galerum. ¶ 1. Est parvus galerus, *parrucchino*, πιλίδιον. *Sueton. Oth.* 12. Galericulo capiti, propter raritatem capillorum, adaptato et adnexo, ut nemo dignosceret. *Martial.* 14. 50. cujus lemma est *Galericulum*. Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos, Hac poteris madidas condere pelle comas. ¶ 2. Est etiam parva galea, qua caput tegebant velites. *Frontin.* 4. *Strateg.* 7. 29. Q. Nævius centurio in exercitu Fulvii Flacci proconsulis excogitavit, ut delectos ex toto exercitu, qui velocissimi videbantur, et mediocris erant staturæ, parmulis non amplis, et galericulis gladiisque, ac septenis singulos hastis quaternorum circiter pedum armaret.

GĂLĒRĪTA. *V.* voc. seq.

GĂLĒRĪTUS, a, um, adject., vel potius part. præter. pass. ab inusit. *galerire*,

I.) Proprie est galero tectus. *Propert.* 4. 1. 29. Prima galeritus posuit prætoria Lucmo. *h. e.* adhuc rusticus et rudis homo, galero enim utebantur rure homines rustici.

II.) Improprie *galerita avis* est alauda, apicem galeri similem in capite habens, κορυδαλλίς, *lodola*. *V.* ALAUDA. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 44. (121). Apex parvæ avi, quæ ab illo galerita appellata quondam, postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudæ. *Id.* 30. *ibid.* 7. 20. (62). Avis galerita assa in cibo sumpta. Adde *Seren. Sammon.* 5. 577. — Hinc

Galeritus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, subaudi *ales*, est eadem alauda. *Varro* 5. *L. L.* 76. *Müll.* Galeritos, et motacilla: alter, quod in capite habet plumam elatam, altera etc.

GĂLĒRUM, i, n. 2. et *sæpius*

GĂLĒRUS, i, m. 2. Neutro genere *galerum* dixit *Fronto* teste *Servio* ad *Virg.* 7. *Æn.* 688., *Apul. de Mag.* loc. cit sub I., et *Hieronym. Ep.* 128. — *Galera, æ*, f. 1. antiquum est. *C. Gracchus* apud *Charis.* 1. *p.* 61. *Putsch.* Cum galera visi sunt. — Ceterum galerus est rotundum tegumentum capitis, pileolus: a *galea* dictus, ut videtur, κυνέη, πῖλος (It. *cuffia, berretta, berrettone*; Fr. *coiffure, casquette, bonnet, chapeau*; Hisp. *tocado, casco, bonete*; Germ. *Kopfbedeckung aus Fellen, Mütze, Kappe*; Angl. *a round hat, or cap, like a helmet*).

I.) Proprie. — *a*) *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 683. Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes utuntur, apicem, tutulum, galerum: apicem, pileum sutile, circa medium virga eminente: tutulum, pileum lanatum metæ figura: galerum, pileum ex pelle hostiæ cæsæ. Hæc *Servius*, ex quibus colligitur, galerum proprie esse sacerdotum et ex pelle. *Varro* apud *Gell.* 10. 15. *extr.* Flamen Dialis solus album habet galerum. *Apul. de Mag.* Hoc Diogeni pera, quod regibus diadema, quod pontificibus galerum. — *b*) Verum et alii galero usi. *Virg.* 7. *Æn.* 688. fulvosque lupi de pelle galeros Tegmen habent capiti. *Id. Moret.* 121. *de aratore.* Ambit crura ocreis paribus, tectusque galero etc. *Sueton. Ner.* 26. Post crepusculum statim, arrepto pileo vel galero, popinas inibat. *Grat. Cyneg.* 339. Sit famulis vitulina tuis, aut tergore fulvo Mantica, curta chlamys, canæque e mele galeri. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 6. vicinis cur non succedimus umbris? Torrida cur solo defendimus ora galero? *Stat.* 1. *Theb.* 305. *de Mercurio.* Obnubitque comas et temperat astra galero. *Juvenal.* 8. 207. *de gladiatore.* de faucibus aurea quum se Porrigat et longo jactetur spira galero. *Val. Flacc.* 4. 138. umbrataque vidit Tempora Parrhasio patris de more galero. *Id.* 6. 225. Tenvia non illum candentis carbasa lini, Non auro depicta chlamys, non flava galeri Cæsaries, pictoque juvant subtemine braccæ. *Juvenal.* 6. 120. *de Messalina.* nigrum flavo crinem abscondente galero, Intravit calidum veteri centone lupanar. *h. e.* flava calvatica nigros crines operiente. — *c*) De galero histrionum *V.* in PERSONA. — *d*) Palæstritæ galerum adhibebant, ne capitis coma ceromate inquinaretur. *V.* locum *Martial.* in GALERICULUM. 1. — *e*) Galerum item vocarunt pellem habentem appositos crines humanos, tanto artificio, ut vera hominis cutis verique crines viderentur, *parrucca*, *V.* locum *Sueton.* ibidem.

II.) Translate. *Auson. Edyll.* 14. 25. *de rosa.* Hæc viret angusto foliorum tecta galero. *h. e.* involucro, antequam expandatur.

GALGŬLUS, i, m. 2. *V.* GALBULA.

GĂLĬON, ii. *V.* GALEOPSIS.

GALLA, æ, f. 1. Carere plurali numero, monent *Charis.* 1. *p.* 19. *Putsch.* et *Diomed.* 1. *p.* 314. Sed occurrit apud *Gargil. de pom.* (edente *A. Mai* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 426.) Ossa eorum (*nicolaorum*) combusta et trita cum gallis granati. Adde *Capell.* infra *cit.* sub I. in fin. — Galla est fructus arborum glandiferarum, globi fere figura, inæquali superficie, et sine semine intus: in quo differt a glande, quæ plerumque oblonga est, et semen habet arboris, ex qua nascitur. Volunt esse per syncop. ex βάλανος. Græce κηκίς (It. *galla, gallozza*; Fr. *galle, noix de galle*; Hisp. *agalla*; Germ. d. *Gallapfel, Eichapfel*; Angl. *gall, oak-apple*).

I.) Proprie. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 9. (26). Quæ glandem ferunt, omnes et gallam, alternisque annis glandem. *Colum.* 9. *R. R.* 13. 7.; et *Pallad.* 4. *R. R.* 15. 2. gallæ pulverem inter apum remedia enumerant. *Veget.* 3. *Veterin.* 62. 1. Galla Syriaca. Adde *Scribon. Compos.* 81. et 208. — Nonnulli apud *Servium* ad *Virg.* 4. *G.* 267. gallam pilus cupressi accipiunt: sed *Colum.* 6. *R. R.* 7. 2. hanc ab illis distinguit. Cupressini, inquit, quindecim coni, totidemque gallæ. — Usus ejus est coriis perficiendis, et tingendis nigro colore tum iis, tum lanis, tum capillis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 9. (26). et 24. *ibid.* 4. 5. (10). Quare inter sutoria instrumenta enumeratur: ex quo jocus sutoris cujusdam, qui interrogatus a Planco, quo se artificio tueretur, respondit, *gallam subigo*, ambiguitate vocis adulterium ei objiciens. Nam Plancus in Mævia Galla nupta male audiebat. *Macrob.* 2. *Saturn.* 2. *V.* SUBIGO. — Varios ejus usus in medicina recenset *Plin.* 24. *Hist. nat.* 4. 5. (9). — Etiam veteres gallis usi sunt ad atramentum scriptorium, nunc Italis *inchiostro*, conficiendum. *Capell.* 3. *p.* 49. In quo et cera fago illita, et gallarum gummeosque commixtio, et Niloticæ fruticis collemata notabantur. *h. e.* tabellæ ceratæ, atramentum scriptorium gummi et Nilotici papyri.

II.) Translate. In illo *Lucilii* apud *Non. p.* 445. 18. *Merc.* Quæ gallam bibere, et rugas conducere ventri Farre aceroso, oleo decumano, pane coegit Cumano: *gallam* nonnulli intelligunt vinum deterius, acerbius, austeriusque: galla enim asperi gustus est. Præmonet autem, inquit *Paul. Diac. p.* 96. 3. *Müll.*, parsimonia esse utendum, neque gulæ indulgendum, ventremque coartandum.

GALLA, æ, f. 1. vir sacerdos Cybeles. *V.* GALLUS in LEXICO secundo loco in fin.

GALLANS, antis. *V.* GALLO, as.

GALLĀRĬUS, cerdo. *Gloss. Isid.* et *Gloss. Pith.* V. *Gallam subigo* in v. GALLA I.

GALLĬAMBICUS. *V.* GALLIAMBICUS.

GALLIAMBUS. *V.* GALLIAMBUS.

GALLĬCÆ, ārum, f. plur. 1. (ab adject. *Gallicus* absolute usurp.) genus calceamenti, quo utebantur Galli, et paullatim Romani quoque adhibuerunt. Videtur esse id genus calceamenti, quod Italice nunc *galoscia* dicitur. *Cic.* 2. *Phil.* 30. 76. Nam quod quærebas, quomodo redissem, primum luce, non tenebris, deinde cum calceis et toga, nullis nec gallicis, nec lacerna. *et mox.* Per municipia coloniasque Galliæ cum gallicis et lacerna cucurristi. Al. leg. *caligis*: sed hunc ipsum locum *Gell.* 13. 21. referens, *gallicis* habet, docetque simul, verbum esse novum, non diu ante Ciceronis ætatem usurpari cœptum:

esse autem ex eorum calceamentorum genere, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cetera prope nuda, et teretibus habenis vincta sunt, quæ Latino vocabulo soleæ, Græco crepidæ et crepidulæ dicuntur. Porro ex Cic. discimus, probro fuisse, si Romanus civis, præsertim aliqua dignitate aut honoribus, externo hujusmodi cultu uteretur. *Edict. Diocist. p.* 21. Gallicæ viriles rusticanæ bisoles par ✕ octoginta, gallicæ viriles monosoles par ✕ quinquaginta, gallicæ cursoriæ par ✕ sexaginta. *Hieronym. præf. in Reg. S. Pachom. n.* 4. Nihil habent (*monachi*) in cellulis præter balteolum lineum et gallicas ac bacillum itineris socium.

GALLĬCĀRĬUS, ii, m. 2. qui gallicas conficit. *Hieronym. præf. in Reg. S. Pachom. n.* 6. Fratres ejusdem artis in unam domum sub uno præposito congregantur, verbi gratia, ut qui texunt lina, sint pariter; qui mattas, in unam reputantur familiam; sarcinatores, carpentarii, fullones, gallicarii seorsum a suis præpositis gubernantur.

GALLĬCĒ, adverb. Gallorum more. *Varro* apud *Gell.* 2. 25. A Gallo et Mauro Gallice et Maurice dicimus. *Gell.* 11. 7. Quasi nescio quid Tusce, aut Gallice dixisset, universi riserunt.

GALLĬCĬNĬUM, ii, n. 2. *quella parte della notte, quando cantano i galli*, ἀλεκτοροφωνία, pars noctis, qua galli cantant, quæ est quarta castrensis vigilia, ut *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 21. (16). docet. *Apul.* 8. *Met. init.* Noctis gallicinio venit quidam juvenis ex proxima civitate. *Ammian.* 22. 14. Secundis galliciniis videtur primo solis exortus. — In divisione diei civilis, qui a media nocte incipit, primum diei tempus dicitur mediæ noctis inclinatio, deinde gallicinium, inde conticuum, quum et galli conticescunt etc. *Macrob.* 1. *Saturn.* 3. *a med.*; et *Censorin. de die nat.* 21.

GALLĬCRUS, üris, n. 3. herba, cujus cacumen pedi galli simile est. *Apul. Herb.* 44.

GALLĬCULÆ, ārum, f. plur. 1. *deminut. a* gallicæ, parvæ gallicæ. *Hieronym. in Reg. S. Pachom. n.* 101. Nullus vadat ad collectam, vel ad vescendum habens gallicculas in pedibus, vel palliolo lineo invittatus, sive in monasterio, sive in agris. *Id. ibid. n.* 104. Gallicculas, et si quid aliud jungendum est vel componendum, absque eo, cui hoc ministerium delegatur a præposito domus, facere nullus audebit. — **Gallicula**, cortex nucis juglandis viridis, per quem corpus humanum intelligi vult. Ita *Placidi Gloss.* ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 467.

GALLĬCŬLANS, antis, adject. vel part. præs. ab inusit. *gallicŭlo*, quod significare videtur insaniam immittere, qualis erat Gallorum Cybeles sacerdotum propria. *Plin. Valerian.* 1. 37. Semen herbæ galliculans, quam alii dentaiem, alii symphoniacam dicunt, mittes super carbones, et per trajectorium totum fumum ore trahas; omnes gingivas exsiccat, et humores quoque producit, et dentes firmat. — Ex his apparet, hujusmodi semen galliculans esse herbæ hyoscyami, quam, ut ait *Apul. Herb.* 4., Galli belli nunciam vocant. *V.* SYMPHONIACUS.

GALLĬDRAGA, æ, f. 1. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 62. (89). Gallidragam vocat Xenocrates leucacantho similem, palustrem et spinosam, caule ferulaceo, alto, cui summo capite inhærrat simile ovo, in hoc crescente æstate vermiculos nasci tradit, quos pyxide conditos adalligari cum pane brachio ab ea parte, qua dens doleat, mireque illico dolorem tolli. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 453). ait hanc plantam minime definiri posse: juxta *Harduin.* ea est *Dipsacus pilosus* L.

GALLĬAMBĬCUS *vel* galliambicus, a, um, adject. ad galliambum pertinens. *Mar. Victorin.* 2. *Art. gramm. p.* 2512. *Putsch.* Si tetrametri versus catalectici, qui in hujusmodi metro habendi sunt, longas in breves solverint, metrum efficient galliiambicum, dictum quasi Γαλλῶν ἴαμβοι, id est maledicta, quibus nonnunquam conviciantur. *Id.* 4. *ibid. p.* 2602. Ex hoc galliiambicum quod vocatur metrum, emollita ac tremula modulatione formatum manare dinoscitur. Nam si comma superioris versiculi repetendo geminaveris, ita tamen ut sequentis clausulæ ultimam syllabam subtrahas, versum galliiambicum efficies. *et mox.* Quod quidam metroiacum (*lege* metroiacobum), eo quod deûm Matris cantibus aptum sit, meritoque etiam galliiambum (*lege* galliiambicum) a Gallis ministris deæ appellarunt, ut versus isti testantur: Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos, Sonat hoc subinde cantu Cybeleium nemus, Nomenque galliiambis memoratur hinc datum. Adde *eumd.* alibi; et *Serv. Centim. p.* 1826. *Putsch.*

GALLĬAMBUS *et poetice* galliambus, i, m. 2. genus carminis, quod a Gallis Cybeles sacerdotibus canebatur: constat enim iambico metro peculiari, ut *Super alta vectus Atys celeri rate maria. Martial.* 2. 86. Nec dictat mihi luculentos Atys Mollem debilitate galliambon. Adde *Quintil.* 9. 4. 6. *Diomed.* 3. *p.* 513. *Putsch.* Galliambum metrum apud Mæcenatem tale est, *Ades, inquit, o Cybele, fera montium dea.* Superius comma, quod est, *Ades, inquit, o Cybele*, simile est illi, *vice veris et Favoni.* Inferius comma superiori simile esset, nisi amisisset ultimam syllabam. Galliiambum aliud ex ipso factum, et simillimum esset, nisi quod et enervatius fieret et mollius, secunda aut tertia ab ultima syllaba in duas breves geminata est, et factum tale: *Latus horreat flagello, comitum chorus ululet.* Si esset sic: *comitum chorus volet*, esset illi simile, *fera montium dea.* Hæc *Diomed.* V. et voc. præced. in fin.

GALLĪNA, æ, f. 1. avis domestica, ἀλεκτορίς (It. *gallina*; Fr. *poule, femelle du coq*; Hisp. *gallina*; Germ. *d. Henne*; Angl. *a hen*). Occurrit — a) Generatim. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 28. An, obsecro hercle, habent quoque gallinæ manus: nam has quidem (*tabellas*) gallina scripsit. *Cic. Senect.* 16. 56. Villa abundat porco, hœdo, agno, gallina, etc. *Varro* 3. *R. R.* 9. 1. Sunt gallinæ generum trium, villaticæ, et rusticæ, et Africanæ. *V. Colum.* 8. *R. R.* 2. 1.; et adde *Caton. R. R.* 89.; *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 124.; *Sueton. Tib.* 4.; *Scribon. Compos.* 39.; *Pallad.* 1. *R. R.* 27.; et *Veget.* 4. *Veterin.* 2. 13. et 5. *ibid.* 84. 1. *Schneid.* — b) Gallina canens ex priscorum superstitione notabat, in illa domo uxorem marito superiorem (*al.* *superstitem*) fore. Ita *Donatus* ad illud *Ter. Phorm.* 4. 4. 26. Anguis per impluvium decidit de tegulis: gallina cecinit. — c) Gallinæ vox est etiam inter blanditias amantium apud *Plaut. Asin.* 3. 3. 76. Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem, etc. — d) *Gallinæ albæ filius*, h. e. felix, fortunatus, nobilis, quia albæ gallinæ rariores sunt et boni ominis. *Juvenal.* 13. 141. Quia tu gallinæ filius albæ, Nos viles pulli nati infelicibus ovis. — e) Cur Æsculapio immolaretur gallina, *V.* ÆSCULAPIUS in ONOM. — f) *Ad gallinas* villa fuit Romæ suburbana ad nonum lapidem, Tiberi imposita, ita dicta, quod ibi Liviæ Cæsari Augusto pactæ, gallinam eximii candoris sedenti in gremium aquila abjecit, laureum ramum rostro tenentem, in omen futuræ magnitudinis, qua nutrita tanta pullorum soboles provenit, ut villæ nomen fecerit. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 40. (137); et *Sueton. Galb.* 1. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

GALLĪNĀCĔUS, a, um, adject. qui ex gallinis est, *di gallina*, ἀλεκτόρειος. *Varro* 3. *R. R.* 9. 10. Gallinaceis enim pullis bis deni dies opus sunt. *Cic. Mur.* 29. 61. Gallus gallinaceus. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 34. 74. et 2. *ibid.* 26. 56. Sic *Lucilius* apud *Non. p.* 427. 26. *Merc.* Gallinaceu' quum victor se gallus honeste Sustulit in digitos, primoresque erigit ungues. Pro quo dicitur et *gallinaceus* absolute. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (144). Alectorias (*gemmas*) vocant in ventriculis gallinaceorum inventas. *Cato R. R.* 171. Gallinaceum ovum. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 10. Gallinaceum genus. *Id. ibid.* 2. 9. Gallinacei mares salacissimi. *et ibid.* 11. 5. Gallinacea salacitas. Adde *Sueton. Vitell.* 9. et 18.; *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (52). et 10. *ibid.* 21. 25. (50).; et *Vopisc. Tac.* 11. — *Gallinaceum lac*, proverbium est, quo rerum omnium copia significatur. *Plin. proœm. Hist. nat.* § 23. Ut vel lactis gallinacei sperare possis haustum. *latte di gallina*, γάλα ὀρνίθων. — Hinc

Gallinaceus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est gallus gallinaceus. *V.* supra.

GALLĪNĀGO, inis, f. 3. *V.* voc. seq. in fin.

GALLĪNĀRĬUS, a, um, adject. ad gallinas pertinens. *Cels.* 8. 15. Gallinaria scala, *scala da mano*, scalæ breviores et leviores, cujusmodi sunt, quibus gallinæ in tabulata et cubilia gallinarii scandunt. *Colum.* 8. *R. R.* 8. 5. et *ibid.* 10. 6. Gallinaria vasa. *h. e.* quibus potus præbetur gallinis. — Hinc

Gallinarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui gallinarum curam habet, *il gallinajo*. *Varro* 3. *R. R.* 9. 7. Qua gallinarius, curator eorum, ire possit. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 26. 86. Quoniam gallinarium invenisti Deliacum illum, qui ova cognosceret.

Gallinarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est locus, in quo aluntur gallinæ, *pollajo*, ὀρνιθών. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 1. Gallinaria constitui debent parte villæ, quæ etc. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (51).

Gallinaria insula et *Gallinaria silva*, *V.* ONOM.

GALLĪNŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* gallina, parva gallina, *gallinella*, ἀλεκτορίς. *Arnob.* 7. 8. Gallinulam, vitulum concremare. *Avien. prognost. Arat.* 387. (*al.* 1711.) Pectora quum corvo purgat gallinula rostro. *Apul.* 2. *Met.* Mittit mihi seniola, porcum opimum et quinque gallinulas.

GALLO, as, are, n. 1. insanire, more Gallorum, Cybeles sacerdotum, qui paullo impudentiores erant: ut bacchari est Bacchum imitari, βακχεύειν. De Part. *Gallans* solummodo exemplum est *Varron.* apud *Non. p.* 119. 2. *Merc.* Et (*Galli sacerdotes*) dum gallantes vario retinebant studio. *Riese* conjecit: *vario recinebant strepitu*. Ceterum *Id.* apud *eumd. ibid.* et in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 31. *Burmann.* Nam quæ venustas his adest gallantibus. *V.* BALLATOR; et *Morell. Thes. Prosod. p.* 178. *in not.*

GALLŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* galla, parva galla. *Veget.* 3. *Veterin.* 49. 3. *Schneid.* Præterea atramentum sutorium, gallulas minutas et alumen æquis ponderibus tunsum cum axungia miscebis. *V.* GALLA 1. in fin.

GALLŬLASCO, is, ere, n. *inchoat.* 3. dicitur de voce puerorum, quæ circa pubertatem crassior fit, similisque voci galli gallinacei. *Nævius* apud *Non. p.* 116. 26. *Merc.* Puer, cujus vox gallulascit.

GALLUS, i, m. 2. avis domestica, quam vulgo *gallum gallinaceum* vocant, ut illam distinguant a Gallis populis, seu Francis, item a Gallis sacerdotibus, ἀλέκτωρ (It. *gallo*; Fr. *coq domestique, coq*; Hisp. *gallo*; Germ. *Haushahn*; Angl. *a cock*). Occursit — a) Generatim. *Cic.* 2. *Divinat.* 26. 56. causam explicat, cur ante lucem galli canant. *Martial.* 9. 69. Nondum cristati rupere silentia galli. *Horat.* 1 *Sat.* 1. 10. sub galli cantum. *Varro* apud *Non. p.* 176. 29. *Merc.* Phonascus adsum, vocis suscitabulum, Cantantiumque gallus gallinaceus. *h. e.* tamquam gallus, omnibus cantu præco. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 25. (50). Pergami omnibus annis spectaculum gallorum publice editur, ceu gladiatorum. Adde *Cic. Mur.* 9. 21.; *Lucret.* 4. 712. et 716.; *Varron.* 3. *R. R.* 9. 3. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 3. et *ibid.* 2. 13.; *Quintil.* 7. 9. 2. et 11. 3. 51.; et *Petron. Satyr.* 55. — Multa de gallis gallinaceis ac mira *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 21. (47). et *seqq.* Inter alia etiam eorum pugnas recenset *ibid.*, de quibus præcipue consulendus *Ælian. Var. hist.* 2. 28., ibique adnotata, ex quibus apparet, Themistoclem, anno ab U. C. 275., post Persicam victoriam gallorum pugnas publice ineundas instituisse. Galli allio nutriebantur, ut ferociores fierent; hinc ἐσκοροδισμένοι vocabantur. — b) Gallus Marti sacer fuit, quia valde pugnax est et vigilans, et quia cantu victoriam portendere solet: item Æsculapio, et Nocti deæ, et Laribus ob vigilem domus custodiam. *Auson. Idyll.* 11. 27., ubi fabulam de puero in gallum a Marte converso a *Luciano* narratam designat; *Lactant.* 3. 20. *sub fin.*; *Ovid.* 1. *Fast.* 455.; et *Juvenal.* 13. 233. — c) *Gallus in sterquilinio suo plurimum potest*: proverbium de eo, qui domi prævalet. *Seneca Apocolocynt.* — d) Gallum fuisse signum Persarum militare, constat ex *Plutarch. Artax. c.* 10. Hinc *Varro* apud *Non. p.* 25. 21. *Merc.* Ille ales gallus, qui suscitabat Atticarum Musarum scriptores, an hic qui rabularum gregem? *scil.* per priorem gallum significantur bella Persica, quæ Herodotus novem libris complexus est, qui postea Musarum nominibus Alexandriæ sunt inscripti: alter gallus notus ille præco est matutini temporis, quo confluunt rabulæ in forum. *Oehler.*

GALLUS, i, m. 1. De nom. propr. *V.* ONOM. — *Gallum* pro *Gallorum* dixit *Varro* apud *Non. p.* 487. 27. *Merc.* — Ceterum Galli erant sacerdotes Berecynthiæ, seu Cybeles, sive Matris deorum, tum in Phrygia, tum in urbe Roma, quos more deæ vetusto spadones esse oportebat, in memoriam Atys pueri: a Gallo primo sacerdote, vel a Gallo Phrygiæ fluvio, qui templo hujus deæ vicinus erat, unde aquam ad sacrificia hauriebant. *Ovidii* 4. *Fast.* 363.,

Plin. 5. *Hist. nat.* 32. 42. (147). et *Paul. Diac.* p. 95. 13. *Müll.* sententia dicti sunt a fluvio, non quod inde aquam acciperent sacrificii causa, sed quod castrati essent, quia qui ex eo bibissent, in hoc furere incipiebant, ut se privarent virilitatis parte. *Plin.* quoque 31. *Hist. nat.* 2. 4. (9). scribit Galli fluminis eam vim esse, ut si immodice bibatur, lymphatos agat. *Hieronym.* in *cap.* 4. *Oseæ* dicit, hos sacerdotes appellatos Gallos fuisse, quod Romani solerent homines gentis Gallicæ deæ Cybele mancipare, et effeminare seu castrare in honorem Atys, quoniam vellent eam gentem ignominia afficere, quæ olim urbem Romam cepisset. Sed Romani hoc ipsum, quod sacerdotes Cybeles vocabant Gallos, a Græcis acceperant, qui sic appellabant. Ex quo maxime fit simile veri, quod alii tradunt, Gallos dictos fuisse a Gallogræcis, qui ex Gallia tum in Græciam, tum in Phrygiam et loca contermina transmigrarunt. Præter evirationem solebant etiam in ipsis sacris brachia sibi cultris incidere, furorem simulantes, cujus rei testis *Propert.* 2. 18. 15. et alii. Aliam causam cur evirati essent sacerdotes Cybeles, tradit *Lucret.* 2. 614. — Hi non modo testes, sed penem ipsum sibi amputabant testa rupta, ut ait *Juvenal.* 6. 514., saxo acuto, ut *Ovid.* 4. *Fast.* 237., silice acuto, ut *Catull.* 63. 5. Hinc *Martial.* 3. 81. *ad Gallum*. Abscisa est quare Samia tibi mentula testa? *Id.* 11. 74. Curandum penem commisit Baccara Græcus Rivali medico: Baccara Gallus erit. *h. e.* ipsum penem ex morbo amittet. *Id.* 3. 81. Castrandum caput est: nam sis licet inguine Gallus, Sacra tamen Cybeles decipis: ore vir es. *h. e.* fellas. *Id.* 9. 3. I nunc, et miseros, Cybele, præcide cinædos. Hæc erit, hæc cultris mentula digna tuis. *Lucilius* apud *Non.* p. 398. 33. *Merc.* Testam sumit homo Samiam, sibique illico telo Præcidit caulem, testesque una amputat ambo. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 2. 121.; et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 49. 109. (261). et 35. *ibid.* 12. 46. (165). *V.* EUNUCHUS. — In sing. num. occurrit apud *Martial. loc. cit.* et *Quintil.* 7. 9. 2.; apud alios in plur. num. — *Galla, æ,* est item vir sacerdos Cybeles, ideo feminino vocabulo appellatus, quia se eviravit effeminavitque. *Catull.* 63. 12. *de Aty.* Agite, ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora simul. *et* 34. Rapidæ ducem sequuntur Gallæ pede propero.

GALUMMA, ătis, n. 3. *Capell.* 1. p. 18. Ipsa vero (*Juno*), tecto capite lacteo quodam galummate, prænitebat. *Grotius* monet legendum *calummate*, vel *calymmate*, a Græco κάλυμμα, quod præstat. *V.* CALUMMA.

GĂMANDRĔA, æ, f. 1. ita vulgo et corrupte herba dicta est a Latinis, quæ a Græcis chamædrys, teste *Æm. Macr. de Herb.* p. 213. *retro* ed. *Ald.*

GAMBA, æ, f. 1. *gamba*, in jumentis est commissura pedis cum crure: videtur autem ita appellata a figura Græcæ litteræ Γ, quemadmodum etiam a κάμμαρος derivatur gambarus. *Veget.* 6. *Veterin.* 1. 2. *Schneid.* Jumentum habet ab acrocolefio usque ad gambam ossa duo; a gamba usque ad cirros tibiales duo; minuta ad ungulas sedecim. *Id.* 1. *ibid.* 27. 4. Si lanæ in gambis enatæ fuerint. *Id.* 1. *ibid.* 56. *sub fin.* Post quod, admonitus injuria tollit altius crura, et inflexione geniculorum atque gambarum molliter vehit. V. *vet. Poetæ locum cit.* in CAULA. *Salmas.* ad *Trebell. Poll. in Gallien.* 16. docet esse a Græco καμπή *commissura, inflexio.* Est autem vox cadentis Latinitatis.

GAMBARUS, i, m. 2. κάμμαρος, idem ac cammarus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 182.

GAMBŌSUS, a, um, adject. qui gambam tumidam habet: vox semibarbara. *Veget.* 3. *Veterin.* 20. Si gambosum factum fuerit animal.

GĀMĒLĬO *vel* gamelion, ōnis, m. 3. γαμηλιών, nomen est mensis septimi apud Atticos, qui Januario et Februario respondet, et sacer est Junoni, quæ nuptiis præest: a γαμήλιος *nuptialis.* V. *Pontedera Antiqq. Gr. et Lat. Ep.* 22. Latine scriptum legitur apud *Cic.* 2. *Fin.* 31. 101., ubi ille Epicuri testamentum e Græco interpretatur his verbis: Quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis mense Gamelione.

GĀMĒLĬUS, a, um, adject. γαμήλιος, ad nuptias pertinens, qui nuptiis præest. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian.* n. 48. Ridicule Chrysippus ducendam uxorem sapienti præcipit, ne Jovem Gamelium et Genethlium violet. Isto enim modo apud Latinos ducenda uxor non erit, quia Jovem non habent nuptialem. *V.* GENETHLIUS.

GĀMĔLUS, i, m. 2. idem quod camelus, propter litterarum *c* et *g* cognationem, teste *Scauro* p. 2252. *Putsch.* C cognationem habet cum g —, item camelum, gamelum.

GAMMA, æ, f. 1. γάμμα.

I.) Proprie est nomen Græcum hujus litteræ, quæ majori nota hanc figuram Γ habet. *Auson. Technopægn.* seu *Edyll.* 12. *de litter.* 21. Prævaluit postquam gammæ vice functa prius C.

II.) Improprie apud agrimensores pro hujusmodi agri forma adhibetur. *Var. Auct. de limitib.* apud *Goes.* p. 278. Ager in gamma jacet. *et* p. 309. Termini si transversi positi fuerint, gammam faciunt. *V.* DECUSSIS.

GAMMARUS. *V.* CAMMARUS.

GAMMĀTUS, a, um, adject. seu potius part. præter. pass. ab inusit. *gammare*, gammæ figuram habens, ut Gammatus limes. *Auct. de limitib.* apud *Goes.* p. 228. 225. et 271. *V.* GAMMA sub II.

GAMMŎĪDES, is, adject. γαμμοειδής, gammæ litteræ similis. *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 351. Rhodope mons Thraciæ protenlus in orientalem plagam, gammoides in septentrionalem reflectitur.

GANDEJA, æ, f. 1. *Vet. Scholiast.* ad illud *Juvenal.* 5. 89. Canna Micipsarum: hæc habet: Genus navis, quæ Gandeja dicitur. Gandejam enim soli Afri, id est Zamæi, vel, ut alii, Byzaceni, ut alii, Barcæ invenerunt. *V.* CANNA.

GĀNĔA, æ, f. 1. *et* ganeum, i, n. 2. Primam syllabam licenter corripit *Sidon. loc. cit.* in fin. — Neutro genere *ganeum* occurrit apud *Plaut. Men.* 5. 1. 3.; *Ter. Adelph.* 3. 3. 5.; et *Varron. loc.* infra *cit.* — Ganea antiquis erat locus abditus, ut *Paul. Diac.* p. 96. 9. *Müll.* docet, ac velut sub terra: quasi ἀπὸ τῆς γᾶς pro γῆς, vel a γάïνος, et Dorice γαῖνος, terrestris, unde apud *Hesych.* Γάνα, γῆ. *Paul. Diac.* huc trahit illud *Ter. Adelph.* 3. 3. 5. Ubi ego illum quæram? credo, abductum in ganeum aliquo. Sed locus hic *Terent.* aptius intelligitur de taberna meretricum, quarum cubicula erant in terra plerumque, sicut cœnacula in superiori ædium parte, ut *ibid. Donatus* docet. Sic *Varro* apud *Non.* p. 208. 14. *Merc.* Qui se in ganeum accensum conjecit amicæ. *Jordan* et alii leg. *ac censum.* Est igitur *ganea* idem quod lupanar et popina, ubi ventri et Veneri operam dabant et genio indulgebant, *luogo da tripudio, bordello, chiasso,* ἀσωτεῖον, πορνεῖον. Quare derivant alii a γάνος *lætitia, voluptas.* *Plaut. Men.* 5. 1. 3. Immersit aliquo sese, credo, in ganeum. *Sueton. Cal.* 11. Ganeas atque adulteria, capillamento celatus, obiret. *Gell.* 9. 2. Incola sordentium ganearum. — Sæpe *ganea* significat ipsam voluptuosam vitam, quæ in ganeo agitur, luxum cœnarum, belluationem, gulæ studium, *gozzoviglia, tripudio, il pacchiare, spesa eccessiva, lusso in mangiare.* *Cic. Pis.* 6. 13. Paullisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo. *Sall. Cat.* 13. Lubido stupri, ganeæ cæterique cultus non minor incesserat. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 16. Mox deinde ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus. *Plin. Paneg.* 49. Rursus te ad clandestinam ganeam, occultumque luxum refers. *Tac.* 2. *Hist.* 95. Prodigis epulis et sumptu ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines. *Id.* 3. *Ann.* 52. Ventris et ganeæ paratus sermonibus vulgati. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (209). Neque alio ex animali (*porco*) numerosior materia ganeæ. *Sidon. carm.* 5. 339. quem crapula vexat Et pallens pinguedo tenet, ganeaque perenni, etc. ubi prima syllaba licenter corripitur, quum alias sit longa. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

GĀNĔĀRĬUS, a, um, adject. ad ganeam pertinens. *Varro* 3. *R. R.* 9. 18. Gallinæ Africanæ novissimæ in triclinium ganearium transierunt e culina propter fastidium hominum. *Pontedera Antiqq. Gr. et Lat.* p. 453. ex *Codd.* qui habent *genarium*, putat legendum, approbante *Schneidero* ad *loc. cit.*, *alienigenarum avium.* Hanc conjecturam confirmat locus *Plin.* 10. *Hist. nat.* 26. 38. (74). Africæ hoc est gallinarum genus (*meleagridum*): quæ novissimæ sunt peregrinarum avium in mensas receptæ propter ingratum virus. — Hinc

Ganearius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est idem ac ganeo. *Gloss. Philox.* Ganearius, ἄσωτος.

GĀNĔO, ōnis, m. 3. Primam syllabam licenter corripit *Prudent. Hamartig.* 323. vetitamque gulam ganeonis inescet. — Ganeo, *Hesych.* γανίτης, est qui ganeas frequentat, *bordelliere, ghiottone, pacchione,* ἄσωτος. *Ter. Heaut.* 5. 4. 10. Gerro, iners, fraus, helluo, ganeo, damnosus. *Varro* apud *Non.* p. 55. 19. *Merc.* Ganeones nostri, quibus modulus est vitæ culina. *h. e.* qui omnia metiuntur epulis, ut interpretatur *Turneb. Advers.* 28. 13. *Cic.* 2. *Cat.* 4. 7. Quis ganeo? quis adulter? quæ mulier infamis? quis corruptor juventutis? *Id. Sext.* 52. 111. Plura dixi, quam dicendum fuit, in furiosissimum atque egentissimum ganeonem. *Id. post redit. in Senat.* 5. 12. Quo vultu cincinnatus ganeo non solum civium lacrimas, verum etiam patriæ preces repudiavit! *Juvenal.* 11. 58. Sed laudem siliquas occultus ganeo: pultes Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas. *Tac.* 16. *Ann.* 18. Habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurentium, sed erudito luxu.

GĀNĔUM, i, n. 2. *V.* GANEA.

GANGĂBA, æ, m. 1. *facchino,* bajulus, Persarum lingua. *Curt.* 3. 13. 7. Gangabas Persæ vocant, humeris onera portantes. — Vox ista originis Persicæ, et unius *Curtii* testimonio Latinitate donata, fortasse librariorum incuria corrupta est, et corrigenda *Gangala* ex *Inscript.* apud *Gruter.* 94. 7. GENIO NUMINIS FONTIS SERMON. CHRYSEROS CAESARIS NOSTRI LIB. GANGALA.

GANGĂLA. *V.* voc. præced.

GANGLĬON, ii, n. 2. γάγγλιον, tumor in capite, vel in collo. *Cels.* 7. 6. sed Græce. — Item nervi alicujus vel ex ictu, vel ex lassitudine contortio, multis quidem omnino partibus corporis, sed præcipue mollibus, ut in extremitate manuum atque pedum. *Veget.* 3. *Veterin.* 30. 1. *Schneid.* Ganglion est tuber, quod fit ex duplicatione nervi, similis tuberi cum dolore immobili.

GANGRÆNA, æ, f. 1. γάγγραινα, cancer, partis alicujus in corpore inflammatio vehemens, atque inde corruptio serpens, et paullatim, nisi succurratur, mortem inferens; a γράω *edo, cancrena.*

I.) Proprie. *Lucilius* apud *Non.* p. 117. 20. *Merc.* Serpere uti gangræna mala atque herpes ita posset. *Varro ibid.* Non vituperamus, quum scimus digitum præcidi oportere, si ob eam rem gangræna non sit ad brachium ventura. Adde *Cels.* 5. 26. n. 34.; et *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 70. (143). et 74. (156).

II.) Translate. *Varro* apud *Non.* p. 117. 28. *Merc.* Per omnes articulos populi hanc mali gangrænam sanguinulentam permeasse. *V.* GERRES.

GANNĀTOR, χλευαστής. *Gloss. Gr. Lat.*

GANNĬO, is, ire, n. 4. Part. *Ganniens* I. et II. 2. — *Varro* 7. *L. L.* 103. *Müll.* hoc refert inter ea verba, quæ ab animalium vocibus ficta sunt. *Festus* vero p. 177. 16. *Müll.* et *Non.* p. 450. 11. *Merc.* ducunt, proprium esse canum querentium, aut gestientium. Græcum γάννυσθαι similem habet sententiam (It. *gagnolare*; Fr. *grogner, japper, glapir*; Hisp. *gañir, aullar, chillar*; Germ. *bellen, belfern*; Angl. *to yelp, cry, whine, whimper*).

I.) Proprie. *Non. loc. cit.* Varro asinos rudere, canes gannire, pullos pipare, dixit. *Hieronym.* vulpi tribuit, in *Vita Hilarion. ante med.* Interdum orantem lupus ululans, vulpecula ganniens transilivit. Sic *Auct. carm. Philom.* 59. fallax vulpecula gannit. *V.* GANNITUS.

II.) Translate de hominibus. ¶ 1. Est queri, plorare. *Plaut. fragm.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 103. *Müll.* Gannit odiosus omni totæ familiæ. *Ter. Adelph.* 4. 2. 17. Quid ille gannit? quid vult? Ubi *Donatus*: Gannitus est proprie veluti ploratus vapulantium. *Catull.* 83. 4. *de Lesbia.* Gannit, et obloquitur. *h. e.* more canum ringitur et oblatrat. *Juvenal.* 6. 64. Oppula gannit, Sicut in amplexu. *Afranius* apud *Non. loc. cit.* Gannire ad aurem numquam didici. Sic *Pers.* 5. 96. gannit in aurem. *Al. leg.* garrit. et *Vulgat. interpr. Esai.* 10. 14. Et non fuit — qui aperiret os et gannirel. ¶ 2. Ponitur etiam pro blaterare. *Apul.* 3. *Met.* Sic nobis gannientibus.

GANNĪTĬO, ōnis, f. 3. *gagnolamento*, canum querula murmuratio. *Festus* p. 177. 21. et *Paul. Diac.* p. 99. 1. et 176. 4. *Müll.*

GANNĪTUS, us, m. 4. gannitio, canum vox aut querula, aut gestiens, *gagnolio.*

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 1069. *de canib.* Et catulos

blande quum lingua lambere tentant – Longe alio pacto gannitu vocis adulant Et quum deserti baubantur in ædibus.

II.) Translate. ¶ 1. De avibus. *Apul.* 6. *Met.* Gannitu constrepenti lasciviunt passeres. ¶ 2. De hominibus; et quidem — *a*) De jurgiis et querelis. *Martial.* 5. 60. *in detractorem.* Allatres licet usque nos et usque, Et gannitibus improbis lacessas. — *b*) De ploratu. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 5. 4. (9). Nereidis morientis gannitum tristem accolæ audivere longe. — *c*) *Apul.* 2. et 10. *Met.* eo sensu usurpat, quo *gannio* adhibetur a *Juvenal.* 6. 64., nempe pro gemitu mulieris a viro compressæ.

GANTA, æ, m. 1. anser agrestis, ita appellatus a Germanis, qui etiamnum ab iisdem *gans* vocatur. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 27. (53). Anseres e Germania laudatissimi: candidi ibi, verum minores, gantæ vocantur. *Alii leg.* gangæ. *Venant.* 7. *carm.* 4. 6. Aut Musa dulce sonans, quo grus, ganta, anser olorque est. *Gloss. Philox.* Ganta, χηναλώπηξ. *h. e.* quasi *vulpanser.*

GĂRĂMANTĪTES, æ, m. 1. nomen lapidis, seu gemmæ apud Indos. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 28. (100). Cognata est huic (*anthracitidi*) sandastros, quam alii garamantiten vocant: nascitur in India, loco ejusdem nominis.

GARGĂRĬDĬO, as, etc. *V.* GARGARIZO.

GARGĂRISMA, ătis, n. 3. *gargarismo*, γαργαρισμός, illud, quod in gargarisatione adhibetur. *Theod. Priscian.* 1. 15. *init.* Per initia quum commoveri aliquid in faucibus senseris, – convenit tepidum gargarisma, cui etiam mellis quippiam despumati commiscemus. *et post med.* Gargarismate ex speciebus stypticis confecto. *V.* PHÆNOMENON.

GARGĂRISMĂTĬUM, ii, n. 2. γαργαρισμάτιον, gargarizatio. *Marcell. Empir.* 14. *ante med.* Aliqua re pro gargarismatio uti.

GARGĂRIZĀTĬO, ōnis, f. 3. actus gargarizandi, *gargarizzamento*, γαργαρισμός. *Cels.* 5. 22. *extr.* Gargarizationes facere. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 80. (157). Folia decocta uvam cohibent gargarisatione. *Id.* 30. *ibid.* 4. 11. (31). Gargarizatio lactis. Adde *eumd.* 22. *ibid.* 25. 57. (120).; et *Scribon. Compos.* 57.

GARGĂRIZĀTUS, a, um. *V.* GARGARIZO.

GARGĂRIZĀTUS, us, m. 4. idem ac gargarisatio. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 51. (189). Linguæ exulcerationi prodest jus omasi gargarizatu. *Sillig* ex optimis Codicib. rectius leg. *gargarizatum.*

GARGĂRIZO, as, āvi, ātum, are, 1. γαργαρίζω. Scribitur et *gargarisso*, V. sub *A.*; et *gargaridio*, V. sub *B.* II. — Part. *Gargaridians* sub *B.* II.; *Gargarizatus* et *Gargarizandus* sub *B.* I. — Gargarizare est *A*) Verbum neutrum, et *B*) Activum.

A) Neutrorum more gargarizare est liquorem ore haustum sæpe ad gurgulionem, ideat guttur revocare, *gargarizzare*: a γαργαλεῖν *gurgulio*. *Cels.* 1. 2. *n.* 1. In vetusto capitis dolore commoda sunt sternutamenta excitare, inferiora vehementer refricare, gargarizare bis, quæ salivam moveant. *Id.* 6. 6. *n.* 26. Gargarizare ex lenticula. et *n.* 29. ex sinapi. Sic *Theod. Priscian.* 1. 15. Ut ex aqua vel mellicrato gargarizet. *M. Aurel.* inter *Ep. Fronton.* 1. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 6. Aqua mulsa sorbendo usque ad gulam, et rejectando fauces fovi potius, quam dicerem gargarissavi.

B) Active eodem senso occurrit, cum Accusativo rei, ex qua quis gargarisat.

I.) Proprie. *Cels.* 4. 4. Hyssopum, vel nepetam, aut ficus cum mulsa decoquere, eaque gargarizare. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 87. (237). Sinapi ad uvam gargarizatur cum aceto. *et ibid.* 9. 34. (87). Succus gargarizandus, bibendusque. *Id.* 28. *ibid.* 12. 51. (189). Gargarizare tepidum lac. *Id.* 20. *ibid.* 17. 73. (188). Sedat anginas solum gargarizatum. Adde *eumd.* 30. *ibid.* 4. 11. (32).

II.) Translate est proferre aliquid sono, qualis solet esse fauces colluentium. *Varro* apud *Non.* p. 117. 7. *Merc.* Quinctiporis Clodiani foras ac poemata ejus gargaridians, dices, o fortuna, o furs fortuna. Al. leg. *garriditans.* Alii aliter: est enim locus admodum incertus et corruptus.

GĂRĪMĂTĪUM, ii, n. 2. *gelatina*, gelatum edulium. *Teod. Priscian. de diæta* 6.

GĂRISMĂTĪUM, ii, n. 2. γαρισμάτιον, locus, seu taberna, in qua garum venditur. *Cassiod.* 12. *Variar.* 22. *de Istria.* Hæc loca et garismatia plura nutriunt, et piscium ubertate gloriantur.

GARON. *V.* GARUM.

GARRIDĪTANS. *V.* GARGARIZO sub *B.* II.

GARRĪO, is, ivi, itum, ire, a. 4. Part. *Garriens* I. — Garrire videtur esse ex iis verbis, quæ a sono ficta sunt, ut *gannio, pipio, rudo, balo* et hujusmodi: et significat loquendo strepere, inepte loqui, plura verba facere, blaterare, obloqui, στωμύλλω, *cicalare, ciarlare.*

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Aulul. act.* 5. *v.* 21. Garrire nugas. *Cic.* 12. *Att.* 1. 2. Quum coram sumus, et garrimus quidquid in buccam. *Id.* 6. *ibid.* 2. 10. Cupiebam etiam nunc plura garrire: sed lucet, urget turba, festinat Philogenes. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 77. Garrire aniles fabellas. *Id.* 1. *ibid.* 10. 41. Comis garrire libellos. *h. e.* facere comœdias garrulas et festivas. *Martial.* 5. 61. Nescio quid dominæ teneram qui garrit in aurem. *susurra all'orecchio. Augustin. Trin.* 15. 12. Multa philosophi garrierunt. — *b*) Absolute. *Ter. Eun.* 2. 3. 86. PA. Quid agis? jocabar equidem. CH. Garris. Adde *eumd. Heaut.* 3. 2. 25. et 4. 6. 19., et *Phorm.* 1. 1. 33. et 3. 2. 11. *Cic.* 2. *Orat.* 5. 21. Sæculis multis ante gymnasia inventa sunt, quam in his philosophi garrire cœperunt. *Id.* 1. *Nat. D.* 38. 108. Tota res nugatoria est: vos autem non modo oculis imagines, sed etiam animis inculcatis: tanta est impunitas garriendi. *Apul.* 9. *Met.* Anicula garriente. Adde *eumd.* 8. *ibid. Vulgat. interpr. Ep.* 3. *Johann.* 10. Commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos.

II.) Translate. — *a*) Dicitur de avibus cantillantibus, *garrire, canterellare, stridere. Apul. Florid. n.* 17. Lusciniæ canticum adolescentiæ garriunt. — *b*) Et de strepentibus ranis, absolute *Martial.* 3. 93. Meliusque ranæ garriunt Ravennates.

GARRĪTOR, ōris, m. 3. *cicalatore,* importune garriens. *Ammian.* 22. 9. Jube, inquit, periculoso garritori pedum tegmina dari purpurea.

GARRITUS, us, m. 4. *cicalamento,* garriendi actus. *Sidon.* 8. *Ep.* 6. *circa med.* Garritui frena stringere.

GARRŬLANS, antis, particip. a *garrulo* pro *garrio*, quod, nullo tamen auctore laudato, affert *Priscian.* 8. p. 827. *Putsch.* Ut a sorbeo sorbillo, a garrio garrulo. *Fulgent. præf. Mythol.* Nec puellas inquirimus Hero atque Psycheo poeticas garrulantes ineptias.

GARRŬLĀTRIX, icis, f. 3. quæ frequenter garrit. *V.* AUGURATRIX.

GARRŬLĪTAS, ātis, f. 3. (garrulus) actus garriendi, garrula loquacitas, ἀδολεσχία, *garrulità, cicalamento, loquacità.*

I.) Proprie de hominibus. *Martial.* 5. 52. Ingentia dona Auctoris pereunt garrulitate sui. *Quintil.* 2. 4. 15. Extemporalis garrulitas circulatoriæ jactationis est. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 3. (5). Horum placita Chrysippus ingenti garrulitate mutavit. *h. e.* verborum farragine. — In pueris festivitas est. *Sueton. Aug.* 83. Pueros facie et garrulitate amabiles. Adde *Senecam Consol. ad Helv.* 16. *a med.* *V.* VERNILITAS.

II.) Translate de brutis animalibus. *Ovid.* 5. *Met.* 678. Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit, Raucaque garrulitas, studiumque immane loquendi. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 12. 14. (30). Cornix inauspicatæ garrulitatis. — Item est sonitus cunni, imitans peditum, qui et poppysma dicitur, quam vocem vide. *Martial.* 7. 18. Offendor cunni garrulitate tui.

GARRŬLUS, a, um, adject. (garrio) loquax, blaterans (It. *garrulo, ciarlone*; Fr. *bavard, babillard, verbeux*; Hisp. *parlero, charlador, hablador*; Germ. *geschwätzig, schwatzhaft*; Angl. *chattering, chirping, warbling*).

I.) Proprie de hominibus. — *a*) In malam partem. *Plaut. Curc.* 4. 1. 16. Confidentes garrulique et malevoli supra Lacum. *Ter. Adelph.* 4. 4. 14. Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem, ac fieret palam. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 69. Percontatorem fugito: nam garrulus idem est, Nec retinent patulæ commissa fideliter aures. *Id.* 1. *Sat.* 9. 33. Garrulus hunc quando consumet cumque: loquaces, Si sapiat, vitet. Adde *eumd. ibid.* 4. 12. — *Garruli pueri* sunt in deliciis. *Tibull.* 1. 5. 25. consuescet amantis Garrulus in dominæ ludere verna sinu. *V.* GARRULITAS I. in fin. — *b*) In bonam partem. Docet *Nonius* p. 316. 14. *Merc.* sumi etiam pro cordato, afferens illud *Varron*: In hac civitate tum regnabat Dionysius, homo garrulus et acer.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de brutis animantibus. *Virg.* 4. *G.* 307. Garrula hirundo. *Phædr.* 3. 16. cicada. *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 22. et 2. *Met.* 547. cornix. Cf. *Anacr.* 9. 36. λαλίστερος κορώνης. Rursus *Ovid.* 8. *Met.* 237. perdix. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 39. 87. (362). in imbre noctua. *Id.* 10. *ibid.* 29. 43. (81). Garrulus cantus lusciniæ. ¶ 2. Item de rebus — *a*) Quæ blaterando quomodocumque inserviunt. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 44. Garrula lingua. *Cic.* 2. *Herenn.* 11. 16. Ut hujus infantiæ garrulam disciplinam contemneremus. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 18. verbosi garrula bella fori. *Id.* 1. *Amor.* 12. 23. Garrula vadimonia. *Seneca Herc. Fur.* 173. fama. *Propert.* 3. 22. 18. hora. *h. e.* quæ garriendo ducitur. — *b*) Item de omnibus, quæ murmurant, strepuntve. *Ovid.* 2. *Fast.* 316. Garrulus rivus. *Nemesian.* 1. *Ecl.* 30. ventu garrula pinus. *Tibull.* 2. 5. 30. fistula. *h. e.* sonans, arguta. *et* 3. 4. 38. lyra. *Martial.* 11. 167. plectra. *et* 54. sistra. *et* 169. Garrulus anulus.

Homonym. *Garrire, fabulari* et *blatire* vel *blaterare* in eo differunt, quod *garrire* immodicam loquendi cupiditatem designat; *fabulari* verba vel parum necessaria, vel inania esse significat; *blatire* ejusque intensivum *blaterare* stultitiam loquentis denotat. *Cic.* 12. *Att.* 1. Quid ergo opus erat epistola? quid? quum coram sumus et garrimus quidquid in buccam? Est profecto quiddam λέσχη, quæ habet, etiamsi nihil subest, collocutione ipsa suavitatem. *Plaut. Epid.* 2. 2. 53. Occepere aliæ mulieres duæ post me sic fabulari inter sese. *Gell.* 1. 15. Homines – stulta et immodica blaterantes, quorum lingua tam prodiga infrenisque est, ut fluat semper et æstuet colluvione verborum teterrima.

Præterea *garrulus* differt a *loquaci*; *garrulus* enim qualitate, *loquax* vero quantitate displicet. *Garrulitas* puerilis est, eique colloqui tantummodo sufficit, etiam si nihil subest, et a vivaci quadam indole procedit, quæ in vitium tamen degenerat: contra *loquacitas* verbositate peccat, quia brevis esse nescit, et ab infirmitate, quemadmodum in senibus, originem ducit. *Garrulus* nimia placendi aliis cupiditate facile insulsus evadit; *loquax* nimio perspicuitatis et doctrinæ studio tædium affert: *garrulus* parum admodum cogitat et plurimum loquitur; *loquax* quidquid cogitat, profert: *garrulus* semper in malam partem; *loquax* aliquando in bonam accipitur: *garrulus* et *loquax* de personis; *verbosus* de rebus dicitur. *Garrulum* et *loquacem* conjunxit *Horat.* 1. *Sat.* 9. 33. Garrulus hunc quando consumet cumque; loquaces, Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit ætas. Ceterum *Cic.* 2. *Herenn.* 11. 16. Ut hujus infantiæ garrulam disciplinam contemneremus. *Sueton. Aug.* 83. Ludebat cum pueris minutis, quos facie et garrulitate amabiles undique conquirebat. *Cic. Mur.* 14. 30. « Vi geritur res, spernitur orator », non solum odiosus in dicendo ac loquax, verum etiam « bonus; horridu' miles amatur ». *Id. Senect.* 16. 55. Senectus est natura loquacior. *Id.* 7. *Fam.* 3. Habes epistolam verbosiorem fortasse, quam velles.

GĂRUM vel garon, i, n. 2. γάρον, *sorta di concia, salsa, saporetto, salamoja,* liquamen ex intestinis piscium, sanguine, ceterisque, quæ abjicienda forent, sale maceratis: dictum a garo pisce, ex quo primum fieri cœpit: deinde nomen retinuit, quamvis ex aliis piscibus fieret, præcipue vero ex scombro laudatissimum in Carthaginis spartariæ cetariis: *sociorum* id appellabatur, singulis millibus nummum permutantibus congios fere binos. Nec liquor ullus, præter unguenta, majore in pretio esse cœpit. Hæc *Plin.* 31. *Hist. nat.* 8. 43. (94)., ex cujus verbis satis colligi videtur, ideo *garum sociorum* appellatum, quia a societate civium R. Romam mittebatur; ita etiam miniarii socii in Hispania: *V.* MINIARIUS et SOCIUS. *Martial.* 13. 102. Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo Accipe fastosum, munera cara, garum. *Id.* 7. 27. *de apro condiendo.* Sed coquus ingentem piperis consumet acervum, Addet et arcano mixta Falerna garo. *Seneca Ep.* 95. *ante med.* Illud sociorum garum, pretiosam malorum piscium saniem, non credis urere salsa tabe præcordia? Adde *Horat.* 2. *Sat.* 8. 46. et *Auson. Epist.* 21., ubi significat, hoc liquamen Latino vocabulo carere, (nam *garum* Græcum est), muriam autem minus apte dici; hæc enim e thynnis fiebat,

et multo minoris emebatur. *Martial.* 13. 103. *de muria.* Antipolitani, fateor, sum filia thynni: Essem si scombri, non tibi missa forem. — De gari usibus in medicina, *V. Colum.* 6. *R. R.* 34. 2. et 38. 2.; et *Veget.* 6. *Veterin.* 28. 10. *Schneid.*

GĂRUS, i, m. 2. γάρος, piscis ex genere locustarum, ex cujus intestinis garum fiebat. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 43. (93). et 32. *ibid.* 11. 53. (148). *V.* GARUM.

GĂRYŎPHYLLON, i, n. 2. καρυόφυλλον, *garofano, gherofano,* genus aromatis in India nascentis, piperis grano simile, sed grandius et fragilius. Tradunt, in Indico luco id gigni. Advehitur odoris gratia. ita *Plin.* 12. *Hist. nat.* 7. 15. (30).; ubi notat *Harduin.,* quod eodem nomine ad nos affertur, et in conditurls adhibetur. aliud omnino esse. Fortasse autem esse id. quod *cubebe* ab aliis nominatur: sic juxta *J. Bauhin., Hist. plant.* 1. 425., garyophyllon est *Piper Cubeba* L. Juxta *Sprengel.* vero *Hist. rei herb.* 1. 204. est *Vitex trifolia* L.: demum juxta cl. *Fée,* ex quo hæc hausimus (*Op. cit.* vol. 1. p. 17.), est *Myrtus Caryophyllata* L. — *Sillig.* scripsit *caryophyllon.* — Flos ille, qui hoc nomine apud nos nascitur, a similitudine odoris appellationem trahit.

GASIDĀNES *vel*

GASSIDĀNES *vel*

GASSINNĀDES LAPIS, est gemmæ nomen, de qua sic *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 59. (163). Gassidanem Medi mittunt, coloris orobini, veluti floribus sparsam; nascitur et in Arbelis. Hæc quoque gemma concipere dicitur et intra se partum fateri concussa, concipere autem trimestri spatio. *Sillig.* leg. *Gassinnaden.*

GASTER, ĕris, f. 3. γαστήρ, venter, *ventre,* Græca vox. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Rotunda atque extans inflatio secundum gastera.

GASTRĪMARGĬA, æ, f. 1. γαστριμαργία, edacitas, ventris ingluvies. *Ambros. Precat. præpar. ad Miss.* 2. Luxuria gastrimargiam sequitur. *Id. ibid.* Ita, noxiis gastrimargiæ succis arefactis, inepta lætitia non pullulabit.

GASTRUM, i, n. 2. *giara,* Græcis est ἡ γάστρα, ας; vas fictile ventriosum, amphora. *Petron. fragm. Tragur.* 70. *Burmann.* Neuter sententiam tulit decernentis, sed alter alterius amphoram fuste percussit: consternati nos insolentia ebriorum, intentavimus oculos in præliantes, notavimusque ostrea pectinesque e gastris labentia, quæ collecta puer lance circumtulit. *Id. Satyr.* 79. Per omnes scrupos, gastrorumque eminentium fragmenta traxissemus cruentos pedes. *Gargil. de re hortensi* (edente *A. A. Scottio*) 4. n. 5. Sunt qui in gastris, vel qualis cribrata terra repletis ossa (*persicorum*) disponunt, unde mox plantas adultas in seminarium cum cespite suo transferant. *Marcell. Empir.* 8. *ante med.* Concham æream de melle albo ab intus perunge totam, eamdemque supra gastrum lotii virilis ex ea parte, qua melle illita est, superpone ad lotium versus.

GAU pro Gaudium. *V.* GAUDIUM init. et CÆL.

GAUDEBUNDUS. *V.* GAUDIBUNDUS.

GAUDENS, entis. *V.* voc. seq.

GAUDĔO, gaudes, gāvīsus sum, gaudere, n. 2. Olim præteritum habuit *gavisi. Liv. Andron. Odyss.* apud *Priscian.* 9. p. 868. *Putsch.* Quoniam audivi paucis, gavisi. *L. Cass. Hemina* apud *eumd. ibid.* Idque admiratum esse, gavisi. — Part. *Gaudens* I. 1., II. et in fin.; *Gavisus* I. 1. *a.* et *g.* et II.; *Gavisurus* et *Gaudendus* I. 1. *g.* — Ratione habita etymi, est ἀπὸ τοῦ γαυριᾶν, ut *Paulo Diac.* p. 98. 14. *Müll.* placet: vel a γαθέω Dorice pro γηθέω, idem significante, ut aliis; quod probandum, etymon enim apud Græcos æque atque apud Latinos est γα, unde etiam γαίω, γαυρός, γηθέω. Ceterum gaudeo est lætus sum, animi voluptate perfundor, lætor: cui contrarium est *mæreo,* χαίρω (It. *godere, essere allegro, sentire interno piacere;* Fr. *se réjouir intérieurement, éprouver une joie intime;* Hisp. *alegrarse interiormente;* Germ. *sich an etwas freuen, ergötzen, innerlich, herzlich freuen, Vergnügen empfinden;* Angl. *to rejoice, be glad*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est, ut diximus, animi voluptate perfundi; et occurrit — *a*) Cum Accusativo et Infinito. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 52. Salvum te advenire gaudeo. Adde *eumd. ibid.* 2. 2. 7. *Cæs.* ad *Cic. post ep.* 16. *l.* 9. *ad Att.* Meum factum probari abs te, triumpho et gaudeo. *Al. leg.* triumpho gaudio. *Id.* 4. *B. G.* 13. Quos sibi Cæsar oblatos gavisus, illos retineri jussit. *Horat.* 2. *Od.* 12. 26. aut facili sævitia negat (*oscula*), Quæ poscente magis gaudeat eripi. *Seneca* apud *Quintil.* 8. 5. 18. Salvum me esse adhuc nec credo, nec gaudeo. *Quintil.* 2. 1. 5. Nec occupari gaudeat pertinentem ad se laborem. *Curt.* 10. 7. 15. In eadem domo familiaque imperii vires remansuras esse gaudebant. Adde *Phædr.* 1. 13. et 2. 7. — Huc referri potest et illud *Plaut. Cist.* 1. 1. 16. Tranquillo mari, ventum gaudeo ecastor ad te. *hic* jocus est in ambiguo: nam et significare potest, gaudeo me venisse, et gaudeo ob ventum, seu ventum fuisse etc. — *b*) Cum Infinito sæpissime apud Poetas. *Lucret.* 3. 613. Sed magis ire foras vestemque relinquere, ut anguis, (*anima*) Gauderet. *Horat.* 3. *Od.* 6. 21. Motus doceri gaudet (*puella*) Ionicos. *Id. ibid.* 18. 15. Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram. *Id.* 1. *Sat.* 4. 78. tædere gaudes. *Id.* 2. *ibid.* 8. 62. Heu, Fortuna, ut semper gaudes illudere rebus humanis! *h. e.* delectaris, ut *Forcellinus* interpretatur. *Id.* 1. *Od.* 1. 11. Gaudentem patrios findere sarculo Agros. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 34. 16. *Juvenal.* 6. 102. gaudet duros tractare rudentes. Adde *eumd.* 8. 225., 9. 84., 12. 89. et 6. 420. *Sil. It.* 5. 91. vesci interritus ales Gaudebit. Adde *Val. Flacc.* 7. 609. et 351. *Quintil.* 1. 2. 30. Aliquid magnum agere gaudet. *Id.* 5. 12. 22. Laudari in bonis gaudent. *Id.* 9. 2. 78. Auditor gaudet intelligere. Adde *Ammian.* 25. 4. — c) Sequente *quod,* ut apud *Cic.* 3. *Legg.* 1. 1. Sane gaudeo, quod te interpellavi. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. 9. Quod scribis te a Cæsare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo. *Id.* 9. *Att.* 7. 6. Bonis viris quod ais probari, quæ adhuc fecerimus, valde gaudeo. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 19. Gaudes, quod spectant oculi te mille loquentem. *Juvenal.* 15. 84. gaudere, quod violaverit ignem. *Plin.* 3. *Ep.* 4. Gaudes, quod polliceor etc. — *d*) Cum part. *quum, quia, si,* ut apud *Plaut. Amph.* 2. 2. 49. Quum te gravidam et quum pulcre plenam aspicio, gaudeo. *Id. ibid.* 3. 3. 3. Quia vos tranquillos video, gaudeo et volupe est mihi. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 273. Gaudes, si cameram percussi forte. *Juvenal.* 9. 135. si mea Clotho Et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter. Cf. *Plin.* 2. *Ep.* 11. Solet esse gaudio tibi, si quid actum est. — *e*) Cum Ablativo et præpos. *in,* vel cum Dativo personæ. *Lucret.* 3. 72. Crudeles gaudent in tristi funere fratris. Sic *Propert.* 2. 4. 18. gaudet in puero. *Cic.* 6. *Fam.* 15. Tibi gratulor, mihi gaudeo. *h. e.* quod ad me attinet, *quanto a me, per parte mia.* Cf. *Lucret.* 3. 146. Idque sibi solum per se sapit et sibi gaudet. *h. e.* secum. — *f*) Cum Ablativo. *Ter. Andr.* 4. 1. 2. Tanta vecordia innata cuiquam ut siet, ut malis gaudeant. *Lucret.* 5. 171. Gaudere novis rebus. *Catull.* 31. 12. Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude. *h. e.* ob reditum heri. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 37. Quum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiæ gaudemus: omne autem id, quod gaudemus, voluptas est. *Id. Amic.* 24. 90. Delicto gaudere, correctione gaudere. *Id. ibid.* 22. 82. Deinde æquitate justitiaque gaudebunt. Adde *eumd. ibid.* 6. 22. *Id. Marcell.* 6. 19. Gaude isto tuo tam excellenti bono. *Id.* 3. *Off.* 33. 121. Quum intellexero, te hoc scientiæ genere gaudere. *h. e.* delectari. Sic *Horat. Art. P.* 162. juvenis Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi. *Id.* 4. *Od.* 8. 11. Gaudere carminibus. *Id.* 1. *Sat.* 10. 45. gaudentes rure Camenæ. *dilettantisi. Id. ibid.* 1. 72. pictis tabellis. *Id. Epod.* 14. 5. Gaude sorte tua. *Id.* 2. *Sat.* 6. 110. Ille cubans gaudet mutata sorte. *Virg.* 4. *Æn.* 157. gaudere equo. *Ovid.* 1. *Met.* 235. sanguine. *Id.* 15. *ibid.* 323. undis. *Nepos Pausan.* 2. salute. *Liv.* 2. 60. laudibus. *Id.* 22. 9. præda. *Quintil.* 12. 10. 23. figuris. *Id.* 2. 4. 13. spe. *Petron. Satyr.* 136. vindicta. *Justin.* 18. 5. 8. commercio. *Tac.* 1. *Hist.* 4. impetu. *Plin.* 4. *Ep.* 16. nomine. *Id.* 7. *ibid.* 4. humanis salibus. *Id.* 5. *ibid.* 12. gloria. *Juvenal.* 7. 105. lecto. *Id.* 14. 18. strepitu. *Id.* 6. 379. cantu. *Val. Flacc.* 5. 440. carmine phocæ. *Id.* 3. 116. telis. — *g*) Cum Accusativo. *Ter. Andr.* 5. 5. 8. Hunc scio mea solide gavisurum gaudia. Sic *Catull.* 61. 119. Quanta gaudia, quæ vaga Nocte, quæ media die Gaudeat. et *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 2. Postridie ejus absolutionem in theatrum Curionis Hortensius introiit, puto ut suum gaudium gauderemus. Rursus *Ter. Eun.* 5. 9. 11. Hoc aliud est, quod gaudeamus. Cf. *eumd. Phorm.* 5. 8. 63. *Id. Andr.* 2. 2. 25. Jam id gaudeo. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 14. 1. Nunc furit, tam gavisos homines suum dolorem. *Stat.* 4. *Theb.* 231. gaudent natorum fata parentes. *Id.* 9. *ibid.* 724. Tu dulces litnos ululataque prœdia gaudes. Cf. *Val. Flacc.* 7. 215. tum flebile gaudens Prosiluit. — Passive. *Symmach.* 3. *Ep.* 29. Ista pars gaudenda mihi potius, quam etc. — *h*) Cum Genitivo pro Ablativo, Græcorum more. *Apul.* 1. *Met. ad fin.* Sed quid istud? Voti gaudeo. *Alii tamen aliter leg.* — *i*) Absolute. *Plaut. Amph.* 3. 3. 6. Tristis sit (*servus*), si heri sint tristes: hilarus sit, si gaudeant. *Id. ibid.* 3. 4. 10. Amanti subparasitor, hortor, adsto, admoneo, gaudeo. *Id. Stich.* 1. 3. 54. Dicam auctionis causam, ut animo gaudeant. *Cic.* 7. *Att.* 7. 6. Si est nunc ullus gaudendi locus. Adde *eumd.* 7. *Fam.* 2. 2. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 12. Gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem? *Ovid.* 10. *Met.* 287. Dum stupet, et timide (*al.* dubie) gaudet, fallique veretur. *Phædr.* 4. 16. 9. Parce gaudere oportet et sensim queri. *Quintil.* 9. 2. 26. Et irasci nos et gaudere fingimus. Adde *Plin. Paneg.* 23. — *l*) Passive impersonaliter, occurrit *gaudetur* apud *Symmach.* 1. *Ep.* 11. Huc referri potest et illud *Quintil.* 6. *procem.* 8. Minus enim est, quod flendum meo nomine, quam quod illius gaudendum est. ¶ 2. Speciatim *gaudere in sinu* et *in se* est secum taciteque gaudere. *Cic.* 3. *Tusc.* 21. 51. Quoniam hæc plausibilia non sunt, in sinu gaudeant, gloriose loqui desinant. *Tibull.* 4. 13. 8. Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. *Catull.* 22. 17. Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur. ¶ 3. Item speciatim pro Latino *salvere,* ut apud *Horat.* 1. *Ep.* 8. 1. Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano Musa rogata refer. χαίρειν καὶ εὐπράττειν, formula salutationis initio epistolarum, a Græcis sumpta: cf. *Horat. ibid.* v. 15. Juxta cl. *Ritter.* τὸ *rem bene gerere* plus est quam εὐπράττειν (h. e. *uti fortuna secunda*), siquidem Horatius optat, ut Celsus munia sibi tum imposita bene exsequatur.

II.) Translate de inanimis et abstractis. — *a*) Cum Infinito. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 43. (162). Solum gaudet aquari. *Sillig* vero ex duobus Codicib. legit *aqua rigandi.* — *b*) Sæpissime cum Ablativo. *Virg.* 6. *Ecl.* 29. Nec tantum Phœbo gaudet Parnasia rupes. *Id.* 9. *ibid.* 48. Astrum, quo segetes gauderent frugibus. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 32. gaudent prænomine molles Auriculæ. *Stat.* 6. *Theb.* 847. Postquam oleo gavisa cutis. *Martial.* 13. 16. brumali gaudentia frigore rapa. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 15. 33. (66). Myrrha gaudet rastris atque ablaqueationibus. *Id.* 19. *ibid.* 8. 39. (130). Humore omnia hortensia gaudent. *Quintil.* 12. 9. 2. Oratio gaudebit occasione lætius decurrendi. *Id.* 9. 4. 111. Pæon ante se brevibus gaudet pyrrhichio vel choreo. *Id.* 10. 7. 16. Quum stilus secreto gaudeat. — c) Absolute. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 16. Parum gaudet ulmus, quæ nudatur. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 115. dominum gavisa coronat Terra suum, surguntque toris majoribus herbæ. — Hinc Part. præs., cujus exempla et supra retulimus,

Gaudens, entis, adjective quoque occurrit, et est qui gaudet. *Cic.* 2. *Att.* 4. 2. Interea cum Musis nos delectabimus animo æquo, immo vero etiam gaudenti ac libenti. *Phædr.* 2. 8. Tum gaudens ferus Bubus quietis agere cœpit gratias. *Val. Flacc.* 1. 599. juventus Pergit et ingenti gaudens domat æquora velo. *Id.* 2. 135. Illa abit, et mediam gaudens defertur in urbem. *Horat.* 3. *Od.* 14. 5. Unico gaudens mulier marito. *h. e.* unico beata marito, *paga e contenta. Propert.* 3. 12. 9. Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris. *Stat.* 4. *Silv.* 6. 55. Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens Hortetur mensas. *Val. Flacc.* 1. 109. Tela puer facilesque humeris gaudentibus arcus Gestat Hylas. *Stat.* 9. *Theb.* 213. gaudens juba.

Homonym. *Gaudere* et *lætari* in eo præcipue differunt, quod *gaudere* est secum in animo voluptatem percipere, eique *dolere* opponitur: lætari (quemadmodum et *hilarem esse*) est ita gaudere, ut in vultu et gestibus lætitiæ signa prodantur, eique *mærere* et *tristem esse* opponitur. Hinc *Cic.* ex Stoicorum sententia ait 4. *Tusc.* 31. 66. Atque ut confidere (*al.* cavere) decet, timere non decet; sic gaudere decet, lætari non decet. Hinc etiam *Perottus* ait: Lætari extrinsecus est, gaudere intrinsecus: et *Richterus* ad *Popmam* p. 430. Læ-

tus adspectu, hilaris vultu, gaudens animo. Præterea *lætitia*, quum sit animi status vel affectio, subjective, uti ajunt; *gaudium* vero objective spectatur: unde ut dicitur *morbo ægrotans*, sic apud *Curt.* 8. 5. 27. *gaudio lætus*. Ceterum *Sueton. Cæs.* 22. Neque dolura dissimulato, neque gaudio. *Plaut. Amph.* 4. 3. 6. Tristis sit servus, si heri sint tristes: hilarus sit, si gaudeant. *Cic. Mur.* 24. 49. Te videbant tristem ipsum, mœstos amicos; Catilinam interea alacrem atque lætum. *Cato* apud *Gell.* 3. 7. Præ gaudio et lætitia. *Cic.* 11. *Att.* 17. Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, satisque ex ea magnam lætitiam voluptatemque capiebam: tamen non possum non confiteri cumulari me maximo gaudio, quod vulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. *Tac.* 2. *Hist.* 29. Ut Valens processit, gaudium, miseratio, favor; versi in lætitiam – laudantes gratantesque. *Sall. Cat.* 48. Plebes – gaudium atque lætitiam agitabant. *Id. ibid.* Ita varie per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus atque gaudia agitabantur. *Cic. Rosc. Am.* 47. 136. Quæ perfecta esse, gaudeo, judices, vehementerque lætor. *Id. Amic.* 4. 11. Scipionem – esse natum, et nos gaudemus, et hæc civitas, dum erit, lætabitur. *Id.* 2. *Fam.* 13. Gaudebam sane et congelasse amicum nostrum otio lætabar. *Plin.* 7. *Ep.* 24. Gaudeo enim pietate defunctæ, honore optimi juvenis: lætor etiam, quod domus C. Cassii – serviet domino non minori. *Id. Paneg.* 46. Tuo sæculo nihil est, quo non omne hominum genus lætetur et gaudeat. *Id. ibid.* 61. Renovare gaudia, redintegrare lætitiam. *Seneca* 2. *Ira* 5. Gaudere lætarique proprium et naturale virtutis est. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 105. Quum hac me lætitia tanta et tantis affecistis gaudiis. *V.* GAUDIUM init., et alia in fin. v. LÆTUS.

Forcellinus addit *gaudere* etiam a *gratulando* differre; quod *gratulari* respicit alium, et significat alterius causa lætum esse. *Cic.* 6. *Fam.* 15. Tibi gratulor, mihi gaudeo. *V.* GRATULOR.

GAUDIĀLIS, e, adject. ad gaudium pertinens. *Apul.* 8. *Met.* Gaudiales instruunt dapes. *Id.* 2. *ibid.* Gaudialis ritus. *Id.* 11. *ibid.* animus.

GAUDĬBUNDUS, a, um, adject. gaudio gestiens. *Apul.* 8. *Met. post init.* Saluti præsenti ac futuræ soboli novorum maritorum gaudibundus. *Al. leg.* gaudebundus.

GAUDĬFĬCO, as, are, n. 1. Idem ac lætifico. *Gloss. Philox.* Gaudifico, χαροποιῶ.

GAUDĬMŌNĬUM, ii, n. 2. gaudium. *Petron. fragm. Tragur.* 61. *Burmann.* Jamdudum gaudimonio dissilio. *Vulgat. interpr. Baruc.* 4. 34. Et amputabitur exultatio multitudinis ejus, et gaudimonium ejus erit in luctu. *Vulgat. vet. Ital. Judith.* 8. 6. Et jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata et neomenias et gaudimonia domus Israel. *Cod. habet* sabbatis etc.

GAUDĬUM, ii, n. 2. *Gau* quoque pro *gaudium*, ut *cœl* pro *cœlum* et *do* pro *domum*, veteres dixisse testatur *Auson. Edyll.* 12. 3. Ennius ut memorat, replet te lætificum gau. — De etymo *V.* GAUDEO init. — Gaudium est affectio animi alicujus præsentis boni opinione concepta, et proprie quum exhilaratur animus aliqua re, neque tamen ita ad exteriora diffunditur ultra modum, ut facile appareat. Differt a *lætitia*, quia, ut ait *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 13., quum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur: quum autem inaniter et effuse animus exsultat, tum illa lætitia gestiens, vel nimia dici potest. Quare, ut addit *Non.* p. 444. 11. *Merc.* „gaudium in sapiente et in rebus bonis semper est; lætitia etiam in malis rebus esse potest (V. et Homonym. in fin. v. GAUDEO). Hoc tamen discrimen sæpe negligitur. χαρά, χάρμα (It. *allegrezza, gaudio*; Fr. *joie intérieure, contentement, aise, plaisir*; Hisp. *gozo, alegria y contento interior*; Germ. *die innere Freude*; Angl. *joy, gladness, mirth*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) In sing. num. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 47. MA. Gaudio ero vobis. AD. At edepol nos voluptati tibi. *Id. ibid.* v. 88. Oblectare aliquem gaudio. *Ter. Andr.* 2. 2. 2. Alicujus animum gaudio explere. *Id. Phorm.* 5. 6. 30. Pæne hercle exclamavi gaudio. *Id. Adelph.* 3. 3. 55. Oh, lacrimo gaudio. *piango d'allegrezza*. *Id. Heaut.* 2. 3. 67. Præ gaudio, ubi sim, nescio. *Cic.* 2. *Fam.* 9. 2. Nimio gaudio pæne desipere. *Id. Cluent.* 5. 14. Tum vero illa egregia et præclara mater palam exsultare lætitia, triumphare gaudio cœpit. *Cf. Cæs.* apud *Cic.* 9. *Att.* 16. A. 2. allatum in GAUDEO I. 1. Rursus *Cic.* 5. *Fin.* 24. 69. Compleri gaudio. *Id.* 9. *Fam.* 14. Cumulari gaudio. *Id.* 10. *Fam.* 12. Efferri gaudio. Sic *Id.* 3. *de republ.* 30. Scipio quasi quodam gaudio elatus. Adde *Sueton. Cæs.* 22. *Q. Cic. ad fr.* 16. *Fam.* 16. Tuis litteris perlectis exsilui gaudio. Adde *Sueton. Ner.* 41. *Sall. Cat.* 48. Plebes veluti ex servitute erepta, gaudium atque lætitiam agitabat. *Ovid.* 7. *Met.* 513.; et *Val. Flacc.* 3. 698. Gaudium capere. *Ovid.* 2. *Pont.* 1. 60.; *Seneca Ep.* 59.; et *Plin.* 2. *Ep.* 10. 6. percipere. *Cic.* 5. *Fin.* 21. 70. Quempiam gaudio afficere. *Sueton. Tib.* 14.; *Plin.* 10. *Ep.* 2.; et *Stat.* 1. *Silv.* 2. 46. Alicui gaudium afferre. *Sueton. Ner.* 57. præbere. *Id. Aug.* 66. Dissimulare gaudium. *Quintil.* 11. 3. 86. Gaudium, tristitiam manibus ostendimus. *Tac.* 2. *Hist.* 55. Additæ erga Germanicos exercitus laudes gratesque; et missa legatio, quæ gaudio fungeretur. *h. e.* gratulatione. — Cum addito Genitivo rei, propter quam gaudio afficimur. *Liv.* 42. 55. Præter gaudium periculosi saltus superati contemptus quoque hostium accessit. *Flor.* 1. 9. 3. Tantumque libertatis novæ gaudium incesserat, ut etc. *Id.* 3. 2. 6. Utriusque victoriæ quod quantumque gaudium fuerit, etc. Adde *eumd.* 2. 2. 10. — *b*) In plur. num. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 105. Lætitia et gaudiis aliquem afficere. *Ter. Eun.* 5. 9. 5. Esse in gaudiis. *Cic.* 1. *Cat.* 10. 26. Hic tu qua lætitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? *Sall. Cat.* 61. Ita varie per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus atque gaudia agitabantur. *Virg.* 1. *Æn.* 506. pertentant gaudia pectus. *Propert.* 2. 25. 30. In tacito cohibe gaudia clausa sinu. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 104. Gaudia prodentem vultum celare. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 5. 43. et 4. *Od.* 12. 21.; et *Lucret.* 5. 1060. *Juvenal.* 8. 47. gaudia ferre. *Val. Flacc.* 1. 4. pectore gaudia tollere. ¶ 2. Speciatim dicitur de turpi voluptate. *Sall. Jug.* 2. Dediti corporis gaudiis, per luxum et ignaviam ætatem agunt. *Liv.* 1. 58. Sextus Tarquinius hinc abstulit gaudium. *Lucret.* 5. 852. Mutua queis inter se nectant gaudia. *Tibull.* 1. 6. 3. sed jam quum gaudia adirem. Adde *Ovid.* 9. *Met.* 483. et 12. *ibid.* 198. et *Heroid.* 18. 43.; *Juvenal.* 6. 368.; et *Val. Flacc.* 4. 164.

II.) Translate gaudia dicuntur, quæ gaudium afferunt. — *a*) De personis. *Propert.* 1. 19. 9. cupidus falsis attingere gaudia palmis. *h. e.* conjugem. *Ovid. Heroid.* 15. 109. Fugiunt tua gaudia. dixit. *h. e.* qui te amat. — *b*) De rebus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 40. (95). Flos est gaudium arborum. *Id.* 20. *ibid. præfat.* 1. (2). Adamas opum gaudium. *Id.* 16. *ibid.* 25. 40. (95). Sunt tristes quædam (*arbores*) quæque non sentiant gaudia annorum. *h. e.* tempora veris. Cf. *Justin.* 11. 14. 12. Data potestate redeundi, agros accipere maluerunt, ne non tam gaudium parentibus, quam detestandum sui conspectum reportarent.

Homonym. *V.* in fin. v. GAUDEO.

GAUDĬVĬGENS, entis, particip. ab inusit. *gaudivigeo*, compos. ex *gaudium* et *vigeo*, gaudio exsultans: Itali dicunt *gozzovigliante*. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 29. n. 130., at emendatior apud *Ignarra de Phratr.* p. 118. ALPHIVS HAS AEDES AVLVS SORANVS TVETVR EX EPICVREIO GAVDIVIGENTE CHORO. Immerito *Gorius* in *Inscript. Etrur.* T. 3. p. 55. supposititiam putat. Hanc *Orellius* 1193. genuinam ex *Hagenbuchio* habet.

GAULUS, i, m. 2. tria diversa significat, scilicet

A) Est Græca vox γαῦλος, genus poculi, seu vas aquarium. *Plaut. Rud.* 5. 2. 32. Sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyathusque.

B) Item Phœnicia vox, et est genus navigii pæne rotundum, inquit *Paul. Diac.* p. 96. 5. *Müll.* Ejus meminit etiam *Gell.* 10. 25., ubi navium appellationes varias recenset. Cf. et *Hesych.* Γαῦλος. φοινικὰ πλοῖα.

C) Juxta *Isid.* 12. *Orig.* 7. gaulus est avis eadem ac merops. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

GAUNĀCĀRĬUS, ii, m. 2. gaunacarum artifex. *Inscript.* apud *Don.* cl. 8. n. 69. C. PETTIVS CELER GAVNCARIVS. *Gorius ibid.* censet legendum *gaunacarius*. At *Murat.* 970. 4., qui eamdem inscriptionem retulit, putat eam vocem interpretandam esse ex γαιοῦχος *terram continens*, tum ipse *Donius* adnotet, eam inscriptionem esse sub imagine virili, læva librum tenente, exsculptis in ambitu signis Zodiaci. Viderint eruditi.

GAUNĂCĒ, es, f. 1. *et*

GAUNĂCUM, i, n. 2. γαυνάκη, stragulum, seu sagum ab una parte villosum. *Varro* 5. *L. L.* 167. *Müll.* In his multa peregrina; ut sagum, reno Galli, quid gaunacumma ejus sagum, et amphimallon Græca. Hæc corrupta ita legenda probabili conjectura putat *Checottius* in *Gorii Symb. litter. Rom.* T. 8. p. 172.: ut sagum, rheno Gallice; id gaunacum Persicum: amphimallon Græce. Quod quidem confirmatur illo *Hesychii*: Καυνάκαι, στρώματα, ἢ ἐπιβόλαια ἑτερόμαλλα, et illo *Aristoph.* in *Vesp.* v. 1176. Οἱ μὲν καλοῦσι Περσίδ', οἱ δὲ γαυνάκην. *Checottii* tamen conjecturam improbabilem affirmat *Müllerus*, qui ita edidit: ut sagum, reno Gallica, et gaunacum et amphimallon Græca.

GAUSĂPA, æ, et Gausăpē, es, f. 1. *et* Gausăpĕ, is, n. 3. *et*

GAUSĂPUM, i, n. 2. ὁ γαυσάπης.

I.) Proprie est genus panni crassioris, et altera parte villosi, ex quo fiebant stragula tum mensis, tum lectis idonea, itemque vestes, quarum usus in pluvia et frigore. Res erat peregrina, nec nisi sub Augusto Romæ cognita: ditioribusque ex delicatiore lana et pretioso colore usurpata: Itali *schiavina* vocant. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 10. puer alte cinctus acernam Gausape purpureo mensam pertersit. Imitatus *Lucilium* 20. apud *Priscian.* 9. p. 870. *Putsch.* Purpureo tersit tunc latas gausape mensas. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (193). Gausapa patris mei memoria cœpere amphimallia nostra, sicut villosa etiam ventralia; nam tunica lati clavi in modum gausapæ texi nunc primum incipit. *Ovid.* 2. *Art. am.* 300. Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba. *Petron. Satyr.* 28. Involutus coccina gausapa, lecticæ impositus est. *Pers.* 6. 46. Jam chlamydas regum, jam lutea gausapa captas. *Augustus* apud *Charis.* 1. p. 80. *Putsch.* Gausapes, lodices purpureas, et colores meas. *Cass. Sever. ibid.* et apud *Priscian.* 7. p. 759. Gausapo purpureo salutatus. *Varro* quoque *ibid.* *gausapa*, æ, f. probat. *Gausape quadratum* apud *Martial.* 14. 152. in *lemmate* aliis est stragulum sternendo lecto, aliis vero idem ac mantele, Italice *asciugatoio*.

II.) Improprie *balanatum gausape* apud *Pers.* 4. 37. est barba in modum villi propensa et unguento delibuta.

GAUSĂPĀTUS, a, um, part. ab inusit. *gausapo*, gausape indutus.

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 53. Mitto me in mare, quomodo psychrolutam decet, gausapatus.

II.) Translate et facete *Petron. Satyr.* 38. Solebat sic cœnare, quomodo rex. apros, gausapatos opera pistoria. *h. e.* crustulo, vel taleis laridi contectos. *V.* TAXEA.

GAUSĂPE, is. n. *et*

GAUSĂPES, is, m. 3. *V.* GAUSAPA.

GAUSĂPILA. *V.* voc. seq.

GAUSĂPĪNUS, a, um, adject. qui est e gausape, villosus, ut *pænula gausapina* apud *Martial.* 14. 145. in *lemmate*, quæ et gausapina absolute dicitur. *Id.* 6. 59. Et dolet et queritur, sibi non contingere frigus Propter sexcentas Baccara gausapinas. *Petron. Satyr.* 21. Myrtea subornatus gausapina. *Al. leg.* gausapila.

GAUSĂPUM, i, n. 2. *V.* GAUSAPA.

GĀVIA, æ, f. 1. λάρος, *gabbiano*, avis aquatica, eadem ac fulica; ita appellata videtur, quia aquis maxime gaudet, in quas magno strepitu et alis plaudentibus immergi solet, ideoque Veneri amanter servire dicitur ab *Apul.* 5. *Met. a med.* Tunc avis peralba illa gavia, quæ super fluctus marinos pinnis natat, demergit sese propere ad oceani profundum gremium; ibi commodum Venerem lavantem natantemque propter adsistens, etc. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 32. 48. (91). Gaviæ in petris nidificant.

GĀVĪSUS, a, um. *V.* GAUDEO.

GAZA, æ, f. 1. *Servius* ad *Virg.* 2. *Æn.* 763. singularis tantum numeri esse ait. Atqui in plurali bis usurpavit *Horat.* 1. *Od.* 29. 1. et 2. *ibid.* 16. 9., ter *Seneca Phœniss.* 501. *Herc. Fur.* 167. et *Med.* 485., semel *Lucret.* 2. 37. etc. — Accus. pluralis numeri neutr. gen. legitur apud *Coripp. Laud. Justin.* 4. 332. Patricius scalo fulgens Calinicus honore, Gazlior Augusti servans pia gasa sacelli. Et ga-

tum sing. num. apud *Commodian.* 55. 12. Non operas facitis, non domum gazo paratis. — Gaza, γάζα, vox Persica, qua regia pecunia significatur, uti docet *Curt.* 3. 13. 5.: unde factum nomen urbi in Palæstina, quod in ea Cambyses rex Persarum, quum armis Ægyptum peteret, opes et pecuniam suam contulerat, ut *Mela* 1. 11. et *Servius* ad *Virg. Æn.* 123. narrant.

I.) Proprie. *Nepos Datam.* 5. Pandates gazæ custos regiæ. Adde *Liv.* 45. 41.; *Curt.* 3. 12. 27. et 5. 6. 11.; et *Isid.* 20. *Orig.* 12.

II.) Translate significat quamcumque pecuniam et copiam. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 2. *Off.* 22. 76. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paulus: tantum in ærarium pecuniæ invenit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum. *Virg.* 2. *Æn.* 763. huc undique Troia gaza Incensis erepta adytis, mensæque deorum, Crateresque auro solidi, captivaque vestis Congeritur. *Id.* 5. *ibid.* 40. et gaza lætus agresti Excipit. *Tac.* 6. *Ann.* 37. Gazam et paratus regios adjicit. *Sueton. Ner.* 31. Thesauros antiquissimæ gazæ specubus abditos. *Val. Flacc.* 6. 562. nulla cælum reparabile gaza. Adde *Sueton. Galb.* 18., *Tib.* 49. et *Ner.* 31.; et *Lucan.* 3. 168. *Martial.* 12. 53. incubasque gazæ, Ut magnus draco. — *b*) In plurali numero. *Lucret.* 2. 37. Quapropter, quoniam nil nostro in corpore gazæ Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni; etc. Adde *loca cit.* sub init.; *Curt.* 5. 1. 6. et 5. 1. 10.; et *Claudian. Nupt. Honor.* 226. — *NB.* De nomine urbis *V.* ONOM.

GAZŎPHȲLĂCIUM, ii, n. 2. *salvadanajo*, γαζοφυλάκιον, capsula in qua pecunia reponitur. *Hieronym. Ep.* 11. n. 8. Quum viduam æra mittentem in gazophylacium laudaverit Dominus. Adde *Isid.* 20. *Orig.* 9.; et *Vulgat. interpr.* 4. *Reg.* 12. 9., 2. *Esdr.* 3. 30. et alibi sæpe.

GAZUM. *V.* GAZA.

GE

GĔENNA *vel*

GĔHENNA, æ, f. 1. γέεννα, vallis apud Hierosolymam, ubi Baal colebatur, et ipsi Hebræi filios suos immolaverunt. Dicta est גֵּי הִנֹּם, *h. e.* vallis filiorum Ennon. Translate sumitur pro loco futurorum suppliciorum et pœnarum perpetuarum, quibus improbi cruciandi sunt, quia Deus minatus fuerat, talem illam impleturum cadaveribus mortuorum. *Auson. Ephemerid. Orat.* 56. tormentaque sera gehennæ Anticipat. *Tertull. Apolog.* 47. Si gehennam comminemur, quæ est ipsis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus, proinde decachinnamur. *Paulin. Nol.* 35. 472. Unde (*Patriarcharum sinu*) gehenna procul sævit hiante chao. Adde *Hieronym.*, *Prudent.*, *Sedul.*; et *Vulgat. interpr. Matth.* 5. 22. et alibi sæpe.

GĔLASCO, is, ere, n. 3. *agghiacciarsi*, πήγνυμαι, gelu astringi. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (132). Vini natura non gelascit.

GĔLĀSIĀNUS, i, m. 2. *buffone*, mimus: a γελάω *rideo*. *Sidon. carm.* 23. 301. Mimos, schœnobatas, gelasianos.

GĔLĀSĪNUS, i, m. 2. *pozzetta*, γελασῖνος, a γελάω *rideo*, fossula, seu ruga, quæ in ridentium genis fieri solet, quæque miram quamdam ori conciliat venustatem: hinc *Tasso in Aminta* ita canit: *or dentro le pozzette, Che forma un dolce riso in bella guancia* etc. Hasce fossulas *lacunas* vocavit *Ovid.* 3. *Art. am.* 283. Sint modici rictus (*puellæ*), sint parvæ utrimque lacunæ. *Martial.* 7. 25. Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti: Nec grata est facies, cui gelasinus abest. *Suidas.* Γελασίνοις, γραμμαῖς ταῖς ἐκ τοῦ γελᾶν γιγνομέναις. — Translate Græci scriptores usurpant etiam de fossulis, quæ in natibus fiunt, ut *Alciphr. l.* 1. *Ep.* 39. et *Anthol. Gr. Palat. p.* 1. *n.* 93. de trium meretricum natibus; *Lucian.* vero in Ἔρωτ. c. 14. de Venere Καλλιπύγῳ: Τῶν δὲ ταῖς ἰσχίοις ἐναποσφραγιζομένων ἐξ ἑκατέρων τύπων, οὐκ ἂν εἴποι τις ὡς ἡδὺς ὁ γέλως. — Γελασῖνος fuit etiam cognominatus Democritus, quia res humanas perpetuo risu prosequebatur, ut contra Heraclitus perpetuo fletu. *Ælian. Hist. var. l.* 4. *c.* 20. — Dentes quoque primores, qui in risu et scommate nudantur, γελασῖνοι dicuntur a *Polluce* in *Onomast. l.* 2. *c.* 4. *n.* 91. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

GĔLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus gelandi, gelu, et ipsa concretio aquæ, *freddo*, *gelo*, ἔκπηξις. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (233). Si protinus editis fructibus gelatio magna consecuta est. *Scribon. Compos.* 179. Cicutam potam artuum gelatio insequitur. Adde *eumd. ibid.* 180.

GĔLĀTUS, a, um. *V.* GELO.

GĔLĀTUS, us, m. 4. idem ac gelatio. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. *a med.* Si sanguis fuerit retentus, quod fit aliquando cum gelatu.

GĔLĔFACTUS, a, um, particip. ab inusit. *gelefacio*, gelidus factus. *Venant.* 8. *carm.* 6. 213. Hæc gelefacta meum servavit in ossibus ignem.

GĔLĬCĬDĬUM, ii, n. 2. (gelu *et* cadere: num a glacies?) dicitur quum initio hiemis ros e cælo gelatus decidit, *agghiacciamento*, *ghiaccio*, *brinata*, πάγνη, αἴθρος, κρυμός. — *a*) In plurali numero. *Cato R. R.* 65. Si gelicidia erunt, quum oleam coges. Adde *Vitruv.* 2. 7. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 6. Pruinæ et gelicidia nocturna. *Id. ibid.* 3. 63. Ne auctumnalis satio hiemis gelicidiis peruratur. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 8. 3. et 3. *ibid.* 1. 7. *Pallad.* 12. *R. R.* 1. 2. Gelicidiorum tempore. — *b*) In singulari numero. *Varro* 1. *R. R.* 55. 2. Ramos glubit ac relinquit ad gelicidium retectos.

GĔLĬDĒ, adverb. frigide, *freddamente*, ψυχρῶς. Translate. *Horat. Art. P.* 171. Vel quod res omnes timide gelideque ministrat.

GĔLĬDUS, a, um, adject. *Gelidai* pro *gelidæ* est *Lucret.* 3. 694. — Comp. *Gelidior* et Sup. *Gelidissimus* I. — Gelidus est gelu obnoxius. Plus est quam *frigidus*. Frigida enim multa sine gelu esse possunt. Promiscue tamen nonnumquam adhibentur. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *init.* Cælum est hieme frigidum et gelidum. Myrtos, oleas aspernatur et respuit. κρυερός (It. *freddo*, *gelato*, *fresco*; Fr. *glacé*, *gelé*, *froid*; Hisp. *helado*, *frio*; Germ. *eiskalt*, *frostig*; Angl. *cold as ice*, *gelid*).

I.) Proprie. — *a*) De aquis, nivibus, pruinis. *Lucret. loc. cit.* Gelida aqua. *Cic.* 1. *Cat.* 13. 31. Gelidam aquam bibere. *acqua fresca*. V. infra sub d. Sic *Ovid.* 3. *Art. am.* 385.; et *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 6. (10). Gelidissimæ aquæ. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 6. Fibrenus statim præcipitat in Lirem —, eumque multo gelidiorem facit. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi. Cf. *eumd.* 2. *Nat. D.* 39. 98. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium. *Val. Flacc.* 6. 100. gelidum flumen securi eruere. *agghiacciato*. *Lucret.* 6. 1171. Gelidus fluvius. *Virg.* 8. *Æn.* 597. amnis. Cf. *eumd.* 1. *G.* 43. Vere novo, gelidus canis quum montibus humor Liquitur. Similiter *Id.* 3. *Æn.* 175. Tum gelidus toto manabat corpore sudor. *Lucret.* 6. 107. Gelidæ nives. *Id.* 2. 431. et 515.; et *Virg.* 2. *G.* 263. pruinæ. *Id. Virg. ibid.* 202. ros. — *b*) De locis, et inanimis ad loca pertinentibus. *Liv.* 38. 27. Loca gelida propinquitate Tauri montis. *Virg.* 2. *G.* 488. Gelidæ valles. *Horat.* 1. *Od.* 1. 30. nemus. *Id. ibid.* 12. 6. Hæmus. *Id. ibid.* 21. 6. Algidus. *Virg.* 8. *Æn.* 343. rupes. *Lucret.* 3. 905. saxum. *Virg.* 8. *Æn.* 28. gelidique sub ætheris axe. Sic *Id.* 4. *G.* 509. Gelida astra. Et *Horat.* 4. *Od.* 5. 25. Gelidi Scythæ. *h. e.* gelidis in locis degentes. — *c*) De abstractis. *Lucret.* 5. 640. gelidæ frigoris umbræ. *Virg.* 1. *G.* 287.; et *Horat.* 2. *Ep.* 2. 169. nox. *Ovid.* 1. *Trist.* 11. 3. december. Sic *Id.* 3. *Fast.* 28. foci. *Id.* 6. *Met.* 711. gelidi conjux Actæa tyranni. *h. e.* Boreæ. — *d*) Hinc *Gelida*, *æ*, f. 1. absolute, substantivorum more, est aqua gelida. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 90. foribusque repulsum Perfundit gelida. V. *Calida* et *calda* in CALIDUS et *Frigida* in FRIGIDUS.

II.) Translate a Poetis usurpatur — *a*) De membris hominum, qui senectute, timore aut morte frigent. *Virg.* 5. *Æn.* 395. gelidus tardante senecta Sanguis hebet frigentque effetæ in corpore vires. *Ovid.* 1. *Fast.* 97. Obstupui sensique metu riguisse capillos, Et gelidum subito frigore pectus erat. Similiter *Id.* 3. *Met.* 688. pavidum gelidumque trementi Corpore vixque meum firmat deus. *Id.* 10. *ibid.* 423. gelidos nutricis in artus Ossaque — penetrat tremor. *Id.* 6. *ibid.* 277. Corporibus gelidis (*Niobe*) incumbit et ordine nullo Oscula dispensat natos suprema per omnes. Sic *Id.* 4. *ibid.* 247. et 8. *ibid.* 249. Gelidi (*mortuorum*) artus. *et* 4. *ibid.* 141. vultus. — *b*) De timore ipso aut morte, quibus homo friget. *Ovid.* 3. *Met.* 100. gelidoque comæ terrore rigebant. *Id. Heroid.* 11. 82. gelidus metus. *Id.* 2. *Met.* 200. formido. *Id. Heroid.* 16. 67. horror. Sic *Virg.* 2. *Æn.* 120. gelidus tremor per ossa cucurrit. et *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 11. pallor. *Lucret.* 3. 529. post inde per artus ire alios tractim gelidi vestigia leti. *Horat.* 2. *Od.* 8. 11.; et *Ovid.* 15. *Met.* 153. gelida mors. — Hinc

Gelida, *æ*, f. 1. *V.* supra sub I. d.

Homonym. *V.* in fin. voc. FRIGIDUS.

GĔLO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Gelatus* sub *A.* I. et II. — Gelare occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active, seu cum Accusativo, gelare est frigore astringere, πήγνυμι (It. *agghiacciare*; Fr. *geler*, *congeler*; Hisp. *helar*; Germ. *gefrieren machen*; Angl. *to freeze*).

I.) Proprie. — *a*) Activa forma. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 6. 6. (21). Si gelent frigora, quarto die (*olivam*) premendam. *Martial.* 1. 50. Fluvius qui ferrum gelat. — *b*) Passiva forma. *Colum.* 9. *R. R.* 6. 2. Alvearia fictilia accenduntur æstatis vaporibus et gelantur hiemis frigoribus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 28. 42. (103). Amnes gelati lacusque. *Martial.* 5. 9. manus Aquilone gelatæ. *Colum.* 10. *R. R.* 397. Gelatum lac. *Id.* 7. *ibid.* 8. 7. Caseus paullum gelatus in mulctra. *Martial.* 4. 46. Et ficus Libyca gelata testa. *h. e.* stipata in testa roscido quodam humore, qui ex ficu emissus circa eamdem durescit. *V.* AFRICANUS in ONOM.

II.) Translate de timore, morte etc. (*V.* GELIDUS II.) a Poetis usurpatur. *Stat.* 4. *Theb.* 497. gelat ora pavor, gressusque tremiscunt. *Juvenal.* 6. 95. timent pavidoque gelantur Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis. *Lucan.* 7. 339. stat corde gelato Attonitus. *h. e.* timoris pleno. *Stat.* 4. *Theb.* 404. sic fata gelatis Vultibus. *h. e.* pallore suffusis. *Lucan.* 6. 541. gelatos orbes effodere. *h. e.* frigidos oculos et emortuos.

B) Neutrorum more est frigore astringi, *gelarsi*. — *a*) Cum Nominativo. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (232). Pruinæ perniciosior natura, quoniam lapsa persidet gelatque, ac ne aura quidem ulla depellitur. *Vulgat. interpr. Eccli.* 43. 22. Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua. *Stat.* 4. *Theb.* 727. venæ gelant. *Lucan.* 9. 681. vultusque gelassent Perseos adversi, si non Tritonia densos Sparsisset crines. *h. e.* in lapides conversi fuissent. — *b*) Impersonaliter. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (39). Non ante demetuntur, quam gelaverit. *h. e.* frigus et glacies inciderit.

GĔLŌTŎPHȲĒ, es, f. 1. γελωτοφυή, herba eadem, ac batrachion: ita vero dicta est quasi *risui nata*. *Apul. Herb.* 8.

GĔLŌTŎPHYLLIS, idis, f. 3. γελωτοφυλλίς, *h. e.* folium risus: quasi folio risum ciente si comedatur. Hanc herbam quidam putant eamdem esse ac batrachion. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (164). Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 297.) *gelotophyllis* est herba eadem, quæ *apium risus* vel *herba sardoa* a *Virg.* laudata, h. e., ut nonnulli putant, *Ranunculus Philonotis*.

GĔLU, us, n. 4. In numero plur. occurrit apud *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*) 4. 2. Metus enim non est geluum. *scil. pro* geluum. — Apud veteres reperitur et *gelus*, *us*, m. 4.; ac reepse Nominativum sing. num. habet *Cato R. R.* 40. *extr.* Stramentis circumdato, ne gelus noceat. Adde *Accium* et *Afranium* apud *Non. p.* 208. 2. *Merc.* Accusativum sing. num. *gelum* habet *Cato* apud *Non. ibid.* Qui aquatum et lignatum jubentur ire, securim atque lorum ferunt, gelum crassum excidunt, eum loro colligatum auferunt. — Item *gelum*, *i*, n. 2. Nominat. occurrit apud *Lucret.* 6. 877. gelum, quod continet in se, Mittit, et exsolvit glaciem. et apud *Varron.* 1. *R. R.* 45. 2. Venenum enim gelum radicibus tenellis sub terra, et supra virgultis. Genit. *geli* apud *Lucret.* 6. 155. geli multus fragor. *et* 529. Et vis magna geli. Ablativum *gelo* habet *Varro* apud *Non. p.* 492. 6. *Merc.* Strata gelo putri montium saxa. — Ratione habita etymi, *gelu* conjungendum est cum Sicula voce γέλα idem significante, de qua hæc *Steph. Byz.* sub h. v.: Τὴν πάχνην τῇ Ὀπικῶν φωνῇ καὶ Σικελῶν γέλαν λέγεσθαι: hinc etiam *glacies* et similia derivata videntur. Ceterum gelu est aqua frigore concreta, κρυμός

(It. *ghiaccio, gelo*; Fr. *gelée, glace, grand froid*; Hisp. *helada, frio excesivo*; Germ. d. *Frost*, d. *Kälte, Eiskälte*; Angl. *frost, ice, cold*).

I.) Proprie. Habet usum plerumque in solo sexto casu singulari, ut *tonitru*: sed adhibetur etiam in primo casu ab *Ovid. de nuce* 106. Nec ventus fraudi solve geluve fuit. Et in secundo casu a *Plin.* 8. *Hist. nat.* 28. 42. (103). Aure ad glaciem apposita conjectare crassitudinem gelus. *Virg.* 2. *G.* 317. Rura gelu tum claudit hiems. *Id.* 3. *ibid.* 442. horrida cano Bruma gelu. *Id.* 9. *Æn.* 601. Sævoque gelu duramus et undis. *Horat.* 1. *Od.* 9. 3. geluque Flumina constiterint acuto. *Phædr.* I. 18. Gelu rigens colubra. *Seneca Thyest.* 872. Frigida duro Cynosura gelu. *Id. Med.* 716. Bruma nivali cuncta constrinxit gelu. *Plin. Paneg.* 12.; et *Flor.* 4. 12. *ante med.* Danubius ripas gelu jungit. — Poetice de sola olve. *Stat.* 5. *Theb.* 392. messis amaro Strata gelu.

II.) Translate dicitur de senectute, pavore et morte. *Virg.* 8. *Æn.* 508. Sed mihi tarda gelu sæclisque effeta senectus. *Seneca Troad.* 624. Torpetque vinctus frigido sanguis gelu. *Lucan.* 4. 652. pectora pigro Stricta gelu. *h. e.* frigore mortis.

Homonym. *V.* in fin. v. FRIGIDUS.

GĔMĔBUNDUS, a, um, adject. valde gemens, *gemebondo*, ἐπιστένων. *Ovid.* 14. *Met.* 188. Ille quidem totam gemebundus obambulat Ætnam. *Al. leg.* fremebundus. *Pindarus*, sive *Auct. incert. Epit. Iliad.* 349. excepit bello gemebundus Atrides. *Lactant. Mort. persec.* 18. At ille gemebundus, Non, inquit, eos homines mihi das, quibus tutela reipublicæ committi possit. *Hieronym. Ep.* 18. *ad Eustoch.* Vulneraberis, nudaberis et gemebunda narrabis.

GĔMELLAR, āris, n. 3. vasis olearii genus: fortasse quod geminam mensuram contineret; vel potius, ut putat *Gesnerus*, quod duo cava continua haberet. *V.* DIPLANGIUM. *Colum.* 12. *R. R.* 50. 10. Rotundum labrum melius est, quam plumbeum quadratum, vel structile gemellar. *V.* et voc. seq.

GĔMELLĀRĬA, æ, f. 1. idem quod gemellar. *Augustin.* in *Psalm.* 136. *circa med.* Quare tam cæcus es, ut amurcam fluentem per plateas videas, oleum in gemellaria non videas?

GĔMELLĬPĂRA, æ, f. 1. (gemellus *et* pario) διδυματόκος, quæ uno partu duos edit in lucem. Dicitur de Latona, quæ Apollinem et Dianam uno partu edidit. *Ovid.* 5. *Fast.* 542. Curva gemelliparæ spicula ferre deæ. Adde *eumd.* 6. *Met.* 315.

GĔMELLĬTĬCUS, a, um, adject. idem quod gemellus, ut Gemelliticus fetus, in *supposit. Plauti Bacch. prol.* 18.

GĔMELLUS, a, um, adject. *deminut. a* geminus, uno eodemque partu natus, δίδυμος (It. *gemello*; Fr. *jumeau, jumelle*; Hisp. *gemelos, mellizos*; Germ. *doppelt von Geburt, zwillingsgeboren*; Angl. *twin*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. *Ovid. Heroid.* 8. 77. Flebat avus Phœbeque soror fratresque gemelli, Orabat Superos Leda suumque Jovem. *Id. Heroid.* 6. 121. gemella proles. *Id. ibid.* 143. gemellus fetus. *Id.* 6. *Met.* 712. gemellus partus. — Hinc *gemellus, i*, m. 2. absolute, substantivorum more, eodem sensu. *Catull.* 4. 27. Gemelle Castor, et gemelle Castoris. *Ovid.* 11. *Met.* 316. est enixa gemellos. — *Gemelli* fuit titulus mimici poematis a Laberio compositi. *Gell.* 1. 7. — *b*) De brutis, absolute. *Virg.* 1. *Ecl.* 14. modo namque gemellos, Spem gregis, ah! silice in nuda connixa (*capella*) reliquit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur pro duobus simul junctis. *Gemellæ vites* dicuntur, quæ geminas uvas eodem pediculo junctas producunt, *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (21). *Colum.* 3. *R. R.* 2. 10. *geminas* dixit. Sic *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 15. (51). Poma cohærentia et gemella, numquam singula in fetu. — *Cæs.* 3. *B. C.* 4. vocat *Gemellam legionem*, quæ de duobus una facta est: quod quidem primum a Pompejo, deinde ab aliis etiam imperatoribus factitatum fuisse apparet. *V.* GEMINUS. *Inscript.* apud *Henzen.* 6677. ... TRO MAXIMO IIII. VIR. I. D. IIII. VIR. QVINQ. BIS FLAMINI AVGVSTALI TRIB. MIL. LEG. VI. GEMELL. PRAEF. FABR. AVGVRI QVAESTORI D. D. ¶ 2. Speciatim ponitur et pro valde simili. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 243. Par nobile fratrum Nequitia et nugis pravorum et amore gemellum. *Martial.* 10. 92. pinus gemella. *Id.* 12. 49. uniones gemellæ. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

GĔMESCO, is, ere, n. 3. verbum Ionice inflexum ex *gemo*, idem ac gemisco. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 102.

GEMLÆ. *V.* GUMLE.

GĔMĬNĀTIM, adverb. duplicando, vel per geminos. Habet *Diomed.* 1. p. 402. *Putsch.*, nulla tamen confirmat scriptoris Latini auctoritate. Alii legunt *gemmatim*.

GĔMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. actus geminandi, repetitio, duplicatio, *raddoppiamento, ripetizione*, ἐπαναδίπλωσις; sed occurrit tantum in re grammatica et rhetorica. *Cic.* 3. *Orat.* 54. 206. Geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias. *Quintil.* 9. 3. 67. Geminatio verborum. *Id.* 1. 4. 10. Geminatione vocalium uti. *Id.* 1. 5. 12. Geminatio vitii. *Id.* 8. 5. 18. Facit quasdam sententias sola geminatio: qualis est Senecæ: salvum me esse, adhuc nec credo, nec gaudeo. *Id.* 9. 3. 29. Similis geminationis post aliquam interjectionem repetitio est. *Gell.* 13. 24. An Tullius inani et illepida geminatione junxerit *manubias* et *prædam*. *Macrob. de differ. Gr. Lat. verb.* p. 2737. *Putsch.* Quum ad geminationem venitur, non δισσῶς iteratur, sed ἀντίστοιχον ejus, ut Σαπφώ, τεθαίρηχα. In Latinis vero eadem littera geminatur, *fallo, fefelli*.

GĔMĬNĀTUS, a, um. *V.* GEMINO.

GEMĬNĪNUS, a, um, adject. *deminut. a* geminus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 102.

GĔMĬNĬTŪDO, inis, f. 3. *Pacuvius* apud *Non.* p. 116. 18. *Merc.* Habeo ego istam qui distinguam inter vos, geminitudinem. *h. e.* discrimen inter geminos.

GĔMĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Geminans* sub *A.* I.; *Geminatus* sub *A.* I. et II. — Geminare a *geminus* occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active geminare est duplicare, διπλόω (It. *raddoppiare*; Fr. *doubler, rendre double*; Hisp. *doblar*; Germ. *verdoppeln*; Angl. *to double, redouble, geminate*).

I.) Proprie. — *a*) Activâ formâ. *Varro* 3. *R. R.* 16. 32. Quum plenas alvos habent, et quum illos (*favos*) geminaverint. *Tibull.* 2. 3. 39. Geminare pericula. *Ovid.* 5. *Met.* 586. labor geminaverat æstum. *Id.* 10. *ibid.* 471. Geminare facinus. *Id.* 4. *Trist.* 10. 31. decem vitæ frater geminaverat annos. *h. e.* viginti expleverat. *Id.* 3. *Pont.* 4. 99. Geminare honorem. *et* 1. *ibid.* 2. 2. genus geminare nobilitate animi. *Flor.* 1. 10. Geminare terrorem. *Quintil.* 1. 7. 14. semivocales. *Id.* 9. 3. 28. verba. *Manil.* 4. 479. Undecimam partem geminans. *Claudian. B. Get.* 387. Et Trebiam sævæ geminassent funera Cannæ. — *b*) Absolute. *Ter. Adelph.* 2. 1. 19. Geminabit (*pugnum*), nisi caves. — *c*) Sæpius occurrit Part. præter. pass. *Cic. Partit. Orat.* 6. 21. Geminata verba, atque duplicata, vel sæpius etiam iterata ponantur. *geminata* per figuram repetitionis: *duplicata* conduplicationis. *Id.* 2. *Nat. D.* 5. 14. Geminato sole. *Virg.* 2. *G.* 509. Geminatus plausus. *Ovid.* 12. *Met.* 257. Geminatum vulnus. *Id. ibid.* 220. quam vino pectus, tam virgine visa Ardet: et ebrietas geminata cupidine regnat. *Id.* 15. *ibid.* 681. Verba sacerdotis referunt geminata. *ripetute*. *Liv.* 1. 25. Geminata victoria. *Plin. Paneg.* 92. 1. Geminatus honor. *Quintil.* 1. 7. 29. Geminata littera. *Id.* 2. 3. 2. Geminatum onus. *Tac.* 1. *Ann.* 3. Agrippam ignobilem loco, geminatis consulatibus, extulit. *replicati: con più d'un consolato*: fuit enim ter consul, teste *Vellejo* 2. 90. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 13. 12. (12). Nec aliud pomum ingeniosius geminatum est. *moltiplicato, propagato per via d'innesti*. — Poeticum est, et a Græco ductum, illud *Silii It.* 10. 511. Quæ postquam aspexit geminatus gaudia ductor Sidonius. *h. e.* geminatum gaudium percipiens.

II.) Translate significat jungere, copulare. — *a*) Activâ formâ. *Horat. Art. P.* 13. non ut Serpentes avibus geminentur, tigribus agni. *Sueton. Domit.* 7. Geminari legionum castra prohibuit. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 239. dat Juno verenda Vincula, et insigni geminat Concordia tæda. Similiter *Horat.* 1. *Od.* 16. 8. non acuta Si geminant Corybantes æra. *h. e.* alterna pulsant: *Forcellinus* vero interpretatur geminatis ictibus pulsant. — *b*) Part. præter. pass. *Liv.* 36. 24. Geminata cacumina montium.

B) Neutrorum more est duplex fieri. *Lucret.* 4. 451. Omnia quum tuimur, fieri tum bina tuendo; Bina lucernarum florentia lumina flammis, Binaque per totas ædes geminare supellex, Et duplices hominum facies et corpora bina.

GĔMĬNUS, a, um, adject. Sup. *Geminissimus* jocularite r occurrit apud *Plaut.* infra *cit.* sub I. *a.* — Geminus (fortasse a γάμος, ut putat cl. *Döderlein. Latein. Synonym.* vol. 5. p. 281.) est qui una cum alio eodem partu genitus est, δίδυμος (It. *gemello, binato*; Fr. *double quant à la naissance, jumeaux*; Hisp. *gemelos, mellizos*; Germ. *von Geburt doppelt, zwillingsgeboren*; Angl. *twin, geminous*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Adjective. *Cic. Cluent.* 16. 46. C. et L. Fabricii fratres gemini fuerunt ex municipio Aletrinati. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 41. Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque Zethi dissiluit. *V.* FRATER. *Plaut. Men.* 2. 1. 7. Fratrem quæsitum geminum germanum meum. *Ovid.* 4. *Met.* 774.; et *Horat.* 4. *Od.* 7. 5. Geminæ sorores. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 30. Soror gemina germana. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 16. *Müll.* Latona parit casta complexu Jovis Deli deos geminos. *h. e.* Apollinem et Dianam. *Virg.* 8. *Æn.* 631. geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros. *Id.* 1. *ibid.* 178. gemina proles. *Horat.* 3. *Od.* 29. 64. me Tutum per Ægæos tumultus Aura feret geminusque Pollux. *h. e.* Pollux cum Castore, qui gemini sunt. Eadem ratione *geminus Castor* dicitur ab *Ovid.* 1. *Art. am.* 746. *Horat. Art. P.* 147. Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo. — Jculariter *Plaut. Pers.* 5. 2. 49. TO. Hic ejus geminus est frater. DO. Hiccine? TO. Ac geminissimus. — *b*) Hinc *gemini, orum*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, qui uno eodemque partu editi sunt. *Cic.* 2. *Divinat.* 43. 90. Geminorum formas esse similes, vitam atque fortunam plerumque disparem. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 56. Ut mater geminos internoscit consuetudine oculorum; sic tu internosces, si assueveris etc. *Liv.* 1. 6. Quoniam gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen facere posset. — Sic de brutis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 68. (168). Asina raro geminos parit. ¶ 2. Speciatim *Gemini* sunt signum cæleste, qui putantur esse Castor et Pollux. *V.* CASTOR in ONOM. Alii dicunt esse Herculem et Apollinem, ut est apud *Varron.* 2. *R. R.* 1. 7. Alii vero Triptolemum et Iasiona, a Cerere dilectos, et ad sidera pertatos, ut ait *Hygin.* 2. *Astronom.* 22. V. *Viscont. Op. Var. T.* 2. p. 17. *edit. Mediol.* Hos *geminum astrum* vocat *Colum.* 10. *R. R.* 312. ¶ 3. Item speciatim *gemini* dicuntur testiculi, qui et Græce δίδυμοι. *Solin.* 13. Fiber ne captus prosit, ipse geminos suos devorat. *Ammian.* 16. 7. Eutherius captus a finitimis hostibus etiam tum parvulus, abstractis geminis, Romanis mercatoribus venditur.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe geminus est duplex, duo, *doppio, due*. — *a*) Stricto sensu pro duplici vel duobus. *Ter. Andr.* 4. 1. 51. Ex unis geminas nuptias conficere. *Cic.* 2. *Divinat.* 58. 120. Geminum lucernæ lumen. *Id. Sext.* 38. 82. Quum quærerent alii Numerium, alii Quinctium, gemini nominis errore (*Numerus Quinctius*) servatus est. *Id. Pis.* 18. 41. Vos geminæ voragines scopulique reipublicæ. *Virg.* 6. *Æn.* 894. Sunt geminæ somni portæ, quarum altera etc. *Id.* 1. *ibid.* 166. gemini scopuli. *Id.* 9. *ibid.* 265. Et tripodas geminos, auri duo magna talenta. Sic *Martial.* 2. 53. geminus assis. *h. e.* duo asses. *Ovid. Heroid.* 12. 101. maris gemini distinet Isthmos aquas. *Stat.* 7. *Theb.* 50. geminumque tenens Discordia ferrum. *Grat. Cyneg.* 68. Ut (*Ancæus*) prædexter erat geminisque securibus ingens. *h. e.* securi utrimque acuta, bipenni: cf. *Ovid.* 8. *Met.* 391. et 397. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 10. Aliæ duæ geminæ (*vites*) ab eo, quod duplices uvas exigunt. *V.* GEMELLUS II. *Cic.* 3. *Orat.* 47. 182. Aliæ percussiones numerorum sunt geminæ. *h. e.* duplices. Sic *Quintil.* 1. 7. 14. Geminis vocalibus. *Id.* 1. 7. 8. M gemina. — *b*) Pro *uterque* vel *ambo*. *Virg.* 5. *Æn.* 416. Temporibus geminis canebat sparsa senectus. *Id.* 6. *ibid.* 789. Huc geminas nunc flecte acies. *Id.* 4. *G.* 300. geminas nares vitulo obsuere. *Id. ibid.* 371. Et gemina auratus taurino cornua vultu Eridanus. *Martial.* 10. 10. Et pariter geminas tendis in ora manus. *Ovid.* 2. *Fast.* 151. geminos exseruisse pedes. Similiter *Id.* 2. *Art. am.* 641. Mobilis in gemino cui pede penna fuit. et *Stat.* 5. *Theb.* 516. *de ingenti angue*. Sæpe super fluvios geminæ jacet aggere ripæ Continuus. — *c*) Inter-

dum de iis dicitur, quæ duplici natura constant. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 35. geminoque huic corpore Triton Prænatet. *scil.* quia Triton, superne hominis, inferne piscis figura tradebatur. *Ovid.* 2. *Met.* 630. geminique tulit Chironis in antrum. *scil.* quia Chiron erat Centaurus, hominis et equi figura conflatus. *Id. ibid.* 555. Virginibusque tribus gemino de Cecrope natis. διφυής, vel quia enormi fuit longitudine corporis; vel quia duas callebat linguas, Græcam et Ægyptiam, inquit *Hieronym.* in *Chron. Euseb.* ad ann. ab Abraham CCCCLXX.; vel quia, ut Poetæ fabulati sunt, homo simul et serpens, aut mas simul et femina fuit. — d) *Legio Gemina,* quæ sæpe occurrit in antiquis Inscriptionibus apud *Gruter., Orell.* et alios, dicta fuit ex eo, quod ex duabus vario bello imminutis conflata sit, ut affirmat *Dion. l.* 55. *c.* 23. *V.* GEMELLUS II.; et *Inscript.* apud *Orell.* 72., 1214., 2090. etc. — e) Item de crassis, amplis, obesis, *grasso e grosso:* quasi duplicatum suæ staturæ ac magnitudinis modum habentibus. *Lucret.* 4. 1161. At gemina et mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho. At fortasse hic *gemina* significat quadratam, *h. e. di statura quadrata e robusta.* V. QUADRATUS. ¶ 2. Item *geminus* est par, similis, *simile, eguale:* quia inter geminos similitudo est. *Varro* 9. *L. L.* 92. *Müll.* Sæpe gemina facie mala negamus esse similia, si sapore sunt alio. *Cic. Rosc. Am.* 40. 118. Par est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia. *Id. Rosc. com.* 18. 55. Simillima enim et maxime gemina societas hereditatis est. *Id.* 5. *Verr.* 66. 155. Consors in lucris atque furtis, geminus et simillimus nequitia, improbitate, audacia. *Id.* 11. *Phil.* 1. 2. Dolabella et Antonius – ecce tibi geminum in scelere par. *una coppia eguale in scelleraggine. Id. Partit. orat.* 7. 26. Memoria est gemina litteraturæ quodammodo et in simili genere persimilis. h. e. *sorella germana.* Al. leg. *germana. Id. Pis.* 7. 16. Illud vero geminum consiliis Catilinæ et Lentuli, quod me domo mea expulistis. *Hic quoque alii leg.* germanum.

GEMĬPŌMUS, a, um, adject. qui gemini pomi figuram refert: ita porro vocantur papillæ muliebres in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 653. *Burmann.* Conde papillas, conde gemipomas, Compresso lacte quæ modo pullulant. *Burmannus* legendum putat *gemellulas,* ut constet ratio carminis; nam hic male secunda syllaba longa, et tertia brevis est. Alii nihil mutandum, eamque licentiam auctori sequioris temporis condonandam existimant. Ceterum simile quid habent *Aristoph. Acharn. v.* 1214. Τῶν τιτθίων ὡς σκληρὰ καὶ κυδώνια: et *Aristænet. l.* 1. ep. 1. ὡς κυδωνιῶντες οἱ μαστοί.

GEMISCO, is, ere, n. inchoat. 3. gemere incipio, vel gemo. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 130. Si buxus inflare velim, ferale gemiscunt.

GEMĪTES, is, m. 3. gemma apud *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (191). Ratio nominis nec in gemite est, velut in petra candidis manibus inter se complexis. *Sillig* priora verba omittit, et legit *chernitis velut in petra* etc. Alii leg. *chemitis;* alii *gamitis.*

GEMĬTŌRIUS, a, um, pro Gemonius, *Harduin.* legit et edidit apud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (145).; quæ tamen lectio ab omnibus respuitur. *V.* GEMONIUS in ONOM. At *Sillig* ex Codd. *Riccardiano, Toletano* et *Parisiensi d.* lectionem *Harduini* retinet ac tuetur.

GEMITUS, us, m. 4. Genitivus *gemiti,* secunda declinatione, occurrit apud *Plaut. Aulul.* 4. 9. 11. Tantum gemiti hic dies mihi obtulit. — Gemitus est gemendi actus ac sonus, στεναγμός (It. *gemito, sospiro;* Fr. *gémissement, sanglot;* Hisp. *gemido, sollozo;* Germ. *d. Seufzen, d. Seufzer;* Angl. *a groan or sigh*).

I.) Proprie. — a) In singulari numero. *Ennius* apud *Non. p.* 515. 26. *Merc.* Gemitum tabere. Adde *Val. Flacc.* 8. 100. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Quantum luctum, quantum gemitum, quid lacrimarum, quantum fletum factum audivi! *Cic. Rosc. Am.* 9. 24. Ut urbe tota fletus gemitusque fieret. *Id. Sext.* 31. 68. Tota obviam civitas cum lacrimis gemituque processerat. *Id. post redit. in Senat.* 7. 17. Dum conticesceret illa lamentatio et gemitus urbis. *Id. Hor. resp.* 18. 39. Ejulatus et gemitus Philoctetæ. *Id.* 2. *Tusc.* 21. 57. Gemitus elamentabilis, imbecillus, abjectus, flebilis. *Virg.* 2. *Æn.* 486. At domus interior gemitu miseroque tumultu Miscetur. *Ennio* hæc nonnulli tribuerunt: V. *Servius* ad h. l. *Id.* 1. *ibid.* 489. ingentem gemitum dat pectore ab imo. *Id.* 3. *ibid.* 39. Gemitus lacrimabilis. *Id.* 11. *ibid.* 37. Ingentem gemitum tollere. *Id.* 10. *ibid.* 464. magnumque sub imo Corde premit gemitum. *Quintil.* 7. 2. 46. Clamor, sonus, gemitus. *Id.* 11. 1. 34. Ab exordio usque ad ultimam vocem continuus quidam gemitus. *Val. Flacc.* 2. 458. gemitu taurus acerbo implevit avia. — b) In plurali numero. *Lucret.* 4. 1015. Multi depugnant gemitusque doloribus edunt. *Virg.* 3. *G.* 517. Extremosque ciet gemitus. *Id.* 2. *Æn.* 288. graviter gemitus imo de pectore ducens. *Id.* 6. *ibid.* 873. quantos ille virum Campus aget gemitus. *Id.* 7. *ibid.* 15. exaudiri gemitus iræque leonum. *Ovid.* 2. *Met.* 621. gemitus alto de corde petiti. *Id. Heroid.* 11. 51. gemitus dolor edere cogit. *Petron. Satyr.* 81. Inter tot altissimos gemitus frequenter proclamabam.

II.) Improprie a Poetis tribuitur et rebus inanimis, sonitum gemitus similem edentibus. — a) In singulari numero. *Virg.* 2. *Æn.* 53. Insonuere cavæ, gemitumque dedere cavernæ. *Id.* 3. *ibid.* 555. Et gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa Audimus. *Id.* 9. *ibid.* 709. collapsa ruunt immania membra: Dat tellus gemitum. Adde *Sil. It.* 3. 613. — b) In plurali numero. *Ovid.* 12. *Met.* 487. Plaga facit gemitus ceu corpore marmoris icti.

Homonym. *V.* in fin. v. GEMO.

GEMMA, æ, f. 1. Ratione habita etymi *gemma* pro *gema* videtur esse a γέμω *turgeo,* vel a γανάω *splendeo:* est autem oculus vitis vel alius arboris, qui primo emittitur (It. *gemma, germoglio;* Fr. *bourgeon, œil, œilleton d'une plante;* Hisp. *hiema, el boton que arrojan los árboles;* Germ. *d. Knospe, d. Auge, d. Keim d. Pflanzen;* Angl. *the bud, gem, or button*).

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 15. 53. Ineunte vere exsistit tamquam ad articulos sarmentorum ea, quæ gemma dicitur: a qua oriens uva sese ostendit. *Virg.* 2. *G.* 335. Pampinus tradit gemmas et frondes explicat omnes. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 4. Verior ratio inserendi tepentibus jam diebus post hiemem, quum et gemma se et cortex naturaliter movet.

II.) Translate. ¶ 1. Gemma est lapillus pretiosus, præcipue qui anulo includitur, *pietra da anello* (quam primam esse vocis hujusce significationem nonnulli censent, *V.* GEMMO), et magis proprie de pellucidis dicitur, *gemma, pietra preziosa, gioja,* λίθος: porro gemma dicitur quicumque lapillus pretiosus, qui rotundam formam habet et vitium gemmas imitatur; cylindrus vero, quum forma ejus oblonga et cylindrica est. — a) Generatim. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 62. Pocula ex auro gemmis distincta clarissimis. *Id. ibid.* 1. 1. Nego in Sicilia tota – ullum argenteum vas, ullum Corinthium aut Deliacum fuisse, ullam gemmam aut margaritam, quidquam ex auro aut ebore factum – quin conquisierit. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 180. gemmas sunt qui non habeant. *Id.* 2. *Od.* 16. 7. otium non gemmis venale, neque auro. — b) De aliis lapillis, et usurpatur cum alio substantivo, ut in *Inscript.* apud *Murat.* 139. 1., quæ est apud *Orell.* 2510. GEMMA CARBVNCVLVS, GEMMA HYACINTHVS, GEMMAE CERAVNIAE DVAE. *et mox.* ANVLI DVO GEMMIS ADAMANTINIS. — c) Specialim *gemma vitrea* apud *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 30. (48)., et apud *eumd.* 37. *ibid.* 7. 26. (98). *gemma facticia* est, quam Itali dicunt *pasta vitrea, giojello falso.* ¶ 2. Metaphora sumpta a proxime superiori paragr. 1. — a) Gemma dicitur de poculo ex gemma facto. *Propert.* 3. 3. 26. Nec bibit e gemma divite nostra sitis. *Virg.* 2. *G.* 506. Ut gemma bibat. Sic *Seneca Provid.* 3. *ad fin.* Gemma ministrare. *Ovid.* 8. *Met.* 572. In gemma posuere merum. *Inscript.* apud *Murat.* 991. 2. AMAZONIVS GAL. A. L. (*h. e.* Gallieni Augusti libertus) A GEMMA POTORIA. — b) Item dicitur de anulo, cui lapillus includitur, quique obsignando inservit, sigillum, *anello, sigillo. Ovid.* 9. *Met.* 566. Protinus impressa signat sua crimina gemma. Cf. *eumd.* 2. *Pont.* 10. 1. et 7. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 20. (78). Cylindros ex beryllis facere malunt, quam gemmas, quoniam est summa commendatio in longitudine. Adde *eumd. ibid.* 1. 2. (3). — Hinc jocolariter *Plaut. Curc.* 5. 2. 8. PL. Obsecro, parentesne meos mihi prohibeas? CV. Quid? ego sub gemman' abstrusos habeo tuam matrem et patrem? ¶ 3. Dicitur aliquando poetice de margaritis. *Propert.* 1. 14. 12. Et legitur rubris gemma sub æquoribus. *Martial.* 8. 28. Cedet Erythræis eruta gemma vadis. ¶ 4. Item de oculis in pavonis cauda micantibus. *Ovid.* 1. *Met.* 723. gemmis caudam stellantibus implet. Hanc *gemmeam caudam* dixit *Phædr.* 3. 18. ¶ 5. Denium ponitur et pro præcipuo ornamento. *Martial.* 5. 11. Multas in digitis, plures in carmine gemmas Invenies. *Sidon.* 4. *Ep.* 22. Hesperius gemma amicorum.

GEMMANS, antis. *V.* GEMMO.

GEMMĀRĬUS, a, um, adject. ad gemmas, hoc est ad lapillos pertinens. *Vulgat. interpr. Exod.* 39. 6. Paravit duos lapides onychinos sculptos arte gemmaria. *et ibid. v.* 29. Scripserunt in ea (*lamina*) opere gemmario. — Hinc

Gemmarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est gemmarum scalptor, cavator, *giojelliere. Inscript.* apud *Don. cl.* 8. *n.* 14. M. LOLLIVS ALEXANDER GEMMARIVS. Adde *alias* apud *Orell.* 2061. et 4302.; et *V.* GENIARIUS. *Vulgat. interpr. Exod.* 28. 11. Opere sculptoris et cælatura gemmarii sculpes eos (*lapides onychinos*) nominibus filiorum Israel, inclusos auro atque circumdatos.

GEMMASCO, is, ere, n. inchoat. 3. gemmas emittere, pullulare, *germogliare,* ὀφθαλμίζειν. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 12. Nucem Græcam serito circa Kal. Februar., quæ prima gemmascit. Adde *eumd. Arbor.* 22. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 15. 25. (116). Ut gemmascere incipiens, legatur calamus.

GEMMĀTIM, adverb. more gemmæ. *V.* GEMINATIM.

GEMMĀTĬO, ōnis, f. 3. actus gemmas emittendi. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 34. (105). Surculi prægnantes, hoc est, gemmatione turgentes. *Ita* Sillig. *Alii tamen legunt* geminatione.

GEMMĀTUS, a, um. *V.* GEMMO.

GEMMESCO, is, ere, n. 3. gemma fio. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 57. (158). *de draconite gemma.* Sed nisi viventibus (*draconibus*) absciso capite non gemmescit.

GEMMĔUS, a, um, adject. qui ex gemma, hoc est ex pretioso lapillo est, διάλιθος (It. *di gemma;* Fr. *orné de pierreries;* Hisp. *de piedra preciosa;* Germ. *mit Edelstein besetzt, aus Edelstein bestehend;* Angl. *of a gem, gemmeous, gemmary*).

I.) Proprie. *Varro* apud *Non. p.* 213. 23. *Merc.* Vexilla, phalera gemmea atque ephippia. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 63. Mittit etiam trullam gemmeam rogatum. *Seneca Ep.* 110. *a med.* Contemnere aureos lectos et gemmeam supellectilem. *Ovid.* 2. *Fast.* 74. Gemmea purpureis quum juga demit equis. *h. e.* gemmis ornata, *giojellata. Inscript.* apud *Murat.* 1991. 3., quæ est apud *Orell.* 1874. Monile gemmeum.

II.) Translate est in modum gemmæ factus, itemque in modum gemmæ splendescens, floridus. *Phædr.* 3. 18. Pictis plumis gemmeam caudam explicas. *Martial.* 3. 58. Argutus anser, gemmeique pavones. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 13. (71). Radix gemmeæ rotunditatis. *id est* rotunda in modum gemmæ. Alter *Plin.* 1. *Ep.* 3. Quid illa porticus verna semper? quid πλατανὼν opacissimus? quid euripus viridis et gemmeus? *Id.* 8. *ibid.* 6. Prata florida et gemmea. *Ablav.* apud *Sidon.* 5. *Ep.* 8. *de Constantino M.* Saturni aurea sæcla quis requirat? Sunt hæc gemmea, sed Neroniana. *scil.* Constantinus uxorem Faustam et filium Crispum occiderat, ut Nero Poppæam uxorem et Britannicum fratrem adoptivum; qui præterea, ut ait *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 16. (64)., gladiatorum pugnas smaragdo ingenti spectare solebat. Hinc *Cassiod.* 2. *Variar.* 39. Neroniana piscina non immerito auctoris sui participans nomen, collega est cum viriditate gemmarum, ut ipsa quoque vitrei elementi colore perspicua quasdam trementes undas quieta commoveat. *Martial.* 10. 3. Quos rumor alba gemmeus vehit penna. *h. e.* candidus, felix, ut plerique interpretantur; si tamen sana est lectio.

GEMMĬFER, fĕra, fĕrum, adject. ¶ 1. Stricto sensu est gemmas ferens. *Propert.* 3. 3. 2. Et freta gemmiferi findere classe maris. *h. e.* Erythræi. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 76. (200). Gemmiferi amnes sunt Acesinus et Ganges. *Val. Flacc.* 5. 448. gemmifera corona. *h. e.* gemmata. ¶ 2. Latiori sensu est qui olivas gemmæ formam habentes fert. *Coripp.* 3. *Joann.* 325. Pictaque gemmiferis arbor splendebat olivis.

GEMMO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Part. *Gemmans* in omnibus paragr.; *Gemmatus* I. et II. 1. — Gemmare dicitur de vitibus gemmam emittentibus: non

tamen proprie, sed translate; *Cicero* enim *Orat.* 21. 81. et 3. *Orat.* 38. 155. τὸ *gemmare vites* enumerat inter translationes, quæ vulgo etiam rusticis usurpantur; et *Quintil.* 8. 6. 6. necessitate, loquit, rustici dicunt gemmam in vitibus. Ex quo colligitur, vocem *gemma* proprie de lapillis, ex *Tullii* et *Quintiliani* sententia, translate de vitibus dici: quod alii contra docuerunt, ut in GEMMA dictum est (It. *germogliare, fare la gemma*; Fr. *bourgeonner, gemmer*; Hisp. *brotar, echar los primeros botones*; Germ. *Knospen ansetzen, knospen*; Angl. *to bud, gem, put forth buds*).

I.) Proprie de vitibus et aliis arboribus. *Varro* 1. *R. R.* 30. 1. Id fit, antequam gemmare, aut florere quid incipit. *Colum.* 4. *R. R.* 27. 1. Antequam gemment, per divortium veris atque hiemis, quam altissime fodiendæ vineæ sunt. *Utroque loco est qui germinare reponit. Cic.* 3. *Orat.* 38. 155. *Gemmare vites, luxuriem esse in herbis, lætas segetes* etiam rustici dicunt. Adde *eumd. Orat.* 24. 81. — *Part. præs.* apud *Colum.* 4. *R. R.* 24. 16. Gemmantem oculum cæcare. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (188). Gemmantem vineam confodi vetant: deculi enim oculos. *Pallad.* 3. *R. R.* 32. Sarmenta gemmantia. *Id.* 12. *ibid.* 11. Surculi rosarum gemmantes. — *Part. præter.* apud *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 2. Melius proveniet, si ponendus ramus gemmata jam matre sumatur.

II.) Translate. ¶ 1. De pretiosis splendentibusque lapillis dicitur; occurrit autem — a) Part. præter. pass. *Gemmatus* et est gemmis instructus et ornatus, *ornato di gemme, giojellato. Liv.* 1. 11. gemmati anuli. *Ovid.* 10. *Met.* 113. Pendebant tereti gemmata monilia collo. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 6. (17). Gemmata potoria. *Sueton. Cal.* 52. pænula. *Inscript.* apud *Gruter.* 582. 5. PHILETAERVS AVG. LIB. PRAEPOSITVS AB AVRO GEMMATO. *h. e.* supellectile aurea gemmis distincta. — b) Part. præs. *Gemmans* et est gemmis abundans, vel ornatus. *Manil.* 4. 652. in molles Arabes terramque ferentem Delicias *etc.* Leniter affundit gemmantia litora pontus. *Ovid.* 3. *Met.* 264. gemmantia sceptra. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a proxime superiori paragr. 1. est in modum gemmæ splendescere. *Poeta* apud *Charis.* 1. *p.* 81. *Putsch.* purpureis gemmavit pampinus uvis. *h. e.* nituit, tamquam gemmis ornatus. *Forcellinus* hunc locum *Ennio* tribuit; *Haupt.* et *Vahlen.* recte abjudicant: ipsa lectio incerta est. *Lucret.* 2. 319. Invitant herbæ gemmantes rore recenti. *Manil.* 3. 256. nitidis gemmantem floribus hortum. *Colum.* 8. *R. R.* 11. 8.; et *Martial.* 13. 70. *de pavone.* Miraris, quoties gemmantes explicat alas. *Solin.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 385. *Burmann.* candidus æther Astrigeram faciem nitido gemmavit Olympo. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 7. 11. (56). Memphites lapis gemmantis naturæ. *h. e.* modum ac nitorem gemmarum habens. *Dracont.* 1. *Hexæm.* 235. Atque oculi gemmantur aquis humore gelato. *h. e.* in modum gemmæ splendent.

GEMMŌSUS, a, um, adject. multis gemmis exornatus. *Apul.* 5. *Met.* Auro facto, gemmosisque monilibus onustas.

GEMMŬLA, æ, f. 1. *deminut a* gemma, parva gemma.

I.) Proprie de gemmis arborum. *Apul.* 10. *Met.* Quod ver in ipso ortu jam gemmulis floridis cuncta depingeret. *Arnob.* 3. 23. Cur quotidie gemmulas et pubescentes herbas adurit atque interficit nocentissimum frigus.

II.) Translate. ¶ 1. De lapillo pretioso. *Fronto ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) 4. *Ep.* 3. *a med.* Alii recte et malleo silicis moliuntur, alii autem cælo et marculo gemmulas exsculpunt. *Vulgat. interpr. Eccli.* 32. 7. Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. ¶ 2. De pupillis oculorum. *Apul.* 'Ανεχ. 8. Et pupularum nitidas geminas gemmulas. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

GĔMO, mis, mŭi, mitum, mere, 3. Part. *Gemens* sub *A.* I. et II. 1. et 2. et sub *B.*; *Gemendus* sub *B.* — Gemere occurrit *A)* Neutrorum more; et *B)* Active.

A) Neutrorum more gemere, vel a γέμω vel a sono fictum, est præ animi angustia in sonum prorumpere et queri, suspirare, στενάζω. (It. *gemere, sospirare, dolersi*; Fr. *gémir, soupirer, se plaindre*; Hisp. *gemir, suspirar, quejarse*; Germ. *seufzen, ächzen, stöhnen, klagen*; Angl. *to groan, moan, sigh, loudly, make a lamentable noise*).

I. Proprie. — a) De hominibus. *Plaut. Amph.* 5. 1. 47. Uxorem tuam neque gementem, neque plorantem nostrum quisquam audivimus: ita profecto sine dolore peperit. *Cic.* 2. *Att.* 21. 2. Quum diu occulte suspirassent, postea jam gemere, ad extremum vero loqui omnes et clamare cœperunt. *Id. Planc.* 42. 101. Hos pro me lugere, hos gemere videbam. *Id. Pis.* 11. 25. Quorum te nemo aspexit, qui non gemeret desiderio mei. *Propert.* 2. 5. 23. Ah! gemat in terris ista qui protulit arte Jurgia etc. *Virg.* 11. *Æn.* 865. expirans atque extrema gemens. *Phædr.* 5. 7. Multum gemens. — b) De brutis animantibus, quorum vox gementi est similis. *Lucret.* 3. 298. Pectora qui (*leones*) fremitu rumpunt plerumque gementes. *Propert.* 4. 3. 59. Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno. *Virg.* 1. *Ecl.* 58. Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes, Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.

II.) Translate. ¶ 1. A Poetis præcipue dicitur de rebus inanimis, quarum sonus veluti laborantium gemitus imitatur. *Horat.* 2. *Od.* 20. 14. Visam gementis litora Bosphori. Cf. *Claudian. cons. Mall. Theod.* 201. quidquid Tyrrhena tunditur unda, Vel gemit Ionia. Rursus *Horat.* 1. *Od.* 14. 5. Et malus celeri saucius Africo Antennæque gemant. Cf. *Plin.* 9. *Ep.* 26. Strident funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt. *Virg.* 6. *Æn.* 413. gemuit sub pondere cymba. *Id.* 3. *G.* 183. tractuque gementem Ferre rotam. *Val. Flacc.* 6. 168. rotis gemit intus ager, tremebundaque pulsu Nutat humus. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 10. agitatus inhorruit aer, Et gemuit parvo mota fenestra sono. *Val. Flacc.* 3. 164. cuneisque gemit grave robur adactis. *Claudian.* III. *cons. Honor.* 196. ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis. ¶ 2. Interdum simplicem sonum aut vocem emittere, loqui. *Avien. fab.* 26. Illa (*capra*) gemens, Desiste precor etc. *h. e.* respondens. *Id. præf. extr.* Feras cum hominibus gemere fecimus. *h. e.* loqui. Hinc trahi potest illud *Horat. Epod.* 16. 51. vespertinus circumgemit ursus ovile.

B) Active est queri de aliqua re, *lamentarsi di qualche cosa*; et occurrit — a) Cum Accusativo. *Lucret.* 5. 1348. dare, quod gemerent hostes. *Poeta* apud *Cic.* 2. *Att.* 19. 3. Virtutem istam, veniet tempus, quum graviter gemes. *Cic. Sext.* 30. 66. Hæc gemebant boni, sperabant improbi. *Id. post redit. in senat.* 5. 12. Malum suum occulte gemere. *Virg.* 3. *G.* 226. Multa gemens ignominiam. *Horat.* 4. *Od.* 12. 5. Ityn flebiliter gemens Infelix avis. *Phædr.* 5. 1. Tacite gementes tristem fortunæ vicem. *Val. Flacc.* 5. 37. talia voce gemit. *h. e.* fatur, queritur. *Claudian. B. Get.* 181. gemuit irrita Tempe Thessalus et domitis irrisam cantibus Œten. — b) Passive. *Cic.* 2. *Att.* 18. Hic status, qui una omnium voce gemitur, nec verbo cujusquam sublevatur. *Ovid.* 13. *Met.* 461. Non mea mors illi, verum sua vita gemenda est. — c) Cum Infinito apud Poetas. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 4. Paucis ostendi gemis et communia laudas. *Martial.* 9. 93. qui servum te gemis esse diu. *Stat.* 1. *Achill.* 281. *de equo.* dominique gemit capitivus inire Imperia. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 7. sane murteta relinqui –, Sulphura contemni vicus gemit.

Homonym. Inter *suspirare* et *gemere* illud interest discrimen, quod *suspirare* est diu atque alte spiritum emittere, halitu potius quam sono constat, et pectus aut cor oppressum esse significat: *gemendi* vero actus a voluntate magis pendet, sono constat, eoque tendit, ut cor dolore anxium elevetur. Itaque *suspiria* sunt anhelitus, qui vehementiâ suâ ab aliis percipiuntur, atque hominem physica aut morali angustia opprimi designant: *gemitus* autem sunt soni quidam inarticulati, dolorem semper significantes. *Cic.* 2. *Att.* 21. Quum diu occulte suspirassent, postea jam gemere, ad extremum vero loqui omnes et clamare cœperunt. *Liv.* 30. 15. Quum crebro suspiritu et gemitu, quod facile a circumstantibus tabernaculum exaudiri posset, aliquantum temporis consumpsisset, etc. *Petron. Satyr.* 73. Gemitus suspirio tectus. *Ovid. Heroid.* 21. 201. Ingemit et tacito suspirat pectore. *Quintil.* 11. 3. 158. Suspiratione sollicitudinem fateri.

GĔMŌNĬDES, um, f. plur. 3. gemmæ, quæ et Pæantides vocantur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 66. (180). Pæantides, quas quidem gemonidas vocant, prægnantes fieri et parere dicuntur, mederique parturientibus. *Sillig* et alii leg. *gæanidas*, alii *encymonidas*, h. e. prægnantes, ab ἔγκυμον *fetum habens.*

GĔMŬLUS, a, um, adject. gemebundus, gemens. *Apul. Florid. n.* 13. Bubones occinunt gemulo carmine.

GĔMURSA, æ, f. 1. tuberculum sub minimo digito pedis: ita dictum, quod gemere faciat eum, qui id gerat, ut *Paul. Diac. p.* 95. *Müll.* tradit. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 5. *de elephantiasi.* Et hic quidem morbus celeriter in Italia restinctus est: sicut et ille, quem gemursam appellavere prisci, inter digitos pedum nascentem, etiam nomine obliterato.

GĔNA, æ, f. 1. Occurrunt sæpissime in plurali numero, et sunt partes subjectæ oculis, supra malas: itemque ipsæ malæ (nam hæc, quæ *Paul. Diac. p.* 94. 6. *Müll.* et *Cic.* distinguunt, propter vicinitatem facile confunduntur) exterius, ubi barba nascitur. Hanc plerique volunt esse primam propriamque significationem (alii vero quam sub II. attulimus), quod sit a γένειας *lanugo, prima barba*, vel a γένυς *maxilla*. *Lactant. Plac. Gloss.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 467. Genis, ea parte vultus, quæ inter malas et auriculas est: ideo genæ dictæ eo quod infans in utero caput inclinatum inter genua tenet: V. *Ennii loc. cit.* infra sub I. b. Gr. παρειαί (It. *gota, guancie*; Fr. *joue, joues*; Hisp. *carillo*; Germ. d. *Wange, Wangen*; Angl. *the cheek*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 143. Munitæ sunt palpebræ tamquam vallo pilorum. – Genæ deinde ab inferiore parte (*oculos*) tutantur subjectæ leniterque eminentes. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 58. (157). Infra oculos malæ homini tantum, quas prisci genas vocabant; XII. Tabularum interdicto radi a feminis vetantes. Pudoris hæc sedes. Ibi maxime ostenditur rubor. — a) In plur. num. *Leg. XII. Tabul.* apud *Cic.* 2. *Legg.* 23. 59. *Plin. loc.* supra *cit.* et *Festum p.* 273. 30. *Müll.* MVLIERES GENAS NE RADVNTO. *Pacuvius* apud *Paul. Diac. p.* 94. 8. *Müll.* Nunc primum opacat flore lanugo genas. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 12. 26. Lacrimæ peredere humore exsangues genas. *Lucret.* 1. 920. lacrimis humectent ora genasque. Adde *eumd.* 2. 977. et 3. 470. *Cic. Pis.* 1. 1. Genæ pilosæ. *Propert.* 4. 8. 26. Vincet ubi erasas barba pudenda genas. *Id.* 2. 14. 7. Quid si jam canis ætas mea caneret annis, Et faceret scissas languida ruga genas? *Tibull.* 1. 9. 11. succo splendente genas onerare. *imbellettare. Id. ibid.* 10. 38. humentes genas tergere. *Id. ibid.* 11. 55. flet teneras subtusa genas. *Id.* 3. 4. 32. Inficitur teneras ore rubente genas. *Horat.* 4. *Od.* 1. 34. Manat rara meas lacrima per genas. Adde *eumd. ibid.* 13. 8. *Ovid.* 2. *Art. am.* 452. petere ungue genas. *graffiarsi il viso. Id. Heroid.* 11. 92. ire unguibus in genas. *Id.* 3. *Trist.* 3. 51. lacerare genas. *Senec. Œdip.* 953. fletu rigare genas. *Martial.* 1. 79. Siccis ipse genis flentes hortatus amicos. *Val. Flacc.* 3. 309. conferre genas. *h. e.* osculari invicem. *Quintil.* 12. 10. 8. Polycletus ætatem quoque graviorem dicitur refugisse, nihil ausus ultra leves genas. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 31. (98). Ad genarum crassitudines et oculorum albugines. — b) In singulari numero. *Ennius* apud *Isid.* 11. *Orig.* 1. 109. atque genua comprimit arta gena. Cl. *Vahlen* hoc ab Enniana poesi alienum habet. *Sueton. Claud.* 15. *extr.* Libellos jecisse in faciem ejus, ut genam non leviter perstrinxerit.

II.) Translate. ¶ 1. Est membrana tegens oculos, *palpebra*, βλέφαρον. *Ennius* apud *Paul. Diac. p.* 94. 6. *Müll.* Genas Ennius palpebras putat, quum dicit hoc versu: Pandite, sulti', genas et corde relinquite somnum. *Id. Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 686. imprimitque genæ genam. *h. e.* palpebram palpebræ committit et connivet: de dormiente enim loquitur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 57. (156). Nec genæ quidem omnibus: ideo neque nictationes etc. *et mox.* Columbæ utraque gena connivent: crocodili inferiore tantum. Extremum ambitum genæ superioris antiqui cilium vocavere. ¶ 2. Hinc poetice genæ dicuntur de loco oculorum, vel de ipsis oculis. *Propert.* 4. 5. 16. Cornicum emeritas eruit ungue genas. *Id.* 3. 10. 26. Exstinctæque tuæ mox, Polypheme, genæ. *Ovid.* 2. *Pont.* 8. 66. Et patiar fossis lumen abire genis. *Id. Heroid.* 20. 205. Ut te conspecta, subito (si forte notasti) Restiterim fixis in tua membra genis.

GĔNEĀLŎGĬA, æ, f. 1. γενεαλογία *genealogia*, sermo de origine, seu generatione. Vox Græca est, quam quidam lexicographi perperam *Ciceroni* tribuunt 3. *Nat. D.* 17. 44. V. vocem sequent. *Messala Corvin. de progen. Aug.* 22. Si majorum genealogiam recte complector. *Jornand. Get.* 13. Quorum (*semideorum sive ansium*, h. e. *procerum*) genealogiam ut paucis percurram, ut quo quis parente genitus est, aut unde origo accepta, ubi finem efficit, absque invidia, qui legis, vera dicentem ausculta. Adde *eumd. ibid.* 47.; et *Vulgat. interpr.* 1. *Esdr.* 2. 62. et alibi.

GĔNEĀLŎGUS, i, m. 2. γενεαλόγος, qui genealogiam enarrat, aut scribit. *Cic.* 3. *Nat. D.* 17. 44. Qui (dii) a genealogis antiquis sic nominantur. *Fuit qui prave legeret* genealogiis. *Prudent. Apotheos.* 315. Illud ait genealogus idem. *h. e.* Moyses, qui Genesin scripsit. Sic *Venant. Vit. S. Martin.* 1. 24. Quod sacra explicuit serie genealogus olim. *h. e.* Moyses.

GĔNER, ri, m. 2. In Dativo plurali *generibus* pro *generis* dixit *Accius* apud *Non. p.* 487. 29. *Müll.* — Gener ¶ 1. Stricto sensu est filiæ meæ maritus; a *genus*, quia ad augendum genus adhibetur; cui respondet *socer*: γαμβρός (It. *genero*; Fr. *mari de la fille, gendre*; Hisp. *hierno*; Germ. *der Schwiegersohn, Tochtermann, Eidam*; Angl. *a son-in-law, daughter's husband*). *Plaut. Cist.* 4. 2. 87. Istic quidem edepol mei viri habitat gener. *Ter. Heaut.* 5. 1. 63. Immo et gener et affines placent. *Cic.* 1. *Off.* 35. 129. Cum soceris generi non lavantur. *Ovid.* 3. *Fast.* 202. Tum primum generis intulit arma socer. *Martial.* 9. 71. Quum gener atque socer diris concurreret armis. Adde *Cæs.* 5. *B. G.* 56.; *Cic. Amic.* 1. 3., *ibid.* 8. 26., 1. *de republ.* 12. et 4. *Att.* 2. 4.; *Horat.* 2. *Od.* 4. 13.; *Quintil.* 6. *præfat.* 13.; et *Inscript.* apud *Orell.* 289. et apud *Henzen.* 6291. et 6425. ¶ 2. Non solum autem maritus, sed etiam sponsus filiæ meæ, gener vocatur, uti docet *Ulp. Dig.* 38. 10. 6. Atque ita *Virg.* 2. *Æn.* 342. Chorœbus Mygdonides, illis qui ad Trojam forte diebus Venerat, insano Cassandræ incensus amore, Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat. Ubi *Servius*: Gener dicitur et qui est, et qui esse vult. Adde *Horat. Epod.* 6. 13. ¶ 3. Præterea non solum filiæ, sed etiam neptis, et proneptis maritus, tam ex filio quam ex filia editarum, gener est, teste *Ulp. Dig.* 50. 16. 136. ¶ 4. Ad hæc vir sororis meæ *gener* dicitur a *Justino* 18. 4., et fortasse etiam a *Nepote Pausan.* 1. ¶ 5. Denique etiam nurus meæ maritus *gener* appellari creditur apud *Tac.* 5. *Ann.* 6. et 6. *ibid.* 8., ubi de Sejano sermo est: tametsi alii aliam ejus appellationis causam afferunt. — Ex his omnibus fit, *generum* dici posse quicumque ab altero uxorem accipit sive filiam, sive sororem, sive neptem, nurum viduam, etc. Nam qui dat, patris quodammodo personam gerit. — Jocülariter *Horat.* 1. *Sat.* 2. 64. Villius in Fausta Sullæ gener etc. *h. e.* Villius adulter Faustæ Sulla genitæ et Miloni nuptæ.

GĔNĔRĀBĬLIS, e, adject. *generabile*, vel *generativo*, γεννητός. ¶ 1. Active est qui generandi vim habet. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 45. 45. (116). Hic est ille generabilis rerum naturæ spiritus. ¶ 2. Passive est qui facile generatur. *Manil.* 1. 142. Atque hæc discordia concors, Quæ nexus habiles et opus generabile fingit.

GĔNĔRĀLIS, e, adject. Sup. *Generalissimus* 2. — Ceterum generalis, *generale, universale*, γενικός, καθολικός. ¶ 1. Stricto sensu est ad genus vel ad speciem pertinens. *Lucret.* 1. 582. variæ volucres, ut in ordine cunctæ Ostendant maculas generales corpori inesse. *h. e.* genitivas, ad cujusque volucris genus naturamque pertinentes. *Cic.* 1. *Invent.* 8. 10. Quum qualis sit res, quæritur, quia et de vi et de genere negotii controversia est, constitutio generalis vocatur. *h. e.* quæ ad genus pertinet. ¶ 2. Latiori sensu est universalis, ad omnes pertinens: qua significatione *speciali* et *singulis* opponitur: est autem verbum scientiarum atque artium proprium. *Cic.* 1. *Off.* 27. 96. Nam et generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honestate versatur, et aliud huic subjectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis. *Seneca Ep.* 58. genus generale appellat, quod philosophi dicunt *genus generalissimum* (Sic *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 1. *p.* 5. Et hæc genera generalissima nominavit (*Aristoteles*), id est γενικώτατα, quod super ista alia genera inveniri non possint. Adde *eumd. ibid. p.* 6., 14., 17. et alibi sæpissime). Ceterum *Senecæ* verba sunt: Quod est, aut corporale est, aut incorporale. Hoc ergo genus est primum et antiquissimum et, ut ita dicam, generale: cetera genera quidem sunt, sed specialia. *Quintil.* 2. 4. 22. Ab generali tractatu ad quasdam deduci species. Adde *eumd.* 7. 2. 1. et 12. 2. 18. *Ulp. Dig.* 28. 5. 4. Generalis definitio. *Papinian. ibid.* 2. 14. 40. Generale pactum. Sic *Pallad.* 1. *R. R.* 43. 4. Generale præceptum. Et absolute *Id.* 2. *ibid.* 13. 4. Argillosa terra commoda est, argilla autem sola graviter inimica, et cetera quæ in generalibus dixi.

GĔNĔRĀLĬTAS, ātis, f. 3. *generalità*, universitas. *Capell.* 4. *p.* 100. Dum hominem visibile animal diximus, eo a ceterorum animantium generalitate discreverimus. *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 21. Post specialem invocationem transit ad generalitatem, ne quod numen prætereat. *Id.* ad 6. *Æn.* 151. Quæ contra naturam fiunt, non afferunt præjudicium generalitati. Cf. *eumd.* ad 3. *ibid.* 68. Romani contra faciebant, comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, hoc est in suam naturam rediret. Adde *Symmach.* 2. *Ep.* 90. *Ennod. Paneg. Theodoric.* 18. Alemanniæ generalitas intra Italiæ terminos sine detrimento Romanæ possessionis inclusa est. *h. e. li popoli de' sette e de' tredici comuni oriondi di Germania, e venuti a stabilirsi nei territorii Vicentino, Veronese e Trentino*, V. *Bened. Giovanelli, Dell'orig. de' sette e tredici comuni p.* 32. Adde *Cassiod.* 11. *Variar.* 16. *ad fin.*

GĔNĔRĀLĬTER, adverb. *generalmente, universalmente, in genere*, γενικῶς, universaliter, simul omnia sub genere amplectendo. *Cic.* 1. *Invent.* 26. 39. Nam ipsum quidem (*tempus*) generaliter definire difficile est. *Plin.* 1. *Ep.* 8. Meminit te jam quædam adnotasse, sed generaliter: ideo nunc rogo, ut non tantum universitati ejus attendas, verum etiam particulas, qua soles lima, persequaris. — *Proprie* opponitur apud *Quintil.* 3. 7. 7. In deis generaliter primum majestatem ipsius eorum naturæ venerabimur: deinde proprie vim cujusque etc. — Item *specialiter* opponitur apud *eumd.* 5. 10. 42. Temporis duplex significatio est: generaliter enim, et specialiter accipitur. Adde *eumd.* 5. 7. 4. et 5. 11. 1.

GĔNĔRĀMEN, inis, n. 3. generatio. *Strabo Gallus* in *Rosa*. Flos tibi sceptrigero venit generamine Jesse.

GĔNĔRASCO, is, ere, n. inchoat. 3. *nascere*, γίγνομαι, nasci. *Lucret.* 3. 746. cur omnia membris Ex ineunte ævo generascunt ingenioque? *Est qui legit* ingenerascunt.

GĔNĔRĀTIM, adverb. *per ogni genere*, κατὰ γένη. ¶ 1. Stricto sensu est per singula genera. *Lucret.* 1. 20. Efficis ut cupide generatim sæcla propagent. *Id. ibid.* 584. generatim reddita linia Crescendi rebus constat. *Id. ibid.* 597. Nec toties possent generatim sæcla referre Naturam, mores, victum motusque parentum. Adde *eumd. ibid.* 228. *Varro* 5. *L. L.* 145. *Müll.* Ubi quid generatim, additum ab eo cognomen, ut forum boarium, forum olitorium. *Id. ibid.* 75. Primum nomen omnium (*avium*): *alites* ab alis, *volucres* a volatu. Deinde generatim: de his pleræque ab suis vocibus, ut hæc *upupa, cuculus*, corvus etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 51. Germani suas copias e castris eduxerunt, generatimque constituerunt, paribusque intervallis Harudes, Marcomanos, etc. *per nazioni*, κατὰ φυλάς. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 19. *Id.* 2. *ibid.* 21. Cæsar concione habita Cordubæ omnibus generatim gratias egit. *Cic.* 1. *Orat.* 41. 186. Nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent. *Id.* 4. *Verr.* 55. 137. Aut publice civitates istos honores habent: aut generatim homines, ut aratores, ut mercatores, ut navicularii. Adde *eumd. ibid.* 69. 168. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 47. Exponam igitur generatim argumenta eorum, quoniam ipsi etiam illa solent non confuse loqui. *Virg.* 2. *G.* 35. proprios generatim discite cultus, Agricolæ. *Liv.* 5. 52. Ne omnia generatim sacra omnesque percenseam deos. *Sueton. Cal.* 22. Hostiæ erant phœnicopteri, pavones, meleagrides, etc. quæ generatim per singulos dies immolarentur. *un genere al giorno. Colum.* 5. *R. R.* 10. 7. Generatim autem disponere arbores utile est. *h. e.* separatis generibus. Adde 2. *ibid.* 15. 7. ¶ 2. Latiori sensu *singillatim* et *speciatim* opponitur, et est per omnia genera, universim, generaliter, *in genere*. *Cic.* 7. *Verr.* 55. 143. Nam quid ego de ceteris civium R. suppliciis singillatim potius, quam generatim atque universe loquor? *Id.* 16. *Att.* 6. 2. Non nominatim, sed generatim informata proscriptio. *Colum.* 3. *R. R.* 9. 9. Hæc de cura malleoli generatim præcepimus: nunc illud proprie specialiter, ut etc. *Quintil.* 5. 10. 100. Neque generatim tradere, neque per singulas partes exsequi. — Et sine opposito. *Cic.* 2. *Invent.* 5. 18. Ut si amicitiæ quid causa factum dicetur, si metus, si gloriæ, si pecuniæ, si denique, ut omnia generatim amplectamur, alicujus retinendi, augendi etc. *Id.* 2. *Orat.* 10. 42. Infinitum mihi videbatur id dicere, in quo aliquid generatim quæreretur, hoc modo: Expetenda ne esset eloquentia.

GĔNĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus generandi, *generazione*, γένεσις. — *a*) In singulari numero. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 50. 74. (157). Nec satis est generationi piscium, nisi editis ovis etc. *Id.* 8. *ibid.* 47. 72. (187). Generatio pecoribus bimis utrinque ad novenos annos. — *b*) In plurali numero. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (142). Cibo rutæ generationes impediri. *Sillig leg. generationem.*

GĔNĔRĀTĪVUS, a, um, adject. *generatore, produttore*, qui generat, generator. *Boeth. Aristot. Topic.* 4. 4. *p.* 683. Generativum effectivum est. *et ibid.* In generativis et corruptivis.

GĔNĔRĀTOR, ōris, m. 3. genitor, procreator, *generatore, padre*, γεννήτης. *Cic. Tim.* 11. Nosse autem generatores suos optime poterant. *Virg.* 3. *Æn.* 704. Arduus inde Acragas ostentat maxima longe Mœnia, magnanimum quondam generator equorum. *Vulgat. interpr. Sap.* 13. 3. Quorum si specie delectati, deos putaverunt; sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit.

GĔNĔRĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad generationem, vel ad generatorem pertinens. *Tertull. advers. Valentin.* 27. Generatorio more. — Hinc

Generatorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, pro matrice usurpatur. *Ambros. de Noe et Arca* 12. Non est dubium, quin rationale animæ nostræ in quinque sensus dividatur, et vocem, et generatorium, quæ natura videntur esse feminea. Et translate *Id.* in *Psalm.* 118. *serm.* 18. Percute ipsam vulvam impietatis generatoriumque perfidiæ.

GĔNĔRĀTRIX, icis, f. 3. quæ generat.

I.) Proprie. *Mela* 1. 9. 1. Ægyptus hominum, aliorumque animalium perfecunda generatrix.

II.) Translate. *Ambros. de Noe et Arca* 28. Passionem malam improbæ passionis generatricem.

GĔNĔRĀTUS, a, um. *V.* GENERO.

GĔNĔRĀTUS, us. m. 4. *V.* voc. seq. sub I. *a*.

GĔNĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (genus). Part. *Generans* I. *b.* et II. 2.; *Generatus* I. *a.* et *c.*; *Generaturus* I. *a.*; *Generandus* I. *c.* — Generare est gignere, parere, procreare, a *genus*, γεννάω (It. *generare, produrre*; Fr. *produire, procréer, enfanter, engendrer*; Hisp. *producir, engendrar, procrear*; Germ. *erzeugen, hervorbringen, schaffen, Pass. auch entspringen, abstammen*; Angl. *to beget, produce, procreate, engender, generate*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. *Ennius* apud *Philargyr.* ad *Virg.* 3. *G.* 35. pium ex se Anchisem generat. *Cic.* 1. *Off.* 7. 20. Homines hominum causa esse generatos. *Id. ibid.* 29. 103. Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur. *Id.* 2. *de republ.* 12. Habendum (*regem*) qui esset Herculis stirpe generatus. *Id.* 1. *Legg.* 9. 27. Hominem generavit et ornavit Deus. *Id.* 5. *Phil.* 2. 4. Mars, a quo populum R. generatum accepimus. *Virg.* 5. *Æn.* 61. Troja generatus Acestes. *Id.* 7. *ibid.* 734. nec tu indictus abibis, Œbale, quem generasse Telon Sebethide nympha Fertur. *Horat.* 1. *Od.* 12. 17. Unde nil majus generatur ipso. *Ovid.* 15. *Met.* 19. fuit Argolico generatus Alemone quidam Myscelos. *Id.* 4. *Fast.* 33. Tros est generatus ab illo (*Erichthonio*). *Nepos Att.* 1. Ab origine ultima stirpis Romanæ generatus, perpetuo a majoribus acceptam equestrem dignitatem obtinuit. (*Al. leg.* generatu perpetuo a majoribus, etc., ut sit *generatus, us*, generatio; quod alicui fortasse rectius videri potest.) *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (166). Democritus eam compositionem bibere generaturos jubet. *Solin.* 1. § 59. Post annum quinquagesimum fecundi-

tas omnium (*mulierum*) conquiescit: nam in annum octogesimum viri generant, sicut Masinissa rex Mathumanuum filium LXXX. et sextum annum agens genuit. Cato octogesimo exacto ex filia Salonii clientis sui avum Uticensis Catonis procreavit. — *b*) De brutis animalibus. *Virg.* 3. *G.* 65. Atque aliam ex alia generando suffice prolem. *Horat.* 1. *Od.* 22. 13. quale portentum Nec Jubæ tellus generat leonum Arida nutrix. *Ovid.* 15. *Met.* 375. Semina limus habet virides generantia ranas. *Justin.* 2. 1. *ad fin.* Terram non tanto prius animalia generare cœpisse. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (172). Equo et asina genitos mares hinnos antiqui vocabant; contraque mulos, quos asini et equæ generarent. — *c*) De quacumque terræ aut alius rei vi generatrice. *Cic.* 5. *Tusc.* 24. 69. Semina, unde essent omnia orta, generata, concreta. *Id. Tim.* 2. Mundus superne fuerit, nullo generatus ortu, an ortus sit ab aliquo temporis principatu. *Curt.* 9. 1. Arbor ex sua radice generata. *Gell.* 5. 6. E gramine, quod in eo loco generatum esset etc. *Quintil.* 9. 4. 5. Terra et hos (*rubos*) generat. *Id.* 10. 3. 2. Terra generandis alendisque seminibus fecundior. *Virg.* 4. *G.* 205. Tantus amor florum, et generandi gloria mellis. *Justin.* 4. 1. Ignibus generandis nutriendisque soli ipsius naturalis materia. — *d*) Absolute. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (172). Sterilis dicitur (*asina*), quæ non primo initu generare cœperit. *h. e.* parere vel concipere, *concepire o partorire.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Quintil.* 6. 2. 3. Cetera forsitan tenuis quoque et angusta ingenii vena generare atque ad frugem aliquam perducere queat. *Id.* 7. 3. 6. Verba quæ litem generant. Adde *eumd.* 12. 5. 2. *Modestin. Dig.* 25. 3. 7. Nihil ei ex hoc præjudicii generari, respondit. ¶ 2. Speciatim est animo invenire et parere, *inventare.* *Sueton. Ner.* 52. Ut appareret, plane quasi a cogitante atque generante (*versiculos*) exaratos. *Quintil.* 1. 1. 36. In iis ætatibus, quæ nihil dum ipsæ ex se generare queunt, prope sola est (*memoria*), quæ juvari cura docentium potest. *Id.* 10. 2. 5. An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent. Adde *eumd.* 1. 12. 12. et 8. 6. 32. *Id.* 9. 4. 114. Similiter decurrentium spatiorum observatione (*poema*) esse generatum.

Homonym. *V.* in fin. v. GIGNO.

GĔNĔRŌSĒ, adverb. fortiter, magno animo, *generosamente,* γενναίως. Occurrit tantum Comp. *Generosius* apud *Horat.* 1. *Od.* 37. 21. quæ (*Cleopatra*) generosius Perire quærens, nec muliebriter Expavit ensem.

GĔNĔRŌSĬTAS, ātis, f. 3. εὐγένεια, nobilis et præclara origo, bonitas quæ a genere habetur; et usurpatur fere de iis, quæ a natura procreantur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 75. (198). In ipsa ove satis generositatis ostenditur brevitate crurum, ventris vestitu. *Id. ibid.* 45. 70. (181). Tauris generositas est in aspectu. *Id. ibid.* 50. 76. (202). *de capris.* Feminarum generositatis insigne, laciniæ corporibus a cervice binæ dependentes. *Id.* 14. *ibid.* 6. 8. (61). Antea Cæcubo erat generositas celeberrima. *h. e.* bonitas, ex qua commendatio et pretium et fama vini consequitur: *V.* vocem seq. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 23. Generositas vini. *Id.* 3. *ibid.* 6. 4. Id tempus fere virentium generositatem declarat. *Id. arbor.* 1. 3. Vitis pretio parata certam generositatis fidem non habet. *Pallad.* 9. *R. R.* 3. Asserit Columella (*Arbor.* 2.) explorari fecunditatem uno anno non posse, sed quatuor: quo numero cognoscitur vera generositas surculorum. Hinc *Forcellinus* in plurimis, quæ attulimus, locis generositatem pro fecunditate accepit.

GĔNĔRŌSUS, a, um, adject. Comp. *Generosior* et Sup. *Generosissimus* in omnibus paragr. — Generosus a *genus* est nobili et præclaro genere ortus, εὐγενής, γενναῖος (It. *nobile*; Fr. *de bonne race, noble*; Hisp. *de buena casta, noble*; Germ. *v. edler Abkunft, guter Art, ausgezeichnet, edel*; Angl. *noble, born of a noble race*).

I.) Proprie de hominibus. *Cic.* 3. *Parad.* 1. 20. Lapsa est libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine. *Id. Brut.* 58. 213. O generosam stirpem, et tamquam in unam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam sapientiam! Cf. *eumd. Amic.* 9. 29. Humilem sane relinquunt et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiæ, quam ex inopia atque indigentia natam volunt. *Sall. Jug.* 85. Naturam unam et communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosissimum. *Virg.* 10. *Æn.* 141. Mæonia generose domo. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 1. Non quia, Mæcenas, nemo generosior est te, naso suspendis adunco ignotos. *Ovid.* 14. *Met.* 698. Viderat a veteris generosam sanguine Teucri Iphis Anaxareten humili de stirpe creatus. *Id.* 4. *Trist.* 4. 1. nominibus generosus avitis. Cf. *eumd.* 1. *Fast.* 591. Perlege dispositas generosa per atria ceras. *Sueton. Tib.* 49. Generosissima femina.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de brutis, arboribus et aliis inanimis, quæ a bona stirpe proveniunt, *di buona razza, di ottima specie o qualità.* Quamquam *Forcellinus* aliter sentit, ipsi enim generosus est ferax, ferundus, quasi multum generans, *ferace, fecondo,* πολύγονος; sic *generosæ vites,* quæ vini feraces sunt: sed tamen juxta eumdem dicitur de vitibus, quæ vinum ferunt fama et pretio commendatum; quæ duæ res non a feracitate, sed a bonitate proveniunt: itemque de pomis et hujusmodi. Prior itaque significatio, quæ cum propria consentit, præstare videtur. — *a*) De brutis animantibus. *Virg.* 3. *G.* 75. pecoris generosi pullus in arvis Altius ingreditur. *Forcellinus* h. l. pro animoso accepit, quemadmodum etiam apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 24. (48). Leones ferarum generosissimi. Ceterum *Plin.* 11. *ibid.* 40. 95. (233). Sues generosæ duodenas mammas habent, vulgares binis minus. *Quintil.* 5. 11. 4. Generosus equus. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 31. testa. *h. e.* concha. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 21. (61). ostrea. — *b*) De arboribus et aliis inanimis. *Horat.* 1. *Ep.* 15. 18. Vinum generosum et lene. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 17. Magnis etiam dotibus tres apianæ (*vites*) commendantur, omnes feraces: generosior tamen una, quæ etc. *Id. ibid.* 2. 31. Ut nobilem vitem conseramus, generosam requiremus: ubi nihil erit, quod proritet, feracitatem potius sequemur, quæ non eadem portione vincitur pretio, qua vincit abundantia. *Ovid.* 13. *Met.* 818. generosa pruna. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (64). Generosissima mala. *Id. ibid.* 21. 23. (85). sorba. *Quintil.* 5. 11. 4. Quod est pomum generosissimum? nonne quod optimum? *Plin.* 15. *Hist. nat.* 29. 35. (118). Generosum obsonium. *Quintil.* 8. 3. 76. Generosa arbor. *Ovid.* 5. *Fast.* 211. Implere hortum flore generoso. *Id.* 15. *Met.* 710. generosos palmite colles. *Virg.* 10. *Æn.* 174. Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis. ¶ 2. De hominibus et abstractis, quæ ad hominem pertinent, est magnanimus, animosus, fortis, *generoso, coraggioso, magnanimo.* — *a*) De hominibus. *Cic.* 3. *Off.* 22. 86. Quum de imperio certamen esset cum rege (*Pyrrho*) generoso ac potente. *Liv.* 23. 35. Omnes satis honestos generososque ducerent, quibus arma sua signaque populus Romanus commisisset. *Quintil.* 5. 11. 4. Quid homo? nonne is generosissimus, qui optimus? *Ovid.* 2. *Fast.* 199. generosus miles. *At rectius fortasse hoc loco proprie accipiendum.* — *b*) De abstractis. *Cic.* 2. *Tusc.* 6. 16. Quod natura ipsa et quædam generosa virtus statim respuit. *Seneca Phœniss.* 334. generosa indoles. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (149). Alexander generosi spiritus imperator. *Quintil.* 1. 2. 3. Quo generosior celsiorque est animus. *Id.* 2. 4. 4. Melior est in pueris indoles læta generosique conatus. *Vellej.* 2. 125. *in fin.* Dolabella, vir simplicitatis generosissimæ. — Et de oratione. *Cic. Brut.* 75. 261. Cæsar splendidam quamdam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo. Cf. *Sueton. Cæs.* 55. *Quintil.* 1. *præfat.* 24. Plerumque nudæ illæ artes frangunt atque concidunt quidquid est in oratione generosius et omnem succum ingenii bibunt. — Huc pertinet et illud *Propert.* 4. 11. 61. Et tamen emerui generosos vestis honores; Nec mea de sterili facta rapina domo. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

Homonym. Inter *nobilem* et *generosum* hoc interest, quod *nobilis* etiam in malam partem sumi potest; *generosus non* item. Præterea *nobilis* dicitur qui est notus claritate familiæ; *generosus,* qui claritate rerum gestarum et virtute. Ita ex *Aristot. Voss.* l. 2. *Institut. Oratoriar.* c. 14. *sect.* 7. *Juvenal.* 7. 191. Felix et sapiens et nobilis et generosus.

GĔNĔSIS, is, f. 3. generatio, nativitas: Græce vox γένεσις, *generazione, natività.* ¶ 1. Generatim Genesis inscribitur primus Pentateuchi liber, in quo Moyses totius mundi creationem hominumque generationes enarrat atque exponit. — In basi Minervæ Phidiæ cælata erat *Pandoras genesis,* teste *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (19). Πανδώρας γένεσις. ¶ 2. Speciatim accipitur a Latinis pro sidere natalicio, sub quo scilicet quis natus est, ex quo futuræ vitæ sortem portendi credebant. *Juvenal.* 6. 578. si prurit frictus ocelli Angulus, inspecta genesi collyria poscit. *Id.* 14. 248. Nota mathematicis genesis tua. *Sueton. Vesp.* 14. Monentibus amicis, cavendum esse Metium Pomposianum, quod vulgo crederetur genesim habere imperatoriam. Adde *eumd. Domit.* 10. *V.* GENITURA.

GĔNESTA. *V.* GENISTA.

GĔNĔTHLĬĂCĒ, es, f. 1. *et*

GĔNĔTHLĬĂCON, i, n. 2. *V.* voc. seq.

GĔNĔTHLĬĂCUS, a, um, adject. *attenente a prognostico di natività,* γενεθλιακός, ad genesim seu nativitatem pertinens, a γενέθλη *origo, ortus.* Sic *Arnob.* 2. 69. Quando siderum motus, aut ratio cœpta est genethliaca sciri? — Hinc

Genethliacus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui ex observatione natalicii sideris sortem futuram hominum eventusque prædicit. *Gell.* 14. 1. *init.* Qui sese Chaldæos, seu genethliacos appellant. *astrologhi giudiciarj.*

Genethliace, es, f. 1. absolute, appellatur a *Capell.* 3. p. 50. genethliacorum ars. Sic *Id.* 9. p. 303. Genethliace propior adstabit, quæ rationis ætheree conscia pensa Lachesis adoperte atque instantium sæculorum gerenda denunciat.

Genethliacon, i, n. 2. absolute. Inscripsit *Statius* carmen suum 2. *Silv.* 7. *Genethliacon Lucani,* in quo natalem ejus diem, ipsumque poetam laudat.

GĔNĔTHLĬĂCUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

GĔNĔTHLĬŌLŎGĬA, æ, f. 1. γενεθλιαλογία, ars genethliacorum. *Vitruv.* 9. 7. Propria est Chaldæorum genethliologiæ ratio, uti possint ante facta et futura ex rationibus astrorum explicare.

GĔNĔTHLĬUS, a, um, adject. γενέθλιος, natalicius. Sic *genethlius Juppiter* est, qui genituræ puerorum præest. *V.* GAMELIUS. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

GĔNĔTRIX *vel* genitris, icis, f. 3. Ad scriptionem quod attinet, si vetera monumenta et MSS. codices attendas, fere semper per *e* legitur, teste, præter alios, *Pierio* ad *Virg.* 1. *Æn.* 594. Si vero originem, per *i*: est enim a *genitor,* hoc a *genitum.* Placet igitur prior ratio *Dausquio* aliisque multis: altera *Manutio,* qui et ipse antiquos duos lapides pro se affert. *Cellarius* item componere conatur, ut quando est Veneris cognomen, per *e* scribatur, singulari quadam consuetudine, quia sic constanter legitur in nummis et lapidibus; in ceteris per *i,* ut origo poscit. — Genetrix est quæ genuit, mater, parens, γενέτειρα (It. *genitrice, madre*; Fr. *celle qui enfante, mère*; Hisp. *madre*; Germ. *d. Gebärerin, Hervorbringerin, Mutter*; Angl. *a mother*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. *Ennius* apud *Non.* p. 378. 16. *Merc.* Te sole nata precor Venus, te genetrix patri' nostri. *Virg.* 1. *Æn.* 590. Æneadum genetrix. *h. e.* Venus Æneæ mater. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 383., et 12. *ibid.* 412. et 554. — Et ratione habita Romanorum, qui ab Ænea originem duxisse dicebantur, *Lucret.* 1. 1. Æneadum genetrix, hominum divumque voluptas, Alma Venus. — *Venus genetrix* hoc nomine templum Romæ habuit, exstructum a Julio Cæsare, qui se ab ea per Æneam oriundum prædicabat. *Sueton. Cæs.* 61., 78. et 84. Cf. *Cic.* 8. *Fam.* 15. 2. — De Venere amoris matre. *Virg.* 1. *Æn.* 693. Paret Amor dictis caræ genetricis et alas Exuit. — Ut *mater,* ita *genetrix* per antonomasiam de Cybele, deum matre, dicitur. *Virg.* 9. *Æn.* 117. et 10. *ibid.* 234. — Generatim. *Id.* 9. *ibid.* 284. genetrix Priami de gente vetusta Est mihi. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 133. Nec ferro ut demens genetricem occidis Orestes. *Val. Max.* 1. 8. *n.* 5. *extern.* Ex ipso genetricis rogo lucem et cunas assecutus. *Alcim.* 6. 205. *de Christo.* A Genetrice satus, sed quam formaverat ipse. *Id. ibid.* 193. Quique genitricis cessat quum filius esse. — *b*) De brutis. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 32. (63). Genetricum senectam ciconiæ educant.

II.) Translate. *Lucret.* 2. 599. Magna deum mater (*Tellus*) materque ferarum Et nostri genetrix.

Catull. 63. 50. Patria o mea creatrix, o mea genetrix. *Ovid.* 5. *Met.* 490. frugum genetrix. *h. e.* Ceres. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 29. 31. (112). Miletus Ioniæ caput super nonaginta urbium per cuncta maria genetrix. *Seneca Thyest.* 816. genetrix prima roscida lucis. *h. e.* Aurora. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 3. (3). Ægyptus vitiorum genetrix. *Justin.* 20. 4. Genetrix virtutum frugalitas. *Sil. It.* 15. 615. Nox somni genetrix.

Homonym. *Genetrix* et *mater* hoc differunt, quod illa semper, quæ genuerit, dicitur: hæc aliquando pro nutrice ponitur. Hæc *Non.* p. 423. 20. *Merc.* *V.* MATER.

GĔNĬĀLĬCĬUS, a, um, adject. ad Genialiorum festum pertinens. *Kalendar. Lambecii Vindobonense* in *Thesaur. Grævii T.* 8. p. 97. IDVS FEBRVAR. LVDI GENIALICII. *V.* voc. seq. in fin.

GĔNĬĀLIS, e, adject. a v. *gignere* seu *genere* et a *genio*, ad genium naturæ et voluptatis deum pertinens. ¶ 1. Genialis est ad generationem, sive ad nuptias et matrimonium pertinens. Hinc *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 603. Geniales proprie sunt lecti, qui sternuntur puellis nubentibus: dicti a generandis liberis. et *Paul. Diac. p.* 94. 11. *Müll.* Genialis lectus, qui nuptiis sternitur in honorem Genii, unde et appellatus. *Cic. Cluent.* 5. 14. Lectum *illum* genialem, quem biennio ante filiæ suæ nubenti straverat. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 1. 87. Sic *Virg.* 6. *Æn.* 603. lucent genialibus altis Aurea fulcra toris. Adde *Liv.* 30. 12.; et *Plin. Paneg.* 8. Similiter *Catull.* 64. 47. geniale pulvinar divæ. Et poetice *Ovid.* 1. *Art. am.* 125. Ducuntur raptæ, genialis præda, puellæ. *h. e.* conjugii causa abductæ. *Al. leg.* genitalis. Sic de Eva ab Adami costa divinitus educta *Alcim.* 1. 155. Erigitur pulcro genialis forma decore, Inque novum subito procedit femina vultum. *Stat.* 1. *Achill.* 113. genialia bella. *h. e.* inter pocula et mensas nuptiales sponsæ rapiendæ causa inita, qualis fuit Centaurorum pugna cum Lapithis. *Id.* 2. *Silv.* 3. 108. genialia jura. *h. e.* conjugalia. *Paul. Diac.* p. 95. 8. *Müll.* docet, geniales deos dictos esse aquam, terram, ignem, aerem; ea enim sunt semina rerum: duodecim quoque signa, lunam et solem inter hos deos computari solitos. Hac quoque ratione *genialis* est a *genius*, qua vim notat rerum gignendarum. Alii tamen leg. *genitales.* — Huc pertinent etiam illa, in quibus ponitur pro fecundo, *Plin.* 17. *Hist. nat.* 9. 6. (53). In tantum abundans genialis copia pecudum. *Id.* 18. *ibid.* 24. 54. (196). Fit quoque quorumdam (*seminum*) occulta ratione, quod sors genialis atque fecunda est. — Hinc *Genialia, ium,* n. plur. 3. absolute, substantivorum more, pro lectis conjugalibus apud *Arnob.* 4. 25. Genialibus alienis insultare. ¶ 2. Item ad genium pertinens, ad genium voluptatis deum pertinens, atque adeo lætus et voluptarius. Hinc *Saxtra* apud *Non.* p. 117. 18. *Merc.* Scis enim, geniales homines ab antiquis appellatos, qui ad invitandum et largius apparandum cibum promptiores essent. *Ovid.* 3. *Fast.* 523. Festum geniale. *Juvenal.* 4. 66. genialis agatur Ista dies: propera stomachum laxare saginis. *Ovid.* 3. *Trist.* 13. 17. geniale tempus. *h. e.* genio sacrum. *Al. leg.* genitale, *h. e.* natalis dies. *Virg.* 1. G. 302. genialis hiems. *h. e.* in qua celebrantur convivia. *Ovid.* 13. *Met.* 929. genialia serta. *h. e.* coronæ, quæ voluptatis causa in conviviis et festis diebus adhibentur. *Id. Heroid.* 19. 9. geniale rus. *h. e.* amœnum et voluptarium. *Id.* 2. *Amor.* 13. 7. genialia arva Canopi. *h. e.* deliciis affluentia. *Stat.* 4. *Silv.* 4. 51. geniale litus. *delizioso.* *Ovid.* 10. *Met.* 95. platanus genialis. *h. e.* quæ amœnitatis gratia seri solet. *Id.* 3. *Amor.* 15. 19. Imbelles elegi, genialis Musa, valete. *h. e.* carmina amorum et voluptatis. Sic *Geniales divi* dicuntur a *Statio* Bacchus et Ceres, quia convivia, voluptas, deliciæ sine iis nullæ sunt, 12. *Theb.* 618. genialibus hospita divis Icarii Celeique domus. *V.* CELEUS et ICARIUS, ii, in ONOM. Similiter Bacchus dicitur ab *Ovid.* 4. *Met.* 14. genialis consitor uvæ. *Apul.* 11. *Met.* Genialis vultus. *h. e.* comis, benignus. — Hinc

Genialia, ium, n. plur. 3. *V.* supra in fin. § 1. — Item *Genialia, iorum* vel *ium*, appellatus est dies festus Genio principis vel populi Romani sacer, cujus mentio habetur in *Inscript.* Capuæ reperta, pertinens ad ann. a Chr. n. CCCLXXXVII., edita vero et illustrata a *Franc. M. Avellino* in *Opusc. T.* 3. p. 214.-304., quæ est apud *Henzen.* 6112. III. IDVS FEBR. GENIALIA. *Kalendar. Vindobonense.* III. IDVS FEBR. GENIALICII. *corrige* GENIALIA. *V.* GENIALICIUS.

GĔNĬĀLĬTAS, atis, f. 3. festivitas, jucunditas. *Ammian.* 30. 1. *sub fin.* Genialitas mensæ.

GĔNĬĀLĬTER, adverb. opipare et laute, *con piacere, allegramente,* τρυφερῶς. *Ovid.* 11. *Met.* 95. Hospitis adventu festum genialiter egit. *Apul.* 10. *Met.* Otiosa ac satis genialiter contorta in modum linguæ extrema labia, grandissimum illum calicem uno haustu perhausi.

GĔNĬĀRĬUS, ii, m. 2. Geniorum artifex, qui nempe ex ebore, vel auro, vel argento, vel ære, vel marmore Geniorum simulacra conficiebat: hujus officina sita erat in foro Romano post ædem Castori et Polluci dicatam. *Inscript.* apud *Gruter.* 25. 1. IVNONI PIAE M. CANVLEIVS M. L. PHILONICVS GENIARIVS POST AEDEM CASTORIS. Alia apud *Don. cl.* 17. n. 12. L. CABINIVS EVELPISTVS GENIARIVS POST AEDEM CASTORIS. At *Marini, Papyr. diplom.* p. 354. *col.* 1. in *Inscript.* apud *Murat.* 943. 5., quæ est apud *Don. cl.* 17. *n.* 12. superius allata, pro *geniarius* legit *gemmarius*: quod et in *Gruteriano* lapide legendum videtur.

GĔNĬĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *genio, as,* genio instruo (*V.* DEGENIO), et est pulcher, venustus, amabilis. *Capitolin. Ver.* 10. Fuit decorus corpore, vultu geniatus. *h. e.* amabilis, gratus aspectu. Ita *Salmas.* Alii aliter leg. *Stat.* 1. *Silv.* 1. *init.* moles geniata. *h. e.* Genio sacra. *Al. leg.* geminata, *al.* gemmata. *Cassiodor.* quoque non semel usurpat. gratiosum, amabilem geniumque habentem significans, 1. *Varior.* 43. et 6. *ibid.* 3. 12. 20. 21. etc.; sed non est facile imitandus.

GĔNĬCŬLĀRIS, e, adject. qui genibus submittitur: hinc *genicularis herba*, quæ substernitur ob scorpionum vim repellendam, ut ait *Isid.* 17. *Orig.* 9.

GĔNĬCŬLĀTIM, adverb. per genicula, *di nodo in nodo,* κατὰ γόνυ. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 39. (68). Vinca pervinca foliis geniculatim circumdata.

GĔNĬCŬLĀTĬO, onis, f. 3. *inginocchiazione*, actus geniculandi, genus flexio. *Tertull. ad Scapul.* 4. Quando non geniculationibus et jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?

GĔNĬCŬLĀTOR, oris, m. 3. qui altero genu nititur: *V.* ENGONASI et INGENICULUS. *Vet. Scholiast.* ad *Germanici Arat.* 206. Aratus dicit, super Geniculatorem situm (*Equum*) et jam astris illatum, eo quod a celsitudine Heliconis montis percusso pede dextro aquam produxit, quem liquorem Hippocrenen dicunt.

GĔNĬCŬLĀTUS, a, um, particip. a *geniculo*, quam vocem V., vel potius a *geniculus*, et est

A) Genu flexum habens.

I.) Proprie occurrit tantum *Geniculatus, i,* absolute, substantivorum more, et est idem quod Ingeniculus, scil. sidus Herculis dextro genu flexo super Draconis caput innixi. *Vitruv.* 9. 6. *V.* ENGONASI.

II.) Translate de fluvio inflexo in modum geniculi. *Ammian.* 18. 9. Urbs Amida a latere australi, geniculato Tigridis meatu subluitur propius emergentis.

B) Item est frequentibus geniculis constans, nodosus: *di molti nodi,* πολυγόνατος. *Cic. Senect.* 15. 51. Culmoque erecta geniculato, vaginis jam quasi pubescens includitur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 64. (158). Geniculata arundo. *Id.* 24. *ibid.* 16. 93. (150). Herba totidem geniculata nodis, quot habet annos. *Id.* 14. *ibid.* 1. 3. (10). Vites per ramos populi maritæ procacibus brachiis, geniculato cursu scandentes. *Id.* 17. *ibid.* 21. 35. (152). Vitium surculis geniculati scaporum nodi intersæpiunt medullam.

GĔNĬCŬLĀTUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. sub *A.* I.

GĔNĬCŬLO, as, avi, atum, are, n. 1. duo diversa significat: scilicet

A) Quum est a *geniculis*, quæ stipulæ vel caulis herbacei internodia significant, geniculare est genicula producere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 16. 42. (143). Segete viridi desecta, antequam genicularet. *Harduin.* habet *gelaret* ex MSS., quod retinuit et *Sillig*, certe corruptum affirmans.

B) Quum est a *genu*, est genua submittere. *Gloss. Cyrill.* Geniculo, geniculor, genua advolvor, γονυπετῶ. Sic *Charis.* p. 260. *Putsch.* Geniculo parenti. et *Gloss. Philox.* Geniculat, γονατίζει.

GĔNĬCŬLOR, aris, etc. *V.* voc. præced. sub *B.*; et adde *Diomed.* 1. p. 294. *Putsch.* Geniculor victori.

GĔNĬCŬLŌSUS, a, um, adject. idem ac geniculatus sub *B. Apul. Herb.* 77. Agrostis foliis parvi calami similibus, atque virgultis per terram serpentibus, geniculosis.

GĔNĬCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a* genu, parvum genu, *ginocchio, ginocchietto,* γόνυον.

I.) Proprie. *Varro* 9. *L. L.* 11. *Müll.* Non sequitur ut stulte faciant, qui pueris in geniculis alligent serperastra, ut eorum depravata corrigant crura. *Tertull. Cor. mil.* 3. De geniculis adorare. *Vulgat interpr. Nahum* 2. 10. Cor tabescens et dissolutio geniculorum et defectio in cunctis renibus. *Veget.* 2. *Veterin.* 28. 34. Geniculorum et gambarum inflexio.

II.) Translate *genicula* dicuntur stipulæ, vel caulis herbacei internodia, et veluti articuli ac nodi quidam. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (56). Genicula autem tritico sunt quaterna, farri sena, hordeo octona. *Id.* 26. *ibid.* 11. 71. (117). Verbenaca a tertio geniculo incisa.

GĔNĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* genu, parvum genu, *ginocchio.* Occurrit translate tantum in architectura, et dicitur de curvatura in modum genus. *Vitruv.* 8. 7. Quod si non venter in vallibus factus fuerit, nec substructum ad libram factum, sed geniculus erit, erumpet et dissolvet fistularum commissuras.

GĔNĬMEN, inis, n. 3. (geno, gigno) germen, progenies, *progenie.* — *a*) In singulari numero. *Vulgat. interpr. Matth.* 26. 29. Non bibam de hoc genimine vitis. — *b*) In plurali numero. *Ibid. Luc.* 3. 7. Genimina viperarum. *Tertull. Anim.* 39. Omnes idololatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc uteri infulis apud idola confectis redimiti, genimina sua dæmoniorum candidata profitentur.

GĔNISTA vel genesta, æ, f. 1. *ginestra,* σπαρτίον, arbuscula quædam humilis est, fronde minuta, flore luteo apibusque gratissimo, semine lenticulis haud absimili, quod phaseolorum modo siliquis innascitur: forte a *genu*, quia facile flectitur, vel quia genibus medetur, ut *Plin.* 24. *Hist. nat.* 9. 40. (66). docet: vel a *geno*, quia facile gignitur. *Id.* 21. *ibid.* 12. 42. (72). Genistas circumseri alvearibus gratissimum. *Virg.* 2. *G.* 12. molle siler lentæque genistæ. *Id. ibid.* 434. salices humilesque genistæ, Aut illæ pecori frondem, aut pastoribus umbras Sufficiunt, sæpesque satis et pabula melli. *Pierius* hic observat, in antiquioribus exemplaribus *genesta* legi. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 5. vaccæ Molle sub hirsuta latus explicuere genista. Al. leg. *genesta*, ut et in *Pervigil. Vener.* 81. *Grat. Cyneg.* 130. hastilibus aptæ Taxique pinusque Altinatesque genistæ. — Dubitat *Plin. cit. l.* 24. (65). num eadem sit cum sparto Græcorum. Certum est, viminis quoque usum præbere, ut *Id. ibid.* et 16. 37. 69. (176). docet. *Martial.* 1. 44. Non pyra, quæ lenta pendent religata genista. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (15). Asia e genista facit lina ad retia præcipua in piscando durantia, frutice madefacto denis diebus. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 216.) hanc exhibet synonymiam: Σπάρτιον Homer. Iliad. 2. 582., Thucyd. Act. 1. et Dioscor. 1. 158.; Σπάρτος Paul. Ægin. 5.; Σπάρτη Galen. de Fac. simpl. med. p. 231.; et *Genista* vel *Genesta* Plin., Virg. et Martial. locc. citt. et Colum. 4. R. R. 31. 1. sunt *Spartium junceum* L. Spec. plant. 995. et *Genista juncea* Lamrk. Encycl. 2. 617.

GĔNĬTĀBĬLIS, e, adject. *generativo,* genitalis. *Lucret.* 1. 11. Et reserata viget genitabilis aura Favoni. *Al. hic leg.* genitalis. *Lucilius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 17. *Müll.* Ætheris et terræ genitabile quærere tempus. *Arnob.* 4. 28. Genitabiles partes. *h. e.* genitalia.

GĔNĬTĀLE, is, *et*

GĔNĬTĀLĬA, ium, n. 3. *V.* voc. seq. in fin.

GĔNĬTĀLIS, e, adject. (genitus, gigno) ad gignendum pertinens, vim gignendi habens, γεννητικός (It. *generativo;* Fr. *qui procrée, génital, fécond;* Hisp. *genital, generativo;* Germ. *zur Zeugung, Geburt gehörig, erzeugend, fruchtbar;* Angl. *serving to produce, generative*). Occurrit — *a*) Generatim. *Lucret.* 2. 61.; et *Ovid.* 15. *Met.* 239. Genitalia corpora. *h. e.* elementa, ex quibus omnia gignuntur. *Colum.* 10. *R. R.* 196. genitalia tempora mundi. *Id.* 3. *ibid.* 6. 1. Partes trunci, quæ et ge-

nitales sunt, et maxime fertiles. *Id.* 7. *ibid.* 9. 5. Feminis suum vulvæ ferro exulcerantur, ne genitales sint. *Virg.* 2. *G.* 324. Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (107). Anni hora genitalis. *h. e.* tempus, quo cuncta gignuntur. *Id. ibid.* 2. 1. (2). Genitales causæ. *Id.* 2. *ibid.* 8. 6. (38). Genitali rore terram conspergere. *Id.* 7. *ibid.* 14. 12. (61). Genitale profluvium mulieris. *h. e.* menses: item γονόῤῥοια apud *eumd.* 20. *ibid.* 13. 51. (142). — *Genitalis dies* est dies natalis. *Tac.* 16. *Ann.* 14. Sic *genitalis lux* apud *Stat.* 2. *Silv.* 3. 62., ubi al. leg. *genialis.* — *Genitalis sedes* est natale solum, patria. *Prudent. Cathemer.* 10. *sub fin.* Sic *genitalis terra* apud *Ammian.* 27. 5. *extr.*; et *genitale solum* apud *Vellej.* 2. 15. 1. et *Cassiod.* 1. *Variar.* 42. et 43. — *Genitalia fœdera*, aut *jura* sunt conjugalia. *Stat.* 3. *Theb.* 300. et 689. — *Genitales menses* sunt, in quibus mulier infantem parere potest. *Gell.* 3. 16. In mensibus tamen genitalibus nominandis non prætermisit octavum. — *Genitalia membra, genitales partes* sunt τὰ αἰδοῖα. *Ovid.* 2. *Amor.* 3. 3. Qui primus pueris genitalia membra recidit. *Lucret.* 5. 1037. eietque Continuo partes genitales corporis ipsas. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 26. 2. Sic eodem sensu *Id. ibid.* 36. 2. Genitalia loca. Et de plantarum partibus, quæ inserviunt generationi, *Id.* 3. *ibid.* 10. 12. Genitalia membra. et *ibid.* 10. 14. Genitalis locus. — *Genitale caput* est præputium. *Rutil.* 1. *Itiner.* 387. de *Judæis.* Reddimus obscœnæ convicia debita genti, Quæ genitale caput propudiosa metit. — *b*) Specialim *genitales dii*, θεοὶ γενέται alii sunt, qui proprie generationum præsides, ut Saturnus, Juppiter, Venus, et respectu Romanorum Æneas, Mars, unde Romulus genitus est. Aliis sunt Aqua, Terra, Ignis, Aer, unde gignuntur omnia. Aliis sunt indigetes, scil. ex hominibus in deos relati, ut Hercules, Castor, etc. *Bentlejus* ad *carm. sæcul. Horatii* pluribus contendit, esse deos majorum gentium, genitos nempe; et naturales, non adscititios: quod verum puto, quia qui hujusmodi sunt dii, sunt etiam rerum generationis præsides: non vero quia vox *genitalis* id significet. *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 764. Romulus in cœlo cum dis genitalibus ævum Degit. *Auson. perioch.* 4. *Iliad.* Juppiter interea cum dis genitalibus una Concilium cogit Superum de rebus Achivis. In nummo Crispinæ Augustæ uxoris Commodi, apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 139. in aversa parte est ara, et circa scriptum DIS GENITALIBVS. Hinc meretrix *Melissarium*, apud *Aristæn.* l. 1. *Ep.* 19., παιδοποιεῖν ἐξ Χαρικλέους προσηύχετο πᾶσι τοῖς γενεθλίοις θεοῖς. — Hinc

Genitale, *is*, et præcipue

Genitalia, *ium*, n. 3. absolute, substantivorum more, significant τὰ αἰδοῖα. *Cels.* 4. 1. Vesica in feminis super genitale earum sita est. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 57. (157). Genitale utriusque sexus. In plurali num. *Id.* 11. *ibid.* 49. 110. (263)., et alibi sæpissime; et *Quintil.* 1. 6. 36.

GENĪTĀLĪTER, adverb. γεννητικῶς, fecunde, fertiliter. *Lucret.* 4. 1250. ut semina possint Seminibus commisceri genitaliter apta.

GENITIVALIS, e, adject. qui pertinet ad genitivum casum. Vox e Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 154.

GENĪTĪVUS vel genetivus, a, um, adject. *ingenito, naturale, innato*, ἐγγινόμενος, ad generationem, sive ad originem pertinens, ingenitus. ¶ 1. Generatim. — *a*) Sumitur pro genitali, a natura ingenito, ut *genitivæ notæ*, quæ sunt maculæ a natura ingenitæ. *Sueton. Aug.* 80. Corpore traditur maculoso, dispersis per pectus atque alvum genitivis notis. *voglie.* *Ovid.* 3. *Met.* 331. Forma prior rediit, genitivaque rursus imago. *h. e.* prima, quam habuerat, quum nasceretur. — *b*) Item pro genitali, *h. e.* generante. *Cato* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 6. Apollinis genitivi ara. *h. e.* Phœbi genitoris, ut est apud *Val. Flacc.* 5. 404. — *c*) Interdum pro gentilicio. *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 107. Adjectique probent genitiva ad nomina Cottæ. ¶ 2. Specialim in re grammatica *genitivus casus*, et *genitivus* absolute unus est ex casibus apud Grammaticos, qui etiam *patrius* dicitur, et *interrogandi casus*, quod fiat in hoc casu interrogatio de patre, et de genere, ex. gr. Cujus filius es? Cujus familiæ? *Sueton. Aug.* 87. Ponit *domos* genitivo casu singulari, pro *domus*. *Quintil.* 1. 5. 62. Si, ut *Mæcenas, Suffenas, Asprenas* dicerentur, genitivo casu non e littera, sed *tis* syllaba terminarentur. Adde *eumd.* 1. 6. 14. — Hinc

Genitivus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more est casus ipse genitivus. *Gell.* 4. 16. Genitivus singularis. Adde *Quintil.* 1. 5. 63. et 1. 6. 14.

GENĪTĪVUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. in fin.

GENĪTOR, ōris, m. 3. (geno, gigno) pater, qui scilicet genuit, γενετήρ (It. *genitore, padre*; Fr. *créateur, géniteur, père*; Hisp. *el que engendra y procrea, padre*; Germ. d. *Erzeuger, Hervorbringer, Vater*; Angl. *a father, sire, creator*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Cic.* 1. *de republ.* 41. o Romule, Romule die, – O pater, o genitor, o sanguen dis oriundum. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 30. 64. Saturnius genitor. *Cic. Tim.* 8. Quo (*animo*) nihil ab optimo et præstantissimo genitore melius procreatum. *Id. ibid.* 13. Imitantes genitorem et effectorem sui. *Horat.* 1. *Od.* 28. 7. Genitor Pelopis. *Ovid.* 5. *Met.* 145. Occidit Atreus, Matre Palæstina, dubio genitore creatus. *Id.* 11. *ibid.* 202. tridentiger genitor tumidi profundi. *h. e.* Neptunus. *Id.* 15. *ibid.* 862. genitorque Quirine Urbis. *Id.* 1. *Amor.* 13. 45. Deûm genitor. *h. e.* Juppiter. *Sil. It.* 3. 126. bellorum genitor. *h. e.* Mars.

II.) Translate. *Auson. Urb.* 13. 7. Qua rapitur præceps Rhodanus, genitore Lemanno. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 119. Adsciscet nova (*vocabula*), quæ genitor produxerit usus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 4. 5. (19). Græci vitiorum omnium genitores. *Sil. It.* 13. 738. O fraudum genitor.

GENĪTRIX. *V.* GENETRIX.

GENĪTŪRA, æ, f. 1. generatio, *generazione*, γένεσις.

I.) Proprie. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (107). Origo atque genitura conchæ est haud multum ostrearum conchis differens. *Id.* 18. *ibid.* 24. 56. (202). In alitum quadrupedumque genitura esse quosdam ad conceptum impetus terræ.

II.) Translate. ¶ 1. Activa dicitur quod generat, atque hinc accipitur etiam pro semine humano. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 40. (83). Datur et contra profluvia geniture viris. ¶ 2. Passive dicitur quod generatum est, atque ideo usurpatur etiam pro ipsis animalibus. *Arnob.* 1. 11. Morsu animam tollit serpens; maledicam scilicet primordiis rerum, quod tam sæva prodigia genituris spirantibus addiderunt. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 23. vertens verba Christi apud *Luc.* 9. 41. O genitura incredula, quousque ero apud vos? ¶ 3. Specialim apud Astrologos occurrit pro horoscopo, seu genesi: *V.* GENESIS. *Sueton. Aug.* 94. *ad fin.* Reticere ipse genituram suam perseverabat. *Id. Cal.* 57. Consulenti de genitura sua Sulla mathematicus certissimam necem propinquare affirmavit. *Id. Vitell.* 3. Genituram ejus, prædictam a mathematicis, ita parentes exhorruerunt, ut etc. Adde *eumd. Ner.* 6., *Vesp.* 25. et *Tit.* 9. *Ammian.* 29. 1. Fatorum per genituram interpres. Adde *Eutrop.* 7. 20., et *V.* GENESIS.

GENĪTUS, a, um. *V.* GIGNO.

GENĪTUS, us, m. 4. generatio. Occurrit in sexto casu tantummodo apud *Apul. de Mag.* Qui plurimos libros de animalium genitu reliquerunt.

GENIUS, ii, m. 2. δαίμων. In Vocativo est *Geni.* *Tibull.* 4. 5. 9. Magne Geni, cape tura libens votisque faveto. — Ceterum

I.) Proprie et generatim Genius est deus, cujus in tutela quicumque natus est, vivit. Hic, sive quod, ut genamur, curat; sive quod una genitur nobiscum; sive etiam quod nos genitos suscipit ac tuetur: certe a genendo Genius appellatur. Eumdem esse ac Larem, multi veterum memoriæ prodiderunt. Hunc in nos maximam, imo omnem habere potestatem, creditum est. Nonnulli binos Genios in iis dumtaxat domibus, quæ essent maritæ, colendos putaverunt. Euclides autem Socraticus duplicem omnibus omnino nobis Genium dicit appositum. Genio igitur potissimum per omnem ætatem quotannis sacrificamus. Quamquam et alii sunt dii complures, hominum vitam pro sua quisque portione adminiculantes: sed hi omnes semel in unoquoque homine numinum suorum effectum repræsentant: quocirca non per omne vitæ spatium novis religionibus arcessuntur. Genius autem ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos, ad extremum vitæ diem comitetur. Hæc ex *Censorin. de die natal.* 3. sumpta sunt. *Capell.* 2. p. 38. Quoniam unicuique superiorum deorum singuli quoque deserviunt, ex illorum arbitrio istorumque comitatu et generalis omnium præsul et specialis singulis mortalibus Genius admovetur, quem etiam præstitem, quod præsit gerundis omnibus, vocaverunt. V. *ibid.* reliqua. Paucioribus *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 302. Genium dicebant antiqui naturalem deum uniuscujusque loci, vel rei, aut hominis. — Putarunt autem Genium una cum homine et nasci et mori. Hinc *Horat.* 2. *Ep.* 2. 187. Scit Genius, natale comes qui temperat astrum, Naturæ deus humanæ, mortalis in unum Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater. et *ibid.* 1. 143. Tellurem porco, Silvanum lacte piabant, Floribus et vino Genium memorem brevis ævi. — *Censorin. loc. cit.* 2. ad illud *Persii* 2. 3. *Funde merum Genio*: Hic, inquit, forsitan quis quæret, quid causæ sit, ut merum fundendum Genio, non hostiam faciundam putaverit: quod scilicet, ut *Varro* testatur, id moris institutique majores nostri tenuerunt, ut quum die natali munus annale Genio solverent, manum a cæde ac sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent. Aliquando tamen et hostias cæsas fuisse Genio die natali, colligitur ex *Horat.* 4. *Od.* 11. 7. Quod si de Genio placando ageretur, semper puto hostia fuisse factum, ut apud *Liv.* 21. 62. *extr.* legitur. Ceterum plerumque Genii sacrum natale pulte, fritillis, libis, mero odoribusque fiebat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 8. 19. (84).; *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 94.; et *Tibull.* 1. 8. 50. et 2. 2. 3. — Scribit *Seneca Ep.* 110. Genios esse deos inferioris notæ et ex eorum ordine, quos *Ovid.* vocat (5. *Fast.* 20.) de plebe deos. Contra *Varro* apud *Augustin.* 7. *Civ. D.* 2. inter deos selectos majoresque reponit. — Fuere item, qui suum cujusque animum Genium esse existimarunt, ut est apud *Augustin. ibid.* 13., item qui suam cujusque fortunam. Unde apud *Charis.* 1. p. 19. *Putsch.* legitur: hic genius, ἡ τύχη ἑκάστου. Et quod Latini jurare solebant *per Genium Cæsaris* (quod in more fuisse, colligitur ex *Sueton. Cal.* 27., *Ulp. Dig.* 12. 2. 13. *ad fin.*, et *Tertull. Apolog.* 32.) ὀμνύναι τὴν τοῦ Καίσαρος τύχην Græci dicunt, ut *Dio l.* 44. *c.* 50. — Mos fuit etiam jurare et adjurare per Genium privatum. *Seneca Ep.* 12. Jurat per Genium meum, se omnia facere. *Tibull.* 4. 5. 6. per te dulcissima furta, Perque tuos oculos, per Geniumque rogo. *Petron. fragm. Tragur.* 37. *Burmann.* Ignoscet mihi Genius tuus: noluisses de manu illius panem accipere. et 62. *extr.* Si mentior, Genios vestros iratos habeam. — Neque singulis hominibus tantum, sed et urbibus, populis, regionibus, exercitibus, fontibus, horreis, uno verbo, quibuscumque locis suus Genius assignabatur. *Inscript.* apud *Gruter.* 8. 3. I. O. M. ET GENIO P. R. et *ibid.* 4. I. O. M. GENIO LOCI, FORTVNAE REDVCI. et *ibid.* 9. 4. I. O. M. ET GENIO COLONIAE. et 109. 3. GENIO EXERCITVS. et *ibid.* 6. et 7. HORREORVM. et *ibid.* 2. CENTVRIAE. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 343., 1697., 1701., 367. Sic *alia* apud *eumd.* 689. GENIO MVNICIPII. et 1120. CVRIAE. et 4087. FORI VINARII. et 1713. THEATRI. *Arnob.* 4. 6. Lateranus deus est focorum et Genius. *Juvenal.* 6. 22. Genius sacri fulcri. *h. e.* tori conjugalis. *Prudent.* 2. *in Symmach.* 444. cur Genium Romæ mihi fingitis unum, Quum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis Assignare suos Genios, perque omnia membra Urbis, perque locos Geniorum millia multa Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra? *V. Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 5. *tab.* 20. — Genius loci per anguem plerumque ostendebatur, ut ait *Servius* ad *Virg.* 5. *Æn.* 85. Quin immo etiam virorum Genius fuit serpens: hinc sæpissime in antiquis monumentis sepulcralibus videre est anguem circa imaginem viri jacentis, aut circa mensam feralem sese circumvolventem. *V. Eckhel. D. N. V. T.* 4. p. 35. et AGATHODÆMON. — Et ipsis diis Genius attributus legitur, ut Genius Priapi, apud *Petron. Satyr.* 21. Plutonis, in *Inscript.* apud *Gruter.* 1073. 8. Jovis, in *Inscript.* apud *Orell.* 1730. et 2488. deorum, in *alia* apud *eumd.* 1730. Famæ, apud *Martial.* 7. 12., qui quidem diversus ab ipso numine fuisse videtur, ut probat *Marin. Frat. Arv.* p. 370., nam ibi fratres Arvales deæ Diæ boves feminas numero duas, item Junoni deæ Diæ (*h. e.* genio ejusdem: *V.* infra) oves numero duas immolaverunt. — *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 743. non unum, sed binos singulis assignat, alterum, qui ad bona, alterum, qui ad

mala incitet impellatque: quibus assistentibus post mortem, aut asserantur in meliorem vitam, aut condemnentur in deteriorem. — Virorum *Genii* mares fuerunt, feminarum *Junones* dictæ, ut Genii feminæ. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (16).; *Seneca Ep.* 110.; et *Tibull.* 4. 6. 1. *V.* JUNO. — Huc pertinent et illa *Virg.* 7. *Æn.* 136. Genium loci primamque deorum Tellurem precatur. *Horat.* 3. *Od.* 17. 44. Cras Genium mero curabis et porco bimestri Cum famulis operum solutis. *Forcellinus* hunc locum ad paragr. proxime sequentem retulit. *Id.* 1. *Ep.* 7. 94. Quod te per Genium dextramque deosque Penates Obsecro et obtestor. *Tibull.* 1. 7. 49. centum ludis Geniumque choreis Concelebra. *Liv.* 21. 62. Genio majores hostiæ cæsæ quinque. *Propert.* 4. 8. 69. Geniumque meum prostratus adorat. — Hæc ex falsa Gentilium theologia de Genio collegimus. Ceterum Christiana veritas *Genios* docet esse cacodæmonas, *h. e.* malos angelos, æternis suppliciis a Deo damnatos ob seditionem ac superbiam: quos cæca Gentilitas deos fecit coluitque, nos exsecramur et in Dei nomine fugamus vincimusque. V. *Tertull. Apolog.* 32. et *Anim.* 39.; et *Lactant.* 2. 15.

II.) Translate, vel, si placet, speciatim ¶ 1. Genius ratione habita vitæ sensibilis vel corporalis, est spiritus laute ac jucunde vivendi, atque adeo vitæ ipsius voluptas aut jucunditas, hinc etiam appetitus epularum et gula; *ghiottornia, golosità, gola,* fortasse ideo, quia diem natalem Genio sacrum amplioribus epulis celebrare mos erat. *Plaut. Truc.* 1. 2. 81. Isti, qui cum geniis suis belligerant, parcipromi. *che fan guerra alla gola,* ut *Forcellinus* interpretatur, seu latiori sensu *che fan guerra al proprio ben essere materiale.* Sic *Id. Aulul.* 4. 9. 15. Egomet me defraudavi animumque meum geniumque meum: nunc eo alii lætificantur. Similiter *Ter. Phorm.* 1. 1. 9. Quod ille unciatim vix de demenso suo, suum defraudans genium, comparsit miser. *togliendosi di bocca.* Rursus *Plaut. Pers.* 1. 3. 28. SA. Ecquid sitis? TO. Vah rogas? SA. Sapis multum ad genium. *h. e.* ad gulæ voluptatem. *Id. Stich.* 4. 2. 42. Nam hic quidem meliorem genium non facies. *h. e.* non curabis: non melius cœnabis. *Pers.* 5. 151. Indulge genio: carpamus dulcia. *datti bel tempo.* Cf. *Plaut. Pers.* 2. 3. 11. Nunc et amico meo prosperabo et genio meo multa bona faciam. — Hinc december mensis dicitur *acceptus Geniis* ab *Ovid.* 3. *Fast.* 58., quia tunc erant Saturnalia et crebra convivia. — Hinc etiam parasiti *genium suum* vocant eum, a quo crebro ad cœnam invitantur, jculariter tamen apud Comicos. *Plaut. Curc.* 2. 3. 22. Ecquis est, qui mihi commonstret Phædromum Genium meum? Adde *eumd. Capt.* 4. 2. 99. et *Men.* 1. 2. 29. ¶ 2. Ratione habita animi seu mentis, *habere genium* dicuntur, qui acri pollent ingenio, *genio, talento, spirito,* quique auctoritatem, fidem ac famam sibi concillant, tamquam si ea, quæ agunt, Genio deo auctore et consiliario agant. *Juvenal.* 6. 561. Nemo mathematicus genium indemnatus habebit. *genio e credito.* *Martial.* 6. 60. Victurus genium debet habere liber. — Hinc in ambiguo ludit, proxime superiorem significationem cum hac conjungens, *Martial.* de eo, qui vili impensa domi cœnabat, amicis autem conquisitos cibos dono mittebat, 7. 78. Quum Sexetani ponatur cauda lacerti Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est: Sumen, aprum, leporem – Mittis: habes nec cor, Papile, nec Genium.

GENO, nis, etc. *V.* GIGNO.

GENS, gentis, f. 3. *Gentum* pro *gentium* habet *Paulin. Nolan. carm.* 27. 73. Fama suis magnopere gentum accenderat acrem Ore famem. Ita *Muratorius*; alii tamen rectius leg. *Fama suis magni per gentem* etc. — Gens ex *genens* per syncopen, h. e. *geno, gigno,* vel ex *genus* seu γένος (*Ovid.* 4. *Pont.* 6. 9. Fabiæ lux, Maxime, gentis.): cf. et γενέτης, est multitudo hominum, quæ ex pluribus familiis constat, ἔθνος (It. *gente, del medesimo ceppo*; Fr. *race, espèce, famille, souche*; Hisp. *raza, casta, linage*; Germ. *das Geschlecht*; Angl. *a clan among the Romans*).

I.) Proprie. — *a*) *Gens* differt a *familia,* quia *gens* est instar totius, *familia* instar partis, quum gens plures familias complectatur, quæ ab eodem progenitore descendunt. Deinde *gens* ad nomen, *familia* ad cognomen refertur. Ex. gr. omnes *Cornelii* unius esse gentis dicebantur, quia omnes uno appellabantur nomine, sed diversarum erant familiarum, quæ cognominum varietate distinguebantur. *Gens* enim *Cornelia* dividebatur in *Cinnas, Dolabellas, Lentulos, Scipiones, Sullas,* etc. — *b*) Itaque gens complectebatur hinc *genus* et *stirpem,* illinc vero *prosapiam, progeniem* et *prolem*; plures præterea *familias,* quæ non modo nomine, sed sacris quoque et politico vinculo inter se jungebantur. *Sall. Jug.* 95. Sulla gentis patriciæ (*h. e.* Corneliæ) nobilis fuit, familia prope jam exstincta majorum ignavia. *Liv.* 38. 58. P. Scipio Nasica orationem habuit plenam veris decoribus, non communiter modo Corneliæ gentis, sed proprie familiæ suæ. *Cic.* 1. *Orat.* 39. 176. Qua de re inter Marcellos et Claudios patricios centumviri judicarunt, quum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii patricii ejusdem nominis hereditatem, gente ad se rediisse dicerent. *per essere del medesimo ceppo.* *Id.* 2. *de republ.* 25. *extr.* Quo (*L. Bruto*) auctore concitata civitas, exsulem et regem ipsum (*Tarquinium*) et liberos ejus et gentem Tarquiniorum esse jussit. *Id.* 1. *Legg.* 7. 23. Ut homines deorum agnatione et gente teneantur. *Agnationis* et *gentis* discrimen *V.* in GENTILIS I. *Liv.* 1. 3. Quem eumdem (*Julum*) Julia gens auctorem nominis sui nuncupat. — *c*) In republica Romana duo gentium genera fuere, patriciorum et plebejorum. Initio tamen soli patricii gentem habuerunt, quippe qui soli ingenui erant, quum plebeji vel servi, vel filii servorum essent. Plebeji gentem habere cœperunt, quum patres indicare potuerunt, id est se ex ingenuis natos esse. Ille enim dicitur gentem habere, qui sese ex ingenuis esse natum potest ostendere. *Capito* apud *Gell.* 10. 20. Plebes ea dicitur, in qua gentes civium patriciæ non insunt. *Liv.* 4. 1. Anni principio de connubio patrum et plebis C. Canulejus tribunus plebis rogationem promulgavit, qua contaminari sanguinem suum patres confundique jura gentium rebantur. Cf. *eumd. ibid.* 2. *Id.* 10. 8. *a med.* Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos justum imperium et auspicium domi militiæque. Adde *eumd.* 39. 19. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 15. perjurus sine gente, cruentus Sanguine fraterno, fugitivus. *h. e.* ignobilis, obscuro loco natus. — Hinc factum est, ut *patricia gens* ad discrimen diceretur. *Liv.* 6. 11. Seditio a patriciæ gentis viro et inclitæ famæ, M. Manlio Capitolino. Adde *eumd.* 3. 27. et 33. — *d*) *Majorum gentium patricii* Romæ dicebantur, qui ex gente eorum erant, quos primum Romulus in patres allegerat: *minorum gentium* vero, qui ab iis descenderent, quos postea ex plebe Tarquinius ad senatum augendum conscripserat. *Cic.* 2. *de republ.* 20. L. Tarquinius duplicavit illum pristinum patrum numerum, et antiquos patres majorum gentium appellavit, quos priores sententiam rogabat; a se ascitos minorum. Adde *eumd.* 9. *Fam.* 21.; *Liv.* 1. 35. et 47.; et *Tac.* 11. *Ann.* 25. *V.* CONSCRIPTUS.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. I. *d.,* ipsi dii alii *majorum,* alii *minorum gentium* dicti sunt: *V.* DEUS. *Cic.* 1. *Tusc.* 13. 29. Ipsi illi majorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in cælum reperientur. *h. e.* Consentes. Similiter *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 41. 126. Cleanthes, qui quasi majorum est gentium Stoicus. ¶ 2. Quandoque a Poetis, ut *genus* et *stirps,* usurpatur de uno ex gente. *Virg.* 10. *Æn.* 228. vigilasne, deum gens, Ænea? vigila. *Sil. It.* 2. 185. gens extrema viri. *ultimo rampollo.* *Id.* 7. 35. *de Fabio.* Tirynthia gens est. ¶ 3. *Gens* etiam dicitur de brutis, ut de apibus, de piscibus etc. *Colum.* 9. *R. R.* 9. 6. *de apib.* Intestino bello totæ gentes consumuntur. *Virg.* 3. *G.* 73. *de equis.* quos in spem statuis submittere gentis. *Ovid.* 4. *Fast.* 711. Utque luat pœnas gens hæc. *h. e.* vulpes. ¶ 4. *Gens* item late sumitur pro aliquo populo, id est pro universis civibus alicujus urbis, ut *Gens Larinatium, Gens Campanorum, Gens Faliscorum* (*Cæs.* 3. *B. C.* 80.); et latius pro natione, id est pro pluribus populis alicujus provinciæ, ut *Gens Etruscorum, Gens Umbrorum* (*Ovid.* 15. *Met.* 558.); et latissime pro una ex nationibus majoribus orbis terrarum, seu pro populis universis alicujus regionis, ut *Gens Gallorum, Gens Germanorum, Gens Indorum* etc. (*Cæs.* 6. *B. G.* 31.). Nam conjugium in familiam dilatatum est, familia in gentem, gens in civitatem, civitas in provinciam, provincia in regionem. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 76. Mithridates rex Ponti duarum et viginti gentium ore loquebatur. — *Gens* et *natio* differre aliquibus videntur, quod *gens* latius, quam *natio* extendatur. Nam *gens* est tamquam genus, *natio* species. Gens enim Itala habet Etruscos, Umbros, Picentes et hujusmodi. *Cic.* 1. *Off.* 17. 53. Gradus plures sunt societatis hominum. Ut enim ab illa infinita discedatur, propior est ejusdem gentis, nationis, linguæ, qua maxime homines conjunguntur: interius etiam est ejusdem esse civitatis. *Id.* 3. *Nat. D.* 39. 93. Deum non curare singulos homines, – ne civitates quidem, – ne nationes quidem et gentes. *Tac. Germ.* 2. Ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paullatim. *V.* Homonym. in fin. — Aliquando tamen promiscua usurpantur. Nam *Id. Tac. Agric.* 12. *gentes* dicit, quas paullo ante *nationes* appellaverat. ¶ 5. Genitivus plur. *gentium* (æque ac *terrarum*) eleganter jungitur aliquibus adverbiis loci, et majorem vim addit. *Plaut. Amph.* 2. 2. 54. Equidem te, nisi nunc hodie, nusquam vidi gentium. *Ter. Adelph.* 4. 2. 1. Fratrem nusquam invenio gentium. *Id. Hecyr.* 3. 1. 13. An quisquam usquam gentium est æque miser? *Id. Heaut.* 5. 1. 55. Abeat multo malo quovis gentium, quam hic etc. *Id. Hecyr.* 3. 1. 4. Ubivis gentium agere ætatem, quam etc. *Plaut. Cist.* 4. 1. 16. Obsecro, unde hæc gentium? *Id. Asin.* 2. 2. 21. Ubi ubi est gentium? *Cic.* 1. *Cat.* 4. 9. Ubinam gentium sumus? *Id.* 2. *de republ.* 4. Quod ubique gentium est. *Id.* 7. *Verr.* 55. 143. Ubicumque terrarum et gentium violatum jus civium Romanorum sit. — Similiter *Cic.* 6. *Att.* 3. Res est in manibus: tu autem abes longe gentium. *Id.* 12. *Fam.* 22. Nostri τυραννοκτόνοι longe gentium absunt. — Et cum adverbio *minime* adhibetur ad vehementius negandum. *Ter. Adelph.* 3. 2. 44. Ah! minime gentium, non faciam. Adde *eumd. Eun.* 4. 1. 11. et *Phorm.* 5. 8. 44. ¶ 6. A Latinis aliquando, sed raro, positum reperitor pro iis, qui non sunt cives Romani. *Auct. B. Hisp.* 17. Patimus, ut qualem te gentibus præstitisti, similem in civium deditione præstes. *Tac. Germ.* 33. Maneat, quæso, duretque gentibus si non amor nostri, at certe odium sui. ¶ 7. *Gentes* ab Ecclesiasticis scriptoribus et in vulgata Scripturæ versione passim pro Gentilibus, *h. e.* iis, qui extra veram religionem sunt, ut Græce ἔθνη, usurpantur. *Lactant.* 2. 13. *extr.*; et *Vulgat. interpr. Psalm.* 2. 1. et alibi. Hinc *Arnobii* libri *adversus Gentes* inscribuntur. *V.* GENTILIS. ¶ 8. Raro transfertur ad regionem. *Nepos Datam.* 4. Ut Aspim aggrederetur, qui Cataoniam tenebat; quæ gens jacet supra Ciliciam, confinis Cappadociæ. *Arnob.* 1. 3. Gentes desolatas et viduatas suis esse cultoribus.

Homonym. *Gens* et *natio* differunt a *populo* et *civitate,* quia *gens* et *natio* physico atque ethnographico, uti ajunt, sensu, *populus* vero et *civitas* politico sensu accipiuntur: *gens* et *natio* quemcumque hominum cœtum, originis tantum communione congregatum significant; *populus* vero et *civitas* multitudinis cœtum denotant juris consensu et utilitatis communione sociatum, qui propterea ad aliquem civilis cultus gradum pervenerit. Hinc *Cic.* 1. *de republ.* 25. Est populus – non omnis hominum cœtus quoquo modo congregatus, sed cœtus multitudinis juris consensu et utilitatis communione sociatus. *Id.* 6. *ibid.* 13. Concilia cœtusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur. *Sall. Cat.* 10. Reges magni bello domiti, nationes feræ et populi ingentes vi subacti.

Præterea *gens* et *natio,* quamvis alterum pro altero sæpe usurpetur, tamen aliquando inter se differunt, ut totum a singulis partibus, *gens* enim plures *nationes* in se ipsa complectitur. *Tac. Germ.* 2. Ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paullatim, ut omnes – Germani vocarentur. Cf. *eumd. ibid.* 38. Suevorum – non una ut Cattorum Tencterorumve gens; majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti. *Vellej.* 2. 98. Omnibus ejus gentis nationibus in arma accensis. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 2. In auribus omnium gentium ac nationum.

Populus quoque interdum *gente* tamquam pars continetur, qua tamen *nationem* ad aliquem civilis cultus gradum provectam significat, ut apud *Liv.* 4. 49. Simul Æquos clades prohibuit Bolanis, suæ

gentis populo, præsidium ferre. et apud *Virg.* 10. *Æn.* 201. Mantua, dives avis, sed non genus omnibus unum: Gens illi triplex, populi sub gente quaterni. Contra *gens* politico sensu interdum ut pars populi accipitur, quemadmodum a *Justin.* 7. 1. Primusque adunatis gentibus variorum populorum, veluti unum corpus Macedoniæ fecit.

GENTĬĀNA, æ, f. 1. *genziana*, herba ab rege Illyriorum Gentio inventa, magnitudine lactucæ, caule tenero pollicis crassitudine, cavo et inani, ex intervallis foliato, trium aliquando cubitorum, folio fraxini, radice lenta, subnigra, sine odore, aquosis montibus Subalpinis plurima. Usus ejus in medicinis radice et succo. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 34. (71).; et *Scribon. Compos.* 167., 170. et 176. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 334.) hanc exhibet synonymiam: Γεντιανή Dioscor. 3. 3. et *Gentiana* Plin. loc. cit. sunt *Gentiana lutea* L. Spec. plant. 329.

GENTĬCUS, a, um, adject. Idem quod gentilis, *nazionale.* *Tac.* 3. *Ann.* 43. Quibus more gentico continuum ferri tegimen. Adde *eumd.* 6. *Ann.* 33. *Tertull. Anim.* 39. Pro gentica, pro avita, pro publica, pro privata devotione. *Avien. Or. marit.* 607. Taphron paludem nomque gentici vocant.

GENTĪLĪCĬUS *vel* gentilitius, a, um, adject. *gentilizio*, ἐθνικός, quod, æque ac gens, tribus occurrit significationibus. ¶ 1. Est ad gentem, *h. e.* ad genus pertinens. *Liv.* 5. 52. An gentilicia sacra ne in bello quidem intermitti, publica sacra et Romanos deos etiam in pace deseri placet? et pontifices flaminesque negligentiores publicarum religionum esse, quam privatos in solemni gentis fuerit? *Cic. Harusp. resp.* 15. 32. Qui sacrificia gentilicia illo ipso in sacello factitarunt. *Liv.* 6. 20. *ad fin. de Manlio.* Adjectæ mortuo notæ sunt: publica una, ne quis patricius in arce habitaret: gentilicia altera, ne quis deinde Manlius vocaretur. Idem docet *Cic.* 1. *Phil.* 13. 32., ubi ait: *decreto gentis Manliæ*; hinc nota gentilicia. *Sueton. Cæs.* 1. Gentiliciæ hæreditates. *Id. Claud.* 25. Gentilicia nomina. συγγενικὰ ὀνόματα vocat *Dionys. Hal.* 3. 48. *p.* 185. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (8). In Seranorum familia gentilicium est, feminas lintea veste non uti. *Plin. alter* 6. *Ep.* 15. Passienus Paulus scribit elegos. Gentilicium hoc illi; est enim municeps Propertii, atque etiam inter majores suos Propertium numerat. *Vellej.* 2. 119. 5. Gentilicius tumulus. ¶ 2. Item ad populum nationemve pertinens, *nazionale. Gell.* 1. 9. Vulgus, quos gentilicio vocabulo Chaldæos dicere oportet, mathematicos dicit. ¶ 3. Item ad paganorum religionem pertinens. *Imppp. Theodos., Arcad.* et *Honor. Cod. Theod.* 16. 10. 12. § 2. Si quis simulacra imposito ture venerabitur, seu domo seu possessione multabitur, in qua eum gentilicia constiterit superstitione famulatum.

GENTĪLIS, e, adject. Sup. *Gentilissimus* II. 5. — Gentilis, *a gente*, est ex eodem genere ortus, seu qui ejusdem est gentis, ἐθνικός (It. *chi è del medesimo ceppo o legnaggio*; Fr. *qui appartient à la même gens, famille, de race*; Hisp. *de la misma casta, ó raza*; Germ. *zu einerlei Geschlechte gehörig, geschlechtsverwandt*; Angl. *of the same gens or clan*).

I.) Proprie. — *a*) *Gentilis, is*, m. 3. absolute, substantivorum more. *Gentiles*, inquit *Cic. Topic.* 6. 29. ex *Scævola*, sunt qui inter se eodem nomine sunt, qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum majorum nemo servitutem servivit, qui capite non sunt deminuti. — Differunt ab *agnatis*, ut *gens* a *familia*, quia quemadmodum familia nos propius attingit, quam gens; sic agnati arctiore nobiscum, quam gentiles necessitudine conjuncti sunt. Nam agnati consanguinitatis aut affinitatis, gentiles solius generis ac nominis conjunctione copulantur. Hinc *Lex XII. Tabul.* apud *Cic.* 1. *Herenn.* 13. 23. et 2. *Invent.* 50. 148. tum furiosorum tutelam, tum patrisfamilias intestato mortui pecuniam primum ad agnatos, postea ad gentiles voluit pervenire. Sic *Lex XII. Tabul.* in *Collat. Legg. Mosaic. et Rom.* 16. 4. SI AGNATVS NEC ESCIT, GENTILIS FAMILIAM HABETO. *Cic. Brut.* 28. 109. Tuus etiam gentilis, Brute, M. Pennus. *Liv.* 3. 58. Sordidatus cum gentilibus clientibusque in foro prensabat singulos. Adde *Sueton. Tib.* 1. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 4. Et Marcellus et Marcellinus inter se gentiles sunt. *Cic. Tim.* 11. Homines deorum immortalium quasi gentiles. Sic jeculariter *Id.* 4. *Verr.* 77. 190. Responde mihi nunc tu, Verres, quem esse hunc tuum pæne gentilem Verrucium putes. et 1. *Tusc.* 16. 38. Fuit enim (*Pherecydes*) meo regnante gentili. *h. e.* Ser. Tullio; ita ut *gentilis* hoc loco idem sit ac cognominis. *Inscript.* apud *Orell.* 1287. VEDIOVEI PATREI GENTEILES IVLIEI. *scil.* sacrarium gentis Juliæ apud Bovillas, de quo *Tac.* 2. *Ann.* 41., dicatum Vejovi. — Ex altata XII. Tabularum lege ortum proverbium, quod habet *Varro* 1. *R. R.* 2. 8. Mente est captus atque ad agnatos et gentiles est deducendus: nemo enim sanus etc. — *b*) Adjective *gentilia* dicuntur ea, quæ gentis unius propria sunt. *Sueton. Ner.* 37. Gentile stemma. *gentilizio.* Sic *Id. ibid.* 41. nomen. *Id. ibid.* 50. monumentum. *Id. Vitell.* 1. Gentilis copia. h. e. exercitus ex una tantum gente conflatus. Sic *Ovid.* de CCC. Fabiis 2. *Fast.* 198. Sumunt gentiles arma professa manus. *Sil. It.* 2. 277. olim Ductorem (*Hannibalem*) infestans odiis gentilibus Hanno. *h. e.* paternis inimicitiis, ut est apud *Liv.* 21. 10. — Et neutr. gen. absolute, *Sueton. Tib.* 68. Fuit capillo pone occipitium submissiore, ut cervicem etiam obtegeret: quod gentile in illo videbatur. *gentilizio.*

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad servos dominorum nomina habentes. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (26). Apud antiquos singuli Marcipores Luciporesve dominorum gentiles omnem victum in promiscuo habebant. ¶ 2. Interdum significat popularem ejusdemque regionis. *del medesimo paese, paesano.* — *a*) Adjective. *Tac.* 11. *Ann.* 1. Multis et validis propinquitatibus subnixus turbare gentiles nationes promptum haberet. *Id.* 3. *ibid.* 59. Gentile solum. *Id.* 6. *ibid.* 32. imperium. *Id.* 12. *ibid.* 34. religio. *Id. ibid.* 14. levitas. *Id. ibid.* 17. utilitas. *Stat.* 9. *Theb.* 297. trahit unda timentes Gurgite gentili. *Sil. It.* 4. 223. Indutosque simul gentilia lina Faliscos. *Id.* 16. 465. Quisque feros jaculis, quæ dat gentile metallum. — *b*) Absolute, substantivorum more, *Gell.* 17. 17. Lingua et oratione ipsius, non minus scite, quam si gentilis ejus esset, locutus est. ¶ 3. Sequiori ævo *gentiles* ab Romanis dicti sunt Barbari, et quicumque non lege civili Romanorum, sed inculto jure Gentium vivebant. *Auson. Gratiar. act.* 4. Vocarem Germanicum deditione gentilium, Alemannicum traductione captorum. *Impp. Valent.* et *Valens Cod. Theod.* 3. 14. 1. Nulli gentilium provincialis femina copuletur. Adde *Imppp. Theodos., Arcad.* et *Honor. ibid.* 11. 30. 62.; et *Ammian.* 14. 7. Cf. *Epitaph. Liberii*, qui primis Theodorici Gothorum regis annis vixit, apud *Sirmond.* ad *Ennod.* 9. et 23. Ausoniis populis gentiles rite cohortes Disposuit. Has *Ennod. ibid.* vocat Gothorum catervas. ¶ 4. Item a Judæis quicumque Judæi professione non essent: et a Christianis quicumque Christiani, aut Judæi religione non sunt. Nam in s. Bibliis *gentes* vocantur, quæ veram Dei colendi rationem, olim apud Judæos, nunc apud nos conservatam, aut ignorant, aut contemnunt. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 30. Si gentilium litterarum libros aliquando legissem. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 464. Gentile vulgus. *Id.* 1. *in Symmach.* 576. Gentiles nugæ. *Hieronym.* in *Gerem.* 4. 22. Ruffinus Sexti Pythagorei, hominis gentilissimi, unum librum interpretatus est in Latinum. *h. e.*, ut *Id. Ep.* 133. *n.* 3. ait, hominis absque Christo atque ethnici.

GENTĪLĬTAS, ātis, f. 3. duo diversa significat, prout occurrit *A*) Apud Romanos, aut *B*) Apud Christianos scriptores.

A) Apud Romanos proprie et abstracte est conjunctio gentilium, οἰκειότης, γενέθλον (It. *legnaggio, schiatta*; Fr. *lien de famille, parenté*; Hisp. *parentesco, parentela*; Germ. d. *Geschlechtsverwandtschaft, Gentilität*; Angl. *the relation arising from one's being of the same gens with another*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Orat.* 38. 173. Usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum jure. *et ibid.* 39. 176. in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis ac gentilitatis jure dicendum. *Plin. Paneg.* 37. Bona, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum societate meruissent.

II.) Translate. ¶ 1. Concreto, uti ajunt, sensu sumitur pro ipsis gentilibus. *Varro* apud *Non. p.* 222. 17. *Merc.* Omnes Tarquinios ejicerent, ne quam reditionis per gentilitatem spem haberent. *Plin. Paneg.* 39. Sparsas atque, uti ita dicam, laceras gentilitates colligere atque connectere et quasi renasci jubere. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 24. Manlius de saxo Tarpejo præcipitatus, domus diruta, bona publicata: gentilitas ejus Manlii cognomen ejuravit. *Inscript.* apud *Murat.* 85. 7. et apud *Orell.* 1663. DIS LARIBVS CAPERENSIS GENTILITATIS. *Alia* apud *Orell.* 156. M. LICINIO CRASSO L. CALPVRNIO PISONE COS. (*h. e.* anno post Chr. n. 27.) IIII. KL. MAIAS GENTILITAS DESONCORVM EX GENTE ZOELARVM (quod est oppidum Asturiæ) ET GENTILITAS TRIDIAVORVM EX GENTE IDEM ZOELARVM HOSPITIVM VETVSTVM ANTIQVVM RENOVAVERVNT etc. ¶ 2. Transfertur ad plantas et est communio nominis. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 65. (131). Herba, quam Græci erineon vocant, reddenda in hoc loco propter gentilitatem. *h. e.* communionem nominis. Nam supra de caprifico egerat, quæ Græce ἐρινεὸν dicitur. *Id.* 12. *ibid.* 13. 30. (51). Cinnamomo proxima gentilitas erat. *h. e.* nominis similitudo cum cardamomo, de quo supra egerat.

B) Apud Christianos scriptores ¶ 1. Absolute accipitur pro religione eorum omnium, qui Christiani non sunt, aut Judæi. *Lactant.* 2. 13. *extr.* Errant, qui contendunt, priorem esse gentilitatem, quam Dei religionem. *Vulgat. interpr. Judith* 14. 6. Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo et circumcidit carnem præputii sui. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu pro iis, qui Christiani non sunt, aut Judæi. *Hieronym. ad Ephes.* 5. *extr.*; et *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 1066.

GENTĪLĪTER, adverb. ἐθνικῶς, gentili ratione: sed occurrit speciatim tantum, et ¶ 1. Est secundum gentis consuetudinem, patrio et gentili sermone. *Solin.* 11. Cretes Dianam Britomarten gentiliter nominant. Adde *eumd.* 20. ¶ 2. Apud Christianos scriptores est Gentilium vel Gentium more, *gentilescamente. Commodian.* 57. 19. Vivere si quæris gentiliter, homo fidelis. *Vulgat. interpr. Galat.* 2. 14. Si tu, quum Judæus sis, gentiliter vivis et non Judaice: quomodo gentes cogis judaizare?

GENTĪLĪTĬUS. *V.* GENTILICIUS.

GENTĪLĪTUS, adverb. Idem quod gentiliter. *Tertull. Pall.* 3. *sub fin.* Varias indumentorum formas promulgavere: quarum pars gentilitus inhabitantur, ceteris incommunes: pars vero passivitus omnibus utiles. h. e. *parte delle quali da alcune genti si usa.*

GĔNU, us, m. 4. Rectus et quartus pluralis *genua* metri causa in choreum contrahitur, ut *genua labant* apud *Virg.* 5. *Æn.* 432. et 12. *ibid.* 905. — *Genuorum* pro genuum dixit *Vitruv.* 9. 6. Al. aliter leg. ex MSS. — Dativus pluralis est *genibus* et *genubus*; tametsi illud frequentius. *Seneca Hippol.* 667. — Reperitur etiam rectus et quartus singularis *genus* neutr. gen. *Cic. Arat.* 403. Hic genus et suram quum Chelys erigit alte. Adde *eumd. ibid.* 45., 46. et 399. — Denique nom. sing. *genus* masc. gen. habet *Lucilius* apud *Non. p.* 207. 28. *Merc.* ut nobis talu' genusque. — Ceterum *genu* est curvatura, qua crus et femur committuntur; a voce Græca γόνυ ejusdem significationis, quacum conferetur et γνὺξ *geniculum* (It. *ginocchio*; Fr. *genou*; Hisp. *rodilla*; Germ. *Knie*; Angl. *a knee*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. — Nom. sing. *Fronto ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Mai*) *ep.* 44. Ita genu mihi simul abrasum et ambustum est. Cl. *Maius* et *Forcellinus* leg. *genum*; at littera *m* ex proxime sequente *mihi* irrepsisse videtur. — Genitiva. *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 22. Sic Cicero in Arato *hujus genus* pro genu. *Liv.* 44. 40. Quam per aquam ferme genus tenus altam tres milites sequerentur. V. *Drakenborg.* ad h. l. *Fronto* 3. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Mai*) *ep.* 6. Genus dolore arreptus sum. *Id. ibid. p.* 138. Sedatis tibi doloribus genus et inguinis. Adde *eumd. ibid. p.* 134. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 103. (250). In ipsa genus utriusque commissura. *Al. leg.* genu. — Acc. sing. *Plaut. Capt.* 4. 2. 17. Meus est ballista pugnus, cubitus catapulta est mihi, humerus aries; tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo. *Ovid.* 4. *Met.* 340. fruticumque recondita silvâ Delituit, flexumque genu submisit. — Abl. sing. *Plaut. Curc.* 2. 3. 3. Ne quem in cursu capite, aut cubito, aut pectore of-

fendam, aut genu. Cic. 2. Tusc. 24. 57. Genu M. Antonium vidi, quum contente pro se diceret, terram tangere. Ovid. Heroid. 13. 23. tenebris exsanguis obortis Succiduo dicor procubuisse genu. Seneca Provid. 2. Etiamsi ceciderit, de genu pugnat. in ginocchio: quod his verbis dixit Lucian. dial. mort. 27. ἐς γόνυ ὀκλάσας. Petron. Satyr. 133. Genu in limine posito, numina deprecatus sum. postomi ginocchione. — Plur. num. genua, genuum, genibus apud Plaut. Curc. 2. 3. 30. Tenebræ oboriuntur, genua inedia succidunt. Horat. Epod. 13. 4. Dumque virent genua. Plaut. Cas. 5. 2. 41. Adstitutus in genua. stando ginocchioni. Curt. 9. 5. In genua procumbere. Id. 8. 7. ad fin. Genua alicui ponere. inginocchiarsi dinanzi. et Ovid. 11. Met. 355. inclinare. Plin. 11. Hist. nat. 45. 101. (248). flectere. Seneca Ep. 66. sub fin. Qui succisis poplitibus, in genua se excepit, nec arma dimisit. si rizzò sulle ginocchia. Ovid. 8. Met. 807. genuum orbis. la patella. Id. 2. ibid. 823. Sed genuum junctura riget. Lucret. 1. 93. Muta metu terram genibus summissa petebat. Horat. 1. Od. 23. 8. Corde et genibus tremit. Id. 1. Ep. 12. 24. jus imperiumque Phraates Cæsaris accepit genibus minor. h. e. flexis genibus. — b) Specialim. Servius ad Virg. 6. Ecl. 4. genua dicit Misericordiæ consecrata esse, ut aures Memoriæ, Genio frontem. Quare genua misericordiæ sedes habita fuerint, indicat Isid. 11. Orig. 1. a med. Videntur tamen genua misericordiæ sedes haberi, quia, ut ira hominis aliquando in misericordiam flectitur, ita ea flectuntur. Ea cum Genio jungit Apul. de Deo Socrat. p. 50. Elmenh. Genius, qui est animus suus cuique, quamquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur; ut eæ preces, quibus Genium et genua precamur, conjunctionem nostram nexumque videantur mihi obtestari. Ceterum Plin. 11. Hist. nat. 45. 103. (250). Hominis genibus quædam et religio inest, observatione gentium. Hæc supplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc, ut aras, adorant: fortassis quia inest iis vitalitas. Namque in ipsa genus utriusque commissura, dextra lævaque, a priore parte gemina quædam buccarum inanitas inest, qua perfossa, ceu jugulo, spiritus fluit. Hæc Plin. Hinc Ennius apud Non. p. 517. 16. Merc. Quum desubito me orat mulier lacrimansque ad genua accidit. Sic Seneca Troad. 691. Accidere ad genua. prostrarsi. et Liv. 44. 31. ad fin. Accidere genibus. Plaut. Curc. 5. 2. 32. Per tua genua te obsecro. Id. Asin. 3. 3. 80. A! qui pol hodie non feres, ni genua confricantur. Id. ibid. v. 88. Genua fricare. Virg. 3. Æn. 607. Dixerat et genua amplexus genibusque volutans Hærebat. Similiter advolvere se vel advolvi genibus alicujus, h. e. prostrarsi alle ginocchia di qualcheduno, apud Liv. 8. 37. Ea multitudo tribus circuit, genibus se omnium advolvens. Adde eumd. 28. 34. Vellej. 2. 80. 4. Velatus amiculo genibus ejus advolutus est. Et genua advolvi eodem sensu Tac. 1. Ann. 13. Quum introisset ambulantisque Tiberii genua advolveretur. Adde eumd. 6. ibid. 49. et 15. ibid. 71.; et Sall. apud Servium ad Virg. 1. Æn. 311. Tac. 12. Ann. 18. Provolvi genibus alicujus. Auct. B. Afr. 89. Ad genua se projicere. Tac. 12. Ann. 11. Tendere manus ad genua. et 21. Prensare genua. Seneca Med. 247. Attingere genua. Cic. post redit. in senat. 7. 17. Tu affinem tuam, filiam meam, superbissimis verbis a genibus tuis repulisti. Similiter Ovid. 13. Met. 585. genibus Jovis procumbere. Juvenal. 10. 55. genua incerare deorum. Ammian. 17. 10. Pacem genibus curvatis orabat.

II.) Translate genua sunt eadem ac genicula, scilicet stipulæ vel caulis herbacei internodia, et veluti articuli ac nodi quidam. Plin. 13. Hist. nat. 22. 42. (123). A genibus (ferulæ) exeuntia folia maxima, ut quæque terræ proxima.

GENŪÆ. V. GUMIÆ.

GENŪĀLIA, ium, n. plur. 3. indumenta genuum. Ovid. 10. Met. 593. Poplitibus suberant picto genualia limbo.

GENŪĀRIUS, ii, m. 2. nummus cusus Genuæ. Cic. 6. Att. 1. Genuarios a Cæsare per Herodem talenta Attica L. extorsistis? Alii multo rectius leg. Jamne vos a Cæsare per Erotem, etc. — Ceterum alio sensu est genibus advolutus. Gloss. Philox. Genuarius, γονυκετής.

GENŪCLO, as, etc. est per syncopen pro GENICULO, quam vocem V. sub B.

GENŪFLECTO, is, etc. genua flectere. Vulgat. interpr. Genes. 41. 43. Ut omnes coram eo genuflecterent. Augustin. de Morib. Manich. 8. Sol iste, cui genuflectitis. Plerique tamen divisim scribunt, et quidem rectius.

GENŪĪNĒ, adverb. a genuinus, occurrit pro ingenue; hoc est ut hominem liberum decet, ingenuamente. Cic. 2. ad Q. fr. 15. 6. Genuine fraterneque rescribam. Alii minus recte leg. germane.

GENŪĪNUS, a, um, adject. duo diversa significat, prout A) Est a geno, gigno; vel B) a genæ, arum.

A) Genuinus a geno, gigno, est innatus, naturalis, nativus, verus, γνήσιος, nativo, innato, naturale.

I.) Proprie. Cic. 2. de rep. 15. (edente A. Maio) Facile patior, non esse nos transmarinis nec importatis artibus eruditos, sed genuinis domesticisque virtutibus. Gell. 2. 2. Tum inter filium magistratum et patrem privatum publicos honores cessare, genuinos ac naturales exoriri. Apul. Met. 9. Genuina nequitia. Ulp. Dig. 43. 28. 3. pietas.

II.) Translate de libro vel opere dicitur, qui αὐθεντίαν præ se fert. Gell. 3. 3. Haud dubitavimus, quin ea (comœdia) Plauti foret et omnium quidem maxime genuina.

B) Genuinus a genæ, arum est ad genas pertinens.

I.) Proprie. Genuini dentes, σωφρονιστῆρες, κραντῆρες, sunt dentes duo posteriores, qui in extrema gingiva in homine gignuntur novissimi. Gignuntur enim, teste Plin. 11. Hist. nat. 37. 63. (166)., circiter vigesimum annum, multis etiam circiter octogesimum. Dicti genuini a gigno, ut videtur Plinio loc. cit.; sed potius ita appellati sunt, quod a genis dependent, ut ait Paul. Diac. p. 94. 14. Müll., vel quod sub genis sunt; iidem vero cibum conficiunt, Græce enim κραντῆρες dicuntur, a κραίνω conficio. Cic. 2. Nat. D. 54. 134. Eorum adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt, qui genuini dicuntur. — Et absolute. Virg. Catal. 5. 36. Cinæde Luci, an te reliquerunt opes? Fameque genuini crepant? Juvenal. 5. 69. solidæ mucida frusta farinæ, Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum.

II.) Translate genuinum in aliquo frangere, est alicui dicendo detrahere, dictis mordere. Pers. 1. 115. secuit Lucilius urbem, Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis. — Simili quidem sensu, sed alia ratione, Hieronym. in præfat. ad Chron. Euseb. § 4. Non ignoro multos fore, qui solita libidine omnibus detrahendi, quod vitare non potest, nisi qui omnino nil scribit, huic volumini genuinum dentem infigant.

GĔNUS, ĕris, n. 3. γένος, proprie principium est uniuscujusque generationis, vel ab eo qui genuit, vel a loco, in quo quis genitus est, ut Orestes a Tantalo ducit genus, et Plato genere Atheniensis est. Patria enim generationis uniuscujusque principium est, quemadmodum et parentes: ab antiquo geno, vel a γένω, quod idem significat (It. genere, legnaggio, generazione, stirpe, razza; Fr. naissance, extraction, origine, famille, race; Hisp. nacimiento, familia, estirpe, raza, linage; Germ. d. Geburt, Herkunft, Abstammung, daher d. Stamm, d. Geschlecht; Angl. a race, descent, kind, family, stock, lineage, kindred, extraction, breed).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de stirpe, gente. — a) De hominibus. Cato apud Gell. 10. 3. Quid illos, bono genere gnatos, magna virtute præditos, opinamini animi habuisse? Cæs. 4. B. G. 12. Piso Aquitanus amplissimo genere natus. Cic. 7. Verr. 70. 180. Ii, qui nobili genere nati sunt. Id. 1. de republ. 33. Quum esset habendus rex, quicumque genere regio natus esset. Id. 2. Orat. 71. 286. C. Lælius, quum ei quidam malo genere natus diceret, indignum esse suis majoribus; At hercule, inquit, tu tuis dignus. Id. Rosc. Am. 6. 15. Sex. Roscius municeps Amerinus fuit genere et nobilitate et pecunia sui municipii facile primus. Id. 2. de republ. 2. Bene meriti de rebus communibus ut genere etiam putarentur, non solum ingenio esse divino. Id. Mur. 7. 15. Contempsisti L. Murenæ genus, extulisti tuum. Virg. 5. Æn. 568. Atys, genus unde Atii duxere Latini. Horat. Epod. 4. 6. Fortuna non mutat genus. Quintil. 3. 11. 12. In famam generis et familiæ. Id. 6. 3. 67. Quod P. Oppius dixit de genere Lentulorum, quum assidue minores parentibus liberi essent. — In plur. num. Plaut. Most. 5. 2. 20. Numquid aliud fecit, nisi quod faciunt summis gnati generibus? — b) De brutis animantibus. Lucret. 1. 194. Nec porro, secreta cibo, natura animantum Propagare genus posset vitamque tueri. Justin. 9. 2. 16. Viginti millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa. per far razza. ¶ 2. Specialim, præcipue apud Poetas, genus prægnante significatione usurpatur pro nobili genere. Ennius apud Cic. 3. Tusc. 19. 44. Pol mihi fortuna magis nunc defit, quam genus. Namque regnum suppetebat mi: ut scias, quanto e loco, Quantis opibus, quibus de rebus lapsa fortuna occidat. Cic. 3. de republ. 14. Quum certi propter divitias, aut genus, aut aliquas opes rempublicam tenent, est factio. Virg. 5. Æn. 621. Cui genus et quondam nomen natique fuissent. Horat. 4. Od. 7. 23. Non, Torquate, genus, non te facundia, non te Restituet pietas. Adde eumd. 1. ibid. 14. 13. Id. 2. Sat. 5. 8. Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est. Sic Id. 1. Ep. 6. 37. Et genus et formam regina pecunia donat.

II.) Translate. ¶ 1. Ut gens et stirps, sic etiam genus ponitur pro sobole, prole, liberis. — a) De singulis hominibus. Catull. 61. 2. Hymen Uraniæ genus. Virg. 4. Æn. 11. Quis novus hic nostris successit sedibus hospes! Credo equidem, genus esse deorum. Horat. 1. Od. 3. 27. Audax Iapeti genus. h. e. Prometheus. Sic Ovid. 4. Met. 609. genus Jovis. h. e. Perseus. Id. 6. Fast. 433. genus Adrasti. h. e. Diomedes. Horat. 2. Sat. 5. 63. ab alto Demissum genus Ænea. h. e. Augustus. — b) De cuncta prosapia vel sobole. Ennius apud Cic. Orat. 46. 155. Neque tuum unquam in gremium extollas liberorum ex te genus. Horat. 2. Od. 14. 18. Danai genus. Id. ibid. 18. 37. Hic superbum Tantalum atque Tantali Genus coercet. Id. 1. ibid. 2. 35. Sive neglectum genus et nepotes Respicis auctor. h. e. Romanos. ¶ 2. Sumitur etiam pro multitudine aliquorum, qui ad unum aliquod principium, unde orti sunt, et ad se invicem quadam cognatione referuntur, qua a ceteris rebus distinguuntur, ut genus humanum vel genus hominum, genus Romanorum etc. Hac autem significatione occurrit — a) De hominibus. — De universis prorsus hominibus. Cic. Amic. 5. 20. Quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est etc. Adde eumd. 1. de republ. 2. Horat. Epod. 5. 2. O deorum quicquid in cælo regit Terras et humanum genus. Cic. 3. de republ. 12. Consulere generi hominum. Adde eumd. 2. ibid. 26. Horat. 2. Ep. 1. 7. Romulus et Liber pater — Dum terras hominumque colunt genus. — De nationibus vel populis. Ennius apud Probum ad Virg. 6. Ecl. 31. Vento, quem perhibent Grajum genus aera lingua. Cic. 4. Phil. 5. 13. Virtus est propria Romani generis atque seminis. Id. 4. Acad. (2. pr.) 27. 86. Si sine magnis artificiis, ad quæ pauci accedunt nostri quidem generis (h. e. Romani) admodum, nec videre, nec audire possumus? Cæs. 4. B. G. 3. Ubii, paullo quam sunt ejusdem generis et ceteris humaniores. Sall. fragm. 1. Hist. apud Arusian. Mess. Genus armis ferox et servitii insolitum. Horat. 4. Od. 14. 10. Implacidum Genauni genus. Flor. 2. 3. 4. Ligures durum ac velox genus. Liv. 30. 12. Genus Numidarum. Id. 31. 44. Genus omne nomenque Macedonum. Id. 1. 18. Disciplina Sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit. Justin. 2. 3. 16. Nec passuras, ut in posteritatem Scytharum genus per feminas id intercidat. Sall. Jug. 47. Ubi incolere et mercari consueverant Italici generis multi mortales. Liv. 42. 47. Trecenti milites Italici generis. Id. 22. 43. Mercenarios milites, maxime Hispanici generis. Et in plur. num. Cæs. 2. B. C. 36. Conventus is, qui ex variis generibus constaret. — Sic pro specie etiam infima, et pro forma aut qualitate, specie, razza, sorte. Ter. Eun. 2. 2. 17. Est genus hominum, qui se primos esse omnium rerum volunt. Cic. Amic. 17. 62. Sunt constantes eligendi amici, cujus generis magna penuria est. Id. 1. de republ. 44. Fit illa factio, genus aliud tyrannorum. Horat. 2. Ep. 2. 102. genus irritabile vatum. Quintil. 10. 1. 85. Omnium ejus generis poetarum haud dubie proximus. Justin. 3. 4. 5. Ex eo genere militum. Liv. 24. 32. Militare genus omne. Cic. Planc. 6. 15. Cedat consulari generi prætorium, nec contendat cum prætorio nomine equester locus. Et in plur. num. Cic. Sext. 45. 96. Duo genera semper in

hac civitate fuerunt eorum, qui versari in republica studuerunt: quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates et haberi et esse voluerunt. Cæs. 6. B. G. 13. In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. Quintil. 3. 4. 6. Tria auditorum genera. V. alia infra sub d. — b) De brutis animantibus. Ennius apud Cic. 1. Divinat. 48. 107. Romulus pulcher in alto Quærit Aventino, servans genus altivolantum. Id. apud Varron. 5. L. L. 59. Müll. Ova parire solet genu' pennis condecoratum, Non animam. Id. apud Paul. Diac. p. 59. 5. Müll. Lanigerum genus. At Müllerus leg. pecus. Lucret. 1. 163. squamigerum. Id. 5. 1337. genus omne ferarum. Id. 5. 860. genus acre leonum. Horat. 1. Od. 2. 9. Piscium et summa genus hæsit ulmo. Id. 2. Ep. 1. 195. Diversum confusa genus panthera camelo. Sall. Jug. 17. Ad hoc malefici generis plurima animalia. Et in plur. num. Cic. 2. Nat. D. 39. 99. Quæ vero et quam varia genera bestiarum vel cicurum vel ferarum! Quintil. 5. 10. 21. Piscium quoque genera alia planis gaudent, alia saxosis. V. alia infra sub d. — c) De inanimis et abstractis. Lucret. 2. 304. Neque quo possit genus ullum materiei Effugere ex omni, quidquam est. Cic. 2. Nat. D. 15. 41. Quum is (sol) quoque efficiat, ut omnia floreant et in suo quæque genere pubescant. Id. 1. de republ. 14. Hoc sphæræ genus. Cæs. 3. B. G. 14. Naves paratissimæ atque omni genere armorum ornatissimæ. Id. 4. ibid. 1. Multum sunt in venationibus, quæ res et cibi genere et quotidiana exercitatione vires alit. Cic. 2. de republ. 23. Hoc triplex rerum publicarum genus. Id. ibid. 32. Novum genus imperii. Id. 1. ibid. 24. Ipsum istud genus orationis exspecto. Id. Orat. 13. 42. Dulce orationis genus et solutum et effluens. Id. pro leg. Manil. 2. 6. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum. h. e. natura, constitutione, ratione. Adde eumd. ibid. 8. 20. et 10. 27. Cæs. 1. B. G. 48. Genus hoc erat pugnæ, quo se Germani exercuerant. Cic. 2. de republ. 32. Potestas annua (consulum) genere ipso ac jure regia. Id. 1. Off. 32. 117. Constituendum est, quos nos et quales esse velimus et in quo genere vitæ. Id. ibid. 1. 3.; et Quintil. 8. 3. 56. et 12. 10. 69. Genus dicendi. Quintil. 9. 3. 3. simplex rectumque loquendi. Id. 10. 4. 2. optimum emendandi. Et in plur. num. Cæs. 7. B. G. 72. Cæsar hæc genera munitionis instituit. Cic. 3. de republ. 10. Genera si velim juris, institutorum, morum consuetudinumque describere. Id. 4. Verr. 7. 18. Ut intelligatis eum Romæ quæsisse non modo genera furandi, sed etiam nomina. V. alia mox sub d. — d) Latina est illa loquendi ratio, qua genus quarto pro secundo aut sexto casu effertur. Varro 2. R. R. 10. 1. Quot et quod genus pastores habendi. Cic. 2. Herenn. 30. 48. Illæ res utrum ad omnes pertineant, an ad superiores: quod genus ii sunt, a quibus auctoritatis locus communis sumitur. Varro 3. R. R. 5. 11. Porticus avibus omne genus oppletæ. Cato R. R. 8. Sub urbe hortum omne genus, coronamenta omne genus. Varro 1. R. R. 29. 1. Seminaria omne genus ut serantur. Lucret. 4. 737. simulacra eorum (mortuorum) omne genus. Id. 6. 918. Hoc genus in rebus firmandum est multa prius, quam etc. Varro 2. R. R. 1. 23. Si hoc genus rebus non proficitur. Adde eumd. 9. L. L. 110. Müll. Cic. 13. Att. 12. Orationes, aut aliquid id genus scribere. Varro 10. L. L. 79. Müll. In id genus verbis, quæ non declinantur, analogia non debet quæri. Id. 8. ibid. 17. Id genus alia. Lucret. 3. 278. Quod genus in nostris membris et corpore toto Mixta latens animi vis est animæque potestas. Cic. 2. Invent. 54. 163. Vitanda sunt illa, quæ propinqua videntur: quod genus, fidentiæ contrarium est diffidentia. ¶ 3. Hinc generatim aliquando pro re ponitur, cosa, roba. Cic. 2. de republ. 20. Ut in omni genere hujus populi (Græci) consuetudinem videretur imitari. in ogni cosa, in tutto. Sic Id. 1. ad Q. fr. 2. 2. in fin. Innumerabiles res sunt, in quibus te quotidie in omni genere desiderem. et ibid. § 4. Qua de re et de hoc genere toto pauca cognosce. Id. 12. Att. 33. Medici assiduitas et tota domus in omni genere diligens. Id. 5. Phil. 4. 12. Quibus rebus tanta pecunia una in domo coacervata est, ut si hoc genus in unum redigatur, non sit pecunia populo Romano defutura. Adde eumd. 16. Att. 5., 7. ibid. 1. et 2. Orat. 4. 17. — Hinc in genus est generatim, generaliter, indefinite. Gell. 4. 1. ad fin. Sermones in genus communes. ¶ 4. Speciatim — a) In re grammatica genus dicitur de nominibus et verbis. Varro 10. L. L. 22. Müll. Transversi sunt ordines, qui ab recto casu obliqui declinantur, ut albus, albi, albo; directi sunt, qui ab recto casu in rectos declinantur, ut albus, alba, album. Transversorum ordinum partes appellantur casus, directorum genera. Id. 9. ibid. 95. Quod ad verborum temporalium rationem attinet, quum partes sint quatuor, temporum, personarum, generum, divisionum etc. Quintil. 1. 4. 23. In nominibus tria genera. Id. 9. 3. 6. Fiunt et circa genus figuræ in nominibus et in verbis. Adde eumd. 1. 5. 16. et 1. 4. 27. — b) In philosophia genus sumitur pro primo ex universalibus, quod plures species complectitur, ut sunt animal, quod et hominem et bestias complectitur; virtus, quæ virtutes ingenii et virtutes morum; arbor, quæ platanum, cupressum et alias, genere. Cic. 1. Orat. 42. 189. Genus est id, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. Id. 1. Invent. 22. 32. Genus est, quod plures partes amplectitur, ut animal; pars est, quæ subest generi, ut equus. Sed sæpe eadem res alii genus, alii pars est: nam homo animalis pars est, Thebani aut Trojani genus. Id. ibid. 28. 42. Genus est, quod partes aliquas amplectitur, ut cupiditas; pars est, quæ subest generi, ut cupiditati amor, avaritia. Id. Topic. 7. 31. Genus est notio ad plures differentias pertinens. Id. Orat. 4. 16. Nec vero sine philosophorum disciplina genus et speciem cujusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus. Id. 3. Tusc. 11. 24. Perturbationes sunt genere quatuor, partibus plures. Adde eumd. Orat. 33. 117., 3. Orat. 9. 34. et 2. ibid. 39. 166.; Varron. 3. R. R. 3. 3.; et Senec. Ep. 58.

GENUS, us. V. GENU.

GEŌDES, is, m. 3. γεώδης λίθος, lapis intus terram habens: a γῆ terra. Memoratur a Plin. 36. Hist. nat. 19. 32. (140).

GEŌGRĂPHĬA, æ, f. 1. descrizione della terra, geografia, γεωγραφία, terræ descriptio: a γῆ terra et γράφω scribo. Cic. 2. Att. 4. 3. De geographia dabo operam, ut tibi satisfaciam.

GEŌGRĂPHĬCUS, a, um, adject. geografico, γεωγραφικός, ad geographiam pertinens. Ammian. 23. 6. Ut geographici stili formarunt. Id. 31. 2. Geographica perplexitas. Capell. 6. p. 198. Ptolemæi geographicum opus. Habet et Cic. 2. Att. 6., sed Græce.

GEŌMANTĪA, æ, f. 1. γεωμαντεία, divinatio ex terra. V. AEROMANTIA.

GEŌMANTIS, is, m. 3. γεωμάντις, qui terram observando divinat. V. AEROMANTIA.

GEŌMĔTER, tri, m. 2. et

GEŌMĔTRA, æ, m. 1. V. voc. seq. init.

GEŌMĔTRES, æ, m. 1. De synæresi vide infra. — Forma geometra, æ, legitur apud Sidon. loco infra cit. — Alia forma geometer, tri, legebatur apud Senec. loco infra cit., ubi tamen recentiores plerique omnes legunt geometres. Certe usurpatur a Boeth. in Porphyr. Dial. 2. p. 34. Est proprium, quod uni accidit, etsi non omnibus, ut est rhetor, vel geometer, vel grammaticus. Adde eumd. Aristot. Analyt. prior. 1. 39. p. 498. — Geometres est terræ mensor: a γῆ terra et μέτρον mensura. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 7. 22. Quomodo geometres cernere ea potest, quæ nulla sunt? Colum. 5. R. R. 1. 4. Quoniam præcepta mensurarum desideras, obsequar voluntati tuæ, cum eo, ne dubites id opus geometrarum magis esse, quam rusticorum. Seneca Ep. 88. a med. Illud tibi geometer potest dicere. Al. rectius leg. geometres. Juvenal. 3. 76. Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes. Sidon. 4. Ep. 11. in carm. Tractator, geometra musicusque. In versu Juvenalis synæresis est: secunda enim syllaba corripi nequit, quum natura longa sit. Sic et apud Auson. Ep. 18. 17. Vel quod juncturas geometrica forma favorum. At in Sidonio synæresis esse non potest, quia natura illius carminis et dactylum eo loco postulat, et undecim omnino syllabas requirit. Quare non est hic imitandus quamvis et eodem modo dixerit carm. 23. 113. Non hunc cum geometricas ad artes. — Ceterum — a) In singulari numero Nom. geometres occurrit, apud Quintil. 1. 10. 6.; Dat. geometræ apud eumd. 1. 12. 6.; Accus. geometrem apud eumd. 1. 10. 4. — b) In plurali numero Nom. geometræ apud Cic. 3. Off. 7. 33. et Fat. 8. 15.; et Quintil. 12. 11. 20.; Dat. geometris apud Quintil. 1. 10. 18.; Accus. geometras apud eumd. 5. 10. 7.

GEŌMĔTRĪA, æ, f. 1. geometria, γεωμετρία, terræ mensuratio, vel ars ipsa terram dimetiendi: a γέα et contracte γῆ terra et μετρέω metior. Sed tamen ars hæc non tantum in terra dimetienda omnem habet, sed et in aquis, in montanis distantiis atque intervallis, ipsisque corporibus cœlestibus. Causam nomini præbuit, quod a terræ mensuratione cœperit. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 33. 106. Quid Polyænus, qui magnus mathematicus fuisse dicitur? is postesquam Epicuro assentiens totam geometriam esse falsam credidit, num illa etiam, quæ sciebat, oblitus est? Id. 1. Orat. 42. 187. In musicis numeri et voces et modi; in geometria lineamenta, formæ, intervalla, magnitudines. Adde eumd. 1. de republ. 10., 2. Divinat. 3. 10. et 1. Off. 6. 19.; et Quintil. 1. 10. 34., 1. 12. 14. et alibi. — Servius ad Virg. 3. Ecl. 41. scripsit, inventam fuisse quodam tempore, quum Nilus plus æquo crescens confudisset terminos possessionum, ad quos innovandos adhibiti sunt philosophi, qui lineis agros diviserunt. Id ipsum his verbis confirmat Cassiod. 3. Variar. 42. Hanc (geometriam) post Ægyptii propter augmenta Nilotica, quæ singulis annis votiva inundatione patiuntur, ad dimensionem terræ et recuperandas formas finium transtulerunt, ut fieret arte distinctum, quod litigiosæ confusioni videbatur obnoxium. — Apud Græcos summo in honore fuit. Cic. 1. Tusc. 2. 5.

GEŌMĔTRĬCĀLIS, e, adject. idem quod geometricus, ad geometriam pertinens. Boeth. Geometr. 1. p. 1208. Sed jam opus est ad geometricalis mensæ traditionem ab Archita, non sordido hujus disciplinæ cultore, Latine accommodatam venire.

GEŌMĔTRĬCĒ, adverb. juxta geometriæ rationem, geometricamente. Sunt qui in loco Plinii allato voce sequent. perperam putant geometrice esse adverbium, quum reapse sit nomen. Habet quidem, sed Græcis litteris, Cic. 12. Att. 5. Tu me γεωμετρικῶς refelleras. Ceterum Latinis litteris et certa lectione occurrit apud Boeth. Aristot. Elench. sophist. 1. 10. p. 742. Contentiosa (dialectica) disserendi modo captiosa decipit, ut et pseudographa geometrice. Adde eumd. ibid. p. 730.

GEŌMĔTRĬCĒ, es, f. 1. V. voc. seq. in fin.

GEŌMĔTRĬCUS, a, um, adject. γεωμετρικός, geometrico, ad geometriam spectans. Cic. 2. Divinat. 59. 122. Si velim geometricum quiddam, aut physicum, aut dialecticum explicare. Id. 4. Acad. (2. pr.) 36. 117. Geometricis rationibus non est crediturus, quæ vim afferunt in docendo. Id. 1. Tusc. 24. 57. Pusionem quemdam interrogat Socrates quædam geometrica de dimensione quadrati. Id. 1. de republ. 17. Geometricæ formæ. — Hinc

Geometricus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est terræ mensor, geometres. Quintil. 1. 10. 40. Reprehensi a geometricis sunt historici. Spalding. ita legit; alii vero aliter. Boeth. fragm. edit. ab A. Mai in Class. Auct. T. 3. p. 328. Et primam quidem ex circumstantiis secat in undecim partes: nomen, ut Verres —; fortuna, ut dives; studium, ut geometricus etc. Isid. 16. Orig. 25. Quod geometrici perscrutari audent.

Geometrica, ōrum, n. plur. 2. absolute, sunt res geometricæ, ipsa geometria. Cic. 1. Tusc. 24. 57. Ut eodem perveniat, quo si geometrica didicisset. — Hinc

Geometrice, es, f. 1. supple ars, est ipsa geometria. Plin. 35. Hist. nat. 10. 36. (76). Omnibus litteris eruditus, præcipue arithmetica et geometrice, sine quibus negabat, etc. Sillig vero ex optimis Codicibus leg. geometria.

GEŌMĔTRĬCUS, i, m. 2. V. voc. præced.

GEŌRGĬCA, ōn, n. plur. 2. V. voc. seq. in fin.

GEŌRGĬCUS, a, um, adject. d'agricoltura, γεωργικός, ad agrorum culturam pertinens. Colum. 7. R. R. 5. 10. Georgicum carmen affirmat, nullam esse præstantiorem medicinam. h. e. carmen Virgilii, qui inscribitur Georgica, quatuor libris constans. — Hinc

Georgica, ōn (Græca positione gen. plur. γεωργικῶν pro Georgicorum) absolute, substantivorum more, est titulus didascalici operis de agrorum cul-

tum. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 2. Democritus in eo libro, quem Georgicon appellavit, parum prudenter censet etc. *Gell.* 13. 20. In primo Georgicon (*Virgilii*), quem ego librum, etc. *Id.* 8. 5. Virgilius hunc Ennii versum secutus in Georgicis suis.

GĔRĀNĬON, ii, n. 2. γεράνιον, herba cicutæ similis, foliis minutioribus et caule brevior, rotunda, saporis et odoris jucundi. Nostri sic eam tradunt: Græci foliis candidioribus paulo, quam malvæ, caulibus tenuibus, pilosis, ramosam ex intervallis binum palmorum, et in his, foliis, inter quæ in cacuminibus capitula sint gruum. Alterum genus foliis anemones, divisuris longioribus, radice mali modo rotunda, dulci, reficientibus se ab imbecillitate utilissima. Hæc *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 68. (108). Nomen habet a γεράνιον *parva grus.* Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 408.) hanc exhibet synonymiam: I. Γεράνιον φύλλοις ἀνεμώνης Dioscor. 3. 131. et *Geranium alterum foliis anemones* Plin. loc. cit. sunt *Geranium tuberosum* L. Spec. plant. 953. — II. Γεράνιον ἕτερον Dioscor. loc. cit. et *Geranium foliis candidioribus* Plin. loc. cit. sunt *Geranium molle seu Erodium malacoides* L. et Willd.

GĔRĀNĪTIS, idis, f. 3. γερανῖτις, gemma gruis collo (quæ Græce γέρανος) colore similis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 72. (187).

GERANOPEPA. *Hieronym. Ep.* 22. *ad Eustach.* n. 28. Prandium nidoribus probat, et altilit geranopepa, quæ vulgo pipizo nominatur. *Alii leg.* γερανοπιπη, *alii* γέρων ὁ πέπων, *alii* γερανοπέπτα et γερανοκόπτα, etc. Vexatissimus enim est locus et obscurissimus. *V.* PIPIZO et VIPIO.

GERARIA, æ, f. 1. quæ gerit. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 102. Jampridem, quia nihil abstulerit, succenset geraria. Alii rectius leg. *ceraria,* et intelligunt ancillam, quæ cereos ad sacrificia parat. Alii *cellaria,* h. e. cellæ custos.

GERDĪUS, ii, m. 2. γέρδιος. *Lucilius* apud *Non.* p. 118. 9. *Merc.* curate, domi sint Gerdius, ancillæ, pueri, zonariu', textor. *Firmic.* 8. 25. *a med.* Textores faciet gerdiosque. In *Gloss. Philox.* exponitur γέρδιος, ὑφαντής, textor: et γερδία, textrix: et γερδοποιία, textrinum. *Hesych.* quoque γερδιός, ὑφάντης. Sed quia utraque loco *textor* additur, dubitationem facit, ne aliud quippiam significare *Lucilius* et *Firmic.* velint: aut saltem discrimen sit aliquod textorem inter et gerdium. Ipsa certe vox peregrina est: videtur enim esse e Chald. גרדי quod vulgo vertitur *textor*; sed, quum Hebr. גרד (*garad*) significet *decorticavit*, vero simile est, interpretandum esse carminatorem, Italice *cardatore*, a carduis nempe, quibus in carminando utitur.

GĔRENS, entis. *V.* GERO.

GĔRĪTĬO. *V.* GESTIO.

GERMĀNĒ, adverb. ἀδελφικῶς, sincere et in modum fratris. *V.* INGENUE.

GERMĀNĬTAS, atis, f. 3. conjunctio et vinculum necessitudinis inter fratres, ἀδελφότης (It. *fratellanza*; Fr. *fraternité, parenté entre frères et sœurs*; Hisp. *fraternidad*; Germ. *die geschwisterliche Verwandtschaft, Bruderschaft, Schwesterschaft*; Angl. *the relation of brothers and sisters, brotherhood, sisterhood*).

I.) Proprie. *Cic. Ligar.* 11. 33. Moveant te horum lacrimæ, moveat pietas, moveat germanitas. Adde *eumd. Harusp. resp.* 20. 42. *Liv.* 40. 8. Subituram vobis aliquando germanitatis memoriam. *Apul.* 2. *Met.* Nexus germanitatis. *Capell.* 7. p. 239. Denique Fata, Gratiarumque germanitas, et quædam virgo, quam dicunt cœloque Ereboque potentem, huic numero (*h. e.* triadi) colligatur. *Id.* 9. p. 303. Trigarium supplicantis semper germanitatis advenist.

II.) Translate. ¶ 1. Germanitas est conjunctionis vinculum inter colonias, quæ tamquam ab una eademque matre ortæ veluti sorores habentur. *Liv.* 37. 56. Argis et Ilios, sicut sese, oriundos esse: ab ea germanitate fraternam sibi cum iis caritatem esse. Cf. *Vulgat. interpr. Zachar.* 11. 14. Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Judam et Israel. ¶ 2. Latiori sensu de inanimis dicitur, et est similitudo, societas. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Unde nomen ambobus (*Bosphoris*) et jam quædam in dissociatione germanitas concors. *Id.* 14. *ibid.* 6. 8. (59). Germanitas vini. *Id.* 15. *ibid.* 14. 15. (51). malorum.

GERMĀNĬTUS, adverb. *da fratello, sinceramente, da vero,* fideliter, germane. *Pomponius* apud *Non.* p. 118. 14. *Merc.* Si quis est amico amicus, gaudet, si quid evenit boni, cui amicus est germanitus. Adde *Augustin. Ep.* 120. 34.

GERMĀNUS, a, um, adject. Sup. *Germanissimus* II. 2. — Germanus est frater, quasi eodem germine profectus, ut *Paul. Diac.* p. 95. 3. *Müll.* putat; vel de eadem genitrice manans, ut *Varro* apud *Servium* ad illud *Virg.* 5. *Æn.* 412. Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat. Dicitur iam de iis, qui eadem tantum matre, ut in loco *Virgilii* allaio; tum de iis, qui eodem tantum patre; tum multo magis de iis, qui eodem patre et matre geniti sunt, αὐτοκασίγνητος (It. *germano, fratello germano, sorella germana*; Fr. *germain, de frère germain*; Hisp. *hermano, hermano carnale*; Germ. *leiblich, recht*; Angl. *german, a brother, sister*).

I.) Proprie. — *a*) Jungitur cum ipsis vocibus *frater* et *soror*, ad majorem quamdam vim addendam. *Plaut. Men.* 5. 9. 43. Fratres germani duo gemini, una matre nati et patre uno. *Ter. Andr.* 1. 5. 57. Si te in germani fratris dixi loco. *Cic.* 3. *Verr.* 49. 128. C. Fannius, frater germanus Q. Titinii. *Id. Fontej.* 17. 38. Quum virgo Vestalis germanum fratrem complexa teneat. Cf. *eumd.* 5. *Fin.* 1. 1. Cicero frater noster, cognatione patruelis, amore germanus. *Id. Mil.* 27. 73. Clodius cum sorore germana. *Nepos Cim.* 1. Habebat in matrimonio sororem suam germanam, non magis amore, quam more ductus: nam Atheniensibus licet eodem patre natas, uxores ducere. — Poetice *germana soror* vel *germana* absolute pro fidissima et dilectissima uixit *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. — *b*) Absolute. *Ter. Adelph.* 5. 8. 34. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore et animo. *Ovid.* 5. *Met.* 13. quæ te, germane, furentem Mens agit in facinus? Adde *Virg. loc. cit.* sub init. Rursus *Ovid.* 12. *Met.* 240. ardescunt germani cæde bimembres. *h. e.* Centauri: *al. leg.* germane. *Id.* 3. *Fast.* 560. germanæ juste dat ante suæ. Adde *eumd.* 6. *Met.* 613. *Id.* 8. *Met.* 781. Omnes germanæ (*h. e.* Dryades) Cererem cum vestibus atris Mœrentes adeunt. — *c*) Poetice de bestiis. *Accius* de duobus arietibus loquens apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 44. Præclarioremque alterum immolare me: Deinde ejus germanum cornibus conitier in me arietare. — *d*) Quum sit etiam nomen proprium populi, h. e. *Germani, orum,* de quo *V.* ONOM., luditur in ambiguo in illo versu apud *Vellej.* 2. 67. *extr. De Germanis, non de Gallis duo triumphant consules.* Sermo est de duobus consulibus triumphantibus, qui suos fratres proscripserant. Similis est jocus *Cic.* apud *Quintil.* 8. 3. 29. de quodam Cimbro, qui fratrem necaverat, *Germanum Cimber occidit.*

II.) Translate. ¶ 1. Ratione habita amoris, germanus est qui fratris proprius est, fraternus. *Plaut. Cas.* 3. 4. 25. Nunc tute amicus mihi es germanum in modum. *da fratello. Justin.* 27. 3. 12. Sic fratres, quasi et germanis casibus, exsules ambo, scelerum suorum pœnas luerunt. *Forcellinus* hoc loco *germanum* pro *simili* accepit. ¶ 2. Ratione habita genuinæ, non adulteræ prolis, germanus est verus, proprius, sincerus, non fucatus, merus, γνήσιος, *sincero, mero, proprio. Plaut. Capt.* 2. 2. 38. Ille Theodoromedes fuit germano nomine. *h. e.* proprio. *Id. Most.* 1. 1. 38. Dii te omnes perdant: oboluisti alium: germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis. *Id. Pœn.* 1. 1. 9. Tuæ blanditiæ mihi sunt, quod dici solet, gerræ germanæ. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 97. Illi veteres germanique Campani. *Id. Orat.* 10. 32. Quum mutila quædam et hiantia locuti sunt, germanos se putant esse Thucydidas. *Al. leg.* Thucydidis: quare *Forcellinus* pro *simili* accepit, quia inter germanos similitudo plerumque est, et contulit illis ejusd. *Cic. Partit. orat.* et *Pis.* allata in GEMINUS; idem dicendum de seq. *Cic.* loc. 4. *Acad.* (2. *pr.*) 43. 132. Erat quidem, si perpauca mutasset, germanissimus Stoicus. *Al. leg.* Stoicis. *Id. Orat.* 26. 90. Hanc ego judico formam summissi oratoris, sed magni tamen et germani Attici. *Id.* 2. *Orat.* 38. 160. Inter hunc Aristotelem et hos germanos hujus artis magistros hoc mihi visum est interesse etc. Adde *eumd. Cœl.* 11. 26. *Id.* 4. *Att.* 5. Scio, me asinum germanum fuisse. *Id.* 2. *Legg.* 1. 3. Hæc est mea et hujus fratris mei germana patria: hinc enim orti stirpe antiquissima sumus. *Id.* 3. *Off.* 17. 69. Nos veri juris germanæque justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenemus. *Id. Brut.* 86. 296. Hæc germana ironia est. — Hinc

Germanus, i, m. 2. et

Germana, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, *V.* supra sub I. *b.*

GERMEN, inis, n. 3. est fortasse a *gerendo,* quasi *gerimen*; vel a *genendo,* quasi *genimen*; vel denique est recentius verbum, quod pro antiquo *gemma* usuvenit. Est autem quod pullulat atque assurgit, item quod ex plantarum oculis enascitur, videlicet surculus, semen, fructus, proles et similia, *germoglio, germe,* βλαστη.

I.) Proprie. — *a*) De arboribus, herbis et similibus. *Virg.* 2. *G.* 76. huc aliena ex arbore germen includunt. *Id. ibid.* 332. Inque novos soles audent se germina tuto Credere. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 41. (98). Serotino germine malus, tardissimo suber. *Id.* 18. *ibid.* 10. 21. (94). Ex uno grano tritici (vix credibile dictu) quadraginta paucis minus germina. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 30. Quum folia producere incipiunt fici, ut fructum multum et pinguem ferant, in principio germinis cacumina summa decutimus. *Rutil.* 1. *Itiner.* 376. Excitat in fruges germina læta novas. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 465. autumni maturet germina Virgo. — *b*) De animalibus, aut inanimis quæ veluti animalia exhibentur. *Ovid.* 9. *Met.* 280. Impleratque uterum generoso germine. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 76. Nympharum cœtus, et celsa Tonantis Germina. *h. e.* filias. *Justin.* 18. 3. *extr.* Exstirpato servili germine. *razza, stirpe. Nemesian. Cyneg.* 155. *de cane feta.* postquam conclusa videt sua germina flammis. *h. e.* suos catulos. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 129. Germina frontis. *h. e.* cornua. *Id. Epist. ad Seren.* 14. Germina cara maris. *h. e.* gemmæ. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 142. Germen Lernæ. *h. e.* apium, quo coronabantur victores in ludis Nemeæis. Est autem Nemea in eadem Argiæ regione, in qua Lerne.

II.) Translate. *Lucret.* 4. 1083. rabies unde illæ germina surgunt. *Prudent.* 10. *Cathemer.* 32. Pars illa potentior exstet, Quæ germen ab æthere traxit. *et* 3. περὶ στεφ. 1. Germine nobilis Eulalia. *per nascita.*

GERMĬNĀBĬLIS, e, adject. qui germinare potest. *Isid.* 11. *Orig.* 2. Post plurimos autem dies menstruos ideo semen non est germinabile, quia etc.

GERMĬNĀTĬO, onis, f. 3. *germogliamento,* βλάστησις. ¶ 1. Absolute est actus germinandi. — *a*) In singulari numero. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 18. Palmes, quem mox in germinatione citaverit, imbecillis ac minus fructuosus erit. *Id.* 11. *ibid.* 2. 79. Quæ (*ficorum arbusculæ*) melius dum teneræ sunt, per germinationem pampinantur. *h. e.* quum germinant. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (105). Surculi germinatione turgentes. *Sillig* vero hoc in loco legit *gemmatione.* — *b*) In plurali numero. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (16). Quum præcoces excurrere germinationes, secutis frigoribus exuruntur. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu, ponitur pro ipsa planta germinante. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 17. 28. (124). Accumuletur germinatio terra, donec robur planta capiat. *V.* GERMINATUS, us.

GERMĬNĀTOR, oris, m. 3. qui germinat, vel germinare facit. Est nomen equi in *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 276. n. 175. VICI IN FACTIONE VENETA GERMINATORE MAVRO AFRO LXXXXII. Fortasse ita appellatus fuit hic equus, quod germen suscitabat, seu genus propagabat, *cavallo da razza.*

GERMĬNĀTUS, a, um. *V.* GERMINO.

GERMĬNĀTUS, us, m. 4. idem ac germinatio. In sexto casu sing. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 8. 8. (34). Oleam, si capra depaverit primo germinatu, sterilescere, auctor est Marcus Varro. *Id.* 16. *ibid.* 25. 41. (102). Quædam statim in germinatione florent, sed maturescunt tarde, ut vites: serotino quædam germinatu florent maturantque celeriter.

GERMĬNĬSĔCA, æ, m. 1. qui in hortis et vineis germina falculis secat seu præcidit. *Varro* 5. *L. L.* 137. *Müll.* Has (*falculas*) zanclas germinisecæ dicunt. *Müllerus* pro *germinisecæ* habet *Chersonesioe*: sed nuperus *Ausonius Popma* in libr. de *Instrum. fundi c.* 3. ed. Bipont. *Auct. R. R. T.* 3. p. 468. vocem *germiniseca* tribuit *M. Ter. Varroni* et hunc locum spectasse videtur. Cf. et *V. Devit, Varron. Sentent.* p. 19. n. 173.

GERMĬNO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Germinans* sub *A.* et *B.*; *Germinatus* sub *A.* — Germinare usurpatur *A*) Active, et *B*) Neutrorum more.

A) Active germinare est emittere, effundere, *mandar fuori*. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 30. (101). Vermiculi pennas germinant. *Id.* 7. *ibid.* 6. 5. (42). Capillum germinans partus. *Vulgat. interpr. Genes.* 1. 11. Germinet terra herbam virentem. Adde *eumd. ibid.* 3. 18. et alibi sæpe. *Id.* 1. *Paral.* 5. 2. De stirpe ejus principes germinati sunt.

B) Neutrorum more est germen emittere, pullulare, *germogliare*, βλαστάνω. *Horat. Epod.* 16. 45. Germinat et numquam fallentis termes olivæ. *Colum.* 7. *R. R.* 6. 6. Germinant nova fronde silvæ. *Id.* 3. *ibid.* 6. 2. Germinans ex singulis gemmis materiis compluribus cum fructu vitis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 24. 46. (120). Eodem die germinat, quo injectum est. *Id.* 19. *ibid.* 8. 42. (146). Asparagus altissime germinat. Adde *eumd.* 16. *ibid.* 25. 41. (97).

GĔRO, gĕris, gessi, gestum, gĕrere, a. 3. Part. *Gerens* I. 1. *a.*, II. 2. et in fin.; *Gestus*, *Gerendus* vel *Gerundus* et *Gesturus* II. 2. — Gerere, quod ratione habita etymi conjungi potest cum ἀγείρειν, est agere, ferre, portare, secum habere, quod postremum quum significat, dicitur fere de iis, quæ ita habentur, ut ab aliis conspiciantur, φέρω, κομίζω (It. *portare, avere, tenere*; Fr. *porter, avoir, tenir*; Hisp. *llevar, traer, haber, tener, asir*; Germ. *tragen, herumtragen, mit sich führen, haben*; Angl. *to bear, carry, have, show*).

I.) Proprie occurrit sæpe apud Poetas, numquam vero apud *Cic.*, *Cæs.*, *Sall.* et *Quintil.* ¶ 1. Generatim. — *a*) De hominibus et ceteris animalibus. — Pro portare, ferre. *Plaut. Amph.* 1. 1. 185. Quo ambulas tu, qui Vulcanum (*h. e.* ignem) in cornu conclusum geris? *Nepos Datam.* 3. Gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clavam. *Id. ibid.* Vestis, quam satrapæ regii gerere consueverant. Sic *Lucret.* 5. 1419. vestem ferinam qui primus gessit. Adde *Ovid.* 11. *Met.* 276. *Liv.* 1. 10. Spolia ducis hostium cæsi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium ascendit. *Id.* 1. 26. Horatius trigemina spolia præ se gerens. *Varro* 6. *L. L.* 77. *Müll.* Gerere onera. *Sueton. Ner.* 25. coronam Olympiacam capite. *Id. Cæs.* 84. ornamenta. *Ovid.* 4. *Met.* 792. angues immixtos crinibus. *Id. ibid.* 782. clipeum læva. *Id.* 12. *ibid.* 442. ramum, jaculum. *Id.* 2. *ibid.* 28. spicea serta. *Id.* 4. *ibid.* 681. vincla. *Id.* 9. *ibid.* 206. venabula corpore fixa. *Id.* 6. *ibid.* 228. tela in pectore fixa. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 47. 72. (187). Oves gerunt partum diebus centum quinquaginta. *Id. ibid.* 40. 62. (151). Canes gerunt uterum sexagenis diebus. — Pro habere sæpissime occurrit de corporis membris. *Lucret.* 6. 1144. Principio (*morbi*) caput incensum fervore gerebant Et duplices oculos suffusa luce rubentes. *Virg.* 6. *Æn.* 772. umbrata gerunt civili tempora quercu. Sic *Ovid.* 12. *Met.* 380. tempora tecta pelle lupi. *Virg.* 1. *Æn.* 319. Virginis os habitumque gerens et virginis arma. Sic *Ovid.* 5. *Met.* 553. virginis ora gerere. Et *Val. Flacc.* 2. 492. Nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo. *Ovid.* 3. *Amor.* 4. 19. Centum fronte oculos, centum cervice gerebat Argus. *Id.* 13. *Met.* 773. gerere lumen unum media fronte. *Id.* 15. *ibid.* 596. cornua fronte. Cf. *eumd.* 7. *ibid.* 364. Cum cornua matres Gesserunt. *Id.* 5. *ibid.* 455. qua modo brachia gessit, Crura gerit. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 110. capella gerit distentius uber. *Virg.* 2. *Æn.* 277. Squalentem barbam et concretos sanguine crines Vulneraque illa gerens, quæ etc. — *b*) De inanimis. *Ennius* apud *Non.* p. 66. 26. *Merc.* Testes sunt lati campi, quos gerit Africa terra politos. *Lucret.* 6. 538. (*terram*) multosque lacus multasque lacunas In gremio gerere et rupes diruptaque saxa. *Id. ibid.* 789. hæc ideo terris ex omnia surgunt, Multa modis multis multarum semina rerum Quod permixta gerit tellus discretaque tradit. *Virg.* 2. *G.* 122. quos oceano propior gerit India lucos. *Lucret.* 4. 49. speciem ac formam similem gerit ejus (*corporis*) imago. Cf. *Curt.* 3. 3. Duo simulacra, quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem. *rappresentava*. ¶ 2. Speciatim gerere est ex uno in alium locum afferre. — *a*) Cum addito loco, in quem quid geritur per Accus. et præpos. *in*. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 100. Non pluris refert, quam si imbrem in cribrum geras. *Liv.* 28. 19. Feminæ puerique propugnantibus tela ministrant, saxa in muros muniendibus gerunt. Sic *Id.* 37. 5. Feminæ tela omnis generis saxaque in muros gererent. — *b*) Absolute. *Cato R. R.* 151. Si non habebis unde irriges, gerito indituque leniter. *Liv.* 7. 6. Neque eam voraginem conjectu terræ, quum pro se quisque gereret, expleri potius prius quam etc. ¶ 3. Item speciatim a Poetis aliquando usurpatur pro gignere, producere, edere, *produrre*. *Varro* 5. *L. L.* 64. *Müll.* Quæ (*terra*) quod gerit fruges, Ceres appellata est. *Tibull.* 2. 4. 56. Quicquid et herbarum Thessala terra gerit. *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 6. violam nullo terra serente gerit. *Id.* 9. *Met.* 230. Arboribus cæsis, quas ardua gesserat Œte. *Virg.* 2. *G.* 70. Et steriles platani malos gessere valentes. Similiter *Lucret.* 1. 716. Quorum Agrigentinus cum primis Empedocles est, Insula quem triquetris terrarum gessit in oris. et *Ovid.* 2. *Met.* 16. Terra viros urbesque gerit silvasque ferasque Fluminaque et Nymphas et cetera numina ruris.

II.) Translate occurrit etiam apud optimos quosque prosæ scriptores. ¶ 1. Generatim. — *a*) Quemadmodum dicimus *gerere caput, oculos, os* et similia (*V.* supra sub I. *a.*), ita et *gerere animum, personam, mores* etc. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 1. *Off.* 18. 61. Vos etenim juvenes animam geritis muliebrem; Illa virago viri. *Sall. Jug.* 107. Suos hortatur, ut fortem animum gererent. *Id. ibid.* 54. Hortatur, ad cetera, quæ levia sunt, parem animum gerant. *Id. ibid.* 43. Gerere animum invictum adversus divitias. *Id. ibid.* 64. animum super fortunam. *Liv.* 32. 11. Mixtum gaudio ac metu animum gerere. *Virg.* 9. *Æn.* 310. pulcher Iulus Ante annos animumque gerens curamque virilem. — *Gerere personam alicujus* est præferre, sustinere, *rappresentare, far la figura*. *Cic.* 1. *Off.* 32. 115. Ipsi gerere quam personam velimus, a nostra voluntate proficiscitur: itaque se alii ad philosophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant. *Id. ibid.* 34. 132. Est igitur proprium munus magistratus, intelligere, se gerere personam civitatis debereque ejus dignitatem et decus sustinere. *V.* et paragr. seq. 3. sub *b.* Huc referri possunt et illa *Cic.* 3. *Off.* 4. 16. Ne illi quidem septem (*sapientes fuerunt*): sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quamdam gerebant speciemque sapientium. Sic *Curt.* 3. 2. 3. inde (*agmina*) emissa occupaverunt Mesopotamiæ campos: equitum peditumque propemodum innumerabilis turba, majorem quam pro numero speciem gerens. et *Seneca Herc. fur.* 723. Fratrum speciem gerere. Similiter *Virg.* 12. *Æn.* 469. Juturna virago Aurigam Turni media inter lora Metiscum Excutit, et longe lapsum temone relinquit. Ipsa subit, manibusque undantes flectit habenas, Cuncta gerens, vocemque et corpus et arma, Metisci. Adde *Senec. Hippol.* 432. et 831., et *Troad.* 1137. — Ceterum *Ennius* apud *Gell.* 19. 8. et apud *Non.* p. 129. 26. *Merc.* Eo ego ingenio natus sum: æque inimicitiam atque amicitiam in frontem promptam gero. *Ovid.* 7. *Met.* 655. mores, quos ante gerebant, Nunc quoque habent. *Virg.* 2. *Æn.* 89. et nos aliquod nomenque decusque Gessimus. Cf. *Curt.* 5. 2. 3. Fortitudinis præmia gerere. *riportare*. *Horat.* 3. *Od.* 21. 2. Seu tu querelas, sive geris jocos, Seu rixam et insanos amores, Seu facilem pia testa (*h. e.* amphora) somnum. *Curt.* 4. 14. 25. In dextris vestris jam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis. — *b*) Similiter de animi affectibus ac præcipue de amore et odio, et est habere, exercere. *portare, avere*. *Plaut. Pœn.* 3. 6. 18. Si quid bene facias, levior pluma est gratia: si quid peccatum'st, plumbeas iras (*divites*) gerunt. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 30. Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt! *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 20. 66. M. Catonem illum sapientem cum multis graves inimicitias gessisse accepimus propter Hispaniorum injurias. *Cæs.* 1. *B. C.* 3. Gerere veteres inimicitias cum aliquo. *Cic. Cœl.* 14. 32. muliebres inimicitias cum aliqua. *Id. Dejot.* 11. 30. inimicitias hominum more. *Antonius* apud *Cic.* 14. *Att.* 13. A. 3. simultatem cum aliquo pro republica. Cf. *Sueton. Vesp.* 6. Deposita simultate, quam in id tempus non obscure gerebat. *Cic.* 3. *Fam.* 8. 5.; et *Nepos Datam.* 10. Gerere amicitiam. *Liv.* 28. 22.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 18. 26. (68). odium in vel adversus aliquem. *portar odio*. *Liv.* 8. 24. Ut pleraque ejus generis ingenia sunt, cum fortuna mutabilem gerentes fidem. *Justin.* 17. 1. 11. Gerere imperii cupiditatem insatiabilem. *Quintil.* 10. *Declam.* 10. desideria de unico filio. — Et absolute. *Sall. Jug.* 72. Ad ea rex, aliter atque animo gerebat, placide respondit. ¶ 2. Speciatim cum Accusativo rei sæpe est facere, *fare*; non tamen de rebus materialibus, ut *domum, gladium facere* dicimus, sed de iis, quæ animi facultate, ingenio, consilio administrantur: itaque sæpissime est administrare, tractare, agere consilio et ratione aliquid, quasi ejus pondus gerendo et sustinendo, *amministrare, fare, governare, maneggiare, esercitare*, πράττω, χειρίζω. Qua de re *Varro* 6. *L. L.* 77. *Müll.* Tertium gradum agendi esse dicunt, ubi quid faciant; in eo propter similitudinem *agendi* et *faciundi* et *gerundi* quidam error his, qui putant esse unum. Potest enim aliquid *facere* et non *agere*, ut poeta facit fabulam et non agit: contra actor agit et non facit. – Contra imperator quod dicitur res *gerere*, in eo neque facit, neque agit, sed gerit, id est sustinet, translatum ab his qui onera gerunt, quod hi sustinent. Hæc *Varro*. Quoniam vero hac significatione plurima continentur, hæc ad summa quædam capita redigenda putamus. Itaque — 1.°) *Gerere rem* sive *privatam*, sive *bellicam*, sive *publicam* sæpissime occurrit. — *Rem gerere* privatam vel familiarem est rem suam curare, *fare i suoi interessi*. *Ennius* apud *Cic.* 7. *Fam.* 6. Multi suam rem bene gessere et publicam patria procul. *Plaut. Pers.* 4. 3. 34. Et valeo recte, et rem gero, et facio lucrum. *Cic. Senect.* 7. 22. Male rem gerentibus patriis bonis interdici solet. *Horat.* 1. *Ep.* 8. 1. bene rem gerere. *Massur. Sabin.* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 6. Instituit mercaturam, et bene re gesta, decimam Herculi profanavit. — *Gerere rem* interdum dicitur de re bellica. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Orat.* 42. 168. At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta'st, Corde suo trepidat. *Id.* apud *Gell.* 20. 10. Pellitur e medio sapientia, vi geritur res. *Id.* apud *Non.* p. 303. 14. Qui rem cum Achivis gesserunt statim. *Plaut. Amph.* 1. 1. 84. Nec recedit loco, quin statim rem gerat. *Cic.* 5. *Att.* 20. *ante med.* Cassius insecutus hostes, rem bene gessit. Cf. *Id. pro leg. Manil.* 2. 5. Lucullum, magnis rebus gestis, ab eo bello discedere. Sic *Nepos Hamilc.* 3. Exercitui præfuit, resque magnas gessit. *Liv.* 28. 2. Pes cum pede collatus, et gladiis geri res cœpta est. *Id.* 10. 39. Ubi res ferro geratur. *Id.* 2. 64. Et in Volscis res publice egregie gesta quum ducis, tum militum opera. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (117). Alexandro magno ibi res gerente. Hinc quoties gravioris belli imminentis causa dictator crearetur, *rei gerundæ causa* factus dicebatur, ut videre est in *fragm. Capitolin.* apud *Gruter.* 290., 291. et 292. et apud *Liv.* 8. 29. Et translate de pugna Venerea, *Catull.* 66. 13. Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ, Quam de virgineis gesserat exuviis. — *Gerere rem publicam* vel *magistratum* et similia est administrare. *Cic.* 3. *Fin.* 20. 68. Ut sapiens velit gerere et administrare rem publicam. *Id.* 2. *de republ.* 12. Ut ipse senatus gereret sine rege rem publicam. *Id. ibid.* 1. Tantus erat in homine usus rei publicæ, quam et domi et militiæ quum optime tum etiam diutissime gesserat. *Id.* 2. *Fam.* 7. Feliciter et ex mea sententia rem publicam gessimus. *Id. Rosc. Am.* 45. 131. Quum L. Sulla solus rem publicam gereret, orbemque terrarum gubernaret. Similiter *Id. Sext.* 37. 79. Gerere magistratum. et eodem sensu *Id.* 4. *Verr.* 55. 138. potestatem. et *Nepos Att.* 6. honores. Cf. *Inscript.* apud *Visc. Monum. Gab.* p. 140. QVI OMNES HONORES MVNICIPII NOSTRI DELATOS SIBI SINCERA FIDE GESSIT. Rursus *Nepos Epam.* 7. Gerere imperium. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 8. 25. et *Sext.* 16. 37.; et *Nepos Cat.* 2. consulatum. *Cic. Sext.* 8. 19. duumviratum. — In re amatoria *gerere regna in gremio alicujus* significat ab illo unice amari et apud illum omnia posse. *Tibull.* 1. 10. 79. Tunc flebis, quum me vinctum puer alter habebit, Et geret in gremio regna superba meo. — Ceterum gerere tutelam alicujus, *far da tutore*, *Tryphonin. Dig.* 23. 2. 68. et *Scævola ibid.* 27. 1. 22. Sic gerere tutelam corporis, *Seneca initio Ep.* 14. Et *gerere curam pro aliquo* est curare, *aver cura*, apud *Virg.* 12. *Æn.* 48. — Similiter *Cic. Senect.* 6. 15. A rebus gerendis senectus abstrahit. *affari, negozii, faccende*. Sic *Id. ibid. paullo post.* In re gerenda versari senectutem negent. *Id.* 5. *Fin.* 19. 52. Quid quod homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum (Italice: *di far grandi imprese, di avere*

grandi maneggi), opifices denique, delectantur historia? maximeque eos videre possumus res gestas audire et legere velle, qui a spe gerendi absunt, confecti senectute. *Id.* 2. *de republ.* 32. Magnæ res temporibus illis a fortissimis viris summo imperio præditis, dictatoribus atque consulibus, belli domique gerebantur. *Et ibid.* Ut in populo libero pauca per populum, pleraque senatus auctoritate gererentur. *Id.* 16. *Att.* 2. Omnia nostra, quoad eris Romæ, ita gerito, regito, gubernato, ut nihil a me exspectes. *Fronto ad Antonin. imp.* 1. 5. Antea gestum, post relatum, ajunt, qui tabulas sedulo conficiunt. — Hinc sequiori ævo *gesta, orum,* absolute dicebantur acta forensia, *atti.* *Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod.* 4. 3. 1. *a med.* Sequatur traditio corporalis, et rem fuisse completam gesta testentur. — Generatim. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 73. Rem mandatam gerere sedulo. *Id. Pseud.* 1. 2. 61. Tace, et hanc rem gere. *Cic.* 2. *Orat.* 59. 241. Ut iis, qui audiunt, tum geri illa fierique videantur. *Id. Quinct.* 6. 28. Hæc dum Romæ geruntur, Quinctius interea etc. *Id. ibid.* 3. 11. Dabo operam, ut res quemadmodum gesta et contracta sit, cognoscatis. *Virg.* 9. *Æn.* 203. nec tecum talia gessi. *Id.* 4. *G.* etiam de iis, quæ manu fiunt, 305. Hoc geritur, zephyris primum impellentibus undas. *Suelon. Cæs.* 56. Quæ per alios erant gesta, temere credidit; et quæ per se, perperam edidit. *Cic. Dom.* 35. 94. Illud pulcherrimum factum, quod pro salute patriæ gessi. — Hinc *res gestæ* sunt facinora et acta insigniora, *azioni, imprese, fatti illustri,* πράγματα. *Cic.* 1. *Off.* 19. 65. Vix invenitur, qui laboribus susceptis periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. *Nepos Epam.* 1. *extr.* Res gestæ a plurimis omnium anteponuntur virtutibus. *Id. Reg.* 2. Duo multo ceteros antecesserunt rerum gestarum gloria. — Hæc dicuntur etiam absolute *gesta, orum,* n. *Nepos Datam.* 1. Obscuriora sunt ejus gesta pleraque. Et in num. singul. *Commodian.* 52. 10. Sit tibi peccare desistere, gestum immensum. — 2.°) *Negotium gerere* eodem sensu dicitur, quo rem gerere. *Cic.* 13. *Fam.* 5. Ut susceptum negotium pro tua fide et diligentia, et voluntate Cæsaris, qui tibi rem magnam difficilemque commisit, gerere possis. *Id.* 13. *Att.* 3. Si ipse negotium meum gererem, nihil gererem, nisi consilio tuo. *Id. Rosc. com.* 11. 32. et 2. *Cat.* 10. 21.; et *Cæs.* 3. *B. G.* 18. Negotium bene, male etc. gerere. *Cic. Quinct.* 13. 12. Quid negotii geritur? *Seneca* 4. *Benef.* 27. *ad fin.* Melius paterfamilias habebitur, qui negotiorum gestorum damnato patrimonii sui curam mandaverit. *ad uno convinto di malaversazione,* qui negotia alterius sibi demandata mala fide gessit et administravit: qua de re *titulus* 5. *lib.* 3. *Dig.* inscribitur. — 3.°) *Bellum gerere* est administrare, capessere. *Cic.* 1. *de republ.* 16. Bello illo maximo, quod Athenienses et Lacedæmonii summa inter se contentione gesserunt. *Id.* 5. *ibid.* 2. Ceteri (reges) etsi hoc quoque munere fungebantur, magnam tamen partem bella gesserunt et eorum jura coluerunt. *Sall. Jug.* 46. Ut Jugurtha absens an præsens, pacem an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur. *Liv.* 5. 48. Galli per aliquot dies in tecta modo urbis nequicquam bello gesto etc. *Vellej.* 2. 104. Bellum erat ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter. *finito, compito.* — Sic *bellum gerere cum aliquo* est contra aliquem belligerare. *Cic.* 2. *de republ.* 9. Romulus bella cum finitimis felicissime multa gessit. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 40. 103. et *Sext.* 2. 4.; et *Cæs.* 1. *B. G.* 1. — Alio sensu *bellum gerere cum aliquo* apud *Nepot. Chabr.* 3. est simul cum aliquo adversus alium. — Generatim *Liv.* 24. 8. Nullis inclusum angustiis, quo minus ita omnia gerat administretque, ut tempora postulabunt belli. — Huc referri potest et illud *Lucan.* 2. 274. Prælia gesturus consul. — 4.°) *Morem alteri gerere* est obsequi, obedire, *far a modo altrui.* — Active. *Plaut. Capt.* 2. 3. 44. Beneque hero gessisse morem in tantis ærumnis tamen. *Ter. Heaut.* 5. 1. 74. Sine, me in hac re gerere mihi morem. Sic *Ennius* apud *Non. p.* 342. 24. Gerere morem alicui in aliqua re. *Plaut. Cist.* 1. 1. 87. Mea mater de ea re gessit morem morigeræ mihi. Adde *eumd. Men.* 5. 2. 37. et *Mil. glor.* 2. 1. 56. *Cic.* 1. *Tusc.* 9. 17. Geram tibi morem, et ea quæ vis, ut potero, explicabo. Adde *eumd.* 2. *Nat. D.* 1. 3. et 3. *de republ.* 5. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 13. gerat ille suo morem furioso amori. — Et omisso Dat. personæ. *Plaut. Mort.* 3. 2. 36. Ut homines sunt, ita morem geras. — Passive. *Plaut. Most.* 1. 3. 69. Soli gerundum censeo morem. *Ter. Eun.* 1. 2. 108. Mos gerundus est Thaidi. *Id. Adelph.* 2. 2. 6. Adolescenti morem gestum oportuit. *Cic.* 2. *Att.* 16. *a med.* Ut utrique a me mos gestus esse videatur. — 5.°) *Gerere* absolute est idem ac rem gerere. *Cic.* 1. *de republ.* 8. Quum superiores alii fuissent in disputationibus perpoliti, quorum res gestæ nullæ invenirentur; alii in gerendo probabiles, in disserendo rudes. *Id.* 3. *ibid.* 9. Post autem cum Persis et Philippus, qui cogitavit, et Alexander, qui gessit, hanc bellandi causam inferebat etc. *Id. Fontej.* 2. 4. Is, qui gessit, in judicium vocatur: vos, qui in re non interfuistis, causam — cognoscitis. *Vulgati libri habent* Hæc qui gessit: *at Klotz ita legit. Liv.* 25. 22. Quia consules, ubi summa rerum esset, ad id locorum prospere gererent. *Id.* 40. 58. Sive cæsi ab Romanis forent —, sive prospere gessissent. *Vellej.* 2. 102. 2. Armeniam deinde ingressus prima parte introitus prospere gessit. *Alii tamen leg.* rem gessit: V. *Kritz* ad h. l. — 6.°) *Gerere ætatem, annum, tempus, vitam* est transigere, agere, *passare. Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. Ut Tullia cum aliquo adolescente primario conjuncta ætatem gereret. *Hic al. leg.* agere, ut et in illo *Sueton. Vesp.* 24. Exstinctus est annum gerens sexagesimum ac nonum. Sed *Grævius, Cellar.* et al. ex plurimis MSS. *gero* defendunt. Rursum *Sueton. Domit.* 1. Primæ adolescentiæ tempora tanta inopia gessisse fertur, ut etc. Sic *Petron. fragm. Tragur.* 63. *Burmann.* Gerere vitam. *Val. Flacc.* 6. 695. impubemque gerens sterilemque juventam. Adde *Aurel. Victor.* in *Epitom.* 44. ¶ 3. Cum Accusativo personæ. — *a*) *Gerere se aliquo modo* est agere, exhibere, præbere, præstare, *portarsi, procedere. Cic.* 11. *Fam.* 27. 5. In maximis rebus quonam modo gererem me adversus Cæsarem, usus tuo consilio sum. *Id.* 1. *Off.* 28. 98. Quum eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos adversus homines geramus. *Id.* 5. *Att.* 17. Sic in provincia nos gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut etc. *Id.* 1. *leg. Agr.* 8. 26. Sic me in hoc magistratu geram, ut etc. *Sall. Jug.* 54. Uti sese victus gereret, exploratum misit. Rursus *Cic.* 1. *Off.* 26. 90. Recte præcipere videntur, qui monent, ut quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius. *Id.* 1. *de republ.* 43. Gerere se liberius. *Id.* 6. *Att.* 1. 13. se valde honeste. *Id.* 9. *ibid.* 2. A. 2. se perdite. *Id.* 2. *Tusc.* 21. 48. se turpissime. Cf. *Plin.* 2. *Ep.* 12. se turpiter in legatione. *Nepos Cim.* 2. se contumacius. *Liv.* 41. 10. se inconsultius. *Ovid. Heroid.* 4. 31. Gerere se sine crimine. Huc pertinet et illud *Cic. Arch.* 5. 11. Eum, qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive. — *b*) *Gerere aliquem,* ut *agere aliquem,* est ejus personam sustinere. *Justin.* 32. 3. 1. Nec heredem regni, sed regem gerebat. *Plin. Paneg.* 44. Privato judicio principem geris, meliorem immo te præstas, quem tibi alium precabare. *Apul.* 1. *Met.* Gerere se ædilem. *farla da edile. Seneca Troad.* 714. excidat Hector: Gere captivum, positoque genu etc. *portati da schiavo. Claudian. IV. cons. Honor.* 293. Tu civem patremque geras. — *c*) *Gerere se et aliquem* est tractare, accipere, habere, *trattare. Sall. Jug.* 85. Egomet in agmine, in prælio, consultor idem et socius periculi, vobiscum adero: meque vosque in omnibus rebus juxta geram. *Id. ibid.* 55. Romæ gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus, ut seque et exercitum more majorum gereret. ¶ 4. Denique *præ se gerere aliquid* est præ se ferre, ostendere, exhibere. *Cic.* 2. *Invent.* 9. 30. Affectionis ratio perspicuam solet præ se gerere conjecturam. *Id. ibid.* 52. 157. Præ se quamdam gerere utilitatem. *Auct. B. Afr.* 10. Animum altum et erectum præ se gerebat. — Hinc Part. præs.

Gerens, entis, adjective quoque occurrit cum Genitivo, et est qui gerit, seu translate administrat. *Cic. Quinct.* 19. 62. Sui negotii bene gerens. *attento a' suo' interessi, che ben governa la sua casa.* Contra *Plaut. Truc.* 1. 2. 43. Idem quod tu facis, faciunt rei male gerentes.

Gesta, orum, n. plur. 2. et *Gestum, i,* absolute, substantivorum more, a Part. præter. pass. *Gestus,* V. supra sub II. 2. 1.

Homonym. *Gero* usu differt a *fero* et *porto,* quia *fero, porto tibi* aut *ad te quippiam* aut *in aliquem locum* dicimus; *gero* hoc modo, quod sciam, non dicimus. Hæc *Forcellinus.* Ceterum *V.* in fin. v. FERO.

GĔRO, ōnis. *V.* FORAS-GERONES.

GEROMATRITA. *V.* HIEROMATRITA.

GĔRONTĒA, æ, f. 1. γερόντεια, scil. βοτάνη, a γερόντειος; *senilis. Apul. Herb.* 75. Gerontea herba, quæ et senecio appellatur.

GERONTEUM, ei, n. 3. γερόντειον, senatus. Vox e Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 284. Propirieum (*lege* propylæum), gyronteum (*lege* geronteum).

GĔRONTŎCŎMĪUM, ii, n. 2. *spedale da vecchi,* γεροντοκομεῖον, locus, in quo senes pauperes aluntur et curantur. Vox Græca, a γέρων *senex* et κομέω *curam gero.* Legitur in *Cod.* 1. 2. 19., 22. et 23. — Dicitur et *gerontotrophium* eadem significatione, sed alia radice, nempe a τρέφω *nutrio.*

GĔRONTŎDĬDASCĂLUS, i, m. 2. *maestro de' vecchi,* senum præceptor. Vox Græca, e γέρων *senex* et διδάσκαλος *doctor:* qua unam e suis Satyris *Varro* inscripsit, *gerontodidascalon* proverbialiter appellando eum, qui frustra laborem impendit in rem seram et intempestivam.

GERRÆ, ārum, f. plur. 1. γέῤῥα.

I.) Proprie sunt crates vimineæ, scuta Persica e viminibus texta. *Paul. Diac. p.* 94. 4. *Müll.* Sic *Varro* 7. *L. L.* 55. *Müll.* Congerro a gerra. Id Græcum est, et in Latina cratis. *Id.* apud *Non. p.* 118. 28. *Merc.* dicit, esse fascinos, qui sic in Naxo insula Veneris ab incolis appellantur. *V.* multa hac de re a *Müllero* disputata ad *Paul. Diac. p.* 40. 6.

II.) Translate. ¶ 1. Gerræ dicuntur nugæ, nugamenta, res frivolæ, *ciance, baje, pazzie,* λῆροι. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 9. tuæ blanditiæ mihi sunt, quod dici solet, gerræ germanæ, atque edepol liroe liroe. *Id. Epid.* 2. 2. 45. Quid istæ, quæ vesti quotannis nova inveniunt nomina, tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium, *etc.* gerræ maximæ. *Auson. ad Symmach. initio Edyll.* 11. seu *Gryphi.* Misi itaque ad te frivola, gerris Siculis vaniora. ¶ 2. Adhibetur etiam loco interjectionis. *Plaut. Trin.* 3. 3. 31. Gerræ! ne tu illud verbum actutum inveneris. Adde *eumd. Asin.* 3. 3. 10.

GERRES, is, m. 3. Gerres sunt pisces saliti atque inveterati et nullius pretii, *Plinio* teste 32. *Hist. nat.* 11. 53. (148). *Martial.* 12. 32. Pulsæ gerres, aut inutiles mænæ, Odor impudicus urcei fatebatur. Adde *eumd.* 3. 77. *Gloss. Philox.* Gerres, μαινίδες. — Hinc *addere garo gerrem,* proverb. rei pretiosæ aliquid vile addere et immiscere. *Arnob.* 5. 44. Addidistis, ut dicitur, garo gerrem, quum deorum nominibus appellavistis res turpes, et vocabulis rursus deos rerum coinquinastis infamium. *V.* GARUM. — In editione *Arnobii* 1542. et in *Adag. Manut.* legitur *addidistis, ut dicitur, gangrænam,* quod explicat *Manut.* geminastis malum, et veterem culpam novæ noxæ accessione gravastis. Hoc sane cum *Arnobii* sententia belle convenit: placet tamen magis prior lectio.

GERRĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* a gerres, parvus gerres. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (148). Est autem (draco) gerriculæ similis.

GERRĪNUS, a, um, adject. qui ad gerras pertinet. *Plaut. Epid.* 2. 2. 49. Cymatile, aut plumatile, cerinum, aut gerrinum: gerræ maximæ. Vox quidem nihili est *gerrinum,* sed quam *Plautus* finxit, ut locus esset lepidæ paronomasiæ, quæ inest verbis *cerinum, gerrinum;* ibi enim loquitur de vestibus mulierum, quibus quotannis nova inveniebant nomina. Alii leg. *melinum,* quam vocem *V.*

GERRO, ōnis, m. 3. nugator apud *Paul. Diac. p.* 40. 6. *Müll. V.* CERRONES. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 10. Gerro, iners, fraus, helluo.

GERTĪBŬLUM. *V.* CARTIBULUM.

GĔRŬLA, æ, f. 1. adjective est quæ gerit, quæ fert aliquid: *V.* GERULUS. *Solin.* 1. *extr.* Navis gerula sacrorum. *Apul.* 6. *Met.* Divinæ formositatis gerula Psyche. — Hinc absolute, substantivorum more, est gestatrix, nutrix puerorum; et occurrit apud *Tertull. Anim.* 19. *sub fin.* et *advers. Jud.* 9. *ante med.* — Alia tamen est a nutrice apud *Hieronym. Ep.* 107. *n.* 4. *ad fin.* Nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciva, non garrula; habeat modestam gerulam, nutricium gravem. Cf. *Vulgat.* in-

terpr. Ruth 4. 16. Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, et nutricis ac gerulæ fungebatur officio.

GĔRŪLĀNUS, i, m. 2. *Inscript.* apud *Almelov. Fast. Cons. p.* 40. *in præfat.* PATRONVS CORPORIS GERVLANORVM. *Guasco, Inscript. Capitol. T.* 1. *p.* 54. putat *gerulanos* eosdem esse ac gerulos: mihi lapicidæ mendum videtur pro *gerulorum*: viderint eruditi.

GĔRŪLĬFĬGŬLUS, i, m. 2. (*gerulus* a *gerere*, et *figulus* a *fingere*) vox ficta a *Plauto Bacch.* 3. 1. 14. Quibus (*factis*) tuum patrem meque una, amicos, affines tuos tua infamia fecisti gerulifigulos flagitii. *h. e.* docentes et patrantes flagitia. *V.* GERULUS sub *c.* in fin.

GĔRŬLO, ōnis, m. 3. idem ac gerulus. *Apul.* 3. *Met. sub fin.* Gestaminum modus numerum gerulonum excedit. *Alii tamen leg.* gerulorum.

GĔRŬLUS, a, um. *V.* GERULA et voc. seq. Ceterum neutr. gen. occurrit tantum apud *Solin.* 20. Cornua potuum gerula.

GĔRŬLUS, i, m. 2. qui gerit vel fert aliquod onus, et fere pro bajulo accipitur, idest pro eo, qui mercedis gratia onera ferre consuevit, φορτηγός (It. *facchino, portatore*; Fr. *porteur*; Hisp. *portador*; Germ. d. *Träger*; Angl. *a porter, carrier, bearer of burdens*). Occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 79. Næ ille alium gerulum (*argenti*) quærat sibi. *altri che gli porti il danaro. Horat.* 2. *Ep.* 2. 72. Festinat calidus mulis gerulisque redemptor. *Colum.* 10. *R. R.* 310. Ære sinus gerulus plenos gravis urbe reportet. *Sueton. Cal.* 40. Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava exigebatur. *Sidon.* 8. *Ep.* 13. Gerulus litterarum. *il portalettere.* — *b*) Speciatim *geruli decuriales* dicuntur in *Inscript.* apud *Gruter.* 1085. 11. et apud *Orell.* 976. qui in decurias conscripti, et in corpus aliquod collecti, *la fraglia dei facchini*, portandis præsertim mercibus e portu in Urbem publice inserviebant. Adde *alias* apud *Orell.* 874. et 4196. Sic et Anagniæ fuerunt, ut patet ex *Inscript.* apud *Henzen.* 7190. EIVODI M. AVREL. SABINIANO AVGG. LIB. PATRONO CIVITATIS ANAGNINOR. ITEMQ. COLLEGI CAPLATORVM DECVRIALI DECVRIAE LICTORIAE POPVLARIS DENVNCIATORVM ITEMQ. GERVLOR. SED ET DECEMVIRALIS etc. Hinc in *Inscript.* Græca MS. legitur Δεκούρια γερουλῶν. — *c*) Item speciatim *gerulus* etiam dicitur, qui aliquid efficit, ut notat *Scalig.* ad *Paul. Diac. p.* 95. 10. *Müll.* Hinc *Gloss. Philox.* Gerulus, ὁ πράττων, ὁ πράκτωρ. Hinc *gerulifigulus flagitii*, apud *Plaut.* V. GERULIFIGULUS.

GĔRUNDĬUM, ii, n. 2. modus verborum sub una voce activum et passivum sensum habens, et infinitivi vices aliquando implens. *Charis.* 2. *p.* 141. et 147. *Putsch.* vocat *supinum*: *Diomed.* 1. *p.* 333. *participialem modum*; sed et *gerundium p.* 350., ut et *Priscian.* 8. *p.* 808. etc. At *Cledon. p.* 1873. appellat hæc verba *gerundi*: (sic *Macrob. de different. et sociel. Græci Latinique serm.* appellat *gerundi modos*) atque ideo dici ait, quia nos aliquid gerere significant, ut puta *legendi causa veni, legendo mihi contigit valetudo, legendum mihi erit.* Dicitur etiam *Gerundivus modus* a *Servio ibid. p.* 1788., ubi quod tam agentis, quam patientis vim habeat, ostendit illo *Virg.* (3. *Ecl.* 25.) *Cantando tu illum*, ubi activam, et illo (8. *Ecl.* 71.) *cantando rumpitur anguis*, ubi passivam significationem habet. *V.* USURPATIVUS.

GĔRUNDĪVUS, a, um. *V.* voc. præced. in fin.

GĔRŪSĬA, æ, f. 1. *curia, sala del consiglio*, γερουσία, locus in quo senatus habetur, curia. Græca vox a γέρων *senex. Paul. Diac. p.* 94. 13. *Müll. Varro* 5. *L. L.* 156. *Müll.* Senaculum vocatum, ubi senatus, aut ubi seniores consisterent; dictum, ut γερουσία apud Græcos. — Item ædificium, quale Athenis prytaneum, in quo senes de re publica optime meriti publice alebantur. *Plin.* 10. *Ep.* 42. Incendium duo publica opera, gerusian et Iseon absumpsit. *Vitruv.* 4. 8. Crœsi domus, quam Sardiani, civibus ad requiescendum ætatis otio, seniorum collegium gerusian dedicaruut. Adde *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. 49. (172).

GESEORĒTÆ, ārum, f. plur. 1. vel

GESORĒTA, æ, f. sing. 1. navigii speculatorii genus, quod quidam idem putant ac *prosumia. Gell.* 10. 25. in cujus verbis grave mendum cubare quidam putant.

GESTĀBĬLIS, e, adject. *portatile*, qui gestari potest. *Cassiod.* 1. *Variar.* 45. Cælum gestabile. *h. e.* parva machina Archimedis sphæram cælestem referens.

GESTĀMEN, inis, n. 3. occurrit *A*) Passive; et *B*) Active.

A) Passive gestamen est quidquid geritur, ut vestes, arma, sceptrum, *ciò che si porta*, φόρημα. — *a*) In singulari numero. *Virg.* 3. *Æn.* 286. clipeum, magni gestamen Abantis. *Id.* 7. *ibid.* 246. Hoc Priami gestamen erat. *Sil. It.* 5. 349. proprio tectum gestamine præceps Ex acie rapit. *h. e.* scuto. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 11. (23). *de margaritis.* Haruspices religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. *Id.* 37. *ibid.* 8. 33. (111). Hoc est gestamen (*callais gemma*) in cervice ac digitis gratissimum. *Apul.* 7. *Met.* Gestamen asini. — *b*) In plurali numero. *Ovid.* 1. *Met.* 457. Ista decent humeros gestamina nostros. *Id.* 15. *ibid.* 163. Cognovi clipeum lævæ gestamina nostræ. *Val. Flacc.* 6. 671. sua virgo deæ gestamina reddit. *Apul.* 11. *Met.* Gestamina longe diversa: nam dextera ferebat crepitaculum etc.

B) Active est id, quo quippiam gestatur. *Tac.* 2. *Ann.* 2. Segni equorum cura, quotiens per urbem incederet, lecticæ gestamine. *Id.* 11. *ibid.* 33. In eodem gestamine sedem poscit sumitque. *h. e.* in eadem lectica poscit sellam ad sedendum. *Id.* 14. *ibid.* 4. Agrippina gestamine sellæ Bajas pervecta. Adde *eumd.* 15. *ibid.* 57. *Val. Flacc.* 6. 71. cerva satis fulgens et cornibus aureis Ante aciem celsi vehitur gestamine conti. *Sedul.* 4. 297. lecto gestamine vilis aselli.

GESTĀTĬO, ōnis, f. 3. occurrit *A*) Active, et *B*) Passive.

A) Active est actus gestandi, gestatus, latio, *il portare*, φορά. *Lactant.* 3. 22. *extr.* Assignavit lanam et telam viris et infantium gestationes.

B) Passive. ¶ 1. Sumitur pro exercitatione, qua quis equo, navi, curru vehitur lecticave, *il farsi portare*, αἰώρημα. *Seneca Ep.* 55. A gestatione quum maxime venio, non minus fatigatus, quam si tantum ambulassem, quantum sedi. *Cels.* 2. 15. Gestatio quoque longis et jam inclinatis morbis aptissima est; genera autem gestationis plura sunt: lenissima est navi vel in portu vel in flumine, vehementior vel in alto navi, vel lectica, etiamnum acrior vehiculo. *Theod. Priscian. l.* 2. *p.* 2. *c.* 11. Vinum leve et album, balneæ, deambulatio vel gestatio, unctio vel fricatio. *Sueton. Vesp.* 21. Gestationi vacare. Adde *eumd. Claud.* 33. ¶ 2. Item locus est arboribus densis opacus, per quem a succollantibus servis valetudinis, aut voluptatis causa gestabantur, ea forma, qua cœnatio dicta est locus, ubi cœna capiebatur, *ambulatio* locus, ubi deambulabatur, *passeggio, viale, stradone. Plin.* 5. *Ep.* 6. Ab his gestatio in modum circi, quæ buxum multiformem, humilesque ac retentas manu arbusculas circumit. *Id.* 2. *ibid.* 17. Hortum et gestationem videt, qua hortus includitur, etc. ¶ 3. *Gestatio circini* est arcus a circino descriptus, *giro del compasso. Inscript.* apud *Gruter.* 201. 8. GESTATIO CIRCINI EXTERIOR A DIAETA APOLLINIS. AD DIAETAM EAMDEM IN CIRCVITV P. ∞ CCLXXVII. EFFICIT, etc. Alia apud *Fabrett. p.* 671. *n.* 3. IN HOC POMARIO GESTATIONIS PER CIRCVITVM ITVM ET REDITVM QVINQVIENS EFFICIT PASSVS MILLE. Adde *aliam* apud *Orell.* 4336.

GESTĀTOR, ōris, m. 3. occurrit *A*) Active; et *B*) Passive.

A) Active est qui gestat. *Plin.* 9. *Ep.* 33. Delphinus gestator et collusor puerorum. Cf. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 314. *Burmann.* Et juvenis gestator aquæ. *h. e.* Aquarius.

B) Passive, quemadmodum *gestatio* et *gestans* passive sumitur, ita *gestator* pro eo, qui curru, aut lectica vehitur, vel navi: qui et *vector* eadem ratione dicitur. *Martial.* 4. 64. Illic Flaminiæ Salariæque Gestator patet, essedo tacente.

GESTĀTŌRĬUS, a, um, adject. *gestatorio*, in quo aliquid gestatur. *Sueton. Ner.* 26. Gestatoria sella delatus in theatrum. *in sedia da mano.* Adde *eumd. Vitell.* 16. — Hinc

Gestatorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est sella gestatoria, φορεῖον. *Vulgat. interpr.* 2. *Machab.* 9. 8. Humiliatus ad terram in gestatorio portabatur. — Nonnulli addunt *Sueton. Claud.* 33. Solitus enim in gestatorio ludere. *Al. rectius leg.* in gestatione.

Gestatoria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, (subaudi *sella*) est ipsa sella gestatoria. *Sidon.* 8. *Ep.* 8. Licet tu deductum nomen a trabeis, et eboratas curules et gestatorias bracteatas et fastos recolas purpurissatos.

GESTATRIX, icis, f. 1. quæ gestat. *Val. Flacc.* 4. 605. Divaque Gorgonei gestatrix innuba monstri.

GESTĀTUS, a, um. *V.* GESTO.

GESTĀTUS, us, m. 4. idem ac gestatio. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 25. 30. (103). Adeo teneris cerasis, ut gestatum non tolerent.

GESTĬCŬLĀRĬA, æ, f. 1. *giocolatrice*, ὀρχήστρια, mima, saltatrix, quæ corporis gesticulatione populum oblectat. *Gell.* 1. 5. Non jam histrionem eum esse diceret, sed gesticulariam, Dionysiamque eum notissimæ saltatriculæ nomine appellaret.

GESTĬCŬLĀRĬUS, ii, m. 2. gesticulator, saltator. *Ammian.* 24. 4. Mutum puerum oblatum suscepit sibi gesticularium, multa, quæ callebat, nutibus venustissimis explicentem.

GESTĬCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. ὀρχηθμός, μίμησις, gesticulandi actus. *Sueton. Tib.* 68. Nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Adde *Apul.* 10. *Met.*

GESTĬCŬLĀTOR, ōris, m. 3. *giocolatore*, μῖμος, χειρονόμος, qui corporis gestu populum oblectat. *Colum. præf. l.* 1. *R. R.* 3. Nec minus corporis gesticulatorem scrupulosissime requirant, saltationis, aut musicæ artis studiosi. *ballerino.*

GESTĬCŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

GESTĬCŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Gesticulatus* etiam pass. — Gesticulari est gestus facere, *atteggiare, giocolare*, χειρονομεῖν. *Sueton. Domit.* 8. Gesticulandi saltandique studio teneri. *Id. Ner.* 42. Jocularis in defectionis duces carmina, lasciveque modulata etiam gesticulatus est. idest ad numerum saltavit. *Fronto de oration.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 1. Alter pudice pranderit, alter labellis gesticulatus erit. *Petron. Satyr.* 36. Scissor ad symphoniam gesticulatus, laceravit obsonium. — Part. *Gesticulatus* passive quoque occurrit apud *Solin.* 27. *sub fin.* Similes gesticulatis motibus inquietæ.

GESTĬCŬLUM. *V.* voc. seq.

GESTĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* a gestus, gesticulatio, mimicus gestus. *Tertull. Apolog.* 19. Cum digitorum supputariis gesticulis. *Mar. Victorin. p.* 2510. *Putsch.* Ut in quibusdam saltationum gesticulis nostra corpora pone pendantur. *Jul. Valer. de reb. gestis Alex. M.* edente *A. Maio p.* 518. Gesticula mansuetudinis superat. Hinc *A. Maius* non *gesticulus*, sed *gesticulum* casum rectum efformandum ait.

GESTĬO, is, ivi vel ii, itum, ire, n. 4. *Gestibant* antique dictum, ut *lenibant, audibant* etc., legitur apud *Plaut. Asin.* 2. 2. 49. — Part. *Gestiens* I. — Gestire est lætitiam præ se ferre, et aliquo corporis motu, oculis, manibus indicare: a *gestu*, ut placet *Paul. Diac.* qui ait *p.* 96. 7. *Müll.* Gestit, qui subita felicitate exhilaratus, nimio corporis motu præter consuetudinem exsultat: vel fortasse, ut opinatur *Döderlein.* (*Latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 145.) est velut frequentativum ab ἀγάζομαι, ἀγαθός, γηθεῖν. Gr. γαυριάω (It. *esultare, ringalluzzarsi, far festa*; Fr. *tressaillir de joie, sauter ou bondir de joie*; Hisp. *estremecer, sobresaltar, saltar de gozo*; Germ. *leidenschaftlich sich geberden, ausgelassen froh, lustig, munter sein*; Angl. *to express joy by some motion or gesture of the body, to exult*).

I.) Proprie. *Donatus* ad *Ter. Eun.* 3. 5. 7. et *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 386. docent, *gestire* proprie dici de brutis animalibus: sed perperam, nam etiam de hominibus sæpe occurrit apud *Cic.* — *a*) Cum ablativo rei, qua quis gestit. *Cic.* 2. *Fin.* 4. 14. Quorum alter lætitia gestiat, alter dolore crucietur. *Id.* 5. *Tusc.* 6. 16. Elatus ille levitate inanique lætitia exsultans et temere gestiens. *Id.* 1. *Off.* 29. 102. Voluptate nimia gestire. *Liv.* 6. 36. Coloni gestientes otio. *Id.* 45. 19. Animus gestiens secundis rebus. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 4. Ut quum apricitate diei gestiunt aves, nandi velocitate concertent. Adde *Cic.* 1. *Nat. D.* 27. 77. — *b*) Absolute. *Ter. Eun.* 3. 5. 7. Quid gestiam, aut quid lætus sim, quo pergam etc. Adde *eumd. ibid. v.* 10. *Cic.* 2. *Nat. D.* 59,

148. Deducere perterritos a timore, gestientes comprimere. *insolenti*. *Id.* 2. *Orat.* 6. 23. Nostri animi – gestiunt ac volitare cupiunt, vacui cura ac labore. *Id.* 4. *Tusc.* 6. 12. Quum lætitia – efferatur et gestiat. *Id. ibid.* § 13. Quum inaniter et effuse animus exsultat, tum illa lætitia gestiens, vel nimia dici potest. *pazza allegrezza*. *Val. Flacc.* 3. 634. tum gestit aper, quum sese Martia tigris Abstulit. Apud *Petron. Satyr.* 87 anni ad patiendum gestientes dicuntur παίδων ἐν ἀκμῇ σπαργώντων καὶ ὀργώντων.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr., de oratione. *Quintil.* 10. 5. 15. Historiæ nonnunquam ubertas in aliqua exercendi stili parte ponenda et dialogorum ubertate gestiendum. *h. e.* efferri stilo oportet et libere spatiari dialogis componendis. ¶ 2. Significat etiam vehementer cupere, *desiderare, agognare*, et gestibus cupiditatem ostendere; et occurrit — *a*) Cum infinito. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 114. Roga, obsecro hercle, gestio promittere. Adde *eumd. ibid.* 4. 6. 11. *Cic* 4. *Att.* 11. Gestio scire omnia. *Id.* 4. *Phil* 6. 14. Antonius senatum, id est orbis terræ consilium, delere gestit. Adde *eumd* 4. *Fin.* 4. 8. *Id.* 2. *Att.* 7. Gestit animus aliquid agere in republica. *Horat.* 3. *Od.* 16. 23. Nudus castra peto et transfuga divitem Partes linquere gestio. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 20. 5. *Vellej.* 2. 7. Quidquid tumultuando adipisci gestierunt etc. Et de inanimis *Cic. Marcell.* 3. 10. Parietes hujus curiæ tibi gratias agere gestiunt. — *b*) Cum Accusativo et Infinito præcipue passivo. *Plaut. Asin.* 4. 1. 43. Equidem illam moveri gestio. *Ter. Phorm.* 2. 1. 30. Ipsum gestio dari mihi in conspectum. *Plin. Paneg.* 39. Principes a singulis rogari gestiebant. *Gell.* 16. 13. In jus coloniarum mutari gestiverint. *Justin.* 2. 9. 4. Neminem superesse, quem amplius mori gestiat, quam ipsum tyrannum. — *c*) Cum addito Ablativo. *Virg.* 1. *G.* 386. da cygnis. nunc currere in undas Et studio incassum videas gestire lavandi. — *d*) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 167. Gestiunt pugni mihi. *h. e.* tundere gestiunt. *Id. Asin.* 2. 2. 49. Dudum scapulæ gestibant mihi. *h. e.* pruriebant, quasi verbera exspectantes. *V.* PRURIO.

GESTĬO, ōnis, f. 3. actus gerendi. ¶ 1. Est curatio, cum voce *negotii, amministrazione, maneggio*, διοίκησις. *Cic.* 1. *Invent.* 26. 38. In ipso gerendo negotio quid actum sit. - In gestione autem negotii etc. *Id.* 2. *ibid.* 12. 39. Quid in ipsa re gerenda, quid postea consecutum sit. Deinde ipsius est negotii gestio pertractanda. ¶ 2. Alio sensu. *Ulp. Dig.* 11. 7. 14. § 8. Ex hoc neque pro herede gestio, neque aditio præsumitur. *h. e.* neque præsumitur se gessisse pro herede. *Torrentin.* habet *geritio*.

GESTĪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Gestitans*. — Gestito, frequentat. a *gero*, est frequenter gero, gerere soleo; *portare indosso, avere*. *Plaut. Cist.* 4. 2. 83. Hæc crepundia mea herilis gestitavit filia. *Id. Curc.* 5. 2. 4. Pater istum anulum meus gestitavit. *Id. Mil. glor.* 1. 7. Machæram jam pridem feriatam gestitare. *Id. Pœn.* 1. 2. 186. Jam quasi ostreatum tergum ulceribus gestito. Cf. *Ennius* apud *Gell.* 7. 17. Pectus purum et firmum gestitat. *Solin.* 45. Ficus Ægyptia poma non ramis tantum gestitans, sed et caudice.

GESTO, as, āvi, ātum, are, *intensivum a* gero. Part. *Gestans* sub *B.*; *Gestatus* sub *A.* I. 1. et 2.; *Gestandus* sub *A.* I. 1. et II. 1. — Gestare occurrit *A*) Active, seu cum Accusativo; et *B*) Neutrorum more.

A) Active, seu cum Accusativo est idem fere quod gerere, φέρω (It. *portare, avere*; Fr. *porter ou avoir sur le corps, porter, avoir*; Hisp. *llevar, traer, haber*; Germ. *an sich tragen oder haben, führen*; Angl. *to carry, bear, have*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De iis, quæ manibus aut alio modo feruntur. *Ter. Adelph.* 4. 2. 24. Quem ego puerum tantillum in manibus gestavi meis. *Cic.* 11. *Phil.* 2. 5. Cervicibus caput abscidit, idque affixum gestari jussit in pilo. Cf. *Vellej.* 2. 27. 3. Cujus abscissum caput ferri gestarique circa Præneste Sulla jussit. *Liv.* 27. 48. Qui aderant, itinere ac vigiliis fessi – vix arma humeris gestabant. *Horat.* 1. *Od.* 35. 19. Claves trabales et cuneos manu Gestans ahena. Sic *Ovid.* 13. *Met.* 346. frustra Telamone creatus Gestasset læva taurorum corpora septem. *h. e.* scutum. *Id.* 2. *ibid.* 366. quæ (*electra*) nuribus mittit gestanda Latinis. Rursus *Horat.* 2. *Sat.* 3. 214. Lecticâ gestare aliquem. *Curt.* 4. 2. Dorso, sicut jumenta, onera gestare. *Id.* 3. 3. Hastati spicula auro præfixa gestabant. *Sueton. Tib.* 69 Coronam lauream capite gestare. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (158). Gestare digito gemmam. *Id.* 15. *ibid.* 29. 37. (124). Virgæ myrti gestatæ manu viatori prosunt. *Sillig.* pro *manu* ex pluribus Codicib. *modo* leg. *Id.* 7. *ibid.* 15. 13. (65). Formicæ gestatas fruges abjiciunt. *Val. Flacc.* 8. 118. longoque sibi gestata per annos Phrixeæ monumenta fugæ vix reddidit arbor. — *b*) De corporis membris. *Virg.* 1. *Æn.* 567. Non obtusa adeo gestamus pectora. *Horat.* 1. *Od.* 8. 10. neque jam livida gestat armis Brachia. Cf. *eumd.* 1. *Sat.* 2. 83. Adde huc, quod mercem sine fucis gestat. — *c*) De fetu, quem gravidæ feminæ in utero habent. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (175). Quo majus est animal, tanto diutius formatur in utero; diutius gestantur, quibus longiora sunt vitæ spatia. Et absolute *Id.* 8. *ibid.* 10. 10. (28). Elephantos decem annis gestare in utero vulgus existimat. — *d*) Pro vectare. *Seneca Thyest.* 765. Pavidosque manes squalidus gestat senex. *Tac.* 2. *Hist.* 62. Ex urbe atque Italia irritamenta gulæ gestabantur. *Seneca* 5. *Quæst. nat. sub fin.* Dedit ventos Deus, ut commoda cujusque regionis fierent communia; non ut legiones equitemque gestarent. ¶ 2. Speciatim passive gestari est vehi lectica, equo, curru, navi, exercitationis causa: *V.* GESTATIO. *Seneca Ep.* 122. *circa med.* Nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus. *Martial.* 12. 17. Gestatur tecum sella pariterque lavatur. *Id.* 1. 13. Gestatus bijugis Regulus esset equis. *Id.* 1. 83. Tectis nam modo Regulus sub illis Gestatus fuerat. Cf. et infra sub *B.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. *Plaut. Merc.* 3. 3. 11. Tu quidem meum animum gestas: scis, quid acturus siem. *h. e.* meum animum nosti. *Seneca Thyest.* 1007. sustines tantum nefas Gestare, tellus? — Similiter *Ter. Adelph.* 4. 5. 75. Hiccine non gestandus in sinu est? *h. e.* ferendus in oculis, impense amandus. *Id.* eodem sensu *Eun.* 3. 1. 12. Gestare aliquem in oculis. Contra *Ovid.* 7. *Met.* 32. tum me de tigride natam, Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor. ¶ 2. Speciatim de dictis ponitur pro deferre, referre, *riferire, riportare*. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 14. Homines, qui gestant quique auscultant crimina, si meo arbitratu liceat, omnes pendeant. *Seneca Ep.* 123. Pessimum genus hominum videbatur, qui verba gestarent: sunt qui vitia gestant. *h. e.* qui deferrent dicta aliorum: sed sunt qui vitia secum habent, ut in alios transferant.

B) Neutrorum more ponitur pro vehi lectica, equo etc., ut supra dictum est sub *A.* I. 2. *Sueton. Galb.* 8. Ne ad gestandum quidem aliter unquam iter ingressus, quam ut etc. *Id. Domit.* 11 Simul gestanti, conspecto delatore ejus, Vis, inquit etc.

GESTOR, ōris, m. 3. qui gerit. ¶ 1. Est qui aliquid aliis affert, delator, *portatore, riportatore*. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 14. Homines, qui gestant, quique auscultant crimina, si meo arbitratu liceat, omnes pendeant, gestores linguis, auditores auribus. ¶ 2. Item qui gerit, seu administrat, ut Negotiorum gestor. apud *Scævol. Dig.* 49. 1. 24.

GESTUOSUS, a, um, adject. *pieno di gesti*, ὑποκριτικός, qui multus gestus veluti mimus facit. *Gell.* 1. 5. Manus Hortensii inter agendum argutæ admodum et gestuosæ. *Apul.* 10. *Met.* Puelli puellæque forma conspicui, veste nitidi, incessu gestuosi. *camminando in cadenza*. et 11. *ibid.* Gestuosus gressus.

GESTŪRIO, is, ire, n. 4. valde gestio, et translate appeto. *Ammian.* 16. 12. Gesturientes barritum ciere vel maximum. *Plerique tamen rectius leg.* gestu terrentes.

GESTUS, a, um. *V.* GERO.

GESTUS, us, m. 4. (gero) motus, habitus et moderatio corporis, et præcipue manuum in agendo, vel pedum in saltando, aut incedendo, qua indicatur, quid geratur, inquit *Paul. Diac.* p. 94. 15. *Müll.*, ὑπόκρισις, σχῆμα (It. *gesto, atteggiamento*; Fr. *tenue, maintien du corps, mouvement, geste*; Hisp. *postura, ayre, modo, gesto*; Germ. *d. Tragen, Führen, Bewegen, und zw. d. Körpers od. eines Gliedes, d. Armes, d. Hand, d. Haltung, Bewegung, Stellung, Miene, Geberde*; Angl. *gesture, action or posture expressive of sentiment, demeanour, carriage*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) In singulari num. *Ter. Phorm.* 5. 6. 50. Nunc gestus mihi vultusque est capiundus novus. *Lucret.* 4. 319. Indugredi porro pariter simulacra pedemque Ponere nobiscum credas, gestumque imitari. *Cic.* 1. *Off.* 36. 130. A forma removeatur omnis viro non dignus ornatus, et huic simile vitium in gestu motuque caveatur. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 145. Hoc quidem Zeno gestu conficiebat: nam quum extensis digitis adversam manum ostenderat, *visum*, inquiebat, hujusmodi est; deinde quum paulium digitos constrinxerat, *assensus* hujusmodi. *Id. Balb.* 6. 14. Gestu gratificari alicui. *co' cenni*. *Ovid.* 5. *Trist.* 10. 36. Gestu aliquid significare. *Id.* 4. *Met.* 559. Quo quæque in gestu deprenditur, hæsit in illo. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 183. *Id.* 11. *ibid.* 672. fletus quoque fundere veros Visus erat, gestumque manus Ceycis habebat. *Sueton. Aug.* 7. Ab avium gestu gustuque. *Plin.* 8. *Ep.* 14. *ad fin.* Manu gestuque aliquid demonstrare. — *b*) In plurali num. *Ovid.* 6. *Met.* 308. Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus, Nec pes ire potest. ¶ 2. Speciatim de gestu histrionum et oratorum proprio, qui juxta certa quædam artis præcepta agitur, ad majorem vim verbis addendam. — *a*) De histrionibus. *Cic. Quinct.* 24. 77. Dixi mihi videri ore durissimo esse, qui Roscio præsente gestum agere conaretur. *Id.* 3. *Orat.* 26. 102. Numquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest. Cf. *Val. Max.* 8. 7. n. 7. Roscius nullum unquam spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est. Rursus *Cic.* 1. *Off.* 36. 130. Histrionum nonnulli gestus ineptiis non vacant. Adde *eumd.* 6. *Att.* 1. 8. *Quintil.* 6. 3. 65. Pantomimi duo, qui alternis gestibus contendebant. — *b*) De oratoribus. *Cic.* 3. *Herenn.* 15. 26. Motus est corporis gestus et vultus moderatio quædam, quæ pronuncianti convenit, et probabiliora reddit ea quæ pronunciantur. Convenit igitur in vultu pudorem et acrimoniam inesse: in gestu nec venustatem conspiciendam, nec turpitudinem esse, ne aut histriones, aut operarii videamur esse. et *paullo post*. Tardiura et consideratiure gestu uti. *Id.* 1. *Orat.* 27. 125. Qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum. *Quintil.* 11. 3. 14. Omnis actio in duas partes divisa, vocem gestumque. *Id.* 11. 3. 131. Gestum manu facere. *Cœlius* apud *eumd.* 11. 1. 51. Gestus jactantior. *Quintil.* 11. 3. 159. modestissimus. *Id.* 11. 3. 92. acer atque instans. *Id.* 11. 3. 125. comicus magis, quam oratorius. *Id.* 6. 3. 29. distortus. *Id. ibid.* 26. inurbanus. et *ibid.* ridiculus. — *c*) Hinc figurate de oratione. *Cic. Orat.* 25. 83. Quæ verborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci quasi aliquos gestus orationis σχήματα appellant. Adde *Quintil.* 9. 1. 13. Sic *Gell.* 11. 13. Tum gressibus quoque ipsis orationis et gestibus plauderetis.

II.) Translate de rebus gestus est curatio, administratio, *amministrazione, maneggio*. *Ulp. Dig.* 26. 10. 3. § 9. An possit suspectus postulari ex eo gestu, quem administravit. *Id. ibid.* 7. 22. An duret tutor, vel an gestus illi commissus sit.

GĔSUM. *V.* GÆSUM.

GĔTHȲUM, ii, n. 2. γήθυον, *scalogno*, cæpe condimentarium, pæne sine capite, cervicis tantum longæ, et ideo totum in fronde, sæpiusque resecatur, ut porrum. Latini pallacanam vocant. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 32. (107). et *ibid.* 7. 35. (117). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 320.) hæc adnotat: « On pense que la plante nommée par Pline, d'après les auteurs Grecs, *gethyum*, est la même chose que la ciboule, *Allium Schœnoprasum*. Théophraste donne à cette espèce d'*allium* ce même nom de γήθυον, avec l'épithète σαρδλίς. Sprengel décide qu'il s'agit de l'échalotte, ce qui nous semble peu probable; les feuilles de presque toutes les plantes de la famille des liliacées étant creusées plus ou moins profondement ».

GĔTĬCĒ, adverb. Getarum more. *Ovid.* 5. *Trist.* 12. 58. Jam didici Getice Sarmaticeque loqui.

GĔUM, i, n. 2. herba est, radiculas habens tenues, nigras, bene olentes. Medetur pectoris doloribus, aut lateris, cruditatesque discutit, jucundo sapore. Ita *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 21. (37). Ab herbariis dicitur *caryophyllata vulgaris*; et juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 387.) est *Geum urbanum* L. *Spec. plant.* 716.

GI

GIBBA, æ, f. 1. *gobba*, ὕβωσις, tumor dorsi, aut pectoris: ab ὑβὸς *incurvus*.

I.) Proprie. *Sueton. Domit.* 23. Ferunt somniasse, gibbam sibi, pone cervicem, auream enatam.

II.) Translate. *Ammian.* 23. 4. Axes duo quernei curvantur mediocriter, ut prominere videantur in gibbas. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

GIBBER, ĕra, ĕrum, adject. a Græc. ὑβὸς, ut ab ἴννος fit *ginnus* et *hinnus*: alii volunt esse ab etymo κυπ, unde κύπτω et κυφός. ¶ 1. Est dorsum habens tumore incurvum, *gobbo*, ὑβὸς, κυφός. *Varro* 2. *R. R.* 5. 7. *de forma boum.* Ut sint pilosis auribus, compressis malis, ne gibberi, sed spina leviter remissa. *Id.* 3. *ibid.* 9. 18. Gallinæ Africanæ sunt grandes, variæ, gibberæ. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 26. 38. (74). Gallinarum genus gibberum, variis sparsum plumis. *Id.* 34. *ibid.* 3. 6. (11). Ctesippus fullo, gibber et præterea et alio fœdus aspectu. (Est qui legit *gibbere præterea*, ut sit *gibber, eris*, idem quod gibba.) *Sueton. Galb.* 3. Brevi corpore atque etiam gibber. *Mæcenas* apud *Senec. Ep.* 101. *ad fin.* Tuber gibber. ¶ 2. *Gibberum* pro exstanti, eminenti. *Varro* apud *Non. p.* 452. 5. *Merc.* Item tragici prodeunt cum capite gibbero, quum antiqua lege ad frontem superficies accedebat. *Oehlerus* ad h. l. caput gibberum putat dictum esse caput galero tectum; superficiem autem esse personam. De re V. *Bötticher. De personis scæn.* et *Bened. Wolff. Commentatio de canticis in Rom. Fab. scæn. p.* 22. et seq.

GIBBER, ĕris, m. 3. *gobba*, idem quod gibba, seu curvitas spinæ in quibusdam animalibus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (179). Bubus Syriacis non sunt palearia, sed gibber in dorso. *Apul. Florid. n.* 14. Quum interscapilium Crates retexisset, quod erat acuto gibbere.

GIBBĔRŌSUS, a, um, adject. *gobbo*, idem quod gibber, gibbus.

I.) Proprie. *Sueton. Gramm.* 9. Orbilius Pupillus *gibberosos se de solo in umbram transferre* respondit, quod Murena gibber erat. *Paul. Dig.* 21. 1. 3. Gibberosi, vel curvi, vel pruriginosi. Ita *Torrentin.* et *Gothofred.*; at *Haloand.* habet gibbosi.

II.) Translate *Fronto de eloq.* (edente iterum *A. Maio*) p. 231. sermones gibberosos retortos appellat.

GIBBŌSUS, a, um. *V.* voc. præced. I.

GIBBUS, a, um, adject. *curvo, gobbo, convesso*, ὑβὸς, κυφός, incurvus, inflexus, convexus: a Græcis vocibus allatis. *Cels.* 8. 1. *init.* Calvaria ex interiore parte concava, extrinsecus gibba.

GIBBUS, i, m. 2. *gobba, tumore*, idem quod gibba, tumor. *Juvenal.* 10. 309. Strumosum, atque utero pariter gibboque tumentem. *Id.* 6. 109. mediisque in naribus ingens Gibbus. *Vulgat. interpr. Esai.* 30. 6. Portantes super humeros jumentorum divitias suas et super gibbum camelorum thesauros suos.

GIGERĬA, ōrum, n. plur. 2. vocabulum fortasse a *garo* factum per primæ syllabæ duplicationem. Gigeria *Nonio p.* 119. 20. *Merc.* sunt intestina gallinarum cum isiciis cocta. *Paul. Diac.* p. 95. 7. *Müll.* interpretatur decerpta ex multis obsoniis. Affertur a *Nonio p.* 119. 20. *Merc.* locus *Lucilii*, ubi alii leg. *gigeriæ*, ut sit femininum. *Petron. fragm. Tragur.* 66. *Burmann.* Gigeria optime facta. *Apic.* 4. 2. *a med.* Gigeria pullorum coques.

GIGNO, gignis, gĕnŭi, gĕnĭtum, gignere, a. 3. Est et antiqua *præsentis* temporis forma, *geno, nis, nere*, cujus hæc supersunt. *Varro* apud *Priscian.* 10. p. 898. *Putsch.* Hæc loca aliquid genunt. *Vetus Auct.* apud *Cic.* 2. *Invent.* 42. 122. et 2. *Orat.* 32. 141. Si mihi filius genitur, unus pluresve, is mihi heres esto. Sic *Ulp. Dig.* 30. 1. 17. et *Julian. ibid.* 34. 5. 14. *sub fin.* Si qua filia mihi genitur. Ita *Torrentin.*, alii *gignitur*. Adde *Censorin. de die nat.* 3.; et *Arnob.* 4. 21. Rursus *Varro* 2. *R. R.* 6. 3. Similes parentum genuntur. *Id.* apud *Gell.* 3. 16. Si mihi filius unus pluresve in decem mensibus genuntur. Adde *Lucret.* 3. 431. Et *Id. Lucret.* 3. 799. Totum posse extra corpus durare genique. *Varro* 1. *R. R.* 40. 1. Semen, quod est principium genendi. — *Genuvit* pro genuit est *Ennii* apud *Non. p.* 197. 9. *Merc.*, ubi tamen cl. *Vahlen* legit *genuit*. — *Gignier* per paragogen pro *gigni* dixit *Lucret.* 3. 623. et 6. 246. et 808. — Part. *Gignens* in fin.; *Genitus* et *Geniturus* I.; *Gignendus* II. — Gignere, ab etymo *gen*, γεν, v. γεννάω, γείνομαι et γίγνομαι, unde et *genere*, est generare, procreare, parere, at pass. *gigni* est originem habere, nasci; et usurpatur de animalibus et inanimis (It. *generare, produrre, partorire, e nel pass. nascere*; Fr. *engendrer, enfanter, mettre au jour*; Hisp. *engendrar, procrear, producir, parir*; Germ. *zeugen, erzeugen, hervorbringen, gebären, Pass. entstehen, sich erzeugen, werden*; Angl. *to generate, beget, engender, produce*).

I.) Proprie. — *a*) Active. — Stricto sensu. *Ennius* apud *Non.* p. 197. 9. *Merc.* Saturno, quem Cælus genuit. *Cic.* 3. *Nat. D.* 16. 42. Hercules ex Alcumena, quem Juppiter genuit. Adde *eumd. Fat.* 15. 34. *Curt.* 8. 4. *extr.* E captiva geniturus, qui victoribus imperaret. *Apul.* 5. *Met.* Me (*Venerem*) meliorem filium alium genituram. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 64. 84. (183). Quæcumque animal pariunt, in capita gignunt, circumacto sub enixum fetu. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 129. Pisces ova quum genuerunt, relinquunt. Adde *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 80. (204). Rursus *Cic.* 1. *Nat. D.* 2. 4. Quæ terra gignit, maturata pubescunt. Adde *eumd.* 5. *Fin.* 11. 33. — Latiori sensu. *Ennius* apud *Cic.* 1. *de republ.* 41. o Romule, Romule die, Qualem te patriæ custodem di genuerunt! *Cic.* 14. *Phil.* 12. 32. Ut idem deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur. *Id.* 1. *Fin.* 7. 23. Ad majora quædam natura nos genuit et conformavit. *Id. Tim.* 8. Deus animum ex sua mente et divinitate genuit. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (78). Plurimum aurum Asturia gignit. *Id.* 37. *ibid.* 5. 20. (76). Beryllos India gignit. — *b*) Passive. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 85. Meri bellatores gignuntur, quas hic prægnantes facit. *Liv.* 40. 9. Me subditum et pellice genitum appellant. *Ovid.* 10. *Met.* 522. Nuper erat genitus, modo formosissimus infans, Jam juvenis, jam vir. *Sueton. Tib.* 5. Qui antecedente anno genitum eum scribunt. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 59. (155). Septimo mense genitis sæpe numero foramina aurium et narium defuere. *Id.* 7. *ibid.* 8. 6. (46). Ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri. Adde *Tac.* 13. *Ann.* 45. *Sueton. Aug.* 17. Antonium juvenem majorem de duobus Fulvia genitis interemit. *Ovid. Heroid.* 16. 117. Phryx erat et nostro genitus de sanguine. *Id.* 1. *Met.* 615. vaccam Juppiter e terra genitam mentitur. *Virg.* 9. *Æn.* 642. dis genite et geniture deos. Adde *Quintil.* 1. 10. 9. *Vellej.* 2. 116. 2. Adolescens in omnium virtutum exempla genitus. *Cic.* 1. *Off.* 7. 22. Quæ in terris gignantur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos. *Plaut. Trin.* 4. 2. 89. Ubi tus gignitur. *Curl.* 3. 4. *ad fin.* Corycium nemus, ubi crocum gignitur. *Id.* 8. 10. Multa hedera vitisque toto gignitur monte. — *c*) Poetice cum Infinito. *Lucan.* 6. 485. animal potens leti, genitumque nocere. nato per nuocere. — *d*) Absolute. *Cic.* 2. *Fin.* 33. 109. Ut in gignendo, in educando perfacile appareat. *Cels.* 2. 1. *a med.* Gravidæ, quibus tum adest partus, abortu periclitantur: hæ vero, quæ gignunt, imbecillos edunt.

II.) Translate. — *a*) Active. *Cic. Cæl.* 17. 41. Multa nobis blandimenta natura ipsa genuit. *Id. Brut.* 73. 255. Qui non illustravit modo, sed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam. *Id.* 4. *Herenn.* 3. 5. Artem tuam scribis: gignis nobis novas præceptiones. *Id. ibid.* 4. 7. Parere, gignere, proferre aliquid. *Id. Amic.* 6. 20. Hæc ipsa virtus amicitiam et gignit et continet. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 48. Ludus enim genuit trepidum certamen et iram, Ira truces inimicitias et funebre bellum. *Quintil.* 5. 1. 1. Quas probationes quodammodo gigneret oratio. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (57). Allium sitim gignit. *Id.* 21. *ibid.* 13. 45. (77). Mel gignit insaniam. *Id. ibid.* 19. 77. (132). Baccharis odor somnum gignit. — *b*) Passive. *Cic.* 1. *de republ.* 44. Ex hac maxima libertate tyrannis gignitur et illa injustissima et durissima servitus. *Id.* 4. *Tusc.* 9. 22. Ægritudines, metus et reliquæ perturbationes ex intemperantia gignuntur. *Id. Orat.* 3. 10. Plato ideas gigni negat. Adde *eumd.* 7. *Verr.* 70. 180., et *Amic.* 9. 32. et 10. 35. Sic *Id.* 3. *Orat.* 30. 118. Quæ in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut sedanda tollendave tractantur. *Gell.* 13. 8. De gignenda et comparanda sapientia. — Hinc ex Part. præs. *gignens*

Gignentia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, dicuntur, quæ oriuntur ex terra et ex se alia gignunt, ut herbæ, arbores, τὰ φυτά, τὰ φυόμενα. *Sall. Jug.* 79. Loca nuda gignentium. *Id. ibid.* 93. Ilex coaluerat inter saxa, paullulum modo prona, dein flexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert. Adde *Apul. Dogm. Plat. p.* 193.; et *Lactant.* 1. *Ira Dei* 13.

Homonym. *Creare* ut causativum verbi *oriri* differt a v. *gignere, generare* et *parere*, quæ causativa sunt verbi *nasci*. Namque *creare* proprium est unius Dei, qui virtute ac voluntate sua facit, ut quæ non sunt, esse incipiant: contra *gignere, generare* et *parere* propria sunt entium, uti ajunt, contingentium, quæ virtute a Deo indita et rebus jam exsistentibus faciunt, ut nova entia vivere incipiant. *Cic.* 2. *Nat. D.* 22. 57. Zeno censet artis maxime proprium esse, creare et gignere. Sic apud eumd. 1. *Off.* 7. 22. Quæ gignuntur in terris, ad usum hominum omnia creantur. Quo loco hinc terra spectatur tamquam mater quæ *gignit*, illinc vero natura tamquam deus qui *creat*.

Porro quod vulgato versiculo effertur: Vir generat mulierque parit, sed gignit uterque, universim tantummodo verum est, qua scilicet *gignere*, tamquam generale vocabulum, et *generandi* actum hominis proprium et *pariendi* actum feminæ proprium in se uno complectitur. Cf. *Cic. Tim.* 11. Ut Oceanum Salaciamque Cæli satu Terræque conceptu generatos editosque memoremus. — Sed tamen linguæ usum spectantibus inter *gignere* et *generare* illud discriminis interesse liquet, quod *gignere* physicum et animalem actum proprie significat, *generare* autem nobilitatem quamdam et creandi vim præ se fert; unde brevius ac recte: Homines et belluæ *gignunt*, natura et dii *generant*. Sic quum *Cic.* ait 3. *Nat. D.* 16. 42. Herculem Juppiter genuit. juxta Poetarum fabulas loquitur: sed quum *Id.* ait 1. *Legg.* 9. 27. Deus hominem generavit. juxta philosophorum ac metaphysicæ scientiæ placita loquitur. Hinc *generare* ad animum quoque seu mentem sæpe refertur. Cf. *Sueton. Vitell.* 2. Cujus filios – equitem Romanum genuerit. cum eod. *Ner.* 52. Versus – plane quasi a cogitante atque generante exaratos. Item cf. *Quintil.* 1. 1. 1. Ad sævitiam feræ gignuntur. cum eod. 1. 12. 12. Quum puer – generabit ipse aliquid et componet.

GILBUS. *V.* GILVUS.

GILLO, ōnis, m. 3. *rinfrescatojo*, ψυκτήρ, βαυκαλίς, vas fictile, quo utebantur veteres ad aquam, vel vinum refrigerandum: videtur esse a *gelu*, media consonante geminata. *Vet. Poet.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 369. *Burmann.* Quem recreat fessum gillo, tabella, melo. *et ibid.* p. 406. Gillo vomit gelidum vastis singultibus amnem. Ad rem a *Forcellino* affertur etiam *Cassian.* 4. *Institut.* 16. Si quis gillonem fictilem, quem baucalem nuncupant, casu aliquo fregerit. *Gloss. Philox.* Βαυκάλιον, gillo. — Huic contrarium usum, scilicet aquæ calefaciendæ, præstabat milliarium, quam vocem vide. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

GILVUS, a, um, adject. Legitur et *gilbus* ob cognationem litterarum *b* et *v*, ut diximus initio litteræ *B.* — Gilvus est color melinus subalbidus, ut ait *Isid.* 12. *Orig.* 1., h. e. medius inter album et rufum, et cineri similis, *cinericio*, σποδιαῖος. *Varro* apud *Non. p.* 80. 2. *Merc.* Equi colore dispares item nati; hic badius, iste gilvus, ille murinus. *Virg.* 3. *G.* 81. *de equis.* honesti Spadices glaucique: color deterrimus albis Et gilvo. Adde *Pallad.* 4. *R. R.* 13. 3., ubi *gilbus* legitur.

GINGĬBER, ĕris, n. 3. *V.* ZINGIBER.

GINGIDĬON, ii, n. 2. γιγγίδιον, herba est staphylino similis, tenuior tantum et amarior, ejusdemque effectus. Estur cocta et cruda, stomachi magna utilitate. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 16. (33). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 377.) hanc exhibet synonymiam: Γιγγίδιον Gal. de Fac. alim. c. 35. at Cratevas apud Anguill. part. 7. p. 107. et Dioscor. 2. 167. et *Gingidium* Plin. loc. cit. sunt *Visnagha* et *Busnagha* quorumd., *Daucus Visnaga* L. Spec. plant. 348.

GINGĪLISMUS, i, m. 2. sonorus cachinnus, *sonoro scroscio di riso*. *Petron. Satyr.* 73. *Burmann.* Ceteri convivæ circa labrum (*balnei*) manibus nexis currebant, et gingilismo ingenti clamore exsonabant. *Hesych.* Γιγγλισμός, γαργαλισμός ἀπὸ

χειρῶν, γέλως. Codes habet *gingilipho*; sed ita legendum putat *Scheffer*. At rectius *Heins.* syllabam excidisse conjicit, ac proinde restituendum *et singuli sophos ingenti clamore exsonabant.*

GINGĪVA, æ, f. 1. caro malarum, cui dentes inhærent: a *gigno*, idest a gignendis dentibus, ut *Lactant. Opific. Dei ante med.* putat, οὖλον (It. *gengiva, gengia*; Fr. *gencive*; Hisp. *encia, encias*; Germ. d. *Zahnfleisch*; Angl. *the gum in which the teeth are set*). Occurrit — *a*) In singulari numero. *Catull.* 39. 19. solet sibi mane Dentem atque russam defricare gingivam. *Juvenal.* 10. 200. Frangendus misero gingiva panis inermi. *h. e.* nuda et sine dentibus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 3. 8. (26). Gingivam scarificare. — *b*) In plurali numero. *Catull.* 97. 5. dentes sesquipedales, Gingivas vero ploxemi habet veteris. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 9. (31). Gingivas confricare. *Cels.* 7. 12. Gingivæ marcescentes. Adde *eumd.* 6. 13. et 2. 1. et 7. *Pallad.* 1. *R. R.* 28. 6. Gingivas tumentes aperire nituntur denticuli. *Veget.* 3. *Veterin.* 32. Gingivæ loculamenta dentium.

GINGĪVŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* gingiva, parva gingiva, *gingivetta. Apul. de Mag.* in *carm. de dentifricio.* Misi, ut petisti, mundicinas dentium, Tenuem, candificum, nobilem pulvisculum, Complanatorem tumidulæ gingivulæ, Converritorem pridianæ reliquiæ. *Veget.* 3. *Veterin.* 22. 1. *Schneid.* Dejecto animali contra terram, ipsam cutem aperito, at ossis cisorio gingivulam, vel cartilaginem, vel os, quod excrescere cœperit, cædito. *Veget.* h. l. de oculi osse loquitur.

GINGRĪĀTOR. *V.* GINGRINATOR.

GINGRĪNA, æ, f. 1. GINGRIO.

GINGRĪNĀTOR, ōris, m. 3. *Paul. Diac. p.* 95. 6. *Müll.* Gingrinator, tibicen. *Alii leg.* gingritor; *sed* gingriator *propius a Codd. forma abest, ut ait* Müller.

GINGRĪNUS, a, um, adject. stridulus, qui vocem anserum imitatur. *Solin.* 5. Gingrinæ tibiæ, quæ breviores licet, subtilioribus tamen modis insonant. *V. Paul. Diac.* locum in voce sequent. — *Bochart.* in *Geogr. sacr. l.* 2. *c.* 7. probat, vocem esse originis Phœniciæ.

GINGRĪO, is, ire, n. 4. *far la voce dell'oca*, γιγγρίζω. *Paul. Diac. p.* 95. 5. *Müll.* Gingrire anserum vocis proprium est: unde genus quoddam tibiarum exiguarum gingrinæ. *Gloss. Philox.* Gingriunt, χῆνες ἐκβοῶσιν.

GINGRĪTOR. *V.* GINGRINATOR.

GINGRĪTUS, us, m. 4. cantus anserum. *Arnob.* 6. 20. Prohibendis formidinem furibus in anserum ponere atque collocare gingritibus.

GINGRUM, i, n. 2. vox anserum. *Gloss. Philox.* Gingrum, φωνὴ χηνός.

GINNUS, i, m. 2. *ronzino*, γίννος, animal ex equo et asina generatum, idem quod hinnus: est corpore pusillus, et eamdem habet rationem ad equum, vel mulum, quam habet nanus ad hominem, hinc *nanus* vocatur a *Gell.* 19. 13. *Martial.* 6. 77. Non aliter monstratur Athlas cum compare ginno. — Aliis est ex mulo et equa natum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (174). In plurium Græcorum est monumentis, cum equa muli coitu natum, quem vocaverint ginnum, idest parvum mulum. Ita legit *Harduin.* Alii *hinnum.*

GIRGILLUS, i, m. 2. — *a*) Est trochlea, *girella. Isid.* 20. *Orig.* 15. Girgillus, quod in gyrum vertatur: est enim lignum in transversa pertica mobile, ex quo funis cum situla, vel utre in puteum demittitur hauriendæ aquæ causa. *Id.* in *Gloss.* Girgillus, rota hauritoria. et Haustrum, rota, hauritorium, qui et girgillus. — *b*) Est etiam, qui *turbo* Latine, Græce ῥόμβος, Italice *arcolajo* dicitur, quo nempe mulieres fila revolvunt. *Gloss. Philox.* Girgillos, ῥόμβος. *V.* RHOMBUS.

GITH *vel*

GIT, n. indecl. *Charis.* 1. *p.* 106. *Putsch.* docet, vulgo dici hoc *gicti* vel *githi*, confirmatque auctoritate *Plinii l.* 6. *dubii sermon.* Etiam *Morgagni*, *Ep.* 1. 28., pro vulgato *gisni* vel *gypsi*, legendum conjicit *githi* apud *Veget.* 4. *Veterin.* 2. 14. *Schneid.* — Gith, *git, gittrione, gitterone*, semen est cujusdam herbæ, alio nomine melanthion et melanspermon, nempe a nigro colore; quoque nigrius est, hoc est melius. Varios ejus usus in medicina recenset *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 71. (182). Meminit etiam *Cels.* 2. 23.; *Colum.* 6. *R. R.* 34. 1.; *Scribon. Compos.* 131.; et *Pallad.* 9. *R. R.* 13. Habet autem multum acrimoniæ et caloris, piperis modo. *Auson. Edyll.* 12. *de cibis* 8. Est inter fruges morsu piper æquiparans gith. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 424.) hanc exhibet synonymiam: Μελάνθιον Hippocr. Steril. 675., Theophr. Hist. plant. 7. 9. et Dioscor. 3. 93.; Μελάνσπερμον, μήκων ἄγριος μέλας, Ῥωμαίοις παπάβερ νίγρουμ ejusd. in Nothis et *Gith* Plin. et aliorum Lat. supra citt. et Carol. Magn. Capitul. sunt *Nigella sativa* L. Spec. plant. 753. — Habet etiam usum condiendo pani; ideoque pistrinis nasci, ait *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 52. (167). — *NB.* In illo *Plauti Rud.* 5. 2. 39. Os calet tibi: nunc gith frigidefactas? Proverbialis locutio inest de iis, qui trepide loquuntur, et parce timideque promittunt, ora contracto et lingua, non secus ac si calentem offam in ore refrigerarent, ne amburerentur palato et gutture. *Al. leg.* Nunc id frigidefactas.

GL

GLĂBELLUS, a, um, adject. deminut. a glaber, aliquantum glaber, *lisciatello. Apul. Met.* Glabellum feminal rosea palmula obumbrans. *Id.* 5. *ibid.* Cupidinis corpus glabellum. *Id. Florid. n.* 3. Apollo et coma intonsus, et genis gratus, et corpore glabellus. *Capell.* 2. *p.* 34. Quarum una deosculata Philologiæ frontem illic, ubi pubem ciliorum discriminat glabella medietas. *h. e.* ubi est intercilium sine pilis.

GLĂBER, bra, brum, adject. Comp. *Glabrior.* — Glaber (quod volunt esse a *glubo*, vel rectius per syncopen a γλαφυρὸς *politus*) est depilis, calvescens, lævis, φαλακρὸς, λεῖος (It. *pelato, liscio*; Fr. *qui est sans poil, ras, chauve*; Hisp. *raso, calvo*; Germ. *glatt, unbehaart, kahl*; Angl. *smooth, bare, bald*). Occurrit — Posit. apud *Plaut. fragm.* apud *Festum p.* 277. 17. *Müll.* Glaber erat tamquam rien. *Varro* 1. *R. R.* 2. 26. Si quem glabrum facere velis. *Id.* 2. *ibid.* 2. 6. Oves ventre glabro. *Colum.* 6. *R. R.* 14. 7. Glabra colla boum. *Martial.* 12. 38. Ore tener, latus pectore, crure glaber. *Turpilius* apud *Non. p.* 542. 18. *Merc.* Tapete glabrum. *Turranius* apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 15. (75). Hordeum glabrum. — *b*) Comp. apud *Plaut. Aulul.* 2. 9. 6. Tu istum gallum, si sapis, glabriorem reddes mihi, quam volsus ludius est. *proverb.* nam ludii tum propter ætatem (si pueri erant), tum ex cura, quo gratiores essent, se deglabrare solebant. *Apul.* 5. *Met.* Patre meo seniorem maritum sortita sum, dein cucurbita glabriorem. *più pelato d'una zucca.* — Hinc

Glaber, bri, m. 2. absolute, substantivorum more, est puer imberbis et impubes, vel, si puber, novacula aut resina deglabratus. *Catull.* 61. 141. Diceris male te a tuis Unguentate glabris marite Abstinere. *Phædr.* 4. 4. Lavationem argenteam, eunuchos, glabros, etc. *eunuchi* enim castrati erant, *glabri* teneri pueri. *Seneca Brevit. vit.* 12. Quanta celeritate, signo dato, glabri ad ministeria concurrunt. *Id. Ep.* 47. Alius vini minister, glaber, destrictis pilis, aut penitus evulsis tota nocte pervigilat. *Inscript.* apud *Gruter.* 578. 8., quæ est apud *Orell.* 694. DIOPANTHVS (*lege* DIOPHANTVS) TI. CAESARIS ORNATOR GLABRORUM. *h. e.* qui puerorum delicatorum corpora curabat, quorum amore turpissimo flagrasse Tiberium narrant *Sueton. Tib.* 43. et *Tac.* 6. *Ann.* 1. *Inscript.* apud *Gor. Inscript. Etrur. T.* 1. *p.* 406. *n.* 216. LIARVS ANTONIAE DRVSI GLABER AVCTATRO. *V.* LIARUS in ONOM., unde disces, *Gorium* perperam putasse, hanc inscriptionem mutilam esse, quum integra reapse sit. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

GLĂBRĀRĬA, æ, f. 1. quæ glabros pueros amat, ut *carnarius* et *pinguiarius* dicitur, qui puellas carnosas et pingues consectatur. *Martial.* 4. 28. Donasti tenero, Chloe, Luperco Hispanas Tyriasque coccinasque (*scil.* vestes): Et quidquid petit usque et usque, donas. Væ glabraria, væ tibi misella: Nudam te statuet tuus Lupercus. Nimirum jocus est in vocibus *glabraria, nudam, Lupercus*: ait enim, quum tu tenerum seu glabrum ames Lupercum, non ille nudus, ut solent esse Luperci, sed tu nuda destitueris, nempe bonis ab illo spoliaberis.

GLĂBRENS, entis, particip. ab inusit. *glabreo*, qui glaber est. Translate. *Colum.* 2. *R. R.* 9. 8. Loca glabrentia. *h. e.* satis stirpibusque nuda: alii et ipse *Schneid.* rectius leg. *calentia.*

GLĂBRESCO, is, ere, n. *inchoat.* 2. ψιλόομαι, glaber, hoc est, sine pilis, aut capillis, aut plumis fio. Translate glabrescere dicitur area, quum herbis attritis, vel evulsis complanatur. *Colum.* 2. *R. R.* 20. 2. Atque ita glabrescit, et fit idonea trituris area.

GLĂBRĒTA, ōrum, n. plur. 2. φαλάκραι, loca satis stirpibusque nuda, in quibus scilicet propter noxium aliquem humorem nihil gignitur. *Colum.* 2. *R. R.* 9. 9. Ea glabreta signis adhibitis notari convenit, ut suo tempore vitiis ejusmodi medeamur.

GLĂBRĬTAS, ātis, f. 3. lævitas cutis, vel alterius rei. *Arnob.* 3. 14. Calvitiis et glabritatibus rasi.

GLĂBRO, as, are, a. 1. *pelare*, ψιλόω, εὕω, pilos aufero. *Colum.* 12. *R. R.* 55. 4. Et vel aqua candente, vel ex tenuibus lignis flammula facta (*sues occisi*) glabrantur, (nam utroque modo pili detrahuntur).

GLĂCĬĀLIS, e, adject. *di ghiaccio*, κρυμώδης, qui in glaciem astringi solet. *Virg.* 3. *Æn.* 285. Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas. *Ovid.* 2. *Met.* 173. Glacialis polus. *Id.* 8. *ibid.* 790. Glacialis Scythia. *Id.* 9. *ibid.* 582. Et pavet obsessum glaciali frigore pectus. *h. e.* gelido timore. *Colum.* 3. *R. R.* 1. 3. Regio glacialis, aut præfervida. *Id.* 3. *ibid.* 1. 10. cælum. *Pallad.* 4. *R. R.* 11. 8. flatus. *Lucan.* 1. 18. portus. *Juvenal.* 2. 1. Oceanus. *Val. Flacc.* 4. 722. Boreæ cedens glacialibus auris Pontus. *Al. leg.* glaciantibus.

GLĂCĬĀTUS, a, um. *V.* GLACIO.

GLĂCĬES, ēi, f. 5. quasi gelacies (cf. *gelu* et *gelicidium*) aqua gelu concreta, κρύσταλλος (It. *ghiaccio*; Fr. *glace, glaçon*; Hisp. *hielo, carambano, pedazo de hielo*; Germ. d. *Eis*; Angl. *ice*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Lucret.* 6. 878. quasi sæpe gelum Mittit et exsolvit glaciem nodosque relaxat. *Id. ibid.* 963. sol glaciem dissolvit. *Liv.* 21. 36. Lubrica glacies non recipiens vestigium. *Virg.* 10. *Ecl.* 49. Oh tibi ne teneras glacies secet aspera plantas! *Horat.* 2. *Od.* 9. 5. stat glacies iners. *Ovid.* 2. *Met.* 808. Liquitur ut glacies incerto saucia sole. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 795. *Id.* 4. *Pont.* 7. 7. glacie concrescere Pontum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 28. 42. (103). Aure ad glaciem apposita conjectare crassitudinem gelus. — *b*) In plurali numero. *Virg.* 4. *G.* 517. Hyperboreas glacies lustrare. *Sidon.* 4. *Ep.* 6. *ad fin.* glacierum crustas.

II.) Translate. *Lucret.* 1. 493. Tum glacies æris flamma devicta liquescit. *h. e.* durities, rigor.

GLĂCĬO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Glacians* et *Glaciatus* sub *A.* I. et II. — Glaciare est verbum *A*) Activum; et *B*) Neutrum.

A) Active glaciare est in glaciem convertere, *agghiacciare*, πηγνύω.

1) Proprie. *Horat.* 3. *Od.* 10. 7. et positas ut glaciet nives Puro numine Juppiter. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 38. 57. (137). Humor glaciatur in gemmas. *Id.* 2. *ibid.* 39. 39. (105). Humor glaciatus in grandines. *Id.* 14. *ibid.* 21. 27. (132). Glaciatæ moles prodigii modo. *Capell.* 2. *p.* 28. Tunc candens tenero glaciatur rore pruina. — Et omisso Accusativo. *Auson. Ecl.* 16. 12. Bruma gelu glacians jubare spirat Capricorni. *V.* et GLACIALIS.

II.) Translate. — *a*) De inanimis. *Caseus glaciatus* est coagulatus et concretus. *Colum.* 7. *R. R.* 8. 2. Nec dubium, quin fici ramulis glaciatus caseus jucundissime sapiat. — *b*) De animi motibus. *Stat.* 10. *Theb.* 621. stupet anxius, alto Corda metu glaciante, pater.

B) Neutra significatione est gelare. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 13. (56). Fit etiam unguentum hieme, quoniam æstate non glaciat, nisi accepta cera.

GLĂCĬTO. *V.* GRATITO.

GLĂDĬĀRĬUS, a, um, adject. ad gladium pertinens. *Inscript.* apud *Murat.* 955. 3. NEGOTIATOR GLADIARIVS. *scil.* qui gladiis divendendis mercaturam exercebat. — Hinc

Gladiarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est gladiorum artifex, *spadajo*, σπαθοποιός. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 628. *n.* 242. M. CAEDICIVS Ↄ. L. FELIX GLADIARIVS. *Alia* apud *Orell.* 4197. L. MARCLEIVS L. L. PHILARGYRVS GLADIARIVS.

GLĂDĬĀTOR, ōris, m. 3. a *gladius*, duo diversa significat, prout occurrit *A*) Apud optimos scriptores, vel *B*) Apud serioris ævi scriptores.

A) Apud optimos scriptores gladiator est qui gladio pugnat, μονομάχος, *gladiatore, duellante*.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu — *a*) Gladiatores Romæ fuere homines, qui ludi causa gladio depugnabant, populo spectante (ut ait *Quintil. Declam.* 302. Gladiator est, qui in arena populo spectante pugnavit). Eorum primum usus fuit in funeribus nobilium civium, quod eorum sanguine placari manes credebant: primique eos exhibuerunt M. et D. Bruti, funebri memoria patris cineres honorando, App. Claudio, M. Fulvio Coss., ut *Val. Max.* 2. 4. n. 7. tradit, scil. anno U. C. cccexc. Deinde ad arenam transiere, et cœpere dari ludis publicis ab omnibus fere magistratibus, et præcipue ab imperatoribus, populo gratificandi causa, qui hujusmodi sanguinis effusione plurimum delectabatur. Dabantur initio magistratus, in victoria et triumpho, in dedicatione publicorum operum, in ludis quinquennalibus, decennalibus, etc. in die natali principum, Saturnalibus, et hujusmodi. Privatim quoque in conviviis exhibitos fuisse, legimus apud *Liv.* 9. 40. et *Sil. It.* 11. 51., ubi de Campanis uterque loquitur. Erant duplicis generis, vel coacti, ut damnati ob delicta (atque hi fere servi), aut captivi lanistis venditi (Cf. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 41.; et *Liv.* 28. 21.); vel voluntarii, ut liberi, qui pretio, aut gloriæ cupiditate se addicebant: qui si strenue se sæpius gessissent, rude denique donabantur. Paulatimque eo ventum est, ut aliquando illustriores etiam cives, vel desperatione, vel ut principibus gratam facerent, operam suam arenæ locarent. Imo etiam feminas interdum prodiisse gladio certantes, *Sueton. Domit.* 4. et *Stat.* 1. *Silv.* 6. 53. testantur. Erant eorum familiæ integræ, quæ vel domi a privatis alebantur, vel (quod frequentius) a lanistis, qui eos assidue in pugnandi arte exercebant, alebantque largius, quo valentiores animosioresque essent in pugna. Inducebantur plerumque per paria: interdum et majore numero catervatim pugnantes. Eorum arma initio pugnæ erant hastæ puræ, rudes, et gladii hebetes, quibus prætudebant: mox signo dato, versis armis, *h. e.* mutatis, priora abjiciendo, et vera scutaque sumendo, modo scuto protecti, galea et lorica, modo solis gladiis instructi: alii præter gladium massa plumbea, ut secutores; alii rete et tridenti pro gladio, ut retiarii, cruentum certamen instituebant: in quo vel vulneribus tenus pugnabant, quod nos dicimus *al primo sangue*, vel sine missione, ut *Liv.* 41. 20. loquitur, *h. e.* usque ad necem alterutrius. Hinc juxta *Orellium Inscript.* 2569. gladiatores ex Inscriptionibus prodeunt EQUESTRES vel EQUITES (quos *Orellius* vix putat dixisse hoc sensu Latinos), Threces, Myrmillones, OPL. id est Hoplomachi, VELITES? an Velarii, Retiarii, Scissores, Samnites, et Galli; quibus ex *Mommsen. Inscript. Neap.* 736. 737. addendi sunt *sagittarii*, et *essedarii*. In *Mus.* vero *Borbon. T.* 8. *tav.* 15. *p.* 4. eorum genera XIII. enumerantur. Plura habes apud *Lips.* in *Saturnalibus*. *V.* etiam *Mirmillones, Retiarius, Secutor,* etc. De eorum fortitudine in pugna *V. Cic.* 2. *Tusc.* 17. 41. — Quoties gladiatores in pugna vicissent, tessera donabantur cum indicatione victoriæ: *V.* SPECTATUS et VICTOR. Si pluries vicissent, rude donabantur (*V.* RUDIS, is); postea etiam libertatem consequebantur: *V.* PILEO. At singulare prorsus gladiatorum genus edidit in Hispania Scipio, ut narrat *Liv.* 28. 21., quem consule. — *Cic. Orat.* 68. 228. Athletæ et gladiatores. *Id. Sext.* 37. 80. Num, ut gladiatoribus imperari solet, ferrum non recepit? *Id. Sull.* 19. 55. Gladiatores emere. *Id.* 2. *Phil.* 29. 74. Bonus gladiator. *Id.* 3. *ibid.* 14. 35. Gladiatores nobiles. *Id.* 2. *Tusc.* 17. 41. Crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum nonnullis videri solet. *Liv.* 41. 20. Antiochus gladiatorum munus Romanæ consuetudinis, primo, majore cum terrore hominum insuetorum ad tale spectaculum, quam voluptate, dedit. *Cajus* 3. *Instit.* § 146. Si gladiatores ea lege tibi tradiderim, ut in singulos, qui integri exierint, pro sudore denarii XX. mihi darentur; in eos vero singulos, qui occisi aut debilitati fuerint denarii mille: quæritur, utrum emptio et venditio, an locatio et conductio contrahatur. *Cic.* 11. *Phil.* 5. 11. Sexta palma etiam in gladiatore difficilis. — Gladiatores interdum sola æstimatione, *h. e. per punto d'onore*, pugnabant, ut patet ex *Inscript.* apud *Orell.* 2570. HIC PRIMVS ET SOLVS VICTORES CAMPANIAE PRETIIS ET AESTIM. PARIA GLADIAT. L. DEDIT. — *b*) Gladiatores, vilissimum genus hominum, numquam in collegium coisse, existimavit *Muratorius* ad *Inscript.* 519. 3; at Romæ fuisse gladiatorum collegium constat, ex quo duo sane insignia marmora detecta sunt, quæ pertinent ad an. a Chr. n. CLXXVII., et quorum inscriptiones affert *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12. IMP. CAES. L. AVRELIO COMMODO, M. PLAVTIO QVINTILLO COS. INITIALES COLLEGII SILVANI AVRELIANI, etc. Sequuntur deinde nomina duorum curatorum collegii, mox gladiatorum in quatuor decurias divisorum: subjiciuntur in altero marmore faustæ acclamationes Commodo Aug. — *c*) Compulsus fortasse a *Lactantio*, qui *l.* 6. *c.* 20. horum pugnas detestatur, gladiatores omnes decreto sustulit Constantinus M. an. a Chr. n. CCCXXV., ut constat ex *Cod. Theod.* 15. 12. 1.; et, quum iterum irrepsissent, Honorius an. CCCCIV., ut narrat *Cassiod.* 10. *Hist. Eccl.* 2. et *Theodoret. Hist. Eccl. l.* 5. *c.* 26. Sed gladiatoribus sublatis, diu adhuc servilis pugna ferarum cum bestiariis; ejus enim descriptio legitur apud *Cassiod.* 5. *Variar.* 42., an. scilicet DXXIII., ex quo multa ejusdem mentio est apud veteres auctores. ¶ 2. Latiori sensu, quod vile atque infame eorum munus est atque artificium, *gladiator* convicium est cruenti hominis ac sicarii. *Cic.* 7. *Phil.* 6. 17. de *L. Antonio.* Gracchorum potentiam majorem fuisse arbitramini, quam hujus gladiatoris futura sit? quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet, sed ut appellant ii, qui plane et Latine loquuntur. Mirmillo in Asia depugnavit, etc. *Id.* 2. *Cat.* 4. 7. Veneficus, gladiator, latro, sicarius, parricida. *Id.* 5. *Verr.* 62. 146. Qui a scurris semper potius gladiator, quam scurra appellatus sit.

II.) Translate, *gladiatores* sunt gladiatoria munera, seu spectacula. *Ter. Hecyr. prol. alt.* 32. Interea rumor venit, datum iri gladiatores. *Cic. Sext.* 64. 133. et 135. Gladiatores dare. Adde *Sueton. Tit.* 7. Similiter *Sueton. Aug.* 45. Gladiatores edere. Adde *eumd. Domit.* 4.; et *Tac.* 1. *Ann.* 76. — Ablativus *Gladiatoribus* significat tempore, quo gladiatores exhibentur, ut *ludis, Saturnalibus,* etc. *Cic.* 2. *Att.* 1. Quæris ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare. *et* 19. 3. Populi sensus maxime theatro et spectaculis perspectus est. Nam gladiatoribus qua dominus, qua advocati sibilis conscissi. Adde *Lucilium* apud *Non. p.* 163. 14. *Merc.*; et *Asinium Poll.* apud *Cic.* 10. *Fam.* 32. 3. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

B) Apud sequioris ævi scriptores gladiator est, qui gladios facit, idem ac gladiarius, *spadajo*, μαχαιροποιός. *Aurel. Arcad. Dig.* 50. 6. 6. Carpentarii, scandularii, gladiatores, aquilices, tubarii etc.

GLĀDĬĀTŌRĬE, adverb. gladiatorum more. *Lamprid. Commod.* 15. Quæ gladiatorie, quæ lenonice faceret.

GLĀDĬĀTŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

GLĀDĬĀTŌRĬUS, a, um, adject. *da gladiatore, da duellante*, μονομαχικός, ad gladiatorem pertinens: *V.* GLADIATOR sub *A.* I. 1.

I.) Proprie. *Cic. Sext.* 64. 134.; *Sall. Cat.* 30. et *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Gladiatoriæ familiæ, *h. e.* gladiatorum grex, qui ad ludos alitur. *Cic.* 2. *Orat.* 78. 317. Gladiatorium certamen. *Id.* 2. *Cat.* 5. 9. Gladiatorius ludus. *scuola di scherma*. *Id. Sext.* 58. 124. Gladiatorius consessus. *h. e.* populi multitudo sedens ad spectaculum gladiatorum. *Suelon. Cæs.* 10. et 39., *Tib.* 7., 37. et 40., *Cal.* 18. et alibi. Gladiatorium munus. *h. e.* spectaculum. *Cic. Mur.* 35. 73. Locum suum gladiatorium cuipiam concedere. *h. e.* ex quo spectantur ludi gladiatorii.

II.) Translate. *Ter. Phorm.* 5. 7. 71. Hi gladiatorio animo ad me affectant viam. *h. e.* parato ad periculum, inquit *Donat.*, ita perdito ac temerario, ut non sibi caveant, dummodo vulnerent. *Cic.* 2. *Phil.* 25. 63. Gladiatoria totius corporis firmitas. *Id.* 4. *Tusc.* 22. 49. Gladiatoria iracundia. *Pacat. Paneg.* 35. *ad fin.* Hostes spem in ferro reliquam cogitantes, gladiatoria desperatione pugnant. *Apul.* 2. *Met.* Gladiatoria Venus. *h. e.* clinopale. — Hinc

Gladiatorium, ii, n. 2. (subaudi *præmium*, vel *auctoramentum*) absolute, substantivorum more, est pretium quod gladiatori conducendo datur. *Liv.* 44. 31. *extr.* Vix gladiatorio accepto decem talentis ab rege res, ut in eam fortunam recideret. *Id.* enim *ibid.* 27. narraverat, regem Gentium ab rege Perseo decem talenta accepisse, ut Romanos hostili facto lacesseret.

GLĀDĬĀTŪRA, æ, f. 1. *scherma, duello*, μονομαχία, ars, vel congressus gladiatorum. *Tac.* 3. *Ann.* 43. Adducuntur e servitiis gladiaturæ destinati. Adde *Sidon.* 1. *carm.* 238. *Priscian.* 7. p. 767. *Putsch.* Quando rudis significat virgam, qua gladiatores donati cessabant a gladiatura, femininum solum est et ablativum in e finit. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 6. 105. Qui, ut requiem gladiaturæ haberet, bellonarium se fecerat.

GLĀDĬĀTUS, a, um, adject. gladio armatus. Affertur, nullo tamen laudato auctore, hisce verbis a *Priscian.* 8. *p.* 835. *Putsch.* Ex omni autem fere habitu hujuscemodi nomina inveniuntur apud Latinos, ut a capillo intonso capillatus, a coma comatus, a pilo pilatus, a gladio gladiatus, ex quo gladiator.

GLĀDĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* gladius, parvus gladius, *coltellino*. Usurpatum fuit a *Messala*, teste *Quintil.* 1. 6. 42., sed neminem imitatorem habuit: tametsi veteres etiam *gladium* dixere neutro genere. *V.* GLADIUS.

GLĀDĬŎLUS, i, m. 2. *deminut. a* gladius, parvus gladius, *coltellino*, ξιφίδιον: *V.* et voc. præced.

I.) Proprie. *Gell.* 10. 25. Lingulam veteres dixere gladiolum oblongum, in speciem linguæ factum. *Apul.* 2. et 3. *Met.* Gladiolo solito cinctus. — *Gladiolus* inscripta fuit una ex comœdiis *Livii Andronici*, ex qua fragmentum affert *Festus p.* 216. 17. *Müll.*

II.) Improprie hoc nomine duæ herbæ a Romanis appellantur, quarum altera Græcis est ξυρίς, et ἶρις ἀγρία, eadem atque iris, *ghiaggiuolo*: altera ξίφιον, vel κυπειρος, seu κύπαρος, φάσγανον, μαχαίριον, quæ folium habet gladii figuram referens, iridi persimilis, nisi quod folio minore est et angustiore, et gladii modo mucronato, nervosumque in caulem exeunte, in quo purpurei flores in ordinem digesti. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 38. (65). et *ibid.* 17. 67. (107). et 25. *ibid.* 11. 89. (138).; et *Pallad.* 1. *R. R.* 37. 2. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 70.) hanc exhibet synonymiam: Ξίφιον Homer. Iliad., Teophr. Hist. plant. 6. 7. et 7. 11., ubi φάσγανον dicitur, et Dioscor. 4. 20.; Σπαθόχορτον Græcor. recentior. et *Gladiolus* et *cypirus* Plin. locc. citt. sunt. *Gladiolus communis* L. Spec. plant. 52.

GLĀDĬUM, ii. *V.* voc. seq. init.

GLĀDĬUS, ii, m. 2. Veteres *gladium* neutro genere usurparunt, teste *Varron.* 9. *L. L.* 81. *Müll.* Hinc *Lucilius* apud *Non. p.* 208. 13. *Merc.* Hærebat mucro, gladium in pectore totum. Adde *Plaut. Cas.* 5. 2. 25. et 27., ubi tamen aliter res accipi potest. Cf. etiam GLADIOLUM et GLADIOLUS. Ceterum non placet hoc *Quintiliano*, qui 1. 5. 16. *Gladia*, inquit, qui dixerunt, genere exciderunt. *h. e.* genere peccarunt. Et sane est hoc obsoletum. — Gladius est ferrum acie et mucrone instructum ad cædendum et vulnerandum: a *clade*, ut *Varroni* 5. *L. L.* 116. *Müll.* placet, quod sit ad hostium cladem. *Voss.* in *Etymol.* derivat a κλάδος *ramus*, quia ramis primum pro gladiis usi sunt agricolæ. Qui putant ab ense differre in eo, quod *ensis* fere de militari dicatur, *gladius* de urbano et domestico, nihil dicunt: *V.* Homonym. in fin. ξίφος, μάχαιρα (It. *coltello, pugnale, spada*; Fr. *épée, glaive*; Hisp. *espada, machete ó cuchillo*; Germ. d. *Schwert*; Angl. *a sword*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Paul. Diac. p.* 53. 7. *Müll.* Succincti gladiis, media regione cracentes. *Cæs.* 5. *B. G.* 44. Occursat ocius gladio comminusque rem gerit Varenus. *Id.* 1. *ibid.* 52. Comminus gladiis pugnare. *Id.* 2. *B. C.* 35. Gladio humerum appetere. *Auct. B. G.* 8. 23. Gladio caput percutere. *Phædr.* 3. 10. Gladio pectus transigere. *Ovid.* 1. *Pont.* 6. 41. gladio finire dolorem. *coll' uccidersi*. *Val. Flacc.* 1. 438. Gladio ire per hostes. *Petron. Satyr.* 82. Gladio latus cingi. *Cæs.* 3. *B. C.* 93. Pila miserunt, celeriterque gladios strinxerunt. Sic *Cic.* 2. *Phil.* 9. 21. Gladio stricto quempiam insequi. Adde *Virg.* 12. *Æn.* 278. Rursus *Cic.* 3. *Off.* 31. 112. et 3. *Cat.* 1. 2.; *Cæs.* 1. *B. G.* 25., 7. *ibid.* 12. et alibi sæpe; at *Liv.* 27. 13. Gladium destringere. *Cic.* 4. *Att.* 3.; et *Cæs.* 5. *B. G.* 14. educere. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 14. educere e vagina. *Ovid.* 2. *Fast.* 693. nudare gladios. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 14. Gladium in vaginam recondere. *Quintil.* 8. *præfat.* 13. condere. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (105).

Tabulam eam Protogenes sub gladio pinxit. *h. e.* inter arma et gladios militum. — *Gladius Hispaniensis* apud *Liv.* 31. 39. est brevis, ex utraque parte feriens et cum mucrone. Cf. *Liv.* 22. 46. et 7. 10 cum *Polyb.* 6. 23. — Gladio ferire reos capitis cœperunt Augusti, quum antea, stante republica, securi ferirentur. V. *Lips.* ad *Tac.* 15. *Ann.* 67. et *Labus. Fasti T.* 4. *p.* 396. — Huc pertinent et quæ sequuntur proverbia. *Ter. Adelph.* 5. 8. 35. Suo sibi hunc gladio jugulo. *Io vinco colle sue stesse armi.* Sic *Cic. Cæcin.* 29. 82. Aut tuo, quemadmodum dicitur, gladio, aut nostro defensio tua conficiatur, necesse est. — *Id.* 1. *Att.* 16. Plumbeo gladio jugulare aliquem. *h. e.* levi ictu, facili negotio. — *Horat.* 2. *Sat.* 3. 276. Ignem gladio scrutari. πῦρ σιδήρῳ σκαλεύειν, *ignem gladio fodere,* proverb. de eo, qui stultitiæ furorem addit et malum malo. At cl. *Rittero* ignis est quo ardet amator, h. e. ipsa amica.

II.) Translate. ¶ 1. Gladius ponitur pro morte vel cæde. *Cic.* 10. *Fam.* 2. Nec sine periculo quisquam libere de republica sentiens versari potest in summa impunitate gladiorum. *h. e.* cædium. Adde *eumd.* 1. *Phil.* 11. 27.; et *Vellej.* 2. 3. 3. et 2. 125. 2. Eodem sensu *Cic.* 4. *Fam.* 9. *extr.* et 9. *ibid.* 22. Magna gladiorum est licentia. — *Gladii potestas* et *jus* est, quod alii dicunt, *jus sanguinis,* potestas gladio animadvertendi in facinorosos, *h. e.* occidendi. *Capitolin. Gordian.* 9. Filius legatus patris, gladii potestate succinctus est. *Ulp. Dig.* 1. 18. 6. § 8. Qui universas provincias regunt, jus gladii habent. Adde *eumd. ibid.* 2. 1. 3. *Inscript.* apud *Orell.* 3888. T. CORNASIDIO T. F. FAB. SABINO PROC. ALPIVM ATRACTIANAE. ET POENINAE. IVRE GLADII. *Alia* apud *Maff. Mus. Ver.* 425. 1. C. TITIO C. F. CL. SIMILI AGRIPPINENSI PROC. PROVINCIAE MYSIAE INFERIORIS, EJVSDEM PROVINCIAE JVS. (*lege* IVR.) GLADII. *Alia* apud *eumd. ibid.* 251. 3. L. CREPERIVS MADALIANVS V. C. PRAEF. ANN. CVM IVRE GLADII. ¶ 2. *Damnari ad gladium* est ad gladiatorium certamen destinari. *Ulp. Dig.* 29. 2. 25. Servus ad gladium, vel ad bestias, vel in metallum damnatus. — Est autem differentia inter eos, qui *ad gladium,* et qui *ad ludum gladiatorium* damnantur: quod illi si in pugna non moriantur, intra annum occiduntur: hi vero, si victores evadant, possunt pileum et rudem accipere: quæ sunt verba *Ulpiani* relata in *Mosaic. leg. Collat. tit.* 11. *l.* 7. — Similiter *locare ad gladium* est ad ludum gladiatorium addicere, apud *Senec. Ep.* 87. *ante med.* Sic, ad gladium comparare homines, apud *Lactant.* 6. 12. *sub fin.* ¶ 3. *Gladius vomeris* est ferrum acutum ante vomerem, quo herbæ et stirpes inciduntur, et sulco vestigium incisura præscribitur, qui et *culter* vocatur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (172). ¶ 4. Est etiam nomen piscis ξίφιας, mucronato ore, *pesce spada,* vel *glave,* delphini magnitudinem aliquando excedens. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 2. 1. (3). et 15. 21. (51)., et 32. *ibid.* 11. 53. (145).

GLÆBA. *V.* GLEBA.

GLÆSUM. *V.* GLESSUM.

GLAMA. *V.* GRAMIÆ.

GLANDĀRĬUS, a, um, adject. Etiam *glandiarius* scribitur. *Placidi Gloss.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 428. Æsculus arboris nomen est glandiariæ. *Nisi mendum est pro glandariæ.* — Ceterum glandarius est ad glandem spectans, ut Glandaria silva, quæ servatur glandis ferendæ causa. *Cato R. R.* 1. Octavo arbustum, nono glandaria silva. Adde *Varron.* 1. *R. R.* 7. 9.

GLANDĬĀRĬUS, a, um. *V.* voc. præced. init.

GLANDĬCŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* glans, idem ac glandula. Agnoscitur a *Grammat. incert. p.* 10. *Eichenf.*, nullo tamen auctore laudato.

GLANDĬFER, fĕra, fĕrum, adject. qui glandes fert, seu producit. *Lucret.* 5. 937. Glandiferas inter curabant corpora quercos. *Cic.* 1. *Legg.* 1. 2. Glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit nuncia fulva Jovis. *Colum.* 9. *R. R.* 4. 3. Glandifera robora. *Hygin. de limit.* p. 198. *Goes.* Silvæ glandiferæ. — Accipi etiam videtur pro fecundo et fertili fructuum, quia glandis appellatione interdum omnis fructus continetur, ut *Jabolen.* apud *Cajum Dig.* 50. 16. 236. docet. *Cic.* 2. *Phil.* 39. 101. Quandoquidem hæ quondam arationes in P. R. patrimonio glandiferæ et fructuosæ ferebantur. *Al. leg.* grandi lenore et fructuosæ. *Capell.* vero 5. *p.* 166. legit *grandiferas,* quod retinuit *Koppius* ex opt. Codicibus; *Grotius* vero ediderat *glandiferas.*

GLANDĬŌNĬDA, æ, f. 1. caro suilla ex glandiis. *Plaut. Men.* 1. 3. 27., ubi videtur loqui per jocum. Alii autem aliter leg.

GLANDĬUM, ii, n. 2. *glandule,* καρίδημον, σκόγγος, pars tuberosa in carne animalis, seu callum in se convolutum: dictum non tam a duritie, quam a figura glandis, quam oblonga rotunditate refert. Significatur autem præcipue tuberosus callosusque globus in cervice et faucibus aprorum et suum, qui in deliciis cœnarum habetur. *Plaut. Capt.* 4. 4. 7. Arripuit gladium, prætruncavit tribus tergoribus glandia. *Id. Curc.* 2. 3. 44. Pernam, abdumen, sumen, suis glandium. Adde *eumd. Stich.* 2. 2. 36. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 2. 2. (4). Exstant censoriæ leges glandia in cœnis gliresque apponi vetantes. Confer *eumd.* 8. *ibid.* 51. 77. (209). de iisdem legibus. *Id.* 16. *ibid.* 38. 73. (185). *de ligno arborum.* Quibusdam sunt tubera, sicut sunt in carne glandia. *Id.* 17. *ibid.* 6. 4. (42). *de marga.* Est autem quidam terræ adeps ac velut glandia in corporibus, ibi densante se pinguitudinis nucleo. — *Priscian.* 3. p. 618. *Putsch.* ait, *glandium esse* partem intestinorum: et fortasse lumbos suillos intelligit, qui delicati admodum in cibis sunt. Præstat tamen interpretatio allata *init.*

GLANDO, inis, f. 3. idem ac glans. *Avien. Perieg.* 295. Cibus aspera glando. et 1189. pingui dependens subere glando.

GLANDŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* glans, *ghiandola, glandula,* βαλάνιον, parva glans: sed occurrit translate tantum; et ¶ 1. In animali glandulæ sunt corpora duo tuberosa in similitudinem glandis, dextra lævaque intus in ipsis faucibus sitæ, quæ et *tonsillæ* appellantur, si de homine sermo sit, αδένες. *Cels.* 4. 1. Atque in ipsis cervicibus glandulæ positæ sunt, quæ interdum cum dolore intumescunt. *Veget.* 3. *Veterin.* 24. 1. *Schneid.* Glandulæ quoque animalibus, et præcipue pullis, usque ad periculum interdum molestæ sunt, et in morbum transeunt aliquando; quæ inter maxillas inferioresque fauces nascuntur, et ad similitudinem pilularum majores, aliæ vero minores connexæ ex carne obdurescunt, et tumorem sine doloribus faciunt. ¶ 2. Aliquando significant ipsum morbum, seu tumorem præter naturam, *mal di gola.* *Cels.* 2. 1. *ad fin.* At ubi ætas paullum processit, glandulæ ad vertebrarum inclinationes, strumæ et plura alia tubercula oriuntur. *Id.* 8. 4. Ulcus madet, neque alitur, et in cervicibus glandulæ oriuntur. ¶ 3. In sue idem sunt, quod *glandia,* conquisita in cibis, ut ibi dictum est. *Martial.* 3. 82. Partitur apri glandulas palæstritis. et 7. 20. Ter posuit apri glandulas, quater lumbum. Cf. *Pallad.* 3. *R. R.* 26. 1. Verres legendi sunt – rostro brevi, cervice glandulis spissa.

GLANDŪLŌSUS, a, um, adject. *glanduloso,* ἀδενώδης, plenus glandibus. *Colum.* 7. *R. R.* 9. 1. *de sue.* Qui est amplæ et glandulosæ cervicis.

GLANIS, is *vel* idis, m. 3. *et* glanus, i, m. 2. γλάνις et γλανος, piscis genus tum marini, tum fluviatilis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 43. 67. (145). Cautius qui glanis vocatur, aversos mordet hamos, nec devorat, sed esca spoliat. *Id.* 32. *ibid.* 10. 45. (128). Verrucas tollit glani jecur illitum. Adde *eumd. ibid.* 11. 53. (148). — *NB.* De nom. propr. *V.* GLANIS in ONOM.

GLANS, glandis, f. 3. *Val. Prob.* in *Cathol.* p. 1444. et 1461. *Putsch.* docet, *hæc glandis* dici etiam in recto singulari, addita *Virgilii* auctoritate: respexitque fortasse ad illud 4. *G.* 80. non de ilice tantum pluit illice glandis. Verum eo loco dubia res est. Potest enim esse genitivus, τοσοῦτον βαλάνου, ut et *Priscian.* monet *sub fin. l.* 6. — Glans est fructus quercus, roboris, æsculi, cerri, ilicis, fagi, suberis et si quæ sunt similes: per syncopen a Dorico γάλανος pro βάλανος (It. *ghianda*; Fr. *gland*; Hisp. *bellota*; Germ. d. *Eichel und jede eichelartige Frucht*; Angl. *mast, an acorn, chestnut*).

I.) Proprie. *Cic. Orat.* 9. 31. Quæ est in hominibus tanta perversitas, ut inventis frugibus glande vescantur? — De glandium generibus atque usu multa distincte ac fuse *Plin.* 16. *Hist. nat.* 5. 6. et *seqq.* Quod innuitur in allatis *Ciceronis* verbis, homines olim ante inventas fruges, glandibus vesci solitos; confirmatur a *Plin. proœm. l.* 16., *Virg.* 1. *G.* 148., *Ovid.* 1. *Met.* 103. et 4. *Fast.* 399., *Lucret.* 5. 937., *Tibull.* 2. 3. 41. etc. Quin etiam post inventa frumenta, in Hispania suo quoque tempore glandes secundis mensis inferri solitas, testatur *Plin. loc. cit.* — Per synecdochen, quia ex glandibus homines quondam vivebant, glandis appellatione omnes fructus continentur, ut ex *Jaboleno* docet *Cajus Dig.* 50. 16. 236.

II.) Translate. ¶ 1. *Glans* dicitur plumbum, quod est in modum glandis formatum, quod antiqui loro impositum in hostem torquebant. *Sall. Jug.* 61. Pars eminus glande, aut lapidibus pugnare. Adde *Liv.* 38. 20., 21. et 29.; et *Virg.* 7. *Æn.* 686. Porro tanta vi jaci hujusmodi glandes solitas esse, ut calore accensæ in aere liquescerent, invenies apud *Lucan.* 7. 513.; *Stat.* 10. *Theb.* 533.; et *Ovid.* 14. *Met.* 825., quæ poetica hyperbole videri potest. *Auct. B. Afr.* 20. Glandes fundere, sudes comparare. *Auct. B. Hisp.* 13. Idemque temporis glans missa est inscripta, quo die ad oppidum capiendum accederent, sese scutum esse positurum. *Id.* 18. Et judicium glande scriptum misit, per quod certior fieret Cæsar etc. — At non modo ex plumbo, verum etiam ex argilla glandes fiebant. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Septimo oppugnationis die ferventes fusili ex argilla glandes fundis, et fervefacta jacula in casas, quæ more Gallico stramentis erant tectæ, jacere cœperunt. — Glandes missiles, quot hucusque innotuerunt, collegit *Gaetan. de Minicis, sulle antiche ghiande missili, Romæ* 1844. (ex Actis Pontif. Acad. Archæol.), qui partim ab inscriptionibus earum, partim a locis, in quibus repertæ sunt, argumenta desumpsit, ut certis quibusdam bellis eas tribueret; sic unam ad bellum sociorum, alias ad bellum Spartaci, alias ad bellum Perusinum refert; aliquot etiam glandes legionarias affert. V. *Henzen. Inscript.* 6836. et cf. *Orell. Inscript.* 4932. ¶ 2. *Glans* etiam dicitur pars summa colis, quæ præputio tegitur: a similitudine. *Cels.* 7. 25. Hinc jocus obscœnus *Martial.* 12. 75. Pastas glande nates habet Secundus.

GLANTIS, is, m. 3. *guanto,* ab ant. Sax. *want,* involucrum manuum vel pedum. *Veget.* 5. *Veterin.* 17. 2. *Schneid.* Pedem, quem sanum habet (*jumentum*), glante ferreo, vel si defuerit, spartea calceabis; cui rotulam ligneam subjicies, et addita fasciola diligentissime colligabis, ut suppositura illa faciente partis illius, quæ misera est, planam ungulam possit ponere. *Alii leg.* glauco. *Gesnerus* verbis *glante ferreo* soleæ simile aliquid intelligi monet. Sed ferreas nostras soleas intelligere non patitur additum verbum *calceabis – colligabis*: clavis enim ferreæ soleæ ferreis configuntur. Soleas autem sparteas industiles camelorum memoravit jam olim Aristoteles. Ceterum usum hujus soleæ apud *Vegetium* similem esse ei, quem mulomedici hodie præstant soleæ, quas Galli *fera à patin* appellant, ut cogant equum pedem claudum in terra ponere eique insistere, egregie monet *Brugnone* de cura equorum *p.* 230. Hæc *Schneider.* in not.

GLANUS, i. *V.* GLANIS.

GLĀRĔA, æ, f. 1. minutissimi lapilli, quales in fluviorum ripis, vel maris litoribus esse solent: est a κλῆρος *sabulus,* lapis fractus a motu fluminis, a κλάω *frango,* ψῆφις (It. *ghiaia*; Fr. *gravier, gros sable*; Hisp. *arena de rio, cascajo*; Germ. d. *Kies, Kiessand*; Angl. *gravel, coarse sand, grit*). *Cic.* 3. *ad Q. Fr.* 1. 2. § 4. Eo loci pulvis, non glarea est invecta. *Liv.* 41. 27. Vias sternendas silice in Urbe, glarea extra Urbem locaverunt. *h. e.* substernendas marginandasque locaverunt. *Tibull.* 1. 8. 59. *de via Latina.* hic glarea dura Sternitur, hic apta jungitur arte silex. *h. e.* media via glarea sternitur, margines vero, Itali dicunt *marciapiedi,* siliceis lapidibus, iisque polygoniis nectitur. *Virg.* 2. *G.* 212. Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris. Adde *Liv.* 41. 27.; et *Colum.* 1. *R. R.* 22. 8. *Inscript.* apud *Morcell. de stil. T.* 2. *p.* 129. IMP. CAESAR NERVA AVG. GER. VIAM A TRIPONTIO AD FORVM APPI EX GLAREA SILICE STERNENDAM SVA PECVNIA INCOHAVIT. *V.* plura de glarea apud *Schneid.* ad *Varron.* 1. *R. R.* 9. 2.

GLĀRĔŌSUS, a, um, adject. *ghiaroso,* plenus glarea. *Varro* 1. *R. R.* 9. 3. Glareosa terra. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 23. Glareosa sabulosaque arva. *Id. arbor.* 21. Glareosa et saxosa amat ficus. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 56. (88). Glareosi rivi. *Liv.* 21. 31. *sub fin.* Flumen saxa glareosa volvens. *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 14. Loca glareosa.

GLASTUM, i, n. 2. *glastro, guado,* ἰσάτις, herba

simílis plantagini, seu genue lactucæ agreste, sì sponte nascens, al. *vitrum*, quo infectores lanarum utuntur, dum colore vitreo, seu hyalino, cæruleo, subnigro tingunt: quo item Britanni se inficiebant, inscribentes etiam corporibus puerorum animalium figuras, ut in bello aspectu horridiores essent, denique et eorum mulieres quibusdam in sacris. *Cæs.* 5. *B. G.* 14.; et *Plin.* 22. *Hist. nat.* 1. 2. (2). ubi al. leg. *guastum*. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 95.) banc exhibet synonymiam: Ἰσατις Hippocr. et Dioscor. 2. 215. et 216.; *Glastum* Plin. loc. cit. et *Vitrum* Cæs. 5. B. G. 14., Pompon. Mel. 3. 6. et Marc. Burdig. 2. 23. sunt *Isatis domestica sive glastum* Matth. et *Isatis tinctoria* L. Spec. plant. 936.

GLAUCĒUM, ei, n. 2. γλαύκειον. herba eadem quæ glaucion, quam vocem *V. Colum.* 10. *R. R.* 103. Nunc medice panacen lacrima, succoque salubri Glaucea, et profugos vinctura papavera somnos Spargite.

GLAUCĒUS, a, um, adject. Glauceus succus apud *Scribon. Compos.* 22. est succus herbæ cujusdam qui et *glaucion* dicitur: cujus usus est collyrio, quod *diaglaucium* vocatur. *Rhodius* mavult legi *glaucius*.

GLAUCĬCŎMANS, antis, adject. glaucam comam habens. *Juvenc.* 3. 622. *Matth. c.* 21. Ordinibus lucent quæ glaucicomantis olivæ.

GLAUCĪNA, ōrum, n. plur. 2. γλαύκινα. sunt unguenta ex glaucio. *Pompon. Dig.* 34. 2. 21. § 1. Unguentis legatis, non tantum ea legata videntur, quibus ungimur voluptatis causa, sed ad valetudinis, quales sunt Commagena, glaucina, etc. *Martial.* 9. 27. Audet facundo qui carmina mittere Nervæ, Pallida donabit glaucina, Cosme, tibi. *h. e.* idem facit, ac si Cosmo unguentario unguenta glaucina mitteret. Alii perperam leg. *Pallia glaucina* vel *glaucia*. *V.* COSMIANUS. — *Forcellinus* in *Pompon. Dig.* loc. cit. *glaucina* adjective accepit. — Ceterum *V.* GLEUCINUS.

GLAUCĪNUS, a, um. *V.* voc. præced. in fin.

GLAUCĬON, ii, n. 2. γλαύκιον, herba humilis, in Syria et Parthia nascens, densis foliis, fere papaveris, minoribus tamen sordidioribusque, odoris tetri, gustus amari cum adstrictione. Granum habet crocei coloris, quod in olla fictili luto circumlitum, in clibanis calefaciunt, deinde exempto succum exprimunt ejusdem nominis. Usus est et succi, et foliorum, el terantur, adversus epiphoras. Hinc temperatur collyrium, quod medici diaglaucion vocant. Hæc *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 59. (83). Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 453.) banc exhibet synonymiam: Γλαύκιον Dioscor. 3. 100. et *Glaucium* Plin. loc. cit. sunt *Glaucium hybridum* (N.), *Chelidonium hybridum* L. Spec. plant. 724.

GLAUCIS, idis et idos, f. 3. γλαυκίς, quæ glaucos habet oculos. Apud *Propert.* 4. 3. 55., nomen est, ut adjunctum catellæ.

GLAUCISCUS, i, m. 2. piscis aculeatus, dorso cæruleo, ventre candidissimo. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 46. (129). et *ibid.* 11. 53. (146).

GLAUCĪTO, as, are, n. 1. est proprium vocis catulorum. *Auct. carm. de Philom.* 60. Glaucitat et catulus, at lepores vagiunt.

GLAUCĬUS, a, um, adject. Idem quod glaucus, viridis. *Gloss. Isid.* Glaucia, viridis. *Nisi mendum est pro* glauca. Ceterum *V.* ONOM.

GLAUCŌMA, ātis, n. 3. et

GLAUCŌMA, æ, f. 1. γλαύκωμα, vitium, quo color naturalis in oculo, ac speciatim color humoris crystallini in præternaturalem et glaucum mutatur, quod provenit ab illius humoris nimia siccitate et concretione. Differt a *suffusione*, quia in *glaucomate* peccat humoris crystallini condensatio et siccatio, in *suffusione* concretio extranei humoris et aliunde affluentis.

I.) Proprie. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (117). Glaucomata dicunt magi cerebro catuli septem dierum emendari. *Prudent. Hamartig.* 90. Est glaucoma, aciem quod tegmine velat aquoso. *Veget.* 6. *Veterin.* 27. 4. *Schneid.* Chiron etiam vetera glaucomata hac collyrii indicat confectione purgari.

II.) Figurate. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 70. Ei nos facetis fabricis et doctis dolis glaucomam ob oculos objiciemus, eumque ita faciemus, ut quod viderit, non viderit.

GLAUCŌMATICUS, a, um, adject. qui glaucomate laborat. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 149.

GLAUCŌPIS. *V.* LAGOPUS.

GLAUCUS, a, um, adject. *colore celeste, mischio tra il bianco e il verde*, γλαυκός, qui est colore cæsio, seu cæruleo, idest subviridi, qui admixtum habet viriditati alborem, qualis apparet in oculis noctuarum, felium, leonum, quorumdam equorum et hominum: et sæpe maris ac fluviorum diis tribuitur. *Lucret.* 1. 719. æquor Ionium glaucis aspergit virus ab undis. *Virg.* 2. *G.* 13.; et *Val. Flacc.* 3. 436. Glaucæ frondes. *Id.* 3. *ibid.* 82. equus. *Id.* 4. *ibid.* 182. salix. *Id.* 6. *Æn.* 416. ulva. *Id.* 8. *ibid.* 33. et 12. *ibid.* 885. amictos. *h. e.* Nympharum. dei Tiberini. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 30. (75). Oculis glaucis, colore sanguineo. *Stat.* 9. *Theb.* 351. Glaucæ sorores. *h. e.* Nereides. — Quum de equis sermo est, *glauci* intelliguntur, qui glaucos oculos habent, ut dictum est. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 53. (141). Oculi equorum quibusdam glauci. *et paullo post.* Oculi divo Augusto equorum modo glauci fuere. *Virg.* 3. *G.* 82. honesti Spadices glaucique, color deterrimus albis. Adde *Grat. Cyneg.* 503. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

GLAUCUS, i, m. 2. γλαῦκος, genus piscis. *Ennius Heduph.* apud *Apul. de Mag. c.* 39. p. 484. *Oudend.* Surrenti fac emas helopem, glaucum cape Cumis. Ita leg. cl. *Vahlen*, nonnulli aliter. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 25. (58). Quidam rursus æstus impatientia mediis fervoribus sexagenis diebus latent, ut glaucus, aselli, auratæ. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

GLAUX, cis, f. 3. γλαύξ, herba eadem atque engalacton, quam vocem *V.* suo loco. — Quamvis apud *Plin.* 27. *Hist. nat.* 9. 58. (82). *glaux*, et apud *Dioscorid.* l. 4. γλαύξ appellatur, tamen fortasse legendum *glax* et γλάξ, syncop. nempe ex γάλαξ pro γάλα, *lac*; nam ex *Plin. loc. cit.* constat, ita eam luisse vocatam, quia lactis ubertatem excitat. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 451.) ait, banc plantam non ita facile definiri posse; banc tamen exhibet synonymiam: Γλαύξ Dioscor. 4. 141. et Galen. de Fac. simpl. med. 6. 166. et *Glaux* Plin. loc. cit. sunt *Astragalus Glaux*? L. Spec. plant. 1069.

GLĒBA *vel* glæba, æ, f. 1. *Manut.* in *Ortograph.* vult scribi *glæba* ex antiquissimis libris, et Virgilio Carpensi. Hinc *Pontedera Antiqq. Gr. et Lat.* p. 123. derivat a κλάω *frango*, quasi sit κλαία, inde glæba, quoniam glæba est pars de terra, dum proscinditur, evulsa. Cf. et Gr. γλοία *gluten*, et Germ. *kleben*, quod significat *conglutinare*. — In *Cod. Theod.* 6. 2. 12. at *ibid.* 3. 3. etc. legitur *gleva* propter affinitatem litterarum *b* et *v*. — Gleba est frustum terræ, βῶλος (*It. zolla*; *Fr. motte de terre, glèbe*; *Hisp. terron de tierra*; *Germ. d. Erdscholle, d. Stück Erde, Erdstück*; *Angl. a clod or lump of earth, glebe*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Lucret.* 1. 211. fecundas vertentes vomere glebas. *Id. ibid.* 888. glebis terrarum sæpe friatis. *Id.* 6. 553. Gleba vetustate e terra provolvitur ingens. *Cic.* 5. *Verr.* 11. 28. Iniquos decumanis ajebat omnes esse, qui ullam agri glebam possiderent. *Id. Cæcin.* 21. 60. Si glebis aut saxis aut fustibus aliquem de fundo præcipitem egeris —, non esse arma cespites neque glebas. *Id.* 3. *Leg. Agr.* 1. 3. Nun adimi cuiquam glebam de Sullanis agris. *Virg.* 1. *G.* 94. rastris glebas qui frangit inertes. *Id.* 2. *ibid.* 261. glebas supinatas Aquiloni ostendere. *Horat.* 3. *Od.* 6. 38. Proles Sabellis docta ligonibus versare glebas. *Liv.* 4. 11. Nec ulli gleba ulla agri assignaretur. — *b*) Speciatim de terra, qua humatur cadaver. *Cic.* 2. *Legg.* 22. 57. Priusquam in eos injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: injecta gleba, tum et illic humatus est, et gleba vocatur: ac tum denique multa religiosa jura complectitur. *Varro* 5. *L. L.* 23. *Müll.* Quum Romanus combustus est, si in sepulcrum ejus abjecta gleba non est, etc. *Paul. Diac.* p. 223. 19. *Müll.* Qui mortuo justa non fecisset, idest glebam non objecisset. In verbis *Ciceronis* pro *in eos injecta*, etc. *Lambin.* legit *in os.* Quo pertinet illud *Val. Max.* 5. 3. *n.* 3. *extern.* Sed certe post obitum nullam Atticæ regionis, quæ ossibus ejus injiceretur, glebulam invenit. et *Horat.* 1. *Od.* 28. 23. At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ Ossibus et capiti inhumato particulam dare.

II.) Translate. ¶ 1. Per synecdochen dicitur de agris. *Virg.* 1. *Æn.* 525. Terra antiqua potens armis atque ubere glebæ. ¶ 2. Sæpe vero pro fundo et possessione accipitur in *Cod. Justin.* et *Theodos.* ¶ 3. Dicitur etiam de aliis rebus, ut gleba turis, *Lucret.* 3. 328. et *Stat.* 6. *Theb.* 60.; glebæ nivem lactis, *Nemesian.* 3. *Ecl. extr.*, h. e. massæ, casei formæ. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 25. Sevi ac picis glebæ. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 6. 8. (50). Marmorei parietes, non facile discrim secto, an solidis glebis polito. *h. e.* integris crassisque molibus. *Id.* 31. *ibid.* 7. 39. (77). *de sale fossili.* Cæditur specularium lapidum modo: pondus magnum glebis, quas micas vulgus appellat. *Id.* 35. *ibid.* 15. 50. (175). Gleba sulphuris.

GLĒBĀLIS *vel* glæbalis, e, adject. In *Cod. Theod.* legitur etiam non semel *glevalis* pro *glebalis*, ut 6. 2. 3. et alibi. — Glebalis est ad glebam pertinens, *di zolla*.

I.) Proprie. *Ammian.* 23. 5. Glebalis agger. *h. e.* congestis glebis factus.

II.) Translate. *Glebalis collatio*, præstatio, solutio, onus, multis in locis *Cod. Theod.* significat vectigal, quod penditur ratione fundorum et possessionum: quia gleba pro possessione et fundo ibi sæpissime ponitur, ut in voce præced. sub II. 2. dictum est.

GLĒBĀRĬUS *vel* glæbarius, a, um, adject. ad glebam pertinens. Hinc *glebarii* dicuntur boves valentes, fortes, a glebis facile proscindendis. *Varro* 7. *L. L.* 74. *Müll.*

GLĒBĀTIM *vel* glæbatim, adverb. per glebas, ut Agros glebatim metiri, *Lactant. Mort. persecut.* 23.

GLĒBĀTĬO *vel* glæbatio, ōnis, f. 3. in *Cod. Theod.* 6. 2. 12. est glebalis collatio. *V.* GLEBALIS sub II.

GLĒBŌSUS *vel* glæbosus, a, um, adject. Comp. *Glebosior.* — Glebosus est glebæ in morem convolutus, vel glebis abundans. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 16. 53. (191). Terra glebosior. *Id.* 35. *ibid.* 15. 50. (175). Sulphur glebosum. *Sillig.* ex plurimis optimisque Codicib. leg. *glebo.* — Hinc

Glebosa, ōrum, n. plur. 2. absolute sunt loca glebis plena. *Apul.* 1. *Met.* Post roscida cespitum, et glebosa camporum emensa.

GLĒBŬLA *vel* glæbula, æ, f. 1. *deminut.* a gleba, parva gleba, *zolletta*.

I.) Proprie. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 23. Frumenta pabilisque carent et glebulis. *Val. Max.* 5. 3. n. 3. *extern.* Post obitum nullam Atticæ regionis, quæ ossibus ejus injiceretur, glebulam invenit.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro agello. *Juvenal.* 14. 166. saturabat glebula talis Patrem ipsum turbamque casæ. *Apul.* 9. *Met.* Vicinus potens pauperem ipsis etiam glebulis exterminare gestiebat. ¶ 2. Item pro particula cujuscumque rei. *Plin.* 10. *Ep.* 16. Glebula ex metallo. *Vitruv.* 8. 3. Glebula myrrhæ. *Scribon. Compos.* 199. Glebulæ nivis.

GLĒBŬLENTUS *vel* glæbulentus, a, um, adject. glebæ similis. *Apul. de deo Socrat.* Quia in eo quoque aere animalia gignerentur, ut in igne flammida, in unda flua, in terra glebulenta.

GLĒCHON, ōnis, m. 3. γλήχων, herba eadem, quæ alio nomine pulegium. *Apul. Herb.* 92.

GLĒCHŌNITES, is, m. 3. γληχωνίτης, vinum pulegio conditum, apud *Colum.* 12. *R. R.* 35. 1. γλήχων enim *pulegium* significat. *V.* ABROTONITES.

GLESSŌMARGA. *V.* GLYSSOMARGA.

GLESSUM *vel*

GLESUM *vel* glæsum, i, n. 2. ἤλεκτρον, electrum, succinum, voce Germanica: a perspicuitate vitrea, quia Germanis *glas* vitrum est: Cf. et Gr. γλάν et γελάζειν *splendere*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 3. 11. (42). Certum est gigni in insulis septentrionalis oceani et ab Germanis appellari glesum; itaque et ab nostris unam insularum ob id appellatam Glesariam, Germanico Cæsare ibi res gerente, Austeraviam a Barbaris dictam. *Tac. Germ.* 45. Soli omnium succinum, quod ipsi glesum vocant, legunt. — Ex *Tacito* apparet, vocem esse Germanicam: ex *Plinio* vero discimus, ea usos etiam Romanos, sed milites et in exercitu, præsertim in Germania. Scribit enim *Id.* 4. *Hist. nat.* 13. 27. (97). Glesariam insulam ita dictam esse *a succino militiæ*: nempe quia succinum illi *glesum* appellant.

GLEUCĪNUS, a, um, adject. γλεύκινος. *Gleucinum oleum* est olei facticii genus, mustum et aromata admixta habens: a γλεῦκος *mustum*. *Colum.* 12. *R. R.* 53. 1.; *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (29).; et *Pom-*

pon. *Dig.* 34. 2. 22.; item *Veget.* 5. *Veterin.* 27. 4. et 6. *ibid.* 22. 2. *Schneid.*, ubi vulgo minus recte legitur *glaucinum*. Sic corrigendum *gleucinum* apud *Theod. Priscian.* l. 2. p. 1. c. 4. Item acopo calido, commixto opobalsamo, aut glaucino, aut laurino, latus ipsum est perungendum et fricandum. Adde *eumd.* alibi sæpe.

GLĪNON, i, n. 2. γλεῖνος, aceris genus campestre, candidum, nec crispum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 15. 26. (67). Juxta cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 329.) *Glinon* est *Acer monspessulanum* L. Spec. plant. 1497. et *A. trilobum* ejusd. ibid. *V.* synonymiam in v. ACER, eris.

GLĪRĀRĬUM, ii, n. 2. ἐλαιεών, locus in quo glires nutriuntur. *Varro* 3. *R. R.* 15. 1. Glirarium dissimili ratione habetur, quod non aqua, sed maceria locus sæpitur.

GLIS, gliris, m. 3. *ghiro*, ἐλειός. Olim quidam *gliris* dici putabant in recto casu, teste *Catone* apud *Charis.* 1. p. 69. et 106. *Putsch.* Hæc *Forcellinus*. Mihi vero *Charisii* verba ita corrigenda esse videntur, p. 69. *Putsch.* Gliris nomen (*lege* nominativus) est hic glis, non glir, ut quidam volunt. Nam Varro in Admirandis: *In* etc. Et Cato in Originibus. (Catonis verba desiderantur). Sic p. 106. *Putsch.* Glis. Varro in etc. et Cato in Originibus ita est locutus. *Quidam enim hæc gliris putant dici.* Postrema hæc verba, nisi fallor, non sunt *Catonis*, sed *Charisii*. — Glis est animal muri simile, majus tamen, in arboribus degens, et totam fere hiemem aut dormiens, aut certe quiete fruens somno simili: quo tempore quum aut nullo, aut exiguo certe cibo utetur, pinguescit tamen ut quum maxime: etymon vocis *V.* in GLISCO. *Martial.* 13. 59.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 57. 82. (223). *Varro* apud *Charis. loc. cit.* In silva mea est glis nullus. *Plaut. fragm.* apud *Non.* p. 119. 26. *Merc.* Glirium examina. — Fuit olim in deliciis cœnarum, adeo ut vivaria glirium habere mos fuerit, quæ *gliraria* dicta: et saginandi causa in doliis, singulari ad id ratione factis, includerent, ut apud nos capi in caveis: quæ docet *Varro* 3. *R. R.* 15. 1. Itaque legibus sumptuariis constitutis, glires quoque, ut glandia, conchylia et peregrinæ aves, interdicti, teste *Plin. loc. cit.* et 36. *ibid.* 1. 2. (4). Eorum condiendorum rationem docet *Apic.* 8. 9. Usus autem in conviviis testimonium præterea habes non solum apud *Petron. Satyr.* 31., sed et apud *Ammian.* 28. 4., qui illis multo posterior est. *Martial.* vero 3. 58. Saxinæ de silva Somniculosos ille porrigit glires. — Glis est symbolum somni æternalis in monumentis sepulcralibus apud *Labus. Mon.* 100. in *Canturio* p. 31.

GLĬSCERÆ, mensæ gliscentes, id est crescentes, per instructionem epulorum scilicet. *Paul. Diac.* p. 98. 9. *Müll.*

GLISCES, testiculi porcorum. *Nævius*, cujus verba refert *Turneb.* l. 15. c. 4. *Adversar.*, item *Non.* p. 151. 2. *Merc.*, ubi habetur *glifis*, sed alii leg. *glires*; quæ lectio multo est veri similior.

GLISCO, scis, scere, n. 3. Part. *Gliscens* I. et II. — Gliscere, quod ratione habita etymi conjungi potest cum Lat. *crescere*, ut ait *Paul. Diac.* p. 98. 9. *Müll.*, vel cum Gr. χλιδὴ *luxus*, et Germ. *gleissen lucere*, ut putat *Döderlein* (*Latein. Synonym.* vol. 1. p. 24. et vol. 6. p. 147.), est crescere, atque adeo tumescere, pinguescere, et dicitur de iis, quæ latenter et intus crescunt, αὐξάνω (It. *crescere, gonfiarsi, levarsi in alto*; Fr. *croitre, grossir, s'étendre, s'élever*; Hisp. *crecer, aumentarse, venir á ser mayor, agrandarse*; Germ. *emporwachsen, aufschwellen, aufgehen, auflodern*; Angl. *to grow, spread, increase*).

I.) Proprie. — *a*) Veteres, teste *Servio* ad *Virg.* 12. *Æn.* 9. adhibebant præcipue de incremento ignis. *Lucret.* 1. 474. Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens. *Sil. It.* 14. 307. pascitur Vulcanus turbine venti, Gliscentemque trahens turris per viscera labem etc. — *b*) De iis, quæ tumescunt. *Stat.* 1. *Theb.* 107. suffusa veneno Tenditur et sanie gliscit cutis. *si gonfia.* — *c*) De iis, quæ pinguescunt. *Colum.* 7. *R. R.* 1. 1. Asellus foliis spinisque alitur: paleis vero etiam gliscit. *s'ingrassa.* *Id.* 8. *ibid.* 9. 1. Turdus per hiemem difficulter gliscit. Cf. *Festus* p. 278. 1. *Müll.* Hinc (*h. e.* a gliscendo) glires dictus censet, quibus corpus pinguitudine accrescit. Rursus *Colum.* 2. *R. R.* 5. 1. Exilem terram stercorare conveniet: nam eo quasi pabulo gliscit. Huc pertinet et *Sall. fragm.* apud *Non.* p. 22. 19. *Merc.* Neque jam sustineri poterat, immensum aucto mari et vento gliscente.

II.) Translate. — *a*) Absolute. *Plaut. Asin.* 5. 2. 62. Gliscit prælium. *Id. Capt.* 3. 4. 26. rabies. *Pacuvius* apud *Non.* p. 22. 18. *Merc.* gaudium. *Lucret.* 4. 1065. furor in dies. *Id.* 3. 479. clamor, singultus, jurgia. *Cic. fragm.* apud *Non.* p. 22. 22. *Merc.* Ad juvenilem libidinem copia voluptatum gliscit, ut ignis oleo. *Virg.* 12. *Æn.* 9. accenso gliscit violentia Turno. Cf. *Sil. It.* 2. 239. gliscit ira tyranno. *Liv.* 42. 2. seditio. *Id.* 2. 23. invidia. *Tac.* 4. *Ann.* 35. auctoritas. *Id.* 6. *ibid.* 19. sævitia. *Id.* 1. *ibid.* 1. adulatio. *Id.* 14. *ibid.* 15. flagitia et infamia. *Id.* 15. *ibid.* 23. gloria et pericula. *Id.* 11. *ibid.* 22. Gliscentibus negotiis, duo prætores additi. *Sil. It.* 4. 6. Fama gliscit gressu. *h. e.* crescit eundo. — Et de hominibus. *Tac.* 4. *Ann.* 27. Multitudo gliscit immensum. *Id.* 2. *ibid.* 33. Postquam respublica eo magnificentiæ venerit, gliscere singulos. *h. e.* augeri divitiis. — Sic pro gestire, exsultare. *Stat.* 8. *Theb.* 756. Spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis Lumina torva videns. *gongola, esulta.* — *b*) Cum Ablativo. *Turpilius* apud *Non.* p. 22. 14. *Merc.* Quum te salvum video, glisco gaudio. *h. e.* gestio, exsulto. *Stat.* 12. *Theb.* 639. Hos ubi velle acies et dulci gliscere ferro Dux videt. *h. e.* vehementer cupere, *ardentemente desiderare*. *Tac.* 4. *Ann.* 5. *extr.* Gliscerent numero et aliquando minuerentur. *crescessero di numero*, numero augerentur. — *c*) Cum Infinito. *Stat.* 3. *Theb.* 73. Et consanguineo gliscis regnare superbus Exsule. *h. e.* vehementer cupis. — *d*) Passiva voce *Sempronius* apud *Non.* p. 481. 5. *Merc.* Ut major invidia Lepido glisceretur.

GLISSOMARGA, æ, f. 1. *V.* GLYSSOMARGA.

GLITTUS et

GLĪTUS. *V.* GLUTUS, a, um.

GLŎBĀTIM, adverb. *a truppe*, ἰλαδὸν, per globos. *Ammian.* 27. 9. Globatim per vicina digressi prædones.

GLŎBĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

GLŎBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Globatus* I. et II. — Globare est aliquid solidum in rotunditatem componere, σφαιρόω (It. *aggomitolare*; Fr. *former en globe, arrondir*; Hisp. *redondear*; Germ. *abrunden, zu einer Kugel gestalten*; Angl. *to make round, form into a round body*).

I.) Proprie. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Formam mundi in speciem orbis absoluti globatam esse. *Id. ibid.* 65. 65. (163). Dependentes ubique guttæ parvis globantur orbibus. *Id.* 18. *ibid.* 13. 34. (129). Rapa aut in latitudinem fundi, aut in rotunditatem globari. *Capell.* 8. p. 274. Mundus ex quatuor elementis in sphæræ modum globatus.

II.) Translate. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 78. (344). Si ante exortum solis nubes globabuntur, hiemem asperam denunciabunt. *Id.* 11. *ibid.* 17. 17. (53). *de rege apum.* Quum procedit, una est totum examen, circaque eum globatur, cingit, protegit, cerni non patitur. *Solin.* 11. *a med.* Coturnices globatæ vehementius properant. *unite in truppa di forma rotonda.*

GLŎBŌSĬTAS, ātis, f. 3. *rotondità*, rotunditas. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 16. Terræ globositas.

GLŎBŌSUS, a, um, adject. *rotondo*, σφαιρικός, in globi modum conformatus, rotundus. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 23. 36. Globosum saxum. Sic *Liv.* 38. 29. Globosa saxa. *Cic.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Globosa forma mundi. *Id. ibid.* 39. 98. Globosa terra. *Id. ibid.* 45. 116. Globosus mundus. *Id. Tim.* 6. Et globosus est fabricatus, quod σφαιροειδὲς Græci vocant, cujus omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur. *Colum.* 10. *R. R.* 383. Cucurbita globosi corporis. — Differt a rotundo, quia *rotunda* sunt etiam quæ plana tantum, ut circulus: *globosa*, quæ rotunda simul et solida, ut lusoria pila. *Cic.* 6. *de republ.* 15. Stellæ globosæ et rotundæ.

GLŎBŬLUS, i, m. 2. deminut. a globus, parvus globus, *globetto*, σφαιρίδιον.

I.) Proprie. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 5. 27. (89). Chrysocollæ globulis sudare resolutis. — Accipitur et pro genere edulii in globi modum convoluti. *Cato R. R.* 79. Globulos sic facito: caseum cum alica ad eumdem modum misceto etc. *Schneid.* et alii leg. globos. *Varro* 5. *L. L.* 107. *Müll.* In oleo cocti, dicti a globo globuli. *Müller.* vero leg. *globi.*

II.) Translate. *Petron. Satyr.* 1. Melliti verborum globuli. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

GLŎBUS, i, m. 2., qui ratione habita etymi conjungi potest cum v. *glomus* et Germ. *Kolbe, Klump*, est corpus solidum et unica superficie contentum, undecumque rotundum, cujus omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur, ut *Cic. Tim.* 6. loquitur: quamquam hoc sensu *sphæra* a philosophis et mathematicis dicebatur, *globus* vero erat vulgare vocabulum, quod usurpabatur non solum de sphæris cælestibus et de terra, sed de omnibus rebus rotundis non concavis, σφαῖρα (It. *globo, corpo rotondo a guisa di palla o fatto in forma di palla*; Fr. *corps d'une forme arrondie, globe, boule, sphère*; Hisp. *globo, bola, cosa esferica ó redonda*; Germ. *jeder Kugelrunde oder kugelförmige Körper, d. Kugel*; Angl. *a globe, round body, ball, bowl, sphere*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De sphæris cælestibus et de terra. *Cic.* 2. *Nat. D.* 18. 47. Quum duæ formæ præstantes sint, ex solidis globus (sic enim σφαῖραν interpretari placet), ex planis circulus. *Id.* 6. *de republ.* 15. Qui (*homines*) tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ terra dicitur. Adde *eumd.* 1. *Tusc.* 28. 68. *Id.* 6. *de republ.* 16. Stellarum globi terræ magnitudinem facile vincebant. Adde *eumd. ibid.* 17. *Lucret.* 5. 473. globi solis et lunæ. *Id.* 5. 70. lunæ. Sic *globos dierum et noctium* dixit *Prudent.* solem et lunam, 10. περὶ στεφ. 327. — Globus, seu sphæra quæ mundum repræsentat, apparet in nummis gentis Corneliæ, Carisiæ, Æmiliæ etc. V. *Bullett. dell'Instit. archeol.* a. 1839. p. 156. — *b*) De aliis rebus rotundis non concavis. *Plaut. Pœn.* a. 2. v. 35. In fundas visci indebant grandiculos globos. *pallottoline.* *Cic.* 1. *Divinat.* 43. 97. Quum cælum discessisse visum est atque in eo animadversi globi. *globi di fiamme.* *Lucret.* 4. 118. Cordis globus. *h. e.* cor. *Varro* 5. *L. L.* 107. *Müll.* Globus farinæ. *focaccia.* ¶ 2. Speciatim de genere edulii in globi modum convoluti. *Cato R. R.* 79. Globos sic facito: caseum cum alica ad eumdem modum misceto etc. *Al. leg.* globulos, ut apud *Varron.* 5. *L. L.* 107. *Müll.* A globo farinæ dilatato, item oleo cocti, dicti globi. *h. e. gnocchi.* ¶ 3. Item in re militari globus dicitur militum multitudo ad pugnandum instructa atque ita disposita ac stipata, ut globi formam referat. *Cato* apud *Festum* p. 344. 11. *Müll.* Sive forte opus sit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut serra uti adoriare. Cf. *M. Aurel.*, qui translate inter op. *Fronton.* 1. *ad M. Cæs.* 10. Age, perge, quantum libet, comminare, et argumentorum globis criminare.

II.) Translate dicitur de quocumque rerum cumulo vel multitudine, quæ tamen globi figuræ proxime accedat. — *a*) De inanimis. *Virg.* 1. *G.* 473. *de Ætna.* Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa. *Ovid.* 12. *Met.* 238. globos sanguinis vomere. *Lucan.* 4. 74. nubes densos involvere globos. Adde *Tac.* 2. *Ann.* 23. *Seneca Hippol.* 1031. undarum globus. *Val. Flacc.* 6. 341. telorum immanis in unum it globus. *un denso nembo di strali.* — *b*) De multitudine hominum in unum collecta et quasi conglobata, *truppa, squadra*, σύστημα. *Liv.* 8. 32. Extrema contio et circa Fabium globus increpabant inclementem dictatorem. *Tac.* 12. *Ann.* 43. Militum globo infensos perrupit. *Id.* 4. *ibid.* 50. Firmatæ stationes densioribus globis. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 61. et 15. *ibid.* 60. Sic *Sil. It.* 7. 53. Sæpe globo densi, sæpe et per devia passim Dispersi subiere. — *c*) Cum abstractis. Per contemptum *Sall. Jug.* 85. Si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc negotium mittatis. *Nepos Att.* 8. Sic ille consensionis globus unius dissensione disjectus est. *h. e.* turba, cohors, factio conspirantium. Sic *Vellej.* 2. 58. 2. Hi una cum conjurationis globo, stipati gladiatorum manu, Capitolium occupavere.

GLŎCĬDO, as, are, n. 1. idem quod glocire vel gluttire. *Paul. Diac.* p. 98. 6. *Müll.* Glocire et glocidare gallinarum proprium est, quum ovis incubituræ sunt. *Al. leg.* glocitare.

GLŎCĬO, is, ire, n. 4. *chiocciare*, κλώζω, unde et κλωγμός. Part. *Glociens.* — Glocire proprium est vocis gallinarum, quum ovis incubituræ sunt, ut ait *Paul. Diac.* p. 98. 6. *Müll.*: quod fit crebris singultibus, interjecta voce acuta, a verbo Græco allato, quod a sono factum est. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 4.

Ut ova quam recentissima supponantur (*gallinis*) glocientibus.

GLŌCĬTO. *V.* GLOCIDO.

GLOCTŌRO, as, are, n. 1. verbum exprimens vocem ciconiæ. *Auct. carm. de Philom.* 29. Gloctorat immenso de turre ciconia rostro. *V.* CROTALO.

GLŌMELLUM, i, n. 2. *deminut. a* glomos, ut ait *Isid.* 19. *Orig.* 29. Glomellum, corrupte a globo dictum, quasi globellum. Sic recte leg. cl. *Quicherat.*: vulgo *gubellum.*

GLŎMĔRĀBĬLIS, e, adject. qui glomeratur, seu in globum formatur. *Manil.* 4. 520. Pleiadum glomerabile sidus. *Alii rectius leg.* Pleiadum parvo referens glomeramine sidus. *Id.* 1. 221. Te testem dat luna sui glomerabilis urbis. *Alii rectius leg.* Te testem dat, luna, sui glomeraminis orbis.

GLŎMĔRĀMEN, inis, n. 3. rotunditas, rotunda forma; et concreto, uti ajunt, sensu globus, glomerata moles. — *a*) In singulari numero. *Lucret.* 2. 685. Dissimiles igitur formæ glomeramen in unum Conveniunt. *h. e.* in unum veluti globum, cœtum, corpus, glomeratam molem. *Id.* 5. 725. *de luna.* aufert Luciferam partem glomeraminis atque pilai. *h. e.* globosi corporis. *V.* voc. præced. — *b*) In plurali numero. *Lucret.* 2. 453. *de fluidis corporibus.* Nec retinentur enim inter se glomeramina quæque. *h. e.* globosæ atomi, quibus constant. *Seren. Sammon.* 55. Diloe præterea glomeramina, quæ geris intus Clausa arics, inter geminæ cosendicis umbras. *h. e.* globulos, pilulas fimi conglobatas.

GLŎMĔRĀRĬUS, ii, n. 2. *Seneca* 2. *Controv.* 8. *ad fin.* Detrahere illum operibus suis glomerarium, sanguinarium. *h. e.* qui glomere, seu globo militum stipatus pugnat, loquit *Andr. Schottus.* Al. leg. *suis gloriam temerarium, sanguinarium.*

GLOMERĀTĔ, adverb. per globos. Occurrit tantum Comp. *Glomeratius* et quidem translate. *Auson. Gratiar. action.* 29. Quis oratorum læta jucundius, facunda cultius, pugnantia densius, densata glomeratius aut dixit, aut cogitavit? *h. e.* magis convolvendo conglobandoque orationem veluti glomere verborum: quod apud *Horat.* 4. *Od.* 2. 11. est, verba devolvere.

GLŎMĔRĀTIM, adverb. per globos, turmatim. *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Vomitoria in spectaculis dicimus, unde homines glomeratim ingredientes, in sedilia se fundunt. *in folla, a truppe.*

GLŎMĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus glomerandi. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 67. (166). Asturcones, quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio. *ambiadura, ambio.*

GLŎMĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

GLŎMĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Glomerans* I. et II. 2.; *Glomeratus* in omnibus passim. — Glomerare est in glomus, seu globum conformare, conglobare, convolvere, *ἀγγλέω, νέω* (It. *aggomitolare, raggruppare, avvolgere*; Fr. *mettre en peloton, rouler en tourbillon, agglomérer*; Hisp. *poner, meter en ovillo, en ovillejo*; Germ. *knäuelartig zusammen wickeln, ballen, rund machen*; Angl. *to wind round, wind up, form into clues or balls, conglobate, glomerate*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu de filo et lana. *Ovid.* 6. *Met.* 19. Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes, Seu digitis subigebat opus. — *b*) Latiori sensu de aliis. *Ovid.* 1. *Met.* 34. Sic terram (?) nus, ne non æqualis ab omni Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis. Cf. *Manil.* 1. 159. Ultima subsedit glomerato pondere tellus. *Varro* 3. *R. R.* 5. 4. Cibarui offas positas: eæ maxime glomerantur ex ficis et farre mixto. *Cels.* 7. 22. Ubi venæ inter se implicatæ glomerantur. Cf. *Ovid.* 8. *Met.* 401. glomerataque sanguine multo Viscera lapsa fluunt. *involte, avvolte. Id.* 9. *ibid.* 221. Inde nives fieri, nivibus quoque molle rotatis Adstringi et spissa glomerari grandine corpus. *Id.* 13. *ibid.* 601. Atra favilla volat glomerataque corpus in unum Densatur. *Id.* 14. *ibid.* 212. frusta mero glomerata vomentem. *Virg.* 3. *Æn.* 576. liquefactaque saxa sub auras Cum gemitu glomerat. *Sil. It.* 3. 523. glomerata turbine nives. *Lucan.* 6. 296. glomeratus pulvis. *Virg.* 3. *Æn.* 117. *de equo.* Insultare solo et gressus glomerare superbos. *camminare in ambiadura*: celeri passu et convoluto gradu incedere. *V.* GLOMERATIO; et cf. *Sil. It.* 10. 461. Hinc rapidum glomerans cursum.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro accumulare, densare. — *a*) De hominibus et ceteris animalibus. *Virg.* 2. *Æn.* 315. Sed glomerare manum bello et concurrere in arcem Cum sociis ardent animi. *farsi in truppa, disporsi a battaglia. Id.* 9. *ibid.* 539. dum se glomerant retroque residunt. *si ristringono. Id. ibid.* 689. collecti Troes glomerantur eodem. *Id. ibid.* 440. Quem circum glomerati hostes, hinc comminus atque hinc Proturbant. *faltiglisi attorno in folla. Tac.* 3. *Hist.* 31. Legiones in testudinem glomerabantur. *Virg.* 6. *Æn.* 311. ad terram gurgite ab alto Quam multæ glomerantur aves. *volano in folla verso terra. Id.* 4. *ibid.* 155. agmina cervi Pulverulenta fuga glomerant. *si fanno in truppa. Id.* 4. *G.* 79. apes glomerantur in orbem. Sic *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 20. (63). *de apib.* Plebs tristi murmure glomeratur circa corpus regis. *Id.* 9. *ibid.* 23. 38. (75). Anguillæ fluctibus glomeratæ volvuntur in tantum mirabili multitudine etc. *raggruppate, avvolte insieme.* — *b*) De abstractis. *Virg.* 1. *G.* 323. Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris Collectæ ex alto nubes. *Id.* 8. *Æn.* 254. *de Caco.* glomeratque sub antro Fumiferam noctem. *vomita globi di fumo. Lucret.* 3. 498. semina vocis Ejiciuntur, et ore foras glomerata feruntur. Adde *eumd. ibid.* 510. ¶ 2. Item pro cogere, colligere, congregare. *Cic. poet.* 1. *Divinat.* 12. 19. Omnia fixa tuus glomerans determinat annus. *Id.* vertens carmina *Æschyli*, 2. *Tusc.* 10. 25. Atque hæc vetusta sæclis glomerata horridis, Luctifica clades nostro infixa est corpori. *h. e.* collecta et veluti coacervata. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 134. Glomerare simul fas et nefas.

GLŎMĔRŌSUS, a, um, adject. *globoso*, globosus. *Colum.* 9. *R. R.* 3. 1. Aristoteles apum genera complura demonstrat, eorumque alias vastas, sed glomerosas: alias minores quidem, sed æque rotundas. Adde *Liv.* 21. 31., ubi tamen alii aliter leg.

GLŌMUS, ĕris, n. 3. *et* mi, m. 2. *gomitolo*, ἀγαθίς, fili aut lanæ massa in globi morem convoluta: videtur esse ab Hebr. גלם *galum* involvit. *Lucret.* 1. 360. Nam si tantumdem est in lanæ glomere, quantum Corporis in plumbo est. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 14. ut rusticus agnum, Ut vinosa glomus furtivæ Pyrrhia lanæ. Ita *Bentlejus*: alii *glomos*, alii *globos* legunt. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (91). Labyrinthus inextricabilis, quo si quis introierit sine glomere lini, exitum invenire nequeat. *Scribon. Compos.* 112. Penicillum intinctum proderit habere, vel eodem modo glomus staminis albi. *Al. leg.* glomum. — Glomus in sacris crustulum cybii (*Mull. leg.* cymbi) figura, et oleo coctum appellatur. *Paul. Diac.* p. 98. 4. *Müll.* Hunc *Cato R. R.* 79. et *Varro* 5. *L. L.* 107. *Müll.* dicunt. *globum.* V. GLOBUS I. 2. — In illo *Auctoris carm. de Philom.* 23. Tirus gruit: inque glomis cycni prope flumina drensant. *glomi* videtur esse canneta, vepreta et palustribus herbis glomeratis densa loca in ripis fluminum: sed alii leg. *Martia grus gruit: ast cycni prope* etc.

GLŌRĬA, æ, f. 1. a κλέος Dorice pro κλέος, quocum cf. κλέω, κλείω, et *cluo, clarus*, itemque γακηρός et γέλως, est claritas nominis, splendor, amplitudo, κλέος, δόξα (It. *gloria*; Fr. *gloire, renom, renommée*; Hisp. *gloria, renombre*; Germ. d. *Ruhm*; Angl. *glory, renown, fame*).

I.) Proprie, objective, uti ajunt, occurrit — *a*) Absolute. — In sing. numero. *Cic.* 2. *Invent.* 55. 166. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. *Id.* 3. *Tusc.* 2. 3. Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute. *Id. Marcell.* 8. 26. Gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum vel in suos, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum. *Id.* 2. *Off.* 9. 31. Summa et perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore dignos putat. Ceterum *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Non ponebat enim (*Q. Fabius*) rumores ante salutem: Ergo plusque magisque viri nunc gloria claret. *Cic.* 2. *Orat.* 37. 154. Non tulit ullos hæc civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores. *Id.* 5. *Phil.* 18. 50. Vera, gravis, solida gloria. *Id. Mil.* 35. 97. Ex omnibus præmiis virtutis amplissimum esse gloriam. *Id. Arch.* 11. 26. Trahimur omnes studio laudis, et optimus quisque maxime gloria ducitur. *Id.* 14. *Att.* 11. et 4. *Cat.* 10. 21. Esse in sempiterna gloria. *Id.* 2. *Orat.* 18. 75. Nomen Hannibalis magna erat apud omnes gloria. *Id. Planc.* 25. 60. Excellere gloria. *Id.* 5. *Fam.* 12. *a med.* Commendare aliquem sempiternæ gloriæ. *Id. Pis.* 26. 63. Gloriam immortalem alicui dare. *Id.* 2. *Orat.* 40. 172. Gloriam expetere. *Id.* 10. *Fam.* 26. *ad fin.* sequi. *andar dietro. Id.* 1. *Off.* 12. 38. quærere bello. *Id.* 2. *Phil.* 41. 114. consequi. *Id.* 3. *Fam.* 7. *a med.* acquirere. *Quintil.* 3. 7. 13. benefactis parere. *Vellej.* 2. 129. mereri. *Cic. Amic.* 7. 25. maximam capere. *Id.* 2. *Att.* 2. in summam venire. *h. e.* pervenire. *Id. Brut.* 68. 239. magnam habere. *Id. Brut.* 8. 32. alere. *Id. Dom.* 35. 95. duplicare. *Vellej.* 2. 41. augere. *Cæs.* 7. *B. G.* 1. veterem recuperare. *Cic. Pis.* 24. 57. repudiare. *Id. Arch.* 11. 26. contemnere. *Liv.* 29. 39. *ad fin.* spernere. *Horat.* 3. *Od.* 26. 2. Militavi non sine gloria. *Curt.* 4. 14. *sub fin.* Gloriam, quam accepisti a majoribus, posteris relinquere. *Quintil.* 12. 11. 28. An Pollio et Messala — parum ad posteros gloriæ tradiderunt? *Tac.* 2. *Ann.* 16. Alienam gloriam in se trahere. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 25. (92). Aliquid in gloria ponere. *ascrivere a gloria, stimare glorioso. Id.* 31. *ibid.* 6. 32. (60). Plerique in gloria ducunt, plurimis horis calorem perpeti. — Poetice *Tibull.* 4. 1. 208. tardi pecoris sim gloria taurus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 290. candidus, armenti gloria, taurus. — In plur. numero. *Plaut. Truc.* 4. 4. 36. Ita sunt gloriæ meretricum. *Cic. Planc.* 25. 60. Honorum gradus sunt pares, gloriæ dispares. Ita *Forcellinus*: at bona ejus venia τὸ *gloriæ* Genitivus est num. sing. *Tac.* 3. *Ann.* 45. Memorare veteres Gallorum glorias. *Gell.* 2. 27. *extr.* Quæstus atque compendium gloriarum. *incetta e avanzo di glorie.* — *b*) Cum addito Genitivo rei. *Cic.* 1. *Off.* 19. 62. Nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis et malitia, laudem est adeptus. *Id.* 1. *Tusc.* 46. 110. Non possum dicere, quomodo hoc accipietur, Lycurgum, Solonem legum et publicæ disciplinæ carere gloria. Themistoclem. Epaminondam bellicæ virtutis etc. *Id.* 1. *Orat.* 1. 1. Honoribus et rerum gestarum gloria florere. *Id.* 2. *de republ.* 10. Eximia virtutis gloria. *Id.* 1. *Off.* 12. 38. Ea bella, quibus imperii proposita gloria est etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. Pro gloria belli atque fortitudinis. *Id.* 5. *ibid.* 29. Superiore gloria rei militaris exstincta. *Cic. Brut.* 68. 239.; et *Quintil.* 12. 10. 17. Dicendi gloria.

II.) Translate, seu subjective, uti ajunt, idem est quod gloriatio, *iattanza, vanto.* — *a*) Absolute. — In sing. numero. *Cic. Rabir. Post.* 14. 38. Quod genus tandem est istud ostentationis et gloriæ? *Id.* 7. *Fam.* 13. Moriar, ni, quæ tua gloria est, puto te malle a Cæsare consuli, quam inaurari. *Nepos Agesil.* 5. Tantum abfuit ab insolentia gloriæ, ut etc. *Auct. B. Afr.* 31. *extr.* Gloriam exsultationemque alicujus pati. *Horat.* 2. *Ep.* 18. 22. Gloria quem supra vires et vestit et ungit. *vanagloria, pompa.* Cf. *eumd. ibid.* 1. 177., 1. *Sat.* 6. 23. et 2. *ibid.* 3. 179. Sic *Id.* 1. *Od.* 18. 15. cæcus amor sui Et tollens vacuum plus nimio gloria Verticem. — In plur. numero. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 22. Perjuriorem hoc hominem si quis viderit, aut gloriarum pleniorem, quam illic est etc. *Gell.* 1. 2. Fiere inanes glorias. *Lactant.* 7. 26. *post med.* Tu immortalibus gloriis frueris. — *b*) Cum addito Genitivo rei. *Virg.* 4. *G.* 205. Tantus amor florum et generandi gloria mellis. *Lucan.* 4. 376. gloria lautæ mensæ.

Homonym. *V.* in fin. v. FAMA.

GLŌRĬĀBUNDUS, a, um, adject. qui abunde gloriatur, *gloriantesi*, καυχηματίας. *Gell.* 5. 5. Contemplatione tanti et tam ornati exercitus gloriabundus Hannibalem aspicit.

GLŌRĬĀTĬO, ōnis, f. 3. actus gloriandi, *il gloriarsi*, καύχησις. *Cic.* 3. *Fin.* 8. 28. Ex quo efficitur, gloriatione, ut ita dicam, dignam esse beatam vitam. *Id.* 1. *ibid.* 18. 50. Illud vero minime consectarium, gloriatione dignam esse beatam vitam. Adde *Vulgat. interpr. Eccli.* 1. 11. et 9. 22. et alibi sæpe.

GLŌRĬĀTOR, ōris, m. 3. *vantatore*, qui gloriatur. *Apul. Florid.* n. 17. Magis sum amicitiæ cupitor, quam gloriator.

GLŌRĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. *glorificazione*, *gloria*, gloria. Est *Augustini* aliquot in locis.

GLŌRĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (gloriam et facio). Part. *Glorificandus* occurrit apud *Prosp. Aquit.* epigr. 51. 14. — Glorificare est gloriosum reddere. *glorificare, lodare*, δοξάζω. *Coripp.* 4.

Laud. Justin. 289. Glorificavit opus. *Tertull. Idolol.* 22. Deus potius glorificetur. Adde *Prudent. Hamartig. in fin.*; et *Vulgat. interpr. Exod.* 14. 4. et alibi sæpe.

GLŌRĪFĬCUS, a, um, adject. *glorioso*, gloria plenus. *Imp. Justin. Cod.* 2. 8. 6. Relicta observatione glorificæ tuæ sedis.

GLŌRĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. a* gloria, parva gloria, *gloriuzza*, δοξάριον. *Cic.* 5. *Fam.* 12. Et nosmetipsi viri gloriola nostra perfruamur. *Id.* 7. *ibid.* 5. Etiam hisce eum ornes gloriolæ insignibus. *h. e.* tribunatus, aut præfecturæ, aut ejusmodi. *Hieronym. Ep.* 58. *n.* 6. Rumusculos et gloriolas et palpantes adulatores, quasi hostes, fuge.

GLŌRĬOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Glorians* sub *a.*, *b.*, e. et *f.*; *Gloriatus* sub *e.*; *Gloriaturus* sub *f.*; *Gloriandus* sub *a.* — Gloriari est gloria et prædicatione efferre se, de se prædicare, καυχάομαι (It. *gloriarsi, vantarsi*; Fr. *se glorifier, se vanter*; Hisp. *glorificarse, alabarse, vantarse*; Germ. *sich rühmen, etwas von sich rühmen, mit etwas prahlen, grossthun, seinen Ruhm in etwas setzen*; Angl. *to glory, boast, brag, vaunt, pride himself*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Cic. Senect.* 10. 32. Vellem equidem idem posse gloriari quod Cyrus. *Id. ibid.* 23. 82. Ut de me ipso aliquid more senum glorier. *Id.* 5. *Tusc.* 17. 49. Est in aliqua vita prædicabile aliquid et gloriandum ac præ se ferendum. Sic *Id. ibid.* § 50. Quod si est: beata vita glorianda et prædicanda et præ se ferenda est. *Liv.* 27. 12. In eum hæc gloriantem impetum facit. — *b*) Cum Ablativo rei sine præpositione. *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Sua victoria insolenter gloriari. *Cic. Orat.* 50. 169. Nominibus veterum gloriantur. *Id. Ligar.* 7. 20. Hoc non concedo, ut, quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in aliis reprehendatis. *Quintil.* 3. 6. 93. Occiso malo cive gloriari. *Id.* 11. 2. 22. Vanitas fuit atque jactatio circa memoriam sua potius arte, quam natura gloriantis. — *c*) Cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Cic. Planc.* 8. 20. De M. Catone, de Ti. Coruncanio gloriati. *Id. Vatin.* 12. 29. Pecunias aliorum despicis, de tuis divitiis intolerantissime gloriaris. *Id.* 3. *Fin.* 8. 28. De misera vita, aut non de beata gloriari. — *d*) Cum Ablativo rei et præpos. *in*. *Cic.* 2. *Off.* 17. 59. Nobis quoque licet in hoc quodam modo gloriari. *Id.* 1. *Tusc.* 21. 48. Non pudet philosophum in eo gloriari, quod hæc non timeat. *Id.* 3. *Nat. D.* 36. 87. Propter virtutem jure laudamur, et in virtute recte gloriamur. — *e*) Cum Accusativo et Infinito, vel sequente Relativo. *Cæs.* 1. *B. C.* 4. Seque alterum fore Sullam inter suos gloriatur. *Cic.* 2. *Orat.* 64. 258. Quum Asellus omnes provincias se peragrasse gloriaretur. *Id. Pis.* 1. 2. Is mihi etiam gloriabitur, se omnes magistratus sine repulsa assecutum? *Horat. Epod.* 11. 23. Gloriantis quamlibet mulierculam vincere mollitia. — *Suet. Aug.* 28. Ut jure sit gloriatus, se marmoream relinquere, quam latericiam accepisset. *Quintil.* 2. 17. 21. Se tenebras offudisse judicibus gloriatus est. — *Sueton. Cal.* 38. Gloriatus est expergefactæ somno Cæsoniæ, quantum egisset, dum ea meridiaret. — *f*) Absolute omnino. *Cæs.* 3. *B. C.* 45. Dicitur eo tempore glorians apud suos Pompejus dixisse. *Cic. Brut.* 18. 71. Ait ipse de se: nec mentior in gloriando. *Id. Cæl.* 19. 45. Defendenda hæc causa, non gloriandi eloquor. *Id.* 1. *Off.* 22. 78. Licet enim mihi apud te gloriari. Adde *eumd.* 2. *Fin.* 16. 51. et 4. *ibid.* 18. 50. *Sueton. Tit.* 10. Haud negatura, immo etiam gloriatura.

GLŌRĬŌSĒ, adverb. Comp. *Gloriosius* 1. et 2.; Sup. *Gloriosissime* 1. — Gloriose est ¶ 1. Cum gloria, *gloriosamente, con gloria*, ἐνδόξως, εὐκλεῶς. *Nævius* apud *Gell.* 6. 8. Res magnas manu sæpe gessit gloriose. *Cic.* 2. *Fam.* 12. 3. Gloriose triumphare. *Id.* 14. *Att.* 4. 2. Quod per ipsos confici potuit, gloriosissime et magnificentissime confecerant. *Sall. fragm.* apud *Gell.* 2. 27. Quo ille dehonestamento corporis maxime lætabatur, quia reliqua gloriosius retinebat. *Vellej.* 2. 2. Vitam gloriosissima degere. ¶ 2. Item gloriando, *con vanto*; tum in bonam, tum in malam partem. *Plaut. Pers.* 2. 5. 6. Subnixis alis me inferam atque amicibor gloriose. *pomposamente*. *Id. Stich.* 2. 1. 4. Gloriose prologui. *Id. Mil. glor.* 2. 7. 72. mentiri. *Cic.* 2. *Orat.* 8. 31. Exorsus es non gloriose magis a veritate, quam etc. *Id. Dom.* 35. 93. Hoc reprehendis, solere me de me ipso gloriosius prædicare. *Sall. epist. Mithrid. ad Arsac.* Amicitiam alicujus gloriose ostentare.

GLŌRĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Gloriosior* et Sup. *Gloriosissimus* 1. — Gloriosus ¶ 1. Est illustris, præclarus, gloriæ plenus, in quo gloriari licet ἔνδοξος, εὐκλεής (It. *glorioso*; Fr. *glorieux, illustre, renommé*; Hisp. *glorioso, illustre*; Germ. *ruhmvoll, rühmlich, glorreich*; Angl. *glorious, renowned, illustrious, far-famed*). *Cic. Dejot.* 14. 40. Quæ si in privatis gloriosa sunt, multo magis commemorabuntur in regibus. *Id.* 1. *Phil.* 14. 33. Bene de republica mereri gloriosum est. *Id.* 1. *Fin.* 11. 37. Clarorum hominum facta illustria et gloriosa. *Id.* 1. *Divin.* 28. 59. Illa fuga, nobis gloriosa, patriæ calamitosa. *Id.* 2. *ibid.* 2. 5. Magnificum illud etiam, Romanisque hominibus gloriosum, ut Græcis de philosophia litteris non egeant. *Id.* 9. *Fam.* 14. 2. Mihi vero gloriosum, te juvenem consulem florere laudibus quasi alumnum disciplinæ meæ. *Id.* 8. *Att.* 12. 5. Gloriosa consilia. *Id.* 1. *Divinat.* 24. 51. mors. *Nepos Miltiad.* 6. Nostri populi honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi: nunc autem effusi atque obsoleti. *Id. Agesil.* 4. Multo gloriosius duxit, si institutis patriæ paruisset, quam si etc. *Phædr.* 4. 23. Gloriosus convictus deorum. *Sueton. Cal.* 8. Gloriosus princeps. *Id. Tib.* 32. Gloriosissimæ victoriæ. *Tac.* 5. *Hist.* 17. Dies gloriosissimus. *Justin.* 12. 11. Gloriosa militia. *Id.* 11. 6. *in fin.* senectus. *Id.* 42. 2. expeditio. *Sueton. Claud.* 1. Gloriosus animus. *h. e.* gloriæ cupidus, magnus, elatus. ¶ 2. Item jactantiæ plenus, *vanitoso*, ἀλαζών. *Plaut. Pseud.* 2. 3. 8. Gloriosum se facere. *millantarsi*. *Cic. Amic.* 26. 98. Milites gloriosi. *millantatori*. *Id.* 1. *Orat.* 43. 193. Quem ista præpotens et gloriosa philosophia delectat. *Id. Flacc.* 25. 52. Illa magnifica et gloriosa ostentatio civitatis. *Nepos Timol.* 4. Nihil unquam neque insolens, neque gloriosum ex ore ejus exiit. *di vanto, di iattanza*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 20. 22. (44). Pavo, gloriosum animal. *borioso, superbo*. *Plin. alter* 3. *Ep.* 9. *ante med.* Epistolas jactantes et gloriosas Romam miserat. *Sueton. Claud.* 1. Fuisse creditur non minus gloriosi, quam civilis animi. — *Miles gloriosus* titulus est comœdiæ Plautinæ. *Cic.* 1. *Off.* 38. 137. Deforme est, de se ipsum prædicare, falsa præsertim, et cum irrisione audientium imitari Militem gloriosum.

GLOS, glōris, f. 3. γάλως. In Genitivo facit *gloris*. *Charis.* 1. *p.* 27. *Putsch.* et *Priscian.* 6. *p.* 710. — Glos est soror mariti mei, ab allata voce Græca per syncopen breviata, γάλοως, ἀνδραδέλφη (It. *cognata*; Fr. *sœur de mari, belle-sœur*; Hisp. *cuñada*; Germ. *Mannsschwester, Schwägerin*; Angl. *the husband's sister*). *Modestin. Dig.* 38. 10. 4. *a med.*; *Charis.* loc. cit.; et *Paul. Diac. p.* 98. 5. *Müll.* Hinc *Auson. Edyll.* 12. *monosyll. de hist.* 13. Æacidæ ad tumulum mactata est Andromachæ glos. *h. e.* Polyxena soror Hectoris, qui Andromachæ maritus fuit. Addit *Non. p.* 557. 6. *Merc.* significare etiam uxorem fratris mei, quæ sæpius *fratria* appellatur: sed nullo id exemplo confirmat.

GLOSSA, æ, f. 1. *lingua*, γλῶσσα, Att. γλῶττα, lingua. Græca vox est, et Græcis litteris scribenda. Hinc ¶ 1. Metonymice accipitur pro sermone. Sed proprie glossæ (et sæpius glossemata) vocantur vocabula obscuriora, et minus usitata, quæ interpretatione indigent, cujusmodi sunt ea, quæ certæ sunt dialecti propria, eoque aliena a lingua communi, unde et ξενικά dicuntur, quasi peregrina. *Quintil.* 1. 1. 35. Protinus enim potest interpretationem linguæ secretioris, quas Græci γλώσσας vocant, dum aliud agitur, ediscere. *Auson. epigr.* 127. Latine habet, et ambiguo obscœnoque sensu usurpat de Euno quodam magistro et cunnilingo. ¶ 2. Accipitur etiam pro interpretatione, seu explicatione eorum, quæ ab aliis obscure scripta fuere, quia vice linguæ, *h. e.* vice doctoris fungitur. Hinc *Glossæ Philoxeni, Isidori*, etc. *h. e.* vocabulorum obscuriorum et minus usitatorum collectio: quo sensu *Varro* 7. *L. L.* 10. *Müll.* Tesca ajunt sancta esse, qui Glossas scripserunt.

GLOSSĀRĬUM, ii, n. 2. *dizionario, vocabolario*, λεξικόν, liber, in quo glossæ, id est vocabula obscuriora explanantur: *V.* voc. præced. 1. *Gell.* 18. 7. Vos, philosophi, mera estis, ut M. Cato ait, mortuaria glossaria: namque colligitis lexidia etc.

GLOSSĒMA, ătis, n. 3. γλώσσημα, est vox occultior, abstrusior et minus usitata, quæ interpretatione eget, quales sunt voces aliquot in tragœdiis, heroicis versibus et simili genere gravioris poematis. *Varro* 7. *L. L.* 34. *Müll.* exponens *Ennii* versum, *Cælitum Camilla exspectata advenis*, Camillam, qui glossemata interpretati, dixerunt administram. *Quintil.* 1. 8. 15. Circa glossemata etiam, idest voces minus usitatas, non ultima ejus professionis diligentia est. *Asin. Gall.* apud *Sueton. Gramm.* 22. Qui caput ad lævam deicit, glossemata nobis Præcipit: os nullum, vel potius pugilis! — Hinc

Glossemata, ōrum, n. plur. absolute, substantivorum more, sunt eorumdem vocabulorum collectiones. *Festus p.* 181. 18. *Müll.* Ut Athejus philologus in libro Glossematorum refert. *Id. p.* 166. 7. Ælius Stilo (*naucum dicit*) omnium rerum putamen. Glossematorum autem scriptores, fabæ grani quod hæreat in fabulo.

GLOSSĒMĂTĬCUS, a, um, adject. γλωσσηματικός, ad glossema pertinens. *Diomed.* 2. *p.* 434. *Putsch.* Glossematicum locutionum genus.

GLOSSŎPĔTRA, æ, f. 1. γλωσσόπετρα, gemmæ species linguæ humanæ similis, quam magi credunt non nasci in terra, sed deficiente luna cælo decidere, ea lunares motus excitari, ventus comprimi, illam memoriæ prodesse etc. a γλῶσσα *lingua*, et πέτρα *lapis*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 59. (164); *Solin.* 37. *a med.*; et *Isid.* 16. *Orig.* 15. 17.

GLOSSŬLA, æ, f. 1. *deminut. a* glossa, brevis interpretatio. *Diomed.* 2. *p.* 421. *Putsch.* Enarratio est obscurorum sensuum quæstionumque explanatio, vel exquisitio, per quam uniuscujusque rei qualitatem poeticis glossulis exsolvimus.

GLOTTIS, idis, f. 3. apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 33. (67). est avis e genere coturnicum, a lingua prælonga, quam exserit. Γλωττίς Græce parvam linguam significat.

GLŪBO, is, ere, 3. Præteritum ex analogia est *glupsi*, supinum *gluptum*: unde *degluptus*. — Glubere est *A*) Verbum Activum; et *B*) Neutrum.

A) Active glubere proprie est corticem detrahere (unde teste *Paul. Diac. p.* 98. 8. *Müll.* significat etiam pellem detrahere), arbores cortice denudare, a γλύφω *scalpo*, ἀποδέρω (It. *scorzare*; Fr. *écorcer, ôter l'écorce*; Hisp. *descortezar*; Germ. *abschälen*; Angl. *to bark, peel, pull off the bark or rind of a tree*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 33. Salictum suo tempore cædito, glubito arteque alligato, librum conservato. *Varro* 1. *R. R.* 55. 2. Melior est olea quæ digitis nudis legitur, quam quæ cum digitalibus: durities enim eorum non solum stringit ramum, sed etiam ramos glubit, et relinquit ad gelicidium relectos.

II.) Translate obscœno sensu usus est *Catull.* 58. 5. *de Lesbia*. Glubit magnanimos Remi nepotes. Sunt tamen qui putant, hic τὸ *glubit* significare *spoliat bonis*, quemadmodum etiam Itali dicunt eodem sensu *cavar la pelle, scorticare*.

B) Neutrorum more. *Cato R. R.* 31. Quæ materies semen non habebit, quum glubet, tempestiva erit. *h. e.* quum glubet se et corticem deponere videbitur. Eadem habet 17. *ibid.*, nisi quod pro *glubet* libri perperam habent *glubebit*, tamquam a *glubeo* sit.

GLŪCĬDĀTUS. *V.* CLUCIDATUM et CANDACUS.

GLŪMA, æ, f. 1. *pula, lolla, loppa*, ἔλυτρον, folliculus, seu tunicula hordei, et aliorum frumentorum: a *glubo*. *Varro* 1. *R. R.* 48. 1. Arista et granum omnibus fere notum: gluma paucis. Itaque id apud Ennium solum scriptum scio esse in Euhemeri libri versis. *V.* cl. *Vahlen* in *Ennianæ poes. reliq. p.* 174. Rursus *Varro ibid.* Granum dictum, quod est intimum solidum: gluma, qui est folliculus ejus: arista, quæ, ut acus tenuis, longa eminet e gluma. *et mox*. Videtur etymon habere a glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum. *Paul. Diac. p.* 98. 8. *Müll.* Gluma hordei tunicula: dictum, quod glubatur id granum. — Eodem vocabulo appellatur folliculus lini, quem edimus, teste *Varron. loc. cit.*

GLŪO συστρέφω, *Gloss. Philox.* h. e. conjungo. Hinc *glus*, *glutus* et *gluten*.

GLUS, glutis et glutinis, f. 3. *colla*, idem quod gluten. *Auson. Edyll.* 12. *monosyll. per interrog.* 10. Tergora dic clipeis accommoda quid faciat? glus.

Veget. 5. *Veterin.* 65. 4. et 6. *ibid.* 14. 4. *Schneid.* Glutis taurinæ semuncia. *Paulin. Petroc.* 4. *Vit. S. Martini* 104. siccati glute palati. *h. e.* viscosa saliva. *Charis.* 1. *p.* 27. *Putsch.* Feminini generis hæc glos, gloris, glus, glutinis. *Alii leg.* glus, glutis.

GLUT GLUT, vox exprimens sonum liquoris ex angusti oris vase exeuntis. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 405. *Burmann.* Percutit et frangit vas, vinum defluit, ansa Stricta fuit, glut glut murmurat unda sonans. Credit glutonem se rusticus inde vocari.

GLŪTEN, inis, n. 3. *et* glūtinum, i, n. 2. *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 281. *glutine* in recto casu dixisse videtur. — *Capell.* 3. *p.* 75. *gluten* masculini generis facit. — Gluten *vel* glutinum est materia viscosa ac tenax, qua res conjunguntur, κόλλα (It. *colla*; Fr. *glu, colle, gluten*; Hisp. *engrudo, cola*; Germ. d. *Leim*; Angl. *glue*).

I.) Proprie. — *a*) Forma *gluten* occurrit apud *Lucret.* 6. 1069. Glutine materies taurino jungitur una. *Gluten* dicitur etiam propolis apud *Virg.* 4. *G.* 38. tenuia cera Spiramenta linunt (*apes*), fucoque et floribus oras Explent, collectumque hæc ipsa ad munera gluten. *Id. ibid.* 160. lento de cortice gluten. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 79. (215). Valvas in glutinis compage quadriennio fuisse. Adde *Cels.* 8. 7. *Augustin.* 15. *Civ. D.* 27. Gluten bituminis. — *b*) Formā *glutinum* habet *Varro* apud *Charis.* 1. *p.* 67. et 106. *Putsch.* Glutinum ferunt Dædalum invenisse. *Sall. fragm.* apud *eumd. ibid.* Corio recens detracta quasi glutino adolescebant. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 94. (231). Boum coriis glutinum excoquitur taurorumque præcipue. *Id.* 28. *ibid.* 18. 71. (243).; et *Cels.* 5. 5. Glutinum taurinum. Hoc *Id. Cels.* 8. 7. vocat *fabrile gluten*. *Vitruv.* 7. 10. Glutinum admiscere. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 26. (82). *de glutino chartarum.* Glutinum vulgare e pollinis flore temperatur fervente aqua, minimo aceti aspersu: nam fabrile gummisque fragilia sunt. *Gargil.* (edente *Aug. Ant. Scottio*) 4. *n.* 4. Arbores, quæ gummi glutina excludunt.

II.) Translate ponitur pro vinculo. *Prudent.* 9. *Cathemer.* 102. Ossa, nervos ac medullas glutino cutis tegi. *Apul.* Ἀνεχ. 11. Quum pectora arcte adhærent Veneris glutino. *V.* et GLUTINIUM. *Hieronym. Ep.* 3. *n.* 3. Glutino charitatis hærens.

GLŪTĪNĀMENTUM, i, n. 2. *incollamento*, κόλλησις, compactio, collema: item locus ipse glutinatus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 25. (81). *de chartis.* Deprehenditur et lentigo oculis, sed inserta mediis glutinamentis tænia.

GLŪTĪNĀRIUS, ii, m. 2. qui glutinum conficit. *Inscript.* apud *Fea, Framm. consol. p.* 106., quæ est apud *Orell.* 4198. P. CLODIVS P. L. METRODORVS GLVTINARIVS. Hæc inscriptio optimæ notæ fortasse pertinet ad tempora P. Clodii a Milone interfecti.

GLŪTĪNĀTIO, ōnis, f. 3. *incollatura*, κόλλησις, actus glutinandi. Translate. *Cels.* 7. 27. *a med.* Neque desperari debet solida glutinatio vulneris. *il rammarginarsi.*

GLŪTĪNĀTĪVUS, a, um, adject. glutinandi vim habens. *Apul. Herb.* 72. Folia sunt virtutis glutinativæ recentium vulnerum. Adde *eumd. ibid.* 77.

GLŪTĪNĀTOR, ōris, m. 3. *incollatore*, κολλητής, qui glutine conjungit. *Cic.* 4. *Att.* 4. *a.* 1. Mittas de tuis librariolis duos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cetera administris. *Inscript.* apud *Gruter.* 594. 6., quæ est apud *Orell.* 2925. MANNIO ATICHIO TIBERII CAESARIS GLVTINATORI. Cf. *Mommsen. Inscript. Neap.* 2908. legendum conjecit *Dis man* (vel melius fortasse MANIB., ut *Henzen.* putat) ATICHO etc. *Alia* apud *Henzen.* 6445., quæ pertinet ad annum post Chr. n. 38. EPAPHRODITVS CHRESIMI F., EROS GLVTINALOR (sic), APHRODISIVS GLVTINAT. (sic) etc. Erant *glutinatores*, qui glutinandis chartis dabant operam in confectione librorum: tum ipsorum terga exornantes: tum chartas chartis attexentes in longitudinem, ut volvi possent et volumen efficere: tum denique plures tabellas, aut paginas conglutinantes, unde codex exsisteret. Adde *Lucilium* apud *Non. p.* 491. 30. *Merc.*; et V. *Winkelmann. T.* 7. *p.* 202.

GLŪTĪNĀTŌRIUS, a, um, adject. glutinativus. *Theodor. Priscian.* de *Diæta* 10. Glutinatoriæ virtutis esse. *Pelagon. Veterin.* 6. *ante med.* Glutinatoria. scil. medicamenta, *conglutinativo.*

GLŪTĪNĀTUS, a, um. *V.* GLUTINO.

GLŪTĪNEUS, a, um, adject. glutinosus. Translate *Rutil.* 1. *Itiner.* 610. *de Harpyiis.* Quæ pede glutineo, quod tetigere, trahunt. *V.* PICRATUS.

GLŪTĪNIUM, ii, n. 2. glutinum. *Apul. Trismeg. p.* 100. *Elmenhorst.* Εἱμαρμένη et necessitas ambæ sibi invicem individuo connexæ sunt glutinio. *Al. leg.* glutino.

GLŪTĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Glutinans, Glutinatus* et *Glutinandus* II. — Glutinare est glutine conjungere, ferruminare, κολλάω, συγκολλάω (It. *incollare*; Fr. *coller, gluer, engluer*; Hisp. *encolar, engrudar*; Germ. *leimen, zusammenkleben*; Angl. *to glue, solde, paste*).

I.) Proprie. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 60. (127). Farina, qua chartæ glutinantur. *Id.* 29. *ibid.* 3. 11. (51). Ovi candidum admixtum calci vivæ glutinat vitri fragmenta. *Pallad.* 9. *R. R.* 11. 3. Sed antequam in iis (*fictilibus tubis*) aquæ cursus admittatur, favilla per eos mixta exiguo liquore decurrat, ut glutinare possit, si qua sunt vitia tuborum.

II.) Improprie usurpatur fere apud Medicos de vulneribus, quæ clauduntur. *Cels.* 7. 27. *ad fin.* Si oræ vulneris se glutinarunt. *Id.* 7. 4. *init.* Et fibulæ glutinantia medicamenta superdanda sunt. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 19. (43). Glutinare præcisos nervos. *Id.* 33. *ibid.* 6. 35. (105). Scoria additur emplastris, cicatricibus glutinandis. *Veget.* 5. *Veterin.* 9. 2. *Schneid.* Ut glutinetur vena. Adde *eumd. ibid.* 41. 2. et 65. 1. *Cels.* 7. 28. Inter se glutinatis naturalium oris. *h. e.* conjunctis, constrictis.

GLŪTĪNŌSUS, a, um, adject. Comp. *Glutinosior* et Sup. *Glutinosissimus.* — Glutinosus est glutine plenus, adeoque tenax. *Colum.* 1. *R. R. præf.* 24. In Asia Mysiaque densa, etiam glutinosa terra maxime exuberat. *Id.* 3. *ibid.* 11. 10. Terra glutinosissima. *Cels.* 5. 26. *n.* 20. Pus glutinosius ex sanguine et sanie. *Id.* 2. 22. Caro glutinosa. *Id.* 6. 7. *n.* 5. Resina quam glutinosissima. *Veget.* 5. *Veterin.* 9. 1. *Schneid.* Glutinosa potio. *Id. ibid.* 31. 1. eibi.

GLŪTĪNUM. *V.* GLUTEN.

GLŪTIO *vel* gluttio, is, ivi *vel* ii, itum, ire, a. 4. Part. *Glutitus* sub *A.* II.; *Glutiendus* sub *A.* I. — Glutire duo diversa significat, scilicet

A) Glutire est devorare, *inghiottire*, a voce Græca γλύζω vel a *glutus*, i.

I.) Proprie. *Juvenal.* 4. 28. Quales tunc epulas ipsum glutisse putamus Induperatorem? *Fronto ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Mai.*) 5. *Ep.* 40. Micularum minimum cum vino destillatum glutivi. *Gargil. de pom.* (edit. ab *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 422.). Gummus ceresiarum ore detentus et glutiendus arteriam linit. *Theod. Priscian.* 1. 15. Tragacanthum mundum sub lingua teneant (*qui rauci sunt*), et, quod emaduerit, glutiant.

II.) Translate. *Tertull.* 2. *advers. Marcion. v.* 267. Christus clamans glutitam mortem.

B) Item est vocem per singultus, sive interrumpendo emittere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 12. 15. (33). *de corvis.* Pessima eorum significatio (*in auspiciis*), quum glutiunt vocem, velut strangulati. — Tribuitur etiam gallinis: *V.* GLOCIDO.

GLŪTĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

GLŪTO *vel* glutto, ōnis, m. 3. *ghiotto, ghiottone*, gulosus: a *glutus*, i. *Isid.* 10. *Orig.* 114. et *Paul. Diac. p.* 112. 2. *Müll. Gloss. Philox.* Gluto, λαίμαργος. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 4. 17. Divites, gluttones. *V.* GLUT GLUT. — Nonnulli et ipse *Müllerus* loc. cit. huc referunt in casu Nomin. illud *Pers.* 5. 112. gluto sorbere salivam. *V.* GLUTUS, I.

GLUTTUS. *V.* voces sequentes.

GLŪTUS *vel* gluttus, a, um, unitus, bene subactus, cohærens, instar eorum, quæ glutino conjuncta sunt. *Cato R. R.* 45. Locus bipalio subactus beneque glutus siet. Eadem verba habet *Plin.* 17. *Hist. nat.* 18. 29. (125). — Pro *glutus*, quod et *gluttus* scribunt, dicitur etiam *glitus*, seu *glittus*. Hinc *Paul. Diac. p.* 98. 7. *Müll.* Glitis, subactis, lævibus, teneris.

GLŪTUS *vel* gluttus, i, m. 2. ¶ 1. Est pars colli, qua cibus glutitur: a sono ficta vox. *Gloss. Philox.* Glutus, βρόγχος. *Pers.* 5. 112. gluto sorbere salivam. *V.* GLUTO. ¶ 2. Videtur mensura quædam, fortasse quantum quis una vice glutire potest, Itali dicunt *un sorso*, apud *Theod. Priscian.*, si tamen salva est lectio, *l.* 4. *p.* 313. ed. *Ald.* Ad auriculæ dolorem. Malum granatum siccum exinanis, et mittis mellis cochlearia duo et aceti glutum unum. *Viderint eruditi: ego, ni fallor, puto glutum mendum esse pro gustu.* *V.* GUSTUS II.

GLŪVĪA, æ, m. 1. *V.* GUMIA.

GLȲCŌNIUS, a, um, adject. Glyconium metrum, certum genus est carminis, tribus constans pedibus, quorum primus spondeus est, choreus vel iambus; alter et tertius dactylus, ut illud *Horat.* 2. *Od.* 18. 1. *Non ebur, neque aureum*, quod affert exempli gratia *Diomed.* 3. *p.* 510. *Putsch.*, vel illud 1. *Od.* 15. 8. *Et regnum Priami vetus.* Dictum est a nomine inventoris, ut affirmat *Hephæst. de metr. et poem. c.* 10. Δίμετρον δὲ ἀκατάληκτον, τὸ καλούμενον Γλυκώνειον, αὐτοῦ τοῦ Γλύκωνος εὑρόντος αὐτό. *Sidon.* 9. *Ep.* 13. *in carm.* Dum metro quatitur chorda glyconio.

GLȲCȲMĀRIS *vel*

GLȲCȲMĔRIS, idis, f. 3. γλυκυμερίς, concharum genus a sapore dulci et minus salso dictum: γλυκύς enim *dulcis*. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (147); et *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. *a med.* Al. leg. *glycomeris*. *V.* CHAMÆ. *Plinii* verba sunt: Glycymarides quæ sunt majores quam pelorides. *Sillig.* ita legit; *Xenocrat.* enim habet *Alim. aquat.* 32. γλυκυμαρίδες – ἥττους πελωρίδων. Hinc *Schneider.* in *Ind. Script. R. R. p.* 159. pro *majores* apud *Plin.* legendum putat *minores*; quæ tamen verba in Codice Bambergensi desiderantur.

GLȲCYRRHIZA, æ, f. 1. *liquirizia, regolizia*, γλυκύρριζα, herbæ genus radice dulci: a γλυκύς *dulcis* et ῥίζα *radix*. Multa de ea *Plin.* 22. *Hist. nat.* 9. 11. (24)., ubi et describit, ejusque usus in medicina enumerat. Adde *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 5. et 8. — Dicitur (in vulgatis libris, quod minime probat *Sillig.*) et *Glycyrrhizon* ab eodem *Plin.* 11. *ibid.* 54. 119. (284).; a *Celso* vero 5. 23. Latina appellatione *radix dulcis*. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 99.) hanc exhibet synonymiam: Γλυκεῖα ῥίζα σκυθική Theophr. Hist. plant. 9. 13.; Γλυκύρριζα Dioscor. 3. 7. et Galen. de Fac. simpl. med. 6. 167.; Γλυκόρριζα et Ῥεγλίζα Græcor. recentior.; *Glycyrrhiza* et *dulcis radix* Latinor.; *Glycyrrhiza* Plin. loc. cit.; *Liquiritium* Ævo medio et *Liquiritia* Marc. Empir. c. 27. sunt *Glycyrrhiza glabra* L. Spec. plant. 1046. et verosimilius *Glycyrrhiza echinata* ejusd. ibid.

GLȲCYRRHIZON. *V.* voc. præced.

GLȲCȲSĪDE, es, f. 1. γλυκυσίδη, nomen pæoniæ herbæ acinos dulces habentis: a γλυκύς *dulcis*, et σίδη *malum Punicum*. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 10. (29). et 27. *ibid.* 10. 60. (84).

GLȲCȲSIS, is, f. 3. herba eadem ac glycyside. *Apul. Herb.* 64. Pæonia a Græcis appellatur pentorobon, aliis glycysis.

GLYSSŌMARGA *vel* glissomarga, æ, f. 1. genus margæ candidæ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 8. 4. (46). Tertium genus candidæ (*margæ*) glyssomargam vocant. Est autem creta fullonia mixta pingui terra, pabuli, quam frugum fertilior, ita ut messe sublata ante sementem alteram lætissimum secetur. Dum in fruge est, nullum aliud gramen emittit: durat XXX. annis: densior justo Signini modo strangulat solum. *Alii scribunt* glysomargam, *alii* glischromargam: *at videtur scribendum* glyssomargam, *a* γλύσσων *compar.* γλυκύς *dulcis, seu potius* gypsomargam, *ea enim similis est gypso.*

GN

GNĀPHĀLION, ii, n. 2. γναφάλιον, herba, quam alii chamæzelon vocant, cujus foliis albis mollibusque pro tomento utuntur, inquit *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 61. (88). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 452.) ait hanc plantam minime definiri posse.

GNARĪGĀVIT, significat apud Livium (*Andronicum intellige*, aut *Lævium*) narravit. *Paul. Diac. p.* 95. 15. *Müll.*, ubi *Voss.* mallet *gnaruravit*. V. GNARITUR, GNARIVISSE et GNARURO.

GNĀRĪTAS, ātis, f. 3. *cognizione*, cognitio, notitia: a *gnarus*. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 116. 22. *Merc.* Namque alii fiducia gnaritatis locorum in occultam fugam sparsi: alii globis eruptionem tentavere. *Ammian.* 16. 2. Juvante locorum gnaritate.

GNĀRITUR γνωρίζεται. *Gloss. Philox.* Similiter *Gloss. Placid.* edente *A. Mai.* in *Class. Auct. T.*

3. p. 468. Gnoritur (*lege* gnaritur), cognitum sive compertum est.

GNĀRIVISSE narrasse. *Paul. Diac.* p. 95. 16. *Müll.* *V.* GNARITUR, GNARIGAVIT et GNARURO.

GNĀRŪRIS, e, adject. *chi sa, dotto, pratico*, idem quod *gnarus*: sed antiquum est. — *a*) Cum Accusativo, Græco more. *Plaut. Most.* 1. 2. 17. Simul gnarures vos volo esse hanc rem mecum. *Id. Pœn. Prol.* 46. Ad argumentum nunc vicissatim volo remigrare, æque et mecum sitis id gnarures. — *b*) Cum Ablativo et *in* præposit. *Arnob.* 3. 22. In aliis alios perceptionibus gnarures. *Alii minus recte leg.* gnariores. — *c*) Absolute. *Auson. Epist.* 22. 17. Non cultor instans, non orator gnaruris. *Gloss. Philox.* Gnaruris, γνώριμος.

GNĀRŪRO, as, are, n. 1. nosco. *Gloss. Philox.* Gnaruro, γνωρίζει.

GNĀRUS, a, um, adject. Volunt esse ab antiquo *gnaruris* (*V.* hanc vocem loco suo), ut *Voss.* censet; vel a *narus*, ut *Cic. Orat.* 47. 158. significare videtur. Certe, ratione habita etymi, conjungenda est vox cum Græca γνώριμος et cum Latina *narrare*. — Gnarus occurrit *A*) Active; et *B*) Passive.

A) Active est sciens, peritus, ἐπιστήμων (It. *pratico, dotto*; Fr. *qui sait, qui connait, versé dans*; Hisp. *versado, practico*; Germ. *e. Sache kundig, damit bekannt, sie wissend*; Angl. *skilful, practised, expert*). Usurpatur — *a*) Cum Genitivo. *Plaut. Rud.* 1. 3. 28. Nec loci gnara sum, nec diu hic fui. Adde *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 6. p. 700. *Putsch.* Rursus *Plaut. Asin.* 3. 2. 6. Inductores acerrimos gnarosque nostri tergoris. *Cic. Brut.* 64. 228. Sisenna doctus et gnarus reipublicæ. *Colum.* 1. *R. R. præf.* 4. armorum et militiæ. *Id.* 4. *ibid.* 25. 1. Gnarus vinitor iis utendi. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (30). Gnarus temporis. *Tac. Agric.* 6. Gnarus sub Nerone temporum. *Id.* 15. *Ann.* 25. militiæ. *Id.* 4. *Hist.* 29. periculorum. *Justin.* 11. 7. artis. — *b*) Sequente Relativo. *Cic. Orat.* 4. 15. Periclem uberem et facundum fuisse, gnarumque (quod est eloquentiæ maximum) quibus orationis modis quæque animorum partes pellerentur. *Sueton. Cal.* 46. Nemine gnaro aut opinante, quidnam cœpturus esset. — *c*) Cum Accusativo et Infinito. *Sall. fragm.* ex *Cod. Vatican.* edent. *Kritz.* p. 269. Sed inrotæ pleno die gnari ex fuga finitimorum fugitivos ad se adventare. *Liv.* 23. 29. Hasdrubal satis gnarus, Hannibalem transitus quosdam pretio mercatum. Adde *eumd.* 33. 5. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 55. (110). Concha comprimit sese, operitque opes suas, gnara, propter illas se peti. Adde *Tac.* 2. *Hist.* 29. et 65. et 5. *ibid.* 19. — *d*) Absolute. *Tac.* 16. *Ann.* 5. Turbarent gnaros.

B) Passive de rebus et est notus, cognitus, *conosciuto*; est autem *Taciti* proprius. *Tac.* 1. *Ann.* 63. Trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis. *Id.* 15. *ibid.* 61. Id nulli magis gnarum, quam Neroni. *Id.* 1. *ibid.* 5. Gnarum id Cæsari. *Id.* 3. *ibid.* 6. Id gnarum Tiberio fuit. *Id.* 6. *ibid.* 35. Conspicui eoque gnari. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 51., 6. *ibid.* 46. et 12. *ibid.* 45. *Id.* 5. *Hist.* 17. Campi madentes et ipsis gnari, paludes hostibus noxiæ.

GNĀTŪLA, æ, f. 1. parva filia. *Accius* apud *Non.* p. 314. 20. *Merc.* Infando homine gnatula erat. *Mercer.* et *Voss.* hæc corrupta censent, et legenda: *Infando homini, gnato Laertæ.*

GNĀTUS, a, um. *V.* NATUS in fine v. NASCOR.

GNĀVANTER, adverb.,

GNĀVĒ, adverb.,

GNĀVĬTAS, ātis, f. 3.,

GNĀVĬTER, adverb.,

GNĀVO, as, āvi, etc., et

GNĀVUS, a, um. *V.* NAVANTER, NAVE, NAVITAS, NAVITER, NAVO et NAVUS.

GNĒPHŌSUS et cnephosus, obscurus: a κνέφας *tenebræ*. Ita *Paul. Diac.* p. 95. 12. *Müll.* Sic *Gloss. Philox.* Gnetonsum (*lege* gnephosum), ἀμαυρὸν, σκοτεινόν.

GNĒTUM, i, n. 2. herba, cujus semen coagulandi lactis vim habet, apud *Colum.* 7. *R. R.* 8. 1., si modo eo loco verba nonnulla non deessent. Fortasse enim pro *seminibus gneti* legendum est *gneci*, aut *cneci*: quia κνῆκῳ eamdem coagulandi virtutem *Dioscorides* tribuit *l.* 4. *c.* 190. Profecto *Schneider.* leg. *cneci.*

GNĪTUS et

GNIXUS a genibus prisci dixerunt. *Paul. Diac.* p. 96. 11. *Müll.*

GNŌBĬLIS, e. *V.* NOBILIS.

GNŌMĒ, es, f. 1. *motto, proverbio*, γνώμη, adagium. sententia, quæ quid utile in vita sit, breviter ostendit. *Fronto* 3. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Mai.*) *Ep.* 11. Pro gratia mihi fuit, quod tu gnomes egregie convertisti. *et mox.* Eis et ter eamdem convertito ita, ut fecisti in illa gnome brevicula. — De cogn. Rom. *V.* ONOM.

GNŌMĬCUS, a, um, adject. γνωμικός, sententiosus. *Jul. Victor. art. rhet.* ab *A. Mai.* edit. 11. p. 67. Enthymematon et epichirematon formæ sunt quinque: elencticon, item dicticon, item gnomicon, item paradigmaticon, item syllogisticon. Enthymema gnomicon hoc a sententia differt, quod ibi tantum simpliciter sententia pronunciatur, hic autem simul et ratio sententiæ redditur quale est hoc: Carthaginienses nobis jam hostes sunt; nam qui omnia parat contra me, ut, quo tempore possit, bellum velit inferre, hic jam mihi hostis est, tametsi nondum armis agat.

GNŌMON, ŏnis, m. 3. Rectus rarus ad Latinam rationem redactus *gnomo* pro *gnomon* legitur apud *Boeth.* in *Aristot. Prædic.* 4. p. 212. Si quadrato addatur gnomo. — Ceterum gnomon, *saetta, raggio, mostra*, γνώμων, stilus est, ex cujus umbra horæ diei cognoscuntur in sole: a γινώσκω *cognosco*. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 72. 74. (182). Umbilici, quem gnomonem appellant, umbra in Ægypto, meridiano tempore, æquinoctii die, paullo plus quam dimidiam gnomonis mensuram efficit. *Vitruv.* 1. 6. Supra ejus lori centrum medium collocetur æneus gnomon, indagator umbræ, qui Græce σκιαθήρας dicitur. Adde *eumd.* 9. 8.; et *Capell.* 6. p. 194. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

GNŌMŎNĬCA, æ, et

GNŌMŎNĬCĒ, es, f. 1. *arte di far orologi da sole*, γνωμονική, pars architecturæ, quæ in solis umbris indagandis, et horologiis solaribus conficiendis versatur. *Vitruv.* 1. 3. Partes architecturæ sunt tres, ædificatio, gnomonice, machinatio. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 76. 78. (187). Umbrarum hanc rationem, et quam vocant gnomonicen, invenit Anaximenes Milesius. *Gell.* 1. 9. Geometriam et gnomonicam, musicam ceterasque item disciplinas altiores, μαθήματα veteres Græci appellabant.

GNŌMŎNĬCUS, a, um, adject. γνωμονικός, ad gnomonem et gnomonicen pertinens. *Vitruv.* 9. 3. In hoc volumine de gnomonicis rationibus, quemadmodum eæ radiis solis in mundo sunt per umbram gnomonis inventæ, explicabo. *Id.* 1. 1. Qui multas res organicas et gnomonicas posteris reliquerunt. *Capell.* 6. p. 194. Circulum quidem terræ ducentis quinquaginta duobus millibus stadiorum, ab Eratosthene doctissimo gnomonica supputatione discussum. — Hinc

Gnomonici, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt gnomonicæ periti. *Solin.* 37. Quod gnomonici similibus parallelis accidere contendunt.

Gnomonica, æ, f. 1. (subaudi *ars*) absolute substantivorum more: *V.* voc. præced.

GNOSCO, is. *V.* NOSCO.

GNOSTĬCI, ōrum, m. plur. 2. γνωστικοί. Gnostici fuerunt hæretici altero post Christum sæculo, qui in rebus divinis τελείαν γνῶσιν, perfectam intelligentiam sibi arrogabant, dicere soliti (ut Origenes Celso exprobrat), Omnia novimus. *Augustin. de Hæresib. n.* 6.

GNŌTUS, a, um. *V. Notus* in v. NOSCO.

GO

GŌBĬO, ōnis, m. 3. et *sæpius*

GŌBĬUS (*vel etiam* cobius), ii, m. 2. genus piscis. κωβιός (It. *ghiozzo*; Fr. *goujon*; Hisp. *gobio*; Germ. *der Fisch Gründling*; Angl. *a gudgeon*). *Ovid. Halieut.* 128. Lubricus et spina nocuus non gobius ulla. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 14. Et halecula modo capta et cantarus exiguusque gobio, quisquis denique est incrementi minuti piscis, majorem alit. *Martial.* 13. 88. Principium cœnæ gobius esse solet. *Juvenal.* 11. 37. quam sit tibi gobio tantum in loculis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 57. 83. (175). Capita eorum esse ranæ similia, reliquas partes gobionum. et *paullo post.* Apprehendi glacie gobiones. Adde *eumd.* 32. *ibid.* 11. 53. (146)., ubi *cobio* legitur. *Auson. Eidyll.* 10. 131. Tu quoque flumineas inter memorande cohortes Gobio, non major geminis sine pollice palmis, Præpinguis, teres, ovipara congestior alvo, Propexique jubas imitatus, gobio, barbi.

GOMOR, n. indecl. Hebraica vox solidorum mensuram significans, de qua hæc *Auct. Gromat.* p. 325. *Goes.* Tres medimni gomor complent; duo gomor corum reddunt; duo cori culleum, quæ sunt modia LX. — Apud Hebræos vero, ut legimus in *Vulgat. interpr. Exod.* 16. 36. Gomor autem decima pars est ephi. Adde *eumd. ibid.* pluries; et *V.* EPHI. Hinc ab Hebræis dicebatur et *assaron*, h. e. decimum.

GOMPHUS, i, m. 2. γόμφος, vox Græca clavum aliudve hujusmodi ligneum vinculum significans. *Tertull. Apolog.* 12. Cervices ponimus ante plumbum et glutinum et gomphos. — In viis publicis *gomphi*, Italice *perni*, appellabantur lapides, qui ceteris longiores depressioresque identidem rotundo capite eminebant, et marginibus sive umbonibus tamquam clavi infixi eosdem solidabant. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 47. Tunc umbonibus hinc et hinc coactis, Et crebris iter alligare gomphis.

GONGER, gri. *V.* CONGER.

GONGYLIS *vel* congylis, idis, f. 3. *rapa*, γογγυλίς *rapum*: a γογγύλος *rotundus*. *Colum.* 10. *R. R.* 421. Gongylis, illustri mittit quam Nursia campo.

GŎNORRHŒA, æ, f. 1. *scolazione*, γονόρροια, involuntaria et vitiosa seminis profusio: a γονή *genitura*, et ῥέω *fluo*. *Firmic.* 3. *Mathes.* 7. n. 8.

GORGŎNĬA, æ, f. 1. γοργονία, corallium, a gen. Γοργόνος, quod e sanguine Medusæ Gorgonis natum sit, vel quia ex aquis exemptum protinus in duritiem lapidis convertitur, quemadmodum illi, qui Gorgonas aspexerant. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 59. (164).

GORGŎNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. Gorgonem ferens. Est epitheton Persei in *Inscript.* apud *Gud.* 56. 8. PERSEO GORGONIFERO INVICTO M. AVRELIVS PRISCILLIANVS VIR CLARISSIMVS D. D.

GOSSIMPĪNOS, *seu* Gossympinos, *seu* Gossampinos, tradit *Plin.* 12. *Hist. nat.* 10. 21. (38)., vocari ab incolis arbores quasdam in Tylo insula sinus Persici, ferentes cotonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt. Hæc est arbor, quæ gossypion fert. *Sillig.* leg. *gossypinum*. *V.* synonym. in fin. voc. seq.

GOSSYPĬON *vel* Gossipion, ii, n. 2. *cotone, bambagia*, genus est parvi fruticis, in superiore parte Ægypti Arabiam versus, qui similem barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur: nec ulla sunt eis liniis candore, mollitiave præferenda. Vestes inde sacerdotibus Ægypti gratissimæ. Hæc ex *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 2. (14)., unde illud præterea colligitur, vocem ipsam non esse Latinam, sed, ut ostendit *Forsterus de byss. ant.* p. 72., ex tribus vocabulis Ægyptiis compositam, quæ *sepulcri arborem byssinam* significant: eo enim præcipue utebantur Ægyptii ad fascias involvendis cadaveribus conficiendas. *V.* BYSSUS. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 267.) hanc exhibet synonymiam: חור S. S. Paral. 15. 23., Δένδρον ἐριοφόρον Theophr. 5. 9. ejusque fructus ἐαρινὴ βύσσος Græcor., Pollux. Onom. 8. 17., Plut. in Isid., Herod. 2. 86. et Arrian. p. 179.; *Nemus canens molli lana* Virg. 2. G. 120.; *Xylon* et *Gossypium* Plin. loc. cit., *Arbores lanigeræ* et *Gossympini arbores* Plin. 12. Hist. nat. 10. 21. (39).; *Byssus, genus lini* Isid. 19. Orig. 22. et 27. et Tertull. Pall.; et *Silvæ lanigeræ* Pompon. Mel. 3. 8. sunt *Gossypium arboreum L.*

GR

GRĀBĀTĀRĬUS, ii, m. 2. grabatorum artifex. *Gloss. Philox.* Grabataris (*lege* grabatarius) κλινοποιός.

GRĀBĀTŪLUS, i, m. 2. *deminut.* a grabatus, *lettuccio*, parvus grabatus. *Apul.* 1. *Met.* Grabatulus alioqui breviculus, et uno pede mutilus, ac putris. *Id. ibid.* pluries.

GRĂBĀTUS, i, m. 2. In plur. numero *grabata*, tamquam a *grabatum* neutr. gen., legitur apud *Cœl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Eos quiescere jubemus lecto mutato, ad grabata ægros transferendo. — Grabatus, *lettuccio*, κράβατος, vox Græca, qua significatur lectus exiguus, humilis vilisque (ut sunt pauperiorum lectuli) atque etiam mobilis seu plicatilis. *Cic.* 2. *Divinat.* 63. 129. Deasne immortales, rerum omnium præstantia excellentes, concursare omnium mortalium non modo lectos, verum etiam grabatos, et quum stertentes aliquos viderint etc.? *Martial.* 6. 39. Sed in grabatis tegetibusque concepti, Materna produnt capitibus suis furta. *Id.* 12. 32. Ibat tripes grabatus, et bipes mensa. *Virg. Mor.* 5. Membra levat sensim vili demissa grabato. Adde *Senec. Ep.* 18. et 20. — Non pauperiorum tamen, sed ditiorum est *grabatus argento inaurato lectus*, memoratus a *Scævola Dig.* 33. 7. 20. *sub fin.* — Hujusmodi lectos funibus, seu institis tentos fuisse, colligimus ex illo *Lucilii* apud *Non.* p. 181. 20. *Merc.* Tres a Deucalione grabati restibu' tenti. Adde *Martial.* 5. 62.; et *Petron. Satyr.* 97.; et *V.* INSTITA.

GRĂCEO. *V.* CRACENTES.

GRĂCĬLENS, entis, adject. idem quod gracilis. *Lævius* vel *Nævius* apud *Non.* p. 116. 8. *Merc.*

GRĂCĬLENTUS, a, um, adject. idem ac gracilis. *Ennius* apud *Non.* p. 116. 8. *Merc.* Deducunt (*h. e.* procudunt) habiles gladios filo gracilento. *Gell.* 4. 12. Equus gracilentus.

GRĂCĬLESCO, is, ere, n. inchoat. 3. Part. *Gracilescens.* — Gracilesco est gracilis et tenuis fio, *assottigliarsi, amagrirsi*, ἰσχναίνομαι, λεπτύνομαι. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (173). Quum alias festinatione pariendi gracilescat. Ita editiones vet. aliquot: aliæ plures *gracilis* etc., et cum iis *Harduin.* et *Sillig. Ammian.* 17. 4. Obeliscus gracilescens. *Id.* 22. 15. Pyramidum magnitudo in celsitudinem nimiam scandens gracilescit paullatim.

GRĂCĬLĬPES, ĕdis, adject. omn. gen. pedes graciles habens. *P. Syrus* apud *Petron.* in *Satyr.* 55. Ciconia gracilipes.

GRĂCĬLIS, e, adject. Reperitur etiam *gracila* fem. gen. *Lucilius* apud *Non.* p. 489. 21. *Merc.* Quod gracila est, pede quod pernis, quod pectore puro, Quod puero similis. *Ter. Eun.* 2. 3. 22. Virgines gracilæ. *Al. leg.* graciles. At *Priscian.* 13. p. 1971. *Putsch.* Ut hospes, hospita; gracilis, gracila. — Comp. *Gracilior* et Sup. *Gracillimus* I. — Gracilis est tenuis, exilis, subtilis, λεπτός, ἰσχνός (It. *sottile, scarmo, gracile*; Fr. *mince, menu, maigre, grêle, fluet, effilé*; Hisp. *delgado, cenceño, menudo, magro*; Germ. *dünn, schmal, schmächtig, schlank, hager*; Angl. *lean, slender, weak, gracile*).

I.) Proprie occurrit de rebus corporeis. *Gracilis* minus est quam *macilentus* (quum de animali est sermo), quia gracilis est ille quidem tenuis, sed maciem excludit. *Ovid. Remed. am.* 327. Turgida, si plena est; si fusca est, nigra vocetur; In gracili macies crimen habere potest. *Maximian. Gall.* 1. 85. Quærebam gracilem, sed quæ non macra fuisset. *Horat.* 1. *Od.* 5. 1.; et *Martial.* 11. 43. Gracilis puer. *Liv.* 35. 11. Nihil primo aspectu contemptius (*Numidis*): equi hominesque paululi et graciles. *Ovid.* 1. *Met.* 299. gracilis capella. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 17. (39). Arbores graciles succinctioresque et enodes. *Id.* 24. *ibid.* 6. 22. (33). Picea resinam pinguem et turis modo succosam fundit; larix gracilem. *Id.* 17. *ibid.* 22. 35. (173). Gracilis et ejuncida vitis. *Sueton. Ner.* 51. Fuit Nero ventre projecto, gracillimis cruribus. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 23. Comæ graciles et lanuginis instar. *capello fino e sottile.* *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 54. (171). Gracile folium. *Id.* 16. *ibid.* 6. 8. (19). Glans brevior et gracilior. *Ovid.* 6. *Met.* 54. Gracile stamen. *Id.* 4. *ibid.* 176. Gracilis catena. Sic *Petron. Satyr.* 126. Auri gracile vinculum. *cerchietto sottile.* *Seneca Herc. Œt.* 589. Gracilis fluvius. *piccolo, scarso d'acque.* *Martial.* 8. 24. Gracilis libellus. *piccolo.* *Id.* 2. 86. Viæ petauri graciles, angustæ. *Apul.* 4. *Met.* Rima gracilis. *tenue, piccola.* *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 86. Et gracilis structos effugit umbra rogos. *h. e.* Manes exiles tenuesque. — Et de voce *Justin.* 1. 2. 3. Et statura utrique mediocris et vox pariter gracilis.

II.) Translate. ¶ 1. Quum *læto* et *uberi* opponitur, usurpatur pro macro et paupere. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (187). Juga altiora, quo lætior aer; contra humiliora gracili et arido. *terreno leggero e magro.* Adde *Colum.* 2. *R. R.* 4. 11. *Plin.* 8. *Ep.* 15. et 9. *ibid.* 20. Vindemias graciles quidem, uberiores tamen, quam expectaveram, collign. *scarse, magre.* *Apul. de Mag.* Gracili lare vivere. *piccola e povera casa.* *Id.* 9. *Met.* Gracilis pauperies. ¶ 2. Transfertur et ad orationem. *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 25. Dum tamen in rebus tentamus carmina parvis, Materiæ gracili sufficit ingenium. *h. e.* argumento levi et tractatu facili. *Virg. Cul.* 1. Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia. *Gell.* 7. 14. tres esse docet dicendi χαρακτῆρας, ἁδρόν, ἰσχνόν, μέσον, uberem, gracilem, mediocrem: uberi dignitatem atque amplitudinem esse: gracili venustatem et subtilitatem: medium in confinio esse, utriusque modi participem. Intelligit *Gell.* stilum infimum seu tenuem, subtilem et acutum. Sic *Quintil.* 12. 10. 66. Inter gracile validumque tertium aliquid constitutum est. Item *gracilis orator* dicitur ab eodem *Quintil.* 12. 10. 36.; et *graciles præfationes* dicuntur a *Plin.* 2. *Ep.* 3., in quibus nitor et simplicitas et dilucidditas apparet. Sermo, inquit, Græcus, immo Atticus: præfationes tersæ, graciles, dulces; graves interdum et erectæ.

GRĂCĬLĬTAS, ātis, f. 3. tenuitas, subtilitas. ἰσχνότης (It. *sottigliezza, gracilità, magrezza*; Fr. *finesse, maigreur, ténuité*; Hisp. *finezn, magrez, magrura*; Germ. *die Schmächtigkeit, Schlankheit, Magerkeit, Dünne*; Angl. *leanness, slenderness, slimness, lankness, gracility, weakness*).

I.) Proprie. *Cic. Brut.* 91. 313. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis. *et ibid.* 16. 64. Qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consectantur; quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat. *Sueton. Cal.* 3. Gracilitas crurum. *Id. ibid.* 50. cervicis et crurum. *Apul.* 2. *Met.* p. 87. *Oudend.* Inenormis proceritas (*corporis*), succulenta gracilitas, rubor temperatus. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (40). Gracilitas digitalis (*vitis*). *grossezza d'un dito.* *Id.* 13. *ibid.* 11. 22 (71). Papyrum decem cubitorum longitudine in gracilitatem fastigatum.

II.) Translate est stilus infimus, acumen dicendi, subtilitas orationis. *Quintil.* 1. 9. 2. Æsopi fabellas narrare sermone puro, deinde eamdem gracilitatem stilo exigere condiscant. Adde *eumd.* 12. 10. 24. *Gell.* 7. 14. Exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium. Adde *eumd.* 13. 20. Sic ab eodem *Quintil.* 4. 3. 2. dicitur *pressa narrationis gracilitas*, quum simplicibus verbis et subtili nativoque sermone, sine fuco et ornatu, quippiam narratur.

GRĂCĬLĬTER, adverb. Comp. *Gracilius.* — Graciliter

I.) Proprie est tenuem in modum. *Apul.* 3. *Met.* Vasculum graciliter fistulatum.

II.) Translate de oratione est simpliciter, sine ornamentis. *Quintil.* 9. 4. 130. Quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnacius, alia ornatius, alia gracilius esse dicenda?

GRĂCĬLĬTŪDO, inis, f. 3. idem quod gracilitas. *Accius* apud *Non.* p. 116. 6. *Merc.* Ista tua gracilitudo propemodum et luctus facit, ne dubitem.

GRĂCILLO, as, are, n. 1. idem ac glocio, proprium vocis gallinæ: a sono. *Auct. carm. de Philom.* 25. Cucurrire solet gallus, gallina gracillat.

GRĂCĬLO, as, etc. *V.* GRATITO.

GRĂCĬLUS, a, um. *V.* GRACILIS init.

GRĂCŬLA, æ, f. 1. femina graculi. Est vox blandientis, et de puella usurpatur. *Salvian. Ep.* 4. *ante med.* Illa ego vestra Palladia, vestra gracula, vestra domnula; cum qua his tot vocabulis quondam indulgentissima pietate lusistis, quæ vobis per varia nomina nunc fui mater, nunc avicula, nunc domina. Cf. voc. seq. — Est etiam cognomen viri *Rom.*, nempe Turannii, apud *Plin. Hist. nat.* in *Ind. l.* 3. 9. et 18., quod tamen *Harduinus* in *Gracilis* commutavit, probante *Sillig. V.* voc. seq.

GRĂCŬLUS *vel etiam* gracculus, i, m. 2. *cornacchia*, κορακίας, κολοιός, avis e corvorum genere, minor tamen, patenti admodum gula et grandibus unguibus, ut *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 79. (201). et *ibid.* 47. 107. (256). docet: a vocis sono *gra, gra* dicta, quæ item cornix et cornicula appellatur. *Paul. Diac.* p. 97. 17. *Müll.* Graculi a sono oris vocati: sive a gerendo dicti (*quasi geraculi*) quod jacta segetum semina plurimum gerant: vel quod ex olivetis cubitum se recipientes, duas pedibus baccas, tertiam ore ferant. *Quintil.* 1. 6. 37. Cui non post Varronem sit venia? qui *agrum*, quod in eo agatur aliquid, et *graculos*, quia gregatim volent, dictos, Ciceroni persuadere voluit? quum alterum ex Græco sit manifestum duci, alterum ex vocibus avium. *Isid.* 12. *Orig.* 7. 45. Graculus a garrulitate nuncupatus, non, ut quidam voluit, pro eo quod gregatim volent: quum sit manifestum, ea voce eum nuncupari; est enim loquacissimum genus et vocibus importunum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (101). Graculi, merulæ, perdices lauri folio annuum fastidium purgant. *Alii hic leg.* graculæ. *Phædr.* 1. 3. Tumens inani graculus superbia. *Martial.* 1. 116. Sed quamdam vulo nocte nigriorem, Formica, pice, graculo, cicada. *V.* FRIGULO. — Allatam *Pauli Diac.* priorem et *Quintiliani* atque *Isidori loc. cit.* sententiam de vocis etymo confirmat nummus *Morell. Fam. Rom.* in *G. Antestia* n. 1., in cujus antica parte videre est, pone caput Palladis, litteras GRAG, in postica L. ANTES...; alius item ejusdem gentis ab *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 136. ex *Oderico* allatus, in cujus postica est supra navim avicula, quam *Eckhelius* cum *Oderico* recte putat graculum esse; bini etiam ejusdem gentis nummi penes *Barpt. Borghesium*, quorum alter in antica caput Herculis tantum, et in postica eamdem aviculam supra navim habet; alter in antica, pone idem caput Herculis, litteras GRAG, et in postica similis est præcedenti. Ex his itaque patet, aviculam illam modo solam, modo cum litteris GRAG indicare cognomen L. Antestii, quod *Gragulus* primum, deinde *Graculus* scriptum fuisse videtur; id enim sæpissime fieri consuevisse in aliis nummis et vetustis monumentis, ut nimirum pro cognomine symbolum ejusdem usurparetur, jam constat inter eruditos: porro *gragulus* et *graculus* deminutivi sunt a primitivis inusitatis *gragus* et *gracus*, qui a κόραξ, κόρακος, et per syncopen κρακος, facillima permutatione litterarum c et g, derivantur (unde et Italorum *gracchiare*): ut *audaculus* et *dicaculus* sunt ab *audax* et *dicax*. Adde ab *Aristoph.* in *Equit.* v. 680. et in *Nub.* v. 388. usurpari præterit. κέκραγα, penultima longa, de voce aspera et præfracta, qualis est graculi; κέκραγα vero ab inusit. κράγω, non a κράζω, esse apparet, unde etiam *Pindar.* 3. *Nem.* v. 143. graculos appellat κραγέτας; κολοιούς, et *Varro* apud *Quintil. loc. cit.* deceptus soni similitudine a *gregatim* deducebat. Hinc itaque est repetendum cognomen *Gracus*, quod insequenti tempore, quum scilicet septimo ab Urbe condita sæculo consonas geminare cœpissent Romani, scriptum est *Graccus*, quod videre est in nummis quamplurimis gentis Semproniæ, in quibus est *Ti. Sempronius Graccus*, quodque olim obtinuisse affirmat etiam *Quintil.* 1. 5. 20.; tandem vero *Gracchus* cum aspiratione scriptum est. Consule *B. Borghesium Decad. Numism.* 8. osserv. 4. — In Lemno insula hæc avis olim culta fuit, quia inimica locustis regionem infestantibus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 29. 35. (106). — *Nihil cum fidibus graculo*, proverb., nihil stolido, inducto cum ingenuis artibus: graculi enim jocondita vox a sonis musicis est maxime abhorrens. *Gell. præf.* — *Graculus Æsopi* proverbio dicitur, qui alienis bonis, quasi furtivis pennis se jactat. *Tertull. advers. Valentinian.* 12. *V. Phædr.* 1. 3.

GRĂDĀLIS, e, adject. a gradibus. *Gradalis pugna* dicitur a *Diomed.* 3. p. 473. *Putsch.*, in qua pede collato miles gradatim sensim procedit, urgetque hostem. *et mox.* Unde non immerito melon hunc iambicum, gradalem quidam nuncupant Gradivoque Marti augurant, quod gradariæ pugnæ hujus effectu moveantur.

GRĂDĀRĬUS, a, um, adject. ad gradum pertinens; sed occurrit speciatim tantum, et

I.) Proprie *gradarius eques* est, qui alternos pedes glomerando gradatim incedit, et sine succussatione sessorem molliter vehit. *Lucilius* apud *Non.* p. 17. 25. *Merc.* Ipse equu' non formosu', gradarius, optimu' vector. — *Gradaria pugna* apud *Diomed.* 3. p. 473. *Putsch.*, est gradalis. *V.* voc. præced.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 40. *ad fin.* Cicero quoque noster gradarius fuit. *h. e.* non cursu, sed veluti gradu utebatur in dicendo, lente procedens, interpungens et intermittens orationem.

GRĂDĀTIM, adv. translate tantum occurrit, et est

per gradus, seu pedetentim, paulatim, *di passo in passo, di grado in grado*, βάδην. *Cic.* 9. *Fam.* 14. Legi concionem tuam. Nihil illa sapientius: ita pedetentim et gradatim tum accessus a te ad causam facti, tum recessus, ut etc. *Id.* 3. *Orat.* 61. 227. Hinc gradatim ascendere vocem utile et suave est. *Id. Orat.* 39. 135. Quum gradatim sursum versus reditur. *Id. Partit. Orat.* 15. 54. Gradatim ascendere ab humilioribus verbis ad superiora. *Id.* 1. *Tusc.* 24. 57. Ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens (*puer*) eodem perveniat, quo etc. *Id.* 2. *ibid.* 65. 164. Licet contrahere universitatem generis humani, eamque gradatim ad pauciores, postremo deducere ad singulos. *Id.* 1. *Nat. D.* 32. 89. Quid opus erat te gradatim istuc pervenire? *h. e.* per figuram gradationem. — Item quadam graduum dispositione, aut serie. *Cic.* 1. *Off.* 45. 160. Prima dis immortalibus, secunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliquis debeantur. *Id. post redit. ad Quir.* 2. 5. Honores, quos eramus gradatim singulos assecuti. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 16. 49. Captiosissimo genere interrogationis utuntur, quod genus minime in philosophia probari solet, quum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur: *soritas* hos vocant, quia acervum efficiunt uno addito grano. *Varro* 3. *R. R.* 5. 4. Oportet esse perticas inclinatas ad parietem, et in eis transversas gradatim modicis intervallis perticas annexas ad speciem cancellorum scænicorum. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (76). Fossæ, per quas profluat, cavantur: eæ sternuntur gradatim ulice. *Plin.* 2. *Ep.* 6. Gradatim habere amicos. *h. e.* divisos veluti per gradus, alios majores, minores alios, alios infimos. *Id.* 8. *ibid.* 2 *ad fin.* Quos non una, ut dicitur, pertica, sed distincte gradatimque tractavi. *uno meglio de l'altro. Gell.* 14. 7. Singulos debere consuli gradatim, incipique a consulari gradu.

GRĂDĀTĬO, ōnis, *f.* 3. graduum dispositio, aut series, *scalinata*, κλῖμαξ.

I.) Proprie. *Vitruv.* 5. 3. Lapideis et marmoreis copiis gradationes (*theatri*) ab substructione fieri debent.

II.) Translate est apud Rhetores figura verborum, qua veluti per gradus ad quippiam dicendo pervenitur, et non ante ad consequens verbum descenditur, quam ad superius conscensum est, ut: Nam quæ reliqua spes manet libertatis, si illis et quod libet, licet; et quod licet, possunt; et quod possunt, audent; et quod audent, faciunt; et quod faciunt, vobis molestum non est? ita *Cic.* 4. *Herenn.* 25. 34. Legitur etiam ipsa vox apud *eumd.* 3. *Orat.* 54. 207. Monet autem *Quintil.* 9. 3. 54. rariorem esse debere, quia apertiorem habet artem, et magis affectatam.

GRĂDĀTUS, a, um, particip. ab. inusit. *grado*; *fatto a gradi.* κλιμακωτός, in modum graduum factus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (29). Densis gradatisque corticum pollicibus. *Plin. alter* 5. *Ep.* 6. *ante med.* Maceriam gradata buxus operit et subtrahit.

GRĂDĬBĬLIS, e, adject. qui talis est, ut per eum gradi possimus. *Pacuvius* apud *Priscian.* 6. *p.* 677. *Putsch.* Quæ via (el. *Quicherat.* recte putat legendum *vix*) caprigeno generi gradibilis gressio est. Alii tamen ex *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. pro gradibilis *leg.* grandior. *Itiner. Alex. M.* edit. ab *A. Mai.* c. 32. Caucasum satis incundite arduum, neque gradibilem, ut videbatur.

GRĂDĬLIS, e, adject. qui habet gradus, ut Gradile Genii templum, *h. e.* quod gradibus adibatur. *Ammian.* 23. 1. — *Panis gradilis* dictus, qui distribuebatur plebejis hominibus, ac in diem viventibus, pro gradibus, qui in unaquaque Urbis regione erant pistrinis proximi. Multa hac de re habet *Cod. Theod.* 14. 17. 3. et 4., ubi prohibetur, ne panis gradilis, a pistoribus quotidie plebejorum alimento præbitus, ex uno in alium gradum transferatur, et ne de officinarum conditoriis, sed ex gradibus distribueretur, ne scilicet, si populus per gradus in conditoria pistrinorum descendisset, turbæ fierent; tunc enim dignosci minime posset, quis tesseram porrigeret, quis panem acceperit: præterea quum ea conditoria furum et meretricum receptacula iis temporibus facta fuerint, vetabant leges, ne plebs vel cibi capiendi, vel libidinis explendæ causa illuc descenderet; sed in summis eam gradibus consistere jubebant, ut palam omnia fierent. *Prudent.* 4. *in Symmach.* 584. Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis. *Id.* 2. *ibid.* 948. Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira Sustinet? — Alia vero prorsus fuit distributio per gradus, de qua *V.* GRADUS sub *C.* 1. *b.*

GRĂDĬOR, gradĕris, gressus sum, grădi, dep. 3. Infinitum *gradi* vereor ut sit in usu, præterquam in compositis. — Part. *Gradiens* I. et II.; *Gressus* I. — Gradior (quocum cf. Gr. κραδᾶν) est gradum facio, incedo, ambulo, progredior, vado, et naturalem fere ambulantis motum significat, βαίνω (It. *camminare, andare*; Fr. *faire de pas, avancer, marcher, aller*; Hisp. *andar, marchar, caminar*; Germ. *Schritte machen, schreiten, einhergehen*; Angl. *to go, walk, advance*).

I.) Proprie de hominibus et brutis animantibus. *a*) Neutrorum more. — Sine additis. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 138. Si gradērere tantum, quantum loquere, jam esses ad forum. *Id. Truc.* 1. 2. 25. Tu fer contra manum, et pariter gradere. *vagli incontro. Lucret.* 5. 743. Inde autumnus adit, graditur simul Eubius Euan. *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 38. Alias bestias natura nantes esse voluit, alias volucres cælo frui libero, serpentes quasdam, quasdam esse gradientes. *Id.* 2. *Nat. D.* 47. 122. Jam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt. *Virg.* 1. *Æn.* 316. Ipse uno graditur comitatus Achate. *Id.* 10. *ibid.* 572. longe gradientem et dira frementem Ut videre. *Ovid.* 13. *Met.* 776. gradiens ingenti passu. Adde *eumd.* 11. *ibid* 179. — Cum additis. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 7. Si quo hic gradietur, pariter progredimino. *Cic.* 1. *Tusc.* 46. 110. Fidenti animo gradietur ad mortem. *Auct. B. Hisp.* 39. Quum Cæsar gradiebatur Hispalim. *Virg.* 6. *Æn.* 633. gressi per opaca viarum. *Ovid.* 2. *Met.* 80. Per tamen adversi gradieris cornua Tauri. *Martial.* 12. 3. prima gradiere Suburra. — *b*) Cum Accusativo *viam. Colum.* 6. *R. R.* 37. 11. Mulus et recte viam graditur, et terram commode proscindit.

II.) Translate de inanimis. *Lucret.* 4. 329. *de voce.* Is it Asperiora foras gradiens arteria clamor. *Id.* 6. 1121. Ut nebula ac nubes paullatim repit, et omne, Qua graditur, conturbat et immutare coactat.

GRĂDĪVĬCŎLA, æ, m. 1. qui colit Gradivum, *h. e.* Martem. *Sil. It.* 4. 222. Et Gradivicolam celso de colle Tudertem.

GRĂDĪVUS, i, m. 1. cogn. Martis, de quo *V.* ONOM. — Ita etiam appellatur pes pyrrichius. *Diomed.* 3. *p.* 472. *Putsch.* Apud Italos vero (*pes pyrrichius vocatur*) gradivus, a Gradivo Ἄρεος καὶ Ἐνυοῦς, id est Martis et Bellonæ filio, quem eo primum pede usum poetæ fingunt, quod quum cacumina montium et difficilia collium concitato cursu capræ more superaret, quoties prædatoria vice grassaretur, citipedem hunc cursum sibi reperisse testificantur.

GRĂDŬĀTĬO, ōnis, *f.* 3. *graduazione*, distinctio in gradus. *Cassiod. Complex. Apocalyps.* 17. Secuta est honorum facta graduatio.

GRADUS, us, m. 4. Olim habuit in Genitivo singulari *graduis*. Probat hoc *Non.* p. 474. 17. *Merc.* allato *Varronis* testimonio. *V.* FRUCTUS. — Dat. sing. num. *gradu* pro *gradui*, ut *aspectu* pro *aspectui*, habet *Lucilius* apud *Festum p.* 277. 6. *Müll. V.* ASPECTUS. — Gradus a v. *gradior*, est idem quod gressus (It. *passo*; Fr. *pas, marche*; Hisp. *paso*; Germ. d. *Schritt*; Angl. *a step, stair*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Non. p.* 166. 22. *Merc.* Quo nunc incerta re atque inorata gradum Regredere conare? *Plaut. Bacch.* 3. 6. 6. Is est: adibo contra et tollam gradum. *Ter. Phorm.* 5. 6. 27. Ad forum suspenso gradu placide ire perrexi. *Lucilius* apud *Paul. Diac. p.* 276. 8. *Müll.* Meu gradu remoram facit. *h. e.* gradui. *Cic. Tim.* 6. Ad hanc conversionem, quæ pedibus et gradibus non egeret, ingrediendi membra non dedit. — Jungitur plurimis Verbis, quorum præcipua subjicimus. *Plaut. Pœn.* 3. 1. 19. Modico gradu ire. *Ovid.* 11. *Met.* 143. tremuloque gradu venit ægra senectus. *Phædr.* 2. 7. Quieto et placido gradu sequi. *Plaut. Trin.* 3. 1. 22. Celeri gradu ire. Sic *Id. Epid.* 1. 1. 11. Rose gradibus grandibus. et *Ovid.* 3. *Art. am.* 304. ingentes ferre gradus. *far passi grandi. Liv.* 28. 14. Concito gradu in hostem ducere. *Phædr.* 3. 3. Concito gradu properare. *Cic.* 2. *Orat.* 61. 249. Gradum facere. *fare un passo, avanzarsi. Liv.* 31. 1. inferre. *andare innanzi. Plaut. Pseud.* 2. 4. 17. conferre alicui. *appressarsi. Curt.* 3. 26. 6. promovere. *Liv.* 26. 9. Addere gradum. *accelerare.* Sic *Horat.* 1. *Od.* 3. 33. corripere. *Virg.* 4. *Æn.* 641. celerare. *Id.* 6. *ibid.* 465. sistere. *fermare il passo.* Sic *Ovid.* 6. *Fast.* 398. sustinere. et *Curt.* 4. 38. 18. firmare. *Virg.* 6. *Æn.* 128. revertere. *tornare indietro* et *Ovid.* 2. *Fast.* 502. referre. *Flor.* 4. 2. 81. retro dare. *Petron. Satyr.* 136. reducere. *Stat.* 8. *Theb.* 138. vertere. *Petron. Satyr.* 80. Gradum componere ad prælianduin. *postarsi in atto di battaglia. Virg.* 3. *G.* 191. *de equo.* Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare Compositis. *Quintil.* 9. 4. 129. Manibus invicem apprehensis gradum firmant. *fermano bene il piede. Salvian.* 7. *Gub. D.* 19. Quum enim muliebrem habitum viri sumerent, et, magis quam mulieres, gradus frangerent. *h. e.* modico gradu irent, ut ait *Plaut. loc. cit.* — Adverbialiter. *Trebonius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 17. Ingressum pleno gradu cohortari non intermittemus. *Venti are di buon passo, a passo di carico.* Sic *Liv.* 4. 32. *a med.* Peditum aciem instructam pleno gradu in hostem inducit. Cf. *Veget.* 1. *Milit.* 9. Militari ergo gradu XX. millia pass. horis quinque dumtaxat æstivis conficienda sunt. Pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis XXIV. mill. peragenda sunt. Quidquid addideris, jam cursus est, cujus spatium non potest definiri. (*Id.* 1. *ibid.* 27. Ter in mense tam equites, quam pedites educantur ambulatum. *V.* reliqua *ibid.*). *Vellej.* 2. 1. 1. Non gradu, sed præcipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum. *non camminando, ma precipitosamente correndo*: cf. *Senec.* 2. *Ira.* 35. A cursu ad gradum reduci. *dal corso al passo. Ovid.* 2. *Met.* 35. 3. Dumque ea mirantur, complectitur inguina cortex, Perque gradus uterum pertusque humerosque manusque Ambit, et exstabant tantum ora vocantia matrem.

II.) Translate plurimis occurrit significationibus, quæ tamen ad tria summa capita redigi possunt: itaque *A*) Usurpatur metaphorâ sumptâ a parag. proxime superiori; B) In re militari et gladiatoria pro loco, ubi quis consistit; *C*) Denique pro loco, ubi quis graditur, seu scalarum parte, qua sursum deorsumve gradimur.

A) Metaphorâ sumptâ a parag. proxime superiori — *Gradum facere* est ab una re ad aliam transire, ita ut prior illa quasi gradus ad alteram sit. *Cic.* 4. *Verr.* 1. 3. Majoribus nostris in Africam ex hac provincia (*Sicilia*) gradus imperii factus est. *Quintil.* 3. 6. 8. Ad ea, quæ sunt potentiora, gradum ex his fecisse contenti. *Liv.* 17. 6. Crassus Licinius nec consul, nec prætor ante fuerat, quam censor est factus: ex ædilitate gradum ad censuram fecit. *Id.* 6. 35. Conando agendoque jam eo gradum fecisse plebejos, unde, si porro annitantur, pervenire ad summa possent. — *Gradum jacere* idem ac*r*e est, seu ingressum aut accessum facere. *ingresso, introduzione. Cic.* 2. *leg. Agr.* 15. 39. Sed attendite animos ad ea, quæ consequuntur: hunc quasi gradum quemdam atque aditum ad cetera jactum intelligetis. *Al. leg.* factum. Ita *Forcellinus*: at factum legendum docent optimi Codices et recentiores plerique omnes. — Huc et illa pertinent ejusdem *Cic.* 7. *Att.* 23. Quasi hunc gradum mei reditus esse, quod mulieres revertissent. *il principio, il primo passo. Id. Harusp. resp.* 20. 43. Atque hic P. Clodio gradus ad rempublicam, hic primus est aditus ad popularem jactationem atque ascensus. *Liv.* 6. 42. Creati decemviri quinque patrum, quinque plebis: graduque eo jam via facta ad consulatum videbatur. *Ovid.* 4. *Met.* 59. Notitiam primosque gradus vicinia fecit; Tempore crevit amor. *Propert.* 1. 13. 8. primo lapsus abire gradu. *Cic. Orat.* 64. 216. Etsi spondeus, quod est e longis duabus, hebetior videtur et tardior, habet tamen stabilem quemdam et non expertem dignitatis gradum. *Petron. Satyr.* 4. Laborum gradus facere. *scorrere per tutti i gradi delle fatiche letterarie.* — *Seneca Ep.* 29. Quum consuleretur, quid sentiret, non possum, inquit, tibi dicere: nescio enim quid de gradu faciat: tamquam de essedario interrogaretur. *h. e.* non est ex Peripateticis, qui deambulantes philosophabantur: sed velut mollis philosophus, in gestatione disserit.

B) In re militari et gladiatoria ¶ 1. Gradus ponitur pro loco ubi quis consistit, *posizione.* Hinc *stabili gradu* vel *de gradu pugnare* est stantem in vestigio pugnare, *combattere a piè fermo. Liv.* 6. 12. Obnisos vos velim stabili gradu impetum hostium excipere. *Tac.* 2. *Hist.* 35. Stabili gradu e ripa vulnera dirigebant. Rursus *Liv.* 34. 39. Non modo ad emittenda cum procursu tela spatium habebant, sed ne ut de gradu quidem libero ac stabili conaren-

tur. *Id* 8. 38. In suo quisque gradu obnisi, urgentes scutis, sine respiratione ac respectu pugnabant. — Sic *stare in gradu* est ibi consistere, ubi semel steteris, *stare a piè fermo*. *Ovid*. 9. *Met*. 42. Digredimur paullum rursumque ad bella coimus, Inque gradu stetimus, certi non cedere; eratque Cum pede pes junctus. — Contra *demovere gradu hostem* est demovere loco, ubi hostis consistit. *Liv*. 6. 32. Quantum Romana se invenit acies, tantum hostes gradu demoti. *respinti*. *Al. leg*. moti. *Id*. eodem sensu 30. 18. hostem statu movere dixit. ¶ 2. Metaphorâ hinc ducta *manere gradu* est constantem esse. *Sil. It*. 16. 21. Corda virum mansere gradu. — Contra *dejicere de gradu* est de statu propellere. *Cic*. 1. *Off*. 23. 80. Constantis est non perturbari in rebus asperis: nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur. *Id*. 16. *Att*. 15. Ex quo mihi videtur σπατάλαξ ille dejectus de gradu. *Nepos Themist*. 5. Interim ab eodem, gradu depulsus est. *h. e*. ab eo statu, in quo erat adhuc valens superare hostes. *Seneca Constant. Sap. sub fin*. Injurias vero, ut vulnera, alia armis, alia pectori infixa, non dejectus, ne motus quidem gradu, sustineat. *Forcellinus* huc retulit etiam illud *Modestin. Dig*. 49. 16. 3. Pœnæ militum sunt castigatio, pecuniaria mulcta, militiæ mutatio, gradus dejectio. *deposizione, privazione della carica*.

C) Denique gradus ponitur pro loco, ubi quis graditur, seu ¶ 1. Pro scalarum parte, qua sursum deorsumve gradimur, κλίμαξ, βῆμα, *scaglione, gradino, scalinata*: quo sensu fere adhibetur in plurali numero, quia, ut *Varro* 5. *L. L*. 168. *Müll*. docet, proprie gradus dicuntur de duplicatis scansionibus. — *a*) Generatim. — In plur. numero. *Cæcina* apud *Cic*. 6. *Fam*. 7. Quemadmodum scalarum gradus si alios tollas, alios incidas, nonnullos male hærentes relinquas, ruinæ periculum struas, non ascensum pares; sic etc. Cf. *Virg*. 2. *Æn*. 443. Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos Nituntur gradibus. *Cic*. 4. *Att*. 1. Gradus templorum ab infima plebe completi erant. Adde *eumd. Sext*. 15. 34. Cf. *eumd*. 5. *Fin*. 14. 40. Multis gradibus ascendere. *Virg*. 1. *Æn*. 452. *de templo*. Ærea cui gradibus surgebant limina. *Ovid*. 3. *Pont*. 2. 50. Perque quaterdenos itur in illa gradus. *Sueton. Ner*. 8. Pro Palatii gradibus. *Id. Cal*. 35. Ita se proripuit e spectaculis, ut calcata lacinia togæ præceps per gradus iret. *Vellej*. 2. 3. 1. Ex superiore parte Capitolii summis gradibus insistens. *Tac*. 14. *Ann*. 13. Exstructos qua incederet spectaculorum gradus. Adde *eumd. ibid*. 20. — In sing. numero. *Vitruv*. 3. 3. Cum dextro pede primus gradus ascenditur. Cf. *Horat*. 1. *Sat*. 6. 40. gradu post me sedet uno. — *b*) Speciatim, *gradus* etiam erant in circo, theatro et amphitheatro, in quibus spectatores sedebant, *gradinate*: de his mentio est in *Inscript*. apud *Marin. Frat. Arv. p*. CXXX. n. XXIII., quæ est apud *Orell*. 2537. FRATRIBVS ARVALIBVS MAENIANO I. CVNEO XII. GRADIBVS MARMOREIS VIII. — In hujusmodi gradibus Romæ, et in municipiis et coloniis, tesseræ et nummi viritim populo distribuebantur; hinc solemnis illa formula *per gradus* in *Inscript*. apud *Gruter*. 175. 8., quæ est apud *Orell*. 4075. TI. CLAVDIVS CHRESIMVS OB HONOREM QVINQVENNALITATIS COLLEGIO DENDROPHORVM ROMANORVM, QVIBVS EX S. C. COIRE LICET, ARGENTI P. X ET HS. X. MILIA N. DEDIT, QVAE DIVISA SVNT POPVLO PER GRADVS. *Alia* apud *Reines. cl*. 6. *n*. 22. CVIVS DEDICATIONE POPVLO DEDIT HS. N. CXXX. N., CVRIONIBVS ✕. XIIII., SODALIBVS AVGVSTALIBVS ✕. X., ET PER GRADVS ✕. IIII. *h. e*. plebi, quæ in gradibus sedebat, viritim denarios quinque, quum curionum cuilibet quatuordecim et Sodalium Augustalium decem dedisset. *Alia* apud *Don. cl*. 9. *n*. 10. PANE ET VINO SINGVLIS CCCCXII. PER GRADVS DIVISIS. ¶ 2. Translatione hinc ducta, in re rustica *gradus* est altitudo seu profunditas, quantum uno nisu fossor bipalium terræ imprimit, *una zappata*. *Colum*. 3. *R. R*. 13. 19. Non sulcum paullatim exaltare, et ita secundo, vel tertio gradu pervenire ad destinatam pastionis altitudinem, sed protinus etc. *Id*. 4. *ibid*. 1. 3. Nam semper in plano refusius egesta humus tumidior est, quam gradus soli crudi. Adde *eumd*. 11. *ibid*. 3. *n*. 10. — Hinc translate in re veterinaria est profunditas cunni, seu ipse cunnus equæ. *Pallad. de insit*. 29. Si velocis equæ pigro miscetur asello Ardor, ut in sterilem res cadat acta gradum etc. *h. e*. semen asini in equæ vulvam. ¶ 3. Item apud ciniflones gradus dicuntur partes, in quas capilli ad ornandum dividuntur, *una treccia di capelli*. *Sueton. Ner*. 51. Coma in gradus formata. *Quintil*. 1. 6. 44. Comam in gradus frangere. *Id*. 12. 10. 47. Caput in gradus atque annulos comptum. ¶ 4. Item a Mathematicis *gradus* dicuntur partes circuli in sphæra, Græce μοῖραι, *gradi della sfera*. *Manil*. 1. 579. *de æquatore*. Quatuor et gradibus sua fila reducit ab æstu. ¶ 5. Item a Grammaticis *gradus* dicuntur comparativum et superlativum. Hinc *Ovid*. 1. *Fast*. 603. Magne, tuum nomen rerum mensura tuarum est: Sed qui te vicit, nominis major erat. Nec gradus est ultra Fabios cognominis ullus; Illis domus meritis Maxima dicta suis. ¶ 6. Item apud *Veget*. 1. *Veterin*. 2. et 32., et 4. *ibid*. 2. gradus sunt rugæ in palato equi numero duodecim. ¶ 7. Denique generatim dicitur de iis, quorum alterum supra, infrave alterum ordine dispositum est, ut de cognationibus, honoribus, ætatis annis etc. *grado, condizione, posto*. — *a*) De sonis. *Cic. Orat*. 18. 59. Ille princeps variabit et mutabit, omnes sonorum tum intendens, tum remittens persequetur gradus. Adde *eumd*. 3. *Orat*. 61. 227. *Quintil*. 11. 3. 15. Ab ima (*voce*) ad summam ac retro multi sunt gradus. — *b*) De ætate. *Lucret*. 2. 1122. Quæcumque vides hilarem grandescere ad auctum, Paullatimque gradus ætatis scandere adultæ. *Cic*. 3. *Fam*. 11. In omni vel honoris, vel ætatis gradu. Adde *Sueton. Aug*. 79. et *Tit*. 3.; *Quintil*. 3. 7. 15.; *Vellej*. 2. 36. 2.; et *Tac. Dial. de orat*. 28. — *c*) De gradibus affinitatum consule *Isid*. 9. *Orig*. 5. et 6. *Ovid*. 13. *Met*. 141. sed enim quia rettulit Ajax Esse Jovis pronepos, nostri quoque sanguinis auctor Juppiter est, totidemque gradus distamus ab illo. *Sueton. Galb*. 2. Neroni Galba successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum. Adde *eumd. Aug*. 4. — *d*) De honoribus, dignitatibus et similibus. — Cum addito Genitivo. *Cic*. 1. *Cat*. 11. 28. Aliquem ad summum imperium per omnes gradus efferre. *Id. Brut*. 81. 281. Ad summam amplitudinem pervenisset ascendens gradibus magistratuum. *Id. Planc*. 13. 32. Summum in præfectura florentissima gradum tenere et dignitatis et gratiæ. Sic *Nepos Con*. 3. Secundum gradum imperii tenere. *posto*. Rursus *Cic. post redit. in senat*. 1. 2. In altissimo dignitatis gradu collocati sumus. *Id*. 1. *de republ*. 27. Quoniam distinctos dignitatis gradus civitas non habebat. Adde *eumd. Amic*. 3. 12., *Cluent*. 55. 150., 1. *Phil*. 6. 14. et *Mur*. 14. 30. et 27. 55. Sic *Id. pro leg. Manil*. 21. 61. Cujus (*adolescentuli*) ætas a senatorio gradu longe abesset. — Et omisso Genitivo. *Cic*. 6. *Phil*. 7. 18. Quis est civis, præsertim hoc gradu, quo vos me esse voluistis? *di questo grado o rango*. *Id*. 6. *Fam*. 10. Qui fuisti quum omni gradu amplissimo dignissimus. tum certe ordinis tui facile princeps. Adde *eumd*. 4. *Acad*. (2. *pr*.) 2. 6. *Id. Rosc. Am*. 47. 136. Suum cuique honorem et gradum redditum, gaudeo. — *e*) De aliis plurimis intellectualibus aut moralibus rationibus. *Cic*. 1. *Off*. 45. 160. In ipsa communitate sunt gradus officiorum, – ut prima diis immortalibus, secunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliquis debeantur. *Id. Partit. orat*. 1. 12. Temporum servare gradus. *l'ordine de' tempi*. *Id. Brut*. 32. 122. Oratorum ætates et gradus persequi. *h. e*. facultatem dicendi, qua unus est alio eloquentior. *Id. ibid*. 82. 285. Ne ignoret et gradus et dissimilitudines et vim et varietatem Atticorum. *Id*. 5. *Verr*. 74. 172. Quot vultis esse in uno furto peccatorum gradus? *Matius* apud *Cic*. 11. *Fam*. 28. Fateor, me ad istum gradum sapientiæ non pervenisse. *Horat*. 1. *Od*. 3. 17. Quem mortis timuit gradum, Qui etc. *h. e*. quod mortis genus. *Quintil*. 11. 3. 166. Accendendi judicis plures sunt gradus. *Nepos Eumen*. 1. Eodem gradu fuit apud Alexandrum. *h. e*. eodem loco amicitiæ. Sic *Curt*. 5. 29. 10. Eumdem illis amicitiæ gradum patere apud regem. *Id*. 6. 28. 31. Quo propiore gradu amicitiæ me contingis. *Id*. 9. 1. 6. Pro portione gradus, quem in amicitia obtinebant. *Tac. Dial. de orat*. 19. Mille argumentorum gradus. Adde *eumd. ibid*. 27. — *Gradibus ire, venire*. est per gradus, *di grado in grado*. *Cic*. 1. *Nat. D*. 32. 89. Si ita esset, quid opus erat te gradatim istuc pervenire? – A beatis ad virtutem, a virtute ad rationem video te venisse gradibus.

GRÆCĀLIS, e, adject. ad Græcos pertinens. *Frontin. de colon. p*. 116. *Goes*. Lapides Græcales. *h. e*. Græcis litteris notati.

GRÆCĀNĬCĒ, adverb. Græce. *Varro* 9. *L. L*. 89. *Müll*. Itaque dicimus hic *Argus*, quum hominem dicimus: quum oppidum, Græcanice hoc *Argos*, quum Latine *A r g e i*.

GRÆCĀTĒ, adverb. *V*. CANACIUS.

GRÆCĀTIM, adverb. more Græcorum. *Tertull. Pall*. 4. Græcatim depilari magis, quam amiciri. *V*. DEPILO.

GRÆCATUS, a, um. *V*. GRÆCOR.

GRÆCĀTUS, us, m. 4. mos, consuetudo Græcorum. *Tertull. Pall*. 4. *ad fin*. Quum ipsum hoc pallium morosius ordinatum, et crepidæ Græcatum Æsculapio adulantur. *Alii male leg*. crepidæ crcistæ Græcatim.

GRÆCĒ, adverb. in *Greco*, Græca lingua, Ἑλληνιστί. *Cic*. 1. *Orat*. 34. 155. Quum ea, quæ legerem Græce, Latine redderem. *Id*. 2. *ibid*. 66. 265. Græce optime scire. *saper Greco*. *Id. Flacc*. 4. 10. nescire. *Id*. 2. *Off*. 32. 115. Acilius, qui Græce scripsit historiam. *Id*. 1. *Tusc*. 8. 15. Græce loqui.

GRÆCISSO, as, are, n. 1. Græcos imitor. *Plaut. Men. prol*. 11. Hoc argumentum Græcissat, tamen non Atticissat.

GRÆCĬTAS, ātis, f. 3. litteratura Græcorum, et præcipue Græcus sermo. *Impp. Theodos*. et *Valentinian. Cod. Theod*. 14. 9. 3. Facundia Græcitatis pollere.

GRÆCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Græcatus*. — Græcari est Græcos imitari. *Horat*. 2. *Sat*. 2. 11. vel si Romana fatigat Militia assuetum Græcari. *h. e*. exercere se ludis, qui apud Græcos in usu sunt. *Tertull. Pall*. 4. Nisi aurum minime Græcatos decet. — Hinc Part. præter.

Græcatus, a, um, adjective quoque occurrit (unde Comp. *Græcatior*) et passiva quidem significatione est in Græcorum morem factus. *Apul. de Mag*. Græcatior epistola.

GRÆCOSTĀDĬUM, ii, n. 2. idem quod Græcostasis. *Capitolin. Antonin*. 8. Græcostadium post incendium restitutum.

GRÆCOSTĂSIS, is, f. 3. Γραικόστασις, Græcorum statio, locus Romæ, ad dexteram Comitii, ubi nationum legati, qui ad senatum erant missi, subsistebant. *Varro* 5. *L. L*. 155. *Müll*. Sub dextra hujus (*loci*, h. e. Curiæ) a Comitio locus substructus, ubi nationum subsisterent legati, qui ad senatum essent missi: is Græcostasis appellatur a parte, ut multa. *h. e*. a Græcis, qui ibi præsertim cum aliis nationum exterarum legatis morabantur. *Cic*. 4. *ad Q. Fr*. 1. 3. Deinde ejus operæ repente a Græcostasi et gradibus clamorem satis magnum sustulerunt. *Plin*. 33. *Hist. nat*. 1. 6. (19). Ædiculam æream fecit in Græcostasi, quæ tunc supra Comitium erat.

GRALLÆ, ārum, f. plur. 1. *trampoli, zanche*, τὰ καλοβατικὰ βάθρα, ligneæ perticæ furculas habentes, quibus innituntur, qui iis incedunt: a *gradiendo*, unde *grada, gradula, gratta* (seu potius, ut *scala* est per syncopen pro *scandela*, *mala* pro *mandela*, ita *gralla* pro *gradela*). Inventæ sunt a pantomimis ad Panas, sive Ægipanas repræsentandos, quorum exsucci pedes ac crura non aliter melius repræsentari poterant, quam ligneis illis pedibus ac cruribus grallatorum. Ita *Paul. Diac. p*. 97. 12. *Müll*. *Varro* apud *Non. p*. 115. 20. *Merc*. Ut grallatores, qui gradiuntur, perticæ sunt ligna et ἀκίνητος, sed ab homine eo, qui instat, agitantur; sic illi animi nostri sunt grallæ: crura ac pedes nostri ex se ἀκίνητοι, sed ab animo moventur. *Varro* h. l. apta similitudine ostendit, animum et corpus ita inter se nexa ac jugata esse, ut alter alterius ope et adminiculo utatur. Et animum quidem comparat grallatori, quod is suppeditat et in omnes partes corporis diffundit vim agendi: corpus grallis, quod hoc sit quasi sustentaculum quoddam animi. Ita *Popma*, qui ad rem affert verba *Tertull. de Anim*. 6. Ceterum *Placid. Gloss*. edente *A. Mai*. in *Class. Auct. T*. 3. *p*. 468. Conloqui perciitis (*lege* Grallæ, perticæ), ad quas cruribus colligatis ambulantes, gravatores (*lege* grallatores) dicuntur.

GRALLĀTOR, ōris, m. 3. καλοβάτης, qui grallis graditur. Speciatim grallatores pantomimi appellabantur, qui ut Ægipanas in saltatione imitarentur, grallis incedebant. *Plaut. Pœn*. 3. 1. 27. (Vinceretis) cervum cursu, vel grallatorem gradu. Adde *Paul. Diac*. et *Varron*. ex voc. præced., et *Varron*. 7. *L. L*. 69. *Müll*. *Arnob*. 2. 38. Grallatores, funambuli, præstigiatores.

GRALLĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad grallatorem pertinens, ut Grallatorius gradus, idest magnus, quales solent esse grallatorum. *Plaut. in suppos. Amph. sc.* Dii vostram, 52. Sive grallatorius, sive testudineus gradus fuerit.

GRĀMEN, minis, n. 3.. quod volunt esse a γράω *comedo*, est herbæ genus omne, et præsertim quod in animalium pabulum cedit, χόρτος (It. *erba*; Fr. *gazon*, *herbe*, *pelouse*; Hisp. *cesped con yerbas*, *yerba*, *pelosilla*; Germ. *d. Gras*, *d. Rasen*; Angl. *grass, all kinds of herbs*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Lucret.* 2. 29. et 5. 1391. prostrati in gramine molli. Cf. *Horat. Epod.* 2. 24. Jacere in tenaci gramine. *Id.* 1. *Od.* 15. 30. Cervus graminis immemor. Adde *eumd. Art. P.* 162. *Virg.* 5. *Ecl.* 25. nulla neque amnem Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam. *Liv.* 1. 24. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit. *V.* SAGMEN. *Martial.* 9. 91. gramen floreum. *h. e.* graminea sparsa floribus, ut in pratis verno tempore. — *b*) In plurali numero. *Lucret.* 2. 660. ex uno tondentes gramina campo Lanigeræ pecudes. *Horat.* 4. *Od.* 7. 1. Diffugere nives: redeunt jam gramina campis Arboribusque comæ. *Id. ibid.* 1. 38. jam volucrem sequor Te per gramina Martii Campi. *Virg.* 10. *Ecl.* 29. nec gramina rivis saturantur. *Id.* 1. *G.* 56. injussa virescunt gramina. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 200. et alibi.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur pro quacumque planta, præcipue vero herbacea. — *a*) In singulari numero. *Virg.* 4. *G.* 63. cerinthæ ignobile gramen. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 187. munera graminis Indi. *h. e.* costum: cf. *Propert.* 2. 29. 17. Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores. *Quintil.* 5. 8. 1. Gustu cujusdam apud Lothophagos graminis. — *b*) In plurali numero. *Virg.* 12. *Æn.* 415. non illa feris incognita capris Gramina. *h. e.* dictamnus. *Id.* 7. *ibid.* 808. Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina. *h. e.* per culmina vel arundines plantarum, quas frumentaceas, miliaceas et arundinaceas vocant *botanici*. *Ovid.* 7. *Met.* 137. Neve parum valeant a se data gramina. *h. e.* eæ, quas *Id. ibid.* 98. *cantatas herbas* dixerat. *Justin.* 36. 4. Omissa deinde regni administratione, hortos fodiebat, gramina seminabat. ¶ 2. Speciatim *gramen* est peculiaris herbæ nomen, geniculatis internodiis serpentis, crebroque ab his et cacumine novas radices spargentis, foliis fere in asilitatem fastigatis; qua non alia gratior jumentis, sive viridis, sive in fœno siccata sit, *gramigna*, ἄγρωστις. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 118. (178).

GRĀMĬÆ, ārum, f. plur. 1. *caccole*, oculorum sunt vitia: quas alii glaucas vocant, inquit *Paul. Diac. p.* 96. 14. *Müll. Nonius* vero *p.* 119. 14. *Merc.* Gramia, inquit, pituita oculorum. *Cæcilius*: Gramiosis oculis ipsa, atratis dentibus. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 96. (154). Crethmos agrios gramias oculorum tollit imposita, *la cisposita*, τὰς γλάμας, unde Latini, permutata liquida, *gramias* dixerunt. *V.* LEMA. *Pallad.* 1. *R. R.* 27. 2. Sub oculis illis (*gallinis*) gramiæ procedunt: quæ nisi acu leviter apertis pelliculis auferantur, exstinguunt. *Ita corrigendum pro vulgato grana*, *recte proposuit* Schneid.

GRĀMĬNĔUS, a, um, adject. ¶ 1. Generatim est gramen habens, gramine obductus, *erboso*, χορτώδης, *Virg.* 5. *Æn.* 287. Gramineus campus. *Id.* 6. *ibid.* 642. Gramineæ palæstræ. *Id.* 8. *ibid.* 176. Gramineum sedile. *Id.* 12. *ibid.* 119. Gramineæ aræ. *h. e.* herboso cespite contectæ. *Liv.* 7. 37. Graminea corona obsidionalis. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 3. 4. (6). multa de ea: itemque *Gell.* 5. 6. ¶ 2. Speciatim *gramineæ hastæ* sunt ex arundine Indica, Itali dicunt *canna d' India*, qua utebantur veteres pro hastis: de quibus ita *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 65. (162). Arundini quidem Indicæ arborea amplitudo; quales vulgo in templis videmus. *h. e.* in manibus simulacrorum, quemadmodum de Minerva Atheniensi ita refert *Ampel.* 8. Ipsa autem dea habet hastam de gramine. *Cic.* 6. *Verr.* 56. 125. Etiamne gramineas hastas (*eripuit*)? video enim vos in hoc nomine commoveri, quod erant hujusmodi, ut semel vidisse satis esset; in quibus nec manu factum quidquam, neque pulcritudo erat ulla, sed tantum magnitudo incredibilis. *Cic.* hic loquitur de æde Minervæ, quæ Syracusis erat, a Verre spoliata. V. *Servium* ad *Virg.* 5. *Æn.* 287. Ceterum juxta cl. *Fee* (*Op. cit.* vol. 1. *p.* 392.) *arundo arbor seu Indica* Plin. loc. cit. est *Bambos arundinacea* Lamrk. Encycl., *Arundo arbor* C. Bauh. Pin. 18. *V.* synonym. in v. ARUNDO.

GRĀMĬNŌSUS, a, um, adject. *pieno di gramigna*, *erboso*, χορτώδης, plenus gramine, herbosus. *Colum. præf. l.* 1. *R. R.* § 25. Quid silvester ager, quid humidus et graminosus, quid siccus et spurcus recusaret. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 9. 8. *Id. præf. l.* 6. *ibid.* § 1. Graminosum solum.

GRĀMĬŌSUS, a, um. *V.* in GRAMIÆ.

GRAMMA, æ, f. 1. *linea*, γραμμή, linea. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 5. Superficies lineis terminatur, quas suo nomine grammas Græcia nominavit.

GRAMMA, ătis, n. 3. γράμμα, Græce est littera: item pondus duorum obolorum: quod Latini vertentes, *scriptulum*, et *scriptlum* dixere; γράμμα enim est a γράφω *scribo*. *Fann. de ponderib.* 8. Semoboli duplum est obolus, quem pondere duplo Gramma vocant: scriptlum nostri dixere priores. Alia hujus appellationis ratio *ibid.* 25. a *Fannio* adducitur, quia nimirum uncia fit drachmis bis quatuor: drachmæ scriptlis ternis constant: uncia itaque viginti quatuor grammata habet, quot scilicet sunt Græcæ litteræ.

GRAMMĂTEUS, i, m. 2. trisyllab. *notajo*, *cancelliere*, scriba, qui in tabulis res rationesque publicas perscribit, γραμματεύς. *Apul.* 11. *Met.* Unus, quem cuncti grammatea dicebant. Cf. *Inscript.* apud *Murat.* 2045. 7. MARCVS CVTATVS AABXVS GRAMMATEVS EGOTOW AVGVSTASION MELLARCON ECCION AVGVSTESI. ON. AN. XII. *Hagenb.*, *Epp. Epigr.* 1. p. 18., ita explicat: γραμματεὺς ἐγὼ Αὐγουστασίων, Μελλάρχων ἐγὼ τῶν Αὐγουστησίων. Pro altero ἐγὼ τῶν *Bocchier.* malebat ἐξιων: sed, juxta *Orell. Inscript.* 3222., præstaret σιστιων.

GRAMMĂTĬAS, æ, m. 1. γραμματίας, gemma ex iaspidum genere, similis smaragdo, per transversum linea alba præcincta, quæ ab orientalibus populis pro amuleto gestari solet. Hæc ex *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 37. (118). Ita autem vocatur a γράμμα *linea*, quia lineis præcingitur. *Sillig.* et *Ian.* leg. monogrammos.

GRAMMĂTĬCA, æ, f. 1. *V.* GRAMMATICUS.

GRAMMĂTĬCĀLIS, e, adject. *grammaticale*, ad grammaticam spectans, ut Grammaticales figuræ, *Sidon.* 7. *Ep.* 9. Grammaticalis palæstra, *Id. carm.* 23. 212. Similiter *Macrob. de differ. Gr. Lat. verbi p.* 188. ed. *Eichenf.* Nigidius in commentariis grammaticalibus verbum *autumo* compositum ait ex præpositione *ab* et verbo *æstimo*. At in *Putschii* editione *p.* 2730. verba *in commentariis grammaticalibus* desiderantur.

GRAMMĂTĬCĀLĬTER, adverb. *grammaticalmente*, more grammaticorum. *Trebell. Poll. in XXX. Tyrann.* 10. Cœpit quasi grammaticaliter declinare.

GRAMMĂTĬCĒ, adverb. *grammaticalmente*, γραμματικῶς, more grammaticorum, vel ex regulis grammaticæ. Grammatice loqui, est ubi cura sermonis vitium non admittitur; Latine loqui, ubi Latina consuetudo urbanitasque servatur. *Quintil.* 1. 6. 27. Quare mihi non invenuste dici videtur, aliud esse Latine, aliud grammatice loqui.

GRAMMĂTĬCĒ, es, f. 1. *V.* GRAMMATICUS.

GRAMMĂTĬCŎMASTIX, igis, m. 3. γραμματικομάστιξ, flagrum, seu flagellum grammaticorum. Legitur inter titulos *Edyll.* 12. apud *Auson. Sybilla* apud *Lactant.* 1. 7. Ἀχάματοι δάμανται ὑπαὶ μάστιγι Θεοῖο.

GRAMMĂTĬCUS, a, um, adject. *grammatico*, γραμματικός, ad grammaticam pertinens, ut Figuræ grammaticæ, grammaticus stilus, grammatica oratio, ars grammatica. *Cic.* 4. *Herenn.* 12. 17. Hæc qua ratione vitare possimus, in arte grammatica dilucide discemus. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 40. non ego Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor. *Quintil.* 9. 3. 2. Possis illud grammaticum, hoc rhetoricum magis dicere. Adde *eumd.* 1. 5. 54. — Hinc

Grammaticus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui grammaticam docet. *Cic.* 2. *Tusc.* 4. 12. Ut si grammaticum se professus quispiam barbare loquatur. *Id. Orat.* 27. 93. Hanc ὑπαλλαγὴν rhetores, μετωνυμίαν grammatici vocant. *Quintil.* 1. 8. 21. Mihi inter virtutes grammatici habebitur aliqua nescire. Adde *eumd.* 10. 1. 52. *Seneca Ep.* 95. *post med.* Grammatici custodes Latini sermonis. *Inscript.* apud *Orell.* 1200. GRAMMATICVS LECTORQVE, SET (*h. e.* sed) LECTOR EORVM, MORE INCORRVPTO QVI PLACVERE SONO etc. Sic apud *eumd.* 1197. Grammaticus Latinus. *et* 1198., 1199. et 4953. Grammaticus Græcus. — *Grammatici* olim *litterati*, vulgo appellantur (inquit *Cornel. Nepos* apud *Sueton. Grammat.* 4.) qui aliquid diligenter et acute scribere possunt, aut dicere: sed proprie dicti sunt viri eruditissimi atque elegantissimi, non qui grammaticam docerent, sed qui poetas, historicos, oratores interpretarentur, ut Donatus, Paul. Diac., Nonius, Asconius, et alii, qui fabularum Græciæ, antiquitatum Romanorum, legis, omnium denique rerum cognitione et scientia præstiterunt. Iidem *critici* vocabantur, quod de omni genere scriptorum judicarent. *Cic.* 1. *Divinat.* 51. 116. Sunt enim harum rerum explanatores, ut grammatici poetarum. *V. Quintil.* 2. 1. 4., cujus verba in *Grammatica* referemus, *Senecam Ep.* 88. et *Capell.* 3. *p.* 51. ubi officium Grammaticæ prosequitur. — Differunt a *Grammatistis*, seu *litteratoribus*, etsi eos etiam *litteratores* vocitatos fuisse *Messala Corvinus* auctor est. Nam *grammatici*, seu *litterati* absolute et perfecte docti erant; *grammatistæ*, seu *litteratores* tenuiter eruditi erant, et in malam partem appellabantur. *Sueton. loc. cit.*

Grammatica, *æ*, et *grammatice*, *es*, f. 1. absolute (subaudi *ars*) γραμματική, est ars emendate loquendi et scribendi; idest sine solæcismis, barbarismis, erroribus pronunciationis et orthographiæ, et aliis vitiis orationis barbaræ, obscuræ, inornatæ: a γράμμα *littera*, quia veteribus eo nomine censebatur γραμματιστική, hoc est ars legendi scribendique. Sero enim præcepta recte loquendi observata, inque artem congesta sunt: tunc vero grammaticæ fines latissime prolati et in *Grammaticus* diximus, artique honos additus. *Cic.* 3. *Fin.* 2. 5. Quamquam ea verba, quibus ex instituto veterum utimur pro Latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quamquam Latine ea dici poterant, tamen quoniam usu percepta sunt, nostra ducamus. *Quintil.* 2. 1. 4. Et grammatice (quam in Latinum transferentes litteraturam vocaverunt) fines suos norit, præsertim tantum ab hac appellationis suæ paupertate, intra quam primi illi constitere, provecta: nam tenuis a fonte, assumptis poetarum historicorumque viribus, pleno jam satis alveo fluit: quum præter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit. Adde *eumd.* 1. 4. 2., 1. 5. 1., 1. 8. 12. etc. et 2. 14. 3. Apud *Sueton. Gramm.* 1., 2., 3. et alibi sæpe occurrit latina forma *grammatica*.

Grammatica, *ōrum*, n. plur. 2. absolute, sunt res grammaticæ, studium litterarum. *Cic.* 1. *Orat.* 42. 187. In grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam sonus.

GRAMMĂTĬCUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

GRAMMĂTISTA, æ, m. 1. *grammaticuzzo*, γραμματιστής, qui mediocriter grammatica est eruditus. *Sueton. Grammat.* 4. Sunt qui litteratum a litteratore distinguant, ut Græci grammaticum a grammatista, et illum quidem absolute, hunc mediocriter doctum existiment. Adde *eumd. ibid.* 24.

GRAMMĂTŎDĬDASCĂLUS, i, m. 2. γραμματοδιδάσκαλος, idem qui grammaticus. Habet *Capell.* 3. p. 51. sed Græce.

GRAMMĂTŎPHȲLĂCĬUM, ii, n. 2. *archivio*, *cancelleria*, γραμματοφυλάκιον, tabularius, locus, ubi tabulæ et instrumenta publica asservantur: a γράμματα *litteræ*, et φυλάσσω *custodio*. *Ulp. Dig.* 48. 19. 9. § 6. Archio forte, vel grammatophylacio.

GRAMMĬCUS, a, um, adject. γραμμικός, linearis: a γραμμή *linea*, ut Deformationes grammicæ, *h. e.* designationes, quæ per lineas fiunt, *Vitruv. præfat. l.* 3. *sub fin. Id.* 9. 1. Grammicis rationibus explicare.

GRĀNĀRĬA, ōrum, n. plur. 2. *Forcellinus* in singulari numero affert; sed nullo auctore laudato. — Granaria sunt loca in horreis, in quibus grana frugum reponuntur, σιτοφυλάκιον (It. *granaio*; Fr. *grenier*; Hisp. *granero*; Germ. *d. Kornböden*, *Kornkammern*; Angl. *a granary*, *place where corn is kept*). *Varro* 1. *R. R.* 57. 1. Triticum condi oportet in granaria sublimia. *et mox.* Quidam granaria ha-

bent sub terris: speluncas, quas vocant σιροὺς, ut in Cappadocia ac Thracia: alii, ut in Hispania citeriore, puteos, ut in agro Carthaginiensi et Oscensi. Sic conditum triticum manet vel annos quinquaginta, milium vero plus annos centum. Supra terram granaria in agro quidam sublimia faciunt, ut in Hispania citeriore, et in Apulia quidam, quæ non solum a lateribus per fenestras, sed etiam subtus a solo ventus refrigerare possit. *Pers.* 5. 110. Jam nunc granaria laxes. Adde *Colum.* 1. *R. R.* 6. 10.; *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (302).; *Horat.* 1. *Sat.* 1. 53.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 19. 2., ubi granaria ab horreis ita distinguit, ut illa sint cellæ in horreo, in quibus separatim singulæ fruges condantur. Adde quoque *Plaut. Truc.* 2. 6. 42.; *Cic.* 2. *Fin.* 26. 84.; *Pers.* 6. 25. et *Vitruv.* 6. 9.

GRĀNĀRIUM, ii. *V.* voc. præced. init.

GRĀNĀTIM, adverb. *a grano a grano*, per grana. *Apul.* 6. *Met.* Acervum granatim digerere.

GRĀNĀTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq.

GRĀNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *grano*, instruo aliquid granis, *granato, che ha molti grani*, κοκκώδης, abundans granis. *Colum.* 12. *R. R.* 41. 2. Et integra mala dulcia granata, quæ Punica vocantur. *pomi granati:* quæ absolute *granata* dicuntur a *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 53. (149). et 15. *ibid.* 28. 34. (115). *V.* GRANEA.

GRĀNĀTUS, us, m. 4. *Cato R. R.* 60. Granatui videto uti satis viciæ feras. Sed quum in primis *editt.* sit *gnati*, ne dubites cum *Pontedera* et *Schneidero* legere *generatim videto* etc. At idem *Pontedera Op. posth. T.* 1. *p.* 278. ex Codice Cæsenate ita legit: Grano videto uti satis viciæ seras, *h. e. grano colligendo.*

GRANDÆVĬTAS, ātis, f. 3. *età provetta*, πολυετία, ætas provectior. *Accius* apud *Non. p.* 116. 12. *Merc.* Quia nec vos, nec illi impune irriderent meam grandævitatem. *Pacuvius ibid.* Ipsa orbitas grandævitasque Pelei.

GRANDÆVUS, a, um, adject. *di molta età*, πολυετής, qui est grandis ævi, seu provectioris ætatis. *Virg.* 1. *Æn.* 125. Grandævus Alethes. *Id.* 4. *G.* 392. Grandævus Nereus. *Ovid.* 3. *Met.* 99. Emathion. *Id.* 7. *ibid.* 160. Grandævi patres. *Id.* 8. *ibid.* 519. Grandævus pater. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (17). Deos alios esse grandævos semper canosque: alios juvenes atque pueros. *Tac.* 3. *Hist.* 33. Grandævi senes. *Sil. It.* 16. 653. Grandæva manus. *Val. Flacc.* 7. 348. Grandæva consilia. *h. e.* grandævi hominis: atque adeo plena auctoritatis.

GRANDESCO, is, ere, n. inchoat. 2. grandis fio, μεγαλύνομαι, *crescere, divenire grande.*

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 191. ut noscere possis Quicque sua de materia grandescere alique. *Poeta* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 9. 15. semper viridis semperque gravata Lentiscus triplici solita grandescere fetu. *Colum.* 2. *R. R.* 20. 2. At grandescant frumenta. *Pallad.* 7. *R. R.* 2. 2. Grandescit hordeum. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 3. 3. (10). Lignum intus grandescat.

II.) Translate. *Augustin. Ep.* 150. (*al.* 179). *de virginis velatione.* Hæc est uberior fecundiorque felicitas, non ventre gravescere, sed mente grandescere, non lactescere pectore, sed corde candescere.

GRANDĬCŬLUS, a, um. adject. *deminut. a grandis*, aliquantum grandis, *grandetto. Plaut. Pœn. a.* 2. *v.* 35. Grandiculi globi.

GRANDĬFER, fĕra, fĕrum, adject. grandis, vel grandia ferens. *Nazar. Paneg. Constant.* 3. Farta jam grandifera maximorumque fructuum matura perceptio. *Capell.* 5. *p.* 166. Licet Tullius grandiferas possessiones dicat. *V. Koppii* adnotat. ad h. l.; et v. GLANDIFER.

GRANDĬFĬCUS, a, um, adject. grandifer. *Ammian.* 18. 6. Grumbates rex, ætate quidem media rugosisque membris, sed mente quadam grandifica multisque victoriarum insignibus nobilis.

GRANDĬLŎQUUS, a, um, adject. *chi parla in istile alto*, στομφαστικός, qui cum quadam verborum magnificentia loquitur, grandi et sublimi dicendi genere utitur. — *a*) De hominibus. *Cic. Orat.* 5. 20. Nam et grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt, cum ampla et sententiarum gravitate et majestate verborum. *Cf. Quintil.* 10. 1. 66. Sublimis et gravis et grandiloquus sæpe usque ad vitium. — In malam partem. *Cic.* 5. *Tusc.* 31. 89. Quid tandem? isti grandiloqui contra hæc duo (*mortem et dolorem*), quæ maxime angunt, melius se habent, quam Epicurus? — *b*) De abstractis. *Capell.* 5. *p.* 139. Qui (*Tullius*) non solum in foro, senatu rostrisque grandiloquæ facultatis majestate tonuerit.

GRANDĬNAT, are, impers. 1. *grandinare, cader grandine*, χαλαζοκοπεῖ, grando cadit. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 4. Quæritur, quare hieme ningat, non grandinet. *Pacuvius* apud *Non. p.* 507. 28. *Merc.* Sagittis, plumbo et saxis grandinat.

GRANDĬNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *grandino*, grandine verberatus. *Gloss. Philox.* Grandinatum, χαλαζωθέν.

GRANDĬNEUS, a, um, adject. grandinosus. *Alcim.* 3. 329. Grandineos pavidis fuderunt nubila nimbos. *Id.* 5. 190. Grandineum frigus.

GRANDĬNŌSUS, a, um, adject. *tempestoso, che abbonda di gragnuola*, χαλαζώδης, qui abundat grandine. *Colum.* 3. *R. R.* 1. 6. Siccam, vel roscidam, grandinosam ventosamque cœli qualitatem.

GRANDĬO, is, ire, 4. occurrit *A*) Active; at *B*) Neutrorum more.

A) Active grandire est grandem facere. *Nonius p.* 115. 1. *Merc.* Grandire est grandem facere; Varro: quum humus semina — aut recepta non reddat, aut adita grandire nequeat; Plaut. (*Aulul.* 1. 1. 10.): testudineum istum tibi ego grandibo gradum. *ti farò ben io avanzare il passo.* — Et mediorum apud Græcos significatione. *Pacuvius* apud *Non. p.* 115. 11. *Merc.* Nec grandiri frugum fetum posse, nec mitescere. *V.* GRANDESCO I.

B) Neutrorum more grandio est grandis fio. *Cato R. R.* 141. Mars pater, te precor, uti tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire beneque evenire sinas. *Forcellinus* pro *sinas* leg. *sinis*, et Accusativum *se* subaudiendum putabat: alii pro *grandire* leg. *grandiri.*

GRANDIS, e, adject. Comp. *Grandior* in omnibus paragr. (hinc *Charis.* 2. *p.* 130. *Putsch.* perperam negat usurpandum esse hunc Compar.); Sup. *Grandissimus* I. — Grandis, quod ratione habita etymi conjungendum videtur cum v. *crescere* (V. *Döderlein, Latein. Synonym. vol.* 3. *p.* 223.), est qui in altitudinem excrevit, magnus; quamquam proprie *grande* est, quod incremento, *magnum*, quod amplitudine tale est, μέγας (It. *grande*; Fr. *grand, fort, élevé*; Hisp. *gran, grande, alto*; Germ. *grossgewachsen, gross, voll, mächtig, reichlich*; Angl. *large, long, big, plentiful*).

I.) Proprie. — *a*) De rebus inanimis. — Stricto sensu de frugibus et oleribus dici videtur. *Plaut. Cas.* 5. 2. 29. Profecto non fuit quidquam olerum, nisi, quidquid erat, calamitas attigerat numquam: ita quidquid erat, grande erat. *Cic.* 2. *Orat.* 30. 131. Ager iteratus, quo fetus posset grandiores edere. *Varro* 1. *R. R.* 52. 1. Seges grandissima atque optima. *Vetustissimus Poeta* apud *Macrob.* 5. *Saturn.* 20. *extr.* Grandia farra metere. *Virg.* 4. *Æn.* 405. grandia frumenta. *Id.* 5. *Ecl.* 36. hordea. *Id.* 10. *ibid.* 25. lilia. *Sall. Jug.* 93. ilex. *Quintil.* 10. 1. 88. Grandia et antiqua robora. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (112). Grandissimum alicæ genus. *Id.* 15. *ibid.* 3. 4. (15). Grandissimæ olivæ. *grossissime.* — Latiori sensu de aliis. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 68. MI. Euge litteras minutas. CH. Grandes satis sunt. *Cic.* 13. *Att.* 21. Ad Hirtium dederam epistolam sane grandem. *Id.* 3. *de republ.* 8. Alter de ipsa justitia quatuor implevit sane grandes libros. Adde *eumd.* 13. *Att.* 13. *Id.* 6. *Verr.* 31. 74. In basi grandibus litteris Africani nomen erat incisum. *Lucret.* 6. 303. Grandia corpora. *Ovid.* 10. *Met.* 237. membra. *Id.* 9. *ibid.* 169. ossa. *Id.* 5. *ibid.* 545. lumina. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 27. (85). Phalangia grandissimo capite. *Cæs.* 7. *B. G.* 72. Grandes cervi eminentes. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 123. conchæ. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 95. rhombi. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (47). Grandiores apes. *Virg.* 4. *G.* 26.; et *Cæs.* 7. *B. G.* 23. et 46. Grandia saxa. *Id.* 1. *ibid.* 43. tumulus terrenus. *Cic.* 6. *Verr.* 21. 47. vas. *Lucret.* 4. 1122. smaragdi. *Horat. Art. P.* 80. cothurni. *alti. Plin.* 9. *Hist. nat.* 44. 67. (145). naves. *Quintil.* 11. 3. 68. speculum. *Lucret.* 5. 1117. Grandes divitiæ. *Cic. Rabir. Post.* 2. 4. Grandem pecuniam alicui credere. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 9. 24. et 13. *Fam.* 61.; *Sall. Cat.* 49.; et *Sueton. Aug.* 12. et *Ner.* 24. Sic *Cic. Flacc.* 21. 51. Pecuniam alicui grandi fenore occupare. *Sall. Cat.* 14. et 24. Grande æs alienum. *Sueton. Galb.* 16. Donativum grandius solito. *Quintil.* 10. 1. 58. Grandes cœnæ. *grandi conviti. Id.* 11. 2. 12. convivium. *Cic. Cæcin.* 4. 12. Grande pondus argenti alicui legare. Adde *eumd.* 3. *Nat. D.* 31. 83. *Ovid.* 7. *Met.* 625. Grande onus exiguo formicas ore gerentes. *Id.* 1. *ibid.* 29. grandia elementa. *Justin.* 41. 4. *ad fin.* Grandem exercitum parare. — Neutrum *grandia* interdum adverbii vim habet. *Gell.* 9. 11. Grandia ingrediens. *h. e.* incessu grandi, lentis et proceris passibus, μακρὰ βιβάς. Sic *Ammian.* 22. 14. Grandia incedens, tamquam Oti frater et Ephialtis. — *b*) Quum de hominibus dicitur, transfertur ad ætatem, *cresciuto, adulto, avanzato in età.* — Absolute. *Lucret.* 2. 1164. Jamque caput quassans grandis suspirat arator. *Id.* 3. 968. Grandior hic vero si jam seniorque queratur. *Cic. Pis.* 36. 87. Videras enim grandis jam puer, bello Italico etc. *Id. Senect.* 4. 10. Bella gerebat, ut adolescens, quum plane grandis esset. *Horat. Epod.* 13. 11. Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno. *h. e.* Achilli. — Et de ipsa ætate. *Lucret.* 2. 1142. Quandoquidem grandi cibus ævo denique defit. *Cic.* 5. *Phil.* 17. 47. Legibus annalibus grandiorem ætatem ad consulatum constituebant. Adde *Ovid.* 6. *Met.* 28. et 7. *ibid.* 665. *Cf. Tac. Agric.* 3. Per quindecim annos, grande mortalis ævi spatium. — Aliquando additur Ablativus *natu* vel rarius *ævo*, ad explicandum. *Cic. Senect.* 4. 10. Non admodum grandis natu, sed tamen jam ætate provectus. *Id.* 7. *Verr.* 49. 128. et *Rosc. com.* 15. 44.; *Horat.* 1. *Ep.* 7. 49.; *Sueton. Ner.* 31. et *Aug.* 89.; et *Plin.* 8. *Ep.* 23. Grandis natu. Rursus *Cic.* 1. *Invent.* 24. 35. In ætate consideratur, puer, an adolescens; natu grandior, an senex. Adde *Plaut. Aulul.* 2. 1. 37.; et *Sueton. Aug.* 53. Sic *Ovid.* 6. *Met.* 321. grandior ævo genitor. et *Tac.* 16. *Ann.* 30. Grandis ævo parens.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Ter. Phorm.* 2. 3. 92. Dicam tibi impingam grandem. *Cic. Brut.* 84. 289. Subsellia grandiorem et pleniorem vocem desiderant. *più alta.* Adde *Quintil.* 11. 3. 15. Rursus *Cic.* 2. *leg. Agr.* 34. 93. Homo grandi macie torridus. *Al. leg.* vegrandi. *Id.* 1. *Invent.* 47. 88. Quo facilius res cognosceretur, perspicuo et grandi vitio præditum posuimus exemplum. *Id.* 1. *Divinat.* 20. 39. Exemplis uti grandioribus. *Id.* 3. *Fin.* 5. 19. Dicere de rebus grandioribus. *Horat.* 2. *Od.* 17. 3. Mæcenas, mearum Grande decus columenque rerum. *Id.* 2. *Sat.* 3. 145. lethargo grandi oppressus. *grave. Id. ibid.* 1. 49. Grande malum. *Id.* 3. *Od.* 20. 7. certamen. *Id.* 2. *Ep.* 2. 38. præmia meritorum. *Ovid.* 6. *Met.* 574. ingenium. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 24. 56. (206). Grande vitæ emolumentum. *Tac. Agric.* 2. Dedimus profecto grande patientiæ documentum. *Id. ibid.* 41. Festinatæ mortis grande solatium tulit. — Et absolute *grandia* n. plur. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 178. si metit Orcus Grandia cum parvis. *Id.* 1. *Od.* 6. 9. Conamur tenues grandia. Adde *eumd. Art. P.* 27. — Item neutrum *grande* interdum adverbii vim habet. *Stat.* 12. *Theb.* 683. sed bella ciet, bellumque minatur, Grande fremens. ¶ 2. Specialim de dicendi genere occurrit, et est sublimis. — *a*) De oratione ipsa. *Cic.* 3. *Orat.* 43. 169. Oratio grandis. De hac metaphora ita *Id. ibid.* Abutimur sæpe verbo non tam eleganter, quam in transferendo: sed etiam si licentius, tamen interdum non impudenter, ut quum grandem orationem pro magna, minutum animum pro parvo dicimus. Ceterum *Id.* 2. *ibid.* 82. 337. Genus dicendi grandius et illustrius. Sic *Quintil.* 12. 10. 58. Grande atque robustum genus dicendi. *cui ibid. opponitur* subtile. *Id.* 11. 3. 151. Grandes causæ. *Id.* 2. 10. 6. Grandia et tumida themata. *Id.* 2. 11. 3. Grandes sententiæ. Et absolute *Id.* 1. 10. 24. Grandia elate, jucunda dulciter, moderata leniter canit. — *b*) De oratoribus. *Cic. Brut.* 7. 29. Oratores grandes verbis, crebri sententiis. *Id. ibid.* 83. 287. Thucydides rerum gestarum pronunciator sincerus et grandis. *Id. Orat.* 9. 30. Causidicus amplius atque grandis. *Quintil.* 10. 2. 16. Fiunt pro grandibus tumidi. *Id.* 10. 1. 77. Plenior Æschines et magis fusus et grandiori similis, quo minus strictus est. — Hinc

Grandia, absolute, substantivorum more: *V.* sub II. 1. et 2.

Grandia, adverbii more: *V.* sub I. in fin.

Grande, adverbii more: *V.* sub II. 1.

GRANDISCĀPĬUS, a, um, adject. scapum grandem habens. *Seneca Ep.* 86. *extr.* Arbores, ut ita dicam, grandiscapiæ. *paullo ante dixerat:* Magnarum arborum truncos cum scapo suo transferri.

GRANDĬSŎNUS, a, um, adject. qui grandem sonum edit. *Sedul.* 1. 2. Figmenta grandisonis pompare modis.

GRANDĬTAS, ātis, f. 3. magnitudo, *grandezza*, μέγεθος.

I.) Proprie. *Sisenna* apud *Non.* p. 115. 13. *Merc.* Neque ætatis granditatem, neque ea merita sibi esse excusationi. *età avanzata*, πολυετία. *Capell.* 6. p. 194. Sequitur, ut quem mundi locum quamve granditatem sortita sit (*tellus*), approbemus. *Id. ibid.* p. 205. Padus Hadriaticum mare magna opimus granditate perfundit.

II.) Translate de stilo sublimi. *Cic. Brut.* 31. 121. Lectitavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur: idque apparet ex genere et granditate verborum. *Plin.* 6. *Ep.* 21. Non illi vis, non granditas, non subtilitas defuit.

GRANDĬTER, adverb. Comp. *Grandius.* — Granditer est valde, *grandemente*, μεγάλως. *Ovid. Heroid.* 15. 29. Nec plus Alcæus consors patriæque lyræque, Laudis habet, quamvis grandius ille sonet. *h. e.* sublimiore stilo versus faciat. *Sidon.* 7. *Ep.* 2. Pater istius granditer frugi. *Id. ibid. Ep.* 4. Illud mihi inter maxima granditer cordi est. *Augustin.* 1. *Confess.* 9. Granditer affectus.

GRANDĬUSCŬLUS, a, um, adject. *deminut.* a grandis, aliquantulum grandis, *grandetto, grandicello.* *Ter. Andr.* 4. 5. 19. Nam ferme grandiuscula profecta est illuc.

GRANDO, inis, f. 3. Masculino genere dixit *Varro* apud *Non.* p. 208. 11. *Merc.* Imber grandine implicatus albo. — Grando est pluvia in aere congelata; fortasse sic dicta a forma, ut docet *Isid.* 13. *Orig.* 10. Grando appellata, quod forma ejus granorum similitudinem habeat. *Paul. Diac.* p. 99. 5. *Müll.* Grando guttæ aquæ concretæ solito grandiores, χάλαζα (It. *gragnuola, tempesta, grandine*; Fr. *grêle*; Hisp. *granizo, piedra*; Germ. *d. Hagel, Hagelschauer, d. Schlossen*; Angl. *hail, a shower of hail*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Plaut. Most.* 1. 2. 58. Ea mihi tempestas fuit: ea mihi adventu suo grandinem imbremque attulit. Adde *eumd. Merc.* 5. 2. 19. *Lucret.* 6. 156. Denique, sæpe geli multus fragor atque ruina Grandinis in magnis sonitum dat nubibus alte. Adde *eumd. ibid.* v. 107. et 529., et 5. 1192 *Cic.* 3. *Nat. D.* 35. 86. Si uredo, aut grando quidpiam nocuit. *Virg.* 1. *G.* 449. in tectis crepitans salit horrida grando. *Horat.* 3. *Od.* 1. 29. verberatæ grandine vineæ. *Id.* 1. *Ep.* 8. 5. Grando vites contudit. *Liv.* 28. 37. *ad fin.* Tanta vis lapidum, crebeerimæ grandinis modo, in classem effusa est. *Ovid.* 6. *Met.* 692. terras pulsare grandine. *et* 5. *ibid.* 158. tela volant hiberna grandine plura. *Plin.* 4. *Ep.* 6. Agri grandine excussi. *Seneca Ep.* 45. *a med.* Grando incussa tectis crepitat ac solvitur. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 1. Contra grandinem multa dicuntur. — *b*) In plurali numero. *Cic.* 2. *Nat. D.* 5. 14. Terrere animos fulminibus, nimbis, nivibus, grandinibus, etc. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 38. 38. (103). Grandines ruunt. — *c*) Et de saxorum grandine. *Auct. B. Afr.* 47. Circiter vigilia secunda noctis nimbus cum saxea grandine subito est exorsus ingens.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim dicitur de maxima rei copia, præcipue in grandinis morem conjecta. *Sil. It.* 2. 58. densa resonant saxorum grandine turres. *Id.* 9. 578. Aspera saxorum grando. ¶ 2. Speciatim est copia verborum, facundia, eloquentia. *Auson. Epist.* 16. 13. Qui grandines Ulixei, Mellifluentem Nestora, Concinnatorem et Tullium superat.

GRĀNĔA, æ, f. 1. Proprie videtur Adjectivus fem. gen. a *granum*, absolute substantivorum more usurpatus pro *granea puls*. Hinc apud *Caton. R. R.* 86. granea triticea fit ex tritico contuso in mortario, et a cortice purgato, postea in aula cocto ex aqua, dein addito lacte paullatim, donec cremor crassus factus sit. Similiter *Hieronym.* 1. *in Paralipom.* 23. graneam esse ait cibum e primitiis spicarum, quarum grana torrebantur, et comedebantur. Hujus graneæ conficiendæ rationem, quam idem alicam adulterinam vocat, tradit *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (116)., ubi pro his verbis: *ex zea pulcrius, quam ex tritico, fit granum*, ut legit *Harduinus*; alii rectius habent *granatum*; *Sillig.* vero *granæum*.

GRĀNI, ōrum, m. plur. 2. *mustacchi*, ea pars barbæ, quæ infra nares est. *Isid.* 19. *Orig.* 23. Ut videmus cirros Germanorum, granos et cinnabar Gothorum, stigmata Britonum. *h. e.* pilos barbæ labri superioris ita discriminatos, ut, quum in fine convoluti sint, granorum formam exhibeant. V. *Ducangii Glossar. med.* et *inf. Lat.* in v. *Grani*: et infra v. GRANULATIM.

GRĀNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. ferens granum. *Ovid.* 7. *Met.* 638. *de formicis*. Graniferumque agmen subjectis spargere in arvis.

GRĀNŎMASTĬX, icis, f. 3. eadem ac mastiche. *Isid.* 17. *Orig.* 8. Mastix arboris lentisci gutta est. Hæc granomastix dicta est, quia in modum granorum est.

GRĀNŌSUS, a, um, adject. *granoso*, κοκκώδης, intus habens grana. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (177). Cui acini coccinei, granosi in folliculis. *Id. ibid.* 1. 10. (14). Granosus cortex.

GRĀNŬLĀTIM, adverb. in speciem granorum. *Commodian. Instr.* 60. Oculos fuligine relinitis, Levatis comulas granulatim. *h. e.* tollitis comas ita, ut sint veluti grana discriminatæ. *V.* GRANI.

GRĀNŬLUM, i, n. 2. *deminut.* a granum, parvum granum, *granello*. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 21. *ante med.* Da tu nunc in hoc eodem granulo (*tritici*) corporaliter mihi tumores germinum, herbarum virentia, calamos stipularum, spicarum hispida, levia palearum, pingula frugum: atque ex his indefessis multiplicandorum semina seminum, quæ omnia in illo sunt granulo, causalibus reposita secretis. *Plin. Valerian.* 1. 2. Da granulis ejus cochlear unum. *Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 505. *Burmann.* ciceris duo granula pensans.

GRĀNUM, i, n. 2. proprie semen frugum dicitur, ut tritici, hordei et hujusmodi. *Varro* deducit a *gerendo*, quia seritur, ut spica gerat frumentum; κόκκος (It. *grano, granello*; Fr. *petit grain, grain, graine*; Hisp. *grano*; Germ. *d. Körnchen, Korn, Kern*; Angl. *a grain of corn*). *Plaut. Stich.* 4. 1. 52. Granum tritici. Sic *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 78. Midæ illi Phrygio, quum puer esset, dormienti formicæ in os tritici grana congesserant. Adde *Colum.* 2. *R. R.* 9. 13. — *Granum* dicitur etiam acinus uvæ. *Val. Max.* 9. 12. *extern.* 8. Anacreontem unius grani pertinacior in aridis faucibus humor absumpsit. Hoc idem ita narrat *Plin.* 7. *Hist. nat.* 7. 5. (44). Anacreon poeta acino uvæ passæ strangulatus. Sic *Pallad.* 3. *R. R.* 29. 1. Grana interiora uvæ. *h. e.* vinacea. — *Granum* etiam generaliter dicitur pro omni eo, quod minutum est, et similitudinem aliquam habet cum grano frumenti. Unde et mali punici acinos *grana*, ipsumque malum *granatum* dicimus. Fructus quoque cocci, quo panni tinguntur, *granum* dicitur, Italice *grana*, quod quia copiosissime nascitur in Bætica provincia, factum est, ut ea regio ab eo *Granata* diceretur. Sane cocco abundare Hispanias, *Plin.* 9. *Hist. nat.* 41. 65. (141). et 16. *ibid.* 8. 12. (32). significat. *Ovid.* 4. *Trist.* 6. 10. Grana uvæ. *Cic. Senect.* 15. 52.; et *Plin.* 24. *Hist. nat.* 5. 10. (10). fici. *Plin.* 12. *ibid.* 7. 15. (30). et 23. *ibid.* 8. 78. (150). piperis. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 24. papaveris. *Plaut. Pœn.* a. 2. v. 3. turis. Sic *Ovid.* 4. *Fast.* 410. turea grana. *Plin.* 23. *Hist.* 8. 77. (149). salis. *Id.* 22. *ibid.* 24. 55. (116). Grana ceræ milii magnitudine. *Vitruv.* 7. 3. *med.*; et *Pallad.* 1. *R. R.* 15. Granum marmoreum. — Sic de margaritis ex auribus mulierum dependentibus. *Cyprian. de hab. virg.* a *med.* Ut de aurium cicatricibus et cavernis pretiosa grana dependeant.

GRĂPHEUS, i, m. 2. γραφεύς, qui in Augustorum domo ab epistolis Græcis erat, ut cl. *B. Borghesius* suspicatus est. *Inscript.* apud *Henzen.* 6517. et apud *Mommsen. Inscript. Neap.* 4618. *L. Gabinio* L. F. *tercosmiano* TRIB. LEG. VI.... FLAM. PONT. P. COL. *Macrini Her*MOGENIANI C. V. PROCONS*ulis* AFRIC. CONSOCERO PAT... *Gabini ten.* ASPRI PON. AVGVR. *a patrimonio* AVGG. NN. ET GRAPHEUM *imp. Antonini* PATRONO COL. etc. Cl. *Borghesius* Hermogenianum filium esse censet Macrinii Vindicis pr. pr. M. Aurelii Augusti; unde imperatores Severum et Caracallam esse apparet.

GRĂPHIĀRĬUM, ii. *V.* voc. seq.

GRĂPHIĀRĬUS, a, um, adject. ad stilum scriptorium pertinens. *Sueton. Claud.* 35. Graphiaria theca. — Hinc

Graphiarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est theca, in qua stili scriptorii reponebantur: a γραφεῖον stilus. *Martial.* 14. 21. Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro. *h. e.* stilis ferreis.

GRĂPHĬCĒ, adverb. *pulitamente, perfettamente, in pittura*, γραφικῶς. translate significat polite, eleganter, expresse, ad amussim, venuste, perfecte, tamquam si res picta sit. *Plaut. Pers.* 2. 5. 5. Nunc ego hunc graphice facetus fiam. *Id. ibid.* 4. 2. 3. Hanc hospitam crepidula graphice decet. *Id. Trin.* 3. 3. 38. Is homo exornetur graphice in peregrinum modum. *Gell.* 14. 4. *in lemmate.* Apte et graphice depingere. *Apul.* 8. *Met.* Oculis obunctis graphice. *Id.* 10. *ibid.* Ut laciniis adhærens pressule membrorum voluptatem graphice linearet.

GRĂPHĬCĒ, es, f. 1. *subaudi* ars, ἡ γραφική, est ars delineandi ac deformandi ad picturam, *arte di disegnare*. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (77). *V.* DIAGRAPHICE.

GRĂPHĬCUS, a, um, adject. proprie est pictus, a pictore delineatus ac deformatus: quo sensu occurrit tantum in voce præcedenti. — Ceterum translate ¶ 1. Est elegans, perfectus, absolutus, ad unguem factus, *perfetto, dipinto*, γραφικός, a γράφω, qua pingere notat, quasi pictoris manu expolitus, quia picta sunt elegantiora nativis. *Vitruv.* 4. 4. Eminentes expressiones graphicoteram efficient in aspectu delectationem. γραφικωτέραν, comparativus Græca forma. ¶ 2. De homine dictum significat scitum, peritum, callidum, aptum. *Plaut. Stich.* 4. 1. 64. Graphicum mortalem Antiphonem! ut apologum fecit! quam fabre! *Id. Trin.* 4. 2. 91. Graphicus nugator. *Id. ibid.* 4. 3. 17. fur. *Id. Epid.* 3. 3. 29. servus. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

GRĂPHĬŎLUM, i, n. 2. *deminut.* a graphium, parvum graphium, *piccolo stilo*. Occurrit translate tantum, et *graphiolum* appellatur surculus alicujus arboris, qui in talea inseritur; ita porro nominatur, quia ejus forma similis est graphio scriptorio: Galli nunc *greffe* vocant. Itaque Pictavii in Gallia episcopus *Venant.* 5. *carm.* 15. in *lemmate.* Pro pomis et graphiolis. Sic enim *Id. ibid.* 3. Qui mihi transmittis propria cum prole parentes, Insita cum fructu surcula, poma simul. *V.* SURCULUS.

GRĂPHIS, idis *vel* idos, f. 3. γραφίς.

I.) Proprie est instrumentum, quo deformamus. *Seren.* apud *Diomed.* 3. p. 516. *Putsch.* Pingere collibitum est: graphidem date.

II.) Improprie. ¶ 1. Est ars ipsa lineis deformandi, *arte del disegno*. *Vitruv.* 1. 1. Architectum oportet graphidos scientiam habere, quo facilius exemplaribus pictis, quam velit, operis speciem deformare valeat. ¶ 2. Item delineatio, deformatio, quæ linearum ductibus fit, *disegno, abbozzamento*. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (68). Alia multa graphidis vestigia exstant in tabulis ac membranis ejus, ex quibus proficere dicuntur artifices.

GRĂPHĬUM, ii, n. 2. *stilo*, γραφεῖον et γραφίον, stilus ferreus, quo veteres in ceratis tabulis solebant scribere: a γράφω. *V.* STILUS. *Isid.* 6. *Orig.* 9. Græci et Tusci primum ferro in ceris scripserunt, postea Romani jusserunt, ne graphium ferreum quis haberet. Unde et apud scribas dicebatur: *ceram ferro ne cædito.* Postea institutum, ut ceram ossibus scriberent, sicut indicat Atta in Satyra dicens: Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus Osseo. *Ovid.* 1. *Amor.* 11. 23. Quid digitos opus est graphio lassare tenendo? *Sueton. Cæs.* 82. Casii brachium graphio trajecit. *Seneca* 1. *Clem.* 14. Erixonem equitem Romanum memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit. *Sueton. Cal.* 28. Graphiis confossus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 73. (184). ictus graphii.

GRASSĀRĬUS, ii, m. 2. idem ac grassator. *Paul. Diac.* p. 97. 10. *Müll.* Grassarii autem dicuntur latrones vias obsidentes. *Alii melius leg.* grassari.

GRASSĀTĬO, ōnis, f. 3. *l'andar alla strada*, λωποδυσία, actus grassandi. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 44. (126). Nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum ture ceraque.

GRASSĀTOR, oris, m. 3. qui grassatur.

I.) Proprie. ¶ 1. Olim, quum poeticæ artis honos non erat, si qui in ea re studebat, aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur, inquit *Cato* apud *Gell.* 11. 2., idque ob eam rationem, quia antiqui, *Paul. Diac.* p. 97. 10. *Müll.* teste, *grassari* ponebant pro adulari, quod parasiti atque adulatores in foro deambulantes, in obvium quemque grassabantur, cibi quærendi gratia: faciebantque idem fa-

ctores carminum huc illuc viscatis conviviis et laudes versibus pro cibo et lucello donantes. ¶ 2. In posterum tamen grassator dictus est, qui vias vicosque obsidens, obvios quosque vi aggreditur, et vestibus aut pecunia spoliat, *chi va alla strada, malandrino, assassino*, λωποδύτης. *Cic. Fat.* 15. 34. Hoc enim modo viator quoque bene vestitus. causa grassatori fuisse dicetur, cur ab eo spoliaretur. *Sueton. Aug.* 32. Grassatorum plurimi palam se ferebant succincti ferro, etc. Igitur grassatores, dispositis per opportuna loca stationibus, inhibuit. *Id. Cæs.* 72. Grassatores et sicarii. *Gell.* 20. 1. Nocturni grassatoris insidiosa violentia. *Quintil.* 12. 1. 38. Si ab homine occidendo grassator avertendus est.

II.) Translate. *Symmach.* 2. *Laud.* in *Valentinian.* (edente *A. Maio*) 6. *de Minotauro.* Dædalus grassatorem Cecropiæ nobili caveæ inclusit.

GRASSĀTŪRA, æ, f. 1. idem ac grassatio, *assassinamento. Sueton. Tib.* 37. In primis tuendæ pacis a grassaturis et latrociniis seditionumque licentia curam habuit. *Claud. Saturnin. Dig.* 48. 19. 16. § 6. Rixæ discerni solent a grassaturis.

GRASSĬTŪDO, inis, f. 3. et

GRASSO, as, are, a. 1. pro *crassitudo* et *crasso*, as etc. dicta sunt, inter c enim et g litteras maxima interest cognatio: *V.* GAMELUS. *Gloss. Cyrill.* Πάχος, grassitudo. *Ibid.* Παχύνω, grasso. Similiter *Gloss. Philox.* Grassum, λιπαρόν. Grassus, παχὺς καὶ λιπαρός. *Gloss. Cyrill.* Παχεῖα, grassa. Sic *grassum* pro *crassum* in fragmentis quoque Italiæ veteris se vidisse testatur *A. Maius Glossar. Novum Latin. p.* 26. Cf. et GROSSUS.

GRASSOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *Grassarier* pro *grassari*, paragoge. *Prudent. Hamartig.* 631.— Part. *Grassans* I. 1., 2. et 3. et II. 2.; *Grassatus* II. 1. et 2. — *Grassari*, quod est intensivum a *gradior*, est pleno gradu incedere, cum impetu ire, vel etiam simpliciter gradi, procedere (It. *camminar forte, andare*; Fr. *marcher, aller çà et là, trôler*; Hisp. *andar, marchar, caminar*; Germ. *gehen, herumgehen*; Angl. *to go on, advance, proceed*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim pro gradi, procedere. — *a*) De hominibus. *Plaut. Rud.* 1. 4. 31. Siccine hic cum uvida veste grassabimur? *Id. Bacch.* 5. 2. 19. Non vides, ut palantes solæ libere grassentur? *Id. Pœn.* 3. 1. 11. Nisi cum pedicis condidicistis sic hoc grassari gradu. *Titinius* apud *Non. p.* 316. 3. *Merc.* Sine eam pedibus grassari. Adde *Novium* apud *eumd. ibid. Ovid.* 2. *Trist.* 477. Discolor ut recto grassetur limite miles. Cf. *Sall.* apud *Macrob. de diff. de Gr. Latin. Verbi p.* 2675. *Putsch.* Quum inferior omni via grassaretur. — *b*) De rebus. *Plin.* 11. *Hist. Nat.* 24. 28. (81). Quanta arte araneus celat pedicas scutulato rete grassantes. *Justin.* 23. 2. 4. Per omnes nervos articulosque humore pestifero grassante. *h. e.* discurrente et cruciante. ¶ 2. Specialim est ambire, circumire aliquem ad ejus favorem captandum, atque adeo adulari, ut docet *Paul. Diac. p.* 97. 10. *Müll.* Grassari antiqui ponebant pro adulari. *Liv.* 3. 13. Se in juventutem grassantem in Subura incidisse. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 93. Obsequio grassare: mone, si increbuit aura etc. *V.* GRASSATOR I. 1. ¶ 3. Item specialim dicitur de latronibus, qui vias obsident, et viatores aggrediuntur et spoliant, *rubar alla strada, far l'assassino*; nam *gradi*, inquit *Paul. Diac. p.* 97. 10. *Müll.*, est ambulare, unde tractum *grassari*, videlicet ab impetu gradiendi. *Petron. Satyr.* 117. Quidquid Lycurgi villa grassantibus præbuisset. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 17. (45). Silurus grassatur, ubicumque est, omne animal appetens. — Huc pertinet et *Statii* locus singularis, ubi cum Accusativo usurpatur, 8. *Theb.* 570. Ac primum faciles grassatus cuspide turmas, Arma refert socias. *h. e.* quum aggressus esset ac sævisset cædendo.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphorā sumptā a superiori paragr. 1., est agere, se habere aliqua ratione. *condursi, procedere, agire. Novius* apud *Non. p.* 316. 7. *Merc.* Nunc res me ipsa reprimit: sæpe hac eadem sum grassatus vie. *Afranius* apud *eumd. ibid.* Consimili grassatur vie, quibus hic est omnis cultus. *Sall. Jug.* 1. Ubi animus ad gloriam virtutis via grassatur. *va, corre.* Cf. *Sil. It.* 1. 570. grassandum ad clara periclis. *h. e.* adeundo pericula ad gloriam eundum. *Liv.* 3. 44. Jure grassari, non vi. *procedere, agire per via di giustizia. Id.* 10. 14. Consilio grassandum, si nihil vires juvarent, ratus. *doversi procedere con istratagema.* Cf. *Sall. Jug.* 68. Cupidine atque ira, pessumis consultoribus grassari. Rursus *Liv.* 45. 23. Etiam apud vos fuisse audivi, qui assentando multitudini grassaretur. *Ovid.* 3. *Art. am.* 441. Sunt, qui mendaci specie grassentur amoris. *si fanno innanzi, s'introducono. Sueton. Vesp.* 6. Per occasionem ac licentiam omni rapinarum genere grassari. *Id. Galb.* 14. Diverso vitiorum genere grassari. *Id. Aug.* 67. Superbe avareque in provincia grassatos. *Tac.* 1. *Ann.* 37. Avaritia atque licentia grassatos est. *Id.* 4. *Hist.* 56. Mutua dissimulatione et iisdem, quibus petebatur, artibus grassator. *Id. ibid.* 16. Grassari dolo. *Id.* 3. *ibid.* 39. veneno. ¶ 2. Specialim est inimico animo et modo adversus aliquem agere; et occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ aut rei et præpos. *in* vel *adversus. Liv.* 2. 12. *extr.* Trecenti conjuravimus, ut in te hac vie grassaremur. *Sueton. Ner.* 36. Nec minore sævitia foris et in externos grassatus est. *Justin.* 16. 4. 12. Adesse populo grassanti in senatum. *Id.* 2. 12. 11. Quoniam ferro in homines non poterat, in ædificia igne grassatur. *Liv.* 6. 5. Nobiles homines in possessionem agri publici grassari. *Sueton. Cal.* 34. Nec minore livore ac malignitate, quam superbia sævitiaque pæne adversus omnis ævi hominum genus grassatus est. *Justin.* 1. 9. 6. Qui cum contemptu religionis grassatus etiam adversus deos fuerat. — *b*) Cum præpos. *in* vel sine præpos. et Ablativo personæ, in quam quis grassatur, aut Ablativo loci sel termini, in quo grassatur. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 3. (4). Hæc vitia in pueris grassari, illa in adultis. *Justin.* 38. 6. 1. Neque in se uno, sed in aliis quoque omnibus hac semper arte grassatos. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 67. (107). Nunc peractis malis, quæ membratim sentiuntur, dicemus de his, quæ totis corporibus grassantur. *Prudent. Psychom.* 468. rabidorum more luporum Crimina persultant toto grassantia campo. — *c*) Cum Accusativo rei. *Aurel. Vict. Cæsar.* 33. Simulque Romam pestilentia grassabatur. — *d*) Absolute. *Sueton. Cal.* 56. Ita bacchantem atque grassantem adortivi. *Tac.* 4. *Ann.* 47. Si dum eminus grassabantur, crebra et inulta vulnera ferare. *Id.* 13. *ibid.* 25. Ubi Cæsarem esse qui grassaretur, pernotuit. *Id.* 4. *ibid.* 66. Accusatorum major in dies et infestior vis sine levamento grassabatur. *Id.* 13. *ibid.* 4. Grassabatur potentia paucorum.

GRASSUS. *V.* GRASSITUDO.

GRĀTĀBUNDUS, a, um, adject. gratulabundus. *Tac.* 1. *Hist.* 18. Et proximi militum gratabundi respondent. Ita lexicographi plerique. At pleræque *Taciti* edit. atque optimæ habent *grata auditu*.

GRĀTANTER. adverb. lubenter, gratulando. *Capitolin. Macrin.* 7. Senatus gratanter accepit. *Id. Maxim.* 11. Misit litteras, quæ gratanter acceptæ sunt. Adde *Ammian.* 17. 12.; *Aurel. Vict. Epit.* in *Nerva* 12.; et *Inscript.* apud *Orell.* 2588.

GRĀTĀTŌRĬUS, a, um, adject. gratulatorius. *Sidon.* 5. *Ep.* 16. Ampliatos prosapiæ tuæ titulos ego festinus gratatoriis apicibus inscripsi.

GRĀTĒ, adverb. Comp. *Gratius* 1.; Sup. *Gratissime* 1. et 2. — Grate ¶ 1. Est jucunde, cum delectatione, ἀρεσκόντως (It. *gratamente, con piacere*; Fr. *agréablement, avec plaisir, volontiers*; Hisp. *agradablemente, con placer, con gusto*; Germ. *auf angenehme, willkommene Weise, mit Vergnügen, gern*; Angl. *gratefully, with pleasure*). *Cic.* 1. *Fin.* 19. 62. His rebus instructus semper est in voluptate —, nam et præterita grate meminit, et præsentibus ita potitur, ut animadvertat, quanta sint ea, quamque jucunda. *Varro* 7. *L. L.* 4. *Müll.* Tamen hic docet plura, et satis facit grate. *Müllerus* leg. *grato. Justin.* 12. 11. 2. Munificentia gratius excepta. *Macrob.* 7. *Saturn.* 2. Pericula præterita, vel ærumnas penitus absolutas qui evasit, ut referat, gratissime provocatur. *Ulp. Dig.* 26. 10. 3. Liberti pupillorum grate faciunt, si tutores male gerentes rem patronorum suspectos fecerint. ¶ 2. Item grato et lubenti animo, *con animo grato, per gratitudine. Cic.* 2. *Orat.* 11. 46. Quid pie, quid grate, quid humaniter, aut fecerit, aut tulerit. *Id. Planc.* 41. 98. Confiteare aliquando me, quod faciam, et grate et pie facere. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 210. Natales grate numeras. *Seneca* 2. *Benef.* 31. Beneficium qui dat, vult excipi grate. *Sueton. Aug.* 66. Si grate pieque quis se prosecutus fuisset. *Id. Ner.* 22. Coronas grate recipiebat. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (214). Id munus inter censoria opera gratissime acceptum est.

GRĀTES, f. plur. 3. In aliis casibus præter rectum et quartum pluralem, reperiri est usus. *Tac.* 12. *Ann.* 37. Agrippinam quoque iisdem, quibus principem, laudibus gratibusque venerati sunt. — Grates sunt gratiæ, quæ publice ac solemniter diis pro accepto beneficio aguntur, *grazie*, χαριστήρια: et — *a*) De more cum verbis *agere* et *habere*. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 2. Inde ignem in aram, ut Ephesiæ Dianæ lætæ laudes gratesque agam. *Id. Pers.* 5. 1. 1. Quom bene nos, Juppiter, juvisti dique alii omnes cælipotentes, ea vobis grates habeo atque ago. *Id. Trin.* 4. 1. 2. Salsipotenti Jovis fratri lætus, lubens laudes ago et grates gratiasque habeo et fluctibus salsis. *Cic.* 6. *de republ.* 9. Grates tibi ago, summe Sol, vobisque, reliqui cælites. *ti ringrazio. Liv.* 5. 23. Plena omnia templa Romanarum matrum grates dis agentium erant. *Id.* 7. 36. Dis laudes gratesque agunt. *Id.* 23. 11. Pro tantis his totque victoriis verum esse, grates deis immortalibus agi haberique. (cf. *eumd.* 26. 48.) *Id.* 30. 17. Circueundi salutandique deos, agendique grates per totum diem populo potestas fieret (cf. *eumd. ibid.* 21.). *Tac.* 1. *Ann.* 69. Stetisse apud principium pontis laudes et grates reversis legionibus habentem. *lodando e ringraziando. Id.* 6. *ibid.* 2. Tiberius egit grates benevolentiæ patrum. *Curt.* 3. 16. 17. Pro se quisque dextram ejus amplexi grates habebant velut præsenti deo. *Id.* 9. 25. 17. Vobis quidem grates ago habeoque. *vi ringrazio e vi sono obbligato.* — *b*) Jungitur etiam cum verbis *debere, persolvere, referre, rependere* etc. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 6. Quibus pro bene factis fateor deberi tibi et libertatem et multas grates gratias. *Virg.* 1. *Æn.* 600. grates persolvere dignas Non opis est nostræ. *rimeritare, dare un degno guiderdone. Id.* 11. *ibid.* 508. quas dicere grates Quasque referre parem. *fare ringraziamenti e rimeritare. Stat.* 3. *Silv.* 3. 155. Quas tibi, summe ducum, grates, aut quæ pie vota rependant. *rendere ringraziamenti.* — *c*) Ironice *Virg.* 2. *Æn.* 535. At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis Dii, siqua est cælo pietas, quæ talia curet, Persolvant grates dignas, et præmia reddant Debita.

GRĀTĬA, æ, f. 1. generatim est, quæ gratos et amabiles facit, vel potius est favor: sed quoniam quis et aliorum favore gaudere ac frui, et ipse alios favore prosequi potest; ita gratia duo præcipue significat, scilicet

A) Est favor, amor, benevolentia, quam quis apud alios inlit quàque valet, χάρις (It. *grazia, favore, amicizia, benevolenza che si gode presso gli altri*; Fr. *grâce, amour, bienveillance, amitié, bonnes grâces*; Hisp. *gracia, favor, benevolencia, amistad*; Germ. *d. Gunst, die ein Gegenstand findet oder besitzt, bei Jemandem geniesst, d. Beliebtheit, Liebe, Freundschaft, Huld, Wohlwollen*; Angl. *grace, favour, benevolence, good-will*). ¶ 1. Stricto sensu de hominibus vel subjective, uti ajunt, dicitur, et occurrit sæpissime in singulari numero. — *a*) Universim. *Cic. Planc.* 13. 32. Summum in præfectura gradum tenuerint et dignitatis et gratiæ. *Id. Rosc. Am.* 6. 15. Gratia atque hospitiis hominum nobilissimorum florebat. *Id.* 1. *Nat. D.* 44. 124. Deinde, si maxime talis est Deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur. *Forcellinus* hoc loco *gratiam* active accepit pro benevolentia, qua quis diligit; quemadmodum etiam apud *Tac.* 4. *Ann.* 18. *extr.* Pro gratia odium reddere. Rursus *Cic. pro leg. Manil.* 24. 70. Neque quo Cn. Pompeji gratiam mihi per hanc causam conciliari putem. *Sall. Jug.* 4. Salutare plebem, et conviviis gratiam quærere. *Cæs.* 4. *B. G.* 7. Si suam gratiam Romani vellent, posse eis utiles esse amicos. *Verr. Flacc.* in *Fast.* a *Ogginio* editis ad *Kal. Prænestin.* mensis Aprilis hæc habet: FREQVENTER MVLIERES SVPPLICANT FORTVNAE VIRILI, HVMILIORES ETIAM *Veneri* IN BALINEIS, QVOD IN IIS EA PARTE CORPORIS VTIQVE VIRI NVDANTVR, QVA FEMINARVM GRATIA DESIDERATVR. — *b*) *Gratiam alicujus sequi* est alicujus amicitiam ambitiosius captare, vel ambire. *Cæs.* 1. *B. C.* 1. Sin Cæsarem respiciant, atque ejus gratiam sequantur. — *c*) Interdum *gratia* sumi videtur pro auctoritate et potentia, quæ favore et plausu acquisita sit. *Cic.* 13. *Fam.* 29. *a med.* Omnia quæ potui in hac summa

tua gratia ac potentia a te impetrare. *Cæs.* 2. *B. G.* 6. Iccius Remus, summa nobilitate et gratia inter suos. *Id.* 1. *ibid.* 43. Ut socios atque amicos gratia, dignitate, honore auctiores vellt esse. *Id. ibid.* 9. et 20. Gratiâ plurimum posse. *Id.* 2. *B. C.* 44. Gratiâ valere. *Sueton. Aug.* 35. Senatores per gratiam et præmium allecti. *Gell.* 5. 6. *post med.* Senatus consultum faciundum per gratiam curavit. *a forza di broglio.* — d) Sæpe pro mutua amicitia, benevolentia, concordia. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 14. Nam mihi cum hominibus his et gratia et necessitudo est. — Hæc dicitur etiam *bona gratia*; contra *mala gratia* ponitur pro offensione, acerbitate. *Ter. Phorm.* 4. 3. 17. Si hæc potius cum bona ut componantur gratia, quam cum mala. Sic *Ulp. Dig.* 24. 1. 32. § 10. Plerique in divortio cum bona gratia discedunt, plerique cum ira sui animi et offensa. — Hinc facere alicui malam gratiam cum aliquo, *metterlo in disgrazia. Seneca* 1. *Controv.* 5. *sub fin.* Volo tibi malam gratiam cum sponso tuo facere: habet amicam. — e) *Esse in gratia*, gratum, amicum esse, *essere in grazia. Cic.* 2. *Verr.* 17. 51. Ut senatus cum populo Romano et in laude et in gratia esse possit. Sic *Id.* 1. *Fam.* 9. Quum mihi cum illo magna jam gratia esset. — f) *Ponere aliquem in gratia* est amicum facere, conciliare, *mettere in grazia. Cic.* 6. *Att.* 6. *in fin.* At te apud eum, dii boni! quanta in gratia posui. *Id.* 5. *ibid.* 11. 6. Apud Patronem te in maxima gratia posui: et hercule merito tuo feci. — Eodem sensu dicimus etiam *ponere in gratiam*, si modo certa est lectio apud *Cic.* 5. *Att.* 3. et *Cœl.* ad *Cic.* 8. *Fam.* 6. *sub fin.* — g) *Gratiam inire* est amicitiam alicujus sibi conciliare, *mettersi in grazia d' alcuno. Cic.* 1. *Att.* 14. Crassum inire eam gratiam, quam ipse prætermisisset. *Id.* 4. *Verr.* 46. 113. Ut idem Pompejus non ab homine solum, sed etiam a provincia tota se hujus absolutione inire gratiam arbitraretur. *Id.* 7. *Att.* 9. Jam cum bonis omnibus summam ineat gratiam. *Al. plerique leg.* jam jam a bonis omnibus. *Id.* 4. *Fin.* 12. 31. Cruciatu dolorum si quis quem levet, magnam ineat gratiam. *Liv.* 33. 46. Quantam eo facto ad plebem inierat gratiam. *Id.* 36. 5. Apud regem gratiam initam volebant. — h) *Redire in gratiam* est reconciliari. *Cic.* 1. *Att.* 14. *extr.* Cum Lucceio in gratiam redi. — i) *Restituere* vel *reducere aliquem in gratiam* est reconciliare. *Cic. Prov. cons.* 9. 23. Hic me meus in rempublicam animus cum Cæsare reducit, reconciliat, restituit in gratiam. *Id.* 1. *Att.* 3. Sallustium præsentem restituere in ejus veterem gratiam non potui. *Id. Rabir. Post.* 8. 19. Quocum stante me Cn. Pompeji auctoritas in gratiam non reduxisset, nunc jam ipsius fortuna reduceret. — *Reconciliare gratiam* eodem sensu dixit *Curt.* 10. 26. 12. Reconciliandam cum Perdicca gratiam esse censebant. *Justin.* 31. 4. 9. Antiochum tam assiduo colloquio reconciliatam ejus cum Romanis gratiam existimans etc. Cf. *eumd.* 7. 5. 2. Per eumdem obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat. — l) *Recipere in gratiam* eum dicimus, qui vult nobis reconciliari, quum aliquando inimicus fuerit. *Cic. Rabir. post.* 8. 19. Quem ex tantis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defenderim. — m) *Habere in gratia*, amare, amici loco habere, *avere in grazia. Sueton. Domit.* 11. Consularem virum condemnaturus, in eadem, vel etiam in majore gratia habuit, quoad etc. — n) *Cum gratia* adverbii more est per indulgentiam. *Ter. Andr.* 2. 5. 11. Quum istuc, quod postulo, impetro cum gratia. — o) In plurali numero. *Cic. Mur.* 20. 43. 1. Murenæ provincia multas bonas gratias cum optima existimatione attulit. *molte dimostrazioni di favore. Id.* 2. *leg. Agr.* 3. 7. Non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi Romani judicio consulem factum. *Tac.* 12. *Ann.* 15. Externas gratias quæsivere. *h. e.* amicitias. ¶ 2. Latiori sensu de rebus, vel objective, uti ajunt, *gratia* usurpatur, et est Gr. χάρις, venus, venustas, pretium, quo quippiam commendatur, gratum est et jucundum. — a) De corporis venustate. *Ovid.* 7. *Met.* 44. Non ea nobilitas animi est, ea gratia formæ. Sic *Sueton. Tit.* 3. Gratia formæ. *Id. Vitell.* 3. et *Vit. Ter.* Gratia corporis. Cf. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 79. (260). Lepore sumpto, gratiam corpori fieri in novem dies. *Tac. Agric.* 44. Gratia oris superat. *Quintil.* 6. *proœm.* 7. Gratia in vultu, jucunditas in sermone. Cf. *Id.* 6. 3. 26. In vultu gestuque est summa gratia. — b) De oratione. *Propert.* 1. 2. 29. Unica nec desit jucundis gratia verbis. *Ovid.* 13. *Met.* 127. neque abest facundis gratia dictis. *Quintil.* 10. 1. 96. Plenus est Horatius jucunditatis et gratiæ. *Id.* 10. 1. 65. Sincera illa sermonis Attici gratia. *Id.* 9. 3. 74. Gratia dicendi. — c) De abstractis. *Quintil.* 9. 3. 58. Gratia brevitatis novitatisque. *Id.* 9. 4. 43. Virtutes etiam ipsæ tædium pariunt, nisi gratia varietatis adjutæ. *Id.* 1. *proœm.* 4. Nullam ingenii sperantes gratiam. *Id.* 6. 1. 40. et 11. 1. 91. Perdere gratiam alicujus rei. *guastare.* — d) De inanimis. *Cels.* 4. 24. *a med.* Et lapidi Asio gratia est ad juvandum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (16). Uvis et vinis gratiam affert fumus fabrilis. *sapore. Id.* 17. *ibid.* 9. 6. (53). Fætore aspectuque, temporis viribus in quamdam etiam gratiam mutato. — Hinc *Gratiæ, arum*, f. plur. Χάριτες, deæ pulcritudinis, de quibus *V.* in ONOM.

B) Gratia ponitur etiam pro favore, quo quis alios prosequitur, vel quem in alios ostendit: hinc ¶ 1. Generatim *gratia* beneficium significat, quod alteri confertur, ex quo gratia nascitur, vel potius quo gratia ostenditur, *grazia, servigio, beneficio.* — a) Universim. *Plaut. Stich.* 1. 2. 23. Gratiam a patre si petimus, spero ab eo impetrassere. *Id. Capt.* 3. 5. 63. Ergo ab eo petito gratiam istam. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 30. Sine labore hanc gratiam te ut sibi des pro illa, nunc rogat. *Cic.* 5. *Verr.* 82. 189. Petivit in beneficii loco et gratiæ, ut sibi pro frumento quanti frumentum esset dare liceret. *Id. ibid.* 48. 115. Ex hisce ternis medimnis, quod beneficii gratiæque causa concessit etc. *Id.* 2. *Fam.* 6. Nullam esse gratiam, quam non vel capere animus meus in accipiendo, vel in remunerando cumulare atque illustrare posset. *Sall. Jug.* 119. Quod pollicentur, populum Romanum, quoniam armis amplius valuisset, non in gratia habiturum. *non lo terrebbe per servigio.* — b) Speciatim *facere gratiam* est remittere, condonare. *Plaut. Rud.* 5. 3. 58. Jurisjurandi volo gratiam facias. *voglio che tu mi dispensi dal giuramento. Sall. Jug.* 104. Ceterum Boccho, quoniam pœnitet, delicti gratiam facit. *Id. Cat.* 52. Qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem. *Id. fragm. Hist.* 3. 34. *edente Gerlach.* Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat. *Liv.* 3. 56. Omnium tibi, quæ impie nefarieque per biennium es ausus, gratiam facio. *ti rimetto, ti perdono. Sueton. Aug.* 17. Bononiensibus gratiam fecit conjurandi cum tota Italia pro partibus suis. *li disobbligò da* etc. *Id. Domit.* 14. Edicti de excidendis vineis propositi gratiam fecit. — *Facere gratiam* est etiam facere potestatem apud *Sueton. Aug.* 38. Equitibus reddendi equi gratiam fecit. — Hinc gratia pro indulgentia, venia. *Gell.* 11. 8. Ideoque veniam gratiamque malæ existimationis, si quid esset erratum, postulavit. — c) *In gratiam mei, tui*, est mea, tua causa, ut mihi, aut tibi quis gratificetur, *in grazia. Liv.* 28. 21. Alii ipsi professi, se pugnaturos in gratiam ducis. Adde *eumd.* 28. 39. *Vellej.* 2. 41. 2. Quum M. Piso Anniam in Sullæ dimisisset gratiam. *Sueton. Tib.* 49. Constat condemnatam Lepidam in gratiam Quirini consularis. Adde *Justin.* 11. 15. 1. — Et de rebus. *Liv.* 8. 22. Data visceratio in præteritam judicii gratiam. — Eodem sensu *per gratiam* dixit *Veget.* 1. *Milit.* 7. Per gratiam aut dissimulationem probantium tales sociantur armis, quales domini habere fastidiunt. *h. e. per favore o per connivenza dei commissarii.* ¶ 2. Speciatim significat beneficium, quod redditur, vel memoriam accepti beneficii, animum gratum et voluntatem remunerandi: ut docet *Cic.* 2. *Invent.* 53. 161. Gratia est, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria et remunerandi voluntas continetur. Adde *eumd. ibid.* 22. 66. *Id.* 3. *Fin.* 21. 70. Quanta diis gratia debeatur. *Id. Planc.* 33. 80. Qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam diis immortalibus gratiam justis honoribus et memori mente persolvunt? *Forcellinus* addit illud *Ter. Andr.* 2. 1. 31. Postulare, id gratiæ apponi sibi. *s'ascriva a merito.* — a) Ceterum sæpissime hoc sensu occurrit *agere gratias* et est verbis ostendere, nobis aliquid fuisse gratum, vel beneficium verbis exornare, *rendere grazie. Habere gratiam* vel *gratias* pertinet ad animum, et significat memorem accepti beneficii animum habere et remunerandi voluntatem, *dichiararsi obbligato.* Denique *referre gratiam* vel *gratias* est facto aliquo beneficium remunerari, *ricompensare, rimeritare, rendere la pariglia. Plaut. Amph.* 1. 1. 26. Mihi in mentem fuit, dis advenientem gratias pro meritis agere atque alloqui. Nec illi edepol, si merito meo referre studeant gratias, aliquem hominem allegent etc. *Cic.* 10. *Fam.* 11. Immortales ago tibi gratias agamque dum vivam: nam relaturum me affirmare non possum. Tantis enim tuis officiis non videor me respondere posse: nisi forte sensurus es, ut me referre gratiam putes, quum memoria tenebo. Cf. *Liv.* 37. 37. Renunciate, gratias regi me agere: referre gratiam aliam nunc non posse, quam ut suadeam etc. Rursus *Cic.* 5. *Fam.* 11. Nec enim tu mihi habuisti modo gratiam, verum etiam cumulatissime retulisti. *Id.* 3. *Phil.* 18. 25. Meritoque vestro maximas vobis gratias omnes et agere et habere debemus. *Id.* 2. *Off.* 20. 69. Nimirum inops ille, si bonus est vir, etiam si referre gratiam non potest, habere potest. Commode autem, quicumque dixit, pecuniam qui habeat, non reddidisse; qui reddiderit, non habere: gratiam autem et qui retulerit, habere; et qui habeat, retulisse. *V.* similem locum *post redit. ad Quirit. sub fin.* et *Planc.* 28. 68. *Id.* 13. *Fam.* 42. 1. Lucceius meus, homo omnium gratissimus, mirificas tibi apud me gratias egit, quum diceret etc. *Id.* 1. *ibid.* 10. Lentulo nostro egi per litteras tuo nomine gratias diligenter. Adde *eumd.* 1. *Phil.* 1. 3. et 2. *Legg.* 3. 6. Singulare est illud *Curt.* 3. 19. 7. Illum quidem benevolentiæ illorum gratias agere. *Ter. Andr.* 1. 1. 31. Diis pol habeo gratias. *Id. Eun.* 5. 9. 61. Bene fecisti: gratiam habeo maximam. *Cic.* 13. *Fam.* 4. Magno meo beneficio affecti cumulatissime mihi gratias retulerunt. *Id.* 3. *Phil.* 15. 39. Ut pro tantis eorum in rempublicam meritis honores eis habeantur gratiæque referantur. *Seneca Herc. fur.* 1337. Gratiam meritis refer vicemque nostris. — *Repetere gratiam* est postulare, ut pro accepto beneficio aliud reponatur. *Liv.* 1. 47. Tarquinius prensare patres, admonere paterni beneficii ac pro eo gratiam repetere. — b) *Referre gratiam* aliquando per ironiam in malam partem sumitur, h. e. pro injuria injuriam rependere, ulcisci. *Ter. Eun.* 2. 3. 93. Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur. *Cic. Amic.* 15. 53. Tarquinium dixisse ferunt tum exsulantem, se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, quum jam neutris gratiam referre posset. Adde *eumd. Sull.* 16. 47. et 2. *Att.* 9. — c) Translate. *Colum.* 2. *R. R.* 2. *ante med.* Nullum deterius habetur agri genus, quam quod est siccum pariter et densum et macrum: quia quum difficulter tractetur, ne tractatum quidem gratiam refert. *h. e.* fructum reddit impensæ et labori æqualem. *Virg.* 1. *G.* 83. Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ. — d) *Reddere gratiam*, non dicimus: reddunt enim et qui reposcuntur, et qui inviti, et qui ubilibet, et qui per alium. Ita *Seneca Ep.* 81. *ante med.*, qui tamen *ibid. paullo supra* dixerat: Hoc certe justitiæ convenit, suum cuique reddere, beneficio gratiam, injuriæ talionem, aut certe malam gratiam. *Tibull.* 2. 1. 36. Redditur agricolis gratia cælitibus. — e) *Est gratia* est ago gratias, et occurrit in familiari sermone. *Plaut. Men.* 2. 3. 36. ER. Eamus intro, ut prandeamus. ME. Bene vocas: tam gratia est. *tanto ti ringrazio*: verba sunt recusantis, et beneficium invitationis nihilominus agnoscentis. *Ter. Adelph.* 1. 2. 38. Unum vis curem: curo, et est dis gratia, quum ita, ut volo, est. — Et omisso verbo. *Ter. Adelph.* 1. 2. 41. Fores effregit? restituentur. Discidit vestem? resarcietur: est, dis gratia, et unde hæc fiant, et adhuc non molesta sunt. *abbiamo, grazie al cielo, con che* etc. Cf. *Ovid.* 3. *Pont.* 5. 48. Gratia dis: menti quolibet ire licet. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM. — Hinc

Grātiā, adverbii more in Ablativo casu sæpe usurpatur, pro *in gratiam* (*V.* supra sub *B.* 1. *c.*), atque hinc est pro causa, propter, ob: sic *causa* et *gratia* sibi invicem respondent apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 158. Tantum abest, ut hæc bestiarum etiam causa parata sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus. Adde *eumd.* 1. *Fin.* 10. 36.; et *Cæs.* 7. *B. G.* 43., quæ *V.* infra, ubi de Gerundio agitur. Ceterum occurrit — a) Cum Genitivo, qui fere præponitur. — Cum Substantivo. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 32. 69. Te me amoris

magis, quam honoris servivisti gratia. *Ter. Andr.* 5. 1. 17. Nuptiarum gratia hæc sunt ficta atque incepta omnia. *Cic. Quinct.* 7. 28. Quem ut ipsius dignitas poscit, honoris gratia nomino. *Sall. Jug.* 76. Simulabat sese negotii gratia properare. *Id. Cat.* 23. Quem censores senatu probri gratia moverant. *Quintil.* 7. 1. 33. Hominem occisum esse constat; non prædæ gratia, quia etc. *Id.* 5. 12. 5. Si quis hereditatis gratia hominem occidisse dicatur. *Id.* 2. 10. 9. Si profectus gratia dicimus, nihil interecit. *Id.* 2. 7. 4. præsentis gratia litis. *Id.* 8. 6. 65. decoris gratia. *Id.* 9. 2. 8. invidiæ, miserationis gratia. *Id.* 9. 2. 77. difficultatis gratia. *Id.* 4. 2. 43.; at *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (214). brevitatis gratia. — Sæpe cum Gerund. *Cic.* 1. *Fin.* 10. 36. Ut aut voluptates omittantur majorum voluptatum adipiscendarum causa, aut dolores suscipiantur majorum dolorum effugiendorum gratia. *Cæs.* 7. *B. G.* 43. Legatos ad Cæsarem sui purgandi gratia mittunt: hæc faciunt recuperandorum suorum causa. *Sall. Jug.* 47. Hæc consul tentandi gratia. *Id. ibid.* 61. humandi gratia. *Id. ibid.* 61. colloquendi gratia. *Id. ibid.* 37. simulandi gratia. *Quintil.* 5. 13. 40. elevandæ invidiæ gratia. *Id.* 9. 1. 11. vitandæ similitudinis gratia. *Id.* 9. 3. 28. amplificandi vel miserandi gratia. — Hinc *exempli gratia* per ellipsin pro *exempli afferendi gratia*, It. *per esempio*. *Cic.* 3. *Off.* 12. 50. Ejus generis hæ sunt quæstiones. Si, exempli gratia, vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit etc. Adde *Plin.* 2. *Hist. nat.* 41. 41. (110). et 17. 15. (77). *Quintil.* 6. 5. 6. Pauca tamen exempli gratia ponam. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (213). Similiter occurrit *verbi gratia* apud *Cic.* 5. *Fin.* 11. 30. In nobismet autem ipsis ne intelligi quidem, ut propter aliam quampiam rem, verbi gratia propter voluptatem, nos amemus. — Cum Genitivo postposito. *Quintil.* 8. *proœm.* 18. Idque faciunt gratia decoris. Adde *eumd.* 9. 4. 58., 9. 4. 144. et 8. 6. 2. Cf. *Apul.* 5. *Met.* Laminæ auro litteratæ, quæ cum gratia facti nomen dei, cui fuerant dicata (*dona*), testabantur. *h. e. le quali colla ragione dell' offerta manifestavano il nome* etc. — *b*) Cum pronominibus possessivis *mea, tua* etc. *gratia*, quæ Genitivi vicem præstant. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 3. Num mea gratia pertimescit? *per riguardo di me? Id. Bacch.* 1. 1. 64. Mea te gratia operam dare mihi. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 160. Quid opus fuit hoc, hospes, sumpto tanto nostra gratia? *per cagion nostra?* — Similiter *hac, istac, ea gratia* occurrunt præcipue apud Comicos. *Plaut. Stich.* 5. 1. 5. Qui nihil ocius venit tamen hac gratia. *non per questo viene più presto. Id. Pseud.* 1. 5. 138. Non abire certum est istac gratia. *Ter. Andr.* 2. 6. 2. Ea me hic restitisse gratia. *per questo. Id. ibid.* 3. 4. 8. Ea gratia simulaci, ut etc. *Id. Heaut.* 4. 5. 20. Ea gratia secum adduxit, ne etc. Adde *eumd. Hecyr.* 4. 3. 11. Sic *Sall. Jug.* 58. Id ea gratia eveniebat, quod etc. *Ter. Eun.* 1. 2. 19. Huc qua gratia te arcessi jussi, ausculta. *a qual fine.*

Gratiis, ablat. plur. a *gratia*, et

Gratis, (cujus ultima syllaba licenter corripitur in *Inscript.* apud *Murat.* 146. 5. QVIDQVID AMATAE DEDITVR, ACCEPTVM GRATIS AMATOR HABET.) per syncopen pro *gratiis* sæpe adverbii more usurpantur; eo tantum discrimine, quod *gratiis* apud antiquos, *gratis* vero apud aurei ævi scriptores occurrit: significant autem sine mercede, aut præmio, gratuito, προῖκα (It. *senza pagamento o premio*; Fr. *pour rien, sans intérêt, gratuitement*; Hisp. *gratuitamente, graciosamente*; Germ. *aus Gunstbezeugung, Gefälligkeit, ohne Bezahlung, umsonst*; Angl. *freely, for nought, scot free*). *Plaut. Epid.* 3. 4. 36. Foras educite, quam introduxistis fidicinam: atque etiam fides, ei quæ accessere, tibi addam dono gratiis. *Id. Asin.* 1. 3. 40. Hanc tibi noctem honoris causa gratiis dono dabo. *Id. Pœn.* 4. 2. 46. Neque triobolum ullum amicæ das et ductas gratiis. Apud *eumd. Asin. prol.* 5. Age, nunc reside: cave modo, ne gratiis. *Al. leg.* grasis, *ut sit a* graso, clamo, *a Græco* κράζω. *Id. fragm.* apud *Charis.* 2. *p.* 180. *Putsch.* Videas, mercedis quid tibi est æquum dari, ne ista ætate me sectere gratiis. *Ter. Phorm.* 3. 2. 15. Ut phaleratis dictis ducas me, et meam ductes gratiis. *senza paga. Id. Adelph.* 4. 7. 26. Aliquo abjicienda est, si non pretio, gratiis. *Cic.* 3. *Verr.* 39. 101. Is repente, ut Romam venit, gratis prætor factus est. Alia porro pecunia, ne accusaretur, data. *Id.* 7. *ibid.* 19. 48. Vel Capitolium publice gratis coactis fabris operisque imperatis exædificari potuit. *senza spesa.* et *paullo post.* Navis tibi gratis constat. *Id.* 2. *Off.* 23. 83. Habitare gratis in alieno. Sic *Pompon. Dig.* 39. 5. 9. Gratis habitare in ædibus alienis. *Labeo ibid.* 19. 2. 53. § 2. Gratis habitationem cui dare. Rursus *Cic. Rosc. com.* 10. 27. Communem factum esse gratis cum Roscio, qui pretio proprius fuisset Fannii. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. Id me scis antea gratis tibi esse pollicitum: quid nunc putas tanta abs te mihi mercede proposita? *Id. Cluent.* 26. 71. Gratis servire reipublicæ. Adde *C. Gracchum* apud *Gell.* 11. 10. *Sueton. Gramm.* 13. Gratis et sine mercede aliquid facere. *Martial.* 5. 16. Et tantum gratis pagina nostra placet. Adde *eumd.* 14. 175. et 10. 3. *Cic.* 2. *Fin.* 26. 83. Faciant etiam illud, ut æquitatem, modestiam, virtutes omnes per se ipsas gratis diligant.

GRĀTĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. *servizio, piacere, grazia*, χάρισμα, actus gratificandi, gratia, beneficium. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 2. 6. Conjungitur impudens gratificatio cum acerba injuria. Adde *eumd. Mur.* 20. 42. et 1. *Nat. D.* 41. 122. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 3. 9. (12). Gratificationem ipsius reginæ Antonio timente. *h. e.* ne quis, ut reginæ gratificaretur, sibi venenum daret.

GRĀTĬFĬCO, as. *V.* voc. seq.

GRĀTĬFĬCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (gratus et facio). Activa forma *Gratifico* apud *Cassiod.* 7. *Variar.* 6. Interesse arbitramur, quod utilitas necessaria gratificat, et quod pulcritudinis tantum causa commendat. Adde *Vulgat. interpr. Ephes.* 1. 6. — Part. *Gratificans, Gratificatus* et *Gratificandus*. — Gratificari est gratum facere, beneficium dare, dono dare, χαρίζομαι (It. *far servigio, far piacere, condiscendere, donare*; Fr. *faire plaisir à, obliger, favoriser, sacrifier*; Hisp. *obligar, servir, hacer buenos oficios, sacrificar*; Germ. *Jemandem einen Gefallen thun, zu Willen handeln, willfahren*; Angl. *to gratify, oblige, do what is agreable*). Occurrit — *a*) Pro gratum facere, beneficium dare, cum Dativo personæ. *Cic. Balb.* 6. 14. Gratificatur mihi gestu accusator: inscientem Pompejum fecisse significat. *Id.* 1. *Fam.* 1. Quod Pompejo se gratificari putant. *Id.* 5. *Fin.* 15. 42. De eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt. *Id.* 3. *Legg.* 18. 39. Populo potestas honeste bonis gratificandi datur. *Tac.* 4. *Ann.* 19. Gratificari odiis alicujus. *h. e.* inservire gratiæ causa. — Et omisso Dat. *Cic.* 2. *Off.* 15. 52. In utroque inest gratificandi liberalis voluntas. — *b*) Pro aliis dare, aliis dono dare, cum Accusativo rei. *Cic.* 1. *Nat. D.* 44. 123. Deus nihil cuiquam tribuens, nihil gratificans. *Id.* 1. *Fam.* 10. Cur tibi hoc non gratificer, nescio. *Liv.* 21. 9. *extr.* Nuncios ad principes factionis Barcinæ præmittit, ne quid altera pars gratificari pro Romanis posset. *Pseudo-Sall. orat.* 1. *ad Cæs. de republ. ordin. ad fin.* Perversam gratiam gratificari. *fare un cattivo servizio*, gratificari cuipiam, quod illi obsit, ut *Cic.* 1. *Off.* 11. 42. loquitur. — *c*) Item cum Accusativo rei, ponitur pro aliquid remittere, aliquid cedere, derelinquere gratiæ causa. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 11. (25). Meritum ejus (*virginis Vestalis*) ipsis ponam Annalium verbis: Quod campum Tiberinum gratificata esset ea populo. *h. e.* dono dedisset, *sacrificò per il popolo*. *Cic.* 1. *de republ.* 44. Audax, impurus, populo gratificans et aliena et sua. *Id. fragm. pro C. Cornel.* apud *Ascon. p.* 450. *Orell.* Homo nimis in gratificando jure liber, L. Sisenna. *h. e.* gratiæ causa remittendo. *Sall. Jug.* 3. Potentiæ paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

GRĀTĬFĬCUS, a, um, adject. qui gratificatur. *Isid.* 10. *Orig. litt.* G. Gratificus ab eo, quod gratis faciat bonum. *Paulin. Petroc.* 2. *de Vit. S. Mart.* 716. gratifico concors cum pectore vultus. *Optatian. Porphyr. Paneg. ad Constantin. Aug.* 1. 6. Gratifici domini visibus apta sacris. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

GRĀTILLA, æ, f. 1. Species libi, apud *Arnob.* 7. *p.* 230., sed illud quale sit, ignotum est: esse tamen videtur, quod Græcis ἀρεστήρ dicitur, εἶδος πλακοῦντος, παρὰ τῷ ἀρέσκειν, ὃ τοῖς Θεοῖς ἀρέσκειν, ut legitur in *Etymol. M.*

GRĀTĬŎLA, æ, f. deminut. a gratia: agnoscitur ut Latinum a *Diomed.* 1. *p.* 313. *Putsch.*

GRĀTĬŌSĒ, adverb. Comp. *Gratiosius*. — Gratiose est per gratiam, gratificando, *graziosamente*, χαριέντως. *Ulp. Dig.* 26. 7. 6. Competet adversus tutores tutelæ actio, si prædia non idonea comparaverunt per sordes, aut gratiam. Quid ergo, si neque sordide, neque gratiose? *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 4. *ad fin.* Hoc in Sicilia fecit gratiosius in decumanos.

GRĀTĬŌSĬTAS, ātis, f. 3. *grazia*, gratia. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 9. Ipsam naturalem novitatis gratiositatem volui repercutere. *h. e.* gratiam novitatis, ut ait *Plin.* 1. *Ep.* 2.

GRĀTĬŌSUS, a, um, adject. Comp. *Gratiosior* et Sup. *Gratiosissimus* 1. — Docet *Gell.* 9. 12. *gratiosum* dici et qui adhibet, et qui admittit gratiam: itaque ¶ 1. Gratiosus est qui gratia apud omnes plurimum valet, vel qui omnium gratiam et favorem sibi facile conciliat, χαρίεις (It. *grato, amato, che ha molte amicizie*; Fr. *qui jouit de la faveur, aimé, considéré, favorisé*; Hisp. *gracioso, amado, considerado, favorecido*; Germ. *Gunst geniessend, in Gunst stehend, beliebt, gern gesehen, angenehm, willkommen*; Angl. *in great favour or interest, agreeable, beloved, favoured*). Occurrit — 1.°) De hominibus; et quidem — *a*) Absolute. *Cic. Cæl.* 9. 21. Homines potentes, gratiosi, diserti. *Id. Planc.* 19. 46. Ego Plancium et ipsum gratiosum esse dico, et habuisse in petitione multos cupidos sui gratiosos. *Id.* 6. *Verr.* 20. 44. Homini honesto, sed non gratiosiori, quam Cn. Calidius est. *Id. Quinct.* 1. 2. Cum adversario gratiosissimo contendere. *Sueton. Oth.* 2. Liberta aulica gratiosa. — *b*) Cum addito ad quid quis est gratiosus. *Q. Cic. Petit. cons.* 5. 19. Hoc biennio quatuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti. — *c*) Cum addita per Dativum, vel sæpius per Accusativum et præpos. *apud*, persona, apud quam quis gratia valet. *Cic.* 5. *Verr.* 14. 37. Splendidi homines et aliis prælocibus gratiosi. *Id. Planc.* 19. 47. Gratiosum esse tribulibus suis Plancium, quod multis benigne fecerit, pro multis spoponderit, denique omnibus officiis etc. *Al. tamen leg.* in sua tribu. *Id. ib.* 18. 44. Semper fuerunt viri boni, qui apud tribules suos gratiosi esse vellent. *Id.* 15. *Att.* 4. Ita gratiosi eramus apud illum. Adde *eumd.* 3. *Off.* 14. 58. — *d*) Cum additis, per Ablativum et præpos. *in*, limitibus, quibus alicujus gratia continetur. *Cic.* 1. *Fam.* 3. Is quum et suo splendore et nostra commendatione gratiosissimus in provincia fuit. *Q. Cic. Petit. cons.* 6. 24. Homines in suis vicinitatibus et municipiis gratiosi. — 2.°) De abstractis et inanimis. *Cic. Ligar.* 11. 31. Vidi et cognovi, causas apud te rogantium gratiosiores esse, quam vultus. — *Gratiosa missio* dicitur, quæ per gratiam vel ambitionem imperatorum impetrata est: *V.* MISSIO. *Liv.* 43. 14. *ad fin.* Et quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri jussuros. — *Gratiosa sententia* est, quam quis sibi faventem per gratiam extorsit contra jus. *Ulp. Dig.* 3. 6. 5. — Pro eo, qui admittit gratiam, *Ulp. Dig.* 50. 15. 1. Berytiensis colonia est in eadem provincia, Augusti beneficiis gratiosa. *graziata, favorita.* — Pro jucundo et grato. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 33. 60. (139). Cupressus odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa. ¶ 2. Aliquando significat eum, qui proclivis est ad gratificandum. *Cic. Brut.* 84. 290. Volo hoc oratori contingat, ut — gratiosi scribæ sint in dando et cedendo loco.

GRĀTIS. *V.* GRATIA in fin.

GRĀTITO *vel* glocito, as, are, n. 1. idem ac gingrio, quod proprium est anseris: a sono. *Auct. carm. de Philom.* 19. Cacabat hinc perdix, hinc gratitat improbus anser. *Al. leg.* gracitat; *al.* glocitat.

GRATITUDO, inis, f. 3. pro grato animo, *gratitudine*, barbarum est. Perperam enim a quibusdam legitur in titulo c. 2. et 3. *l.* 5. *Val. Max.*, ubi optimi Cod. *de gratis et ingratis* habent. — *Gratitudo* pro grato sapore, habetur apud *Apic.* 3. 6. auctorem culinarium, ut quidem legebat *Cellar. in Antibarb.* c. 1., ast alii *gravitudo*: et ita videtur postulare sententia.

GRĀTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Gratans* et *Gratatus*. — Gratari est idem quod gratulari, συγχαίρω, (It. *congratularsi, rallegrarsi*; Fr. *féliciter*; Hisp. *congratularse*; Germ. *etwas willkommen heissen, dazu Glück wünschen, sich darüber freuen*; Angl. *to congratulate*). Occurrit — *a*) Cum Dativo personæ, cui quis gratatur. *Accius*

apud *Servium* ad *Virg.* 5. *Æn.* 40. Nec tibi me in hac re gratari decet. *Virg.* 4. *Æn.* 478. Inveni, germana, viam: gratare sorori. *Ovid.* 6. *Met.* 434. gratata est scilicet illis Thracia. — Huc referri potest et illud *Liv.* 9. 43. Invicem inter se gratantes. — *b*) Omisso Dativo personæ, cui quis gratatur; facile enim subaudiri potest. *Liv.* 7. 13. *extr.* Tuum sequentes currum Jovis templum gratantes ovantesque adire. *Tac.* 14. *Ann.* 8. Ad gratandum sese expedire. *Id.* 2. *Hist.* 29. Versi lætitiam laudantes gratantesque. *Paulin. Nolan. carm.* 14. 133. Ne male gratatis lævos adjudicet hædis, Sed potius dextra positos in parte salutis Munifico pecori laudatisque adgreget agnis. — *c*) Cum Accusativo vel Infinito. *Ovid.* 1. *Met.* 578. Nescia, gratentur, consolenturne parentes. ζεῦγμα. *Virg.* 5. *Æn.* 40. Gratatur reduces. *h. e.* quod reduces sint. *Tac.* 6. *Ann.* 21. Complexus eum Tiberius præscium futurorum et incolumem fore gratatur. *h. e.* gratulatur, quod scit præscius, et spondet, fore incolumem. ζεῦγμα. — *d*) *Gratari sibi* est secum lætari, *rallegrarsi seco stesso.* *Ovid.* 9. *Met.* 244. totoque libens mihi pectore grator. *Id. Heroid.* 11. 65. Quid tibi grataris? — *NB.* Juxta nonnullos interdum significat gratias agere. *Ovid.* 3. *Fast.* 417. Quisquis ades, castæque colis penetralia Vestæ, Gratare, Iliacis turaque pone focis. *Alii tamen melius leg.* cratera.

GRĀTŬĪTĒ, adverb. Idem ac gratuito. *Cassiod. Complex. Ep. Jacob.* 3. Sacro baptismate gratuite nos, non meritis, dicit esse progenitos.

GRĀTŬĪTŌ, adverb. De quantitate penultimæ *V.* voc. seq. init. — Gratuito est gratis, sine præmio aut pretio, sine causa, *senza premio*, ἀμισθί. *Sall. Cat.* 16. Ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. Sic *Id. in orat. L. Philippi contra Lep.* 5. Nam ubi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est. *Cic. Arch.* 5. 10. Gratuito civitatem impertire. *Id.* 2. *Off.* 19. 66. Causas et non gravate et gratuito defendere. *Seneca Ep.* 105. 3. Odium et offensa sic vitabis, neminem lacessendo gratuito. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 9. 35. (59). Porticum, quæ Pœcile vocatur, gratuito (*Polygnotus*) pinxit, quum partem ejus Micon mercede pingeret. *Tac.* 11. *Ann.* 7. Neque tamen eloquentiam gratuito contingere. *Id. ibid.* 22. Quæstura ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellæ velut venumdaretur.

GRĀTŬĪTUS, a, um, adject. Quod ad quantitatem attinet, penultima syllaba brevis est. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 16. Quidquid nobilis Ponticis nucetis, Quod ramis pia germinat Damascus, Largis gratuitum cadit rapinis. — Posse tamen produci quidam putant, exemplo τοῦ *fortuitus* apud *Horat.* 2. *Od.* 15. *sub fin.* — Gratuitus est qui gratis datur, h. e. sine præmio aut pretio, ἄμισθος (It. *gratuito, senza premio*; Fr. *désinteressé, gratuit, libre, volontaire*; Hisp. *gratuito, lo que se da ó se hace de balde*; Germ. *freiwillig, unentgeltlich, frei, umsonst, ohne Lohn, Gewinn*; Angl. *given freely and without hire, gratuitous*). *Cic.* 2. *Fin.* 31. 99. Probitas gratuita, nec præmiorum mercedibus evocata, *spontanea*, quo sensu *honorem gratuitum alicui decernere*, *h. e.* gratis, et sine sumptu datum. *Inscript.* apud *Gruter.* 334. 7. HVIC ORDO DECVRIONVM OB MERITA EIVS HONOREM AVGVSTALITATIS GRATVITVM DECREVIT. *V.* DECURIO. Item *sacerdos gratuitus* dicitur in *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 80. 3., qui sacerdotium sine pecunia est consecutus. Et *Augustalis gratuitus* in *Inscript.* apud *Murat.* 199. 3., qui apud *eumd.* 199. 2. *gratis factus*, et apud *Fabrett.* p. 744. 530. *gratis creatus* prædicatur. Similiter *legatio gratuita* ea dicitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 362. 1. et 489. 12., quam quis suscipit sumptu proprio in patriæ utilitatem. Sic *Inscript.* apud *Orell.* 4003. Gratuitus duumviratus. Rursus *Cic. Planc.* 22. 54. Te ne gratuita quidem eorum suffragia tulisse. *h. e.* libera, non pretio extorta. *Id.* 1. *Legg.* 18. 48. Quid? liberalitas gratuitane est, an mercenaria? si sine præmio benigna est, gratuita: si cum mercede, conducta. *Id.* 1. *Nat. D.* 44. 122. Prata et arva et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis capiuntur; hominum caritas et amicitia gratuita est. *Id.* 4. *Att.* 15. 8. Comitia si, ut putantur, gratuita fuerint. Sic *Id.* 2. ad *Q. Fr.* 15. 1. 8. Gratuita comitia. *h. e.* in quibus suffragia non emuntur. *Liv.* 1. 47. Præterita parricidia gratuita. *Id.* 2. 42. Patres satis superque gratuiti furoris in multitudine credentes esse. *h. e.* furor, qui nullo allectus præmio ultro excitatur. *Seneca* 6. *Benef.* 19. Gratuita nave ferre per flumen. *Plin.* 3. *Ep.* 11. Pecuniam etiam, qua tunc illi ampliore opus erat, gratuitam dedi. Alter *Plin.* 35. *Hist. nat.* 9. 35. (59). Hospitium gratuitum. *Colum.* 9. *R. R.* 8. 1. Examina apum vel ære parta, vel gratuita contingunt. *Sueton. Cæs.* 68. Universi milites gratuitam et sine frumento stipendioque operam obtulerunt. *Id. Aug.* 41. Gratuitus usus pecuniæ. *Id. Tib.* 48. Millies sestertio gratuito proposito. *Id. Cal.* 26. Gratuita in Circo loca. *Id. Ner.* 17. subsellia. *Id. ibid.* 38. Pollicitus cadaverum et ruderum gratuitam egestionem.

GRĀTŬLĀBUNDUS, a, um, adject. — *a*) Absolute. *Liv.* 7. 33. *extr.* Quo se omnis multitudo gratulabunda effudit. Adde *Sueton. Galb.* 19. — *b*) Cum Dativo. *Justin.* 6. 8. *extr.* Velut gratulabundus patriæ exspiravit.

GRĀTŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. lætitia, quæ simul cum alio capitur; testatio gaudii ob felicem rei successum alicui facta, σύγχαρμα (It. *congratulazione*; Fr. *félicitation, signe de joie, temoignage de satisfaction*; Hisp. *parabien, congratulacion, norabuena*; Germ. *d. Freundenbezeugung, d. Glückwunsch, Willkommenruf, d. Freude*; Angl. *a wishing one you, congratulation, gratulation*). ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Verr.* 8. 21. Tantam isti gratulationem esse factam, ut etc. *Id. Mil.* 35. 98. Omni in hominum cœtu gratiis agendis, et gratulationibus habendis, et omni sermone celebramur. *Id.* 1. *Att.* 17. 6. Fuit mihi sæpe et laudis nostræ gratulatio tua jucunda, et timoris consolatio grata. *Id.* 2. *Fam.* 10. Non possum adduci, ut abs te, posteaquam ædilis es factus, nullas putem datas litteras; præsertim quum esset tanta res, tantæ gratulationis. *Id. Pis.* 3. 7. Mihi populus Romanus universus illa in concione non unius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemque donavit. Adde *eumd. Mur.* 41. 88. *Curt.* 7. 2. 24. Mutua gratulatione fungi. *Sueton. Ner.* 6. Inter gratulationes amicorum. — Item universim lætitia, quæ cum alio capitur. *Cic. Mur.* 5. 12. Hic parenti suo magno adjumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. *Id. Marcell.* 4. 11. Hunc tu igitur diem tuis maximis et innumerabilibus gratulationibus jure antepones. *h. e.* victoriis, ob quas lætitia et gratulatione affectus es. *Id.* 6. *Verr.* 31. 74. Signum Dianæ in suis antiquis sedibus summa cum gratulatione civium et lætitia reponitur. Adde *eumd. Flacc.* 39. 98. ¶ 2. Speciatim *gratulationes* dicuntur supplicationes diis habitæ ob rempubl. bene gestam, in quibus et gratiarum actiones iis habentur, et communis lætitia agitatur. *Cic.* 11. *Fam.* 18. *fin.* Recens gratulatio, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus. *Id.* 4. *Cat.* 10. 20. Ceteris bene gestæ, mihi conservatæ reipublicæ gratulationem decrevistis. *Id.* 14. *Phil.* 3. 7. Gratæ nostræ diis immortalibus gratulationes, gratæ victimæ. *Id. Prov. cons.* 11. 26. Supplicationem quinque dierum decreri sententia mea. — Diis immortalibus non erat exigua eadem gratulatio, quæ ex maximis bellis.

GRĀTŬLĀTOR, ōris. m. 3. *chi si congratula*, qui gratulatur. *Cic.* 2. *Fin.* 33. 108. Ita fit, ut gratulator lætior sit, quam is, cui gratuletur. *Hæc tamen plerisque recte suspecta sunt.* Certior est locus *Martial.* 10. 71. Jam parce lasso, Roma, gratulatori.

GRĀTŬLĀTŌRĬĒ, adverb. gratulantis more. *Augustin.* 8. *Confess.* 6. Gratulatorie mirari.

GRĀTŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. ad gratulationem pertinens. *Capitolin. Max.* et *Balbin.* 17. Gratulatoriam epistolam subdidi.

GRĀTŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (gratus). Part. *Gratulans* et *Gratulandus* 1. — Gratulari ¶ 1. Generatim est idem quod gratari, seu verbis ostendere, alterius sibi felicitatem gratam et jucundam esse, cum altero lætari. Quod quum facerent Latini, solebant civili quadam formula dicere *ex sententia*, ut *Quintil.* 8. 5. 1. docet. Varia ejus constructio subjectis monstratur exemplis. Gr. συγχαίρω (It. *congratularsi, rallegrarsi*; Fr. *temoigner sa joie à qqn, le feliciter, complimenter, congratuler*; Hisp. *felicitar, dar parabien, congratularse con otro*; Germ. *willkommen heissen, Glück wünschen, gratuliren, sich über etwas freuen*; Angl. *to congratulate, wish one joy, gratulate*). Occurrit cum Dativo personæ et — *a*) Ablativo rei vel sine præpos., vel cum præpos. de. *Cic.* 2. *Fam.* 9. Primum tibi, ut debeo, gratulor lætorque quum præsenti, tum etiam sperata tua dignitate. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 13. Gratulor tibi affinitate viri optimi. Rursus *Cic.* 1. *ibid.* 7. 11. Quod mihi de filia et de Crassipede gratularis, agnosco humanitatem tuam. Cf. *Id.* 3. *ibid.* 12. Ego vero vehementer gratulor de judicio ambitus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 7. 7. — *b*) Cum Accusativo rei. *Ter. Eun.* 2. 2. 28. Ad cœnam vocant, adventum gratulantur. *Cic.* 2. *Phil.* 12. 28. Ei recuperatam libertatem est gratulatus. Adde *eumd.* 2. *Verr.* 7. 19. *Id.* 5. *Att.* 20. Qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritatem. *Al. leg.* celebritate. *Sueton. Claud.* 6. Quum oppressum Sejanum apud eosdem gratularetur. *Fronto de Nep. am.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 2. Quod si mors gratulanda potius est hominibus, quam lamentanda. — *c*) Sequente part. *quod.* *Cic.* 15. *Fam.* 14. Tibi quum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quod te de provincia decedentem summa laus et summa gratia prosecuta est. *Id.* 2. *ibid.* 5. Tamen, quod abes, gratulor. — *d*) Sequente Infinito. *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 54. tota mihi mente, tibique Gratulor, ingenium non latuisse tuum. *Id.* 3. *Art. am.* 122. Prisca juvent alios; ego me nunc denique natum Gratulor. — *e*) Aliquando cum Ablat. rei et præpos. in. *Cic.* 6. *Fam.* 11. Qua in re tibi gratulor ita vehementer, ut te quoque mihi gratulari, quam gratias agere malim. *Id. Planc.* 37. 91. Quod te esse in republica liberum es gloriatus, id ego et fateor et lætor et tibi etiam in hoc gratulor. — *f*) Cum Ablat. rei et præpos. pro. *Plin.* 4. *Ep.* 27. Interim ama juvenem, et temporibus nostris gratulare pro ingenio tali, quod ille moribus adornat. — *g*) Cum Dativo personæ tantum. *Cic.* 6. *Fam.* 12. Gratulor tibi, mi Balbe, vereque gratulor, nec sum tam stultus, ut te usura falsi gaudii frui velim. — *Gratulari sibi* est secum lætari. *Cic.* 3. *Fam.* 11. Complexus sum cogitatione te absentem: epistolam vero osculatus etiam ipse mihi gratulatus sum. Adde *Plin.* 5. *Ep.* 15.; et *Vellej.* 2. 101. 3.; et *V.* GRATOR. — *h*) Absolute. *Cic.* 12. *Phil.* 7. 18. Itaque inter se impii cives, quasi vicissent, gratulabantur. *Id. Pis.* 22. 51. Publice ad me venerunt gratulatum. *Id.* 8. *Att.* 9. Non modo frequentes, sed læto vultu gratulantes. Adde *Sueton. Tib.* 60., et *Quintil.* 3. 4. 3. — *i*) *Gratulari cum aliqua* pæne barbarum est. *Dict. Cret.* 6. 15. At ubi eo letu Ulixes concidit, gratulari cum fortuna conflerique etc. ¶ 2. Speciatim apud veteres est grates vel gratias agere, *ringraziare*: præsertim quum de diis sermo est. *Ennius* apud *Non.* p. 116. 30. Juppiter, tibi, summe, tandem male re gesta gratulor. *Scipio African.* apud *Gell.* 4. 18. Ne simus adversum deos ingrati; eamus Jovi maximo gratulatum. *Afranius* apud *Non.* p. 116. 33. *Merc.* et apud *Priscian.* 8. p. 804. *Putsch.* Quod salvus venis meliusque tibi est, gratulor divis. Adde *Nævium* apud *Non. loc. cit.* *Ter. Heaut.* 5. 1. 6. Jam desine deos, uxor, gratulando obtundere, tuam esse inventam gnatam. *Cato* apud *Cic.* 15. *Fam.* 5. Si tu diis immortalibus gratulari nos, quam tibi referre acceptum mavis, gaudeo. Cf. *Quintil.* 6. *procœm.* 8. Quapropter illi dolori gratulor.

GRĀTUS, a, um, adject. Comp. *Gratior* et Sup. *Gratissimus* 1. et 2. — Ratione habita etymi vox conjungenda est cum Lat. carus et cum Gr. χάρις, χαίρω, onde a κεχαρῆσθαι fit χαρτός pro χαρητός. Gratus est gratia præditus vel plenus: et occurrit tum passive pro eo, qui est carus, acceptus, jucundus, placitus; tum active pro eo, qui gratiam pro beneficio refert, vel saltem beneficii memor est. ¶ 1. Passive gratus est carus, acceptus, jucundus, placitus, εὐάρεστος (It. *che piace, grato, accetto*; Fr. *agreable, cher, aimé, charmant*; Hisp. *agradable, que gusta*; Germ. *in Gunst stehend, beliebt, willkommen, angenehm, schätzbar*; Angl. *grateful, pleasing, acceptable, agreeable*). Occurrit — 1.°) De rebus. — *a*) Cum addito Substantivo, et sæpe etiam Dativo personæ. — Conjungitur cum *accepto*, ut apud *Plaut. Stich.* 1. 1. 49. Mihi pol grata acceptaque hujus est benignitas. Cf. *eumd. Truc.* 2. 7. 56. Quorum mihi dona accepta et grata habeo, tuaque ingrata. *Cic.* 5. *Tusc.* 15. 45. Quod approbaris, id gratum acceptumque habendum. *Catull.*

96. 1. Si quicquam mutis gratum acceptumque sepulcris Accidere potest. *Nepos Hann.* 7. Munus eorum gratum acceptumque esse. — Item cum *jucundo*, a quo tamen differt, quia *grata* sunt, quæ habere præstat, quam carere, licet aliquando jucunda non sint. Itaque omnia jucunda grata sunt: non omnia grata jucunda. *Cic.* 13. *Fam.* 18. Illud tamen dicam, mihi id, quod fecisti, esse gratissimum. Tale enim tuum judicium non potest mihi non summe esse jucundum. Quod quum ita sit, esse gratum necesse est. *Id.* 5. *ibid.* 15. Amor tuus gratus et optatus: dicerem jucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 6. et 3. *Att.* 24. *extr.* Similiter *Id.* 10. *Fam.* 3. Quæ omnia mihi jucunda, hoc extremum etiam gratum fuit. Adde *eumd. Rosc. Am.* 18. 51. et 4. *Cat.* 1. 1.; et *Plin.* 5. *Ep.* 3. et 6. *ibid.* 23. — Aliquando jungitur et *optato*: V. *Cic.* 5. *Fam.* 15. paullo superius cit. Sic *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 3. 7. Quid est, quod aut populo Romano gratius esse debeat, aut sociis exterisque nationibus optatius esse possit, aut etc. — Ceterum *Plaut. Pers.* 4. 7. 8. Credidi gratum fore beneficium meum apud te. *Ter. Adelph.* 2. 4. 6. Habere aliquid gratum. *aggradire. Id. Heaut.* 2. 3. 127. Hoc est apud me quam gratissimum. *Cic.* 5. *Fam.* 11. Grata tibi esse mea officia non miror. *Id.* 2. *de republ.* 34. Eoque erat cujusque gratior in republica virtus, quod etc. *Id.* apud *Non. p.* 398. 28. *Merc.* Quam simpuvia Pontificum diis immortalibus grata sint. *Id.* 3. *de republ.* 9. Quam multi, ut Galli, ut Pœni homines immolare et pium et diis immortalibus gratissimum esse duxerunt! *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Supplicia eorum, qui in furto sint comprehensi, gratiora diis immortalibus esse arbitrantur. *Ovid.* 3. *Fast.* 767. hedera est gratissima Baccho. *Horat.* 1. *Od.* 32. 14. dapibus supremi Grata testudo Jovis. *Liv.* 2. 8. Gratæ in vulgus leges fuere. *Virg.* 5. *Æn.* 344. gratior in pulcro corpore virtus. *Id. ibid.* 28. gratior tellus. *Horat.* 1. *Od.* 35. 1. O diva, gratum quæ regis Antium. *Id. ibid.* 5. 3. gratum antrum. *Id.* 2. *Ep.* 2. 46. locus. *Id. ibid. v.* 198. tempus. *Id.* 1. *ibid.* 4. 14. hora. Sic *Id.* 4. *Od.* 5. 7. gratior it dies, Et soles melius nitent. *Id.* 1. *Sat.* 5. 39. lux. *Id. carm. sæcul.* 23. nox. *Id.* 1. *Od.* 15. 14. carmina. *Id.* 4. *ibid.* 13. 22. artes. *Tac.* 1. *Ann.* 62. Gratissimo munere in defunctos. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 3. 18. (48). Radicula floret æstate, grata aspectu. *Id.* 26. *ibid.* 3. 8. (14). Multa dictu grata. *Id.* 30. *ibid.* 6. 15. (45). Cochleæ cibis gratæ. *Id.* 11. *ibid.* 29. 35. (106). Gratæ in cibo locustæ. *Id.* 12. *ibid.* 17. 37. (76). Gummi odore jucundo gratum. *Id.* 10. *ibid.* 49. 69. (135). Gratæ sapore aves. *Id.* 13. *ibid.* 4. 7. (33). Grato sapore dulcis. — *b*) Neutr. gen. absolute. *Lucret.* 3. 948. Nam gratum fuerit tibi vita ante acta priorque. *Lachmann.* ita leg.: vulgati libri habent *Nam gratis fuit hæc* etc. *Cic.* 1. *de republ.* 21. Qua in disputatione, quoniam tu paratior es, feceris, si de republica quid sentias explicaris, nobis gratum omnibus. Sic *Id. Amic.* 4. 16. et 13. *Att.* 47.; et *Cæs.* 1. *B. G.* 44. *extr.* Gratum alicui facere. *far cosa grata. Cic.* 13. *Fam.* 44. Hoc mihi gratius facere nihil potes. *et ibid.* Gratissimum mihi feceris, si curaris etc. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 2. 6. (11). Sedere his in scholis auditioni operatos, gratius erat, quam ire per solitudines. Cf. *Tac. Dial. de orat.* 6. In ingenio quoque gratiora, quæ sua sponte nascuntur. — 2.°) De hominibus (de quibus apud *Cic.* et *Cæs.* usurpatur *gratiosus*); et occurrit modo cum Dativo personæ, modo sine Dativo. — *a*) Cum suo Substantivo. *Propert.* 1. 2. 31. His tu semper eris nostræ gratissima vitæ. *Tibull.* 2. 5. 68. Herophile Phœbo grata. *Ovid.* 1. *Fast.* 585. Vates diis gratissima. *Horat.* 1. *Od.* 10. 20. superis deorum gratus et imis. *Id.* 3. *ibid.* 9. 1. Donec gratus eram tibi. *Id.* 2. *Ep.* 1. 232. Gratus Alexandro regi Magno fuit ille Chœrilus. *Suelon. Cæs.* 27. Prout domino patronove gratus quis esset. *Id. Gramm.* 12. Filio ejus Fausto gratissimus fuit. — Et cum præpos. *in* et *Acens. Tac.* 1. *Ann.* 28. Bonis artibus grati in vulgus. Cf. *Liv.* 2. 8. supra cit. sub 1.° — *Propert.* 1. 12. 7. Olim gratus eram. *Horat.* 4. *Od.* 6. 21. Divum pater victus Veneris gratæ vocibus. *Id.* 2. *Sat.* 2. 19. Gratus conviva. *Ovid.* 12. *Met.* 367. juvenum gratissime Crantor. *Id.* 14. *ibid.* 221. comitum gratissimus. *Id.* 12. *ibid.* 586. O mihi de fratris longe gratissime natis. — *b*) Absolute. *Suelon. Tib.* 46. Quam classem non amicorum, sed gratorum appellabat. ¶ 2. Active *gratus* est, qui gratiam pro beneficio refert, vel saltem beneficii memor est. — *a*) De hominibus. *Cic.* 5. *Fam.* 11. Cognovi te gratissimum omnium: nec enim tu mihi habuisti modo gratiam, verum etiam cumulatissime retulisti. *Id.* 10. *ibid.* 19. Quamquam gratiarum actionem a te non desiderabam, quum te re ipsa atque animo scirem esse gratissimum. *Id. Planc.* 38. 91. Si bene de me meritis gratum me præbeo, non desino incurrere in crimen hominis nimium memoris nimiumque grati. *Id.* 2. *leg. Agr.* 8. 21. Ut grati ac memores beneficii esse videantur. *Id.* 13. *Fam.* 25. Hegesaretus magnis meis beneficiis ornatus, memor et gratus fuit. *Id.* 9. *Att.* 11. A. 3. Ut tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique esse in maximi beneficii memoria possim. *Id.* 5. *Fam.* 5. Quam gratus erga me fueris, ipse existimare potes. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 5.; et *cf. Quintil.* 11. 2. 12. Fuisse gratos erga se deos exitu comperit. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 10. Gratiorem me esse in te posse, quam isti perversi sunt in me, exploratum habes. *Horat.* 1. *Od.* 12. 39. Gratus insigni referam Camena etc. — *b*) De iis, quæ ad homines pertinent. *Cic.* 1. *ad Brut.* 4. Gratus animus et liberalis. *Id.* 4. *Phil.* 1. 3. Gratissimo animo prosequi nomen alicujus. *Id.* 14. *ibid.* 11. 30. Grata memoria virtutem cujuspiam prosequi. *Id.* 10. *ibid.* 3. 7. Quæ (*laus Bibuli*) gratissima memoria omnium civium inclusa. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 23. Tu, quamcumque deus tibi fortunaverit horam, Grata sume manu. — *c*) De inanimis. *Plin. Paneg.* 31. Omnibus equidem gentibus fertiles annos gratasque terras precor. — *Forcellinus* huc retulit etiam illud *Ter. Andr.* 1. 1. 15. Et id gratum fuisse advorsum te habeo gratiam. *h. e.* gratum tibi fuisse, *che tu ciò abbia aggradito.* — *d*) Singularis est usus in illo *Ter. Heaut.* 2. 3. 21. Quod tamen nunc faciam: tum, quum gratum mihi esse potuit, nolui. *h. e.* potuit gratiam mihi parare apud patrem. Cf. *eumd. Eun.* 3. 1. 6. Simile est illud *Cic.* 2. *Phil.* 46. 117. Satis esse fortibus viris didicisse, quam sit pulcrum, beneficio gratum, fama gloriosum, tyrannum occidere. *h. e.* quantam apud cives gratiam pariat. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

GRĂVĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Gravabilior.* — Gravabilis est gravis, molestus. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Est enim semper gravabilis carnatio, et magis si tenuibus fuerit imposita viribus. *Id.* 1. *Acut.* 15. Gravabilis odor. *h. e.* caput gravans. *et ibid.* Quid gravabilius ab his, quæ cohibenda confirmes?

GRĂVĀMEN, inis, n. 3. molestia, *gravame.* Translate *Cassiod.* 9. *Variar.* 2. Si visceribus sanis gravamen nullius sentiat læsionis. *Id.* 10. *ibid.* 26. Rebus moderata inquisitione trutinatis, quidquid gravaminis potest habere possessio, rationabiliter abrogetur. Sic de tributis *Cod. Theod.* 6. 23. 3. Omni superindicti gravamine liberamus. *Ibid.* 11. 1. 33. Externorum gravamine tributorum. *Novell. Theod. tit.* 22. 2. Nullius accessione gravaminis hujusmodi liberalitas oneretur.

GRĂVANTER, adverb. idem ac gravate. *Cassiod.* 4. *Variar.* 5. Nullum decet nostras gravanter suscipere jussiones, quæ magis utilitates noscuntur attollere devotorum.

GRĂVASTELLUS, senior. Plautus: Qui est gravastellus, qui advenit? Ut puto, gravastellus a gravitate dictus. Hæc *Paul. Diac. p.* 96. 13. *Müll.* Locus autem *Plauti*, quem designat, est *Epid.* 5. 1. 14. Sed quis est hæc muliercula, et ille gravastellus qui venit? Ubi al. leg. *ravastellus*, aut *ravistellus*: a ravo colore. Ipse idem *Paul. Diac.* sic legisse videtur, in v. *Ravi p.* 272. 6. *Müll.* ubi hæc habet: Ravi coloris appellantur, qui sunt inter flavos et cæsios, quos Plautus appellat ravistellos. Quis, inquit, hæc mulier, et ille ravistellus, qui venit? Videtur hæc vox orta a *ravastellus*, aspiratione litteræ *R* in *G* versa: forma est deminutiva ab inusit. *gravaster.* Ceterum *gravastellus* legitur in *Thesaur. Nov. Latin.* edit. ab *A. Maio p.* 2. Dominam autem præambulam vates gravastelli cyanino capillitio candidantes, pænulasque latiales indusiati, pedibusquam decenter cothurnatis, comi processu assectabantur. *Gravastellus* itaque videtur esse tamquam ab etymo γραυάζω, quod a γραῦς, *ravus* et Germ. *grau.*

GRĂVĀTĒ, adverb. Comp. *Gravatius.* — Gravate est cum labore, cum molestia, invite, non libenter, ἀκουσίως, δυσχερῶς (It. *gravosamente, difficilmente, di mala voglia*; Fr. *avec peine, à regret, à contre cœur*; Hisp. *a pesar, con pesar, de mala gana*; Germ. *schwierig, ungern*; Angl. *unwillingly, hardly, with reluctance, grudgingly*). *Plaut. Bacch.* 3. 6. 3. Sed veniam mihi quam gravate pater dedit! *Id. Stich.* 5. 6. 2. Dudum haud placuit potio: nunc minus gravate jam accipit. *Cic.* 1. *Orat.* 48. 208. Vobis non meo judicio, sed vestro inductus non gravate respondero. *Id. Arch.* 5. 10. Non gravate civitatem in Græcia homines impertiebant. *Id.* 3. *Off.* 14. 59. Canius contendit a Pythio, ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? Impetrat. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 19. 66. *Id. Balb.* 16. 36. Qui erranti comiter monstrant viam benigne, non gravate. *Fronto Princip. hist.* (edente iterum *A. Maio p.* 315. Haud ignarus, fortissima facinora viventium gravatius, mortuorum gratius accipi: faveri præteritis, invideri præsentibus. *Id. Ep. ad Cæs.* 4. 12. Et plantas ad saviandum eâ causâ iratior (*filia*) subtrahat, aut gravatius porrigat. *Sueton. Aug.* 24. Ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravate, permisit uxorem intervisere.

GRĂVĀTIM, adverb. idem quod gravate. *Lucret.* 3. 388. Qui nimia levitate caduut plerumque gravatim. *difficilmente. Liv.* 1. 2. Haud gravatim socia arma Rutulis junxit.

GRĂVĀTĬO, ōnis, f. 3. gravitas. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 32. *ad fin.* Post cibum gravatio. *Id. ibid.* 4. Alterum bibentes (*lethargici*) opprimuntur gravatione horribili ac sopori simili.

GRĂVĀTUS, a, um. *V.* GRAVO.

GRĂVĒDĬNŌSUS, a, um, adject. *soggetto a dolore di capo*, καρηβαρῶν, ad gravedinem pertinens, et occurrit *A*) Passive; et *B*) Active.

A) Passive est qui gravedine infestatur, et qui ad eum morbum est proclivior. *Cic.* 4. *Tusc.* 12. 27. Itaque dicimus quosdam gravedinosos, quosdam torminosos, non quia jam sint, sed quia sæpe sint.

B) Active ponitur pro eo, quod gravedinem facit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 15. 38. (139). Ervum gravedinosum.

GRĂVĒDO, inis, f. 2. (gravis) generatim est molesta membrorum gravitas: hinc — *a*) Gravedo est *gravezza di testa, flussione, raffreddamento di capo, catarro*, κόρυζα, καρηβαρία, morbus capitis, quo humor destillat de capite, clauduntur nares, vox obtunditur, tussis sicca movetur: salsa est saliva, sonant aures, venæ moventur in capite, turbida urina est. Ita *Cels.* 4. 2. *n.* 4. describit. — In singulari numero *Catull.* 44. 13. illic me gravedo frigida, et frequens tussis Quassavit. *Cic.* 10. *Att.* 16. 6. Non modo morbum removisti, sed etiam gravedinem. *Id.* 16. *ibid.* 14. 4. Gravedini omni ratione subveni. *Column.* 7. *R. R.* 3. 25. Gravedinem creat pruinosa herba. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 6. (10). Recentes uvæ gravedinem capiti faciunt. *Id.* 25. *ibid.* 13. 94. (150). Gravedinem afferre. *Id.* 30. *ibid.* 4. 11. (31). Gravedinem invenio finiri, si quis nares mulinas osculetur. — In plurali numero. *Cels.* 1. 2. Cavere, ne modo frigus, modo calor moveat: quæ res maxime gravedines destillationesque concitat. — *b*) Item universim quidquid capiti gravitatem affert. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (136). Gravedines crapulæ. — *c*) Item graviditas, *gravidanza. Nemesian. Cyneg.* 132. Fecundos aperit partus matura gravedo.

GRĂVĔFACTUS, a, um, particip. ab inusit. *gravefio*, gravatus. *Venant.* 8. *carm.* 326. Aut gravefacta jacet pondere pressa suo.

GRĂVĔŎLENS, entis, adject. Scribitur etiam divisim. Graveolens — *a*) Est qui vehementem ac multum odorem emittit. *Virg.* 4. *G.* 270. Graveolentia centaurea. — *b*) Item male olens, *h. e.* odorem emittens molestum et fœtentem, *puzzolente*, δυσώδης. *Virg.* 6. *Æn.* 201. fauces graveolentis Averni. *Apul. de mundo.* Videas illam civitatem pariter spirantem Panchæis odoribus, et graveolentibus cœnis.

GRĂVĔŎLENTĬA, æ, f. 1. *puzza*, δυσωδία, odor gravis, malus, molestus, fœtens. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 36. (92). Narium graveolentiam sanare. *Id.* 22. *ibid.* 22. 43. (87). Graveolentiam alarum emendare. *et ibid.* 22. 44. (88). Graveolentiam oris corrigere.

GRĂVESCO, is, ere, n. *inchoat.* 3. Part. *Gravescens* II. — Gravesco est gravis fio, *farsi grave*, βαρύνομαι.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Virg.* 2. *G.* 427. Nec

minus interea fetu nemus omne gravescit. *idest* oneratur. ¶ 2. Speciatim pro gravidam fieri. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 41. 96. (236). Cameli lac habent, donec iterum gravescant. Adde *Augustin loc. cit.* in GRANDESCO.

II.) Translate est gravius fieri, seu augeri, ingravescere. *Lucret.* 4. 1062. Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit. *Id.* 6. 337. Impetus ille gravescit. *Id.* 3. 1035. Atque eadem metuit magis, hæc ne in morte gravescant. *Tac.* 1. *Ann.* 5. Gravescere valetudo Augusti. *Id.* 14. *ibid.* 51. Gravescentibus in dies publicis malis.

GRĂVĬDĀTUS, a, um. *V.* GRAVIDO.

GRĂVĬDĬTAS, ātis. f. 3. *gravidanza*, κύησις, prægnatio, conceptio. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 119. Ab eoque Luna illuminata graviditates et partus afferat, maturitatesque gignendi.

GRĂVĬDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Gravidatus* II. — Gravidare est gravem facere, adeoque et gravidam facere, implere, *ingravidare*, ἔγκυον ποιεῖν.

I.) Proprie. *Cæcilius* apud *Non. p.* 118. 12. *Merc.* Per mysteria hic inhoneste honestam gravidavit probro. *Aurel. Vict. Epit.* 14. Sabina jactabat, se elaborasse, ne ex eo (*Hadriano*) ad humani generis perniciem gravidaretur.

II.) Improprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 33. 83. Terra gravidata seminibus omnia pariat et fundat ex sese.

GRĂVĬDŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* gravidus, aliquantulum gravidus. *Ammian.* 23. 6. *ad fin.* Exinde gravidulæ edunt minutas binas, aut ternas (*margaritas*), vel uniones, ideo sic appellatas, quod evisceratæ conchulæ singulas aliquoties pariunt, sed majores.

GRĂVĬDUS, a, um, adject. onustus, ponderosus, onere gravis: sed proprie speciatim tantum occurrit, et *gravidæ* dicuntur animantes, quæ concepti fetus ventre onus portant: *V.* PRÆGNANS (It. *gravido*; Fr. *pleine, grosse, enceinte*; Hisp. *preñada, encinta*; Germ. *schwanger, trächtig*; Angl. *pregnant, with child, with young*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus et brutis animantibus. — Cum additis. *Plaut. Amph.* 2. 2. 86. Speravi ego istam tibi parituram filium: verum non est puero gravida. *Id. ibid. prol.* 111. Gravidam esse ex viro. Sic *Ter. Hecyr.* 3. 3. 32. Gravidam esse ex aliquo. et *Plaut. Amph.* 3. 1. 18. et 19. Gravidam esse aliquo. *Ovid.* 3. *Met.* 265. Gravidam esse de semine Jovis. *Plaut. Cist.* 2. 3. 73. Prius gravida facta est priusque peperit filiam. *Ter. Adelph.* 3. 5. 29. Aliquam gravidam facere. *Cic. Cluent.* 11. 31. Quum esset gravida uxor, et jam appropinquare partus videretur. Adde *eumd.* 3. *Verr.* 18. 48. — Sine additis. *Virg.* 2. *G.* 155.; et *Ovid.* 4. *Fast.* 633. Gravidum pecus. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 43. muræna. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 5. (12). balænæ. Cf. *Ovid.* 2. *Amor.* 14. 17. Gravida alvus. — *Gravida* absolute est mulier gravida. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 57. (107). Expetitur gravidarum malaciæ. *Id.* 28. *ibid.* 6. 17. (59). Adsidere gravidis. Adde *Plaut. Truc.* 2. 5. 22. — *b*) Poetice de terra vel agro. *Virg.* 2. *G.* 5. tibi pampineo gravidus auctumno Floret ager. *Ovid.* 4. *Fast.* 633. gravidæ nunc semine terræ.

II.) Translate est plenus, refertus, onustus, gravis, et occurrit apud Poetas tantum. *gravido, pieno*, ἔμφορτος, ἔγκυος. — *a*) Cum Ablativo. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Equus (*Trojanus*) gravidus armatis. *Lucret.* 6. 259. Tempestas fulminibus atque procellis gravida. *Cic.* 1. *Divinat.* 12. 20. Martis, quæ parvos Mavortis semine natos Uberibus gravidis vitali rore rigabat. *Virg.* 7. *Æn.* 507. Stipes gravidus nodis. *Horat.* 1. *Od.* 22. 3. Pharetra gravida sagittis. *Ovid.* 10. *Met.* 531 gravidamque Amathunta metallis. *Al. leg.* metalli. *Sil. It.* 6. 155. alvus serpentis gravida venenis. *Virg.* 10. *Æn.* 87. Urbs bellis gravida. *Id.* 4. *ibid.* 229. gravida imperiis Italia. *Lucan.* 5. 735. pectus gravidum curis. *Sil. It.* 13. 394. anus gravida arcanis. *Id. ibid.* 512. populus gravidus noxa. *Val. Flacc.* 5. 22. Qualem præcipiti gravidum jam sorte parentem Natorum flet parva manus. *h. e.* gravatum sorte imminente. — *b*) Cum Genitivo. *Sil. It.* 2. 220. Mellis apes gravidæ. — *c*) Absolute. *Plaut. Truc.* 1. 2. 3. Neu qui manus attulerit steriles intro ad nos gravidas foras exportet. *Cic.* 1. *Divinat.* 11. 18. Aut quum se gravido tremefecit corpore tellus. *Lucret.* 6. 440.; et *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 107. Gravidæ nubes. Cf. *Val. Flacc.* 2. 56. gravidum lunæ cornu. *h. e.* imbres ventosque portendens ac ferens. *Virg.* 1. *G.* 111.; et *Ovid.* 1. *Met.* 110. Gravidæ aristæ. *Ovid.* 7. *ibid.* 293. fetus. *Virg.* 3. *G.* 317. uber. *Val. Flacc.* 8. 98. Quam gravida nunc mole jaces! quam segnis inertem Flatus habet! *h. e.* vesta et somni plena. Loquitur de dracone aurei velleris custode, quem incantamentis Medea sopierat.

GRĂVIS, e, adject. Comp. *Gravior* I. 1. 2. et II. 5. 6.; Sup. *Gravissimus* II. 1. 3. 5. et 6. Ratione habita etymi, nonnullis videtur esse a Græca voce βαρὺς, litteris vero transpositis ῥαβὺς, deinde pro aspirata littera *g* præmissa, et *b* in *v* mutata, ut sæpissime alias. At cl. *Döderlein.* (*Latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 150.) hanc vocem cum Latinis *grossus*, *creber* et cum Græcis γεραός, γραῦς conjungendam putat. Quidquid vero sit, gravis est ponderosus et qui suapte natura deorsum fertur, cui opponitur levis; βαρύς (It. *grave, pesante*; Fr. *lourd, pesant*; Hisp. *pesado, macizo, pesante*; Germ. *schwer wiegend, lastend, beladen, beschwert, angefüllt*; Angl. *heavy, weighty, ponderous*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Lucret.* 5. 498. Sic igitur terræ concreto corpore pondus Constitit, atque omnis mundi quasi limus in imum Confluxit gravis et subsedit funditus, ut fæx. Adde *eumd.* 2. 225. et 5. 451. Cf. *Ovid.* 7. *Met.* 355. gravis tellus. *Cic.* 3. *Nat. D.* 34. 83. Æstate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum. *Cæs.* 5. *B. G.* 8. Qui vectoriis gravibusque navigiis longarum navium cursum adæquarunt. *Horat. Epod.* 4. 17. tot ora navium gravi Rostrata duci pondere. *Id.* 1. *Sat.* 9. 21. Quum gravius dorso (*asellus*) subiit onus. *Id.* 1. *Ep.* 13. 6. gravis sarcina. *Virg.* 1. *G.* 162. inflexi grave robur aratri. *Id.* 6. *Æn.* 516. Quum fatalis equus - armatum peditem gravis attulit alvo. *Liv.* 31. 39. Grave agmen. *h. e.* hostium spoliis onustum. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 78. Arbor gravis. *carica di frutte.* — *b*) Cum addito Ablativo rei, qua quis gravis est, est oneratus, onustus, *carico*. *Liv.* 29. 35. Naves hostium spoliis graves. *Id.* 21. 5. Agmen grave præda. *Virg.* 1. *Ecl.* 36. gravis ære domum mihi dextra redibat. *piena, carica*. *Liv.* 28. 15. Graves imbre nubes. *Ovid. Heroid.* 9. 116. Colus lana gravis. *Plin.* 7. *Ep.* 27. *a med.* Gravis catenis. *carico di catene*. *Quintil.* 8. 3. 8. Graves fructu vites. ¶ 2. Speciatim *æs grave* dictum est a pondere librali, quo primum sub Ser. Tullio asses Romæ cusi sunt, circa ann. U. C. cc. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (42). Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem devictum usus est (*h. e. circa ann. U. C.* CCCCLXXXV.) Librales appendebantur asses: quare æris gravis pœna dicta. Servius rex primus signavit æs. Antea rudi usos Romæ Timæus tradit. *Paul. Diac.* p. 98. 1. *Müll.* Grave æs dictum a pondere. *Liv.* 4. 60. *ad fin.* Et quia nondum argentum signatum erat, æs grave plaustris quidam (*ex patribus*) ad ærarium convehentes, speciosam etiam collationem, (*tributi*) faciebant. *V. As.* — Postquam assis pondus ad sextantarium imminutum est, quod fieri cœpit bello Punico primo, teste *Plin. loc. cit.* (*Festus p.* 347. 14. *Müll.* dicit bello Punico secundo: sed major habenda videtur *Plinio* fides) *æs grave* significare cœpit non asses illos librales, qui in usu esse jam desierant; (illi enim proprie *graves* dicebantur, quia libræ pondo erant) sed vel summam pecuniæ, quæ illos non numero, sed pondere æquaret; vel æs ipsum rude et in massis ad assium libralium pondus appensum. Verbi gratia, quum *Livius* 22. 33. narrat, indici speculatoris Carthaginiensis (qui bello Punico altero per biennium Romæ fefellerat) data fuisse præmii loco æris gravis viginti millia, vel intelligendum est, tot asses illi datos, qui viginti millia pondo æquarent; vel viginti millia librarum æris non signati. Pro secunda hac interpretatione facit, quod tradit *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 862. Virgilium recitantem versus de Marcello Augusti filio, *donatum fuisse ære gravi, idest in massis. nam sic et Livius æs grave dicit, idest massas.* Nihilominus prior interpretatio magis placet: præsertim quia, quod ad *Servium* attinet, *Donatus in Vita Virg. n.* 12. scribit, Virgilium accepisse dena sestertia pro singulis versibus. non ergo æs in massis. Et quod de *Livio* additur, probari non posse videtur. Pecunia certe signata, et non in massis, intelligitur in illo ejusdem *Liv.* 10. 46. Æris gravis transvecta vicies centies millies, etc. id æs redactum ex captivis dicebatur. — *Æs rude* erat in Italia et Romæ præcipue ante Ser. Tullium. *V. Plin. loc. cit.* Constabat porro ex ærea lamina plurium librarum pondo, oblonga, impolita ac rudi, tot globulis distincta, quot erat librarum pondo, cujus specimen habes apud *Passer. Paralip.* in *Dempster. Etrur.* tab. 1. — *Argentum grave* est rude, æstimatum pondere, non artificio. *Seneca Tranquill.* 1. Placet argentum grave rustici patris, sine ullo opere et nomine artificis. *argenteria grossolana.* — Hinc *gravis* transfertur etiam ad pretium et est magnus. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 314. 25. *Merc.* Quum per omnem provinciam infecunditate biennii proximi grave pretium fructibus esset. *Sueton. Aug.* 39. Notavit aliquos, quod pecunias levioribus usuris mutuati graviore fœnore collocassent. *Titinius* apud *Non. p.* 314. 17. *Merc.* Gravique obsonio convivas excipere. *h. e.* magni pretii. *Plaut. Stich.* 4. 2. 32. Annona gravis. *alto prezzo, cioè carestia de' viveri.* Cf. *Sueton. Aug.* 25. In graviore annona. Sic *gravis supellex* apud *Plin.* 8. *Ep.* 17. est pretiosa ac dives. — Similiter de numero. *Varro* apud *Non. p.* 314. 31. *Merc.* Ubi graves pascuntur atque aluntur pavonum greges. *h. e.* numero multi, *molto numerosi.* ¶ 3. Prægnante, uti ajunt, significatione gravis interdum gravidum signat, *gravido*. *Virg.* 1. *Æn.* 277. regina sacerdos Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem. *Ovid.* 9. *Met.* 684. gravis maturo pondere venter. *Id.* 10. *ibid.* 495. gravis uterus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 5. (13). Balænæ utero graves pariendive pœnis invalidæ.

II.) Translate. ¶ 1. Gravis, quum de sonis est sermo, significat imum et crassiorem, et *acuto* opponitur. *Cic.* 1. *Orat.* 59. 251. Vocem ab acutissimo sono usque ad gravissimum recipere. *Id.* 3. *ibid.* 57. 216. Voces ut chordæ sunt intentæ, quæ ad quemque tactum respondeant: acuta, gravis, cita, tarda etc. Adde *eumd.* 6. *de republ.* 18.; et *Horat. Art. P.* 349. Sic *Quintil.* 11. 3. 17. et 42. Gravis vox. *Id.* 2. 8. 15. et 5. 10. 25. sonus. *Id.* 1. 5. 26. tenor. — Hinc *gravis accentus* dicitur a Grammaticis, qui *acuto* contrarius est et syllabam deprimit: cujus nota est lineola inflexa supra vocalem, a sinistra in dexteram, hoc modo `. Et ipsa quoque syllaba, talem habens accentum, gravis appellatur. *Quintil.* 1. 5. 22. et 12. 10. 33.; et *Diomed.* 2. *p.* 423. *Putsch.* ¶ 2. Quum sermo est de odoribus — *a*) Gravis est molestus et fœtens. *Horat. Epod.* 12. 5. an gravis hirsutis cubet hircus in alis. Sic *Virg.* 3. *G.* 415. graves chelydri. *Id. ibid.* 451. hellebori. — *b*) Aliquando *gravis odor* est vehemens quidam ac multus, sed non malus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 15. (28). Calthæ odor gravis est. *Id.* 25. *ibid.* 9. 70. (118). Herba odore suaviter gravi. *Id.* 21. *ibid.* 10. 34. (60). Abrotonum odore jucunde gravi floret. ¶ 3. Refertur et ad sapores. *Varro* apud *Non. p.* 19. 27. et *p.* 314. 14. *Merc.* Absynthium gravem bibere. ¶ 4. Item ad totum corpus refertur, et est molestus, noxius, valetudini infestus, languens, tardus. — *a*) De cibis est molestus, concoquendo difficilis, noxius. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 24. Negat ullum esse cibum tam gravem, quin is die et nocte concoquatur. *Cels.* 2. 18. Genera cibi graviora. *Id. ibid.* Gravissima bubula caro. *Id. ibid.* Pisces gravissimi. — *b*) Sic dicitur sæpe de aere cœloque, et universim de iis, quæ valetudini infesta sunt. *Cels.* 1. 3. Neque ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transitus satis tutus est. *d' aria grossa e cattiva.* *Tac.* 5. *Hist.* 7. Solum cœlumque juxta grave. *Virg.* 10. *Ecl. extr.* solet esse gravis cantantibus umbra. *Horat.* 2. *Od.* 5. 6. Fluviis gravem æstum solari. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 16. Anni tempus gravissimum et calores maximi. *Cæs.* 3. *B. C.* 2. Gravis auctumnus exercitum valetudine tentaverat. *Liv.* 3. 6. Grave tempus et forte annus pestilens erat urbi agrisque. Adde *eumd.* 3. 8. *Virg.* 2. *G.* 377. gravis æstas. — *c*) Similiter de rebus est acer, noxius. *Nepos Hann.* 23. Gravis morbus. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 158. Grave virus. — *d*) De hominibus languentem, onere oppressum, tardum significat, *oppresso, languente, tardo, aggravato*. *Virg.* 3. *G.* 95. Gravis morbo. *Liv.* 21. 48. vulnere. *Id.* 2. 19. Ætate et viribus gravior. *Val. Flacc.* 6. 65. gravior de vulnere. *reso inabile per una ferita.*

Liv. 29. 34. Vino et somno graves. Et absolute *Lucret.* 3. 1079. Aut abit in somnum gravis. *Virg.* 1. *Ecl.* 50. Non insueta graves tentabunt pabula fetas. *malate.* Sic *Curt.* 7. 5. 8. Graves deinde, avide hausto humore, non sustinere arma, non ingredi poterant. Sic *Horat. Epod.* 2. 57. Grave corpus. *malato. Cic. post redit. in sen.* 6. 13. Graves oculi. *Ovid.* 7. *Met.* 537. auræque graves captantur hiatu. *h. e.* æger anhelitus. — a) Gravis est etiam gravis annis, grandævus, *vecchio. Virg.* 5. *Æn.* 387. gravis Entellum dictis castigat Acestes. Ita *Non. p.* 314. 32. *Merc.*; sed et aliter exponi potest; quemadmodum etiam apud *Ter. Heaut.* 4. 1. 32. Natu gravior. *Quintil.* 12. 10. 8. Gravior ætas. ¶ 5. Morali significatione in malam partem *gravis* usurpatur de inanimis et abstractis, et est vehemens, molestus, difficilis, arduus, infestus, acer, asper, præpotens, severus, rigidus, acerbus, mordax. Sic — a) Est vehemens, seu vim habens deprimendi affligendique, veluti pondere superjecto. *Horat.* 1. *Od.* 15. 16. Hastas vitare thalamo graves. *Ovid. de nuce* 173. Gravem securim tollere. *Val. Flacc.* 4. 300. vitalia donec Vincula, qua primo cervix committitur artu, Solvit dextra gravis. *che dà colpi pesanti. Horat.* 4. *Od.* 9. 23. Graves ictus excipere. *Liv.* 2. 17. Gravi vulnera ex equo dejectus. *Horat.* 2. *Od.* 10. 10. Graviore casu decidere. *Id.* 1. *ibid.* 16. 17. Exitio gravi aliquem sternere. *Lucret.* 4. 933. Sopor gravissimus. — Huc fortasse referri possunt et sequentia. *Horat. Epod.* 11. 2. amore percussus gravi. *h. e.* vehementi, magno, *grande.* Sic *Ovid.* 2. *Art. am.* 604. gravis culpa. — Ceterum de abstractis, pro vehementi, seu vim habente deprimendi affligendique, veluti pondere superjecto. *Cic. Senect.* 2. 4. Quod numquam tibi senectutem gravem esse senserim, quæ plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Ætna gravius dicant sustinere. *Id. Rosc. Am.* 38. 112. Suscipis onus officii, quod minime videtur grave iis, qui minime ipsi leves sunt. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 23. *Id.* 1. *Off.* 21. 70. Et facilior, et minus aliis gravis aut molesta vita est otiosorum. *Poeta* apud *eumd.* 1. *Tusc.* 48. 115. Qui labores morte finisset graves. — b) Item molestus, difficilis, arduus. *Cic.* 1. *de republ.* 4. Non dubitaverim me gravissimis tempestatibus ac pæne fulminibus ipsis obvium ferre. *Cæs.* 1. *B. G.* 32. Hoc esse miseriorem gravioremque fortunam Sequanorum, quam reliquorum. *Id.* 7. *ibid.* 14. Hæc si gravia aut acerba videantur, multo illa gravius æstimare debere liberos, conjuges in servitutem abstrahi. *Cic.* 13. *Fam.* 73. Velim, si tibi grave non erit, me certiorem facias. *Id.* 2. *ibid.* 6. Grave est homini pudenti petere aliquid magnum etc. *Id.* 1. *Att.* 5. Non mihi grave duxissem scribere ad te. *Id. Balb.* 9. 24. Etenim in populum Romanum grave est, non posse uti sociis virtute præditis. — c) Item acerbus, severus, rigidus. *Cic.* 5. *Verr.* 58. 134. Graviore verbo appellare aliquem. *h. e.* acerbo, aspero, mordaci. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Non dubitare, quin de omnibus obsidibus gravissimum supplicium sumat. *h. e.* severissimum, rigidissimum. Sic *Id. ibid.* 20. Ne quid gravius in fratrem statueret. *Cic.* 1. *Cat.* 1. 3. Habemus senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave. *Liv.* 29. 21. Grave edictum. *Pseudo-Ascon.* pro *Mil. in fin.* Graves sententiæ. *voti contrarii*, quibus opponuntur *absolutoriæ.* — Sic de hominibus pro severo, rigido, *Cic. Brut.* 17. 66. Quis Catone gravior in laudando? acerbior in vituperando? — d) Item de hominibus est infestus, acer, asper, præpotens. *Cic.* 13. *Fam.* 76. Testes estis, numquam me gravem vobis esse voluisse. *Id.* 3. *Off.* 22. 86. Gravem adversarium imperii perfuga unus sustulisset. *Liv.* 10. 18. Gravior hostis. *Cic.* 1. *de republ.* 43. Senes ad ludum adolescentium descendant, ne sint odiosi et graves. *Liv.* 44. 30. Gravis popularibus esse cœpit. Cf. *Virg.* 8. *Æn.* 582. gravior ne nuncius aures Vulneret. *h. e.* tristis. ¶ 6. Item morali significatione in bonam partem — a) De rebus præcipue abstractis est magni momenti, solidus, firmus. *Plaut. Trin.* 2. 2. 107. Gravius erit tuum unum verbum ad eam rem, quam centum mea. *Ter. Adelph.* 3. 5. 21. Mane: nondum audisti, Demea, quod est gravissimum. *quel ch'è più importante. Lucilius* apud *Non. p.* 315. 31. *Merc.*; et *Quintil.* 1. 2. 3. Gravis causa. Sic *Cæs.* 1. *B. C.* 44. Neque ab signis discedere, neque sine gravi causa eum locum, quem ceperant, dimitti, censuerant oportere. *Cic. Rosc. com.* 2. 6. Quod apud omnes leve et infirmum est, id apud judicem grave et sanctum esse ducetur. *Id.* 3. *Off.* 8. 35. Ea (*honestas*) aut sola expetenda est, ut Zenoni visum est, aut certe omni pondere gravior habenda quam reliqua omnia, quod Aristoteli placet. *Id. Dejot.* 2. 5. Quæ mihi ad spem obtinendæ veritatis gravissima sunt, ad motum animi et ad omnem impetum dicendi contentionemque leviora. *Id.* 1. *Off.* 29. 103. Ludo et joco uti illo quidem licet; sed, sicut somno et quietibus ceteris, tum, quum gravibus seriisque rebus satis fecerimus. *Id.* 2. *de republ.* 34. Ut potentia senatus atque auctoritas minueretur; quæ tamen gravis et magna remanebat. *Id. Brut.* 95. 325. Sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis. *Id.* 2. *Orat.* 56. 227. Nec enim contentio major umquam fuit, nec apud populum gravior oratio, neque lepore et festivitate conditior. *Horat. Art. P.* 14. Gravia incepta. *Id.* 4. *Od.* 15. 26. Exemplum grave præbet ales. — b) De hominibus est serius, auctoritatem habens, *serio, autorevole. Cic.* 2. *Orat.* 37. 154. Non tulit ullos hæc civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores. *Id. Brut.* 81. 282. Gravis sine arrogantia, verecundus sine segnitia. *Id.* 1. *Orat.* 9. 38. Quorum pater, homo prudens et gravis. *Id.* 1. *de republ.* 13. Neque oratio abhorrens a persona hominis gravissimi. *Id.* 2. *Fam.* 2. Gravis testis. *di credito*, cujus dicta pondus habent auctoritatis et fidei. *Id. Pis.* 6. 14. Gravis auctor in medicina. *Quintil.* 12. 1. 36. Gravissimi sapientiæ magistri. *Id.* 11. 1. 45. Non idem apud graves viros, quod leviores decet. *Virg.* 1. *Æn.* 155. Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem Conspexere. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 350. Atque aliquis gravior morum. Sic *Cic.* 1. *de republ.* 3. Nec vero levitatis Atheniensium exempla deficiunt, quæ nata et frequentata apud illos, etiam in gravissimam civitatem nostram dicuntur redundasse. Adde *Liv.* 34. 17. Cf. *Plin. Paneg.* 41. Fronte gravi et tristi supercilio. — Hinc

Grave, adverbii more pro *graviter. Stat.* 12. *Theb.* 248. grave comminus æstuat aer Sordidus. *Id.* 4. *ibid.* 213. Et grave Tisiphone risit. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 120. *Val. Flacc.* 5. 170. grave Titan vociferans.

GRĂVĬSŎNUS, a, um, adject. qui graviter sonat. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 53. Sonoras, gravisonas; et est tempestatis epitheton.

GRĂVĬTAS, ātis, *f.* 3. (gravis) ponderitas, pondus, βαρύτης (*It. gravezza, peso*; *Fr. pesanteur, poids. gravité*; *Hisp. pesadez, cargazon, peso, carga*; *Germ. d. Schwere, d. Gewicht, d. Last*; *Angl. heaviness, weightiness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 3. 1067. pondus se gravitate fatiget. *Id.* 2. 83. cuncta necesse est Aut gravitate sua ferri primordia rerum, Aut etc. *Cic. Fat.* 11. 24. De ipsa atomo dici potest, quum per inane moveatur gravitate et pondere etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 45. 116. Terræ partibus omnibus in medium vergentibus, nihil interrumpit, quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum. *Cæs.* 5. *B. G.* 16. Gravitas armorum. *Id.* 1. *B. C.* 58. Gravitas et tarditas navium. *Ovid.* 2. *Met.* 821. ignava nequeunt gravitate moveri. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 39. ¶ 2. Speciatim est caritas, *carestia dei viveri. Tac.* 6. *Ann.* 13. Gravitate annonæ juxta seditionem ventum est. ¶ 3. Item graviditas, *gravidanza. Ovid.* 9. *Met.* 287. Tendebat gravitas uterum mihi. *Cf. eumd.* 10. *ibid.* 504. Tendit onus matrem.

II.) Translate. ¶ 1. Gravitas, quum sermo est de odoribus, — a) Aliquando significat solam odorum vehementiam. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 18. (37). Quorumdam odorum suavitati gravitas inest. *h. e.* acer odor. — b) Interdum est graveolentia. *Id.* 22. *ibid.* 18. 21. (47). Gravitas odoris. *Id.* 20. *ibid.* 9. 35. (91). Gravitatem animæ facit brassica. *Id.* 30. *ibid.* 6. 15. (44). Gravitas halitus. *Id.* 28. *ibid.* 12. 51. (190). oris. ¶ 2. Quum de corpore ejusque membris sermo est, gravitas est gravedo, tarditas, infirmitas, languor. — a) Quum sermo est de aere, est densitas et crassitudo. *Cic.* 11. *Att.* 22. Corpore vix sustineo gravitatem hujus cœli. *Tac.* 2. *Ann.* 85. Gravitas cœli. *Liv.* 23. 34. cœli aquarumque. *Id.* 25. 26. loci. Cf. *Sall. fragm.* apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 1. *p.* 418. Ægra parte militum auctumni gravitate. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 19. Auctumnusque gravis, Libitinæ quæstus acerbæ. — b) De morbo est vis, vehementia. *Cic.* 3. *Nat. D.* 31. 76. Ut si medicus gravitatem morbi, gubernator vim tempestatis accuset. *Ovid.* 15. *Met.* 21. pressus gravitate soporis. Cf. *eumd.* 11. *ibid.* 618. *de Somno.* tardaque deus gravitate jacentes Vix oculos tollens. — c) Item infirmitas, tarditas, languor. *Cic.* 3. *Tusc.* 1. 2. An quod corporis gravitatem et dolorem animo judicamus, animi morbum corpore non sentimus? *Id.* 4. *Fin.* 12. 31. Gravitate membrorum levare aliquem. *Lucret.* 3. 477. quum in venas discessit diditus ardor (*vini*), Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur Crura vacillanti, tardescit lingua etc. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 105. (130). Gravitates capitis. *Id.* 20. *ibid.* 11. 44. (113). Gravitas aurium. *durezza di orecchie.* Sic *Id.* 23. *ibid.* 4. 42. (85). auditus. et 28. *ibid.* 11. 48. (176). audiendi. ¶ 3. Morali significatione in malam partem est pondus, magnitudo, molestia, acerbitas, vis. *Cic.* 3. *Orat.* 11. 42. Rustica vox et agrestis quosdam delectat: ut tuus, Catule, sodalis L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate linguæ sonoque vocis agresti. *Sall. orat. Licin. Trib. pleb.* Gravitas injuriæ. *h. e.* magnitudo et acerbitas. *Liv.* 31. 7. Fessi diuturnitate et gravitate belli. *h. e.* vi, molestia. *Tac.* 15. *Ann.* 18. Qui (*principes*) gravitate sumptuum justos reditus anteissent. ¶ 4. Item morali significatione, sed in bonam partem, est potentia, dignitas, pondus, atque adeo soliditas, firmitas, constantia, et quædam severitas in vultu, verbis, moribus, ex qua fides et auctoritas oritur, cui *levitas* opponitur, *gravità, importanza, peso, rilievo, dignità, energia, fermezza, costanza.* — a) Sic pro fortitudine, viribus, potentia: ex quibus firmitas nascitur. *Cæs.* 4. *B. G.* 3. Hos quum Suevi propter amplitudinem gravitatemque civitatis finibus expellere non potuissent. Cf. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 32. 87. Qui tres solum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam, statuerunt posse imperii gravitatem ac nomen sustinere. — b) Refertur et ad orationem. *Cic.* 2. *Orat.* 17. 72. Sententiarum gravitate, verborum ponderibus est utendum. — Similiter *Id.* 5. *Tusc.* 12. 34. Hujus sententiæ gravitas a Platonis auctoritate repetatur. *h. e.* soliditas, firmitas. Sic *Id. Amic.* 1. 4. Genus hoc sermonum positum in hominum veterum auctoritate plus videtur habere gravitatis. — c) Sæpius est firmitas, constantia, et quædam severitas in vultu, verbis, moribus, ex qua fides et auctoritas oritur; cui *levitas* opponitur. *Cic. Amic.* 25. 96. Quanta illa, dii immortales, fuit gravitas! quanta in oratione majestas! *Id. ibid.* 18. 66. Tristitia et in omni re severitas habet illa quidem gravitatem, sed amicitia remissior esse debet et liberior. *Id. Senect.* 4. 10. Erat in illo viro comitate condita gravitas. Adde *eumd.* 2. *de republ.* 1. Cf. *Nepos Att.* 25. Ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate. et *Vellej.* 2. 116. Gravitatem humanitate temperare. Rursus *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 9. 1. Cum summa gravitate et cum summa lenitate facere quidpiam. *Id.* 9. *Att.* 9. *circa med.* Præclare admones, ne nimis indulgenter, et ut cum gravitate potius loquar. *Id. ibid.* 19. *extr.* Gravitatem in congressu nostro tenui, quam debui. *Id.* 10. *ibid.* 1. *a med.* Tu cum Sexto servasti gravitatem eamdem, quam mihi præcipis. *Id.* 5. *Fam.* 16. *ad fin.* Non est gravitatis ac sapientiæ tuæ, ferre immoderatius casum incommodorum tuorum. *et mox.* Tuenda tibi est gravitas, et constantiæ serviendum. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 8. 3. Adhibere virtutem et gravitatem in dolore. *Id. Mur.* 3. 6. Ego has partes lenitatis et misericordiæ semper egi libenter: illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi, sed ab republica mihi impositam sustinui. Adde *eumd.* 2. *Tusc.* 21. 49. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (120). Paucis diei horis pingebat: id quoque cum gravitate, quod semper togatus, quamquam in machinis. *Cic. Brut.* 95. 326. Hæc genera dicendi in senibus gravitatem non habent. *Id.* 1. *de republ.* 10. Plato leporem Socraticum subtilitatemque sermonis cum obscuritate Pythagoræ et cum illa plurimarum artium gravitate contexuit. *Quintil.* 9. 4. 140. Senarius quantum accipit celeritatis, tantum gravitatis amittit. — d) Pro fide, constantia, perseverantia, firmitate in promissis, *fermezza, costanza. Propert.* 2. 16. 14. Tu modo ne dubita de gravitate mea. Ossa tibi juro per matris etc.

GRĂVĬTER, adverb. (gravis). Comp. *Gravius* II. 2. et 3.; Sup. *Gravissime* II. 2. 3. et 4. — Graviter

est cum pondere, βαρέως, (It. *gravemente*; Fr. *pesamment*, *lourdement*; Hisp. *pesadamente*; Germ. *schwer*, *gewichtig*, *lastend*; Angl. *heavily*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Lucret*. 4. 328. at alte Aera per purum graviter simulacra feruntur. *Id*. 1. 741. Principiis tamen in rerum fecere ruinas, Et graviter magni magno cecidere ibi casu. Sic *Virg*. 5. *Æn*. 147.; et *Ovid*. 1. *Pont*. 7. 49. graviter cadere.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad sonos et *acute* opponitur. *Cic*. 6. *de republ*. 18. Natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera acute sonent. *Lucret*. 4. 543. Quum tuba depresso graviter sub murmure mugit. ¶ 2. De inanimis est magna cum vi, *con forza*. *Ter*. *Heaut*. 3. 3. 52. Graviter crepuerunt fores. *con grande forza o strepito*. *Id*. *Adelph*. 5. 3. 2. Pellere graviter fores. *con grande forza*. *Lucret*. 5. 105. graviter terrorum motibus ortis Omnia conquassari in parvo tempore cernes. *Id*. 6. 287. Inde tremor terras graviter pertentat. *Id*. *ibid*. 428. Fervescunt graviter spirantibus incita flabris. Sic *Virg*. 4. *G*. 31. graviter spirantis copia thymbræ. *con molto buon odore*. *Id*. 12. *Æn*. 295. graviter ferire aliquam. *Id*. 10. *ibid*. 347. hasta sub mentum graviter pressa. *con forza*. Cf. *Cæs*. 4. *B*. *G*. 16. Graviter premi ab hostibus. *Curt*. 4. 15. 18. Gravius instare territis. *sempre più incalzando*. *Cæs*. 4. *B*. *G*. 31. Naves gravissime afflictæ. *che hanno patito assai*. ¶ 3. De abstractis et morali significatione, in malam partem est vehementer, acriter; et latissime patet. — *a*) Sic pro valde, vehementer. *Cic*. 1. *Off*. 10. 32. Interim graviter ægrotare filius coepit. *Id*. 7. *Att*. 2. Graviter se habere. *star assai male*. Cf. *Virg*. 7. *Æn*. 753. graviter spirantes hydri. *h*. *e*. afflatu gravi et noxio. *Cæs*. 5. *B*. *G*. 30. Gravissime terreri periculo mortis. *Id*. *ibid*. 52. *extr*. Gravissime dolere. *Plaut*. *Cist*. 1. 1. 87. Graviter amare. *Cæcilius* apud *Non*. p. 314. 19. *Merc*. Placere occœpit graviter, postquam est mortua. *assai*. *Ter*. *Heaut*. 3. 3. 9. Graviter advertere. *osservare attentamente e per minuto*. *Id*. *Hecyr*. 4. 4. 1. Graviter iratum alicui esse. *Id*. *ibid*. *v*. 95. Gravius accusare. *Cic*. 12. *Phil*. 11. 27. Cives gravissime dissentientes. *Id*. 1. *Cat*. 7. 17. Graviter suspectum esse alicui. *Id*. *Amic*. 3. 10. Suis commodis graviter angi. *Liv*. 2. 17. *extr*. Iræ graviter ultæ. *Plin*. 17. *Hist*. *nat*. 1. 1. (3). Graviter increpare quempiam. *Tac*. 1. *Ann*. 77. Theatri licentia gravius tum erupit. — *b*) Pro ægre, moleste, inique animo. *Ter*. *Heaut*. 1. 1. 61. Adolescentulus, semper eadem ei graviter audiendo, victus est. *con noja*. *Cic*. *Cluent*. 6. 16. Tulit hoc commune dedecus jam familiæ graviter filius. *Id*. 3. *Verr*. 58. 152. Hoc ab isto prædone ereptum esse, graviter tum et acerbe ferebant. Adde *eumd*. *Harusp*. *resp*. 22. 47. *Tac*. *Agric*. 19. In quæstum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. Rursus *Cic*. 2. *Orat*. 52. 211. Casus humanarum miseriarum graviter accipere. *con sentimento e compassione*. *Tac*. 13. *Ann*. 36. Graviter accipere quidpiam. *con isdegno e dolore*. — *c*) Item severe, rigide, aspere, *con asprezza e rigore*. *Ter*. *Adelph*. 1. 2. 60. Graviter dicere in aliquem. *con asprezza*, *con istrapazzo*. *Cic*. *Cœl*. 14. 33. Utrum me secum severe et graviter et prisce agere malit, an remisse ac leniter et urbane. *Cæs*. 1. *B*. *C*. 5. De amplissimis viris gravissime acerbissimeque decernere. *Id*. 3. *B*. *G*. 16. Gravius in aliquem vindicare. ¶ 4. Item morali significatione, sed in bonam partem est serio, et ut gravem hominem decet, constanter, firme, *con gravità*. *Cæs*. 2. *B*. *C*. 32. Gravissime judicare de aliquo. *posatamente e con onorevolezza*. *Cic*. *Rosc*. *Am*. 4. 9. His de rebus tantis tamque atrocibus neque satis me commode dicere, neque satis graviter conqueri, neque satis libere vociferari posse intelligo. Nam commoditati ingenium, gravitati ætas, libertati tempora sunt impedimento. Adde *eumd*. *Amic*. 21. 77. *Id*. 4. *Fin*. 2. 5. Graviter et copiose aliquid tractare. *con sodezza ed eloquenza*. Sic *Id*. *Orat*. 9. 30. Thucydides res gestas et bella narrat et prælia graviter sane et probe.

GRĀVĪTŪDO, inis, f. 3. idem quod gravedo, morbus capitis. *Vitruv*. 1. 6. Vitia, quæ difficulter curantur, gravitudo, arthritis, tussis, pleuritis. Hinc *Vitruvii* locum ita illustrat *Morgagnius* in *Epist*. ad *Polen*. *Exerc*. II. *Vitruv*. p. 142. *Victorius* legit *gravido*, quæ vox ad aliorum normam facta illi videtur, ut *libido*, *cupido*, *formido*. Ipse pro *gravitudo*, *arthritis*, legendum conjicio *ravitudo arteriæ*, vel *arteriarum*, nulla propemodum scripturæ mutatione, eadem tamen sententia (*V*. ARTERIA-TIS.). Nam, ut *mollire* habemus et *mollitudo*, *parire* (sic enim veteres, atque in his *Ennius*, dicebant) et *paritudo*; sic non est adeo fortasse absonum, ut quum Plautinum verbum exstet *ravire*, *ravitudo* quoque dici potuisse videatur, aut si quis malit derivari a *molli mollitudinem*, non secus ac a *gravi gravitudinem*, vel certe ab *ampli amplitudinem*, a *magni magnitudinem*, idem pariter a *ravi* poterit *ravitudinem* derivare. Hæc ille. *Schneiderus* in sua *Vitruvii* editione habet *gravitudo arteriaca*. Quidquid vero sit de vocis hujus αὐθεντίᾳ, apud *Vitruvium*, ea tamen legitur apud *Apic*. 3. 6. Sine ructu et gravitudine.

GRĂVĬUSCŬLUS, a, um, adject. *deminut*. *a gravior*, aliquantum gravis. *Gell*. 1. 11. *a med*. Qui fistula brevi sensim graviusculum sonum inspiraret.

GRĂVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (Vide et voc. seq.). Part. *Gravans* et *Gravandus* I.; *Gravatus* I. et II. — Gravare est onerare, pondere premere, gravem reddere, βαρύνω (It. *caricare*, *aggravare*; Fr. *appesantir*, *alourdir*, *charger*; Hisp. *agravar*, *anegar*, *cargar*; Germ. *beschweren*, *belästigen*, *drücken*; Angl. *to burden*, *load*, *weigh down*).

I.) Proprie. *Lucret*. 1. 253. crescunt ipsæ (*arbores*) fetuque gravantur. *Propert*. 3. 3. 2. Non est ingenii cymba gravanda tui. *Ovid*. 8. *Met*. 205. ne, si demissior ibis, Unda gravet pennas; si celsior, ignis adurat. *Id*. 13. *ibid*. 812. sunt poma gravantia ramos. *Id*. *Heroid*. 11. 38. Ægraque furtivum membra gravabat onus. *Plin*. 21. *Hist*. *nat*. 19. 75. (128). Stomacho inutilis, nervis inimicus, caput gravans. *Tac*. 1. *Ann*. 20. Præfectum castrorum sarcinis gravant, aguntque primo in agmine. *Stat*. 10. *Theb*. 257. ferus Actora magno Ense gravat Capaneus. *h*. *e*. gestandum dat ensem gravem. *Capitolin*. *Antonin*. 12. Alia die febre commotus est: tertia quum se gravari videret etc. — Hinc Part. præter. pass. *Gravatus* apud *Colum*. 6. *R*. *R*. 9. 2. Signa febricitantis, manantes lacrimæ, gravatum caput, oculi compressi. *Liv*. 30. 18. Gravatus vulneribus. *Id*. 25. 24. Gravati omnes vino somnoque. *Ovid*. 4. *Met*. 145. Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos Pyramus erexit. *Claudian*. 1. *Rapt*. *Pros*. 161. *de Ætna*. Nunc vomit indigenos nimbos, piceaque gravatum Celat nube diem. *Id*. 3. *ibid*. 351. Gravatus pondere. *Curt*. 5. 7. 11. Gravata ebrietate mens. *Justin*. 20. 2. *ad fin*. Longinqua militia gravat. *Petron*. *Satyr*. 22. Quum Ascyltos gravatus tot malis in somnum laberetur. — *Gravare syllabam* apud Grammaticos est gravi accentu notare. *Priscian*. 1. p. 539. *Putsch*. Quum singulæ vocales denos inveniantur habentes sonos, vel plures; et puta a littera brevis quatuor habet soni differentias, quum habens aspirationem acuitur vel gravatur, et rursus quum sine aspiratione acuitur vel gravatur. Adde *eumd*. *ibid*. *sæpe*. *Id*. *super XII*. *vers*. *Æn*. *lib*. 5. p. 1242. *Putsch*. *Ne*, quando μή significat, gravatur; quando vero τὸ ναὶ, circumflectitur; *sic*, quando similitudinis est, circumflectitur; quando jurantis, gravatur.

II.) Translate est molestia afficere, pejorem reddere. *Horat*. 2. *Ep*. 1. 264. Nil moror officium, quod me gravat. *Ovid*. 4. *Trist*. 6. 27. Nec tam nota mihi, quem sunt, mala nostra fuerunt: Sed magis hoc, quo sunt cognitiora, gravant. *Id*. 5. *ibid*. 11. *extr*. An fortunam parce gravare meam. *h*. *e*. miseriorem reddere. *Tac*. 14. *Ann*. 12. Quo gravaret invidiam matris.

GRĂVOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Gravatus* I. et II. — Gravari dicitur, qui quippiam ægre fert, atque invitus, gravate, aut cum fastidio facit: et occurrit — *a*) Absolute. *Plaut*. *Mil*. *glor*. 4. 6. 15. Benignus erga me siet; quod cupiam, ne gravetur. *scil*. dare. *Varro* 1. *R*. *R*. 3. Ille non gravatus, Primum, inquit, etc. *Cic*. *Cluent*. 25. 69. Sed primo gravari cœpit, quod invidiam atque offensionem timere dicebat. *Id*. *Amic*. 5. 17. Ego vero non gravarer, si etc. — *b*) Sequente infinito. *Cic*. 1. *Orat*. 35. 164. Rogo, ut ne graveris exædificare id opus, quod instituisti. *Id*. 7. *Fam*. 14. 1. Valde jam lautus es, qui gravere litteras ad me dare. *ti aggravi di etc.*, *ti dà pena*, *ti pesa*. — *c*) Cum Accusativo. *Horat*. 4. *Od*. 11. 27. Pegasus terrenum equitem gravatus Bellerophontem. *h*. *e*. indignatus, atque adeo excutiens. *Seneca* 1. *Clem*. 12. *extr*. At illum acerbum et sanguinarium necesse est graventur stipatores sui. *si stanchino di sopportarlo*. *Seneca* *Thyest*. 105. Jam tum noste pedem terræ graventur. *di mala voglia si sostentano*. *Tac*. 3. *Ann*. 59. Sane gravaretur aspectum civium senex imperator. *Id*. 5. *ibid*. 8. Crebris prolationibus, spem ac metum juxta, gravatus Vitellius, ictum venis intulit. *stanco e annojato*. *Sueton*. *Aug*. 72. Ampla et operosa prætoria gravabatur. *gli dispiacevano*. *Id*. *Ner*. 34. Matrem dicta factaque sua exquirentem, hactenus primo gravabatur, ut etc. *non potea tollerare*. *Id*. *Vitell*. 12. Hunc ob nimiam contumaciam et ferocitatem gravatus, lanistæ vendidit. *annojatosi di costui*. In his, et similibus videtur aliquod infinitum verbum subaudiendum. *ferre*, *tolerare*, etc. aut præpositio *ob*, *propter*. Cf. et *Macrob*. 7. *Saturn*. 5. *ante med*. Cibo fartus stomachum vel ventrem gravatur. h. e. *sente aggravato lo stomaco o il ventre*.

GRAXO. *V*. *Gratiis* in fin. v. GRATIA.

GRĔGĀLIS, e, adject. *d'uno stesso gregge*, ἀγελαῖος, qui ejusdem est gregis.

I.) Proprie. *Varro* 2. *R*. *R*. 7. 6. Equi boni futuri signa sunt, si cum gregalibus in pabulo contendit in currendo. *Plin*. 10. *Hist*. *nat*. 63. 83. (181). Gregales equæ. *h*. *e*. quæ adhuc in grege sunt, necdum domitæ. *Apul*. 6. *Met*. Gregalia pecua. *h*. *e*. quæ gregatim pascuntur.

II.) Translate. ¶ 1. In bonam partem de hominibus, *gregales*, *ium*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt sodales, familiares. *Cic*. 7. *Fam*. 33. 1. Nos nihil sumus, gregalibus illis, quibus, te plaudente, vigebamus, amissis. *compagni*, *amici di confidenza*. Sic *Id*. 2. *Orat*. 62. 253. Quum gregales (*eum*) requirerent. — Et in re militari. *Inscript*. apud *Henzen*. 6858. A. D. XVII. K. IVLIAS C. LAECANIO BASSO M. LICINIO CRASSO FRVGI COS. (*h*. *e*. anno post Chr. n. 64.) PAG. II KAP. XVI. ALAE GEMELLIANAE, CVI PRAEST Q. POMPONIVS Q. F. COL. RVFVS GREGALIBVS CATTAO BARDI F. HELVETIO ET SABINAE DAMMI FILIAE VXORI EIVS HELVETIAE ET VINDELICO F. EIVS ET MATERIONAE FILIAE EIVS DESCRIPT. ET RECOGNIT. EX TABVLA AENEA QVAE FIXA EST ROMAE IN CAPITOLIO POST AEDEM IOVIS O. M. IN BASI Q. MARCI REGIS PR. ¶ 2. In malam partem transfertur tum ad nomines, tum ad res vulgares vilioresque. — *a*) De hominibus. *Cic*. *Dom*. 28. 75. Gregales Catilinæ. *compagnoni*. *Id*. *Harusp*. *resp*. 25. 53. Gregales Clodii. *Prudent*. 5. περὶ στεφ. 391. Gregalis plebs. *la plebaglia*. — *b*) De rebus. *Liv*. 7. 34. Gregali sagulo amictus. Sic *Tac*. 1. *Ann*. 69. Filium ducis gregali habitu circumferre. *h*. *e*. gregarii militis. *Seneca* *Ep*. 86. Balnea obscura, et gregali tectorio inducta. *dozzinale*, *ordinario*. *Id*. 1. *Benef*. 12. *extr*. Gregalia quoque poma, etiam post paucos dies itura in fastidium, delectant, si provenere maturius. *Plin*. 18. *Hist*. *nat*. 9. 20. (86). Gregalis siligo. *Stat*. 1. *Silv*. 6. 74. comminutis Permutat vitreis gregale sulphur.

GRĔGĀRIUS, a, um, adject. *di gregge*, ἀγελαῖος, ad gregem pertinens.

I.) Proprie. *Colum*. 6. *R*. *R*. *præfat*. 1. Pecoris, gregariorumque pastorum curam abnuere. — In *Gloss*. *Philox*. *gregarius* exponitur ἀγελάρχης, *h*. *e*. gregis dux: quo sensu *Apul*. 7. *Met*. quem *armentarium equisonem* dixerat, paullo post *gregarium* vocat.

II.) Translate *gregarius miles* est, qui in exercitu nulla est in dignitate constitutus, *h*. *e*. neque centurionis, neque præfecti, aut tribuni, aut primi pili etc., sed e vulgo, seu grege militum censetur. — *a*) In plurali numero. *Cic*. *Planc*. 30. 72. Id etiam gregarii milites faciunt inviti, ut coronam dent civicam, et se ab aliquo servatos fateantur. *Sall*. *Cat*. 38. Ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, ut etc. — *b*) In singulari numero. *Curt*. 7. 2. 33. Septuaginta natus annos juvenis ducis, et sæpe etiam gregarii militis munia explevit. *Tac*. 5. *Hist*. 1. Cæsar Titus plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore. *Id*. 1. *ibid*. 36. Gregarius miles cavere insuper præpositos jubebat. *Justin*. 13. 4. 10. Ptolemæus, quem ex gregario milite Alexander virtutis causa provexerat. *Tac*. 3. *Hist*. 51. Ut gregarius eques, occisum a se fratrem professus, præmium a ducibus petierit. — *c*) Hinc etiam *Justin*. 22. 1. Gregariam militiam sortitus. — *d*) Et

metaphorâ hinc sumptâ. *Sidon.* 9. *Ep.* 15. *in carm.* Gregarius poeta. *dozzinale.* — Hinc

Gregarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui civilia privilegia non obtinet. *V.* MŒNIA.

GRĔGĀTIM, adverb. *a schiere, in truppa*, ἀγεληδόν, per greges.

I.) Proprie de brutis. *Colum.* 6. *R. R.* 5. 5. Hæc facienda, si gregatim pecora laborant: illa deinceps, si singula. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 18. (47). Thynni intrant Pontum verno tempore gregatim. *Id.* 11. *ibid.* 5. 4. (11). Apes rempublicam habent, consilia privatim, ac duces gregatim. *Quintil.* 1. 6. 37. Graculos, quia gregatim volent, dictos, Ciceroni persuadere voluit Varro.

II.) Improprie occurrit præcipue de hominum vel plebis multitudine. *Cic.* 7. *Verr.* 57. 148. Videtis cives R. gregatim conjectos in lautumias. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 26. (89). Domus iis nemora lucique, et deorum cultus viritim, gregatimque. *Justin.* 13. 8. Perdiccæ arrogantiam exosi, ad Antipatrum gregatim profugiebant. *Sueton. Cal.* 30. Retiarii tunicati, quinque numero, gregatim dimicantes. — In illo *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 3. (3). Accidit, ut nova contra genera morborum gregatim sentirentur: *gregatim* significat per gregem humilis plebis et populi, exclusis proceribus. *nella bassa plebe.*

GRĔGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

GRĔGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Gregatus.* — Gregare (a *grege*, ut ait *Priscian.* 8. p. 827. *Putsch.* A grege, grego) est gregem colligere, congregare, *congregare.* *Paulin. Nolan. carm.* 17. 200. Nunc oves facti, duce te, gregantur Pacis in ovilem. *Stat.* 1. *Achill.* 373. Idaliæ volucres cæloque domoque gregatæ etc. *Id.* 8. *Theb.* 667. solus qui cædibus hausi Quinquaginta animas: totidem totidemque gregati Ferte manus. *Al. leg.* gregatim.

GRĔMIĀLIS. *V.* CREMIALIS.

GRĔMIUM, ii, n. 2. *Gremia* pro *cremiis* V. in CREMIA. — Gremium est locus inter complexum ventris et feminum, quem sedentes efficimus: quo loco matres nutricesque excipiunt infantes. Differt a *sinu*, qui est intra pectus et brachia; et nihilominus alterum pro altero non raro ponitur: videtur esse vel a χηραμός, vel per syncopen quasi *geremium* a *gero*, κόλπος (It. *grembo, seno*; Fr. *giron, sein*; Hisp. *regazo*; Germ. *der Schooss*; Angl. *the lap, bosom*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Ter. Eun.* 3. 5. 37. Jovem Danaæ misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum. *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 86. Puer in gremio matris sedens, mammam appetens. *Id. Brut.* 58. 211. Apparet filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. Adde *eumd.* 2. *Legg.* 25. 63. *Catull.* 45. 2. Acmen Septimius suos amores Tenens in gremio. *Virg.* 1. *Æn.* 689. gremio accipere. *Id. ibid.* 722. fovere. *Id.* 4. *ibid.* 84. detinere. *Id.* 5. *ibid.* 31. complecti. *Id.* 7. *ibid.* 233. excipere. *Ovid.* 10. *Met.* 406. tollere. *Virg.* 11. *Æn.* 743. Dereptumque ab equo dextra complectitur hostem, Et gremium ante suum multa vi concitus aufert. — *b*) Poetice pro pudendo muliebri. *Catull.* 67. 30. Qui ipse sui gnati minxerint in gremium. *h. e.* corruperit uxorem filii sui. Cf. *Inscript.* optimæ notæ apud *Ruym. Guarin. Comment.* 8. p. 7. TERTIVS A DECIMO CVM ME PRODVCERET ANNVS, CONIVGIS ADSVETI NOMEN GREMIVMQVE RESOLVI *h. e.* zonam virginalem marito meo solvendam permisi. — *c*) *Nec mulieri, nec gremio credi oportet*, proverb. est quod et illa incerti et levis est animi, et plerumque in gremio posita, quum in oblivionem venerunt exsurgentium, procidunt. *Festus* p. 165. 17. *Müll.*

II.) Translate elegantes habet usus. *Virg.* 3. *Æn.* 509. æterni gremio telluris. *coricarsi in terra.* *Cic. Senect.* 15. 51. Terra gremio mollito et subacto semen sparsum excipit. Sic de sinu maris *Solin.* 2. 4. Oræ patentibus gremiis commercio orbis accommodatæ. Rursus *Cic. Pis.* 5. 11. Hæc sunt, o carnifex, in gremio sepulta consulatus tui. *Id. Cæl.* 21. 59. Quum Q. Metellus abstraheretur e sinu gremioque patriæ. *Id. Cluent.* 5. 13. Soror in amantissimi fratris manibus et gremio, mœrore et lacrimis consenescebat. *Virg.* 7. *Æn.* 233. Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit. *Id.* 9. *ibid.* 261. quæcumque mihi fortuna fidesque est, In vestris pono gremiis. *metto in vostra mano, la confido a voi.* *Quintil.* 1. 1. 24. Fingamus igitur Alexandrum dari nobis impositum gremio. *Cic. Pis.* 37. 91. Ætolia fere Græciæ gremio continetur. *Tac.* 4. *Hist.* 72. Quid tantum Cremonam meruisse, quam e gremio Italiæ raptam etc. Sic *Sil. It.* 3. 678. In gremio Thebes. *h. e.* mediis Thebis. et 12. 203. e gremio Capuæ egredi. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 16. 20. (117). Padus e gremio Vesuli montis profluens. *Virg. Mor.* 23. gremium molarum. *Sil. It.* 8. 191. Arenosum gremium fluminis. *alveo, letto.* *Claudian. IV. Cons. Honor.* 395. calidi scrutatus stagna profundi, Tethyos invasit gremium. *il fondo.* *Flor.* 2. 6. excusso in mediam curiam togæ gremio, quasi plane sinu bellum ferret, effudit. *Stat.* 4. *Silv.* 3. 43. Mox haustas aliter replere fossas, Et summo gremium parare dorso. *h. e.* nucleum. seu sedem silici, quo sternenda via erat. *V.* NUCLEUS.

GRESSĬBĬLIS, e, adject. qui gradi potest, aut solet. *Boeth.* in *Aristot. Categ.* 1. p. 137. Homo quum sit gressibilis, potest definiri: homo est, qui per terram pedibus ambulare possit. Adde *eumd. Aristot. Topic.* 2. p. 707. et alibi sæpe.

GRESSĬO, ōnis, f. 3. Idem ac gressus. *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. Caprigeno pecori grandior gressio est. *Alii tamen leg.* gradibilis pro grandior.

GRESSUS, a, um. *V.* GRADIOR.

GRESSUS, us, m. 4. est vox poetica: namque apud *Cic.* 1. *Off.* 36. 131. Ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus. *Orellius* et plerique recentiores ex bonis Codicibus leg. *ingressu.* — Ceterum gressus est gradus, incessus, ambulatio, βάδισμα (It. *l'andare, passo*; Fr. *marche, pas*; Hisp. *marcha, paso*; Germ. *d. Schritt, Gang*; Angl. *a step, pace, going, gait*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari numero. *Virg.* 1. *Æn.* 414. tendere gressum ad mœnia. *Id.* 11. *ibid.* 29. gressum recipere. *ritornare.* *Id.* 6. *ibid.* 389. comprimere. *Seneca Med.* 870. efferre gressum arvis. *uscire.* *Id. Herc. Œt.* 579. ferre in penates. *entrare.* *Val. Flacc.* 6. 348. tenere. *fermare il passo.* *Id.* 3. 8. agere ad litora. *andare.* — *b*) In plurali numero. *Virg.* 3. *G.* 117. *de equo.* gressus glomerare superbos. *Id.* 4. *ibid.* 360. inferre gressus. *h. e.* incedere. *Ovid. Heroid.* 16. 333. Quaque feres gressus. *dovunque camminerai.* *Val. Flacc.* 1. 183. gressus avidos ad litora vertit. *Seneca Herc. Œt.* 1233. gressibus feram vincere. *nel corso.*

II.) Improprie de navis cursu. *Virg.* 5. *Æn.* 162. Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum.

GREX, grĕgis, m. 3. In genere feminino *Lucret.* 2. 660. equorum duellica proles, Buceræque (*al.* buceriæque) greges. *Lucilius* quoque apud *Charis.* 1. p. 72. *Putsch.* has greges dixit. Adde *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 127. 4. — Grex, Græce ἀγέλη, est multitudo animalium una degentium, ut ovium, boum, avium etc. *Paul. Diac.* p. 97. 10. *Müll.* derivat a Græca voce γέργερα. *Voss.* in *Etymol.* ab ἀγείρω *congrego*, quasi sit pro *agrex* (It. *gregge, greggia*; Fr. *troupeau, troupe*; Hisp. *manada, requa, hato, rebaño*; Germ. d. *Heerde*; Angl. *a flock, herd, drove*).

I.) Proprie de brutis animantibus. — *a*) Generatim. *Cic.* 7. *Att.* 7. Pecudes dispulsæ sui generis sequuntur greges. *Id.* 4. *Verr.* 7. 20. Greges nobilissimarum equarum abacti. *Id.* 3. *Phil.* 12. 31. Greges armentorum reliquique pecoris. *Varro* 2. *R. R.* 6. 2. Asinorum gregem qui facere vult bonum. *Virg.* 3. *Æn.* 287. greges lanigeri. *Id.* 7. *Ecl.* 7. Vir gregis ipse caper. Cf. *Ovid.* 1. *Art. am.* 325. Dux gregis. *h. e.* taurus. *Juvenal.* 2. 80. porcorum grex. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 1. 1. (5). elephantorum. *Varro* 3. *R. R.* 6. 2. Pavonum greges. *Id. ibid.* 10. 1. anserum. *Id. ibid.* 11. 1. anatum. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 19. avium. — *b*) Aliquando dicitur de minori pecore, ut de majori *armentum.* *Ovid.* 1. *Met.* 513. Non ego sum pastor: non hic armenta gregesve. *Id.* 4. *ibid.* 634. Mille greges illi, totidemque armenta per herbas Errabant. Adde *Tibull.* 1. 5. 28.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de hominibus. — *a*) In bonam partem. *Cic. Sull.* 28. 77. In hunc igitur gregem P. Sullam ex his honestissimorum hominum gregibus rejicietis? *Id.* 1. *Orat.* 10. 42. Grex philosophorum. *Id.* 1. *Att.* 18. amicorum. *Horat.* 1. *Ep.* 9. 13. Scribe tui gregis hunc. *h. e.* recipe inter amicos tuos. *Curt.* 3. 35. 13. In eodem grege uxor quoque ejusdem fuit. *Id.* 8. 38. 34. Regina venit cum magno nobilium feminarum grege. *Seneca Herc. Fur.* 1149. Natorum grege animosa conjux. *Id. Troad.* 138. grex regum. *Sil. It.* 7. 58. grex ille virorum. *h. e.* Fabiorum manus. — *Grege facto* est agmine facto, manu facta. *Sall. Cat.* 50. Cethegus familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos in audaciam, orabat, uti, grege facto, cum telis ad se irrumperent. *radunatisi, ristrettisi insieme.* *Id. Jug.* 58. Quadraginta, memores nominis Romani, grege facto, locum cepere. — *Uno grege*, omnes simul. *Curt.* 10. 2. 20. Ne servi quidem uno grege profugiunt dominos. *tutti in una volta.* — *b*) In malam partem contemptum adsignificat. *Cic. Rosc. Am.* 32. 89. Ego forsitan propter multitudinem patronorum, in grege annumerer. *fra la turba.* *Horat.* 1. *Ep.* 4. 16. Epicuri de grege porcus. *Id.* 1. *Od.* 37. 9. Contaminatus grex turpium virorum. *Id. Epod.* 16. 37. Grex indocilis. *h. e.* vulgus. *Plaut. Cist.* 4. 2. 67. Grex venalium. *Stat.* 11. *Theb.* 284. Hostia, nate, jaces ceu mutus, et e grege sanguis. ¶ 2. Specialim dicitur de mimis et histrionibus, *compagnia di commedianti*; atque etiam de aurigis circensibus, qui in quatuor factiones seu greges erant divisi. *Petron. Satyr.* 80. Grex agit in scena mimum: pater ille vocatur, Filius hic, nomen divitis ille tenet. *Inscript.* apud *Gruter.* 1024. 5. PYLADI PANTOMIMO ORNAMENTIS DECVRIONALIB. ORNATO GREX ROMANVS OB MERITA EIVS. Adde *Ter. Heaut. prol.* 45. et *Phorm. prol.* 32.; et *Plaut. Cas. prol.* 22. Hinc in fine aliquot priorum *Plauti* comœdiarum, ut *Asinariæ, Captiv., Cas., Epid.* et *Bacchid.*, *grex* adscriptus est, tamquam histrionum chorus, qui omnium histrionum nomine prodit et spectatores paucis alloquitur. In quibusdam MSS. alicubi pro *grex* legitur *recitator*: in fine vero *Cistellariæ* editum est *caterva.* *Inscript.* apud *Gruter.* 338. 5. et alia apud *Marin. Frat. Arv.* p. 257. CONDITOR GREGIS RVSSATAE. *V.* FACTIO. ¶ 3. De inanimis. Jculariter *greges virgarum*, h. e. fasces, dixit *Plaut. Pseud.* 1. 3. 99.

GRĪAS, ădis, f. 3. herbæ genus. *Apul. Herb.* 50. Grias nascitur in Lucania, marmoris albi colorem habens, quatuor rubicundis ornata cauliculis.

GRICENEA, funis crassus. *Paul. Diac.* p. 99. 4. *Müll.* Cf. κρέκειν et κρεκάδια apud *Aristoph. Vesp.* 1215.

GRILLO, et **GRILLUS.** *V.* GRYLLO, et GRYLLUS.

GRĪPHUS, i, m. 2. *enimma*, γρῖφος, Græcis rete significat: hinc inter machinas bellicas enumeratur in *Not. Tir.* p. 126. Griphus, scorpio, sudes. Translate dicitur de ænigmate, quæstione implicata, sermone ambiguo, quibus audientis animus quodammodo irretitur et capitur. *Gell.* 1. 2. Aliosque id genus griphos neminem posse dicens, nisi se, dissolvere. Adde *Apul. Florid.* n. 9.; et *Auson.* qui Edyllium suum undecimum *Griphum* inscripsit. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

GRŌMA *vel* gruma, æ, f. γνώμων, γνώμη.

I.) Proprie est index, norma, genus machinulæ cujusdam, teste *Paul. Diac.* p. 96. 15. *Müll.*, qua regiones agri cujusque cognosci possunt; vel, ut *Non.* p. 63. 6. *Merc.* definit, mensura quædam, qua flexæ viæ ad lineam diriguntur, ut est agrimensorum: a Græcis vocibus allatis. *V.* DEGRUMOR.

II.) Improprie, in castris *gruma* erat locus medius, ubi gromæ organum a metatore ponebatur, ut quatuor faceret angulos normales, et ita divideret castra in quatuor partes, quarum viæ in grumæ loco conveniebant. Erat prope prætorium. *Non. loc. cit.* Grumæ sunt loca media, in quæ directæ quatuor congregantur et conveniunt viæ. *Hygin. de limitib.* p. 164. *Goes.* In castris groma ponitur in tetrantem, qua velut ad forum conveniitur. — De hac voce locus classicus habetur apud *Hygin. Gromat.* p. 5. *vol.* 2. Introitu prætorii, parte media ante viam principalem groma locus appellatur quod turba ibi congruat, sive in dictatione metarum, posito in eodem loco ferramento, groma superponatur, ut portæ castrorum in conspectu rigoris stellam efficiant: et professores ejus artis causa suprascripta gromatici sunt cognominati.

GRŌMĂTĬCA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

GRŌMĀTĬCUS, a, um, adject. γρωματικός, quod ad mensuram spectat, ut disciplina gromatica, quæ agrorum mensuram docet. *Cassiod.* 3. *Variar.* 52. *de eligendo agrimensore.* Hoc enim per geometricas figuras et gromaticam disciplinam ita diligenter agnoscitur. — Hinc

Gromaticus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui gromaticam disciplinam exercet. *V.* GROMA II. in fin. *Cassiod.* 3. *Variar.* 52. Augusti siquidem temporibus urbis Romanus ager divisus censuque descriptus est, ut possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum susceperat quantitate solvenda. Hoc auctor Hyginus gromaticus redegit ad dogma conscriptum, quatenus studiosus legendo possit agnoscere, quod deberet oculis absolute monstrare. Hic pro *Hyginus gromaticus* legitur mendose *Hyrrummetrici* in editionibus.

Gromatica, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est ars dimetiendi, γεωδαισία. Duplex est, altera circa agros, altera circa castra versatur, ut gromæ usus duplex est, in agris, et in castris. Hinc *Hyginus* tum *Gromaticum* scripsit de limitibus constituendis, tum *Gromaticum* de castrorum metatione.

GROMPHÆNA, æ, f. 1. herba est alternis viridibus roseisque per caulem foliis, quæ in posca sanguinem rejicientibus medetur. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 23. (40). Hanc plantam nobis ignotam esse ait cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 388.)

GROMPHĒNA, æ, f. 1. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 15. 52. (146). Gromphenam avem in Sardinia narrant, grui similem, ignotam jam etiam Sardis, ut existimo.

GROSPHUS, i, m. 2. γρόσφος, *raspa*, limæ genus, quo ligna poliuntur radendo. *Arnob.* 6. 14. Simulacra ex incudibus et malleis nata, grosphis rasa. Alii leg. *formis*, alii pejus *grossis*. Videtur hæc vox significare instrumentum illud, quod a *Polluce Onomast.* l. 7. n. 113. et l. 10. n. 146. ἀρίς vocatur, et limæ cognatum: quodque Itali nunc *raspa* et *scuffina* vocant, Latini olim *scobinam* vocabant. De cogn. Rom. *V.* ONOM.

GROSSĀRĬUS, a, um, adject. ad grossos pertinens. Hinc *ars grossaria*, quæ in grossis, seu ficubus divendendis versatur. *Inscript.* apud *Gruter.* 649. 7. NEGOTIATOR ARTIS GROSSARIAE. *Perperam hic legitur* prossariæ.

GROSSĬTŪDO, inis, f. 3. eadem quæ crassitudo, *grossezza*, παχύτης. *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 7. 26. Grossitudo autem lateris trium unciarum erat. *Id. Jerem.* 52. 21. Grossitudo ejus (*columnæ*) quatuor digitorum, et intrinsecus cava erat. *Isid.* 15 *Orig.* 8. Mensura grossitudinis et altitudinis inter se distantes (*columnæ*).

GROSSŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* grossus, parvus grossus. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 10. Si voles ficum, quamvis non natura, serum facere, tum grossulos, prioremve fructum decutito. Adde *eumd. Arbor.* 21.

GROSSUS, a, um, adject. Comp. *Grossior* et Sup. *Grossissimus*. — Grossus est crassus, *grosso*. *Sulpic. Sever.* 1. *Dial.* 21. Vestem respuit grossiorem. *Gloss. Philox.* Grossus, παχύς. *Cassiod.* 10. *Hist. Eccl.* 33. Virga grossa, spinis undique plena. *Id.* ad *Psalm.* 29. 12. Saccus est textrina grossissima atque aspera, in humanos usus laboresque deputata, qui carni humanæ congruenter aptatur. Adde *Vulgat. interpr. Ezech.* 41. 25.

GRŌSSUS, i, m. et f. 2. *fico crudo*, ὄλυνθος, ficus immaturus, seu grossi sunt ὄλυνθοι, qui ut πρόδρομοι, ficus præcoces, ex reliquo anni prioris alimento concreti post folium seu folio averso nascuntur (Cf. Theophr. C. P. V. 1.). *Cato R. R.* 93. Fici uti grossos teneant, facito omnia, quo modo oleæ. *Cels.* 5. 12. Grossi in aqua cocti. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 63. (125). Crudæ grossi verrucas tollunt. *Id.* 17. *ibid.* 27. 43. (254). Fici serotinæ fiunt, si primæ grossi, quum fabæ magnitudinem excessere, detrahantur. Adde *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 28. et 31.

GRŪĀRĬUS, ii, m. 2. qui grues alendos curat, ut boarius, qui boves, aviarius, qui aves. Fortasse est cogn. Rom. *Inscript.* apud *Asquini, Sepolcr. scop. in Osopo p.* 35. C. PETRONIVS C. L. LIB. GRVARIVS.

GRŪIS. *V.* GRUS.

GRULLUS, i, m. 2. genus navigii. *Gloss. Philox.* Grullus, εἶδος πλοίου. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

GRŪMA *et*

GRŪMĀTĬCUS. *V.* GROMA et GROMATICUS.

GRŪMŬLUS, i, m. 2. *deminut. a* grumus, *grumetto, mucchietto*, θρόμβος, parvus grumus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 31. (112). Allium in plano seri vetant, castellatimque grumulis imponi, distantibus inter se pedes ternos. *Apul.* 6. *Met.* Accepto frumento, hordeo, et milio, et cicere, commixtisque acervatim confusisque in unum grumulum.

GRUMUS *vel* grummus, i, m. 2. *grumo, mucchio*, θρόμβος, acervus minor terræ, aut lapidum, aut hujusmodi: fortasse a Græca voce κρῶμαξ, de qua *Hesych.* Κρῶμαξ σωρὸς λίθων. *Paul. Diac. p.* 96. 17. *Müll.* Grumus terræ collectio minor tumulo. *Non. p.* 15. 24. *Merc.* Grumus dicitur agger, a congerie dictus. Accius: Quemcumque institeram grumum, aut præcisum jugum. *Colum.* 2. *R. R.* 18. 4. Grumos, quos ad versuram plerumque tractæ faciunt crates, dissipabimus ita ut necubi ferramentum fœnisecæ possit offendere. *Vitruv.* 2. 1. Exaggerant supra habitationes maximos grumos e terra. *Id.* 8. 3. Grumorum tumuli. — Frustra *Charis.* 1. *p.* 19. *Putsch.* inter illa recenset, quæ numero carent singulari. *Auct. B. Hisp.* 24. Neque tamen æquo loco sui potestatem faciebat, sed ex grumo excelsum tumulum capiebat. Adde *eumd.* 8. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 25. (81). Torretur et cum salis grumo, pondere triplici mixto. *Harduin.* legit *salis gemino pondere, triplici miseos*. *Inscript.* apud *Henzen.* 7244. HOSPES. RESISTE. ET. HOC. AD. GRVMVM. AD. LAEVAM. ASPICE. VBEI. CONTINENTVR. OSSA. HOMINIS. BONI. MISERICORDIS. AMANTIS. PAVPERIS. ROGO. TE. VIATOR. MONVMENTO. HVIC. NIL. MALE. FECERIS etc. — *Charis. loc. cit.* grumos interpretatur ὅρων λίθους, h. e. terminorum lapides, seu acervos lapidum pro termino positos. Id confirmare videtur *Frontin. de colon. p.* 146. *Goes.* Inveniunt per summa montium terminos Augusteos, id est rotundos, arcas finales, grumos, arbores antemissas etc.

GRUNDA, æ, f. 1. *gronda, grondaja*, tecti prominentia arcendis stillicidiis a pariete inventa, quæ et subgrunda dicitur, quam vocem vide suo loco: videtur esse pro *gerunda*. *Gloss. Philox.* Grunda, στέγη, καὶ τὸ ὑπὲρ τὸν πυλῶνα ἐξέχον, ὑπόστεγον.

GRUNDĬO *vel*

GRUNNIO, is, ivi vel ii, itum, ire, n. 4. Part. *Grunniens* I. — Grunnire vel grundire, quemadmodum et Gr. γρυλλίζω, est verbum exprimens vocem suis, *grugnire*.

I.) Proprie de sue. *Varro* apud *Non. p.* 114. 26. *Mercer.* Grundit tepido lacte satur porcus. *Claudius Quadrigarius* apud *Diomed.* 1. *p.* 379. *Putsch.* Grundibat graviter pecus suillum (pro *grundiebat*, ἀρχαϊκῶς). *Laberius* apud *eumd. ibid.* Grunnientem aspexi. (*Nonius p.* 114. 30. *Merc.* allatum *Laberii* locum repetens, *grundientem* habet.). *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 9. (19). Apion maximum piscium esse tradit porcum: grunnire eum, quum capiatur. *Juvenal.* 15. 22. Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.

II.) Improprie de aliis brutis. *Cæcilius* apud *Non. p.* 462. 3. *Merc.* Cruento ita ore grundibat miser. *Non. loc. cit.* hæc verba *Cæcilii* ita refert, ut non de sue, sed de aliis per catachresin *grundire* usurpaverit. Sic *Claudius Quadrigarius ibid.* agni grundibant, dixit.

GRUNNĪTUS, us, m. 4. *grugnito*, γρυλλισμός, vociferatio porci. *Cic.* 5. *Tusc.* 40. 116. Nec grunnitum audiunt quum jugulatur sus.

GRŪO, is, ere, n. 3. *far voce di gru*, γερανίζω, κλαγγάζω, est vociferari proprium gruis. *Paul. Diac. p.* 97. 5. *Müll.* Gruere dicuntur grues, ut sues grunnire: unde tractum est congruere, hoc est convenire; quia id genus volucrum minime solivagum est. *Auct. carm. de Philom.* 23. Grus gruit. *Gloss. Philox.* Gruo, καγγλάζω (*lege* κλαγγάζω). et Gruunt, γερανίζουσι

GRUS *vel* gruis, is, f. et m. 3. Nom. sing. numeri *gruis* legitur apud *Phædr.* loco infra cit. — Grus, Gr. γέρανος,

I.) Proprie est avis, quæ non se segregat, sive quum volat, sive quum pascitur: a sono vocis, ut ait etiam *Isid.* 12. *Orig.* 7. 14. Grues nomen de propria voce sumpserunt, tali enim sono susurrant. Si generatim designetur, ac sine discrimine, fere est feminini generis: si marem designare opus sit, etiam masculino adjectivo jungi potest. Grues ducem seu regem e suo cœtu eligunt: mira sunt vigilantia, excubias nocte dividunt, capite subter alam condito dormiunt, alternis pedibus insistentes, quorum in altero, qui elevatus est, lapidem tenent, ut eo cadente expergiscantur. Hæc et alia mira de his *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 30. (58). narrat. Volantes ordine quodam Υ, vel Δ litteram faciunt: quod quum Palamedes primus deprehendisse dicatur, eamque litteram invenisse, *Palamedis aves* appellantur. *Martial.* 13. 75. Turbabis versus, nec littera tota volabit, Unam perdideris si Palamedis avem. *Lucret.* 4. 181. Gruum clamor. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 125. Grues, quum loca calidiora petentes maria transmittunt, trianguli efficere formam, etc. *Cels.* 2. 18. Omnem grandem avem, quales sunt anser, pavo et grus. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 87. Mazonomo pueri magno discerpta ferentes Membra gruis, sparsi sale multo non sine farre. *Phædr.* 1. 8. Tandem persuasa est jurejurando gruis. *Laberius* apud *Non. p.* 208. 19. *Merc.* Virum tu hunc gruem Balearicum, an hominem putas esse? *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 44. (122). Cirros natura dedit grui Balearicæ. — Inter primas expetebantur in cibis, abrogata ciconia, quam olim magis placuisse, scripserat *Nepos* apud *Plin. loc. cit.* *Stat.* 4. *Silv.* 6. 8. quos nosse juvat, quid Phasidis ales Distet ab hiberna Rhodopes grue. Adde *Gell.* 7. 16. et *Horat. loc. cit.*; et cf. *Schneid.* ad *Varron.* 3. *R. R.* 2. 14.

II.) Improprie, machina illa militaris, quam corvum demolitorem *Vitruv.* 10. 19. appellat, etiam gruem appellari a nonnullis, testatur *Id. ibid.*

GRYLLO *vel* grillo, as, are, n. 1. vocem grylli exprimens verbum. *Auct. carm. de Philom.* 62. Et gryllus gryllat.

GRYLLUS *vel* grillus, i, m. 2. Sæpissime *grillus* scribitur; γρύλλος enim non genus locustæ, sed porcum significat, ideoque Græci, quos Latini *grillos* vel *gryllos* vocabant, ἀκρίδας dicebant. — Gryllus

I.) Proprie est genus locustæ, simile cicadæ, longiore tamen corpore: a sono, quem edit. Retro ambulat, terram terebrat, et noctu stridet, ut ait *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (138)., et *ibid.* Auribus prodest gryllus cum sua terra effossus et illitus. *Val. Cato* in *Diris* 74. Occupet arguti grylli cava garrula rana.

II.) Improprie *grylli* dicuntur picturæ quædam ridiculæ. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (114). Idem joroso nomine Gryllum deridiculi habitus pinxit: unde genus hoc picturæ grylli vocantur. *grotteschi, caricature*. — *NB.* De nom. prop. *V.* ONOM.

GRYPS, gryphis, m. 3. et griphus, i, m. 2. Scribitur et sine aspiratione. — Griphus occurrit apud *Melam* loco infra cit. — Gryps, Græce γρύψ, est avis fabulosa, animal quadrupes et pennatum, omni ex parte leo, alis tantum et facie aquilæ simile, equis vehementer infestum: a γρυπός *incurvus, aduncus naso*, propter rostri aduncitatem. Sed aliqui contra γρυπός a gryps derivant. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 49. 70. (136). Pegasos equino capite volucres, et gryphos auritos aduncitate rostri fabulosos reor, illos in Scythia, hos in Ethiopia. *Virg.* 8. *Ecl.* 27. Jungentur jam gryphes equis. *proverb.* de re, quæ fieri numquam potest. *Mela* 2. 1. Gryphi sævum et pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egestum mire amant, mireque custodiunt, ut sunt infesti attingentibus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (10). narrat ex aliorum sententia, esse Arimaspos, homines uno oculo in fronte insignes, qui cum his bellum assidue gerant, eruentibus ex cuniculis aurum, et mira cupiditate custodientibus, Arimaspis vero rapientibus. Sed hæc pariter fabulæ. V. *Cassiod.* 9. *Variar.* 3. *ad fin.* — In singulari numero. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 30. At si Phœbus adest, et frenis grypha jugalem Riphæo tripodas repetens detorsit ab axe, etc. Hinc colligimus Phœbo gryphes attribui, qui ejus currum trahant: quod et *Sidon.* facit *carm.* 22. 66. et 67., ubi eorum phaleras, ornatumque poetice describit: et *Servius* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 27. confirmat. *Porphyrius* apud *Servium* ad *Virg.* 5. *Ecl.* 66. docet, triplicem esse Apollinem: in cœlo Solem, Liberum Patrem in terris, Apollinem apud inferos. Hinc tria insignia ejus simulacro apponi: lyram, quæ cœlestem harmoniam significat; gryphum, qui eum terrenum numen ostendit; sagittas, quibus infernalis deus et noxius judicatur. — Gryphes Junoni sacri erant, ut docet *Moreil. Fam. Papia*. Iidem et custodes thesaurorum, ut patet ex *Bullett. dell' Instit. archeol. a.* 1843. *p.* 199. De

ipsis plura *Labus.* In *Mus. di Bresc. T.* 1. p. 212.: eorumque figuras habes in *Mus. Borbon. T.* 3. tab. 61. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

GRȲPUS, i, m. 2. γρυπός. Græce dicitur, qui incurvum, seu aduncum nasum habet. *Justin.* 39. 1. *in fin.* Alter, cui, propter nasi magnitudinem, cognomen Grypos fuit.

GUASTUM. *V.* GLASTUM.

GUBER κυβερνήτης. *Gloss. Gr. Lat.*

GŬBERNA, ōrum, n. plur. 2. gubernacula, apud veteres. *Lucilius* apud *Non.* p. 490. 32. *Merc.* Proras despoliate, et detondete guberna. *Lucret.* 2. 553. Disjectare solet magnum mare transtra, guberna. Adde *eumd.* 4. 441.

GŬBERNĀCŬLUM, i, n. 2. (guberno). Contrahitur poetice per syncopen *Lucret.* 4. 902. gubernaclum contorquere. *Virg.* 5. *Æn.* 176. Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister. Adde *eumd. ibid.* 859. et 6. *ibid.* 349. — Gubernaculum est clavus in puppi navis, quo ipsa regitur, πηδάλιον (It. *timone della nave*; Fr. *gouvernail*, *timon*; Hisp. *timon*; Germ. *das Steuerruder*; Angl. *the helm, or rudder, of a ship*).

I.) Proprie. *Seneca Ep.* 90. Hominis, non sapientis, inventa sunt navigia, additis a tergo gubernaculis, quæ huc atque illuc cursum navigii torquerent: exemplum a piscibus tractum est, qui cauda reguntur, et levi ejusdem in utrumque momento velocitatem suam flectunt. *Cic.* 2. *Invent.* 51. 154. Hic ille naufragus ad gubernaculum accessit, et navi, quoad potuit, est opitulatus. *Virg.* 6. *Æn.* 349. Gubernaculum revellere. *Tac.* 2. *Ann.* 6. navi apponere. *Plin.* 6. *Ep.* 16. 10. Recta gubernacula tenere. Alter *Plin.* 11. *Hist. nat.* 50. 111. (264). Caudæ piscium meatus gubernaculi modo regunt. — Hinc per metaphoram *Apul. Florid.* n. 2. Aquila mole corporis labitur, velificas alas, quo libuit, advertens, modico caudæ gubernaculo.

II.) Improprie. Sæpissime transfertur ad administrationem reipublicæ, etc. et fere in plur. numero. *Cic. Sext.* 9. 20. Clavum tanti imperii tenere, et gubernacula reipublicæ tractare. *Id. Rosc. Amer.* 18. 51. Sedere ad gubernacula reipublicæ. *Id.* 2. *ad Brut.* 1. Reipublicæ gubernacula prendere. *Id.* 1. *Orat.* 11. 46. Repelli oratorem a gubernaculis civitatum. *Id.* 16. *Fam.* 27. 1. Recedere a gubernaculis. *Plin.* 10. *Ep.* 1. Admovere virtutes alicujus ad gubernacula reipublicæ. *Val. Max.* 7. 6. n. 1. Imperii gubernacula abjicere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 88. (219). Temperare gubernacula vitæ. — In singulari numero. *Vellej.* 2. 113. Quum exercitum majorem, quam ut temperari posset, neque habilem gubernaculo cerneret, dimittere statuit. *h. e.* regi difficilem.

GŬBERNĀMEN, inis, n. 3. translate est reipublicæ administratio. *Ambros. Ep.* 7. 44.

GŬBERNĀTĬO, ōnis, f. 3. *governo, amministrazione*, κυβέρνησις, navis directio.

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Fin.* 27. 76. Et si in ipsa gubernatione negligentiâ navis est eversa. Cf. *eumd.* 3. *ibid.* 7. 24. Nec enim gubernationi aut medicinæ similem sapientiam esse arbitramur.

II.) Translate capitur pro quavis administratione. *Cic.* 1. *de republ.* 2. Gubernatio civitatis. *Id.* 3. *Orat.* 34. 131. Vel privatorum negotiis pæne omnibus, vel orbis terræ procuratione ac summi imperii gubernatione districtus. *Id.* 3. *Cat.* 8. 18. Vis videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse. *Id.* 2. *Invent.* 54. 164. Continentia est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur.

GŬBERNĀTOR, ōris, m. 3. Eo quod *gubernator* a κυβερνήτης derivatur, sæpe in vetustis monumentis *gybernator* scribitur. *Inscript.* apud *Murat.* 2036. 1. SEX. SALLVSTIVS FAVSTVS MILES GYBERnator IIII. FIDE. Alia apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 132. T. TITINIO IVLIANO GYBERnatori IIII. Fortuna. — Gubernator, κυβερνήτης, rector navis (It. *piloto*; Fr. *timonier*, *pilote*; Hisp. *timonero*, *timonel*, *piloto*; Germ. *d. Steuermann*; Angl. *a pilot, steersman*).

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 6. 17. Gubernator clavum tenens, sedet in puppi quietus. *Ovid.* 1. *Trist.* 11. 21. Ipse gubernator tollens ad sidera palmas Exposcit votis, immemor artis, opem. Adde *Cic.* 7. *Phil.* 9. 27., 4. *Acad.* (2. pr.) 31. 100., 1. *Invent.* 34. 58. et 1. *de republ.* 40.; *Virg.* 3. *Æn.* 269., 5. *ibid.* 12. et 6. *ibid.* 337.; *Nepot. Chabr.* 4. et *Att.* 10.; *Sueton. Cæs.* 58.; *Quintil.* 2. 17. 24. et 4. 1. 61.; et *Plin.* 9. *Ep.* 26. 5. — *Tranquillo quilibet gubernator est*, proverb. apud *Senec. Ep.* 85. *a med.*, h. e. quivis extra periculum fortis, aut prudens esse potest.

II.) Translate est quicumque rector ac moderator. Sic de agitatore equorum, auriga, *cocchiere*. *Ennius* apud *Quintil.* 8. 6. 9. gubernator magna contorsit equos vi. Sic apud *Charis.* 4. p. 244. *Putsch.* et *Diomed.* 2. p. 451. *Ennio* versum post *Gesnerum* vindicavit *Kochius*: V. *Vahlen. Ennian. poes. reliq.* p. 26. — *Cic. Rabir. perduell.* 9. 26. Custodes gubernatoresque reipublicæ. *Id.* 2. *de republ.* 29. Quasi tutor et procurator reipublicæ: sic enim appellatur, quicumque erit rector et gubernator civitatis. *Seneca Hippol.* 903. Gubernator poli. *h. e.* Deus. *Porc. Latro in Catilin.* 12. Gubernator urbis.

GŬBERNĀTRIX, icis, f. 3. *governatrice*, κυβερνήτειρα, quæ gubernat: sed occurrit translate tantum. *Ter. Eun.* 5. 9. 16. An fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit? *Cic.* 1. *Orat.* 9. 38. Ista præclara gubernatrice civitatum eloquentia rempublicam dissipaverunt. *Theod. Priscian.* l. 2. p. 1. c. I. Docuit enim natura omnium gubernatrix etc.

GŬBERNĬO, ōnis, m. 3. *Isid.* 19. *Orig.* 1. Gubernio, qui et gubernator.

GŬBERNĬUM, masc. gen., pro gubernatore posuit *Laberius* apud *Gell.* 16. 7., ubi aliquis fortasse *gubernium* pro *gubernatione* legere malit. Utcumque se res habeat, non est, ipso *Gellio* teste, imitandus.

GŬBERNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Gubernans*, *Gubernatus* et *Gubernandus* II. — Gubernare proprie est navim regere; a verbo Græco κυβερνάω (It. *reggere la nave*; Fr. *diriger un navire*, *être pilote*; Hisp. *guiar*, *conducir*, *gubernar un navio*; Germ. *ein Schiff lenken, steuern*; Angl. *to guide, steer, or pilot a ship*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Isid.* 19. *Orig.* 2. Ut clavum rectum teneam navimque gubernem. *Cic.* 1. *Off.* 25. 87. Ut si nautæ certarent, quis eorum potissimum gubernaret. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 6. — *Gubernare e terra*, proverbialis locutio apud *Liv.* 44. 22. *ad fin.* de iis, qui rebus gerendis periculisque adeundis abstinent; sed domi et in tuto remanentes monere tamen volunt et jactare prudentiam. Similis locutio est illa *Cic.* 2. *Att.* 7. Cupio istorum naufragia ex terra intueri.

II.) Translate sumitur pro administrare in genere, regere, moderari, *reggere*, *governare*, *dirigere*, *regolare*. *Cic. Rosc. Am.* 45. 131. Rempublicam gerere et orbem terrarum gubernare. Adde *Vopisc. Flor.* 3. Rursus *Cic.* 2. *de republ.* 9. Singulari imperio et potestate regia tum melius gubernari et regi civitates. *Id.* 1. *ibid.* 29. In republica gubernanda. Adde *eumd. ibid.* 34. et 3. *ibid.* 35.; et *Trebell. Poll. Gall. duob.* 2. *Flor.* 1. 2. Gubernare imperium religione atque justitia. *Trebell. XXX. Tyr.* 19. proconsulatum. *Cic.* 1. *ad Brut.* 10. Cæsarem meis consiliis adhuc gubernatum quidam impulerant etc. *Id.* 2. *Fam.* 7. Teque hortor, ut omnia gubernes ac moderere prudentia tua. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 99. Gubernare rem docte. *condur bene un negozio*. *Cic. Mil.* 9. 25. petitionem. *Id.* 13. *Att.* 25. Velim ergo totum hoc ita gubernes, ut etc. *Id.* 2. *Fin.* 13. 43. et *Lucret.* 5. 1116. Gubernare vitam. *Cic.* 8. *Att.* 4. Fortunæ motum ratione gubernare. *Id.* 6. *ibid.* 3. Sed hæc deus aliquis gubernabit. *Id.* 2. *Fam.* 17. Iter meum reipublicæ et rerum urbanarum ratio gubernabit. *Id. Sull.* 28. 78. Tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujusque, regit quæsitor etc. *Vellej.* 2. 127. 1. Raro eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt. *Seneca Hippol.* 1075. Gubernare currus. *Martial.* 9. 23. virga gubernat equum. *Petron. Satyr.* 127. Digiti vocem gubernantes. *h. e.* mollis quædam digitorum gesticulatio. — Apud *Sil. It.* 10. 271. damna belli gubernare. *h.* e. bellum damnosum et exitiabile. *Heins.* legendum conjicit *superstas*. V. integrum locum.

GUBERNUM. *V.* GUBERNA.

GUBĬA, æ, f. 1. *Veget.* 1. *Veterin.* 26. 2. Compones pedem (*jumenti*) ad gubiam, et omnem ungulam ad vivum allides. *Schneiderus*, qui ita legit, hæc adnotat: *Gesnerus* ex h. l. *gulbiam* (sic enim ille legebat) instrumentum fossorium interpretatus est. Hinc *Gesnerus* suspicabatur, *gulbiam* h. l. esse ferramentum componendæ ungulæ, monens, *ad gulbiam* dici posse pro *gubia*, ut *ad cornu*. Ipsam viri docti interpretationem probo; sed de *gubia* unicus mihi occurrit *Isidori* locus 19. *Orig.* 19. *Scofina dicta, quod hærendo scofem facit Canterium, Gallia, Gubia*, ubi interpres Hispanus monet, hodieque *gubia* dici ab Hispanis runcinam. A runcina igitur usu potuit etiam ferramentum dici, quo solum ungulæ ad vivum allidlitur. Hucusque *Schneid.* Ceterum Itali *sgorbia*, nostrates vulgo *sguba* vocant.

GŬLA, æ, f. I. fistula colli interior, qua cibus et potus devoratur, et in stomachum demittitur: etymon vocis videtur esse a γύαλον *cavitas*, οἰσοφάγος (It. *gola*, *esofogo*, *gorgozzule*, *strozza*; Fr. *œsophage*, *gorgier*, *gorge*; Hisp. *esofago*, *garganta*; Germ. *d. Speiseröhre*, *Kehle*, *Schlund*; Angl. *the gullet*, *weasand*, *windpipe*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 66. (176). Ex cartilagine et carne arteria, gula e nervo et carne constat. et *ibid.* 79. (201). Gula patentiore utuntur graculi, corvi, cornices. *Id.* 24. *ib.* 15. 80. (130). Pituita in gula cohærescens. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro toto collo. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 23. Quum it dormitum, follem sibi obstringit ob gulam, ne quid animæ forte amittat dormiens. *Cic.* 6. *Verr.* 10. 24. Quem obtorta gula de convivio in vincula abripi jussit. *Sall. Cat.* 55. Laqueo gulam frangere. *Varro* apud *Non.* p. 17. 17. *Merc.* Magnæ mandonum gulæ.

II.) Improprie. Sæpissime per metonymiam pro voracitate, et nimio delicatioris cibi appetitu. — *a*) In singulari numero. *Cic.* 13. *Att.* 31. 4. O gulam insulsam! *Sall. Jug.* 89. Numidæ plerumque lacte et ferina carne vescebantur, et neque salem, neque alia gulæ irritamenta quærebant. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 111. Gulæ parere. *Ovid.* 8. *Met.* 845. Gula implacata. *Plin.* 2. *Ep.* 6. Temperare gulæ. *Tac.* 2. *Hist.* 62. Gulæ irritamenta. *Id. ibid.* 31. Gula ac ventre sibi ipse hostis Vitellius. *Colum.* 8. *R. R.* 16. 4. Gula subtilior. *Sueton. Vitell.* 7. Profundam alicujus gulam explere. *Id. ibid.* 13. Intempestivæ ac sordidæ gulæ homo. *Juvenal.* 1. 140. quanta est gula, qui sibi totos Ponit apros? *Martial.* 6. 11. Non minus ingenua est et mihi, Marce, gula. *Id.* 14. 220. cocus domini debet habere gulam. — *b*) In plurali numero. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 30. (66). Mullum exspirantem versicolori quadam varietate spectari, proceres gulæ narrant.

GŬLĀTOR, ōris, m. 3. gulosus, helluo. *Gloss. Philox.* Gulatores, λάγνοι, μάχται, καταφαγᾶδες.

GULBIA. *V.* GUBIA.

GULLĬŎCÆ, nucum juglandium summa et viridia putamina. *Paul. Diac.* p. 98. 12. *Müll.* In *Gloss. Philox.* est *Gulluca*, καρυοτομία (lege καρυοτομία). Al. leg. *guliocæ*, alii *gulioiæ*. *V.* CULLIOLA.

GŬLO, ōnis, m. 3. gulosus, lurco, *ghiottone*, *goloso*, γαστρίμαργος. *Apul. de Mag.* Gulones omnes, qui impenso pretio a piscatoribus mercantur. *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. Proverbio, quo utuntur gulones. Adde *Paul. Diac.* p. 112. 2. *Müll.*

GŬLŌSĒ, adverb. *golosamente*, γαστριμάργως, sapide ad voluptatem gulæ. Occurrit tantum Comp. *Gulosius* apud *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 5. Gulosius condiendi cibos, et luxuriosius fercula struendi. *Martial.* 3. 22. Nil est, Apici, tibi gulosius factum. — Et Sup. *Gulosissime* apud *Tertull. Resurr. carn.* 1. Defunctos, quos atrocissime exurit, postmodum gulosissime nutrit.

GŬLŌSUS, a, um, adject. Comp. *Gulosior* I. — Gulosus est *goloso*, γαστρίμαργος, qui est addictus gulæ vitio.

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 18. *extr.* Ad mortem mulli concurritur: non sunt ad popinam dentibus, et ventre, et ore contenti: oculi quoque gulosi sunt. Adde *eumd.* 8. 23.; *Lamprid. Commod.* 10.; *Spartian. Did. Jul.* 9.; et *Capitulin. Clod. Alb.* 11. — *b*) De rebus. *Martial.* 7. 20. Nil est miserius, nec gulosius Santra. *Juvenal.* 11. 19. Et quadringentis nummis condire gulosum Fictile. *h. e.* patinam gulæ causa exquisitis epulis refertam. *Hieronym. Ep.* 107. n. 10. Abstinentia gulosa. *h. e.* quæ a quibusdam abstinet, ut desiderio veluti condiat.

II.) Translate. *Martial.* 10. 59. Non opus est nobis nimium lectore guloso.

GŪMEN, inis, n. 3. gummi. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. Pini frugiferi gumen. *Schneiderus* ex *Geopon.* *l.* 7. *c.* 21., ubi legitur πίτυος καρπίμου κόμην, edidit *comam* pro *gumen*. Legitur tamen *gumen* apud *eumd. Pallad.* 12. *ibid.* 7. Antequam incipiat gumen lacrimare. *Sed hic etiam alii aliter leg.* Ceterum *Isid.* 17. *Orig.* 7. Gumen Græcum nomen est: hoc enim illi κόμμι dicunt.

GŬMĬA, æ, m. et f. gulo, gulosus, lurco. *Lucilius* apud *Non.* p. 118. 3. *Merc.* Gumiæ illæ veteræ, improbæ, ineptæ. Apud *Non.* ibi legitur *gemiæ*: sed mendum esse *Scalig.* ait. *Id. Lucilius* apud *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24. compellans gumias ex ordine nostros. Adde *Paul. Diac.* p. 112. 2. *Müll.*; et *Apul. de Mag.* Ubique autem *P. Merula* ad *fragm. Ennii* p. 225. volebat legi *gluvia* eod. sensu: unde *ingluvies*.

GUMMA, *V.* GUMMI sub init.

GUMMĀTUS, a, um, particip. ab inus. *gummo*. Hinc *gummatæ arbores* dicuntur, quæ gummi producunt. *Pallad.* 11. *R. R.* 12. 6. In cerasis hoc servandum est, et in omnibus gummatis. *Schneid.* ex Codicibus rectius legendum ait *gumminatis*.

GUMMEN, inis, n. 3. *V.* GUMMI sub init.

GUMMĔUS, a, um, adject. gummosus. *Auson. Edyll.* 6. 74. Gummea fletiferi jaculatur succina trunci. *h. e.* instar gummi defluentia. Al. leg. *Gemmea*.

GUMMI, n. indecl. *et* gummis, is (vel gummeos, *V. Capell.* in fin.), f. 3. κόμμις (unde *cummis* est apud *Caton. R. R.* 50.). *Gummus*, i, m. 2. legitur apud *Gargil. de pom.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 432.) 16. Gummus earum (*ceresiarum*) ore detentus et glutiendus arteriam linit, vetustissimam tussem compescit. — Etiam *gummen*, *inis*, n. legitur apud *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 15. Antequam prunus incipiat gummen lacrimare. — Item *gumma* apud *eumd.* 11. *R. R.* 12. 6. In omnibus gummatis, ut tunc inserantur, quando his vel non est, vel desinit gumma effluere. *Schneid.* ita legit; alii tamen aliter. — Ceterum gummi, *gomma*, est gutta viscosa ex arboribus quibusdam per corticem diffluens. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 11. 20. (66). Gummi optimum esse ex Ægyptia spina, convenit. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 16. Nova dolia liquidis gummi perluere. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 8. 17. (32). Gummium modo candidum. *Id.* 13. *ibid.* 12. 26. (82). Gummis glutinum. *Gargil.* (edente *A. A. Scottio*) 4. *n.* 4. Sicuti omnibus arboribus, quæ gummi glutina excludunt. Adde *Plin.* 13. *Hist. nat.* 9. 19. (63). et *Scribon. Compos.* 72. et 21. *Capell.* in genit. sing. *gummeos* dixit Græca terminatione, 3. *p.* 49. Gallarum gummeosque commixtio. *h. e.* atramentum scriptorium.

GUMMĬNĀTUS, a, um. *V.* GUMMATUS.

GUMMĬNO, as, ātus, are, n. 1. gummi emitto. *Pallad.* 2. *R. R.* 15. 20. Prunos inserendo, antequam gumminet, in se, et persico. *Al. leg.* germinet. Part. *Gumminatus V.* in GUMMATUS.

GUMMĬNŌSUS. *V.* GUMMOSUS.

GUMMĬTĬO, ōnis, f. 3. κόμμωσις, illitus quidam ex glutinoso arborum succo, qui doliis fieri solebat. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 17. Multi, quum semel nova dolia, vel serius crassa gummi liverunt, una in perpetuum gummitione contenti sunt. Et sane quæ semel oleum testa combibit, alteram gummitionem non recipit: respuit enim olei pinguitudo talem materiam, qualis est gummis.

GUMMŌSUS, a, um, adject. *gommoso*, multum gummi habens. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 9. 19. (36). Fragilius hoc bdellium, et crustosius amariusque: at Indicum humidius ac gummosum. *Gumminosum* habetur in MSS. *Id.* 22. *ibid.* 9. 11. (24). Folia pinguia, tactuque gummosa. *Id.* 16. *ibid.* 38. 72. (181). Gummosus humor. *Sillig.* ubique legit *cumminosus*.

GUMMUS, i. *V.* GUMMI sub init.

GUNTHARĬUS, a, um, adject. ab antiqua voce Germanorum *guntharis*, h. e. pugnax. *Inscript.* Pisaurensis apud *Donat.* 457. 4., quæ est apud *Orell.* 4069. PATRONVS STVDIORVM APOLLINARIVM ET GVNTHARIORVM. h. e. *della scuola letteraria e di quella di scherma*. Ita interpretatur *Machirelli*, *Spiegaz. dell' altra delle due basi di marmo. Pesaro* 1771.

GURDŌNĬCUS, a, um, adject. rusticus, imperitus, inurbanus, rudis. *Sulpic. Sever.* 1. *Dial.* 26. Audietis me tamen, ut gurdonicum hominem.

GURDUS, a, um, adject. *balordo, stolido*, pinguis, et translate stolidus, voce Hispanica. *Quintil.* 1. 5. 57. Gurdos, quos pro stolidis accipit vulgus, ex Hispania duxisse originem audivi. *Laberius* apud *Gell.* 16. 7. Hic est ille gurdus, quem ego etc. *Gloss. Isid.* Gurdus, lentus, inutilis. *V.* adnotat. ad *Quintil.* loc. cit.; et cf. *Not. Tir. p.* 102. Stultus, fatuus, mario (*lege* morio), gurridus (*lege* gurdus).

GURGES, itis, m. 3. proprie locus est in flumine profundus, in quo aqua vertitur: a sono, δίνη (*It. gorgo*; *Fr. abime, gouffre, tourbillon, profondeur*; Hisp. *abismo, sima, remolino de agua*; Germ. *d. Strudel, Wasserstrudel, d. Tiefe, Tümpel*; Angl. *a whirlpool, gulph*).

I.) Proprie. ¶ 2. Stricto sensu est, ut diximus, locus in flumine profundus, in quo aqua vertitur. *Cic. Pis.* 33. 81. Non Rheni fossam gurgitibus illis redundantem. *Id. Harusp. resp.* 27. 59. Immanis Charybdis, quæ tantos exhaurire gurgites posset. *Ovid.* 15. *Met.* 714. multamque trahens sub gurgite arenam Volturnus. *Virg.* 6. *Æn.* 296. Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges Æstuat. *Id.* 11. *ibid.* 624. alterno procurrens gurgite Pontus. *Val. Flacc.* 4. 409. Contra Nilus adest; et toto gurgite torrens Tisiphonem agit atque imis illidit arenis. Adde *eumd.* 8. 333. ¶ 2. Latiori sensu de omni aquarum congerie dicitur, et de ipso etiam mari. *Virg.* 11. *Æn.* 913. fessos jam gurgite Phœbus Ibero Tinguit equos. *Ovid.* 9. *Met.* 226. Euboicus gurges. *Stat.* 1. *Achill.* 223. Atlanteus. *Virg.* 4. *G.* 387. Carpathius. *Stat.* 4. *Silv.* 5. 4. Tusci gurgites. *Virg.* 6. *Æn.* 310. et 7. *ibid.* 704. gurgite ab alto. *dall' alto mare. Val. Flacc.* 4. 582. pontum penetraverit ulla Quum ratis, et rapidi steterint in gurgite montes. *Ammian.* 22. 8. *de mari.* Refluis gurgitibus Troada perstringere. *Id.* 18. 7. Euphratem late fusis gurgitibus evagari. *Id.* 22. 15. de *Nilo.* Gurgitum nimietate humectans terras. *Quintil.* 12. 2. 11. Amnes multo gurgitis tractu fluentes. In illo *Horat.* 2. *Od.* 1. 33. Qui gurges, aut quæ flumina lugubris Ignara belli? quod mare etc.? *gurges* de lacu, aut palude intelligi potest, quomodo *Avien. Arat.* 380. Lernæi gurgitis hydra.

II.) Translate. ¶ 1. De rebus dicitur, et est profunditas, abyssus, vorago. *Cic.* 5. *Verr.* 9. 23. Qui, ut ipse non solum vita, sed etiam corpore atque ore significat, immensa aliqua vorago est, aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium. *Id. Sext.* 43. 93. Ut eorum divitias in profundissimum libidinum suarum gurgitem profundat. *Val. Max.* 3. 6. Deformes umbras in imo gurgite turpitudinis suæ jacere patiar. *Prudent. Hamartig.* 255. Sorbeat ut cumulos nummorum faucibus amplis Gurges avaritiæ. *Gell.* 2. 24. *med.* Pecuniam prandiorum gurgitibus proluere. *Ammian.* 22. 4. Gurgites crevere prærupti conviviorum. ¶ 2. Nonnumquam est convicium hominis prodigi, lurconis et omnia sua absumentis, *dissipatore, prodigo, mangione. Cic. Sext.* 52. 111. Quid? tu meo periculo, gurges ac vorago patrimonii, helluabare? *Id. Pis.* 17. 41. Ille gurges atque helluo, natus abdomini suo. *Id. Dom.* 47. 124. ille gurges helluatus tecum simul reipublicæ sanguinem. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 48. 68. (133). Apicius, nepotum omnium altissimus gurges. *Macrob.* 2. *Saturn.* 9. narrat, Q. Fabium Q. F. M. N. *Gurgitis* cognomen habuisse, quod patrimonium suum devoraverit. At idem ab iisdem, a quibus ita cognominatus fuerat, bis consul creatus fuit, et princeps senatus lectus, teste *Plin.* 7. *Hist. nat.* 41. 42. (133)., sed nimirum, quod in juventute peccaverat, *secutæ virtutis insignibus compensavit*, ut *Macrob.* loquitur. Ob eamdem causam *Gurges* cognominatus est quidam Publius Gallonius, qui memoratur a vetere poeta apud *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24. et ab *Horat.* 2. *Sat.* 2. 47. Ceterum de hoc cognomine V. etiam *Liv. epit.* 11.; *Flor.* 1. 21. 3.; *Juvenal.* 6. 265.; et *Val. Max.* 5. 7. 1.

GURGŪLĬO, ōnis, m. 3. *canna della gola, gorga*, γαργαρεών, gula, guttur: et præsertim fistula, qua aer ad pulmones defertur. *Varro* 2. *R. R.* 3. 2. Hircus cervice et collo brevi, gurgulione longiore. *Cic. fragm. pro Tull.* 9. edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 311. Tantum odii crudelitatisque habuerunt, ut eos omnes gurgulionibus insectis relinquerent. Hunc *Cic.* locum citat *Capell.* 4. p. 165. et habet *ejectis*; al. *exactis* pro *insectis*, quæ vera est lectio. *Lactant. Opif. Dei* 11. Spiritus accepit viam patentem, quæ vocatur gurgulio: is constat ex ossibus flexuosis etc. *Arnob.* 3. 13. Gurguliones, ventriculi, lienes, pulmones, etc. Adde *Veget.* 1. *Veterin.* 22. 5.; *Plin. Valer.* 2. 17.; *Prudent.* 2. *in Symmach.* 1053.; et *Ammian.* 31. 1. — Item vermiculus, de quo *V.* CURCULIO: a cujus similitudine ita vocatur a *Pers.* 4. 38. τὸ virorum αἰδοῖον.

GURGUSTĬDŌNĬI campi, ficte et joculariter dicuntur e *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 13., ut et alia ibi, ridendi causa Pyrgopolinicem gloriarum plenum, et vanissime de se jactantem: quasi in gurgustio, vili ac fœdo loco, virtutes suas exercuerit.

GURGUSTĬŎLUM, i, n. 2. *deminut.* a gurgustium, *casuccia, tugurietto*, parvum gurgustium. *Apul.* 1. *Met.* Brevitatem gurgustioli nostri ne spernas. Adde *eumd.* 4. *ibid.*

GURGUSTĬUM, ii, n. 2. vilis ac teter locus, obscura et latens taberna, genus habitationis angustum, a *gurgulione* vermiculo dictum, ut *Paul. Diac. p.* 99. 3. *Müll.* docet. *Cic. Pis.* 6. 13. Meministi ne, cœnum, quum ad te cum C. Pisone venissem, nescio quo e gurgustio te prodire, involuto capite, soleatum? et 1. *Nat. D.* 9. 22. Deus videlicet tempore infinito in tenebris, tamquam in gurgustio, habitaverat. *Sueton. Gramm.* 11. Vixit in summa pauperie, et pæne inopia, abditus modico gurgustio. *Vulgat. interpr. Job* 40. 26. Gurgustium piscium. *h. e.* gula crocodili repleta piscibus.

GUSTĀBĬLIS, e, adject. *gustabile*, qui gustari potest. *Boeth.* in *Aristot. Categ.* 2. *p.* 168. Hoc idem (*dicendum est*) de sensu gustantis; si gustus enim pereat, mel forsitan permanebit, gustabile autem non erit.

GUSTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus gustandi, et leviter quid cibi attingendi. *Boeth.* in *Aristot. Categ.* 2. *p.* 167. Nam priusquam dulce aliquid degustemus, gustatio ipsa dulcedinis non est. — Specialim vero dicitur de initio cœnæ lautioris, quo gustabant leviter ejusmodi cibos, qui ad acuendam orexim facerent: ceterum fames ipsa justis deinde ferculis explebatur. Etiam extra cœnæ tempus gustatio quandoque sumi solita, virium modice reficiendarum causa, ut in GUSTO et in GUSTUS dicetur. *Petron. Satyr.* 21. Jussi discubuimus, et gustatione mirifica initiati, vino etiam Falerno inundamur. Excepti etiam pluribus ferculis etc. *Id. ibid.* 31. Allata est tum gustatio valde lauta.

GUSTĀTOR, ōris, m. 3. *gustatore*, qui gustat, ut Gustator digitus dicitur index, quia eodem extenso aliquid prægustemus; quem ideo Græci vocant λιχανόν. *Hieronym. in Isaj.* 11. 40. 12. Hoc enim λιχάς sonat; ut scilicet non tota manu, sed parvo digito, quem vulgo gustatorem vocant, omnis aquarum vastitas ponderetur. *Gloss. Philox.* Gustator, προτογευστης.

GUSTĀTŌRĬUM, ii, n. 2. *antipasto, o colezione*, gustatio, cibus, qui gustationis causa apponitur, sive initium sit justæ cœnæ, sive alio tempore sumatur. *Petron. Satyr.* 34. Subito signum symphonia datur, et gustatoria pariter e choro cantante rapiuntur. — Item mensa, in qua hujusmodi gustatio imponitur. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *a med.* Gustatorium, graviorque cœnatio margini (*fontis*) imponitur. — Hujusmodi mensæ ornari solebant sectilibus laminis testudinum, invento cujusdam Carvilii Pollionis, qui teste *Plin.* 9. *Hist. nat.* 11. 13. (39). testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire primus instituit. Hinc apud *Martial.* 14. 88. cujus lemma est *Gustatorium*: Femineam nobis cherson si credis inesse, Deciperis: pelagi mascula præda sumus.

GUSTĀTUS, a, um. *V.* GUSTO.

GUSTĀTUS, us, m. 4. (gusto).

I.) Proprie ¶ 1. Est idem ac gustus, seu sensus linguæ, quo sapores dignoscimus, *gusto. Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 141. Gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet. Adde *eumd. Orat.* 25. 99. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 71. 91. (196). Existimaverim omnibus (*animalibus*) sensum et gustatus esse; cur enim alios alia sapores appetunt? ¶ 2. Item ipse actus gustandi, ut ait *Forcellinus*, seu potius sapor. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 158. Varietas pomorum, eorumque jucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam et aspectus. *Id. Senect.* 15. 53. Quæ (*uva*) primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit. *Gustatu* tamen potest esse et supinum. *V.* GUSTO I. 1.

II.) Metaphorice. Cic. 2. Phil. 45. 115. Laudis gustatum habere.

GUSTO, as, āvi ātum, are, a. 1. Gustarit per syncopen pro gustaverit, apud Horat. 2. Sat. 5. 82. — Part. Gustans, Gustatus et Gustandus I. 1.; Gustaturus I. 2. — Gustare est gustu percipere, modice et primoribus labris sumere, paullum comedere, γεύομαι (It. gustare, assaggiare; Fr. goûter, essayer en goûtant, effleurer; Hisp. gustar, probar, experimentar; Germ. kosten, geniessen; Angl. to taste).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Cic. 7. Fam. 26. Quum biduum ita jejunus fuissem, ut ne aquam quidem gustarem. Cæs. 5. B. G. 12. Leporem et gallinam et anserem gustare fas non putant. Ovid. 4. Trist. 1. 31. Sic nova Dulichio lotos gustata palato, Illo quo nocuit, grata sapore fuit. Cels. 4. 3. Celerius panis mandendus, quam vinum gustandum. Plin. 8. Hist. nat. 16. 19. (52). Gustatus sanguis in remedio est. Id. 27. ibid. 4. 7. (22). Alypon acre gustatu ac lentum. — Et omisso Accusativo, qui tamen facile subauditur. Sueton. Tit. 2. Gustare de potione. Plin. 21. Hist. nat. 29. 103. (175). Herba subsalsa gustanti. ¶ 2. Speciatim aliquando sumitur pro jentare, parum cibi sumere extra cœnæ tempus ad reficiendas modice vires; quod sæpe post balneum fieri solebat: item ipsa cœnæ initia libare. V. GUSTATIO. Seneca Consol. ad Marc. 22. a med. Usus balneo, in cubiculum se, quasi gustaturus contulit. Cic. Mur. 35. 74. Cretes, quorum nemo gustavit unquam cubans. Plin 3. Ep. 5. Post solem plerumque frigida lavabatur, deinde gustabat, dormiebatque minimum. Augustus apud Sueton. Aug. 76. Nos in essedo panem et palmulas gustavimus. Cf. Varro apud Non. p. 544. 27. Merc. Non vides ipsos deos, si quando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana?

II.) Translate. Cic. 2. Phil. 29. 71. Gustaras civilem sanguinem, vel potius exsorbueras. Id. 1. Nat. D. 8. 20. Primis, ut dicitur, labris gustare physiologiam. Id. 1. Fin. 18. 58. Animus secum discordans, gustare partem ullam liquidæ voluptatis non potest. Id. 1. Orat. 32. 145. De actione et memoria quædam brevia præcepta gustare. Id. 2. ibid. 36. 145. rerum summatim causas et genera. Id. 12. Fam. 23. 3. partem aliquam reipublicæ. Id. Arch. 8. 17. Studia litterarum attingere, et sensu gustare. Lucret. 5. 180. amorem vitæ. Horat. 2. Sat. 5. 82. lucellum. Plaut. Most. 5. 1. 15. Herus meus hic quidem est: gustare ego ejus sermonem volo. h. e. clam aucupari et percipere. Cf. Cic. 3. Orat. 20. 75. Sitiens istarum artium, gustavi, æqualem fere meum ex Academia rhetorem nactus, Metrodorum illum etc. h. e. aliquandiu audivi.

GUSTŬLUS (alii gustulum n.), i, m. 2. deminut. a gustus.

I.) Proprie. Apul. 9. Met. a med. vocat gustulum ovum recens natum, quod matutino jentaculo sorberi hujusmodi ova soleant. Gustus autem pro jentaculo etiam usurpari videtur. V. GUSTATIO.

II.) Translate. Apul. 2. Met. Dulcem et amarum gustulum carpis. h. e. osculum. Alii leg. dulce et amarum, γλυκύπικρον. Cf. Plaut. Cist. 1. 1. 72. Amor et melle et felle est fecundissimus: gustulum dat dulcem, amarum ad satietatem usque oggerit. Alii tamen leg. gustu dat dulce; alii gustatum dat dulcem.

GUSTUM, i, n. 2. V. voc. seq. init.

GUSTUS, us, m. 4. Gusti pro gustui. Petron. fragm. Tragur. 76. Burmann. Non mehercules mi hæc jactura gusti fuit. — Neutro genere gustum habet Apic., quem V. sub I. 2. — Gustus ratione habita etymi conjungi potest cum Gr. γεύω, γεύομαι gustare; et est sensus linguæ, quo sapores dignoscimus, γεῦσις (It. gusto; Fr. le sens de gout; Hisp. gusto; Germ. d. Kosten, Geniessen, Schmecken; Angl. the sense of tasting).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricta significatione est, ut diximus, sensus linguæ, quo sapores dignoscimus. Colum. 1. R. R. 8. 18. et 2. ibid. 2. 20. Panis potionisque bonitatem gustu explorare. Tac. 12 Ann. 66. Minister inferre epulas, et explorare gustu solitus. farne il saggio. Plin. 31. Hist. nat. 10. 46. (114). Nitrum adulteratum gustu deprehendere. Tac. 13. Ann. 16. Gusto libata potio. Sueton. Ner. 33. Quum ille ad primum gustum concidisset. ¶ 2. Latiori sensu gustus est cœnæ initium, gustatio, gli antipasti. Martial. 11. 31. Gustu protinus has edes in ipso: Has prima feret alteraque cœna. Adde eumd. 4 id. 52. — Et neutro gen. Apic 4. 3. Gustum versatile sic facies. — Huc pertinet et illud Petron. fragm. Tragur. 77. extr. Burmann. Profer et unguentum, et ex illa amphora gustum, ex qua jubeo lavari ossa mea. gustus est modica vini quantitas, ad explorandam ejus bonitatem. dammene un sorso, un saggio.

II.) Translate. ¶ 1. Gustus ponitur pro sapore, sapore. Cels. 6. 8. Attrahatur spiritu is succus, donec in ore gustus ejus sentiatur. Colum. 3. R. R. 2. med. Græculæ vites habent probabilem gustum. et paullo ante. Vites pretiosi gustus celeberrimæ. Quintil. 5. 8. 1. Gustus graminis. Plin. 26. Hist. nat. 8. 50. (82). Folium pingue et salso gustu. Id. 14. ibid. 1. 9. (12). Gustus vini austerior. Id. 27. ibid. 12. 96. (121). Herba gustu adstricto. Id. ibid. 12. 97. (122). Radix gustu acuto et odorato. ¶ 2. Item gustatus, il gustare. Plin. 31. Hist. nat. 6. 32. (60). Nec hoc fieri convenit sine crebro salis gustu. ¶ 3. Et pro haustu. Seren. Sammon. 18. 312. Sed cochlear trinum gustu tibi sufficit uno. Id. 57. 1026. Cui tu terna dabis gustu cochlearia in uno. ¶ 4. Metaphorā sumptā a superiori paragr. I. 2., gustus ponitur pro specimine, un saggio. Seneca Ep. 114. Gustum tibi dare volui. ho voluto dartene un saggio. Adde eumd. Ep. 11. Sic Colum. 11. R. R. 1. 2. Tibi expetenti versificationis nostræ gustum negare non sustinui. Plin. 4. Ep. 27. Vides, quam acuta omnia, quam apta, quam expressa? Ad hunc gustum totum librum repromitto. conforme questo saggio. Fronto Princ. Hist. (edente iterum A. Maio) p. 313. Si tamen hoc, quod gustui emittimus, non displiceat. se non ti spiace il saggio. Petron. Satyr. 22. Tot malis fatigatus, minimum veluti gustum hauseram somni. ¶ 5. Metaphorā sumptā a superiori paragr. II. 1., scilicet a sapore. Cic. 2. Phil. 45. 115. Libidinosi, avari, facinorosi veræ laudis gustum non habent. Orellius mallet gustatum. Quintil. 6. 3. 17. Urbanitas significat sermonem præ se ferentem in verbis et sono et usu proprium quemdam gustum Urbis.

GUTTA, æ, f. 1. Guttai pro guttæ dixit suo more Lucret. 6. 614. — Gutta, fortasse a χυτὸς fusus, fusilis, est minima pars aquæ, vel alterius materiæ liquidæ, σταλαγμός (It. goccia, gocciola; Fr. goutte; Hisp. gota, parte minima de agua; Germ. d. Tropfen; Angl. a drop of any liquid).

I.) Proprie. Plaut. Cas. 2. 3. 30. Dii te infelicitent, si ego in os meum hodie vini guttam indidi. Id. Most. 2. 2. 76. Guttam haud habeo sanguinis. scil. præ metu. Lucret. 6. 943. In speluncis saxa guttis manantibus stillant. Cic. 3. Orat. 48. 186. Numerus, quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguitur, notare possumus. Id. 2. Nat. D. 5. 14. Guttæ imbrium quasi cruentæ. Virg. 3. Æn. 28. atro liquuntur sanguine guttæ. Ovid. 4. Pont. 10. 5. Gutta cavat lapidem: consumitur annulus usu. Id. 2. Pont. 3. 90. Gutta per attonitas ibat oborta genas. h. e. lacrimæ. — In illo Sidon. carm. 5. 43. Assyrius gemmas, Ser vellera, tura Sabæus, (et 47.) Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham: gutta videtur esse succinum, ambra, quod Martial. 4. 32. Phaethontida guttam, et 6. 15. succinam guttam appellat. Apul. tamen 2. Met. myrrham ipsam Arabicas guttas dixit: videturque non myrrham quamlibet, sed eam solummodo, quæ sponte profluit (quæ et stacte dicitur) significasse: qua ratione forasse et Sidon. intelligendus est, nempe ut myrrham dicat, quæ ex vulnere defluit, guttam, quæ sponte. V. MYRRHA. Adde Vulgat. interpr. Eccli. 24. 21.

II.) Translate. ¶ 1. A similitudine, guttæ sunt puncta, seu maculæ varii coloris sparsim alicubi dispositæ, ut in equis, anguibus quibusdam etc. Virg. 4. G. 99. de apib. paribus lita corpora guttis. Ovid. 5. Met. 461. de lacerto. variis stellatus corpora guttis. Id. 4. ibid. 577. de angue. Nigraque cæruleis variari corpora guttis. Plin. 36. Hist. nat. 8. 13. (63). Lapis interstinctus aureis guttis. Id. 29. ibid. 4. 27. (84). Phalangium albis incursantibus respersum guttis. ¶ 2. In architectura guttæ dicuntur ornamenta sub triglyphis in Dorico genere, instar guttarum pendentia, gocciole, campanelle. Vitruv. 4. 3. Epistylii altitudo unius moduli cum tænia et guttis. et infra. Dividendæ sunt in corona ima ad perpendiculum triglyphorum et ad medias metopas viarum directiones et guttarum distributiones, ita uti guttæ sex in longitudinem, tres in latitudinem pateant. Altero hoc loco Vitruv. designat eas guttas, quæ in corona ima scalpuntur ad priorum perpendiculum: illæ sex omnino sunt; hæ decem et octo: illæ metæ pendentis figuram habent; hæ ad circinum deformatæ sunt. ¶ 3. Per metaphoram gutta est minima particula. Plaut. Pseud. 1. 4. 4. Cui neque parata gutta certi consilii, neque adeo argenti. Lucret. 4. 1053. gutta dulcedinis stillavit in cor. — NB. de cogn. Rom. V. ONOM.

GUTTANS, antis, particip. ab inusit. gutto, guttis adspergo, σταλάζων, guttatim stillans. Plin. 20. Hist. nat. 8. 28. Hujus folia ambustis utilia, guttantia astringunt. Harduin. et Sillig. leg. ex MSS.: gustantium os astringunt. Nutantem vocis auctoritatem obfirma hoc loco Cassiod. 1. Variar. 45. de horologio aquatili. Ubi solis meatus sine sole cognoscitur, aquis guttantibus horarum spatia terminantur.

GUTTĀTIM, adverb. a goccia a goccia, κατὰ σταγόνας, per singulas guttas. Plaut. Merc. 1. 2. 92. Cor edepol miserum meum, quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem. Ennius apud Non. p. 115. 33. Merc. Vide hunc, meæ in quem lacrimæ guttatim cadunt. Arnob. 2. 59. Pluvia guttatim labitur. Apul. 3. Met. ante med. Vasculum guttatim defluum. V. DEFLUUS.

GUTTĀTUS, a, um, particip. ab inusit. gutto, guttis adspergo, gocciolato, pomellato, colorem habens maculis quibusdam in modum guttarum distinctum, ex. gr. quod album est nigris intervenientibus punctis, quia puncta illa guttarum instar sunt aspersa, ut equus guttatus, gallinæ guttatæ, etc. Martial. 3. 58. Et picta perdix, Numidicæque guttatæ. Pallad. 4. R. R. 13. 4. de equis. Colores hi præcipui, badius, gilvus, scutulatus, albus, guttatus.

GUTTŬLA, æ, f. 1. deminut. a gutta, parva gutta. gocciolina, ψακάδιον.

I.) Proprie. Plaut. Epid. 4. 1. 27. Ah, guttula pectus mihi ardens aspersisti. Paulin. Nolan. carm. 21. 427. favorum guttulæ. Fulgent. 3. Mythol. 8. Myrrha redolentibus lacrimosa guttulis.

II.) Translate significat frustulum, partem minimam. Lamprid. Alex. Sev. 44. In templis auri ne guttulam quidem aut bracteolam posuit. Sic etiam translate Itali usurpant, ut Fr. Giordano S. Pred. 72. Dicianne una gocciolina.

GUTTUR, ŭris, n. 3. Accusativum gutturem masc. gen. habet Plaut. Aulul. 2. 4. 25. et Trin. 4. 3. 7.; Nominativum autem Varro apud Non. p. 207. 21. Merc. Exercebam ambulando, ut siti capacior ad cœnam veniret guttur. — Guttur est pars illa, quæ a faucibus ad jugulum est, tum exterior, tum præcipue interior, φάρυγξ, βρόγχος (It. gola, canna della gola, strozza; Fr. gosier, gorge; Hisp. gaznate, gorja, gorguero; Germ. d. Gurgel, Kehle; Angl. the throat).

I.) Proprie. Plaut. Mil. glor. 3. 2. 22. Nimis calebat, amburebat gutturem. Cic. poet. 1. Divinat. 8. 14. Haud modicos tremulo fundens a gutture cantus. Horat. Epod. 3. 1. Parentis olim si quis impia manu Senile guttur fregerit. Vitruv. 8. 3. Genus aquæ, quam qui bibunt, efficiuntur tumidis gutturibus. Ovid. 6. Met. 134. Laqueo ligare guttura. Id. 7. ibid. 314. fodere guttura cultro. Id. 1. Amor. 13. 8. liquidum tenui gutture cantat avis. Adde eumd. 10. Met. 22. et 3. ibid. 73.; Colum. 8. R. R. 5. 17. et 8. ibid. 7. 3.; Curt. 4. 9. 25. et 7. 4. 36. Plin. 11. Hist. nat. 37. 68. (179). Guttur homini tantum et suibus intumescit, aquarum, quæ potantur, plerumque vitio. Pers. 1. 17. liquido plasmate guttur colluere. h. e. gargarizare. Juvenal. 13. 162. Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? Id. 6. 105. guttur radere. Veget. 5. Veterin. 65. Gutturis exasperatio. — Jocularitur Plaut. de avaro homine Aulul. 2. 4. 25. Etiam ne obturat inferiorem gutturem tum, ne quid animæ forte amittat dormiens? h. e. anum.

II.) Translate. Cic. Cæl. 19. 44. Vitium ventris et gutturis. Juvenal. 2. 114. rarum ac memorabile magni Gutturis exemplum. h. e. ingentis voracitatis.

GUTTURNĬUM, ii, n. 2. brocca, πρόχοος, vas, ex quo aqua in manus datur: ab eo, quod propter angustias guttatim fluat. Paul. Diac. p. 98. 12. Müll. Sic Gloss. Lat. Gr. Gutturnium, πρόχοος.

GUTTURŌSUS, a, um, adject. gozzuto, ἐξέβρογχος, cujus guttur tamquam spongia intumescit,

quod vitium potius, quam morbos, βρογχοκήλη Græce dicitur: eoque præcipue laborant Alpium accolæ, propter aquarum ex nivibus liquescentium qualitatem, quibus utuntur. *Ulp. Dig.* 21. 1. 12. Si quis natura gutturosus sit, aut oculos præminentes habeat, sanus videtur. *Vet. Scholiast. Juvenal.* ad *Sat.* 13. 162. Tamquam si in Alpibus gutturosos homines admireris, ubi tales sunt plurimi scilicet: nam lata et inflata colla habent. *V.* GUTTUR 1. ad fin.

GUTTUS, i, m. 2. πρόχοος, ἐπίχυσις, vasis genus, angusto collo: a gutta, quod vinum eo funderent guttatim, quod Græci dicunt ἐπιψεκάζειν, Latini *irrorare*. *Varro* 5. *L. L.* 124. *Müll.* Qui vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis guttum appellarunt. — Specialim hoc nomine fuit res, quo in sacrificiis utebantur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 73. (185). Curius juravit, se ex præda nihil attigisse præter guttum faginum, quo sacrificaret. — Item vas, in quo oleum asservabatur. *Gell.* 17. 8. Guttum Samium, ore tenus imprudens inanem, tamquam inesset oleum, affert. — Utebantur etiam gutto in balneis ad conservanda unguenta. *Juvenal.* 3. 263. et 11. 158. Guttum corneum memorat *Martial.* 14. 53. in *lemmate*.

GY

GȲBERNĀTOR. *V.* GUBERNATOR

GYMNAS, ădis, f. 3. *esercizio*, γυμνάς, exercitium gymnasticum. *Stat.* 4. *Silv.* 2. 47. Sic lubrica ponit Membra Therapnæa resolutus gymnade Pollux. *Id.* 3. *ibid.* 1. 43. hic tibi festa Gymnas, et insontes juvenum sine cæstibus iræ. *Id.* 1. *Achill.* 357. neve exercere protervas Gymnadas, aut lustris nemorum concede vagari. *Id.* 4. *Theb.* 106. Herculea turpatus gymnade vultus Amnis. *h. e.* Achelous cornu truncatus in lucta cum Hercule: de quo *V. Ovid. initio* 9. *Met.* Adde *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 516. — *NB.* de nom. propr. *V.* ONOM.

GYMNĂSĬARCHA, æ, m. 1. *et*

GYMNĂSĬARCHUS, i, m. 2. γυμνασιάρχης, præfectus gymnasii, id est loci, in quo gymnades, seu exercitia corporis habentur. *Cic.* 6. *Verr.* 42. 92. Demoliendum curavit Democritus gymnasiarchus. *Val. Max.* 9. 12. n. 7. *extern.* Gymnasiarcha claudere eum locum volente. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. Palæstritarum luctas, si involvantur obscœnius, casta confestim gymnasiarchorum virga dissolvit. *Inscript.* apud *Gruter.* 465. 2. C. RVTILIO C. F. COCLITI VIRO GYMNASIARCHAE LEG. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINI.

GYMNASIOFESTUS, a, um, adject. qui in gymnasio festum aliquod celebrat. Vox e Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 174.

GYMNĂSĬUM, ii, n. 2. γυμνάσιον.

I.) Proprie est locus, ubi se lucta, disco, hasta, pila, saltu, tum athletæ, tum ingenui filiifamiliarum exercebant, *luogo da esercitarsi nella lotta o altro;* institutum Græcorum, quorum in urbibus passim loca publica hisce destinata exercitiis exstructa visebantur: a γυμνάζω *exerceo*, quod a γυμνός *nudus*, quia nudos mos erat, oleoque unctos, et pulvere arenare conspersos exerceri. *Plaut. Epid.* 2. 2. 13. Per omnem urbem quem sum defessus quærere, per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio, atque foro, per myropolia, et lanienas, circumque argentarias. Quod *balneas* hic, ut et *Amph.* 4. 1. 3., ubi fere eamdem locorum enumerationem habet, *Plautus* omittit, ideo factum videtur, quia ipsæ quoque *gymnasii* nomine significantur: nam in his pariter exercebant corpora. *Id. Bacch.* 3. 3. 20. Ante solem exorientem nisi in palæstram veneras, gymnasii præfecto haud mediocres pœnas penderes. *et* 24. Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila, saliendo se exercebant magis, quam etc. *Cels.* 5. 11. et 15. Sordes ex gymnasio. *h. e.* strigmenta, quæ ab athletis detergentur e corpore post luctam. — Spartæ etiam virgines gymnasticis exercitationibus, excepto saltu, operam dabant. *Propert.* 3. 12. 1. Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ, Sed mage virginei tot bona gymnasii. Adde *Ovid. Heroid.* 16. 149.; et *Cic.* 2. *Tusc.* 15. 151. — Joculariter *Plaut. Aulul.* 3. 1. 51. Totus doleo: ita me iste habuit senex gymnasium. *h. e.* verberando me exercuit. Apud *eumd. Asin.* 2. 2. 31. *gymnasium flagri* convicium est servi crebro vapulantis, quasi qui tergo suo sæpe flagra exerceat. — *Gymnasium dare* est ludos gymnasticos populo præbere. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 456. 5., quæ est apud *Orell.* 2548. ET OB *statuæ* DEDICATIONEM SIMVL CVM MANNIO MEMMIANO COLLEGA SVO LVDOS SCENICOS, ET GYMNASIVM POPVLO, EPVLAS DECVRIONIBVS DEDIT. *Alia* apud *Henzen.* 6599.... DEDICAVIT ET OB DEDICATIONEM PVGILVM CERTAMINA EDIDIT ET DECVRIONIBVS SPORTVLAS ET POPVLO GYMNASIVM (*deesse videtur* ET) EPVLVM DEDIT etc. — De ludis gymnicis V. *Annal. dell' Instit. archeol. T.* 5. *p.* 64.

II.) Improprie, dicitur de schola, seu ludo litterario, non tam metaphorice, quam quod philosophi olim ea ad disputandum loca elegissent, in quæ juventus exercendi gratia convenire solebat. *Cic.* 2. *Orat.* 5. 21. Omnia ista, inquit Crassus, ego alio modo interpretor, qui primum palæstram et sedes et porticus, etiam ipsos Græcos exercitationis et delectationis causa, non disputationis invenisse arbitror. Nam et sæculis multis ante gymnasia inventa sunt, quam in his philosophi garrire cœperunt: et hoc ipso tempore quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire, quam philosophum malunt: qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt. *Id.* 1. *Divinat.* 5. 8. Quum ambulandi causa in Lyceum venissemus (id enim superiori gymnasio nomen est) etc. *Id.* 1. *Orat.* 13. 56. Clamabunt, credo, omnia gymnasia atque omnes philosophorum scholæ, sua hæc omnia propria. Adde *prœm. Paradox. a med.* — Ampliora gymnasia locum etiam habuere sepulturis clarorum virorum destinata, ut videre est *Nepot. Timol. in fin.*, et *Sulpic.* ad *Cic.* 4. *Fam.* 12.; unde etiam colligitur, Athenis gymnasia extra urbem fuisse. — Differt interdum *gymnasium* a *palæstra*, ut apud *Plaut. Amph.* 4. 1. 3. omnes plateas perreptari, gymnasia et myropolia: apud emporium, atque in macello, in palæstra, atque in foro, etc. et *Catull.* 63. 60. *de Aty.* Abero foro, palæstra, stadio et gymnasiis? et *Cic.* 1. *Att.* 10. Signa, quæ tibi palæstræ gymnasiique videbuntur esse. Videtur autem his locis *gymnasium* latiore significatione, *palæstra* strictiore usurpari: scilicet illud scholam quoque philosophorum complecti; hæc tantummodo locum luctæ athletisque destinatum. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

GYMNASTĬCUS, a, um, adject. *ginnastico*, ad exercitationem pertinens, γυμναστικός: a γυμνάζω, *exerceo*, ut *gymnasticum exercitium*, *gymnastica ars*, qua pueri corpora exercentur. *Plaut. Rud.* 2. 1. 7. Pro exercitu gymnastico et palæstrico hoc habemus, echinos, ostreas captamus, etc. *Id. Most.* 1. 2. 72. Arte gymnastica, disco, hasta, pila.

GYMNĬCUS, a, um, adject. *ginnico*, γυμνικός, idem quod gymnasticus: ut *gymnica certamina*, *gymnici ludi*, γυμνικοὶ ἀγῶνες, cursus, luctæ, gladiatura etc., quæ populo oblectando publice fiebant. *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 62. Videmus ne, apud quos eorum ludorum, qui gymnici nominantur, magnus honos sit, nullum ab iis, qui in id certamen descendant, devitari dolorem? *Sueton. Ner.* 53. Spectare certamina gymnica. Adde *eumd. ibid.* 12., *Aug.* 52. et *Domit.* 4. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (205). Ludos gymnicos Arcadia Lycaon invenit. Adde *Trebell. Poll. Gall. duob.* 3. *Plin.* 4. *Ep.* 22. 1. Gymnicus agon.

GYMNŎSŎPHISTÆ, ārum, m. plur. 1. γυμνοσοφισταί, Indorum philosophi, sapientiam profitentes, et nudi in silvis agentes: a γυμνός *nudus*, et σοφιστής *sapiens*. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (22). Philosophos eorum (*Indorum*), quos gymnosophistas vocant, (*constat*) ab exortu ad occasum perstare contuentes solem immobilibus oculis, ferventibus arenis toto die alternis pedibus insistere. *Curt.* 8. 9. 31. *sapientes* vocat. *Prudent. Hamartig.* 404. Ostentatque suos vicatim gymnosophistas. *Augustin.* 14. *Civ. D.* 17. Gymnosophistæ adhibent genitalibus tegmina, quibus per cetera membrorum carent. Adde *Apul. Florid.* n. 6. — Etiam in Ægypto fuere gymnosophistæ. *Hieronym. Ep.* 107. n. 8. Quod et Indorum Brachmani et Ægyptiorum gymnosophistæ in polentæ et oryzæ et pomorum solo observant.

GȲNÆCĒUM *vel* gynæcium, ii, n. 2. *appartamento delle donne*, γυναικεῖον, subaudi οἴκημα. ¶ 1. Apud Græcos est pars ædium interior secretiorque, ubi secretæ a viris mulieres degunt, conclave, in quod, præter sanguine conjunctos servosque domesticos, aditus patet nemini. *Ter. Phorm.* 5. 6. 26. Ubi in gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit: ait, esse vetitum intro ad heram accedere. *Plaut. Most.* 3. 2. 71. Dare vult uxorem filio: ad eam rem facere vult gynæceum novum. ¶ 2. Apud Romanos est hoc nomine locus publicus, in quem conveniunt mercede conductæ mulieres, lanificii et textrini causa; et præsertim textrinum ad vestes principis conficiendas constitutum, ut ex *Cod.* 9. 27. 5. et 11. 7. 5. colligitur. *Veget.* 2. *Milit.* 7. Linteones, omnesque, qui aliquid tractasse videbuntur ad gynæcea pertinens, longe arbitror pellendos a castris. — Item locus, in quo libidinis causa puellæ selectæ detinentur: qualem Turcarum imperatorem habere constat. *Lactant. Mort. persecut.* 21. Matresfamilias ingenuæ ac nobiles in gynæceum rapiebantur.

GȲNÆCĬĀRĬUS, ii, m. 2. qui gynæcei, ubi mulieres lanam faciunt et texunt, curam habet. *Imp. Constantin. Cod.* 11. 7. 3. Ingenuæ mulieres, quæ se gynæciariis sociaverint. *V.* GYNÆCIUS.

GȲNÆCĬUM, ii. *V.* GYNÆCEUM.

GYNÆCĬUS, ii, m. 2. idem quod gynæciarius. *Cod. Theod.* 10. 20. 2.

GYNÆCŌNĪTIS, idis, f. 3. γυναικωνῖτις, idem ac gynæceum Græcorum significatione: *V.* GYNÆCEUM 1. *Nepos præf.* In interiore parte ædium, quæ gynæconitis dicitur, quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione conjunctus. *Vitruv.* 6. 10. Hæc pars ædificii gynæconitis appellatur. *V.* ibi reliqua.

GYPSĀRĬUS, a, um, adject. ad gypsum pertinens, ut Gypsarius plastes, idem ac gypsoplastes. *Edict. Diocl.* p. 20. Reliquis plastis gypsariis plastis diurnos ✳ quinquaginta.

GȲPSĀTUS, a, um. *V.* GYPSO.

GYPSĔUS, a, um, adject. ad gypsum pertinens. ¶ 1. Qui ex gypso est, *di gesso*, γυψώδης. *Spartian. Sever.* 22. Tres Victoriæ gypseæ cum palmis. *h. e.* tria Victoriæ simulacra ex gypso. ¶ 2. Item gypso illitus, gypsatus, *imbellettato*. *Hieronym. Ep.* 38. n. 3. Mulieres, quæ purpurissa et quibusdam fucis ora oculosque depingunt, quarum facies gypseæ et nimio candore deformes idola mentiuntur.

GYPSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Gypsatus* in fin. — Gypsare est gypso inficere, tegere, claudere, γυψόω (*It. ingessare*; *Fr. enduire de plâtre, plâtrer, crépir*; Hisp. *enyesar*; Germ. *übergypsen*; Angl. *to plaster, parget, whitewash*). *Colum.* 12. *R. R.* 39. 2. Gypsare opercula. *Id. ibid.* 41. Diligenter permixtum (*mulsum*) recondes in lagœna eamque protinus gypsabis. Adde *eumd. ibid.* 10. 4. *Apic.* 1. 17. Vas picari et gypsari facies. *h. e.* pice et gypso collini. — *Gypsare vinum* est gypsum vino immiscere apud *Colum.* 12. *R. R.* 36. Purgatum diligenter vinum gypsabis. *Id. ibid.* 26. 2. dixerat: Si in sextarios VII. musti heminam gypsi miscueris, posteaquam decoctum refrixerit. — Hinc

Gypsatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Gypsatissimus*. Est autem gypso illitus, infectus, tectus, *ingessato*, *imbiancato*, γυψωτός. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 64. Despice gypsati crimen inane pedis. *idest* servilis. Nam pedes venalium trans mare advectorum, gypso, seu creta notare mos erat. *Tibull.* 2. 3. 60. quem sæpe coegit Barbara gypsatos ferre catasta pedes. Adde *Propert.* 4. 5. 51. *Petron. Satyr.* 34. Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ. *h. e.* albo colore affabre superinductæ. V. *Annali dell' Instit. di corr. archeol. a.* 1839. *T.* 11. p. 95. *Cic.* 7. *Fam.* 6. *de Medea.* Quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi illæ vitio verterent, quod abesset a patria. τὸ *gypsatissimis* videtur *Cic.* ab illo eod. poeta (*Ennio* fortasse) sumpsisse, a quo et illa, quæ *ibid.* subdit, *nam multi suam rem*, etc. Neque enim veri est simile, ipsum ea ratione fuisse locuturum: quod et *Manut.* advertit. Deinde dicitur Medea manus habuisse gypsatas, quia mos fuisse putatur barbararum mulierum gypso manus linere, ad candorem conciliandum. Huc quidam trahunt locum *Val. Flacc.* 2. 150. *de Threissa.* Picta manus, ustoque placet sed barbara mento. At *picta manus* est stigmatibus compuncta, *V.* STIGMA, non gypso illita. Sunt vero qui recte putant, *malas* scribendum, non *manus*. *V.* vocem seq., et CRETA. Postremo horum *Ciceronis* verborum sensus est, Medeam Corinthiis matronis sermone in speciem quidem honesto, doloso tamen et fraudis pleno persuasisse, etc.

GYPSŎPLASTES, æ, m. 1. *gessajuolo*, γυψοπλάστης, qui statuas et vasa ex gypso facit. *Cassiod.* 7. *Variar.* 5. Quidquid enim aut instructor parietum, aut sculptor marmorum, aut æris fusor, aut camerarum rotator, aut gypsoplastes, aut musivarius ignorat.

GYPSUM, i, n. 2. *gesso*, γύψος.

I.) Proprie. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 24. 59. (182). Cognata calci res gypsum est. Plura ejus genera; nam et e lapide coquitur, ut in Syria: et e terra foditur, ut in Cypro: e summa tellure et Tymphaicum est etc. *et mox.* Gypso madido statim utendum est, quoniam celerrime coit ac siccatur: tamen rursus tundi, et in farinam resolvi patitur. Usus gypsi in albariis, sigillis ædificiorum, et coronis gratissimus. Exemplum illustre, C. Proculejum in maximo stomachi dolore, gypso poto, conscivisse sibi mortem. *Id.* 14. *ibid.* 19. 24. (120). Africa gypso mitigat vini asperitatem. *Id.* 15. *ibid.* 17. 18. (64). Mala generosissima crustare gypso vel cera. *Id.* 20. *ibid.* 9. 39. (98). Gypso oblitus cadus. *Id.* 35. *ibid.* 12. 45. (156). Exemplar e gypso factum. *Colum.* 12. *R. R.* 20. 8. Gypsi quod flos appellatur, uncias singulas, item ad tertias decocti defruti sextarios binos singulis amphoris miscere oportebit: ea res si non in totum perennat, certe usque ad alteram vindemiam plerumque vini saporem servat. *Cato R. R.* 39. Hæc omnia in calicem novum indito, eo addito gypsum contritum.

II.) Translate. *Juvenal.* 2. 4. Indocti primum: quamquam plena omnia gypso Chrysippi invenias. *h. e.* imaginibus Chrysippi aliorumque philosophorum e gypso expressis.

GȲRĀTUS, a, um. *V.* GYRO.

GYRGILLUS. *V.* GIRGILLUS.

GYRĪNUS, i, m. 2. *cazzuola*, informis ranarum partus, γυρῖνος. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (159). Ranæ pariunt minimas carnes nigras, quas gyrinos vocant.

GȲRO, as, āvi, ātum, are, 1. Part. *Gyrans* sub *B*; *Gyratus* sub *A*. — Gyrare

A) Active est in gyrum vertere. *Veget.* 3. *Veterin.* 5. 2. Animal difficile se gyrabit. *Vulgat. interpr. Judith* 13. 12. Transierunt castra, et gyrantes vallem, venerunt ad portam civitatis. — Hinc *Plin.* 5. *Hist. nat.* 10. 11. Chlamys orbe gyrato laciniosa. *h. e.* in gyrum posito vel facto.

B) Neutrorum more est verti, *volgersi*. *Vulgat. interpr.* 1. *Machab.* 13. 20. Gyraverunt per viam, quæ ducit Ador. *Id.* 2. *Reg.* 5. 23. Sed gyra post tergum tuum. *Jun. Orb. descript. p.* 405. Deinde gyrante circulo a partibus Austri invenies Mauritaniam terram.

GȲRUS, i, m. 2. γῦρος, circumversio in orbem, ambitus, circuitus, circulus: Græca vox a γυρὸς curvus, inflexus, usu Latina facta (It. *giro, girata*; Fr. *cercle, tour, rond*; Hisp. *circulo, giro, vuelta*; Germ. *der Kreis*; Angl. *a circle, a circuit, moving or wheeling in a circle*).

I.) Proprie. *Virg.* 5. *Æn.* 84. adytis quum lubricus anguis ab imis Septem ingens gyros, septem volumina traxit. *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 33. ducensque per aera gyros Milvus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 30. (59). Grues gyros quosdam indecoro cursu peragunt. *Id.* 11. *ibid.* 20. 22. (68). Apes gyros volatu edunt. *Seneca Agam.* 451. piscis exsultat freto, agitatque gyros. — Sic de cursu equorum, quum freno parere discunt, quia non in liberum ducuntur campum, sed in spatium aliquod angustius, ubi sæpius sit flectendum. *Ovid.* 3. *Art. am.* 384. In gyros ire coactus equus. *Virg.* 3. *G.* 115. Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere Impositi dorso. *Lucan.* 1. 425. frenos in gyrum flectere. *Tac. Germ.* 6. Nec equi variare gyros in morem nostrum docentur. — Aliquando dicitur de cursu diei, *giro de' giorni*. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 25. seu bruma nivalem Interiore diem gyro trahit. *Seneca Ep.* 12. Mensis arctiore (*quam annus*) præcligitur circulo: angustissimum habet dies gyrum. *Seneca alter Hippol.* 312. *de cursu lunæ.* nocturnas agitare bigas discit, et gyro breviore flecti. — Et generatim. *Virg.* 7. *Æn.* 379. *de trocho.* Quem pueri magno in gyro vacua atria circum Intenti ludo exercent. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 13. 24. (64). Si fronde ea gyroque claudatur ignis, et serpens, in ignes potius, quam in fraxinum fugere serpentem. *circolo*. *Sueton. Cæs.* 39. Spatio circi producto, et in gyrum euripo addito. *all' intorno*.

II.) Translate. ¶ 1. De ipso loco. *Propert.* 3. 12. 11. Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit. ¶ 2. Et per metaphoram de aliis. *Cic.* 3. *Orat.* 19. 70. Ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis. *Id.* 1. *Off.* 26. 70. Homines secundis rebus effrenatos tam quam in gyrum rationis et doctrinæ duci oportere. *Propert.* 3. 2. 21. Cur tua præscriptos evecta est pagina gyros? *Ovid. Remed. am.* 398. attrahe vela Fortius, et gyro curre, poeta, tuo. *Colum.* 10. *R. R.* 226. Illa mea Calliope cura leviore vagantem Jam revocat, parvoque jubet decurrere gyro. — Illa quoque translata sunt. *Gell.* 16. 8. *extr.* Ne tu quoque in illis dialecticæ gyris atque mæandris consenescas. *h. e.* ambagibus. et *Phædr.* 4. 25. Tuæ prius sunt partes; aliarum dein: Similique gyro venient aliorum vices. *h. e.* ordine recurrente.

De littera H

H, h, sit ne littera, an aspirationis nota, inter Grammaticos controversum est. *Quintil.* 1. 5. 19. Si H littera est, non nota. et *Gell.* 2. 3. H litteram, sive illam spiritum magis quam litteram dici oportet etc. Utcumque sit, in versu non consideratur. Sed tamen interdum consonantis officio fungitur. *Cledonius p.* 1883. *Putsch.* et alii dicunt, quoties ultimam vocalem dictionis antecedentis adjuvat, ut ex brevi fiat longa, esse consonantem; quoties non adjuvat, notam aspirationis esse. — Quod ad scribendi formam attinet, in vet. Græcis Inscriptionibus reperitur interdum H pro spiritu aspero Græcorum adscripta, ut HEKATON pro ἙKATON et HOΣ pro ὉΣ. In vet. vero Latinis Inscriptionibus pro littera H tam ante vocalem, quam post consonantem non raro reperias dimidiatum sic Ⱶ quæ est forma spiritus lenis Græcorum; quod fortasse ideo factum, quia Latini sæpe Græcam aspirationem tollebant, hic vero lene potius, quam aspero spiritu utebantur. Hinc in *Inscript.* apud *Labusium*, quam ipse illustrandam suscepit in *Dissert. sui Denar. Bresc.*, scribitur ⱵOMVNCIO, non OMVNCIO, ut perperam apud *Gruter.* 423. 7.; et in alia apud *Fabrett. p.* 195. *n.* XLIII. ⱵODE pro RHODE, qui *ibid.* multa habet hac de re. V. et *Mazoch. Tab. Heracl. p.* 128. — Ceterum aspiratio, ut *Gell.* 2. 3. auctor est, non solebat litteris interseri, quemadmodum nos hodie facere consuevimus, sed more Græcorum supra litteras annotari, quod et ipsum se vidisse affirmat in quodam vetustissimo Codice, quem *Virgilii* autographon fuisse putat, in quo $\overset{h}{\textit{aena}}$ scriptum erat. — Idem *Gell. ibid.* auctor est in plerisque Latinis dictionibus præter etymologiæ rationem addi aspirationem, quod crederent, sonum firmiorem reddi et vegetiorem: idque exemplo Atticorum, qui citra morem ceterarum Græciæ civitatum multas dictiones aspirant. Id tamen fortasse ideo factitabant, quia etiam Dores idem facere consueverant. V. *Grammat. Matthiæ T.* 1. *p.* 49. ubi ͰΟΚΣΩ pro ὈKTΩ. V. DASIA et ORIUNDUS. Hinc quod ad initium vocabuli attinet, nihil certi statui potest; plura enim in antiquis Codicibus et Inscriptionibus occurrunt, quæ per H, modo sine H scribuntur, ut *honus, honera* pro onus, *onera, harundo* pro *arundo, hac* pro *ac* (in *Inscript.* apud *Orell.* 23.), et contra *aruspex* pro *haruspex*, *erus* pro *herus*, *ercisco* et *erctum* pro *hercisco* et *herctum*; item *Annibal* et *Hannibal*, *Adria* et *Hadria* etc. — H vero præmittitur vocalibus omnibus, et subjungitur quatuor consonantibus *c, p, r, t* (quæ respondent Græcis χ, ῥ, φ et ϑ) et hoc, ut valentius sonet dictio. Ante *Ciceronis* tempora, ut ipse *Orat.* 48. 160 testatur, solis vocalibus addebatur aspiratio, non autem consonantibus, quemadmodum hodie, quorum etiam pronunciationem ipse aliquamdiu se fuisse secutum fatetur. Quin ego ipse (inquit) quum scirem, ita majores locutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, aspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem* dicerem: aliquando, idque sero, convicio aurium quum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi. Sic *Quintil.* 1. 5. 20. Parcissime ea (*aspiratione*) veteres usi etiam in vocalibus, quum *ædos ircosque* dicebant. Diu deinde servatum, ne consonantibus aspiraretur, ut in *Graccis* et *triumpis*. Erupit brevi tempore nimius usus, ut *choronæ, chenturiones, præchones* adhuc quibusdam inscriptionibus maneant, qua de re Catulli nobile epigramma est (*Catull.* 84.). Diximus autem H consonantibus subjungi; quod confirmat *Cassiod. de orthogr. p.* 2285. *Putsch.* H secundo loco a quacumque consonante poni debet, quod solus Varro dubitat, vult enim auctoritate sua efficere, ut H prius ponatur ea littera, quæ aspirationem confert, et eo magis hoc tentat persuadere, quod vocalibus quoque dicat anteponi, ut *heres, hircus*. Finalis in syllaba esse non potest præterquam in *ah, vah* et *proh* interjectionibus, quæ vel per apocopen dictæ sunt, quum completæ sint *aha, vaha* et *proho*, vel quia abscondita voce solent proferri interjectiones. — H ante *t* transit in *c*, ut in *tractum* pro *trahtum* vel *trahitum* a *traho*, et in *vectum* pro *vehtum* vel *vehitum* e *veho*: ante *s* mutatur in *x*, ut in *traxi*, *vexi*, pro *trahsi*, *vehsi*, item in *onyx* pro *onichs*. — In Inscriptionibus plura significat: H. AQ. *hoc est* hic acquiescit, H. G. hæc gens, H. C. Hispania citerior, H. F. heres fecit, H. D. S. heres de suo, HH. heredes, H. I. hercle juvavit, H. B. E. hora bona est etc. etc. Huc vero minime pertinet nota HS de qua *V.* in SESTERTIUS.

HA

HA, interjectio et — *a*) Est corripientis, admonentisve, ne quid fiat. *Plaut. Capt.* 1. 2. 45. Alienus ego? alienus ille? ha, Hegio, nunquam istuc dixis. *Id. Trin.* 4. 3. 53. Ha nimium, Stasime, sæviter! *Id. Pseud.* 4. 5. 1. Ha he! nunc demum mihi animus in tuto est. — *b*) *Ha ha he* ridentis est. *Ter. Heaut.* 5. 1. 13. CH. Ha ha he! ME. Quid risisti? Adde *Plaut. Pseud.* 4. 1. 36.; et *Ter. Andr.* 4. 4. 15., *Eun.* 3. 2. 44., *Hecyr* 5. 4. 22. et *Phorm.* 2. 3. 64. — *c*) Item irridentis. *Plaut. Pœn.* 3. 5. 23. Ha ha he! jam teneo, quid sit.

HĂBA, æ, f. 1. a Faliscis dicebatur, quæ a Latinis faba, teste *Scaur.* grammat. *p.* 2252. *Putsch.* V. quæ de littera F dicta sunt.

HĂBE pro *ave* legitur in quibusdam antiquis Inscript., ut apud *Gruter.* 331. 3. Sic in fine epistolæ Catilinæ ad Catulum, apud *Sall. Cat.* 35. *habeto*, ut in MSS. legit *Gruter.*

HĂBĒNA, æ, f. 1. lorum freno alligatum, quo equi reguntur: ducunt ab *habendo*, vel quia habenæ habentur manibus, vel quia his inhibentur equi, ἡνία (It. *briglia*, *redini*; Fr. *courroie*, *lanière*, *bride*, *rênes*; Hisp. *correa*, *brida*, *rienda*; Germ. *d. Riemen*, *Zügel*; Angl. *a rein*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Virg.* 1. *G.* 514. Fertur equis auriga, nec audit currus habenas. *Id.* 5. *Æn.* 818. omnes manibus effundere habenas. Sic *Frontin.* 2. *Strateg.* 5. effundere habenas. et *Lucan.* 7. 225.; et *Sil. It.* 7. 696. eques effusa largus habena. *Curt.* 7. 7. 35. et 8. 14. 6. Effusis habenis. et *Liv.* 37. 20. Effusissimis habenis. *Ovid.* 1. *Met.* 280. immittere habenas et *Val. Flacc.* 5. 187. immissis non segnior ibit habenis. *Virg.* 1. *Æn.* 63. laxas dare habenas. Sic *Curt.* 4. 9. 24. et 4. 15. 3. laxare. et rursus *Virg.* 11. *Æn.* 623. penitusque datis referuntur habenis. *Val. Flacc.* 3. 498. citis habenis fundit equos. *Lucan.* 2. 500. levis totas accepit habenas in campum sonipes. *Id.* 7. 225. et largus habenæ Ponticus ibat eques. *h. e.* qui cursu equorum delectatur. *Virg.* 11. *Æn.* 670. colligere habenas. *Id.* 12. *ibid.* 327. habenas moliri manibus. *Ovid.* 1. *Fast.* 25. regere. *Id.* 5. *Met.* 403. per colla jubasque excutere. *Virg.* 11. *Æn.* 765. detorquere. *Id.* 12. *ibid.* 471. ardentes flectere. *Id.* 10. *ibid.* 576. habenis equos flectere. *Id.* 11. *ibid.* 713. Conversisque fugax aufertur habenis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 467. supprimere habenas. *Virg.* 12. *Æn.* 622. adductis subsistere habenis. *Val. Flacc.* 6. 303. admissis habenis. ¶ 2. Latiori sensu — *a*) Dicitur de loris hastæ jaculive. *Lucan.* 221. Quum jaculum parva Libys amentavit habena. — *b*) Et de funiculis fundæ. *Lucan.* 3. 710. Balearis tortor habenæ. *Val. Flacc.* 5. 609. saxiferæ imber habenæ. Cf. *Virg.* 7. *Æn.* 380. turbo actus habena. — *c*) Item de scuticæ loris, *coreggie della sferza*. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 15. In scalis latuit metuens pendentis habenæ. *Ovid. Heroid.* 9. 81. scuticæ tremefactus habe-

nis Alcides. — d) Item de aliis rebus. *Val. Flacc.* 6. 365. molles galeæ habenæ. *i lacci dell' elmo.* *Gell.* 13. 21. Plantarum calces tantum infimæ teguntur: cetera prope nuda et teretibus habenis vincta sunt. *coreggie, stringhe.* — e) Per synecdochen poetice ponuntur pro equitibus, *cavalleria.* *Val. Flacc.* 6. 95. pedes æquat habenas. *h. e.* par est peditum equitumque numerus.

II.) Translate. ¶ 1. Speciatim in re medica habena dicitur exigua caro in longum secta ex ora vulneris, *striscia di carne.* *Cels.* 7. 17. *ad fin.* Si qua parte membrana veterem plagam habet, tenuis excidenda habena est, quæ tantum oras ejus exulceret. *V.* HABENULA. ¶ 2. Generatim ac translate a prima significatione, elegantes habet usus. *Lucret.* 2. 1096. Quis regere immensi summam, quis habere profundi Indu manu validas potis est moderanter habenas? Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 280. Fluminibus vestris totas immittite habenas. Sic *Val. Flacc.* 6. 391. omnes fluviorum fundere habenas. *Lucan.* 9. 454. *de Austro.* Æoliam rabiem totis exercet habenis. *a briglia sciolta, a tutta furia.* Cf. *Virg.* 1. *Æn.* 67. Similiter *Id. Virg.* 5. *ibid.* 662. furit immissis Vulcanus habenis. *Id.* 6. *ibid.* 1. classique immittit habenas. *h. e.* velorum funes extendit et cursum navi permittit aperto mari. Sic *Val. Flacc.* 4. 679. permissis habenis fundere vela. *allungate le sarte.* et *Ovid.* 3. *Fast.* 593. Vincitur ars vento, nec jam moderator (*navis*) habenis Utitur, at votis. *Lucret.* 7. 785. Arboribusque datum est variis exinde per auras Crescundi magnum immissis certamen habenis. *Virg.* 2. *G.* 364. palmes laxis per purum immissus habenis. *lasciato crescere liberamente.* — Illa quoque venustissima sunt *Vet. Poet.* apud *Cic.* 3. *Orat.* 41. 166. Exsultantem te et præfidentem tibi repriment validæ legum habenæ atque imperii insistent jugo. *Cic. Amic.* 13. 45. Commodissimum esse quam laxissimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas, quum velis, vel remittas. *Id.* 1. *Orat.* 52. 226. Senatum servire populo, cui populus ipse moderandi et regendi sui potestatem quasdam habenas tradidisset. *Id.* 1. *de republ.* 5. Neque sapientis esse accipere habenas, quum insanos atque indomitos impetus vulgi cohibere non possis. *Ovid.* 15. *Met.* 481. Accepisse Numam populi Latialis habenas. Cf. *eund.* 2. *Pont.* 5. 75. Succedatque tuis orbis moderator habenis. et *Sil. It.* 13. 34. Latiæ diffisus habenæ. *h. e.* imperio Romanorum. *Virg.* 7. *Æn.* 600. rerumque reliquit habenas. *l'amministrazione, il governo.* *Sil. It.* 7. 384. primas belli transmittere habenas. *Id.* 7. 222. Martis habenæ. *Val. Flacc.* 5. 518. Caucasus tuis mitescit habenis. *per la tua dolce maniera di governare.* *Gell.* 14. 1. Id negotium quasi habena quadam de cælo vinctum gubernari. *Tac. Dial.* de *orat.* 31. Animorum habenas tenere. *Virg.* 12. *Æn.* 499. irarumque omnes effundit habenas. *Val. Max.* 4. 6. Effusis caritatis habenis.

HĂBENTĬA, æ, f. 1. ipsum habere, divitiæ, facultates, *gli averi, ουσία.* *Plaut. Truc. prol.* 21. Ætas huic si superet mulieri, is cum anima ad eam habentiam ἔξω everrerit. *V.* EVERRO. *Claud. Quadrigarius* apud *Non.* p. 119. 32. *Merc.* Animos eorum habentia inflaret.

HĂBĒNŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* habena, parva habena, seu lorum, *picciola redine o coreggia.* Occurrit translate tantum ac speciatim in re medica, et est exigua caro in longum secta ex ore vulneris, *striscetta di carne.* *Cels.* 7. 28. Si caro increvit, necessarium est recta linea patefacere: tum ab ora vel vulsella, vel hamo apprehensam tamquam habenulam excidere. *Id.* 7. 8. *ad fin.* Tenuis habenula ab ulteriore ora excidenda. *Id.* 7. 20. *extr.* Ab ora ejus vulneris demenda habenula paullo latior est.

HĂBĔO, bes, bŭi, bitum, bere, a. 2. *Habessit* pro *habeat*, vel *habuerit*, antiquum est. *Cic.* 2. *Legg.* 8. 19. Separatim nemo habessit deos, neve novos. — *Haberier* per paragogen pro *haberi* legitur apud *Plaut. Mil. Glor.* 2. 6. 111. — In illo *Plauti Asin.* 4. 1. 62. Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit. quidam volunt scribi *habuuerit*, ut secunda e principio syllaba producatur: quo modo *pluuit, fluuidus*, pro *pluit, fluidus* dictum ab aliis est. Alii tamen rectius pro *puras* leg. *pure*, atque ita senarius versus iambicus se belle habet. — Part. *Habens* apud *Ter. Hecyr.* 4. 2. 26. Hanc matrem habens talem. *Habitus* apud *Cic. Brut.* 20. 78. Oratorum in numero habitus. *V.* et infra sæpe et in fin. *Habiturus* apud *Virg.* 1. *G.* 24. quem mox sint habitura deorum Concilia, incertum est. *V.* et infra sub 1. *Habendus* apud *Virg.* 3. *Æn.* 329. Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam. — Ratione habita etymi, conjungi potest cum Gr. ἄπω, sive ἅπτω, unde apo, apiscor, h. e. capio, prehendo, in manibus habeo. Ceterum habere verbum est latissimi usus, quod dicitur de iis omnibus, quæ quacumque ratione aut in nobis, aut circa, aut apud nos sunt, sive nostra sint, sive non; sive libenter teneamus, sive inviti; sive jure, sive injuria. Nam quod in stipulationibus *habere, tenere, possidere*, tamquam tria differentia verba usurpantur, ut est apud *Florentin. Dig.* 46. 4. 18., ad subtilitates ICtorum jurique pertinet. Dicitur præterea de rebus inanimatis, quæ aliis quocumque modo sunt conjuncta. ἔχω (It. *avere, tenere, possedere*; Fr. *avoir, posséder, tenir*; Hisp. *haber, tener, poseer*; Germ. *haben, besitzen, halten, tragen, erweisen, behalten, hegen, erzeigen, gewähren, geniessen*; Angl. *to have, hold, keep, possess*). ¶ 1. Generatim. — a) Cum Nominativo personæ et Accus. rei physicæ, aut personæ. — Cum Accus. rei. *Cic. Tull.* § 14. Fundum habet in agro Thurino M. Tullius paternum. Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 57. aera permisit habendum. *h. e.* possidendum, tenendum. *Cic.* 3. *de republ.* 10. Cur, si pecuniæ modus statuendus fuit feminis, P. Crassi filia posset habere, si unica patri esset, æris millies salva lege, mea tricies non posset? Sic *Plaut. Bacch.* 2. 3. 99. Tantas divitias habet: nescit quid faciat auro. Adde *eund. ibid.* 2. 3. 35.; et *Horat.* 2. *Sat.* 2. 101. ego vectigalia magna Divitiasque habeo tribus amplas regibus. Cf. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 12. Hæc si habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens. *Cic. Scaur.* § 19. Quid non habuisti quod dares? Habuisse se dicet. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 52. quod non desit, habentem. *Cic.* 1. *de republ.* 48. Nec tantum Carthago habuisset opum sexcentos fere annos. *Id.* 9. *Phil.* 2. 4. Ut nepotem regis Antiochi classes habere, elephantos alere prohiberet. *Id.* 7. *Verr.* 40. 104. Habere naves. *Virg.* 2. *Æn.* 290. Hostis habet muros, ruit alto a culmine Troja. *Sueton. Cal.* 15. Habere aures. *Id. Aug.* 96. exta. *Id. ibid.* 51. linguam. *Val. Flacc.* 5. 564. arma. *Quintil.* 12. 5. 1. arma ad manum. *Id.* 2. 4. 27. aliquid in promptu. *Id.* 6. 4. 13. aliquid in oculis. *Id.* 12. 11. 21. vestem in usu. *Id.* 5. 10. 74. Quod quis non habuit, non perdidit. *Plin. Paneg.* 50. Nihil magis tuum credis, quam quod per amicos habes. Sic de brutis *Cic.* 2. *Divinat.* 31. 67. Dionysii equus quid attulit admirationis, quod habuit apes in juba? *Horat.* 1. *Ep.* 17. 50. tacitus pasci si posset corvus, haberet Plus dapis. *Id.* 1. *Sat.* 4. 34. Fœnum habet in cornu, longe fuge. — Cum Accus. personæ. *Legg. XII. Tabul.* apud *Ulp. fragm.* 26. 1. SI INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC SIT, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO. *Cato* apud *Cic.* 2. *Orat.* 64. 260. Ex tui animi sententia tu uxorem habes? Cf. *Cic. Scaur.* § 8. Neque eam habere in matrimonio propter fœditatem, neque dimittere propter dotem volebat. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Ipsum ex Helvetiis uxorem habere. Adde *Sueton. Aug.* 94. *Cic. Rosc. Am.* 50. 147. Quæ quum patrem clarissimum, amplissimos patruos, ornatissimum fratrem haberet. *Id.* 2. *Orat.* 64. 257. Quum ille haberet filium delicatiorem. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 91. Quod non ingenuos habeat claros que parentes. *Sueton. Aug.* 34. et *Claud.* 25. Habere sponsam. *Quintil.* 7. 1. 24. maritum. *Nepos Epam.* 7. liberos. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 11. habebat sæpe ducentos, Sæpe decem servos. *Cic.* 1. *de republ.* 37. Si et prudentes homines et non veteres reges habere voluerunt. *Sall. Jug.* 9. En habes virum dignum te. *Nepos Eumen.* 1. Habere aliquem ad manum. *Plin.* 1. *Ep.* 16. Me tenet, habet, possidet. *Sall. orat. Macr. Licin.* § 6. More pecorum vos multitudo singulis habendos fruendosque præbetis. *h. e.* vos qui multitudine sine numero præstatis, habendos etc. *Habendos* invidiose dictum significat plebejos nobilitati se in servitutem tradere, quasi rem, quæ ab illis possideatur. *Cic.* 1. *de republ.* 17. Qui in foro turbaque, quicum colloqui libeat, non habeant. — Sic *habere aliquem secum* frequenter occurrit. *Cic.* 1. *de republ.* 10. Quam vellem Panætium nostrum nobiscum haberemus. *Id.* 4. *Att.* 9. Habere Ciceronem secum. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. Eam legionem, quam secum habebat, a lacu Lemano. (Cf. *eumd. ibid.* 18. Magnum numerum equitatus suo sumptu semper alere et circum se habere). *Cic.* 4. *Verr.* 31. 77. Populus Romanus permittit vobis, ut, si istis hominibus delectemini, habeatis istum vobiscum orna torem. *che ve lo abbiate, che ve lo teniate per voi.* — Ceterum *tibi habe* est Italice *abbiti, tienti per te, togliti.* *Cic.* 4. *Verr.* 19. 47. Clamare cœperunt, sibi ut haberet hereditatem. *Quintil.* 11. 2. 26. Habeant igitur sibi arma, sibi equos, sibi hastas etc., sibi habeant sua. *Cic.* 2. *Phil.* 28. 69. Illam suam suas res sibi habere jussit ex duodecim tabulis. *h. e.* secum asportare et abire domo: quod fiebat in divortiis, viro ita dicente uxori, quam dimittebat, *res tuas tibi habe.* — Huc referri potest et illud *Flor.* 3. 10. 26. Ipse ille rex (*Vercingetorix*), maximum victoriæ decus, supplex quum in castra venisset, tum et phaleras et sua arma ante Cæsaris genua projecit: Habes, inquit. *h. e.* me tibi dedo, habeas tibi hæc arma. — Hinc translate *tecum habe* est etiam contineto, silentio serva, *tieni in petto.* *Cic.* 7. *Fam.* 25. Secreto hoc audi: tecum habeto: ne Apellæ quidem liberto tuo dixeris. *Id.* 4. *Att.* 15. *circa med.* Hæc tu tecum habeto. — b) Cum Nominativo personæ et Accusativo nominis abstracti. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Quid illos, bono genere gnatos, opinamini animi habuisse atque habituros dum vivent? *Cic.* 2. *Divinat.* 45. 95. Uno et eodem temporis puncto nati dissimiles et naturas et vitas et casus habent. *Id.* 7. *Fam.* 26. Quia febrim non haberem. *Id.* 10. *Fam.* 3. Quam (*dignitatem*) mihi tecum statuo habere et esse communem. *Alii vero et ipse Orell. rectius leg.* statuo debere esse. *Id.* 3. *de republ.* 3. Si quid ad ea instrumenta animi, quæ natura quæque civilibus institutis habuit, adjungendam sibi etiam doctrinam putavit. *Id.* 1. *ibid.* 2. Nec vero habere virtutem satis est, quasi artem aliquam, nisi utare. *Id.* 3. *ibid.* 14. et *Dom.* 29. 77. Habere in aliquem vitæ necisque potestatem. Adde *eumd.* 2. *de republ.* 27., 29., 32. et 36. *Id.* 3. *ibid.* 16. et 11. *Phil.* 10. 26. auctoritatem. *Id.* 2. *Orat.* 28. 122. Neminem omnium tot et tanta, quanta sunt in Crasso, habuisse ornamenta dicendi. *Id.* 1. *ibid.* 20. 89. Summam prudentiam summamque vim dicendi habere. *Id.* 1. *Nat. D.* 6. 15. Q. Lucilius Balbus tantos progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur. *Cæs.* 4. *B. G.* 20. Nec quem usum belli haberent, aut quibus institutis uterentur, reperiri poterat. *Cato* apud *Gell.* 13. 17. Nolite ibi nimiam spem habere. *Cic.* 1. *Invent.* 39. 71. Spem habere in fide alicujus. *Id.* 15. *Att.* 20. Nostros tantum spei habere ad vivendum, quantum accepissent ab Antonio. *Id. Amic.* 3. 11. Qui summam spem civium, quam de eo jam puero habuerant, continuo adolescens superavit. *Trajanus* ad *Plin.* 10. *Ep.* 82. Habere fiduciam alicui. *h. e.* in aliquo. *Cic.* 10. *Fam.* 3. Habere necessitudinem cum aliquo, amorem erga quempiam et familiaritatem. *Nepos Timol.* 3. Habere omnium amorem. *essere amato.* *Cic.* 2. *Orat.* 70. 283. Habere invidiam. *h. e.* invidere. *Id. Cluent.* 55. 151. odium in aliquem. *odiare.* At *Id.* 3. *ad Q. fr.* 9. odium. *essere odiato.* *Nepos Epam.* 5. suspicionem adulterii. *essere in sospetto.* *Petron. fragm. Tragur.* 66. *Burmann.* convicium. *h. e.* subire. *Nepos Alcib.* 3. timorem. *h. e.* timere. Sic *Propert.* 3. 11. 6. Vulneribus didicit miles habere metum. *Nepos Eumen.* 13. Talem habuit exitum vitæ. *Plaut. Asin.* 2. 4. 52. Fidem non esse huic habitam. *Cic.* et alii *passim.* Habere fidem, gratiam, honorem, rationem, rem. *V.* hæc nomina suis locis. *Sall. Cat.* 11. Nec modum, nec modestiam victores habere. *Cic.* 1. *Att.* 6. Hæc habebam fere, quæ te scire vellem. *Id. Amic.* 27. 104. Hæc habui, de amicitia quæ dicerem. *Id.* 6. *Att.* 2. *ante med.* Phliasios autem dici sciebam: et ita fac ut habeas: nos quidem sic habemus. *h. e.* scribendum cures in tuo codice: nos quidem ita scriptum habemus in nostro. — Sic *habere aliquid in animo* vel *animo* frequenter occurrit. *Cic.* 5. *Fam.* 16. Est consolatio pervulgata illa maxima, quam semper in ore atque in animo habere debemus. *in bocca e in mente.* *Varro* 6. *L. L.* 56. *Müll.* Istud prolocutum, quum in animo quod habuit, extulit loquendo. *Forcellinus* leg. *animo*: V. infra ad *Liv.* 44. 25. *Cic.* 8. *Att.* 10. Rogavi, ut diceret, quid haberet in animo. *Sall. Jug.* 11. *sub fin.* Ea modo cum animo habere, quibus Hiempsal per dolum ca-

peretur. Et cum Infinito Cic. 1. Att. 17. sub fin. Habere in animo consulatum petere. avere intenzione di etc. Liv. 44. 25. Neque cum bello invadere animo habuit. Al. leg. in animo: sed graves critici præpositionem exterunt, addentes illud Varron. 6. L. L. 56. et Sall. Jug. 11. sub fin. paullo supra cit.; item illud Lucilii apud Non. p. 315. 30. Merc. (quamquam alio sensu). Habeasque animo, mihi admodum causam gravem fore, quæ me ab ullo commodo abducat tuo. et Pompeji apud Auct. B. Hisp. 26 in fin. Cohortes animo habeo ad vos mittere Similiter Liv. 33. 10. Ni animum habuit parcere victis. — c) Cum Nominativo personæ aut rei et sequente Infinito aut Particip. in dus, et videtur poni pro debeo. — Cum Infinito. Varro 1. R. R. 1. 2. Rogas, ut id mihi habeam curare. h. e. ut ejus colendi (de agro enim loquitur) curam habeam. Tertull. Habit. mul. 1. Etiam Filius Dei mori habuit. h. e. debuit. Id. Apolog. 37. Si inimicos jubemur diligere, quem habemus odisse? Id. Monog. 7. Primum vetus illa benedictio decurrere habebat: Crescite et redundate. h. e. aver da verificarsi, dover aver luogo: itaque habere est idem ac debere, et respondet simili Italorum recentiorum locutioni. Sic Id. ibid. mox. Defuncto viro, uxor in Domino habet nubere, idest non ethnico, sed fratri. (Est autem in hisce locutionibus hellenismus. Nam et ἔχειν διδάξαι, εἰπεῖν δύνασαι Græci similiter adhibent.) Cf. Val. Flacc. 1. 671. tollique vicissim Pontus habet. h. e. debet: vel fatale habet, ut tollatur. — Cum Particip. in dus. Seneca 2. Ira 7. Iram castigandam habet virtus. Sueton. Cæs. 68. Ut consolandos eos magis, quam puniendos habuerit. Colum. 5. R. R. 5. 3. De spatiis ordinum eatenus præcipiendum habemus, ut intelligant agricolæ etc. Plin. 1. Ep. 8. a med. Præsertim quum colendum haberemus, ut quod parentibus dabatur, et vobis probaretur. Id. 10. ibid. 95. Impetrandumque a bonitate tua per nos habet, quod illi fortunæ malignitas denegavit. Id. 1. ibid. 7. Quæ nunc ficis et boletis certandum habent. Tac. 4. Ann. 40. Nubendum post Drusum, an tolerandum haberet. Id. 14. ibid. 44. Si nunc primum statuendum haberemus. h. e. statuendum nobis esset. Id. Dial. de orat. 36. ad fin. Quum in invidiam, aut crimen vocati, sua voce respondendum haberet. — d) Cum Nominativo rei physicæ, aut abstractæ. Justin. 24. 7. 10. Statuas plus in pondere, quam in specie habere prædæ. Cic. 2. Legg. 22. 57. Locus ille nihil habet religionis. Id. 2. de republ. 22. Prima classis LXXXVIII. centurias habeat. Id. 1. Divinat. 32. 70. Animi ea pars, quæ motum, appetitum habet. Cf. Sall. Jug. 2. Animus incorruptus agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. Rursus Cic. 1. de republ. 42. Habet statum respublica de tribus secundarium Id. ibid. 28. Quæ genera civitatum habent perniciosa alia vitia. Id. Brut. 95. 326. Hæc genera dicendi in senibus gravitatem non habent. Id. fragm. apud Lactant. 7. 8 extr. Utraque earum sententiarum doctissimos habuit auctores. Id. 4. Cat. 4. 7. Habet ista res iniquitatem, si imperare velis; difficultatem, si rogare. Id 2. Orat. 27. 120. Illa excogitationem non habent difficilem. h. e. non sunt excogitatu difficilia. Id. 1. de republ. 31. Nulla alia in civitate ullum domicilium libertas habet. Id. ibid. 4. Nostri casus plus honoris habuerunt, quam laboris. Sic Id. 5. Fam. 12. Viri excellentis ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem. Id. 2. de republ. 4. Habet etiam amœnitas ipsa illecebras multas cupiditatum. Id. 4. ibid. 6. Magnam habet vim disciplina verecundiæ. Id. Ligar. 2. 4. Profectio voluntatem habuit non turpem, remansio etiam necessitatem honestam. Sall. Cat. 13. Avaritia pecuniæ studium habet. Liv. 7. 32. Annus consulem habet. Quintil. 10. 7. 17. Quamquam hæc plurimum in se voluntatis habent. Id. 11. 3. 170. Epilogus enumerationem rerum habet. Id. 9. 4. 124. Habet periodus membra duo. Seneca. Ep. 119. med. Quomodo habere dicimur febrem, quum illa nos habeat? Virg. 3. Æn. 147. animalia somnus habebat. Adde Ovid. 7. Met. 329. Rursus Virg. 6. Æn. 521. me somno gravatum infelix habuit thalamus. Id. 5. ibid. 734. non me impia namque Tartara habent, tristes umbræ. Adde Horat. 1. Od. 28. 9. Id. Horat. Epod. 1. 18. Metus major absentes habet. Seneca Constant. Sap. 7. Filias meas qui casus habeat, an pejor publico, nescio. Sic Lucan. 2. 13. et habet mortalia casus. Stat. 3. Theb. 549. Terror habet vates. Val. Flacc. 3. 290. te nos habet. Id. 8. 3. Colchida furiæ minæque habent. ¶ 2. Specialim, prægnante, uti ajunt, significatione, habere absolute interdum significat facultates habere, divitem esse. Plaut. Rud. 5. 2. 34. GR. Papæ! divitias tu quidem habuisti luculentas. LA. Miserum istuc verbum et pessumum est; habuisse et nihil habere. Cic. fragm. apud Priscian. 8. p. 792. Putsch. Qui habet, ultro appetitur: qui est pauper, aspernatur. Id. 5. Verr. 86. 199. et 8. Att. 10. Habet idem in nummis, habet idem in urbanis prædiis. Id. Rosc. Am. 46. 132. Habere in Salentinis, aut in Brutiis. Curius apud Cic. 7. Fam. 29. Nos, quod simus, quod habemus, quod homines existimemur, id omne abs te habere. Phædr. prol. l. 3. Curam habendi penitus corde eradere. Virg. 8. Æn. 327. Et belli rabies, et amor successit habendi. l'avarizia. Adde Horat. 1. Ep. 7. 85.; et Juvenal. 14. 208. Sueton. Aug. 41. Supplevi (censum) non habentibus. ¶ 3. Item specialim et prægnante, uti ajunt, significatione habere cum Infinito, vel cum Relativo, ad dicendum vel ad agendum refertur, et significat copiam vel potestatem habere, posse, scire, essere in grado, potere, sapere. — a) Cum Infinito. Cic. 3. Nat. D. 39. 93. Hæc fere dicere habui de natura deorum. ebbi a dire. Id. Balb. 14. 33. Quid habes igitur dicere de Gaditano fœdere? Id. Rosc. Am. 35. 100. Habeo etiam dicere, quem de ponte in Tiberim dejecerit. ho a dire, posso dire. Cf. Vellej. 2. 124. Id solum voce publica dixisse habeo; cujus orbis ruinam etc. Adde Lucret. 6. 711; et Colum. 5. R. R. 8. 7. Liv. 44. 22. Illud affirmare pro certo habeo audeoque. h. e. possum. Horat. Epod. 16. 23. Sic placet, an melius quis habet suadere? Cic. 1. Fam. 5. De causa regia tantum habeo polliceri, me tibi absenti cumulate satisfacturum. questo solo posso promettere. Ovid. 9. Met. 656. Naidas his venam, quæ numquam arescere posset, Supposuisse ferunt: quid enim dare majus habebant? Sueton. Aug. 58. Quid habeo alias deos precari? Sil. It. 16. 200. Quare age, lætus habe nostros intrare penates. h. e. accipe læto animo, quod tibi damus aditum ad penates nostros. Al. leg. ave, aut pro eo scriptum putant. — b) Sequente Relativo. Cic. 3. Nat. D. 25. 64. De quibus habeo ipse, quid sentiam: non habeo autem, quid tibi assentiar. Id. 7. Att. 19. Nec quid consilii capiam, scio: nec mehercule de me laboro: de pueris quid agam, non habeo. non so. Id. Rosc. Am. 15. 45. Usque eo quod arguas, non habes. Id. Mur. 12. 26. Quid huic responderet, non habebat. Id. 6. Verr. 23. 51. Nec quid faceret, habebat. Id. 7. Att. 19. Nihil habeo, quod ad te scribam. Horat. 1. Sat. 9. 19. Nil habeo, quod agam. Cic. Amic. 27. 103. Equidem ex omnibus rebus nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis possim comparare. Quintil. 7. 1. 64. Nihil habeo amplius, quod præciperem. Id. 8. 5. 3. Habes quod irascaris. Plin. 4. Ep. 14. Habes quod agas. Nepos Dion. 9. Habebat, quo fugeret. Sueton. Claud. 40. Nihil habere se, quare eos demereretur. Id. Aug. 51. Si hoc habemus, ne quis nobis facere possit. ¶ 4. Interdum habere refertur ad significandam propriam aliquam cujusque naturam, aut studium. Cic. 2. Phil. 32. 78. Habebat hoc omnino Cæsar: quem plane perditum egentemque, si eumdem nequam hominem audacemque cognoverat, hunc in familiaritatem penitus recipiebat. avea questo di proprio. Id. Pis. 32. 81. Habet hoc virtus, ut viros fortes species ejus et pulcritudo etiam in hoste posita delectet. Plin. 6. Ep. 9. Habet hoc sollicitudo, quod omnia necessaria putat. Adde Quintil. 7. 3. 1. ¶ 5. Item usurpatur pro adhibere, uti, adoperare, usare. Lucret. 1. 313. Annulus in digito subter tenuatur habendo. Cf. Val. Flacc. 6. 174. Quam (ægida) nec dea lassat habendo. Ovid. 1. Amor. 8. 51. Æra nitent usu; vestis bona quærit haberi. Cf. Varro 1. R. R. 21. Canes paucos habendum. h. e. est, sive pauci canes habendi sunt. Sall. Cat. 13. Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiæ: quippe quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sic Tac. 4. Ann. 44. Magnæ opes innocenter paratæ et modeste habitæ. Similiter Id. 6. ibid. 7. Modeste habita Sejani amicitia. — Et de personis. Ter. Andr. 1. 5. 38. Habere aliquam egregie caram pro uxore. Adde Sueton. Ner. 28. Similiter Id. Sueton. Cal. 24. In modum justæ uxoris. Id. Vesp. 3. pæne justæ uxoris loco. ¶ 6. Hinc habere aliquem vel aliquam est etiam amatorum, tum in bonam, tum in malam partem. Virg. 1. Ecl. 31. Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit. Tibull. 1. 1. 67. ad Deliam. Ferreus ille fuit, qui te quum posset habere etc. Adde Propert. 3. 8. 22. Plaut. Bacch. 4. 10. 6. Duxi, habui scortum. Adde Ter. Andr. 1. 1. 58. Sic Id. Ter. Adelph. 3. 3. 35. An domi illam est habiturus. Ovid 3. Amor. 12. 5. quam cœpi solus amare, Cum multis, vereor, ne sit habenda mihi. Huc pertinet et illud Cic. 9. Fam. 26. Ne Aristippus ille quidem Socraticus erubuit, quum esset objectum habere eum Laida. Habeo, inquit, non habeor a Laide. Contra habere se is dicitur, qui cupiditates coercet. Martial. 2. 68. Reges et dominos habere debet, Qui se non habet, atque concupiscit, Quod reges dominique concupiscunt. ¶ 7. Si de urbe, provincia, regno etc. sermo est, habere significat in sua potestate retinere. Tac. 1. Ann. 1. initio urbem reges habuere. Justin. 13. 4. 20. Terras intra Hydaspen et Judam Taxiles habet. Curt. 8. 8. 12. Si Asiam habere, non transire volumus. Tac. 12. Ann. 54. Cui pars provinciæ habebatur. Flor. 4. 2. 22. et 4. 8. 1. Siciliam et Sardiniam per legatos habet. Sueton. Tib. 41. Hispaniam et Syriam sine legatis habet. Tac. 4. Ann. 5. Hispaniæ tribus legionibus habebantur. ¶ 8. Hinc etiam, quum sermo est de loco, absolute, aut cum Accusativo, ponitur pro habitare, abitare. Ennius apud Cic. 7. Fam. 6. Quæ Corinthum arcem altam habetis, matronæ opulentæ. Plaut. Bacch. 1. 2. 7. Quis istic habet? Id. Trin. 1. 2. 156. ME. Ubi nunc adolescens habet? CA. Posticulum hoc recepit, quum ædes vendidit. Id. Men. prol. 69. Ille geminus, qui Syracusis habet. Varro 5. L. L. 50. Müll. Apud ædem Dei Fidii in delubro, ubi æditumus habere solet. Sall. Jug. 17. Sed qui mortales initio Africam habuerint etc. Id ibid. 18. Africam habuere Gætuli. Adde eumd. Cat. 6. et 52.; Liv. 1. 12. et 30. 4.; Varro 3. R. R. 1. 1. et 1. ibid. 16. 2.; Flor. 4. 12. 20.; et Sil. It. 8. 370. ¶ 9. Quum de persona aut re agitur, habere sæpissime est servare, detinere in aliquo statu, vel in aliqua conditione, trattenere, et occurrit — a) Cum præpos. in, et Ablativo vel interdum Accusativo, aut cum alia aliqua præpos. Sall. Cat. 47. Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis haberentur. Id. ibid. 52.; Flor. 2. 2. 21. et 2. 20. 6.; et Justin. 11. 7. 2. Habere aliquem in custodiis. Sall. Jug. 51. aliquem in vinculis. Tac. 1. Hist. 58. Habitus in custodia. Liv. 22. 25.; et Tac. 1. Hist. 87. In custodiam habitus. Cæs. 3. B. C. 31. Qui (hostes) paulo ante M. Crassum imperatorem interfecerant et M. Bibulum in obsidione habuerant. Sall. Jug. 79. Quæ res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit. Liv. 10. 2. Semper eos in armis accolæ Galli habebant. Id. 39. 2. Ne in otio militem haberet. Sic Tac. 1. Hist. 31. Legiones habebantur per otium. et Sall. Jug. 44. Exercitus sine imperio et modestia habitus. et Sueton. Aug. 25. et 67. Sub vexillis habere milites. et Nepos Alcib. 5. Exercitum apud Samum habere. Rursus Liv. 26. 4. Ex quibus (sociis) alios in civitatem recepissent, alios in ea fortuna haberent, ut socii esse, quam cives mallent. Cels. 3. 18. Habere ægros in tenebris. Colum. 12. R. R. 12. 1. aquam cælestem sub dio in sole. Tac. 2. Ann. 58. Ne Vonones in Syria haberetur. Justin. 6. 9. 7. Philippus obses habitus Thebis. Tac. 2. Ann. 63. Marobodnus Ravennæ habitus. Cf. Plin. 28. Hist. nat. 4. 9. (41). Dens inclusus in armillam, et assidue in brachio habitus. Tac. 15. Ann. 10. ad fin. Miles in uno habitus. tenuto raccolto. Similiter Cæs. 1. B. C. 77. Quos ille postea magno in honore habuit. Id. tamen 5. B. G. 54. Quos præcipuo semper honore Cæsar habuit. Cic. 6. Att. 1. 14. Habeo Junium (mensem) et Quintilem in metu. h. e. metuo. — Similiter Tac. 4. Ann. 62. Habitus procul voluptatibus. tenuto lontano. Sic Id. 6. ibid. 32. Arma procul habere. Id. 1. ibid. 1. Quorum causas procul habeo. — b) Cum Adjectivis, vel cum Participiis passivis, modo pro ipso verbo vel pro præterito Indicativi, modo ad permanentem actionem majore cum vi significandam. — Cum Adjectivis. Cic. 1. Off. 40. 144. Quum haberet collegam in prætura Sophoclem. Adde Nepot. Cat. 1. Sic Id. Nepos Att. 21. Habere aliquem testem. Quintil. 10. 1. 93. Quosdam ita sibi deditos habet amatores. Id. 7. 2. 37. An heredem habuerit eum, a quo dicitur occi-

nus. Cf. *Justin.* 2. 4. 30. Receptacula habere castra sociorum. et *Nepos Hann.* 7. Habere aliquem cum imperio apud exercitum. *h. e.* imperatorem. — *Plaut. Bacch.* 3. 3. 8. Istæc illum perdidit assentatio. Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum. *Cic.* 2. *Fam.* 16. Hoc animum meum sollicitum habet. *h.* e. sollicitat. Sic *Id.* 7. *ibid* 3. Sollicitum te habebit cogitatio. et *Tac.* 2. *Ann.* 65. Nihil æque Tiberium anxium habebat. Sic *Id. ibid.* 57. Cuncta lætum Germanicum habebant. Rursus *Cic. Flacc.* 29. 71. Apollonidenses miseriores habes, quam Mithridates. *h. e.* miseriores reddis. *Id.* 9. *Att.* 19. Habere mare infestum. *h. e. infestare.* Sic *Liv.* 30. 29. Habere pascua infesta. *Sall. Jug.* 91. Intentos prælio Numidas habuerat. *Justin.* 5. 5. 2. Habere milites sparsos. *Cæs.* 1. *B. G.* 30. Uti reliquas civitates stipendiarias haberent. *Justin.* 1. 6. 1.; et *Quintil.* 7. 1. 29. Habere aliquem obvium. *Nepos Att.* 10. et *Alcib.* 5. aliquem carissimum. *Sueton. Cal.* 15. liberos cariores. *Quintil.* 15. 7. 5. hos amicissimos. *Nepos Datam.* 5. aliquem inimicum. *Quintil.* 10. 1. 125. aliquem invisum. *Sall. Cat.* 52. multos mortales adversos. *Cic.* 1. *Fam.* 4. Eo die acerbum habuimus Curionem, Balbum multo justiorem, pæne etiam amicum. *h. e.* experti sumus, *abbiamo provato.* *Sall. Cat.* 41. Uti eos quam maxime manifestos habeant. *Cic.* 6. *de republ.* 11. Erit cognomen id tibi per te partum, quod habes adhuc a nobis hæreditarium. *Id.* 5. *Verr.* 62. 144. Quæ ipse semper habuit venalia, fidem, jusjurandum, veritatem etc. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 11. Ego tamen non habui ambiguum et statim ad Plancum misi. *Sueton Aug.* 23. Habere diem mœstam. *Justin.* 20. 3. 3. rem tacitam. — Cum Particip. pass. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 98. NI. Divesne est istic Theotimus? CH. Etiam rogas? Qui auro habeat soccis suppactum solum. *Id. Epid.* 3. 4. 83. Habere aliquem irrisum. *Id. Cas.* 2. 2. 15.; et *Ter. Eun.* 2. 3. 92. Nostram adolescentiam habent despicatam. *Ter. Hecyr.* 5. 1. 25. Me segregatam habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum. *Cic.* 6. *Att.* 2. 8. Senatum inclusum in curia habuerant. *Id.* 2. *de republ.* 9. Romulus habuit plebem in clientelae principum descriptam. *Id. Brut.* 40. 147. Satis mihi videbar habere cognitum Scævolam ex iis rebus, quas etc. *Id.* 13. *Fam.* 17. Si nondum eum satis habes cognitum. *Id.* 15. *ibid.* 20. Tantum me scire putabo, quantum ex tuis litteris habebo cognitum. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 4. 11. Siculi ad meam fidem, quam habent spectatam jam et diu cognitam, confugiunt. *Id.* 1. *ad Brut.* 1. Clodii animum perspectum habeo, cognitum, judicatum. et 4. *sub fin.* exploratum. *Id* 7. *Verr.* 25. 64. persuasum. *Id. ibid.* 14. 36. Ut ante Calendas Sextiles omnes decumas ad aquam deportatas haberent. *Id.* 1. *Orat.* 43. 194. Nutu legum dominatus habere libidines. *Id. Orat.* 33. 118. Ne vero dialecticis modo sit instructus (*orator*), sed habeat omnes philosophiæ notos et tractatos locos. *Id.* 2. *de republ.* 6. Urbis ipsius nativa præsidia quis est tam negligens, qui non habeat animo notata planeque cognita? *Id.* 2. *Divinat.* 70. 145. Ea quæ dixi, et innumerabilia, quæ collecta habent Stoici. *Id. pro leg. Manil.* 7. In Asia magnas pecunias collocatas habere. *Id.* 6. *Fam.* 2. Quare velim ita statutum habeas, ut etc. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 9. 6. Quod me hortaris, ut absolvam, habeo absolutum suave ἔπος ad Cæsarem. *Id. Rosc. com.* 3. 9. Cur in adversariis scriptum habebas nomen? *Id.* 5. *Phil.* 19. 52. De Cæsare satis dictum habeo. *Id.* 2. *leg. Agr.* 6. 14. Bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu. *Id.* 7. *Verr.* 72. 188. Bellum habere indictum diis. *Id.* 5. *Fam.* 12. *extr.* Quæ habes instituta, perpolies. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 24. Quantum in acie tironi sit committendum, nimium sæpe expertum habemus. *Sall. Cat.* 23. Periculum occultum habere. *h. e.* occultare. *Id. Jug.* 10.; et *Quintil.* 9. 3. 12. Neque ea res falsum me habet. *h. e.* me fallit. *Nepos Att.* 18. Antiquitatem diligenter cognitam habere. *Id. ibid.* 17. Habere philosophorum præcepta ita percepta, ut etc. *Liv.* 7. 38.; et *Sueton. Cæs.* 66. aliqua comperta. *Liv.* 7. 32. omnia domita. *Id.* 39. 15. omnia edita facinora. *Id.* 26. 11. templum auro exornatum. *Sall. Jug.* 85. pericula consueta. *Id. ibid.* 100. duritiam consuetam. *Varro* 3. *R. R.* 5. 5. suum numerum inclusum. *Colum. Arbor.* 10. 4. vineam novellam ablaqueatam. *Id. ibid.* 11. 2. vineam pampinatam. *Sueton. Aug.* 84. incognitum Augustum. *Quintil.* 7. 1. 30. aurum occultum. — Et cum Participio perf. dep. *Curt.* 8. 10. 17. Rex Libero operatum habuit exercitum. — c) Raro cum Substantivis. *Gell.* 4. 12. Derelictui habere aliquid. *h. e.* derelinquere. ¶ 10. Hinc *habere aliquem*, cum addito Adverbio vel adverbiali dicendi modo, est tractare, *trattare.* *Plaut. Capt.* 2. 2. 64. Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illic curaverit. *Cic.* 7. *Verr.* 27. 70. Ut is victu ceterisque rebus quam liberalissime commodissimeque habeatur. *Sall. Cat.* 11. L. Sulla exercitum, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat. *Id. Jug.* 103. Eos illa non pro vanis hostibus, ut meriti erant, sed accurate et liberaliter habuit. Adde *Liv.* 29. 8., 37. 34., 2. 22. *Cæs.* 1. *B. C.* 63. Equitatu hostium agmen male habere et carpere. *infestare.* Adde *Nepot. Eumen.* 12. Sic *Cels.* 3. 20. Lethargicos qui subinde excitant, sine usu male habent. *travagliano, incomodano.* *Id. ibid.* 21. Quos aqua inter cutem male habet. *Liv.* 39. 1. Sub imperio Manlii negligenter habiti sunt. *Sall. Jug.* 113.; et *Justin.* 36. 1. 6. Habere aliquem benigne. *Flor.* 1. 18. 15. indulgenter. *Tac.* 1. *Ann.* 54. Populus molliter habitus. Adde *Plin.* 5. *Ep.* 19. Rursus *Tac.* 2. *Ann.* 10. Conjugem hostiliter haberi. *Id.* 13. *Ann.* 30. Sardinia avare habita. Sic *Id.* 3. *ibid.* 13. Hispania avare habita. *Curt.* 8. 8. 11. Superbe habiti. *Tac.* 13. *Ann.* 37. Frustra habitus. *h. e.* frustratus, deceptus. Adde *Ammian.* 24. 4. et 31. 12. Similiter *Colum.* 9. *R. R.* 5. 2. Apis minus pure est habita. *Id.* 8. ibid. 5. 19. Galli tepide habeantur. Sic *Liv.* 2. 47. majore cura. *Justin.* 41. 2. 5. pari cura. *Sall. Jug.* 5. Eodem cultu, quo liberos, domi habuit. *Id. ibid.* 92. Milites modesto imperio habiti. ¶ 11. Item eodem sensu, cum addito Adverbio, *habere se* est esse. Occurrit autem — a) *Habere* cum Accus. *se.* — De personis. *Cic.* 7. *Att.* 2. Tironem Patris ægrum reliqui, et quamquam videbatur se non graviter habere, tamen sum sollicitus etc. *che non fosse gravemente ammalato.* *Id.* 4. *Verr.* 61. 149. Omnino præclare te habes, quum etc. *Id.* 11. *Att.* 7. Ipsi se hoc melius habent, quam nos, quod et multi sunt uno in loco etc. *Id.* 2. *ibid.* 8. Bene habemus nos. *Tac.* 14. *Ann.* 51. Burrum sciscitanti hactenus respondisse: Ego me bene habeo. — De rebus. *Cic.* 1. *Orat.* 25. 114. Præclare se res habeat, si etc. *andrebbe bene, sarebbe una bella cosa.* *Id.* 2. *Off.* 6. 22. Male se res habet, quum quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. *va male, è un disordine.* Sic *Id.* 2. *Orat.* 77. 313. Mala se res habet, quæ etc. *Id.* 4. *Verr.* 50. 124. Quæ quum res ita se haberet. *stando così la cosa.* Sic *Quintil.* 10. 3. 15. Ita se habet res. *Id.* 5. 14. 6. Ita se (*hæc*) habent ipsâ naturâ. *Id.* 9. 3. 41. Ita se habet epistola. *Id.* 1. 5. 67. Ita se habet sacrum. Rursus *Cic.* 2. *Orat.* 67. 271. Sic profecto res se habet, nullum ut sit etc. *così è per certo.* Sic *Sueton. Cæs.* 34. Ordo sic se habet. *Cic.* 13. *Att.* 35. Scire aveo, quomodo res se habeat. Adde *eumd.* 2. *Orat.* 32. 140. et 4. *Verr.* 5. 15. *Ter. Phorm.* 5. 4. 1. Ut meæ res sese habent. *Quintil.* 8. 3. 58. Aliter quam se natura habet. — b) Mediorum apud Græcos more. *Sall. Cat.* 1. Divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara æternaque habetur. *h. e.* habet se, egit, tamquam clara etc. et *ibid.* 6. Sicuti pleraque mortalium habentur. — c) Absolute, seu neutrorum more, ut Græcum ἔχω. — De personis. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 2. Volui animum tandem confirmare hodie meum, ut bene haberem filiæ nuptiis. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 130. Qui bene habet suisque amicis est volup. *Dolabella* apud *Cic.* 9. *Fam.* 9. Tullia nostra recte valet: Terentia minus belle habuit, sed certo scio jam convaluisse eam. — De rebus. *Ter. Phorm.* 2. 3. 82. Bene habent tibi principia. *Cic. Mur.* 6. 14. Bene habet: jacta sunt fundamenta defensionis. *va bene, così va bene.* Adde *Liv.* 8. 6. — Similiter sic *habet* idem significat atque *ita se res habet;* Itali dicunt *così è, così sta.* *Horat.* 1. *Sat.* 9. 52. magnum narras, vix credibile. Atqui sic habet. ¶ 12. Item habere ponitur pro existimare, judicare: et occurrit — a) Cum Adjectivo. — Active. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 87. Satin', ut quem tu habeas fidelem tibi, aut cui credas, nescias. *Cic.* 1. *Nat. D.* 17. 45. Eadem (*natura*) insculpsit in mentibus, ut eos (*deos*) æternos et beatos haberemus. *Id.* 1. *Fin.* 11. 37. Maximam illam voluptatem habemus, quæ percipitur omni dolore detracto. Adde *eumd.* *Brut.* 15. 61. *Justin.* 5. 9. 12. Habere aliquem suspectum proditionis. Adde *eumd.* 3. 6. 8.; et *Sueton. Tib.* 62. *Quintil.* 5. 10. 74. Aliquid rarum habere. — *Habere negotium suum* significat de re alienâ ita laborare, ut si res nostra ageretur. *Cic.* 13. *Att.* 49. Habuit suum negotium Gallus, ut scribis. *trattò l'affare come suo proprio.* Ita tamen *Ernesti* interpretatur: non si parum laboris et molestiæ fuit, quum vellet Tigellium mihi iratum ad meliorem mentem revocare. Prior tamen sententia præstare videtur. — Passive. *Cic.* 1. *Nat. D.* 15. 38. Eos esse habitos deos, a quibus magna utilitas esset inventa. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 10. *extr.* Ut te parentem Asiæ et dici et haberi velis. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 33. et 36. *Cæs.* 1. *B. G.* 21. Considius rei militaris peritissimus habebatur. *Nepos Att.* 13. Atticus bonus paterfamilias habitus est. *Quintil.* 3. 8. 13. Prudentissimos esse et haberi debet. *Tac* 4. *Ann.* 4. Drusus æquus adolescentibus habebatur. *Justin.* 7. 3. 3. Id apud Persas haberi pignus ac fœdus hospitii. *Sueton. Cæs.* 1. Et sacerdotio et uxoris dote et gentilitiis hereditatibus multatus, diversarum partium habebatur. — b) Cum Genitivo pretii. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 58. 132. Non habeo nauci Marsum augurem. *Cæs.* 4. *B. G.* 21. Cujus auctoritas in iis regionibus magni habebatur. *Ammian.* 21. 1. Parvi habere aliquid. *Sall. Cat.* 5. Pensi habere. *Quintil.* 11. 1. 29.; et *Tac.* 13. *Ann.* 15. et *Dial. de orat.* 29. Nihil pensi habere. Huc referri potest et illud *Quintil.* 7. 3. 11. An perinde habenda sit hæc atque ille. — c) Cum Ablat. et præpos. *pro,* sc. *habere aliquem* vel *aliquid pro* etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Qui nisi decedat, sese illum non pro amico, sed pro hoste habiturum. *Liv.* 2. 20.; et *Curt.* 6. 2. 2. Habere aliquem pro hoste. *Sueton. Tib.* 73. aliquem pro contempto. *Id. Claud.* 3. aliquem pro despicatissimo. *Plaut. Truc.* 2. 7. 5. Habere aliquid pro stercore. *Sall. Cat.* 58. Audacia pro muro habetur. *Flor.* 3. 3. 5. Quod pro virtute barbari habent. *Cic.* 5. *Fam.* 20. Nisi in provincia relictas rationes pro relatis haberem. *Quintil.* 1. 5. 56. Licet omnia Italica pro Romanis habeam. *Id.* 12. 10. 73. Quod genus dicendi præcipitia pro sublimibus habet. *Sueton. Tib.* 55. et *Ner.* 33. Habere aliquid pro irrito. *Cic.* 13. *Att.* 1. Istuc jam pro facto habeo. *Id.* 10. *ibid.* 6. *extr.* Pompejum pro certo habemus per Illyricum proficisci in Galliam. Sic *Sall. Cat.* 52.; et *Sueton. Domit.* 23. pro certo habere. et *Quintil.* 5. 10. 12. pro certis. *Liv.* 23. 22. Id oblivíscendum, pro non dicto habendum. — d) Cum Ablat. et præpos. *in*, vel interdum omisso præpos. *Cic.* 5. *Att.* 5. Hoc velim in maximis rebus et maxime necessariis habeas. *Quintil.* 1. 7. 1. Habere aliquid in dubiis. *Flor.* 3. 12. 9. Provinciæ et vectigalia in quæstu habentur. *Nepos Chabr.* 1. Haberi in summis ducibus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 14. 36. Zeno neque Jovem, neque Junonem — in deorum habet numero. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Reductos in hostium numero habuit. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 41. Ex quo Mæcenas me cepit habere suorum in numero. *Quintil.* 10. 1. 118. In numero veterum. *Id.* 2. 3. 5. in numero præcipientium. Adde *Sueton. Rhet.* 4. — Et omissa præpos. *Cic.* 11. *Att.* 6. 6. Omnes, qui in Italia manserant, hostium numero habebantur. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur. *Nepos Ages.* 4. numero sacrilegorum. *Sueton. Cæs.* 11. numero sicariorum. *Id. Cæs.* 25. et *Ner.* 2. numero hostium. *Nepos Thrasyb.* 4. numero sapientum. *Quintil.* 3. 7. 2. Libri in senatu loco sunt habiti sententiæ. — e) Aliquando cum Accus. et præpos. *inter.* *Quintil.* 1. 11. 18. Saltationem habuisse inter exercitationes. *Id.* 8. 6. 31. Ea inter maximas habita virtutes. *Curt.* 3. 7. 11. Sisines, secutus in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur. — f) Cum Substantivis *nefas, necesse, certum, satis, parum* et Infinito. *Cic.* 3. *Nat. D.* 22. 56. Quem Ægyptii nefas habent nominare. *Quintil.* 12. 8. 6. Mutare nefas habent. *Cic.* 10. *Att.* 1. *extr.* Eo minus habeo necesse scribere, quid sim facturus. *Quintil.* 7. 2. 16. Non necesse habet dicere. Adde *Justin.* 4. 3. 3. et 41. 1. 6. Rursus *Quintil.* 2. 3. 9. Certum habeo laborare. — *Satis habere* dicitur, cui satis est. *Cic.* 5. *Fam.* 2. *circa med.* Satis habeas, nihil me tecum conqueri. *ti basti, contentati.*

Id. Rosc. Am. 52. Si non satis habet avaritiam explere, nisi etiam etc. *se non gli basta. Quintil.* 6. 5. 11. Satis habeo dicere. Et sine Infinito *Id.* 12. *Fam.* 1. Satis habet respublica a vobis. *è contenta di voi.* Contrarium est *parum habere. Sall. Jug.* 34. Hæc talia facinora impune suscepisse, parum habuere. *non si contentarono, stimarono poco.* — g) Cum Dativo substantivi. *Plaut. Men.* 4. 3. 19. Quando tu me bene merentem tibi habes despicatui. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 11. Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. Cf. *Sueton. Aug.* 93. Aliquem contemptui habere. *Cic.* 2. *Off.* 14. 51. Habere religioni nocentem defendere. *avere scrupolo di* etc. Sic *Id.* 1. *Divinat.* 35. 77. Nec eam rem habuit religioni. *Quintil. præfat.* § 16. Curæ habere sermonem. — h) Absolute pro scire, sibi persuadere, occurrunt præcipue formulæ *sic habeas, sic habeto*; Itali dicunt *sappi, tieni per certo, persuaditi*: *V.* et paragr. 14. *Cic.* 3. *Fam.* 13. Illud velim sic habeas, quod intelligas etc. *Id.* 2. *ibid.* 6. *extr.* Unum hoc sic habeto: si a te hanc rem impetraro, me etc. *Id.* 6. *de republ.* 13. Quo sis alacrior ad tutandam rempublicam, sic habeto: Omnibus etc. *Id.* 16. *Fam.* 4. *ad fin.* Sic habeto, neminem esse, qui me amet, quin idem te amet. *Id.* 2. *ibid.* 10. Atqui sic habeto etc. Adde *eumd.* 16. *ibid.* 4. et 6. *de republ.* 24. — Et omisso *sic. Cic.* 13. *Fam.* 29. Id primum ergo habeto, non sine magna causa etc. *Id.* 2. *ibid.* 8. Tantum habeto, civem egregium esse Pompejum. — Ceterum *sic habuerunt* eodem sensu occurrit apud *Caton. R. R. præfat.* 1. Majores enim nostri hoc sic habuerunt, et ita in legibus posiverunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. *Sall. Jug.* 114. Scilicet inde usque ad nostram memoriam Romani sic habuere, alia omnia virtuti suæ prona esse, cum Gallis pro salute, non pro gloria certari. — Cf. et paragr. proxime sequentem. ¶ 13. Hinc etiam cum additis Adverbiis ponitur pro ferre, tolerare, *tollerare*: quanquam et hæc omnia ad paragraphum proxime superiorem commode referri possunt. *Sall. Cat.* 51. Neque cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur: multi eas gravius æquo habuere. *Liv.* 7. 5. *a med.* Ita ægre habuit, filium id pro parente ausum. *Al. leg.* tulit. Rursus *Sall. Cat.* 37. Ægestas facile habetur sine damno. Sic *Tac.* 2. *Hist.* 38. Vetus ac jampridem insita mortalibus potentiæ cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque: nam rebus modicis æqualitas facile habebatur. *Id.* 3. *Ann.* 70. Tantum maleficium impune habendum. *Id.* 4. *ibid.* 21. Quæ in præsens Tiberius civiliter habuit: sed in animo revolvente iras, etiamsi impetus offensionis languerat, memoria valebat. *Id.* 12. *ibid.* 48. Omne scelus externum cum lætitia habendum. Cf. *Id.* 2. *Hist.* 21. Quocumque casu (*id*) accidit, dum atrociora metuebantur, in levi habitum; reddita securitate, tamquam nihil gravius pati potuissent, mœrebant. ¶ 14. Item *habere* dicitur, qui quippiam audiit intellexitque: cf. paragr. 12. sub *h. Cic.* 2. *de republ.* 18. Obscura est historia Romana, siquidem istius regis (*Anci*) matrem habemus, ignoramus patrem. *h. e.* scimus, accepimus. *Id.* 15. *Fam.* 17. Nos hic Sullam patrem mortuum habebamus. *abbiamo inteso che* etc. *Id.* 5. *Att.* 21. *a med.* Habes nostra consilia: nunc cognosce de Bruto. *hai inteso. Id.* 2. *Orat.* 88. 361. Habetis sermonem bene longum hominis utinam non impudentis. Adde *eumd.* 2. *de republ.* 27. Sic *Sueton. Claud.* 4. Habes nostras sententias. Rursus *Cic.* 5. *Tusc.* 28. 82. Habes, quæ fortissime de beata vita dici putem. *Id.* 2. *Orat.* 71. 291. Sed habetis ea, quæ voluistis ex me audire. — Et absolute. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 5. 6. § 7. Sed et istas (*tragœdias*) et Erigonam mihi velim mittas. Habes ad duas epistolas proximas. ¶ 15. Sæpe ponitur pro facere. *Ter. Eun.* 5. 9. 35. Alium quærebam: iter hac habui. *sono passato per di qua. Cæs.* 1. *B. C.* 14. Pompejus pridie ejus diei profectus, iter ad legiones habebat. *facea viaggio verso* etc. Adde eumd. 1. *ibid.* 51. et 3. *ibid.* 11. et 106. *Habere iter* dicitur etiam, qui statuit iter facere et jam jam est facturus, *essere sulle mosse. Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 2. Illo in Sardiniam iter habebat. *et mox.* Erat autem iturus, ut ajebat, a. d. tert. Id. Apr. Poetice *Lucan.* 2. 439. Habere vias. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 6. Habere comitia. *h. e.* cogere vel celebrare, *adunare, tenere.* Similiter *Id. ibid.* 13. 3. et 1. *Fam.* 4.; et *Cæs.* 1. *B. C.* 2. senatum. *Cæs.* 5. *B. G.* 53. concilia. *Cic.* 4. *Att.* 1. 6. contionem. *Justin.* 20. 4. 14. cœtum conjurationis. *Nepos Timol.* 5. festum diem. *Sueton. Rhet.* 1. ludos. *Justin.* 2. 10. 10. convivia inter se. *Cic.* 4. *Verr.* 55. 138. censum. *Id.* 5. *Phil.* 12. 31. et 15. *Fam.* 1.; *Cæs.* 6. *B. G.* 1.; et *Sueton. Aug.* 31. delectum militum. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 39. Vobis hanc habeo edictionem. *h. e.* edico. *Id. Merc.* 5. 3. 1. Eam expurgationem habebo, ut ne succenseat. *h. e.* purgabo. *Cic.* 1. *Tusc.* 24. 57. Quem locum multo accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit e vita. Sic *Id.* 7. *Att.* 2. *circa med.* Habere sermonem de re quapiam. *Id.* 1. *de republ.* 46.; et *Nepos Att.* 22. orationem. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 21.; *Cic.* 2. *Orat.* 47. 190. et 6. *de republ.* 9.; *Sall. Jug.* 9.; *Liv.* 10. 24.; et *Tac.* 2. *Ann.* 50. verba. *Cic.* 1. *de republ.* 7.; et *Cæs.* 5. *B. G.* 30. disputationem. *Cic.* 2. *Att.* 9. dialogum. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 1. § 2. querelam de aliquo apud quempiam. *Id. Brut.* 41. 164. Nulla altercatio clamoribus unquam habita majoribus. *Sueton. Claud.* 22. Habere obsecrationem. *Flor.* 2. 18. 3. deprecationem. *Cic.* 13. *Fam.* 69 controversiam cum aliquo de fundo. *Nepos Ages.* 1. contentionem. — Et absolute pro agere, *trattare, discorrere. Cic.* 2. *Verr.* 12. 36. Ex eo loco, ex quo me populus Romanus secum habere de republica voluit. *Al. rectius leg.* agere. — Huc pertinent et illa, in quibus habere significat afferre, parere, quæque *Forcellinus* singulari paragrapho distinxit. *Cic. Prov. cons.* 4. 9. Deinde adventus in Syriam primus, equitatus habuit interitum: post concisæ sunt optimæ cohortes. *portò seco. Id.* 2. *Divinat.* 46. 96. Dissimilitudo locorum nonne dissimiles hominum procreationes habet? *Cæs.* 6. *B. G.* 23. Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiunt. — Item illa, in quibus ponitur pro præbere, dare. *Cic.* 16. *Fam.* 9. *ad fin.* Curio mandavi, ut medico honos haberetur. *h. e.* merces, præmium. Adde *Curt.* 9. 1. 7. Sed *habere honorem* pro honorare est apud *Tac.* 15. *Ann.* 74. ¶ 16. Quum sermo est de tempore, habere est agere, *passare. Plaut. Epid.* 1. 2. 55. Ut hunc hodie diem luculente habeamus. *Sall. Cat.* 4. Mihi reliquam ætatem a republica procul habendam decrevi. Cf. *eumd. ibid.* 51. Qui demissi in obscuro vitam habent. *quibus* ibid. *opponuntur*: qui magno imperio præditi in excelso ætatem agunt. Sic *Id. Jug.* 85. Ament, potent, ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant. *Sueton. Tib.* 6. Infantiam pueritiamque habuit laboriosam et exercitatam. ¶ 17. *Habere aliquem* dicimur, quum reperimus, aut deprehendimus. *Plaut. Cas.* 2. 8. 34. Hic ipsus Casinam deperit: habeo viros. *Ter. Eun.* 4. 4. 7. Habesne hominem? euon. Quid ni habeam? Cf. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 60. *Curt.* 6. 7. 21. Habeo te incolumem ex impiorum manibus ereptum. ¶ 18. *Habet* et *hoc habet* est gladiatorum, quum alter alterum percussit, uti docet *Lips. l.* 2. *Saturn. c.* 21. et *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 56. Est enim vox propria in gladiatores vulneratos, aut irretitos, vel insultantis adversarii, vel vulgi acclamantis. Prius enim interdum alii vident, quam ipsi sentiunt, se percussos. *Virg.* 12. *Æn.* 295. Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur: Hoc habet; hæc melior magnis data victima divis. Adde *Prudent. Psychom.* 53. — Hinc translate. *Ter. loc. cit.* Certe captus est: habet! *h. e.* ictus est vulnere amoris. *Plaut. Most.* 3. 2. 26. Tempus nunc est senem hunc alloqui mihi. Hoc habet: reperi qui senem ducerem. Adde *eumd. Rud.* 4. 4. 99., ubi ironice adhibetur. — Hinc Part. præter. pass.

Habitus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Habitior* et Sup. *Habitissimus* 2. ¶ 1. Habitus est tractatus (*V.* supra paragr. 10.), *trattato, tenuto. Masur. Sabin.* apud *Gell.* 4. 20. Equus nimis strigosus et male habitus. *mal tenuto.* — Hinc translate. *Ter. Heaut.* 2. 4. 22. Imo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit. *disposto, intenzionato.* ¶ 2. Interdum ad corpus refertur, et corpulentum significat. *Plaut. Epid.* 1. 1. 8. Corpulentior videre atque habitior. *Ter. Eun.* 2. 3. 23. Quas (*virgines*) matres student demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient: si qua est habitior paullo, pugilem esse ajunt, deducunt cibum. *h. e.* corpulentior. *Massur. Sabin.* apud *Gell. loc. cit.* Censores Scipio Nasica et M. Popillius quum equitum censum agerent, equum nimis strigosum et male habitum, sed equitem ejus uberrimum et habitissimum viderunt. Et cur inquiunt, ita est, ut tu sis, quam equus, curatior? — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HĂBĔO pro aveo, cupio, ex affinitate litterarum *b* et *v. Cic.* 1. *Tusc.* 8. 16. Habeo tamen audire. Ita ex MSS. *Gebhard.* et alii.

HĂBESSIT. *V.* HABEO primo loco sub init.

HĂBĬLIS, e, adject. (habeo). Comp. *Habilior* I. 2. et II.; Sup. *Habilissimus* I. — Habilis proprie est qui haberi, seu teneri, tractari, gerire facile potest, εὐχείρωτος (*It. che si può facilmente trattare, maneggiare o portare, acconcio*; Fr. *commode à manier, à tenir, à porter, souple*; Hisp. *comodo, facil á manejar, á tener, á llevar, que se dexa doblar facilmente*; Germ. *was sich leicht handhaben, behandeln lässt, passend*; Angl. *fit, or proper, to have, wear, handle* etc.).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est qui haberi, seu teneri, tractari, gerive facile potest. — a) Absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 54. 231. Calcei habiles et apti ad pedem. Cf. *eumd.* 1. *Legg.* 9. 26. Natura homini figuram corporis habilem et aptam ingenio humano dedit. *et* 4. *Fin.* 20. 56. Res aptæ, habiles et ad naturam accommodatæ. *Virg.* 9. *Æn.* 304. *de ense.* mira quem fecerat arte Lycaon Gnosius, atque habilem vagina aptarat eburna. *Id.* 1. *ibid.* 322. humeris de more habilem suspenderat arcum. *Liv.* 22. 46. Brevitate habiles gladii. *Tac. Germ.* 6. Frameas ita habiles, ut eodem telo vel comminus vel eminus pugnent. *Ovid.* 2. *Met.* 531. habili Saturnia curru ingreditur liquidum pavonibus æra pictis. *Id.* 1. *Amor.* 4. 37. Nec sinus admittat digitos habilesque papillæ. *Tibull.* 1. 10. 7. habili tauros adjungit aratro. *h. e.* levi. *Virg.* 4. *G.* 418. Atque habilis membris venit vigor. *h. e.* qui corpus agile reddit et vegetum. *Id.* 11. *Æn.* 555. huic natam habilem mediæ circumligat hastæ. *h. e.* levem, et quæ facile simul cum ipsa hasta transmitti posset. *Cels.* 2. 1. Corpus habilissimum, quadratum est, neque gracile, neque obesum. *h. e.* cujus valetudo facile regi et servari potest. — b) Cum Dativo. *Virg.* 12. *Æn.* 432. habilis lateri clipeus. *Mela* 1. 5. Parma ingens, et ob magnitudinem nulli nunc habilis. *Tac.* 2. *Ann.* 6. Naves velis habiles, citæ remis. *h. e.* quæ facile velis irent. Cf. *Quintil.* 11. 3. 99. Habilem demonstrando in latus manum facere. — c) Cum Accusativo et præpos. ad. *Val. Flacc.* 3. 607. habilemque ad tela pharetram. Cf. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 7. Materia iners est, et ad hoc habilis. ¶ 2. Latiori sensu est aptus, idoneus, *atto, abile.* — a) Cum Dativo. *Virg.* 3. *G.* 62. hos nec feturæ habilis, nec fortis aratris. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 20. Terra frumentis habilis. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 2. 8. *Sueton. Aug.* 18. Ægyptum ut feraciorem habilioremque annonæ urbicæ redderet. *Ammian.* 23. 6. Arva vomeri habilia facit. *Virg.* 2. *G.* 92. Pinguibus hæ (*vites*) terris habiles, levioribus illæ. *Liv.* 24. 48. Rudem ad pedestria bella Numidarum gentem esse, equis tantum habilem. *Vellej.* 2. 110. Ducenta millia peditum, armis habilia. *Sil. It.* 11. 588. Nondum portandis habiles gravioribus armis. *Nazar. Paneg. Constant.* 37. *de Constantino II. quinquenni.* Jam maturato studio dextera litteris habilis, jam felix fructuosa subscriptione lætatur. — b) Cum Accusativo et præpos. *ad. Liv.* 7. 10. Gladius ad propiorem pugnam habilis. *Ammian.* 23. 6. Loci habiles ad plantandum. *Sil. It.* 8. 361. sacrisque dicatum Fortunæ Præneste jugis, Antemnaque prisco Crustumio prior, atque habiles ad aratra Labici. — c) Dativum cum Accusativo junxit *Ammian.* 17. 2. Ad latrocinia magis, quam aperto habiles Marti.

II.) Translate. — a) Absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 25. 115. Sunt quidam aut ita lingua hæsitantes, aut ita voce absoni, ut etiamsi ingenio valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint: sunt autem quidem ita naturæ muneribus in iisdem rebus habiles, ita ornati, ut non nati, sed ab aliquo deo ficti esse videantur. *Seneca* 3. *Ira* 7. Negotia expedita et habilia sequuntur actorem: ingentia et supra mensuram agentis nec dant se facile etc. *Val. Flacc.* 7. 231. non habiles Colchi. *intrattabili.* — Huc pertinet illud *Ammian.* 17. 1. Per subterranea quædam occulta fossasque multifidas latere plurimos, ubi habile visum fuerit erupturos. — b) Cum

Dativo. *Horat.* 3. *Od.* 19. 24. Et vicina seni non habilis Lyco. Adde *Ovid.* 1. *Art. am.* 8. *Id. Ovid.* 1. *Amor.* 9. 3. Ætas bello habilis. *Val. Max.* 5. 7. 1. Ille habilior lectuli otio, quam labori præliorum. Et absolute *Ammian.* 18. 2. Reges ex pacto superioris anni ædificiis habilia multa suis misere carpentis. — *c*) Cum Accus. et præpos. *ad*. *Liv.* 21. 4. Numquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum et imperandum, habilius fuit. *Quintil.* 6. 3. 12. Ut acutior quis, aut habilior sit ad inveniendum. — *d*) Cum Infinito apud Poetas. *Lucan.* 3. 553. Sed Grajis habiles pugnamque lacessere pinus. *Stat.* 4. *Theb.* 225. Plaudentique habiles Caryæ resonare Dianæ.

HĂBĬLĬTAS, ātis, f. 3. convenientia, *abilità, attitudine, destrezza*, εὐαρμοστία. *Cic.* 1. *Legg.* 9. 27. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim.

HĂBĬLĬTER, adverb. faciliter, *facilmente*. *Liv. Epit.* 57. Scutum parvum habiliter ferens. *Mela* 3. 7. Ut elephantis, sicut nos equis, facile atque habiliter utantur. *Paul. Dig.* 34. 2. 21. Si ut habiliter gemmæ geri possint, auro inclusæ sunt.

HABILITO, as, are, a. 1. habilem facere. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 12.

HĂBĬTĀBĬLIS, e, adject. ¶ 1. Est qui habitari potest, *abitabile*, οἰκήσιμος. *Cic.* 1. *Tusc.* 20. 45. Tum et habiles regiones, et rursum omni cultu propter vim frigoris aut caloris vacantes. *Id.* 6. *de republ.* 20. Cinguli terræ habitabiles. *Ovid.* 1. *Met.* 49. (*media plaga terræ*) non est habitabilis æstu. *Id.* 4. *Fast.* 611. nec nobis cœlum est habitabile, dixit. *Id.* 3. *Trist.* 4. 51. non habitabile frigus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 10. 12. (35). casæ. ¶ 2. Poetice ponitur pro habitato a *Sil. It.* 1. 541. Tarpejæ rupes, Superisque habitabile saxum. *h. e.* Capitolium.

HĂBĬTĀCŬLUM, i, n. 2. locus, in quo quis habitat, *abitazione, abitacolo*, οἴκημα.

I.) Proprie. *Pallad.* 1. *R. R.* 23. Habitacula avium. *Gell.* 5. 14. 21. Leo in habitaculum illud suum vidit me procul delitescentem. *Ammian.* 17. 8. Habitacula sua sibi figere. *Id.* 14. 6. agrestia. *Id.* 23. 6. *de Medorum regibus.* Uberrimum est habitaculum regum.

II.) Figurate. *Prudent.* 10. *Cathemer.* 39. Animataque sanguine vivo Habitacula pristina gestet. *h.* e. corpus resumat, quod est habitaculum animi.

HĂBĬTANS, antis. *V.* HABITO.

HĂBĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. ¶ 1. Est actus habitandi: item locus, ubi quis habitat, *l'abitare, abitazione, stanza*, οἴκησις. — *a*) In singulari numero. *Cato R. R.* 128. Delutare habitationem. *Plaut. Most.* 2. 2. 73. Scelestæ hæ sunt ædes, impia est habitatio. *Id. ibid.* 2. 2. 67. Hic habito: hæc mihi dedita est habitatio. *Id. Trin.* 1. 2. 2. Larem corona nostrum decorari volo, ut nobis hæc habitatio bona, fausta – eveniat. *Cic.* 13. *Fam.* 2. Peto a te, ut ei de habitatione accommodes. *Id. Cœl.* 7. 17. Sumptus habitationis. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 6. Villico juxta januam fiat habitatio. *Pallad.* 1. *R. R.* 9. 1. Habitationis mansio. — *b*) In plurali numero. *Cæs.* 3. *B. C.* 21. Mercedes habitationum annuas conductoribus donavit. ¶ 2. Habitatio accipitur etiam pro mercede habitationis, Græci ἐνοίκιον, Itali *affitto, pigione* dicunt. *Sueton. Cæs.* 38. Annuam etiam habitationem Romæ usque ad bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos sestertios remisit.

HĂBĬTĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* ab habitatio, parva habitatio, ædicula. *Hieronym. in Abdiam, ante med.* Omnis australis regio Idumæorum in specubus habitatiunculas habet. Adde *Salvian.* 5. *Gubernat. D. p.* 178.

HĂBĬTĀTOR, ōris, m. 3. incola, *abitatore*, οἰκήτωρ. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 140. Sunt enim e terra homines non ut incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cælestium. *Id.* 2. *ibid.* 35. 90. Philosophi debuerunt – intelligere inesse aliquem non solum habitatorem in hac cælesti ac divina domo, sed etiam rectorem. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. 7. Domum tuam in Carinis mundi habitatores Lamiæ conduxerunt. Adde *Liv.* 21. 62. *Plin. Paneg.* 50. Receptacula habitatore servo teruntur. *Mela* 1. 16. Habitator Cariæ.

HĂBĬTĀTRIX, īcis, f. 3. quæ habitat, *abitatrice*. *Auson. Edyll.* 10. 82. flumineis habitatrix Nais in oris. *Vulgat. interpr. Jerem.* 21. 13. Ego ad te (*Jerosolyma*) habitatricem vallis solidæ atque campestris. Adde *ibid.* 46. 19.

HĂBĬTĀTUS, a, um. *V.* HABITO.

HĂBĬTĬO, ōnis, f. 3. actus habendi. *Gell.* 1. 4. Ita dicit (Cicero): *gratiam qui habet, in eo ipso quod habet, refert.* Sed id verbum *habet* cum proposita comparatione non satis convenit. Debitio enim gratiæ, non habitio, cum pecunia confertur.

HĂBĬTĪVUS, a, um, adject. ad habitum pertinens. Occurrit tantum in re grammatica de verbis apud *Charis.* 2. p. 140. *Putsch.* Aliis placuit verborum genera esse tria: activum, passivum, habitivum. – Habitiva, quæ per se quid fieri aut esse significant, ut *nascitur, crescit, oritur.* Et *ibid.* p. 141. Quum omnia verba aut actione activa, aut passione passiva, aut habitu habitiva dicantur, non immerito habitiva cum activis adnumerantur, quæ habent ἐνέργειαν, ut *cernit, videt, aspicit.* Sunt verba quædam sine dubio activa, ut *scio, volo,* quibus quum accesserint adverbia, fiunt habitiva, ut *nolo, nescio.*

HĂBĬTO, as, āvi, ātum, are, 1. *frequentativum ab habeo.* — Part. *Habitans* I. 2.; *Habitatus* I. 2. et II.; *Habitandus* I. 2. — Habito est habere soleo, frequenter habeo, ἴσχω, *essere solito di avere, avere di frequente.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu habitare dicitur, qui habere solet. *Varro* apud *Non.* p. 318. 25. *Merc.* Utramque mulieres, et epicrocum viri quoque habitarunt. *Id. ibid.* Hoc nomine antiquos secundis rebus comas habitasse. — Absolute usurpatum, est se habere. *Cœl. Aurel.* 1. *Acut.* 11. *ad fin.* Quam autem sine inquietudine corpus habitare sensērimus. ¶ 2. Sæpissime, latiori sensu, quum ad locum refertur, est incolere, οἰκέω (It. *abitare*; Fr. *habiter, demeurer, loger, résider*; Hisp. *habitar, morar, hacer su residencia*; Germ. *bewohnen, wohnen*; Angl. *to dwell, abide, live in, inhabit*). Occurrit autem — *a*) Cum Accusativo. *Virg.* 3. *Æn.* 106. Centum urbes habitant magnas, uberrima regna. *Id.* 8. *ibid.* 352. Hunc nemus, hunc collem habitat deus. *Id.* 2. *Ecl.* 29. habitare humiles casas. *Id.* 6. *ibid.* 2. silvas. *Ovid. Heroid.* 1. 66. et 1. *Met.* 195. terras. *Lucan.* 1. 435. Gebennas. *Val. Flacc.* 2. 383. scopulos. *Id.* 2. 177. pruinas. — Passive. *Cic.* 6. *Verr.* 53. 119. Colitur ea pars urbis et habitatur frequentissime. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 127. nobis habitabitur orbis Ultimus. *Id.* 5. *ibid.* 3. 21. Nec patria est habitata tibi. *Id.* 13. *Met.* 430. tellus Bistoniis habitata viris. *Id.* 3. *ibid.* 9. quæ sit tellus habitanda (*sibi*), requirit. *Sil. It.* 2. 654. de *Sagunto.* Urbs habitata diu Fidei. Adde *Quintil.* 1. 4. 28. *Virg.* 3. *G.* 398. mœnia habitantur Grajis. *Id.* 3. *G.* 340. raris habitata mapalia tectis. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 2. Agellus habitatus quinque focis. *Tac.* 5. *Hist.* 7. Campi olim magnis urbibus habitati. *Horat. Epod.* 16. 19. habitandaque fana Apris reliquit et rapacibus lupis. *Ovid.* 1. *Met.* 74. Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ. — Et poetice *Sil. It.* 8. 418. Nursia habitata pruinis. Et translate *Id.* 15. 337. calidoque habitata Gradivo Pectora. *h. e.* vir bellicosus. — *b*) Sine Accusativo, h. e. neutrarum more. — Cum addito Ablat. loci et præpos. *in*. *Plaut. Amph. prol.* 97. Hæc urbs est Thebæ: in illisce habitat ædibus Amphitruo. *Cic. Cœl.* 7. 17. Cujus hic in ædiculis habitat decem, ut opinor, millibus. *Id.* 1. *Nat. D.* 9. 22. Habitare in gurgustio. *Id.* 13. *Fam.* 2. in sacrario. *Quintil.* 5. 13. 27. in foro. *Sueton. Cæs.* 46. in Subura. *Cic.* 2. *Phil.* 41. 106. in via. *Id.* 5. *Verr.* 41. 95. Omnes, qui habitarent in Sicilia. *Nepos Eumen.* 6. in Epiro. *Quintil.* 8. 6. 71. in Co insula. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 87. (363). Aves, quæ habitant in arboribus. *Cic.* 6. *Verr.* 18. 38. Is Lilybæi multos annos jam habitat. *Ter. Adelph.* 4. 5. 20. Mileti. Cf. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 27. proximæ viciniæ. *Nepos Att.* 12. Athenis. — Cum Ablat. loci sine præpos. *Virg.* 3. *Æn.* 110. habitabant vallibus imis. *Id.* 6. *ibid.* 673. lucis habitamus opacis. *Propert.* 2. 13. 20. habitare casa stramineа. *Liv.* 8. 22. duabus urbibus. *Varro* 3. *R. R.* 17. locis pestilentibus. *Tac. Germ.* 39. centum pagis. Cf. *Ovid.* 15. *Met.* 217. materna alvo. — Cum addito loco per alias præpos. *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 95. Qui sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domiciliis. *Sueton. Gramm.* 9. sub tegulis. Cf. *Val. Flacc.* 2. 119. sub nubibus. *Sueton. Galb.* 14. intra palatium. *Virg.* 3. *Æn.* 643. curva hæc habitant ad litora vulgo Infandi Cyclopes. *Sueton. Aug.* 72. juxta forum. — Cum addita persona per Accus. et præpos. *apud*, vel per Ablat. et præpos. *cum*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 115. Diodorus, qui mecum vivit tot annos, qui habitat apud me. Adde *eumd. Brut.* 90. 309. Sic *Id. Cœl.* 21. 51., *Cluent.* 12. 33. et 4. *Verr.* 34. 83. Habitare apud aliquem. *Id.* 3. *Verr.* 25. 64. Filia, quæ cum patre habitaret. Adde *eumd.* 13. *Att.* 20.; et *Sueton. Domit.* 2. — Absolute. *Plaut. Cist.* 2. 3. 37. Avecta est peregre hinc habitatum. *Id. Trin.* 4. 3. 77. Is habitatum huc commigravit. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 27. Rus habitatum abii. *Nepos Themist.* 8. Argos habitatum concessit. *Id. Att.* 13. Neque tamen non in primis bene habitavit. *h. e.* bonas ædes habuit. *Cic. Dom.* 41. 115. Habitare laxe et magnifice voluit. *Id. Cœl.* 7. 17. Triginta millibus dixistis eum habitare. *h. e.* ædes habitare, quæ triginta millibus valerent. Sic *Vellej.* 2. 10. 1. Nunc si quis tanti (*h. e.* sex millibus) habitet, vix ut senator agnoscitur. *Quintil.* 2. 16. 6. Numquam tecta subeamus: super habitantes aliquando procumbunt. *V.* et infra sub *d.* — Hinc absolute, substantivorum more, *habitantes* sunt incolæ apud *Ovid.* 14. *Met.* 89. steriliquae locatas Colle Pithecusas, habitantum nomine dictas. — *c*) Passive impersonaliter. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 123. Habitari ait Xenophanes in luna. *Id.* 6. *de republ.* 19. Vides, habitari in terra raris et angustis in locis, et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas. *Liv.* 2. 62. Vicorum, quibus frequenter habitabatur. Adde *Curt.* 5. 1. 27. *Cic. Dom.* 37. 100. Demigrandum potius aliquo est, quam habitandum in ea urbe, in qua etc. — *d*) *Habitare* et *commorari* differunt, quod illud in perpetuum, hoc ad tempus alicubi esse significat. *Cic. Senect.* 23. 84. Commorandi natura deversorium nobis, non habitandi locum dedit. — Reperitur tamen *habitare* de brevi habitatione dictum. *Cæs.* 3. *B. C.* 112. Hoc tractu oppidi pars erat regiæ exigua, in quam ipse habitandi causa initio erat inductus. Adde *Petron. Satyr.* 7. et 85.

II.) Translate est assiduo esse versarique aliquo in loco. — *a*) De personis. *Cic. Mur.* 9. 21. Abfueris tamdiu; et, quum longo intervallo veneris, cum iis, qui in foro habitarunt, de dignitate contendas? *Id. Brut.* 89. 305. Diserti Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius: et ii quidem habitabant in Rostris. *Id.* 1. *Orat.* 62. 264. Qualis esse posset is, qui habitaret in subselliis. *Id. Planc.* 27. 66. Feci, ut postea quotidie præsentem me viderent; habitavi in oculis, pressi forum. *mi feci vedere continuamente.* *Id. Orat.* 15. 49. Quonam modo ille in bonis hærebit et habitabit suis? *h. e.* dicendo morabitur. Sic *Id.* 2. *Orat.* 38. 160. Illi autem, qui hoc solum colendum dicebant, habitarunt in hac una ratione tractanda. Adde *eumd. ibid.* 72. 292. — *b*) De abstractis. *Cic.* 2. *Fin.* 28. 92. Qui potest igitur habitare in beata vita summi mali metus? *Id.* 5. *Tusc.* 24. 69. Animus cum his habitans pernoctansque curis. *h. e.* studiis. *Id.* 12. *Phil.* 1. 2. Fautores Antonii, quorum in vultu habitant oculi mei. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (145). Profecto animus habitat in oculis. *Id. ibid.* 37. 69. (182). Mens in corde habitat. *Propert.* 2. 11. 17. Quid tibi (*Amori*) jucundum siccis habitare medullis? *Ovid.* 8. *Met.* 792. Frigus illic habitat. *Val. Max.* 6. 9. n. 1. *extern.* Peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit. — *c*) Singulare est illud *Pers.* 4. 52. Tecum habita; et noris, quam sit tibi curta supellex. *h. e.* tecum ipse esto, te contemplare atque excute. — Hinc Part. præs.

Habitans, antis, m. 3. absolute, substantivorum more, pro incola. *V.* sub I. 2. *b*.

HĂBĬTŪĀTĪVĒ, adverb. ex consuetudine. *Boeth. Aristot. Topic.* 2. 3. p. 678. Casus autem, ut juste, et fortiter, et sanative, et habituative, et quæcumque eodem modo dicuntur.

HĂBĬTŪĀTĪVUS, a, um, adject. qui ad habitudinem pertinet. *Boeth. Aristot. Topic.* 2. 3. p. 678. Similiter effectiva et conservativa, conjugata illi cujus sunt effectiva et conservativa, ut sanativa sanitatis, habituativa habitudinis, eodem autem modo et in aliis.

HĂBĬTŪDO, inis, f. 3. ipse corporis habitus, quem barbari vocant *complexionem*, ab *habeo*, ἕξις, κατάστασις, *corporatura*.

I.) Proprie. *Ter. Eun.* 2. 2. 11. Viden' me ex eodem ortum loco? Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis? *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 15. Nam ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur sæpe. *Apul.* 9. *Met.* Quidam proceres et, ut indicabat habitus atque habitudo, miles e legione. *habitus* hic externum corporis ornatum, σχῆμα: *habitudo* ipsius corporis externam formam significat, ἕξιν. *Id.* 2. *ibid.* Nec tamen ego prius inde discessi, quam diligenter omnem ejus (*ancillæ*) explorassem habitudinem. *Id. de Mag.* Tot ætatis vices induit, tam varias habitudines corporis participat. *Capitolin. Pertin.* 12. Habitudine corporis pinguiore. *Spartian. Hadrian.* 24. robusta. *Auson. Grat. act.* 27. 2. cohibitior.

II.) Figurate. *De habitudine doctrinæ Platonicæ* inscriptum est *Apuleji* opus, in quo de ratione naturalis, moralis et rationalis Platonicæ philosophiæ disserit, ejusque naturam, qualitatem et quasi habitudinem describit.

HĂBĬTŬO, as, are, a. 1. habitum aliquem inducere. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Si nutrix malo succo atque corpore habituari videatur, hoc Græci καχεξίαν vocaverunt. *h. e.* pravi habitus fieri. *Id.* 4. *ibid.* 8. Ægrotantium vires nunc debilitate, nunc fortitudine habituantur.

HĂBĬTŪRĬO, is, ire, a. 4. habere cupio: desiderativum ab *habito*. *Plaut. Truc.* 1. 2. 47. Si arationes habituris, ad pueros ire melius est.

HĂBĬTUS, a, um. *V.* HABEO.

HĂBĬTUS, us, m. 4. (habeo). Perperam primam syllabam producit *Capell.* 2. *p.* 47. Ac ni rosetis purpuraret culmina Aurora primo et convenustans habitu. *Num* halitu *legendum?* nam apud *Colum.* 2. *R. R.* 5. 2. Halitus solis. — Habitus est corporis permanens affectio, forma, figura, itemque cultus exterior, σχῆμα (It. *abito, qualità, forma, corporatura, l'esteriore, l'apparenza*; Fr. *état du corps, manière d'être physique, complexion, constitution, disposition, extérieur*; Hisp. *complexion, constitucion, disposicion, calidad, naturaleza, estado de una persona, exterior*; Germ. *d. körperliche Beschaffenheit, Gestalt, die Haltung, die Stellung, d. Befinden d. Körpers, d. Aussehen*; Angl. *habit, plight, condition, state, manner, fashion*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generalim est, ut diximus, corporis permanens affectio, forma, figura, itemque cultus et dispositio exterior. — *a*) De hominibus et bestiis. — Pro corporis permanente affectione, forma, figura. *Cic. Cæl.* 24. 59. Quum floreret integerrima ætate, optimo habitu, maximis viribus. *Id. Brut.* 91. 313. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum: qui habitus et quæ figura non procul abesse putatur a vitæ periculo. *Id. ibid.* 16. 64. Qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consectentur. Adde *eumd. ibid.* 91. 316. *Id.* 1. *Nat. D.* 35. 99. Oris quidem habitus ad vitæ firmitatem nihil pertinet. *Id.* 3. *Fin.* 17. 56. Ut quidam habitus oris et vultus, ut status, ut motus. *Plin.* 6. *Ep.* 16. 20. Habitus corporis quiescenti, quam defuncto similior. *Sueton. Vit. Horat.* Horatius habitu corporis brevis fuit. *Tac. Germ.* 4. Habitus corporum. *Id. Agric.* 11. Positio cæli corporibus habitum dedit. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 92. Adde vultum habitumque hominis. *Curt.* 8. 4. 23. Inter quas (*virgines*) erat filia ipsius Roxane nomine, eximia corporis specie et decore habitus in barbaris raro. Sic *Id.* 9. 2. 6. Tonsorem vix diurno quæstu propulsantem famem, propter habitum haud indecorum, cordi fuisse reginæ. *Flor.* 1. 8. 5. Jam vero Tarquinii ornamenta et insignia quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? *h. e.* ex ipsa externa specie. *Tac. Germ.* 46. Peucini nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. *Cic.* 5. *Fin.* 12. 36. Moderati æquabilesque habitus, affectiones ususque corporis apta esse ad naturam videntur. Cf. *Seneca* 2. *Benef.* 13. Quid vultum habitumque oris pervertat. *Plin. Paneg.* 56. Diversi postulantium habitus. — Pro cultu corporis exteriore atque ornatu: hinc *Sueton. Aug.* 40. (*V.* infra) distinguit habitum a vestitu, ut habitus sit ornatus totius corporis, vestitus autem comprehendat modum vestium earumque colorem et formam. *Cic.* 6. *Verr.* 3. 5. Erant præterea duo signa non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu. *Id.* 4. *ibid.* 35. 87. Himera in muliebrem figuram habitumque formata. *Virg.* 1. *Æn.* 323. Virginis os habitumque gerens. *Sueton. Aug.* 40. Etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit. *Id. Cal.* 52. Vestitu calceatuque et cetero habitu. *Curt.* 7. 1. 18. Desiderantique Amyntæ, ut habitus quoque redderetur armigeri, (*rex*) lanceam dari jussit. *Flor.* 1. 12. 7. Fidenæ ad terrorem movendum facibus armatæ, et discoloribus serpentum in modum vittis, furiali more processerant: habitus ille feralis eversionis omen fuit. — Pro corporis dispositione, vel inflexione, *positura*. *Seneca Ep.* 123. *ad fin.* Diversus est ascendentium habitus et descendentium: qui per pronum eunt, resupinant corpora; qui in arduum, incumbunt. *Id.* 1. *Controv.* 2. *ante med.* Meretrix modo in puerilem, modo in muliebrem habitum composita. *Sueton. Claud.* 4. Cujus motum et habitum et incessum imitaretur. *Curt.* 8. 4. 14. Memoriæ proditum est, quosdam adplicatos arborum truncis, et non solum viventibus, sed et inter se colloquentibus similes esse conspectos; durante adhuc habitu, in quo mors quemque deprehenderat. *Tac.* 4. *Ann.* 59. Sejanus genu vultuque et manibus super Cæsarem suspensus opposuit sese incidentibus (*saxis*), atque habitu tali repertus est a militibus, qui subsidio venerant. — *b*) Dicitur etiam de forma et facie cujuscumque alterius rei corporeæ. *Virg.* 1. *G.* 51. cæli prædiscere morem Cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum. *Liv.* 9. 17. *sub fin.* Longe alius Italiæ, quam Indiæ, visus illi habitus esset. *Val. Max.* 3. 3. *n.* 4. *extern.* Habitus maris. *Est qui leg.* ambitus, *quod minus placet. Colum.* 9. *R. R.* 15. 8. Figura cerarum talis est, qualis et habitus domicilii. *Ammian.* 20. 3. Habitus lunæ. *Liv.* 9. 36. armorum. *Id.* 10. 46. temporum. *Id.* 1. 42. Belli pacisque munia non viritim, sed pro habitu pecuniarum fiunt. *Forcellinus* hoc loco, vocis originem spectans, *habitum* accepit pro habitione, sive actu habendi, *l'avere*. V. etiam sub II. 1. *Val. Max.* 9. 3. *n.* 3. *extern.* Urbs in habitum pulveris redacta. ¶ 2. Speciatim ac præcipue post ævum Augusteum, habitus est vestitus. *Quintil.* 2. 17. 20. Theopompus, permutato cum uxore habitu, e custodia, ut mulier, evasit. *Id.* 3. 7. 6. Ut si in laude Herculis permutatum cum regina Lydiæ habitum orator excuset. Sic *Curt.* 4. 1. 22. Permutare habitum. *Id.* 10. 5. 33.; et *Sueton. Claud.* 15. mutare. *Sueton. Tib.* 13. Patrium habitum deponere. *Id. Aug.* 98. Græco, Romano habitu uti. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 54. Habitus Romanus. *Sueton. Cæs.* 58. Gallicus. *Curt.* 3. 3. 6. Persicus. *Sueton. Aug.* 70. deorum. *Id. Domit.* 1. Isiais. *Id. Tib.* 43. Nympharum. *Justin.* 12. 3. 8. regum. *Liv.* 9. 2. pastorum. *Sueton. Cal.* 32. poparum. *Id. Ner.* 13. triumphantis. Sic *Quintil.* 11. 1. 3. triumphalis. *Sueton. Cal.* 13. lugentis. *Id. Gramm.* 3. sedentis ac palliati. *Id. Ner.* 38. scænicus. *Id. Cal.* 19. quadrigarius. *Id. ibid.* 9. manipularius. *Liv.* 37. 9. solemnis. *Curt.* 6. 6. 2. civilis. Sic *Inscript.* apud *Gruter.* 457. 2. HVIC SENATVS, AVCTORE M. AVR. ANTONINO AVG., STATVAM PONI HABITV CIVILI IN FORO DIVI TRAIANI PECVNIA PVBLICA CENSVIT. *Justin.* 4. 4. 1. Habitus squaloris. *Apul.* 1. *Met.* mendicus. *Id.* 9. *ibid. a med.* Ut indicabat habitus atque habitudo.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur pro natura et constitutione, naturali facultate seu potentia, itemque pro statu, conditione, ratione, *natura, costituzione, condizione, stato, rapporto. Cic. Topic.* 16. 62. Aliæ (*causæ*) suum opus efficiunt aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura —: perturbatione, ut si quis eventum horum temporum timeat; habitu, ut facile et cito irascatur etc. *Id. Arch.* 7. 15. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina, naturæ ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos et graves exstitisse fateor. *abilità, naturalezza. Id.* 1. *Legg.* 16. 45. Quis igitur prudentem non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa judicet? *Id.* 4. *Fin.* 14. 37. Non enim natura quod facit in frugibus —, idem facit in homine, quum eum ad rationis habitum perduxerit. *Seneca* 1. *Ira* 5. Quid est mitius, dum in recto animi habitu est? *Quintil.* 1. 10. 25. Affici animos in diversos habitus. *Id.* 6. 2. 1. Animos formare in eum, quem volumus, habitum. Adde *eumd.* 11. 3. 45. et 4. 2. 114. Sic *Id.* 6. 2. 9. et 11. 3. 78. Habitus mentis. *Curt.* 6. 11. 1. Bolon artium pacis et civilis habitus rudis. *Tac.* 4. *Ann.* 12. Habitum ac voces dolentium induere. *Phædr.* 1. 3. Ne gloriari libeat alienis bonis, Suoque potius habitu vitam degere, etc. *Forcellinus* hoc quoque loco *habitum* accepit pro habitione, sive actu habendi, *l'avere*. *Curt.* 3. 12. 14. Pro habitu præsentis fortunæ. *Id.* 5. 6. 18 Pro naturæ habitu. *Id.* 9. 3. 19. Cubilia amplioris formæ, quam pro corporum habitu. *Cic.* 3. *Orat.* 52. 199. Si habitum etiam orationis et quasi colorem aliquem requiritis. *h. e.* ornamentum. *Quintil.* 9. 1. 13. Si habitus quidam et quasi gestus sermonis sic (*h. e.* schemata) appellandi sunt. *Id.* 5. 12. 18. Habitum ipsum orationis virilem. Cf. *eumd.* 11. 3. 62. Media vox, quem habitum a nostris acceperit, hunc judicum animis dabit. ¶ 2. Speciatim pro affectibus, studiis, voluntatibus. *Tac.* 1. *Hist.* 4. Qualis status urbis, quæ mens exercituum, quis habitus provinciarum. *Vellej.* 2. 99. 3. Quis fuerit eo tempore civitatis habitus, qui singulorum animi, etc. Cf. *Liv.* 32. 14. Ex præsenti potius, quam præterito habitu æstimat. ¶ 3. Item speciatim a philosophis fere de animo dicitur, et definitur constans et absoluta in aliqua re perfectio, quæ frequentibus actionibus comparata est, ut sunt virtutes omnes. Sic enim *Cic.* 1. *Invent.* 25. 36. Habitum appellamus animi aut corporis constantem et absolutam aliqua in re perfectionem: ut virtutis aut artis perceptionem alicujus, aut quamvis scientiam, et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, sed studio et industria partam. *Id.* 2. *ibid.* 9. 30. Habitus in aliqua perfecta et constanti animi aut corporis absolutione consistit, quo in genere est virtus, scientia, et quæ contraria sunt. *Id. ibid.* 53. 160. Justitia est habitus animi communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem.

HĂBRA *vel* abra, æ, f. 1. ἅβρα, serva, ancilla: ab Hebr. עֶבֶד *servus*; unde ex affinitate duarum inter se similium litterarum ד et ר provenisse videtur Græcum ἅβρα, quo licet usi fuerint *Menander*, et *Plutarch.* in *Cæs.* c. 10.; recte tamen esse ἐθνικὸν *Eustathius* observat. V. *Visc. Op. var. T.* 2. p. 79. *ed. Mediol.* Hinc *Vulgat. interpr. Judith* 8. 32. Ego exeam cum abra mea. Adde *ibid.* 10. 2. et alibi, ut et in ABRA dictum est.

HAC, adverb. loci (hic, hæc, hoc) per hunc locum, ubi ego sum, vel de quo ego loquor, ταύτῃ (It. *per qua, per questo luogo*; Fr. *par ici, de ce côté ci*; Hisp. *por aqui*; Germ. *auf —, von dieser Seite, hier*; Angl. *by this place, this way*). Occurrit — *a*) Absolute, h. e. sine relativo. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Non semper vestra evortet, nunc Juppiter hac stat. Sic *Virg.* 12. *Æn.* 565. Ne qua meis esto dictis mora! Juppiter hac stat. *Plaut. Capt.* 3. 5. 106. Sequere hac: reducam te ubi fuisti. Sic *Id. Asin.* 4. 2. 1., *Men.* 4. 1. 4., *Pœn.* 1. 2. 116. et *Rud.* 1. 2. 94. Sequere hac. et *Ter. Eun.* 4. 7. 46. Vos me hac sequimini. *Id. Andr.* 5. 6. 14. Sequere hac me intus ad Glycerium. *Id. Adelph.* 4. 3. 18. Sequere me ergo hac intro. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 56. I hac mecum intro. *Ter. Adelph.* 4. 2. 35. Præterito hac recta platea sursum: ubi eo veneris, clivus deorsum vorsus est: hac te præcipitato. *Cic.* 1. *Legg.* 4. 14. Et hac quidem adire si placet, per ripam et umbram. *Cæs.* 1. *B. C.* 45. Ab oppido declivis locus tenui fastigio vergebat. Hac nostris erat receptus. *Id.* 2. *ibid.* 2. Pedalibus lignis conjunctis inter se porticus integebatur; atque hac agger inter manus proferebatur. *Nepos Hann.* 3. Hac copias traduxit, in Italiamque pervenit. — *b*) Cum *illac* relativo. *Plaut. Asin.* 3. 3. 151. LI. Jamdudum (*pater*) est intus. AR. Hac quidem non venit. LI. Angiporto illac per hortum circuit clam, ne quis se videret huc ire familiarium. *Id. Rud.* 1. 3. 30. Aliquem velim, qui mihi ex his locis aut viam aut semitam monstret: ita nunc hac, an illac eam, incerta sum consili. *Ter. Heaut.* 3. 2. 1. Hac illac circumcursa. *di qua e di là. Id. Eun.* 1. 2. 25. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo. *per ogni parte. Tibull.* 4. 1. 96. Sive hac, sive illac veniat gravis impetus hostis. *Tac. Agric.* 28. Mox hac atque illac rapti. — *c*) Cum *hac* relativo. *Virg.* 1. *Æn.* 471. Hac fugerent Graji, premeret Trojana juventus, Hac Phryges. *Augustin.* 3. *Civ. D.* 28. Jam jam cohibita, quæ hac atque hac passim ferebatur, licentia jugulandi.

HACCĔTĔNUS. *V.* HACTENUS init.

HACPROPTER, propterea, ut *quapropter*. *Virg. Cul.* 3. hacpropter Culicis sint carmina dicta. Ita *Scaliger*: addique hæc verba *Varronis*: Hacpropter omnes, qui laborant, invocant. Optimæ tamen editiones habent *hac propter* et fortasse rectius.

HACTĔNUS, adverb. *Haccetenus* pro *hactenus* antiquum est. *Mar. Victorin.* p. 2457. *Putsch.* Haccetenus et Hoccedie scribebant antiqui pro Hactenus et Hodie. — *Hactenus* dividitur interdum per tmesin. *Virg.* 5. *Æn.* 603. Hac celebrata tenus sancto certamina patri. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 62.; et *Ovid.* 5. *Met.* 642. — Hactenus est hucusque, adhuc: ab *hac* (parte) et *tenus*, quasi usque ad hunc terminum, vel locum, μέχρι τούτου (It. *fin qui, sino a qui*; Fr. *jusqu'ici, jusque-là*; Hisp. *hasta acá*; Germ. *bis so weit, bis hieher*; Angl. *hitherto, thus far*). Occurrit autem *A*) De loco; *B*) De mensura; et *C*) De tempore.

A) De loco. ¶ 1. Stricto sensu est usque ad hunc terminum, vel locum, *fino a questo punto, fin qui*. *Ovid.* 13. *Met.* 700. Hactenus antiquo signis fulgentibus ære, Summus inaurato crater erat asper acantho. *Virg.* 6. *Æn.* 62. Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta. ¶ 2. Latiori sensu de oratione frequentissime usurpatur. — a) Cum integra propositione. *Cic. Amic.* 7. 24. Hactenus mihi videor de amicitia quid sentirem, potuisse dicere. Si quæ præterea sunt etc. *Id.* 1. *Nat. D.* 10. 24. De quo dicam equidem paullo post: nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem, qui animantem, immortalem, et eumdem beatum, rotundum esse velint. *sin qui a per ora*. *Id.* 11. *Att.* 4. Hactenus fuit, quod caute a me scribi posset. *Nepos Att.* 19. Hactenus Attico vivo edita a nobis sunt. *Cels.* 7. 18. Hactenus propria auxilia sunt: communia deinde etc. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Externæ arbores — hactenus fere sunt; liceatque jam de communibus loqui. *Quintil.* 6. 3. 62. Hactenus ostendisse satis fuerit. *Id.* 2. 4. 32. Verum hactenus evagari satis fuerit. — *b*) Sæpe ita solum ponitur, ut per ellipsin alia subaudiri oporteat. *Cic.* 2. *de republ.* 44. Sed, si placet, in hunc diem hactenus: reliqua disseramus in crastinum. Quum ita placuisset, finis disputandi in eum diem factus est. *Id.* 5. *Att.* 13. 2. Sed hæc quoque hactenus: redeo ad urbana. *ma anche di ciò basti il detto fin qui*. *Id.* 2. *Divinat.* 24. 53. Sed hæc hactenus: nunc ad ostenta veniamus. Sic *Id. Amic.* 15. 55. et 13. *Att.* 21.; *Quintil.* 4. 2. 30.; et *Plin.* 3. *Ep.* 14. Sed hæc hactenus. *Cic.* 16. *Att.* 6. Hæc hactenus. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 63. Hactenus hæc. *Quintil.* 1. 5. 54. Hactenus de solœcismo. *Id.* 1. 12. 19. Hactenus ergo de studiis. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 38. (72). Hactenus de aquis. *Id.* 28. *ibid.* 8. 32. (122). Hactenus de externis. *Cic.* 5. *Att.* 13. 1. Sed hactenus; præsertim quum cœnanti mihi nunciaret Cestius etc. *ma di ciò basta*. *Ovid.* 5. *Fast.* 661. Hactenus: ut vivo subiit etc. *h. e.* hactenus Tiberis locutus est: postquam subiit etc. Adde *eumd.* 2. *Met.* 610., 7. *ibid.* 794., 10. *ibid.* 423., 12. *ibid.* 82. et 14. *ibid.* 512.; et *Val. Flacc.* 2. 439. Sic *Plin.* 11. *Hist. nat.* 52. 114. (276). Hactenus Trogus. *supple* locutus est, *sin qui Trogo*.

B) De mensura hactenus vim habet τοῦ solum, dumtaxat, tanto, *solamente a non più, solamente*. — *a*) Cum integra propositione et sine relativo. *Tac.* 14. *Ann.* 51. Sciscitantique hactenus respondit: Ego me bene habeo. *rispose questo solo*. *Id.* 14. *Ann.* 3. Eum interficere constituit, hactenus consultans, veneno, an ferro, vel qua alia vi. *Id.* 12. *ibid.* 42. Præbuissetque aures Cæsar, nisi Agrippinæ minis magis, quam precibus mutatus esset, ut accusatori aqua atque igni interdiceret. Hactenus Vitellius voluerat. *Id. Germ.* 25. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis (*servo*) ut colono injungit; et servus hactenus paret. — *b*) Interdum solum ponitur, et per ellipsin alia subaudiri oportet. *Sueton. Domit.* 16. Dum exulceratam in fronte verrucam vehementius scalpit, profluente sanguine, utinam, inquit, hactenus. *h. e.* hunc solummodo sanguinem funderim, neque insuper fundere habeam. — *c*) Habet interdum post se particulas *quoad, quod, ut, ne, si, quatenus, qua*; et significat *eatenus, in tantum, adeo*: similiter sequente Infinito. — *Quoad* apud *Cic.* 4. *Fam.* 3. Hactenus existimo consolationem nostram recte adhibitam esse, quoad certior fieres etc. — *Quod* apud *Plin.* 9. *Ep.* 15. Patrem familiæ hactenus ago, quod aliquam partem prædiorum percurro. — *Ut* apud *Cic.* 2. *Orat.* 27. 119. Hæc artem et præcepta dumtaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 8. 13.; et *Horat.* 1. *Sat.* 2. 123. *Tac.* 16. *Ann.* 15. Hactenus servi manu usus, ut immotum pugionem extolleret. Adde *Sueton. Ner.* 34. et *Vesp.* 13.; *Justin.* 39. 1. 9.; *Tac.* 2. *Ann.* 34; et *Plin.* 4. *Ep.* 8. et 7. *ibid.* 9. et 31. Sic *Ovid. Heroid.* 15. 155. Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores. Hactenus: ut media cetera nocte silent. *h. e.* duo illæ solæ cantant; ceteræ aves silent. — *Ne* apud *Cic.* 5. *Att.* 4. Etiam ne hic mihi curandus est? curandus autem? hactenus, ne quid ad senatum etc. *Tac.* 14. *Ann.* 7. Hactenus adito discrimine, ne auctor dubitaretur. *sol tanto, quanto bastasse per non dubitare* etc. Adde *Quintil.* 6. 2. 3. — *Si* apud *Senec. Ep.* 88. Meritoria officia sunt, hactenus utilia si præparant ingenium, non detinent. — *Quatenus* apud *Ulp. Dig.* 15. 3. 10. § 7. Hactenus non vertit (*in rem*), quatenus domino debet: quod excedit, vertit. — *Qua* apud *Gell.* 13. 29. *in lemmate*. Non hactenus esse faciem, qua vulgo dicitur. — Cum Infinito apud *Tac.* 15. *Ann.* 60. Solus quippe Natalis et hactenus prompsit, missum se ad ægrotum Senecam.

C) De tempore hactenus est usque ad hoc tempus vel temporis momentum. *Liv.* 7. 26. Hactenus quietæ utrimque stationes fuere: postquam spoliare etc. *Virg.* 5. *Æn.* 603. Hac celebrata tenus sancto certamina patri. *Ovid.* 5. *Met.* 250. Hactenus aurigenæ comitem Tritonia fratri Se dedit. Inde cava circumdata nube Seriphon Deserit. *Tac. Agric.* 10. Dispecta est et Thule, quam hactenus nix et hiems abdebat. *Id.* 13. *Ann.* 47. Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quæsivit. *Flor.* 1. 11. 5. Hactenus pro libertate, mox de finibus eisdem Latinis assidue pugnatum est.

Homonym. Inter *hactenus* et *adhuc* advertit *Manut.* ad ep. 1. *l.* 2. *ad Fam.* hujusmodi discrimen, quamvis idem ambo significent; quod *hactenus* de re semper usurpetur, *adhuc* de tempore. Itaque male dici, *hactenus ita sensi, et de litteris adhuc*, sed *adhuc ita sensi*, et *de litteris hactenus*, ut hoc ipso loco *Cic.* loquitur. Præterea *hactenus* absolute rei continuationem semper indicare: *adhuc* interdum etiam non absolute, ut *Cic.* 2. *Att.* 20. Clodius adhuc mihi denunciat periculum. Hactenus *Manut.*, cujus doctrina, si de *Cicerone* tantummodo loquitur, vera fortasse potest videri. (Nam *Livius* quidem certe de tempore *hactenus* dixit, in allato exemplo sub *C.*). Post eum vero non desunt scriptorum loca, quæ contra *Manut.* afferri possunt. Quamquam, si attente inspicias, in ipsis quoque *Ciceronis* allatis locis rationem aliquam temporis deprehendas.

HĂDRŎBŎLON, i, n. 2. ἁδρόβωλον, ab ἁδρός *magnus* et βῶλος *glæba*; ita appellatur bdellium, seu gummi genus nigrum et in offas convolutum, in Arabia, India, Media, Babylonia, quod in sacris vinon perfundi solebat, ut esset odoratius. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 9. 19. (35). De synonym. *V.* BDELLIUM.

HĂDROSPHÆRUM, i, n. 2. ἁδρόσφαιρον, genus nardifolii, quod foliis amplioribus est: ab ἁδρός *magnus*. Idem *mesosphærum* dicitur, si minore folio est: a μέσος *medius, mediocris*: et *microsphærum* si parvo: a μικρός *parvus*. Porro illud *sphærum* est a σφαῖρα *globus, pilula*, quales fiebant ex foliis nardi. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (44). V. adnotat. *Harduin.* ad *h. l.* De synonym. *V.* NARDUS.

HÆDĪLE vel hædile. *V.* HÆDULEA.

HÆDILLUS vel hædillus, i, m. 2. *deminut. ab* hædus, parvulus hædus, *caprettino*. In blanditiis locum habet, ut in illo *Plaut. Asin.* 3. 3. 77. Hædillum me tuum dic esse vel vitellum.

HÆDĪNUS vel hædinus, a, um, adject. ex hædo, *di capretto*, ἐρίφειος. *Cic. Mur.* 36. 75. Stravit pelliculis hædinis lectulos Punicanos. *Varr.* 2. *R. R.* 11. 4. Hædinum coagulum.

HÆDŬLĔA vel hædulea, æ, f. 1. *deminut.* hædi, idem ac capella, ἐρίφιον. *Horat.* 1. *Od.* 17. 9. Nec virides metuunt colubras, Nec Martiales hæduleæ lupos. Ita *Bentlejus* aliique interpretes: olim legebatur *hædiliæ*, at minus recte, quum ita nec sensus, nec metri ratio constaret. At formam *Hædiliæ* commendant libri meliores. *Orellius* montem esse *Hædiliam* opinatur secutus glossam non veterem antiqui codicis Bernensis. *Ritterus* vici in montis vertice et in mediis silvis positi nomen esse contendit (*Bockenheim*), cui contrarium adest *Ustica cubans*, item vicus, sed in valle profunda. Qui offendunt in pagis duobus semel memoratis, meminerint *Mandelæ* (1. *Ep.* 18. 105.), rivi *Digentiæ* (*ibid. v.* 104.), montis *Lucretilis* etc.

HÆDŬLUS vel hædulus, i, m. 2. *deminut.* ab hædus, parvus hædus, ἐρίφιον. *Juvenal.* 11. 65. E Tiburtino veniet pinguissimus agro Hædulus.

HÆDUS vel hædus, i, m. 2. Per diphthongum *ae* scribi diserte docet *Varro* 5. *L. L.* 97. *Müll.* Hircus, inquit, quod Sabini fircus: et quod illic *fedus*, in Latio rure hedus, quod in Urbe, ut in multis, *a* addito, hædus. Hoc ipsum probant *Manut.* et *Cellar.* in *Ortograph.* Attamen *Dausquius* eos defendit, qui per *oe* scribunt. *Quintil.* 1. 5. 20. docet, antiquos *oedus* et *ircus* scripsisse. — Ceterum hædus (ab Hebr. גדי ejusdem significationis) est fetus capræ, ἔριφος (It. *capretto*; Fr. *jeune bouc, cabri, chevreau*; Hisp. *cabrito*; Germ. *d. Böckchen, d. junge Ziegenbock*; Angl. *a kid*).

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 16. 56. Villa abundat porco, hædo, agno, gallina. Adde *Varron.* 2. *R. R.* 3. 8; et *Pallad.* 12. *R. R.* 13. 8. *Virg.* 4. *G.* 10. hædique petulci. *Ovid.* 13. *Met.* 791. tenero lascivior hædo. *Id.* 15. *ibid.* 466. vagitus similes puerilibus hædum Edentem jugulare. *Martial.* 10. 87. Venator leporem, colonus hædum, Piscator ferat æquorum rapinas. — Proverbii speciem habet illud *Lucret.* 3. 7. quid enim contendat hirundo Cygnis? aut quidnam tremulis facere artubus hædi Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis?

II.) Translate. ¶ 1. Hædi sunt stellæ duæ in signo Aurigæ prope aliam, quæ *Capella* dicitur. *V.* AMALTHEA. *Cic. poet.* 2. *Nat. D.* 43. 110. Hæc (*Capra*) est magno atque illustri prædita signo: Contra Hædi exiguum jaciunt mortalibus ignem. *Virg.* 9. *Æn.* 668. Quantus ab occasu veniens pluvialibus Hædis Verberat imber humum. *Ovid.* 1. *Trist.* 11. 13. Hædi nimbosi. *Propert.* 2. 20. 56. Purus et Orion, purus et Hædus erit. Adde *Varron.* 2. *R. R.* 1. 8. et 2. *ibid.* 3. 7. *Virg.* 1. *G.* 205.; *Ovid.* 14. *Met.* 711. et *Colum.* 11. *R. R.* 2. 73. ¶ 2. *Hædi* etiam a nonnullis dicti sunt ignes, quos aer in cœlo transversos agit, quia hædorum more saltant lasciviuntque. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 2.

HÆMĂ, ătis, n. 3. αἷμα *sanguis*. Vox Græca, unde quibusdam herbis factum nomen, ut hæma Athenas, αἷμα Ἀθηνᾶς, *h. e.* sanguis Minervæ, chamæpitys: hæma Heracleos, αἷμα Ἡρακλέους, *h. e.* sanguis Herculis, centauria minor: hæma Hammonos, αἷμα Ἄμμωνος, *h. e.* sanguis Hammonis, nepeta montana, etc. *Apul. Herb.* 26. 35. 93. Sed hæc pura puta Græca sunt.

HÆMĂCHĀTES, æ, m. 1. αἱμαχάτης, achates gemma colore sanguineo: ab αἷμα *sanguis*. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (139).; et *Solin.* 5. 27.

HÆMĂTĬCON, i, n. 2. αἱματικόν. Ita appellat *Apul. Herb.* 77. graminis genus, quasi tu dicas *sanguineum*.

HÆMĂTĪNOS vel *Latina positione*

HÆMĂTĪNUS, a, um, adject. sanguineus. Hinc *hæmatinon vitrum*, totum rubens atque non translucens. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 26. 67. (197).

HÆMĂTĪTES, æ, m. 1. αἱματίτης. ¶ 1. Lapis ex genere magnetum, sanguinei coloris, sanguinemque reddens, si teratur: sed et crocum: ab αἷμα *sanguis*. Vox est adjectiva et *lapis* subintelligitur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 16. 25. (129). Ibi et hæmatites magnes sanguinei coloris. *V.* et paragr. 2. — Hinc in re medica. *Cels.* 5. 3. Lapis hæmatites purgat. Adde *Veget.* 1. *Veterin.* 20. 2. et 6. *ibid.* 12. 3. *Schneid.* ¶ 2. Alius item est, qui in metallis invenitur, ustusque minii colorem imitatur: habetque vim contra profluvia mulierum et rejectiones sanguinis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 20. 37. (144). Hæc *Forcellinus*. At hic hæmatites unus idemque est cum superiore. ¶ 3. Item gemma sanguineo colore, *amatita, matita*. *Id.* 37. *ibid.* 10. 60. (168).

HÆMĂTŌPŌDES, um, f. 3. αἱματόποδες, aves, quæ pedibus rubent: ab αἷμα *sanguis* et πούς *pes*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 47. 64. (130)., ubi alii, quos inter et *Sillig.*, leg. *himantopodes*, *h. e.* pedes habentes in modum lori contortos: ab ἱμάς, ἄντος *lorum*.

HÆMĒSIS, is, f. 3. αἵμησις, morbus, quo sanguinois guttis oculi obducuntur. *Theod. Priscian.* 1. 10. *a med.* Si in prima oculi tunica, sanguinea nimis veluti caro apparuerit, quam hæmesin appellamus, hoc adjutorio curetur.

HÆMOLIUM. *V.* CRIOBOLIUM.

HÆMOPHTHĪSĪCUS, a, um, adject. αἱμοφθισικός, cui sanguis ex morbo corrumpitur: ab αἷμα *sanguis* et φθίω *corrumpo. Æmil. Macer cap. de Beton.*

HÆMOPTŌĪCUS. *V.* voc. seq.

HÆMOPTȲICUS, a, um, adject. αἱμοπτυϊκός, sanguinem exspuens: ab αἷμα *sanguis* et πτύω *exspuo. Marcell. Empir.* 16. *a med.* Trochischus δι' ἠλέκτρου præstantissimus ad hæmoptyicos, id est sanguinem vel excreantes vel vomentes, vel eos, qui maxime cum tussi sanguinem jactant. *Vulgati libri habent* hæmoptoicus. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 12. *a med.* Diætetices scriptores libris regularibus, quos diæteticos vocant, de hæmoptoicis scripserunt, quos nos sanguinem spuentes nuncupamus. *Id.* 3. *Tard.* 2. Erit trochiscis utendum, quos hæmoptyicis et cœliacis potandos scripsimus. *Theod. Priscian.* 4. 1. Antidotum – ad hæmoptoicos, qui sanguinem vomunt. *Hæmoptyicus* est lectio præferenda et fortasse omnibus in locis restituenda pro *hæmoptoicus*, quæ forma Græcis ignota fuit.

HÆMOPTȲSIS, is, f. 3. αἱμόπτυσις, emissio sanguinis per os, ab αἷμα *sanguis* et πτύω *exspuo. Isid.* 4. *Orig.* 7. Hæmoptysis, emissio sanguinis per os.

HÆMORRHĀGĬA, æ, f. 1. αἱμοῤῥαγία, *flusso di sangue*, copiosus et immoderatus sanguinis fluxus, et specistim ille, qui per nares fit. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 67. (132). Folia ejus trita illita hæmorrhagiam sistunt. *Theod. Priscian. l.* 2. *p.* 2. *c.* 9. Quam de oculis hæmorrhagia emerserit, aqua frigida vel posca defricandi erunt.

HÆMORRHŎĪCUS, a, um, adject. αἱμοῤῥοϊκός qui hæmorroide laborat. *Firmic.* 3. *Mathes.* 3. 7. et 3. *ibid.* 15. 2.

HÆMORRHŎĪDA, æ, f. 1. idem quod hæmorrhois. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. Longissimi temporis hæmorroidarum fluore tentus. *Id.* 3. *ibid.* 8. *init.* Hydrops generatur hæmorrhoidarum veterum repentina atque incondita curatione.

HÆMORRHŎIS, idis, f. 3. αἱμοῤῥοΐς, ¶ 1. Apud Medicos est profluvium sanguinis ex venis, quæ sunt in ano, vel tumor illarum venarum absque sanguinis eruptione: ab αἷμα *sanguis* et ῥόος *fluxus. morroide, morice. Cels.* 6. 18. 9., ubi Græce: at Latine *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 71. (137). Adde *Ammian.* 30. 6. *V.* et voc. præced. ¶ 2. Apud historiæ naturalis cultores est genus aspidis, vel serpens aspidi similis, sic dictus quod mordens efficit αἵματος ῥοήν, sanguinis fluxum, seu sudorem. *Lucan.* 9. 806. Impressit dentes hæmorrhois aspera Tullo. Adde *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 23. (43). et 20. *ibid.* 20. 81. (210).

HÆMORRHOISSA. *V.* voc. seq.

HÆMORRHOŪSA, æ, f. 1. αἱμοῤῥοοῦσα ab αἱμοῤῥοέω, mulier quæ profluvio sanguinis laborat. *Ambros. in Luc.* 6. 9. Suscitaturus mortuam, ad faciendam fidem, hæmorrhousam ante curavit. *Venant. Vit. S. Leobin.* 20. Quod in muliere hæmorrhousa a Domino constat patratum. *Al. leg.* hæmorrhoissa.

HÆMOSTĀSIS, is, f. 3. αἱμόστασις, quæ sanguinem sistit, ita vero appellatur apud *Apul. Herb.* 59. herba eadem ac consolida; quia profluvio mulierum medetur.

HÆRĒDĪTAS, ātis. *V.* HEREDITAS.

HÆRENS, entis. *V.* voc. seq.

HÆRĔO, res, si, sum, rere, n. 2. Part. *Hærens* in omnibus ferme paragr.; *Hæsus* se invenisse ait *Diomed.* 1. p. 363. *Putsch.*; *Hæsurus* II. 1. et 2. — Hæreo (quod videtur esse ab αἱρέω *capio, prehendo*) est arcte alicui rei jungor, affixus, conjunctus sum, συμφύομαι, ἐνίσχομαι (It. *essere o stare attaccato, unito, essere aderente*; Fr. *tenir fortement à, adhérer, rester attaché à*; Hisp. *adherir, arrimarse, llegarse, pegarse à otro*; Germ. *hangen an oder in etwas, stecken, kleben, hasten, festsitzen daran, hangen, stecken bleiben*; Angl. *to be fastened or united, be fixed, adhere, stick*).

I.) Proprie occurrit — *a)* Cum Ablativo sine ulla prœpos. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 122. Ut videmus, terra penitus ne defixa sit, et quasi radicibus suis hæreat, an medio pendeat. *Id.* 6. *de republ.* 18. Terra, immobilis semper manens, ima sede semper hæret. *Virg.* 12. *Æn.* 415. tergo volucres hæsere sagittæ. *Id.* 10. *ibid.* 361. hæret pede pes, densusque viro vir. *Id.* 9. *ibid.* 537. flamma postibus hæsit. *Id.* 2. *ibid.* 442. hærent parietibus scalæ. *Horat.* 1. *Od.* 17. 27. Scindat hærentem coronam crinibus. *Id.* 2. *Sat.* 3. 205. herentes adverso litore naves. *Phædr.* 1. 8. Os devoratum fauce quum hæreret lupi. *Ovid.* 7. *Met.* 143. avidisque amplexibus hærent. Sic *Val. Flacc.* 1. 316. hærere longis amplexibus. *Id.* 7. 122. parentibus blandior. *Id.* 6. 416. hærent viscera curribus. *Plin.* 9. *Ep.* 21. Pedibus alicujus advolutum hærere. *Plaut. Stich.* 1. 3. 16. Fames jam complures annos utero hæret meo. *Sil. It.* 7. 615. Hæret humi cornus motu tremefacta jacentis. *V.* alia sub *c.* — *b)* Raro cum Dativo. *Virg.* 6. *Æn.* 349. Namque gubernaclum multa vi forte revulsum, Cui datus hærebam custos etc. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 48. neque ego illi detrahere ausim Hærentem capiti cum multa laude coronam. *Ovid.* 12. *Met.* 570. et quæ levis hæserat alæ, Corporis affixi pressa est gravitate sagitta. *Tac.* 2. *Ann.* 14. Hærentia corpori tegmina. Adde *Val. Flacc.* 2. 406.; et *Sil. It.* 17. 169. — *c)* Cum Ablativo et prœpos. *in. Ter. Adelph.* 2. 1. 17. Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuo in mala hæreat. *Cic. Tim.* 9. In ejusdem naturæ motum incurrentia, in eoque hærentia atque impedita. *Liv.* 2. 10. Tela hærent in scuto. *Virg.* 11. *Æn.* 864. hæsitque in corpore ferrum. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 31. et male issus in pede calceus hæret. *Virg.* 1. *Æn.* 499. stupet obtutuque hæret defixus in uno. *Ovid.* 7. *Met.* 66. gremioque in Iasonis hærens. *Val. Flacc.* 1. 762. conjux hæret in pectore. *Quintil.* 6. 1. 42. Hæret in complexu liberorum. Cf. *Lucret.* 4. 1109. Usque adeo cupide in Veneris compagibus hærent. — Sic *hærere in equo* vel *equo* significat Ital. *star saldo a cavallo. Cic. Dejot.* 10. 28. Dejotarum quum plures in equum sustulissent, quod hærere senex in eo posset, admirari solebamus. *Horat.* 3. *Od.* 24. 54. nescit equo rudis Hærere ingenuus puer. — *Hærere taurus cornua in laqueis* dicitur Græcorum more pro *hærere cornibus* apud *Propert.* 2. 25. 48. Sed non ante gravi taurus succumbit aratro, Cornua quam validis hæserit in laqueis. — *Hærere in aliquo loco* vel *loco* etiam dicuntur, quæ in medio motu cursuve retinentur et sistunt. *Curt.* 9. 9. 19. Classis in vado hærebat. *Id.* 8. 14. 4. Graves currus illuvie et voraginibus hærebant. *Sil. It.* 16. 25. ratis vadis immobilis hæsit. *Virg.* 12. *Æn.* 868. vox faucibus hæsit. *si fermò:* quod in stupore fit. Sic *Ter. Eun.* 5. 6. 7. Perii! lingua hæret metu. Eodem sensu *Tac.* 14. *Ann.* 30. Novitate aspectus perculere militem, ut quasi hærentibus (*scil.* metu) membris immobile corpus vulneribus præberent. — *Hærere in eodem vestigio* apud *Curt.* 4. 14. 2. significat immobilem in uno eodemque loco remanere, *stare immobile nel medesimo luogo.* — *d)* Cum prœpos. *sub, ad, intra, inter* se. *Virg.* 6. *Æn.* 284. foliisque sub omnibus hærent. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Linguam ad radices ejus hærens excipit stomachus. *Val. Flacc.* 3. 640. Idem orans prensatque viros, demissaque supplex Hæret ad ora ducis. *Quintil.* 8. *procem.* 15. Similis gladio condito atque intra vaginam suam hærenti. *Lucret.* 3. 326. communibus inter se radicibus hærent, Nec sine pernicie divelli posse videntur. Adde *eumd.* 5. 555. et 3. 194. — *e)* Absolute. *Plaut. Rud.* 4. 3. 45. Ubi demisi retem atque hamum, quicquid hæsit, extraho. *Cæcina* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. Male hærentes scalarum gradus. *mal connessi. Virg.* 11. *Æn.* 751. raptum quum fulva draconem Fert aquila, implicuitque pedes atque unguibus hæsit. *Quintil.* 11. 3. 144. Rejicere a sinistro togam, dejicere etiam, si hæreat, sinum conveniet. *Id.* 9. 2. 75. Hæret nonnunquam telum illud occultum, et hoc ipso, quod non apparet, eximi non potest. — *f)* Huc pertinent et illa proverbiorum more dicta — *Hæreri in luto* apud *Plaut. Pers.* 4. 3. 66. Neque mihi haud imperito eveniet, tali ut in luto hæream. *h. e.* tali ut in periculo verser, unde me non expediam, *ch'io sia tanto imbarazzato o impigliato, da non saperne uscire.* Similiter dixit *Plaut. Pseud.* 4. 2. 28. Nunc homo in medio luto est. *V.* etiam HÆSITO I. — *Hærere in salebra* apud *Cic.* 5. *Fin.* 28. 84. Proclivi currit oratio: venit ad extremum: hæret in salebra. *h. e.* in re nullius momenti implicari atque expedire se non posse. — *Aqua hæret. V.* AQUA.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est infixum esse, inesse, insidere. *Cic.* 3. *de republ.* 16. Improbis semper aliqui scrupus in animis hæret. *Id.* 2. *Phil.* 26. 64. Consumptis lacrimis tamen infixus animo hæret dolor. Sic *Sall. Jug.* 29.; et *Curt.* 6. 2. 8. Hærere in animo. *Tac.* 4. *Hist.* 47.; et *Plin.* 1. *Ep.* 5. animo. *Virg.* 4. *Æn.* 4. hærent infixi pectore vultus Verbaque. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 2. In memoria Themistocli hærebant, quæcumque et audierat et viderat. *Id.* 6. *Att.* 1. 8. Noli me putare illa tua abjecisse, quæ mihi in visceribus hærent. Sic *Id.* 1. *Phil.* 15. 36. O beatos illos, qui in medullis populi Romani ac visceribus hærebant. *Id.* 15. *Fam.* 16. Neque solum de te, qui mihi hæres in medullis etc. *Id.* 13. *Phil.* 3. 5. Hi in oculis hærebunt. *Id.* 4. *Cat.* 10. 22. Memoria tantorum periculorum non modo in hoc populo, sed etiam in omnium gentium sermonibus semper hærebit. *resterà, durerà. Ovid.* 3 *Trist.* 4. 36. Hæsuraque mihi tempus in omne fide. *h. e.* cujus semper meminero. — *Ter. Hecyr.* 2. 1. 32. In te omnis hæret culpa. *h. e.* inest, insidet. *Cic.* 1. *Divinat.* 16. 30. Ut peccatum hæreat non in eo, qui monuerit, sed in eo, qui obtemperarit. *Id. Harusp. resp.* 26. 57. Vitia in aliquo penitus defixa atque hærentia. *Id. Rosc. com.* 6. 17. Potest hoc homini huic hærere peccatum? *Id.* 1. *Cat.* 6. 13. Quod privatarum rerum dedecus non hæret (*tuæ*) infamiæ? *Id. Sext.* 29. 62. Hæreret ille nihilo minus reipublicæ turpitudo. V. *Halm.* ad *h. l.*; et adde *Senec.* 1. *Benef.* 12., 2. *ibid.* 24. et 3. *ibid.* 1. Rursus *Cic. Cæl.* 7. 15. In quo (*Cælio*) non modo crimen non hærebat, sed vix diserti adolescentis cohærebat oratio. *non sussisteva l'accusa. Id.* 6. *Fam.* 5. Neque (*possit*) hærere in tam bona causa et in tam bonis civibus tam acerba injuria. — *Cic.* 2. *Orat.* 24. 219. In hoc altero dicacitatis genere, quid habet ars loci, quum ante illud facetum dictum emissum hærere debeat, quam cogitari potuisse videatur? *h. e.* in auditorum animo infigi; ducta translatione a telo. *Id. Mil.* 21. 56. In quos incensus ira vitamque domini desperantes quum incidisset, hæsit in iis pœnis, quas etc. *h. e.* captus est, deprehensus est; ducta translatione ab avibus, quæ visco aut laqueo captæ detinentur. Cf. *Tac.* 4. *Ann.* 19. Nec dubie repetundarum criminibus hærebant. *h. e.* implicabantur atque expedire se non poterant. — *Horat. Art. P.* 194. neu quid medios intercinat actus, Quod non proposito conducat et hæreat apte. ¶ 2. Specialim apud Poetas et argentei ævi scriptores *hærere alicui* est individuum comitem et familiarem esse; ad rem *Ter. Eun.* 5. 9. 25. Perfice, ut hæream in parte aliqua tandem apud Thaidem. *h. e.* aliquo amicitiæ gradu illi acceptus sim. et *Plaut. Epid.* 2. 2. 7. Ego illum audivi in amorem hærere apud nescio quam fidicinam. *h. e.* amore fidicinæ implicatum esse. Hinc — *a)* Generatim *hærere alicui* est, ut diximus, individuum comitem et familiarem esse. *Catull.* 21. 6. Hæres ad latus, omnia experiris. Cf. *Justin.* 29. 4. 8. Illyriorum reges, lateri ejus hærentes, assiduis precibus promissa exigebant. Adde *Plin. Paneg.* 24.; et *Ammian.* 24. 5. *Virg.* 10. *Æn.* 779. Antorem comitem, qui missus ab Argis, Hæserat Evandro. *Plin.* 7. *Ep.* 27. Obtinenti Africam comes hæserat. Cf. *Val. Flacc.* 8. 54. Hæc ait, atque furens rapido per devia passu Tollitur: ille hæret comes et miseratur euntem. *Sueton. Gramm.* 14. Curtius Nicia hæsit Cn. Pompejo et C. Memmio. *Quintil.* 1. 2. 10. Optimus quisque præceptor frequentia gaudet –: aut fore minores ex conscientia suæ infirmitatis hærere singulis et officio fungi quodammodo pædagogorum non indignantur. Poetice *Lucan.* 9. 573. Hæremus cuncti superis, temploque tacente Nil facimus non sponte deo. Similiter *Val. Flacc.* 5. 345. hinc gressibus hærens Pallados, hinc caræ Proserpina juncta Dianæ. *Id.* 3. 3. simul orbe profusi Æniadæ caris sociûm digressibus hærent. — *b)* Specialim in re militari *hærere in terga, in tergis* vel *tergis* est insequentem instare et urgere. *Liv.* 1. 14. *extr.* Hærens in terga Romanus, priusquam fores portarum objicerentur, irrumpit. *Curt.* 4. 15. 32. Hærebit tergis fugientium victor. Adde *eumd.* 3. 8. 16. et 7. 7. 15. (*Liv.* dixit 27. 42. Inhærere in tergis.). *Tac.* 4. *Hist.* 19. Se cum exercitu tergis eorum hæsurum. — Huc referri possunt et illa *Sil. It.* 15. 583. jam rursus, ubi arma Avertisse suo cognovit devia vallo, Hæsurum portis Pœnum. et *Ammian.* 31. 7. Hærente jam

morte cervicibus. ¶ 3. Item speciatim ponitur pro desidere, diutius immorari. — *a*) Stricto sensu. *Ter. Adelph.* 3. 3. 49. Metui, ne hæreret hic. *h. e.* Athenis. *Plin.* 1. *Ep.* 22. Diu jam in urbe hæreo, et quidem attonitus. *h. e.* in urbe moror. Cf. *Val. Flacc.* 3. 660. quid deside terra Hæremus? vacuos cur lassant æquora visus. *Curt.* 3. 5. 9. An erubescerent hærere in obsidione castelli exigui. *Id.* 4. 4. 1. Circa muros unius urbis hærere. *Sueton. Aug.* 71. Circa libidines hæsit. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 173. Volitare in foro, hærere in jure ac prætorum tribunalibus. *Lucan.* 4. 331. et siccis vultus in nubibus hærent. Cf. *eumd.* 9. 1036. vultus, dum crederet, hæsit. — *Cic. Orat.* 40. 137. Ut verset sæpe multis modis eamdem et unam rem, et hæreat in eadem commoreturque sententia. *Id.* 2. *Orat.* 72. 292. Mea ratio in dicendo hæc esse solet, ut boni quod habeat, id amplectatur, ibi habitem, ibi hæream. *Id. Orat.* 15. 49. Quonam modo ille in bonis hærebit et habitabit suis? *Id.* 13. *Att.* 40. Equidem in libris hæreo. *Sueton. Ner.* 56. Hærere in superstitione. *Quintil.* 1. 2. 10. Hærere singulis. *fermarsi su ogni minuzia. Id.* 5. 10. 111. Nec circa probationem res hæret. *Sueton. Galb.* 4. Mos in domo hærens. — *b*) Latiori sensu pro habitare. *Sil. It.* 12. 530. fert concitus inde Per juga celsa gradum, duris qua rupibus hæret Bellator Frusino. *Id.* 8. 566. Qui Batulum Nucrasque metunt, Boviania quique Exagitant lustra, aut Caudinis faucibus hærent. — *c*) Item pro simplici esse, aut inveniri. *Liv.* 5. 2. *a med.* Ne in turba quidem hærere plebejum quemquam, qui etc. *trovarsi, essere. Sil. It.* 6. 424. sed vana recordor Ni, Mare, (nam primo tunc hærebamus in ævo) Humana major species erat. *Ammian.* 14. 6. Ut incognitus hærebis et repentinus –, qui sis vel unde venias, illo diutius ambigente. ¶ 4. Item pro dubitare, pendere, nescire progredi, *esitare, pendere incerto, essere nell' imbarazzo, essere incagliato, imbrogliato.* — *a*) De hominibus. *Plaut. Capt.* 3. 3. 17. Quid machiner? quid comminiscar? hæreo. *h. e.* incertus pendeo, progredi nescio, *mi trovo imbrogliato.* Adde *eumd. Merc.* 3. 4. 15. et 4. 3. 38. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 26. Aut quia non firmus rectum defendis et hæres. *Cic.* 3. *Fin.* 4. 16. In ceteris subvenies, si me hærentem videbis. *se non so andar innanzi. Id.* 4. *Verr.* 76. 187. Hærere homo, versari, rubere. *Id.* 2. *Phil.* 29. 74. Hærebat nebulo: quo se verteret, non habebat. *Id. Cluent.* 31. 86. Hærebat in tabulis publicis reus et accusator: nec sibi alio accusatore poterat Albius etc. *Id.* 7. *Verr.* 9. 23. Cogitate in his iniquitatibus unum hæsisse Apollonium: ceteros profecto multos ex his incommodis pecunia se liberasse. *Id.* 3. *Nat. D.* 24. 62. In multis nominibus hærebitis. *non saprete che dire. Id.* 3. *Tusc.* 28. 70. Hærere in media stultitia. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 5. 14. Isti physici raro admodum, quum hærent aliquo loco, exclamant, abstrusa esse omnia. *Id. Pis.* 30. 74. At in altero illo, inquit, hæres. Immo habeo tibi gratiam. Hærerem enim, nisi tu me expedisses. *Id.* 13. *Att.* 39. Valde in scribendo hæreo. *Sueton. Domit.* 12. Hærere in explicandis oneribus. *Ovid.* 2. *Pont.* 3. 87. Inter confessum dubie dubieque negantem Hærebam. Cf. *Val. Flacc.* 8. 464. Mœstus at illa minis et nota Colchidos ira Hæret: et hinc præsens pudor, hinc decreta suorum Dura premunt. *Tac.* 6. *Ann.* 21. Ille hærere primo, dein pavescere, postremo exclamat, etc. *Virg.* 5. *Æn.* 529. Attonitis hæsere animis, superosque precati etc. *Quintil.* 1. 1. 21. Loqui primum incerta voce (*puer*) tentavit, et hæsit circa formas litterarum. Cf. *Val. Flacc.* 7. 431. prima cupiens effundere voce Omnia, sed nec prima pudor dat verba timenti. Hæret, et attollens vix tandem lumina fatur. Rursus *Quintil.* 1. 7. 35. Non obstant hæ disciplinæ per illas euntibus, sed circa illas hærentibus. — *b*) De rebus. *Plaut. Pseud.* 4. 2. 28. Perii, nunc homo in medio luto est, nomen nescit; hæret hæc res. *è imbrogliata.* Sic *Id. Amph.* 2. 2. 182. et *Trin.* 4. 2. 59. Hæret hæc res. *Id. Pseud.* 1. 5. 8. Occisa est hæc res, hæret hoc negotium. *è incagliato. Quintil.* 12. 1. 29. Nec unquam tanta fuerit loquendi facultas, ut non titubet atque hæreat, quoties ab animo verba dissentiunt. *Virg.* 11. *Æn.* 289. Hectoris Æneæque manu victoria Grajum Hæsit. *pendè, si ritardò. Lucan.* 7. 547. Constitit hic bellum fortunaque Cæsaris hæsit.

HÆRES, ēdis. *V.* HERES.

HÆRESCO, is, ere, n. *inchoat.* 3. hæreo, adhæreo, affixus maneo, *stare attaccato*, συμφύομαι. *Lucret.* 2. 476. Linquit enim supera tetri primordia viri Aspera: quo magis in terris hærescere possint. *Id.* 4. 744. *de Centauro.* Verum ubi equi atque hominis casu convenit imago, Hærescit facile extemplo. *Paulin. Nol. carm.* 10. 267. fixumque hærescere cordi.

HÆRĔSĬARCHA *vel*

HÆRĔSĬARCHES, æ, m. 1. αἱρεσιάρχης, *eresiarca*, hæresis auctor, hæreticorum princeps. *Augustin. ad Ceret. Ep.* 253.; et *Sidon.* 7. *Ep.* 6. *a med.* — Item in bonam partem, qui sectam aliquam seu scholam sequitur. *Hieronym.* in *Isaj.* 5. 23. 2. Urbs Citium, de qua et Zeno Stoicæ sectæ hæresiarches fuit. *h. e. seguace, discepolo.*

HÆRĔSIS, is *vel* ĕos, f. 3. αἵρεσις. Prima syllaba, extrita priore diphthongi vocali, male corripitur a *Prudent. Psychom.* 725. ruptis Heresis perit horrida membris. Sic *Id. Hamartig.* 64. ¶ 1. Est electio, dogma, quod quis sequendum elegit, secta, *opinione, dogma, setta. Cic.* 15. *Fam.* 16. Postulabimusque, ex qua hæresi, vi, hominibus armatis, dejectus sis, in eam restituare. *Id. proœm. Parad.* § 2. Cato in ea est hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis. *Vitruv.* 5. *præf. Schneid.* Pythagoræ hæresim sequi. Adde *Varron.* apud *Non.* p. 153. 4. *Merc.* et p. 478. 19. — Jlocaliter *Cic.* 14. *Att.* 14. Joca tua plena facetiarum, de hæresi Vestoriana – risisse me satis. ¶ 2. Hinc apud Ecclesiasticos scriptores est dogma Christianæ religionis principiis adversum, *eresia. Tertull. adversus hær.* 1.; *Hieronym.* et *Augustin.* passim. ¶ 3. In *Cod. Theod.* 13. 6. 9. et 10. hæresis navalis est conditio, functio et professio naviculariorum.

HÆRĔTĬCĒ, adverb. αἱρετικῶς, *ereticamente*, more hæreticorum. *Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 36. Aetium diaconatus ordine deposuerunt, tamquam hæretice sapientem.

HÆRĔTĬCUS, a, um, adject. αἱρετικός, pertinens ad dogma Catholicæ veritati contrarium. *Arat* in *Act. Apost. l.* 2. *c.* 19. *v.* 611. hæretica nigredine plenus Averni. *Tertull. advers. hæret.* 41. Hæretica comessatio. — Hinc

Hæreticus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui hæresim Catholicæ veritati contrariam sectatur, *eretico. Tertull. de Bapt.* 115.; *Sidon.* 6. *Ep.* 12.; *Hieronym.* et *Augustin.* passim.

HÆSĬTĀBUNDUS, a, um, adject. hæsitationis plenus, cunctabundus. *Plin.* 1. *Ep.* 5. 13. Hæsitabundus inquit: Interrogavi, non ut tibi nocerem, sed etc.

HÆSĬTANS, antis. *V.* HÆSITO.

HÆSĬTANTĬA, æ, f. 1. hæsitatio. *Hæsitantia linguæ* est difficultas loquendi, *balbettamento. Cic.* 3. *Phil.* 6. 16. Bambalio quidam, qui propter hæsitantiam linguæ stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxit.

HÆSĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. actus hæsitandi, ἀπορία, *esitanza, perplessità.* ¶ 1. De hæsitantia in loquendo. *Cic.* 2. *Orat.* 50. 202. Qui timor! quæ dubitatio! quanta hæsitatio tractusque verborum! *Quintil.* 11. 2. 48. Quum oblivio unius horum cujuslibet aut deformem hæsitationem, aut etiam silentium inducat. ¶ 2. Item cunctatio, dubitatio, qua quis progredi aut nequit, aut nescit. *Cic.* 3. *Fam.* 12. 2. Si facile inveneris, quod dicas, noli ignoscere hæsitationi meæ. *Quintil.* 12. 1. 40. Tametsi non mediocris hæsitatio est, hinc justitiæ proposita imagine, inde pietatis. *Tac.* 1. *Hist.* 39. Hæsitationem attulit tempus et locus. *Plin.* 10. *Ep.* 54. Aliquem hæsitatione liberare. *Trajanus* apud *Plin. ibid.* 78. Hæsitationem alicui facere. *h. e.* afferre. Adde *Plin.* 6. *ibid.* 27. 1. *Inscript.* apud *Murat.* 587. 2. CVM PRONA VOLVNTATE, HONESTISSIMO ANIMO VLTRO CALVIVS POLLIO IIII. VIR. I. D. IN PROXIMVM ANNVM PROFESSVS SIT; QVO FACTO HAESITATIONI PVBLICAE IN PARTEM NOBAM ADEMERIT etc. *h. e.* profitendo se in annum proximum quatuorviratus magistratum fore suscepturum, publicæ hæsitationi prospexerit, eo quod ceteri etiam cives provocari posse videantur ad idem onus pro republica suscipiendum.

HÆSĬTĀTOR, ōris, m. 3. cunctator vel dubitator, *chi dubita o titubo, tardo*, μελλητής. *Plin.* 5. *Ep.* 11. Sum ipse in edendo (*libros*) hæsitator, tu mora tamen meam quoque cunctationem tarditatemque vicisti. Adde *Sidon.* 9. *Ep.* 13.

HÆSĬTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. Part. *Hæsitans* in omnibus paragr. — Hæsitare frequentativum est ab *hæreo*, et ejusdem fere significationis, h. e. arcte alicui rei jungi, affixum, conjunctum esse, ἐνίσχομαι (It. *stare unito, attaccato, confitto*; Fr. *rester attaché a, être fixe, se trouver arrêté*; Hisp. *estar atado, unido, fixo*; Germ. *feststecken, stecken bleiben*; Angl. *to be fastened or united, be fixed, adhere*).

I.) Proprie. *Lucret.* 6. 331. *de fulmine.* Non igitur multis offensibus in remorando Hæsitat: hanc ob rem celeri volat impete labens. Adde *eumd.* 5. 696. *Cæs.* 7. *B. G.* 19. Ut, si eam paludem Romani perrumpere conarentur, hæsitantes premerent ex loco superiore, *h. e.* in palude hærentes. Sic *Liv.* 2. 5. Ita in vadis hæsitantis frumenti acervos sedisse illitos limo: insulam inde paullatim factam. *Curt.* 5. 4. 29. Ad occupandas angustias, in quibus pridie hæsitarat, miles educitur. *Al. leg.* hæserat. V. *Mützell.* ad *h. l.* Huc referri potest et illud *Senec. Phæniss.* 29. non hæsitabit gressus. — *Hæsitare in eodem luto*, proverb. *essere nel medesimo pericolo*, in eodem periculo versari, unde te non expedias: ductum a viatoribus, qui quum in lutum inciderint, dum alterum pedem extrahere nituntur, altero infiguntur altius. Aptissime vero convenit in eos, qui versura solvunt; hi enim creditorem quidem mutant, sed ære alieno se non liberant. *Ter. Phorm.* 5. 2. 15. Quid fiet? in eodem luto hæsitas: versura solves, Geta.

II.) Translate. — *a*) Occurrit de oratione, et est perplexum esse, *essere impacciato. Cic.* 1. *Orat.* 25. 115. Sunt quidam aut ita lingua hæsitantes, aut ita voce absoni, ut etc. Cf. *eumd. Dom.* 52. 134. Dixit verbis hæsitantibus. *con parole stentate.* — Huc referri potest et illud *Curt.* 5. 3. 22. Invictus ad eam diem fuerat, nihil frustra ausus –: tunc hæsitabat deprehensa felicitas (*h. e.* felix ille imperator); nec aliud remedium erat, quam reverti qua venerat. — *b*) Sæpius de animo, et hæsitare dicuntur, qui dubitant et cunctantur, et progredi nequeunt, aut nesciunt. — Absolute. *Cic.* 2. *Cat.* 6. 13. Quum hæsitaret, quum teneretur, quæsivi etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 52. Dubitant, hæsitant, revocant se interdum. Cf. *Plin.* 1. *Ep.* 22. Quid est, quod non statim sciat? et tamen plerumque hæsitat, dubitat diversitate rationum. Rursus *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 4. Itaque non hæsitans respondebo. Adde *eumd.* 2. *Fin.* 6. 18. *Id.* 1. *Orat.* 51. 220. Hæsitavit ob eam causam, quod nesciret etc. *Quintil.* 10. 7. 22. Ut tamen deliberare, non hæsitare videamur. *Curt.* 4. 15. 31. Dum inter spem et desperationem hæsitat, sensim Persæ cedebant. *Ammian.* 17. 13. Ambiguis mentibus hæsitare. — Cum Ablativo et præpos. in. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 5. 15. Illi tum in novis rebus, quasi modo nascentes, hæsitaverunt. *Id.* 1. *Orat.* 10. 40. Carbo ignarus legum, hæsitans in majorum institutis, rudis in jure civili. *mal pratico. Id. fragm. pro Corn.* 2. p. 453. *Orell.* Num in eo, qui sint hi testes, hæsitatis? — Sequente relativo, vel part. *an*, *utrum. Plin.* 10. *Ep.* 40. Diu multumque hæsitavi, quid facere deberem. *Curt.* 4. 13. 16. Interdum hæsitare, an potius in dextrum cornu torqueret agmen. *Plin.* 10. *Ep.* 20. Consilio me juves hæsitantem, utrum per publicos civitatum servos, quod usque adhuc factum, an per milites adservare custodias debeam. — Passive impersonaliter. *Sueton. Claud.* 11. De mutando reipublicæ statu hæsitatum erat. Sic *Cassiod. Instit. div. litt.* 6. Unde si hæsitatum fuerit, mos quæratur. Similiter *Apul. de Mag.* p. 471. *Oudend.* Multum ac diu hæsitato, tandem nominavit etc. *h. e.* postquam diu hæsitavisset.

HĂGĬŎGRĂPHA, ōrum, n. plur. 2. ἁγιόγραφα, sancta scripta, sacri libri: ab ἅγιος sanctus et γράφω scribo. Quidam ita distinguunt S. Scripturæ veteris Testamenti libros, ut alii sint *legis*, scil. Pentateuchus: alii *propheticæ*, ut Prophetarum: alii denique, quia neutrum continent et peculiare nomen non habent, communi *hagiographa* appellantur. Ita *Hieronym. præf.* in *libros Regum*, ubi fuse hac de re. Similiter *Id. Ep. ad Chromat.* et *Heliod.* 1. 12. Librum Tobiæ – his, quæ hagiographa memorant, manciparunt. *Cassiod. Instit. div. litt.* 6. Sequitur hagiographorum codex sextus.

HĂGĬŎGRĂPHUS, i, m. 2. sacrorum librorum scriptor. *Hieronym. Ep. ad Chromat.* et *Heliod.* 1. 12.

HĂGISTĬA, æ, f. 1. ἁγιστεία, sacrorum peractio,

mysterium. *Ammian.* 23. 6. § 32. Magiam opinionum insignium auctor amplissimus Plato hagistiam esse verbo mystico docet divinorum incorruptissimum cultum. *Editiones habent machagistiam, quod corruptum videtur ex mag. et hagistiam.*

HĂLĀPANTA. *V.* HALOPHANTA.

HĀLĀTUS, us, m. 4. idem atque halitus, seu potius suavis odor. *Capell.* 1. p. 4. Nam et unguentis oblitam, floribusque redimitam halatu pasci foverique docuerat. *Id.* 2. p. 46. Arabicis lætabatur halatibus. Adde *eumd.* 1. p. 21.

HALCĒDO. *V.* ALCEDO.

HALCĒDŌNĬA. *V.* ALCEDONIA.

HALEC. *V.* ALEC.

HALEX. *V.* ALEC.

HĂLĬÆĔTOS *vel sæpius*

HĂLĬÆĔTUS, i, m. 2. ἁλιαιετός, *aquila marina*, aquilæ genus, quæ in mari venari solet: ab ἅλς *mare* et αἰετός *aquila*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (9). Superest haliæetus, clarissima oculorum acie, librans ex alto sese, visoque in mari pisce, præceps in eum ruens et discussis pectore aquis rapiens. *et paullo post.* Haliæetus implumes etiamnum pullos suos percutiens, subinde cogit adversos intueri solis radios, et, si conniventem humectantemque animadvertit, præcipitat e nido, velut adulterinum atque degenerem: illum cujus acies firma contra stetit, educat. *Ovid.* 8. *Met.* 146. Et modo factus erat fulvis Haliæetos alis. De Niso Scyllæ patre loquitur in hanc avem verso, et eum Ciri perpetuas inimicitias gerente: de quo *Virg. Cir.* 536. Sic inter sese tristes Haliæetus iras Et Ciris memori servant ad secula fato.

HĂLĬCA. *V.* ALICA.

HĂLĬCĂCĂBUM, i, n. 2. ἁλικάκαβον, herba, genus trychni, seu solani, acinis coccineis, granoso folliculo, Latinis vesicaria, vim habens soporiferam, atque etiam opio efficaciorem. *Cels.* 5. 20. 3. Halicacabi cortex. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (182). Aspidum naturæ halicacabum in tantum adversam, ut etc. Femin. gen. *Plin.* facit ad *herbam* respiciens. — Tertium halicacabi genus commendatur in cibis, ait *Plin. ibid.*; hoc autem nomine intelligit *melon insanum*, seu pomum manicum, quod nostrates vulgo *melanzana*, Galli *melongène*, Ital. *petronciana* vocant. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 89.) hanc exhibet synonymiam: I. Στρύχνον χαρποῖς ἐρυθροτέροις Theophr. 9. 12.; Ἁλικάκαβον, οἱ δὲ φυσαλίδα Dioscor. 4. 72.; Κυρσοουλία Græcor. recentior.; *Halicacabon, seu callion, seu vesicario* Plin. loc. cit. et fortasse etiam *Cucubalus* ejusd. 27. Hist. nat. 8. 44. (68). sunt *Physalis Alkekengi* L. Spec. plant. 261. — II. Στρύχνος ὑπνωτικός Theophr. Hist. plant. 9. 11.; Στρύχνος ὑπνωτικός, οἱ δὲ ἁλικάκαβον Dioscor. 4. 13.; et *Halicacabon, seu morion, seu moly* Plin. loc. cit. sunt *Physalis somnifera* L. Spec. plant. 261.— III. Στρύχνος ἐδώδιμος Theophr. Hist. plant. 7. 7. et 15. et *Strychnon halicacabon edule* Plin. loc. cit. sunt *Solanum Melongena* L. Spec. plant. 266.

HĂLĬCĀRĬUS. *V.* ALICARIUS.

HALICASTRUM. *V.* ALICASTRUM.

HĂLĬEUS, i, m. 2. trisyllab. ἁλιεύς *piscator*. Titulus est libri decimi *Apicii*, in quo de piscibus condiendis agitur.

HĂLĬEUTĬCUS, a, um, adject. ἁλιευτικός, ad pisces et piscaturam pertinens. *Gallien.* in *epist.* apud *Trebell. Claud.* 17. Boletar halieuticum argenteum, librarum viginti. — Hinc

Halieutica, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt scripta, quæ de piscibus agunt. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 5. (11). Mihi videntur mira et quæ Ovidius prodidit piscium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur. ἁλιευτικῶν, gen. plur. Græcus. Cf. *Vopisc. Numer.* 1.

HĂLĬMON, i, n. 2. ἅλιμον, fruticis marini genus: ab ἅλιμος *maritimus*. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (239). Cytisus necatur eo, quod halimon vocant Græci. (Hoc ex *Theophr. Hist. plant.* l. 4. c. 20.). *Id.* 22. *ibid.* 22. 33. (74). Alii alimon (*lege* halimon) olus maritimum esse dixere, salsum, et inde nomen. *V.* ALIMON. Cl. *Fée* (*Op. cit.* vol. 3. p. 125.) hanc exhibet synonymiam: Ἅλιμος Theophr. Hist. plant. 2. 20., Dioscor. 1. 121. et Galen. de Fac. simpl. med. 6. 22.; *Halimon* Plin. locc. citt.; et Ἁλιμάτια Græcor. recentior., Bei. Singul. p. 44. sunt *Atriplex Halimus* L. Spec. plant. 1492.

HĂLĬPHLŒOS, i, f. 2. ἁλίφλοιος, arbor crassissimo cortice et caudice, et plerumque cavo fungosoque, et quæ putrescit, etiam quum vivit, pessima ob id carboni, materiæque. Sæpissime fulmine icitur, quamvis altitudine non excellat: ideo ligno ejus nec ad sacrificia uti fas habetur. Ei raro glans: et quum tulit, amara, quam præter sues nullum attingat animal. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (24). Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. p. 285. et 293.) *Quercus haliphœos* est *Quercus pseudo-suber* Desfontain. et *Quercus hispanica* Lamrk.

HĂLĬPLEUMON, ŏnis, m. 3. ἁλιπλεύμων, marinus pulmo, genus piscis. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (149). *V.* PULMO.

HĀLĬTO, as, are, a. 1. *intensiv. ab* halo, *spirare*. Hinc Part. *Halitans*. *Ennius* apud *Diomed.* 1. p. 336. *Putsch.* Sublimiter quadrupedantes, flammam halitantes. Cl. *Vahlen.* ita leg.; alii *sublime iter*.

HĀLĬTUS, us, m. 4. (halo) spiritus, flatus, vapor, afflatus a terra aliave re exiens, ἄχνη (It. *alito, fiato, vapore, esalazione*; Fr. *souffle, haleine, exhalaison, vapeur*; Hisp. *sopio, hálito, aliento, exhalacion, vapor*; Germ. *d. Hauchen, Dunsten, Ausdunsten, d. Hauch, Dampf*; Angl. *breath, a gasp, vapour, damp, exhalation*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus et ceteris animalibus. *Cic.* vertens *Sophoclis* versus, 2. *Tusc.* 9. 22. Nemeæus leo Frendens efflavit graviter extremum halitum. *Cf. Pers.* 3. 88. ægris faucibus exsuperat gravis halitus. Rursus *Cic. fragm. pro Scaur.* 13. apud *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 2. p. 302. Halitu Ætnam ardere dicunt. *Lucret.* 6. 478. Quæ (*nebulæ æstusque*) velut halitus, hinc ita sursum expressa feruntur. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 118. crebrerque recurrit Halitus. *h. e.* anhelitus. *Ovid.* 3. *Met.* 75. *de serpente.* Terraque rasa sonat squamis; quique halitus exit Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 3. 7. (16). Commendandi halitus gratia. *per far buon fiato.* *Id.* 21. *ibid.* 20. 83. (142). Iris halitus oris commendocata abolet. *Id.* 28. *ibid.* 4. 14. (56). Mero ante somnos colluere ora, propter halitus. *Id. ibid.* 12. 53. (194). A pulmone halitus graveolentia. *puzza del fiato.* *Id.* 14. *ibid.* 22. 28. (142). *de ebriis.* Postera die ex ore halitus cadi, ac fere rerum omnium oblivio. *puzza da vino, tuffo.* — *b*) De vapore vel afflatu e terra aliave re exiens. *Virg.* 6. *Æn.* 239. Quam (*speluncam*) super haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pennis: talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat. *Cf. Val. Flacc.* 4. 494. patriique exspirat Averni Halitus. *Quintil.* 7. 2. 3. Noxius terræ halitus. Sic *Plin.* 11. *Hist. nat.* 12. 12. (31). Ros obvio terræ halitu infectus. *Id.* 17. *ibid.* 4. 2. (24). Halitus maris. *Colum.* 2. *R. R.* 5. 2. solis. Sic *Id.* 9. *ibid.* 13. 4. caloris. et *Pallad.* 7. *R. R.* 4. 4. Solitum septemtrionis halitum eligere. *Colum.* 12. *R. R.* 43. 8. Præcipimus, ne in eodem loco mala et uvæ componantur, neve in vicino, unde odor malorum possit ad eas pervenire: nam hujusmodi halitu celeriter acina corrumpuntur. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 18. 50. (167). Plumbi fornacium halitus noxius et pestilens. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 219. cui multa carbonum strues Vivum vaporat halitum.

II.) Translate. ¶ 1. Pro vento. *Rutil.* 1. *Itiner.* 105. Frigidus æstivas hic temperat halitus auras. *venticello fresco.* ¶ 2. Apud *Prudent.* est anima, spiritus 10. *Cathem.* 11. Petit halitus æthera fervens: Humus excipit arida corpus.

HALLEX. *V.* ALLEX.

HALLŪCĬNĀTĬO, HALLŪCĬNĀTOR, HALLŪCĬNOR. *V.* ALUCINATIO, ALUCINATOR, ALUCINOR.

HALLUS. *V.* ALLUS.

HALMYRIDION *vel Latina positione*

HALMȲRĬDĬUM, ii, n. 2. a deminut. ἁλμυρίδιον, aliquantisper salsum, subsalsum. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 41. (142). *de quadam brassica.* Est autem sua gratia numquam plantæ habitum excellentibus: halmyridia vocant, quoniam nisi in maritimis non proveniunt. — Sunt qui putant esse brassicæ genus, quod Itali nunc *soldanella* vocant. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. p. 330.) hanc exhibet synonymiam: Κράμβη ἀγρία Dioscor. 2. 157. et Eudem. apud Athen. 9. 2.; et *Halmyridium sive olus halmyridium* Plin. loc. cit. sunt *Crambe maritima* L. Spec. plant. 937.

HALMYRRHAX, ăgis, m. 3. ἁλμυρράξ, αγος, ita vocatur nitri genus: ab ἁλμυρός *salsus* et ῥάξ, αγός *eruptio*, a ῥήσσω seu ῥήγνυμι *rumpo*. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 46. (106). Exiguum nitrum fit apud Medos, canescentibus siccitate convallibus, quod vocant halmyrrhaga. *h. e.* quia salsum saporem habens erumpit a terra uliginosa: porro *halmyrrhaga* est Accusat. Græcæ terminationis.

HĀLO, as, āvi, ātum, āre, a. 1. Part. *Halans* sub *A.* et *B.* — Halare ab ἄω *spiro*, occurrit *A*) Neutrorum more, et *B*) Active.

A) Neutrorum more halare est spirare, spiritum vel odorem emittere, exhalare, *spirare, mandar fuori, esalare*, ἐκπνέω. *Virg.* 1. *Æn.* 421. Ture calent aræ, sertisque recentibus halant. *Id.* 4. *G.* 109. croceis halantes floribus horti. *Ovid.* 7. *Met.* 809. repetebam frigus et umbras, Et, quæ de gelidis halabat vallibus, auram. Al. leg. *exhalat*. Adde *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 287.

B) Active, seu cum Accusativo, est halando emittere. *Lucret.* 2. 847. Et nardi florem, nectar qui naribus halat. *Id.* 6. 221. Signa notæque, graves halantes sulphuris auras. *Id.* 6. 391. icti flammas ut fulguris halent Pectore perfixo. *Martial.* 10. 48. nimios prior hora vapores Halat.

HALONEM, id est hesterno vino languentem. *Paul. Diac.* p. 75. 17. *Müll.*

HĂLŎPHANTA, æ, m. 1. ἁλοφάντης, hominum genus nequam, idem fere ac sycophanta: ab ἅλς *mare* et φαίνομαι *appareo*, ob vestitum nauticum. *Paul. Diac.* p. 101. 18. *Müll.* halapanta dicit, *h. e.* omnia mentiens: ab ἄλη seu ἄλη *error* et ἅπαντα *omnia*. *Non.* p. 126. 7. *Merc.* definit genus hominum, quod ob suenda mendacia miserrime mercede conducitur: ab ἄλη *error* et ὑφαίνω *texo*. *Turneb. Advers.* 2. 5. holophantam vocat, hoc est ὁλοφάντην, quasi sit totus in ostentatione. *Plaut. Curc.* 4. 1. 2. Halophantam, an sycophantam hunc magis esse dicam, nescio. *Scalig.* ad *Paul. Diac. loc. cit.* suspicatur, illum arripuisse *halopanta*, ut παρὰ τὴν ἅλα simile faceret, quemadmodum παρὰ τὸν σῦκον factum est *sycophanta*. *Halopantam* autem nihil significare: sed comice et tempore lusisse *Plautum* propter habitum marinum ejus, de quo ibi loquitur. *V.* CALOPHANTA.

HĂLOS, o, f. ἡ ἅλως, ω, corona seu circulus circa lunam aut solem quandoque apparens. A Græca declinatione non discedit *Senec.* 1. *Quæst. nat.* 2. Circa solem visum coloris varii circulum, qualis esse in arcu solet. Hunc Græci halo vocant: nos dicere coronam aptissime possumus. *et paullo post.* Ob hoc tales splendores Græci areas vocavere, quia fere terendis frugibus loca destinata sunt rotunda: non est autem quod existimemus, istas, sive areæ, sive coronæ sint, in vicinia siderum fieri. *V. et* HALYSIS.

HĂLŌSIS, is, f. 3. ἅλωσις, *presa, espugnazione*, captio, sive expugnatio. *Petron. Satyr.* 89. Tabula, quæ Trojæ halosin ostendit. *Sueton. Ner.* 38. Lætusque flammæ, ut ajebat, pulcritudine, halosin Ilii decantavit. *Optimi tamen codices habent* ἅλωσιν *Græcis litteris.*

HALTER, ēris, m. 3. ἁλτήρ. Halteres erant massæ plumbeæ, non exigui ponderis, quas utraque manu tenentes athletæ, corpus librabant saltusque edebant; ab ἅλλομαι *salio*. *Martial.* 14. 49. cujus titulus est *Halteres.* Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti? Exercet melius vinea fossa viros. *Id.* 7. 67. gravesque draucis Halteras facili rotat lacerto. *Seneca Ep.* 15. et 56. et *Juvenal.* 6. 421. eosdem innuunt, suppresso tamen nomine, quod habet *Scholiast.* ad *Juvenal. loc. cit.* Halteras *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. *circa med.* vocat *manipulos.*

HĀLŪCĬNĀTĬO, HĀLŪCĬNĀTOR, HĀLŪCĬNOR. *V.* ALUCINATIO, ALUCINATOR, ALUCINOR.

HĀLUM. *V.* ALUM.

HĀLUS, i, m. 2. Gallis herba est, quæ Venetis cotonea, similis cunilæ bubulæ, cacuminibus thymo, dulcis et sitim sedans, radicis alibi albæ, alibi nigræ. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 26. (42). Adde *eumd.* 27. *ibid.* 6. 24. (41)., ubi scribitur sine aspiratione. Videtur autem sic vocata ab halatu. *V.* COTONEA: et adnotat. *Schneid.* ad *Veget.* 6. *Veterin.* 8. 4. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 435.) hanc exhibet synonymiam: Σύμφυτον πετραῖον Dioscor. 4. 9. et Galen. de Fac. simpl. med. 233.; et *Halus* vel *Alus* Plin. locc. citt., Scribon. Compos. 83., Valeriano. 3. 22. et

Apul. Herb. 59. sunt *Coris monspeliensis* L. Spec. plant. 252. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HĂLȲSIS, is *et* ĕos, f. 3. ἅλυσις, catena quædam luminis clarioris, per solis ambitum in se revertens. Inter hanc et irida illud interest, quod iris multicolor est, et semicirculo figurata procul a sole atque luna: catena clarior est, astrumque ambit orbe incolumi, corona non discolori. Ita *Apul. de Mundo.* Est autem ἅλυσις *catena.* Ceterum, quum hæc omnia *Apulejus* mutuatus fuerit ab *Aristotele Meteor. l.* 3. *c.* 2., ubi Græce ἅλως sæpe habetur, *h. e.* area, corona; per quam simile vero videtur, *Apulejum* in corruptum Aristotelis codicem incidisse, in quo nempe pro ἅλως mendose scriptum fuisset ἅλυσις *catena.* V. HALOS.

HĂMA, æ, f. 1. *secchia*, ἅμα Dorice pro ἅμη *vas*, quo aquam hauriebant ad incendia restinguenda. *Cato R. R.* 135. Hamæ, urnæ olearia, urcei aquarii, urnæ vinariæ, alia vasa ahenea Capuæ. *Plin.* 10. *Ep.* 42. Nullus in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda. *Juvenal.* 14. 305. Dispositis prædives hamis vigilare cohortes Servorum noctu Licinius jubet. — Hamis instructus et dolabris per urbem noctu itabat præfectus Vigilum, quorum cohortes septem arcendis ignibus Augustus instituerat, uti docet *Paul. Dig.* 1. 15. 3. Adde *Ulp. ibid.* 33. 7. 12. § 18. et 21., ubi ama legitur sine aspiratione tum apud *Torrentin.*, tum apud *Haloandr.* — Habuit usum etiam in cella vinaria, ut colligitur ex *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 42.

HĂMĀLŬPUS. *V.* LUPUS.

HĂMARTĬGĔNĬA, æ, f. 1. ἁμαρτιγένεια, peccati origo: titulus est carminis *Prudentii*, in quo de origine peccati agitur: ab ἁμαρτία *peccatum* et γίγνομαι *nascor.*

HĂMĀTĬLIS, e, adject. ad hamum pertinens. *Plaut. Rud.* 2. 1. 10. Piscatum hamatilem et saxatilem aggredimur. *pesca coll' amo. Tertull. advers. Gnost.* 1. Scorpii hamatile spiculum. *fatto o guisa d'amo.*

HĂMĀTUS, a, um, particip. ab *hamo*, hamis instructus vel instar hami factus, uncinatus, incurvus, aduncus, ἀγκιστρωτός (It. *fornito d'ami, fatto a guisa d'amo*; Fr. *crochu, recourbé*; Hisp. *gancho-so, encorvado*; Germ. *mit Angeln, Haken versehen, auch hakenförmig, gekrümmt*; Angl. *hooked, made like a hook, crooked*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 38. 121. Hamatis uncinatisque corporibus concreta hæc esse dicit. Adde *Lucret.* 2. 467. *Tibull.* 4. 3. 10. hamatis rubis. *Ovid.* 5. *Met.* 384. Inque cor hamata percussit arundine Ditem. *Id.* 12. *ibid.* 563. hamatis laceraverat unguibus ora. *Id.* 5. *ibid.* 80. Hamatus ensis. *h. e.* harpe, falcatus ensis. *Id.* 2. *ibid.* 799. Hamati sentes. *h. e.* curvæ, quæ cor lacerent. *Id.* 3. *Trist.* 10. 66. sagittæ. — *Hamatas tegulas* vocare videtur *Vitruv.* 7. 4., quæ habent margines utrinque exstantes et incurvos, quibus inter se colligantur, ut sunt in nostris tectis imbrices incurvati, et alius alium continentes. Al. tamen ibi leg. *animatas*, et eas putant in modum tubi factas, in summo et imo spiramenta habentes, qua humor defluat. Ita *Salmas.* ad *Vopisc. in Probo* 21. ex quibusdam MSS. Et fortasse hæc lectio et interpretatio magis facit ad rem, de qua ibi *Vitruv.* loquitur. *Schneiderus* tamen edidit *mammatas*; quod rectius videtur.

II.) Translate *hamata munera*, quæ mittuntur ideo, ut alia eliciant: ad rem *Martial.* 6. 63. Munera magna quidem misit, sed misit in hamo. *Plin.* 9. *Ep.* 30. Hos ego viscatis hamatisque muneribus non sua promere puto, sed aliena corripere. Cf. *eumd. Paneg.* 43. Munera illitos cibis hamos æmulabantur.

HĂMAXA, æ, f. 1. Græca vox ἅμαξα *currus.* ¶ 1. Pro curru. *Capitolin. Maxim. duob.* 6. Hamaxas attrahere. ¶ 2. Item plaustrum, *h. e.* sidus ad septemtrionem vergens. Non semel usurpat *Gell.* 2. 21., Græcis tamen litteris.

HĂMAXĂGŌGA. *V.* EXAGOGA.

HĂMAXĪTIS, idis, f. 3. herba eadem, quæ alio nomine agrostis. *Apul. Herb.* 77.

HĂMAXO, as, are, a. 1. currui jungo, sub jugum mitto: ab ἅμαξα *currus. Plaut. Truc.* 2. 2. 21. Ita me amabit sarculum, ut ego me ruri hamaxari mavelim patalem bovem, cumque eo ita noctem in stramentis pernoctare perpetem, quam etc.

HĂMAXŌPŎDES, ἁμαξόποδες. *V.* ARBUSCULA.

HĂMĬO, ōnis, m. 3. dicitur piscis quidam saxatilis. *Isid.* 12. *Orig.* 6. Dictus hamio, quia non capitur nisi hamo.

HĂMĬŌTA, æ, m. 1. *pescatore di amo*, qui hamo piscatur. *Plaut. Rud.* 2. 2. 5. Salvete fures maritimi, conchitæ atque hamiotæ. *Varro* apud *Non.* p. 25. 10. *Merc.* Cohortes cocorum atque hamiotarum aucupumque.

HAMMĪTIS, idis, f. 3. gemma piscium ovis similis: ab ἄμμος *sabulum*, quod instar sabuli minuta sit. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 60. (167).

HAMMOCHRȲSUS. *V.* AMMOCHRYSUS.

HĂMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. hamo utor, capto, *pescare coll' amo*, ἀγκιστρεύω. Item curvo in modum hami. Utroque sensu caret Latino exemplo. Nam quod ex *Petronii Satyr.* 5. quidam afferunt his verbis: Artis severæ si quis hamat effectus: plures sunt, qui legunt *amat* sine aspiratione, et sic versum disponunt: *Amat severæ si quis artis effectus.* Quod autem addunt ex *Claudiano* 2. in *Rufin.* 358. Flexilis inductis hamatur lamina membris: meliores Codices habent *animatur*, et id videtur sensus ipse postulare. Pariter incerta est lectio in fragmento illo *Cic.* quod affert *Non.* et supra in ADHAMO retulimus. — Attamen hamatus est particip. verbi *hamo.* V. suo loco.

HĂMŎTRĂHŌNES alii piscatores, alii, qui unco cadavera trahunt. *Paul. Diac.* p. 102. 14. *Müll.*

HĂMŬLA, æ, f. 1. *deminut.* ab hama, *piccola secchia*, parva hama. *Colum.* 10. *R. R.* 387. Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam.

HĂMŬLUS, i, m. 2. *deminut.* ab hamus, *ametto.* ¶ 1. Est parvus hamus. *Plaut. Stich.* 2. 1. 17. Arundinem fert, sportulamque et hamulum piscarium. ¶ 2. Item instrumentum chirurgicum ad instar hami, quo quidpiam apprehenditur. *Cels.* 7. 7. *n.* 4. Hamulum acutum, paullum mucrone intus recurvato, subjicere extremo ungui debet. *Id. ibid. n.* 7. Hamulo summum ejus foraminis excipiendum. Adde *eumd.* 5. 7. *n.* 9.

HĂMUS, i, m. 2. esse videtur ab ἅμα *simul*, vel ab ἀμάω *traho*; et est parvus uncus ferreus, ἄγκιστρον (It. *uncino*; Fr. *crochet, croc*; Hisp. *ganco, garabato*; Germ. d. *Haken*; Angl. *a hook*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est quicumque parvus uncus ferreus. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Taleæ pedem longæ, ferreis hamis infixis, in terram infodiebantur: quos stimulos nominabant. *h. e.* uncis ferreis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (17). Stuppa pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur. *pettini. Ovid.* 4. *Met.* 719. Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo. *V.* HARPE 1. *Virg.* 3. *Æn.* 467. Loricam consertam hamis, auroque trilicem. *h. e.* catenis vel circulis, inquit *Servius*, Ital. *catenelle, rosette, fermagli, ardiglioni*; seu rectius minimis uncis ferreis. *Sil. It.* 5. 140. Loricam induitur; tortos huic nexilis hamus Ferro squama rudi permixtoque asperat auro. ¶ 2. Speciatim est parvus uncus ferreus, ex quo piscatores escam suspendunt, quam dum captat, piscis ore capiatur. Est enim ita factus, ut facile quidem infigatur; infixum autem evelli facile nequeat, *amo. Cic. Senect.* 13. 44. Plato escam malorum appellat voluptatem, quod ea videlicet homines capiantur, ut pisces hamo. *Al. omittunt* hamo: V. *Klotz.* ad h. l. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 74. Occultum visus decurrere piscis ad hamum. *Ovid. Heroid.* 19. 13. Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo. *Id.* 15. *Met.* 101. piscem hamo suspendere. *Id.* 3. *ibid.* 586. linoque solebat et hamo Decipere, et calamo salientes ducere pisces. *Id.* 2. *Pont.* 7. 9. Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo, Omnibus unca cibis æra subesse putat. *Id.* 15. *Met.* 476. hami unci. *Id.* 13. *ibid.* 934. adunci. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 17. (44) calcatus. *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. angulosus. *Sueton. Aug.* 25. aureus. *Id. ibid.* 83. Hamo piscari.

II.) Translate. ¶ 1. Per similitudinem dicitur de iis, quæ imaginem referunt unci ferrei, de quo sub I. 1. *Cels.* 7. 7. *n.* 15. Diductis per retusos hamos oris cutis. *h. e.* ferramento chirurgico ad instar hami adunco, quo aliquid apprehenditur. — Sic *Ovid.* 11. *Met.* 342. de accipitre. Oraque adunca dedit, curvos reddit unguibus hamos. *h. e.* ungues aduncos. *Id. de nuce* 115. Obsunt hami rubi et sentium, *le punte. Apul.* 10. *Met.* Panes, crustula, lacunculos, hamos, lacertulos, et complura scitamenta mellita. *h. e.* dulciarios panes hami figura. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. I. 2., hamus est artificium captandi fallendique. Lepide *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 62. Meus hic est: hamum vorat. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 23. captes astutus ubique Testamenta senum, neu si vafer unus et alter Insidiatorem præroso fugerit hamo, Aut spem deponas, aut artem illusus omittas. *Ovid.* 3. *Art. am.* 425. Casus ubique valet: semper tibi pendeat hamus. *Martial.* 6. 63. munera mittere in hamo. Cf. *Plin. Paneg.* 43. Munera illitos cibis hamos æmulabantur. *V.* HAMATUS II. 2.

HĀNŬLA parva delubra, quasi fanula. *Paul. Diac.* p. 103. 8. *Müll.* V. FANUM.

HĂPĂLA. *V.* APALA.

HĂPĂLĀRE. *V.* APALARE.

HĂPĂLŌRĬA, um, n. plur. 3. apud *Auson. Ep.* 20. sunt vasa, quæ ἁπαλοῖς, h. e. teneris ovis inserviebant.

HĂPHE, es, f. 1. ἁφή. Scribitur et *Aphe.* V. in littera *A.* — Origo vocis est ab ἧψα præteriti verbi ἅπτομαι *tango.* — Ceterum aphe

I.) Proprie est inspersio pulveris, quo athletæ membra perfundebant, postquam ceromate inuncti essent, ut in lucta prehendere adversarium commodius possent: hoc modo illita corpora flavum colorem induebant. *Martial.* 7. 67. Harpasto quoque subligata ludit, Et flavescit haphe.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 57. A ceromate nos haphe excepit. Respicit hic *Seneca* ad morem athletarum: sed significat immensam vim pulveris, qua conspersus fuit transeundo per cryptam Neapolitanam.

HĂPLOSĪLIS, e, adject. quid significet, et unde derivetur, incertum est. *Marcell. Empir.* 20. *ante med.* Itemque lactucæ et caules haplosiles ex posca decocti. *Num* haploides *scribendum est? scil.* ex ἁπλοῖς *simplex.*

HAPPĂLOPSIS, idis, f. 3. nomen condimenti fictum a joculari coquo, apud *Plaut. Pseud.* 3. 2. 47.: at fortasse legendum hăpălopsis, ut sit ab ἁπαλός *delicatus* et ὄψον *opsonium.*

HAPSUS, i, m. 2. ἅψος, vellus lanæ in modum vinculi fasciæve conformatum, quo pars affecta velatur, cingitur et fovetur: ab ἅπτω *necto, alligo. Cels.* 4. 6. *med.* Circumdare oportet latus hapso lanæ sulphuratæ. *Id.* 7. 26. 5. Inducendus hapsus lanæ mollis, tepido oleo repletus, qui pubem et coxas et inguina et plagam ipsam protegat: isque subinde oleo tepido madefaciendus est.

HĂRA, æ, f. 1. Videtur esse a χαρά, quod a χάω, dein a χαίρω *hisco, capio. V.* ORCUS. — Ceterum hara est porcorum stabulum, *stalla di porci. Plaut. Asin.* 2. 4. 24. Hic vos dormitis interea domi, atque herus in hara, haud ædibus habitat. *Varro* apud *Non.* p. 120. 20. *Merc.* In tenebris ac suilli vivunt, nisi non forum hara atque homines ibi nunc plerique sues sunt existimandi. *Cic. Pis.* 16. 37. Epicure noster, ex hara producte, non ex schola. *Ovid. Heroid.* 1. 101. Tertius immundæ cura fidelis haræ. Adde *Varron.* 2. *R. R.* 1. 14.; *Colum.* 7. *R. R.* 9. 9.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 30. 2. *Auct. incert.* in *Thes. nov. Latin.* ed. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 20. Unde quidam ait: Est hara porcorum brevis, et non ara deorum. — Dicitur etiam de septo in quo includuntur anserum pulli. *Varro* 3. *R. R.* 10. 3. Iisque (*pullis anserum*) faciunt haras supra terram etc. *et paullo post.* Quum autem sunt inclusi in haras, victui objiciunt his polentam hordeaceam. Adde *Colum.* 3. *R. R.* 14. 5. — Hara suis convicium est in sordidum et impurum hominem, apud *Plaut. Most.* 1. 1. 39. — Quomodo a suili differat, *V.* in SUILE.

HĂRĒNA, HĂRĒNĀRIA, et similia *V.* ARENA, ARENARIA etc.

HĂRĬŎLA, æ, f. 1. *indovina*, mulier, quæ hariolatur. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 98. Quod dem hariolæ atque haruspicæ. Adde *eumd. Rud.* 4. 4. 95.

HĂRĬŎLĀTĬO, ōnis, f. 3. actus hariolandi, *indovinamento*, μαντεία. *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 31. 66. Missa sum superstitiosis hariolationibus.

HĂRĬŎLOR, āris, ari, dep. 1. (hariolus). Scribitur et ARIOLOR. *V.* voc. seq. — Part. *Harioians* I. — Hariolari est divinare, vaticinari, *profetare, indovinare*, μαντεύομαι.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Divinat.* 58. 132. Neque eos, qui quæstus causa hariolantur. *Id.* 8. *Att.* 11. Non

hariolans, ut illa, cui nemo credidit, sed conjectura prospiciens. — Joculariter *Plaut. Asin.* 2. 2. 50. Dudum scapulæ gestibant mihi, hariolari quæ acceperunt, sibi esse in mundo malum.

II.) Translate est delirare, insanire; ita enim putat et ipse *Forcellinus*, qui ait: Aliquando subjicitur affirmandi causa. *Plaut. Asin.* 3. 2. 33. Argenti viginti minas habes ne? LE. Hariolare. Adde *eumd. Cist.* 4. 2. 80. et *Rud.* 2. 3. 17. Sic *Ter. Phorm.* 3. 2. 7. PHOR. Non mihi credis? DO. Hariolare. *Forcellinus* interpretatus est: rem conjectura es assecutus vel quomodocumque divinasti, *tu la indovini*; sed tamen hæc addit: Alii exponunt deliras, insanis more vatum, *tu vaneggi*, propter ea, quæ dicuntur in sequentibus responsionibus, *fabulæ, logi:* ut simile sit illi *Cic.* 2. *Fam.* 16. *ad fin.* Sed ego fortassis vaticinor: et hæc omnia meliores habebunt exitus. *Id. Sext.* 10. 23. Eos qui dicerent, subeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam, vaticinari atque insanire dicebat. Adde quod et apud Græcos *μάντις hariolus*, est a *μαίνομαι insanio*. Hucusque *Forcellinus*. Cf. etiam *Plaut. Rud.* 4. 4. 97. Non feret, nisi vera dicet: nequidquam hariolabitur.

HĂRĬŎLUS, i, m. 2. Scribitur et *Ariolus:* sed aspirationem retinent *Manut., Dausq., Cellar.* — Hariolus, *profeta, indovino, μάντις*, est futurorum divinator (et sæpe contemptu ponitur) qui divina mente fatur, quæ ventura sunt: ab antiquo *fariolus*, quod a *fari*, ut *Voss.* docet, et *Donatus* ad illud *Ter. Phorm.* 4. 4. 27. Interdixit hariolus: haruspex vetuit ante brumam aliquid novi negotii incipere. *Plaut. Amph.* 5. 2. 2. Hariolos, haruspices mitto omnes: quæ futura, et quæ facta, eloquar. Adde *eumd. Truc.* 2. 7. 42., *Cas.* 2. 6. 4., *Men. prol.* 76.; et *Pœn.* 3. 5. 46. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 55. Ut haruspices, augures, harioli, vates et conjectores nobis essent colendi. *Id.* 1. *Divinat.* 2. 4. Hariolorum et vatum furibundæ prædictiones. *Phædr.* 3. 3. Ad consulendos currit mœrens hariolos. Adde *Justin.* 1. 4. 3.; et *Isid.* 8. *Orig.* 9.

HARMA, ătis, n. 3. ἅρμα, currus. *Marcell. Empir.* 8. § 5. *sub init.* Quod collyrium, quia ex quatuor rebus, ut quadriga equis, constat, et celeres effectus habet, harma dicitur, recipit hæc etc. *Vet. Scholiast.* ad *Stat.* 8. *Theb.* 207. Civitas in illo loco post est condita, in quo hiatus terræ Amphiaraum recepit, quæ Amphiarma (*leg.* Amphiarai harma) vocatur, quod illic currus, quem Græci harma vocant, deciderit, in quo etiam oraculum est, quod Græce Amphiaraon vocatur.

HARMĂMAXA. *V.* ARMAMAXA.

HARMŎGĒ, es, f. 1. ἁρμογή, (ab ἁρμόζω, *apto* vel *convenio*) est apta junctura, commissura, et transitus dissimilium colorum in pictura, ut paullatim minuantur misceanturque sic, ut transire alter in alterum in confinio videatur, ut *Plin.* 35. *Hist. nat.* 5. 11. (29). docet; sic enim veteres appellavere pictores: *confine, contorno, accordo, unione de' colori, lo sfumare un colore, dove ei passa in un altro.* V. INCISURA. — Hanc tamen vocem *harmoge* jampridem usurpaverat *Varro* de sonis pro harmonia apud *Non.* p. 100. 31. *Merc.* Quam mobilem divum lyram Sol harmoge equa clam gubernans motibus diis viget.

HARMŎNĬA, æ, f. 1. ἁρμονία. *Harmoniai* pro *harmoniæ* dixit more suo *Lucret.* 3. 132. — Harmonia, ab ἁρμόζω *apto*, est concentus et consonantia vocum acutarum et gravium in cantu et fidibus, *armonia, concento.*

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Tusc.* 10. 20. Velut in cantu et fidibus, quæ harmonia dicitur. *Id. ibid.* 18. 41. Harmoniam ex intervallis sonorum nosse possumus: quorum varia compositio etiam harmonias efficit plures. *Id.* 3. *Nat. D.* 11. 27. Nisi putamus ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat. Sic *Id.* 1. *de republ.* 10. Ut Socrates numeros et geometriam et harmoniam studeat Pythagoræ more conjungere. De hac harmonia agit *Vitruv.* 5. 4. Adde *Apul. de Mundo* 66. et 71. et *Dogm. Plat.* 2. p. 26.; et *Lactant. Opif. Dei* 16.

II.) Translate. ¶ 1. Harmonia est compositio, concordia, convenientia rerum ceteroquin dissimilium. *Quintil.* 1. 10. 12. Nec illis modo contenti dissimilium concordia, quam vocant harmoniam (*ἁρμονίας habent multi libri*), sonum quoque his motibus dederunt. *Lucret.* 3. 98. Quamvis multa quidem sapientum turba putarunt, Sensum animi certa non esse in parte locatum, Verum habitum quemdam vitalem corporis esse, Harmoniam Graji quam dicunt, quod faciat nos Vivere cum sensu. *Cic.* 1. *Tusc.* 10. 20. hunc *Lucretii* locum explicat. Rursus *Lucret.* 3. 132. quoniam est animi natura reperta Atque animæ quasi pars hominis: unde harmoniai Nomen. Adde *eumd.* 3. 119. et 4. 1244. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 5. Harmonia cœli. ¶ 2. De versibus et cantu. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 90. te nostra, Deus, canit harmonia. — *NB.* De Harmonia filia Martis et Veneris, *V.* ONOM.

HARMŎNĬĂCUS, a, um, adject. idem atque harmonicus. *Capell.* 9. p. 317. Primo quippe quum Lasus exorsus harmoniacam vim mortalibus divulgaret. *At fortasse hic* harmonicam *legendum est.*

HARMŎNĬCĒ, es, f. 1. ἁρμονική, harmoniæ ars. *Vitruv.* 5. 3. Sic theatrorum per harmonicen ad augendam vocem ratiocinationes ab antiquis sunt constitutæ.

HARMŎNĬCUS, a, um, adject. ad harmoniam pertinens, *armonico.*

I.) Proprie. *Capell.* 9. p. 317. Et εἰδικόν est, quod ex perseverantibus et similibus consonabat, id est sono, numeris atque verbis; sed quæ ex his ad melos pertinent, harmonica dicuntur; quæ ad numeros, rhythmica; quæ ad verba, metrica. Adde *eumd. ibid.* p. 318.

II.) Translate. *Varro* 10. *L. L.* 64. *Müll.* Ut ea, quæ observant in ædificiis et signis faciendis artifices, e queis vocantur aliæ harmonicæ. *Plin.* 2. *Hist. Nat.* 109. 113. (248). Harmonica ratio, quæ cogit rerum naturam sibi ipsam congruere, addit huic mensuræ stadiorum XII. millia.

HARPA, æ, f. 1. *arpa*, instrumentum musicum, lyræ simile: ab ἅρπη *falx*, quia in modum falcis ex una parte incurvum est. *Capell.* 2. p. 44. Denique harpis bombisque perterrita virgo diffugit. *Forcellinus* harpam instrumentum musicum interpretatus cum *Scaligero* consentit: at *Grotius* ad *Capell. loc. cit.* ait: Lego *harpis* et explico *falcibus*, ita enim sonat vox Græca. Et *Koppius ibid.* Equidem *Grotio* adstipulor: haud enim video, quo pacto Philologia musico instrumento *perterrita* dici potuerit. *V.* alia plura *ibid. Venant.* 7. *carm.* 8. 63. Romanusque lyra plaudat tibi, Barbarus harpa. *V.* alium loc. *ejusd.* in BOMBICO.

HARPACTĬCON, i, n. 2. ἁρπακτικόν, dicitur genus quoddam sulphuris, a celeritate avellendi: avelli enim subinde debet, quum in aliqua parte corporis medicinæ causa imponitur: ab ἁρπάζω, *rapio. Plin.* 35. *Hist. Nat.* 15. 50. (176). *Sillig.* cum *Ian.* legit *harpax*. Sulphur autem æque harpaga dici ac succinum, utrumque ob eamdem virtutem, docuit *Ian. coll.* 37. 37.

HARPĂGA, æ, vel harpăgē, es, f. 1. ἁρπάγη, instrumentum ferreum aduncum, ut ferrea manus, harpago, rastrum ferreum, aut hujusmodi, quo in murorum oppugnationibus utebantur: ab ἁρπάζω *rapio*, quia illo quippiam apprehensum deripitur. *Sisenna* apud *Non.* p. 556. 20. *Merc.* Falces injectas comminuunt: puteos, propius collocatis harpagis, dejiciunt. *harpagis* potest etiam esse ab *harpagum* neutr. et ita accipitur a *Nonio*.

HARPĂGĬNĔTŬLUS, i, m. 2. *Vitruv.* 7. 5. Pro columnis enim statuuntur calami, pro fastigiis harpaginetuli striati, cum crispis foliis et volutis. *h. e.* parvæ harpagæ; seu opera in modum harpagæ recurva. Alii leg. *harpages et mituli*: alii alia comminiscuntur; alii denique locum pro desperato habent et inexplicabili. Sed quid reapse sint *harpaginetuli*, indicat pictura vetus, cujus explicationem exhibet *Auct.* operis, cui titulus: *Le pitture antiche di Ercolano T.* 1. p. 212. En illius verba: *Sembra che questa pittura ne somministri lume più chiaro per illustrare sì fatto oscurissimo luogo. Sul colonnato principale della nostra pittura non si vede già un tholus, o sia ciborium, vale a dire quel cupolino, che comparisce nelle medaglie della dea Vesta, ma un non so che altro di forma circolare e straordinaria, tutto intessuto di certi lavori uncinati, attissimi ad afferrare e tirarsi dietro qualunque cosa, non altrimenti che gli* harpagones, *o sieno que' ferri di punta adunca, con cui si afferrano i navigli o altra cosa. Questi dunque, che nella pittura si vedono tener luogo di fastigio, par che rappresentino bene quel che Vitruvio ha voluto spiegarci.* Clariss. *Marinius* ad *Vitruv. T.* 2. *p.* 92. putat, harpaginetulos esse ornatus in forma ex utraque parte aduncos ad instar parvulorum harpagonum strias habentes in crassitudine, ex quibus nascuntur folia crispa et surculi more volutarum. Harpaginetuli reapse visuntur in antiquis picturis Pompejorum, Herculani et thermarum Titi Romæ.

HARPĂGĬUS. *V.* ARPAGIUS.

HARPĂGO, as, āvi, ātum. are, a. 1. auferre, rapere, *rapire, rubare:* ab ἁρπαγή *raptus, rapina*, quod ab ἁρπάζω *rapio. Plaut. Aulul.* 2. 2. 24. Hei misero mihi! Aurum mihi intus harpagatum est. *Id. Bacch.* 4. 4. 11. Improbis, quum improbus sit, harpaget: furibus furetur quod queat. *Id. Pseud.* 4. 2. 2. Nihil etiam dum harpagavit, præter cyatum. *Id. ibid.* 1. 2. 6. Ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga, bibe, es, fuge, hoc eorum est opus.

HARPĂGO ŏnis, m. 3. ἅρπαξ, ἁρπαγή.

I.) Proprie est instrumentum ferreum, in fine aduncum, quo aliquid apprehenditur et deripitur attrahiturve, ad varios usus, præsertim bellicos, *uncino, rampicone. Cæs.* 1. *B. C.* 57. Hi manus ferreas atque harpagones paraverant. Adde *eumd.* 7. *B. G.* 81. *Liv.* 30. 10. *a med.* Asseres ferreo unco præfixi (harpagones vocat miles) ex Punicis navibus injici in Romanos cœpti. *Curt.* 4. 2. 12. Ferreæ quoque manus (harpagones vocant) quas operibus hostium injicerent, corvique et alia tuendis urbibus excogitata præparabantur. Adde *Flor.* 2. 2. 9. *Auct. B. Hisp.* 16. Secum extulerant harpagones ad casas, quæ stramenticiæ ædificatæ erant, diruendas. *Plin.* 7. *Hist. Nat.* 56. 57. (209). Harpagonas et manus invenit Pericles Atheniensis. *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. Canales autem et harpagones et hamas instrumento contineri constat. *h. e.* unci, quibus quidpiam ex puteis extrahitur.

II). Translate ex vi originis rapacem, furacem significat: hinc *Plaut. Trin.* 2. 1. 13. Ab re consulit blandiloquentulus, harpago, mendax, cuppes, avarus.

HARPĂGUM, i n. 2. *V.* HARPAGA.

HARPASTUM, i, n. 2. ἁρπαστόν, *palla del calcio*, genus pilæ grandioris, quam pila paganica, minoris tamen, quam follis: ab ἁρπάζω, *rapio*, quod plures projectum harpastum conentur arripere, et extra ludi limites ejicere. Nam hoc pilæ genus non repercutitur, sed quum multi ludentes in duas partes divisi sunt, quisque annititur pilam arripere, et ad eos, qui post se sunt viciniores limitibus, trasmittere: ejusque partis victoria est, quæ pilam extra limites adversariæ partis ejecerit. Laboriosum ludi genus est, grandioribusque tantum conveniens. Quum enim multi simul pilam arripere conentur, in terram se invicem prosternunt, pulvereque et sudore infecti flavescunt. Ludus hujusmodi etiam *sphæromachia* appellatur: quam vocem vide suo loco. *Martial.* 4. 19. Seu lentum ceroma teris, tepidumque trigona, Sive harpasta manu pulverulenta rapis. *Id.* 7. 67. Harpasto quoque subligata ludit.

HARPAX, ăgis vel ăgos, f. 3. ἅρπαξ ¶ 1. Stricto sensu est verticillus ex electro, *fusajuolo*: ab ἁρπάζω *rapio*, quod folia et festucas rapiat. *Plin.* 37. *Hist. Nat.* 2. 11. (37). *de electro.* In Syria feminas verticillos inde facere, et vocari harpaga, quia folia et paleas vestiumque fimbrias rapiat. Confer *Isid.* 15. *Orig.* 8. 7., qui eadem fere habet. Vide et HARPACTICON loco suo. Apud *Plaut.* in *Pseud.* est nomen servi caculæ: et *ibid.* 2. 2. *in fin.* in vocativo *Harpage* dixit, tamquam a recto *Harpagus.* ¶ 2. Latiori sensu est etiam instrumentum illud ferreum, quod et lupus dicitur. *Isid.* 20. *Orig.* 15. *ad fin.* Lupus, qui et canicula, ferreus harpax, quia, si quid in puteum decidit, rapit et extrahit: unde et nomen accepit. Harpax enim dictus, quia arripit: ἁρπάζειν enim Græce rapere est. *V.* LUPUS.

HARPĒ, es, f. 1. ἅρπη. ¶ 1. Est ensis falcatus et incurvus in anteriorem partem, *ronca*, quo Mercurius in Argum, et Perseus in Medusam usi feruntur, ut apud *Lucan.* 9. 660. *et seqq.* et *Val. Flacc.* 4. 388. legitur. *Ovid.* 5. *Met.* 69. Vertit in hunc harpen spectatam cæde Medusæ Acrisioniades, adigitque in pectus. *Id.* 5. *ibid.* 176. Brachia tendentem Cyllenide confodit harpe. *Id.* 1. *ibid.* 717. falcatum ensem, et 5. *ibid.* 8. hametum, et 4. *ibid.* 719. ferrum curvo hamo appellat. — Harpe utebantur gladiatores Thraces ex sententia *Lipsii, Saturn. l.*

2. c. 9.; harpes vero figuram habes apud *Gruter.* 335. in gladiatore M. Antonio Exocho. ¶ 2. Item avis ex vulturum genere, quæ contra triorchem inimicitias gerit, teste *Plin.* 10. *Hist. Nat.* 74. 95. (204).

HARPȲIÆ, arum, f. 1. trisyllab. Ἅρπυιαι, aves monstruosæ atque obscœnæ, filiæ Thaumantis, ingluvie insatiabili; de quibus *V.* plura in ONOM. Hinc translate de rapaci homine et avaro. *Rutil.* 1. *Itiner.* 608. Circumsistentes reppulit Harpyias. Adde *Juvenal.* 2. 129.; et *Sidon.* 5. *Ep.* 7.

HARŪGA et **HARVIGA**. *V.* ARVIGA.

HĂRUNDO, **HĂRUNDĬNĒTUM** et alia derivata. *V.* ARUNDO, ARUNDINETUM etc.

HĂRUSPEX, icis, m. 3. *Harispex* habet *Inscript.* in *Bullettin. dell' Instit. archeol.* a. 1842. p. 80. LAETIO L. F. RVFO HARISPICI VL. TIRO etc. — Scribitur et *Aruspex*: sed pro aspiratione stant *Manut.* et *Cellar.* ex auctoritate *Donati* ad *Ter. Phorm.* 4. 4. 28. et quamplurium veterum Inscriptionum.

I.) Proprie haruspex, *pronosticatore, indovino, aruspice*, ἱεροσκόπος, θυοσκόος, βωμοσκόπος, est qui exta victimarum inspicit, atque ex iis futura prædicit, et idem est atque *extispex*, differt autem ab *auspice* et *augure* qui ab avibus inspiciendis dicti sunt: est ab *haruga*, hoc est hostia, victima, quæ in hara includitur, si *Donato* in *Ter. Phorm.* 4. 4. 28. fides habenda (V. *Frandsen. de haruspic.* p. 12.), vel potius ab ἱερεύς *sacerdos*, et *spicio*, ut significet sacerdotem extis inspiciendis deditum. *Lanzius* enim *Sagg. di ling. Etr. T.* 2. p. 739. et alibi sæpius, ostendit, Etrusce *herus* sacerdotem, *heris* sacrum, *herias* sacrificia significare. Haruspices itaque Romani dixere, qui ex victimæ inspectione, antequam ea mactaretur; ex extispicio autem postquam eadem occisa esset, variisque flammæ, fumique, vini quoque ac turis vel farinæ, ex qua liba fiebant, observationibus, futura prædicere putabantur. Quod vero *Cic.* 1. *Divinat.* 41. 92. et *Val. Max.* 1. 1. de principum filiis narrant, Etruriæ populis in disciplinam datis, id de Etruscorum, non, ut aliqui falso putant, de Romanorum filiis intelligendum est. Hanc enim disciplinam Etrusci semper sibi reservarunt: hinc nusquam inter haruspices, quotquot nominantur, Romanorum nomen deprehendas; et fere semper Etrusci haruspices dicuntur, ut apud *Cic.* 2. *Divinat.* 35. 75. et 2. *Legg.* 9. 21., tum apud *Gell.* 4. 5.; præterea *Cic.* 6. *Fam.* 18. Cæsarem carpit, quod haruspicem in senatum Romæ legisset. Porro Romæ, ut augures honoratissimi erant, ita haruspices despicatui habebantur, quod ex locis scriptorum mox afferendis maxime patebit. Præcipuum vero haruspicum munus erat sacrificantibus adesse, cæsaque victima, ejus exta diligenter inspicere, et quid iis portenderetur, significare. Stabant ad hoc officium cincto Gabino incincti, barba rasa, cultrum manu tenentes, quo viscera victimæ secabant et rimabantur: habebantque eorum prædictiones summam fidem non secus atque augurum. Sed et alia observabant, præter victimas. Interpretabantur enim prodigia et monstra, quæcumque acciderant, fulmina et alia hujusmodi piacularia, ut ex *Cic.* 3. *Cat.* 8. 19. et ex ejusdem oratione *de Haruspicum responsis* apparet. Crescente Romæ eorum numero, ex eodem sumebantur, qui consulibus, pontificibus, aliisque magistratibus in Urbe et imperatoribus in exercitu, dum sacrificabant, præsto essent. *Cic.* 1. *Divin.* 39. 85. Quid enim habet haruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus et proferat diem? quid augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum? Cf. *Sil. It.* 5. 162. dum vos augur et extis Quæsitæ fibræ, sanusque moratur haruspex. *Virg.* 11. *Æn.* 739. dum sacra secundus haruspex Nunciet. h. e. nuncians prospera esse exta victimarum. *Id.* 8. *ibid.* 498. Signaque ferre jubent: retinet longævus haruspex Fata canens. *Sallust. Jug.* 63. Per idem tempus Uticæ forte C. Mario per hostias dis supplicanti, magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 6. Haruspices, sagasque, quæ utraque genera vana superstitione rudes animos ad impensas ac deinceps ad flagitia compellunt, ne admiserit villicus. *Sueton. Cæs.* 77. Haruspice triste et sine corde exta sacro quodam nunciante. Adde *Caton. R. R.* 5.; *Varron.* 1. *R. R.* 40. 5.; *Sall. Cat.* 47.; *Liv.* 5. 15. et 8. 6.; *Ovid.* 15. *Met.* 577.; *Lucan.* 1. 579.; *Juvenal.* 2. 121.; *Sueton. Aug.* 96. et *Cæs.* 81.; *Quintil.* 5. 7. 36. et 5. 10. 30.; et *Servium* ad *Virg.* 4. *Æn.* 64. *V. O. Müller. Etrusc. T.* 2. p. 6. — *Haruspex extispicus* alius erat ab *haruspice fulguratore*. *V.* EXTISPICUS et FULGURATOR — Haruspicum ordo seu collegium in municipiis et coloniis videtur ad sexagenarium numerum excrevisse, ut constat ex tribus *Inscript.* Beneventana apud *Fabrett.* p. 713. n. 340. D. M. L. CAESENNII SOSPITIANI EX ORDINE HARVSPIC. LX. VIXIT ANN. XXV. PARENTES FILIO OPTIMO. *Alia* Lugdunensi apud *Gruter.* 304. 8. D. M. M. OPPII PLACIDI HAR. PRIM. DE LX., CVI LOCVM SEPVLTVRAE ORDO SANCTISSIM. LVG. DEDIT. *Alia* Romana apud *Reines. cl.* 5. n. 13. L. FONTEIVS FLAVIANVS HARVSPEX AVGG. CO. (h. e. Cæsarum), PONTIFEX, DICTATOR ALBAN., MAG. PVBLICVS HARVSPICVM ORDINI LX. D. D. Consule *Orellium* in n. 2291. et sequentib.

II.) Figurate sumitur pro eo, qui ex qualibet notione et quacumque ratione futura prædicit. *Nepos Timol.* 1. Hac mente (*Timoleon*) per haruspicem communemque affinem – fratrem tyrannum interficiendum curavit. *Propert.* 3. 11. 50. Proloquar: atque utinam patriæ sim verus haruspex! Frangitur ipsa suis Roma superba bonis. *Juvenal.* 6. 548. Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi Testamentum ingens, calido pulmone columbæ Tractato, Armenius, vel Commagenus haruspex. Adde *eumd.* 6. 397.

HĂRUSPĬCA vel aruspica, æ, f. 1. mulier quæ haruspicinam facit. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 98. Præcantatrici, conjectrici, hariolæ atque haruspicæ. — Pro haruspicis arte *V.* HARUSPICIUM.

HĂRUSPĬCĪNUS vel aruspicinus, a, um, adject. ad haruspices pertinens. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 72. Quod Etruscorum declarant et haruspicini et fulgurales et rituales libri. — Hinc

Haruspicina, æ, f. 1. (subaudi *ars*, vel *disciplina*) absolute, substantivorum more, est idem atque haruspicium. *Cic.* 2. *Divinat.* 23. 50. Oratio, qua haruspicinæ disciplina continetur. *Id.* 6. *Fam.* 18. Haruspicinam facere. Adde *Lactant.* 2. 16.

HĂRUSPĬCIUM vel aruspicium, ii, n. 2. disciplina et officium haruspicum. *Catull.* 90. 2. et discat Persicum haruspicium. *Plin.* 7. *Hist. Nat.* 56. 57. (203). Haruspicium invenit Delphus. Quidam Codd. MSS. habent *haruspicam* eodem sensu, teste *Harduino*. *V.* FISSICULO. *Sueton. Vesp.* 5. Haruspicio insuper confirmatum. *Auson. Epigr.* 73. Sed medicus divis fatisque potentior Alcon Falsum convicit illico haruspicium. Adde *Censorin. de die nat.* 17.

HASTA, æ, f. 1. proprie est quodvis lignum teres et satis longum plurimis inserviens usibus: V. *hasta graminea* in v. GRAMINEUS ibique *Cic.* 6. *Verr.* 58. 125. Ceterum speciatim ac

I.) Proprie ¶ 1. Est telum missile, λόγχη, δόρυ (It. *asta, lancia, picca*; Fr. *javelot, trait, dard, lance*; Hisp. *lanza, flecha, dardo*; Germ. *d. Spiess, Speer, Lanze, Wurfspiess, als Waffe*; Angl. *a spear, lance, pike, javelin*), inventum Lacedæmoniorum, teste *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (200). Est autem lignum teres ferrea cuspide præfixum, quo eminus pugnatur. Differt a pilo, quo legionarii utebantur; hasta vero auxiliarii, ut ex *Tacito* 12. *Ann.* 35. constat. Differt a lancea, quæ peregrina est; hasta vero Romana. Porro hastarum triplex est genus: unum breviores continet, quæ manu emittuntur: alterum longiores gravioresque, quas et manu retinere, et jaculari etiam possent: tertium gravissimas, quæ tormentis emittebantur. *Ennius* apud *Priscian.* 8. p. 817. *Putsch.* Missaque per pectus, dum transit, striderat hasta. *Id.* apud *Non.* p. 217. 11. *Merc.* Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber. *Cic. Senect.* 6. 19. Eminus hastis, comminus gladiis uti. *Id.* 2. *Fin.* 30. 97. Evelli eam jussit, quæ erat transfixus, hastam (*Id.* 5. *Fam.* 12. hoc idem narrans, *spiculum* vocat). *Curt.* 9. 7. 19. Hastam tenere. *Stat.* 2. *Theb.* 648. sustinere. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 242.; et *Val. Flacc.* 3. 193. torquere. *Sil. It.* 4. 134. contorquere. *Curt.* 8. 2. 4. retorquere. *Cic.* 2. *Orat.* 80.; *Curt.* 6. 1. 14.; et *Val. Flacc.* 6. 5. 18. vibrare. *Flor.* 2. 17. 14.; et *Val. Flacc.* 2. 269. quatere. *Virg.* 12. *Æn.* 431. coruscare. *Cic.* 2. *Orat.* 78. 316. jactare. *Virg.* 10. *Æn.* 783.; et *Tac.* 4. *Ann.* 49. jacere. *Val. Flacc.* 6. 270. conjicere. *Ovid.* 11. *Met.* 8. mittere in os alicujus. *Id.* 8. *ibid.* 66. dirigere in aliquem. *Curt.* 7. 4. 37. dirigere in os alicujus. *Virg.* 10. *Æn.* 521. infensam hastam contendere. h. e. jacere. *Tac.* 2. *Ann.* 21. protendere, aut colligere. h. e. extendere, aut reducere, seu recipere (ut *Virg.* 10. *Æn.* 383. loquitur). *Id.* 2. *Ann.* 20. mittere e tormentis. *Id.* 13. *ibid.* 39. incutere. *Id.* 2. *ibid.* 81. ingerere. *Id.* 3. *Hist.* 17. Hasta aliquem transverberare. *Id.* 5. *ibid.* 16. fodere. *Ovid.* 5. *Fast.* 711. perforare *Curt.* 4. 4. 11. transfigere. *Plaut. Capt.* 3. 4. 20. insectari aliquem. *Nepos Chabr.* 1. Hastam projicere. *Virg.* 11. *Æn.* 612. adversis Tyrrhenus et acer Aconteus Connixi incurrunt hastis. *Id.* 12. *ibid.* 923. volat atri turbinis instar, Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit Loricæ et clipei extremos septemplicis orbes: Per medium stridens transit femur. *Liv.* 28. 45. Hastæ longæ. *Sueton. Domit.* 14. militares. *Stat.* 4. *Theb.* 6. trabalis. *Ovid.* 12. *Met.* 369. fraxinea. *Quintil.* 7. 9. 8. aurea. *Flor.* 2. 17. 14. argentea. *Juvenal.* 13. 82. per hastam Minervæ jurare. — Hasta Macedonica, seu sarissa, contum longissimum, spiculum exiguum habebat; contra autem hasta Lucania. *Grat. Cyneg.* 117.-120. — Alii quoque hastæ usus in bello. *Virg.* 12. *Æn.* 398. ingentem nixus in hastam Æneas. *Id.* 9. *ibid.* 229. Stant longis adnixi hastis et scuta tenentes. Sic *Sil. It.* 15. 35. erigitur hastâ. *si rizza in piè appoggiato sull' asta.* Rursus *Virg.* 9. *Æn.* 465. Quin ipsa arrectis (visu mirabile) in hastis Præfigunt capita. — Similiter *Cato* apud *Festum* p. 201. 28. *Müll.* Majores seorsum atque diversum pretium paravere bonis atque strenuis decurionatus, optionatus, hastas donaticas aliosque honores. *Tac.* 4. *Ann.* 21. Donatusque est ab Apronio torquibus et hasta. *Sueton. Claud.* 28. Quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 28. 29. (102). Donatus hastis puris duodeviginti. *Inscript.* apud *Gruter.* 61. 4., quæ est apud *Orell.* 3475. CN. OCTAVIVS TITINIVS CAPITO PRAEF. COHORTIS, TRIB. MILIT., DONATUS HASTA PVRA. *hasta pura* (cujus in bello nullus fuerat usus, V. *Marm. Taurin. T.* p. 37., quæque a *Polybio* vocatur γαισὸν, h. e. telum missile ligneum, V. *Lips. de milit. Rom.* 1. 5. *Dial.* 17. *T.* 3. p. 366.) est sine ferro, quæ dabatur ei, qui primus in prœlio vicisset, ut ex *Varrone* docet *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 760. et *Paul. Diac.* p. 101. 16. *Müll.* Ideo autem pura dabatur, quia pacis erat insigne, non belli: unde mos fuit hastam ferratam aut sanguineam præustam in eorum fines emittere, quibus bellum per Fetiales indicebatur, ut est apud *Liv.* 1. 32.; et Carthaginienses, inquit *Paul. Diac. loc. cit.*, quum bellum vellent, hastam Romam miserunt. (V. *Gell.* 10. 27.). Addit *Varro* apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 53. duces quoque, quum primum hostilem agrum introitum irent, ominis causa prius hastam in eum agrum misisse, ut castris locum caperent. — *Abjicere hastas* translate est causæ diffidere et de re desperare. *Cic. Mur.* 21. 45. *de candidato.* Vides ne tu illum tristem, demissum? jacet, diffidit, abjecit hastas. ¶ 2. Quia initio mos fuit, ut præda bello parta quum vendebatur, hasta posita exponeretur, ad illud ipsum scilicet denotandum, quod bellica præda esset; inde ortus est mos, ut in auctionibus poneretur hasta (quæ tamen juxta *Klotz.* erat pura, h. e. sine ferro), itemque in locationibus: quæ ideo et pro auctione ipsa ponitur, *incanto*. *Cic.* 2. *Off.* 8. 27. *de Sulla.* Est enim ausus dicere, hasta posita, quum bona in foro venderet et bonorum virorum, et locupletium, et certe civium, prædam suam se vendere. *Id. ibid.* 23. 83. Bis jam vidimus, hastam in foro ponere, et bona civium voci subjicere præconis. Adde *eumd.* 2. *Phil.* 26. 64. *Id.* 4. *Phil.* 4. 9. Quos non bonorum donatio, non agrorum assignatio, non illa infinita Pompeji hasta satiavit. *Id.* 12. *Att.* 3. Nomen illud, quod a Cæsare, tres habet conditiones, aut emptionem ab hasta, aut delegationem a mancipe, aut etc. *Nepos Att.* 6. Ad hastam publicam numquam accessit. h. e. ad auctionem, quæ publice a magistratu fieret: nam et privatorum auctio erat, ut in proxime allato *Cic.* loco. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 20. Ibi nunc ad hastam locamus, ut etc. *Liv.* 24. 18. *a med.* Quum censores se jam locationibus abstinerent, convenere ad eos, qui hastæ hujus generis assueverant. *Id.* 23. 38. Comitibus eorum sub hasta venditis. *Tac.* 13.

Ann. 28. Jus hastæ adversus inopes inclementer augere. *Flor.* 3. 21. 27. Municipia Italiæ splendidissima sub hasta venierunt. *Id.* 2. 6. 47.; et *Sueton. Aug.* 24. Aliquid hastæ subjicere. *Sueton. Cæs.* 50. Ex auctionibus hastæ. ¶ 3. Etiam centumviri, quum in foro sedebant judicaturi, hastam adhibuere. *V.* CENTUMVIRI. Hinc hastæ judicium dicitur *centumvirale* apud *Val. Max.* 7. 8. n. 1. et 4. ¶ 4. Hastam inter gymnasticas exercitationes enumerat *Plaut. Bacch.* 1. 2. 73. et 3. 3. 24. et *Most.* 1. 2. 73. ¶ 5. Hastæ usus etiam in nuptiis fuit. Sponsus enim sponsæ comam hastæ cuspide distinguebat. *V.* dicta in CÆLIBARIS. ¶ 6. Ipse thyrsus *hasta* dicitur. *Ovid.* 3. *Met.* 666. Ipse (*Bacchus*) racemiferis frontem circumdatus uvis, Pampineis agitat velatam frondibus hastam. Adde *eumd. Heroid.* 13. 33. ¶ 7. Fuit olim hasta insigne regum, qui eam pro diademate (*alii legunt* cum diademate) gestabant, sceptrum a Græcis dictam. Nam et ab origine rerum, pro diis immortalibus antiqui hastas coluere: ob cujus religionis memoriam adhuc deorum simulacris hastæ adduntur. Hæc *Justin.* 43. 3. Hanc vero explicationem improbat *Daniele Numism. Capuan.* p. 40. V. et *Rasche Lex. rei numm. T.* 2. *P.* 2. *p.* 64.

II.) Translate. ¶ 1. *Hastæ* sunt argumenta oratoria. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 242., *Brut.* 78. 271. et *Topic.* 17. 65. ¶ 2. Est item *hasta* genus cometæ hastæ figura. Græcis quoque λογχίτης dictæ. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (90). ¶ 3. Accipitur etiam pro mentula. *Auct. Priap.* 45. 1.

HASTĀRĬUM, ii, n. 2. auctio, quæ sub hasta fit; vel locus ubi fit auctio: vel liber, in quo auctiones perscribuntur. Totidem enim modis interpretantur illud *Tertull. Apolog.* 13. Deos in hastario vectigales habetis. Item illud *ejusd.* 1. *ad nation.* 10. Quos deos in hastarium regessistis, omni quinquennio inter vectigalia vestra proscriptos addicitis. Ex his apparet, postremam interpretationem ceteris præstare. Quamquam *Gloss. Isid.* Hastarium, ubi venduntur bona proscriptorum.

HASTĀRĬUS, a, um, adject. ad hastam pertinens. *Hastarius prætor* est qui hastæ publicæ præest: quum enim unicuique prætorum certa causarum genera attributa fuissent, ita ut esset prætor *fidei commissarius*, et *tutelaris*, qui de fideicommissis et tutelis cognoscerent, hinc *hastarius* dictus, qui venditiones sub hasta publica facienda curaret. *Inscript.* apud *Gruter.* 379. 7., quæ est apud *Orell.* 2379. C. CAEBELLIO FVFIDIO QVAESTORI CANDIDATO IMP. CAES. M. AVRELII ANTONINI PII FELICIS AVG. TRIBVNO PLEBIS CANDIDATO *prætori* HASTARIO etc. At *Orelli* n. 2379. ex PR. HASTAR. conjicit legendum *primus hastatus*. *V.* HASTATUS. — Pro milite hasta armato affertur illud *Ammian.* 27. 2. *ad fin.* Rex hostilium agminum cum paucis captus ab hastariis suffixus patibulo. Alii leg. *Ascariis*, alii melius *Ascuriis*, qui sunt milites in *Notitia Imp. Orient.* p. 1187. cum Erulis et Batavis inter auxilia Palatina recensiti, ex Ascura nempe Armeniæ majoris oppido. Apud *Veget.* 2. *Milit.* 2. hastarii iidem sunt qui hastati in R. militia. Optimæ tamen editiones habent *hastati*.

HASTĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *hasto.* — Scribitur etiam sine aspiratione, *V.* ASTATUS. — Ceterum hastatus est hasta armatus, *armato d'asta*, λογχοφόρος: et occurrit ¶ 1. Generatim. *Curt.* 3. 3. 20. Currum decem millia hastatorum sequebantur: hastas argento exornatas, spicula auro præfixa gestabant. *Id.* 4. 15. 13. Itaque Areten ducem hastatorum, Sarissophoros vocabant, adversus Scytas mittit. *Tac.* 2. *Ann.* 14. Prima utcumque acies hastata: ceteris præusta, aut brevia tela. *Stat.* 2. *Theb.* 718. Nec magis ardentes Mavors, hastataque pugnæ Impulerit Bellona tubas. *Val. Flacc.* 6. 120. Discolor hastatas effudit Hiberia turmas. ¶ 2. Speciatim hastati milites apud Romanos erant unum e quatuor peditum generibus, quibus legio constabat, (alii enim erant velites, alii hastati, alii principes, alii triarii) ita dicti, quod primo hastis brevibus pugnabant, uti docet *Varro* 6. *L. L.* 89. *Müll.* Hinc *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. *a med.* Hastati spargunt hastas: fit ferreus imber. Postea vero pilis et gladiis usi sunt: hastæ breves apud velites remanserunt. Erant hi flos juvenum pubescentium, ut *Liv.* 8. 8. loquitur: qui primi pugnam inibant, et si profligare hostem non possent, recipiebant se post principes, qui prælium resumebant, etc. Atque hæc intellige, republica stante; nam sub Cæsaribus immutata res est, et principes hastatis in acie antepositi, ut ex *Veget.* 1. *Milit.* 20. et 2. *ibid.* 8. et 15. et alibi colligitur. *Liv.* 22. 5. Pugna exorta est, non illa ordinaria per principes hastatosque et triarios. Adde *eumd.* 30. 8. — Hastatorum decem erant ordines, ut est apud *Ovid.* 3. *Fast.* 128. (Inde pares centum denos secrevit in orbes Romulus, hastatos instituitque decem), quorum primus dicebatur *primus hastatus*, alter *secundus*, et sic deinceps reliqui. *Liv.* 42. 34. In eo exercitu miles gregarius fui: tertio anno virtutis causa mihi T. Quintius decumum ordinem hastatum assignavit. *h. e.* centurionem fecit in postremo hastatorum ordine. Hinc enim primus fuit gradus ascendentium e gregaria militia. *Id. ibid. paullo post.* Hic me imperator dignum judicavit, cui primum hastatum prioris centuriæ assignaret. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 77. Quum signifer primi hastati signum non posset movere loco. *Cf. eumd.* 2. *ibid.* 31. 67. *Cæs.* 1. *B. C.* 46. Nostri in primo congressu circiter LXX. ceciderunt, in his Q. Fulginius ex primo hastato legionis XIV. Adde *Liv.* 26. 5. *ad fin.* — *Primus* et *secundus hastatus* sunt etiam nomina ejus, qui primo et secundo hastato præest, si fides est *Vegetio*, qui hæc de his habet 2. *Milit.* 8. Primus hastatus duas centurias, idest ducentos homines ducebat in acie secunda (*h. e. inter hastatos, quando, mutato ordine, post principes in acie locati sunt, ut dictum est*) quem nunc ducenarium vocant. *et mox.* Item secundus hastatus centuriam semis, idest centumquinquaginta homines regebat. *Inscrpt.* apud *Orell.* 3592. LEG. VII. GEM. HAST. PR. *h. e.* hastato primo, ut recte vidit *Borghesius* in *Ann. dell'Instit. Archeol. a.* 1850. p. 25. In *alia* mutila apud *Henzen.* 6783. legitur *hastatus prior*, in *alia* vero apud *eumd.* et quidem integra 6782. *hastatus primus.* — *Hastatus* etiam absolute de eo dici quidam putant, qui primum hastatum ducit, in illo *Flori* 1. 18. C. Minutius quartæ legionis hastatus, unius proboscide abscisa etc. Sic *Inscript.* apud *Orell.* 3453. SEX. FILONIVS SEX. F. STE. MODESTVS BENEVENTO. LEG. IIII. FF. (*h. e.* Flaviæ Felicis) III. HAST. *Hullmann. Misc. Epigr. p.* 28. interpretatur *tertius hastatus*: sed *Maffeius* legit *tertiæ* (*legionis*) *hastatus*. Ita *Lips. de militia R. l.* 2. *dial.* 8., ubi plura de his.

HASTĪFER, fĕra, fĕrum. adject. hastam ferens, hastatus. *Inscript.* apud *Reines. cl.* I. n. 163. MAMERIVS MAGISTER ASTIFERORVM. *degli alabardieri.* Ubi nota omissam aspirationem; nam et *asta* alicubi legitur: quod tamen non est imitandum. *Alia* Moguntiaci nuper reperta, quam misit *B. Borghesius* IN HONOREM DOMVS DIVINÆ DEAE VIRTVTI BELLONAE MONTEM VATICANVM VETVSTATE CONLAPSVM RESTITVERVNT HASTIFERI CIVITATIS MATTIACORVM X. KAL. SEPT. IMP. MAXIMINO AVG. ET AFRICANO COS. *h. e.* anno a Chr. n. CCXXXVI. Hæc eadem *Inscript.* non sine mendis legitur apud *Orell.* 4983. Num *hastiferi* pro interpretatione Latina *dendrophororum* habendi sunt? an pro militia quadam municipali? Hoc verum esse, *Mommsenius* putat se demonstrasse *Ber. der sächs. Ges.* 1852. 197.

HASTĪLE, is, n. 3. lignum hastæ, δόρυ (It. *il legno dell'asta, bastone*; Fr. *bois d'une lance, hampe*; Hisp. *hasta de una lanza, manco de pincel*; Germ. *d. Schaft d. Wurfspiesses*; Angl. *the long round piece of wood on which the iron of a spear is fixed*).

I.) Proprie. *Nepos Epam.* 9. Ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat. *Cic. Rabir. perduell.* 7. 21. Q. Scævola, confectus senectute, et membris omnibus captus ac debilis, hastili nixus. *Ovid.* 7. *Met.* 676. Qua tamen e silva teneas hastile recisum, Jamdudum dubito. *paullo ante*: ignota ex arbore factum Ferre manu jaculum, cujus fuit aurea cuspis. *Sil. It.* 9. 509. Et velut amento contorta hastilia turbo Adjuvat ac Tyrias impellit stridulus hastas.

II.) Translate. ¶ 1. Pars pro toto, hastile ponitur pro ipsa hasta. *Virg.* 1. *Æn.* 317. Bina manu lato crispans hastilia ferro. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 557. et 12. *ibid.* 489. *Ovid.* 8. *Met.* 28. Torserat adductis hastilia lenta lacertis. *Seneca Hippol.* 396. Laeva se pharetræ dabit: Hastile vibret dextra Thessalicum manus. *Juvenal.* 7. 127. curvatum hastile minatur Ennius. *Val. Flacc.* 6. 229. Vidit aquas, densa spargens hastilia dextra. ¶ 2. Item est quodvis lignum teres et oblongum, quale est in hasta. *Virg.* 3. *G.* 23. densis hastilibus horrida myrtus. *Id.* 2. *ibid.* 358. Tum leves calamos et rasæ hastilia virgæ Fraxineasque aptare sudes. *Colum.* 4. *R. R.* 12. 1. Singulis viticulis applicabimus — de vepribus hastilia, quibus adnectantur etc. Sic *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (212). Gracilitatem vitium firmare circumligatis hastilibus. *Cassiod.* 7. *Variar.* 15. *de columnis.* Quid dicamus moles illas sublimissimas fabricarum quasi quibusdam hastilibus contineri, et substantiæ qualitate concavis canalibus excavatas, ut magis ipsas æstimes fuisse transfusas?

HASTŪLA, æ, f. 1. *deminut. ab* hasta. ¶ 1. Est parva hasta vel virga, *picciol'asta o bacchetta*. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 31. Omnium percussarum arborum contra fulmina hastulæ surgunt. *nisi malis assulas legere, aut intelligere. Fronto de oration. ep.* 1. (edente iterum *A. Maio*) *a med.* Uti clipeo te Achillis in orationibus oportet, non parmulam ventilare, neque hastulis histrionis ludere. ¶ 2. *Hastula regia* a Latinis dicitur caulis asphodeli, ut *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 68. (109). docet. Tota item herba sic appellatur, ut innuit *Apul. Herb.* 32., quam Latini fortasse sic appellarunt, quia florens regii sceptri (quod brevis veluti hasta est) speciem refert: vel quia est herbarum clarissima: quam ob causam et heroion, ἡρώειος dicta est, ut *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 32. (67). scribit. Quare rectius *hastula*, quam *astula* scribitur. — *Hastula* alio sensu *V.* in ASTULA.

HAU. *V.* AU.

HAUD, adverb. seu particula negativa. Veteres pro *haud* dicebant *aud* et *aut*. Eodem enim modo et disjunctivam, et negantem particulam scribebant. In optimis libris etiam *haut* legitur, quod simile est atque *aput* pro *apud*, et *adque* pro *atque*. Sunt qui putent semper *haut* scribi oportere: sunt etiam, qui ita distinguunt, ut *haut* ante consonantes, *haud* ante vocales. Sed hæc nimis acuta videntur. Nunc est consuetudo, ut *haud* solummodo scribatur: quæ optimis libris et doctis viris defenditur. Ceterum *Vet. Grammat. Vatican.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 5. p. 270. col. 1.) *Haud* si sine aspiratione scribatur, et in *t* litteram exeat, erit conjunctio: si vero *haud* cum aspiratione scribatur, et in *d* litteram exeat, erit adverbium. — Denique etiam *hau* pro *haud* occurrit in *Inscript.* apud *Orell.* 4848. HEIC EST SEPVLCRVM HAV PVLCRVM PVLCRAI FEMINAE: quam scribendi rationem ex Codice *Ambros.* cl. *Ritschl.* intulit in *Plaut. Trin.* 2. 1. 8. et 2. 4. 6. (V. *Ritschl.*, *Prolegom.* ad *Plaut. Trin. p.* XCIX. et *p.* CCLXXV.), utrum recte, necne, viderint eruditi. — Ratione habita etymi, *Forcellino* videtur esse ab οὐδή vel οὐδ'; seu οὔτε vel οὔτ': nisi recta ab οὐ derivetur. — *Haud* significat non, nequaquam, οὐ, οὐκ (It. *no, certamente no*; Fr. *non pas, ne... certes pas*; Hisp. *no, no ciertamente*; Germ. *eben nicht, gerade nicht, gewiss nicht, nicht eben*; Angl. *not*). Habet quidem eamdem vim, quam *non*: sed usu differt; neque enim ubique *non* poni potest, ubi *haud* adhibetur. — 1.° Sæpissime cum Adverbiis jungitur. *Plaut. Bacch.* 4. 2. 13. Næ tibi hercle haud longe est os ab infortunio. *Id. Amph.* 1. 1. 166. Haud longe abesse oportet. *Cf. Nepos Datam.* 4. Cognoscit haud longe abesse. Adde *Sall. Jug.* 47. Similiter *Curt.* 5. 5. 5. Jamque haud procul urbe erant. Rursus *Plaut. Merc.* 3. 1. 44. Illi quidem haud sane diu est, quum dentes exciderunt. Sic *Ter. Adelph.* 5. 2. 8. Edepol comissatorem haud sane commodum. *Cic. Senect.* 2. 4. Rem haud sane difficilem admirari videmini. *Id. ibid.* 23. 83. Quo quidem me proficiscentem haud sane facile quis retraxerit. Adde *eumd.* 2. *Off.* 2. 5.; *Sall. Cat.* 37.; *Curt.* 10. 9. 14., 8. 9. 37. et alibi sæpe; *Sueton. Vitell.* 14.; et *Tac.* 3. *Hist.* 75. Rursus *Plaut. Pœn.* 4. 2. 40. Facio quod manifesto mœchi haud ferme solent. Sic *Ter. Andr.* 3. 1. 2. Fidelem haud ferme mulieri invenias virum. *Id. ibid.* 5. 4. 52. Haud ita jussi. *Id. Phorm.* 2. 1. 35. Haud ita est. *Cf. Nepos Pausan.* 1. Haud ita magna manu fugatus est. et *Liv.* 1. 33. et 30. 14. Haud ita multo post. Rursus *Ter. Eun.* 5. 9. 35. Eja, haud sic decet. *Id. Adelph.* 3. 4. 7. Haud sic auferant. *Plaut. Most.* 1. 2. 15. Proinde ut nunc ego esse autumo, haud aliter id dicetis. Adde *eumd. Bacch.* 3. 1. 2. Sic *Ter. Adelph.* 5. 8. 5. Haud aliter censeo. et *Virg.* 9. *Æn.* 65. Ac veluti lupus etc. Haud aliter Rutulo muros et castra

tuenti ignescunt iræ. Adde *Val. Flacc.* 2. 47. et *V.* ALITER. Similiter *Curt.* 7. 5. 3. Haud secus, quam continenti incendio cuncta torrentur. et *Virg.* 3. *Æn.* 236. Haud secus ac. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 17. Nam ego haud diu apud hunc servitutem servio. Sic *Ter. Eun.* 2. 3. 67. Haud diu est. Adde *Ovid.* 8. *Met.* 441. *Plaut. Pers.* 4. 3. 29. Haud dudum. *Id. Bacch.* 4. 8. 12. Scies haud multo post. *Ter. Phorm.* 5. 6. 39. Haud multo post recipit se intro. Adde *Sueton. Galb.* 19. *Tac.* 12. *Ann.* 2. et 14. *ibid.* 60. Haud unquam. *Cic.* 7. *Fam.* 1. Næ tu haud paullo plus, quam quisquam nostrum, delectationis habuisti. *Liv.* 41. 1. Haud amplius. *Plaut. Curc.* 2. 3. 26. Haud magis cupis. Adde *Lucan.* 5. 219. *Ter. Heaut.* 5. 2. 5. Haud minus ægre patior. Sic *Liv.* 2. 60. Laudibus haud minus, quam præmio, gaudent militum animi. *Lucan.* 5. 171. Haud æque. *Tac.* 2. *Ann.* 5. Haud perinde. *Sueton. Vesp.* 14. Haud ultra verba. *Val. Flacc.* 7. 650. Haud jam mendacem promissa reposcere regem Dignatur. Sic Haud dum, et Haud quaquam, *V.* HAUDDUM et HAUDQUAQUAM loco suo. *Tac.* 11. *Ann.* 33. Getæ prætorii præfecto haud satis fidebant. Adde *Cic.* 2. *Legg.* 18. 45. *Cic.* 1. *de republ.* 3. Sed haud facile dixerim. *Sall. Jug.* 17. De iis haud facile compertum narraverim. Adde *Liv.* 37. 52. et 36. 14.; *Colum.* 11. *R. R.* 1. 9.; *Curt.* 3. 6. 17.; et *Juvenal.* 3. 161. Similiter *Sall. Cat.* 14. Eorum animi molles et ætate fluxi dolis haud difficulter capiebantur. *Ter. Adelph.* 3. 3. 89. Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice. *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 329. Haud temere est, quod tu tristi cum mente gubernas. Sic *Virg.* 9. *Æn.* 375. Haud temere est visum. *Plaut. Amph.* 1. 1. 199. Familiaris accipiere faxo haud familiariter. *Ter. Heaut.* 2. 3. 82. Haud stulta sapis. *Id. Hecyr.* 1. 2. 20. Haud opinor commode finem statuisse orationi militem. *Sall. Jug.* 102. Postea loci consul haud dubie, jam victor pervenit in oppidum Cirtam. Adde *Liv.* 1. 9., 5. 33. et 27. 49.; *Curt.* 7. 1. 5., 8. 7. 7., 3. 9. 2. et 4. 13. 7.; et *Sueton. Cæs.* 55., *Cal.* 9. et *Galb.* 2. *Plaut. Curc.* 1. 2. 33. Mihi haud sæpe eveniunt tales hereditates. Sic *Sall. Jug.* 17. Morbus haud sæpe quemquam superat. *Cic. Quinct.* 3. 13. Haud mediocriter. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 40. Haud male. *Curt.* 8. 5. 13. Haud perplexe. *Id.* 3. 12. 11. Haud pretiose. *Sueton. Tit.* 6. Haud cunctanter. *Lucan.* 8. 824. Haud immerito. *Tac.* 3. *Hist.* 51. Haud absurde. — Huc referri potest et illud *Curtii*, ubi substant. *injuriâ* adverbii more usurpatur, 3. 5. 15. Inexperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta. — 2.°) Non ita sæpe Adjectivis. *Ennius* apud *Gell.* 20. 10. Haud doctis dictis certantes, sed male dictis. *Id.* apud *Cic. Senect.* 1. 1. Ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidei. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 6. At pol nitent, haud sordidæ videntur ambæ. *Id. ibid.* 5. 2. 42. Haud mala est mulier. *Id. ibid.* 3. 3. 50. Haud consimili ingenio, atque ille est. *Id. ibid.* 1. 2. 51. Compendium edepol haud ætati optabile fecisti. *Id. ibid.* 2. 3. 86. Haud permultum attulit. *Ter. Eun.* 2. 2. 4. Conveni hodie hominem haud impurum. Adde eumd. *Heaut.* 4. 1. 16. *Id. Adelph.* 5. 5. 5. Servum haud illiberalem te præbes. *Id. Heaut.* 2. 4. 8. Haud mirabile est. *Id. Hecyr.* 3. 5. 32. Haud invitus. *Id. Andr.* 3. 2. 49. Haud dubium est mihi, quin etc. Sic *Liv.* 4. 8., 31. 24., 39. 39. et 42. 14.; *Curt.* 9. 7. 21. et 5. 12. 3.; et *Sueton. Vesp.* 5., *Oth.* 5. et *Vitell.* 11. Haud dubio bello, haud dubia fiducia, haud dubium foret etc. *Cic.* 2. *de republ.* 31. Haud mediocris hic, ut ego quidem intelligo, vir fuit. Sic *Justin.* 6. 2. 4. Haud mediocrem fructum tulit. *Sall. Cat.* 3. Pulcrum est bene facere reipublicæ: etiam bene dicere haud absurdum est. Adde *eumd. ibid.* 25. *Liv.* 21. 1. Haud ignotæ belli artes, sed expertæ. *Justin.* 23. 2. Fraudi haud lætus eventus fuit. *Id.* 41. 4. Haud inferior velocitate. *Sueton. Ner.* 5. Haud ignarus. *Juvenal.* 13. 200. Haud impunitus. *Tac.* 15. *Ann.* 68. Haud nescius. *Id.* 2. *ibid.* 61. Haud leve decus. — Huc referri potest et illud *Plaut. Cas.* 2. 2. 26. Haud commodi el est. *h. e.* nihil. — 3.°) Cum Pronominibus. *Plaut. Amph. prol.* 130. Quem esse credent servum, haud quisquam quæret, qui siem, aut quid venerim. *Id. ibid.* 2. 2. 48. Eum salutat magis haud quisquam, quam canem. Adde *eumd. Bacch.* 1. 1. 25. Sic *Id. Amph.* 3. 3. 17. Faxo haud quicquam sit moræ. *Ter. Andr.* 2. 1. 36. At tu hercle haud quicquam mihi, nisi etc. *Id. ibid.* 3. 2. 15. Hic se ipsus fallit, haud ego. *Id. Hecyr.* 2. 3. 5. Haud pol me quidem. — 4.°) Cum Verbis; et quidem — *a*) Sæpe occurrit formula *haud scio an*, et est subjective (uti ajunt) dubitantis, ita tamen, ut in eam partem, quam dicit, propendeat: estque veluti temperatio alicujus sententiæ, quam aperte affirmare non audemus. *Cic.* 9. *Fam.* 15. Est id quidem magnum: atque haud scio an maximum. *a forse forse. Id.* 2. *Nat. D.* 4. 11. Vir sapientissimus, atque haud scio an omnium præstantissimus. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 10. Ut tibi tanti honores haberentur, quanti haud scio an nemini. *Id. Amic.* 14. 51. Atque haud scio, an ne opus sit quidem, nihil unquam omnino deesse amicis. *Id.* 5. *Fin.* 3. 7. Haud scio, an recte dixerim. *Cæs.* 5. *B. G.* 52. Idque adeo haud scio, mirandumne sit quum compluribus aliis de causis, tum maxime quod etc. — Aliquando ponitur pro dubito, non liquet. *Cic. Pis.* 17. 39. Atque haud scio, an malim, te videri nullo pudore fuisse, an amicos tuos plus habuisse pudoris etc. — *b*) Cum aliis Verbis. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 15. Haud scio, quid eo opus sit. *Id. ibid.* 2. 3. 89. Non edepol scio: verum haud opinor. *Id. ibid.* 2. 3. 42. Ingenium avidi haud pernoram hospitis. *Id. ibid.* 2. 4. 41. Haud nosco tuum. *Id. Bacch.* 4. 9. 133. Næ ego cum illo pignus haud ausim dare. *Id. ibid.* 5. 1. 30. xi. Quid dubitamus pultare? ph. Haud moror. *Id. Cist.* 1. 1. 49. et *Amph.* 5. 1. 72. Haud me pœnitet. *Id. Amph.* 1. 1. 30. Facit ille, quod vulgo haud solent. *Id. Pœn.* 4. 2. 36. Quamquam haud otium est. *Id. Mil. glor.* 4. 1. 34. Haud sum annos natus præter quinquaginta et quatuor. *Id. Bacch.* 5. 2. 34. Ego quod dixi, haud mutabo. *Ter. Andr.* 1. 1. 13. Haud muto factum. *Id. Heaut.* 2. 1. 10. Næ ille haud scit, quam mihi nunc surdo narrat fabulam. *Ennius* apud *Gell.* 5. 15. Philosophandum est paucis: nam omnino haud placet. *Cic.* 1. *de republ.* 15. Tum ille haud dubitavit postridie palam in castris docere, nullum esse prodigium. *Id.* 3. *Legg.* 11. 26. Haud equidem assentior; tu tamen ad reliqua perges velim. *Id. Senect.* 23. 82. Quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus maxime ad immortalitatem gloriæ niteretur. *Id. Harusp. resp.* 1. 2. Haud potest gravioribus a me verbis vulnerari, quam etc. *Phædr.* 3. 2. Damnum haud recusant. *Quintil.* 10. 3. 26. Quod somno supererit, haud deerit. *Prudent. Psychom.* 396. Haud nocet error. *Id. Hamartig.* 606. Haud experta diem. — Singulare est illud *haud erit ut* apud *Lucret.* 3. 715. quod si linquuntur et insunt, Haud erit, ut merito immortalis possit haberi. *h. e.* non fiet, fieri non poterit, ut etc. — *c*) Reperitur etiam cum alia negatione junctum, et adhuc negans more Græcorum. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 114. Neque ego haud committam, ut, si peccatum siet, fecisse dicas de mea sententia. *Id. Epid.* 5. 1. 57. Neque ille haud objiciet mihi, pedibus sese provocatum. *Id. Aulul.* 2. 4. 7. Haud non velles dividi. Adde illud *Sall. fragm.* apud *Donatum* ad *Ter. Andr.* 1. 2. *in fin.* Haud impigre, neque inultus occiditur. Hoc *Sallustii fragm.*, quod *Forcellinus* huc retulit, ad super. n. 1.° pertinere videtur. — Affirmat tamen in illo *Livii* 1. 3. Haud nihil ambigam (quis enim rem tam veterem pro certo affirmet?) hiccine fuerit Ascanius, an etc. — *d*) *Haud vidi magis* formula est ironica, affirmantis quidem et assentientis, sed cum ironia et irrisione. *Plaut. Amph.* 2. 2. 47. am. Exspectatus ne advenio? so. Haud vidi magis exspectatum. *nulla meno. Id. Pœn.* 1. 1. 12. Amans per amorem si quid feci, Milphio, ignoscere id te mihi, æquum est. mil. Haud vidi magis. Et ego nunc amore pereo: sine, te verberem. Adde *eumd. Capt.* 3. 4. 29. Simile est illud *Cic. Sext.* 51. 110. Est enim homo iste populo Romano deditus. Nihil vidi magis. — *e*) *Haud* pro non tam. *Tac.* 3. *Ann.* 8. Ad Drusum pergit, quem haud fratris interitu trucem, quam, remoto æmulo, æquiorem sibi sperabat. — *f*) Omisso verbo per ellipsin. *Plaut. Amph.* 1. 3. 5. al. Quid istuc est, quod tu tam subito domo abeas? iv. Edepol, haud, quod tui me neque domi distædeat. Cf. *Petron. Satyr.* 99. Haud mora. *subaudi* fit.

HAUDDUM, *quod et separatim scribitur* haud dum, adverb. nondum, *non ancora*. *Sil. It.* 2. 332. Concilione – pro superi! Ausonius miles sedet? armaque tantum Hauddum sumpta viro? Adde *Liv.* 33. 11., 10. 6. et 25., 22. 12. et 28. 2.

HAUDQUAQUAM, *quod et separatim scribi potest* haud quaquam, adverb. nullo modo, nequaquam, *in niun modo*, οὐδέπῃ, μηδενὶ τρόπῳ. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Haudquaquam quemquam semper Fortuna secuta est. *Ter. Heaut.* 1. 2. 1. Haudquaquam etiam cessant. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 38. Homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens. *Id. Amic.* 18. 66. Accedat huc suavitas quædam oportet sermonum atque morum haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ. *Id.* 2. *Orat.* 33. 143. Haudquaquam id est difficile. *Id. Tim.* 11. Haudquaquam boni est, ratione vinctum velle dissolvere. *Sall. Cat.* 3. Gloria haudquaquam par. *Liv.* 7. 26. Haudquaquam certamine ambiguo. Adde *eumd.* 8. 12., 5. 45. et 27. 26. *Virg.* 4. *G.* 454. tibi has miserabilis Orpheus, Haudquaquam ob meritum, pœnas, ni fata resistant, Suscitat. Adde *Curt.* 4. 2. 17. et 8. 8. 20.; et *Tac.* 2. *Hist.* 66.

HAURĬO, ris, si *et raro* rīvi *vel* rīi, stum *et raro* sum *aut* rītum, rire, a. 4. *Hauribant* pro *hauriebant* (quod in 4. conjugat. frequens est) dixit *Lucret.* 5. 1323. — De altero præterito *haurivi* vel *haurii* et *hauritum*, hæc habe. *Varro* apud *Priscian.* 10. *p.* 905. *Putsch.* Quum inde haurierint. *Apul.* 2. *Met.* Lagena facilis haurita. *Id.* 6. *ibid.* Indidem mihi de scaturigine rorem hauritum ista deferto urnula. *Juvencus in c.* 4. *Joann.* 2. *Evang. hist.* 253. Hauritura cavis putei penetralibus undas. — *Hausus sum* deponentis forma pro *hausi*. *Solin.* 5. *circa med.* Foramen, qua Ditem patrem, ad raptus Liberæ exeuntem, fama est lucem hausum. — Part. *Hauriens* II. 2.; *Haustus* in omnibus paragr.; *Hausturus* et *Haurturus* II. 3.; *Hauriendus* I. et II. 1. — Haurire de liquoribus dicitur, et est educere, extrahere, a Græca voce ἀρύω (It. *attingere, tirare o cavar fuori*; Fr. *puiser*; Hisp. *sacar agua de pozo, de rio, de fuente*; Germ. *durch Heraufziehen schöpfen, herausschöpfen*; Angl. *to draw, draw forth or out*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Divinat.* 50. 112. Quum vidisset haustam aquam de jugi puteo, terræ motum dixit instare. *Ovid.* 2. *Fast.* 294. palmis hausta duabus aqua. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 60. is neque limo Turbatam haurit aquam. *Ovid.* 4. *Met.* 740. Ipse manus hausta victrices abluit unda. — Et absolute. *Cic. Brut.* 83. 288. Num igitur, si potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? — Huc pertinet et proverbium *de fæce haurire*, *h. e.* ex mediocribus vel malis aliquid sumere. *Cic. Brut.* 69. 244. Tu quidem de fæce hauris. *V.* FÆX.

II.) Translate. ¶ 1. Stricto sensu occurrit de liquoribus, et est ebibere, exhaurire, vacuum reddere. — *a*) De hominibus. *Sueton. Vitell.* 10. Nec eo secius ad tolerandam gravitatem odoris plurimum meri propalam hausit. Sic *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (140). Ita vina ex libidine hauriuntur, atque etiam præmio invitatur ebrietas. *Id. ibid.* (146). Torquato rara gloria: non labasse sermone, dum biberet; matutinas obisse vigilias, plurimum hausisse uno potu, optima fide non respirasse in hauriendo, neque exspuisse. Sic *Virg.* 1. *Æn.* 742. Ille impiger hausit Spumantem pateram. *tutta bebbe, tracannò*. et *Ovid.* 8. *Met.* 679. haustum cratera repleri sponte sua. *h. e.* hauriendo absumptus, *votato*. *Id.* 277. Pocula arenti sitientes hausimus ore. Similiter *Liv.* 39. 50. Haurire pocula. Rursus *Ovid.* 15. *Met.* 320. Cui non audita est obscænæ Salmacis unda Æthiopesque lacus, quos si quis faucibus hausit, Aut furit, aut etc. *Curt.* 7. 5. 15. Sed qui intemperantius (*aquam*) hauserant, intercluso spiritu exstincti sunt. *Id.* 7. 5. 8. Hausto humore. *Sueton. Tit.* 2. Hausta potio. *Id. Tib.* 61., *Vitell.* 6., *Claud.* 44. et *Ner.* 2.; et *Tac.* 16. *Ann.* 16. *extr.* Haurire venenum. *prendere, bere*. *Cic. Sext.* 24. 54. Statim me perculso ad meum sanguinem hauriendum, et spirante republica ad ejus spolia detrahenda advolaverunt. Adde *Liv.* 7. 34. et 9. 1.; et *Lucan.* 1. 34. Sic *Curt.* 4. 14. 17. Multum enim sanguinis invicem hausimus. *Ovid.* 7. *Met.* 333. Stringite, ait, gladios, veteremque haurite cruorem. Adde *Val. Flacc.* 1. 818. — *b*) De inanimis. *Ovid.* 3. *Fast.* 592. cassus alveus haurit aquas. *h. e.* navis accipit in se insilientes turbati maris undas. Adde *Lucan.* 3. 577. et 8. 709. ¶ 2. Latiori sensu de omnibus etiam solidis dicitur pro extrahere, vorare, devorare, absorbere, absumere, consumere. — *a*) Sic pro extrahere *Lucret.* 6. 140. *de vento*. Arbusta evolvens radicibus

haurit ab imis. *svelle.* Sic *Ovid.* 11. *Met.* 187. humumque Effodit – terræque immurmurat haustæ. *tratta fuori, scavata.* *Id.* 8. *ibid.* 370. Actoridæ magni rostro femur hausit adunco. *Virg.* 10. *Æn.* 313. huic gladio perque ærea suta, Per tunicam squalentem auro latus haurit apertum. *h. e.* perfodit, confodit. Sic *Curt.* 7. 2. 27. et 9. 5. 11.; et *Lucan.* 1. 13. Haurire alicui latus gladio, vel mucrone. *Lucret.* 5. 1323.; *Ovid.* 5. *Met.* 126. et 9. *ibid.* 412.; *Lucan.* 10. 387.; et *Sil. It.* 1. 392. et 5. 525. latus alicui. *Ovid.* 8. *Met.* 438. pectora ferro. *Liv.* 7. 10. *a med.* Uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit. *Tac.* 1. *Hist.* 41. Haurire jugulum. *Ovid.* 13. *Met.* 564. lumen. *h. e.* oculos eruere. *Sil. It.* 14. 597. Haustis manipliis. *h. e.* pestilentia absumptis. Cf. *Val. Flacc.* 6. 551. peditem pedes haurit Amastrum. Similiter *Ovid.* 8. *Met.* 538. Post cinerem cineres haustos ad pectora pressant. *h. e.* sumptos, collectos. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 425. Sic *Id.* 14. *ibid.* 136. ego pulveris hausti Ostendens cumulum etc. *et* 9. *ibid.* 35. Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis. — Huc pertinent etiam illa *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. 32. Sumptum haurit ex ærario, suppeditat a sociis. *h. e.* sumit, capit. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 1. 51. At suave est ex magno tollere acervo. Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas, Cur etc. — *b*) Pro vorare, devorare. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 11. Quia dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hauriunt. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 14. 14. (36). In India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant cervos taurosque. *ingojano.* *Capitolin. Clod. Alb.* 11. Pomorum tantum hausit etc. *Pallad.* 12. *R. R.* 13. 2. Haurire ubera. Cf. *Cic.* 11. *Phil.* 5. 10. Quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cujus sanguinem non bibere censetis? *Martial.* 9. 83. Hausisti patrias luxuriosus opes. *hai divorato.* *Tac.* 16. *Ann.* 18. Habebatur non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. *i più di coloro che consumano, che mangiano il suo.* *Id.* 13. *ibid.* 42. Haurire provincias. *emungere* (*Id.* 11. *ibid.* 25. exhaurire provincias *eod. sensu* dixit). *Id.* 1. *Hist.* 67. plus prædæ. — *c*) Pro absorbere. *Quintil.* 6. *procem.* 12. Tuum corpus frigidum exsangue complexus, animam recipere auramque communem haurire amplius potui? *Virg.* 10. *Æn.* 898. ut auras Suspiciens hausit cælum. *respirò.* Cf. *Ovid.* 14. *Met.* 129. et suspiratibus haustis. *e tratto un sospiro.* Rursus *Virg.* 2. *G.* 340. Quum primæ lucem pecudes hausere. *principiarono a vedere.* *Ovid.* 10. *Met.* 253. ignes. *h. e.* concipere, attrahere. Sic *Id.* 8. *ibid.* 325. flammas. *h. e.* amorem concipere. Cf. *Stat.* 1. *Achill.* 303. totisque novum bibit ossibus ignem: Nec latet haustus amor. — *d*) Item pro absorbere, atque adeo absumere, consumere. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 24. (119). Hauriri urbes terræ hiatibus. *restare ingojate.* *Id.* 2. *ibid.* 80. 82. (193). Mœnia hiatu profundo hausta. *Tac.* 5. *Hist.* 12. Quum præaltis paludibus arma, equi haurirentur. *Id.* 1. *Ann.* 70. Hauriuntur gurgitibus. *Liv.* 29. 32. in gurgitem. *Id.* 30. 28. in profundum. *Sil. It.* 4. 578. cadavera haurit vortex. *Curt.* 8. 11. 12. Lapsos amnis hausit. *Seneca Agamemn.* 499. hausit redditum mare. *Flor.* 3. 11. 3. Euphrates hausit signa. *Val. Flacc.* 4. 48. Domus hausta fluctu. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 12. 17. (108). Oppidum lacu Fucino haustum. *Liv.* 33. 41. Naves haustæ mari. *Ovid.* 3. *Fast.* 600. Puppis et, expositis omnibus, hausta perit. *Liv.* 5. 7. Horæque momento simul aggerem ac vineas, tam longi temporis opus, incendium hausit. *Tac.* 4. *Hist.* 60. Cunctos incendium hausit. *Liv.* 30. 5. *extr.* Multos in ipsis cubilibus semisomnos hausit flamma. *Tac.* 12. *Ann.* 58. Bononiensis colonia igni hausta. — Huc pertinent et poetica illa *Virg.* 4. *G.* 427. cælo et medium sol igneus orbem Hauserat. *avea trascorso e finito.* *Stat.* 1. *Theb.* 368. Incertusque viæ per nigra silentia vastum Haurit iter. *h. e.* celeri passu conficit et quasi viam devorat. *Virg.* 3. *G.* 105. exsultantiaque haurit Corda pavor pulsans. *h. e.* ferit, percellit. *Stat.* 1. *Theb.* 537. pariter palllorque ruborque Purpureas hausere genas. *h. e.* abstulere purpureum colorem genarum. ¶ 3. Per metaphoram ponitur — *a*) Pro capere, tollere, mutuare, sumere, percipere. *Cic.* 1. *Off.* 2. 6. E fontibus eorum (*Stoicorum*) judicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo videbitur, hauriemus. Adde eumd. *Arch.* 6. 13. *Id.* 1. *Orat.* 46. 203. Equidem vobis fontes, unde hauriretis, atque itinera ipsa putavi esse demonstranda. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 8. Meos amicos ad Græcos ire jubeo, ut ea a fontibus potius hauriant, quam rivulos consectentur. *Id.* 1. *Fin.* 21. 71. Omnia dixi hausta e fonte naturæ. *Id.* 6. *Fam.* 6. 9. Eodem fonte se hausturum intelligit laudes suas, e quo sit leviter aspersus. *Id. Cæcin.* 27. 78. Cujus tantum est ingenium, ita prompta fides, ut, quidquid inde haurias, purum te liquidumque haurire sentias. *Id. Mil.* 4. 10. Est hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus. *Id. Brut.* 97. 332. Quas (*artes*) quum domo haurire non posses, arcessivisti ex urbe ea (*h. e.* Athenis), quæ etc. *Id.* 2. *Divinat.* 11. 26. Divinitas, unde omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos habemus. *Id.* 1. *ibid.* 32. 70. Qua ratione Cratippus noster uti solet, animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos et haustos. *Curt.* 5. 5. *in fin.* Utinam Darius aliquid ex hac indole hausisset! Rursus *Cic.* 1. *de republ.* 43. Quum inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti, malisque usus ille ministris, non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hauserit etc. Sic *Liv.* 39. 26. Haurire libertatem. Rursus *Cic.* 5. *Tusc.* 6. 16. Quoque affluentius voluptates undique hauriat, eo gravius ardentiusque sitientem. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 2. Sic *Petron. Satyr.* 22. Minimum veluti gustum hauseram somni. *Cic.* 1. *Tusc.* 35. 86. Is propagatione vitæ quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates! *patì, esanclavit.* Cf. *Virg.* 4. *Æn.* 382. Spero equidem, in mediis, si quid pia numina possunt, Supplicia hausurum scopulis. *h. e.* passurum, luiturum, pœnas daturum. *Al. leg.* hausturum. *Cic. Cæl.* 24. 59. Vidi enim, vidi, et illum hausi dolorem vel acerbissimum in vita, quum etc. Adde *Sil. It.* 6. 85. Rursus *Cic. Sext.* 29. 63. Luctum nos hausimus majorem, dolorem ille animi non minorem. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 78. unde laboris Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus. *Virg.* 10. *Æn.* 648. Credidit atque animo spem turbidus hausit inanem. *concepì.* Sic *Tac.* 1. *Hist.* 51. Expugnationes urbium, populationes agrorum, raptus penatium hauserant animo. *Claudian. B. Get.* 80. Opes urbis profunda mente haurire. *Virg.* 12. *Æn.* 26. simul hoc animo hauri. *attendi, intendi.* *Horat.* 2. *Sat.* 4. 95. haurire vitæ præcepta beatæ. *Ovid.* 13. *Met.* 787. haurire dicta auribus. *Virg.* 4. *Æn.* 359. vocemque his auribus hausi. *sentii.* *Id. ibid.* 661. Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus. *vegga, goda dello spettacolo.* *Sil. It.* 11. 284. haurire faciem ignotam oculis mirantibus. *Liv.* 27. 51. Oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes. — *b*) Et absolute pro audire, *Val. Flacc.* 1. 262. stupet in ducibus, magnumque sonantes Haurit.

HAURĪTOR, ōris, m. 3. qui haurit, haustor. *Petr. Chrysol. serm.* 86. Hierosolymitanus fons abundat, quum impellit Angelus, non quum sitit hauritor.

HAURĪTŌRIUM, ii, n. 2. V. voc. seq.

HAURĪTŌRIUS, a, um, adject. hauriendo factus. *Hauritoria rota*, et absolute *Hauritorium* in *Gloss. Philox.* Hauritorium, ἀντλητήριον.

HAURĪTUS, a, um. *V.* HAURIO.

HAUSTĪO, ōnis, f. 3. actus hauriendi. Affertur a *Priscian.* 4. p. 623. *Putsch.*, nullo tamen auctore laudato.

HAUSTOR, ōris, m. 3. qui haurit, aut bibit. *Lucan.* 9. 591. Ultimus haustor aquæ. Adde *Firmic.* 8. *Mathes.* 29. Sic *Inscript.* apud *Kellermann. Vig. laterc.* p. 74. et apud *A. Mai. Coll. Vat. T.* 5. p. 315. AVSTORIBVS (*scribe* haustoribus) IN CVPA VNA NVMM. XXX. Hæc *Inscript.* est apud *Henzen.* 5089.

HAUSTRUM, i, n. 2. ἄντλιον, machinæ genus est, teste *Budæo*, rotam habens, qua calcata aquam e puteis, vel fluminibus haurimus: ab *haurio*. Sed *Nonius* p. 13. 5. *Merc.* mavult, haustra esse ipsos cados, *h. e.* situlas, in hujusmodi machinis, quibus aqua hauritur. Alii dicunt haustra vocari, quæ *Vitruv.* 10. 9. sunt modioli rotæ additi ad aquam hauriendam: quod cum *Nonii* sententia fere convenit. *Lucret.* 3. 517. Ut fluvios versare rotas atque haustra videmus. *V.* GIRGILLUS.

HAUSTUS, a, um. *V.* HAURIO.

HAUSTUS, us, m. 4. eductio liquoris ex aliquo loco, ἄντλησις, *cavamento, estrazione.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Colum.* 1. *R. R.* 5. 1. Putealis quæratur aqua, quæ non sit haustus profundi. *Juvenal.* 3. 227. facili puteus diffunditur haustu in plantas. ¶ 2. Latiori sensu est etiam jus hauriendi aquam e puteo, aut fonte vicini. Hinc *haustus* mentio fit in lapidibus sepulcralibus, in quibus de *itu*, *aditu* et *ambitu*: nam præter hæc tria jura aliquando jus haustus addebatur, propter usum aquæ in inferiis et sacrificiis mortuorum. *Cic. Cæcin.* 26. 74. Aquæ ductus, haustus, iter, actus a patre, sed recta auctoritas harum rerum omnium a jure civili sumitur. Adde *Ulp. Dig.* 8. 3. 1. et *V.* AMBITUS.

II.) Figurate. ¶ 1. Poetice et apud prosarios argentei ævi scriptores est ipse hauriendi ac bibendi actus, *sorso, bibita.* *Lucret.* 1. 413. largos haustus e fontibu' magnis Lingua meo suavis diti de pectore fundet. *Ovid.* 3. *Fast.* 274. Sæpe sed exiguis haustibus inde (*h. e.* e rivo) bibi. *a piccioli sorsi.* *Virg.* 4. *G.* 229. haustu sparsus aquarum Ora fove. *Ovid.* 6. *Met.* 356. Haustus aquæ mihi nectar erit. *una bibita.* Sic *Lucan.* 3. 345. haustus undarum. *Id.* 7. 450. Bacchi (*h. e.* vini) tibi sumimus haustus. Cf. *eumd.* 4. 118. accipe nunc nostri quoque sanguinis haustus. *Flor.* 3. 21. 15. Catulus se ignis haustu ludibrio hostis exemit. *coll' ingoiare del fuoco.* *Virg.* 4. *G.* 220. Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus Ætherios dixere. *h. e.* divinos spiritus: haurire nempe eas e cælo spiritum. *Curt.* 5. 5. 19. Alium domi esse cæli haustum, alium lucis aspectum. *altra aria, altro clima.* Sic *Cod. Theod.* 9. 47. 23. Auræ communis haustus. *Ammian.* 23. 6. *de margaritis.* Pro qualitate haustuum. *Lucret.* 5. 1068. Canes suspensis teneros imitantur dentibus haustus. *Ovid.* 13. *Met.* 526. tibi munera matris Contingent fletus, peregrinæque haustus arenæ. *un pugno di terra*, quod *Horat.* 1. *Od.* 28. 25. arenæ particulam dixit. Cf. *Stat.* 10. *Theb.* 427. angusti puero date pulveris haustus. ¶ 2. Translate. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 10. Pindarici fontis qui non expalluit haustus. *h. e.* ausus est Pindarum imitari. *Quintil.* 12. 2. 31. Hinc mihi ille justitiæ haustus bibat, hinc sumptam libertatem in causis atque consiliis præstet.

HAUT. *V.* HAUD.

HĂVE et HĂVEO. *V.* AVE et AVEO.

HE

HĔAUTONTĪMŌRŪMĔNOS, i, m. 2. *il maceranteși*, ἑαυτὸν τιμωρούμενος, ipse se puniens, ut *Cic.* vertit 3. *Tusc.* 27. 65. Græca vox, qua inscribitur una ex comœdiis *Terentii*, in qua senex Menedemus seipsum parce et duriter accipit excruciatque, quod sævitia sua filium Cliniam in militiam proficisci compulerit. *Ter. Heaut. prol.* 5. Hodie sum acturus Heautontimorumenon. *Gell.* 4. 9. Idcirco ait Terentius in Heautontimorumeno, Tam quod dem ei, etc. De eadem comœdia loquitur *Horat.* 1. *Sat.* 2. 20. ita ut pater ille, Terenti Fabula quem miserum gnato vixisse fugato Inducit, non se pejus cruciaverit, atque hic.

HEBDŎMĂDA, æ, f. 1. ἑβδομάς, *settenario, settimana*, idem quod hebdomas. *Gell.* 3. 10. 14. Eosque dies omnium maxime κριτικοὺς ἢ κρισίμους cuique videri, primam hebdomadam et secundam et tertiam. *et in fin.* Se quoque jam duodecimam annorum hebdomadem ingressum esse (*h. e. annum quartum et octogesimum*), et ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse. *h. e.* quadringentos et nonaginta. De *Varrone* loquitur. Adde *Vulgat. interpr. Dan.* 9. 27. Ceterum de Hebdomada V. *Pitture d'Ercolano*, *T.* 3. *tav.* 50.

HEBDŎMĂDĀLIS, e, adject. ad hebdomadam pertinens. *Sidon.* 9. *Ep.* 3. *a med.* In Lugdunensis Ecclesiæ dedicatæ festis hebdomadalibus.

HEBDŎMĂDĀRION, ii, m. 2. bestia, de qua *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 27. Bestiam quoque vidimus prægrandi admodum et inopinabili magnitudine, quam hebdomadarion vocant, adeo immensæ potentiæ, ut illi perfacile insistentes etiam super dorsum elephantos cerneremus. *Fortasse est mendum scripturæ pro dromadarion.*

HEBDŎMAS, adis, f. 3. ἑβδομάς, *settimana, numero settenario.* — De recentiori forma *V.* HEBDOMADA. — Hebdomas non solum de diebus dici-

tur, sed etiam de annis, et quibuscumque rebus, quæ septenario numero comprehenduntur. *Gell.* 3. 10. M. Varro in primo librorum, qui inscribuntur *Hebdomades vel de Imaginibus* septenarii numeri, quem Græci ἑβδομάδα appellant, virtutes potestatesque multas dicit. *Varro* apud *eumd. ibid.* Septima autem fere hebdomade, idest nono et quadragesimo die, totus homo in utero absolvitur. *Gell.* 15. 2. In conviviis juvenum, quæ agitare Athenis, hebdomadibus lunæ, solemne fuit. *h. e.* septimo quoque lunæ die. Narrat *Dio* 37. 18. ex Ægypto Romam deductum fuisse usum hebdomadis. V. *Creuzer, Relig. T.* 1. *p.* 903. — Usurpatur etiam de criticis medicorum diebus, qui conficiuntur ex numero septenario, et in morbis certa vel salutis, vel mortis signa afferre solent. *Cic.* 16. *Fam.* 9. 3. Simphoniam Lysonis velim vitasses, ne in quartam hebdomada incideres. *Manut.* legit *hebdomadem:* alii *hebdomadam.*

HEBDŎMĂTĬCUS, a, um, adject. ad hebdomadam pertinens. *Firmic.* 4. *Mathes.* 14. *a med.* Septeni et noveni anni, qui hebdomatici a Græcis atque enneatici appellantur. *h. e.* critici: *V.* ENNEATICUS.

HĔBĔNUS. *V.* EBENUS.

HĔBĔO, es, ere, n. 2. hebes sum, ἀμβλύνομαι (It. *essere ottuso*; Fr. *être émoussé*; Hisp. *ser embotado*; Germ. *stumpf sein*; Angl. *to be blunt*).

I.) Proprie. *Liv.* 23. 45. Num ferrum hebet, an dexteræ torpent?

II.) Translate est tardum pigrumque esse, torpere, non sentire. *Virg.* 5. *Æn.* 395. gelidus tardante senecta Sanguis hebet, frigentque effetæ in corpore vires. *Val. Flacc.* 4. 41. Corpus hebet somno. *è languido. Id.* 5. 371. Stella hebet. *impallidisce. Lucan.* 1. 662. sidus. *Tac. Germ.* 15. Delegata domus cura feminis senibusque, ipsi hebent. *h. e.* otio torpent, desidia agunt. *Auson. epigr.* 60. Quid stolidi ad speciem nota novitatis hebetis? *h. e.* obstupescitis. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 48. Temporis adversi sic mihi sensus hebet. *Val. Flacc.* 1. 53. Olim annis ille ardor hebet. *è smorzato. Stat.* 11. *Theb.* 336. hebent iræ.

HĔBES, ĕtis, adject. omn. gen. — *Hebem* pro *hebetem* dixit *Ennius* (juxta *Forcellinum* vero *Cæcilius*, at V. *Ennianæ poes. rel. p.* 63. ed. *Vahlen*) apud *Charis.* 1. *p.* 107. *Putsch.* — Comp. *Hebetior* in omnibus paragr.; Sup. *Hebetissimus* II. 2. — Hebes est obtusus, retusus, minime acutus: et proprie de ferro dicitur, cujus acies obtusa est, ἀμβλύς (It. *ottuso, spuntato*; Fr. *émoussé, qui a perdu sa pointe*; Hisp. *embotado*; Germ. *stumpf*; Angl. *blunt, dull, obtuse*).

I.) Proprie. *Hebes* opponitur *acuto*, ut apud *Ovid.* 3. *Art. am.* 589. Ponite jam gladios hebetes, pugnetur acutis. Cf. *Quintil.* 8. 3. 49. et 2. 12. 8. Ceterum *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 53. Hebes machæra. *Lucret.* 5. 1273. aurum jacebat Propter inutilitatem, hebeti mucrone retusum. *Cic. Harusp. resp.* 1. 2. Tela leviora atque hebetiora. *Curt.* 4. 16. 18. et 9. 3. 10. Hebes telum. *Juvenal.* 11. 140. ferrum. *Id.* 8. 137. securis. Sic *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 122. 2. *Merc.* Lunæ alias hebetiora, alias acutiora videntur cornua. *Frontin. de form. agr. p.* 32. *Goes.* Hebes angulus. *ottuso. Ovid.* 12. *Met.* 85. hebeti pectus contudit ictu. *con colpo che non fa piaga.*

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de quinque sensibus ad percipiendum tardis, vel de iis quæ ad quinque sensus referuntur. *Sueton. Ner.* 51. Oculi hebetiores. Sic *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 20. (50). Oculus natura hebes. *Sueton. Domit.* 18. Hebes acies oculorum. *Ovid.* 5. *Fast.* 365. quia nec flos est hebeti, nec flamma colore. *non vivace, smorto, pallido,* splendorem non habens. Sic *Stat.* 2. *Achill.* 288. lampas. et *Avien. Arat.* 455. lux. et *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 26. (98). Hebetiores carbunculi. *Cic. Planc.* 27. 66. Postea quam sensi populi Romani aures hebetiores, oculos autem esse acres atque acutos etc. Adde *eumd.* 6. *de republ.* 18. *Quintil.* 1. 11. 14. Hebetiores litteræ. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 39. (67). Croci genus unum hebes, alterum odoratum. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 4. Uva gustu hebes, insipida. *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 7. Os hebes est, positæque movent fastidia mensæ. *h. e.* cibi suavitatem non sentit. *Cels.* 7. 6. Caro hebes. *morta.* ¶ 2. Sæpe refertur ad animum, estque idem quod stupidus, tardus ad intelligendum, acumine carens: item usurpatur de abstractis. — *a*) De animalibus eorumque facultatibus. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 8. 31. Sensus omnes hebetes et tardos esse arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas, quæ subjectæ sensibus viderentur. Cf. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 17. (76). Puer incessu tardus, sensu hebes. *Id.* 9. *ibid.* 30. 48. (90). Tanta solertia animalium hebetissimis quoque est. *Sall.* 2. *Orat. ad Cæs. a med.* Bibulus linguâ hebes. *Cic.* 2. *Divinat.* 50. 103. Epicurus, quem hebetem et rudem dicere solent Stoici. *Id.* 9. *Att.* 17. Tu quæso cogita, quid deinde. Nam me hebetem molestiæ reddiderunt. *Quintil.* 7. 1. 48. Nisi qui sit plane hebes. Adde *eumd.* 4. 2. 66. *Tac.* 14. *Ann.* 11. Quis adeo hebes inveniretur, ut crederet? *tanto sciocco e stupido. Plin.* 6. *Ep.* 2. 6. Hebetes et tardi. *Sall. Jug.* 54. Cogebat exercitum numero hominum ampliorem, sed hebetem infirmumque. *h. e.* rudem. — Cum additis. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 13. Neque hebes ad id, quod melius est, intelligendum. *Tac.* 2. *Hist.* 99. Quantum hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. *Curt.* 7. 4. 10. Natura mortalium hoc quoque nomine prava et sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio hebetior est, quam in alieno. Sic *Colum.* 6. *R. R.* 30. 3. Hebetes in voluptate. — *b*) De rebus et abstractis. *Cic. Orat.* 64. 216. Ne spondeus quidem funditus est repudiandus: etsi, quod est e duabus longis, hebetior videtur et tardior. *Id.* 2. *Fin.* 6. 17. Dicam, si potero rhetorice, sed hac rhetorica philosophorum, non nostra illa forensi, quam necesse est, quum populariter loquatur, esse interdum paullo hebetiorem. *più grossolana. Id.* 10. *Phil.* 8. 17. Hoc Pansa aut non videt (hebeti enim ingenio est), aut negligit. Sic *Id.* 2. *Nat. D.* 6. 17. Hebetiora ut sint hominum ingenia propter cæli pleniorem naturam. *Quintil.* 8. 3. 49. Quædam hebes, sordida, jejuna oratio. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (119). Hebes ratio. *h. e.* crassior et minime ingeniosa. *Cic.* 3. *Att.* 3. *circa med.* Dolor hebes.

HĔBESCO, is, ere, n. inchoat. 3. hebes fio, ἀμβλύνομαι (It. *divenir ottuso*; Fr. *s'émousser, s'affaiblir*; Hisp. *embotarse*; Germ. *stumpf werden, matt werden*; Angl. *to grow blunt, dim, or languid*).

I.) Proprie. *Sueton. Tib.* 68. Deinde rursum oculi hebescebant. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 50. 51. (168). Hebescunt sensus, membra torpent, præmoritur visus, auditus, incessus. *Id.* 37. *ibid.* 5. 20. (76). Berylli hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur. *Alii aliter leg. Sil. It.* 12. 653. fulgor. *Tac.* 1. *Ann.* 30. Sidera hebescunt. *s'ecclissano.*

II.) Translate. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 73. Mentis acies seipsam intuens nonnunquam hebescit. *Id.* 1. *Cat.* 2. 4. Patimur hebescere aciem horum auctoritatis. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 6. Quis reprehendet nostrum otium, qui in eo non modo nosmetipsos hebescere et languere nolumus, sed etiam, ut pluribus prosimus, enitimur? *Sall. Cat.* 12. Postquam divitiæ honori esse cœperunt, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi. *h. e.* nitorem ac vim amittere, obscurari, negligi, non tam acriter exerceri, ut antea. *Tac.* 2. *Hist.* 77. Hos ira, odium ad virtutem accendit: illi per fastidium et contumaciam hebescunt. *h. e.* languescunt, pigri fiunt. *Sil. It.* 8. 20. siccasque cruore inter tela sitis Mavortis hebescere dextras.

HĔBĔTĀTĬO, ōnis, f. 3. idem quod hebetudo. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 16. (58). Medetur et lumborum dolori, oculorum hebetationi, mente captis et melancholicis. *debolezza, caligine.*

HĔBĔTĀTRIX, icis, f. 3. quæ hebetat et obtundit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 13. 10. (57). Umbra hebetatrix. *che ecclissa.*

HĔBĔTĀTUS, a, um. *V.* HEBETO.

HĔBĔTESCO, is, ere, n. inchoat. 3. (hebes) hebesco, hebes fio, *divenire ottuso.*

I.) Proprie. *Fronto de differ. voc. p.* 2204. *Putsch.* Hebescit, quod natura obstupescit; hebetescit, quod amittit aciem. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 23. (79). Aciem in cultris tonsorum hebetescere. Cf. *Cels.* 6. 6. *n.* 37. Acies oculi hebetescit ac pæne caligat.

II.) Translate. *Scribon. Compos.* 56. Dolor hebetescit.

HĔBĔTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (hebes). *Hebetarat* per syncopen pro *hebetaverat* est *Ovid.* 5. *Met.* 444. — Part. *Hebetans* II. 1. et 2.; *Hebetatus* in omnibus paragr. — Hebetare est hebetem reddere, obtundere, ἀμβλύνω (It. *rendere ottuso*; Fr. *émousser, rendre moins pointu*; Hisp. *embotar, engrosar los filos y puntas de las armas*; Germ. *abstumpfen*; Angl. *to make blunt, or dull, hebetate*).

I.) Proprie de ferro dicitur, cujus acies obtunditur. *Liv.* 8. 10. Quum hastas aut perfregissent, aut hebetassent. *Sil. It.* 16. 105. Jam campi vallesque madent, hebetataque tela. *Plin. Paneg.* 18. Hebetare gladios. *Sil. It.* 8. 499. Vipereumque herbis hebetare et carmine dentem. *legare, agghiacciare.* Adde *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 45. (107).

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de quinque sensibus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 21. (47). Porrum oculorum aciem hebetat. *Lactant.* 6. 2. Hebetati oculi. *Virg.* 1. *Æn.* 604. nubes, quæ nunc obducta tuenti Mortales hebetat visus tibi. *Ovid.* 5. *Met.* 444. alma dies hebetarat sidera. *avea fatto impallidire. Plin.* 2. *Hist. nat.* 13. 10. (57). Lunam convenit umbra terræ hebetari. *ecclissarsi. Id.* 37. *ibid.* 5. 18. (69). Smaragdos in sole hebetari, in umbra fulgere. *Id. ibid.* 7. 25. (98). Multi Indicos carbunculos hebetari scribunt. *Id.* 28. *ibid.* 7. 23. (82). Hebetata aspectu specula recipere nitorem. *appannati. Cels.* 2. 1. Auster aures hebetat. *Apul.* 2. *Florid.* 17. Hebetare vocem. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. (70). Primores dentes vocis sermonisque regimen tenent, mutilantes, mollientesve, aut hebetantes verba. *rendendole di fiacco suono. Id.* 21. *ibid.* 7. 18. (35). Odor suavior e longinquo, propius admotus hebetatur. *Id.* 24. *ibid.* 11. 64. (105). Gummium genera amaritudines hebetant. *h. e.* leniunt, minuunt. *Id.* 23. *ibid.* 4. 40. (80). Oleum venena omnia hebetat. *Id.* 18. *ibid.* 12. 30. (118). Faba hebetare sensus existimata. *Ovid.* 7. *Met.* 210. Vos mihi taurorum flammas hebetastis. *ammorzaste.* Cf. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (191). Gemmas vitium frigore hebetari. *perdere il vigore.* ¶ 2. Refertur ad animum et abstracta. *Ammian.* 19. 7. Cataphracti hebetati. *Id.* 28. 6. Quos inopinus hebetaverat pavor. Adde *eumd.* 27. 2. *Sueton. Claud.* 2. Animo simul et corpore hebetato. *Ovid.* 4. *Pont.* 1. 17. Lethe hebetane pectora. *che toglie la memoria. Plin.* 8. *Ep.* 14. Hebetatum ingenium. *Ammian.* 17. 10. mentes. *Justin.* 6. 8. Reipublicæ vires hebetatæ. Cf. *Val. Max.* 7. 2. Nervos prisci roboris hebetare. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 24. (38). Vino tristitia et cura hebetatur. *Ammian.* 21. 11. Hebetare ausa. *Id.* 17. 5. Formido hebetat excursus. *Id.* 19. 2. Strages tenebræ hebetaverunt.

HĔBĔTŪDO, inis, f. 3. *ottusità*, ἀμβλύτης, hebetatio rei alicujus carentis acumine: et translate stupiditas, vel tarditas mentis, seu ingenii, visus, et similium. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 14. Hebitudo sensuum. *Est qui malit* habitudo; *sed nihil mutandum: est enim* hebitudo *pro* hebetudo, *ut in* Not. Tir. p. 155. *legitur etiam* ebitudo. *Augustin.* 7. *Civ. D.* 21. Propter superbam istorum hebetudinem.

HĔBRĀĬCĒ, adverb. Hebræorum lingua. *Lactant.* 4. 7. *in fin.* Hebraice Messias dicitur.

HĔBRĪA. *V.* BRIA.

HĔCĂTOMBE, es, f. 1. ἑκατόμβη, sacrificium centum boum, et generatim centuria quarumcumque victimarum, sed tamen unius generis, ut centum suum, centum ovium etc., quæ ad centum aras uno loco constructas ex cespite mactabantur: ab ἑκατὸν *centum* et βοῦς *bos.* Aliqui dicunt centum pro multis poni. Aliorum opinio est, hecatomben dictam esse a numero sacrificantium, quod centum Peloponnesi urbes eam facerent, sive centum victimas, sive unam immolarent. Si imperatorium sacrificium esset, centum leones, vel centum aquilæ, aut centum alia animalia præstantis generis feriebantur. Hecatombas vovere, Græcis et Romanis antiqui moris fuit, quum pestilentia affligerentur. *Capitolin. Maxim.* et *Balbin.* 11. et *Maximin. duob.* 24. et *Vopisc. Tacit.* 12. Voce ipsa usus est et *Varro* apud *Non. p.* 131. 19. *Merc.* Habes, cujus rei causa fecerim hecatomben. *Capitolin. Vopisc. Tacit.* 12. Hecatomben promittere. Adde *Juvenal.* 12. 101. — In plurali num. *Trebell. Gallien.* 9. Confecto itinere, celebratisque hecatombis. *V.* et voc. seq.

HĔCĂTOMBĬON, ii, n. 2. idem quod hecatombe. *Sidon. carm.* 9. 205. post hecatombion litatum.

HĔCĂTOMPȲLOS, i, m. et f. 2. ἑκατόμπυλος, centum portas habens: ab ἑκατὸν *centum*, et πύλη *porta. Ammian.* 22. 16. de *Thebis Ægyptiis.* He-

catompylos enim Thebas nemo non novit. Cf. *Hygin. Fab.* 275. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

HĔCĂTONSTȲLOS, on, adject. ἑκατόνστυλος, qui est ex centum columnis, ab ἑκατὸν *centum* et στῦλος *columna*. Neutrum absolute pro porticu hecatonstylo habet *Hieronym. Chron.* ad ann. Chr. n. CCXLIX. Theatrum Pompeji incensum, et hecatonstylon. *h. e.* porticus ex centum columnis constans. Hinc *Martial.* 2. 14. Inde petit centum pendentia tecta columnis, Illinc Pompeji dona nemusque duplex.

HĔCĂTONTAS, ădis, f. 3. ἑκατοντάς, centuria. *Capell.* 7. p. 241. Secundus (*versus numerorum*) a decade usque ad nonaginta: tertius vero ab hecatontade usque ad nongentos. Adde *eumd. p.* 239. *Hieronym.* 2. in *Amos* 5. 3. Tertia beatitudo in tertio numero, id est in hecatontade. Sicut enim decas decima unione completur, sic hecatontas ex decem decadibus struitur.

HECTĬCUS, a, um, adject. ἑκτικός, proprius, consuetus. *Gloss. Isid.* Hecticon, proprium. Hectica, proprietas.

HĔDĔRA, æ, f. 1. *edera, ellera,* κισσός, planta perpetuo virens, quæ quum per se stare non possit, arboribus et parietibus adeo arcte adhæret, ut rumpat, et arbores necet. Dictam putat *Paul. Diac.* p. 100. 11. *Müll.* vel ab *hærendo*; sive quod *edita* petat; vel quia id, cui adhæserit, *edat*. Quare et sine aspiratione quibusdam placet scribere: quod et apud ipsum *Paul. Diac.* p. 82. 18. *Müll.* legitur in littera E, ubi et illud docet, flamini Diali non licuisse hederam aut nominare, aut tangere, quia vincit, seu ligat quidquid apprehenderit: flamen autem nullum habebat nodum neque in apice, neque in cinctu, neque in parte ulla alia. Ceterum aspirationem retinet *Dausq.* Nam *Manut.* et *Cellar.* ne in dubium quidem vocarunt, quin *h* adhibenda esset. At videtur vox deducenda ex ἕδρα *sedes*, quia arboribus insidet, ut equisetum *ephedra* vocatur eadem de causa. — Tria sunt ejus genera: alterum album, a baccarum albedine: alterum nigrum, quod eas subnigras ferat: tertium helix dictum, nullis baccis, folio minore, quam cetera, sed anguloso, et multo concinniore. Ita *Plin.* 16. *Hist. nat.* 34. 62. (144)., ubi plura de ea. *Virg.* 7. *Ecl.* 38. Candidior cycnis, hedera formosior alba. *Id.* 3. *ibid.* 39. Diffusos hedera vestit pallente corymbos. *Id.* 4. *ibid.* 19. Errantes hederas passim cum baccare tellus. *Laberius* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. Ut hedera serpens vires arboreas necat, Ita me vetustas amplexu annorum enecat. Adde *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1.; *Varron.* apud *Servium* ad *Virg.* 7. *Ecl.* 25.; *Catull.* 59. 34.; *Horat.* 1. *Od.* 1. 29. et 25. 17.; *Ovid.* 10. *Met.* 99. et 5. *Fast.* 79.; *Val. Flacc.* 2. 268.; et *Colum.* 6. *R. R.* 31. 2. — Quamvis *Plin.* loc. cit. affirmet, hederam sepulcra et muros rumpere, recentiores tamen putant, nihil detrimenti afferre parietibus, quibus adhæret: hinc est, quod veteres Romani sæpe solerent eadem convestire parietes et intercolumnia in villis suis, ut constat ex cit. loco *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. Topiarium laudavi: ita omnia convestit hedera, qua basim villæ, qua intercolumnia ambulationis, ut denique illi palliati topiariam facere videantur et hederam vendere. — Putatur esse, inquit *Paul. Diac.*, in tutela Liberi, quia ut ille juvenis semper, ita hæc viret: vel quia ita omnia, sicut ille mentes hominum, illigat. Adde quod frigiditate sua vini calorem temperat, ut *Servius* docet ad *Virg.* 8. *Ecl.* 12. Sunt et aliæ hujus rei causæ, quarum alteram tradit *Ovid.* 3. *Fast.* 767. Hedera est gratissima Baccho. Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est. Nysiades Nymphæ, puerum quærente noverca, Hanc frondem cunis apposuere novis. *Tertull.* vero ait *Cor. Mil.* 7. Liberum, eumdem apud Ægyptios Osirim, Harpocration industria hederatum argumentatur, quod hederæ natura sit cerebrum ab eluco defensare. Aliam causam *V.* in CISSOS. Bacchus itaque hedera coronatus fingitur, et comites ejus et thyrsi hedera ornantur et currus et alia ad eum pertinentia. — Poetæ hedera coronantur, quasi Libero consecrati, quia et, ut Bacchæ, insaniunt: vel quia semper et vivunt et virent hederæ, sicut carmina æternitatem merentur, inquit *Servius* ad illud *Virg.* 7. *Ecl.* 25. Pastores hedera crescentem ornate poetam. *Varro* apud *eumd.* ad *Virg.* 8. *Ecl.* 12. tradit, etiam Musas hedera coronari. Adde *Ovid.* 5. *Met.* 338. — Cf. *Fée* (*Op. cit.* vol. 1. p. 384.) hederæ genus ita definit: Κισσὸς, κιττὸς Theophr. 3. 18., Dioscor. 2. 200. et Plat. Sympos. 3.; *Hedera* Catull. 52.; *Hedera pallens* Virg. 3. Ecl. 39.; *Hedera nigra* ejusd. 2. G. 258.; et *Hedera* Plin. loc. supra cit. sunt *Hedera Helix* cum suis varietatibus. — Deinde ita species exhibet a *Plinio* allatas cum addita synonimia: — I. *Hedera candida, helix Thracia folio candido et versicolori* Plin. loc. cit.; *Hedera alba* Virg. 7. Ecl. 38.; et Κισσὸς λευκὸς Theophr. 3. 18. et Dioscor. 2. 210. sunt *Hedera Helix* L. Spec. plant. 292., *an variet. foliis variegatis?* — II. *Hedera nigra, helix virens* Plin. loc. cit. Κισσὸς μέλας Theophr. loc. cit.; et Κισσὸς μέλας, quam Διονύσιον dicunt Dioscor. loc. cit., sunt *Hedera Helix* L. loc. cit., *Arborea* C. Bauh. Pin. 305. — III. *Hedera nigra, semine crocato, a Græcis chrysocarpon et erythranum dicta* est *Hedera Helix* L. Spec. loc. cit., *Hedera poetica* C. Bauh. Pin. 305. et *Hedera dionysia* Dalec. Lugd. 1419. — IV. *Hedera Helix* Plin. loc. cit. et Κισσὸς ἕλιξ Theophr. et Dioscor. loc. cit. sunt *Hedera Helix* L. Spec. 292. var. γ, *Hedera major sterilis* C. Bauh. Pin. loc. cit.

HĔDĔRĀCEUS vel

HĔDĔRĀCIUS, a, um, adject. ad hederam pertinens, *di ellera,* κισσινος. ¶ 1. Qui est ex hedera. *Cato R. R.* 111. Vasculum facito de materia hederacea, vinum eodem mittito: si habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit; nam non continet vinum vas hederaceum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 35. 63. (155). eadem narrat. Hujusmodi vas Græci vocant κισσύβιον. *Id.* 16. *ibid.* 24. 38. (92). Hederacea folia. Adde *Colum.* 8. *R. R.* 10. 4. ¶ 2. Qui hederæ colorem refert. *Vopisc. Aurelian.* 49. Calceos mulleos, et cereos, et hederaceos, viris omnibus tulit, mulieribus reliquit. *h. e.* coloris hederæ, viridis puta, aut prasini.

HĔDĔRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *hedero*, hedera orno. *Gallien. Imp.* in epist. apud *Trebell. Claud.* 17. Misi patinam argenteam hederatam librarum viginti et trium. *h. e.* in foliorum hederæ modum elaboratam et exsculptam. *Nemesian.* 3. *Ecl.* 18. hederata frons. *h. e.* hedera coronata. *Paulin. Nolan. carm.* 26. 278. Lascivosque choros hederatis ducere pompis. *h. e.* pompis Bacchicis, in quibus tum viri, tum mulieres hedera coronati incedere solebant. Adde *Tertull. Cor. Mil.* 7. in v. HEDERA ad fin.

HĔDĔRĬGER, gĕra, gĕrum, adject. hederam gerens. *Catull.* 63. 23. Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ. *V.* HEDERA.

HĔDĔRŌSUS, a, um, adject. hedera abundans. *Propert.* 4. 4. 3. Lucus erat felix hederoso conditus antro.

HĔDŌNE, es, f. 1. ἡδονή, Græce voluptatem significat atque unum ex Æonibus Valentiniani, apud *Tertull.* adversus *Valentin.* 8. — NB. De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HĔDŌNĬCUS, a, um, adject. ἡδονικός, voluptarius. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 324. n. 448. T. FLAVIUS LIBERALIS FECIT HEDONICVS MARITVS. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HĔDȲCHRUM, i, n. 2. ἡδύχρουν, genus unguenti et odoramenti, ab ἡδὺς *suavis* et χρόα *color*, quod præter odorem, grato etiam colore sit, et cuti illitum nitidam reddat. *Dioscor.* 1. c. 70. Καὶ τὸ καλούμενον ἡδύχρουν, σκευαζόμενον δὲ ἐν Κῷ, τῆς αὐτῆς ἔχηται δυνάμεως τε, καὶ σκευασίας τῷ ἀμαρακίνῳ, ἡπιώτερον δὲ τυγχάνει. *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 46. Culcitemus in culcita plumea, psaltriam adducamus, hedychrum incendamus, demus scutellam dulcissimæ potionis. *Al. leg.* cedrum incendamus: *ii scilicet*, inquit *Victorius*, qui cuncta, in quæ non passim inciduut, depravata esse censent. Fortasse hinc corrigendum illud *Varron.* apud *Non.* p. 226. 17. *Merc.* Hic narium seplasiæ, hic hedychrum Neapolis. *Al. leg.* hedycus, *quod et ipsum ab* ἡδὺς *est, et simile quippiam significare potest. Oehler.* et *Riese* leg. ἡδύπνους. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HĔDȲCUS. *V.* vocem præced.

HĔDȲOSMOS, i, m. 2. ἡδύοσμος, species menthæ, ab ἡδὺς *suavis*, et ὀσμὸς vel ὀσμὴ *odor*, propter odoris suavitatem. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 51. (181). De synonymia *V.* MENTHA.

HĔDȲPATHĒTĬCA, ōrum, n. plur. 2. ἡδυπαθητικά, quæ ad ἡδυπάθειαν pertinent, hoc est ad studium percipiendi id, quod sensibus gratum sit. Ita inscriptus fuit liber *Q. Ennii*, cujus fragmentum exstat apud *Apul. de Mag.* p. 483. *Oudend.* Q. Ennius, qui Hedypathetica versibus scripsit, innumerabilia piscium genera enumerat, quæ scilicet curiose cognoverat. Paucos versus memini; eos dicam: Omnibus ut clypea præstat mustela marina etc. *Alii leg.* hedyphagetica, *Græce* ἡδυφαγητικά: postremam hanc lectionem tuetur cl. *Vahlen.*

HĔDȲPNŎIS, idis, f. 3. ἡδύπνοϊς, species cichorii, folio latiore: ita dictum, quod in cibis jucundiorem halitum facit: ab ἡδὺς *suavis* et πνοὴ *spiritus*. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 31. (75). Cf. *Fée* (*Op. cit.* vol. 2. p. 389.) hanc exhibet synonymiam: Ἡδύπνοϊς Græcor.; et *Cichorium silvestre hedypnoida* Plin. loc. cit. sunt *Cichorium luteum* C. Bauh. Pin. p. 126., *Hedypnois paludosa* Scopoli Fl. Carn. T. 2. p. 100. tab. 48. *Leontodon palustre* Smith. 2. p. 823.

HĔDYSMA, ătos, n. 3. ἥδυσμα, condimentum: ab ἡδὺς *suavis, jucundus*. Ita appellatur succus, seu oleum, quod in unguentis adhibetur: sicut stymma dicitur corpus ipsum unguenti, στύμμα a στύφω *adstringo*. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 1. 2. (7). Ratio faciendi unguenta duplex, succus, et corpus: ille olei generibus fere constat, hoc odorum: hæc stymmata vocant, illa hedysmata.

HĔLIOTRŎPĬUS, a, um, adject. ἡλιοτρόπιος, qui cum sole vertitur. *Priscian. Perieg.* 254. Hic lapis, heliotropius qui nomine vero Dicitur, est; vertit radius nam solis in unda Si quis eum fusa labris immergat aenis, Sanguineique rubens resplendet luce coloris; Purior at solis renitet nudatus ab unda. *V.* HELIOTROPIUM.

HĔGĔMON, ŏnis, m. 3. ἡγεμών, dux: sed occurrit tantum de pede, et est idem qui pyrrhichius. *Diomed.* 3. p. 471. *Putsch.* Primus pes pyrrhichius vel hegemon Græce dicitur.

HĔGĔMŎNĬCON, i, n. 2. ἡγεμονικόν, id quod in quolibet genere est præstantissimum. *Tertull. Resurr. carn.* 15. Sed etsi in cerebro, vel in medio superciliorum discrimine, vel ubi philosophis placet principalitas sensuum consecrata est, quod hegemonicon appellatur; caro erit omne animæ cogitatorium.

HĔGĔMOSCHŎLĬUS pes est pes metricus ex hegemone seu pyrrhichio, et scholio seu amphibracho compositus, h. e. ex tribus brevibus, et ex longa et brevi. *Diomed.* 3. p. 478. *Putsch.* Pes ex pyrrhichio et amphibracho, sive tribus brevibus, et longa et brevi, hegemoscholius audit.

HEHE *V.* EHE.

HEHEU. *V.* EHEU.

HEI, interjectio dolentis, timentis, et ingemiscentis, *ahi, ahimè, uh,* αἲ, οἴ μοι. *Plaut. Amph.* 2. 2. 36. Hei, perii miser! *Id. Aulul.* 2. 1. 23. Hei, occidi! *Id. Amph.* 1. 1. 165. Hei! numnam ego obolui? *Ter. Phorm.* 3. 2. 6. Hei! metuo lenonem, ne quid suo suat capiti. *Id. Andr.* 1. 1. 46. Hei! vereor, ne etc. — Sæpe cum *mihi* jungitur. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 7. Hei mihi, hei mihi: istæc eum perdidit assentatio. *Id. Amph.* 2. 2. 166. Hei mihi! jam tu quoque hujus adjuvas insaniam. *Virg.* 2. *Æn.* 274. Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo! *Id.* 11. *ibid.* 57. hei mihi, quantum Præsidium Ausonia et quantum tu perdis, Iule! *Ovid.* 6. *Met.* 227. Hei mihi! conclamat. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 23.; et *Ter. Adelph.* 2. 1. 19. et *Heaut.* 2. 2. 5. Hei misero mihi!

HEIC. *V.* HIC.

HEJA. *V.* EJA.

HEJULO. *V.* EJULO.

HELCĬĀRĬUS, ii, m. 2. *alzaio, bardotto*, nostrates vulgo dicunt *tirante*, qui funibus, sive helciis cymbas adverso flumine trahit, quod et ipsum de navibus dicitur. *Martial.* 4. 64. Quem nec rumpera nauticum celeusma, Nec clamor valet helciariorum. *Sidon.* 2. *Ep.* 10. *in carm.* Curvorum hinc chorus helciariorum Ad Christum levat amicum celeusma.

HELCĪUM, ii, n. 2. *alzaja*, funis, quo equi, vel homines, currus oneraque trahunt: ab ἕλκω *traho*. Aliqui interpretantur instrumentum ante pectus equorum, et id genus animalium, cui funes annectuntur. *Apul.* 9. *Met.* Defectum alioqui me, helcio sparteo dimoto, nexu machinæ liberatum applicant præsepio. *Id. ibid. a med.* Helcio tandem absolutus.

HELCYSMA, ătis, n. 3. ἕλκυσμα Græce significat argenti scoriam, teste *Plin.* 33. *Hist. nat.* 6. 35. (105)., quia scilicet adeo lentum est, ut instar visci trahatur, quum e catinis eximitur: ab ἕλκω vel ἑλκύω *traho*.

HĔLĔNĬUM, ii, n. 2. herba, quam e lacrimis Helenæ natam fabulantur, et ideo in Helenæ insula laudatissima. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 10. 33. (59)., *ibid.* 21. 91. (159). Eadem est atque inula et enula, quas voces *V.* loco suo. At cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 38.) hanc exhibet synonymiam: I. Ἑλένιον Theophr. Hist. plant. 6. 6.; Ἑλένιον Αἰγύπτιον Dioscor. 1. 28.; et *Helenium* Plin. lib. 21. loc. cit. sunt *Teucrium Creticum* L. Spec. plant. 1202. — II. Ἑλένιον Hippocr. de Nat. muller. 572. et Dioscor. 1. 27; et *Helenium* Plin. lib. 15. loc. cit. sunt *Inula Helenium* L. Spec. plant. 1236.

HĔLĔŎSĔLĪNON, *vel*

HĔLĔŎSĔLĪNUM, i, n. 2. idem quod helioselinon. et ab eadem radice. *Pallad.* 5. *R. R.* 3. 2.

HĔLĔPŎLIS, is, f. 3. ἑλέπολις, militaris machina, qua admota orbium mœnia oppugnantur: ἀπὸ τοῦ ἑλέσθαι τὰς πόλεις. Eam ita describit *Ammian.* 23. 4. Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptata, et contegitur coriis bubulis virgarumque recenti textura, atque limo asperguntur ejus suprema, ut flammeos detrectet et missiles casus. Conseruntur autem ejus frontalibus trisulcæ cuspides præacutæ, ponderibus ferreis graves, ut quidquid petierit, aculeis exsertis abrumpat. Hanc ita validam molem rotis et funibus regens numerosus intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admovet concitis: et nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus, aditus patefacit ingentes. *Vitruv.* turrim potius, quam testudinem intelligere videtur, quum ait 10. 22. Is autem comparavit helepolim sumptibus immanibus, cujus altitudo fuerat pedum CXXV. etc. Ita eam ciliciis et coriis crudis confirmavit, ut posset pati plagam lapidis ballistæ immissi etc. *Et post.* Postero die helepolis accedens, antequam appropinquaret ad murum, in humida voragine acta consedit etc.

HĔLIA, æ, f. 1. eadem ac luna. *V.* HELIUS.

HĔLĬĂCUS, a, um, adject. ad Helium pertinens, seu solem, qui Græce Ἥλιος dictus in sacris Mithriacis maxime colebatur; hinc *Heliaca*, seu dempta aspiratione *Eliaca*, vocantur ea sacra in *Inscript.* apud *Gruter.* 1087. 4. DATIANO ET CEREALI CONSVLIBVS (nempe an. a Chr. n. CCCLVIII.) NONIVS VICTOR OLYMPIVS V. C. P. P., AVR. VICTOR AVGENTIVS V. C. P. TRADIDERVNT PERSICA PRIDIE NON. APRIL. *FELICITER*; *consulibus supra scriptis* TRADIDERVNT ELIACA XVI. KAL. MAI. FELIC., OSTENDERVNT CRYFIOS VIII. KAL. MAI. FELIC. *V.* MITHRAS in ONOM.

HĔLĬANTHES, is *vel* eos, n. 3. ἡλίανθες, quasi flos solis: ab ἥλιος *sol*, et ἄνθος *flos*, herba, folio myrthi. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (165). *V.* HELIOCALLIS.

HĔLĬCE, es, f. 1. ἑλίκη. ¶ 1. Est genus salicis brevissimæ, ita dictæ, quia plectilis est, et ad viminum textus idonea: ab εἱλίσσω *volvo*. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 69. (177). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 396.) hanc exhibet synonymiam: Ἰτέα ἕλιξ Theophr. Hist. plant 3. 13.; *Salix helice* Plin. loc. cit.; et *Salix sabina, Salix gracilis, Salix amerina* Colum. 4. R. R. 30. sunt *Salix monandra* Hoff. Hist. salic. p. 18. T. 1. f. 1. et 2. var. β, *Salix Helix* L. Spec. 1444. ¶ 2. Apud Græcos est Ursa major, quæ et Cynosura, signum cæleste: ita porro vocatur, quod ἑλίσσεται, *volvitur*, circa polum. *Ovid.* 3. *Fast.* 108. Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur Sydoniis, Helicen Graja carina notet. *Val. Flacc.* 1. 17. Grajis Helice servanda magistris. Adde *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 20. 66. — Hinc et pro septemtrione ponitur. *Grat. Cyneg.* 55. Illa (*retia*) vel ad flatus Helices oppande serenæ. *h. e.* ad Aquilonios flatus. Adde *Senec. Herc. Œt.* 1539. — *NB.* De nomine proprio *V.* ONOM.

HĔLĬCES. *V.* HELIX.

HĔLĬCHRȲSOS. *V.* HELIOCHRYSOS.

HĔLĬŎCALLIS, idis, f. 3. ἡλιοκαλλίς, herba eadem, quæ helianthes: ita dicta, quia hac perunctum corpus fit aspectu jucundum: ab ἥλιος *sol* et κάλλος *pulcritudo*. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (165). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 297.) ait hanc herbam nobis omnino ignotam esse.

HĔLĬŎCĂMĪNUS, i, m. 2. ἡλιοκάμινος, solaris fornax, vaporarium solare, hoc est locus concameratus et soli expositus atque hiberno tempore calorem ex illo concipiens: ab ἥλιος *sol*, et κάμινος *fornax*. *Plin.* 2. *Ep.* 17. In hac (*cryptoporticu*) heliocaminus quidem alia xystum, alia mare, utraque solem prospicit. *Ulp. Dig.* 8. 2. 17. Si id, quod ponitur, solem auferat heliocamino vel solario, dicendum erit, quia umbram facit in loco, cui sol fuit necessarius, contra servitutem impositam fieri.

HĔLĬŎCHRȲSOS, i, m. *et* HELIOCHRYSON, i, n. 2. ἡλιόχρυσος, herbæ nomen apud. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 11. 38. (65). et *ibid.* 25. 96. (168). *V.* CHRYSANTHEMUM. — In utroque *Plin. loc. cit.* alii fortasse melius leg. *helichrysos* et *helichryson*, ut ἑλίχρυσος scribitur apud *Theocrit. Edyll.* 1. *v.* 30., nempe ab ἕλος *palus*, et χρυσός *aurum*, quia in locis palustribus nascens colore aureo est.

HĔLĬŎPON, i, n. 2. ἡλίοπον, oculum soli similem habens; ita appellatur herba eadem atque heliotropium: ab ἥλιος sol, et ὤψ, ὠπός *oculus*. *Apul. Herb.* 49. A Græcis dicitur heliotropion, quibusdam heliopon.

HĔLĬOSCŎPĬON, ii, n. 2. ἡλιοσκόπιον, genus heliotropii ab ima radice ramosum, in pingui solo nascens, semine in folliculis condito, quod messibus colligitur. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 21. 29. (57). *Apul. Herb.* 108. vocat helioscopum. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 120.) *Plinium* hoc loco errasse ait.

HĔLĬOSCŎPĬOS, ii m. 2. ἡλιοσκόπιος, genus tithymali, foliis porcillacæ, ramulis stantibus a radice quatuor aut quinque, rubentibus, semipedali altitudine, succi plenis, semine albo columbis gratissimo. Nomen habet, quia capita cum sole circumagit: ab ἥλιος *sol*, et σκοπέω *aspicio*. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 42. (69). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 396.) hanc exhibet synonymiam: Τιθύμαλλος ἡλιοσκόπιος Dioscor. 4. 165.; et *Tithymalus helioscopios* Plin. loc. cit. sunt *Euphorbia Helioscopia* L. Spec. plant. 658.

HĔLĬOSCŎPUM, i n. 2. *V.* HELIOSCOPION.

HĔLĬŎSĔLĪNON *vel*

HĔLĬŎSĔLĪNUM, i, n. 2. ἑλειοσέλινον, genus apii, quod sponte in humidis nascitur, uno folio, nec hirsutum: ab ἕλειος *palustris*, et σέλινον *apium*. Aliud ejus genus, quod in montibus nascitur, cicutæ foliis, radice tenui, semine anethi, minutiore tantum, dicitur oreoselinum: ab ὄρος *mons*. Aliud item in siccis proveniens, pluribus foliis, simile helioselino, hipposelinum vocatur, *levistico*: ab ἵππος, qua in compositione auget, quia ceteris majus est. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 37. (124).; et *Pallad.* 5. *R. R.* 3. 2. ubi *heleoselinon* dicitur. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 329.) hanc exhibet synonymiam: Σέλινον ἕλειον Hippocr. Affect. 529.; Ἑλειοσέλινον Theophr. Hist. plant. 7. 6. et Dioscor. 3. 75.; *Helioselinum* Plin. et Pallad. locc. citt.; *Apium viride* Virg. 4. G. 121.; *Apium amorum* ejusd. 6. *Ecl.* 68.; et *Apium* Colum. 11. R. R. 3. 18. et Plin. 20. Hist. nat. 11. 44. (112). sunt *Apium graveolens* L. Spec. plant. 379.

HĔLĬOSTRŎPHON, i n. 2. herba eadem ac malva erratica. *Apul. Herb.* 40.

HĔLĬOTRŎPĬON, ii. *V.* voc. seq.

HĔLĬOTRŎPĬUM, ii, n. 2. ἡλιοτρόπιον. ¶ 1. Est herba solaris: ab ἥλιος *sol* et τρέπω *verto*, quia solem intuetur semper, cumque eo vertitur, etiam nubilo die. *Varro* 1. *R. R.* 46.; et *Plin.* 2. *Hist. nat.* 41. 41. (109). et 22. *ibid.* 21. 29. (57). — Etiam *Heliotropion* scribitur. *V. Heliopon.* Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 120.) hanc exhibet synonymiam: I. Ἡλιοτρόπιον Theophr. 7. 3. et 7.; Ἡλιοτρόπιον μέγα καὶ σκορπιοῦρον Dioscor. 4. 193., Apul. Herb. 49. et Cels. 4. 17.: et *Heliotropium* Plin. loc. cit. sunt *Verrucaria* Latinor. et Plin. loc. cit., *Heliotropium europæum* L. Spec. plant. 187. — II. Ἡλιοτρόπιον μικρὸν Dioscor. 4. 194.; et *Heliotropium tricoccum* Plin. loc. cit. sunt *Croton tinctorium* L. Spec. plant. 1424. — III. *Heliotropium poetarum* Ovid. 4. Met. 268. est *Hesperis matronalis* L. Spec. plant. 927. teste Sprengel. ¶ 2. Item hoc nomine occurrit species quædam lotybi agrestis apud *Veget.* 5. *Veterin.* 41. 2. *Schneid.* ¶ 3. Item gemma, dicta, quod solis naturam vertere et immutare videtur, quia aliter eum exhibet vasi aquæ injecta, aliter extra aquam. Nam aquæ immissa auget solis fulgorem sanguineo repercussu, extra aquam radios sive fulgorem quasi avertit, solemque velut in speculo exhibet, deprehenditque defectus, subeuntem lunam ostendens. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 60. (165).; *Solin.* 27.; et *Isid.* 16. *Orig.* 7. Hæc eadem a *Capella* 1. *p.* 20. dicitur heliotropios. *V.* SOLSEQUIUM.

HELIUS, ii, m. 2. ἥλιος, sol. Helius et Helia sunt voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 161. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HĔLIX, icis, f. 3. ἕλιξ et ἕλιξ. ¶ 1. Est species hederæ sterilis, de qua *V.* in HEDERA. ¶ 2. Item ornamentum in capitulo Corinthio in modum cauliculi vitei intorti, qui scalpitur in frontibus ejusdem capituli, floribus subjectum: ab εἱλίσσω *circumago, involvo*. *Vitruv.* 4. 1. *in fin.* Minores helices floribus, qui sunt in abaco, subjecti palpantur. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HELLĔBŎRĪNE *vel* elleborine, es, f. 1. ἑλλεβορίνη, herba similis helleboro, parva, exiguis foliis, jocineris vitiis et contra venena utilis. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 20. 35. (114). et 27. *ibid.* 9. 52. (76).

HELLĔBŎRISMUS *vel* elleborismus, i, m. 2. ἑλλεβορισμός, purgatio helleboro facta. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Destillandus etiam helleborismus, sed ex melle decocto.

HELLĔBŎRĪTES vel elleborites, æ, m. 1. ἑλλεβορίτης, vinum helleboro conditum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (110). *V.* ABROTONITES.

HELLĔBŎRO *vel* elleboro, as, are, a. 1. helleboro purgo. Occurrit Part. *Helleborandus* apud *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. *a med.* Hippocrates helleborandos principio ægros ordinavit.

HELLĔBŎRŌSUS *vel* elleborosus, a, um, adject. qui plus hellebori sumpsit, quam par est: hinc et pro insano ponitur. *Plaut. Rud.* 4. 3. 67. GR. Quæso, sanus es? TR. Helleborosus sum. GR. Ego cerritus.

HELLĔBŎRUM, i, n., *et sepius*

HELLĔBŎRUS *vel* elleborus, i, m. 2. ἑλλέβορος. Scribitur at sine aspiratione, quoniam et Græci sæpe omittunt. — Ceterum helleborum est herbæ species, latine veratrum. *V.* ANTICYRA. Præcipuus ejus usus est in educendis noxiis humoribus principis animæ facultatis sedem infestantibus, at melancholicis, furiosis, et comitiali morbo laborantibus dari solet. Hinc factum est, ut, qui haud sano sint animo, helleboro egere dicantur. Duo sunt ejus genera, album, quod vomitione causas morborum extrahit; et nigrum, quod per alvum quidquid noxium est, dejicit. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 89. Helleborum hisce hominibus opus est. Adde *eumd. Men.* 5. 5. 15. et *Rud.* 4. 3. 67. *Virg.* 3. *G.* 451. Ilelleborosque graves, nigrumque bitumen. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 91. (150). Efficacius helleborum ad vomitiones, et ad bilem nigram extrahendam. Adde *Ovid.* 4. *Pont.* 3. 53.; *Petron. Satyr.* 88.; *Colum.* 7. *R. R.* 5. 7.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 9. Multa de eo *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 21. (47). et *Gell.* 17. 15. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 329.) hanc exhibet synonymiam: I. *Candidum.* Ἐλλέβορος λευκός Hippocr. in var. loc., Theophr. Hist. plant. 9. 11. et Dioscor. 4. 150.; Σκάρφη Græcor. recentior.; et *Melampodium seu helleborus albus* Plin. loc. cit. et *Veratrum* ejusd. sunt *Veratrum album et nigrum* L. Spec. plant. 1479. — II. *Nigrum.* Ἐλλέβορος μέλας Hippocr. in var. loc., Theophr. Hist. plant. 9. 11., Nicand. de Ther. 941. et Dioscor. loc. cit.; Σκάρφη Græcor. recentior.; et *Melampodium seu helleborus albus, Ectomon et polyrrhizon* Plin. loc. cit. sunt *Helleborus orientalis* Lamrk. v. 396.

HELLĒNISMUS, i, m. 2. ἑλληνισμός, a grammaticis vocatur forma loquendi a Latina consuetudine recedens, et Græcorum leges servans, ut *certare alicui, certus salutis, desine querelarum, triste lupus stabulis, cetera Grajus*, et sexcenta hujusmodi, quibus poetæ abundant. *Lucceius* quoque hellenismum fecit scribens ad *Cic.* 5. *Fam.* 14. *V.* CONSUESCO. Ipsa vox Græca est, et Græce adhibenda. At *Priscian.* 7. *p.* 768. *Putsch.* Nisi sciamus, hellenismo usum esse poetam. *Putschius* Græcis litteris scripsit, Latinis *Krehlius* quia Codices plerique et editiones Venetæ ita scribunt. Immo *Id.* 14. *p.* 982. *Putsch.* Nisi hellenismo utatur auctoritas.

HELLESPONTĬAS, æ, m. 1. Ἑλλησποντίας, a quibusdam vocatur Cæcias ventus, teste *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 46. (121).

HELLŪO, ōnis, m. 3.,

HELLUOR, aris, et similia. *V.* HELUO, HELUOR, etc.

HĔLOPS, ŏpis, m. 3. et helope, es, f. 1. Rectius scribitur elops et ellops, a Græc. ἔλοψ, ἔλλοψ. — Ceterum helops est piscis genus delicatissimi saporis, in mari Pamphylio: quodnam vero piscis genus significetur *V.* in ACIPENSER. *Varro* 2. *R. R.* 6. 2.; *Colum.* 8. *R. R.* 16. 9.; *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 27. (60). et 32. *ibid.* 11. 54. (153).; *Quintil.* 5. 10. 21.; *Gell.* 7. 16. *Ovid. fragm. Halieut.* 96. Et pretiosus helops nostris incognitus undis. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HĔLŬĀTIO *vel.* helluatio, ōnis, f. 3. Scribitur et duplici *ll*; *V.* in HELUO. — Heluatio est voracitas, profusio in sumptibus ciborum, *gozzoviglia, ghiottoneria*, λαφυγμός. *Cic. post redit. in senat.* 7. 13. Cur in lustris et heluationibus hujus calamistrati saltatoris tam eximia virtus tamdiu cessavit? *Trebell. Poll. Gallien.* 4. Heluationi vacare.

HĔLŬCUS. *V.* ELUCUS.

HĔLŬĀTOR *vel* helluator, ōris, m. 3. idem atque heluo. *Tertull.*

HĔLŬO, *vel* helluo, ōnis, m. 3. Scribitur et *helluo*: sed *Paul. Diac.* etymologia inferius allata *Manutium* movit, ut unicam liquidam præferret; quod et *Dausquio* placet. — Ceterum heluo

I.) Proprie est qui immoderate bona sua consumit: ab *eluendo*, inquit *Paul. Diac.* p. 99. 10. *Müll.*, et aspiratio additur, ut aviditas magis exprobretur: fit enim vox incitatior. Item universim ganeo, gurges, et in ventre sumptuosus, *mangione, ghiottone, dissipatore* λαφύκτης, ἄσωτος. *Ter. Heaut.* 5. 4. 10. Gerro, iners, fraus, heluo, ganeo, damnosus. *Cic. Sext.* 11. 26. Me ipsum ut contempsit heluo patriæ! nam quid ego patrimonii dicam, quod ille, quum quasi quæstum faceret, amisit? *Id.* 1. *leg. Agr.* 1. 2. Impurus heluo. *Id. post redit. in senat.* 6. 14. immanis. *Id. Dom.* 10. 25. spurcissimus. *Id. Pis.* 17. 41. Ille gurges atque heluo, natus abdomini suo. *Gell.* 7. 16. Pleraque id genus, quæ heluones isti terra et mari conquirunt.

II.) Translate *heluo librorum*, qui legendo satiari non potest. *V.* voc. seq. II. *a.*

HĔLŬOR *vel* helluor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. est devorare, ventre absumere, *devorare, consumare*, λαφύσσω.

I.) Proprie. *Cic. Prov. cons.* 6. 14. Cum Græcis jam in exostra heluatur: antea post siparium solebat. *Id. Sext.* 42. 111. Quid? tu meo periculo, gurges ac vorago patrimonii, heluabare? *Catull.* 29. 17. parum heluatus es.

II.) Translate. — *a*) Cum Dativo. *Cic.* 3. *Fin.* 2. 7. Quo magis tum in summo otio, maximaque copia, quasi heluari libris, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur. *Alii leg.* quasi heluo librorum. *Lamprid. Commod.* 3. Heluari viribus populi Romani. — *b*) Cum Accusativo. *Cic. Dom.* 47. 124. Ille gurges heluatus tecum simul reipubl. sanguinem.

HĔLUS. *V.* OLUS.

HELVĀCĔA, æ, f. 1. genus ornamenti Lydii dictum a colore boum, qui est inter rufum et album, appellaturque helvos. *Paul Diac.* p. 99. 12. *Müll.* ubi al. leg. *heluaca.* Videtur tamen legendum *condimenti* pro *ornamenti*; etenim *helvella* est genus oleris. Aliter omnino sentit *Müllerus* ad h. l. qui vulgatam lectionem tuetur: Lydorum enim multa erat in corporibus ornandis cura et magnificentia; cf. *eumd. Etrusc. rer.* I. 3. 7. *p.* 261. et 10. *p.* 270.

HELVĔLA *et*

HELVELLA, æ, f. 1. olus minutum, ut *Paul. Diac.* p. 103. 7. *Müll.* definit: ab antiquo *helus*, pro *holus*, seu *olus*. *Cic.* 7. *Fam.* 26. 2. Fungos, helvellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. *Gloss. Philox.* Helvola (*fortasse corrigendum in* helvela), λαχανάρια.

HELVĔNĀCA. *V.* HELVENACUS.

HELVĔNĀCĬUS, a, um, adject. ad helvenacam vitem pertinens, ut Helvenaciæ vites, *Colum.* 3. *R. R.* 2. 25. *V.* voc. seq.

HĔLVĔNĀCUS, a, um, adject. qui est colore boum, qui est inter rufum et album, appellaturque helvus. Hinc *helvenaca vitis*, omnium fertilissima, duo habet genera: altera enim major est, quam quidam longam: altera minor, quam emarcum appellant, non tam fecundam, sed gratiorem haustu. Discernitur folio circinato: verum utraque gracilis. Furcas subdere his necessarium; alioquin ubertatem suam non tolerant: maritimo afflatu gaudent, roscida odere. Nulla vitium minus Italiam amat, rara, parva, putrescens in ea, vino quod genuit, ætatem non exsuperans. Hæc *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (32). — Hinc *Colum.* 3. *R. R.* 5. 16. Helvenaci generis palmites. *Plin.* 23 *Hist. nat.* 1. 21. (47). Helvenaco (*vino*) tamen nimio caput tentari convenit.

HELVEŎLUS, a, um. *V.* HELVOLUS.

HELVĬDUS, a, um, adject. helvum colorem referens. *Isid.* 29. *Orig.* 38. Helvidum ab helvo colore vocatum. *Alii tamen aliter leg.*

HELVĪNUS, a, um, *et*

HELVIUS. *V.* voc. seq.

HELVŎLUS, a, um, adject. *chiaretto*, dicitur de ovis, quæ colorem habent medium inter purpureum et nigrum: ab *helvus.* — *a*) Forma *helvolus* occurrit apud *Colum.* 3. *R. R.* 2. 23. Sunt et helvolæ uvæ, quas nonnulli varias appellant, neque purpureæ, neque nigræ: ab helvo, nisi fallor, colore vocitatæ. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (29). Insignes jam colore inter purpureas nigrasque medio helvolæ, sæpius varianti, et ob id varianæ a quibusdam appellatæ. — *b*) Dicitur et *helveŏlus* eodem sensu. *Cato R. R.* 6. Helveolum minutum conserito. *et* 24. Si helveolum vinum facere voles, dimidium apicii vini indito. — *c*) *Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 5. (46). referens verba modo allata ex c. 6. *Catonis* habet: *helvinum minusculum conserito*, ut sit etiam *helvinus, a, um.* Immo *Sillig.* leg. *helvium.*

HELVUS, a, um, adject. *color rosso pallido*, color medius inter album et rubrum. *Varro* 2. *R. R.* 5. 9. *de vaccis.* Corium attactu non asperum ac durum, colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio helvo, quarto albo; mollissimus enim hic, durissimus primus. De mediis duobus prior, quam posterior, melior: utrique pluris, quam nigri et albi. *h. e.* quam nigri et albi simul, h. e. varii maculosi. *Paul. Diac.* p. 99. 12. *Müll.* Color boum, qui est inter rufum et album, appellatur helvus.

HELXĪNĒ, es, f. 1. ἑλξίνη. ¶ 1. Herba est a radice foliosa, ex qua media veluti malum extuberat, contectum sua fronde: folia habet et caules spinosæ lanuginis, æstate florens: vertex summus lacrimam continet jucundi saporis, acanthicen mastichen appellatam. Sed est rara visu, neque in omnibus terris. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 16. 56. (96). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 60.) ait, hanc helxinem esse *Acarnanam gummiferam.* ¶ 2. Alia est, etiam perdicium dicta, quoniam perdices ea præcipue vescuntur: folia habens mistæ similitudinis plantagini et marrubio: cauliculos densos, leviter rubentes, semina in capitibus lappaceis adhærescentia vestibus: unde et helxinen dictam volunt (nempe ab ἕλκω, *traho*). Sed nos, qualis vera esset helxine, diximus priori libro (scil. loc. cit.). Hæc *Plin.* 22. *Hist. nat.* 17. 19. (41). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 110.) hanc exhibet synonymiam: Ἑλξίνη (*herba muralis*) Dioscor. 89.; *Parthenium, perdicium et muralis herba* Cels. 2. 33.; *Helxine seu perdicium, sideritis et parthenium* Plin. loc. cit.; et Περδικιάς Græcor. recentior. sunt *Parietaria officinalis* L. Spec. plant. 1492. Ceterum *V.* PERDICIUM.

HEM, interjectio est familiaris, variis inserviens affectibus: ut — *a*) Vocantis et admonentis, *olà.* *Plaut. Pœn.* 3. 4. 16. Hem, istæc volo ergo vos commeminisse omnia. *Ter. Phorm.* 1. 4. 35. Hem, istuc serva. — *b*) Ostendentis, pro *en*, It. *ecco.* *Ter. Andr.* 5. 2. 1. Hem Davum tibi. *Plaut. Trin.* 2. 4. 140. Oves scabræ sunt, tam glabræ, hem, quam hæc est manus. *vedi, come questa mano.* — *c*) Dolentis et ingemiscentis, *ah, ahimè.* *Ter. Andr.* 4. 5. 8. CR. Itane Chrysis? hem! MY. nos quidem pol miseras perdidit. *Id. Eun.* 5. 1. 11. Hem, misera occidi! *Cic. Rabir. Post.* 17. 45. Miserum me! Hem, Postume, tune es etc. — *d*) Indignantis, irascentis. *Ter. Andr.* 4. 1. 42. Hem, quid ais, scelus? *et* 4. 4. 47. Audistin, obsecro? hem scelera. Adde eumd. *Eun.* 4. 7. 35.; et *V.* HUI. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. 4. Hem! nos homunculi indignamur, si etc. — *e*) Verberantis. *Plaut. Curc.* 1. 3. 39. Hem pro maledictis istis. *Id. Pseud.* 1. 2. 22. Hem, sic datur, si quis herum servus spernit. Adde *eumd. Mil. glor. a.* 5. *v.* 12.; et *Ter. Adelph.* 2. 1. 18. — *f*) Admirantis. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 86. AG. Ego sum ipsum, quem tu quæris. HA. Hem! quid ego audio! *Ter. Andr.* 3. 1. 4. MY. Pamphilus firmavit fidem. SI. hem. — *g*) Exsultantis. *Id. ibid.* 4. 2. 3. Hem, Pamphile, optume te mihi offers. — *h*) Respondentis. *Id. Adelph.* 2. 4. 17. Heus heus Syre. SY. Hem, quid est? — *i*) Recordantis. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 36. Hem scio jam, quid vis dicere. — *j*) Sollicitum etiam et laborantem significat. *Ter. Eun.* 4. 2. 8. Occepi mecum cogitare: hem, biduum hic manendum est soli sine illa. — *l*) Interdum servit ironiæ. *Id. Phorm.* 4. 4. 7. Hem, si quid velis, huic mandes, quod quidem recte curatum velis.

HĒMĔRĒSĬOS, ii, m. et f. ἡμερήσιος, *di un giorno*, unius diei: ab ἡμέρα *dies.* *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (124). Absolvit uno die tabellam, quæ vocata est hemeresios, puero picto.

HĒMĔRIS, idis, f. 3. ἡμερίς, genus arboris glandiferæ, brevioris, et in orbem comosæ, alasque ramorum crebro cavatæ: quæ maximam glandem fert, et gallam optimam. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (22). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 293.) hæc docet: « Ce chêne *hemeris*, dont parle Theophraste 3. 9., ainsi que Strabon 3. 215., rentre encore comme variété dans l'espèce commune, *Quercus racemosa* Lmrk Dict. 1. 715. C'est *Petymodrys* des Macédoniens, l'ἡμερίς des habitans de l'Ida, le *placida* de Gaza. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HĒMĔRŎBĬOS, ii, m. et f. ἡμερόβιος, unum tantum diem vitæ habens: ab ἡμέρα *dies* et βίος *vita.* Nomen est cujusdam volucris quadrupedis circa solstitium nascentis, apud Hypanim fluvium in Ponto. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 36. 43. (120).

HĒMĔRŎCALLES, is, n. 3. ἡμεροκαλλές, species lilii, diem tantum durans: ab ἡμέρα *dies*, et κάλλος *pulcritudo.* Usum habuit in coronamentis. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 10. 33. (59). et *ibid.* 21. 90. (158). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 38.) hanc exhibet synonymiam: Ἡμεροκαλλές Theophr. 6. 1.; Ἡμεροκαλλίς Dioscor. 1. 137.; et *Hemerocalles* Plin. loc. cit. sunt *Pancratium maritimum*? L. Spec. plant. 418.

HĒMĔRŎDRŎMUS, i, m. 2. ἡμεροδρόμος, cursor, qui uno die ingens spatium cursu emetitur. *Liv.* 31. 24. Nisi speculator (hemerodromos vocant Græci) ingens die uno cursu emetiens spatium, contemplatus regium agmen a specula quadam, prægressus nocte media Athenas pervenisset. Adde *Nepot. Miltiad.* 4. — Inter hemerodromos clarissimus fuit Philonides, Alexandri M. cursor, de quo *Plin.* 2. *Hist. nat.* 71. 73. (181).

HĒMĔRŎTON, i, n. 2. herba eadem ac centaurea major. *Apul. Herb.* 31.

HĒMĬCĀDĬUM, ii, n. 2. ἡμικάδιον, dimidius cadus. *Isid.* 20. *Orig.* 7. Hemicadium, vas olearium.

HĒMĬCILLUS, i, m. 2. ἡμίκιλλος, *dimidius asinus*: vox convicii quam quidam legunt apud *Cic.* 13. *Att.* 51., ubi tamem alii legunt μίκκυλος, pusillus. — NB. De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HĒMĬCRĀNĔUM vel hemicranium, ii, n. 2. ¶ 1. Est ἡμικράνιον, dimidia pars calvariæ. *Vindiciani epist.* ad *Valentin. Aug.* præmissa *Marcell. Empir.* Dixerant comburi oportere etiam hemicranium et raso capite venas secari. ¶ 2. Item ἡμικράνιον, morbus quo dimidia tantum pars capitis laborat, illæsa altera; ab ἥμισυ *dimidium*, et κρανίον *caput.* *Plin. Valer.* 1. 8. et in lemmate apud *Seren. Sammon.* 2. et *Marcell. Empir.* 2. Adde *Apul. Herb.* 53.

HĒMĬCRĀNĬA, æ, f. 1. ἡμικρανία, *micrania*, idem quod hemicraneum, h. e. morbus quo dimidia tantum pars capitis laborat. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *sub init.* Sequitur in passione constitutos dolor vehemens capitis totius, aut dimidii, quem consueto nomine hemicraniam vocant, vel certe temporum, quem dolorem crotaphon appellant. *Marcell. Empir.* 2. *in fin.* Capitis, quod de hemicrania dolebit.

HĒMĬCRĀNĬCUS, a, um, adject. ἡμικρανικός, ad morbum hemicraneum pertinens: hinc *hemicranicus* absolute, substantivorum more, est qui hemicraneo morbo laborat. *Theod. Priscian.* 2. 1. Item etiam hemicranicis hæc sunt adjutoria adhibenda. *In edit. Ald. legitur* hemigranicis.

HĒMĬCYCLĬUM, ii, n. 2. ἡμικύκλιον. ¶ 1. Est semicirculus, *semicircolo.* *Vitruv.* 9. 8. Describantur hemicyclia duo. *Capell.* 6. *p.* 220. Hemicyclium est figura, quæ diametro et peripheria media, quam eadem diametros distinguit, continetur. ¶ 2. Item locus in conclavi, vel porticu, ubi sellæ disponuntur in semicirculi formam ad colloquendum, vel etiam mensa semicircularis. *Cic. Amic.* 1. 2. Quum sæpe multa, tum memini domi in hemicyclio sedentem in eum sermonem incidere. *Al. leg.* hemicyclo. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. Excepto solii capacis hemicyclio. ¶ 3. Item

sedile semicirculi formam referens, uni vel pluribus commodum. *Sueton. Gramm.* 17. Verrius Flaccus statuam habet Præneste in superiore fori parte circa hemicyclium, in quo fastos a se ordinatos et marmoreo parieti incisos publicaverat. ¶ 4. Item horologii quædam species, forma semicirculari. *Vitruv.* 9. 9.

HĒMĬCȲCLUS, i, m. 2. ἡμικυκλος, *semicircolo*, semicirculus: ab ἥμισυ *dimidium*, et κύκλος *circulus*. *Plin.* 5. *Ep.* 6. 33. Rectus hippodromi limes in extrema parte hemicyclo frangitur, mutatque faciem. *V.* et voc. præced. 2.

HĒMĬCȲLINDRUS, i, m. 2. ἡμικύλινδρος, dimidiatus cylindrus. *Vitruv.* 9. 3.

HĒMĬDEXĬUS, a, um, adject. ἡμιδέξιος, qui mediam partem dextram continet. *Plot. de metr.* p. 2638. *Putsch.* Hemidexium trimetrum dactylicum, ut quibusdam placet, monoschematistum est, ut semper tribus dactylis percutiatur. *et mox.* Latinum exemplum hemidexium trimetrum dactylicum hoc erit monoschematistum dactylicum, ut *Et Chaos et Phlegeton loca.*

HĒMĬĔPES, is, adject. comm. gen. 3. ἡμιεπής, qui dimidium versum epicum continet. *Plot. de metr.* p. 2662. Archebolium hemiepes constat duobus dactylis et spondeo: *Eruerint Danai quæ. Emicat Oceano lux.*

HĒMĪNA, æ, f. 1. ἡμίνα, *foglietta*, mensuræ genus dimidium sextarii habens, ut *Paul. Diac.* p. 100. 9. *Müll.* docet: item vas eam mensuram continens: ab ἥμισυ *dimidium*. Dicitur etiam cotyla. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 67. At cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit Heminas, recipit geminas sextarius unus. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 18. Heminas octo exprompsi in urceum. *Senec.* 2. *Ira* 33. Propinare heminam alicui. *Pers.* 1. 129. Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas. *h. e.* iniquas mensuras, quibus institores utuntur in vendendo: (quod erat ædilium officium. Sic *Juvenal.* 10. 102. vasa minora Frangere pannosus vacuis ædilis Ulubris). *Cels.* 4. 15. *in fin.* Hemina salis. *Id.* 4. 10. *sub fin.* Hemina tritici. — Heminæ duodecim congium efficiebant. *Cato R. R.* 57. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HĒMĪNĀRĬUS, a, um, adject. heminæ mensuram habens: et per translationem accipitur pro exiguo. *Quintil.* 6. 3. 52. Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum, quæ amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit.

HĒMĬŎLĬOS, on, *vel* hemiolius, a, um, adject. sesquialter, arithmetica quædam proportio continens aliquem totum numerum, et ejus dimidium, ut se habent tria ad duo (hinc *Capell.* 9. p. 322. Hemiolia ratio, quæ est tres ad duo.), et quindecim ad decem: ab ἥμισυ *dimidium*, et ὅλος *totus*. *Gell.* 18. 14. et *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 1. qui Latine, et *Vitruv.* 3. 1. qui Græce vocem scribit. — *Hemioliæ, arum*, apud *Gell.* 10. 25. sunt certum navium genus: fortasse ita dictæ a magnitudine. Sed alii leg. *mediæ*, alii *modicæ*, alii aliter. At nihil mutandum videtur, nam etiam apud Græcos ἡμιολία vocatur genus quoddam piratici navigii, ut apud *Theophr. Charact.* c. 25. *V.* HEMIOLIUM in *Verb. Barb.*

HĒMĬŎNĬON, ii, n. 2. ἡμιόνιον, herba, quæ et asplenum dicitur. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 17. (34). et *Apul. Herb.* 56. Ita porro appellatur, quia ea herba maxime delectantur ἡμίονοι, h. e. muli, ut docet *Theophr. Hist. plant. l.* 9. *c.* 19. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 431.) hanc exhibet synonymiam: Ἡμιόνιον *Theophr.* Hist. plant. 9. 19.; Ἄσπληνον οἱ δὲ σπλήνιον, οἱ δὲ ἡμιόνιον Dioscor. 3. 152.; Σκορπίδι Græcor. recentior.; *Calcifraga* Scribon. Compos. 150.; et *Asplenion hemionion* Plin. loc. cit. sunt *Asplenium Caterach* L. Spec. plant. 1538.

HĒMĬSESCLA *vel fortasse*

HĒMĬSEXTŬLA, æ, f. 1. (*subaudi* pars) est duodecima pars unciæ, quare hemisescla continet duos scrupulos. Hæc *Balbus de asse* § 15. Cf. *Mæcian. de asse* § 31. Dividitur uncia in duodecimas duodecim, quas singulas partes dimidias sextulas vocamus: nota dimidiæ sextulæ *etc.* Patet igitur *hemisesclam* a *Balbo* dictam eam unciæ partem, quæ *dimidia sextula* dicitur a *Mæciano*: itaque pro *hemisescla* fortasse legendum *hemisextula*. V. SESCLA.

HĒMĬSPHÆRĬUM, ii, n. 2. ἡμισφαίριον, *mezza sfera, emisfero*, dimidia sphæra, et. gr. dimidia pars cæli, aut terræ, aut rutæ. *Varro* 3. *R. R.* 5. 17. Ita circumeant ad infimum hemisphærium, ac moveantur, ut indicent, quot sint horæ. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 15. Teophrastus lacteum circulum dixit esse compagem, qua de duobus hemisphæriis cæli sphæra solidata est. *et* 20. Sol post occasum in inferiore hemisphærio currens. — *Vitruv.* 5. 10. *sub fin.* hemisphærium vocat cameratum cælum in membris balinei. *cupola.*

HĒMISTĪCHĬUM, ii, n. 2. ἡμιστίχιον, *mezzo verso*, dimidiatus versus. *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 3. *Verr.* 18. Enniano hemistichio usus est ex ea tragœdia, quæ Achilles inscribitur. Adde *Sueton. Vit. Lucan.*; et *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 503.

HĒMISTRĬGĬUM, ii, n. 2. dimidium strigæ. *Hygin. Gromat.* p. 1. *col.* 1. Quod ad latitudinem hemistrigii pedum xxx. attinet, papilioni dantur pedes x., armis pedes v., jumentis pedes ix.; fiunt pedes xxiv.; hoc bis, xlviii., quoniam conjuncti tenduut, efficitur striga pedum lx., reliqui pedes xii., qui conversantibus spatio sufficient. *et mox.* Servata latitudine hemistrigii. *et p.* 2. *col.* 2. Quod fuerat signis, tabulino dabimus, et hemistrigia mutabimus ratione tensuræ suæ. *et p.* 4. *col.* 1. Et si minor numerus utrorumque fuerit, ut centenis equitibus hemistrigiis suis laxius tendant, non erit hæsitandum.

HĒMĪTHĔUS, i, m. 2. ἡμίθεος, *semideo*, semideus heros. *Bæbius Macer* apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Ecl.* 47. Statuæ Cæsaris in Capitolio positæ subscriptum in basi fuit, Cæsari hemitheo. *Capell.* 2. p. 40. A medietate aeris usque in montium terræque confinia hemithei heroesque versantur.

HĒMĪTŎNĬUM, ii, n. 2. ἡμιτόνιον. *Vitruv.* 5. 4. Intervalla tonorum et hemitoniorum. *Capell.* 9. p. 315. Dico, quidquid rite sonuerit, aut tonum esse, aut hemitonium, aut quartam partem toni, quæ diesis appellatur. Adde *eumd. ibid.* p. 322.; et *Macrob.* 2. *Saturn.* 1.

HĒMĪTRĬGLȲPHUS, i, m. 2. dimidium triglyphi. *Vitruv.* 4. 3.

HĒMĪTRĪTÆUS, i, m. 2. ἡμιτριταῖος. ¶ 1. Febris tertianæ genus, multo perniciosius, quam tertiana simplex, quum febris tertio quidem die revertitur, It. *febbre terzana doppia*: ex octo autem et quadraginta horis fere sex et triginta per accessionem occupat, (interdum etiam vel minus, vel plus), neque ex toto in remissione desistit, sed tantum levior est. Ita *Cels.* 3. 3., qui tamen ipsa voce Græce utitur. Est enim ab ἡμισυς *dimidius*, et τριταῖος *tertius*, quasi semitertianus: et subintelligitur πυρετός *febris*. *Martial.* 12. 91. Coi gravis et ferveus hemitritæus erat. *Id.* 2. 40. Uri Tongilius male dicitur hemitritæo. *Seren. Sammon.* 52. 941. Mortiferum magis est, quod Græcis hemitritæum Vulgatur verbis: hoc nostra dicere lingua Non potuere ulli, puto, nec voluere parentes. ¶ 2. *Hemitritæus* etiam dicitur, qui tali febre laborat. *Martial.* 4. 81. Declamas æger, declamas hemitritæus.

HĒMĪTRĪTĀĬCUS, a, um, adject. idem quod hemitritæus, diphthongo soluta. *Marcell. Empir.* 30. *a med.* Febres acutas compescit, idest hemitritaicas. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *ab init.* Circuitus hemitritaici. Adde *eumd.* 2. *Acut.* 10. *circa med.*

HĒMO, ŏnis. *V.* HOMO.

HENDĔCACHORDUS, a, um, adject. ἑνδεκάχορδος, undecim fidibus instructus: *V.* CITHARA. Hinc *hendecachordum*, i, n. absolute, substantivorum more, est undecim chordarum series. *Boeth.* 1. *Music.* 20. p. 1386. In hac, vel in superiore hendecachordi dispositione.

HENDĔCĂGŌNUS, a, um, adject. ἑνδεκάγωνος, undecim angulis instructus. *Boeth.* 2. *Geom.* p. 1225. Idem de hendecagono feceris.

HENDĔCAS, ădis, f. 3. ἑνδεκάς, numerus undenarius. *Capell.* 7. p. 242. Item cubum sequentes (*numeri*) impares reddunt, id est heptas, enneas, hendecas, qui omnes faciunt viginti septem.

HENDĔCĂSYLLĂBUS, i, m. 2. ἑνδεκασύλλαβος, species carminis undecim syllabis constans, h. e. dactylo, et tribus choreis, ut illud *Catulli* 1. 1. *Cui dono lepidum novum libellum.* Dicitur et *Phalæcium* ab inventore Phalæco. Alia est species, quæ sopphicum *hendecasyllabum* dicitur, choreo, spondeo, dactylo et duobus choreis constans, ut illud *Horat.* 1. *Od.* 2. *Iam satis terris nivis atque diræ.* *Plin.* 4. *Ep.* 14. 8. Accipies cum hac epistola hendecasyllabos nostros. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 4. *Catull.* 12. 10. Quare aut hendecasyllabos trecentos Exspecta, aut mihi linteum remitte. Adde *Quintil.* 1. 8. 6.; et *Auson.* 4. *Ep.* 81. — Alias hendecasyllaborum species refert *Diomed.* 3. p. 509. *Putsch.* — Adjective et Græca terminatione *Mar. Victorin.* 1. p. 2494. *Putsch.* Metrorum genera alia a dis appellata, ut dithyrambicon, priapeion: — alia a numero syllabarum, ut heptasyllabon, hendecasyllabon.

HENDĬĀDYS. *V.* ENDIADYS.

HĒNĬŎCHUS, i, m. 2. Ἡνίοχος, nomen impositum Erichthonio curruum inventori, postquam factus est sidus et in cælum translatus: et est *habenas tenens* ab ἡνία *habena* et ἔχω *habeo*: Latine *Auriga* dicitur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 31. 74. (312).; *Manil.* 1. 361.; *Hygin.* 3. *Astron.* 12.; et *Capell.* 8. p. 278. et 282.

HĔNŌSIS, eos, f. 3. adunatio, unio, ἕνωσις: ab ἑνόω *aduno*: unus est ex æonibus Valentiniani, apud *Tertull. advers. Valentinian.* 8.

HĔNŌTES, ētos, f. ἑνότης, ητος, unitas. Unus est ex æonibus Valentiniani, apud *Tertull. advers. Valentinian.* 37.

HĒPAR, ătis, n. 3. Scribitur et *epar*, sed melius cum aspiratione. ¶ 1. Hepar, Græce ἧπαρ, Latine usurpatur pro jecore. Etymon vocis videtur esse ab Hebr. כָּבֵד et in forma constructa כְּבַד, quod idem *jecur* et *grave* significat, quia illud viscerum omnium gravissimum est. Græci in ejus nominis Genitivo Hebræorum pronunciationem sequuntur: dicunt enim ἧπαρ, ατος, non αρος, quod analogia postulare videbatur. *Marcell. Empir.* 14. *ad fin.* Hepatis duritia, et hepatis dolores. ¶ 2. Hepar m. 3., Græce ἥπατος, est piscis ex genere locustarum. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (149).

HĔPĂTĀRĬUS, a, um, adject. ad hepar pertinens. *Plaut. Curc.* 2. 1. 21. PA. Tum te igitur morbus agitat hepatarius. CA. Facile est miserum irridere. *Morbus hepatarius* est amatorius; nam hepar, seu jecur est sedes amoris et omnium affectionum. Hinc libidinosi Tityi pœna est intelligenda, de qua *Horat.* 3. *Od.* 4. 77. Incontinentis nec Tityi jecur Relinquit ales. Cf. *eumd.* 1. *Ep.* 18. 72 Non ancilla tuum jecur ulceret ulla puerve. et 1. *Od.* 25. 13. Quum tibi flagrans amor et libido Sæviet circa jecur ulcerosum.

HĔPĂTĬA, ōrum, n. plur. 2. *le interiora*, interanea: ab ἧπαρ *jecur*. *Lucilius* apud *Non.* p. 119. 22. *Merc.* Gigeria sunt, sive adeo hepatia. *Petron. Satyr.* 66. Hepatia in catillis. *Apul. de Mag.* Si cocto pisce ventrem ruspares, hepatia suffoderem.

HĔPĂTĬAS, æ, m. 1. ἡπατίας. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Vocatur hic hydropismus etiam hepatias, aut splenites, a patientibus partibus nomen ducens, hoc est jecore, vel liene.

HĔPĂTĬCE, es, f. 1. ἡπατική, idem quod hepatites. *Isid.* 4. *Orig.* 7. Hepatica morbus a jecoris passione nomen accepit.

HĔPĂTĬCUS, i, m. 2. ἡπατικός, *fegatoso*. Scribitur et *epaticus*. V. in ALOE. — Hepaticus est qui hepatis morbo laborat. *Cels.* 4. 8., quum morbum describit ejusque curationem tradit, Græce usurpat. Latine vero *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 55. (157). Hepaticis cum melle et sale bibendum datur. Adde *eumd.* 27. *ibid.* 12. 105. (130). Sic *Theod. Priscian.* *l.* 2. *p.* 2. *c.* 13. Nam et intuba frequenter comesta semper hepaticos juvere. Adde *eumd. ibid.* pluries.

HĔPĂTĪTIS, is *vel rectius* idis, f. 3. ἡπατῖτις, gemmæ nomen a figura jecinoris. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 71. (186). — Genitivus *hepatitidos* legitur apud *Marcell. Empir.* 8. Aloes hepatitidos. *h. e.* ad jecur pertinentis. Sic *Geopon.* 7. 24. Ἀλόης ἡπατιτιδος. At *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 8. Aloes hepatites uncias duas tundes. Et *Id. ibid.* 14. 14. Aloes hepatitæ.

HĔPĂTĬUM, ii. *V.* HEPATIA.

HĔPĂTĪZON, ontis, n. 3. ἡπατίζον, jecoris colorem referens: ab ἡπατίζω, *ad jecoris colorem vergo*. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (8). Æs Corinthium suo colore pretiosum ad jocinoris imaginem vergens, quod ideo hepatizon appellant.

HĒPHÆSTĪTIS, is *vel rectius* idis, f. 3. ἡφαιστῖτις, gemma est speculi naturam habens in reddendis imaginibus, quamquam rutilans. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 60. (166).

HEPHTHĒMĬMĔRES, is, f. 3. ἑφθημιμερής, scil. τομή, *cæsura*, quasi semiseptenaria, species

cæsuræ in versibus heroicis, quæ continet tres pedes, et syllabam, quæ dictionem finiat, quæ interdum, etiamsi natura brevis sit, licentia tamen poetica producitur: ab ἑπτά, *septem*, ἡμι *semis*, et μέρος *pars*, quasi septima dimidia divisio, vel dimidium septem pedum: ut *Virg.* 12. *Æn.* 13. Congredior, fer sacra pater, et concipe fœdus. *Terentian. de metr. p.* 2420. *Putsch.* Nec minus hanc laudant, quæ dat mensura secundam, Post tres pedes ut una nomen terminet. Hanc ephthemimerin numeri de parte vocarunt, Quia tres et una septem dividunt. Inde toro pater Æneas exemplar habebis: Post tres pedes reperta nomen integrat. Adde *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2508. et 2509. *Putsch.*; *Servium* in *Centimetr. p.* 1817., et *Diomed.* 3. *p.* 496. *V.* SEMISEPTENARIUS.

HEPSĒMA, ătis, n. 3. ἕψημα, sapa, mustum ad tertiam partem decoctum: ab ἕψω coquo. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 9. 11. (80).

HEPTĂCHORDUS, a, um, adject. ἑπτάχορδος, septem habens chordas: ab ἑπτά *septem* et χορδή *chorda*. *V.* CITHARA. Hinc absolute *Boeth.* 1. *Music.* 20. *p.* 1385. In heptachordo enim est unum tetrachordum. *Gloss. Placid.* edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 488. Nonnulli heptachordon (*fecerunt*), juxta numerum septem deorum, quorum nominibus dies nuncupatur. — Fuit etiam cognomen cujusdam L. Valerii, de quo *Val. Max.* 7. 8. *n.* 7.; fortasse quia vel ipse, vel ejus majorum aliquis musicæ amantissimus septem chordarum lyra usus fuit.

HEPTĂCHRŎNUS, a, um, adject. septem temporibus constans, idem ac heptasemus: ab ἑπτά *septem*, et χρόνος *tempus*. *Marius Victorin. p.* 2483. *Putsch.* Respondet pes imagini hippiorum, quos epitritos vocamus, qui sunt heptachroni, id est a prima brevi et tribus longis.

HEPTĂGŌNUS, a, um, adject. ἑπτάγωνος, *di sette angoli*, qui septem habet angulos. *Boeth.* 2. *Arithm.* 6. *p.* 1021. Numerum, qui sub quinque angulis continetur, pentagonum Græci nominant; hexagonum, qui sex angulis includitur; heptagonum, qui septem. *Balb.* in *Gromat. vet. p.* 106. Apud Græcos nomina ab angulis dantur, ut hexagono, heptagono etc.

HEPTĂMĔTRUM carmen heroicum dicitur a *Diomed. l.* 3. *p.* 512. *Putsch.*, si septem pedibus constet, ut *Elio cui dedit ingenium docile, atque libidine vinctum.* ἑπτάμετρον.

HEPTĂNEURŎS, i, f. 2. septem habens nervos, ab ἑπτά *septem* et νεῦρον *nervus*. Est nomen cujusdam herbæ apud *Apul. Herb.* 61.

HEPTĂPHŌNOS, i, f. 2. porticus Olympiæ ea arte confecta, ut eadem vox in ea septies redderetur: ab ἑπτά *septem* et φωνή *vox*. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 23. (100).

HEPTĂPHYLLON, i, n. 2. ἑπτάφυλλον, septifolium, herbæ genus a foliorum numero appellata: ab ἑπτά *septem* et φύλλον *folium*. *Apul. Herb.* 116.

HEPTĂPLEURŎS, ἑπτάπλευρος, dicta est plantago major, foliis laterum modo inciosa, quia hæc septena sunt: ab ἑπτά *septem*, et πλευρόν *latus*. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 39. (80). De synonymia *V.* in PLANTAGO.

HEPTĂPȲLOS, on, *vel Latina positione*

HEPTĂPȲLUS, a, um, adject. ἑπτάπυλος, septem habens portas: ab ἑπτά *septem*, et πύλη *porta*. *Apul.* 4. *Met.* Vix enim Thebas heptapylos accessimus. *Hygin. fab.* 275. Cadmus Thebas heptapylas condidit.

HEPTAS, ădis, f. 3. ἑπτάς, *numero settenario*, septenarius numerus. Latine *Capell.* 7. *p.* 241.; item *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6., sed Græce. Uterque autem ibi multa de eo.

HEPTĀSĒMOS, on, adject. ἑπτάσημος, septem temporibus constans, idem atque heptachronus: ab ἑπτά *septem*, et σῆμα *nota*. *Diomed.* 3. *p.* 305. *Putsch.* In dimetris quidem quum prior basis pentasemos fuerit, id est temporum quinque, erit sine dubio secunda heptasemos, id est temporum septem. Adde *Capell.* 9. *p.* 330.

HEPTASTĂDĬUM, ii, n. 2. ἑπταστάδιον, agger septem stadiorum in mare procurrens, quo Pharos insula continenti septem dierum spatio juncta fuit: ab ἑπτά *septem*, et στάδιον *stadium*. *Ammian.* 22. 16.

HEPTĀSȲLLABOS, on, adject. ἑπτασύλλαβος, septem syllabis constans, ut metrum heptasyllabon apud *Mar. Victorin.* 1. *p.* 2494. *Putsch.* Alia metra a numero syllabarum, ut heptasyllabon, hendecasyllabon. Adde *eumd.* 4. *p.* 2613. et 2617.

HEPTĀTEUCHUS, i, m. 2. ἑπτάτευχος, septem volumina habens: ab ἑπτά *septem*, et τεῦχος *liber*. Hoc nomine vocantur quinque libri Moysi prophetæ, seu pentateuchus, una cum libro Josue, et libro Judicum, quicum sæpe jungitur etiam Ruth, hinc septenarius fit numerus; si vero separetur, fit octateuchus. *Sidon.* 5. *Ep.* 15. Librum igitur hic ipse deportat heptateuchi, scriptum velocitate summa, summo nitore. Adde *Alcim. Ep.* 6. *a med.*

HEPTĒRES *vel*

HEPTĒRIS, is, f. 3. ἑπτήρης, navis, quæ septem remorum ordines habet. *Liv.* 37. 23. Maxime exterruit hepteres regia, a minore Rhodia navi uno ictu demersa. Adde *eumd. ibid.* 24. et 30. *V.* dicta in DECEMREMIS.

HĒRA, æ, f. 1. duo diversa significat, prout est *A*) Fem. ab *herus*; aut *B*) A Græc. ἔρα vel ἔρα.

A) *Hera* est fem. ab *herus*, qua significatione *herai* in patrio singulari pro *heræ* est *Ausonii* 7. *Edyll.* 5. Matre carens, nutrita egens, nesciit herai imperium. — Ceterum hera est domina domus, materfamilias: et dicitur fere cum respectu ad servos servasve; οἰκοδέσποινα, κυρία (It. *padrona*; Fr. *maîtresse de maison, maîtresse*; Hisp. *ama, dueña, señora*; Germ. *die Frau des Hauses, die Frau, Herrin*; Angl. *a mistress, dame*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Cic. Cœl.* 8. 18. Numquam hera errans. *h. e.* Medea. *Plaut. Cas. prol.* 41. Servus detulit (*puellam*) recta domum: dat heræ suæ, orat, ut eam curet, educet; hera facit, educavit magna industria. Adde *eumd. ibid.* 2. 5. 3. et *Amph.* 1. 1. 105. *Ter. Adelph.* 3. 1. 8. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est, hera. Adde *eumd. Andr.* 4. 2. 4., *Eun.* 4. 3. 12. et alibi. Apud *Plaut. Truc.* 4. 3. 22. et 23. Hera major et hera minor sunt mater et filia, *la padrona e la padroncina*.

II.) Translate. — *a*) Generatim est domina, potens, præses. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 12. 38. Vosne velit, an me regnare, hera quidve ferat Fors, Virtute experiamur. *hera* dicta est eo sensu, quo *Cic.* dixit *Pis.* 2. 3. Fors domina campi. Sic *Plaut. Merc.* 3. 4. 12. Fortuna, divûm atque hominum quæ spectatrix atque hera eadem es hominibus, spem speratam quum obtulisti hanc mihi. *Catull.* 61. 396. rapidi Tritonis hera. *h. e.* Minerva. *Id.* 63. 18. Hilarate heræ (*h. e.* Cybeles) citatis erroribus animum. *Val. Flacc.* 7. 313. Noctis heram Ditemque ciens. *Id.* 1. 780. Tergeminam tunc placat heram. Similiter *Inscript.* apud *Henzen.* 5663. I. O. S. P. D. (*h. e.* Jovi optimo sancto patri deûm) ET IVNONI SANCTAE HERAE etc. *Alia* apud *Mommsen. Inscr. N.* 72., quæ est apud *Henzen.* 5662. HERAE (*Junoni*) LACINIAE SACRVM etc. Confer *aliam* apud *Orell.* 2225. — *b*) Speciatim domina dicitur ea ratione, qua suas amicas amatores vocant. *Ovid. Heroid.* 9. 77. *de Hercule.* Crassaque robusto deduces pollice fila: Æquaque famosæ pensa rependis heræ. Adde *Catull.* 68. 136.

B) *Hera* seu *era*, fortasse ab Hebr. ארץ, certe a Gr. ἔρα vel ἔρα, quæ idem significant, dicitur terra. *Capell.* 2. *p.* 40. A medietate aeris usque in montium terræque confinia hemithei heroesque versantur, qui ex eo quod heram (*al.* eram) terram veteres dixerunt, heroes nuncupati. *V.* HEROS sub init.

HĒRĂCLĬON *vel Latina positione*

HĒRĂCLĬUM, ii, n. 2. Ἡράκλειον, herba quæ et origanum Heracleoticum dicitur, triplicis generis: alia nigra, latioribus foliis, glutinosa: alia exilioribus mollior, sampsucho non dissimilis: alia inter has media, et minus, quam ceteræ, efficax. Dicitur ab Hercule inventa. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 12. (32). et 20. *ibid.* 17. 69. (177). De synonymia *V.* ORIGANUM.

HĒRÆUS, a, um, adject. ad Heram, *h. e.* Junonem pertinens. — Hinc *Heræa*, *orum*, τὰ Ἡραῖα, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt ludi, qui Argis solemniter celebrabantur in honorem τῆς Ἥρας, h. e. Junonis. *Liv.* 27. 30. Curationes Heræorum Nemeorumque ad eum delata. et *mox.* Heræis peractis, ab ipso ludicro extemplo Rhium profectus est. *V.* HERA sub *A.* II. *a.*

HERBA, æ, f. 1. germen terræ viride ac tenerum, quo vestitur humus, pascuntur animalia, fruges producuntur, βοτάνη (It. *erba*; Fr. *herbe, gazon, herbage*; Hisp. *yerba, herbage*; Germ. *d. grünende Halm, Saat, d. Grün, Kraut, Gras*; Angl. *an herb, grass, herbage*). Occurrit — *a*) Generatim. *Lucret.* 5. 814. Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile Præbebat, multa et molli lanugine abundans. *Cic.* 2. *Orat.* 71. 287. In herba recumbere. *Id.* 1. *ibid.* 7. 28. Abjicere se in herbam. *Virg.* 3. *Ecl.* 55. In molli consedimus herba. *Id.* 2. *G.* 527. fususque per herbam Agricola. *Id.* 3. *ibid.* 436. jacere per herbas. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 35. prope rivum somnus in herba. *Virg.* 7. *Ecl.* 45. somno mollior herba. *Ovid.* 7. *Met.* 254. stratis porrexit in herbis. *lo stese, lo coricò.* *Id.* 3. *ibid.* 12. et qua requieverit herba, Mœnia fac condas. *Lucret.* 1. 261. hinc nova proles Artubus infirmis teneras lasciva per herbas Ludit. *Ovid.* 2. *Met.* 864. viridique exsultat in herba. *Lucret.* 5. 462. Herbæ rore gemmantes. *Virg.* 1. *G.* 90. novæ. *Id.* 3. *ibid.* 126. pubentes. *Ovid.* 5. *Fast.* 123. recentes. *Cic.* 1. *Divinat.* 34. 75. In capite corona subito exstitit ex asperis herbis et agrestibus. *Lucret.* 5. 788. nova tum tellus herbas virgultaque primum Sustulit. *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 33. herbas pascere. *Id.* 11. *Met.* 350. legere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 21. 50. (185). inutiles evellere. — *b*) Speciatim de variis herbarum generibus. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 36. Quasi solstitialis herba paulisper fui: repente exortus sum, repentino occidi. *Id. Trin.* 1. 1. 9. Interim mores mali, quasi herba irrigua, succreverunt uberrime. *Colum.* 6. *R. R.* 12. 5. Herba sanguinalis. *Veget.* 5. *Veterin.* 13. 2. Herba rubia. — *c*) Item de medicis herbis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 63. 63. (155). Herbas medicas terra fundit. Adde *Curt.* 9. 8. 26.; *Justin.* 12. 10. 3.; et *Claudian.* III. *Cons. Honor.* 62. Sic *Ammian.* 23. 8. Abrotonum et absinthium aliaque herbarum genera. Et *Ovid.* 7. *Met.* 196. Herbæ pollentes. *di grande virtù magica.* Cf. *Lucan.* 6. 715. — *d*) Item de venenosis. *Virg.* 4. *Ecl.* 24. fallax herba veneni. *Colum.* 2. *R. R.* 12. 16. Herba satis noxia. *Propert.* 2. 1. 73. non hic herba valet. *Val. Flacc.* 1. 426. Herba Amyclæa. *Stat.* 9. *Theb.* 734. feræ herbæ. Adde *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (153). — *e*) De herbis, quibus homines et bruta animalia vescuntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 64. 161. Sicut ex quibusdam stirpibus et herbis, quarum utilitates longinqui temporis usu et periclitatione percepimus. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 23. Non ego cœnam condio, ut alii coqui: qui mihi condita prata in patinis proferunt, boves qui convivas faciunt herbasque oggerunt; eas herbas herbis aliis porro condiunt, indunt coriandrum, feniculum, alium *etc.* Quum hasce herbas hujusmodi in suum alvum congerunt *etc.* Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt. *Cic.* 7. *Fam.* 26. Fungos, helvellas, herbas omnes (*h. e.* olera) ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. *Colum.* 12. *R. R.* 7. 2. et 13. 2. Herbarum conditura. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 7. Herbis vivis et urtica. *Lucret.* 2. 319. Invitant (*pecudes*) herbæ gemmantes rore recenti. Cf. *Virg.* 8. *Ecl.* 15. ros in tenera pecori gratissimus herba. *Id.* 3. *G.* 295. ovis herbam carpit. *Lucret.* 2. 361. Nec teneræ salices atque herbæ rore vigentes queunt Oblectare animum. *Virg.* 3. *G.* 498. equus immemor herbæ. *Id.* 5. *Ecl.* 25. nulla neque amnem Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam. *h. e.* frumenta. Cf. *Ovid.* 10. *Met.* 87. quam (*aream*) viridem faciebant graminis herbæ. et *Virg.* 1. *G.* 134. ut sulcis frumenti quæreret herbam. — *f*) *In herbis esse* dicuntur frumenta nondum ad maturitatem accedentia. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (52). Frumenta hieme in herba sunt. *Cæs.* 1. *B. C.* 48. Neque frumenta in herbis erant, neque multum a maturitate aberant. *Cic. Amic.* 19. 68. Novitates si spem afferunt, ut tamquam in herbis non fallacibus fructus appareat etc. *Ovid.* 5. *Met.* 4. primis segetes moriuntur in herbis. *Id.* 4. *Fast.* 645. Ceres dominum primis fallebat in herbis. — Hinc proverb. *Cato* apud *Gell.* 13. 17. Nunc ita ajunt, in segetibus et in herbis bona frumenta esse. Nolite ibi nimiam spem habere. Sæpe audivi, inter os atque offam multa intervenire posse; verum vero inter offam atque herbam, ibi vero longum intervallum est. Translate *Ovid. Heroid.* 17. 263. Sed nimium properas, et adhuc tua messis in herba est. *h. e.* nondum potiundi tempus advenit. proverb. — Hinc eleganti utitur translatione *Fronto* 1. *ad Antonin. Imp.* (e-

dente iterum *A. Maio*) *ep.* 5. Ego ne, qui indolem ingenii tui in germine etiam tum et in herba et in flore dilexerim, nunc frugem ipsam maturæ virtutis nonne multo multoque amplius diligam? *Cf. Tac. Dial. de orat.* 9. Omnis illa laus, velut in herba vel flore præcerpta. — *g*) *Herbam dare*, vel *porrigere*, proverbialis dicendi forma de eo, qui se victum fatetur, et adversario cedit victoremque agnoscit: ductum, inquit *Paul. Diac.* p. 99. 8. *Müll.*, quod pastores in prato cursu aut viribus contendentes, quum superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant. *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 128. Quum de nomine Athenarum Neptunus et Minerva contenderent, et jussisset Juppiter, ut illius nomine diceretur civitas, qui munus melius obtulisset hominibus, equum Neptunus, Minerva olivam protulit et statim vicit: unde quum ejus ramus alicui offertur, indicat eum esse meliorem. Hinc est illud proverbium *herbam do*, id est, cedo victoriam. *Varro ibid.* Quum in agonibus herbam in modum palmæ dat aliquis ei, eum quo contendere non conatur, et fatetur esse meliorem. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 4. 4. (8). Summum apud antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc est terra et altrice ipsa humo et humatione etiam cedere; quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio. Adde *Plaut.* apud *Paul. Diac. loc. cit.*; et *Accium* et *Afranium* apud *Non.* p. 317. 18. et 20. *Merc.* — *h*) Huc referre possumus et illud *Ammian.* 27. 3. Per omnia civitatis membra, quæ diversorum Principum exornarunt impensæ, (*Lampadius Urbis moderator*) nomen proprium inscribebat; non ut veterum instaurator, sed conditor. Quo vitio laborasse Trajanus dicitur princeps: unde eum herbam parietinam jocando cognominarunt.

HERBĀCĔUS, a, um, adject. qui herbæ colorem habet, herbeus, *di color d'erba*, βοτανώδης. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 33. (110). Porri sectivi duo genera: herbaceum, etc. alterum genus pallidioris folii. *Id.* 20. *ibid.* 13. 51. (131). Folia herbacei coloris. *Id.* 26. *ibid.* 8. 35. (55). Flos hic herbaceus est, alterius thymi albus. *Id.* 21. *ibid.* 19. 75. (128). Unum purpureo flore, alterum herbaceum. *Id.* 23. *ibid.* 4. 49. (95). Herbaceum oleum. *Id.* 33. *ibid.* 5. 27. (90). Herbacea chrysocolla.

HERBANS, antis. *V.* HERBEO.

HERBĀRĬA, æ, f. 1. *et*

HERBĀRĬÆ, ārum, f. plur. 1. *et*

HERBĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

HERBĀRĬUS, a, um, adject. ad herbas pertinens, *di erba*, βοτανικός. — Hinc

Herbaria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, (subaudi *ars*), est ars ea, quæ in cognoscendis herbis earumque virtutibus versatur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (196). Herbariam et medicamentariam a Chirone volunt repertam.

Herbarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, qui herbarum peritus est, *erbajuolo, botanico, erbolajo, semplicista*. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 73. (191). Dalion herbarius parturientibus ex eo cataplasma imposuit. *Id.* 25. *ibid.* 13. 100. (174). Nostri herbarii strumum eam vocant.

Herbarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est liber, in quo herbæ notantur et describuntur, *erbario* quoque Italis nuncupatus. *Cassiod. Instit. div. litt.* 31. In primis habetis herbarium Dioscuridis, qui herbas agrorum mirabili proprietate disseruit atque depinxit. *V.* BOTANICUM.

Herbariæ, *arum*, f. plur. 1. absolute, substantivorum more, dicuntur feræ, seu bestiæ quæ herbis pascuntur. *Inscript.* apud *Murat.* 654. 1. IN QVA MIRATVS HONESTISSIMUM.. EX GENERE HERBARIARVM ET NUMEROSAS ORIENTALES etc. *V.* HERBATICUS.

HERBĀRĬUS, ii, m. 2. *V.* voc. præced.

HERBASCO, is, n. 3. herba vestior, idem quod herbesco. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (150). Quin et ovillo fimo nominatim uti, quoniam aliud herbasceret. *h. e.* herbas emitteret. *Harduin.* et *Sillig.* legunt *herbas creet* ex MSS.

HERBĀTĬCUS, a, um, adject. ποηφάγος, a ποα *herba, pabulum*, et φαγω *comedo*: ut Herbatica animalia, quæ herbis pascuntur. *Vopisc. Prob.* 19. Oves feræ, et cetera herbatica animalia. Adde *Solin.* 40 *V.* HERBARIUS: et consule *Henzen. Explic. musivi* p. 54.

HERBĒO, es, ere, n. 2. herbas produco, herbidus sum, idem quod herbesco. *Apul.* 7. *Met.* Prata herbentia. *Al. leg.* herbantia.

HERBESCO, is, ere, n. inchoat. 3. Part. *Herbescens*. — Herbesco est herbidus fio, herbam produco. *Cic. Senect.* 15. 51. Terra semen sparsum vapore et compressu suo diffundit, et elicit herbescentem ex eo viriditatem. *Ammian.* 31. 2. *in fin.* Ibi campi semper herbescunt, intersitis pomiferis locis. — Nonnulli legunt etiam apud *Liv.* 25. 15., ubi vulgati libri non recte habent *frumenta, quæ jam in hibernis erant*, et ubi *Gronov.* legendum conjecit *quæ jam in herbis erant*.

HERBĔUS, a, um, adject. herbæ colorem habens, viridis. *Plaut. Curc.* 2. 1. 16. Cum collativo ventre atque oculis herbeis.

HERBĬDO, as, are, a. 1. similem herbæ reddo. *Capell.* 1. *p.* 20. Qui lapides coloribus suis terras ratis temporum vicibus herbidabant. *h. e.* herbidas reddebant.

HERBĬDUS, a, um, adject. ¶ 1. Est plenus herbis, herbosus, *erboso*, βοτανώδης, ποώδης. *Varro* 2. *R. R.* 1. 16.; et *Liv.* 9. 2. Campus herbidus aquosusque. *Ovid.* 8. *Met.* 282. majores herbida tauros Non habet Epiros. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 22. Segetes herbidas reddere. *h. e.* herbis permixtas et infestatas. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 27. 3. *Plin.* 8. *Ep.* 20. Herbidæ insulæ. *Ammian.* 14. 3. ripæ. ¶ 2. Item herbeus, herbaceus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 31. (56). Herbidus color. *Capell.* 1. *p.* 19. Herbida palla. *Prudent. Psychom.* 863. volvitque vagos lux herbida fluctus. ¶ 3. Item ex herba factus. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 8. 19. (28). Lactis potus herbidi per montium æstiva. *h. e.* lactis ex recentibus herbis geniti. — — Hinc

Herbida, *ōrum*, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt partes herbidæ. *Tertull. Pall.* 3. *a med.* Et arbusta vestiunt, et lini herbida post virorem lavacro nivescunt. *h. e. anche gli arboscelli somministrano le vesti, e gli erbacei gambi del lino, deposta la verdezza, dopo che furon lavati, divengono bianchissimi qual neve.*

HERBĬFER, fera, ferum, adject. herbas ferens, herbidus, *erboso*, ποώδης. *Ovid.* 14. *Met.* 9. Herbiferi colles. *Id.* 4. *Fast.* 468. et ripas, herbifer Aci, tuas. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 53. (93). Herbiferum esse et Pelium montem in Thessalia.

HERBĬGRĂDUS, a, um, adject. qui inter herbas graditur. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Divinat.* 64. 133. Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam. *Al. leg.* tardigradam.

HERBĪLĬA, æ, f. 1. genus leguminis, eadem quæ hervilia et ervilia; hinc etiam *herbum* et *hervum* pro *ervum* scribitur. *Edict. Dioclet.* p. 20. Lenticlæ, herbiliæ, pisæ. *V.* HERVILIA.

HERBĪLIS anser, inquit *Paul. Diac.* p. 100. 13. *Müll.*, herba pastus, qui gracilior est, quam frumento alitus. Ibi *Scaliger* laudat *Lucilium* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 129. anseris herbili' vivus.

HERBĬPŎTENS, entis, adject. qui scit potestatem herbarum. *Boeth. Consol.* 4. 4. *metr.* 3. v. 8. *de Circe.* Quos ut in varios modos Vertit herbipotens manus, etc.

HERBŌSUS, a, um, adject. Sup. *Herbosissimus* I. — Herbosus ¶ 1. Est herbidus, herbis abundans, *erboso*, ποώδης. *Cato R. R.* 34. Herbosa loca. *Id. ibid.* 54. Herbosissima stramenta. *h. e.* quæ herbas multas permixtas habent. *Propert.* 1. 3. 6. Apidanus herbosus. *Tibull.* 2. 5. 25. pascebant herbosa palatia vaccæ. *Virg.* 2. *G.* 199. herbosum flumen. *h. e.* cujus ripæ, et loca circum herbida, aquis ejus irrigata. *Horat.* 3. *Od.* 18. 9. Ludit herboso pecus omne campo. *Ovid.* 4. *Fast.* 367. herbosum moretum. *h. e.* ex variis herbis compositum. *Id.* 14. *Met.* 445. Solvitur herboso religatus ab aggere funis. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (77). Herbosus cæspes. *Juvenal.* 3. 173. herboso colitur si quando theatro Majestas. ¶ 2. Herbosus etiam dicitur, qui herbæ colorem imitatur. *Sidon. carm.* 5. 38. de caute Laconum Marmoris herbosi radians interviret ordo. *h. e.* marmoris Lacedæmonii, Italice *serpentino*, de quo *Stat.* 2. *Silv.* 2. 91. Quod viret et molles imitatur rupibus herbas. *Capell.* 1. *p.* 17. Calceus smaragdineæ fluctu viriditatis herbosus vestigiis ejus tellus annexuit.

HERBŬLA, æ, f. 1. deminut. *ab* herba, parva herba, *erbetta*, βοτάνιον. *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. 127. Perpurgant sese quadam herbula, quæ seselis dicitur. Adde *Quintil.* 1. 3. 5.; *Apul.* 3. *Met.*; et *Senec Vit. beat.* 9. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HERBUM, i, n. 2. idem quod ervum, apud *Pallad.* 1. *R. R.* 24.

HERBUSCŬLA, æ, f. 1. deminut. *ab* herba, *erbetta*, βοτάνιον. *Capell.* 2. p. 25. Quem, dum flores ipsa decerperet prælectis quibusdam herbusculis, conspicata est.

HERCISCO (*vel* ercisco, ut est *in Pandect. Florent.*) a. 3. antiquum verbum juris, cujus tamen nulla vox, nisi gerundiva in usu est. *Cic.* 1. *Orat.* 56. 237. Nec si parvi navigii, et magni eadem est in gubernando scientia, idcirco qui, quibus verbis herctum cieri oporteat, nesciat, idem herciscundæ familiæ causam agere non possit. *Id. Cæcin.* 7. 19. Nomine heredis arbitrum familiæ herciscundæ postulavit. Adde *tit.* 2. *lib.* 10. *Dig.* Familiæ herciscundæ. et *Ulp. Regular.* 19. § 16. Adjudicatione dominia nanciscimur per formulam familiæ herciscundæ, quæ locum habet inter coheredes; et per formulam communi dividundo, cui locus est inter socios; et per formulam finium regundorum, quæ est inter vicinos. Nam si judex uni ex heredibus, aut sociis, aut vicinis rem aliquam adjudicaverit, statim illi adquiritur, sive mancipi, sive nec mancipi sit. Sic figurate *Apul.* 6. *Met. sub fin.* In causa finali de proprietate soli, immo vice herciscundæ contendentes. *Id.* 9. *ibid.* Nec herciscundæ familiæ, sed communi dividundo formula dimicabo. *h. e.* dividam tuas nates mentula mea, o puer. — Ceterum *hercisco* dictum est a voce *herctum*, et *cisco* pro *cio* divido: quod a σχίω et σχίζω *scindo*. *Gloss. Philox.* Cienda, διαιρούμενη. Ergo *ercisco* est quasi *herctum cisco*, h. e. patrimonium divido: et *familia*, seu *hereditas herciscunda*, est hereditas dividunda. *V.* HERCTUM. Sunt tamen, qui hoc *hercisco* nihili putant, et tanquam corruptam vocem ex *hercto cito*, ex Latio procul amandandam. Fuisse enim ajunt apud antiquos actionem hereditatis dividendæ his verbis conceptam: *familiæ, hereti ciundæ*: ex quibus factum esse a JCtis per imperitiam *familiæ herciscundæ*. Ita *Salmas.* ad *Solin.* p. 1262. 1263.: sed obstant huic sententiæ tum loca *Cic.* et *Apuleji* allata, quæ non vidisse aut dissimulasse videtur *Salmas.*, tum auctoritas criticorum aliorum, qui retinendum omnino putant.

HERCLE. *V.* HERCULES.

HERCTUM, *sive* erctum, *sive* horctum *et* forctum, ut quidam dixere, *patrimonio, eredità*. *Paul. Diac.* p. 102. 12. *Müll.* Horctum et forctum pro bono dicebant. *Donatus* apud *Servium* ad *Virg.* 8. *Æn.* 642. et *Gell.* 1. 9. *extr.* Herctum non citum, hoc est patrimonium non divisum: Herctum ciendum, hereditas dividenda. Qui modus dicendi habetur etiam apud *Paul. Diac.* p. 82. 16. *Müll.* Herctum cietum fit inter consortes. (Ubi genus neutr. animadvertendum est.) *Gloss. Philox.* Herctus citus, διαιρεσις τῶν ὑπαρχόντων. Adde *Cic. loc. cit.* in HERCISCO, ubi illud *herctum cieri* a *P. Victor. var. lect.* 1. 35. c. 1. satis defenditur contra eos qui lectionem sollicitant.

HERCŬLĀRĬA, æ, f. 1. herba eadem ac sideritis. *Apul. Herb.* 72.

HERCŬLE. *V.* voc. seq.

HERCŬLES, is, m. 3. heros Thebanus, filius Jovis tertii ex Alcmena uxore; de quo *V.* ONOM. — Hinc, ut apud Græcos Ἡράκλεις et Ἡρακλῆς, h. e. μὰ τὸν Ἡρακλέα, apud Latinos *hercules* et sæpius *hercule* vel per syncopen *hercle*, et cum addito *me* (ut *mecastor* et *mediusfidius*) *mehercules*, *mehercule* vel separatim *me hercule*, et *mehercle*, adverb. jurandi, per Herculem, certe, profecto (It. *in verità, certamente*; Fr. *en vérité, vraiment*; Hisp. *verdaderamente, ciertamente*; Germ. *wahrlich, gewiss*; Angl. *truly, by my troth*). Hæc jurandi formula virum propria erat; quemadmodum mulieres jurabant per Junonem. Nusquam enim, inquit *Gell.* 11. 6., scriptum invenire est apud idoneos scriptores, aut *mehercle* feminam dicere, aut *mecastor* virum; idque ideo, quia Herculaneo sacrificio abstinebant. Apud *Plaut.* tamen *Truc.* 2. 1. 1. ancilla quædam, Ha, ha, ha, inquit, hercle quievi etc. Sunt qui putant, morem illum, ut per Herculem non jurarent feminæ (de quo et in ECASTOR et in MECASTOR verba facimus) solis Romanis mulieribus proprium fuisse; allato autem *Plauti* loco Græcam ancillam loquentem induci. Similiter apud *Phædr.* sic Minerva loquitur (quæ et virago est, et Herculis sacris, ut dea,

adesse non prohibetur) 3. 17. At mehercule narrabit, quod quis voluerit, oliva nobis propter fructum est gratior. Ceterum — a) *Hercules* vel *mehercules* occurrit apud *Cic. Brut.* 16. 61. Et hercules hæ quidem exstant. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 4. Et hercules, nisi nostri equites acutius vidissent, pæne concedente adversario superasset. *Cic. Rosc. Am.* 11. 31. Licet hercules undique omnes in me terrores impendeant. *Curt.* 10. 3. 9. At hercules munia militiæ toleratis. *Vellej.* 2. 52. 2. Neque hercules quidquam salubrius fuit. Adde *Liv.* 3. 68.; *Apul.* 5. *Met.*; et *Tertull. Idolol.* 20. — *Cic. Rosc. Am.* 48. 141. Neque mehercules hoc indigne fero. *Id.* 6. *Fam.* 5. Cui hic, mehercules cujus in potestate sumus, multum tribuit. *Id.* 2. *Cat.* 7. 16. Si mehercules hoc, quod agit, numquam ante cogitasset. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 18. Mihi si contigisset, ut prior occurreram Antonio, non mehercules horam constitisset. *Phædr.* 3. 17. At mehercules narrabit quod quis voluerit. *Forcellinus* hæc docet: *Mehercules* quamvis minus *Ciceroni* placeat, quam *mehercule*, ut est *Orat.* 47. 157. (*V.* mox sub b.), legitur tamen pro *Planc.* 26. 64. Vere mehercules hoc dicam. (*Al. leg.* mehercule). At in *Cod.* palimpsesto *Cic.* 1. *de republ.* 9., 19., 38. ubique mehercule legitur, id testante *A. Maio.* — b) *Hercule* vel *mehercule* pro *hercules* vel *mehercules* usuvenit, teste *Cic. Orat.* 47. 157. Impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret: et *pomeridianas quadrigas* quam *postmeridianas* libentius dixerim, et *mehercule* quam *mehercules*. *Plaut. Most.* 3. 1. 18. Dixi hercule vero omnia. *Id. ibid.* v. 30. Cape, obsecro hercule. *Id. Rud.* 1. 2. 72. Quique hercule illi socius esse diceris. *Cic.* 2. *Att.* 7. Hercule, verum ut loquamur, subcontumeliose tractatur. *Curt.* 4. 10. 23. Dignus hercule, qui etc. *Cic. Amic.* 11. 37. Et hercule ita fecit, vel plus etiam quam dixit. *Id.* 2. *Fam.* 18.; et *Quintil.* 2. 5. 4., 2. 16. 12., 10. 2. 3. et 12. 6. 4. Et hercule. *Cic.* 1. *de republ.* 13. Ac me quidem, ut hercule etiam te ipsum, Læli, cognitio ipsa rerum delectat. *Id. Quinct.* 3. 13. Itaque hercule haud mediocriter de communi ad se in privatam domum sevocabat. *Id.* 16. *Att.* 16. c. 10. Numquam putavi fore, ut supplex ad te venirem: sed hercule facile patior datum tempus, in quo etc. *Curt.* 6. 3. 15., 7. 1. 36., 7. 7. 15. et 10. 3. 9. At hercule. *Quintil.* 11. 3. 59.; et *Curt.* 4. 1. 22. Immo hercule. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 72. neque ego hercule prætereo. *Quintil.* 1. 4. 7. An cujuslibet auris est exigere litterarum sonos? non hercule magis quam nervorum. Sic *Cic.* 1. *de republ.* 23. Non hercule, Scipio, dubito, quin etc. Adde *Quintil.* 12. 1. 7. *Curt.* 8. 8. 5. Minime hercule. *Cic.* 2. *Legg.* 4. 8. Sane quidem, hercule. *Sic legunt multi: Orellius vero leg.* hercle. Adde *Liv.* 1. 7. et 7. 1.; et *Curt.* 4. 11. 9., 5. 8. 9., 7. 1. 28. et alibi. — *Ter. Eun.* 3. 1. 26. Pulcre mehercule dictum et sapienter. *Cic.* 1. *de republ.* 9. Atqui nactus es, sed mehercule otiosorem opera, quam animo. *Id. ibid.* 19. Dicam mehercule et contemnar a te fortasse. *Id. ibid.* 48. Cognoscere mehercule, inquit. *Id. ibid.* 38. Non mehercule, inquit. Sic *Quintil.* 6. 1. 43. et 6. 3. 74. Non mehercule. *Id.* 6. 3. 81. et 9. 2. 42. Nec mehercule. *Cic.* 3. *Legg.* 14. 33. Ita mehercule attendi, nec satis intellexi etc. *Id.* 6. *Verr.* 14. 33. Et mehercule ego antea mirari solebam etc. *Sall. Jug.* 110. Et mehercule opem tuli. *Id. ibid.* 85. Exercitus ibi est, locorum sciens, sed mehercule magis strenuus quam felix. *Al. leg.* mehercules. Adde *Liv.* 27. 44.; et *Vatinium* apud *Cic.* 5. *Fam.* 10. *Cic.* 5. *Att.* 16. Mehercule etiam adventu nostro reviviscunt justitia, abstinentia etc. *Id.* 2. *Fam.* 11. Mihi mehercule magnæ curæ est ædilitas tua. *Id.* 1. *Cat.* 7. 17. Servi mehercule mei, si me isto pacto metuerent etc. *Plin.* 7. *Ep.* 6. 11. Bene, mehercule, bene. Adde *Sall. Cat.* 52.; *Cic.* 2. *leg. Agr.* 9. 22.; et *Auct. B. Afr.* 16. — c) *Hercle* vel *mehercle* apud *Ennium* apud *Non.* p. 474. 22. *Merc.* Malo hercle suo magno convivat. *Plaut. Amph.* 1. 1. 143. Obsecro hercle, quantus et quam validus est. *Id. ibid.* v. 173. Lassus sum hercle a navi, ut vectus huc sum. *Id. Bacch.* 2. 2. 33. Tanto hercle melior Bacchis. *Ter. Andr.* 1. 3. 20. Mihi quidem hercle non fit verisimile. *Id. Eun.* 2. 3. 13. et *Phorm.* 1. 2. 87. Nescio hercle. *Id. Eun.* 5. 2. 66. et *Heaut.* 4. 4. 11. Perii hercle. *Id. Phorm.* 5. 7. 76. Non hercle ex re istius me instigasti. — *Per hercle*, seu conjunctim *perhercle*, idem significat quod *hercle*. *Gell.* 3. 6. *init.* Per hercle rem mirandam Aristoteles dicit. — Jungitur et aliis particulis affirmantibus. *Plaut. Men.* 5. 9. 33. Hercle quin tu me admonuisti recte, et habeo gratiam. *Id. Rud.* 3. 5. 41. Heu hercle ne istic fana mutantur cito! *Id. Merc.* 2. 1. 40. Hercle equidem. *Id. Stich.* 4. 1. 55. Hercle ille quidem certo versutus fuit. *Id. Mil. glor.* 4. 2. 8. Nequeo hercle quidem. *Id. Trin.* 3. 3. 53. Scite hercle sane. *Cic.* 2. *Legg.* 4. 8. Sane quidem hercle. *Plaut. Merc.* 1. 2. 74. Tam hercle certe, quam etc. *Id. Trin.* 3. 3. 23. Minime minime hercle vero! *Cic. Amic.* 9. 30. Minime hercle. *Id.* 3. *Orat.* 22. 82. Haudquaquam hercle, Crasse, mirandum est etc. — *Ter. Eun.* 3. 1. 26. Pulcre mehercle dictum est et sapienter. *Id. ibid.* 1. 1. 22. Hæc verba una mehercle falsa lacrimula restinguet.

HĔRĔ, adverb. *V.* HERI.

HĒRĒDĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. ab* heredium, parvum heredium, κτημάτιον. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 13. *de Cincinnato.* Rursus depositis fascibus, ad eosdem juvencos et quatuor jugerum avitum herediolum redierit. *Gell.* 19. 7. Herediolum tenue possidebat. Adde *Apul. Florid.* 2. et *de Mag.* p. 599. *Oudend.*; et *Auson. Edyll.* 4.

HĒRĒDĬPĔTA, æ, m. 1. (heredium et peto) qui blanditiis, assentationibus, muneribus senum ac viduarum gratiam captat, ut ab iis heres scribatur. *Petron. Satyr.* 124. Incidimus in turbam heredipetarum. Legitur etiam in *Not. Tir.* p. 85.

HĒRĒDĬTĀRĬĒ, adverb. ex hereditate, *per eredità.* *Vulgat. interpr. Ezech.* 46. 16. Hereditas ejus, filiorum suorum erit, possidebunt eam hereditarie.

HĒRĒDĬTĀRĬUS, a, um, adject. ad hereditatem pertinens, κληρονομικός (It. *ereditario*; Fr. *héréditaire, d'héritage*; Hisp. *hereditario*; Germ. *zur Erbschaft gehörig, erblich, ererbt*; Angl. *hereditary*). Occurrit — a) De iis, quæ ad hereditatem pertinent. *Cic. Cæcin.* 5. 13. Quum esset hæc auctio hereditaria constituta. *Id.* 1. *ad Brut.* 6. *ad fin.* Habere cum aliquo controversiam hereditariam. *Quintil.* 3. 10. 2. In hereditariis litibus. — b) Item qui ad nos hereditate pertinet. *Plin.* 7. *Ep.* 11. Hereditarii agri. *Flor.* 3. 13. *extr.* Jure hereditario possidere aliquid. *Curt.* 10. 7. 15. Hereditarium imperium vindicare. Adde *eumd.* 6. 3. 12.; *Vopisc. Flor.* et *Prob.* 10.; et *Trebell. Poll. Claud.* 12. Sic *Capell.* 6. p. 225. Indi hereditarium formidantes imperium. et *Solin.* 53. 15. Id eo maxime custoditur, ne fiat hereditarium regnum. *Cic.* 6. *de republ.* 11. Erit cognomen id (*Africani*) tibi per te partum, quod habes adhuc a nobis hereditarium. *Sueton. Tib.* 26. Hereditarium nomen. *Justin.* 36. 4. 9. Attalicas gazas hereditarias populi Romani Romam deportarit. — c) De iis omnibus, quæ utcumque a majoribus sumimus: quæ *Forcellinus* translate accepit. *Flor.* 3. 17. 2. Ut hereditarium in posteros suos bellum propagaret. *Quintil.* 9. *Declam.* 11. Hereditaria odia subire. *Val. Max.* 4. 3. n. 8. Vetus atque hereditaria Urbis nostræ paupertas. *Pacat. Paneg. Constant.* 1. Hereditaria orandi facultas.

HĒRĒDĬTAS, ātis, f. 3. Scribitur et *hæreditas*. *V.* HERES. — Reperitur in Genitivo plur. *hereditatium* pro *hereditatum*. *Inscript.* apud *Gruter.* 590. 10. T. FLAVIO AVG. L. IANVARIO ADIVTORI TABVLAR. XX. HEREDITATIVM. Adde aliam apud *Don.* cl. 5. n. 136. — Ceterum hereditas juxta *Cassiod.* in *Psalm.* 77. 66. ab hero dicta est, quoniam eam jure legitimo dominus noscitur possidere; et

I.) Proprie ¶ 1. Abstracte est successio in universum jus, quod defunctus habebat tempore mortis, ut *Cajus Dig.* 50. 16. 24. definit, κληρονομία (It. *eredità*; Fr. *héritage, hérédité*; Hisp. *herencia, heredez, heredamiento*; Germ. d. *Erbschaft*; Angl. *inheritance, heirsip*). *Cic.* 1. *Invent.* 45. 84. Hereditate possidere aliquid. et *ibid.* Hoc mihi hereditate venit. *Varro* 1. *R. R.* 12. 2. Si istiusmodi mi fundus hereditate obvenerit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Domus, quæ mihi hereditate obvenit. Cf. *Nepos Hann.* 1. Odium hereditate relictum. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu hereditas dicuntur ipsa illa bona et jura, quæ hereditate acquirimus: hinc *Cic. Topic.* 6. 29. Hereditas est pecunia, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit jure, nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. Ceterum *Plaut. Truc.* 2. 3. 23. Si qua mihi obtigerit hereditas magna et luculenta. *Id. Curc.* 1. 2. 34. Haud sæpe eveniunt tales hereditates. *Cic.* 3. *Verr.* 10. 27. Quum ejus filio hereditas a propinquo permagna venisset. *Id.* 2. *Phil.* 16. 40. Hereditates mihi negasti venire. Adde *eumd.* 2. *Invent.* 21. 62. *Id. Flacc.* 36. 89. Communem hereditatem, quæ æqualiter ad utrumque lege venisset, concessit adolescenti propinquo suo. *Plin.* 7. *Ep.* 11. Hereditas mihi obvenit, in qua ista prædia sunt. *Cic.* 2. *Phil.* 16. 42. Admiratus sum, mentionem te hereditatum ausum esse facere, quum ipse hereditatem patris non adisses. Sic *Id. Rosc. com.* 18. 55.; *Sueton. Aug.* 8. et *Tib.* 6.; *Flor.* 2. 20. 3.; at *Plin.* 2. *Ep.* 4. Hereditatem adire. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 3. 8. obire. *Id.* 11. *Att.* 2. et 2. *leg. Agr.* 15. 40. cernere ex testamento. *Id. Cæcin.* 35. 102. capere ab aliquo. *Quintil.* 6. 3. 97. accipere. *Sueton. Tib.* 15. percipere. *Modestin. Dig.* 24. 3. 58. acquirere, suscipere. *Nepos Att.* 21. Multas hereditates consequi. *Ulp. Dig.* 28. 3. 1. Hereditatem obtinere. *Cic.* 12. *Att.* 48. tenere. *Tac.* 2. *Ann.* 19. *extr.* usurpare. *Modestin. Dig.* 21. 3. 58. repudiare, omittere. *Julian. ibid.* 29. 2. 44. Hereditate se abstinere. *Cic.* 1. *Off.* 33. 121. Hereditatem tradere alicui. *Plin.* 8. *Ep.* 18. alicui transmittere. *Plin. alter* 2. *Hist. nat.* 109. 112. (243). Ad quas pertinebat hereditas. *Terent. Clem. Dig.* 50. 16. 151. Delata hereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi. *Ulp. ibid.* 36. 4. 5. *a med.* Si jacuerit hereditas aliquo tempore, h. e. si nemo erit, qui eam adeat. *Cic.* 10. *Phil.* 5. 11. Quem nisi in via caducæ hereditates retardassent. *V.* CADUCUS. *Quintil.* 9. 2. 74. Hereditas periit. *Sueton. Aug.* 66. Hereditates appetere. *Cæs.* 2. *B. C.* 18. procurare. *Sueton. Domit.* 12. confiscare. *Flor.* 4. 4. 2. lacerare. *Nepos Att.* 13. relinquere. Cf. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 26. 24. (95). Cælum in hereditate cunctis relictum. — *Sine sacris hereditas*, proverb. V. *Sacrum* in fin. v. SACER.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Off.* 8. 28. A quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos improbos venit hereditas. *Id.* 1. *ibid.* 22. 78. Licet mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem et hereditas hujus gloriæ et factorum imitatio pertinet. *Id. ibid.* 33. 121. Optima hereditas a patribus traditur liberis omnique patrimonio præstantior gloria virtutis rerumque gestarum. *Quintil.* 6. 3. 97. Cujus hereditas est, quam vocant sapientiam. *Justin.* 36. 2. 11. Paternæ scientiæ hereditas.

HĒRĒDĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. hereditatem capere, *ereditare.* *Salvian.* 3. *advers. avar.* 10. *a med.* Si illi tunc ob Deum donantes omnia sua, etiam se ipsos exhereditarere vivantes, discite vos, quæsumus, bona vestra vel ipsi hereditare morientes. *Vulgat. interpr. Psalm.* 24. 13. Semen ejus hereditabit terram. *Id.* alibi sæpissime.

HĒRĒDĬUM, ii, n. 2. *picciolo podere ereditario*, κτῆμα, prædium parvulum, ut ait *Paul. Diac.* p. 99. 19. *Müll.*, quod hereditate quis possidet. *Varro* 1. *R. R.* 10. 2. Bina jugera, quæ a Romulo primum divisa dicebantur viritim: quæ, quod heredem sequerentur, heredium appellarunt. *Nepos Cat.* 1. Cato adolescentulus versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. — Olim hac voce hortus significabatur, *orto.* *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (50). In XII. Tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus: in horti vero heredium.

HĒREM MARTĔAM antiqui, accepta hereditate, colebant, quæ a nomine appellabatur heredum: et esse una ex Martis (*vel potius Nerienes uxoris ejus*) comitibus putabatur. Hæc *Paul. Diac.* p. 100. 2. *Müll.*, ubi alii leg. *Martiam.* — Ceterum *herem* pro *heredem* in quarto casu olim dictum fuit. *Nævius* apud *Non.* p. 486. 33. *Merc.* Omnibus bonis ego te herem faciam. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 4379.

HĒRES, ēdis, m. et f. 3. Scribitur et *hæres*: sed contra diphthongum stant *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar.* ex lib. veteribus et innumeris lapidib. Veteres olim etiam sine aspiratione scripsere. — *Herem* in Accusativo, *V.* voc. præced. — *Heres*, quamvis de femina dicatur, tamen adjectivis semper jungitur masculinis, monente *Charis.* 1. p. 79. *Putsch.* Nam, inquit, Marcus ait, *Heres ipsius secundus*, de muliere loquens. — Heres (quam vocem alii ab *hæreo* deducunt, alii probabilius ab *herus*, alii a χῆρος vi-

duus) est qui defuncto succedit in bona et jus, quod habebat, κληρονόμος (It. *erede*; Fr. *héritier*; Hisp. *heredero*; Germ. d. *Erbe*; Angl. *an heir or heiress*).

I.) Proprie. — a) Cum Verbis. *Cic. Cæcin.* 6. 17. Testamento facto mulier moritur: facit heredem ex deunce et semuncia Cæcinam, ex duabus sextulis Fulcinium. Sic *Id.* 3. *Verr.* 43. 111. Mulier testamento fecit heredem filiam. Sic *Id.* 2. *Phil.* 16. 41. et *Mil.* 18. 48. Facere heredem aliquem. *Id.* 3. *Off.* 18. 73. Falsum testamentum quidam e Græcia Romam attulerunt. Quod quo facilius obtinerent, scripserunt heredes secum M. Crassum et Q. Hortensium. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 108.; *Sueton. Cæs.* 83.; *Juvenal.* 3. 161.; et *Quintil.* 3. 6. 98. Scribere heredem aliquem. Rursus *Cic. Quinct.* 4. 14. Heredem es testamento reliquit hunc P. Quinctium. Sic *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 59. (122). Relictus ab eo in amplis opibus heres. Adde *Sueton. Cal.* 38.; et *Plin.* 4. *Ep.* 10. *Cic. Cluent.* 7. 22. Testamentum fecit ejusmodi, ut – heredem institueret eumdem illum Oppianicum nepotem suum. *Quintil.* 9. 2. 74. Per legem institui uxor non poterat heres. Adde *eumd.* 8. 5. 17. et 3. 6. 97.; *Sueton. Cæs.* 83., *Aug.* 101., *Cal.* 21. et *Tib.* 49.; et *Plin.* 5. *Ep.* 7. *Quintil.* 7. 6. 10. Substitutus heres erat. Sic *Sueton. Tib.* 76. et *Galb.* 9.; et *Modestin. Dig.* 28. 6. 1. Substituere heredem alicui. *Sueton. Aug.* 17., *Cal.* 38. et *Claud.* 6.; et *Plin. Paneg.* 43. Nuncupare aliquem heredem. *Cic.* 13. *Fam.* 29. *a med.* Heres ex parte dimidia et tertia est Capito: in sextante sunt ii, quorum etc. *Id. ibid.* 26. Mescinius heres est M. Mindio fratri suo. *Id. Cæcin.* 4. 12. Quem suis bonis heredem esse cupiebat. *Quintil.* 5. 10. 74. Quem quis heredem suum esse voluit. Adde *Sueton. Tib.* 23., *Vitell.* 14. et *Domit.* 12. *Id. Sueton. Tit.* 8. Heres non exstat. *Cic.* 2. *Phil.* 25. 62. Antonius nondum in Pompeji locum repentinus heres successerat. *Quintil.* 5. 10. 116. Ad heredem jus transeat. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 50. (141). Libras triginta duo argenti Africanus sequens heredi reliquit. *Quintil.* 7. 7. 9. Liberti heredem sequantur. Cf. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 13. Sic *Inscript.* apud *Orell.* 4397. HOC MONVMENTVM HEREDEM SEQVITVR. Adde *alias* apud *eumd.* 4379., 3926., 4455. etc. — b) Cum addita hereditatis quantitate. *Quintil.* 7. 1. 10.; et *Plin.* 5. *Ep.* 5. Heres ex asse. *Sueton. Tib.* 76. æquis partibus. *Nepos Att.* 5.; et *Sueton. Cæs.* 83. ex dodrante. *Sueton. Aug.* 101., *Ner.* 6. et *Claud.* 6. ex triente. *Cic. Cæcin.* 6. 17. ex deunce et semuncia, ex duabus sextulis. *Id.* 13. *Fam.* 29. ex parte dimidia et tertia. *Horat.* 2. *Od.* 18. 101. quartæ partis. — c) *Heres secundus* (de quo V. *Marin. Frat. Arv. p.* 649.) est qui in primi locum substituitur (hinc *heres substitutus* dicitur in *Inscript.* apud *Henzen.* 6847.) si is heres esse non possit. *Cic.* 13. *Fam.* 61. Qui me quum tutorem, tum etiam secundum heredem instituerit. Adde *eumd.* 2. *Invent.* 21. 62.; *Quintil.* 8. 4. 11.; *Horat.* 2. *Sat.* 5. 48.; et *Inscript.* apud *Orell.* 3416. Apud *Modestin.* formulam habes secundi heredis substituendi, *loc. cit.* Filius mihi heres esto: si heres non erit; sive erit, et intra pubertatem decesserit, tunc Cajus heres esto. — *Heredis* autem *tertii quartique* mentio est apud *Sidon.* 3. *Ep.* 12. — d) *Heres suus* et *necessarius* apud *Cajum* 3. *Institut.* (edente iterum *Goeschenio*) § 156. est filius, filiave, nepos, neptisve ex filio, deinceps ceteri, qui modo in potestate morientis fuerunt: suus quidem heres ideo appellatur, quia domesticus heres est; necessarius vero, quia omnimodo, sive velit, sive nolit, tam ab intestato, quam ex testamento heres est. Adde *Ulp. Dig.* 38. 16. 1. — Item *heres necessarius* apud *eumd. ibid.* § 153. est servus cum libertate heres institutus; ideo sic appellatus, quia, sive velit, sive nolit, omnimodo post mortem testatoris protinus liber et heres est. — e) *Heres extraneus* apud *eumd. ibid.* § 161. est, qui testatoris juri subjectus non est. — f) Municipia et municipes heredes institui non poterant, teste *Ulp. Regular. tit.* 22. § 5.; at M. Aurelius concessit, ut docet *Paul. Dig.* 34. 5. 20. V. *Schulting. Jurispr. antiq. p.* 634. — g) Deos heredes instituere non licebat præter nonnullos, quod vide notatos in v. SEPYLENSIS in ONOM.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic. Brut.* 97. 332. Illa vetus Academia atque ejus heres Aristus. *Ovid.* 3. *Art. am.* 459. criminis heres. *Id. Heroid.* 2. 78. fraudis. *Id. ibid.* 9. 110. laudis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (24) Praxitelis filius Cephissodorus et artis heres fuit. *Tac.* 16. *Ann.* 28. Heres paterni odii. *Prudent. Apotheos.* 546. Heres nobilitas servit. ¶ 2. Speciatim *heredes* dicuntur stolones, quia in locum succedunt arboris suæ. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 67. (173). Alni cæsæ densius innumero herede prosunt. Cf. *Ovid.* 9. *Met.* 70. *de hydra.* nec ullum De centum numero caput est impune recisum, Quin gemino cervix herede valentior esset. ¶ 3. *Heres* apud antiquos, inquit *Paul. Diac. p.* 99. 18. *Müll.*, pro *domino* ponebatur. *Plaut. Men.* 3. 2. 12. Abstuli hanc, cujus heres numquam erit post hunc diem. *Justinian. Institut.* 2. *tit.* 19. *in fin.* Pro herede gerere est pro domino gerere. Veteres enim heredes pro dominis appellabant.

HĒRES. *V.* ERES.

HĔRI *vel* here, adverb. *Here* vox est fere poetica, qua utuntur qui utramque syllabam corripere volunt: *V.* infra sub I. *b.* A *Priscian.* 15. *p.* 1011. *Putsch.* tribuitur etiam *Horatio* (quamvis extra necessitatem corripiendi ultimam) 2. *Sat.* 8. 2. Nam mihi convivam quærenti, dictus here illic De medio potare die. *Quintil.* 1. 7. 22. testatur, suo tempore *here* dictum fuisse: at, inquit, in veterum comicorum adhuc libris invenio (*Ter. Phorm.* 1. 1. 2.) *heri ad me venit:* quod idem in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit, aut emendavit, deprehenditur. Ergo ex *Quintil.* colligitur, Augusti ævo, et antea quoque *heri* usitatius fuisse, quam *here.* Apud *Charis.* 2. *p.* 180. *Putsch.* quidam *here* ita ab *heri* distinguunt, ut illud ad *quamdiu* referatur, hoc ad *quando:* sed est hoc discrimen ineptum. Ceterum ait *Quintil.* 1. 4. 7. in *here* neque *e* plane, neque *i* auditur. — Ratione habita etymi, *Paul. Diac. p.* 99. 15. *Müll.* derivat ab ἐχθὲς, quod idem significat; quod ea ratione intelligi vult *Voss.*, at olim *hesi* dixerint: hoc esse ab χθεσί, unde χθὲς et ἐχθὲς. Juxta recentiores vero *heri* est ab etymo *hes*, quod apparet in v. *hesternus;* quodque est a χες themate adverbii χθές, quomodo *heres* a χῆρος et *hiems* a χεῖμα, χειμών. — Heri vel here est hesterno die, χθὲς (It. *jeri*; Fr. *hier*; Hisp. *ayer*; Germ. *gestern*; Angl. *yesterday*).

I.) Proprie. — a) *Heri* occurrit apud *Afranium* apud *Non. p.* 73. 33. *Merc.* Septembris heri Calendæ, hodie ater dies. Sic *Cic.* 10. *Att.* 13. Hoc heri effecit: hodie autem in Ærarium transire constituit. *Al. leg.* here. et *Ovid.* 2. *Fast.* 76. Dicet: ubi est hodie, quæ Lyra fulsit heri? *Plaut. Pseud.* 1. 2. 15. Atque heri ante dixeram omnibus dederamque eas provincias. *Ter. Andr.* 4. 4. 29. Quemne ego heri vidi ad nos afferri vesperi? Sic *Cic.* 11. *Fam.* 1. et 13. *Att.* 47. Heri vesperi apud me Hirtius fuit. *Id.* 3. *de republ.* 31. Ubi tyrannus est, ibi non vitiosam, ut heri dicebam, sed ut nunc ratio cogit, dicendum est, plane nullam esse rempublicam. Adde *Ter. Andr.* 1. 1. 58., *Eun.* 1. 2. 3., *Heaut.* 3. 2. 8. et alibi sæpe; *Afranium* apud *Charis.* 2. *p.* 190. *Putsch.*; et *Cic.* 3. *de republ.* 21. — b) *Here* occurrit apud *Plaut. Amph.* 1. 3. 16. Here venisti media nocte, nunc abis. *Id. Capt.* 1. 2. 2. Captivos duos, here quos emi de præda. *Id. Truc.* 2. 6. 28. Here nudius quintus natus ille est. *jeri furono cinque dì.* Adde *eumd. Mil. glor.* 1. 1. 59. et 60. *Ovid.* 3. *Fast.* 852. Hic here Phryxeæ vellera pressit ovis. *Juvenal.* 3. 23. Res hodie minor est, here quam fuit: ac eadem cras etc. *Gallio* apud *Quintil.* 9. 2. 91. dura, anime, dura, here fortior fuisti. *Martial.* 1. 44. Et positum est nobis nil here præter aprum. Adde *eumd.* 3. 12., 4. 7. et alibi.

II.) Improprie ponitur pro paucis ante diebus, nuper, paullo ante. *Catull.* 61. 137. Sordebant tibi villicæ, Concubine, hodie atque heri, Nunc tuum cinerarius Tondet os. *h. e.* nuper; *hodie atque heri* est Gr. χθὲς καὶ πρώην. *Ulp. Dig.* 47. 10. 7. § 2. Nec enim ferre prætor debet heri servum, hodie libertum conquerentem, quod dominus ei convicium dixerit. *Tertull. Apolog.* 4. Vanissimas Papias leges heri Severus, constantissimus principum, exclusit.

HĔRICIUS. *V.* ERICIUS.

HĔRIFŪGA, æ, adject. comm. gen. *che fugge il padrone*, fugiens herum. *Catull.* 63. 51. Ego quam miser relinquens dominos ut herifugæ Famuli solent.

HĔRĪLIS, e, adject. vox, qua præter *Plaut.* et *Ter.*, poetæ tantum usi sunt; at est ad herum heramve pertinens, δεσποτικός (It. *del padrone*; Fr. *de maître ou de maîtresse de maison*; Hisp. *lo que pertenece á dueño, amo*; Germ. *sich beziehend auf, d. Hausherrn oder d. Hausfrau*; Angl. *of a master*). Occurrit — a) De personis. *Ter. Andr.* 3. 4. 23. Herum fefelli, in nuptias conjeci herilem filium. Sic *Plaut. Bacch.* 2. 3. 117. et *Most.* 1. 1. 20. et 79.; et *Ter. Eun.* 2. 2. 58., 5. 5. 20. et *Phorm.* 1. 1. 5. Herilis filius. *Ter. Adelph.* 3. 2. 3. Quod mihique heræque filioque herili est. Sic *Plaut. Aulul.* 1. 1. 35. et *Cist.* 2. 3. 8. Herilis filia. *Id. Mil. glor.* 2. 1. 37. et 2. 3. 3. amica. *Id. ibid.* 2. 3. 66. et 2. 5. 6. concubina. — b) De inanimis et abstractis. *Ennius* apud *Non. p.* 39. 3. *Merc.* Antiqua herilis fida custos corporis. *h. e.* Medeæ. *Plaut. Bacch.* 2. 1. 1. Herilis patria, salve. *Virg.* 8. *Æn.* 462. gressumque canes comitantur herilem. Cf. *Val. Flacc.* 4. 107. turba canum pugnas capessit heriles. *h. e.* pugnat pro heris. Rursus *Virg.* 7. *Æn.* 490. mensæque assuetus herili. *Plaut. Men.* 5. 6. 1. Spectamen bono servo id est, qui rem herilem procurat. *Id. Mil glor.* 2. 6. 1. Herile negotium curare. *Id. Aulul.* 4. 1. 13. Herile imperium. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 6. Verna ministeriis ad nutus aptus heriles. *Val. Flacc.* 4. 383. Herile arbitrium. *Id.* 6. 706. vitamque effundit herilem. *Horat.* 3. *Od.* 27. 63. nisi herile mavis Carpere pensum. *Plaut. Amph.* 5. 1. 17. Ibi me inclamat Alcumena: jam ea res me horrore afficit: herilis prævortit metus. *Ovid.* 10. *Met.* 502. Nomen herile tenet. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 60. ancilla peccati conscia herilis.

HĔRĪNĀCEUS. *V.* ERINACEUS.

HĔRĪTŪDO *vel* eritudo, dinis, f. 3. conditio illius, qui herum suum habet. *Paul. Diac. p.* 83. 1. *Müll.* Eritudo, servitudo. *Gloss. Cyrill.* Eritudo, δεσποτεία. Sic *Placidi Gloss.* ed. *A. Maio p.* 460. Eritudo, dominatio.

HERMA *et sæpius* Hermes, æ, m. 1. ἑρμῆς, statua, sive signum, tum ex marmore, tum ex trunco arboris, ita dictum ab Hermete, id est Mercurio, quod plerumque statuæ Mercurii efficerentur. Fiebant sæpe ex lapide quadrato sine manibus et pedibus. *Juvenal.* 8. 53. truncoque simillimus hermæ. *Macrob.* 1. *Saturn.* 19. Pleraque simulacra Mercurii quadrato statu figurantur solo capite insignita, quæ figura significat, solem mundi esse caput et rerum satorem, omnemque vim ejus non in quodam divisorum ministerio membrorum, sed in sola mente consistere. Quatuor latera significant vel totidem mundi plagas, vel quatuor vices temporum. Hæc *Macrob.* Alii putant, ex figura significari vim eloquentiæ, cujus Mercurius est præses, quæ sine viribus corporis potens est sola verborum facundia. *Servius* ad *Virg.* 8. *Æn.* 138. causam, cur sine manibus figuretur, refert ad fabulam, de qua *V.* CYLLENIUS in ONOM. — Hæ figuræ Athenis fere ad Alcibiadis vultum effingebantur, teste *Clem. Alex.* ἐν λόγῳ προτρεπτ. πρὸς Ἕλλην. quod is ætatis suæ multo formosissimus fuit, ut in ejus Vita c. 1. *Nepos* tradit. Mos autem erat has in vicis ad januas ædium habere, item circa sepulcra, in gymnasiis, xystis, bibliothecis, et in fronte templorum ad ornatum. *Cic.* 1. *Att.* 6. Hermæ tui Pentelici cum capitibus æneis me admodum delectant. Adde *eumd.* 2. *Legg.* 26. 65. *Nepos Alcib.* 3. Accidit. ut una nocte omnes hermæ, qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam Andocidis erat, Andocidisque hermes vocatus est. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 485. *n.* 160. FAVSTVM TEMPLI VERVIS ET HERMIS MARMOREIS PECVNIA SVA ORNAVIT. *V.* VERVA. *Spon. Miscell. antiq. p.* 9. figuras hermarum aliquot exhibet. — Præterea *herma* n. g., inquit *Paul. Diac. p.* 99. 13. *Müll.*, a Græcis ponitur pro firmamento (ἕρμα ab εἴρω necto). Unde etiam Mercurii nomen, inventoris, ut putabant, firmæ orationis dictum. Interdum etiam saburram significat (quia naves pondere firmat). — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HERMÆUS, a, um, adject. ἑρμαῖος, ad hermen seu Mercurium pertinens. Hinc

Hermæum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est *hermæum cubiculum*, ubi nempe Mercurius colebatur, vel ubi hermæ plures, nempe *busti*, clarorum virorum servabantur. *V.* voc. præced. et HERMULA. *Sueton. Claud.* 10. Quum, quasi secretum eo desiderante, turbam submoverent, in diætam. cui nomen est Hermæum, recesserat. *Liv.* 35. 50. Quum

jam Menippus castra ante Salganea ad Hermæum, qua transitus ex Bœotia in Eubœam insulam est, haberet. *h. e.* hermæum templum, in quo fortasse Mercurius cultus honoratusque fuit. *Inscript.* apud *Gruter.* 598. 7. SYMPHORO TESSERARIO SERVO CAESARIS DE DOMO CELOTIANA FECIT PHILODESPOTVS SERVVS CAESARIS EX HERMAEO FRATRI. B. M. Cl. *Furlanetto* ea verba *ex Hermæo* videntur interpretanda *ex lucro insperato*, Græce enim τὸ ἑρμαῖον lucrum insperatum significat, eo quod illud Mercurii donum habebatur.

HERMĂPHRŎDĪTUS, i, m. 2. *Ermafrodito*. Ἑρμαφρόδιτος, Mercurii et Veneris filius: ab Ἑρμῆς *Mercurius* et Ἀφροδίτη *Venus*. Hic quum vagabundus in Cariam ad limpidissimum fontem, quem Salmacis Nympha incolebat, pervenisset, illa subito ejus amore correpta, quum neque blanditiis, neque precibus flectere posset, simulato recessu post vepres latuit. Is autem Nympham abiisse ratus, fontem nudus intravit. Quod videns Salmacis, subito accurrit, et abjectis vestibus arctissime eum complexa est. Sed quum ne tunc quidem obstinatum exorare posset, a diis petiit, ut ex duobus corporibus in unum redigerentur. Cujus precibus exauditis, ambo in unum corpus coaluerunt, in quo sexus uterque remanebat integer. Quod quum vidisset Hermaphroditus, a superis petiisse dicitur, ut ea fonti natura maneret, ut qui vir eum intraret, ἀνδρόγυνος, id est utrumque sexum adeptus exiret. Hinc omnes androgyni vocantur Hermaphroditi. Hinc *Martial.* 14. 174. cujus lemma *Hermaphroditus marmoreus*. Masculus intravit fontes, emersit utrumque: Pars est una patris, cetera matris habet. *Ovid.* 4. *Met.* 285. et *seqq.* et *ibid.* 383.; et *Hygin. Fab.* 271. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 3. 3. (34). Gignuntur et utriusque sexus, quos hermaphroditos vocamus, olim androgynos vocatos, et in prodigiis habitos, nunc vero in deliciis. *V.* ANDROGYNUS. — Videtur *Hermaphroditus*, de quo initio diximus, præcipue apud Lunenses cultum habuisse. *Tertull. advers. Valentin.* 34. Ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet annalium commentator Fenestella. — Adjective *Plin.* 11. *ibid.* 49. 109. (262). Ostentabat Nero hermaphroditas subjunctas carpento suo equas. — De hermaphroditis V. *Visc. Mon. Borgh.* p. 112. *tab.* 14. et 15.; et *Mus. Borbon. T.* 7. *tav.* 8.

HERMĂTHĒNA, æ, f. 1. caput duplex, Mercurii et Minervæ, ab Ἑρμᾶς *Mercurius* et Ἀθηνᾶ *Minerva*. Solebant enim Romani Mercurii ac Minervæ capita conjungere in gymnasiis atque dicare. *Cic.* 1. *Att.* 4. Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est ornamentum Academiæ proprium meæ, quod et Hermes commune omnium, et Minerva singulare est insigne ejus gymnasii. Ex *Morisani* sententia ad *Inscrip. Regiens.* p. 277. Hermathena caput Minervæ et Hermeracles caput Herculis in trunco quadrato erant.

HERMĒNEUMA, atis, n. 3. expositio, interpretatio, *interpretazione*, ἑρμήνευμα. *Seneca Controv.* 26. Græce scribit; at Latine *Id. Excerpt.* 9. 3. Numquam magnas mercedes accipere eos, qui hermeneumata docerent.

HERMĔRĂCLES, is, m. 3. geminum caput Mercurii et Herculis in eadem basi, ab Ἑρμῆς *Mercurius* et Ἡρακλῆς *Hercules*: quale videre est in nummis gentis Rubriæ apud *Morell.* n. 8. *Cic.* 1. *Att.* 10. 3. Signa nostra et Hermeraclas, ut scribis, quum commodissime poteris, velim imponas, et si quid aliud etc. *V.* HERMATHENA in fin.

HERMES. *V.* HERMA.

HERMĒSĬAS, adis, f. 3. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 102. (166). Hermesias a Democrito vocatur, ad liberos generandos pulcros bonosque, non herba, sed compositio e nucleis pineæ nucis tritis cum melle, myrrha, croco, vino palmeo.

HERMŬBĂSĬLĬON, ii, n. 2. Ἑρμοῦ βασίλειον, et
HERMŬBŎTĂNE, es, f. 1. Ἑρμοῦ βοτάνη, herba Mercurialis, apud *Apul. Herb.* 82. *V.* HERMUPOA.

HERMŬLA, æ, m, 1. *deminut.* ab herma, ἑρμίδιον. parvos cippus in modum hermæ factus. *Cassiod.* 3. *Variar.* 51. *de circo.* Bissena quippe ostia (*carcerum*) ad duodecim signa (*Zodiaci*) posuerunt. Hæc ab hermulis funibus demissis subita æqualitate panduntur: docentes totum illic, ut putabatur, consilio geri, ubi imago capitis cognoscitur operari. Ille *hermulæ* sunt columellæ, humanum caput præferentes, et ostia carcerum discriminantes, unde funes extendebantur ad equos circenses coercendos, ne unus altero celerius prorumpere posset. Hermulam sic delineatam habes apud *Hygin.* p. 213. *Goes. Balb. de limit.* p. 142. *Goes.* Eorum limitum delimitatio est per muros, hermulas, macerias, scorpiones, congeries etc. Adde *Scholiast.* ad *Juvenal.* 8. 53.; V. *Zoega* Bassorilievi tav. CXIV., et *Nibby Circo di Caracalla* p. 28.

HERMŪPŎA, æ, f. 1. Ἑρμοῦ πόα, h. e. Mercurii herba, nomen est Græcum herbæ Mercurialis, quæ et linozostis et parthenion dicitur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 18. (38). *V.* LINOZOSTIS.

HERNA, æ, f. 1. saxum. *Asper* ad *Virg.* 7. *Æn.* 684. (edente *A. Maio*) p. 56. Marsi lingua sua saxa hernas vocant. *Servius* ad *eumd. ibid.* Sabinorum lingua saxa hernæ vocantur. — Hinc fortasse Latini herniam vocarunt tumorem circa obscœna. *V.* HERNICI in ONOM.

HERNĒUM. *V.* ERNEUM.

HERNĬA, æ, f. 1. fortasse ab ἔρνος *ramus* (*V.* RAMEX), tumor umbilici, inguinum, scroti, abortus ex relaxatione aut fractione peritonæi, cujus causa intestina vel omentum vel humor aliquis in partes inferiores descendit, *ernia, crepatura, allentatura*, κήλη, ἐντεροκήλη. *Cels.* 7. 18. Ἐντεροκήλην et ἐπιπλοκήλην Græci vocant: apud nos indecorum, sed commune his, herniæ nomen est. *Id. ibid.* varia hujus morbi genera describit, variis quoque nominibus Græce appellata, a Latinis vero, scilicet nullis discriminibus satis cognitis, unum idemque *herniæ* nomen habentia. *V.* ENTEROCELE. *Martial.* 3. 24. Ingens iratis apparuit hernia sacris. Adde *Arnob.* 7. 34. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HERNĬŌSUS, i, m. 2. enterocelicus, qui herniam patitur, *allentato*, κηλήτης. *Lamprid. Elagab.* 25. Dum sermo esset ortus, quanti herniosi essent in urbe Roma. *allentati.* *Vulgat. interpr. Levit.* 20. 18. et *seqq.* Nec accedet ad ministerium ejus, si cæcus fuerit, si claudus, si lippus —, vel herniosus.

HĒRO, ōnis. *V.* ÆRO.

HĒRŌDĬOS, ii, m. 2. ἐρωδιός, avis, quæ ardea, aliis milvus, plerisque autem ciconia videtur esse, cujusque mentio est apud *Vulgat. interpr. Deuter.* 14. 16. et *Psalm.* 103. 18. Heb. חֲסִידָה vocantur a חֶסֶד *misericordia, pietas*, quæ ciconiæ tribuitur, quippe quæ pietatiscultrix vocatur; hinc etiam ἐρώδιος videtur appellata ab ἔρως *amor*. Rectius *erodios* scribitur: quemadmodum et nos suo loco retulimus.

HĒRŌĬCĒ, adverb. heroico modo, *eroicamente*, ἡρωικῶς. *Macrob.* de *Virgilio* versus *Homeri* imitante, 5. *Saturn.* 14. Hos quoque, tamquam heroice incomptos, adamavit.

HĒRŌĬCUS, a, um, adject. ad heroes pertinens, ut heroica ætas, in qua heroes vixere, *eroico*, ἡρωικός. *Cic.* 1. *Divinat.* 1. 1. Vetus opinio est, jam usque ab heroicis ducta temporibus. Sic *Id.* 3. *Nat. D.* 21. 54.; et *Quintil.* 1. 11. 17. Heroica tempora. Rursus *Cic.* 5. *Tusc.* 3. 7. Etiam heroicis ætatibus Ulyssem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientes. (*Hesiod.* in *Oper. et dieb.* heroica tempora inter æneam ætatem et ferream: et heroes desiisse ait post Thebarum ac Trojæ excidium). *Id.* 3. *Nat. D.* 29. 71. Medea et Atreus, heroicæ personæ, nefaria scelera meditantes. *Id.* 14. *Att.* 15. Quid quæris? heroica. *azioni da eroe.* *Quintil.* 1. 8. 5. Interim et sublimitate heroici carminis animus assurgat. Sic *Tac. Dial. de orat.* 10. Nec solum cothurnum vestrum, aut heroici carminis sonum, sed lyricorum etc. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn. init.* heroicum carmen esse dicit, quod constat ex divinis humanisque personis, continens vera cum fictis. — *Heroicus* versus dictus est ex eo, quod heroum illo fortia facta canuntur, et spondeis dactylisque constat, qui pedes *heroici* nominantur. *V.* HEROUS. *Quintil.* 1. 5. 28. Iambum non recipit versus heroicus. *Priscian. de XII. vers. Æn.* p. 1256. *Putsch.* Heroicus, qui legitimos habet dactylos, qui trisyllabi sunt, ideo in disyllabum desinere vult et minuit in fine unam syllabam, ne sit impedimento sequenti versui, quin celeriter incipiat. — Versus præcipue hexameter, heroicus censetur: sunt tamen alia non una versuum genera, heroica dicta, quod heroicis pedibus et ipsa constant, quæ *Diomed.* enumerat 3. p. 511. et 512. *Putsch.* — Hinc *Heroici* absolute sunt poetæ heroici. *Quintil.* 10. 10. Verum Homerus omnes sine dubio et in omni genere eloquentiæ procul a se reliquit, heroicos tamen præcipue.

HĒRŌĪNA, æ, f. 1. femina illustris, ut sunt heroum uxores et filiæ, *eroina*, ἡρωίνη. *Propert.* 1. 13. 31. Illa sit Inachiis (*h. e.* Græcis) et blandior heroinis. *Id. ibid.* 19. 13. Illic formosæ veniant chorus heroinæ. *h. e.* Cassandra, Andromache, Helena etc. *V.* HEROIS.

HĒRŌĪON, ii, n. 2. ἡρώειον, nomen herbæ asphodeli, quæ clarissima inter herbas est, *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 32. (67). quæque heroion est appellata, quia heroibus sacra erat. *V. Creuzer, Relig. T.* 3. p. 732. De synonymia *V.* ASPHODELUS. Ceterum *Sillig.* in allato *Plinii* loco leg. *heroum*.

HĒRŌĬS, idis, f. 3. femina illustrior, quales sunt heroum uxores et filiæ, *eroina, donna illustre*, ἡρωίς. *Sueton. Ner.* 21. Heroidum ac dearum personis effictis. *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 33. Tu quia tam longa es, veteres heroidas æquas. τὰς ἡρωΐδας. Adde *Stat.* 3. *Silv.* 5. 45. Rursus *Ovid.* 5. *Trist.* 5. 43. Edidit hæc mores illis heroisin æquos. ταῖς ἡρωίσιν, Dativus plur. Græcus, ut *Hamadryasin*. *V.* DRYADES in ONOM. Al. tamen aliter legunt. — *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 74. notat, heroidas consuevisse suis manibus vestes contexere. — *Heroides* inscribuntur epistolæ *Ovidii* aliquot, in quibus de heroinarum amoribus agitatur. *Priscian.* 10. p. 908. *Putsch.*

HĒRŌS, ōis, m. 3. ἥρως, *eroe*.

I.) Proprie est vir excellenti ac supra humanam conditionem se efferente virtute præditus, ac veluti divinitatis particeps: quales fuerunt qui ex altero parente deo, altero homine nati sunt, ut Castor, Orpheus, Achilles, Hercules, Æneas, qui illustribus gestis proxime ad deos accesserunt, et post mortem dii facti sunt. Ἥρως ἐστὶ, inquit *Lucian. in dial.* 3. *mortuor.*, ὃ μήτε ἄνθρωπος ἐστιν μήτε Θεός, καὶ συναμφότερος ἐστι. Ita tamen, inquit *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 200., *ut plus ab homine habeat*: scilicet quia laboribus, vulneribus et morti obnoxius est. Hi vocantur etiam *semidei*, ut est apud *Hesiod.* ἔργ. καὶ ἡμέρ. v. 150. Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται ἡμίθεοι. *Stat.* 5. *Theb.* 372. nec robora prosunt Semideum heroum. *h. e.* Argonautarum. — Dicti sunt *heroes* vel ab ἔρα vel ἔρα *terra*, ut quidam volunt apud *Capell.* 2. p. 40. et *Servium* ad *Virg.* 4. *Ecl.* 35., quia altero parente mortali procreati sunt: vel ab ἥρη *Juno*, hoc est aer, quia in aere habitare finguntur post mortem: vel ab ἔρως *amor*, quia nati ex amore deorum et hominum: vel denique ab εἴρειν *dicere*, quia sapientes fuerunt et disertissimi. Sunt etiam qui, ut rationem nominis inveniant, ad Chaldæam linguam confugiunt. — *Hesiod. loc. cit.* eos post mortem habitare ait in Fortunatis insulis, ubi beata immortalique vita fruantur. *Capell. loc. cit.* versari ait a medietate aeris usque in montium terræque confinia. Alii locant in Elysiis Inferorum, ut *Virg.* 6. *Æn.* 648. Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles, Magnanimi heroes, nati melioribus annis, Ilusque Assaracusque et Trojæ Dardanus auctor. — Quidam putarunt, heroes eosdem esse atque δαίμονας: alii hoc nomine appellarunt animas hominum a corporibus disjunctas: sed hæc minus recte. — Ceterum *Cic.* 2. *Orat.* 47. 194. Qui non heroum veteres casus fictosque luctus vellem imitari. *Virg.* 4. *Ecl.* 15. Ille deûm vitam accipiet, divisque videbit Permixtos heroas, et ipse videbitur illis. *Horat.* 1. *Od.* 12. 1. Quem virum, aut heroa lyra vel acri Tibia sumis celebrare, Clio? *Id. Art. P.* 114. Intererit multum Davusne loquatur, an heros etc. *Virg.* 6. *Æn.* 192. maximus heros. *Quintil.* 1. 10. 10. Heroum laudes. *Id.* 8. 4. 24. magnitudo. *Sueton. Aug.* 72. arma. *Val. Flacc.* 3. 691. manus. *Virg.* 6. *Æn.* 103. Incipit Æneas heros. *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 3. Laertius heros. *h. e.* Ulixes. *Id.* 10. *Met.* 50. Rhodopeius heros. *h. e.* Orpheus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (74). Pinxit et heroa (*h. e.* Ajacem) absolutissimi operis. et *ibid. paullo supra.* (72). Herois nomine se moleste ferre dicebat etc. — Adjective pro heroicus. *Pers.* 1. 69. Ecce modo heroas sensus afferre videmus, Nugari solitos Græce.

II.) Translate *heroes* dicuntur illustres homines, qui ob res præclare gestas singularesque virtutes diis proximi visi sunt, ac de humano genere optime

meriti, immortalitatem apud posteros consecuti. *Cic.* 14. *Att.* 6. Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum. *h. e.* cum Bruto et Cassio, qui, interfecto Cæsare, reipublicæ libertatem restitui curaverant. *Id.* 1. *ibid.* 17. *ad fin.* Heros ille noster Cato. *Id.* 3. *de republ.* 8. Illorum fuit heroum eam virtutem excitare jacentem. *h. e.* Platonis et Aristotelis. Et ironice *Id.* 4. *Att.* 3. *ad fin. de Clodio.* Ignari quantum in illo heroe esset animi, quantum etiam consilii. *Inscript.* apud *Murat.* 837. 3. SEX. NAEVIO L. F. PUB. VERECVNDO HEREDES TITVLVM, VERSICVLOS CORNELIVS EROI (*ita pro* heroi) COLLEGAE ET AMICO.

HĔRŌUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

HĔRŌUS, a, um, adject. ad heroes pertinens, heroicus, *eroico,* ἡρῷος. *Stat.* 4. *Silv.* 7. 2. Fortis heroos, Erato, labores differ. *Id.* 1. *ibid.* 3. 102. Sive chelyn tollas heroa ad robora. *Propert.* 3. 2. 15. quis te Carminis heroi tangere jussit opus? — *Heroi pedes* sunt dactylus, spondeus, anapæstus, unde *heroi* versus constant, de quibus in HEROICUS dictum est. *Cic.* 3. *Orat.* 47. 182. Quare primum ad heroum nos dactylis et anapæsti et spondei pedem invitant. *Quintil.* 9. 4. 88. Herous, qui est idem dactylus. *Cic.* 2. *Legg.* 27. 68. Laus mortui incisa quatuor herois versibus, quos longos appellat Ennius. Sic *Quintil.* 1. 5. 28. Heroi versus. *Ovid.* 2. *Amor.* 17. 21. Carminis hoc ipsum genus impar: sed tamen apte Jungitur herous cum breviore modo. *Martial.* 3. 20. Lascivus elegis, an severus herois. — Hinc

Heroum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. est monumentum heroi viro positum, ἡρῷον. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 5. 6. (18). Quam ob causam incolæ, quod vocant heroum, in eo loco fecere, appellatum Jovis et virginis. *Cic.* 2. *Legg.* 21. 61. Quod autem heroum, id est vestibulum sepulcri, bustumve usucapi vetat. *Alii hic rectius leg.* forum, *quam voc.* vide. *Inscript.* apud *Murat.* 889. 8. HEROVM MACERIA CINCTVM COMPARAVIT. *Alia* apud *Fea, Framm. di Fast. Cons. p.* 14. *n.* 47. L. OVINIVS CVRIVS PROCVLVS MODIANVS AFRICANVS COS. HEROVM COEPTVM IN HONOREM CLAVDIAE AE EVSEBIAE *carissimæ memoriæ* filiæ SVAE NECESSARIA TVTELA MVNITVM PERFECIT AD MEMORIAM L. OVINII AFRICANI *carissimæ memoriæ pueri* NEPOTIS ET SVAM.

HERPES, ētis, m. 3. ¶ 1. Est ulcus serpens et erodens carnem, usque ad ossa interdum, *erpete,* ἕρπης, ητος, ab ἕρπω *serpo, repo.* Eum describit *Cels.* 5. 28. *n.* 3., sed Græce appellat. *Lucilius* apud *Non. p.* 117. 22. *Merc.* Serpere uti gangræna mala atque herpes ita posset. *Al. leg.* herpestica. *V.* voc. seq. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 14. 87. (145). Aizoum herpetas quoque et nomas sanat. Adde *Scribon. Compos.* 63.; et *Apul. Herb.* 2. et 10. ¶ 2. *Herpes* quoque animal a Græcis vocatur, quo præcipue sanantur quæcumque serpunt.

HERPESTĬCUS, a, um, adject. ab *herpes,* repens, serpens. *Lucilius* apud *Non p.* 117. 22. *Merc.* Serpere uti gangræna malo ad quem herpestica posset. *Al. aliter rectius leg.* V. voc. præced. 1.

HERPYLLUM, i, n. 2. *et*

HERPYLLUS, i, *m.* 2. ἕρπυλλον, herba eadem quæ sisymbrium. *Apul. Herb.* 105. ubi *herpyllum;* et *Id. ibid.* 99.; et *Isid.* 17. *Orig.* 9. ubi *herpylius.*

HĔRŬLUS, i, n. 2. *deminut.* ab herus. *Gloss. Isid.* Eruli (*sic*), domini.

HĔRUS, i, m. 2. Scribitur et *erus.* — Herus est dominus domus, paterfamilias, et dicitur fere cum respectu ad servos, δεσπότης (*It. padrone;* Fr. *maître de maison, maître;* Hisp. amo. *dueño, señor de su casa y familia;* Germ. d. *Hausherr, Herr;* Angl. *the master of a family*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Off.* 7. 24. Iis, qui vi oppressos imperio coercent, sit sane adhibenda sævitia, ut heris in famulos, si aliter teneri non possunt. *Id.* 1. *de republ.* 41. Non heros, nec dominos appellabant eos, quibus juste paruerunt, denique ne reges quidem, sed patriæ custodes, sed patres et deos. *Plaut. Amph.* 1. 1. 87. Hoc ubi Amphitruo herus conspicatus est. *Id. ibid. v.* 206. Nonne heræ meæ nunciare, quod herus meus jussit, licet? *Id. ibid.* 2. 1. 20. Quid mali sum, here, tua ex re promeritus? *Ter. Heaut.* 3. 2. 26. Laudas qui herus fallunt? *Virg.* 3. *Æn.* 324. Nec victoris heri tetigit captiva cubile. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 265. ecce Servus non paullo sapientior: O here, quæ res Nec modum habet neque consilium, ratione modoque Tractari non vult. — *Major herus* est paterfamilias, *minor* herilis filius. *Plaut. Asin.* 2. 2. 63. et *Capt.* 3. 5. 49. et 50.

II.) Improprie apud Poetas occurrit — *a*) De quovis domino. *Catull.* 20. 3. agellulum hunc Herique villulam hortulumque pauperis Tuor. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 129. Nam propriæ telluris herum natura neque illum, Nec me, nec quemquam statuit. *Id.* 1. *Ep.* 16. 2. Ne perconteris, fundus meus Arvo pascat herum, an etc. *Id.* 2. *Od.* 18. 32. destinata Aula divitem manet Herum. *Catull.* 68. 75. nondum cum sanguine sacro Hostia cœlestes pacificasset heros. *h. e.* deos. Sic absolute eodem sensu *Id. ibid.* 78. Quod temere invitis suscipiatur heris. — *b*) De marito. *Catull.* 61. 116. quæ tuo veniant hero, Quanta gaudia!

HERVUM, i, n. 2. idem quod ervum vel herbum. *Edict. Dioclet. p.* 21. Ciceris, hervi, avenæ.

HESPĔRĬA, æ, f. 1. *V.* HESPERIUS.

HESPĔRIS, idis, adject. femin. ab Hesperia. *Virg.* 8. *Æn.* 77. Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum. *h. e.* Italicarum. *V.* voc. seq. in fin. — Hinc

Hesperis, idis, f. 3. absolute, substantivorum more, est herba quædam apud *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 18. (39). sic dicta, quod vespere et noctu magis oleat. Videtur esse *Hesperis tristis* L.

HESPĔRĬUS, a, um, adject. ad hesperum pertinens, atque adeo occidentalis. *Ovid.* 11. *Met.* 257. Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat Hesperium temone fretum. *h. e.* oceanum occidentale. Sic *Id.* 2. *ibid.* 142. Hesperium litus. et *Horat.* 2. *Od.* 17. 20. undæ. *Ovid.* 4. *Met.* 214. Hesperius axis. *h. e.* occidentalis. *Id. ibid.* 628. Constitit Hesperio, regnis Atlantis in orbe. Adde *Val. Flacc.* 8. 91. et *Horat.* 4. *Od.* 15. 16. Porrecta majestas ad ortus Solis ab Hesperio cubili. *Martial.* 13. 40. Hesperius scombri temperet ora liquor. *h. e.* garum Hispanum, nam ex Carthagine Spartaria, Hispaniæ urbe, optimum Romam advehebatur. V. *Plin. loc. cit.* in GARUM. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 20. Vel super Hesperiæ vada caligantia Thules. *Ovid. de Nuce* 111. Hesperius rex. *h. e.* Hesperus vel Atlas. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 30. 35. (197). Hesperii Æthiopes. *Ovid.* 2. *Met.* 258. Hesperios amnes, Rhenum Rhodanumque Padumque, Cuique fuit rerum promissa potentia, Tybrin. *h. e.* Europæus, vel occidentales. *Virg.* 2. *Æn.* 781. Hesperia terra. *h. e.* Italia, ratione habita Trojanorum. Sic *Id.* 7. *ibid.* 601. Hesperium Latium. *Horat.* 1. *Od.* 28. 25. fluctus. *Id.* 2. *ibid.* 1. 32. ruina. *Lucan.* 5. 763. Hesperii duces. *h. e.* in Italia bellum gerentes. — Hinc

Hesperia, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, (subaudi *terra*), est — *a*) Hispania; ab Hespero rege Atlantis fratre, vel ab Hespero stella Veneris. *Horat.* 1. *Od.* 36. 4. Qui nunc Hesperia sospes ab ultima. — *b*) Item Italia, quam *Virg.* 1. *Æn.* 573. magnam Hesperiam vocat. Ratio nominis eadem est. Nam vel dicta est ab Hespero, qui a fratre pulsus ex Hispania in Italiam venit: vel ita vocata est ab Hespero stella, quod occasui subjecta sit. Ut enim Itali Hispaniam appellant Hesperiam, quod sibi sit ad occidentem, ita Græci eodem nomine ob eamdem causam Italiam nominant. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Est locus, Hesperiam quam mortales perhibent, Quam primum casci populi tenuere Latini. Sic *Virg.* 1. *Æn.* 534. Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt. Adde *Horat.* 3. *Od.* 6. 8. et 4. *ibid.* 5. 38.; et *Lucan.* 1. 224. et alibi sæpe.

Hesperii, ōrum, m. plur. 2. absolute, sunt populi occidentales. *V.* EOUS.

HESPĔRŪGO, ginis, f. 3. idem quod Hesperus stella. *Seneca Med.* 887. Mergat diem timendum Dux noctis hesperugo. Cf. *eumd. Hippol.* 749. Ceterum *hesperugo* est pro *vesperugo,* ut *Hesperus* pro *vesper. V.* voc. seq. I.

HESPĔRUS *vel* Hesperos, i, m. 2. *Espero,* Ἕσπερος,

I.) Proprie est stella, quæ Latine cum digammate *vesper* et *vesperugo* dicitur, eadem, quæ Lucifer et Venus. *Hygin.* tradit 2. *Astron.* 42. hunc fuisse Auroræ et Cephali filium, pulcritudine multis præstantem: ea qua re diei cum Venere certasse, et Veneris stellam appellari. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 53. Infima est quinque errantium, terræque proxima stella Veneris, quæ Φωσφόρος Græce, Latine Lucifer dicitur, quum antegreditur solem, quum subsequitur autem, Hesperos. *Virg.* 10. *Ecl.* 77. Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ. *Ovid.* 5. *Met.* 440. Illam non rutilis veniens Aurora capillis Cessantem vidit, non Hesperus. *Id.* 2. *Fast.* 314. Hesperus et fusco roscidus ibat equo. Adde *Varron.* 3. *R. R.* 5. 17.; et *Colum.* 10. *R. R.* 290. Similiter *Catull.* 62. 35. Nocte latent fures (*h. e.* adulteros), quos idem sæpe revertens, Hespere, mutato comprendis nomine Eous. Ita *Scraderus* pro *eosdem,* ut legitur in editis: quam correctionem laudat *Kopp.* ad illud *Capell.* 9. 305. Hesperus intactam servet licet usque puellam, Nuptam videbis Phosphore. *Boeth. Consol. phil.* 1. *metr.* 5 Et qui primæ tempore noctis Agit algentes Hesperus ortus, Solitas iterum mutat habenas Phœbi pallens Lucifer ortu. — Præterea in fabulis fuit hoc nomine filius Iapeti et Asiæ, frater Atlantis, Epimethei et Promethei. *Diodorus* scribit, hunc Hesperum conscendisse cacumen Atlantis montis ad cursus astrorum observandos, et numquam deinde comparuisse: et vulgus honores divinos exhibuisse, astrumque lucidissimum ejus nomine appellavisse. Sed ab aliis scriptum est, Hesperum una cum Atlante fratre in Mauritaniam migrasse, deinde in Hispaniam, tandem a fratre ex Hispania expulsum venisse in Italiam. Habuit tres filias, Æglen, Arethusam, Hesperethusam, quæ Hesperides vocatæ sunt. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 534. et 7. *ibid.* 484.

II.) Translate pro occidente. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (215). Achaja et ad Hesperum jacentes terræ. *a sera.* — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HESTERNO. V. voc. seq. in fin.

HESTERNUS, a, um, adject. quasi *hesiternus* per syncop. hesternus, ab *hesi,* quod a χθές, est qui heri fuit, vel factus est, χθεσινός (*It. di jeri;* Fr. *d'hier, de la veille;* Hisp. *de ayer;* Germ. *gestrig, von gestern;* Angl. *of yesterday or yesternight*). *Cic.* 3. *Orat.* 21. 81. Nosque ipsi hac tam exigua disputatione hesterni et hodierni diei totum oratoris munus explicemus. *Id.* 2. *Nat. D.* 29. 73. Veluti a te ipso hesterno die dictum est. Sic *Id.* 2. *Cat.* 3. 6. et *Catull.* 48. 1. Hesterno die. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 3. Hesterna luce. *Id. Heroid.* 19. 72. Hesterna nocte. *Cic.* 2. *Tusc.* 4. 10. disputatio. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 18. et 3. *de republ.* 12. sermo. *Cels.* 1. 3. *ubi de vomitu.* Hesternus panis. *d'un dì. Plaut. Pers.* 1. 2. 25. Hesternæ reliquiæ. *h. e.* quæ ex hesterna cœna superfuerunt. *Ter. Eun.* 5. 4. 17. jus. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 105. fercula. *Plin. Paneg.* 6. cœna. *Cic. fragm.* apud *Quintil.* 8. 3. 66. potatio. *Virg.* 6. *Ecl.* 15. Silenus inflatus hesterno Iaccho. *h. e.* vino, quod pridie biberat. Sic *Justin.* 21. 8. 1. Hesterno mero saucii. *Val. Flacc.* 1. 63. venenum. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 73. vitia. *Propert.* 2. 23. 59. Me juvet hesternis positum languere corollis. *Id.* 1. 15. 5. Et potes hesternos manibus componere crines. *h. e.* ab heri incompositos. Sic *Ovid.* 3. *Art. am.* 153. Et neglecta decet multos coma: sæpe jacere Hesternam credas: illa repexa modo est. *Val. Flacc.* 3. 268. Hesternus vultus. *Virg.* 8. *Æn.* 542. Herculeis sopitas ignibus aras Excitat, hesternumque Larem parvosque Penates Lætus adit. ubi *Servius:* cui pridie sacrificaverat, et est Iteratio; nam male quidam *externum* legunt, id est extraneum. *Pier.* tamen testatur in multis pervetustis codicib. *externum* haberi. At cf. *Ovid.* 5. *Fast.* 506. Ignis in hesterno stipite parvus erat. *h. e.* heri ad ignem in foco apposito. et 8. *Met.* 643. hesternos suscitat ignes. — Jlocaliter *Pers.* 3. 106. Hesterni Quirites. *h. e.* servi heri seu nuper libertate donati. — Hinc

Hesterna, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt res heri gestæ. *Quintil.* 11. 2. 6. Excidere proxima, vetera inhærere; hesternorum immemores, acta pueritiæ recordari.

Hesterno, adverb. absolute pro hesterno die, heri. *Sisenna* apud *Charis.* 2. p. 180. *Putsch.* Te istuc hesterno quoque hausisse oportuerat, Aristæe. Adde *Cic. Vatin.* 1. 3., ubi V. *Halm.* Sic *Auson. Epigr.* 75. Alcon hesterno signum Jovis attigit.

HESTĬĀTŌRIS, idis, f. 3. ἑστιατορίς, ab ἑστιάτωρ *convivator:* herba magica, dicta et protomedia et gelotophyllis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (165). Democriticus tradit, hestiatorida a convictu in Perside nominari, quoniam hilarentur illa. *Hestiatorida* est Accusativus Græcæ positionis: alii legunt *syssitietærida.* V. SYSSITIETÆRIS. De synonymia *V.* GELOTOPHYLLIS.

HESUS. *V.* ESUS, us.

HETÆRĬA, æ, f. 1. ἑταιρία, sodalitas, collegium, societas. Apud *Plin.* 10. *Ep.* 43. et 97. in quibusdam codicib. legitur Græce scripta, in quibusdam Latine.

HETÆRIACUS *vel*

HETÆRICUS, a, um, adject. ἑταιρικός, ad aliquam hetæriam pertinens. Voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 152.

HĔTÆRĪCE, es, f. 1. ἑταιρική, ita vocabatur, honoris causa, ala equitum apud Macedones, ab amicitia et quasi sodalitate regia; ab ἑταῖρος *sodalis*. *Nepos Eumen.* 1. — Eadem et *agema* est appellata, quam vocem vide suo loco.

HĔTĔRŎCLĪTUS, a, um, adject. ἑτερόκλιτος, qui alieno et novo quodam modo declinatur; ab ἕτερος *alter* et κλίνω *inclino*, *flecto*. *Charis.* 1. p. 23.; et *Priscian.* 17. p. 1065. *Putsch.*, qui Latine *diversiclinius* vertit.

HĔTĔRŎCRĀNĔA *vel* heterocrania, æ, f. 1. morbus capitis, quum inæqualiter dolet tumetque, et inter capillos ulcuscula erumpunt et pus mali odoris. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (99).; et *Marcell. Empir.* 2.

HĔTĔRŎGĔNĔUS, a, um, adject. ἑτερογενής, qui est alterius generis. Itaque a Grammaticis heterogenea nomina dicuntur, quorum genus variat. Sed vox est Græca, vel potius semibarbara.

HĔTĔRŎMĒCES, is, adject. ἑτερομήκης, altera parte longior. *Boeth.* 2. *Arithm.* 31. p. 1037. Primo quidem distribuendum est, qui sunt hi (*numeri*), quos promecas vocant, id est anteriore parte longiores, vel qui, quos heteromecas, id est parte altera longiores. Est enim anteriore parte longior, qui sub duobus numeris hujusmodi continetur, quorum latere non possidet unitatis differentia, sed aliorum quorumcumque numerorum, ut ter quinque, vel ter sex, vel quater septem. Parte vero altera longior numerus est, quicumque unitate tantum lateri crescit adjecta, ut sunt sex, scilicet bis ter, vel duodecim tres quater.

HĔTĔRŎMĔRES, is, adject. ἑτερομερής, qui parte altera longior est. *Boeth.* 2. *Geom.* p. 1230. Tetragonus parte altera longior ab Euclide quidem rectiangulus, sed non æquilaterus definitur, Nicomacho autem heteromeres dicitur.

HĔTĔRŎPLŎCUS, a, um, adject. aliter implicatus; ab ἕτερος *alter* et πλοκή *nexus*. *Diomed.* 3. p. 478. *Putsch.* Pedes heteroploci pentasyllabi sunt numero triginta duo.

HETTA, res minimi pretii, quasi hieta (*al.* hicta) id est hiatus hominis atque oscitatio. Alii pusulam dixerunt esse, quæ in coquendo pane solet assurgere: a qua accipi rem (*al.* accipimus) nullius pretii, quum dicimus: *Non hettæ te facio.* Hæc *Paul. Diac.* p. 99. 16. *Müll.* — Fortasse vox conjungenda est cum Græca ἧττον, ἧσσον *minor*, *deterior*.

HETTĒMĂTĬCUS, a, um, adject. ἡττηματικός, inferior, deterior, et qui generis sui præstantiam non est assequutus: ab ἧττον *minor*. *Firmic.* 3. *Mathes.* 9.

HEU, interjectio; a Græco φεῦ, vel a sono. *Cledonius* in *Arte* p. 1875. *Putsch.* putat esse adverbium, si verbum sequitur; interjectionem, si alteri orationis parti jungatur. Est autem ¶ 1. Interjectio dolentis, οἴ, φεῦ, (It. *oimè*, *ahi*, *hui*, *uh*; Fr. *ah! hélas!*; Hisp. *ah! ay! ay de mi!*; Germ. *ach*, *ah*, *oh*, *weh!* Angl. *ah! alas! woe is me!*). Occurrit — *a*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 76. CA. Nihilne adjuvare me audes? PS. Quid faciam tibi? CA. Heu! PS. Heu? Id quidem tibi hercle, ne parsis, dabo. CA. Miser sum, argentum nusquam invenio mutuum, Pseudole. PS. Heu! CA. Neque intus nummus nullus est. PS. Eheu! *Id. Mil. glor.* 4. 8. 32. Heu! nequeo quin fleam. *Est qui legit* Heu mihi! nequeo etc. (quod etiam *Cledon. loc. cit.* agnoscit. Sic in illo *Horat. Epod.* 11. 7. Heu me! per Urbem etc. quidam legunt *heu mi*: tametsi nihil mutandum censet *Bentlej.*). Rursus *Plaut. Pseud.* 1. 3. 26. Heu, heu! quem ego nelis perdidi modis, quod tibi dedi! *Id. ibid.* 5. 2. 21. BA. Heu, heu, heu! PS. Desine. BA. Doleo. *Ovid.* 2. *Met.* 447. Heu quam difficile est etc. *Sil. It.* 15. 658. Heu! temere abducto liquisti robore castra. *Val. Flacc.* 6. 678. heu sese quibus ignota periclis Objicit. — Huc referri potest etiam *heu nefas* apud *Horat.* 3. *Od.* 24. 30. quatenus, heu nefas! Virtutem incolumem odimus. Sic *Id.* 4. *ibid.* 6. 17. Palam captis gravis, heu nefas heu, Nescios fari pueros Achivis Ureret flammis. — *b*) Sequente Vocativo. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 39. 139. O domus antiqua, heu, quam dispari Dominare domino! *Id.* apud *Non.* p. 90. 14. *Merc.* Heu mea fortuna, ut omnia in me glomeras mala! *Plaut. Merc.* 3. 4. 16. Heu, Charine! *Id. Men.* 5. 1. 31. Heu, hercle, mulier, multum et audax et mala es! *Horat.* 1. *Od.* 2. 37. Heu, nimis longo satiate (*Mars*) ludo! *Sil. It.* 8. 170. Heu, nimium secura, potes etc.? *Val. Flacc.* 4. 140. Heu fuge. — *c*) Cum Vocativo, an Nominativo, incertum. *Virg.* 6. *Æn.* 879. Heu pietas, heu prisca fides invictaque bello Dextera! *Ovid.* 12. *Met.* 498. Heu dedecus ingens. *Sil. It.* 14. 606. Heu dolor. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Heu vanitas humana! — *d*) Cum Accusativo. *Ennius* apud *Non.* p. 504. 6. *Merc.* Heu me miseram! interii; pergunt lavere sanguen sanguine. Sic *Plaut. Aulul.* 4. 9. 10. et *Merc.* 3. 4. 39.; *Ter. Andr.* 4. 1. 22.; et *Afranius* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 20. 45. Heu me miserum! et *Cic.* 7. *Phil.* 4. 14. Heu me miserum! cur senatum cogor, quem semper laudavi, reprehendere? *Ter. Hecyr.* 2. 2. 29. Heu me miseram! *Id. ibid.* 3. 1. 2. Heu me infelicem! hanccine ego vitam parsi perdere? *Plaut. Pœn.* 3. 2. 26. Heu edepol mortales malos! *Id. Truc.* 3. 2. 27. Heu edepol hominem nihili. *Id. Epid.* 1. 1. 68. Heu edepol res turbulentas! *Id. Mil. glor.* 4. 2. 65. Heu hercle odiosas res! *Id. Men.* 5. 2. 119. Heu hercle morbum acrem ac durum. *Virg.* 7. *Æn.* 293. Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris Fata Phrygum! *Plin.* 7. *Hist. nat. proœm.* (3). Heu dementiam existimantium etc.! — *e*) Sequente integra propositione. *Plaut. Most.* 4. 2. 65. Heu edepol, patrem eum miserum prædicas! *Id. Pers.* 4. 6. 24. Heu hercle, nomen multis scriptum' st tuum! *Id. Men.* 5. 5. 10. Heu edepol, ne ego homo vivo miser! ¶ 2. Aliquando apud *Plaut.* est admirantis, ut *Rud.* 2. 4. 2. Heu edepol specie lepida mulier. Sic *Pœn.* 5. 2. 147. Heu hercle mortalem ratum!

HEURĒMĂTĬCUS. *V.* EUREMATICUS.

HEURĒSIS, eos *vel* is, f. 3. εὕρησις et εὕρεσις *inventio*: festum, quod celebratur mense novembri in *Kal. Farnesian.* apud *Gruter.* 139. et apud *Orell. T.* 2. p. 381., quo fortasse die Ceres, Cyane nympha indice, Proserpinam filiam a Plutone raptam, et omnibus terris perquisitam invenit. V. *Inscript.* in VIGILIARIUM.

HEURĒTES, æ, m. 1. εὑρετής, inventor, auctor, ab εὑρίσκω *invenio*. Vox Græca. *Plaut. Pseud.* 2. 4. 9. Nimium est mortalis graphicus, heuretes mihi est.

HEUS, interjectio, seu adverbium vocandi. *Sergius* in *Donat.* p. 1852. *Putsch.* docet, esse quidem interjectionem, si dolorem significat, ut in illo *Virg.* 7. *Æn.* 116. Heus! etiam mensas consumimus, inquit Iulus. Si vero verbum sequatur, esse adverbium, ut in illo 1. *Æn.* 325. heus, inquit, juvenes, monstrate mearum Vidistis si quam hic errantem forte sororum. Hæc ille. Ceterum fere vocandi, admonendi, aut excitandi vim habet, ut dictum est, ὦ (It. *olà*, o; Fr. *hé! holà! hem!*; Hisp. *he! hola! ho! hem!*; Germ. *heh! hört! höre einmal!*; Angl. *holla! ho! hoa! ho there! soho! hark you! see! mark ye!*) *Plaut. Most.* 4. 2. 28. Heus recludite: heus, Tranio, etiam aperis? *Ter. Heaut.* 2. 3. 107. Syre, Syre, inquam: heus heus, Syre. *Id. Eun.* 2. 3. 45. Heus heus, tibi dico, Chærea. *Plaut. Curc.* 2. 2. 26. Heus, Phædrome, exi, exi, inquam, ocius. *Id. Aulul.* 2. 6. 1. Heus Staphyla, prodi. *Id. ibid.* 2. 2. 86. Heus, Strobile, sequere propere me. *Id. Amph.* 4. 1. 12., *Bacch.* 4. 1. 10.; *Most.* 4. 2. 19. et *Pœn.* 5. 2. 138. Heus ecquis hic est? *Id. Capt.* 4. 2. 50. Heus, ubi estis? ecquis hoc aperit ostium? *Id. Merc.* 5. 2. 69. Heus aliquis, heus actutum huc foras exite. *Ter. Adelph.* 4. 4. 24. Heus, heus: Æschinus ego sum: aperite aliquis actutum ostium. *Plaut. Capt.* 3. 4. 60. Heus, audin' quid ait? *Id. Most.* 2. 2. 36. Et heus, jube illos illinc amabo abscedere. *Ter. Andr.* 1. 1. 57. Rogitabam: heus puer, dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? *Pers.* 2. 17. Heus age, responde. *Id.* 3. 94. Heus bone, tu palles. — Sæpe cum pron. *tu* jungitur. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 21. Heus te, te volo. *Id. ibid.* 1. 3. 29. Heus tu, mulier, male merere etc. *Cic. Mil.* 22. 60. Heus tu, Rufio, cave sis, mentiaris. Adde *Plaut. Curc.* 4. 2. 30. et *Cas.* 4. 4. 15.; *Ter. Eun.* 1. 2. 22. et *Phorm.* 2. 3. 31.; et *Horat.* 1. *Sat.* 3. 21. Similiter *Plaut. Cas.* 2. 2. 2., *Most.* 4. 2. 72. et *Pers.* 5. 2. 63. Heus vos. *Id. Bacch.* 2. 3. 93. CH. Atque heus tu. NI. Quid vis? *Ter. Eun.* 2. 1. 11. PH. Sed heus tu? PA. Quid vis? Adde *eumd. ibid.* 3. 1. 44. et *Heaut.* 2. 3. 128. Sic *Cic.* 1. *Att.* 16. *ad fin.* Sed heus tu, vides ne, consulatum illum nostrum futurum etc.? *Id.* 7. *Fam.* 11. Sed heus tu quid agis? ecquid fit? Adde *eumd.* 15. *Att.* 11.

HEXĂCHORDOS, on, adject. ἑξάχορδος, *di sei corde*, sex chordas habens. *Vitruv.* 10. 13. Machina exachordos. *Forcellinus* tamquam nomen effert.

HEXĂCHRŎNOS *vel* hexachronus, a, um, adject. sex habens tempora; ab ἕξ *sex* et χρόνος *tempus*. *V.* HEXASEMUS.

HEXĂCLĪNON, i, n. 2. ἑξάκλινον, torus discubitorius sex capiens convivas; ab ἕξ *sex* et κλίνη *lectus*. *Martial.* 9. 60. Et testudineum mensus quater hexaclinon, Ingemuit, citro non satis esse suo.

HEXĀĒMĔRON, i, n. 2. ἑξαήμερον, ab ἕξ *sex* et ἡμέρα *dies*, spatium sex dierum. Ita appellatur carmen *Dracontii* de creatione mundi a Deo facta sex diebus. Ita etiam liber *Ambrosii* apud *Cassiod. Instit. div. litt.* 1. Ambrosius exinde sex libros eloquentiæ suo more confecit, quos Hexaemeron appellavit. Et ipse *Ambros. Ep.* 6. 42. Lecto Hexaemero, utrum paradisum subtexuerim, requirendum putasti.

HEXĂGŌNUM, i, n. 2. ἑξάγωνον, *un sessagono*, figura sex habens angulos; ab ἕξ *sex* et γωνία *angulus*. Græce habet *Varro* 3. *R. R.* 16. 5. Latine *Colum.* 5. *R. R.* 2. 10. Esto exagonum quoque versus lineis pedum XXX.

HEXĂMĔTER, tra, trum, adject. *Hexametrus* in recto casu *Terentian. de metr.* p. 2430. *Putsch.* Integer hexametrus stabit, nec fiet epodus. Et *Aldhelm.* infimæ Latinitatis auctor, *de re gramm.* edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 5. p. 522. Hexameter rectius dicitur, an hexametrus? Utrumque, ut Euander et Euandrus; quorum unus venit ex Græca enunciatione, alter ex Latina. — Ceterum hexameter est qui est sex mensurarum, sive pedum: ἑξάμετρος, ab ἕξ *sex* et μέτρον *metrum*, *di sei misure, di sei piedi, esametro*. Versus hexameter, al. heroicus, est qui sex constat pedibus, partim dactylis, partim spondeis, cujus generis omnes Virgiliani sunt. Occurrit — *a*) Cum addito nomine. *Lucilius* apud *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 5. 87. servorum est festu' dies hic, Quem plane hexametro versu non dicere possis. *Cic.* 3. *Orat.* 50. 194. Antipater ille Sidonius solitus est versus hexametros, aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore. *Id. Orat.* 66. 222. E quatuor igitur, quasi hexametrorum instar versuum quod sit, constat fere plena comprehensio. *Sueton. Aug.* 85. Liber scriptus est eo hexametris versibus. *Gell.* 18. 15. In longis versibus qui hexametri dicuntur. (*longos* appellat etiam *Ennius* apud *Cic.* 2. *Legg.* 27. 68.) — *b*) Absolute. *Quintil.* 9. 4. 78. Et initium hexametri statim invenias. *Id.* 9. 4. 74. T. Livius hexametri exordio cœpit. Adde *eumd.* 9. 4. 74. *Stat.* in *epist. præfixa* 1. *Silvar.* Epithalamium ducentos septuaginta septem hexametros habet. *Terentian. de metr.* p. 2411. *Putsch.* Nam si quatuor his pedes duobus Addes, hexameter profecto fiet. V. *Priscian. loc. allatum* in HEROICUS. — Est etiam hexameter iambicus, qui ultimo loco iambum habet pro spondeo, ut *Per varios semper currant mea carmina modos.* Ita *Diomed.* 3. p. 516. *Putsch.*

HEXĂPHŎROS, on, adject. ἑξαφόρος, unus ex senis hominibus lecticam, vel aliud quidpiam portantibus; ab ἕξ *sex* et φέρω *fero*. *Vitruv.* 10. 6. *a med.* Onerum maxima pondera quum feruntur a phalangiariis, hexaphoris et tetraphoris. *tetraphori* sunt quatuor; e τετράς *quaternarius numerus*. Apud *Forcellinum* effertur plur. num. m. 2. *hexaphori*, *orum*.

HEXĂPHŎRON *vel*

HEXĂPHŎRUM, i, n. 2. ἑξάφορον, lectica, quæ a sex servis ferebatur. *Martial.* 6. 77. Non debes ferri mortuus hexaphoro. Adde *eumd.* 2. 81.

HEXAPTŌTA Nomina dicuntur a Grammaticis, quæ sex diversos casus habent in singulari numero, ut v. gr. masculina in *us* desinentia, quæ in *ius* efferunt Genitivum, ut *unus*, *unius* etc. ab ἕξ *sex* et

πίπτω *cado*. Ita *Priscian*. 5. *p*. 673. *Putsch*. Similiter *Pompej. gramm*. *p*. 200. Dicitur ista declinatio hexaptota, quia sex habet casuum varietates. *V*. DIPTOTA.

HEXĀPȲLON, i, n. 2. ἑξάπυλον, ita est appellata Syracusarum porta, quæ videtur fuisse præcipua; ab ἕξ *sex* et πύλη *porta*, quia sex ostia fortasse habebat. Ejus meminit *Liv*. 24. 21.

HEXAS, ădis, f. 3. ἑξάς, senarius numerus ab ἕξ *sex*. *Capell*. 7. *p*. 240. Senarius numerus Veneri est attributus, quod ex utriusque sexus commixtione conficitur, id est ex triade, qui mas, quod impar est numerus, habetur; et diade, quæ femina paritate; nam bis terni hexas est.

HEXĀSĒMUS, a, um, adject. ἑξάσημος, qui sex signa seu tempora habet; ab ἕξ *sex* et σημεῖον *signum*. *Mar. Victorin*. 1. *p*. 2487. *Putsch*. Trisyllabi autem pedes octo, in quibus mensura temporum a trisemo sive trichrono ad hexasemon sive hexacronon usque porrigitur. *Id. ibid*. *p*. 2506. Harum (*epiplocarum*) species sunt tres, quarum prima trisemos, secunda tetrasemos, tertia hexasemos dicitur, ex eo quod e tribus, et quatuor, et sex temporibus subsistunt, quæ, detractis ab initio versus primis syllabis, diversa metrorum genera informant.

HEXASTĬCHUS, a, um, adject. *di sei ordini*, ἑξάστιχος, sex ordines seu series habens; ab ἕξ *sex* et στίχος *ordo*. *Plin*. 15. *Hist. nat*. 29. 37. (122). Hexasticha myrtus densissima, sex foliorum versibus. Ita *Harduin*. et *Sillig*. ex MSS. Alii *exotica*. *Colum*. 2. *R. R*. 9. 14. Hordeum, quod rustici hexastichum appellant. *V*. DISTICHUS. — *Hexasticha* dicuntur a Grammaticis sex versuum epigrammata.

HĔXASTȲLOS, on, adject. ἑξάστυλος, sex columnas habens; ab ἕξ *sex* et στύλη *columna*. *Vitruv*. 3. 2. *V*. AMPHIPROSTYLOS.

HEXĀSYLLĂBUS, a, um, adject. ἑξασύλλαβος, qui sex habet syllabas. *Mar. Victorin*. p. 2485. *Putsch*. Syllabarum incrementa fiunt quinque, incipientia a disyllabis usque ad hexasyllabum.

HEXĒCONTĂLĬTHOS, i, m. 1. ἑξηκοντάλιθος, lapis adeo diversis insignitus notis, ut sexaginta gemmarum colores referat; ab ἑξήκοντα *sexaginta* et λίθος *lapis*. *Plin*. 37. *Hist. nat*. 10. 60. (167).; et *Solin*. 31.

HEXĒRĒMES naves, f. plur. eædem quæ hexeres; vox hybrida. *Isid*. 19. *Orig*. 1. Triremes et quatriremes –. Sic et penteremes et hexeremes.

HEXĒRES *vel* hexeris, is, f. 3. ἑξήρης, navis sex remorum ordines habens. *Liv*. 37. 23. Regia classis tres hepteres, et quatuor hexeres habebat. Adde *eumd. ibid*. 21. et 30.; et *V*. dicta in DECEMREMIS. — In singulari num. *Id*. 29. 9. Scipio post paucos dies Locros hexeri advectus. *V*. et SEXERES

HI

HĬANS, antis. *V*. HIO

HĬANTĒUS. *V*. HYANTEUS.

HĬANTĬA, æ, f. 1. *apertura*, hiatus. *Tertull*. *Anim*. 10. Tubam pariter et hiantiam oris illius ostende.

HĬANTĬMEMBRIS, e, adject. qui membris hiantibus est, ut ebrii solent. *V*. QUADRIMEMBRIS.

HĬASCO, is, ere, n. 3. *inchoat*. *ab* hio, apud veteres pro *hisco*, aperior, *aprirsi*, χαίνω. *Cato R. R*. 17. Ubi primum nuces pineæ incipiunt hiascere, tum legi oportet. Apud *eumd. ibid*. 12. legitur et *dishiascere*. Ceterum *Gargil. de re hort*. (edente *A. A. Scottio*) 2. n. 1. *de amygdalis*. Quum nuces hiascere cœperunt.

HĬĀTO. *V*. HIETO.

HĬĀTUS, us, m. 4. (hio) apertio, χάσμη, χάσμα (It. *apertura, aprimento*; Fr. *ouverture, fente, trou, crevasse, gouffre*; Hisp. *abertura, hendedura, agujero, grieta*; Germ. *d. Oeffnung, Spalte, Kluft*; Angl. *a gaping, yawning, aperture*).

I.) Proprie *Cic*. 2. *Nat. D*. 47. 22. Animalia cibum partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. Sic *Virg*. 11. *Æn*. 680; et *Sueton*. *Claud*. 27. Hiatus oris. Et absolute *Quintil*. 1. 11. 9. Observandum erit etiam, ut recta sit facies dicentis, ne labra distorqueantur, ne immodicus hiatus rictus distendat. et *Id*. 6. 2. 31. Extremus exspirantis hiatus. *Lucret*. 5. 24. Quid Nemæus enim nobis nunc magnus hiatus Ille leonis obesset? Sic *Val. Flacc*. 1. 34. Cleonæo jam tempora clusus hiatu Alcides. *h. e*. rictu leonis Cleonæi. *Virg*. 6. *Æn*. 576. Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra. *bocche aperte*. *Plin*. 28. *Hist. nat*. 4. 7. (38). Exspuere in hiatus serpentium. Adde *Ovid*. 7. *Met*. 557. et 11. *ibid*. 60. Similiter *Juvenal*. 3. 175. personæ pallentis hiatum Formidat infans. *la boccaccia della maschera da scena*. et *Stat*. 1. *Theb*. 352. imbres, sicco quos asper hiatu Persolidat Boreas. *Cic*. 3. *Off*. 9. 38. Quum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum (*Gyges*) descendit. *Id*. 2. *Nat. D*. 5. 14. Repentini terrarum hiatus. *Plin*. 36. *Hist. nat*. 15. 24. (119). Hauriri urbes terræ hiatibus. *Lucret*. 6. 599. Neu distracta (*natura*) suum late dispandat hiatum. *Id*. 4. 418. quantum cœli patet altus hiatus. Adde *eumd*. 5. 376. Sic *Plin*. 2. *Hist. nat*. 26. 26. (96). Fit et cœli ipsius hiatus, quod vocant chasma. *Sil. It*. 17. 7. Crebi profundi hiatus. *Virg*. 6. *Æn*. 237. spelunca vasto hiatu. *Ovid*. 3. *Met*. 161. Fons sonat a dextra, tenui perlucidus unda, Margine gramineo patulos incinctus hiatus. *h. e*. patentes ripas fontis. *Val. Flacc*. 1. 638. aqua (*maris*) desidit vasto hiatu. *Id*. 7. 97. adverso hiatu haurire ignis. *Plin*. 16. *Hist. nat*. 12. 23. (57). Aperitur picea non plaga, sed vulnere ablati corticis, quum plurimum bipedali hiatu. — Poetice et urbane *Juvenal*. 6. 635. Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu. *h. e*. ore patentiore et plenioribus buccis, ut fit, quum grandia proferuntur. *Horat*. *Art. P*. 138. Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? *h. e*. tam grandi promisso, tam pleno voce probato?

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est cupiditas, aviditas, sitis. *Tac*. 4. *Hist*. 42. Libidine sanguinis et hiatu præmiorum, ignotum adhuc ingenium cæde nobili imbuisti. Cf. *Ammian*. 29. 1. *a med*. Adolescebat autem obstinatum ejus (*Valentis*) propositum admovente stimulos avaritia, et sua, et eorum, qui tunc in regia versabantur, novos hiatus aperientium. ¶ 2. Speciatim in oratione *hiatus* dicitur, quum plures vocales concurrunt, quas quum proferimus, labia diducta apertumque os diutius habemus. *Cic*. *Orat*. 23. 77. Verba etiam verbis quasi coagmentare negligat. Habet enim ille tamquam hiatus concursu vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam negligentiam. *Quintil*. 9. 4. 33. Tum vocalium concursus, qui quum accidit, hiat et intersistit et quasi laborat oratio. Pessime longæ, quæ easdem inter se litteras committunt, sonabunt. Præcipuus tamen hiatus earum, quæ cavo aut patulo maxime ore efferuntur. *Gell*. 7. 20. Catullus quoque elegantissimus poetarum in hisce versibus (27. 3.): *Ut lex Postumiæ jubet magistræ Ebriosa acina ebriosioris*; quum *ebrioso* dicere posset, et, quod erat usitatius, acinum in neutro genere appellare: amans tamen hiatus illius Homerici suavitatem, *ebriosa* dixit propter insequentis *a* litteræ concentum.

HĪBERNA, orum *V*. HIBERNUS in fin.

HĪBERNĀCŬLUM, i, n. 2. Scribunt et *hybernaculum*: *V*. HIBERNUS init. — Hibernaculum, et sæpius in plur. num. hibernacula sunt loca, in quibus per hiemem habitamus: hinc ¶ 1. Generatim membra ædium, in quibus per hiemem versamur, hibernacula dicuntur, *appartamenti da inverno*. De Græcis certe ædibus usurpat *Vitruv*. 7. 4. *ad fin*. et universim de omnibus ædibus 1. 2. *ad fin*. In singulari num. hoc sensu occurrit apud *Plin*. 2. *Ep*. 17. 7. ¶ 2. Speciatim sunt loca, in quibus milites per hiemem habitant, *quartieri d'inverno*, τὰ χειμάδια. Quomodo ab hibernis differat, in HIBERNUS dicetur. *Nepos Eumen*. 8. Ad adversariorum hibernacula pervenire. *Liv*. 30. 3. Hibernacula Carthaginiensium, congesta temere ex agris materia exædificata, lignea ferme tota erant. *Id*. 5. 2. Hibernacula etiam (*in Vejorum obsidione*), res nova militi Romano, ædificari cœpta. Adde *eumd*. 22. 32. *Tac*. 2. *Ann*. 23. Legiones remittere in hibernacula. *Id*. 14. *ibid*. 38. Cohortes novis hibernaculis locatæ.

HĪBERNĀLIS, e, adject. hibernus, *vernale*, χειμέριος. *Vulgat. interpr. Sapient*. 16. 29. Ingrati spes, tamquam hibernalis glacies, tabescet.

HĪBERNO, as, āvi ātum, are, n. 1. (hibernus). Scribitur et *hyberno*: V. voc. seq. — Part. *Hibernaturus* l. 2. — Hibernare est in hibernis esse, διαχειμάζω (It. *passare l'inverno, svernare*; Fr. *passer l'hiver, hiverner*; Hisp. *pasar l'invierno, invernar*; Germ. *überwintern*; Angl. *to winter, pass the winter*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Varro* 2. *R. R*. 2. 9. Ego vero scio, inquam; nam mihi greges in Apulia hibernabant, qui in Reatinis montibus æstivabant. et 8. 6. Furcillas reducit hibernatum in tecta, ut sine sumptu earum opera altero anno uti possit. *Plin*. 9. *Hist. nat*. 15. 20. (51). Thynni ubicumque deprehensi, ibi hibernant. ¶ 2. Speciatim in re militari est stationem habere hiberno tempore. *Cic*. *pro leg. Manil*. 13. 39. Jam vero quemadmodum milites hibernent, quotidie sermones ac litteræ perferuntur. *Id*. 7. *Fam*. 17. *in fin*. Ubi sis hibernaturus, perscribas velim. Adde *Auct. B. G*. 8. 46.; *Liv*. 22. 16. et 26. 1.; et *Flor*. 4. 12. 51.

II.) Improprie ac poetice. *Pers*. 6. 6. mihi nunc Ligus ora Intepet, hibernatque meum mare. *h. e*. cessat, otia agit, nullis navigiis discursantibus: quemadmodum miles hibernans ab armis cessat.

HĪBERNUS, a, um, adject. Scribitur etiam *hybernus*, quod sit origine ab *hyems*, hoc ab ὕω, ut quidam volunt: *Priscian*. 2. *p*. 99. *Putsch*. Ab hieme, vel imbre, hibernus fit. Verum et in *hiems*, Latinum *i* pluribus adhiberi placet, et similiter in *hibernus*, quod ut Græcæ originis sint, in Latinam tamen consuetudinem assiduo usu transierint. Adde auctoritatem librorum veterum et lapidum cum *Manut*., *Dausq*. et *Cellar*. — Comp. *Hibernior* occurrit apud *Boeth*. *p*. 555. — Hibernus est ad hiemem pertinens, hiemalis, χειμερινός, χειμάδιος (It. *d'inverno, invernale*; Fr. *d'hiver*.; Hisp. *de invierno*; Germ. *winterlich*; Angl. *of or belonging to winter, wintry*). *Lucret*. 5. 698. Propterea noctes hiberno tempore longæ Cessant. *Cic*. 1. *de republ*. 12. In aprico maxime pratuli loco, quod erat hibernum tempus anni, considerent. *Id*. 7. *Verr*. 10. 26. Temporibus hibernis ad magnitudinem frigorum et tempestatum vim ac fluminum præclarum hoc sibi remedium compararat. *Id. ibid*.; et *Sueton*. *Cæs*. 4., *Aug*. 21. et *Claud*. 23. Hiberni menses. *Horat*. *Epod*. 2. 29. Hibernus annus. *h. e*. hiems. *Cic*. *Senect*. 14. 46. Sol aut ignis hibernus. *Virg*. 2. *G*. 482. Hiberni soles. *Plin*. 6. *Hist. nat*. 17. 21. (57). Hibernus exortus solis. *Id*. 5. *ibid*. 5. 5. (31). Hiberni occasus plaga. *Cic*. 15. *Att*. 25. Hiberna navigatio. *Horat*. 4. *Od*. 12. 3. fluvii hiberna nive turgidi. Cf. *Ovid*. 5. *Met*. 158. Hiberna grando. *Virg*. 5. *Æn*. 126. Hiberni venti. *Cic*. 3. *ad Q. fr*. 1. 1. § 2. Hibernum cubiculum. *da inverno*. *Plaut*. *Mil. glor*. 3. 1. 94. Hiberna lonica. *Plin*. 16. *Hist. nat*. 8. 13. (34). Hibernus feminarum calceatus. *Cato R. R*. 8.; et *Colum*. 5. *R. R*. 10. 10. Hiberni fici. *Plin*. 16. *Hist. nat*. 26. 43. (106). Hiberna pira. *h. e*. quæ per hiemem colliguntur. *Id*. 8. *ibid*. 47. 72. (188). Hiberni agni. *nati d'inverno*. *Horat*. 2. *Sat*. 5. 41. Hibernæ Alpes. *h. e*. semper gelidæ. Sic *Val. Flacc*. 6. 612. hibernus Caucasus. *Id*. 3. 578. vultus Jovis. *h. e*. gelidus. et *Propert*. 2. 6. 16. hiberni Borysthenidæ. *Virg*. 5. *Æn*. 126. hiberni Cori. *h. e*. procellosi. Sic *Horat*. *Epod*. 15. 8. hibernum mare. *h. e*. quod tempore hiemis procellosum est. 7. *Id*. 1. *Sat*. 7. 27. flumen. *Id*. 2. *ibid*. 3. 235. æquor. *Id*. *Epod*. 17. 55. Neptunus. *Virg*. 6. *Æn*. 355. hibernæ noctes. *h. e*. procellosæ, asperæ, quales hieme esse solent. *Id*. 1. *G*. 101. Hibernus pulvis. *h. e*. hiberna serenitas, quæ pulverem excitat. Cf. *Plin*. 17. *Hist. nat*. 2. 2. (14). Rursus *Virg*. 4. *Æn*. 143. hiberna Lycia. *h. e*. apta hibernare volentibus, ut videtur *Servius* exponere. *Sueton*. *Cal*. 8. Hibernæ legiones. *h. e*. quæ in hibernaculis sunt. *Seneca Med*. 581.; et *Tac*. 3. *Hist*. 69. Hibernus miles. — Hinc

Hibernum absolute: et occurrit — *a*) *Hibernum*, h. e. hibernum tempus. *Pallad*. 2. *R. R*. 15. 4. Sorba servantur in vasculis in hibernum. *Id*. 12. *ibid*. 8. 1. Hiberno servantur mella. *Cæl. Aurel*. 3. *Tard*. 1. *sub init*. Gravat atque premit hæc passio magis mulieribus viros; hiberno atque nocte magis, quam die vel æstate. Cf. *Merobaud. carm*. 4. 11. Tibris hibernis vada mollitat severis. — *b*) *Hibernum* pro tempestate. *Plaut*. *Rud. prol*. 69. Increpui hibernum. *h. e*. fluctus maritimos et procellam excitavi. — *c*) *Hiberna*, scil. bella. *Val. Flacc*. 1. 551. qua classe dehinc effusa procorum Bella! quot ad Trojam flentes hiberna Mycenas! — Hinc

Hiberna, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Sæpissime in re militari sunt quæ

hiberna castra dicuntur a *Liv.* 29. 35., scil. loca in quibus milites agunt hiberno tempora, *quartieri d' inverno*. *Cic.* 15. *Fam.* 1. *circa med.* Exercitum in hiberna dimittere. *Pollio* apud *Cic.* 10. *Fam.* 33. *circa med.* Collocare legiones in hibernis. *Tac. Agric.* 38. locare. *Sall. Jug.* 103. Exercitum in hibernis componere. *Justin.* 38. 10. Exercitum per civitates in hiberna dividere. *Sall. Jug.* 100. In hiberna proficisci. *Liv.* 26. 20. In hiberna concedere. *Id.* 37. 19. In hiberna copias reducere. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. Cæsar maturius paulio quam tempus anni postulabat, in hiberna in Sequanos exercitum deduxit: hibernis Labienum præposuit. *Nepos Eumen.* 8. Hiberna sumere. *Flor.* 1. 12. 8. Hiberna stipendio taxare. *Sueton. Vesp.* 6., *Aug.* 17. et *Domit.* 7. Hiberna legionum. *Id. Aug.* 49. Hiberna et æstiva. *Tac.* 1. *Hist.* 55. Iisdem hibernis tendere. *Cæs.* 1. *B. G.* 10. Tres legiones, quæ circum Aquilejam hiemabant, ex hibernis educit. *Sall. Jug.* 37. Ex hibernis evocare milites. *Id. ibid.* 62. arcessere. *Tac.* 15. *Ann.* 10. Hiberna relinquere. — Hiberna proprie differunt ab hibernaculis. Nam hæ sunt casæ ipsæ et tentoria, in quibus miles degit hibernorum tempore: at aliquando in ipsa expeditione adhibentur, dum in conspectu hostium exercitus est. *Liv.* 5. 2. Hibernacula ædificare. *Id.* 30. 3. *sub fin.* Hibernacula Carthaginiensium, congesta temere ex agri materia exædificata, lignea ferme tota erant. *Id.* 22. 32. Hibernaculis maturæ communitis: tum enim auctumni erat tempus. *Id.* 37 39. *sub pellibus militem habere* dixit, quod est in hibernaculis, contra hostilem exercitum. — Hiberna dicuntur etiam cellæ, in quibus frumenta et alia hiberno tempore servantur. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. Tempus erat anni difficillimum, quo neque frumenta in hibernis erant neque multum a maturitate aberant. ¶ 2. Item *hiberna* dicuntur stabula in quibus armenta et pecora hiberno tempore agunt. *Dig.* 32. 1. 67.

HĬBISCUM, i, n. 2. Scribitur et *ibiscum*: immo etiam *ebiscum*, ut ἐβίσκος item apud Græcos. *Æmil. Mac. Herb. de malva.* Hanc ipsam dicunt eviscum, quod quasi visco illius radis contacta madere videtur. Adde *Plin. Valer.* 1. 6., 5. et *Veget.* 6. *Veterin.* 14. Ceterum hibiscum, ἴβισκος, *malvavischio*, herba est pastinacæ similis, et sola gracilitate ab ea distans, ab herbariis dicta pastinaca latifolia silvestris Dodonæi. Refertur inter lignosiores herbas et in cartilaginum genere. *V.* dicta in ALTHÆA. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 4. 14. (29). Pastinacæ simile hibiscum. *Id.* 19. *ibid.* 5. 27. (89). Hibiscum a pastinaca gracilitate distat, damnatum in cibis, sed medicinæ utile. *Virg.* 10. *Ecl.* 71. gracili fiscellam texit hibisco. *Id.* 2. *ibid.* 30. Hædorumque gregem viridi compellere hibisco. *h. e.* virga ex hibisco. *Servius* exponit ad hibiscum, scil. ad pastum hibisci, quod probat *Heynius* ex *Calpurn.* 4. *Ecl.* 32. viridique famem solarer hibisco.

HĬBRĬDA. *V.* HYBRIDA.

HĪBUS. *V.* voc. seq. init.

HĬC, hæc, hoc, pronomen demonstr. — *a*) Quod ad quantitatem attinet, *hic* nonnunquam a Poetis corripitur. *Virg.* 6. *Æn.* 792. et 4. *ibid.* 22.; et *Claudian. Laud. Hercul.* 64. — Etiam hoc. *Lucilius* apud *Non. p.* 144. 2. *Merc.* Sed tamen hoc dicas, quid hoc est, si nenu molestum est! Ita *Scalig.* Alii aliter. *Voss. l.* 2. *de Grammat. c.* 24. affert illud ex *Priap. carm.* 52. *extr.* Et vos hoc ipsum, quod minamur, invitat. — Dativus singul. *huic* una tantum syllaba effertur apud *Virg.* 1. *Æn.* 351. et 2. *Ecl.* 53. Interdum tamen per diæresin dissolvitur. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 107. Lætus huic dono videas dare tura nepotes. *Id. ibid.* 2. 135. Falsus huic pennas etc. *Sidon. carm.* 7. 145. Assurrexit huic. *Paulin. Nolan.* videtur utramque corripuisse *carm.* 16. 64. Quum subito aut illis corda hostibus, aut huic ora Vertuntur. Sed potest etiam esse versus spondaicus. — *b*) Antiquæ formæ sunt — Dat. sing. fem. generis *hæ* pro *huic* apud *Caton. R. R.* 14. Hæ rei. *h. e.* huic rei. — In recto plural. femininum est *hæ*: reperitur tamen et *hæc*. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 59. Hæc sunt atque aliæ multæ in magnis dotibus incommoditates. *Id. Most.* 1. 3. 9. Periere hæc oppido ædes. *Ter. Eun.* 3. 5. 31. Continuo hæc (*puellæ*) adornant, ut lavet. *Id. Phorm.* 5. 8. 23. Hæccine erant itiones crebræ? *Alii leg.* hæc ille: *alii* hæcine. Vide tamen quæ infra dicemus sub 1. *c.* — In Dativo plur. *hibus* pro *his* dixit *Plaut. Curc.* 4. 2. 20., ubi alii legunt *iibus* pro *iis*. — In recto plur. masc. gen. *heisce* pro *hisce* usurpatur in *Inscript.* apud *Daniele Numism. Cap. p.* 78. et 87., ubi *heisce magistreis* tegitur pro *hi magistri*. Adde alias apud *Fabrett. p.* 635. *n.* 299. et *Pratilli Via App. p.* 289. — De formis *horunc* et *hujusque* V. infra sub 1. *c.* — Ceterum *hic, hæc, hoc* est pronomen demonstrativum, quo res præsentes, et quæ apud nos sunt, aut de quibus loquimur, aut quæ nota sunt, ostendimus, οὗτος (It. *questi, questo, questa*; Fr. *ce, cet, cette, celui-ci, celle-ci, ceci*; Hisp. *este, estos, estas*; Germ. *dieser, diese, dieses*; Angl. *this*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu vel generatim — *a*) Cum addito Substantivo. *Plaut. Amph.* 1. 1. 216. MER. Hic homo sanus non est. SO. Quod mihi prædicas vitium, id tibi est. *Id. Bacch.* 1. 1. 53. PA. Rapidus fluvius est hic, non hac temere transiri potest. BA. Atque ecastor apud hunc fluvium aliquid perdundum est tibi. *Ter. Andr.* 4. 5. 3. Puer hic unde est? *Virg.* 6. *Æn.* 792. Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis. *Cic.* 1. *de republ.* 17. Quid præclarum putet in rebus humanis, qui hæc deorum regna perspexerit etc? *Id. ibid.* 19. Qui mihi L. Paulli nepos, hoc avunculo atque in hac tam clara republica notus quærit? *Id. ibid.* 1. Quorum singuli saluti huic civitati fuerunt, et qui sunt procul ab ætatis hujus memoria etc. *Id. ibid.* 7. Ob eam causam, quod his libris erat instituta et suscepta mihi de republica disputatio. *Sil. It.* 12. 282. Quando hanc cruore hostili labem eluerim. *Id.* 5. 517. hæc inter certamina. *Plin.* 1. *Ep.* 20. 14. Ego jugulum statim video, hunc premo. — Et cum Adjectivis, quæ Substantivorum vicem gerunt. *Cic.* 1. *de republ.* 10. Qui quum cetera, tum hæc cælestia vel studiosissime solet quærere. *Id. ibid.* 21. Si placet, deduc orationem tuam de cælo ad hæc citima. — *b*) Absolute. — Masc. gen. *Plaut. Men.* 5. 2. 91. Nisi occupo mihi aliquod consilium, hi domum me ad se auferent. *Cic.* 1. *de republ.* 13. Non videtur, quod hi venerunt, alius nobis sermo esse quærendus, sed agendum accuratius, et dicendum dignum aliquid horum auribus. *Id. ibid.* 21. Feceris (ut etiam pro his dicam) nobis gratum omnibus. *Sall. Jug.* 18. Hique (*h. e.* Gætuli) mature oppida habuere. *Sil. It.* 7. 400. Hus nobis redde. *Id.* 15. 75. tribuit hos (*h. e.* deos) terris natura. *Id.* 16. 448. tulit huic virtute secundos e Tyria duo pocula. — Sæpissime neutr. gen. *Plaut. Amph.* 1. 1. 87. Quisque, uti steterat, jacet obtinetque ordinem. Hoc ubi Amphitruo herus conspicatur est, illico jubet etc. *Cic.* 1. *de republ.* 15. Docere hoc poterat ille homines pæne agrestes, et apud imperitos audebat hæc dicere? *Id. ibid.* 12. Dixerat hoc ille, quum puer nunciavit etc. *Id. ibid.* 11. Hæc Scipio quum dixisset. *Id. ibid.* Hæc plurimis a me verbis dicta sunt etc. *Sall. Cat.* 36. Hæc ubi Romæ comperta sunt. *Id. ibid.* 13. Hæc juventutem ad facinora incendebant. *Quintil.* 12. 5. 6. Talis esse debet orator et hæc scire. *Plin.* 8. *Ep.* 20. 10. Hæc tibi scripsi. *Justin.* 12. 12. 11. Dum hæc aguntur. *Val. Flacc.* 5. 247. et 7. 170. Hæc tibi. *Sall. Cat.* 10. Namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artes bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere docuit. *Justin.* 43. 4. 6. His incitatus rex. *Plin.* 8. *Ep.* 16. 5. Verum de his plura. Similiter *Quintil.* 3. 8. 62. et 9. 4. 60. in hoc. *Id.* 6. 1. 39. de hoc. *Curt.* 3. 3. 4. ad hæc. *h. e.* præterea. Contra *Sueton. Aug.* 94. Ad hæc ventum est. et *Liv.* 45. 39.; et *Frontin.* 1. *Strateg.* 6. 2. ad hoc. *Quintil.* 12. 1. 27. post hæc. *Justin.* 23. 2. 11.; *Curt.* 3. 1. 1.; et *Plin. Paneg.* 81. inter hæc. *Quintil.* 11. 3. 116. in his. *Id.* 9. 4. 27. cum his. *Id.* 1. 12. 17. sine his. — Interdum repetitur ad vim addendam. *Quintil.* 10. 1. 46. Hoc exercitatio petit, hoc imitatio. *Plin. Paneg.* 53. Hoc secreta nostra, hoc sermones, hoc ipsæ gratiarum actiones agant. — Repetitur etiam ad varia significanda. *Quintil.* 6. 1. 18. Quid responsuri sint adversarii his et his. *a questo e questo. et m.x.* Quum sciret hæc et hæc. *V.* tamen infra sub *e*, quo et hæc pertinent. — *c*) Vim accipit — *α*) Addita particula *ce* (*V.* CE loco suo): hinc — Nom. sing. *hicce, hæcce, hocce* vel *hice, hæce, hoce*, ut *Ennius* apud *Gell.* 12. 4. Hæce locuta, vocat etc. *Ter. Andr.* 3. 3. 17. Hocce haud dubium est, quin etc. — Gen. sing. *hujusce*, ut apud *Plaut. Capt. prol.* 9. Eum hinc profugiens vendidit in Alide patri hujusce. *Id. Pœn.* 5. 4. 76. Quoque modo hujusce filias apud vos habeatis servas. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 14. 47. Atque hujusce rei judicium jam continuo video futurum. *Sall. Jug.* 30. et *Cat.* 33. hujuscemodi. *Quintil.* 6. 4. 8. hujusce officii. *Id.* 8. *proœm.* 5. artis hujusce. *Id.* 10. 5. 2. exercitationis hujusce. *Id.* 12. 2. 20. hujusce doctrinæ. Similiter *Cic.* 2. *Legg.* 11. 28. Recte a Calatino Spes consecrata est; Fortunaque sit vel hujusce diei, nam valet in omnes dies; vel Respiciens, ad opem ferendam; vel Fors, in quo incerti casus significantur magis. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 8. 19. (54). Minerva, quam Romæ Æmilius Paulus ad ædem Fortunæ hujusce diei dicavit. *P. Victor. de regionib Urb. R. in reg.* 10. *Palat.* Vicus hujusce diei Fort. æd. *Forcellinus* ubique legit *hujusque* et interpretatur *uniuscujusque*; additque fragm. *Tab. marmoreæ* apud *Gruter.* 135. *extr.*, quo maxime firmatur lectio locorum allatorum, in quibus alii aliter legendum putarunt. *V. Brisson. de formul. P. R. l.* 1. *c.* 86. Ceterum recentiores plerique omnes legunt *hujusce*; pro quo etiam *hujusque* occurrit in *Inscript.*, ut apud *Orell.* 5. FORTVNA HVIVSQVE DIEI. *Aliæ* apud *eumd.* 1580. et 2300. HVIVSQVE LOCI. *Alia* apud *eumd.* 2488. HOIVSQVE AEDIS. — Acc. sing. *huncce, hancce*, ut apud *Plaut. Capt.* 4. 2. 85. Tu deum huncce saturitate facias tranquillum tibi. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 209. Ad hancce rem. — Nom. plur. *hice, hæce*, ut apud *Plaut. Capt. prol.* 35. Hice autem inter sese hunc confixerunt dolum. Adde *eumd. Cas.* 2. 8. 24., *Mil. glor.* 4. 8. 24., *Pseud.* 1. 5. 125. et *Rud.* 2. 1. 5. Similiter *Id. Most.* 3. 1. 117. Postquam hæce ædes ita erant. Ceterum in recto plur. femin. pro *hæce* per apocopen sæpius dicitur *hæc*: *V.* allata init. sub *b*. — Gen. plur. *harunce*, ut apud *Plaut. Stich.* 3. 1. 41. Aliud posticum harunce ædium. Adde *eumd. Most.* 2. 1. 67. — Pro *horunce* et *harunce* per apocopen dicitur *horunc* et *harunc*, ut apud *Plaut. Cist.* 1. 1. 53. Sine opera tua nihil di horunc facere possunt. Adde *eumd. Pœn.* 3. 1. 48.; et *Ter. Hecyr.* 1. 2. 97. et *Phorm.* 3. 2. 33. Similiter *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 25. Cedo signum, si harunc Baccharum es. Adde *eumd. Merc.* 5. 1. 3. — Dat. et Ablat. plur. *hisce*, ut apud *Plaut. Curc.* 5. 3. 48. Hisce ego placidum ted hodie reddam. *Ter. Hecyr.* 3. 4. 36. Quid dicam hisce incertus sum. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. Tu ab hisce rebus animum avoca. Adde *Plaut. Cas.* 2. 7. 13., *Most.* 1. 3. 81. et alibi sæpe; *Ter. Adelph.* 3. 1. 16.; et *Ovid.* 1. *Met.* 546. — Acc. plur. *hosce, hasce*, ut apud *Ter. Eun.* 4. 7. 11. THR. Tu hosce instrue. GN. Illue est sapere! ut hosce instruxit. Adde *eumd. ibid.* 1. 2. 71., *Heaut.* 3. 2. 3., *Adelph.* 5. 7. 5. et *Phorm.* 4. 3. 4. Similiter *Plaut. Amph.* 1. 1. 194. Quid apud hasce ædes negotî est tibi? Adde *eumd. Asin.* 2. 3. 1., *Aulul.* 2. 4. 2., *Capt.* 4. 2. 51. et alibi. — *β*) Item vim accipit addito *ne* in interrogatione, unde *hiccine, hæccine, hoccine*: *V.* CE loco suo. *Plaut. Mort.* 2. 2. 76. Concrepuit foris: hiccine percussit? Adde *eumd. Mil. glor.* 1. 1. 61., *Pers.* 4. 3. 74. et alibi. *Ter. Andr.* 5. 4. 4. Hiccine est Simo? *Cic. Mil.* 38. 104. Hiccine vir patriæ natus usquam nisi in patria morietur? Adde *eumd.* 3. *Tusc.* 18. 39. *Liv.* 1. 3. Haud nihil ambigam, hiccine fuerit etc. *Propert.* 1. 17. 8. Hæccine parva meum funus arena teget? Adde *Plaut. Amph.* 1. 1. 206., *Epid.* 4. 2. 5. et *Pers.* 4. 3. 75.; et *Ter. Hecyr.* 5. 2. 5. et *Phorm.* 5. 8. 24. Similiter *Plaut. Pseud.* 1. 2. 68. Huncccine hic hominem pati colere juventutem Atticam? *Cic.* 7. *Verr.* 25. 62. Huncine hominem! hancine impudentiam! judices, hanc audaciam! *Plaut. Bacch.* 3. 3. 43. Hoccine hic pacto potest inhibere imperium magister? *Val. Flacc.* 1. 151. Haecine nos animæ faciles rate nubila contra Mittimur? *Ter. Adelph.* 4. 7. 40. O Juppiter, hoscine mores! *Id. Hecyr.* 1. 1. 13. Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere? — *γ*) Cum addito *dem* apud sequioris ævi scriptores. *Pallad.* 10. *R. R.* 13. 2. Hisdem diebus seritur capparis. *Schneider. leg. iisdem. Ammian.* 28. 2. Filiorum flentes exitium discesserunt: hisdemque digressis etc. Adde *eumd.* 20. 4. et 7. — *d*) Cum Pronominibus *idem, ipse, is, ille, iste, talis, quidam, hujusmodi, uterque, tuus, noster*, ego aliquando jungitur ad magis demonstrandum. *Cic.* 3. *Tusc.* 4. 7. Hos eosdem motus, perturbationes diximus. *Id.* 1. *de republ.* 14. Quum idem hoc visum diceretur. *Cæs.* 7. *B. G.* 15. Uno die amplius XX. urbes Biturigum incenduntur. Hoc idem fit in reli-

quis civitatibus. *Id.* 1. *B. C.* 74. Idem hoc fit a principibus Hispaniæ. Adde *Quintil.* 8. 4. 17. Rursus *Cæs.* 7. *B. G.* 17. Hæc eadem centurionibus tribunisque militum mandabant. Adde *Quintil.* 6. 3. 54. Sic *Id.* 8 *proœm.* 19. Ex iisdem his speciem accipiunt. — *Ter. Adelph.* 1. 1. 53. Estne hic ipsus, de quo agebam? *Cic.* 1. *de republ.* 2. Hoc ipsum civile jus. Adde *Quintil.* 2. 1. 8. et 8. 3. 45. Rursus *Cic.* 2. *Phil.* 4. 8. Quum hoc ipso tempore sicut cum gladiis etc. *Id.* 1. *Acad.* (*post*) 1. 2. Jampridem ad hunc eum ipsum (me autem dicebat) quædam institui. Cf. *eumd.* 5. *Tusc.* 9. 26. Nisi idem hoc ipsum honeste, sapienter, juste ad voluptatem referret. — *Ter. Eun.* 4. 6. 14. Hæc ea est, quam miles a me ereptum venit. — *Ter. Andr.* 1. 1. 99. Hinc illæ lacrimæ, hæc illa est misericordia. *Virg.* 7. *Æn.* 255. Hunc illum, fatis externa ab sede profectum, Portendi generum. *Id. ibid.* 272. hunc illum poscere fata, et reor et opto. *Cic.* 3. *Tusc.* 15. 31. Hic est enim ille vultus semper idem, quem etc. *Quintil.* 6. 2. 24. Hæc est illa, quæ δείνωσις vocatur. Adde *eumd.* 7. 4. 15. — *Cic. Rabir. Post.* 9. 24. Sed hujus istius facti stultitiam major jam superior stultitia defendit. Tribuunt et *Catullo* 107. 7. Quis me uno vivit felicior, aut magis hac lata Optandam vitam etc. Sed al. aliter leg. *Sidon.* 2. *Ep.* 10. Ista hæc epigrammata, quæ effingimus. — *Cic. Flacc.* 22. 52. Huic tali legato, huic publico testi etc. *Al. leg.* huic illi legato. *Cic. fil.* apud *Cic.* 16. *Fam.* 21. Quare da operam, ut hunc talem tam jucundum, tam excellentem virum videas quam primum. — *Cic.* 1. *Orat.* 50. 218. Fateor callidum quemdam hunc (*oratorem*) et nulla in re tironem ac rudem esse debere. — *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 32. Scis, tractari ita solere hasce hujusmodi merces. — *Sall. Cat.* 30. Hi utique ad urbem pervenerunt. — *Ter. Eun.* 2. 3. 50. Quum huc respicio ad virginem, illa sese interea commodum huc adverterat in hanc nostram plateam. — *Horat.* 1. *Ep.* 15. 42. Nimirum hic ego sum: nam tuta et parvula laudo, etc. — e) Cum opposito *ille, iste*, vel raro *hic, alter, alius* etc. — Cum opposito *ille*, ut apud *Ter. Eun.* 3. 1. 52. Si laudabit hæc illius formam, tu hujus contra. *Cic. Dom.* 5. 12. Fuit major adhibenda medicina, quæ et illud nativum, et hoc delatum malum sanare posset. *Id.* 2. *Invent.* 16. 50. Ejusdem esse, qui in illa re peccavit, hoc quoque admisisse. *Justin.* 23. 3. 7. Ne aut illi non lata opera, aut hi deserti, amitterentur. *Quintil.* 6. 2. 12. Πάθος atque ἦθος esse interim ex eadem natura, ita ut illud majus sit, hoc minus. Rursus *Cic.* 1. *de republ.* 1. In his undis et tempestatibus ad summam senectutem maluit jactari, quam in illa tranquillitate atque otio jucundissime vivere. *Quintil.* 10. 7. 7. Et hæc quidem ex arte, illa vero ex studio. *Id.* 3. 6. 95. Quum hic testamento, ille proximitate nitetur. *V.* infra sub *f.* — Cum opposito *iste*, a quo differt, quia pronomine *iste* significatur aut persona, quacum loquimur, aut res ei proxima, *cotesto*. *Cic.* 1. *de republ.* 19. Quum tu ista cœlestia de Scipione quæsieris, ego autem hæc, quæ videntur ante oculos, esse magis putem quærenda. *Id.* 2. *Fam.* 11. Putares ne unquam accidere posse, ut mihi verba deessent; neque solum ista vestra oratoria, sed hæc etiam levia nostratia? *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 33. 105. Iisdem enim hic sapiens, de quo loquor, oculis, quibus iste vester, cœlum, terram, mare intuebitur. *Id.* 2. *Invent.* 41. 121. Si hoc modo scripsisset, isto verbo usus non esset. *Id. Dom.* 5. 12. Hanc istum causam arrepturum fuisse etc. Quod inter *hic* et *iste* discrimen interest, aliquando non servatur. *Stat.* 4. *Silv.* 1. 20. da gaudia fastis Continua: hos humeros multo sinus ambiat ostro. *Ter. Andr.* 3. 2. 30. Prorsus a me opinionem hanc tuam esse amotam volo. *Cic.* quoque non semel *hic* pro *iste* posuit, quod ostendit *Manut.* ad 3. *Fam.* 10. *V.* ISTE. — Cum opposito *hic*, quod fit in distributionibus in quibus nonnunquam alter *hic* pro *ille* vel *alius* ponitur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 42. 130. Has igitur tot sententias ut omittamus, hæc nunc videamus, quæ diu multumque defensa sunt. *Cic.* 9. *Fam.* 16. Facile diceret: Hic versus Plauti non est, hic est. *Virg.* 6. *Æn.* 621. Vendidit hic auro patriam etc. Hic thalamum invasit natæ. *Ovid.* 11. *Met.* 539. Non tenet hic lacrimas, stupet hic. *Lucan.* 3. 687. Hic recipit fluctus —, Hi, ne mergantur, tabulis ardentibus hærent. *Quintil.* 4. 4. 8. Ego hoc dico, adversarius hoc. *Id.* 7. 3. 9. Interim quæritur: hoc, an hoc? furtum, an sacrilegium? *Tac.* 14. *Ann.* 8. Hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere: alii vadere in mare: quidam manus protendere. *Id.* 4. *Hist.* 55. Miscere sese Julius Tutor et Sabinus: hic Trevir, hic Lingon. *Flor.* 4. 12. 52. Ipse præsens hos deduxit montibus, hos obsidibus adstrinxit, hos sub corona jure civili venum dedit. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 213. hos bella, hos æquora poscunt, His amor exitio, furor his. Similiter *hic* interdum repetitur pro *ille*. *Virg.* 4. *Ecl.* 55. Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus, Nec Linus: huic mater quamvis, atque huic pater adsit. *Stat.* 8. *Theb.* 454. Cultor Ino Pisæ cultorem Daphnea Cyrrhæ Turbatis prostravit equis, hunc laudat ab alto Juppiter, hunc tardus frustra miseratur Apollo. — Cum opposito *alter*, ut apud *Cic. Rosc. Am.* 6. 17. Duo isti sunt T. Roscii, homines ejusmodi: alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur, hic autem nuper se ad eum lanistam contulit. *Ovid.* 1. *Met.* 293. Occupat hic collem, cymba sedet alter adunca. Adde *Lucan.* 2. 54. et 3. 672. — f) *Hic* et *ille* quum de pluribus sermo est, ita ponuntur, ut *hic* ad proximum, *ille* ad remotiorem referatur. Interdum tamen res contra se habet. *Propert.* 3. 12. 17. Qualis et Eurotæ Pollux et Castor arenis: Hic victor pugnis, ille futurus equis. *Cic. Rosc. com.* 2. 7. Quid est, quod negligenter scribamus adversaria? quod diligenter conficiamus tabulas? qua de causa? quia hæc (*scil.* adversaria) sunt menstrua, illæ (*scil.* tabulæ) sunt æternæ: hæc delentur statim, illæ servantur sancte: hæc parvi temporis memoriam, illæ perpetuæ existimationis fidem amplectuntur. Adde *eumd. Amic.* 2. 10. 4. *Fin.* 1. 10., 2. *Orat.* 38. 160. et *Topic.* 2. 8. *Liv.* 30. 30. *med.* Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria: hæc in tua, illa in deorum manu est. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 23. Quocumque aspicias, nihil est, nisi pontus et aer: Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax. *Id.* 1. *Met.* 696. ritu quoque cincta Dianæ Falleret, et credi posset Latonia, si non Corneus huic arcus, si non foret aureus illi. *Quintil.* 6. 1. 21. Hoc Cicero et Asinius certatim sunt usi: pro Scauro hic, ille pro filio. Adde *eumd.* 10. 1. 48. et 8. 3. 11. ubi de *repræsentatione*; *Senec.* 6. *Benef.* 38.; *Colum.* 2. *R. R.* 2. 23.; *Plin.* 1. *Ep.* 20. *a med.*; et *Paneg.* 4. *Tac.* 6. *Ann.* 37. et 2. *Hist.* 77.; et *Justin.* 23. 2. 10. — *Hoc* pro *illud* ponitur ab *Ulp. Dig.* 32. 11. *circa med.* Si quis illicite ædificasset, id est hoc, quod dirui constitutiones jubent. — g) *Hic* reperitur etiam adhibitum ad ostendendam primam personam pro *ego*, δεικτικῶς, gestu scilicet ostendente se eo ipso, qui loquitur. *Ter. Andr.* 2. 1. 10. Tu si hic sis, aliter sentias. Ubi *Donatus*: hic, seipsum ostendens, dicit. *Plaut. Curc.* 2. 1. 33. Solus hic homo est, qui sciat divinitus. *h. e.* ego. *Ter. Heaut.* 2. 3. 115. Hic si quid nobis forte adversi evenerit, tibi erunt parata verba, huic homini verbera. *huic* quum dicit, se ipsum manu ostendit. Adde *Plaut. Epid.* 1. 2. 38. Rursus *Ter. Adelph* 5. 7. 8. Vin' tu huic seni auscultare? *Tibull.* 2. 6. 7. Quod si militibus parces, erit hic quoque miles. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 9. 47. *Val. Flacc.* 5. 476. Hi tibi, tot casus, horrenda tot ayla mensi, cernimur. Et neutro gen. *Ter. Adelph.* 2. 1. 9. Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle factam esse, hujus non faciam. *non lo stimerò un frullo.* dum *hujus* dicit, extremum unguis ostendit, aut aliquid hujusmodi. — h) In illo *Ter. Heaut.* 3. 1. 1. et *Plauti Amph.* 1. 3. 45. Luciscit hoc jam. et *Mil. glor.* 2. 2. 63. Lucet hoc inquam. τὸ *hoc* cœlum designat, δεικτικῶς prolatum, *h. e.* digito, aut vultu in cœlum erecto. Sic *Curc.* 1. 3. 26. Nam hoc quidem edepol haud multo post luce lucebit. Cf. *Lucret.* 5. 319. Denique jam tuere hoc circum supraque, quod omnem Continet amplexu terram. — i) *Hoc* sæpe substantivi vim habet et Genitivum regit. *Plaut. Amph.* 1. 1. 1. Quis me alter est audacior, qui hoc noctis solus ambulem? *h. e.* nocte tam provecta. Sic *Plin. Paneg.* 6. hoc ævi. et *ibid.* 4. ad hoc ætatis. Rursus *Plaut. Amph.* 2. 1. 26. Quid hoc sit hominis? Sic *Ter. Eun.* 3. 4. 8. Ipsus est. Quid hoc hominis! quid hic ornatus est! *Id. ibid.* 2. 1. 19. Quid hoc morbi est? *Id. Adelph.* 4. 5. 71. Quid hoc est negoti? *Id. ibid.* 5. 4. 16. Hoc fructi pro labore ab his fero. *Id. ibid.* 5. 2. 11. In angulum aliquo abeam atque edormiscam hoc villi. *Cic. Rosc. Am.* 32. 91. Hoc commodi est, quod etc. *Id.* 12. *Att.* 1. hoc litterarum. *Id.* 15. *ibid.* 14. Hoc honoris suscipere. *Liv.* 42. 18. *extr.* Hoc copiarum in Hispanias portatum est. *Quintil.* 10. 2. 23. hoc incommodi. *Id.* 4. 2. 74. hoc mentis. — l) *Hoc* pro *huc* ἀρχαισμός est. *In formula Censorum vocantium Quirites ad censum apud Varron.* 6. *L. L.* 86. *Müll.* OMNES QVIRITES — VOCA INLICIVM HOC AD ME. At *Müller.* leg. *huc*. *Virg.* 8. *Æn.* 423. Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto. *Verrius Flaccus* apud *Servium* hoc loco: In adverbiis pro *u*, o plerumque majores ponere consuevere. *Plaut. Amph.* 1. 1. 11. Nonne idem hoc luci me mittere potuit? *Id. Capt.* 2. 2. 79. Nunc hoc animum advortito. *Id. Merc.* 2. 2. 49. Hoc non voluntas me impulit. Adde *eumd. Capt.* 3. 1. 20. *Inscript.* apud *Gruter.* 816. 8., et *alia* apud *Maff. Mus. Ver.* 108. 2. et apud *Orell.* 4471. HOC (*h. e.* in huc sepulcrum) MASSVM VENI. *Alia* apud *Orell.* 4394. ALIVS HOC INFERETVR NEMO. Sic *illoc* pro *illuc*, quod postea *illo* factum est, ut apud *Petron. Satyr.* 39. Cancer et hoc et illoc quadrat. ¶ 2. Latiori sensu seu specialim hoc pronomen refertur ad tempus et — a) Usurpatur de tempore præsenti etiam lata significatione. *Nepos Hann.* 2. Omnium his temporibus potentissimus rex Antiochus fuit. *his* pro *iis* positum videtur. Sic apud *Cic.* 13. *Fam.* 77. Quum his temporibus non sane in senatum ventitarem, tamen etc. *Sall. Jug.* 31. Illa, quam hæc tempora magis placent. *Quintil.* 10. 1. 105. hoc tempore. *Ter. Eun.* 1. 2. 71.; *Cæs.* 5. *B. G.* 25.; et *Sall. Jug.* 31. his annis. *Ter. Eun.* 4. 4. 14. Hic dies nuptiis dictus est. *Id. Adelph.* 3. 4. 29. hic mensis. — b) Aliquando pronomen *hic* significat terminum a quo tempus notatur. *Cæs.* 3. *B. G.* 17. Atque his paucis diebus Aulerci, Eburovices Lexoviique, senatu suo interfecto, portas clauserunt seque cum Viridovice conjunxerunt. Sic *Sueton. Cæs.* 66. Scitote, inquit, paucissimis his diebus regem affuturum cum x. legionibus, etc. *Cic.* 7. *Fam.* 9. Jamdiu ignoro, quid agas: nihil enim scribis: neque ego ad te his duobus mensibus scripseram. *Liv.* 25. 31. Respondit: non plura per annos quinquaginta benefacta Hieronis, quam paucis his annis maleficia eorum, qui Syracusas tenuerint, erga populum Romanum esse. *Phædr.* 1. 1. 10. Ante hos sex menses. *Plin.* 4. *Ep.* 8. Per hos continuos annos. — c) Et generatim de hominibus et rebus, qui præsenti tempore exstant. *Cic.* 3. *Off.* 13. 66. M. Cato, hujus nostri Catonis pater. *Varro* 1. *R. R.* 13. 6. Si potius ad antiquorum diligentiam, quam ad horum luxuriam dirigas ædificationem. Cf. *Plin. Paneg.* 11. *Plaut. Trin.* 2. 4. 83. Cœna hac annona est sine sacris hereditas. *Liv.* 1. 55. Et nullius, ne horum quidem magnificentiam operum, fundamenta non exsuperaturam. *Id.* 3. 20. Sed nondum hæc, quæ nunc tenet sæculum, negligentia deûm venerat. *Id.* 25. 40. Licentiæque huic sacra profanaque omnia vulgo spoliandi initium factum est. *Quintil.* 2. 5. 22. recentis hujus lasciviæ. *Val. Flacc.* 4. 252. Dixit, et urgentis post sera piacula fati Nescius, extremum hoc, armis innectere palmas Dat famulis. ¶ 3. Item locum habet in enumeratione et narratione; et — a) Pluribus colligendis inservit, ut docet etiam *Donatus* ad illud *Ter. Phorm.* 1. 2. 79. Ad judices veniemus: qui fuerit pater, quæ mater, qui cognata tibi sit; omnia hæc confingam. Sic *Cato R. R.* 8. Bulbos megaricos, murtum conjugulum, laurum Delphicam et Cypricam et silvaticam, nuces calvas, avellanas Prænestinas et Græcas, hæc facito uti serantur. *Sall. Jug.* 85. Vetus nobilitas, majorum fortia facta, cognatorum et affinium opes, multæ clientelæ, omnia hæc præsidio adsunt. *Id. Cat.* 14. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo manu, ventre bona patria laceraverat, quique alienum æs grande conflaverat —; præterea omnes undique parricidæ, sacrilegi; — postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinæ proximi familiaresque erant. Adde *eumd. ibid.* 37. — b) Explicando quoque inservit. *Nepos Hann.* 13. Aliquot ejus libri sunt Græco sermone confecti. In his ad Rhodios de Cn. Manlii Vulsonis in Asia rebus gestis. *Id. Cim.* 5. Captæ urbes, et in his Byzantium. Adde *Plin. Paneg.* 54. — c) *Hoc est* sæpissime ad declarandum ponitur, *ciò è, cioè*. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 4. 11. Dicam de eo prius, quod apud vos plurimum valere debet, hoc est, quibus injuriæ factæ sunt. *Id. Cæcin.* 31. 100. Qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem,

eo solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant. *Id.* 5. *Verr.* 70. 164. Pecunia data ad frumentum, hoc est ad necessitatem salutis atque vitæ. *Id.* 5. *Fam.* 12. 8. Quod si a te non impetro, hoc est, si quæ te res impedierit etc. *Sall. Jug.* 31. Vos, hoc est, populus Romanus. *Quintil.* 8. *procem.* 15. Eloqui enim, hoc est, omnia quæ mente conceperis, promere. *Plin.* 8. *Ep.* 14. 19. Examina singula verba, et expende «qui hæc censetis», hoc est, qui relegandos putatis. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 7. 2.; *Sueton. Tib.* 24., *Galb.* 8. et *Vesp.* 11.; et *Quintil.* 3. 7. 1., 8. 3. 89. et 7. 1. 14. — Sic per ironiam *Cic. Mil.* 9. 24. Ut (*Clodius*) haberet ad præturam gerendam, hoc est, ad evertendam rempublicam plenum annum. *Id.* 2. *Phil.* 28 70. At quam crebro usurpat *Et consul et Antonius*? Hoc est dicere: Et consul et homo impudicissimus, et consul et homo nequissimus. ¶ 4. *Hoc est*, vel *erat*, formula est succensentis, aut expostulantis. *Ter. Adelph.* 4. 5. 73. Hoc est patrem esse, hoc est filium esse? *Propert.* 2. 24. 17. Hoc erat in primis quod me gaudere jubebas? *Virg.* 2. *Æn.* 664. Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes Eripis, ut etc. *Petron. Satyr.* 93. Hoc est, inquam, quod promiseras, ne quem hodie versum faceres? Adde *Horat.* 1. *Sat.* 10. 46.; et *Stat.* 1. *Silv.* 4. 23. ¶ 5. Sæpissime ponitur pro *talis*, vel *is, ea, id.* — a) Absolute pro *talis*. *Plaut. Aulul.* 2. 1. 35. His legibus quam dare vis, cedo, nuptias adorna. *Ter. Andr.* 2. 3. 21. Uxorem his moribus dabit nemo: inveniet inopem potius, quam etc. *Cic.* 10. *Att.* 11. Sed ea sunt tolerabilia — quid enim dicam? — hac juventute. *h. e.* quum reliqua nostra juventus tam sit corrupta. *Id.* 3. *Legg.* 16. 37. Non, quid hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit, tibi dicendum puto. *Virg.* 9. *Æn.* 481. Hunc ego te, Euriale, aspicio? *Id.* 4. *ibid.* 646. Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit Dardanium, non hos quæsitum munus in usus. *Horat.* 3. *Od.* 6. 33. Non his juventus orta parentibus Infecit æquor sanguine Punico. *Id.* 1. *Ep.* 6. 40. Ne fueris hic tu. *Id. Art. P.* 35. hunc ego me, si quid componere curem, Non magis esse velim, quam etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. Dies circiter viginti quinque in eo loco commoratus, quod Corus ventus navigationem impediebat, qui magnam partem temporis in his locis flare consuevit. *Quintil.* 12. 3. 1. Juris civilis scientia huic viro necessaria est. *Id.* 10. 3. 2. Sine hac quidem conscientia. *Justin.* 22. 6. 1. His quidem adhortationibus animi militum erigebantur. *Id.* 23. 3. 8. In hoc æstu periculorum. *Plin.* 7. *Ep.* 29. In hoc cœnum, in has sordes abjici. *Val. Flacc.* 6. 406. Non hæc ad prælia. — Huc pertinet et illud *Cic.* 2. *Orat.* 28. 122. Quoniam vos his ingeniis homines tantum operæ mihi ad audiendum datis. *di cotanto ingegno, di siffatto ingegno.* Juxta *Forcellinum* hoc loco *his* est pro *tantis*. — Interdum *hic* et *talis* vel *similis* junguntur. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. His et talibus rationibus adductus Socrates etc. *Sall. Jug.* 62. His atque talibus aliis ad deditionem regis animum impellit. *Ammian.* 28. 2. Verum hæc et similia loquentes incassum, quum nec audirentur, nec etc. — b) Sequente Relativo ponitur pro *talis* vel *is, ea, id*, cum quo postremo sæpe in MSS. confunditur. *Plaut. Amph.* 1. 1. 24. Hodie qui fuerim liber, eum nunc potivit pater servitutis: hic, qui verna natus est, queritur. *Cic.* 1. *de republ.* 2. Eos, qui his urbibus consilio atque auctoritate præsunt, his, qui omnis negotii publici expertes sunt, longe duco esse anteponendos. *Id.* 1. *Divinat.* 3. 5. His tribus libris, quos de natura deorum scripsimus. *Id.* 1. *de republ.* 2. Unde in laboribus et periculis fortitudo? nempe ab his, qui etc. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *a med.* Nos hi sumus, de quorum salute unus homo rogandus videatur? *Sall. Cat.* 2. Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est. *Justin.* 31. 4. 2. Ab his, qui facinus susceperant, proditur. *Cels.* 2. 2. In his quæ superant, est quod morbus demat: In his quæ desunt, non est quod morbum ipsum ferat. *Plin. Paneg.* 11. Ab his, qui sese deos putant. — *Plaut. Most.* 4. 2. 2. Servi, qui, quum culpa carent, tamen malum metuunt. hi solent esse heris utibiles. *Vetus proverb. Græcor.* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 18. 41. Quam quisque norit artem, in hac se exerceat. — *Plaut. Bacch.* 5. 2. 88. Lepide ipsi hi sunt capti, suis qui filiis fecere insidias. *Cic.* 2. *Tusc.* 1. 3. Unde erat exortum genus Atticorum, his ipsis, qui id sequi se profitebantur, ignotum. *Id.* 1. *Nat. D.* 40. 113. Memoria pronunciabat Epicuri sententias his ipsis verbis, quibus erant scriptæ. — Hinc *hoc quo* est eo quo, vel tanto quanto, cum Comparativis. *Cic.* 13. *Att.* 38. De Bruti amore etsi mihi nihil novi affers, tamen hoc audio libentius, quo sæpius; eoque mihi jucundius est, quod tu eo lætaris; certiusque eo est, quod a te dicitur. *Quintil.* 1. 2. 30. Is porro, quo generosior celsiorque est, hoc majoribus velut organis commovetur. — *Plaut. Pseud.* 5. 1. 10. Hoc est, quamobrem amet. *Cic.* 1. *de republ.* 10. Hoc primum videamus, quidnam sit, de altero sole quod nunciatum est in senatu etc. *Id. ibid.* 21. Hoc primum videamus, quid sit id ipsum, quod quærimus. *Quintil.* 9. 2. 41. Mire tractat hoc Cicero pro Milone, quæ facturus fuerit Clodius, si præturam invasisset. *Plin. Paneg.* 60. Hoc nunc scito interesse, principem te habeat tantum, an et consulem? — c) Sequente integra propositione rem, vel ut ajunt in scholis, objectum significante: — Cum Infinito. *Cic.* 1. *de republ.* 16. Erat tunc hæc nova et ignota ratio, solem lunæ oppositum solere deficere. *Id.* 2. *ibid.* 3. Sed hoc vir excellenti providentia sensit ac vidit, non esse opportunissimos situs maritimos urbibus iis, quæ etc. *Id.* 1. *ibid.* 1. Unum hoc definio, tantam esse necessitatem virtutis etc. *Quintil.* 7. 4. 40. Hoc tantum admiror, Flavum tam anguste materiam qualitatis terminasse. *Id.* 11. 1. 22. Neque hoc dico, non aliquando de rebus a se gestis oratori esse dicendum. etc. *Plin. Paneg.* 49. Hæc inaccessa ars, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. — Cum Indicativo. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Off.* 12. 3 . Et hoc simul accipe dictum: Quorum virtuti belli fortuna pepercit, Eorumdem libertati me parcere certum est. *Plaut. Amph.* 1. 1. 47. Sic hoc proloquar: Principio, ut illo advenimus, continuo Amphitruo delegit viros etc. *Quintil.* 9. 4. 97. Optime præcedet eum (spondeum) creticus, ut in hoc: De qua ego nihil dicam, nisi depellendi criminis causa. Adde *eumd.* 7. 1. 25. et 9. 2. 32. *Plin.* 1. *Ep.* 20. Itaque audis frequenter, ut illud *immodice et redundanter*, ita hoc *jejune et infirme.* — d) Sequente part. *quod, quia. Plaut. Asin.* 5. 2. 14. Hoc est, quod ille it ad cœnam. Et sequente *quia Id. Rud.* 2. 3. 57. Hoc sese excruciat animi, quia leno ademit cistulam ei. Ceterum *quod* sæpissime occurrit. *Cic.* 1. *de republ.* 6. Maxime hoc mihi mirum videri solet, quod, qui tranquillo mare gubernare se negent posse, iidem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis maximis fluctibus. *Id. ibid.* 13. Quæsierat ex me Scipio, quidnam sentirem de hoc, quod duo soles visos esse constarent. *Quintil.* 9. 1. 1. Ex hoc duxerint nomen, quod sint formati quodam modo. *Id.* 12. 9. 6. Propter hoc ipsum ostendenda non sunt, quod apparent. *Plin. Paneg.* 58. Hoc redditæ libertatis indicium esset, quod consul alius quam Cæsar esset. *Id. ibid.* 60. Hanc præcipuam fuisse rationem, quod eum (*consulatum*) absens gerere non poteras. *Id. ibid.* 90. Quia mutati sæculi signum hoc esset, quod horerent. *Id. ibid.* 83. Hoc efficiebat, quod mariti minores erant. — Hinc absolute *hoc*, omisso *quod*, nam *quod* ex præcedentibus facile subauditur: et est ideo, propterea, *per questo*, τούτῳ. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 45. Millia frumenti tua triverit area centum: Non tuus hoc capiet venter plus ac meus. Huc sensu dicimus etiam *hac re. Lucret.* 1. 172. Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni. *Varro* apud *Non. p.* 513. 29. *Merc.* Hac re æger medicos consocabas, ut convalesceres. *Alii tamen aliter legunt.* — *Hoc quod, hoc quia* sæpe est eo quod, ideo quia. *Cæs.* 3. *B. G.* 4. Nostri primo integris viribus fortiter repugnare — sed hoc superari, quod diuturnitate pugnæ hostes defessi etc. *Quintil.* 8. 3. 30. Odiosa cura: nam et cuilibet facilis et hoc pessima, quod rei studiosus non verba rebus aptabit etc. *Id.* 9. 2. 53. Hoc ipso fidem detrahimus illis, quod sint tam gravia. Sic *Id.* 4. 1. 54., 5. 11. 41. et alibi. Hoc ipso, quod etc. — Cum Comparativis. *Cic.* 9. *Att.* 8. c. 1. Consilio vestro utar libenter, et hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram. ut etc. *e tanto più di buona voglia* etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 2. Id hoc facilius eis persuasit, quod undique loci natura Helvetii continentur. *Id. ibid.* 32. Hoc esse miseriorem graviuremque fortunam Sequanorum, quam reliquorum, quod soli etc. *Quintil.* 5. 7. 22. Difficilior hoc (*interrogatio est*), quod raro possunt scire etc. *Plin.* 1. *Ep.* 21. Hoc magis anxius, quod etc. *Id.* 6. *ibid.* 12. Hoc jucundiores, quod etc. *Quintil.* 6. 2. 36. Hoc magis, quod loquimur. Sic *Plin. Paneg.* 84. Hoc magis, quod etc. — *Cic.* 1. *Orat.* 3. 12. Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia etc. *Quintil.* 10. 1. 15. Hoc sunt exempla potentiora, quia etc. — e) Sequente part. *ut*, vel *ne*, vel *qui*. *Plaut. Amph. prol.* 64. Nunc hoc me orare a vobis jussit Juppiter, ut conquisitores singuli in subsellia eant per totam caveam. *Id. Pseud.* 2. 3. 19. Atque hoc evenit in labore atque in dolore, ut mora obrepat interim. *Cic.* 1. *de republ.* 21. Nec enim hoc suscepi, ut tamquam magister persequerer omnia: neque hoc polliceor me facturum, ut ne qua particula in hoc sermone prætermissa sit. *Id.* 2. *Fam.* 1. *extr.* Quare hoc animo in nos esse debebis, ut ætas nostra jam ingravescens in amore atque in adolescentia tua conquiescat. *Id.* 3. *Off.* 5. 22. Si unumquodque membrum sensum hunc haberet, ut etc. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 12. et 4. Sic *Id.* 6. *de republ.* 15. Homines sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum etc. *Quintil.* 10. 3. 4. Qui hanc legem fecerit, ut continerentur. *Id.* 2. 1. 9. Antiquis hoc fuisse, ut theses dicerent. *Plin. Paneg.* 90. Habuerat hunc honorem Nerva, ut nos promovere vellet. *Id. ibid.* 78. Hæc nempe intentio tua, ut libertatem revoces. *Id.* 7. *Ep.* 12. Hæc, ut inter istas occupationes aliquid aliquando rideres. Similiter *Quintil.* 11. 2. 51. Habenda fides est vel in hoc, ut, qui crediderit, et speret. Adde *eumd.* 6. 3. 15. — *Ennius* apud *Gell.* 2. 29. Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm: Ne quid aspectes amicos, quod tute agere possies. *Sueton. Ner.* 32. Hoc agamus, ne quis quidquam habeat. *Vellej.* 2. 41. In hoc scilicet, ne suspectus his foret. — Hinc

Hoc et

Hic adverb., quæ *V.* loco suo.

HIC *et antique* heic, adverb. In interrogatione occurrit etiam *hiccine*: V. CE. — Hic est adverbium loci, et significat in hoc loco, ἐνταῦθα, ἐνθάδε (It. *qui*; Fr. *dans ce lieu-ci, ici*; Hisp. *acá*; Germ. *hier, an dieser Stelle*; Angl. *here, in this place*).

I.) Proprie usurpatur de loco. — a) Generatim. *Plaut. Capt. prol.* 1. Hos quos videtis stare hic captivos duos, illi qui adstant *etc.* Senex qui hic habitat, Hegio est hujus pater. Sed is quo pacto serviat suo sibi patri, id ego hic apud vos proloquar. *Ter. Eun.* 4. 6. 5. Ego jamdudum hic adsum. *Id. Adelph.* 2. 1. 15. Hic propter hunc assiste. *Id. Eun.* 5. 6. 5. Quem præstolare hic ante ostium? *Cic.* 6. *Fam.* 20. *extr.* Hic tui omnes valent. *Id.* 7. *Verr.* 55. 143. Retineri putatis oportere jura libertatis non modo hic, ubi tribuni plebis sunt, sed ubicumque etc. b) *Hiccine* in interrogatione. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 25. PA. Philocomasium hiccine etiam nunc est? PE. Quum exibam, hic erat. *Id. Merc.* 3. 4. 17. CH. Ubi ego sum? hiccine, an apud mortuos? EV. Neque apud mortuos, neque hic es. Adde *eumd. Cist.* 1. 1. 21. et 4. 2. 80.; et *Ter. Adelph.* 2. 1. 29. c) *Hic* ponitur etiam pro *ibi*, vel pro *illic*, aut *istic*, ut notat *Servius* ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 20. hic illius arma, Hic currus. Hoc vero fit, quia qui loquitur, de loco absente, tamquam de præsente agit; eo enim mente se transtulit. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 26. At diligenter hic aram. *Nepos Att.* 2. Idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit: eodem magnam partem transtulit fortunarum suarum: hic ita vixit, ut universis esset carissimus. Sic *Ovid.* 1. *Met.* 319. mons ibi arduus — Nomine Parnasus, superatque cacumine nubes. Hic ubi Deucalion — parva rate vectus adhæsit etc. — d) Cum opposito *illic*, vel aliquando *alibi*. *Plaut. Most.* 3. 1. 76. Fenus hic, fenus illic. *Ter. Andr.* 4. 3. 5. Facile hic plus mali est, quam illic boni. Adde *eumd. Hecyr.* 2. 1. 20. — Adhibetur et in distributionibus. *Virg.* 1. *G.* 54. Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ. *Ovid.* 7. *Met.* 581. Hic, illic, ubi mors deprenderat, exhalantes. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 50. 71. (140). Hic clune, alibi pectore tantum (*gallinæ*) laudatæ. — Confer et infra sub II. 1., ubi *hic* et *illic*, *hic* et *istic* opponuntur.

II.) Translate. ¶ 1. Aliquando significat in hac re; in *questo.* Sæpe etiam complectitur et rem, quade agitur, et tempus in quo agitur. — a) Generatim. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 4. Lycurgus videtur hic adducier ad nequitiam. *Cic.* 2. *Verr.* 16. 49. Hic si quid erit offensum etc. *Cæs.* 6. *B. G.* 35. Hæc in omnibus Eburonum partibus gerebantur. Hic, quan-

tum in bello fortuna possit, cognosci potuit. *Cic. Arch.* 4. 8. Hic tu tabulas desideras Heracliensium, quas etc. *Possis hoc etiam ita vertere*: quum ita se res habeat. Sic *Id.* 4. *Verr.* 44. 109. Hic vos dubitatis, judices, tantam istius audaciam vindicare? et *Cæs.* 6. *B. G.* 38. Præcurrunt equites: quanto res sit in periculo, cognoscunt. Hic vero nulla munitio est, quæ perterritos recipiat. *Cic. pro leg. Manil.* 13. 39. Hic miramur, hunc hominem tantum excellere ceteris etc. *Nepos Eum.* 9. Hic omnibus titubantibus Eumenes ait. *Sall. Cat.* 52. Hic mihi quisquam nominat etc. *Curt.* 4. 3. 7. Hic alius in alium culpam referebat. *Quintil.* 3. 11. 17. Hic quæstio, ubi judicatio. Similiter *Cic.* 1. *de republ.* 13. Hic Lælius (*inquit*). Adde *eumd. ibid.* 23., 24. et alibi. — Et junctum aliis particulis. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 24. Hic jam plura non dicam. Fuit enim etc. *Id. Planc.* 41. 99. Hic ego nunc de prætore Macedoniæ nihil dicam amplius. *et* 3. *Verr.* 26. 66. Hic tum alius ex alia parte: enimvero ferendum hoc non est. — *b*) Cum opposito *istic*, a quo differt eo modo, quo *hic* ab *iste*. *Cic.* 3. *Fam.* 10. *ante med.* Quum hic tibi satisfecerimus, istic quoque nostram in te benevolentiam navare possumus. — *c*) Cum opposito *illic*. *Ter. Andr.* 4. 1. 14. Hic, ubi opus est, non verentur: illic, ubi nihil opus est, ibi verentur. *Quintil.* 4. 1. 36. Quia hic admonendus judex, illic docendus est. — *Hic illic* ita ponuntur, ut *hic* ad proximum, *illic* ad remotum referatur, ut de *hic* et *ille* dictum est in voce præced. sub I. 1. Inveniuntur tamen inverso ordine posita. *Vellej.* 2. 49. 3. Alterius ducis causa melior videbatur, alterius erat firmior; hic omnia speciosa, illic valentia. ¶ 2. Refertur quoque ad tempus, et pro *tunc* ponitur, ut *Servius* docet ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 732. Hic regina gravem gemmis auroque poposcit Implevitque mero pateram. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 246. *Ter. Andr.* 2. 3. 15. Hic reddes omnia, quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient. *Liv.* 39. 13. Hic Postumius accensus ira etc. *Nepos Miltiad.* 3. Hic, quum crebri afferrent nuncii, Miltiades hortatus est etc. Cf. *eumd. Themist.* 5. et *Eumen.* 4.; et *Quintil.* 5. 11. 29.

HICCE, hæcce, hocce. *V.* HIC, hæc, hoc; et CE.

HICCĪNE, hæccine, hoccine, pro hic ne, hæc ne, hoc ne interrogativis. *V.* HIC, hæc, hoc; et CE.

HICCĪNE pro hic vel heic ne interrogativo. *V.* HIC secundo loco; et CE.

HĪCĒSĪUM, ii, n. 2. fortasse ab ἱκέσιος; *supplex*, est emplastri genus, cujus meminit *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8.

HĪĔMĀLIS, e, adject. ad hiemem pertinens, hibernus, χειμερινός (It. *d'inverno, invernale*; Fr. *d'hiver*; Hisp. *de invierno*; Germ. *winterlich*; Angl. *of winter, winterly*). *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 33. Arbores ut hiemali tempore tempestive cædi putentur. Sic *Nepos Datam.* 6. Hiemale tempus. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 21. Hiemalis dies. *Hygin.* 3. *Astron.* 26. Hiemalis circulus. *il tropico del Capricorno.* *Cic.* 5. *Tusc.* 27. 77. Caucasi nives hiemalemque vim perferre. *Sall. Jug.* 37. Magnis itineribus hieme aspera pervenit ad oppidum Suthul —: circum murum planities limosa hiemalibus aquis paludem fecerat. *Ovid.* 9. *Met.* 105. amnis Uberius solito nimbis hiemalibus auctus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 23. 52. (191). Hiemalis faba. *h. e.* quæ sub hiemem seritur. *Pallad.* 1. *R. R.* 9. 4. Hiemalia loca. *stanze da inverno.* *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 12. (69). Hiemales provinciæ. *paesi freddi.* *Cic.* 6. *Fam.* 20. Navigationis longæ et hiemalis et minime portuosæ periculum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 79. (319). Si luna ante quartam non apparuerit, vento Favonio flante, hiemalis toto mense erit. *h. e.* hiemem, seu pluviam ventosque feret. — Hinc

Hiemalia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt hiberna, *quartieri d'inverno.* *Valerian. Imp.* apud *Vopisc. Aurelian.* 11. Tuum est illic hiemalia atque æstiva disponere.

HĪĔMANS. *V.* HIEMO.

HĪĔMĀTĪO, ōnis, f. 3. hiemis traductio, *invernata*, χειμασία. *Varro* 3. *R. R.* 16. 34. Ne plus tertia parte eximatur mellis, reliquum hiemationi relinquatur.

HĪĔMĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

HĪĔMO, as, āvi, ātum, are, 1. Sunt qui scribunt *hyemo*. V. voc. seq. init. — Part. *Hiemans* et *Hiematurus* sub *A*; *Hiematus* sub *C*. — Hiemare est verbum *A*) Neutrum; *B*) Impersonale; et *C*) Activum.

A) Neutrorum more ¶ 1. De hominibus hiemare est hiemem traducere, hibernare, παραχειμάζω (It. *svernare, passar l'inverno*; Fr. *passer l'hiver, hiverner*; Hisp. *pasar l'invierno, invernar*; Germ. *überwintern, d. Winter zubringen*; Angl. *to winter, pass the winter*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cic.* 6. *Verr.* 47. 104. Quem in locum classes hostium sæpe accesserint, ubi piratæ quotannis hiemare soleant etc. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 71. Naviget ac mediis hiemet mercator in undis. *Sueton. Aug.* 72. Hiemare assidue in urbe. — *b*) Sæpius de militibus. *Cic.* 7. *Fam.* 9. Cupio scire quid agas, et ubi sis hiematurus. *Id.* 6. *Att.* 1. *extr.* Facies me certiorem, quomodo hiemaris. *Nepos Agesil.* 3. Ephesum hiematum exercitum reduxit. Adde *eumd. Eumen.* 8. *Cæs.* 3. *B. G.* 1. Uti in iis locis legionem hiemandi causa collocaret. *Id. ibid.* 2. Alteram partem ejus vici cohortibus ad hiemandum attribuit. *Id. ibid.* 6. *extr.* Legionem in Allobroges perduxit, ibique hiemavit. *Flor.* 1. 12. 8. Hiemare sub pellibus. Adde *Justin.* 38. 10. 9. ¶ 2. De rebus, et est frigidas, procellosas esse, ut hieme esse solent, etiam extra hiemem. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 17. atrum Defendens pisces hiemat mare. Sic *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (125). Ante brumam septem diebus totidemque postea sternitur mare halcyonum feturæ: reliquum tempus hiemat. *Arruntius* apud *Senec. Ep* 114. *a med.* Repente hiemavit tempestas. Et alio loco, inquit *Seneca*, quum dicere vellet frigidum annum fuisse, ait, totus hiemavit annus. Et alio loco: hiemante Aquilone. *Sall.* apud *eumd. ibid.* Aquis hiemantibus. *Seneca* vero hanc inter raras locutiones, nec passim imitandas refert: *hiemare* autem apud *Sall.* est gelu concrescere. *Seneca ibid.* hanc loquendi rationem minus probat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 64. (235). Delphini vespertino occasu continui dies hiemant Italiæ.

B) Impersonaliter hiemare significat frigus vigere, procellosum tempus esse. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 4. Decimo sexto cal. Febr. Cancer desinit occidere: hiemat. et *ibid.* § 20. Quinto cal. Novembr. Vergiliæ occiduat: hiemat cum frigore et gelicidiis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 79. (348). *de luna.* Si coronam circa se habebit, non ante plenam lunam hiematurum ostendit.

C) Active est congelare, *agghiacciare*. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (55). Decoquunt alii aquas, mox et illas hiemant. *Id.* hoc ipsum explicat, quum ait 31. *ibid.* 3. 23. (40). Neronis principis inventum est, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. *Id.* 9. *ibid.* 22. 38. (75). Auctumnali sidere, hiemato lacu. *Al. leg.* hiemante.

HĪĔMS (*olim et* hiemps), hiĕmis, f. 3. In Genitivo plur. habet *hiemum*. *Priscian.* 7. p. 770. *Putsch.* — Ratione habita etymi, *Varro* ab imbre deducit 6. *L. L.* 9. *Müll.* Hujus temporis pars prima hiems, quod tum multi imbres. Alii ab *hio*: alii rectius a χεῖμα, χειμών, quo modo a χηρός *heres* et a χείρ factum est *hir*: alii denique ab ὕω *pluo* (quibus suffragatur illud *Senec.* 3. *Quæst. nat.* 27. An crebri sine intermissione imbres, et, elisa æstate, hiems pertinax immensam vim aquarum ruptis nubibus deruat.) His placet per *y* scribi. Verum ut e Græco nutatio ducenda sit, ipsa tamen vox adeo Latina facta est, ut et Latinas plene literas et pronunciandi rationem adepta sit. Itaque *hiems* passim habetur in antiquis libris et lapidibus, testib. *Manut.*, *Cellar.*, *Dausq.* etc. — Ceterum hiems est pars anni frigidissima inter auctumnum et ver, χειμών (It. *inverno*; Fr. *hiver, saison de l'hiver*; Hisp. *invierno*; Germ. *d. Winter, d. Kälte*; Angl. *winter*).

I.) Proprie. Secundum veteres Romanos agricolas hiems incipiebat Vergiliarum occasu, quod tempus in III. Id. Novembr. incidere consuerit, uti docet *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (125). et 18. *ibid.* 25. 60. (225). Adde *Varron.* 1. *R. R.* 28. 1. et *Colum.* 11. *R. R.* 2. 84. Desinebat autem VII. Id. Febr., ut *Varro ibid.* tradit. — *a*) In singulari numero. *Ennius* apud *Priscian.* 5. p. 647. *Putsch.* Æstatem auctumnus sequitur, post acer hiems fit. Cf. *Horat.* 1. *Od.* 4. 1. Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni. *Lucret.* 5. 746. Tandem bruma nives affert pigrumque rigorem Reddit: hiems sequitur, crepitans ac dentibus algu. *Cic. Rabir. Post.* 15. 42. Hanc vim frigorum hiememque, quam nos vix hujus urbis tectis sustinemus, excipere. *Id.* 6. *Verr.* 40. 86. Erat hiems summa, tempestas perfrigida, imber maximus. *Id. Planc.* 40. 96. Maritimos cursus præcludebat hiemis magnitudo. *Auct. B. G.* 8. 5. Hiemis difficultate oppressi Carnutes. *Cæs.* 3. *B. C.* 8. Ipse gravissima hieme navibus excubabat. *Id.* 3. *ibid.* 9. Jamque hiems appropinquabat. *Curt.* 3. 8. 8. Quum jam hiems instaret. Rursus *Cæs.* 3. *B. G.* 7. Inita hieme. *Ammian.* 20. 1. Adulta hieme. *Id.* 25. 10. Hieme flagrante. *Id.* 19. 11. Hiemis durissimo. *Cæs.* 7. *B. G.* 32. Jam prope hieme confecta. *Id.* 6. *ibid.* 1. Ante exactam hiemem. *Ammian.* 16. 11. Hieme turbulenta exacta. *Cæs.* 3. *B. C.* 25. Hiems jam præcipitaverat. *Nepos Eumen.* 5. Quamdiu hiems fuit. *Cic.* 1. *Divinat.* 42. 94. Arabes campos et montes hieme et æstate peragrantes. Sic *Id. Pis.* 24. 57.; et *Flor.* 3. 10. 22. hieme. *nell'inverno.* Sic *Varro* apud *Non.* p. 76. 15. *Merc.* Licet videre multos cotidie hieme in sole apricari. *Sueton. Aug.* 16. hieme tota. *Id. Galb.* 14. hieme initioque anni. *Flor.* 3. 3. 11. et 2. 8. 10.; et *Val. Flacc.* 4. 725. per hiemem. *Quintil.* 2. 16. 16. Reponere in hiemem alimenta. *Hiems anni* est hibernum anni tempus apud *Sueton. Cæs.* 35. Bellum difficillimum gessit, neque loco, neque tempore æquo, sed hieme anni etc. Sic *æstate anni* dixit *Gell.* 19. 5. Ceterum *Ovid.* 3. *Art. am.* 186. Hiems pigra. *Id.* 1. *Pont.* 2. 26. iners. *Id.* 2. *Met.* 30. Et glacialis hiems canos hirsuta capillos. *Liv.* 5. 13. gelida ac nivosa. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 44. dura. *Id.* 11. *Met.* 490. aspera. *Id.* 4. *Pont.* 10. 38. horrida. *Virg.* 7. *Æn.* 214. atra. *Id.* 1. *G.* 299. colono ignava. *Id.* 2. *ibid.* 317. rura gelu claudit. *Id.* 4. *ibid.* 135. tristis frigore saxa rumpit. *Id.* 3. *Æn.* 285. aquilonibus asperat undas. *Tibull.* 3. 5. 4. hiems se remittit. *Curt.* 9. 10. 4. Jam mitigata hieme. *Tac.* 12. *Ann.* 43. hiemis modestia. *inverno moderato.* Sic *Ammian.* 18. 7. hiemis clementia. — Poetice *Ovid.* 15. *Met.* 212. senilis hiems tremulo venit horrida passu, Aut spoliata suos, aut, quos habet, alba capillos. — *b*) In plurali numero. *Lucret.* 6. 373. Hic quoque confligunt hiemes æstatibus acres. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 15. Est ubi plus tepeant hiemes? *Id.* 2. *Od.* 10. 15. Informes hiemes reducit Juppiter, idem Summovet. *Virg.* 2. *G.* 373. indignæ. *Horat.* 3. *Od.* 1. 32. iniquæ. — *c*) Pars pro toto, hiems ponitur pro toto anno. *Martial.* 5. 38. sextam peregit hiemem. *Horat.* 1. *Od.* 11. 4. Seu plures hiemes, seu tribuit Juppiter ultimam. *Id. ibid.* 15. 35. Post certas hiemes. — Huc referri potest et illud *Virg.* 2. *G.* 322. Sol nondum hiemem contingit equis. *h. e.* hiemalia sidera. — *d*) Hiemi, ut deæ, olim sacrificabant, placandi gratia, ut febri, ventis etc. *Virg.* 3. *Æn.* 120. Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam. — Ceterum Hiems tamquam persona repræsentatur et ab *Ovid.* 2. *Met.* 30., 15. *ibid.* 212. (quæ duo *V.* superius allata) et 4. *ibid.* 436.

II.) Translate. ¶ 1. Hiems dicitur de vento, pluvia et procellis, *tempesta, procella*: quam et Græci χειμῶνα dicunt. *Nepos Att.* 10. *sub fin.* Gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hieme marique scopuloso servat. *Virg.* 5. *Æn.* 11. cæruleus supra caput adstitit imber Noctem hiememque ferens. *Id.* 3. *G.* 470. creber agens hiemem ruit æquore turbo. *Id.* 9. *Æn.* 671. Juppiter horridus austris Torquet aquosam hiemem. *Id.* 1. *ibid.* 124. Interea magno misceri murmure pontum Emissamque hiemem sensit Neptunus. *Id.* 1. *G.* 320. turbine nigro Ferret hiems culmumque levem stipulasque volantes. Adde *Horat. Epod.* 2. 52.; et *Ovid.* 11. *Met.* 490., 13. *ibid.* 709. et 14. *ibid.* 481. Sic *Val. Flacc.* 3. 151. cæca profundo currit hiems. *Id.* 2. 605. navem scopulis actam frangit hiems. Adde *eumd.* 2. 435., 5. 152. et alibi; et *Justin.* 2. 2. 4. — Et in plur. num. *Val. Flacc.* 2. 22. quatit ipse hiemes et torquet ab alto Fulmina crebra pater. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 36. Achilleis hiemes affrangere bustis. *h. e.* fluctus. Sic *Id.* 8. *Theb.* 361. *de Nilo.* In mare fert hiemes. *Claudian.* IV. *Cons. Honor.* 97. fundit ab antris Æolus armatas hiemes. ¶ 2. Item de quolibet vi atque impetu ruenti, præcipue procellæ modo ruentis. *Ovid.* 2. *Met.* 827. Sic letalis hiems paullatim in pectora venit. *h. e.* frigus saxi. *V.* locum. Sic *Martial.* 2. 46. Tu spectas hiemem succincti lentus amici. *h. e.* frigoris vim, quam amicus patitur. *Val. Flacc.* 4. 508. *de Vesuvio.* vix dum ignea montem Torsit hiems. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 72.

Vesuvinus apex et flammea diri Montis hiems. *Id.* 5. *Theb.* 385. Instamus jactu telorum, et ferrea nimbis Certat hiems. ¶ 3. Hinc metaphorice. *Ovid. Heroid.* 5. 34. Illa dies fatum miseræ mihi dixit; ab illa Pessima mutati cœpit amoris hiems. *raffreddamento. Claudian. B. Get.* 151. Hic celer effecit, bruma ne longior una Esset hiems rerum. *h. e.* procella belli et armorum.

HĬĔRA, æ f. 1. ἱερά; proprie est adject. *hieros, a, um,* absolute, substantivorum more usurpatum, et duo diversa significat: scilicet

A) *Hiera* nomen est antidoti, ita dictæ quasi sacræ, ut sub tanta specie nominis commendaretur medicamentum: vel ad verum ejus nomen occultandum, quod ejus inventor celari volebat. *Scribon. Compos.* 99. Alia quæ vocatur *hiera* Pachli, ad paralyticos mire facere dicitur ab eod. *Compos.* 156. Adde *Theod. Priscian.* 3. 1. et 2.; et *V.* PIERA.

B) *Hiera* vox est non satis cognita illo loco *Senecæ Ep.* 83., ubi ait: Quomodo tamen hodiernum certamen nobis cesserit, quæris? quod raro cursoribus evenit, hieram fecimus. *Muretus* hieram interpretatur lineam in medio stadio, sic appellatam, quod sacra esset. *Lipsius* morem fuisse suspiratur, ut in ambigua victoria, quum certantes pares essent, deo sacraretur corona; quod Græci ἱερὸν ποιεῖσθαι dicunt, h. e. στέφανον: *Senecam* eutrm *hieram* dixisse, scil. *coronam.* Vero tamen similie est, allusisse ad mediam ex quinque lineis tabulæ aleatoriæ, sacram, ἱερὰν γραμμὴν dictam, ad quam lusores pæne victi perfugiebant. V. *Polluc. Onomast. l.* 9. *c.* 7. Alii denique pro *hieram* leg. *moram*: V. *Fichter.* ad h. l. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

HĬĔRĂBŎTĂNĒ, es, f. 1. ἱερὰ βοτάνη, h. e. sacra herba, qua nulla plane Romanæ nobilitatis plus habet: Latini verbenacam vocant. Hæc est, quam legatos ferre ad hostes mos fuit in sacris legationibus. Hac Jovis mensa verrebatur, domus purgabantur et lustrabantur. Est autem ramulis pluribus, tenuibus, cubitalibus, angulosis, folio minore, quam quercus, et angustiore, divisuris majoribus, flore glauco, radice longa, tenui. Nascitur ubique in planis aquosis. Duo ejus genera sunt: foliosa, quam feminam putant; mas autem rarioribus foliis. Hæc *Plin.* 25. *Hist. nat.* 9. 59. (105). et 22. *ibid.* 2. 3. (5). Adde *Scribon. Compos.* 163. De synonymia *V.* in VERBENACA.

HĬĔRĂCĬA, æ, f. 1. ἱερακία, genus lactucæ sponte nascentis, rotundis foliis et brevibus: ab ἱέραξ, ακος *accipiter*: quoniam eam accipitres scalpendo, succoque oculos tingendo, obscuritatem, quum sensere, discutiunt. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 26. (60). Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 384.) *hieracia* videtur esse ἱεράκιον μέγα Dioscor. 3. 72., h. e. *Crepis biennis* Herbarior. recentior. — Ceterum ex *Apul. Herb.* 31. pro *hieracia* scribendum videtur *hieracios.*

HĬĔRĂCĬOS, f. *V.* var. præced.

HĬĔRĂCĪTIS, idis, f. 3. *et* hieracites, æ, m. 1. ἱερακῖτις et ἱερακίτης λίθος, gemma, seu lapis, milvinis nigrisque veluti plumis, et a collo accipitris, quod refert, cognominata: ab ἱέραξ, ακος, *milvus, accipiter. Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 60. (167). *et ibid.* 11. 72. (187). Hoc postremo loco alii leg. *hieracites,* priore omnes *hieracitis,* quod eodem recidit.

HĬĔRĂCĬUM, ii, n. 2. collyrium est, cujus compositionem *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 27. (114). tradit. Constat autem hammoniaci unciis quatuor, æruginis Cypriæ duabus, atramenti sutorii totidem, misyos una, croci sex. Hæc omnia trita aceto Thasio colliguntur in pilulas, excellentis remedii contra initia glaucomatum et suffusionum etc. Dictum est ab ἱέραξ *accipiter,* quod ea avis quædam monstravit naturæ medicamina oculis adhibenda. *V.* HIERACIA. — Idem a *Cels.* 6. 6. *n.* 28. vocatur *collyrium Hieracis,* ita ut *Hierax* sit collyrii ejus auctor.

HĬĔRĂTĬCUS, a, um, adject. ἱερατικός, ut Hieratica charta dicta antiquitus religiosis tantum voluminibus dicata: ab ἱερός *sacer. Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (74).; et *Isid.* 6. *Orig.* 10. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HĬĔRAX, ăcis, m. 3. ἱέραξ, accipiter. *Justin.* 27. 2. 9. Antiochus, hierax est cognominatus, quia non hominis, sed accipitris ritu in alienis eripiendis vitam sectaretur. *V.* et HIERACIUM et ONOM.

HĬĔRŎBULBUS, i, m. 2. herbæ genus apud *Apul. Herb.* 21.

HĬĔRŎBUS, i, m, 2. sacer bos (ab ἱερός *sacer* et βοῦς *bos*), nempe Ægyptiorum Apis Soli et Lunæ sacer. *Inscript.* apud *Gruter.* 33. 3. DEO SOLI HIERONO L. AVRELius BASSINUS SACERDOS NVMINVM V. S. L. M.

HĬĔRŎCĒRYX, ўcis, m. 3. ἱεροκήρυξ, sacer præco (ut Græca vox sonat): ab ἱερός *sacer* et κήρυξ *præco,* h. e. is, qui sacris silentium indicebat. Legitur in *Inscript.* apud *Don. cl.* 1. *n.* 24. et in *alia* apud *Gruter.* 27. 4., quibuscum *cf. alias* apud *Orell.* 1901. et 2335. Sunt porro qui putant ibidem *hierocorax* esse legendum, ἱεροκήρυξ vero esse tantum vocem Græcam. *V. Coracicus.* Fatendum tamen est, in *Not. Tir. p.* 172. legi *kerix, hierokerix,* quæ quidem mendosa sunt pro *keryx, hierokeryx,* seu *ceryx, hieroceryx.*

HĬĔRŎCŎRĀĬCA Sacra. *V.* CORACICUS.

HĬĔRŎDŪLUS, i, m. 2. ἱερόδουλος, minister sacrorum: ab ἱερός *sacer* et δοῦλος *servus. Firmic.* 8. *Mathes.* 24. De hierodulis consule *Bern. Peyron. Pap. ant. p.* 15.-19.

HĬĔRŎGLŸPHĬCUS, a, um, adject. *geroglifico,* ἱερογλυφικός, ab ἱερός *sacer* et γλύφω *sculpo.* Hieroglyphicæ notæ vel litteræ apud Ægyptios in usu fuerunt, qui primi (ut ait *Tac.* 11. *Ann.* 14.) note litteras per figuras animalium aliarumque rerum, saxis lignoque insculptas, sensus mentis effingebant. Præcipue vero res sacras et mysteria sua tali modo mandabant posteris. *Ammian.* 17. 4. *de obelisco Ægyptio.* Formarum innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei undique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insignivit auctoritas. Volucrum enim ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes, promissa, vel soluta regum vota monstrabant. Non enim, ut nunc litterarum numerus præstitutus et facilis exprimit, quidquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt Ægyptii; sed singulæ litteræ singulis nominibus serviebant et verbis; nonnunquam significabant integros sensus. Per vulturem naturæ vocabulum pandunt; perque speciem apis mella conficientis, indicant regem etc. V. *Annal. dell' Instit. archeol. T.* 10. *p.* 322. *Macrob.* 1. *Saturn.* 21. Osirin Ægyptii, ut solem esse asserant, quotiens hieroglyphicis litteris suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum, inque eo speciem oculi exprimunt, significantes etc. Cf. *Apul.* 11. *Met. p.* 801. *Oudend.*; et e Græcis consule *Philon. Jud. de vit. Mos. p.* 606., *Maxim. Tyrium* I. *p.* 231. *Reisk.* et in primis *Diodor.* 3. 4. *V.* et MAGICUS.

HĬĔRŎGRĂPHĬCUS, a, um, adject. ἱερογραφικός, hieroglyphicus. *Ammian.* 22. 15. *ad fin.* Volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, quas hierographicas litteras appellarunt. Hic tamen *Jablonskius Panth. Ægypt. l.* 5. *c.* 5. § 14. et *Zoega de orig. obelisc. p.* 432. *hieroglyphicas* legendum putant.

HĬĔRŎMĀTRĪTA, æ, m. 1. ita fortasse est appellatus institutor sacrorum Matris deûm, qui scilicet Gallos deæ Cybeles sacerdotes docebat, ut in sacris ejusdem deæ saltationes et ceteras cæremonias rite peragerent: derivata vox videtur ab ἱερός *sacer* et μήτηρ, τρός *mater*; eadem vero est nominis forma in *archimandrita* et *cœnobita. Edict. Diocl.* p. 22. Hieromatritæ in singulis discipulis menstruos ✗ L.; pædagogo in singulis pueris menstruos ✗ L. Hic tamen *Geromatrita* legitur, ex vulgari quippe Romanorum pronunciatione, quæ profecto apprime convenit cum nupera Italica lingua, in qua *gerarchia* et *geroglifico* nunc usurpantur pro Latinorum *hierarchia* et *hieroglyphicus*: idem vero dicendum de ultima vocis diphthongo, quæ jam labente Latinitate passim negligebatur.

HĬĔRŎMNĒMON, ŏnis, m. 3. ἱερομνήμων, sacrorum rituum præfectus: ita vocabatur apud Græcos, qui bis quotannis Delphos mittebatur ab unaquaque civitate ad concilium Amphictyonum, quique Pylagoris præerat. *Inscript.* apud *Murat.* 598. 1. CUM OPTIMVS PRINCEPS SENTENTIAM HIEROMNEMONVM SEQVENDAM ESSE PRAESCRIPSISSET. V. *Eckhel. D. N. V. T.* 4. *p.* 218. — Est etiam hoc nomine gemma. *V.* EROXYLOS.

HĬĔRŎNĪCA, æ, m. 1. ἱερονίκης, victor in sacris certaminibus: ab ἱερός *sacer* et νίκη *victoria.* Sic appellabantur, qui in Nemeis, Pythiis, Isthmiis et Olympiis vicissent: illa enim sacra certamina dicebantur. Hujusmodi victoribus publici honores habebantur, ut *Vitruv. præfat. l.* 1. tradit. *Sueton. Ner.* 25. Neapolim albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum est. *Inscript.* apud *Gruter.* 313. 8. quæ est apud *Orell.* 2160. L. AVRELIO APOLAVSTO MEMPHIO AVGG. LIB. HIERONICAE CORONATO. Sic *alia* apud *Gruter.* 331. 1. P. AELIVS AVG. LIB. PYLADES PANTOMIMVS HIERONICA INSTITVIT. L. AVRELIUS AVGG. LIB. PYLADES HIERONICA DISCIPVLVS CONSVMMAVIT. Adde *aliam* apud *Orell.* 2627. — Apud *Murat.* 659. 2. legitur hæc alia *Inscript.* AVRELIO APOLAVSTO HIERONICO III CORONATO. *At hic legendum apparet* HIERONICAE. Hic lapis refertur ab *Orell.* 2628., item a *Mommsen. Ber. de S. Ges. d. Wissensch.* 1849. *p.* 269.; at *Henzenio* spurius videtur (V. *Inscript.* ab *Henzen.* edit. *p.* 226.).

HĬĔRŎPHANTA et hierophantes, æ, m. 1. ἱεροφάντης; ab ἱερός *sacer* et φαίνω *in lucem profero, edo, ostendo*: est antistes atque interpres sacrorum apud Græcos et Ægyptios (*Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 13.), qui sacra et cæremonias docet; similisque fuit in multis pontifici maximo apud Romanos. Ejus officium erat initiandos docere, initiatos in interiora admittere, mysteria interpretari. *Nepos Pelop.* 3. Allata est epistola Athenis ab Archia hierophante. *Arnob.* 5. 25. Qui postea apud Cecropios floruerunt, caduceatores, hierophantæ atque præcones. *Hieronym.* 1. *in Jovinian. n.* 49. *ad fin.* Hierophantas Atheniensium usque hodie cicutæ sorbitione castrari, et postquam in pontificatum fuerint evecti, viros esse desinere. *Imp. Arcad.* et *Honor. Cod. Theod.* 16. 10. 11. Hierophantæ agrorum. *h. e.* qui extra urbem per agros degunt. *V.* HOROPHANTÆ. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 2305., 2351. et alias. *Macrob.* videtur hierophantam designare, quum ait 2. *Saturn.* 3. Ut æditui responsa numinis sui prædicat.

HĬĔRŎPHANTRĬA, æ, f. 1. mulier sacerdos ea dignitate ac munere, quo hierophanta. *Inscript.* apud *Gruter.* 309. 2., quæ est apud *Orell.* 2361. FABIAE ACONIAE HIEROPHANTRIAE DEAE HECATAE.

HĬĔRŎPHŸLAX, ăcis, m. 3. ἱεροφύλαξ, sacrorum custos, æditus; ab ἱερός *sacer* et φύλαξ *custos.* Græce habet *Scævola Dig.* 33. 1. 20., ut quidem *Haloand.* edidit: at Latine, ut *Torrentin.*

HIEROSALPINCTES, æ, m. 1. ἱεροσαλπιγκτής, in sacris tubicen. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 173. *V.* voc. seq.

HĬĔRŎSALPISTES, æ, m. 1. ἱεροσαλπιστής, in sacris tubicen. *Inscript.* apud *Henzen.* 6036. D. M. PHILOTAS TALLI EROSALPISTES LAMEDON FILIVS FECIT ET ROMANA FILIA.

HĬĔRŌTĬCUS, a, um, adject. ἱερωτικός, sacratus. *Inscript.* apud *Raph. Garrucci* (in epistola ab eodem data *cl. Furlanetto* die 19. Jun. ann. 1847.). IVSSV I. O. M. D. P. COSSVTIO V. P. P. N. AMATO IEROTO (*sic*) SACERDOTES etc.

HĬĔTO, as, are, 1. Etiam *hiato* veteres dixere, teste *Diomed.* 1. *p.* 336. *Putsch.* — Part. *Hietans* I. — Hietare est frequentativum vel intensivum ab *hio,* et est sæpe hiare, *aprire la bocca sbadigliando.*

I.) Proprie occurrit neutrorum more; et dicitur de oscitantibus, quia sæpe ore hiant. *Plaut. Men.* 3. 1. 3. In contionem mediam me immersi miser: ubi ego dum hieto, Menæchmus se subterduxit mihi. *mentre sbadiglio. Id. fragm.* apud *Diomed.* 1. *p.* 336. *Putsch.* Si qua forte contio est, ubi eum hietare nondum in mentem venit. *Cæcilius* apud *eund. ibid.* Prai hercle tu, qui mihi oscitans hietansque restas. *Cn. Matius* apud *eund. ibid.* Ille hietans herbam moribundo tenuit ore. *aprendo la bocca.*

II.) Translate et passive *Laberius* apud *Diomed. loc. cit.* Hietantur fores. *h. e.* aperiuntur, *s'aprono.*

HĬLĂRĀTUS, a, um. *V.* HILARO.

HĬLĂRĒ, adverb. Comp. *Hilarius.* — Est et alia forma *Hilariter,* quam *V.* loco suo. — Hilare est læte, seu cum hilaritate, *allegramente, giocondamente, lietamente,* φαιδρῶς. — *a*) Posit. *Cic.* 5. *Fin.* 30. 92. Dicimus aliquem hilare vivere etc. *Id.* 3. *Orat.* 8. 30. Res tragicas pæne comice, tristes remisse, serias hilare tractare. *Id.* 2. *ibid.* 71. 290. Hilare aliquem accipere. *Id.* 1. *Fam.* 9. *med.* Hilare aliquem amplexari. *Id.* 16. *ibid.* 10. Esse apud aliquem hilare. Adde *Afranium* apud

Non. p. 514. 2. *Merc.* Sic *Sueton. Ner.* 31. Hilare aliquem prosequi. *Tac.* 11. *Ann.* 3. Hilare epulatus. *Gell.* 18. 2. Saturnalia agitabamus hilare prorsum et modeste. — *b)* Comp. *Cic.* 3. *Tusc.* 27. 61. Hilarius loqui. *cui* ibid. *opponitur* in luctu esse. *Sueton. Cal.* 18. Hilarius avidiusque vesci. *Plin.* 3. *Ep.* 18. Hilarius scribere. *Colum.* 4. *R. R.* 27. 1. Hilarius pullulant vineæ.

HILĀRESCO, is, ere, n. 3. inchoat. hilaris fio, *farsi allegro, esilararsi*, ἱλαρύνομαι. *Varro* apud *Non.* p. 121. 12. *Merc.* Quum amicorum domus fumat, hilaresco.

HILĀRĬA, æ, f. 1. pro hilaritas (ut *facetia* a *facetus*) dixit *Laberius* teste *Non.* p. 108. 6. *Merc.* Ebriolati mentem hilaria arripuit. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HILĀRĬA, ium *vel* iorum, n. plur. 3. et 2. ἱλάρια, dies æquinoctii verni, quem antiqui celebrabant in honorem Matris deûm et Attinis tamquam lætitiæ exordium, nempe octavus Calendas Aprilis, quo fit æquinoctium vernum, quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendit: ab *hilaris*. *Vopisc. Aurelian. init.* Hilaribus, quibus omnia festa et fieri debere scimus et dici, impletis solemnibus etc. *Lamprid. Alex. Sev.* 37. Calendis Jan. et Hilariis Matris deûm et ludis Apollinaribus. *Macrob.* 1. *Saturn.* 21. Simulatione luctus peracta, celebratur lætitiæ exordium a. d. octavum Cal. Apr., quem diem Hilaria appellant.

HILĀRĬCŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* hilaris, hilarulus. *Seneca Ep.* 23. *ante med.* Soluto vultu et, ut isti delicati loquuntur, hilariculo mortem contemnere. *Al. melius leg.* hilari oculo.

HILĀRIS, e, *vel* hilarus, a, um, adject. Comp. *Hilarior* et Sup. *Hilarissimus.* — Hilaris vel hilarus, a Gr. ἱλαρός, est lætus, jucundus, ἱλαρός, φαιδρός (It. *allegro, giulivo, ilare*; Fr. *gai, joyeux, de bonne humeur*; Hisp. *alegre, gozoso, de buen humor*; Germ. *fröhlich, heiter, vergnügt*; Angl. *cheerful, merry, gay, blithe, jocund, jovial*). Occurrit — *a)* Forma *hilaris* — De personis. *Ter. Adelph.* 4. 7. 38. Omitte tuam istam iracundiam: hilarem ac lubentem fac te in gnati nuptiis. *Al. leg.* hilarum. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 89. Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi. *Quintil.* 11. 3. 72. Hoc (vultu) tristes, hoc hilares sumus. *Id. ibid.* § 67. Si tristia dicamus hilares. Adde *Sueton. Domit.* 11. — De rebus et abstractis. *Plaut. Most.* 1. 4. 5. Nunc comissatum ibo ad Philolachetem, ubi nos hilari ingenio et lepide accipiet. *Id. Pœn.* 5. 6. 30. Ut hunc festum diem habeamus hilarem. Adde *Ter. Adelph.* 2. 4. 23. *Cic.* 1. *Tusc.* 42. 100. Esse vultu hilari atque læto. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 13. 1. Hilari animo esse et prompto ad jocandum. *Lucret.* 2. 1122. quæcumque vides hilarem grandescere ad auctum. *Ovid.* 2. *Pont.* 1. 9. Dii quoque ut e cunctis hilari pietate colantur, Tristitiam poni per sua festa jubent. *Quintil.* 11. 3. 63. Vox læta in rebus plena, simplex et ipsa quodammodo hilaris fluit. *Id.* 12. 10. 28. Nescio quomodo, velut hilaris renidet oratio. Sic *Id.* 8. 3. 49. Hilaris oratio. *cui* ibid. *opponitur* tristis. *Et* 11. 3. 151. Hilares causæ. *quibus* ibid. *opponuntur* tristes. *Id.* 8. 6. 27. Hilaris adolescentia. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 72. probitas. *Martial.* 3. 64. pœna. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 10. vitis. *Id.* 10. *ibid.* 293. horti. *Quintil.* 6. 3. 27. Id quod dicitur aut est lascivum et hilare, aut contumeliosum. — In convictibus lasciva humilibus, hilaria omnibus convenient. — *b)* Forma *hilarus* — De personis. *Plaut. Amph.* 3. 3. 6. Servus frugi vultum e vultu comparet: tristis sit, si heri sint tristes; hilarus sit, si gaudeant. *Id. Asin.* 5. 1. 10. DE. Credam istuc, si esse te hilarum videro. AR. An tu esse me tristem putas? *Id. Pers.* 5. 1. 8. Unde ego omnes hilaros, lubentes, lætificantes faciam ut fiant. *Cic.* 16. *Att.* 3. Hunc lege arcano convivis tuis, sed, si me amas, hilaris et bene acceptis. — De rebus et abstractis. *Cæcilius* apud *Gell.* 15. 9. Hi sunt inimici pessumi, fronte hilaro, corde tristi. *Cic.* 5. *Fin.* 30. 92. Dicimus aliquem hilare vivere. Igitur si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est? *Id.* 5. *Att.* 20. *circa med.* Hilara sane Saturnalia. *Apul.* 4. *Met.* Hilarus eventus. — *c)* Comp. et Sup. — De personis. *Plaut. Stich.* 5. 4. 56. Fac nos hilaros hilariores opera atque adventu tuo. *Id. Most.* 1. 2. 39. Homo lepidissime atque hilarissime. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 72. Vel hilarissimum convivam hinc indidem expromam tibi. *Cic. Brut.* 5. 18. Modo primum animadverti paullo te hilariorem. *Id. Pis.* 5. 11. Hilarioribus oculis intueri. *Id.* 7. *Att.* 25. Hilariores litteræ. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 8. 75. (144). Cutem in facie corrigit coloremque hilariorem facit. *Id.* 36. *ibid.* 7. 11. (55). Marmor Lacedæmonium viride cunctisque hilarius. *Id.* 16. *ibid.* 10. 19. (48). Abies femina prolixior, materie mollior, arbore rotundior atque hilarior in totum. *di più bella vista.* — *NB.* De cognom. Rom. *V.* HILARUS et HILARA in ONOM. — Hinc

Hilare, adverb. *et*

Hilaria, ium vel *iorum*, n. plur. absolute substantivorum more, *V.* loco suo.

HILĀRISSO, as, are, a. 1. idem atque hilaro. *Isid.* 1. *Orig.* 4. 15. Romani usque ad Augusti tempus pro z duo ss ponebant, ut Hilarissat.

HILĀRĬTAS, ātis, f. 3. lætitia, jucunditas, ἱλαρότης (It. *gajezza, allegria, ilarità*; Fr. *gaieté, joie, belle humeur, hilarité*; Hisp. *alegria, gozo, buen humor*; Germ. d. *Fröhlichkeit, Heiterkeit*; Angl. *cheerfulness, mirth, gaiety, joyfulness, jollity, alacrity, good-humour, merriment, hilarity*). Occurrit — *a)* Fere de hominibus. — In sing. num. *Cic.* 12. *Att.* 40. Hilaritatem illam, qua hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi. Cf. *Quintil.* 11. 3. 79. Tristitia deductis superciliis, hilaritas remissis ostenditur. Rursus *Cic.* 2. *Fin.* 20. 65. Non hilaritate et lascivia, nec risu aut joco, sed sæpe etiam tristes firmitate et constantia sunt beati. *Id.* 1. *Orat.* 57. 243. Hilaritatis plenum judicium ac lætitiæ fuit. *Id.* 9. *Fam.* 11. Hilaritas illa nostra et suavitas, quæ te præter ceteros delectabat, erepta mihi omnis est. *Id.* 1. *Off.* 30. 108. Erat in M. Druso adolescente singularis severitas, in C. Lælio multa hilaritas. *Id.* 4. *Tusc.* 7. 15. Profusa hilaritas. *Nepos Epam.* 8. Omnium cum hilaritate. *Sueton. Aug.* 98. Nullo genere hilaritatis abstinuit. *Id. Cal.* 27. Vocare aliquem ad hilaritatem. *Id. Claud.* 21. Ad hilaritatem provocare homines. *Quintil.* 9. 2. 3. Ad hilaritatem impulsi. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (58). Hilaritatem afferre. *Id.* 21. *ibid.* 3. 9. (12). In potu atque hilaritate. *Id. ibid.* Hilaritate procedente. *Id.* 11. *ibid.* 37. 77. (198). In præcordiis (*h. e.* septo transverso) præcipua hilaritatis sedes. *Quintil.* 4. 2. 77. Verbis elevare quædam licebit: luxuria hilaritatis, avaritia parsimoniæ nomine lenietur. *Id.* 11. 3. 75. Ut citra motum quoque et hilaritate nitescant (*oculi*) et tristitiæ quoddam nubilum ducant. — In plur. num. *Seneca Ep.* 23. Ceteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt. — *b)* De rebus, quæ translate *Forcellinus* accepit. *Colum.* 9. *R. R.* 11. 18. Itaque post hoc tempus, quum dies permittit hilaritas, procedere audent in pascua. *h. e.* serenitas. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 16. 26. (118). Qua præcipua cernitur hilaritas arboris. *h. e.* ubi magis arbor viret vigetque. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HĬLĀRĬTER, adverb. idem atque hilare. *Cic.* 3. *Herenn.* 14. 24. Modo acriter, tum clementer, mœste, hilariter in omnes partes commutabimus. *Vulgat. interpr. Sap.* 6. 17. Quoniam (*sapientia*) dignos se ipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter.

HĬLĀRĬTŪDO, inis, f. 3. idem quod hilaritas, *allegrezza*. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 83. Es, bibe, animo obsequere mecum, atque onera te hilaritudine. Ita legit etiam *Non.* p. 120. 26. *Merc.* Al. *onerato hilaritas me* perperam leg. *Id. Rud.* 2. 4. 8. Ut in ocellis hilaritudo est! *Id. Cist.* 1. 1. 56. Numquam ego te tristiorem vidi esse: quid cedo tam abhorret hilaritudo? *Apul.* 11. *Met.* Hilaritudine gestire.

HILARITUS, *V.* voc. præced.

HĬLĀRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Hilaratus.* — Hilarare est lætitiam jucunditatemque dare, lætificare, φαιδρύνω, ἱλαρύνω (It. *rallegrare, esilarare*; Fr. *rendre gai, joyeux, égayer, réjouir*; Hisp. *regozijar, alegrar*; Germ. *aufheitern, heiter –, fröhlich –, aufgeräumt machen*; Angl. *to cheer, make cheerful or merry, exhilarate*). Occurrit — *a)* De hominibus. *Cic.* 2. *Fin.* 3. 8. Omnem jucundum motum, quo sensus hilaretur, Græce ἡδονήν, Latine voluptatem vocant. *Id. Brut.* 11. 44. Periclis suavitate maxime hilaratæ sunt Athenæ. *Ovid.* 4. *Pont.* 4. 37. Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore. Cf. *Catull.* 62. 18. Hilarate exclusit erroribus animum. — Sic de brutis animantibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 59. (118). Picas mirum in modum hilarari, si audierint id verbum. — *b)* De rebus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 102. Sol binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit: quarum intervallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim lætificat, ut cum cælo hilarata videatur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (13). Hilaratus vultus. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 24. Festaque pallentes hilarent altaria lucos. *Apul.* 5. *Met.* Cujus (*Cupidinis*) aspectu lucernæ lumen hilaratum increbuit. *Forcellinus* postremum hunc locum translate accepit.

HĬLĀRŌDOS, i, m. 2. lascivi et delicati carminis cantor. (ab ἱλαρός *hilaris* et ᾠδός *cantor*). *Paul. Diac.* p. 101. 10. *Müll.* V. *Reuvens Coll. litt.* p. 71. et 84. Juxta cl. *Osann. Anal. crit.* p. 70. et 71., *hilarodia*, ut ipse ait, ab *hilarotragœdia* differebat, quod illa argumentum mere comicum hilaritate jocorum et lascivis dictis cachinnos ciebat: in hac vis omnis ab argumentis tragicis petebatur, quæ ex cothurno in soccum deducta cum parodia deriderentur. Præterea hilarodia carmen magis quam drama fuisse videtur; hilarotragœdia vero contra.

HĬLĀRŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* hilaris. *Cic.* 16. *Att.* 11. Atticæ quoniam, quod optimum in pueris est, hilarula est, meis verbis suavium des.

HĬLĀRUS, a, um. *V.* HILARIS.

HILLA, æ, *et sæpius* hillæ, ārum, f. 1. *deminut. ab* hira, per syncopen pro hirula, ut docet *Vet. Scholiast. Cruq.* ad *Horat.* 2. *Sat.* 4. 60. — Scribitur et unico *l.* — Hillæ sunt intestina animalium (præter ovis) priora et minutiora (It. *intestini, budelle*; Fr. *intestins, entrailles des animaux*; Hisp. *intestini, entrañas*; Germ. *d. kleinern vordern Därme der Thiere*; Angl. *the intestines of animals*).

I.) Proprie. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 79. (200). Ab hoc ventriculo lactes in homine et ove, per quas labitur cibus; in ceteris hillæ, a quibus capaciora intestina ad alvum.

II.) Improprie. ¶ 1. Generatim dicitur de intestinis quibuscumque, ut docet *Non.* p. 122. 7. *Merc.* Hillas intestina veteres esse dixerunt. *Laberius* apud *eumd. ibid.* Lambit item hillam cocus: si lumbum adussit, flagris cæditur. — Obscœno sensu *cædere hillas* idem est ac pædicare, quod nostrates vulgo *budelare* dicunt. *Laberius* apud *Non. loc. cit.* A. Neve hunc aliter pædicabis. B. Quomodo? A. Video: adolescenti nostro cædis hillas. ¶ 2. Speciatim de intestinis fartis vel salitis. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 60. stomachus perna magis ac magis hillis Flagitat immorsus refici. Hic vero hæc adnotat *Scholiast. Cruq.* Hilla est deminutivum a positivo hira, et significat intestinum salsum, vel, ut alii dicunt, fartum salsicium: alii dicunt hilla in neutro. Et hæc *Acro.* Hillæ dicuntur salsa intestina hirci. Positum est deminutive hæc hilla. Quidam in deminutione neutri generis esse dicunt: alii dicunt farta salsicia.

HILUM, i, n. 2. est vox, cui recta opponitur *nihilum* et *nihil*, compositum ex *ne* et *hilum*. Quod vero ad etymon attinet, *Paul. Diac.* p. 101. 8. *Müll.* Hilum putant esse, quod grano fabæ adhæret, ex quo nihil et nihilum. *Non.* p. 121. 3. *Merc.* Hilum breve quoddam. Juxta *Varronem* vero 5. *L. L.* 111. *Müll.* ratione habita etymi conjungendum est cum v. *hilla.* — Ceterum hilum dicitur de re minima et nullius pretii; occurrit autem — *a)* Sæpe cum part. negativa. *Ennius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 111. *Müll.* neque dispendi facit hilum. *h. e.* neque dispendii facit quidquam, ut *Id. Varro* 9. *ibid.* 54. *Vet. Poeta* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 6. 10. Sisyphu' versat Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum. *Lucret.* 3. 220. Extima membrorum circumcæsura tamen se incolumem præstat, nec defit ponderis hilum. *Id. ibid.* 785. neque inter se contendunt viribus hilum. *Id. ibid.* 843. Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum. *Id.* 5. 1408. neque hilo Majorem interea capiunt dulcedine fructum. *punto maggiore.* — *b)* Sine part. negativa. *Lucret.* 4. 511. Ut in fabrica, si prava est regula prima, Normaque si fallax rectis regionibus exit, Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum. Adde *eumd.* 3. 513.

HĪMANTŎPŎDES, um, m. plur. 3. ἱμαντόποδες,

homines monstrosi in Æthiopia, qui flexis nisibus crurum repunt potius, quam incedunt, et pergendi usum lapsu magis destinant, quam ingressu: ab ἱμάς, άντος *lorum* et ποῦς *pes*; quod crura lori modo flexilia habeant. Latine *loripedes* dici possunt. *Mela* 3. 10. 3.; *Solin.* 31. *sub fin.*; et *Plin.* 5. *Hist. nat.* 8. 8. (44).

HĬMANTŎPUS, ŏdis, 3. nomen cujusdam avis ignotæ apud *Plin.* 10. *Hist. nat.* 47. 64. (130)., ubi tamen alii aliter leg. De vocis etymo *V.* voc. præc.

HIN, n. indecl. mensura liquidorum apud Hebræos, quæ duodecim logos, id est LXXII. ova complectebatur, ut ajunt Talmudici; siquidem logis singulis ova sena tribuunt. *Vulgat. interpr. Exod.* 29. 40. et 30. 24., *Levit.* 23. 13. et alibi pluries.

HINC, adverb. ab *hic*, ex hoc loco, ἐνθεν, ἐντεῦθεν (It. *di qua, quinci*; Fr. *d'ici, de ce côté*; Hisp. *de acá, de estos costado*; Germ. *von dort, von da, von dort her, von hier*; Angl. *hence, from this place*).

I.) Proprie usurpatur de loco. *Ennius* apud *Gell.* 19. 10. Neque domi nunc nos, nec militiæ sumus: imus huc: illuc hinc: quum illinc ventum est, ire illud libet. *Plaut. Amph. prol.* 125. Qui cum Amphitruone abiit hinc in exercitum. *Id. ibid.* 2. 2. 9. Abiit a me hinc ante lucem. *Ter. Phorm.* 3. 3. 26. Aufer te hinc. *Id. Eun.* 3. 2. 12. Cur non imus hinc? *Id. ibid.* 1. 2. 126. Hinc intro concedam. *Id. Adelph.* 4. 4. 9. Hinc ad obstetricem erat missa. *Id. Eun.* 2. 2. 52. Hinc evoca aliquem foras. *Id. Andr.* 4. 4. 14. Hinc ab dextera venit. Cf. *Plaut. Aulul.* 5. 3. 27. Hinc ex proximo oritur clamor. *Cic.* 3. *Fin.* 14. 45. In ea via, quæ est hinc in Indiam. *Id.* 2. *leg. Agr.* 34. 94. Nos hinc Romam qui veneramus, non hospites, sed peregrini nominabamur. *Id.* 1. *Tusc.* 13. 29. Dii hinc a nobis profecti in cælum. *Id.* 2. *Orat.* 3. 13. A se Scævolam hinc euntem esse conventum. *Id.* 3. *Verr.* 6. 17. Ex Siciliа testes erant ii, qui *etc.* – et hinc homines maxime illustres etc. Sic *Ter. Andr.* 5. 1. 14. Illam hinc civem esse ajunt. *di questa patria.* Ceterum *Liv.* 7. 34. *sub fin.* Qua pateat hinc exitus. — Pro *illinc*: V. HIC. *Cæs.* 6. *B. G.* 39. Calones in proximum tumulum procurrunt: hinc celeriter dejecti, se in signa manipulosque conjiciunt. *di là.*

II.) Translate. ¶ 1. Hinc ponitur pro ab vel ex hac parte, *da questa parte*: quo sensu occurrit — *a*) *Hinc illinc*, h. e. ex hac parte, ex illa parte. *Plaut. Amph.* 1. 1. 74. Tubæ utrimque canunt –: clamorem utrimque efferunt: Imperator utrimque hinc et illinc Jovi vota suscipere. *Cic.* 2. *Cat.* 11. 25. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio etc. *Id. Tim.* 14. Quum speculorum lævitas hinc illuc (*al.* et *Forcellinus* illincque) altitudinem assumpsit. *Liv.* 32. 10. Multis hinc atque illinc vulneribus acceptis. *Ovid.* 1. *Met.* 619. pudor est, qui suadeat illinc: Hinc dissuadet amor. *Curt.* 4. 14. 15. Hinc Euphrates, illuc (*fortasse rectius* hinc) Tigris prohibet inclusos. Adde *Plin.* 2. *Ep.* 67.; et *Tac.* 2. *Ann.* 6., 3. *Hist.* 47. et *Germ.* 44. — In illo *Ter. Adelph.* 4. 5. 38. An sedere oportuit domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc illinc veniret, exspectantem? *Donatus* proverbialiter *hinc illinc* dictum docet. Al. leg. *huc illinc.* — *b*) *Hinc hinc, hinc atque hinc*, ex hac et illa parte, *quinci e quindi.* *Liv.* 44. 11. Cassandrea hinc Toronaico, hinc Macedonico septa mari. *Id.* 1. 13. Hinc patres, hinc viros orantes, ne se sanguine nefando soceri generique respergerent. *Virg.* 1. *Æn.* 166. Hinc atque hinc vastæ rupes. *Curt.* 8. 13. 11. Hinc amnis, hinc hostis. *Id.* 6. 2. 16. Tumultus hinc contubernales suos requirentium, hinc onerantium plaustra. *Id.* 5. 10. 9. Hinc spe, hinc metu animos versant. *Val. Flacc.* 5. 310. Hinc atque hinc quatit pectora. *Martial.* 10. 83. Raros colligis hinc et hinc capillos. — *c*) *Hinc inde* eod. sensu. *Sueton. Aug.* 96. Duos cervos hinc inde infestantes. *Id. Ner.* 27. Hinc inde hortantes, ut appelleret. *Plin.* 9. *Ep.* 13. Longum est, quæ tunc hinc inde jactata sunt, recensere. — *Hinc, hinc, inde* apud *Tac.* 2. *Hist.* 70. Monstrabant pugnæ locos: hinc irrupisse legionum agmen, hinc equites coortos: inde circumfusas legionum manus. — *Hinc et inde* apud *Sueton. Cæs.* 39. Quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc et inde commissis. — *Hinc indeque* apud *Ammian.* 16. 12. Tunc tripertito exitio premebantur: Imperatore urgente per Rætios; Cæsare proximo nusquam elabi permittente; finitimis, quos hostes fecere discordiæ, modo non occipitia conculcantibus hinc indeque cinctorum. — *Hinc et deinde* apud *Ammian.* 16. 2. Hinc et deinde nec itinera, nec flumina transire posse sine insidiis putans, erat providus et cunctator. — *Inde hinc* apud *Quintil.* 2. 2. 5. Ne inde odium, hinc contemptus oriatur. — *Inde et hinc* apud *Tac.* 13. *Ann.* 38. Ideo arctum inde numerum finiri et hinc majorem offerri, ut dolus pararetur. — *d*) *Hinc* absolute. *Quintil.* 7. 4. 14. Hinc quoque exclusis excusatio superest. *Al. leg.* exclusis quoque his. *Lucan.* 7. 358. Si Curios his fata darent reducesque Camillos Temporibus Deciosque caput fatale voventes; Hinc starent primo gentes oriente coactæ Innumeræque urbes, quantas in prælia numquam Excivere manus: toto simul utimur orbe. ¶ 2. *Hinc* dicitur etiam de tempore: et — *a*) Ponitur pro ex hoc tempore, et ordinem significat. *Tac. Agric.* 14. Didium Veranius excepit, isque intra annum exstinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit etc. *dopo.* Sic *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (175). Septem et quinquaginta dormisse annis: hinc pari numero dierum senio ingruente etc. *Val. Flacc.* 3. 672. atque hinc, operum quæ maxima, posco. *sin da ora.* *Tac.* 2. *Ann.* 67. Circumdata hinc regi specie honoris valida manus. *Id. Agric.* 6. Hinc ad capessendos magistratus in urbem digressus etc. Adde *eumd.* 3. *Ann.* 13.; et *Sueton. Cæs.* 35. et 40. et *Ner.* 9. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 62. 88. (186). Hinc volucrum naturæ dicentur. h. e. *deinceps.* — *b*) *Hinc* pro *ab hinc* apud *Plaut. Truc.* 2. 3. 19. Me nemo magis respiciet, ubi iste huc venerit, quam si hinc ducentos annos fuerim mortua. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (43). Septimo hinc anno inventa est. Ita legit ex MSS. *Harduin.* Alii aliter. ¶ 3. *Hinc* usurpatur etiam ad causam, originem etc. significandam, et est ex hac re, ex hac causa, ex hoc principio. Sic — *a*) *Hinc* est ex hac materia. *Cic.* 1. *Nat. D.* 23. 65. Abuteris ad omnia atomorum regno et licentia. Hinc quodcumque in solum venit, ut dicitur, effingis atque efficis. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 12. 54. (153). Videret hinc dona fortium fieri. *h. e.* ex argento. — *b*) Item ex hac causa, ex hac re. *Ter. Andr.* 1. 1. 99. Hinc illæ lacrimæ! Cf. *Cic. Cæl.* 25. 61.; et *Horat.* 1. *Ep.* 19. 41. Similiter *Cic. Cluent.* 67. 191. Hinc illæ sollicitudines servorum: hinc illæ infinitæ de morte Oppianici quæstiones. *Id.* 3. *Off.* 8. 36. Hinc sicæ, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur: hinc furta, hinc etc. *Sueton. Cæs.* 78. Invidiam hinc maxime movit. *Flor.* 1. 1. 14. Hinc templum et Juppiter Stator. *Quintil.* 8. 6. 74. Plurima hinc orta vitia. *Id.* 2. 4. 16. Hinc parentum imperitorum inane gaudium. *Id.* 9. 2. 60. Hinc est quasi pœnitentia dicti. — *c*) Item ex hoc homine. *Ter. Adelph.* 3. 3. 7. Syrum ire video: hinc scibo jam, ubi siet. *da questo.* — *d*) Item ex hoc loco vel potius initio. *Virg.* 1. *G.* 5. Hinc canere incipiam. Sic *Quintil.* 2. 4. 1. Hinc jam incipiam. *Id.* 3. 1. 14. Hinc cœperunt. *Id.* 2. 11. 1. Jam hinc inchoanda est pars. *Id.* 8. 3. 40. Jam hinc igitur ad rationem sermonis conjuncti transeamus. *Id.* 3. 1. 1. Jam hinc exsequar. *Id.* 2. 2. 15. Jam hinc sciat.

HINNA, æ, f. 1. femina hinni. *Non.* p. 122. 4. *Merc.*

HINNĪBĬLIS, e, adject. χρεμετιστικός, hinniens. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* Quod hinnibile est, equus est. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 20. Execratus hinnibilis.

HINNĪBUNDĒ, adverb. hinniendo. *Claud. Quadrigarius* apud *Non.* p. 122. 15. *Merc.* Equi hinnibunde inter se spargentes terram calcibus.

HINNĪENTER, adverb. hinnibunde. Est *Nonii* p. 122. 13. *Merc.*

HINNĪLĪTO, as, are, n. 1. idem quod hinnire. *Lucilius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 103. *Müll.* Hæc inquam, rudet ex rostris atque hinnilitabit. *Nonius* p. 21. 19. *Merc.* habet *ejulitabit*, quam lectionem retinuit et *Müller*.

HINNĬO, is, ire, n. 4. Part. *Hinniens.* — Hinnire proprium est vocis equorum: a sono, χρεμετίζω (It. *nitrire*; Fr. *hennir*; Hisp. *relinchar*; Germ. *wiehern*; Angl. *to neigh, whinny*). *Quintil.* 7. 3. 3. Ut si finias equum, genus est animal; species mortale; differentia irrationale; proprium hinniens. *Lucret.* 5. 1076. equus, concussis artubus, hinnit. *Varro* apud *Non.* p. 156. 23. *Merc.* Mugit bovis, ovis balat, equi hinniunt, gallina pipat. *Quintil.* 1. 5. 72. Jam ne *balare* quidem, aut *hinnire* fortiter diceremus, nisi judicio vetustatis niterentur. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* Proprium est equi hinnire. Adde *Spartian. Get.* 5. — *Hinnientes* absolute sunt equi apud *Apul. de Mag.* et *de Deo Socrat.* — Poetice *Sidon. carm.* 14. 29. de *Chirone centauro.* Quamvis sæpe senex biformis illic Carmen rumperet hinniente cantu. Cf. *Alcim.* 6. 12. Pegasus unde leves prævertens motibus auras Fingitur assumpto pendens hinnire volatu.

HINNĪTO, as, are, n. 1. *frequentat. ab* hinnio. *Gloss. Philox.* Hinnitat, χρεμετίζει.

HINNĪTUS, us, m. 4. verbum exprimens vocem equi, χρεμετισμός (It. *nitrito, rigno*; Fr. *hennissement*; Hisp. *relincho*; Germ. *d. Wiehern d. Pferde*; Angl. *a neighing, whinnying*). Occurrit — *a*) In sing. num. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 73. Subito exaudivit hinnitum, respexitque et equum alacrem lætus aspexit. Adde *Lucret.* 5. 1072.; et *Liv.* 2. 64. Sic *Virg.* 3. *G.* 94. et altum Pelion hinnitu fugiens implevit acuto. *Horat.* 2. *Od.* 16. 34. Equæ hinnitum tollit. *Justin.* 1. 10. 8. Hinnitum edere. *Ammian.* 17. 12. Ne prodant (*equi*) hinnitu densiore vectores. — *b*) In plur. num. *Ovid.* 2. *Met.* 154. hinnitibus auras implent. *Id. ibid.* 669. Edere hinnitus. *Sueton. Ner.* 46. Hinnitus canori. *Sil. It.* 4. 66. fremuisse hinnitibus Alpes. Adde *Arnob.* 4. 26.

HINNŬLA, æ, f. 1. *V.* voc. seq.

HINNŬLEA, æ, f. 1. *deminut.* femina hinnulei, *h. e.* pulli cervini, *cervetta.* *Arnob.* 5. 30. Nebridarum familiam pellicula cohonestavit hinnuleæ. *Al. leg.* hinnulæ: *alii vero* hinnulea, *ut sit adject.*, h. e. *cervina.*

HINNŬLEUS, i, m. 2. *deminut. ab* hinnus, cervus anniculus, cui nondum cornua sunt, quippe quæ secundo anno erumpere incipiunt, *cerbiatto, cervetto*, νεβρός. *Horat.* 1. *Od.* 23. 1. Vitas hinnuleo me similis, Chloe. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 42. (150). Summis remediis præfertur hinnulei coagulum. — *Hinnuleus, a, um*, adject. *V.* voc. præced.

HINNŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* hinnus, pullus ex equo et asina genitus. — *Hinnulo strigosior* proverbio dicitur de valde macilento. *Mæcenas* apud *Sueton.* in *Vita Horatii.* Hinnulo me videas strigosiorem. *Al. et ipse Forcellinus leg.* hinno; *al.* ginno; *alii aliter.* Sic apud *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (172). Equo et asina genitos, hinnulos antiqui vocabant; contraque mulos, quos asini et equæ generarent. *Harduin.* recte contendit legendum *hinnos*: quam lectionem confirmat *Sillig. Gloss. Philox.* Hinnulus, ὁ ἐξ ἵππου καὶ ὄνου. *Nonius* quoque ex *Varrone* refert p. 122. 6. *Merc.* Ex equis et hinnulis qui nascantur, hinnos vocari. Sed fallitur. *V.* locum *Varron.* in voce sequenti. — Latiori sensu est etiam *hinnulus* pullus cervinus. *Gloss. Philox.* Νεβροί, hinnuli. Hinc hinnuleus. Similiter *Isid.* 12. *Orig.* 1. Hinnuli filii sunt cervorum. *Vulgat. interpr. Proverb.* 5. 19. Cerva carissima et gratissimus hinnulus. *Id. Cantic.* 2. 17. Similis esto capreæ hinnuloque cervorum.

HINNUS, i, m. 2. ἴννος. Est et alia forma *ginnus*, γίννος, quam *V.* loco suo. — Hinnus est animal, quod ex equo et asina nascitur, idem ac mannus et burdo; a voce Græca allata, *ronzino.* *Varro* 2. *R. R.* 8. 1. Ex equa et asino fit mulus: contra ex equo et asina hinnus. et *ibid.* §. 6. Hinnus est ex equo et asina, minor quam mulus corpore, plerumque rubicundior, auribus ut equinis, jubam et caudam similem asini. Adde *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (172). allatum in voc. præced. *Nonius* p. 122. 4. *Merc.* Hinnus et hinnas sub quo sensu accipere debeamus, Varro designat: ait enim ex equis et hinnulis (*corrige* asinabus *ex allatis* Varron. *locis*) qui nascantur, hinnos vocari. *Colum.* 6. *R. R.* 37. 5. Qui ex equo et asina concepti generantur, quamvis a patre nomen traxerint, quod hinni vocantur; matri per omnia magis similes sunt. *V.* et *Mæcenat.* locum in voc. præced.

HĬO, as, āvi, ātum, are, 1. Ratione habita etymi, conjungi potest cum etymo χάω, unde χαίνω et χάσκω. — Part. *Hians* sub *A.* in omnibus paragr.; *Hiandus* sub *B.* — Hiare est *A*) Verbum neutrum; et *B*) Activum.

A) Neutrum hiare est hiscere, aperiri, pandi, scindi, χαίνω (It. *aprirsi*; Fr. *s'ouvrir, s'entr'ou-*

vrir, *se fendre, se crevasser*; Hisp. *abrirse, hendirse*; Germ. *klaffen, gähnen, sich öffnen*; Angl. *to gape, yawn, open, chink*).

I.) Propria. ¶ 1. Generatim. *Sall. fragm.* apud *Non.* p. 318. 29. *Merc.* Atque hiavit humus multa, vasta et profunda. *multa* pertinet ad hiatus compluribus locis factos, *vasta* ad eorum latitudinem vel ambitum, *profunda* ad altitudinem. *Virg.* 1. *G.* 91. (*calor*) durat magis et venas (*terræ*) astringit hiantes. *Colum.* 5. *R. R.* 9. 12. Quum terra æstibus hiat. *Id.* 9. *ibid.* 8. 11. Terra rimis hiat. *Ammian.* 21. 10. Hiant colles. *Id.* 19. 8. spatium. *Lucan.* 5. 641. tumentes hiant undæ. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 18. (41). *de colosso Rhodi.* Vasti specus hiant defractis membris. Adde *Horat. Epod.* 8. 5. *Lucret.* 4. 590. calamos Pan labro percurrit hiantes. *Propert.* 4. 2. 45. Nec flos ullus hiat pratis. *Ovid.* 2. *Art. am.* 115. Nec violæ semper, nec hiantia lilia florent. *Gell.* 15. 16. Quercum vidit patulis in parte media rimis hiantem. *Plaut. Merc.* 1. 2. 72.; et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 53. (139). Hiantes oculi. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 123. Quum pisciculi in concham hiantem innataverunt. ¶ 2. Speciatim dicitur de iis, qui ore aperto sont. *Virg.* 6. *Æn.* 492. pars tollere vocem Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantes. *Sueton. Claud.* 33. Per somnum hiare. *Juvenal.* 10. 231. hiat ceu pullus. Sic de ægrotis *Cels.* 2. 6. *ante med.* Mors denunciatur, ubi æger supinus cubat, ubi hiat, ubi assidue dormit. *Scribon. Compos.* 9. Suadebimus pyrethi radiculam commanducare, atque subinde hiantem pati fluere salivam. Adde *eumd. ibid.* 55. *Virg.* 10. *Æn.* 726. Leo immane hians. *aprendo smisuratamente la bocca.* *Horat.* 2. *Sat.* 2. 31. lupus (*piscis*) hic Tiberinus, an alto Captus hiet. *boccheggi.* *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 37. (90). Trochilos crocodilum invitat ad hiandum pabuli sui gratia: — mox dentes et intus fauces quoque ad hanc scabendi dulcedinem quam maxime hiantes. *Id.* 10. *ibid.* 33. 51. (102). Perdices hiantes, exserta lingua æstuant. *Curt.* 4. 16. 12. Profluentem aquam hianti ore captantes. *colla bocca aperta e sitibonda*: significat enim etiam cupiditatem ejus, qui hiat: *V.* sub II. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de oratione. — *a*) *Hiare* is dicitur, qui in scribendo crebras vocales usurpat, quas ut proferas, diducere labia necesse est, quæ non nisi in consonantibus committuntur. *Cic. Orat.* 45. 152. Poetæ, qui, ut versum facerent, sæpe hiabant, ut Nævius: Vos qui accolitis Histrum fluvium atque algidam etc. — *b*) Hinc *hians oratio*, in qua frequens est vocalium concursus, qui *hiatus* dicitur. *Cic.* 4. *Herenn.* 12. 13. Crebræ vocalium concursiones, quæ vastam atque hiantem orationem reddunt. *Quintil.* 9. 4. 20. Neque enim aut hiare semper vocalibus, aut destitui temporibus volunt sermo et oratio. *et post* §. 33. Vocalium concursus quum accidit, hiat et intersistit et quasi laborat oratio. *Id.* 8. 6. 62. Fit enim aspera et dura et dissoluta et hians oratio, si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur. *Cic. Partit. orat.* 6. 21. Quæ (*conjunctio*) neque asperos habeat concursus, neque disjunctos atque hiantes. *Tac. Dial. de orat.* 21. Sordes illæ verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem. — *c*) Alio sensu *Cic. Orat.* 9. 32. Mutila quædam et hiantia loqui. *h. e.* inconnexa, inconsequentia, abrupta, et in quibus aliquid desideratur ad plenam orationem. Loquitur de pravis imitatoribus Thucydidis. ¶ 2. Metaphora sumpta a superiori paragr. 2., dicitur de animi motibus. — *a*) Quia os apertum habere est sitientis cupientisque, *hiare* aliquando est inhiare, quippiam affectare vehementer. *Cic.* 5. *Verr.* 4. 8. Huic homini, si qua domus patet, utrum ea patere, an hiare ac poscere aliquid videtur? *Seneca Ep.* 72. *a med.* Canis, quidquid excepit, protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 56. corvum deludet hiantem. *h. e.* heredipetam. *Id. ibid.* 2. 88. ne facies (*equi*) emptorem inducat hiantem. Sic *Pers.* 5. 176. quem ducit hiantem Cretata ambitio. *Cic.* 4. *Verr.* 54. 134. Verrem tantum avaritia semper hiante atque imminenti fuisse, ingenio et cogitatione nulla. *Tac.* 1. *Hist.* 12. Hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galbæ facilitas intendebat. — *b*) Et qui stupent aliquid mirantur que, *hiare* dicuntur, quia ore aperto mirantem esse mos est: Cf. INHIARE. *Virg.* 2. *G.* 508. Hic stupet attonitus Rostris, hunc plausus hiantem Corripuit. — *c*) Item de otioso ac deside; otiosi enim fere oscitant. *Sil. It.* 11. 35. luxus et ignavia lacerabat hiantem Desidiâ populum.

B) Activa seu cum Accusativo apud Poetas est aperto ore aliquid emittere. *Val. Flacc.* 6. 705. subitos ex ore cruores Saucia tigris hiat. *h. e.* ore aperto evomit. *Propert.* 2. 28. 6. *de statua Apollinis Palatini.* Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso Marmoreus tacita carmen hiare lyra. *h. e.* ore aperto in speciem canentis. Sic *Pers.* 5. 3. Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo. *h. e.* magno ore pronuncianda. *V.* HIATUS.

HIPPACĀRE est celeriter animam ducere; ab equi halitu, qui est supra modum acutus. *Paul. Diac.* p. 101. 7. *Müll.* In *Gloss. Isid.* legitur: Hippicare, oscitare, badare.

HIPPĂCĒ, es, f. 1. ἱππάκη. ¶ 1. Hippace equinum lactis coagulum a quibusdam dicitur, et equinus caseus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 14. 58. (205). et 9. 34. (131). ¶ 2. Item herba, quam ore tenentes equi, famem sitimque non sentiant. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 44. (83)., *ubi al. leg.* hippice. Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol* 3. *p.* 339.) *Plinium* h. l. equinum caseum, qui apud Scythas usuvenerat, pro herba accepit.

HIPPĂGĪNES naves, quibus equi vehuntur, quas Græci ἱππαγωγοὺς dicunt. *Paul. Diac.* p. 101. 3. *Müll.*; et *Gell.* 10. 25. *V.* voc. sequent.

HIPPĂGŌGI, ōrum, f. plur. 2. ἱππαγωγοί, *navi da trasportare la cavalleria*, naves eædem, quæ hippagines; ab ἵππος *equus* et ἄγω *duco*. *Liv.* 44. 28. Quinque et triginta naves, quas hippagogos vocant, ab Elea profectæ, cum equitibus Gallis equisque. V. *Winkelmann. T.* 8. p. 573.

HIPPĂGOS *vel* hippagus, i, f. 2. navis vehendis equis apta, hippagogos etiam dicta. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (209). Hippagum invenere Samii, aut Pericles Atheniensis.

HIPPĂLUS, i, m. 2. ventus idem qui Favonius, ita appellatus a navigantibus in mari Indico; vel a gubernatore ejusdem nominis, vel voce Arabica. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (100). At Auctor Peripl. maris Erithræi illum libonotum esse tradit.

HIPPEUS, ei *vel* eos, m. 2. disyllab. ἱππεύς, cometa equinæ jubæ similis, celerrimo motu; ab ἵππος *equus*. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (90). *V.* et HIPPIUS 3.

HIPPĬAS, ădis, f. 3. subaudi *statua*, est statua equestris apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (21).

HIPPIATRUS, i, m. 2. *veterinario*, ἱππίατρος, veterinarius. Græca vox et Græce scribenda. *V.* MEDICUS.

HIPPĬCE, es, f. 1. ἱππική, ludi equestris genus, pyrrhice. *V.* MONOCOLON. — *V.* et HIPPACE 2.

HIPPĬUS, a, um, adject. ἵππιος, id est equester, ab ἵππος *equus*. ¶ 1. Est cognomen Neptuni, vel quod Pegasus ex eo et Pegaside natus sit: vel quod equuleus, ut putant, loco ejus suppositus Saturno fuerit, quem pro Neptuno devoraret: vel quod tridentis ictu terra equum excierit, cui ob hoc in Illyrico quaternos equos jaciebant nono quoque anno in mare. Hæc *Paul. Diac.* p. 101. *Müll.* ¶ 2. Præterea est hoc nomine pes metricus, etiam *epitritus* dictus, equestri pugnæ conveniens, ut ait *Diomed.* 3. p. 475. *Putsch.* Huic (*tribrachy*) contrarius est molossus, quem alii hippium vel chaonium dicunt. Hippius vero equestri scilicet pugnæ conveniens modulabatur. Adde *Terentian. de metr.* p. 2413. *Putsch.* et *Ces. Bass.* p. 2666.; et *V.* EPITRITUS. ¶ 3. Apud *Servium* ad *Virg.* 10. *Æn.* 272. est *hippius* cometa idem, qui *hippeus*. De eo multa ibi *Servius*.

HIPPŎCĀMĒLUS, i, m. 2. ἱπποκάμηλος, animal fabulosum, ex equo et camelo compositum: vel magnus camelus; ἵππος enim in compositione auget. *Auson. Epigr.* 70. Non taurus, non mulus erit, non hippocamelus.

HIPPŎCAMPĪNUS, a, um, adject. ab hippocampo, ut Hippocampinus cinis, *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 23. (67)., ubi *Harduin.* et *Sillig.* ex MSS. legunt *hippocampi cinis*.

HIPPŎCAMPOS *vel*

HIPPŎCAMPUS, i, m. 2. ἱππόκαμπος et ἱπποκάμπη, piscis marinus parvus, capite et jubæ instar equi, *cavallo marino*. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (149)., 7. 23. (67). et 9. 30. (93)., et 36. *ibid.* 5. 4. (26). — Item marinum monstrum, equi simile, quo fabulantur ad currum juncto vehi maris numina. *Nævius* apud *Non.* p. 120. 17. *Merc.*, ut quidam legit *Scalig.* Sirenes citis delphino junctis vehiculis hippocampisque asperis. Adde *Lucilium* apud *eumd. ibid.*; et *V.* CAMPA.

HIPPŎCENTAURUS, i, m. 2. ἱπποκένταυρος, fabulosum animal, ex equo et homine conflatum: inde ortum, quod Centauri, qui primi in equis sedisse dicuntur, longe conspecti a rudibus hominibus, unum cum equis ipsi esse visi sunt. *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 5. Quis enim hippocentaurum fuisse, aut chimæram putat? *Quintil.* 6. 3. 90. Juba querenti, quod ab equo suo esset adspersus, Quid? tu, inquit, me hippocentaurum putas? — Nihilominus *Plin.* 7. *Hist. nat.* 3. 3. (35). credere videtur Claudio Cæsari scribenti, hippocentaurum in Thessalia natum, eodem die interiisse: subditque statim, vidisse se in principatu ejus allatum illum illi ex Ægypto, in melle.

HIPPŎCŌMUS, i, m. 2. ἱπποκόμος, equiso, equorum curator; ab ἵππος *equus* et κομέω *curam gero*. *Imppp. Gratian.*, *Valentinian.* et *Theodos. Cod. Theod.* 8. 5. 37. Hippocomorum sagum usurpare.

HIPPŎCŌUM vinum ex insula Coo dictum ab agro generoso, cui nomen est Hippo. *Paul. Diac.* p. 101. 14. *Müll.*

HIPPOCRENISĀTUS, a, um, adject. *Sidon. carm.* 22. 81. Hippocrenisatas jungebat Pegasus alas. Ita leg. *Smat.* et *Savar.* At *Sirmond.* et *Fowerus*, Hic et crinisatas: *alii* Hippocrene satas; *quod est minus tolerabile.*

HIPPŎDĂMANTĪUM vinum apud *Plin.* 14. *Hist. nat.* 7. 9. (75). unde dictum sit, non constat; nisi forte (quod *Harduin.* conjicit) a δαμάζω *domo* et ἵππος qua intendendi augendique vim habet; quod scilicet multarum sit virium, et quemlibet perdomans captansque, qui biberit.

HIPPŎDĂMUS, i, m. 2. ἱππόδαμος, equorum domitor (ab ἵππος *equus* et δαμάω *domo*), est Castoris epitheton; translate vero eques Rom.: seu qui feminam inequitat, nam ἵππος etiam muliebre genitale significat (*V.* HIPPOPHAMA). *Martial.* 7. 57. Pyxagathos fuerat, nunc erit Hippodamus. *V.* PYXAGATHUS.

HIPPODROMOS, i, m. 2. *luogo, dove corrono i cavalli*, ἱππόδρομος, locus, ubi agitantur equi, equorum curriculum, hoc est ampla planities, in qua de pernicitate certatur citra pugnæ simulacrum; ab ἵππος *equus* et δρόμος *cursus*: profecto *Dion* 59. 28. circum maximum ἱππόδρομον vocat. Nam stadium, in quo equites imaginario prælio concurrere solent, *catadromus*, κατάδρομος dicebatur. *Martial.* 12. 50. Pulvereumque fugax hippodromon ungula pulsat. Adde *Plaut. Bacch.* 3. 3. 27.; et *Sidon.* 2. *Ep.* 2. De loco *Plin.* 5. *Ep.* 6. *V.* HYPODROMUS.

HIPPOGLOSSA et

HIPPOGLOTTION. *V.* HYPOGLOSSA et HYPOGLOTTION.

HIPPŎLĂPĂTHON *vel* hippolapathum, i, n. 2. ἱππολάπαθον; herba lapatho sativo major, candidiorque ac spissior. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 85. (232).

HIPPŎMĂNES, is, n. 3. ἱππομανές, ab ἵππος *equus* et μανία *furor*. ¶ 1. Est humor in inguine equarum ortus ex libidinis ardore, qui in humana viscera descendens furorem facit. *Virg.* 3. *G.* 281. Hinc demum hippomanes, vero quod nomine dicunt Pastores, lentum destillat ab inguine virus; Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ Miscueruntque herbas et non innoxia verba. *Tibull.* 2. 4. 57. Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores, Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ. Adde *Propert.* 4. 5. 18.; et cf. *Colum.* 6. *R. R.* 27. 3. ¶ 2. Item herba, qua comesa equæ incipiunt furere. *Servius* ad *Virg.* 3. *G. loc. cit.* ex *Theocrito.* ¶ 3. Item caruncula in fronte pulli equini, caricæ magnitudine, colore nigro, quam statim edito partu mater dentibus avellit et devorat, quam si quis præripuerit, seu prius abstulerit, pullum ad ubera non admittit. Hæc caruncula amoris veneficium est, hac mulieres medicamenta componentes vertere homines feruntur in furorem. Sed generaliter hippomanes dicitur venenum omne amatorium, quod equinæ cupidini similem mortalibus amorem accendat. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 66. (165). et 28.

ibid. 11. 49. (180).; et *Juvenal.* 6. 132. De hoc *Virg.* 4. *Æn.* 515. Quæritur et nascentis equi de fronte revulsus Et matri præreptus amor.

HIPPŎMĂRĂTHRUM, i, n. 2. ἱππομάραθρον, marathri, seu fœniculi genus, foliis majoribus et gustu acriore, cujus succus auribus instillatur, vermiculosque in iis necat. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 96. (255). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 2. *p.* 437.) hanc exhibet synonymiam: I. Ἱππομάραθρον Hippocr. de Morb. mulier. 1. 603. et Dioscor. 3. 87.; Ἱππου μάραθρον Nicand. de Ther. v. 596.; et *Hippomarathron sive Smyrneum* Plin. *loc. cit.* sunt *Cachrys Libanotis* L. Spec. plant. 355. — II. Ἱππομάραθρον ἕτερον Dioscor. loc. cit., Diocl. teste Plin., Galen. de Fac. simpl. med. 7. p. 206. et Strab. 17. p. 645.; et *Hippomarathron semine coriandri* Plin. loc. cit. sunt *Seseli tortuosum* L. Spec. plant. 373.

HIPPŌNACTĒUS, a, um, adject. ad Hipponactem poetam mordacem pertinens, de quo *V.* HIPPONAX in ONOM. Sic Hipponacteum præconium, *h. e.* convicium, seu carmen maledicum. *Cic.* 7. *Fam.* 24., ubi intelligit carmen Licinii Calvi, quo Tigellinum Sardum designaverat, et quasi præco inter servos addixerat. Quod et in v. ADDICO adnotavimus — Hinc

Hipponacteus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, subaudi *versus*, est versus iambicus scazon, quem Hipponax invenisse dicitur, ut est apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (12). *Cic. Orat.* 56. 189. Senarios et Hipponacteos effugere vix possumus. — Porro id carmen duplicis est generis. Vel enim in iambico senario ultimus pes spondeus est. ut in illo *Catulli* 39. 16. *Nam risu inepto res ineptior nulla est.* Vel antibacchius ex brevi et duabus longis additur eidem senario, ut apud *eumd.* 25. 6. *Remitte pallium mihi meum, quod involasti.* V. *Terentian. Maur. de Metr. p.* 2436. *Putsch.*

HIPPŎPĒRÆ, ārum, f. plur. 1. ἱπποπῆραι, ab ἵππος equus et πήρα *pera, saccus*, It. *sacchetti, bisaccia, bolgia, valigia*, sunt manticæ, sacculi, quibus equea necessaria itineri secum circumferi. *Seneca Ep.* 87. M. Cato censorius canterio vehebatur, et hippoperis quidem impositis, ut secum utensilia portaret.

HIPPŎPHAES et hippophyes, is, n. 3. ἱππόφαες et ἱππόφυές, herba est in sabulosis maritimisque nascens, spinis albis, hederæ modo racemosa, candidis et ex parte rubentibus acinis. Radix succo madet, qui aut per se conditur, aut pastillis farinæ, ad bilem detrahendam. Est et altera hippophyes, sine caule, sine flore, foliis tantum minutis; cujus succus hydropicis prodest. Debent accommodatæ esse et equorum naturæ, neque ex alia causa nomen accepisse. Hæc *Plin.* 22. *Hist. nat.* 12. 14. (29). et 21. *ibid.* 15. 54. (91).; et *Marcell. Empir.* 30. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 104.) hanc exhibet synonymiam: Ἱππόφαες Hippocr. et Dioscor. 4. 162.; Ἱππόφυές, Ἱππόφανές ejusd. in Nothis; et *Hippophaes* vel *Hippophyes* Plin. loc. cit. sunt *Hippophae rhamnoides* L. Spec. plant. 1452.

HIPPŎPHÆSTON, i, n. 2. ἱππόφαιστον, herba, quæ nascitur in spinis, ex quibus fiunt æneæ fullonicæ (*h. e.* implentur cortinæ æneæ fullonum), sine cauliculo, sine flore, capitulis tantum inanibus et foliis parvis, multis, herbacei coloris, radiculas habens albas, molles. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 66. (92). Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 454.) *hippophæston* potest esse *Calcitrapa stellapa* Lamrk., *Calcitrapa Hippophæstum* Fl. Weter., aut *Carduus stellatus* Lamrk.; nihil tamen certi statui potest.

HIPPŎPHĀMA, ătis, n. 3. ita appellatum videtur annuum festum, quo Amazones per triginta dies cum viris passim cuomixtæ liberis operam dabant; ab ἵππος, quatenus genitale tum virile, tum muliebre significat, et φᾶμα, ατος Dorice pro φῆμα *revelatio*, a φάω pro φαίνω *appareo*, quia scilicet iis tantum diebus Amazones pudenda sua viris nudabant, reliquo anni tempore ab iisdem longe remotæ. (Hinc *Mnesippa* cogn. Rom., quæ scilicet memor est genitalis virilis, in ONOM.). Celebratum fortasse fuit mense Aprili, hoc enim tempore simile quoddam festum agebant Romanæ etiam mulieres. *Verrius Flacc.* in *Cal. Prænest.* apud *Foggin. p.* 38. K. Apr. F. Frequenter mulieres supplicant Fortunæ Virili, humiliores etiam *Veneri* in balineis, quod in iis ea parte corporis utique viri nudantur, qua feminarum gratia desideratur. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 71. *Amazonum responsum.* Sicubi nobis ad naturam (*fortasse legend.* genituram) est consulendum, annuum sacrum est, quod hippophama vocitamus. Ejus sacri causa ad mares nostros, qui ultra amnes extrinsecus perpeluntur, omnes ferme transimus, atque illic per dies XXX. inter hæc, quæ diis aguntur, ubi fuerit ad lubentiam (*lege* adlubentia), nubimus.

HIPPŎPHLŎMOS, i, m. 2. ἱππόφλομος, ab ἵππος, quæ vox in compositione auget significationem, et φλόμος *verbascum*, h. e. majus verbascum. Est genus quoddam mandragoræ. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 94. (148). Album alii arsena, alii morion, alii hippophlomon vocant. De synonymia *V.* in MANDRAGORA.

HIPPŎPHŎBAS, adis, f. 3. ἱπποφοβάς, ab ἵππος *equus* et φόβος *timor*, herba magica. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (161). Eamdem hippophobada appellat (*Democritus*), quoniam equæ præcipue caveant eam.

HIPPŎPHȲES. *V.* HIPPOPHAES.

HIPPŎPŎDES, um, m. plur. 3. ἱππόποδες, populi septemtrionales, in insula apud Basiliam sive Baltiam, dicti a pedibus equinis. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 13. 27. (95).

HIPPŎPŎTĂMUS, i, m. 2. equus fluvialis, seu aquatilis, in Nilo præcipue nascens, binis ungulis, quales sunt bubus, dorso equi et juba et hinnitu, cauda obtorta, dentibus aprorum aduncis, sed minus noxiis, rostro resimo, tergoris ad scuta galeasque impenetrabilia, præterquam si humore madeant. Depascitur segetes, et ex agro ferentibus vestigiis (quum intrat), ne quæ revertenti insidiæ comparentur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 39. (95). V. et *Melam* 1. 9. 3.; *Ammian.* 22. 15.; et *Vopisc. Firm.* 6. Ceterum *Dion* 51. 22. ait, ann. DCCXXV. primum hippopotamum Romæ visum fuisse.

HIPPŎSĔLĪNUM. *V.* HELIOSELINUM.

HIPPŎTŎXŎTÆ, ārum, m. plur. 1. ἱπποτοξόται, sagittarii equestres, *arcieri a cavallo*; ab ἵππος *equus* et τόξον *arcus*. *Cæs.* 3. *B. C.* 4. Ducenti ex Syria missi erant: in his plerique hippotoxotæ. *Auct. B. Afr.* 19. Sagittariis ac funditoribus hippotoxotisque compluribus. Hos *Tac.* 2. *Ann.* 16. et *Curt.* 5. 4. 14. vocant *equites sagittarios*.

HIPPŪRIS, idis. f. ἱππουρίς, herba eadem, quæ anabasis, ephedra et equisetum, cauda equina; ab ἵππος equus et οὐρά *cauda*. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 13. 83. (132).; et *Apul. Herb.* 39. *V.* EQUISETUM. — NB. De nom. propr. *V.* ONOM.

HIPPŪRUS, i, m. 2. ἵππουρος, piscis ex genere locustarum. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 24. (57). et 32. *ibid.* 11. 53. (149). Item *Ovid. Halieut.* 95. Hippuri celeres et nigro tergore milvi.

HIPPUS, i, m. 2. ἵππος, piscis genus, apud *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (146).

HIR, *quod scribitur et ir*, indecl. *Cic.* 2. *Fin.* 8. 23. Quibu' vinum defusum e pleno fiet, hir siphone (ut ait Lucilius) cui nil Dempsit, vis aut sacculus abstulerit. Ita leg. *Goerenzius*: et *Scalig.* in *Append. ad conjectan. Varron.* 4. *L. L.* 26. *edit. vet.* hæc verba ita interpretatur: Lucilius proponit vinum integerrimum et nulla parte periclitans acescere; id quod siphone depletum non est, neque vola manus pitissatum: nam hir est vola manus; et qui vinum furtim deplent, ut gustent, solent id vola manus haurire. *V.* ŒNOPHORUM. *Charis.* 1. *p.* 12. *Putsch.* et *Priscian.* 5. *p.* 618. *Hir* faciunt neutrum et indeclinabile, et interpretantur θέναρ, quod et ipsum volam manus significat. *Voss.* in *Etymol.* deducit a χείρ *manus*, per synecdochen: et recte, nam eodem modo a χῆρος est *heres* et a χεῖμα *hiems*.

HĪRA, æ, f. 1. quæ deminutive dicitur hilla, quam Græci dicunt νῆστιν, intestinum est, quod jejunum vocant. Hæc *Paul. Diac. p.* 101. 6. *Müll.* De ea sic *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *ad fin.* Intestina principalia tria: quorum unum dissiptum vocatur; alterum medium, quod Græci μεσέντερον dicunt; tertium quod veteres hiram vocarunt, habeturque præcipuum intestinorum omnium et cibi retrimenta deducit. Hæc *Macrob.*, qui intestinorum nomine omnia viscera intelligit: *hiras* vero ea solum, per quæ cibus a stomacho ad ima transfertur, *le budella*; quo sensu et *hillæ* usurpantur. Hac eadem significatione *Plaut. Curc.* 2. 1. 22. Pulmones distrahuntur, cruciatur jecur, radices cordis pereunt, hiræ omnes dolent.

HIRCĪNA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

HIRCĪNUS *vel* hirquinus, a, um, adject. ad hircum spectans, *di becco*, τράγειος.

I.) Proprie. *Plaut. Pseud.* 4. 2. 12. Illeus in, qui cum hircina stas barba. *Al. leg.* hirquina. Cf. *Apul.* 11. *Met.* Hircinum barbitium. *Plin.* 20. *Hist. nat. proœm.* (2). Hircinus sanguis adamantem rumpens. Adde *eumd.* 37. *ibid.* 4. 15. (59). Rursus *Id.* 12. *ibid.* 17. 40. (81). Hircinæ pelles. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 19. Hircini folles. *Pelagon.* 6. 2. Adjunges sevi hircini libram. *Prudent. Apotheos.* 621. Hircinum sidus. *h. e.* Capricornus.

II.) Improprie. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 51. Alæ hirquinæ volucres erunt. *h. e.* alæ brachiorum olentes hircum, pilosæ fient. *V.* HIRCUS II. 1. — Hinc

Hircina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est hircina raro. *Gloss. Cyrill.* Τράγειον κρέας, hircina.

HIRCĪPES, pĕdis, adject. omn. gen. hircinos habens pedes. *Capell.* 9. p. 307. Hircipedem (*h. e.* Pana) pandura, Silvanum arundinis coodis fistula sibilatrix, rurestris Faunum tibia decuerunt.

HIRCIPILI. Falsa lectio: *V.* HIRTIPILI et HYSTRICULUS.

HIRCO, as, are, n. 1. vocem lyncis exprimo. *Auct. carm. de Philom.* 51. Dum lynces hircando fremunt, ursus ferus uncat. *Auct. carm. de voc. animal.* 16. in *Anthol. Lat. T.* 2 *p.* 436. *Burmann.* Sic ululare lupos certum est, hircareque lynces.

HIRCŎCERVUS, i, m. 2. τραγέλαφος, animal ex genere cervorum, qui in Arachosia et juxta Phasin amnem reperitur, tragelaphus a *Plin.* 8. *Hist. nat.* 33. 50. (120). dictus, cujus descriptionem exhibet *Cuvierius* in nupera *Plinii* edit. Parisiensi *T.* 6. *p.* 451. *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. ed sec. p.* 307. Hircocervus, quoniam omnino in rebus nulla illi substantia est, falsum aliquid designare videtur, sed non designat aliquam falsitatem. Nisi enim dicatur hircocervus vel esse, vel non esse, quamquam ipse per se non sit, solum tamen dictum nihil falsi in eo sermone verive perpenditur.

HIRCŌSUS, a, um, adject. qui hircinum odorem olet, et speciatim qui olet virus alarum, seu cujus alæ fœtidum spirant odorem, *che sente di becco*, τραγομάσχαλος. *Plaut. Merc.* 3. 3. 14. Plenus ætatis, animaque fœtida, senex hircosus. *Pers.* 3. 77. aliquis de gente hircosa Centurionum. *Seneca fragm.* apud *Gell.* 12. 2. *a med.* Licet scripti sint inter hircosos, possunt tamen inter unguentatos placere. *Prudent. Apotheos.* 201. Hircosus Cynicus. *Martial.* 10. 98. Hircosus subulcus. *Id.* 12. 59. te piloaus Hircoso premit osculo colonus. *h. e.* fœtenti ex oris halitu.

HIRCŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* Hircus, τραγίσκος. ¶ 1. Est parvus hircus. *Catull.* 19. 15. aram Barbatus linit hirculus cornipesque capella. ¶ 2. Est etiam herba cum Gallico nardo nascens; a gravitate odoris et similitudine. Distat ab eo, quod sine cauliculo est, et quod minoribus foliis, quodque radicis neque amaræ, neque odoratæ. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (46).

HIRCUS, i, m. 2. Scribitur et *ircus*; item *hirquus*, teste *Quintil.* 1. 5. 20., præsertim de alarum fœtore usurpatur, aut de angulo oculi, ut mox dicetur. A Sabinis dictus est *fircus* (quemadmodum *fedus* ab iisdem pro *hedus*), ut *Varro* 5. *L. L.* 97. *Müll.* docet. — Ceterum

I.) Proprie hircus est caper, fœdissimum animalium, ut *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (60). vocat, vir gregis caprini, qui jam salire cœpit et fœtere. Hujus sanguis duritiem adamantis rumpit, teste *Plin. loc. cit.* Gr. τράγος (It. *becco, caprone, capro*; Fr. *bouc*; Hisp. *cabron*; Germ. d. *Bock, Ziegenbock*; Angl. *a he-goat, buck*). *Virg.* 3. *G.* 311. Nec minus interea barbas incanaque menta Cinyphii tondent hirci. Adde *Varron.* 2. *R. R.* 3. 2. et 11. et 1. *ibid.* 2. 19.; *Quintil.* 9. 3. 59.; et *Pallad.* 12. *R. R.* 13. 7. *Horat.* de re impossibili, *Epod.* 16. 34. Ametque salsa levia hircus æquora. Sic *Virg.* de re absurda, 3. *Ecl.* 91. Atque idem jungat vulpes et mulgeat hircos. — Nonnullis *hirquus vel hircus* est angulus oculi, *coda dell' occhio*: ductum ab oculis hircorum, qui ardore libidinis oblique aspiciunt, oculis in angulum retortis. *Virg.* 3. *Ecl.* 8. Novimus et qui te transversa tuentibus hirquis. *h. e.* oculis oblique hircorum more intuentibus te præiderint. A-

ptius tamen legas et qui te, transversa, etc. et de hircis animalibus intelligas, qui, dum præcideretis, obliquis oculis, quasi invidendo, te aspexerint: quod *Virg.* ex *Theocr. Edyll.* 5. v. 41. et 42. expressit. — Alia ad hircum pertinentia *V.* in CAPER.

II.) Translate ¶ 1. Hircus, quemadmodum et caper, sæpe significat gravem odorem alarum, qui hircini fœtoris similis est. *Catull.* 71. 1. Si cui, Virro, bono sacer alarum obstitit hircus. *Horat. Epod.* 12. 5. namque sagacius unus odoror, Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis. *Id.* 1. *Sat.* 2. 27. Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum. Adde *eumd. ibid.* 4. 92. ¶ 2. Hinc ipsæ alæ hirci appellantur. *Pelagon. Veterin.* 13. 2. inde, intermisso triduo, in pectore mensura digitos ternos hac atque illac ab hircis, et sic rursus cauteria. ¶ 3. Interdum est convicium hominis immundi et impuri. *Plaut. Most.* 1. 1. 38. Oboluisti allium, germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis. *Id. Cas.* 2. 3. 20. Propter operam illius hirqui improbi et edentuli. ¶ 4. Item convicium hominis libidinosi. *Plaut. Merc.* 2. 2. 1. et 4.; *Catull.* 37. 5; et *Poeta* apud *Sueton. Tib.* 45.

HIRMOS, i, m. 2. εἱρμός, est verborum figura seu schema, de quo hæc *Isid.* 1. *Orig.* 25. Hirmos est sententia continuatæ orationis, tenorem suum usque ad ultimum servans, ut: *Est in secessu longo locus, insula portum* et reliqua. Græce habet etiam *Diomed.* 2. p. 442. *Putsch.*

HIRNEA vel irnea, æ, f. 1. genus vasis vinarii, seu poculi.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 81. Indito in hirneam futilem: eam demittito in aulam aheneam, aquæ calidæ plenam: ita coquito ad ignem. *un boccale. Plaut. Amph.* 1. 1. 273. Cadus erat vini plenus: inde implevi hirneam. et 276. Vini hirneam ebiberim meri. Al. scribunt *irnea*: ac putat *Scalig.* in *Catalect. Virg.* p. 490. olim dictam esse *erneam* ἀπὸ τοῦ ἐρνέου, o in e mutato, quod avis figuram referret. *Non.* p. 546. 28. *Merc.* legit *cirnea*, vel, ut est in quibusdam libris, *cyrnea*.

II.) Improprie pro homine bibace usurpat *Virg. Catal.* 4. Sed, o superbe Noctuine, non vides, Duas habere filias Atilius? Duas, et hanc et alteram, tibi dari? Adeste nunc, adeste, ducit, ut decet, Superbus ecce Noctuinus hirneam. *h. e.* Noctuinus ducturus est uxorem filiam Atilii, hominis vinolenti, quam gener secum habiturus est velut hirneam cum exitio suo et novæ nuptæ. Ita *Heynius* locum interpretatur.

HIRNELLA. *V.* voc. seq.

HIRNŬLA, æ, f. 1. *deminut.* ab hirnea, parva hirnea. *Cic.* 1. *Parad.* 2. 11. Minusne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles hirnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? *V.* ibi adnotata ab *Orell.* — Alia forma *irnela* et, juxta *Forcellinum*, *hirnella* vasis genus in sacris, apud *Paul. Diac.* p. 105. 12. *Müll.*

HIRPEX, icis, *V.* IRPEX.

HIRPUS, i, m. 2. lupus, lingua Sabinorum, ut *Servius* ad *Virg.* 11. *Æn.* 785. scribit, vel Samnitium, ut *Paul. Diac.* p. 106. 1. *Müll.*; ab ἅρπος seu ἅρπαξ *rapax*, ita dictus ab rapacitatem. Hinc Hirpi et Hirpini, de quibus *V.* ONOM.

HIRQUĪNUS. *V.* HIRCINUS.

HIRQUĪTALLIO, is, ire, n. 4. τραγίζω, est hircum lascivia, odore, voce imitari; ab *hirquus* pro *hircus* et θάλλω, quod tum *crescere*, tum *olere* olim significasse videtur, quum etiam apud Latinos *oleo* in compositis *adoleo*, *redoleo*, utramque habeat significationem: aspiratio vero est omissa, quod etiam in *talia* pro *thalia* factum est. *Censorin. de die nat.* 14. In secunda hebdomade, vel incipiente tertia vocem crassiorem et inæquabilem fieri; quod Aristoteles appellat τραγίζειν, antiqui nostri hirquitallire: et inde ipsos putant hirquitallus appellari, quod tum corpus hircum olere incipiat.

HIRQUĪTALLUS vel irquitallus, i, m. 2. puer, qui primum ad virilitatem accedit, seu virilitatem suam experitur; ab *hirquus* et θαλλός seu θάλος *germen*, quia pueri pubescentes hircum incipiunt olere, vocem edunt gravem, subraucam, hircinæ non dissimilem. *Censorin. de die nat.* 14. (*V.* voc. præced.); et *Paul. Diac.* p. 101. 5. *Müll.* et p. 105. 5., qui etiam sine aspiratione scribit. In *Gloss. Philox.* legitur *hirquitalus* et *irquitalus*. Adde *Vel. Long.* p. 2223. *Putsch.*

HIRQUUS. *V.* HIRCUS.

HIRRĪO vel irrio, is, ire, n. 4. *ringhiare, digrignare*, proprium est vocis canum, quum provocantur, quia R multa sonant. *Paul. Diac.* p. 101. 9. *Müll.* Hirrire garrire, quod genus vocis est canis rabiosæ. *Gloss. Philox.* Hirrit, ὅταν κύων ἀπειλῇ ὑλακτῶν. *Sidon.* 7. *Ep.* 3. Veluti est canibus innatum, ut, etsi non latrant, tamen hirriant. Cf. *Lucilius* de littera R, apud *Charis.* 1. p. 100. *Putsch.* Irritata canes quod, homo quam, planiu' dicit.

HIRRĪTUS vel irritus, us, m. 4. vox canum, quum irritantur. *Sidon.* 9. *Ep.* 16. *in carm.* Prodat hirritu rabiem caninо.

HIRSŪTĪA, æ, f. 1. forma hirsuta, *ispidezza*, δασύτης. *Solin.* 25. Sætarum hirsutiæ nullæ.

HIRSŪTUS, a, um, adject. Comp. *Hirsutior* I. et II. — Hirsutus, quod videtur esse ab *hirsus* pro *hirtus*, est spinis, setis, vel pilis horridus, hispidus, hirtus. villosus, ἀκανθώδης, δασύς (It. *spinoso, peloso, irsuto*; Fr. *velu, rude, hérissé*; Hisp. *velludo, erisado, encrespado*; Germ. *struppig, rauh, dicht, dicht bewachsen, behaart*; Angl. *hairy, shaggy, rough, rugged, bristly, prickly, hirsute*).

I.) Proprie. — *a*) De plantis. *Virg.* 7. *Ecl.* 53. Stant et juniperi et castaneæ hirsutæ. *Id.* 3. *G.* 231. Frondibus hirsutis et carice pastus acuta. *Id. ibid.* 444. hirsuti secuerunt corpora vepres. *Propert.* 4. 4. 26. hirsutis brachia secta rubis. *Colum.* 10. *R. R.* 373. hirsuta sæpes nunc horrida rusco. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 116. (176). Philanthropon herbam Græci appellant hirsutam, quoniam vestibus adhærescat. *Sillig.* pro *hirsutam* rectius legit *nasute*. *Id.* 22. *ibid.* 22. 33. (75). Folia hirsutiora. — *b*) De vestibus. *Ammian.* 14. 7. Hirsutis vesticulis. — *c*) De brutis animantibus et de hominibus: et quum de pilis capillisque dicitur, significat subrectos spinarum instar, atque adeo impexos, incomptos, horridos. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 121. Bestiæ aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ. *Colum.* 7. *R. R.* 2. 6. Duo genera sunt ovilli pecoris, molle et hirsutum. *Juvenal.* 5. 155. hirsuta capella. *Propert.* 1. 1. 12. hirsutæ feræ. *Ovid.* 2. *Fast.* 339. fulvi setis hirsuta leonis Vellera. *Propert.* 4. 10. 20. Et galea hirsuta compta lupina juba. *Virg.* 10. *Æn.* 869. Ære caput fulgens cristaque hirsutus equina. *Propert.* 4. 9. 49. Herculis hirsutum pectus. *Martial.* 10. 65. Hirsutis ego cruribus genisque. *Sueton. Cal.* 50. Cetera hirsutus. *Id. Tib.* 45. Senex hirsutus. *Virg.* 8. *Ecl.* 34. hirsutum supercilium. *Ovid.* 2. *Met.* 30. Et glacialis Hiems canos hirsuta capillos. *Id. Heroid.* 9. 63. hirsuti capilli. *Curt.* 9. 10. 9. Comæ hirsutæ et intonsæ. *Ovid.* 13. *Met.* 766. hirsuta barba. — *d*) Et de antiquis hominibus. *Sil. It.* 13. 812. hirsutos quum sperneret olim Gens vicina procos. *h. e.* primos illos Quirites sub Romulo, intonsos, impexos, incomptos, rusticos. *Martial.* 9. 48. Hirsutæ imagines. *scil.* priscorum virorum. *Juvenal.* 2. 40. Tertius e cœlo cecidit Cato. Sed tamen unde Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo Quæ tibi? Sic, intonsus Cato, *Horat.* 2. *Od.* 15. 11. et incomptis Curius capillis, *Id.* 1. *ibid.* 12. 41.

II.) Translate. *Ovid.* 2. *Trist.* 259. Sumpserit Annales: nihil est hirsutius illis. *h. e.* incomptum magis horridumque et severum ac nullis deliciis adspersum. *Prudent. Apotheos.* 60. peccata malis hirsuta doloribus.

HIRTĪCŬLUS, a, um, adject. deminut. hirti. *Gloss. Philox.* Hirticulus, δασύθριξ τις.

HIRTĪPĪLI durorum pilorum homines. *Paul. Diac.* p. 101. 4. *Müll.* *Forcellinus* legendum putat *hystriculi*. *V.* HYSTRICULUS.

HIRTŪŌSUS, a, um, adject. hirtus, ut Hirtuosus deus, h. e. Pan, *Apul.* 5. *Met.*, sed al. leg. *hircosus*.

HIRTUS, a, um, adject. Comp. *Hirtior* I. — Hirtus est idem quod hirsutus, hispidus, villosus, λάσιος, δασύς (It. *irsuto, spinoso, villoso, arricciato*; Fr. *qui a des pointes, des aspérités, rude, hérissé*; Hisp. *rudo, tosco*; Germ. *struppig, rauh, dichtbewachsen*; Angl. *rough, shaggy, hairy*).

I.) Proprie. — *a*) De plantis et locis. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 13. hirtaque dumis saxa. Cf. *Ammian.* 27. 10. Per hirta dumis. *h. e.* loca. *Prudent.* 9. περὶ στεφ. 53. æquor hirtum. *h. e.* planities non lævigata, scabra. *Id.* 11. *ibid.* 120. spinigeris stirpibus hirtus ager. *Colum.* 10. *R. R.* 27. humus sepibus hirtis claudatur. *spinose. Apul. Herb.* 71. Hirtiora folia. — *b*) De vestibus. *Nepos Datam.* 3. Duplici amiculo circumdatus hirtaque tunica. *Lucan.* 2. 386. Hirtam membra super, Romani more Quiritis, induxisse togam. Adde *Quintil.* 12. 10. 47.; et *Tac. Dial. de orat.* 26. Sic *Lamprid. Alex. Sev.* 32. Hirtæ chlamydes. — *c*) De brutis et hominibus, et præcipue de capillis. *Varro* 2. *R. R.* 2. 19. Harum (ovium *Tarentinarum* et *Atticarum*) præsepia ac stabula ut sint pura, majorem adhibent diligentiam, quam hirtis. *Virg.* 3. *G.* 55. hirtæ bovis aures. *Colum.* 1. *R. R.* procem. 26. et 7. *ibid.* 4. 4. Hirtum pecus. *Id.* 8. *ibid.* 2. 10. Avium femora frequenter horrentibus plumis hirta. *Prudent.* 7. *Cathemer.* 62. Hirtæ bestiarum pelles. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 70. (184). Hirto corde gigni quosdam homines proditur. *peloso. Curt.* 4. 13. 5. Scythis hirta ora et intonsas comas esse. *h. e.* impexis barbis obsita. *Sil. It.* 16. 121. Hirta frons. Adde *Val. Flacc.* 1. 777. *Ovid.* 13. *Met.* 850. Barba viros hirtæque decent in corpore setæ. *Id.* 8. *ibid.* 801. hirtus crinis. *Curt.* 5. 6. 18. Comæ prominent hirtæ. *Ovid.* 10. *Met.* 425. hirta canities.

II.) Translate. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 22. non tibi parvum ingenium, non incultum est et turpiter hirtum. *Vell.* 2. 11. C. Marius hirtus atque horridus, vita sanctus. Idem *Marius* inducitur apud *Sall.* hæc dicens *Jug.* 85. Sordidum me et incultis moribus ajunt.

HĪRŪDO, inis, f. 3. βδέλλα (It. *sanguisuga, mignatta*; Fr. *sangsue*; Hisp. *sanguijuela*; Germ. *Blutigel*; Angl. *a leech, horse-leech, blood-sucker*).

I.) Proprie est insectum palustre, *sanguisuga* etiam dictum, quoniam ejus est usus ad extrahendum sanguinem. Quippe eadem ratio earum, inquit *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 42. (123). quæ cucurbitarum, ad corpora levanda sanguine, spiramenta laxanda, judicatur. Admotæ venis, rostri telo perforant statim, sanguinque avide, nec, nisi saturatæ decidunt, et pondere ipso sanguinis detractæ, aut salo aspersæ. *Plaut. Epid.* 2. 2. 4. Jam ego me convortam in hirudinem, atque eorum exsugebo sanguinem. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 18. 1.

II.) Improprie. *Horat. Art. P.* 476. Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo, Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo. *Cic.* 1. *Att.* 16. *a med.* illa concionalis hirudo ærarii, misera ac jejuna plebecula.

HĪRUNDĬNEUS, a, um, adject. hirundininus. *Sueton.* 2. *Ep.* 14. Usque ad adventum hirundineum, aut ciconium. *V.* etiam ARUNDINEUS.

HĪRUNDĬNĪNA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

HĪRUNDĬNĪNUS, a, um, adject. ad hirundinem pertinens, *di rondinella*, χελιδόνειος. *Plaut. Rud.* 3. 1. 12.; et *Martial.* 11. 18. Hirundininus nidus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 46. (134). sanguis. *Marcell. Empir.* 15. sub init. pullus. Adde *Celsi loc. cit.* in adverb. VULGO. — Hinc

Hirundinina, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, subaudi *herba*, est herba eadem quæ *chelidonium* apud *Apul. Herb.* 73.

HĪRUNDO, inis, f. 3. ¶ 1. Est avis initio veris ad nos transvolans, auctumno ad calidiores plagas migrans, in tectis nidificans. De earum triplici genere deque solertia in nidis ædificandis, *V. Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (92). item *ibid.* 24. 31. (70)., ubi alia mira de his. Gr. χελιδών (It. *rondine, rondinella*; Fr. *hirondelle*; Hisp. *golondrina*; Germ. *d. Schwalbe*; Angl. *aswallow*). *Plaut. Rud.* 3. 1. 12. Natas ex Philomela atque ex Progne esse hirundines. *Virg.* 1. *G.* 377. Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo. *Id.* 12. *Æn.* 473. Nigra velut magnas domini quum divitis ædes Pervolat, et pennis alta atria lustrat hirundo, Pabula parva legens nidisque loquacibus escas. *Ovid.* 2. *Fast.* 853. prænuncia veris hirundo. *V. Annal. dell' Instit. archeol. a.* 1835. p. 238. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 13. te, dulcis amice, reviset Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima. — Hirundinis pullos suos nutrientis luculentam descriptionem habes apud *Coripp.* 4. *Laud. Justin.* 256.-263. — Brumalis hirundo est, quæ hiemis tempore apud nos moratur. *Claudian.* 1. in *Eutrop.* 118. Arboris immoriter trunco brumalis hirundo. — Adhibetur et in blanditiis amantium. *Plaut. Asin.* 3. 3. 104. Dic me anaticulam, hirundinem, monedulam etc. — Apud *Lucret.* 3. 6. quid contendat hirundo cygnis. *proverb.* cantu enim hirundo a cygnis longe vincitur. — De hirundine

fabulam *V.* in PHILOMELA. ¶ 2. Est etiam piscis marinus hoc nomine, perquam similis volucri, et volans aliquanto super undas spatio. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 27. 43. (81).

HISCO, is, ere, 3. *inchoat. ab* hio, quemadmodum et *hiasco.* — Part. *Hiscens* sub *A.* 1. — Hiscere est *A)* Verbum neutrum; et *B)* Activum.

A) Neutrorum more hiscere est hiare, aperiri, findi, χαίνω (It. *aprirsi*; Fr. *s'entr'ouvrir, se fendre, s'entrebailler*; Hisp. *abrirse*; Germ. *sich öffnen, aufthun, klaffen*; Angl. *to gap, yawn, chinck*). ¶ 1. Generatim. *Lucret.* 6. 1068. vitio venæ tabularum sæpius hiscunt. Adde *eumd.* 4. 61. et 102. *Ovid.* 1. *Met.* 546. tellus, ait, hisce, vel istam, Quæ facit, ut lædar, mutando perde figuram. *Id. Heroid.* 6. 144. terra hiscit. Sic *Poeta* apud *Quintil.* 9. 2. 26. magnæ nunc hiscite terræ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (108). Rima hiscit. *Plaut. Pseud.* 4. 1. 42. Tace: ædes hiscunt. *h. e.* patent, aperta janua. *Manil.* 4. 534. et scandat (*Leo*) malis hiscentibus orbem. ¶ 2. Speciatim ac sæpius dicitur de his, qui os aperiunt ad loquendum, *aprir bocca. Cic.* 2. *Phil.* 43. 111. Respondebisne ad hæc? aut omnino hiscere audebis? *Liv.* 6. 16. Nec attollere oculos, aut hiscere audebant. Sic *Curt.* 6. 9. 33. Non hiscere audebat. et *Gell.* 15. 9. Petebant omnes, ut vel unum statim diceret. Sed quum homo vultum intorqueret et non hisceret et colores mutaret; tum ego etc. *Ammian.* 14. 1. Nec hiscere, nec loqui permissus. *Plin. Paneg.* 76. Quis hiscere audebat? *Ovid.* 11. *Met.* 566. Dum natat, absentem, quoties sinit hiscere fluctus, Nominat Alcyonem. *Virg.* 3. *Æn.* 313. vix pauca furenti Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco. *h. e.* hæsitabundus loquor. *Liv.* 39. 12. Tantus pavor tremorque membrorum mulierem cepit, ut diu hiscere non posset. Cf. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 131. *Scribon. Compos.* 84. Quum præsertim Asclepiades etiam pluribus usus sit argumentis in hac re: neque ei quisquam contradixit. Quis enim adversus veritatem hiscere potest?

B) Active, seu cum Accusativo apud Poetas hiscere est loqui, *parlare*. *Accius* apud *Non.* p. 120. 30. *Merc.* Item vereor, plus quam fas est captivum hiscere. *Ovid.* 13. *Met.* 231. Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quicquam Ausit. Cf. *Juvenal.* 5. 127. Hiscere si quid unquam tentaveris etc. *Propert.* 3. 2. 4. Visus eram – Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum Tantum operis nervis hiscere posse meis. *V.* ejusd. *Propert.* locum similem in HIO.

HISPĀNĒ, adverb. *spagnolescamente*, more hispano. *Ennius* apud *Charis.* 2. p. 180. *Putsch.* Hispane, non romane memoretis loqui me.

HISPĬDO, as, are, a. 1. hispidum facere. *Solin.* 46. Spinosis fastigiis hispidatur. *Salmas.* legit *hispida turgescit.*

HISPĬDŌSUS, a, um, adject. pilosus, hispidus. *Catull.* 16. 10. Non dico pueris, sed hispidosis. *Al. rectius leg.* his pilosis.

HISPĬDUS, a, um, adject. pilis densus et horridus, hirsutus, hirtus, λάσιος (It. *ispido, irsuto*; Fr. *hérissé, rude, âpre, raboteux*; Hisp. *rudo, tosco, erisado, encrespado*; Germ. *struppig, rauh, dichtbewachsen*; Angl. *hairy, shaggy, rough, bristly, prickly, thorni, rugged*).

I.) Proprie. *Horat.* 4. *Od.* 10. 5. Facies hispida. barbula. *Virg.* 10. *Æn.* 210.; et *Val. Flacc.* 6. 533. frons. *Juvenal.* 2. 11. membra. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 5. 4. (9). Nereidum corpus squamis hispidum. *Phædr.* 5. 10. Hispida sus. *Martial.* 3. 58. mater. *h. e.* capella feta. *Apul.* 8. *Met.* Aper setis hispidus. *Ammian.* 24. 5. Armis hispidi apri. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 6. 7. (17). Herbæ aspectu hispidæ, tactu truces. *h. e.* horridæ. *Colum.* 10. *R. R.* 235. hispida cinara. *Ammian.* 30. 1. catila. *Horat.* 2. *Od.* 9. 1. Non semper imbres nubibus hispidos Manant in agros. *h. e.* squalidos et incultos, ut hiemis tempore, vel quum messis inhorruit campis, ut ait *Virg.* 1. *G.* 314. — Cum Accus. *Val. Flacc.* 1. 612. Eurus crinem procellis hispidum. — Hypallages genus est in illo *Stat.* 6. *Theb.* 867. sic hispida turpes Prælia villosis ineunt complexibus ursi. *h. e.* ipsi hispidi.

II.) Translate. *Gell.* 10. 3. *a med.* Si quis est tam agresti aure ac tam hispida, quem lux ista et amœnitas orationis parum delectat. *h. e.* inerudita, indocta.

HISTER. *V.* HISTRIO init. — De nom. prop. *V.* ONOM.

HISTON, ōnis, m. 3. ἱστών, ῶνος, locus ubi texitur, textrinum: ut *andron* est locus, ubi plures viri versantur. *Varro* 1. *R. R.* 2. 21. Ut si habeas plures in fundo textores atque institutos histonas.

HISTŎRĬA, æ, f. 1. narratio et expositio rerum gestarum; ab ἵστωρ *sciens*, ἱστορία (It. *storia, istoria*; Fr. *histoire, récit historique*; Hisp. *historia*; Germ. d. *Geschichts erzählung, Geschichtschreibung, Geschichte*; Angl. *history*).

I.) Proprie. *a)* Apud Romanos ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Scævolam Pont. Max. historia nihil aliud fuit, nisi annalium confectio. Post Scævolam historia scribi cœpta est a M. Catone, a Fabio Pictore, ab Antistio Pisone. Sed hi veterem similitudinem scribendi secuti sine ullis ornamentis, monimenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt. Primus, qui ornate historiam scriberet, Cælius Antipater exstitit, qui fuit familiaris L. Crassi oratoris. Hæc ex *Cic.* 2. *Orat.* 12. 51. et seq. *V.* etiam 1. *Legg.* 2. 5.; et a nobis dicta in ANNALIS. Notas, quibus distinguuntur inter se historia et oratio, apte enumerat *Plin.* 5. *Ep.* 8. Quid vero distet historia ab annalibus et diariis, docet *Gell.* 5. 18. — *b)* Historiæ leges apud *Cic.* 2. *Orat* 15. 62. hæ sunt: prima, ne quid falsi dicere audeat; deinde, ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. V. *Tac.* 1. *Hist.* 1. — *c)* In sing. num. *Cic.* 2. *Orat.* 9. 36. Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis, qua voce alia, nisi oratoris, immortalitati commendatur? *Id. ibid.* 12. 51. Summi oratoris est, historiam scribere. Sic *Sueton. Cæs.* 56. et *Claud.* 41.; et *Justin. præfat.* 2. Historiam scribere. *Flor.* 2. 19. 5. conscribere. Rursus *Cic.* 1. *Legg.* 2. 5. Historiam tractare. *Id. ibid.* 3. 9. instituere et absolvere. *Id.* 5. *Fam.* 12. Quia videbam Italici belli et civilis historiam jam a te pæne esse perfectam. *Sueton. Gramm.* 10. Historiam componere. *Id. Domit.* 20. Historiæ operam dare. *Id. Galb.* 3. Historiam edere. *Justin. præfat.* 1. Res Romanas in historiam conferre. *Cic.* 1. *Legg.* 1. 5. Quamquam et apud Herodotum, patrem historiæ, et apud Theopompum sunt innumerabiles fabulæ. *Quintil.* 2. 5. 19. Hic (*Sallustius*) historiæ major est auctor. *Ovid. Ib.* 522. Conditor historiæ. *Cic.* 2. *de republ.* 18. Laudandus iste rex (*Ancus Martius*), sed obscura est historia Romana, siquidem istius regis matrem habemus, ignoramus patrem. *Quintil.* 1. 8. 20. Quum historiæ cuidam tamquam vanæ repugnaret. *Id.* 2. 5. 1. Si historiæ lectione discipulos instruxerit. — *d)* In plur. num. *Cato* apud *Gell.* 3. 7. Leonides Laco, qui simile apud Thermopylas fecit, propter ejus virtutes omnis Græcia gloriam atque gratiam præcipuam claritudinis inclitissimæ decoravere monumentis, signis, statuis, elogiis, historiis aliisque rebus. *Cic.* 2. *Divinat.* 32. 69. Simia improbitatem historiis Græcis mandatam esse demiror. *Horat.* 2. *Od.* 12. 9. tuque pedestribus Dices historiis prœlia Cæsaris. *Quintil.* 10. 2. 7. Nihil in historiis supra Pontificum annales haberemus. *Id.* 12. 4. 1. Quæ (*exempla*) conscripta sunt historiis. *Id.* 3. 8. 49. Historiarum scriptor. *Id.* 2. 18. 5.; et *Sueton. Claud.* 42. Historias scribere. *Justin. præfat.* 1.; et *Plin.* 1. *Ep.* 1. Totius orbis historias Latino sermone componere. *Quintil.* 3. 8. 67.; et *Juvenal.* 7. 231. Historias legere. *Juvenal.* 6. 450. Historias scire. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 2. Historiæ loquuntur. — *e)* Apud *Plaut. Men.* 2. 1. 23. *historiam scribere* dicuntur ii, qui omnia suis oculis videre volunt, quo tota plane sit fides.

II.) Translate. ¶ 1. Abstracta significatione accipitur pro quavis narratione: hinc *a)* Pro narratione vera, pro quavis descriptione, interpretatione seu expositione. *Res historia digna* dicitur, quæ magni est momenti et scitu digna, scilicet quæ digna est, ut narretur et exponatur. *Cic.* 2. *Att.* 8. Si quid in ea epistola fuit historia dignum, scribe quamprimum, ne ignoremus. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 89. amaras Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit. *Quintil.* 2. 4. 19. Græcis historiis poetica est licentia. — Hinc *Plinii* opus de *Historia naturali* inscribitur. Et Corn. Alexandrum, propter antiquitatis notitiam, Polyhistorem multi, quidam Historiam vocabant, teste *Sueton. Gramm.* 20. — *b)* Pro narratione fabulosa. *Propert.* 1. 1. 16. Maxima de nihilo nascitur historia. *Id.* 4. 1. 119. Hactenus historiæ: nunc ad tua devehor astra. *Horat.* 3. *Od.* 7. 19. et peccare docentes Fallax historias movet. *Ovid.* 2. *Amor.* 4. 44. Omnibus historiis se meus aptat amor. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu a *Propert.* dicitur *historia* is ipse, qui historiæ materia et argumentum est, 1. 15. 23. Quarum nulla tuos potuit convertere mores, Tu quoque uti fieres nobilis historia.

HISTŎRĬĀLIS, e, adject. ad historiam pertinens, ut Historiale opus dicitur in hortis varia arborum aut herbarum dispositio, qua venationes, animalia, ædificia, et hujusmodi aspectu grata repræsentantur. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 33. 60. (140). *de cupressu.* Trahiturque etiam in picturas operis historialis. *Harduin.* (et *Sillig.*) legit *topiarii*, neque tamen alteram lectionem damnat. *Sidon.* quoque hanc vocem usurpat, 6. *Ep.* 12. Venerabilis patriarchæ Joseph historialem diligentiam comparemus. *h. e.* quam sacra narrat historia. *Isid.* 1. *Orig.* 40. Unde Sallustius ex historialibus, Eusebius et Hieronymus ex annalibus et historia constat.

HISTŎRĬCĒ, adverb. more historicorum, *istoricamente*, ἱστορικῶς. *Plin* 2. *Ep.* 5. Descriptiones locorum non historice tantum, sed prope poetice prosequi fas est. *Vitruv.* 6. 10. Atlas enim historice formatur sustinens mundum. *Schneider.* vero hanc lectionem damnat et legit *historiā.*

HISTŎRĬCĒ, es, f. 1. ἱστορική. ¶ 1. Est pars grammaticæ, quæ in auctore aliquo explanando versatur, ut docet *Quintil.* 1. 9. 1. Et finitæ quidem sunt partes duæ, quas hæc professio pollicetur, id est ratio loquendi et enarratio auctorum: quarum illam methodicen, hanc historicen vocant. ¶ 2. Est etiam pars quædam poeseos. *Diomed.* 3. p. 480. *Putsch.* Exegetici vel enarrativi poematis species sunt tres, angeltice, historice, didascalice: – historice est, qua narrationes et genealogiæ componuntur.

HISTŎRĬCUS, a, um, adject. ad historiam pertinens, *istorico, storico*, ἱστορικός. *Cic. Brut.* 83. 286. Earum rerum historiam non tam historico, quam oratorio genere perscripsit. *Ovid.* 3. *Amor.* 12. 42. Exit in immensum fecunda licentia vatum, Obligat historica nec sua verba fide. *Quintil.* 10. 1. 33. Historicus nitor. *Id.* 3. 8. 53. prosopopœiæ. *Vopisc. Aurel.* 12. eloquentia. *Cic. Mur.* 7. 16. Tua nobilitas, tametsi summa est, tamen hominibus litteratis et historicis est notior, populo vero obscurior. — Hinc

Historicus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est historiarum scriptor. *Cic. Topic.* 20. 78. Oratores, philosophi, poetæ, historici. Adde *Nepot. Alcib.* 11. et *Con.* 5.; *Sueton. Tib.* 61.; *Justin. præfat.* 3.; *Juvenal.* 7. 104.; et *Quintil.* 1. 6. 2., 2. 4. 19. et alibi sæpe.

HISTŎRĬŎGRĂPHUS, i, m. 2. ἱστοριογράφος, qui historias conscribit. *Capitolin. Gordian.* 11. *prope fin.* Ea debent in historia poni ab historiographis, quæ aut fugienda sint aut sequenda. *Theod. Priscian.* 4. 2. *ante med.* Historiographus Herodotus. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 1. *ante med.* Theopompus historiographus. Adde *Ambros. Ep.* 42.

HISTRĬCŌSUS. *V.* HYSTRICOSUS.

HISTRĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* histrio, parvus histrio. *Gloss. Philox.* Histriculus, λογοποιός.

HISTRĬCUS, a, um, adject. ad histrionem pertinens, ὑποκριτικός. *Plaut. Pœn. prol.* 4. Audire vos jubet imperator histricus. *Id. ibid.* 44. Hæc, imperata quæ sunt pro imperio histrico.

HISTRĬO, ōnis, m. 3. Etruscorum lingua, teste *Liv.* 7. 2., *hister* dicebatur; unde *histricus* et deminut. *histriculus.* — Histrio est ludio, qui personatus in scenis fabulas agit: ab *hister.* quæ vox Tuscis significabat ὀρχηστήν, h. e. saltatorem, qui et ludio vocatur. A Tuscis enim rem et vocem Romani accepere, ut *Liv.* 7. 2. et *Val. Max.* 2. 4. n. 4. tradunt: neque audiendus videtur *Paul. Diac.*, qui p. 101. 1. *Müll.* inde dictos putat, quod primum ex Histria venerint. Gr. ὑποκριτής, μῖμος (It. *istrione, commediante*; Fr. *acteur, histrion, comédien*; Hisp. *histrion, comediante*; Germ. d. *Schauspieler*; Angl. *a placy-actor, stage-player, comedian*).

I.) Proprie. — *a)* Generatim. *Plaut. Amph. prol.* 69. Sive qui ambissent palmam histrionibus.

Adde *eumd. Capt. prol.* 13. et alibi. *Cic.* 3. *Fin.* 7. 24. Ut histrioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est datus. *Id.* 3. *Parad.* 2. 26. Histrio si paullum se movit extra numerum, aut si versus pronunciatus est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur. *Id.* 2. *Orat.* 46. 193. Quum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur, spondaulia illa dicentis etc. *et paullo post.* Quæ si ille histrio, quotidie quum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat etc. *Id. Rosc. Com.* 10. 30. Nemo enim sicut ex improbo patre probum filium nasci, sic ex pessimo histrione bonum comœdum fieri posse existimaret. *Quintil.* 6. 2. 35. Vidi ego sæpe histriones atque comœdos, quum ex aliquo graviore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi. *Sueton. Ner.* 39. Atellanarum histrio. *Id. Cæs.* 33. Edidit ludos per omnium linguarum histriones. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (185). M. Ofilius Hilarus, comœdiarum histrio. *Id.* 35. *ibid.* 12. 46. (163). Æsopus tragœdiarum histrio. *Id.* 37. *ibid.* 2. 6. (17). Nero sceptra personis histrionum et cubilia amatoria unionibus construebat. *Sillig.* vocem *histrionum* glossema esse recte putat. *Fronto* 1. *de orat.* (edente iterum *A. Maio*) p. 232. Uti clipeo te Achillis in orationibus oportet, non parmulam ventilare, neque hastulis histrionis ludere. *Tac.* 1. *Ann.* 73. Histrionem interesse ludis. Adde *Sueton. Aug.* 43., *Cal.* 54., *Tib.* 37. et alibi sæpe; *Juvenal.* 7. 90.; *Martial.* 9. 84.; et *Plin. Paneg.* 54. — *b*) De pantomimo dixit *Tac.* 1. *Ann.* 54.; quod et de mimo confirmat *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *ante med.* Absunt ridiculi vestitu et vultibus histriones, pigmentis multicoloribus Philistionis supellectilem mentientes. *scil.* Philistio mimorum fuit scriptor. — Huc fortasse pertinent et illa *Fronton.* ad *Verum* p. 182. *edit. Rom.* Imperarent gestu, censeo, ut histriones; aut nutu, ut muti. *Hieronym.* 2. *in Jovinian. n.* 8. Si quispiam delectetur athletarum certamine, si nobilitate histrionum, si formis mulierum. *Id. Ep.* 43. *n.* 2. In theatralibus scenis unum atque idem histrio nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem. *Lactant.* 6. 20. *a med.* Histrionum quoque impudicissimi motus, quid aliud, nisi libidines docent et instigant? quorum enervata corpora et in muliebrem incessum habitumque mollita impudicas feminas inhonestis gestibus mentiuntur. *Apul. Florid. n.* 18. Mimus hallucinatur, comœdus sermocinatur, tragœdus vociferatur, funirepus periclitatur, præstigiator furatur, histrio gesticulatur, ceterique omnes ludiones ostentant populo, quod cujusque artis est. — *c*) Per figuram ἓν διὰ δυοῖν *Sueton. Aug.* 74. Aut acroamata et histriones, aut etiam triviales ex circo ludios (*cœnæ*) interponebat ac frequentissime aretalogos.

II). Translate et urbane *histrio* dicitur de vano homine et falsa jactante gloriæ causa, *cerretano. Cels.* 5. 26. *n.* 1. Ut hæc prudenti viro conveniunt: sic rursus histrionis est parvam rem attollere, quo plus præstitisse videatur.

HISTRĬŌNĀLIS, e, adject. ad histriones pertinens, *comico. Tac.* 1. *Ann.* 16. Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua, et miscere cœtus histrionali studio doctus. *h. e.* favore erga histriones. *Id. Dial. de orat.* 29. Histrionalis favor, et gladiatorum equorumque studia. *Id. ibid.* 26. Histrionales modos exprimere.

HISTRĬŌNĬA, æ, f. 1. (*subaudi* ars) est histrionis ars, *l'arte del commediante*, ὑποκριτική. *Plaut. Amph. prol.* 90. Quasi novum nunc proferatur, Jovem facere histrioniam.

HISTRĬŌNĬCA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

HISTRĬŌNĬCUS, a, um, adject. histrionalis, *comico. Ulp. Dig.* 32. 1. 73. Servi, quorum operas locabat vel pistorias, vel histrionicas. *Ammian.* 14. 6. Histrionicus gestus. *Capitolin. Ver.* 8. *in fin.* Ut videretur bellum non Parthicum, sed histrionicum, confecisse. — Hinc

Histrionica, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est eadem quæ histrionia, scil. histrionis ars. *Petron. Satyr. fragm.* p. 673. *Burmann.*; *Lamprid. Helagab.* 12. Histrionicam facere. Rursus *Petron. Satyr.* 5. Histrionicæ addictus.

HISTRIX. *V.* HYSTRIX.

HITTA, æ, f. 1. membrana mali granati, idem ac floccus. *Gloss. Philox.* Hitta, ὑμὴν ῥοιᾶς.

HITTĪO, is, ire, n. 4. est verbum proprium canum vestigia indagantium cum aliqua vocis nictatione, ut ait *Scalig.* ad *Paul. Diac.* p. 99. 16. *Müll.* V. NICTO, is. *Gloss. Pilox.* Hittio, ἰχνεύω.

HITTUS, us, m. 4. vox canis vestigia indagantis. *Gloss. Philox.* Hittus, φωνὴ κυνός.

HĪULCĀTUS, a, um. *V.* HIULCO.

HĪULCĒ, adverb. aperte, διεσχισμένως; sed translate tantum occurrit de oratione. *Cic.* 3. *Orat.* 12. 45. Ex quo sic locutum esse ejus patrem judico, sic majores non aspere, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et æquabiliter et leniter. *h. e.* frequenti et insubido vocalium concursu. *V.* HIATUS et HIULCUS II. 2.

HĪULCO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Hiulcatus.* — Hiulcare est hiulcum facere, aperire, findere, *aprire, fendere*, σχίζω, διασχίζω. *Catull.* 67. 62. Quum gravis exustus æstus hiulcat agros. *Fortunat.* 6. *carm.* 12. 6. Et per hiulcatos fervor anhelat agros.

HĪULCUS, a, um, adject. ab *hio*, hians, apertus, fissus, fatiscens, διεσχισμένος (It. *aperto, spaccato, fesso*; Fr. *entr'ouvert, fendu, ouvert, crevassé*; Hisp. *abierto, hendido, resquebrajado*; Germ. *klaffend, offen, geöffnet, von einander gespalten*; Angl. *gaping, broken or cleft into chinks, chapping*).

I.) Proprie. *Virg.* 2. *G.* 353. ubi hiulca siti findit Canis æstifer arva. *Stat.* 4. *Theb.* 708. Et patris undosi sonitus exspectat hiulca Ægyptus. *Id.* 9. *ibid.* 450. hiulcæ venæ fluminis. *Solin.* 38. *sub fin.* Mons Taurus, ubi dehiscit hiulcis jugis, facit portas Armenias, Caspias etc. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 205. hiulca nubes. Sic *Id.* 2. *Rapt. Pros.* 230. hiulci nimbi. *h. e.* nubes dehiscentes. *Sidon.* 6. *Ep.* 7. Hiulcum vulnus. *Claudian. præf. ad III. cons. Honor.* 4. Ovaque maternus rupit hiulca tepor. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 452. mucrone hiulco scindere latus viri. *h. e.* unguibus ferreis. Sic *Id.* 5. *ibid.* 113. hiulcis ictibus nudare costarum abdita.

II.) Translate. ¶ 1. Poetice et active. *Stat.* 1. *Theb.* 26. hiulcum fulmen. *h. e.* omnia findens et hiare faciens. ¶ 2. *Hiulca oratio* dicitur, in qua nimius est vocalium concursus: *V.* HIO II. 1. et HIATUS II. 1. *Cic.* 3. *Orat.* 43. 171. Struere verba sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et lævis. *Id. Orat.* 44. 150. Ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat, aut asperas. Sic *Capell.* 5. p. 168. Hiulcæ sunt (voces), quum in ea parte quam diximus similes vocales ac similiter longæ collisam hiantemque structuram faciant, ut si quis dicat suscepisse se liberos secundo omine. *Quintil.* 9. 4. 36. Nonnunquam hiulca etiam decent faciuntque ampliora quædam. ¶ 3. De hominibus est cupidus, avarus, quasi hianti ore prædam captans: *V.* HIO II. *Plaut. Trin.* 2. 2. 6. Novi ego hoc sæculum, moribus quibus sit —; rapax, avarus, invidus, sacrum profanum, publicum privatum habent, hiulca gens.

HO

HO! interjectio admirantis. *Ter. Phorm.* 5. 7. 52. Ho! tune is eras? *Pleriqua tamen libri habent* oh.

HOC. *V.* HIC.

HŎDĪDŎCOS vel hodœdocos, vel hododocos, i, m. 2. *assassino*, ὁδοιδόκος ab ὁδὸς *via* et δοκάω *exspecto*, ut latro et obsessor viarum. *Paul. Diac.* p. 103. 1. *Müll.*

HŎDĬĒ, adverb. Ratione habita etymi, est per syncopen pro *hoc die*, vel pro *hoi die*, quum scilicet demonstrativa particula *ce* nondum cum pronomine coaluerat; (quamquam *Mar. Victorin. de orthogr.* ait 1. p. 2457. *Putsch.* Hactenus autem et hodie scribimus, non, ut antiqui, haccetenus, hocedie): significat autem hoc die, σήμερον (It. *oggi*; Fr. *aujourd'hui, en ce jour*; Hisp. *hoy*; Germ. *heute*; Angl. *to day*).

I.) Proprie. — *a*) Cum opposito *heri* vel *cras*. *Cic.* 13. *Att.* 9. Commodum discesseras heri, quum Trebatius venit, paullo post Curtius: hodie mane Dolabella. *Id.* 13. *ibid.* 30. Quem quidem negat Eros hodie: cras mane putat. *Ovid.* 1. *Remed. am.* 94. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Adde *Horat.* 1. *Ep.* 16. 33. — *b*) Sine oppositis. *Plaut. Amph.* 2. 2. 111. Tu dic, egone abs te abii hinc hodie cum diluculo? *Id. Asin.* 3. 3. 40. Hodie numquam ad vesperum vivam! *Ter. Andr.* 2. 1. 22. Si id facis, hodie postremum me vides. *Id. Eun.* 1. 2. 125. Is hodie venturum ad me constituit domum. *Cic.* 2. *Verr.* 10. 31. Nonæ sunt hodie Sextiles: hunc diem jam ne numerat quidem. *Id.* 14. *Phil.* 5. 14. Pridie Vinalia, qui dies hodie est. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 69. Hodie tricesima sabbata. *Id.* 1. *Ep.* 7. 70. Si cœnas hodie mecum. *Cæs.* 3. *B. C.* 91. Faciam hodie, imperator, ut aut vivo mihi aut mortuo gratias agas. Adde *Virg.* 3. *Ecl.* 49. et 2. *Æn.* 670. — Locum habet etiam in salutationibus. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 15. Hodie nate salve. — *c*) Aliquando ponitur pro usque ad hanc diem. *Plaut. Pers.* 4. 3. 2. Ego hodie compendifeci binos panes in dies. Ita ancilla mea, quæ fuit hodie (*h. e.* usque ad hanc diem), sua nunc est: jam hodie alienum cœnabit. — *d*) Significat etiam hac nocte. *Ovid.* 2. *Fast.* 75. Illa nocte aliquis, tollens ad sidera vultus, Dicet: ubi est hodie, quæ Lyra fulsit heri?

II.) Improprie. — *a*) *Hodie* latiore significatione ponitur pro nunc, hoc tempore, *oggidì, oggigiorno. Ter. Eun.* 5. 9. 1. Ecquis me vivit hodie fortunatior? *Cic.* 2. *de republ.* 2. Ut omnes, qui tum eos agros, ubi hodie est hæc urbs, incolebant etc. *Id. ibid.* 9. Tunc id, quod retinemus hodie magna cum salute reipublicæ, auspiciis plurimum obsecutus est Romulus. *Id. Amic.* 12. 43. Mihi non minori curæ est, qualis respublica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit. *Id. Cæl.* 2. 3. Dignitatem semper in M. Cælio habitam esse summam, hodieque haberi. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 3. Hodie stat Asia Luculli institutis servandis. *Nepos Hann.* 3. Is hodie saltus Grajus appellatur. *Quintil.* 10. 1. 122. Sunt summa hodie, quibus illustratur forum, ingenia. *Id.* 3. 2. 21. Sunt et hodie clari ejusdem operis auctores. — *b*) *Hodieque* post Augusti ætatem occurrit pro hodie quoque, etiam nunc. *Claudius Imp.* in *tab. ænea* apud *Gruter.* 502. *a med.* ET HODIEQVE IN REBVS MEIS DETINEO. Adde *Sueton. Claud.* 16., *Galb.* 1. et *Tit.* 2. Sic *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (176). Prægrandes itaque fuere: et hodieque reliquæ stirpium durant. *Id.* 30. *ibid.* 1. 1. (2). Magice in tantum fastigii adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium prævaleat. Addunt *Quintil.* 10. 1. 94. et 17. *declam.* 19.; *Tac. Germ.* 3.; *Vellej* 1. 4. 3.; item *Cic.* 7. *Verr.* 25. 64.; *Liv.* 1. 17. et 26 *sub fin.*, 5. 4. *extr.*, 31. 7. et 42. 34.; et *Vitruv.* 10. 7.: sed in his vel dubia lectio est, vel *hodieque* pro *et hodie* non pro *hodie quoque* positum est.

HŎDĬĒQUĒ. *V.* voc. præced. sub II. *b*.

HŎDĬERNUS, a, um, adject. hujus diei, σημερινός (It. *odierno*; Fr. *d'aujourd'hui*; Hisp. *de hoy*; Germ. *heute betreffend, heutig*; Angl. *of this day, hodiernal*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Phil.* 3. 7. Quod ex hodierno ejus edicto perspicere potestis. *Liv.* 34. 22. Hodierna consultatio. *Horat.* 4. *Od.* 7. 17. Quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina summæ Tempora di superi? *Liv.* 1. 16. Hodierna lux. *Cic.* 3. *Orat.* 21. 81. Disputatio hesterni et hodierni diei. *Id. Marcell.* 2. 4. Hodierno die. Sic *Id.* 3. *Cat.* 9. 21. Quum hodierno die mane per forum conjurati in ædem Concordiæ ducerentur. *Id. ibid.* 8. 20. Ante hodiernum diem. — Poetice *Tibull.* 1. 8. 53. Sic venias hodierne. *scil.* hodie.

II.) Improprie latiori sensu de præsenti tempore usurpatur. *Cic. Brut.* 10. 39. Multo diutius Athenæ jam erant, quam est Roma ad hodiernum diem. *h. e.* ad præsens tempus. — Hinc absolute *in hodiernum* est usque ad præsens tempus. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 7. (30). Servatumque in hodiernum est, ne quis etc. *sino al presente.* Sic *Minuc. Fel. Octav.* 22. *sub fin.* Ut in hodiernum inopinato visos, cœlo missos nominamus. *al presente*, hodieque. Adde *Dict. Cret.* 3. 25.

HŎDŒDŎCOS. *V.* HODIDOCOS.

HŎDŒPŎRĬCON, i, n. 2. ὁδοιπορικόν, vox Græca, ab ὁδοιπόρος *viator* et significat itinerarium, *viaggio. Hieronym. Ep.* 108. *n.* 8. Hodœporicon alicujus scribere. *V.* ITINERARIUM.

HŎDŎDŎCOS. *V.* HODIDOCOS.

HŒDUS. V. HÆDUS init.

HOI, interjectio lugentis, *oimè*, apud *Ter. Phorm.* 4. 3. 58. et *Eun.* 4. 4. 48. Rectius tamen scribitur oi sine aspiratione: *V.* OI.

HOLCĒ, es, f. 1. ὁλκή, Græce est inclinatio, pondus: et ponitur pro certo rerum pondere, hoc est pro drachma, ut patet ex *Fann. de ponderib.* 19. Holceque a drachma non re, sed nomine differt.

HOLCUS, i, m. 2. ὁλκός, herba est in saxis nascens, aristas habens in cacumine, tenui culmo, quale hordeum restibile. Dicta est ab ἕλκω *traho*, quia circa caput alligata, vel circa lacertum, educit e corpore aristas: quapropter quidam aristidam vocant. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 63. (90). Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 453.) *holcus* est *Hordeum* L.

HŎLŎCAUSTŌMA *vel* holocautoma, ătis, n. 3. ὁλοκαύστωμα vel ὁλοκαύτωμα, holocaustum. Forma *holocaustoma* occurrit apud *Tertull. advers Jud.* 5. et 5. *advers. Marcion.* 5. *ad fin.*; forma *holocautoma* apud *Vulgat. interpr. Jerem.* 6. 20. Holocautomata vestra non sunt accepta. Adde *eumd.* sæpissime alibi.

HŎLŎCAUSTUM, i, n. 2. ὁλόκαυστον, *olocausto*, sacrificii genus, quo tota comburebatur victima, non sola exta; ab ὅλος *totus* et καίω *uro*. *Prudent. Apotheos.* 537. At tua congestæ tumulant holocausta ruinæ. *Id. Psychom.* 754. Holocaustis mactatis litare Deo. Adde *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 42. et *advers. Jud.* 8. *Inscript.* apud *Gruter.* 125. 2., quæ est apud *Henzen.* 6113. PRO SANGVINE AGNI ET FELLE ✕ 15. SI HOLOCAVSTVM ✕ etc.

HŎLŎCAUTŌMA, ătis. *V.* HOLOCAUSTOMA.

HŎLŎCHRȲSUS, i, m. 2. ὁλόχρυσος, nomen floris a colore, quasi totus aureus, ab ὅλος *totus* et χρυσός *aurum*. *Plin.* 21. *Hist. nat* 8. 24. (46). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 30.) hanc exhibet synonymiam: Ἑλίχρυσον Theophr. Hist. plant. 7. 3. et 9. 21.; Ἑλίχρυσον χρυσάνθεμον ἀμάραντον Dioscor. 4. 57.; et *Holochryson* Plin. loc. cit. sunt *Gnaphalium Stœchas* L. Spec. plant. 1193. — In *Not. Tir.* quæ omni carent auctoritate, legitur *p.* 163. Musivum holochrysum. *h. e.* pavimentum ex auratis tessellis structum.

HŎLŎCYRON *vel*

HŎLŎCYRTON, i, n. 2. ὁλόκυρον vel ὁλόκυρτον, herba eadem ac chamæpitys: ab ὅλος *totus* et κυρός vel κυρτός *curvus*. *Apul. Herb.* 26. Chamæpityn alii holocyrton (*Klotz.* leg. *holocyron*) vocant.

HŎLŎGRĂPHUS, a, um, adject ὁλόγραφος, totus scriptus; ab ὅλος *totus* et γράφω *scribo*. Sic *Holographa epistola* apud *Hieronym.* 3. *advers. Rufin.* 5., et *Holographa membrana* apud *Sidon.* 9. *Ep.* 11. *circa med.* est, quæ tota auctoris manu scripta est, quæ et *autographa* dicitur. *Isid.* 5. *Orig.* 24. Holographum testamentum est manu auctoris totum conscriptum atque subscriptum. *Impp. Theod. et Valentin.* in *Nov.* 4. in calce *Cod. Theod.*, quæ pertinet ad ann. post Chr. n. CCCCXLVI. Si holographa manu testamenta condantur, testes necessarios non putamus.

HOLOLITHUS, a, um, adject. ὁλόλιθος, qui est totus lapideus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 163.

HOLOPHANTA. *V.* HALOPHANTA.

HŎLŎPORPHȲRUS, a, um, adject. ὁλοπόρφυρος, totus purpureus; ab ὅλος *totus* et πορφύρα *purpura*. *Varro* apud *Non. p.* 537. 30. *Merc.* Holoporphyra stola. *Forcellinus* cum veter. edition. leg. *holoserica*. At *Oehler.* et *Riese* leg. *holoporphyra*, sed Græcis litteris. *Isid.* 19. *Orig.* 22. Vestis holoporphyra est tota ex purpura. *V.* HOLOVERUS.

HŎLOSCHŒNUS, i, m. 2. ὁλόσχοινος, junci quoddam genus crassum et carnosum, idem ac mariscum. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 69. (113). De synonymia *V.* JUNCUS.

HŎLŌSĒRĬCOPRĀTA *vel* holosericoprates, æ, m. 1. ὁλοσηρικοπράτης, qui holoserica vendit, ab ὁλοσηρικός *holosericus* et πράτης *venditor*. *Inscript.* apud *Marin. Papir. diplom. n.* 74. *col.* 6. *lin.* 11. EGO GEORGIVS V. D. OLOSIRICOPRATA CIV. RAV. FIL. V. D. IVLIANI DE CIV. ANTHIOCIA (*lege* Antiochia).

HŎLŌSĒRĬCUS, a, um, adject. *tutto di seta*, ὁλοσηρικός, qui totus est ex serico, nulla alia admista materia; ab ὅλος *totus*. Usus vestis holosericæ apud veteres rarissimus fuit (hinc corrigendus locus *Varron.* apud *Non.*, quem *V.* in HOLOPORPHYRUS) ex summa ejus caritas. *Vopisc. Aurelian.* 45. Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri utendam permisit. — Primus Romanorum holoserica veste Elagabalus usus est, teste *Lamprid. Elagab.* 26., quum jam subserica in usu essent. Tacitus imperator holosericæ vestis usum viris omnibus interdixit. *Vopisc. Tacit.* 10.

HŎLŎSĬDĒRUS, a, um, adject. ὁλοσίδηρος, totus ferreus; ab ὅλος *totus* et σίδηρος *ferrum*: ut Holosidera spatula, *Theod. Priscian.* 1. 26.

HŎLOSPHȲRĀTUS, a, um, adject. ὁλοσφύρατος; Dorice pro ὁλοσφύρητος verbale ab inusit. ὁλοσφυράομαι *totus malleo ducor*; ab ὅλος *totus* et σφῦρα *malleus*. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 24. (82). Aurea statua prima omnium nulla inanitate, et antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quam vocant holosphyraton, in templo Anaitidis posita dicitur. *h. e.* solidam, malleo ductam, non conflatam. *Sillig.* pro *inaninate* legit *vanitate*, et vocem *illo* omittit.

HŎLOSTEON, i, n. 2. ὁλόστεον, herbæ species; ab ὅλον *totum* et ὀστοῦν *os, ossis*, per antiphrasin, quum careat omni duritie. Est autem tenuis usque in capillamenti speciem, longitudine quatuor digitorum, ceu gramen, foliis angustis, adstringens gustu; nasciturque in terrenis collibus. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 65. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 454.) hanc exhibet synonymiam: Ὁλόστεον Dioscor. 3. 11. et Galen. de Fac. simpl. med. 8. 214.; *Holosteon* Plin. loc. cit.; et *Fel dulce* Cæl. Aurel. 3. Tard. 1. sunt *Plantago Holostea* Lamrk Illustr. gener.

HŎLŎTHŪRĬA, ōrum, n. plur. 2. ὁλοθούρια, enumerantur inter marinos pisces, qui non moventur, similes ob id spongiis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 47. 71. (154).

HŎLŎVĒRUS, a, um, adject. vox hybrida; ab ὅλος *totus* et *verus*, ut *Holovera vestimenta* Græce ὁλόβηρα dicta, quod tota ex vero purpuræ colore tincta essent. Ita *Salmas.* ad *Trebell. Claud.* 17. exponit locum *Imp. Theodos. Cod.* 11. 8. 4.: alii minus recte intelligunt *holoserica*; nam hæc habet *Trebell. loc. cit.* Misi chlamides veri luminis limbatas tuas. Ceterum hæc vox confirmatur a *Cod. Theod.* 10. 22. 3. Reddenda ærario holovera vestimenta.

HŎLUS, eris, *V.* OLUS.

HŎMĒLĬUM *vel ut legit Müll.*

HŎMELTĬUM pilei genus. *Paul. Diac.* p. 103. 2. *Müll.* Videbatur *Forcellino* esse ab ὁμῆλιξ *simul veniens, comes viæ*, nempe ex ὁμοῦ *simul* et ἤλυσις *itio*.

HŎMĒRĬCĒ, adverb. homerica ratione. *Diomed.* 1. *p.* 403. *Putsch.* Quæ apud Græcos adverbia τῷ ως terminantur, ea apud nos juxta Latinum sermonem e littera finiuntur, ut Ὁμηρικῶς Homerice.

HŎMĒRISTA, æ, m. 1. Ὁμηριστής, qui Homeri carmina recitat, cujusmodi in solemni convivio induxit *Petron. fragm. Tragur.* 59. *Burmann.* Adde *Diomed.* 3. *p.* 481. *Putsch.*

HŎMĒRŎCENTO, ōnis, m. 3. carmen ex Homeri hinc inde decerptis versibus et ad alia significanda traductis compositum: *V.* CENTO. *Hieronym. Ep.* 53. *n.* 7. Quasi non legerimus Homerocentonas et Virgiliocentonas. Adde locum *Tertull.*, quem vide in CENTONARIUS et SUTOR.

HŎMĒRŎMASTIX, īgis, m. 3. Ὁμηρομάστιξ, Homeri flagellum.

I.) Proprie est cognomen Zoili cujusdam, qui Homerum libris adversus eum editis ausus est inscitiæ arguere. *Vitruv. præfat. l.* 7. *ante med.* Zoilus, qui adoptavit cognomen, ut Homeromastix vocitaretur. *V.* ZOILUS in ONOM.

II.) Translate per synecdochen dicitur de omnibus detractoribus, qui insatiabili reprehendendi libidine optima quæque lacerant. *Plin. Hist. nat. præfat.* § 28. Ut obiter caveam istos Homeromastigas.

HŎMĒRŎNĪDES, æ, m. 1. patronym. quasi Homeri imitator. *Plaut. Truc.* 2. 6. 4.

HŎMĬCĪDA, æ, m. et f. 1. ab *homo* et *cædo*, per syncop. pro *hominicida*, qui hominem necat, *omicida, micidiale*, ἀνδροφόνος. — *a*) In malam partem. *Cic.* 2. *Phil.* 12. 30. Statuendum tibi esse, utrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidæne sint, an vindices libertatis. – Fateor, eos plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse. *Juvenal.* 2. 26. Si fur displiceat Verri, homicida Miloni. *Quintil.* 7. 3. 34. In quibus omnia sunt homicidæ præter manum. *Id.* 7. 3. 7. An, qui se interfecit, homicida sit. Adde *Liv.* 45. 5.; et *Plin.* 10. *Ep.* 23. — De femina. *Seneca* 1. *Controv.* 2. Quid si tantum homicida? quid si tantum rea fuisses? — *b*) Interdum cum laude dicitur de viro forti, qui in bello multos occiderit. *Horat. Epod.* 17. 12. Luxere matres Iliæ addictum feris Alitibus atque canibus homicidam Hectorem. *scil.* ex Homerico ἀνδροφόνος.

HŎMĬCĪDĀRIUS *vel*

HŎMĬCĪDIĀRIUS, a, um, adject. ad homicidium pertinens, *micidiale*, ut Homicidiarius sanguis, apud *Auct. Paneg. ad Constantin.* 4., ubi alii leg. *homicidarius*.

HŎMĬCĪDĬUM, ii, n. 2. hominis occisio, *omicidio*, ἀνδροφονία. *Cic.* 2. *Phil.* 12. 30. Homicidii rei sunt, an vindices libertatis? *Alii rectius leg.* Homicidæne sunt. *Petron. Satyr.* 137. Homicidium facere. *Quintil.* 3. 10. 1. Si quis homicidii accusetur. Adde *eumd.* 4. 2. 52. et 11. 3. 59. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (12). Convictus in homicidio. Adde *Sueton. Claud.* 26.; *Val. Max.* 2. 7. *extr.*; et *Tac. Germ.* 31. Et *Cyprian. Ep.* 1. *p.* 4. Homicidium quum admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur, quum publice geritur.

HŎMĪLĬA, æ, f. 1. ὁμιλία, contio. *Isid.* 6. *Orig.* 8. Homiliæ sunt, quas Latini verba appellant, quæ proferuntur in populis. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HŎMĬLĪTĬCUS, a, um, adject. ὁμιλητικός, urbanus, elegans. *Hieronym.* 1. *in Rufin. n.* 3. Libelli Origenis, quos homiliticos appellavit. *Homiliticos* scribitur ex vulgari pronunciatione pro *homileticos*.

HŎMO, ĭnis, comm. gen. 3. Est et antiqua alia forma *hemo, onis* (unde factum est *nēmo*, h. e. *nĕ hĕmo*), teste *Paul. Diac. p.* 100. 5. *Müll.* Hemona humana et hemonem hominem dicebant. Hinc *Ennius* apud *Priscian.* 6. *p.* 683. *Putsch.* Vulturis in silvis miserum mandebat hemonem. *Priscian.* tamen legit *homonem* (quam lectionem retinuit et *Vahlenus*) docens, vetustissimos *homo, homōnis* declinasse. Eadem lectionis varietas est in illo quod *Nævio* tribuitur apud *Merul.* in *commentar. fragm. Ennii p.* 2. Qui terrai Latias homones tuserunt. — Ratione habita etymi, volunt alii esse ab humo, ut χαμαιγενής, quod non placet *Quintil.* 1. 6. 34.; alii ab ὁμοῦ *simul*, quod sit societatis amans; alii ab ἤμων *peritus, sciens*. Lepidam narrat fabellam de hominis ortu *Hygin. fab.* 120., qua prius allatum etymon confirmat; idem vero comprobat multis adductis rationibus *Spaldingius* ad *Quintil. loc. cit.* — Homo est animal rationale, ἄνθρωπος (It. *uomo*; Fr. *l'homme*; Hisp. *hombre*; Germ. *d. Mensch*; Angl. *a man*). ¶ 1. Generatim; et quidem — *a*) Universim. *Cic.* 1. *Legg.* 7. 22. Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum esse a summo Deo. – Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni cælo atque terra ratione divinius? De homine multa *Plin.* 7. *Hist. nat. proœm.* et c. 1. — Ceterum *Ter. Heaut.* 1. 1. 25. Homo sum; humani nihil a me alienum puto. *Cato* apud *Gell.* 13. 24. Decem capita libera interficis, decem hominibus vitam eripis indicta causa. *Ennius* apud *Festum* p. 302. 31. *Müll.* Dum quidem unus homo Romanus toga superescit. *Id.* apud *Cic.* 1. *Off.* 24. 84. Unus homo nobis cunctando restituit rem. *Plaut. Amph.* 1. 1. 169. Næ ego homo infelix fui, qui non alas intervelli. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 184. *Putsch.* Laudant me maximis laudibus, tantum navium, tantum exercitum, tantum commeatum non opinatum esse quemquam hominem comparare potuisse, id tamen maturrime me comparavisse. *Ter. Adelph.* 3. 3. 86. Homo amicus nobis jam inde a puero –, homo antiqua virtute ac fide. *Cic.* 16. *Fam.* 18. *extr.* Bonus homo et nobis amicus. *Plaut. Epid.* 3. 3. 46. Homo doctus. *Catull.* 20. 2. urbanus. *Id.* 22. 7. bellus. *Juvenal.* 14. 112. parcus. *Ter. Eun.* 2. 3. 63. inhonestus. *Nepos Agesil.* 1. lactiosus. *Id. Timoth.* 1. Ex ingratorum hominum conspectu decedere. *Ovid.* 1. *Met.* 88. Induit ignotas hominum conversa figuras. *Lucret.* 4. 785. conventus hominum. *Nepos Att.*

13. Quum in primis lautus esset eques Romanus et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret etc. *Sall. Jug.* 74. Neque illi res, neque consilium, aut quisquam hominum satis placebat. *Cic.* 3. *de republ.* 12. Justitia præcipit, parcere omnibus, consulere generi hominum, suum cuique reddere. Sic *Id.* 2. *ibid.* 26. et 1. *Orat.* 9. 36.; et *Horat.* 2. *Ep.* 1. 7. genus hominum. (Sæpius tamen occurrit *genus humanum*: V. GENUS et HUMANUS). *Cic.* 1. *Off.* 4. 12. Natura hominem conciliat homini – impellitque, ut hominum cœtus et celebrationes esse velint. *Id. ibid.* 7. 22. Placet Stoicis, quæ in terris gignantur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos. *Id.* 2. *ibid.* 5. 17. Homines plurimum hominibus et prosunt et obsunt. — Adhibetur sæpe in laude, ut *vir*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 24. 75. Illustres homines. *Id.* 1. *Fin.* 5. 13. L. Torquatus, homo omni doctrina eruditus. *Id.* 3. *Fam.* 7. *a med.* Homo summa prudentia, multa etiam doctrina. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 25.; et *Cic. Dejot.* 12. 33. Homo optimus. *Nepos Pausan.* 1. Pausanias Lacedæmonius, magnus homo fuit. Confer infra sub 2. et 3. — Ponitur et in vituperatione. *Cic.* 3. *Off.* 6. 31. Ut ab homine inerti atque inutili ad sapientem, bonum fortemque virum transferantur res ad vivendum necessariæ. *Id.* 2. *leg. Agr.* 34. 93. Homo contemptus et abjectus. *Id. Amic.* 25. 91. Leves homines atque fallaces. *Id.* 1. *Tusc.* 8. 15. Homo insulsus. Cf. *Ter. Adelph.* 2. 2. 10. Hominum homo stultissime. — Illa quoque ad contemptum pertinent *Plauti Amph.* 2. 1. 26. Quid hoc hominis sit? *Ter. Eun.* 5. 1. 17. Quid illuc hominis est? Ubi *Donatus*: Per Genitivum casum injuriose dicitur. Sic *Cic.* 3. *Verr.* 16. 42. Quid hoc homine facias? *di costui?* — Et illa contumeliam habent, *Ter. Eun.* 4. 4. 29. Taces, monstrum hominis? non dicturus? *Cic.* 12. *Fam.* 1. Odium illud hominis impuri. — Interdum *dii* et *homines* conjunguntur. *Plaut. Curc.* 5. 3. 16.; et *Sall. Cat.* 20. Proh deûm atque hominum fidem? *Sall. Cat.* 33. Deos hominesque testamur. *Virg.* 1. *Æn.* 254. sator hominum atque deorum. *Cic.* 1. *Legg.* 7. 23. Lege consociati homines cum dis putandi sunt. — *b*) Cum appositis. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 32. Aut contrectare, quod mares homines amant? *Varro* apud *Non.* p. 218. 16. *Merc.* Quid est, quod homo masculus lubentius videre debeat bella uxore? *Plaut. Trin.* 1. 2. 94. Dare te in manus argentum amanti homini adolescenti. Sic *Ter. Phorm.* 5. 8. 52. Filius homo adolescens: *Id. ibid.* 2. 3. 15. Homo jam grandior, pauper, ruri fere se continebat. *Id. Adelph.* 4. 2. 23. Non puduisse verberare hominem senem? *Id. Phorm.* 2. 1. 62. Servum hominem causam orare leges non sinunt. *Cic.* 2. *Orat.* 46. 193. Quum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur. — Item *Ennius* apud *Cic. Brut.* 15. 58. Is dictus ollis popularibus olim, Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant. *Cic. pro leg. Manil.* 14. 41. Incipiunt credere fuisse homines Romanos hac quondam continentia etc. Sic *Nepos fragm.* 3. *Staver.* Homo Romanus. *Cæs.* 2. *B. G.* 30. Homines Galli. *Liv.* 1. 32. Homines prisci Latini. — Similiter *nemo homo* apud *Plaut. Pers.* 2. 2. 29. Nemo homo unquam ita arbitratus est. Sic *Cic.* 1. *Nat. D.* 28. 78. Ut homo nemo velit nisi hominis similis esse. — *c*) Aliquando ita usurpatur, ut mulieri opponatur. *Plaut. Cist.* 4. 2. 57. Mi homo et mea mulier, vos saluto. *Lactant.* 2. 12. Feminam configuravit ad ipsius hominis effigiem. Adde *Paul. Dig.* 48. 19. 38. — *d*) De femina. *Plaut. Amph.* 2. 2. 137. *de Alcmena.* Quid hoc sit hominis. *Id. Truc. a.* 5. *v.* 40. Omnes homines ad suum quæstum callent. h. e. omnes meretrices. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. *a med.* Quæ si hoc tempore non diem suum obiisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. *Cic. Cluent.* 70. 199. Mater, cujus ea stultitia est, ut eam nemo hominem; ea vis, ut nemo feminam; ea crudelitas, ut nemo matrem appellare possit. *Ovid.* 5. *Fast.* 620. Quæ (*Io*) bos ex homine est, ex bove facta dea. *Virg.* 1. *Æn.* 332. nec vox hominem sonat. *Juvenal.* 6. 282. clames licet, et mare cœlo Confundas, homo sum. *uxor loquitur.* et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (123). Dulcissimum ad hominis cameliorum lac. Adde *Lucan.* 5. 168.; et *Spartian. Car.* 7. — Monet *Charis.* 1. p. 79. *Putsch.*, tametsi de femina dicatur, masculinis semper jungi: neque *malam hominem* dici, sed *malum*. ¶ 2. Speciatim et prægnante, uti ajunt, significatione *homo* absolute usurpatur, tum in bonam, tum in malam partem: cf sub 1. *a*. — *a*) In bonam partem pro viro. *Plaut. Epid.* 3. 4. 57. Frugi, Epidice, frugi es! pugnasti! Homo es, qui me emunxisti etc. *sei valente.* *Cic.* 2. *Att.* 2. si homo esset, eum potius legeret. h. e. si saperet. *Id.* 2. *Orat.* 10. 40. Nos te expedivit hominemque reddidit. *ti ha fatto un uomo.* *Id.* 4. *Att.* 15. Si vis homo esse, recipe te ad nos ad quod tempus confirmasti. *Id.* 13. *ibid.* 52. Quid multa? homines visi sumus. *ho fatto comparsa d'uomo di garbo.* Cf. *Juvenal.* 2. 167. Hic fiunt homines. Rursus *Cic.* 7. *Fam.* 29. Nos quod simus, quod habeamus, quod homines existimemur, id omne abs te habere. *Ter. Adelph.* 5. 8. 11. Si tu sis homo, hic faciat. h. e. si constans sis in petendo. — Refertur et ad humanitatem et mores. *Ter. Adelph.* 1. 2. 27. Tu illum tuum, si esses homo, sineres nunc facere, dum per ætatem licet. *Cic.* 5. *Fin.* 12. 35. Fugere plane se ipse, et hominem ex homine exuens, naturam odisse videatur. — Huc pertinet et illud ejusd. *Cic.* 3. *Tusc.* 32. 77. Quum Socrates Alcibiadi persuasisset, eum nihil hominis esse. *ch'egli non era un uomo singolare.* — Aliquando dicitur de libero et ingenuo, quia servi quiddam infra homines habebantur. *Sueton. Ner.* 31. Auream domum quum absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare cœpisse. Cf. *Petron. fragm. Tragur.* 39. *Burmann.* Patrono meo ossa bene quiescant, qui me hominem inter homines voluit esse. — *b*) In malam partem. — Interdum *homo* et *vir* conjunguntur. *Cic.* 5. *Fam.* 17. Ut te hortarer rogaremque, ut et hominem et virum esse meminisses, id est, ut et communem incertumque casum sapienter ferres, et dolori fortiter ac fortunæ resisteres. *homo* refertur ad conditionem mortalis vitæ, qua casibus et calamitatibus obnoxii sumus; *vir* ad fortitudinem et constantiam in perferendis adversis. Contra vero, sed cum adjectivis, *Id.* 7. *Fam.* 5. *a med.* Probiorem hominem, meliorem virum, pudentiorem esse neminem. *hominem* ad bonitatem naturæ, *virum* ad virtutem retulit. — Sæpius refertur ad imbecillitatem et peccandi facilitatem. *Petron. Satyr.* 130. Fateor me sæpe peccasse, nam et homo sum et adhuc juvenis. *Quintil.* 10. 1. 25. Quum Ciceroni dormitare interdum Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur: summi enim sunt, homines tamen. h. e. labuntur aliquando et oneri cedunt et indulgent ingeniorum suorum voluptati, ut *Id. ibid.* ait. Cf. *Petron. Satyr.* 75. Homines sumus, non dei. Adde *Juvenal.* 6. 282. — Interdum indignationem et contemptum significat. *Ter. Heaut.* 4. 8. 5. Quid hominis es? *che razza d'uomo sei tu?* *Id. Hecyr.* 4. 1. 9. Tun virum me, aut hominem deputas adeo esse? *Cic.* 1. *Att.* 18. 1. Metellus, non homo, sed litus atque aer et solitudo mera. *Id.* 7. *ibid.* 13. 6. L. Cæsarem vidi Minturnis, – cum absurdissimis mandatis, non hominem, sed scopas solutas. *Ammian.* 15. 3. Homo ultimorum avidus. V. *Burmann.* ad *Petron. Satyr.* 38. — Hinc etiam de servo dicitur. *Cato R. R.* 57. Vinum familiæ – Saturnalibus et Compitalibus in singulos homines congios. *Catull.* 10. 16. Comparasti ad lecticam homines. *Plaut. Men.* 5. 5. 49. Homines arcesse. *Cic. Quinct.* 19. 61. Hominem P. Quinctii deprehendis in publico: conaris abducere: non patitur Alphenus. Adde *eumd.* 4. *Att.* 15.; *Nepot. Alcib.* 10.; *Stat.* 2. *Silv.* 6. 14.; et *Auson. Ep.* 22. Sic *Cod. Theod.* 10. 26. 1. Conductores hominesve Augustissimæ domus. Adde *ibid.* 13. 1. 3. — Item de juvenibus. *Quintil.* 1. 2. 2. Turba hominum ejus ætatis, quæ sit ad vitia maxime prona. ¶ 3. Item speciatim aliquando pro domo seu familia ponitur. *Liv.* 31. 45. In colonias deducti sunt treceni homines. ¶ 4. Item in re militari *homines*, quum *equitibus* opponuntur, sunt pedites. *Cæs.* 2. *B. C.* 39. Capti homines equitesque producebantur. *Liv.* 9. 19. Cum triginta millibus hominum et quatuor millibus equitum. Hinc *Cæs. ibid.* 41. *milites*, et *Liv.* 21. 27. *viros* opponit *equitibus*. ¶ 5. Elegans et frequens est usus, quo ponitur loco pronominis *hic* vel *ille*; ut apud *Plaut. Mil. glor.* 4. 7. 65. Tantundem argenti, quantum miles debuit, dedit huic atque hominem exornavit, mulierem qui arcesseret. *Id. Pseud.* 4. 7. 67. Habesne argentum ab homine? *Ter. Eun.* 2. 2. 30. Ibi homo cœpit me obsecrare, ut etc. *Id. Adelph.* 1. 2. 63. Ita est homo. *egli è così fatto*, hujusmodi sunt ejus mores. *Cic.* 4. *Fam.* 4. Dixit, se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. *Id. Pis.* 34. 83. Ei medico imperasti, ut venas hominis incideret. *Id.* 6. *Verr.* 27. 62. Antiochus iter per Siciliam facere voluit. – Mittit (*Verres*) homini munera satis larga. *Nepos Eumen.* 2. Hunc sibi Perdiccas adjunxerat magno studio, quod in homine fidem et industriam magnam videbat. *Id. Dion.* 4. Id se non odio hominis, sed suæ salutis fecisse causa. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 117. Aut insanit homo, aut versus facit. ¶ 6. Per pleonasmum adhibetur etiam appellando et porca increpando. *Ter. Heaut.* 5. 3. 1. Profecto, nisi caves tu homo, aliquid gnato conficies mali. *Id. Adelph.* 1. 2. 31. Tu homo adigis me ad insaniam. ¶ 7. Proverbium est *Quot homines, tot sententiæ*, apud *Ter. Phorm.* 2. 4. 14.; et *Cic.* 1. *Fin.* 5. 15. *quante teste, tante opinioni.* — *Ut homo est, ita morem geras*, aliud apud *eumd. Adelph.* 3. 4. 67. *lega l'asino dove vuole il padrone.* Sic apud *Plaut. Most.* 3. 2. 36. Ut homines sunt, ita morem geras. ¶ 8. Homo homini Deus, si suum officium sciat, γνώμη est *Cæcilii* comici apud *Symmach.* 10. *Ep.* 104. *al.* 114. — E contrario *lupus est homo homini* apud *Plaut. Asin.* 2. 4. 88., quo monemur, ut ab homine, perinde atque a lupo, caveamus. ¶ 9. Demum sequentes sunt peculiares dicendi modi. — *a*) *Esse paucorum hominum* dicitur is, qui paucorum familiaritate utitur, qui paucis se dat, sapientibus nempe et bonis, qui utique pauci sunt; vel qui paucis placet, hoc est optimis. *Ter. Eun.* 3. 1. 18. GN. Regem elegantem narras. THR. Immo sic homo est perpaucorum hominum. GN. Immo nullorum arbitror, si tecum vivit. Hinc jocus ille, quem refert *Cic. fragm.* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 12. his verbis: Quum esset apud se ad Laverulum Scipio unaque Pontius, allatus est forte Scipioni acipenser, qui admodum raro capitur, sed est piscis, ut ferunt, in primis nobilis. Quum autem Scipio unum et alterum ex his, qui eum salutatum venerant, invitasset, pluresque etiam invitaturus videretur: in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide, quid agas: acipenser iste paucorum hominum est. — *b*) *Inter homines esse* vel *agere* est vivere; *esse desinere* est mori. *Cic.* 1. *Tusc.* 14. 32. Hercules, numquam abiisset ad deos, nisi, quum inter homines esset, eam sibi viam munivisset. *Papinian. Dig.* 31. 1. 59. Si Augustæ legaveris, et ea inter homines esse desierit. Sic *Tac.* 15. *Ann.* 74. Deûm honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit. Cf. *Cajus Dig.* 31. 1. 58. Qui, antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus est. — Hæc autem εὐφημισμοῦ causa dicuntur. Quo pertinet illud *Solini* 52. Quum maritus homine decesserit. Item illud *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* p. 2. Homines relinquere. — Hinc etiam *hominem deponere* dicitur Hercules, quum in Ætna monte incendio sponte assumptus atque inde inter deos relatus est. *Hygin.* (edit. ab. *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 21.) *fab.* 59. — *c*) *Ab hominibus relegare* est ab humana societate amandare. *Cic.* 3. *Off.* 31. 112. Criminabatur etiam, quod Titum filium ab hominibus relegasset et ruri habitare jussisset. — *d*) *Inter homines esse* est hominum cœtus conventusque celebrare. *Cic. Rosc. Am.* 28. 76. Illud quæro: is homo, qui, ut tute dicis, numquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, absens præsertim, conficere potuerit. — *e*) *Ultra* vel *supra hominem* vel *homines* est præterquam quod humanam decet naturam. *Ammian.* 27. 12. Ultra hominem efferatus. *Id.* 31. 10. Ultra hominem exsultaverit. *Id.* 26. 8. Eâ victoriâ ultra homines sese efferens. *Id.* 18. 4. Augendi regni cupiditate supra homines flagrans. — *NB.* De cogn. Rom. V. ONOM.

HŎMŒŎMERĪA, æ, f. 1. ὁμοιομέρεια, similitudo partium. *Lucret.* 1. 829. Hinc et Anaxagoræ scrutemur homœomerian. *Alii Græce scribunt.* At *Servius* super illud *Virg.* 4. *Æn.* 625. Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor: Secundum, inquit, Anaxagoram, qui dicit homœomeriam, id est omnium rerum similitudinem esse in rebus creandis. Est autem tota Græca ex ὅμοιος *similis* et μέρος *pars*.

HŎMŒON, i, n. 2. ὅμοιον, figura, de qua hæc *Jul. Rufinian. de fig. sent. et eloc.* 25. *Frotscher.* Homœon. Hæc figura fit, quum ex partibus aliqua colligitur, ut Virgilius: *Sic oculos, sic ille manus, sic ora tenebat* (sic). Etiam in actu fit homœon, ut idem Virgilius: *Non aliter, quam si immissis ruat hostibus omnis Carthago, aut antiqua Tyros.* Cicero in Verrinis: *Succinctam Scyllam lupis et canibus, quum pube tenus virgo sit, similem esse Verris et comitum illius, quibus quasi canibus succinctus sit.* Hæc postrema *Jul. Rufinianus* effinxit ex *Cic.* 5. *Verr.* 56. 146.

HŎMŒŎPRŎPHĔRON, i, n. 2. ὁμοιοπρόφερον, ab ὅμοιος *similis* et προφέρω *profero*, est vitium dictionis, quum eâdem litterâ incipientes multæ voces proferuntur, ut in illo *Ennii*: O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti. *Capell.* 5. p. 167.

HŎMŒOPTŌTOS, on, adject. ὁμοιόπτωτος, similiter cadens; ab ὅμοιος *similis* et πίπτω *cado*: figura dictionis, qua cola omnia in eosdem casus cadunt, ut *socios vestros criminanti et ad bellum vos cohortanti.* Ita *Capell.* 5. p. 174. Adde *Aquilam Rom.* xxv. *Frotscher.*; et *Rutil. Lup.* 2. 13. *Frotscher.*

HŎMŒŌSIS, is, f. 3. ὁμοίωσις, similitudo. *Pompej. in libr. Donat. de barbar.* p. 480. Homœosis est similitudo quædam, sed hæc similitudo fit aut a rebus ignotis, aut a rebus incongruis, aut a rebus paribus. Adde *Jul. Rufinian. de fig. sent. et eloc.* 29. *Frotscher.*

HŎMŒŎTĔLEUTON, i, n. 2. ὁμοιοτέλευτον, similiter desinens; ab ὅμοιος *similis* et τελευτή *finis*. *Capell.* 5. p. 174.; *Rutil. Lup.* 2. 14. *Frotscher.*; et *Aquil. Rom.* 26. *Frotscher.*

HŎMŒŎTŎMĬA *vel* hŏmŏtŏmia, æ, f. 1. ab ὅμοιος *similis* et τέμνω *seco*. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. Summa est in his (*tonsillis*) æqualis sive par incisura, quam appellavit homotomiam. *Hallerus* legit *homœotomiam.*

HŎMŎLŎGUS, a, um, adject. ὁμόλογος, *omologo*, conditionalis. Hinc *homologus colonus* vel *homologus* absolute dicitur, qui scilicet sese dedidit alicui ex pactione quadam et in coloniam receptus fuit; idem appellatus fuit etiam *lætus*: *V.* LÆTUS, 1. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 11. 24. 6. Functiones publicas et liturgos, quos homologi coloni præstare noscuntur, pro rata sunt absque dubio cognituri. et *mox*. Hi sane, qui viris, quibus adscripti sunt, derelictis, et qui homologi more gentilicio nuncupantur, ad alios seu viros, seu dominos transierunt, ad sedem desolati ruris constrictis detentatoribus redire cogantur.

HŎMŌNŸMĬA, æ, f. 1. ὁμωνυμία, dicitur quum pluribus rebus, aut nominibus eadem appellatio est; ab ὁμοῦ *simul* et ὄνομα *nomen*. Græce habet *Quintil.* 7. 9. 2.; Latine *Fronto de differ. verb.* p. 353. *edit. Rom.* Homonymia una voce multa significat, synonymia multis vocibus idem testatur.

HŎMŌNŸMUS, a, um, adject. ὁμώνυμος, qui idem nomen habet, ut *taurus* animalis nomen est, et montis, et sideris, et radicis, et quandoque alicujus hominis. *Quintil.* 8. 2. 13. Adde *Priscian.* 2. p. 580. *Putsch.*

HŎMŎTŎNUS, a, um, adject. ὁμότονος, ab ὁμοῦ *simul* et τείνω *extendo*. Vox Græca, qua significantur ea, quæ æqualiter extensa sunt, ut nervi et funes in catapultis etc. Usurpat *Vitruv.* 1. 1. *circa med.*

HŎMŎŪSĬĀNI, ōrum, m. plur. 2. qui homousiam, ὁμοουσίαν, Patris et Filii defendunt, et Arianis opponuntur. *Cassiod.* 4. *Hist. Eccl.* 8. Homousiani Paulum ordinavere Pontificem, Ariani vero Macedonium. *Id.* 5. *ibid.* 20. Homousianis consenserant.

HŎMŎŪSĬUS, a, um, adject. ὁμοούσιος, ab ὁμοῦ *simul* et οὐσία *substantia*. Latine a scriptoribus Ecclesiasticis *consubstantialis* redditur. *Hieronym. Ep.* 77. n. 2. Hæreticus vocor, homousian prædicans Trinitatem.

HŎMULLŬLUS, i, m. 2. *deminut. dupl. ab* homo, homunculus. *Priscian.* 3. p. 611. *Putsch.* Dicitur et homuncio, et homullus, et homullulus.

HŎMULLUS *et* homŭlus, i, m. 2. *deminut. ab* homo, homunculus, *omicino*. *Lucret.* 3. 928. brevis hic est fructus homullis. *Cic. Pis.* 25. 59. Quid censet hic homullus ex argilla et luto fictus etc. *Al. minus recte leg.* homulus. Adde *Varron.* apud *Non.* p. 25. 21. *Merc.* et 182. 16. Ceterum *homulus* habet *Id. Varro* apud *Non.* p. 86. 24. *Merc.*, ut leg. *Oheler.* et *Riese.* — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HŎMŬLUS. *V.* voc. præced.

HŎMUNCĬO, ōnis, m. 3. *deminut. ab* homo, parvus aut vilis homo. *Ter. Eun.* 3. 5. 43. Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci, ut lubens. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 43. 134. Homuncio hic, qui multa putat præter virtutem homini cara esse. *Seneca Ep.* 116. Nos homunciones sumus: omnia nobis negare non possumus. Horatium Flaccum a brevi statura Augustus appellabat (apud *Sueton. in ejus Vita*) homuncionem lepidissimum. *Petron. fragm. Tragur.* 66. *Burmann.* Ursus homuncionem comest; quanto magis homuncio debet ursum comesse? *Juvenal.* 5. 13. homuncio, quantus ex nihilo fieres! — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HŎMUNCĬŌNĪTÆ, ārum, m. plur. 1. appellati sunt hæretici, qui Jesum Christum hominem tantum esse affirmabant. *Prudent. Apotheos.* 552. *in lemmate.*

HŎMUNCŪLUS, i, m. 2. *deminut. ab* homo, idem atque homuncio. *Plaut. Capt. prol.* 51. et *Rud.* 1. 2. 66. Hui! homunculi, quanti estis! *h. e.* ehu miseri homines, quam nihili estis. *o poveri uomini.* Adde *eumd. Trin.* 2. 4. 90. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, quum uno loco tot oppidum cadavera projecta jaceant. *Cic.* 1. *Nat. D.* 44. 123. Neque tam despiciens fuisset, ut homunculis similem Deum fingeret. *Id.* 1. *Tusc.* 9. 17. Nec tamen quasi Pythius Apollo certa ut sint et fixa quæ dixero, sed ut homunculus unus ex multis, probabilia conjectura sequens. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 23. 64. *Apul.* 9. *Met.* Dii boni! quales illic homunculi vibicibus depicti etc.

HŎNESTĀMENTUM, i, n. 2. ornatus, decus, *ornamento*. — *a*) In sing. num. *Seneca Ep.* 66. Nullo honestamento eget virtus: ipsa magnum sui decus est. — *b*) In plur. num. *Pseudo-Sall. sub fin. orat.* 2. *ad Cæs. de republ. ordin.* Omnia honestamenta pacis et præmia belli. *Apul. de Mag.* Gratiam corporis morum honestamentis ornare. *Gell.* 10. 26. *ad fin.* Translationes habitæ pro honestamentis orationis.

HŎNESTAS, ātis, f. 3. res honesta et laude digna, qua quis honorem meretur, decus, dignitas, ipsum honestum: cui *turpitudo* opponitur. *Cic.* definire videtur. tacito nomine, quum ait *Senect.* 13. 43. Esse aliquid natura pulcrum atque præclarum, quod sua sponte petatur, quodque, spreta et contempta voluptate, optimus quisque sequatur. *Lactant.* vero 3. 8. *sub fin.* Quid est honestas, nisi honor perpetuus ad aliquem secundo populi rumore delatus? Gr. τὸ καλόν, κάλλος (It. *onestà, decoro, onorevolezza*; Fr. *considération dont on jouit, dignité, estime, honneur*; Hisp. *consideracion, estimacion, dignidad, reputacion, honor, honestidad*; Germ. d. *Ehre*, *Ehrenhaftigkeit*, auch äussere *Ehre*, *Würde*; Angl. *dignity, decency, honourable feeling, respectability, honour, character, reputation, credit*).

I.) Proprie. — *a*) In sing. num. *Cic.* 7. *Att.* 11. O hominem amentem et miserum, qui ne umbram quidem unquam τοῦ καλοῦ viderit! atque hæc ait omnia facere se dignitatis causa: ubi est autem dignitas, nisi ubi honestas? *Id. Rabir. perduell.* 8. 23. et 24. Nemo est inventus tam perditus, tam ab omni non modo honestate, sed etiam simulatione honestatis relictus, qui se in Capitolio fuisse cum Saturnino fateretur. – Cum Saturnino esse, furoris erat et sceleris: virtus et honestas et pudor cum consulibus esse cogebat. *Id.* 1. *Off.* 2. 4. In officio colendo sita vitæ est honestas omnis, et in negligendo turpitudo. *Id. ibid.* 5. 17. Iis rebus, quæ tractantur in vita, modum quemdam et ordinem adhibentes, honestatem et decus conservabimus. *Id. ibid.* 2. 6. Neque ulla officii præcepta tradi possunt, nisi aut ab iis, qui solam, aut ab iis, qui maxime honestatem propter se dicant expetendam. *Id.* 2. *Fin.* 15. 48. Habes undique expletam et perfectam formam honestatis, quæ tota his quatuor virtutibus continetur. Cf. *Quintil.* 3. 8. 26. Fas, justum, pium, æquum, mansuetum quoque subjici possunt honestati. Rursus *Cic. Topic.* 24. 91. Judicii finis est jus: deliberandi utilitas: laudationis honestas. *Id. Arch.* 6. 14. Nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem. *Id.* 7. *Phil.* 5. 14. Auctoritas senatus decus, honestatem, laudem, dignitatem desiderat. *Id. Rosc. Am.* 39. 114. Amittere honestatem omnem. *Id. Rabir. Post.* 16. 44. Honestate spoliatus. *Q. Metell.* apud *Gell.* 17. 2. Omni jure atque honestate interdictus. *h. e.* patria atque honoribus privatus. *Nepos præfat.* Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur. *Liv.* 1. 47. *sub fin.* Fautorem infimi generis hominum, odio alienæ honestatis, ereptum primoribus agrum sordidissimo cuique divisisse. *del decoro e della nobiltà altrui.* et *Cic. Rosc. Am.* 6. 15. Quas, ut æquum est, familias honestatis amplitudinisque gratia nomino. *per la nobiltà e grandezza.* *Gell.* 1. 3. *a med.* Honestas famæ. *h. e.* bona existimatio. — *Forcellinus* singulari paragr. hæc addit: Videtur etiam sumi pro bonitate, humanitate, *bontà*. *Sueton. Gramm.* 13. Tanta eum honestate præditum, ut temporibus Sullanis proscriptorum liberos gratis et sine mercede ulla in disciplinam receperit. *Honestas* hic videtur esse, quod Franc. dicitur *honnêteté*: qua significatione occurrunt alia quoque loca superius allata. — *b*) In plur. num. *Cic. Mur.* 40. 87. Nolite, judices, hac eum re, qua se honestiorem fore putavit, etiam ceteris ante partis honestatibus, atque omni dignitate fortunaque privare. *onori.* *Id. Sext.* 51. 109. Causa popularis, in qua omnes honestates civitatis, omnes ætates, omnes ordines una consentiunt. *h. e.* omnes honesti viri, seu qui honoribus functi sunt, vel funguntur.

II.) Improprie de inanimis. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. 2. Nunc hæc vel honestate testudinis valde boni æstivi locum obtinebit. *h. e.* pulcritudine, concinnitate, dignitate porticus cameratæ. *Manut.* aliter legi mallet; sed nihil mutandum. *Id.* 3. *Orat.* 31. 125. Rerum copia verborum copiam gignit: et si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, exsistit ex rei natura quidam splendor in verbis.

HŎNESTĀTUS, a, um. *V.* HONESTO.

HŎNESTĒ, adverb. Comp. *Honestius* et Sup. *Honestissime* I. 2. — Honeste

I.) Proprie ¶ 1. Stricto sensu est ratione plena honoris et dignitatis, decore, honorate, nobili. *Sueton. Aug.* 43. Adolescentulus honeste natus. *civilmente.* ¶ 2. Latiori sensu ac sæpius est cum honestate, decore, dignitate, virtute, καλῶς (It. *onestamente, dignitosamente, decorosamente, virtuosamente*; Fr. *d'une manière honorable*, *noblement, avec dignité, décence, vertueusement*; Hisp. *honorablemente, noblemente, cum dignidad, virtuosamente*; Germ. *mit Anstand, Würde, Ehre, würdig, tugendhaft*; Angl. *decently, virtuously, honourably, becomingly, with proper decorum*). *Plaut. Merc.* 2. 3. 69. Neque illis matrem satis honeste tuam sequi poterit comes. *con suo onore.* *Ter. Eun.* 4. 4. 60. Honeste abire. *con riputazione.* *Auct. B. Afr.* 31. Si proprius accederetur, quam honestissime se intra munitiones reciperent. *col maggior decoro, che fosse possibile.* Rursus *Plaut. Rud.* 2. 3. 77. Honeste aliquem accipere. *accogliere con civiltà e quindi con onore.* *Id. ibid.* 2. 3. 8. Honeste ferre aquam. *con garbo, leggiadramente*, decore. *Cato* apud *Gell.* 11. 2. Vestiri in foro honeste mos erat, domi quod satis erat. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 12. unde Mundior exiret vix libertinus honeste. *Ovid.* 2. *Fast.* 833. *de Lucretia.* Tum quoque jam moriens, ne non procumbat honeste, Respicit. Græci dicunt εὐσχήμως πεσεῖν. *Sueton. Cæs.* 82. Togæ sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. *Ter. Andr.* 4. 5. 2. Quæ sese inhoneste optavit parere hic divitias potius, quam in patria honeste pauper vivere. *pudicamente, onoratamente.* *Cic.* 6. *Att.* 1. *circa med.* Thermum, Silium vere audis laudari: valde se honeste gerunt. *Id.* 3. *Off.* 30. 109. Honestius hic, quam Q. Pompejus. *Id. Amic.* 16. 57. Quæ in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime. *Id.* 1. *de republ.* 2. Nihil dicitur a philosophis, quod quidem recte honesteque dicatur, quod etc. *Id.* 4. *ibid.* 3. Ad illam civium beate et honeste vivendi societatem. Sic *Quintil.* 5. 10. 24. Honeste vivere. cui ibid. *opponitur* turpiter. *Id.* 10. 5. 13. Cato Marciam honestene tradiderit Hortensio. *Curt.* 3. 8. 21. et 5. 8.

15. Honeste mori. *Seneca* 2. *Controv.* 12. *ante med.* Quem honestius subjecit mulier, quam peperit. *Plin.* 7. *Ep.* 33. *extr.* Historia non debet egredi veritatem, et honeste factis veritas sufficit. *alle belle azioni. Horat.* 2. *Ep.* 1. 43. Iste quidem veteres inter ponetur honeste. *h. e.* jure ac merito.

II.) Improprie transfertur ad inanima. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. 14. Fastigium non honeste vergit in tectum inferioris porticus. *h. e.* non concinne, non apte, non cum dignitate. *Varro* 8. *L. L.* 31. *Müll.* Utilitas et elegantia: quod non solum vestiti esse volumus, ut vitemus frigus, sed etiam ut videamur vestiti esse honeste. *decentemente.* Sic *Lucilius* apud *Non. p.* 427. 26. *Merc.* Gallinaceu' quum victor se gallus honeste Sustulit in digitos primoresque erigit ungues. *con maestà.*

HŎNESTĬTAS, ātis, f. 3. idem atque honestas. *Gloss. Cyrill.* Ἀξιολογότης, honestitas. *Et alibi* Ἀξιωπιστία, honestitas.

HŎNESTĬTŪDO, inis, f. 3. honestas. *Accius* apud *Non. p.* 121. 1. *Merc.* Tua honestitudo Danaos decepit diu. *Id.* apud *eumd. p.* 120. 32. Honestitudo horrida Europæ.

HŎNESTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Honestans*, *Honestatus* et *Honestandus.* — Honestare est honestum reddere, honorare, decorare, ornare, ἐπικοσμέω (It. *onorare, onestare, ornare, abbellire*; Fr. *honorer, orner, parer, embellir*; Hisp. *honrar, ornar, hermosear*; Germ. *ehren, emüchen, Ehre geben, verleihen, verschaffen, zieren*; Angl. *to make honourable or respectable, adorn, dignify, embellish*). *Plaut. Capt.* 2. 2. 106. et 2. 1. 50. Quum me tanto honore honestas. *Sall. Cat.* 35. Quod non dignos homines honore honestatos videbam. Cf. *Mamertin. Paneg. Julian.* 35. Omnes a te honoribus honestantur. *Cic.* 4. *Cat.* 10. 20. Tantam laudem, quanta vos me vestris decretis honestatis, nemo est assecutus. Sic *Id. post redit. in senat.* 1. 2. A senatu sæpe magnificentissimis decretis honestati. *Plaut. Trin.* 3. 2. 67. Hæc famigeratio te honestet, me autem collutulet. *Cic.* 2. *Off.* 6. 21. Quæcumque homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum. *Id. Mur.* 34. 70. A quibus si domus nostra celebratur; si interdum ad forum deducimur; si uno basilicæ spatio honestamur, diligenter observari videmur et coli. *h. e.* si una per basilicam deambulatione honoris causa comitamur. *Id.* 1. *Cat.* 12. 29. Summi viri Gracchorum et Flacci sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt. *Curt.* 3. 3. 13. Cultus opulentiæ barbaræ non magis alios honestabat. *Claudian.* 1. *Laud. Stilich.* 26. quem vultus honestat, Dedecorant mores. *Cic.* 1. *Off.* 39. 139. Nec domo dominus, sed domino domus honestanda est *Id.* 4. *Cat.* 10. 21. L. Paulli currum rex nobilissimus Perses honestavit. *Liv.* 26. 5. *sub fin.* Ingens corpus erat, et arma honestabant. Sic *Curt.* 8. 13. 7. Arma auro et argento distincta corpus raræ magnitudinis honestabant. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 2. 2. (3). Avis aquilæ magnitudine, cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis fauces, caputque plumeo apice honestante. *Curt.* 6. 2. 6. Formam pudor honestabat. *Id.* 3. 6. 19. Ætas quoque, vix tantis matura rebus, omnia ejus opera honestabat. *Cic.* 2. *Herenn.* 18. 28. Exornatio est, qua utimur rei honestandæ et collocupletandæ causa. Sic *Id.* 4. *ibid.* 56. 69. Omnes rationes honestandæ elocutionis studiose collegimus —, ne nuda atque inornata inventio vulgari sermone efferatur. *Plaut. Stich.* 2. 1. 7. Honesta dicta factis: nunc tibi potestas adipiscendi est gloriam, laudem, decus etc. *h. e.* comproba, verba ad rem conferendo.

HŎNESTUS, a, um, adject. (honor, honos). Comp. *Honestior* in omnibus paragr.; Sup. *Honestissimus* I. 1. et 2. — Honestus est honoratus, honore et dignitate plenus, decorus, καλός, ἔντιμος (It. *onesto, onorato, onorevole*; Fr. *honorable, plein d'honneur*; Hisp. *honorable, lleno de honor*; Germ. *ehrenhaft, ehrenvoll*; Angl. *honourable, dignified, respectable*).

I.) Proprie occurrit ¶ 1. Passive, et honestus est idem atque honoratus, qui aliorum honore atque existimatione fruitur, *onorato, stimato, assai considerato, ragguardevole. Cic. Brut.* 81. 281. Quum honos sit præmium virtutis judicio studioque civium delatum ad aliquem; qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus et honoratus videtur. Cf. *Liv.* 36. 40. Satis honestam honoratamque imaginem fore. et *Plaut. Capt.* 2. 3. 32. Aliquem honestiorem honore facere. *Brutus* et *Cassius ad Anton.* apud *Cic.* 11. *Fam.* 3. *a med.* Te cupimus in libera republica magnum atque honestum esse. *et epist. præced.* Qui nos salvos et honestos velit. *Cic. Mur.* 36. 75. Honestus homo et nobilis, Q. Tubero. *Id.* 16. *Fam.* 9. *sub fin.* Mare magnum et difficile tibi restat. Si poteris, cum Mescinio; caute is solet navigare: sin minus, cum honesto aliquo homine, cujus auctoritate navicularius moveatur. *Cic. Mur.* 7. 15. Contempsisti L. Murenæ genus, extulisti tuum. Quo loco si tibi hoc sumis, nisi qui patricius sit, neminem bono esse genere natum, facis, ut rursus plebes in Aventinum sevocanda esse videatur. Sin autem sunt ampliæ et honestæ familiæ plebejæ, et proavus L. Murenæ et avus prætor fuit etc. *Id. fragm.* apud *Quintil.* 11. 1. 85. Quid crudelius, quam homines honestis parentibus ac majoribus natos a republica summoveri? *Id.* 5. *Tusc.* 20. 58. Bonis parentibus et honesto loco natus. *Id.* 2. *de republ.* 7. Quum Sabinas honesto ortas loco virgines rapi jussit. Sic *Cæs.* 5. *B. G.* 45. Erat unus intus Nervius, nomine Vertico, loco natus honesto. et *Sueton. Vesp.* 1. Honesto genere ortus. *Cic.* 13. *Fam.* 15. L. Titio Strabone, equite Romano in primis honesto et ornato, familiarissime utor. *Cicero* sæpe hoc adjuncto appellat Equites R., ut *ibid.* 14., 31., 62. etc. Similiter *Cæs.* 1. *B. C.* 51. Erant complures honesti adolescentes, senatorum filii et ordinis equestris. et *Cic. pro leg. Manil.* 7. 17. Publicani, homines honestissimi atque ornatissimi. *Cæs.* 1. *B. C.* 20. Milites honestissimi sui generis. *Sueton. Galb.* 9. Virgo honesta. *Liv.* 1. 4. Quia deus auctor culpæ honestior erat. Sic *Cic.* 13. *Fam.* 4. Tam grave, tam firmum, tam honestum municipium. *Quintil.* 1. 2. 9. Honestissimus conventus. — Absolute. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (77). Semper quidem honos picturæ fuit, ut ingenui eam exercerent: mox ut honesti: perpetuo interdicto, ne servitia docerentur. *Ovid.* 1. *Art. am.* 769. Inde fit, ut quæ se timuit committere honesto, Vilis in amplexus inferioris eat. *Sueton. Aug.* 46. Neruhi aut honestiorum deficeret copia, aut multitudinis soboles. *di persone civili.* — Ceterum *Cic.* 1. *Fam.* 2. Is dies honestissimos nobis fuerat in senatu. Cf. *Propert.* 3. 21. 34. Atque erit illa mihi mortis honesta dies. *Vellej.* 129. 3. Ut neque luxuriam invitaret, neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui. *Sall. Jug.* 14. Extul patria, atque omnium honestarum rerum egens. *h. e.* quæ regem honestare debent. — Et de iis qui honores, seu magistratus gessere in republ. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 96. meis (*majoribus*) contentus, honestos Fascibus et sellis nollem mihi sumere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 4. (19). Honestis manibus omnia lætius proveniunt. *h. e.* imperatoriis: at alludit ad Serranos et Cincinnatos, qui suos ipsi agros colebant. — *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 47. notat, *honestos* pro divitibus vetusto more dictos esse; nempe quia Curia pauperibus clausa est: dat census honores, ut ait *Ovid.* 3. *Amor.* 8. 55. Hinc *Quintil.* 1. 8. 28. lites, quæ fere ab honestis negligi solet, cura bene scribendi. ¶ 2. Active dicitur de iis omnibus, quæ honorem merentur, præcipue vero quæ cum virtute fiunt. Quare et ad morum probitatem, et ad moderationem sæpe refertur. *Cic.* 8. *Att.* 11. Ut civium vita opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. *Id. Mur.* 6. 13. Convivium moderatum atque honestum. *Id. Amic.* 9. 32. Hæc inter eos (*amicos*) fit honesta certatio. *Id. ibid.* 13. 47. Neque enim est consentaneum, ullam honestam rem actionemve aut non suscipere, aut etc. *Id.* 3. *Verr.* 49. 128. Hominum honestissimorum testimoniis et virorum honorum tabulis non credere. *Id. Rosc. Am.* 6. 16. Rectum putabat pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur. *Quintil.* 1. 1. 82. Quod omnium sit votum parentum, ut honestiores, quam sint ipsi, liberos habeant. *Cic. Rosc. Am.* 17. 48. Vitam hanc rusticam, quam tu probro et crimini putas esse oportere, et honestissimam et suavissimam esse arbitrantur. *Quintil.* 12. 7. 10. Honestissimus labor. *Id.* 12. 2. 27. præcepta. *Id.* 5. 11. 37. testimonia. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 34. Honestum officium. *Curt.* 8. 5. 7. artes. *h. e.* liberales. *Sall. Jug.* 14. exitus. *Tac.* 16. *Ann.* 16. civium exitus. *Nepos Eumen.* 13. funus. *Tac. Agric.* 33. mors. Sic *Stat.* 3. *Silv.* 1. 6. ignis. *h. e.* quo quis in cælum adscendit. *Id.* 4. *ibid.* 6. 83. furiæ. *h. e.* gloriæ cupido. — Item de iis, quæ speciem boni habent, *spezioso. Cic. Cæcin.* 25. 71. Nonnunquam honesto ac probabili nomine bono viro error objici solet. Cf. *Cæs.* 3. *B. C.* 32. Ut honesta præscriptione rem turpissimam tegeret. *Lucret.* 4. 1174. causas abeundi quærat honestas. — Ponitur et pro recto, convenienti, decenti, æquo. *Cic.* 3. *Herenn.* 2. 3. Utilitas in duas partes in civili consultatione dividitur, tutam et honestam. *et mox.* Honesta res dividitur in rectum et laudabile. *Cic. Rosc. Am.* 2. 7. Si vobis æqua et honesta postulatio videtur. *Nepos præfat.* Non eadem omnibus esse honesta atque turpia. *h. e.* decere omnes, aut dedecere. — Pudicitiam notat in illo *Horat.* 2. *Sat.* 3. 57. clamet amica Mater, honesta soror, cum cognatis pater, uxor. — Et *honestum* neutr. gen. absolute, tum adjective, tum substantivorum more, est ipsa honestas, *onestà. Cic.* 3. *de republ.* 9. Vitæ instituta sic distant, ut Cretes et Ætoli latrocinari honestum putent. Cf. *Quintil.* 3. 7. 24. Honestum quibusdam rapto vivere. *Cic.* 13. *Fam.* 14. Honestius est de amicorum pecunia laborare, quam de sua. *Id. Amic.* 21. 76. Ut neque rectum, neque honestum sit, nec fieri possit etc. *Id.* 2. *Fin.* 14. 45. Honestum id intelligimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis præmiis fructibusve, possit jure laudari. *Id.* 2. *Invent.* 53. 159. Quod totum, aut aliqua ex parte propter se petitur, honestum nominabimus. Adde *eumd.* 1. *Legg.* 18. 48. Sic *Id.* 5. *Fin.* 23. 66. Honestum aut ipsa virtus est, aut res gesta virtute. *Id.* 1. *Off.* 5. 14. Formam quidem ipsam et tamquam faciem honesti vides, quæ si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiæ. *Quintil.* 12. 2. 1. Omnis honesti justique disciplina. Adde *eumd.* 12. 1. 28. *Lucan.* 2. 389. Justitiæ cultor, rigidi servator honesti. *Cic.* 5. *Tusc.* 15. 45. Quo (*honesto*) detracto quid poterit beatum intelligi? *Quintil.* 2. 2. 5. De honesto et bono. *Cic.* 4. *Acad.* (2. pr.) 16. 50. Et quidem honestis similia sunt quædam non honesta et bonis non bona. *Quintil.* 12. 1. 4. In eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium. *Id.* 3. 6. 41. Cui subjacent omnes de honestis, justis, utilibus quæstiones. V. *Senec. Ep.* 118. *a med.*, ubi honesti et boni discrimen ostendit.

II.) Translate *honestus* refertur ad pulcritudinem corporis, aliarumve rerum. *Ter. Eun.* 3. 2. 20. ☞. Hem Eunuchum tibi: quam liberali facie, quam ætate integra! ☞. Ita me di ament, honestus est. *Id.* 4. 4. 15. Illa erat honesta facie et liberali. Sic *Sueton. Tib.* 68. Honesta facies. *Virg.* 10. *Æn.* 133. Dardanius caput ecce puer detectus honestum. *Apul. de Mag.* Philosophi ab ore honestissimi. *all'aspetto bellissimi. Horat.* 1. *Sat.* 2. 84. nec, si quid honesti est, Jactat habetque palam, quærit quo turpia celet. *Virg.* 3. *G.* 81. *de equis.* honesti Spadices glaucique: color deterrimus albis. *Varro* 2. *R. R.* 6. 2. *de asinis.* Sumat firmos, omnibus partibus honestos, corpore amplo. *ben fatti. Id.* 1. *ibid.* 4. 2. Ager honestior. *Stat.* 2. *Theb.* 231. tunc ora rigantur honestis Imbribus. *rigò di belle lagrime le gote*, Tassus. *Nepos Eumen.* 11. Dignitate honesta esse. *di bell'aspetto.* — Hinc

Honesti, orum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sub I. 1.

Honestum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, sub I. 2.

HŎNOR vel honos, ōris, m. 3. *Honorus* ἀρχαϊκῶς pro *Honoris* legitur in vet. *Inscript.* apud *Gruter.* 207. *col.* 2. VT AD AEDEM HONORVS FACVA AVNT, *V.* VENUS init. — Honor vel honos, fortasse ab αἶνος laus, est reverentia, observantia, quam alicui exhibemus in testimonium virtutis, decus, ornamentum, amplitudo, τιμή (It. *onore*; Fr. *honneur, témoignage d'estime*; Hisp. *honor, honra*; Germ. *d. Ehre, die Jemanden erwiesen wird*; Angl. *honour, respect, reverence, regard*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) De hominibus. — *a*) Universim. *Cic. Brut.* 81. 281. Quum honos sit præmium virtutis judicio studioque civium delatum ad aliquem, qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus et honoratus videtur. Qui autem occasione aliqua etiam invitis suis civibus nactus est imperium, hunc nomen honoris adeptum, non honorem puto. *Id.* 10. *Fam-*

10. Is denique honos mihi videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita claris viris defertur et datur. Quare, sit modo aliqua respublica, in qua honos elucere possit, omnibus, mihi crede, amplissimis honoribus abundabis. Is autem, qui vere appellari potest honos, non invitamentum ad tempus, sed perpetuæ virtutis est præmium. *Id.* 1. *Tusc.* 2. 4. Honos alit artes, omnesque accenduntur ad studia gloriâ. *Id.* 5. *Fam.* 20. Honorem habere alicui. *Nepos Miltiad.* 6. tribuere. *Ovid.* 6. *Fast.* 57. præstare. *Id.* 13. *Met.* 16. demere. *Cic. Rosc. Am.* 47. 136. reddere cuique suum. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. decernere honores alicui. *Id.* 9. *Att.* 2. accipere ab aliquo. *Id. Dejot.* 5. 14. Honore amplissimo quempiam afficere. *Cæs.* 1. *B. G.* 43. Gratia, dignitate, honore quempiam augere. *Id.* 5. *ibid.* 52. Præcipuo honore habere aliquem. *Id.* 6. *ibid.* 12. Esse aliquo numero atque honore. *Cic.* 7. *Att.* 2. *ad fin.* Habere aliquem in honore. *Id. Rosc. Am.* 28. 77. Esse in honore et pretio apud aliquem. *Id.* 1. *Tusc.* 2. 3. Honorem poetis non fuisse declarat oratio Catonis. *Id.* 2. *Off.* 17. 58. Honori summo nostro Miloni fuit, quod Clodii conatus compressit. *Id.* 7. *Fam.* 26. Adducere aliquem in honorem. *Id.* 1. *Orat.* 51. 232. Amplissimis honoribus et præmiis decorari. *Id. Dejot.* 5. 14. Honore amplissimo ornatus. *Virg.* 1. *Æn.* 339. aliquem honore dignari. *Phædr. prol.* 4. 3. Honori et meritis dedicans librum tuis. *Vellej.* 2. 123. Certamen ludicrum honori Augusti sacratum. *Horat.* 1. *Od.* 7. 8. in Junonis honorem. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 13. (29). Obsides a Porsena redditi in honorem Clœliæ. *Sall. Jug.* 11. Medium ex tribus sedere, apud Numidas honori ducitur. — *b*) Speciatim *honoris causa* est honorandi causa. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 25. Quia nos honoris tui causa huc ad te venimus. *Cic. Quinct.* 2. 6. Vir fortissimus et clarissimus L. Sulla, quem honoris causa nomino. *Id. Rosc. Am.* 1. 18. Toties hunc et virum bonum esse dixisti, et honoris causa appellasti. *Id.* 2. *Verr.* 7. 18. C. Curio, quem ego hominem honoris potius, quam contumeliæ causa nominatum volo. Similiter *Nepos Thrasyb.* 4. Huic, pro tantis meritis, honoris corona a populo data est. *h. e.* honoris ergo, causa. — *c*) Item interdum dicitur de laude. *Virg.* 2. *G.* 393. Ergo rite suum Baccho dicemus honorem Carminibus patriis. — *d*) *Malum honorem alicui habere* dixit *Q. Metellus Numid.* apud *Gell.* 12. 9. pro contumelia et injuria afficere. Tanto, inquit, vobis, quam mihi majorem injuriam atque contumeliam facit –, tanto ille vobis, quam mihi pejorem honorem habuit. *Sed hoc rarissimum est.* Huc tamen referri potest illud *Tac.* 1. *Hist.* 21. Nec Lusitaniam rursus et alterius exsilii honorem exspectandum. *h. e.* alterum exsilium, quo scilicet cum specie honoris submovetur aliquis ab urbe. — *e*) In illo *Virg.* 12. *Æn.* 56. Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatæ Tangit honos animum: *Nonio* p. 320. 18. *Merc. honos* est dilectus, amor. Rectius tamen *Servius*: si quem honorem habes Amatæ. — 2.°) De rebus physicis et abstractis, honos frequenter est pretium et æstimatio, qua res aliqua magni fit et quodammodo in honore habetur, *pregio, stima.* *Cic.* 3. *Fin.* 22. 73. Physicæ quoque non sine causa tributus idem est honos. *Id. Orat.* 35. 125. Ornatus ille admirabilis, propter quem ascendit in tantum honorem eloquentia. *Horat. Art. P.* 70. Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus. *Ovid.* 2. *Met.* 387. acti sine honore labores. *Id.* 2. *Art. am.* 277. plurimus auro Venit honos. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 27. (60). Apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser, nullo nunc in honore est: quod quidem miror, quum sit rarus inventu. *Id.* 19. *ibid.* 6. 32. (104). Sunt in honore Creticæ cæpæ. *Id.* 36. *ibid.* 26. 67. (198). Maximus honos vitris in candido translucentibus. *Id.* 14. *ibid.* 4. 6. (54). Vino Prænolo etiam nunc honos durat. — 3.°) *Honorem præfari* est petere veniam, quum quid turpe dicturi sumus, ne offendantur ii, qui audiunt: quo ostendimus, omnem nos iis honorem habere. *Cic.* 9. *Fam.* 22. *a med.* Si dicimus, ille patrem strangulavit, honorem non præfamur: sin de Aurelia aliquid, aut Lollia, honos præfandus est. *Arnob.* 5. 27. Quæ sine honoribus præfatis appellare nefas est. Huc pertinent illa *Quintil.* 3. *Declam. init.* Tuis honos sit habitus sanctissimis auribus. et *Curt.* 5. 1. 38. Honos auribus sit, *sia detto salvo il rispetto etc.* et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 24. (87). Hæc sunt, quæ retulisse fas sit, ac pleraque non nisi honore dicto. ¶ 2. Speciatim dicitur de magistratu et munere publico, *dignità, posto, carica.* — *a*) In sing. num. *Cic.* 7. *Verr.* 14. 35. Ita quæstor sum factus, ut mihi honorem illum tum non solum datum, sed etiam creditum ac commissum putem. *Id. Sull.* 29. 82. Neminem esse ex illo honoris gradu, qui etc. *Cæs.* 1. *B. C.* 77. Equites R. in tribunicium honorem restituere. *Id. ibid.* 32. Se nullum extraordinarium honorem appetisse. *Sueton. Cæs.* 50. Inire honorem. *entrare in carica.* *Tac.* 13. *Ann.* 25. Honorem capere. *Liv.* 9. 26. Honore abire. *Sueton. Aug.* 26. Abire honore. *deporre il magistrato.* *Id. ibid.* 36. Deposito honore. *Id. Claud.* 9. Pæne honore summotus est. *Seneca Ep.* 64. *sub fin.* Honori honorem habere. *far riverenza al magistrato.* — *b*) In plur. num. *Cic. Brut.* 64. 241. Ad honores ascendere. *Id.* 6. *Verr.* 37. 81. Mandare honores hominibus novis. *Id.* 1. *Fam.* 8. Honoribus amplissimis perfunctus. *Nepos Att.* 6. Honores non petiit, quum ei paterent, quod neque peti more majorum, neque capi possent conservatis legibus, neque geri e republica sine periculo. *Id. Cat.* 1. Honoribus operam dare. *Sall. Jug.* 4. Furtim et per latrocinia potius, quam bonis artibus ad imperia atque honores niti. *Id. Cat.* 49. Catulus maximis honoribus usus. *V.* UTOR. *Horat.* 1. *Od.* 1. 7. Hunc (*juvat*) si mobilium turba Quiritium Certat tergeminis tollere honoribus. *Id.* 1. *Sat.* 6. 15. populus stultus honores sæpe dat indignis. *Pseudo-Sall. Orat.* 2. *ad Cæs. de republ. ordin.* Ad honores quempiam extollere. *Petron. Satyr.* 116. Ad summos honores pervenire. *Sueton. Aug.* 26. Magistratus atque honores capere. *Justin.* 6. 8. 6. Honores ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. — Huc pertinet et illud *Liv.* 3. 51. Militari honore tribunos militum appellare. *con titolo onorifico.* Cf. *Nepos Att.* 6. Multorum consulum prætorumque præfecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus. ¶ 3. Olim *Honor* deus habitus est, pater Majestatis (V. *Ovid.* 5. *Fast.* 23.) cultusque ab Romanis, ut honorarentur, ut ait *Augustin.* 4. *Civ. D.* 21., templumque ei dicatum fuit una cum Virtute, horum simulacro separatis cellis posito. *Val. Max.* 1. 1. *n.* 8.; *Cic.* 6. *Verr.* 51. 121., *Sext.* 54. 116. et 2. *Legg.* 23. 58.; *Vitruv.* 3. 1.; *Liv.* 27. 35.; *Symmach.* 1. *Ep.* 21.; et *Inscript.* apud *Orell.* 543. — Eidem Honori, ut et Saturno, Romani capite aperto, at ceteris diis velato, sacrificare solebant, ut testatur *Plutarch. Quæst. Rom.* 11. et 13.

II.) Translate. ¶ 1. Honos dicitur id, quo alicui honorem significamus ac præstamus: hinc — *a*) Usurpatur de sacrificiis aliisque rebus, quibus honos habetur diis. *Cato* apud *Festum p.* 234. 30. *Müll.* Domi quum auspicamus, honorem me deum immortalium velim habuisse. *Liv.* 8. 33. *ad fin.* Aræ sacrificiis fument, honore, donis cumulentur. *Virg.* 1. *Æn.* 636. divum templis indicit honorem. *Id.* 3. *G.* 486. in honore deûm medio stans hostia ad aras. *Id.* 3. *Æn.* 118. meritos aris mactavit honores, Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo. *Id.* 1. *ibid.* 53. aris imponere honores. *Ovid.* 8. *Met.* 740. nullus aris adoleret honores. *Id.* 4. *Fast.* 409. Farra deæ micæque licet salientis honorem detis. *Sil. It.* 3. 217. Martique sub homine fausto instauratus honos. *Id.* 7. 184. primum Vestæ decerpit honorem Undique (*h. e.* ex omnibus cibis), et in mediam jecit libamina flammam. *Val. Flacc.* 6. 152. in superos sævus honor. *h. e.* sacrificium humanæ victimæ. — *b*) Interdum de sepulcro et exsequiis. *Virg.* 6. *Æn.* 333. Cernit ibi mœstos et mortis honore carentes Leucaspim etc. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 45. Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulcri Indeploratum barbara terra teget? *Val. Flacc.* 3. 357. solutus honos cineri. *Sil. It.* 3. 265. tumuli honos. — *c*) Nonnunquam donum, præmium et mercedem significat, *ricognizione, dono, mercede, premio:* unde *honorarium.* *Cic.* 16. *Fam.* 9. *a med.* Curio misi, ut medico honos haberetur, et tibi daret quod opus esset. *Ter. Eun.* 5. 7. 22. Ille pro munere illo tibi honos est habitus. *Liv.* 30. 23. Honos medius. *h. e.* ovatio. *Virg.* 5. *Æn.* 365. geminum pugnæ proponit honorem. Cf. *Sil. It.* 9. 199. nil victor honoris Ex opibus posco. *Val. Flacc.* 5. 291. multos Minyis exsolvet honores. *Tibull.* 3. 1. 5. discurrunt undique munera –. Dicite, Pierides, quonam donetur honore Neæra. *Ovid.* 11. *Met.* 216. nec Telamon sine honore recessit, Hesioneque data potitur. Adde *Cic.* 3. *Verr.* 15. 38.; et *Vitruv.* 10. 22. Conferatur etiam illud *Ulp. Dig.* 50. 13. 1. Τιμὴ quoque apud Græcos tum pretium, tum honorem significat. — Huc pertinet, quod *honores* dicuntur hæreditates et legata. *Quintil. Declam.* 201. Divisurus cum his, qui non eumdem honorem supremis defuncti tabulis habuerunt. *Julian. Dig.* 37. 5. 3. Nec enim quærimus, cui acquiratur, sed cui honos habitus sit. Adde *Ulp. ibid.* 32. 1. 11. *post med.*: honorem enim ducebant heredes institui et legata accipere; contra contumeliam præteriri aut exheredari: quod esset illud testatoris extremum judicium eorum mores comprobantis. *Cic. Quinct.* 4. 14. Heredem testamento reliquit hunc P. Quinctium: ut ad quem summus mœror morte sua veniebat, ad eumdem summus honos quoque perveniret. — *d*) Huc referri possunt et sequentia. — *Honore usus impensam remisit* in *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 422. 1. et *honore usus impendium remisit* in alia apud *Gruter.* 445. 6., et *titulo honoris usus* dicitur is, qui statuam publice sibi ex decreto decurionum ponendam quidem accipit, ejusdem tamen impensam reipublicæ remittit, sibique soli solvendam esse declarat. — *Ad honorem venire* dicebatur nobilis auriga, qui non mercedis et præmii, sed honoris tantum causa bigas, trigas, quadrigas agebat. *Inscript.* apud *Gruter.* 337. 1. C. APPULEIUS DIOCLES AGITATOR FACTIONIS RUSSATAE AD HONOREM VENIT ∞. *h. e.* millies. *Alia* apud *Maff. Mus. Ver.* 126. 2. AD HONORE (*h. e.* honorem) VENIT OCCURRIT. Hinc a Venetis etiamnum *ad honorem* vulgo dicitur quispiam munus aliquod, aut magistratum gerere, quum ipsius impensa eumdem exercet. — Item *ad honorem* aliquid alicui tributum dicitur, licet nulla eidem opera propterea præstanda sit. *Vitruv.* 10. 22. Diogneto Rhodio architecto de publico quotannis certa merces pro artis dignitate tribuebatur ad honorem. — *Honore pleno diligere* feminam aliquam dicitur is, qui eam, quæ corpore quæstum fecerit, uxorem sibi adjunxerit. *Papinian. Dig.* 34. 9. 16. Cocceius Cassianus clarissimus vir Rufinam ingenuam honore pleno dilexerat, cujus filiam, quam alumnam Cassianus nepti coheredem datam appellaverat, vulgo quæsitam apparuit. ¶ 2. Ratione habita rerum, seu objective, ut in scholis ajunt, dicitur de pulcritudine et ornatu quolibet, unde alicui rei pretium et honos accedit. *Virg.* 1. *Æn.* 595. lætos oculis afflarat honores. *Sil. It.* 12. 243. niveosque per artus It Stygius color et formæ populatur honorem. *Horat. Epod.* 17. 17. Volente Circa – mucos et sonus Relapsus, atque notus in vultus honor. *h. e.* forma, decor. *Sil. It.* 4. 737. frontis periit honor. *h. e.* oculis. *Virg.* 2. *G.* 404. silvis Aquilo decussit honorem. *Horat. Epod.* 11. 6. December silvis honorem decutit. *Id.* 1. *Od.* 17. 16. Ruris honores. *h. e.* poma et fruges. Adde *eumd.* 2. *Sat.* 5. 13. Sic *Stat.* 10. *Theb.* 788. hi sertis, hi veris honore soluto Accumulant artus. *h. e.* apertis rosis, inquit *Lactant.* Et *Sil. It.* 3. 487. Nullum ver usquam, nullique æstatis honores. *Grat. Cyneg.* 310. Terræ honores. *Virg.* 4. *Æn.* 207. honor Lenæus *h. e.* vinum. *Ovid.* 3. *Art. am.* 392. novali cinctus honore caput. *h. e.* corona. Sic *Id.* 1. *Met.* 449. æsculeæ capiebat frondis honorem. et *ibid.* 565. Frondis honores gere. et *Val. Flacc.* 6. 296. Populeus cui frondis honor. Eodem sensu *Plin. Paneg.* 8. Honor capitis. et *Ovid.* 15. *Met.* 614. honore carere. *h. e.* corona. *Sil. It.* 17. 527. humeris imponit honorem Fulgentis saguli. *Id.* 15. 481. honore armorum exuto. *Id.* 12. 230. qui miro candoris honore Lucet in auro lapis. *Val. Flacc.* 8. 30. roseo tali per nubila ductor Implet honore nemus. Adde *eumd. ibid.* 237.; et *Stat.* 2. *Theb.* 160. et 7. *ibid.* 225. *Sil. It.* 8. 441. Exutum (*Picum*) formæ volitare per æthera jussit, Et sparsit plumis croceum fugientis honorem.

HŎNŌRĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Honorabilior.* — Honorabilis est honorem afferens, seu potius honore plenus, *onorevole,* τίμιος, ἀξιότιμος. *Cic. Senect.* 18. 63. Hæc ipsa sunt honorabilia, quæ videntur levia atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, etc. *Ammian.* 30. 4. Honorabiles personæ.

Vulgat. interpr. Dan. 13. 4. Eo quod esset honorabilior omnium. — Apud *Liv.* 4. 10. extr. Quinque consulatus eodem tenore gesti, vitaque omnis consulariter acta, verendum pæne ipsum magis, quam honorabilem faciebant. *Alii melius leg.* honorem.

HŎNŌRĀBĬLĬTER, adverb. cum honore, *onorevolmente. Ammian.* 29. 2. Honorabiliter colebatur. *Capitolin. Macrin.* 5. Honorabiliter sepelire. *Cassiod.* 2. *Variar.* 9. cedere. Adde *Augustin. Ep.* 159.

HŎNŌRĀRĬUS, a, um, adject. ad honorem pertinens. ¶ 1. Generatim — *a) Honorarium frumentum* erat, quod a Provincialibus dabatur Romanis magistratibus honoris causa et pro administratione provinciæ. *Cic. Pis.* 35. 86. Qui modus tibi fuit frumenti æstimandi? qui honorarii? si quidem potest vi et metu extortum honorarium nominari. Sic Cato apud *Isid.* 20. *Orig.* 3. 8. Quum essem in provincia legatus, quamplures ad prætores et consules vinum honorarium dabant: numquam accepi, ne privatus quidem. — *b) Honorarius tumulus* apud *Sueton. Claud.* 1. est cenotaphium, in quo scilicet cadaver non est conditum, sed honoris et monumenti causa excitatum est. *V.* CENOTAPHIUM. — *c) Honorarius arbiter* est, qui honorariam operam, non pacta mercede, præstat in disceptandis privatis controversiis, quales sunt, qui ab utraque parte litigantium eliguntur. Et *honorarius* dicitur, quia honorabile est arbitrum assumi, et quia solius honoris causa hujusmodi arbitrium exercetur. *Cic. Cæcin.* 2. 6. Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt: quorum alterum levius est et sæpe disceptatore domestico dijudicatur, alterum est vehementissimum, et non honorariam operam amici, sed severitatem judicis ac vim requirit. Sic apud *eumd. Rosc. Com.* 5. 15. honoraria arbitria *opponuntur* judiciis legitimis. *Id.* 5. *Tusc.* 41. 120. Quam controversiam solebat tamquam honorarius arbiter, judicare Carneades. Adde *eumd. Fat.* 17. 39. — Erant etiam arbitri, qui non a partibus eligebantur, sed dabantur iis ab ipso prætore, ut in ARBITER dictum est. Hi quoque *honorarii* dici possunt. — *d) Honorarius* tutor est, qui honoris solius causa, sine onere administrationis, datur; qui tamen periculum pati solet, si male passus sit administrari tutelam, ut *Paul.* docet *Dig.* 23. 2. 61. Adde *Ulp. ibid.* 26. 7. 3., ubi dari docet hujusmodi tutores, quasi observatores et custodes ejus, cui administratio commissa est. — *e) Honoraria vacca* in *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* n. 32., 36. et 41. est ea victima, quæ pro sacrificio, non pro piaculo diis offerebatur, nempe ut iisdem honor haberetur; quemadmodum et apud Hebræos aliæ hostiæ pro sacrificio, aliæ pro peccato immolabantur, ut patet ex plurimis locis *Levitici* et *Numerorum.* — *f) Honorarii ludi* videntur fuisse, qui a magistratibus in honore edebantur, ut ab ædilibus, prætoribus, imperatoribus etc. *Sueton. Aug.* 33. Triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit. *scil.* qui non piaculi, sed honoris tantum et lætitiæ causa dabantur. *Paul. Diac. p.* 102. 16. *Müll.* docet, honorarios ludos esse Liberalia, in honorem Bacchi. — *g) Honorarium munus* apud *Gell.* 16. 13. est munus gerendi honores in republica, quo municipes utebantur, qui quamvis suis viverent legibus, poterant ad magistratus R. ascendere. — *h) Honorarii codicilli* præturæ, vel consulatus, præfecturæ etc. erant, qui absque administratione, solius honoris gratia, ab imperatoribus concedebantur, *patenti di onore. Imp. Zeno Cod.* 3. 24. 3. § 2. Adde *Cod. Theod.* 6. *tit.* 22. qui *De honorariis codicillis* inscribitur. Hinc *Honorarius consul, honorarius prætor.* V. *Novell. const.* 70. — *i) Honorarium est,* honorem parit, gratiam favoremque conciliat. *Cic. Opt. gen. orat.* 1. 3. Optimus est orator, qui dicendo animos audientium et docet et delectat et permovet: docere debitum est, delectare honorarium, permovere necessarium. — *l) Honoraria summa* est, quam quis adeptus honorem ædilitatis, aut decurionatus solvere ærario publico debebat. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 456. 5. D. FVNDANIVS PAL. PRIMIANVS AEDILIS OB HONOREM AEDILITATIS, QVEM EI ORDO SVVS SVFFRAGIO DECREVIT, HANC STATVAM, IMITATVS PATRIS EXEMPLVM, HS. VIII. MILLIBVS N. SVA LIBERALITATE NVMERATA PRIVS A SE REIPVBLICAE, SVMMA HONORARIA POSVIT EAMDEMQVE DEDICAVIT. — Etiam *honoraria* absolute dicitur. *Alia* apud *Gruter.* 408. 1. ADMITTENDO AD HONORVM COMMVNIONEM ET VSVRPATIONEM ROMANAE CIVITATIS ET OPTIMVM ET LOCVPLETISSIMVM QVEMQVE, VT SCILICET QVI OLIM ERANT TANTVM IN ABOITV PECVNIARIO, NVNC ET IN ILLO IPSO DVPLICI QVIDEM PER HONORARIAE NVMERATIONEM REPERIANTVR, VT ET IPSI SINT, CVM QVIBVS MVNERA DECVRIONATVS, VT PAVCIS IAM ONEROSA, HONESTE DE PLANO COMPARTIAMVR. Sic *Inscript.* nuper Salonæ repertæ. DIVO NERVAE L. VETTIVS L. F SERG. CATELVS IIVIR I. D. EX PECV. HONOR. II. VIR. SVI L. D. P. D. D. — Hinc *Honorarium, ii,* n. 2. absolute, substantivorum more, *V.* in fine hujus vocis. ¶ 2. Speciatim in jure *honoraria* dicuntur, quæ a prætore proficiscuntur (*Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 10. Jus honorarium dicitur, quod ab honore prætoris venerat.); quoniam *prætor* nomen est summi magistratus Romæ, quo olim et consul et judex significabatur (V. PRÆTOR). Magistratus autem *honor* dicitur. Hinc *honoratum* appellat prætorem *Ovid.* 1. *Fast.* 53. Itaque *honorarium jus* sunt prætorum edicta: *honoraria actio,* quæ civili opponitur et prætoris jure, non civilibus legibus nititur: sic *honoraria obligatio,* et *honorarius successor, curator,* et similia, quæ a prætoris jurisdictione pendent. *Pompon. Dig. loc. cit.*; *Ulp. ibid.* 30. 1. 28.; *Martian. ibid.* 20. 1. 5.; *Ulp. ibid.* 16. 4. 13. *extr.* et *lib. regular. tit.* 13. Hinc paragraphi 1. significatione

Honorarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, γερούσιον, — *a)* Est pecunia, quæ erogatur ab eo, qui honorem aliquem seu magistratum init, pro introitu. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 114. Honorarium decurionatus omnes, qui in quaque civitate Bithyniæ decuriones fiunt, inferre debeant, necne, in universum a me non potest statui. *V.* DECURIO. — *b)* item munuscula, quæ honoris causa mitti solebant propinquis et cognatis die Charistiorum, seu caræ cognationis. *Tertull. Idolol.* 10. Etiam strenæ captandæ, et septimontium, et brumæ, et caræ cognationis honoraria exigenda omnia. *V.* CHARISTIA. — *c)* Item merces, præmium, quod datur jurisconsultis, medicis aliisque liberalium artium professoribus, operæ ac laboris remunerandi causa: *mercedem* enim dicere, minus honorificum videtur. De quo *Vitruv.* 10. 22. Diognetus fuit Rhodius architectus: et ei de publico quotannis certa merces pro arte tribuebatur, ad honorem. *Ulp. Dig.* 11. 6. 1. Non crediderunt veteres, inter tales personas (*mensores agrorum*) locationem esse, sed magis operam beneficii loco præberi: et id, quod datur, ei ad remunerandum dari: et inde honorarium appellari. *Id. ibid.* 50. 13. 1. In honorariis advocatorum ita versari judex debet, ut pro modo litis etc. Adde *eumd. ibid.* 26. 7. 7. *a med. V.* HONOR II. 1.

HŎNŌRĀTĒ, adverb. Comp. *Honoratius* et Sup. *Honoratissime.* — Honorate est cum honore et dignitate, *onoratamente,* ἐντίμως. *Vellej.* 2. 129. *ad fin.* Quam illum et honorate, nec secure continet! *Tac.* 4. *Hist.* 63. Honorate aliquem custodire. *Justin.* 5. 4. 13. Utrum contumeliosius expulerint, an revocaverint honoratius. *Val. Max.* 2. 10. 2. Antiochus filium (*superioris Africani*) honoratissime excepit.

HŎNŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus honorandi, honor. *Arnob.* 7. 13. Video, quid agatur in hujusmodi honorationis officio. *Orellius* legit *venerationis.* Adde *Capell.* 1. p. 4. Sic *Paul. Diac. p.* 97. 8. *Müll.* Corona graminea in re militari maximæ est honorationis.

HŎNŌRĀTUS, a, um. *V.* HONORO.

HŎNŌRĬFĬCĒ, adverb. Comp. *Honorificentius* et Sup. *Honorificentissime.* — Honorifice est honorate, *onorevolmente. Cic.* 6. *Verr.* 62. 138. Itaque in curiam venimus: honorifice sane consurgitur. *Id.* 6. *Fam.* 6. *a med.* Numquam nisi honorificentissime Pompejum appellat. *Id. Pis.* 15. 35. Nemini triomphus honorificentius, quam mihi etc. *Id.* 7. *Phil.* 8. 23. Respondere honorifice alicui. *Id.* 11. *ibid.* 13. 33. Quæ de illo viro (*Dejotaro*) Sulla, quæ Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter sæpe in senatu prædicaverunt! *Id.* 11. *Att.* 13. n. 2. Litteræ tuæ quum amantissime, tum honorificentissime scriptæ. *Id.* 13. *Fam.* 27. Nec liberalius, nec honorificentius se potuisse tractari. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. 44. Large atque honorifice permittere.

HŎNŌRĬFĬCENTĬA, æ, f. 1. honor, decus, *onore. Vopisc. Aurelian.* 25. Templum Soli posuit, majore honorificentia consecratum. *Symmach.* 6. *Ep.* 36. (*al.* 35). Honorificentia imperialis. *V.* INFRAFORANUS. *Vulgat. interpr. Judith* 15. 10. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

HŎNŌRĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (honor et facio). Part. *Honorificans.* — Honorificare est honore afficere, *onorare,* τιμάω. *Lactant.* 7. 24. *extr.* Ut adorent et honorificent regem magnum. *Id. Ira D.* 23. Debemus Deum honorificare, quod beneficus. *Augustin. Ep.* 119. Salvatorem honorificantes.

HŎNŌRĬFĬCUS, a, um, adject. (honos et facio). Comp. *Honorificentior* et Sup. *Honorificentissimus.* — Honorificus est qui honorem affert, *onorevole, onorifico,* τίμιος. *Cic.* 2. *Phil.* 15. 39. Numquam ab eo mentio de me, nisi honorifica. *Id.* 5. *Fam.* 2. Quum tu a me rebus amplissimis atque honorificentissimis ornatus esses. et *ibid.* Orationem meam in te honorificam fuisse. *Id.* 14. *Phil.* 11. 29. Causas, ut honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. *circa med.* Imperium illi ætati honorificum. *Nepos Eumen.* 1. Eum habuit ad manum scribæ loco: quod multo apud Grajos honorificentius est, quam apud Romanos. *Quintil.* 6. 3. 108. Seria partitur in tria genera, honorificum, contumeliosum, medium. *Vellej.* 2. 45. 4. Sub honorificentissimo ministerii titulo M. Catonem a republica relegavit. *Martial.* 10. 45. Si quid honorificum pagina blanda sonat. *Ammian.* 25. 10. Christianæ legis idem studiosus et nonnumquam honorificus. — Est etiam qui alios honore afficit, ut in *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 634. n. 290. IN CVNCTIS SIMPLEX CONTRACTIBVS, OMNIBVS AEQVVS, VT POTVI, NEC NON SVBVENI SAEPE PETENTI, SEMPER HONORIFICVS, SEMPER COMMVNIS AMICIS.

HŎNŌRĬGER, gĕra, gĕrum, adject. (honor et gero) honoratus, honorificus. *Tertull. Virg. veland.* 10. Honorigeram notam virginitatis præ se ferre.

HŎNŌRĬPĔTA, æ, m. 1. (honor et peto) φιλότιμος, qui honores et dignitates captat. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Culpabilium virorum quatuor formæ sunt, quarum prima est honoripetarum, etc.

HŎNŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Honoror, aris,* deponentis forma pro *honoro* usurpat *Solin.* 1. *ad fin.* Dionysius cum albis quadrigis Platonem egredientem in litore occurrens honoratus est. *Ampel.* 2. *circa med.* Ob id factum Junoni odio esse cœpit, Leonemque cælesti dignitate est honorata. — Part. *Honoratus* in omnibus paragr. et in fin.; *Honorandus* 1. et in fin. — Honorare est honore afficere, colere, τιμάω (It. *onorare, rispettare*; Fr. *honorer, faire honneur à, traiter avec distinction*; Hisp. *honrar, respirar, acatar, venerar*; Germ. *ehren, beehren, schmücken, beschenken, mit Ehre auszeichnen*; Angl. *to honour, respect, reverence*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* 9. *Phil.* 3. 5. Mortem ejus (*Ser. Sulpicii*) non monumento, sed luctu publico esse honorandam putarem. *Id.* 2. *ibid.* 11. 25. Honorare aliquem laudibus. *Sall. Jug.* 10. Meque regnumque meum gloria honoravisti. *Vellej.* 2. 112. 2. Ornamentis triumphalibus honoratus est. *Liv.* 10. 7. Honorare aliquem sella curuli. *Vellej.* 2. 124. 3. corpus humanis honoribus. — *Cic.* 5. *Phil.* 17. 45. Spero fore hujus adolescentis ornandi honorandique et nobis et populo Romano potestatem. *Id.* 1. *Divinat.* 40. 88. Amphiaraum sic honoravit fama Græciæ, deus ut haberetur. *Id.* 9. *Phil.* 2. 4. Nemo tum virtutem suo honorabat. Adde *Liv.* 2. 13. *Quintil.* 3. 6. 74. Honorandus sum, quia tyrannum occidi. cui ibid. *opponitur* puniendus. *Liv.* 5. 23. Honorare diem. *h. e.* magnificare, laudibus efferre. — Similiter *Ovid.* 8. *Met.* 266. quos (*deos*) sanguine voto, Muneribusque datis et acerris thuris honorant. *Heinsius* tamen leg. *adorant. Apul.* 2. *Met. sub fin.* Utinam aliquid de proprio lepore lætificum honorando Deo communicaris. ¶ 2. Speciatim significat donare, præmio afficere, *regalare, premiare.* — 1.°) Raro admodum cum Genitivo. *Pacuvius* apud *Non. p.* 498. 12. *Merc.* Postquam est honoratus frugum et floris Liberi. *Al.* rectius *leg.* oneratus. — 2.°) Sæpius cum Ablativo; et quidem — *a)* Generatim. *Curt.* 7. 1. 23. Quum donis honoramur, quum præmiis onusti revertimur.

Vellej. 2. 120. 3. Quoties populum congiariis honoravit? *Id.* 2. 61. 3. Honoratus equestri statua. Et absolute *Ulp. Dig.* 3. 1. 1. *a med.* Nisi in arena passi sunt se honorari. — Huc referri potest et illud *Petron. Satyr.* 83. Apollo lyram modo nato flore honorabat. *h. e.* ornabat. Item illud *Solin.* 33. Phœnix avis, aquilæ magnitudine, capite honorato in cunum plumis exstantibus. *h. e.* ornato, decorato: *honestus* simili notione sæpe legitur. *V.* — *b*) Speciatim in *vet. Inscript.* ad milites sæpe refertur, qui militari præmio virtutis ergo affecti sunt. Apud *Gruter.* 395. 4. P. CORNELIVS ASPER AQVO PVBLICO HONORATVS, ITEM ORNAMENTIS DECVRIONATVS. *Alia* apud *eumd.* 414. 8. L. FVRIO L. F. PAL. VICTORINO HONORATO ET DONATO etc. — *c*) Huc pertinet, quod *honorari* dicuntur ii hi, qui legato aut hereditate afficiuntur. *Callistrat. Dig.* 48. 10. 15. Qui per servum, vel filium, dictante testatore, legato honoratur. *Inscript.* apud *Gruter.* 817. 12. Honorare aliquem testamento. *M. Aurel.* inter *Ep. Fronton.* ad *M. Cæs.* 1. 5. Aliter plangit servus manumissus, aliter cliens laudat (*lege* luget ex *A. Maio*) et vocatus, aliter amicus legat (*lege* legato) honoratus. *V.* HONOR II. 1. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Honoratus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Honoratior* et Sup. *Honoratissimus* 1. et 2. — Honoratus est honore affectus, in honore habitus, honestus, illustris, ἔντιμος, *onorato, civile, onesto.* ¶ 1. Generatim. Cum *honesto* jungitur apud *Cic. Brut.* 81. 281. Quum bonus sit præmium virtutis judicio studioque civium delatum ad aliquem: qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus et honoratus videtur. Sic apud *Liv.* 36. 40. Satis honestam honoratamque imaginem fore. — Ceterum *Plaut. Capt.* 2. 2. 27. HE. Quo de genere natus est illic Philocrates? PHI. Polyplusio: quod genus illic unum est pollens atque honoratissimum. *Cic. Senect.* 7. 22. Neque ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata et quieta. *Id.* 1. *Off.* 39. 138. Honoratus homo et princeps. *Id. Orat.* 9. 32. Honoratus et nobilis Thucydides. *Id.* 9. *Att.* 12. Dionysius apud me honoratior fuit, quam apud Scipionem Panætius. *Horat. Art. P.* 120. Honoratus Achilles. *Ovid.* 8. *Met.* 9. cani. *Liv.* 40. 54. amici. *Ovid.* 15. *Met.* 617. rus honoratum. *h. e.* honoris ac præmii causa cuipiam donatum. Sic *Tac.* 2. *Ann.* 63. Honorata sedes. *Cic. Planc.* 8. 19. Honorata præfectura. *Liv.* 32. 23. Navales socii, relictis nuper classibus, ad spem honoratioris militiæ transgressi. *Vellej.* 2. 76. 1. Honoratissimo inter judices loco a Pompejo lectus. *Liv.* 3. 58. Honoratissimæ imaginis vir. *Id.* 27. 10. Honoratissimum decretum. *onorevolissimo.* *Tac. Germ.* 11. Honoratissimum assensus genus est armis laudare. ¶ 2. Speciatim usurpatur de iis, qui magistratus gessere, geruntve. *Ovid* 1. *Fast.* 52. Simul exta deo data sunt, licet omnia fari, Verbaque honoratus libera prætor habet. *V.* HONORARIUS 2. Rursus *Ovid.* 4. *Pont.* 5. 1. Ite, leves elegi, doctas ad consulis aures, Verbaque honorato ferte legenda viro. *Cic.* 1. *Legg.* 11. 32. Propter honestatis et gloriæ similitudinem, beati, qui honorati sunt, videntur; miseri autem, qui inglorii. *Vellej.* 2. 54. *extr.* Qui vir, quum summum ei deferretur imperium, honoratiori parere maluit. Cf. *Sueton. Tib.* 3. Familia octo consulatibus, censuris duabus honorata. at *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 92. per quem decreta merenti Venit honoratis laurea digna comis. — *Honoratus ad curam* is dicitur, cui cura aliqua honoris causa est delata. *Inscript.* apud *Gruter.* 444. 5. C. OCTAVIO C. F. PAL. MODESTO HONORATO AD CVRAM KALENDARII CANVSINORVM A DIVO TRAIANO PARTHICO. — *Honoratus* item dicebatur sequiori tempore, qui in aliquo municipio aut colonia duumvir, aut quatuorvir, aut quinquennalis fuisset; item in militia, qui tribunus, aut dux, aut magister militum; item in collegiis, seu corporibus artificum, qui præfectus, aut magister. V. *Labus Mus. Mant. T.* 3. p. 312. et *Fast. della Chiesa T.* 2. *p.* 229. et 69. At *Savigny, Hist. du droit Rom. T.* 1. *p.* 57., putat *honoratos* esse appellatos præsides provinciarum. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod. Theod.* 9. 27. 6. Si quis forte honoratorum, decurionum, possessorum, postremo etiam colonorum, aut cujuslibet ordinis, a judicibus fuerit aliqua ratione concussus etc. *Lamprid. Alex. Sev.* 40. Divitiis nullius invidit, pauperes juvit, honoratos, quos pauperes vere, non per luxuriam aut simulationem vidit, semper multis commodis auxit, agris, servis, animalibus, gregibus, ferramentis rusticis. *Ammian.* 14. 1. Honoratiorum circulis adsistere. *Inscript.* apud *Gruter.* 357. 3. M. ANTONIVS IANVARIVS HONORATVS AVGVSTALIS MISENIS. *Alia* apud *eumd.* 279. 3. IMP. CAES. C. VALERIO DIOCLETIANO AVG. HONORATI ET DECVRIONES ET NVMERVS MILITVM CALIGATORVM. *Lamprid. Alex. Sev.* 28. Quum quidam ex honoratis, vitæ sordidæ et aliquando furtorum reus, per ambitionem nimiam ad militiam aspirasset, idcirco quod per reges amicos ambierat, admissus, statim in furto, præsentibus patronis, detectus et damnatus est. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 343. *n.* 529. L. PACATIO TYRANNO HONORATO COLLEGII FABRVM TIGNARIORVM. *Alia* apud *Gruter.* 649. 7. POPPILIVS HONORATVS CORPORIS VTRICVLARIORVM. — Hinc Part.

Honorandus, a, um, cujus exempla supra retulimus, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Honorandissimus* apud *Paulin. Nol. Ep.* 46. *ad Romanian.* Domine frater merito honorandissime et desiderantissime.

HŎNŌRŌSUS, a, um, adject. *Isid.* 10. *Orig.* in litt. *H.* Honorosus plus est, quam honoratus, sicut scelerosus plus est, quam sceleratus.

HŎNŌRUS, a, um, adject. ab *honor*, quo modo *decorus* a *decor*; et ¶ 1. Est decorus, honore dignus. *Stat.* 5. *Theb* 40. Advertere animos: majorque et honora videri Parque operi tanto. *maestosa.* ¶ 2. Item honorem afferens, honorificus. *Val. Flacc.* 4. 342. Lætus ovat nunc laude virum, nunc vatis honoro Carmine. *Stat.* 2. *Theb.* 629. Vos quoque, Thespiadæ, cur inficiatus honora Arcuerim fama? *Id.* 4. *ibid.* 230. honora mors. *Sil. It.* 11. 301. honora laudis effigies. *Tac.* 1. *Ann.* 10. Honora oratio. *Id.* 3. *ibid.* 5. Quæ in Drusum patrem Germanici honora et magnifica Augustus fecisset. *Capell.* 9. *p.* 310. Honorum fastigium.

HŎNOS, ōris. *V.* HONOR.

HŎNUS, ĕris,

HŎNUSTUS, a, um, et similia. *V.* ONUS, ONUSTUS et similia.

HŎPLĪTES, æ, m. 1. ὁπλίτης, armatus, miles gravis armaturæ; ab ὅπλον *arma.* *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (71) *de tabula Parrhasii.* Sunt et duæ picturæ ejus nobilissimæ: hoplites alter in certamine ita decurrens, ut sudare videatur; alter arma deponens, ut anhelare sentiatur. Alii leg. *hoplitides*, ut sit femin. plur. ab ὁπλῖτις, femina armata, seu potius pictura armata: alii pejus *hoplitites*; Græce enim ὁπλίτης tantum, non ὁπλιτίτης usurpatur.

HOPLITIDES *et*

HOPLITITES. *V.* voc. præced.

HŎPLŌMĂCHUS, i, m. 2. ὁπλόμαχος. armis pugnans; ab ὅπλον *arma* et μάχη *pugna.* Gladiatorem significat in illo *Martial.* 8. 74. Hoplomachus nunc es: fueras ophthalmicus ante. Fecisti medicus, quod facis hoplomachus. *Sueton. Cal.* 35. Hunc Threci et mox hoplomacho comparavi. *Seneca* in *Excerpt. controv. l.* 3. *præfat. a med. p.* 397. *Bipont.* Quidam cum hoplomachis, quidam cum Thracibus pugnant. Adde *Inscript.* apud *Orell.* 2566. Porro *hoplomachi* gladiatores a meridianis distinguebantur, qui nullo tecti munimento pugnabant: de quibus *Seneca Ep.* 7. Nihil habent, quo tegantur: ad ictum totis corporibus expositi, numquam frustra manum mittunt: non galea, non scuto repellitur ferrum etc. *V.* MERIDIANUS. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HŌRA, æ, f. 1. In Genit. sing. num. *horai* pro *horæ* dixit *Lucret.* 1. 1015. In Abiat. plur. num. *horabus* pro *horis* legitur in *Inscript.* apud *Donat.* 362. 5. et *Orell.* 4601. — Hora est pars diei vigesimaquarta. Is enim in viginti quatuor spatia æqualia dividitur: quarum duodecim noctem absumunt, totidem diem. *Macrob.* 1. *Saturn.* 21. docet, Solem lingua Ægyptia *Horum* vocari: inde *horæ* nomen esse. Sed verius est a voce Græca ὥρα idem significante deduci (It. *ora*; Fr. *heure*; Hisp. *hora*; Germ. d. *Stunde, Tagesstunde*; Angl. *an hour*).

I.) Proprie. — *a*) Olim Romani, quum horologia non haberent, noctem quadrifariam, *h. e.* in primam, secundam, tertiam, quartam vigiliam dividebant, petito more a re militari: diem vero bifariam, ante, et post meridiem; vel ortum, et occasum: deinde additus est meridies. Solario vero primum, postea aquario horologio in foro positis, invecta est horarum distributio. V. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (212). et *Censorin. de die nat.* 23. Porro ipsæ horæ diurnæ nocturnæve ita distribuebantur, ut longiores essent æstate diu, longiores nocte, contrariaque ratione per hiemem quo totum illud spatium duodenis æquarent partibus. Quum itaque Romæ, teste *Galen. de sanit. tuend. l.* 6. *c.* 5., maximi dies ac noctes paullo majores quindecim horis æquinoctialibus essent; et minimi paullo infra novem: consequitur, horam æstivam seu solstitialibus diebus æqualem fuisse horæ æquinoctiali cum quadrante, ac paullo etiam amplius; hibernam autem seu brumalibus diebus paullo minorem horæ æquinoctialis dodrante. Unde *Plaut. Pseud.* 5. 2. 10. SI. Credo equidem, potesse te, scelus, Massici montis uberrimos quatuor fructus ebibere in hora una. PSEVD. Hiberna addito. et *Martial.* 12. 1. Otia, Prisce, brevi poteris donare libello: Hora nec æstiva est, nec tibi tota perit. et *Veget.* 1. *Milit.* 9. Viginti millia passuum horis quinque dumtaxat æstivis conficienda sunt. — De horis lunaribus, *V.* LUNARIS. — Juxta *Hygin. fab.* 183., Horarum, quæ Jovis et Themidis Titanidis filiæ, nomina hæc sunt: Titanaide, Auxo, Eunomia, Pherusa, Caria (*lege* Carpo), Dice, Euporie, Irene, Orthosia et Thallo. *Id. ibid.* Alii auctores tradunt decem (*lege* duodecim) his nominibus: Auge, Αὐγή, *h. e.* alba sive Aurora; Anatole, Ἀνατολή, *h. e.* solis ortus; Musia, Μουσία, *h. e.* Musarum sive scientiis litterisque studendi hora (quamquam *Fronto de fer. Als.* 3. *sub. init.* Hora Musarum propria quinta.); Gymnasia, Γυμνασία, *h. e.* gymnasticorum ludorum hora; Nymphe, Νύμφη, *h. e.* lavandi seu balnei hora; Mesembria, Μεσημβρία. *h. e.* hora meridiana; Sponde, Σπονδή, libationis hora; Elete, fortasse Ἡλιτή, precandi hora; Acta, Ἀκτή, cœnandi hora; Hecypria, *lege* Hesperis, *h. e.* hesperi hora; et Dysis, Δύσις, *h. e.* solis occasus. Ceterum de horarum numero, nominibus et symbolis multa docta disputat *Zoega Bassiril. ant. T.* 2. *p.* 218. et *seqq.*, quem consule sis. — Veteres Romani horam quamlibet dividebant plerumque in partes quartas et vicesimas, quas *scrupulos* nominabant (*V.* SCRUPULUS), aliquando in partes octavas et quadragesimas, quas *sicilicos* appellabant (*V.* SICILICUS). Græci vero, ac præsertim in rebus astronomicis, in partes sexagesimas, quos sequuntur modo Itali recentiores ceterique orbis terrarum populi. Consule hac de re *Fabrett. Inscript. p.* 97. *n.* 219., ubi multa habentur docte disputata. — *b*) Quoties vero scriptores Latini *horam* absolute dicunt, æquinoctialis esse intelligenda videtur, nisi appareat ex ipsa rei narratione, de qua anni tempestate sermo sit. De usu vocis hæc sunto. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. *a med.* Hora ante præsidium meum Polentiam venit, quam etc. *un'ora prima.* *Cic.* 6. *Verr.* 43. 95. Horam amplius jam in demoliendo signo moliebantur. *più d'un'ora.* *Horat.* 1. *Ep.* 1. 81. Esto, aliis alios rebus studiisque teneri: Idem eadem possunt horam durare probantes? *un'ora.* *Liv.* 1. 29. Egressis urbem Albanis, Romanus passim publica privataque omnia tecta adæquat solo, unaque hora cccc. annorum opus, quibus Alba steterat, excidio ac ruinis dedit. *Cic.* 15. *Fam.* 16. Si haberem, cui darem, vel ternas epistolas in hora darem. *tre in un'ora.* *Id.* 4. *Att.* 2. Quum horas tres fere dixisset, odio et strepitu coactus est aliquando perorare. *Id.* 10. *ibid.* 13. Dormiit ad horas tres. *circa tre ore intere.* *Cæs.* 3. *B. C.* 79. Domitius vix quatuor horarum spatio antecedens. *h. e.* spatio, seu itinere, quod quatuor horis confici potest. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 189. Quatuor, aut plures aulæa premuntur in horas, Dum fugiunt etc. *per quattro o più ore.* *Sueton. Aug.* 78. Non amplius, quam septem horas dormiebat, ac ne eas quidem continuas. *Quintil.* 10. 6. 1. Hæc cogitatio paucis admodum horis magnas etiam causas complectitur. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 53. 51. (181). In cujus locum Rebilius paucissimarum horarum consulatum petiit. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 44. hora quota est? *che ora è?* *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (182). Quum a puero quæsisset horas. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 6. Si te grata quies et primam somnus in horam Delectat. *Cic. Quinct.* 6. 25. Ut ad tabulam Sextiam sibi adsint hora secunda postridie. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 23. quarta vix demum exponimur hora.

Cic. Pis. 6. 13. Quum ad te quinta fere hora venissem. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. 2. Ea res acta est, quum hora sexta vix Pompejus perorasset, usque ad horam octavam. *Id.* 9. *Fam.* 11. Accubueram hora nona, quum etc. *Id.* 2. *Phil.* 31. 77. Quum hora diei decima fere ad Saxa rubra venisset. *Id. Mil.* 10. 29. Fit obviam Clodio ante fundum ejus hora fere undecima, aut non multo secus. — Singulæ diei horæ quibus officiis occuparentur, habes in illo *Martial.* 4. 8. Prima salutantes atque altera continet hora: Exercet raucos tertia causidicos etc. — De nocte. *Cic. Rosc. Am.* 7. 19. Quum post horam primam noctis occisus esset, primo diluculo nuncius hic Ameriam venit: decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit. *Sueton. Aug.* 76. Prima noctis hora. *Id. Cal.* 50. Tribus horis nocturnis. — c) De cœli plaga. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 16. (84). In horam diei quintam, vel octavam spectare. *h. e.* in eam cœli plagam, in qua sol hora quinta, vel octava esse solet. Sic *Id.* 6. *ibid.* 32. 37. (202). Fortunatas (*insulas*) esse contra lævam Mauritaniæ, in VIII. horam solis. — d) In illo *Cic.* 3. *Verr.* 9. 25. Hic tu fortasse eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam: *horæ* sunt, quas præstituebant causas agentibus, quas ad clepsydram metiri mos erat. *V.* CLEPSYDRA. — e) Aliquando hora dicitur de illa qua nati sumus, *oroscopo. Seneca Apocoloc. post init.* Non est mirum, si mathematici errant: horam ejus nemo novit. *Horat.* 2. *Od.* 17. 18. pars violentior Natalis horæ. *Sueton. Aug.* 94. Hora partus. — *Horis exemptus* dicitur pro defuncto in *Inscript.* apud *Orell.* 4624. QVOD (*conjux et filia*) ABSENTE SE AMBAE EADEM HORA SINT HORIS EXEMPTAE. — Huc referri possunt et sequentia. *Sueton. Domit.* 14. Hora mortis. *Id. Claud.* 8. cœnæ. *Id. Aug.* 16. pugnæ. *Id. Domit.* 21. somni. — f) Illa quoque animadvertenda sunt *Horat.* 2. *Ep.* 2. 171. tamquam sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horæ Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc morte suprema Permutet dominos et cedat in altera jura. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 16. Quartana ad horam venit. *sempre all' istessa ora*, id est *all' ora solita in punto. Horat.* 2. *Sat.* 7. 10. In horas mutare clavum. *ogni ora.* Sic *Id. Art. P.* 160. mutatur in horas. et 2. *Od.* 13. 13. Quid quisque vitet, numquam homini satis Cautum est in horas. *h. e.* singulis horis. γνώμη. *Plin.* 3. *Ep.* 17. Exspectare in horas. *d' ora in ora.* — g) Proverbium est *in horam vivere*, h. e. nulla cogitatione et cura futuri, apud *Cic.* 5. *Phil.* 9. 25.; quod *in diem vivere*, *Id.* 2. *Orat.* 40. 169. dixit. — h) *Omnium horarum homo* dicitur, qui seriis pariter ac jocis est accommodatus, et quicum licet assidue convivere, *uomo da bosco e da riviera. Quintil.* 6. 3. 110. Illa potius urbana esse dixerim, quæ ridicula dicuntur, et tamen ridicula non sunt, ut de Pollione Asinio, seriis jocisque pariter accommodato, dictum est, esse eum omnium horarum. *Sueton. Tib.* 42. Jucundissimos et omnium horarum amicos professus. Paullo aliter *Cic.* 2. *Orat.* 67. 271. C. Publicium solitum dicere, P. Mummium cuivis tempori hominem esse.

II.) Improprie. ¶ 1. Metonymice *horæ* sunt horologium, *orologio. Cic.* 2. *Nat. D.* 38. 97. Quum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis. *Id. Brut.* 54. 200. Videt oscitantem judicem loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem, mittentem ad horas. *h. e.* mittentem in forum, qui visant, nuncientque, quota sit hora. *Petron. fragm. Tragur.* 71. *Burmann.* Horas inspicere. ¶ 2. Ὥρα Græce proprie tempus significat; qua ratione Latini Poetæ quoque adhibent. — a) De tempore generatim, *tempo. Horat.* 1. *Ep.* 11. 22. Tu, quamcumque deus tibi fortunaverit horam, Grata sume manu. *Id.* 2. *Od.* 16. 31. Et mihi forsan, tibi quod negarit, Porriget hora. *Id.* 1. *Ep.* 18. 110. ne fluitem dubiæ pendulus horæ. *Id. ibid.* 2. 41. qui recte vivendi prorogat horam, Rusticus exspectat, dum defluat amnis. *Propert.* 2. 28. 15. tibi vexatæ per multa pericula vitæ Extremo veniet mollior hora die. *Virg.* 1. *G.* 425. numquam te crastina fallet Hora. *Ovid.* 1. *Art. Am.* 249. Nocte latent mendæ, vitioque ignoscitur omni: Horaque formosam quamlibet illa facit. *quel tempo. Id.* 4. *Met.* 156. hora novissima. *h. e.* vitæ. *Id.* 5. *ibid.* 500. tempestiva natrantibus. *Id. Heroid.* 21. 68. sinistra. *h. e.* infelix. *Manil.* 3. 528. Horaque non ulli similis perducitur horæ. *Seneca Hippol.* 773. Horaque semper præterita deterior subit. *Sil. It.* 3. 141. brevitasque vetat mutabilis horæ Prolatare diem. — b) Et de tempore anni, Græco item more, *stagione. Horat. Art. P.* 302. Qui purgor bilem sub verni temporis horam. Sic *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (107). Genitalis anni hora. *h. e.* ver. *Horat.* 3. *Od.* 13. 9. Te flagrantis atrox hora Caniculæ Nescit tangere. *Id.* 1. *Ep.* 16. 16. hæ latebræ — Incolumem tibi me præstant Septembribus horis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 3. 7. (15). Arbor ipsa omnibus horis pomifera. *h. e.* omnibus anni tempestatibus. Cf. *Id.* 18. *ibid.* 13. 31. (127). Quadrupedes et fronde eorum gaudent, et homini non minore rapiciorum suis horis gratia, quam cymarum. *alla loro stagione. Horat.* 1. *Od.* 12. 15. variisque mundum Temperat horis. ¶ 3. In fabulis *Horæ* sunt deæ, filiæ Jovis et Themidis. Novem alii faciunt: decem alii, ut videre est apud *Hygin. fab.* 183., ubi et earum nomina recitat: *V.* init. Dicuntur autem esse Solis ministræ. *Ovid.* 2. *Met.* 118. Jungere equos Titan velocibus imperat Horis: Jussa deæ celeres peragunt. Adde *eumd.* 5. *Fast.* 217.; *Val. Flacc.* 4. 92.; *Stat.* 3. *Theb.* 410.; *Senec.* 1. *Benef.* 3.; et *Apul.* 10. *Met.* — Sunt etiam Lunæ ministræ. Apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 4. *tav.* 16. videre est *Horam* alticinctam et alatam, quæ dextra quidem tenet equorum Lunæ bigis junctorum frena, sinistra vero virgam. — Dicuntur etiam custodes esse cœli aditus. *Ovid.* 1. *Fast.* 125. *de Jano.* Præsideo foribus cœli cum mitibus Horis. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

HŌRÆUM, i, n. 2. ὡραῖον, scil. τάριχος, est genus salsamenti ex pelamide pisce, ita appellatum, quod veris tempore condiri soleat. *Plaut. Capt.* 4. 2. 71. Horæum, scombrum et trigonum etc. *Varro* 5. *L. L.* 77. *Müll.* Thynnus, cujus item partes Græcis vocabulis omnes, ut melandrya atque horæon. *Müll.* legit *uræon. Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 53. (151). Triton pelamidum generis magni, ex eo horæa cybia fiunt. Apud *Varron.* et *Plin. locc. citt.* alii perperam leg. *uræon* et *uræa.* Sed apud *Plin.* aliter leg. *Sillig.*, scil. Tritomum pelamydum generis magni, ex quo terna cybia fiunt. — Quod autem addunt quidam ex *Plin.* 11. *Hist. nat.* 14. 14. (36). de *horæo melle*, hanc vocem ibi *Plin.* Græcis litteris scribit. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

HŌRĀLIS, e, adject. horarius, ut *Horale spatium*, h. e. horæ unius apud *Venant.* 4. *de Vita S. Martini* 364.

HŌRĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

HŌRĀRĬUS, a, um, adject. *di un' ora*, qui est unius horæ. *Sueton. Ner.* 37. Mori jussis non amplius quam horarium spatium dabat. *Id. Domit.* 3. Inter initia principatus quotidie secretum sibi horarium sumere solebat. *Utroque tamen in loco alii rectius leg.* horarum pro *horarium*, *h. e.* aliquot horarum. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM. — Hinc

Horarium, ii, n. 2. absolute substantivorum more, est horologium, *orologio. Censorin. de die nat.* 23. *a med.* P. Cornelius Nasica censor ex aqua fecit horarium: quod et ipsum ex consuetudine noscendi a sole horas, solarium cœptum vocari.

HORCONĬA appellatur vitis quædam in Campania, teste *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (35). *Al. leg.* Aoiconia. V. *Schneider.* ad *Colum.* 3. *R. R.* 2. 27.

HORCTUM et Forctum pro bono dicebant. *Paul. Diac.* p. 102. 12. *Müll.* V. HERCTUM et FORTIS.

HORDA, æ, f. 1. prægnans, idem ac forda. *Varro* 2. *R. R.* 5. 6. Quæ sterilis est vacca, taura appellatur; quæ prægnans, horda: ab eo in Fastis dies Hordicalia nominantur, quod tunc hordæ boves immolantur. *Paul. Diac.* p. 102. 15. *Müll.* Horda prægnans: unde dies, quo gravidæ hostiæ immolabantur, Hordicidia. *V.* FORDICIDIUM.

HORDĔĀCĔUS vel ordeaceus, a, um, adject. qui est ex hordeo, vel ad hordeum pertinet, *di orzo*, κρίθινος. *Cato R. R.* 157. *ante med.*; *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (135).; *Pallad.* 1. *R. R.* 29.; et *Scribon. Compos.* 225. Hordeacea farina. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 26. (103). Panis hordeaceus. *Colum.* 2. *R. R.* 11. 2. Hordeacea farrago. *Id.* 5. *R. R.* 10. 18. pira. ubi ea inter generosissima reponit: *V.* voc. seq. sub *a.*

HORDĔĀRĬUS vel hordiarius vel ordearius, a, um, adject. qui ad hordeum pertinet, *di orzo*, κρίθινος. — a) Hordearia pruna, *Plin.* 15. *Hist. nat.* 13. 12. (41). Hordearia appellata a comitatu frugis ejus. Sic Hordearia pira, *Id. ibid.* 15. 16. (55). quod scilicet cum hordeo maturescunt: quæ *hordeacea* dicuntur a *Colum.* 5. *R. R.* 10. 18. — b) Æs hordearium, quod pro hordeo equiti Romano dabatur. *Paul. Diac.* p. 102. 9. *Müll.*, ubi *hordiarium* legitur. *V.* in ÆS *Caji* locum. — c) *Hordearius* dicitur etiam qui hordeo vivit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 14. (72). Antiquissimum in cibis hordeum, sicut Atheniensium ritu apparet et gladiatorum cognomine, qui hordearii vocabantur. — d) *M. Cælius* apud *Sueton. Rhet.* 2. L. Plotium, qui accusatori suo Atracino actionem dictaverat, per contemptum appellabat *rhetorem hordearium*, deridens ut inflatum ac levem et sordidum. Videtur autem alludi ad hordeaceum panem, qui sordidus est ac levis, inflandique vim habet; vel ad ignominiam militum, qui ob ignaviam hordeo pascebantur.

HORDĔĀTUS vel hordiatus, a, um. *V.* HORDEO.

HORDĔĬUS, a, um, adject. pro hordeaceus, legitur apud *Plaut. Cas.* 2. 8. 60. Varia tamen est ejus loci et lectio et interpretatio. *V.* TRITICEIUS.

HORDĔO vel hordio, as, atum, are, a. 1. hordeum comedere, κριθιάω. Usurpatur de equo, quum ex itinere vel cursu anhelans hordeum devoravit et cruditate vexatur. *Pelagon. Veterin.* 5. § 1. Curari debet equus his potionibus, quæ ventrem movent: similis est cura his, qui hordiantur. Cf. locum *Veget. Veterin.* allatum in PLEURA. Rursus *Pelagon. Veterin.* 19. Si equus tortionatus, si hordiatus, si lassus etc.

HORDĔŎLUS, i, m. 2. *deminut.* ab hordeum, ita enim per similitudinem appellatur apostema nascens in extremitate palpebræ, *orzajuolo. Marcell. Empir.* 8. Hordeoli oculis infesti. *Theod. Priscian.* 1. 10. *sub fin.* Si hordeoli in palpebris nascantur. *Isid.* 4. *Orig.* 8. Hordeolus est parvissima et purulenta collectio in capillis palpebrarum constituta, in medio lata, et ex utroque conducta, hordei granum simulans; unde et nomen accepit. *V.* voc. seq. II.

HORDĔUM vel ordeum, i, n. 2. Sunt qui scribunt *ordeum*; sed aspiratio omnino est adhibenda, inquit *Pier.* ad *Virg.* 5. *Ecl.* 36., tum ex antiquis plerisque codicibus, tum ex historia: nam *fordium* prius dicebatur. Confirmant *Dausq.* et *Cellar.* in *Orthograph.* — Idem quoque confirmat eorum sententia, qui *hordeum* ab *horreo* deducunt. — Ceterum.

I.) Proprie hordeum est genus frumenti, de quo multa *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (49). et *seqq.*, ubi frugum omnium mollissimum esse ait, antiquissimum in cibis, et ex omni frumento minime calamitosum, quia ante tollitur, quam triticum occupet rubigo, κριθή (It. *orzo*; Fr. *orge*; Hisp. *ordio, cebada*; Germ. *d. Gerste*; Angl. *barley*). Occurrit — a) In sing. num. *Plaut. Asin.* 3. 3. 116. Demam hercle jam hordeo, tolutim ni badizas. Adde *Caton. R. R.* 35.; *Varron.* 2. *R. R.* 4. 6.; *Colum.* 2. *R. R.* 9. 3. et 6. *ibid.* 30. 1.; *Frontin.* 4. *Strateg.* 1. 25. et 37.; et alios, quos *V.* sub c. — b) In plur. num. *Virg.* 3. *G.* 317. et fragili jam stringeret hordea culmo. *Id.* 5. *Ecl.* 36. Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis, Infelix lolium et steriles nascuntur avenæ. *hordea* hic per synecdochen quævis frumenta significare videntur. Ceterum in prosa oratione *hordea* in plurali numero non recte dixeris, monente *Quintil.* 1. 5. 16.; tametsi si quis dicat, defendi possit *Ciceronis* auctoritate, qui *vina* dixit *Amic.* 19. 67. et alibi. Sed et in carmine *Bavius* et *Mævius* (teste *Servio* ad *Virg.* 1. *G.* 210.) reprehenderunt *Virgilium* illo versu: Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat. — c) Fuit aliquandiu Romanis jumentorum pabulum. Hinc *æs hordearium*, scil. pecunia, quæ pro hordeo dabatur equitibus ad equos alendos. Hinc etiam aliquando militibus ipsis, qui peccassent aliquid, ignominiæ causa pro tritico datum legimus, quasi jumentis compararentur. *Liv.* 27. 13. *de M. Claudio Marcello.* Cohortibus, quæ signa amiserant, hordeum dari jussit. *Sueton. Aug.* 24 Cohortes si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavit. *Veget.* 1. *Milit.* 13. Ut tirones, qui parum in armorum prolusione profecerant, pro frumento hordeum cogerentur accipere. Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.*

2. p. 126.) hanc exhibet synonymiam: Κριθὴ ἀχιλλεὺς Hippocr. Morb. 3. 396.: Κριθὴ λευκὴ et per syncopen Κρῖ Homer. Odyss. 4. 41. et Iliad. 5. 196., Athen. Deipn. 1. 71. et Theophr. 8. 4.; *Hordeum* Catull. 35., Colum. 2. R. R. 9. 3. et Plin. loc. cit. et forsitan *Arinca* ejusdem sunt *Hordeum sativum* L. Spec. plant. 125.

II.) Improprie *hordeum* per similitudinem appellatur quoddam apostema. *Cels.* 5. 7. *n.* 7. *V.* HORDEOLUS. Sic *Veget.* 5. *Veterin.* 30. 2. Hordeum autem ipsius (equi) udum semper apparet. Hæc cl. *Furlanetto* in sola MSS.; ipse tamen *Vegetii* loc. cit. in editione *Schneider.* minime inveni.

HORDĬĀRĬUS. *V.* HORDEARIUS.

HORDICĀLĬA et

HORDĬCĬDĬA. *V.* HORDA et FORDICIDIUM.

HŎRĬA vel oria, æ, f. 1. *barca peschereccia,* navicula piscatoria, ut *Non. p.* 533. 20. *Merc.* definit: ab ὅριος *terminalis,* quia circa oras et litora eadem navigabant. *Plaut. Rud.* 4. 2. 1. Neptuno ago gratias, quum me ex suis pulcre ornatum expedivit templis reducem, præda plurima onustum, salute horiæ, quæ in mari fluctuoso, piscatu novo me uberi compotivit. Adde *Gell.* 10. 25.; et *Fulgent.* 15.

HŎRĬŎLA vel oriola, æ, f. 1. *deminut. ab* horia. *Plaut. Trin.* 4. 2. 100. Horiola advecti sumus per amnem. Adde *Gell.* 10. 25.

HŎRĬOR, hŏri, depon. 3. Antiqua forma et etymon verbi *hortari,* a Gr. themate ὄρω, unde ὄρνυμι, ὁρμή, ὁρμάω. *Diomed.* 1. *p.* 378. *Putsch. Hortatur* quod vulgo dicimus, veteres nonnulli *horitur* dixerunt, ut Ennius libro XVI: *Prandere jubet horiturque.* Idem in X: *Horitatur induperator,* quasi specie iterativa. *Horitur* etiam secundo loco leg. vulgati libri: at *H. Ilberg.* cum *Th. Hugio* et *Vahlen.* rectius *horitatur.* Ceterum *V.* HORTOR.

HŎRISMOS, i, m. 2. ὁρισμός, schema, de quo hæc *Rutil. Lup.* 2. 5. *Frotscher.* Horismos. Hoc fit, quum definimus aliquam rem nostræ causæ ad utilitatem, neque tamen contra communem opinionem. Id est hujusmodi: *Nam virtutis labor, vera voluptatis exercitatio est.* Sed fieri solet hoc schema nonnunquam ratione supposita, et tum denique magis illustratur, ita ut fecit dives avarus: *In villa ædem fecit Fortunæ. Crimen arguitur temeritate illius, quæ tam locupletes copias dederit ei, qui odisset uti.*

HŎRISTĬCE, es, f. 1. ὁριστική. Apud *Diomed.* 2. *p.* 421. *Putsch.* est pars grammaticæ, finitiva, quæ præcepta demonstrat: cujus species sunt partes orationis, vitia et virtutes.

HŎRĬTĀTUR et

HŎRĪTUR, *V.* HORIOR.

HŎRIZON, ontis, m. 3. *orizzonte,* ὁρίζων. ¶ 1. Horizon, ab ὅρος *terminus, finis,* unde ὁρίζω *finio, termino,* vox est Græca adjectiva, et *circulus* vel *linea* subintelligitur. Latine aliis *finiens* dicitur (ut *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 92.), aliis *finitor,* teste *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 17. Dupliciter autem intelligi potest, vel circulus terram dividens in duas æquales partes, quarum una supra sit, infra altera: vel eam partem tantummodo circumscribens, quæ aspectui nostro patet, quæ multo minor dimidia est. Posteriore hac ratione accipitur a *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 15. *ad fin.* et 7. *Saturn.* 14. *ad fin.,* item a *Manil.,* ubi ait 1. 622. Et medium plano præcingit limite gyrus, Atque a fine trahens titulum, memoratur Horizon. Similiter *Hygin.* 1. *Astronom.* 4. Horizon appellatur is, qui terminat ea, quæ perspici, aut non videri possunt. ¶ 2. Apud *Vitruv.* 9. 8. dicitur *horizon* linea secans circulum bifariam per centrum, in descriptione horologii solaris.

HORMĔNOS vel

HORMĔNUS, i, m. 2. ὅρμενος, ita appellatur asparagus silvester, seu corruda; ab ὁρμή *conatus,* quia ipse promptissime e terra erumpit, unde etiam Latini ab α intensivo et σπαράσσω *lacero,* illum asparagum appellant. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (151). Judicavimus et corrudam: hunc enim intelligo silvestrem asparagum, quem Græci hormenum vocant. *Sillig.* Græce scribit. De synonymia *V.* in ASPARAGUS.

HORMĔSĬON, ii, n. 2. ὁρμήσιον, gemma, quæ inter gratissimas aspicitur, ex igneo colore radians auro, portante secum in extremitatibus candidam lucem. Hæc *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 60. (168). Vox composita ex ὅρμος *monile* et ἧσις *delectatio.* At *Sillig.* secutus *Ponfederam* legit *hormiscion* ab ὁρμίσκος: quam lectionem confirmant Codex Bamberg. et duo Codd. *Isid.* 14. *Orig.* 14. 11.

HORMĪNĀLIS. *V.* ORMINALIS.

HORMĪNŌDES, is, m. 3. ὁρμινώδης, gemma vehementis viriditatis, ambiente circulo aurei coloris, ab hormino, cui est viriditate similis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 60. (166). At *Sillig.* legit *Hermæodoron* pro *horminodes* et *virilitatis* pro *viriditatis* ex Cod. Bomberg.

HORMĪNUM, i, n. 2. ὅρμινον, herba hortensis, vulgo salvia transmarina, dodrantalii altitudine, folio marrubii, semine cymino similis, cetera porro odoris optimi; ita appellata ab ὁρμάω *incito,* quia impetu suo Venerem incitat. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 76. (159). et 18. *ibid.* 10. 22. (93). *V.* SALVIA. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 157.) ait, *horminum* nullo modo definiri posse.

HORMISCĬON. *V.* HORMESION.

HORNŌ, adverb. *V.* HORNUS in fin.

HORNŌTĪNUS, a, um, adject. idem atque hornus; ab *horno,* ut *diutinus* a *diu. Cato R. R.* 17. Hornotinæ nuces. *Cic.* 5. *Verr.* 18. 45. Hæ litteræ L. Metelli, hoc, quantum est ex Sicilia frumenti hornotini, exarserunt. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 33. Palmites de hornotinis virgis enati. *Id. Arbor.* 30. Hornotina planta.

HORNUS, a, um, adject. videtur esse per syncop. pro *horinus* ab inusit. ὡρινός idem atque ὡριμαῖος, ab ὥρα *tempus, anni tempestas,* quasi dicas *hujus tempestatis:* hornus enim est qui est hujus anni, *di quest'anno,* αὐτοετής. *Propert.* 4. 3. 61. horni agni. *Varro* apud *Non. p.* 119. 3. *Merc.* Qui dum messem hornam allatam imponeret ædilis signo Cybelæ etc. *Horat.* 3. *Od.* 23. 3. horna fruge Lares placare. *Id. Epod.* 2. 47. horna dulci vina promens dolio. *Id.* 2. *Sat.* 6. 88. palea porrectus in horna. — Hinc

Horno, ablativus adverbii more ponitur, *quest'anno,* τῆτες. *Plaut. Most.* 1. 3. 3. Horno messis magna fuit. *Lucilius* apud *Non. p.* 121. 8. *Merc.* Utrum anno, an horno te abstuleris a viro? *Varro* apud *eumd. p.* 121. 10. Ut scribit Scantius: horno per Dionysia.

HŎRŎFANTÆ *seu* horophantæ, ārum, m. plur. 1. sunt ὁρισταί, seu finitores, qui limitum agrorumque confinia statuunt et lites de finibus disceptant; ab ὅρος *terminus.* Hinc horofantæ agrorum leguntur in *Cod. Theod.* 16. 10. 14., ut quidem *Reines.* putat *ad suorum inscription. cl.* 1. *n.* 157. Nam alii ibi legunt *hierophantæ,* et sacerdotes intelligunt, de quibus in HIEROPHANTA dictum est. Quæ lectio atque interpretatio magis profecto congruit et cum lemmate ejus tituli, qui est *De paganis sacrificiis et templis,* et cum ipsa re, de qua in ea lege agitur.

HŎRŎLŎGĬĀRIS, e, adject. ad horologium pertinens. *Inscript.* apud *Gruter.* 6. 6., quæ est apud *Orell.* 925. et 1276. M. VLPIUS MVCIANVS MIL. LEG. XIII. GEM. HOROLOGIARE TEMPLVM A SOLO DE SVO EX VOTO FECIT. *nempe* templum, in cujus fronte horologium erat.

HŎRŎLŎGĬCUS, a, um, adject. ad horologium pertinens. *Capell.* 6. *p.* 191. Ipsa vasa, quæ horoscopa, vel horologica memorantur. *Kopp.* legit *horologia.*

HŎRŎLŎGĬUM, ii, n. 2. In *Inscript.* apud *Gruter.* 237. 6. Claudii ævo insculptum legitur *horilogium.* — Horologium, ὡρολόγιον, ab ὥρα *hora* et λέγω *dico,* est horarium, instrumentum indicans horas, *orologio, oriuolo. Cic.* 16. *Fam.* 18. Horologium mittam, et libros, si erit sudum. *Varro* 3. *R. R.* 5. 17. In eodem hemisphærio medio, circum cardinem, est orbis ventorum octo, ut Athenis in horologio, quod fecit Cyrrestes. *Seneca Apocoloc.* 2. Horam non possum tibi certam dicere. Facilius inter philosophos, quam inter horologia conveniet: tamen inter sextam et septimam erat. *Petron. Satyr.* 71. Horologium (*ponas*) in medio monumento, ut, quisquis horas inspiciet, velit, nolit, nomen meum legat. — Primus horologium, quod appellant sciothericon, *da sole,* Lacedæmone ostendit Anaximenes Milesius, ut ait *Plin.* 2. *Hist. nat.* 76. 78. (187). Romanis vero, multo post tempore, primum proposuisse ejusdem generis horologium, ad ædem Quirini, undecim annos ante bellum cum Pyrrho, h. e. circa an. U. C. CCCLX. L. Papirium Cursorem, *Fabius Vestalis:* statutum in publico secundum Rostra, in columna, bello Punico primo, a M. Valerio Messala cos. Catina capta in Sicilia, deportatum inde, *M. Varro* narrat, post triginta annos, quam de Papiriano traditur. Usque ad ea tempora Romani horologio caruerant. Sed neque alterum illud a Messala propositum recti usus fuit, non congruentibus ad horas lineis ejus, quia ad clima Siciliæ descriptæ fuerant. Usi sunt tamen eo annis undecentum: donec Q. Marcius Philippus censor aliud diligentius ordinatum juxta posuit. Verum quia nubilo die incertæ erant horæ, proximo lustro Scipio Nasica primus aqua divisit horas, idque horologium sub tecto dicavit, an. U. C. DXCV. Tamdiu populo Romano indiscreta lux fuit. Hæc *Plin.* 7. *Hist. nat.* 60. 60. (213)., cui similia habet *Censorin. de die nat.* 23., ubi illud addit, ipsum quoque horarum nomen, credibile esse ante ea tempora ignoratum Romæ fuisse, quum in XII. Tab. nusquam nominatæ inveniantur. *Inscript.* apud *Murat.* 2012. 3. HOROLOGIVM CVM SVO AEDIFICIO ET SIGNIS OMNIBVS ET CLATRIS C. BLAESIVS C. F. VOLTINIA GRATVS EX HS. N..... ET EO AMPLIVS AD ID HOROLOGIVM ADMINISTRANDVM SERVM (*nempe* servum) HS. N. IIII. D. S. D. — De solari horologio agit *Vitruv.* 9. 8., idemque laudat *Cassiod.* 1. *Variar.* 45., cujus tamen ratio paucis tantummodo abhinc annis innotuit ex octodecim antiquis horologiis sciothericis, quæ an. 1790. Romæ vulgavit, descripsit illustravitque *Car. Antoninius* in *Serie de' candelabri* etc., ac præcipue ex simili horologio omnium accuratissimo Romæ reperto, quod vulgatum fuit apud *Jos. Ant. Guattanium.* in *Mem. Enciclop. T.* 5. *p.* 103., quos consulas, necesse est. Horologium solare super columna videre est apud *Winckelmann. Mon. inedit. n.* 185. *p.* 242. — Horologium vero aquarium, sive hydraulicum laudat *Cassiod. loc. cit.,* et de ejusdem conficiendi rationibus agit *Vitruv.* 9. 9., ita tamen, ut, quum figuræ perierint, quas ille in suo libro descripserat, plane intelligi quidquam vix possit.

HŎROSCŎPĬCUS, a, um, adject. ὡροσκοπικός, ad horoscopum pertinens. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 12. Sive quod (*corvus*) in horoscopicis libris solus inter omnes aves sexaginta quatuor significationes habet vocum. Adde *Hygin.* ab *A. Mai.* edit. in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 41. *fab.* 115., ubi eadem fere verba habentur.

HŎROSCŎPĬUM, ii, n. 2. ὡροσκοπεῖον, ab ὥρα *hora* et σκοπέω *specto,* instrumentum est ad perquirenda horoscopa accommodatum. *Sidon.* 1. *Ep.* 3. Tenere cum Archimede radium, cum Euphrate horoscopium, cum Vitruvio perpendiculum.

HŎROSCŎPO, as, are, n. 1. Part. *Horoscopans.* — Horoscopare est horoscopum facere, horoscopum præbere. *Manil.* 3. 296. Jam facile est si quod quandoque horoscopat astrum, Noscere. *Firmic.* 5. *Mathes.* 1. Is erit, Ariete horoscopante, semper in Cancro.

HŎROSCŎPUS, a, um, adject. ὡροσκόπος, ad horas inspiciendas vel dignoscendas pertinens. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 72. 71. (182). Vasa horoscopa non ubique eadem sunt usui. *h. e.* vasa, in quibus horæ dignoscuntur. Adde *Capell.* 6. *p.* 194. — Hinc

Horoscopus, i, m. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. *Araneorum horoscopus* dicitur eorumdem tela, quæ horologii solaris formam repræsentat. *V.* SCOPÆ. ¶ 2. Sæpius horoscopus, Italice *oroscopo, ascendente,* est cæli pars, quæ nativitatis tempore ab oriente emergit, ex cujus observatione natalitiæ divinationes fiunt, ab ὥρα, quo nomine non intelligitur particula diei, sed absolute tempus, nempe tempus illud, quo quis primum exit in lucem, et a σκοπέω *speculor,* nempe a consideranda cæli parte, quæ tempore nativitatis surgit. Aliqui horoscopum definiunt eam cæli partem, quæ hora qualibet ab inferiori hemisphærio surgit ab oriente: deinde addunt, horoscopo item id temporis momentum significari, quo quisque nascitur, quasi horæ inspectionem et notationem. Alii ipsum sidus intelligunt. *Pers.* 6. 18. geminos horoscope varo Producis genio. Adde *Manil.* 3. 190., 200., 207., 322. etc. Plurima habet de horoscopo *Augustin.* 5. *Civ. D.* 2. et seqq.

HORRĔĀRĬUS, ii, m. 2. horrei custos. *Gloss. Philox.* Horrearius, ἀποθηκάριος. *Inscript.* apud *Gruter.* 109. 7., quæ est apud *Orell.* 3214. ANNIO

HORREORVM SATVRNINVS ET SVCCESSVS HORREARII DONVM DEDERVNT. *Labeo Dig.* 19. 2. 60. § 9. Rerum custodiam, quam horrearius conductoribus præstare deberet, locatorem totorum horreorum horreario præstare non debere puto. *Celsus* apud *Ulp. Dig.* 10. 4. 5. Si quis merces, quas exvehendas conduxit, in horreo posuit, cum conductore ad exhibendum agi posse. Item, si, mortuo conductore, heres existat, cum herede agendum. Sed si nemo heres sit, cum horreario agendum. Nam si a nullo possidentur, verum est aut horrearium possidere, aut certe ille est, qui possit exhibere. Hæc *Cels.* Adde *Ulp. ibid.* 9. 3. 5. Italice dici posset *custode del magazzino.*

HORREĀTĬCUS, a, um, adject. ad horreum pertinens, ut Horreaticæ species, h. e. fruges, quæ in horreo asservantur. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11. 14. 3.

HORRENDĒ, adverb. horribiliter, *orrendamente*, φρικτῶς. *Vulgat. interp. Sapient.* 6. 6. Horrende et cito apparebit vobis. *et* 17. 3. Paventes horrende.

HORRENDUS, a, um. *V.* HORREO in fin.

HORRENS, entis. *V.* HORREO.

HORRENTĬA, æ, f. 1. horror. Est *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 24. *a med.*

HORRĔO, es, ere, n. et a. 2. — *Horre* licenter usurpatur ultima brevi apud *Claud. Mar. Victor. de Genesi* 1. 305. dum, Vescere, dixit, Arboribus cunctis, hanc tantum horre, memento. — Perf. *horrui* V. in HORRESCO. — Cum Accusativo, seu Active translate tantum occurrit (*V.* infra sub II. 3.). — Part. *Horrens* I., II. 2. 4. et in fin.; *Horrendus* in fin. — Horrere proprie de inanimis dicitur, et significat erectum esse, asperum, rigentem, ut de spinis, setis, capillis et hujusmodi, quæ densa et subrecta stant, φρίσσω (It. *arricciarsi*, *rabbuffarsi*; Fr. *être hérissé*, *rude*; Hisp. *erizarse*, *encresparse*; Germ. *starren*, *emporstarren*, *- stehen*, *struppig*, *rauh sein*; Angl. *to be rough*, *set up its bristles*, *look terrible*, *with the hair erect*, *stand an end*).

I.) Proprie. *Varro* 6. *L. L.* 49. *Müll.* Tremor dictum a similitudine vocis, quæ tunc, quum valde tremunt, apparet, quum etiam in corpore pili, ut arista in spica hordei, horrent. *Tibull.* 2. 3. 23 Sæpe horrere sacros doluit Latona capillos. *Seneca Herc. Œt.* 707. Erectus horret crinis. *Id. ibid.* 789. Cana revinctum populo horrentem romam. *Petron. Satyr.* 99. Horrentes barbæ. *Ovid.* 8. *Met.* 285. riget ardua cervix, Et setæ densis similes hastilibus horrent. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (150) *de cane.* Horrentibus per totum corpus villis, urgenti latratu intonuit. Adde *Stat.* 2. *Theb.* 30. *Seneca Herc. fur.* 786. viperis horrent jubæ. *Virg.* 3. *G.* 315. Horrentes rubi. Cf. *Ovid.* 3. *Pont.* 1. 23. Tristia per vacuos horrent absinthia campos. Rursus *Virg.* 10. *Æn.* 178. Mille rapit densos acie atque horrentibus hastis. *Seneca Hippol.* 916. horrens habitus. *Plin. Paneg.* 81. Superare immensa montium juga et horrentibus scopulis gradum inferre. *Horat. Epod.* 5. 27. Horret capillis ut marinus asperis Echinus aut currens aper. *Ovid.* 2. *Fast.* 348. Horrebant densis aspera crura pilis. *Id.* 13. *Met.* 846. rigidis horrent densissima setis Corpora. *Id.* 8. *ibid.* 428. rigidis horrentia setis terga apri. *Id. Heroid.* 12. 101. draco squamis crepitantibus horrens. *Virg.* 9. *Æn.* 306. horrentisque leonis Exuvias. *Sil. It.* 4. 560. horret thorax Samnitis pellibus ursæ. *Id.* 16. 453. cristis horrens Sidonia cassis. *Virg.* 6. *Æn.* 419. horrebant colla colubris. — Huc spectant et illa. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber, Densantur campis horrentia tela virorum; Horret ager campique armis sublimibus ardent. *Postremum hunc versum non inveni in recens. cl. Vahlen.* Sic *Virg.* 11. *Æn.* 601. late ferreus hastis Horret ager. et rursus *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Sparsis hastis longis campus splendet et horret. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 13. horrentia pilis agmina. et *Liv.* 44. 41. Cujus (*phalangis*) confertæ et intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt. *Sil. It.* 8. 572. pubes horrebat telis. *Virg.* 8. *Æn.* 654. Romuleoque recens horrebat regia culmo. *Accius* apud *Non. p.* 422. 33. *Merc.* Mare quum horret fluctibus. *s'increspa, si turba.* Cf. *Seneca Agam.* 221. classibus horrens fretum. *Virg.* 4. *Æn.* 366. duris cautibus horrens Caucasus. *Ovid.* 4. *Met.* 778. silvis horrentia saxa fragosis. *Stat.* 12. *Theb.* 495. *de templo Clementiæ deæ.* Semper habet trepidos, semper locus horret egenis Cœtibus: ignotæ tantum felicibus aræ.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro tremere simpliciter. *Ovid. Heroid.* 10. 139. Corpus ut impulsæ segetes Aquilonibus horret, Litteraque articulo pressa tremente labat. — ¶ 2. Horrere dicuntur, et qui frigore tremunt, *tremar di freddo. Ovid.* 2. *Art. am.* 213. Sæpe etiam dominæ, quamvis horrebis et ipse, Algentis manus est calfacienda sinu. *tremerai di freddo. Juvenal.* 1. 93. horrenti tunicam non reddere servo. *Petron. Satyr.* 83. Sola pruinosis horret facundia pannis. *probitas laudatur et alget*, inquit *Juvenal.* 1. 74. ¶ 3. Sæpe significat tremere et timere vehementer, sive ex eo, quod in timore horrent pili in corpore, ut *Varro* 6. *L. L.* 49. *Müll.* vult, sive ex eo, quod timor æque ac frigus horrorem incutit, *temere*, *aver orrore*, *raccapricciarsi*, *tremar di paura.* — a) Absolute. *Ter. Eun.* 1. 2. 3. PH. Totus, Parmeno, tremo horreoque, postquam aspexi hanc. PA. Bono animo es: accede ad ignem hunc; jam calesces plus satis. *Plaut. Cist.* 2. 3. 9. Horret corpus, cor salit. *Ovid.* 15. *Met.* 516. arrectis auribus horrent Quadrupedes monstrique metu turbantur. *Cic. Dom.* 55. 140. Nemo unquam prædo tam barbarus, tam immanis fuit, qui quum fana spoliasset –, non horreret animo, quum divinum numen scelere violatum placare precibus cogeretur. — b) Cum Accusativo. *Cic.* 5. *Tusc.* 30. 85. Imbecillius horrent dolorem et reformidant. *Id.* 1. *Fin.* 16. 51. Quod si qui satis sibi contra hominum conscientiam septi esse et muniti videntur, deorum tamen horrent etc. *Id.* 7. *Verr.* 29. 74. Horrere judicium et crimen. *Id.* 9. *Att.* 2. *a med.* ingrati animi crimen. *Id.* 7. *Fam.* 3. ipsam victoriam. *Cæs.* 1. *B. G.* 32. Absentis Ariovisti crudelitatem, velut si coram adesset, horrerent. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 9. pauperiem. *Id.* 1. *Ep.* 17. 39. onus. *Id. Epod.* 2. 6. iratum mare. *Id.* 1. *Ep.* 18. 11. nutum divitis. *tremare al cenno. Quintil.* 12. 7. 1. nomen ipsum accusatoris. *Plin. Paneg.* 27. Nemo jam parens filio nisi fragilitatis humanæ vices horret. *Sil. It.* 6. 695. horrere strictas trepida cervice secures. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 64. negat improbus et te Negligit aut horret. *Id. ibid.* 18. 25. quem dives amicus odit et horret, Aut, si non odit, regit. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 16. Horrent admotas vulnera cruda manus. — Passive. *Augustin.* 8. *Civ. D.* 14. Quidquid in eorum sacris obscœna solemnitate, seu turpi crudelitate vel videtur, vel horretur. *Vet. interpres Italus: o si ride, o si ha in orrore.* — c) Cum Infinito. *Liv.* 7. 40. Horreo dicere. — d) Sequente relativo. *Cic.* 2. *Att.* 21. Dominatio tanto in odio est omnibus, ut, quorsum eruptura sit, horreamus. *ci viene orrore a pensarci. Id.* 7. *Phil.* 3. 8. Periculose dico; quemadmodum accepturi sitis, horreo. — e) Sequente part. ne. *Liv.* 34. 4. Eo plus horreo, ne illæ magis res nos ceperint, quam nos illas. ¶ 3. Refertur etiam ad eos, qui obstupescunt mirantutque vehementer: nam et ex ingenti admiratione horror nascitur (*Virg.* 2. *Æn.* 774. 66. Obstupui steteruntque comæ etc.). *Cic.* 2. *Orat.* 45. 188. Quæ mehercule ego, Crasse, quum tractantur in causis, horrere soleo. Tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis, vultu, gestu, digito denique isto tuo significari solet. *V.* in fin. *Horrendus.* ¶ 4. Horrere est etiam esse horrendum adspectu. *Cic.* 2. *Nat. D.* 7. 19. Posset ne uno tempore florere, deinde vicissim horrere terra. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 9. Quædam loca hieme intolerabiliter horrent. *Germanic.* 2. *prognost.* 106. Frigidus at rapidis horrebit Aquarius Euris. *Ovid.* 1. *Fast.* 495. Nec fera tempestas toto tamen horret in anno. *h. e.* horrida est et sævit: et præcipue intelligitur de tempore hiemis, quo rigent cuncta, squalent, aspera atque horrida fiunt. *Stat.* 1. *Theb.* 1. Tertius horrentem Zephyris laxaverat annum Phœbus. — Metaphorice *Ovid. Remed. am.* 664. Horrebant sævis omnia verba minis. *h. e.* aspera et acerba erant. — Hinc Part. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Horrens, entis, adjective quoque occurrit et est horridus, horribilis, terribilis, *orribile*, *terribile*, *orrido*, φοβερός, φρικτός. *Lucret.* 5. 25. horrens Arcadius sus. *Virg.* 1. *Æn.* 169. horrenti atrum nemus imminet umbra. *Id. ibid.* 4. at nunc horrentia Martis Arma virumque cano. *Id.* 10. *ibid.* 237. Tela inter media atque horrentes Marte Latinos. *Lucan.* 1. 445. horrensque feris altaribus Esus.

Horrendus, a, um, partic. seu gerundivum, quod adjective occurrit; et quidem ¶ 1. In malam partem est horrificus, horribilis, timendus, *orrendo*, *terribile*, φοβερός. *Virg.* 3. *Æn.* 26. Horrendum et dictu video mirabile monstrum. *Plin. Paneg.* 52. Truces horrendæque imagines. *Liv.* 9. 36. Silva invia atque horrenda. *Horat.* 3. *Od.* 3. 45. Horrenda (*Roma*) late nomen in ultimas Extendat oras. *Id.* 2. *Sat.* 3. 323. Non dico horrendam rabiem. *Id.* 4. *Od.* 14. 27. horrendamque cultis Diluviem minitatur agris. *Vellej.* 2. 100. 2. Horrenda et fœda tempestas. *Ovid.* 6. *Fast.* 140. Horrenda nox. *Stat.* 6. *Theb.* 286. Horrenda species. *Seren. Sammon.* 7.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 18. et 37. Horrendi odores. *cattivi. Virg.* 2. *Æn.* 222. Horrendi clamores. *Val. Flacc.* 1. 210. reddita tandem Vox horrenda viris. *Liv.* 1. 26. Lex erat horrendi carminis. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 62. juvenis Parthis horrendus. *Id.* 1. *ibid.* 8. 25. pallor utrasque Fecerat horrendas aspectu. *Ovid.* 15. *Met.* 298. res horrenda relatu. *Virg.* 4. *Æn.* 435. Vidit, turicremis quum dona imponeret aris, (Horrendum dictu!) latices nigrescere sacros. — Hinc *horrendum* adverbii more. *Virg.* 6. *Æn.* 288. bellua Lernæ Horrendum stridens. *Id.* 9. *ibid.* 732. arma horrendum sonuere. *Id.* 12. *ibid.* 700. horrendumque intonat armis. *Seneca Herc. fur.* 981. sævit horrendum Mimas. ¶ 2. In bonam partem est admirabilis, atque adeo verendus, venerandus. *Virg.* 11. *Æn.* 570. *de Camilla.* Tornus ad hæc oculos horrenda in virgine fixus: O decus Italiæ, virgo etc. *Id.* 7. *ibid.* 172. tectum augustum, ingens –, Horrendum silvis et religione parentum. Sic *Id.* 6. *ibid.* 9. arces, quibus altus Apollo Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ. — Et in plur. num. *Ammian.* 27. 10. Horrenda circumsonare. — Hinc

Horrendum, adverb. *V.* paullo supra sub 1. in fin.

HORRĔŎLUM, i, n. 2. *deminut. ab* horreum, parvum horreum, *picciol granajo. Val. Max.* 7. 1. *extr.* Usus necessarii horreolum.

HORRESCO, horrescis, horrui, horrescere, inchoat. n. et a. 3. — Cum Accusativo *V.* sub II. 2. — Part. *Horrescens* II. 2. — Horresco est horrere incipio, asper, horridus fio: ea ratione, qua in *Horreo* init. dictum est, φρίσσω, *arricciarsi*, *rabbuffarsi*.

I.) Proprie. *Ovid.* 2. *Fast.* 502. Retulit ille gradus horrueruntque comæ. Sic *Seneca Agam.* 712. mollis horrescit coma. *Virg.* 3. *G.* 198. tum segetes altæ campique natantes Lenibus horrescunt flabris. *Ovid.* 2. *Met.* 478. Brachia cœperunt nigris horrescere villis. *Id.* 14. *ibid.* 279. setis horrescere cœpi. *Stat.* 2. *Theb.* 128. Qualis ubi, audito venantum murmure, tigris Horruit in maculas. *h. e.* irascendo in tergo aspera villis fit. Potest tamen hic locus ad II. 3. referri. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 4. Horrescit telis exercitus asper utrimque. *Virg.* 7. *Æn.* 526. Horrescit strictis seges ensibus. *Cic.* apud *Non. p.* 423. 4. *Merc.* Quum subito mare cœpit horrescere. *incresparsi*, *turbarsi.* Sic *Varro* apud *eumd. ibid.* Interea prope ad occidentem solem horrescit mare.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro tremere simpliciter. *Ovid.* 1. *Art. am.* 553. Horruit (*puella*), ut steriles, agitat quas ventus, aristæ, Ut levis in madida canna palude tremit. *Val. Flacc.* 8. 61. ac primi percussus nube soporis Horruit, et dulces excussit ab arbore somnos. *tremò*, *si scosse.* ¶ 2. Sæpe est vehementer tremere ac timere incipio, expavesco, horrore corripior, *raccapricciarsi*, *inorridire*, *tremar di paura*; et occurrit — a) Absolute. *Plaut. Truc.* 1. 2. 93. Horresco misera, mentio quoties fit partionis. *Id. Asin.* 4. 1. 4. Horrescet faxo lena, leges quum audiet. *Ter. Adelph.* 4. 4. 22. Horresco semper, ubi pultare hasce incipio fores. *Cic.* 5. *Fin.* 11. 31. Quin etiam feræ, sibi injecto terrore mortis, horrescunt. *Virg.* 6. *Æn.* 710. Horrescit visu subito. *Id.* 2. *ibid.* 204. Horresco referens. *Id.* 12. *ibid.* 453. miseris heu præscia longe Horrescunt corda agricolis. — b) Cum Accusativo. *Virg.* 3. *Æn.* 394. Nec tu mensarum morsus horresce futuros. *Horat.* 2. *Od.* 10. 3. dum procellas Cautus horrescis. *Val. Flacc.* 6. 453. nullos horrescere visus. *Stat.* 3. *Theb.* 70. Pectora et extremam nil

horrescentia mortem. — c) Cum Infinito. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 37. 101. Ego vestris armis armatus non horrui in hunc locum progredi, vobisque auctoribus improbitati hominis resistere. *non ebbi paura. Id. Harusp. resp.* 17. 37. Quod sacrificium nemo vir aspicere non horruit. *ebbe in orrore. Ammian.* 29. 3. Horrescit animus omnia recensere. ¶ 3. Horrescere est etiam fieri horrendum aspectu. *Lucret.* 6. 261. In terra quoque ut (*fulmina*) horrescant ac tecta requirant. *Sil. It.* 1. 134. subitis horrescit turbida nimbis Tempestas.

HORREUM, i, n. 2. *Non. p.* 208. 26. *Merc.* putat *horrea, æ*, f. 1. usurpatum fuisse a *Claudio Aug.*: sed quæ ex eo affert verba, id non evincunt. V. *Nonii* locum in TABULARIA. — Horreum est locus, in quo segetes post messem reponuntur: fortasse ab *hordeum*, quod proprie fuerit locus hordeo asservando accommodatus, ut *farreum*, in quo reponeretur far: sed postea dici cœperit de quarumlibet frugum repositorio. Vel potius ab ὡραῖον, in quo horna reconduntur: hinc hordeum est repositorium omnium frugum, σιτοφυλακεῖον, ἀποθήκη (It. *granajo*; Fr. *entrepôt, magasin, grenier*; Hisp. *almazen, almagazen, granero*; Germ. *die Vorrathskammer, Scheuer, Speicher, Magazin, Scheune, bes. v. Getraide*; Angl. *a barn, granary*).

I.) Proprie. — 1.°) Speciatim de horreo, in quo segetes post messem reponuntur. — a) In sing. num. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 33. 89. Illi Capuam cellam atque horreum agri Campani esse voluerunt. *Horat.* 1. *Od.* 1. 9. si proprio condidit horreo Quicquid de Libycis verritur areis. — b) In plur. num. *Cic.* 5. *Verr.* 8. 20. Ut neque in segetibus, neque in areis, neque in horreis etc. *Cæs.* 3. *B. C.* 42. Cæsar locis certis horrea constituit. *Liv.* 44. 22. Horrea ponere. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 8. 8. (33). Horrea frumenti. *Virg.* 1. *G.* 49. Illius immensæ ruperunt horrea messes. *Tibull.* 2. 5. 84. Distendet spicis horrea plena Ceres. *Horat.* 3. *Od.* 16. 26. Si quicquid arat impiger Appulus Occultare meis dicerer horreis. — Quæ multa horrea *P. Vict. de Regionib. Urbis R.* in singulis regionibus enumerat, dici possunt Italice *fondachi*. In illis servabantur frumenta ad publicam annonam. — 2.°) Generatim apud Romanos *horrea* non ad solum usum condendarum frugum, sed ad alia quoque inserviebant. — a) Sic ad vina condenda. *Horat.* 3. *Od.* 27. 8. Parris deripere horreo amphoram? *Paul. Dig.* 18. 1. 76. Dolia in horreis defossa. *h. e.* in cellis vinariis. Adde *Senec. Ep.* 115. Porro in horreis vina condita fuisse, etiam in APOTHECA dictum est. — b) Ad oleas servandas. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 3. *Schneid.* Si quando immodica multitudo olearum torculariorum vincit laborem, esse oportere ait pensile horreum, quo imponantur fructus. Porro *horrea pensilia* dicuntur, quæ non in plano posita sunt, sed tignis suspensa, quo sicciora sint. *V.* etiam *eumd.* 1. *ibid.* 6. 7., ubi et instrumento rustico locum in horreo dat. — c) Ad penuaria quæque servanda. *Ulp. Dig.* 33. 9. 3. § 11. Penuarium horreum. — d) Ad merces custodiendas. *Ulp. Dig.* 10. 4. 5. Si quis merces, quas exvehendas conduxit, in horreo posuit. *magazzino.* — e) De thesauro. *Lamprid. Alex. Sev.* 39. Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona ii, qui privatas custodias non haberent. *Paul. Dig.* 34. 2. 33. Argentum, quod in domo, vel intra horreum usibus ejus fuit. Cf. *Liv.* 31. 23.; et *Apul.* 3. *Met.* Item *Modestin.* 32. 1. 82. Cui quæ Romæ essent, legata sunt; ei etiam, quæ custodiæ causa in horreis extra urbem reposita sunt, debentur. *Labeo ibid.* 19. 2. 60. § 6. Locator horrei propositum habuit, se aurum, argentum, margaritam non recipere suo periculo. — f) Libros etiam quandoque ibi reponebant, ut colligitur ex illis *Senecæ* verbis *Ep.* 45. Quoscumque habeo libros, mittere paratus sum et totum horreum excutere. — g) Item statuas. *Plin.* 8. *Ep.* 18. *sub fin.* Amplissimos hortos instruxit plurimis et antiquissimis statuis. Tantum illi pulcherrimorum operum in horreis, quæ negligebantur. — h) Servus vel Libertus ab horreis memoratur in *Inscript.* apud *Henzen.* 6290. THALAMVS M. FVRI CAMILLI AB HORREIS.

II.) Improprie. — a) Per similitudinem *horrea* vocat *Virg.* 4. *G.* 250. apum alvearia, tum quia variis cellulis horreorum more divisa sunt, tum quia in iis conduntur mella, quæ fruges et annona apum dici possunt. — b) Terrena horrea apud *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 39. sunt cava sub terra, in quibus formicæ grana condunt. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

HORRIBILIS, e, adject. Comp. *Horribilior* 1. — Horribilis est horrendus, horrificus, formidabilis, φρικτός, φοβερός (It. *orribile*; Fr. *horrible, terrible, effrayant, redoutable*; Hisp. *horrible, horrendo, espantoso*; Germ. *schrecklich, schauerlich, fürchterlich*; Angl. *to be dreaded, dreadful, horrible, frightful, terrible, horrific*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu in malam partem. *Cic.* 1. *Cat.* 5. 11. Quod hanc tam tetram, tam horribilem tamque infestam reipublicæ pestem toties jam effugimus. *Id.* 5. *Fam.* 21. *extr.* Homini accidere nihil posse, quod sit horribile aut pertimescendum. *Id.* 2. *de republ.* 6. In illis tempestate horribili Gallici adventus. *Id.* 1. *Fin.* 19. 63. Non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles existunt sæpe formidines. *che fanno tremare. Id.* 3. *Orat.* 3. 11. Non vidit eorum ipsorum horribiles miserosque casus. *Id.* 6. *de republ.* 17. Mars (*stella*) rutilus horribilisque terris. *Cæs.* 5. *B. G.* 14. Britanni se vitro inficiunt: atque hoc horribiliore sunt in pugna adspectu. *Al. tamen leg.* horridiore. *Id.* 7. *ibid.* 36. Horribilem speciem præbere. *Sall. Jug.* 101. Horribile spectaculum. *Id. ibid.* 99. Mauri ignoto et horribili sonitu repente exciti. *Virg.* 4. *G.* 412. horribilis fera. *Catull.* 14. 12. Di magni, horribilem et sacrum libellum! *h. e.* abominandum et execrandum. — Neutr. absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 61. 259. Illud vero fuit horribile, quod vereor, ne etc. *Id. Quinct.* 31. 95. Horribile est causam capitis dicere, horribilius priore loco dicere. ¶ 2. Interdum, ut *horrendus*, in bonam partem accipitur, in familiari sermone, et significat mirabilem, sacrum, verendum. *Cic.* 8. *Att.* 9. *in fin. de Cæsare.* Sed hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est. *Forcellinus* hunc locum ad superiorem paragr. retulit. *Petron. Satyr.* 21. Uterque juravit, inter nos periturum esse tam horribile secretum. *V.* et voc. seq.

HORRIBILITER, adverb. horribili modo. *orrendamente.* Occurrit tantum in bonam partem (*V.* voc. præced. 2.) et est mirifice, δαιμονίως. *M. Aurel.* inter *ep. Fronton.* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 6. Postea ravebis de me, præsertim in senatu, tam multa mentiri: horribiliter scripsisti hanc orationem. O si ad singula capita caput tuum basiare possem!

HORRICOMIS, e, adject. (horreo *et* coma) qui horridos pilos, vel comam habet, ut Horricomes capes apud *Apul.* 4. *Met.*, et Horricomis hircus apud *eumd.* 7. *ibid.*

HORRIDE, adverb. Comp. *Horridius.* — Horride proprie est hispide, subrectis hirtisque pilis, comis etc. Sed occurrit translate tantum et est ¶ 1. Aspere et inculte. *rozzamente, senza cultura*, φρικτῶς: *V.* HORRIDUS II. 1. *Cic. Quinct.* 18. 59. Vixit semper inculte atque horride, natura tristi ac recondita fuit. *Id. Orat.* 9. 28. Putant, qui horride inculteque dicat, modo id eleganter enucleateque faciat, eum solum Attice dicere. Sic *Quintil.* 10. 2. 17. Iidem qui horride atque incomposite quamlibet illud frigidum et inane extulerant, antiquis se pares credunt. Rursus *Cic. Orat.* 25. 86. Iisdem ornamentis utetur horridius. ¶ 2. Item aspero animo ac severo: *V.* HORRIDUS II. 2. *Tac.* 1. *Hist.* 82. Allocuti sunt præfecti ex suo quisque ingenio, mitius aut horridius. *h. e.* asperius, tristius, severius.

HORRIDITAS, ătis, f. 3. idem atque horror. *Nævius.* Omnia mihi horriditati erant maxime. Ita refert *Perottus* in *Cornucop.*, quem penes sit fides.

HORRIDULUS, a, um, adject. *deminut.* ab horridus, *orridetto*, subhorridus, aliquantum rigens, exstans, asper, incultus, incomptus.

I.) Proprie. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 66. Horridulæ papillæ. *Lucilius* apud *Non. p.* 423. 2. *Merc.* Caput ungunt horridulum. *Martial.* 10. 98. Tonsus (*puer*), horridulus, rudis, pusillus.

II.) Translate. ¶ 1. Est frigore tremens: *V.* HORREO II. 1. *Pers.* 1. 54. Scis comitem horridulum trita donare lacerna. *Alii tamen interpretantur* inopem. ¶ 2. Ie oratione ponitur pro aspero, inculto. *Cic.* 2. *Att.* 1. Quamquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant. *Id. Orat.* 45. 152. Horridulæ Catonis orationes.

HORRIDUS, a, um, adject. (horreo). Comp. *Horridior* in omnibus paragr. — Horridus est densus et subrectus, hirtus, hispidus, asper, exstans, impexus: diciturque proprie de pilis, comis, setis, spinis et hujusmodi, φριξός (It. *arricciato, rabbuffato, aspro, orrido*; Fr. *hérissé, rude, âpre, velu, pointu*; Hisp. *erizado, increspado, rude, tosco, aspero*; Germ. *starrend, emporstarrend, struppig, stachelig, rauh*; Angl. *rough, rugged, standing an end, horrid*).

I.) Proprie. *Cic. Cæl.* 14. 33. Non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis et imaginibus videmus. Cf. *Vet. Poeta* apud *eumd.* 3. *Tusc.* 12. 26. Barba pædore horrida. et *Virg.* 4. *Æn.* 251. glacie riget horrida barba. *Ovid.* 10. *Met.* 139. horrida cæsaries. *Id.* 2. *Amor.* 6. 5. pluma. *Colum.* 9. *R. R.* 3. 1. Easdem nigras et hirsutas apes habent: alias minores quidem, sed æque rotundas et infusci coloris horridique pili. Cf. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 19. (59). Apes horridæ aspectu. *h. e.* hirsutæ. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 19. Animalium turba horrida aspici. *Virg.* 4. *G.* 407. sus horridus. *Id.* 7. *Ecl.* 41. videar tibi amarior herbis, Horridior rusco. *Id.* 3. *Æn.* 23. densis hastilibus horrida myrtus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 15. 34. (67). Horrida spinis arbor. *Sil. It.* 8. 427. horridus squama et cristis. *Val. Flacc.* 5. 558. horrida signis chlamys. *aspera signis pocula* dixit *Virg.* 9. *Æn.* 263.

II.) Translate. ¶ 1. Est incomptus, incultus, incompositus, rudis: et — a) Refertur ad cultum vestitumque hominum. *Lucret.* 6. 1267. membra videres Horrida pædore et pannis cooperta perire Corporis illuvie etc. *brutti, orridi. Cic.* 2. *Divinat.* 13. 30. Si eadem hora aliæ pecudis jecur nitidum atque plenum est, aliæ horridum et exile. *Tibull.* 2. 3. 75. Horrida villosa corpora veste tegant. *Cic. post redit. in senat.* 6. 13. Quem præteriens, quum incultum, horridum mœstumque vidisses, etiam si agrestem et inhumanum existimares, tamen libidinosum et perditum non putares. *Ovid.* 1. *Met.* 514. horridus pastor. *Id.* 3. *Amor.* 6. 47. Illa cui placuit, quamvis erat horrida cultu. *Virg.* 5. *Æn.* 37. Horridus in jaculis et pelle Libystidis ursæ. — b) Dicitur et de loco inculto, squalido. *Ennius* apud *Festum p.* 153. 25. *Müll.* Africa terribili tremit horrida terra tumultu. *Cic.* 5. *Verr.* 18. 47. Ætnensis ager, qui solebat esse cultissimus, et campus Leontinus, cujus antea species hæc erat, ut *etc.* — sic erat deformis atque horridus, ut in uberrima Siciliæ parte Siciliam quæreremus. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 83. nulli datus omnibus ævis Tam procul a patria horridiorve locus. *Virg.* 9. *Æn.* 381. Silva fuit, late dumis atque ilice nigra Horrida, quam densi complerant undique sentes. *Horat.* 1. *Od.* 34. 10. horrida sedes Tænari. Confer *Quintil.* 5. 8. 1. Qui argumenta, velut horrida et confragosa vitantes, amœnioribus locis desident. — c) Refertur sæpe ad hiemem et procellas. *Ovid.* 15. *Met.* 212. senilis hiems tremulo venit horrida passu. Cf. *Virg.* 9. *Æn.* 670. quum Juppiter horridus Austris Torquet aquosam hiemem. *Id.* 3. *G.* 442. horrida cano Bruma gelu. *Martial.* 7. 36. horridus december. *Virg.* 3. *G.* 366. stiria. *Id.* 1. *ibid.* 449. horrida grando. *Forcellinus* hunc locum ad posteriorem paragr. 3. refert. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 79. (319). Horrida tempestas. *Horat. Epod.* 10. 3. horridi fluctus. Et poetice *Ovid.* 2. *Amor.* 16. 19. si premerem ventosas horridus Alpes. *rabbuffato e intirizzito.* — d) Refertur aliquando ad sapores. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 33. (129). Spodos si tangatur lingua, saporem horridum præstat. *lazzo, aspro, astringente*, qui horrorem tremoremque aliquem inducit. *Id.* 13. *ibid.* 4. 9. (43). Pomum durum, horridum sapore fervido. — e) Hinc ponitur etiam pro acri ac vehementi. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (131). Ruta silvestris horrida ad effectum est et ad omnia acrior. — f) Item de litteris, quæ asperum habent sonum. *Quintil.* 12. 10. 28. In locum earum succedent litteræ tristes et horridæ, quibus Græcia caret. *h. e.* litteræ Latinæ *f* et *u. Id. ibid. mox.* Littera multo horridior fit. Loquitur de *f* in *frangit.* ¶ 2. Refertur etiam ad mores duros, asperos, severos, et ad orationem incultam et rudem. *Cic. Brut.* 31. 117. Q. Ælius Tubero ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus. Cf. *Plin.* 3. *Ep.* 3. Vir est emendatus et gravis: paullo etiam horridior et du-

rior, ut in hac licentia temporum. *Ennius* apud *Cic. Mur.* 14. 30. Spernitur orator bonus, horridu' miles amatur. *Horat.* 3. *Od.* 21. 9. Non ille, quamvis Socraticis madet Sermonibus, te negliget horridus. *Virg.* 7. *Æn.* 746. horrida gens. Sic *Horat.* 4. *Od.* 5. 26. Germania. *Id.* 3. *ibid.* 4. 50. Fidens juventus horrida brachiis. *Cic. Quinct.* 30. 93. Vita horrida atque arida. *Sil. It.* 11. 205. horrida virtus, Armatumque fide pectus, rectique cupido. *h. e.* severa, incorrupta et duris rebus exercita. Eodem fere modo locutus est *Stat.* 5. *Theb.* 172. Rursus *Cic. Orat.* 3. 20. Aspera, tristis, horrida oratio. *Id. Brut.* 17. 68. Antiquior Catonis sermo et quædam horridiora verba. *Quintil.* 9. 4. 3. Horridus sermo. *Id.* 12. 10. 10. Quædam dicendi genera horridiora. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 157. horridus numerus Saturnius. *Quintil.* 2. 5. 21. Antiquorum imitatores fiant horridi atque jejuni. ¶ 3. Dicitur etiam de iis, quæ horrorem incutiunt, terribilia atque horrenda sunt, præcipue apud Poetas. *Ovid.* 6. *Met.* 685. Boreas horridus irâ. *Lucan.* 3. 347. Et desit si larga Ceres, tunc horrida cerni. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 19. Turba horrida aspici. *Lucret.* 3. 171. Si minus offendit vitam vis horrida teli. *Virg.* 10. *Æn.* 480. horrida aries. *Id.* 10. *Ecl.* 23. castra. *Id.* 2. *G.* 282. prælia. *Ovid.* 1. *Met.* 126. arma. *Horat.* 1. *Od.* 24. 16. virga (*mortis*). *Martial.* 10. 62. fera. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 3. 4. (23). Aquilæ et signa custodibus horrida. *h. e.* metuenda propter milites eorum custodes. *Siliq.* vero *cuspidibus* leg. *Virg.* 11. *Æn.* 96. horrida fata. *Id.* 4. *ibid.* 378. jussa. *Lucret.* 6. 1281. paupertas. *Sil. It.* 4. 405. horrida primi sors loci. *h. e.* prœliantibus periculosa.

HORRĪFER, fĕra, fĕrum, adject. (horror *et* fero). In Genit. plur. num. *horriferûm* pro *horriferorum* dixit *Pacuvius* apud *Cic. Orat.* 46. 155. — Horrifer est horrorem tremoremque ferens, horrificus, horribilis, horridus. *orribile, orrido,* φρικώδης. Vox poetica. — *a*) De frigore. *Accius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 68. horrifer Aquiloni' stridor gelidas molitur nives. *Ovid.* 1. *Met.* 65. Scythiam Septemque triones Horrifer invasit Boreas. Adde *eumd.* 15. *ibid.* 471. *Val. Flacc.* 5. 158. quem te horrifero sortitus in axe Caucasus. *Id. ibid.* 307. Horrifera nix. — *b*) De aliis rebus. *Pacuvius* apud *Cic. Orat.* 46. 155. Prodigiûm horriferûm pavos. *Lucret.* 3. 1026. horriferi æstus Tartari. *Ovid.* 1. *Met.* 725. horriferamque oculis objecit Erinnyn. *Lucret.* 5. 219. genus horriferum, natura ferarum. *Id.* 5. 994. horriferæ voces.

HORRĪFICABILIS, e. *V.* voc. seq.

HORRĪFICĀLIS, e, adject. horrificus. *Accius* apud *Non.* p. 226. 4. *Merc.* Opertus squalitate est luctuque horrificali. *Ribbeck, Tragicorum Latinorum reliquiæ, Lips.* 1852. *p.* 184., *Vossium* secutus, legendum putat *horrificabili*.

HORRĪFICĒ, adverb. *con orrore,* horrorem incutiendo. *Lucret.* 2. 609. Horrifice fertur divinæ matris imago. *h. e.* cum religione et metu. *Id.* 4. 39. simulacra luce carentum. Quæ nos horrifice languentes sæpe sopore Excierunt.

HORRĪFICO, as, āvi, are, a. 1. (horrificus). Part. *Horrificans* I. — Horrificare

I.) Proprie est hirtum, hispidum, asperum reddere. *Catull.* 64. 270. qualis flatu placidum mare matutino Horrificans Zephyrus proclives incitat undas. *h. e.* turbans, crispans. *increspando.*

II.) Translate est horridum atque horribilem facere, horrore perfundere, *rendere orribile e spaventoso, riempier d'orrore. Sil. It.* 3. 388. ore ferarum Et rictu horrificant galeas. *Flor.* 3. 21. 10. Carcer, catenæ, fuga, exsilium horrificaverant dignitatem. — Absolute. *Virg.* 4. *Æn.* 464. Multaque præterea vatum prædicta priorum Terribili horrificant monitu. *h. e.* horrore perfundunt, horrorem incutiunt, terrificant, *spaventano.*

HORRĪFĬCUS, a, um, adject. (horror *et* facio) horrorem faciens, hirtum, hispidum reddens: sed occurrit translate tantum et est horrorem incutiens, horribilis, *orribile, che fa tremare, spaventoso,* φρικώδης. *Lucret.* 3. 920. At nos horrifico cinefactum te prope busto Insatiabiliter deflebimus. Cf. *Virg.* 12. *Æn.* 851. Horrificum letum. *Id.* 3. *ibid.* 571. horrificis tonat Ætna ruinis. *Val. Flacc.* 2. 97. Horrificum fulmen. *Ammian.* 29. 2. cœtus furiarum. *Cic. Dom.* 23. 60. Qui parietibus, qui tectis, qui columnis ac postibus meis horrificum quoddam et nefarium, omni imbutum odio, bellum intulistis. *Quidam MSS. habent* hostificum. *Lucan.* 2. 372. Horrifica cæsaries. *rabbuffata, scarmigliata e perciò spaventosa. Val. Flacc.* 3. 423. seque horrificis accommodat actis. *h. e.* sacris, quæ horrore religioso venerari mos est. *Gell.* 20. 1. *ad fin.* Horrifica pœna. *Ammian.* 17. 7. tremor. *Id.* 31. 10. fragor.

HORRĪPĪLĀTĬO, ōnis, f. 3. erectio capillorum præ horrore, ὀρθοτριχία. *Vulgat. interpr. Sapient.* 27. 15. Loquela multum jurans horripilationem capiti statuet.

HORRĪPĪLO, as, are, n. *et*

HORRĪPĪLOR, āris, ari, dep. 1. est horridiore asperioreque pilo fruticare. *Apul.* 3. *Met.* Aures immodicis horripilant auctibus. *Gloss. Philox.* Horripilo, ὀρθοτριχιάω: horripilator, ὀρθοτριχεῖ.

HORRĬSŎNUS, a, um, adject. (horreo *et* sonus) horribilem sonum edens, horrendum sonans, *di orribil suono,* βαρύβρομος. Vox poetica. *Cic.* vertens carmen *Æschyli* 2. *Tusc.* 10. 23. Horrisonum fretum. *che mugge.* Sic *Lucan.* 2. 454. quum mare possidet Auster Flatibus horrisonis. *Lucret.* 5. 110. horrisonus fragor. *Virg.* 6. *Æn.* 573. horrisono stridentes cardine sacræ Panduntur portæ. *Id.* 9. *ibid.* 54. Clamore excipiunt socii fremituque sequuntur Horrisono. *Sil. It.* 4. 614. horrisonus stridor. *Val. Flacc.* 7. 149. flagellum. *Id.* 2. 584. buxus.

HORRŌR, ōris, m. 3. (horreo) dicitur de pilis, setis et similibus, quæ dense subriguntur et horrent; quod tum frigore, tum metu fit: item de squalore atque horrida facie rerum, quæ inde nascitur, φρίκη (It. *arricciamento, rabbuffamento*; Fr. *hérissement, raideur*; Hisp. *el acto de erizarse, de encresparse*; Germ. d. *Starren, Emporstarren*; Angl. *a standing erect or on end*).

I.) Proprie vero admodum occurrit. *Val. Flacc.* 1. 229.; et *Lucan.* 5. 154. Non pallore viri, non ullo horrore comarum Terribilis. *Lucan. ibid.* 446. Pontus non horrore tremit. *non s'increspa.*

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a superiori paragr. dicitur de incompta horridaque oratione. *Quintil.* 8. 5. 34. Veterem illum horrorem dicendi malim, quam istam novam licentiam. ¶ 2. Generatim horror ponitur pro simplici tremore, *tremore. Ovid.* 9. *Met.* 345. tremulo ramos horrore moveri. *Flor.* 2. 6. *ante med.* Commissam aciem secutus ingens terræ tremor: sive illum horrorem soli equitum virorumque discursus fecerunt. ¶ 3. Specialim est frigus cum tremore. *Virg.* 3. *Æn.* 29. mihi frigidus horror Membra quatit. *Val. Flacc.* 7. 563. Nix et cærulei Boreæ ferus abstulit horror. — Hinc dicitur etiam de frigore ac tremore febrili. *Cels.* 3. 3. *de febri.* Frigus voco, ubi extremæ partes membrorum inalgescunt: horrorem, ubi totum corpus intremit. *Id. ibid.* Febres aliæ protinus incipiunt a calore, aliæ ab horrore. Adde *Scribon. Compos.* 95. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 72. (150). Columbini ciceris decocti aqua horrorem tertianæ et quartanæ minuere creditur. *Cic.* 12. *Att.* 6. *in fin.* Atticam doleo tam diu: sed quoniam jam sine horrore est, spero esse, ut volumus. *dacchè è senza febbre.* ¶ 4. Item pavor, formido vehemens, quæ tremoris causa est, *paura, orrore, raccapriccio. Plaut. Amph.* 5. 1. 16. Jam ea res me horrore afficit: herilis prævortit metus. *Lucret.* 3. 291. Est et frigida multa, comes formidinis, aura, Quæ ciet horrorem membris et concitat artus. *Cic.* 8. *Att.* 6. Dii immortales, qui me horror perfudit! quam sum sollicitus, quidnam futurum sit? *Virg.* 4. *Æn.* 280. arrectæ horrore comæ. *Id.* 2. *ibid.* 559. sævus me circumstetit horror. *Ovid.* 14. *Met.* 198. me luridus occupat horror Spectantem vultus etiamnum cæde madentes. *Sil. It.* 5. 391. gelidus conspecti consulis horror. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 130. exsanguis. *Tac.* 1. *Hist.* 37. Horror animum subit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 2. (I). Horror est spectare in arena feras. *fa orrore.* ¶ 5. Item de admiratione vehementi; atque adeo de metu religioso. *Lucret.* 3. 28. His ibi me rebus quædam divina voluptas Percipit (*al.* percilit) atque horror, quod sic natura — ex omni parte retecta est. *Val. Flacc.* 2. 433. hic numinis ingens horror. *Liv.* 39. 8. Nec is, qui aperta religione propalam et quæstum et disciplinam profitendo animos horrore imbueret. *Id.* 1. 16. Perfusus horrore venerabundusque. *Stat.* 5. *Theb.* 505. sacer horror. *Lucan.* 3. 411. Arboribus suus horror inest. — Lætus horror. *V.* in PAVOR. ¶ 6 Metonymice horror dicitur quidquid horrere ac tremere facit. — *a*) De rebus. *Lucret.* 6. 1009. ferri frigidus horror. *Id.* 2. 410. serræ stridentis acerbus horror. *ribrezzo. Val. Flacc.* 4. 662. multifidus rupis e nubibus horror Effugit. — *b*) De hominibus. *Lucret.* 3. 1048. Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror. *h. e.* terror, *terrore.* Sic *Sil. It.* 15. 340. jacet campis Carthaginis horror.

HORSUM, adverb. versus hunc locum, per syncopen ab hoc (seu potius ab antiquo Dat. *hoi* pro *hoic*) et *versum,* quasi hoc versum, *verso qua,* δεῦρο. *Plaut. Rud.* 1. 2. 83. Surrexit, horsum se capessit. *Id. Mil. glor.* 2. 3. 33. Horsum ad stabulum recipiat se a pabulo. *Ter. Hecyr.* 3. 4. 36. At at! eccum Phidippum et patrem video: horsum pergunt. *Id. Eun.* 2. 1. 13. Aut jam revertere, aut mox noctu te adigent horsum insomnia.

HORTĀMEN, inis, n. 3. idem atque hortamentum. — *a*) In sing. num. *Liv.* 10. 29. Ubi auditur P. Decii erectus, ingens hortamen ad omnia pro republica audenda. *Ovid.* 1. *Met.* 277. non est hortamine longo Nunc, ait, utendum. *Pallad.* 4. *R. R.* 11. 3. Boves sint mansueti, timentes hortamen clamoris et verberis. — *b*) In plur. num. *Val. Flacc.* 6. 93. prisca suorum Facta canunt, veterumque, viris hortamina, laudes. *Tac. Germ.* 7. Cibos et hortamina pugnantibus gestant.

HORTĀMENTUM, i, n. 2. excitamentum, *esortazione,* παράγγελμα. — *a*) In sing. num. *Sall. Jug.* 98. Ea cuncta Romanis magno hortamento erant. *Gell.* 13. 24. Justæ temperatæque celeritatis acre hortamentum. — *b*) In plur. num. *Liv.* 7. 11. In conspectu parentum conjugumque ac liberorum, quæ magna etiam absentibus hortamenta animi, etc. *Tac.* 4. *Hist.* 18. Conjuges parvosque liberos consistere a tergo jubet, hortamenta victoriæ, vel pulsis pudorem. *Justin.* 3. 5. 6. Hortamenta virtutis. *Sil. It.* 5. 53. aspera quisque Hortamenta sibi referat: meus heu! meus atris Ticini frater ripis jacet etc.

HORTĀTĬO, ōnis, f. 3. hortandi actus, *esortazione, eccitamento,* προτροπή. *Cic.* 5. *Fin.* 2. 6. Etsi facit hic quidem Piso ea quæ præcipis, tamen mihi grata est tua hortatio. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 14. § 41. Jam hoc loco non hortatione, neque præceptis, sed precibus tecum fraternis ago. *Id.* 9. *Fam.* 14. Quod quum ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est. *Sall. Jug.* 60. Clamor (*oppidanorum*) permistus hortatione, lætitia, gemitu. *Liv.* 40. 4. Hortatio remigum. Narrat *Sueton. Aug.* 85. scripsisse eum multa varii generis, prosa oratione: inter alia *hortationes ad philosophiam.*

HORTĀTĪVUS, a, um, adject. προτρεπτικός, ad hortationem spectans. *Quintil.* 5. 10. 83. Hæc ad hortativum genus maxime pertinent. *h. e.* deliberativum et suasorium. — *Hortativa adverbia* sunt, quæ ad hortandum inserviunt, ut eja, age. *Priscian.* 15. p. 1021. *Putsch.* — *Hortativa verba* accusativum adsciscunt, *excito illum, hortor.* Ita *Priscian.* 18. *p.* 1165. — *Hortativus modus* verborum apud *Capell.* 3. *p.* 83.

HORTĀTOR, ōris, m. 3. qui hortatur et suadet, ut aliquid fiat, *esortatore,* προτρεπτής. Occurrit — 1°) Generatim; et quidem — *a*) Cum Genitivo rei, ad quam quis alium hortatur. *Cic.* 1. *Orat.* 55. 234. Quum ejus studii tibi et hortator et magister esset domi. Sic *Quintil.* 10. 3. 23. Hortator studiorum. *Cic.* 10. *Att.* 4. cædis. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 32. Hortator pugnæ consiliumque fuit. *Id.* 13. *Met.* 45.; et *Virg.* 6. *Æn.* 529. Hortator scelerum. Sic *Ammian.* 15. 8. Hortator audendi. — *b*) Cum Accus. et præpos. *ad. Cic. post redit. ad Quir.* 4. 9. Auctores hortatoresque ad me restituendum multi fuerunt. — *c*) Absolute. *Ennius* apud *Festum* p. 363. 25. *Müll.* Hortatore bono. *Cic. Rosc. Am.* 3. 110. Postremo isto hortatore, auctore, intercessore ad Sullam legati non adierunt. *Id.* 11. *Phil.* 2. 3. Quamquam hortatore non egetis: ipsi enim vestra sponte exarsistis ad libertatis recuperandæ cupiditatem. *Val. Flacc.* 8. 232. hortatorque Cupido Suscitat affixam mœstis Æetida curis. — 2.°) *Hortator remigum* est portisculus, *comito. Plaut. Merc.* 4. 2. 5. Quasi in mari solet hortator remiges hortarier. *Ovid.* 3. *Met.* 618. et qui requiemque modumque Voce dabat remis, animorum hortator Epopeus. *Servius* ad illud *Virg.* 5. *Æn.* 176. Ipse guberna-

cio rector subit, ipse magister. Hortaturque viros etc. Aut ipse dicit celeusma (nam hortatores dicuntur), aut *hortatur* ideo, quia consternati fuerant, perdito gubernatore. *Inscript.* apud *Murat.* 2102. 1. D. M. MENANDRO HORTATORI FECIT MERCVRIVS FRATRI SVO B. M. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HORTATŌRIUS, a, um, adject. ad hortationem spectans, hortativus. *Ambros. in Luc.* 8. 17. Hic igitur locus hortatorius ad fidem.

HORTĀTRIX, icis, f. 3. quæ hortatur, *esortatrice*. *Stat.* 9. *Theb.* 717. Gloria hortatrix animosi leti. *Quintil.* 11. 3. 103. Supra humeri altitudinem elata cum quodam motu velut hortatrix manus.

HORTĀTUS, a, um. *V.* HORTOR.

HORTĀTUS, us, m. 4. adhortatio, monitio. — *a*) In sing. num., et quidem sæpe in Ablat. *Cic. Arch.* 1. 1. Hæc vox hujus hortatu præceptisque confirmata, nonnullis aliquando saluti fuit. *Id.* 13. *Fam.* 29. Me id fecisse aliorum consilio, hortatu, auctoritate. *Cæs.* 3. *B. C.* 86. Pompejus quoque suorum omnium hortatu statuerat prælio decertare. Adde *Nepot. Cat.* 1.; et *Tac.* 3. *Hist.* 24. *Ovid.* 5. *Trist.* 14. 45. Qui monet, ut facias, quod jam facis, ille monendo Laudat, et hortatu comprobat acta suo. *Lucan.* 6. 317. Tentavere suo comites devertere Magnum Hortatu. Adde *Senec. Hippol.* 1055.; et *Sil. It.* 17. 327. — In Dat. *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. Hortatui tot impellentium succubuit. — *b*) In plur. num. *Ovid.* 3. *Met.* 242. At comites rapidum solitis hortatibus agmen Ignari instigant. Adde eumd. 7. *ibid.* 339. Sic *Val. Flacc.* 3. 550. Urgere hortatibus. *Id.* 4. 81. alacrem lætis hortatibus implet. Adde *Sil. It.* 8. 29.

HORTENSIS, e, adject. idem quod hortensius, ad hortum pertinens. *Colum.* 9. *R. R.* 4. 4. At in hortensi lira condita nitent lilia candida. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 50. (82). Crethmus species est batis hortensis. *Harduin.* legit *hortensiæ* ex MSS. — Hortensis deus est, qui horto præerat, velut Priapus, Vertumnus, Pomona etc. *Inscript.* apud *Romanelli Top. Nap. T.* 3. *p.* 67., quæ est apud *Orell.* 16. 26., quæ tamen spuria est justa *Mommsen. Inscr. N.* 818. DIIS VICANIS, COMPITALIBVS ET HORTENSIBVS EX VOTO. — *Hortensis* est etiam appellatus Juppiter, ignota tamen de causa. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 390. CVLTORES IOVIS HORTENSIS.

HORTENSĬUS, a, um, adject. ad hortum pertinens, *ortense*, κηπαῖος. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 40. (105). Hortensii bulbi. *V.* et voc. præced. — Hinc

Hortensia, *ōrum*, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, dicuntur ea, quæ in hortis seruntur, præserim cibi gratia. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 31. (98). Hortensiis omnibus fere singulæ radices, ut raphano, betæ, apio, malvæ. *Id. ibid.* 8. 42. (145). Omnium hortensiorum lautissima cura asparagis. *Sillig.* aliter legit. *Id.* 26. *ibid.* 4. 10. (22). Hortensiis abstinere.

HORTĬCUS, a, um, adject. idem quod hortensis, ad hortum pertinens. Affertur, nullo tamen auctore laudato, a *Diomed.* hisce verbis 1. *p.* 309. *Putsch.* Nomina πρωτότυπα dicuntur, ut mons, *fons*, *villa*, *schola*, *hortus*: ex his nascuntur derivativa, quæ apud Græcos παραγωγά dicuntur, ut *montanus*, *fontanus*, *villaticus*, *scholasticus*, *horticus*.

HORTĬLIO, ōnis, m. 3. horti custos. *Gloss. Isid.*

HORTO, as, etc. *V.* voc. seq. init.

HORTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *Hortarier* paragoge pro *hortari* legitur apud *Plaut. Merc.* 4. 2. 5. — Etiam *horto*, *as* antiqui dixerunt, teste *Priscian.* 8. *p.* 797. *Putsch.* Hinc quidam tribuunt *Plauto Amph.* 3. 4. 10. et *Asin.* 3. 1. 9., et *Sall.* 4. *Hist. in fin. epist. Mithrid. ad Arsac.*, sed ubique lectio variat. *Ennius* apud *Consentium de barbarism. p.* 31. *Buttm.* Huic statuam statui majorem horto auream ahenis. Cl. *Vahlen.* ita legendum censet *Lachmannum* secutus. Passiva tamen significatione usurpatur, teste *Gell.* 15. 13. Hinc *Varro* apud *Priscian. loc. cit. p.* 793. Ab amicis hortaretur. *Auct. B. Hisp.* 1. Ita paucis commodis hoste hortato majores augebantur copiæ. *Tac.* 12. *Ann.* 9. Sententiam expromere, qua hortaretur Claudius despondere Octaviam Domitio. *Al. rectius leg.* oraretur. — Part. *Hortans* 1.; *Hortatus* 1. et 2.; *Hortandus* 2. — Ratione habita etymi videtur esse ab obsoleto ὄρω pro ὀρίνω vel ὄρνυμι *surgere facio*, *excito*, hinc *horitor* et per syncopen *hortor*: *V.* HORIOR: hortari enim est verbis quempiam ad aliquid faciendum impellere, excitare, suadere, προτρέπομαι (*It. esortare*, *eccitare*, *confortare*; Fr. *exciter*, *pousser vivement à une action*, *engager à*, *exhorter*; Hisp. *exhortar*, *excitar*; Germ. *ermuntern*, *ermahnen*, *anregen*, *anspornen*, *bewegen zu etwas*; Angl. *to exhort*, *encourage*, *excite*, *embolden*, *cheer*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — 1.° De hominibus. — *a*) Cum Accusativo personæ. *Plaut. Merc.* 4. 2. 5. Coquos, quasi in mari solet hortator remiges hortarier, ita hortabatur. *hic* agitur et de portisculo, qui remiges excitat et remigandi modum dat: *V.* HORTATOR 2.° *Id. Pœn.* 3. 3. 61. Neque nos hortari, neque dehortari decet hominem peregrinum. *Cic.* 13. *Fam.* 4. Hæc eo spectant, ut te horter et suadeam: reliqua sunt, quæ pertinent ad rogandum. *Id.* 4. *ibid.* 9. Iisdem te rebus etiam atque etiam hortor, quibus superioribus litteris hortatus sum. *Alii tamen rectius leg.* Iisdem de rebus. *V.* infra sub e. *Ovid.* 10. *Met.* 466. Virgineosque metus levat hortaturque timentem. — Et cum additis verbis, quibus aliquem hortamur. *Plaut. Cas.* 4. 1. 6. Senex in culina clamat; hortatur cocos: Quin agitis hodie? quin datis etc.? Sic *Horat.* 2. *Ep.* 2. 35. hortari cœpit eumdem Verbis, quæ timido quoque possent addere mentem: I bone, quo virtus tua te vocat etc. — Hortari equos, canes etc. est incitare, impellere. *Ovid. Heroid.* 4. 12. Hortari celeres per juga summa canes. *Id.* 5. *Met.* 421. Terribiles hortatus equos. *Virg.* 3. *G.* 163 Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem, Jam vitulos hortare viamque insiste domandi. Similiter *Plaut. Stich.* 2. 1. 7. Pedes hortare, honesta dicta factis. *h. e.* progredere. — *b*) Cum addito Accusativo rei, ad quam aliquem hortamur, et — Præpos. *ad. Cic. Prov. cons.* 4. 9. Quum palam populi Romani imperator instructo exercitu dextram tendens non ad laudem milites hortaretur, sed etc. *Nepos Datam.* 8. Hortari aliquem ad pacem. *Quintil.* 6. 1. 50. ad concordiam. *Id.* 5. 11. 24. ad curam reipublicæ. *Id.* 9. 4. 133. ad diligentiam. Similiter *Cic. Arch.* 11. 28. ad perficiendum. *Quintil.* 5. 12. 1. ad quærendum. *Id.* 4. 5. 23. ad reliqua fortius exsequenda. — Cum præpos. *in*. *Virg.* 11. *Æn.* 521. et paribus Messapum in prælia dictis Hortatur. *Liv.* 43. 19. Hortarentur in amicitiam jungendam. — *c*) Cum addito Ablat. rei et præpos. *de*. *Cic.* 16. *Fam.* 19. De Aufidiano nomine nihil te hortor: scio tibi curæ esse. *Cæs.* 1. *B. C.* 26. Mandat, ut Libonem de concilianda pace hortetur. — *d*) Cum Conjunctivo et — Part. *ut*. *Cic.* 1. *Fam.* 1. Pompejum et hortari et orare et jam liberius accusare et monere, ut magnam infamiam fugiat, non desistemus. *Cæs.* 1. *B. G.* 19. Petit atque hortatur, ut etc. *Sall. Cat.* 59. Ipse equo circumiens unumquemque nominans appellat, hortatur, rogat, uti meminerint etc. *Cic.* 1. *Off.* 1. 3. Magnopere te hortor, ut legas. Adde *eumd. Amic.* 5. 17. et 27. 104. Sic *Nepos Miltiad.* 4. Hortantibus amicis, ut etc. Adde *eumd. Themist.* 4., *Epam.* 5. et *Ages.* 5. — Cum part. *ne*. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 52. Ille extemplo illam hortabitur, ut eat, ut properet, ne moræ sit matri. *Ter. Hecyr.* 1. 1. 6. Propterea sedulo et moneo et hortor, ne cujusquam misereat. Ubi *Donatus*: Monemus consilio; hortamur impulsu. *Cæs.* 5. *B. G.* 37. Hortatur, ne occasionem dimittant. *Id.* 1. *B. C.* 19. Hortatur, ne animo deficiant. *Petron. Satyr.* 111. Cœpit hortari lugentem, ne perseveraret in dolore. — Cum part. *quare*. *Cæs.* 1. *B. G.* 33. *V.* locum infra sub 2.°). — Sine ulla part. *Cæs.* 6. *B. G.* 32. Labienum Treboniumque hortatur —, ad eam diem revertantur. *Id.* 1. *B. C.* 21. Tribunos militum circummittit atque hortatur, non solum ab eruptionibus caveant, sed etiam etc. *Liv.* 6. 15. *a med.* Quid ego vos, de vestro impendatis, hortor? *Sueton. Aug.* 3. Hortatur et monet, imitetur virilorum suum Octavium. — *e*) Cum Infinito. *Nepos Phoc.* 1. Quum munera repudiaret, legatique hortarentur accipere. *Ovid.* 8. *Met.* 214. dedit oscula nato, Hortaturque sequi. *Ammian.* 14. 7. Hortatur ad Italiam properare. Adde *eumd.* 17. 1., 21. 6. et 26. 9.; et *Tac.* 12. *Ann.* 49. — Et cum Accus. personæ. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 68. An qui, fortunæ te responsare superbæ Liberum et erectum, præsens hortatur et aptat? Cf. *Sueton. Tib.* 72. (*Chariclem medicum*) remanere ac recumbere hortatus est. — *f*) Cum Supino. *Sall. orat. Macri Licin. a med.* Neque ego vos ultum injurias hortor. *h. e.* ad ulciscendum impello. — *g*) Cum Accusativo communi. *Cic.* 1. *Cat.* 5. 12. Sin tu (quod te jamdudum hortor) exieris etc. *Ovid. Heroid.* 19. 187. Me miseram! cupio non persuadere, quod hortor. — *h*) Cum Accusativo rei. *Vet. Poeta* apud *Charis. sub fin. l.* 4. *Putsch.* Ego nunc pudendam trepidus hortabar fugam. *Cic.* 7. *Att.* 14. *extr.* Equidem pacem hortari non desino. *At al. rectius leg.* ad pacem. *Justin.* 14. 1. 3. Ut ultro bellum omnes hortarentur. *Al. plerique leg.* illum. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 22. si gelidas irem mansurus ad arces, Hortarere vias. — *i*) Absolute. *Plaut. Amph.* 3. 4. 10. Amanti subparasitor; hortor, adsto, admoneo, gaudeo, si etc. *Cæs.* 4. *B. G.* 18. Sigambri fuga comparata, hortantibus iis, quos etc. *Id.* 7. *ibid.* 26. Hortante et jubente Vercingetorige. Adde *Nepot. Att.* 10. — *l*) *Hortari currentem* proverbium est apud *Cic.* 5. *Fin.* 2. 6. et 13. *Att.* 45. *V.* CURRO. — 2.°) Tribuitur et rebus inanimis. *Plaut. Pers.* 5. 2. 60. Pol benefacta tua me hortantur, tuo ut imperio paream. *Afranius* apud *Non. p.* 523. 11. *Merc.* Res, tempus, locus, simul otium hortabatur, ut etc. Sic *Cæs.* 1. *B. G.* 33. Multæ res eum hortabantur, quare sibi eam rem suscipiendam putaret. *Id.* 3. *ibid.* 18. Multæ res ad hoc consilium Gallos hortabantur. *Cic. Sext.* 3. 7. Mihi ante oculos obversatur reipublicæ dignitas, quæ me ad sese rapit, hæc minora relinquere hortatur. ¶ 2. Specialim in re militari *hortari* est milites oratione ad prælium firmare, *incoraggiare*. *Nepos Miltiad.* 6. isque hortaretur milites, præliumque committeret. Sic *Cæs.* 3. *B. G.* 19. Sabinus suos hortatus cupientibus signum dat. *Id.* 3. *B. C.* 94. Ut ipse in hortandis militibus pronunciaverat. *Sall. Jug.* 49. Pauca pro tempore milites hortatus. *Id. ibid.* 23. Suos hortando ad virtutem erigere. *Ovid.* 1. *Art. am.* 207. Consistes aciemque meis hortabere verbis.

HORTŬĀLIS, e, adject. hortensis. *Apul. Herb.* 80. Hortualis pastinaca. *Id. ibid.* 99. herpyllus. Adde *eumd. ibid.* 71.

HORTŬLĀNUS, a, um, adject. hortensis. *Apic.* 8. 7. *a med.* Hortolanus porcellus. *h. e.* coctus et olerum condimentis fartus. *Tertull. Pœnit.* 11. Hortulanus maritimusque secessus. — Hinc

Hortulanus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, est horti cultor, olitor, *ortolano*, κηποκόμος. *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. *a med.* Tharsius Amphias, quum ex hortulano potens esset. Adde *Apul.* 1., 9. et 10. *Met.*

HORTŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* hortus, parvus hortus, *orticello*, *giardinetto*, κηπίον.

1.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Catull.* 61. 91. Talis in vario solet Divitis domini hortulo Stare flos hyacinthinus. *Juvenal.* 3. 226. Hortulus hic puteusque brevis. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (105). Hortulus suburbanus. Adde *Apul.* 8. *Met.* *Inscript.* apud *Gruter.* 383. 4. ARMARIVM DISTEGVM CVM TABERNA ET HORTVLO. — *b*) Est etiam pars vineæ, ubi vites ordine dispositæ seruntur, venustatis simul et utilitatis causa. *Colum.* 4. *R. R.* 18. 2. Quin etiam ipsa hortulorum descriptio, quantu est minoribus modulis consita, fatigationem velut minuit. — *c*) In plur. num. *hortuli* sunt arbores et similia cum ambulationibus. statuis atque id genus deliciis. *Cic.* 3. *Off.* 14. 58. Dictitabat, se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Adde *eumd.* 5. *Fin.* 1. 2. et *Cluent.* 13. 37.; et *V.* HORTUS I.

II.) Translate. ¶ 1. *Hortulus Cupidinis* est muliebre pudendum. *Apul.* Ἀνεχ. 17. Thyrsumque pangant hortulo in Cupidinis. ¶ 2. *Hortulos* vocavit Epicuri philosophiam *Cic.* 1. *Nat. D.* 43. 120. Cujus (*Democriti*) fontibus hortulos irrigavit. *V.* HORTUS II. 4.

HORTUS, i, m. 1. Ratione habita etymi, alii ab *orior* deducunt, quod in eo semper aliquid oriatur; unde et sine aspiratione scribi posse: alii ab *horctus*: alii rectius a χόρτος *sæptum*, eo quod hortus conclusus esse solet. Ceterum (*V.* infra sub II. 1.) hortus est locus maceria aut sæpe clausus, in quo olera cibi causa coluntur; item in quo arbores, poma, flores et viriditas voluptatis causa. De horti cultura scripsit præter alios *Colum.* carmine quidem

toto *l.* 10. *R. R.*, prosa vero *l.* 11. *c.* 3.; item *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (50). et deinceps. Gr. κῆπος (It. *orto, giardino*; Fr. *jardin, parc, jardin potager*; Hisp. *jardin, huerto*; Germ. d. *Garten*; Angl. *a garden or orchard*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Cic. Senect.* 16. 56. Hortum agricolæ succidiam alteram appellant. Sic *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19. (51). Ex horto plebi macellum. Rursus *Cic.* 16. *Fam.* 18. Nullo aprico horto, nullo emissario, nulla macaria. *et ibid.* Hortum conducere. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 2. ab incursu hominum pecudumque munire. *Cic.* 12. *Att.* 20. parare. *Varro* 1. *R. R.* 16. 3. Hortos sub urbe late colere. Sic *Virg.* 4. *G.* 118. colere. *Varro* 1. *R. R.* 23. 6. conserere. *Ovid.* 2. *Fast.* 702. cultissimus hortus. *Varro* 1. *R. R.* 7. 9. irriguus. *Ovid.* 8. *Met.* 646. riguus. *Calpurn. Ecl.* 2. pomifer. *Virg.* 7. *Ecl.* 34. pauper. *Id.* 4. *G.* 109. halantes floribus horti. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 63. exhaustus lectis floribus hortus. *Stat.* 4. *Silv.* 7. horti suburbani. — *b*) Interdum dicitur de parte vineæ, eo modo, quo in HORTULUS I. *b.* dictum est. *Colum.* 4. *R. R.* 18. 1. Quando vineta placuerit ordinare, centenæ stirpes per singulos hortos semitis distinguantur. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 20. 4. — *c*) In plur. num. sæpe (non tamen semper) dicuntur de iis, qui deliciarum causa parantur, *giardino*. Hi instruebantur arboribus, ambulationibus, statuis, diætis atque id genus deliciis. Hujusmodi Romæ fuere Mæcenatiani, Sallustiani, Serviliani, Cæsaris ad Tiberim etc. *Cic.* 2. *Phil.* 6. 15. Hodie non descendit Antonius: cur? dat natalicia in hortis. *Id.* 3. *Off.* 14. 58. Ad cœnam hominem in hortos invitavit in posterum diem. *et paullo post.* Emere hortos instructos. *Plin.* 8. *Ep.* 18. *sub fin.* Amplissimos hortos eodem, quo emerat, die instruxit plurimis et antiquissimis statuis. *V.* HORTULUS I. *c.* — De hortis non instructis V. *Martial.* 5. 62. — Ex illo *Plin.* 2. *Ep.* 17. *ante med.* Hortus cingitur diætis duabus. *da due casini.* et mox: *hortus alius pinguior et rusticus*: apparet priorem esse deliciarum causa, posteriorem olerum. Adde *Colum.* et *Plin.* locis jam citatis.

II.) Translate. ¶ 1. Apud veteres *hortus* villam significabat (atque hanc esse primam vocabuli significationem nonnulli, nec injuria autumant); et in XII. Tabulis semper villa sic appellabatur, teste *Plin.*, qui 19. *Hist. nat.* 4. 19. (50). In XII. Tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea *hortus*, in horto vero *heredium*. Sic *Cic.* 3. *Off.* 14. 58., quos *hortos* dixerat, mox *villam* vocat. Similiter *Paul. Diac.* p. 102. 11. *Müll.* Hortus apud antiquos omnis villa dicebatur. Cf. et *Isid.* 17. *Orig.* 10. ¶ 2. Per metonymiam hortus dicitur de ipsis oleribus, *erbaggi, ortaggi*. *Cato R. R.* 8. Sub urbe hortum omne genus, coronamenta omne genus: hæc facito uti serantur. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 16. irriguo nihil est elutius horto. ¶ 3. *Hortus* sensu obscœno significat podicem puerilem apud *Auct. Priap.* 5., ac præcipue pudendum muliebre, ut et κῆπος Græce. *Auct. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 686. *Burmann.* Hortis Hesperidum Sabelle cultis Nostræ cultior est puellæ etc. Hinc et *olera* et *olitor* eadem ambiguitate dicta, et Priapi Venerisque tutelæ horti assignati, et Satyrica signa in his statui solita, testibus *Varron.* 6. *L. L.* 20. *Müll.* et 1. *R. R.* 1. 6., *Festo* p. 289. 14. *Müll.*, et *Plin. loc. cit.*; tametsi hoc potius ob eam causam, quod in hortis munditiæ, elegantia et amœnitas maxime quæritur, vel quod ea numina rerum fecunditati præerant.

HOSANNA. *V.* OSANNA.

HOSPES, itis, m. et f. 3. *et*

HOSPĬTA, æ, f. 1. In Genitivo plurali ut *civitatium, hereditatium* reperitur pro *civitatum* etc., ita *hospitium* pro *hospitum*. *Sever. Ætn.* 127. Quod si diversos emittat terra canales Hospitium fluviorum etc. Alii tamen volunt esse Accusativum singularem, quem vocant continuatum, ut canales sint veluti fluviorum hospitium. — Ratione habita fem. gen., *hospita* est ab *hospes*, ut *sospita* a *sospes*, *antistita* ab *antistes*, *sacerdota* a *sacerdos*: quamquam rectius fortasse deducas ab absol. *hospitus, a, um*, namque *hospita* etiam in plur. num. neutr. gen. usurpatur, ut *hospita tecta*: *V.* infra sub II. 3. — Ratione habita etymi, vox conjungenda est cum *hostis*, qui apud veteres *peregrinum* significabat; et composita videtur a verbo *petere*, ita ut *hospes* sit peregrinus qui ad nos petit vel venit. — Ceterum hospes est advena, peregrinus, qui brevi apud nos diversatur, ξένος (It. *forastiere, ospite*; Fr. *étranger qui reçoit l'hospitalité, hôte*; Hisp. *estrangero, forastero, huesped*; Germ. d. *Gast, Gastfreund*; Angl. *a guest, stranger, foreigner, sojourner*).

I.) Proprie. — *a*) *Hospes* masc. gen. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 146. Hospes in hospitium devorti potest. *Cic.* 1. *Off.* 39. 139. In domo clari hominis, in quam et hospites multi recipiendi et admittenda hominum cujusque modi multitudo. *Id.* 3. *ibid.* 33. 121. Quamquam hi tibi tres libri inter Cratippi commentarios tamquam hospites erunt recipiendi. Sic *Id.* 3. *Verr.* 25. 63. Hospites recipere. *Id.* 9. *Fam.* 26. Non multi cibi hospitem accipies, multi joci. *Id. ibid.* 20. Habuisses non hospitem, sed contubernalem. *h. e.* non brevi discessurum, sed diu remanentem. *Id.* 2. *Divinat.* 37. 79. Dejotarus Cæsarem eodem tempore et hostem et hospitem vidit. *Id.* 6. *Fam.* 6. Ex multis hospitibus, qui ad me ex Asia venerant. *Id.* 1. *Orat.* 19. 85. is, qui nuper Romæ fuit, Menedemus hospes meus. *Id. Amic.* 7. 24. In hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula. *Id.* 4. *de republ.* 3. Polybius noster hospes. *Cæs.* 5. *B. G.* 6. Id factum ex suis hospitibus Cæsar cognoverat. *Id.* 1. *B. C.* 74. In suos notos hospitesque quærebant. *Cic. Amic.* 11. 36. C. Blossius Cumanus, hospes familiæ vestræ. *Virg.* 4. *Æn.* 10. Quis novus hic nostris successit sedibus hospes? *Ovid.* 3. *Trist.* 12. 50. Illa meæ domui protinus hospes erit. *Cic. Cluent.* 59. 163. Hominem multorum hospitum, Ambivium quemdam, coponem de via Latina, subornatis. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 118. mihi seu longum post tempus venerat hospes, Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem Vicinus. *Id. ibid.* 4. 17. Si vespertinus subito te oppresserit hospes. — *Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes*, proverbii locum habet, et est *Ovidii* 5. *Trist.* 6. 13. — Differt ab advena et peregrino, qui non sunt nobis amici aut cogniti, neque a nobis eo titulo excipiuntur. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 31. 94. Nos autem, hinc Roma qui veneramus, jam non hospites, sed peregrini atque advenæ nominabamur. — *b*) *Hospita* fem. gen. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 8. Me omne hic in via hospitam, quæ heri huc Athenis cum hospite advenit meo, tractatam et ludificatam, ingenuam et liberam? *Ter. Andr.* 2. 6. 7. Illi molestæ hæ sunt nuptiæ propter hujusce hospitæ consuetudinem. *Cic.* 5. *Att.* 1. At illa, audientibus nobis, ego sum, inquit, hic hospita.

II). Translate. ¶ 1. Quemadmodum ξένος apud Græcos, ita *hospes* apud Latinos dicebatur etiam qui peregrinum domo excipiebat, notitiæ et amicitiæ causa, *albergatore*. — *a*) *Hospes* masc. gen. *Cic.* 1. *Divinat.* 27. 57. Quum duo Arcades Megaram venissent, alterum ad cauponem devertisse, ad hospitem alterum. *Id.* 5. *Fin.* 2. 4. Scis me quodam tempore Metapontum venisse tecum, neque ad hospitem ante devertisse, quam etc. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 71. Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes Pæne macros arsit, dum turdos versat in igne. *Id.* 2. *ibid.* 6. 107. succinctus cursitat hospes Continuatque dapes. — Hinc et hac et superiori simul significatione. *Cic. Dejot.* 3. 8. Per dexteram istam te oro, quam regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti. *Ovid.* 1. *Met.* 144. non hospes ab hospite tutus, Non socer a genero. — *b*) *Hospita* fem. gen. *Cic.* 4. *Verr.* 8. 24. Servilia, femina primaria, vetus Dionis hospita. *Id. ibid.* 36. 89. Eum multo magis figura et lineamenta hospitæ delectabant. *Horat.* 1. *Od.* 15. 1. Pastor quum traheret per freta navibus Idæis Helenen perfidus hospitam. *Virg.* 6. *Æn.* 93. Causa mali tanti conjux, iterum hospita Teucris. — Apud sequioris ævi scriptores hospita ponitur etiam pro concubina: etenim quum milites justam uxorem habere a legibus prohiberentur, concubinam honestiori vocabulo hospitam nominabant. *Inscript.* apud *Gruter.* 554. 5. VAL. ATTICO B. F. COS. LEG. XII. G. P. F. AELIA PARTHENIS HOSPITI BENEMERENTI. *Alia* apud *Murat.* 853. 9. SEVERIAE HOSPITAE SANCTISSIMAE F. AELIVS TERTIVS >. LEG. III. CYR. Confer *Inscript.* apud *Orell.* 2669. et 4996. *V.* in v. FRUCTULUS. ¶ 2. Interdum *hospes* indigenæ opponitur, et est alienigena, *uno straniero*, qui propterea mores nescit nostros. — *a*) *Hospes* masc. gen. *Ter. Andr.* 4. 5. 15. Nunc me hospitem lites sequi. *Cic.* 12. *Phil.* 11. 27. Quem te appellem, inquit? At ille: Voluntate hospitem, necessitate hostem. *Ter. Phorm.* 4. 2. 15. Si ab hoc nihil fiat, tunc hunc adoriar hospitem. *h. e.* imperitum. Cf. *Cic. Rabir. perduell.* 10. 28. Adeone hospes hujusce urbis, adeone ignarus es disciplinæ consuetudinisque nostræ, ut hæc nescias? *Id.* 1. *Orat.* 50. 218. Fateor, callidum oratorem et nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere. *Id.* 1. *Acad.* (post.) 3. 9. Nos in nostra urbe peregrinantes errantesque, tamquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt, ut possemus aliquando, qui et ubi essemus, agnoscere. Cf. fem. gen. *Ovid.* 6. *Fast.* 510. Non venit hæc nostris hospes amica choris. — Hinc, ut ξένε apud Græcos, est interdum blanda appellatio hominis ignoti. *Cic. Brut.* 46. 172. Ut ego jam non mirer, illud Theophrasto accidisse, quod dicitur, quum percontaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet, et respondisset illa atque addidisset, *Hospes, non pote minoris*: tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, quum ætatem ageret Athenis optimeque loqueretur. Adde *Quintil.* 8. 1. 2. Rursus *Cic. poet.* 1. *Tusc.* 42. 101. Dic, hospes, Spartæ, nos te hic vidisse jacentes. *Varro* apud *Non.* p. 480. 30. *Merc.* Hospes, quid miras nummo curare Serapin? Ita legit *Passerat.* ad illud *Propert.* 4. 1. 1. Hoc quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est etc. — *b*) *Hospita* fem. gen. *Ovid.* 6. *Met.* 190. Hospita tu terris erras. *Id.* 5. *ibid.* 493. huc hospita veni. ¶ 3. Adjective et translate de inanimis et abstractis. — *a*) *Hospes* m., fem. et neutr. gen. *Claudian. IV. cons. Honor.* 650. quem non aliena per arva Induit hospes honor. *Lucan.* 5. 11. hospes curia. *Pallad. de Insit. init.* Cur non arbor inops pinguescat ab hospite gemma? *Stat.* de Charonte 5. *Silv.* 1. 252. manes placidus locat hospite cymba. *Id.* 6. *Theb.* 279. hospes Aurora colebat. *Id.* 12. *ibid.* 479. non plura queruntur Hospitibus tectis etc. *b*) *Hospita* fem. gen. *Ovid.* 1. *Fast.* 343. Nondum pertulerat lacrimatas cortice myrrhas Acta per æquoreas hospita navis aquas. *straniera.* Sic *Varro* apud *Arnob.* 6. 23. Hirundines hospitæ. Alio sensu *Virg.* 3. *Æn.* 539. bellum, o terra hospita, portas. *h. e.* hospitalis, quæ hospitio excipis. Sic *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* 8. Urbes hospitas populant. Et de unda fluminis gelu concreti *Virg.* 3. *G.* 362. Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris. *c*) *Hospita* neutr. gen. *Virg.* 3. *Æn.* 377. quo tutior hospita lustres Æquora. *stranieri.* Et alio sensu *Stat.* 4. *Theb.* 842. fessisque libens iterum hospita pandas Flumina. *h. e.* benignas hospitalesque hospitibus undas tuas. *Id.* 3. *Silv.* 5. 75. Dicarchei portus et litora mundi hospita. *h. e.* quo ex omnibus terræ partibus navigantes appellunt. *Val. Flacc.* 2. 650. hospita pandi Tecta jubet. *Id.* 1. 44. hunc hospita vina inter, et attonitæ mactat solemnia mensæ. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

HOSPĬTA, æ, f. 1. *V.* voc. præced.

HOSPĬTĀCŬLUM, i, n. 2. locus, ubi hospites diversantur, hospitium, *ospizio*. *Ulp. Dig.* 9. 3. 5. apud *Torrentin.* At apud *Haloandr.* et alios aliter.

HOSPĬTĀLĬA, ium. *V.* voc. seq. in fin.

HOSPĬTĀLIS, e, adject. Comp. *Hospitalior*; Sup. *Hospitalissimus* 1. — Hospitalis est ad hospitem pertinens, ξένιος, ξενικός (It. *ospitale*; Fr. *d'hôte, hospitalier*; Hisp. *hospitalero*; Germ. *gastfreundschaftlich, gastfreundlich, gastlich*; Angl. *relating to a guest*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 17. 46. Illam ipsam sedem hospitalem, in quam erit deductus, publicam populi Romani esse dicet. *Liv.* 21. 63. Hospitale diversorium. *Id.* 1. 58. cubiculum. *stanza pei forestieri.* *Id.* 2. 14. *sub fin.* beneficia. *Varro* 3. *R. R.* 2. 3. Hospitales aves. *h. e.* hospiti in cœna appositæ. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 24. (82). Hospitalis cœna Augusti. *h. e.* qua Augustus exceptus est. *Horat.* 2. *Od.* 3. 10 umbra. — *Hospitalis tessera* erat, quam hospes hospiti dabat. Fuit enim antiqui moris, tesseram dari hospitibus dimidiatam, quam quicumque attulisset ad hospitem, continuo agnosci posset et hospitio accipi tamquam amicus et vetus hospes. Hoc jus necessitudinis ad posteros transibat. Propterea tesseram hospitalem diligenter observabant.

Qui jus hospitii violabat, is tesseram hospitalem fregisse dicebatur. *Plaut. Pœn.* 5. 1. 25. Deum hospitalem et tesseram mecum fero. Adde *eumd. ibid.* 5. 2. 87. *V.* TESSERA. — *Juppiter hospitalis* vel *deus hospitalis* (ut apud *Plaut. loc. cit.*) est qui hospitii præses et vindex est, quod in ejus tutela hospites esse credebantur. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 12. 3. Non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis hospitalis. *Id. Dejot.* 6. 18. et 3. *Fin.* 20. 66. Juppiter hospitalis. *Id.* 6. *Verr.* 22. 48. Non dubitavit illud insigne Penatium hospitaliumque deorum ex hospitali mensa tollere. — *Hospitalia fulmina* sunt, quæ sacrificiis ad nos Jovem hospitalem arcessunt et invitant. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 49. — *Hospitalis cædes* apud *Liv.* 25. 18. est, qua hospes occiditur. — *Hospitalis tabula* est tabula ænea, in qua incisum erat decretum curiæ alicujus municipii, vel coloniæ, vel collegii, vel familiæ. Eam porro ad illum, qui patronus cooptabatur, mittere mos erat per legatos, qui, hospitio cum eodem facto, civitatis suæ nomine illum rogabant, ut incolas ejusdem municipii vel coloniæ in clientelam recipere dignaretur. *Inscript.* apud *Gruter.* 456. 1. PLACERE CONSCRIPTIS, LEGATOS EX HOC ORDINE MITTI AD T. POMPONIVM BASSVM CLARISSIMVM VIRVM, QVI AB EO IMPETRENT IN CLIENTELAM AMPLISSIMAE DOMVS SVAE MVNICIPIVM NOSTRVM RECIPERE DIGNETVR, PATRONVMQVE SE COOPTARI, TABVLA HOSPITALI INCISA HOC DECRETO IN DOMO SVA POSITA PERMITTAT. Hæc pertinet ad ann. a Chr. n. CI., et incisa fuit in municipio Ferentinorum, missa vero ad patronum eorumdem, qui Romæ degebat. — Accipitur etiam pro liberali et facili ad suscipiendum hospites. *Cic.* 2. *Off.* 18. 64. Theophrastus scribit, Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciades hospitalem fuisse: ita enim instituisse et villicis imperasse, ut omnia præberentur, quicumque Laciades in villam suam devertisset. *Id.* 3. *Verr.* 26. 65. Homo qui semper hospitalissimus amicissimusque nostrorum hominum existimatus esset. Sic *Id. Cœl.* 21. 52. Hospitalis tua illa Venus. et *Horat. Epod.* 17. 49. Tibi hospitale pectus et puræ manus. — Similiter *hospitalis locus* est, in quo commode hospitari licet, ubi clemens cælum et salubre, et copia rerum. *Seneca Œdip.* 259. Non hospitalis exsulem tellus ferat. *Flor.* 1. 16. *de Campania.* Nihil mollius cælo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari: hinc illi nobiles portus, Cajeta, Misenus, etc. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 46. 45. (118). Hospitalis litorum appulsus. *facile da sbarco.*

II.) Translate dicitur de inanimis. *Hospitales aquas* dixit *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (224). alicujus fluminis, qui per lacum impermixtis suis aquis transeat: quasi illæ aquæ hospites lacus sint, neque ibi morentur diutius, quam ad percurrendum spatium lacus opus est. — *Id.* 17. *ibid.* 10. 14. (69). Sit solum siccum succosumque, advenis hospitale. h. e. facile excipiens nutriensque plantas aliunde translatas. — Hinc

Hospitalis, is, m. 3. absolute, substantivorum more, est qui aliquem hospitio excipit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (26). Injuriæ potestatum in hospitales ad visendum venientium, Hipponenses in necem ejus (*delphini*) compulerunt. *Alii leg. minus recte* inhospitales, *alii* in hospites. V. *Plin. alterum* 9. *Ep.* 33. *sub fin.* — Hinc apud sequioris ævi scriptores *hospitalis* est etiam qui mercede peregrinos hospitio excipit, *oste, locandiere. Inscript.* apud *Gud.* 100. 9., quæ est apud *Orell.* 4330. L. AFRANIVS CERIALIS L. EROS IIIIII AVG. DOMO TARACONE OSPITALIS A GALLO GALLINACIO. *h. e. oste all' insegna del gallo.*

Hospitalia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt loca in ædibus destinata hospitibus recipiendis, *foresteria,* ξενοχωρεῖον. *Vitruv.* 6. 10. *de Græcorum ædificiis.* Dextra ac sinistra domunculæ constituuntur, habentes proprias januas, triclinia et cubicula commoda, uti hospites advenientes non in peristylia, sed in ea hospitalia recipiantur. — Præterea quum in scæna tres essent januæ, media, utpote nobilior, erat aulæ regiæ: utrimque vero *hospitalia,* h. e. fores repræsentantes domus hospitibus et peregre advenientibus in scænam destinatæ. *Id.* 5. 7. *sub fin.* V. *Winkelmann. T.* 7. *p.* 251. et *Annal. dell' Instit. archeol. ann.* 1839. *p.* 16.

HOSPĬTĀLIS, is, m. 3. *V.* voc. præced. in fin.

HOSPĬTĀLĬTAS, ātis, f. 3. ¶ 1. Est benignitas et facilitas in excipiendis hospitibus, *ospitalità,* ξενία, φιλοξενία. *Cic.* 2. *Off.* 18. 64. Recte etiam a Theophrasto laudata est hospitalitas. Est enim valde decorum patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus. *Martial.* 4. 64. Hoc rus (seu potius domus vocanda est) Commendat dominus: tuam putabis: Tam non invida tamque liberalis, Tam comi patet hospitalitate. ¶ 2. Item conditio ejus, qui extra patriam hospitatur. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 21. *sub fin.* Animorum origo cælestis est: sed lege temporalis hospitalitatis hic exsulat.

HOSPĬTĀLĬTER, adverb. benigne, liberaliter, *ospitalmente,* ξενικῶς. *Liv.* 1. 9. Invitati hospitaliter per domos. *Id.* 6. 26. Hospitaliter magis, quam hostiliter vocare. *Curt.* 7. 6. 18. Hospitaliter aliquem accipere. Sic *Aurel. Vict. Orig. g. Rom.* 5. Hospitaliter benigneque exceptus. Rursus *Curt.* 4. 2. 2. Hospitaliter commeatus advehere. *Justin.* 8. 3. Ingredi hospitaliter ad deos penates. *da amico.*

HOSPĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui hospites excipit. *Apul.* 4. *Met.* Fidelissimi mei hospitatores. *Al. rectius leg.* sospitatores.

HOSPĬTĀTŪRA, æ, f. 1. negotiatio ejus, qui hospitibus deversorium mercede præbet. *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. *V.* OSPRATURA.

HOSPĬTĬCĪDA, æ, m. et f. 1. *uccisore* et *ucciditrice dell' ospite,* qui vel quæ hospitem occidit. *Gloss. Philox.* Hospiticida, ξενοκτόνος.

HOSPĬTĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. ab* hospitium, parvum hospitium, *ospizietto. Ulp. Dig.* 9. 3. 5. Si quis amicis suis modica hospitiola distribuerit. *Hieronym. Ep.* 47. *n.* 11. Vos ad ejus hospitiolum pergite: quamvis arctum sit etc. Adde *eumd. Ep.* 108. *n.* 14.

HOSPĬTĬUM, ii, n. 2. (hospes). ¶ 1. Abstracte est amicitia, necessitudo, familiaritas, quæ inter hospites intercedit, jus se invicem suscipiendi. Quæ necessitudo non modo inter privatos erat, sed etiam inter populos, ea lege, ut alter alterum in sua terra exciperet et, quibuscumque rebus posset, coleret ac tueretur. Dabatur ob id *hospitalis tessera* (*V.* HOSPITALIS I.) et præses hospitii Juppiter habebatur, idcirco *hospitalis* cognominatus. — Si quem contracti hospitii pœnituisset, renunciare solebat, ne jus illud sacrum et Jovem præsidem violaret: cujus rei exemplum *Liv.* 25. 18. præbet. — *Plaut. Pœn.* 5. 2. 82. Ego hic hospitium habeo: Antidamæ filium quæro. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. § 16. Quos ego universos adhiberi liberaliter, optimum quemque hospitio amicitiaque conjungi dico oportere. *Id. Dejot.* 14. 39. Quocum (*Dejotaro*) mihi amicitiam respublica conciliavit, hospitium voluntas utriusque conjunxit, familiaritatem consuetudo attulit. *Id. Rosc. Am.* 6. 15. Gratia atque hospitiis florens hominum nobilissimorum. Nam cum Metellis, Serviliis Scipionibusque erat ei non modo hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo. *Id.* 4. *Verr.* 8. 23. Pro hospitio, quod sibi cum eo esset. *Nepos Lysandr.* 1. *extr.* Hospitio alicujus contineri. *Id. Cim.* 3.; et *Cæs.* 1. *B. G.* 47. alicujus uti. *Cic. Dejot.* 3. 8. Vetus hospitium renovare. *Virg.* 3. *Æn.* 83. Jungimus hospitio dextras et tecta subimus. *Id.* 4. *ibid.* 51. Indulge hospitio causasque innecte morandi. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 82. ut arctum Solveret hospitiis animum. *Auct. B. Hisp.* 16. Hospitium scelere contaminare. *Ovid. Heroid.* 17. 3. sacra hospitii temerare. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 94. Hospitium repudiare. *Liv.* 25. 18. renunciare. *Cæs.* 2. *B. C.* 25. Huic et paternum hospitium cum Pompejo et simultas cum Curione intercedebat. *paternum* dixit, quia jus hospitii ad filios cum hereditate transibat. V. *Plaut. Pœn.* 5. 1. 22. et 5. 2. 90. Item *Inscript.* apud *Gruter.* 470. 1. et 2. et apud *Maff. Mus. Ver.* 472. et 473., ubi faciendi hospitii, patroni cooptandi et in clientelam recipiendi formula continetur. — *Cic.* 4. *Verr.* 65. 145. Decernunt, ut cum Lucio fratre hospitium publice fieret. *Id. Balb.* 18. 41. Gaditani hospitium cum L. Cornelio publice fecerunt. *Liv.* 37. 54. Cum quo uno maxima regum et privatum singulis et publicum civitati nostræ hospitium est. *Id.* 1. 45. Publice privatimque hospitia jungere. *Cic.* 4. *Cat.* 11. 23. Clientelæ hospitiaque provincialia. ¶ 2. Concrete, uti ajunt, sensu est actus excipiendi hospites, seu rectius locus ipse, ubi hospites excipiuntur et accepti deversantur, *ospizio, alloggio, trattamento, albergo, foresteria,* ξενία. — *a*) De hominibus. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 93. Hic apud me hospitium tibi præbebitur. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 146. In hospitium devertere. *Cic.* 2. *Att.* 16. *extr.* Te in Arpinati videbimus et hospitio agresti accipiemus. *Id.* 2. *Divinat.* 37. 79. Quum ab eo magnificentissimo hospitio acceptus esset. *Id.* 12. *Phil.* 6. 23. Tota familia occurret: hospitio invitabit. *Id. Senect.* 23. 84. Ex vita ita discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo. Commorandi enim natura deversorium nobis, non habitandi locum dedit. Cf. *eumd.* 2. *Orat.* 58. 234. Defessus jam labore atque itinere disputationis meæ requiescam in Cæsaris sermone, quasi in aliquo peropportuno deversorio. Atqui, inquit Julius, non nimis liberale hospitium meum dices. Nam te in viam, simul ac perpaullulum gustaris, extrudam et ejiciam. *Id.* 14. *Att.* 2. *extr.* Piliæ paratum est hospitium. *Liv.* 2. 14. Ita benigne excepti divisique in hospitia. Hinc in *Inscript.* apud *Cardinali Diplom. imp. p.* 265. *n.* 522. Servus ab hospitiis. Hæc *Inscript.* est etiam apud *Henzen.* 6291. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 38. (121). Deductus a magistratibus in nemorosum hospitium. *Liv.* 5. 28. Adducere aliquem in publicum hospitium. *Columm.* 1. *R. R.* 5. 7. Hæc assiduis deversantium hospitiis infestat rem familiarem. *Sueton. Ner.* 47. Ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. *Id. Tib.* 37. Prætorianæ cohortes, vagæ per id tempus et per hospitia dispersæ. *nei quartieri della città. Virg.* 1. *Æn.* 544. hospitio prohibemur arenæ. *h. e.* vetamur appellere et in litore pedem ponere. — *b*) De brutis et inanimis. *Virg.* 3. *G.* 343. itque pecus longa in deserta sine ullis Hospitiis. *h. e.* stationibus, stabulis. *Id.* 4. *ibid.* 24. vocat *hospitia* loca, ubi apes ut considant, invitantur. Adde *Pallad.* 5. *R. R.* 8. Similiter *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 33. (65). *de coturnicib.* Iter est his per hospitia certa. *et paullo post de glottide avi.* Nec unquam plus uno die pergit: in proximo hospitio deserit. *Pallad.* 1. *R. R.* 17. Etiam parietes simili corio velentur obducti, et ita post diuturnam et solidam siccitatem, aquæ præbeatur hospitium. — *c*) Facete et jocolariter *Plaut. Amph.* 1. 1. 3. Quid faciam, si tresviri me in carcerem compegerint? *etc.* Ita peregre adveniens hospitio publicitus accipiar. *et ibid. v.* 140. Certe advenientem me hic hospitio pugneo accepturus est. *Id. Capt.* 3. 3. 8. Nec confidentiæ usquam hospitium est, nec deverticulum dolis.

HOSPĬTĪVUS, a, um, adject. ad hospitem, sive hospitium pertinens. *Spartian. Hadrian.* 12. Hadrianus gravissimum periculum adiit apud Tarraconem spatians per hospitiva viridaria, servo in se hospitis cum gladio furiosius irruente.

HOSPĬTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Hospitans* It. 2.; *Hospitaturus* I. — Hospitor est hospes sum apud aliquem, deversor, hospitii jure utor, paullum alicubi interquiesco, *alloggiare appresso qualcuno,* ξενίζομαι.

1.) Proprie. *Imppp. Valentin., Theodos.* et *Arcad. Cod. Theod.* 7. 8. 4. Mensores postibus hospitaturi nomen adscribant. *Vulgat. interpr. Act.* 10. 6. Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare. Adde *ibid.* alibi.

II.) Translate. ¶ 1. De inanimis. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 18. 22. (65). Gangem in quodam lacu hospitari: inde lenem fluere. *fermarsi alquanto. Id.* 17. *ibid.* 20. 34. (149). Castanea translata nescit hospitari pavetque novitatem. ¶ 2. Metaphorice. *Seneca Ep.* 31. *a med.* Quid aliud voces animum, quam deum in humano corpore hospitantem? *Id. Vit. beat.* 23. Sapiens magnas opes, munus fortunæ non repudiabit, nec excludet: quid enim est, quare illis bonum locum invideat? veniant, hospitentur.

HOSPĬTUS, a, um, adject. *V.* HOSPES II. 3.

HOSTĬA, æ, f. 1. est vivum animal, quod in sacris mactatur in honorem deorum, θῦμα (*It. vittima. ostia*; *Fr. victime qu'on immole dans les sacrifices*; *Hisp. victima*; *Germ. d. Schlachtthier zum Opfer, daher Opferthier, Schlachtopfer, Opfer*; *Angl. a victim, animal sacrificed*). Hostia dicta est ab *hostire,* ferire, ut placet *Paul. Diac. p.* 102. 8. *Müll.*; vel ab eodem, qua significat æquum et propitium reddere, ut *Servio* ad illud *Virg.* 2. *Æn.* 155. testor vos, aræ ensesque nefandi – vittæque deûm, quas hostia gessi. Vel ab hostibus, quod primo dicta sit, quæ iis devictis mactaba-

tur: quæ si ipsa victoris manu cæderetur, *victima* vocata est. Utrumque *Ovid.* docet 1. *Fast.* 335. Victima, quæ dextra cecidit victrice, vocatur: Hostibus amotis (*al.* a domitis) hostia nomen habet. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 338. ita distinguit, ut *hostia* sit, quæ cæditur ab his, qui ad hostes pergunt: *victima*, quæ a victoribus: sed hæc tamen licenter confundi. Alii ita discriminant, ut *victima* de majoribus dicatur, ut tauris vitulisque, *hostia* de minoribus, ut agnis, capris et hujusmodi. Sed hoc quoque discrimen vanum est. Rursus *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 56. duo facit hostiarum genera: alterum, in quo voluntas dei per exta exquiritur; alterum, in quo sola anima deo sacratur. *V.* ANIMALIS. Porro universim quæcumque victima *hostia* dicitur.

I.) Proprie. *Plaut. Pœn.* 2. 2. Di illum infelicitent omnes, qui post hunc diem leno ullam Veneri unquam immolarit hostiam, quive ullum turis granum sacrificaverit. *Id. Pseud.* 1. 3. 93. Pseudole, arcesse hostias, victimas, lanios, ut ego huic sacrificem summo Jovi. *Id. Epid.* 2. 1. 8. Hostias Orco sacrificare. *Cic.* 2. *Legg.* 12. 29. Illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique deo, cui majoribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis. Sic *Liv.* 22. 1. *a med.* Ea prodigia partim majoribus hostiis, partim lactentibus procurarentur. (*Majores hostiæ* fere intelliguntur, quæ sunt bovilli generis, quas tantum auratis cornibus immolari solitas, *Plin.* tradit 33. *Hist. nat.* 3. 12. (39). Ceteræ coronatæ solum ducebantur: *V.* tamen BICORNIS. Ceterum *majores* proprie dicuntur ab ætate, et lactentibus opponuntur, ut hic ex *Cic.* et *Livio* apparet: *V.* SOLITAURILIA). Rursus *Liv.* 31. 5. Majoribus hostiis rem divinam facere. *Cic.* 1. *Divinat.* 42. 93. Etrusci, quod religione imbuti studiosius et crebrius hostias immolabant, extarum cognitioni se maxime dediderunt. *Id.* 2. *Invent.* 31. 96. Quum Lacedæmoniis lex esset, ut, hostias nisi ad sacrificium quoddam redemptor præbuisset, capital esset, hostias is qui redemerat, quum sacrificii dies instaret, in urbem ex agro cœpit agere. *Sall. Jug.* 63. C. Mario per hostias diis supplicanti. *Auct. B. G.* 8. 51. Exceptus est Cæsaris adventus ab omnibus municipiis incredibili honore atque amore –, hostiæ omnibus locis immolantur. Sic *Nepos Hann.* 2. Hostiam immolare Jovi. *Cic. Cluent.* 68. 194. Ad scelus perficiendum cæsis hostiis. *Virg.* 3. *G.* 489.; et *Horat.* 1. *Od.* 19. 16. mactare. *Tac.* 3. *Hist.* 56. ferire. *Virg.* 3. *G.* 486. In honore deum medio stans hostia ad aras. *Id.* 1. *ibid.* 345. Terque novas circum felix eat hostia fruges. *Id.* 1. *Æn.* 338. Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra. *Liv.* 41. 19. Quadraginta hostiis sacrificare. *Catull.* 68. 76. nondum quum sanguine sacro Hostia cælestes pacificasset heros. *Horat.* 2. *Od.* 23. 18. Non sumptuosa blandior hostia Mollivit aversos Penates Farre pio et saliente mica. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (183). Aliena hostia deus non placari. *Tac.* 5. *Hist.* 13. Hostiis piare prodigia. *Sueton. Cæs.* 81. *ad fin.* Pluribus hostiis cæsis, quum litare non posset, introiit curiam. *Gell.* 4. 6. Si primis hostiis litatum non est. — *Puræ hostiæ* dicuntur, quæ ad sacrificium idoneæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (206). — *Maxima hostia* dicta est ovilli pecoris, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore. *Paul. Diac.* p. 126. 13. *Müll.* — *Humana hostia* non unis barbaris nationibus olim sacrificare mos fuit, ut Arcadibus Jovi Lycæo, teste *Plin.* 8. *Hist. nat.* 22. 34. (82).; et Germanis Marti, teste *Tac. Germ.* 9.; et Gallis, teste *Cic. Fontej.* 10. 21. et *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Quin et a Romanis, initio belli Punici sitasius, Gallus et Galla, Græcus et Græca in foro Boario sub terra vivi demissi sunt, sacro minime Romano, inquit *Liv.* 22. 57. Quamquam hæ proprie hostiæ non fuerunt, quod sanguis ex iis fusus non est.

II.) Improprie *hostia* est signum in cælo, seu potius pars signi Centauri. Fingitur enim is manu tenere hostiam, quæ est animal quadrupes, quod nemo certe donavit nomine Grajum, ut ait *Cic. Arat.* 211. Constat autem stellis decem, teste *Hygin.* 3. *Astron.* 37. — *NB.* De urbe *V.* OSTIA in ONOM.

HOSTIĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *hostio*, *as*, hostiis instruo. *Plaut. Rud.* 1. 5. 12. Æquius vos erat candidatas venire hostiatasque: ad hoc fanum ad istunc modum non veniri solet.

HOSTĬCĀPAS hostium captor. *Paul. Diac.* p. 102. 14. *Müll.* Ceterum vox composita est ab *hostis* et *capio*, et forma antiqua est pro *hosticapa*; *a* enim littera addita est ἀρχαικῶς, ut in *parricidas* pro *parricida*. Alii tamen, ut *Forcellinus*, leg. *hosticopax*; alii *hostirapax*.

HOSTĬCULUS, i, m. 2. *deminut. ab* hostis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 79.

HOSTĪCUS, a, um, adject. idem atque hostilis, *ostile, nemico:* vox fere poetica. *Plaut. Capt.* 2. 1. 49. Hostica manus. *Varro* apud *Non.* 302. 11. *Merc.* Una pestilentia, aut hostica acies puncto temporis immanes (*mortuorum*) acervos facit. *Liv.* 41. 13. ager. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 65. tellus. *Horat.* 3. *Od.* 2. 6. mœnia. *Ovid.* 4. *Fast.* 893. vindemia. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 31. ensis. *Seneca Œdip.* 737. clamor. *Flor.* 3. 10. 17. tumultus. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* § 19. Quamquam inter ferrum et ignes hosticis incursionibus vastatæ fruges. — Hinc

Hosticum, i, n. 2. absolute, substantivorum more — *a*) Occurrit pro agro seu loco hostium: (ita enim *Dionys. Halic.* l. 8. Ἀπῆλθεν ἐκ τῆς πολεμίας, h. e. ἐκ τῆς γῆς πολεμίας.). *Liv.* 8. 38. Castra in hostico incuriose posita. *Plin. Paneg.* 29. Raptæ ex hostico messes. *Ammian.* 19. 6. Ad hosticum ducebatur. *Eumen. Paneg. ad Constantin.* 13. Transire in hosticum. — *b*) *Hosticum spirare*, hostilem animum habere. *Tertull. Apolog.* 35. — *c*) *Hosticum canere* est tuba canere vel ad aciem movendam in hostem, vel ad reum capitalem citandum. *Varro* 6. *L. L.* 92. *Müll.* In arce classicus canat, et ante privati hujusce C. Quinctii Trogi scelerosi hosticum canat. *Scalig.* tamen et *Müller.* legit *hostium*, h. e. ostium, qua ratione aptior constructio procedit.

HOSTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (hostis *et* fero) hostilis. *Manil.* 1. 420. Hostiferum necdum sibi quemquam numina norant.

HOSTĬFĬCĒ, adverb. *ostilmente*, hostiliter. *Accius* apud *Non.* p. 224. 11. *Merc.* Hostifice miscere sanguen.

HOSTĬFĬCUS, a, um, adject. (hostis *et* facio) *ostile*, hostilis. *Accius* apud *Non.* p. 485. 24. *Merc.* O dirum hostificumque diem! *V.* etiam locum *Cic.* in HORRIFICUS.

HOSTĪLIS, e, adject. ¶ 1. Hostilis est ad hostes pertinens, πολέμιος (It. *nemico, ostile;* Fr. *de l'ennemi, ennemi;* Hisp. *enemigo;* Germ. *feindlich, d. Feinde zugehörig;* Angl. *of or belonging to an enemy, hostile*). Occurrit — *a*) Generatim. *Plaut. Truc.* 1. 2. 68. Hostile oppidum. *Cic.* 1. *Invent.* 55. 108. Hostili in terra jacuit insepultus. *Horat. Epod.* 9. 19. Hostiles naves. *Id. ibid.* 5. 53. domus. *Id.* 1. *Od.* 16. 20. Imprimeretque muris Hostile aratrum exercitus insolens. *Virg.* 11. *Æn.* 83. hostilia arma. *Plaut. Capt.* 2. 2. 61. manus. *Ovid.* 8. *Met.* 39. agmen. *Tac.* 3. *Hist.* 82. exercitus. *Id. ibid.* 21. acies. *Ammian.* 18. 6. ala. *Stat.* 1. *Achill.* 618. *de Baccho.* thyrsumque virentem Armat, et hostiles invisit fortior Indos, h. e. quos hostes sibi domandos elegerat. *Sall. Cat.* 61. Hostilia cadavera. *Plaut. Capt.* 2. 2. 53. vis. *Id. Pseud.* 4. 4. 10. insidiæ. *Cic.* 3. *Off.* 29. 108. Regulus non debuit conditiones pactionesque bellicas perturbare perjurio. *Sall. Jug.* 41. Metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. *Tac.* 13. *Ann.* 57. Hostiles minæ in ipsos vertebant. *Lucan.* 1. 162. Hostiles rapinæ. — Hinc *Hostile* absolute est hostilis ager. *Vellej.* 2. 101. *extr.* Prior Parthus apud Cajum in nostra ripa, posterior hic apud regem in hostili epulatus est. Ita *Freund.* et *Klotz:* mihi autem videtur a præcedenti subaudiendum nomen *ripa.* — *b*) Specialim in haruspicina, *hostilis pars* in extis quæ sit, *V.* in FAMILIARIS. ¶ 2. Item inimicus, infestus, noxius, damnosus, qualia sunt quæ ab hostibus proficiscuntur. *Cic. Rabir. perduell.* 9. 21. Homo hostilem in modum seditiosus. Sic *Id. Prov. cons.* 3. 5. Hostilem in modum vexata urbs. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 4. Ioique facis, qui hostilis animi in rempublicam homines, cives appelles. *Cic. Cluent.* 5. 12. Hostili odio esse in aliquem. *Tac.* 4. *Hist.* 57. Hostiles spiritus induere. — Hinc neutr. *hostile* et sæpius *hostilia* absolute. *Sall. Jug.* 8. Ne quid ab se hostile timeset. *Id. ibid.* 3. Rerum mutationes, cædem, fugam aliaque hostilia portendere. *Liv.* 21. 16. Legati, qui redierant a Carthagine, Romam retulerunt, omnia hostilia esse. *Tac.* 4. *Hist.* 15. Multa hostilia audere. *Id.* 3. *ibid.* 70. Invicem hostilia cœptare. *Sall. Jug.* 107. facere. *Tac.* 2. *Hist.* 66. loqui. *Id.* 12. *Ann.* 40. induere adversus aliquem. — De brutis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 19. 21. (65). Apibus inimica est nebula; aranei quoque vel maxime hostiles, *h. e.* infesti.

HOSTĪLĬTAS, ātis, f. 3. *ostilità. Seneca Ot. sap. sub fin.* Adversos hostes inhumana crudelitas, etiam adversus suos hostilitas. *Al. melius leg.* hostilis. *Paulin. Pell.* 322. et ipsa meorum Et gravior multo circumfusa hostilitate, Factio servilis paucorum mixta furori. Figurate *Cassiod.* 4. *Variar.* 50. Campani, Vesuvii montis hostilitate vastati.

HOSTĪLĬTER, adverb. ad modum hostium, *ostilmente, da nimico,* πολεμικῶς. *Cic.* 5. *Phil.* 9. 25. Quid ille fecit hostiliter, quod hic aut non fecerit, aut non faciat, aut non moliatur et cogitet? Adde *Sall. Jug.* 20. *Liv.* 9. 38. Castella hostiliter deleta. *Id.* 2. 14. Bona hostiliter vendere. *Tac.* 2. *Hist.* 85. Hostiliter agere. *Gell.* 4. 8. odisse. *Sueton. Aug.* 26. legiones ad urbem admovere. *Id. Cæs.* 54. urbes diripere. *Ovid.* 11. *Met.* 372. *de lupo.* Vulnerat armentum sternitque hostiliter omne.

HOSTĪLĬUS, a, um, adject. ab *hostibus* ductum. *Paul. Diac.* p. 102. 2. *Müll.* Hostiliis Laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant. Quo pertinet illud *Propert.* 3. 2. 10. Hannibalemque Lares Romana sede fugantes. Hæc *Forcellinus.* Recentiores tamen philologi putant, etiam apud *Paul. Diac. loc. cit.* adject. *hostilius* deducendum esse ab Hosto vel a Tullo Hostilio: *V.* HOSTILIUS in ONOM.

HOSTĪMENTUM, i, n. 2. æquamentum, compensatio, *pariglia, contraccambio, ricompensa*, ἀντισήκωσις. *Non.* p. 3. 28. *Merc.* Hostimentum est æquamentum: unde et hostes dicti sunt, qui ex æqua causa pugnam ineunt. (Cf. *Aldhelm.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 5. p. 594. Hostimentum, id est æquamentum, vel exagium trutinæ). *Paul. Diac.* p. 102. 10. *Müll.* Hostimentum beneficii pensatio. *Ennius* apud *Festum* p. 270. 28. *Müll.* Audi atque auditis hostimentum adjungito. *Plaut. Asin.* 1. 3. 20. Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia. *Accius* apud *Non.* p. 315. 19. *Merc.* Beneficiis hostimentum peperisti grave. *V.* et *Servii* locum in voc. seq. sub *A*.

HOSTĬO, is, itum, ire, a. 4. duo diversa significat: scilicet

A) Hostire est æqua reddere, paria facere, tantumdem reddere, *corrispondere, contraccambiare, rendere la pariglia*, ἀντισηκοῦν, ἀμείβω. *Festus* p. 270. 27. *Müll.* Hostire (*ab antiquis*) ponebatur pro æquare. *Placid. Gloss.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 471. Hostita, æquata, inolita. Similiter *Gloss. Isid.* Hostit, æquat, adplanat. *Pacuvius* apud *Non.* p. 270. 28. Nisi coerceo protervitatem atque hostio ferociam, *h. e.* ferociæ respondeo æquali ferocia. *Non.* p. 121. 16. *Merc.* interpretatur, comprimo, retundo: quod videtur eodem redire. *Plaut. Asin.* 2. 2. 109. Quin promitto hostire contra, ut meerueris. *Servius* ad *Virg.* 9. *Æn.* 156. Hostia vero victima, et dicta, quod dii per illam hostientur (*alii leg.* hostiantur), id est æqui et propitii reddantur, unde *hostimentum* æquationem. Cf. *Placid. Gloss.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 436. Hostiæ autem æque ab hostimento, id est æquamento.

B) Hostire est etiam ferire, atque adeo offendere, lædere. *Paul. Diac.* p. 102. 8. *Müll.* Hostia dicta est ab eo, quod est *hostire* ferire. *Ennius* apud *Festum* p. 270. 29. *Müll.* Quæ mea comminus machæra atque hasta hostibit e manu, *h. e.* machæra comminus, hasta eminus icit. Ita enim *Scalig.* legit. *Pacuvius* apud *Non.* p. 121. 18. *Merc.* Meum admissum nocens hostit voluntatem tuam.

HOSTĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. ab* hostia, *parva* hostia. *Gloss. Cyrill.* Θυμάτιον, hostiola.

HOSTIS, is, m. et f. 3.

I.) Proprie. ¶ 1. Apud veteres hostis dicebatur peregrinus, ut docet *Cic.* 1. *Off.* 12. 37. Equidem etiam illud animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is *hostis* vocaretur, lenitate verbi rei tristitiam mitigatam. *Hostis* enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus. Indicant duodecim Tabulæ, ut: STATVS DIES CVM HOSTE; itemque: ADVERSVS HOSTEM AETERNA

AVCTORITAS. Sic Varro 5. L. L. 3. Müll. Multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant, ut hostis: nam tum eo verbo dicebant peregrinum, qui suis legibus uteretur, nunc dicunt eum, quem tum dicebant perduellem. Similiter Paul. Diac. p. 102. 7. Müll. Hostis apud antiquos peregrinus dicebatur, et qui nunc hostis, perduellio. Neque aliter Placid. Gloss. edit. ab A. Maio in Class. Auct. T. 3. p. 436. Antiqui etiam peregrinos et pari jure viventes hostes dicebant. Plaut. Curc. 1. 1. 5. Si status condictus cum hoste intercedit dies, tamen est eundum, quo imperant, ingratiis. Cf. eumd. Trin. 1. 2. 65.; et Ambros. 1. Off. 29. Virg. 4. Æn. 424. I soror, atque hostem supplex affare superbum. Ubi Servius: Nonnulli juxta veteres hostem pro hospite dictum accipiunt. ¶ 2. Cic. loc. cit. Id nomen (hostis) durius jam fecit vetustas: a peregrino enim jam recessit, et proprie in eo, qui arma contra ferret, remansit. Itaque hostis (quam vocem nonnulli ducunt ab ὠστης; impulsor) est is, eum quo publice bellum habemus, πολέμιος, ἐχθρός (It. nemico, nemico pubblico; Fr. ennemi de guerre; Hisp. enemigo, contrario en la guerra; Germ. d. bewaffnete Feind, Staatsfeind; Angl. an enemy). Qua significatione — a) Ab inimico differt, qui est is, quocum habemus privata odia. Distingui etiam sic possunt, ut inimicus sit qui nos odit; hostis qui oppugnat. Cic. 11. Phil. 1. 3. Omnes nos statuit ille non inimicos, sed hostes. Id. pro leg. Manil. 18. 28. Qui sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit. Curt. 7. 10. Illi, numquam se inimicos ei, sed bello lacessitos, hostes fuisse, respondent. Cf. et Quintil. 12. 1. 35. Debent oratori sic esse nota adversariorum consilia, ut hostium imperatori. — Hinc quando hæc duo junguntur, hostis supra inimicum multum addit. Cic. 5. Fin. 10. 29. Quotiescumque dicetur male quis de se mereri sibique esse inimicus atque hostis. Id. 4. Verr. 24. 58. Inimicus, hostis esset, tanta contumelia accepta. Id. 1. Invent. 54. 105. Inimicis quoque et hostibus ea indigna videri. — Ceterum — b) Masc. gen. Plaut. Amph. 1. 1. 67. Nos nostras more nostro et modo instruximus legiones; item hostes contra legiones suas instruunt. Cic. 14. Phil. 10. 27. Hostes nefarios prostravit, fudit, occidit. Id. 1. de republ. 1. Nec bellum a portis hujus urbis avulsum P. Africanus compulisset intra hostium mœnia. Id. ibid. 3. Vitam ex hostium telis servatam in civium vinculis (Miltiadem) profudisse. Id. Amic. 9. 29. Ut eam (probitatem) vel in eis quos numquam vidimus, vel, quod majus est, in hoste etiam diligamus. Sall. Cat. 61. Catilina inter hostium cadavera repertus est. Cæs. 1. B. G. 15. Cæsar suos a prælio continebat ac satis habebat in præsentia hostem rapinis prohibere. Virg. 2. Æn. 511. densos fertur in hostes. Horat. 3. Od. 8. 21. Servit Hispanæ vetus hostis oræ Cantaber sera domitus catena. Cic. 4. Verr. 6. 17. Si (Verres) non borum omnium communis hostis prædoque fuerit. Id. 2. Phil. 26. 61. Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam diis hominibusque hostis, qui etc. Id. 15. Att. 21. Ex eo sibi illum hostem. Id. Mil. 15. 39. Cn. Pompejus auctor et dux mei reditus, illius (Clodii) hostis. Sall. Jug. 10. Si tuis hostis fueris. Id. ibid. 83. Ne hostis populo Romano fieret. Horat. Epod. 6. 14. Hipponax acer Bupalo hostis. Ovid. 4. Met. 428. fas est et ab hoste doceri. — Hostibus eveniat hoc, formula quippiam abominandi et avertendi. Ovid. Heroid. 16. 217. Hostibus eveniant convivia talia nostris. Adde eumd. 2. Amor. 10. 16., 3. Fast. 494. et 4. Pont. 6. 35. Similiter Virg. 3. G. 513. Di meliora piis errorem que hostibus illum. Horat. 3. Od. 27. 21. Hostium uxores puerique cæcos Sentiant motus orientis Austri, et Æquoris nigri fremitum, et trementes Verbere ripas. Adde Propert. 3. 6. 20.; et Albinov. 1. 182. et 450. — c) Femin. gen. Plaut. Stich. 1. 2. 83. Hostis est uxor, invita quæ ad virum nuptum datur. Ter. Hecyr. 5. 2. 23. Nupta meretrici hostis est. Liv. 30. 14. Quo die captam hostem vidit, eodem matrimonio junctam accepit. Ovid. 2. Art. am. 461. quum certa videbitur hostis. Id. Heroid. 6. 82. Non exspectata vulnus ab hoste tuli. Propert. 1. 4. 18. sciet hoc insana puella. Et tibi non tacitis vocibus hostis erit. Seneca Herc. Œt. 21. Thermodontis hostis. Adde Prudent. Psychom. 504. — d) Adjective. Stat. 11. Theb. 22. Nec jam hostes turmæ, aut ferrum mortale timetur. Al. aliter leg.

II.) Improprie aliquando brutis tribuitur et rebus inanimis. — a) De brutis. Horat. 4. Od. 4. 9. in ovilia Demisit hostem (aquilam) vividus impetus. Ovid. 1. Fast. 359. de capro. noxæ tibi deditus hostis, Spargitur adfuso cornua, Bacche, mero. Plin. 8. Hist. nat. 20. 29. (11). Rhinoceros hostis genitus elephanto. — b) De ludo latrunculorum, in quo imago pugnæ fit. Ovid. 2. Art. am. 208. Fac, pereat vitreo miles ab hoste tuus. Id. 3. ibid. 358. Unus cum gemino calculus hoste perit. — c) De abstractis. Quintil. 12. 1. 2. Rerum ipsa natura non parens, sed noverca fuerit, si facultatem dicendi sociam scelerum, adversam innocentiæ, hostem veritatis invenit. Id. 2. 2. 10. Illa vero vitiosissima, quæ jam humanitas vocatur, licentia qualiacumque laudandi studiorum perniciosissima hostis.

HOSTŌRĬUM, ii, n. 2. rasiera, ἀπομάκτρα, ἀρρύφητον, lignum, regula, qua modius æquatur et cumulus deruitur, rutellum. Priscian. 6. p. 688. Putsch., ubi agnoscit quidem, ut Latinam vocem, nullo tamen auctore apposito. Est autem ab hostio æquo.

HOSTUS, i, m. 2. id, quod ex uno olei facto efficitur: deducitur vox ab hauriendo, quasi haustus. Cato R. R. 6. Si in loco crasso aut calido oleam severis, hostus nequam erit. h. e. il prodotto sarà scarso, aut di cattiva qualità. Adde Varron. 1. R. R. 24. 2., cujus verba V. in FACTUS, i. — NB. De cognom. Rom. V. ONOM.

HU

HU, ŭ. interjectio exprimens sonum, quem quis olfaciendo edit, spiritum naribus attrahendo; vel quo quis significat, se odorem deprehendere ac sentire. Plaut. Mil. glor. 4. 6. 43. Nescio, ubi hic prope adest, quem exspecto videre. Hu! hu! olet profecto, olet. eraoœ. Naso pol jam hæc quidem videt plus, quam oculis. Al. aliter leg.

HŪBER etc. V. in UBER adject. sub init.

HUC, adverb. quod videtur per syncopen a Dativo huic, ut hoc ab hoic, et significat ad hunc locum, in hunc locum, in quo ego sum, δεῦρο (It. qua, qui; Fr. ici, dans ce lieu, dans cet endroit; Hisp. acá; Germ. hierher, an diese Stelle, Ort, Punkt; Angl. hither, to this place).

I.) Proprie de loco usurpatur. — a) Absolute. Ennius apud Gell. 19. 10. Neque domi nunc nos, nec militiæ sumus: imus huc: illuc hinc: quum illic ventum est, ire illuc jubet. Plaut. Bacch. 2. 2. 45. Jam huc adveniet miles. Id. Amph. prol. 20. Pater huc me misit ad vos oratum meus. Ter. Adelph. 4. 5. 39. Illum cognatus huc illinc veniret. Id. Phorm. 1. 2 in fin. Puer heus, nemon' huc prodit? Id. Eun. 1. 2. 19. Huc qua gratia te arcessi jussi, ausculta. Cic. 6. de republ. 15. Quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero? Id. ibid. 13. Harum (civitatum) rectores et conservatores hinc profecti huc revertuntur. Virg. 2. Ecl. 45. Huc ades. Horat. 2. Sat. 3. 80. Huc propius me adite. Petron. Satyr. 23. Huc huc convenite. — Ter. Hecyr. 1. 2. 100. Huc raro in urbem commeat. Plaut. Aulul. 2. 1. 14. Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi, ut etc. Ter. Eun. 5. 6. 26. et Heaut. 5. 1. 30. Huc intro. Id. Eun. 4. 7. 4. Huc in medium agmen. — Plaut. Rud. 3. 4. 21. Tu senex si istas amas, huc arido argento opus est. h. e. afferatur argentum: sunt tamen qui leg. huic. Id. Pœn. 5. 2. 87. Ostende huc. mostra qua: affer huc et ostende. — Est etiam in eum locum, de quo loquor, quivi, colà, là. Cæs. 3. B. G. 19. Locus erat castrorum editus, et paullatim ab imo acclivis. Huc magno cursu contenderunt. Id. 4. ibid. 21. Ipse Cæsar cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur. Huc naves undique ex finitimis regionibus jubet convenire. Liv. 35. 19. Ubicumque vires, ubi arma esse sciam, huc veniam. toto orbe terrarum quærens aliquos Romanis hostes. Horat. 3. Od. 3. 23. Contracta pisces æquora sentiunt Jactis in altum molibus: huc frequens Cæmenta demittit redemptor. Adde Sall. Jug. 47.; et Nepot. Pausan. 4. et Hann. 7. — b) Cum Genitivo. Ter. Andr. 1. 1. 43. Mulier ex Andro commigravit huc viciniæ. in questo vicinato. V. et infra II. b. — c) Aliquando jungitur cum eodem. Nepos Phoc. 3. Huc eodem profectus est Phocion. — d) Huc usque vel hucusque, usque ad hunc locum, fino a questo punto. Plin. 6. Hist. nat. 29. 31. (174). Huc usque Sesostris exercitum duxit. — e) Huc illuc, huc atque illuc, huc et illuc, etc. ad hanc et illam partem, ad hunc et illum locum, qua e là, di qua e di là; et significat sæpe iter vel locum incertum. Huc illuc apud Cic. 9. Att. 9. circa med. Ne cursem huc illuc via deterrima. Quintil. 10. 7. 6. Velut salientes huc illuc. Adde Sall. Jug. 60.; Virg. 2. G. 296., 4. Æn. 285. et 12. ibid. 701.; Ovid. 12. Met. 329.; Senec. Troad. 1043.; Tac. 1. Ann. 40. et 1. Hist. 56.; et Stat. 2. Theb. 603. — Huc atque illuc apud Cic. 1. Orat. 40. 181. Erectum et celsum, alacri et prompto ore ac vultu, huc atque illuc intuentem, vagari magna cum caterva toto foro. Adde Virg. 8. Æn. 755. — Huc et illuc apud Cic. 2. Divinat. 38. 80. Volucres huc et illuc passim vagantes. Cels. 2. 15. Uni pedi lecti fulcimentum subjiciendum est, atque ita lectus huc et illuc manu impellendus. Horat. 4. Od. 11. 10. huc et illuc Cursitant mixtæ pueris puellæ. — Tum huc, tum illuc apud Cic. 1. Divinat. 53. 120. Tum huc, tum illuc volant alites. — Nunc huc, nunc illuc apud Virg. 5. Æn. 701. Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas Mutabat versans, etc. — Huc et illo pro huc et illuc. Seneca 5. Benef. 6. a med. Sed jam ista sidera huc et illo deducet velocitas tua. — Huc illucque, et huc illucve dubiuscula videntur. Prius est Plinii 37. Hist. nat. 6. 22. (83)., ubi tamen Sillig. aliter omnino legit; posterius Celsi 6. 6. n. 36. et 7. 3. et alibi. — Huc et huc est huc et illuc. Horat. Epod. 4. 9. Ut ora vertat huc et huc euntium Liberrima indignatio.

II.) Translate significat ad hanc rem, ad hunc statum, a questo, a ciò. — a) Absolute. Ter. Eun. 3. 3. 11. Ubi friget, huc evasit. V. EVADO. Id. ibid. 1. 2. 78. Omnia verba huc redeunt. Cic. 1. Fam. 7. post med. Ut hæc multo ante meditere, huc te pares, hæc cogites, ad hæc te exerceas. Id. Amic. 18. 66. Accedat huc suavitas quædam oportet sermonis. Id. 2. Nat. D. 39. 98. Adde huc fontium perennitates etc. Cf. Horat. 1. Sat. 2. 83. Adde huc, quod merces sine fucis gestat. Cæs. 1. B. C. 56. Massilienses naves longas expediunt numero decem et septem. Multa huc minora navigia addunt. Id. 3. ibid. 4. Legiones effecerat civium Romanorum IX. — Huc Dardanos, Bessos, item Macedonas, Thessalos ac reliquarum gentium et civitatium adjecerat. Ovid. 6. Met. 182. huc natas adjice septem. Cels. 5. 19. n. 21. Rubrum quoque emplastrum, quod Ephesium vocatur, huc aptum est. h. e. ad hæc vulnera. Plin. 7. Hist. nat. 52. 53. (175). Huc pertinet nobile apud Græcos volumen Heraclidis. — Et sequente part. ut. Cic. Cæl. 20. 47. Huc unius mulieris libidinem esse prolapsam, ut etc. a tal segno, che etc. Id. 3. Cat. 2. 4. Rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possetis, quum hostem aperte videretis. a questo termine. Tac. 4. Ann. 41. Huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma degendam impelleret. s'applicò, o piegò a questo, di esortare Tiberio a vivere lontano da Roma. Sic sæpe occurrit Huc accedit, uti etc. V. ACCEDO. — b) Cum Genitivo. Tac. 3. Ann. 73. Huc arrogantiæ venerat, ut legatos ad Tiberium mitteret. a tanto di arroganza. — c) Huc usque vel hucusque est Plinii 26. Hist. nat. 4. 9. (20). Huc usque provecta credulitas antiquorum. sino a questo segno. Similiter Quintil. 5. 13. 22. Simulatio hucusque procedit, ut etc. — d) Huc et illuc, huc atque illuc varietatem et inconstantiam significat. Cic. Cæl. 6. 13. Versare suam naturam, et regere ad tempus, atque huc et illuc torquere et flectere. Id. 1. Off. 28. 101. Quæ (ὁρμή) hominem huc et illuc rapit. Id. 5. Fin. 28. 86. In quo utrum respondebo, verses te huc atque illuc necesse est. h. e. dubites, hæreas, æstues. — e) Huccine est interrogativum ab huc et ne, interposita syllaba ce, quam V. loco suo. Cic. 7. Verr. 63. 163. Huccine tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus virgis cæderetur? qua, a questo segno, a questa miseria? Et cum Genitivo Pers. 3. 15. O miser, inque dies ultra miser! huccine rerum Venimus?

HUCCĬNE. V. voc. præced. sub II. e.

HUCŪSQUE vel huc usque, sino a qui, μέχρι,

δεῦρο, usque ad hunc locum. *V.* HUC sub I. d. et sub II. *c.*

HUI, interjectio familiaris — *a*) Admirantis, *oh, hui, ah,* ἴο, φεῦ. *Plaut. Pers.* 5. 2. 25. Hui! babæ! basilice te intulisti et facete. *Ter. Phorm.* 2. 1. 72. Hui! dixti pulere. *Id. ibid.* 3. 3. 25. Triginta? hui! percara est. *Id. Heaut.* 4. 5. 28. Prorsum nihil intelligo. SY. Hui! tardus es. — *b*) Item miserantis (sed tamen cum admiratione), ut ait *Donatus* ad illud *Ter. Heaut.* 1. 1. 40. Hui! tam graves hos, quæso? — c) Item exclamantis cum dolore. *Ter. Heaut.* 3. 1. 71. Hui! quantam fenestram ad nequitiam patefeceris! *Plaut. Rud.* 1. 2. 65. Hui! homunculi, quanti estis! — *d*) Item irascentis. *Ter. Eun.* 4. 7. 35. CHRE. Principio eam esse dico liberam. THRA. Hem! CHRE. civem Atticam. THRA. Hui! Ubi *Donatus*: Hui, hem et cetera hujusmodi generis saonæ sunt adversus eos, quibus irascimur. *Cic.* 6. *Att.* 6. Videbam sermones: hui! fratrem reliquit. num est hoc, non plus annum, retinere provinciam? *ve' che vergogna! Id.* 5. *ibid.* 11. Hui! toties ne me litteras dedisse Romam, quum ad te nullas darem? *Id.* 13. *ibid.* 21. *ad fin.* Hui! quam diu de nugis! de re enim nihil habeo, quod loquar. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 15. Hui! vereor, quod solet fieri, ne, quum te videro, omnia obliviscar.

HUJUSCEMŎDI *et*

HUJUSMŎDI. *V.* MODUS.

HULCUS etc. *V.* ULCUS.

HŪMĀNĀTUS, a, um. *V.* HUMANO.

HŪMĀNĒ, adverb. Aliam formam HUMANITER *V.* loco suo. — Comp. *Humanius* 1. et 2.; Sup. *Humanissime* 2. — Humane ¶ 1. Stricto sensu est pro conditione et sorte humanæ naturæ, more humano, *umanamente*, ἀνθρωπικῶς. *Ter. Adelph.* 1. 2. 65. Vix humane patitur. *Cic.* 3. *Tusc.* 27. 64. Si qui forte aliquid fecerunt humanius, aut hilarius locuti sunt. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 70. Intervalla vides humane commoda. *h. e.* satis commoda, εἰρωνικῶς. ¶ 2. Latiori sensu est benigne, comiter. *Cic.* 12. *Att.* 44. Hirtium aliquid ad te συμπαθῶς de me scripsisse, facile patior: fecit enim humane. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 6. § 20. Quod de sua voluntate erga Cæsarem humanissime diligentissimeque locutus esses. *Cælius* apud *Cic.* 16. *Fam.* 10. De provinciis non humane loquitur. *Cic. fil.* apud *Cic.* 16. *Fam.* 21. Sæpe inscientibus nobis et cœnantibus obrepit, sublataque severitate philosophiæ humanissime nobiscum jocatur. *Petron. Satyr.* 8. Durem se itineris humanissime promisit. — De leonibus *Plin.* 16. *Hist. nat.* 19. 32. (78). Arbores, quæ umbrarum officio humanius juvant.

HŪMĀNIFORMIĀNUS, a, um, adject. qui putat Jesum Christum humanam formam induisse. *Cassiod.* 10. *Hist. Eccl.* 7. Probaverat quoque, quia crebro cum eis habito sermone faterentur incorporeum esse Deum, et non humanæ formæ; ne forte, necessitate humanæ formæ, humana quoque passio sequeretur. et *mox.* Isti vero sequaces Theophili humaniformianos vocabant.

HŪMĀNITAS, ātis, f. 3. (humanus) occurrit *A*) Generatim, seu stricto sensu; et *B*) Speciatim, seu latiori sensu.

A) Generatim, seu stricto sensu ¶ 1. Abstracte humanitas est natura humana, seu natura hominis, ἀνθρωπότης (It. *umanità*; Fr. *l'humanité, la nature humaine*; Hisp. *humanidad, la naturaleza humana*; Germ. d. *Menschlichkeit, menschliche Natur, Neigung*; Angl. *human nature, humanity*). Sumitur pro illo affectu qui proprie hominis est erga hominem, et Græce φιλανθρωπία appellatur, quemadmodum *civilitas* erga cives est. Potest autem definiri, necessitudo quædam nobiscum simul genita, per universum diffusa genus humanum, qua vicissim se homines tuentur opemque ferunt, hoc duntaxat nomine, quod homines sunt, eademque corporis forma, eodemque rationis lumine præditi. *Cic. Quinct.* 31. 97. Obsecravit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis *etc.*, ut aliquando misericordiam caperet; aliquam, si non propinquitatis, at ætatis suæ, si non hominis, at humanitatis rationem haberet. *Id. Rosc. Am.* 22. 63. Magna est vis humanitatis, multum valet communio sanguinis, reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit etc. *Id.* 2. *de republ.* 26. Quis hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam esse juris communionem, nullam humanitatis societatem velit? *Id. Quinct.* 16. 51. Hæc in homines alienissimos, denique inimicissimos, viri boni faciunt et hominum existimationis et communis humanitatis causa. *Id. Rosc. Am.* 53. 154. Quum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus aut audimus: etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus. *Id.* 13. *Att.* 2. Jam ad ista obduruimus et humanitatem omnem exuimus. Adde *eumd. Ligar.* 5. 14. Sic *Id. Amic.* 13. 48. Nisi et ejus animo exstirpatam humanitatem arbitramur. *Id.* 16. *Fam.* 11. Fac, id quod est humanitatis tuæ, ne quid aliud cures hoc tempore, nisi ut quam commodissime convalescas. *h. e.* quod tibi ut homini faciendum est. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu humanitas ponitur pro ipso hominum genere. *Minuc. Fel. Octav.* 8. Timorem omnem, quo humanitas regitur, sustulerunt. *Apul. Dogmat. Plat.* 1. Et rursum (vides) venarum genitale seminium humanitatis exire. *Forcellinus* addit etiam illud *Senecæ Ep.* 65. Homines quidem pereunt: ipsa humanitas, ad quam homo effingitur, permanet. Agit autem ibi *Seneca* de ideis.

B) Speciatim, seu latiori sensu. ¶ 1. Ex humanitate communi oritur illa virtus, quæ et ipsa humanitas dicitur, qua benigni sumus, comes et faciles in eos, quibuscum agimus, *benignità, bontà.* Hac significatione jungitur cum *comitate, facilitate, mansuetudine* et *clementia*; et *gravitati* ac *severitati* opponitur. Sic apud *Cic. Mur.* 31. 66. Quemquam ne existimas Catone proavo tuo commodiorem, communiorem, moderatiorem fuisse ad omnem rationem humanitatis? — Sed si illius comitatem et facilitatem tuæ gravitati severitatique asperseris etc. et *Id.* 13. *Fam.* 24. Pro tua facilitate et humanitate. *Id.* 3. *Legg.* 1. 1. Difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate. *Id.* 12. *Fam.* 27. Sext. Aufidius est ita temperatis moderatisque moribus, ut summa severitas summa cum humanitate jungatur. *Id.* 2. *de republ.* 14. Quibus rebus institutis ad humanitatem atque mansuetudinem revocavit animos hominum, studiis bellandi jam immanes ac feros. Adde *eumd. Sull.* 33. 92. Sic *Id. pro leg. Manil.* 14. 42. Humanitate tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem ejus pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 8. Toto denique imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, mansuetudinis, humanitatis. *Auct. B. G.* 8. 21. Pro sua clementia atque humanitate. *Cæs.* 3. *B. C.* 20. Fiebat æquitate decreti et humanitate Trebonii, qui his temporibus clementer et moderate jus dicendum existimabat. *Cic.* 2. *Off.* 5. 18. Propulsemus ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantaque pœna afficiamus, quantam æquitas humanitasque patitur. *Id.* 16. *Att.* 16. Ut id a te peterem, quod tua singularis humanitas suavissimique mores a te essent impetraturi. *Id.* 15. *ibid.* 1. A. 1. Amorem erga me, humanitatem suavitatemque desidero. *Id.* 4. *Fam.* 13.; et *Nepos Miltiad.* 8. Summa alicujus in aliquem humanitas. *Nepos Alcib.* 9. Humanitate aliquem capere. *Id. Dion.* 1. Humanitate sua tyranni nomen tegit. *Matius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 28. *med.* Ab humanitate desciscere. *Seneca* 1. *Benef.* 13. Humanitate aliquem prosequi. *Id. Ep.* 88. *a med.* Humanitas vetat superbum esse adversus socios, vetat avarum: verbis, rebus, affectibus comem se facilemque omnibus præstat: nullum alienum malum putat, bonum autem suum id maxime, quod alicui bono futurum est, amat. *Plin.* 9. *Ep.* 5. Humanitatis præcipua pars est, honestissimum quemque complecti, atque ita a minoribus amari, ut simul a principibus diligare. *Lactant.* 3. 17. Miserationis affectus, qui plane vocatur humanitas. *Ulp. Dig.* 3. 1. 1. *ante med.* Humanitatem exhibere alicui, *usare cortesia.* *Quintil.* 2. 2. 10. Illa vero vitiosissima, quæ jam vocatur *humanitas*, invicem qualiacumque laudandi, quum est indecora et theatralis, tum studiorum perniciosissima hostis. ¶ 2. Item quia ad hanc virtutem præcipue facit animi cultura, — *a*) Dicitur de animi cultura litterarum studiis acquisita; atque adeo ea ipsa studia et eruditio *humanitas* appellatur, *erudizione,* παιδεία. *V. Gell.* 13. 16., qui hac de re plura *Cic.* 2. *Orat.* 17. 72. Homo non hebes, neque inexercitatus, neque communium litterarum et politioris humanitatis expers. *Id.* 1. *de republ.* 17. Cui persuasum sit, appellari ceteros homines, esse solos eos, qui essent politi propriis humanitatis artibus. *Id.* 1. *Orat.* 60. 256. Neque repugnabo, quominus omnia legant, omnia audiant, in omni recto studio atque humanitate versentur. *Id.* 6. *Verr.* 44. 98. Hæc Scipio ille non intelligebat, homo doctissimus atque humanissimus; tu sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris intelligis et judicas. *Id. Arch.* 2. 3. Studia humanitatis. *Id. ibid.* 1. 2. Artes, quæ ad humanitatem pertinent. *Id. ibid.* 3. 4. Artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet. *Id.* 2. *de republ.* 20. Propter humanitatem atque doctrinam Anco regi familiaris est factus. *Nepos Att.* 3. Humanitate, doctrina civitates omnes præstant Athenæ. — *b*) Interdum de illa cultura animi dicitur, quæ ad urbanitatem et decentiam et civilitatem pertinet, *civiltà, creanza.* *Cic.* 1. *Off.* 40. 145. Ea, quæ multum ab humanitate discrepant, ut si quis in foro cantet, aut si qua est alia magna perversitas, facile apparent. *Id.* 2. *Orat.* 56. 230. Humanitatis est responsio. *Tac. Agric.* 21. Discessum ad delinimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam. Idque apud imperitos humanitas vocabatur, quum pars servitutis esset. — *c*) Denique de sermonis cultura et urbanitate. *Cic.* 2. *Orat.* 67. 270. Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus præstitisse. *Id.* 1. *Att.* 13. Epistolæ quum humanitatis sparsæ sale, tum insignes amoris notis. *Id. Rosc. Am.* 41. 121. Litteris eorum et urbanitate Chrysogonus ducitur —: non est veri simile, ut Chrysogonus horum litteras adamarit aut humanitatem. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 4. 8.

HŪMĀNĬTER, adverb. Comp. *Humanius* et Sup. *Humanissime* V. in HUMANE. — Humaniter ¶ 1. Stricto sensu est more hominum, *umanamente*, ἀνθρωπικῶς. *Cic.* 7. *Fam.* 1. 5. Docebo profecto, quid sit humaniter vivere. *h. e.*, ait *Forcellinus*, honeste, jucunde, suaviter, tranquille, more hominis liberi. *Id.* 1. *Att.* 2. Sin aliter acciderit, humaniter feremus. *h. e.* æquo animo, honeste, decenter, convenienter naturæ humanæ. ¶ 2. Latiori sensu est benigne, comiter, facile, moderate, civiliter. *Cic.* apud *Non.* p. 509. 21. *Merc.* Invitus litteras tuas scinderem: ita sunt humaniter scriptæ. — *Charis.* ita *humane* et *humaniter* distinguit 1. p. 91. *Putsch.* Humaniter quidem significat φιλανθρώπως, humane autem ἀνθρωπίνως.

HŪMĀNĬTUS, adverb. ab *humanus*, ut *divinitus* a *divinus*; et ¶ 1. Stricto sensu est more humano, secundum humanam conditionem et sortem, *da uomo*, ἀνθρωπίνως. *Afranius* apud *Non.* p. 514. 20. *Merc.* Ferre humana humanitus. *Ennius* apud *Festum* p. 161. 8. *Müll.* Si quid me (*h. e.* mihi) fuerit humanitus, ut teneatis. Sic *Cic.* 1. *Phil.* 4. 10. Si quid mihi humanitus accidisset. *h. e.* si mortuus essem. et *Apul. de Mag.* Si quid mihi humanitus attigisset. Sic *Inscript.* apud *Smet.* 132. 1. et apud *Gruter.* 874. 5., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 135. SI CVI QVIDEM VESTRVM HVMANITVS ACCIDERIT. *Alia* apud *Orell.* 4092. SI EI HVMANITVS ACCIDERIT. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (174). Ursi autem coeunt humanitus strati. *h. e.* ut homines solent. ¶ 2. Latiori sensu est benigne, comiter. *Ter. Heaut.* 1. 1. 47. Ubi rem rescivi, cœpi non humanitus, neque ut animum decuit ægroti adolescentuli, tractare.

HŪMĀNO, as, avi, atum, are, a. 1. Part. *Humanatus* et *Humanandus.* — Passive tantum occurrit et *humanor* est homo fio, *umanarsi.* *Cassiod. præfat. in Psalt.* Quidam Psalmorum promittentes Deum propter salutem credentium visualiter humanandum. *Id.* 6. *Hist. Eccl.* 22. *a med.* Propterea et ipsum Verbum propter nos humanatum, quum quæreretur, abscondi dignatum est, et iterum quum persecutionem pateretur, fugit et ab insidiis declinavit.

HŪMĀNUS, a, um, adject. (homo) Veteres pro *humanus* dicebant *hemonus*, teste *Paul. Diac.* p. 100. 5. *Müll.* Hemona humana et hemonem hominem dicebant. — Comp. *Humanior* sub *A. a.* et *B.* 2.; Sup. *Humanissimus* sub *A. a.* et *B.* 1. et 2. — Humanus, æque atque humanitas, occurrit *A*) Generatim, seu stricto sensu: et *B*) Speciatim, seu latiori sensu.

A) Generatim, seu stricto sensu, est ad hominem pertinens, ἀνθρώπινος (It. *umano, da uomo*; Fr. *d'homme, humain, qui appartient à l'homme*; Hisp. *humano*; Germ. *d. Menschen angehörig, ihm eigen, menschlich*; Angl. *human, of or belonging to a man*). Occurrit — a) Adjective. *Cic. Rosc. Am.* 22. 63. Esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut etc. *Id.* 3. *de republ.* 9. Humana simulacra. *Horat. Art. P.* 1.; et *Flor.* 1. 7. 8. caput. *Cato* apud *Gell.* 13. 24. succidiæ. *Ennius* apud *Priscian.* 9. *p.* 870. *Putsch.* Cyclopis venter velut olim turserat alte, Carnibus humanis distentus. *h. e.* cibis humanæ carnis. Sic *Ovid. Heroid.* 9. 68. humana qui dape pavit equos. et *Flor.* 3. 5. 10. Athenas obsidione ac fame ad humanos cibos compulit. Similiter *Cic. Fontej.* 10. 21.; *Tac. Germ.* 9.; *Flor.* 1. 16. 7.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 22 34. (82). Humanæ hostiæ. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 33. (123). lac. *Cic.* 4. *Fin.* 2. 4. Societas et communitas generis humani. Adde *eumd. Amic.* 5. 20.; et *V.* GENUS. *Horat.* 1. *Od.* 3. 26. Gens humana ruit per vetitum et nefas. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 48. 115. Humanæ vitæ varia reputantes mala. *Cic.* 6. *de republ.* 18. Qui præstantibus ingeniis in vita humana divina studia coluerunt. Confer *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 41. (88). Ergo hercules vita humanior sine sale non quit degere, adeoque necessarium elementum est, ut etc. *Cic. Amic.* 6. 20. Omnes divinæ humanæque res. Sic *Seneca Ep.* 88. 30. Quamcumque partem rerum humanarum divinarumque comprehenderis, ingenti copia quærendorum ac discendorum fatigaberis. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 5. 5. (10). Qua claritate nihil in rebus humanis sublimius duco. *Cic.* 1. de *republ.* 14. Humana natura. Adde *Horat. Art. P.* 353. Rursus *Cic. Amic.* 21. 81. Bestiæ id faciunt cum desiderio et cum quadam similitudine amoris humani. *Id. ibid.* 7. Humana virtus. *Id. Amic.* 2. 7. casus. Sic *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 91. Ad fratrem mandata dabat, cuique illa dabantur (Humanos casus aspice) frater erat. *Cic.* 1. *Orat.* 8. 33. A fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque deducere. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 41. 127. Humanissima voluptas. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 107. 111. (239). Humani ignes. *h. e.* nostri ignes, qui ad vitæ humanæ usum pertinent. *Id.* 17. *ibid.* 9. 6. (51). Humanæ dapes. *h. e.* hominum excrementa. *Paul. Diac.* p. 103. 4. *Müll.* Humanum sacrificium dicebant, quod mortui causa fiebat. *Liv.* 3. 19. *in fin.* et 29. 18. *extr.* Humanum scelus. *h. e.* quod in hominem perpetratum est. — Neutr. gen. *Cic.* 5. *Tusc.* 6. 17. Qui vim fortunæ, qui omnia humana, quæcumque accidere possunt, tolerabilia ducat. *Id.* 1. *de republ.* 17. De spiciens omnia humana. *Id.* 6. *ibid.* 19. Hæc cælestia semper spectato, illa humana contemnito. *Paul. Dig.* 16. 3. 26. Si quid mihi humanum contigerit. *h. e.* si moriar. *V.* HUMANITUS 1. — b) Absolute — *Humana, orum,* n. plur. 2. sunt res humanæ. *Plaut. Capt.* 2. 2. 54. Fortuna humana fingit artatque, ut lubet. *Ammian.* 30. 8. Humana solliti respectare. *Id.* 22. 3. Humanorum spectatrix. *Id.* 25. 7. Humanorum respectu. Paullo aliter *Sall. orat. M. Æmil. Lepidi post init.* Hac tempestate serviundum, aut imperitandum, habendus metus est, aut faciundus, Quirites. Nam quid ultra? quæve humana superant, aut divina impolluta sunt? *h. e.* jura hominum, sive ea, quæ homo ut sua sibi vindicare potest. — *Humanum, i, n.* 2. dicitur de iis, quæ ab hominis natura non abhorrent. *Ter. Adelph.* 3. 5. 25. Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia: humanum' st. Cf. *Cic.* 7. *Verr.* 44. 117. Metum virgarum navarchus pretio redemit; humanum est: alius, ne condemnaretur, pecuniam dedit; usitatum est. Rursus *Ter. Hecyr.* 4. 1. 38. Nonne ea dissimulare nos magis humanum est, quam etc. *Id. Heaut.* 1. 1. 25. Homo sum: humani nihil a me alienum puto. *Ovid.* 2. *Fast.* 503. Pulcher et humano major trabeaque decorus Romulus. Cf. *Sil. It.* 7. 5. *de Fabio.* Sed non humana major nec tela, nec enses, Nec fortes spectabat equos. — *Humani* interdum sunt ipsi homines. *Lucret.* 3. 79. Et sæpe usque adeo mortis formidine vitæ Percipit humanos odium lucisque videndæ, Ut sibi consciscant mœrenti pectore letum. *Id.* 3. 819. In dubioque fuere, utrorum ad regna cadundum Omnibus humanis esset terraque marique. *Varro* apud *Non. p.* 8. 10. *Merc.* Natura humanis omnia sunt paria. *Al. leg.* in humanis. *Justin.* 42. 3. Primusque humanorum post Herculem et Liberum — eam cæli plagam domuisse dicitur.

B) Specialtim, seu latiori sensu ¶ 1. Est lenis, mitis, facilis, benignus. *Cic. Senect.* 17. 59. Cyrum minorem Persarum regem et ceteris in rebus comem (*al.* communem) erga Lysandrum atque humanum fuisse. *Id. ad Capiton.* 1. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Homo facillimus atque humanissimus. *Ter. Andr.* 1. 1. 87. Humani ingenii mansuetique animi officia. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (11). Catonis præceptum humanissimum utilissimumque. *scilicet*, Vicinis bonus esto, apud *Caton. R. R.* 4. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 1. Respiratio humana. *h. e.* facilior ac levior, ut *Id.* ait 2. *ibid.* 36. 190. ¶ 2. Item cultus, sciens rerum humanarum. eruditus, *civile, erudito.* *Cic.* 1. *Divinat.* 1. 2. Gentem quidem nullam video neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem atque barbaram, quæ non significari futura posse censeat. *Id.* 6. *Verr.* 41. 98. Tu videlicet solus Corinthiis delectaris? Tu illius æris temperationem, tu operum lineamenta solertissime perspicis? Hæc Scipio ille non intelligebat, homo doctissimus atque humanissimus? tu sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris intelligis et judicas? *Id.* 7. *ibid.* 28. 70. Syracusani, homines periti et humani, qui non modo ea quæ perspicua sunt, videre, verum etiam occulta suspicari possent. Adde *eumd.* 2. *Fin.* 31. 102. Sic *Varro* apud *Gell.* 13. 16. Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini est, paullo modo humaniori ignotus. *h. e.* eruditiori, doctiori, ut ipse *Gell.* explicat. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 10. 2. Ut aliquando subtilitatem veteris urbanitatis et humanissimi sermonis attingerem.

HŬMĀTĬO, ōnis f. 3. actus humandi, sepultura, *sotterramento, sepoltura,* ταφή. *Cic.* 1. *Tusc.* 43. 102. Ut aliquid etiam de humatione et sepultura dicendum existimem. et *mox.* Humatio ad corpus pertinet, sive occiderit animus, sive vigeat.

HŬMĀTOR, ōris, m. 3. qui humat et sepelit, *sotterratore,* ταφεύς. *Lucan.* 7. 799. non illum Pœnus humator Consulis etc.

HŬMĀTUS, a, um. *V.* HUMO.

HŬMECTĀTĬO *vel* umectatio, ōnis, f. 3. actus humectandi, *umettazione.* *Cassiod.* 10. *Varior.* 26. Quod ager ejus nimia inundatione perfusus, sterilitatis vitia de inimica humectatione contraxerit. *Isid.* 4. *Orig.* 7. In vertice hominis arteriæ et venæ ventositatem et resoluta humectatione gignunt. *Gloss. Cyrill.* Ἐμβροχή, humectatio. *Et ibid.* Ὑγρασία, humectatio, mador, liquor, udor, humor.

HŬMECTĀTUS *vel* umectatus, a, um. *V.* voc. seq.

HŬMECTO vel umecto, as, āvi, ātum, are, 1. (humectus). Part. *Humectans* sub *A.* et *B.*; *Humectatus* sub *A.* — Humectare est *A*) Verbum activum; et *B*) Neutrum.

A) Active humectare est humectum sive humidum facere, irrigare, *bagnare, far umido,* βρέχω. *Virg.* 4. *G.* 126. Qua niger humectat flaventia culta Galesus. *Sil. It.* 13. 85. Et sacer humectat fluvialia rura Capenas. *Id.* 8. 130. statque humectata Vomano Hadria. *Veget.* 1. *Veterin.* 28. *Schneid.* Humectata desiccare. *Sil. It.* 3. 210. humectare terras veneno. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 17. os pressis papillis. — Sic de flentibus. *Lucret.* 1. 918. Et lacrimis salsis humectent ora genasque. Adde *Virg.* 1. *Æn.* 469. et 11. *ibid.* 90.; et *Ovid.* 9. *Met.* 655. — De rore. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 121. Dum meus humectat flaventes Lucifer agros, Roranti prævectus equo.

B) Neutrorum more vel absolute ponitur pro lacrimare apud *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 51. (115). *de oculis.* Ardent, intenduntur, humectant, conivent. *Id.* 10. *ibid.* 3. 3. (10). Cogit adversos intueri solis radios, et si conniventem humectantemque animadvertit, præcipitat e nido.

HŬMECTUS *vel* umectus, a, um, adject. (humeo). Comp. *Humectior* et Sup. *Humectissimus.* — Humectus est humens, humidus, *bagnato, umido, molle,* ὑγρός, ἔνυγρος. *Pacuvius* apud *Varron.* 5. *L. L.* 24. *Müll.* Terra exhalat auram atque auroram humidam, humectam. *Cato R. R.* 6.; et *Varro* 1. *R. R.* 24. 4. Si locus humectus sit, ibi cacumina populorum serunda et arundinetum. *Lucret.* 4. 633. et stomachi humectum servare tenorem. *Macrob.* 7. *Saturn.* 15. *circa med.* Qui sensim trahunt potum, ventres habent humectiores. *Id. ibid.* 6. *a med.* Mulier humectissimo est corpore. *Pallad.* 11. *R. R.* 11. 18. Sapor vini humectus. *Id.* 1. *ibid.* 16. 6. Humecta qualitas cæli. *Apul. de deo Socrat.* Humectiores nubes. *Ammian.* 16. 2. Humectus dies. *giorno piovoso.*

HŬMĔFĂCĬO *vel* umefacio, facis, factum, facere, a. 3. (humeo et facio). Part. *Humefactus.* — Humefacere est humificare, humidum facere. *Lactant. Ira D.* 10. De halitu terræ aut maris nebula existit, quæ dispersa humefacit, quidquid texerit. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 48. (136). Spongiâ cerebro humefacto.

HŬMĔFACTUS *vel* umefactus, a, um. *V.* voc. præced.

HŬMENS *vel* umens, entis. *V.* voc. seq.

HŬMEO *vel* umeo, es, ere, n. 2. Part. *Humens* sub *b.* — Humeo, ab ὕω pluo, est humidus sum, madeo, νοτέω, νοτίζω (It. *essere umido, bagnato, inumidirsi*; Fr. *être humide, mouillé*; Hisp. *estar húmedo, mojado*; Germ. *nass, feucht sein*; Angl. *to be wet or moist*). Occurrit — a) Raro admodum, ut verbum finitum. *Ovid.* 4. *Fast.* 146. calida qua locus humet aqua. *Id.* 15. *Met.* 269. stagnata paludibus hument. *Id. Heroid.* 8. 64. Hument incultæ fonte perenne genæ. *Id.* 10. *Met.* 509. Dat gemitus arbor lacrimisque cadentibus humet. — b) Sæpius Part. præs. *Ovid.* 1. *Met.* 19. Frigida pugnabant calidis, humentia siccis. *Plin. Paneg.* 30. Necdum satis humentes terræ. *scil.* Nili inundatione. *Ovid.* 1. *Met.* 601. nebulas humenti tellure remitti. *Colum.* 3. *R. R.* 11. 10. Humentem terram fodere. *Sil. It.* 11. 368. humens campus. *h. e.* mare. *Ammian.* 17. 7. Humentis substantiæ potestas. *h. e.* Neptunus. *Virg.* 7. *Æn.* 763. humentia litora. *Sueton. Vesp.* 16. Spongias humentes exprimere. *Id. Claud.* 30. Risus indecens: ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus. *Ovid.* 11. *Met.* 691. humentes capilli. *Sil. It.* 8. 227. *de Nympha.* humentia ora. *Flor.* 2. 4. 2.; et *Ammian.* 20. 11. Humens cælum. *aria umida.* *Sil. It.* 3. 522. humens ruina. *h. e.* nix quæ ruit. — *Humens fluvius* dicitur, ut *humida vina.* V. HUMIDUS. *Sil. It.* 13. 123. humenti fluvio revocare colorem. — De lacrimis. *Ovid.* 11. *Met.* 461. humentes oculi. *lagrimosi.* Sic *Tibull.* 1. 10. 38. humentes genas tergere. *Sil. It.* 9. 30. quorum oculos atque ora humentia vidi. — De nocte. *Virg.* 3. *Æn.* 589. Humentemque aurora polo dimoverat umbram. *Sil. It.* 2. 469. Humentis rores noctis terramque madentem. *Stat.* 3. *Theb.* 2. Nocte sub ancipiti quamvis humentibus astris.

HŬMĔRĀLE *vel* umerale, is, n. 3. tegumentum humerorum, ut tibiale crurum, quo milites induebantur. *Paul. Dig.* 49. 16. 14. Si miles tibiale, vel humerale alienavit, castigari verberibus debet. *cappotto, mantello.* — De humerorum tegumento, quo summus sacerdos apud Hebræos utebatur, *Vulgat. interpr. Levit.* 8. 7. et *Eccli.* 45. 10.

HŬMĔRŌSUS, a, um, adject. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 7. Itaque custodiemus, ut a prædictis locis, quos humerosos rustici vocant, semina legamus. Alii multo rectius legunt *humeros.* Loquitur *Colum.* de iis surculis, qui e media vite exeunt: nam extremam vitis partem *caput vitis* appellant: imam prope radices *crus*: quare media et capiti proxima *humerorum* locum habent. Hinc *Id. arbor.* 3. Optima semina (*vitium*) habentur a lumbis: secunda ab humeris; tertia summa in vite lecta. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 21. (105). Certumque est ab humeris arborum surculos petendos.

HŬMĔRŬLUS *vel* umerulus, i, m. 2. *deminut.* *ab* humerus, parvus humerus, ὠμίον. Translate occurrit de fulcimento. *Vulgat. interpr.* 3. *Reg.* 7. 30. Per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles. Adde *ibid.* 34. et *Ezech.* 41. 26.

HŬMĔRUS *vel* umerus, i, m. 2. Quod ad scriptionem attinet, *Angelus Maius* ad *Fronton.* p. 107. *edit. Rom.* testatur, se in *Cod. Frontonis* et *Symmachi* sæpissime *umerum* sine aspiratione scriptum reperisse. *Eutyches* vero grammaticus edente *Putsch.* p. 2312. ait, omnem vocalem, *m* sequente, leniter enunciari, nominatimque *umerus*, qui reapse ab ὦμος derivatur. *V.* et infra sub I. 3. — Ceterum humerus

I.) Proprie ¶ 1. Stricto sensu est os brachii superius a scapula ad cubitum, quod diligenter describit *Cels.* 8. 1. *V.* dicta in BRACHIUM. Dicitur et *lacertus* (It. *osso superiore del braccio*; Fr. os su-

périeur du bras; Hisp. *el hueso superior del brazo*; Germ. *d. Knochen im Oberarm*; Angl. *that part of the arm that lies between the shoulder and the elbow*). ¶ 2. Hinc latiori sensu ponitur pro superiore brachii parte. *Propert.* 1. 20. 43. *de Hyla.* Tandem haurire parat demissis flumina palmis Nisus, et exserta plena trahens humero. *Al. leg.* Innixus dextro. *Stat.* 5. *Theb.* 439. Ambo hastile gerunt: humeros exsertus uterque. *sbracciati.* Adde eumd. 4. *ibid.* 235. ¶ 3. Hinc etiam latissimo sensu et sæpius pars illa corporis, a qua brachia dependent, quæ in homine ad portandum apta est, quæ et *scapulæ* dicuntur, *omero, spalla,* ὦμος, ab inusitat. οἴω pro φέρω *porto.* Hinc sæpissime *umerus* sine aspiratione scribitur, ut dictum est init. — Hoc sensu proprie *humeri* de homine dicuntur, ut *armi* de bestiis, ut in ARMUS dictum est. Hinc *Ovid.* de Hippomene in leonem verso 10. *Met.* 700. digiti curvantur in ungues: Ex humeris armi fiunt. *Id.* 12. *ibid.* 396. *de Centauro.* Ex humeris medios coma descendebat in armos. Cf. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 43. 98. (243). Terrestrium solus homo bipes: uni jugulum, humeri; ceteris armi. Nihilominus etiam bestiis tribuuntur, ut apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 159. *de bob.* Tum vires humerorum et latitudines ad aratra extrahenda. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 9. *de maribus gallinaceis.* Jubæ variæ, vel ex auro flavæ, per colla cervicesque in humeros diffusæ. — *a*) In sing. num. *Plaut. Capt.* 4. 2. 17. Meus est ballista pugnus, cubitus catapulta est mihi, humerus aries: tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo. *Id. Mil. glor.* 4. 4. 44. Id connexum in humero lævo, expapillato brachio. *Cic.* 6. *Verr.* 31. 74. Sagittæ pendebant ab humero. Cf. *Virg.* 11. *Æn.* 841. nostras humero gessisse pharetras, et *Horat.* 1. *Od.* 21. 12. Insignemque pharetra Fraternaque humerum lyra. *Cæs.* 2. *B. G.* 35. Humerum apertum gladio appetit. *Horat.* 2. *Od.* 5. 18. Chloris albo sic humero nitens. *Id.* 3. *ibid.* 20. 14. Sparsum odoratis humerum capillis. *Id.* 1. *Sat.* 1. 47. reticulum panis onusto humero vehere. — *b*) In plur. num. *Cic. Senect.* 10. 33. Quum Milo humeris sustineret bovem vivum. *Id.* 1. *Orat.* 53. 228. Quod pupillum filium ipse pæne in humeros suos extulisset. *Id.* 2. *Tusc.* 16. 37. Scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. *Cæs.* 7. *B. G.* 56. Ut brachia modo atque humeri ad sustinenda liberi ab aqua esse possent. *Ovid.* 5. *Fast.* 565. humeris ferre arma. *Id.* 2. *Trist.* 222. In humeris fertur onus. *Id.* 12. *Met.* 281. attollere in humeros limen revulsum. *Val. Flacc.* 8. 128. humeris aptare leonem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 4. (16). Supremo die populi humeris portatus in rogum est. *Plin. alter Paneg.* 21. filios humeri cervicesque servorum super ora nostra vehunt. *Plin. senior* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (71). Humeris aliquid egerere. *Ovid.* 1. *Fast.* 565. niti humeris. *fare sforzo colle spalle. Id.* 5. *Trist.* 13. 8. humeris fulcire ruinam. *Id.* 6. *Fast.* 160. Atlas humeros oneratus Olympo. *Horat.* 2. *Od.* 13. 32. Densum humeris vulgus. *Id.* 3. *ibid.* 4. 60. Humeris positurus arcum. *Id.* 4. *ibid.* 10. 3. Et quæ nunc humeris involitant, Deciderint comæ. — Humeri sunt sedes amictuum, *h. e.* vestium superiorum. *Ovid.* 3. *Trist.* 13. 14. vestis pendet ex humeris. *Id.* 1. *ibid.* 10. 29. humeris induitur purpura. *Id.* 4. *Pont.* 4. 101. Injicere humeris victoribus ostrum. *Id.* 6. *Met.* 567. ex humeris deripere velamina. *Id. Heroid.* 5. 298. Deciderint humero pallia lapsa meo. *Id.* 3. *Art. am.* 288. ex humeris lapsus amictus erat. Cf. *Horat.* 1. *Od.* 2. 31. Nube candentes humeros amictus Augur Apollo. Hinc etiam *Ovid.* 3. *Art. am.* 307. Pars humeri tamen ima tui, pars summa lacerti Nuda sit, a læva conspicienda manu. Hoc vos præcipue, niveæ, decet. Hoc ubi vidi, Oscula ferre humero, qua patet, usque libet. *scilicet* hoc idem nunc servant nostrates feminæ, quæ eam corporis partem per summam impudentiam amatoribus suis nudam conspiciendam et osculandam, si forte iis libuerit, ostentant. — Quemadmodum apud nos, per metaphoram humeri dicuntur de iis, qui onera sustinent. *Cic. Mil.* 9. 25. Tota ut comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret. *Id. Flacc.* 37. 94. Rempublicam vos universam vestris humeris, vestris, inquam, humeris, judices, sustinetis. *Plin. Paneg.* 10. Quum expertus esset, quam bene humeris suis sederet imperium. *Id. ibid.* 57. *extr.* Consulatus ipse sibi tuis humeris attolli et augescere videtur. *Horat. Art. P.* 38. Sumite materiam vestris qui scribitis æquam Viribus, et versate diu, quid ferre recusent, Quid valeant humeri. — De humeris in actione oratoria hæc *Quintil.* 11. 3. 83. Humerorum raro decens allevatio atque contractio est. Breviatur enim cervix, et gestum quemdam humilem atque servilem et quasi fraudulentum facit, quum se in habitum adulationis, admirationis, metus fingunt. *scil.* Itali nunc dicunt *stringimento delle spalle.* Hinc *Cic. Rabir. Post.* 13. 36. Jam nostis insulsitatem Græcorum: humeris gestum agebant.

II.) Translate de inanimis occurrit pro media eorum parte. — *a*) Interdum de montibus, aut collibus, de illa scilicet parte, quæ prope cacumen est. *Stat.* 6. *Theb.* 711. longe super æmula signa Consedit viridesque humeros et opaca theatri Culmina. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 44. 41. (115). Montium flexus crebrique vertices, et convexa cubito, aut fracta in humeros juga. — *b*) Interdum de arboribus. *V.* HUMEROSUS. — *c*) Similia sunt illa *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (43). Rhegium oppidum in humero Italiæ situm, a quo veluti cervicis incipit flexus. *Id.* 4. *ibid.* 7. 11. (23). Duo hæc oppida (*Megara et Pagarum*) excurrente Peloponneso sita sunt, utraque ex parte velut in humeris Helladis.

HŪMESCO *vel* umesco, is, ere, n. inchoat. 3. Part. *Humescens.* — Humesco est humidus fio, humeo, *inumidirsi, bagnarsi,* ὑγραίνομαι. *Virg.* 3. *G.* 111. humescunt (*equi*) spumis flatuque sequentum. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 21. (107). Calamos aridos inseri non oportet, quia cortex non humescit, neque concorporat. *Id.* 18. *ibid.* 31. 77. (339). Terra humescens rore occulto. *Pallad.* 10. *R. R.* 10. 3. Humescit solum. *Id.* 11. *ibid.* 10. 10. ager. *Plin. Paneg.* 73. Vidimus humescentes oculos tuos demissumque gaudio vultum.

HŪMI. *V.* HUMUS.

HŪMĬDE *vel* umide, adverb. cum humore, *umidamente,* ὑγρῶς. *Plaut. Most.* 1. 2. 66. Hæc tigna humide putrent. *Al. leg.* humida putent.

HŪMĬDO, as, are, n. 1. humidum reddere. *Cels.* 1. 3. *a med.* Humidant autem corpus labor minor quam ex consuetudine, frequens balneum, cibus plenior etc. Ita leg. quidam: alii ex optim. edition. multis *humidum autem corpus efficit labor* etc. Sane illud *humidant* ætate et stilo *Celsi* indignum est.

HŪMĬDŬLUS *vel* umidulus, a, um, adject. *diminut. ab* humidus, aliquantum humidus, *umidetto.* Lectio incerta est in illo *Ovid.* 3. *Art. am.* 629. Fallet et humiduli quæ fiet acumine lini etc. Certa autem in illo *Auson. epigr.* 106. Humidulis spumas stringit utraque (*manu*) comis.

HŪMĬDUS *vel* umidus, a, um, adject. Comp. *Humidior* et Sup. *Humidissimus* I. — Humidus est humorem habens, ὑγρός (It. *umido, bagnato, molle*; Fr. *humide, mouillé*; Hisp. *húmedo, mojado*; Germ. *feucht, nass*; Angl. *moist, wet, humid, damp, dank*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 40. Terrena et humida suo pondere in terram et in mare ferantur. Cf. eumd. 3. *Nat. D.* 14. 34. Simplex est natura animantis, ut vel terrena sit, vel ignea, vel animalis, vel humida. *Lucret.* 2. 873. ex imbribus humida tellus. *Id.* 6. 1100. terra. *Cic.* 3. *Verr.* 16. 45. Ignis ex lignis viridibus atque humidis in loco angusto fieri jussit. *Cæs.* 1. *B. C.* 58. Naves ex humida materia factæ. *Lucret.* 5. 948. humida saxa. *Horat. Epod.* 12. 10. creta. *Curt.* 4. 12. 29. Humidi montes effundunt caliginem. *Colum.* 4. *R. R.* 19. 2. Quanto humidius est solum et cælum, humidioresque venti. *Varro* 5. *L. L.* 44. *Müll.* Ager uliginosus humidissimus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (47). Ager humidior. *Ovid.* 5. *Met.* 290. humida humus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (174). regio. *Ovid.* 1. *Met.* 432. vapor. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 49. (133). Humidissimum cerebrum. *Ovid.* 9. *Met.* 535. humida lumina. *occhi lagrimosi. Cic.* 2. *Tusc.* 14. 33. humidus lectus. *h. e.* lacrimis humens. *Virg.* 4. *G.* 362. humida regna. *h. e.* Arethusæ fluvii. — *Ennius* apud *Gell.* 4. 17. Per ego deum sublimas subices humidas (*Forcellinus* leg. *humidus*) Unde oritur imber. *Virg.* 2. *Æn.* 8. humida nox. *Id. ibid.* 698. nubes. *Id.* 1. *G.* 100. solstitia. *piovosi.* Sic *Ovid.* 4. *Pont.* 4. 1.; et *Quintil.* 11. 3. 27. humidus dies. *Ovid.* 8. *Met.* 1. nubila. *Vitruv.* 8. 2. Auster et reliqui (*venti*) humidissimi. Hæc postrema etiam active accipi possunt et a superioribus distingui. — *b*) Speciatim. Quod *Virg.* 4. *Æn.* 486. mella. *et* 5. *ibid.* 594. maria humida. *et* 3. *G.* 364. vina humida dixit; est qui putat τὸ *humida* otiosum esse. *Quintil.* 8. 6. 40. in poetis hæc non reprehendi ait: conveniunt enim rebus perpetuo. Sic *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 23. uda vina. At *Servius* humida vina aquæ mixta intelligit, quod gelata esse et securibus cædi, ibi dicuntur. *V.* et *Heyne* ad *Virg. loc. cit.* — *c*) *Humidum* absolute est locus humidus. *Curt.* 8. 4. 13. Castra in humido locare. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Pontes et aggeres humido paludum imponere. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 11. 63. (104). Herba in humidis nascens. — *Humida* neutr. plur. pro mari. *Avien. Arat.* 754. Quum Lepus occiduum sese inclinavit in æquor, More latebrarum repetens freta, Sirius alto Defluit ab cælo, mersamque per humida quærit.

II.) Translate. *Gell.* 1. 15. Qui sunt leves et futiles et importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi, verbis humidis et lapsantibus diffluunt. *h. e.* fluidis et facile ore excidentibus. — Hinc

Humidum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, pro loco humido, *V.* sub I. *c.*

HŪMĬFER *vel* umifer, fĕra, fĕrum, adject. (*humor et* fero) humorem afferens, *umido,* νοτιζόμενος. *Cic. prognost.* 1. *Divinat.* 9. 15. Naribus humiferum duxere ex aere succum.

HŪMĬFĬCO *vel* umifico, as, āre, a. 1. (humor *et* facio) humidum reddere, humectare, *far umido. Auson. Edyll.* 8. 12. sementem Notus humificet, sit bruma nivalis.

HŪMĬFĬCUS *vel* umificus, a, um, adject. (humor et facio) humectans. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 101. 101. (223). Spiritus lunæ humificus.

HŪMĬGĀTUS *vel* umigatus, a, um. *V.* voc. seq.

HŪMĬGO *vel* umigo, as, ātum, are, a. 1. Part. *Humigatus.* — Humigare est humectare, humificare. *Vindician.* in ep. ad *Valentin. Aug. præmissa Marcell. Empir.* Æger ad balnea mittitur, ut lavacro ejus siccitas humigetur. *Apul. Florid.* n. 1. Cæspes libamine humigatus. *Alii multo melius leg.* fumigatus. *V.* CÆSPES.

HŬMĬLĬĀTĬO, ōnis, f. 3. demissio, actus humiliandi, *umiliazione, abbassamento,* ταπείνωσις. *Tertull. Virg. veland.* 13., *advers. Hermog.* 7. et *Patient.* 13. V. et HUMILITUDO.

HŬMĬLĬĀTUS, a, um. *V.* HUMILIO.

HŬMĬLĬFĬCO, as, are, a. 1. (humilis *et* facio) idem quod humilio. *Tertull. Pœnit.* 9. Exomologesis prosternendi et humilificandi disciplina est.

HŬMĬLĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Aliam formam *V.* in HUMILO loco suo. — Part. *Humiliatus* et *Humiliandus.* — Humiliare est humilem facere, abjectum ac vilem, *umiliare, abbassare,* ταπεινόω. *Ammian.* 30. 4. Ad humiliandam celsitudinem potestatis. *Al. leg.* humilitandam. *Sidon.* 5. *Ep.* 11. *ad fin.* Humiliatæ cervices. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian.* 18. Frustra nos hic humiliamus, ut ibi possimus esse majores. *Tertull. Oration.* 13. Publicanus non tantum prece, sed et vultu humiliatus atque dejectus. *Id.* 5. *advers. Marcion.* 20. *sub fin.* Resurget corpus nostrum, quod humiliatur in passionibus. — Qui *Ciceroni* tribuunt, 2. *Nat. D.* 47. 122., frustra sunt; etenim ibi pro *humiliatas* legendum *humilitas.*

HŬMĬLIS, e, adject. Docet *Charis.* 1. p. 107. *Putsch.* in Ablativo casu in e terminari, si de homine sermo sit; in i, si de re. *Pompon. ibid.* Ex humile rege. Sed hoc a scriptoribus non servatur. — Comp. *Humilior* I. et II. 1.; Sup. *Humillimus* in omnibus paragr. — Humilis ab *humus,* ut χαμαλός a χαμαί, est humo propior, humi declivis, ab humo non alte se extollens, atque adeo demissus, brevis, ταπεινός, πρόσγειος (It. *basso*; Fr. *qui est terre à terre, bas, humble*; Hisp. *humilde, baxo, de poca altura*; Germ. *d. Boden nahe, daher niedrig*; Angl. *low, near the earth*).

1.) Proprie. *Cic.* 5. *Tusc.* 13. 37. Arbores et vites et ea, quæ sunt humiliora, neque se tollere a terra altius possunt. *Cæs.* 2. *B. C.* 8. Turrim primo ad repentinos incursus humilem parvamque fecerant —: postea vero inventum est, magno esse usui posse, si hæc esset in altitudinem turris elata. *Id.* 3. *ibid.* 63. Vallus humiliore munitione. *Id.* 5. *B. G.* 1. Na-

ves ad celeritatem operandi subductionesque paulio facit humiliores, quam quibus in nostro mari uti consuevimus. *Virg.* 2. *Ecl.* 29. humiles habitare casas. *Horat.* 3. *Od.* 1. 22. domos. *Ovid.* 8. *Met.* 639. postes. *Val. Flacc.* 3. 426. aræ. *Horat.* 3. *Od.* 4. 15. arvum Pingue tenent humilis Ferenti. *Ovid* 7. *Met.* 463. humilis Myconos. Similiter *Virg.* 3. *Æn.* 522. procul obscuros colles humilemque videmus Italiam. *h. e.* quæ procul ex alto mari cernentibus humilis videtur. *Justin.* 2. 1. *a med.* Humillimo solo aqua diutissime immorata. *Virg.* 4. *Æn.* 254. avi similis, quæ circum litora, circum Piscosos scopulos humilis volat, æquora juxta. *radendo l'acque.* Cf. *Val. Flacc.* 4. 515. humilis volatus. et *Horat.* 2. *Ep.* 2. 50. decisis humilis pennis. *Stat.* 12. *Theb.* 701. humilis galea. *h. e.* cui cristæ et pennæ detractæ sunt. *Seneca Ep.* 66. Potest ex deformi humilique corpusculo exire formosus animus atque magnus. Sic *Gell.* 19. 13. Brevi atque humili corpore homines. *Curt.* 7. 4. 6. Quorum neminem adeo humilem esse, ut humeri ejus non possent Macedonis militis verticem æquare. *tanto basso di statura.* Sic *Mela* 3. 7. 26. Alii humiles parvique, alii ita proceres et corpore ingentes, ut etc. et *Nepos Ages.* 8.; et *Colum.* 6. *R. R.* 21. 5. Humilis statura. *Colum.* 4. *R. R.* 1. 5. Humili statu vitis. Similiter *Ovid.* 6. *Met.* 417. humiles Cleonæ. *Gr.* πόλις οὐ μεγάλη. *Id.* 15. *ibid.* 424. humilis Troja. — *Humilis fossa* apud *Virg.* 7. *Æn.* 157. et *Tac.* 1. *Ann.* 61. est tenuis sulcus, fossa parum alte depressa. Alter enim de fossa loquitur, qua urbs condenda designatur, quam alte deprimere, nihil est opus: alter de munitione ex tempore facta. Sic *humilis radix* apud *Plin* 8. *Ep.* 20. est, quæ parum alte descendit.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad plura, quæ hominem circumdant, sive ad varias hominis conditiones: scilicet — *a*) Ad conditionem generis et fortunæ: et opponitur nobili, potenti, opulento, *di bassa condizione, di basse fortune.* *Cic. Amic.* 17. 90. Humilibus parentibus natus. Cf. *Phædr.* 1. 27. Qui humiles nati dici locupletes student. Rursus *Cic.* 1. *Divinat.* 40. 88. Humiles et obscuri homines. *Id. Quinct.* 31. 95. Indignum est a pari vinci aut superiore, indignius ab inferiore atque humiliore. *Nepos Miltiad.* 8. In Miltiade erat mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret. *Liv.* 3. 19. *a med.* Humillimus homo de plebe. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 36. 36. (121). Mulier humilis in plebe, et ideo ignobilis. *Curt.* 3. 13. 7. Quum fortuna regis etiam humillimis in ipsum licentiam faceret. *Tac.* 1. *Hist.* 81. Et ut cuique humillimus cliens. *Id.* 2. *ibid.* 23. Humillimo cuique credulus. *Petron. Satyr.* 126. Humilem te fateris et servum. *Ammian.* 29. 1. Altis humilibusque jussis acceptus. *Cæs.* 6. *B. G.* 21. Potentioresque humiliores possessionibus expellunt. *Horat.* 3. *Od.* 30. 12. Qua pauper aquæ Daunus agrestium Regnavit populorum ex humili potens. *Auct. B. G.* 8. 51. Tanta erat magnificentia apud opulentiores, cupiditas apud humiliores. *Cæs.* 4. *B. G.* 3. Ubios vectigales sibi (*Suevi*) fecerunt, ac multo humiliores infirmioresque reddiderunt. *Liv.* 3. 53. *sub fin.* Satis superque humilis est, qui æquo jure in civitate vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo. *h. e.* depressus et ex alto honorum gradu detractus. Loquitur enim *Liv.* de decemviris, quibus seditione plebs imperium detraxerat. Cf. *Justini* locum infra cit. sub c. in fin. — Sic dicitur et de iis, qui nullas res magnas gessere; vel qui magnum animum et ingenium non habent ad res magnas suscipiendas. *Balb. et Opp. ad Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate, a plerisque probari solent. — Ceterum *Ovid.* 2. *Art. am.* 254. humiles manus. *scil.* servorum. *Cæs.* 5. *B. G.* 28. Civitas ignobilis atque humilis. *h. e.* exiguarum virium ac potentiæ. *Ovid.* 14. *Met.* 699. humili de stirpe creatus. *Cic. Amic.* 9. 29. Humilem sane relinquunt et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiæ. *Cæs.* 7. *B. G.* 39. Eporedorix Æduus, summo loco natus adolescens, et una Viridomarus, pari ætate, sed genere dispari, quem Cæsar ex humili loco ad summam dignitatem perduxerat. *Nepos Att.* 19. Vir dignitate pari, fortuna humiliore. — *b*) *Humilior* dicebatur, qui post mortem combustus quidem erat, nondum tamen terra coopertus. *Varro* 5. *L. L.* 23. *Müll.* Hæc *Forcellinus.* Sed *Varronis* locus aliter omnino interpretandus videtur. — *c*) De rebus vilioribus, infimis, parvi pretii, contemptibilibus. *Cic.* 5. *Fin.* 20. 57. Quo studio quum satiari non possunt, omnium ceterarum rerum obliti, nihil abjectum, nihil humile cogitant. *Nepos præfat.* 5. Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur. *h. e.* infra dignitatem ingenui et honesti viri. *al di sotto della dignità di un onesto uomo.* *Ammian.* 14. 1. Eminuit inter humilia, supergressâ jam potentiâ fines mediocrium delictorum, nefanda Clematii cujusdam Alexandrini nobilis mors repentina. *Id.* 16. 5. Nec humiliora despexit. *h. e.* poesim et eloquentiam. *Cic. Amic.* 9. 32. Qui cogitationes suas abjecerunt in rem tam humilem tamque contemptam. *Id. Arch.* 5. 10. Mediocres homines, et aut nulla, aut humili aliqua arte præditi. *Plin.* 1. *Ep.* 3. Humiles et sordidæ curæ. *Plin. alter* 35. *Hist. nat.* 10. 37. (119). Humilis rei pictor. *At Sillig.* locum interpolatum putat et aliter legit. Tametsi *Plin. ibid* (112). Pictor humilia secutus. *Nepos Ages.* 8. Vestitus humilis atque obsoletus. *Horat.* 2. *Od.* 17. 32. Nos humilem feriemus agnam. *Liv.* 1. 30. Humilis cultus. *Cic.* 14. *Phil.* 13. 31. Humili sepultura crematus. — Proverbii speciem habet illud *Justin.* 21. 5. 3. Humillima quæque tutissima existimans, in sordidissimum vitæ genus descendit. (De Dionysio loquitur Corinthi exsulante). — *d*) Item refertur ad stilum, et sublimi ac magnifico opponitur. *Cic. Orat.* 58. 196. Iambus frequentissimus est in iis, quæ demisso atque humili sermone dicuntur. Sic *Horat. Art. P.* 229. humilis sermo. Rursus *Cic. Orat.* 57. 192. Neque humilem et abjectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat. *Id. Brut.* 79. 274. Verbum durum, aut insolens, aut humile. Sic *Quintil.* 10. 1. 9. Humilia et vulgaria verba. *Id.* 8. 6. 5. Neque enim vulgaris esse (*translatio*), neque humilis, nec insuavis potest. *Id.* 8. 3. 60. Si quis sublimia humilibus misceat. *Id.* 11. 1. 6. Humile et quotidianum sermonis genus. *Horat.* 3. *Od.* 25. 17. Nil parvum aut humili modo, Nil mortale loquar. *Petron. Satyr.* 83. Ego poeta sum, et, ut spero, non humillimi spiritus. ¶ 2. Refertur etiam ad animum, et — *a*) Significat abjectum, vilem, parvum, exilem, fractum, demissum; cui opponitur magnus, magnanimus, altus, erectus. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 20. Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus. *Cic.* 2. *Phil.* 32. 82. Quis umquam apparitor tam humilis, tam abjectus? omnia rogabat: caput in aversam lecticam inferens, beneficia, quæ venderet, a collega petebat. *Id. Brut.* 6. 21. Cetera, quæ sunt quondam habita in civitate pulcherrima, nemo est tam humilis, qui se non aut posse adipisci, aut adeptum putet. *Id.* 2. *Att.* 21. Ille amicus noster fractus animo, quo se conferat, nescit. — Ac vide mollitiem animi. Qui antea solitus esset jactare se magnificentissime illo in loco, ut ille tum humilis, ut demissus erat! *Vellej.* 2. 83. 1. Humillimus assentator. *vilissimo.* *Horat.* 1. *Od.* 37. 31. Privata deduci superbo Non humilis mulier triumpho. *Tac.* 16. *Ann.* 5. Indecorus atque humilis precario præfuit. Adde *eumd.* 1. *Hist.* 53. *Lucret.* 6. 51. Efficiunt animos humiles formidine divum. *Cic.* 1. *Fin.* 15. 49. Succumbere doloribus, eosque humili animo imbecilloque ferre. *Id. post redit. in senat.* 4. Fuerunt duo consules, quorum mentes angustæ, humiles, pravæ, oppletæ tenebris ac sordibus etc. — *b*) De eo, qui demisse, abjecte et more vulgi de aliqua re sentit. *Quintil.* 11. 1. 13. Neque nos simus tam humiles, ut quæ laudamus, inutilia credamus. — *c*) Dicitur et de iis, qui se demittunt data opera, et inferiores fatentur, et ponunt animos, vel metu, vel quippiam obtinendi causa. *Virg.* 12. *Æn.* 930. Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem Protendens. *Ovid. Heroid.* 4. 149. Non ego dedignor supplex humilisque vocari. *Cic.* 1. *Invent.* 16. 22. Prece et obsecratione humili ac supplici uti. *Id. Planc.* 20. 50. Postea prosternerent se, et populo Romano fracto animo atque humili supplicarent. *Sueton. Vit. Lucan.* Humillimæ preces. — Sic *humilis pavor* dicitur, quia humiles et abjectos facit. *Virg.* 1. *G.* 330. humilis pavor stravit mortalia corda. *Val. Flacc.* 3. 394. In lacrimas humilesque metus. — Hoc sensu aliquando et in bonam partem accipitur. *Propert.* 3. 15. 1. Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris. Addi possunt et alia scriptorum loca, de quibus miræ sunt lites inter criticos, præsertim *Cellar.* et *Borrich.* etc. ¶ 3. De virtute animi, quæ superbiæ opponitur. *Spartian. Did. Jul.* 9. Objecta est superbia, quum ille etiam in imperio fuerit humillimus.

HUMĬLĬTAS, ātis, f. 3. situs terræ humo vicinus, brevitas; cui contraria est altitudo et proceritas, ταπεινότης (*It. bassezza*; *Fr. le peu d'élévation, bassesse, petitesse*; *Hisp. baxeza, pequeñez*; *Germ. d. Niedrigkeit*; *Angl. lowness*).

I.) Proprie. *Cæs.* 5. *B. G.* 1. Naves omnes actuarias imperat fieri, quam ad rem humilitas multum adjuvat. *Sall. Jug.* 49. Neque plane occultati humilitate arborum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 47. 122. Aliorum animalium ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant. Quæ autem altiora sunt etc. *Id.* 5. *Tusc.* 24. 69. Sidera multum inter se aut altitudine, aut humilitate distantia. *Sall.* apud *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 414. Italiæ Siciliam conjunctam fuisse constat; sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est, aut per angustiam scissum. *h. e.* medium spatium aut depressa vallis fuit, quæ facile inundari ac fluctibus obtegi posset, aut etc. *Ammian.* 21. 10. Latus e regione oppositum Thraciis prona humilitate deruptum.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad varias hominis conditiones; et — *a*) Est ignobilitas generis, conditio ejus, qui ad honores non ascendit, angustia fortunarum, inopia potentiæ, *bassa condizione, basso stato, debolezza, povertà.* *Cic.* 5. *Tusc.* 10. 29. Malorum turba quædam, paupertas, ignobilitas, humilitas, solitudo etc. *Id.* 2. *Off.* 13. 45. Quorum prima ætas propter humilitatem et obscuritatem in hominum ignoratione versatur. *Id. Rosc. Am.* 47. 136. Quis enim erat, qui non videret humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? *Id.* 13. *Phil.* 10. 23. Alicujus humilitatem despicere. *Liv.* 26. 31. Objicere alicui humilitatem. *Cæs.* 5. *B. G.* 27. Id se facile ex humilitate sua probare posse, quod non adeo sit imperitus rerum, ut suis copiis populum Romanum superare posse confidat. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (37). Humilitas infima natalium. *Sall. Jug.* 73. Humilitas generis. *Sueton. Vesp.* 4. Humilitas generis ac nominis. — *b*) De oratione. *Petron. Satyr.* 4. Sed ne me improbasse putes studium (*al. melius* schedium) Lucilianæ humilitatis. *Plerique tamen ex Codd. rectius leg.* improbitatis. — *c*) Item vilitas et leve pretium rerum humilium et leviorum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 1. (7). Obliterata quoque scrutabimur: nec deterrebit quarumdam rerum humilitas. ¶ 2. Refertur etiam ad animum, et est ejus abjectio, aut demissio, *abbiezione, viltà, sommessione.* *Cic.* 3. *Tusc.* 13. 27. Habet levitatem lætitia gestiens, humilitatem metus. *Id.* 1. *Orat.* 53. 228. Huic humilitati dicebat vel exsilium fuisse, vel mortem anteponendam. *Quintil.* 11. 3. 69. Et dejecto capite humilitas, et supino arrogantia ostenditur. Adde *Cæs.* 1. *B. C.* 85. *Liv.* 38. 52. Summittere se in humilitatem causam dicentium. *Cic.* 1. *Invent.* 56. 109. Sæpe virtus et magnificentia, in quo gravitas et auctoritas est, plus proficit ad misericordiam commovendam, quam humilitas et obsecratio. — Item pusillus animus, superbiæ contrarius et magnis spiritibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (180). Equarum jubas tondere præcipiunt, ut asinorum patiantur humilitatem: comantes enim gloria superbire. ¶ 3. De virtute animi, quæ superbiæ vitio opponitur, usurpatur a *Lactant.* 5. 15.; *Sulpic. Sever. Vita S. Martini* 2. *ad fin.*, aliisque Ecclesiæ scriptoribus.

HŬMĬLĬTER, adverb. Comp. *Humilius* et Sup. *Humillime* I. — Humiliter est demisse, *bassamente*, ταπεινῶς.

I.) Proprie. *Pallad.* 3. *R. R.* 13. 3. In loco clivoso humilius rami arborum servandi sunt: in plano altius. *Plin.* 6. *Ep.* 24. Eadem facta claritate, vel obscuritate facientium vel tolluntur altissime, vel humillime deprimuntur. *Ammian.* 19. 7. In verticibus celsis aptatæ ballistæ propugnatores agitantes humilius disjectabant. *Id.* 20. 8. Alii post hos semet curvantes humilius, tertiis gradatim inclinatis submisse.

II.) Translate est abjecte, *vilmente, sommessamente.* *Cic.* 5. *Tusc.* 9. 24. Non est ausus elate et ample loqui, quum humiliter demisseque sentiret. *Id.* 4. *Herenn.* 20. 28. Audacter territas, humiliter

placas. Liv. 24. 25. et 45. 32. Hæc natura multitudinis est: aut servit humiliter, aut superbe dominatur. Seneca Ep. 120. ante med. Animose paupertatem ferre, humiliter infamiam.

HŬMĬLĪTO, as, are, a. 1. idem atque humilio. Vet. Scholiast. in Cic. Sull. 8. (edente iterum A. Maio). Maternum genus humilitare dignatus est. V. et Ammian. loc. cit. in HUMILIO.

HŬMĬLĬTŪDO, inis, f. 3. idem atque humilitas. Gloss. Cyrill. Ταπείνωσις, humilitudo, humiliatio.

HŬMĬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. idem atque humilio, metri causa, scripsit Corrip. 6. Johann. 494. humilatque tua virtute superbos. Id. 7. ibid. 404. Dum relevat virtute humiles, humilatque rebelles.

HŬMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (humus). Part. Humatus, Humaturus et Humandus sub I. — Humare est humo tegere sepeliendi causa; et propria de iis tantum dicitur, qui mortui humo injecta conduntur, ut Cic. docet 2. Legg. 22. 57. et Plin. 7. Hist. nat. 54. 55. (187); postea communiter de omnibus, qui sepeliuntur, dici cœptum, θάπτω (It. coprire di terra, sotterrare, seppellire; Fr. couvrir de terre, enterrer, inhumer; Hisp. cubrir de tierra, enterrar; Germ. mit Erde bedecken, daher begraben, bestatten, beerdigen; Angl. to cover with the earth, bury, inter).

I.) Proprie. — a) De hominum cadaveribus. Cic. 1. Tusc. 16. 36. In terram cadentibus corporibus, iisque humo tectis, a quo dictum est humari. Id. 1. Divinat. 27. 56. Quum ignotum quemdam projectum mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem conscendere; moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat. Id. 1. Tusc. 45. 108. Majorum mos est non humare corpora suorum, nisi a feris sint ante laniata. Id. 3. Nat. D. 22. 57. Is fulmine percussus, dicitur humatus esse Cynosuris. Lucret. 6. 1279. Quisque suum pro re consortem mœstus humabat. Virg. 6. Æn. 161. Corpus humandum. Propert. 3. 16. 28. Me tegat arborea devia terra coma, Aut humer ignotæ tumulo vallatus arenæ. Curt. 3. 12. 14. Paucos pro habitu fortunæ humari jussit. Sueton. Cal. 3. Cæsorum reliquias uno tumulo humaturus. Plin. 30. Hist. nat. 7. 20. (64). Mori et humari debere eos obrutos terra. Martial. 6. 28. Hoc sub marmore Glaucias humatus Juncto Flaminiæ jacet sepulcro. — De humatione apud veteres V. Bullettin. dell'Instit. archeol. ann. 1834. p. 212. not. 5. — b) De aliis rebus, quæ terra obruuntur. Colum. 5. R. R. 9. 4. Taleæ ex utraque parte humantur. Schneid. legit muniantur.

II.) Translate universim significat quocumque modo sepelire, exsequiis prosequi, funus facere. Nepos Eumen. 13. Militari honestoque funere humaverunt, ossaque ejus in Cappadociam deportanda curarunt. Sunt qui malint legere cremaverunt; sed etiam Græci θάπτειν usurpant et de sepeliendis et de cremandis cadaveribus, ut ostendit P. Wesselingius ad Diodor. Sic. l. 3. c. 53.

HŬMOR vel umor, ōris, m. 3. Humos pro humor veteri more dixit Lucret. 6. 1186. — Humor (quæ vox, ratione habita etymi, aut est ab humus, ut Varroni 5. L. L. 24. Müll. placet, aut rectius conjungenda est cum χυμός ejusdem significationis vel cum ὕω pluo) est aqua, liquor et quidquid madefacit, χυμός, ὑγρότης, ὕδωρ (It. umore, umidità, liquore, aqua; Fr. humeur, liquide, fluide, humidité; Hisp. humor, cuerpo liquido y fluido, humedad; Germ. d. Nasse, d. Feuchtigkeit, Flüssigkeit; Angl. moisture, sap, humidity, dampness, any thing liquid, as water, blood etc.). Cic. 2. Nat. D. 10. 26. Aquæ admixtum esse calorem ipse liquor aquæ declarat et effusio, quæ neque conglaciaret frigoribus etc. Itaque et aquilonibus reliquisque frigoribus durescit humor, et idem vicissim mollitur tepefactus et tabescit calore. Id. ibid. 6. 18. Quin et humorem et calorem, qui est fusus in corpore, — si quis quærat, unde habemus, apparet, quod aliud a terra sumpsimus, aliud ab humore, aliud ab igni etc. Id. ibid. 16. 43. Sidera marinis terrenisque humoribus extenuatis aluntur. Id. 2. Divinat. 27. 58. Et humor allapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem imitari potest. Id. 2. Nat. D. 57. 145. Nares humorem semper habent, ad pulverem multaque alia depellenda non inutilem. Plin. 8. Hist. nat. 31. 48. (110). Renatum et in terra et in humore vita. in aqua. Curt. 7. 5. 8. Graves humore arma non sustinere poterant. Lucret. 1. 308. quo pacto persederit humor aquai. Sic Id. 3. 428., 1. 350., 1. 853., 2. 197. et alibi sæpe, liquidus humor aquai vel aquarum. Similiter Ovid. 2. Amor. 6. 32. Pellebatque sitim simplicis humor aquæ. et Virg. 3. Ecl. 42. Dulce satis humor. Id. 1. G. 43. gelidus canis quum montibus humor Liquitur. Id. ibid. 14. paludis collectus humor. Sil. It. 8. 434. Tiniæ inglorius humor. h. e. parvum flumen. Ovid. 1. Met. 30. circumfluus humor Ultima possedit. il mare. Lucret. 6. 496. et 515. pluvius humor. la pioggia. Cf. Sever. Ætn. 310. hinc cernere ventos Haud humore etiam nebulas effundere largo. Cf. eumd. ibid. 314. Catull. 61. 25. humor roscidus. rugiada. Virg. 2. G. 143. Bacchi Massicus humor. vino. Sic Id. 2. ibid. 295. dulcis musti humor. Lucret. 1. 259. candens lacteus humor. latte. Sic Ovid. 15. Met. 79. lacteus humor. Horat. 1. Od. 13. 6. humor in genas furtim labitur. lagrime. Sic Pedo Albinov. 3. 13. ex oculis tibi procidet humor. Ovid. 6. Met. 354. caret os humore loquentis. saliva. Sic Id. 9. ibid. 567. linguam defecerat humor. Scribon. Compos. 105. Exsiccare humorem stomachi. Cels. 2. 17. Evocare corruptum humorem. Id. 8. 10. Excedit humor. Lucret. 4. 1022. humorem saccatum corporis fundere. urina. Sic Plin. 7. Hist. nat. 51. 52. (171). Præfundi humoris a corpore effluvium, et 8. ibid. 38. 57. (137). Lyncum humor ita redditus glaciatur. Adde Apul. 1. Met. init.; et Scribon. Compos. 105. — Festive Plaut. Mil. glor. 3. 1. 45. Et ego amoris aliquantulum habeo, humorisque meo etiam in corpore, neque dum exarui ex amœnis rebus et voluptariis. Id. Rud. 4. 3. 69. Ego jam hic te itidem, quasi penicillus novus exsugeri solet, ni hunc amittis, exsugebo quidquid humoris est tibi.

HŬMŌRŌSUS vel omorosus, a, um, adject. humidus, humectus. Cæl. Aurel. 2. Acut. 10. a med. Item sexus causa mulieribus et humorosis et vacuis corporibus. Apul. Herb. 51. Nascitur in parietibus et humorosis locis.

HŬMUS, i, f. 2. In sexto casu olim humu pro humo dictum est. Probat id Non. p. 488. 6. Merc. duobus allatis Varronis locis: quorum alterum recitat etiam p. 48. 26. — Olim fuit masculini, vel neutrius generis, teste Priscian. 6. p. 718. Putsch. Unde Liv. vel Læv. ibid. p. 719. Humum humidum pedibus fodit. et Gracchus ibid. Marsit sequentis humidum plantis humum. Al. leg. sequentes humidum plantas humum, ut necessario neutrum sit. Addunt quidam illud Sall. Jug. 48. Genera arborum, quæ humo arido atque arenoso gignuntur. Sed alii, ut Kritz., quem videsis ad h. l., leg. humi arido atque arenoso, sicut Priscian. in fin. l. 18., ut sit illis simile occulta saltuum, lubricum paludum, quæ sunt Taciti 1. Ann. 61. et 65. Alii humo arida etc. — Ratione habita etymi, vox conjungi potest cum Gr. χαμ, unde χαμαί, χαμόθεν, et χαμαλός humilis: potest tamen esse et ab ὕω, unde humus terra humida. — Ceterum humus, quod caret plurali numero, est terra, solum, γῆ (It. terra, terreno; Fr. sol, terrain, terre; Hisp. solar, suelo, terreno, tierra; Germ. d. Erdboden, d. Erde; Angl. the ground, earth, soil).

I.) Proprie. — a) In omnibus casibus. Cic. fragm. apud Quintil. 8. 3. 66. Versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis: humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis et spinis cooperta piscium. Sall. Jug. 101. Omnia consternata telis, armis, cadaveribus et inter ea humus infecta sanguine. Cic. 2. Legg. 22. 57. Quos humus injecta contexerat. Virg. 9. Æn. 214. mandare humo corpus. sotterrare. Cic. Senect. 17. 59. Quum admiraretur Lysander et proceritates arborum, et humum subactam atque puram. Ennius apud Varron. 5. L. L. 23. Müll. Cubitis pinsibant humum. Sic Virg. 11. Æn. 418. Procubuit moriens et humum semel ore momordit. Cf. Homer. ὀδὰξ ἕλειν γαῖαν. Id. 10. ibid. 731. calcibus atram Tundit humum exspirans. et Ovid. 5. Met. 293. Tundit humum moriens. Horat. 4. Od. 1. 27. pede humum quatere. danzare, ballare. Sic Ovid. 1. Art. am. 112. Ludius æquatam ter pede pulsat humum. Virg. 5. Æn. 452. ab humo attollere aliquem. Id. 3. ibid. 3. omnis humo fumat Neptunia Troja. atterrata, rovinata. Id. ibid. 25. ab humo convellere silvam. Val. Flacc. 7. 620. ense sequaci Æquat humo truncos. getta a terra. Ovid. 13. Met. 442. humo exire. Id. 4. ibid. 261. sedere humo nuda. sulla nuda terra. Stat. 10. Theb. 312. Stratus humo gelida. Ovid. 4. Met. 264. humo se movere. alzarsi da terra. Sic Id. 6. Fast. 735. surgere humo. Id. 6. Met. 607. Dejectus in humum vultus. a terra. Sic Id. 4. Trist. 2. 29. In humo lumen figere. Id. 8. Met. 258. propter humum volitare. basso, terra terra. Colum. R. R. præfat. § 2. Humi natura, quasi quodam morbo, sterilitate affecta. Id. 4. ibid. 24. 4. Modus materiarum is erit, quem dictabit humi atque ipsius stirpis lætitia. Sall. Jug. 18. Queis cibus erat caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus. Virg. 4. G. 115. Ipse feraces Figat humo plantas. pianti. Ovid. de nuce 170. sub humo. sotterra. Id. 5. Met. 647. rudi data semina jussit Spargere humo. Virg. 9. Ecl. 19. humum florentibus herbis Spargere. Id. ibid. 41. Fundit humus flores. Id. 2. G. 460. Fundit humo facilem victum justissima tellus. tellus numinis hic personam agit. Sall. Jug. 53. Bati, humum aridam vento agitari. Id. ibid. 78. Ventus coortus arenam humo excitavit. Ammian. 21. 6. Humus (h. e. humi arena) rapido turbine portabatur. — Humus pro Inferis. V. TERRA. — b) Genitivus humi fere semper adverbii more ponitur, χαμαί, in terra, a terra: neque solum cum verbis quietis, sed et motus interdum jungitur. Cic. 1. Cat. 10. 26. Humi jacere. Sic Ovid. 1. Met. 121. Ut jacuit resupinus humi. Sall. Jug. 85. Hiemem et æstatem juxta pati, humi requiescere. Cic. 3. Orat. 6. 22. Hoc videtur esse altius, quam ut id nos humi strati suspicere possimus. Sic Juvenal. 8. 78. stratus humi. et Virg. 6. Æn. 423. fusus humi. Colum. 8. R. R. 14. 4. Insistentes humi. Cic. 6. de republ. 17. Quousque humi defixa tua mens erit? Sall. Cat. 55. Locus (h. e. Tullianum) circiter duodecim pedes humi depressus. Virg. 10. Æn. 558. condere humi. sotterrare. Id. 1. Æn. 380. anguem premere humi. Id. 11. ibid. 665. quot humi morientia corpora fundis? Ovid. 3. Met. 105. Spargere humi dentes. per terra. Virg. 5. Æn. 481. Sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos. Id. 11. ibid. 640. Volvitur ille excussus humi. Ovid. 5. Met. 197. Prosternite humi juvenem magica arma moventem. Tac. 2. Hist. 64. Projectum humi jugulavit. Curt. 10. 5. 19. Objicere corpus humi. Seneca Ep. 124. Sublimia ac divina humi projicere.

II.) Translate. ¶ 1. A Poetis humus ponitur pro iis, quæ vulgaria sunt et vilia: ad rem Horat. Art. P. 27. professus grandia turget, Serpit humi tutus nimium timidusque procellæ. Id. 2. Ep. 1. 251. sermones repentes per humum. Id. Art. P. 230. Ne dum vitat humum, nubes et inania captet. Id. ibid. 109. juvat aut impellit ad iram, Aut ad humum mœrore gravi deducit et angit. Sic Id. 2. Sat. 2. 79. Affigit (al. affligit) humo divinæ particulam auræ. ¶ 2. Item a Poetis humus ponitur pro regione. Ovid. 1. Pont. 2. 90. Ira dei mitis non me misisset in istam, Si satis hæc illi nota fuisset, humum. Id. Medicam. fac. 74. Illyrica quæ venit Iris humo. Id. 1. Fast. 490. Aonia. Id. Heroid. 7. 140. Punica. Id. 3. Pont. 5. 36. Pontica.

HURPEX. V. IRPEX

HY

HYA, neutr. indecl. est nomen litteræ Græcæ Υ, quæ et hypsilon dicitur, quæque a recentioribus Italis fio quoque dicitur. Apul. gramm. (edente A. Maio) p. 132. Pyrrhus scribitur cum hya et duplici rr; ultimum quoque aspirat.

HŸĂCINTHÆUS, a, um, adject. ad hyacinthum gemmam pertinens. Venant. 8. carm. 8. 20. Et hyacinthæus circuit ordo domum. h. e. hyacinthorum longa series domum ambit et ornat. Adde eumd. carm. 6. 270.

HŸĂCINTHĬA, ōrum, n. plur. 2. sacra nocturna in honorem Hyacinthi pueri, a Laconibus trium dierum spatio celebrata. Ovid. 10. Met. 219.; Macrob. 1. Saturn. 18.; et Hieronym. 1. advers. Jovinian. 41. a med. Hæc autem sacra celebrata fuisse verno tempore statuit Pontedera in Antiquit. Lat. et Gr. p. 270.; æstivo rectius Dodwellus Dissert. 8. de cycl. Hinc mensis Hyacinthius, de quo

mentio est in *Inscript.* apud *Torremuzza Inscrit. Sic. cl.* 15. *n.* 42. 43. 44. 45.

HYĂCINTHĬNUS, a, um, adject. ὑακίνθινος. — *a)* Est ad hyacinthum pertinens. *Catull.* 61. 93. Hyacinthinus flos. — *b)* Item qui est colore hyacinthi. *Pers.* 1. 32. cui circum humeros hyacinthina læna est. *Vopisc. Bon.* 15. Hyacinthinæ tunicæ. Adde *Vulgat. interpr. Exod.* 26. 4., 28. 28. et alibi sæpe.

HYĂCINTHIZONTES, um, m. plur. ὑακινθίζοντες, dicuntur berylli, qui hyacinthi colorem imitantur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 20. (77).; et *Solin.* 55. *extr.*

HYĂCINTHOS *vel sæpius*

HYĂCINTHUS, i, ὑάκινθος, *giacinto*,

I.) Proprie est genus violæ vernæ, colore rubenti, sed ad obscurum nigrumque inclinante. *Servius* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 106. illum rubrum esse ait designans litteram Υ, quæ in ὑάκινθος est prima. Multi volunt, esse illud, quod Latine vaccinium dicitur. Describitur a *Dioscor. l.* 4. *c.* 63. foliis bulbi, caule dodrantali, lævi, minimo digito graciliore, et herbacei coloris, cui incumbit coma incurva, florum purpurascentium plena, radice bulbacea. *Virg.* 3. *Ecl.* 63. suave rubens hyacinthus. *Id.* 6. *ibid.* 53. mollis. *Id.* 4. *ibid.* 183. ferrugineus. *Id.* 11. *Æn.* 69. languens. — Sunt et aliorum colorum hyacinthi. *Colum.* 10. *R. R.* 101. Nec non vel niveos, vel cæruleos hyacinthos. — Habet autem in flore ita discurrentes venas, ut Græcarum litterarum figura AI legatur inscripta, ut *Plin.* ait 21. *Hist. nat.* 11. 38. (66). Qua de causa duplex eum comitatur fabula de Hyacintho puero, et de Ajace, utroque in hunc florem converso. De illo enim fabulantur fuisse Spartanum, filium Amyclæ (ejus, qui Amyclas urbem in Laconia condidit), vel Eurotæ, vel Œbali, puerum formosissimum, a Borea (al. ab Zephyro) et ab Apolline adamatum, quocum aliquando disco ludens, projectumque illum nimis propere excipiens, ab resiliente graviter percussus; vel, ut alii volunt, ab ipso Borea zelotypiæ causa disco ictus, interiit et in florem cognominem mutatus est. *Ovid.* 10. *Met.* 162. et seqq.; *Hygin. fab.* 172.; et *Servius* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 63. et 11. *Æn.* 69. Hinc *Ovid. loc. cit.* 211. Tyrioque nitentior ostro Flos oritur, formamque capit, quam liliis: si non Purpureus color huic, argenteus esset in illis. Non satis hoc Phœbo est (is enim fuit auctor honoris): Ipse suos gemitus foliis inscribit, et *αἶ αἶ* Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est. — De Ajace fingunt, quum se ipse interemisset, quod in certamine de armis Achillis victus esset ab Ulysse, ex ejus cruore eumdem extitisse florem, qui primas duas nominis Αἴας litteras haberet inscriptas. Itaque ut ait *Ovid.* 13. *Met.* 397. Littera communis mediis pueroque viroque Inscripta est foliis: hæc nominis, illa querelæ.

II.) Improprie est hoc nomine gemmæ ejusdem coloris, ex Æthiopia veniens, amethysto non absimilis, nisi quod in illa emicans fulgor violaceus est: in hoc dilutus. Primo quoque aspectu gratus (inquit *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 41. (125).) evanescit, antequam satiet: adeoque non implet oculos, ut pæne non attingat, marcescens celerius nominis sui flore (qui maxime durat, ut dixerat *Id.* 21. *ibid.* 11. 38. (65). *V.* LYNCURIUM., et adde *Capell.* 1. *p.* 18. et *p.* 20.) — In illo *Claudian. Nupt. Honor.* et *Mar.* 88. trabibusque smaragdis Supposuit cæsas hyacinthi rupe columnas. *hyacinthus* videtur dici de marmore. Nisi dicas, hyperbolice loqui poetam, ut cetera eo loco.

HYĂDES, um, f. plur. 3. Ὑάδες, septem filiæ Atlantis, ex Æthra uxore, sorores Hyantis, de quibus *V.* ATLANTIDES in ONOM. Hæ, quum fratrem a leone interemptum lugerent, magnitudine doloris extabuerunt. Juppiter miseratione motus in stellas convertit, et in capite Tauri collocavit. Ut autem perpetuum maneret tantæ pietatis testimonium, a fratris nomine Hyades sunt appellatæ. *Ovid.* 5. *Fast.* 165. et seqq. Alii dicunt, has stellas olim fuisse Nymphas Dodonidas, ex Dodona urbe Epiri, Bacchi nutrices, quæ quum Junonis iram vererentur, lugerentque Lycurgi sævitiam, a Jove in cælum translatæ sunt. Denique multis dictæ creduntur ab ὕειν *pluere*. *Cic.* 2. *Nat. D.* 43. 111.; *Ovid.* 5. *Fast.* 165., 3. *Met.* 595. et 13. *ibid.* 293.; *Plin.* 2. *Hist. nat.* 39. 39. (106). et 18. *ibid.* 26. 66. (247).; *Virg.* 1. *G.* 138. et 3. *Æn.* 516.; *Val. Flacc.* 2. 67.; *Gell.* 13. 9.; et *Hygin fab.* 192. — Nempe sidus hoc vehemens est et terra marique turbidum, tamque in ortu suo, quam occasu tempestates largosque imbres concitat. A Latinis *Suculæ* appellantur. *V.* SUCULA. Diversæ sunt a Plejadibus. Nam Plejades fuere filiæ Atlantis ex Plejone Nympha, et earum nomina sunt Electra, Halcyone, Celæne, Maja, Asterope, Taygete, Merope. *Horat.* 1. *Od.* 3. 14. Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti. — In singulari num. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 22. Non tantis Hyas inserena nimbis Terras obruit, aut soluta Plejas. Adde *Claudian. B. Gild.* 499.

HYÆNA, æ, f. 1. ὕαινα. ¶ 1. Est animal in genere luporum, quod colore lupi est, sed magis hirtum, jubamque habet toto tergo perpetuam instar equi, sed duriore seta, qua porcum refert: ab ὕαινα *porca*. Narrant utriusque esse naturæ, et alternis annis marem, alternis feminam fieri. Parere sine mare vulgus credit; *Aristoteles* 6. *Hist. anim.* 32. negat. Fera est et crudelis, sermonem humanum inter pastorum stabula assimilat, nomenque alicujus addiscit, quem evocatum foras laceret. Item vomitionem hominis imitatur ad sollicitandos canes, quos invadat. Hæc fere ex *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 44. (105)., ubi et alia mira de ea. *Ovid.* 15. *Met.* 409. et quæ modo femina tergo Passa marem est, nunc esse marem miremur hyænam. Adde *Lucan.* 6. 672.; *Colum.* 2. *R. R.* 9. 9.; *Pallad.* 1. *R. R.* 34. 14. et 10. *ibid.* 3. 1.; et *Scribon. Compos.* 38. et 172. V. *Tychsen. Hist. anim. p.* 21. et seq. ¶ 2. Est et *hyæna* piscis vasto corpore, sic dictus, quia hyænæ terrestri similis est. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 11. 54. (154).

HYÆNĬUS, a, um, adject. ad hyænam pertinens. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 60. (168). Hyæniæ gemmæ ex oculis hyænæ, et ob id invasæ inveniri dicuntur, et, si credimus, linguæ hominis subditæ futura præcinere. Eadem fere habent *Solin.* 27.; et *Isid.* 16. *Orig.* 15. 25.

HYĂLĬNUS, a, um, adject. ὑάλινος. ¶ 1. Est vitreus, *di vetro*. *Capell.* 6. *p.* 189. Mensuis pulveris hyalini respersione colorata. *Fulgent.* 1. *Mythol. præf. sub init.* Hyalinæ cavitatem sphæræ osseo fastigans tigillo versabat. ¶ 2. Item coloris viridis, *verde*. *Capell.* 8. *p.* 273. Alæ cum pennis hyalinis. *Id.* 1. *p.* 18. Vestis ejus hyalina.

HYĂLŎĬDES, is, adject. omn. gen. ὑαλοειδής, vitreum colorem referens. *Theod. Priscian.* 4. 2. *ad fin.* Sensifica virtus limpida ac splendens ad oculos provenit, infusa per humorem vitreum, quem Græci hyaloiden vocant.

HYĂLUS, i, m. 2. ὕαλος, vox Græca vitrum significans.

I.) Proprie. *Virg.* 4. *G.* 334. Milesia vellera Nymphæ Carpebant, hyali saturo fucata colore.

II.) Translate ponitur pro colore viridi, quia vitra, præsertim crassiora, viridia apparent. Mos etiam fuit eo colore tingi: unde et iaspides adulterari eo, *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 37. (117). tradit. *Prudent.* 12. περὶ στεφ. 53. Tum camuros hyalo insigni varie cucurrit arcus. *Auson. Edyll.* 10. 418. hyaloque virentem Pande peplum.

HYANCHE, es, f. 1. *V.* PARACYNANCHE.

HYAS, adis, *V.* HYADES

HYBERNUS etc. *V.* HIBERNUS.

HYBRIA. *V.* HYBRIDICUS.

HYBRĬDA *vel* hibrida *vel* ibrida, æ, m. et f. 1. ὕβρις. Sunt qui scribunt *hibrida*; sunt qui *ibrida*: atque hi ab *iber* pro *imber*, et hoc ab *umber*, quod *umbros* dicant appellari arietes ex caprino et ovillo genere ortos. — Aliam quoque formam *hybris, idis* habet *Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 454. Apris atque suis sætosus nascitur hybris. — Ceterum

I.) Proprie hybrida est animal ex dissimilibus parentibus natum, ut sus ex porco et apro, h. e. ex domestico et fero: ab ὕβρις *injuria*, quia est adulterium et quædam injuria naturæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 53. 79. (213). *de suibus.* In nullo genere æque facilis mistura cum fero, qualiter natos antiqui hybridas vocabant, ceu semiferos, ad homines quoque, ut C. Antonium Ciceronis in consulatu collegam, appellatione translata. Adde *Isid.* 12. *Orig.* 1.

II.) Translate de hominibus dicitur, qui altero parente servo, libero altero nascuntur, vel altero Romano, altero peregrino, aut hujusmodi. V. *Plin. loc. cit. Auct. B. Afr.* 19. Equites Germanos Gallosque, ibique postea ex hybridis, libertinis servisque conscripserat. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 2. Hybrida quo pacto sit Persius ultus. *Martial.* 6. 39. *in fin.* Jamque hybridarum grex tibi foret plenus, Si spado Coresus Dindymusque non esset. *Id.* 8. 22. Invitas ad aprum, ponis mihi, Gallice, porcum. Hybrida sum si das, Gallice, verba mihi. Adde *Sueton. Aug.* 19. — Hinc factum est etiam cognomen Rom. *Val. Max.* 8. 6. *n.* 4. Q. Varius propter obscurum jus civitatis Hybrida cognominatus. Adde *Cic. Brut.* 49. 182. et 3. *Nat. D.* 33. 81. — *NB.* Quidam recentiores Grammatici *hybridas* vocant eas voces, quæ ex duarum linguarum verbis conflantur, ut *monoculus*, *epirhedium*. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

HYBRIDICUS, a, um, adject. *et* hybria, æ, m. et f. 1. sunt voces a Lexico expungendæ: occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 150.

HYBRIS, idis *V.* HYBRIDA sub init.

HYDĂTIS, idis, f. 3. ὑδατίς, apud *Capell.* 1. *p.* 20. gemma est colore aqueo; ab ὕδωρ, ὕδατος *aqua*.

HYDĔROS, i, m. 2. ὕδερος, hydropis species quædam. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. *sub init.* Sectarum principes, origini locorum specialia nomina tribuentes, hyderon vocant dispersum sive infusum per viarum raritatem atque carnis spiramenta liquorem. Ita dicunt hideron ex renibus generari, hydropem vero ex duritate jecoris.

HYDRA, æ, f. 1. Ὕδρα; generatim est serpens aquaticus, ab ὕδωρ aqua: sed

I.) Proprie *Hydra Lernæa* apud Poetas serpens fuit, filia Typhonis et Echidnæ, septem capitibus in Lerna palude, cum qua Hercules pugnavit, quæ, quum Hercules ei unum caput abscidisset, continuo aliis septem augebatur; tandem ferro et igne victa et interfecta est, adhibito Iolao, qui incisam cervicem ardente face a vestigio inureret. Alio nomine *Excetra* dicta est: *V.* EXCETRA. *Lucret.* 5. 27. Denique quid Cretæ taurus Lernæaque pestis, Hydra venenatis posset vallata colubris? *Horat.* 4. *Od.* 4. 61. Non Hydra secto corpore firmior Vinci dolentem crevit in Herculem. Adde *eumd.* 2. *Ep.* 1. 10.; et *Ovid.* 9. *Met.* 192. — Alii quinquaginta ei capita tribuunt, centum alii: alii tria, alii octo, alii novem. Sed secundum Historicos constat, Hydram paludem fuisse in Lerna Argivorum regione aquas evomentem, quæ vastabant agros vicinarum urbium, in qua, uno meatu clauso, multi erumpebant. Hercules igitur avertit in alias partes flumina, quæ in paludem excurrebant, atque ita paludem exsiccavit: V. *Hygin. fab.* 62. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 23. edit. *Ovid.* 9. *Met.* 69. Pars quota Lernææ serpens eris unus Echidnæ? Vulneribus fecunda suis erat illa, nec ullum De centum numero caput est impune recisum, Quin gemino cervix herede valentior esset. Adde *Hygin. præf.* et *fab.* 30., 34. et 151.; et *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 576. — Cum Echidna, Cerberi matre, confunditur apud *Cic. poet.* 2. *Tusc.* 9. 22. — Allegoria est in illo *Cic.* 2. *Orat.* 17. 71. Sed vide, ne in istis duobus generibus Hydra sit tibi et pellis: Hercules autem, et alia opera majora, ne in illis rebus, quas prætermittis, relinquantur. *h. e.* vide, ne de oratoris officio disserens, leviora tantum attigeris et faciliora; ea vero, quæ majoris momenti sunt et difficiliora, omiseris: quemadmodum si quis facturus Herculis statuam, de Hydra et pelle leonis cogitaverit; ipsum vero Herculem aliaque plura et majora ejus opera neglexerit. V. *in fin. cap. præced.*

II.) Improprie. ¶ 1. Hydra in cælo est sidus, de quo in ANGUIS dictum est. *Cic. Arat.* 292. et 2. *Nat. D.* 44. 114.; et *Hygin.* 2. *Astron.* 40. et 3. *ibid.* 39. ¶ 2. *Virg.* 6. *Æn.* 576. aliam fingit esse intra mœnia Ditis, quinquaginta capitibus instructam, quæ interius limen custodiat, ut Cerberus exterius. Cf. *Val. Flacc.* 3. 223.

HYDRÆUS, a, um, adject. ὑδραῖος, ad Hydram Lernæam pertinens. *Capell.* 7. *p.* 237. *de Arithmetica.* Quibus miraculis radiorum innumera repente multitudine prorumpente, nonnulli tellustres silvicolæque diri Herculem conspicati, opinantes eam hydræo germine pullulare etc. *h. e.* ut Herculis Hydra plurimos serpentes, sic illa radios innumeros emittebat. — Hinc

Hydræum, i, n. 2. ὑδραῖον, absolute, substantivorum more, est ornamentum in hydræ seu serpentis formam factum, quo Isidis caput redimiri sole-

bat, ut videre est in tabula Isiaca Bembina a *Laurent. Pignoria* illustrata; illud autem Græca ex duabus vocibus Ægyptiacis Θέρμουθις appellatur. V. *Jablonsk. Pant. Ægypt. l.* 1. c. 5. § 10. et 11. *Inscript.* Nomenti reperta, edita vero in *Giorn. Arcad. T.* 54. p. 324. D. VALERIVS D. F. COR. PROCVLVS AEDIL. DICTATOR QVAEST. ALIMENTORVM HYDRAEVM GEMMIS EXORNATVM ET AVRATVM VNA CVM VALERIA FORTVNATA ET VALERIA PROCVLA ISIDI ET SERAPI D. D. *V. Letronne Recueil T.* 1. p. 312.

HȲDRĂGŌGĪA, æ, f. 1. ὑδραγωγία, aquæ ductio, canalis, *canale*; ab ὕδωρ *aqua* et ἄγω duco. Translate *Varro* apud *Non.* p. 209. 20. *Merc.* Sensus (*sunt*) portæ, venæ hydragogiæ, cloaca intestini. *h. e.* sensus sunt naturæ veluti portæ, venæ veluti canales, intestini veluti cloaca.

HȲDRĂGŌGUS, a, um, adject. ὑδραγωγός, aquiducus, *disseccativo*; ab ὕδωρ *aqua* et ἄγω *duco*. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. *ante med.* Utendum aquæ ducis medicaminibus, quæ Græci hydragoga vocaverunt. — Hinc

Hydragogos, *i*, f. 2. absolute, substantivorum more, est herbæ nomen apud *Apul. Herb.* 27. Chamædaphne a Græcis quibusdam daphnites, aliquibus vero daphne, aliis hydragogos dicitur.

HȲDRĂGŌNOS *vel*

HȲDRĂGŌNUS, i, f. 2. in aqua genita; ab ὕδωρ *aqua* et γίγνομαι *nascor*. Ita appellatur nymphæa herba, quæ in aqua degit. *Apul. Herb.* 27.

HȲDRĂLĒTA *vel rectius*

HȲDRĂLĒTES, æ, m. 1. ὑδραλέτης. *V.* HYDRAULA in fin.

HȲDRARGȲRUS, i, m. 2. ὑδράργυρος. Masculini generis esse diximus, quia eodem genere apud Græcos est. Nam ex *Plinii* locis infra cit. nihil certi colligitur. — Hydrargyrus, *argento vivo*, est species argenti vivi, quod ex minio fit secundario, æreis mortariis trito ex aceto, aut ferrea concha, argilla super illita, excocto: quod argenti vivi vicem præstat, guttis dividi facile, et lubrico humore complacere. Ita *Plin.* 33. *Hist. nat.* 8. 41. (123). Dicitur *hydrargyrus*, quia argenti colorem habet, liquorem aquæ; ab ὕδωρ *aqua* et ἄργυρον *argentum*. Differt ab argento vivo, quod fit ex lapide in argentariis venis reperto, ut in ARGENTUM dictum est. *Plin. loc. cit.* Hydrargyro argentum inauratur. *Id. ibid.* 3. 20. (64). Æs inaurari argento vivo, aut certe hydrargyro, legitimum erat.

HȲDRASTĪNUS, a, um, adject. ad hydram pertinens. *Apul. Herb.* 114. Cannabis alia est usualis, alia agrestis, quam nonnulli hydrastinam, Itali terminalem appellitant.

HȲDRAULA *et*

HȲDRAULES, æ, m. 1. ὑδραύλης, *organista*, qui peritus est organi hydraulici pulsandi. *Sueton. Ner.* 44. Voverat proditurum se, partæ victoriæ ludis, etiam hydraulam et choraulam et utricularium ac novissimo die histrionem. *Petron. Satyr.* 36. Ut putares essedarium hydraule cantante pugnare. Adde *Capell.* 9. p. 208. — *Hydraula*, *æ*, f. 1. ὕδραυλις, est machina, quæ vi aquæ versatur. *Vitruv.* 10. 10., ubi *de rotis ad molendam farinam.* Eadem ratione versantur hydraulæ. *Philand.*, *Turneb.*, *Salmas.* leg. *hydromylæ*, h. e. molæ, quæ aqua versantur; ab ὕδωρ *aqua* et μύλη *mola*: atque ita poscere videtur res, de qua ibi agitur. Sed quum ὑδρομύλη vox sit cadentis Græcitatis, ὑδραλέτης vero (ab ὕδωρ *aqua* et ἀλέω *molo*) usurpata fuerit ab *Strabone l.* 12., ac præterea ab antiquis librariis *hydraletæ* potius, quam *hydromylæ* facillime in *hydraulæ* commutari potuerit; ideo *Schneiderus* recte *hydraletæ* in textum recepit.

HȲDRAULĬCUS, a, um, adject. ὑδραυλικός, ad hydraulum spectans. Hydraulicæ machinæ dicuntur, quibus aqua per fistulas exprimitur et in sublime pellitur: hæ partim fiunt ad aquarum ludos faciendos, partim ad hydraletas versandas, partim ad excitandas in musicis organis harmonias, ad horologiorum motus, etc. De his *V. Vitruv.* 9. 9. et 10. 13. Meminit et *Plin.*, qui ait 7. *Hist. nat.* 37. 38. (125). Laudatus Ctesibius pneumatica ratione et hydraulicis organis repertis. Adde *Sueton. Ner.* 41.; *Ammian.* 14. 6.; et *Tertull. Anim.* 14.

HȲDRAULUS, i, m. 2. ὕδραυλος, ὕδραυλις, *organo ad aqua*, instrumentum musicum aquæ decursu sonum reddens; ab ὕδωρ *aqua* et αὐλός *tibia*. Simile est ei, quod nunc appellatur organum, nisi quod hujus fistulæ ventis solum inflantur, in hydraulicis aquæ decursu sonus redditur. *Cic.* 3. *Tusc.* 18. 43. Hydrauli, hortabere, ut audiat voces potius, quam Platonis? *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (24). *de delphino.* Mulcetur symphoniæ cantu et præcipue hydrauli sono.

HȲDRĒUM, i, n. 2. idem atque hydreuma, apud *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (102). *V.* voc. sequent.

HȲDREUMA, atis, n. 3. ὕδρευμα, aquationum ratione disposita mansio. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (102). A Copto camelis itur aquationum ratione mansionibus dispositis: prima appellatur hydreuma XXXII. M.: secunda in monte diei itinere: tertia in altero hydreumate etc. ubi *Harduin.*, qui primo loco pro *hydreuma* legit *hydreum*, male distinguit, ut hydreum, ὑδρεῖον, sit locus aquationis: hydreuma, ὕδρευμα, ipsa aquatio, ab ὑδρεύειν *aquari*. At *Sillig.* recte pro *hydreum* reposuit *hydreuma*, quod juxta *Letronne, Recueil T.* 1. p. 422., videtur esse fons aquæ. V. et *Jani observat. crit. in Plin. Hist. nat.* p. 15.

HȲDRĪA, æ, f. 1. ὑδρία, aqualis, id est vas aquarium, urna; ab ὕδωρ *aqua*, *urna*, *secchia*. *Cic.* 4. *Verr.* 19. 47. Dicebant, scyphorum paria complura, hydrias argenteas, pretiosam vestem stragulam, multa mancipia pretiosa Verri data esse. *Id. ibid.* 51. 127. Conjicere sortes in hydriam. *Sulpic. Sever.* 1. *Hist. sacr.* 43. Hydria farris. Adde *Vulgat. interpr.* 1. *Regg.* 17. 12. et alibi. — Accipitur etiam pro olla sepulcrali. *Inscript.* apud *Murat.* 1184. 10., quæ est apud *Orell.* 4547. D. M. M. LOLLIO AESCHINI HAEC HYDRIA POSITA EST. Adde *aliam* apud *Orell.* 4546. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

HȲDRĪNUS, a, um, adject. ab hydra vel hydro, ut Hydrina vulnera. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 884. ipse præsto tunc erit Hercules, Hydrina suctus ustum ire vulnera.

HȲDRĪUS, a, um, adject. aquarius. Hydrius puer est Aquarius, cæleste sidus. *Prudent. Apotheos.* 622. Labitur hinc pulsus puer hydrius, inde Sagitta.

HȲDRŎCĒLE, es, f. 1. ὑδροκήλη, hernia aquosa, quum scilicet aqua in scroto colligitur, seu, ut alii definiunt, quum in alterum e testibus humor confluit; ab ὕδωρ *aqua* et κήλη quod speciatim scroti tumorem significat. *Martial.* 12. 84. Dicentem tumidas in hydroceles. *Theod. Priscian.* 1. 26. Hoc (*emplastrum*) herniarum perseverantiam intus sub ligatura, etiam veterum, percurabit; et hydroceles et sarcoceles et enteroceles similiter. Græce habet *Cels.* 7. 18.

HȲDRŎCĒLĬCUS, a, um, adject. ὑδροκηλικός, qui hydrocele laborat. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 8. 22. (74). Hydrocelicis stelliones mire prodesse tradunt.

HȲDRŎCHŎUS, i, m. 2. ὑδροχόος, hoc est aquam fundens; ab ὕδωρ *aqua* et χέω *fundo*. Græce Aquarii signum significat. *Catull.* 66. 94. Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

HȲDRŎGĂRĀTUS, a, um, adject. hydrogaro conditus. *Apic.* 2. 2. Isicia hydrogarata sic facies: Teres piper, ligusticum, piretrum minimum: suffundes liquamen, temperans aqua cisternina etc.

HȲDRŎGĂRUM, i, n. 2. genus liquaminis aqua cisternina temperatum; ab ὕδωρ *aqua* et γάρον *garum*. *Lamprid. Elagab.* 20. Hydrogarum Romanorum ducum primus publice exhibuit.

HȲDRŎGĔRON, ontis, f. 3. herba eadem ac senecio; ab ὕδωρ *aqua* et γέρων *senex*, ita fortasse appellata, quod in humectis locis germinat. *Apul. Herb.* 75. *V.* ERIGERON.

HȲDRŎLĂPĂTHUM, i, n. 2. ὑδρολάπαθον, lapathi genus, quod in aqua nascitur. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 85. (232). De synonymia *V.* LAPATHUM.

HȲDRŎMANTĪA, æ, f. 1. ὑδρομαντεία, divinatio, quæ fit per aquam; ab ὕδωρ *aqua* et μάντις *hariolus*. *Augustin.* 7. *Civ. Dei* 35. scribit, Numam Pompilium hydromantiam fecisse, ut videret imagines deorum, vel ludificationes dæmonum, a quibus audiret, quid in sacris constituere atque observare deberet. Quod genus divinationis *Varro* a Persis dixit illatum, quo et ipsum Numam et Pythagoram philosophum fuisse usum commemorat. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 11. 73. (192). Anancitide in hydromantia dicunt evocari imagines deorum. *Isid.* 16. *Orig.* 15. 23. eadem fere habet.

HȲDRŎMANTIS, is, m. 3. ὑδρόμαντις, qui divinat per aquas. *Isid.* 8. *Orig.* 9. Hydromantes ab aqua dicti. *Vulgati libri habent* hydromantii. Ceterum *hydromantis* legitur etiam apud *Servium*: V. AEROMANTIS.

HȲDRŎMĔLI, itis, n. 3. ὑδρόμελι, aquæ mulsæ genus, ex imbre purissimo et melle temperatum, et jam vetustate vini saporem referens; ab ὕδωρ *aqua* et μέλι *mel*, *aqua melata*. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 17. 20. (113). et 31. *ibid.* 6. 36. (69).; *Pallad.* 8. *R. R.* 7.; et *Colum.* 12. *R. R.* 12. 1. qui, tacito nomine, ejus conficiendi rationem tradit et aquam mulsam appellat. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 13. 15. (34). Intestinorum animalia pelli cum hydromelite et sale. *Id.* 27. *ibid.* 5. 20. (37). Cum hydromelitis sextario.

HȲDRŎMĒLUM, i, n. 2. ὑδρόμηλον, genus potionis; ab ὕδωρ *aqua* et μῆλον *malum*. *Isid.* 20. *Orig.* 3. Hydromeli (*corrige* hydromelum), quod fiat ex aqua et malis Matianis.

HYDROMYLA. *V.* HYDRAULA.

HȲDRŎPHŎBĪA, æ, f. 1. ὑδροφοβία, aquæ fuga, miserrimum genus morbi, in quo simul æger et siti et aquæ metu cruciatur, quod solet accidere iis, qui a rabido cane fuerint morsi; ab ὕδωρ *aqua* et φόβος *timor*. *Cels.* 5. 27. n. 2. sed Græce: at Latine *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 9. — Hydrophobiam signat *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 23. Tollere nodosam nescit medicina podagram, Nec formidatis auxiliatur aquis.

HȲDRŎPHŎBĬCUS, a, um, adject. ὑδροφοβικός, ad hydrophobiam pertinens, ut Hydrophobica passio apud *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 9. *V.* voc. præced. — Hinc

Hydrophobicus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui hydrophobia laborat. *Theod. Priscian. l.* 2. p. 1. c. 8. Hydrophobicorum causam aliqui ex morsu canis rabiosi, aliqui ex serpentium venire asseverant.

HȲDRŎPHŎBUS, a, um, adject. ὑδροφόβος, æger, quem canis rabidus momorderit, qui aquam expavescit; a φοβέομαι *timeo* et ὕδωρ *aqua*. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 32. (99). Est limus salivæ sub lingua rabiosi canis, qui datus in potu hydrophobos fieri non patitur. *Veget.* 5. *Veterin.* 30. *Schneid.* Aliquando jumenta aquas timent, quæ dicuntur hydrophoba. *Id. ibid.* 83. Canis rabiosi morsus et jumentis et hominibus exitium inferre consuevit, usque eo ut ipsos qui contacti fuerint hydrophobos faciat et convertat in rabiem.

HȲDRŎPHȲLAX, ăcis, m. 3. ὑδροφύλαξ, aquarum custos; ab ὕδωρ *aqua* et φυλάσσω *custodio*, *soprastante all' acque*. *Imp. Zeno Cod.* 11. 42. 10. Universos aquarios, vel aquarum custodes, quos hydrophylacas nominant, etc.

HȲDRŎPĬCUS, a, um, adject. ὑδρωπικός. Secundam syllabam licenter corripit *Æmil. Macer cap. de Allio.* Hydropicis, sic humores desiccat aquosos. — Ceterum hydropicus est qui hydrope laborat. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 34. Si noles sanus, curres hydropicus. Adde *Scribon. Compos.* 79., 126. et 133.; et *Veget.* 5. *Veterin.* 26. 1. *Schneid.*

HȲDRŎPĬSIS, is, f. 3. ὑδρώπισις, idem atque hydrops, *idropisia*. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 1. 3. (8). Sic et contra phthiriasin bibitur et hydropises. *Sillig.* vero leg. *hydropicis.*

HȲDRŎPISMUS, i, m. 2. ὑδρωπισμός, hydropisis. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. Hydropismum fieri censet Asclepiades perforatione carnis in parvam formulam viarum, quæ possit solita (*lege* solida) corporis nutrimenta liquare. *h. e.* in aquam vertere.

HȲDROPS, ŏpis, m. 3. ὕδρωψ, ωπος, genus morbi, quo aqua præter naturam sub cute nascitur, qua corpus turgescit; ab ὕδωρ *aqua* et ὤψ *facies*, *idropisia*. *Horat.* 2. *Od.* 2. 13. Crescit indulgens sibi dirus hydrops, Nec sitim pellit, nisi causa morbi Fugerit venis et aquosus albo Corpore languor. *Cels.* 3. 21. Ex quartana in hydropa decidere. Adde *Colum.* 7. *R. R.* 7. 3.; et *Veget.* 5. *Veterin.* 34. *Schneid.*

HȲDRŎSĔLĪNUM, i, n. 2. ὑδροσέλινον, infructuosa roris marini species, sive apium silvestre apud *Apul. Herb.* 79.

HȲDROS *et sæpius*

HȲDRUS, i, m. 2. ὕδρος, certum anguium genus, quod et in aquis degit; ab ὕδωρ *aqua*. Universim tamen et de quibuscumque serpentibus dicitur (It. *biscia acquatica*, *serpente*; Fr. *serpent aquatique*, *hydre*; Hisp. *hydra*, *serpiente*, *sierpe*; Germ. *d. Wasserschlange*, *jede Schlange*; Angl. *a water-serpent*, *serpent*).

I.) Proprie. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 22. (72). In orbe terrarum pulcherrimum anguium genus est, quod et in aqua vivit: hydri vocantur, nullo serpentium inferiores veneno. *Id.* 6. *ibid.* 23. 26. (98). Hydri marini vicenum cubitorum. *Virg.* 4. *G.* 458. immanis hydrus. *Id.* 7. *Æn.* 753. graviter spirantes hydri. *Ovid. Heroid.* 9. 85. *de Hercule.* Immanes elisis faucibus hydros Infantem etc. Adde *eumd.* 13. *Met.* 804.; *Ammian.* 22. 15.; *Val. Flacc.* 6. 437., 8. 343. et 7. 76.; *Lucan.* 9. 673.; *Stat.* 11. *Theb.* 494.; et *Claudian. I. Cons. Stilich.* 2. 137. — A Poetis tribuuntur capillibus Furiarum et Medusæ pro comis, vel immisti capillis. *Virg.* 7. *Æn.* 447. tot Erinnys sibilat hydris. *Val. Flacc.* 4. 413. de *Tisiphone.* excussi crinibus hydri. *Id.* 2. 195. et nigris amplectitur hydris. *Id.* 6. 397. squalens hydris Medusa. Sic *Ovid.* 4. *Met.* 800. Gorgoneum turpes crinem mutavit in hydros.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. *Juvenal.* 7. 70. Nam si Virgilio puer et tolerabile desit Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri. *h. e.* vis carminis et poeticus furor: alluditque ad descriptionem Erinnyos 7. *Æn.* 415. et 447. ¶ 2. Metonymice ponitur pro veneno. *Sil. It.* 1. 322. Aut hydro imbutas, bis noxia tela, sagittas. ¶ 3. Est et signum cœleste, de quo in ANGUIS dictum est. *German. Arat.* 429. Et spatio triplicis formatus sideris Hydros. Adde *Capell.* 8. *p.* 279., *p.* 282. et *p.* 284. ¶ 4. Ponitur etiam pro hydrope, seu potius pro uteri tumore, qualis esse solet mulierum gravidarum, et quidem fem. gen., si tamen certa est lectio apud *Venant.* 8. *carm.* 6. 329. Quando suis jaculis utreri læsura tumescit, Atque voluptatis morbida crescit hydrus.

HŸEMĀLIS, e,

HŸEMS, hyemis, et similia. *V.* HIEMALIS, HIEMS, etc.

HYGNA. *V.* voc. seq.

HŸGRA, æ, f. 1. ὑγρά, ita vocatur collyrii genus, quia e liquidis constat; huic opponitur xerocollyrium, quod ex aridis. *Scribon. Compos.* 37. Hygram (*nempe compositionem*) vocant, quia est liquidum medicamentum. *Theod. Priscian.* 4. 1. *sub init.* Hygna (*lege* Hygra) dicitur solutum collyrium; et dicitur panchriston.

HŸGREMPLASTRUM, i, n. 2. ὑγρέμπλαστρον, emplastrum liquidum ac fluens; ab ὑγρός *humidus.* *Plin.* 34. *Hist. nat.* 15. 46. (155). Præcipua commendatio ejus in hygremplastro, ad purganda vulnera.

HŸGRŎPHŎBĬA, æ, f. 1. ὑγροφοβία, idem fere, quod hydrophobia: nisi quod hæc solius aquæ, illa omnium humorum liquorumque timorem habet: ab ὑγρός *humidus.* *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 9.

HŸLĒ, es, f. 1. ὕλη, Græce est silva: et translate materia, de qua agitur in libris alicujus facultatis, præsertim in iis, quæ variæ eruditionis sunt, *selva, materia.* *Atiejus Philologus* apud *Sueton. Gramm.* 10. Hylen nostram aliis memento commendare: quam omnis generis coegimus, uti scis, octingentos in libros. *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. *ad fin.* Signa duo æque feminea, quibus Apollo ambitur, hylen naturamque significant confamulantes. — Item prima totius mundi materia. *Ambros.* 1. *Hexaem.* 7. Ecce quia materia, id est hyle sicut philosophi dicunt, etiam secundum Scripturam divinam non habuit initium? Adde *eumd. ibid.* sæpe. — *NB.* De nomine propr. *V.* ONOM.

HŸMĒN, ĕnis m. 3. *et* Hўmĕnæus vel Hymæneos, i, m. 2. Ὑμήν, Ὑμέναιος, deus nuptiarum præses habitus, de quo *V.* plura in ONOM.; hunc ob causam in nuptiis tradunt a Græcis, eorumque imitatione a Latinis ejus nomen solitum fuisse invocari, ut patet ex *Catull.* 62. 4. Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus. Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe. sic *Græce* Ὑμὴν ἰὼ Ὑμέναιε. Prior syllaba in *Hymen* communis est, primo producta, deinde correpta: at in *Hymenæus* semper est brevis. Similiter *Id.* 60. 4. O Hymenæe Hymen, o Hymen Hymenæe. *et* 61. 124. Io Hymen Hymenæe io, Io Hymen Hymenæe. et *Ovid. Heroid.* 14. 27. Vulgus Hymen Hymenæe vocant: fugit ille vocantes. Ceterum *V.* alia in ONOM. — Hinc translate ¶ 1. Est carmen nuptiale, hymnus virginalium nuptiarum. *Ter. Adelph.* 5. 7. 6. Hoc mihi moræ est, tibicina et hymenæum qui cantat. Adde *Lucret.* 1. 98. *Ovid.* 12. *Met.* 215. Ecce canunt hymenæon et ignibus atria fumant. Cf. *Stat.* 2. *Silv.* 7. 87. Et vestros hymenæon ante postes Festis cantibus ipsa personabo. *Ovid. Heroid.* 12. 137. Ut subito nostras hymen cantatus ad aures Venit etc. ¶ 2. Item metonymice ipsæ nuptiæ, *nozze, matrimonio.* — *a*) In sing. num. *Virg.* 4. *Æn.* 127. Connubio jungam stabili propriamque dicabo: Hic hymenæus erit. *Seneca Troad.* 861. Quicumque hymen funestus, illætabilis Lamenta, cædes, sanguinem, gemitus habet, Est auspice Helena dignus. — *b*) In plur. num. *Virg.* 1. *Æn.* 655. *de Helena.* Pergama quum peteret inconcessosque hymenæos. *Id.* 3. *ibid.* 328. qui deinde secutus Ledæam Hermionem Lacedæmoniosque hymenæos. *Id.* 4. *ibid.* 99. pactos hymenæos exercere. Adde *Lucret.* 4. 1217. et *Stat.* 3. *Theb.* 283. Hymenæi infausti. — Et poetice de bestiis. *Virg.* 3. *G.* 60. Ætas Lucinam justosque pati hymenæos, Desinit ante decem, post quattuor incipit annos. Ubi ὕστερον πρότερον notat *Servius*, quia prius est concubitus, deinde partus. ¶ 3. Item apud Græcos membrana, qua fetus involvitur, sed speciatim illa, quæ claustrum virginitatis est, quæque virginibus in primo Veneris congressu rumpitur. Aliqui volunt, hanc esse primam hujus vocis notionem, et inde carmen nuptiale et deum nuptiarum præsidem appellatum a veteribus fuisse. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 99.; et *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 5. 7. 6.

HŸMĔNÆOS et

HŸMĔNÆUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

HŸMĔNÆUS, a, um, adject. *V.* HYMENEIUS.

HŸMĔNĀĬCUS, a, um, adject. ὑμεναϊκός, ad Hymenæum pertinens. *Plotius p.* 2639. *Putsch.* Hymenaicum dimetrum. *Servius Centim. p.* 1820. *Putsch.* Hymenaicum metrum. Male *Putsch.* edidit *hirmenaicum.*

HŸMĔNĒĬUS *et* hymenæus, a, um, adject. ὑμενήιος, ad Hymenæum pertinens. *Capell. initio l.* 7. Nec meo mella rapis: quænam hæc hymeneia les est. *Id.* 2. *p.* 34. Hymeneia tripudia. *Id.* 9. *p.* 301. Jam facibus lassos spectans marcentibus ignes Instaurare jubet nunc hymenæa Venus. *Id.* 8. *p.* 272. Lege hymenæa et culpæ velamine licentis obnuberis.

HYMNĀRĬUM, ii, n. 2. liber hymnos continens. *Gennad. de vir. illustr.* 48. Paulinus Nolæ episcopus fecit et sacramentarium et hymnarium.

HYMNĪDĬCUS, a, um, adject. (hymnus *et* dico) qui hymnos canit. *Avien. carm.* 178.

HYMNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (hymnus *et* fero) qui hymnos componit, seu cantat. *Ovid.* 11. *Met.* 58. *de Orpheo.* hymniferos inhiat divellere vultus. *Heinsius* et alii hunc versum, tamquam spurium, rejiciunt.

HYMNĬFĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

HYMNĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (hymnus *et* facio). Part. *Hymnificatus.* — Hymnificare est hymnum vel hymnos facere. *Commodian.* 23. 5. Ipse tibi hymnificas etiam includere de verbo. *Id.* 60. 21. Ymnificato choro placitoque Christo placete. *Ita* sine aspiratione scribitur, ut constet ratio carminis abecedarii.

HYMNĬO, is, ire, a. 4. hymnos canere, *inneggiare.* *Prudent.* 1. περὶ στεφ. 118. Hymnite matres pro receptis parvulis. ὑμνεῖτε.

HYMNĬSŎNUS, a, um, adject. hymnos sonans, laudes canens. *Paulin. Nolan. carm.* 28. 230. Hymnisoni chori. Adde *eumd. carm.* 22. 200.

HYMNŎDĬCUS, a, um, adject. ὑμνῳδικός, qui hymnos canit. *Firmic.* 8. *Mathes.* 25.

HYMNŎLŎGUS, i, m. 2. ὑμνολόγος, laudator, hymnis celebrans. *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. Sive templorum conditores, aut hymnologos. *Id. ibid.* 12. *n.* 5. Mercurius facit hymnologos, aut deorum bajulos, vel templorum custodes. Sic *Inscript.* apud *Gruter.* 645. 4., quæ est apud *Orell.* 2617. TI. CLAVDIO GLYPTO HYMNOLOGO DE CAMPO CARLEMONTANO.

HYMNUS, i m. 2. ὕμνος, proprie est canticum in Deum, sed simpliciter pro cantico et laude accipitur: est per syncopen pro *hymenus* ab ὑμένος particip. præter. pass. verbi ὕδω *cano, inno, lodo.* Usus est hac voce *Lucilius* apud *Non. p.* 330. 9. *Merc.* Sic *Prudent. præf. Cathemer.* 37. Hymnis continuet dies, Nec nox ulla vacet, quin Dominum canat. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 75.; et *Vulgat. interpr.* 2. *Paul.* 7. 6. et alibi sæpe.

HŸŎPHTHALMOS, i, m. 2. ὑόφθαλμος, h. e. oculus suis, ab ὗς *sus* et ὀφθαλμός *oculus.* Ita appellatur herba, quæ et aster Atticus, et bubonion, et inguinalis. *Apul. Herb.* 60.

HŸOSCŸĂMĪNUS, a, um, adject. ὑοσκυάμινος, qui est ex hyoscyamo, ut Oleum hyoscyaminum, quod ex hyoscyamo decoquitur. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 49. (94).

HYOSCŸAMUM. *V.* voc. seq. ad fin.

HŸOSCŸĂMUS, i, m. 2. *jusquiamo,* ὑοσκύαμος, herba est, quæ et Apollinaris, et altercum dicitur, plurium generum, quorum primum nigro semine, floribus pæne purpureis, spinosum: alterum vulgare, candidius et fruticosius, altius papavere: tertium semine simile semini irionis: quartum molle, lanuginosum, pinguius ceteris; quod unum a medicis receptum est: cetera venenum sunt, insaniam gignentia capitisque vertigines. Ipsa vox fabam suis significat, ab ὗς *sus* et κύαμος *faba.* *Plin.* 25. *Hist. nat.* 4. 17. (35). *Cels.* 5. 27. *n.* 14. Si hyoscyamum aliquis ebibit, fervens mustum bibendum est. *Seren. Sammon.* 20. 368. Græcus hyoscyamon propria scit dicere lingua. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 38. 3.; et *Scribon. Compos.* 181. — Apud *Cels.* 2. 33. At simul reprimunt et refrigerant herba muralis —, hyoscyamum, muscus etc. *hyoscyamum* neutro gen. mendum videtur, præcipue sequente littera *m* voc. *muscus.* — *Jusquiamus* dicitur a *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 5.; et *Veget.* 2. *Veterin.* 12. 5. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 326.) hanc exhibet synonymiam: I. Ὑοσκύαμος, ἄνθος ὑποπόρφυρον Dioscor. 4. 69.; et *Hyoscyamus floribus pæne purpureis spinosum* Plin. loc. cit. sunt *Hyoscyamus reticulatus* L. Spec. plant. 257. — II. Ὑοσκύαμος Nicand. Alexiph. 413.; Ὑοσκύαμος μέλας Dioscor. loc. cit.; et *Hyoscyamus vulgaris candidior* Plin. loc. cit. sunt *Hyoscyamus niger* L. Spec. plant. 257. — III. Ὑοσκύαμος ὑπόξανθος Dioscor. loc. cit.; et *Hyoscyamus semine irionis* Plin. loc. cit. sunt *Hyoscyamus aureus* L. Spec. plant. 257. — IV. Ὑοσκύαμος Hippocr. in var. loc.; Ὑοσκύαμος λευκός Dioscor. 4. 69.; Ὑοσκύαμος ἢ γεροῦλι Græcor. recentior.; et *Hyoscyamus mollis candidis seminibus* Plin. loc. cit. sunt *Hyoscyamus albus* L. Spec. plant. 257.

HŸŎSĔRIS *vel*

HŸŎSĪRIS, is, f. 3. ὑόσερις, herba intubo similis, sed minor et tactu asperior, quæ contusa vulneribus præclare medetur. Hæc *Plin.* 27. *Hist. nat.* 10. 64. (90). *Harduin.* ad *loc. cit.* Rectius legendum *hyoseris,* nam σέρις intubum est, non σίρις: nisi forte ὑός ἶρις quispiam interpretatur, quod vereor, ut probari queat. Juxta cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 434.) genera *hioseris* Herbarior. recentior., *picris, picridium* etc. hanc *Plinii* herbam probabiliter complectuntur.

HŸPÆTROS *vel*

HŸPÆTRUS, a, um, adject. ὕπαιθρος, subdialis, sub dio positus, *scoperto;* ab ὑπό *sub* et αἴθρα *aer.* *Vitruv.* 5. 9. *a med.* Hypæthræ ambulationes habent magnam salubritatem. *Id.* 5. 9. *a med.* In apertis hypæthrisque locis. *Id.* 1. 2. Jovi et Cælo ædificia sub divo hypæthraque constituuntur.

HŸPALLĂGĒ, es, f. 1. ὑπαλλαγή, h. e. immutatio, est figura dictionis, qua aliquid præpostere effertur, ita tamen, ut facile, quod rectum est, intelligatur, ne pro figura vitium sit: ut in illo *Virg.* 3. *Æn.* 61. dare classibus Austros. Ubi *Servius*: hypallage est: nam classes Austris damus. — Ipsa quoque metonymia *hypallage* dicitur a Rhetoribus, teste *Cic.* apud *Quintil.* 8. 6. 23., Græce tamen.

HŸPAMPĔLUS, i, f. 2. *pergola,* ὑπάμπελος, pergula, seu lucus vitibus consitus et contectus; ab ὑπό *sub* et ἄμπελος *vitis.* *Inscript.* apud *Gruter.* 711. 3. HYPAMPELVS HVIC (*tabernæ*) CEDIT IN RIGOREM MACERIAE ET FVRCARVM. *V.* RIGOR.

HŸPĂTĒ, es, f. 1. ὑπάτη.

I.) Proprie est summa chorda in fidibus, quæ acutum sonum reddit. *Vitruv.* 5. 4. et 6. 1. *circa med.* Confer *Capell.* 9. *p.* 315.; et *V.* HYPERHYPATE.

II.) Translate ita appellatur pollex, qui summus, seu maximus digitorum est. *Apul.* in *fragm.* 10. *Met. p.* 717. *Oudend.* Deinde digitis hypate, lichano, mese, paramese et nete hastam mei inguinis niveam spurcitie pluscule excorians emundavit. *h. e.* quinque digitis, summo, indice, medio, anulari et minimo.

HŸPĂTĬUS, a, um, adject. ὑπάτιος, ad hypa-

ten pertinens. *Capell.* 9. p. 326. Primo quippe quum hypatius exorsus harmonicam vim mortalibus divulgaret.

HYPATOIDES, is, m. 3. ὑπατοειδής, modulatio quædam musicalis. *Capell.* 9. p. 326. Melopœiæ species sunt tres, hypatoides, mesoides, netoides: hypatoides est, quæ appellatur tragica, quæ per graviores sonos constat.

HYPECOON, i, n. 2. ὑπήκοον (*h. e. morigerum*; ab ὑπακούω *obedio*), herba in segetibus nascens foliis rutæ: natura ejus eadem, quæ papaveris succo. Hæc ex *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 67. (93). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 455.) hanc exhibet synonymiam: Ὑπήκοον Dioscor. 4. 68.; et *Hypecoon* Plin. loc. cit. sunt *Hypecoum procumbens* L. Spec. plant. 181.

HYPELATE, es, f. 1. ὑπελάτη, lauri species, al. daphoe, carpophyllon, laurus Alexandrina. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (131). De synonymia *V.* DAPHNE.

HYPENEMIUS, a, um, adject. ὑπηνέμιος, ventosus, irritus, ex quo nihil gignitur; ab ὑπό *sub* et ἄνεμος *ventus*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 58. 79. (160). Pariuntque ova irrita, ex quibus nihil gignitur, quæ hypenemia Græci vocant. Adde *eumd. ibid.* 60. 80. (166). *V.* URINUS et ZEPHYRINUS.

HYPERÆOLIUS, a, um, adject. ὑπεραιόλιος, vocatur modus musicus, acutior æolio, a *Cassiod. Music. p.* 587. Confer *Capell.* 9. *p.* 317.

HYPERBASIS, is, f. 3. ὑπέρβασις, transgressio; ab ὑπέρ *supra, trans*, et βαίνω *gradior*. Figura est eadem, quæ hyperbaton: et ad eam reducitur etiam *ysteron proteron*, de quo infra. Sed Græce tantummodo usum habet.

HYPERBATON, i, n. 2. ὑπερβατόν. Figura grammaticalis et rhetorica, per quam partes orationis, neglecta simplici et vulgari dispositione, varie et artificiose inter se commutantur, aliis in locum aliarum abeuntibus; ab ὑπερβαίνω *transgredior*. Oratio enim est aspera et dura, vel saltem dissoluta et hians, si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur. *Quintil.* 8. 6. 62. et 9. 4. 144. — Latine *transgressio* appellatur a *Cic.* 4. *Herenn.* 32. 44. — Ejus quinque sunt species: *Anastropha*, quum duorum verborum ordo mutatur, nullo alio interposito, ut illud *Virg.* 5. *Æn.* 663. Transtra per et remos. *Diacope*, quum dividitur verbum, interposito alio, ut *Cic.* 1. *Att.* 26. *ad fin.* Per mihi, per, inquam, mihi gratum feceris. *Dialysis*, seu *Parenthesis*, quum ordo orationis diducitur, interposita sententia, ut *Plin.* 7. *Ep.* 7. Neque ut magistro magister, neque ut discipulo discipulus (sic enim scribis), sed ut discipulo magister (nam tu magister, ego contra: atque ideo tu in scholam revocas, ego adhuc Saturnalia extendo) librum misisti. *Synchysis*, quum transpositio est obscura, ut *Virg.* 1. *Æn.* 113. Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras. *Catull.* 66. 18. Non, ita me divi, vera gemunt, juerint. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 49. Namque pila lippis inimicum et ludere crudis. *Charis.* 4. p. 246. *Putsch.* — Hæ tamen ipsæ species hyperbati nomine appellantur. Unde quod ad dialysin attinet, *Plin.* post allata verba, subdit statim: Non potui longius hyperbaton facere, atque hoc ipso probare, eum me esse etc. Quod ad anastropham et diacopen, *Quintil. sub fin. l.* 9. Sed ne longioribus quam oportet hyperbatis compositioni serviamus etc. *Idem* vero 8. 6. 62. docet quum decoris gratia trahitur longius verbum, proprie hyperbati nomen tenere, ut in illo *Cic. initio Cluentianæ*. Animadverti, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes. — Est etiam *hyperbaton* apud nonnullos, quod ad apostrophen pertinet, quum scilicet sensus non mutatur, verum forma eloquendi, ut in illo *Virg.* 2. *G.* 169. Extulit hæc Decios, Marios, magnosque Camillos, Scipiadas duros bello, et te, maxime Cæsar. *Quintil.* 9. 3. 91.

HYPERBOLA. *V.* HYPERBOLE.

HYPERBOLÆOS *vel*

HYPERBOLÆUS, a, um, adject. ὑπερβόλαιος, superlatus. Adhibetur aliquoties a *Vitruv.* 5. 4. et 5., ubi agit de sonis musicis: at *hiperbolæon* Genitivus est pluralis, ὑπερβολαίων. Cf. *Boeth.* 1. *Music.* 20. *ad fin.*

HYPERBOLE, es, vel hyperbola, æ, f. 1. *iperbole*, ὑπερβολή, superlatio a *Cic.* 3. *Orat.* 53. 203., superjectio ementiens a *Quintil.* 8. 6. 67. appellata, tropus est, in quo res aliqua ultra modum et præter veritatem augetur, aut minuitur, ut *fulminis ocior alis* apud *Virg.* 5. *Æn.* 319., et *vix ossibus hærent*, 3. *Ecl.* 102. Fit autem pluribus modis, quos *Quintil. ibid.* enumerat et confirmat exemplis. *Cic. Topic.* 10. 45. In hoc genere oratoribus et philosophis concessum est, ut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendæ rei gratia dicatur, aut minuendæ, quæ hyperbole dicitur. *Meliores tamen Codd. rectius Græcis litteris habent, quemadmodum* apud *eumd.* 7. *Fam.* 32. 2. *Seneca* 7. *Benef.* 23. In hoc omnis hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio veniat. *et mox.* Numquam tantum sperat hyperbola, quantum audet: sed incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat. *Quintil.* 8. 6. 73. Hujus quoque rei servetur mensura. Quamvis enim est omnis hyperbole ultra fidem, non tamen debet esse ultra modum, nec alia via magis in κακοζηλίαν itur.

HYPERBOLICE, adverb. ὑπερβολικῶς, *iperbolicamente*, per hyperbolen. *Hieronym. in Isai.* 2. 6. 25. Non autem hyperbolice dictum putamus.

HYPERBOLICUS, a, um, adject. ὑπερβολικός, ad hyperbolen pertinens. Hyperbolica instrumenta apud *Sidon.* 7. *Ep.* 2. *a med.* sunt documenta, seu chirographa, in quibus aliquis ea donat assignatve, quæ non habet, vel aliquid supra dotem sponsæ largitur, quod nos dicimus *contraddote*. Alii legendum putant *hypobolica*; at *Cujacius* rectius *hypobola*, h. e. pigneraticia.

HYPERBOREANUS, a, um, adject. idem atque hyperboreus. *Hieronym.* in *Chron. Euseb.* ad *ann.* 1560. *ab Abraham.* Abaris hyperboreanus ariolus agnoscitur.

HYPERBOREI, orum, m. plur. 2. *V.* voc. seq. init.

HYPERBOREUS, a, um, adject. ὑπερβόρεος, *settentrionale*, quasi supra Boream, dicitur de regionibus, rebus ac populis ad septemtrionem positis; ab ὑπέρ *supra* et βορέας: estque per hyperbolen dictum. Hinc *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 7. *extr.* tradit, antiquis dictos esse hyperboreos, qui loca incolerent super Scythiam et ad Tanaim Istrumque, quasi originem Boreæ introrsus recedendo transisent. *Plin.* quoque 4. *Hist. nat.* 12. 26. (89). hyperboreos locat pone Riphæos montes ultraque Aquilonem, *Gens*, inquit, *felix, si credimus, annoso degit ævo, fabulosis celebrata miraculis. Ibi creduntur esse cardines mundi etc. Paul. Diac.* p. 76. 5. *Müll.* docet, hyperboreos vocari populos, qui humanæ vitæ modum excedant, vivendo ultra centesimum annum, id est ὑπερβαίνοντας ὅρον seculi humani. Sed hæc notatio inepta est. — *a*) Absolute, substantivorum more, de populis. *Cic.* 3. *Nat. D.* 23. 57. Apollo, quem ex hyperboreis Delphos ferunt advenisse. Adde *Melam* 1. 2. 4. et 3. 5. 1.; et *Solin.* 26. — *b*) Adjective de regionibus et rebus. *Horat.* 2. *Od.* 20. 16. hyperborei campi. *Virg.* 3. *G.* 196. Qualis hyperboreis Aquilo quum densus ab oris Incubuit. *Id.* 4. *ibid.* 517. hyperboreæ glacies. Sic *Val. Flacc.* 8. 210. pruinæ. Rursus *Virg.* 3. *G.* 381. hyperboreo septem subjecta trioni Gens effrena virum Riphæo tunditur Euro. *Lucan.* 5. 23. hyperboreæ plaustrum glaciale sub Ursæ. *Claudian.* 6. *Cons. Honor.* 26. arm. *Id. ibid.* 30.; et *Apul.* 11. *Met.* Grypes. *Ovid.* 15. *Met.* 356. Pallene. *Martial.* 8. 78. hyperborei celebrator Stella triumphi. *h. e.* quem Domitianus de Cattis Dacisque egit.

HYPERCATALECTICUS *et*

HYPERCATALECTUS versus, ὑπερκαταληκτικὸν μέτρον, est in quo syllaba vel pes redundat, ut in illo *Virg.* 5. *Æn.* 422. Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque Exuit. *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 2. *Verr.* 10. edente *Bait.* Antiquum Nævii est: *Fato Metelli fiunt consules*. Cui tunc Metellus consul iratus versu responderat senario hypercatalecto, qui et Saturnius dicitur: *Dabunt malum Metelli Nævio poetæ. Servius* in *Centimetr.* p. 1817. *Putsch.* Hypercatalecticum metrum est, ubi supra legitimos pedes syllaba crescit. *Priscian. super* 12. *vers. Æn.* p. 1216. Dicuntur hypercatalectici, quibus abundat una, vel duæ syllabæ. *V.* CATALECTICUS.

HYPERDORIUS, a, um, adject. ab ὑπέρ et δώριος, appellatur modus musicus, acutior dorio, a *Cassiod. Music.* p. 587.

HYPERHYPATE, es, f. 1. ὑπερυπάτη, chorda, quæ in cithara enneachordo addita est chordæ, quæ hypate seu summa erat in cithara octocordo et heptachordo. *Boeth.* 2. *Music.* 20. *p.* 1077. Prophrastus ad graviorem partem (*citharæ*) unam addidit chordam, ut faceret totum enneachordum. Quæ quoniam super hypaten est addita, hyperhypate vocabatur.

HYPERHYPATIUS, a, um, adject. dicitur unus ex modis musicis a *Cassiod. Music. p.* 587. *V.* voc. præced.

HYPERIASTIUS, a, um, adject. appellatur unus ex modis musicis a *Cassiod. Music. p.* 587.

HYPERICON, i, n. 2. *iperico*, ὑπερικόν, herba, quæ et chamæpytis et corion dicitur, oleraceo frutice, tenui, cubitali, rubente, folio rutæ, odore acri, semine in siliqua nigro, maturescente cum hordeo. Aliud est quod et corin appellant, folio tamaricis, et sub ea nascens, sed pinguioribus foliis et minus rubentibus, odoratum, palmo altius, suave, leniter acutum. Hæc ex *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 53. (85). Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 400.) hanc exhibet synonymiam: I. Ὑπερικὸν Hippocr. de Morb. mulier. 1. 610.; Ὑπερικόν, οἱ δὲ ἀνδρόσαιμον, οἱ δὲ κόριον, οἱ δὲ χαμαιπίτυν Dioscor. 3. 171.; et *Hypericon, alii chamæpytin, alii corion* Plin. loc. cit. sunt *Hypericum perforatum* L. Spec. plant. 1105. — II. Κόρις, οἱ δὲ ὑπερικὸν Dioscor. 3. 174.; et *Hipericon, alii corin* Plin. loc. cit. sunt *Hypericum Coris* L. Spec. plant. 1107.

HYPERLYDIUS, a, um, adject. ὑπερλύδιος, unus ex modis musicis, novissimus et acutissimus. *Isid.* 3. *Orig.* 19.; et *Cassiod. Music. p.* 587.

HYPERMETER *et*

HYPERMETRUS versus, ὑπέρμετρος, hypercatalectus, abundans una syllaba, quæ plerumque a prima syllaba subsequentis versus absumitur, ut in illo *Virg.* 1. *G.* 295. Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem, Et foliis undam etc. *Grammatici.*

HYPERMIXOLYDIUS, a, um, adject. ὑπερμιξολύδιος, ita appellatur modus, qui septem aliis modis acutior est. *Boeth.* 4. *Music.* 14. p. 1157. Modorum nomina sunt hæc: hypodorius, hypophrygius, hypolydius, dorius, phrygius, lydius, mixolydius. *et* 16. *p.* 1160. Septem quidem prædiximus esse modos, sed nihil videatur incongruum, quod octavus super annexus est: omnibus quidem acutior modis erit, qui inscribitur hypermixolydius; omnibus vero gravior is, qui hypodorius.

HYPEROCHA, æ, f. 1. ὑπεροχή, exsuperantia, excessus. *Tryphonin. Dig.* 20. 4. 20. Si post primum contractum tuum eidem credidisset quinquaginta, et hyperochan hujus rei, quæ tibi pignori data esset, debitor obligasset. *et mox.* An tibi in quadraginta cederet pignoris hyperocha. *il soprappiù del valore della cosa ipotecata.* Alii minus recte *hypotheca* legunt.

HYPEROCHIUS, a, um, adject. *superiore agli altri*; ab ὑπεροχος aliis præstans. *Inscript.* apud *Gruter.* 657. 4. M. AVRELIO PRIMO VICTORI HYPEROCHIO ALVMNO DVLCISSIMO AVRELIVS EVTYCHIANVS.

HYPERPHRYGIUS, a, um. adject. ab ὑπέρ et φρύγιος, appellatur modus musicus, acutior phrygio, a *Cassiod. Music. p.* 587.

HYPERTHYRIS, idis, f. 3. ὑπερθυρίς, *et*

HYPERTHYRUM, i, n. 2. ὑπέρθυρον, *soprapporto*, ornamentum portæ, quod supra limen ejus superius ponitur sub corona, et zophori vicem præstat; ab ὑπέρ *supra* et θύρα *janua*. *Vitruv.* 4. 6. Supra cymatium, quod erit in supercilio, collocandum est hyperthyrum crassitudine supercilii, et in eo scalpendum est etc. *Alii minus recte leg.* hypothyrum. *Id. ibid. infra.* Quemadmodum in Doricis hyperthyridibus. *Schneiderus* in sua editione hic omisit *hyperthyridibus*

HYPEZOCOTE, f. ab ὑποζώννυμι, unde part. ὑπεζωκώς, *subcingo*, dicitur membrana quædam a *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 34. *ante med.* Hypezocota membrana patiente. Est ὑπεζωκὼς ὑμὴν *Galen.*; eadem quæ *hypodyma* et *hypozygos*.

HYPHEAR, aris, n. 3. ὕφεαρ, visci genus in abiete, larice et quercu nascens. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 93. (246). Adde *eumd. ibid.* 30. 52. (120)., ubi et buxo tribuit.

HYPHEN, neutr. indecl., ὑφ᾽ ἕν, ὑφέν, ab ὑπό *sub* et ἕν *unum*, dicitur a Grammaticis, quum duæ dictiones ita pronunciatione junguntur, ut sub unum accentum cadant: et solet notari aliquando lineola, quæ utramque dictionem copulet. *Priscian.*

de accent. p. 1287. *Putsch.* Quid est hyphen? Virgula subjecta versui hac nota ‿, qua duo verba, quum res exigit, copulamus, ut *ante‿tulit gressum.* Similiter *Diomed.* 2. *p.* 420. *Putsch.* His adjiciunt hyphen, cujus forma est virgula sursum curvata, subjacens versui et inflexa ad superiorem partem: hac nota ‿ supposita utriusque versui proximas litteras in una pronunciatione colligit; ita tamen ut, quum res exegerit, copulemus: ut est *ante‿tulit gressum*, et apud Sallustium: *Jam primum juventus simul‿ac belli patiens erat. Simul‿ac.* hyphen legendum; est enim una pars orationis. Adde *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 202.; et *Isid.* 1. *Orig.* 18. 6. Tale est illud *Ter. Andr.* 1. 2. 4. Et heri semper‿lenitas, verebar, quorsum evaderet. *Alii tamen volunt* τὸ semper *referri ad* verebar.

HYPNĂLĒ, es, f. 1 ὑπναλή, species aspidis, quæ morsu somnum et mortem inducit; ab ὕπνος somnus. *Solin.* 27. *a med.* Adde *Isid.* 12. *Orig.* 4. 13., ubi *hypnalis* dicitur.

HYPNŌTĬCĒ, es, f. 1. ὑπνωτική, herba soporifera. *Apul. Herb.* 74.

HYPNŌTĬCUS, a, um, adject. *soporifero*, ὑπνωτικός, somnum suadens, inducens; ab ὕπνος somnus. *Theod. Priscian. l.* 2. *p.* 2. *c.* 18. Derivatio etiam hypnotica convenit.

HY̆PŎÆŎLĬUS, a, um, adject. ab ὑπὸ et αἰόλιος, modus musicus, æolio gravior, apud *Cassiod. Music. p.* 587.

HY̆PŎBĂSIS, is, f. 3. ὑπόβασις, *piedestallo, basamento*, fulcimentum, quod sub basi ponitur: basis enim est sedes statuæ plerumque eidem juncta et ejusdem cum statua materiæ; hypobasis vero ipsius baseos est sedes, et quidem marmorea vel saxea. *Inscript.* apud *Gruter.* 48. 1., quæ est apud *Orell.* 1541. SANCTISSIMO HERCVLI INVICTO CRATERAM AEGYROCORINTHIAM CVM BASI SVA ET HYPOBASI MARMOREA SVA PECVNIA DONVM DEDERVNT. Adde *aliam* apud *Gruter. p.* 10. 2. et apud *Orell.* 1670., quam tamen postremam spuriam esse probat *B. Borghesius Sopra due tessere gladiator. n.* 5. *p.* 47.

HY̆PŎBŎLĬCUS *vel* hypobolus, a, um, adject. ὑπόβολος, pignerationi obnoxius. *V.* HYPERBOLICUS.

HY̆PŎBŎLĬMÆUS, a, um, adject. ὑποβολιμαῖος, qui in alterius locum succedit, suppositus, subditicius; ab ὑποβάλλω *suppono, subjicio*: cui opponitur γνήσιος *legitimus.* Specialim tantum occurrit; et *Hypobolimæus Æschinus* apud *Gell.* 15. 11. et *Hypobolimæus Cherestratus* apud *Paul. Diac. p.* 174. 4. *Müll.* tituli sunt comœdiarum Cæcilii; item *Menandri* apud *Quintil.* 1. 10. 70. *V.* BASTRARIUS.

HY̆PŎBŎLUS. *V.* HYPERBOLICUS.

HY̆PŎBRY̆CHĬUM, ii, n. 2. ὑποβρύχιον, vorago in aqua devorans et absorbens homines et navigia; a βρύχω *devoro. Tertull. Idolol.* 24. Inextricabile impactis naufragium est; irrespirabile devoratis hypobrychium in idololatria.

HY̆PŎCAUSIS, is, f. 3. ὑπόκαυσις, idem atque hypocaustum. *Vitruv.* 5. 10. Testudines alveolorum ex communi hypocausi calefacientur.

HY̆PŎCAUSTON *vel*

HY̆PŎCAUSTUM, i, n. 2. ὑπόκαυστον, *stufa, fornello*, vaporarium, locus in thermis concameratus et fornicatus, qui igne calefit; quasi subeccensum, ab ὑπὸ *sub* et καίω sive καύω *accendo.* Inventum fuit præcipue ad sudandum. *Vitruv.* 5. 10. *de balneis.* Est animadvertendum, uti caldaria muliebria virilaque conjuncta et in iisdem regionibus sint collocata. Sic enim efficietur, ut in vasaria ex hypocausto communis sit usus eorum utrisque. Ahena super hypocaustum tria sunt componenda etc. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. *vaporarium* appellare videtur. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *a med.* Applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet. *Stat.* 1. *Silv.* 5. 59. tenuem volvunt hypocausta vaporem. — *Unctuarium hypocauston* apud *Plin. cit. l.* 2. *Ep.* 17. *ante med.* est cubiculum in balneis, ubi lavaturi ungebantur. — Adjective *diætæ hypocaustæ* quid sint, *V.* in DIÆTA.

HY̆PŎCHŒRIS, idis, f. 3. nomen ejus herbæ, quam ita memorat *Plin.* 21. *Hist. nat.* 15. 52. (89). Reliqua vulgarium in cibis apud eos (*Ægyptios*) herbarum nomina chondrylis, hypochœris, caucalis etc.

HY̆PŎCHONDRĬA, ōrum, n. plur. 2. ὑποχόνδρια, ilia. Occurrit apud *Theod. Priscian. de diæt.* 10.

HY̆PŎCHY̆MA, atis, n. 3. ὑπόχυμα, idem quod hypochysis, suffusio. *Marcell. Empir.* 8. *ante med.*

HY̆PŎCHY̆SIS, is, f. 3. *suffusione*, ὑπόχυσις, Latine *suffusio*, ab ὑπὸ *sub* et χέω *fundo*, est morbus oculorum, quo visus amittitur. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 91. (143). Ad hypochysin et caliginem cyclaminon in pastillos diluunt. Adde *Cels.* 6. 6. 35. qui Græce; et *Veget.* 3. *Veterin.* 17. 2.; et *Marcell. Empir.* 8. § 2. *ad fin.*, qui Latine scribunt.

HY̆PŎCISTHIS, idis, f. 3. ὑποκιστίς, herba est sub cistho nascens (unde et nomen), duorum generum, candida et rufa, malo granato immaturo similis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 10. 48. (81). et 26. *ibid.* 8. 49. (81)., item 28. *ibid.* 16. 62. (219)., ubi quarto casu *hypocisthida* habet, et *ibid.* 11. 48. (177)., ubi *hypocistidem.* Adde *Scribon. Compos.* 11., 113. et 170. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 391.) hanc exhibet synonymiam: Ὑποκιστίς Hippocr. *de* Nat. mulier. 572. et Dioscor. 1. 127.; *Tarasith* Arabor. et Galen. de simpl. med. 7.; φιλλεσάλε Punicor.; et *Hypocisthis* et *orobethron* Plin. locc. citt. sunt *Cytinus Hypocisthis* L. Spec. plant. 633.

HY̆PŎCŎRĬĀSIS, is, f. 3. ὑποκορίασις, morbus jumentorum sub κόρῃ, *h. e.* pupilla oculi. *Veget.* 2. *Veterin.* 16.

HY̆PŎCŎRISMA, ătis, n. 3. ὑποκόρισμα, forma, quam habent nomina, quæ deminutiva appellantur. *Charis.* 1. *p.* 24. *Putsch.* Monoptota hypocorismata non recipiunt.

HY̆PŎCRĬSIS, is *vel* eos, f. 3. ὑπόκρισις.

I.) Proprie est simulatio, imitatio, pronunciatio, qua aliquam rem aut personam voce, gestu repræsentamus; ab ὑποκρίνομαι *simulo, fingo. Donatus* in *Vita Virg. n.* 11. Seneca tradidit, Julium Montanum poetam solitum dicere, involaturum se quædam Virgilio, si vocem posset et os et hypocrisin. *Pseudo-Ascon.* quoque habet, sed Græce, ad *Cic.* 3. *Verr.* 33. et 42. *edente Bait.* Ceterum *Jul. Rufinian. de schemat. lex.* 7. *Frotscher.* Hypocrisis est figura sententiæ, quum adversarium gestu et pronunciatione extollimus, vel abjicimus et spernimus, ut in illo (*Virg.* 3. *Ecl.* 25.): *Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera Juncta fuit?* Auditur enim: Tu nullius alloqui, illum autem magnum in canendo. (*Virg.* 2. *Ecl.* 25.): *Non ego Daphni Judice te metuam.* Scilicet mihi iniquus es, et non recte judicaturus. Latine dicitur *pronunciatio.*

II.) Translate est simulatio virtutis et pietatis. *Vulgat. interpr. Matth.* 23. 28. Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. *et Luc.* 12. 1. Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

HY̆PŎCRĬTA *vel*

HY̆PŎCRĬTES, æ, m. 1. ὑποκριτής, ab ὑποκρίνομαι *fingo.*

I.) Proprie est histrio, qui alienam personam voce, gestu simulat et repræsentat; et stricto sensu dicitur de histrione secundarum partium, qui primi actionem observat et imitatur. *Sueton. Ner.* 24. In quodam tragico actu, quum elapsum baculum cito resumpsisset, pavidus et metuens, ne ob delictum certamine submoveretur, non aliter confirmatus est, quam adjurante hypocrita, non animadversum etc. *Quintil.* 2. 17. 12. Demadem remigem et Æschinem hypocriten oratores fuisse. Adde *eumd.* 11. 3. 7.

II.) Translate est simulator, ac præcipue virtutis et pietatis, *ipocrita* Italis dicitur. *Vulgat. interpr. Job* 8. 13. Spes hypocritæ peribit. *Id. Matth.* 6. 2. Noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis.

HY̆PŎDĬĀCŌNUS, i, m. 2. *suddiacono*, ὑποδιάκονος, qui sub diacono minister est. *Hieronym. Ep.* 51. *n.* 2. Miserunt ad nos diaconos et hypodiaconos. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 16. 2. 7. Lectores divinorum apicum et hypodiaconi ceterique clerici.

HY̆PŎDĬDASCĂLUS, i, m. 2. *sottomaestro, repetitore*, ὑποδιδάσκαλος, qui in ludo litterario secundas agit, et magistri vicem præstat, secundariam operam præbendo; ab ὑπὸ sub et διδάσκαλος *magister.* Translate et ironice *Cic.* 9. *Fam.* 18. *in fin.* Sella tibi erit in ludo tamquam hypodidascalo, *h. e.* proxime sellæ meæ, qui utpote magister in sella sedeo curuli. *Id.* autem addit: Eam pulvinus sequetur. *ecll.* quia honoratioribus viris pulvinus etiam subjiciebatur.

HY̆PŎDŌRĬUS, a, um, adject. ὑποδώριος, ita appellatur modus musicus, qui gravior est dorio. *V.* HYPERMIXOLYDIUS; et adde *Isid.* 3. *Orig.* 19.; et *Cassiod. Music. p.* 587.

HY̆PŎDRŎMUS, i, m. 2. *luogo coperto da passeggio*, ὑπόδρομος, locus tectus deambulationi aptus. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *ante med.* Hac latus xysti et quod prosilit villæ, hac adjacentis hypodromi nemus comasque prospectat. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *ante med.* A parte vestibuli longitudo tecta interius patet: quæ quia nihil ipsa prospectat, etsi non hypodromus, saltem cryptoporticus meo mihi jure vocitabitur. Alii utroque loco leg. *hippodromus*: quæ mutatio perfacilis est: videtur tamen hisce locis *hippodromus* non apte convenire, in quibus de villæ membris sermo est. Nihilominus contrariam sententiam amplexus est *Gierigius*, qui ad *Plin. loc. cit.* multis probat legendum *hippodromi.* V. *Sirmondi* adnotat. ad *Sidon. loc. cit. p.* 27.

HY̆PŎDY̆MA, atis, n. 3. ὑπόδυμα. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. § 75. Laxato etiam hypodymate sive membrana, quæ latera ex interioribus contegit, sine ullo periculo poterit collectus spiritus exhalari. *h. e.* pleura et mediastino. *V.* HYPEZOCOTE et HYPOZYGOS.

HY̆PŎGÆUM, i. *V.* HYPOGEUM.

HY̆PŎGĒSON, i, n. ὑπόγεισον, adjunctum est sisoi majoris, quoniam in subgrundiis fere nascitur; ab ὑπὸ *sub* et γεῖσον *subgrundium. Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. (160).

HY̆PŎGĒUM, i, n. 2. ὑπόγαιον et ὑπόγεον. Scribitur et *hypogæum* (ut Græce ὑπόγαιον). *Inscript.* apud *Don. cl.* 8. *n.* 14. et apud *Gruter.* 1114. 3. — Hypogeum est locus subterraneus; ab ὑπὸ *sub* et γαῖα *terra, luogo sotterraneo. Vitruv.* 6. 11. Ædificia, quæ plano pede instituuntur *etc.* Sin autem hypogea concamerationesque instituentur, fundationes fieri debent crassiores. — De sepulcro. *Petron. Satyr.* 11. In conditorium prosequuta est defunctum, positumque in hypogeo corpus custodire ac flere cœpit.

HY̆PŎGLOSSA, æ, f. 1. ὑπόγλωσσον, herba est folia habens figura silvestris myrti, concava, spinosa, et in his ceu linguas, folio parvo exeunte de foliis. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 67. (93). *V.* HIPPOGLOSSA. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 455.) hanc exhibet synonymiam, sed *hippoglossam* scribens: Ὑπόγλωσσον Dioscor. 4. 132. et Galen. de Fac. simpl. med. 8. *p.* 238.; et *Hypoglossa* Plin. loc. cit. sunt *Ruscus Hypoglossum* L. Spec. plant. 1474.

HY̆PŎGLOTTĬON, ii, n. 2. ὑπογλώττιον, herba eadem ac laurus Alexandrina, daphne, hypelate. Ejus meminit *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (131). — Eadem *hypoglossion* dicitur *Apul. Herb.* 58. *V.* HIPPOGLOTTION. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 275.) eamdem exhibet synonymiam, quam retulimus in voc. præced.

HY̆PŎGRĂPHUM, i, n. 2. ὑπόγραφον, *copia*, exemplum, res ab alio dictata et descripta; ab ὑπογράφω *describo. Augustus* apud *Donat. Vit. Virgil. n.* 12. Vel prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret. *Burmannus* suspicatur legendum *primam carminis hypographen*, et *Gesnerus* ad *Claudian. p.* 630. *hypographa* primum in chartas vel ceras conjecta esse enuotabat, nondum emendate et accurate perscripta. Quod probandum videtur; nam *apographum* Latini dicunt, quod nunc Itali *copia.*

HY̆PŎĬASTĬUS, a, um, adject. appellatur modus musicus, iastio gravior, a *Cassiod. Music. p.* 587.

HY̆PŎLY̆DĬUS, a, um, adject. ὑπολύδιος, ita appellatur modus musicus, qui lydio gravior est. *V.* HYPERMIXOLYDIUS; et adde *Cassiod. Music. p.* 587.

HY̆PŎLY̆SOS, i, f. 2. ὑπόλυσος, herba eadem atque Artemisia, ideo sic appellata, quia oculorum, pedum et intestinorum dolores sedat; ab ὑπόλυσις *resolutio. Apul. Herb.* 10.

HY̆PŎMĒLIS, idis, f. 3. ὑπομηλίς, est pomum sorbo simile, mediocri arbore nascens et flore candidulo, dulcedine cum acuto sapore commixta. Ipsa arbor inseri non potest: exigue durat ætate. Hæc et alia *Pallad.* 13. *R. R.* 4. 1. Hujusmodi pomum *azzeruola* Itali dicunt. *V.* TUBER. Hinc sequentia

leguntur apud *Isid.* 17. *Orig.* 7. 12. Epimelis (*sic pro* Hypomelis) sorbo similis, mediocris arbor est et flore candidulo, dicta, quod dulcis sit ejus fructus acuto sapore commixtus. Hæc arbor ætate durat exigua.

HȲPŎMNĒMA, ătis, n. 3. ὑπόμνημα, *libro di memorie, trattato,* commentarius, in quo res perscribuntur memoriæ causa, ut fusius postea describantur ac plenius; ab ὑπομιμνήσκω *reminisci facio.* Item quilibet commentarius, aut liber. Græce *Cic.* 2. *Att.* 1. Nostrum illud ὑπόμνημα quum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram. Latine *Cic. fil. ad Tiron.* 16. *Fam.* 21. *extr.* Peto a te, ut mihi librarius mittatur: multum mihi enim eripitur operæ in exscribendis hypomnematis. De hoc Dativo plurali *V.* EMBLEMA.

HȲPŎMNĒMĂTŎGRĂPHUS, i, m. 2. ὑπομνηματογράφος, qui hypomnemata scribit, commentariensis. *Impp. Theodos.* et *Valentinian. Cod.* 10. 31. 59. et *Cod. Theod.* 12. 1. 192. Si quos spontaneos hypomnematographi muneficos suis exhortationibus ad publicas nominaverint functiones etc. *h. e.* qui secundus fuit inter principales curiæ Alexandrinæ, et ad curialia munera subeunda idoneos nominabat: hujus meminit etiam *Strabo l.* 17. *p.* 1148.

HȲPŎMŎCHLĬON, n. 2. *sottoleva, sollalza,* ὑπομόχλιον, id quod vecti subjicitur ad levanda onera; ab ὑπό *sub* et μοχλός *vectis.* Adhibetur a *Vitruv.* 10. 8. semel Græcis, semel Latinis litteris. *V.* PRESSIO.

HȲPŎMŎNĒ, es, f. 1. ὑπομονή, est figura, de qua hæc *Jul. Rufinian de fig. sent. et eloc.* 31. *Frotscher.* Paradoxon, sive hypomone, sustentatio, vel inopinatum. Hoc schema suspendit sensum, deinde subjicit aliquid eo, contra exspectationem auditoris, sive magnum, sive minus. *V.* PARADOXON.

HȲPŎPHŎRA, æ, f. 1. ὑποφορά, objectio, est figura rhetorica. *Capell.* 5. *p.* 186. Hypophora autem est intentio adversæ partis: anthypophora est responsio ejus. *V.* ANTHYPOPHORA.

HȲPŎPHRȲGĬUS, a, um, adject. ὑποφρύγιος, ita appellatur modus musicus, qui gravior est phrygio. *V.* HYPERMIXOLYDIUS; et adde *Cassiod. Music.* p. 587.

HȲPŌPĬUM, ii, n. 2. *lividura sotto l'occhio,* ὑπώπιον, sugillatio sub oculo, morbus oculorum, quum nempe ex contusione sanguis ultimam cutem sic subierit, ut appareat ὑπό ὠπός, sub oculo. *Theod. Priscian.* 1. 10. Si quidam tumor circa interiorem oculorum angulum apparuerit, quem hypopium dicimus, hoc modo reprimendus erit.

HȲPŎPŎDĬON, ii, n. 2. ὑποπόδιον, suppedaneum, quod sub pedibus ponitur. *Paul. Sentent. recept.* 3. 6. 65. Instrumento balneaturio legato, balneator ipse et scamna et hypodia (*lege* hypopodia), fistulæ, miliaria, epistomia, rotæ aquariæ legato cedunt.

HȲPŎSTĂSIS, is *vel* eos, f. 3. *ipostasi,* ὑπόστασις, subsistens persona; ab ὑπό *sub* et ἵστημι *sto. Imp. Justinian. Cod.* 1. 1. 6. Unam essentiam divinam in tribus hypostasibus, sive subsistentibus personis etc. Adde *Hieronym. Ep.* 15. *ad Damas.*, ubi de hac voce multa.

HȲPŎTAURĬUM, ii, n. 2. ὑποταύριον, locus subjectus peni et testiculis inter anum et scrotum. *Veget.* 2. *Veterin.* 18. 2. *Schneid.* A cervice vesicæ sub ipso ano ad hypotaurium versus palpabis digitis, et calculum ibi invenies. *Alii perperam leg.* hippocentaurum.

HȲPŎTĒNŪSA, æ, f. 1. ὑποτείνουσα, scil. γραμμή, *ipotenusa,* linea, quæ angulo recto subtenditur, ab ὑποτείνω *subtendo. Hygin. de limit.* p. 176. *Goes.* Ejiciamus hypotenusas ex C in A et ex D in A. *V.* SUBTENDO. *Boeth. Geom.* 2. p. 1521. Unitas aggregetur, erit hypotenusæ pedatura.

HȲPŎTĒNŪSĀLIS, e, adject. ad hypotenusam pertinens, ex hypotenusa constans. *Sicul. Flacc.* p. 27. *Goes.* Limites hypotenusales, duodecimani. *Boeth.* 2. *Geom.* p. 1217. Cathetus autem et basis tali sunt indagandi ratione. Ducatur hypotenusalis summa viginti quinque in se, et in sex centum et viginti quinque redundat.

HȲPŎTHĒCA, æ, f. 1. *ipoteca, pegno,* ὑποθήκη, res, quæ pignori datur; ab ὑποτίθημι *suppono,* quia supponitur pro pecunia aliave re, quæ debetur. Græcis litteris *Cic.* 13. *Fam.* 56. Philotes Alabandensis ὑποθήκας Cluvio dedit. Hæc commissæ sunt. Cures velim, ut aut de hypothecis decedat easque procuratoribus Cluvii tradat, aut pecuniam solvat. *Martian. Dig.* 20. 1. 16. Fundum hypothecæ dare. *Id. ibid.* 5. Hypothecam dare pro re aliqua. *Cajus ibid.* 4. 11. *a med.* Hæc res est hypothecæ. *Martian. ibid.* 12. Res est in hypoteca. *et ibid. in fin.* Hypothecam alicui obligare. *Id. ibid.* 6. 5. Hypothecam liberare. — Inter hanc et pignus tantum nominis sonus differt, ut ait *Martian. Dig.* 20. *tit.* 1. *qui est* De pignoribus et hypothecis, *leg.* 5., quum illa Græca vox sit, hoc Latinum. Interdum tamen in usu loquendi ita distinguuntur, ut pignus de iis rebus dicatur, quæ simul etiam creditori traduntur, maxime si mobiles sint: *hypotheca* de iis, quæ sine traditione, sola conventione obligantur, uti docent *Ulp. Dig.* 13. 7. 9. et *Justinian.* 4. *Institut. tit.* 6. § 7. Hinc *Papinian. Dig.* 20. 1. 2. Pignora, vel hypothecas suscipere. *Id. ibid.* 4. 1. Pignus, sive hypothecam accipere. — Apud *Martian. ibid.* 6. 8. pignori hypothecam accipere, est rem pignori accipere.

HȲPŎTHĒCĀRĬUS, a, um, adject. *ipotecario,* ad hypothecam pertinens; ut *hypothecaria actio,* quæ datur creditori hypothecæ persequendæ causa. *Cajus Dig.* 20. 4. 1. *extr.* Videndum an competat ei hypothecaria actio. *Ulp. ibid.* 42. 7. 1. Hypothecarius creditor. *h. e.* qui sub hypotheca rem, vel pecuniam alteri credit.

HȲPŎTHĔSIS, is, f. 3. *questione particolare,* ὑπόθεσις, ab ὑποτίθημι. A Rhetoribus dicitur quæstio definita et certa, quæ versatur circa particulares actiones, aut personas: quod si infinita sit, *thesis* dicitur. V. gr. si quæratur, Num omnino uxor ducenda sit, thesis dicitur; sin hoc in controversiam veniat, An Catoni Martia ducenda sit, hypothesis vocatur. *Cic. Topic.* 21. 79. Quæstionum duo sunt genera, alterum infinitum, alterum definitum: definitum est, quod ὑπόθεσιν Græci, nos causam; infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare. Adde *Quintil.* 3. 5. 18.; et *Capell.* 3. p. 140., sed et ipsos Græce usurpantes.

HȲPŎTHĔTĬCUS, a, um, adject. *ipotetico,* ὑποθετικός, conditionalis. *Cassiod. de Syllog.* p. 572. Alii (*syllogismi*) conditionales, quos hypotheticos dicimus. *Id. ibid.* p. 569. Legat librum Marii Victorini, qui inscribitur de syllogismis hypotheticis. — Hinc

Hypothetici, ōrum, absolute dicuntur mathematici, qui sæpissime in propositionibus suis demonstrandis hypothesi utuntur. *Apul.* 3. *Dogm. Plat. ad fin.* Ut etiam, hypotheticorum more, per litteras ordine propositionum et partium commutato, sed vi manente, sit primus indemonstrabilis: *A de omni B, et B de omni C, igitur A de omni C.* Adde *Isid.* 2. *Orig.* 18.

HȲPŎTHȲRUM, i, n. 2. ὑπόθυρον, ipsum vacuum ostii, *lo spazio o lume della porta,* ab ὑπό *sub* et θύρα *janua. Vitruv.* 4. 6. Lumen autem hypothyri constituatur sic etc. *Schneiderus* ex Codd. edidit *hypæthri pro hypothyri,* quod primus ex conjectura induxerat *Jocundus;* nam ὑπόθυρον non ostii lumen, sed ejusdem limen inferius significat, ut ὑπέρθυρον est limen superius: lumen vero ostii *hypæthrum* recte dixeris, quum vacuum, nec tectum sit.

HȲPŎTRĂCHĒLĬUM, ii, n. 2. ὑποτραχήλιον, pars colli ad dorsum, infra cervicem; ab ὑπό *sub* et τράχηλος *collum.* Translate dicitur ea columnæ pars, quæ sub astragalo leniter contrahitur, *collarino;* et sic usurpatur a *Vitruvio* 3. 2. et 3., et 4. 3. et 7.

HȲPŎTRIMMA, ătis, n. 3. ὑπότριμμα, genus condimenti ex pipere, dactylis, melle, uva passa, caseo, aceto et aliis, quæ *Apic.* recenset 1. 33., in cujus lemmate hæc vox legitur. Est a τρίβω *tero;* et Latine *intritum* dici potest.

HȲPŎTȲPŌSIS, is, f. 3. ὑποτύπωσις, figura oratoria, est rei alicujus narratio ad vivum expressa. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 202. vocat subjectionem sub adspectum: *Quintil.* 9. 2. 40. et 58. formam rerum verbis expressam: *Celsus* apud *Quintil. ibid.* evidentiam.

HȲPŎZEUXIS, is, f. 3. ὑπόζευξις, figura locutionis, quum diversæ clausulæ singulis verbis redduntur, ut *Virg.* 10. *Æn.* 149. Regem adit, et regi memorat nomenque genusque; Quidve petat, quidve ipse ferat; Mezentius arma Quæ sibi conciliet; violentaque pectora Turni Edocet: humanis quæ sit fiducia rebus, Admonet, admiscetque preces. Haud fit mora: Tarchon jungit opes fœdusque ferit. *Charis.* 4. p. 250. *Putsch.*, et *Diomed.* 2. p. 439.; et *Jul. Rufinian. de schemat. lex.* 4. *Frotscher.*

HȲPŎZȲGOS, i, f. 2. ὑπόζυγος, pleura. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 11. *sub init.* Membrana, quæ interius latera cingit, a Græcis hypozygos appellata. *Id. ibid.* 12. *circa med.* Si vero, qui ex hypozygo membrana fluores venerint, difficiles curatione judicantur: et magis, si ex diaphragmate. *Id.* 5. *ibid.* 10. *ad fin.* Quæ (*vomicæ*) in diaphragmate, vel hypozygo, aut jecore, aut liene generatæ rumpuntur. *V.* HYPEZOCOTE et HYPODYMA.

HYPSĔLOGRAMMUS, a, um, adject. ὑψηλόγραμμος, qui alte inscriptus est. *Frontin. de colon.* p. 112. *Goes.* Si scriptus hypselogrammus fuerit terminus.

HYPSŌMA, ătis, n. 3. ὕψωμα, exaltatio, altitudo; ab ὕψος *altitudo. Tertull. ad Scapul.* 3. Sol positus in suo hypsomate et domicilio.

HYPTĬUS, a, um, adject. ὕπτιος, supinus. *Apul. Herb.* 3. Græci hierobotanen, iidem peristereona hyption (*vocant*). et *mox.* Latini columbinam supinam (*vocant*).

HYSGĪNUM, i, n. 2. color est, de quo non satis constat. Quidam eum putant qui nunc Italis *guado;* alii hyacinthinum, quod non multum distat: alii flavum: alii (quod verius esse videtur) e coccino purpureoque mixtum. Est ab ὕσγη, quæ *Suidæ* herba est, tingendis apta lanis. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 41. 65. (140). Cocco tinctum Tyrio tingere, ut fieret hysginum. *Id.* 21. *ibid.* 26. 97. (170). Hyacinthus in Gallia maxime provenit. Hoc ibi fuco hysginum tingitur. Adde *eumd.* 35. *Hist. nat.* 6. 26. (45).; et *Vitruv.* 7. 14. *Pasq. Amati de restit. purpurar.* p. 38. *ad fin.* rationem conficiendi coloris hysgini docet: *Mich.* vero *Rosa, delle porp.* p. 13. *ad fin.,* statuit, colorem hysginum esse, quem Itali *ponsò* vocant.

HYSSŌPĪTES, æ, m. 1. ὑσσωπίτης οἶνος, vinum hyssopo conditum. *Colum.* 12. *R. R.* 35. 1. Vinum absinthites et hyssopiten et abrotoniten sic condire oportet. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (109). Vinum hyssopites fit a Cilicio hyssopo, unciis tribus in duos congios musti conjectis, aut tusis in unum. *V.* ABROTONITES.

HYSSŌPUM, i, n. 2. Et unica s scripsit et penultimam corripuit neutra in re imitandus *Æmil. Macer cap. de hyssopo.* Est hysopum siccum, calidum quoque: tertius illi Est in utroque gradus. — Reperitur etiam *hyssopus, i,* f. 2. Græce quoque ὕσσωπος, ἡ. *Cels.* 4. 8. Mulsa aqua, cum qua vel hyssopus cocta sit. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 22. Remedio sunt hyssopus et sal æquis ponderibus contrita. Adde *Scribon. Compos.* 49., 100. et 270. — Ceterum hyssopum, *isopo, isapo,* ὕσσωπον, herba est, quæ cum nostro hyssopo nomen tantum habere communem creditur, baccas producens, corymborum specie: optima proveniens in Tauro Ciliciæ, in Pamphylia et Smyrnæo agro. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 11. 87. (136). et 26. *ibid.* 11. 70. (114). et 12. 76. (124). *Dioscorid. l.* 3. *c.* 30. nulli non cognitam herbam esse ait, et duo ejus genera facit, montanum et hortense: neutrum tamen describit. *Cels.* 2. 21. inter ea, quæ mali succi sunt, enumerat. — Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 360.) hanc exhibet synonymiam: Ὕσσωπος Hippocr. de Morb. mulier. 1. 606. et Affect. 529., et Nicand. Ther. 872. et Alexiph. 601.; Ὕσσωπος ὀρεινή Dioscor. 3. 30.; et *Hyssopum Pamphylium, Smyrnæum* etc. Plin. loc. cit. suntne *Thymbra spicata?* L. Spec. plant. 795.

HYSTĔRĬCUS, a, um, adject., ut Hystericæ feminæ, ὑστερικαὶ γυναῖκες, obnoxiæ uteri suffocationi, quæ usu venereæ libidinis tollitur; ab ὑστέρα *matrix. Martial.* 11. 71. Hystericam vetulo se dixerat esse marito Leda. *Id. ibid.* 7. Dicet et hystericam se forsitan. *Utroque loco alii leg.* ictericam, *sed minus recte.* V. SUFFOCATIO. — Etiam *stericus* scribitur. *Æmil. Mac.* 1. 13. Doritias solvit stericas.

HYSTĔRŎLŎGĬA, æ, f. 1. ὑστερολογία, locutio præpostera. Figura, quum sententia ordine commutatur, scil. quum id, quod priore loco dicendum erat, posteriore dicitur, ut *Virg.* 3. *Æn.* 662. Postquam altos tetigit fluctus et ad æquora venit. Nam

prius est *ad æquora venit*. *Servius* hic *hysteron proteron* dicit, *h. e.* posterius prius, ὕστερον πρότερον: ut et ad illud 3. *G*. 60. Lucinam justosque pati hymenæos: *hysterologiam* vero ad illud 9. *Æn*. 816. ille suo cum gurgite flavo etc. Adde *Diomed*. 2. *p*. 457. *Putsch*.; item *Cic*. 1. *Att*. 16., sed Græce.

HYSTĔRON proteron. *V*. in voce præced.

HYSTRĪCŌSUS, a, um, adject. (hystrix) spinosus, aculeatus, hispidus. Translate *Hieronym*. 1. *in Rufin*. 7. Hystricos et lividæ mentis homo. *h. e.* ad pungendum et obtrectandum paratus.

HYSTRĪCŬLUS, a, um, adject. deminut. hystricosi, pilis vestitus, ut Hystriculus puer, apud *Tertull*. *Pall*. 4., ut legit *Salmasius*, est puer pubes. *Arnob*. 5. 25. In speciem levigari nondum duri atque hystriculi pusionis. *Al. leg.* striculi, ut *etiam legitur* Spauus *pro* Hispanus. *Paul*. *Diac*. *p*. 101. 4. *Müll*. Hirtipili (*Forcellinus leg* Histriculi) durorum pilorum homines. At *Müllerus* alteram lectionem jure tuetur; hystriculus enim pilis vestitus mollibus, minime vero *duris*. *Gloss*. *Philox*. Histriculus, δασύτριχος.

HYSTRIX *vel* histrix, icis, f. 3. *porco spinoso*, ὕστριξ, ὕσθριξ et ἴστριξ, animal spinis contectum ex herinaceorum genere; a vocibus Græcis allatis, quæ ab ὗς sus et θρίξ *pilus*. *Plin*. 8. *Hist*. *nat*. 35. 53. (125). Hystrices generat India et Africa spina contectas ac herinaceorum genere, sed hystrici longiores aculei, et, quum intendit cutem, missilibus ora urgentium figit canum, et paullo longius jaculatur. Hibernis autem se mensibus condit etc. *Calpurn*. 6. *Ecl*. 14. Venit et hirsuta spinosior hystrice barba. *Claudian*. *Edyll*. 4. agit de hystrice.

De littera I

I, i, est *A*) Littera alphabeti; et *B*) Nota numeralis.

A) Quamquam *I*, *i* vocalis communem apud veteres habuerit figuram cum *J*, *j* consona, ac propterea *Forcellinus* alteram cum altera commiscuerit; nos tamen in hac editione *I* vocalem ab *J* consona distinguendam ac separatim exhibendam putavimus: *V*. de littera *J* loco suo. Itaque — *a*) *I*, *i* est nona Latini alphabeti littera et tertia Latinarum vocalium, tum figura, tum sono ceterarum gracillima. — *b*) Hinc, quemadmodum o apud Græcos, *i* apud Latinos vocabulis componendis colligandisque sæpissime inservit, ut in v. *ærifodina*, *æripes*, *altitudo*, *altisonus*, *arcitenens*, *homicida* etc. — *c*) *I* maxime cum *u* cognatione conjungitur (qua de re *V*. plura apud *Vel*. *Long*. *de orthogr*. *p*. 2235. *Putsch*.) ut patet ex vocibus *similis simul simultas simulacrum*, *facilis facilitas facul facultas*, *familia famul famulus* etc.: hinc apud veteres legimus *optumus*, *maxumus*, *finitumus*, *satura*, *lacruma*, *lubet*, *lubido* etc. pro *optimus*, *maximus*, *finitimus*, *satira*, *lacrima*, *libet*, *libido* etc.; similiter in Genitivo singularis numeri *Cererus*, *Venerus*, *Honorus*, *nominus* etc. pro *Cereris*, *Veneris*, *Honoris*, *nominis* etc.; item *caputalis* pro *capitalis* et similia. — *d*) Aliquando etiam veteres o pro *i* usurparunt, dixeruntque *ollus*, *ollic* pro *ille*, *illic*; quæ litterarum mutatio in aliquot compositis permansit, ut in *illico* pro *in loco*, et in *cognitus* et *cognitus* pro *agnotus* et *cognotus* ab *agnosco*, quamquam a nosco fit *notus*. — *e*) *I* longa priscis temporibus per *ei* scripta fuit: hinc sæpe in *Inscript*. MEIC, CEIVIS etc. pro MIC, CIVIS etc. — *f*) In *Inscript*. I. fere ponitur pro *in*, *infra*, *ipse*, *il* etc.; sic I. S. ESV. *h. e.* infra scriptum est; I. H. F. C. *h. e.* ipsius heres faciendum curavit; et I. Q. S. S. A. *h. e.* ii qui supra scripti sunt. I. vero, quemadmodum INQ., significat *idemque*. V. *Orell*. et *Henzen*. *Inscript*. — *NB*. In verbis *i* est imperativus singularis ab *eo*, *is*.

B) In notis numeralibus I. unum vel primum significat: sed præposita majori numero, unum demit, ut IV. quatuor, IIC. nonaginta octo. Alii autem I. addita, unum addit: sic II. AVG. COS. *h. e.* Augusto consule iterum; II. SIL. *h. e.* duobus Silanis coss.; II. V. vel II. VIR. *h. e.* duumvir; III. *h. e.* trieris; IIIVIR *h. e.* triumvir; IIII. *h. e.* quadriremis; IIII. V. *vel* IIIIVIR. *h. e.* quatuorvir etc.

IA

IA, n. plur. 2. *V*. ION, ii. — *NB*. De cognom. Rom. *V*. ONOM.

IACCHUS, i, m. 2. Ἴακχος, unus ex Bacchi nominibus: *V*. plura in ONOM. — Hinc metonymice est vinum, *vino*. *Virg*. 6. *Ecl*. 15. *de Sileno*. Inflatum hesterno venas, ut semper, Iacco. *Colum*. 10. *R*. *R*. 309. Et titubante gradu multo madefactus Iaccho.

IAMBĔLĔGUS, i, m. 2. ἰαμβέλεγος, versus iambo et elego constans. *Plotius* p. 2662. *Putsch*. Iambelegus nomen accepit, quod iambico et elego constat. *V*. ELEGUS; et adde *Servium Centim*. p. 1825. *Putsch*.

IAMBĒUS, a, um, adject. ἰάμβειος, idem quod iambicus. *Horat*. *Art*. *P*. 252. trimetris accrescere jussit Nomen iambeis.

IAMBĪCĪNUS, a, um, adject. iambicus. *Capell*. 9. *p*. 335. Iambicinus numerus.

IAMBĬCUS, a, um, adject. ἰαμβικός, ad iambum pertinens. *Capell*. 5. *p*. 169. Disyllaba vero iambico numero non jure clauduntur. *Id*. 9. *p*. 332. Hæc de dactylis satis: nunc iambica memoremus. *Diomed*. 3. *p*. 473. *Putsch*. Iambicus pes. *Id*. *ibid*. p. 516. et 517. Iambicus versus.

IAMBUS, i, m. 2. *giambo*, ἴαμβος. Licenter nimis primam litteram tamquam consonam pro vocali usurpat *Sulpicia Satyr*. 5. Nec trimetro jambo, nec qui pede fractus eodem Fortiter irasci didicit, duce Clazomenio. Nisi sit pes anapæstus ō Iāmbo pro dactylo, ut aliquando etiam *Virgilius* alibique. — Ceterum

I.) Proprie iambus est pes metricus constans ex priore brevi et posteriore longa, ut *viros*, *rogas* etc. Quidam derivant ab Iambe Celei famula, quæ quum vidisset Cererem ob amissam filiam dolere, saltans et versus iambico metro canens deam consolata est: alii ab Iambe puella quadam, quæ turpiter contumelia affecta suspendio vitam finierit: alii ab Iambe anu, quæ, quum Hipponax lavanti sibi molestiam facesseret, versu hoc eum amolita sit, Ἄνθρωπ' ἀπελθε, τὴν σκάφην ἀνατρέπεις, *Vir recede*, *scapham subvertis*, quo postea poeta delectatus est. Aliam affert notationem *Diomed*. 3. *p*. 473. *Putsch*. Alii a Marte ortum iambum strenuo duce tradunt, qui quum crebriter pugnas iniret et telum cum clamore torqueret, παρὰ τὸ ἰὸν βάλλειν iambus appellatur. *Mar*. vero *Victorin*. p. 248. παρὰ τὸ ἰέναι βάδην. Addit *Paul*. *Diac*. *p*. 105. 1. *Müll*. Iambi vocabantur, qui singuli ex proscænio loquebantur; triambi, qui terni. *Martinius* in *Lex*. conjicit, respici ad Græcam originem ἴος *solus* et βάζω *loquor*. Sed, opinor, hæc a *Paulo* interpolata sunt, vel corrupta ad nos pervenerunt. Probabilius vero vocis etymon est ab ἰάπτω *jacio*, onde ἴαβος, mox ἴαμβος. Aliter *Capell*. 9. *p*. 333. Iambus dictus est ab eo, quod ἰαμβίζειν Græci detrahere dixerunt, et hoc carmine quibusque veteres detrahebant: item hoc nomen est ab eo, quod venenum maledicti aut livoris infundat. — *Horat*. *Art*. *P*. 251. Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus, Pes citus. *V*. ibi plura de eodem; et adde *Cic*. 3. *Orat*. 47. 182. et *Orat*. 57. 192.; *Quintil*. 9. 4. 47. et 48. et 80.; et *Diomed*. *loc*. *cit*.

II.) Improprie ponitur pro carmine, quod iambis constat, et criminosum est, ut ait *Horat*. 1. *Od*. 16. 2., quia hic pes versibus maledicis conficiendis aptissimus est. — *a*) In sing. num. *Cic*. 3. *Nat*. *D*. 38. 91. Quem Hipponactis iambus læserat, aut qui erat Archilochi versu vulneratus. *Horat*. *Art*. *P*. 79. Archilochum proprio rabies armavit iambo. *Ovid*. *Ib*. 523. Utque repertori nocuit pugnacis iambi, Sic sit in exitium lingua proterva tuum. *V*. ARCHILOCHUS in ONOM. Adde *Quintil*. 10. 1. 96. — *b*) In plur. num. *Catull*. 36. 5. Desissemque truces vibrare iambos. Adde *Horat*. 1. *Od*. 16. 3. et 24., 1. *Ep*. 19. 23. et 2. *ibid*. 2. 59.; et *Quintil*. 10. 1. 9. et 59. — *NB*. De cogn. Rom. *V*. ONOM.

IANTHĬNUS, a, um, adject. ἰάνθινος, *violato*, violaceus, colorem floris violæ referens, purpurei coloris, ab ἴανθος flos quidam et color purpureus; ab ἴον *viola* et ἄνθος *flos*. *V*. ION. *Plin*. 21. *Hist*. *nat*. 8. 22. (45). Ianthinus color. *Id*. *ibid*. 6. 14. (27). Ab his ianthina vestis. Adde *Fulgnt*. *interpr*. *Exod*. 25. 5. — *NB*. De nom. propr. *V*. ONOM. — Hinc

Ianthina, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt vestes violacei coloris. *Martial*. 2. 39. Coccina famosæ donas et ianthina mœchæ.

IĀNTHIS, idis, f. 3. ἰανθίς, herba, vel flos purpurei coloris. *Marcell*. *Empir*. 17. — *NB*. De nom. propr. *V*. ONOM.

IĀPȲGIUS, i, m. 2. Ἰαπύγιος, subaudi ventus, est ventus Iapix, de quo *V*. in voc. seq. *Apul*. *de Mundo p*. 63., ubi tamen alii leg. *Iapix*.

IĀPYX, ȳgis, m. 3. Ἰάπυξ, Dædali filius, a quo Iapygia (*h. e.* Apulia et Calabria), ubi regnasse fertur, nomen habuit: *V*. plura in ONOM. — Hoc nomine est etiam ventus ejus regionis ab occidente spirans orientem versus, commodissimus idcirco ab Italia in Græciam transvehentibus; Zephyrus ab aliis, ut a *Veget*. 4. *Milit*. 38., ab aliis Caurus, ut a *Favorino* apud *Gell*. 2. 22. creditur. A Zephyro certe *Lucan*. 6. 339. distinguit. *Horat*. 1. *Od*. 3. 1. Sic te Diva potens Cypri, – Ventorumque regat pater, Obstrictis aliis, præter Iapyga, Navis quæ etc. *Virg*. 8. *Æn*. 710. undis et Iapyge ferri.

IĀSIŌNĒ, es, f. 1. ἰασιώνη, herba est unius tantum folii, sed ita implicati, ut plura videantur, in terra repens, cum lacte multo, flore candido: Latine convolvulum vocant. *Plin*. 21. *Hist*. *nat*. 17. 65. (105). et 22. *ibid*. 22. 39. (82). *V*. CONCILIUM.

IASPĂCHĀTES, æ, m. 1. ἰασπαχάτης, gemma ex achatæ generibus, quæ quamdam habet cum iaspide similitudinem. *Plin*. 37. *Hist*. *nat*. 10. 54. (139).

IASPĬDĔUS, a, um, adject. ad iaspidem pertinens. *Plin*. 37. *Hist*. *nat*. 10. 56. (156). Ceponides gemmæ, multis coloribus translucentes, alias vitreæ, alias crystallinæ, alias iaspideæ.

IASPIS, idis, f. 3. ἴασπις, *diaspro*, gemma viridis et translucens, multorum generum: nam et smaragdi similis, et aerei coloris, et cærulei, et purpurei reperitur, etc. V. *Plin*. 37. *Hist*. *nat*. 8. 37. (115). et *ibid*. 9. 37. (118)., ubi de ea plura. *Virg*. 4. *Æn*. 261. atque illi stellatus iaspide fulva Ensis erat. *Martial*. 5. 11. Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno Portat in articulo. *Id*. 9. 60. Et pretium magnis fecit iaspidibus. — De iaspide aerizusa. *V*. AERIZUSA. — *Augustus* jocans in Mæcenatem apud *Macrob*. 2. *Saturn*. 4. Vale, mel gentium, Ciiniorum smaragde, iaspi figulorum, beryllе Porsenæ.

IASPĪUS, a, um, adject. ad iaspidem pertinens, iaspideus. *Mæcenas* vel *Poeta* in *epigr*. *ad Horat*. apud *Isid*. 19. *Orig*. 32. et in *Anthol*. *Lat*. 1. p. 413. *Burmann*. Nec percandida margarita quæro, Nec, quos Thynica lima perpolivit, Anellos, nec iaspios lapillos.

IASPONYX, ȳchis, f. 3. ἰασπόνυξ, gemma ex iaspidum genere, onychis modo distincta punctis: unde et conflatum habet nomen. *Plin*. 37. *Hist*. *nat*. 9. 37. (118).

IASTĬUS, a, um, adject. ἰάστιος, unus ex quinque modis musicis principalibus. *Capell*. 9. p. 317. Tropi vero sunt quindecim, sed principales quinque –, id est lydius, secundus iastius, item æolius, quartus phrygius, quintus dorius. *Meibom*. monet hoc plane falsum esse, quod ad ordinem spectat; primus enim est lydius, secundus æolius, tertius phrygius, quartus iastius, quintus dorius. Adde *Cassiod*. *Music*. *p*. 579.

IĀTRĀLEPTĬCĒ. *V*. IATRALIPTICE.

IĀTRĀLIPTA *vel*

IĀTRĀLIPTES *vel minus recte* iatraoliptes, æ, m. 1. ἰατραλείπτης, medicus, qui unctione et perfrictione corporum morbos curat; ab ἰατρός *medicus* et ἀλείφω *ungo*: reunctorem medicorum *Plin*. 29. *Hist*. *nat*. 1. 2. (4). vertit. Primo enim iatraliptæ medicorum servi fuere: postea in medicorum classem transierunt. *Plin*. *alter* 10. *Ep*. 4. Gravissima valetudine usque ad periculum vitæ vexatus, iatralipten assumpsi. Adde *Cels*. 1. 1. *Inscript*. apud *Murat*. 884. 4., quæ est apud *Henzen*. 6326. T. AELIO AVG. LIB. EPAPHRODITO MAGISTRO IATRALIPTAE PVERORVM EMINENTIVM CAESARIS N. *mastro de' paggi imperiali*, qui eorum unctionibus in gy-

mnicis exercitationibus præerat. — Horum opera utebantur etiam in balneis: eoque munere servi quoque fungebantur. *Petron. Satyr.* 28. Tres interim iatraliptæ in conspectu ejus falernum potabant.

IĀTRĀLIPTĬCĒ vel iatraleptice, es, f. 1. ἰατραλειπτική, medicina, quæ unctionibus et perfrictionibus curat. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 1. (4). Prodicus instituens, quam vocant iatralipticen, reunctoribus quoque medicorum et mediastinis vectigal invenit.

IĀTRĪA, æ, f. 1. ἰατρεία, curatio, medela. *Alcim. Ep.* 74. Supplicans, ut stomachos multis Saxoniæ deliciis nauseantes tandem parcioribus iatriæ vestræ jejuniis atteratis.

IĀTRĬCĒ, es, f. 1. ἰατρική, *scil.* τέχνη, ars medica, medicina. *Capell.* 3. p. 50. Hanc igitur feminam (*Grammaticen*) tali multorum curatione callentem, quum deorum nonnulli iatricen, alii genethliacen diversis rerum operibus æstimarent etc.

IĀTRŎMÆA vel iatromēa, æ, f. 1. ἰατρόμαια, mulier medica et obstetrix; ab ἰατρὸς *medicus* et μαῖα *obstetrix*. Habetur in *Inscript.* inferioris notæ apud *Gruter.* 1110. 1., quæ est apud *Orell.* 4232.

IĀTRŎNĪCES, æ, ἰατρονίκης, medicorum victor; ab ἰατρὸς *medicus* et νίκη *victoria*. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (9). Thessalus rabie quadam in omnes ævi medicos perorans etc. monumento suo, quod est Appia via, iatronicen se inscripsit.

IĀTRŎSŎPHISTES, æ, m. 1. ἰατροσοφιστής, medicam artem doctus. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 7. Emplastrum entaticum, quod styxidem Africanus iatrosophistes vocavit, pollici et talo imponendum præcepit.

IB

IBĒRIS, idis, f. 3. ἰβηρίς, herba est nascens maxime circa vetera monumenta parietinasque et inculta itinerum, semper florens, folio nasturtii, caule cubitali, semine tam parvo, ut vix aspici possit. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 49. (87). Adde *Apul. Herb.* 20.

IBEX, icis, f. 3. *stambecco*, a German. *Steinbock*, genus capræ silvestris, celeritatis eximiæ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 53. 79. (214). Sunt capreæ, sunt rupicapræ, sunt ibices pernicitatis mirandæ, quamquam onerato capite vastis cornibus gladiorumque vaginis (*h. e. ipsis cornibus gladiorum vaginas referentibus*); in hæc se librant, ut tormento aliquo rotati in petras, potissimum a monte aliquo in alium transilire quærentes, atque recussu pernicius, quo libuerit, exsultant. — *Isid.* 12. *Orig.* 1. multa habet de iisdem, quas ibices dictas perperam putat quasi *avices*, quia instar avium ardua et excelsa teneant: sed potius cum *Bochart. Hieroz. P.* 1. *l.* 3. *c.* 23. putamus, earum nomen quamdam habere cum voce *becco* affinitatem. *V.* BECCO. — *Hieronym.* putat, ibices esse, quos Græci τραγελάφους dicunt, hirci et cervi simul simile quippiam habentes: *ibices* enim vertit τραγελάφους in *Job c.* 31. 1.

IBĪ, adverb. Ratione habita etymi est antiqua Ablativi forma ab *is*: significat autem in eo loco, ἐκεῖ (It. *in quel luogo, ivi*; Fr. *là, dans ce lieu, y*; Hisp. *allá, allí, en aquel lugar*; Germ. *daselbst, dort, da*; Angl. *there, in that place*).

I.) Proprie usurpatur de loco; et occurrit — *a*) Cum addito loco, ad quem *ibi* refertur. *Plaut. Amph.* 2. 2. 100. Cur prædicas te heri me vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus? Ibi cœnavi atque ibi quievi in navi noctem perpetem. *Varro* 6. *L. L.* 24. *Müll.* Ad sepulcrum Accæ, quod ibi prope faciunt diis Manibus sacerdotes. *Cic.* 5. *Tusc.* 37. 109. Demaratus fugit Tarquinios Corintho, et ibi suas fortunas constituit. *Liv.* 2. 7. Ædificabat in summa Velia: ibi alto atque munito loco arcem inexpugnabilem fore. *Ovid.* 1. *Met.* 316. Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus. *Ulp. Dig.* 47. 8. 4. § 6. Erit hæc differentia inter hoc edictum et superius, quod ibi de eo damno prætor loquitur etc. *Quintil.* 11. 2. 46. Ut illa, quæ dicimus, non domo attulisse, sed ibi protinus sumpsisse videamur. *ivi sul luogo*. Adde *eumd.* 4. 1. 54. et 12. 9. 19. — *b*) Cum respondentibus Adverbiis *ubi, unde* etc. *Cic.* 6. *Fam.* 1. 1. Nemo est, quin ubivis, quam ibi, ubi est, esse malit. Cf. *Id. ibid.* 1. 10. Velim ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare. *Id.* 3. *de republ.* 31. Ergo, ubi tyrannus est, ibi — dicendum est plane nullam esse rem publicam. *Id.* 2. *ibid.* 16. Multa intelliges meliora apud nos multo esse facta, quam ibi fuissent, unde huc translata essent. — *c*) Cum Genitivo *loci*. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 11. 12. (30). Ibi loci terrarum orbe portis discluso etc. — *d*) Junctum cum verbis motus ad locum rarum est. *Cajus Dig.* 1. 2. 1. *extr.* Et quum ibi venerimus etc.

II.) Translate. ¶ 1. Aliquando refertur ad tempus, ac tum significat, *allora*. — *a*) Cum præcedentibus, quæ tempus denotant, ad quod *ibi* refertur. *Plaut. Most.* 5. 2. 57. Quid gravaris? quasi non cras jam commeream aliam noxiam. Ibi utrumque et hoc et illud poteris ulcisci probe. *Ter. Andr.* 2. 3. 4. Si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet. *Liv.* 3. 71. Tribunal dedere cupidæ audiendi plebi, ut, quæ vellet, Scaptius diceret. Ibi infit, annum se tertium etc. *Virg.* 2. *Æn.* 792. Ter conatus ibi collo dare brachia circum. — *b*) Cum adverbio *ubi*. *Plaut. Epid.* 4. 2. 25. Non voco (*te patrem*): ubi voles pater esse, ibi esto: ubi noles, ne fueris pater. *Ter. Eun.* 2. 2. 29. Illa ubi miser famelicus videt, me tum facile victum quærere, ibi homo cœpit me obsecrare etc. — *c*) Cum addito *tum* per pleonasmum. *Ennius* apud *Non.* p. 518. 6. *Merc.* Ibi tum derepente ex alto in altum despexit mare. *Cic. Cæcin.* 10. 27. Quum Æbutius Cæcinæ malum minaretur, ibi tum Cæcinam postulasse etc. ¶ 2. Item refertur ad rerum adjuncta, et significat in iis rebus, in eo, *in ciò, in questo*. — *a*) Generatim. *Plaut. Epid.* 4. 2. 23. Numquid ago ibi peccavi? *Cic. Rosc. Am.* 29. 82. Si quid est, quod ad testes reservet, ibi nos quoque paratiores reperiet. *Sall. Cat.* 5. Huic ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis grata fuere, ibique juventutem suam exercuit. *Quintil.* 7. 1. 5. Non poterat ibi esse quæstio. — *b*) Speciatim *ibi esse* est in ea re, aut cogitatione esse. *Ter. Heaut.* 5. 2. 29. Irrides in re tanta, neque me quidquam consilio adjuvas. SY. Immo et ibi nunc sum, et usque id agi dudum. *Id. ibid.* 3. 1. 63. Subsensi, illos ibi esse, ut id agere inter se clanculum. — *c*) Cum addito *vero* per apodosin usurpatur. *Cato* apud *Gell.* 13. 17. Nunc ita ajunt, in segetibus et in herbis bona frumenta esse. Nolite ibi nimiam spem habere —, inter offam atque herbam ibi vero longum intervallum est. *Sall. Jug.* 58. Sin Numidæ propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere. *Liv.* 3. 69. In senatum ubi ventum est, ibi vero in Quinctium omnes versi.

IBĪDEM, adverb. *Ibīdem* licentius usurpant *Juvenc.* 3. 80. Ille jubet cunctis ibidem convivia poni. *Paulin. Nolan. carm.* 19. 48. Cognosces ibidem, ne pergas tradere fatis etc. — Ibidem (ex *ibi* et suffixo *dem*, ut in *idem, tantumdem* etc.) significat in eodem loco, αὐτόθι (It. *nel medesimo luogo*; Fr. *là-même, précisément là, dans cet endroit même*; Hisp. *allá mismo*; Germ. *eben dort, gerade da, eben daselbst*; Angl. *in the same place*).

I.) Proprie usurpatur de loco. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 37. Vitis si macra erit, sarmenta sua concidito minute, et ibidem inarato. *Cic.* 2. *Invent.* 4. 14. Quum in eamdem tabernam devertissent, simul cœnare et in eodem loco somnum capere voluerunt. Cœnati discubuerunt ibidem. *Id. ibid.* 51. 154. Ille, cujus merces erant, in gladium in navi ibidem incubuit. *Id. Quinct.* 27. 84. Quod ibidem recte custodire poterant, id ibidem custodiant. *Id. Rosc. Am.* 5. 13. Ne heic ibidem ante oculos vestros trucidetur. *Nepos Miltiad.* 2. Ipse ibidem manere decrevit. — *b*) Cum respondente *ubi*. *Justin.* 2. 2. Ibidem divitiarum cupido est, ubi et usus. — *c*) Cum addito Genitivo *loci*. *Plaut. Cist.* 2. 1. 51. Si redierit illa ad hunc, ibidem loci res erit. — *d*) Cum verbis motus rarum est. *Plaut. Trin.* 2. 4. 10. ST. Quid quod dedisti scortis? LESB. Ibidem una traho.

II.) Translate significat in eadem re (*V.* IBI II. 2.). *Cic. Cæcin.* 9. 23. Læsit in ea Cæcinam, sublevavit ibidem. *Virg.* 3. *G.* 500. pede terram Crebra ferit: demissæ aures, incertus ibidem Sudor.

IBIS, idis et is, f. 3. ἶβις, avis Ægypti, quæ serpentibus vescitur: vox autem est originis Ægyptiæ, ut habetur in *Jablonskii Opusc. T.* 1. p. 94. et 463. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. 101. Ibes maximam vim serpentium conficiunt, quum sint aves excelsæ, rigidis cruribus, corneo proceroque rostro: avertunt pestem ab Ægypto, quum volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo invectas interficiunt atque consumunt, ex quo fit, ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ. Adde *eumd.* 5. *Tusc.* 27. 78. *Æmil. Macer* apud *Charis.* 1. p. 108. *Putsch.* Auxilium sacræ veniunt cultoribus ibes. Adde *Melam* 3. 8. 9. — Traditur autem ibis clysteris usum prima commonstrasse, quod consuetudinem habet se purgandi, rostri aduncitate eam perluens partem, qua ciborum onera redduntur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (97).; et *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. 126. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

IBISCUM. *V.* HIBISCUM.

ĬBRĬDA. *V.* HYBRIDA.

IBUS. *V.* IS, ea, id.

IBŸCIUS, a, um, adject. Ibycium carmen dactylicum (fortasse ab Ibyco poeta denominatum) constat hexametro acatalecto, ut *Sidera pallida diffugiunt face territa luminum.* Aliud constat heptametro hypercatalecto, ut *Versiculos tibi dactylicos cecini, puer optime, quos facias.* Hæc *Servius* in *Centimetr.* p. 1821. *Putsch.*

IC

ICĂDES. *V.* voc. seq.

ICAS, ădis, f. 3. εἰκάς, numerus vicenarius. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (5). Natali ejus (*Epicuri*) vicesima luna sacrificant, feriasque omni mense custodiunt, quas icadas vocant. *scil.* philosophi Epicurei *icadem* vocabant diem cujuslibet mensis vicesimum, qui mense Gamelione fuit natalis Epicuri. Vide et *Cic.* 2. *Fin.* 31. 101.

ICCIRCO. *V.* IDCIRCO.

ICHNEUMON, ŏnis, m. 3. ἰχνεύμων. ¶ 1. Ichneumon animal est magnitudine felis, specie muris, vulgo mus Indicus, *sorice d'India*, quod nascitur in Ægypto et cum aspide pugnat; ab ἰχνεύω *investigo*, sive quod instar canis venatici investiget crocodilum et aspidem ovaque eorum observet, sive potius quod rostro suo, quod est simile rostro suillo, cibum ruspetur et investiget. Eum Ægyptii adorant, quoniam ova crocodilorum conterat, et luto convolutus, quum os aperiunt, ita in ventres eorum insilire soleat, ut exesis intestinis eos interimat. Hæc *Plin.* 8. *Hist. nat.* 24. 35. (87). et *ibid.* 25. 37. (90). narrat. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. 101. Possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere. *Nemesian. Cyneg.* 54. Malumus et placidis ichneumona quærere ripis. *Martial.* 7. 87. Delectat Marium si perniciosus ichneumon. (prima syllaba corripitur more Græco, *n* littera liquescente). ¶ 2. Est etiam vesparum genus, quæ ichneumones cognominantur, minores ceteris, et phalangiis araneis, ut ichneumones crocodilis, infestissimæ. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 95. (204). et 11. *ibid.* 21. 24. (72).

ICHNOGRĂPHĬA, æ, f. 1. ἰχνογραφία, vestigii, areæ, seu plani descriptio, *descrizione della pianta d'un edifizio*; ab ἴχνος *planta* vel *plantæ vestigium*. *Vitruv.* 1. 2. Ichnographia est circini regulæque modice continens usus, ex qua capiuntur formarum in solis arearum descriptiones.

ICHTHŸŎCOLLA, æ, f. 1. ἰχθυοκόλλα, piscis quidam, cui glutinosum est corium: idemque nomen est glutino ejus; quod tamen non ex corio, sed ex ventre, quidam fieri dicunt. Hæc *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 24. (72). Composita vox est ab ἰχθὺς *piscis* et κόλλα *gluten*. Veneti eumdem piscem vulgo nunc *còpese* vocant pro *colla-pesce*. Hujusmodi gluten Dædali inventum fuisse narrat *Plin.* 7. *ibid.* 56. 57. (198). Illius meminit etiam *Cels.* 5. 2.; et *Theod. Priscian.* 3. 18.

ICO, icis, ici, ictum, icere, a. 3. *Caper* apud *Priscian.* 10. p. 886. *Putsch.* docet primam syllabam in præsenti corripi. Sed contra est *Lucretii* auctoritas et *Catulli*. — Præter ea tempora et modos, qui sunt in allatis exemplis, non facile usurpaveris. Maxime autem usum habet in passivi præterito *ictus sum*. — Part. *Ictus* in omnibus paragr.; *Icturus* II. — Icere est percutere, ferire, πλήττω (It. *percuotere, ferire, colpire*; Fr. *frapper, choquer, percer*; Hisp. *cascar, herir, golpear, aporrear*; Germ. *schlagen, stechen, stossen, hauen*; Angl. *to strike, smite, hit*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Truc.* 2. 7. 42. Icere femur. *battersi l'anca,* quod est indignantis dolentisque: *V. Quintiliani* locum in v. FEMUR. Rursus *Plaut. fragm.* apud *Non. p.* 121. 1. *Merc.* Ibi ut piscabar, fuscina ici vidulum. *Id. Mil. glor.* 1. 1. 25. ARTROT. Vel elephanto in India quo pacto pugno præfregisti brachium. PYRGOPOL. At indiligenter iceram. ARTROT. Pol si quidem conniaus esses, per corium, per viscera, perque os elephanti brachium transmitteres. Pro *iceram* male vulgo legitur *hic eram,* quod emendavit *Bothe* ad *Plaut. T.* 4. *p.* 433. *Ico* scilicet Plautinum verbum huc optime quadrat. *Turpilius* apud *Non. loc. cit.* Si iceris me postbac. *Lucret.* 3. 161. exin corpus propellit et icit. *Id.* 4. 1013. Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu. *Catull.* 116. 3. neu conarere infestum telis icere musca caput. *Cic.* 2. *Divinat.* 66. 135. Quum Ptolemæus in prælio telo venenato ictus esset eoque vulnere summo cum dolore moveretur etc. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 22. Lapide ictus periit. et *Liv.* 1. 7. Ibi in turba ictus Remus cecidit. Rursus *Cic.* 1. *Divinat.* 10. 16. Quum Summanus in fastigio Jovis optimi maximi, qui tum erat fictilis, cælo ictus esset. *fulminato.* Cf. *eumd. Harusp. resp.* 21. 45. Me primum ictum fumantemque vidistis. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 40. (134). Fulmine laurus sola non icitur. *Id.* 2. *ibid.* 55. 56. (146). Fulmen lauri fruticem non icit. *Horat.* 4. *Od.* 6. 9. mordaci ferro icta pinus. — Poetica sunt illa *Horat.* 2. *Sat.* 1. 24. ut semel icto Accessit fervor capiti numerusque lucernis. *tocco dal vino, quando il vino ha dato nel capo.* et *Stat.* 1. *Theb.* 516. vario strepit icta tumultu Regia. *Ennii* 1. *Ann.* 107. Exin candida se radiis dedit icta foras lux. *h. e.* Aurora. — Cum Accusativo ejusdem significationis, icere colaphum, *dar un pugno. Plaut. Pers.* 5. 2. 65. Quæ hæc res est? heu! colaphum icit. ¶ 2. Speciatim *icere fœdus* est ferire: *V.* FERIO et FŒDUS, eris. *Cic. Balb.* 15. 34. Cum Gaditanis fœdus icisse dicitur. *Id. Pis.* 12. 28. Fœdus, quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras. Sic *Id. Sext.* 10. 24. Fœdus ictum meo sanguine. *Cælius* apud *Priscian.* 10. *p.* 886. *Putsch.* Qui cum iis ita fœdus icitis. *Al. leg.* icistis.

II.) Translate. *Horat.* 4. *Od.* 5. 15. desideriis icta fidelibus Quærit patria Cæsarem. *tocca, spinta. Liv.* 27. 9. *a med.* Nova re consules icti. *h. e.* animo perculsi, *sorpresi, abbattuti d'animo. Id.* 34. 17. Consul rebellione Bergistanorum ictus. *colpito nell'animo. Id.* 33. 28. Conscientiâ ictus. *Id.* 1. 16. Metu icta. *Seneca Constant. Sap.* 3. *a med.* Si assistunt, qui magnitudinem multum ultra se positam non ictari appetant.

ĪCON, ŏnis, f. 3. εἰκών, όνος. ¶ 1. Est effigies, imago, status ex membris ipsis a pictoribus seu statuariis expressa; ab εἴκω *similis sum, immagine, effigie. Plin.* 8. *Hist. nat.* 54. 80. (215). Mucianus tradit, simios et latrunculis lusisse, fictas cera icones usu distinguente. *Salmas.* et *Harduin.* ita leg.; quam lectionem *Sillig.* probavit. *Id.* 31. *ibid.* 4. 9. (16). Statuas dicari mos erat eorum qui ter ibi (*Olympiæ*) superavissent, ex membris eorum similitudine expressa, quas iconas vocant. *Plerique omnes leg.* iconicas, *subaudi* effigies. ¶ 2. Est etiam rhetorica figura, quæ et *ethopœia* et Latine *imago* a *Cic.* dicitur 1. *Invent.* 30. 49., definiturque oratio demonstrans corporum aut naturarum similitudinem. *Diomed.* 2. *p.* 459. *Putsch.* Εἰκών est expressa figuræ alicujus descriptio, vel personarum inter se, eorumque, quæ personis accidunt, comparatio, ut (*Virg.* 1. *Æn.* 593.) *Os humerosque deo similis.* Et (*Id.* 3. *G.* 89.) *Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.* Eadem fere habet *Charis.* 4. *p.* 217.; sed pariter Græcis litteris. Latinis vero occurrit apud *Jul. Rufinian. de fig. sent. et eloc.* 21. *Frotscher.*

ĪCŎNĬCUS, a, um, adject. εἰκονικός, *dipinto o ritratto al vivo,* ita pictus aut sculptus, ut vivam alicujus imaginem referat; ab εἰκών *effigies. Plin.* 35. *Hist. nat.* 8. 34. (67). Adeo ars perfecta erat, ut in eo prælio iconicos duces pinxisse tradatur, Miltiadem, Callimachum etc. *Sueton. Cal.* 22. In templo simulacrum stabat aureum, iconicum. *V.* voc. præced. 1.

ĪCŎNISMUS, i, m. 2. εἰκονισμός, figura rhetorum, quando ad vivum alicujus rei formam ob oculos ponimus. Vox Græca ab εἰκονίζω *assimilo, exprimo. Seneca Ep.* 95. *ad fin.* Descriptiones has et (ut publicanorum utar verbo) εἰκονισμούς ex usu esse confiteor. *V.* ICON 2.

ICONIUM, ii, n. 2. εἰκόνιον, *deminut. ab* icon, et

ICONOGRAPHIA, æ, f. 1. εἰκονογραφία, descriptio per imagines seu figuras, sunt voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Nat. Tir. p.* 127.

ĪCŌS, ŏtis, n. 3. εἰκός, veri simile. *Boeth. Aristot. Analyt. pr.* 2. 17. *p.* 520. Icos est propositio probabilis. et *ibid.* Syllogismus imperfectus ex icotibus et signis.

ĪCŌSĂPRŌTI, ōrum, m. plur. 2. εἰκοσάπρωτοι. *V.* DECAPROTI.

ĪCŌSĂPRŌTĪA, æ, f. 1. εἰκοσαπρωτία. *V.* DECAPROTIA.

ICTĔRĬAS, ădis, f. 3. ἰκτερίας, gemma aliti ictero similis colore, et quæ ideo existimatur salubris contra regios morbos. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 61. (170).

ICTĔRĬCUS, a, um, adject. ἰκτερικός, *itterico,* qui icteri morbo, sive arquato laborat. *Juvenal.* 6. 564. Consulit ictericæ lento de funere matris. Adde *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 31. (87). *V.* HYSTERICUS.

ICTĔRUS, i, m. 2. ἴκτερος, avicula flavi coloris, quam Latini galgulum vel galbulum vel galbulam vocant, solo aspectu ictericum, seu regium morbum sanans, ut ait *Plin.* 30. *Hist. nat.* 11. 28. (91). Avis icterus vocatur a colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, et avem mori. — Est etiam morbus, qui regius sive arquatus dicitur, apud *Theod. Priscian.* 4. 8. *a med.* V. ARQUATUS; et adde *Isid.* 4. *Orig.* 8.

ICTIS, idis, m. 3. ἰκτίς, *martora, martorello,* mustelæ silvestris genus, magnitudine Melitensis catelli, sed pilo, facie, albedine partis inferioris et morum astutia mustelæ similis. *Martem* speciali vocabulo vocant. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 16. (60). Mustelarum duo genera: alterum silvestre, distans magnitudine: Græci vocant ictidas etc.

ICTUS, a, um. *V.* ICO.

ICTUS, us, m. 4. Olim fuit *ictus, i,* secundæ declin. *Claud. Quadrigarius* apud *Gell.* 9. 13. *ad fin.* Et sub gladium successit, ne Gallus impetum icti haberet. — Ceterum ictus, ab *ico, is,* est percussio, petitio, πληγή (It. *colpo, percossa;* Fr. *coup, choc, heurt, atteinte, blessure;* Hisp. *golpe, choque, tope;* Germ. d. *Schlag, Stich, Stoss, Hieb, Schuss;* Angl. *a stroke, blow*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Off.* 6. 19. A bestiis ictus, morsus, impetus. *urto, calcio. Cæs.* 7. *B. G.* 25. Eadem ratione ictu scorpionis exanimato altero. Sic *Ovid.* 8. *Met.*; et *Horat.* 3. *Od.* 22. 7. Ictus apri. *morsi.* at *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 11. (14). serpentium. *morsicature. Cic. Mil.* 24. 65 Vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatorio probari. *Id. Cæcin.* 15. 43. Non solum impulsu scutorum, neque conflictu corporum, neque ictu comminus, neque conjectione telorum etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Scuta uno ictu pilorum transfixa. *Liv.* 31. 14. Non cæcis ictibus procul ex improviso vulnerabantur. *Cic.* 3. *Herenn.* 12. 21. Acutas vocis exclamationes vitare oportet: ictus enim fit et vulnerantur arteriæ. *Tac.* 3. *Hist.* 31. Intentare ictus. *Curt.* 7. 5. *sub fin.* Ictu certo destinata ferire. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (24). Vibrare ictus. *Id. ibid.* 4. 7. (36). eminus comminusque inferre. *Cic.* vertens *Sophoclis* versus 2. *Tusc.* 8. 20. infligere vel infigere. *Vellej.* 2. 69. Dare cervicem ad ictum servi sui. *Ovid.* 12. *Met.* 375. ictus excipere galea et scuto. *Id.* 3. *ibid.* 64. validos cute repellere. *Id.* 4. *ibid.* 498. diros sentire. *Id.* 1. *Pont.* 7. 52. graves ferre. *h. e.* inferre, infligere. *Id.* 4. *ibid.* 7. 39. cunctos feliciter effugere. *Cæs.* 2. *B. C.* 11. sustinere. *star saldo ai colpi. Id. ibid.* 9. defendere ac repellere. *riparare. Plin.* 29. *Hist. nat.* 8. 33. (111). Primo ictu. *al primo colpo di fionda. Virg.* 7. *Æn.* 756. medicari ictum hastæ. *la ferita. Id.* 12. *ibid.* 907. lapis non pertulit ictum. *non giunse a colpire. Id.* 5. *Æn.* 459. ictibus pulsare aliquem. *Id.* 12. *ibid.* 713. crebros congeminare. *Horat.* 1. *Od.* 25. 2. ictibus crebris fenestras quatere. *Virg.* 3. *G.* 233. Taurus ventos ictibus lacessit. *col cozzo. Plin.* 16. *Hist. nat.* 1. 4. (20). Ictibus cædere arborem. *Cic.* 3. *Off.* 25. 94. Phaeton ictu fulminis deflagravit. Sic *Horat.* 3. *Od.* 16. 11.; et *Ovid.* 14. *Met.* 618. ictus fulmineus. *Horat.* 3. *Od.* 8. 8. prope funeratus arboris ictu. *Liv.* 38. 5. Ictus mœnium cum terribili sonitu editi. Sic *Plin.*; 35. *Hist. nat.* 10. 36. (105). Ictus murorum. *batteria. Horat.* 4. *Od.* 6. 36. ictus pollicis. *scil.* quo lyra pulsatur. Sic *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (76). Ad ictus citharæ tinnitu resonant. *Id.* 10. *ibid.* 3. 3. (9). Ictus alæ. *batter di ale.* Sic *Id.* 6. *ibid.* 12. 13. (32). pennarum. *Id.* 8. *ibid.* 43. 68. (169). Varia somno visa (*asini*) concipiunt ictu pedum crebro. *batter di piedi. Id.* 11. *ibid.* 37. 88. (219). Ictus creber aut languidus. *polso. Aurel. Vict. Epit.* 16. Ictu sanguinis exstinctus est. *d'un colpo d'apoplessia.* — Poetice. *Horat.* 2. *Od.* 15. 9. Tum spissa ramis laurea fervidos Excludet ictus. *gli strali o dardi del sole.* Sic *Ovid.* 5. *Met.* 389. Phœbeos ictus submovere frondibus. *Al. leg.* ignes. *Id.* 3. *ibid.* 183. et 6. *ibid.* 49. Solis ictus. et *Lucan.* 7. 214. Phœbi. *Ovid.* 4. *Met.* 124. Scinditur (*fistula*) et tenues stridente foramine longe Ejaculatur aquas atque ictibus aera rumpit. *cogli spruzzi. Id.* 15. *Met.* 347. Saxaque cum saxis et habentem semina flammæ Materiem jactant; ea concipit ictibus ignem. ¶ 2. Speciatim in re metrica aut rhythmica ictus dicitur percussio pedum aut digitorum, qua pedes metricos dimetiebantur: quo modo nunc musici notas suas. *Quintil.* 9. 4. 51. Inania quoque tempora rhythmi facilius accipient: quamquam hæc et in metris accidunt: major tamen illic licentia est, ubi tempora etiam animo metiuntur, et pedum et digitorum ictu intervalla signant etc. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 95. 96. (209). In symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur. *battuta.* et *Horat. Art. P.* 252. unde etiam trimetris accrescere jussit Nomen iambeis, quum senos redderet ictus Primus ad extremum similis sibi. *h. e.* sex pedes omnes iambus. Huc pertinet illud *ejusd.* 1. *Sat.* 10. 42. Pollio regum Facta canit pede ter percusso. *h. e.* trimetris versibus iambicis, qui pedes senos habent, dimensiones tres: unde et *trimeter* habet nomen. (De Pollionis carminibus V. 2. *Od.* 1.). Hinc discimus, *ictum* duo significare, et pedes singulos, ut in priore loco *Horatii,* et binos simul in trimetro versu, qui sex pedes, tres percussiones habet, ut ait *Quintil. loc. cit.* § 75. Sic musici nunc vel singulas notas singulis ictibus metiuntur, ut in cantu graviore et firmo, ut appellant; vel plures simul, ut in celeriore et theatrali.

II.) Translate. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 3. 8. Sublata erat de foro fides, non ictu aliquo novæ calamitatis, sed suspicione etc. Cf. *eumd. post redit. in senat.* 7. 17. Quum ego una cum republica non tribunicio, sed consulari ictu concidissem. *Id.* 2. *Fin.* 10. 32. Neque enim hæc movere potest appetitum animi, nec ullum habet ictum, quo pellat animum etc. *Seneca* 2. *Benef.* 29. Cogita, quam nihil sit mortale non sub ictu nostro positum. *h. e.* sub nostra potestate. Cf. *Lucan.* 5. 729. quod nolles stare sub ictu Fortunæ. Sic *Curt.* 3. 19. 2. Nec sub unum Fortunæ ictum totas vires regni cadere pateretur. *Seneca Consol. ad Marc.* 9. *sub fin.* Ille damnatus est, et tua innocentia sub ictu est. *è esposta, è in pericolo.* Contra *Id.* 1. *Benef.* 7. Deum extra ictum sua divinitas posuit. — Similiter *Gell.* 14. 1. *a med.* Eodem ictu temporis. *nel momento medesimo. Tac.* 2. *Hist.* 38. Singulis veluti ictibus bella transigere. *ad un sol colpo, con una sola giornata.* Cf. *Auct. B. Afr.* 18. Uno ictu contendere, neque remittere, donec ultra ultimos colles hostes repulissent. *con una impressione, spinta, assalto. Seneca Ep.* 72. *ad fin.* Sub ictu habere aliquid. *averlo a tiro. Tac.* 13. *Ann.* 39. *extr.* Sub ictum dari. *esporsi a' tiri de' nimici.* Sic *Sil. It.* 4. 41. Iætis ostendat ad Urbem Per campos superesse viam, Romamque sub ictu. *h. e. essere esposta ai loro colpi,* vel *essere loro vicina, sotto gli occhi.*

ĪCUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* icon, parva icon, imaguncula, *immaginetta,* εἰκόνιον. *Sueton. Ner.* 56. Icuncula puellaris. *V.* IMAGUNCULA.

ID

ID. *V.* IS, ea, id.

ĪDÆA, æ, f. 1. *subaudi* herba, est eadem quæ oxymyrsines. Ita *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 69. (93). —

Id. vero 15. *ibid.* 30. 39. (131). *Idæam* vocat laurum Alexandrinam.

IDCIRCO, abverb. Scribitur et *iccirco*: quin immo in MSS. Codicibus persæpe divisim legitur *id circo*, ut adnotavit *Ellendt.* ad *Cic.* 1. *Orat.* 26. 108. *vol.* 1. *p.* 82. et *ibid.* 50. 216. *vol.* 1. *p.* 147.; hinc apud *Gell.* 14. 17. occurrit etiam *idque circo.* — Ceterum idcirco est pro *id circa*, et significat ideo, propterea, τοὔνεκα, διὰ τοῦτο (It. *per ciò, per questo*; Fr. *pour cela, pour cette raison, à cause de cela*; Hisp. *a causa de esto*; Germ. *deswegen, deshalb, darum*; Angl. *on that account, therefore, for that reason*). Occurrit — 1.°) Raro absolute. *Plaut. Rud. prol.* 28. Facilius, si qui plus est, a dis supplicans, quam qui scelestus est, inveniet veniam sibi. Idcirco moneo vos ego hæc etc. *Ter. Heaut.* 3. 2. 4. Ille Cliniæ servus tardiusculus est: idcirco huic nostro tradita est provincia. *Cic.* 1. *Invent.* 6. 11. Quod id quod factum sit, aliud alii videatur esse, et idcirco alius alio nomine id appellet. *Cæs.* 1. *B. C.* 42. Neque idcirco Cæsar opus intermittit. *Horat. Art. P.* 264. data Romanis venia est indigna poetis. Idcircone vager scribamque licenter? — 2.°) Sæpissime cum addita propositione causali seu causam significante; et quidem — *a*) Sequente part. *quod* vel *quia*. *Ter. Andr.* 4. 2. 7. Idcirco arcessor, nuptias quod mihi apparari sensit. *Cic.* 3. *de republ.* 16. Negant, sapientem idcirco virum bonum esse, quod eum sua sponte bonitas delectet, sed quod etc. *Id.* 9. *Fam.* 1. Non idcirco eorum usum dimiseram, quod iis succenserem, sed quod etc. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 4. 45.; et *Quintil.* 5. 10. 119. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 7. Idcirco enumerabimus, non quia cunctis uti necesse sit, sed quoniam etc. — *b*) Præcedente part. *quod* vel *quia*. *Cic. Amic.* 9. 32. Quia natura mutari non potest, idcirco veræ amicitiæ sempiternæ sunt. *Quintil.* 5. 9. 6. Neque enim, quia movetur qui ingreditur, idcirco qui movetur ingreditur. Similiter *Cic.* 1. *Invent.* 48. 90. Idcirco, judices, quia veram causam habebam, brevi peroravi. — *c*) Item aliquando sequente aut præcedente part. *si*. *Plaut. Rud.* 3. 3. 37. Ne invisas habeas, neve idcirco nobis vitio vortas, si quippiam'st minus quod bene esse lautum arbitrare. *Cic.* 2. *Orat.* 40. 170. Non, si Opimium defendisti, idcirco te isti bonum civem putabunt. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 15. Nec, si te validus jactaverit Auster in alto, idcirco navem trans Ægæum mare vendas. *Quintil.* 2. 17. 33. Nec si pugnent inter se, idcirco ars non erit. — Et omisso *si*, quod subauditur. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 28. Non possis oculo quantum contendere Lynceus; Non tamen idcirco contemnas lippus inungi. — 3.°) Cum propositione relativa et part. *ut, ne* vel pron. *qui*. *Cic.* 6. *Verr.* 4. 7. Idcirco nemo superiorum attigit, ut iste tolleret? *Quintil.* 4. 2. 24. Quum prooemium idcirco comparatum sit, ut judex fiat conciliatior. Adde *eumd.* 8. *prooem.* 72. et 12. 2. 18. *Cic. Rosc. com.* 7. 20. Idcirco capite et supercilliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 149. Vos suspicarier, me idcirco tanta facinora promittere, qui vos oblectem etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 3. Sese idcirco a suis discedere voluisse, quo facilius civitatem in officio contineret.

IDĔA, æ, f. 1. ἰδέα et poetice εἰδέα, species, forma, exemplar alicujus rei faciendæ vel factæ; ab εἴδω *video*, quasi id, quod mente intuemur, et in faciendo imitamur ac sequimur, *idea, immagine, spezie*. Ceterum *idea* vox Græca est, quæ Latine tum *species*, tum *forma*, tum *exemplar* (ut apud *Cic. Tim.* 2.) dici potest. *Cic. Topic.* 7. 30. Formæ sunt, quas Græci ἰδέας vocant: nostri, si qui hæc forte tractant, species appellant: non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si Latine quidem dici possit, *specierum* et *speciebus* dicere; at sæpe his casibus utendum est: at *formis* et *formarum* velim. Quum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Hæc *Cic.* de Latina appellatione. De significatione vero *Seneca Ep.* 58. ante *med.* Plato ideas vocat, ex quibus omnia, quæcumque videmus, fiunt, et ad quas cuncta formantur. Hæ immortales, immutabiles, inviolabiles sunt. Quid sit idea, id est, quid Platoni esse videatur, audi. Idea est eorum, quæ natura fiunt, exemplar æternum. Adjiciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere: exemplar picturæ te habeo, ex quo capit aliquem habitum mens, quem operi suo imponat. Ita illa, quæ me docet et instruit, facies, a qua petitur imitatio, idea est. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piscium, arborum, ad quæ quodcumque fieri ab illa debet, exprimitur. Hactenus *Seneca*. Etiam *Cic.* videtur Latine usurpasse, ubi ait *Orat.* 3. 10. Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor, Plato. Sed fortasse, vel potius certe ἰδέας *Cic.* scripsit Græcis litteris: quamquam et 1. *Acad.* (*post.*) 8. 30. et 1. *Tusc.* 24. 58. Latine in aliquot Codicibus, inferioris tamen notæ, legitur. — Qui philosophi animam ideam esse dixerunt, ut *Posidonius* apud *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 14. *a med.*, significasse videntur mentem intelligentem, quæ ideas in se formare possit; et pro causa effectum posuisse.

ĬDEĀLIS, e, adject. ad ideam pertinens. *Capell.* 7. *p.* 238. Idealis intellectualisque species. *Id. ibid. p.* 239. Idealis forma. *Id.* 8. *p.* 275. Idealis quædam prudentia.

ĬDEM, eădem, ĭdem, pronom. In recto singulari *idem* masculinum primam producit; neutrum corripit: nempe quia olim per diphthongum sic *eidem* scribebatur in gen. mascul., non item in gen. neutro. *Virg.* 3. *Ecl.* 44. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit. *Horat. Art. P.* 467. Invitum qui servat, idem facit occidenti. — *Iidem* rectus pluralis in disyllabum contrahitur. *Ovid.* 1. *Met.* 239. Iidem oculi lucent. — *Eodem, eosdem* et similia interdum poetæ per crasin disyllaba faciunt. *Virg.* 12. *Æn.* 846. Quas et Tartaream Nox intempesta Megæram Uno eodemque tulit partu. *Propert.* 4. 7. 7. Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos, Eosdem oculos. *Al. leg.* hosdem, *addita syllaba* dem *ad* hic, hæc, hoc, *quomodo ad* is, ea, id. *Lucilius* apud *Lactant.* 5. 9. Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti. — Quemadmodum in Dativo et Ablativo plurali et *iisdem* et *eisdem* dicimus, sic in recto itidem plurali et *iidem* et *eidem* agnoscit *Priscian.* 12. *p.* 946. *Putsch. Inscript.* apud *Gruter.* 100. 8. M. PAPIVS M. F., L. MATRIVS L. F. DVOVIRI I. D. SIGNVM CONCORDIAE EX *centumvirorum* CONSENSV RESTITVENDVM COERAVERVNT EIDEMQVE DEDICARVNT ET BASIM GRADVM ARAM SVA PECVNIA FACIVNDA COER. EIDEMQVE PROBAVER. AD III. EID. OCT. CN. DOMITIO C. ASINIO COS. *h. e.* ann. U. C. DCCXIV. ante Chr. n. XL. — *Eædem* pro *eidem* fem. scribitur in Dat. sing. *Inscript.* apud *Gruter.* 669. 1. et apud *De-Lama Iscriz. di Parma p.* 119. NOMEN XANTHIPPE, IAIA EAEDEM LVDICRO. — Aliquando etiam in Nominativo sing. et plur. pro *idem* et *iidem* vel *eidem* dixerunt antiquitus *eisdem*. *Inscript.* opt. notæ apud *Gruter.* 207. *col.* 2. EISDEMQVE FORES CLATRATAS II. CVM POSTIBVS AESCVLNEIS FACITO. *et mox.* EISDEM PARIETEM CVM MARGINE ALTVM FACITO P. X. *Alia* apud *Lanzium*, *Sagg. di ling. Etr. T.* 1. *p.* 165. M. MANLIVS M. F., L. TVRPILIVS L. F. DVOMVIRES DE SENATVS SENTENTIA AEDEM FACIENDAM COERAVERVNT EISDEMQVE PROBAVERE. — Ceterum *idem, eadem, idem* est pronomen ab *is, ea, id*, sive potius ab antiquiore *i, ea, i* factum (*V.* IS sub init.), et *dem* syllabica adjectione auctum, quæ quidem laxiorem quasi, nec definitam pronominis significationem ad certam aliquam personam arctius restringere et determinare videtur. *Priscian.* 12. *p.* 945. *Putsch.* et 17. *p.* 1049. ab *is* et *demum* conflatum putat. Significat autem ipse et τῷ *alius* opponitur, ὁ αὐτός, ἡ αὐτή, τὸ αὐτό (It. *il medesimo, lo stesso*; Fr. *le même, la même*; Hisp. *mismo, misma*; Germ. *derselbe, dieselbe, dasselbe, eben dieser, diese, dieses*; Angl. *the same*). Occurrit — 1.°) Absolute. — *a*) De persona, aut re numquam ante significata. *Plaut. Amph.* 3. 2. 64. Verum eadem, si idem mihi purgas, patiunda sunt. *Sall. Cat.* 20. Idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. *Id. Jug.* 31. Quos omnes eadem odisse, eadem metuere in unum coegit. *Cic.* 2. *Off.* 15. 53. Fit deterior, qui accipit, atque ad idem semper exspectandum paratior. *Id. Tim.* 10. Dedit divinis duo genera motus: unum, quod semper esset in eodem æque et idem in omnibus atque uno modo celeraret. *Id. Amic.* 21. 81. Ejusdem generis animantes. *Id. Brut.* 94. 324. Ad causas simillimas inter se, vel potius easdem. *Id. Cluent.* 29. 80. Non quod alia res esset, immo eadem. *Id. Cæcin.* 21. 59. Quod etiam si verbo differre videbitur, re tamen erit unum et omnibus in causis idem valebit. *Id.* 1. *de republ.* 14. Quam (*sphæram*) ab eodem Archimede factam posuerat in templo Virtutis Marcellus idem. — Aliquando et pro *unus* poni videtur. *Cic. Brut.* 21. 84. Est mos hominum, ut nolint eumdem pluribus rebus excellere. *Id. Topic.* 22. 84. Comparationum duo sunt genera: unum de eodem et alio; alterum de majore et minore. Adde *Liv.* 1. 58. — Pertinet commode ad æquabilitatem et constantiam. *Cic.* 3. *Tusc.* 15. 31. Jure erat semper idem vultus (*Socratis*), quum mentis, a qua is fingitur, nulla fieret mutatio. *Id.* 1. *Off.* 26. 90. Præclara est æquabilitas in omni vita et idem semper vultus eademque frons, ut de Socrate itemque de C. Lælio accepimus. *Id. Orat.* 31. 110. Tu autem eodem modo omnes causas ages? aut in iisdem causis perpetuum et eumdem spiritum sine ulla commutatione obtinebis? — *b*) De persona aut re, quæ ante significata est: et fere usurpatur quum uni eidemque personæ aut rei plura adjectiva tribuuntur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 1. 1. Cum Academico et eodem rhetore congredi conatus sum. *Id. Brut.* 79. 273. Oratio splendida et grandis et eadem in primis faceta. *Id. Mur.* 9. 20. Asiam istam refertam, et eamdem delicatam, sic obiit, ut etc. *Id.* 10. *Phil.* 8. 16. Certissimi iidemque acerrimi Cæsaris actorum patroni. *Id.* 3. *Nat. D.* 32. 80. Avunculus meus, vir innocentissimus idemque doctissimus. Cf. *Nepos Con.* 2. Contulit se ad Pharnabazum, satrapen Ioniæ et Lydiæ, eumdemque generum regis et propinquum. et *Justin.* 18. 4. 8. avunculum suum eumdemque generum. Rursus *Cic.* 2. *Divinat.* 36. 77. Jam M. Marcellus ille quinquies consul totum (*auspicium*) omisit, idem imperator, idem augur optimus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 44. 136. Ubi Xenocrates, ubi Aristoteles ista tetigit? hos enim quasi eosdem esse vultis. *Id.* 1. *Off.* 19. 63. Viros fortes, magnanimos, eosdem bonos et simplices esse volumus. *Id.* 9. *Fam.* 2. Caninius idem tuus et idem noster quum ad me pervesperi venisset etc. — *c*) Pro *ego* locum habet in illa dicendi formula *Cic. Amic.* 21. 80. Amicus est tamquam alter idem. — 2.°) Cum pronominibus *ego, tu, hic, ille, iste, qui* et *unus*. — *a*) Cum pronom. *ego, tu*. *Cic.* 1. *Att.* 16. 8. Idem ego ille (non enim mihi videor insolenter gloriari) idem, inquam, ego recreavi afflictos animos etc. *Id. Orat.* 7. 23. Ego idem, qui etc. *Id. Sext.* 50. 107. Habitæ sunt multæ de me contiones —: habuit de eodem me P. Lentulus consul contionem. *Id. ibid.* § 108. Cedo nunc ejusdem illius inimici mei de me eodem contionem. *Plaut. Amph.* 5. 1. 33. At ego faciam, tu idem ut aliter prædices. *Cic.* 1. *de republ.* 39. Quin tu igitur concedis idem, in republica singulorum dominatus esse optimos? *Id. Dom.* 20. 52. Quod idem tu una lege tulisti. *Id.* 4. *Att.* 1. Cognoram enim te in custodia salutis meæ diligentem: eumdemque te acerbissime discidium nostrum tulisse. — *b*) Cum pronom. *hic, ille, iste*. *Cic.* 4. *Verr.* 28. 65. Sopater quidam fuit *etc.* — Huic eidem Sopatro iidem inimici ad C. Verrem ejusdem rei nomen detulerunt. *Id. ibid.* 29. 70. Quum est idem hic Sopater absolutus. *Id.* 1. *de republ.* 35. Adsunt optimates, qui se melius hoc idem facere profiteantur. *Id.* 1. *Orat.* 12. 53. Ab hisce iisdem permotionibus. *Id.* 1. *de republ.* 42. Est idem ille tyrannus, deterrimum genus. *Id.* 3. *Verr.* 21. 56. In iisdem illis locis. *Id.* 1. *de republ.* 14. Eamdem illam (*sphæram*) astris cælo inhærentibus esse descriptam. *Plin.* 6. *Ep.* 20. 10. Tum vero ille idem ex Hispania amicus. *Cic. post redit. in senat.* 13. 33. Nec mihi ipse ille animus idem meus, vobis non incognitus, defuit. *Id. pro leg. Manil.* 7. 19. Idem iste Mithridates. — *c*) Elegantem locum habet post *qui, quæ, quod*: habetque et ipsum vim relativi. *Cic.* 3. *Orat.* 44. 174. Musici, qui erant quondam iidem poetæ. *Id.* 1. *Off.* 7. 20. Beneficentia, quam eamdem benignitatem appellari licet. *Id.* 3. *Fin.* 7. 24. Quod idem in ceteris artibus non contingit. — *d*) Cum *unus* aliquando jungitur ad significationem augendam. *Cic.* 2. *Divinat.* 47. 97. Exitus quidem omnium unus et idem fuit. *Id.* 4. *Cat.* 7. 14. In qua (*causa*) omnes sentirent unum atque idem. *Id. Orat.* 3. 10. Nec diutius esse uno et eodem statu. *Id.* 6. *Verr.* 43. 93. Uno eodem tempore. *Ita plures libri*: Orellius vero uno enim tempore: *alii aliter*. *Id Orat.* 40. 137. Ut verset

sæpe multis modis eamdem et unam rem, et hæreat in eadem commoreturque sententia. — e) Ponitur etiam post *ego, tu, ille*, quoties de una eademque persona aut re duo inter se diversa affirmamus, ut ὅμως apud Græcos. *Cic.* 9. *Fam.* 15. Neque ego aliter accepi: intellexi tamen idem, non existimasse te, etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 10. *fin.* Quum idem negares, quidquam certi posse reperiri, idem comperisse te dixisses. *tu stesso.* *Id.* 3. *Att.* 12. Tu quidem sedulo argumentaris, quid sit sperandum: idemque caput rogationis proponi scribis. *Id.* 8. *ibid.* 3. *ante med.* Ille Galliæ ulterioris adjunctor: ille restituendi mei studiosior: ille absentis in omnibus adjutor: idem etiam tertio consulatu contendit etc. Cf. *Id.* 3. *Nat. D.* 39. 93. Sed quo modo iidem dicitis non omnia deos persequi, iidem vultis a diis immortalibus hominibus dispartiri ac dividi somnia? – Atque iidem etiam vota suscipi dicitis oportere. *Curt.* 5. 1. 13. Ipsi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno deinde aquarum divortio iter, quod cepere, percurrunt. – Iidem quum Mediæ et Gordiæorum terras secare cœperunt, paulatim in arctius coeunt. *Justin.* 9. 1. 2. Ad cujus emolumentum egregie pertinere ratus, si Byzantium, nobilem et maritimam urbem, receptaculum terra marique copiis suis futuram, in potestatem redegisset, eamdem claudentem sibi portas obsidione cinxit. — 3.°) Quoties collatio duorum fit, quæ inter se nihil distare significemus, *idem* post se habet — a) Particulas *et, ac, atque, que, ut.* *Cic. Topic.* 23. 87. Si quæratur, idem ne sit pertinacia et perseverantia. *Id. Orat.* 7. 22. Videmus fuisse quosdam, qui iidem ornate ac graviter, iidem versute et subtiliter dicerent. *Id. Sull.* 18. 51. Idem valere debet, ac si pater judicaret. *Id. Dom.* 20. 51. Unum et idem videtur esse, atque id quod etc. *Id. Prov. cons.* 13. 33. Imperii nostri terrarumque idem est extremum. *Id. Cœl.* 28. 67. Non idem judicum comissatorumque conspectus. *Id.* 2. *Tusc.* 3. 9. Disputationem habitam non quasi narrantes exponimus, sed eisdem fere verbis, ut actum disputatumque est. — b) Item sæpe habet post se relativum *qui, quæ, quod*, vel particulam *quam.* *Cic. Harusp. resp.* 11. 22. Tua eadem virtus fuit, quæ in privato quondam tuo proavo. *Id.* 4. *Fin.* 3. 7. Nihil commutantur animo, et iidem abeunt, qui venerant. *Id. Cæcin.* 20. 58. Non idem est servitus, quod familia. *Id.* 5. *Verr.* 25. 62. Qui (*servi*) et moribus eisdem essent, quibus dominus, et eodem genere ac loco nati. Similiter *Cæs.* 3. *B. C.* 13. Jurat, se eumdem casum subiturum, quemcumque ei fortuna tribuisset. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 12. 30. Eamdem constituit potestatem, quam si etc. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 31. Feracitatem potius sequemur, quæ non eadem portione vincitur pretio, qua vincit abundantia. — c) Aliquando habet part. *quasi.* *Cic.* 2. *Legg.* 21. 53. Eodem loco res est, quasi ea pecunia legata non esset. *Id. Amic.* 4. 14. Sensu enim amisso, fit idem, quasi natus non esset omnino. — d) Sequente *cum* præposit. *Tac.* 15. *Ann.* 2. Hunc ego eodem mecum patre genitum etc. Nonnulli addunt et illa *Gell.* 18. 11. Non hercle idem sentio cum Cæsellio grammatico. et *Curt.* 5. 9. Nabarzanes, qui in eodem consilio erat cum Besso. At in *Gell.* et *Curt.* verbis, *cum* locum haberet, quamvis *idem* non esset: quare non videntur ejusdem rationis esse, ac *Taciti* locus. — e) Cum Dativo. *Lucret.* 3. 1051. Homerus Sceptra potitus, eadem aliis sopitu' quiete est. *Id.* 4. 1167. nempe eadem facit omnia turpi. *Horat. Art. P.* 467. Invitum qui servat, idem facit occidenti. — 4.°) Neutro genere aliquando cum Genitivo jungitur. *Cic. Balb.* 12. 29. Si idem nos juris haberemus, quod ceteri. *Id.* 9. *Fam.* 2. 2. Tibi idem consilii do, quod etc. *Tac.* 13. *Ann.* 16. Principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci. Cf. *eumd.* 4. *ibid.* 4. Quamquam arduum sit eodem loci potentiam et concordiam esse. — 5.°) Ablativus *eadem* per ellipsin ponitur pro *eadem via*, aut *opera*, et adverbialiter occurrit. *Cic.* 1. *Divinat.* 54. 123. Ut ventum est in trivium, eadem, qua ceteri, fugere noluit. *Liv.* 5. 46. Per medias hostium stationes egressus, in Quirinalem collem pervenit: ibique omnibus solemniter perfectis, eadem revertens etc. *Plaut. Bacch.* 3. 4. 26. Stabile est, me patri aurum reddere: eadem exurabo, Chrysalo causa mea pater ne noceat. *Id. Mil. glor.* 2. 3. 32. Hic te opperiar: eadem illi insidias dabo. Adde *eumd. Pœn.* 3. 3. 3., *Capt.* 2. 2. 43. et alibi. — 6.°) Similiter Ablativus *eodem* absolute adverbii more sæpissime usurpatur: *V.* EODEM loco suo.

ĪDENTĬDEM, adverb., quod *Priscian.* 12. p. 945. *Putsch.* ex *idem* et *idem* factum docet, et significat subinde, frequenter, sæpe, per intervalla, ἐπιγνωκώς (It. *ripetutamente, di frequente, di quando in quando*; Fr. *plusieurs fois, parfois, souvent, de temps en temps*; Hisp. *muchas veces, algunas veces, frequentamente*; Germ. *wiederholentlich, zu wiederholten Malen, mehrmals, oftmals*; Angl. *now and then, ever and anon*). *Plaut. Men.* 1. 2. 54. Ne te uxor sequatur, respectas identidem. *Catull.* 51. 3. Qui sedens adversus identidem te spectat et audit. *Cic.* 6. *de republ.* 18. Hæc ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem. *Accius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 26. 62. Scindens dolore identidem intonsam comam. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 142. Palpebræ aptissime factæ ad claudendas pupulas et ad aperiendas, idque providit, ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. *Id. Dom.* 55. 140. Identidem se ipse revocans. *Id. Rabir. Post.* 12. 34. Recitabatur identidem Pompeji testimonium. *Id. Rosc. Am.* 30. 84. L. Cassius identidem in causa quærere solebat, cui bono fuisset. *Id.* 13. *Att.* 26. Revolvor identidem in Tusculanum. *Cæs.* 2. *B. G.* 19. Quum se illi identidem in silvas ad suos reciperent. *Quintil.* 6. 3. 49. Quum identidem interrogaret. *Id. ibid.* §. 86. Quum instaret identidem accusator ei. *Tac.* 2. *Hist.* 78. Inspectis identidem extis. *Plin.* 6. *Ep.* 20. 16. Hunc identidem assurgentes excutiebamus. *Curt.* 9. 36. 21. Identidem præsentibus graviora exspectans.

ĪDENTĬTAS, ātis, f. 3. (idem) dicitur quum natura aliqua permanet eadem. *Cyprian. de Cœn. Dom. a med.* Et caloris illius identitas ita corpori assidet, ut a capite non recedat. *Boeth. Aristot. Analyt. pr.* p. 492. Eo quod quandoque latet identitas horum.

ĪDEO, adverb. ex *id* et *eo* vel ex *i, d* et *eo* (*V.* IS et IDEM init.) factum, ita ut sit adverbium *eo* majore per adjectionem vi præditum ac pollens: significat autem propterea, idcirco; et plerumque præcedentia causam esse indicat eorum, quæ subsequuntur; quamquam interdum etiam iis, quæ dicturi sumus, paraudis inservit, διὰ τοῦτο (It. *per ciò, per questo*; Fr. *pour cela, pour cette raison, à cause de cela, dans cette vue*; Hisp. *a causa de esto*; Germ. *deshalb, darum*; Angl. *therefore, for that cause or reason, on that account*). Usurpatur *A*) Cum Relativo; et *B*) Absolute.

A) Cum Relativo. — 1.°) Addita causa per particulas *quod, quia, quoniam.* — a) Cum part. *quod.* *Cic.* 1. *Fam.* 8. *ad fin.* Ideo mihi non satisfacio, quod nullam partem meritorum tuorum non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum. Adde *eumd. Rosc. Am.* 30. 85. et 3. *Att.* 14. Similiter *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 7. § 23. Quod multos dies epistolam in manibus habui –, ideo multa conjecta sunt. *Varro* 2. *R. R.* 6. 5. Quorum greges non sane fiunt, nisi ii, qui onera portant: ideo, quod plerique deducuntur ad molas. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 26. Ne me foliis ideo brevioribus ornes, Quod timui etc. *Quintil.* 10. 5. 16. Ideoque mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiæ lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit. — b) Cum part. *quia.* *Plaut. Men.* 1. 1. 2. Juventus nomen fecit Peniculo mihi, ideo, quia mensam, quando edo, detergeo. Adde *eumd. Merc.* 3. 1. 46. *Cic.* 2. *Att.* 1. Mulieres ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. Similiter *Id.* 13. *Fam.* 7. 3. Quia confido mihique persuasi, illum dignitatis municipii habiturum esse rationem: ideo a te non dubitavi contendere, ut hanc causam illi integram conservares. *Liv.* 45. 22. Qui ideo felicia bella vestra esse, quia justa sint, præ vobis fertis. *Quintil.* 12. 10. 2. Atque ideo nondum est perfectus orator, non solum quia aliud in alio magis eminet, sed quod non una omnibus forma placuit. — c) Cum part. *quoniam.* *Cels.* 2. 19. Quæ omnia ideo noscenda sunt, quoniam aliud alii convenit. *Seneca Ep.* 76. Ideo magis propero, quoniam id nunc aggressus est. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 18. 76. (200). Addidit Andreas, ideo non protinus excæcari eo, quoniam adulteraretur Alexandriæ. *Ulp. Dig.* 3. 2. 2. Hoc ideo adjectum est, quoniam multa genera sunt missionum. — 2.°) Addito fine per particulas *ut, ne, quo, quin.* — a) Cum part. *ut.* *Cic.* 6. *Verr.* 4. 4. Idcirco nemo superiorum attigit, ut iste tolleret? ideo C. Claudius Pulcher retulit, ut C. Verres posset auferre? *Id.* 2. *Invent.* 23. 70. Hanc ideo rationem subjecimus, ut hoc causæ genus ipsum, de quo agimus, cognosceretur. *Varro* 3. *R. R.* 16. 15. Quas (*alvos*) ideo videntur medias facere angustissimas, ut figuram imitentur earum. Rursus *Cic.* 3. *leg. Agr.* 2. 4. Neque vero nunc ideo disputabo, quod hunc statum reipublicæ non magnopere defendendum putem –; sed ut doceam etc. Sic *Quintil.* 10. 7. 31. Quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles. — b) Cum part. *ne.* *Cic.* 3. *Verr.* 41. 106. An ideo aliquid contra mulieres scripsit, ne totum edictum ad Chelidonis arbitrium scriptum videretur. *Liv.* 4. 6. Ideoque decemviros connubium diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur. *Tac.* 4. *Hist.* 73. Nec ideo Rhenum insedimus, ut Italiam tueremur, sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur. — c) Cum part. *quo.* *Varro* 5. *L. L.* 90. *Müll.* Quod id ideo facerent, quo facilius demolirent hostes. — d) Cum part. *quin.* *Liv.* 2. 15. Non, quin breviter reddi responsum potuerit, non recipi reges, ideo – delectos patrum ad eum missos, – sed ut in perpetuum mentio ejus rei finiretur. — 3.°) Addita conditione per part. *si*, et ideo jungitur part. negativæ *non, nec.* *Cic. Cœl.* 9. 21. Vestræ sapientiæ est, judices, non, si causa justa est viris fortibus oppugnandi M. Cælium, ideo vobis quoque vos causam putare esse justam etc. *Varro* 5. *L. L.* 5. *Müll.* Non, si non potuero indagare, eo ero tardior; sed velocior ideo, si quivero. *Id.* 1. *R. R.* 18. 3. Nec, si bis tanto ampliorem fundum aut eo plus colas, ideo duo villici aut tres habendi fuere. *Quintil.* 2. 17. 24. Si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator.

B) Absolute, ita ut relativum ex ipsius orationis contextu erui ac suppleri possit. *Plaut. Most.* 4. 3. 34. Te velle uxorem ajebat tuo natu dare, ideo ædificare hoc velle ajebat in tuis. *Cic.* 5. *Fin.* 29. 87. Et illa investigatione naturæ consequi volebat, bono ut esset animo. Ideo enim ille summum bonum εὐθυμίαν appellat etc. *Cæs.* 3. *B. C.* 11. Necessarium esse existimavit, Pompejum fieri certiorem: atque ideo continuato itinere etc. *Nepos Alcib.* 9. Videbat id sine rege Persarum non posse fieri: ideoque eum amicum sibi cupiebat adjungi. *Cels.* 7. 26. *n.* 2. Et ideo dixi, ne curandum quidem. *Phædr.* 4. 23. Nihil laboras: ideo, quum opus est, nihil habes. *Quintil.* 6. 2. 19. Ideoque et medius ille orationis modus maxime convenit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (32). Summum esse quod vocant Saturni sidus, ideoque minimum videri. — Et cum part. negativa. *Cels.* 2. 2. *sub fin.* Considerandum est, num cui sæpius horum aliquid eveniat, neque ideo corporis ulla difficultate subsequatur. *Virg.* 2. *G.* 96. nec cellis ideo contende Falernis. *Sueton. Aug.* 54. Nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit. *Tac.* 1. *Ann.* 12. Nec ideo iram ejus leniebat.

ĪDEST. *V.* IS, ea, id.

ĬDĬŎGRĂPHUS, a, um, adject. ἰδιόγραφος, *scritto di propria mano*, autographus, propria ipsius auctoris manu scriptus; ab ἴδιος *proprius* et γράφω *scribo.* *Gell.* 9. 14. Qui scripserunt, idiographum librum Virgilii sese inspexisse, in quo ita scriptum est.

ĬDĬŌMA, ătis, n. 3. ἰδίωμα, *idioma*, proprietas alicujus linguæ. *Charis.* 5. p. 255. *Putsch.* Idiomata, quæ sunt in sermone nostro, innumerabilia quidem debent esse. Ea enim sunt omnia, quæ pro nostro more efferimus tantum secuti Græcos. — Etiam *idioma, æ*, f. 1. usurpatur, ut schema, æ. *V.* CLAVICATUS.

ĬDĬŌTA, æ, m. 1. ἰδιώτης, proprie notat hominem privatum, seu nullo munere publico fungentem; ab ἴδιος *privatus.* Sed quia qui e vulgo sunt, fere imperiti indoctique esse consueverunt, accipitur fere pro illitterato, indocto, imperito, *idiota, ignorante.* *Lucilius* apud *Non.* p. 38. 24. *Merc.* Quidni et tu idem illitteratum me atque idiotam diceres? *Nonius* exponit inutilem, sibi tantum, non plurimis utilem. *Cic.* 6. *Verr.* 2. 4. Quæ non modo istum hominem ingeniosum atque intelligentem, verum etiam quemvis nostrum, quos iste idiotas appellat, delectare possent. *nulla intendenti di*

sculture. Adde *eumd. Pis.* 26. 62. et 27. 65. Similiter *Id. Sext.* 51. 110. Rem paternam ab idiotarum divitiis ad philosophorum regulam perduxit, Græculum se et otiosum putari voluit. *h. e.* ab iis divitiis, quas vulgus imperitum divitias appellat. Stoici autem, qui sapientes haberi volebant, divitias appellabant, quum quis cælo et terra frui posset. *Gell.* 1. 2. Quoniam respondere nos tibi non quimus, quos idiotas et rudes vocas. Adde *Vitruv.* 6. 11. *ad fin.* ubi usurpat de eo, qui architecturæ est ignarus.

ĬDĬŌTĬCUS, a, um, adject. ἰδιωτικός, idem atque idiota, ignarus, rudis. *Tertull. Testim. anim.* 1. Rudem, impolitam et idioticam compellare.

ĬDĬŌTISMUS, i, m. 2. ἰδιωτισμός, dicendi genus e vulgo sumptum et familiare, ita tamen, ut sordes absint, et vulgaria verba, quibus orator utitur, ita locentur apte, ut ornamento sint, neque illa quæsivisse, sed ut necessaria adscivisse videatur. *Seneca præfat. l.* 3. *Controv. a med.* Idiotismus est inter oratorias virtutes res, quæ raro procedit. Magno enim temperamento opus est et occasione quadam. Hac virtute varie usus est (*Albutius*). Sæpe illi bene cessit, sæpe decidit, nec tamen mirum est, si difficulter apprehenditur vitio tam vicina virtus. *Id.* 2. *Controv.* 11. *ad fin.* Hispo Romanus bello idiotismo usus est. Vultis, inquit, amici, eamus ad raptæ patrem? occurremus: ille domi est. *Al. minus recte leg.* docismo. — Idiotismi species est figura communicatio, ἀνακοίνωσις, quia in ea orator cum adversariis ipsis colloquens ac deliberans, familiarem sermonem instituit. *Voss. Institut. l.* 5. *c.* 7. *extr.*

ĪDŌLĀTRĪA. *V.* **IDOLOLATRIA.**

ĪDŌLĒUM vel idolium, ii, n. 2. εἰδωλεῖον. *Idolium* pænult. brevi, abjecta scil. prima diphthongi vocali, dixit *Prudent. Apotheos.* 186. Ecquis in idolio recubans, inter sacra mille. *Id.* 11. περὶ στεφ. 52. Idolii ardebat dedere perfidia. Adde *eumd.* 1. *advers. Symmach.* 612. Sed quod secundam quoque syllabam corripit, non est imitandus. — Ceterum idoleum vel idolium est delubrum, sacellum, locus, in quo idolum colitur. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 29. Si frater te viderit in idoleo recumbentem. *Tertull. Cor. milit.* 10. *a med.* Si in idolio recumbere alienum est a fide, quid in idoli habitu videri? Cf. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 8. 10.

ĪDŌLĬCUS, a, um, adject. εἰδωλικός, ad idola pertinens. *Tertull. Idolol.* 13. Communicantes nationibus in idolicis rebus. *Paulin. Nolan. carm.* 22. 61. Absit, ut idolici videatur filia templi. Secunda syllaba minus recte hic corripitur. *V.* IDOLUM init. *Paulin. Petroc.* 5. 583. Idolicam effigiem celsissima fulcra columnæ Tollebant, junctis procul ad sublimia saxis.

ĪDŌLĬUM. *V.* **IDOLEUM.**

ĪDŌLŎLĀTRES, æ, m. 1. εἰδωλολάτρης, *idolatra*, idolorum cultor. *Tertull. Idolol.* 14. Numquid idololatris idololatres, numquid sæcularibus sæcularis? Adde *eumd. ibid.* 1. et alibi.

ĪDŌLŎLĀTRĪA, æ, f. 1. εἰδωλολατρεία, *idolatria*, idolorum cultus; ab εἴδωλον *idolum* et λατρεύω *colo, servio. Tertull. Idolol.* 1. et alibi. — *Idolatria* scribitur apud *Salvian.* 1. *advers. avar.* 1. et 12., atque ita esse in MSS. codicibus testatur *Baluzius*; quæ quidem scriptio mirum quantum favet recentiorum Gallorum *idolatrie* et Italorum *idolatria*.

ĪDŌLŎLĀTRIS, idis, f. 3. quæ idola colit. *Prudent. Hamartig.* 405. Incerat lapides fumosos idololatris religio. *Gronov.* et *Heins.* ita legunt. Vulgo hab. *idololatrix.* Quod vero secundam corripit, contra ejus syllabæ naturam facit: est enim εἰδωλολατρίς. Sed *V.* IDOLUM init.

ĪDŌLON. *V.* **IDOLUM.**

ĪDŌLŎTHȲTUS, a, um, adject. εἰδωλόθυτος, qui idolis immolatus est, qui ad idolorum victimas pertinet. *Tertull. Spectac.* 13. Oculos et aures ab idolothytis voluptatibus abstinere. *Id. Idolol.* 13. Quid participas idolothyta solemnia? — Hinc

Idolotythum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, sunt carnes animalium idolis immolatorum. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 8. 7. et 10. Manducare idolotythum *vel* idolotytha. Adde *Apoc.* 2. 20.

ĪDŌLUM *vel* idolon, i, n. 2. εἴδωλον. Pænultimam, quæ natura longa est, licenter corripit *Sedul.* 5. 116. et *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 48. et alibi: neuter imitandus. — Idolum ¶ 1. Est alicujus rei species, seu imago, quæ oculis obversatur, aut menti; ab εἴδω *video*; It. *spezie, simulacro, immagine. Lucilius* apud *Non.* p. 478. 29. *Merc.* Idola atque atomos vincere Epicuri volam. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 21. Atomi, inane, imagines, quæ idola nominant, quorum incursione non solum videmus, sed etiam cogitamus. Adde *eumd.* 15. *Fam.* 16. ubi quidem bis legitur, sed Græce tamen; quare etiam priore loco Græce scripsisse putandus est. *Plin.* 7. *Ep.* 27. Mox apparebit idolon, senex macie et squalore confectus etc. *uno spettro.* ¶ 2. Ab Ecclesiasticis Scriptoribus dicitur signum, simulacrum inanium deorum, *idolo. Tertull. Idolol.* sæpe

ĪDŌNĔĒ, adverb. Comp. *Idonius* est *Tertull. Pall.* 3. *a med.* — Idonee est apte, commode, quantum satis est, ἱκανῶς, *convenevolmente, acconciamente, sufficientemente. Cic.* 1. *Invent.* 15. 20. Exordium est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem. *Cajus Dig.* 5. 3. 41. Idonee cavere. *dar sicurtà sufficiente.* Sic *Ulp. ibid.* 40. 5. 4. § 8. Ergo cavendum est idonee. Quid est idonee? Satisdato utique, aut pignoribus datis. *Pompon. ibid.* 39. 2. 41. Magis idonee reficere parietem.

ĪDŌNĔĬTAS, atis, f. 3. convenientia. Est *Augustini Serm.* 106. *de divers.* 3. Idoneitatem servi in passione sanguinis quærit.

ĪDŌNĔUS, a, um, adject. Gradibus caret, quorum vim supplere licet per particulas *magis, maxime:* ita docet et *Charis.* 1. *p.* 88. *Putsch.* Ex his, quæ ante *us e* aut *i* habent comparationes fieri non possunt. Neque enim ab *idoneo idoneor* fieri potest, neque a *necessario necessarior.* Reperitur tamen Comp. *Idoneior. Ulp. Dig.* 18. 2. 4. *sub fin.* Si persona idoneior accedat ad emptionem. *Paul. ibid.* 47, 23. 2. Si plures simul agant, prætor eligat idoneiorem. Adde *Callistrat. ibid.* 50. 6. 5. *ad fin.*; et *Tertull. advers. Hermog.* 18. et *Anim.* 18. Ubique autem alii leg. *idonior.* — Ratione habita etymi, fortasse est ab *ideo*, ita ut *idoneus* sit quasi factus ad hoc, *nato fatto per ciò*; hinc et *ideoneus* pro *idoneus* legitur apud *Quintil. Declam.* — Ceterum idoneus est aptus, opportunus, commodus, conveniens et cui fidere possis, bonus, dignus, ἐπιτήδειος (It. *atto, opportuno, acconcio, conveniente, idoneo, sufficiente, buono, degno, meritevole*; Fr. *apte à, capable de, habile, digne, convenable, bon à*; Hisp. *capaz, habil, convenible*; Germ. *tauglich, geschickt, geeignet, bequem, tüchtig, genügend, sicher, vollgültig, würdig*; Angl. *fit, meet, proper, suitable, convenient, apt, idoneous*). Occurrit *A*) Cum additis; et *B*) Absolute.

A) Cum additis, scil. — *a*) Cum Accusativo et præpos. *ad. Plaut. Pœn.* 3. 2. 6. AG. Adeamus propius, adsunt testes. MI. Tot quidem non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos. *Cic. Cluent.* 6. 17. Non essem ad ullam causam idoneus, judices, si hoc non viderem. *Id. Amic.* 17. 62. Quibus (*signis*) eos, qui ad amicitiam essent idonei, indicarent. *Cæs.* 2. *B. G.* 8. Locus ad aciem instruendam opportunus atque idoneus. *Cic.* 1. *Herenn.* 4. 6. Quum statim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. *Id.* 2. *Legg.* 4. 8. Lex est ratio ad jubendum et deterrendum idonea. *Id.* 5. *Att.* 6. Consilia idonea ad hoc nostrum negotium. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 6. et 1. *Off.* 40. 142. — *b*) Cum Dativo. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 7. Litterulis Græcis imbutus, idoneus arti Cuilibet. *d'ogni abilità.* quo sensu absolute *Ulp. Dig.* 50. 16. 42. idoneum hominem dixit. Rursus *Horat.* 2. *Od.* 19. 26. Quamquam choreis aptior et jocis Ludoque dictus, non sat idoneus Pugnæ ferebaris. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 26. 1. *Quintil.* 2. 3. 1. Idoneus rhetori puer. *h. e.* qui rethori erudiendus committatur. *Id.* 2. 8. 7. Erit alius (*discipulus*) historiæ magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius utilis studio juris, ut nonnulli rus fortasse mittendi. *Cic.* 6. *Fam.* 19. Falernum mihi semper idoneum visum est deversorio. *Cæs.* 6. *B. G.* 10. Castris idoneum locum deligit. *Quintil.* 2. 10. 6. Cibi viribus conservandis idonei. Et absolute *Horat. Art. P.* 334. simul et jucunda et idonea dicere vitæ. *Id.* 2. *Sat.* 2. 110. metuensque futuri In pace, ut sapiens, aptavit idonea bello. — *c*) Cum pronom. *qui, quæ, quod* et Conjunctivo, vel cum alio relativo, et pro *digno* verti potest. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 71. Video te me arbitrari hominem idoneum, quem senecta ætate ludos facias. *Ter. Andr.* 4. 4. 18. Adeon videmur vobis esse idonei, in quibus sic illudatis? *Cic. pro leg. Manil.* 19. 57. Pompejus idoneus non est, qui impetret. *Id.* 5. *Verr.* 16. 41. Tibi fortasse idoneus fuit nemo, quem imitarere. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 18. Et rem idoneam, de qua quæratur, et homines dignos, quibuscum disseratur, putant. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 1. Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum, unde exordiar narrare, quæ etc. *Cic. Dom.* 51. 132. Nemo ne horum tibi idoneus visus est, ut cum eo dedicationem communicares? — Ceterum raro admodum — *d*) Propter affinitatem cum voc. *dignus*, occurrit etiam cum Ablativo apud *Cic.* 3. *Herenn.* 3. 5. Res humiles et indignas viris fortibus viros fortes propterea contemnere oportere, nec idoneas dignitate sua judicare. — *e*) Cum Accusativo et præpos. *in. Seneca* 5. *Controv.* 33. *a med.* Infirmi et in nullam spem idonei. *Quintil.* 6. 3. 15. Componere materias in hoc idoneas, ut controversiæ permixtis salibus fingantur. — *f*) Cum Genitivo. *Nepos Att.* 2. Tempus idoneum ratus studiis obsequendi suis. — *g*) Poetice cum Infinito. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 12. Fons etiam rivo dare nomen idoneus. Nonnulli addunt etiam illud *ejusd.* 4. *Od.* 1. 12. Si torrere jecur quæris idoneum. *ubi* tamen Infinitum a verbo *quæris* pendere videtur.

B) Absolute. — *a*) Generatim. *Cic. Brut.* 15. 57. Cujus eloquentiæ est auctor, et idoneus quidem mea sententia, Q. Ennius. *h. e.* sufficiens et cui fidere possis. Sic *Liv.* 8. 4. *ad fin.* Idoneos habeo auctores, ita responsum ab senatu esse. Adde *Quintil.* 1. 4. 20. et 2. 4. 42. Rursus *Cic. Balb.* 3. 7. Qui si adductus gratia, minus idoneum hominem præmio effecisset; qui, etiamsi virum bonum, sed non ita meritum; tamen etc. *h. e.* dignum, bene meritum, *degno, meritevole.* Huc pertinet illud *ejusd.* 1. *Off.* 15. 54. Sæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum. *bisognosi e meritevoli di soccorso.* Fallitur *Lactant.*, qui 6. 11. *idoneis* interpretatur iis, qui restituere ac referre gratiam possint; et ob id acriter *Ciceronem* reprehendit. *Quintil.* 4. 1. 46. Idoneus suæ rei quisque defensor. *Id.* 12. 3. 5. Idoneus imperator. *Id.* 10. 5. 21. juvenis. *Martian. Dig.* 26. 1. 9. Non idoneus tutor. *Jabolen. Dig.* 43. 5. 5. et *Ulp. ibid.* 50. 16. 42. Idoneus homo. *h. e.* qui integræ existimationis et fidei esse putatur. *Cic.* 2. *ad Brut.* 7. Legiones idoneas per te brevi tempore comparasti. *Id. Rosc. Am.* 24. 68. Servi conscii, tempus idoneum, locus opportune captus ad eam rem. *Id.* 1. *Orat.* 34. 154. Minus idoneis verbis uti. Adde *Quintil.* 9. 4. 144. Rursus *Cic.* 2. *ad Brut.* 7. Rem quamplam idonea laude afficere. *Nepos Themist.* 6. Idoneam causam nactus. *Petron. Satyr.* 139. *extr.* Idoneam excusationem præparare. *Quintil.* 2. 4. 35. Lex promulgata idoneo die. *Id.* 12. 7. 1. Idonea vox. *Id.* 8. *proœm.* 28. lectio. *Paul. Dig.* 39. 2. 36. Idoneum parietem esse dixerunt, si onera, quæ modo jure imponantur, sustinere possit. *Ulp. ibid.* 19. 2. 13. Minus idonea navis. — *b*) Speciatim in jure *idoneus homo* dicitur, qui solvendo est (*V. Klotz.* ad *Cicer. Oration. vol.* 1. *p.* 485.) et cui propterea fidere possumus. *Cajus Dig.* 4. 4. 27. *ad fin.* Si ab idoneo debitore ad inopem transtulerit obligationem. *h. e.* ab eo debitore, qui est solvendo. Sic apud *Ulp. Dig.* 27. 8. 1. *a med.* tutores et fidejussores idonei *opponuntur his*, qui lapsi sunt facultatibus. Sic *Id. ibid.* 25. 3. 1. *extr.* Idoneum esse facultatibus ad alendum aliquem. (Ad hanc rationem respexit *Lactant.* Ciceronis citata verba exponens). *Martian. ibid.* 35. 2. 88. Idoneis hominibus collocare pecuniam. *Al. leg.* nominibus. *a buone ditte. Seneca* 4. *Benef.* 39. Quum quingentos denarios mutuos cuidam promisisset, et illum parum idoneum comperisset. — Eodem sensu dicitur etiam de rebus. *Ulp. Dig.* 22. 1. 33. Idonea pignora. *h. e.* quæ sufficiunt in quantitatem debiti, ut *Cajus* loquitur ibid. 12. 1. 26. Cf. *Papinian. ibid.* 40. 4. 50. Idoneam cautionem offerre. — *c*) Absolute, substantivorum more, — Masc. gen. *Cic.* 2. *Off.* 18. 62. In deligendis idoneis judicium et diligentiam adhibere. *Liv.* 34. 25. De præsidio expetendo cum idoneis collocutus. *Sueton. Ner.* 44. Nullo idoneo respondente. *Quintil.* 7. 4. 39. Si orbæ nuptias indicant pares gradu, et si inter propinquos de idoneo quæratur. *Tac.* 2. *Ann.* 39. Turg per ido-

neos et secreti ejus socios crebrescit, vivere Agrippam. — Neutr. gen. *Tac.* 4. *Ann.* 5. Apud idonea provinciarum, *h. e.* locis provinciarum opportunis.

ĪDOS, n. εἶδος, vox Græca, ab εἴδω *video.* Apud *Senec. Ep.* 58. *circa med.* modo Græce, modo Latine scripta legitur. Est autem species, forma ab exemplari, h. e. ab idea, sumpta et operi imposita, ut ait *Senec. loc. cit.* Habet aliquam faciem statua: hæc est idos. Habet aliquam faciem exemplar ipsum, quod intuens opifex statuam figuravit: hæc idea est. *Id. ibid.*

ĪDŪĀRĬUS, a, um, adject. ad idus pertinens. *Iduarii, orum,* sunt qui feneratorum tabulas conficiebant, in quibus perscribebatur pecunia fenori locata et idibus recepta (*V.* IDUS). *Inscript.* apud *Gruter.* 478. 9. L. VAL. L. FIL. GAL. FAVENTINO II. VIRALI QVI ANNONA FRVMENTARIA EMPTA PLEBEM ADIVVIT ET OB ALIA MERITA EIVS COLLEGIA KALENDARIVM (*lege* Kalendariorum) ET IDVARIA DVO (*lege* iduariorum) CIVI GRATISSIMO POSVERVNT. Porro *Kalendariorum* legit *Apianus* aliique plures, qui hanc Inscriptionem retulerunt; *Iduaria* autem duo corruptam esse lectionem ex *iduariorum* quivis per se facile videt, qui in vetustis lapidibus perlegendis versatus aliquantisper fuerit: ex qua quidem conjectura lis illa componitur, quæ de hujusmodi voce excitata olim est inter eruditos, quamque pluribus persequitur *Cognolatus* in *præf.* huic Lexico præmissa § 13. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

ĪDŪLIS, e, adject. ad idus pertinens. *Paul. Diac. p.* 104. 17. *Müll.* Idulis ovis dicebatur, quæ omnibus idibus Jovi mactabatur. Cf. *Festus p.* 290. 30. *Müll.* Sacram viam quidam appellatam esse existimant —, quod eo itinere utantur sacerdotes, idulium sacrorum conficiendorum causa. De his *Ovid.* 1. *Fast.* 56. Idibus alba Jovi grandior agna cadit. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. *a med.*

ĪDŪO, as, are, a. 1. (vox videtur composita ex *in* et duo, vel εἰς δύω: *V.* voc. seq. init.) lingua Etrusca dividere significat: unde dictæ *idus* (et *iduus, viduus, divido*) quæ mensem ferme dividunt. *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. *a med. V.* VIDUUS.

ĪDŪS, ĭuum, ĭbus, f. plur. 3. In vetustissimis Inscriptionibus *eidus* scribitur, ut in *Inscript.* apud *Orell.* 42. — Idus, *idi,* εἴδοι, sunt dies decimus quintus in mensibus Martio, Majo, Julio et Octobri; decimus tertius in reliquis; ab *iduare* dividere (ut putat etiam *Macrob.* 1. *Saturn.* 15., ubi alias hujus vocis notationes habes), quia mensem ferme dividit. *V.* ITIS. Hinc *Horat.* 4. *Od.* 11. 14. idus tibi sunt agendæ, Qui dies mensem Veneris marinæ Findit Aprilem. Alii tamen putant, esse a Gr. εἴδω *video,* quod prægnanti, uti ajunt, sensu accipiatur, ita ut tempus vel diem significet, quo luna plena nobis apparet ac videtur. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Fam.* 1. Res ante idus acta sic est: nam hæc idibus mane scripsi. *Id.* 15. *Att.* 17. Duas epistolas accepi postridie idus (*al. leg.* iduum), alteram eo die datam, alteram idibus. *Cæs.* 1. *B. C.* 5. Hæc S. C. perscribuntur a. d. VII. id. Januar. *h. e.* ante diem septimum idus Januarii, vel Januarias. Rursus *Cic.* 14. *Att.* 4. Omnia licet concurrant: idus Martiæ consolantur. *Id.* 15. *ibid.* 4. Stulta jam iduum Martiarum est consolatio. *Tac.* 2. *Ann.* 32. Ut iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur. *Id.* 1. *Hist.* 26. Ut postero iduum die redeuntem a cœna Othonem rapturi fuerint. *Ammian.* 22. 2. Tertio iduum decembrium. — Ut calendæ Junoni sacræ erant, sic idus cujusque mensis Jovi. Unde *Idulis ovis: V.* IDULIS. Adde *Varron.* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. — *b*) Speciatim, exigendarum usurarum duo maxime fuere tempora, calendæ et idus, prout in contractu convenisset. De calendis in ea voce dictum est, itemque in CALENDARIUM. De idibus *Horat. Epod.* 2. 67. fenerator Alphius, Jam jam futurus rusticus, Omnem redegit (*al.* relegit) idibus pecuniam; Quærit calendis ponere. *Cic.* 10. *Att.* 5. Diem pecuniæ Idus Novembres (*al.* Novembris) esse. *Id.* 14. *ibid.* 20. Jam vel sibi habeat nummos, modo numeret idibus. *Id.* 1. *Cat.* 6. 14. Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus senties. — Discipuli quoque magistro suo mercedis pecuniam idibus numerabant, ut colligimus ex *Horat.* 1. *Sat.* 6. 75. Ibant (*pueri*) octonis referentes idibus æra.

ĪDŪUS, a, um, adject. diviso, divisus. *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. Vidua quasi valde idua, idest valde divisa. *V.* IDUO.

ĪDYLLĬUM. *V.* EDYLLIUM.

IE

ĬENS, euntis. *V.* EO, is.

ĬĔRAX. *V.* HIERAX.

IG

IGGĔRUNT, ingerunt. *Varro. V.* litteram *G.*

ĬGĬTUR, conj. — *a*) Ratione habita etymi, *Hondius Tursell.* putat esse ab etymo *i* (unde facta sunt pronomina *is* et *hic*) et adjectione *itus, ita*: alii volunt esse contractum pro *id agitur*; quæ notatio, etsi usitatæ vocabuli significationi conveniat, respuenda videtur *Döderlein. Latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 163.: *Klotz.* vero *igitur* fortasse pro simplici *agitur* esse conjicit. — *b*) Quod ad collocationem attinet, hæc conjunctio — Fere uni, aut duabus vocibus subjicitur. *Cic. Ligar.* 1. 2. Habes igitur, Tubero, confitentem reum. *Id.* 4. *Cat.* 11. 23. Pro his igitur omnibus rebus postulo etc *Id.* 4. *Tusc.* 18. 41. Qui modum igitur vitio quærit, similiter facit, ut etc. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 63. Quali igitur victu sapiens utatur? Adde *Cic. Orat.* 9. 33., 2. *Fin.* 23. 76., 1. *Tusc.* 6. 12., 2. *Divinat.* 61. 132., 4. *Fin.* 27. 75. et 1. *Off.* 14. 43. — Interdum post plures. *Cic.* 3. *Verr.* 32. 81. Huic homini parcetis igitur? *Id. Flacc.* 10. 23. In hominem dicendum est igitur. Adde *eumd.* 1. *Divinat.* 15. 27. et 1. *Tusc.* 14. 32. Rursus *Id.* 3. *Nat. D.* 17. 43. Si Nymphæ deæ sunt, Panisci etiam et Satyri. Hi autem non sunt: ne Nymphæ quidem deæ igitur. Sic *Id.* 1. *Tusc.* 31. 82. Ne in animo quidem igitur sensus remanet. *Plaut. Epid.* 3. 4. 63. Quid tibi negoti est meæ domi igitur? — Aliquando priore loco ponitur. *Plaut. Merc.* 2. 3. 20. Igitur hoccine est amare? *Nepos Att.* 3. Igitur primum illud munus fortunæ, quod in ea urbe etc. — Ceterum *igitur* est collectiva, vel rationalis conjunctio, ex præcedentibus conclusionem inferens, οὖν, ἄραγε, τοιγαροῦν (It. *adunque, dunque*; Fr. *donc, ainsi, d'après cela*; Hisp. *pues, asi*; Germ. *also, nun, denn, demnach, folglich*; Angl. *therefore, then*). Occurrit ¶ 1. Generatim, et ponitur pro tum, inde, postea, ut *Paul. Diac. p.* 105. 2. *Müll.* et *Non. p.* 128. 17. *Merc.* docent: quo sensu etiam *ergo* adhibetur. *Fragm.* XII. *Tabul.* et IN IVS VOCAT, NI IT, ANTESTATOR, IGITVR EM CAPITO. *Plaut. Amph.* 1. 1. 54. Sin aliter sient animati, neque dent, quæ petant; sese igitur summa vi virisque eorum oppidum oppugnassere. *Id. Cas.* 2. 2. 39. Mox magis quum otium mihi et tibi erit, igitur tecum loquar. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 177. Quando habebo, igitur rationem meam fabricarum dabo. *Id. Most.* 2. 1. 32. Miserum est opus, igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet. *Lucret.* 2. 677. Cetera consimili mentis ratione peragrans, Invenies igitur multarum semina rerum Corpore celare etc. — Pleonasmus est in illis, in quibus *igitur* cum *tum, deinde, post* conjungitur. *Plaut. Most.* 1. 2. 51. Quum ubi emeritum est stipendium, igitur tum specimen cernitur. et *Stich.* 1. 2. 29. Prius id agam: igitur deinde, ut animus erit meus, faciam palam. *h. e.* tum deinde, tum postea. et *Amph.* 3. 1. 16. Frustrationem hodie hic injiciam maximam: post igitur demum faciam, res fiat palam. ¶ 2. Speciatim usurpatur ad rationalem conclusionem ex præcedentibus inferendam. *Cic.* 2. *Nat. D.* 6. 16. Si enim est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit: est certe id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res cælestes omnesque eæ, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 96. Quid ergo hæc ab illa conclusione differt? Si mentiris, mentiris; mentiris autem, mentiris igitur. *Id.* 1. *Tusc.* 29. 71. Quod quum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire igitur. *Quintil.* 5. 14. 9. Quod si melius geruntur, quæ consilio, quam quæ sine consilio administrantur; nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus administratur: consilio igitur mundus administratur. Rursus *Cic.* 2. *Fin.* 33. 106. Atque falsum quod est, id percipi non potest, ut vobismetipsis placet. Si igitur memoria perceptarum comprehensarumque rerum est; omnia etc. — Interdum et τῷ *ergo* respondet; tametsi minore, quam *ergo,* vi polleat. *Cic.* 5. *Tusc.* 18. 53. Sequitur ut nihil pœniteat, nihil desit, nihil obstet: ergo omnia profluenter, absolute, prospere; igitur beate. Adde *eumd. Amic.* 14. 51. et 15. 52.; et *V.* ERGO. ¶ 3. Item speciatim locum habet in interrogationibus. — *a*) Universim. *Cic. Topic.* 4. 25. His igitur locis, qui sunt expositi ad omne argumentum reperiendum, tamquam elementis quibusdam significatio et demonstratio datur. Utrum igitur hactenus satis est? *Id.* 1. *Tusc.* 20. 70. In quo igitur loco est? credo equidem in capite. *Id.* 3. *Nat. D.* 31. 76. Eam dedisse hominibus rationem, quo vitia culpamque excluderet. Ubi igitur locus fuit errori deorum? *Id.* 12. *Phil.* 12. 27. Possumusne igitur in Antonii latrocinio æquo esse tuti? — *b*) Usurpatur et quum ironiam per interrogationem efferimus. *Cic. Cæl.* 17. 39. Dicet aliquis: Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? *Id.* 9. *Fam.* 10. Puto nunc dicere: Oblitusne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam? *Curt.* 6. 11. Hunc igitur regem agnoscimus, inquit? *Id.* 5. 7. Quin igitur ulciscimur Græciam et urbi faces subdimus? Adde *eumd.* 10. 6. — *c*) Habet etiam locum in anteoccupationibus. *Cic.* 8. *Att.* 14. *a med.* Toties ne igitur sententiam mutas? ego tecum, tamquam mecum loquor. Adde *eumd.* loci paullo ante allatis sub *b.* ¶ 4. Item locum habet post suspensionem, aut parenthesin, aut multarum rerum enumerationem, præsertim longiorem: et vim habet τοῦ *inquam* (quocum aliquando jungitur, ut apud *Cic. Brut.* 48. 177.); qua ratione etiam *ergo* et *sed* usurpantur. — *a*) Post suspensionem. *Cic. Balb.* 5. 11. Audivi hoc de parente meo puer: quum Q. Metellus L. filius causam de pecuniis repetundis diceret, ille, ille vir, cui patriæ salus dulcior quam conspectus fuit, qui de civitate decedere quam de sententia maluit: hoc igitur causam dicente, quum etc. *Id.* 1. *Tusc.* 36. 88. Hoc premendum etiam atque etiam est argumentum, confirmato illo, de quo, si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur. Hoc igitur probe stabilito etc. Adde *eumd. ibid.* 13. 30. et 1. *Off.* 2. 6. — *b*) Post parenthesin longiorem. *Cic.* 2. *Fin.* 22. 74. Quid enim mereri velis jam, quum magistratum inieris et in contionem ascenderis (est enim tibi edicendum, quæ sis observaturus in jure dicendo; et fortasse etiam, si tibi erit visum, aliquid de majoribus tuis et de te ipso dices more majorum) quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse? Adde *eumd.* 3. *ibid.* 14. 45., 4. *ibid.* 14. 38. et 20. 56., et 1. *Fam.* 9. *ad fin.* — *c*) Post multarum rerum enumerationem, et colligendo inservit ut *paucis. Cic.* 1. *Tusc.* 28. 70. Ut quum videmus speciem primum candoremque cæli; deinde conversionis celeritatem tantam, quantam etc. — tum vicissitudines dierum ac noctium —, tum globum terræ eminentem e mari —, tum multitudinem pecorum — hominemque ipsum — atque hominis utilitati agros omnes atque maria parentia: hæc igitur et alia innumerabilia quum cernimus etc. Adde *eumd.* 4. *Cat.* 11. 23., 13. *Fam.* 1. et 2. *Orat.* 25. 105. ¶ 5. Item usurpatur, quum ex iis, quæ generatim diximus, aliquid speciatim tractandum declarandumque suscipimus atque ita sæpe declarat ingressum in disputationem. *Cic.* 1. *Fin.* 20. 66. De hominibus dici non necesse est. Tribus igitur modis video etc. *Id. Brut.* 32. 122. Nobis vero, inquit Atticus, placet, et vehementer quidem, ut pro Bruto etiam respondeam. Curio fuit igitur ejusdem ætatis fere etc. *Quintil.* 8. 3. 63. Quoniam pluribus modis accipi solet; non equidem in omnes eam particulas secabo, sed maxime necessarias attingam. Est igitur unum genus etc. *Cic.* 3. *Orat.* 5. 17. Ut igitur ante meridiem discesserunt paullulumque requierunt etc. *Quintil.* 7. 1. 1. Sit igitur, ut supra significavi, divisio rerum plurium in singulas, partitio singularum in partes discretus ordo. — Hoc sensu priore loco ponitur etiam apud *Cic.*, ut 1.

Legg. 6. 18. Nunc juris principia videamus. Igitur doctissimis viris proficisci placuit a lege etc. *Sall. Cat.* 46. At illum ingens cura atque lætitia simul occupavere. Lætabatur intelligens conjuratione patefacta etc. –: porro autem anxius erat etc. Igitur confirmato animo, vocari ad se jubet Lentulum. *Forcellinus* hunc locum singulari paragrapho distinxit et *igitur* pro *tandem* interpretandum ait. *Quintil.* 1. 1. 1. Igitur nato filio pater spem de illo primam quam optimam capiat. *Tac.* 15. *Ann.* 72. De quo, quia nunc primum oblatus est, pauca repetam: nam et ipse pars Romanorum cladium erit. Igitur matre libertina ortus etc. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 31. *Justin.* 1. 2. 3. Igitur brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit. Adde *eumd.* 2. 3. 12. — *NB. Forcellinus* hæc quoque duo addit. — *a*) Pro enim. *Plaut. Most.* 5. 1. 53. Surge dum huc: est consulere igitur quiddam quod tecum volo. — *b*) Et pro ideo. *Id. Asin.* 2. 1. 4. Jamdiu factum est, quum abiisti ad forum, igitur inveniendo argento ut fingeres fallaciam. — Sed hæc quoque commode ad superiora referri possunt.

IGNĀRĪUS. *V.* IGNIARIUS.

IGNĀRŪRIS, e, adject. idem quod ignarus. *Plaut. Pœn. prol.* 47. Æque ut mecum sitis ignarures. *Alii leg.* gnarures. *V.* GNARURIS. *Gloss. Philox.* Ἀγνοοῦντες, ignarures.

IGNĀRUS, a, um, adject. De alia forma hujus vocis *V.* voc. præced. — Sup. *Ignarissimus* sub *A.* I. d. — Ignarus, ab *in* privativa et *gnarus* occurrit *A*) Active; et *B*) Passive.

A) Active ignarus est inscius, ignorans, ἀγνώς, ἀδαής (It. *ignorante, ignaro*; Fr. *qui ne connait pas une chose, ignorant, étranger à, inexpérimenté*; Hisp. *ignorante, inexperto*; Germ. *unkundig, unerfahren, etwas nicht wissend*; Angl. *ignorant, unskilful, unacquainted with*).

I.) Proprie usurpatur — *a*) Cum Genitivo. — De personis. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 43. Ait se peregrinum esse, hujus ignarum oppidi. *Ter. Adelph.* 2. 1. 6. Audi, ne te ignarum fuisse dicas meorum morum. *Id. Heaut.* 2. 1. 14. Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ. *Id. Eun.* 1. 2. 56. Imprudens harum rerum ignarusque omnium. *Donatus* ad h. l. adnotat, *prudentiam* naturalem esse, *gnavitatem* extrinsecus venire; *imprudentem* per se, *ignarum* per alios. Hoc itaque dicere *Terentium*: qui nec suspicatus sit, neque ex aliquo audiverit. *Cic. Orat.* 34. 119. Oratorem ne physicorum quidem esse ignarum volo. *Id.* 2. *Nat. D.* 21. 54. Ut plerique dicunt physicæ rationis ignari. *Id.* 1. *Orat.* 14. 63. Ignarus faciundæ ac poliendæ orationis. *Id. ibid.* 48. 207. Ea requiruntur a me, quorum sum ignarus atque insolens. *Cæs.* 6. *B. G.* 41. Eventus belli non ignarus. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 114. Navem agere ignarus navis timet. *Id. ibid.* 1. 132. puella ignara mariti. *h. e.* innupta. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (109). Alter alterius ignarus. *non sapendo l'un dell'altro. Tac.* 4. *Hist.* 50. Magna pars Pisonis ignari. *h. e.* Pisonem non noverant. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 35. Formica haud ignara ac non incauta futuri. — De inanimis at abstractis. *Horat.* 2. *Od.* 1. 34. Qui gurges, aut quæ flumina lugubris ignara belli? *Quintil.* 1. 4. 4. Non ignara philosophiæ grammatice. *Id.* 12. 2. 20. Ignara hujusce doctrinæ loquacitas. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 149. et in vultu curarum ignara voluptas. *Forcellinus* hunc locum singulari paragrapho distinxit et *ignara* interpretatus est *expers.* — *b*) Cum Infinito. *Cic.* 2. *Tusc.* 1. 3. Non sumus ignari, multos contra esse dicturos. *Ovid.* 6. *Met.* 263. ignarus, non omnes esse rogandos. *Val. Flacc.* 8. 195. ignarus, fixas jam numine rupes Stare. *Tac.* 4. *Ann.* 8. Non sum mihi ignarus, posse argui quod etc. *h. e.* non sum nescius, so *benissimo che* etc. — *c*) Cum Relativo. *Cic. Sext.* 28. 60. Ignari, quid gravitas, quid integritas –, quid denique virtus valeret. *Id. Topic.* 20. 75. Nam et pueri sæpe indicaverunt aliquid, ad quod pertineret, ignari. *Id. Harusp. resp.* 1. 2. Ignarus ille, qui consules essent. *Id. post redit. in senat.* 7. 18. Ignaro populo Romano, quid ageretur. *Auct. B. G.* 8. 43. Quum quid ageretur in locis reliquis, essent ignari. *Quintil.* 8. 3. 4. Quo essent in loco ignari. — *d*) Absolute. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 62. BA. An nescis, quæ sit hæc res? SI. Juxta cum ignarissimis. *Cic. Planc.* 16. 40. Tu me ignaro, nec opinante, inscio, notes et tuos etc. Adde *eumd. Quinct.* 20. 61. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 79. si quis laudat Arelli Sollicitas ignarus opes. *Virg.* 3. *Æn.* 338. Aut quisnam ignarum nostris deus appulit oris? *Forcellinus* hunc locum singulari paragrapho distinxit et *ignarum* pro *imprudente* accepit.

II.) Improprie est immemor. *Virg.* 1. *Æn.* 202. O socii (neque enim ignari sumus ante malorum) O passi graviora.

B) Passive ignotum significat, non *conosciuto*, quod adnotavit et *Gell.* 9. 12. *extr. Ignarus* æque (ac *nescius*) utroqueversum dicitur, non tantum qui ignorat, sed et qui ignoratur. Cf. *Non.* p. 129. 13. *Merc. Sall. Jug.* 98. More humanæ cupidinis, ignara visundi. *Id. ibid.* 18. Mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant. *Virg.* 10. *Æn.* 706. ignarum Laurens habet ora Mimanta. *Ovid.* 1. *Met.* 453. Quem (*amorem*) non Fors ignara dedit, sed sæva Cupidinis ira. *Seneca* 3. *Ira* 2. Quibus agrestis vita est, circumscriptio ignara est et fraus. — Cum addito Dativo personæ. *Sall. Jug.* 52. Pleros que velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt. *Ovid.* 7. *Met.* 404. Jamque aderat Theseus, proles ignara parenti. *Tac.* 2. *Ann.* 13. Per occulta et vigilibus ignara. *Id.* 3. *ibid.* 69. Non quidem sibi ignara, quæ vulgabantur.

IGNĀVĒ, adverb. Est et alia forma *ignaviter*, quam *V.* loco suo. — Comp. *Ignavius.* — Ignave est lente et segniter, *pigramente, lentamente,* ῥᾳθύμως. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 55. Ne quid abjecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebriterve faciamus. *Virg.* 3. *G.* 463. carpentem (*ovem*) ignavius herbas. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 66. Si quædam nimis antique, si pleraque dure Dicere credit eos, ignave multa fatetur etc. *h. e.* nullo acumine, aut elegantia, *senza spirito.*

IGNĀVESCO, is, ere, n. *inchoat.* 4. ignavus fio. *Tertull. Anim.* 43. *ad fin.* Anima nec quiescit, nec ignavescit.

IGNĀVĬA, æ, f. 1. tenuitas animi, segnities, pigritia, inertia, socordia, desidia; vitium contrarium fortitudini et alacritati (itemque gravitati et ardori), quum, quod ratio aggredi fortiter suadet, id nos formido aggredi dissuadet et ab audendo retinet, ῥᾳθυμία (It. *pigrizia, dappocaggine, codardia, lentezza*; Fr. *indolence, apathie, paresse, inaction, lâcheté*; Hisp. *indolencia, inaccion, pereza, flojedad, robardia*; Germ. *d. Lässigkeit, Trägheit, Mattigkeit, Faulheit, Schlaffheit, Muthlosigkeit*; Angl. *inactivity, sluggishness, sloth, slothfulness, idleness, laziness*).

I.) Proprie. — *Fortitudini* opponitur apud *Cic.* 2. *Invent.* 54. 165. Contraria fortitudini ignavia, justitiæ injustitia. Sic *Id.* 2. *Cat.* 11. 25. Æquitas, temperantia, fortitudo certant cum iniquitate, luxuria, ignavia. — Differre videntur hæc, quæ simul enumerat *Cic.* 1. *Herenn.* 5. 8. Adversariorum inertiam, ignaviam, desidiam proferre. *Inertia* enim est in eo, qui nihil habet ingenii industriæve, ut strenue agat; *ignavia* in eo, qui potest, sed lenitudine animi non vult strenue agere; *desidia*, præter animi, corporis etiam pigritiam significat. *V.* DESIDIA. Huc pertinet illud *Lactant.* 3. 17. Epicurus desidiosum vetat litteras discere; ignavum prohibet accedere ad rempublicam; pigrum exercere; timidum militare. — Ceterum *Cic.* 3. *Tusc.* 7. 14. Quæ qui recipit, recipiat idem necesse est timiditatem et ignaviam. *Id. Rabir. perduell.* 7. 21. Inclusum atque abditum latere in occulto, atque ignaviam suam tenebrarum ac parietum custodiis tegere. *Sall. Cat.* 52. Socordiæ sese atque ignaviæ tradere. Adde *eumd. ibid.* 58. *Id. Jug.* 2. Per luxum atque ignaviam ætatem agere. *Virg.* 11. *Æn.* 733. quæ tanta animis ignavia venit? *Plin.* 11. *Hist. nat.* 14. 14. (35). Copia cibi ignaviam affert. *Id. ibid.* 16. 15. (45). Ignaviam alicujus ad opera excitare. — Interdum pro desidia atque otio ponitur. *Cels.* 1. 1. Sanum hominem oportet quiescere interdum, sed frequenter se exercere: siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat.

II.) Translate tribuitur rebus inanimis, quæ vi et efficacia carent. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (119). Ignavia odoris.

IGNĀVĬO, is, ire, a. 4. ignavum reddere; verbum obsoletum. *Accius* apud *Non.* p. 123. 13. *Merc.* Sæpe ignavit fortem in spe exspectatio.

IGNĀVĬO, ōnis, m. 3. ignavus homo. *Gell.* 16. 14. ex *Verrio Flacc.* Isti ignaviones, qui nihil perficere possunt. *Lips.* ita legit; at melius alii *ignaviores.*

IGNĀVĬTAS, ātis, f. 3, idem atque ignavia. *Justin.* 43. 3. Ignavitate et macie terræ. *Sed alii melius leg.* exiguitate.

IGNĀVĬTER, adverb. idem atque ignave. *Lucilius* apud *Non.* p. 513. 14. *Merc.* Cur tam ignaviter hoc præsertim tempore quæris? Adde *Ennium* apud *Priscian.* 15. p. 1010. *Putsch.* Sic *Hirtius ad Cic. post ep.* 6. *l.* 15. *ad Att.* An ego, quum omnes caleant, ignaviter aliquid faciam?

IGNĀVUS, a, um, adject. Comp. *Ignavior* I. et II. 1.; Sup. *Ignavissimus* I. — Ignavus, ab *in* privative et *gnavus* vel *navus*, est remissus, lentus, piger, vilis et minuti animi, qui quum possit strenue agere et fortiter, desidia vanove metu periculi aut laboris recusat: huic opponitur gnavus vel navus, fortis, alacer, impiger, strenuus, ῥᾴθυμος, ἀργός. (It. *vile, dappoco, codardo, poltrone*; Fr. *indolent, lâche, mou, faible, sans cœur, sans courage, paresseux*; Hisp. *indolente, flojo, perezoso, poltron, cobarde, pusilanime*; Germ. *lässig, träge, matt, faul, feige, muthlos, schlaff*; Angl. *inactive, slothful, remiss, sluggish, cowardly, dastardly*).

I.) Proprie de personis. — *a*) Adjective. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 27. Si non fecero ei male aliquo pacto, me esse dicito ignavissimum. *Cic.* 4. *Verr.* 78. 192. Homo inertior, ignavior, magis vir inter mulieres proferri non potest. *Id.* 2. *Tusc.* 23. 54. Ignavus miles ac timidus. *Liv.* 26. 2. *a med.* Feroces et inquieti inter socios; ignavi et imbelles inter hostes. *Id.* 5. 28. Ignavissimus et fugacissimus hostis. Cf. *Sall. Cat.* 58. Compertum habeo, milites, neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. *Id. ibid.* 12. Ignavissimi homines per summum scelus omnia ex sociis adimere, quæ fortissimi viri victores hostibus reliquerant. — De brutis animantibus. *Horat. Epod.* 6. 1. Canis ignavus adversum lupos. *Virg.* 4. *G.* 258. *de apib.* Aut intus clausæ cunctantur in ædibus omnes, Ignavæque fame et contracto frigore pigræ. *Id.* 1. *Æn.* 439. Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent. — Cum Genitivo. *Tac.* 11. *Ann.* 18. Legiones operum et laboris ignavas, populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit. *Est qui legit* ignaras, *sed minus recte.* — *b*) Absolute, substantivorum more. *Cic.* 1. *de republ.* 32. Cedentibus ignavis et imbecillis, et arrogantiæ divitum succumbentibus. *Id. Cæcin.* 16. 46. Quemadmodum in bello pœna ignavis ab imperatoribus constituitur. *Sall. Cat.* 11. Gloriam, honorem, imperium bonus ignavus æque sibi exoptant. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 73. Fovimus ignavo. *Curt.* 3. 11. 5. Non timido, non ignavo cessare licuit.

II.) Translate. ¶ 1. Tribuitur rebus inanimis at abstractis. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 24. Ipsus hercle ignaviorem potis est facere ignaviam. *Cic. Senect.* 11. 36. Quæ vitia non sunt senectutis, sed inertis, ignavæ, somniculosæ senectutis. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 1. Ignavi anni. *h. e.* per ignaviam traducti. *Id.* 1. *Trist.* 7. 25. Ignava otia. *Juvenal.* 14. 105. lux ignava. *h. e.* dies, in quo nihil agitur, cujusmodi est Sabbatum apud Judæos. *Lucan.* 1. 492. ignavum est rediture parcere vitæ. — Sic *ignavum stipendium conferre* apud *Vellej.* 2. 39. 1. dicitur provincia, quæ tributi nomine pecuniam solvit, non viros et arma. Talis erat sub Romanis Gallia. At Batavis, utpote virtute bellica præstantibus, arma viri que indicebantur, teste *Tac.* 4. *Hist.* 12. et 5. *ibid.* 25. — *Virg.* 2. *G.* 208. Et nemora evertit multos ignava per annos. *h. e.* quæ sterilia et infructuosa nullas dederat segetes. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (33). Ne convolutus aer ignavo globo torpeat, sed fundatur. *h. e.* se non commovente ac dividente. *Ovid.* 2. *Met.* 821. ignava nequeunt gravitate moveri. *h. e.* tarda, immobili. *Lucan.* 5. 443. ignavo stagna jacentis aquæ. *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 47. ignavo stupuerunt verba palato. *h. e.* nihil loquente. *Id.* 1. *Art. am.* 186. ignava mora. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 13. (37). Quorumdam flos tantum jucundus, reliquæ partes ignavæ, ut violæ ac rosæ. *h. e.* sine ulla vi, aut odore. *Id.* 20. *ibid.* 18. 76. (202). Succus meconium vocatur, multum opio ignavior. *h. e.* infirmioris virtutis et efficaciæ. *Id.* 11. *ibid.* 28. 34. (100). Aliis insectis cornicula ante oculos prætenduntur ignava, ut papilionibus. *h. e.* nullum ad usum neque pungendi, neque sugendi. ¶ 2. Metonymice ignavus est, qui ignavum facit: ad rem *Virg.* 1. *G.* 299. hiems ignava colono. *Ovid.* 2. *Met.* 763. ignavum frigus. *Id.* 7. *ibid.* 529. ignavi æstus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 18. 20. (63). de apib. Rege consumpto, mœret plebs ignavo dolore, non cibos con-

vehens, non procedens. — Hinc *ignava ratio*, de qua sic *Cic. Fat.* 12. 28. et *seq.* Nec nos impediet illa ignava ratio quæ dicitur. Appellatur enim quidam a philosophis ἀργὸς λόγος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant: Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere; sive medicum adhibueris, sive non, convalesces. Item: si fatum tibi est, ex hoc morbo non convalescere; sive tu medicum adhibueris, sive non, non convalesces. Et alterutrum fatum est: medicum ergo adhibere nihil attinet. Recte genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis e vita tolletur actio. Hæc *Cicero*. Hæc *ignava ratio* est illud ῥῆμα ἀργὸν *Matth.* 12. 36., quod a Vulgato interprete vertitur *verbum otiosum*, h. e. omnis oratio captiosa et aliis perniciosa, quam *Cic.* 1. *Off.* 10. 32. et 3. *ibid.* 13. 57. *inutilem* vocat.

IGNĔFACTUS, a, um, particip. ab inusit. *ignefacio*, *infocato*. *Theod. Priscian.* 2. 2. 15. Lapides ignefacti aceto extinguuntur. Addunt alii et locum *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 40. (106)., ubi *igne factus* divisim legendum est.

IGNĔŎLUS, a, um, adject. *deminut. ab* igneus, aliquantulum igneus. Translate *Prudent.* 3. *Cathemer.* 186. Oris opus, vigor igneolus non moritur.

IGNESCO, is, ere, n. *inchoat.* 3. (ignis). Passiva voce *Laberius* apud *Non. p.* 481. 7. *Merc.* Figura humana inimici ardore ignescitur. — Part. *Ignescens* II. 1. et 2. — Ignesco est ignitus fio, in ignem convertor, πυρόομαι (It. *divenir di fuoco, ardere*; Fr. *prendre feu, s'embraser, s'allumer*; Hisp. *enardecerse, abrasarse*; Germ. *zu Feuer werden, zu brennen anfangen, sich entzünden*; Angl. *to catch fire, be on fire, be inflamed*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 118. Ex quo eventurum vestri putant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret. *Ovid.* 15. *Met.* 847. (*Animam Cæsaris*) lumen rapere atque ignescere sensit.

II.) Translate. ¶ 1. De colore. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 2. 8. (21). Purpura et candor et tertium ex utroque ignescens. *V.* quæ a *Sillig.* recte adnotata sunt hoc loco. ¶ 2. A Poetis usurpatur de vehementibus animi motibus. *Val. Flacc.* 5. 520. Talibus orantem vultu gravis ille minaci Jamdudum fremit et furiis ignescit opertis. *Sil. It.* 9. 460. de *Pallade*. Tum virgo ignescens penitus, violenta repente Suffudit flammis ora. *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 45. Tum vates sine more rapi, lymphataque passim Pectora terrifici stimulis ignescere Phœbi. *Id. IV. cons. Honor.* 545. Utque tuis primum sonipes calcaribus arsit, ignescunt patulæ nares. *Id.* 2. *in Rufin.* 175. spumis ignescunt frena. *Virg.* 9. *Æn.* 66. Rutulo muros et castra tuenti Ignescunt iræ. *h. e.* vehementer accenduntur. *Stat.* 11. *Theb.* 525. Odia ignescentia. *Colum.* 10. *R. R.* 212. Atque amor ignescit menti sævitque medullis. — Cum Infinito. *Sil. It.* 13. 179. Hinc ardore pari nisuque incurrere muris Ignescunt animi penetrataque tecta subire.

IGNĔUS, a, um, adject. ad ignem pertinens, ignitus, accensus, πύρινος (It. *di fuoco, infocato*; Fr. *de feu, en feu, igné, enflammé, embrasé, allumé, brûlant*; Hisp. *de fuego, igneo, abrazado, encendido*; Germ. *feurig, brennend, glühend heiss*; Angl. *of fire, fiery, on fire, burning, shining, bright, igneous*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 40. Sidera tota esse ignea. *Virg.* 4. *G.* 426. Sol igneus. *Horat.* 3. *Od.* 3. 10. Igneæ arces. *h. e.* æther, cœlum. *Ovid.* 1. *Met.* 26. Ignea vis cœli. *h. e.* æther. Aliter *Cic.* 3. *Nat. D.* 14. 35. Ignea vis. *h. e.* ignis, tamquam elementum juxta Heraclitum. *Ovid.* 15. *Met.* 341. Ignea Ætne. *Horat.* 2. *Od.* 17. 13. Chimæra. *Id.* 1. *ibid.* 17. 2. æstas. *Cic.* 4. *Herenn.* 33. 44. Igneus ardor. *h. e.* ardor ignis. Sic *Id.* 2. *Nat. D.* 9. 24. Ignea celeritas, igneus motus. *Tertull. adv. hæretic.* 36. Postea quam Johannes, in oleum igneum demersus, nihil passus est. *h. e.* ignitum.

II.) Translate. ¶ 1. De colore. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 38. 57. (137). Gemmæ igneo colore fulgentes. *Val. Flacc.* 1. 427. Ignea purpura. *h. e.* ignis modo splendens. Sic *Stat.* 12. *Theb.* 527. ignea gemmis cingula. ¶ 2. A Poetis ponitur pro vivido, vehementi. *Ovid.* 9. *Met.* 540. Igneus furor. Cf. *Stat.* 2. *Theb.* 411. Ignea corda fremunt. *h. e.* ira ardentia. *Virg.* 6. *Æn.* 730. Igneus vigor. *Lucan.* 9. 7. Ignea virtus. *h. e.* vivida, ardens. *Virg.* 11. *Æn.* 746. volat igneus æquore Tarchon. *h. e.* celeritate igni similis. Sic *Sil. It.* 3. 306. Autololes, levibus gens ignea plantis. *Id.* 6. 208. Igneus in pugnas et Martem et prælia et hostem. *voglioso, pronto*, ardenter cupidus pugnæ etc. *Claudian. Fescenn.* 5. Quæ digna formæ laus erit igneæ? *h. e.* claræ, nitentis, illustris.

IGNĬA vitium vasorum fictilium. *Paul. Diac.* p. 105. 8. *Müll.*, ubi quidam intelligunt partes duriores et magis excoctas, quæ facile dissiliunt. Fortasse est Gr. ἴκνυον, quod interpretatur *Hesychius* κόνιον, σμῆμα.

IGNIĀRIUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

IGNIĀRIUS, a, um, adject. is, unde ignis elicitur, ut Igniarius lapis, *pietra focaja*, apud *Marcell. Empir.* 33. *ante med.* Lapidem igniarium contusum resinæ mixtum pro emplastro impone ramicoso; statim proderit. *Alii leg.* ignarium. — Hinc

Igniarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est materies arida ad ignem accendendum et servandum, Græci πυρεῖον, Itali *esca* vocant. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (207). Calidæ morus, laurus, hedera, et omnes, e quibus igniaria fiunt. Exploratorum hoc usus in castris pastorumque reperit, quoniam ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est. Teritur ergo lignum ligno ignemque concipit attritu. Hæc *Plin.* Eamdem rem docet, *igniarii* tamen voce omissa, *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 22. Videmus, quemadmodum apud nos fieri solet ignis. Duobus modis: uno, si excitatur ex lapide: altero, si attritu invenitur, sicut quum duo ligna inter se diutius trita sunt. *V. Visc. Mon. Borghes. T.* 1. *p.* 65.

IGNĬCANS, antis, particip. ab inusit. *ignico*, idem atque ignescens. Translate de colore *Jul. Valer.* 3. *res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 54. Granatis etiam malis suam dat gratiam magnitudo; nam grana illis, quo glandes impetu, verum ignicantia.

IGNĬCŎLOR *vel*

IGNĬCŎLŌRUS, a, um, adject. igneo colore præditus, *di color di fuoco*. *Juvenc.* 4. 562. Per nubes ignicolores. *Id. ibid.* 157. Urgebit, veniet quum nubibus ignicoloris.

IGNĬCŎMANS, antis, *et*

IGNĬCŎMUS, a, um, adject. (ignis et coma) igneas comas habens. *Avien. Arat.* 8. calor ignicomantum Hausit stellarum. *Nemesian. Cyneg.* 214. ignicomi candentia terga leonis. *Auson. epist.* 7. 9. Ignicomus sol.

IGNĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* ignis, parvus ignis, debilis ignis, πυρίδιον, *picciol fuoco, fochereIlo, fuoco debole*.

I.) Proprie. *Quintil.* 12. 10. 76. Quædam exigua animalia igniculi videntur in tenebris. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 15. 52. (184). Alumen limpidum lacteumque cum igniculo quodam caloris. *Juvenal.* 3. 102. Igniculum brumæ si tempore poscas, Accipit endromidem.

II.) Translate. ¶ 1. De colore occurrit et est exiguus fulgor. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 24. (90). Onyx Indica igniculos habet. *Id. ibid.* 7. 25. (93). Carbunculi, quorum extremus igniculus in amethysti violam exit. ¶ 2. De animo; et — *a*) In plur. num. est ingenita vis et veluti stimulus, quo excitamur ad capessendum honestum, unde paullatim virtutum ardor excitetur et existat, It. *scintilla*, Germ. *Funker*. *Cic.* 3. *Tusc.* 1. 2. Natura parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. *Id.* 5. *Fin.* 7. 18. Quorum similia sunt prima in animis quasi virtutum igniculi et semina. *Id.* 15. *Att.* 26. Reliqua pars epistolæ est illa quidem in utramque partem: sed tamen nonnullos interdum jacit igniculos viriles. Adde *eumd.* 1. *Legg.* 12. 33. *Quintil.* 6. *procem.* 7. Igniculos ingenii ostendere, *in ætate puerili*. — *b*) In sing. num. est ardor. *Cic.* 15. *Fam.* 20. Quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato. *h. e.* dolorem, quo veluti urimur, te absente.

IGNĬDUS, a, um, adject. idem atque igneus. *Theod. Priscian.* 2. 9. Utimur ventosis, cucurbitis ignidioribus, violentius evellendis. *Alii rectius pro* ignidioribus *legunt* ignitioribus: *in editione Aldina perperam legitur* ignotioribus.

IGNĬFER, fĕra, fĕrum, adject. ferens ignem, *che porta fuoco*, πυρφόρος.

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 449. Inde æther ignifer ipse. *Id.* 6. 379. Igniferum fulmen. *Id.* 2. 25. Igniferæ lampades. *Ovid.* 2. *Met.* 59. Non tamen ignifero quisquam consistere in axe Me valet excepto. *Prudent.* 2. *in Symmach.* 1027. igniferi sideris æstus. *Val. Flacc.* 8. 342. Igniferi tauri. Adde *Lucan.* 3. 41.

II.) Translate. *Sil. It.* 17. 294. ignifero mentes furiabat in iras Hortatu.

IGNĬFLŬUS, a, um, adject. *che scorre fuoco*, igne fluens, ignem emittens. *Claudian. III. Cons. Honor.* 196. Ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis.

IGNĬGĔNA, æ, m. 1. in igne genitus. Epithetum est Bacchi, quia fulminis ictu genitus est. *Ovid.* 4. *Met.* 12. Ignigenamque, satumque iterum, solumque bimatrem.

IGNĬGĔNUS, a, um, adject. *che produce fuoco*, ignem gignens. *Apul.* 7. *Met. de asino, cujus stuppea sarcina subito igne exarserat*. Quousque frustra pascemus ignigenum istum? *Firenzuola* vertit *questo cerca-fuoco*. Alii leg. *ignigerum*.

IGNĬGER. *V.* voc. præced.

IGNĬO, is, ivi *vel* ii, itum, ire, a. et juxta *Forcellinum* n. 3. — Part. *Ignitus* in fin. — Ignire est igneum reddere, *infocare*. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 1077. Acus minutas ingerunt fornacibus: His membra pergunt urere, ut ignivérint. Translate. *Venant. Vit. S. Martin.* 2. 313. Spiritus ut verax Martini ignivit acumen. — Sæpius occurrit Part. præter. pass.

Ignitus, *a*, *um*, quod et adjective occurrit, unde Comp. *Ignitior* et Sup. *Ignitissimus* I. — Ignitus est accensus, igneus, calidus, πυρόεις, *infocato*, *caldo*.

I.) Proprie. *Ovid.* 1. *Fast.* 452. Uritur ignitis alba columba focis. *Alii rectius leg.* in calidis. *Apul. de Mundo.* Ignitus æther. *Id. ibid.* Ignita tela. *Jul. Valer.* 3. *res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 90. E nubibus Draconis effigies ignitissima labitur. *Gell.* 17. 8. Vinum idcirco minus cito coalescere, quod semina quædam caloris in se haberet, essetque natura ignitius. *V.* et IGNIDUS.

II.) Translate. *Cic. Dom.* 55. 141. Et ab istius inflammato atque ignito furore jam tum me seque repetebat. Ita optimæ quæque editiones. Hinc apud *Ovid.* 9. *Met.* 540. est *igneus furor*. *Prudent. Hamartig.* 546. *de anima.* ignitum quoniam Deus indidit olli Ingenium. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. Cui satyricus ille morsum dentis igniti avidius impresserat.

IGNĬPES, pĕdis, omn. gen. igneos pedes habens, *che ha piedi di fuoco*, πυρόπους. *Ovid.* 2. *Met.* 392.; et *Stat.* 1. *Theb.* 27. ignipedum vires expertus equorum. *Martial. Spectac.* 27. Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros.

IGNĬPŎTENS, entis, m. 3. πυροσθενής, dictus est Vulcanus, quod ignis potestatem habeat. *Virg.* 12. *Æn.* 90. deus ignipotens. — Et absolute *Id.* 8. *ibid.* 709. Illam inter cædes pallentem morte futura Fecerat Ignipotens etc. — Ceterum *Avien. Arat.* 710. Bis gemino discreta situ micat ignipotens lux. *h. e.* quæ igni viget.

IGNIS, is, m. 3. Secunda syllaba interdum a Poetis producitur. *Horat.* 1. *Od.* 15. 35. Post certas hiemes uret Achaicus Ignis Iliacas domos. *V.* SANGUIS. Alii tamen leg. *Ignis Pergameas domos*. At *Ritter.* legit *Iliacas*; et in adnotat. ait: In versu glyconeo nunc basis est trochaica, quum alias Horatius spondeum prætulerit: trochæum vero neque ratio excludit —, et consuetudo Græca probavit. Apud Horatium quamquam alibi non reperitur, nunc tamen ante Græcum vocabulum trochæus tolerandus videtur. — Duplicem habet positionem in sexto casu, in *e* et in *i*. — Ignis est unum e quatuor elementis, calorem ac lucem habens, πῦρ (It. *fuoco*; Fr. *feu*; Hisp. *fuego*; Germ. *das Feuer*; Angl. *fire*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (198). Ignem e silice (*invenit*) Pyrodes Cilicis filius; eumdem asservare ferula Prometheus. *Id.* 4. *ibid.* 12. 22. (66). et *Solin.* 11. narrant, in insula Delo ignem prius repertum, ideoque eam Pyrpilem appellatam fuisse. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 25. Lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus. *Id.* 2. *Orat.* 45. 190. Nulla materies, nisi admoto igni, ignem concipere potest. *Id.* 1. *Off.* 16. 52. Non prohibere aqua profluente, pati ab igne ignem capere, si quis velit. *Id.* 2. *Legg.* 23.

58. Hominem mortuum, inquit lex in XII., in urbe ne sepelito neve urito: credo vel propter ignis periculum. *Fronto* ad *Antonin. imp.* 2. 12. *in fin.* Tum tu quidem ignem imitaberis, si proximos amburas, longinquis lucebis. *h. e.* si extraneis faveas, longinquos defraudabis. Rursus *Cic.* 2. *Nat. D.* 10. 27. Subditis ignibus aquæ fervescunt. *Id.* 1. *ibid.* 9. 22. Quum omnes naturæ numini divino, cælum, ignes, terræ, maria parerent. *Id.* 6. *de republ.* 15. Hisce animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera et stellas vocatis. *Cæs.* 2. *B. G.* 7. Quæ castra, ut fumo atque ignibus significabatur, amplius millibus passuum VIII. in latitudinem patebant. *Liv.* 26. 27. Quod pluribus simul locis ignes coorti essent. *Id.* 4. 33. Ignibus armata multitudo, facibusque ardentibus collucens. *Cæs.* 3. *B. C.* 30. Ignem facere. *far fuoco. Virg.* 5. *Æn.* 4. accendere. *Cic.* 3. *Verr.* 27. 69. Ligna et sarmenta circumdare, ignemque subjicere. *attaccare il fuoco.* Sic *Cæs.* 2. *B. C.* 14. Ignem operibus inferre. *Id.* 5. *B. G.* 42. Celeriter ignem comprehendere. *Ter. Eun.* 1. 2. 5. Ad ignem accedere. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 72. turdos versare in igne. *Cæs.* 6. *B. G.* 18. In ignem inferre quippiam. *Val. Flacc.* 1. 89. Dare igni aliquid. *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Igni cremare. *et ibid.* 53. Igni necare. *abbruciar vivo. Ter. Andr.* 1. 1. 102. In ignem ponere. *h. e.* in rogum. *et* 113. In ignem sese injicere. *Cic. Rosc. Com.* 6. 17. Ignis in aquam conjectus continuo restinguitur et refrigeratur. — Ignis regibus Persarum in pompam exeuntibus præferebatur. *Curt.* 3. 3. *de Darii agmine.* Ordo autem agminis talis erat: ignis, quem ipsi sacrum et æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur. — *b*) Poetice — Ignes dicuntur fulgura et fulmina. *Virg.* 4. *Æn.* 167. fulsere ignes et conscius æther. *h. e.* fulgura. *Id.* 3. *ibid.* 199. ingeminant abruptis nubibus ignes. *Horat.* 1. *Od.* 34. 6. diespiter igni corusco nubila dividens. *h. e.* fulmine. — Item ignes dicuntur sol, luna et cetera sidera. *Horat.* 1. *Od.* 12. 46. micat inter omnes Julium sidus, velut inter ignes Luna minores. — Item crepitus flammæ et materiæ flagrantis. *Virg.* 2. *Æn.* 705. et jam per mœnia clarior ignis Auditur, propiusque æstus incendia volvunt. ¶ 2. Speciatim *aqua et ignis*; *aqua et igni aliquem interdicere*: *V.* AQUA. ¶ 3. Item speciatim *sacer ignis* morbi serpentis genus est, cujus descriptionem *Cels.* 5. 28. *n.* 4. tradit, duo ejus genera faciendo: alterum subrubicundum, aut mistum rubore atque pallore, exasperatumque per pustulas continuas, in quibus pus fere est, et sæpe rubor cum calore: alterum in summæ cutis exasperatione, sed sine altitudine, latum, sublividum, inæqualiter tamen. Serpit autem utrumque, et ignis modo exulcerat et absumit, et difficillime tollitur. Vulgo vocant *fuoco di sant'Antonio.* Aliud vero esse videtur, de quo *Virg.* 3. *G.* 566. contactus artus sacer ignis edebat. Ibi enim de contagiosa lue sermo est, graviore malo et omnino letali. — Est etiam alius morbus pecudum, Galli vocant *la petite verole,* Itali *il vajuolo del bestiame. Colum.* 7. *R. R.* 5. 16. Est etiam insanabilis sacer ignis, quam pusulam vocant pastores; ea, nisi compescitur intra primam pecudem, quæ tali modo correpta est, universum gregem contagione prosternit.

II.) Translate. ¶ 1. Ignis aliquando ponitur pro splendore, fulgore, rubore, et raro pro calore. — *a*) Pro splendore, fulgore. *Horat.* 4. *Od.* 2. 57. Fronte curvatos imitatus (*Lunæ*) ignes. *Id.* 3. *ibid.* 29. 17. Jam clarus occultum Andromedæ pater Ostendit ignem. *Ovid.* 4. *Met.* 81. Postera nocturnos Aurora removerat ignes. *h. e.* stellas. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 452. et 15. *ibid.* 665. Sic *Id.* 1. *ibid.* 778. Æthiopasque suos positosque sub ignibus Indos Sidereis transit. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 194. et 7. *ibid.* 193. Similiter *Id.* 4. *ibid.* 628. Exiguamque petit requiem, dum Lucifer ignes Evocet Auroræ. *Id.* 15. *ibid.* 674. oculi igne micantes. *folgoreggianti. Stat.* 2. *Theb.* 276. arcano florentes igne smaragdi. *Martial.* 14. 109. Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum. *h. e.* poculum aureum smaragdis Scythicis splendeat. *Claudian.* 2. *I. cons. Stilic.* 92. Et vario lapidum distinctas igne coronas. *Id. VI. cons. Honor.* 51. acies stupet igne metalli. — *b*) Pro rubore, *rossore. Cic. Tim.* 14. Ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os suffusus. *Stat.* 1. *Achill.* 516. igne genas et sanguine torquens. — *c*) Pro calore. *Sil. It.* 16. 99. Aut quum letiferos accendens Sirius ignes, Torret anhelantem sævis ardoribus orbem. ¶ 2. Sæpe dicitur de vi motuum, quibus animus agitatur, sive in bonam, sive in malam partem. — *a*) Generatim. *Cic. Rabir. Post.* 6. 13. Quum odium non restingueretis, huic ordini ignem novum subjici non sivistis. *h. e.* novam invidiæ flammam. *Virg.* 2. *Æn.* 575. Exarsere ignes animo: subit ira, cadentem Ulcisci patriam. *h. e.* ardor et cupiditas animi. *Val. Flacc.* 1. 748. et sævos irarum concipit ignes. *Stat.* 1. *Achill.* 509. Laurigerosque ignes, si quando, avidissimus hauri. *h. e.* furorem œstrumque Apollinis. — *b*) Speciatim ac sæpius est amor, *fuoco d'amore. Virg.* 4. *Æn.* 2. Vulnus (*Dido*) alit venis, et cæco carpitur igni. *Ovid.* 9. *Met.* 519. Hei mihi! quo labor? quem mens mea concipit ignem? Adde *eumd.* 3. *ibid.* 490., 4. *ibid.* 64. et 195. et alibi. Et in plur. num. *Horat.* 1. *Od.* 13. 8. Quam lentis penitus macerer ignibus. *Id.* 3. *ibid.* 7. 10. et miseram tuis Dicens ignibus uri. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 27. 16. Sic *Ovid.* 9. *Met.* 515. Littera celatos arcana fatebitur ignes. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 410., 6. *ibid.* 492. et alibi. — Huc pertinent et illa *Ovid.* 9. *Met.* 796. Quum Venus et Juno sociosque Hymenæos ad ignes Conveniunt: potiturque sua puer Iphis Ianthe. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 304. Anus ignis secundi nesciæ. *h. e.* secundarum nuptiarum. ¶ 3. Ignis, ut amores, dicitur etiam is ipse, quem quis amat. *Virg.* 3. *Ecl.* 66. At mihi sese offert ultro meus ignis, Amyntas. Cf. *Horat. Epod.* 14. 13. et 2. *Sat.* 3. 276. ¶ 4. Denique ignis vocatur res vel persona, quæ calamitatem ac perniciem affert. *Liv.* 10. 24. Quem ille obrutum ignem (*h. e.* bellum) reliquerit, ita ut toties novum ex improviso incendium daret, eum se exstincturum. *Id.* 21. 3. Ne parvus hic ignis (*h. e.* Hannibal) incendium ingens exsuscitet. *Id.* 29. 31. Et Syphacem et Carthaginienses, nisi orientem illum ignem (*h. e.* Masinissam) oppressissent, ingenti mox incendio usuros.

IGNISPĬCĬUM, ii, n. 2. divinationis genus, quod ab ignis inspectione sumebatur, *arte dell' indovinare dal fuoco*, πυροσκοπία, πυρομαντεία. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (203). Haruspicam Delphus, ignispicia Amphiaraus, auspicia avium Tiresias Thebanus invenit. *Seneca Œdip.* 306. *et seqq.* ignispicium luculenter exponit. De eodem consule *Visconti. Dissert. sopra due musaici, Oper. Var. T.* 1. *p.* 113. *et seqq. edit. Mediol.*

IGNĪTĀBŬLUM, i, n. 2. igniarium, πυρεῖον.

I.) Proprie. *Paul. Diac. p.* 105. 7. *Müll.* Ignitabulum, ignis receptaculum. *V. Igniarium* in fin. v. IGNIARIUS. *Solin.* 11. docet, ignitabula in Delo insula inventa esse: quæ idcirco inter alia nomina etiam Pyrpile dicta est. *V.* IGNIS I. 1.

II.) Translate. *Macrob.* 2. *Saturn.* 8. *init.* Plato æstimavit, fomitem esse quemdam et ignitabulum ingenii virtutisque, si mens et corpus hominis vino flagret. Apud *Gell.* 15. 2. hæc eadem leguntur; sed vulgati libri pro *ignitabulum* habent *incitabulum.*

IGNĪTES, æ, m. 1. gemma quædam apud *Jul. Valer.* 3. *res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 59.

IGNĪTŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* ignitus, aliquantisper ignitus. *Tertull.* 1. *ad Nation.* 10. *ad fin.* Mercurius in calvitio pennatulus, in caduceo ignitulus.

IGNĪTUS, adverb. per ignem. *Cassiod.* 3. *Variar.* 47. *a med. de insula Vulcania.* Memorant ævi pristini servatores, hanc insulam ante aliquot annos undarum rupto terrore ignitus erupisse, quum Hannibal apud Prusiam Bithyniæ regem veneno secum ipse pugnavit. *Alii leg.* imitus.

IGNĪTUS, a, um. *V.* IGNIO.

IGNĪVĂGUS, a, um, adject. ignis modo vagus. *Coripp.* 6. *Johann.* 371. ignivagis exorans cuncta procellis. *Capell.* 9. *p.* 304. Ignivaga denunciatio.

IGNĪVŎMUS, a, um, adject. ignem vomens, *che vomita fuoco*, πυρεκβόλος. *Lactant. Serm. de resurrect. Dom.* 3. Altius ignivomum solem cæli orbita ducit. *Alii hoc carmen non* Lactantio, *sed* Venantio *tribuunt.*

IGNŌBĬLĬS, e, adject. (in *et* nobilis). Comp. *Ignobilior* et Sup. *Ignobilissimus* 1. — Ignobilis, cui contrarium est nobilis, est ignotus, incognitus, ἄγνωστος (It. *sconosciuto, incognito*; Fr. *inconnu, obscur*; Hisp. *inconocido, incognito, obscuro*; Germ. *unbekannt*; Angl. *unknown, mean, ignoble*). Occurrit ¶ 1. Generatim de iis omnibus, quæ incognita vel ignota sunt, quia fama carent. — *a*) De hominibus. *Cic.* 3. *Tusc.* 24. 57. Quod inglorius sit atque ignobilis ad supremum diem perventurus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 36. 36. (121). Humilis in plebe et ideo ignobilis puerpera. Rursus *Cic. Brut.* 91. 315. Apud Demetrium Syrum, veterem, et non ignobilem dicendi magistrum. *Forcellinus* hunc locum singulari paragrapho distinxit, et ignobilem interpretatus est vilem, abjectum, sc. in contemptum. *Virg.* 7. *Æn.* 776. Solus ubi in silvis Italis ignobilis ævum Exigeret. *Apul.* 5. *Met.* sub *init.* Jamque aderat ignobilis maritus. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 10. (28). Ignobilissimi artifices. *Cæs.* 5. *B. G.* 28. Civitas ignobilis atque humilis Eburonum. — *b*) De rebus. *Plaut. Pseud.* 4. 2. 9. Peregrina facies hominis atque ignobilis. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 20. (34). Vinum innocentius est, quodcumque ignobilius. *Cic. Cæcin.* 4. 10. M. Fulcinius Romæ argentariam non ignobilem fecit. ¶ 2. Speciatim est obscuris ortus parentibus, infimo loco natus, *ignobile*, δυσγενής, ἀγενής. *Cic.* 7. *Verr.* 11. 28. Quo in oppido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinem mulier esset. *Ter. Phorm.* 1. 2. 70. Ignobilis virgo. *Virg.* 1. *Æn.* 153. ignobile vulgus. *Liv.* 10. 20. agmen. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 9. regnum Tulli. — Hinc convicii loco ponitur. *Plaut. Amph.* 1. 1. 284. Vapulabis, ni hinc abis, ignobilis. — Apud Romanos ignobiles erant, qui omnino imaginibus carebant, idest qui in ea familia nati erant, in qua curules magistratus numquam exstiterant, nec ipsi aliquem hujus generis magistratum gesserant. Talis fuit gens Flavia apud *Sueton. Vesp.* 1. Alii ignobiles erant, quia magistratus curules obtinere non poterant, ut libertini et filii libertinorum; alii, quia non petebant, ut patet de T. Pomponio Attico, de majoribus Servii Sulpicii, Ciceronis, Octaviani Augusti, et aliis. Non iidem erant, ac plebeji. Nam etiam patricii aliqui erant ignobiles, et multi plebeji nobiles erant. Nobilitas enim non in claritate sanguinis, sed in imaginibus posita fuit, sive in magistratibus curulibus, qui etiam plebejo ordini patebant. Hæc fere ex *Sigon. de antiq. jur. Civ. Rom. l.* 2. *c.* 20.

IGNŌBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (in *et* nobilitas) humilitas, obscuritas, conditio atque fortuna hominum infimorum, *ignobilità*, δυσγένεια.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 5. *Tusc.* 36. 103. Num igitur ignobilitas, aut humilitas, aut etiam popularis offensio sapientem beatum esse prohibebit? *Ovid.* 6. *Met.* 309. Res obscura quidem est ignobilitate virorum. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 8. 19. (68). Ignobilitas artificis. ¶ 2. Speciatim est conditio eorum, qui obscuris orti sunt parentibus. *Cic. Mur.* 8. 17. Multis viris fortibus ne ignobilitas generis objiceretur.

II.) Translate. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 10. *de vino.* Neque enim post annos quindecim deprehendi potest ignobilitas in gustu.

IGNŌBĬLĬTER, adverb. ignobili ratione, *ignobilmente. Eutrop.* 7. 23. Funus ejus (*Domitiani*) ignobiliter est sepultum. *Solin.* 70. Ædes ignobiliter fastigiata.

IGNOBILITO, as, are, a. 1. ignobilem reddere. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 12.

IGNŌMĬNĬA, æ, f. 1. Recentior. formam IGNOMINIUM *V.* loco suo. — Ignominia ab in privativa et *nomen*, quasi boni nominis privatio, est dedecus, probrum, nota, infamia, ἀτιμία (It. *ignominia, vergogna, biasimo, scorno, smacco*; Fr. *ignominie, déshonneur, flétrissure, infamie, opprobre*; Hisp. *ignominia, infamia, deshonor*; Germ. *die Entehrung, Beschimpfung, der Schimpf*; Angl. *ignominy, disgrace, reproach, dishonour, infamy*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu de nota censoria et militari. — *a*) De nota censoria. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 24. 9. *Merc.* Censoris judicium nihil fere damnosio, nisi ruborem affert. Itaque quia omnis ea judicatio versatur tantummodo in nomine, animadversio illa ignominia dicta est. Hæc *Cic.* De nota censoria est etiam illud *ejusd. Cluent.* 47. 130. Quod illo tempore illis censoribus erant judicia cum equestri ordine communicata, ut viderentur per idoneorum hominum ignominiam sua auctoritate illa judicia reprehendisse. *et ibid.* 46. 129. Tu non animadvertes in omnes, sed carpes ut velis, et paucos ex multis ad ignominiam sortiere? Cf. *Sueton. Claud.* 9. — *b*) De nota militari. *Cic.* 7. *Phil.* 9. 23. Ignominia notare eos, qui militiam

subterfugerunt. *Cæs.* 3. *B. C.* 74. Hac habita concione nonnullos signiferos ignominia notavit ac loco movit. *Liv.* 3. 5. *extr.* Mille milites, quia serum auxilium post prælium venerant, prope cum ignominia dimissi. Sic *Sueton. Cæs.* 69. Legionem totam cum ignominia missam fecit. *Auct. B. Afr.* 54. Ob eas res ignominiæ causa ab exercitu meo te removeo, hodieque ex Africa abesse, et quantum potest, proficisci jubeo. *Formula exauctorandi. Cæs.* 1. *B. C.* 85. Ut rebus feliciter gestis aut cum honore aliquo, aut certe sine ignominia domum revertantur. Adde *Sueton. Ner.* 39., *Oth.* 9. et *Vesp.* 8. — Et in plur. num. *Sueton. Aug.* 24. Pro cetero delictorum genera variis ignominiis afferit. *Id. Tib.* 19. Animadversionum et ignominiarum genera. — Dicitur etiam de amissa victoria et de clade accepta, quia deficientem in militibus virtutem arguit; vel quia milites iis de causis ignominia notabantur. *Cæs.* 7. *B. G.* 17. Sic se, illo imperante, meruisse, ut nullam ignominiam acciperent. *Id.* 3. *B. C.* 101. Milites ignominiam non tulerunt, sed etc. *Id.* 7. *B. G.* 17. Hoc se ignominiæ laturos loco, si inceptam oppugnationem reliquissent. *Justin.* 32. 3. *extr.* Ignominiam bello acceptam virtute delere. Cf. *Virg.* 3. *G.* 226. *de tauro victo ab rivali.* Multa gemens ignominiam plagasque superbi Victoris. ¶ 2. Latiori sensu dicitur de quocumque dedecore. — *a*) In sing. num. Jungitur cum *macula, dedecore, infamia. Lucilius* apud *Non.* p. 24. 11. *Merc.* Maculam atque ignominiam imponere alicui. *Cic.* 5. *de republ.* 4. In quibus (*civitatibus*) expetunt laudem optimi et decus, ignominiam fugiunt ac dedecus. Sic *Id.* 2. *Divinat.* 9. 22. Cum ignominia et dedecore. et *Quinct.* 20. 61. Alicui omnia vitæ ornamenta per summum dedecus et ignominiam deripere. — *Id.* 5. *Verr.* 97. 226. Calamitas ad miseros aratores per summam injuriam ignominiamque pervenit. *Id. Prov. cons.* 7. 16. Insignem ignominiam alicui inurere. *Id. Rosc. Am.* 39. 113. Ignominia mortuum afficere. *Quintil.* 3. 7. 20. Adjecta quibusdam ignominia. *Id.* 1. 2. 24. Ignominiam depellere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (13). In urbanas tribus transferri ignominia est. — *b*) In plur. num. *Cic.* 4. *Tusc.* 20. 45. Ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiis affici se in delicto dolerent. *Id.* 12. *Phil.* 4. 11. Ignominiis concisus. — *c*) Cum Genitivo. *Cic. Prov. cons.* 7. 16. Hac tamen una plaga conciderit, ignominia senatus. *h. e.* a senatu inusta. *Id. Rabir. perduell.* 10. 27. Labes et ignominia mortis. *Cæs.* 1. *B. C.* 100. Ignominia amissarum navium. *Nepos Timoth.* 4. Cum summa ignominia familiæ.

Homonym. *Ignominia* differt ab *infamia*, quia *ignominia* ab eo imponitur, qui animadversione notare potest: *infamia* vero ex multorum sermone nascitur. Præterea *ignominia* minus est minusque late patet, quam *infamia*; neque ignominiosi sunt omnes infames. Denique, ut docet *Jark. de pœnali censorum jure* p. 624. et *Klotz.* ad *Cicer. oration. vol.* 1. *p.* 621., *ignominia* tolli aliquando ac deleri poterat, *infamia* numquam poterat. Interdum tamen promiscue ponuntur, ut in illo *Papinian. Dig.* 5. 2. 5. Ordine moti ex crimine, quod ignominiam importat. ubi *ignominia* infamiam significare videtur.

IGNŌMĬNĬĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *ignominio*, ignominia affectus. Legitur in lemmate c. 15. *l.* 8. *Gellii*: cujus libri sola lemmata supersunt, quæ neque certum est ab ipso *Gellio* esse. *V.* tamen *Alb. Lion.* in sua *Gellii* editione Gottingensi ann. 1824. *T.* 1. *p.* xv. et xvi. in nota et p. 16., qui probat ex auctoritate codicis palimpsesti Vaticani ea lemmata idonea Latinitatis argumenta habenda esse, utpote quæ auctorem habeant ipsum *Gellium. V.* SIMULAMENTUM.

IGNŌMĬNĬŌSĒ, adverb. Comp. *Ignominiosius* et Sup. *Ignominiosissime.* — Ignominiose est cum ignominia, *ignominiosamente, con vergogna o scorno,* ἀτίμως. *Eutrop.* 4. 21. et 26. Ignominiose pugnare. *Arnob.* 4. 30. Ignominiosius tractare aliquem. *Oros.* 7. 7. *extr.* Ignominiosissime fugere.

IGNŌMĬNĬŌSUS, a, um, adject. Sup. *Ignominiosissimus.* — Ignominiosus est ignominia affectus, ignominiæ plenus, turpis, ἄτιμος (It. *ignominioso, svergognato, infame*; Fr. *ignominieux, flétrissant, dégradant, honteux*; Hisp. *ignominioso, vergonzoso, infamante*; Germ. *schimpflich, voll Schimpf, entehrend, beschimpft*; Angl. *ignominious, disgraceful, shameful, dishonourable, infamous*). Occurrit — *a*) De personis. *Quintil.* 7. 1. 8. Exsul eras et ignominiosus. *Macer Dig.* 48. 5. 24. Ignominiosa filia. — Et absolute, substantivorum more. *Tac. Germ.* 6. Nec concilium inire ignominioso fas est. Adde *Quintil.* 3. 6. 75. et 7. 5. 3. Et in plur. nom. *Sueton. Vitell.* 8. Ignominiosis notas dempsit. — *b*) De rebus et de abstractis. *Tertull. Apolog.* 15. Ignominiosissimum caput. *Cic.* 3. *Phil.* 14. 34. Ignominiosa et flagitiosa dominatio. *Liv.* 3. 23. Ignominiosa fuga domum se recipiente. *Horat. Art. P.* 247. Immunda et ignominiosa dicta. *Modestin. Dig.* 49. 16. 3. Pœnæ militum sunt castigatio, gradus dejectio, ignominiosa missio. *h. e.* quum is qui mittit, addit nominatim, ignominiæ causa se mittere, ut *Ulp. Dig.* 3. 2. 2. exponit. — Hinc

Ignominiosus, i, m. 2. absolute, substantivorum more. *V.* supra sub *a.*

IGNŌMĬNĬUM, ii, n. 2. idem atque ignominia. *Isid.* 5. *Orig.* 27. Ignominium dictum, eo quod desinat habere honestatis nomen is, qui in aliquo crimine deprehenditur. Dictum autem ignominium quasi sine nomine, sicut ignarus sine scientia, sicut ignobilis sine nobilitate. *Commodian.* 19. 1. Non ignominium est, virum seduci prudentem.

IGNŌRĀBĬLIS, e, adject. Comp. *Ignorabilior.* — Ignorabilis est qui ignoratur, *incognito,* ἀγνώστος. *Plaut. Pseud.* 2. 1. 18. Quis hic est, qui oculis meis obviam ignorabilis objicitur? *Cic.* 2. *Invent.* 32. 99. Separare quod levius, facilius, non ignorabile, non fortuitum, non necessarium fuerit. *Apul.* 11. *Met.* Libri litteris ignorabilibus prænotati. *Gell.* 9. 12. Alterum illud ignorabilius obscuriusque est.

IGNŌRĀBĬLĬTER, adverb. cum ignoratione. *Apul.* 3. *Met.* Laminæ ignorabiliter litteratæ. *h. e.* ignotis characteribus insculptæ.

IGNŌRANS, antis. *V.* IGNORO.

IGNŌRANTER, adverb. per ignorantiam, *ignorantemente,* ἀγνώς. *Cyprian. Epist.* 63. Ignoranter vel simpliciter non faciunt, quod etc. *Vulgat. interpr. Eccli.* 14. 6. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, et hæc redditio est malitiæ illius: et si bene fecerit, ignoranter et non volens facit; et in novissimo manifestat malitiam suam.

IGNŌRANTĬA, æ, f. 1. ignoratio, inscitia; et præcipue absolute habitum significat, contra *ignoratio* actum indicat, ἄγνοια (It. *ignoranza*; Fr. *ignorance, défaut de connaissance, manque de savoir*; Hisp. *ignorancia*; Germ. *d. Anwissenheit, Unkunde, Unkenntniss*; Angl. *ignorance, want of knowledge*). Occurrit — *a*) Cum Genitivo rei, quæ ignoratur. *Cic. Flacc.* 20. 46. Ubi adolescentes nihil possent discere, nisi ignorantiam litterarum. At *Klotz.* ad *Cic. Amic.* 20. 70. et in *Emend. Tull.* p. 22. recte putat postrema hæc verba esse glossema. *Cæs.* 3. *B. C.* 68. Munitionem dextri Cæsaris cornus cohortes ignorantia loci sunt secutæ. Sic *Sueton. Galb.* 20. Ignorantia locorum. et *Tac.* 1. *Ann.* 59. imperii Romani. *Nepos Agesil.* 8. bonorum rerum. *il non avere buon gusto. Ovid.* 7. *Met.* 92. Quid faciam video: nec me ignorantia veri Decipiet, sed amor. *Id. Heroid.* 20. 187. Præteritæ veniam dabit ignorantia culpæ. *Sueton. Cal.* 41. Ignorantia scriptoræ. *Quintil.* 6. 1. 47. discriminis sui. *Tac. Agric.* 1. recti. — *b*) Absolute. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 11. 42. Errorem et temeritatem et ignorantiam et opinationem et suspicionem et uno nomine omnia, quæ essent aliena firmæ et constantis assensionis, a virtute sapientiaque removebat. *Nepos Pelop.* 1. Mederi tum satietati, tum ignorantiæ lectorum. *Quintil.* 12. 3. 3. Hoc est maximum ignorantiæ malum, quod credit eum scire, qui moneat. *Id.* 5. 10. 34. Arredunt aliquando fortuita, ebrietas, ignorantia. *Tac.* 1. *Hist.* 75. Motus ignorantia falleotes. *per non conoscersi l'un l'altro. Id. Germ.* 40. Sancta ignorantia, quid sit illud, quod etc. *Plin.* 10. *Ep.* 96. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam excutere?

IGNŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus ignorandi; habitus enim *ignorantia* dicitur: porro *ignoratio* passiva significatione aliquando occurrit, quum scilicet inscitia est inculpata, *ignoranza,* ἄγνοια. Occurrit — *a*) Sæpissime cum Genitivo rei, quæ ignoratur. *Cic.* 1. *de republ.* 17. Timentibus ceteris propter ignorationem locorum. *Curt.* 3. 12. 17. Ignorationem cujusquam antea visi regis excusans. Rursus *Cic. Cluent.* 39. 109. Quod erat odium, dii immortales? quæ superbia? quanta ignoratio sui? *Id. Amic.* 19. 70. Ignoratio stirpis et generis. V. *Klotz.* ad h. l. *Id.* 3. *Fin.* 12. 41. Consuetudo dicendi non satis acuta, propter ignorationem dialecticæ. *Id.* 1. *Legg.* 6. 18. Ignoratio juris. *Id.* 2. *Divinat.* 22. 49. Causarum enim ignoratio in re nova mirationem facit: eadem ignoratio si in rebus usitatis sit, non miramur. *Id.* 1. *ibid.* 1. 2. In summo errore atque in maximarum rerum ignoratione versaris. *Id.* 1. *de republ.* 31. Ignoratio virtutis. *Papinian. Dig.* 16. 1. 7. Facti ignorationem prætendere. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *de. Cic. Sull.* 13. 39. Cujus scientiam de omnibus constat fuisse, ejus ignoratio de aliquo purgatio debet videri.

IGNŌRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

IGNŌRO, as, avi, atum, are, a. 1. *Ignorarier* per paragogen pro *ignorari* habet *Ter. Phorm.* 5. 7. 38. — Part. *Ignorans* sub *c.*, *e.* et in fin.; *Ignoratus* sub *a.* et in fin.; *Ignoraturus* et *Ignorandus* sub *a.* — Ignorare, ab *ignarus*, est nescire, non cognoscere, non cognitum habere, ἀγνοέω (It. *non sapere, non conoscere*; Fr. *ne pas savoir, ne pas connaître, être dans l'ignorance, ignorer*; Hisp. *ignorar, no saber*; Germ. *etwas nicht wissen, keine Kenntniss davon haben, unkundig sein, verkennen*; Angl. *to be ignorant of, not to know, ignore*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ aut rei. — Active. *Cic.* 2. *de republ.* 18. Siquidem istius regis (*Anci*) matrem habemus, ignoramus patrem. *Ter. Heaut.* 1. 1. 52. Ærras si id credis; et me ignoras, Clinia. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 4. Majore studio Lucullus — deditus fuit; quam qui illum ignorabant, arbitrabantur. Sic *Id. Rabir. Post.* 12. 33. Si me invitum putas defendisse causam, et illum et me vehementer ignoras. — Aliquando est ignorare me simulo, non agnosco, negligo, aspernor. *Plaut. Asin.* 1. 2. 18. Eadem nunc, quum est melius, me, cujus opera est, ignoras, mala. *Id. Capt.* 2. 3. 74. Ne tu me ignores, quum extemplo meo e conspectu abscesseris. Cf. *Cic.* 8. *Phil.* 2. 7. De proximo bello civili non libet dicere: ignoro causam, detestor exitum. V. *Fabri.* ad *Liv.* 22. 43. — *Plaut. Amph. prol.* 39. Illi iniqui jus ignorant, neque tenent. *Cic.* 1. *de republ.* 13. Quum præsertim si hæc ignoremus, multa nobis et magna ignoranda sunt. *Id. Orat.* 68. 227. Quod tu quidem minime omnium ignoras. *Hic et alibi* (*V.* infra *non ignorabat, non ignoro* etc.) *dicitur de iis, qui optime sciunt.* Huc referri potest et illud *Senec.* 1. *Quæst. nat.* 17. Oculi ignorati erant formam solis. — Passive. *Ter. Phorm.* 2. 3. 10. Quia egens relicta est misera, ignoratur parens. *h. e.* non agnoscitur, ignorarique fingitur. *Sueton. Vitell.* 17. Sciscitantes quisnam esset: nam ignorabatur. *non era da loro conosciuto. Sall. Jug.* 54. Cum delectis equitibus Metellum sequitur nocturnis et avis itineribus: ignoratus Romanos palantes repente aggreditur. *Tac.* 4. *Hist.* 36. Servili habitu per tenebras ignoratus evasit. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 18. Ignoraretur forsitan ista fides. *Quintil.* 3. 5. 6. Hæc omnia ignorari possunt. *Plaut. Trin.* 2. 1. 29. Mille modis amor ignorandus est. *Cic.* 5. *Tusc.* 23. 64. Archimedis ignoratum a Syracusanis indagavi sepulcrum. Adde *eumd. Brut.* 47. 176. *Horat. Art. P.* 262. Ignoratæ artis turpe crimen. — *b*) Cum Infinito — et Accusativo. *Cic.* 3. *de republ.* 18. Quis ignorabat, Q. Pompejum fecisse fœdus, eadem in causa esse Mancinum? *Nepos Datam.* 5. Non ignorabat, ea vere (*esse*) scripta. *sapeva benissimo. Quintil.* 1. 1. 17. Neque ignoro, toto illo tempore vix tantum effici, quantum etc. Adde *eumd.* 2. 4. 38., 3. 6. 78. et 8. 6. 3. — Et sine Accusativo. *Claudian. Nupt. Honor.* 186. Lætitiæ causas ignorat dicere miles, Lætaturque tamen. — *c*) Sequente Relativo. *Cic. Amic.* 26. 97. Quum id quam vere fiat ignores. *Id. ibid.* 7. 24. Ignorante rege, uter eorum esset Orestes. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 8. 24. Ipsa vero sapientia, si se ignorabit, sapientia sit, nec ne etc. *Id.* 3. *Nat. D.* 31. 78. Non enim ignoro, quanti ejus nomen putetis. *Cæs.* 7. *B. G.* 33. Non ignorans, quanta ex dissensionibus incommoda oriri consuessent. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. Magnifice loqui decet adversus ignorantes, quid a quoque petendum sit. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 25. Nec tamen ignoret, quid distent æra lupinis. *Ovid.* 5. *Fast.* 6. Quo ferar, ignoro. *Id.* 13. *Met.* 913. monstrumne, deusne ille sit, igno-

rans. *Lucan.* 8. 626. Ignorant populi, si non in morte probaris, An sceleris adversa pati. — *d*) Singulare est illud cum interrogativo et part. *quin* apud *Cic. Flacc.* 27. 64. Quamquam quis ignorat, qui modo unquam mediocriter res istas scire curavit, quin tria Græcorum genera sint vere? — *e*) Cum Ablativo et præpos. *de. Cic.* 8. *Att.* 14. *sub fin.* Domitius ignorat de filio. — *f*) Absolute. *Plaut. Capt. prol.* 50. Ita nunc ignorans suo sibi servit patri. V. *Ignorans* in fin. *Cic. Mil.* 12. 33. An vero tu solus ignoras? tu hospes in hac urbe versaris? tuæ peregrinantur aures? *Quintil.* 9. 4. 119. Ignorabo: sed ut audio hoc, animus accipit plenum sine hac geminatione non esse. — Hinc Part. præs.

Ignorans, antis, adjective quoque usurpatur; et est inscius, ignarus, ἀγνοῶν, *chi non sa*; et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Cæs.* 6. *B. G.* 42. Reversus ille, eventus belli non ignorans, unum questus etc. — *b*) Absolute. *Virg.* 12. *Æn.* 421. Fovit ea vulnus lympha longævus Iapys Ignorans: subitoque omnis de corpore fugit Quippe dolor. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 6. 17. (52). Catuli, vel herinacei lienem ex aceto dant ignoranti, *che non s'accorga.*

Ignoratus, a, um, cujus part. multa superius exempla retulimus, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Ignoratior* apud *Tac.* 12. *Ann.* 11. Clementiam ac justitiam, quanto ignoratiora barbaris, tanto toleratiora capesseret. *Al. melius leg.* ignara.

IGNOSCENS, entis. *V.* IGNOSCO.

IGNOSCENTĬA, æ, f. 1. condonatio peccati, *perdono*, συγγνώμη. *Gell.* 7. 3. *a med.* Ignoscentias utiles esse rebus humanis docet.

IGNOSCĬBĬLIS, e, adject. cui facile ignosci potest, *perdonabile, scusabile,* συγγνωστός. *T. Castricius* apud *Gell.* 13. 21. Si hic vester hujuscemodi vestitus multo jam usu ignoscibilis est.

IGNOSCO, gnoscis, gnōvi, gnōtum, gnoscere, a. 3. (in et nosco). *Ignorit* pro *ignoverit* est *Cæcinæ* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7.; *Ignosset* syncope pro *ignovisset* est *Silii It.* 8. 619. — Part. *Ignoscens* sub *a.* et in fin.; *Ignotus* sub *a.*; *Ignoturus* sub *a.* et *b.*; *Ignosciturus* sub *d.*; *Ignoscendus* sub *d.* — Ignoscere est veniam dare, remittere, excusatum habere, condonare; ab *in* et *nosco*, quasi nolis de peccato cognoscere, sed ipsum ignorare ac remittere; ad rem *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. *a med.* Sed sceleris pœnam prætermittere (id enim est quod vocatur ignoscere) in hoc bello perniciosum puto. et *Seneca* 2. *Clem.* 7. Ignoscere est, quæ judicas punienda, non ponire. Gr. συγγινώσκω (It. *perdonare, dissimulare*; Fr. *pardonner, excuser*; Hisp. *perdonar, remitir alguno delito ù pecado*; Germ. *verzeihen*; Angl. *to perdon, excuse*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo fere communi (*aliquid, hoc etc.*) et Dativo personæ: *V.* infra sub *c. Plaut. Bacch.* 5. 2. 68. Ut eia delicta ignoscas. Cf. *Auct. B. Afr.* 31. Sæpe a se fugatis, pulsis et concessam vitam et ignota peccata. *Cato* apud *Priscian.* 10. p. 887. *Putsch.* Quod eorum nemo quisquam quidquam mihi ignoturus est. *Cic.* 1. *Phil.* 6. 13. Hoc ignoscant dii immortales, velim, et populo Romano et huic ordini. *Vellej.* 2. 30. 3. Adeo familiare est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere. *h. e.* indulgere; omnia sibi convenire credere. γνώμη. — *b*) Cum addito *quod, si,* et Dativo personæ. *Cic.* 7. *Att.* 12. Velim mihi ignoscas, quod ad te scribo tam multa toties. *Id. fragm.* apud *Priscian.* 10. p. 886. *Putsch.* Ignoturus alteri, quod patrem, alteri, quod tutorem secutus esset. *Id.* 2. *leg. Agr.* 18. 49. Mihi, quæso, ignoscite, si appello talem virum sæpius. — *c*) Sæpius cum Dativo tantum personæ aut rei: accusativus enim (*peccatum, delictum* etc.) facile subauditur; qui, si exprimendus sit, ad *condono* aut *remitto* confugere solemus: *V.* tamen sub *a.* et *d.* — Activa forma. *Ignoscere sibi* est sibi parcere et indulgere, *aversi riguardo, risparmiarsi. Quintil.* 10. 3. 29. Non est indulgendum causis desidiæ: nam si non nisi refecti, non nisi hilares, studendum existimaverimus, semper erit, propter quod nobis ignoscamus. Adde *eund.* 11. 2. 45. Ceterum *Cic. Harusp. resp.* 17. 37. Quam iste idcirco Bonam dicit, quod in tanto sibi scelera ignoverit. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 62. Inscitiæ meæ et stultitiæ ignoscas. *Id. Merc.* 5. 4. 37. Ignoscere delictis et adolescentiæ. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 131. vitiis. *Prosper Aquit. epigr.* 28. Quorum (*hominum*) ignoscentes culpis sua crimina solvunt. — Passiva impersonaliter. *Ter. Hecyr.* 5. 1. 11. Jam ætate ea sum, ut non sit peccato mihi ignosci æquum. *Cic.* 2. *Herenn.* 17. 25. Deprecatione utemur, quum fatebimur nos peccasse —; et tamen ignosci nobis postulabimus. *Id.* 11. *Att.* 14. et 6. *Verr.* 63. 140. Deprecatores, quibus non erat ignotum. *Id.* 2. *Invent.* 32. 100. Exemplis oti oportebit, quibus in simili excusatione non sit ignotum; et contentione, magis illis ignoscendum fuisse. *Sueton. Aug.* 33. Tabellam dedit, qua ignosceretur ais, quos etc. Adde *Quintil.* 4. *proœm.* 5. — *d*) Cum Accusativo rei tantum, sed raro admodum: *V.* sub *c. Plaut. Amph.* 1. 1. 101. Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum. *Ter. Heaut.* 4. 1. 34. Equidem istuc factum ignoscam. *Piso Frugi* apud *Priscian.* 10. p. 887. *Putsch.* Quodcumque deliquisset, ignosciturum affirmabat. *Hic tamen locus rectius fortasse sub c referri potest. Propert.* 2. 2. 56. Juppiter, ignosco pristina furta tua. *Al. leg.* ignoro. *Virg. Cul.* 293. Dignus amor venia, parvum si Tartara nossent Peccatum ignovisse. *Id.* 4. *G.* 488. Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes. Sic *Ter. Phorm.* 5. 3. 26. Ego esse id hoc te culpam meritam non nego, sed eam quæ sit ignoscenda. *Quintil.* 2. *Declam.* 6. Ignoscite malorum periculorum metus, ignoscite humana discrimina. — *e*) Absolute. *Ter. Phorm.* 5. 8. 46. Ignosce: orat, confitetur, purgat: quid vis amplius? *Cic. Pis.* 41. 98. Cui non apud senatum, non apud ullum ordinem maximorum scelerum venia ulla ad ignoscendum dari possit. *Id. Partit. orat.* 37. 131. Ad ejus facti deprecationem, ignoscendi petenda venia est. *Quintil.* 6. 2. 11. Quoties in dicendo ignoscimus. — Et passive impersonaliter. *Ter. Adelph.* 3. 5. 28. Ignotum est, tacitum est, creditum est. — Pro concedere de rebus dixit *Capell.* 6. p. 195. Quidquid singula signa Zodiaci contulerint, tantumdem sole e contrario rutilante umbria noctis ignoscunt. — *NB. Ignoscere* pro noscere, discere, ut *in* sit ἐπιτατικόν, confirmat *Non.* p. 325. 14. *Merc.* illo *Varronis*: Vosque in theatro qui voluptatem auribus Huc aucupatum concurristis domo, Adeste, adeste, quæ feraoque, ignoscite, Domum ut feratis e theatro litteras. *Voss.* tamen in *Etymol.* vult legi *gnoscite*; alii aliter. — *NB.* Pro ignorare, nescire, afferri solet locus *Lactant.* 5. 3. *a med.*, ubi lectio dubia est, et plerique *ignoro* reponunt. — Hinc Part. præs.

Ignoscens, entis, adjective quoque occurrit (unde Comp. *Ignoscentior*) et est qui facile condonat et ignoscit, *chi facilmente perdona. Ter. Heaut.* 4. 1. 34. Te obsecro, quanto tuus est animus nato gravior, ignoscentior, ut meæ stultitiæ in justitia tua sit aliquid præsidi. Locus *Terentii* hic allatus ita refingendus est ex *Bothio*: Quanto tu me es annis gravior, tanto es ignoscentior, Injustitiæ meæ ut justitia tua sit aliquid præsidi.

IGNŌTĬTĬA, æ, f. 1. ignorantia. *Gell.* 16. 13. *extr.* Jura, quibus uti per ignotitiam non queunt. *Pareus* in *Lex. Crit.* ita legit ex MSS. Vulgo legitur *ignorantiam. Gronovius* mallet *innotitiam*, quod magis probandum.

IGNŌTUS, a, um, adject. (in *negativo* et notus *vel* gnotus). *Diomed.* 2. p. 123. *Putsch.* ex *Varrone* docens, syllabas alias esse asperas, alias lenes, duras alias aut molles; *duræ sunt*, inquit, ut *ignotus*. V. integr. locum. — Comp. *Ignotior* et Sup. *Ignotissimus* sub *A*. 1. — Ignotus usurpatur *A*) Passive; et *B*) Active.

A) Passive. ¶ 1. Generatim est minime notus, incognitus, ἄγνωστος (It. *incognito, ignoto*; Fr. *inconnu, ignoré*; Hisp. *inconocido, incognito, ignorado*; Germ. *unbekannt*; Angl. *not known, unknown*). Occurrit — *a*) De personis. *Plaut. Rud.* 4. 3. 104. Quamquam ad ignotum arbitrum me appellis: si adhibebit fidem, etsi est ignotus, notus: si non, notus ignotissimus est. *Cic. Flacc.* 17. 40. Dubitatis, judices, quin ab hoc ignotissimo Phryge nobilissimum civem vindicetis? *paullo ante dixerat*: Is, quem nemo vestrum vidit unquam, nemo, qui mortalis esset, audivit. *Id. Brut.* 64. 242. Ignoti homines et repentini quæstores celeriter facti sunt. *Id.* 1. *de republ.* 1. M. Catoni, homini ignoto et novo certe licuit etc. *Id. ibid.* 17. Nos in exigua ejus terræ parte affixi, pluribus ignotissimi gentibus. *Nepos Themist.* 8. In omnibus omnibus ignotus ascendit. *Liv.* 5. 32. Et quod longinqua, eoque ignotior gens erat. *Horat.* 4. *Od.* 9. 27. omnes illacrimabiles Urgentur ignotique longa Nocte, carent quia vate sacro. — *b*) De rebus. *Cic.* 9. *Att.* 5. Res ignota in vulgus. *Id.* 1. *Orat.* 39. 177. Jus applicationis obscurum sane et ignotum patefactum atque illustratum est. *Id.* 1. *de republ.* 16. Erat tunc hæc nova atque ignota ratio, solem lunæ oppositum solere deficere. *Quintil.* 7. 3. 13. Obscuriora et ignotiora verba. *Tac. Agric.* 30. Omne ignotum pro magnifico est. γνώμη. — Præcedente negativa particula, probe notum significat. *Cic.* 5. *Att.* 15. Satis habet magnum campum ille tibi non ignotus cursus animi mei. — Sic pro longinquo, peregrino. *Tibull.* 1. 3. 3. Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris. *et ibid.* 39. ignotis repetens compendia terris. Huc referri potest et illud *Lucan.* 4. 379. non erigit ægros Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus. *h. e.* vinum tam vetus, ut ignotus sit consul, quo factum est. ¶ 2. Speciatim est ignobilis, obscuro loco natus. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 6. naso suspendis adunco ignotos, ut me libertino patre natum. *Id. ibid. v.* 23. Fulgente trahit constrictos gloria curru Non minus ignotos generosis. *Id. ibid. v.* 36. Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus. *Ovid.* 12. *Met.* 600. Ignoti Achivi. — Similiter *Id.* 9. *ibid.* 670. Progenuit tellus ignoto nomine Ligdum. et *Horat.* 1. *Sat.* 3. 108. ignotis perierunt mortibus illi.

B) Active ignotus, quemadmodum et Gr. ἄγνωστος, est qui non novit, inscius, ignarus, *che non conosce, ignaro. Nævius* apud *Non.* p. 121. 28. *Merc.* Ignotæ iteris sumus. *Cic.* 5. *Fam.* 12. *a med.* Illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant. *Id.* 3. *Herenn.* 6. 12. Ab auditorum persona, si laudabimus, quoniam nihil novi, nihil apud ignotos laudemus, nos monendi causa pauca dicturos, aut si erunt ignoti, ut talem virum velint cognoscere petemus. *Nepos Agesil.* 8. Ignoti, faciem ejus quum intuerentur, contemnebant: qui autem virtutem noverant, non poterant admirari satis. *Phædr.* 1. 11. Virtutis expers, verbis jactans gloriam, Ignotos fallit, notis est derisui. *Callistrat. Dig.* 49. 11. 2. *sub fin.* Ignotus juris sui. Ita *Torrentin.*; at *Haloander* edidit *ignarus*. Adde *Curt.* 5. 12. *in fin.*; et *Quintil.* 6. 2. 3. Hinc aliquando *ignotus* et *ignarus* ut variantes lectiones in MSS. occurrunt, quemadmodum apud *Ovid.* 5. *Trist.* 9. 2. Misit in ignotam qui rude semen humum.

IL

ĪLE, is, n. *V.* ILIA init.

ĪLEOS, *vel* ileus, i, m. 2. εἰλεός, *volvolo*, dolor acerbissimus intestini ilei, seu subtilis, vel etiam serundum nonnullos cæci, cum constipatione alvi, tumore ventris chordæ instar tenti, subsequente etiam rejectione fœcum per os, aliisque gravissimis symptomatibus. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 7. 20. (59). Gravissimum vitium ileos appellatur. *Id.* 20. *ibid.* 6. 23. (52). Contra ileum allium in oleo et pulte. *Id.* 30. *ibid.* 7. 19. (55). Sevum ovium ileo medetur. *Id.* 32. *ibid.* 9. 31. (101). Ileos et inflationes castorea sanant. *Cels.* quoque de hoc morbo verba facit, sed εἰλεὸς Græce scribit 4. 13.

ĪLEŌSUS. *V.* ILIOSUS.

ĪLĒTUM, i, n. 2. ilicea silva. *Gloss. Cyrill.* Πρινών, hoc iletum.

ĪLEX, ilicis, f. 3. πρῖνος, *elce, leccio*, est arbor glandifera, folio aculeato et non deciduo, non florens, fructum novum ferens cum annotino pendentem, materie tota ossea, et sine medulla, quæque in laminas secari apta est. Fructus ejus est glans et corcum, de quo *V.* suo loco. Ejus duo sunt genera; unum aculeato folio, ut dictum est; alterum oleæ non absimili. Est etiam mascula et femina: illa glandem negatur ferre. Hæc ex *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (19). et *ibid.* 8. 12. (32). et *ibid.* 18. 30. (73). et *ibid.* 21. 33. (80). et *ibid.* 21. 38. (91). et *seqq.* V. etiam dicta in AQUIFOLIUS. *Virg.* 7. *Ecl.* 1. Forte sub arguta consederat ilice Daphnis. *Id.* 12. *Æn.* 701. coruscis ilicibus fremit Apenninus. *Lucan.* 3. 440. nodosa ilex. *Martial.* 6. 64. hirsuta. *Horat. Epod.* 15. 5. procera. *Ovid.* 3. *Art. am.* 149. ramosa. *Id.* 2. *Amor.* 6. 49. nigra nemus ilice frondens. *Id.* 2. *Fast.* 165. densa niger ilice lucus. *Id. Heroid.* 16. 54. locus picea ilicibusque frequens. —

Poetice *Martial.* 14. 70. Porcus ilice pastus. *h. e.* iligna glande. — Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 290.) hanc exhibet synonymiam: Πρῖνος Hesiod. Oper. et dies 434., Theophr. 3. 16., Dioscor. 4. 143. et Hesych.; *Ilex* Lucan. 3. 440. et *Ilex minor* Colum. 9. R. R. 3. 2. sunt *Ilex* L. Spec. plant. 1513. et affin.

ĪLIA, ium, ibus, n. 3. In singulari num. est *ile*, *ilis*, si *Servio* est fides, ad *Virg.* 7. *Æn.* 499., ubi refert frigidum dictum *Marulli mimographi* de guloso homine: *Tu Hectorem imitaris; ab ilio numquam recedis.* monetque *ab ili* debuisse dicere: sed ille ad Ilium Phrygiæ alludebat. Ceterum *ile*, *is*, non est in uso Latino, docente etiam *Charis.* 1. p. 72. *Putsch.* carere hanc vocem singulari numero. — In secunda declin. *Cels.* 4. 1. *sub fin.* Vulva super rectum intestinum progressa, iliis feminæ latera sua innectit. Ubi *Celsus* intelligit esse ilis, quæ hinc inde, inter coxas et pubem, in imo ventre posita sunt. — Ceterum ilia sunt cavitates alvi utrimque ad latera, ab imis costis et præcordiis usque ad imum ventrem et pubem; quæ in respiratione attolluntur et contrahuntur, in cursu vero et anhelitu maxime concutiuntur. *Paul. Diac. p.* 104. 14. *Müll.* ducit ab *ina*, quod vide: at videtur esse ab εἴλω vel εἰλέω *circumvolvo*; inde etiam est εἰλεός vel ἰλεός morbus intestinorum, quem Latini ileon, Itali nunc *volvolo* vocant. Gr. λαγόνες, κοῖλαι, It. *fianchi.* Sed iliis universim dicuntur viscera et venter (It. *i visceri*, *l'anguinaja*; Fr. *le ventre*, *les entrailles*; Hisp. *entrañas*; Germ. *d. untere Theil des Leibes*, *d. Weichen*; Angl. *the flanks*, *the bowels*).

I.) Proprie. *Ovid.* 3. *Met.* 216. *de cane venatico.* Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon. *Virg.* 3 *G.* 506. imaque longo Ilia singultu tendunt. *Lucan.* 4. 626. terga viri cedentis victor Alligat, et medium compressis ilibus arctat. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 8. Solve senescentem mature sanus equum, ne Peccet ad extremum ridendus et ilia ducat. *batta il fianco*, quod accidit, quum præ lassitudine fit respiratio difficilis, et progredi amplius non potest. Sic *Plin.* 26. *Hist nat.* 6. 15. (29). Jumentis non tussientibus modo, sed ilia quoque trahentibus verbascum auxiliatur. *Id.* 20. *ibid.* 5. 15. (31). Contra jocinoris ac lienis, ilium, lumborum et renum vitia. *Virg.* 7. *Æn.* 499. actaque multo Perque uterum sonitu, perque ilia venit arundo. *Seneca Herc. Fur.* 543. Aurato religans ilia baltheo. — *Rumpi ilia* dicuntur, cui spiritus deficit. *Virg.* 7. *Ecl.* 25. Pastores, hedera crescentem ornate poetam, Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro. *acciocchè crepi di rabbia.* — *Horat. Epod.* 3. 4. o dura messorum ilia! *h. e.* viscera et venter. *Ovid. Ib.* 171. Unguibus et rostro tardus trahet ilia vultur. *Virg.* 10. *Æn.* 778. Egregium Antorem latus inter et ilia figit. *Ovid.* 4. *Met.* 119. demittit in ilia ferrum. — *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 83. (208). tradit, *ilia* dici venas inter vesicam et alvum ad pubem tendentes. Et fortasse ibi esse creditum est sedem libidinis, ut eo pertineat illud *Catull.* 11. 19. Nullum amans vere, sed identidem omnium Ilia rumpens.

II.) Translate. ¶ 1. Ilia dicuntur intestina quædam delicatiora in cibis, ut lumbi, sumen, renes, omentum, hillæ et hujusmodi, quæ et lactes appellantur. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 30. Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi. *Martial.* 10. 45. Ilia Laurentis quum tibi demus apri. *Juvenal.* 5. 136. Da Trebio: pone ad Trebium: vis, frater ab istis Ilibus? ¶ 2. Item ilia dicitur venter seu cavitas vasorum. *Juvenc.* 2. 119. In *Johann.* 2. Sex illic fuerant satis præpulcra cavatis Vascula, quæ ternis aperirent ilia metris.

ĪLĬĂCUS, a, um, adject. ad ilia sive ileum pertinens. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. *ad fin.* Si quisquam iliacam evaserit passionem, necessario ex supradictis dysentericus fiet. Adde *eumd. ibid.* 21. Sic *Id. ibid.* 20. Iliacus dolor. — Hinc

Iliacus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui ileo laborat. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. *ad fin.* In iliacis, patientis iuri causa, potus quantitatem minuendam existimat. *Theod. Priscian. l.* 2. *p.* 1. *c.* 9. Iliacorum, colicorum et strophicorum similis est omnibus doloris molestia. et *mox.* Iliacorum autem passio, de qua nunc nobis tractatus interponitur, acuta est.

ĪLĬCET, adverb. ex *ire licet* per syncop. — Quod ad scriptionem attinet, male quidam *illicet* scribunt geminato *l.* Nam quod ajunt e vocis *ire* extrito, relinqui *irlicet*, sed *r* sequente *l*, mutari in *l*, ut fit in *pellicio*, *pellego*, *intelligo* et aliis, id nihil ad rem facit, quia in *ilicet* non est mutatio, sed totius syllabæ syncope, ut fit in *scilicet* et *videlicet*, ubi, juxta nonnullos, eadem *re* syllaba eliditur. — Ceterum *ilicet* juxta *Forcellinum* et alios factum est per syncopen ex *ire licet*, ut *scilicet* ex *scire licet*, *videlicet* ex *videre licet*: sed juxta *Celsum* apud *Charis.* 2. p. 180. *Putsch.*, itemque *I. Schneider.*, *Lat. Grammat.* I. p. 483. et *R. Stürenburg.* ad *Cic. Arch.* 6. 11., *ilicet* compositum est ex imperativo *i* et *licet*, quemadmodum *videlicet* et *scilicet* ex imperativis *vide*, *sci* et *licet*: itaque *ilicet* est idem atque *abi*, *nunc enim licet.*

I.) Proprie, apud Romanos præco hanc vocem usurpabat ad finem rei significandum, ut *actum est*, in sacrificiis, in dimittendo senatu, in dimittendis judicibus de consilio, et hujusmodi, ut docet *Donatus*, qui ait ad *Ter. Phorm.* 1. 4. 31. Semper *ilicet* finem rei significat, ut *actum est.* Sic judices de concilio dimittebantur, suprema dicta quum præco pronunciasset *ilicet*, quod significat *ire licet.* Adde *eumd.* ad *Ter. Heaut.* 5. 2. 20.; et *Servium* ad *Virg.* 2. *Æn.* 424. Hac etiam voce præfica in funeribus, cadavere ustulato ceterisque rite peractis, utebatur. *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 216.

II.) Improprie. ¶ 1. Ad priorem significationem *ire licet* vel *actum est* respiciunt antiquorum loca, quæ subjicimus, in quibus *ilicet* exclamationem quamdam notet in re desperata. *Plaut. Capt.* 3. 1. 8. Itaque venter gutturque resident esuriales ferias. Ilicet parasiticæ arti in maximam malam crucem! *Id. Amph.* 1. 1. 181. Neque miser me commovere possum præ formidine. Ilicet, mandata heri perierunt, una et Sosia. *Ter. Eun.* 1. 1. 9. Actum est, ilicet, peristi; eludet, ubi te victum senserit. *Id. ibid.* 2. 3. 55. Ipsa est: ilicet, desine, jam conclamatum est. *Id. Phorm.* 1. 4. 31. Hoc nihil est, Phædria. ilicet. Quid hic conterimus operam frustra? *Id. Heaut.* 5. 2. 21. Ilicet, ne te admisce: nemo accusat, Syre, te. *vattene*, vel *la cosa è fatta*, vel *non c'è altro.* Semper enim, ut ait *Donatus* hic quoque, finem rei significat, ut actum est. ¶ 2. Quia hac voce pronunciata cito discedebatur, inde usurpari cœpta pro cito, celeriter, statim, confestim, subito, *in pochissimo tempo*, παραυτίκα. *Afranius* apud *Charis.* 2. *p.* 180. *Putsch.* An tu eloquens ilicet. *Sall. Jug.* 41. Ubi formido illa mentibus decessit, ilicet ea, quæ res secundæ amant, lascivia atque superbia incessere. *Al. tamen leg.* scilicet. *Virg.* 2. *Æn.* 758. Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento Volvitur. *Id. ibid.* 424. Ilicet obruimur numero. *Id.* 8. *ibid.* 223. fugit ilicet ocior Euro Speluncamque petit. *Tibull.* 2. 6. 15. Amor, fractas utinam tua tela sagittas Ilicet exstinctas aspiciamque faces. *Stat.* 1. *Theb.* 92. Ilicet igne Jovis lapsisque citatior astris Tristibus exsiluit ripis. — *NB. Paul. Diac. p.* 104. 15. *Müll.* exponit *ilicet* sine dubio: quem sensum habere posset, inquit *Dacerius*, locus *Terentii Eun.* 1. 1. 9. allatus: quem ipsum locum referens *Charis.* 2. *p.* 181. *Putsch.* putat, *ilicet* pro *hem* poni, ut sit *hem peristi!*

ĪLĬCĒTUM, i, n. 2. locus ilicibus consitus, *lecceto*, πρινών. *Martial.* 12. 18. Surgentem focus excipit superba Vicini strue cultus iliceti. *Paul. Diac. p.* 266. 8. *Müll.* Tifata iliceta.

ĪLĬCĔUS, a, um, adject. qui est ex ilice, *di elce*, πρίνινος. *Stat.* 6. *Theb.* 101. Ornique iliceæque trabes. *Sicul. Flacc. de condit. agror. p.* 4. *Goes.* Alii iliceos, alii oleagineos, alii vero junipereos terminos observant. *V.* duas voc. seqq.

ĪLIGNĔUS, a, um, adject. idem quod iliceus, *di elce*, πρίνινος. *Cato R. R.* 18. Subscudes iligneas adindito. *Colum.* 6. *R. R.* 3. 7. Iliguea, quernea, laurea frons. *Id.* 7. *ibid.* 6. 1. Iligneí querneique frutices.

ĪLIGNUS, a, um, adject. idem atque iligneus. *Ter. Adelph.* 4. 2. 46. Lectulos ilignis pedibus faciundos. *Priscian.* 2. *p.* 587. *Putsch.* legit *iligneis.* *Virg.* 3. *G.* 330. Currentem ilignis potare canalibus undam. *Grat. Cyneg.* 92. Ilignum robur.

ĪLIŌSUS, a, um, adject. qui ex ilibus laborat. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 4. 13. (26). — Sunt qui legunt *ileosus*, et ducunt ab *ileos*, quam vocem vide.

ILLĀ, adverb., seu potius ablat. sing. feminini generis ab *ille*, ut sit pro *illa parte*, *illa via*, et occurrit apud *Plautum* et *Tac.* tantum, *per quel luogo*, *per quella parte.* *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 16. Forte per impluvium huc despexi in proximum: atque ego illa aspicio Philocomasium etc. *Id. Most.* 3. 3. 27. Nunc ego me illa per posticum ad congerrones conferam. *Tac.* 3. *Hist.* 8. Ac ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsæpserat. *Id.* 2. *Ann.* 17. Incubueratque sagittariis, illa rupturus. *Id. Germ.* 34. Ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus.

ILLA vel ila, æ, f. 1. deminut. ab ina, quæ pars chartæ est tenuissima. *Paul. Diac. p.* 104. 14. et 81. 1. *Müll.*, qui utroque in loco legit *ilia.*

ILLĀBĔFACTUS vel inlabefactus, a, um, adject. (in *privativa* et *particip.* labefactus) non labefactus, *incorrotto*, *non guasto*, *non distrutto*, ἀλύμαντος. *Ovid.* 4. *Pont.* 8. 9. Jus aliquod faciunt affinia vincula nobis: Quæ semper maneant illabefacta precor. *Id. ibid.* 12. 29. hæc viridi concordia cœpta juventa Venit ad albentes illabefacta comas.

ILLĀBOR vel inlabor, lābĕris, lapsus sum, lābi, dep. 3. (in et labi). Part. *Illabens* I; *Illapsus* II. — Illabi est incidere, influere, εἰσπίπτω, καταρρέω (It. *cadere*, *scorrere dentro*, *entrare*; Fr. *tomber sur*, *couler dans*, *pénétrer*; Hisp. *caer*, *correr*, *distilar*, *manar*; Germ. *irgend wohin gleiten*, *fallen*, *sinken*, *fliessen*, *schlüpfen*; Angl. *to glide*, *issue*, *or fall into*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 54. 135. Quo (*h. e.* in stomachum) primo illabuntur ea, quæ accepta sunt ore. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 29. 31. (113). Ad decimum a Mileto stadium lenis illabitur mari. *Horat.* 3. *Od.* 3. 7. Si fractus illabatur orbis. *gli cada sopra.* *Stat* 1. *Achill.* 138. tepet illabentibus astris Pontus. *Lucan.* 5. 281. Conjugis illabi lacrimis. *h. e.* moriendo cadere inter brachia conjugis lacrimantis.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Fin.* 11. 39. Si ea sola voluptas esset, quæ quasi titillaret sensus, ut ita dicam, et ad eos cum suavitate afflueret et illaberetur. *s'insinuasse.* *Id.* 2. *Legg.* 15. 39. Sensim perniciés illapsa civium in animos. *Forcellinus* et alii præpos. in omittunt. *Virg.* 3. *Æn.* 89. Da, pater, augurium, atque animis illabere nostris.

ILLĀBŌRĀTUS vel inlaboratus, a, um, adject. (in *privativa* et *particip.* laboratus) incultus, sine labore confectus, inelaboratus, *non lavorato*, ἀκατέργαστος. *Seneca Ep.* 90. *ad fin.* Terra ipsa fertilior erat illaborata, et in usus populorum non diripientium larga. *Quintil.* 12. 10. 79. Fructus illaborati offerunt sese. *Id.* 4. 1. 60. Oratio simplex et illaborata. *Id.* 12. 2. 2. Virtus obvia et illaborata. *acquistata senza fatica.* *Id.* 10. 1. 111. *de Cicerone.* Quum interim hæc omnia, quæ vix singula quisquam intentissima cura consequi potest, fluunt illaborata.

ILLĀBŌRĬŌSUS vel inlaboriosus, a, um, adject. *Gloss. Cyrill.* Ἀκάματος, inlaboriosus, indefessus.

ILLĀBŌRO vel inlaboro, as, are, n. 1. (in et laboro) in re laborare, ut præpos. in intentiva sit, non privativa, ἐνεργάζομαι. *Tac. Germ.* 46. *ad fin.* Venari beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus.

ILLAC, adverb. motus per locum, pro *illace* (*V.* part. *CE* loco suo, et confer *illic*, *illoc*, *illuc*,) et significat per illum locum, ἐκεῖ, ἐκεῖσε (It. *per quel luogo*; Fr. *de ce côté là*, *par là*; Hisp. *por ay*, *por alli*, *por alla*; Germ. *an jener Seit*, *dort*; Angl. *that way*).

I.) Proprie de loco. ¶ 1. Stricto sensu de motu per locum. — *a*) Absolute. *Plaut. Asin.* 3. 3. 152. Angiporto illac per hortum circuit clam, ne quis se videret huc ire familiarium. — *b*) Cum opposito *hac.* *Plaut. Rud.* 1. 3. 30. Hac, an illac eam, incerta consilii sum. *Ter. Eun.* 1. 2. 25. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo. *Id. Heaut.* 3. 2. 1. Hac illac circumcursa. ¶ 2. Latiori sensu de motu ad locum. *Ovid.* 6. *Fast.* 395. Forte revertebar festis Vestalibus illac, Qua etc.

II.) Improprie de hominibus, seu partibus. *Cic.* 7. *Att.* 3. *circa med.* Omnes damnatos, omnes ignominia affectos illac facere. *h. e.* illi parti favere. Est qui legit *illuc.* — *NB.* De *illac* pro *illa* sexto casu pronominis, *V.* ILLIC, illæc, illoc.

ILLĂCĔRĀBĬLIS vel inlacerabilis, e, adject. (in *privativa* et lacerabilis) qui lacerari non potest, vel non laceratus. *Sil. It.* 5. 137. spolium, quod rege superbus Bojorum cæso capiti illacerabile victor Aptarat.

ILLĂCESSĪTUS vel inlacessitus, a, um, adject.

(in *privativa et particip.* lacessitus) non lacessitus, *non provocato. Tac. Germ.* 36. Marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt. *Id. Agric.* 20. Ut nulla Britanniæ nova pars illacessita transierit. *Id. ibid.* 21. Illacessita transiit sequens hiems. *Al. aliter leg. V.* Interpr. ad h. l.

ILLĂCRĪMĀBĪLIS *vel* inlacrimabilis, e, adject. (in *negativa et* lacrimabilis) ἄδακρυς. ¶ 1. Est lacrimis non decoratus, *non compianto. Horat.* 4. *Od.* 9. 26. sed omnes illacrimabiles Urgentur ignotique longa Nocte, carent quia vate sacro. ¶ 2. *Item* inexorabilis, qui tam durus est, ut ad lacrimas, aut ad misericordiam commoveri non possit. *Horat.* 2. *Od.* 14. 5. Non si trecenis, quotquot eunt dies, Amice, places illacrimabilem Plutona tauris.

ILLĂCRĪMO *vel* inlacrimo, as, āvi, ātum, are, n. *et*

ILLĂCRĪMOR *vel* inlacrimor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (in *et* lacrimo). Part. *Illacrimans* I. — Illacrimare vel illacrimari est idem quod lacrimare, flere, ἐπιδακρύειν (It. *lacrimare, piangere*; Fr. *pleurer sur, déplorer*; Hisp. *llorar, derramar lagrimas, verter llanto*; Germ. *bei oder wegen einer Sache weinen, sie beweinen*; Angl. *to weep, shed tears, lament, bewail*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Dativo, et *illacrimare alicui rei* est propter rem quampiam lacrimas fundere. *Cic.* 3. *Nat. D.* 33. 82. Quid dicam de Socrate? cujus morti illacrimari soleo, Platonem legens. *Id. poet.* 2. *Tusc.* 9. 21. Perge, aude, nate; illacrima patris pestibus. *Liv.* 40. 56. Qui meo infelici errori unus illacrimasti. *Id.* 45. 4. Illacrimare sorti humanæ. *Ovid.* 5. *Trist.* 8. 6. malis alicujus. *Sueton. Vesp.* 15. Justis suppliciis illacrimavit etiam et ingemuit. *Sil. It.* 2. 476. fractæ nequidquam casibus urbis Illacrimat. — *b*) Raro admodum cum Accusativo. *Justin.* 11. 12. 6. Ejusque mortem illacrimatum Alexandrum. — *c*) Absolute. *Cic. Senect.* 9. 27. Qui (*Milo*) aspexisse lacertos suos dicitur, illacrimansque dixisse etc. *Liv.* 25. 24. *a med.* Illacrimasse dicitur partim gaudio, partim vetusta gloria urbis. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 103. si paullum potes illacrimare; est Gaudia prodentem vultum celare. *Cels.* 2. 6. Oculi lumen refugiunt et illacrimant. *Sueton. Aug.* 66. Ceterum et illacrimavit et vicem suam conquestus est. *Albinov.* 1. 229. Sæpe Nero illacrimans submissa voce loquetur.

II.) Translate de inanimis. *Virg.* 1. *G.* 480. Et mæstum illacrimat templis ebur, æraque sudant. *Colum.* 10. *R. R.* 25. Aut fons illacrimet putei non sede profunda. *h. e.* modicas fundat aquas.

ILLACTĒNUS *vel* illātĕnus, adverb. (illac *vel* illa *ab* ille *et* tenus) ad illum usque terminum vel locum, *sino a quel segno, o luogo. M. Aurel.* ad *Fronton. de fer. Alsiens.* 4. (edente iterum *A. Mai.*). Illatenus dolueris, mi magister, si me compotem voti dii boni faciunt. *Gell.* 16. 19. Precem ejus commiseritum illactenus, ut ei necem afferre temperarent. *Alii leg.* illatenus; *quod habet* etiam *Apul. de Mag.* Ipsas mulieris litteras illatenus, qua dixi, legendas præbebat.

ILLÆC. *V.* ILLIC, illæc, illuc.

ILLÆSE *vel* inlæse, adverb. inoffense, sine læsione. *Paulin. Nolan.* 21. *carm.* 157. Potuisset illæse periclo abrumpere.

ILLÆSĪBĪLIS *vel* inlæsibilis, e, adject. (in *negativa et* lædo) qui lædi non potest, ἀκράτητος. *Lactant. Ira D.* 17. *a med.* Ira in Deo esse non potest, quia illæsibilis est. Adde *Tertull. advers. Valentinian.* 27.

ILLÆSUS *vel* inlæsus, a, um, adject. (in *negativa et particip.* læsus) non læsus, *illeso, non offeso*, ἀβλαβής. *Ovid. Heroid.* 15. 168. Illæso corpore pressit aquas. Sic *Sueton. Claud.* 16. Illæsum corpus. Rursus *Ovid.* 2. *Met.* 826. illæsæ partes. *Id.* 12. *ibid.* 489. artus. *Seneca Ep.* 9. *ad fin.* Qui per ferrum et ruinas et ignes illæsus et indemnis evasit. Adde *Sil. It.* 5. 125. et 13. 586. *Martial.* 1. 7. *de Ganymede ab aquila rapto.* Illæsum timidis unguibus hæsit onus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 40. (136). Gallinam conspicui candoris sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæsam. Adde *eumd.* 23. *ibid.* 1. 27. (56). *Sueton. Tib.* 68. Illæsa valetudo. — *NB.* Pro læso seu valde læso, *offeso*, ita ut in sit intentiva, leg. nonnulli apud *Lactant.* 4. 26. *ante med.* Quæ illæsis affectisque corporibus adhibebat, ea spiritualium figuram gerebant. *Alii tamen leg.* læsis, *alii* in læsis.

ILLÆTĀBĪLIS *vel* inlætabilis, e, adject. (in *negativa et* lætabilis) non lætus, injucundus, tristis, *tristo, malinconico*, ἄχαρις. *Virg.* 3. *Æn.* 707. Hinc Drepani me portus et illætabilis ora Accipit. *Id.* 12. *ibid.* 619. Confusæ sonus urbis et illætabile murmur. *Seneca Troad.* 861. Hymen funestus, illætabilis. *Stat.* 5. *Theb.* 633. onus illætabile. *h. e.* infans mortuus. *Id.* 3. *ibid.* 706. grave et illætabile munus.

ILLÆVĪGĀTUS vel inlævigatus, a, um. *V.* ILLEVIGATUS.

ILLĀMENTĀTUS *vel* inlamentatus, a, um, adject. (in *negativa et* lamentor) non lamentatus, lacrimis non decoratus, indefletus, *non compianto*, ἀκλαυστος, ἀπένθητος. *Vulgat. interpr.* 2. *Machab.* 5. 10. Qui insepultos multos abjecerat, ipse et illamentatus et insepultus abjicitur.

ILLANC. *V.* ILLIC, illæc, illuc.

ILLAPSUS *vel* inlapsus, a, um. *V.* ILLABOR.

ILLAPSŬS *vel* inlapsus, us, m. 4. actus illabendi, influxus, εἴσροος. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 11. Ne præcludatur humoris illapsus atque exitus. — Et pro allapsu. *Ambros. Ep.* 6. 42. Ideo delectatio, sicut serpentino illapsu, humanis irrepsit affectibus. *Lemaire* legit etiam apud *Sil. It.* 3. 463., ubi alii *allapsus*.

ILLĂQUEĀTUS *vel* inlaqueatus, a, um, adject. (in *et laqueatus*) duplicem habet significationem teste *Paul. Diac.* p. 113. 9. *Müll.* Inlaqueatum alii pro vincto utuntur, alii pro soluto. *V.* voc. seq.

ILLĂQUĔO *vel* inlaqueo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* laqueo) Part. *Illaqueatus* (de quo *V.* et voc. præced.) sub II. — Illaqueare est laqueo constringere, *allacciare*, παγιδεύω.

I.) Proprie. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 41. Callidus illaqueat volucres Aut pedicis dolus, aut maculis. Adde *Vulgat. interpr. Esai.* 51. 20. et *Jerem.* 50. 24.

II.) Translate. *Horat.* 3. *Od.* 16. 15. munera navium Sævos illaqueant duces. *h. e.* irretiunt corrumpuntque. *Cic. Harusp. resp.* 4. 7. Illaqueatus jam omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium.

ILLARGIO *vel* inlargio, is, ire, a. 4. (in *et* largio) idem quod largiri. *Cato* apud *Non.* p. 470. 24. *Merc.* Pecuniam illargibo tibi.

ILLĀTĀBĪLIS *vel* inlatabilis, e, adject. latitudine carens, *che non ha larghezza*, ἀπλατής. *Gell.* 1. 20. *extr.* Euclides γραμμή, inquit, est μῆκος ἀπλατές: quod exprimere uno Latino verbo non queas, nisi audeas dicere illatabile.

ILLĀTĔBRA *vel* inlatebra, æ, f. 1. locus, ubi latere nihil potest. *Plautus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 12. Cujus ego latus illatebras reddam meis dentibus et manibus. *h. e.* discerpam et comedam. Al. melius leg. in *latebras*. De acipensere loquitur.

ILLĀTĔBRO *vel* inlatebro, as, are, a. 1. (in *et* latebra) in latebris abscondere, intus abscondere, *asconder dentro*, ἐναποκρύπτω. *Claud. Quadrigarius* apud *Gell.* 17. 2. et apud *Non.* p. 129. 24. *Merc.* Arma plerique abjiciunt atque inermes illatebrant sese. Ubi *Gellio* istud *illatebrant* verbum poeticum visum est, sed non absurdum, neque asperum.

ILLĀTĔNUS. *V.* ILLACTENUS.

ILLĀTĬO *vel* inlatio, ōnis, f. 3. (infero) actus inferendi, invectio, *il portar dentro*, εἰσφορά.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ulp. Dig.* 11. 7. 2. et 4. Illatio mortui sepulturæ causa. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* n. 53. PIACVLVM FACTVM OB FERRI INLATIONEM, SCRIPTVRAE ET SCALPTVRAE MARMORIS CAVSA. ¶ 2. Specialim est tributorum solutio. *Cassiod.* 2. *Variar.* 16. Sensimus auctas illationes: vos addita tributa nescitis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Paul.* 5. *Sent. tit.* 4. 31. Injuriam patimur in corpus verberibus et illatione stupri. ¶ 2. Specialim apud philosophos est conclusio argumenti, *illazione*. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* Dico illationem, vel illativum rogamentum, quod acceptionibus colligitur et infertur. Adde *eumd. ibid.* sæpe. *Capell.* 4. *p.* 26. Ex duobus sumptis, ratione sibimet nexis, conficitur illatio. h. e. *da due proposizioni fra loro unite ne deriva la conseguenza*.

ILLĀTĪVUS *vel* inlativus, a, um, adject. (infero) occurrit translate tantum ac specialim, et est inferens, aut concludens, ut Illativum rogamentum. *V.* voc. præced. II. 2. Similiter *Plin.* apud *Diomed.* 1. *p.* 410. *Putsch.* Illativæ particulæ, ut quamquam, quamvis, etsi, tametsi.

ILLĀTOR *vel* inlator, ōris, m. 3. qui infert, *apportatore*. Translate *Boeth.* 4. *pros.* 4. *a med.* Miserior igitur tibi injuriæ illator, quam acceptor esse videretur.

ILLĀTRIX *vel* inlatrix, īcis, f. 3. quæ infert, *apportatrice*. Translate *Augustin. contr. Julian.* 4. 51. Sequitur, ut pudicitia virginalis sit felicitatis illatrix.

ILLĀTRO *vel* inlatro, as, are, n. 1. (in *et* latrare) latrare, vel intus latrare. *Lucan.* 6. 729. Manibus illatrat regnique silentia rumpit. *Sil. It.* 13. 845. illatrat jejunis faucibus Orcus.

ILLĀTUS *vel* inlatus, a, um. *V.* INFERO.

ILLAUDĀBĬLIS *vel* inlaudabilis, e, adject. (in *negativa et* laudabilis) qui laudari non potest, laude indignus, *indegno di lode, biasimevole*, ἀνεγκωμίαστος. *Stat.* 5. *Silv.* 5. 33. juvat illaudabile carmen Fundere et incompte miserum laudare dolorem. Adde *Gell.* 2. 6. et *Servium* ad *Virg.* 3. *G.* 4., quorum verba *V.* in v. ILLAUDATUS 2.

ILLAUDANDUS *vel* inlaudandus, a, um, adject. (in *negativa et* laudo) non laudandus, illaudabilis. *Cyprian.* vel *Tertull. carm.* 3. *advers. Marcion.* 6. plebis facta illaudanda revolvit.

ILLAUDĀTUS *vel* inlaudatus, a, um, adject. (in *negativa et* laudo). ¶ 1. Est non laudatus, laude carens, *non lodato*. *Plin.* 9. *Ep.* 26. Gubernator, quum placido mari vehitur, admirante nullo, illaudatus, inglorius subit portum. *Stat.* 11. *Theb.* 10. memorandaque facta relinquens Gentibus, atque ipsi non illaudata Tonanti. *Sil. It.* 14. 630. qui sorte pudenda In morem pecudum effudere cubilibus atris Illaudatam animam. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 225. magno certatur amore, Alternamque fidem non illaudata lacessit Seditio. *non indegna di lode*. ¶ 2. Poetice pro illaudabili, sive abominando. Notum est illud *Virg.* 3. *G.* 4. quis aut Eurysthea durum, Aut illaudati nescit Busiridis aras? Ubi *Servius*: Busiridis laudes scripsit Isocrates: unde *illaudati* participium est pro nomine; ut sit *illaudabilis*, non qui laudatus non sit, sed qui laudari non meruerit, ut est illud in 7. *Æn.* (v. 11.) *Dives inaccessos ubi Solis filia lucos*, pro *inaccessibiles*: non ad quos nullus accessit, sed ad quos nullus accedere debeat. Hæc *Servius*. Non defuere, qui Virgilium reprehenderent, quasi otiosum epitheton Busiridi, qui immanissimus tyrannus fuit, adjunxerit. Quibus duo respondet *Gell.* 2. 6. Primum est ejusmodi. Nemo quisquam tam afflictis est moribus, quin faciat, aut dicat nonnunquam aliquid, quod laudari queat. Sed enim qui omni in re laude omni vacat, is illaudatus est, isque omnium pessimus deterrimusque est. Omnis culpæ privatio inculpatum facit; inculpatus autem instar est absolutæ virtutis: illaudatus igitur finis est extremæ malitiæ. Simili ratione *inamabilem undam* Stygis dixit *Id.* 6. *Æn.* 438. et *inamœna regna* Plutonis *Ovid.* 10. *Met.* 15. Nempe detractione laudis omnem vituperationem, amoris omne odium, amœnitatis omnem horrorem significare voluerunt. — Altero modo *illaudatus* ita defenditur. *Laudare* significat prisca lingua nominare appellareque. *Illaudatus* itaque, quasi *illaudabilis*, qui neque mentione aut memoria ulla dignus, neque unquam nominandus est. Hoc secundum ponit etiam *Nonius* p. 335. 9. *Merc.* Ex *Gellio* descripsit more suo *Macrob.* 7. *Saturn.* 7. Sunt etiam, qui ideo *illaudatum* Busirim dici putant, quia quum ab Isocrate laudatus fuerit, ut dictum est, ipsæ illæ laudes effecerint, ut vituperabilior odioque magis dignus videretur. — Ceterum *Virgilius loc. cit.* videtur exprimere voluisse illud *Homeri Odyss. l.* 19. *v.* 260. et 597.; ubi Penelope Ilion orbem vocat οὐκ ὀνομαστήν, *h. e.* illaudabilem, abominandam, quia illius causa Ulysses tot annis domo sua aberat.

ILLAUTUS *vel* inlautus, a, um. *V.* ILLOTUS.

ILLE, illa, illud, *Gen.* illius etc., pronomen demonstrativum. — Veteres pro *ille* dixerunt *olle* vel *ollus, a, um*; ita *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 42. *Müll.*, quem imitatus est *Virg.* 5. *Æn.* 197. *V.* OLLUS loco suo. — In Genitivo pro masculino *illius* reperitur etiam *illi*. *Cato* apud *Priscian.* 6. *p.* 694. *Putsch.* Et quis illi modi esse vult? — Item *illæ* pro feminino *illius*. *Lucret.* 4. 1078. rabies unde illæ hæc germina surgunt. *h. e.* rabiei illius. Alii aliter leg., sed nihil mutandum; etenim in *In-*

script. apud *Maff. Mus. Ver.* 368. 9. PATRONVS EMIT SIBI ET ILLAE ET SVIS. — *Illemet* et *illemetipse* afferuntur a *Diomed.* 1. p. 320. et 321. *Putsch.*, nullo tamen auctore laudato. — Ceterum *ille* (fortasse ab *is* pro *isle*, vel deminutivum ab *is*, ut *ullus* ab *unulus*) est pronomen demonstrativum tertiam personam designans, tam a loquente, quam ab audiente remotam, ἐκεῖνος (It. *quegli, colui, quello*; Fr. *ce, cet, cette, celui-là, celle-là, cela, il, elle, lui*; Hisp. *el ó aquel, ella*; Germ. *jener, jene, jenes*; Angl. *he, she, that*). Occurrit ¶ 1. Generatim; et quidem — 1.°) Cum addito substantivo, vel absolute. — *a*) Cum Substantivo. *Ennius* apud *Cic. Senect.* 1. 1. Ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidei. *Cato* apud *Gell.* 16. 1. *extr.* Si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis recte recedet —, nequiter factum illud apud vos semper manebit. *Cic.* 1. *de republ.* l. Ad summam senectutem maluit jactari, quam in illa tranquillitate atque otio jucundissime vivere. — *b*) Absolute. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Servi injurias nimis ægre ferunt; quid illos bono genere natos, magna virtute præditos, opinamini animi habuisse? *Cic.* 1. *Orat.* 11. 45. Tum ille, Non sum, inquit, nescius etc. *Id.* 2. *Fam.* 9. Quid quæris? dum illum video, pæna factus sum ille. *un altro lui. Nepos Att.* 8. Sequutum est illud, occiso Cæsare, quum respublica penes Brutos videretur esse. — Absolute aliquando ponitur, quum de persona sermo est satis nota ei, quicum loquimur. *Cic.* 11. *Att.* 17. *a med.* Illum ab Alexandrea discessisse, nemo nunciat. *h. e.* Cæsarem. Sic *Id. ibid.* 18. De illius ab Alexandrea discessu nihil adhuc rumoris. Adde *eumd.* 6. *Fam.* 19. et 20. Eodem modo et *ipse* adhibetur. — *Ille* aliquando redditur Italice *questo. Plaut. Truc.* 2. 3. 16. Nescio quem præstolata est: credo militem: illud est. *Id. Mil. glor.* 3. 2. 7. PA. Quid, sodes? LV. Illud, dixit, volui dicere. *Seneca* dixit: hoc voluit dicere, *Ep.* 19. *a med. Cic. Quinct.* 22. 70. Unum illud dico, si propter etc. *dico sol questo.* — *c*) Interdum redundat. *Virg.* 11. *Æn.* 809. Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur, Continuo in montes sese avius abdidit altos, Occiso pastore, lupus. *V.* tamen infra sub § 2. *Ter. Adelph.* 3. 2. 8. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordia repressit. *Tac.* 14. *Ann.* 55. Quidquid illud et qualecumque tribuisset. — *d*) Neutrum *illud* cum Genitivo aliquando usurpatur. *Sueton. Galb.* 14. Galba erat negligentior, quam conveniret principi electo atque illud ætatis. *Id. Ner.* 26. illud horæ. — *e*) *Ille* et *is* interdum inter se commutantur, quum una eademque persona in duobus membris significatur; et *ille* modo in præcedenti, modo in subsequenti ponitur. *Cic. Sext.* 3. 7. Ad eum filiam ejus adduxit, ut ille insperato adspectu partem mœroris sui deponeret. *Id. Amic.* 16. 59. Non est igitur amici, talem esse in eum, qualis ille in se est. *Nepos Att.* 10. Se eum et illius causa Gellium Canum de proscriptorum numero exemisse. *Cic. Scaur.* 17. 39. Qui et ipse illis consuluit et eis vicissim percarus fuit. *Vellej.* 1. 5. 2. Neque post illum, qui eum imitari posset, inventus est. — *Ille* tamen repetitur apud *Cic.* 1. *Orat.* 13. 55. Nam ego, quæ sunt oratori cum illis communia, non mutuor ab illis. — 2.°) Jungitur cum aliis pronominibus; scil. — *a*) Cum pron. *ipse*, ut apud *Cic.* 2. *Fam.* 9. Itaque quum primum audivi, ego ille ipse factus sum: scis, quem dicam. *mi son fatto in piede di lui. Id.* 1. *Orat.* 11. 45. Qui cum illis una ipsum illum Carneadem diligenter audiebat. *Cels.* 1. 3. *circa med.* Ille quoque ipse confessus est. *Cic. Marcell.* 2. 7. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna etc. — *b*) Cum pron. *hic*, ut apud *Cic. Flacc.* 22. 52. Huic illi legato, huic publico testi patronum suum mactandum tradidissent. *Virg.* 7. *Æn.* 255. hunc illum fatis portendi generum. Rursus *Cic.* 3. *Tusc.* 15. 31. Hic est enim ille vultus semper idem, quem etc. Sic *Quintil.* 7. 4. 15. Hic est ille status quantitatis etc. — *c*) Cum pron. *idem*, ut apud *Nepot. Reg.* 3. Ab illo eodem vita privatus dicitur. *Id. Miltiad.* 6. Idem ille populus. *Cic.* 1. *de republ.* 14. Eamdem illam (*sphæram*) astris cælo inhærentibus esse descriptam. *Id.* 2. *Off.* 15. 55. Etenim quis potest modus esse, quum et idem qui consueerunt et idem illud alii desiderent? — *d*) Cum pron. *alter*, ut apud *Plaut. Men. prol.* 26. Imponit alterum in navem pater: illum reliquit alterum apud matrem domi. — 3.°) Sæpius jungitur cum *hic*, ita ut *ille* ad prius et remotius, *hic* ad propius et secundo loco positum referatur. Sæpe tamen etiam res contra se habet. *V.* HIC. ¶ 2. Speciatim prægnante usurpatur significatione; et quidem — *a*) De persona aut re, quæ, præcipue famâ, notissima est. *Cic.* 3. *Orat.* 50. 194. Antipater ille Sidonius, quem tu probe, Catule, meministi. *Id.* 2. *ibid.* 14. 58. Etiam a philosophia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille. *Id.* 1. *ibid.* 11. 45. Vigebat auditor Panætii illius tui Mnesarchus. *Id.* 5. *Fam.* 12. A quo (*gratia*) te flecti non magis potuisse demonstras, quam Herculem Xenophontium illum a voluptate. *Id. pro leg. Manil.* 9. 22. Ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur. *Nepos Thrasyb.* 4. Pittacus ille, qui etc. *Vellej.* 2. 41. Magno illi Alexandro simillimus. *Cic. Mil.* 34. 94. Ubi sunt equites Romani illi, illi inquam, tui? *Id. Senect.* 14. 50. Honestum illud Solonis est. *Quintil.* 10. 7. 2. Dum illa verba fabricentur. — Præcipue neutrum *illud* usurpatur ad insignem aliquam sententiam, vel præclarum aliquod facinus proferendum. *Cic. Amic.* 24. 90. Scitum est enim illud Catonis, ut multa: Melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur. *Id.* 2. *Divinat.* 13. 31. An hoc ejusdem modi est, quale Pherecydeum illud, quod est a te dictum? *Plin.* 3. *Ep.* 16. *in fin.* Videnturne hæc tibi majora illo: *Pæte, non dolet*, ad quod per hæc perventum est? Quum interim illud quidem ingens fama, hæc nulla circumfert. — In illo *Plauti Most.* 2. 1. 51. Ita illa faxit Juppiter: τὸ *ille* δεικτικῶς pronunciatur, h. e. oculis, aut digito cælum ostendendo. Similis est usus τοῦ *hic. V.* HIC. — *b*) Apud Historicos et Poetas (numquam vero apud *Cic.*, V. *Seyffert.* ad *Cic. Amic.* 15. 54.) emphasin habet, et est *tantus, tam egregius*, ut apud *Liv.* 9. 17. Cessisset Papirius Cursor illo corporis robore, illo animi. *Id.* 21. 43. Viginti annorum militiam vestram cum illa virtute, cum illa fortuna taceam. Adde *eumd.* 45. 19. Sic *Nepos Ages.* 5. Illa multitudine, si sana mens esset, Græciæ supplicium Persas dare potuisse. — *c*) A Poetis adhibetur etiam ad personam aliquam vehementius designandam atque clariore in luce collocandam. *Virg.* 1. *Æn.* 7. multum ille et terris jactatus et alto. *Horat.* 4. *Od.* 9. 20. Non ille pro caris amicis Aut patria timidus perire. Latini hoc sensu dicunt etiam *is quidem*; Itali autem *si, certamente*. — Hac ratione jungitur cum verbis secundæ personæ. *Ovid.* 12. *Met.* 608. Ille igitur tantorum victor, Achille, Vinceris a timido Grajæ raptore maritæ? *tu che sei quel vincitore* etc. *Seneca Hippol.* 923. Ille efferatus, castus, intactus, rudis, Mihi te reservas? *Stat.* 2. *Silv.* 4. 8. at nunc æterna silentia Lethes Ille canorus habes. *Val. Flacc.* 2. 485. tuque ille ades auguriis promisse et sorte deorum. — Item jungitur cum *ego*, ut apud *Ovid.* 1. *Met.* 757. ille ego liber, ille ferox tacui. Cf. illud quod tribuitur *Virg.* 1. *Æn.* 1. Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena etc. — *d*) Huc referri possunt et illa, in quibus *ille* post integram propositionem vel post aliquot verba, revocando in memoriam nomini eum vi quadam inservit. *Cic. Brut.* 26. 99. A C. Persio litterato homine orationem scriptam ajebant, illo, quem significat valde doctum esse Lucilius. *Id.* 2. *Orat.* 30. 130. Habere certos locos, qui, ut litteræ ad verbum scribendum, sic illi ad causam explicandam statim occurrant. *Liv.* 22. 59. Et patres vestros, aspernimos illos ad conditionem pacis. ¶ 3. Item speciatim *ille quidem* sequente part. *sed, tamen, autem* etc. adhibetur, quum aliquid limitibus circumscribere volumus. *Cic.* 3. *Off.* 9. 39. Philosophi quidam, minime mali illi quidem, sed non satis acuti. *Id.* 2. *ibid.* 6. 21. Iii autem ponunt illi quidem prima naturæ, sed ea sejungunt a finibus et a summo bonorum. *Id. Amic.* 18. 66. Severitas habet illa quidem gravitatem, sed amicitia remissior esse debet. *Id. ibid.* 19. 68. Novitates autem si spem afferunt, non sunt illæ quidem repudiandæ, vetustæ tamen suo loco conservandæ. *Id.* 10. *Att.* 4. Alter bellum comparat, non injustum illud quidem, suis tamen civibus exitiabile. *Id. Brut.* 30. 115. Q. Mucius enucleate ille quidem et polite, ut solebat, nequaquam autem etc. *Id. Fat.* 18. 41. Sequi illud quidem, verum etc. ¶ 4. Item *hic* et *ille* significant partes ratione habita totius rei. *Cic.* 3. *Verr.* 20. 53. Non dicam illinc hoc signum ablatum esse et illud; hoc dico, nullum te Aspendi signum, Verres, reliquisse. ¶ 5. Item in distributionibus — *a*) *Hi, illi* pro *alii, alii. Plin.* 20. *Hist. nat.* 23. 91. (253). Nobilius Athamantium vocant, illi tamquam ab Athamante inventum, hi quoniam laudatissimum in Athamante reperiatur. *V.* HIC. — *b*) Aliquando *ille* repetitur. *Ter. Phorm.* 2. 2. 18. In illis fructus est, in illis opera luditur. Primum illis est pro *his. Martial.* 7. 10. quid ad te, De cute quid faciat ille vel illa sua? — *c*) *Ille aut ille, ille et ille*, pro eo quod Itali dicimus *questi o quegli, questi e quegli*, de certis personis occurrit. *Cic. Rosc. Am.* 21. 59. Credo, quum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quæsisse, num ille aut ille defensurus esset. *Sueton. Cæs.* 41. Commendo vobis illum et illum. ¶ 6. Item *ex illo* pro ex illo tempore interdum a Poetis usurpatur. *Virg.* 2. *Æn.* 169. Ex illo fluere et retro sublapsa referri Spes Danaum. Sine ellipsi, dixerat *Id.* 1. *ibid.* 627. Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis Trojanæ. Ceterum *Propert.* 2. 22. 42. Ex illo felix non mihi nulla fuit. *Ovid.* 3. *Met.* 394. solis ex illo vivit in antris. Sic *ex illo*, quo apud *eumd. Heroid.* 14. 85. Scilicet ex illo Junonia permanet ira, Quo bos ex homine est, ex bove facta dea. — Hinc

Illâ, illo, illi, illim, et *illinc*, adverbia, quæ *V.* loco suo.

ILLĔCĒBRA vel inlecebra, æ, f. 1. ab *illicio* (*V.* LACEBRÆ) est id, a quo ad aliquid faciendum illicimur, lenocinium, incitamentum, invitamentum: et sumitur fere in malam partem, raro in bonam, Θέλγητρον (It. *attrattiva, allettamento, incitamento, solletico*; Fr. *attrait, charme, amorce, seduction*; Hisp. *atraimiento, encanto, hechizo, hermosura*; Germ. d. *Anlockung, Anreizung, Verführung*; Angl. *an enticement, allurement, attractive, charm, inducement*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Genitivo. — In singulari numero. *Cic.* 2. *Cat.* 4. 8. Quæ tanta in ullo homine juventutis illecebra fuit, quanta in illo? *Id. Mil.* 16. 43. Maxima est illecebra peccandi impunitatis spes. *Id.* 1. *Legg.* 11. 31. Voluptas est illecebra turpitudinis. *Gell.* 10. 12. Fallax illecebra admirationum, qua pleræque capiuntur ingenia. *Id.* 12. 5. Delectatus illecebra quæstionis. — In plurali numero. *Cic.* 2. *de republ.* 4. Habet etiam amœnitas ipsa vel sumptuosas, vel desidiosas illecebras multas cupiditatum. *Id.* 15. *Fam.* 16. Delinitus illecebris voluptatis. Sic *Id. Senect.* 12. 40. Stupra et adulteria et omne tale flagitium nullis aliis illecebris asciscari, nisi voluptatis. *Id. Sext.* 66. 138. Duci voluptatibus, et dedere se vitiorum illecebris et lenociniis cupiditatum. *Id.* 1. *Cat.* 6. 13. Irretire aliquem corruptelarum illecebris. *Id. fragm.* apud *Augustin.* 4. *contra Julian. Pelag.* 14. Voluptates corporis vere et graviter a Platone dictæ sunt illecebræ atque escæ malorum. *Justin.* 2. 13. *extr.* illecebras avium vocat cadavera in viis exposita. — *b*) Absolute. — In singulari numero. *Plaut. Men.* 2. 3. 4. Mundities illecebra animo est amantum. *Liv.* 10. 4. et 2. 51. Pecus in conspectum præsidii Romani propulsum: ad quam illecebram quum commoveretur nemo etc. *Gell.* 18. 6. Et libro titulus est ingentis cujusdam illecebræ ad legendum scriptus. — In plurali numero. *Cic.* 6. *de republ.* 23. Suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus. *Id. ibid.* 1. Ad omne facinus (*libidines*) impellunt eos, quos illecebris suis incenderunt. *Horat. Art. P.* 222. Incolumi gravitate, jocum tentavit, eo quod Illecebris erat et grata novitate morandus Spectator.

II.) Translate. ¶ 1. Abstractum pro concreto, illecebra dicitur persona, quæ alios illicit atque incitat. *Plaut. Asin.* 1. 2. 25. Atque eccam, illecebra exit. Adde *eumd. Truc.* 1. 2. 82. et 4. 2. 16. ¶ 2. Est etiam hoc nomine herba, Græce andrachne agria dicta, similis aizoo minori, pusillis foliis, in petris nascens et usum habens in cibis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 103. (162). et 26. *ibid.* 12. 79. (127). *V.* ANDRACHNE.

ILLĔCĒBRO vel inlecebro, as, are, a. 1. illecebris capere. *Augustin. Serm.* 113. *de divers.* Istam processit in lucem, quæ oculos carnis illecebrat.

ILLĔCĒBRŌSĒ vel inlecebrose, adverb. Comp. *Illecebrosius.* — Illecebrose est cum illecebris. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 30. Hui! illecebrose. *h. e.* festive, lepide. Sed locus est valde dubius. *Ammian.*

30. 5. Hæc ita illecebrosius atque inhumanius agi, loquebatur rumor.

ILLĔCĔBRŌSUS *vel* inlecebrosus, a, um, adject. Comp. *Illecebrosior* et Sup. *Illecebrosissimus*. — Illecebrosus est illecebræ plenus, *allettativo*, θελκτήριος. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 55. Istoc illecebrosius fieri nihil potest, nox, mulier, vinum homini adolescentulo. *Prudent.* 2. *contra Symmach.* 144. Illecebrosus enim sapor est et pestifer horum. *Ammian.* 30. 1. Illecebrosis regem insidiis ambiens. *Augustin. Ep.* 153. Si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempsero.

ILLECTAMENTUM *vel* inlectamentum, i, n. 2. illecebra, *allettamento*. *Apul. de Mag.* Lenonlis patris illectamentis captus. *Id. ibid.* Animus magicis illectamentis adornatus.

ILLECTĀTĬO *vel* inlectatio, ōnis, f. 3. illectamentum. *Gell.* 18. 2. Demulcentes animum jucundis sermonum illectationibus.

ILLECTO *vel* inlecto, as, āvi, ātum, are a. 1. *frequentat. ab* illicio. *Tertull.* seu *Cyprian. Carm. adv. Marc.* 2. 56. Promissum patribus, quos illectaverat ante. Part. *Illectans* habet *Ambros. in Luc.* 7. 12. Cupiditatum irrationabilis motus, voluptatis lenociniis illectans.

ILLĔCTUS *vel* inlectus, a, um, particip. ab illicio. *V.* ILLICIO.

ILLECTUS *vel* inlectus, a, um, adject. (in *privativa et* lectus *a* lego) est ¶ 1. Non collectus, non *raccolto*. *Cajus Dig.* 50. 16. 30. Stipula illecta sunt spinæ in messe dejectæ, needum lectæ. *V.* STIPULA. ¶ 2. Est etiam non lectus, *non letto*. *Ovid.* 1. *Art. Am.* 469. Si non accipiet scriptum, illectumque remittet; Lecturam spera. *Est qui legit* intactus, *sed minus recte*. Sic *Apul. Florid.* n. 18. Nec libris illectus, improbatusve.

ILLĔCTUS *vel* inlectus, us, m. 4. (illicio) blanditiæ, illectamentum, *allettamento*, *carezze*, δέλεαρ. *Plaut. Bacch.* 1. 1. 21. Magis illectum tuum, quam lectum metuo.

ILLĒGĬTĬMĒ *vel* inlegitime, adverb. non legitime, *illegittimamente*. *Cajus* 1. *Institut.* (edente *Gœschenio*) § 89. Si ancilla ex cive Romano conceperit, deinde manumissa pepererit, qui nascitur, liberum nasci, naturali ratione fit: nam hi, qui illegitime concipiuntur, statum sumunt ex eo tempore, quo nascuntur.

ILLĒGĬTĬMUS *vel* inlegitimus, a, um, adject. legi repugnans, nullum jus habens, *illegittimo*. Affertur exemplum ex *Val. Max.* 2. 1. n. 3. his verbis: Multorum matrimoniorum experientiam quasi illegitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes. *Sed al. multo rectius leg.* legitimæ.

ILLENTESCO *vel* inlentesco, is, ere, n. inchoat. 3. idem quod lentescere. *Colum.* 2. *R. R.* 11. 35. Paullum aqua maceratur, dum illentescat. *Al. melius leg.* lentescat.

ILLĔPĬDĒ *vel* inlepide, adverb. (in *negativa* et lepide) sine lepore, infacete, invenuste, *sgraziatamente*, ἀχαρίτως. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 50. Qui istoc pacto tam lepidam illepida appelles. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 76. Poema crasse illepideve compositum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (207). Animam sui pro sale datam, non illepide existimatur. *Gell.* 18. 13. Non satis scite, ac pæne etiam illepide exponuntur.

ILLĔPĬDUS *vel* inlepidus, a, um, adject. (in *negativa et* lepidus) sine lepore, invenustus, inelegans, inconcinnus, *senza grazia*, *sgraziato*, *sgarbato*, ἄχαρις, ἀναφρόδιτος. — a) Dicitur de hominibus, et refertur ad mores ingratos, difficiles, tristes, inurbanos, agrestes. *Plaut. Bacch.* 4. 3. 3. Impos animi, inamabilis, illepidus vivo, malevolente ingenio natus. *Accius* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 29. 72. Parentem habere avarum, illepidum, in liberos difficilem. *Gell.* 18. 3. *sub fin.* Stolidos vocavi non tam stultos et excordes, quam tætros et molestos et illepidos, quos Græci μοχθηρούς καὶ φορτικούς dicunt. — b) De rebus. *Catull.* 6. 1. Deliciæ illepidæ atque inelegantes. *Id.* 36. 16. Votum non illepidum, neque invenustum. *Gell.* 11. 7. Verba duræ et illepidæ novitatis.

ILLĒTĀLIS *vel* inletalis, e, adject. (in *negat.* et letalis) *Gloss. Isid.* Illetales, immortales.

ILLĒVĬGĀTUS *vel* inlevigatus *vel* illævigatus, a, um, adject. non levigatus, ut illevigatus sonus, *h. e.* asper. *Diomed.* 3. p. 499. *Putsch.* Fragosi versus sunt, qui illevigato sono et incondito variantur.

ILLEX *vel* inlex, ēgis, adject. omn. gen. 3. (in *negativa et* lex) exlex, qui sine lege vivit, qui legi non paret, *senza legge*, ἄνομος. *Plaut. Pers.* 3. 3. 4. Impure, inhoneste, injure, illex, labes populi. *Cæcilius* apud *Non.* p. 10. 21. *Merc.* Quid narras, barbare, cum indomitis moribus illitterate? illex es.

ILLEX *vel* inlex, icis, adject. omn. gen. ab *illicio* et est illiciendi vim habens. *Apul. de Mag.* Oculi illices. *Capell.* 2. p. 37. Cupido corporeæ voluptatis illex. *Id.* 9. p. 312. Cura illex carminis ampli. *Prudent.* 2. *in Symmach.* 6. Quo mage sanctis ducum corda inlice flecterat arte. *Id. Psychom.* 328. Halitus illex. *Lactant.* 7. 27. *sub init.* Omittendæ sunt hujus præsentis vitæ illices voluptates, quæ animas hominum perniciosissima suavitate deleniunt. — Hinc

Illex, *licis*, absolute, substantivorum more,

I.) Proprie est avis in aucupiis, quæ ceteras illicit, καλεύτρια: ea solet esse accipiter. *Plaut. Asin.* 1. 3. 67. Ædis nobis area est, auceps sum ego, esca est meretrix, lectus illex est, amatores aves. *Non.* p. 416. 31. *Merc.* legit *illix*, ut distinguatur ab *illex*, quod à *lege*. *V.* ILLICIO init.

II.) Translate accipitur pro illicio, incitamento, illecebra. *Plaut. Pœn.* 3. 4. 35. Ne nos leno noverit, qui illi malæ rei tantæ fuimus illices. *h. e.* qui eum in fraudem malam illeximus. *Apul. de Mag.* Illex animi Venus. — *NB. Paul. Diac.* p. 113. 4. *Müll.* Inlices sunt canales, in quos aqua confluit in viis lapide stratis. *V.* ELICES. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

ILLI, adverb. *V.* ILLIC primo loco.

ILLĪBĀBĬLIS *vel* inlibabilis, e, adject. (in *negativa et* libo) qui libari, seu minui non potest. *Lactant.* 2. 7. Sapientia illibabilis est, tamquam lux et claritas solis.

ILLĪBĀTUS *vel* inlibatus, a, um, adject. (in *negativa et* libatus *a* libo) non libatus, non deminutus, intactus, integer, *intatto*, *intiero*, *non sminuito*, ἄθικτος ἀψαυστος. *Cic. Sext.* 43. 93. Ut eorum veteres illibatasque divitias in profundissimum libidinum suarum gurgitem profundat. *Ulp. Dig.* 10. 2. 20. Ut quadrantem illibatum habeat. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 3. Stirpes ex proximo terræ integro atque illibato succo aluntur. *Id.* 12. *ibid.* 1. 1. Villica debet esse integræ valetudinis: nam illibatum robur et vigiliis et aliis sufficiet laboribus. *Liv.* 42. 39. Illibatæ vires. *Id.* 3. 61. imperium. *Vellej.* 2. 48. *de Pompejo*. Et quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos. *h. e.* gloriam, felicitatem, culmen honorum. *Tac.* 2. *Ann.* 46. Illibatam gloriam servare. *Justin.* 28. 4. 2. Illibata libertas. *Plin. Paneg.* 25. Quæ quidem reverentius fuerit integra illibataque cogitationibus vestris reservari. *h. e.* a me intacta, quorum nullam ipse mentionem fecerim. — *Illibati versus* apud *Diomed.* 3. p. 497. *Putsch.* sunt, qui non aucta, vel minuta, aut amputata syllaba vel littera vitiantur, sed integra et plenissima dictione formantur, ut (*Virg.* 1. *G.* 45.): Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro. — Et pro inviolato, incorrupto, *illibato, puro*. *Lucan.* 2. 341. fœdera prisci illibata tori. Sic *Val. Max.* 6. 1. n. 4. Illibata virginitas. *Forcellinus* huc retulit etiam loca *Tac.* et *Justin.* superius allata.

ILLĪBĔRĀLIS *vel* inliberalis, e, adject. (in *negativa et* liberalis) ignobilis, sordidus, homine libero indignus, qui contra agit, ac liberum hominem decet, *incivile, basso, vile*, ἀνελεύθερος. Occurrit — a) Sæpe de actionibus et rebus. *Ter. Adelph.* 3. 4. 3. Ex illan' familia tam illiberale facinus esse ortum? *Cic.* 1. *Off.* 42. 150. Illiberales et sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur: est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. *Id.* 1. *Fin.* 1. 3. Illiberalis labor. *Id.* 1. *Off.* 29. 104. Duplex omnino est jocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. *Id.* 1. *Orat.* 32. 146. Res ad cognoscendum non illiberalis. *Quintil.* 1. 3. 14. Si cui tam est mens illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas durabitur. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 26. (78). Raphano vis mira laxandi ructum: ob id cibus illiberalis. — b) Raro de hominibus. *Ter. Adelph.* 5. 5. 5. Servum haud illiberalem præbes te. — *Illiberalem esse in aliquem* est durum esse, nec precibus flecti. *Cic.* 13. *Fam.* 1. *sub fin.* Si audierit, me a te non impetrasse, non te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit. *scortese*.

ILLĪBĔRĀLĬTAS *vel* inliberalitas, ātis, f. 3. (in *negativa et* liberalitas) vitium hominis illiberalis; et præsertim tenacitas nimiusque amor rei familiaris qui libero homine est maxime indignus, *contegno indegno d'un uomo libero, tenacità, spilorceria*, ἀνελευθερία. *Cic.* 2. *Off.* 18. 64. Habenda est ratio rei familiaris, sed ita, ut illiberalitatis avaritiæque absit suspicio. *Id.* 8. *Att.* 6. *extr.* Malo Tironis verecundiam in culpa esse, quam illiberalitatem.

ILLĪBĔRĀLĬTER *vel* inliberaliter, adverb. (in *negativa et* liberaliter) minime liberaliter, aliter atque hominem liberum decet, *incivilmente, villanamente*, ἀνελευθέρως. *Ter. Phorm.* 2. 3. 24. Vestram familiam is aspernatur nunc tam illiberaliter. *Id. Adelph.* 4. 5. 29. Factum a vobis duriter immisericorditerque: atque etiam, si est, pater, dicendum magis aperte, illiberaliter. *h. e.* male, inhoneste, ut et *Donatus* exponit. *Cic.* 1. *de republ.* 22. Me audiatis ut unum de togatis, patris diligentia non illiberaliter institutum. — Speciatim est sordide, tenaciter, parce, *scarsamente, da spilorcio*: *V.* ILLIBERALITAS. *Cic.* 6. *Att.* 3. Nihil ab eo arbitror neque indiligenter, neque illiberaliter, *scil.* factum esse. *Id.* 4. *ibid.* 2. *a med.* Superficiem ædium consules æstimaverunt HS vicies: cetera valde illiberaliter.

ILLĪBĔRIS *vel* inliberis, e, adject. (in *negativa et* liberi) qui est sine liberis, *senza figliuoli*, ἄπαις. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 34. Si frater illiberis decesserit.

ILLIC, adverb. Pro *illic* legitur etiam *illi* et multa afferuntur exempla ex *Terentio*, plurima ex *Plauto*, unum etiam ex *Virgilio*; in quibus omnibus alii codices habent *illi*, alii *illic*. *Donatus* tamen in *Terentii Adelph.* 1. 2. 36. et in *Virg.* 2. *Æn.* 548. *illi* defendit. V. etiam *Loers.* ad *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 17. — Ceterum *illic*, a vocabulo proxime sequente, est adverbium status in loco, et significat in illo loco, ἐκεῖ (It. *là, in luogo*; Fr. *en cet endroit-là, là-bas, là*; Hisp. *allá*; Germ. *an jenem Orte*; Angl. *there, in that place*).

I.) Proprie de loco. — a) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 97. Hæc illic est pugnata pugna usque a mane ad vesperum. *Id. ibid.* v. 261. Quæ illic sunt res gestæ. *Id. ibid.* 1. 3. 36. Quæ (*patera*) dono mi illic ob virtutem data est. *Cæs.* 3. *B. C.* 102. Cives Romani, qui illic negotiarentur. — b) Cum opposito *hic*. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 20. Multo melius, hic quæ fiunt, quam illic ubi sum assidue, scio. — c) Aliquando et pro *ibi* adhibetur. *Curt.* 3. 4. 1. Alexander in regionem, quæ *castra Cyri* appellatur, pervenerat. Stativa illic habuerat Cyrus, quum adversum Crœsum in Lydiam duceret.

II.) Translate. — a) De hominibus. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 48. non isto vivitur illic, Quo tu rere, modo. *h. e.* apud illum, *scil.* Mæcenatem. Sic *Tac.* 2. *Hist.* 47. Civile bellum a Vitellio cœpit et — initium illic fuit. — b) Est etiam in ea re. *Ter. Andr.* 4. 1. 13. Hic, ubi opus est, non verentur; illic, ubi nihil opus est, ibi verentur. — c) Item illo tempore, tunc. *Cæs.* 4. *B. G.* 43. Illic vero occursat ocius gladio, comminusque rem gerit Varenus. *Dubia tamen est lectio.*

ILLIC, illæc, illuc vel illoc, pronomen demonstrativum, compositum ex *ille* et part. *ce* quæ vim addit (*V.* CE loco suo), et dictum per apocopen pro *illice*, quo veteres Comici sunt usi, teste *Priscian.* 12. p. 498. *Putsch.* (It. *quello là*; Fr. *celui-là, celle-là, cela*; Hisp. *este, esta, aquese*; Germ. *jener da, jene da, jenes da*; Angl. *he, she, that*). Occurrit — Absolute. *Plaut. Amph. prol.* 148. Sed Amphitruonis illic est servus Sosia, a portu illic nunc cum laterna advenit. *Id. ibid.* 1. 1. 138. Illic homo huc denuo vult pallium detexere. *Id. ibid.* 2. 2. 134. Nimis demiror, Sosia, qui illæc (*h. e.* Alcumena) illic me donatum esse aurea patera sciat. *Id. Merc.* 2. 1. 16. Ut una illæc capra uxoris simiæ dotem ambadederit. *Ter. Adelph.* 3. 5. 63. Nimia illæc licentia profecto evaderet in aliquod magnum malum. *Plaut. Curc.* 4. 4. 34. Cupio dare mercedem, qui illunc, ubi sit, commostret mihi. *Id. Cas.* a. 1. v. 45. Unde auscultare possis, quum ego illanc osculer. *Id. Amph.* 1. 1. 284. Egomet mihi non credo, quum illæc autumare illum audio. *Id. Men.*

4. 1. 10. Quid nunc cum illoc agam? *Ter. Eun.* 5. 6. 53. Illoc homine opus est. *Plaut. Bacch.* 2. 3. 77. Si me illoc auro tanto circumduxerit. *Id. Men.* 2. 1. 26. Illoc verbo esse me servum scio. *Id. Merc. a.* 2. *v.* 25. Ut occepi dicere de illac pugna. *Id. Amph.* 1. 1. 275. Latuit intus illic in illac hirnea. *Id. ibid.* 2. 2. 186. Quid illac impudente audacius? *Id. ibid.* 1. 1. 114. Sed quid illuc est? *ma che cosa è quella là? Id. Asin.* 2. 1. 17. Sed quid illuc, quod exanimatus currit hic Leonida? *Id. Pseud.* 4. 1. 4. Illoc sis vide. *Ter. Eun.* 4. 7. 12. Illuc est sapere! *questo è esser savio. Plaut. Aulul.* 3. 5. 11. In maximam illuc populi partem est optimum. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 65. Illuc ætatis qui sit, non invenies alterum. *Id. Bacch.* 4. 8. 29. Hem illoc paciscere, si potes: perge obsecro: paciscere quidvis. *Ter. Andr.* 3. 5. 1. Ubi illuc est scelus, qui me perdidit? *dov'è quello scellerato etc.* Adde *Plaut.* et *Ter.* alibi sæpe. — *b*) Cum adjectis part. ce et interrogativa *ne. Plaut. Pseud.* 4. 1. 44. si. Illiccine est? ps. Illic est. *Ter. Heaut.* 4. 5. 3. Illanccine mulierem alere cum illa familia? — Illoc

Illac, *illic* et *illoc*, adverbia, quæ *V.* loco suo.

ILLICCINE. *V.* voc. præced. sub *b.*

ILLICENTIŌSUS *vel* inlicentiosus, a, um, adject. (in *negativa et* licentiosus) illicitus, *licenziosa. Apul.* 2. *Met.* Per convivium illicentiosus cachinnus effunditur. Corruptus certe locus, in quo *Oudendorpius* legend. probat: Inter hæc convivium totum in licentiosos cachinnos effunditur. Vox igitur *illicentiosus* nullius est in Latio auctoritatis.

ILLĪCET. *V.* ILICET init.

ILLICIBILIS *vel* inlicibilis, e, adject. (illicio) qui illicit, illecebrosus, *allettativo, attrattivo. Lactant.* 7. 27. Omittendæ sunt hujus præsentis vitæ illicibiles voluptates, quæ animas hominum perniciosissima suavitate deliniunt. *Alii melius leg.* illices.

ILLĬCIO *vel* inlicio, licis, lexi, lectum, licere, a. 3. (in *et* lacio). *Illexe* syncope pro *illexisse* est *Plaut. Merc.* 1. 1. 53. et *Poet.* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 27. 68. — In *Not. Tir. p.* 149. *illixit* legitur pro *illexit. V.* ILLEX, licis. — Part. *Illectus* et *Illiciendus* infra, *Illiciens* est apud *Ennod. opusc.* 5. *p.* 1035. — Illicere est attrahere, invitare, allicere, pellicere, θέλγω, δελεάζω, σαίνω (It. *allettare, adescare, indurre, tirare con lusinghe*; Fr. *attirer, gagner, prendre, séduire, enlacer*; Hisp. *atraer, ganar, enlazar, enredar*; Germ. *anlocken, herbeilocken, verführen, verstricken*; Angl. *to draw in, allure, entice, decoy, trepan, inveigle, attract, incite, induce*). Occurrit — *a*) Sæpissima in malam partem; in bonam enim usurpatur *allicere*. — Cum præpos. *in* et Accusativo. *Vetus Poeta* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 27. 68. Qui non sat habuit conjugem illexe in stuprum. *Plaut. Merc.* 1. 1. 53. Amorem multos illexe in dispendium. *Id. Truc.* 2. 2. 43. et *Mil. glor.* 5. 4. 2. et *Ter. Andr.* 5. 4. 8. Illicere quempiam in fraudem, *vel* in malam fraudem. — Cum præpos. *ad* et Accusativo. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 7. Deus mihi impulsor fuit: is me ad illam illexit. *Sall. Cat.* 59. Quos ad bellum spes rapinarum illexerat. *Id. Jug.* 47. Consul illectus ad proditionem domum dimittebat. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 27. (92). Vim, qua (*hyæna*) illiciat ad se homines mente alienatos. — Absolute. *Sall. Jug.* 97. Illectus præmio. *Tac.* 4. *Hist.* 56. *extr.* Vocula Gallorum fraude illectus. *Id.* 13. *Ann.* 37. Tunc primum illecti Insochi, gens ante alias socia Romanis. *Cic.* 9. *Att.* 13. Quin etiam illud par in utroque nostrum, quod ab eisdem illecti sumus. *Lucret.* 4. 1134. cavereque, ne illiciaris. *che tu non resti preso. Vellej.* 2. 13. 2. Inescandæ illiciendæque multitudinis causa. *Quintil.* 12. 2. 13. Pars dialectica utilis sæpe illiciendo, implicando. — Sequente part. *ut. Lucret.* 5. 170. quietos illicere, ut cuperent vitam mutare priorem. *far loro desiderare di etc.* — Poetice pro illaqueare, irretire. *Nævius* apud *Non. p.* 6. 18. *Merc.* Saltus illicere. *h. e.* laqueis instruere, unde aves capiantur. — *b*) In bonam partem. *Varro* 6. *L. L.* 94. *Müll.* Quare non est dubium, quin hoc *illicium* sit, quum circum muros itur, ut populus illiciatur ad magistratus conspectum, *h. e.* vocetur, eliciatur. *V.* ILLICIUM 2. Affertur et locus *Cic. Amic.* 11. 50. Nihil est quod ad se rem ullam tam illiciat et tam attrahat, quam ad amicitiam similitudo. *Sed plerique rectius leg.* alliciat.

ILLĬCĬTĀTOR *vel* inlicitator, ōris, m. 3. (in *et* licito) qui in auctione licitandi emendique specie adstat. *Cic.* 3. *Off.* 15. 61. Non illicitatorem venditor, non, qui contra liceatur, emptor apponet. *Id.* 7. *Fam.* 2. Nunc quoniam tuum pretium novi, illicitatorem potius ponam, quam illud minoris veneat. *Paul. Diac. p.* 113. 14. *Müll.* Illicitator, emptor.

ILLĬCĬTĒ *vel* inlicite, adverb. duo diversa significat; aut enim

A) Est ab *in* negativa et *licite*, et significat non licite, contra jus fasque, *illecitamente*, ἀθεμίστως. *Ulp. Dig.* 32. 1. 11. § 14. Si quis illicite ædificasset, id est hoc quod dirui constitutiones jubent. *Papinian. ibid.* 48. 5. 38. Illicite matrimonium contrahere. *Macer ibid.* 49. 16. 9. Fisco vindicatur prædium illicite comparatum. Adde *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 31.

B) Est ab *illicio*, et significat illiciendo, invitando, vocando. Ita intelligi debere videtur in illo *Varron.* 6. *L. L.* 95. *Müll.*, qui tamen aliter omnino legit.

ILLĬCĬTO *vel* inlicito, as, are, a. 1. *frequentat.* ab illicio, illectare. *Ennod. Opusc.* 2. *a med.* Licet nos immanium impensarum pondus illicitet.

ILLĬCĬTUS *vel* inlicitus, a, um, adject. (in *negativa et* licitus). Sup. *Illicitissimus.* — Illicitus est qui per legem non licet, non permissus, vetitus, *illecito, non permesso*, ἀθέμιστος. Affertur locus *Cic. Cluent.* 47. 130. Multitudinem illicitum est contra dicere. *At plerique rectius aliter leg.*; illicitus enim *occurrit tantum apud sequioris ævi scriptores.* Sic *Tac.* 12. *Ann.* 5. Illicitus amor. *Lucan.* 6. 454. Illicitis flammis arsere senes. Rursus *Tac.* 13. *Ann.* 51. Illicitæ exactiones. *Val. Flacc.* 1. 627. illicitas temerare rudentibus undas. *h. e.* per quas ire non licuit. Sic *Id. ibid.* 197. Illicitas tentare vias. et *Stat.* 1. *Theb.* 223. Ire per illicitum pelago, germane, dedisti. *Tac.* 15. *Ann.* 37. Per licita atque illicita fœdatus. *Augustin. Ep.* 202. *a med.* Res illicitissima atque indignissima. — *Lampas illicita cœli* apud *Stat.* 10. *Theb.* 470. est fulmen, quo tacta loca tangere non licet. Est enim bidental evitandum, ut ait *Pers.* 2. 27.

ILLĬCIUM *vel* inlicium, ii, n. 2. (illicio) illecebra, invitamentum, *allettamento, incitamento, attrattiva*, θέλγητρον. ¶ 1. Generatim. *Varro* 3. *R. R.* 16. 22. Si transituræ sunt apes, alvearia apiastro perfricanda, quod illicium hoc illis. *Id. ibid.* § 31. Ubi consederunt, adferunt alvum prope iisdem illitis illitam intus. ¶ 2. In re ac jure publico *inlicium* dicitur, inquit *Paul. Diac. p.* 113. 3. *Müll.*, quum populus ad contionem elicitur, id est vocatur. Hinc, eodem teste, *inlicium vocare* antiqui dicebant, ad contionem vocare. *Varro* 6. *L. L.* 94. *Müll.* Quare non est dubium quin hoc *illicium* sit, quum circum muros itur, ut populus illiciatur ad magistratus conspectum. *Et paullo supra* § 86. *referens formulam censorum vocantium ad censuram.* OMNES QVIRITES, PEDITES, ARMATOS PRIVATOSQVE — VOCA INLICIVM HVC AD ME. *et mox* § 88. Qui exercitum imperaturus erit, accenso dicit hoc: CALPVRNI, VOCA INLICIVM OMNES QVIRITES HVC AD ME. Accensus dicit sic: OMNES QVIRITES INLICIVM VISITE HVC AD IVDICES.

ILLĪCO, adverb. (pro in *loco*, vel juxta nonnullos ab *illic*) in eo loco, αὐτόθι (It. *quivi, in quel luogo*; Fr. *sur la place, en place, dans le même lieu*; Hisp. *allí, allá, en aquel lugar*; Germ. *auf dem Platze, auf der Stelle*; Angl. *there, in that place, in that very place*).

I.) Proprie occurrit apud veteres tantum. *Cassius Hemina* apud *Non. p.* 325. 10. *Merc.* His persuadent, ut illico manerent: pars illico manent. *Cæcilius* apud *eumd. ibid.* Manete illico. *Nævius* apud *eumd. ibid.* Septimum decimum annum illico sedent. *Accius* apud *eumd. ibid.* Illico habitato. Huc pertinet et illud *Terentii Adelph.* 2. 1. 2. Otiose nunc jam illico hic consiste. Ubi *Donatus*: modo locum, non tempus significat. *at Phorm.* 1. 4. 18. Sta illico. *fermati lì.*

II.) Translate. ¶ 1. Illico est *là*, in illum locum, illo, ut docet *Non. loc cit.*, qui affert illud *Turpilii.* Sed quam longe est, quum isti illico? ¶ 2. Sæpius apud aurei ævi scriptores adhibetur de tempore, et est statim, mox, *tosto, subito, incontanente*, αὐτίκα; quasi in eo loco, ubi res agitata est, statim fiat. — *a*) Absolute. *Pacuvius* apud *Non. loc. cit.* Repudio auspicium, regrediendum est illico. *Cæcilius* apud *eumd. ibid.* Illico ante ostium hic erimus. *Cic. Mur.* 10. 22. Simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostræ conticescunt. *Id. Fat.* 12. 28. Nec si omne enunciatum aut verum, aut falsum est, sequitur illico, esse causas immutabiles. *Id. Quinct.* 15. 48. Ad vadimonium non venerat *etc.* Illicone ad prætorem ire convenit? continuone verum fuit postulare, ut etc. *Sidon. carm.* 7. 361. Illico barbaries, nec non sibi capta videri Roma Getis. — *b*) Respondente part. *ubi. Plaut. Amph.* 1. 1. 61. Hæc ubi legati pertulere, Amphitruo castris illico producit omnem exercitum. *Id. Stich.* 4. 1. 51. Qui illico, ubi ille poscit, denegavit se dare granum tritici. *Id. Cas.* 4. 4. 6. Malo maximo suo hercle illico, ubi tantulum peccassit.

ILLĪDO *vel* inlido, dis, si, sum, dere, a. 3. (in et lædo). Part. *Illisus* I. et II. — Illidere est in aliquid impellere, impingere, injicere, frangendi causa, προσβάλλω, ἐναράσσω (It. *spingere, urtare, battere, percuotere contro*; Fr. *frapper contre, heurter contre, toucher*; Hisp. *achuchar contra, golpear contra, herir*; Germ. *anstossen, anschlagen, worauf stossen, wohin treiben*; Angl. *to dash or beat against, strike upon*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo et præpos. *in* vel *ad. Virg.* 5. *Æn.* 480. cæstus effracto illisit in ossa cerebro. *Cic. vertens carmen Æschyli* 3. *Tusc.* 31. 76. Tempestivam medicinam admovens Non ad gravescens vulnus illidet manus. *percuota colle mani sulla piaga.* — *b*) Cum Dativo. *Virg.* 1. *Æn.* 111. tres (*naves*) Eurus ab alto In brevia et Syrtes urget — Illiditque vadis. *spinge a fa urtare. Id.* 5. *ibid.* 205. acuto in murice remi Obnixi crepuere illisaque prora pependit. *Id.* 9. *ibid.* 713. Saxea pila penitus vadis illisa pependit. *Id.* 3. *G.* 261. scopulis illisa reclamant æquora. *Ovid.* 5. *Met.* 121. illidere repagula ossibus. *Id.* 12. *ibid.* 250. fumale fronti. *Lucret.* 5. 1073. dentes illidunt sæpe labellis. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 77. fragili (*corpori*) quærens illidere dentem, Offendet solido. *dar dei denti, ficcare il dente in cosa fragile. Sueton. Aug.* 23. Illidere caput foribus. *dar del capo. Tac.* 3. *Hist.* 23. Tela arbustis, sine hostium noxa, illisa. *Plin. Paneg.* 52. Illidere superbissimos vultus solo. — *c*) Cum Ablativo et præpos. *in*, vel etiam poetice sine præpos. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 3. (18). Linum in filo politur, illisum crebro in silice ex aqua. *sbattuto. Quintil.* 10. 3. 30. In litora se maximo cum sono fluctus illidit. *Zumptius* ita legit; *Forcellinus* vero *in litus. Stat.* 5. *Theb.* 592. mulier terra illisa nocenti. — *d*) Absolute. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (151). Chalcophonos (*gemma*) illisa (*supple* lapidi ex *Isid.* 16. *Orig.* 15. 9.) æris tinnitum reddit. *Seneca Thyest.* 1045. pectora illiso sonent Contusa planctu. — *e*) Huc pertinent et illa *Phædr.* 2. 6. Scopulum super Altis ab astris duram illidit corticem. *fece cadere. Val. Flacc.* 7. 52. et quos Hex suus illisit pelago vetuitque reverti. *gli cacciò a forza sul mare*: coegit navigare. *Stat.* 11. *Theb.* 517. avidos illidit in ægrum Cornipedem cursus. *urta correndo*: dirigit cursum in equum urgendi et prosternendi causa.

II.) Translate est elidere, frangere, *urtando schiacciare, urtando spezzare*; et fere passive usurpatur. *Cic. Harusp. resp.* 25. 55. Ita serpens compressa atque illisa morietur. *schiacciata. Varro* 3. *R. R.* 7. 10. Qui solent saginare pullos columbinos, relinquunt in nido illisis cruribus, et matribus, ut cibo uti possint, objiciunt. *Val. Max.* 1. 1. *n.* 1. *extern.* Vi tempestatis tota cum classe vicinis litoribus illisus est. *si ruppe a' lidi vicini. Val. Flacc.* 7. 585. clipeoque illiditur ignis. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 255. credas illidi cautibus algam.

ILLĪGĀMENTUM *vel* inligamentum, i, n. 2. idem ac ligamentum, *fascia. Salvian.* 7. *Gubern. D.* 19. *a med.* Quum (*viri*) femineis tegminum illigamentis capita velarent.

ILLĪGĀTĬO vel inligatio, ōnis. f. 3. actus illigandi, *legamento*, ἔνδεσμος. *Arnob.* 5. 2. Manus, quæ constringi laqueis et nodorum possent illigationibus coerceri. *Capell.* 2. *p.* 45. Quum videret circulorum alterna illigatione texturas.

ILLĪGĀTUS *vel* inligatus, a, um. *V.* voc. seq.

ILLĬGO *vel* inligo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et*

ligo). Part. *Illigans* II. 1.; *Illigatus* I. 1. 2. et II. 2.; *Illigaturus* I. 1. — Illigare est vincire, ligare, ἐνδέω (It. *legare*; Fr. *lier à*, *lier*, *attacher*; Hisp. *ligar*, *enlazar*, *liar*, *atar*; Germ. *ambinden*, *festbinden*, *befestigen*; Angl. *to bind*, *tie*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Ablativo et præpos. *in*. *Cic.* 6. *Verr.* 24. 54. Emblemata ita scite in aureis poculis illigabant, ita apte in scyphis includebant, ut ea ad illam rem nata esse diceres. *Cæs.* 5. *B. G.* 45. Litteræ in jaculo illigatæ. *Cic. Tim.* 13. In eo (*corpore*) influente atque effluente animi divini ambitus illigabant. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 63. Quum Archimedes lunæ, solis, quinque errantium motus in sphæram illigavit. *legando infisse*. Sic *Liv.* 1. 28. *sub fin.* In currus distentum illigat Metium. — *c*) Cum Dativo. *Horat. Epod.* 1. 25. Non ut juvencis illigata pluribus Aratra nitantur mea. *Id. ibid.* 3. 11. Ignota tauris illigaturus juga. *Paul. Dig.* 34. 2. 33. Cymbia argentea crustis aureis illigata. *incastrate*. *Javolen. ibid.* 33. 7. 27. Dolia ita illigata ædibus, ut ibi perpetuo posita sint. — *d*) Absolute. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Ut, quo major vis aquæ se incitavisset, hoc arctius illigata (*tigna*) tenerentur. *Liv.* 5. 27. Manibus post tergum illigatis. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 7. 40. (122). Faciem laxis vesicis illigant. *con vesciche*. ¶ 2. Speciatim est implicare, impedire, irretire, *arrestare un libero movimento*, *impigliare*, *inceppare*. *Virg.* 10. *Æn.* 794. Ille pedem referens et inutilis inque ligatus Cedebat, clipeoque inimicum hastile gerebat. *tmesis*. *Tac.* 13. *Ann.* 40. Metu, ne impeditis locis seque et equestres copias illigaret. *Petron. Satyr.* 109. Volucres viscatis illigatæ viminibus deferebantur ad manus. *Tac.* 3. *Ann.* 21. Illigatus præda. *Id.* 6. *ibid.* 32. Ut specie amicitiæ vocatum ad epulas lento veneno illigaret. *ea ratione, qua dicimus implicare morbo*.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est conjungere, innectere, constringere. *Cic. Orat.* 64. 215. Pæon quam commodissime putatur in solutam orationem illigari. *h. e.* innecti, includi. *Id. ibid.* 27. 66. Orationis genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. *Id.* 3. *Orat.* 44. 175. Orator sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur et astricto et soluto. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 6. Restat, ut his respondeam, qui sermonibus ejusmodi nolint personas tam graves illigari. *Liv.* 33. 12. *in fin.* Non iis conditionibus illigabitur pax, ut movere bellum possit. *Id.* 36. 11. Invitus se gravioris fortunæ conditioni illigans. ¶ 2. Speciatim est involvere, implicare, irretire in bonam et in malam partem. *Cic.* 13. *Phil.* 4. 8. Magnis et multis pignoribus M. Lepidum respublica illigatum tenet. *Liv.* 32. 22. *sub fin.* Familiari amicitia illigati Philippo erant. *h. e.* juncti. *Quintil.* 5. 13. 60. Nos præceptis illigaverunt. *Liv.* 45. 25. Ut sociali fœdere se cum Romanis non illigarent. Adde *eumd.* 41. 24. *Id.* 32. 21. Neque velle illigari Romano bello. *Cic.* 2. *Orat.* 14. 61. Philosophi angustis et concisis disputationibus illigati. *h. e.* involuti obscurique. *Tac.* 15. *Ann.* 51. Primores classiariorum labefacere et conscientia illigare connisa est. *h. e.* obligare ad conjurationem ineundam, quum rei gnaros consciosque fecisset. *Horat.* 1. *Od.* 27. 23. Vix illigatum te triformi Pegasus expediet Chimæram. *h. e.* irretitum.

ILLIM. *V.* ILLINC.

ILLĪMĀTUS *vel* inlimatus, a, um, adject. (in et limus) limo inductus. *Colum.* 9. *R. R.* 7. 4. Convenit, alvearia intus Punico frondibus illimatis adumbrare. Ita edidit et legendum ex *Codd.* probavit *Schneiderus* pro *illinitis*, quod participium adhuc caret idonea Latini scriptoris auctoritate.

ILLĪMĬNĀTUS *vel* inliminatus, a, um, adject. quasi in ipso limine positus, insitus, innatus. *Cic. Brut.* 58. 213. O generosam stirpem, et tamquam in unam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam atque illiminatam sapientiam! Alii ut *Orell.* leg. *illuminatam*, alii melius *illigatam*: traslatione scil. sumpta ab insitione, in qua post germen insitum surculi illigari solent, ut docet *Colum.* 5. *R. R.* 11. 8.

ILLĪMIS *vel* inlimis, e, adject. (in *negativa et* limus) sine limo, *senza fango*, ἄθολος. *Ovid.* 3. *Met.* 407. Fons erat illimis, nitidis argenteus undis. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. Puteus illimis.

ILLĪMĬTĀTUS *vel* inlimitatus, a, um, adject. (in *negativa et* limes) qui sine limite est, *illimitato*. *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 50. Itinere incerto et illimitatis locis. *deserti*.

ILLINC, adverb. ab *ille* pro *illim-ce*. Hinc aliquando et *illim* pro *illinc* (minime vero pro *illic*) scriptum reperitur. *Pomponius* apud *Non. p.* 18. 21. *Merc.* Sarculum hinc illo profectus illim redisti rutrum. *Cic.* 9. *Att.* 14. Illim equidem Gnæum profectum puto. *Al. leg.* illinc. *Id.* 7. *ibid.* 13. *n.* 7. Ista magis exspecto: quid illim afferatur. *Al. leg.* illinc. Adde *eumd.* 2. *Phil.* 31. 77., quem locum *V.* infra sub II. *Lucret.* quoque habet 5. 573.; et tribuitur etiam *Plaut. Pœn.* 5. 2. 27., *Mil. glor.* 4. 6. 64. et *Merc.* 3. 1. 13. Ubique tamen dubia est lectio: quæ quamvis certa esset, non tamen inde fieret, non obsoletam hanc vocem esse. Idem esto judicium de *illim*, quod *Ciceroni* multis in locis tribuunt *Pareus* in *Lex. Crit.* et alii. — Ceterum illinc est adverbium motus a loco et est ex eo loco, ἐκεῖθεν (It. *da quel luogo*, *di là*; Fr. *de ce côté-là*, *de ce lieu-là*, *de là*; Hisp. *de allá*, *de aquel lugar*; Germ. *von jener Seite her*, *von dort*; Angl. *from that place*, *from thence*, *thence*).

I.) Proprie de loco. — *a*) Absolute. *Plaut. Most.* 2. 2. 36. Jube illos illinc abscedere. *Id. Men.* 2. 3. 61. Num istæc mulier illinc venit? *Ter. Eun.* 4. 1. 14. Ubi primum poterit, se illinc subducet. *Id. Adelph.* 4. 7. 13. Illinc huc transfertur virgo. *Cic. Harusp. resp.* 20. 42. Post, exercitu sollicitato, fugit illinc. — *b*) Cum adverb. *hinc* respondente. *Plaut. Amph.* 1. 1. 74. Imperator utrimque hinc et illinc Jovi vota suscipere. *quinci e quindi*. Cf. *eumd. Most.* 3. 1. 38. Næ ego homo sum miser! Ita et hinc et illinc mihi exhibent negotium.

II.) Translate est ab ea parte, re vel persona. *Ter. Adelph.* 4. 5. 38. An sedere oportuit domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc illinc veniret? Ubi *Donatus*: hinc illinc, proverbialiter. Al. leg. *huc illinc*. *Cic.* 9. *Att.* 7. *circa med.* Quum eadem metuam ab hac parte; si illinc beneficium non sit, rectius putem quidvis domi perpeti. *Id.* 2. *Phil.* 31. 77. Omnem se amorem abjecisse illinc (*al. leg.* illim) atque in hanc transfudisse.

ILLĪNĪMENTUM *vel* inlinimentum, i, n. 2. idem atque illitus, us. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. *a med.* Illinimenta medicamentorum.

ILLĪNIO *vel* inlinio, is, ivi, ire. *V.* ILLINO.

ILLĪNĪTUS *vel* inlinitus, a, um. *V.* voc. seq.

ILLĪNO *vel* inlino, linis, levi, litum, linere, a. 3. (in et lino). Est etiam alia forma *illinio*, *ivi*, *ire*, 4. conjug. *Colum.* 12. *R. R.* 46. 5. *Schneid.* Creta figulari recentia mala crasse illinire. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 8. 21. (65). Murino fimo contra calculos illinire ventrem prodest. *Id.* 20. *ibid.* 17. 73. (191). Phreneticis illinivit anisum recens. *Id.* 32. *ibid.* 10. 51. (140). Donec illiniri possit. — Ab hac altera forma sunt etiam qui afferunt Part. *illinitus* ex *Cels.* 5. 26. *n.* 33. et *Plin.* 25. *Hist. nat.* 12. 91. (143)., in quibus tamen meliores libri habent *illitus*. — Part. *Illitus* in omnibus paragr.; *Illinendus* I. 2. — Illinere est inungere, liquidi quippiam alicui rei inducere, ἐπιχρίω (It. *ungere*, *impiastrare*; Fr. *oindre*, *enduire*, *frotter*, *appliquer un liniment sur*; Hisp. *untar*, *enyesar*; Germ. *streichen auftragen*, *überziehen*; Angl. *to anoint*, *bedaub*, *besmear*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit *illinere aliquid alicui*. — *a*) Speciatim. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 30. Hic oculis ego nigra meis collyria lippus illinere. *Ovid. Medic. fac.* 100. madefacta papavera Conterat, teneris illineretque genis. *Id.* 3. *Art. am.* 314. Cera illita sociis Ulyssis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 12. 91. (143). Psyllion illitum fronti. *Harduin.* et *Sillig.* ita leg.; alii minus recte *illinitum*. *Cels.* 5. 26. *n.* 33. Solani folia illita linteolo superinjicienda. *Targa* et alii ita leg.; *Lindenius* vero *illinita*. *Id.* 5. 22. *n.* 1. Cum aliquo liquido mixta illinimus. — *b*) Universim pro inducere. *Horat.* 4. *Od.* 9. 14. Aurum vestibus illitum. *h. e.* intextum. *Seneca Ep.* 119. *ad fin.* Si multum auri tecto quoque ejus illinitur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 20. (64). Aurum marmori ovi candido illinere. — *c*) Poetice, vel, ut *Forcellino* placet, translate. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 10. Quod si bruma nives Albanis illinet agris. *Id.* 1. *Sat.* 4. 36. quodcumque semel chartis illeverit. *h. e.* atramento induxerit, conscripserit. ¶ 2. Latiori sensu *illinere aliquid aliqua re* est superficiem ejus contegere, *coprire*, *spalmare*. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 14. 58. (208). Ventrem illinere sanguine. *Cels.* 7. 12. *n.* 1. *ab init.* Adustæ gingivæ melle illinendæ et mulso eluendæ sunt. *Curt.* 8. 9. Demptis soleis, odoribus illinuntur pedes. *Liv.* 42. 64. Illinere faces tædamque et malleolos pice. *Sueton. Galb.* 3. Illinere faces galbano. *Curt.* 4. 3. Navis bitumine ac sulphure illita. *Prudent. Hamartig.* 808. laqueos ubi callidus auceps Prætendit, lentoque illevit vimina visco. *Ovid. Heroid.* 9. 163. Illita Nesseo misi tibi texta veneno. *Seneca Hippol.* 783. Purpura atque auro illitæ vestes. *Ovid.* 8. *Met.* 670. pocula illita ceris. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (308). Illinere aliquid gypso. *Justin.* 36. 3. Mare mortuum materiam nullam sustinet, nisi quæ alumine illinatur. *Seneca Herc. Fur.* 1029. Stipes cæde monstrorum illitus. *Pers.* 3. 53. bracatis illita Medis Porticus. *h. e.* illitis coloribus depicta. *Lucan.* 8. 382. Illita tela dolis. *saette avvelenate*.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Orat.* 52. 199. His tribus figuris insidere quidam venustatis, non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color. *Liv.* 5. 2. Id donum inimicorum veneno illitum fore. *Seneca Med.* 576. Dona diris illita ac tincta artibus. *h. e.* veneficiis imbuta. *Sil. It.* 11. 43. Vita illita maculâ.

ILLĪQUĔFACTUS *vel* inliquefactus, a, um, particip. ab insolit. *illiquefacio*, ab in intensiva et *liquefacio*, est idem quod liquefactus, *liquefatto*. *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 20. Quæ sunt omnes unius generis ad perfundendum animum tamquam illiquefactæ voluptates. *Non desunt tamen qui liquefactæ legunt*.

ILLĬQUOR *vel* inliquor, liqueris, liqui, dep. 3. (in et liqui) idem quod liqui, liquefieri, dissolvi. *Symmach.* 1. *Ep.* 27. (*al.* 33). Ajunt, cochleas, quum illis de cælo nihil illiquitur, succo proprio victitare. *Al. leg.* liquitur.

ILLĪSIO *vel* inlisio, ōnis, f. 3. actus illidendi. *Hieronym. Ep.* 43. *n.* 3. Navis nostra nunc procellarum concussa turbine, nunc scopulorum illisionibus perforata est. *Alii leg.* perturbata.

ILLĪSUS *vel* inlisus, a, um. *V.* ILLIDO.

ILLĪSUS *vel* inlisus, us, m. 4. illisio. In sexto casu *Sil. It.* 17. 216. Illisu scopulos tremit omnis aquarum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 48. 49. (132). Illisu repercussus ventus. *Apul.* 2. *Met.* Occursantis linguæ illisu nectareo.

ILLITTĔRĀTUS *vel* inlitteratus, a, um, adject. (in *negativa et* litteratus). Sup. *Illitteratissimus* 1. *b.* — Illitteratus ¶ 1. Generatim est sine litteris, indoctus, *indotto*, *senza lettere*, ἀγράμματος, ἄμουσος. — *a*) De hominibus. *Cic.* 2. *Orat.* 6. 25. Quem cognovimus virum bonum et non illitteratum. *Quintil.* 2. 21. 16. Litigator rusticus illitteratusque. *Seneca* 3. *Benef.* 13. Illitteratum (*aliquando*) dicimus, non ex toto rudem, sed ad litteras altiores non perductum. — *Illitteratus* est etiam qui litteras nescit, *chi non sa nè leggere*, *nè scrivere*. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 4. Potest etiam illitteratus, dummodo tenacissimæ sit memoriæ, rem satis commode administrare. — *b*) De rebus. *Cic.* 9. *Fam.* 16. *circa med.* Incidunt in sermone vario multa, quæ fortasse illis quum dixi, nec illitterata, nec insulsa esse videantur. *Horat. Epod.* 8. 17. Illiterati num minus nervi rigent? *Plin.* 1. *Ep.* 10. *a med.* Scribo plurimas, sed illitteratissimas litteras. *Id.* 2. *ibid.* 3. Ἀφιλόκαλον, illitteratum, iners ac pæne etiam turpe est, non putare tanti cognitionem, qua nulla est jucundior. *è da ignorante*. ¶ 2. Speciatim, apud sequioris ævi scriptores, haud aliter atque ἄγραφος apud Græcos, illitteratum dicitur, quod non est scriptum. *Gell.* 11. 18. Ejus leges, quoniam videbantur impendio acerbiores, non decreto jussoque, sed tacito illitteratoque Atheniensium consensu obliteratæ sunt. *Paul. Diac. p.* 113. 8. *Müll.* Illitterata pax est, quæ litteris comprehensa non est. ¶ 3. Item speciatim *illitteratus sonitus* est qui litteris non comprehenditur. *Priscian.* 13. *p.* 1021. *Putsch.* Inter has (*interjectiones*) ponunt etiam sonituum illitteratorum imitationes, ut risus *ha ha*, *he he*, *phi*, *eu*, *hoe* et *hu*. Cf. *Boeth.* in *Aristot. de interpr. ed. pr. p.* 221., 310. et 311.

ILLĪTUS *vel* inlitus, a, um. *V.* ILLINO.

ILLĪTUS *vel* inlitus, us, m. 4. actus illinendi. In sexto casu sing. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 15. 90. (153). Nec potu tantum, sed et illitu et suffitu valent. *Id.* 28. *ibid.* 15. 61. (216). Ut possint esse illitu faciles.

ILLĬUSMŎDI, *di quella fatta*, *tale*, talis: duo Genitivi conjuncti per modum adverbii. *Cic. Divin.*

in *Q. Cæcil.* 21. 68. Non imperitos adolescentulos, aut illiusmodi quadruplatores. Ceterum *V.* ILLE et MODUS.

ILLIX. *V.* ILLEX, icis.

ILLŌ, adverb. motus ad locum, ab *ille*, idem atque *illuc*, ἐκεῖ, ἔνθα (*It. là, in quel luogo*; Fr. *en cet endroit-là, là-bas, là*; Hisp. *allá*; Germ. *dorthin, an jenen Ort*; Angl. *to that place, thither*).

I.) Proprie de loco. — *a*) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 48. Principio ut illo advenimus, ubi primum terram tetigimus. *Ter. Andr.* 2. 2. 25. Quum illo advenio, solitudo ante ostium. *Al. leg.* illoc eodem sensu: *quod habetur etiam* in fragm. orat. Claudii Imp. *apud* Gruter. 502. col. 1. lin. ult. *Cic.* 3. *Verr.* 56. 147. Nam illo non saxum, non materies advecta est. *Cæs.* 4. *B. G.* 20. Neque enim temere præter mercatores illo adit quisquam. *Tac.* 15. *Ann.* 69. Illo propinqua vespera tribunus venit. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (142). Multis gentibus eorum deductis illo a Tigrane magno. *Id. ibid.* 23. 26. (98). Achæmenidas usque illo tenuisse. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. 28. Aqua illo incumbit, quo vis caloris et terræ æstuantis accessit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33. 76. (328). Illo tibi, putator, arborum plagæ ne spectent. — *b*) Cum respondente *huc*. *Plaut. Pers.* 4. 4. 26. TO. Vin' huc vocem? DO. Ego illo accessero. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 11. 1. Positiones huc aut illo versæ.

II.) Translate. ¶ 1. Illo est ad eam rem. *Cæs.* 4. *B. G.* 11. Hæc omnia Cæsar eodem illo pertinere arbitrabatur, ut etc. Sic *Ulp. Dig.* 47. 10. 7. Illo spectat etc. ¶ 2. Pro ibi. *Ulp. Dig.* 48. 5. 23. Si pater alibi habitet, habeat autem et aliam domum, in qua non habitet, deprehensam illo filiam, ubi non habitat, occidere non poterit.

ILLOC pro *illuc*. *V.* ILLIC, illæc, illuc.

ILLOC, adverb. pro *illo* et ejusdem significationis. *Plaut. Truc.* 3. 1. 3. Rus mane dudum hinc ire me jussit pater —. Post illoc veni quam, advenit etc. Adde allata in ILLO.

ILLŎCĀBĬLIS vel inlocabilis, e, adject. (in *negativa et* loco) qui locari non potest, *che non si può allogare*, δυσσύζυκτος. *Plaut. Aulul.* 2. 2. 14. apud *Varron.* 5. *L. L.* 11. *Müll.* Filiam habeo grandem, cassam dote atque illocabilem: neque eam queo locare cuiquam. ἄνυμφον, ἀμνηστευτον, quæ ob deformitatem aut inopiam virum invenire non potest.

ILLŎCĀLIS *vel* inlocalis, e, adject. (in *negativa et* locus) qui in loco aliquo stare nequit. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 5. Omne incorporeum corporeo, et illocale locali, et insecabile secabili, et vivens non viventi in naturæ dignitate præponitur. *Id. ibid.* Tres motus esse, stabilem, illocalem, localemque. Stabilis motus Dei est, illocalis animæ, localis corporis. *V.* ILLOCALITER.

ILLŎCĀLĬTAS *vel* inlocalitas, ātis, f. 3. (in *negativa et* locus) conditio illius, qui in loco stare nequit. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 17. Ut illocalitas animæ magis appareat, de motibus disseramus.

ILLŎCĀLĬTER *vel* inlocaliter, adverb. (in *negativa et* locus) sine localitate, *instabilmente*. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 18. Unde datur intelligi, animam per tempus illocaliter moveri, atque ab eadem corpus et temporaliter et localiter moveri, eamdem vero a corpore localiter non moveri.

ILLORSUM, adverb. (illo *et* versum) versus illum locum, *verso quel luogo*. *Paul. Diac.* p. 27. 10. *Müll.* Altorsum et illorsum, sicut introrsum, dixit Cato. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 13. Eumdem advehi illorsum jubet.

ILLŌTUS *vel* inlotus, a, um, adject. (in *negativa et* lotus *a* lavo). Scribitur etiam *illautus* et *illutus*. — Illotus est non lotus, atque adeo immundus, sordidus, ἄλουτος (It. *non lavato, immondo*; Fr. *qui n'est pas lavé, pas nettoyé, sale*; Hisp. *no lavado, sucio*; Germ. *nicht gewaschen, nicht gereinigt, unrein*; Angl. *unclean, impure*).

I.) Proprie. — 1.°) Generatim. — *a*) Forma *illotus* occurrit apud *Plaut. Pœn.* 1. 2. 103. Ut tu quidem hujus oculos illotis manibus tractes ac teras? *Horat.* 2. *Sat.* 4. 84. Illota toralia. *Al. leg.* illuta. *Id. ibid.* 8. 52. illotos echinos. *Al. hic quoque leg.* illutos, *vel* inlutos, *quod idem est*. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 4. 11. (32). Illotæ cochleæ. *Id.* 23. *ibid.* 2. 31. (63). Fæx vini illota miscetur medicamentis. *Virg.* 3. *G.* 443. Illotus sudor. — *b*) Forma *illautus* apud *Plaut. Pœn.* 1. 2. 22. Nam quæ elauta est, nisi perculta est, meo quidem animo quasi illauta est. *Al. leg.* illuta. *Porro* illauta *vel* illuta *hoc loco* sordidam, illuvie fœdatam *significat*. — *c*) Forma *illutus* apud *Caton. R. R.* 147. Vinaceos illutos et fæcem relinquito. *Arnob.* 1. 46. Qui (*Christus*) per altissimos gurgites pedem ferebat illutum. *h. e.* non madefactum. — 2.°) Speciatim *illotis pedibus* aut *manibus aliquid facere* dicitur is, qui imparatus, temere imperiteque quippiam aggreditur: tractum, ut videtur, a sacris, ubi omnia pura mundaque esse convenit. *Gell.* 1. 9. Nunc isti, qui repente pedibus illotis ad philosophos devertunt, non est hoc satis, quod sunt omnino ἀθεώρητοι, sed etc. *Macrob.* 1. *Saturn. ult. ante med.* Nec his Virgilii verbis copia rerum dissonat, quam plerique omnes litteratores pedibus illotis prætereunt, tamquam nihil ultra verborum explanationem liceat nosse grammatico. *Cajus Dig.* 1. 2. 1. Si in foro causas dicentibus nefas videtur esse, nulla præfatione facta, judici rem exponere; quanto magis interpretationem promittentibus inconveniens erit, omissis initiis atque origine non repetita, atque illotis, ut ita dixerim, manibus, protinus materiam interpretationis tractare?

II.) Translate *illotus sermo* apud *Auct. Declam. in Sallust. init.* est spurcus, obscœnus: et *illotus versus* apud *Rutil.* 1. *Itiner.* 422., ut quidem legi volunt *Græv.* et *Heins.*, est rudis, incomptus; sed ibi pro *Illoto* legend. *Illo te*.

ILLŪBRĪCANS *vel* inlubricans, antis, particip. ab inusit. *illubrico*, lubrica movens. *Apul.* 2. *Met.* Simul membra sua leniter illubricans.

ILLUC, adverb. motus ad locum, ab *ille*, et est illo, in illum locum, ἐκεῖ (It. *là, colà, a quel luogo*; Fr. *là*; Hisp. *allá*; Germ. *dorthin*; Angl. *to that place, thither*).

I.) Proprie de loco. — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Gell.* 19. 10. Neque domi nunc nos, nec militiæ sumus: Imus huc, illuc hinc; quum illuc ventum est, ire illuc libet. *Plaut. Merc.* 3. 4. 64. Quum illuc, quo ire pavitas, veneris. *Ter. Andr.* 1. 1. 54. Filium perduxere illuc meum. *Nepos Eumen.* 9. Adversarios illuc sua contraxisse copias. — *b*) *Huc illuc*, vel *huc atque illuc* conjunctim. *Ter. Andr.* 1. 5. 31. In dubio est animus, paullo momento huc illuc impellitur. *Al. leg.* huc vel illuc. *Sall. Jug.* 60. Huc illuc, quasi vitabundi, agitare. *Al. leg.* huc et illuc. *quà e là*. *Quintil.* 10. 7. 6. Salientes huc illuc. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 184. Huc atque illuc intuens. *Horat.* 4. *Od.* 11. 9. Cuncta festinat manus, huc et illuc Cursitant mixtæ pueris puellæ.

II.) Translate est ad eam personam, vel rem. *Plaut. Men.* 4. 2. 54. PE. Credit jam tibi de istis: illuc redi. ME. Quo ego redeam? PE. Equidem ad phrygionem censeo. *Sall. orat. Macr. Licin. post init.* Itaque omnes concessere jam in paucorum dominationem, qui *etc.* — Itaque concessere illuc omnes, et mox, si vostra receperitis, ad vos plerique. *h. e.* omnes concessere ad dominos vestros, et mox ad vos concedent. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 23. quo res hæc pertinet? illuc: Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. *Id. ibid.* 1. 108. Illuc, unde abii, redeo: Nemon' ut avarus etc. Adde *eumd. ibid.* 3. 38. *Nepos Ages.* 4. Sed illuc redeamus.

ILLUC, pronom. demonstrat. *V.* ILLIC, illæc, illuc.

ILLŪCEO *vel* inluceo, ces, cere, n. 3. (in *et* luceo) lucidus sum, in aliqua re luceo, *lucere, risplendere*, ἐπιλάμπω. *Plaut. Capt.* 3. 4. 65. Atra pix agitet te apud carnificem, atque tuo capiti illuceat. Apud *Cic.* 4. *Fin.* 2. 4. Easque in maximis ingeniis maxime illucere. *meliores Codd. habent* elucere. Ceterum *V.* voc. seq.

ILLŪCESCO *vel* inlucesco, lucescis, luxi, lucescere, inchoat. 3. (in *et* lucesco). *Illucisco* pro *illucesco* antiquo scribendi more occurrit apud *Plaut. Amph.* 1. 3. 48. — Occurrit fere Præt. perf. *illuxi*. — Part. *Illucescens* sub *A. I. a*. — Illucescere est *A*) Verbum neutrum; et occurrit etiam *B*) Active.

A) Neutrum illucesco est lucere incipio (It. *farsi lucido, cominciare a risplendere*; Fr. *il fait jour, il fait clair, commencer à luire*; Hisp. *comenzar a lucir*; Germ. *zu leuchten anfangen, scheinen wollen, anbrechen*; Angl. *to begin to be bright*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Nominat. *Cic. Mil.* 26. 69. Erit, erit illud profecto tempus et illucescet ille aliquando dies, quum tu etc. *Id.* 1. *Tusc.* 47. 114. Quibus Apollo se id daturum ostendit post ejus diei diem tertium: qui ut illuxit, mortui sunt reperti. *Id. fragm.* apud *Quintil.* 9. 4. 76. Pro dii immortales, quis hic illuxit dies? *Ovid.* 7. *Met.* 431. Nullus Erechtidis fertur celebratior illo Illuxisse dies. Sic *Cic. Pis.* 15. 34., 1. *Phil.* 12. 30., 4. *Acad.* (2. pr.) 22. 69. et 1. *Divinat.* 24. 50. Dies illuxit alicui. *Sueton. Cæs.* 81. Ea nocte, cui illuxit dies cædis, ipse sibi visus est etc. *Cic.* 2. *Nat. D.* 38. 96. Quum tertio die sol illuxisset. Cl. *Furlanetto* huc retulit *Inscript.* quæ pertinet ad ann. a Chr. n. DLXXXVI. apud *Murat.* 431. 2. OBIIT BONAE MEMORIAE CAESARIA MEDIVM NOCTIS DIE DOMINICA INLVCESCENTE VI. ID. DECEMBRIS INDICTIONE QVINTA. *Ambros. in Luc.* 5. 5. Et clariorem (*diem Dominus*) ceteris fecit diebus, quum illucescerent elementa mundi. — *b*) Impersonaliter. *Liv.* 2. 65. Ubi illuxit, Romanus productus in aciem. *si fè giorno*. Adde *eumd.* 7. 14. Nonnulli et ipse *Forcellinus* afferunt etiam *Cæs.* 1. *B. C.* 23., ubi tamen legendum videtur *luxit*: V. Interpretes ad h. l.

II.) Translate. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 8. 24. Quum populo Romano vox et auctoritas consulis repente in tantis tenebris illuxerit. *Vellej.* 1. 5. 1. Clarissimum Homeri illuxit ingenium. — Et impersonaliter. *Impp. Dioclet.* et *Maximian. Cod.* 5. 71. 20. Apud quem si illuxerit, non universa pretia in patrimonium tuum processisse etc. *h. e.* si apparuerit, probatum fuerit.

B) Active cum Accusativo, vi insitæ præposit., est illustrare, *illuminare*. Pro lucere in aliquem. *Plaut. Amph.* 1. 3. 48. Nunc te, nox, mitto, ut cedas diei: ut mortales illucisces luce clara et candida. *Nisi velis intelligere* ut luciscas in mortales. *Al. etiam leg.* mortalibus. Ceterum *Id. Bacch.* 2. 3. 21. Vulcanus, Sol, Luna, Dies, dei quatuor, scelestiorem nullum hominem illuxere alterum.

ILLŪCĬDUS *vel* inlucidus, a, um, adject. (in *negativa et* lucidus) non lucidus, obscurus. *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 120. Exin revertens prærupta per loca cælo inlucido, ut juxtim se viantes vix mutuo noscerentur etc. *V.* ILLUTIBILIS.

ILLUCTANS *vel* inluctans, antis, particip. ab inusit. *illuctor*, ab *in* et *luctor*, est in aliqua re luctans. Translate *Stat.* 4. *Theb.* 790. Et teneris meditans verba illuctantia labris. *h. e.* quæ infantis in ore veluti luctantur ægreque exprimuntur.

ILLŪCŪBRĀTUS *vel* inlucubratus, a, um, adject. (in *negativa et* lucubratus) non lucubratus, *non istudiato*. *Sulpic. Sever.* epist. 8. *ad Bassul.* Scripta negligenter emissa, inlucubrata atque impolita.

ILLŪCŬLASCO vel inluculasco, is, ere, n. inchoat. 3. (in *et* luceo) diluculum fit, *albeggiare*. *Fronto* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente *A. Maio*) *Ep.* 5. Lucebat in pueritia tua virtus insita, lucebat etiam magis in adulescentia: sed ita, ut quum serenus dies inluculascit lumine inchoato. Nunc jam virtus integra orbe splendido exorta est et radiis disseminata est.

ILLŪDĬA *vel* inludia, ōrum, n. plur. 2. (illudo) visa, quibus alicui per somnium illuditur, *illusioni*. *Tertull. Resurr. carn.* 16. Præsumens, nihil aliud se, quam illudia animarum somniaturum, urgentium et inquietantium etc.

ILLŪDĬO vel inludio, as, are, n. 1. *V.* voc. seq. init.

ILLŪDO *vel* inludo, dis, si, sum, dere, 3. (in *et* ludo). Est et alia forma *illudio*, quemadmodum *Plaut. alludio* pro *alludo* dixit. *Gell.* 1. 7. Ne ut in Plauti comœdia mœchus (sic enim mendæ suæ illudiabant), ita in Ciceronis oratione solœcismus esset manifestarius. *Al. leg.* illudebant. — Part. *Illudens* sub *A.* 2. et sub *B.* 2.; *Illusus* sub *B.* 1. 2. et 3. — Illudere usurpatur *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more est in aliqua re ludere, ἐμπαίζω (It. *scherzare in qualche cosa, divertirsi*; Fr. *jouer avec, jouer à*; Hisp. *jugar, divertirse*; Germ. *bei oder mit etwas spielen*; Angl. *to play with, divert one's self with*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu ac simpliciter pro ludere in aliqua re. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 138. ubi quid datur oti, Illudo chartis. *Tibull.* 3. 4. 35. Ima videbatur talis illudere palla. *h. e.* accedendo recedendoque veluti ludere, quod sæpius explicatur per verbum alludere. *V.* ALLUDO. ¶ 2. Prægnante, uti ajunt, significatio-

ne, h. e. ludibrium complectens, est in aliquem vel aliquid ludere, deludere, irridere, ludificari, ludibrio habere, *beffare, dileggiare, deridere, farsi beffe, burlare, schernire*: at occurrit — *a*) Cum Dativo. *Cic. Rosc. Am.* 19. 54. Ut ne plane videaris hujus miseri fortunis et horum virorum talium dignitati illudere. Sic *Id. Dom.* 39. 104. Illudere auctoritati summorum virorum. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 62. Heu, Fortuna, quis est crudelior in nos Te deus? Ut semper gaudes illudere rebus Humanis! *prenderti giuoco. Virg.* 2. *Æn.* 63. Trojana juventus Circumfusa ruit certantque illudere capto. *Sueton. Tib.* 2. Velut iterum illudens discrimini publico. — *b*) Cum præpos. *in* et Accusat. *Ter. Eun.* 5. 4. 19. Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus, ulciscar, ut ne impune in nos illuseris. *Cic.* 3. *Orat.* 43. 171. Quæ quum dixisset in Albucium illudens, ne a me quidem abstinuit. — *c*) Cum præpos. *in* et Ablat. *Ter. Andr.* 4. 4. 18. Adeon' videmur vobis esse idonei, in quibus sic illudatis? — *d*) Absolute. *Cic.* 7. *Fam.* 22. Illuseras heri inter scyphos, quod dixeram etc. ¶ 3. Item prægnante significatione damnum perniciemque complectens, est quasi ludendo perdere, et obscœno sensu est vim turpem inferre, polluere, violare. — *a*) Cum Dativo. *Virg.* 2. *G.* 374. Silvestres uri assidue capreæque sequaces Vitibus illudunt. *h. e.* insiliunt prærodumtque et corrumpunt. *Tac.* 2. *Hist.* 94. *extr.* Tamquam in summa abundantia pecuniæ illudere. — Et in obscœnis. *Tac.* 13. *Ann.* 17. Tradunt, illusum isse pueritiæ Britannici Neronem. *Id.* 15. *ibid.* 72. C. Cæsar etiam matri ejus illusit. *Sueton. Tib.* 45. Illudere illustrium feminarum capitibus. *V.* INSULTO. — *b*) Absolute. *Virg.* 1. *G.* 181. Tum variæ illudunt pestes.

B) Active, seu cum Accusativo, iisdem occurrit significationibus; scil. ¶ 1. Stricto sensu ac simpliciter. *Virg.* 2. *G.* 464. *illusas auro vestes* dixit, in quibus scil. artifex acu veluti ludens, aliquid auro pinxit atque intexuit. Ita *Servius*, recte improbans eos, qui *inclusas* legebant. Sic *Prudent.* 14. περὶ στεφ. 104. Splendore multo structa habitacula, Illusa pictæ vestis inania. Sic *Avien. Perieg.* 1258. de *Persis.* Illudunt auro vestes. *Al. male leg.* illidunt. ¶ 2. Prægnante significatione, contemptum complectens, est deludere, irridere, ludibrio habere, frustrari. — a) Cum Accusativo personæ. *Ter. Phorm.* 5. 7. 22. Satis superbe illuditis me. *Cic. Amic.* 26. 99. Ut is, qui illusus sit, plus vidisse videatur. Quid autem turpius quam illudi? *Id.* 2. *Orat.* 58. 237. Miseros illudi nolunt, nisi se forte jactant. *Id. Quinct.* 16. 51. Timido et pedetentim istuc descendunt, inviti, multis vadimoniis desertis, sæpe illusi ac destituti. *Nepos Hann.* 10. Sic conservatis suis rebus Pœnus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiam in Pontum pervenit. *burlati e ingannati. Horat.* 2. *Sat.* 5. 26. Aut spem deponas, aut artem illusus omittas. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 85. Nec, si quem falles, tu perjurare timeto: Commodat illusis numina surda Venus. *Tac.* 15. *Ann.* 68. Sæpe asperis facetiis illusus. — *b*) Cum abstractis. *Cic.* 1. *Orat.* 19. 87. Ipsa vero præcepta sic illudere solebat, ut etc. *Id.* 1. *de republ.* 13. Pergisne eam, Læli, artem illudere, in qua primum excello ipse, deinde etc. Sic *Ovid.* 9. *Met.* 66. Illudens nostras Tirynthius artes. *Tac.* 14. *Ann.* 52. Illudere voces Neronis, quoties caneret. *Virg.* 9. *Æn.* 634. verbis virtutem illude superbis. ¶ 3. Item prægnante significatione damnum et perniciem complectens, est quasi ludendo perdere, vim turpem inferre, crudeliter vel obscœne tractare. *Ter. Andr.* 5. 1. 3. Dum studeo obsequi tibi, pæne illusi vitam filiæ. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 108. Illusique pedes vitiosum ferre recusant Corpus. *h. e.* crapula gravatum vacillantes ferre recusant. Quo pertinet illud *Plaut. Pseud.* 5. 1. 5. Magnum hoc vitium vino est: pedes captat primum: luctator dolosus est. *Tac.* 1. *Ann.* 71. Venia data cunctantius filio, quia Quinctilii Vari corpus illusisse dicebatur.

ILLUIBILIS. *V.* ILLUTIBILIS.

ILLŪMĬNĀBĬLIS *vel* inluminabilis, e, adject. (in *et* lumen) qui illuminari potest. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 2. *a med.* Mens igitur humana intelligans nonnihil in anima humana esse Deo simile, quia sit ille lumen illuminans, et hæc lumen illuminabile. etc.

ILLŪMĬNĀTĒ *vel* inluminate, adverb. (illuminatus) splendide, lumine adhibito, *luminosamente, splendidamente*, λαμπρῶς. Translate *Cic.* 3. *Orat.* 14. 53. Qui distincte, qui explicate, qui illuminate et rebus et verbis dicunt.

ILLŪMĬNĀTĬO *vel* inluminatio, ōnis, f. 3. actus illuminandi, *illuminazione*, ἔλλαμψις.

I.) Proprie. *Macrob.* 1. *Saturn.* 18. Orpheus φάνητα dixit solem a lumine atque illuminatione. *Capell.* 6 *p.* 204. Post Alpium montes, qua facies prominentis naturæ ortivi solis illuminatione perfunditur, etc.

II.) Translate. *Tertull. advers. Hermog.* 15. Mala necessaria fuisse ad illuminationem bonorum.

ILLŪMĬNĀTOR *vel* inluminator, ōris, m. 3. qui illuminat, *illuminatore*, λαμπρύνων. Translate *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 17. *extr.* Illuminator religionis Christi. *Lactant.* 6. 18. Illuminator noster Deus. Sic *Vulgat. interpr. Proverb.* 29. 13. Pauper et creditor obviaverunt sibi: utriusque illuminator est Dominus.

ILLŪMĬNĀTRIX *vel* inluminatrix, īcis, f. 3. quæ illuminat. *Isid.* 7. *Orig.* 10. Maria illuminatrix, sive stella maris.

ILLŪMĬNĀTUS *vel* inluminatus, a, um. *V.* voc. seq.

ILLŪMĬNO *vel* inlumino, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* lumino). Part. *Illuminans* II. 2.; *Illuminatus* in omnibus paragr.; *Illuminaturus* II. 2. — Illuminare est lumine perfundere, lucidum reddere, illustrare, καταλάμπω (It. *illuminare, illustrare*; Fr. *éclairer, illuminer*; Hisp. *aclarar, alumbrar, iluminar*; Germ. *erleuchten, mit Licht versehen, licht oder hell machen, erhellen*; Angl. *to enlighten, illuminate*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 46. 119. Luna illuminata a sole. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 73. 75. (183). Solstitii die medio nullam umbram jaci, puteumque ejus, experimenti gratia factum, totum illuminari. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 3. Tabulata gallinarum parvis fenestellis illuminentur. *Stat.* 12. *Theb.* 275. ruptoque vias illuminat igni.

II.) Translate. ¶ 1. Illuminare ponitur pro fulgente aliqua re ornare. *Cic.* 4. *Herenn.* 47. 60. Corona aurea fulgentibus gemmis illuminata. *Lamprid. Commod.* 17. Capillus semper fucatus et auri ramentis illuminatus. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 60 (127). Purpura omnem vestem illuminat. ¶ 2. Metaphorâ sumpta a super. parag. I. est maxime in luce collocare. *Cic.* 3. *Orat.* 43. 170. Translatum, quod maxime, tamquam stellis quibusdam, notat et illuminat orationem. *Id. Orat.* 25. 83. Concinnitas, quæ verborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci σχήματα appellant. *Id.* 3. *Orat.* 54. 208. Orationem sententiis verborumque conformationibus illustrare. *Quintil.* 12. 10. 36. Illuminare orationem translatorum nitore. *Id.* 2. 16. 10. Orationis claritas illuminat pulcritudinem rerum. *Vellej.* 2. 66. Cicero hoc rerum naturæ corpus eloquentia illuminavit. *Id.* 2. 18. Horum fidem Mitylenorum perfidiam illuminavit. *fe' comparire. Id. ibid.* 35. Ille dies virtutem M. Catonis, jam multis in rebus conspicuam atque prænitentem, altissime illuminavit. *Id.* 1. 18. Nisi Thebas unum os Pindari illuminaret. *Cic. Brut.* 58. 213. Illuminata sapientia. *Tertull. Apolog.* 4. Nonne et vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis etc. *Id. Pœnit.* 2. Quam gratiam universo orbi illuminaturus esset.

ILLŪMĬNUS *vel* inluminus, a, um, adject. (in *negativa et* lumen) qui est sine lumine, *senza lume*. *Apul.* 6. *Met.* sub *init.* Et illuminarum Proserpinæ nuptiarum demeacula. *Id.* 3. *ibid.* Servato noctis illumino tempore. *Al. aliter leg. V.* ILLUNIS in fin.

ILLUNC pro *illum*. *V.* ILLIC, illæc, illuc.

ILLŪNIS *vel* inlunis, e, et

ILLŪNIUS *vel*

ILLŪNUS *vel* inlunus, a, um, adject. (in *negativa et* luna) sine luna, lunæ splendore carens, *senza luna*, ἀσέληνος. *Plin.* 6. *Ep.* 20. *a med.* Nox non quasi illunis, aut nubila, sed qualis in locis clausis lumine exstincto. *Sil. It.* 15. 619. Illunem nacti per rara tacentia noctem. *Apul.* 3. *Met.* Servato noctis illunæ tempore. *Al. minus recte leg.* illumino; *alii* illunio. *Id.* 9. *ibid.* Tenebris illunæ caliginis impeditus. *Al. leg.* illuniæ.

ILLŪO *vel* inluo, is, ere, a. 3. (in *et* luo) influendo alluere, *bagnare*, εἰσκλύζω, συγκλύζω. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 10. (74). Mare Hispanum nuncupatur, quatenus Hispanias illuit. *Meliores tamen Codices habent* alluit, *quod etiam* Sillig. *edidit. Ulp. Dig.* 10. 2. 16. Id, quod amnis fundo, post litem contestatam, illuit. *h. e.* fluendo intulit. *Ita* Torrentin. *Alii* alluit. Ceterum *illuo* affertur etiam a *Prician.* 4. *p.* 630. *Putsch.*, nullo tamen auctore laudato.

ILLŪSĬO *vel* inlusio, ōnis, f. 3. actus illudendi. A *Cic.* 3. *Orat.* 53. 202. enumeratur inter figuras sententiarum; quam quidem *Quintil.* 8. 6. 54. et 9. 1. 28. ironiam esse docet: intellige eam, quæ cum irrisione conjuncta est. Nam quæ sine risu est, de ea *Cic.* eodem loco paullo post verba facit, *dissimulationem* appellans. Porro *illusionem* ait a *præceptis Cæsaris non abhorrere*: unde fit, ut *Cicero* illusionis nomine vel sarcasmum, quæ ironiæ species est, vel μυκτηρισμόν h. e. simulatum quidem, sed non latentem derisum, vel aliam hujusmodi, qua per risum aliquis illuditur, intellexisse videatur. Hanc ipsam illusionem *Id.* designat his verbis *Orat.* 40. 137. Sæpe ut extenuet aliquid, sæpe ut irrideat. et *Quintil. loc. prius cit.* Aliquando cum risu quodam contraria dicuntur iis, quæ intelligi volunt: quemadmodum in Clodium: *Integritas tua te purgavit, mihi crede; pudor eripuit; vita anteacta servavit.*

ILLŪSOR *vel* inlusor, ōris, m. 3. (illudo) qui illudit, *beffatore*, ἐμπαίκτης. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 35. *ante med.* Illusor legis. *Augustin. Epist.* 253. *priore, sub fin.* Illusor potius, quam veritatis doctor. Adde *Paulin. Nolan. carm.* 20. 72.

ILLŪSŌRĬUM *vel* inlusorium, ii, n. 2. illusio, ludibrium. *Gloss. Philox.* Χλεύη, illusorium.

ILLŪSŌRĬUS *vel* inlusorius, a, um, adject. derisorius, *derisore, beffardo*. *Ambros. in Luc.* 10. 23. Quid etiam corona, flagella, illusoria adoratio, arundo in manus tradita, capitis percussio significent.

ILLUSRĀMENTUM *vel* inlustramentum, i, n. 2. (illustro) illustratio, et translate ornamentum, *illustramento, ornamento*, καταυγασμός. *Quintil.* 11. 3. 149. Hæc sunt vel illustramenta pronunciationis, vel vitia.

ILLUSTRĀTĬO *vel* inlustratio, ōnis, f. 3. (illustro) actus illustrandi, *illustramento*, καταυγασμός. Translate *Quintil.* 6. 2. 32. Ἐνάργεια, quæ a Cicerone *illustratio* et *evidentia* nominatur, quæ non tam dicere videtur, quam ostendere. — *NB.* Propria significatione a *Forcellino* affertur illud *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 87. Solis illustrationem ejusdem incensa radiis menstruo spatio luna complet. *At* Orellius *aliique ex optimis Codicibus rectius leg.* lustrationem. Ceterum hæc vox occurrit etiam apud *Vulgat. interpr.* 2. *Thessal.* 2. 8.

ILLUSTRĀTOR *vel* inlustrator, ōris, m. 3. qui illustrat. Figurate *Lactant.* 2. 9. Deus luminis fons et illustrator rerum. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 6. *n.* 129. ILLVSTRATORI PROSAPIAE SVAE.

ILLUSTRĀTUS *vel* inlustratus, a, um. *V.* ILLUSTRO.

ILLUSTRĀTUS *vel* inlustratus, us, m. 4. status, seu dignitas eorum, qui *illustres* appellabantur, de quibus multa docet *Gothofred.* ad *Cod. Theod.* 6. 7. 1. et 6. 18. 1. *Cassiod.* 6. *Variar.* 11. Cape igitur pro fide et laboribus tuis comitivæ domesticorum illustratum vacantem, ut et tuis civibus decoratus appareas, et, quod est dulcissimum mentibus bonis, jugiter propriis utilitatibus occuperis. *Id. ibid.* 16. Additur etiam perfuncti laboris aliud munus, ut si quo modo ad illustratum vel vacantem meruerit pervenire, omnibus debeat anteponi, qui codicillariis illustratibus probantur ornari. *Id.* 1. *ibid.* 4. Illustratus honore cinctus.

ILLUSTRĒ *vel* inlustre *vel* illustriter, adverb., cujus positivi nondum vidi exemplum; a quo tamen Comp. *Illustrius* et Sup. *Illustrissime* translate occurrunt. *Cic.* 10. *Fam.* 19. Sic vidi, quasi ea, quæ oculis cernuntur, me a te amari. Dices, quid antea? semper equidem, sed numquam illustrius. *più chiaramente. Gell.* 9. 13. Q. Claudius purissime atque illustrissime, simplicique atque incompta orationis antiquæ suavitate descripsit. *Arnob.* 2. 4. Hæc omnia illustrius commemorabuntur et planius.

ILLUSTRIS *vel* inlustris, e, adject. (in *et* lustro). *Illuster* in recto singulari legitur apud *Val. Max.* 4. 1. *n.* 5. et *ibid.* 3. *n.* 11. in multis MSS. Item in titulo proœmii præfixi libro *Marcell. Empir. de me-*

dicam. Marcellus vir illuster ex magno officio Theodosii sen. filiis suis salutem dicit. — Comp. *Illustrior* I. et II. 1. 2.; Sup. *Illustrissimus* II. 2. — Illustris est lucidus, clarus, illustratus, lumine perfusus, φαεινός (It. *luminoso, chiaro*; Fr. *clair, éclairé, rayonnant de clarté*; Hisp. *claro, luminoso, brillante*; Germ. *erleuchtet, hell, lichtvoll, strahlend, klar*; Ang. *clear, bright, luminous*).

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 1. 1. 6. Ventus omnes de tecto deturbavit tegulas, illustriores fecit fenestrasque indidit. *Varro* 3. *R. R.* 5. 5. Ostio et lumine illustriore. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 40. Solis candor illustrior est, quam ullius ignis, quippe qui in immenso mundo longe lateque colluceat. *Id.* 6. *de republ.* 11. Ostendebat Carthaginem de excelso et pleno stellarum, illustri et claro quodam loco. *Id.* 3. *Herenn.* 19. 32. Nec nimis illustres, nec vehementer obscuros locos haberi oportet, ne aut obcæcentur tenebris, aut splendore præfulgeant. *Id.* 2. *Nat. D.* 37. 95. Qui sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domicilils. Cf. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 2. Balnearia occidenti æstivo advertantur, ut sint usque in vesperum illustria. Rursus *Cic.* 1. *Divinat.* 57. 130. Si obscurior et quasi caliginosa stella exstiterit —; sin illustris et pellucida stella apparuerit etc. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 78. (344). Solis radii non illustres. *Id.* 9. *ibid.* 16. 23. (56). Pisces noctibus illustribus, æque quam die, cernunt. serene. *Val. Flacc.* 6. 528. Illustre cælum.

II.) Translate. ¶ 1. Intellectuali ratione illustris est manifestus, patens, *manifesto, chiaro, noto. Cic.* 11. *Fam.* 27. *a med.* Præter hæc, quæ testata sunt et illustria, habeo multa occultiora, quæ etc. *Id.* 1. *de republ.* 3. His rationibus tam certis tamque illustribus opponuntur primum labores etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 94. Negas te usque ad obscura progredi: illustribus igitur rebus insistis —; etiam a certis et illustrioribus cohibes assensum: hoc idem me in obscuris facere non sinis. *Id.* 7. *Verr.* 13. 34. Factum illustre notumque omnibus. *Id.* 1. *Nat. D.* 5. 12. Habere visum quemdam insignem et illustrem. *Id. Partit. orat.* 6. 20. Illustris oratio est, si et verba gravitate delecta ponuntur, et translata, et superlata, et ad nomen adjuncta, et idem significantia, atque ab ipsa actione atque imitatione rerum non abhorrentia. *h. e.* figuris ornata. *et mox.* Sed quæ dicta sunt de oratione dilucida cadunt in hanc illustrem omnia. Est enim plus aliquanto illustre, quam illud dilucidum: altero fit, ut intelligamus, altero ut videre videamur. *Quintil.* 9. 2. 2. Si desit illustris explanatio, propositio etc. *Seneca Ep.* 83. Instruenda est vita exemplis illustribus: non semper confugiamus ad vetera. ¶ 2. Morali ratione est celebris, clarus, nobilis, *illustre, celebre, insigne.* — a) De hominibus. *Q. Cic. Petit. cons.* 5. 18. Instituendi sunt cujusque generis amici: ad speciem, homines illustres honore ac nomine. *Cic. Brut.* 19. 74. Me inflammavit studio illustrium hominum ætates et tempora persequendi. *Id.* 2. *de republ.* 31. Illustribus in personis temporibusque exempla hominum rerumque definio. *Id. Brut.* 32. 122. Curio sane illustris orator. *Quintil.* 5. 11. 36. Illustres poetæ. *Cæs.* 7. *B. G.* 32. Florens et illustris adolescens. *Varro* 2. *R. R.* 1. 6. De antiquis illustrissimus quisque pastor erat. *Gell.* 18. 7. Vos quoque philosophorum illustrissimi. *Sueton. Tib.* 45. Illustres feminæ. — Et absolute *Sueton. Cæs.* 48. Cum illustribus provinciarum. *Id. Tib.* 32. Quorumdam illustrium exsequiæ. — *Servius* ad *Virg.* 6. *Æn.* 758. *illustrem* docet aliquando in malam partem usurpari, ut *nobilis*, et ideo meretricibus etiam tribui. — b) De rebus et præcipue de abstractis. *Cæs.* 6. *B. G.* 18. Paterfamilias illustriore loco natus. *Cic.* 1. *Off.* 22. 75. Themistoclis nomen est, quam Solonis, illustrius. *Id.* 3. *de republ.* 12. Sunt illustriora quæ publice fiunt. *Id.* 1. *Fam.* 7. *ad fin.* Hæc vides quanto expressiora quantoque illustriora futura sint, quum aliquantum ex provincia laudis accesserit. *Cæs.* 7. *B. G.* 3. Ubi major atque illustrior incidit res, clamore per agros regionesque significant. *Cic. Dom.* 32. 87. Ejus in omni vita nihil est ad laudem illustrius, quam calamitas ipsa. *Nepos Reg.* 1. Xerxi maxime est illustre, quod maximis post hominum memoriam exercitibus terra marique bellum intulit Græciæ. *Id. Pausan.* 1. Hujus illustrissimum est prælium apud Platæas. *Cic. Senect.* 11. 38. Causas illustres defendere. *Id. Dom.* 46. Vita remota ab honore populari et ab hac illustri gratia. *Nepos Dion.* 1. Legationes, quæ essent illustriores, per Dionem administrabantur. ¶ 3. Specialim posteriori ævo *illustres* dicebantur supremi ordinis senatores, medii *spectabiles*, infimi *clarissimi*, ut *Isid.* docet 9. *Orig.* 4. At id fortasse obtinuit sequiori tempore; nam olim omnes senatores *clarissimi* sunt appellati. *V.* CLARUS. Ceterum consule *Gothofred.* ad *Cod. Theod.* 3. 11. 1. *V.* et ILLUSTRATUS, us. De his fuse agit *Zirardini* ad *Leg. Nov.* p. 50. et seq., et accurate *B. Borghesi Dichiar. di una lap.* p. 55.

ILLUSTRISSIME *et*

ILLUSTRITER et

ILLUSTRIUS. *V.* ILLUSTRE.

ILLUSTRO *vel* inlustro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (illustris). Part. *Illustrans* I.; *Illustratus* in omnibus paragr.; *Illustrandus* II. 1. — Illustrare est rem aliquam lucidam et splendidam facere, lucem et splendorem alicui rei afferre, λαμπρύνω, καταλάμπω (It. *illustrare, illuminare*; Fr. *éclairer, illuminer, donner du jour*; Hisp. *aclarar, alumbrar, iluminar, ilustrar*; Germ. *erhellen, erleuchten, klar, licht machen*; Angl. *to illustrate, illuminate, enlighten*).

I.) Proprie. *Cic.* 6. *de republ.* 17. Sol cuncta sua luce illustrat et complet. *Al. leg.* collustrat. *Horat.* 4 *Od.* 14. 5. O qua sol habitabiles illustrat oras, maxime principum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 18. 16. (80). Placida nocte, leniter illustrante stellas. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 3. Ergastulum angustis illustratum fenestris.

II.) Translate. ¶ 1. Intellectuali ratione (*V.* ILLUSTRIS II. 1.) est res occultas patefacere, explicare, declarare rem aliquam difficilem et obscuram. *Cic.* 3. *Cat.* 8. 20. Ut ea consilia, quæ clam essent inita contra salutem urbis, illustrentur. *Id.* 1. *ibid.* 3. 6. Illustrantur, erumpunt omnia. *Id.* 3. *ibid.* 1. 3. Omnia illustrata, patefacta, comperta sunt per me. Sic *Id. Amic.* 26. 97. Patefacere et illustrare veritatem. *et* 1. *Orat.* 39. 177. Jus obscurum et ignotum patefacere et illustrare. *Lucret.* 1. 138. Graiorum obscura reperta Difficile illustrare Latinis versibus esse. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 1. 3. Philosophiam veterem illam a Socrate ortam Latinis litteris illustrare. *Id. Brut.* 64. 228. Genus hoc scriptionis nondum satis Latinis litteris illustratum. — *Illustrare orationem* est figuris, quasi luminibus, ornare. *Cic. Orat.* 27. 92. Illustrant orationem, quasi stellæ quædam, translata verba atque immutata. *Id.* 3. *Orat.* 36. 144. De illustranda oratione ut diceres. *Id.* 2. *Invent.* 15. 49. Distinguere atque illustrare orationem. Adde *Quintil.* 4. 3. 4., 8. 6. 14. et alibi. ¶ 2. Morali ratione (*V.* ILLUSTRIS II. 2.) est nobilitare, celebrem reddere. — a) De hominibus. *Cic. Arch.* 9. 21. Qui libri non modo Lucullum, verum etiam populi Romani nomen illustrant. *Nepos Themist.* 1. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur. *Lucceius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 14. Illustrare aliquem laudibus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (82). Quem Brutus cognomine suo illustravit. *Sueton. Galb.* 3. Familiam illustravit Serv. Galba consularis. — b) De rebus et præcipue abstractis. *Cic.* 1. *Fam.* 6. Illustrabit, mihi crede, tuam amplitudinem hominum injuria. *Quintil.* 3. 7. 10. Humilius genus illustrasse factis. *Id.* 10. 1. 122. Summa, quibus illustratur forum, ingenia. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 17. Quid prius illustrem satiris Musaque pedestri? *Quintil.* 10. 1. 67. Longe clarius illustraverunt hoc opus Sophocles atque Euripides. Sic *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (91). Opus versibus Græcis illustratum. *Id.* 14. *ibid.* 6. 8. (69). Vina maxime illustrata Messalæ potu et salute. *Id.* 3. *ibid.* 16. 20. (117). Padus pœna Phaetontis illustratus. *Id.* 4. *ibid.* 11. 18. (48). Illustrant duæ urbes utrimque litora. *Stat.* 2. *Achill.* 65. nunc hospitio mea tecta piumque illustrate larem. *onorate.*

ILLŪSUS *vel* inlusus, a, um. *V.* ILLUDO.

ILLŪTIBARBUS *vel* inlutibarbus, a, um, adject. (illutus *et* barba) qui barba sordida est. *Apul. Florid.* n. 3. Marsyas vultu ferino trux, hispidus, illutibarbus, spinis et pilis obsitus. *Al. leg.* multibarbus. V. *Mus. Borbon. T.* 7. *tav.* 30., ubi lectio *multibarbus* ex Sileni imagine confirmatur.

ILLŪTIBĬLIS vel inlutibilis, e, adject. (illutus) qui elui non potest, *che non si può lavare. Plaut. Men.* 1. 2. 57. Nam ex istoc loco spurcatur nasum odore illutibili. *Alii melius ex MSS. leg.* illucido, *qui scil. ex loco obscuro exhalat. V.* ILLUCIDUS. *Al. leg.* illuibili; *et* Dübner. *conjicit* illutilis.

ILLŪTĬLIS. *V.* voc. præced.

ILLŪTUS *vel* inlotus, a, um. *V.* ILLOTUS.

ILLŬVĬES *vel* inluvies, ei, f. 5. (*ab* in *privativa et* luo *lavo, unde* illuo) sordes non lotæ in corpore animalis, immunditia, ἀλουσία, λῦμα (It. *sordidezza, bruttura, muffa*; Fr. *saleté, ordure*; Hisp. *suciedad, inmundicia*; Germ. *der angespülte Schmutz, daher, der körperliche Schmutz, Unflath*; Angl. *filth, dirt, dirtiness, uncleanness, nastiness*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu. *Lucilius* apud *Non. p.* 126. 2. *Merc.* Hic cruciatur fame, frigore, illuvie, imbalnitie, imperfundie, incuria. Adde *eumd.* et *Varron.* apud *eumd. p.* 125. 31. et *seq. Ter Heaut.* 2. 3. 53. Ancillula pannis obsita, neglecta, immunda illuvie. Vetus *Poeta* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 12. 26. Barba intonsa infuscat pectus illuvie scabrum. *Tac.* 4. *Ann.* 28. Illuvie ac squalore obsitus. *Id.* 4. *Hist.* 46. Illuvie deformis. *Virg.* 3. *G.* 561. Vellera tondere morbo illuvieque peresa. *Colum.* 7. *R. R.* 10. 6. Suillum genus non est contentum potione aquæ, nisi obesam illuviem atque distentam pabulis alvum demerserit ac refrigeraverit. *h. e.* corpus sordibus obsitum. *Ulp. Dig.* 21. 1. 12. Trebatius ait, non esse morbosum, os alicui olere: hoc enim ex illuvie oris accidere solet. — Hinc est convicium in hominem sordidum ac misere viventem. *Plaut. Most.* 1. 1. 38. Te Juppiter dique omnes perdant! obluisti allium, germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis. ¶ 2. Latiori sensu est inundatio aquarum sordes convehentium, *inondazione. Justin.* 2. 1. 14. Illuvies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit. *Id.* 2. 6. 10. Aquarum illuvies majorem partem populorum Græciæ absumpsit. — Similiter apud *Tac.* 12. *Ann.* 51. Interim Zenobiam placida illuvie spirantem ac vitæ manifestam advertere pastores; *illuvies* est cursus fluminis ad riparum latera placide in stagni morem inundantis; sed *Forcellino* videtur legendum *eluvies* (*V.* ELUVIES); *Halm.* leg. *illuvies.*

ILLŬVIŌSUS *vel* inluviosus, a, um, adject. illuvie plenus. Est *Nonii p.* 413. 7. *Merc.*

IM

IM pro *eum*, *V.* IS init.

ĪMĀGĬNĀBĬLIS, e, adject. (imaginor) qui mente concipi potest, *immaginabile. Boeth.* 5. *pros.* 4. Quæ quum universalis notio sit, tamen imaginabilem sensibilemque esse rem, nullus ignorat. *Id. ibid. pros.* 5. Quod enim sensibile, vel imaginabile est, id universum esse non potest.

ĪMĀGĬNĀBUNDUS, a, um, adject. (imaginor) qui imaginatur. *Apul.* 3. *Met. init.* Ubertim flebam, jam forum et judicia, jam sententiam, ipsum denique carnificem imaginabundus. *rappresentandomi.*

ĪMĀGĬNĀLĬTER, adverb. per imaginem, vel in imagine. *Augustin.* 12. *de Gen. ad litt.* 5. *et* 6.

ĪMĀGĬNĀRĬĒ, adverb. tumultuarie, ex abrupto imaginandi vi, *all' improvvisata. Sidon.* 2. *Ep.* 10. Epigrammata, quæ imaginarie tantum et quodammodo umbratiliter effingimus. *h. e.* sine studio, prout quæque poetica imago sese obtulit. *V.* TUMULTUARIUS.

ĪMĀGĬNĀRĬUS, a, um, adject. (imago) ad imaginem pertinens. ¶ 1. *Imaginarius pictor, imaginarius plastes* est qui imagines pingit, et qui easdem ex argilla fingit, *pittore di figura et plasticatore. Edict. Diocl.* p. 19. Pictori parietario diurni ✕ septuaginta, pictori imaginario ✕ centum quinquaginta, plastæ imaginario ✕ septuaginta. ¶ 2. Imaginarius est etiam falsus, simulatus, qui verus non est, sed ita concipitur ac si talis esset. *Flor.* 14. Populus Romanus invictus a veris regibus ab illo imaginario et scænico rege superatur. *scil.* ab Andrisco servo seu mercenario, qui ex similitudine Philippi Macedonum regis Pseudophilippus vocabatur. *Liv.* 3. 41. Imaginariis fascibus cedere. *Apul. de Mag.* Pontianus ei nuptiarum titulum falsum et imaginarium donavit. *Ulp. Dig.* 18. 1. 55. Imaginaria venditio. *Flor.* 4. 10. Imaginaria belli indictio. *Sueton. Claud.* 25. Stipendiaque instituit et imaginariæ militiæ genus, quod vocatur supra numerum, quo absentes et titulo tenus fungerentur. *h. e.* mili-

zia soprannumeraria. — *Imaginarium funus* dicitur, in quo non defuncti cadaver, sed ejus imago, quam Itali vulgo vocant *la maschera*, exponitur, *funerale rappresentativo. Capitolin. Pertin.* 15. Sub Severo imperatore, quum senatus ingens testimonium habuisset Pertinax, funus imaginarium ei et censorium ductum est. *Inscript.* in *Atti dell'Accad. Rom. archeol. T.* 2. *p.* 462. QVISQVIS EX HOC COLLEGIO SERVVS DEFVNCTVS FVERIT ET CORPVS EIVS A DOMINO DOMINAVE INIQVITATE SEPVLTVRAE DATVM NON FVERIT EI FVNVS IMAGINARIVM FIET. *Isid. Gloss.* Funus imaginarium dicitur tumulus (*lege* funus) sine cadavere, id est inane sepulcrum. Hæc postrema verba glossæ videntur esse indocti hominis. At recte *Gloss. Philox.* Imaginarius, εἰκονικός. *V. Infusus* in v. INFUNDO. Consule etiam *Herodian.*, qui *l.* 4 *c.* 2. totam funeris imaginarii pompam describit, atque *Xiphil. excerpt. Dion. l.* 74. *c.* 4. ¶ 3. *Imaginarius cantor artis metricæ* est, quem Itali *poeta improvvisatore* dicunt. *Inscript.* apud *Fabrett. p.* 625. *n.* 218. Q. CAESIDIO Q. F. SABINIANO FISTVLARIO CASTORI IMAGINARIO ARISMETR. (*lege* artis metricæ). *h. e.* qui fistula canit et identidem versus edit imaginarie. *V.* TUMULTUARIUS et SUBITARIUS. — Hinc

Imaginarius, *ii*, m. 2. absolute, substantivorum more, est idem atque imaginifer. *Veget.* 2. *Milit.* 7. Aquiliferi appellantur, qui aquilam portant; imaginarii, vel imaginiferi, qui imperatoris imagines ferunt.

IMĀGĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (imaginor) conceptus rei alicujus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 26. (68). Imaginationes libidinum in somno compescere. *Tac.* 16. *Ann.* 36. Provincias Orientis, maxime Ægyptum, secretis imaginationibus agitans. *con secreti pensieri. Cassiod. Complex. Apocal.* 18. Quæ (*bestia*) diversis membris ferarum terribili imaginatione formatur.

IMĀGĬNĀTUS, a, um. *V.* IMAGINO et IMAGINOR.

IMĀGĬNEUS, a, um, adject. ad imaginem pertinens. *Venant. Fortun.* 2. *Vit. S. Martin.* 276. Imagineæ figuræ. *h. e.* imaginem alicujus referentes. *Sedul.* 1. 187. imagineæ vincunt incendia pœnæ. *h. e.* imaginariæ.

IMĀGĬNĬFER, ĕri, m. 2. (imago et fero) non signifer, sed qui imaginem imperatoris fert; etenim signifer dicebatur, qui signa cohortis vel manipuli, ut aquilifer, qui aquilam, totius legionis insigne, ferebat: *V.* IMAGINARIUS in fin. *Inscript.* apud *Gruter.* 1107. 1., quæ est apud *Orell.* 3478. AVRELIVS SECVNDIANVS IMAGINIFER LEG. XX. *Alia* apud *Gruter.* 562. 1., quæ est apud *Orell.* 3479. SOLEMNIO FIDO MILIT. LEG. I. MINERVIÆ IMAGINIFERO. Adde *Veget.* 2. *Milit.* 7. in fin. voc. IMAGINARIUS, et *Inscript.* apud *Henzen.* 6822., 7420. a ϰπ. aliosque.

IMĀGĬNO, as, āvi, ātum, are. a. 1. Part. *Imaginatus.* — Imaginare est imagines facere, repræsentare, *rappresentare*, εἰκονίζω. *Gell.* 16. 18. Ut speculum in loco certo positum nihil imaginat, aliorsum translatum facit imagines. *Lactant.* 5. 13. *in fin.* Qui nec audiant divos, nec sentiant, sed terram digitis suis imaginatam metuant et adorent. *h. e.* in imaginem et idolum suis manibus conformatam.

IMĀGĬNOR, āris, ātum sum, ari, dep. 1. (imago) Part. *Imaginans* et *Imaginatus.* — Imaginari est rei alicujus, quæ facta sit, vel fieri possit, vel etiam quæ fieri non possit, similitudinem mente concipere, *immaginarsi, figurarsi*, φαντάζομαι. — *a*) Generatim — Cum Accusat. rei. *Quintil.* 12. 1. 21. Ipse etiam M. Tullius quærit adhuc eum (*scil.* eloquentem), et tantum imaginatur ac fingit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 58. (118). Imaginari fercula triumphi. *Tac.* 15. *Ann.* 69. Pavorem eorum et imaginatus et irridens Nero. — Sequente Relativo. *Quintil.* 9. 2. 41. Nec solum quæ facta sint aut fiant, sed etiam quæ futura sint aut futura fuerint, imaginamur. *Plin.* 2. *Ep.* 10. Imaginor, qui concursus, quæ admiratio te maneat. — *b*) Speciatim pro somniare, *sognare.* — Cum Accusativo. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (142). Venerem crebro per somnia imaginantes. — Cum Accusat. et Infinito. *Sueton. Cæs.* 81. Calpurnia uxor imaginata est, collabi fastigium domus.

IMĀGĬNŌSUS, a, um, adject. qui in fingenda, quæ sibi placent, imagine multum valet: hinc Imaginosa meretrix dicitur, quæ licet deformis esset, ingentem pecuniæ vim pro concubitu petierat a *Catull.* 41. 7. Non est sana puella; nec rogare, Qualis sit, solet hæc imaginosa. *Al. leg.* non rogate, Qualis sit, solet hæc imaginosum. *scil.* hæc pati solet morbum illum, quo plurima turbata phantasmata occurrunt et mentem de statu dejiciunt, qualem describit *Horat.* 2. *Ep.* 2. 128. et *seqq.* Apud *Catull.* tamen valde dubia est lectio; locus enim corruptus est: *V.* ibi Interpp.

ĬMĀGO, inis, f. 3. Ratione habita etymi, est ab *imitor* (th. *im*, unde *sim*, a quo *similis*) quasi *imitago*, quia imitatur ac repræsentat suo modo id, quod exprimit. *Paul. Diac. p.* 112. 1. *Müll.* Imago ab imitatione dicta. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Od.* 12. 4. Imago dicitur quasi *imitago*. Alii tamen volunt esse ab εἶγμα quod ab εἴκω *similis sum.* — Ceterum imago est simulacrum, species, exemplar, alicujus rei repræsentatio, εἰκών (It. *immagine, figura, simulacro, ritratto*; Fr. *représentation, image, ressemblance, portrait*; Hisp. *imagen, representacion, semejanza*; Germ. *die Nachbildung, das Abbild eines Gegenstandes, Bild, Bildniss*; Angl. *an image, figure, likeness, picture, a representation or resemblance of a thing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De hominis aut rei imagine picta, sculpta etc. *Cic.* 5. *Fam.* 12. *a med.* Spartiates Agesilaus neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse. *et mox.* Unus Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium statuasque superarit. *Id. Orat.* 31. 110. Demosthenes quidem, cujus nuper inter imagines tuas ac tuorum imaginem ex ære vidi. *Id.* 5. *Fin.* 1. 3. Epicuri imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et in anulis habent. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 44. (153). Hominis imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit, ceraque in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi. Hic et similitudinem reddere instituit: ante eum quam pulcherrimas facere studebat. *Cic.* 6. *de republ.* 10. Africanus se ostendit ex forma, quæ mihi ex imagine ejus, quam ex ipso, est notior. *Quintil.* 7. 7. 5. Mulieris imago in gymnasio ne ponatur. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 43. Munere in hoc, rex, est usus, sed imagine major. *maggiore di quel che si vede. Quintil.* 6. 1. 32. Depictam in tabula sipariove imaginem rei. *Horat. Epod.* 17. 76. et 1. *Sat.* 8. 43. imagines cereæ. *Plaut. Pseud.* 4. 6. 35. Epistola atque imago me certum fecit. *e la figura del suggello.* Adde *eumd. ibid.* 4. 2. 20. et 4. 7. 105. — *b*) Item de imagine hominis aut rei, quæ a phantasia excitatur, cujusmodi sunt quæ in somnis apparent, mortuorum umbræ, etc. *Virg.* 2. *Æn.* 772. Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusæ Visa mihi ante oculos et nota major imago. *Id.* 4. *ibid.* 654 Et nunc magna mei sub terras ibit imago. *ombra, spirito. V.* SIMULACRUM. Sic *Horat.* 1. *Od.* 24. 15. Num vanæ redeat sanguis imagini. *Tibull.* 3. 4. 56. Et quum te fusco somnus velavit amictu, Vanum nocturnis fallit imaginibus. *sogni. Horat.* 3. *Od.* 27. 38. vigilansne ploro Turpe commissum, an vitiis carentem Ludit imago Vana? Adde *Sueton. Aug.* 94. et *Cal.* 50. *Virg.* 1. *Æn.* 411. Quid natum toties, crudelis, tu quoque falsis Ludis imaginibus? *apparizioni, spettri.* Huc pertinent et illa *Virg.* 2. *Æn.* 369. ubique pavor et plurima mortis imago. *Tac.* 3. *Hist.* 28. Semineces cum exspirantibus volvuntur, varia pereuntium forma et omni imagine mortium. *Id.* 1. *Ann.* 62. Exercitum imagine cæsorum insepultorumque tardatum ad prælia. *Id.* 4. *Hist.* 45. Planctum et lamenta et supremorum (*h. e.* funeris) imaginem præsenti sibi circumdata cum contumeliis et probris. ¶ 2. Speciatim ac sæpe refertur ad nobilitatem. Nam apud Romanos qui majorum suorum habuerunt imagines, ii nobiles; qui suas tantum, ii novi; qui nec majorum, nec suas, illi demum ignobiles appellati sunt. *Cic. Pis.* 1. 1. Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile nihil habes præter colorem. *Fumosas imagines* dixit propter antiquitatem. *Id.* 2. *leg. Agr.* 36. 100. Si quid deliquero, nullæ sunt imagines, quæ me a vobis deprecentur. *h. e.* novus homo sum, nulla generis nobilitas me vobis commendabit. — Imaginem porro sui ponere non temere omnibus licuit, sed iis tantum, qui magistratus curules gessissent. Has imagines primi patritii posuerunt, quod iis primis curules magistratus patuerunt, unde jus imaginis fuit. Post autem, ubi plebs eosdem curules magistratus est nacta, tum et ipsa imagines ponere, easque relinquere cum nobilitate posteris suis cœpit. *Cic.* 7. *Verr.* 14. 36. *de ædilitate sua.* Mihi ludos antiquissimos esse faciundos; mihi sacrarum ædium procurationem; mihi totam urbem tuendam esse commissam; ob earum rerum laborem fructus illos datos, togam prætextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam. *Id.* 2. *leg. Agr.* 1. 1. Qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consecuti sunt. *Liv.* 3. 58. Vir honoratissimæ imaginis futurus ad posteros. *Sall. Jug.* 85. Homo veteris prosapiæ ac multarum imaginum. *et mox.* Quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas est. *Id. ibid.* 5. Quum majorum imagines intuerentur. *Sueton. Vesp.* 1. Flavia gens obscura illa quidem ac sine ullis majorum imaginibus. *Id. Aug.* 4. Multis in familia senatoriis imaginibus. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 17. Qui (*populus*) stupet in titulis et imaginibus. V. *Sigon. l.* 2. *de antiq. jur. civ. R. c.* 20. — Hujusmodi imaginibus ornabant atria ædium, uti docet *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (6)., easque in funebribus pompis proferebant circumferebantque. *Horat. Epod.* 8. 11. Esto beata: funus atque imagines Ducant triumphales tuum.

II.) Translate. ¶ 1. A Poetis præcipue, quod oculorum est proprium ad aures transferentibus, Echo dicitur *imago, Eco*, quia vocis imago est quædam. *Varro* 3. *R. R.* 16. 12. *de loco apibus idoneo.* Secundum villam, potissimum ubi non resonent imagines: hic enim sonus harum fugæ causa existimatur esse. *Virg.* 4. *G.* 49. concava pulsu Saxa sonant vocisque offensa resultat imago. *Sil. It.* 14. 364. vocibus æquor Personat et clamat scopulis clamoris imago. *Ovid.* 3. *Met.* 385. alternæ deceptus imagine vocis: Huc coeamus, ait. — Coeamus, rettulit Echo. *Val. Flacc.* 3. 596. Rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat Avia: responsant silvæ et vaga certat imago. *Horat.* 1. *Od.* 12. 3. cujus recinet jocosa Nomen imago? Adde *eumd. ibid.* 20. 8. ¶ 2. Per metaphoram generatim *imago* dicitur species rei, quæ mente et cogitatione percipitur. *Cic. Amic.* 27. 102. Nemo unquam animo aut spe majora suscipiet, qui sibi non illius (*Scipionis*) memoriam atque imaginem proponendam putet. Cf. *Plin.* 7. *Ep.* 5. Magnam partem noctium in imagine tua vigil exigo. *nel rappresentarmiti al pensiero.* — *Cic.* 1. *Fin.* 6. 21. Imagines, quæ εἴδωλα nominant, quorum incursione non solum videmus, sed etiam cogitamus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 40. 125. imagines extrinsecus in animos nostros per corpus irrumpere. Adde *eumd.* 2. *Divinat.* 67. 137. — *Cic. Sext.* 8. 19. Unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reipublicæ diceres intueri. *Id. Rosc. Am.* 16. 47. Hæc conficta arbitror a poetis, ut effictos nostros mores in alienis personis expressamque imaginem nostræ vitæ quotidianæ videremus. *Id.* 1. *Fam.* 6. Facile me consolatur recordatio meorum temporum, quorum imaginem video in rebus tuis. *Quintil.* 2. 20. 6. Cujus (*justitiæ*) rusticis quoque apparet aliqua imago. *Id.* 10. 2. 15. Imago virtutis. *Id.* 8. 3. 72. Similitudines ad exprimendas rerum imagines compositæ. ¶ 3. Speciatim apud Rhetores *imago* est oratio demonstrans corporum aut naturarum similitudinem, ut *Cic.* 1. *Invent.* 30. 49. definit. Item, imago est formæ cum forma cum quadam similitudine collatio, ut est apud *eumd.* 4. *Herenn.* 49. 62. Pertinet autem ad hypotyposin, aut ethopœiam. — Hinc *imagines* dicuntur descriptiones rerum, et comparationes, et similitudines animo conceptæ et verbis explicatæ, *immagini, idee. Seneca Ep.* 59. Invenio translationes verborum: invenio imagines, quibus si quis nos uti vetat, et poetis illas solis judicat esse concessas, neminem videtur etc. *et mox.* Movit me imago ab illo posita: ire quadrato agmine exercitum etc. *et Ep.* 92. *circa med.* Volo hanc contra nos positam imaginem excutere. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 320. hæc a te non multum abludit imago. Adde *eumd.* 1. *Ep.* 7. 34.; et *Quintil.* 6. 1. 28. ¶ 4. Item speciatim cum addita significatione rei ab exemplari desumptæ (*coll'idea accessoria della copia in contrapposto all'originale*) imago est adumbrata veritas et similitudo, sed debilis, languida, *un'ombra, uno schizzo, una languida copia, una apparenza. Cic.* 3. *Tusc.* 2. 3. Consectatur nullam eminentem effigiem virtutis,

sed adumbratam imaginem gloriæ. Est enim gloria solida quædam res et expressa, non adumbrata etc. — : ea virtuti resonat, tamquam imago. *Id.* 3. *Off.* 17. 69. Nos veri juris germanæque justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenemus: umbra et imaginibus utimur. *Id.* 2. *de republ.* 30. Non in umbra et imagine civitatis, sed in amplissima republica enitar, ut etc. *Id. Rabir. Post.* 15. 41. Umbram equitis Romani et imaginem videtis. *Id. Sext.* 13. 30. Si imaginem judiciorum, aut simulacrum aliquod futurum in civitate reliquum credidisset. *Id.* 2. *leg. Agr.* 32. 88. Si publicum ex illa urbe (*Capua*) consilium sustulissent, imaginem reipublicæ nullam reliquissent. *Ulp. Dig.* 38. 2. 1. Imago societatis. *Tac.* 15. *Ann.* 14. Imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos. *Id. Dial. de orat.* 34. Qui faciem eloquentiæ, non imaginem præstaret. *Callistrat. Dig.* 50. 6. 5. *a med.* An effugiendorum munerum causa imaginem naviculsrii induat.

IMĀGUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* imago, parva imago, *immaginetta*, εἰκόνιον. *Sueton. Aug.* 7. Imaguncula ærea puerilis.

IMBALNĬTĬES, ei, f. 5. (in *privativa et* balneum) balnei seu lotionis privatio, atque adeo illuvies, sordes, squalor. *Lucilius* apud *Non.* p. 126. 2. *Merc.* Ille cruciatur fame, frigore, illuvie, imbalnitie, imperfundie, incuria.

IMBARBESCĔRE, barbatum fieri. *Paul. Diac.* p. 109. 9. *Müll.*

IMBĔCILLE *vel* imbecilliter, adverb. infirme, remisse, languide, *debolmente*, ἀσθενῶς. Occurrit tantum Comp. *Imbecillius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 52. Iis, quæ videntur, imbecillius assentiuntur. *Id.* 5. *Tusc.* 30. 85. Imbecillius horrent dolorem.

IMBĔCILLOR *vel* inbecillor, āris, ari, pass. 1. imbecillus sum. *Gloss. Cyrill.* Ἀσθενῶ, ægroto, langueo, morbeo, languesco, imbecillor, infirmor.

IMBĔCILLIS *vel* inbecillis, e, adject. *V.* IMBECILLUS.

IMBĔCILLĬTAS *vel* inbecillitas, ātis, f. 3. (imbecillus) debilitas, infirmitas, ἀδυναμία, ἀσθένεια (It. *debolezza*; Fr. *faiblesse*, *débilité*; Hisp. *debilidad*, *flaqueza*; Germ. *d. Schwachlichkeit*; Angl. *weakness*, *debility*, *feebleness*).

I.) Proprie de humano corpore præcipue dicitur. *Cic.* 11. *Att.* 6. *a med.* Tulliæ meæ morbus et imbecillitas corporis me exanimat. *Id. Brut.* 55. 202. Ut infirmitas laterum et virium imbecillitas. *Id.* 7. *Fam.* 1. *ad fin.* Imbecillitatem valetudinis sustentare et tueri. *Id.* 12. *Att.* 26. Niciæ nostri imbecillitas et mollitia. *Sueton. Cal.* 44. Imbecillitas et senium. *Id. Tib.* 11. Imbecillitate Augusti nunciata. *la malattia.* — Huc referri potest et illud *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Ubi imbecillitas materiæ postulare videretur, pilæ interponuntur.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de re familiari, et significat rei familiaris angustias atque adeo impotentiam sive instrumentorum ad aliquid perficiendum inopiam. *Cic. Amic.* 8. 26. Utrum propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia. *Id. ibid.* 9. 29. Si qui putant ab imbecillitate (*amicitiam*) proficisci, humilem sane relinquunt ortum amicitiæ, quam ex inopia atque indigentia natam volunt. Adde *eumd. ibid.* 9. 32., 1. *de republ.* 3. et 3. *de republ.* 14. Cf. *eumd.* 5. *Tusc.* 1. 3. Interdum et humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. ¶ 2. Item transfertur ad animum, et est ejusdem infirmitas. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Imbecillitas animi. *Plin.* 4. *Ep.* 18. ingenii. *Cic.* 1. *Off.* 32. 117. consilii. *Id.* 1. *ad Brut.* 10. *a med.* ætatis. *Id.* 1. *Fam.* 4. *in fin.* magistratuum. *Quintil.* 6. 4. 12. Fallit plerumque, quod probitas vocatur, quæ est imbecillitas. *Tac.* 4. *Ann.* 8. Damnare aliquem imbecillitatis. *di pusillanimità.* *Justin.* 2. 15. Non virtute, sed imbecillitate sociorum potentiam quærere.

IMBĔCILLĬTER. *V.* IMBECILLE.

IMBĔCILLUS, a, um, adject. Est et alia forma *imbecillis*, e, quæ usu venit tantum apud sequioris ævi scriptores, quæque certa lectione nunc legitur solummodo apud *Plin. Paneg.* 79. Imbecilli ingenio essa. Quippe quæ ex *Cicerone* afferebantur (*V.* infra), juxta optimos Codices in priorem formam vel aliam vocem mutata sunt. *Cicer.* locum e *Forcellino* allatum *Amic.* 13. 47. V. in IMBELLIS sub *b.* — Comp. *Imbecillior* I. et II.; Sup. *Imbecillissimus* I., *Imbecillimus* II. — Ratione habita etymi, nonnulli, repugnante syllabarum quantitate, volunt esse a *băcillus*, quia baculo innititur, qui infirmis est pedibus: alii ab *in* et *vacillo* deducunt: sunt etiam qui tamquam deminutivum derivant e Gr. ἄβακις, quocum conferantur ἄφηκες et βιεκηλά; V. *Döderlein. latein. Synonym.* vol. 6. p. 165. — Ceterum imbecillus est debilis, languidus, infirmus, ἀσθενής (It. *debole*, *di poche forze*; Fr. *faible*, *débile*, *frêle*; Hisp. *feble*, *debil*, *flaco*; Germ. *schwächlich*, *kränklich*; Angl. *weak*, *feeble*, *faint*, *debile*, *imbecile*, *ineffectual*).

I.) Proprie. — *a*) De humanis corporibus. *Cic.* 7. *Fam.* 1. Quum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur. *Id. Senect.* 11. 35. Multi sunt imbecilli (*al. minus recte leg.* imbecilles) senes —: at id quidem non proprium senectutis vitium, sed commune valetudinis. Quam fuit imbecillus P. Africani filius is, qui te adoptavit! quam tenui, aut nulla potius valetudine? *Id.* 2. *ad Q. fr.* 10. 3. Marius et valetudine et natura imbecillior. Cf. *Vellej.* 2. 114. 1. Nemo e nobis imbecillus fuit, cujus salus ac valetudo non sustentaretur Cæsaris cura. *malato*: quo sensu adhibetur etiam a *Colum.* 12. *R. R.* 3. 8. Rursus *Cic. Amic.* 7. 23. Et absentes (*amici*) adsunt et egentes abundant et imbecilli valent. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 39. Imbecillus, iners, sim quidvis, adde, popino. *Quintil.* 5. 10. 49. Credibilius est occisos a pluribus pauciores, a firmioribus imbecilliores. *Plin.* 3. *Ep.* 19. Felicitas terræ imbecillis cultoribus fatigatur. — Absolute, substantivorum more. *Lucret.* 5. 1022. Imbecillorum esse æquum misererier omni. — *b*) De rebus etiam abstractis. *Quintil.* 11. 3. 13. Bona voce firmaque, ut volumus, uti licet: mala vel imbecilla inhibet multa. *Id.* 12. 5. 4. Imbecilla frons. *h. e.* quæ non facile pudori resistit. Cf. *Cic. fragm.* apud *Non.* 4. 178. Imbecillus (*al.* imbecillis) est pudoris magister timor. *Cels.* 3. 19. Exigui imbecillique venarum pulsus. *Seneca* 4. *Benef.* 18. Imbecillimus ac facillimus sanguis. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 85. tractari mollius ætas imbecilla volet. *Cic.* 10. *Att.* 14. Nescio quomodo imbecillior est medicina, quam morbus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 3. 5. (35). Anus terra et ideo infecunda ad omnia atque imbecilla. *Id.* 14. *ibid.* 21. 27. (134). Imbecilla vina demissis in terram doliis servanda, valida exposita. *Cels.* 2. 18. Imbecillissimam materiam esse omne olus. *h. e.* parvi alimenti. *Id. ibid. a med.* Ovum durum valentissimæ materiæ est: molle vel sorbile imbecillissimæ. *h. e.* parum stomacho resistens et concoqui facile. *Tac. Agric.* 46. Simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt: forma mentis æterna. *Sall. Jug.* 10. Regnum vobis trado firmum, si boni eritis: si mali, imbecillum.

II.) Translate de animo. *Cic.* 2. *Divinat.* 60. 125. Qui eam superstitionem imbecilli animi atque anilis putent. *Quintil.* 2. 8. 12. Imbecilla ingenia. *Cic. Amic.* 19. 70. Si propinquos habeant imbecilliores vel animo, vel fortuna. *Id.* 1. *de republ.* 34. Ut summi virtute et animo præessent imbecillioribus. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 6. 6. Ab imbecillis accusatoribus accusari. *Tac.* 2. *Ann.* 76. Imbecillæ suspiciones. — Absolute, substantivorum more. *Cic.* 1. *de republ.* 32. Cedentibus ignavis et imbecillis, et arrogantiæ divitum succumbentibus. *Seneca Ep.* 85. Quantulum sapienti damus, si imbecillimis fortior est? — Hinc

Imbecilli, *ōrum*, m. plur. 2. absolute, substantivorum more. *V.* sub I. *a.* in fin., et sub II. in fin.

IMBELLĬA *vel* inbellia, æ, f. 1. (in *et* bellum). *Paul. Diac.* p. 114. 11. *Müll.* imbelliam interpretatur belli inscientiam. V. *Barth. Adv.* 28. 19. Ceterum imbellia est privatio subsidiorum ad bellum et pugnam, quæ sunt arma eorumque tractandorum peritia, et virtus animique robur, *inettitudine alla guerra.* *Gell.* 5. 5. Pœnus eludens ignaviam imbelliamque militum ejus pretiose armatorum. Hæc *Macrob.* 2. *Saturn.* 2. suo more descripsit. Apud *Senec.* 4. *Benef.* 18. Quæcumque animalia vaga nascuntur, armata sunt: hominem imbellia cingit; non unguium vis, non dentium terribilem ceteris fecit. *alii rectius leg.* imbecillitas.

IMBELLIS *vel* inbellis, e, adject. (in *privativa et* bellum). Comp. *Imbellior* sub *a.* — Imbellis est contrarius, aut non aptus bello; et quum refertur ad homines, ignavum timidumque et horrentem arma significat, ἄνανδρος, ἀπόλεμος (It. *contrario o non atto alla guerra*, *imbelle*, *timido*, *ignavo*, *poltrone*; Fr. *peu propre à la guerre*, *faible*, *lâche*, *pusillanime*; Hisp. *inepto a la guerra*, *debil*, *poltron*, *cobarde*, *pusilanime*; Germ. *unkriegerisch*, *zum Kriege untüchtig*, *friedfertig*, *friedlich*; Angl. *no suited to war*, *unwarlike*, *effeminate*, *cowardly*, *dastardly*). Occurrit — *a*) De hominibus et brutis animantibus. *Cic.* 1. *Off.* 24. 83. Numquam periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur. *Liv.* 26. 2. Ignavi et imbelles. *Quintil.* 12. 5. 2. Si des arma timidis et imbellibus. *Sall. Jug.* 20. Ipse acer, bellicosus: at is, quem petebat, imbellis, placido ingenio. *Id. ibid.* 67. Strenui et imbelles inulti obtruncari. *Quintil.* 3. 7. 19. Pro viro forti contra imbellem. Similiter *Liv.* 32. 13. Incondita inermisque multitudo mixta imbelli turba. *h. e.* feminarum ac puerorum turba. *Vellej.* 1. 8. 5. Quum aliter firmare urbem novam cum imbelli pastorali manu vix potuerit. *Tac.* 4. *Hist.* 33. *extr.* Cæsorum eo die in partibus nostris major numerus et imbellior; e Germanis ipsa robora. *Horat.* 3. *Od.* 2. 15. Imbellis juventa. *Virg.* 3. *G.* 265. cervi. *Horat.* 4. *Od.* 4. 31. columba. *Ovid.* 1. *Amor.* 10. 20. Imbelles dei. *h. e.* Venus et Cupido. In illo *Virg.* 2. *G.* 171. Qui nunc extremis Asiæ jam victor ab oris Imbellem avertis Romanis arcibus Indum. ex *Furlanetto* imbellis est, qui nulla amplius bella tentat. — *b*) De rebus physicis et abstractis. — Imbellis pro sine bello est apud *Liv.* 10. 1. Ne prorsus imbellem annum agerent, parva expeditio in Umbria facta est. Cf. *eumd.* 9. 45. Ut qui suo nomine per multos annos imbelles egissent. *Claudian. III. Cons. Honor.* 80. Jam negat imbelles epulas. *h. e.* sine bello ac pugna paratas. — Latiori sensu est contrarius, aut non aptus bello, timidus, ignavus, ut diximus. *Cic. Amic.* 13. 47. Rebus injustis justos maxime dolere, imbellibus fortes, flagitiosis modestos. *Alii minus recte leg.* imbecillibus. *Virg.* 2. *Æn.* 544. *de Priamo sene.* Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu Conjecit. *h. e.* debile. *Servius* exponet *inutile.* *Val. Flacc.* 1. 760. ferrumne capessat Imbelle atque ævi senior gestamina primi. *h. e.* ensem jamdiu bello desuetum. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 45. Imbelle Tarentum. *h. e.* otio ac deliciis diffluens et a bellicis studiis alienissimum. Sic *Liv.* 9. 19. Imbellis Asia. *Horat.* 1. *Od.* 6. 10. Imbellisque lyræ Musa potens vetat. *Id. ibid.* 15. 14. grataque feminis Imbelli cithara carmina divides. *Ovid.* 5. *Met.* 114. Imbelle plectrum. *Stat.* 10. *Theb.* 874. carmenque imbelle secuti Thebarum mori. *h. e.* Arionis lyra canentis carmen molle et pacificum. *Val. Flacc.* 5. 362. vittas frondemque imbellis olivæ. *h. e.* pacem portantis. — *Forcellinus* translate accepit illa *Stat.* 3. *Silv.* 5. 84. Quas imbelle fretum torpentibus alluit undis. *h. e.* tranquillum et minime procellosum. Sic *Id.* 3. *Theb.* 255. Non secus ac longa ventorum pace solutum Æquor et imbelli recubans ubi litora somno.

IMBER, bris, m. 3. In Ablativo duplicem positionem habet, in *e* et in *i*, ut *ignis.* — Imber proprie est pluvia vehementius cadens, seu (ut *Apul. de Mundo* definit) agmen aquarum largius ex concretis nubibus effusum; sed et de quavis pluvia usurpatur: e voce Græca, quæ idem significat, ὄμβρος (It. *pioggia*, *acquazzone*, *rovescio di pioggia*; Fr. *pluie*, *ondée*, *averse*; Hisp. *lluvia*, *turbion del agua*; Germ. *der Regen*, *Regensturz*, *Platzregen*; Angl. *a shower of rain*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 2. Quæ opera per imbrem fieri potuerint. *in tempo di pioggia.* *Cic. Dom.* 44. 116. Qui tectum, quo imbris vitandi causa succederet, nullum haberet. *Id.* 6. *Verr.* 40. 86. Erat hiems summa, tempestas perfrigida, imber maximus. *Id.* 13. *Att.* 16. Pedem e villa adhuc egressi non sumus: ita magnos et assiduos imbres habebamus. *Id.* 7. *ibid.* 20. Maximo imbri Capuam veni pridie Nonas. *Id.* 6. *Verr.* 40. 87. Nudus vinctus in aere, in imbri, in frigore. *sotto la pioggia.* *Horat.* 1. *Sat.* 5. 95. Iter factum corruptius imbri. *Id.* 1. *Ep.* 11. 11. imbre lutoque Aspersus. *Ovid.* 11. *Met.* 516. cadunt largi resolutis nubibus imbres. *Virg.* 1. *G.* 333. ingeminant Austri et densissimus imber. *Id.* 3. *Æn.* 693. effusis imbribus atra Tempestas sine more furit. — Similiter *Cic.* 2. *Divinat.* 23. 60. Ita te nec terræ fremitus, nec cæli discessus, nec lapideus et sanguineus imber, nec faces visæ terrebunt. *Id.* 1. *ibid.* 43. 98. Quid quum sæpe lapidum, sanguinis nonnumquam, terræ interdum, quondam etiam lactis

imber defluxit? Cf. *Liv.* 43. 13. Imbri lapidavit. et *Val. Flacc.* 6. 610. magnoque incanuit imbre Caucasus. h. e. nive. — *Hoc tam est in proclivi, quam imber est, quando pluit,* proverbium est translatitium, apud *Plaut. Capt.* 3. 2. 86. de re facillima. — *Imbrem in cribrum gerere,* proverb. apud *eumd. Pseud.* 1. 1. 100. de irrito conatu et opera perdita: sic Itali dicimus *portar l'acqua nel vaglio.*

II.) Translate. ¶ 1. Pro nimbo et procella, *bufera.* *Virg.* 3. *Æn.* 194. et 5. *ibid.* 10. cæruleus supra caput adstitit imber Noctem hiememque ferens. *imber* h. l. non solum pluviam, sed nimbo et procella mixtam significat, densisque et atris nubibus expressam. Cf. *eumd.* 5. *ibid.* 695. ruit æthere toto Turbidus imber aquam. *Lucret.* 6. 107. Nec cohibere nives gelidas et grandinis imbres. ¶ 2. De aqua pluvia. *Tac.* 5. *Hist.* 12. Piscinæ cisternæque servandis imbribus. *l'acqua piovana.* ¶ 3. Poetice de quavis aqua dicitur. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 37. *Müll.* Quoi par imber et ignis, spiritus et gravis terra. h. e. quatuor mundi elementa. Sic *Lucret.* 1. 715. Ex imbri, terra atque anima procrescere et igni. *Id.* 6. 149. ut ferrum Stridit, ubi in gelidum propter demisimus imbrem. *Ovid.* 2. *Amor.* 15. 23. quum calidis perfunderis imbribus artus. *Virg.* 4. *G.* 115. et amicos irriget imbres. Similiter de maris aqua *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 126. ratibusque fremebat Imber Neptuni. *Virg.* 1. *Æn.* 126. laxis laterum compagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt. *Ovid. Heroid.* 18. 104. Coma imbre æquoris madida. *Val. Flacc.* 4. 665. effluit imber Spumeus et magno puppim procul æquore vestit. ¶ 4. Item poetice dicitur de quovis humore, aut alia re, pluviæ modo incidente. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 18. imbre per indignas usque cadente genas. *una pioggia di lagrime.* *Lucan.* 6. 224. cruentus imber. *Stat.* 1. *Theb.* 437. lacera ora, putresque Sanguineo imbre genas. *Claudian. Nupt. Honor.* 101. largos hæc nectaris imbres Irrigat. *Sever. Ætn.* 89. Juppiter ut Danaæ pretiosus fluxerit imber. *Seren. Sammon.* 3. 12. Cessabitque gravis crebræ porriginis imber. h. e. quæ, pectendo caput, in morem pluviæ, aut potius nivis, depluit. Supra dixerat *ibid.* 2. Quum caput immensa pexum porrigine ningit. *Virg.* 12. *Æn.* 284. it toto turbida cælo Tempestas telorum ac ferreus ingruit imber. *Forcellinus* huc retulit etiam illud *Claudian. Cons. Probi et Olybr.* 43. sed largior imbre Sueverat innumeras hominum ditare catervas. h. e. magis liberalis in congiariis, quam imber. — *NB. Imber,* mulus. *V.* UMBER.

IMBERBIS *vel* inberbis, e, *et*

IMBERBUS *vel* inberbus, a, um, adject. (in *privativa* et *barba*) qui est sine barba, *sbarbato, imberbe,* ἀπώγων, ἀγένειος. — *a*) Forma *imberbis* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 34. 83. Non convenire barbatum esse filium (*Æsculapium*), quum pater (*Apollo*) imberbis esset. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 84. turpe putant parere minoribus, et quæ Imberbes didicere etc. *Bentlej.* ex MSS. legit *imberbi.* et *Art. P.* 161. Imberbus juvenis; ubi al. vulgo *imberbis.* *Suetun. Aug.* 31. Lupercalibus vetuit currere imberbes. h. e. adolescentes impuberes. — *b*) Forma *imberbus.* *Lucilius* apud *Non.* p. 493. 27. et apud *Charis.* 1. p. 74. *Putsch.* Imberbi androgyni. *Varro* apud *Non. loc. cit.* Quod maximi sunt iidemque imberbi. Apud *Cic. Dom.* 14. 37. Venire imberbum adolescentulum etc. legit *Charis. loc. cit.*, *al.* imberbem.

IMBĪBO *vel* inbibo, bibis, bibi, bibere, a. 3. (in *et* bibo) humorem attraho et in me recipio, haurio, bibo, εἰσπίνω (It. *bere, imbevere*; Fr. *absorber, s'imbiber, s'imprégner de*; Hisp. *embeberse, empaparse, impregnarse*; Germ. *hineintrinken, in sich trinken oder saugen, einziehen*; Angl. *to drink in, imbibe*).

I.) Proprie. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 85. (135). Radix imponitur carbonibus cupressi, atque is nidor per infundibulum imbibitur in vetere tussi.

II.) Translate. ¶ 1. Transfertur ad alias res physicas. *Nazar. Paneg. ad Constantin.* 13. Oculi imbibunt tenebras. h. e. obscurantur, obcæcantur. ¶ 2. Sæpe ad animum, et significat haurire, percipere, concipere, imbui re aliqua, *imbeversi, concepire.* *Cic.* 2. *Verr.* 14. 42. An iste unquam de se bonam spem habuisset, nisi de vobis malam opinionem animo imbibisset? *Liv.* 2. 58. Tantum certamen animis imbiberant. *Auson. Parental.* 13. Ingenio prior Artes paternas imbibit. ¶ 3. Est et iam in animum inducere, constitutum habere in animo. — *a*) Cum Infinito. *Lucret.* 6. 71. ut ex ira pœnas petere imbibat acres. *Id.* 3. 1010. Qui petere a populo fasces sævasque secures Imbibit. Sic *Cic. Quinct.* 6. *fin.* Quod si facere noluerit, atque imbiberit, ejusmodi rationibus illum ad suas conditiones perducere. h. e. constituerit secum, decreverit. — *b*) Cum Accus. *Liv.* 2. 47. *sub fin.* Neque immemor ejus, quod initio consulatus imbiberat, reconciliandi animos plebis etc.

IMBĪTO *vel* inbito, is, ere. 3. (in et *antiquum* bito, is) inire, ingredi. *Plaut. Epid.* 1. 2. 42. Meam domum ne imbitas.

IMBŎNĪTAS *vel* inbonitas, ātis, f. 3. (in *privativa* et bonitas) incommodum, mala res, *disagio.* *Tertull. ad Martyr.* 3. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis et substrictis, ubi omnis duritia et imbonitas et insuavitas consistit.

IMBRACTEĀTUS *vel* inbracteatus, a, um. *V.* voc. seq.

IMBRACTĔO *vel* inbracteo, as, ātum, are, a. 1. (in et bracteo). Part. *Imbracteatus.* — Imbracteare est bractea obducere. *Ammian.* 14. 6. Statuas æreas auro imbracteari curant. *Id.* 17. 4. Æreum opus auro imbracteatum. *Id.* 2.. 1. Erant autem omnes catervæ Persarum ferratæ, ita per singula membra densis laminis tectæ, ut juncturæ rigentes compagibus artuum convenirent: humanorumque vultuum simulacra ita capitibus diligenter apta, ut imbracteatis corporibus solidis, ibi tantum incidentia tela possint hærere. *V.* CATAPHRACTUS.

IMBREX, icis, f. 3. Masculino quoque genere occurrit apud *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (114). et *Arnob.* 3. 13. — Imbrex est fictile segmentum cylindri, quod duarum tegularum labris inter se junctis imponitur, ne imber per earumdem intervalla in domum influat: differt a tegula, quæ plana est, et duo labra prominentia, seu latera per longum linea inde erecta habet. Etrusci, permutato nomine, nunc *embrice* appellant, quam olim Latini tegulam; *tegola* vero, quam illi imbricem appellabant: at Veneti, qui solis imbricibus ad domorum tecta utuntur, eos vulgo vocant *coppi*; prius enim eosdem supinos disponunt, aliosque pronos duorum supinorum labris imponunt. *Isid.* 19. *Orig.* 10. Tegulæ vocatæ, quod tegant ædes; et imbrices, quod accipiant imbres. *rectius* quod arceant imbres. Gr. καλυπτήρ, σωλὴν (It. *embrice, coppo*; Fr. *tuile faîtière, faîtière*; Hisp. *teja acanalada*; Germ. *d. Hohlziegel*; Angl. *a gutter-tile for carrying off the rain*).

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 1. 2. 28. Tempestas venit: confringit tegulas imbricesque. *Id. Mil. glor.* 2. 6. 24. Meas confregisti imbrices et tegulas. *Sisenna* apud *Non.* p. 125. 18. *Merc.* Dissipatis imbricum fragminibus ac testis tegularum. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (159). Beneficia terræ vel assiduitate satiant figlinarum opera, ad parietes fundamentaque coctis latercuiis, ad tecta imbricibus tegulisque, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis, aut quæ rota fiunt, etiam fictilibus doliis ad vina excogitatis. Ita ex MSS. et *Varron.* 3. *R. R.* 14. et *Isid. loc. cit.* refinxit *Schneiderus* hunc *Plinii* locum ad *Varron. loc. cit.* Aliter tamen legit *Sillig.*, quem videsis. Rursus *Plin. ibid.* 12. 43. (152). Primus personas tegularum extremis imbricibus imposuit. Cl. *Furlanetto* in 1. *Append.* huc retulit etiam *Inscript.* apud *Murat.* 963. 2. C. LVTATIVS C. F. PANSIANVS SIGVLVS AB IMBRICIBVS. h. e. qui imbrices tantummodo, non tegulas facit. At cl. *Labus* in epistola eidem *Furlanetto* data die 11. Augusti ann. 1822. hunc lapidem ficticium putat. — In illo *Virg.* 4. *G.* 296. locum angusti imbrice tecti Parietibusque premunt arctis: *imbrex tecti* est tectum imbricis modo curvatum, *una volta.*

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de quocumque instrumento imbricis formam referente. *Cato R. R.* 21. *imbrices ferreas* vocat laminas imbricatim undatas, quibus tegitur ea axis pars, quæ modiolos orbium implet, ne lignum circumagendo conteratur et foramen majus fiat. *Colum.* 9. *R. R.* 13. 6. *de apib. morbo laborantib.* Rorem marinum aqua mulsa decoctum, imbricibus infusum præbent libandum. *Id.* 2. *ibid.* 2. 9. Fossas patentes, apertas summa parte declivesque et ad solum coarctatas, imbricibus supinis similes facere conveniet; nam quarum recta sunt latera, celeriter aquis vitiantur et superioris soli lapsibus replentur. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (114). Pomorum calamos servari inter duos imbrices, juxta rivos vel piscinas; utrimque terra obstructos. ¶ 2. Hinc *Martial.* 2. 37. Quidquid ponitur, hinc et inde verris: Mammas suminis imbricemque porci. h. e. auriculam, quæ imbricis modo convoluta est. Alii vulvam, aut vertebram, aut costas interpretantur, vel potius lumbulum, quam vocem vide suo loco. ¶ 3. *Imbrex narium* est cavum interius membrana divisum. *Arnob.* 3. 13. Suspensum imbricem narium, munctionibus mucculentis et spiritui commeabilem tractui. ¶ 4. De peculiari quodam plaudendi genere, quod manuum cavitate fiebat. *Sueton. Ner.* 20. Quinque amplius millia elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent (bombos et imbrices et testas vocabant) operamque navarent cantanti sibi. *V.* BOMBUS. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

IMBRĬĀLIS, e, adject. ab imbre profectus, *piovano.* *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. Aqua imbriali admista, quam vulgo cisterninam vocant. Sic *Id.* 5. *ibid.* 10. *a med.* Potui aqua imbrialis offerenda, quam vulgo cisterninam vocant.

IMBRĬCĀTIM, adverb. imbricum modo, γεισσοειδῶς. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 33. 52. (103). Jam distinctione virgatata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim undata.

IMBRĬCĀTUS, a, um. *V.* IMBRICO.

IMBRĬCĬTOR, ōris, m. 3. (imber et cieo) imbres ciens. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Concurrunt veluti venti, quum spiritus Austri Imbricitor etc. *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. *a med.* Apollo deus imbricitor. τοὺς ὄμβρους θεὶς. *Apul. de Mundo.* Juppiter dicitur et fulgurator et tonitrualis et fulminator, etiam imbricitor, et item serenator.

IMBRĬCO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Imbricatus* 2. — Imbricare ¶ 1. Est imbricibus tegere, ἀπογεισσόω. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. Tegulis interjacentibus imbricarentur. *Gloss. Philox.* Imbrico, καλυπτηρίζω. ¶ 2. Item est in modum imbricis facere, quo sensu occurrit Part. *imbricatus,* et est imbricum figuram referens. *disposto a guisa di embrici.* *Vitruv.* 2. 8. Incerta vero cæmenta alia super alia sedentia inter se imbricata non speciosam, sed firmiorem, quam reticulata, præstant structuram. *Plin.* 15 *Hist. nat.* 30. 39. (127). Laurus folio per margines imbricato. *Id.* 11. *ibid.* 1. 1. (1). Superne tantum imbricatis vertebris. h. e. alia super aliam insidente. *Id. ibid.* 45. 101. (217). Ungues simiæ imbricati.

IMBRĬCO, is, ere, a. 3. in modum imbris depluo, madefacio. *Gloss. Philox.* Imbricitur, ὀμβροῦται, βρέχεται.

IMBRĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* imbrex, parvus imbrex. *Isid.* 19. *Orig.* 10. 14. Quæ coctis latercuiis ad tecta imbriculis tegulisque aptantur. *nisi forte mendum sit pro* imbricibus.

IMBRĬCUS, a, um, adject. imbres ferens, pluvius, *piovoso,* ὀμβροφόρος. *Plaut. Merc.* 5. 2. 35. Hic Favonius serenus est, hic Auster imbricus. *Paul. Diac.* p. 109. 1. *Müll.* Imbrica tempestate pluviam videtur significare. *Macrob.* 5. *Saturn.* 20. *ad fin.* Ut hiems serena sit, solstitium vero imbricum.

IMBRĬDUS, a, um, adject. idem quod imbricus. *Solin.* 4. Cælum imbridum. *Pallad.* 2. *R. R.* 13. 1. Solum siccum potius, quam nimis imbridum.

IMBRĬFER, fĕra, fĕrum, adject. imbres ferens, *che apporta pioggia,* ὀμβροφόρος. *Virg.* 1. *G.* 313. Ver imbriferum. *Ovid.* 13. *Met.* 725. Imbriferi Austri. *Colum.* 3. *R. R.* 5. 4. Ubi aut uliginosa regio est, aut cæli sunt imbriferi. *Martial.* 1. 62. Imbrifer Nilus. h. e. qui aquis exundantibus imbrium vices præstat. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 217. Hos (*morbos*) manet imbrifero pallens auctumnus hiatu.

IMBRĬFĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

IMBRĬFĬCO, as, ātum, are, a. 1. (imber et facio) Part. *Imbrificatus.* — Imbrificare est imbre madefacere, irrigare. *Capell.* 6. p. 191. terram Aer complectens imbrificabat aquis. *Id.* 2. p. 31. Modo nubibus imbrificatis. h. e. imbribus repletis.

IMBRĬGĔNUS, a, um, adject. genitus ab imbre. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 406. *Burmann.* Ut mersa imbrigenis unda nivescat aquis. *Alii tamen leg.* indigenis.

IMBRŪMOR, āris, ari, dep. 1. *Isid.* 5. *Orig.* 35. 6. Bruma dicitur a cibo, quod major tunc sit vescendi appetitus. Edacitas enim Græce βρῶμα appella-

iur; unde et imbrumari dicuntur, quibus fastidium est ciborum.

IMBUBINO, as, are, a. 1. inquinare, fœdare: est a *bubino*, quam vocem vide suo loco. *V.* vocem seq.

IMBULBITO, as, are, a. 1. a βόλβιτον *stercus* (*V.* BOLBITON), aut a *balbutire* ut placet *Döderlein. latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 41., est stercore inquinare. *Paul. Diac. p.* 32. 1. *Müll.* Bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinare. Lucilius: *Hæc, inquit, te imbubinat, at contra te imbulbitat ille.* Imbulbitare est pueriti stercore inquinare, dictum ex fimo, quod Græci appellant βόλβιτον.

IMBULUS, i, m. 2. locus ad ambulandum aptus. *Isid.* 15. *Orig.* 2. Imbuli, vel quia sub volumine sunt, vel quia sub iis ambulant; sunt enim porticus hinc inde platearum. *Gloss. Isid.* Imbulus, ab ambulando, ambulatorium.

IMBUO *vel* inbuo. buis, bui, butum, buere, a. 3. Part. *Imbuens* I.; *Imbutus* in omnibus paragr.; *Imbuturus* et *Imbuendus* II. 1. *Charis.* 5. *p.* 266. *Putsch.* docet, Latine dici *imbue puerum rubrica, et rubricam*: quod posterius adhibuisse videtur *Martial.*, si accusativum se subintelliges, 7. 26. hoc facetum carmen inbuant aures. — Ratione habita etymi, *Voss.* ducit a βύω *impleo*; unde *bua* et *ex-buæ*; quorum aliquo modo consentire videtur *Döderlein.* (*latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 165.) qui ἐμ-βύειν vult esse primum et causativum verbi *imbibendi*: item et alii, qui deducunt ab etymo *bi* verbi *bibo*, quod ab etimo πιω verbi πίνω, causali significatione. Imbuere enim (ut docet *Paul. Diac. p.* 109. 8. *Müll.* Imbutum est, quod cujuspiam rei succum perbibit) est liquore perfundere, tingere, madefacere, ita ut liquor ebibatur et maneat, ἐμβρέχω, ἐμβάπτω (It. *bagnare, tingere, inzuppare*; Fr. *arroser d' un liquide, imbiber, imprégner, baigner*; Hisp. *empapar, embeber, bañar*; Germ. *mit etwas befeucten, benetzen, anfeuchten*; Angl. *to wet, moisten, steep, sook, imbrue, imbue*).

I.) Proprie. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 15. Quibus liquoribus mundam lanam imbuere oportebit, ut insistentes apes succum evocent. *Cn. Matius* apud *Gell.* 20. 9. Tapetes, quos concha purpura imbuens venenavit. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 8. 8. (33). Imbuere cados amurca. *Ovid. Ib.* 131. Gutturaque imbuerant infantia lacte canino. *Cic.* 14. *Phil.* 3. 6. Imbuti sanguine gladii legionum, vel madefacti potius. *hinc imbutus minus est, quam madefactus. Varro* apud *Non. p.* 521. 6. *Merc.* At regis ensis sanguine imbutus nigro. *Virg.* 7. *Æn.* 554. Quæ fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma. *Vellej.* 1. 20. 1. Hoc primum anno sanguine consulis Romani militis imbutæ sunt manus. *Ovid.* 9. *Met.* 153. Vestis imbuta sanguine. *Id.* 4. *Trist.* 1. 77. Tela imbuta veneno. *Horat. Epod.* 5. 65. Munus tabo imbutum. *Id.* 1. *Ep.* 2. 69. Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu. *Id.* 1. *Od.* 13. 15. oscula, quæ Venus Quinta parte sui nectaris imbuit. *Ovid.* 4. *Met.* 252. imbutum cœlesti nectare corpus. — Similiter *Virg.* 1. *Ecl.* 7. illius aram Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus. *Ovid.* 2. *Pont.* 1. 65. Imbuero Scythicas si non prius ipse sagittas. *h. e.* vulneratus meo inficiam sanguine. — Item poetice *imbutus* pro affecto, prædito. *Lucret.* 2. 502. pavonum ridenti imbuta lepore Sæcla, novo rerum superata colore jacerent. *Alii leg.* induta. *Id.* 2. 734. Neve alium quemvis quæ sunt imbuta colorem.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est implere, inquinare, fœdare. *Accius* apud *Non. p.* 521. 8. *Merc.* Credite, amici morte me imbuturum manus. *Liv.* 4. 31. Colonorum cæde imbutis armis. Sic *Ovid.* 2. *Art. am.* 714. Imbutæ cæde manus. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 36. Imbutas præda manus in direptionem Galliarum erupturas. *avendo gustata la preda.* — *Cic.* 5. *Phil.* 7. 20. Quum autem semel gladium scelere imbuisset, nulla res ei finem cædendi attulisset. *Id.* 3. *ibid.* 3. 4. Hac ille crudelitate imbutus. *Id.* 1. *Fin.* 18. 60. Imbutus superstitione. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 4. formidine nulla. *Tac.* 13. *Ann.* 4. Juventa armis civilibus, aut domesticis discordiis imbuta. *Cic. Fontej.* 14. 31. Sociale bellum macula sceleris imbutum. *Id. Dom.* 23. 60. Bellum omni odio imbutum. — *Varro* 1. *R. R.* 17. 4. Qui prævint, aliqua sint humanitate imbuti. *Cic.* 1. *Divinat.* 42. 93. Etrusci, quod religione imbuti studiosius et crebrius hostias immolabant. *Liv.* 21. 39. *a med.* Imbutus admiratione. *pieno, imbevuto. Tac.* 2. *Hist.* 85. Legiones imbutæ favore Othonis. *h. e.* jam antea Othoni faventes. *Id.* 1. *ibid.* 5. Miles urbanus longo Cæsarum sacramento imbutus. *allevato, assuefatto. Stat.* 11. *Theb.* 661. sævis imbutus amoribus aulæ. *Liv.* 40. 11. Imbuti illinc et infecti Romanis delenimentis redeunt. *Id.* 42. 26. Solos Rhodios fluctuantes et imbutos Persei consiliis invenisse. *Curt.* 4. 10. 7. Non esse talibus promissis imbuendas aures militum. *h. e.* implendas. Cf. *Tac.* 4. *Hist.* 7. Honestis sermonibus alicujus aures imbuere. ¶ 2. Speciatim refertur ad institutionem: et est rudem, et, ut ita dicam, recentem animum implere doctrina, opinione, institutione, quæ alte insideat et permaneat: idque in utramque partem. *Cic. Dejot.* 10. 28. Quibus ille studiis ab ineunte ætate se imbuerat. *Id.* 10. *Phil.* 10. 20. Nos ita a majoribus instituti atque imbuti sumus, ut etc. *Id.* 2. *Orat.* 39. 162. Qui et doctrina liberaliter institutus et aliquo jam imbutus usu et satis acri ingenio esse videatur. *Id.* 1. *Off.* 32. 118. Parentum præceptis imbuti. *Vellej.* 2. 129. 2. Quibus præceptis instructum Germanicum suum imbutumque rudimentis militiæ secum actæ etc. *Liv.* 5. 2. Imbutum jam a juventa certaminibus plebejis. *Plin.* 8. *Ep.* 14. Adolescentuli castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo assuescerent. *Tac. Dial. de orat.* 31. Imbui grammatica, musica, geometria. *Cic.* 14. *Att.* 13. n. 4. Pueri animum tenerum bonis opinionibus imbuere. *Id.* 2. *Fin.* 5. 16. Extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti sumus. *Id.* 1. *Tusc.* 13. 30. Nemo est tam immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. *Liv.* 1. 21. Ea pietate omnium pectora imbuerat, ut etc. *Flor.* 2. 3. 3. Quotidiani hostes tirocinia militum imbuebant; neque aliter utraque gente, quam quasi cote quadam, populus Romanus ferrum suæ acuebat virtutis. — In malam partem. *Liv.* 9. 43. Malo tirocinio hostem imbuere. *Id.* 26. 2. *a med.* Honeste genitos, liberaliter educatos servilibus vitiis imbuisse. *Curt.* 6. 6. Paullatimque servilibus ministeriis tot victores gentium imbuere, et captivis pares facere expetebat. *h. e.* exsequi ministeria condocefacere. *Nepos Dion.* 4. Filium ejus sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. *Tac.* 4. *Hist.* 72. Militem licentia sævitiaque imbuere. — Cum Accusativo et præpos. *ad. Tac.* 12. *Ann.* 32. Imbuere socios ad officia legum. Cf. *Cic. Mil.* 4. 10. Est hæc non scripta, sed nata lex: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus. *imbevuti sin da fanciulli.* — Cum Accus. communi *Tac.* 5. *Hist.* 5. Nec quicquam prius imbuuntur, quam contemnere deos. — De brutis animantibus. *Imbuere bovem* est domare et jugum pati consuefacere. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 45. 70. (180). Optime cum domito juvencus imbuitur. — Interdum *imbutus* dicitur de iis, qui leviter sunt re aliqua instituti; quod tamen ex adjunctis patet. *Cic.* 1. *Tusc.* 7. 14. An tu dialecticis ne imbutus quidem es? In primis enim hoc traditur etc. Cf. *Quintil.* 1. 2. 16. Nec sane quisquam litteris saltem leviter imbutus etc. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 7. Verna litterulis Græcis imbutus. *Sueton. Gramm.* 4. Quum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem litteratum in titulo, sed litteratorem inscribi solitum esse: quasi non perfectum litteris, sed imbutum. *tinto, infarinato. Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (84). Sex mensium tempore imbutus alloquio. *avendo alquanto appreso la lingua.* ¶ 3. Item speciatim apud Poetas est re intacta adhuc et nullo usu trita uti incipere. *Catull.* 64. 11. Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten. *h. e.* prima navigavit. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 51.; et *Val. Flacc.* 1. 69. ignaras Cereris qui vomere terras Imbuit. *h. e.* primus aravit. *Martial.* 8. 51. Imbuere phialam nectare. *empiere per la prima volta. Virg.* 7. *Æn.* 541. Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum Imbuit et primæ commisit funera pugnæ etc. *Sil. It.* 3. 65. conjux juvenem primo imbuit Hymenæo. *Propert.* 4. 10. 5. Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ. *h. e.* inchoas, instituis, primus exemplum præbes. *Ovid.* 1. *Art. am.* 654. Et Phalaris tauro violenti membra Perilli Torruit; infelix imbuit auctor opus.

IMBURUM. *V.* voc. seq.

IMBURVUM fictum ab urvo, quod ita flexum ut redeat sursum versus; ut in aratro quod est urvum. Ita *Varro* 5. *L. L.* 127. *Müll. Imburvum* eodem modo compositum esse videtur, quo *imbuo* et *comburo*. *Forcellinus* in veteribb. editt. legebat *imburum*, atque hæc addebat: Sed ibi *Scalig.* mendum agnoscit, eamque vocem nihili existimat. *V.* URINOR.

IMBUTAMENTUM, i, n. 2. doctrina, eruditio, instructio. *Fulgent. Mythol.* 1. *proœm.* Variis dogmatum imbutamentis lasciva Græcorum præstruens corda. *Cave usurpes.*

IMBUTUS *vel* inbutus, a, um. *V.* IMBUO.

IMITABILIS, e, adject. Comp. *Imitabilior.* — Imitabilis est, quem quis potest imitari, *che si può imitare, imitabile*, μιμητός. *Cic. Orat.* 33. 76. Nam orationis subtilitas imitabilis quidem illa videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus. Adde *Quintil.* 10. 1. 61. et 10. 2. 12. et 19. *Plin.* 7. *Ep.* 20. Tu mihi maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris. *Virg.* 6. *Æn.* 590. non imitabile fulmen. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 77. Est tamen ex illo nobis imitabile quiddam: Inque fide Theseus quilibet esse potest. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 33. (112). Neque est gemma alia imitabilior mendacio vitri. *più facile ad essere contraffatta.*

IMITAMEN, inis, n. 2. imitatio, tum abstracto, tum concreto, uti ajunt, sensu occurrit apud *Ovid.* tantummodo. — *a*) In sing. num. *Ovid.* 11. *Met.* 626. Somnia, quæ veras æquent imitamine formas. — *b*) In plur. num. *Id.* 4. *ibid.* 445. Pars alias artes (*celebrant*) antiquæ imitamina vitæ. *Id.* 15. *ibid.* 199. Quid? non in species succedere quattuor annum Aspicis, ætatis peragentem imitamina nostræ? *Id.* 4. *Fast.* 211. priscique imitamina facti.

IMITAMENTUM, i, n. 2. imitamen, simulatio, *imitazione, somiglianza, simulazione*, tum abstracto, tum concreto, uti ajunt, sensu. — *a*) In sing. num. *Ammian.* 22. 13. Simulacrum Olympiaci Jovis imitamenti æquiparans magnitudinem. *della statua o ritratto.* — *b*) In plur. num. *Tac.* 14. *Ann.* 57. Plautum magnis opibus, ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta præferre. *Id.* 13. *ibid.* 4. Peractis tristitiæ imitamentis, curiam ingressus etc. *Gell.* 7. 5. *de Polo histrione.* Opplevit omnia non simulacris, neque imitamentis, sed luctu atque lamentis veris et spirantibus.

IMITATIO, onis, f. 3. actus imitandi, simulatio, æmulatio, μίμησις (It. *imitazione, contraffacimento*; Fr. *action d' imiter, imitation, copie*; Hisp. *imitacion, copia*; Germ. d. *Nachahmung*; Angl. *an imitation, counterfaiting*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 17. Æmulatio dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude et in vitio nomen hoc sit; nam et imitatio virtutis æmulatio dicitur, etc. Cf. *Quintil.* 1. 2. 26. Rursus *Cic.* 14. *Phil.* 6. 17. Uti excellentium civium virtutem imitatione dignam, non invidia putarent. *Id.* 3. *Off.* 1. 1. Si minus imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus. *Id.* 2. *de republ.* 42. Ut ad imitationem sui vocet alios. *Quintil.* 11. 3. 10. Imitatio antiquitatis. *Id.* 9. 2. 59. nostrorum dictorum factorumque. *Id.* 2. 4. 41. tori consiliorumque. *Cic. Flacc.* 11. 24. Prodere reliquis in posterum periculosam exempli imitationem. *Tac.* 16. *Ann.* 18. Vitiorum imitatio. Rursus *Cic.* 3. *Orat.* 57. 215. In omni re vincit imitationem veritas. *Id. ibid.* 12. 45. Sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis, aut imitationis afferre videatur. *Id.* 2. *ibid.* 45. 189. Si in ejusmodi genere orationis nihil esset nisi falsum et imitatione simulatum. *Plin.* 4. *Ep.* 28. Quum est arduum similitudinem effingere ex vero (*fare un ritratto*), tum longe difficillima est imitationis imitatio. *far la copia di un ritratto.* ¶ 2. Speciatim apud Rhetores de oratoria imitatione agitur, quam sic definit *Cic.* 1. *Herenn.* 2. 3. Imitatio est, in qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum similes in dicendo velimus esse. De ipsa fuse *Id. Cic.* 2. *Orat.* 22. et 23.; et *Quintil.* 10. 2. ¶ 3. Item apud Rhetores, imitatio est ὀνοματοποιία, ut vagire, rudere, mugire etc. *Cic.* 4. *Herenn.* 31. 42.

Homonym. Inter *imitationem* et *æmulationem* discrimen est, quod *imitatio* studium et diligentiam et similitudinis amorem fere significat; *æmulatio* sæpe habet conjunctam contentionem et invidiam et superandi cupiditatem. V. *Cic. loc.* allatum init.

sub 1. Similia habet *Non* p. 437. 3. *Merc.* Ea tamen perpetua non sunt.

IMĬTĀTĪVUS, a, um, adject. qui aliquid imitatur. *Diomed.* 3. p. 479. *Putsch.* Poematis genera sunt tria. Aut enim activum est vel imitativum, quod Græci δραματικὸν vel μιμητικὸν dicunt etc.

IMĬTĀTOR, ōris, m. 3. qui imitatur, *imitatore, contraffacitore, simulatore*, μιμητής. — a) Cum Genitivo. *Cic.* 3. *Legg.* 14. 31. Nec enim tantum mali est peccare principes, quantum illud, quod permulti imitatores principum existunt. *Quintil.* 10. 1. 74. Imitatores Thucydidis. *Id.* 12. 10. 14. Imitatores Atticorum. *Inscript.* mutila apud *Henzen.* 6188. ...... CAESARIS LVSOR MVTVS, ARGVTVS IMITATOR TI. CAISARIS AVGVSTI QVI PRIMVM INVENIT CAVSIDICOS IMITARI. *Cic. Vatin.* 9. 22. Quæro, num quis ante te fuerit tam nefarius, qui id fecerit? ut sciamus, utrum veterum facinorum sis imitator, an inventor novorum. *Id. Marcell.* 1. 2. Æmulus atque imitator studiorum meorum. *æmulus* est, qui cupit et contendit similia facere; *imitator*, qui imitando assequitur. *Nepos Att.* 18. Moris majorum summus imitator fuit. *Ovid.* 2. *Fast.* 717. Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis. *Id.* 14. *Met.* 618. imitator fulminis. — b) Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 54. 219. Natura fingit homines et creat imitatores et narratores facetos. *Horat. Art. P.* 134. nec desilies imitator in arctum. *Id.* 1. *Ep.* 19. 19. O imitatores, servum pecus. *scil.* ii, qui nihil aliud, quam aliorum vestigiis insistere sciunt.

IMĬTĀTRIX, icis, f. 3. quæ imitatur, *imitatrice*. *Cic.* 1. *Legg.* 17. 47. Imitatrix boni voluptas. *Id.* 3. *Tusc.* 2. 4. Fama popularis, quæ se gloriæ imitatricem esse vult. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 23. 33. (60). Imitatrix alias avis ac parasita et quodam genere saltatrix.

IMĬTĀTUS, a, um. *V.* IMITOR.

IMĬTO, as, etc. *V.* voc. seq.

IMĬTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Activa quoque forma occurrit *Imito, as, atum, are*. Sic *Liv. Andron.* apud *Non. p.* 473. 22. *Merc.* Si malos imitabo. *Varro* apud *eumd. ibid.* Tuum opus nemo imitare potest. Et Part. *Imitatus* passive apud *Cic. Tim.* 3. Imitata et efficta simulacra. *fatti ad imitazione. Quintil.* 11. 3. 61. Quum sint alii veri affectus, alii ficti et imitati. *Ovid.* 9. *Met.* 481. Testis abest somno, nec abest imitata voluptas. — *Imitarier* paragoge pro *imitari* est apud *Plaut. Capt.* 3. 1. 25. — Supinum *Imitatu, da imitarsi*, apud *Val. Max.* 4. 6. Opera ardua imitatu, ceterum cognosci utilia. — Part. *Imitans* et *Imitandus* 1. et 2.; *Imitaturus* 2. — Ratione habita etymi, est a μιμέομαι, quæ vox idem significat, omissa priore littera, ut docet *Forcellinus*; vel, ut aliis placet, ab etymo *im*, unde *imago*, *similis* etc. Ceterum imitari ¶ 1. Generatim est simile facere, imitatione exprimere, simulare, μιμέομαι (It. *imitare, contraffare, somigliare, simulare*; Fr. *représenter fidèlement, copier, reproduire, simuler, feindre*; Hisp. *imitar, copiar, reproducir, simular*; Germ. *nachahmen, ähnlich darstellen, nachmachen, nachbilden*; Angl. *to imitate, seek to resemble, copy after, counterfeit*). *Cic. Orat.* 22. 74. Pictor vidit obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari. *ritrarre, esprimere. Id.* 3. *Off.* 2. 10. Ut nemo pictor esset inventus, qui Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret: oris enim pulcritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat. *Id. Brut.* 18. 70. Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem. *pajano naturali. Id.* 3. *Nat. D.* 30. 74. Imitari chirographum alicujus. *Id.* 9. *Fam.* 20. In ea cœna coquus meus, præter jus fervens, nihil potuit imitari. *Horat. Art. P.* 33. faber ungues Exprimet et molles Imitabitur ære capillos. *Id.* 2. *Ep.* 2. 8. argillâ quidvis imitabitur uda. Cf. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 202. Nunc ebur et fulvum vultus imitabitur aurum. *Cic. Rosc. com.* 7. 20. Qui (*Chærea*) quamobrem Roscium similem sui in fraude et malitia existimarit, nihil videtur: nisi forte, quod præclare hunc imitari se in persona lenonis animadvertit. *Id.* 3. *de republ.* 33. Nihil ista, quæ populi speciem et nomen imitatur, immanius bellua est. *Id. Brut.* 36. 137. De industria, tum verbis, tum etiam ipso sono quasi subrustico prosequebatur atque imitabatur antiquitatem. *Id.* 3. *Orat.* 47. 380. Qui non heroum veteres casus fictosque luctus vellem imitari atque adumbrare dicendo. *Sueton. Vesp.* 19. Imitans, ut est mos, facta et dicta vivi. *Gell.* 9. 9. Quando ex poematis Græci vertendæ imitandæque sunt insignes sententiæ. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 45. omnia veros imitantia casus. *Id.* 8. *Met.* 736. faciem liquidarum imitatus aquarum. *Id.* 5. *ibid.* 299. imitantes omnia picæ *Virg.* 4. *G.* 72. vox sonitus imitata tubarum. *Ovid.* 2. *Met.* 2. pyropus imitans flammas. *Id.* 2. *Trist.* 515. scribere mimos imitantes turpia. *rappresentanti. Liv.* 7. 2. Imitari carmina. *h. e.* gesticulando exprimere atque repræsentare. *Cic.* 2. *Divinat.* 27. 58. Humor allapsus potest sudorem imitari. *simulare. Ovid.* 1. *Art. am.* 617. facite imitantibus este puellæ. *a chi finge di amare. Tac.* 1. *Hist.* 33. Imitari principem. *far da principe. Tibull.* 3. 6. 33. difficile est imitari gaudia falsa. *fingere, simulare.* Sic *Tac.* 1. *Ann.* 24. Vultu, quamquam mœstitiam imitarentur, contumaciæ propiores. — Interdum et de natura dicitur, quæ hominis artificia exprimere videtur. *Curt.* 3. 9. 2. Munimenta, quæ manu ponimus, naturali situ imitante. — Poetice. *Virg.* 2. *G.* 204. putre solum arando imitari. *h. e.* colendo efficere, ut putre reddatur: nam aratione et subactione terra resolvitur *Id.* 11. *Æn.* 893. robore duro, Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis. *h. e.* robore et sudibus pro ferro utuntur, eamdemque iis pugnam, non secus ac si ferrum haberent. *Id.* 3. *G.* 379. et pocula læti Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis. *h. e.* pro vino, quod non habent, his utuntur. ¶ 2. Hinc ad actus transfertur, quibus aliorum vivendi agendique rationem exprimimus, sive alterius vestigia sequimur. *Plaut. Cas.* 2. 8. 7. Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam. *Cic.* 1. *de repub.* 36. Imitabor ergo Aratum, qui magnis de rebus dicere exordiens, a Jove incipiendum putat. *Id. ibid.* 38. Imitor Archytam illum Tarentinum, qui etc. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 3. 10. Quanto magis philosophi delectabunt, si, ut illi (*poetæ*) Æschylum, Sophoclem, Euripidem, sic hi Platonem imitentur, Aristotelem, Theophrastum? Oratores quidem laudari video, si qui e nostris Hyperidem sint aut Demosthenem imitati. *Id.* 2. *Orat.* 22. 90. Accedat exercitatio, qua illum, quem arte delegerit, imitando effingat atque exprimat. *Id. Orat.* 5. 19. Quem (*eloquentem*) si imitari atque exprimere non possumus, at, qualis esse debeat, poterimus fortasse dicere. *Cæsar ad Oppium* apud *Cic.* 9. *Att.* 8. A. Præter L. Sullam, quem imitaturus non sum. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 17. Hoc stabant, hoc sunt imitandi. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (126). Quem postea imitati sunt multi, æquavit nemo. Alter *Plin.* 7. *Ep.* 20. Tu mihi maxime imitandus videbaris. *Quintil.* 10. 2. 24. Qui maxime imitandus et solus imitandus est. *Cic. Orat.* 53. 177. Ipsi sibi imitandi fuerunt. *Id.* 1. *de republ.* 18. Noster ille amicus dignus huic ad imitandum. *Id.* 2. *ibid.* 20. In omni genere hujus populi consuetudinem videtur imitatus. *Id.* 3. *Fam.* 8. Non dicam plura, ne, in quo te objurgem, id ipsum videar imitari. *Id.* 1. *Off.* 24. 83. In adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est. *Id. Amic.* 19. 70. Quod faciendum imitandumque est omnibus. *Id.* 2. *Fin.* 44. 114. Factum præclarum expositum ad imitandum.

IMĬTUS, adverb. (imus) ex imo, funditus, ex profundo, *sin dal fondo. Gell.* 17. 10. Atque ille Græcus (*Pindarus*) quidem fontes imitus ignis eructare et fluere amnis fumi, luculente dixit. *Sed meliores libri recte habent* imitatus. *Apul.* 9. *Met.* Terra dehiscente imitus. *Arnob.* 5. 10. Nondum tonitrus patrios jam mugiens imitus intusque referebat. Ita *Salmasius*: at *Orellius* pro *imitus intusque* habet *imitatus*.

IMMĂCŬLĀBĬLIS *vel* inmaculabilis, e, adject. (in *negativa et* maculo) qui maculari non potest, non maculabilis. *Auson. Gratiar. act. ad Gratian. Imp.* 27. Mente pura, immaculabili conscientia, cogitatione sincera.

IMMĂCŬLĀTĒ *vel* inmaculate, adverb. (immaculatus) sine macula. *Venant.* 10. *Exposit. Orat. domin.* Quisquis ergo Patrem illum appellat, sicut decet Filium, sic vitam suam immaculate dispenset.

IMMĂCŬLĀTUS *vel* inmaculatus, a, um, adject. (in *negativa et* maculo). Sup. *Immaculatissimus.* — Immaculatus est non maculatus, non pollutus, *immacolato*, ἀμίαντος. *Lucan.* 2. 736. Abscondat Fortuna nefas, Romanaque tellus Immaculata sui servetur sanguine Magni. *Augustin de Natur. et Grat.* 63. Ut ad illam immaculatissimam puritatem Ecclesia sancta perveniat. Adde *Vulgat. interpr. Exod.* 29. 1., *Levit.* 1. 3. et alibi sæpe.

IMMĂCŬLO *vel* inmaculo, as, are, a. 1. (in *intens. et* maculo) idem quod maculare, polluere. *Firmic.* 4. *Mathes.* 16. Nullus invidiæ livor immaculet.

IMMĂDĔO *vel rectius*

IMMĂDESCO *vel* inmadesco, madescis, mădui, mădescere, n. inchoat 3. (in *intens. et* madesco). Extra præteritum nullum adhuc usum vidimus; præter quam in *Gloss. Isid.* Immaduescit, bibendo totus infunditur. — Immadesco est idem quod madesco, madidus fio, *farsi molle, essere bagnato*, ἐμβρέχομαι. *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 34. Credibile est lacrimis immaduisse genas. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 5. 3. (39). Quum terra a siccitate continua immaduit imbre. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 73. tenuis graviore Favonius Austro immaduit.

IMMĂDĬDO *vel* inmadido, as, are, a. 1. (in *intens. et* madido) madefacere. *Ambros. in Luc.* 7. 9. Nubem, quæ nos non pluvialibus aquis immadidet, sed etc.

IMMĂDĬDUS *vel* inmadidus, a, um, adject. (in *intens. et* madidus) idem quod Græcum ἔνυγρος, madidus vel valde madidus. *Avien. Prognost.* 84. Aeris immadidum quoddam tellure creatum Spiramenta vomunt.

IMMĀNĔ *vel* inmane, adverb. Comp. *Immanius V.* in IMMANITER. — Immane, ab *immanis*, occurrit translate tantum, et est feroci ac terribili ratione vel modo. *Lucret.* 5. 1062. canum mollia ricta Immane fremunt. *Virg.* 10. *Æn.* 726. leo hians immane. *Id.* 7. *ibid.* 510. rapta spirans immane securi. *Claudian. cons. Mall. Theod.* 237. torrentes immane fremant. — *Immane quantum* est mirum quantum: *V.* IMMANIS I. in fin.

IMMĂNĔO *vel* inmaneo, es, ere, n. 2. (in *et* maneo) idem quod manere, in aliqua re manere, immorari. *Augustin.* 2. *de Genes. ad litt.* 4. *extr.* Si potest aqua ad tantas guttarum minutias pervenire, ut super istum aerem vaporaliter feratur, qui natura levior est aquis; cur non possit et super illud levius cælum minutioribus guttis et levioribus immanere vaporibus? *Est qui legit* immanare, *sed minus recte.*

IMMĀNĬFESTUS *vel* inmanifestus, a, um, adject. (in *negativa et* manifestus). Comp. *Immanifestior.* — Immanifestus est non manifestus, obscurus. *Rufinus p.* 2710. *Putsch.* Immanifesta vocant hæc carmina voce Latini. *Mar. Victorin.* 3. *p.* 2513. *Putsch.* Illa, quæ Græci ἀνεμφαίνοντα, nos immanifesta dicimus. Adde *Boeth. p.* 690. et 697. *Id. Boeth. Aristot. Topic.* 4. 4. *p.* 691. Nam immanifestius est semper in abscessu et inductione quod secuturum est.

IMMĀNIS *vel* inmanis, e, adject. Comp. *Immanior* et Sup. *Immanissimus* II. — Ratione habita etymi *immanis* juxta nonnullos est ab *in* intens. et *magnus* (V. *Döderlein. latein. Synonym. vol.* 1. *p.* 45., *vol.* 3. *p.* 222. et *vol.* 6. *p.* 165.); juxta *Creuzer.* est a *manu*, ita ut immanis dicatur quod manibus tractari non potest; quidam ducunt ab ἐμμανής *furens*, aut ab *inhumanus*; *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. ab *in* privativa et antiq. voc. *manus* seu *manis*, bonus, quod præstare videtur (V. *Seyffert.* ad *Cic. Amic.* 14. 50.). Ceterum immanis est ingens, vastus, enormis, modum excedens, aliquando ita ut timore et stupore animos repleat (It. *smisurato, enorme, immane, spaventevole*; Fr. *prodigieusement grand, énorme, immense, épouvantable*; Hisp. *enorme, desmesurado, espantable*; Germ. *ungeheuer, unermesslich, schrecklich*; Angl. *huge, vast, enormous, exceeding great, immane, dreadful*).

I.) Proprie occurrit fere de rebus physicis aut abstractis. — *a*) Generatim. *Lucret.* 5. 34. immani corpore serpens. *Id.* 3. 1000. Quamlibet immani projectu corporis (*Tityos*) exstet. *Cæs.* 4. *B. G.* 1. Quæ res et cibi genere et quotidiana exercitatione vires alit et immani corporum magnitudine homines efficit. *Id.* 6. *ibid.* 16. Simulacra immani magnitudine. *Cic.* 5. *Verr.* 46. 110. Ingens immanisque præda. *Id. Rosc. com.* 8. 23. Illa fuit pecunia immanis, hæc parvula. *Id.* 2. *Phil.* 25. 63. Inter

cœnam, in ipsis tuis immanibus illis poculis. *Lucret.* 4. 412. immania ponti Æquora, substrata ætheriis ingentibus oris. *Virg.* 6. *Æn.* 237. spelunca vasto immanis hiatu. *Id. ibid.* 11. Antrum immane. *Id.* 8. *ibid.* 215. Immane barathrum. *Id.* 7. *ibid.* 666. tegumen immane leonis. *Id.* 11. *ibid.* 552. telum. *Id.* 9. *ibid.* 751. vulnus. *Lucret.* 4. 1156. Magna atque immanis (*femina*), καταπληξις plenaque honoris. *Virg.* 5. *Æn.* 822. immania cete. *Val. Flacc.* 6. 666. immanis Auster. *h. e.* vehemens, violentus. *Varro* 3. *R. R.* 1. 3. Immani numero annorum urbanos agricolæ præstant. *Vellej.* 2. 51. 1. Immanem exercitum conficere. *Id.* 2. 59. *extr.* Immanis amicorum frequentia. *Virg.* 5. *Æn.* 401. geminos immani pondere cestus. *Quintil.* 11. 3. 32. Immanis vox. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. *sub fin.* Ambitus redit immanis: numquam fuit par. *Vellej.* 2. 2. 1. Immanem dissensionem movere. *Ovid.* 5. *Met.* 678. studium immane loquendi. *voglia sterminata.* *Virg.* 9. *Æn.* 694. immani concitus ira. *Sall. Jug.* 31. Immanis avaritia. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 76. vitium. *Gell.* 15. 9. Tam immanem solœcismum nihil veritus est. — *b*) Speciatim *immanis visu* est aspectu terribilis, verendus. *Val. Flacc.* 1. 207. Ecce sacer, totusque dei, per litora Mopsus, Immanis visu, vittamque comamque per auras Surgentem laurusque rotat. *scilicet* quia *majorque videri, Nec mortale sonans*, ut est apud *Virg.* 6. *Æn.* 49.; cujus similis est locus *ibid.* 77. At Phœbi nondum patiens, immanis in antro Bacchatur vates. — *c*) Aliquando refertur ad laudem, et ponitur pro mirabili, θαυμαστός. *Virg.* 4. *Æn.* 199. Templa Jovis centum latis immania regnis, Centum aras posuit. *Ovid.* 9. *Met.* 217. Ipsius (*Herculis*) datur hoc immanibus artis. *Vellej.* 2. 46. Quum deinde immanes res, vix multis voluminibus explicandas, C. Cæsar in Gallia ageret. *Id. ibid.* 105. Anni ejus æstiva immanis emolumentum fecere victoriæ. *Grat. Cyneg.* 265. *de canib.* Pecus immane. *h. e.* ingentis animi. *Seneca Thyest.* 470. Immane regnum est posse sine regno pati. — *d*) *Immane quantum* est mirum quantum, *non si può dir quanto*, θαυμαστὸν ὅσον; ellipsis. *Sall.* apud *Non. p.* 127. 26. *Merc.* Immane quantum animi exarsere. *Horat.* 1. *Od.* 27. 6. Vino et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat. *Tac.* 4. *Hist.* 34. *extr.* Civilis lapsu equi prostratus, immane quantum suis pavoris et hostibus alacritatis indidit. *Apul. de Mag.* Quod matrimonium Æmiliano huic immane quanto angori quantæque invidiæ fuit. Simile est illud *Sall. in orat. ad Cæs.* 1. *ante med.* Immane dictu est, quanti et quam multi ad Pompejum discesserint. — *e*) Est etiam *immanis* fœdus, si *Nonio p.* 323. *Merc.* credimus. *Accius* apud *eumd. ibid.* Immane te habeat templum, obvallatum ossibus.

II.) Translate de animo dicitur, et est ferus, crudelis, nocens, importunus, *fiero, crudale, nocivo*, ἄγριος, θηριώδης. *Plaut. Trin.* 4. 1. 7. Spurcificus, immanis, intolerandus, vesanus. *Cic.* 4. *Verr.* 21. 51. Hostis in ceteris rebus nimis ferus et immanis. Cf. *eumd.* 1. *Tusc.* 13. 30. Nulla gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. *Id.* 1. *Invent.* 2. 2. Ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos. *Id.* 2. *de republ.* 14. Ad humanitatem atque mansuetudinem revocavit animos hominum studiis bellandi jam immanes ac feros. *Id.* 1. *ibid.* 44. Ex hoc populo indomito, vel potius immani deligitur aliqui etc. *Id. Partit. orat.* 25. 90. Voluptatem immanissimus quisque acerrime sequitur. *Virg.* 1. *Æn.* 351. scelere ante alios immanior omnes. *Horat.* 3. *Od.* 11. 15. Immanis janitor aulæ Cerberus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 34. 108. Fera et immanis bellua. *Id.* 4. *Tusc.* 20. 45. Tetra et immanis bellua. *Id.* 2. *de republ.* 40. Immanis et vasta bellua. *Id.* 3. *ibid.* 31. Nihil ista immanius bellua est. *Id.* 3. *Verr.* 3. 8. Istius immanis atque importuna natura. *Id. Harusp. resp.* 3. 4. Scelus tam importunum, audacia tam immanis. *Id. Fontej.* 10. 21. Immanis ac barbara consuetudo hominum immolandorum. *Id. Partit. orat.* 23. 81. Patientiam duritia immanis imitatur. *h. e.* agrestis, effera. *Id. Rosc. Am.* 24. 68. Tantum facinus, tam immane. *h. e.* patris occidendi. *Virg.* 4. *Æn.* 642. cœptis immanibus effera Dido. *h. e.* sibi inferendi manus. *Id.* 1. *ibid.* 620. quæ vis immanibus applicat oris? *Ovid.* 2. *Trist.* 135. Edictum immane minaxque. *h. e.* severum, triste. — Utraque significatio jungitur in illo *Ovid.*, ubi Achelous loquitur, 8. *Met.* 583. pariterque animis immanis et undis A silvis silvas et ab arvis arva revelli. — Hinc

Immane, adverb. *V.* sub I. in fin., et loco suo.

IMMĀNĬTAS *vel* inmanitas, ātis, *f.* 3. (immanis) magnitudo immodica (*It. grandezza smisurata, eccessiva, enormità*; *Fr. grandeur démesurée, prodigieuse*; *Hisp. enormidad, grandeza desmesurada*; *Germ. d. ungeheure Grösse*; *Angl. largeness, vastness, enormity*).

I.) Proprie. *Gell.* 6. 3. Serpens inusitatæ immanitatis. *Seneca* 1. *Ira* 16. Nec enim magnitudo ista est, sed immanitas. *Justin.* 2. 1. 6. Immanitas frigoris. *Cic. Cæl.* 6. 14. Tot vitiorum tanta immanitas. *Tac.* 14. *Ann.* 2. Seu conceperit animo tantum immanitatis Agrippina etc. *una sì enorme scelleraggine.* scil. incesti cum filio patrandi.

II.) Translate est asperitas, feritas, diritas, agrestes efferique mores, sævitia, crudelitas, ἀγριότης, ἀπήνεια, *fierezza, selvatichezza, crudeltà.* Est autem proprie privatio sensus humanitatis, et quidam velut stupor animi, vel a natura profectus, vel a genere vitæ agrestis et incultæ, unde oritur crudelitas et sævitia et odium hominum. *Cic.* 3. *Tusc.* 6. 12. Istuc nihil dolere non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. *Id. Partit. orat.* 23. 81. Prudentiam malitia, temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis imitatur. *Id.* 3. *Off.* 6. 32. Ista in figura hominis feritas et immanitas belluæ a communi tamquam humanitatis corpore segreganda est. *Id.* 1. *Divinat.* 20. 60. Feritas quædam atque agrestis immanitas. *Id.* 1. *Nat. D.* 23. 62. Multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit. *Id. Marcell.* 3. 8. Domuisti gentes immanitate barbaras, etc. *Id. Vatin.* 3. 9. Omni diritate atque immanitate teterrimus. *Id. Amic.* 23. 87. Asperitas et immanitas naturæ. *Id.* 2. *de republ.* 26. Qui (*tyrannus*) quamquam figura est hominis, morum tamen immanitate vastissimas vincit belluas. *Id.* 10. *Fam.* 1. M. Antonii tanta est, non insolentia (nam id quidem vulgare vitium est), sed immanitas, non modo ut vocem, sed ne vultum quidem liberum possit ferre cujusquam. *Plin. Paneg.* 47. Priorum temporum immanitas studia exsiliis puniebat. *Cic.* 4. *Fin.* 9. 23. Cujus sententiæ condemnata mihi videtur esse immanitas ista verborum. *Claud. Quadrigarius* apud *Gell.* 9. 13. Nemo audebat (*prodire*) propter magnitudinem et immanitatem facies (*pro faciei*). *viso fiero.*

IMMĀNĬTER *vel* inmaniter, adverb. (immanis) Comp. *Immanius* II. — Immaniter est immodice, vehementer, *smodatamente*, σφόδρα.

I.) Proprie. *Gell.* 1. 26. *a med.* Immaniter clamare. *Id.* 9. 11. Tam immaniter arrogans.

II.) Translate est ferarum ritu, sæve, crudeliter, *fieramente, crudelmente*, ἀγρίως. *Ammian.* 18. 7. Leones per ea loca sævientes immaniter. et *paullo* post. Immanius efferascunt. *Augustin.* 10. *Confess.* 37. Perdite et immaniter vivere.

IMMĀNO *vel* inmano. *V.* IMMANEO.

IMMANSĬO *vel* inmansio, ōnis, 3. (in et mansio) eadem fere ac mansio, μονή. *Boeth. Aristot. Topic.* 4. 4. *p.* 691. Si memoriam immansionem scientiæ dicat, nam omnis immansio in mente, et circa illud, quare et scientiæ immansio in scientia.

IMMANSUĒTUS *vel* inmansuetus, a, um, adject. (in *negativa et* mansuetus). Comp. *Immansuetior* et Sup. *Immansuetissimus.* — Immansuetus est indomitus, barbarus, ferus, *non mansueto, intrattabile, fiero*, ἄγριος. *Seneca* 1. *Ira* 15. Rabidos effligimus canes, trucem atque immansuetum bovem cædimus. *Ovid.* 4. *Met.* 237. Ille ferox immansuetusque. *Id.* 14. *ibid.* 249. Immansuetus Cyclops. *Cic.* 1. *Legg.* 8. 24. Ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiam si ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. *Ovid. Heroid.* 18. 37. At tu de rapidis immansuetissime ventis. *Id.* 15. *Met.* 85. At quibus ingenium est immansuetumque ferumque etc. *Seneca Consol. ad Helv.* 6. Quid immansuetius?

IMMARCESCĪBĪLIS *vel* inmarcescibilis, e, adject. (in *negativa et* marcesco) incorruptibilis. *Tertull. Cor. Mil.* 15. Flos incorruptus, immarcescibilis, sempiternus. *Paulin. Nolan. carm.* 15. Immarcescibilis redimivit honore coronæ. Adde *Vulgat. interpr.* 1. *Petr.* 1. 4. et 5. 4.

IMMARCESCO. *V.* INAMARESCO.

IMMĂRĪTĀTUS *vel* inmaritatus, a, um, particip. ab inusit. *immarito*, idem ac maritatus; namque in est intensiva. *Inscript.* apud *Lupi Epitaph. S. Severæ p.* 170. ET FVIT IMARITATA (sic) ANN. DVOBVS M. IIII. D. VIIII.

IMMASSO. *V.* MASSO.

IMMASTĪCĀTUS *vel* inmasticatus, a, um, adject. (in *negativa et* mastico) non masticatus. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 3. Immasticata transvoratio. *Id.* 1. *Acut.* 3. Immasticatum transvoret.

IMMĀTŪRĒ *vel* inmature, adverb. Comp. *Immaturius.* — Immature (*V.* IMMATURUS I. et II.) est ante tempus, *innanzi il tempo*, πρὸ ὥρας. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 3. Neque præfestinatum opus nimium immature videri possit. *Seneca Suasor.* 1. *ad fin.* Numquid immature ab oceano? *Vellej.* 2. 116. Filius præreptus immature. ὠκύμορος. *Apul.* 6. *Met.* Sed haud immaturius redito.

IMMĀTŪRĬTAS vel inmaturitas, ātis, *f.* 3. (immaturus). ¶ 1. Est acerbitas, *immaturità*, ἀωρία. *Sueton. Aug.* 34. Immaturitas sponsarum. *Theod. Priscian.* 3. 6. Ætatis immaturitas. ¶ 2. Item anticipatio, celeritas. *Cic. Quinct.* 26. 82. Quid hæc festinatio, quid hæc immaturitas tanta significat?

IMMĀTŪRUS vel inmaturus, a, um, adject. (in *privat. et* maturus) non maturus, acerbus; et proprie de fructibus et frugibus dicitur, quum ante tempus colliguntur, ἄωρος (*It. non maturo, acerbo, immaturo, fuor di tempo*; *Fr. qui n'est pas mûr, qui n'est pas en maturité*; *Hisp. no maduro, no sazonado*; *Germ. unreif, unzeitig*; *Angl. unripe, unseasonable, immature*).

I.) Proprie. *Cels.* 2. 30. Pira immatura. *Quintil.* 12. 6. 2. Ut neque præpropere destringatur immatura frons etc. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 13. 28. (19). Quo apparet, aut aliud esse (*amomum*), aut colligi immaturum.

II.) Translate dicitur de eo, quod est intempestivum, ut *mors immatura*, qua quis ante constitutum vitæ tempus et confectam ætatem moritur. *Plaut. Pers.* 2. 5. 14. Vomicam immaturam secare. *Sueton. Aug.* 63. Infans, qui conceptus erat, immaturus est editus. *Id. Tib.* 61. Immatura puella. *h. e.* nondum nubilis, vel viripotens. Eodem sensu *Ulp. Dig.* 47. 10. 25. Immatura virgo. *Id. ibid.* 24. 1. 32. § 27. Immatura sponsa. *h. e.* quæ minor est annis XII. *Cic.* 2. *Phil.* 46. 119. Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consolari: quanto verius nunc negabo seni! Adde *Quintil.* 10. 1. 89.; et *Plin.* 5. *Ep.* 5. Rursus *Cic. Brut.* 33. 125. Immaturus interitus C. Gracchi. *Sueton. Cal.* 8. obitus. *Propert.* 3. 7. 2. Immaturum mortis iter. *Quintil.* 6. *proœm.* 3. funus. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 59. Immaturus filius obiit. ὠκύμορος. Λάμπη ὑπὸ στήλῃ κέκλιμαι ὠκύμορος: V. *Bullettin. dell'Instit. archeol. ann.* 1843. *p.* 197. Sic *Propert.* 4. 11. 17. immatura puella. et *Tibull.* 2. 6. 29. immatura ossa. *Quintil.* 11. 1. 32. Morum senilis auctoritas immatura adolescentibus creditur. *Liv.* 22. 38. *ad fin.* Immaturum consilium ante tempus præcipere.

IMMEABILIS *vel* inmeabilis, e, adject. non meabilis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 131.

IMMĔDĬĀTĒ *vel* inmediate, adverb. (immediatus) proxime. *Boeth. de Unitate p.* 1275. Eo quod immediate adhæret primæ unitati, quæ creavit eam. *V.* et IMMEDITATE.

IMMĔDĬĀTUS *vel* inmediatus, a, um, adject. (in *negativa et* medius) proximus, *immediato*, ἄμεσος. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 1. 25. *p.* 543. Immediatæ propositiones sunt principia; altera autem conclusio fit accepta propositione immediata.

IMMĔDĬCĀBĬLIS vel inmedicabilis, e, adject. (in *negativa et* medicabilis) qui medicaminibus sanari non potest, *incurabile*, ἀθεράπευτος.

I.) Proprie. *Ovid.* 1. *Met.* 190. et 10. *ibid.* 189. Immedicabile vulnus. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 825. Immedicabile malum. *Virg.* 12. *Æn.* 858. telum immedicabile. *h. e.* armatum felle veneni, atque adeo insanabile vulnus inferens.

II.) Translate. *Sil. It.* 1. 147. immedicabilis ira. *Id.* 14. 292. postquam immedicabile visum Seditio.

IMMĔDĬCĀTUS vel inmedicatus, a, um, adject. (in et medicor) medicamentis illitus, inunctus. *Apul. de Mag.* Immedicatum os et purpurissatæ genæ.

IMMEDĬĔTAS *vel* inmedietas, ātis, f. 3. (in *negat.* et medius) conditio earum rerum, quæ immediatæ sunt. *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. ed. sec. p.* 456. Age enim, sint hujusmodi contraria, quæ sint immediata; genitum esse et ingenitum esse. In contrariis igitur immedietas idem ac privatoria affirmatio, quod negatio, valet. In his autem, quæ medietatem habent, non idem.

IMMĔDĬTĀTĒ vel inmeditate, adverb. sine meditatione, *senza premeditare*, ἀπερισκέπτως, ἀφροντίστως. *Gell. præf. ante med.* Nos, ut captus noster est, incuriose et immeditate, ac prope etiam subrustice ex ipso loco ac tempore hibernarum vigiliarum Atticas noctes inscripsimus. *Quidam minus recte leg.* immediate.

IMMĔDĬTĀTUS *vel* inmeditatus, a, um, adject. (in *privat.* et meditor) passiva signif. non meditatus, *non pensato*, ἀμελέτητος. *Apul. Florid. n.* 17. Animalium immeditati sonores. *Id.* 2. *Met. sub init.* Immeditatus incessus. *h. e.* non affectatus ad mollitiem.

IMMEJO *vel* inmejo, is, ere, n. 3. (in *et* mejo) intus mejo. Translate *Pers.* 6. 73. Patriciæ immejat vulvæ. *h. e.* semen immittat. *V.* MINGO.

IMMĔMOR *vel* inmemor, ŏris, adject. (in *negativa* et memor). In Nominat. sing. num. *immemoris* pro *immemor* est *Cæcilii* apud *Priscian.* 6. *p.* 699. et 7. *p.* 772. *Putsch.* Itane Antipho est inventus profluvia fide? itane est immemoris? itane est madida memoria? — Immemor est qui non meminit, ἀμνήμων (It. *smemorato*, *scordevole*, *immemore*; Fr. *qui ne se souvient pas*, *qui oublie*, *oublieux*; Hisp. *olvidadizo*; Germ. *uneingedenk*, *an etwas nicht denkend*, *nicht bedenkend*; Angl. *unmindful*, *forgetful*, *heedless*, *regardless*).

I.) Proprie occurrit — a) Cum Genitivo. *Cic. Sull.* 30. 83. Adeo ne vobis oblitus constantiæ meæ, adeo immemor rerum a me gestarum esse videor? Cf. *Quintil.* 11. 2. 6. Hesternorum immemores, acte pueritiæ recordari. Rursus *Cic.* 5. *Att.* 16. Ne me immemorem mandati tui putares. *Id.* 2. *Phil.* 22. 54. Hujus rei ne posteritatem quidem omnium sæculorum unquam immemorem fore. *Id. Brut.* 47. 174. Nec enim (*L. Gellius*) erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec Romanarum rerum immemor. *h. e.* ignarus. *Horat.* 1. *Od.* 1. 25. manet sub Jove frigido Venator teneræ conjugis immemor. *Liv.* 9. 31. Omnium immemor difficultatum. *senza pensare alle difficoltà.* Sic *Tac.* 14. *Ann.* 36. Gladiis stragem cædemque continuarent, prædæ immemores. *senza pensare alla preda.* et *Horat.* 2. *Od.* 18. 18. sepulcri immemor struis domos. *Curt.* 7. 9. 12. In hostem, salutis immemores, ruere cœperunt. *Virg.* 8. *Ecl.* 2. juvenca immemor herbarum. *Horat.* 1. *Od.* 15. 30. cervus graminis immemor. *Liv.* 9. 3. Qua cibi, qua quietis immemor nos traducta est. — b) Cum Infinito. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 3. Nihili est, suum qui officium facere immemor est, nisi adeo monitus. *Sueton. Cal.* 57. Immemor, Chæream Cassium nominari. — c) Absolute. *Cic. Brut.* 60. 218. Magna hæc immemoris ingenii signa: sed nihil turpius, quam quod etiam in scriptis obliviscebatur, quid paullo ante posuisset. *Catull.* 64. 123. immemori discedens pectore conjux. *Id. ibid. v.* 248. mente immemori. *Id.* 30. 1. Alphene immemor atque unanimis false sodalibus. *ingrato.* Sic *Ovid.* 14. *Met.* 173. possimne ingratus et immemor esse? Adde *eumd.* 10. *ibid.* 682. et 15. *ibid.* 122. — Singulare est illud *Ter. Andr.* 1. 1. 16. Istæc commemoratio quasi exprobratio est immemoris benefici. *h. e.* hæc recordando quasi exprobres mihi, ut beneficii tui immemori. *benefici* vero est pro *beneficii*, ut scribere solebant veteres Latini *ante* Augusti ætatem, qui numquam *i* geminabant. V. *Gell.* 13. 25.

II.) Metonymice, seu causali significatione, est oblivionem inducens: sed occurrit tantum apud Poetas de Lethe. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 96. immemor amnis. *h. e.* Lethe. *Seneca Herc. Œt.* 936. Stabo ante ripas, immemor Lethe, tuas. *Sil. It.* 16. 477. Lethe immemori perstringens gurgite ripas.

IMMĔMŎRĀBĬLIS *vel* inmemorabilis, e, adject. (in *negat.* et memorabilis). Occurrit ¶ 1. Passive, et est cujus nulla est memoria, qui commemorari non debet, aut potest, *che non si può ricordare o dire*, *immemorabile*, ἀμνημόνευτος, δύσφρατος, ἀδιήγητος. *Plaut. Capt. prol.* 56. Neque spurcidici insunt versus immemorabiles. *h. e.* memoratu indigni. *Lucret.* 6. 487. Immemorabile per spatium transire. *h. e.* immensum, nullis terminis circumscriptum. ¶ 2. Active. *Plaut. Cist.* 2. 2. 3. Anus sibi moderatrix atque immemorabilis. *h. e.* quæ recordari non vult aut se non meminisse simulat; vel quæ memorare et dicere recusat.

IMMĔMŎRĀTĬO *vel* inmemoratio, ōnis, f. 3. (in *negat.* et memoratio) oblivio, *dimenticanza*, ἀμνηστία. *Vulgat. interpr. Sapient.* 14. 26. Dei immemoratio, animarum inquinatio.

IMMĔMŎRĀTUS *vel* inmemoratus, a, um, adject. (in *negat.* et memoratus) non memoratus, ἀμνημόνευτος. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 33. juvat immemorata ferentem ingenuis oculisque legi manibusque teneri. *h. e.* nova, non prius audita. *Auson. Parental.* 20. Nec tu jam metris, spes unica, ephebe Talisi Consobrine, meis immemoratus eris.

IMMĔMŎRĬA *vel* inmemoria, æ, f. 1. (in *negat.* et memoria) memoriæ privatio, oblivio, *obblivione*. *Papinian. Dig.* 41. 2. 44. Peregre profecturus pecuniam in terram condiderat: quum reversus locum thesauri immemoria non repeteret etc. Ita *Torrentin.* et *Pareus* in *Lex.* Al. habent *in memoria*.

IMMĔMŎRIS. *V.* IMMEMOR init.

IMMENSĬTAS *vel* inmensitas, ātis, 3. (immensus) infinitas, *immensità*, *vastità*, ἀμετρία. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 54. In hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita vis innumerabilium volitat atomorum. *Id.* 2. *ibid.* 39. 98. Immensitates camporum.

IMMENSĬTER *vel* inmensiter, adverb. (immensus) cum immensitate, *immensamente*. *Alcim. Homil. de rogat. ante med.* Ædes publica, quam præcelso civitatis vertice sublimitas immensiter fastigiata protulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit.

IMMENSŪRĀBĬLIS *vel* inmensurabilis, e, adject. (in *negat.* et mensurabilis) non mensurabilis, *immensurabile*.

I.) Proprie. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 4. *ante med.* Hinc capias oportet indicium illius non pensi ponderis et immensurabilis mensuræ et innumerabilis numeri.

II.) Translate. *Inscript.* apud *Steiner. Corp. inscr. Rom. n.* 306. OB IMMENSVRABILEM PIETATEM EIVS.

IMMENSŪRĀTIM *vel* inmensuratim, adverb. (immensuratus) sine mensura. *Salvian.* 6. *Gubern. D.* 6. *p.* 207. *Rittersh.* Rideamus quamlibet immensuratim.

IMMENSŪRĀTUS *vel* inmensuratus, a, um, adject. (in *negat.* et mensuratus) non mensuratus, *smisurato*. *Salvian.* 1. *advers. avar.* 11. Dura nonnulli hæc absque dubio et immensurata causantur.

IMMENSUS *vel* inmensus, a, um, adject. (in *negat.* et mensus). Sup. *Immensissimus*. — Immensus est qui mensurari non potest, infinitus, interminatus, profundus, ἀμέτρητος (It. *immenso*, *sterminato*, *smisurato*; Fr. *immense*, *démesuré*, *très-grand*, *infini*; Hisp. *inmenso*, *desmesurado*; Germ. *unermesslich*, *unbegränzt*, *unendlich*, *unabsehbar*; Angl. *immense*, *vaste*, *huge*, *immeasurable*). Occurrit — a) De rebus physicis. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 54. Si immensam et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis. *Id. ibid.* 10. 26. Aera deum statuit, eumque gigni esseque immensum et infinitum. *Id.* 3. *Orat.* 19. 70. Ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis. *Id.* 1. *Tusc.* 30. 73. In mari immenso vehi. *Ovid.* 6. *Fast.* 640. immensæ domus. *vastissima.* *Plin.* 4. *Hist. nat.* 13. 27. (96). Immensus mons. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 78. Immensæ viæ. *h. e.* longissimum iter. *Cic.* 1. *Orat.* 49. 214. Ingenii fines pæne immensi. *Ovid. Heroid.* 9. 5. series immensa laborum. *Virg.* 3. *Æn.* 632. jacuitque per antrum Immensus. Cf. *Vellej.* 2. 106. 1. Omnis eorum juventus infinita numero, immensa corporibus. *Cic.* 2. *Orat.* 20. 84. Tanta hac in re tamque immensa. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 41. immensum argenti pondus et auri. *Sueton. Cal.* 39. immensis pretiis aliquid emere. *a prezzi eccessivi.* V. in fin. *Immensum*, *i*. — Huc referri possunt et sequentia. *Cic.* 1. *Divinat.* 7. 12. Observata sunt hæc tempore immenso. *per lunghissimo tempo.* *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 25. nox immensa videtur. *pare che mai non finisca.* *Id. Heroid.* 1. 82. Immensæ moræ. *Id.* 10. *Met.* 136. immensi fletus. *senza fine.* — b) De abstractis, aut translate, ut *Forcellino* placet. *Cic.* 5. *Verr.* 9. 23. Immensa vorago ac gurges vitiorum. *Id.* 2. *Herenn.* 22. 31. Immensæ, infinitæ, immoderatæ cupiditates. Cf. *Spartian. Hadrian.* 19. Immensissimæ voluptates. *Ovid.* 13. *Met.* 768. sitis immensa cruoris. *Forcellinus* huc retulit illud *ejusd.* 4. *Pont.* 2. 36. immensum gloria calcar habet. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Immensa difficultas. *Id.* 36. *ibid.* 5. 4. (20). differentia. *Horat.* 4. *Od.* 2. 7. Fervet immensusque ruit profundo Pindarus ore. *h. e.* mira verborum rerumque copia. — c) *Immensum est* cum Infinito, finem, modum non habet. *Ovid.* 4. *Fast.* 573. immensum est erratas dicere terras. *non si finirebbe mai.* *Plin.* 8. *Hist. nat.* 28. 42. (102). Quod persequi, immensum est. — Hinc

Immensum, *i*, absolute occurrit *A*) Substantivorum more; et *B*) Adverbialiter.

A) Substantivorum more est spatium infinitum, interminatum. *Lucret.* 1. 72. Ergo vivida vis animi pervicit, et extra Processit longe flammantia mœnia mundi, Atque omne immensum peragravit mente animoque. Cf. *Id.* 1. 956. Pervideamus, utrum finitum funditus omne Constet, an immensum pateat vasteque profundum. *Liv.* 21. 39. Immensum altitudinis. *Id.* 5. 37. Immensum loci. *Ovid.* 4. *Met.* 620. per immensum ventis discordibus actus. *per l'aria*, *pel vasto cielo.* *Tac.* 15. *Ann.* 40. Proruta per immensum ædificia. *per grandissimo spazio.* — Similiter *Plin.* 9. *Hist. nat.* 40. 64. (138). Immenso mercari aliquid. *a prezzo eccessivo.*

B) Adverbialiter — a) *Immensum* est immodice, immaniter, *smisuratamente*. *Ovid.* 5. *Fast.* 537. Creverat immensum: comitem sibi Delia sumpsit. *Tac.* 4. *Ann.* 40. Immensum attolli. *Sall.* apud *Non. p.* 22. 18. *Merc.* Neque jam sustineri poterat immensum aucto mari et vento gliscente. *Tac.* 4. *Ann.* 27. Multitudo familiarum gliscebat immensum. *Id.* 3. *ibid.* 30. Opes, queis domus illa immensum viguit. *Id. ibid.* 52. Luxus immensum proruperat. — b) *Immensum quantum*, immane quantum, *non si può dir quanto*. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 20. 31. (110). Immensum quantum hinc Oceano, illinc Iberico mari comprimentibus. Adde *eumd.* 16. *ibid.* 36. 66. (172). — c) *In immensum*, *ad immensum*, idem atque immensum. *Sall. Jug.* 92. Mons saxeus in immensum editus. *Ovid.* 2. *Met.* 220. Ardet in immensum geminatis ignibus Ætne. *Liv.* 29. 25. Ad immensum multitudinis speciem auget. — d) *Immenso plus*, plus quam in immensum: hyperbole. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 36. (92). Brassicæ silvestris immenso plus effectus laudat Cato.

IMMĔO *vel* inmeo, as, are, n. 1. (in *et* meo). Part. *Immeans*. — Immeare est intro meare, ingredi. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 38. (91). Delphini immeantes Nilo. *Pallad.* 1. *R. R.* 17. Salutare erit, aquas illuc per tubos fictiles duci et opertis immeare cisternis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 92. (226). Setas suum obstare tenuitati immeantis spiritus.

IMMĔRENS *vel* inmerens, entis, adject. (in *negat.* et mereo) qui nihil commeruit, immeritus, innoxius, *immeritevole*, *innocente*, ἀκακητής, ἀνάξιος. *Lucret.* 2. 1102. exanimat indignos inque merentes. *tmesis.* *Horat.* 2. *Od.* 13. 11. Triste lignum, caducum in domini caput immerentis. Adde *eumd. Epod.* 6. 1. et 7. 19. *Nepos Dion.* 10. Hi falsa suspicione ducti, immerentes ut sceleratos occidunt. *Sueton. Tit.* 10. Multum conquestus, eripi sibi vitam immerenti. *Val. Max.* 9. 12. *n.* 8. Interdum quædam immerentis supremi fati titulum occupent. *h. e.* quæ nihil nocuerunt.

IMMĔRENTER *vel* inmerenter, adverb. (immerens) immerito, *immeritevolmente*, *a torto*, ἀναξίως. *Val. Max.* 6. 2. *n.* 1. *extern.* A Philippo rege temulento immerenter damnata.

IMMERGO *vel* inmergo, mergis, mersi, mersum, mergere, a. 3. (in *et* mergo). *Immersti* syncope pro *immersisti* legitur apud *Plaut. Bacch.* 4. 4. 26. Errasti, quum parum immersti ampliter. *scil.* manum in pecuniam. — In secunda conjugatione Infinitum *immergeri* occurrit apud *Colum.* 5. *R. R.* 9. 3. Taleas ita immergeri, ut putris terra quatuor digitis alte superveniat. — Part. *Immersus* I. — Immergere est intus mergere, demergere, immittere, obruere, ἐμβάπτω, καταδύω (It. *immergere*, *affondare*, *attuffare*; Fr. *plonger dans*, *immerger*, *enfoncer*, *noyer*; Hisp. *inmergir*, *sumergir*; Germ. *eintau-*

chen, einsenken; Angl. *to plunge into, immerge*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accus. et præpos. *in*. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 6. 15. (57). Immergere manus in aquam ferventem. *Cic. Tim.* 13. Immersus in flumen. Rursus *Plin.* 11. *Hist. nat.* 25. 30. (90). Immergere se in aquas. — *b*) Cum Dativo. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 41. (144). Immergere ferrum candens aquæ. *Ovid.* 4. *Met.* 423. nautas pelago. *Curt.* 4. 4. 17. Bellua alte se immersit. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 30. Immergere partem arboris deflexam terræ. — *c*) Cum Ablat. sine præpos., aut raro cum præpos. *in*. *Virg.* 6. *Æn.* 171. Unda aliquem immergere. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (60). Immergi melle cotonea. *Ovid.* 4. *Fast.* 200. prolem Devorat, immersam visceribusque tenet. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (228). Immersa in fonte. — *d*) *Immergi* Mediorum apud Græcos significatione est immergere se atque adeo ingredi. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 11. 18. (44). Ubi Ister amnis immergitur. *entra in mare*. Cf. *eumd.* 18. *ibid.* 28. 68. (271). Regia in pectore Leonis stella matutino immergitur. *si nasconde*.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, *immergere se aliquo* est se conjicere, abdere, *cacciarsi*. *Plaut. Men.* 5. 1. 3. Immersit aliquo sese, credo, in ganeum. *Id. ibid.* 3. 1. 3. In contionem mediam immersi me miser. *Justin.* 32. 2. 4. Inter mucrones se hostium immersit. ¶ 2. Metaphorice. — *a*) Cum Accus. et præpos. *in*. *Cic. Cluent.* 13. 36. Se blanditiis et assentationibus in Asinii consuetudinem penitus immersit. *Liv.* 23. 18. *a med.* Immergere se in voluptates. *Al. leg.* mergere. — Cum Dativo. *Seneca Consol. ad Polyb.* 37. Immergere se studiis. *Val. Max.* 8. 1. n. 1. *extern.* Architas se Pythagoræ præceptis penitus immergit.

IMMĔRĬTŌ vel inmerito, adverb. (immeritus). Sup. *Immeritissimo*. — Immerito est immerenter, indigne, *immeritamente, a torto*. — *a*) Raro admodum occurrit sine part. negat. *Ter. Phorm.* 2. 1. 59. Jamdudum te omnes nos accusare audio immerito, et me omnium horum immeritissimo. *Cic.* 2. *Orat.* 79. 322. Si res erudelis, si infanda, si immerito etc. — *b*) Sæpius cum part. negat. *Lucan.* 8. 824. Haud equidem immerito Cumanæ carmine vatis Cautum, ne etc. *con ragione, a buon diritto*. *Quintil.* 4. *procem.* 3. Ut eos non immerito probaverit sanctissimus censor. Adde *eumd.* 8. 6. 62., 9. 1. 12. et alibi sæpe; et *Sueton. Cæs.* 55., *Cal.* 10. et 51. et *Ner.* 13. Rursus *Quintil.* 7. *procem.* 2. Neque immerito secunda quinque partium posita est. Adde *eumd.* 7. 7. 1., 10. 1. 27. et alibi sæpe. *Seneca Ep.* 11. *ad fin.* Custodem nobis et pædagogum dedit: nec immerito. Adde *Quintil.* 2. 8. 1.

IMMĔRĬTUS vel inmeritus, a, um, adject. (in negat. et meritus). ¶ 1. Active est qui non meretur, immerens, innocens, *chi non merita, innocente*, ἀνάξιος: et occurrit — *a*) Cum substant. — De personis. *Horat.* 3. *Od.* 6. 1. Delicta majorum immeritus lues, Romane. *Ovid.* 2. *Trist.* 274. Protegit hæc sontes, immeritosque premit. Adde *Horat.* 1. *Od.* 28. 30.; et *Quintil.* 6. *procem.* 4. *Virg.* 3. *Æn.* 1. Postquam res Asiæ Priamique evertere gentem Immeritam visum Superis. Similiter *Horat.* 2. *Sat.* 3. 211. immeriti agni. — Eleganter tribuitur rebus inanimis. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 2. immeritus locus. *Id.* 2. *Sat.* 3. 7. paries. *Id.* 1. *Od.* 17. 28. Vestem immeritam scindere. *Propert.* 2. 2. 3. Et sæpe immeritos corrumpas dentibus ungues. *Id.* 4. 4. 21. Sæpe illa immeritæ causata est omina lunæ. *Id. ibid.* 3. 19. Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum. — *b*) Cum Infinito. *Horat.* 3. *Od.* 2. 21. Virtus recludens immeritis mori Cælum. — *c*) *Immeritum*, absolute, substantivorum more. *Plaut. Asin.* 3. 3. 18. Cur tu, obsecro, immerito meo me morti dedere optas? *h. e.* nullo meo merito, nulla culpa? Hinc adverb. *immerito*, quod *V.* loco suo. ¶ 2. Passive immeritum dicitur id, quo quis non est dignus, *non meritato*. *Liv.* 4. 13. *sub fin.* Laudibus haud immeritis onerare aliquem. *Ovid.* 2. *Fast.* 42. Credulus immerita Phasida juvit ope. *Martial.* 7. 32. Et rapit immeritas sordidus unctor opes. *Val. Flacc.* 8. 158. Sed quid ego quemquam immeritis incuso querelis? *h. e.* injustis, indebitis.

IMMERSĀBĬLIS vel inmersabilis, e, adject. (in negat. et merso) qui mergi non potest, *insommergibile*, ἀβάπτιστος. Translate firmus, fortis, quique adversis rebus non opprimitur. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 22. de *Ulysse*. aspera multa Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.

IMMERSĪO vel inmersio, ōnis, f. 3. actus immergendi, *immersione*. *Arnob.* 2. 7. Oleum respuit immersionem in se pati.

IMMERSUS vel inmersus, a, um. *V.* IMMERGO.

IMMĔTĀTUS vel inmetatus, a, um, adject. (in negat. et meto) non metatus, non *misurato*. *Horat.* 3. *Od.* 24. 9. Scythæ et Getæ, Immetata quibus jugera liberas Fruges et Cererem ferunt.

IMMĔTŬENS, ἄφοβος, ἀμέριμνος. *Gloss. Lat. Gr.*

IMMĬGRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (in et migro) in aliquem locum migrare (It. *entrare ad abitare*; Fr. *passer dans un sejour*; Hisp. *pasar ò mudarse de un lugar á otro*; Germ. *irgendwo hineinziehen*; Angl. *to remove, enter, or migrate, into*).

I.) Proprie. *Cic.* 13. *Phil.* 17. 34. Paucis diebus et in paternos hortos immigrabit. *Id. Dom.* 55. 141. Ex suis templis in ejus ædes immigrare nolebant. *Id.* 1. *Tusc.* 24. 58. Immigrare in tam insolitum domicilium. *Plaut. Most.* 1. 2. 23. Ubi illo (*h. e.* in ædes) immigrat nequam homo indiligensque, ædibus vitium additur.

II.) Translate. *Cic. Brut.* 79. 274. Pleraque verba translata, sic tamen, ut ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum diceres. *Liv. procem. ad fin.* Nulla respublica fuit, in quam tam sero avaritia luxuriaque immigraverint. *Plaut. Most.* 1. 2. 55. immigrare in ingenium suum. *h. e.* abire a cura pædagogi et vivere arbitratu suo.

IMMĬNENS vel inminens, entis. *V.* IMMINEO.

IMMĬNENTĬA vel inminentia, æ, f. 1. (immineo) instantia, vicinitas, *vicinanza*. *Nigidius apud Gell.* 9. 12. Is uterque infestus dicitur, ab instantia atque imminentia fraudis, quam facturus est.

IMMĬNEO vel inmineo, es, ere, n. 2. (in et maneo). Per tmesin legebatur apud *Lucret.* 6. 563. in clinata minent. *ubi nunc rectius legitur* inclinata meant. V. *Lachmann.* loc. cit. — Part. *Imminens* in omnibus fere paragr. — Imminere est supra manere, impendere, ἐπίκειμαι (It. *soprastare*; Fr. *être suspendu au-dessus, s'élever au-dessus*; Hisp. *estar suspendido, imminente*; Germ. *hervorragen, überragen, bei oder an etwas hinragen, hinlagen, sich hinbiegen*; Angl. *to hang over, impend*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Dativo. *Virg.* 1. *Æn.* 423. collis plurimus urbi Imminet. *Liv.* 29. 35. Imminens prope ipsis mœnibus tumulus. *Horat.* 3. *Od.* 22. 5. Imminens villæ pinus. *Virg.* 9. *Ecl.* 41. candida populus antro Imminet. *Curt.* 1. 5. 34. Ut silvæ montibus suis imminere videantur. *Ovid.* 2. *Met.* 7. cælumque quod imminet orbi. *Id.* 4. *ibid.* 525. Imminet æquoribus scopulus. *Id.* 7. *ibid.* 779. collis apex subjectis imminet arvis. *Curt.* 8. 3. 20. Manus capiti regis imminens. — *b*) Absolute. *Virg.* 6. *Æn.* 602. Quos super atra silex jam jam lapsura cadentique imminet assimilis. *Id.* 1. *ibid.* 169. nemus desuper imminet. *Ovid.* 4. *Met.* 459. tibi, Tantale, nullæ Deprenduntur aquæ; quæque imminet, effugit arbos. *Val. Flacc.* 6. 681. Imminet e celsis audentius improba muris Virgo. *sta ritta sopra l'alte mura*. *Horat.* 1. *Od.* 4. 5. choros ducit Venus imminente luna. *h. e.* in cælo supra caput fulgente. *Quintil.* 11. 3. 130. Ut quum in angusto quodam pulpito stans diceret, hasta humero dependens immineret etc. — Similiter *gestus imminens* dicitur, quo orator velut imminet adversario, instat urgetque, tamquam vi et contentione ipsa manuum prominentium. *Cic.* 2. *Orat.* 55. 225. Quæ fuit illa, quanta vis! quam inexspectata, quam repentina! quum conjectis oculis, gestu omni imminenti, summa gravitate et celeritate verborum, Brute, quid sedes etc. Sic *Id. Sext.* 55. 118. Quum ageretur togata, simulans, caterva tota clarissima contentione in ore impuri hominis imminens contionata est: Huic vitæ tuæ etc.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim imminere de rebus physicis dicitur, quæ aliis proximæ sunt, *essere vicino*. *Ovid.* 7. *Met.* 785. Imminet hic, sequiturque parem, similisque tenenti Non tenet. *Id.* 1. *ibid.* 542. imminere tergo fugacis. *Liv.* 1. 33. Carcer imminens foro. *Id.* 2. 33. Imminentia muro ædificia. ¶ 2. Speciatim ad facilitatem inferendæ injuriæ refertur, et imminere, æque atque impendere et instare, dicuntur res aut homines, qui aliis proximi sunt, sed hostili sive inimico animo. — *a*) Cum Dativo. *Cic.* 3. *Off.* 11. 46. Nimis imminebat propter propinquitatem Ægina Piræeo. *Id.* 2. *leg. Agr.* 32. 87. Carthago succincta portubus, armata muris, excurrere ex Africa, imminere jam fructuosissimis insulis populi Romani videbatur. *Id.* 5. *Att.* 20. Certior sum factus, Parthos ab illo aditu Cappadociæ longe abesse, Ciliciæ magis imminere. *Id. leg. Manil.* 5. 12. Imminent duo reges toti Asiæ. *Horat.* 1. *Od.* 12. 51. Parthi Latio imminentes. *h. e.* graves Romano imperio et jam jam bellum illaturi. Adde *Sueton. Cal.* 19.; et *Vellej.* 2. 18. 4. *Virg.* 10. *Æn.* 26. muris imminet hostis. *Curt.* 3. 1. Imminens Dario, quem nondum Euphratem superasse cognoverat, copias contraxit. *Cic.* 2. *de republ.* 20. Bello subegit Æquorum magnam gentem et ferocem et rebus populi Romani imminentem. Cf. *Id. Dom.* 10. 25. Imminebat tuus furor omnium fortunis et bonis. *Ovid.* 1. *Met.* 146. Imminet exitio vir conjugis, illa mariti. — *b*) Absolute. *Cæs.* 1. *B. G.* 80. Instabat agmen Cæsari atque universum imminebat. *Auct. B. Alex.* 7. Hostes imminentes atque insequentes. *Nepos Eumen.* 10. Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemæus, opibus jam valentes, cum quibus erat dimicandum. ¶ 3. Metaphorā sumptā a propria significatione, imminere refertur ad cupiditatem, ad cogitationem et intentionem rei gerendæ, et ad captandam opportunitatem, et significat avide appetere: occurrit autem — *a*) Cum Accus. et præpos. *in* vel raro admodum *ad*. *Cic.* 5. *Phil.* 7. 20. Hujus mendicitas aviditate conjuncta in nostras fortunas imminebat. *Id. Dom.* 18. 47. Qui imminere jam cupiditate videntur in tribuniciam potestatem. *Liv.* 30. 28. *a med.* Ii quoque, quibus ingens erat in Scipione fiducia et victoriæ spes, quo magis in propinquam eam imminebant animis, eo curæ intentioris erant. *Id.* 25. 20. In alterius ducis exercitusque opprimendi occasionem imminebat. Adde *eumd.* 23. 16. *Cic. Dom.* 6. 14. Homo ad eadem imminens. Sic *Virg. Cul.* 89. huc imminet: omnes Dirigit huc sensus: hæc cura est subdita cordi. — *b*) Cum Dativo. *Seneca Ep.* 2. *in fin.* Alieno imminere, et non acquisita, sed acquirenda computare. *Sueton. Aug.* 24. Quod imminere emptioni publicanos videbat. *Liv.* 3. 51. Peritus rerum popularium imminensque ei potestati. Sic *Curt.* 6. 10. *a med.* Imminere regno. et *Tac.* 16. *Ann.* 14. Quippe Antejum et Ostorium imminere rebus. *h. e.* observare opportunitatem imperii occupandi. *Liv.* 4. 25. Imminere spei majoris honoris. *Curt.* 5. 11. 2. Occasioni imminens alloquendi regem. *Seneca Hippol.* 851. Tenet obstinatum Phædra consilium necis, Fletusque nostros spernit, ac morti imminet. *sta per darsi la morte*. — *c*) Absolute. *Cic.* 4. *Verr.* 51. 134. Verres avaritia semper hiante atque imminenti fuit. ¶ 4. Metaphorā sumptā a superiori paragr. II. 2. ad tempus refertur, et de iis, quæ instant, usurpatur, *essere imminente*. *Cic.* 1. *Cat.* 12. 30. Sunt qui ea, quæ quotidie imminent, non videant. *Id.* 1. *Tusc.* 38. 91. Mors, quæ propter incertos casus quotidie imminet. *Horat.* 3. *Od.* 27. 10. Imbrium divina avis imminentum. *h. e.* cornix. ¶ 5. Metaphorā sumptā a superiori pagr. II. 2., imminere dicuntur mala, quæ impendent et in eo sunt, ut nos damno afficiant. *Sueton. Claud.* 29. Periculum, quod imminere ipsi portenderetur. *Id. Tit.* 9. Periculum ambobus imminebat. *Id. Cæs.* 86. Imminentes undique insidiæ. *Id. Tib.* 25. discrimina undique. *Quintil.* 8. 4. 22. summum discrimen. *Id.* 12. 1. 43. bellum. *Sueton. Vitell.* 15. Tædio præsentium et imminentium metu. *Tac.* 15. *Ann.* 10. Pætus imminentium nescius.

IMMĬNŬO vel inminuo, minŭis minui, minūtum, minŭere, a. 3. (in et minuo). Part. *Imminutus* I. 1., II. 1. et 2., et in fin. — Imminuere est idem quod minuere, deminuere, ἐλαττόω (It. *sminuire*; Fr. *diminuer, affaiblir*; Hisp. *disminuir*; Germ. *vermindern, verkleinern*; Angl. *to lessen, diminish*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 3. *Fam.* 3. *ad fin.* Si istas exiguas copias quam minime imminueris. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 13. (44). Imminutum pondus. *Id.* 37. *ibid.* 1. 3. (6). Imminutum pretium. ¶ 2. Latiori, seu prægnante, uti ajunt, significatione est debilitare, infirmum reddere. *Tac.* 2. *Hist.* 93. Milites per illecebras urbis et inhonesta dictu corpus otio, animum libidinibus imminue-

bant. *Lucret.* 5. 1016. Venus imminuit vires. Adde eumd. *ibid.* 625. — Et obscœno sensu *Apul. Florid.* n. 14. Coramque virginem imminuisset. Adde *Lactant.* 1. 10. *ad fin.*; et *V.* IMMINUTIO I.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1., est aliquid brevius minusque reddere. *Sall. Jug.* 44. Æstivorum tempus comitiorum mora imminuerat. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 7. 19. Quod populi semper proprium fuit, quod nemo imminuit, nemo mutavit. *Nepos Eumen.* 5. Exiles res animi magnitudinem etsi non frangebant, tamen imminuebant. *Petron. Satyr.* 141. Imminuere liberalitatem. *Cic.* 1. *Orat.* 61. 259. Imminuere aliquid de voluptate. *Sueton. Ner.* 42. Nihil imminuit ex consuetudine lusus. *Ovid. Heroid.* 15. 113. se dolor imminuit. *Al. minus recte leg.* invenit. *Cic. Orat.* 47. 157. Quid? quod sic loqui *nosse*, *judicasse* vetant: novisse jubent et *judicavisse*? quasi vero nesciamus, in hoc genere et plenum verbum recte dici, et imminutum usitate. *h. e.* per syncopen abbreviatum. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2. est debilitare, lædere, violare, delere. *Plaut. Cist.* 1. 1. 90. Neque pudicitiam meam mihi alius quisquam imminuit. *Cic. Rosc. Am.* 38. 109. Nullum esse jus tam sanctum atque integrum, quod non ejus scelus atque perfidia violarit et imminuerit. *Id.* 12. *Phil.* 3. 7. Cupiditas imminuta ac debilitata. *Id. pro leg. Manil.* 11. 30. Bellum expectatione Pompeji attenuatum atque imminutum, adventu sublatum ac sepultum. *Sall. Cat.* 38. Plebis opes imminutæ. Rursus *Cic.* 6. *Verr.* 27. 60. Existimatio atque auctoritas nominis populi Romani imminuta. Sic *Id.* 1. *Att.* 18. *a med.* Imminuere auctoritatem. *Id.* 3. *Verr.* 33. 84. jus legationis. Ubi *Pseudo-Ascon.* Qui potestatem suam in administrando non defenderit, imminuti magistratus, veluti majestatis læsæ, reus est. Huc pertinet illud *Tac.* 2. *Ann.* 34. Quamquam Augusta, se violari et imminui quereretur. *h. e.* velut in ordinem cogi: *che le si perdeva il rispetto. Cic.* 2. *Orat.* 25. 109. Imminuere majestatem. *Id.* 14. *Att.* 17. A. 2. laudem alicujus. *Id. Cæcin.* 12. 35. libertatem. *V.* LIBERTAS. *Tac.* 2. *Ann.* 63. Imminuta claritas. *fama screditata. Sall. Jug.* 81. Callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere. *h. e.* interrumpere; efficere, ne Bocchi pax cum Romanis agitata jungeretur. Sic *imminuere mentem* est de statu rationis deturbare. *Gell.* 15. 2. Ebrietas, quæ labefacere et imminuere hominum mentes solet. Cf. *Sall. Jug.* 67.; et *Tac.* 6. *Ann.* 46. Imminuta mens. *h. e.* de recto rationis statu dejecta, *testa debole, poco senno. Tac.* 2. *Ann.* 86. Agrippa dissidio domum imminuerat. *h. e.* abdicata per divortium conjuge. *Id.* 14. *ibid.* 57. Perculso Seneca, promptum fuit Rufum Fenium imminuere, Agrippinæ amicitiam in eo criminantibus. *h. e.* avertere. *Lucilius* apud *Non. p.* 96. 4. *Merc.* Imminuere imperium alicujus. — *NB. Imminuere alicui caput*, pro confringere, comminuere, quidam leg. apud *Plaut. Most.* 1. 3. 109.; sed alii *deminuere*. — Hinc

Imminutus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Imminutior* apud *Solin.* 1. *ante med.* Quum modus intercalandi interdum cumulatior, interdum fieret imminutior.

IMMINŪTĬO vel inminutio, ōnis, f. 3. actus imminuendi, deminutio, *diminuzione*, ἐλάττωσις.

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Fin.* 17. 57. Si pravitatem imminutionemque corporis propter se fugiendam putamus. *h. e.* debilitatem atque abscisionem alicujus membri. — *Auson. in centone nupt.* seu *Edyll.* 13. vocat *imminutionem* primum viri congressum cum sponsa, quia tunc virginitas imminuitur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Fam.* 8. Ut sumptus egentissimarum civitatum minuerem sine ulla imminutione dignitatis meæ. *Quintil.* 7. 4. 3. A parte ejus, qui causam dicit, aut defensio est criminis, aut imminutio, aut excusatio. *Id.* 5. 10. 33. Imminutio malorum. ¶ 2. Speciatim *imminutio* apud *Cic.* 3. *Orat.* 53. 203. (ubi ait, *augendi minuendive causa veritatis superlatio*) teste *Quintil.* 9. 3. 90. et 9. 1. 34. inter sententiarum figuras enumeratur, sed in *Oratore* (40. 137.) postea scripto, transeundo videtur ipse damnasse.

IMMINŪTUS vel inminutus, a, um, ab *in* intens. et minuo. *V.* IMMINUO.

IMMINŪTUS vel inminutus, a, um, adject. ab *in* negat. et *minutus*, est non deminutus. *Julian. Dig.* 24. 2. 6. Ita tamen, ut bona gratia dissolutum videatur pristinum matrimonium et unusquisque jus suum habeat imminutum. *Paul. ibid.* 38. 2. 44. Ut undique patronus suum jus habeat imminutum.

IMMISCĔO vel inmisceo, misces, miscui, mixtus vel mistus, miscere, a. 2. (in et misceo). *Immiscerier* paragoge pro *immisceri* est apud *Virg.* 1. *G.* 454. — Part. *Immiscens* I.; *Immixtus* I. et II. — Immiscere est idem quod miscere, vel in aliqua re miscere, ἐγκεράννυμι, ἐμμίγνυμι (It. *frammischiare*; Fr. *mêler à, confondre*; Hisp. *mezclar*, *unir*, *confundir*; Germ. *hineinmischen*; Angl. *to mix, mingle, intermingle, admix, immingle, immix*).

I.) Proprie. *Lucret.* 3. 394. Immixta corporibus semina. *Id.* 1. 876. Immixtæ res rebus. *Ovid.* 7. *Met.* 278. Omnia confundit summisque immiscuit ima. *Virg.* 1. *G.* 454. Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 54. (98). Radicem contusam, immixta calce, in mare sparsere. *Seneca Herc. Œt.* 830. corporis palla horridi Pars est, et ipsam vestis immiscet cutem. *h. e.* adeo cuti inhæret, ut ipsam sibi immisceat. *Virg.* 5. *Æn.* 429. Immiscentque manus manibus pugnamque lacessunt. *h. e.* manus conserunt. *Curt.* 10. 3. 10. Vos meorum militum corpori immiscui. *Liv.* 3. 50. Immixti turbæ militum togati. *Virg.* 2. *Æn.* 396. Vadimus immixti Danais. — Hinc *immiscere se* est insinuare se, se immittere, *mettersi, frammischiarsi. Virg.* 11. *Æn.* 815. mediis se immiscuit armis. *Liv.* 31. 35. Equites immiscentes se peditibus. *Quintil.* 7. 2. 26. Immiscere se alienæ familiæ venali. *Phædr.* 1. 3. Graculus se pavonum immiscuit gregi. *Virg.* 10. *Æn.* 664. sublime volans nubi se immiscuit atræ.

II.) Translate. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 75. immiscere fugienda petendis. *Tac.* 4. *Ann.* 40. *extr.* Quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omittam ad præsens referre. *h. e.* te mihi adjungere et penitus meum intimum facere. *Liv.* 45. 14. Qui sortem omnem fortunæ regnique sui cum Romanis immiscuisset. *Ovid. Heroid.* 6. 73. immixtaque vota timori. *Tac.* 4. *Hist.* 85. Nec parvis periculis immixtus et majoribus non defuturus. *Liv.* 4. 4. Ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur cavent. — Sic *immiscere se* apud *Liv.* 21. 32. *a med.* Quum se immiscuisset colloquiis montanorum. *Id.* 5. 8. Falisci Fidenati bello se jam ante immiscuerant. *Ulp. Dig.* 3. 5. 3. *ad fin.* Immiscere se negotiis alienis.

IMMISCĬBĬLIS vel inmiscibilis, e, adject. (in *negat.* et misceo) qui misceri non potest. *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 2. *p.* 43. Immixtæ sunt contrariæ differentiæ, id est immiscibiles, quæ misceri non possunt.

IMMĬSĔRĀBĬLIS vel inmiserabilis, e, adject. (in *negat.* et miserabilis) cujus miseret neminem, *non compassionato. Horat.* 3. *Od.* 5. 17. Si non periret immiserabilis Captiva pubes.

IMMĪSĔRĬCORDĬA vel inmisericordia, æ, f. 1. (in *negat.* et misericordia) misericordiæ privatio, duritia animi, *durezza di cuore. Tertull. Spectac.* 20. Numquid et extra limites circi furori studemus, et insolentiæ extra stadium, et immisericordiæ extra amphitheatrum?

IMMĪSĔRĬCORDĬTER vel inmisericorditer, adverb. (immisericors) absque misericordia, *senza misericordia*, ἀνηλεημόνως. *Ter. Adelph.* 4. 5. 28. Factum a vobis duriter immisericorditerque.

IMMĪSĔRĬCORS vel inmisericors, cordis, adject. (in *negat.* et misericors) non misericors, immitis, *duro, spietato, inumano*, ἀνελεήμων. *Cic.* 2. *Invent.* 36. 108. Ipsum immisericordem, superbum fuisse. *Gell.* 14. 4. Judicem oportere esse contra improbos nocentesque immisericordem atque inexorabilem. *Vulgat. interpr. Jerem.* 50. 41. Crudeles sunt et immisericordes.

IMMĬSĔROR vel inmiseror, āris, ari, dep. 1. (in et miseror) idem quod miserari. *Plaut. fragm.* apud *Non. p.* 138. 30. *Merc.* Boni immiserantur illum, hunc irrident mali. *Alii leg.* miserantur.

IMMISSĀRĬUM vel inmissarium, ii, n. 2. (immitto) locus, quo aqua immittitur. *Vitruv.* 8. 7. Efficiatur castellum, et castello conjunctum, ad recipiendam aquam, triplex immissarium. *h. e.* receptaculum, in quod aqua immittitur.

IMMISSĬO vel inmissio, ōnis, f. 3. actus immittendi. *Ulp. Dig.* 8. 5. 8. *a med.* Fumi, aut aquæ immissio. — *Immissio sarmentorum* in putandis vitibus fit, quum ea relinquuntur ad fructum et crescere sinuntur. *Cic. Senect.* 15. 53. Sarmentorum ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immissio.

IMMISSOR vel inmissor, ōris, m. 3. qui immittit. Affertur, nullo tamen auctore laudato, a *Priscian.* hisce verbis *p.* 1254. *Putsch.* Participia passiva *immissus*, *immittendus*; nomen verbale *immissor*; *immissio* ipsa res.

IMMISSŬLUS, vel immisculus, vel immistulus. *V.* IMMUSSULUS.

IMMISSUS vel inmissus, a, um. *V.* IMMITTO.

IMMISSUS vel inmissus, us, m. 4. immissio. In sexto casu sing. *Macrob.* 1. *Saturn.* 18. Sol cuncta vertice summo lustrat lucis immissu.

IMMĪTĔ vel inmite, adverb. *V.* IMMITIS in fin.

IMMĪTĬGĀBĬLIS vel inmitigabilis, e, adject. (in *negat.* et mitigo) qui mitigari non potest, ut immitigabilis ardor, *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. n. 33.

IMMĪTIS vel inmitis, e, adject. (in *negat.* et mitis). Comp. *Immitior* et Sup. *Immitissimus* II. — Immitis est immaturus, acerbus, crudus, ὠμός (It. *immaturo, acerbo*; Fr. *qui n'est pas mûr, qui n'est pas tendre*; Hisp. *no maduro*; Germ. *nicht gelinde, unmilde, herb*; Angl. *immature, unripe, sour, harsh, wild*).

I.) Proprie de fructibus dicitur, et raro admodum occurrit. *Horat.* 2. *Od.* 5. 10. Immitis uva. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 6. (26). Palmæ in maritimis Hispaniæ fructum ferunt, verum immitem; dulcem in Africa, sed statim evanescentem.

II.) Translate est asper, ferus, immanis, crudelis, *fiero, selvaggio, crudele, inumano, severo.* — *a*) De hominibus et brutis animalibus. *Plaut. Bacch.* 3. 4. 1. Immitiorem nunc utrum credam magis sodalemne esse, an Bacchidem, incertum est. *Liv.* 23. 5. Natura et moribus immitis ferusque. *Sueton. Tib.* 59. Asper et immitis. *Id. Ner.* 4. Arrogans, profusus, immitis. *Tac.* 1. *Ann.* 20. Antiquam duramque militiam revocabat, vetus operis ac laboris, et eo immitior, quia toleraverat. *più severo. Virg.* 4. *G.* 492. Immitis tyrannus. *h. e.* Pluto. *Propert.* 4. 11. 13. Immites Parcæ. *Horat.* 1. *Od.* 33. 2. Immitis Glycera. *Ovid.* 13. *Met.* 804. calcato immitior hydro. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 74. 96. (207). Serpentes, immitissimum animalium genus. — *b*) De abstractis. *Tibull.* 1. 3. 55. Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus. *h. e.* immatura, ut ait *Forcellinus*, aut crudeli, ut alii interpretantur. *Ovid.* 13. *Met.* 250. immitia fata. *Liv.* 4. 59. immitis pariter fugientium ac resistentium cædes. *Ovid.* 1. *Fast.* 625. ausas immitia nuptas. *h. e.* abortus facere. *Tac.* 6. *Ann.* 9. Immite rescriptum. *Id.* 15. *ibid.* 27. Immitia mandata. — *c*) De inanimis. *Ovid.* 6. *Met.* 621. immitibus oculis tueri. *Id.* 3. *Pont.* 2. 71. Immitis ara. *h. e.* in qua mactantur homines. *Id. de nuce* 69. immitia vulnera. *Tibull.* 1. 1. 39. Quam juvat immites ventos audire cubantem! *Virg.* 4. *G.* 17. Ore ferunt dulcem nidis immitibus escam. *h. e.* pullis hirundininis, qui apibus infestissimi sunt, easque avidissime devorant. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 17. immitia claustra. *Plin.* 8. *Ep.* 17. Immite et turbidum cœlum. *cattivo, piovoso, tempestoso.* Alter *Plin.* 17. *Hist. nat.* 16. 26. (120). Easque immitibus tantum et desertis locis provenire. *h. e.* silvestribus. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 69. Insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse. Rursus *Plin.* 13. *Hist. nat.* 3. 6. (26). Immites fructus. *h. e.* silvestres. *Sil. It.* 8. 380. immite mustum. *h. e.* valde austerum. — Hinc

Immite, adverbii ritu. *Sil. It.* 17. 257. stridorque Immite rudentum Sibilat.

IMMITTO vel inmitto, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (in et mitto). *Immisti* per syncopen pro *immisisti* est apud *Sil. It.* 17. 354. — Part. *Immissus* in omnibus fere paragr.; *Immittendus* I. 1. — Immittere est intus mittere, inducere, injicere, ἐμβάλλειν (It. *mandar dentro, spingere, cacciare, lanciare*; Fr. *envoyer vers, faire entrer dans, introduire, pousser, jeter, lancer ou lâcher sur*; Hisp. *hacer entrar, introducir, echar, tirar, lanzar sobre*; Germ. *irgendwo hineinschicken oder hineinlassen, einfügen, hinbringen, hinversetzen, los- oder vorwärts lassen, hinwerfen, hineintreiben, hineinstürzen*; Angl. *to send or let in, immit, cast, throw*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) De hominibus et brutis animalibus. *Cic.* 6. *Verr.* 45. 101.

Eone tu servos ad spoliandum fanum immittere ausus es, quo etc. *Id.* 14. *Att.* 10. Servi in tecta nostra cum facibus immissi. *Id. Harusp. resp.* 11. 22. Vis innumerabilis servorum ab hoc repente fornicibus ostiisque omnibus in scænam, signo dato, immissa irrupit. Sic *Liv.* 2. 5. Magna vis hominum simul immissa. Rursus *Cic. Sext.* 36. 78. Gladiatores tu novicios cum sicariis ante lucem in forum immittas? *Cæs.* 7. *B. G.* 40. Equitatu immisso in agmen hostium. *Liv.* 40. 48. Armaturam levem in stationes immittere. *Id.* 21. 8. Ne relicto a se loco hostem immitteret. *Virg.* 10. *Æn.* 40. superis immissa repente Alecto. Cf. *eumd.* 2. *G.* 342. Immissæque feræ silvis et sidera cælo. *Sil. It.* 17. 353. juvenemque ferocem Immisti Latio. *h. e.* misisti contra Latium. *Ovid.* 6. *Met.* 615. aliquem immittere flammis. *Galba* apud *Cic.* 10. *Fam.* 30. Repente equum immisi ad eam legionem. *spinsi verso.* *Liv.* 40. 40. Si effrenatos in eos equos immittitis. *Virg.* 3. *G.* 371. cervos immissis canibus agitare. *rilasciati.* *Nepos Hann.* 5. Obducta nocte, sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit, ejusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. *h. e.* dimisit, *mandò qua e là.* — Hinc Mediorum apud Græcos more, *immittere se* est se conjicere, *cacciarsi.* *Cic.* 1. *Tusc.* 48. 116. Codrus in medios se immisit hostes. Sic *Liv.* 9. 4. Immittere se in medios hostes. Rursus *Cic. Fontej.* 17. 38. se in hostium manum multitudinemque. *Val. Flacc.* 8. 35. Icta timore gravi mediam se immisit. — Cum Infinito. *Apul.* 8. *Met.* Canes generosæ invadere bestias immittuntur. — *b*) De inanimis. *Ovid. Heroid.* 2. 133. Immittere corpus in undas. *Cæs.* 6. *B. G.* 8. Celeriter nostri pila in hostes immittunt. *Id.* 3. *B. C.* 92. Immittere tela. *Cic. Dom.* 15. 39. Tela in meum corpus immissa. *Alfen. Dig.* 9. 2. 52. *circa med.* Telum ex manu immittere. *Cæs.* 3. *B. C.* 101. Completas naves tæda et pice in Pomponianam classem immittit. *Liv.* 30. 25. Concitatam remis navem, quanto maximo impetu poterant, in terram quum immisissent etc. *Val. Flacc.* 2. 614. Immittitque ratem, mediasque intervolat urbes. *Curt.* 8. 14. Per lubrica atque invia immissi currus excutiebant eos, a quibus regebantur. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Ne canalibus aqua immissa lateres diluere posset. *Ulp. Dig.* 39. 3. 3. Ex fullonicis immittere aquam in fundum vicini. *Id. ibid.* 43. 23. 1. *a med.* Immittere cloacam privatam in publicum. *Cels.* 2. 12. Tum immittenda in alvum est pura aqua. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 14. 58. (205). Caseus recens immittitur ad utrumque vitium. *h. e.* injicitur, infunditur. *Virg.* 12. *Æn.* 521. immissi ignes arentem in silvam. *Id.* 8. *ibid.* 246. trepidant immisso lumine Manes. *Ulp. Dig.* 21. 1. 14. Corpus ejus in aliquam valetudinem immisisset. *h. e.* in morbum incidere fecisset. — *Immittere tignum* est aliquo injicere, projicere atque infigere. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. 4. Hæc tigna machinationibus immissa in flumen defixerat. *Id. ibid.* § 6. Hæc tigna bipedalibus trabibus immissis distinebantur. *Cajus Dig.* 43. 25. 3. Tignum in parietem immissum habere. *Jabolen. Dig.* 50. 16. 242. Inter projectum et immissum hoc interesse ait Labeo, quod projectum esset id, quod ita proveheretur, ut et nusquam requiesceret, qualia mæniana et subgrundæ essent: immissum autem, quod ita fieret, ut aliquo loco requiesceret, veluti tigna, trabes, quæ immitterentur. — *Immittere tignum in parietem* apud ICtos est ita extendere ac projicere, ut in pariete communi, vel alieno requiescat. *Ulp. Dig.* 8. 5. 8.; et *Cajus ibid.* 2. — Ceterum *Ovid.* 8. *Met.* 179. Immittere coronam cælo. *h. e.* inter sidera collocare. *Id.* 4. *ibid.* 68. lentum filis immittitur aurum, Et vetus in tela deducitur argumentum. *h. e.* inseritur, intexitur, *s'intesse.* *Petron. Satyr.* 32. Circa oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam. *h. e.* circumdederat, cinxerat. *Virg.* 11. *Æn.* 889. immissis pars cæca et concita frenis Arietat in portas. *h. e.* remissis, laxatis. Sic *Id.* 5. *ibid.* 662.; *Lucret.* 5. 785.; et *Ovid.* 1. *Met.* 280. furit immissis Vulcanus habenis. *allentate le briglie.* Possis etiam *immissis frenis* intelligere, ipsis equis immissis. Sic *Virg.* 5. *Æn.* 146. Nec sic immissis aurigæ undantia lora Concussere jugis. Ceterum *Propert.* 3. 9. 58. Dexteraque immissis da mihi signa jugis. *Plin.* 8. *Ep.* 4. *a med.* Immittere rudentes, pandere vela. *h. e.* remittere, laxare. ¶ 2. Speciatim prægnanti, uti ajunt, significatione *immittere aliquem* est hostili animo mittere, scilicet subornare. *Sall. Cat.* 48. Alii Tarquinium a Cicerone immissum ajebant, ne Crassus rempublicam conturbaret. *subornato e introdotto.* *Sueton. Cal.* 23. Fratrem Tiberium inopinantem repente immisso tribuno militum interemit. Sic *Tac.* 3. *Ann.* 16. Nec illum sponte exstinctum, verum immisso percussore. *Justin.* 9. 7. Creditum est etiam, immissum ab Olympiade fuisse. *Id.* 3. 6. Lacedæmonii Peloponneses immisere, qui bellum Atheniensibus facerent. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 54. Immissis qui monerent. *Id.* 11. *ibid.* 1. Suilium accusandis utrisque immittit. *Justin.* 32. 2. Insidias sibi paratas confingit: ad cujus rei probationem immittit indices. ¶ 3. Item speciatim *immittere arborem, barbam,* est crescere sinere, *lasciar crescere.* *Varro* 1. *R. R.* 31. 3. Ea vitis immittitur ad uvas pariendas. Cf. *Virg.* 2. *G.* 363. dum se lætus ad auras Palmes agit, laxis per purum immissus habenis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 33. 60. (141). Cupressus immittitur in perticas asseresva. *Liv.* 40. 22. Pro densitate arborum immissorumque aliorum in alios ramorum. *Quintil.* 1. 3. 5. Non subest vera vis, nec penitus immissis radicibus nititur. — *Sisenna* apud *Non.* p. 130. 8. *Merc.* Quum complures menses barba immissa et intonso capillo etc. *Lucilius* apud *eumd.* p. 330. 3. *Merc.* neque barbam immiseris istam. *Virg.* 3. *Æn.* 593. dira illuvies, immissaque barba. Adde *Ovid.* 12. *Met.* 351.; et *Quintil.* 12. 3. 12. Similiter *Ovid.* 1. *Fast.* 503.; 5. *Met.* 338. et 6. *ibid.* 168. immissi capilli. Et Græca constructione *Val. Flacc.* 1. 412. Phlelas immissus patrios de vertice crines. ¶ 4. Item speciatim *immittere aliquem in bona alicujus* est bonorum possessionem ei tradere, *immetterlo in possesso.* *Cic.* 3. *Verr.* 54. 142. Scilicet tu, prætor, in mea bona, quos voles, immittes?

II.) Translate. *Plaut. Epid.* 3. 1. 14. Neque ego id immitto in aures meas. *non ci bado, non ascolto.* *Cic.* 4. *Parad.* 1. 28. Jactam et immissam a te nefariam ad me injuriam semper duxi: pervenisse ad me numquam putavi. *h. e.* intentatam. *Id. Orat.* 56. 190. Inculcamus per imprudentiam sæpe etiam minus usitatos versus –. Tamen hic corrector in eo ipso loco, quo reprehendit, immittit imprudens ipse senarium. *si lascia sfuggire.* *Virg.* 9. *Æn.* 719. Immisitque fugam Teucris atrumque timorem. *h. e.* infudit, indidit. Sic *Val. Flacc.* 7. 353. Immittere alicui vires. *Seneca Herc. Œt.* 554. amorem.

IMMIXTIM *vel* inmixtim *vel* immistim, adverb. immiscendo. *Plaut. Aulul.* 2. 3. *extr.* Malum mœrorem metuo, ne immixtim bibam. *Plerique al. leg.* mixtum.

IMMIXTUS *vel* inmixtus *vel* immistus, a, um, ab *in* intens. et *mixtus.* *V.* IMMISCEO.

IMMIXTUS *vel* inmixtus *vel* immistus a, um, ab *in* negat. et *mixtus,* non mixtus. *Auson. epigr.* 20. *in fin.* Potare immistum sueta, mixtumque merum.

IMMO *vel* imo, adverb. Ad scriptionem quod attinet, duplicem *m* probant *Manut.* et *Cellar.*, unicam *Dausq.*, sed stare ab illis præstat; tamen vide mox vocis etymon. — *Immo* primum tenet locum, et raro alii vocabulo postponitur. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 34. Negas? LY. Pernego immo. *Liv.* 35. 49. nihil immo. *Quintil.* 11. 1. 50. non immo. *Martial.* 6. 94. non habet immo suum. *Liv.* 39. 40. Vivit immo vigetque. *Tac.* 12. *Ann.* 6. Statueretur immo documentum. *Id.* 11. *ibid.* 30. Frueretur immo his. *Id.* 15. *ibid.* 21. Quædam immo virtutes. *Id. Dial. de orat.* 6. Illos quin immo. *Id. ibid.* 39. Ipsam quin immo curam. Sic *Plin.* 1. *Ep.* 8.; et *Quintil.* 1. 1. 31., 12. 11. 27. et 7. 10. 8. quin immo. — Ratione habita etymi, *Vossius* ab *imus* deducit, ut sit pro *postremo loco,* h. e. postremo illud addo quod plus est. Ceterum *immo* est adverbium, quod modo solum adhibetur, modo aliis junctum particulis, et corrigendi causa usurpatur, scilicet vel ut, si quid incerti est, a medio tollatur affirmando aut negando, vel ut iis, quæ dicta sunt, rectius aliquid addatur; et significat quin potius, μᾶλλον δὲ, ἀλλὰ (It. *anzi, a vero dire*; Fr. *au contraire, oui, sans doute, bien plus*; Hisp. *al contrario, al reves, si, sin duda, ciertamente*; Germ. *bald ja, allerdings, fürwahr, bald nein, keineswegs, im Gegentheil, umgekerht*; Angl. *nay, yes, yea*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu et generatim. — *a*) Sine additis. *Plaut. Most.* 3. 1. 19. TR. Etiam fatetur de hospite? TH. Immo pernegat. *Ter. Eun.* 3. 5. 60. AN. Ubi? domin'? CH. Immo apud libertum Discum. *Plaut. Pers.* 4. 3. 27. DO. Hm quid ad me? TO. Immo ad te attinent. *Ter. Phorm.* 5. 8. 54. DE. Faciat, ut voles. NAV. Immo ejus judicio permitto omnia. *Id. Heaut.* 4. 3. 28. CL. Et scilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet senem vostrum. SY. Immo, ut recta via rem narret ordine omnem. *Id. Andr.* 1. 2. 30. SI. Quid? hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem? DA. Immo callide. *Cic.* 3. *Off.* 17. 76. Non igitur faciat, dixerit quis, quod utile sit, quod expediat. Immo intelligat nihil nec expedire nec utile esse, quod sit injustum. *Id.* 9. *Att.* 7. Causa igitur non bona est? Immo optima: sed agetur fœdissime. *Id. Rosc. com.* 16. 49. Venit ad Cluvium. Quem hominem? levem? immo gravissimum. Mobilem? immo constantissimum. Familiarem? immo alienissimum. *Id.* 10. *Att.* 12. Sine dubio errasse nos confitendum est. At semel? at una in re? Immo omnia, quo diligentius cogitata, eo facta sunt imprudentius. *Quintil.* 9. 3. 68. Quum ille dixisset, se vero non expectare: Immo, inquit, rogo expectes. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 20. Quid tu? nullane habes vitia? Immo alia haud fortasse minora. Sic *Plin. Paneg.* 36. At fortasse non eadem severitate fiscum, qua ærarium cohibes. Immo tanto majore, quanto etc. — Interdum *immo* locum habet, etiam si minus aliquid dicturi simus. *Plaut. Amph.* 1. 1. 232. SO. Obsecro, ut per pacem liceat te alloqui, ne vapulem. MERC. Immo induciæ parumper fiant, si quid vis loqui. *Virg.* 9. *Æn.* 98. Immo ubi defunctæ finem portusque tenebunt etc. *V.* integr. locum. — Interdum eleganter ponitur, quum rem inopinatam dicturi sumus; quo sensu *immo ut* haud raro adhibetur. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 29. CH. Quidnam meminit Mnesilochi? PI. Rogas? Immo unice unum plurimi pendit. CH. Papæ! PI. Immo ut eum credit? misere amans desiderat. *Id. Curc.* 1. 1. 59. PH. At illa est pudica. PA. Credam, pudor si cuiquam lenoni siet. PH. Immo ut illam censes? ut quæque illi occasio est surripere etc. *anzi che stimi tu di lei?* Simile est illud *ejusd. Amph.* 1. 1. 194. ME. Quid apud hasce ædes negotii est tibi? SO. Immo quid tibi' st? *Forcellinus* addit etiam illa *Ter. Heaut.* 3. 3. 38. quod *V.* sub 3. et *Andr.* 5. 2. 12. quod *V.* mox sub *b.* — Interdum contrarium vel oppositum subditur. *Plaut. Cist.* 2. 3. 22. PH. An amabo meretrix illa est, quæ illam sustulit? LA. Immo meretrix fuit; sed ut sit, de ea re eloquar. *Id. Most.* 3. 2. 41. SI. Electili vitam colitis. TR. Immo vita antehac erat. *Ter. Andr.* 1. 1. 2. SI. Paucis te volo. SO. Dictum puta: nempe ut curentur recte hæc. SI. Immo aliud. — *b*) Cum additis *edepol, hercle, ecastor, vero, enimvero, enim, potius, etiam, certe, quoque, contra.* — *Immo edepol* apud *Plaut. Epid.* 5. 2. 1. PE. Satin' ille hic homo ludibrio nos vetulos habet? AP. Immo edepol tu quidem miserum me habes miseris modis. *Id. Cas.* 2. 8. 19. OL. Ecquid amas nunc me? ST. Immo edepol me quam te minus. Adde *eumd. Capt.* 2. 1. 16. — *Immo hercle* apud *Plaut. Cas.* 2. 6. 51. ST. Quod bonum atque fortunatum mihi sit. OL. Ita vero et mihi. CH. Non. OL. Immo hercle. CH. Immo mihi hercle. *Ter. Adelph.* 5. 8. 5. MI. Haud aliter censeo. DE. Immo hercle ita nobis decet. — *Immo ecastor* apud *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 33. PA. Mala es. PH. Immo ecastor stulta multum, quæ vobiscum fabuler. — *Immo vero, immo edepol vero, immo hercle vero, immo vero etiam, immo enimvero, immo enim* apud *Ter. Hecyr.* 5. 4. 37. PA. Nescis, Parmeno, quantum hodie profueris mihi. – PAR. Immo vero scio, neque hoc imprudens feci. *Id. Andr.* 5. 2. 12. CH. Quid illum censes? cum illa litigat. DA. Immo vero indulgeas, Chremes, jam faciam fixo ex me audias. *Id. Hecyr.* 2. 1. 31. SO. Non mea opera, neque pol culpa evenit. LA. Immo vero maxime. *Cic.* 3. *Off.* 23. 90. Non igitur patria præstat omnibus officiis? Immo vero (Italice: *anzi sì*): sed ipsi patriæ conducit pios habere cives in parentes. Quid? si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater: silebitne filius? Immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat. *no, che anzi etc.* Adde *eumd.* 1. *ad Q. fr.* 3. 1. *Plaut. Most.* 3. 2. 79. TR. Sub dio coli absque sole perpetuum diem. SI. Immo edepol vero, quum usquequaque umbra est, tamen sol semper hic est usque a mani ad vesperum. *Id. ibid.* 4. 1. 4. TR. Ecquid placent? TH. Ecquid placeant me rogas? immo hercle vero perplacent. *Cic.* 1. *Cat.* 1. 2. Senatus hæc intelligit, consul vi-

det: hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit. *Id.* 12. *Att.* 43. Ferendus tibi in hoc meus error. Ferendus? immo vero etiam adjuvandus. *Ter. Phorm.* 3. 2. 43. AN. Siccine hunc decipis? DO. Immo enimvero, Antipho, hic me decipit. *Id. Andr.* 5. 1. 2. CH. Orandi jam finem face. SI. Immo enim nunc quam maxime abs te postulo atque oro, ut etc. — *Immo potius, immo hercle potius* apud *Plaut. Asin.* 5. 2. 89. DE. Juben' hanc hinc abscedere? PH. Immo intus potius. *Id. Epid.* 3. 4. 80. Eumne ego sinam impune? immo etiamsi alterum tantum perdundum est, perdam potius, quam etc. *Petron. Satyr.* 16. Nec accusat errorem vestrum: immo potius miratur etc. Rursus *Plaut. Bacch.* 2. 2. 33. Immo hercle abiero potius. — *Immo etiam, immo certe,* apud *Plaut. Bacch.* 2. 3. 82. NI. Sed vos nihilne attulistis inde auri domum? Immo etiam: verum, quantum attulerit, nescio. Adde *eumd. Mil. glor.* 4. 2. 23. *Ter. Eun.* 4. 7. 42. THR. Credin'? GNA. Immo certe. — *Immo quoque* apud *Plaut. Bacch.* 4. 8. 51. CH. Jamdudum hercle equidem sentio, suspicio quæ te sollicitet, eum esse cum illa muliere. CL. Immo est quoque. *anzi si ch'egli ci è di certo.* — *Immo contra* apud *Liv.* 41. 24. Opportuni propinquitate ipsæ Macedoniæ sumus: an infirmissimi omnium tamquam, quos nuper subjecit, Dolopes? Immo contra ea vel viribus nostris deum benignitate, vel regionis intervallo tuti. Adde *Labeon. Dig.* 33. 7. 5., 38. 2. 51. et 41. 3. 49. ¶ 2. Speciatim apud Comicos *immo* inservit negationi, quæ magna cum indignatione aut admiratione fit. *Ter. Andr.* 4. 2. 25. CH. Verum vis dicam? DA. Immo etiam narrationis incipit mihi initium. *Id. ibid.* 4. 1. 5. Idne est verum? immo id est genus hominum pessimum. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 86. PE. Euge, euge, lepide: laudo commentum tuum. PA. Ut si illic concriminatus sit advorsum militem. — DE. Immo ut optume. ¶ 3. Item speciatim apud Comicos *immo si scias, immo si audias* usurpantur ad corrigenda ea quæ præcedunt et ad contraria inducenda. *Plaut. Curc.* 2. 3. 42. CU. Nolo, hercle, aliquid: certum quam aliquid mavolo. PH. Immo si scias, reliquiæ quæ sint. *Id. Cas.* 3. 5. 35. ST. Scelestissimum me esse credo. PA. Immo si scias dicta, quæ dixit hodie. *Ter. Eun.* 2. 3. 64. CH. Duras fratris partes prædicas. PA. Immo enim si scias, quod donum huic dono contra comparet: tum magis id dicas. Et per ellipsin *Id. Merc.* 2. 2. 27. LY. Bene hercle factum, et gaudeo. DE. Immo si scias. Adde *eumd. Pseud.* 2. 4. 59. *Ter. Heaut.* 3. 3. 38. SY. Pessime hæc est meretrix. CH. Ita videtur. SY. Immo si scias hoc, quod inceptat facinus. ¶ 4. Latiori sensu apud *Liv.* et præcipue apud sequioris ævi scriptores pro *vel potius* occurrit. *Liv.* 48. 43. Simulacra deum, deos immo ipsos convulsos ex sedibus suis ablatos esse. *Seneca Ep.* 58. Quanta verborum nobis paupertas, immo egestas sit, numquam magis, quam hodierno die intellexi. *Sueton. Aug.* 65. Agrippinam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem in insulam transportavit. *Quintil.* 2. 2. 8. Ipse aliquid, immo multa quotidie dicat. *Id.* 6. 2. 10. In causis vero etiam pluribus versantur, immo secundum quemdam intellectum in omnibus. *Plin. Paneg.* 23. Quod occursantium populus te quoque, te immo maxime adstaret. *Id. ibid.* 65. Qui pauculis diebus gestum consulatum, immo non gestum abjiciebant per edictum. — *Immo hercle, immo vero* apud *Curt.* 4. 1. 22. Cave obliviscaris hujus status, in quo accipis regnum, immo hercule propter quem. *Quintil.* 11. 3. 59. Nihil causæ est, cur non illam vocis modulationem fidibus ac tibiis, immo hercle, quod est huic deformitati propius, cymbalis adjuvemus. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Proxima dicantur æris metalla, cui et in usu proximum est pretium, immo vero ante argentum ac pæne etiam ante aurum.

IMMŌBĬLIS *vel* inmobilis, e, adject. (in *negat.* et mobilis). Comp. *Immobilior* I. 1. — Immobilis est qui non movetur, vel moveri non potest, ἀκίνητος (It. *immobile;* Fr. *immobile, qui ne se meut pas;* Hisp. *inmobible, inmobil;* Germ. *unbeweglich;* Angl. *steadfast, immoveable*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 6. *de republ.* 18. Terra immobilis manens, ima sede semper hæret. *Curt.* 8. 4. 16. Graves ei propemodum immobiles currus. *Id.* 8. 14. 18. Elephas tardum et pæne immobile animal. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 6. 5. (13). Balænæ ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes. *Lucan.* 9. 484. immobilis Austro. *h. e.* ad Austri flatus. *Quintil.* 9. 4. 101. Immobilis rigor. *Ovid.* 13. *Met.* 801. His immobilior scopulis, violentior amne. ¶ 2. Speciatim *immobiles res* sunt immobilia bona, *beni stabili,* res et bona, quæ solo continentur et moveri loco non queunt, ut prædia, ædes, τὰ ἀκίνητα. *Jabolen. Dig.* 41. 3. 23. et *Macer ibid.* 2. 8. 15.

II.) Translate. *Virg.* 7. *Æn.* 623. Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis ante. *Tac.* 16. *Ann.* 10. Donec princeps immobilem se precibus et invidiæ juxta ostendit. *Id.* 4. *Hist.* 2. Tristes et truces et adversum plausum ac lasciviam insultantis vulgi immobiles. *Gell.* 19. 12. *extr.* Isti apathiæ sectatores, qui videri se esse tranquillos et intrepidos et immobiles volunt. *Lactant.* 6. 17. *a med.* Hominem ad immobilem stuporem mentis perducere. *h. e.* ut nullo affectu moveatur. *Sueton. Vitell.* 3. Statua pro rostris cum has inscriptione: Pietatis immobilis erga principem. *h. e.* constantis, perpetuæ. *Frontin. Aquæd.* 34. Omnia, quæ mensura continentur, certa et immobilia congruere sibi debent. *h. e.* immutabilia.

IMMŌBĬLĬTAS *vel* inmobilitas, ātis, f. 3. (immobilis) firmitas, stabilitas, *immobilità,* ἀκινησία.

I.) Proprie. *Justin.* 36. 3. 6. Lacus qui, propter magnitudinem et aquæ immobilitatem, mare mortuum dicitur.

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Hebr.* 7. 17. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui etc. *Lactant.* 6. 17. *a med.* Qui immobilitatem animi asserunt. *h. e.* ut sine affectibus sit animus. Adde *Tertull. advers. Hermog.* 36. *extr.*, et in plurali num. *Arnob.* 1. 45.

IMMŌBĬLĬTER *vel* inmobiliter, adverb. (immobilis) non mobiliter, *immobilmente. Pompej. Comment. art. Donat. p.* 190. Scire debes, quod et immobiliter licet nobis declinare hoc nomen (*paterfamilias*), et mobiliter, id est cum conversione constare.

IMMŌDĔRANTĬA *vel* inmoderantia, æ, f. 1. immoderatio. *Tertull. Baptism.* 20. *ad fin.* Tentationes plenitudini et immoderantiæ ventris appositas abstinentia elidere. *intemperanza.*

IMMŌDĔRĀTĒ *vel* inmoderate, adverb. (immoderatus). Comp. *Immoderatius* et Sup. *Immoderatissime* II. — Immoderate est sine certa ratione, *senza regola o modo.*

I.) Proprie. *Cic. Tim.* 13. Totum animal movebatur illud quidem, sed immoderate et fortuitu. *Id.* 2. *Nat. D.* 59. 149. Lingua vocem immoderate profusam fingit et terminat. *Quintil.* 11. 3. 63. Non potest esse longus spiritus, quum immoderate effunditur spiritus. *Forcellinus* h. l. inter translata retulit.

II.) Translate est sine moderatione, immodice, *senza moderazione, smoderatamente,* ἀμέτρως. *Cic. Tim.* 12. Immoderate et intemperate vivere. *Id.* 1. *Divinat.* 29. 60. Exsultare immoderateque jactari. *Id.* 12. *Fam.* 1. *sub fin.* Immoderate quidem et ingrate nostra facilitate abutuntur. *Id.* 5. *ibid.* 16. *a med.* Non est gravitatis ac sapientiæ tuæ ferre immoderatius casum incommodorum tuorum. *Spartian. Sever.* 20. Immoderatissime lætari.

IMMŌDĔRĀTĬO *vel* inmoderatio, ōnis, f. 3. (immoderatus) immoderantia, excessus, *eccesso, smoderatezza,* ἀμετρία, ἀταξία. *Cic. Sull.* 10. 30. Interdum effertur immoderatione verborum. *Augustin.* 9. *Music. n.* 15. Illud etiam intelligis, omnem mensuram et modum immoderationi et infinitati recte anteponi. *h. e.* deficientiæ modi, sive mensuræ.

IMMŌDĔRĀTUS *vel* inmoderatus, a, um, adject. (in *negat.* et moderatus). Comp. *Immoderatior* et Sup. *Immoderatissimus* II. — Immoderatus est non mensuratus, immensus, infinitus, *immenso, sterminato.*

I.) Proprie. *Cic.* vertens *Euripid.* locum 2. *Nat. D.* 25. 65. Vides sublime, fusum, immoderatum æthera. *Lucret.* 1. 1011. Simplice natura pateat tamen immoderatum. *Arnob.* 2. 75. Immoderata continuatio seculorum.

II.) Translate est qui modum non servat, sed excedit, immodicus, nimius, non moderatus, *smoderato, eccessivo,* ἄμετρος. *Cic.* 13. *Att.* 28. Ipsum illum Aristotelis discipulum, summo ingenio, summa modestia, posteaquam rex appellatus sit, superbum, crudelem, immoderatum fuisse. *Id.* 10. *Phil.* 11. 23. Immoderatus homo et turbulentus. *Id. Cæl.* 21. 53. Immoderata mulier. *Id.* 2. *Herenn.* 22. 34. Immensæ cupiditates, infinitæ et immoderatæ sunt. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 10. 39. Omnium perturbationum esse matrem immoderatam quamdam intemperantiam. *Ovid.* 4. *Pont.* 15. 31. res immoderata cupido est. *Gell.* 19. 12. Motus animi, quum immoderatiores sunt, vitia fiunt. *Sueton. Ner.* 51. Immoderatissimæ luxuriæ esse. — Similiter *Cic.* 1. *Divinat.* 29. 60. Immoderato potu et pastu pars animi obstupefacta. — *Id. Orat.* 58. 198. Ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. *h. e.* sine modo et numero. *Cælius* apud *Quintil.* 11. 1. 51. Vox immoderatior. *Sueton. Vit. Lucan.* Tam immoderatæ linguæ fuit. — *Cic. Rosc. Am.* 45. 131. Venti vehementiores, immoderatæ tempestates.

IMMŌDESTĒ *vel* inmodeste, adverb. (immodestus). Comp. *Immodestius.* — Immodeste est immoderate, extra modum, immodice, *smoderatamente, eccessivamente,* ἀμέτρως. *Plaut. Rud.* 1. 3. 10. Hoc mihi indecore, inique, immodeste datis, dii. *h. e.* injuria, injuste, non servantes modum, quum detis immerenti. *Id. Pœn.* 1. 1. 25. Immodeste amare. *h. e.* immodice. *Liv.* 22. 27. Immodice immodesteque gloriari. *Quintil.* 5. 7. 32. Immodeste atque intemperanter facere multa. *Id.* 12. 1. 12. Immodeste proponere, sine pudore affirmare. *sfacciatamente. Sueton. Aug.* 24. Legiones immodeste missionem postulantes exauctoravit. *con jattanza. Seneca* 1. *Quæst. nat.* 17. Processit immodestius, paullatim opibus ipsis invitata luxuria. *Alii leg.* molestius.

IMMŌDESTĬA *vel* inmodestia, æ, f. 1. (immodestus) immoderatio, intemperantia, *smoderatezza, eccesso, immodestia,* ἀμετρία. *Plaut. Merc. prol.* 27. Amori accedunt hæc: incogitantia, excors immodestia, petulantia, cupiditas. *Id. Amph.* 1. 1. 9. Hæc heri immodestia coegit, qui me hoc noctis a portu ingratis excitavit. *indiscretezza. Nepos Alcib.* 8. Ne immodestia militum nostrorum occasio detur hosti opprimendi exercitus. *contumacia, disobbedienza, indisciplinatezza. Tac.* 13. *Ann.* 50. Crebræ populi flagitationes, immodestiam publicanorum arguentis. *insolenza, estorsione. Id.* 4. *ibid.* 14. De immodestia histrionum retulit: multa ab iis in publicum seditiose, fœda per domos tentari. *petulanza, insolenza.*

IMMŌDESTUS *vel* inmodestus, a, um, adject. (in *negat.* et modestus) immodicus, immoderatus, intemperans, nimius, *smoderato, sregolato, immodesto,* ἄμετρος. *Ter. Heaut.* 3. 3. 7. Vel heri in vino quam immodestus fuisti! *Tac.* 13. *Ann.* 28. Immodesti fautores histrionum a prætore in vincula ducti. *Plaut. Curc.* 1. 3. 44. Immodesti mores. *Seneca* 1. *Controv.* 1. Immodesta largitione effundere. *Cic.* 1. *Off.* 29. 103. Ipsum genus jocandi non profusum nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet.

IMMŌDĬCĒ *vel* inmodice, adverb. (immodicus) sine modo, ultra modum, *smoderatamente, smisuratamente, all' eccesso,* ἀμέτρως. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 13. 38. (112). Si sanguis ex vulnere immodice fluat. *Lucan.* 10. 137. Cleopatra immodice formam fucata nocentem. *Colum.* 2. *R. R.* 16. 2. Frequenter id potius, quam immodice facere. *h. e.* nimium stercorare. *Pallad.* 1. *R. R.* 5. Situs terrarum arduas tempestates immodice sentit et calores. *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 40. Quid si, quum id ferret immodice, mors liberorum accessisset? *Plerique alii rectius leg.* modice. *Liv.* 22. 27. Immodice immodesteque gloriari. *Quintil.* 11. 1. 19. Eloquentiam sibi immodice arrogare. *Gell.* 1. 11. Immodice ferocire. *Id.* 19. 2. Immodice capere voluptatem ex re aliqua.

IMMŌDĬCUS *vel* inmodicus, a, um, adject. (in *negat.* et modicus) qui modum excedit, immoderatus, nimius, ἄμετρος (It. *smoderato, fuor di misura, eccessivo;* Fr. *excessif, démesuré, déréglé, immodéré;* Hisp. *excesivo, inmoderado, desreglado;* Germ. *unmässig, das Maass überschreitend, maasslos, unbescheide, zügellos;* Angl. *immoderate, exceeding bounds, beyond measure, excessive, intemperate.*

I.) Proprie. *Ovid.* 6. *Met.* 673. Prominet immodicum pro longa cuspide rostrum. *Id.* 8. *ibid.* 808. immodico prodibant tubere tali. *Id. Heroid.* 18.

137. Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent. *Id.* 3. *Pont.* 1. 14. Immodicum frigus. Cf. *Sueton. Aug.* 47. Continuæ et immodicæ tempestates. et *Martial.* 10. 48. immodico sexta (*hora*) Nerone calet. *h. e.* thermis Neronianis immodice calentibus.

II.) Translate occurrit — *a*) Cum Ablat. et præpos. in. *Liv.* 38. 23. *a med.* Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augendo esse solet. *Vellej.* 2. 33. 3. In appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus. — *b*) Cum Ablat. sine præpos. *Sueton. Domit.* 12. Tum verbis, tum rebus immodicus. *Lucan.* 6. 796. Gracchi immodici legibus. *h. e.* qui in legibus ferendis sibi non temperarunt. — *c*) Cum Genitivo, Græcorum more. *Vellej.* 2. 11. Immodicus gloriæ. *h. e.* in appetenda gloria. *Stat.* 1. *Theb.* 41. iræ. *Colum.* 7. *R. R.* 6. 3. libidinis. *Tac.* 15. *Ann.* 23. lætitiæ et mœroris. *Sil. It.* 12. 268. fugæ. *Tac.* 1. *Hist.* 53. Cæcina corpore ingens, animi immodicus. — *d*) Absolute. *Quintil.* 2. 2. 5. Assiduus potius, quam immodicus præceptor. *Liv.* 21. 3. An hoc timemus, ne Hamilcaris filius nimis sero imperia immodica et regni paterni speciem videat? *Horat.* 1. *Od.* 13. 10. Immodicæ mero rixæ. *Vellej.* 2. 28. 2. Immodica crudelitatis licentia. *Colum.* 1. *R. R.* 3. 11. Immodica possidendi libido. *Ovid.* 3. *Art. am.* 511. Immodici fastus. *Id.* 1. *Pont.* 4. 22. Immodicus labor. *Sueton. Cæs.* 79. Immodicæ ac novæ populi acclamationes. *Plin.* 9. *Ep.* 4. Immodica oratio. *h. e.* nimis longa. Sic *Quintil.* 9. 4. 125. Immodica periodus.

IMMŎDŬLĀTUS *vel* inmodulatus, a, um, adject. (in *negat.* et modulatus) non modulatus, inconditus. *Horat. Art. P.* 263. Non quivis videt immodulata poemata judex.

IMMŒNIS. *V.* IMMUNIS.

IMMŎLĀTĪCĬUS *vel* inmolaticius *et* inmolatitius, a, um, adject. (immolo) qui immolatus, h. e. mactatus vel sacrificatus est. *Augustin. Ep.* 151. *a med.* Immolaticia caro. *Gloss. Philox.* Immolaticius, θύσιμος.

IMMŎLĀTĬO *vel* inmolatio, ōnis, f. 3. immolandi actus, sacrificatio, *sacrifizio*, θυσία. *Cic.* 1. *Divinat.* 52. 119. In ipso immolationis tempore eas partes, quæ absint, interisse. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 16. 37. *Quintil.* 2. 13. 13. Immolatio Iphigeniæ. *Inscript.* apud *Henzen.* 5359. *VIII. K. octobr.* NATALIS . CAESARIS . IMMOLATIO . CAESARI . HOSTIA . SVPPICATIO . (*sic*) etc. Et in plurali numero *Tac.* 3. *Ann.* 13. Sacra et immolationes nefandæ.

IMMŎLĀTOR *vel* inmolator, ōris, m. 3. qui immolat et sacrificat, *chi sacrifica*. *Cic.* 2. *Divinat.* 15. 36. Ut se exta ad immolatoris fortunam accommodent. *Prudent.* 12. *Cathemer.* 48. Primus sator credentium, Nati immolator unici.

IMMŎLĀTUS *vel* inmolatus, a, um. *V.* IMMOLO.

IMMŎLĪTUS vel inmolitus, a, um, adject. seu potius particip. ab. in et *molior*, ædificatus, constructus. *Liv.* 39. 44. Quæ in loca publica inædificata immolitave privati habebant, intra dies triginta demoliti sunt. *Inædificata* dicuntur privata ædificia publicis imposita: *immolita* vero, in publico a fundamentis exstructa. In *vet. Tab. æn.* apud *Murat.* 582. *sub fin.* NE QVIS IN IIS LOCIS QVID INAEDIFICATVM IMMOLITVMVE HABETO. In *edicto Prætor.* apud *Ulp.* aliis verbis hoc idem significatur, *Dig.* 43. 8. 2. *init.* Ne quid in loco publico facias, inve eum locum immittas etc.

IMMŎLO *vel* inmolo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* mola). Part. *Immolans* I. 2.; *Immolatus* in omnibus paragr.; *Immolaturus* et *Immolandus* I. 2. — Immolare proprie est mola, hoc est farre tosto, molito et sale mixto victimam aspergere.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 57. Olim hostiæ immolatæ dicebantur mola salsa tactæ: quum vero ictæ et aliquid ex illis in aram datum, mactatæ dicebantur. *Cato* apud *eumd.* ad *Virg.* 10. *ibid.* 541. Boves immolatos, priusquam cæderentur, profugisse in Siciliam. ¶ 2. Latiori sensu ac generatim est rei divinæ causa mactare, sacrificare, *immolare, sacrificare*, θύω. Occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Cic.* 3. *Nat. D.* 36. 88. Pythagoras, quum in geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur. Sic *Liv.* 1. 45. Immolare bovem Dianæ. Rursus *Cic.* 2. *Invent.* 31. 95. Apud quosdam lex erat, ne quis Dianæ vitulum immolaret. *Horat.* 4. *Od.* 11. 7. Ara avet immolato spargier agno. *Cic.* 3. *Tusc.* 26. 63. Immolare hostias. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. animalia capta. *Cic. Fontej.* 10. 21. Barbara consuetudo hominum immolandorum. *Cæs.* 4. *B. G.* 16. Qui in præliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent. *Quintil.* 3. 11. 6. Immolare filiam. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 22. 34. (82). Immolati pueri exta degustasse. — *b*) Absolute. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 72. Quum Sulla in agro Nolano immolaret ante prætorium. *Cæcina* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. Nemo nostrum est, quin, etiam quum de alia re immolaret, tamen eo quidem ipso tempore, ut quamprimum Cæsar superaretur, optaret. *Sueton. Cæs.* 59. Quum immolanti aufugisset hostia. — *c*) Passive impersonaliter. Cum Dativo deorum, quibus immolatur, *Cic.* 2. *Divinat.* 17. 38. Quum pluribus diis immolatur, qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur? Et cum Ablativo hostiarum, quæ immolantur, *Id.* 2. *Legg.* 12. 29. Quibus hostiis immolandum cuique deo, cui majoribus, cui lactentibus etc.

II.) Translate apud Poetas, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2. Ironice *Virg.* 12. *Æn.* 948. Pallas te hoc vulnere, Pallas Immolat, et pœnas scelerato ex sanguine sumit. *Id.* 10. *ibid.* 519. Inferias quos (*juvenes*) immolet umbris. Urbane *Phædr.* 4. 5. Quos immolatos victor avidis dentibus Capacis alvi mersit tartareo specu.

IMMONTUOSUS *vel* inmontuosus, a, um, adject. non montuosus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 70.

IMMŎRANTER *vel* inmoranter, adverb. (in *negat. et* mora) non morando. *Gloss. Philox.* Ἀνυπερθέτως, inmoranter, incunctanter.

IMMORDĔO *vel* inmordeo, des, di, sum, dere, a. 2. (in *et* mordeo) morsu prehendere, *morsicare*. Occurrit tantum Part. *Immorsus* apud Poetas. *Propert.* 3. 8. 21. Immorso æquales videant mea vulnera collo. *Al. leg.* In morso. *Stat.* de eo, qui in os inimici telum receperat, 2. *Theb.* 628. donec transmissa morte per artus Labitur, immorsaque cadens obmutuit hasta. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 61. perna magis ac magis hillis Flagitat (*stomachus seu potius marcens potor*) immorsus refici. *h. e.* vellicatus, excitatus: alii tamen minus recte leg. *in morsus.*

IMMŎRĬOR *vel* inmorior, mŏrĕris, mortuus sum, mŏri, dep. 3. (in *et* morior). Part. *Immortuus* et *Immoriturus* I. — Immori est in aliquo loco mori, *morire in qualche luogo*, ἐναποθνήσκω.

I.) Proprie. — *a*) De hominibus et brutis animantibus. *Ovid.* 9. *Met.* 295. illa sorori immoritur. *morendo cade sopra la morta sorella.* Cf. *Seneca Hippol.* 712. Ut manibus immoriar tuis. *ti muoja in braccio. Id. Herc. Œt.* 869. Immori ferro. *morir cadendo sopra la spada.* Sic *Val. Flacc.* 6. 570. Immoritur hastæ. *Ovid.* 3. *Pont.* 7. 40. Fortiter Eusinis immoriemur aquis. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 22. (73). Stellio immortuus vino. *Id. ibid.* 6. 38. (128). Apes immortuæ in melle. *Justin.* 44. 2. Sæpe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui. *Quintil.* 9. 3. 73. Pater meus contra eum, qui se legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus insumptis, re infecta, redierat: *Non exigo, ut immoriaris legationi: immorare.* — *b*) De inanimis et abstractis. *Lucan.* 3. 612. *de manu recisa.* illa tamen nisu, quo pranderat, hæsit, Diriguitque tenens strictis immortua nervis. *Stat.* 1. *Theb.* 479. ventis ut decertata residunt Æquora, laxatisque diu tamen aura superstes Immoritur velis. *h. e.* desinit vela impellere et in ipsis quasi moritur. *Cic.* 1. *Att.* 14. De immortuis reliquiis conjurationis. *h. e.* exstinctis. *Orellius* vero leg. *intermortuis.* Hoc differunt, inquit *Casaubon.* hic, *mortuus* et *immortuus*, quod *mortuus* tantum dicitur ὅτι ἔθανεν: *immortuus*, qui dum moliretur aliquid, in ipso conatu, priusquam rem perficeret, mortuus est.

IMMŎRŎR *vel* inmoror, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (in *et* moror). Part. *Immorans* et *Immoratus* I. — Immorari est moram trahere in aliquo loco, *trattenersi, fermarsi*, ἐμμένω.

I.) Proprie. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 14. Ut satoræ studiosius nidis immorentur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 8. (24). Quum (*puer*) meridiano immorans, fragmentis panis (*delphinum*) allexisset. Huc referri potest et illud *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 3. Quæ (*acrimonia urinæ*) insuete aliquando renibus immorata etc.

II.) Translate. *Plin.* 1. *Ep.* 8. *ante med.* Immorari honestis cogitationibus. *Quintil.* 2. 16. 6. Ne terrenis immorer. *Id.* 11. 2. 4. Non arbitror, mihi in hoc immorandum, quid sit, quod memoriam faciat. *trattenermi a spiegare.*

IMMORSUS *vel* inmorsus, a, um. *V.* IMMORDEO.

IMMORSUS *vel* inmorsus, us, m. 4. morsus, *morsicatura*. *Vellej.* 2. 87. Cleopatra, illata aspide, immorsu ejus spiritum reddidit. *Plerique alii leg.* morsu.

IMMORTĀLĔ *vel* inmortale, adverb. *V.* IMMORTALIS sub II. 1.

IMMORTĀLES *vel* inmortales, ium, m. plur. 3. *V.* voc. seq. sub I. in fin.

IMMORTALIS *vel* inmortalis, e, adject. (in *negat.* et mortalis) qui non moritur, qui morti non est obnoxius, ἀθάνατος (It. *immortale*; Fr. *immortel, qui n'est pas soumis à la mort*; Hisp. *immortal*; Germ. *unsterblich*; Angl. *immortal, everlasting, that never dies*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Nat. D.* 12. 29. Si nullum corpus immortale sit, nullum esse corpus sempiternum: corpus autem immortale nullum esse etc. *Id. Senect.* 23. 82. Animi sunt immortales. *Id.* 1. *Off.* 33. 120. Immortalis natura. *Id. Senect.* 21. 77. Credo deos immortales sparsisse animos in corpora humana etc. — Hinc *immortales, ium*, absolute, substantivorum more, sunt ipsi dii. *Varro* 5. *L. L.* 75. *Müll.* Dictum est quod ad immortales attinet: deinceps quod ad mortales etc. Adde *Lucret.* 5. 166.

II.) Translate. — ¶ 1. Sæpissime ad res refertur, et immortale dicitur quod semper stat vel durat. *Cic. Balb.* 17. 40. Testantur et mortuos nostros imperatores, quorum vivit immortalis memoria et gloria. *Id.* 2. *Orat.* 2. 8. Alicujus memoriam immortalem reddere. *Id. Senect.* 23. 82. Ad immortalem gloriam niti. *Id. Pis.* 14. 31. Fructum immortalem cepi vestri in me amoris et judicii. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 11. Immortales gratias agere alicui. *Liv.* 1. 16. Immortalia opera edere. *Nepos Att.* 11. Præcepta, beneficia immortali memoria retinere. *Tac.* 4. *Hist.* 32. Immortalia tributa. *Quintil.* 10. 1. 102. Immortalis illa Sallustii velocitas. *Justin.* 29. 1. *ad fin.* Quibus velut immortale odium cum Macedonibus regibus erat. *Martial.* 9. 94. Immortale Falernum. *h. e.* quod diu ætatem fert, vel cujus pretium et fama semper stabit. *Sall. Jug.* 90. *in fin.* Nemo ignavia immortalis factus est. *Horat.* 4. *Od.* 7. 7. Immortalia ne speres, monet annus, et almum Quæ rapit hora diem. — Hinc *immortale* adverbii loco. *Val. Flacc.* 7. 362. Immortale virens. ¶ 2. Poetice immortalis est felix, beatus, instar deorum. *Propert.* 2. 11. 9. Immortalis ero, si altera talis erit. Adde *eumd. ibid.* 12. 39.

IMMORTĀLĬTAS *vel* inmortalitas, ātis, f. 3. (immortalis) sempiterna vita, ἀθανασία, *immortalità*.

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 21. 78. Quæ Socrates supremo die de immortalitate animorum disseruisset. *Id.* 2. *Nat. D.* 61. 153. Vita beata nulla alia re, nisi immortalitate, quæ nihil ad bene vivendum pertinet, cedens cælestibus. *Curt.* 10. 6. 7. Quoniam nihil aliud ex eo (*Alexandro mortuo*) superest, quam quod semper immortalitati subducitur, corpori nomínique quam primum justa solvamus. *Al. leg.* ab immortalitate. — In plur. numero. *Cic.* 3. *Nat. D.* 18. 46. Vide igitur, ne virtutibus hominum isti honores habeantur, non immortalitatibus. *h. e.* deorum naturis immortalibus.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpissime ad famam refertur, et est famæ seu nominis perpetuitas. *Cic. Senect.* 20. 74. Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur. Cf. *Quintil.* 9. 3. 71. Emit morte immortalitatem. Rursus *Cic. Pis.* 3. 7. Mihi populus Romanus non unius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemque donavit. *Id.* 2. *Phil.* 13. 33. Quæ tam ingratæ litteræ reperientur, quæ eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur? *Id.* 2. *Orat.* 9. 36. Historia qua voce alia, nisi oratoris, immortalitati commendatur? *Id.* 3. *ibid.* 16. 60. Socratis ingenium immortalitati scriptis suis Plato tradidit. — De rei physicæ perpetuitate *Plin.* 13. *Hist. nat.* 16. 30. (101). de cedro. Referens quamdam immortalitatem materiæ in tectis, contra vitia omnia incorruptæ.

¶ 2. Interdum est felicitas, beatitas: V. IMMORTALIS II. 2. Ter. Andr. 5. 5. 4. Mihi immortalitas parta est.

IMMORTĀLĬTER vel inmortaliter, adverb. perpetuo, immortalmente, ἀθανάτως: item maximopere, incredibiliter. Cic. 3. ad Q. fr. 1. 3. 9. Quod scribis, te a Cæsare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo. ne godo infinitamente.

IMMORTĀLĬTUS, adverb. et divinitus Turpilius apud Non. p. 514. 28. Merc. Immortalitus se obtulit mihi hæc facultas. h. e. ab diis immortalibus.

IMMORTŬUS vel inmortuus, a, um. V. IMMORIOR.

IMMŌTUS vel inmotus, a, um, adject. (in negat. et motus) qui non movetur, immobilis, ἀκίνητος (It. immoto, immobile, saldo, stabile; Fr. qui est sans mouvement, immobile, calme; Hisp. inmobible, calmo; Germ. unbeweglich, ruhig; Angl. unmoved, immoveable, steadfast, firm, constant).

I.) Proprie. Virg. 2. G. 293. de æsculo. non hiemes illam, non flabra, neque imbres Convellunt: immota manet. Ovid. 4. Fast. 505. Sub Jove (Ceres) duravit multis immota diebus. Quintil. 11. 3. 79. Immota supercilia. quibus ibid. opponuntur mobilia. Ovid. 3. Trist. 10. 38. Immotæ aquæ. h. e. quæ gelu constitere. Tac. 1. Hist. 86. Serenus et immotus dies. h. e. quo nulli spirant venti.

II.) Translate. Virg. 4. Æn. 448. magno persentit pectore curas: Mens immota manet. Id. 1. ibid. 261. manent immota tuorum Fata tibi. Id. 7. ibid. 314. immota manet fatis Lavinia conjux. Val. Flacc. 5. 112. Nympha cælicolis immota procis. Seneca Agamemn. 175. Immotus prece. h. e. qui prece non flectitur. Tac. 23. Ann. 59. Immotus iis. h. e. iis rationibus nihil motus. Id. ibid. 15. Immoto animo contumeliam excipere. Val. Flacc. 3. 598. At sociis immota fides. Tac. 4. Ann. 32. Immota, aut modice lacessita pax. — Neutr. gen. absolute. Virg. 4. Æn. 15. Si mihi non animo fixum immotumque sederet etc. Et sequente Infinito Tac. 1. Ann. 47. Immotum ad versus eos sermones fixumque Tiberio fuit, non omittere etc.

IMMŪGĬO vel inmugio, is, ivi vel ii, ire, n. 4. (in et mugio) idem quod mugire, vel in loco mugire; et translate reboare, resonare, muggire, risonare, rimbombare, μυκάομαι. Virg. 3. Æn. 674. curvisque immugiit Ætna cavernis. Id. 11. ibid. 38. mæstoque immugit regia luctu. Sil. It. 16. 256. veniensque a rupe procella Antennæ immugit. Hieronym. Ep. 14. Judicatoro Domino lugubre mundus immugiet.

IMMULGĔO vel inmulgeo, es, ere, a. 2. (in et mulgeo). Part. Immulgens. — Immulgere est idem quod mulgere, mulgendo exprimere, mungere, spremere, ἀμέλγω. Virg. 11. Æn. 571. equæ mammis et lacte ferino Nutribat, teneris immulgens ubera labris. Plin. 28. Hist. nat. 7. 21. (72). In dolore et epiphoris si lac immulgeatur, plurimum prodest.

IMMUNDĀBĬLIS vel inmundabilis, e, adject. (in negat. et mundo) qui mundari non potest, ut Immundabile vitium, Tertull. Pudic. 20.

IMMUNDĒ vel inmunde, adverb. (immundus) spurce, sordidamente. Jul. Obseq. Prodig. 115. Junonem profugientem, quod immunde sua templa fœdarentur.

IMMUNDĬCĬA vel inmundicia et

IMMUNDĬTĬA, æ, f. 1. (immundus). Alia forma immundicies, ei, f. 5. legitur apud Tertull. Monogam. 7., ubi alii immundicia. — Immundicia est spurcitia, sordes, immondezza, ἀκαθαρσία. — a) In sing. num. Plaut. Stich. 5. 5. 5. Nimio sibi meretrix reperit odium ocius sua immundicia, quam etc. — b) In plur. num. sæpius occurrit. Cato R. R. 2. Ex piscina immundicias efferri, mundicias fieri. Plerique al. omittunt ex piscina immundicias efferri. Colum. 1. R. R. 6. 11. Vinaria cella, summota procul ab immundiciis tetrum odorem spirantibus. Id. 12. ibid. 3. 8. Valetudinaria identidem aperire et immundiciis liberare.

IMMUNDĬTĬĒS vel inmundicies, ei, f. 5. V. voc. præced. init.

IMMUNDĬTAS vel inmunditas, ātis, f. 3. idem quod immunditia. Gloss. Cyrill. Ἀκαθαρσία, immunditas, immunditia, imparitia, spurcitia, illuvies.

IMMUNDUS vel inmundus, a, um, adject. (in negat. et mundus) inquinatus, spurcus, sordidus, ἀκάθαρτος (It. immondo, lordo, sporco; Fr. sale, immonde, impur, mal soigné, négligé; Hisp. sucio, inmundo, impuro; Germ. unrein, unsauber, schmuzig, garstig; Angl. unclean, dirty, filthy, nasty, foul, impure).

I.) Proprie. Plaut. Most. 1. 2. 21. Homo indiligens, immundus, instrenuus. Id. Cist. 1. 1. 115. Siccine immunda, obsecro, ibis? (h. e. illota, impexo capillo, inculta). al. Immundas fortunas æquum est squalorem sequi. h. e. miseras, adversas, inopiam rei familiaris. Cf. Horat. 2. Ep. 2. 199. Pauperies immunda procul absit. Ceterum Lucret. 4. 1156.; et Horat. 1. Sat. 6. 124. immundus homo. Seneca Ep. 86. med. Liquet illos immundissimos fuisse: quid putas illos oluisse? militiam, laborem, virum. Horat. 1. Ep. 2. 26. immunde canis. Virg. 3. Æn. 228. Harpyiæ contactu immundo omnia fœdant. Cic. fragm. apud Quintil. 8. 3. 66. Humus erat immunda, lutulenta vino. Horat. 2. Sat. 4. 63. immundæ popinæ. Plin. 10. Ep. 99. Cloaca turpis et immundissima aspectu. Alter Plin. 14. Hist. nat. 19. 23. (119). Superne deciduo immundiore lapsu aliquo polluta. Pallad. 2. R. R. 10. Immundus ager. h. e. silva, sentibus, lapidibus obsitus.

IMMUNDUS vel inmundus, i, m. 2. dicitur, si tamen salva est lectio, ornatus feminarum. V. Tertulliani locum in CULTUS, et V. etiam MUNDUS.

IMMŪNĬFĬCUS vel inmunificus, a, um, adject. (in negat. et munificus) illiberalis, avarus, sordidus, tenax, non liberale, avaro, ἀνελεύθερος. Plaut. Trin. 2. 2. 69. Civi immunifico, scin' quid cantari solet? Quod habes, ne habeas: et illud, quod nunc non habes, habeas malum.

IMMŪNĬO vel inmunio, is, ivi, ire, a. 4. (in et munio) idem quod munire. Tac. 11. Ann. 19. Ne jussa exuerent, præsidium immunivit. Al. leg. inde munivit.

IMMŪNIS vel inmūnis, e, adject. (in privat. et munus, vel μέρος, μοῖρα juxta Döderlein., Latein. Synonym. vol. 6. p. 165). Scribitur et immœnis. Ceterum quod ad scriptionem attinet, hæc Quintil. 1. 7. 8. In immunis illud m, quod veritas exigit, sequentis syllabæ sono victum, m gemina commutatur. — Immunis est qui vacat a muneribus, quæ alii præstare debent. Hinc domi immunis dicitur, qui a tributis, vectigalibus etc. est liber: militiæ, qui a valli gestatione, pabuli lignorumque aggestione, obeundis vigiliis et similibus, ἀτελής (It. esente, immune, libero; Fr. libre de, franc de, dispensé de, exempt de; Hisp. exento, libre, dispensado de; Germ. frei von Dienst, Verpflichtung, Abgabe, Leistung; Angl. free, or exempt, from a public office, burden or charge).

I.) Proprie. — a) Absolute. — De personis. Cic. 7. Verr. 21. 53. Quid immunes? hi certe nihil debent. Id. 3. Off. 11. 49. Melius hi quam nos, qui piratas immunes, socios vectigales habemus. Id. 5. Verr. 6. 13. Quinque præterea sine fœdere immunes civitates ac liberæ. Id. Fontej. 4. 7. Falsum est, ob vacationem pretium datum, quum immunis nemo fuerit. — Immunis etiam dicitur, qui a muneribus municipalibus, ut viis sternendis aut reparandis, liber erat: sic autem sæpe vocatur is, qui aliquo sacerdotio insignitus est, ut ostendit hæc Inscript. apud Orell. 111. M. CONSIVS M. L. CERINTHVS ACCENSVS VELATVS, IMMVNIS QVVM SIM, EX VOLVNTATE MEA CLIVOM STRAVI LAPIDE AB IMO SVSVM, LONGVM PEDES CCCXL., LATVM CVM MARGINIBVS PEDES VIIII., FIT QVOD STRAVI MILIA PEDVM MMMLX., ITERVM EVNDEM CLIVOM AB IMO LEVAVI, ET CLIVOM MEDIVM FREGI, ET DEPRESSI IMPENSA MEA REGIONI FIGVLENSI, PAGO VLMANO ET TRANSVLMANO FELECIANO VSQVE AD MARTIS ET VLTRA. Consule de immunibus tam a militaribus, quam a civilibus muneribus Jo. Labus. in Mus. Mant. T. 2. p. 308. — De rebus. Cic. 4. Verr. 69. 166. Qui agros immunes liberosque arant. Id. 3. leg. Agr. 2. 9. Immunia commodiore conditione sunt, quam illa, quæ pensitant. Sueton. Rhet. 5. Duo millia jugerum Sexto Clodio rhetori assignasti, et quidem immunia. — b) Cum Ablativo. Liv. 1. 43. Inde una centuria facta est immunis militia. Sueton. Claud. 25. Ilienses ab omni onere immunes præstitit. — c) Cum Genitivo. Liv. 38. 44. immunes portoriorum. Tac. 1. Ann. 36. Retineri sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr., immunis dicitur, qui civitatis, seu societatis officia non præstat; qui vacat ab iis societatis officiis, quæ omnibus communia sunt. — a) Absolute. Plaut. Trin. 2. 2. 71. Civi immœni scin' quid cantari solet? h. e. asymbolo. Eodem sensu Horat. 4. Od. 12. 22. non ego te meis Immunem meditor tingere poculis. Id. 1. Ep. 14. 33. Quem scis immunem Cynaræ placuisse rapaci. h. e. nulla ei munera mittentem. Accius apud Cic. Sext. 57. 122. O ingratifici Argivi, immunes Graji, immemores benefici. Cic. Amic. 14. 50. Non est enim inhumana virtus, neque immunis, neque superba, quæ etiam populos universos tueri eisque optime consulere soleat. che si sottragga dall' operare. V. Seyffert ad h. l. Similiter Virg. 4. G. 244. Immunisque sedens aliena ad pabula fucus. h. e. ignavus. — b) Cum Genitivo. Ovid. 3. Met. 11. bos curvi immunis aratri. Id. 4. ibid. 5. immunes operum. ¶ 2. Hinc generatim est expers, vacuus, liber: et occurrit — a) Sæpissime cum Genitivo. Virg. 12. Æn. 559. aspicit orbem Immunem tanti belli atque impune quietam. Ovid. 4. Trist. 2. 62. Immunes tanti nec sinit esse boni. Id. 8. Met. 690. vobis immunibus hujus Esse mali dabitur. Id. Heroid. 14. 8. Non piget immunes cædis habere manus. h. e. puras, innoxias. Forcellinus hunc Ovid. locum singulari paragr. distinxit, atque addidit illud Vellej. 2. 7. Immunis delictorum paternorum. Ovid. 13. Met. 293. immunemque æquoris Arcton. Cf. eumd. 4. Fast. 575. liquidique immunis ponti Alloquitur gelido proxima signa polo. — b) Cum Ablativo sine præpos., vel cum præpos. ab. Seneca Ep. 85. Animum immunem esse tristitia. Alter Seneca Hippol. 1055. Solus immunis metu. Vellej. 2. 35. 2. Cato omnibus humanis vitiis immunis. Id. 2. 120. 3. Exercitum immunem tanta calamitate servavit. Seneca Thyest. 48. non sit a vestris malis immune cælum. Vellej. 2. 14. fin. Ita se eam domum ædificaturum, ut libera a conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset. Plin. 32. Hist. nat. 4. 14. (37). Dentes immunes a dolore fiunt. — c) Absolute. Horat. 3. Od. 23. 17. Immunis aram si tetigit manus. h. e. pura, innoxia. — In illo Plauti Trin. 1. 1. 1. Amicum castigare ob meritam noxiam immune est facinus, verum in ætate utile: immœne pro immune exhibent quidam MSS. Porro immune facinus videtur esse ingratum, inofficiosum, odiosum et minime amici hominis. Munis enim veteribus fuit officiosus, amicus, beneficus. Alii exponunt, quod omittere possumus, quod præstare non tenemur. Paul. Diac. p. 109. 23. Müll. interpretatur improbum. Cic. 1. Invent. 50. 95. hunc Plauti locum referens, infirmam rationem his verbis contineri docet. Apud Plaut. est qui legit immane, sed immœne præstat. Ad firmandam significationem hujus loci Plautini idoneus est Scholiast. ad Cic. Sext. 58. edit. ab A. Mai. in Class. Auct. T. 2. p. 150. O immunes Graji! Hæc verba sunt de tragœdia, in qua verbum istud immunes ingratos significat, quemadmodum munificos dicebant eos qui grati et liberales exstitissent. Hinc et Lactant. Placid. Gloss. edit. ab A. Mai. in Class. Auct. T. 3. p. 476. Immœnis, improbus, culpandus, vel interdum munere liberatus.

IMMŪNĬTAS vel inmunitas, ātis, f. 3. (immunis) vacatio ab oneribus et tributis, esenzione, franchigia, ἀτέλεια.

I.) Proprie. — a) In sing. num. Cæs. 6. B. G. 14. Druides neque tributa una cum reliquis pendunt; militiæ vacationem omniumque rerum habent immunitatem. Cic. Fontej. 8. 17. immunitas et libertas provinciæ. Curt. 5. 3. Immunitate donare aliquem. Sueton. Aug. 4. Immunitatem alicui afferre. Tac. 12. Ann. 61. tribuere. Id. 13. ibid. 51. servare militibus. — b) In plur. num. Cic. 12. Fam. 1. Tabulæ figuntur: immunitates dantur: pecuniæ maximæ describuntur. Adde eumd. 1. Phil. 1. 3. Sic Sueton. Tib. 49. Immunitates alicui adimere. Id. Galb. 15. Immunitates alicui donare. Tac. 3. Hist. 55. Alios immunitatibus juvare.

II.) Translate. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 38. 121. Ecce tibi e transverso Lampsacenus Strato, qui det isti deo immunitatem magni muneris. Lamprid.

Commod. 14. Vendidit etiam suppliciorum diversitates et sepulturas et immunitates malorum.

IMMŪNĪTUS *vel* inmunitus, a, um, adject. (in *privat.* et munitus) non munitus, *non fornito, non fortificato,* ἀτείχιστος. — *a*) De oppidis et similibus. *Liv.* 22. 11. Ut quibus oppida castellaque immunita essent, hi in loca tuta commigrarent. *Ovid.* 10. *Met.* 169. Dum deus Eurotan immunitamque frequentat Sparten. — *b*) De via occurrit apud *Cic. Cæcin.* 19. 54., et juxta *Klotz.* est nondum complanata aut nondum strata; juxta *Forcellinum* vero præpos. *in* non est privativa, et *via immunita* est quæ aperta est, complanata, aut strata, uno verbo, per quam iri potest. *V.* MUNIO.

IMMURMŬRĀTĬO *vel* inmurmuratio, ōnis, f. 3. (immurmuro) eadem fere ac murmuratio. *Ennod. Opusc.* 3. *a med.* Mugitus ursi, aliarumque belluarum minas immurmuratio.

IMMURMŬRĀTUS *vel* inmurmuratus, a, um. *V.* voc. seq.

IMMURMŬRO *vel* inmurmuro, as, āvi, ātum, are, n. 1. (in *et* murmuro). Part. *Immurmurans* et *Immurmuratus.* — Immurmurare est idem ac murmurare; et occurrit — *a*) Cum Dativo. *Virg.* 4. *G.* 261. silvis immurmurat Auster. *Ovid.* 6. *Met.* 558. Ipsa jacet, terræque tremens immurmurat atræ. Sic *Id.* 11. *ibid.* 187. domini quales aspexerit aures, Voce refert parva, terræque immurmurat haustæ. *Sil. It.* 5. 331. telum ore cruento Exspirans premit, atque admorsæ immurmurat hastæ. — *b*) Absolute. *Ovid.* 3. *Met.* 646. Increpor a cunctis, totumque immurmurat agmen. *Pers.* 2. 9. Illa sibi introrsus et sub lingua immurmurat. *fra' denti. Macrob.* 6. *Saturn.* 7. Ipse publicato nobis, quod immurmurat. *h. e.* quod tibi in aurem dicit. *Ammian.* 12. 16. Quum sæpe immurmurantes audierit ventos. — *c*) Passive *immurmuratus* occurrit in *Cod. Theod.* 9. 38. 6. Diris immurmurata secretis mentis et corporis venena composuit.

IMMŪSĬCUS *vel* inmusicus, a, um, adject. (in *privat.* et musicus) non musicus, *disarmonico. Tertull. Apolog.* 1. Immusici judicantes de musicis.

IMMUSCULUS *et rectius*

IMMUSSŬLUS, *vel* immissulus, *vel* immisculus, *vel* immistulus, *vel* immustulus (totidem enim modis legitur), i, m. 2. ales est ex genere aquilarum, sed minorum virium, quam aquilæ: raro, et non fere, præterquam veris tempore, apparet, quia æstum algoremque metuit: appellatur autem ita, quod subito et inexspectata se immittat. Hæc *Paul. Diac. p.* 113. 16. *Müll.*; qui supra *p.* 112. 3. dixerat: Immusculus, avis genus, quam alii regulum, alii ossifragam dicunt. *Id. p.* 3. 5. *Müll.* Alites volatu auspicia facere istæ putabantur: buteo, sanqualis, immusculus, aquila, vulturius. *Plin.* quoque de ea verba facit 10. *Hist. nat.* 7. 8. (20). Sanqualem avem atque immussulum augures Romani in magna quæstione habent. Immussulum aliqui vulturis pullum arbitrantur esse, et sanqualem ossifragæ. Massurius sanqualem ossifragum esse dicit, immussulum autem pullum aquilæ, priusquam albicet cauda. Hactenus *Plin.* Sed hæc omnia incerta sunt, et ut nomina, ita ipsa avis admodum ignota. *Sillig.* legit *immusulus*; plerique tamen *immussulus* et a v. *muttire* derivant. Adde et *Arnob.* 2. 59. et 7. 16.

IMMŪTĀBĬLIS *vel* inmutabilis, e, adject. Comp. *Immutabilior* sub *A.* — Immutabilis duo diversa significat, prout est a *mutabilis* et *A*) *In* privativa; aut *B*) *In* intensiva.

A) Immutabilis ab *in* privativa et *mutabilis* est qui mutari non potest, immobilis, perpetuus, stabilis, constans. *Cic. Fat.* 12. 28. Esse causas immutabiles, easque æternas, quæ etc. *Id.* 3. *de republ.* 2. Immutabilis et æterna res numerus. *Id. Tim.* 3. Ites stabilis et immutabilis. Sic *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 8. 23. Stabilis et immutabilis comprehensio. *Id.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Immutabilia spatia. *Id. Fat.* 9. 18. Hoc est immutabile ex vero in falsum. *Id.* 1. *de republ.* 32. Concordi populo nihil esse immutabilius, nihil firmius. *Quintil.* 2. 13. 1. Immutabilis necessitas. *Stat.* 1. *Theb.* 212. grave et immutabile sanctis Pondus adest verbis. *Cassiod. de anim.* 3. Animæ multo clariores atque immutabiliores efficiuntur, quum a Dei gratia bonis actibus non recedunt.

B) Immutabilis ab *in* intensiva et *mutabilis,* ut *immutatus,* est mutatus, *mutato, diverso. Plaut. Epid.* 4. 2. 8. Scio quid erres: quia vestitum atque ornatum immutabilem habet hæc.

IMMŪTĀBĬLĬTAS *vel* inmutabilitas, ātis, f. 3. (immutabilis) stabilitas, constantia, perpetuitas, æternitas, *immutabilità. Cic. Fat.* 9. 17. Sed in factis immutabilitatem apparere, in futuris non item.

IMMŪTĀBĬLĬTER *vel* inmutabiliter, adverb. (immutabilis) immutabili modo, *immutabilmente. Cels. Dig.* 45. 1. 99. Immutabiliter verum fuit. *Apul. de Mundo.* Speculatur ad omnia rector mundi atque immutabiliter incumbit.

IMMŪTĀTĬO *vel* inmutatio, ōnis f. 3. (immuto) mutatio, *mutazione,* ἐναλλαγή. — *a*) Generatim. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 16. Nihil novi reperiens, sed emendans superiores immutatione verborum. *Id.* 3. *Orat.* 44. 176. Immutatio ordinis. — *b*) Specialim apud Rhetores immutationes sunt figuræ. *Cic. Brut.* 17. 69. Ornari orationem Græci putant, si verborum immutationibus utantur, quas appellant τρόπους. *Id. Orat.* 27. 94. Quamquam translatio est apud Phalereum multa, tamen immutationes nusquam crebriores. *h. e.* hypallagæ, seu metonymiæ; nam ὑπαλλαγή immutationem significat. Cf. *Quintil.* 9. 1. 35. — *c*) Item specialim apud Grammaticos *immutatio* ad solœcismum pertinet, quum aliud pro alio ponitur, ut casus pro casu, genus pro genere, tempus pro tempore etc. *Quintil.* 1. 5. 6. et 12.

IMMŪTĀTOR *vel* inmutator, ōris, m. 3. (immuto) qui mutat. *Oros.* 7. 43.

IMMŪTĀTUS *vel* inmutatus, a, um, ab *in* intens. et *muto. V.* IMMUTO.

IMMŪTĀTUS *vel* inmutatus, a, um, adject. ab *in* privat. et *muto,* est non mutatus, immutabilis, immotus, *immutabile, costante. Ter. Andr.* 5. 1. 7. Id mutavit, quia me immutatum videt. *Cic.* 2. *Invent.* 54. 162. Veritas est, per quam immutata ea, quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.

IMMŪTESCO *vel* inmutesco, mūtescis, mūtui, mūtescere, n. inchoat. 3. (in et mutesco) mutus fio, obmutesco, *ammutolire, tacere,* κωφαίνομαι. *Quintil.* 10. 3. 16. Immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur, nisi quod non invenimus. *Stat.* 5. *Theb.* 542. ruptis immutuit ore querelis.

IMMŪTĬLĀTUS *vel* inmutilatus, a, um, adject. duo diversa significat, prout est a *mutilatus* et *A*) *In* privativa; aut *B*) *In* intensiva.

A) Immutilatus ab *in* privativa et *mutilatus* est non mutilatus, integer. *Imp. Constantin. Cod.* 4. 22. 1. Omnia, quæ supererunt ad disceptationem litigii, immutilata permaneant.

B) Immutilatus ab *in* intensiva et *mutilatus* est idem ac mutilatus, *tronco, tagliato. Sall. fragm.* apud *Non. p.* 366. 18. *Merc.* Novissimus quisque aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore, improbo patibulo eminens affigebatur. *h. e.* alii captivorum verberibus lacerati mutilabantur, alii nullam corporis mutilationem perpessi patibulo affigebantur.

IMMŪTO *vel* inmuto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* muto). *Immutarier* per paragogen pro *immutari* est apud *Ter. Andr.* 1. 5. 40., *Eun.* 2. 1. 29. et *Phorm.* 1. 4. 29. — Part. *Immutatus* et *Immutandus.* — Immutare est idem quod mutare, ἐναλλάττω (It. *mutare;* Fr. *changer, modifier, transformer;* Hisp. *mudar, transmutar;* Germ. *umändern, umgestalten, umwandeln;* Angl. *to change or alter greatly*). Occurrit — *a*) Generatim; et quidem — De animo, morali ratione. *Plaut. Amph.* 1. 1. 300. Ubi ego perii? ubi immutatus sum? ubi ego formam perdidi? *Id. Trin.* 1. 3. 35. Immutare ingenium moribus. *Ter. Phorm.* 1. 4. 29. Non possum immutarier. *non posso mutare il mio naturale. Cic. Amic.* 15. 54. Atque hoc quidem ridere licet, eos, qui antea commodis fuerint moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari, sperni ab iis veteres amicitias etc. *Id.* 5. *Fam.* 8. Quædam pestes hominum et te nonnunquam a me alienarunt, et me aliquando immutarunt tibi. *mi ti fecero comparire un altro. Id.* 1. *de republ.* 28. Illi regi amabili Cyro subest ad immutandi animi licentiam crudelissimus ille Phalaris. *Id.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Conversis rebus ac bonorum voluntatibus immutatis. *Nepos Dion.* 10. Hujus de morte quum palam factum est, mirabiliter vulgi immutata est voluntas. — *Immutata mens* est de statu dejecta, *giù di cervello. Sall. Jug.* 68. Morbis confectus, et ob eam causam mente paullum immutata. *Plerique al. leg.* imminuta. — De aliis. *Cic.* 2. *Divinat.* 42. 89. Ut ejus orbis (*h. e.* signiferi) unaquæque pars alia alio modo moveat immutetque cælum. *Id.* 2. *de republ.* 42. Ut in cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem aures eruditæ ferre non possunt. *Plaut. Men. prol.* 40. Immutare nomen alicui. Cf. *Quintil.* 8. 6. 28. *Cic. Orat.* 63. 214. *Temeritas filii comprobavit:* verborum ordinem immuta, fac sic: *Comprobavit filii temeritas.* etc. *Id. Flacc.* 14. 33. Quum successor aliquid immutat de institutis priorum. — *b*) Specialim apud Rhetores *immutata verba* dicuntur, quæ per metonymiam in oratione ponuntur. *Cic. Orat.* 27. 92. Immutata verba, in quibus pro verbo proprio subjicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti etc. — Ennius *horridam Africam terribili tremere tumultu* quum dicit, pro Afris immutat Africam. *h. e.* per metonymiam *Africam* posuit pro *Afris. V.* IMMUTATIO sub *b.*

ĬMO. *V.* IMMO.

IMPĀCĀTUS *vel* inpacatus, a, um, adject. (in *privat.* et pacatus) non pacatus, pacis inimicus, *inquieto, che non sa stare in pace. Virg.* 3. *G.* 408. Aut impacatos a tergo horrebis Iberos. *Seneca* 3. *Ira* 27. *extr.* Vides, quam impacatam tibi denuncies vitam: qualis enim erit semper tumentis? *Stat.* 5. *Silv.* 1. 137. impacata consanguinitate ligavit Fortunam Invidiamque deus. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 70. murmurat alti impacata quies pelagi. *Id.* 2. *in Eutrop.* 212. impacatis odiis urgere rebelles.

IMPACTĬO *vel* inpactio, ōnis, f. 3. actus impingendi, illisio, *urto, incontro, collisione. Seneca* 2. *Quæst. nat.* 12. *ad fin.* Dissimilis autem crepitus fit ob dissimilem impactionem nubium.

IMPĀCTUS *vel* inpactus, a, um. *V.* IMPINGO.

IMPĀGES *vel* inpages, is, f. 3. (in *et etymo* pago, *unde* pango, *ut* compages). *Paul. Diac. p.* 108. 5. *Müll.* Impages dicuntur quæ a fabris in tabulis figuntur, quo firmius cohæreant, a paugendo, id est figere. — Apud *Vitruv.* 4. 6. *a med.* impages sunt in valvis ornamenta ex regulis circa tympanum infixis, *riquadrature, riquadri, traverse.* In singulari num. usurpat eodem sensu *Id. ibid.* Latitudo impagis fiat tympani media parte; cymatium sexta parte impagis; scaporum latitudines impagis dimidia parte.

IMPALLESCO *vel* inpallesco, pallescis, pallui, pallescere, n. inchoat. 3. (in *et* pallesco) pallorem contraho, pallidus fio, *impallidire,* ὠχριάω. *Pers.* 5. 62. At te nocturnis juvat impallescere chartis. *Stat.* 6. *Theb.* 805. eventu impalluit ipse secundo.

IMPALPĒBRĀTĬO *vel* inpalpebratio, ōnis, f. 3. palpebrarum immobilitas. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 5. Sequitur vocis amputatio cum oculis patientibus et impalpebratione.

IMPANCRARE est invadere, verbum a Græco tractum, quasi πᾶν κρίας, consumere. *Varro:* Ecclesiam in regiam arcam impancrarunt. Hæc *Nonius p.* 59. 20. *Merc.,* ubi al. leg. in *Varronis* verbis: *Varro Ecclesia;* ut Ecclesia nomen sit comœdiæ, vel potius saturæ, quod præstat. Alii pro *arcam, aream.* In ceteris quoque dubitare possis, an verba *Nonii* sana sint. *Döderleinius, Latein. Synonym.* vol. 6. *p.* 166. arbitratur *impancrare,* intensivum esse a verbo *impingere,* laudans locum *Tac.* 2. *Hist.* 41 Quominus in vallum impingeretur. *Ohelero* probabilius videtur, Varroni id verbum comice formatum esse a Gr. παγκράτιον, ut sit tamquam omni virium contentione irruere vel invadere.

IMPANNIS, e, adject. pannis, seu vestibus carens. *Plaut. Asin.* 1. 2. 16. Sordido vitam oblectabas pane, impannis inopia. Ita leg. *Lipsius l.* 5. *antiq. lect. c.* 13. Plerique alii aliter.

IMPAR *vel* inpar, păris, adject. (in *privat.* et par). Corripitur altera syllaba ab *Auson.* 11. *Edyll.* 54. Tres primus, impar habet, mediumque. et a *Prudent.* 1. *in Symmach.* 168. fuit impar utrique. — Impar est non par, inæqualis, seu numero vel qualitate dispar, ἄνισος, ἀνάρτιος (It. *dispari, impari, disuguale;* Fr. *inégal, dissemblable, impair;* Hisp. *desigual, diferente, impar;* Germ. *ungleich, ungerade, ungleichförmig, uneben, verschieden;* Angl. *uneven, unequal, disproportionate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Fere abso-

lute occurrit. *Impar numerus* est, qui in duas partes æquales dividi non potest, ut tres, novem, quemadmodum docet etiam *Capell.* 7. *p.* 245. et seq., ubi *V.* plura hac de re. *Paul. Diac. p.* 109. 14. *Müll.* Imparem numerum antiqui prosperiorem hominibus esse crediderunt. *Virg.* 8. *Ecl.* 75. numero deus impare gaudet. V. *Servium* multa ibi de impari numero disputantem. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 10. 32. Stellarum numerus par, an impar sit, nescitur. *Cæs.* 1. *B. C.* 40. et 47. Congressus impari numero. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 248. Ludere par impar. *giuocare a pari o caffo. Cic.* 6. *de republ.* 18. Sonus intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis. *Lucret.* 5. 682. sol idem sub terras atque superne Imparibus currens anfractibus. *Horat.* 3. *Od.* 19. 13. Qui Musas amat impares, Ternos ter cyathos attonitus petet Vates. *Ovid.* 2. *Trist.* 220. imparibus carmina facta modis. *h. e.* hexametro et pentametro. *Paul. Diac. p.* 109. 13. *Müll.* Impares tibiæ numero foraminum discretæ. *Ovid.* 8. *Met.* 662. Ponit anus (*mensam*): mensæ sed erat pes tertius impar: Testa parem fecit. *Horat.* 1. *Od.* 33. 10. Cui (*Veneri*) placet impares Formas atque animos sub juga ahenea mittere. *Id.* 1. *Ep.* 1. 96. si toga dissidet impar. *Ovid.* 10. *Met.* 95. Et platanus genialis acerque coloribus impar. *Cic.* 5. *Fam.* 8. *a med.* Quos quidem ego ambo unice diligo: sed in Marco benevolentia impar. *Quintil.* 7. 7. 6. Impares leges sunt, quum alteri multa opponi possunt, alteri nihil. — *b*) Cum Dativo. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 19. nil fuit unquam Sic impar sibi. ¶ 2. Specialim de iis dicitur, quæ inæqualibus sunt viribus ad resistendum; et quæ male cum alio comparantur: hinc etiam de eo, qui alicui rei non sufficit, non idoneus, ineptus, *inabile*, *insufficiente.* Occurrit — *a*) Cum Dativo. *Horat.* 4. *Od.* 6. 5. Phtius Achilles, Ceteris major, tibi (*Apollini*) miles impar. *Sueton. Domit.* 10. Threcem mirmilloni parem, munerario imparem dixerat. *che non poteva stare a fronte.* Cf. *Virg.* 1. *Æn.* 479. Infelix puer atque impar congressus Achilli. *Tac.* 1. *Hist.* 74. Impares bello. *Sueton. Tib.* 67. Ne mox majore dedecore impar tantis honoribus inveniretur. *Tac.* 14. *Ann.* 54. Senex et levissimis quoque curis impar. *Sueton. Tib.* 23. Inchoata allocutione derepente velut impar dolori congemuit. Sic *Tac.* 15. *Ann.* 57. Muliebre corpus impar dolori. *Val. Flacc.* 8. 409. Ille trahens gemitum, tantis ac vocibus impar, Cunctator. *non potendo o sapendo resistere o rispondere. Sueton. Cæs.* 15. Impar optimatium conspirationi. *Id. Oth.* 9. Impar militum ardori, pugnam deposcentium. *non potendo raffrenare. Ulp. Dig.* 3. 5. 9. Impar sumptui. *che non puote far la spesa. Tac.* 6. *Ann.* 2. Impar moribus patriis. — *b*) Cum Ablativo pro Dativo, eadem ratione qua *indignus. Ovid.* 4. *Fast.* 305. Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto, Nec facies impar nobilitate fuit. — *c*) Absolute, cum aut sine Ablativo rei, qua quis alii est impar. *Ovid.* 5. *Met.* 610. Sed tolerare diu cursus ego viribus impar Non poteram. *Liv.* 27. 1. Par audacia Romanus, consilio et viribus impar. *Tac.* 4. *Hist.* 20. Batavi impares numero. *inferiori. Quintil.* 3. 8. 23. Obsessi et impares et aqua ciboque defecti. *Liv.* 6. 34. Quod juncta impari esset. Sic *Tac.* 2. *Hist.* 50. Pater consularis, avus prætorius: maternum genus impar. *inferiore di nobiltà. Id.* 1. *ibid.* 53. Julia Tiberium spreverat ut imparem.

II.) Translate a Poetis *impares* dicuntur res illæ, quibus quis non sufficit, non est idoneus. *Ovid.* 11. *Met.* 156. Ausus (*Pan*) Apollineos præ se contemnere cantus, Judice sub Tmolo certamen venit ad impar. *Virg.* 12. *Æn.* 216. At vero Rutulis impar ea pugna videri. Cf. *Horat. Epod.* 11. 18. Desinet imparibus certare summotus pudor. — Et cum Infinito. *Grat. Cyneg.* 61. Magnum opus, et tangi, nisi cura vincitur, impar. *h. e.* quod tractari non potest.

IMPĂRĀTĬO *vel* inparatio, ōnis, f. 3. (in *privat.* et paro) status stomachi, qui digestioni parandæ ineptus est. *Marcell. Empir.* 20. *a med.* Quum imparationem stomachi senseris, cochlearia singula (*aceti scillini*) plana tepefacta jejunus accipies.

IMPĂRĀTUS *vel* inparatus, a, um, adject. (in *privat.* et paratus). Sup. *Imparatissimus.* — Imparatus est non paratus, *non preparato, non all' ordine*, ἀσκευής; et occurrit — *a*) De hominibus. *Ter. Phorm.* 2. 1. 84. Ut ne imparatus sim, si adveniat Phormio. Adde *eumd. Andr.* 3. 1. 20. *Cic. Brut.* 37. 139. Antonius imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur: sed ita erat paratus, ut etc. *Id. Mil.* 21. 56. Quamquam paratus in imparatos Clodius inciderat. — Nec vero sic erat unquam non paratus Milo etc. *Id. Sext.* 37. 79. Inermem atque imparatum tribunum alii gladiis adoriuntur, alii etc. *Cæs.* 6. *B. G.* 29. Ut in ipsum incautum atque imparatum incideret. *Nepos Agesil.* 2. Imparati imprudentesque. *Auct. B. G.* 8. 5. Imparati disjectique. — Et cum addito Ablativo. *Cic.* 7. *Att.* 15. Sumus enim flagitiose imparati quum a militibus, tum a pecunia. *sprovvisti. Cæs.* 1. *B. C.* 30. Pompejus omnibus rebus imparatissimus. Cf. *Sueton. Cæs.* 35. Inops ipse omnium rerum atque imparatus. — Et absolute, substantivorum more. *Cic.* 3. *Phil.* 1. 2. Breve tempus longum est imparatis. — *b*) De rebus. *Plaut. Cas.* 4. 4. 8. Istæ faciunt hanc rem mihi ex parata imparatam. *Eumen. Gratiar. act. ad Constantin.* Nec mihi verba, quamvis imparata, defuissent. *Seneca Hippol.* 994. Non imparatum pectus ærumnis gero.

IMPARCO. *V.* IMPERCO.

IMPĂRENTEM non parentem, hoc est (non) obedientem. *Paul. Diac. p.* 109. 2. *Müll.*

IMPĂRENTĬA *vel* inparentia, *vel*

IMPĂRĬENTĬA, æ, f. 1. (in *negat.* et pareo) inobedientia, *disobbedienza. Gell.* 1. 13. Ne, si spes fefellisset, culpa imparientiæ et pœna indeprecabilis subeunda esset. *Al. perperam leg.* imparentiæ; *alii* vero impatientiæ. *V.* PARIENTIA.

IMPĂRĬLIS *vel* inparilis, e, adject. (in *privat.* et parilis) impar, *disuguale. Aurel. Vict. Cæs.* 14. *de Hadriano.* Suspectam æstimantes societatem ævi longe imparilis.

IMPĂRĬLĬTAS *vel* inparilitas, ātis, f. 3. disparilitas, inæqualitas, diversitas, varietas, *disuguaglianza, diversità, varietà*, ἀνισότης. *Gell.* 5. 20. Solœcismus Latino vocabulo a Sinnio Capitone ejusdemque ætatis aliis imparilitas appellatus. *h. e.* impar et inconveniens compositura partium orationis, ut mox *ibid.* subditur. *Id.* 14. 1. *circa med.* Imparilitas hæc turbat observationem. *h. e.* diversitas, varietas.

IMPĂRĬTAS *vel* inparitas, ātis, f. 3. (in *privat.* et paritas) conditio numeri imparis. *Boeth.* 1. *Arithmet.* 5. *p.* 991. Par numerus est, qui in duo æqualia et in duo inæqualia partitionem recipit, sed ut in neutra divisione vel imparitati paritas, vel paritati imparitas misceatur.

IMPĂRĬTER *vel* inpariter, adverb. (impar) inæqualiter, *disugualmente*, ἀνίσως. *Horat. Art. P.* 75. Versibus impariter junctis querimonia primum etc. *h. e.* hexametro et pentametro.

IMPARS *vel* inpars, artis, adject. (in *negat.* et pars) expers. *Gloss. Isid.* Impartes, expertes, sine parte.

IMPARTĪBĪLIS, e, adject. qui in partes dividi nequit, *impartibile. Claud. Mamert.* 3. *Stat. anim.* 5. Pars vero Dei nulla est, quia impartibilis non habet partem. Cf. *Fragm. Vatican. Arianorum* XVII. ab *A. Mai.* edit. in *Script. vet. N. collect. T.* 3. *P.* 2. *p.* 233. Confitemur, credimus, Deum patrem omnipotentem sine initio esse, innascibilem, impartibilem, invertibilem et immutabilem esse. Adde *Boeth. p.* 557.

IMPARTĪO. *V.* IMPERTIO.

IMPARTĪTĪVUS *vel* inpartitivus vel impertitivus a, um, adject. (in et partior) partitionem significans, ut impartitiva nomina apud *Priscian.* 13. *p.* 965. *Putsch.* Neque enim interrogativa nomina, nec infinita, nec abnegativa, nec distributiva, nec impertitiva (sic *Putsch.*), nec relativa, quæ omnia carent demonstratione, vocativos polliceotur, ut *quis* vel *qui, qualis talis, quantus tantus, alius, nullus, alter alteruter, uter uterque, singuli, bini, terni, quaterni* et similia.

IMPASCOR *vel* inpascor, pascĕris, pasci. dep. vel rectius pass. 3., *pascersi, essere pasciuto. Colum.* 6. *R. R.* 5. 2. In ea loca perducendi sunt, quibus nullum impascitur pecus. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 18. 1.

IMPASSĪBĬLIS *vel* inpassibilis, e, adject. (in *privat.* et passibilis) qui pati non potest. *Lactant.* 1. 3. Deus incorruptibilis esse debet, perfectus, impassibilis. Adde *Tertull. Apolog.* 10.; et *Prudent. Apotheos.* 84.

IMPASSĪBĬLĬTAS *vel* inpassibilitas, ātis, f. 3. *Hieronym. Ep.* 133. *n.* 3. Edidit librum περὶ ἀπαθείας, quam nos impassibilitatem, vel imperturbationem possumus dicere. *V.* IMPATIENTIA 2.

IMPASSĪBĬLĬTER *vel* inpassibiliter, adverb. (impassibilis) sine passione, *impassibilmente. Cassiod.* 5. *Hist. Eccl.* 20. Credimus in unum unigenitum Filium, natum impassibiliter ex Deo. Adde *eumd. ibid.* 34. *a med.*

IMPASTUS *vel* inpastus, a, um, adject. (in *privat.* et pastus) non pastus, jejunus, *digiuno*, ἄσιτος. *Virg.* 9. *Æn.* 339. Impastus ceu plena leo per ovilia turbans etc. *Lucan.* 6. 628. fugere revulsis Unguibus impastæ volucres.

IMPĂTĪBĬLIS *vel* inpatibilis, e, adject. (in *privat.* et patibilis). Scribitur et *impetibilis*; quamquam *impetibilis* videatur esse, qui peti non debet, aut potest, ἀνεπιχείρητος, ut exponit *Gloss. Philox.*: atque hinc usurpari pro turpi et reprehensibili, ut ait *Forcellinus.* — Ceterum impatibilis vel impetibilis ¶ 1. Passive est intolerabilis, quem quis pati non potest, *insopportabile*, ἀνύποιστος. *Cic.* 2. *Fin.* 17. 57. Dolorem vos, quum improbis pœnam proponitis, impatibilem facitis: quum sapientem semper boni plus habere vultis, tolerabilem. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 24. (59). Impatibiles cruciatus. *Alii leg.* impetibiles. *Id.* 20. *ibid.* 18. 76. (199). Quum valetudo impatibilis odium vitæ fecisset. *Alii leg.* impetibilis: et est non ferenda, vel quæ medicamentis peti et curari non potest. *Apul. de Mag.* Impatibile scelus. *h. e.* quod quis pati non potest: plerique tamen *impetibile* legunt et turpe ac reprehensibile interpretentur, quod eodem recidit. Eadem est lectionis varietas eademque interpretatio in illo *Symmach.* 9. *Ep.* 103. (*al.* 113). Turpe atque impatibile est, attonito animo et fronte mœsta lætos adire conventus. — Apud *Solin.* 40. *sub fin. de chamæleonte.* Impetibilis est coraci. *Forcellinus* interpretatur eum qui peti potest, seu in quem impetum facere possumus: plerique tamen alii leg. *impatibilis* vel *impetibilis* et accipiunt pro intolerabili, quem corax pati non potest. ¶ 2. Active est impassibilis, ἀπαθής, *impassibile, apatista. Lactant.* 2. 8. *ante med.* Sensu præditum ex insensibili, sapiens ex bruto, impatibile de patibili numquam potest oriri.

IMPĂTĬENS *vel* inpatiens, entis, adject. (in *privat.* et patiens). Comp. *Impatientior* et Sup. *Impatientissimus* 1. — Impatiens ¶ 1. Generatim est qui pati ac ferre non potest, ὀλιγόψυχος (It. *impaziente, intollerante*; Fr. *qui ne peut pas souffrir, qui ne supporte pas, impatient de*; Hisp. *impaciente, el que no soporta, el que no tolera*; Germ. *ungeduldig, etwas nicht ertragend, dulden könnend und wollend, nicht leidend*; Angl. *impatient, that cannot or will not bear*). Occurrit — *a*) De personis et brutis. — Cum Genitivo. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 3. Corpus laboris impatiens. *Id.* 6. *Met.* 322. grandior ævo Impatiensque viæ. *Tac.* 2. *Hist.* 99. Miles impatiens solis, pulveris, tempestatum. *Virg.* 11. *Æn.* 639. vulneris impatiens. *Sueton. Gramm.* 3. morbi. *Vellej.* 2. 23. 1. Marius quietis impatientissimus. *Colum.* 7. *R. R.* 11. 3. Sues ex omnibus pecudibus impatientissimæ famis sunt. *Sil. It.* 8. 4. Impatiensque moræ fremit. Cf. *Tac.* 2. *Hist.* 40. Æger mora et spei impatiens. *Sueton. Cal.* 24. Impatiens mœroris. *Id. Oth.* 9. longioris sollicitudinis. *Id. Domit.* 9. discidii. *Curt.* 3. 2. Veritatis impatiens. *che non può sentire a dirsi la verità. Ovid.* 1. *Met.* 479. Impatiens expersque viri. *h. e.* nuptias aversata. Sic *Id.* 6. *Fast.* 288. impatiens viri. et 4. *Met.* 260. Nympharum. *Sueton. Tib.* 59. Quasi ab impatientibus remediorum. *h. e.* remedia aversantibus. *Val. Flacc.* 1. 296. Impatiens somni ductor manet. *h. e.* non passus se somno corripi. — *Ovid.* 13. *Met.* 3. Impatiens iræ. *h. e.* impotens. Sic *Liv.* 5. 33. Galli flagrantes ira, cujus impatiens gens est. — Cum Infinito. *Sil. It.* 11. 98. Impatiens ultra gemitu cohibere furorem. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 35. Impatiens nescire torum. — Absolute de abstractis. *Gell.* 12. 1. *sub fin.* Impatientissima sollicitudo. *Macrob.* 7. *Saturn.* 5. *ad fin.* Nihil est impatientius imperitia. — *b*) Latiori sensu, vel, ut placet *Forcellino*, translate, de inanimis cum Genitivo. *Ovid.* 2. *Art. am.* 60. Cera impatiens caloris. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 79. (219). Æsculus impatiens humoris. *Id.* 13. *ibid.* 12. 31. (123). Planum impatientissimum frigorum. *che non resiste. Id.* 21. *ibid.* 16. 57. (97). Caulis impatiens

vetustatis. *che non dura*. *Curt.* 9. 4. 11. Vorticibus intorta navis, obliqua et gubernaculi impatiens agebatur. *impossibile a reggersi col timone*. *Lucan*. 7. 866. terra hominum impatiens. *Id.* 9. 857. solum impatiens Cereris. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 2. 32. (67). Mammæ impatientes lactis. *h. e.* quæ lac ex nimia abundantia continere non possunt. ¶ 2. Specialim est qui nihil sentit, aut patitur. *Seneca Ep.* 9. Epicurus et hi, quibus summum bonum visum est animus impatiens. *Lactant.* 5. 22. *ante med.* Qui in rebus prosperis agit, impatiens est et virtute maxime caret: impatientem dico, quia nihil patitur.

IMPĂTIENTER *vel* inpatienter, adverb. (impatiens). Comp. *Impatientius* et Sup. *Impatientissime*. — Impatienter est cum impatientia, iniquo animo, ægre, moleste, *con impazienza, ansiosamente*. *Quintil.* 5. *Declam.* 12. impatientius diligere. *Plin.* 2. *Ep.* 7. Amavi juvenem tam ardenter, quam nunc impatienter requiro. *Id.* 6. *ibid.* 1. Quo propius accesseris ad spem fruendi, hoc impatientius careas. *Tac.* 4. *Ann.* 17. Æquari adolescentes senectæ suæ, impatienter indoluit. *Justin.* 12. 15. 3. Quosdam impatientius dolentes consolari. *Plin.* 9. *Ep.* 22. Dolet, ut qui impatientissime: laudat, ut qui benignissime.

IMPĂTIENTĬA *vel* inpatientia, æ, f. 1. (impatiens). ¶ 1. Generatim est intolerantia, impotentia, animus impatiens, *impazienza*, ἀτλησία. *Sueton. Cal.* 23. *ad fin.* Vitare impatientiam nauseæ et molestiam navigandi. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 23. 27. (77). Bombyces fieri primo papiliones parvos nudosque: mox frigorum impatientia villis inhorrescere. *Tac.* 4. *Ann.* 52. Impatientia silentii. *Id.* 15. *ibid.* 63. Ne ipse, visendo ejus tormenta, ad impatientiam dilaberetur. — Obscœnum sensum habet apud *Arnob.* 4. 22. Rex Saturnius concubinis, pellicibus atque anicullis delectatus impatientiam suam spargebat passim. Cf. *Apul.* 2. *Met.* Et laciniis remota, impatientiam Veneris Fotidi meæ monstrans etc. *h. e.* impatientiam moræ in re venerea patranda. V. et *Capell.* 1. *p.* 3. ¶ 2. Specialim est affectio animi, qua nihil sentimus, aut patimur, *impassibilità*. *Seneca Ep.* 9. In ambiguitatem incidendum est, si exprimere ἀπάθειαν uno verbo voluerimus et impatientiam dicere. Poterit enim contrarium ei, quod significare volumus, intelligi.

IMPAUSĀBĬLIS *vel* inpausabilis, e, adject. (in *privat. et* pausa) qui numquam cessat, qui non est pausabilis. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 6. Furiarum prima Alecto: ἀληκτὼ enim Græce impausabilis dicitur. Adde *Hygin. fab.* 108. ab *A. Mai.* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 40. edit.

IMPAUSĀBĬLĬTER *vel* inpausabiliter, adverb. (impausabilis) sine pausa. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 2. *ante med.* Plurimi impausabiliter tota die atque nocte cibum sumpsisse veteribus traduntur.

IMPĀVĬDĒ *vel* inpavide, adverb. (impavidus) intrepide, audacter, *senza paura, arditamente*, ἀφόβως. *Liv.* 39. 50. Et poculo impavide exhausto haud ita multo post exspiravit.

IMPĀVĬDUS *vel* inpavidus, a, um, adject. (in *privat. et* pavidus) qui non pavet, intrepidus, *intrepido, senza paura*, ἀδεής. *Virg.* 8. *Æn.* 631. geminos (*Romulum et Remum*) huic ubera circum Ludere pendentes pueros et lambere matrem impavidos. V. *Servium ibid. Horat.* 3. *Od.* 3. 7. Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ. *Id.* 1. *ibid.* 15. 23. Urgent impavidi te – Teucer et Sthenelus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 78. (258). Pellis asini injecta impavidos infantes facit. *Virg.* 12. *Æn.* 8. leo Impavidus frangit telum et fremit ore cruento. *Liv.* 21. 30. Quinam pectora semper impavida repens terror invaserit. *Ovid.* 2. *Fast.* 840. Edidit impavidos ore minante sonos. *Seneca Herc. Œt.* 645. impavidos ducere somnos.

IMPECCĀBĬLIS *vel* inpeccabilis, e, adject. (in *privat. et* pecco) expers peccati, *impeccabile*, ἀναμάρτητος. *Gell.* 17. 19. Is erit impeccabilis, vitamque vivet tranquillissimam.

IMPECCANTĬA *vel* inpeccantia, æ, f. 1. (in *privat. et* pecco) impossibilitas peccandi, *impeccabilità*, ἀναμαρτησία. *Hieronym.* 3. *advers. Pelag.* 4. Perpetuitas impeccantiæ soli reservatur Deo. Adde *eumd. ibid.* 1. et *præfat. l.* 4. *commentar. in Jerem.*

IMPECTENS *vel* inpectens, entis, adject. (in *et* pecto) verberans, pulsans. *Varro* 3. *R. R.* 16. 7. de apib. Itaque impectentes, a se ejiciunt fucos. *Alii leg.* insectantes; *Schneider.* vero rectius *impetentes*, h. e. impetum facientes.

IMPĔDĀTĬO *vel* inpedatio, ōnis, f. 3. (impedo) actus impedandi. *Colum.* 4. *R. R.* 13. 1. Impedationem deinde sequitur alligator.

IMPĔDĬCO *vel* inpedico, as, are, a. 1. (in *et* pedica) pedica constringo, *allacciare, inceppare*, ἐμποδίζω. *Ammian.* 30. 4. Si quem semel intra retia ceperint, casibus mille impedicant.

IMPĔDĬMENTŌSUS *vel* inpedimentosus, a, um, adject. qui impedimento est. *Cassiod.* 1. *Variar.* 35. Sed echeneis illis impedimentosa venalitas est. *h. e.* venalitas, tamquam echeneis, impedimento nautis est, ne frumenta publica ex Calabria et Apulia in urbem convehant.

IMPĔDĬMENTUM *vel* inpedimentum, i, n. 2. (impedio). Veteres *impelimenta* pro *impedimenta* dicebant, teste *Paul. Diac. p.* 108. 13. *Müll.* — Impedimentum est id, quo pedes implicantur, *impedimento*, ἐμπόδισμα.

I.) Proprie. *Seneca Tranquill.* 10. Compeditos primo ægre ferre onera et impedimenta crurum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim et abstracte impedimentum est id, quo quis impeditur, quo minus perficiat quod cupit, impeditio, mora, obstaculum (It. *impedimento, ostacolo*; Fr. *ce qui embarrasse, obstacle, embarras, empêchement, entrave*; Hisp. *obstáculo, impedimento, embarazo*; Germ. *das Hinderniss, die Behinderung*; Angl. *a hinderance, impediment*). *Cic.* 1. *Orat.* 61. 260. Demosthenes impedimenta naturæ diligentia industriaque superavit. *Id.* 2. *leg. Agr.* 9. 24. Excipitur hac lege impedimentum legitimum. *Id.* 1. *de republ.* 3. Opponuntur ab his, qui contra disputant, primum labores –: leve sane impedimentum vigilanti et industrio. *Plin.* 2. *Ep.* 12. *extr.* Epistolam jam recepisse te, colligo, nam festinanti tabellario dedi: nisi quid impedimenti in via passus est. Rursus *Cic.* 1. *Invent.* 9. 12. Moram atque impedimentum alicui rei inferre. *Tac.* 15. *Ann.* 9. Afferre impedimentum alicui rei. *Paul. Dig.* 40. 5. 33. Amittit libertatem heres, si conditioni impedimentum fecerit. *Cæs.* 3. *B. C.* 17. Hæc res non est impedimenti loco. *Cic. Rosc. Am.* 51. 149. Quoniam ad dicendum impedimento est ætas et pudor. Sic *Plaut. Cas. prol.* 61.; *Ter. Andr.* 4. 2. 24.; et *Quintil.* 5. 14. 35., 5. 10. 123. et alibi. Impedimento esse. Similiter *Auct. B. Alex.* 23. Nullius periculi timorem multitudini fore impedimento, quominus etc. et *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quod etc. *Quintil.* 1. 8. 19. Impedimenta vocat grammaticorum ineptias et futiles interpretationes, quod studiis impedimento sint. ¶ 2. Specialim et concreto, uti ajunt, sensu dicitur de sarcinis viatorum, et præcipue exercitus, *bagaglio, salmeria*: quo sensu primus usurpavit *Cato*, ut *Seneca Ep.* 87. *ante med.* docere videtur. — a) De viatorum sarcinis, *impedimentum* significat etiam servos, famulos, comites etc. *Cic. Mil.* 10. 28. Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus. *et mox.* Quum hic (*Milo*) veheretur in rheda, vulgi magno impedimento ac muliebri comitatu. Hæc tamen *Ciceronis* verba ad præliandi usum alludunt. — b) Sæpissime de sarcinis exercitus, qua significatione pluralis numerus usurpatur, et impedimentorum nomine veniunt etiam calones et jumenta. *Cæs.* 1. *B. G.* 26. Alteri se in montem receperunt, alteri ad impedimenta et carros suos se contulerunt. *et mox.* Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est. – Diu quum esset pugnatum, impedimentis castrisque nostri potiti sunt. *Id.* 3. *ibid.* 29. Quum jam pecus atque extrema impedimenta ab nostris tenerentur. *Id.* 5. *ibid.* 42 Quum suas omnia impedimenta atque omnes fortunas conflagrare intelligerent. *Id.* 2. *ibid.* 17. Impedimenta diripere. *Nepos Thrasyb.* 2. amittere. — c) Pro jumentis tantum. *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris mulorumque produci, eque iis stramenta detrahi jubet. *Liv.* 38. 41. In eo prælio quum et impedimentorum pars et calonum et milites aliquot cecidissent. *Frontin.* 2. *Strateg.* 1. Interfectis omnibus impedimentis, ad pugnam descendit. *Veget.* 3. *Milit.* 6. Et ideo ad exemplum militum, etiam impedimenta sub quibusdam signis ordinanda duxerunt.

IMPĔDĬO *vel* inpedio, is, ivi *vel* ii, itum, ire, a. 4. (in *et* pes, pedis: *cf.* compedes *et* pedica). Divisit per tmesin *Lucret.* 3. 485. At quæcumque queunt conturbari inque pediri. Sic *Id.* 6. 394. inque peditur. et 4. 563. et 1142. inque peditus. — Part. *Impediens* II. 3.; *Impeditus* in omnibus paragr. et in fin; *Impediturus* II. 3.; *Impediendus* II. 1. — Impedire est impedicare, implicare, involvere, irretire; et proprie de pedibus dicitur, quum aliqua re implicantur, ἐμποδίζω (It. *allacciare i piedi, avviluppare, legare, impastojare*; Fr. *enlacer les pieds, embarrasser, enlacer, lier, empêcher, entraver, gêner*; Hisp. *embarazar, impedir, enlazar, detener*; Germ. *die Füsse einwickeln, daher verwickeln, verstricken, behindern, binden, festhalten, abhalten, hemmen*; Angl. *to entangle, hamper*).

I.) Proprie. *Ovid.* 1. *Fast.* 410. Impediunt teneros vincula nulla pedes. *Id.* 12. *Met.* 392. et illis Crura quoque impedit. *Plaut. Mil. glor.* 4. 9. 11. Ipsus illic sese jam impedivit in plagas. *Phædr.* 1. 12. *de cervo.* silva tum excepit ferum, In qua retentis impeditus cornibus, Lacerari cœpit morsibus sævis canum. *Martial.* 3. 58. Aut impeditam cassibus refert damam. Cf. *Plaut. Truc.* 1. 1. 17. Reti pisces impedire. *Veget.* 1. *Veterin.* 10. Caput religabis ad pedes, sensimque jumentum impeditum compelles incedere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim a Poetis ponitur pro cingere, alligare, *legare, cingere*, atque adeo involvere, innectere. *Ovid.* 2. *Met.* 433. Impedire aliquem amplexu. *Horat.* 1. *Od.* 4. 9. Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto, Aut flore. *Ovid.* 3. *Amor.* 6. 56.; et *Tibull.* 1. 7. 74. Vitta nec evinctas impedit alba comas. *Ovid.* 2. *Met.* 867. modo cornua sertis impedienda novis. *Id.* 3. *ibid.* 664. Impediunt hederæ remos. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 27. nigris medium impedit crus Pellibus. *Ovid.* 2. *Fast.* 736. frenis impediuntur equi. *s'imbrigliano*. *Virg.* 8. *Æn.* 447. Ingentem clipeum informant *etc.* septenosque orbibus orbes impediunt. *h. e.* involvunt, innectunt. Sic *Id.* 5. *ibid.* 583. Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus Adversis spatiis, alternisque orbibus orbes impediunt. *intrecciano volteggiando o caracollando*. — Huc referri potest et illud *Curt.* 6. 5. 13. Juga montium prealtæ silvæ sepiunt; ea, quæ plana sunt, novo munimenti genere impedierant barbari. *h. e.* intricaverant atque adeo obstruxerant. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superioribus paragr., ponitur pro implicare, irretire se vel animum suum, sed translate: ad rem *Cic. Harusp. resp.* 11. 22. Quum ille servorum et ludiorum multitudini senatum vinctum ipso consessu, et constrictum spectaculis, atque impeditum turba et angustiis tradidisset. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 17. Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea (*re amatoria*) expedivi animum meum. Sic *Cic. Rabir. Post.* 9. 24. Sapientis est, quum stultitia sua impeditus sit, quoquo modo possit, se expedire. *Plaut. Rud. prol.* 37. Sed dum alios servat, se impedivit iterum: rem bene paratam comitate perdidit. *Cic.* 4. *Verr.* 18. 44. Sin illud dices, te Heraclii voluntate ab lege recessisse, ipse te impedies, ipse tua defensione implicabere. *t'imbarazzerai*. *Ter. Phorm.* 2. 4. 2. Quanta me sollicitudine afficit gnatus, qui me et se hisce impedivit nuptiis. *ha intrigato*. *Id. Andr.* 1. 5. 25. Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorse trahunt. *imbrogliano*. *Id. ibid.* 3. 5. 11. Viden' me tuis consiliis miserum impeditum esse? *Cic. Harusp. resp.* 1. 1. Alicujus causam stultissimis interrogationibus impedire. *imbrogliare*. *Id. Cæl.* 24. 60. Mentem dolore impedire. *Id. ibid.* 19. 45. Animus libidini deditus; amore, desiderio, cupiditate, sæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus. *Id.* 10. *Fam.* 28. *a med.* maximis occupationibus. — *Impedire impudicitiâ mulierem* quidam leg. cum *Non. p.* 331. 15. *Merc.* apud *Plaut.* supposit. *Amph.* Quis tam vasto *etc.* 12. quasi obstringere et involvere impudicitiæ scelere. Sed rectius leg. alii *impetere*. ¶ 3. Transfertur ad alia, et universim retardare, obstare, impedimento esse significat, *impedire, ostare, sturbare, intrigare*: et occurrit — a) Cum Accusativo tantum; et quidem — Cum Accusativo personæ. *Cic.* 9. *Fam.* 19. Me quotidie aliud ex alio impedit: sed si me expediero etc. *Id.* 1. *Off.* 9. 28. Aut inimicitias, aut laborem, aut sumptus suscipere nolunt, aut etiam negligentia, pigritia, inertia, aut suis studiis sic impedi-

untur, ut etc. *Id.* 5. *Verr.* 25. 63. Lollius ætate et morbo impeditus ad testimonium dicendum venire non potuit. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 12. Ab Atheniensibus locum sepulturæ intra urbem ut darent impetrare non potui, quod religione se impediri dicerent. *Cic.* 8. *Att.* 16. Ne forte qua re impedior atque alliger. — Cum Accusativo rei. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Quod neque evellere ferrum, neque sinistra impedita satis commode pugnare poterant. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 42. Singultu medios impediente sonos. *Id.* 13. *Met.* 745. lacrimæ vocem impediere loquentis. *Cic.* 7. *Fam.* 5. Mea quædam tibi non ignota dubitatio aut impedire profectionem meam videbatur, aut certe tardare. *Id. Amic.* 20. 75. Impedire iter. *Cæs.* 5. *B. G.* 7. navigationem. *Ovid.* 10. *Met.* 678. Impedire cursum gravitate oneris. *Id.* 15. *ibid.* 490. Sacra Orestææ gemitu questuque Dianæ impedit. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 12. 30. Quum intercessio stultitiam intercessoris significatura sit, non rem impeditura. *Id. Amic.* 20. 75. Impedire magnas utilitates amicorum. *Id. Prov. cons.* 14. 35. Nec totam Gallici belli rationem prope jam explicatam perturbare atque impedire debemus. *Id.* 1. *Fin.* 18. 59. Quod si corporis gravioribus morbis vitæ jucunditas impeditur; quanto magis animi morbis impediri necesse est? — *b*) Cum Ablativo rei, a qua facienda quis impeditur. — Cum Ablat. et præpos. *ab*. *Cic. Balb.* 20. 47. Sibi non fuisse dubium, quin nullo fœdere a republica bene gerenda impediretur. *Id. Mur.* 19. 39. Nos, qui ab delectatione omni negotio impedimur. *Id.* 5. *de republ.* 3. Impedire aliquem a suo munere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 63. 83. (180). aliquem ab opere. *Sall. Jug.* 30. Eos potentia Scauri a vero bonoque impediebat. — Et omissa præpos. *Tac.* 1. *Ann.* 39. Quem dignitas fugâ impediverat. *h. e.* a fuga. — Cum Ablat. et præpos. *in*. *Cæs.* 1. *B. G.* 36. Si ipse populo Romano non præscriberet, quemadmodum suo jure uteretur, non oportere sese a populo Romano in suo jure impediri. — *c*) Cum Conjunctivo — Et part. *ne*. *Cic. Fat.* 1. 1. Id casus quidam, ne facerem, impedivit. *Id. Sull.* 33. 92. Sed jam impedior egomet, judices, dolore animi, ne de hujus miseria plura dicam. — Cum part. *quin*. *Cic.* 4. *Att.* 2. *ad fin.* Ut nulla re impedirer, quin, si vellem, mihi integrum esset petere etc. *Alii leg.* impedirer, quod ne, si vellem: *alii aliter*. *Id.* 3. *Herenn.* 1. 1. Ne quid impediare, quin ad hanc utilitatem pariter nobiscum progredi possis. — Cum part. *quominus*. *Cic. Senect.* 17. 60. Nec ætas impedit, quominus agri colendi studia teneamus. Sic *Id.* 1. *Fin.* 10. 33. Quumque nihil impedit, quominus id, quod maxime placeat, facere possimus. — *d*) Cum Infinito. *Cic.* 2. *Off.* 2. 8. Quid est igitur, quod me impediat ea, quæ probabilia mihi videantur, sequi, quæ contra, improbare? *Id.* 1. *Orat.* 35. 163. Me enim et hunc Sulpicium impedit pudor ab homine omnium gravissimo hæc exquirere. *Virg.* 11. *Æn.* 20. Ne qua mora ignaros pubemque educere castris impediat. *Ovid.* 1. *Pont.* 1. 21. nihil impedit ortos exsule Urbe frui. — *e*) Cum Dativo. *Varro* 9. *L. L.* 20. *Müll.* In vestimentis, ædificiis, supellectili novitati non impedit vetus consuetudo. *h. e.* obstat novitati. — *f*) Absolute. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 19. Omnia removentur, quæ obstant et impediunt. *Id.* 1. *Off.* 1. 2. Utere tuo judicio: nihil enim impedio. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 13. Sic *Quintil.* 10. 3. 38. Ut omnia quæ impediant, vincat intentio. *Id.* 12. 10. 55. Quod si impediant tempora a judice data. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa exempla retulimus,

Impeditus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Impeditior* sub *a.* et *b.*; Sup. *Impeditissimus* sub *b.* — Translate usurpatur, et est implicatus, involutus, distentus, retardatus. — *a*) De hominibus. *Sisenna* apud *Non.* p. 58. 8. *Merc.* Inermes armati, impeditos expediti interficiunt. *aggravati dal bagaglio*: V. IMPEDIMENTUM II. 2.; et Cf. *Cæs.* 3. *B. G.* 19. Impeditis hostibus propter ea quæ ferebant onera. Sic *Liv.* 43. 23. Impeditum agmen. *Cæs.* 3. *B. C.* 75. Si itinere impeditos et perterritos deprehendere posset. *Id.* 2. *B. G.* 9. Nostri autem, si ab illis initium transeundi fluminis fieret, ut impeditos aggrederentur. *imbarazzati dalle difficoltà del passaggio*. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 12. et alibi sæpe. *Auct. B. Alex.* 14. *extr.* Quod si durior accidisset casus, impeditiores ad receptum fore videbantur. *Cic. Sext.* 45. 67. Omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec malis domesticis impediti. — *b*) De rebus et de abstractis. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 3. Locus impeditissimus ad iter faciendum. Sic *Cæs.* 6. *B. G.* 8. Hostem impedito atque iniquo loco tenetis. *h. e.* loco, qui accessu difficilis est et multum affert impedimenti. *Id.* 3. *ibid.* 28. Longius impeditioribus locis secuti. *Liv.* 9. 2. Saltus arctior et impeditior. *Cæs.* 6. *B. G.* 8. Quum silvas impeditas vallo atque fossa munierunt. *Auct. B. G.* 8. 18. Silvæ undique impeditissimæ. *Tac.* 2. *Hist.* 25. Viteæ nexu traducum impeditæ. *intralciate*. *Cæs.* 3. *B. G.* 9. Navigatio impedita propter inscientiam locorum. *Id.* 3. *B. C.* 77. Impeditissima itinera. *Cic.* 1. *Legg.* 3. 8. Neque enim occupata opera, neque impedito animo res tanta suscipi potest. Sic *Cæs.* 5. *B. G.* 7. Omnium impeditis animis. *Liv.* 7. 21. *a med.* Tarda nomina et impeditiora inertiâ debitorum, quam facultatibus, ærarium dissolvit. *più difficili da riscuotersi*. *Cic. Pis.* 1. 3. Impedita reipublicæ tempora. Sic *Gell.* 4. 9. Dies tristi omine infames et impediti, in quibus et res divinas facere, et rem quampiam novam exordiri temperandum est. *Liv.* 37. 54. Impedita disceptatio. *Quintil.* 8. 6. 42. Longa et impedita oratio. *imbarazzata, imbrogliata*, quum multis appositis, seu epithetis abundat. *Tac.* 4. *Ann.* 46. Bellum impeditum, arduum, cruentum. *Cæs.* 2. *B. G.* 28. Quum victoribus nihil impeditum arbitrarentur. *Cic. Mil.* 20. 54. Quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? *h. e.* plurimum impedimenti afferens.

IMPĔDĪTĬO *vel* inpeditio, ōnis, f. 3. (impedio) implicatio, impedimentum, *impedimento, imbarazzo*. *Vitruv.* 1. 5. Ut obviam venientes, alius alium sine impeditione præterire possint. *Cic.* 1. *Divinat.* 51. 115. Viget enim animus in somniis, liberque sensibus ab omni impeditione curarum etc. *Arnob.* 2. 13. Obstacula impeditionis opponere.

IMPĔDĪTO *vel* inpedito, as, are, a. 1. frequentativum ab *impedio*, et ejusdem fere significationis. *Stat.* 2. *Theb.* 590. impeditant numero seque ipsa vicissim Arma premunt.

IMPĔDĪTOR *vel* inpeditor, ōris, m. 3. qui impedit. *Augustin.* 10. *Civ. D.* 10. Plus utique valere beneficus purgator animæ, quam malevolus impeditor.

IMPĔDĪTUS *vel* inpeditus, a, um. *V.* IMPEDIO.

IMPĔDO *vel* inpedo, as, are, a. 1. (in et pedo) pedaminibus fulcio, *metter pali alle viti*, ἐμπεδόω. Occurrit tantum Part. *Impedandus* apud *Colum.* 4. *R. R.* 16. 2. Vehementioribus statuminibus vinea statim impedanda est.

IMPĒGI. *V.* IMPINGO.

IMPĔLĪMENTUM. *V.* IMPEDIMENTUM init.

IMPELLO *vel* inpello, pellis, pŭli, pulsum, pellere, a. 3. (in et pello). *Impellier* pro *impelli* paragoge est. *Lucret.* 6. 1058. nequeunt impellier unquam. — *Impellerim* pro *impulerim* quidam leg. apud *Ter. Heaut.* 1. 1. 113.; alii tamen melius leg. *impulerim*. — Part. *Impellens* I. 1. 2. et II. 1.; *Impulsus* in omnibus paragr.; *Impellendus* II. 1. et 2. — Impellere est pellere, percellere, commovere, propellere, ante vel in aliquam partem pellere, ἐμπαίω (It. *urtare, spingere, battere, mettere in movimento, sospingere*; Fr. *heurter, frapper, rencontrer, pousser, mettre en mouvement*; Hisp. *achocar, echar, topar, tocar, meter en movimiento*; Germ. *an etwas stossen oder schlagen, anstossen, treffen, berühren, antreiben, in Bewegung setzen, schwellen*; Ang. *to push, press, or drive forward, urge on, propel, impel*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim pro pellere, percellere, ferire, est fere poeticum, *Virg.* 1. *Æn.* 85. cavum conversa cuspide montem Impulit in latus. *Tibull.* 2. 5. 3. vocales impellere pollice chordas. *percuotere, battere*. Sic *Ovid.* 10. *Met.* 145. impulsas tentavit pollice chordas. *Id.* 3. *ibid.* 657. impellunt æquora remis. Sic *Virg.* 1. *G.* 254. infidum remis impellere marmor. *Horat.* 4. *Od.* 12. 2. Impellunt animæ lintea Thraciæ. *Ovid.* 3. *Met.* 21. mugitibus impulit auras. *Virg.* 4. *G.* 349. maternas impulit aures Luctus Aristæi. *Lucret.* 1. 303. impellere sensus. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 175. collesque canoris Plausibus impulsi. Cf. *eumd.* 2. *Rapt. Pros. init.* impulit Ionios præmisso lumine fluctus Nondum pura dies. *Sil. It.* 11. 217. Cui patuere Alpes, saxa impellentia cœlum. *Lucan.* 5. 437. quum fretum non impulit Ister. *h. e.* non tetigit, seu in fretum non influxit. Huc referri potest et illud *Senec. Herc. Œt.* 942. Sisyphia cervix cesset, et nostros lapis Impellat humeros. *h. e.* urgeat. ¶ 2. Speciatim motus quoque significationem complectitur, et est commovere, propellere, ante vel in aliquam partem pellere, urgere, mittere, jaculari. — *a*) Sine termino, quo quid impellitur. *Cæs.* 3. *B. C.* 40. Biremes, subjectis scutulis, impulsas vectibus in interiorem partem transduxit. *Virg.* 5. *Æn.* 119. navem remis impellere. *Sil. It.* 1. 568. puppim remis velisque. *Ovid.* 15. *Met.* 697. Impulerat levis aura ratem. *Lucan.* 3. 527. impulsæ tonsis tremuere carinæ. *Val. Flacc.* 6. 6. Impellere currum. *Virg.* 2. *G.* 211. rudis enituit impulso vomere campus. *Sil. It.* 7. 697. et 2. 71. equum calce. *Virg.* 4. *G.* 305. Zephyris primum impellentibus undas. *h. e.* commoventibus. *Petron. Satyr.* 114. Fluctus ventus impulerat. *Horat.* 4. *Od.* 6. 11. impulsa cupressus Euro procidit. *Virg.* 8. *Æn.* 3. Utque acres concussit equos, utque impulit arma. *h. e.* vibravit. Sic *Id.* 4. *ibid.* 594. date vela, impellite remos. *Ovid.* 11. *Met.* 325. curvavit cornu, nervoque sagittam Impulit. *h. e.* misit, jaculatus est. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 118. (180). Semen vehementius urinam impellit. *Forcellinus* interpretatur expellit, h. e. ejaculatur. *Id.* 18. *ibid.* 18. 47. (168). Mox sues impellere vestigiis semina deprimentes. *h. e.* intro agere, inducere. *Cic. Cluent.* 26. 70. Præcipitantem igitur impellamus, et perditum prosternamus. *facciamolo cadere a terra*. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 22. Tiberius visit cubiculum, in quo reluctantis et impulsæ Aproniæ vestigia cernebantur. *Lucan.* 3. 440. Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex. *h. e.* sternitur, *si spinge a terra*. *Liv.* 9. 40. Turbavit ordines, et haud dubie impulit aciem. *fece piegare*. Sic *Id.* 9. 27. Universis hostem primo impetu viribus impulit. et *Vellej.* 2. 70. 1. Impulsis hostibus, castra cepit. Adde *Tac.* 2. *Ann.* 17., 3. *Hist.* 16. et 4. *ibid.* 34. Rursus *Vellej.* 2. 51. Prælium, quo graviter impulsi sunt Cæsaris milites. — *b*) Cum addito termino, quo quid impellitur. *Cic. Rabir. perduell.* 8. 22. Quum ignaviæ ratio te in fugam atque in latebras impelleret, improbitas in Capitolium arcesseret. Cf. *Auct. B. Afr.* 16. Impellere aliquem in periculum. *Vellej.* 2. 70. *extr.* Quum mucronem gladii admovisset mamillæ, impellens se in vulnus, uno ictu transfixus exspiravit. *Ovid.* 12. *Met.* 552. inque meos ferrum flammasque Penates impulit. *Sil. It.* 7. 482. rubros (*Aufidus*) impellet in æquora fluctus. *Id.* 11. 270. Jamque diem ad metam defessis Phœbus Olympo Impellebat equis. *Virg.* 12. *Æn.* 856. nervo per nubem impulsa sagitta. *Sil. It.* 14. 429. Quæ nondum tamen impulerat vim Dardana lampas.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, morali significatione, est conjicere, inducere, incitare, adducere, incendere, vi quadam urgere ad quippiam præstandum, *spingere, incitare, indurre, costringere*: et occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ et præpos. *in* atque Accusat. rei. *Cic. Mil.* 33. 89. Nisi eum dii immortales in eam mentem impulissent, ut etc. *Id. Pis.* 1. 1. Hic in fraudem homines impulit. *Id. Dejot.* 12. 32. Se tuis promissis in fraudem impulsum esse confessus est. Adde *eumd. Amic.* 24. 89. *Justin.* 13. 5. et 28. 1. Impellere homines in bellum. *Id.* 1. 9. In cædem regis impulsus. *Cic.* 1. *ad Brut.* 10. Cæsarem impulerunt in spem certissimam consulatus. *Id.* 2. *Orat.* 89. 363. Si cognossemus, quæ te causa in sermonem impulisset. *Quintil.* 12. 10. 43. Quum debeat delectare, movere, in plurimas animos audientium species impellere. — *b*) Cum Accusativo personæ et præpos. *ad* atque Accus. rei. *Cic.* 1. *Orat.* 28. 126. Ad quam quemque artem putabat esse aptum, ad eam impellere atque hortari solebat. *Id. Brut.* 5. 19. Eisque libris ad veterum annalium memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus. *Id.* 2. *de republ.* 10. Quum imperiti facile ad credendum impellerentur. *Sueton. Ner.* 35. Impellere aliquem ad spem imperii. *Cic.* 6. *de republ.* 1. ad omne facinus. *Id.* 2. *Herenn.* 21. 35. ad maleficium. *Id. Flacc.* 34. 85. ad injuriam faciendam. *Id. Rosc. Am.* 14. 39. ad scelus. *Id. Sull.* 13. 36. barbaros homines ad bellum. *Nepos Datam.* 5. aliquem ad perniciem alicujus. *Quintil.* 8. 3. 85. ad crudelitatem. *Id.* 3.

8. 12. ad metum, cupiditatem, odium, conciliationem. — c) Cum Adverbiis *huc, eo, illuc, quo* etc. *Ter. Andr.* 1. 5. 31. Dum in dubio est animus, paullo momento huc illuc impellitur. *Lucan.* 8. 454. non plura locutus Impulit huc animos. *Cic.* 1. *Orat.* 8. 30. Voluntates impellere, quo velit; unde autem velit, deducere. — d) Cum part. *ut* et Conjunctivo. *Cic.* 1. *Nat. D.* 4. 7. Quæ causa nos impulerit, ut hæc tam sero litteris mandaremus. *Cæs.* 4. *B. G.* 16. Germanos tam facile impelli, ut in Galliam venirent. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 51. paupertas impulit audax, Ut versus facerem. Adde *Cic.* 2. *Nat. D.* 66. 166., 3. *de republ.* 2., 3. *Fin.* 20. 65. et *Senect.* 21. 77. — e) Cum Infinito. *Virg.* 2. *Æn.* 520. quæ mens tam dira Impulit his cingi telis? Adde *Horat.* 3. *Od.* 7. 14. Sic *Tac.* 14. *Ann.* 60. Quemdam ex ministris Octaviæ impulit, servilem ei amorem objicere. *Justin.* 3. 1. Impellit Artaxerxem, parricidium parricidio vindicare. *Stat.* 10. *Theb.* 737. impellunt credere Parcæ. — f) Cum Accusativo personæ tantum. — Active *Horat.* 1. *Sat.* 3. 65. ut forte legentem, Aut tacitum impellat quovis sermone molestus. *h. e.* suscitet, excitet, sive interpellet. Al. minus recte leg. *appellet*; alii *impediat*. *Val. Flacc.* 4. 486. omnes Impulit et duræ commovit imagine pœnæ — Sæpius passive. *Cic.* 2. *Orat.* 77. 312. Quibus (*locis*) animorum impetus eorum, qui audiunt, aut impellantur aut reflectantur. *Cæs.* 2. *B. G.* 14. Bellovacos impulsos ab suis principibus ab Æduis defecisse. *Quintil.* 11. 1. 71. Vel iratus, vel impulsus ab aliis. *Ter. Andr.* 1. 1. 72. Hac fama impulsus Chremes ultro ad me venit. *Id. Hecyr.* 3. 5. 35. Vide ne impulsus ira prave insistas. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Furore atque amentia impulsus bellum infert. *Id.* 7. *ibid.* 1. Hac impulsi occasione. *Nepos Miltiad.* 5. Ejus auctoritate impulsi. *Virg.* 10. *Æn.* 68. Cassandræ impulsus furiis. *Quintil.* 7. 1. 10. Initio movendus est judex et summo impellendus. — g) Absolute. *Cic. Flacc.* 8. 20. Qui Cn. Pompejum, qui præsentem, qui nullo impellente fallebant. *Id.* 1. *Divinat.* 54. 122. Esse divinum quiddam, quod δαιμόνιον appellat, cui semper ipse paruerit, nunquam impellenti, sæpe revocanti. *Justin.* 4. 5. Impellente fato. Adde *Quintil.* 12. 10. 48. ¶ 2. Specialim est labefactare, evertere, labere facere, *dare l'ultima spinta, dare il colpo di grazia*, ut Itali vulgo dicunt: *V.* supra sub I. 2. in fin. *Virg.* 4. *Æn.* 23. miseri post fata Sychæi - Solus hic (*Æneas*) inflexit sensus animumque labantem Impulit. *Tac.* 2. *Hist.* 63. Sabinus in alieno discrimine sibi pavens, ne allevasse videretur, impulit mentem. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 53. (149). Immenso Achaicæ victoriæ momento ad impellendos mores. *a dare la spinta*. *Lucan.* 5. 330. Impulsum bellum. *h. e.* profligatum. Cf. *Quintil.* 3. 4. 2.

IMPENDĔO *vel* inpendeo, pendes, pendere, n. 2. (in *et* pendeo). In præteritis non est, quod sciam, in usu. — Part. pass. *Impensus* pro præsenti *impendens* vel ab inusit. *impendĕre*, legitur apud *Lucret.* 6. 489. parvo tempore sæpe Tam magnos montes tempestas atque tenebræ Cooperiant maria ac terras, impensa superne. *h. e.* impendentia; vel, ut *Forcellinus* interpretatur, soluta, profusa, effusa. — Part. *Impendens* I. et II. — Impendere est supra aliquid pendere, imminere, instare, ἐπίκειμαι, ἐπαρτάομαι (It. *pendere sopra, soprastare, essere imminente*; Fr. *être suspendu au-dessus, planer sur*; Hisp. *estar suspendido, inminente*; Germ. *an oder bei etwas hangen oder schweben, überhangen*; Angl. *to hang over, overhang, impend, threaten*).

I.) Proprie. — a) Neutr. sine Accus. — Cum addito Accus. et præpos. in vel *super*. *Ulp. Dig.* 43. 26. 1. Arbor, quæ ex ædibus tuis in ædes illius impendet. *Plaut. fragm.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. Nucem ejus dixit impendere super tegulas. — Cum Dativo. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 62. Gladium e lacunari, seta equina aptum, demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. *Id.* 4. *ibid.* 16. 35. Poetæ impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt. Adde eumd. 1. *Fin.* 18. 60. — Absolute. *Lucret.* 3. 993. Nec miser impendens magnum timet aere saxum Tantalus. *Id.* 7. 561. Protrectæque trabes impendent, ire paratæ. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 98. Impendentium montium altitudines. — b) Cum Accusativo sine præpositione, quæ inest in ipso verbo. *Lucret.* 1. 327. Nec mare quæ impendent, vesco sale saxa peresa etc.

II.) Translate. — a) Neutr. sine Accus. — Cum addito Accus. et præpos. *in*. *Plaut. Epid.* 1. 1. 77. Tantæ in te impendent ruinæ, nisi suffulcis firmiter, non potes subsistere, itaque in te irruunt montes mali. *Cic. Rosc. Am.* 11. 31. Licet undique omnes in me terrores periculaque impendeant omnia. — Cum Dativo. *Plaut. Epid.* 1. 2. 32. Illam amabam olim, nunc jam alia cura impendet pectori. *Cic.* 4. *Tusc.* 16. 35. Omnibus semper aliquis talis terror impendet. *Id.* 3. *de republ.* 11. Clamant inexpiabiles pœnas impendere iis, a quibus violatum sit animal. Adde *eumd. Cluent.* 24. 66. — Absolute. *Lucret.* 4. 174. tetra nimborum nocte coorta, Impendent atræ Formidinis ora superne. *Cic. Mil.* 28. 76. Quæ vero aderant jam et impendebant, quonam modo ea depellere potuissetis? *Id.* 4. *Fam.* 14. Ut ea, quæ partim jam adsunt, partim impendent, moderate feramus. *Id.* 6. *Att.* 6. Dum impendere Parthi videbantur. *Id.* 8. *ibid.* 11. Tanta malorum impendet Ἰλιάς. *Id.* 2. *Fam.* 11. Belli magni timor impendet. *Id. Dom.* 10. 25. Impendebat fames, incendia, cædes, direptio: imminebat tuus furor omnium fortunis. *Id.* 2. *Att.* 22. Ea contentio, quæ impendet. *Virg.* 1. *G.* 365. stellas, vento impendente, videbis Præcipites cælo labi. *Id.* 4. *ibid.* 191. Nec vero a stabulis, pluvia impendente, recedunt. — Cum addito Ablativo personæ, a qua malum aliquod impendet. *Cic.* 6. *Att.* 2. Bellum impendet a Parthis. *Id.* 7. *Verr.* 60. 157. Parumne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeunda fortunæ, nisi etiam hæ formidines ab nostris magistratibus impendebant? Cf. *Id. Prov. cons.* 17. 42. Tantum reipublicæ sceleris impendere a consulibus, non suspicabar.

IMPENDĬA *vel* inpendia, æ. *V.* IMPENDIUM init.

IMPENDĬO *vel* inpendio, adverbii more usurpatum. *V.* IMPENDIUM in fin.

IMPENDĬŌSUS *vel* inpendiosus, a, um, adject. (impendium) qui plus æquo impendit, et plus consumit, quam par est, *che fa molta spesa*, δαπανηρός. *Plaut. Bacch.* 3. 2. 12. Nimio præstat, impendiosum te, quam ingratum dicier.

IMPENDĬUM *vel* inpendium, ii, n. 2. (impendo). Est et alia forma *impendia*, *æ*, f. 1., quæ legitur in *Inscript.* apud *Gruter.* 871. 8. D. M. FLAVII ELEVTHERII SECVNDIANI ASIVS SOTERICHVS DE SVA IMPENDIA. *Alia* apud *eumd.* 1070. 6. HERCVLI SANCTISSIMO VOTO SVSCEPTO C. HERODES DE SVA IMPENDIA D. D. EID. APRIL. L. ANTISTIO ET CLAVDIO NER. COSS. Hæc vero pertinet ad an. LV. a Chr. n. Adde *aliam* apud *eumd.* 62. 8. — Impendium est sumptus, impensa, δαπάνη (It. *spesa, sborso*; Fr. *dépense, frais, déboursés*; Hisp. *gasto, costa*; Germ. *die auf etwas verwendeten Kosten, der Aufwand*; Angl. *expense, cost, charge*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) In sing. num. *Cic. Quinct.* 3. 12. Qui quæstum sibi instituisset sine impendio, posteaquam nescio quid impendit, mediocri quæstu contentus esse non poterat. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 37. 68. (175). Nullius tutior est reditus, minorisve impendii. *Id.* 18. *ibid.* 14. 36. (134). Nullo impendio constat. *Id. ibid.* 6. 7. (38). Messes colligere non expedit, si computetur impendium operæ. *Paul. Dig.* 38. 1. 20. Unusquisque quod spopondit, suo impendio dare debet. *a sue spese*. — Et figurate. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 36. (203). Impendio fossarum munire vineam. *colla spesa di cavar fossi*. — b) In plur. num. *Quintil.* 1. 10. 18. Reposcere rationem impendiorum, quæ in educationem contulerat. *Sueton. Cæs.* 54. Evidentissimis rapinis et onera bellorum civilium et munerum sustinuit impendia. Adde *eumd. Ner.* 31. *Ulp. Dig.* 9. 2. 7. Impendia pro curatione oculi vitiati. *Plin.* 10. *Ep.* 52. Impendia maxima facere. ¶ 2. Specialim est fenus, usura, *h. e.* pecunia, quæ in fenore sorti accedit: quia impenditur ab eo, qui fenori accepit. *Varro* 5. *L. L.* 183. *Müll.* Usura, quod in sortem accedebat, impendium appellatum. *Cic.* 6. *Att.* 1. Itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scævola, fenus et impendium recusare. *il capitale e gl'interessi*. *Id.* 2. *de republ.* 34. Quum plebes publica calamitate impendiis debilitata deficeret. *V.* paragr. proxime seq.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ e super. paragr. 2. *Cic. Brut.* 4. 16. Seremus igitur aliquid tamquam in inculto et derelicto solo, quod ita diligenter colemus, ut impendiis etiam augere possimus largitatem tui muneris. *coi frutti*. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 87. partæque per omnes Divitiæ populos, magnique impendia mundi. *h. e.* pecunia, vectigales et tributa, quæ impenduntur ab omnibus Romano imperio subjectis. ¶ 2. Universim ponitur pro quovis damno, jactura, *danno, perdita, scapito*: qua tamen significatione occurrit tantum Ablativus sing. numeri. — Cum Genitivo rei. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (11). Multatio non nisi ovium boumque impendio dicebatur. *Quintil.* 6. 3. 35. Nimium risus pretium est, si probitatis impendio constat. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 25. (108). Impendio miserorum experiri commentaria. *a danno, a rischio*. — Absolute. *Curt.* 9. 4. 21. Regi suo, parvo impendio, immortalitatem famæ daturos. *Id.* 3. 11. 27. Triginta omnino ex peditibus desiderati sunt; tantulo impendio ingens victoria stetit. *Justin.* 31. 7. 6. Privato impendio munificentiæ regis responsurum. — *Impendium* et *jactura* differunt, quod omnis jactura impendium est, non contra. Nam potest esse impendium sine damno et amissione, ut quum fiunt sumptus in res utiles, vel alieno periculo. *Liv.* 7. 21. *ad fin.* Rem difficillimam tractatu, quam alia moderatione, tum impendio magis publico, quam jactura sustinuerunt. — Hinc

Impendiō vel *inpendio*, est Ablativus casus adverbii more usurpatus; quasi de re loquamur, quæ impendio constet: et significat impense, multo, *molto, assai*, πολύ, σφόδρα. — a) Sæpissime jungitur Comparativis. *Plaut. Aulul. prol.* 18. Illa vero minus minusque impendio curare. *Ter. Eun.* 3. 5. 39. Quia consimilem luserat jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi. *Cic.* 10. *Att.* 4. *a med.* At ille impendio nunc magis odit senatum. *Gell.* 18. 12. Nonne hoc impendio venustius gratiusque est, quam si diceret etc.? *Id.* 19. 13. Impendio probabilius. *Id.* 11. 18. Leges impendio acerbiores. — b) Extra comparationem cum Verbis jungitur. *Lævius* apud *Gell.* 19. 7. Impendio infit. *Apul.* 2. *Met.* Quum impendio excusarem, negavit veniam. *Id.* 10. *ibid.* Impendio suadere. *Id. de Mag.* Impendio commoveri.

Homonym. In quo impendium differat a *jactura*, V. sub II. 2.

IMPENDO *vel* inpendo, pendis, pendi, pensum, pendere, a. 3. (in *et* pendo). Part. *Impensus* in omnibus paragr. et in fin.; *Impensurus* I. et II.; *Impendendus* II. — Impendere est pecuniam in aliquam rem erogare; a *pendo*, quia olim ante cusos nummos æs pendere, non numerare mos fuit, ut in DEPENDO et EXPENDO dictum est, δαπανάω, ἀναλίσκω (It. *spendere, sborsare*; Fr. *dépenser à ou en, débourser pour, employer*; Hisp. *gastar, desembolsar*; Germ. *bei oder an etwas wägen oder aufwägen, aufwenden, verwenden*; Angl. *to lay out, expend*).

I.) Proprie. — a) Cum præpos. *in* et Accusativo rei, in quam pecunia impenditur. *Cic.* 6. *Verr.* 30. 68. Non erunt tam amentes, ut operam, curam, pecuniam impendant in eas res, quas vobis gratas fore non arbitrentur. *Plin.* 10. *Ep.* 46. In aquæductum Nicomedenses impenderunt HS. XXX. *Ulp. Dig.* 14. 1. 1. § 9. Quasi nummos in navem impensurus. — b) Cum præpos. *in* et Ablativo. *Paul. Dig.* 21. 1. 31. *extr.* In opsonio, aut in unguentis, aut cibariis familiæ pecuniam impendere — c) Cum Dativo. *Juvenal.* 12. 95. Tres habet heredes: libet exspectare, quis ægram Et claudentem oculos gallinam impendat amico Tam sterili. — d) Cum præpositione *pro* et Ablativo. *Sueton. Claud.* 9. HS. octogies pro introitu novi sacerdotii coactus impendere. — e) Absolute. *Cic.* 7. *Verr.* 19. 47. Ubi tandem istuc latet, quod tu de tua pecunia dicis impensum? *Id. Quinct.* 3. 12. Posteaquam nescio quid impendit et in commune contulit. *Id.* 5. *Verr.* 98. 227. Certus sumptus impenditur. — Et sine Accusativo. *Cic.* 5. *Verr.* 52. 121. Intelligebant, sese sibi et populo Romano, non Verri et Apronio, serere, impendere, laborare.

II.) Translate est insumere, ponere, conferre, *porre, impiegare, spendere*. — a) Cum præpos. *in* et Accusat. *Vellej.* 2. 89. Impensurus omne ævi sui spatium in id opus. *Quintil.* 3. 6. 21. Quamquam tota volumina in hanc disputationem impendisse

multos, sciam. *Cic.* 6. *Verr.* 30. 68. Operam, curam in aliquid impendere. *Ovid.* 13. *Met.* 266. At nihil impendit per tot Telamonius annos Sanguinis in socios. *Seneca Troad.* 198. Quis iste mos est? quando in inferias homo est Impensus homini? — *b*) Cum præpos. *in* et Ablat. *Cic.* 7. *Verr.* 20. 51. Quid censetis in hoc fœdere faciendo voluisse Mamertinos impendere laboris, operæ, pecuniæ, ne hæc biremis adscriberetur? — *c*) Cum Dativo. *Lucan.* 2. 569. ætas impensa labori. *Tac.* 12. *Ann.* 65. Impendere vitam usui alicujus. *Lucan.* 2. 382. vitam patriæ. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 63. vitamque impendere famæ. *Quintil. ep. ad Tryphon.* 1. biennium libris componendis. *Sueton. Aug.* 98. Capréarum secessui quatriduum impendit. *Quintil. procem. l.* 1. studia erudiendis juvenibus. *Id.* 12. 11. 19. omnia studiis. *Id.* 2. 4. 3. tantum laboris studiis. *Id.* 1. 1. 3. acrem curam spei futuri oratoris. *Stat.* 7. *Theb.* 215. Ast ego non proprio diros impendo dolori Œdipodionidas. *non sacrifico al mio dolore. Frontin.* 4. *Strateg.* 1. 33. Impendere aliquem exemplo. *h. e.* uti aliquo ad exemplum. — *d*) Cum præpos. *pro* et Ablat. *Petron. Satyr.* 1. Hæc vulnera pro libertate publica excepi: hunc oculum pro vobis impendi. — *e*) Cum Conjunctivo, aut Infinito. *Varro* 9. *L. L.* 19. *Müll.* Nihil impendunt, ut requirant. *Virg.* 3. *G.* 123. instant sub tempus, et omnes Impendunt curas denso distendere pingui, Quem legere ducem. — *f*) Absolute. *Val. Flacc.* 4. 581. impendere preces. *Grat. Cyneg.* 234. Impensus labor. *Justin.* 16. 3. *extr.* Bene agrorum suorum popolationem impensam existimantes, si, quos hostes habuerant, amicos reddidissent. — Animadversione dignum est illud *Senec. Herc. Œt.* 1590. nulla dominetur aula, Qui putet solum decus esse regni, Semper impensum tenuisse ferrum. *h. e.* occupatum, evaginatum, numquam otiosum, sicut pecunia otiosa non est, quæ impenditur. Nisi forte *impensum* sit pro *impendens*, ut apud *Lucret.* 6. 489., ab IMPENDEO, quam voc. V. — *Impendi* dicitur reus qui morti jam destinatus, e medio tollitur. *Tertull. Apolog.* 44. Itam injuriam civitatis nullus expendit, quum tot justi (*Christiani*) impendimur, quum tot innocentes erogamur. *Id. Spectac.* 19. Quum magis competat innocenti dolore, quod homo par ejus tam nocens factus est, ut tam crudeliter impendatur. Hinc *Manil.* 4. 407. Impendendus homo est, Deus esse ut possit in ipso. *h. e.* consumendus est in auro et gemmis effodiendis, in prædis vel navi, vel Marte quærendis ut scilicet Deus aureis ac utensilibus et opimis hostium spoliis honoretur. — Hinc Part. præter pass., cujus exempla et supra retulimus,

Impensus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Impensior* et Sup. *Impensissimus* II. — Impensus proprie est insumptus, *speso, sborsato*: sed latiori sensu occurrit pro magna copia insumptus, *speso abbondantemente*; hinc

I.) Proprie. *Impenso pretio emere* aut *venire* est permagno, *a caro prezzo. Cic.* 14. *Att.* 13. Scribis esse rumores me minusculam villam utique Quinto traditurum, vel impenso pretio, quo introducatur. Adde *Cæs.* 4. *B. G.* 2.; et *Liv.* 2. 9. — Absolute *Horat.* 2. *Sat.* 3. 245. Luscinias soliti impenso prandere coemptas.

II.) Translate sumitur *impensus* pro magno, vehementi, *molto grande, intenso. Cic. Sext.* 62. 130. In his rebus unus est solus inventus, qui ab hac tam impensa voluntate bonorum palam dissideret. Sic *Liv.* 35. 44. Impensa voluntas erga aliquem. *h. e.* magnum studium, favor, amor, propensa voluntas. *Fronto* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Mai.*) *ep.* 4. Divum Hadrianum avum tuum laudavi in senatu sæpenumero studio impenso et propenso quoque. *Lucret.* 5. 962. impensa libido. *Ovid.* 2. *Met.* 405. Arcadiæ tamen est impensior illi Cura suæ. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 31. Impensior cura. *Gell.* 9. 14. Impensa opera conquirere veteres libros. *h. e.* magna diligentia. *Sueton. Tib.* 13. Impensissimæ preces. *Val. Max.* 4. 3. *n.* 1. *extern.* Impensioribus verbis laudare. *Gell.* 20. 1. *a med.* Impensius damnum. *Plaut. Capt.* 4. 2. 26. Væ misero illi, cujus cibo iste factu' est impensior. *h. e.* magis fartus atque impletus (*V.* IMPENSA II. 2.), vel potius grandior, robustior, *più grosso e più grasso.* Al. leg. *imperiosior.* — Animadversione dignum est illud ejusdem *Plaut. Bacch.* 3. 2. 10. Ingrato homine nihil impensius est. *h. e.* impendiosius, seu quod carius constet, quia beneficia in ingratum collata, impensæ sunt et jacturæ. Alii aliter interpretantur. — *NB.* De *impensa stipe*, *V.* IMPENSA I. in fin. — Hinc

Impensa, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, subaudi *pecunia*: V. IMPENSA loco suo.

IMPĔNĒTRĀBĬLIS *vel* inpenetrabilis, e, adject. (in *privat.* et penetrabilis) qui penetrari non potest, *impenetrabile*, ἀδιάβατος.

I.) Proprie. *Liv.* 36. 25. Silex sæpe impenetrabilis ferro occurrebat. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 2. *ante med.* Crocodilis superior pars corporis dura et impenetrabilis est, etiam majorum animalium dentibus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 39. (95). Tergus hippopotami ad scuta galeasque impenetrabile, præterquam si humore madeat. *Id. ibid.* 36. 54. (127). Specus imbribus impenetrabiles. *Tac.* 3. *Ann.* 43. Cruppellarii accipiendis ictibus impenetrabiles. *Id.* 12. *ibid.* 35. Circumspectis, quæ impenetrabilia quæque pervia.

II.) Translate. *Sil. It.* 6. 413. patet impenetrabilis ille Luctibus et numquam summissus colla dolori. *Seneca præf.* 4. *Quæst. nat.* Impenetrabilis blanditiis. *inflessibile. Sil. It.* 7. 561. pacata fuissent. Ni consulta viro, mensque impenetrabilis iræ. *Tac.* 4. *Ann.* 12. Pudicitia Agrippinæ impenetrabilis. *inespugnabile.*

IMPĔNĔTRĀLE, cujus ultimum penetrale intrare non licet. *Paul. Diac. p.* 109. 9. *Müll.*

IMPENNĀTUS. *V.* PENNATUS.

IMPENSA *vel* inpensa, æ, f. 1. proprie est participium præter. pass. ab. *impendo*, gen. feminini, quod subauditur *pecunia*; et est expensa, sumptus, pecunia in rem aliquam insumpta, δαπάνη, ἀνάλωμα (It. *spesa, sborso*; Fr. *dépense, frais, déboursés*; Hisp. *gasto, costa*; Germ. *d. Aufwand, die Kosten*; Angl. *expense, charge, cost*).

I.) Proprie. — *a*) In sing. num. *Varro* 1. *R. R.* 2. 8. Nemo sanus debet velle impensam ac sumptum facere in culturam, si videt non posse refici. *impensa* hic est materies seu res, quæ in colendo impenditur: *sumptus* pecunia. Hoc sensu alia mox afferemus. *Cic.* 13. *Att.* 25. *a med.* Quoniam impensam fecimus in macrocola. *Id.* 6. *Phil.* 5. 19. Possessores nullam impensam fecerant. *Id.* 5. *Verr.* 21. 53. Arationes magna impensa, magno instrumento tueri. *Id.* 3. *ibid.* 56. 145. Omnes illæ columnæ nulla impensa dejectæ. *Id.* 2. *de republ.* 14. Quæ perdiscenda quæque observanda essent, multa (*Numa*) constituit, sed ea sine impensa. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 24. Reformidans impensam, quæ largior est in amplioribus juvencis. *Id.* 12. *ibid.* 57. Majorem impensam vitare. *Ovid. Heroid.* 7. 188. Instruis impensa nostra sepulcra brevi. *Sueton. Vesp.* 18. Impensa exigua. *Id. Claud.* 6. publica. *Id. Tib.* 7. Dedit et ludos impensa matris ac vitrici. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (42). Impensa sua construere aliquid. *Liv.* 35. 44. Nec impensæ, nec labori, nec periculo parsurum. — *b*) In plur. num. *Cic.* 2. *Off.* 17. 60. Atque etiam impensæ meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus omniaque, quæ ad usum reipublicæ pertinent. *Sueton. Tib.* 34. Impensæ ludorum ac munerum. *Id. Domit.* 12. operum ac munerum. *Id. Vitell.* 7. itineris. *Horat.* 1. *Ep.* 19. 37. Non ego ventosæ venor suffragia plebis Impensis cœnarum et tritæ munere vestis. *Colum.* 3. *R. R.* 3. 8. Amplissimas impensas vineæ poscunt. *Auct. B. Alex.* 50. Maximis impensis onerare provinciam. *Tac.* 4. *Hist.* 4. Facere modum impensis publicis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (63). Inde impensæ publicæ tolerentur. *Nepos Phoc.* 1. *extr.* Nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam. *a mie spese.* — *NB. Impensa* olim, teste *Paul. Diac. p.* 108. 16. *Müll.*, dicta est stipes, seu æs sacrum, quod nondum erat pensum, sed tantum in cella dei stipatum ac repositum. Verba *Pauli* sunt: *Impensam, stipem, æs sacrum, quod nondum erat pensum.* Alii primam distinctionis notam tollunt, eguntque *impensam stipem, æs sacrum*, etc. Quod sane rectius est: atque hac ratione *impensa* est adjectivum. *non pesata*, vel *non misurata*, seu quæ propter religionem aliquam non appendebatur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 8. *Met.* 63. melius sine cæde moraque, Impensaque sui poterit superare cruoris. *senza costo del suo sangue. Virg.* 11. *Æn.* 228. nihil omnibus actum Tantorum impensis operum: nil dona, neque aurum, Nec magnas valuisse preces. *Liv.* 37. 53. Rebus ipsis, meritisque et impensis officiorum patrem superare potui. ¶ 2. Specialim dicitur de iis rebus, quæ impenduntur in aliquid faciendum. Sic *impensam* vocat *Frontin. Aquæd.* 124. materiam reficiendis aquæductibus aptam, terram, lapides, ligna etc. — Similiter *impensæ* sunt ea, quæ impenduntur in farcimen faciendum condiendumque, *ingredienti*, apud *Arnob.* 7. 25. Farta confectionis jure multiplici atque impensarum varietate condita. *Apic.* 8. 7. Mittes impensam Tarentinam in vesicam bubulam. *et ibid.* Teres piperis unciam, mel, vinum: hac impensa porcellum imples. — *Impensa sacrificii* apud *Petron. Satyr.* 137. sunt res ad sacrificium necessariæ. — *Pallad.* 1. *R. R.* 13. *impensam puniceam*, et 1. *ibid.* 40. *testaceam* appellat pumicem, aut testam tusam et calce mixtam vel aceratam, quæ inducitur cameræ e canna, vel bipedis factæ, ut pervia non sit: quod hodieque in hujusmodi fornicibus fieri solet. Nostri structores appellant *grisólo.* ¶ 3. Denique *impensa* pro *arca* poni putat cl. *Mommsen.* in *Inscript.* apud *Henzen.* 7215. SEXTUS FADIUS SECVNDVS COLLEGIO FABRVM NARBONENSIVM..... SALVTEM. — SESTERTIA SEDECIM MILLIA NVMMVM V. K. MAIAS PRIMAS DIE NATALI MEO IMPENSAE VESTRAE INFERAM — PETO VT VSVRAS HVIVS SVMMAE EA DIE HONESTISSIMO HABITV INTER PRAESENTES ET EPVLANTES IN PERPETVVM DIVIDATIS, NEQVE EA SVMMA IN VLLVM ALIVM VSVM CONVERTETVR.

IMPENSĀTĬO *vel* inpensatio, ōnis, f. 3. (in *negat. et* pendo) translate pro inordinatione occurrit apud *Isid.* 4. *Orig.* 7. Paralysis dicta a corporis impensatione. *dallo squilibrio del corpo,* si tamen certa est lectio.

IMPENSĒ *vel* inpense, adverb. (impensus *ab* impendo). Comp. *Impensius* I. et II.; Sup. *Impensissime* I. — Impense est per multam impensam et sumptum, sumptuose, splendide, δαπανηρῶς (It. *con molta spesa*; Fr. *à grands frais, richement*; Hisp. *suntuosamente*; Germ. *mit Aufwand, theuer, kostspielig*; Angl. *at great charge or cost*).

I.) Proprie. *Pers.* 6. 68. nunc, nunc impensius unge, Unge, puer, caules. *Sueton. Domit.* 20. Bibliothecas incendio absumptas impensissime reparari curavit.

II.) Translate est multa opera, studiose, cupide, valde, multum, vehementer. — *a*) Sæpissime Verbis jungitur. *Ter. Adelph.* 5. 9. 36. Quæ vos propter adolescentiam minus videtis, magis impense cupitis. *Id. Eun.* 3. 1. 22. Illi invidere misere: verum unus tamen impense. *Cic.* 13. *Fam.* 64. Nunc eo facio id impensius, quod ejus causam Nero suscepit. *Liv.* 40. 35. *a med.* Milites in perniciosam, si quis impense retineret, seditionem exarsuri. *Id.* 4. 46. Impensius accendi certamina in castris. *Id.* 1. 40. Impensius crescere his dignitas, si etc. *Id.* 37. 56. Impensius gratias agere. *Virg.* 12. *Æn.* 20. tanto me impensius æquum est Consulere. *con più studio. Catull.* 72. 5. Impensius uror. *Ovid.* 6. *Met.* 314. Impensius venerari numina. *Id.* 7. *ibid.* 323. tum vero impensius instant. *Sueton. Claud.* 11.; et *Quintil.* 10. 5. 18. Impense petere. *istantemente. Gell.* 9. 4. Impensius laudare. *Id.* 9. 9. Impense demirari. — *b*) Interdum Adjectivis jungitur. *Plaut. Epid.* 4. 1. 39. Impense improbus. *Gell.* 13. 10. Homo impense doctus.

IMPENSĬBĬLIS *vel* inpensibilis, e, adject. (in *negat. et* pendo) qui satis expendi non potest, *che non si può considerare*, ἀνεξέταστος. *Gell.* 11. 5. Omniumque rerum fidem veritatemque, mixtis confusisque signis veri atque falsi, ita impensibilem videri ajunt, ut quisquis homo est etc. *Alii leg.* incomprehensibilem: *alii aliter.*

IMPENSĬO *vel* inpensio, ōnis, f. 3. (impendo) eadem atque impensa. *Pompej. Comment. art. Donat. p.* 361. Similiter *sumptus* si ab eo, quod est *sumor*, sumptus sit, participium est; si ab eo, quod est *sumptus*, hujus *sumptus*, erit nomen quartæ declinationis, quando impensionem significamus. *Gloss. Cyrill.* Δαπάνη, expensa, sumptus, impendium, impensio.

IMPENSUS *vel* inpensus, a, um. *V.* IMPENDO et IMPENSA.

IMPENSUS *vel* inpensus, us, m. 4. idem quod impensa, *spesa.* In sexto casu sing. *Symmach.* 1. *Ep.* 5. (*al.* 11.) Majore impensu. *Inscript.* apud

Arneth. Beschreibung p. 30. TEMPLUM VETVSTATE CONLAPSUM INPENSA SVO RESTITUIT.

IMPĔRĀBĬLĬTER. *V.* IMPERIABILITER.

IMPĔRANS *vel* inperans, antis. *V.* IMPERO.

IMPĔRĀTĬO *vel* inperatio, ōnis, *f.* 3. (impero) imperium, jussio. *Boeth.* 2. *Arithm.* 1. *p.* 1014. Hoc autem trinа rursus imperatione colligitur, eaque resolvendi ars.

IMPĔRĀTĪVĒ *vel* inperative, adverb. (imperativus) cum imperio, imperando. *Ulp. JCtus tit.* 24. *Regular.* § 1. Legatum est, quod legis modo, idest imperative, testamento relinquitur. *Priscian.* 18. p. 1139. *Putsch.* Similiter *veneratus sit* vel *esto*, – *secutus sit* vel *esto*, et per omnes sic personas, *secuti simus sitis sint*, imperativa dicta inveniuntur, quum sint præteriti temporis.

IMPĔRĀTĪVUS vel inperativus, a, um, adject. (impero) qui ad imperandum pertinet. *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. Imperativæ feriæ. *h. e.* feriæ quas prætores, aut consules pro arbitrio extra ordinem indicebant. *Salvian.* 2. *advers. avar.* 9. Sacerdotibus Salvator ipse in Euangelio non, ut ceteris, voluntarium, sed imperativum officium perfectionis indicit. — Imperativus modus in verbis, quo imperamus. *Charis.*, *Diomed.*, *Priscian.* etc.; item *Capell.* 3. *p.* 83. et 85.

IMPĔRĀTOR *vel* inperator, ōris, m. 3. *Ennius* et *Lucret.* pro *imperator* ἀρχαϊκῶς dixerunt *endoperator* et *induperator*, quas voces *V.* loco suo. — Imperator, qui Oscorum lingua *embrator* (*V.* infra sub I. 1. in fin.), a verbo *impero*, vel juxta *Döderlein. Latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 166. a Gr. παρὰν στρατόν, est is, cui commissa est belli administratio, ad quem rei militaris summa refertur, supremus belli dux (quamquam *Varro* 5. *L. L.* 87. *Müll.* scripsit, imperatorem dictum esse ab imperio populi, non militum: sed tamen addit: imperator ab imperio populi, qui eos, qui id attentassent, oppressit hostes) στρατηγός, ἡγεμών, αὐτοκράτωρ (It. *capitano generale*, *generale*, *imperatore*; Fr. *commandant*, *général*, *chef d'armée*; Hisp. *general de un exército*; Germ. *d. Befehshaber*, *Oberanführer*, *Feldherr*; Angl. *a commander*, *leader*, *general*, *the commander-in-chief of an army*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, stante Romana republica, qui bellum aliquod cum militari imperio administrabat, is erat et dicebatur veri nominis imperator. *Cic.* 1. *Orat.* 48. 210. Nam si forte quæreretur, quæ esset ars imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset imperator: qui quum esset constitutus administrator quidam belli gerendi, tum adjungeremus de exercitu, de castris *etc.*, de reliquis rebus, quæ essent propriæ belli administrandi: quarum qui essent animo et scientia compotes, eos esse imperatores dicerem, uterer que exemplis Africanorum et Maximorum; Epaminondam atque Hannibalem atque ejus generis homines nominarem. *Cæs.* 3. *B. C.* 51. Aliæ sunt legati partes, aliæ imperatoris: alter omnia agere ad præscriptum, alter libere ad summam rerum consulere debet. *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 62. Eosdem labores non æque esse graves imperatori et militi, quod ipse honos laborem leviorem faceret imperatorium. *Id. pro leg. Manil.* 10. 28. Ego sic existimo in summo imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. *Id.* 3. *Nat. D.* 6. 15. Consilium illud imperatorium fuit, quod Græci στρατήγημα appellant; sed eorum imperatorum, qui patriæ consulerent etc. *Id. pro leg. Manil.* 2. 5. Unum (*Pompejum*) ab omnibus sociis et civibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti, detulerunt. *Auct. B. Afr.* 4. Unus est Scipio imperator hoc tempore populi Romani. *Cic. Amic.* 12. 42. Quis clarior in Græcia Themistocle? qui quum imperator bello Persico servitute Græciam liberasset etc. *Id.* 1. *Invent.* 34. 58. Exercitus is, cui præpositus est sapiens et callidus imperator. *Id.* 2. *Orat.* 44. 187. Imperator bonus ac fortis. *Id. ibid.* 66. 268. egregie fortis et bonus. — Nomini tamquam titulus additus occurrit apud *Cic.* 5. *Fam.* 5. M. Cicero S. D. C. Antonio M. F. Imp. *Id. ibid.* 7. Cn. Pompejo Cn. F. Magno Imperatori. *Id. ibid.* 11. Vatinio Imp. S. — In nummis vero apud *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 193. C. Papius Mutilus, qui belli Samnitici dux fuit adversus Romanos, litteris Samniticis *embrator* dicitur. ¶ 2. Latiori sensu, alia fuit *imperatoris* appellatio, et quidem honoris tantum causa, quum scilicet quis belli dux, aliquod hostium millibus in acie cæsis, post victoriam, vel militum acclamatione in castris, vel senatus sententia in Urbe imperator vocabatur. *Cæs.* 2. *B. C.* 26. His rebus gestis Curio se in castra ad Bagradam recepit, atque universi exercitus acclamatione imperator appellatur. *Id.* 3. *ibid.* 7. Pompejus eo prælio imperator est appellatus. Hoc nomen obtinuit, atque ita se postea salutari passus est, sed neque in litteris, neque in fascibus insignia laureæ prætulit. *Liv.* 27. 19. *de Scipione Afric. seniore.* Sibi maximum nomen imperatoris esse dixit, quo se milites sui appellassent: regium nomen alibi magnum, Romæ intolerabilem esse. Cf. *Plin. Paneg.* 12. *de Trajano.* Vident enim R. ducem, unum ex illis veteribus et priscis, quibus imperatorium nomen addebant contecti cædibus campi et infecta victoriis maria. *Cic.* 14. *Phil.* 4. 11. Etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis? *et mox.* 5. 12. At si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quæ increbuit, imperatorem appellaret senatus? Adde *Inscript.* apud *Orell.* 542., 3417. et seq. — *Appian. B. Civ. l.* 2. *c.* 44. narrat, id antiquitus factitatum ob magnas res bello gestas; at sua quidem ætate, *h. e.* Hadriani Aug. ævo, nemini privato duci hunc honorem habitum fuisse, nisi cæsis hostium decem millibus. *Diodor.* tamen *Sic. l.* 36. *eclog.* 3. sex tantum hostium millibus cæsis idem fieri consuevisse, ait. Progressu vero temporis adeo evilescere cœpit is honor, ut, teste *Cæs.* 2. *B. C.* 25. et 26., C. Curio in bello civili Africano imperator salutatus fuerit cæsis tantummodo centum et viginti hostibus. Quin idem *Cæs.* 3. *B. C.* 31. refert, Q. Cæcilium Metellum Scipionem, Pompejanorum partium ducem, detrimentis quibusdam circa montem Amanum in Cilicia acceptis, sese imperatorem appellasse. Et *Dio l.* 37. *c.* 40. scribit, C. Antonium, Catilina victo occisoque, imperatorem esse dictum, quamquam cæsorum numerus minor esset constituto. V. et *loca cit. Cic.* in hoc paragr. Præterea olim non nisi semel bello uno imperator quispiam appellari potuit. Quare præter veterum consuetudinem fuit, ut Claudius Aug. uno bello aliquoties imperator diceretur. V. *Dion. l.* 60. *c.* 21. — At ex quo Augustus rerum omnium imperio potitus fuit, paucis tantum, iisque illustribus viris, ex victoria imperatoris titulus decretus est. Omnium vero postremum eo honore cumulatum fuisse a Tiberio Aug. ex victo Tacfarinate Junium Blæsum, narrat *Tac.* 3. *Ann.* 74.; ideoque fides abroganda est *Appiano*, qui loco supra cit. id moris adhuc obtinuisse Hadriano Aug. imperante, perperam affirmat, ut ex historicorum veterumque monumentorum auctoritate probat *Eckhel. D. N. V. T.* 8. p. 385.

II.) Translate. ¶ 1. Generaliter imperator ponitur pro eo, qui imperat, quocumque modo id fiat. *Plaut. Pœn. prol.* 4. Audire jubet vos imperator histricus. *il direttore dei commedianti. Lucret.* 5. 1226. vis venti – induperatorem classis super æquora verrit. *l'ammiraglio della flotta. Sall. Cat.* 6. Immutato more annua imperia, binos imperatores sibi fecere. *h. e.* consules. *Cic. fragm.* apud *Non.* p. 24. 22. *Merc.* Nolo enim, eumdem populum imperatorem et portitorem esse terrarum. *Id. Dom.* 33. 90. Ille, ille populus est dominus regum, victor atque imperator omnium gentium. Similiter *Sall. Jug.* 1. Dux et imperator vitæ mortalium animus est. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (11). *de medicis.* Ut quisque inter istos loquendo polleat, imperatorem illico vitæ nostræ necisque fieri. — *NB. Imperatores* et *imperantes* vocabant medici ægrotos suos, a quibus pecunia conducebantur, ut quandocumque opus foret, præsto essent. Aliquot in hanc rem exempla congerit *Pareus* in *Lex. Crit.* ex *Pandect.* et *Senec.*, quæ tamen non usque adeo certa sunt, ut eodem modo ab interpretibus et legantur et explicentur. *V.* IMPERIUM. ¶ 2. Specialim imperatoris nomen Jovi tribuitur a *Cic.* 6. *Verr.* 58. 129. Jovem autem imperatorem quanto honore in suo templo fuisse arbitramini? Adde *eumd. ibid.* paullo post; et *V.* URIUS; et *Annal. dell' Instit. archeol. T.* 11. *p.* 62. et *T.* 14. p. 203. – 210., et *Bullettin. archeol. ann.* 1840. p. 60. et 120. ¶ 3. Item, postquam resp. Romana in monarchiam versa est, peculiaris successit hujus nominis appellatio; institutum enim est, ut perpetuum imperatoris nomen summo principi Romani imperii assignaretur. Id a C. Julio Cæsare originem traxit, quem *Sueton. Cæs.* 76. tradit, prænomen id perpetuum a senatu accepisse. V. et *Dion. l.* 43. *c.* 44. In quo immutata est veterum consuetudo. Nam quum apud veteres imperatoris nomen ceteris postponeretur, ut *M. Tullius Cicero Imperator*, Cæsar id tamquam prænomen usurpabat, hoc pacto, *Imperator C. Julius Cæsar*; ut in *Inscript.* apud *Orell.* 596. IMP. CAESARI DIVI IVLI F. Adde alias apud *eumd.* 597., 600., 602. etc. A Julio autem hæc imperatoris appellatio ad successores derivata est. Hinc apud sequioris ævi scriptores *imperator* hoc sensu absolute occurrit, ut apud *Sueton. Galb.* 6. Velut præsagium insequentis casus, quo medius inter utriusque filios exstitit imperator. *Id. Claud.* 13. Denunciato ad novum imperatorem itinere. Adde *eumd. ibid.* 29., *Galb.* 3. et 20., et *Vitell.* 3. — Nec tamen omnino sub Cæsaribus sublata fuit vetus consuetudo, de qua egimus sub I. 2. Quippe sub his quoque, qui res præclare gessissent, imperatores salutabantur: *V.* sub I. 2. in fin. At Cæsares deinceps ex victoriarum numero, quas ipsi suo ductu, vel per legatos suis auspiciis retulissent, ejus appellationis numerum augere soliti fuerunt, ut constat ex marmoribus et nummis, in quibus Augusti IMP. ITERVM, III., IV., V. et sic deinceps nuncupantur, ut in *Inscript.* apud *Gruter.* 226. 7. IMP. CAESARI DIVI F. AVGVSTO PONT. MAX. IMP. $\overline{\text{XIIII}}$ etc. ¶ 4. Item specialim, *imperator* etiam dictus est, qui victor in ludo latrunculorum fuisset. *Vopisc. Procul.* 13. Quum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies imperator exisset, quidam non ignobilis scurra, *Ave*, inquit, *Auguste*; allataque lana purpurea, humeris ejus ingessit, eumque adoravit. *V.* CALCULUS.

IMPĔRĀTŌRĬĒ *vel* inperatorie, adverb. (imperatorius) ut imperatorem, hoc est supremum belli ducem decet. *Trebell. Claud.* 6. Dum se ad id bellum imperatorie instruit.

IMPĔRĀTŌRĬUS *vel* inperatorius, a, um, adject. ad imperatorem pertinens, αὐτοκρατορικός. ¶ 1. Est ad imperatorem pertinens, qua supremum belli ducem significat. *Cic.* 2. *Tusc.* 26. 62. Eosdem labores non æque esse graves imperatori et militi, quod ipse honos laborem leviorem faceret imperatorium. *Id.* 3. *Verr.* 21. 57. Quæ signa atque ornamenta ex urbe hostium virtute capta, belli lege atque imperatorio jure sustulit. *Cæs.* 3. *B. C.* 51. Imperatorias partes sibi sumere. *Cic.* 11. *Fam.* 4. Imperatorium nomen. *Vellej.* 2. 125. appellatio. *Cic.* 3. *Nat. D.* 6. 15. consilium. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 2. laus. *Quintil.* 7. 10. 13. virtus. *Id.* 2. 17. 34. ars. *Cic.* 3. *Orat.* 3. 10. manubiæ. *Nepos Iphicr.* 3. Fuit et animo magno et corpore, imperatoriaque forma. — Huc pertinet et illud *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 5. (22). Imperatoria navis. *la capitana.* ¶ 2. Item ad imperatorem pertinens, qua summum Romani imperii principem significat. *Sueton. Domit.* 10. Imperatoria genesis. *h. e.* quæ imperatorium fastigium pollicetur. *Id. Vesp.* 24. Imperatoria munera. *Id. Cal.* 42. onera. *Spartian. Hadrian.* 14. insignia.

IMPĔRĀTRIX *vel* inperatrix, īcis, f. 3. (imperator) quæ imperat, *imperatrice. Cic. Cœl.* 28. 67. *de Clodia.* Deinde fortes viros ab imperatrice in insidiis atque in præsidio balnearum locatos. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 3. 8. (16). Imperatrix Italia.

IMPĔRĀTUS *vel* inperatus, a, um. *V.* IMPERO.

IMPĔRĀTUS *vel* inperatus, us, m. 4. (impero) idem quod imperatum, imperium. *Inscript.* apud *Fea, Viagg. ad Ostia* p. 13. THIASVS ACILII GLABRIONIS (*servus*) IMPERATV ARAM FECIT DOMINAE. Hic *Acilius Glabrio* videtur esse, qui consul fuit cum Trajano Aug. an. XCI. a Chr. n. *Ammian.* 31. 7. Imperatu Gratiani.

IMPERCEPTUS *vel* inperceptus, a, um, adject. (in *negat.* et perceptus). Comp. *Imperceptior.* — Imperceptus est non perceptus, *non capito o inteso*, ἀκατάληπτος. *Ovid.* 9. *Met.* 710. Imperceptа pia mendacia fraude latebant. *Gell.* 14. 1. *a med.* Minora majoribus imperceptiora sunt.

IMPERCĪTUS. *V.* IMPERDITUS.

IMPERCO *vel* inperco *vel etiam* imparco, is, ere, n. 3. (in et parco) idem quod parco. *Plaut. Amph.*

1. 3. 2. Imperce, quæso: meoses jam tibi esse actos vides. *abbiti riguardo*. *Id. Cas.* 4. 4. 11. Amabo, integræ atque impe:itæ huic imperelto. *Est qui leg.* imparce.

IMPERCUSSUS *vel* inpercussus, a, um, adject. (in *negat. et* percussus) non percussus. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 52. Atque impercussos nocte movere pedes. *h. e.* non offendentes ac strepitum non cientes. *Cf. eumd.* 3. *Art. am.* 112.

IMPERDĪTUS *vel* inperditus, a, um, adject. (in *negat. et* perditus) non perditus, *non mandato a male*. *Virg.* 10. *Æn.* 430. Et vos, o Grajis imperdita corpora, Teucri. *h. e.* quos Graji non occiderunt. *Sil. It.* 9. 161. ego Sidoniis imperditus. *Alii leg.* impercitus. *Stat.* 3. *Theb.* 84. imperdita Tydeo pectora.

IMPERFECTĒ *vel* inperfecte, adverb. (imperfectus) non perfecte, *imperfettamente*. *Gell.* 2. 8. Imperfecte atque præpostere syllogismo uti.

IMPERFECTĪO *vel* inperfectio, ōnis, f. 3. (imperfectus) defectus, *imperfezione*, ἀτέλεια. *Augustin.* 1. *de Genesi ad litt.* 4. Formam Verbi semper Patri cohærentis non imitatur imperfectio.

IMPERFECTUS *vel* inperfectus, a, um, adject. (in *negat. et* perfectus). Comp. *Imperfectior*. — Imperfectus est nondum absolutus, non perfectus, *imperfetto*, ἀτελής. *Cic. Tim.* 4. Sunt omnia in quædam genera partita aut inchoata nulla ex parte perfecte: imperfecto autem, nec absoluto simile pulchrum esse nihil potest. *Ovid.* 1. *Met.* 427. quædam (*animalia*) imperfecta suisque Trunca vident numeris. *Id.* 3. *ibid.* 310. Imperfectus adhuc infans genetricis ab alvo Eripitur. *Virg.* 8. *Æn.* 428. pars imperfecta manebat. *Cæs.* 6. *B. G.* 35. Imperfectus pons. *Juvenal.* 3. 232. Plurimus hic æger moritur vigilando: sed illum Languorem peperit cibus imperfectus et hærens Ardenti stomacho. *mal digerito*. *Sueton. Cæs.* 26. imperfecto adhuc bello. *Auct. B. G.* 8. *procem.* Qui Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit. Sic *Sueton. Gramm.* 12. imperfectum librum reliquit. *Id. Tib.* 47. Imperfecta opera reliquit. *Quintil.* 3. 1. 7. Quæ rudia atque imperfecta adhuc erant. *Gell.* 1. 7. Insuavius hoc imperfectiusque est. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 25.; et *Stat.* 10. *Theb.* 734. imperfecta loqui. *Quintil.* 11. 3. 121. Obambulare sermone imperfecto. *Lucret.* 3. 971. Imperfecta vita. *Stat.* 11. *Theb.* 582. imperfecta mors. h. e. cæcitas. — *Imperfecti numeri* sunt, in quorum partibus minus quam in ipsis est, ut docet *Capell.* 7. *p.* 247., ubi *V.* plura hac de re. — Transfertur ad animum. *Seneca Tranquill.* 11. Ad imperfectos et mediocres et male sanos hic meus sermo pertinet, non ad sapientem. *Est qui rectius leg.* imperitos.

IMPERFOSSUS *vel* inperfossus, a, um, adject. (in *negat. et* perfossus) non perfossus, ἄτρητος. *Ovid.* 12. *Met.* 495. manet imperfossus ab omni Inque cruentatus Ceneus Elateius ictu.

IMPERFUNDĪES *vel* inperfundies, ēi, f. 5. (in *privat. et* perfundo) illuvies, squalor, qui numquam perfusa aqua abstergetur. *Lucilius* apud *Non.* p. 126. 2. *Merc.* Hic cruciatur fame, frigore, illuvie, imbalnitie, imperfundie, incuria. *Al. leg.* improfundie, *minus recte*.

IMPĔRĬĀBĬLĬTER *vel* inperiabiliter, adverb. (imperium) nimis imperiose et dure. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 181. *Putsch.*, ubi alii rectius legunt *imperabiliter*.

IMPĔRĬĀLIS *vel* inperialis, e, adject. ad imperium et imperatorem, qua summum Romani imperii principem, pertinens. *Ulp. Dig.* 12. 3. *a med.* Imperialis statuta. *Cod. Theod.* 3. 12. 2. Imperiale præceptum. *Capitolin. M. Aurel.* 17. Imperialia ornamenta. *Aurel. Vict. Epit.* 2. *de Tiberio.* Imperialis molestiæ magnitudinem declinare. *Ammian.* 21. 16. Imperiale culmen. *Capitolin. Pertin.* 13. Imperium et omnia imperialia sic horruit, ut etc.

IMPĔRĬĀLĬTER *vel* inperialiter, adverb. pro munere imperii, seu imperatoria, qui scil. summus Romani imperii princeps erat. *Imp. Justinian. Cod.* 6. 51. 1. *sub fin.* Nostrum esse proprium subjectorum commodum, imperialiter existimantes.

IMPĔRĬŌSĒ *vel* inperiose, adverb. (imperiosus). Comp. *Imperiosius*. — Imperiose est severe, imperiosi domini more, cum ostentatione imperii, *imperiosamente, severamente*, ἐπιτακτικῶς. *Varro* apud *Non. p.* 207. 20. *Marc.* Metium Fufetium propter perfidiam interemit pœna imperiosius, quam humanius. *Gell.* 2. 29. Non severe, non imperiose præcipit.

IMPĔRĬŌSUS *vel* inperiosus, a, um, adject. (imperium). In marmor. Capitol. apud *Gruter.* 291. et 297. *col.* 1. *imperiossus* scriptum est: sic *verrucossus* legitur *ead. pag. col.* 2. — Comp. *Imperiosior* et Sup. *Imperiosissimus* 1. et 2. — Imperiosus est imperandi potens, late imperans (It. *chi sa o può comandare, potente, dominatore*; Fr. *qui commande, qui domine, puissant*; Hisp. *el que tiene dominio, dominador, poderoso*; Germ. *gebietend, herrschend, voll Macht, mächtig waltend*; Angl. *possessed of command or dominion, powerful*). Occurrit ¶ 1. Generatim et in bonam partem. *Cic.* 1. *de republ.* 2. Urbes magnas et imperiosas, ut appellat Ennius, viculis et castellis præferendas puto. *Augustin.* 15. *Civ. D.* 19. Virgilius (*cf.* 1. *Æn.* 287.) imperiosissimam civitatem domum appellat Assaraci. *Cic. Orat.* 34. 120. Cognoscat rerum gestarum et memoriæ veteris ordinem: maxime scilicet nostræ civitatis, sed et imperiosorum populorum et regum illustrium. *Fronto ad Ver. Imp.* 1. *ante med.* (edente iterum *A. Maio*) *p.* 177. Antoninus erat cum imperio obsequens, tu autem, Luci, cum obsequio eras præ amore imperiosus. *Liv.* 7. 40. Eodem tenore duo insequentes consulatus gessi: eodem hæc imperiosa dictatura geretur. *Ovid.* 5. *Trist.* 6. 32. Virga imperiosa, *h. e.* fasces magistratuum. Sic *Val. Max.* 2. 7. 7. imperiosissimi XII. fasces. h. e. consulares. *Claudian. Fescenn.* 2. Parthis sagittas tendere certior, Eques Gelonis imperiosior. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 83. Quisnam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus. *h. e.* qui sibi imperare novit. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (62). Non quivit temperare sibi in eo, quamquam imperiosus sui inter initia principatus. *Id.* 30. *ibid.* 1. 1. (1). Imperiosissimæ humanæ mentis artes. *h. e.* religio, astrologia, medicina, quæ in homines magnum exercent imperium. *Quintil.* 6. 3. 8. Risus habet vim nescio an imperiosissimam, et cui repugnari minime potest. ¶ 2. Specialim et in malam partem est qui imperio nimis utitur, qui impotenter, dure, severe imperat, superbus, arrogans, *imperioso, superbo, severo*. *Cic.* 5. *Parad.* 3. 40. Cupiditas honoris quam dura est domina, quam imperiosa, quam vehemens! *Id.* 2. *Fin.* 32. 105. Nimis imperiosi philosophi est, vetare meminisse. *Liv.* 9. 34. *a med.* Familia imperiosissima et superbissima. *Quintil.* 1. 1. 8. Pædagogi velut jure quodam potestatis imperiosi atque interim sævientes. *Seneca* 3. *Benef.* 28. *sub fin.* Imperiosus atque impotens. *Id. præf.* 4. *Quæst. nat.* Imperiosi nobis ipsis et molesti sumus. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 110. Imperiosa Proserpina. *Id.* 1. *Od.* 14. 8. Imperiosius æquor. *h. e.* violentius. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (23). Imperiosa inedia. — Hinc *Imperioso* cognomen fuit Manlio Torquato dictatori tum ob acerbitatem in delectu habendo, tum ob sævitiam, qua filium T. Manlium ab Urbe rus relegaverat, quod infacundior esset et lingua impromptus. Ita *Liv.* 7. 3. et 4.; et *Seneca* 3. *Benef.* 37. Sed et ipse Titus filius, qui consul filium suum T. Manilum, quod extra ordinem contra edictum pugnasset, securi percussit, idem cognomen habuit, ut est apud *Cic.* 2. *Fin.* 19. 60.; *Plin.* 22. *Hist. nat.* 5. 5. (9).; et *Liv.* 4. 29. Hinc *Manliana imperia* proverbio dicta de tristibus, severis ac sævis. *Liv. ibid.* et 8. 7. *extr.*

IMPĔRĪTĒ *vel* inperite, adverb. (*imperitus*). Comp. *Imperitius* et Sup. *Imperitissime*. — Imperite est indocte, *ignorantemente, imperitamente*, ἀπείρως. *Cic.* 2. *de republ.* 15. Falsum est enim id totum, neque solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum. *Id.* 2. *Phil.* 32. 81. Hoc imperite. *supple* factum. *Quintil.* 2. 15. 24. Imperite excerpta. Rursus *Cic. Brut.* 47. 175. Dicebat Scipio non imperite. *Id. Balb.* 8. 20. Quid potuit dici imperitius? *Id. ibid.* 11. 27. Illud est imperitissime dictum.

IMPĔRĪTĬA *vel* inperitia, æ, f. 1. (imperitus) inscitia, *imperitia, ignoranza*, ἀπειρία. — *a*) In sing. num. *Sall. Jug.* 38. At Jugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, subdolus ejus augere amentiam. *Id. ibid.* 85. Quæ ad hoc tempus Jugurtham tutata sunt, omnia removistis, avaritiam, imperitiam, superbiam. *Id. ibid.* 99 Plurimum Marius imperitia hostium confirmatus. *Tac.* 13. *Ann.* 36. Pugnam imperitia poscere. *Id. ibid.* 42. Studiis inertibus et juvenum imperitiæ suetus. *Quintil.* 6. 1. 37. Imperitia et rusticitas afferunt interim frigus. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (21). Contra circium serere, imperitia existimator. *Gell. præf. circa med.* Homines a turpi agrestique rerum ac verborum imperitia vindicare. — *b*) In plur. num. *In lemmate c.* 17. *l.* 7. *ejusd. Gell.* Grammaticus insolentiarum et imperitiarum planus.

IMPĔRĪTO *vel* inperito, as, āvi, ātum, are, n. et a. 1. *intens. ab* impero. Part. *Imperitans*. — Imperitare ab *impero* est ejusdem fere significationis atque usus, h. e. præcipere, jubere; et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Capt.* 2. 1. 47. Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 47. æquam rem imperito. — *b*) Sæpissime cum Dativo. *Lucret.* 3. 1041. magnis qui (*reges*) gentibus imperitarunt. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 4. Olim qui magnis legionibus imperitarint. *Id.* 2. *ibid.* 7. 81. Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser. *Tibull.* 2. 3. 31. At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido Imperitat. *Horat.* 1. *Od.* 15. 25. sive opus est imperitare equis, Non auriga piger. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 21. (17). Galli gallinacei imperitant suo generi, et regnum, in quacumque sunt domo, exercent. Sic *Virg.* 12. *Æn.* 718. mussantque juvencæ, Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur. *Plin. Paneg.* 82. Si his validior toto corpore animus imperitet. *Sall. Jug.* 76. Naturam ipsam ceteris imperitantem industria vicerat. — Et impersonaliter *Liv.* 21. 1. Quod superbe avareque crederent imperitatum victis esse. — *c*) Absolute. *Liv.* 1. 17. Decem imperitabant. *Id.* 1. 2. Cære, opulento tum oppido, imperitans. *Sall. Jug.* 79. Qua tempestate Carthaginienses pleraque Africa imperitabant. *Tac.* 4. *Hist.* 61. Veleda, virgo nationis Bructeræ, late imperitabat. *Id.* 3. *ibid.* 7. Minucius Justus, præfectus castrorum legionis septimæ, quia adductius quam civili bello imperitabat etc. *Sall. Jug.* 81. Eamdem illos causam belli cum Boccho habere, libidinem imperitandi. — Et impersonaliter *Tac.* 4. *Ann.* 4. Quod mihi quoque exsequendum reor, quanto sit angustius imperitatum.

IMPĔRĪTUS *vel* inperitus, a, um, adject. (in *privat. et* peritus). Comp. *Imperitior* et Sup. *Imperitissimus*. — Imperitus est non peritus, ignarus, inscitus, ἄπειρος, ἀδαήμων (It. *imperito, ignorante*; Fr. *inexpérimenté, ignorant, étranger à*; Hisp. *inexperto, ignorante*; Germ. *unerfahren, unkundig, unwissend, unbewandert worin*; Angl. *unskilful, unlearned, unexperienced, rude*). Occurrit — *a*) Sæpe cum Genitivo. *Cic.* 5. *de republ.* 3. Summi juris peritissimus, civilis non imperitus. *Id. Balb.* 20. 47. Imperitus fœderis, rudis exemplorum, ignarus belli. *Id.* 3. *Orat.* 44. 175. Imperitus dicendi ignarusque. *Id. Rosc. Am.* 49. 143. Homo imperitus morum, agricola et rusticus. *Cæs.* 4. *B. G.* 2. Homines barbari et nostræ consuetudinis imperiti. *Id.* 1. *ibid.* 44. Non se tam barbarum, neque tam imperitum esse rerum, ut non sciret etc. *Nepos Epam.* 7. Dux imperitus belli. *Quintil.* 1. 10. 19. Imperitus lyræ. *Sueton. Aug.* 89. Poematum quoque non imperitus, delectabatur etiam comœdia veteri. — *b*) Raro cum præpos. *in* et Ablativo. *Vitruv.* 1. 1. *a med.* Nec in ceteris doctrinis singulariter excellens, sed in his non imperitus. *Quintil.* 12. 3. 5. In festinationibus faciendis imperitum esse. *Id.* 1. 4. 27. In verbis adeo imperitus. — *c*) Sæpissime absolute. — De hominibus. *Ter. Adelph.* 1. 2. 18. Homine imperito nihil quidquam injustius: qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat. *Cic. Flacc.* 7. 16. Imperiti homines, rerum omnium rudes ignarique. *Id. Rosc. com.* 7. 21. Probus improbum, perjurum castus, callidum imperitus fraudasse dicitur. *Id. Partit. orat.* 26. 92. Apud indoctos imperitosque dicere. *Id.* 2. *de republ.* 10. Quum imperiti sæpe ad credendum impellerentur. *Id. Rosc. Am.* 46. 135. Ne quis imperitior existimet, causam nobilitatis voluisse lædere. *Id. Amic.* 25. 95. Contio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare solet, quid etc. *Sall. Jug.* 49. Uti prudentes cum imperitis manus consererent. *Quintil.* 1. 10. 45. Etiam imperitu patet. *Id.* 8. 2. 22. Sermo et doctis probabilis et planus imperitis. *Id.* 1. 10. 28. Imperitiores quidem. *Plin.* 29. *Hist nat.* 1. 8. (17). Imperiti experlesque linguæ. — De rebus.

Plaut. Trin. 3. 2. 39. Imperitum ingenium. *Quintil.* 9. 4. 114. Poema imperito quodam initio fusum.

IMPERĬUM *vel* inperium, ii, n. 2. (impero) jussum, præceptum, auctoritas, quam habent dominus in servos, pater in filios, maritus in uxorem, et hujusmodi, ἐπίταγμα (It. *comandamento, comando, precetto, autorità*; Fr. *commandement, ordre, prescription, autorité*; Hisp. *mandamiento, precepto, mandato, autoridad*; Germ. *das Gebot, der Befehl, die Verfügung, Vorschrift, Verordnung, das Recht zu gebieten, die Herrschaft, d. Befugniss oder Macht zum Verfügen und Anordnen*; Angl. *command, authority, power, controul*). Itaque *imperium* duo præcipue significat, scilicet *A*) Id quod imperatur, jussum, præceptum; et *B*) Imperandi jus, potestatem, auctoritatem.

A) Imperium est id, quod imperatur, jussum, præceptum; quo sensu occurrit sæpe apud veteres. *Plaut. Amph.* 3. 3. 1. Amphitruo, adsum: si quid opus est, impera: imperium exsequar. Adde *eumd. Men.* 5. 6. 16.; et *Ter. Heaut.* 4. 1. 22. Rursus *Plaut. Amph.* 2. 1. 75. Non soleo ego somniculose heri imperia persequi. *Id. Bacch.* 3. 3. 55. Obsequentem et obedientem esse imperiis patris. *Id. Trin.* 2. 2. 21. Tuis servivi imperiis et præceptis, pater. *Id. Asin.* 1. 2. 21. Tuo facit jussu, tuo imperio paret: mater tu, eadem hera es. *Id. Capt.* 2. 2. 56. Imperio obsequi. *Id. Men.* 5. 7. 1. Ut imperium meum sapienter habeatis curæ, quæ imperavi atque impero. *Id. Pseud.* 4. 7. 1. Malus et nequam est homo, qui nihili imperium heri sui servus facit. *Id. Asin.* 2. 4. 10. Tu, verbero, imperium meum contempsisti? *Cæs.* 5. *B. G.* 7. Nihil hunc se absente pro sano facturum arbitratus, qui præsentis imperium neglexisset. *Id.* 2. *ibid.* 22. Neque ab uno omnia imperia administrari poterant. *Virg.* 5. *Æn.* 726. Imperio Jovis huc venio. *Id. ibid.* 747. Et Jovis imperium et cari præcepta parentis Edocet. *Quintil.* 1. 3. 6. Quidam (*pueri*) imperia indignantur. *Plin.* 8. *Hist.* 1. 1. (1). Elephanti inest imperiorum obedientia. — Etiam medicorum præscripta *imperia* vocantur, *ordini. Plin. Paneg.* 22. Ægri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui prorepere. *V.* IMPERO.

B) Imperium est jus imperandi, potestas, auctoritas, *comando, podestà, autorità*: quo sensu a nonnullis translate accipitur.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim de quorumque imperandi jure, de quacumque potestate et auctoritate. — Cum addita præpos. in et Accus. personæ, in quam imperium habetur et exercetur. *Plaut. Men.* 5. 7. 41. Jubeo hercle, si quid imperii est in te mihi. *Id. Pers.* 3. 1. 15. Meum imperium in te, non in me tibi est. Cf. *Ter. Eun.* 3. 1. 25. Eone es ferox, quia habes imperium in belluas? *Cic. Senect.* 11. 37. Appius et senex et cæcus tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos. *Horat.* 3. *Od.* 1. 6. Reges in ipsos imperium est Jovis. — Sine additis. *Plaut. Aulul.* 4. 1. 13. Imperium herile ediscere. *Id. Trin.* 2. 2. 19. Imperium capessere. *h. e.* perficere. *Liv.* 25. 9. accipere. Rursus *Plaut. Cas.* 2. 6. 57. Imperium exhibere. *h. e.* exercere. Et eodem sensu *Id. Bacch.* 3. 3. 44. inhibere. *Ter. Phorm.* 2. 1. 2. Imperium alicujus revereri. *Id. Heaut.* 2. 2. 4. Esse sub imperio matris. *sott' obbedienza*. *Id. Phorm.* 1. 4. 18. ANT. Sta ilico. GE. Hem, satis pro imperio! quisquis es. *h. e.* satis imperiose. *Cic. Cæcin.* 18. 52. Denique imperium domesticum nullum erit, si servulis hoc nostris concesserimus, ut ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi possit, obtemperent. *Horat.* 3. *Od.* 4. 48. Qui (*Juppiter*) terram inertem, qui mare temperat, — Divosque mortalesque turbas Imperio regit unus æquo. *Virg.* 6. *Æn.* 463. Sed me jussa deûm — Imperiis egere suis. *Ovid.* 7. *Met.* 373. Phyllius illic Imperio pueri volucresque ferumque leonem Tradiderat domitos. ¶ 2. Speciatim dicitur sæpe de publica potestate et auctoritate et administratione magistratuum civilium, *comando, governo*. *Ennius* apud *Festum p.* 298. 34. *Müll.* Tarquinio dedit imperium simul et sola regni. *Cic.* 1. *de republ.* 13. Ipse Numa res de suo imperio curiatam legem tulit. *Id. ibid.* 33. Cur enim regem appellem Jovis optimi nomine hominem dominandi cupidum, aut imperii singularis? *che in se solo riunisca tutti i poteri, monarca assoluto, despota.* Sic *Id.* 2. *ibid.* 9. Imperium singulare et potestas regia. *Id.* 2. *Verr.* 13. 37. Erit tum consul Hortensius cum summo imperio et potestate. *Id.* 2. *Fin.* 20. 66. App. Claudius, qui tum erat summo in imperio. *h. e.* in decemviratu. *Al. melius leg.* summo imperio. *Forcellinus* addit illud ejusd. *Cic. Harusp. resp.* 17. 37. Sacrificium, quod fit in ea domo, quæ est in imperio. *h. e.* in domo pontificis maximi, vel consulis, vel prætoris. *Id.* 1. *de republ.* 40. Gravioribus bellis etiam sine collega omne imperium nostri penes singulos esse voluerunt, quorum ipsum nomen (*h. e.* dictatoris) vim suæ potestatis indicat. *Id. Pis.* 16. 38. Ex Macedonia aliquot prætorio imperio, consulari quidem nemo rediit, qui non triumpharit. *Vellej.* 2. 125. Imperio obtinere provinciam. *governare. Cæs.* 1. *B. C.* 5. Itaque quinque primis diebus et de imperio Cæsaris et de amplissimis viris, tribunis plebis, gravissime decernitur. *Cic.* 11. *Phil.* 10. 25. Privato viro imperium extra ordinem dare. *Id.* 1. *de republ.* 17. Quod imperium, qui magistratus, quod regnum potest esse præstantius, quam etc. *Id.* 2. *ibid.* 12. Nec committeretur, ut quisquam inveterata potestate aut ad deponendum imperium tardior esset, aut ad obtinendum munitior. — Et in plur. num. *Cic.* 1. *Off.* 20. 68. Nec vero imperia expetenda, ac potius aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam. *h. e.* magistratus. *Id.* 3. *Fam.* 7. *a med.* Ita cepi et gessi maxima imperia, ut mihi nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendam putarem. Adde *eumd.* 1. *de republ.* 31. et *Amic.* 17. 63.; quæ loca sequenti paragr. afferuntur. — Similiter *Cic. Fontej.* 1. 2. Qui (*Galli*) multo ejus (*Fontejí*) sudore ac labore sub populi Romani imperium ditionemque ceciderunt. *Cæs.* 5. *B. G.* 29. Ardere Galliam, tot contumeliis acceptis sub populi Romani imperium redactam. *Cic. pro leg. Manil.* 12. 35. Totam ad imperium populi Romani Ciliciam adjunxit. *Id. Amic.* 8. 28. Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum est, Pyrrho et Hannibale. *Id.* 1. *Off.* 12. 38. Cum Celtiberis, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur. *Id.* 2. *de republ.* 5. Ut mihi jam tum divinasse ille (*Romulus*) videatur, hanc — urbem sedem aliquando et domum summo esse imperio præbituram. Et in plur. num. *Cæs.* 1. *B. G.* 17. Quod præstare dicant, si jam principatum Galliæ obtinere non possint, Gallorum quam Romanorum imperia perferre. *Id.* 2. *ibid.* 1. Qui mobilitate ac levitate animi novis imperiis studebant. *Justin.* 3. 2. 7. Populum in obsequia principum, principes ad justitiam imperiorum formavit. *Cæs.* 3. *B. C.* 32. Erat plena lictorum et imperiorum provincia, differta præceptis atque exactoribus. Item *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Quod ipse suæ civitatis imperium obtenturus esset. *Id.* 7. *ibid.* 64. Horum principibus pecuniam, civitati autem imperium totius provinciæ pollicetur. *Id.* 1. *ibid.* 2. Totius Galliæ imperio potiri. ¶ 3. Item speciatim de imperio militari. *Plaut. Amph.* 1. 1. 36. Vi et virtute militum victam atque expugnatum oppidum est, imperio atque auspicio Amphitruonis maxime. *Id. ibid. v.* 41. Ut gesserit rem publicam ductu, imperio, auspicio suo. *Sall. orat. L. Philippi in fin.* Quare ita censeo: quoniam Lepidus exercitum privato consilio paratum cum pessumis et hostibus reipublicæ contra hujus ordinis auctoritatem ad urbem ducit, ut Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule et ceteris, quibus imperium est, urbi præsidio sint. *Cæs.* 7. *B. G.* 63. Re impetrata contendunt, ut ipsis summa imperii tradatur. Sic *Nepos Datam.* 3.; et *Sueton. Ner.* 3. Summam imperii tradere alicui. *il generale comando.* et *Nepos Agesil.* 2. Summum imperium inter præfectos habere. *Cic.* 1. *Fam.* 1. Tres legatos decernit ex iis, qui cum imperio sunt. *Paul. Diac. p.* 50. 2. *Müll.* Cum imperio esse dicebatur apud antiquos, cui nominatim a populo dabatur imperium (De militari imperio loquitur). *Nepos Datam.* 3. Pari eum atque illos imperio esse jussit. *Sueton. Cæs.* 25. Novem annis, quibus in imperio fuit. *Id. ibid.* 76. Trium legionum curam et imperium Rufioni demandarit. *Id. Tib.* 30. Quibus imperium prorogari, aut extraordinaria bella mandari placeret. *Id. ibid.* 12. Nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam. *con impiego militare o civile.* — Et in plur. num. *Cic.* 1. *de republ.* 31. Cives ferunt suffragia, mandant imperia, magistratus; ambiuntur, rogantur. *le cariche militari e civili.* Sic *Id. Amic.* 17. 63. Ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiæ non anteponant? Adde *Sueton. Cæs.* 54. et *Aug.* 61.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. sub *B. Cic. Senect.* 15. 51. Agricolæ habent rationem cum terra, quæ numquam recusat imperium. *V.* IMPERO. — Similiter de animo *Id.* 1. *de republ.* 38. Illud vide, si in animis hominum regale imperium sit, unius fore dominatum, consilii scilicet: consilio autem dominante nullum esse libidinibus locum. *Id.* 4. *Verr.* 32. 77. Sit in ejus exercitu signifer, qui imperium judiciorum tenere vult. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 2. sub *B.*, seu potius abstractum pro concreto, uti ajunt, imperium sumitur pro dominio, ditione, republica, regno, *impero, stato. Cic. Amic.* 3. 11. Qui (*Scipio*), duabus urbibus eversis inimicissimis huic imperio, non modo præsentia, verum etiam futura bella delevit. *Id.* 6. *de republ.* 16. Jam ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, pœniteret. *Id. Prov. cons.* 12. 29. Eum victoriæ cupiditas, finium imperii nostri propagatio retinet. Sic *Id.* 3. *de republ.* 12. Qui (*Alexander*) in Asia fines imperii propagavit. *Virg.* 1. *Æn.* 291. Imperium Oceano, famam qui terminet astris. *Horat.* 4. *Od.* 15. 14. per quas (*artes*) imperi Porrecta majestas ad ortus Solis ab Hesperio cubili. *Id.* 3. *ibid.* 5. 4. adjectis Britannis Imperio gravibusque Persis. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 2. 26. et 37. 8. *Tac.* 1. *Hist.* 16. Immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore non potest. *Sueton. Aug.* 48. Reges socii, membra partesque imperii. *Id. ibid.* 101. Breviarium totius imperii. *Id. ibid.* 28. Rationarium imperii. ¶ 3. Item abstractum pro concreto, *imperia* pro *imperatoribus*, ut *servitia* pro *servis*, occurrunt et sunt imperatores, qua belli duces significant. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 9. Imperia, potestates, legationes quum senatus creverit populusve jusserit, ex urbe exeunto. *Cæs.* 1. *B. C.* 31. Nacti vacuas ab imperiis Sardiniam et Siciliam. *Val. Max.* 1. 1. *n.* 9. Quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire. ¶ 4. Item cessante republica apud sequioris ævi scriptores imperium est Romani imperii administratio, imperatorum munus. *Sueton. Tib.* 24. Tandem quasi coactus recepit imperium, nec tamen aliter, quam ut depositurum se quandoque spem faceret. Adde *eumd. ibid.* 55. et 67., *Cal.* 12., 16. et 24. et alibi sæpe.

IMPERJŪRĀTUS *vel* inperjuratus, a, um, adject. (In *negat.* et *perjuratus*). *Ovid. Ib.* 78. Quique per infernas horrendo murmure valles Imperjuratæ laberis amnis aquæ. De Styge loquitur, Dii cujus jurare timent et fallere numen, ut ait *Virg.* 6. *Æn.* 325.

IMPERMEĀBĬLIS *vel* inpermeabilis, e, adject. (in *negat.* et *permeabilis*) non permeabilis. *Jornand. Get.* 1. Resistente silva, et ventorum spiramine quiescente, impermeabiles Oceani fines esse sentiuntur.

IMPERMISSUS *vel* inpermissus, a, um, adject. (in *negat.* et *permissus*) non permissus, illicitus, *non permesso, illecito. Horat.* 3. *Od.* 6. 27. Cui donet impermissa raptim Gaudia.

IMPERMIXTUS *vel* inpermixtus, a, um, adject. duo diversa significat, prout est

A) Ab in privativa et *permixtus*, et est non permixtus, *non mescolato. Lucilius* apud *Non. p.* 212. 3. *Merc.* Impermixtum lymphorum.

B) Ab *in* intensiva et *permixtus*, qui est permixtus. *Boeth.* 5. *pros.* 3. *a med.* Sicut enim scientia ipsa impermixta est falsitati. *Id. de rhet.* 8. (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 322). Species sibimet impermixtæ sunt. et 9. Quot controversiæ, tot causæ: et licet sex unum contineat negotium, causæ tamen impermixtæ sibi variantur.

IMPERMŪTĀBĬLIS *vel* inpermutabilis, e, (in *negat.* et *permutabilis*) idem atque immutabilis; vox est ex pugnantibus conflata: *V.* IMPERTERRITUS. *Auct. fragm.* quod *Censorino tribuitur* 1. Stoici introduxerunt naturam providam ac sapientem, quam ordo impermutabilis ostenderet.

IMPERMŪTĀTUS *vel* inpermutatus, a, um, adject. (in *negat.* et *permutatus*) non permutatus. *Boeth.* in *Aristot. Categ.* 2. *p.* 142. Quare proprium substantiæ ita esse putabitur contrariorum susceptibile, ut ipsa permutata contraria suscipiat, non ut,

re mutata, ipsa impermutata immutabilisque permaneat.

IMPĔRO vel inpero, as, āvi, ātum, are, 1. *Imperassit* ἀρχαϊκῶς pro *imperaverit* occurrit in veteri formula apud *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. — Part. *Imperans* I. 3.; *Imperatus* I. 1. *a.* et 2.; *Imperaturus* I. 1. *d.*; *Imperandus* I. 5. — Imperare est præcipere, mandare, jubere, præscribere, ab *in* et *paro*, ut proprie sit, *ut alter paret*, *mando*, inquit *Voss.* in *Etymol.*: hinc *Cic. Rosc. Am.* 21. 59. Nonnunquam etiam puerum vocaret; credo, cui cœnam imperaret. *h. e.* parari juberet. ἐπιτάττω (It. *comandare, imporre, ordinare*; Fr. *commander, donner un ordre, ordonner, enjoindre, prescrire*; Hisp. *mandar, ordenar*; Germ. *etwas auferlegen, anbefehlen, gebieten, vorschreiben*; Angl. *to command, enjoin, order*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accusativo rei. *Plaut. Stich.* 1. 1. 53. Faciendum id nobis, quod parentes imperant. *Id. Pœn.* 5. 3. 29. Fac quod imperat. *Ter. Hecyr.* 2. 2. 2. Ut te cogam, quæ ego imperem, facere. *Id. Eun.* 2. 1. 7. Num quid aliud imperas? *Id. Heaut.* 4. 3. 26. Bonam atque justam rem oppido imperas et factu facilem. *Id. Eun.* 3. 5. 46. Sto exspectans, si quid mihi imperent. *Quintil.* 7. 1. 14. Imperat ei nuptias. *Id.* 11. 3. 26. Si militare iter fascemque et vigilias imperes. *Id.* 11. 2. 27. Nec certum imperaverim modum. *Id.* 10. 3. 9. Moram et sollicitudinem initiis impero. Huc pertinet et *Cic. fragm* apud *Non. p.* 424. 30. *Merc.* Graves dominæ cogitationum libidines infinita quædam cogunt atque imperant. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 51. Imperet hoc natura potens. — Passiva. *Cæs.* 2. *B. G.* 32. Quæ imperarentur, facere dixerunt. *Sall. orat. Philippi contra Lepid. ad fin.* Ex lubidine leges imperantur. *h. e.* feruntur, promulgantur, imponuntur. *Quintil.* 3. 7. 6. Imperata pensa. *Sueton. Tib.* 43. Imperatæ schemæ. Et in re militari *Liv.* 40. 34. Nulla unquam arma, nisi imperata a populo R. sumere. — *b*) Cum Infinito. — Cum Infinito act. *Ter. Andr.* 5. 2. 4. Animo otioso esse impero. *voglio, che tu sia etc. Id. Eun.* 2. 2. 21. Imperavi egomet mihi omnia assentari. *mi sono proposto, ho stabilito. Ovid.* 2. *Met.* 118. Jungere equos Titan velocibus imperat Horis. *Id.* 3. *ibid.* 4. Quum pater ignarus Cadmo perquirere raptam Imperat. — Cum Infinito neutr. *Lucret.* 5. 671. Nec minus in certo dentes cadere imperat ætas Tempore. — Cum Infinito pass. *Virg.* 7. *Æn.* 168. Ille intra tecta vocari Imperat. *Cæs.* 5. *B. G.* 1. Has omnes actuarias imperat fieri. *Sueton. Cal.* 25. Liviam ad se deduci imperavit. — Passive. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 21. Hæc ego procurare et idoneus imperor et non invitus. — *c*) Raro sequente Relativo. *Ter. Andr.* 3. 2. 10. Imperabat coram, quid opus facto esset puerperæ. *Id. Phorm.* 1. 4. 46. Quin tu, quod faciam, impera. Sic *Plaut. Curc.* 1. 1. 3. PA. Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras? PH. Quo Venus Cupidoque imperat suadetque amor, – ast eundum, quo imperant. Adde *eumd. Capt.* 2. 3. 10. — *d*) Cum Conjunctivo et part. *ut*, *ne*, vel sine ulla part. — Cum part. *ut* apud *Plaut. Men.* 5. 2. 87. Ecce Apollo mihi ex oraculo imperat, ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. His, uti conquirerent et reducerent, imperavit. In *vet. S. C.* apud *Frontin. Aquæd.* 104. Quibus negotium a senatu est imperatum, ut inspicerent aquas publicas. *Curt.* 10. 1. 19. Mesopotamiæ prætoribus imperavit, ingentium carinas navium ponere; septiremes omnes esse deducique Babylonem: Cypriorum regibus imperatum, ut æs stuppamque et vela præberent. *Petron. Satyr.* 1. Imperant filiis, ut patrum suorum capita præcidant. — Cum part. *ne*. *Ter. Eun.* 3. 5. 30. Mihi, ne abscedam, imperat. *Cæs.* 1. *B. G.* 46. Cæsar suis imperavit, ne quod omnino telum in hostes rejicerent. *Id.* 2. *ibid.* 32. Se finitimis imperaturum, ne quam dediticiis populi Romani injuriam inferrent. — Sine ulla part. *Ovid.* 13. *Met.* 659. alantque, Imperat, Argolicam cælesti munere classem. *Id.* 1. *ibid.* 670. letoque det, imperat, Argum. — *e*) Absolute. *Ter. Eun.* 2. 3. 97. PA. Jubesne? CH. Jubeo, cogo atque impero. *V.* infra sub 3. *Plaut. Amph.* 3. 3. 1. Amphitruo, adsum: si quid opus est, impera: imperium exsequar. *Id. Aulul.* 2. 1. 23. Tua est, utere atque impera, si quid vis. *Ter. Heaut.* 5. 5. 11. Pater, omnia faciam: impera. *Id. Andr.* 5. 3. 26. Quidvis oneris impone, impera. ¶ 2. Speciatim in re publica *imperare naves, pecuniam, obsides* etc. est jubere parari atque exhiberi, *imporre*, quæ significatio maxime respondet etymo vocis sub init. allato. *Cic. Divinat. in Q. Cæcil.* 10. 30. Queritur Sicilia tota, C. Verrem ab aratoribus quum frumentum sibi in cellam imperavisset, et quum esset tritici modius sestertiis duobus, pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisse. *Id. Pis.* 37. 90. Mitto rationem exacti imperatique frumenti. *Id. Flacc.* 14. 33. Negas fratrem meum pecuniam ullam in remiges imperasse. *Cæs.* 3. *B. C.* 32. Acerbissime imperatæ pecuniæ tota provincia exigebantur. Cf. *Nepos Att.* 3. Dum privatis pecunias per epistolas imperaret. *Cic.* 4. *Verr.* 55. Imperare denarios trecentos singulis ad statuam prætoris. *Sall. Jug.* 62. argenti pondo ducenta millia Jugurthæ. Cf. *Plaut. Epid.* 2. 2. 43. tributum. *Nepos Con.* 4. maritimis civitatibus naves longas. *Cæs.* 1. *B. C.* 6. arma. *Id.* 6. *B. G.* 4. equites civitatibus. *Id.* 7. *ibid.* 64.; *Cic. pro leg. Manil.* 12. 35.; et *Sueton. Cæs.* 25. obsides. ¶ 3. Item speciatim cum Dativo, vel absolute in re publica et militari *imperare* dicuntur magistratus civiles et militares, et qui quocumque modo populis ac nationibus dominantur. Hinc ex *Terentii* loco supra sub 1. *f.* allato recte colligit *Donatus*, plus esse *imperare*, quam *jubere*. Est enim maxime proprium magistratuum tum civilium, tum præcipue militarium, ἄρχω, ἡγεμονεύω. — *a*) De civilibus magistratibus. *Cic.* 3. *Legg.* 2. 5. Neque solum his (*magistratibus*) præscribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus: nam et qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est; et qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. *Id.* 1. *de republ.* 34. Virtute gubernante rempublicam quid potest esse præclarius? quum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati. — *b*) De imperio militari. *Nepos Datam.* 5. Si quid, illo imperante, adversi accidisset. *h. e.* habente eo imperium exercitus. — *c*) Generatim de iis, qui quocumque modo populis ac nationibus dominantur. *Cic.* 1. *de republ.* 40. Sic noster populus in pace et domi imperat, et ipsis magistratibus minatur, recusat, appellat, provocat; in bello sic paret, ut regi etc. *Id.* 3. *ibid.* 18. Nulla est tam stulta civitas, quæ non injuste imperare malit, quam servire juste. *Nepos Con.* 3. Civitas, quæ ceteris gentibus imperare consuevit. Rursus *Cic. pro leg. Manil.* 19. 56. Itaque una lex, unus vir effecit, ut aliquando vere videremur omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare. *Cæs.* 1. *B. G.* 36. Jus esse belli, ut, qui vicissent, iis, quos vicissent, quemadmodum vellent imperarent. *Sall. Jug.* 13. Jugurtha urbes partim vi, alias voluntate imperio suo adjungit, omni Numidiæ imperare parat. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 4. 4. (9). Etiamnum Medis imperantibus. *Horat. carm. sæc.* 51. Clarus Anchisæ Venerisque sanguis Imperet. Cf. *eumd.* 3. *ibid.* 6. 5. Dis te minorem quod geris, imperas. et *Seneca Phœniss.* 584. durum geris Sævumque in iras pectus et nondum imperas. *h. e.* rex es. — *d*) Speciatim *imperare* absolute ac præcipue dicuntur, qui imperium populi Romani arripuerant, ac proinde etiam imperatores sunt appellati. *Plin. Paneg.* 5. Recusabat enim imperare. *h. e.* imperator esse. *Sueton. Galb.* 4. Imperaturum eum, verum in senecta. Adde eumd. *Claud.* 3., *Oth.* 4. et alibi. *Vict. Epit.* 12. *de Nerva.* Conditio imperantium. *Tac.* 16. *Ann.* 28. Imperantis lenitas. *Al. leg.* imperitantis. *Trebell. Gallien.* 16. Gallienus natus abdomini et voluptatibus, orbem terrarum triginta prope tyrannis vastari fecit; ita ut etiam mulieres illo melius imperarent. *Lactant.* 1. 21. Quod est nuper Hadriano imperante sublatum. *V.* IMPERATOR II. 3. — *e*) Hinc *ad imperandum* olim erat ad parendum, ad imperata faciendum. *Cic.* 9. *Fam.* 25. Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius: sic enim antiqui loquebantur. *Sall. Jug.* 62. Quum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur. *h. e.* ut illi imperaretur. Cf. *Fronto de oration.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 1. *a med.* Ubi verborum præsidiis opus sit, non voluntariis tantum, quæ ultro obvenerint, utemur, sed latentia eliciemus, atque ad imperandum indagabimus. ¶ 4. Item speciatim in re publica *imperare exercitum* est Quirites convocare ad comitia. *Varro* 6. *L. L.* 88. *Müll.* Qui exercitum imperaturus erit, accenso dicit hoc: *Calpurni, voca inlicium omnes Quirites huc ad me.* – Dein consul eloquitur ad exercitum: *Impero qua convenit ad comitia centuriata.* Jocatur autem *Plaut.* ubi ait in *Capt.* 1. 2. 49. ERG. Huic illud dolet, quia nunc remissus est edendi exercitus. HEG. Nullumne interea nactus, qui posset tibi remissum, quem dixti, imperare exercitum? V. *Gronov. l.* 1. *observation. c.* 1., ubi multa in hanc rem. ¶ 5. Item *imperare* dicuntur et medici præcipientes, quæ ad curationem pertinent. *Seneca* 1. *Ira* 16. Si intrassem valetudinarium exercitatus et sciens, aut domum divitis, non idem imperassem omnibus per diversa ægrotantibus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 1. 1. (5) *de medicis.* Paremus externis, et una artium imperatoribus quoque imperat. *Harduin.* et *Sillig.* leg. *imperaverunt.* Sic *Cels.* 7. 20. Si vires patiuntur, imperanda tridui abstinentia est. ¶ 6. Denique *imperandi declinatus* apud Grammaticos est declinatio imperativi modi. *Varro* 10. *L. L.* 32. *Müll.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim refertur ad animum, et pro continere, moderari ponitur. — *a*) Cum Dativo personæ. *Plaut. Most.* 3. 1. 14. Si huic imperabo, probe tectum habebo. *se giungerò a dominarlo, a reggerlo. Ter. Adelph.* 1. 1. 49. Hoc patrium est, potius consuescere filium, sua sponte recte facere, quam alieno metu. – Hoc qui nequit, fateatur nescire imperare liberis. *regolare, ammaestrare, reggere. Cic.* 2. *Tusc.* 21. 47. Quum igitur præcipitur, ut nobismetipsis imperemus, hoc præcipitur, ut ratio coerceat temeritatem –: hæc (*virtus*) ut imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id videndum est viro. *Seneca Ep.* 113. *sub fin.* Imperare sibi, maximum imperium est. — *b*) Cum Dativo motuum animi. *Cic. Amic.* 22. 82. Quum homines cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt, imperabunt. *Ovid.* 9. *Met.* 28. accensæ non fortiter imperat iræ. *Plin.* 8. *Ep.* 19. Imperare dolori, ut scriberem, potui. *Sil. It.* 2. 652. Imperare lacrimis. *Petron. Satyr.* 63. amori suo. *Seneca præf.* 1. *Controv. circa med.* Nemo plus ingenio suo imperavit: nemo plus indulsit. *Liv.* 31. 31. Imperare animo nequivi, quin priusquam perirem, cur periturus essem, scirem. *Seneca Thyest.* 919. menti non satis imperare. *h. e.* extra se esse, insanire. — *c*) Absolute. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 63. animum rege, qui, nisi paret, imperat. Cf. *Quintil* 7. 4. 24. Eloquentia hic regnat, hic imperat, hic sola vincit. ¶ 2. Speciatim *imperare agris* est eos impense colere, et quasi cogere, ut fructum reddant. *Virg.* 1. *G.* 99. Exercetque frequens tellurem atque imperat arvis. Ubi *Servius*: id est, ut tantum ferant, quantum ipse desiderat. Alii, ne liberius ferant, quæ volunt, sed quod fuerit satum, reddant. *Tac. Germ.* 26. Sola terræ seges imperatur. — Significat etiam nimiam curam impendere. *Seneca Tranquill.* 15. Ut fertilibus agris non est imperandum; cito enim exhauriet illos non intermissa fecunditas: ita animorum impetus assiduus labor frangit. *Colum.* 3. *R. R.* 3. 6. Sic imperant vitibus et eas multis palmitibus onerant, ut posteritati non consulant. — Et metaphorâ hinc ductâ *Seneca Tranquill.* 4. Alius patrimonio suo plus imperavit, quam ferre possit. *Id. Ep.* 29. *ad fin.* Numquam volui populo placere: nam quæ ego scio, non probat populus; quæ probat populus, ego nescio. Quis hoc, inquis? Tamquam nescias, cui imperem. Epicurus. *scil.* quem excolam, et fructum ab eo, velut agro, exigam, nempe præcepta sapientiæ. *Plin.* 5. *Ep.* 19. Dum per continuos dies nimis imperat voci, cursus sanguinem reddidit. — Hinc a Part. præter. pass. *Imperatus*, *a*, *um*, cujus exempla supra retulimus,

Impĕrātum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est jussum, præceptum. *Cæs.* 6. *B. G.* 3. Senones ad imperatum non venire. *h. e.* ad constitutam diem, ut imperatum fuerat. *Id.* 5. *ibid.* 36. Jussus arma abjicere, imperatum facit. *eseguisce il comando.* Solemne est illud *imperata facere*, de iis, qui se dedunt et imperanti se subjiciunt. *Id.* 2. *ibid.* 3. Paratos esse et obsides dare et imperata facere et oppidis recipere et frumento ceterisque rebus juvare. *Id.* 5. *ibid.* 20. Pollicentur sese ei dedituros et imperata facturos. *Id.* 3. *B. C.* 81. Nulla fuit civitas, quin Cæsari pareret et imperata faceret. *Nepos Eumen.* 9. *de militib. duci parentib.* Si velint imperata facere, quod ante non fecerint, se rem expediturum. Similiter *Plin.* 10. *Hist. nat.* 42. 57. (116). Minimæ avium carduelis imperata faciunt, nec voce tantum, sed pedibus et ore pro manibus. Ceterum

Sueton. Cæs. 54. Quamquam nec imperata detrectarent, et advenienti portas patefacerent.

IMPERPĔTŬUS *vel* inperpetuus, a, um, adject. (in *negat. et* perpetuus) qui perpetuus non est. *Seneca Ep.* 72. *a med.* Cui quid abscedere potest, id imperpetuum est.

IMPERSCRŪTĀBĬLIS *vel* inperscrutabilis, e, adject. (in *negat.* et perscrutabilis) qui inquiri non potest, *imperscrutabile. Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 11. *a med.* Sicut et ipse Pater imperscrutabilis est.

IMPERSŌNĀLIS vel inpersonalis, *e*, adject. (in *negat. et* personalis) qui personis caret, et dicitur de verbis quibusdam, quæ impersonalia dicuntur a Grammaticis, quia in tertiis tantum personis usurpantur. *Diomed.* 1., *Charis.* 2. et 3., *Priscian.* 8. *etc.*; item *Capell.* 3. *p.* 83. et 84. — Similiter *impersonalis modus* verborum memoratur a *Capell.* 3. *p.* 83. at *Diomed.* 1. *p.* 323. *Putsch.*

IMPERSŌNĀLĬTER *vel* inpersonaliter, adverb. (impersonalis) sine personis. *Florentin. Dig.* 45. 3. 15. Sive mihi, sive sibi, sive conservo suo, sive impersonaliter dari servus meus stipuletur, mihi acquiret. *h. e.* non pronunciata persona. — Apud Grammaticos verbum impersonaliter construi dicitur, quum in tertiis tantum personis usurpatur. *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 1. 102. *Fletur.* Hic pæne impersonaliter: fletur ab omnibus.

IMPERSŌNĀTĪVUS *vel* inpersonativus, i, m. 2. (in *negat. et* persona). Impersonativus dicitur a nonnullis Grammaticis infinitivus verborum modus, quia personis caret. *Diomed.* 1. *p.* 331. *Putsch.*

IMPERSPĪCĀBĬLIS *vel* inperspicabilis, e, adject. (in *negat. et* perspicio) qui inspici nequit. *Cassiod. de anim.* 3. Ad illam imperspicabilem majestatem mens humana non penetrat.

IMPERSPĬCŬUS *vel* inperspicuus, a, um, adject. (in *negat. et* perspicuus) obscurus, *non chiaro. Plin.* 1. *Ep.* 20. *extr.* Non minus imperspicua judicum ingenia.

IMPERTERRĬTUS, a, um, adject. (in *negat. et* perterritus) vox est ex pugnantibus conflata, ut notat *Quintil.* 1. 5. 65. Nam in negat, *per* auget. Est autem qui nulla re terretur, *che non ha paura*, ἀνέκπληκτος, ἄφοβος. *Virg.* 10. *Æn.* 770. manet imperterritus ille. *Sil. It.* 14. 187. quin contra intentior ipse Invigilat cautis, frontem imperterritus, armis.

IMPERTĪLIS vel inpertilis, e, adject. (in *negat. et* pars) sine parte, individuus. *Augustin.* 6. *de Mus. c. ult.* Impertilis nota.

IMPERTĬNENS *vel* inpertinens, entis, adject. (in *negat. et* pertinens) ille, ad quem aliquid non pertinet. *Capell.* 1. *p.* 15. Item alii cælites ac deorum omnium populus absque impertinentibus (*diis*) convocandi sunt. *h. e.* qui vocandi non erant, ut Discordia et Seditio, quæ ad sacras nuptias corrogandæ non fuerant; nam *Id. ibid. p.* 16. Discordiam vero ac Seditionem quis ad sacras nuptias corrogavit, præsertim quum ipsæ Philologiæ semper fuerint inimicæ?

IMPERTĬO *vel* inpertio et impartio, is, ivi *vel* ii, itum, ire, a. 4. (in et partio). Occurrit etiam deponentis forma *impertiri* vel *impartiri* apud *Ter. Adelph.* 3. 2. 22. (*V.* infra sub II. in fin.); et a nonnullis legitur apud *Cic. Arch.* 5. 10. (sub I. *b.*). — *Impertibant* pro *impertiebant* legitur apud *Fronton. de fer. Als.* 3., si salva est lectio. — Part. *Impertiens* I.; *Impertitus* et *Impertiendus* I. et II.; *Impertiturus* II. — Impertire est partem dare, communicare, præbere, tribuere, μεταδίδωμι (It. *fare partecipe, dare, far parte*; Fr. *communiquer, faire part de, partager avec, donner*; Hisp. *partir, repartir, distribuir, dar*: Germ. *etwas zutheilen, zukommen lassen, gewähren, mittheilen*; Angl. *to impart, make partaker of, give part to another, communicate, bestow*).

I.) Proprie occurrit cum Accusativo rei, — a) Et Ablativo personæ cum præpos. *cum. Ennius* apud *Gell.* 12. 4. quocum bene sæpe libenter Mensam sermonesque suos rerumque suarum Comiter impertit. Cl. *Vahlen.* leg. Congeriem partit. — b) Sæpissime cum Dativo personæ aut rei. — Cum Dativo personæ. *Cic. Amic.* 19. 70. Si quam præstantiam virtutis, ingenii, fortunæ consecuti sunt, impertiant ea suis communicentque cum proximis. *Id. Sull.* 3. 9. Oneris mei partem nemini impertio, gloriæ bonis omnibus. *Id.* 2. *Orat.* 4. 16. Te exorabo, ut mihi quoque et Catulo tuæ suavitatis aliquid impertias. *Id.* 2. *de republ.* 28. Imperti etiam populo potestatis aliquid. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 37. 27. *Merc.* Quoniam, ut hoc tempus est, nihil habeo, patriæ quod impertiam. *Id.* 5. *Fam.* 2. *a med.* Si aliquid impertivit tibi sui consilii. *ti ha comunicato. Id. Arch.* 5. 10. Multis gratuito civitatem in Græcia homines impertiebant. *Forcellinus* ex Codicibb. malæ notæ *impertiebantur* leg. *Id.* 4. *Verr.* 21. 51. Tu Syracusanos unum diem festum Marcellis impertire noluisti. *che impiegassero un giorno festivo in onore dei Marcelli. Id.* 2. *Att.* 23. Dolorem suum impertire alicui. *comunicare. Id. fragm.* apud *Non.* 37. 25. *Merc.* Impertire molestias senectutis suæ aliam familiis. *Id.* 2. *Att.* 12. *extr.* Terentia impertit tibi multam salutem. *ti saluta. Id.* 2. *Off.* 15. 54. Indigentibus de re familiari impertire. *Id. Rosc. Am.* 4. 11. Te quæso, ut qualem te jam antea populo Romano præbuisti, talem te et nobis hoc tempore impertias. *ti dia, ti mostri.* — Cum Dativo rei. *Cic.* 9. *Att.* 11. A. 3. A te peto, ut aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi. *Id. Balb.* 1. 3. Impertire tantum temporis huic studio. *Tac.* 14. *Ann.* 21. aures studiis honestis. *applicare. Cic.* 5. *Fin.* 2. 6. aliquid suorum studiorum philosophiæ quoque. *Id. Mur.* 4. 8. Meum laborem hominum periculis sublevandis impertio. *impiego parte delle mie fatiche* etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 10. 27. Ignis ceteris naturis omnibus salutarem impertit et vitalem calorem. — c) Cum Accus. et præpos. *ad. Cic.* 3. *Att.* 15. *ad fin.* Nihil impertisti tuæ prudentiæ ad salutem meam. — d) Passive. *Cic.* 3. *Cat.* 6. 4. Viro forti collegæ meo laus impertitur. *Id.* 2. *Att.* 18. Huic signa benevolentiæ permulta a bonis impertiuntur. *Liv.* 21. 41. *a med.* Veniam dedimus precantibus, emisimus ex obsidione etc. Pro his impertitis oppugnatum patriam nostram veniunt. *h. e.* pro his beneficiis collatis. — e) Absolute, hoc est sine additis. *Lucilius* apud *Non.* p. 37. 22. *Merc.* Quibus potest, impertit. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 67. si quid novisti rectius istis, Candidus imperti: si non, his utere mecum. *Cf. Sueton. Aug.* 10. Ne publicum quidem jus ulla in re sibi sine pactione gravissimæ mercedis impertienta.

II.) Translate *impertire aliquem aliqua re* est alicujus rei participem facere, seu participare. *Plaut. Epid.* 1. 2. 23. Stratippoclem salva impertit salute Epidicus. Sic *Ter. Eun.* 2. 2. 40. Plurima salute Parmenonem summum suum impertit Gnatho. et *Plaut. Pseud.* 1. 5. 40. Herum salutu primum, ut æquum est: postea, si quid supersit, vicinos impertio. *Id. Stich.* 2. 1. 27. Obsecret, se ut nuntio hoc impertiam. *gli dia parte, gli faccia sapere. Sueton. Ner.* 37. Neque adveniens, neque proficiscens quemquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem. *Id. Aug.* 25. Numquam donis impertiendus putavit. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 68. Non hic suo seminio quamquam poculum impertiturus est. — Passive. *Sueton. Claud.* 4. Reliquit eum nullo, præter auguralis sacerdotii, honore impertitum. *Nepos Att.* 1. Omnibus doctrinis, quibus ætas puerilis impertiri debet, filium erudivit. *dee impiegarsi.* — Deponentis forma. *Ter. Adelph.* 3. 2. 22. Sed cesso heram hoc malo impertiri propere? *dar parte, far sapere alla padrona questa disgrazia.*

IMPERTĬOR vel inpertior, iris, etc. *V.* voc. præced. init.

IMPERTĪTĬO *vel* inpertitio, ōnis, f. 3. actus impertiendi. *Arnob.* 2. 3. Honoris impertitione viduari. *Impp. Theodos. et Valentin. Novell. constit.* 22. § 3. Lex naturæ vitium dignitatis impertitione soletur. Hæc *Novell.* pertinet ad ann. post Chr. n. CCCCXLIII.

IMPERTĪTĪVUS vel inpertitivus. *V.* IMPARTITIVUS.

IMPERTĪTUS *vel* inpertitus, a, um. *V.* IMPERTIO.

IMPERTURBĀBĬLIS *vel* inperturbabilis, e, adject. (in *negat. et* perturbabilis) qui turbari non potest. *Augustin.* 4. *Confess.* 11. Locus quietis imperturbabilis. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 10.

IMPERTURBĀTĒ *vel* inperturbate, adverb. non perturbate. Affertur a cl. *Furlanetto* in I. *Append.* hisce verbis: *Inscript.* Gregorii I. Pont. Max., qui pontifex fuit ab ann. a Chr. n. DLXXXX. ad DCIV., apud *A. Mai.* in *Scriptor. vet. N. Collect. T.* 5. *P.* 1. *p.* 212. VT PERSEVERENT IMPERTVRBATE.

IMPERTURBĀTĬO *vel* inperturbatio, ōnis, f. 3. (in *negat. et* perturbatio) ἀπάθεια. *V.* IMPASSIBILITAS.

IMPERTURBĀTUS *vel* inperturbatus, a, um, adject. (in *negat. et* perturbatus) non turbatus, *non perturbato*, ἀτάρακτος. *Ovid. Ib.* 562. Imperturbato quod bibit ore reus. *Seneca Ep.* 73. *a med.* Imperturbata publicis occupationibus quies.

IMPERVĬUS *vel* inpervius, a, um, adject. (in *negat.* et pervius) non pervius, *che non si può passare*, ἀδιάβατος.

I.) Proprie. *Ovid.* 9. *Met.* 106. Verticibusque frequens erat atque impervius amnis. *Quintil.* 12. 11. 11. Impervium iter. Sic *Tac.* 3. *Ann.* 31. Itinera interrupta et impervia. *Val. Flacc.* 2. 613. tellus populis impervia lucis Eoæ. *h. e.* quæ adiri non potest.

II.) Figurate. *Tac.* 15. *Ann.* 43. Lapis ignibus impervius. *h. e.* qui ignes non sentit.

IMPES vel inpes, ĕtis, m. 3. *V.* IMPETUS init.

IMPESCERE in ... segetem, pascendi gratia immittere. *Paul. Diac.* p. 108. 17. *Müll.* Sic *Id.* p. 40. 2. Compescere est velut in eodem pascuo continere. *et* p. 72. 11. Dispescere est propria pecus a pastione deducere, ut compescere etc.

IMPĔTĔ *vel* inpete. *V.* IMPETUS init.

IMPĔTEJUS vel inpetejus, a, um, adject. (impetus) qui impetum facit, violentus. *Gloss. Philox.* Impetejus βίαιος.

IMPĔTĬBĬLIS *vel* inpetibilis, *e*, adject. *V.* IMPATIBILIS.

IMPĔTĪGĬNŌSUS *vel* inpetiginosus, a, um, adject. impetigine affectus. *Ulp. Dig.* 21. 1. 6. Trebatius ait, impetiginosum morbosum non esse, si eo membro, ubi impetigo est, æque recte utatur. *Gloss. Philox.* Impetigosus, λειχηνώδης. *Num legendum* impetiginosus? *Theod. Priscian.* 1. 10. Derbiosos oculos, quos nos impetiginosos dicimus, asperitatum vitiis laborantes, sic curare consuevimus.

IMPĔTĪGO *vel* inpetigo, ginis, f. 3. In recto casu est et alia forma *impetix* apud *Paul. Diac. p.* 109. 15. *Müll.* — Impetigo est summa cutis asperitas cum multa prurigine, squamis et furfuribus; ab *impeto*, quod corpus impetat et infestet scabiei instar, λειχήν, ἄλφος (It. *volatica, serpigine*; Fr. *éruption cutanée, dartre vive*; Hisp. *sarpulido*; Germ. *die Räude*; Ang. *a kind of eruption on the skin*). Occurrit — a) De hominibus. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 7. 61. Hiberna caprificus in aceto cocta et trita impetigines tollit. *Cels.* 5. 28. n. 17. quatuor impetiginis species enumerat. — b) Impetigines quoque vel lichenes vocantur squamulæ anteriorum crurum in equis sub armorum partibus natæ, quas etiam hirundines, calios, verrucas vocant. V. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *ad fin. Colum.* 6. *R. R.* 31. 2. Impetigines et scabies aceto et alumine fricantur. — c) Est etiam vitium quarumdam arborum, v. gr. ficorum, quum cortici scabrities adrepit ex imbre, aut rore putrescente. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (223).

IMPĔTĪTUS *vel* inpetitus, a, um. *V.* IMPETO.

IMPĔTIX. *V.* voc. præced. init.

IMPĔTO *vel* inpeto, pĕtis, pĕtitum, pĕtere, a. 3. (in et peto). Part. *Impetens* I.; *Impetitus* II. — Impetere est violenter aliquem petere, seu invadere, adoriri, προσβάλλω, *assaltare.*

I.) Proprie. — a) Cum Accusativo. *Stat.* 8. *Theb.* 523. Cedentem Acheloius heros Impetit. *Lucan.* 6. 393. Teque, senex Chiron, gelido qui sidere fulgens, Impetis Hæmonio majorem Scorpion arcu. *Sil. It.* 5. 273. Impetit os hastâ. *Lucan.* 6. 222. *de ursa.* Se rotat in vulnus, telumque irata receptum Impetit. *Veget.* 3. *Milit.* 14. Ita constituantur ordines, ut hæc (*sol et ventus*) post occipitium nostrum sint, et adversariorum impetant aciem. — b) Absolute. *Varro* 3. *R. R.* 16. 8. Apes impetentes a se ejiciunt fucos. *Al. leg.* impacientes. *Paul. Diac. p.* 109. 17. *Müll.* Impite, impetum facite. *Forcellinus* legebat: Impetite, impetum facite. *Müll.* leg. putat: Impete, impetum face.

II.) Translate. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. *in contione.* Impetere aliquem edacitatis. *h. e.* insimulare. *Cassiod.* 8. *Hist. Eccl.* 31. Ajebant, non aliter quidquam fieri, nisi impetitorum vita discuteretur. Adde *eumd.* 8. *Variar.* 21.

IMPĔTRĀBĬLIS *vel* inpetrabilis, e, adject. (impetro). Comp. *Impetrabilior* I. et 2. — Impetrabi-

lis ¶ 1. Passive est qui facile impetrari potest, *che di leggieri si può ottenere*, ἐξαίτητος. *Liv.* 25. 29. Omnia impetrabilia et tuta erant apud Romanos. *Id.* 36. 33. Spem impetrabilis veniæ ostendebat. *Id.* 39. 29. Cui postulanti triumphum, rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat. *Id.* 30. 16. *in fin.* Quo impetrabilior pax esset. *Propert.* 4. 1. 97. Junoni votum facite impetrabile, dixit. ¶ 2. Active est qui facile impetrat, qui res facile ad exitum perducit, qui quidquid conatur, assequitur. *Plaut. Most.* 5. 2. 40. Non potuit venire orator magis ad me impetrabilis. *Id. Merc.* 3. 4. 18. Salvus sum: immortalitas mihi data est: hic emit illam: pulcre os sublevii patri: impetrabilior qui vivat, nullus est. *Ammian.* 14. 8. Nicator Seleucus efficaciæ impetrabilis rex. *Plaut. Epid.* 3. 2. 6. Di immortales, mihi hunc diem dedistis luculentum! Ut facilem atque impetrabilem! *h. e.* quo consecutus sum quidquid optabam. Al. legunt *impetralem* eodem sensu.

IMPĔTRĀBĬLĬTER *vel* inpetrabiliter, adverb. cum facilitate impetrandi. Occurrit tantum Comp. *Impetrabilius* apud *Symmach. orat. pro patr.* (edente *A. Mai.*) 4. Impetrabilius cuncta nunc petitis, quam aliquando jussistis.

IMPĔTRĀLIS. *V.* IMPETRABILIS 2.

IMPETRASSO. *V.* IMPETRO.

IMPĔTRĀTĬO, ōnis, f. 3. actus impetrandi, *impetrazione, esaudimento*, κατάθεσις. *Cic.* 11. *Att.* 22. illud molestius, istas impetrationes nostras nihil valere.

IMPĔTRĀTĪVUS *vel* inpetrativus, a, um, adject. ut Impetrativum augurium, quod optatum evenit et secundum vota. *Servius* in illud *Virg.* 6. *Æn.* 190. Vix ea fatus erat, geminæ quum forte columbæ etc.

IMPĔTRĀTOR *vel* inpetrator, ōris, m. 3. qui impetrat. *Impp. Constantius et Constans Cod. Theod.* 12. 6. 3. Nihil impetratoribus beneficii per rescriptum, adversus ordinem constitutionis possint prodesse commenta.

IMPĔTRĀTUS *vel* inpetratus, us, m. 4. idem quod impetratio. In sexto sing. *Ambros. de Fide* 5. 3. Posito tamen possibili impetratu hominibus quod posceretur.

IMPĔTRĀTUS *vel* inpetratus, a, um, et

IMPĔTRĪTUS *vel* inpetritus, a, um, et

IMPĔTRĬO, is, ītum, īre, a. 4., et

IMPĔTRĪTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. init. et sub 2.

IMPĔTRO *vel* inpetro, as, āvi, ātum, are, 1. Est et alia forma *impetrio*, unde Part. *Impetritus* et *Impetriendus*: *V.* infra sub 2. — *Impetrarier* paragoge pro *impetrari* legitur apud *Plaut. Rud.* 3. 3. 40. — *Impetrassere* futurum est Infiniti antiquum, pro *impetraturum esse*, apud *Plaut. Aulul.* 4. 7. 6., *Cas.* 2. 3. 53. et alibi. — *Impetraris* syncop. pro *impetraveris* apud *Senec.* 1. *Controv.* 2. *ante med.* — Part. *Impetrans* in *Gloss. Philox.* Impetrans, ἀνύων; *Impetratus*, *Impetraturus* et *Impetrandus* sub 1. — Impetrare ab *in* et *patrare* proprie significat perficere, uti docet *Donatus* ad illud *Ter. Hecyr.* 5. 1. 3. Videndum est, ne minus propter iram hanc impetrem, quam possiem. Sic *Plaut. Pœn.* 5. 2. 14. incipere multo est, quam impetrare, facilius. et *Epid.* 1. 1. 45. Ipse mandavit mihi, ab lenone quamdam ut fidicina emeretur sibi: id ei impetratum reddidi. *h. e.* perfectum, effectum, ad exitum perductum. — Hinc fere ponitur pro exorare, precibus obtinere, assequi, adipisci, petendo inducere: quia qui exorat, jam quod volebat, perfecit, τυγχάνω (It. *impetrare, ottenere*; Fr. *obtenir, atteindre, parvenir à*; Hisp. *obtener, conseguir, alcanzar*; Germ. *etwas bewirken, bewerkstelligen, auswirken, zu Stande bringen, erreichen, erlangen*; Angl. *to obtain, get, go through, accomplish*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — a) Cum Accusativo rei quæ impetratur — Et Ablativo personæ, a qua impetramus. *Plaut. Mil. glor.* 4. 5. 1. Quod volui, ut volo, impetravi per amicitiam et gratiam a Philocomasio. *Id. Rud.* 3. 3. 40. Decet abs te id impetrarier. *Id. Aulul.* 4. 7. 14. Quidpiam ab aliquo impetratum auferre. *h. e.* impetrare. *Id. ibid.* 4. 7. 6. Et istuc confido a fratre me impetrassere. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *post.*) 30. 97. A me istam exceptionem numquam impetrabunt. *Id.* 13. *Fam.* 36. Et Dolabella rogatu meo civitatem a Cæsare impetravit. *Id. Amic.* 20. 76. In omni re considerandum est et quid postules ab amico et quid patiare a te impetrari. — Sine Ablativo personæ. *Plaut. Capt.* 2. 1. 37. Homines, quod sibi volunt, dum id impetrant, boni sunt: sed id ubi jam penes sese habent, ex bonis pessimi sunt. *Ter. Andr.* 2. 5. 11. Quum istuc, quod postulo, impetro cum gratia. *Id. Adelph.* 3. 4. 41. Quod vos jus cogit, id voluntate impetret. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Uti ea, quæ vellent, impetrarent. *Sall. Jug.* 79. Amicitia et societas impetrata. *Brutus* 1. *ad Cic.* 16. Precibus salutem impetrare. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 137. Impetrat (*chorus*) et pacem et locupletem frugibus annum. *Id.* 4. *Od.* 2. 42. super impetrato fortis Augusti reditu. *Sueton. Cæs.* 7. Post impetratam veniam rebellaverunt. Sic *Tac.* 12. *Ann.* 8. Impetrare veniam exsilii pro aliquo. *Val. Max.* 3. 1. n. 2. Quum ad eum tribunum plebis Latini de civitate impetranda convenissent. *Quintil.* 6. *procem.* 1. Post impetratam studiis meis quietem. *Id.* 6. 3. 68. Qui provinciam ambitiosissime petierat, deinde impetrata ea etc. *Seneca* 1. *Controv.* 2. *ante med.* Quum deprecareris intrantis amplexus, ut omnia alia impetraris, osculo rogasti. *h. e.* impetraveris. *Quintil.* 11. 3. 4. Scænici actores vilissimis etiam quibusdam poetis impetrant aures. *h. e.* ut audiantur. — b) Cum Conjunctivo et part. *ut*, *ne*, aut sine ulla part. — Cum part. *ut*. *Plaut. Cas.* 2. 3. 51. CL. Quid si ego impetro atque exoro a vilico, causa mea ut eam illi permittat? ST. Quid si ego autem ab armigero impetro, eam illi permittat! *Cic.* 9. *Att.* 2. Impetrabis, inquis, a Cæsare, ut tibi abesse liceat et esse otioso. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. 26. A quo non facile, si contenderis, impetrare possis, ut suo beneficio promereatur etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 9. A Sequanis impetrat, ut per fines suos ire Helvetios patiantur. *Liv.* 2. 46. *extr.* Verbisne istis ut pugnent, te impetraturum credis? *Epit. Livii l.* 51. Quæ de marito impetrare non potuerat, ut ad victorem transfugerent. — Cum part. *ne*. *Plaut. Bacch.* 2. 6. 4. Postremo impetravi, ne quid ei succenseat. *Petron. Satyr. fragm. Tragur.* 52. *Burmann.* Suadeo, a te impetres, ne sis nugax. — Sine ulla part. *Plaut. Trin.* 2. 4. 190. Tandem impetravi abiret. — c) Impersonaliter sequente Conjunctivo cum part. *ut* vel *ne*. *Cæs.* 1. *B. C.* 1. Ægre ab iis impetratum est, summa tribunorum pleb. contentione, ut in senatu (*litteræ*) recitarentur: ut vero ex litteris ad senatum referretur, impetrari non potuit. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 32. 59. (136). Illud maxime mirum, ipsas arbores plerumque exorari, ut vivant atque transmigrent: aliquando et a solo impetrari, ut alienas alat: cælum nullo modo flecti. Adde similem locum 17. *ibid.* 13. 21. (98). — Eodem modo occurrit Ablativus Part. præter. apud *Liv.* 9. 30. *sub fin.* Impetrato, ut manerent. Sic *Vellej.* 2. 107. 2. Impetrato, ut manum contingeret. — Cum part. *ne*. *Val. Max.* 4. 3. n. 7. Nunc quo ventum est? a servis vix impetrari potest, ne eam supellectilem fastidiant, qua tunc consul uti non erubuit. — d) Absolute, ita tamen ut res, quæ impetratur, facile ex ipso orationis contextu erui possit. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 62. Hilarus exit, impetravit. *Id. Trin.* 5. 2. 37. CA. Jus hic orat. LY. Impetrabit te advocato atque arbitro. *Cic. Amic.* 11. 39. Quid attinet dicere, si contendisset, impetraturum non fuisse? *Id.* 1. *Cat.* 8. 19. Hæc si tecum patria loquatur, nonne impetrare debeat? *Cæs.* 6. *B. G.* 2. Quum ab proximis impetrare non possent, ulteriores tentant. — Et cum addito Ablativo rei et præpos. *de*. *Cæs.* 4. *B. G.* 13. Simul, ut, si quid possent, de induciis fallendo impetrarent. *Id.* 5. *ibid.* 36. Sperare se, ab eo de sua ac militum salute impetrare posse. *Hirtius* ad *Cic. post ep.* 6. *l.* 15. *ad Att.* Utinam, quam facile a te de me impetrare possunt, ita per te exorentur etc. ¶ 2. Speciatim alia forma *impetrire* est augurale verbum, idem valens in auguriis, quod in sacrificiis *litare*, nempe quum aves admittunt, et ostendunt, impetratum esse quod petebatur. *Plaut. Asin.* 2. 1. 11. Impetritum, inauguratum est: quovis admittunt aves. *Cic.* 1. *Divinat.* 16. 28. Ut nunc extis, sic tum avibus magnæ res impetriri solebant. *Est qui minus recte legit* impertiri. *Id.* 2. *ibid.* 15. 35. Qui evenit, ut is, qui impetrire velit, convenientem hostiam rebus suis immolet? *Id.* 1. *ibid.* 2. 3. Quumque magna vis videretur esse et in impetriendis consulendisque rebus et in monstris interpretandis etc. — Hinc *impetrītum*, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est ipsa augurii captio. *Val. Max.* 1. 1. n. 1. Prisco instituto rebus divinis opera datur, quum aliquid commendandum est, precatione; quum exposcendum, voto; quum solvendum, gratulatione; quum exquirendum vel extis, vel sortibus, impetrito; quum solemni ritu peragendum, sacrificio. Adde *Plin.* 28 *Hist. nat.* 2. 3. (11). — Eodem sensu, sed forma quæ magis in usu fuit. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 53. 54. (140). Exstat annalium memoria, sacris quibusdam et precationibus vel cogi fulmina, vel impetrari etc. ¶ 3. Item speciatim obscœno sensu *impetrare mulierem* dicitur is, qui ejusdem corporis copiam obtinet. *Plaut. Men.* 1. 3. 10. *loquitur meretrix.* Superas facile, ut superior sis mihi, quam quisquam, qui impetrant. *Martial.* 11. 40. Formosam Glyceren amat Lupercus, Et solus tenet impetratque solus. *Alii perperam leg.* imperat. — Hinc a Part. præter pass.

Impĕtrītum, i, n. 2. absolute, substantivorum more. *V.* supra sub 2.

IMPĔTŬLANS *vel* inpetulans, antis, adject. (in *intens.* et petulans) valde petulans. *Capell.* 8. *sub init.* Impetulantis proruptionis sonitum provocare. *Al. aliter leg. At* Kopp. *ex* Grotii *correctione et Codice Reichenauensi rectius legit* in petulantis etc.

IMPĔTŬŌSĒ *vel* inpetuose, adverb. (impetuosus) cum impetu. *Auct. de progen. Aug.* 5. Et in litore expositis armis, ad mœnia impetuose contendit. *Acro* ad *Horat.* 1. *Od.* 29. 11. Proni dicuntur rivi de montibus effluentes, qui impetuose fluunt.

IMPĔTŬŌSUS *vel* inpetuosus, a, um, adject. (impetus) qui magno fertur impetu, *impetuoso*, ὁρμητικός. *Auct. Epitom. Iliad.* 919. qui (*Xanthus*) protinus undique totis Impetuosus aquis et vasto gurgite præceps Volvitur, atque virum torrentibus impedit armis. *Alii pro* impetuosus *leg.* impediatur, *alii* imperiosus: *at* Wernsdorf. *priorem lectionem retinendam putat.* *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (111). Impetuosus animus. Ita vulgo affertur: sed *Harduin.* et *Sillig.* hanc vocem rejiciunt; nihil enim tale in MSS. reperiri.

IMPĔTUS *vel* inpetus, us, m. 4. *Impetu* in Dativo pro *impetui*, ut *aspectu, concubitu*. *Cicero*: Quibus subito impetu ac latrocinio parricidarum resistat. Ita refert *Pierius* ad illud *Virg.* 4. *G.* 198. *V.* ASPECTUS init. — In aliis casibus, præter eos, qui sunt in exemplis quæ inferius afferuntur, non est, quod sciam, in usu. — Est etiam alia forma vetus et poetica *impes, etis*, 3. decl., (V. *Priscian.* p. 702. *Putsch.*), cujus occurrit tantum Genit. sing. num. *impetis* apud *Lucret.* 6. 326.; Ablat. sing. num. *impete* apud *eumd.* 2. 330., 4. 417. et 904., 5. 506. et 911. et alibi, *Lævium* apud *Gell.* 19. 7.; *Ovid.* 3. *Met.* 79. et 8. *ibid.* 359., et *Sil. It.* 13. 248.; et Ablat. plur. num. *impetibus* apud *Lucret.* 1. 292. (quamquam *impetibus* et ab *impetu* recte declinetur): horum nonnulla *V.* infra. — Impetus est motus, quo aliquid impetimus et irruimus, incursio, aggressio, vis, conatus, ὁρμή (It. *impeto, assalto violento*; Fr. *impétuosité, élan, violence*; Hisp. *impetuosidad, impetu, violencia*; Germ. *d. Angriff, Anfall, Andrang*; Angl. *violence, vehemence, force, attack, assault, shock*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Cæcin.* 15. 44. Causam fugæ dicitis eamdem, quam omnes intelligimus, arma, multitudinem hominum, incursionem atque impetum armatorum. *Id.* 2. *Att. pænult.* Facere impetum in aliquem. Sic *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Milites gladiis destrictis in eos impetum fecerunt. *et* 4. *ibid.* 12. Hostes, impetu facto, celeriter nostros perturbaverunt. Similiter *Id.* 1. *ibid.* 46.; et *Auct. B. G.* 8. 18. Impetum facere in aliquem. *Liv.* 1. 5. in agros. *Id. ibid.* ad aliquem. et *Cic. Dom.* 25. 64. Infractus furor tuus inanes faciebat impetus. *Liv.* 4. 28. et 2. 19. Dare impetum in hostem. *h. e.* facere. et *eod. sensu* *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 48. (91). capere in aliquem. *Cic.* 1. *Fin.* 13. 41. In alios cæco impetu incurrere. *Id. Dom.* 40. 106. Impetu aliquem percellere. *Cæs.* 2. *B. G.* 6. Magno impetu oppugnare oppidum. *Id. ibid.* 21. Primo impetu hostium pulsi. *Id.* 1. *B. G.* 52. Impetum gladiorum excipere. *Id. ibid.* 26. sustinere. *et eod. sensu* *Id.* 3. *ibid.* 19. ferre. *Cic. Harusp. resp.* 1. 1. Gladiatoris impetum ferociamque comprimere. *Id.* 2. *ad Brut.* 7. Impetum alicujus reprimere. *Liv.* 7. 37. *a med.* continere. *Seneca. Med.* 413. inhibere. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (180). coercere. *Cic. Divin.*

in Q. Cæcil. 11. 33. retardare. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 20. 79. (135). sistere. *Cic.* 1. *Fam.* 5. frangere. *Horat.* 3. *Od.* 6. 10. contundere. *Cic. Mur.* 1. *extr.* propulsare. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 31. (58). aquarum domare. *Id.* 14. *ibid.* 22. 28. (141). Tribus congiis epotis uno impetu. *in un fiato, in una tirata, in un colpo.* — Poetice *Cic.* 2. *Tusc.* 8. 20. non Terrâ edita Moles Gigantum, non biformato impetu Centaurus. ¶ 2. Speciatim in re medica, sive in malis impetus dicitur, quum vis morbi maxime intenditur, et veluti impetu quodam celeriter aggreditur et savit: id ita explicare videtur *Seneca Ep.* 61. § 7. Hoc (*collyrio*) vis subita et humor avertitur. *Cels.* 2. 15. Impetum febris sustinere. *il colmo. Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 50. (183). Impetus pituitæ in facie butyro illito tolluntur. *Id.* 20. *ibid.* 14. 53. (148). Menta cum amylo inhibet cœliacorum impetus. *dolori.* Similiter *Id. ibid.* 21. 84. (228). Impetus vulnerum. *Aurel. Vict. Epit.* 45. Impetus sanguinis. *apoplessia.* et *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 9. (41).; et *Scribon. Compos.* 160. Impetus podagræ. *gli assalti della gotta. Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 8. (16). Oculorum impetus. φλεγμοναί. *infiammazioni,* ut est apud *Dioscor. l.* 2. *c.* 162. Et absolute *Inscript.* apud *Tochôn, cachets des ocul.* p. 60. DIARHODON AD IMPETVM. *Alia* apud *eumd.* p. 68. DIARHODON POST IMPETVM. *V.* FERVOR. Similiter absolute *Plin.* 21. *Hist. nat.* 21. 89. (157). Thymum e vino tumores et impetus tollit. *flussioni raccolte all'improvviso. Id.* 22. *ibid.* 25. 58. (122). Farina ex hordeo collectiones impetusque discutit. Sic *impetus ventris,* Ital. *diarrea,* est profluvium ventris ob subitum pavorem. Sic *Aurel. Victor. Epit.* 12. Tantum est consternatus (*Nerva*), ut neque vomitum, neque impetum ventris valuerit differre. ¶ 3. Item speciatim apud *Vitruv.* est nisus et pressus rei incumbentis, quod est onus, *pressione, peso, carico.* Sic enim habet 6. 3. Tetrastyla sunt, quæ subjectis sub trabibus angularibus columnis, et utilitatem trabibus et firmitatem præstant, quod neque ipsæ magnum impetum coguntur habere, neque ab interpensivis onerantur.

II.) Translate. ¶ 1. De rebus physicis est motus, vehemens ac rapidus motus, actus vehementer propellendi, *moto, moto impetuoso, spinta violenta, urto violento.* — Sic de cursu navis. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. *a med.* Labitur uncta carina, volat super impetus undas. *Lucret.* 4. 904. manus una regit (*navem*) quantovis impete euntem. *Catull.* 4. 3. Neque ullius natantis impetum trabis Nequisse præterire. — *Impetus maris* apud *Cæs.* 3. *B. G.* 8. est spatium et latitudo maris, ubi libere fertur impetu suo atque agitatur. Similiter *Lucret.* 5. 911. Aut hominem tanto membrorum esse impete natum, Ut etc. *h. e.* amplitudine, vastitate. et *Stat.* 4. *Silv.* 2. 23. effusæque impetus aulæ Liberior. *h. e.* amplitudo Palatinæ Cæsarum domus, laxe et late se extendentis. Similiter *Lucret.* 5. 201. quantum cœli tegit impetus ingens. *h. e.* vastus cœli ambitus, qui celerrime in gyrum vertitur. *Cic.* 2. *Divinat.* 38. 97. Impetum cœli admirabilis cum celeritate moveri vertique videmus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias. *il corso.* Et poetice *Accius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 22. 41. Quum jam quieti corpus nocturno impetu Dedi. *nel corso della notte.* — Sic generatim *Lucret.* 6. 326. Inde ubi non potuit nubes capere impetis auctum, Exprimitur vis (*h. e. fulmen*), atque ideo volat impete miro. *Id.* 1. 292. trudunt (*venti*) res ante ruuntque Impetibus crebris. Cf. *Cæs.* 3. *B. G.* 13. Quod tantas tempestates Oceani tantosque impetus ventorum sustineri non satis commode arbitrabantur. *Ovid.* 3. *Met.* 79. Impete nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis, Fertur. *Sil. It.* 13. 247. ipse secutus Corruit ulterior procursus impete truncus. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 32. 40. (63). Impetum sumit Hellespontus. *si mette in corso. Id.* 10. *ibid.* 23. 32. (63). Impetu ferri. *andare con impeto. Seneca Ep.* 58. *ante med.* Animantia quædam impetum habent, incedunt, transeunt: quædam solo affixa, radicibus aluntur et crescunt. De loco *Cic.* 2. *Off.* 3. 11. *V.* in seq. paragr. ad fin. ¶ 2. Morali significatione refertur ad animum et ad abstracta. — *a*) Sæpissime refertur ad animum et significat effervescentem animi commotionem, vim, calorem, cupiditatem, *impeto, calore, voglia.* — In sing. num. *Cic.* 1. *Off.* 15. 49. Multi faciunt multa temeritate quadam, in omnes vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati. *Id.* 10. *Fam.* 5. Tota mente omnique animi impetu in rempublicam incumbere. *Id.* 11. *Att.* 5. Impetu magis quodam animi uti, quam cogitatione. Sic *Liv.* 42. 29. Impetu magis, quam consilio. Cf. *Plin.* 1. *Ep.* 8. Ad munificentiam non impetu quodam, sed consilio trahebamur. *h. e.* inconsiderantia. *Stat.* 10. *Theb.* 701. Da spatium tenuemque moram: male cuncta ministrat Impetus. *h. e.* temeritas, nimia celeritas. *Cic. Orat.* 68. 229. Aliter in oratione nec impetus ullus, nec vis esse potest. *Id. Dejot.* 2. 5. Quæ sunt ad motum animi et ad omnem impetum dicendi contentionemque leviora. *Plin.* 2. *Ep.* 19. Actiones quæ recitantur, impetum omnem caloremque perdunt. *la forza. Id.* 7. *ibid.* 9. *de lucubrando.* Recalescere ex integro, et resumere impetum fractum omissumque. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 26. Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit. *estro.* et *Tac.* 14. *Ann.* 16. Carmen non impetu et instinctu, nec uno ore fluens. *Vellej.* 2. 55. 2. Pompejus Magni filius, adolescens impetus ad bella maximi. *Cic.* 1. *Divinat.* 49. 111. Horum sunt auguria, non divini impetus, sed rationis humanæ. *h. e.* instinctus. *Id. Cæl.* 6. 14. Delendi hujus imperii consceleratus impetus exstitit. *Ovid.* 5. *Fast.* 523. si quid fert impetus, opta: Omne feres. *h. e.* si quid cupis. *Id.* 2. *Met.* 662. jam latis currere campis Impetus est. *mi viene voglia all'improvviso.* Sic *Id.* 2. *Amor.* 5. 46. laniare capillos Et fuit in teneras impetus ire genas. Adde *eumd. Heroid.* 5. 61. — Impetum cepi, *m'è venuto grande voglia,* vehementem appetitum, ὁρμήν. *Seneca initio Consol. ad Helv.* Sæpe impetum cepi consolandi te. Adde *Sueton. Aug.* 12. et *Cal.* 43. Sic *Curt.* 5. 32. 1. Bessus occidendi protinus regis impetum ceperat. *Al. leg.* conceperat. — In plur. num. *Cic.* 2. *Off.* 3. 11. Quæ ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima, ut aurum, argentum; partim animalia, quæ habent suos impetus et rerum appetitus. *h. e.* instinctus. *Forcellinus* vero *impetum* hoc loco pro *motu* accepit. *Id.* 4. *Tusc.* 22. 50. An fortitudo, nisi insanire cœperit, impetus suos non habebit? *Id.* 2. *Invent.* 54. 164. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. *Id.* 1. *de republ.* 5. Neque sapientis est accipere habenas, quam insanos atque indomitos impetus vulgi cohibere non possit. *Id.* 8. *Fam.* 2. Marcelli impetus resederunt, non inertia, sed consilio. *Seneca Agam.* 127. Feroces impetus animo gerere. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 54. (141). Impetus hominum et iracundias domare. — *b*) Raro de abstractis. *Liv.* 37. 19. Si ex hoc impetu rerum nihil prolatando remittitur. *Tac. Agric.* 39. *extr.* In præsentia statuit reponere odium, donec impetus famæ et favor exercitus languesceret. *h. e.* fama, quæ maxime crebrescebat et diffundebatur. — Apud *Stat.* 7. *Theb.* 47. Impetus amens unus est e ministris, sive satellitibus Martis.

IMPEXUS *vel* inpexus, a, um, adject. (in *negat.* et pexus) non pexus, *non pettinato, scarmigliato,* ἀκτένιστος.

I.) Proprie. *Virg.* 3. *G.* 366. Stiriaque impexis induruit horrida barbis. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 125. caput impexa porrigine fœdum. *Tibull.* 1. 3. 69. Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues. *Ovid.* 1. *Met.* 529. Et levis impexos retro dabat aura capillos. *Virg.* 7. *Æn.* 666. tegumen immane leonis Terribili impexum seta.

II.) Translate pro inculto ponitur. *Tac. Dial. de orat.* 20. Antiquitas tristis et impexa.

IMPIĀMENTUM *vel* inpiamentum, i, n. 2. (impio) impia contaminatio, scelus, *contaminazione, empietà. Cyprian. Ep.* 63. Nec tales ad altaris impiamenta et contagia fratrum denuo redeant.

IMPIĀTUS vel inpiatus, a, um. *V.* IMPIO.

IMPĬCĀTUS *vel* inpicatus, a, um. *V.* voc. seq.

IMPĬCO *vel* inpico, as, ātum, are, a. 1. (in *et* pico). Part. *Impicatus.* — Impicare est pice illinere, *impegolare, impeciare,* πιττόω. *Colum.* 12. *R. R.* 29. 1. Eamque (*amphoram*) oblinito et impicato diligenter. *Id. ibid.* 43. 1. Pediculos uvarum impicato dura pice. *Gargil. Mart. de re hortens.* (*edente A. A. Scottio*) 4. 11. Ex veteribus multi Suessanibus olluiis impicato singula poma clausere umbilico.

IMPICTUS. *V.* IMPUNCTUS.

IMPĬĒ *vel* inpie, adverb. (impius). Sup. *Impiissime* habet *Salvian. de avarit. post init.* — Impie est scelerate, nefarie; et proprie, quando quis de Deo, patria, aut de parentibus male meretur, aut de iis, qui parentum loco sunt, *empiamente, sacrilegamente,* ἀσεβῶς, ἀνοσίως. *Cic.* 2. *Nat. D.* 16. 44. Quæ qui videat, non solum indocte, sed etiam impie faciat, si deos esse neget. *Id.* 2. *Legg.* 9. 22. Sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum esto. *Id.* 5. *Tusc.* 2. 6. Tam impie ingratus esse in parentem audet? *Quintil.* 7. 1. 58. Impie facere. *Sueton. Domit.* 10. Impie loqui. *h. e.* in imperatoris majestatem. *Curt.* 5. 12. 13. Impie deserere regem. *Plin. Paneg.* 37. Ratus, improbe et insolenter ac pæne impie his nominibus inseri publicanum.

IMPĬĔTAS *vel* inpietas, ātis, f. 3. (impius) sceleratus inhumanusque affectus adversus Deum, patriam, parentes, eosve, qui parentum loco sunt; et generatim scelus, fraus, peccatum: sive, juxta *Seyffert.*, est injustitia, tamquam sceleratus affectus qui morales naturæ leges graviter lædit, quique per *nefas* manifestatur, *impietà, empietà,* ἀσέβεια. *Cic.* 4. *Fin.* 24. 66. Nihil est, quod tam miseros faciat, quam impietas et scelus. Cf. *Ovid.* 4. *Met.* 4. Bacchum Progeniem negat esse Jovis, sociasque sorores Impietatis habet. *Cic. Amic.* 12. 42. Nec minor pœna statuenda iis, qui secuti sunt alterum, quam iis, qui ipsi fuerint impietatis duces. *h. e.* duces eorum, qui arma in patriam ceperunt. *Quintil.* 7. 1. 25. Impietatem (*legumlator*) punire voluit; ego autem impius non sum. *h. e.* injuriam actiusque in parentes vel majores. Cf. *Ovid.* 8. *Met.* 476. Et consanguineas ut sanguine leniat umbras, Impietate pia est. *Tac.* 6. *Ann.* 47. Albucilla defertur impietatis in principem. *h. e.* criminis læsæ majestatis. Cf. *Plin. Paneg.* 33. Nemini impietate objecta, quod odisset gladiatorem.

IMPĬĔTĀTĬO *vel* inpietatio, ōnis, f. 3. (in *negat.* et pietas) idem atque impietas. *Cassiod. Complex. Apocal.* 29. Ceteri comites, qui bestiam sunt secuti, gladio Domini trucidati esse noscuntur, cunctisque avibus, id est sanctis, impietationis pabula præbuerunt.

IMPĬGENS *vel* inpigens, entis, adject. (in *negat.* *et* piget) frequens. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 11. Oscitatio jugis et impigens levandi voluntas. *h. e.* levandi stomachum, seu vomendi.

IMPĬGER *vel* inpiger, pigra, pigrum, adject. (in *negat. et* piger) non piger, sed strenuus et diligens, ἄοκνος; (It. *diligente, sollecito, pronto*; Fr. *qui n'est point paresseux, actif, diligent, prompt, rapide*; Hisp. *activo, diligente, cuidadoso, pronto, veloz*; Germ. *unverdrossen, rührig, rüstig, hurtig, rastlos, nicht träge*; Angl. *diligent, active, clever, prompt, quick, ready, strenuous*). Occurrit — *a*) De hominibus et brutis. — Cum præpos. *in* et Ablativo. *Cic.* 2. *Fam.* 1. Quis est tam impiger in scribendo, quam ego? Cf. *eumd.* 7. *Verr.* 10. 27. Dabat se labori atque itineribus, in quibus eo usque se præbebat patientem atque impigrum, ut etc. — Cum Accusativo et præpos. *ad. Cic. Fontej.* 15. 33. Vir ad labores belli impiger. Sic *Lucan.* 4. 798. concidit que in strage suorum, Impiger ad letum. — Cum Ablativo sine præpos. *Tac.* 3. *Ann.* 20. Impiger manu, exercitus militia. — Cum Genitivo. *Tac.* 3. *Ann.* 48. Quirinus impiger militiæ et acribus ministeriis consulatum adeptus. *Capell.* 1. *p.* 10. Impiger gerendorum. *h. e.* in gerendis rebus. — Cum Infinito Græcorum more. *Horat.* 4. *Od.* 14. 22. impiger hostium Vexare turmas. — Sæpius absolute. *Nepos Timoth.* 1. Fuit enim disertus, impiger, laboriosus. *Virg.* 1. *Æn.* 742. Ille impiger hausit Spumantem pateram. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 45. impiger mercator. *Id.* 3. *Od.* 16. 26. Appulus. *Id.* 4. *ibid.* 8. 30. Hercules. *Id. Art. P.* 121. Impiger, iracundus, inexorabilis, acer, Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis. *Lucret.* 5. 881.; et *Horat.* 4. *Od.* 3. 4. impiger equus. — *b*) De abstractis. *Sall. Jug.* 7. Impigro atque acri ingenio esse. *Lucret.* 5. 1452. Usus et impigræ simul experientia mentis. *Sall. orat. Macri Licin. ad pleb. circa med.* Impigræ linguæ, ignavi animi. *Liv.* 3. 5. *extr.* Cohortes Latinæ, gratiis ob impigram militiam actis, remissæ domos. — *c*) De rebus physicis et prægnanti significatione, perinde ac si *impiger* sit superlativus, cum Genitivo. *Flor.* 3. 2. 4. Impiger fluminum Rhodanus. *h. e.* omnium fluviorum velocissimus.

IMPĬGRĒ *vel* inpigre, adverb. sine mora, diligenter, strenue, *sollecitamente, prontamente, presto*, ὀξέως. *Plaut. Rud.* 4. 2. 10. De nocte multa impigreque exsurrexi. *Sall. Jug.* 88. Marius impigre prudenterque suorum et hostium res pariter attendere. *Liv.* 1. 10. Ne Crustumini quidem, pro ardore iraque Cæninensium, satis impigre se movent. *Id.* 2. 47. Consules impigre milites secuti sunt. *Id.* 3.8. Impigre promissum auxilium. *Curt.*3.11.3.Quod is imperasset, impigre assequi. *Id. ibid.*12.11. Functas supremo in regem officio se impigre morituras. *Id.* 10. 3. 9. Impigre militiam tolerare. *Sall.* apud *Donatum* ad *Ter. Andr.* 1. 2. 34. Haud impigre, neque inultus occiditur. *h. e.* haud facili negotio, sive, ut ait *Tac.* 1. *Ann.* 6., ægre conficitur: itaque *haud impigre* est quum vehementer diuque restitisset aggredientibus; *neque inultus* est quum, priusquam ipse occumberet, complures interfecisset.

IMPĬGRĬTAS *vel* inpigritas, ātis, f. 3. (impiger) diligentia, *sollecitudine, prontezza*, ὀξύτης. *Cic.* 3. *de republ.*, ut citat *Nonius p.* 125. 22. *Merc.* Numquam viri fortissimi fortitudinis, impigritatis, patientiæ *fructu caruerunt*. Ita complenda sententia videtur *A. Maio.*

IMPĬGRĬTĬA *vel* inpigritia, æ, f. 1. (impiger) idem quod impigritas. *Nonius p.* 125. 20. *Merc.* Impigritas pro impigritia. *Ambros. de Noe* 2. Vestit velut quibusdam integumentis indifferentibus, quæ sunt salus, valetudo bona, pulcritudo, impigritia, divitiæ etc.

IMPĪLIA *vel* inpilia, ium, n. plur. 3. *peduli*, πόδια *vel* ποδεῖα, socculi, pedum tegumenta e lana coacta, non quasi sine pilis, sed a Græco ἐμπίλια *coactilia* (ut ait *Forcellinus*, qui propterea *empīlia* scribit), quæ ita dicuntur, quia πιλητὰ *coacta, stipata*; vel ab *in* et *pilus* eodem sensu. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 10. (32). Theophrastus auctor est, esse bulbi genus, cujus inter summum corticem, eamque partem, qua vescuntur, esse laneam naturam, ea qua impilia vestesque quædam conficiantur. *V.* BULBUS. *Ulp. Dig.* 34. 2. 25. Fasciæ crurales, pedulesque et impilia vestis loco sunt. Ita *Torrentin.*; at *Haloander* et item pilea.

IMPINGO *vel* inpingo, pingis, pēgi, pactum, pingere, a. 3. (in et pango). *Impingier* per paragogen pro *impingi* legitur apud *Plaut. Capt.* 3. 5. 76. — Part. *Impactus* I. 1.; *Impingendus* I. 2. — Impingere est impellere; quasi in aliquem locum pangere, illidere, jacere alicui in os, objicere, obtrudere, ἐμπαίω (It. *spingere, sospingere, gettare contra, urtare*; Fr. *pousser, frapper, jeter contre*; Hisp. *pujar, empujar, echar contra*; Germ. *anstossen, anschlagen, worauf stossen, wohin schlagen*; Angl. *to hit, dash, strike, or throw, against*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Cum addita præpos. *in* et Accusativo rei, in quam quis aliquid impingit. *Plaut. Rud.* 3. 4. 5. Pugnum in os impinge. *Afranius* apud *Paul. Diac.* p. 147. 2. *Müll.* Mustricularn in dentes impingam tibi. *Tac.* 2. *Hist.* 41. Hostes in vallum impingere. *Ulp. Dig.* 48. 3. 13. Impactus in carcerem. *cacciato.* Cf. *Lucan.* 6. 406. Impingere populos in arma. *h. e.* compellere, inducere. et *Val. Max.* 9. 14. *n.* 3. In servilem Serapionis appellationem vulgi sermone impactus est. *h. e.* vulgo est ei appellatio Serapionis imposita, *cadde nel soprannome.* V. infra sub d. — *b*) Cum Dativo rei, cui quis aliquid impingit. *Plaut. Pers.* 4. 4. 24. et *Capt.* 3. 5. 76. Impingere alicui compedes. *h. e.* indere, invitum compedibus vincire. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8. *ad fin.* Quid? si filius meus fustem mihi impingere volet? *Phædr.* 3. 5. Æsopo quidam petulans lapidem impegerat. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (146). Agrippæ a temulento scyphus impactus. *gettato in faccia. Seneca Tranquill.* 10. Impingere laqueum alicui. *Plin.* 3. *Ep.* 16. Parieti caput ingenti impetu impingere. *dar del capo.* Alter *Plin.* 8. *Hist. nat.* 3. 4. (8). Elephanti impactos arbori dentes franguot. *Liv.* 8. 6. Impactus saxo. *h. e.* qui in saxum impegit. *Tac.* 15. *Ann.* 46. Gubernatores Cumanis litoribus impacti, triremium plerasque amisere. *avendo urtato. Sil. It.* 12. 187. Propulsum Borea scopulis impingitur æquor. *Id.* 4. 299. structo Tyrrhena ad litora saxo Pila immane sonans impingitur ardua ponto. *Virg.* 5. *Æn.* 804. quum Troia Achilles Exanimata sequeos impingeret agmina muris. *spingesse in fuga fin sotto le mura.* Cf. *Stat.* 7. *Theb.* 28. impingit Tiriis Danaa agmina muris. *spinge all'assalto. Tac.* 3. *Hist.* 22. Vitellianus exercitus, indigus rectoris, paratis jam Flavianis impingitur. *urtò, diede ne' Flaviani.* — *c*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 4. 7. 2. Impinge pugnum, si muttiverit. *Quintil.* 4. 1. 61. Pessimus gubernator, qui navem, dum portum egreditur, impegit. *diede in uno scoglio. Horat.* 1. *Ep.* 13. 8. Clitellas ferus impingas. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 12. Nubes vehementer impactæ. *Plin.* 6. *Ep.* 31. *ad fin.* Saxeum dorsum impactos fluctus in immensum elidit et tollit. — *d*) *Impingere se* est ire impactum, *andare a urtare*, præcipitem ferri in aliquid. *Seneca* 1. *Ira* 16. *a med.* Impingere se in columnas. Cf. *Lactant.* 2. 3. Impingere in lapides. *subaudi se.* — *e*) *Impingere calcem* proverbialis locutio est eodem sensu, quo nos quoque dicimus *dar un calcio. Petron. fragm. Tragur.* 46. *Burmann.* Jam Græculis calcem impingit, et Latinas cœpit non male appetere. *h. e.* Græcarum litterarum studium abjecit, deposuit, dimisit. ¶ 2. Latiori sensu *impingere aliquid* est objicere, offerre, inferre, præcipue invito. *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat. *Cic.* 6. *Att.* 1. *ante med.*; et *Seneca Ep.* 95. Impingere alicui ingentem epistolam. *Seneca Ep.* 119. venenum. *Plaut. in Suppos. Amph.* Quis tam vasto, *sub fin.* vulnus. *Id. Cas.* 5. 2. 38. Impingere alicui suavium. *h. e.* quasi nolenti, aut nil tale exspectanti. — *Impingere oculum* est *tirare gli occhi addosso*, apud *Tertull. Idolol.* 2. Si oculum quis impegerit libidinose.

II.) Translate. — *a*) Cum præpos. *in.* et Accus. *Seneca Ep.* 95. *circa med.* Illum libido in contraria impinget. *Id. ibid.* 117. impingere aliquem in litem ac molestiam. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 53. Impingere culpam omnem in aliquem. *addossare, gettare.* Plerique al. leg. *imponere.* — *b*) Cum Dativo. *Ter. Phorm.* 2. 3. 92. Si tu illam attigeris, dicam tibi impingam grandem. *Seneca Prov. sub fin.* Renunciare naturæ et munus suum illi impingere. *gettarle in faccia il suo dono. Flor.* 3. 12. 12. Egestas Catilinam patriæ suæ impegit. *h. e.* compulit patriam impetere. — *c*) Absolute. *Seneca* 1. *Benef.* 1. Impingere beneficium. *fare per dispetto un benefizio.* — *d*) *Impingere se*, h. e. præcipitem ferri. *Seneca* 2. *Ira* 8. Quocumque visum est, libido se impingit. *Seneca alter Herc. Fur.* 991. Quo se cæcus impegit furor? Cf. *Val. Flacc.* 7. 400. Obvius ut sera quum se sub nocte magistris Impingit pecorique pavor. *h. e.* occurrit, incurrit in oculos.

IMPINGUĀTUS *vel* inpinguatus, a, um. *V.* voc. seq.

IMPINGUO *vel* inpinguo, as, ātum, are, 1. (in et pinguis). Part. *Impinguatus* sub *A.* — Impinguare occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active impinguare est pinguem facere. *Tertull. Jejun.* 6. Cui cor impinguatum. *Gloss. Philox.* Impinguo, παιαίνω. Adde *Vulgat. interpr. Deuter.* 32. 11. et alibi, proprie et translate.

B) Neutrorum more est pinguis fieri, *impinguarsi. Apic.* 8. 7. Porcellum tamdiu coques, donec lenis fiat et impinguet. *h. e.* quasi a pinguedine resplendeat.

IMPĬO *vel* inpio, as, āvi, ātum, are, a, 1. (impius). Part. *Impiatus.* — Impiare est impium facere, polluere, contaminare, *contaminare con empietà*; et occurrit — *a*) Cum Accusativo. — *Impiare se* est se scelere obstringere, impie agere. *Plaut. Rud.* 1. 3. 8. Si erga parentem aut deos me impiavi. — Hinc etiam *Apul.* 1. *Met.* Cruore humano aspersus atque impiatus. *Id.* 3. *ibid.* Reus tot cædibus impiatus. *Paul. Diac. p.* 109. 16. *Müll.* Impiatus, scelere pollutus, impius factus, μιανθείς. *Prudent. hymn. ante somn.* 53. At qui coinquinatum Vitiis cor impiavit. *Pacat. Paneg. Theodos.* 43. Ne oculos istos omnibus salutares homo funebris impiaret. *Seneca Hippol.* 1185. conjugis thalamos petam Tanto impiatos facinore? — *b*) *Impiatum est* impersonaliter. *Minuc. Fel. Octav.* 25. Toties Romanis impiatum est, quoties triumphatum.

IMPĬTE. *V.* IMPETO I. in fin.

IMPĬUS *vel* inpius, *a*, um, adject. (in *negat.* et pius). Sup. *Impiissimus* I. — Impius est sceleratus, nefarius, non pius; et præcipue qui de Deo, patriave, aut parentibus male meretur, ἀνόσιος, ἀσεβής, ἄθεος; (It. *empio, scellerato*; Fr. *impie, sacrilège, criminel, dénaturé*; Hisp. *impio, sacrilego, inhumano*; Germ. *gottlos, ruchlos, gewissenlos*; Angl. *impious, irreligious, wicked*).

I.) Proprie. *Cic. Pis.* 20. 46. Me fugerat, deorum immortalium has esse in impios et consceleratos pœnas certissimas constitutas. *Cæs.* 6. *B. G.* 13. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum et sceleratorum habentur. *Ter. Eun.* 4. 3. 1. Ubi ego illum scelerosum atque impium inveniam? *Cic.* 2. *Legg.* 7. 15. Deos piorum et impiorum habere rationem. *Id. ibid.* 9. 22. Impius ne audeto placare donis iram deorum. *Quintil.* 8. 6. 3. Dixerunt impium pro parricida. *Sueton. Rhet.* 6. Impius erga parentes. *Martian. Dig.* 28. 5. 46. Impiissimus filius. *Auson. Gratiar. act.* 17. Quæ ne infantissimus quidem, nisi idem impiissimus, supprimeret. *Quintil.* 7. 1. 45. Avarus, impius, qui dividere nolit cum fratre. *Cic. Quinct.* 6. 26. Si pietate propinquitas colitur, necesse est, iste, qui affinem fortunis spoliare conatus est, impium se esse fateatur. *Horat.* 3. *Od.* 11. 31. Impiæ (*Danaides*) sponsos potuere duro Perdere ferro! — Similiter *Id. ibid.* 4. 42. Impii Titanes. *Id.* 2. *ibid.* 19. 22. Gigantum cohors. *Id. ibid.* 17. 23. Saturnus. *Virg.* 1. *Ecl.* 71. miles. *Horat.* 4. *Od.* 8. 17. Carthago. *Virg.* 2. *G.* 537. gens. *Tac.* 16. *Ann.* 31. Impios deos invocare. *h. e.* rebus magicis dare operam. — Quum de poetis, aut carminibus sermo est, *impius* interdum est *malus*, indoctus: quia sacros se esse jactant poetæ et sacra studia sequi. Impius ergo qui indigna Musis et Apolline carmina facit. *Catull.* 14. 6. Isti dii mala multa dent clienti, Qui tantum tibi misit impiorum. Contra *pius* est bonus et doctus poeta. *Virg.* 6. *Æn.* 662. Quique pii vates et Phœbo digna locuti. Quamquam hoc *Servius* ad veracitatem vaticinantium refert.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de rebus physicis et abstractis. — *a*) De rebus physicis. *Cic.* 6. *de republ.* 12. Si impias propinquorum manus effugeris. Sic *Horat. Epod.* 3. 1. Impia manu parentis guttur frangere. *Id.* 3. *ibid.* 1. 17. Impia cervix. *Id. Epod.* 5. 13. Impube corpus, quale posset impia Mollire Thracum pectora. *h. e.* fera, inhumana, crudelia. *Id.* 1. *Od.* 3. 23. et *Epod.* 10. 14. impia ratis. *Ovid.* 14. *Met.* 801. generique cruorem Sanguine cum soceri permiscuit impius ensis. *Id. Heroid.* 14. 26. Dantur in invitos impia tura focos. *Id.* 1. *Amor.* 8. 114. Impia sub dulci melle venena latent. *h. e.* fera, inhumana, crudelia. *Virg.* 5. *Æn.* 733. Impia Tartara. — *b*) De abstractis. *Cic.* 2. *de republ.* 17. Ut omne bellum, quod denunciatum indictumque non esset, id injustum esse atque impium judicaretur. *Horat.* 2. *Od.* 1. 30. Impia prœlia. *Id.* 3. *ibid.* 24. 25. cædes. *Virg.* 1. *Æn.* 294. furor. *Id.* 1. *G.* 468. sæcula. *Ovid. Heroid.* 10. 100. facta. *Tibull.* 1. 3. 52. dicta in sanctos impia verba deos. *Horat.* 4. *Od.* 4. 46. tumultus. *Id.* 1. *ibid.* 27. 6. clamor. *Virg.* 4. *Æn.* 298. fama. *h. e.* mala. ¶ 2. Specialim, de *impia herba* hæc habet *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 113. (173). Impia herba vocatur incana, rorismarini aspectu, thyrsi modo restita atque capitata: inde alii ramuli assurgunt, sua capitula gerentes. Ob id impiam appellavere, quoniam liberi super parentem excellant. Alii potius ita appellatam, quod nullum animal eam attingat, existimavere. Hæc *Plin.*

IMPLĀCĀBĪLIS *vel* inplacabilis, e, adject. (in *negat.* et placabilis) qui placari non potest, *implacabile*, ἀκαταπραΰντος. — *a*) De hominibus. *Cic. Pis.* 33. 81. Seque mihi implacabilem inexpiabilemque præberet. *Id.* 3. *Fam.* 10. *a med.* Implacabilem esse in aliquem. *Liv.* 8. 35. *extr.* Implacabilem esse alicui. *Ovid.* 4. *Met.* 452. illa sorores Nocte vocat genitas (*h. e.* Furias), grave et implacabile numen. *Virg.* 12. *Æn.* 3. Implacabilis Turnus. *Capell.* 1. *p.* 2. Quod Juppiter multa implacabilis hostia denegaret. — *b*) De rebus physicis. *Virg.* 12. *Æn.* 816. Adjuro Stygii caput implacabile fontis. *h. e.* quod nulla expiatione a perjuris placari potest. *Sil. It.* 17. 253. In classem ruere implacabile cælum. — *c*) De abstractis. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. 39. Implacabiles iracundiæ. *Nepos Datam.* 9. Implacabile odium suscipere in aliquem.

IMPLĀCĀBĬLĬTAS *vel* inplacabilitas, ātis, f. 3. (implacabilis) obstinatus animus, qui se placari non sinit, *implacabilità, ostinazione.* Habet *Ammian.* 14. 1. et 26. 10.

IMPLĀCĀBĬLĬTER *vel* inplacabiliter, adverb. (implacabilis) sine placatione, *implacabilmente*,

ἀκαταλλάκτως. Occurrit tantum Comp. *Implacabilius* apud *Tac.* 1. *Ann.* 13. Cui implacabilius irascebatur. *Id.* 3. *Hist.* 53. Inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide eoque implacabilius nutriebat.

IMPLĀCĀTUS *vel* inplacatus, a, um, adject. (in *negat.* et placatus) non placatus, *non placato*. *Virg.* 3. *Æn.* 420. Implacata Charybdis. *Ovid.* 8. *Met.* 845. implacatæque vigebat Flamma gulæ.

IMPLĀCĬDUS *vel* inplacidus, a, um, adject. (in *negat.* et placidus). Sup. *Implacidissimus*. — Implacidus est non placidus, inquietus, *inquieto*, ζωαφεστος: item implacabilis, inhumanus, immitis, sævus, importunus, *fiero, crudele*. — a) De hominibus. *Horat.* 4. *Od.* 14. 10. Genaunos implacidum genus. *Stat.* 9. *Theb.* 4. Mars divum implacidissimus. — b) De rebus. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 216. implacido letalis Sirius igni. *Propert.* 4. 9. 14. Implacidæ fores. *Stat.* 5. *Theb.* 198. Rore madens Stygio morituram amplectitur urbem Somnus, et implacido fundit gravia otia cornu.

IMPLĀGO *vel* inplago, as, are, a. 1. (in et plaga) in plagas seu retia conjicere, irretire. *Sidon.* 9. *Ep.* 9. *ad fin.* Vernaculis implicaturis in retia sua præcipites implagabuntur.

IMPLĀNĀTOR *vel* inplanator, ōris, m. 3. *V.* voc. seq.

IMPLĀNO *vel* inplano, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *negat.* et planus) planum haud redigere; et translate decipere. *Auct. lib. de sing. Cleric. Cypriano* tributi n. 3. ex *Gal.* 6. 3 Si quis putat, se aliquid esse, quum non sit, se ipsum implanat. Pro certo implanator proprius suam animam decipit. *Gloss. Philox.* Implano, ἀποπλανάομαι. Hinc apud *Vulgat. interpr. Eccli.* 15. 12. Non dicas: ille me implanavit. Adde *ibid.* 34. 11. Habent et *Not. Tir.* p. 79., quæ tamen carent auctoritate.

IMPLĀNUS *vel* inplanus, a, um, adject. (in *negat.* et planus) non planus, *non piano*. *Aurel. Vict. Cæsar.* 27. inter implana urbis.

IMPLĒBĬLIS *vel* inplebilis, e, adject. (impleo) qui impleri potest. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. n. 139. Herodicus (*hydropicis*) ventris adhibet purgationem, atque post cœnam vomitus, qui sunt implebiles potius, quam siccabiles. *h. e.* qui magis faciunt, ut impleantur, quam siccetur hydropicus.

IMPLECTĬCUS *vel* inplecticus, a, um, adject. ut Implecticus bos apud *Veget.* 5. *Veterin.* 28. edente *Schneid.*, qui nempe riget et se difficulter admodum flectit: ab *in* privativa et πλεκτικός *flexilis*.

IMPLECTO *vel* inplecto, etis, xi, xum, ctere, a. 3. (in et plecto). Part. *Implexus* I. et II. — Implectere est innectere, implicare, involvere, *inviluppare, avvolgere, aggruppare, intricare*, ἐμπλέκω.

I.) Proprie. *Apul. de Mag.* Crocodilus quod est ore amplo, sed elingui, et plerumque in aqua recluso, multæ hirudines dentibus implectuntur. — Ceterum occurrit sæpe Part. præter. pass. *Lucret.* 3. 332. Implexis ita principiis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 13. 13. (35). Dracones quaternos quinosque inter se cratium modo implexos. *Id.* 2. *ibid.* 70. 70. (177). Tres circuli sonis implexi. *incrocicchiati*. *Apul. de Mag.* Capillus horrore implexus atque impeditus. Et cum Accusativo Græcorum more *Virg.* 4. *G.* 482. cæruleos implexæ crinibus angues Eumenides. *Albinov.* 1. 223. salice implexus muscoque et arundine crinis. *Seneca* 1. *Benef.* 3. Manibus implexis. *Apul.* 3. *Met.* Implexa manibus ambabus collo meo, Paveo, inquit etc. *attaccata*. et *ibid.* Plerique voluminis implexi, alii statuis dependuli.

II.) Translate. *Tac.* 16. *Ann.* 10. Vidua implexa luctu continuo, nec ullis alimentis, nisi quæ mortem arcerent.

IMPLĒMENTUM *vel* inplementum, i, n. 2. (impleo) repletio, impletio, *ripienezza*. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. Sic etiam in iracundia constitutos capitis implemento affici, atque æstimare se in furorem devenisse. *Theod. Priscian.* 4. p. 316. *bis edit. Ald.* Ut post implementum vasculorum, osculatione interius facta, sanguis exriodatur. – Tales sunt viæ sive pori, ut mensa repleantur, et post implementum rursum osculatio fiat ac deinde purgatio sequatur.

IMPLĔO *vel* inpleo, es, ēvi, ētum, ere, a. 2. (in et pleo). Sæpe syncopen admittit: hinc *implerunt* pro *impleverunt* apud *Virg.* 6. *Ecl.* 48. et 4. *G.* 461., et *Pers.* 1. 99.; *impleris* pro *impleveris* apud *Horat. Epod.* 17. 59.; *implerint* pro *impleverint* apud *Cic.* 2. *leg. Agr.* 18. 47.; *implerat* pro *impleverat* apud *Ovid.* 9. *Met.* 280.; *implessem* pro *implevissem* apud *Virg.* 4. *Æn.* 605.; *implesset* pro *implevisset* apud *Ovid.* 9. *Met.* 667. — Part. *Implens* II. 2.; *Impletus* I. 1. et II. 1. et 2.; *Impleturus* II. 1.; *Implendus* I. 3. et II. 3. — Implere est plenum reddere, explere, complere, πληρόω (It. *empire*; Fr. *emplir, remplir, combler*; Hisp. *llenar, colmar, cegar*; Germ. *füllen, anfüllen, voll machen*; Angl. *to fill*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — a) Sæpe cum Accusativo rei aut personæ quæ impletur, et Ablativo rei, qua quid aut quis impletur. *Cic.* 2. *Phil.* 25. 63. Is vomens frustis esculentis gremium suum et totum tribunal implevit. *Virg.* 1. *Æn.* 733. Implevitque mero pateram. *Id.* 4. *ibid.* 605. faces in castra tulissem Implessemque foros flammis. *Cels.* 4. 2. n. 1. *a med.* Caput calido oleo implere. *h. e.* totum perfundere. Sic *Id.* 3. 18. *ante med.* Herbarum succo expresso caput impleatur. *Virg.* 9. *Æn.* 72. manum pino flagranti fervidus implet. *h. e.* sumit pinum implentem manum. *Plaut. Aulul.* 3. 3. 6. Postquam implevisti fustibus istorum caput. *Id. Cas.* 1. 1. 35. Dolia nisi erunt semper plena, ego te implebo flagris. *Cic.* 2. *Divinat.* 56. 115. Tuis oraculis Chrysippus totum volumen implevit. *Virg.* 7. *Æn.* 23. Neptunus ventis implevit vela secundis. *gonfiò*. — b) Raro cum Genitivo rei, qua quid impletur, ut *plenus* et *compleo*. *Cic.* 9. *Fam.* 18. Æstimationes tuas vendere non potes, neque ollam denariorum implere. — c) Cum Accusativo tantum rei, quæ impletur. *Colum.* 12. *R. R.* 36. Id mustum conjicies in amphoram novam et implebis ad summum. *Cic.* 3. *de republ.* 8. Alter de ipsa justitia quatuor implevit sane grandes libros. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 27. 87. De quibus volumina impleta sunt non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo. ¶ 2. Specialim refertur ad cibum capiendum. *Virg.* 1. *Æn.* 219. Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinæ. *Petron. Satyr.* 16. Præparata nos implevimus cœna. *Cels.* 1. 2. *extr.* Si quis interdiu se implevit, post cibum neque frigori, neque æstui se debet committere. *ha ben mangiato*. Et figurate *Plin. Paneg.* 22. Implere oculos insolito spectaculo. et *Val. Flacc.* 7. 121. comitum visu fruitur miseranda suorum, Implerique nequit. *non può saziarsi*. ¶ 3. Item specialim de corpore ponitur pro quocumque modo distendere crassumque reddere. — a) Pro inflare, distendere, *gonfiare*. *Cels.* 2. 8. *a med.* Si aqua inter cutem quem implevit. Cf. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 5. (22). Flatus implet vela. — b) Pro nutrire et pinguem facere, *nutrire, ingrassare*. *Cels.* 1. 3. *ante med.* Implet corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio, etc. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 30. nascentes implent conchylia lunæ. *le rendono pingui, carnose*. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 14. Nomentanæ vites se frequenter implent, et id, quod addiderunt, optime tuentur. *si caricano d'uve*, onerant se uvis. — Similiter significat carnem inducere in vulneribus curandis, *far carne*, cui contrarium est erodere. *Cels.* 5. 28. n. 1. Purusque jam sinus curari potest implentibus. — c) Et pro gravidare, *ingravidare*. *Ovid.* 11. *Met.* 265. ingentique implet Achille. *scil.* Peleus Thetidem. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 698., 6. *ibid.* 111. et 9. *ibid.* 280.; et *Lucan.* 8. 409. *Colum.* 7. *R. R.* 6. 3. Caper quinquennis parum idoneus habetur feminis implendis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (205). Sues implentur uno coitu. *Id.* 9. *ibid.* 23. 39. (76). Murænas vulgo coitu serpentium impleri putat. ¶ 4. Item specialim ad mensuram refertur et est mensuram æquare. *Ovid.* 8. *Met.* 751. mensuraque roboris ulnas Quinque ter implebat. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 76. (202). Arboris crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat. *Id.* 18. *ibid.* 10. 20. (92). Modius grani non sexdecim libras implet. *non pesa*. *Ovid.* 2. *Met.* 344. Luna quater junctis implerat cornibus orbem. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 530. *Val. Flacc.* 6. 526. Barbarica chlamys ardet acu, tremefactaque vento Implet equum. *copre tutto*.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — a) Cum addito Ablativo rei, qua quid aut quis impletur. *Horat. Epod.* 17. 59. Impune ut urbem nomine impleris meo. *Liv.* 24. 26. Quæ virgines impletura urbem tumultu fuerint. *Val. Flacc.* 2. 167. tum voce deos, tum questibus implet. *stordisce*. *Id.* 4. 81. Implere aliquem hortatibus. *Liv.* 26. 50. *sub fin.* Implevit populares laudibus meritis Scipionis. *Ovid.* 7. *Met.* 428. Implere aliquem muneribus. *Liv.* 36. 29. multitudinem exspectatione vana. *Justin.* 29. 4. *sub fin.* Ut spe impletos in societatis jure retineret. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 212. Implere pectus falsis terroribus. *Virg.* 11. *Æn.* 274. scopulos lacrimosis vocibus implent. *Quintil.* 4. 2. 114. Implere Philodami casum lacrimis. Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 22. Osculis ac lacrimis dolorem suum implere. *sfogare a pieno*. *Quintil.* 9. 3. 74. Implere rem alloqui levem sententiarum pondere. *Id.* 5. 13. 56. Erunt infirma, nisi majore quodam oratoris spiritu impleantur. *Liv.* 7. 2. Histriones impletas modis saturas peragebant. *Justin.* 24. 6. Mentes vatum deo impletæ. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 18. 47. Quum sese sociorum, quum regum sanguine implerint. *si saranno riempiuti, saziati*. Poetice *Sil. It.* 9. 528. implere se cædibus. — Illud quoque poeticum est *Stat.* 10. *Theb.* 135. et toto præcordia protinus Arcas Implevit capulo. *h. e.* ensem capulo tenus immersit in præcordia. — b) Raro cum addito Genitivo rei, qua quis impletur. *Liv.* 1. 46. *sub fin.* Celeriter adolescentem suæ temeritatis implet. *Id.* 7. 7. Implere aliquem spei animorumque. *Id.* 5. 28. aliquem religionis. *Id.* 10. 14. hostes fugæ et formidinis. — c) Cum Accusativo sine additis. *Ovid.* 9. *Met.* 135. actaque magni Herculis implerant terras. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 667. et 1. *Fast.* 93. Sic *Plin. Paneg.* 15. Quod tectum magnus hospes impleveris. *l'hai riempiuto della tua grandezza, della tua maestà*. *Cic. Orat.* 29. 104. Demosthenes quamquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas: ita sunt avidæ et capaces. *Virg.* 11. *Æn.* 896. Interea Turnum in silvis sævissimus implet Nuncius. *h. e.* tumultu, quæ vox paullo post subsequitur. *Tac.* 1. *Ann.* 31. Audito fine Augusti vernacula multitudo lasciviæ sueta, laborum intolerans, implere ceterorum rudes animos. *Liv.* 4. 30. Urbs deinde impletur. *h. e.* contagione morbi. *Ovid.* 9. *Met.* 135. implere odium novercæ. *mettere il colmo all'odio della matrigna*. Sic poetice *Stat.* 3. *Theb.* 618. assensuque furentem Implet Achæa manus. *h. e.* turba assentiendo furenti addit ei animos et quadam armorum insania implet. *Plin.* 8. *Ep.* 13. Implere vestigia alicujus. *h. e.* sequi, assequi, imitari, æquare. *Id.* 6. *ibid.* 6. alicujus vices. *supplire*. et *Claudian. VI. cons. Honor.* 432. Ut nostras tibi, Roma, vices pro principe consul Impleret. ¶ 2. Specialim refertur ad tempus. *Ovid.* 9. *Met.* 338. Inque sinu puerum, qui nondum impleverat annum, Dulce ferebat onus. *Quintil.* 3. 1. 14.; et *Plin.* 1. *Ep.* 12. Implevit annum septimum et sexagesimum. *ha compito*. *Horat.* 1. *Ep.* 20. 27. Me quater undenos sciat implevisse decembres. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 16. (75). In trimatu implentes vitæ cursum. *compiendo, finendo*. Sic *Tac.* 2. *Ann.* 42. *ad fin.* Finem vitæ sponte, an fato, implevit. *finì di vivere*. Poetice *Stat.* 2. *Silv.* 1. 23. dulcibus alloquiis implere noctem. *passare la intiera notte*. — Similiter *Liv.* 33. 14. Impleta ut essent sex millia. *affinchè si compisse il numero di sei mille*. Sic *Vellej.* 2. 20. 4. Cohortes conscripserat ac triginta legionum instar impleverat. ¶ 3. Item specialim ponitur pro præstare, perficere, adimplere. — a) Sæpe cum Accusativo rei. *Cic. Cluent.* 18. 51. Ne id profiteri videar, quod non possim implere. *mantenere*. *Plin.* 2. *Ep.* 12. Implere promissum et fidem exsolvere. *Id.* 10. *ibid.* 56. Vereor, ne non implesse officii mei partes videar. *di non avere soddisfatto alle parti del mio dovere*. *Tac.* 3. *Ann.* 53. Implere munia sua. *adempiere le sue incombenze*. *Id.* 4. *Ann.* 38. locum principem. *h. e.* ita tenere, ut plena, quæ sunt principis, exsequare. Poetica sunt illa *Stat.* 8. *Theb.* 292. visusque sibi nec sceptra capaci Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram. *h. e.* oneri regiminis impar esse. Loquitur de regio puero in patris regnum succedente. et 9. *ibid.* 721. Nondum tela procax arcumque implere valebas. *h. e.* tela manu tenere et arcum sagitta imposita tendere. Ceterum *Tac. Agric.* 44. Vera bona, quæ in virtutibus sita sunt, impleverat. *aveva compito, adempito*. *Id.* 1. *Hist.* 16. Implere consilium. *mettere in esecuzione il disegno*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 18. 20. (41). Nec multo post prodigium implevit. *comprovò col successo*. Sic *Liv.* 1. 7. *ad fin.* Implere fata. *h. e.* quod portendebant, præstare. *Ulp. Dig.* 48. 1. 5. Inchoatas delationes implere. *condurre a fine*. *Plin.* 7. *Ep.* 33.

Non advocati fidem, sed inimici amaritudinem implesse. *non aver soddisfatto alla puntualità d'avvocato, ma sfogato l'amarezza di nemico.* *Id.* 1. *ibid.* 10. Utinam quam spem ille de me concepit, impleverim! *Pallad.* 7. *R. R.* 2. *in fin.* Ita per paucos ilus ac reditus, brevi horarum spatio, tota messis impletur. *h. e.* completur, *si finisce, si fa.* *Seneca procem. l.* 3. *Controv.* Implere controversiam, quæstionem. *h. e.* totam persequi dicendo. *Quintil.* 6. 1. 12. Quæ illic ostendere satis, in peroratione implenda sunt magis. Sic pro plane explicare, plene exprimere, *Tertull. Spectac.* 19. Malo hæc non implere, quam meminisse. *non compire questo racconto.* — *b*) Raro cum Accusativo personæ. *Vellej.* 1. 95. Quum Paulus vix posset implere censorem. *h. e.* vim auctoritatemque habere censoris. *Veget.* 1. *Milit.* 6. Ex omni conformatione corporum eos eligat, qui implere valeant bellatores. Cf. *Solin.* 1. *a med.* Oratorem L. Plancum Rubrius histrio sic implevit, ut et ipse Plancus a populo vocaretur. *h. e.* assimilavit, *lo imitò così bene* etc.

IMPLĒTIO *vel* inpletio, ōnis, f. 3. (impleo) idem atque implementum, actus implendi. Translate. *Salvian. Gubern. D.* 2. *ante med.* Non modo regimen suum Dominus et impletionem, sed etiam vim ac beneficium ipsius adimpletionis ostendit. *Id. ibid.* Impletio divinitatis.

IMPLĒTUS *vel* inpletus, a, um. *V.* IMPLEO.

IMPLEXĬO *vel* inplexio, ōnis, f. 3. Idem quod implexus. *Capell.* 2. p. 42. Serpentis gemini implexio.

IMPLEXUS *vel* inplexus, a, um. *V.* IMPLECTO.

IMPLEXUS *vel* inplexus, us, m. 4. (implecto) implicatio, amplexus, ἐμπλοκή. In sexto casu sing. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 74. (161). Polypus cavernam cancellato brachiorum implexu claudit. *Id.* 2. *ibid.* 65. 66. (166). Ut terra et aqua mutuo implexu jungerentur.

IMPLĬCĀMENTUM *vel* inplicamentum, i, n. 2. (implico) implicatio. Translate *Augustin.* 1. *de serm. Dom. in monte* 3. *a med.* Miseriarum implicamentis se expedire.

IMPLĬCĀTĬO *vel* inplicatio, ōnis, f. 3. (implico) implexus, *ravvolgimento, intrecciamento, incrocicchiamento*, περιπλοκή, ἐμπλοκή. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 139. Nervorum implicatio toto corpore pertinens. *Id.* 2. *Invent.* 32. 100. Oportebit per locorum communium implicationem ostendere etc. *h. e.* complexum argumentorum. *Id. Sext.* 46. 99. Qui propter implicationem rei familiaris, communi incendio malint, quam suo deflagrare. *h. e.* turbatas implicatasque rationes atque æs alienum.

IMPLĬCĀTRIX *vel* inplicatrix, īcis, f. 3. quæ implicat. *Gloss. Philox.* Implicatrix, ἐμπλέκτρια. Sic *Gloss. Cyrill.* Ἐμπλέκτρια, implicatrix, ornatrix.

IMPLĬCĀTŪRA *vel* inplicatura, æ, f. 1. (implico) implicatio. *Sidon.* 9. *Ep.* 9. *ad fin.* Vernaculis implicaturis in retia sua præcipites implagabuntur.

IMPLĬCĀTUS *vel* inplicatus, a, um. *V.* IMPLICO.

IMPLĬCĀTUS, us, m. 4. (implico) idem atque implicatio. *Vulgat. Ital.* (edente *A. Maio*) 1. *Petr.* 3. 3. Quarum sit non extrinsecus capillorum implicatus, aut auri circumpositio.

IMPLĬCISCO, is. *V.* voc. seq.

IMPLĬCISCOR *vel* inpliciscor, scĕris, sci, dep. 3. (implico) mente aberrare, *delirare*, apud *Plaut. Amph.* 2. 2. 95. AMPH. Delirat uxor. SOS. Atra bili percita est. Nulla res tam delirantes homines concinnat cito. AMPH. Ubi primum tibi sensisti, mulier, impliciscier? ALC. Equidem ecastor sana et salva sum. (*impliciscier* est paragoge pro *implicisci*). — Est etiam *implicisco, is*, a. 3. animo deficere, *svenire, cadere in deliquio*, atque ideo mente aberrare. *Fronto* 3. ad *M. Cæs. ep.* 13. fortasse *ex vet. poeta. Loquitur Hero ad Leandrum.* Nam ego potius te caruero, tametsi amore tuo ardeo, potius quam te ad hoc noctis natare tantam profundi patiar: ne lumen occidat, ne ventus lucernam interemat, ne quid tibi ex frigore impliciscar (*fortasse legendum* impliciscat), ne fluctus, ne vadus, ne piscis aliquo noxit. *Gloss. Philox.* Implicisco, ἀποτροπιάζω.

IMPLĬCĬTĒ *vel* inplicite, adverb. (implicitus ab implico) involute, abscondite, *inviluppatamente, implicitamente*. *Cic.* 2. *Invent.* 23. 69. Absoluta constitutio est, quæ ipsa in se, non ut negotialis, implicite et abscondite, sed patentius et expeditius recti et non recti quæstionem continet.

IMPLĬCĬTO *vel* inplicito, as, are, a. 1. *intensiv.* ab implico. *Plin.* 9. *Ep.* 33. Delphinus exsilit, mergitur, variosque orbes implicitat expeditque. *h. e.* involvit et evolvit. Al. leg. *implicat.*

IMPLĬCĬTUS *vel* inplicitus, a, um. *V.* voc. seq.

IMPLĬCO *vel* inplico, cas, cāvi, cātum et (jam inde ab Augusti ævo) cŭi, citum, care, a. 1. (in *et* plico). Part. *Implicans* II. 1.; *Implicatus* in omnibus paragr. et in fin.; *Implicitus* I. et II. 1.; *Impliciturus* et *Implicandus* I. — Implicare est innectere, involvere, impedire, irretire, ἐμπλέκω (It. *inviluppare, intrecciare, avvolgere, raggruppare, intricare*; Fr. *plier, tresser dans, enlacer, entrelacer, entortiller, envelopper*; Hisp. *plegar, enlazar, envolver*; Germ. *hineinfalten, verwickeln, verschlingen, einfassen, umfassen*; Angl. *to inwrap, enfold, involve, entangle, intwine*).

I.) Proprie. *Catull.* 61. 35. Ut tenax hedera huc et illuc Arborem implicat errans. *Id. ibid.* 107. Lenta qui velut assitas Vitis implicat arbores, Implicabitur in tuum Complexum. *Virg.* 12. *Æn.* 742. fugâ petit æquora Turnus, Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes. *fa giri e rigiri.* *Id.* 2. *ibid.* 72. dextræ se parvus Iulus Implicuit sequiturque patrem. *si attaccò.* *Ovid.* 1. *Met.* 762. implicuit materno brachia collo. *Id.* 2. *Amor.* 18. 9. Implicuitque suos circum mea colla lacertos. *Tibull.* 1. 4. 51. Post etiam collo se implicuisse volet. *Ovid.* 1. *Art. am.* 561. Implicitamque sinu abstulit. *strettasela al seno.* *Stat.* 10. *Theb.* 718. sic colla manusque tenebat Implicitus. *strettamente abbracciato.* *Val. Flacc.* 1. 264. Lætus at impliciti Peleus rapit oscula nati. Huc referri potest et illud *Stat.* 2. *Silv.* 1. 46. Osculaque impliciti vernos redolentia flores. *h. e.* implicantes oscula redolentia etc. Græcorum more. Ceterum *Virg.* 2. *Æn.* 552. Implicuitque comam lævæ, dextraque coruscum (ensem) Extulit. *prese con la sinistra la chioma.* *Tibull.* 3. 6. 64. Debueram sertis implicuisse comas. *Virg.* 4. *Æn.* 149. Fronde premit crinem fingens atque implicat auro. *annoda.* *Id.* 7. *ibid.* 135. frondenti tempora ramo Implicat. *cinge.* *Ovid.* 5. *Fast.* 220. Sertaque cælestes implicitura comas. *Horat. Epod.* 5. 15. Canidia brevibus implicata viperis Crines. *Ovid. Heroid.* 9. 91. Cerberus implicitis angue minante comis. *Afranius* apud *Non.* p. 123. 16. *Merc.* In parte inferiore hic implicabatur caput. Ubi *Nonius*: Implicare positum pro ornare. *Ovid.* 2. *Art. am.* 580. Impliciti laqueis. *impigliati nei lacci.* *Martial.* 6. 15. *de formica.* Implicuit tenuem succina gutta feram. *Curt.* 4. 3. 24. Ad implicanda navigia, quæ muros subibant. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Quini ordines stipitum conjuncti inter se atque implicati, quo qui intraverant, se ipsi acutissimis vallis induebant. *Fronto* 2. *ad M. Cæs.* 1. Epistolam matri tuæ scripsi, eamque epistolæ ad te scriptæ implicui. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 17. 65. (105). Iasione unum folium habet, sed ita implicatum, ut plura videantur. *Id.* 11. *ibid.* 4. 3. (9). Insectis nihil intus, nisi admodum paucis intestinum implicatum. *Virg.* 11. *Æn.* 751. volans alte raptum quum fulva draconem Fert aquila, implicuitque pedes atque unguibus hæsit. *Id.* 10. *ibid.* 892. calcibus auras (equus) Verberat, effusumque equitem, super ipse secutus, Implicat. *Id.* 11. *ibid.* 632. congressi in prælia totas Implicuere inter se acies legitque virum vir. *h. e.* miscuere in pugnam. *Sall. Jug.* 59. Implicare ac perturbare aciem. *intricare e disordinare.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 79. Dii immortales vim suam longe lateque diffundunt, quam tum terræ cavernis includunt, tum hominum naturis implicant. *h. e.* penitus immittunt, immiscent. Cf. *Virg.* 7. *Æn.* 355. dum prima lues — Pertentat sensus atque ossibus implicat ignem. et *Val. Flacc.* 7. 598. propinquanti noctem implicat. — Rursus *Cic.* 2. *Off.* 11. 40. Iis, qui contrahendis negotiis implicantur, justitia ad rem gerendam necessaria est. *si occupano.* *Id. Lig.* 1. 3. Nullo se implicari negotio passus est. Cf. *Pseudo-Sall. orat.* 2. *ad Cæs. de republ. ordin. a med.* Alii judiciis publicis, alii privatis suis negotiis implicati. *Cic. Amic.* 13. 45. Satis superque esse sibi suarum cuique rerum: alienis nimis implicari molestum est. *Id.* 1. *Nat. D.* 19. 51. Deus nihil agit, nullis occupationibus est implicatus. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 3. 11. Dum reipublicæ quædam procuratio multis officiis implicatum et constrictum tenebat. *Id. Dom.* 40. 105. Nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses. *ti fossi impacciato e intricato.* *Id.* 1. *Off.* 32. 117. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit, quod optimum esset, judicare. *Id.* 4. *Verr.* 18. 41. Sic illud dices —, ipse te impedies, ipse tua defensione implicabere. *Id.* 4. *Tusc.* 27. 58. Bene adhibita ratio cernit quid optimum sit: neglecta multis implicatur erroribus. *s'inviluppa, s'imbroglia.* *Id.* 5. *Tusc.* 1. 3. Animi et corporum doloribus congruentes et separatim suis angoribus et molestiis implicati. *Id. Vatin.* 1. 3. Inconstantia tua quum levitate, tum etiam perjurio implicata. *Id.* 2. *Phil.* 32. 81. Implicata inscientia (*al.* inscitia) impudentia est, si etc. *Id. Harusp. resp.* 4. 7. Illaqueatus omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, exspectatione supplicii implicatus. *Horat. Art. P.* 423. Litibus implicitum eripere. *Plin.* 3. *Ep.* 9. 19. Implicitos suspicionibus. *Lucan.* 3. 432. Implicitus terrore *vel* torpore. *Virg.* 11. *Æn.* 109. Quænam vos tanto Fortuna indignos, Latini, Implicuit bello? *h. e.* immiscuit et irretivit. *Cic.* 1. *Legg.* 17. 47. Voluptas penitus in omni sensu implicata insidet. *Id. Rosc. Am.* 13. 85. Tametsi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam, quam implicatus ad severitatem videbatur. *Liv.* 27. 43. Eum primo incertis implicantes responsis. *Id.* 40. 46. Nisi forte implacabiles iræ vestræ implicaverint animos vestros. *h. e.* in errorem induxerint, confuderint: *abbiano imbrogliato e confuso le vostre menti.* Al. aliter legunt. *Id.* 2. 21. Tanti errores implicant temporum, ut nec qui consules, nec quid quoque anno actum sit, digerere possis. *imbrogliano la storia.* *Cic.* 1. *Invent.* 22. 32. Paucitas in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permixte cum partibus implicantur. *h. e.* confunduntur, miscentur. *Id. pro leg. Manil.* 7. 19. Hæc fides atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro versatur, implicita est cum illis pecuniis Asiaticis et cohæret. *Liv.* 6. 21. Ni privato, ut fit, periculo publicum implicitum esset. *Gell.* 19. 12. Sensus isti motusque animi innexi implicitique esse vigoribus quibusdam mentium et alacritatibus. *h. e.* ex illis affectibus et motibus animi pendet et aptum est robur quoddam et vigor animi. *Pompejus* apud *Cic.* 8. *Att.* 12. n. 1. Ut omnibus copiis conductis te implicet, ne ad me iter tibi expeditum sit. Cf. *Martial. Spectac.* 11. Implicita visco fuga. — Dicitur etiam de morbo. *Cæs.* 3. *B. C.* 18.; et *Liv.* 23. 40. Prætor gravi morbo implicitus. *Tac.* 4. *Ann.* 53. Agrippina pervicax iræ et morbo corporis implicata. *Nepos Agesil.* 8. *ad fin.*; et *Liv.* 23. 34. In morbum implicitus decessit. Et absolute *Martial.* 1. 102. Ureret implicitum quum scelerata lues. — Refertur et ad texturam orationis. *Cic. Orat.* 56. 187. Intervallorum longorum et brevium varietas, quibus implicata atque permixta oratio est. *intrecciata, intessuta.* *Gell.* 18. 2. Versus Ennii uno multifariam verbo concinniter implicati. ¶ 2. Speciatim refertur ad conjunctionem amicitiæ et propinquitatis. *Cic.* 2. *Fin.* 14. 45. Homo profectus a caritate domesticorum ac suorum serpat longius et se implicet primum civium, deinde mortalium omnium societate. *Id. Balb.* 27. 60. Æqua lex et nobis et omnibus, qui nostris familiaritatibus implicantur. *Id.* 6. *Fam.* 12. Omnes Cæsaris familiares satis opportune habeo implicatos consuetudine et benevolentia. *Id.* 1. *Att.* 19. *a med.* Novis amicitiis implicati. *Id. Pis.* 29. 70. Revocare se non poterat familiaritate implicatus. *Id. Amic.* 22. 85. Implicati ultro et citro vel usu diuturno, vel etiam officiis repente in medio cursu amicitiae exorta aliqua offensione dirumpimus. *Plin.* 7. *Ep.* 16. Calestrium familiarissime diligo, et privatis mihi et publicis necessitudinibus implicitum. *Nepos Dion.* 1. Utraque implicatus tyrannide Dionysiorum. Nam ille superior sororem Dionis habuit in matrimonio etc. Non absimile est illud *Cic. Brut.* 47. 174. Ita diu vixit, ut multarum ætatum oratoribus implicaretur. *h. e.* versaretur, consuetudinem haberet. Cf. *Plaut. Merc.* 1. 1. 11. Implicitus muliere. *intricato in amor di donna.* — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Implicatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Implicatior* et Sup. *Implicatissimus*;

et translate est impeditus, involutus, *inviluppato, intralciato*. *Cic.* 3. *Fin.* 1. 3. Nec in Torquati sermone quidquam implicatum, aut tortuosum fuit. *Id.* 3. *Orat.* 14. 52. Reliquæ (*partes orationis*) sunt magnæ, implicatæ, variæ, graves etc. *Gell.* 19. 9. Implicata carmina facere. *Id.* 6. 2. *extr.* Obscurissima et implicatissima quæstio. *Ammian.* 26. 6. *ad fin.* Per artus tremore diffuso, implicatior ad loquendum. *Seneca Apocoloc. ante med.* Vox nullius terrestris animalis, sed qualis esse marinis belluis solet, rauca et implicata.

IMPLŌRĀBĬLIS *vel* inplorabilis, e, adject. qui implorari potest, aut debet. *Val. Flacc.* 1. 572. *de apice Castorum.* lumenque innoxia fudit Purpureum miseris olim implorabile nautis.

IMPLŌRĀTĬO *vel* inploratio, ōnis, f. 3. (imploro) invocatio, auxilii petitio in rebus afflictis, *invocazione*, ἀνάκλησις. *Cic.* 2. *Orat.* 47. 196. Omniumque deorum et hominum et civium et sociorum invocatio. *Id.* 7. *Verr.* 63. 163. Si te illius acerba imploratio et vox miserabilis non inhibebat. *Quintil.* 9. 2. 38. Sive in invocationem aliquam convertimur, sive ad invidiosam implorationem.

IMPLŌRĀTUS *vel* inploratus, a, um. *V.* voc. seq.

IMPLŌRŌ vel inploro, as, āvi ātum, are, a. 1. (in et ploro). Part. *Implorans* sub *b*; *Imploratus* sub *a* et *b*; *Imploraturus* et *Implorandus* sub *b*. — Antiqui pro *implorare* dixerunt *endoplorare*, teste *Paul. Diac.* loc. mox citand. *V.* IN, INDU et ENDO. — Quid sit implorare, docet *Paul. Diac. p.* 77. 1. *Müll.* hisce verbis: E n d o p l o r a t o implorato, quod est cum quæstione inclamare: I m p l o r a r e namque est cum fletu rogare, quod est proprie vapulantis. Et *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 19. Implorare est auxilium cum miseratione deposcere. Itaque implorare est plorando vocare, invocare ad auxilium, appellare, testari, exposcere, petere, ἱκετεύω (It. *chiedere o pregare piangendo, implorare, invocare*; Fr. *s'adresser à quelqu'un en pleurant, implorer, invoquer, demander avec prières*; Hisp. *implorar, invocar*; Germ. *weinend anrufen, flehend zu Hülfe rufen, flehend bitten*; Angl. *to beg or cry out for, beseech earnestly, implore, invoke, entreat*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ. *Cic. Flacc.* 2. 4. Quem enim alium appellem? quem obtester? quem implorem? *Id.* 7. *Verr.* 72. 188. Vos etiam atque etiam imploro et appello, sanctissimæ deæ. *et mox.* Deos deasque omnes imploro atque obtestor. *Id.* 2. *Cat.* 13. 29. Deos precari, venerari, implorare debetis, ut etc. *Fronto* 3. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 9. Deos votis implorare. *V.* PERMARINUS. Rursus *Cic. post. red. in senat.* 15. 39. Quum me vestra auctoritas arcessierit, populus Romanus revocarit, respublica imploraril. *Cæs.* 1. *B. G.* 51. Mulieres flentes implorabant milites, ne se in servitutem Romanis traderent. *Justin.* 22. 2. 3. Ad cujus auxilium Hamilcar imploratus, præsidia militum mittit. *Id.* 23. 3. 2. Imploratus a Siculis in auxilium. *Liv.* 9. 4. A Vejis exercitum Camillumque ducem implorabunt. — *b*) Cum Accusativo nominis abstracti aut rei alicujus. *Virg.* 10. *Æn.* 18. O pater, o hominum divumque æterna potestas, (Namque aliud quid sit, quod jam implorare queamus?) Cernis, ut insultent Rutuli? *Cic. Quinct.* 30. 94. Qui deus appellandus est? cujus hominis fides imploranda est? *Id. Mur.* 40. 86. Vestram fidem obtestatur, misericordiam implorat. *Id.* 5. *Verr.* 62. 148. Vestram fidem, dignitatem, religionem in judicando non imploro. *Id. Mil.* 34. 92. Quam (*misericordiam*) ipse non implorat: ego, etiam repugnante hoc, et imploro et exposco. *Id. Sull.* 23. 64. Implorarem sensus vestros, uniuscujusque indulgentiam in suos testarer, peterem errato veniam. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 4. 11. Ille Heracliti memoriam implorans, quærere ex eo, num ea e Philone audivisset aliquando? *h. e.* petens ab Heraclito, ut memoriam ipse suam consuleret, num etc. *Id.* 3. *Verr.* 3. 7. Implorantes jura libertatis et civitatis in crucem sustulit. — *Id.* 7. *ibid.* 49. 129. Mater me suam salutem appellans, te suum carnificem nominans, filii nomen implorans. *ripetendo con lagrime.* — *Id. Rabir. perduell.* 3. 9. Consulis auxilium implorare et flagitare. *Id.* 2. *Orat.* 33. 144. Neque ipse auxilium suum sæpe a viris bonis frustra implorari patietur. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Dixerunt, sese neque obsides repetituros, neque auxilium a populo Romano imploraturos. Adde *eumd.* 1. *B. C.* 1. et 1. *B. G.* 32. *Cic.* 1. *de republ.* 40. Ut ille qui navigat, quum subito mare cœpit horrescere, et ille æger ingravescente morbo unius opem implorat. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 135. Poscit opem chorus, et — Cælestes implorat aquas docta prece blandus. *Catull.* 68. 65. Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata. — *c*) Absolute. *Plin. Paneg.* 45. Mederis erroribus, sed implorantibus. — *NB.* Pro deploratus legunt nonnulli in *Epit. Liv. l.* 54. Ab exercitu suo multum imploratus ac nobilissime tumulatus. *Al. rectius leg.* comploratus.

IMPLUMBO *vel* inplumbo, as, āvi, are, a. 1. (in et plumbo) plumbo ferruminare, *impiombare*. *Vitruv.* 10. 6. Ferreos cnodaces uti subscudes in capitibus scaporum implumbavit.

IMPLŪMIS *vel* inplumis, e, adject. (in *privat.* et pluma) sine plumis, involucris, *senza piume*, ἄπτην.

I.) Proprie. *Horat. Epod.* 1. 19. Assidens implumibus pullis aves. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 64. (170). Columbarum fetus implumes. *Sil. It.* 8. 421. *implumes* dicit conos galearum, pennarum et cristæ ornatu carentes.

II.) Translate per catachresin est sine pilis, *senza pelo*. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 55. 81. (219). Lepus solus præter dasypodem superfetat, aliud educans, aliud in utero pilis vestitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens pariter. Ita legit *Harduin.* ex MSS. Suspicatur *Salmas.* in *Solin. p.* 283. legendum *impile*. *Silligius Harduini* lectionem tuetur.

IMPLŬO *vel* inpluo, plŭis, plŭi, plŭtum, plŭere, n. et a. 3. (in et pluo). Part. *Implutus* sub I. 2.° — Impluere est intus vel supra pluere, ἐμβρέχω (It. *piovere dentro o sopra*; Fr. *pleuvoir dans ou sur*; Hisp. *llover dentro ó sobre*; Germ. *worauf oder wo hineinregen*; Angl. *to rain in or upon*).

I.) Proprie. — 1.°) Neutrorum more. *Varro* 5. *L. L.* 161. *Müll.* Deorsum, quo impluebat, impluvium dictum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 96. 97. (210). Fanum Veneris, in cujus quamdam aram (*al.* aream), non impluit. *Sillig.* leg. *non pluit*. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Si turbo austrinus insorduit, lacus immane turgescit; ita ut arborum comis, quæ margini insistunt, superjectæ asperginis fragor impluat. *Id. carm.* 22. 132. torrens ipsis aspergine tectis impluit. — Sic imperson. *Colum.* 2. *R. R.* 8. 5. Priusquam impluerit, ab avibus atque formicis sata edi. *Al. leg.* impluverit. Et pro simplici pluere, *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 6. Si arcus circa occasum refulsit, rorabit et leviter impluet. — 2.°) Active. *Ovid.* 1. *Met.* 572. Peneus spumosis volvitur undis etc., summasque aspergine silvas impluit. *Non. p.* 548. 18. *Merc.* Impluviatus color, quasi fumato stillicidio implutus (*h. e.* imbutus), qui est Mutinensis, quem nunc dicimus.

II.) Translate. *Plaut. Most.* 4. 1. 15. Malum quum impluit ceteros, non impluat mihi.

IMPLŪTUS vel inplutus, a, um. *V.* voc. praeced.

IMPLŬVĬA *vel* inpluvia, æ, f. 1. idem videtur esse ac vestis impluviata. Quidam censent, genus hoc vestis dictum esse a colore fusco vel pullo; alii definiunt vestem, qua sacerdotes per imbrem utebantur. *Varro*: Salium quoque sereno tempore in pluvia amictum fuisse criminabantur. Ita *Nicol. Perottus*, quem penes sit fides. — Porro in *Gloss. Philox.* Impluvia, μανδύη. Apud *Hesych.* Μανδύας ἢ μαντίας, εἶδος ἱματίου Περσῶν πολεμικόν. Apud *Ducang.* vero *Gloss. med. et inf. Græcit.* legitur hæc vox, quæ et μανδύον scribitur, a pluribus Græcis scriptoribus usurpata pro pallio imperatorum, episcoporum et monachorum, unde profecto derivatum est Italorum *mantello*, ut ex *impluvia* eorumdem *piviale* seu *piviale*.

IMPLŬVĬĀTUS vel inpluviatus, a, um, adject. *Non. p.* 548. 18. *Merc.* Impluviatus color, quasi fumato stillicidio implutus, qui est Mutinensis, quem nunc dicimus. *nempe* modica fuligine infuscatus. *V.* INSUASUM. — Hinc

Impluviata, æ, f. 1. absolute est vestis a colore ita appellata, de qua *Plaut. Epid.* 2. 2. 39. EPIDICUS. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam? EPID. Impluviatam, ut istæc faciunt vestimentis nomina. PERIPH. Ut? in impluviam induta erat? Ex postremis his *Plauti* verbis *Turneb. l.* 14. *adversar. c.* 19. conjicit, aliter hoc interpretandum esse: nempe ut vites, inquit, compluviatæ, sic et vestis impluviata de similitudine impluviorum dicetur, quæ ea figura est, ut quaterna, id est quatuor quadrata lateribus undique corpus ambiat: quæ forma est impluviorum in cavædiis. Sed potius impluviata vestis erat, quæ impluviato colore, *h. e.* insuaso, tincta erat; constat enim ex picturis Herculanensibus et Pompejanis, olim mulieres sæpissime flavo seu luteo colore vestes suas infecisse, quem ad modum et nostrates villicæ magnopere gaudent flavo colore; qui, si subpallidus sit, imitatur illum colorem, qui ex stillicidio fumato oriri solet.

IMPLŪVĬUM *vel* inpluvium, ii, n. 2. (impluo).

I.) Proprie. *Varro* 5. *L. L.* 161. *Müll.* C a v u m æ d i u m dictum, qui locus tectus intra parietes relinquebatur patulus, qui esset ad communem omnium usum. In hoc locus si nullus relictus erat, sub divo qui esset, dicebatur t e s t u d o ab testudinis similitudine, ut est in prætorio in castris. Si relictum erat in medio ut lucem caperet, deorsum quo impluebat dictum i m p l u v i u m, sursum qua compluebat c o m p l u v i u m: utrumque a pluvia. Sic *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 23. 61. Impluvium est locus sine tecto in ædibus, quo impluere imber in domum possit. *cortile interno della casa.* Adde *Paul. Diac. p.* 108. 14. *Müll.* Hinc *Varro* collocat *compluvium* ad tectum, et *impluvium* ad solum, (quum alii auctores contra collocent, addit *Forcellinus*: *V.* COMPLUVIUM, et infra sub II.). *Cic.* 3. *Verr.* 23. 61. Duo signa pulcherrima, quæ nunc ad impluvium tuum stant. *Id. ibid.* 56. 147. Columnæ ad impluvium locatæ. *Liv.* 43. 13. Palmam enatam in impluvio suo nunciabat.

II.) Improprie, aut latiori significatione usurpatur pro compluvio. *Ter. Eun.* 3. 5. 40. *de Jove ad Danaen veniente.* Per alienas tegulas venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri. *Alii leg.* clanculum, per pluviam fucum factum etc. *Id. Phorm.* 4. 4. 27. Anguis per impluvium decidit de tegulis. *Vitruv.* 6. 4. *ad fin.* Impluvii lumen latum latitudinis atrii ne minus quarta, ne plus tertia parte relinquatur. *Alii pro impluvii leg.* compluvii, *inter quos* et Schneider.

IMPŒNE. *V.* IMPUNE.

IMPŒNĬTENDUS *vel* inpœnitendus, a, um, adject. (in *negat.* et pœnitet) non pœnitendus, *da non pentirsi*. *Apul.* 11. *Met.* Impœnitendæ se pauperiei committere. Adde *Cassiod.* 1. *Variar.* 30.

IMPŒNĬTENS vel inpœnitens, entis, adject. (in *negat.* et pœnitens) quem non pœnitet, *impenitente*. In *declam.*, quæ inscribitur *Tribunus Marianus* (quae perperam *Quintiliano* tribuitur) c. 3. ter legitur. *Hieronym.* in *Isaj.* 12. 40. 27. Illi qui habent cor impœnitens. Alibi vero apud *eumd.* sæpius. Adde *Vulgat. interpr. Rom.* 2. 5.

IMPŒNĬTENTĬA *vel* inpœnitentia, æ, f. 1. (in *negat.* et pœnitentia) conditio illius, quem non pœnitet, *impenitenza*. *Hieronym.* in *Isaj.* 18. 65. 23. Ne comederet Adam ex eo, et impœnitentiæ desperationisque ac superbiæ morte moreretur.

IMPŒNĬTUS vel inpœnitus, a, um. *V.* IMPUNITUS.

IMPŎLĪTĒ *vel* inpolite, adverb. (impolitus) sine politione et ornatu, *senza ornamento, alla buona*, ἀκόσμως. *Cic.* 1. *Orat.* 49. 214. Quum sibi senatus breviter impoliteque dicenti maximis sit de rebus assensus.

IMPŎLĪTĬA vel inpolitia, æ, f. 1. (impolitus) incuria, sordes, *non curanza, sordidezza*, ἀκοσμία. *Gell.* 4. 12. Si quis eques Romanus equum habere gracilentum, aut parum nitidum visus erat, impolitiæ notabatur (*a censoribus*). Id verbum significat, quasi si tu dicas *incuriæ*; cujus rei auctoritates sunt, et M. Cato id sæpenumero attestatus est. *Paul. Diac. p.* 108. 4. *Müll.* Impolitias censores facere dicebantur, quum equiti æs abnegabant ob equum male curatum. Heic *Paulus*, quum legeret apud *Verrium* ἀρχαϊκῶς scriptum *impolitias* pro *impolitia*, locum pessime corrupisse cl. *Furlanetto* videtur.

IMPŎLĪTUS *vel* inpolitus, a, um, adject. (in *negat.* et politus). Comp. *Impolitior* I. — Impolitus est non politus, rudis, *rozzo*, ἄξεστος, ἄκομψος.

I.) Proprie. *Quintil.* 8. 6. 63. Structuræ lapidum impolitiorum. *Spalding.* leg. *impolitorum*. Adde *Vulgat. interpr. Deuter.* 27. 6. et alibi.

II.) Translate. *Cic. Brut.* 85. 294. Orationes Catonis valde laudo: significant enim quamdam formam

ingenii, sed admodum impolitam et plane rudem. *Id.* 2. *Orat.* 31. 133. Quam sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur, hebes atque impolitum. *Id. ibid.* 14. 58. Timæus ipsa compositione verborum non impolitus. Sic *Quintil.* 1. 5. 7. Grammaticus impolitus. *Cic. Prov. cons.* 14. 34. Impolitæ vero res et acerbæ si erunt relictæ, efferent se aliquando etc. *h. e.* non perfectæ.

IMPOLLŪTUS vel inpollutus, a, um, adject. (in *negat. et* pollutus) non pollutus, *non macchiato, non violato*, ἀμίαντος. *Tac.* 14. *Ann.* 35. Virginitas impolluta. *Id.* 16. *ibid.* 26. Intemeratus, impollutus. *Sil. It.* 13. 679. Pro barbara numquam impolluta fides! Adde *Vulgat. interpr. Ps.* 17. 31. et alibi.

IMPŌMENTA quasi imponimenta, quæ post cœnam mensis imponebant. *Paul. Diac. p.* 108. 18. *Müll.*

IMPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. (in et pono). *Imposisse* legitur apud *Plaut. Most.* 2. 2. 4. pro *imposivisse* (nempe contractum pro *imposiisse*), quod est antiquum præteritum non infrequens in verbo pono et ejus compositis. *Id. Rud.* 2. 3. 27. Quidquid domi fuit, in navem imposivit. Sic *Cato* apud *Fronton. ep.* 1. *ad Antonin.* 109. *edit. Rom.* Numquam præfectos per sociorum vestrorum oppida imposivi. — *Impostus* per syncopen pro *impositus* est poeticum. *Lucret.* 5. 514. Imposta pondera. *Propert.* 4. 2. 29. Imposta corona. *Virg.* 9. *Æn.* 716. Inarime imposta Typhœo. *Val. Flacc.* 4. 186. arma imposta aris. *Stat.* 1. *Theb.* 227. Mens conctis imposta manet. *è superiore, sta al di sopra.* — Part. *Imponens* II. 1.; *Impositus* I. 1. et 2. et 3.; *Impositurus* et *Imponendus* II. 1. — Imponere est superponere, ἐπιτίθημι (It. *Soprapporre, imporre*; Fr. *mettre dans ou sur, déposer sur, placer, poser, appliquer sur*; Hisp. *poner, colocar, metre sobre*; Germ. *in etwas legen, setzen, stellen*; Angl. *to place, put, set or lay upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Cum præpos. in et Accusativo. *Plaut. Most.* 2. 2. 4. Si posthac me pedem latum modo scies imposisse in undam. *in acqua. Id. Rud.* 2. 6. 6. Imponere pedem in navem. *V.* et infra sub I. 2. Rursur *Plaut. Pers.* 4. 6. 10. Hunc in collum, nisi piget, impone. Sic *Liv.* 35. 35. Imponere aliquem in equum. *Id.* 5. 40. *extr.*; et *Cato* apud *Varron.* 2. *R. R.* 4. 11. in plaustrum. *Ter. Andr.* 1. 1. 102. Ad sepulcrum venimus: in ignem imposita est: fletur. *Cic.* 1. *Tusc.* 35. 85. Metellum multi filii, filiæ, nepotes, neptes in rogum imposuerunt. Cf. *Julian. Dig.* 6. 1. 59. Imponere fenestras et ostia in aliena ædificia. Huc pertinent et illa *Cæs.* 1. *B. G.* 51. Omnem aciem suam rhedis et carris circumdederunt: eo mulieres imposuerunt. *h. e.* in rhedas et curros. *et ibid.* 42. Milites eo imposuerunt. *h. e.* in equos. — *b*) Raro admodum cum præpos. in et Ablativo. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 15. Tusculum emi et hasce coronas floreas: hæc imponentur in foco nostro Lari. *V.* mox sub *c.* — *c*) Sæpissime cum Dativo. — Pertinet etiam ad sacra: *V.* loc. *Plaut.* cit. sub *b. Virg.* 4. *Æn.* 453. turicremis quum dona imponeret aris. *Ovid.* 1. *Fast.* 127. Libum Jano imponere. *Juvenal.* 12. 84. Sertaque delubris et farra imponite cultris. — Ceterum generatim. *Cic. Flacc.* 31. 76. Quum coronam auream litteris imponebant. *Id.* 2. *Phil.* 34. 85. Id egit, ut collegæ diadema imponeret. *Id.* 3. *Off.* 7. 33. Quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto tamquam fastigium imponimus. *Lucret.* 5. 544. Imponere pondera alicui. Cf. *Cic.* 13. *Fam.* 56. onus alicui. *Id.* 5. *Att.* 15. Clitellæ bovi impositæ. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 24. Imposita gremio stertere fronte potest. *Virg.* 4. *G.* 477. Impositique rogis juvenes ante ora parentum. *Ovid.* 1. *Met.* 327. Imponere laticem igni. *Ovid.* 2. *Fast.* 473. et 1. *Met.* 230. aliquid mensis. *mettere in tavola. Stat.* 2. *Silv.* 1. 65. Impositus stratis. *Ovid.* 6. *Met.* 511. Imposita est pictæ Philomela carinæ. *Petron. Satyr.* 114. Imposita scaphæ. Cf. *Horat.* 2. *Od.* 3. 28. et nos in æternum Exsilium impositura cymbæ. *Stat.* 6. *Theb.* 321. quum natum imponeret axi. *h. e.* in currum. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 77. Impositus mannis. *Gell.* 20. 1. Imponere aliquem jumento. *Liv.* 7. 24. clares portis. Et figurate *Id.* 45. 19. frenos animo alicujus. et *Varro* apud *Non. p.* 82. 12. *Merc.* frenos cupiditati. *Tac.* 1. *Ann.* 61. pontes paludibus. *Horat.* 3. *Od.* 4. 22. Pelion Olympo. *Id.* 2. *Ep.* 1. 253. Arces montibus impositæ. *Id.* 1. *Sat.* 5. 26. Impositum saxis Anxur. — Sic pro immittere, inferre. *Ovid.* 2. *Met.* 507. celeri raptor per inania vento Imposuit cœlo. Sic *Id.* 14. *ibid.* 811. ablatum terris cœlo imposuit. Similiter *Id. Heroid.* 11. 122. Sparsa, precor, nati collige membra tui: Et refer ad matrem, socioque impone sepulcro. — *d*) Raro admodum cum præpos. super et Accus. *Ovid.* 1. *Met.* 67. Hæc super imposuit liquidum æthera. *Curt.* 9. 7. 22. Imponere pedem super cervicem jacentis. Cf. *Virg.* 1. *Æn.* 65. molemque et montes insuper altos Imposuit — *e*) Absolute. *Ter. Andr.* 5. 3. 26. Quidvis oneris impone, impera. Adde *eumd. Phorm.* 3. 3. 29. Sic *Ovid.* 15. *Met.* 820. Ferre onus impositum. *Horat.* 3. *Od.* 4. 76. nec peredit Impositum celer ignis Ætnam. *Quintil.* 9. 3. 61. Diadema imposuit. *Id.* 11. 3. 140. Pars togæ, quæ postea imponitur. ¶ 2. Speciatim in re nautica est in navem imponere, *imbarcare, caricare sulle navi.* — *a*) Cum præpos. in et Accus. *Lentulus* apud *Cic.* 12. *Fam.* 14. In quas (*naves*) exercitum ejus imponi posset. *Cæs.* 3. *B. C.* 14. Imponere legiones equitesque Brundisii in naves. Sic *Id.* 7. *B. G.* 58. Deprehensis navibus circiter L., atque eo militibus impositis. Similiter *Id. ibid.* 103. Æris magno pondere ad militarem usum in naves imposito. Cf. *Plauti* loc. allatum init. hujus voc. — *b*) Cum Ablativo sine præpos. *Cæs.* apud *Sueton. Cæs.* 66. Vetustissima nave impositos quocumque vento jubebo avehi. Cf. *Cæs.* 3. *B. C.* 6. ipsi expediti naves conscenderant, quo major numerus militum posset imponi. — *c*) Absolute. *Cic* 2. *Divinat.* 40. 84. Quum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret. Adde *eumd.* 1. *Att.* 10. ¶ 3. Item speciatim pertinet ad medicos. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (50). Allium imponitur in vulnera. *Id. ibid.* 6. 21. (47). Porrum imponitur et vulneribus. *Id. ibid.* 4. 13. (27). Raphanos imponi super umbilicum contra tormenta vulvæ. *Id.* 23. *ibid.* 7. 71. Folia mori serpentium ictibus imponuntur. ¶ 4. Item ad admissuram animalium ad sobolem. *Colum.* 6. *R. R.* 36. 4. Ita efficitur, ut (*asinus*) fastiditæ imponatur equæ. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 2. 5.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim latissime patet: itaque — *a*) Est injicere, conjicere objicere. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 17. Curio, cujus amicitia me paullatim in hanc perditam causam imposuit. *h. e.* injecit, conjecit. Neque absimile est illud *Petron. Satyr.* 102. Imponere aliquem periculo. *h. e.* exponere, objicere, in periculo ponere. — Huc referri potest et imponere præsidium oppido, *mettere guarnigione. Liv.* 21. 7.; *Curt.* 3. 7. 2. et 9. 8. 10.; et *Justin.* 6. 6. 4. — *b*) Sæpe est injungere. *Cic.* 6. *Fam.* 7., 13. *ibid.* 56. et 1. *de republ.* 23. Imponere onus alicui. *Id. Mur.* 18. 38. Numquam iste plus militi laboris imposuit, quam sibi sumpsit ipse. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 74. Graviores labores sibi imponere. Rursus *Cic.* 2. *leg. Agr.* 18. 49. Vos mihi personam hanc imposuistis, ut illius absentis dignitatem tuerer. *Antonius* apud *Cic.* 10. *Att.* 10. Partes mihi Cæsar has imposuit, ne paterer etc. *Cic.* 15. *Att.* 26. Si mihi imposuisset aliquid, animo iniquo tulissem. Cf. *Ulp. Dig.* 22. 3. 18. Imponere probationem actori. — Hoc sensu plus est aliquando quam committere, nempe de iis dicitur, quæ commissa oneri sunt et molestiæ. *Cic. Sext.* 28. 60. Nec illi committendum illud negotium, sed imponendum putaverunt. — *c*) Item *addossare. Cic.* 4. *Att.* 5. Mihi necessitatem volui imponere hujus novæ conjunctionis. Sic *Id. Sull.* 12. 35. Mihi de memetipso tam multa dicendi necessitas quæ jam imposita est ab illo. *Sall. Cat.* 44. Belli invidiam consuli imponere. *Liv.* 36. 27. Ita enim et illis violandi supplices verecundiam se impositiros. — *d*) Item inferre. *Cic.* 4. *Fin.* 24. 66. Imponere vulnera reipublicæ. *Id.* 1. *Att.* 16. *circa med.* vulnus reipublicæ. *Id. Sext.* 19. 44. plagam mortiferam reipublicæ. Confer *Ovid. Heroid.* 19. 28. impositas servet arena notas. *h. e.* impressas. *et Sueton. Cæs.* 73. Imposita stigmata. *h. e.* inusta. Rursus *Cic.* 4. *Verr.* 60. 135. Mihi impone istam vim, ut omnino mihi non liceat polliceri. *Id.* 6. *ibid.* 9. 20. Quibus tu privatim injurias plurimas contumeliasque imposuisti. *Id. Quinct.* 31. 96. et 1. *de republ.* 3. Imponere injuriam alicui. *Sall. Cat.* 49. Contumelia imposita alicui. — *e*) Item indicere, imperare. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. § 3. Ejus aquæ jure constituto et servitute fundo illi imposita. *Pseudo-Sall. orat.* 2. *ad Cæs.* Imponere servitutem civibus. *Cic.* 12. *Phil.* 1. 2. De imponendis, non de accipiendis legibus cogitare. *dare o mettere leggi. Id.* 7. *ibid.* 5. 15. Leges civitati per vim imposuit. *Id. Balb.* 18. 41. Impositæ leges. *Id.* 1. *Orat.* 60. 256. Nimis duras leges imponere visus est huic ætati. *Ulp. Dig.* 50. 16. 131. Imponere pœnam delicto. *Quintil.* 12. 7. *fin.* pretium alicui rei. — Imponere vadimonium. *V.* VADIMONIUM. — *f*) Imponere nomen, vocabulum, *imporre, metter nome. Lucret.* 6. 741. Nomen ab re impositum. *Cic.* 5. *Verr.* 85. 147. Huic prædæ ac direptioni cellæ nomen imponis. *Liv.* 35. 47. Filiis duobus Philippum atque Alexandrum, et filiæ Apamiam, nomina imposuerat. Sic *Quintil.* 8. 3. 7.; et *Tac.* 4. *Ann.* 34. et 14. *ibid.* 39. Imponere nomen alicui. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 280. imponens cognata vocabula rebus. — *g*) Item ponere, statuere: qua significatione occurrit frequenter *imponere finem, manum, modum* etc. *Quintil.* 9. 4. 116. Finem imponere volumini festino. *Liv.* 5. 4. Imponere finem spei. *Colum.* 3. *R. R.* 19. 3. clausulam disputationi. *Quintil. præfat.* § 4. Quasi perfectis summam eloquentiæ manum imponerent. *dessero l'ultima mano.* Sic *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (16). Imponere summam manum operi. *dar l'ultima mano, por fine.* et *Virg.* 7. *Æn.* 572. extremam manum bello. et *Ovid. Remed. am.* 114. manum supremam bellis. (Alio sensu *Ovid. Heroid.* 9. 76. Imponere manum calathis. *metter la mano sulle cestelle*; vel *prendere in mano.* et 4. *Trist.* 1. 28. manum sacris Pieridum. *metter mano, trattare.* Sic 4. *Pont.* 8. 82. manum studiis.). Ceterum *Liv.* 3. 24. Imponere modum alicui. *Plin.* 9. *Ep.* 13. *a med.* modum dolori. *Sueton. Aug.* 34. modum divortiis. ¶ 2. Speciatim ponitur pro præficere, sive alicui munus, officium, vel magistratum in aliquos conferre. *Cic. Planc.* 25. 62. Si emimus, quem villicum imponeremus, quem pecori præficeremus. Cf. *Nepot. Cim.* 4. Imponere custodem hortis. Rursus *Cic.* 1. *Att.* 18. Consul est impositus is nobis, quem etc. *Sall. Cat.* 51. Lacedæmonii devictis Atheniensibus triginta viros imposuere. *Liv.* 40. 12. *a med.* Ut quem vellent, imponerent Macedoniæ regem. *Id.* 37. 25. Romanos Masinissam in Syphacis regnum imposuisse. *Sueton. Vesp.* 8. Cappadociæ consularem rectorem imposuit. *Liv.* 15. 36. Quid si domini milites imperatoribus imponantur? *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 54. Imponere dominum in cervicibus alicujus. *Al. omittunt* in. *Liv.* 6. 18. Minore negotio, qui imperet patribus, imponetis, quam qui resisterent imperantibus imposuistis. *Id.* 42. 41. Euphranorem præfectum a me impositum occiderunt. ¶ 3. Item speciatim quum de vectigalibus vel tributis est sermo, ponitur pro imperare. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 4. 10. Jubet eosdem decemviros omnibus agris publicis pergrande vectigal imponere. *Id. Fontej.* 5. 10. Vectigal fructibus impositum. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Imponere stipendium victis. *Sueton. Domit.* 12. et *Cal.* 40. tributum alicui. *Cæs.* 3. *B. C.* 32. tributum in singula capita. *Cic.* 15. *Att.* 10. frumentum. *Auct. B. G.* 8. 49. nova onera civitatibus. ¶ 4. Item est decipere, *ingannare, dar ad intendere*; qua significatione occurrit cum Dativo personæ, et subaudiendus videtur Accusativus *fraudem, fallaciam*, aut ejusmodi. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 5. Catoni egregie imposuit Milo noster. *gliel' ha fatta bella. Id.* apud *Quintil.* 8. 6. 20. et 55. Populo imposuimus et oratores visi sumus. *Nepos Eumen.* 5. *extr.* Simulata deditione, dum de conditionibus tractat, præfectis Antigoni imposuit. *Plin.* 3. *Ep.* 15. Si modo mihi non imposuit recitatio tua. *Juvenal.* 4. 103. facile est barbato imponere regi. — Et impersonaliter *Petron. Satyr.* 102. Utcumque imponi vel dormienti posset.

IMPORCĀTUS vel inporcatus, a, um. *V.* IMPORCO.

IMPORCĪTOR vel inporcitor, ōris, m. 3. *Paul. Diac. p.* 108. 9. *Müll.* Imporcitor qui porcas in agro facit arando. Porca autem est inter duos sulcos terra eminens. Docet *Servius* ad *Virg.* 1. *G.* 21. ex *Fabio Pictore*, hos deos invocari a flamine, sacrum cereale faciente Telluri et Cereri: Vervactorem, Reparatorem (*al.* Redaratorem; *Pontedera* vero *Op. porth. T.* 2. *p.* 320. *Repastinatorem* reponendum censet), Imporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem (*al.* Subruncatorem), Messorem, Convectorem, Conditorem, Promitorem: nempe a diversis officiis, quæ præstant

in rusticis rebus. *Vervactor* enim præerat primæ agrorum arationi, quæ vere fiebat; *Reparator* (lege *Repastinator*) alteri; tertiæ *Imporcitor*, nam post tertiam arationem porcas facere mos erat. Reliqua nomina facilem intellectum habent.

IMPORCO *vel* inporco, as, ātum, are, a. 1. (in *et* porca). Part. *Imporcatus*. — Imporcare est porcas in agros facere. *Gloss. Philox.* Imporco, αὐλακίζω. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 6. Quum semen crudo solo ingesserimus, inarabimus imporcatumque occabimus. *e ridotto sulla sommità delle porche l'erpicheremo.*

IMPORTĀBĪLIS *vel* inportabilis, *e*, adject. (in *negat. et* porto) qui portari non potest.

I.) Proprie. *Cassiod.* 7. *Variar.* 6. Arbores sunt quidam mœnium importabiles arietes. *h. e.* mœnia subruunt. Cf. *Vulgat. interp. Matth.* 23. 4. Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum.

II.) Translate. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 27. *a med.* Excusandos censuisset, si importabilia portare non possent. *Cassiod.* 9. *Variar.* 2. Malum importabile. *Id.* 12. *ibid.* 11. Importabilis fraus.

IMPORTĀBĪLĬTER *vel* inportabiliter, adverb. (importabilis) *incomportabilmente.* Occurrit translate tantum et est intolerabiliter. *Cassiod.* 7. *Hist Eccl.* 29. Ariani vexabant orthodoxos pecuniis sæpe damnificantes, et omnia contra eos facientes importabiliter.

IMPORTĀTĪCĬUS *vel* inportaticius *et*

IMPORTĀTĪTĬUS *vel* inportatitius, a, um, adject. (importo) qui importatur, advecticius. *Auct. B. Afr.* 20. Frumento se in Africa, nisi importaticio, uti non posse.

IMPORTĀTUS *vel* inportatus, a, um. *V.* voc. seq.

IMPORTO *vel* inporto, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* porto). Part. *Importatus* I. et II.; *Importandus* I. — Importare est inferre, invehere, εἰςφέρω (It. *portar dentro, introdurre, importare*; Fr. *porter dans, importer, faire venir de loin*; Hisp. *llevar dentro, introducir*; Germ. *hinein tragen oder bringen, aus der Fremde einführen*; Angl. *to carry, or convey in, introduce, import*).

I.) Proprie. — *a*) Cum addito Accusat. se præpos. in vel *ad. Cæs.* 3. *B. C.* 40. Qui (*Lælius*) commeatus Bullide atque Amantia importari in oppidum prohibebat. *Id.* 1. *B. G.* 1. Minime ad eos mercatores commeant, atque ea, quæ ad effeminandos animos pertinent, important. *Id.* 4. *ibid.* 2. Vinum ad se omnino importari non sinunt. — *b*) Absolute. *Cæs.* 5. *B. G.* 12. Ferri exigua copia est: ære utuntur importato. *Id.* 3. *B. C.* 42. Plerumque utuntur frumento importato. *Id.* 4. *B. G.* 2. Germani jumentis importatis non utuntur. *Vellej.* 2. 114. 2. In hoc solum importatum instrumentum balnei nullius non succurrit valetudini. *Varro* 1. *R. R.* 16. 3. Fructuosior fit fundus, quam si longe sit importanda. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 30. 31. (113). Importare Græcam linguam. *Id.* 2. *ibid.* 47. 48. (126). Grandines Septentrio importat et Corus.

II.) Translate: ad rem *Cic.* 2. *de republ.* 4. Importantur non merces solum adventiciæ, sed etiam mores. — Multa enim ad luxuriam invitamenta perniciosa civitatibus suppeditantur mari, quæ vel capiuntur, vel importantur. *et ibid.* 15. Facile patior, non esse nos transmarinis nec importatis artibus eruditos, sed genuinis domesticisque virtutibus. — Ceterum est afferre, *apportare*; et occurrit — *a*) Cum Dativo. *Cic.* 2. *Off.* 5. 18. Si quid importetur nobis incommodi, propulsemus. *Id.* 1. *Orat.* 9. 38. Plura detrimenta publicis rebus, quam adjumenta per homines eloquentissimos importata. *Id. Sext.* 69. 146. Importare calamitatem alicui. *Id. Dejot.* 15. 43. pestem alicui, aut incolumem famam. *Phædr.* 1. 28. luctum alicui. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 18. 22. (116). Vinum in Arcadia fieri, quod fecunditatem feminis importet, viris rabiem. *Horat.* 1. *Ep.* 13. 4. Ne studio nostri pecces, odiumque libellis Sedulus importes. — *b*) Absolute. *Cic.* 4. *Tusc.* 15. 34. Perturbationes animi important ægritudines anxias atque acerbas. *Cic. fil.* 16. *Fam.* 21. *a med.* Importare suspicionem. *Liv.* 39. 11. fraudem aut periculum. *Papinian. Dig.* 50. 2. 5. Crimen, quod ignominiam importat.

IMPORTŪNĒ *vel* inportune, adverb. (importunus). Comp. *Importunius* 1. et 2.; et Sup. *Importunissime* 1. — Importune ¶ 1. Est præter loci, aut temporis, aut personarum rationem, *importunamente*, ἀκαίρως: sed occurrit morali tantum significatione (*V.* IMPORTUNUS 3.) et est perperam, moleste. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. 80. Confidere suis testibus et importune insistere. *Paul. Dig.* 13. 6. 17. Si pugillares mihi commodasti, non recte facies importune repetendo. *Justin.* 42. 1. 3. Tyrannica crudelitate multas civitates importune vexavit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (54). Perquam importune fortuitum hoc quoque fuit. *Gell.* 10. 16. *in fin.* Potest medius esimi versus, qui de Pyrrho importune immissus est. *Lactant.* 5. 2. Importunius veritati insultare. *Gell.* 20. 6. *sub fin.* Importunissime fecerunt, qui scripturam istam sincerissimam corruperunt. ¶ 2. In bonam partem est sine pausa, continuo. *Veget.* 2. *Veterin.* 28. 8. Aqua perennis ac profluens ministranda: nam quidquid importunius fluit, virus non admittit.

IMPORTŪNĬTAS *vel* inportunitas, ātis, f. 3. (importunus). ¶ 1. Generatim est intempestivitas, quæ neque loci, ut ait *Donatus*, neque temporis observat commoditatem, ἀκαιρία (It. *importunità*; Fr. *disposition défavorable, qualité d'une chose mal appropriée*; Hsp. *calidad de una cosa mal ataviada*; Germ. d. *Ungeeignetheit, Beschwerlichkeit, Gefährlichkeit*; Angl. *importunity, eagerness, imprudent earnestness, unreasonableness*). *Ter. Andr.* 1. 4. 4. Importunitatem spectate aniculæ. *Gell.* 3. 7. Tribunus ad consulem venit, ostendit exitium de loci importunitate et hostium circumstantia. *svantaggio del sito.* ¶ 2. Speciatim morali significatione est morosa ac molesta natura, morum asperitas, rusticitas, atque adeo nimia licentia, audacia, impotentia, immanitas, feritas. *Cic. Senect.* 3. 7. Moderati et nec difficiles nec inhumani senes tolerabilem agunt senectutem; importunitas autem et inhumanitas omni ætate molesta est. *h. e.* morosa ac molesta natura, *indiscretezza*. *Id.* 5. *Verr.* 16. 42. Vides, inter importunitatem tuam senatusque bonitatem quid intersit. *Plaut. Trin.* 3. 3. 6. Tanta importunitas tantaque injuria facta in nos est ab hero nostro. *insolenza. Cic.* 1. *de republ.* 40. Quid? tu non vides, unius importunitate et superbia Tarquinii nomen huic populo in odium venisse regium? Similiter *importunitas* cum *superbia* jungitur apud *eumd. Amic.* 15. 54. *Id.* 4. *Verr.* 30. 74. Homo incredibili importunitate atque audacia. *Id.* 5. *ibid.* 54. 126. Ex tuo scelere, importunitate, avaritia, crudelitate. *Id. Cluent.* 69. 195. Importunitatem matris a filii capite depellite. *Id. ibid.* 61. 170. Quem propter animi importunitatem nemo recipere tecto vellet. *Id. Pis.* 9. 21. Animal ex omnium scelerum importunitate et omnium flagitiorum impunitate concretum. *Id. Sull.* 25. 75. Tanta inauditi sceleris importunitas. *Sall. Jug.* 31. Hi ts, quantum importunitatis habent, parum est impune male fecisse. *Auct. B. Afr.* 87. Sedaniæ eorum importunitatis gratia, singulis HS centum divisit.

IMPORTŪNUS *vel* inportunus, a, um, adject. Comp. *Importunior* 2.; Sup. *Importunissimus* 3. — Hæc vox nusquam legitur apud *Cic.*; nam ubi olim vulgati libri habebant 2. *Orat.* 5. 20. Num aut locus hic non idoneus videtur, aut importunum tempus, in tanto otio? *Lambin.* malebat *inopportunum*; quam lectionem, optimis Codicibus freti, recentiores plerique omnes tuentur. — Ratione habita etymi, importunus est portu carens, si fides habenda *Paul. Diac. p.* 108. 19. *Müll.* Importunum, in quo nullum est auxilium, velut esse solet portus navigantibus. Quam sententiam nonnulli confirmant loco *Ovid.* 14. *Met.* 481. sub 2. allato. Sed juxta recentiores philologos *importunus*, cui *opportunus* recta opponitur, est ab in privat. et verbo *porto*, ac propterea importunus dicitur locus, quo aliquid importari nequit; hinc est etiam non idoneus, ineptus, incommodus, infestus, ἄκαιρος (It. *non atto, male adatto, incommodo*; Fr. *mal disposé, mal approprié, qui n'est pas propre à, incommode*; Hisp. *mal ataviado, importuno*; Germ. *ungeeignet, unpassend, unbequem*; Angl. *importune, out of season, unseasonable, inconvenient*). Itaque ¶ 1. Stricto sensu de locis usurpatur, et est non idoneus, ineptus. *Sall. Jug.* 92. Aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus importunus. *Sil. It.* 3. 510. importuna locorum. *h. e.* non apta itineri. *luoghi disastrosi. Tac.* 12. *Ann.* 12. *in fin.* Armeniam petunt, id temporis importunam, quia hiems occipiebat. ¶ 2. Latiori et prægnante, uti ajunt, significatione est gravis, molestus, periculosus. *Cels.* 4. 3. Neque alius importunior acutiorque morbus est, quam etc. *Horat.* 3. *Od.* 16. 37. Importuna tamen pauperies abest. *Ovid.* 14. *Met.* 481. Quos communis hiems importunusque Caphareus Mersit equis. *h. e.* procellosus atque adeo periculosus. *Al. leg.* importunisque. ¶ 3. Item latiori et morali significatione *homo importunus* dicitur, qui modum non habet, ac sine ullo discrimine loci, temporis, rerum aut personarum, incommodus omnibus, durus, iniquus, difficilis est, neque alios quiescere patitur (ut maria, quæ portu carent, si prima vocis notatio placet), *indiscreto, importuno, fastidioso, rigido, nojoso*: (item addit *Forcellinus*, immanis, sævus, crudelis, ut qui nullo non tempore furit, nocetque sine discrimine; item nequam, malus, improbus). Porro hac significatione occurrit etiam de abstractis. — *a*) De hominibus et brutis. *Plaut. Asin.* 1. 1. 47. Uxor importuna atque incommoda. *Ter. Heaut.* 1. 2. 23. Immo ille fuit senex importunus semper. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 96. Importunus amat laudari? *etc.* Crescentem tumidis infla sermonibus utrem. *Id.* 2. *Ep.* 2. 185. alter Dives et importunus ad umbram lucis ab ortu Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum. *Id.* 1. *ibid.* 6. 53. Cui libet, is fasces dabit, eripietque curule Importunus ebur. *Gell.* 1. 15. Leves et futiles et importuni locutores. *Horat.* 4. *Od.* 13. 9. Cupido importunus transvolat aridas Quercus etc. *Virg.* 1. *G.* 470. Obscœnæque canes importunæque volucres. — In sequentibus locis est, juxta *Forcellinum*, immanis, sævus, crudelis, etc. ut diximus. *Cic.* 7. *Verr.* 40. 103. Importunus atque amens tyrannus. Cf. *eumd.* 1. *de republ.* 33. Tam enim esse clemens tyrannus, quam rex importunus potest. *Id. Cluent.* 63. 117. Crudelis atque importuna mulier. Sic *Liv.* 29. 17. *in fin.* Crudelissimus atque importunissimus tyrannus. *Cic.* 2. *Cat.* 6. 12. Importunissimus hostis. *Liv.* 5. 2. importuni decemviri. *prepotenti. Ovid.* 4. *Met.* 480. Nec mora: Tisiphone madefactam sanguine sumit Importuna facem. — *Forcellinus* interpretatus est nequam, malum, improbum in illo *Cic.* 9. *Fam.* 21. *in fin.* Quare ad patres censeo revertare: plebeji quam fuerint importuni, vides. *Lege totam epistolam.* — *b*) De inanimis et abstractis. *Gell.* 3. 1. Numquam tam importuna atque audaci argutia fuit noster Probus, ut Sallustium, vel subtilissimum brevitatis artificem, periphrasin poetarum facere diceret. *Cic. post red. in senat.* 6. 15. Ut omnes suas libidines latere posse arbitraretur, si modo vultum importunum in forum detulisset. *h. e.* durum et severitatem præ se ferentem. *Id.* 6. *Verr.* 50. 111. Importunissimæ libidines. *h. e.* quæ nullo non loco aut tempore, et contra omnis generis homines insolescunt. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 23. Quem tenet argenti sitis importuna famesque. — Pro immani, sævo, crudeli etc. affertur *Cic.* 3. *Verr.* 3. 8. Singularem quamdam pœnam istius immanis atque importuna natura desiderat. *Id.* 5. *ibid.* 54. Importunissima pestis. Cf. *eumd. Brut.* 97. 232. Etsi cursum ingenii tui premit hæc importuna clades civitatis. *Ovid.* 3. *Amor.* 9. 19. omne sacrum mors importuna profanat.

IMPORTŪŌSUS *vel* inportuosus, a, um, adject. (in *negat. et* portuosus). Sup. *Importuosissimus*. — Importuosus est qui portu caret, qui est sine portu, *senza porto*, ἀλίμενος. *Sall. Jug.* 20. Mare sævum, importuosum. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 67. Importuosum circa mare. *et* 12. *ibid.* 20. Suscipi bellum avio itinere, importuoso mari. *Seneca Consol. ad Helv.* 8. Natura importuosi maris. *Liv.* 10. 21. Lævà importuosa Italiæ litora. Sic *Plin.* 6. *Ep.* 31. *in fin.* Litus importuosum. *Plin. alter* 4. *Hist. nat.* 12. 23. (73). Insula importuosissima omnium.

IMPOS *vel* inpos, pŏtis, adject. (in *privat. et* potis) est idem quod impotens, *h. e.* qui rem aliquam in sua potestate non habet, ἀκρατής: cui contrarium est *compos*. Occurrit — *a*) Cum Genitivo. — *Impos animi*, aut sui est, qui ægritudine aliqua extra se est, cui mens sana non est, *fuori di se*. *Plaut. Trin.* 1. 2. 93. Quid interest, dare te in manus argentum amanti homini adolescenti, animi impoti? *Id. Cas.* 3. 5. 7. Eripite isti gladium, qui sui est impos animi. *Seneca Agam.* 117. Impos sui amore cæco. — *Impos verborum*, qui loquendo sibi tem-

perare nequit. *Fronto ad Antonin. Pium* 3. Niger Censorius verborum suorum impos et minus consideratus. — *Impos veritatis*, qui veritatem assequi non valet. *Apul. de deo Socrat. post init.* — *Impos damni* apud *Auson. Edyll.* 10. 274. est impatiens jacturæ. — *b*) Absolute. *Paul. Diac.* p. 109. 5. *Müll.* Impos est, qui animi sui potens non est, qui animum suum in potestate non habet. *h. e.* idem atque impos animi, vel sui, *fuori di se. Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Impotem ipsum aliorum addici potestati.

IMPŌSĬTĪCĬUS *vel* inpositicius *vel* impositius, a, um, adject. (impono) qui imponitur, ἐπιθετικός.

I.) Proprie. *Impositicia res* dicitur, quæ cum alia conjuncta non est tamquam pars ejus, sed extrinsecus est imposita, *posticcia. Paul. Dig.* 30. 1. 41. § 11. Canthari per quos aquæ saliunt, poterunt legari, maxime si impositicii sint.

II.) Translate. *Varro* 8. *L. L.* 5. *Müll.* Duo omnino verborum principia, impositio et declinatio, alterum ut fons, alterum ut rivus. Impositicia nomina esse voluerunt quam paucissima. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 61.; at *V.* DECLINATUS in v. DECLINO. — *Impositicia causa* distinguitur a naturali et a publica a *Sextio Pedio* apud *Ulp. Dig.* 39. 1. 5. *ante med. V.* JCtos.

IMPŌSĬTĬO *vel* inpositio, ōnis, f. 3. (impono) actus imponendi, *imposizione*, ἐπίθεσις.

I.) Proprie. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 115. (141). Succus vel semen impositione apicula a corpore ejicit. *Vulgat. interpr.* 2. *Tim.* 1. 6. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Adde *ibid. Act.* 8. 18. et alibi.

II.) Translate apud *Varron.* 8. *L. L.* 5. *Müll.*, 10. *ibid.* 51. et 61., et 5. *ibid.* 3. *impositio verborum et nominum* est eorum inventio et usus ad significanda ea, quibus imponuntur.

IMPŌSĬTĪTĬUS. *V.* IMPOSITICIUS.

IMPŌSĬTĪVUS *vel* inpositivus, a, um, adject. idem quod impositicius. Figurate *impositiva nomina* apud *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 6. (33). *h. e.* quæ imponuntur rebus significandis. *Forcellinus* addit etiam *Varron.* 9. *L. L.* 3. *a med.*, quem tamen locum in *Mülleri* editione minime inveni. *Priscian.* 11. p. 937. *Putsch. Ipse* pronomen est impositivum, hoc est ἐπιταγματικόν.

IMPŌSĬTOR *vel* inpositor, ōris, m. 3. qui imponit. Figurate *Varro* 7. *L. L.* 2. *Müll.* Quum hæc adminicula addas ad eruendam voluntatem impositoris. *h. e.* ejus qui rei nomen imposuit.

IMPŌSĬTUS *vel* inpositus, a, um. *V.* IMPONO.

IMPŌSĬTUS *vel* inpositus, us, m. 4. idem atque impositio. In sexto casu sing. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 4. 6. (12). Ulcera commanducatu impositoque efficacissime sanari. *Al. leg.* commanducato impositoque.

IMPOSSĬBĬLIS *vel* inpossibilis, e, adject. (in negat. et possibilis). Com. *Impossibilior.* — Impossibilis est qui fieri non potest, *impossibile*, ἀδύνατος. *Quintil.* 5. 10. 18. Hoc assequi mitto, non enim longum tantum, sed etiam impossibile, aut potius infinitum est. *Id.* 5. 13. 34. impossibilia aggredi. *Justin.* 2. 4. 18. Imperare alicui aliquid quasi impossibile. *Boeth.* in *Aristot. de interpr. ed. pr.* p. 268. Si ergo illud impossibilius est, hoc erit magis eligendum. Adde *eumd. ibid.* p. 433. *Apul.* 1. *Met.* Nihil impossibile arbitror. *Id.* 3. *Dogm. Plat.* Sextus modus per impossibile tantum approbatur. Adde *Macrob.* 7. *Saturn.* 3. *ante med.* Sic *Ulp. Dig.* 43. 11. 1. *circa med.* Impossibile est, ut alveus fluminis publici non sit publicus.

IMPOSSĬBĬLĬTAS *vel* inpossibilitas, ātis, f. 3. (impossibilis) conditio rei quæ fieri nequit, *impossibilità*, ἀδυναμία. *Apul.* 6. *Met.* Impossibilitate ipsa mutata in lapidem Psyche. Adde *Tertull. Baptism.* 2. *in fin.*

IMPOSSĬBĬLĬTER, adverb. (impossibilis) impossibili modo. *Boeth.* in *Aristot. de interp. ed. sec.* p. 368. Id quod in nobis est, conjungere impossibiliter et copulare contendunt.

IMPOSTOR *vel* inpostor, ōris, m. 3. qui imponit; sed occurrit translate tantum et est qui decipit; *impostore*, πλάνος, ἐπιθέτης. *Ulp. Dig.* 21. 1. 4. Nec gulosos, nec impostores, aut mendaces, aut litigiosos. *Id. ibid.* 50. 13. 1. Si incantavit, si imprecatus est, si, ut vulgari verbo impostorum utar, exorcizavit; non sunt ista medicinæ genera. (Impostoris lepide puniti historiam *V.* apud *Trebell. loc. cit.* in voce sequenti). *Hieronym. Ep.* 38. *in fin.* Si tunica non canduerit, statim illud de trivio: impostor et Græcus est. *Id. Ep.* 54. n. 5. hoc idem Græca habet, ὁ Γραικός, ὁ ἐπιθέτης: ex quo apparet proverbiale quoddam dictum fuisse; et maxime in Christianos illorum temporum. Adde *Paulin. Nolan. carm.* 21. 338.

IMPOSTŪRA *vel* inpostura, æ, f. 1. (impono) figurate est fraus, deceptio, *impostura*, ἐπίθεσις. *Ulp. Dig.* 47. 20. 3. Si quis imposturam fecerit, vel collusionem in necem alterius, stellionatus poterit postulari. (Fortasse *impostura* hoc loco veneficium, incantamentum significat. *Trebell. Gallien.* 12. Imposturam fecit et passus est.

IMPOSTUS *vel* inpostus, a, um, pro impositus. *V.* IMPONO init.

IMPŌTENS *vel* inpotens, entis, adject. (in negat. et potens). Comp. *Impotentior* et Sup. *Impotentissimus* 2. — Impotens ¶ 1. Physica ratione est non potens, infirmus, ἀκρατής (It. *impotente, debole*; Fr. *qui n'est pas maitre de, impuissant, qui ne peut, faible*; Hisp. *impotente, feble, debil*; Germ. *nicht mächtig, ohnmächtig, schwach*; Angl. *weak, feeble, unable, impotent*). Hoc sensu occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Fin.* 16. 52. Neque homini infanti atque impotenti injuste facta conducunt. *Id. Mur.* 28. 59. Nolo accusator in judicium potentiam afferat, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam: valeant hæc omnia ad salutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitosorum. *Sall. in orat. Macri Licin.* Neque me præterit, quanto opere nobilitatis, solus, impotens, pellere dominationem incipiam. *Horat.* 2. *Od.* 1. 26. Juno et deorum quisquis amicior Afris inulta cesserat impotens Tellure. — *b*) Cum Genitivo. *Liv.* 9. 14. Gens impotens rerum suarum præ domesticis seditionibus. *h. e.* quæ res suas regere nescit, aut nequit. *Id.* 35. 11. Equi impotentes regendi. *h. e.* qui regi nequeunt. *V.* mox sub 2. 1.° *a.* ¶ 2. Morali ratione sæpius usurpatur, et est incontinens, insolens, effrenatus, vehemens, impatiens, qui in sua potestate non est, qui effectus suos regere non potest, sed ab iis vincitur et aufertur. — 1.°) Occurrit de hominibus; et quidem — *a*) Cum Genitivo. *Curt.* 4. 7. 14. Quidam ob sitim impotentes sui. *h. e.* extra se erant, *incapaci di frenare se stessi, non potendosi trattenere.* Sic *Liv.* 29. 9. Impotens iræ. *h. e.* qui iræ suæ dominari nequit. *Id.* 30. 42. Impotens lætitiæ. *Tac.* 4. *Ann.* 44. amoris. *Val. Max.* 4. 6. 2. doloris. *Curt.* 8. 1. 49. animi. *Seneca Agam.* 126. consilii. *h. e.* prudentiæ et moderationis impatiens aut incapax. — *b*) Absolute. *Cic.* 4. *Fam.* 9. Victoria etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit. *più smoderati. Id.* 5. *Phil.* 9. 24. Impotens, iracundus, contumeliosus, superbus, semper poscens, semper rapiens, semper ebrius. *Id. ibid.* 16. 42. Homo impotentissimus, ardens odio, animo hostili in omnes bonos. *trasportatissimo. Id.* 11. *ibid.* 7. 16. Ipse est confidens, impotens etc. *Vellej.* 2. 11. 1. Marius immodicus gloriæ, insatiabilis, impotens, semperque inquietus. *incapace di soggezione. Quintil.* 6. 1. 12. Si contra impotentem suscepta est causa. *Sueton. Ner.* 28. Ferox atque impotens mulier. *Id. Claud.* 15. Impotentes inimici. *Seneca Med.* 143. Sceptro impotens. *h. e.* qui propter regiam potentiam insolescit. Huc referri potest et illo *ejusd. Hippol.* 276. Cupido impotens flammis simul et sagittis. *h. e.* sæviens in omnes sine discrimine et modo. *et Herc. Œt.* 715. Quis tam impotens, o misera, te casus rotat? *h. e.* sævus, immanis, nimis potens, cujus violentiæ resisti nequit. — *c*) *Impotentem esse alicui* est impotenter, insolenter, superbe agere. *Justin.* 26. 3. 4. Statim a principio superbus, regiæ familiæ militibusque impotens erat. *era intollerabile.* — *d*) Cum Infinito. *Horat.* 1. *Od.* 37. 10. quidlibet impotens Sperare fortunaque dulci Ebria. De loco *Liv.* 27. 48. *V.* IMPOTENTER 1. — 2.°) De abstractis et inanimis. *Cic. Harusp. resp.* 2. 3. Nihil feci iratus, nihil impotenti animo. *con animo appassionato. Id.* 5. *Phil.* 8. 22. Quæ effrenatio impotentis animi! *Id. Partit. orat.* 35. 119. Aut nullos animi motus, aut non tam impotentes fuisse. *Id.* 5. *Tusc.* 7. 17. Impotenti lætitia efferri. *smoderata. Id.* 10. *Fam.* 27. Ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est. *prepotenza.* Adde *Nepot. Lysandr.* 1. *Liv.* 29. 9. In multo impotentiorem subito rabiem accensi. *Quintil.* 12. 1. 6. Impotentissimæ cogitationes cupiditatis, avaritiæ, invidiæ. *Catull.* 35. 12. Illum deperit impotente amore. (*Plin.* apud *Charis.* 1. p. 108. *Putsch.* antique dictum ait *impotente* pro *impotenti.* Contra *Id. Plin. ibid.* p. 101. statuit ex *Verr. Flacco*, qui fuit Augusti æqualis, nominum, quæ in ns finiuntur, ablativum in e exire: additque auctoritatem *C. Cæsaris* in *ep.* ad *Cic.* Confirmat *Bentlej.* ad *Horat.* 1. *Od.* 25. 17. afferens loca plus quam 60. ejusdem et aliorum in e desinentia). *Curt.* 4. 10. 7. Superstitio impotens, sæva, mutabilis. *che non si può reggere. Liv.* 7. 41. *extr.* impotens postulatum. *dimanda spropositata. Tac.* 3. *Ann.* 33. Pervicacia et impotentia mulierum jussa. *Liv.* 38. 56. *ad fin.* Impotens injuria. *insolente violenza. Horat.* 3. *Od.* 30. 3. Quod (*monumentum*) non imber edax, non Aquilo impotens Possit diruere. *Catull.* 4. 18. *de phaselo.* Et inde tot per impotentia freta Herum tulisse. *h. e.* procellosa et quæ regi nequeant.

IMPŌTENTER *vel* inpotenter, adverb. (impotens). Comp. *Impotentius* 1.; Sup. *Impotentissime* 2. — Impotenter ¶ 1. Physica ratione est debiliter. *Liv.* 27. 48. Elephantos impotentius regi, et inter duas acies versari. *Alii minus recte leg.* impotentes, ut *sit cum Infinito.* ¶ 2. Sæpius occurrit morali ratione et est impotenti animo, effrenate, intemperanter, immodice, *sregolatamente, senza riguardo, con insolenza*, ἀκρατῶς. *Auct. B. Alex.* 33. impotenter regnare. *Justin.* 16. 4. 2. Quum plebs novas tabulas et divisionem agrorum divitum impotenter flagitaret. *con istanza insolente. Quintil.* 6. 3. 83. Impotenter dicere aliquid. *con troppa passione. Id.* 1. 3. 13. Ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus est puer. Sic *Seneca* 4. *Benef.* 17. Quis est, qui non ipsis, quæ impotentissime fecit, speciem aliquam induet recti? *Id. Ep.* 42. Subita et magna potentia impotenter uti.

IMPŌTENTĬA *vel* inpotentia, æ, f. 1. (in negat. et potentia) caret plurali numero: et occurrit ¶ 1. Physica ratione, et est imbecillitas, infirmitas, *impotenza, debolezza*; ἀδυναμία. *Ter. Adelph.* 4. 3. 16. Magis propter suam impotentiam se semper credunt negligi. *Frontin. Aquæd.* 120. Aut impotentia possessorum quid (*in operibus*) corrumpitur, aut vetustate, aut vi tempestatium, aut culpa male facti operis. ¶ 2. Sæpius morali ratione sumitur pro animi effrenatione, qua se quis continere non potest, ut in IMPOTENS 2. dictum est. *Cic.* 4. *Tusc.* 15. 34. Perturbationes animi inflammant appetitione nimia, quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quamdam animi, a temperantia et moderatione plurimum dissidentem. *Poeta* apud *eumd. ibid.* 16. 35. Ob scelera animique impotentiam et superbiloquentiam. *Sisenna* apud *Non.* p. 527. 14. *Merc.* Sublatus lætitia nimia atque impotentia commotus animi. *Cic.* 5. *Tusc.* 7. 17. Impotentia efferri. *Sueton. Cæs.* 77. Nec minoris impotentiæ voces propalam edebat. *di non minore trasporto. Quintil.* 6. 2. 16. Tacita impotentiæ exprobratio. *Vellej.* 2. 29. Numquam potentia sua ad impotentiam usus. *alla prepotenza, all'abuso.* Sic *Tac.* 1. *Ann.* 4. Muliebris impotentia. et *Justin.* 5. 3. 6. Tyrannidis sibi impotentiam vindicantibus. *Tac.* 14. *Ann.* 31. Fovere militum impotentiam. *l'insolenza. Plin.* 34. *Hist. nat.* 3. 6. (12). Impotentia libidinis. *sfrenatezza.* — De inanimis. *Horat. Epod.* 16. 61. nullius astri Gregem æstuosa torret impotentia.

IMPRÆGNĀTUS *vel* inprægnatus, a, um. *V.* voc. seq.

IMPRÆGNO *vel* inprægno, as, āvi, ātum, are. a. 1. (in et prægnans). Part. *Imprægnatus.* — Imprægnare est prægnantem facere mulierem. *Lactant. Plac. fab.* 85. apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 3. p. 117. Ille ab eo imprægnata vidit in somnis per fauces introisse solem et exisse per ventrem. Sic *Augustin. serm. de Adam et Eva* apud *A. Maium Nov. Patr. Collect. T.* 1. p. 1. Illic autumnis flatibus patrona temperies amicas auras imprægnat.

IMPRÆJŪDĬCĀTUS *vel* inpræjudicatus, a, um,

adject. (in *privat.* et *præjudicatus*) non præjudicatus. *Gloss. Placid.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 475. Impræjudicata, non judicata.

IMPRÆMEDĬTĀTUS *vel* inpræmeditatus, a, um, adject. (in *privat.* et præmeditatus) non præmeditatus. *Capell.* 2. *p.* 124. Philosophia multa secum ingenti cura ansia retractabat; ingrediendum primo senatum deûm, Jovisque subeundos impræmeditata visione conspectus. Ita *Kopp.*; at *Grut.* leg. *in præmeditata.*

IMPRÆPĔDĪTĒ *vel* inpræpedite, et

IMPRÆPĔDĪTŌ *vel* inpræpedito, adverb. (impræpeditus) sine impedimento, nullo impediente. *Ammian.* 27. 10. Impræpedite abduxit. *Id.* 26. 6. Ut impræpedito ipse pergeret, quo tendebat.

IMPRÆPĔDĪTUS *vel* inpræpeditus, a, um, adject. (in *negat.* et præpeditus) non præpeditus. *Ammian.* 21. 5. Impræpedito cursu tendentes, Daciarum fines occupemus.

IMPRÆPŪTĬĀTUS *vel* inpræputiatus, a, um, adject. (in *et* præputiatus) idem quod *præputiatus*, habens præputium. *Tertull. Monogam.* 11. *ad fin.* ex 1. *Cor.* 7. 18. Impræputiatus vocatus es? ne circumcidaris.

IMPRÆSCĬENTĬA *vel* inpræscientia, æ, f. 1. (in *negat.* et præscientia) præscientiæ carentia. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 7. Deceptus ex impræscientia futuri.

IMPRÆSENTĬĀRUM vel inpræsentiarum vel in præsentiarum, ἐν τῷ παρόντι, dictio conflata ex *in præsentia rerum*, ut putat *Voss.* in *Etymol.*; vel adjectivum neutr. gen. Adverbiorum more usurpatum derivatumque a nom. *præsentia*, haud aliter ac *præsentarius* et *præsentaneus*, ut putat *Döderlein. Latein. Synonym. vol.* 1. *p.* 139: idem significat, quod *in præsens, in præsentia, in præsenti*; neque solum dicitur de eo, quod præsens nunc est, sed et de eo, quod præsens fuit, aut erit. *Cato R. R.* 144. Ne quis concedat, quo olea legunda et faciunda carius locetur, extra quam si quem socium impræsentiarum dixerit. *Fannius* 1. *Annol.* (*V.* FANNIANUS in ONOM.) apud *Priscian.* 13. *p.* 960. *Putsch.* Quum in vita agenda didicimus multa, quæ impræsentiarum bona videntur: post inventa et multo amplius alius modi atque ante visa essent. *sul fatto d'impararle. Cic.* 2. *Herenn.* 11. 16. Impræsentiarum hoc interdicere non alienum fuit. *Al. leg.* in præsenti: cf. *eumd.* 1. *Invent.* 31. 49. *Tac.* 4. *Ann.* 59. Nero, quamquam modesta juventa, plerumque tamen, quod impræsentiarum conduceret, oblitus. *Nepos Hann.* 6. Exhaustis jam patriæ facultatibus cupivit impræsentiarum bellum componere, quo valentior congrederetur. *per allora. Ulp. Dig.* 43. 5. 1. Tempus ei dandum est, si non potest impræsentiarum exhibere. *Apul. de Mag.* Quamquam sedulo impræsentiarum a laudibus tuis temperο. *Id. Florid. n.* 16. Nisi nunc impræsentiarum lætitia facundiæ obstrepit. *Id. ibid.* Id ego quum alias, tum etiam nunc impræsentiarum usu experior. *Id. de deo Socrat.* Ut monitus præcaveret, omitteret cœpta impræsentiarum, quæ tutius vel postea capesseret, vel alia via adoriretur. Adde *eumd. ibid.* pluries. *Sidon.* 4. *Ep.* 3. Cui Varrones vel Atacinus vel Terentius, Plinii vel avunculus vel Secundus compositi impræsentiarum rusticabuntur.

IMPRÆSTĀBĬLIS *vel* inpræstabilis, e, adject. (in *negat.* et præstabilis) qui nihil præstat. *Firmic.* 8. *Mathes.* 29. *a med.* Longævi et impræstabiles. *Salvian.* 4. *Gub. D.* 11. Dicentes Deum non gubernantem, ac per hoc et immisericordem, et impræstabilem, inhumanum, asperum, durum. *h. e. che non si presta all' altrui bene.*

IMPRANSUS *vel* inpransus, a, um, adject. (in *negat.* et pransus) qui nondum pransus est, *che non ha ancora desinato*, ἀνάριστος. *Plaut. Amph.* 1. 1. 98. Hoc adeo, hoc commemini magis, quia illo die impransus fui. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 7. Verum hic impransi mecum disquirite. Adde *Plaut. Amph.* 3. 2. 71., *Aulul.* 3. 5. 54., *Pœn. prol.* 10. et *Rud.* 1. 2. 56.; et *Horat.* 2. *Sat.* 3. 257. et 1. *Ep.* 15. 29.

IMPRĔCĀTĬO *vel* inprecatio, ōnis, f. 3. (imprecor) actus imprecandi; et occurrit — *a*) Sæpe in malam partem, et est exsecratio, devotio, diræ, *maledizione, imprecazione*, ἀρά. *Seneca* 6. *Benef.* 35. Exsecraris enim illum, et caput sanctum tibi dira imprecatione defigis. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 8. 8. (45). Solem orientem occidentemque dira imprecatione contuentur. — *b*) In bonam partem pro precatione legitur apud *Hieronym. Ep.* 130. *n.* 2. Scio, quod ad imprecationem pontificis flammeum virginale sanctum operuerit caput.

IMPRĔCOR *vel* inprecor, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (in *et* precor). Part. *Imprecans* apud *Alcim. Ep.* 17. et sub 1.° *b.*; *Imprecatus* et *Imprecandus* sub 2.° — Imprecari — 1.°) Cum Accusativo rei, est aliquid alicui precari, et occurrit — *a*) In malam partem pro mali quippiam precari, *maledire, pregar male*, καταρχομαι. *Virg.* 4. *Æn.* 628. Litora litoribus contraria, fluctibus undas Imprecor. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (21). Diras Pompejo, quas ille mox luit, imprecaretur. *Martial.* 7. 24. Hoc tibi pro meritis et talibus imprecor ausis, Ut etc. *Quintil. declam.* 15. *in fin.* Imprecari debilitates, naufragia, morbos. *Sueton. Aug.* 65. Deprecanti sæpe populo Romano et pertinacius instanti tales filias talesque conjuges (quales Juliæ filia et neptis erant) pro concione imprecatus. *augurando.* — *b*) In bonam partem quandoque accipitur. *Apul.* 9. *Met.* Solito sermone salutem ei fuerat imprecatus. *Hieronym. Ep.* 97. *in fin.* Cui multos imprecamur annos. *Petron. fragm. Tragur.* 78. *Burmann.* Ut totus mihi populus bene imprecetur. *Vulgat. interpr. Genes.* 24. 59. Imprecantes prospera sorori suæ et dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, etc. — 2.°) Cum Accusativo personæ ponitur pro simplici precor. *Apul.* 2. *Met.* Tunc orientem obversus et incrementa solis augusti tacitus imprecatus etc. *Hieronym.* in *Helvid. n.* 2. Deus pater est imprecandus, ut matrem Filii sui virginem ostendat fuisse post partum.

IMPRENSĪBĪLIS *vel* inprensibilis, e, adject. (in *negat.* et prehendo) incomprehensibilis. *Gell.* 11. 5. Omniumque rerum fidem veritatemque ita imprensibilem videri ajunt, etc. *Alii aliter leg.*

IMPRESSĒ *vel* inpresse, adverb. (impressus, imprimo). Comp. *Impressius* I. et II. — Impresse est imprimendo, comprimendo.

I.) Proprie. *Cœl. Aurel.* 3. *Tard.* 6. *med.* Dehinc rursus defricandus, tenacius quidem, sed non impressius.

II.) Translate est efficaciter, attente, graviter. *Tertull. Exhort. cast.* 3. Alta et impresse recogitare. *Id. Car. Christi* 12. Ut impressius dixerim.

IMPRESSĬO *vel* inpressio, ōnis, f. 3. (imprimo) actus imprimendi, seu premendi in aliquid, ἐμβολή (It. *impressione, urto*; Fr. *empreinte, impression*; Hisp. *impresion*; Germ. d. *Eindrücken, Eindringen, der Eindruck*; Angl. *an impression, shock*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 58. Quum visa in animis imprimantur, non vos id dicere, inter ipsas impressiones nihil interesse, sed inter species et quasdam formas eorum. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Initium omnium corporum materiam esse: hanc signari impressione formarum. *Augustin.* 2. *Doctr. Christ.* 25. Impressiones nummorum. ¶ 2. Speciatim dicitur de impetu atque aggressione militari, quum hostis in hostem incurrit, eumque aggreditur, premit, instatque ut loco depellat, *assalto, carica, incalzamento, il dare addosso. Cic.* 5. *Fam.* 2. *a med.* Neque illi quidquam deliberatius fuit, quam me, quacumque ratione posset, non judicio neque disceptatione, sed vi atque impressione evertere. Adde *eumd. Flacc.* 34. 85. *Varro* 2. *R. R.* 4. 1. Hostes arbitrati occasionem se habere victoriæ, impressionem facere cœperunt in castra. *Liv.* 8. 9. Hastati non ferentes impressionem Latinorum, se ad principes recepere. *Id.* 4. 28. *ad fin.* Dant impressionem, qua Albinus cohortes objecerat. *Id.* 25. 37. Deinde valida impressione pulsi, terga vertunt. *Id.* 2. 70. Impressione una totum equitatum fundere. *Auct. B. G.* 8. 6. Impressionem facere in fines hostium. *una irruzione.* ¶ 3. Item speciatim significat etiam turbam hominum sese prementium, Itali *calca* dicunt. *Fronto* 5. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 30. *ita scribit kal. Jan.* Metui ego, invalido adhuc corpore, turbæ et impressioni me committere. Si dei juvabunt, perendie vos vota nuncupantes videbo. *nempe* III. Non. Jan. vota nuncupabantur pro salute principis.

II.) Translate. ¶ 1. Apud Rhetores in sonis et vocibus *impressio* est, ubi altius quodammodo vox imprimitur et insistit, et percussio quædam intervallorum fit, *cadenza, posa. Cic.* 3. *Orat.* 48. 185. Si numerosum est id in omnibus sonis et vocibus, quod habet quasdam impressiones, et quod metiri possumus intervallis æqualibus. ¶ 2. Hinc est etiam expressio. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 5. 19. In pedibus celeritatem, vim in manibus, claritatem in voce, in lingua explanatam vocum impressionem. *Est qui mallet* expressionem.

IMPRESSO *vel* inpresso, as, are, a. 1. *frequentat. ab* imprimo, sæpius imprimo. *Coripp.* 5. *Johann.* 371. siccis tunc faucibus ipsi (*milites*) Impressant flores. *Id.* 6. *ibid.* 347. ipsas impressat arenas Belliger ore, super fœdant quas sæpe movendo Quadrupedes.

IMPRESSUS vel inpressus, a, um. *V.* IMPRIMO.

IMPRESSUS *vel* inpressus, us, m. 4. idem quod impressio. *Prudent. Psychom.* 273. Sub pectoris impressu. *Sidon.* 7. *Ep.* 17. Nihil aliud exaraturi stili scalpentis impressu.

IMPRĔTĬĀBĬLIS *vel* inpretiabilis, e, adject. (in *negat.* et pretium) omne pretium superans, inæstimabilis, *inapprezzabile, imprezzabile.*

I.) Proprie. *Cassiod.* 4. *Variar.* 1. Indicamus, nos inpretiabilis quidem rei, sed more gentium, suscepisse pretia destinata, equos argenteo colore vestitos, quales decuit esse nuptiales. *Id.* 9. *ibid.* 6. Impretiabili munere sanitatis expleri.

II.) Translate. *Cassiod.* 11. *Variar.* 1. *ante med.* Impretiabilis notitia litterarum.

IMPRĪMIS *vel* inprimis *vel etiam* in primis. V. *Primus* in v. PRIOR.

IMPRĪMO *vel* inprimo, primis, pressi, pressum, primere, a. 3. (in *et* premo). Part. *Imprimens* I.; *Impressus* in omnibus paragr.; *Impressurus* et *Imprimendus* I. — Imprimere est ita premere quippiam, ut nota aut vestigium exsistat, premendo immittere, ἐντυπόω (It. *premere, calcare, imprimere*; Fr. *appliquer quelque chose sur quelque chose par la pression, presser contre, enfoncer*; Hisp. *apretar, imprimir*; Germ. *eindrücken, aufdrücken, einfügen, eingraben, einstechen*; Angl. *to press upon, impress, imprint a mark upon, stamp*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, ut diximus. — *a*) Cum præpos. in et Ablativo rei, in qua aliquid imprimitur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 26. 86. Si in ejusmodi cera centum sigilla hoc anulo impressero. (*Cf. ibid.* 27. Signa anulis impressa). *Id. Partit. orat.* 7. 26. Ut illa (*litteratura*) constat ex notis litterarum et ex eo, in quo imprimuntur illæ notæ, sic etc. *Id. Orat.* 3. 12. In quibus (*curriculis*) Platonis primum sunt impressa vestigia. *Id.* 13. *Phil.* 15. 30. Non sentis te, extra munitiones tuas, vestigium ubi imprimas non habere? Sic *Id. Cæcin.* 27. 76. Ex eo loco, ubi vestigium impresserit, dejici neminem posse. *Id.* 1. *Divinat.* 13. 23. Sus rostro si humi A litteram imprimeret. — *b*) Cum addito Dativo personæ aut rei, cui aliquid imprimitur. *Cels.* 2. 11. Os cucurbitulæ sic corpori aptatur imprimiturque, donec inhæreat. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 38. Imprimere signa tabellis. *Id.* 1. *Od.* 13. 12. dente notam labris. *Lucan.* 9. 806. dentes alicui. *Virg.* 1. *G.* 263. pecori signum, aut numeros acervis. *Calpurn.* 5. *Ecl.* 84. Impressurus ovi tua nomina. *scil.* inusturus notas in armo ovium. *Petron. Satyr.* 105. Stigmata captivorum frontibus impressa. *Horat.* 1. *Od.* 16. 20. Imprimere aratrum muris. *Virg.* 4. *Æn.* 659. Dido os impressa toro. *colla faccia sul letto. Id.* 12. *ibid.* 357. Pes collo impressus. *Val. Flacc.* 8. 111. Imprimere gressus dorso alicujus. *camminar sulla schiena. Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 10. (27). Idem in curia quoque duas tabulas impressit parieti. *h. e.* affixit. — *c*) Sine additis. *Cic.* 2. *Att.* 21. Sic orbem reipublicæ esse conversum, ut vix sonitum audire, vix impressam orbitam videre possemus. *Id.* 2. *Divinat.* 23. 50. Sulcus altius impressus. Sic *Pallad.* 1. *R. R.* 34. Si fons desit, imprimendus est puteus. *h. e.* effodiendus, infodiendus, *si dee scavare. Petron. Satyr.* 80. Nudo ecce jugulum: convertite huc manus, imprimite mucrones. *conficcate. Tibull.* 1. 7. 14. Impressus dens. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 33.; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 37. (89). Imprimere morsum. *Colum.* 7. *R. R.* 11. 2. vulnus. *Martial.* 10. 42. basia. *Ovid.* 8. *Met.* 453. Impresso pollice nere stamina. *h. e.* pollice premendo imposito. Sic *Virg.* 12. *Æn.* 303. Impressoque genu nitens, terræ applicat ipsum. *Propert.* 3. 4. 17. Humidaque impressa sic.

'cabat lumina lana. *h. e.* lanam adprimendo. Sic *Plin.* 8. *Hist. nat.* 26. 40. (96). Ubi acutissimum videt stirpem, imprimens corpus. *Id.* 17. *ibid.* 16. 26. (118). Exempta scutula cortici, imprimitur ex alia cortex par, cum sui germinis mamma. *h. e.* inseritur, immittitur. Sic cum Dativo, *ut supra sub b, Id.* 25. *ibid.* 13. 107. (170). Radix ephemeri cavis et exesis dentibus imprimitur. ¶ 2. Latiori sensu, seu causali vi, uti ajunt, *imprimere aliquid aliqua re*, vel etiam omisso Ablativo, est signare, inscribere, exprimere, exsculpere, *improntare, segnare, disegnare. Cic.* 1. *Tusc.* 25. 61. An imprimi, quasi ceram, animum putamus? *Virg.* 5. *Æn.* 536. hoc munus habebis, Cratera impressum signis. Sic *Lucan.* 9. 176. et impressas auro, quas gesserat olim, Exuvias. *h. e.* intextas, aurum impressum habentes. — Huc referri possunt et sequentia. *Pers.* 1. 37. num levior cippus non imprimit ossa? *h. e.* non *li preme sì forte da farli risaltare*: at *Forcellinus* hoc loco accepit pro simplici premere. *Propert.* 2. 25. 70. Missus et impressis hædus ab uberibus. *h. e.* ab uberibus, quæ hædus anserat, quibus hædus os impresserat. *Stat.* 5. *Theb.* 403. At levis et miseræ nondum mihi notus Iason, Transtra per et remos Impressaque terga virorum etc. *h. e.* curvata, incurva. Apud *Propert. loc. cit.* impressus pro non pressus, h. e. non mulctis uberibus, interpretatus est *Scalig.*, *Passerat.* et *Broukus.*, qui et *Statii* locum attulit: hæc *Forcellinus*; qui tamen addit, utrumque locum aliter intelligi posse.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. — *a*) Cum præpos. *in* et Ablativo. *Cic.* 1. *Nat. D.* 16. 43. In omnium animis deorum notionem impressit ipsa natura. *Id.* 1. *Legg.* 10. 30. Quæque in animis imprimuntur inchoatæ intelligentiæ, similiter in omnibus imprimuntur. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 58. Quum visa in animis imprimuntur. *Al. leg.* in animos. *Id. Fat.* 19. 43. Visum objectum imprimet et quasi signabit in animo suam speciem. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 11. 31. Verum impressum in animo atque mente. *Id.* 2. *Orat.* 45. 189. Motus in ipso oratore impressi atque inusti. — *b*) Cum Dativo. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 21. Quo e genere nobis notitiæ rerum imprimuntur. *Quintil.* 11. 2. 4. Quædam vestigia animo impressa. *Cic. Mil.* 27. 73. Memoria tabulis publicis impressa. *Quintil.* 1. 1. 36. Impressa animo rudi memoria. *Cic.* 5. *Phil.* 6. 16. Ut hos judices legere auderet, quorum lectione duplex imprimeretur reipublicæ dedecus. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2. *Cic.* 2. *Phil.* 24. 58. Illorum flagitiorum iste vestigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impressit. Sic *Id.* 5. *Fam.* 20. *a med.* Quæ (*loca*) quum viderem tot vestigiis impressa etc.

IMPRINCĬPĀLĬTER *vel* inprincipaliter, adverb. idem ac principaliter, imprimis. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 9. *ad fin.* Quæ non imprincipaliter dicenda suscepi.

IMPRŎBĀBĬLIS *vel* inprobabilis, e, adject. (in *negat.* et probabilis) qui probari non potest, *che non si può provare*, ἀδοκίμαστος. *Cels. præfat. ante med.* Rationes sequi non improbabiles. *Seneca Ep.* 75. *a med.* Affectus sunt motus animi improbabiles, subiti et concitati. *disapprovati dalla ragione. Quintil.* 7. 4. 7. Factum per se improbabile. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 13. 27. (93). Haud improbabili argumento. *Ulp. Dig.* 50. 14. 3. Non improbabilis mos. — A *Forcellino* affertur etiam illud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 11. 33. Quamobrem sive tu probabilem visionem, sive improbabilem, et quæ non impediatur, ut Carneades volebat, sive aliud quid proferes, etc. *At ibi Orellius legit*: sive tu probabilem visionem, sive probabilem et quæ non impediatur, ut etc.

IMPRŎBĀBĬLĬTER *vel* inprobabiliter, adverb. (improbabilis) improbabili modo, *improbabilmente. Sidon.* 1. *Ep.* 11. *a med.* Si objecta non improbabiliter cassaverimus.

IMPRŎBĀTĬO *vel* inprobatio, ōnis, f. 3. actus improbandi, *riprovazione*, ἀδοκιμασία. *Cic.* 2. *Herenn.* 6. 9. Hæc et ad improbationem et approbationem testium pertinebunt. *Id.* 5. *Verr.* 74. 172. Siciliæ omne frumentum improbas *etc.*—: ista omnis improbatio cogendæ pecuniæ causa nata est. *Id.* 2. *Invent.* 10. 32. Accusatoris erit, improbatione hominis uti.

IMPRŎBĀTOR *vel* inprobator, ōris, m. 3. qui improbat, *disapprovatore*. *Apul. de deo Socrat.* Malorum improbator, bonorum probator. Adde *Tertull. Patient.* 5.

IMPRŎBĀTUS *vel* inprobatus, a, um. *V.* IMPROBO.

IMPRŎBĒ *vel* inprobe, adverb. (improbus). Est et alia forma *Improbiter*, quæ legitur tantum apud *Petron. fragm. Tragur.* 66. *Burmann.* — Comp. *Improbius* I. et II.; et Sup. *Improbissime* II. — Improbe est enormiter, prave, modum excedendo (It. *enormemente*; Fr. *outre mesure, enormément*; Hisp. *enormemente, desmesuradamente*; Germ. *unmässig, maasslos, ungeheuer*; Angl. *largely, greatly, enormously*).

I.) Proprie. *Marcell. Empir.* 31. *a med.* Ad eos, quibus intestinum improbe prominet. *Charis.* 1. *p.* 78. *Putsch.* Chilones improbius labrati. *Sueton. Vesp.* 23. De quodam proceræ staturæ improbiusque nato. *h. e.* cui natura virilis enormiter magna erat.

II.) Translate, seu morali ratione est non probe, nequiter, male, inique, *malvagiamente*, πονηρῶς. *Cic. Rosc. Am.* 36. 101. Multa audacter, multa scelerate, multa improbe fecisti. Adde *Quintil.* 1. 3. 13. Rursus *Cic.* 5. *Verr.* 60. 140. Est aliquid, quod improbius fieri potest? *Id. Cæcin.* 9. 23. Quas (*res*) improbissime fecit. *Id.* 16. *Att.* 15. Improbissime tractare aliquem. *Id.* 2. *Off.* 22. 79. Si plures sunt ii, quibus improbe datum est, quam illi, quibus injuste ademptum. *Id.* 1. *Fin.* 16. 51. Præda improbe parta. *Id. Sull.* 10. 30. Quid ego miror, si quid ab improbis de me improbe dicitur? *Id. Pis.* 6. 13. Improbissime respondere. *sfacciatissimamente*, ut qui aperte mentitur. Eodem sensu *Plaut. Amph.* 2. 1. 21. Improbe rogare. *Quintil.* 6. 3. 95. Quum ab eo nescio quid improbe peteret. *Id.* 12. 7. 5. Improbe litigare. *P. Syr.* in *Mimis* apud *Gell.* 17. 14. Improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit. *h. e.* injuste. — Pertinet etiam ad obscœnitatem et nequitiam. *Catull.* 68. 126. *de columbo*, quæ multo dicitur improbius Oscula mordenti semper decerpere rostro. *Petron. Satyr.* 26. Per rimam improbe diductam applicuerat oculum curiosum, lusumque puerilem libidinosa speculabatur diligentia. — Item est perperam, minus recte, *malamente. Gell.* 15. 5. Ignorantia et inscitia improbe dicentium, quæ non intelligunt. *Id. ibid.* 9. Improbe indocteque. Adde *Plin.* 16. *Hist. nat.* 19. 32. (78). — Item rustice, duriter, quasi improbando. *Plin.* 6. *Ep.* 28. Tantum mihi copiarum tuo nomine oblatum est; quas omnes improbe quidem, accepi tamen. *con isgarbatezza.*

IMPRŎBĬTAS *vel* inprobitas, ātis, f. 3. (improbus) mala natura (It. *cattiva qualità, malvagità*; Fr. *mauvaise qualité*; Hisp. *mala calidad*; Germ. *d. Schlechtigkeit*; Angl. *depravity*).

I.) Proprie, seu physica ratione. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 15. (52). Id peculiare improbitatis et acerbitatis (*malorum silvestrium*) convicium et iis tanta, ut aciem gladii perstringat. *h. e.* convicium et vis malæ naturæ malique saporis.

II.) Translate, seu morali ratione dicitur ¶ 1. De hominibus, et est malitia, pravitas morum, perversitas animi, atque adeo audacia, temeritas, imprudentia, πονηρία, *cattivezza, improbità, malvagità, sfacciataggine. Cic.* 1. *ad Q. fr.* 13. 38. Quum te alicujus improbitas perversitasque commoverit. *Id. Mur.* 4. 9. Amicorum neglectio improbitatem coarguit. *Id.* 1. *Att.* 16. *circa med.* Non ita, ut speraruut mali, alacris exsultat improbitas in victoria. *Id. Quinct.* 27. 84. In hac causa improbitatem et gratiam cum inopia et veritate contendere. *Id. Brut.* 62. 224. Cujus improbitatem veteres Atticorum comœdiæ notaverunt. *Id.* 3. *de republ.* 5. Quonam improbitatis patrocinium suscipere vultis. *Quintil.* 6. 4. 15. Improbitas licet adversario molesta sit, judici invisa est. *h. e.* audacia, temeritas, imprudentia. Sic *Ovid.* 1. *Art. am.* 676. Improbitas muneris instar habet. *h. e.* audacia illius, qui puellam vi comprimit, pro munere habetur: hic porro *habet* neutrorum more usurpatur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 23. 21. (87). Mirum, quo procedat improbitas cordis humani, parvulo aliquando invitata successu. ¶ 2. Transfertur et ad bruta animalia, et est audacia, temeritas, vel etiam aviditas, insatiabilitas cum audacia conjuncta. *Cic.* 2. *Divinat.* 32. 69. Simiæ Dodonæ improbitatem historiis Græcis mandatam esse demiror. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (28). Homero fastidio non fuit inter prælia deorum improbitatem muscæ describere. *Id.* 19. *ibid.* 6. 34. (116). Adversus improbitatem alitum semina depascentium.

IMPRŎBĬTER *vel* inprobiter, adverb. *V.* IMPROBE init.

IMPRŎBĬTO *vel* inprobito, as, āvi, are, a. 1. *intensivum ab* improbo, vehementer improbare. *Gell.* 20. 1. Sicut illud quoque inhumaniter scriptum improbitavit. *Nonnulli leg.* improbavit.

IMPRŎBO *vel* inprobo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *negat.* et probo). Part. *Improbans, Improbatus, Improbaturus* et *Improbandus* sub *a.*; *Improbatus* etiam in fin. — Improbare est non probare, rejicere, damnare, ἀποδοκιμάζω (It. *disapprovare, rigettare*; Fr. *désapprouver, improuver, condamner, rejetter*; Hisp. *desaprobar, reprobar, desechar*; Germ. *verwerfen, missbilligen, tadeln, als untauglich zurückweisen*; Angl. *to disprove, demonstrate or prove to be wicked, disapprove, reject*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo rei abstractæ, aut personæ, aut etiam rei physicæ. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 30. 96. Hoc negas te posse nec approbare, nec improbare. *Id. ibid.* § 95. Ex his sequendas esse alias, alias improbandas. *Id.* 1. *Divinat.* 33. 72. Hæc improbantur a Peripateticis, a Stoicis defenduntur. *Id.* 2. *Orat.* 37. 156. Ego ista studia non improbo, moderata modo sint. *Id.* 1. *Off.* 42. 150. Primum improbantur ii quæstus, qui in odia hominum incurrunt. *Cæs.* 2. *B. C.* 31. Curio utrumque improbans consilium. *Ulp. Dig.* 10. 2. 4. Libri improbatæ lectionis. *proibiti. Id. ibid.* 2. 2. 5. Illicitum jusjurandum improbatæ religionis. *Id. ibid.* 13. 7. 24. *in fin.* Si prostituit ancillam, vel aliud improbatum facere coegit. *Horat. Epod.* 5. 8. Per improbaturum hæc Jovem. *Cic.* 4. *Verr.* 28. 68. Quod C. Sacerdotis judicium improbare istum ausurum, non arbitrabatur. *h. e.* irritum reddere. *Ennius* apud *Cic.* 7. *Fam.* 6. Multi, qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati. Rursus *Cic.* 5. *ibid.* 76. 175. Mancipes frumentum improbasse? — Ego frumentum neque attigi, neque aspexi: mancipibus potestatem probandi improbandique permisi. *di accettarlo o rigettarlo. Id. Fontej.* 4. 7. Ut aut ne cogeret munire, aut id, quod munitum esset, ne improbaret. Si et coacti sunt munire omnes, et multorum opera improbata sunt, certe etc. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 4. 3. (29). Virgilius terram, quæ filicem ferat, non improbat vitibus. *Id.* 37. *ibid.* 6. 23. (89). Sardonyches melleæ et fæculentæ non improbantur. *Id.* 9. *ibid.* 39. 63. (137). Dibapha Tyria Lentulus primus in prætexta usus improbabatur. *era biasimato. Ovid.* 11. *Met.* 520. Nymphæ Ad numerum motis pedibus duxere choreas. Improbat has pastor, saltuque imitatus agresti etc. *h. e.* contemnit, deridet. — *NB.* Pro improbum reddere, seu dedecorare, affertur illud *Plaut. Merc.* 5. 4. 9. Suopte culpam generi capiunt, genus ingenio improbant. *h. e.* eorum culpam generi proprio tribuunt, ipsumque ingenio malo dedecorant. Alii tamen rectius aliter leg. et interpretantur. — *b*) Absolute. *Cæs.* 1. *B. C.* 32. Qui si improbasset, cur ferri passus esset? sin probasset, cur etc. *Quintil.* 11. 1. 17. Inde invident humiliores, rident superiores, improbant boni. Adde *eumd.* 1. 3. 14. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla supra retulimus,

Improbatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Improbatissimus*. Sic *Apul.* 8. *Met.* Juvenis morum improbatus. *h. e.* ob mores perditos improbatus. In *lemmate c.* 13. *l.* 18. *Gellii.* Sententia probatissima, quam improbatissimus homo dixisset.

IMPRŎBRO *vel* inprobro, as, are, a. 1. pro exprobrare, tribuitur *Plauto Truc.* 2. 2. 25. Rus tu mihi improbras? ut nacta es hominem, quem pudeat probri! *At plerique alii rectius leg.* opprobras.

IMPRŎBŬLUS *vel* inprobulus, a, um, adject. *deminut. ab* improbus, audaculus ex aviditate, *sfacciatello, arditello. Juvenal.* 5. 71. dextram cohibere memento: Salva sit artopte reverentia: finge tamen te improbulum: superest illic, qui ponere cogat.

IMPRŎBUS *vel* inprobus, a, um, adject. (in *negat.* et probus). Comp. *Improbior* I. et II.; Sup. *Improbissimus* II. — Improbus est minime probus, malus, πονηρός, κακός (It. *cattivo*; Fr. *mauvais, de mauvaise qualité*; Hisp. *malo*; Germ. *schlecht*; Angl. *wicked*).

I.) Proprie de rebus physicis usurpatur, quæ aut

quia naturâ malâ sunt, aut quia sunt nimia, immodica, modum excedentia, vulgo improbantur. *Plaut. Rud.* 2. 3. 43. Improbæ merces. *Martial.* 10. 5. Panis improbus. *Plaut. Most.* 3. 2. 139. Postes improbiores, quia ab infimo tarmes secat. *Charis.* 1. p. 78. *Putsch.* Chilones ex Græco, a labris improbioribus. *Colum.* 6. *R. R.* 1. 3. Parandi sunt boves cornibus proceris, cervice longa, *etc.* cruribus compactis, nec genibus improbis. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 37. (73). Improbus barbarum vitius in capris. *h. e.* prælongus. *Val. Flacc.* 6. 702. Improba barbariem procurrunt tegmina plantæ. *h. e.* modum pedum longe excedentia. *Stat.* 6. *Theb.* 838. sic grandibus alte Insurgens humeris, hominem super improbus exit. *Virg.* 12. *Æn.* 687. Fertur in abruptum magno mons improbus actu. *Sall. fragm.* apud *Non.* p. 366. 13. *Merc.* Immutilato corpore improbo patibulo eminens affigebatur. *h. e.* altissimo, ut *Forcellinus* interpretatus est. At *Cortius*, quocum consentit et *Kritzius*, ait *improbum* dici *patibulum*, quod adhiberetur ad supplicium *improborum*, i. e. servorum atque abjectorum hominum. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (13). Vites improbo reptatu pampinorumque superfluitate atria media complentes. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 4. *extr.* Aquilone flante, minutæ pluviæ sunt: Austro, imber improbior est et guttæ pleniores. Cf. *Ovid.* 1. *Trist.* 11. 41. Improba hiems. *Seneca Ep.* 94. *ante med.* Non est, quod imbecillam aciem committas improbo lumini. *h. e.* immodico, nimio. — *Improbus color* dicitur de purpureo valde saturo et excellenti, quasi superbus ille sit, et colores ceteros tam venustate, tum pretio longe excedens: vel quod initio, quum adhiberi cœpit, civilem vestiendi modum excedere visus sit. *Seneca Ep.* 114. *a med.* Qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam. *assai carico*, *di troppo lusso.* Hinc *Martial.* 10. 16. Quidquid Agenoreo Tyrus improba cogit aheno. — Huc fortasse referri potest et illud *Lucilii* apud *Non.* p. 327. 14. *Merc.* Omnes formosi fortes tibi: ego improbus; esto. *Nonius* interpretatur turpem, *h. e.* deformem, *brutto.*

II.) Translate, seu morali ratione, improbus est minime probus, improbatus, malus, nequam, sceleratus, atque adeo protervus, petulans, lascivus, obscœnus, impudicus, inverecundus, impudens, audax, dolosus: paucis, qui malus est, quoniam modum excedit. — 1.°) De hominibus. — *a*) Absolute. *In leg. XII. Tab.* apud *Gell.* 15. 13. SI TESTIMONIVM FARIATVR, IMPROBVS INTESTABILISQVE ESTO. *h. e.* improbatus, neglectus, abjectus, vilis, infamis, nullo loco pretiove habitus, ἄτιμος, *vile, da nulla, infame.* Sic *Plaut. Cas. a.* 1. *v.* 31. Post illa ut semper improbus nihilique sis. *Id. Truc.* 2. 3. 12. Improbe nihilique homo. Similiter de rebus *Inscript.* optimæ notæ apud *Gruter.* 207. *col.* 2. Quod eorum viginti jurati probaverint, probum esto: quod iei improberint, improbum esto. Rursus *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 137. Qui improbi essent et scelesti, iis adimerent animam cito. *Cic. Dejot.* 7. 21. Ita non modo nequam et improbus, sed etiam fatuus et amens. Sic *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 11. Homo nequissimus atque improbissimus. *Cic.* 2. *Orat.* 73. 297. Illud vero improbi esse hominis et perfidiosi, dicere quod alienum esset. *Id.* 1. *ibid.* 46. 202. Populum aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare. *Id. Brut.* 62. 224. Longe post natos homines improbissimus C. Servilius Glaucia. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 63. negat improbus, et te Negligit aut horret. *Id.* 2. *Sat.* 5. 84. anus improba. *Quintil.* 8. 4. 1. Quum eum, qui sit improbus, latronem dicimus. *Id.* 1. 8. 21. Unde improbissimo cuique pleraque fingendi licentia est. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 74. Hunc egomet tota quondam (tibi dulce) pharetra Improbus, et densa trepidantem cuspide fixi. *h. e.* dolosus. *Id.* 2. *ibid.* 1. *init.* Quod tibi prærepti, Melior, solamen alumni Improbus ante rogos et adhuc vivente favilla Ordiar? *h. e.* inopportunus. *Id.* 6. *Theb.* 804. assurgentem alio puer improbus ictu Perculit, eventuque impalluit ipse secundo. *h. e.* audax. (Hoc loco in bonam partem positum videri potest). Pro callido et fraudulento ponitur in illo *Virg.* 11. *Æn.* 512. Æneas equitum levis improbus arma Præmisit: quaterent campos. — *b*) Cum additis. *Plaut. Epid.* 4. 1. 39. Eam rem adeo sobrie et frugaliter accuravit, ut alias res est impense improbus. *alias res* est Græcus Accusativus, atque idem significat ac *cetera*, quam vocem vide. *Id. Bacch.* 4. 4. 11. Improbis improbum esse. *Cic.* 9. *Att.* 15. *sub fin.* Te ipsum quodam modo ipse violavit, quum in me tam improbus fuit. *Plaut. Truc.* 4. 3. 59. Improbum esse ab ingenio. *Juvenal.* 3. 282. improbus annis Atque mero fervens. *h. e.* protervus, petulans. — *c*) Cum Genitivo. *Stat.* 7. *Theb.* 298. Dircetis (*puerum*) expertem thalami, crudumque maritis Ignibus, ante diem cupido violavit amore, Improba connubii. *h. e.* avida. — 2.°) De brutis animantibus. *Virg.* 3. *G.* 430. *de angue.* Stagna colit, ripisque habitans, hic piscibus atram Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet. *h. e.* avidus, insatiabilis, et ob id audax et peratans, *insaziabile, audace.* — 3.°) De rebus physicis et abstractis. *Horat.* 3. *Od.* 9. 22. tu levior cortice, et improbo iracundior Hadria. *Virg.* 10. *Æn.* 727. *de leone prædam tenente.* hæret Visceribus super incumbens: lavit improba teter Ora cruor. *h. e.* avida, insatiabilia. *Martial.* 14. 16. Quærit compositos manus improba mittere talos. *h. e.* dolosa. *Quintil.* 11. 3. 160. Perfricare faciem et quasi improbam facere. *h. e.* inverecundam, impudentem, *audace, sfacciata.* Sic *Sueton. Gramm.* 15. Oris improbi homo. *Martial.* 8. 24. Improba non fuerit si mea charta, dato. *h. e.* libellus supplex si inverecundus non fuerit. *Id.* 3. 75. Improba satureja. *h. e.* salacia et Venerem excitantia. *Id.* 5. 78. Improbæ Gades. *h. e.* lascivæ, obscœnæ. — *Plaut. Pseud.* 1. 2. 16. Vos estis perditi, negligentes, ingenio improbo. *Id. Truc.* 2. 7. 4. Improba facta facere. *Ovid.* 5. *Fast.* 686. Improba dicta. *h. e.* perjura. *Id.* 3. *Art. am.* 796. Improba verba. *h. e.* lasciva, obscœna, impudica, *osceni, lascivi.* Sic *Id.* 2. *Trist.* 441. carmina. et *Martial.* 3. 86. Non sunt hæc mimis improbiora. *Cic.* 14. *Fam.* 4. Improbissima lex. *iniquissima. Id.* 3. *Verr.* 42. 47. Improbum testamentum. *h. e.* contra leges, ut *Pseudo-Ascon.* exponit. *Quintil.* 12. 7. 11. Improba causa. *Cic.* 4. *Verr.* 42. 107. Mala et improba defensione uti. *h. e.* audaci, inverecunda, impudenti. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 108. 112. (247). Improbum ausum. *Alter Plin.* 7. *Ep.* 9. Audax hæc, non tamen improba, quia secreta contentio. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 24. Improbus amor. *Seneca Herc. Fur.* 406. Improba cupidine acti. *Quintil.* 12. 1. 13. improbæ spes. *temerarie. Virg.* 2. *Æn.* 356. lupi, quos improba ventris Exegit cæcos rabies. *Seneca præfat. l.* 4. *Quæst. nat. ante med.* Quo apertior adulatio, quo improbior, hoc citius expugnat. *Virg.* 1. *G.* 145. labor omnia vincit Improbus. *h. e.* obstinatus, perstans, continuus. Sic *Martial.* 12. 18. Ingenti fruor improboque somno, Quem nec tertia sæpe rumpit hora.

IMPRŎCĒRUS *vel* inprocerus, a, um, adject. (in *negat.* et procerus) non procerus, humilis, *non alto, basso*, μικρός, βραχύς. *Tac. Germ.* 5. Improcera pecora. *Gell.* 4. 19. Corpora eorum improcera fieri.

IMPRŎCRĔĀBĬLIS *vel* inprocreabilis, e, adject. (in *negat.* et procreabilis) qui procreari non potest. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Materia improcreabilis et incorrupta.

IMPRŎFESSUS *vel* inprofessus, a, um, adject. (in *negat.* et *professus*) occurrit ¶ 1. Mediorum significatione et est qui conditionem suam professus non est, *che non s' è dato in nota. Sueton. Domit.* 12. Deferebantur qui vel improfessi Judaicam intra Urbem viverent vitam. *Al. aliter leg. Martian. Dig.* 39. 4. 16. Si quis improfessus servus fuerit, et probetur in commissum cecidisse. ¶ 2. Passive ἀνεπάγγελτος. *In lemmate declam.* 341. earum, quæ tribuuntur *Quintiliano.* Quod quis per publicanos improfessum transtulerit, commissum sit.

IMPRŎFUNDIES. *V.* IMPERFUNDIES.

IMPRŎLES est, qui nondum vir est. *Mar. Victorin.* p. 2465. *Putsch.* Cf. *Gloss. Philox.* Improles, ἄγονος, ἄτεκνος, ἄνηβος. *h. e.* sine prole.

IMPRŎLIS. *V.* IMPROLUS.

IMPRŎLŎQUĬBĬLIS, e, adject. (in *negat.* et proloquor) quod proloqui non possumus. *Gloss. Philox.* Ἀλάλητον, improloquibile.

IMPRŎLUS *vel* improlis, qui nondum est adscriptus in civitate. *Paul. Diac.* p. 108. 12. *Müll.* Cf. *Gloss. Philox.* Improles, μήπω πολιτευόμενος.

IMPRŎMISCŬUS *vel* inpromiscuus, a, um, adject. (in *negat.* et promiscuus) non promiscuus, non admixtus, sincerus, purus. *Gell.* 12. 4. In his versibus suavitas tam impromiscua, tamque a fuco omni remota est, ut etc. *Id.* 1. 7. Verbum neque numeris, neque generibus præserviens, sed liberum undique et impromiscuum. *h. e.* separatum, neque cum alio concordans. *Utroque loco leg. al.* impromiscus: *nam et* promiscus *legitur.*

IMPROMPTUS *vel* inpromptus *vel* impromtus, a, um, adject. (in *negat.* *et* promptus) tardus, *non pronto*, βραδύς. *Liv.* 7. 4. Quia infacundior sit et lingua impromptus. *Auson. Edyll.* 2. 9. Sermone impromptus Latio.

IMPRŎPĒ *vel* inprope, adverb. (in *intens.* et prope) prope, *da vicino, da presso. Tertull. Exhort. ad cast.* 10. Si orationem facit ad Dominum, imprope est cœlo.

IMPRŎPĔRANTER *vel* inproperanter, adverb. (in *negat.* et properanter) pedetentim, sensim. *Auson. Epitaph.* 35. Improperanter agens primos e carcere cursus.

IMPRŎPĔRĀTUS *vel* inproperatus, a, um, adject. (in *negat.* et properatus) non festinatus, *non affrettato. Virg.* 9. *Æn.* 798. Haud aliter retro dubius vestigia Turnus Improperata refert.

IMPRŎPĔRĬUM *vel* inproperium, ii, n. 2. ab *impropero* sub *B.*, est dedecus, probrum, *improperio.* Legitur in *declam.* quæ inscribitur *Tribunus Marianus*, perperam olim *Quintiliano* attributa, 1. Sempiternum incussit improperium paludatis. *Al. leg.* opprobrium. *Ambros. in Psalm.* 43. Majoresque divitias æstimavit, et prætulit thesauris Ægypti improperium Christi. Adde *Cyprian. advers. Jud.* 3. 16. Similiter *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 12. *ante med.* Propter delictum suum improperia digna portans Arius. *Fragm.* IV. *Vatic. Arianorum* apud *A. Maium* in *Scriptor. vet. N. Coll. T.* 3. *P.* 2. p. 219. Ne ab aliquo super eos improperium accipiat. *Gloss. Philox.* Improperium, ὀνειδισμός. Adde *Lactant.* 4. 18.; *Vulgat. Interpr.* sæpe; et *V.* vocem seq. sub B.

IMPRŎPĔRO *vel* inpropero, as, āvi, ātum, are, 1. duo diversa significat: scilicet

A) Improperare v. n. ab *in* qua intro significat et *properare*, est intro properare, hoc est festinanter et properanter ingredi. *Varro* apud *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (91). Quod si quis improperet sine glomere lini *etc.* exitum invenire nequeat.

B) Improperare v. n. et a. ab *in* et *probrum* (V. *Döderlein. Latein. Synonym. vol.* 4. *p.* 197.) significat crimen aut aliquod probrum alicui objicere, *rimproverare, improperare.* Est tamen vox vulgi et cadentis Latinitatis, quæ derivata vel potius corrupta est ex *improbro. Plaut. Rud.* 3. 4. 28. Etiam vim improperas, flagitii fragrantia? *Alii tamen melius leg.* opprobras. *Petron. fragm. Tragur.* 38. *Burmann.* Non impropero illi. *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 6. Illum vero solam improperasse cæcitatem. *Lact. Placid.* apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 3. *p.* 374. *fab.* 230. Cui dum improperatum fuisset, se genus suum ignorare, ivit ad templum, ut quæreret. *Gloss. Philox.* Impropero, ὀνειδίζω. Sæpissime vero hoc verbo eadem significatione utitur, ut etiam nomine inde derivato *improperium*, *Vulgat. interpres.* Hinc in *ep. Pauli ad Rom.* 15. 3. Improperia improperantium.

IMPRŎPĔRUS *vel* inproperus, a, um, adject. (in *negat.* et properus) tardus, non properus, *tardo. Sil. It.* 3. 96. improperæ ducant cui fila sorores.

IMPRŎPRĬĒ *vel* inproprie, adverb. (improprius) non proprie, *impropriamente*, οὐ κυρίως. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 10. (29). *de elephantis.* Spirant et bibunt odoranturque haud improprie appellata manu. *Gell.* 17. 1. Ut scribere ausi sint, M. Ciceronem parum integre atque improprie atque inconsiderate locutum. *Id.* 6. 6. In his Virgilii versibus reprehendit Hyginus *præpetibus pennis*, quasi improprie et inscite dictum.

IMPRŎPRĬĔTAS *vel* inproprietas, ātis, f. 3. (in *negat.* et proprietas) improprius usus, *improprietà*; occurrit enim tantum de verbis apud *Gell.* 1. 22. *extr.* Cavenda est improprietas verbi.

IMPRŎPRĬUS *vel* inproprius, a, um, adject. (in *negat.* et proprius) non proprius, non conveniens, *improprio*, ἄκυρος. *Quintil.* 8. 4. 16. Si ex alio colligitur aliud, nec improprium, nec inusitatum nomen est ratiocinationis. Sic *Plin.* 37. *Hist. nat.* 8. 37. (116). Iaspis terebinthizusa, improprio, ut arbitror, cognomine dicta. Rursus *Quintil.* 8. 3. 57. Verba impropria. *Id.* 8. 6. 37. Tropus est rarissimus et maxime improprius. — Hinc neutr. *improprium*

absolute, *improprietà*, ἀκυρολογία, vitium orationis, de quo *V.* in ACYROLOGIA. *Quintil.* 8. 2. 3. Proprietati contrarium est vitium id, quod apud nos improprium, ἄκυρον apud Græcos vocatur: quale est (*Virg.* 4. *Æn.* 419.) tantum sperare dolorem etc. Adde *eumd.* 8. 3. 15. et 11. 5. 46.; et in plur. num. 1. 8. 13. et 2. 5. 10. Sic *Id.* 12. 10. 42. Falsa et impropria ducentes.

IMPRŎPUGNĀTUS *vel* inpropugnatus, a, um, adject. (in *negat. et* propugnatus) non propugnatus, *non difeso. Ammian.* 29. 6. Impropugnata civitas. Adde *eumd.* 26. 5.

IMPROSPECTĒ *vel* inprospecte, adverb. (improspectus) translate est improvide, incaute. *Hieronym.* 1. *advers. Jovinian. n.* 23. Jephte improspecte voverat. *Tertull. Anim.* 24. Satis improspecte.

IMPROSPECTUS *vel* inprospectus, a, um, adject. (in *negat. et* prospectus) non prospectus, non visus: atque adeo qui despici nequit. *Sever. Ætn.* 338. vel quo liberrimus Ætna Improspectus hiat. *il cui fondo non si può vedere.*

IMPROSPER *vel* inprosper, ra, rum, adject. (in *negat. et* prosper) infelix, ἀτυχής. *Tac.* 3. *Ann.* 24. Ita domi improspera (*fortuna*) fuit. *Id.* 14. *ibid.* 65. Orta insidiarum magna moles, sed improspera. *Id.* 4. *ibid.* 44. Multa claritudine generis, sed improspera. — Cum Dativo. *Scholiast. Bob.* ad *Cic. Mil.* 38. edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. p. 120. Elegantissime declinavit invidiam, dicturus, ut sibi videbatur, id quod esset improsperum reipublicæ.

IMPROSPĔRĒ *vel* inprospere, adverb. (improsper) non prospere, infeliciter, *infelicemente*, δυστυχῶς. *Colum.* 1. *R. R.* 1.16. Ubi quid perperam administratum cessit improspere. *Tac.* 1. *Ann.* 8. Libertas improspere repetita. *Gell.* 9. 9. Nihil quidquam tam improspere Virgilium ex Homero vertisse, quam etc.

IMPROSPĬCUUS, ἀπερίβλεπτος. *Gloss. Græc. Lat.*

IMPRŌTECTUS *vel* inprotectus, a, um, adject. (in *negat. et* protectus) non protectus, defensore destitutus, indefensus, *senza difesa*, ἀνυπεράσπιστος. *Ammian.* 21. 13. Ne mox partes petiturus Arctoas, improtectum Mesopotamiæ relinqueret latus. Adde *eumd.* 31. 13. *Gell.* 13. 27. *extr.* Ne qua in re adversa et repentina incursio imparatis improtectisque nobis oboriatur. *Id.* 7. 3. *a med.* Sed Cato non nudam, neque solitariam, nec improtectam hanc epagogen facit, sed multis eam modis præfulcit.

IMPRŌVĬDĒ *vel* inprovide, adverb. (improvidus) incaute, *incautamente, improvidamente*, ἀπρονοήτως. *Liv.* 27. 27. *ad fin.* Neque pro veteris prudentia ducis tam improvide se collegamque in præceps dederat. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 35. Et cæcilia sæpe, quum bos improvide supercubuit, lacessita onere morsum imprimit.

IMPRŌVĬDENTĬA *vel* inprovidentia, æ, f. 1. (improvidus) providentiæ defectus, *improvidenza. Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 23. Improvidentiis sententias vertere.

IMPRŌVĬDUS *vel* inprovidus, a, um, adject. (in *negat. et* providus) qui non prævidet, incautus, imprudens, ἀπρονόητος (It. *improvido, incauto, malaccorto, inconsiderato*; Fr. *qui ne prévoit pas*; Hisp. *el qui no preve*; Germ. *nicht vorhersehend, unvorsichtig*; Angl. *improvident, unforeseeing, unheedful*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 7. *Att.* 20. Improvidi et negligentes duces. *Id. Amic.* 26. 100. Hæc etiam in fabulis stultissima persona est improvidorum et credulorum senum. *Liv.* 22. 19. Improvidos incautosque hostes opprimere. *Cic.* 2. *Fam.* 16. Ut existimares aut me tam improvidum, aut tam inconstantem etc. *Id. Ligar.* 6. 17. Fatalis quædam calamitas incidisse videtur, et improvidas hominum mentes occupavisse. *Virg.* 2. *Æn.* 200. Objicitur magis atque improvida pectora turbat. *Lucret.* 1. 938. Improvida puerorum ætas. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 62. Iis enim se adolescens improvida ætate irretierat erratis, ut etc. *Plin.* 4. *Ep.* 22. *a med.* Tela, quæ cæca et improvida feruntur. *Nonnullis videtur hoc loco improvidus passive adhiberi pro* eo qui non prævidetur, *improvviso.* — *b*) Cum Genitivo. *Liv.* 26. 39. Velis tum forte, improvidus futuri certaminis, Romanus veniebat. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 3. 3. (7). Rudis et improvida hujus mali civitas. *Tac.* 3. *Hist.* 56. Sed præcipuum ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiæ, improvidus consilii. *h. e.* consilio et consultatione nihil providens. — *c*) Cum Infinito. *Sil. It.* 4. 286. *de hasta.* Ac nimio jactu serrasse improvida campi Distantis spatium, propiorem transvolat hostem.

IMPRŌVĪSĒ *vel* inprovise. adverb. (improvisus) improviso, *improvvisamente. Tertull. carm. advers. Marcion.* 2. 12. Improvise necans incautos morte suprema. *Hic perperam ultima corripitur.* Addunt et *Plauti* locum *Truc.* 2. 7. 3. Atque improvise partibus exspoliet. *Sed legendum:* Atque improbis sese artibus exspoliet.

IMPRŌVĪSO *vel* inproviso, adverb. (improvisus). Revera est Ablativus casus adjectivi *improvisus*: quare nonnumquam præpositionem recipit, *V.* voc. seq. sub 2.° — Ceterum improviso est subito, repente, ita ut prævideri non potuerit, *improvvisamente, all'improvviso*, ἀπρονοήτως, ἐξαίφνης. *Plaut. Rud.* 4. 5. 6. Improviso filiam inveni tamen. *Id. Asin.* 2. 2. 44. Tantum adest boni improviso. *Cic.* 4. *Verr.* 74. 182. Sane homini præter opinionem improviso incidi. *Id.* 1. *Divinat.* 24. 50. Improviso eos in castra irrupisse. *Id.* 1. *de republ.* 4. Quum mihi nihil improviso evenisset. *Id.* 15. *Att.* 1. A. 1. Quum hominem temperantem tantus improviso morbus oppresserit. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. Quod improviso unum pagum adortus esset. *Id.* 1. *B. C.* 54. Collem improviso occupat. *Virg.* 12. *Æn.* 576. Scalæ improviso subitusque apparuit ignis. *Id.* 8. *ibid.* 524. Namque improviso vibratus ab æthere fulgor Cum sonitu venit. *Forcellinus* per hypallagen *improviso* adjective accepit.

IMPRŌVĪSUS *vel* inprovisus, a, um, adject. (in *negat. et* provisus). Comp. *Improvisior* sub 1.° *a.* — Improvisus est non provisus, subitus, repentinus, inopinatus, αἰφνίδιος (It. *improvviso, non preveduto*; Fr. *imprévu, qui arrive à l'improviste, inattendu*; Hisp. *improvisto, impensado, improviso*; Germ. *unvorhergesehen, unvermuthet*; Angl. *unforeseen, unlooked for, unthought of, unexpected*). Occurrit — 1.°) Adjective — *a*) De rebus. *Cic.* 4. *Verr.* 28. 69. Quum hoc illi improvisum atque inopinatum accidisset. *Id.* 4. *Tusc.* 17. 37. Sapienti nihil improvisum accidere potest, nihil inopinatum, nihil omnino novum. *Id.* 1. *Orat.* 22. 103. Ut nulla sit res neque tanta, neque tam improvisa, neque tam nova, de qua etc. *Id.* 2. *leg. Agr.* 22. 60. Unde iste amor tam improvisus ac tam repentinus? *Id. Fontej.* 15. 32. Quum tot bella subito atque improvisa nascantur. *Id.* 3. *Tusc.* 14. 30. Omnia quæ mala putantur, sunt improvisa graviora. Cf. *Tac.* 2. *Ann.* 47. Quo improvisior graviorque pestis fuit. Rursus *Cic.* 2. *Fam.* 10. Castella munita improviso adventu capta et incensa. *Id. Mur.* 27. 55. In his L. Murenæ tantis tamque improvisis periculis. *Horat.* 2. *Od.* 13. 19. Improvisa vis leti. *Id.* 1. *Ep.* 6. 11. species. *Plin. Paneg.* 66. Provectos improvisus turbo perculerat. — Et in plur. num. absolute *Tac.* 5. *Hist.* 16. Dux sibi delectos retinuerat ad improvisa. *per gli accidenti.* — *b*) De hominibus. *Virg.* 2. *Æn.* 182. pelagoque remenso Improvisi aderunt. *Id.* 1. *ibid.* 598. cunctisque repente Improvisus ait. *Justin.* 7. 6. 8. Nihil minus quam bellum metuentem improvisus expugnat. — 2.°) Absolute, seu potius adverbii more occurrit — *a*) Sæpe *de improviso*, h. e. subito, repente: *V.* IMPROVISO. *Ter. Andr.* 2. 5. 6. Quasi de improviso respice ad eum. Adde *eumd. ibid.* 2. 2. 23., *Heaut.* 2. 3. 40., *Adelph.* 3. 3. 53. et *Phorm.* 5. 6. 44. *Cic. Rosc. Am.* 52. 151. De improviso in milites incidere. *Cæs.* 2. *B. C.* 6. Nostris de improviso imprudentibus atque impeditis vulnera inferebant. Adde *eumd.* 2. *B. G.* 3., 5. *ibid.* 22. et 39. et alibi; et *Auct. B. G.* 8. 36. — *b*) Raro *ex improviso* eodem sensu. *Plaut. Rud.* 4. 5. 2. Quis me est fortunatior, qui ex improviso filiam inveni meam? *Cic.* 3. *Verr.* 43. 112. Voluisti ex improviso, si quæ res nata esset, ex urbano edicto decernere.

IMPRŪDENS *vel* inprudens, entis, adject. (in *negat. et* prudens). Comp. *Imprudentior* et Sup. *Imprudentissimus* sub *a.* — Imprudens est non prudens, qui non prævidet, atque adeo ignarus, inscius, inexpertus, ἀγνώς (It. *chi non prevede, chi non sa, ignaro, improvvido*; Fr. *qui ne prévoit pas, qui ne s'attende pas à, qui ne sait pas, surpris*; Hisp. *el qui no preve, qui no sabe*; Germ. *nicht vorhergesehend, nicht vermuthend, ohne Wissen, ohne Kunde*; Angl. *not knowing, ignorant, unknowing*). Occurrit — *a*) Absolute, et eleganter adhibetur in sexto casu. — Sæpissime de hominibus. *Cæs.* 2. *B. C.* 1. Imprudente atque inopinante Curione pervehitur. *Id. ibid.* 38. Equites missi nocte iter conficiunt, imprudentes atque inopinantes hostes aggrediuntur. *Id.* 3. *B. G.* 29. Ne quis inermibus imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri posset. *Id.* 2. *B. C.* 6. Multa nostris de improviso imprudentibus atque impeditis vulnera inferebant. *Nepos Agesil.* 2. Omnes imparatos imprudentesque offendit. *Auct. B. G.* 8. 36. Equites imprudentibus omnibus de improviso advolasse. *Cic. Rosc. Am.* 8. 21. Hæc omnia imprudente L. Sulla facta esse, certe scio. *senza saputa di L. Silla. Id.* 1. *Orat.* 21. 94. Scripsi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente et invito excidit et pervenit in manus hominum. Cf. *Quintil.* 6. 3. 23. Quæ si imprudentibus excidant. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 40. Plus hodie boni feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam. *Id. Heaut.* 4. 1. 20. Scio, te inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia. *Id. Phorm.* 2. 1. 38. Probe horum facta imprudens depinxit senex. *senza saperlo. Cic. Brut.* 77. 269. Tu mihi imprudens M. Servilium præteriisse videris. *Quintil.* 12. 7. 8. Quod ex prima statim fronte dijudicare imprudentium est. *Id.* 7. 1. 40. Non tamen fere numquam nisi imprudentem (*illa*) fugerint. — Pro valde prudenti quidem accipiendum putant in illo *Virg.* 1. *G.* 373. numquam imprudentibus imber obfuit. Sed contra stat *Servius*, qui optime ita interpretatur: Numquam imber obfuit non ante provisus, ut *imprudentibus* pro *ignaris* accipiamus. — Pro improvido. *Seneca Constant. Sap.* 19. Quidquid horum ab imprudentioribus fiet (fieri autem nisi ab imprudentibus non potest) negligendum. Opponitur sapienti in illo ejusd. *Senecæ Ep.* 90. *post med.* Illa sapiens licet invenerit, non qua sapiens erat, invenit. Multa enim facit, quæ ab imprudentissimis aut æque fieri videmus, aut peritius, aut exercitatius. — Raro admodum de rebus inanimis et abstractis. *Auct. B. Afr.* 11. Ne imprudentes suæ naves in classem adversariorum inciderent. *Petron. Satyr.* 102. Non imprudens consilium, si aditum haberet. *h. e.* improvidum, *imprudente.* — *b*) Cum Genitivo rei, cujus quis est imprudens. — De hominibus. *Ter. Eun.* 1. 2. 56. Imprudens harum rerum ignarusque omnium. Ubi *Donatus:* Prudentia naturalis est; gnaritas extrinsecus venit; *imprudens* per se; *ignarus* per alios. *Cic.* 2. *Invent.* 31. 95. Erat in eo porto fanum Dianæ ejus, cui vitulum immolari non licebat. Imprudentes legis quum exissent, vitulum immolaverunt. *Liv.* 31. 14. Imprudentes religionis. *Id.* 34. 9. maris. *mal pratici. Quintil.* 1. 1. 20. ætatum. — De rebus inanimis et abstractis. *Virg.* 2. *G.* 372. *de vite.* Præcipue dum frons tenera imprudensque laborum. *h. e.* nondum cœli injurias experta. *Colum.* 3. *R. R.* 18. 1. Antiquitatis imprudens consuetudo. — *c*) Cum Infinito. *Curt.* 8. 8. 2. Non imprudens, quum permisissem huic latroni dicere, aurum eum rabie, qua etc.

IMPRŪDENTER *vel* inprudenter, adverb. (imprudens). Comp. *Imprudentius.* — Imprudenter est per ignorantiam, inscienter, incaute, improvide, *ignorantemente, imprudentemente, incautamente*, δι' ἄγνοιαν. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 6. 22. Illud imprudenter, si alios esse Academicos, alios Peripateticos arbitrantur. *Vellej.* 1. 2. 1. Pastoralem cultum induit, immixtusque castris hostium, de industria, imprudenter, rixam ciens, interemptus est. *per ignoranza, non essendo conosciuto.* Τὸ *imprudenter* ad *interemptus est* refertur. *Ter. Andr.* 1. 1. 103. Ad flammam accessit imprudentius, satis cum periculo. *h. e.* incautius. *Cæs.* apud *Cic.* 10. *Att.* 8. B. 1. Etsi te nihil temere, nihil imprudenter facturum judicaram. *Nepos Hann.* 2. *extr.* Si quid amice de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris.

IMPRŪDENTĬA *vel* inprudentia, æ, f. 1. (in *negat. et* prudentia) inscitia, ignorantia, error, *ignoranza, errore*, ἄγνοια. *Ter. Eun. prol.* 27. Peccatum imprudentia'st poetæ. *Cæs.* 4. *B. G.* 27. Propter imprudentiam, ut ignosceretur, petiverunt —: ignoscere imprudentiæ dixit etc. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 3., 7. *ibid.* 29. et 3. *B. C.* 112. *Cic. Harusp. resp.* 17. 37. Quod sacrificium tam occultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes? quo non modo improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare? *Petron. Satyr.*

79. Imprudentia iocorum. — *Per imprudentiam* est imprudenter, *per ignoranza*. *Cic.* 4. *Verr.* 23. 57. Perperam judicare: quod sæpe per imprudentiam fit. *Id. Orat.* 56. 189. Inculcamus per imprudentiam sæpe etiam minus usitatos (*versus in oratione*), sed tamen versus. *inavvertentemente*. *Quintil.* 1. 5. 53. Hoc quoque, quod schema vocatur, si ab aliquo per imprudentiam factum erit, solœcismi vitio non carebit. — Excludit etiam interdum voluntatem et libertatem. *Cic.* 2. *Invent.* 31. 95. Imprudentia est, quum scisse aliquid is, qui arguitur, negatur. *Id.* 1. *ibid.* 27. 41. Imprudentiæ partes sunt inscitia, casus, necessitas. *Id.* 3. *Orat.* 39. 158. Imprudentia teli emissi. *h. e.* si telum manu fugit, ut *Ennius* ait. — Est etiam improvidentia, consilii defectus, *imprudenza*. *Nepos Epam.* 7. Totum exercitum propter prætorum imprudentiam inscitiamque belli periturum. *Id. Dion.* 8. Se armat imprudentia Dionis. *Gell.* 6. 1. Quo modo prudentia esset, nisi foret contra imprudentia?

IMPŪBES *vel* inpubes, *et* impubis *vel* inpubis, ĕris *et* is, adject. Qui rectum casum *impuber* ponunt, nullo probant exemplo. — Rectus casus *impubis* legitur apud *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 64. (130). — Genitivus *impubis* est proprium poetarum et in prosa oratione scriptorum, qui post Augustum floruerunt. — Ceterum impubes est qui pube et barba caret; diciturque de pueris, qui annum quartumdecimum, et puellis, quæ duodecimum nondum attigerunt, ut *Justinian.* 1. *Institut. tit.* 22. docet, ἄνηβος (It. *giovinetto senza peli in viso, impubere*; Fr. *qui n'a pas atteint la puberté, impubère*; Hisp. *el qui no es adolescente*; Germ. *nicht mannbar*; Angl. *beardless, without the down of youth*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu — *a*) De hominibus. *Lucret.* 5. 673. impubem molli pubescere veste. *Cic.* 4. *Cat.* 6. 13. Filium ejus impuberem in carcere necatum esse dixit. *Cæs.* 3. *B. C.* 14. Qui de servis liberisque omnibus ad impuberes supplicium sumit et ad unum interficit. *Virg.* 5. *Æn.* 546. comitemque impubis Iuli. *Horat.* 2. *Od.* 9. 15. nec impubem parentes Troilon flevere semper. *Ovid.* 2. *Fast.* 239. Nam puer impubes et adhuc non utilis armis. *Sueton. Claud.* 43. Impubi teneroque togam dare. Adde *eumd. ibid.* 27., *Ner.* 35. et *Domit.* 10. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 9. (41). Capillus impubium impositus. *Id.* 23. *ibid.* 7. 64. (130). Corticem puer impubis si detrahat dentibus. *Ulp. Dig.* 29. 5. 1. § 32. Solet hoc in usu observari, ut impuberes non torqueantur; terreri tantum solent, et habena vel ferula cædi. — Cum Accusativo more Græco. *Sil. It.* 2. 112. Impubem malas Lysum fuderat. — *b*) De rebus et abstractis. *Horat. Epod.* 5. 13. Impube corpus. *Virg.* 9. *Æn.* 751. Impubes malæ. *Ovid.* 9. *Met.* 416. impubibus annis. ¶ 2. Latiori sensu est cælebs, castus, *celibe*, qui nempe tamquam impubes se gessit. *Cæs.* 6. *B. G.* 21. Qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem.

IMPŪBESCENS vel inpubescens, entis, adject. (in *intens.* et pubescens) qui pubescere cœpit. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 7. 64. (130). Corticem ejus (*caprifici*) impubescentem puer impubis si detracto ramo detrahat dentibus. *Forcellinus* part. in negativa accepit et *impubescentem* interpretatus est eum, qui nondum lanuginem emisit. *Harduin.* mallet *intumescentem*; quam lectionem retinuit *Sillig.* præcipue comparato simili loco *Plin. Valer.* 3. 29.

IMPŪDENS *vel* inpudens, entis, adject. (in *negat. et* pudens). Comp. *Impudentior* et Sup. *Impudentissimus*. — Impudens est is, quem non pudet, inverecundus, petulans, perfrictæ frontis, ἀναιδής (It. *sfacciato, sfrontato, impudente*; Fr. *impudent, sans pudeur, déhonté, effronté*; Hisp. *desvergonzado, descomedido, atrevido*; Germ. *schamlos, unverschämt, nicht schamhaft*; Angl. *shameless, impudent, barefaced*). Occurrit — *a*) De hominibus. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 58. 132. Sed superstitiosi vates impudentesque arioli, – Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam. *Plaut. Rud.* 3. 2. 6. Statuite exemplum impudenti, date pudori præmium. *Id. Men.* 5. 1. 10. Etiamne impudens muttire unum verbum audes? *Id. Amph.* 2. 2. 186. Tun' mecum fueris? quid illac impudente audacius? *Ter. Phorm.* 3. 2. 14. Incogitans atque impudens. *Cic. Rosc. com.* 7. 21. Probus improbum (*fraudasse dicatur*), pudens impudentem, perjurum castus etc. *Id.* 4. *Verr.* 78. 191. Ut quum impudens fuisset in furto, tum impudentior videretur, si negaret. *Id.* 5. *Fam.* 12. Qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem. *Horat.* 3. *Od.* 27. 49. Impudens liqui patrios penates, Impudens Orcum moror. *Gell.* 6. 11. Impudentes et improbi homines. — *b*) De rebus et abstractis. *Plaut. Asin.* 3. 1. 39. Te quidem edepol nihil est impudentius. *Id. Men.* 5. 1. 13.; et *Ter. Heaut.* 2. 3. 7. O hominis impudentem audaciam! *Id. Eun.* 5. 1. 22. Vide, amabo, si non, quum aspicias, os impudens videtur? *Id. Andr.* 4. 1. 10. Impudentissima oratio. *Cic. Cluent.* 60. 168. Magnum crimen et impudens mendacium. *Id. fragm.* apud *Non. p.* 327. 6. *Merc.* Debes odisse improbitatem ejus, quia impudentissimum nomen delegerit. *Id.* 7. *Att.* 2. *a med.* Impudentissimæ litteræ.

IMPŪDENTER *vel* inpudenter, adverb. Comp. *Impudentius* et Sup. *Impudentissime*. — Impudenter est inverecunde, petulanter, *sfacciatamente, sfrontatamente*, ἀναιδῶς. *Plaut. Men.* 5. 2. 69. Nimio hæc impudenter negas. Adde *eumd. Rud.* 4. 3. 38.; et *Ter. Andr.* 4. 4. 16. *Cic.* 5. *Fam.* 12. Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui etc. *Id.* 4. *Verr.* 54. 134. Callide, audacter, impudenter. Adde *eumd. Amic.* 22. 82. *Id.* 9. *Fam.* 22. *a med.* Batuit, impudenter (*dicitur*): depsit, multo impudentius. *Id.* 6. *Verr.* 7. 16. Impudentissime mentiri.

IMPŪDENTĬA *vel* inpudentia, æ, f. 1. inverecundia, audacia, petulantia, *sfacciataggine, impudenza, sfrontatezza*, ἀναίδεια. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 36. 77. Quis homo te exsuperavit usquam gentium impudentiâ? *Cato* apud *Gell.* 17. 2. Qui illius impudentiam norat et duritudinem. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 52. Quum istanc nactus impudentiam. *Cic. Flacc.* 15. 35. Impudentia atque audacia fretus. *Id. Orat.* 71. 238. Verecundia negandi scribendi impudentiam suscepi. *Id.* 1. *Orat.* 38. 172. Ceteros non dubitabo primum inertiæ condemnare, post etiam impudentiæ. Adde *eumd. ibid.* § 173. *Id. Harusp. resp.* 1. 1. Reprimere alicujus impudicam impudentiam. *Id. Dom.* 38. 101. An ego tantam aut animi duritiem habere, aut oculorum impudentiam possim, ut possim intueri etc.? *Cæs.* 3. *B. C.* 20. Cujus animi, aut cujus impudentiæ est? *Plin.* 4. *Ep.* 7. Eo impudentia pervenit, ut a plurimis orator habeatur. *Id. Paneg.* 48. In ore impudentia multo rubore suffusa.

IMPŪDENTĬUSCŬLUS *vel* inpudentiusculus, a, um, adject. *deminut. ab* impudens, aliquantum impudens, *sfacciatello*. *Cic.* 7. *Fam.* 5. *in fin.* Simus enim impudentiusculi, quam per te vix licet; verum etc. *Plerique tamen et meliores Cod. habent* putidiusculi.

IMPŪDĪCĀTUS stupratus, impudicus factus. *Paul. Diac. p.* 109. 1. *Müll.*

IMPŪDĪCE vel inpudice, adverb. (impudicus). Sup. *Impudicissime*. — Impudice est impure, lascive, turpiter, *impudicamente*, ἀσελγῶς. *Tertull. Idolol.* 2. Si quis animam commoverint impudice. *Vulgat. interpr. Jerem. Thren.* 5. 13. Adolescentibus impudice abusi sunt. *Eutrop.* 8. 22. Impudicissime et obscœnissime vixit.

IMPŪDĪCĬTĬA *vel* inpudicitia, æ, f. 1. (impudicus) impuritas, *impudicizia, disonestà*, ἀσέλγεια. *Plaut. Amph.* 2. 2. 189. Tu si me impudicitiæ captas, non potes capere. *Id. Pers.* 2. 2. 11. Impudicitiam opprobrare alicui. *Tac.* 5. *Ann.* 3. objectare. *Gell.* 18. 3. Aliquem de impudicitia accusare. *Ulp. Dig.* 1. 6. 2. Ad impudicitiam compellere. — Præcipue est τὸ παιδικόν. *Sueton. Aug.* 71. Infamiam impudicitiæ facillime refutavit, circa libidines hæsit. Adde *eumd. Cæs.* 52. et *Vesp.* 13. Cf. *Seneca præf.* 4. *Excerpt. controv. ad fin.* Impudicitia in ingenuo crimen est, in liberto officium, in servo necessitas.

IMPŪDĪCUS *vel* inpudicus, a, um, adject. (in *negat. et* pudicus). Comp. *Impudicior* et Sup. *Impudicissimus* I. 2. — Impudicus

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim, sed raro admodum, est impudens, temerarium. *Plaut. Rud.* 2. 3. 62. O facinus impudicum! quam liberam esse oporteat, servire postulare. ¶ 2. Speciatim et sæpe est impurus, lascivus, et præcipue qui est pudicitiæ suæ prodigus, *impudico, disonesto*, ἄναγνος, ἀσελγής, παιδικός. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 23. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. *Id.* 3. *Phil.* 5. 12. Intolerabile est servire impuro, impudico, effeminato. *Id.* 2. *ibid.* 28. 70. Et consul et impudicissimus. *Id. Harusp. resp.* 1. 1. Impudica impudentia. — Etiam de mulierum venere incesta. *Plaut. Curc.* 1. 1. 52. A me pudica est, nisi si est osculando quippiam impudicior. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 10. Complexi mulieres impudicas.

II.) Translate. *Martial.* 6. 70. Digitus impudicus. *h. e.* medius, δι' ὁμοιότητα σὺν ἰθυφάλλῳ. — *Auct. Priap.* 60. Si fur veneris, impudicus ibis. *h. e.* impudicatus, violatus: *V.* PUDICUS. — *Impudicus* odor est teter, fœdus. *Martial.* 12. 32. Odor impudicus urcei.

IMPUGNĀTĬO vel inpugnatio, ōnis, f. 3. (impugno) oppugnatio, *oppugnazione*, προσβολή. *Cic.* 4. *Att.* 3. Ipse domum P. Sullæ pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat.

IMPUGNĀTOR vel inpugnator, ōris, m. 3. qui impugnat, *assediante*. *Liv.* 27. 15. Caulonis impugnatores. *Ita legit* Gruter. *Ast alii melius* oppugnatores. Certa tamen est lectio, sed translata significatione, apud *Cassiod.* 1. *Variar.* 9. Volumus, impugnatores ejus (*episcopi*) legitima pœna percellere. *h. e. calunniatori*. Sic *Ennod. Ep.* 2. 17. Impugnator est sui qui prædicat etc. Adde *Isid.* 8. *Orig.* 5.

IMPUGNĀTUS vel inpugnatus, a, um, particip. a. v. IMPUGNO, quod *V.*

IMPUGNĀTUS *vel* inpugnatus, a, um, adject. (in *negat. et* pugnatus) non oppugnatus, sine certamine relictus. Translate *Gell.* 1. 6. Turpe est rhetori, si quid in mala causa destitutum atque impugnatum relinquat.

IMPUGNO *vel* inpugno, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* pugno). Part. *Impugnans, Impugnatus* et *Impugnandus* I. — Impugnare est contra aliquem pugnare, oppugnare, aggredi, προσβάλλω (It. *assalire, attaccare, combattere, impugnare*; Fr. *attaquer, assaillir*; Hisp. *acometer, embestir al contrario, atacar*; Germ. *etwas bekämpfen, angreifen, gegen etwas ankämpfen, kämpfend darauf eindringen*; Angl. *to attach, assail, fight against*).

I.) Proprie locum habet in re militari. — *a*) Cum Accusativo. *Liv.* 3. 70. Impugnare terga hostium. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. *a med.* Sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrere. *Justin.* 22. 2. 3. Syracusæ a cive hostili odio impugnatæ sunt. *Id.* 22. 4. 1. Et qui sua tueri non poterat, impugnaret aliena. — *b*) Absolute. *Cæs.* 3. *B. G.* 26. Nostri, redintegratis viribus, acrius impugnare cœperunt. *Justin.* 38. 4. 1. Quin sit resistendum impugnantibus.

II.) Translate est adversari, contra dicere, *contrastare*. — *a*) Cum Accusativo. — De hominibus. *Sall. Jug.* 29. Qui tametsi a principio acerrime regem (*Jugurtham*) impugnaverat, tamen magnitudine pecuniæ in pravum abstractus est. *Sueton. Cæs.* 21. Cujus vel præcipua opera Bibulum impugnaverat. *Cic.* 3. *Fam.* 12. Nulla ne in tabellæ quidem latebra fuisse absconditam malivolentiam, quæ te impugnare auderet. *Sueton. Cal.* 3. Veneficiis et devotionibus impugnari se comperit. — De rebus physicis. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 21. 20. (85). Primo hunc illi impugnatus cursum Taurus aufert. *Harduin.* ex MSS. legit *illic in pugna*, quod præstat et a *Sillig.* probatur. — De morbis. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 12. 76. (123). Morbus regius impugnatur centaurio majore poto. — Sæpissime de abstractis, et præcipue locum habet in re oratoria. *Quintil.* 4. 1. 14. Adversarii persona prope iisdem omnibus, sed e contrario ductis, impugnari solet. *Id.* 2. 17. 40. Sæpe quæ in aliis litibus impugnarunt actores causarum, eadem in aliis defendunt. *Id.* 11. 1. 62. Impugnare filii caput palam. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 439. 3. *Merc.*; et *Auct. B. G.* 8. 53. dignitatem alicujus. *Tac.* 4. *Hist.* 8. sententiam. *Ovid.* 8. *Met.* 151. maritum et fidem. *Quintil.* 7. 3. 22. finitionem alterius. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 89. nostra. — *b*) Absolute. *Cic. Quinct.* 2. 8. Quum illis id tempus impugnandi detur, quum et vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit. — *c*) Passive impersonaliter et cum Dativo. *Inscript.* sub Hadriano, apud *Fabrett. p.* 450. *n.* XIII. QVVM COMMODIS EORVM IMPVGNARETVR. *Pugno* quoque et *certo* similiter a poetis Græcos imitatis usurpantur.

IMPULSĬO *vel* inpulsio, ōnis, f. 3. (impello) actus impellendi, impulsus, *urto, spinta*, ὠθισμός, ἄπωσις.

I.) Proprie. *Cic. Tim.* 5. Omnis coagmentatio corporis vel calore, vel frigore, vel aliqua impulsione vehementi labefactatur et frangitur.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est vehemens animi impetus et motus, *trasporto, passione. Cic.* 2. *Invent.* 5. 17. Impulsio est, quæ sine cogitatione per quamdam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, ægritudo. *Id. ibid. mox* § 19. Quum aliquid impulsione factum esse dicet, illum impetum et quamdam commotionem animi affectionemque verbis amplificare debebit. ¶ 2. Specialim apud Rhetores est figura sententiarum, de qua *V.* in CHARIENTISMUS. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 205. Ad hilaritatem impulsio. *h. e.* χαριεντισμός. Adde *Quintil.* 9. 1. 31. et 9. 2. 3.

IMPULSO, as, are, a. 1. *frequentat. ab* impello, legitur in *Placidi Gloss.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 475.

IMPULSOR *vel* inpulsor, ōris, m. 3. (impello) qui impellit et incitat ad aliquid faciendum. *Ter. Adelph.* 4. 2. 21. Me impulsore hanc esse emptam sit. Adde *eumd. Eun.* 5. 8. 18. *Cic.* 16. *Att.* 7. Quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meæ, approbator certe fuisti. *Id. Vatin.* 10. 24. Se auctores et impulsores et socios habuisse sceleris illius eos viros, quibus etc. *Id. Prov. cons.* 8. 18. Omnem illam tempestatem Cæsare impulsore atque adjutore esse excitatam. *Tac.* 4. *Hist.* 68. Ne, ferocia ætatis et pravis impulsoribus, paci belloque male consuleret.

IMPULSTRIX *vel* inpulstrix, īcis, f. 3. quæ incitat ad aliquid faciendum, *instigatrice. Nonius p.* 150. 29. *Merc.* usurpari hanc vocem affirmat, quemadmodum et tonstrix, curatrix, plaustrix, assestrix.

IMPULSUS *vel* inpulsus, a, um. *V.* IMPELLO.

IMPULSUS *vel* inpulsus, us. m. 4. (impello) idem quod impulsio, *spinta, urto*, ὦσις.

I.) Proprie. *Cic. Cæcin.* 15. 43. Si non solum impulsu scutorum, neque conflictu corporum, neque ictu comminus, sed sæpe clamore ipso militum copias pulsas esse vidimus. *Id.* 6. *de republ.* 18. Sonus, qui impulsu et motu ipsorum urbium conficitur. *Id.* 2. *Nat. D.* 12. 32. Is ardor non alieno impulsu, sed sua sponte movetur. Adde *eumd.* 6. *de republ.* 25. *Apul. de Mundo.* Ventus, qui inferiora repentinis impulsibus quatit. Cf. *Seneca Herc. Œt.* 1414. Dolor impulsu gravi anhelum pectus quatit.

II.) Translate. — *a*) Sæpissime est incitamentum, *sovvertimento, istigazione. Ter. Hecyr.* 2. 1. 45. Ubi datere impulsu vostro, vostro impulsu easdem exigunt. *Cic. Rosc. Am.* 37. 107. Ipsos non negare, ad hæc bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. *Id.* 4. *Verr.* 66. 161. Ne quid horum non modo impulsu, verum omnino adventu meo factum esse videatur. *Id.* 2. *de republ.* 10. Qui (*Proculus*) impulsu patrum in concione dixisse fertur etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 25. Ne civiles eorum impulsu deficeret. *Gell.* 1. 11. *ad fin.* Impulsu et instinctu extraneo indigere. — *b*) Pertinet etiam ad affectus et impetus animi, *impeto, stimolo, trasporto. Cic.* 6. *de republ.* 26. Eorum animi, impulsu libidinum voluptatibus obedientium, deorum et hominum jura violaverunt. *Id.* 2. *Invent.* 5. 19. Qui simili impulsu aliquid commiserint. *Val. Max.* 9. 8. Temeritatis etiam et subiti et vehementes sunt impulsus, quorum ictibus mentes concussæ etc. *V.* IMPULSIO II. 1. — *c*) Item ad vim atque impetum orationis. *Quintil.* 9. 1. 20. Oratio pondere modo et impulsu præliatur.

IMPULVEREUS *vel* inpulvereus, a, um, adject. (in *negat.* et pulvereus) qui est sine pulvere, hoc est sine labore. *Gell.* 5. 6. Impulverea incruentaque victoria. *V.* ACONITI.

IMPUNCTUS *vel* inpunctus, a, um, adject. (in *negat.* et punctus) non punctus, nullis asper punctis, ἀκέντητος. *Apul.* 2. *Met.* Hic vitrum fabre sigillatum, ibi crystallum impunctum. *Alii perperam leg.* impictum. *V.* ACENTETA.

IMPŪNE *vel* inpune, adverb. (impunis). *Impœne* ἀρχαϊκῶς usurpat *Cato* apud *Fronton.* 1. *ad Antonin. Aug.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 2. *ad fin.* Ita inductum est male facere, impœne; bene facere, non impœne licere. — Comp. *Impunius* et Sup. *Impunissime.* — Impune est sine pœna seu punitione, absque periculo aut damno, tuto, impunite, ἀζημίως (It. *impunemente, senza castigo, senza pericolo*; Fr. *impunément, avec impunité*; Hisp. *impunemente, sin castigo*; Germ. *straflos, ungeahndet, ohne Gefahr, ohne Nachtheil, unangefochten*; Angl. *without punishment, loss, or danger, with impunity, safely*). *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 1. Nec pol homo quisquam faciet impune animatus Hoc nisi tu; nam mi calido das sanguine pœnam. *Plaut. Pœn.* 1. 3. 2. Impunissime tibi vendere hasce ædes licet. *liberissimamente. Ter. Heaut.* 3. 2. 49. Crederem mihi impunius licere. *Id. Adelph.* 5. 3. 38. Hinc licet impune facere huic, illi non licet. *Id. Eun.* 5. 2. 13. Credin' te impune abiturum? *di riuscirne senza castigo. Id. ibid.* 5. 7. 18. Siquidem istuc impune habueris. *h. e.* si consequeris, ut istud tibi impune sit. Cf. *Tac.* 3. *Ann.* 70. Neque tantum maleficium impune habendum. *h. e.* impunitum relinquendum. *Cic.* 3. *de republ.* 14. Optimum est facere (*injuriam*), impune si possis. *Id. Quinct.* 3. 11. Etiam impunius fit, quod quum est factum negari potest. *Id.* 2. *Fin.* 17. 55. Id Sextilius factum negabat; poterat autem impune: quis enim redargueret? *Id.* 1. *Legg.* 15. 42. Ut dictator quem vellet civium, indicta causa, impune posset occidere. *Id.* 2. *Divinat.* 27. 58. Quum credantur facilius, tum finguntur impunius. *Id.* 13. *Fam.* 77. Quum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit. Sic *Id.* 1. *Att.* 16. *ad fin.* Qui nummos in tribu pronunciarit, si non dederit, impune sit. Cf. *Ovid.* 11. *Met.* 67. Non impune tamen scelus hoc sinit esse Lyæus. Rursus *Cic. Quinct.* 3. 11. Libertate usus est, quo impunius dicas esset. *più liberamente. Horat. Art. P.* 381. Ne spissæ risum tollant impune coronæ. *liberamente, a senza timore o riguardo. Sall. Jug.* 36. Impune quælibet facere, id est regem esse. *Juvenal.* 4. 152. Impune ac vindice nullo. *Seneca* 2. *Controv.* 13. *a med.* Aliquod tempus impune a legibus. *Juvenal.* 1. 3. Impune ergo mihi recitaverit ille togatas, Hic elegos? impune diem consumpserit ingens Telephus? *h. e.* ut non tantumdem audiat. *Virg.* 9. *Æn.* 653. Sit satis, Æneide, telis impune Numanum Oppetiisse tuis. *h. e.* te illæso. *Sall. Jug.* 35. Impune injuriam accipere. *senza vendicarsi.* Sic *Phædr.* 4. 3. *extr.* Impune lædi. *h. e.* nullam pœnam expetendo. Cf. *Seneca* 3. *Ira* 23. 2. At vos, inquit Philippus, ceteri legati, nunciate Atheniensibus, multo superbiores esse qui ista dicunt, quam qui impune dicta audiunt. *h. e.* ipse Philippus qui audierat, quin pœnam inferret. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 4. 9. Majorum nostrorum labore factum est, ut impune in otio esse possemus. *senza pericolo.* Sic *Horat.* 1. *Od.* 13. 14. Mercator ter et quater Anno revisens æquor Atlanticum impune. Cf. *eumd. ibid.* 17. 5. Impune per nemus (*capellæ*) quærunt thyma. *Virg.* 11. *Æn.* 134. Per silvas Teucri mixtique impune Latini Erravere jugis. *h. e.* alter alterum nihil lædente per inducias. (Similem locum habes *Aurelii Opilii* apud *Gell.* 1. 25.). *Id.* 2. *G.* 32. Et sæpe alterius ramos impune videmus Vertere in alterius. *senza danno*, de insitione inquitur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 14. 36. (135). Lupinum impune jacet, vel derelictum etiam, ab omnibus animalibus amaritudine sua tutum. — Vult *Nonius p.* 129. 29. *Merc.* impune significare impudenter, *sfacciatamente*, in illo *Lucilii*: Homo impuratus et impune est rapinator.

IMPŪNIS *vel* inpunis, e, adject. (in *negat.* et pœna) impunitus, illæsus, *senza castigo, impunito*, ἀζήμιος, ἀθῶος. *Apul.* 3. *Met.* Impunem me fore. *Solin.* 27. *ante med.* Mulier obtestata occursantes feras, impunis rediit. *Al. leg.* immunis. — Nonnulli huc referunt illa (quæ tamen referuntur ad voc. præced.) *Caton.* apud *Gell.* 7. 3. Si quis plus quingenta jugera habere voluerit, tanta pœna esto, si quis majorem pecuum numerum habere voluerit, tantum damnas esto, atque nos omnia plura habere volumus, et id nobis impune est. *Ovid.* 11. *Met.* 67. Haud impune tamen scelus hoc sinit esse Lyæus. *Tac.* 3. *Ann.* 70. Neque tantum maleficium impune habendum.

IMPŪNĬTAS *vel* inpunitas, ātis, f. 3. (impune) pœnæ remissio, licentia, libertas, securitas a pœna, venia, ἀθῳότης (It. *impunità, libertà, sicurezza*; Fr. *impunité, exemption d'une peine*; Hisp. *impunidad, falta de castigo*; Germ. *d. Ungestraftheit, Straflosigkeit, Freiheit von der Strafe*; Angl. *impunity, remission of punishment*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Mil.* 16. 43. Quis ignorat maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? *Id. ibid.* 31. 84. Quam si vicisset, habiturus esset impunitatem et licentiam sempiternam. *Id.* 8. *Phil.* 11. 32. Ceteris, si errorem suum deposuerint, veniam et impunitatem dandam puto. *Id. Planc.* 1. 3. Quamquam mihi non sumo tantum, ut Cn. Plancium suis erga me meritis impunitatem consecutum putem. *Liv.* 8. 7. *ad fin.* Quum aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda. *Tac.* 15. *Ann.* 56. Promittere impunitatem. — *b*) Cum Genitivo personæ. *Cic. Rabir. Post.* 10. 27. Quorum impunitas fuit non modo a judicio, sed etiam a sermone. *h. e.* impune tulerunt non solum apud judices in foro, sed etiam apud populum in sermonibus. *Quintil.* 7. 7. 6. Impunitatem desertoris petit. — *c*) Cum Genitivo rei. *Cic.* 1. *Phil.* 11. 27. Quum tanta præsertim gladiorum sit impunitas. *Id.* 4. *Tusc.* 20. 45. Impunitas peccatorum data videtur eis, qui et ignominiam et infamiam ferunt sine dolore. *Id. Pis.* 9. 21. Funestum animal, ex omnium scelerum importunitate et flagitiorum impunitate concretum. *Veget.* 3. *Milit.* 4. *a med.* Vitiorum scelerumque impunitatem sperant pauci peccare cum plurimis. Rursus *Cic. Brut.* 91. 316. Is dedit operam, ut nimis redundantes nos et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret. *Forcellinus* hunc locum translate accepit. *Tac.* 3. *Ann.* 60. Crebescebat licentia atque impunitas asyla statuendi.

IMPŪNĬTĒ *vel* inpunite, adverb. (impunitus). Comp. *Impunitius.* — Impunite est impune, *impunemente. Matius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 28. O superbiam inauditam! alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impunite licere. *Al. leg.* impune. *Ennod. Vit. s. Epiphan. p.* 397. Qui criminosos patitur impunite transire. *Festus p.* 173. 8. *Müll.* Quo impunitius uxor ejus mœcharetur.

IMPŪNĪTUS *vel* inpunitus, a, um, adject. (in *negat.* et punitus). Scribitur et *impœnitus*, quemadmodum *impœne* pro *impune. Gell.* 12. 7. Veneficium non admittendum impœnitum videbatur. *Id.* 11. 18. Furta omnia fuisse licita et impœnita. — Comp. *Impunitior.* — Impunitus est non punitus, liber a pœna, *impunito*, ἀτιμώρητος. *Cic.* 7. *Verr.* 58. 149. Possemus hanc injuriam ignominiamque nominis Romani inultam impunitamque dimittere. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 16. 53. Ceterorum quoque injuriæ sint impunitæ atque inultæ. *Id.* 1. *Cat.* 7. 18. Tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera. *Id.* 6. *Verr.* 30. 68. Si istius hæc tanta injuria impunita discesserit. *Id.* 2. *Off.* 8. 28. Nisi multorum impunita scelera tulissemus. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 105. Qui tu impunitior illa obsonia captas? *Liv.* 3. 50. Libidinem Appii, quo impunitior sit, eo effrenatiorem fore.

IMPŪNO, ōnis, m. 3. qui impunitatis spe est impudens, legitur a quibusdam in verbis *Lucilii*, quæ habet *Non. p.* 129. 29. *Merc.* Sed alii melius leg. *impune.* V. locum in RAPINATOR.

IMPŪRĀTUS *vel* inpuratus, a, um. *V.* IMPURO.

IMPŪRĒ *vel* inpure, adverb. (impurus). Comp. *Impurius* et Sup. *Impurissime.* — Impure est spurce, fœde, *lordamente, sozzamente, impuramente*, ἀκαθάρτως, αἰσχρῶς: sed occurrit translate tantum pro impudice, turpiter, flagitiose. *Cic.* 3. *Fin.* 11. 38. Quis animo æquo videt eum, quem impure atque flagitiose putet vivere? *Id.* 2. *Divinat.* 29. 60. Multa facere impure atque tetre. *Id.* 2. *Phil.* 21. 50. Ea, quæ ipse in se atque in domestici dedecus impure atque intemperanter fecerit. *Id.* 9. *Att.* 12. A quo impurissime hæc nostra fortuna despecta est. *Imppp. Valentinian. Valens* et *Gratian. Cod. Theod.* 14. 9. 1. Qui neglexerit sponte remeare, sollicitudine præfecturæ etiam impurius ad patriam revertatur. *h. e.* cum nota et dedecore.

IMPURGĀBĬLIS *vel* inpurgabilis, e, adject. (in *negat.* et purgabilis) qui purgari nequit; sed occurrit translate tantum at est inexcusabilis. *Ammian.* 22. 3. Impurgabile crimen.

IMPURGO, as, are, a. 1. non purgare. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 120.

IMPŪRĬTAS *vel* inpuritas, ātis, f. 3. (impurus) spurcities, fœditas, *lordura, impurità*, ἀκαθαρσία. *Vulgat. interpr. Levit.* 5. 3. Et si tetigerit quidquam de immunditia hominis, juxta omnem impuritatem qua pollui solet, etc. — Ceterum translate occurrit et est impudicitia, improbitas, scelus. *Cic.*

2. *Phil.* 3. 6. Quum omnes impuritates pudica in domo quotidie susciperes, vino lustrisque confectus.

IMPŪRĬTĬA *vel* inpuritia, æ, f. 1. (impurus) idem atque impuritas translate sumpta. *Plaut. Pers.* 3. 3. 7. Ebo, lutum lenonium, commictum cœnum, sterquilinium publicum *etc.* trecentis versibus tuas impuritias traloqui nemo potest.

IMPŪRO *vel* inpuro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (impurus). Part. *Imparatus* in fin. — Impurare est impurum reddere, conspurcare, fœdare. *Seneca Ep.* 87. *circa med.* Utrum illum pecunia purum effecit, an ipse pecuniam impuravit? quæ sic in quosdam homines, quomodo denarius in cloacam, cadit. *Alii rectius leg.* inspurcavit. — Hinc Part. præter. pass.

Impuratus, a, um, adjective occurrit, unde Sup. *Impuratissimus*; et translate usurpatur pro impudicatus, violatus, impurus. *Ter. Phorm.* 4. 3. 64. Impuratus me ille ut etiam irrideat? Cf. *eumd. ibid.* 5. 7. 60.; et *Lucilium* apud *Non.* p. 129. 29. *Merc. Plaut. Rud.* 3. 4. 46. Scio problorem hanc esse, quam te, impuratissime. *Id ibid.* 2. 6. 59. Jam postulabas te, impurata bellua, totam Siciliam devoraturum insulam. *convicium. Apul.* 8. *Met.* Impuratissima illa capita (*hominum*).

IMPURPŬRĀTUS, a, um, adject. (in *et* purpura) ornatus purpura. *Charis.* 1. *p.* 19. *Putsch.* Hic clavus, id est impurpurata vestis, id est ἐμπόρφυρος ἐσθής καὶ ὁ ἧλος.

IMPŪRUS vel inpurus, a, um, adject. (in *negat.* et purus). Comp. *Impurior* et Sup. *Impurissimus* II. — Impurus est non purus, fœdus, spurcus, contaminatus, ἀκάθαρτος (It. *immondo, sporco, impuro*; Fr. *malpropre, sale, impur*; Hisp. *sucio, puerco, impuro*; Germ. *unrein, befleckt*; Angl. *foul, nasty, filthy, impure*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Ovid. Ib.* 223. Impuræ matris prolapsus ab alvo. — *Impurus* post mortem cognominatus est Elagabalus, teste *Lamprid. Elagab.* 17., quod ejus corpus in cloacam detrusum fuit.

II.) Translate morali ratione usurpatur, et est impudicus, impuratus, obscœna libidine contaminatus, atque adeo universim sceleratus, improbus. — *a*) Pro impudico, impurato. — De hominibus. *Plaut. Rud.* 3. 2. 38. Impudens, impurus, inverecundissimus. *Cic.* 2. *Cat.* 10. 23. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. *Id. Rosc. com.* 7. 20. Persona illa lutulenta, impura, invisa. *Id.* 3. *Phil.* 6. 15. Quis illo, qui maledicit, impurior? *Id. Dom.* 18. 48. Omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum impurissimus. *Petron. Satyr.* 81. Impurus omni libidine. — De rebus et abstractis. *Seneca Ep.* 87. *circa med.* Homo tam improbæ linguæ, quam impuræ. Adde *Martial.* 11. 61. *Catull.* 108. 2. Impuri mores. *Id.* 66. 84. Impurum adulterium. *Quintil.* 9. 2. 80. Quid impurius, quam retinuisse (*adulteram*) talem? *Cic. post redit. in senat.* 5. 11. Impura intemperantia. *Ovid.* 2. *Trist.* 416. Eubius impuræ conditor historiæ. — *b*) Universim pro scelerato, improbo. *Ter. Adelph.* 2. 1. 28. AESCH. Usque ad necem operiere loris. SA. Loris liber? AESCH. Sic erit. SA. O hominem impurum! *Cic. Amic.* 16. 59. Nec se adduci posse, ut hoc a Biante dictum crederet; sed impuri cujusdam aut ambitiosi esse sententiam. *Id.* 1. *de republ.* 5. Cum impuris atque immanibus adversariis decertare. *Id. ibid.* 44. Dux audax, impurus, consectans proterve bene sæpe de republica meritos. *Id.* 9. *Att.* 15. *in fin.* Ego illum male sanum semper putavi, nunc etiam impurum et sceleratum puto. *Sall. Cat.* 15. Namque animus impurus neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat. *Ter. Eun.* 2. 2. 3. Conveni hodie quemdam mei loci hinc atque ordinis, hominem haud impurum, itidem qui patria obligurierat bona. *h. e.* non avarum, non improbum, inquit *Donatus.* Et sic laudamus eos, in quibus nihil est, quod magnopere efferamus. Sic idem *Ter. Heaut.* 4. 1. 16. Erat hic Corinthia anus haud impura: ei dedi exponendam. *Flor.* 2. 20. Impura medicamina. *h. e.* venena. *Forcellinus* hunc locum ad paragr. I. retulit.

IMPŪTĀTĬO *vel* inputatio, ōnis, f. 3. actus imputandi. *Callistrat. Dig.* 35. 1. 80. Legendas offerre rationes, deinde computare, ut explorari possit, imputationes probe an improbe referantur, recte relata accepta, an non recte. *le partite di credito, e spese.* expensilationes. *Cassiod.* 12. *Variar.* 5. *ante med.* Pretia, quæ antiquus ordo constituit, ex jussione rerum domini cognoscite temperata. *et mox.* Imputationum summas infrascriptis brevibus credidimus exprimendas, ut nemo vobis vendat beneficium, quod publica noscitis largitate collatum. *h. e. le somme ai generi prescritte.*

IMPŪTĀTĪVUS *vel* inputativus, a, um, adject. (imputo) qui imputari potest: sed occurrit translate tantum et est accusatorius. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 25. Non simplici modo, id est interrogatorio sono legendum est, Ubi es Adam? sed impresso et incusso et imputativo.

IMPŪTĀTOR *vel* inputator, ōris, m. 3. qui imputat et expensum fert. Translate *Seneca* 2. *Benef.* 17. *a med.* Multi sunt tamen pravæ naturæ, ut malint perdere quæ præstiterunt, quam videri recepisse, superbi et imputatores.

IMPŪTĀTUS vel inputatus, a, um, particip. a v. IMPUTO, quod *V.*

IMPŪTĀTUS vel inputatus, a, um, adject. (in *privat. et* putatus) non putatus, *h. e.* non amputatus, *non potato, non reciso,* ἄτμητος. *Horat. Epod.* 16. 43. Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis, Et imputata floret usque vinea. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35. (163). Imputata buxus. Cf. *Paul. Diac.* p. 108. 20. *Müll.* Imputatum, nondum purgatum. Putum enim est purum. Unde putare vites dicimus, hoc est detrahere, quæ impedimento sunt ad fructum.

IMPŪTO *vel* inputo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* puto). Part. *Imputans* II.; *Imputatus* I. et II.; *Imputaturus* et *Imputandus* II. — Imputare verbum est rationum, et significat inferre in rationes, adscribere, expensum ferre, in computationem adducere, προσλογίζομαι, ἀνατίθημι (It. *mettere a conto o in conto, computare*; Fr. *porter en compte, compter*; Hisp. *poner a cuenta, contar, calcular, suputar*; Germ. *anrechnen, berechnen, in Rechnung bringen*; Angl. *to account, reckon, compute*).

I.) Proprie occurrit tantum apud scriptores, qui post ævum Augusteum floruerunt. *Colum.* 1. *R. R.* 7. 6. Villici servi longe plus imputant seminis jacti, quam quod severint. *Ulp. Dig.* 17. 2. 52. § 15. Si quis ex sociis propter societatem profectus sit, eos dumtaxat sumptus societati imputabit, qui in eam rem impensi sunt. Viatica igitur et vecturas recte imputabit. *Mæcian. ibid.* 35. 2. 90. In quartam hereditatis, quam per legem Falcidiam heres habere debet, imputantur res, quas jure hereditario capit. *Cajus ibid.* 75. Si a statulibero peculiares nummos acciplat, pro sua parte quadranti eos imputare debet. *Paul. ibid.* 23. 2. 61. Neque in numerum trium tutelarum hæc imputantur. *Plin.* 10. *Ep.* 52. Eidem civitati imputata sunt terna millia, quæ viatici nomine annua dabantur legato eunti ad eum, qui Mœsiæ præest, publice salutandum. Addunt quidam *Catonis* fragmentum, *ne reipublicæ imputaret naulum*: sed ea verba translata sunt e Græco ex *Plutarcho* in *Cat. maj.*

II.) Translate est morali ratione in computationem adducere; hinc etiam collati beneficii loco ponere, objicere vel jactare tamquam beneficium; et generatim assignare, adscribere, tribuere. — *a*) Est morali ratione in computationem adducere. *Seneca* 3. *Ira* 42. Stat super caput fatum et pereuntis dies imputat. *mette a conto della vita.* Simile est illud *Martial.* 5. 20. Nunc vivit sibi neuter, heu! bonosque Soles effugere atque abire sentit, Qui nobis pereunt et imputantur. *Seneca Ep.* 8. *in fin.* Hos non imputo in solutum: de tuo tibi. *nol computo in pagamento. Tac. Germ.* 21. Gaudent muneribus; sed nec data imputant, nec acceptis obligantur. — *b*) Speciatim est, ut diximus, collati beneficii loco ponere, objicere, vel jactare tamquam beneficium: quod *Ter. Andr.* 2. 1. 31. dixit, postulare, quippiam gratiæ apponi sibi. *Phædr.* 1. 22. Noli imputare vanum beneficium mihi. *Seneca Tranquill.* 6. Quidam ultro officia nostra nobis imputant. *Tac.* 3. *Hist.* 86. *ad fin.* Imputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere. *Id.* 5. *ibid.* 24. Dolo a se flexos, imputavit Civilis. *Plin.* 8. *Ep.* 21. Alii transeunt quædam, imputantque, quod transeant. *Martial.* 4. 83. Hos quoque commendo Venulejo, Rufe, libellos: Imputet et nobis otia parva, roga. *h. e.* concedat: et sic tamquam beneficium agnoscamus, patiamurque imputari nobis. *Id.* 12. 48. Imputet ipse deus nectar mihi, fiet acetum. *h. e.* largiatur pro magno munere. — Et absolute. *Tac.* 1. *Hist.* 38. Hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum imputet. *h. e.* quis majus mihi beneficium contulisse se dicat, et magis me sibi obnoxium esse ostendat. *Plin. Paneg.* 24. Copiam tui, non ut imputes, facis. *Quintil.* 1. *Declam.* 2. Ut heredem filium scriberet, non est res, quæ imputetur. *Plin. Paneg.* 39. Ipsum sibi eripere tot beneficiorum occasiones, tam numerosam obligandi imputandique materiam. — *c*) Generatim est assignare, adscribere, tribuere, *ascrivere, imputare*: et occurrit — Fere in malam partem. *Ovid.* 2. *Met.* 400. Sævit enim, natumque objectat et imputat illis. *Id.* 15. *ibid.* 470. mortem senioribus imputet annis. *Vellej.* 2. 23. 4. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ a Sulla sunt, imputat Atheniensibus, nimirum veri vetustatisque ignarus est. *Tac. Agric.* 34. Approbate reipublicæ numquam exercitui imputari potuisse aut moras belli, aut causas rebellandi. *Id. ibid.* 27. Prospera omnes sibi vindicant: adversa uni imputantur. *Id.* 4. *Hist.* 31. Imputare alicui initium belli. *Id.* 4. *ibid.* 14. ambiguam fortunam. *Quintil.* 5. 10. 72. An ei cædes imputanda sit, a quo jurgium cœpit. *Val. Max.* 5. 7. *n.* 1. *extern.* Imputans ipsius pudori. *Seneca Ep.* 86. Suum exilium reipublicæ imputaturus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Imputare culpam nostram alicui. *Id. præfat. Hist. nat.* § 4. Hanc igitur audaciam tibi imputabis, et in nostra culpa tibi ignosces. *Ulp. Dig.* 42. 7. 1. *a med.* Sibi imputent, cur minus idoneum fidejussorem acceperint. *Id. ibid.* 4. 8. 27. Stari debet sententiæ arbitri, sive æqua, sive iniqua sit: et sibi imputet, qui compromisit. *Plin.* 6. *Ep.* 20. *in fin.* Et tibi scilicet, qui requisisti, imputabis, si digna ne epistola quidem videbuntur. *Justin.* 38. 5. 8. Nihilo minus imputari sibi, si qua Gordius faciat. *Ulp. Dig.* 27. 4. 3. *a med.* Si non postularit, sibi imputet. *suo danno.* — In bonam partem; nisi mavis ad litteram *b* hunc locum referre. *Justin.* 38. 6. 5. Huic imputari victum Hannibalem, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam.

IMPŪTRESCO *vel* inputresco, pūtrescis, pūtrŭi, pūtrescere, n. inchoat. 3. (in *et* putresco) intus putrescere, *marcirsi*, κατασήπομαι. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 5. Et quum imputruit mus araneus, conteritur. Sic *Pelagon. Veterin.* 20. 1. Et quum mus araneus imputaverit (*corrige* imputruerit), conteritur.

IMPŪTRĪBĬLIS *vel* inputribilis, e, adject. (in *negat. et* putresco) qui non putrescit, *incorruttibile. Hieronym. Ep.* 64. *n.* 9. Ligna imputribilia. Adde *Augustin.* in *Psalm.* 95. et 21. *Civ. D.* 7.; et *Vulgat. interpr. Esai.* 40. 20.

IMPŪTRĪBĬLĬTER *vel* inputribiliter, adverb. incorruptibiliter, *incorrottibilmente. Augustin. Ep.* 32. *ad Paulin.* Cedri Libani mundi hujus fluctus imputribiliter secant.

IMPȲGIS, is, adject. idem ac depygis. *Gloss. Gr. Lat.* Ἄπυγος, impygis.

IMŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab.* imus, et ejusdem significationis, h. e. infimus. *Catull. carm.* 25. *ad Thall.* mollior cuniculi capillo, Vel anseris medulla, vel imula oricilla. *h. e.* auricula infima mollior, ut ait *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. 4.

IMUS, a, um. *V.* INFERUS.

IN

IN, præpositio Ablativo serviens, quum quietem adsignificat; quum vero motum, Accusativo: a duobus Græcis eidem respondentibus ἐν et εἰς, quæ postrema est pro ἐνς. — Antiqui pro *in* scripserunt etiam *en*, ut in *Columm. rostr. Duill. inscript.* apud *Orell.* 549. ENQVE EODEM MACistratod, h. e. et in eodem magistratu. Sæpius vero scripserunt *endo* vel *indu* (quod idem est ac Græc. ἔνδον: *V.* INDU loco suo): sic cum Ablativo *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 2. Indu mari magno fluctus extollere certant. *Id.* apud *Gell.* 12. 4. indu foro lato sanctoque senatu. *Lucret.* 2. 1096. quis habere profundi Indu manu validas potis est moderanter habenas? *Lex* apud *Gell.* 5. 19. EI VITAE NECISQ. IN EO POTESTAS SIET, VTI PATRI ENDU FILIO EST. *Paul. Diac.* p. 77. 3. *Müll.* Endo procincta, in procinctu. Et cum Accusativo *Cato* apud *Non.* p. 152. 24. *Merc.*

indu naves putidas atque sentinosas commeatum onerare. Lucret. 5. 102. Nec tamen hanc (rem) possis oculorum subdere visu, Nec jacere indu manus. Leg. XII. Tab. apud Gell. 20. 1. QVIS ENDO IM (h. e. in eum) IVRE VINDICIT, LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO. Ennius apud Charis. 4. p. 249. Put. sch. endo suam do. h. e. in suam domum: cf. Auson. eidyll. 12. grammaticom. 18. Similiter in compositis: sic Ennius apud Cic. 1. Divinat. 48. 107. et apud Gell. 18. 9. induperator. h. e. imperator. Id. apud Macrob. 6. Saturn. 3. indu fert. h. e. infert. Lucret. 1. 82. et 4. 307. indugredi. h. e. ingredi. Leg. XII. Tab. apud Cic. Tull. 21. 50. et Paul. Diac. p. 77. 1. Müll. endoplorato. h. e. implorato. Paul. Diac. p. 76. 9. Müll. endoitium. h. e. initium. Leg. XII. Tab. apud Festum p. 313. 7. Müll. endojacito. h. e. injicito. Lucilius apud Non. p. 7. 2. Merc. endoferto. h. e. inferto. V. alia hujusmodi sub ENDO et INDU. — Præpositio in ante relativa quum apud Græcos, tum apud Romanos nonnunquam omittitur. Liv. 10. 31. Socios belli in eadem fortuna videbant, qua ipsi erant. Cic. 3. Att. 19. 2. Me tuæ litteræ numquam in tantam spem adduxerunt, quantam aliorum. Id. 1. ad Q. fr. 4. 4. Quoniam in tantum luctum et laborem detrusus es, quantum nemo unquam. — Itaque præpositio in (It. in; Fr. dans, en; Hisp. en; Germ. in; Angl. into, in) usurpatur, ut diximus, A) Cum Ablativo, quum quietem adsignificat; et B) Cum Accusativo, quum motum.

A) Præpositio in Ablativo servit, quum quietem adsignificat. Animadvertendum tamen est, hujusce præpositionis significationem latissime patere, ita ut ipsa non modo statum in loco denotet et Italico per in vertenda sit, verum etiam ponatur interdum pro supra, ut in monte, in tecto, in equo (Nepos Miltiad. 3. Pontem fecit in Istro flumine.); interdum pro sub (Cic. 2. Orat. 14. 60. Ambulare in sole.); interdum pro inter (Cæs. 1. B. C. 61. Cæsaris in barbaris erat nomen obscurius. Cels. præfat. 1. Apud Græcos aliquanto magis, quam in ceteris nationibus, exculta erat. Cic. Flacc. 19. 45. Esse in clarissimis civibus. Id. 1. Off. 19. 65. Hic in magnis viris non est habendus. Id. 2. Nat. D. 27. 68. Luna in septem numeratur tamquam vagantibus. Anton. ad Cic. post ep. 8. l. 10. ad Att. Reponere aliquem in suis.); interdum pro cum (Ovid. 2. Art. am. 297. Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus. Sueton. Cal. 52. Processit aliquando cycladatus: ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in speculatoria caliga. Val. Flacc. 1. 641. trifida Neptunus in hasta. Id. 5. 349. Colchis in vittis. Virg. 5. Æn. 37. Horridus in jaculis. Tac. 4. Hist. 3. Servus patibulo adfixus in iisdem anulis, quos acceptos a Vitellio gestabat.); item pro apud vel circa (Propert. 1. 3. 6. Qualis in herboso concidit Apidano. Id. ibid. 2. 11. Surgat et in solis formosius arbutus antris.); item pro super vel de (Cic. 2. Orat. 61. 248. Ridiculum est illud vetus in furace servo etc., quod idem in bono servo dici potest.); item pro erga (Cic. 3. Fam. 8. Studia eorum mihi placere, qui in te benemerito grati essent. Cf. eumd. 2. Orat. 1. 1. Patris studium in filiis erudiendis.); et pro contra (Nepos Phoc. 4. in fin. In hoc tantum fuit odium multitudinis, ut etc.). Interdum vacat. Propert. 2. 7. 52. Maximaque in parva sustulit ossa manu. Id. ibid. 10. 33. Et sit in exiguo laurus superaddita busto. Adde eumd. ibid. 18. 44. — In pro intra veteres usurpasse testatur Gell. 12. 13. Tres istæ voces, intra, citra, ultra, quibus certi locorum fines demonstrantur, singularibus apud veteres syllabis appellabantur, in, cis, uls. Hæ deinde particulæ quoniam parvo exiguoque sonitu obscurius promebantur, addita est tribus omnibus eadem syllaba. h. e. tra. Ceterum

I.) Proprie de loco usurpatur. ¶ 1. Generatim ac latissima significatione præpositio in cum Ablativo usurpatur de loco. — a) Universim. Leg. XII. Tab. apud Cic. 2. Legg. 23. 58. HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO. Columna rostr. Duill. inscript. apud Orell. 549. COPIAS CARTACINIENSIS – IN ALTOD MARID (h. e. in alto mari) PVGNAD VICET. Ennius apud Non. p. 490. 7. Merc. Quid in castris strepiti est? Id. apud eumd. p. 170. 10. Sol, qui candentem in cælo sublimat facem. Cato R. R. 1. Siet in iis agris, qui non sæpe dominos mutant: qui in his agris prædia vendiderint, hos pigeat vendidisse. Id. ibid. 3. Si in terra et tabulato olea nimium diu erit, putescet. Id. ibid. 113. Si pluvia erit, in tecto in cratibus (uvas) componito. Id. ibid. 136. In agro Casinate et Venafro in loco bono parte octava corbi dividat. Plaut. Mil. glor. 2. 2. 178. Heus, quid agis tu, inquam, in tegulis? Id. ibid. 1. 1. 13. Quemne ego servavi in campis Gorgonidoniis? Ter. Andr. 4. 5. 1. In hac habitasse platea dictum' st Chrysidem, quæ sibi inhoneste optavit parare hic divitias, potius quam honeste in patria pauper vivere. Cic. 1. Divinat. 28. 59. Manere in villa. Id. Cæcin. 1. 1. Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret. Id. ibid. 17. 49. Id autem accidere ei qui potest, qui omnino in eo loco, unde se dejectum esse dicit, numquam fuit? Id. 6. Verr. 1. 1. Nego in Sicilia tota ullum argenteum vas fuisse –, nego ullam picturam neque in tabula, neque in textili, quin conquisierit. Id. 1. Tusc. 27. 66. Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum. Id. ibid. 29. 70. In quo igitur loco est (animus)? Credo equidem in capite. Id. Senect. 11. 37. Vigebat in illa domo mos patrius et disciplina. Id. 6. Verr. 2. 3. C. Hejus est Mamertinus-omnibus rebus in illa civitate ornatissimus. Id. 1. de republ. 32. Facillimam in ea republica esse concordiam, in qua idem conducat omnibus. Cæs. 1. B. G. 1. Quum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Nepos Miltiad. 7. Procul in continenti lucus-nocturno tempore incensus est. Sall. Jug. 5. Id oppidum in campo situm magis opere, quam natura munitum erat. Virg. 1. G. 404. Apparet liquido sublimis in aere Nisus. Horat. 1. Od. 17. 17. Hic in reducta valle vitabis caniculæ æstus. Seneca Ep. 1. Sera parcimonia in fundo est. Non enim tantum minimum in imo, sed etiam pessimum remanet. Nævius apud Varron. 7. L. L. 53. Müll. Diabathra in pedibus habebat amictus epicroco. Cic. 7. Verr. 11. 27. Ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo. Plaut. Mil. glor. 2. 2. 203. Lævo in femine habet lævam manum. Catull. 2. 2. Passer, quicum ludere, quem in sinu tenere puella solet. Ovid. 9. Met. 310. divam residentem vidit in ara Brachiaque in genibus digitis connexa tenentem. Quintil. 11. 3. 130. Quum in angusto quodam pulpito stans diceret. Liv. 5. 40. Se ac suos in vehiculo conspici. Cic. 4. Att. 10. Malo in illa tua sedicula sedere, quam in istorum sella curuli. Id. 2. Fin. 21. 66. Sedere in solio. Curt. 3. 1. 4. Quippe traditum est Nymphas amore amnis retentas in illa rupe consedisse. Cf. Lucret. 2. 34. Nec calidæ citius decedunt corpore febres, Textilibus si in picturis ostroque rubenti Jacteris, quam si in plebeja veste cubandum est. Varro 1. R. R. 2. 1. Offendi ibi C. Fundanium et C. Agrium spectantes in pariete pictam Italiam. Liv. 24. 1. Ut Pœnus apparuit in collibus. Plin. 35. Hist. nat. 10. 36. (109). Sedere in leone. Cæs. 2. B. C. 5. In eo flumine pons erat. Val. Flacc. 4. 267. Semper et in digitis et summi pulvere campi Projectusque redit. Tac. 1. Ann. 50. Castra in limite locat. — Huc pertinent et illa, in quibus Adjectiva absolute usurpantur nomine loco subaudito. Senatuscons. de Bacchanal. NEVE IN POPLICOD, NEVE IN PREIVATOD (h. e. neve in publico, neve in privato) NEVE EXTRAD VRBEM SACRA QVISQVAM FECISE VELET. Cic. Cluent. 28. 78. In occulto stare. — b) Speciatim quod ad propria locorum nomina spectat, neminem latet, hæc quoque cum præpositione in efferri, nisi sint nomina urbium, oppidorum et pagorum. Cic. 6. Fam. 8. Esse in Sicilia. Sueton. Cæs. 2. Stipendia prima in Asia fecit. Plin. 1. Ep. 4. Quantum copiarum in Ocriculano, in Narniensi, in Carsulano, in Perusino tuo etc. — Urbium vero, oppidorum et pagorum nomina per Ablativum efferuntur sine præpositione in (ἀρχαϊκῶς enim Ablativi casus erant Romæ, Corinthi, Carthagini, Tiburi, domui vel domi, ruri etc.): sed tamen si propriis nominibus generalia quoque per appositionem, uti ajunt, addantur, ut urbs, oppidum et similia, hæc præpositionem in recipiunt, præcipue si præponantur. Nepos Cimon. 3. Post in morbum implicitus in oppido Cythio est mortuus. Id. Alcib. 3. Hermæ, qui in oppido erant Athenis. Cic. Rabir. Post. 10. 26. Deliciarum causa nobiles adolescentes non in hortis et suburbanis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella sæpe videmus. Id. 4. Phil. 2. 6. Albæ constiterunt in urbe opportuna, munita, propinqua etc. Id. 4. Verr. 68. 160. Leontinis misera in civitate atque inani, tamen istius in gymnasio statua dejecta est. Id. 2. leg. Agr. 35. 97. Coloni Capuæ in domicilio superbiæ atque in sedibus luxuriosis collocati. — Interdum, sed raro, propriis etiam nominibus præpositionem in addiderunt Latini, vel Græcos imitati, vel ipsius præpositionis vim ac significationem majore in luce collocare cupientes. Plaut. Mil. glor. 2. 5. 31. Dic mihi, quid tibi in Epheso hic est negotî? et 3. 1. 183. Itaque omnes se ultro sectari in Epheso memorat mulieres. Id. Curc. 2. 3. 62. Ecquem in Epidauro Luconem trapezitam noverim. Porcius Licinius apud Sueton. in vit. Ter. 1. Mortuus est in Stymphalo Arcadiæ oppido. Quintil. 12. 10. 24. Cæsos in Marathone ac Salamine. Adde eumd. 9. 2. 62. Val. Max. 1. 8. extern. 7. Cœnanti enim apud Scopam in Cranone, quod est in Thessalia oppidum, nunciatum est etc. Plin. 34. Hist. nat. 3. 8. (14). Quale est in templo Apollinis Palatini, quod Alexander Magnus Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem deo. Id. ibid. 13. 1. Crocinum in Solis Ciliciæ diu laudatum, mox Rhodi. — Similiter et de locis litoralibus. Cic. 8. Att. 3. 8. Navis et in Cajeta parata est nobis et Brundisii. Cæs. 2. B. C. 18. Naves longas complures in Hispali faciendas curavit. — Et apud geographos ad quædam definite notanda. Plin. 2. Hist. nat. 73. 75. (183). Simili modo tradunt in Syene oppido, quod est supra Alexandriam quinque millibus stadium, solstitii die medio nullam umbram jaci. – Constatque in Berenice urbe Troglodytarum hoc idem ante solstitium quadragenis quinis diebus totidemque postea fieri. — Animadvertenda sunt etiam illa Cic. 11. Att. 16. Quum ea plaga in Asia sit accepta, in Illyrico, in Cassiano negotio, in ipsa Alexandria, in urbe, in Italia. Liv. 42. 26. Ex Asia legati redierunt, qui renunciarunt Eumenem in ea, Antiochum in Syria, Ptolemæum in Alexandrea sese convenisse. — c) Demum sunt aliquot Ablativi casus, scil. terra, mari, via, loco vel locis, qui modo cum præpos. in, modo sine præpos. occurrunt. Columna rostr. Duill. inscript. apud Orell. 549. NAVEBOS MARID CONSOL PRIMOS CESET (h. e. navibus mari consul primus cæcidit). et ibid. IN ALTOD MARID PVGNAD VICET. Sic Nepos Themist. 3. In terra dimicari magis placebat. et Liv. 31. 23. Nam ut terra Thermopylarum angustiæ Græciam, ita mari fretum Euripi claudit. Similiter Cic. Mil. 6. 15. Tulit enim de cæde, quæ in via Appia facta esset. Liv. 27. 36. In via fornicata, quæ ad Campum erat, aliquot homines de cælo tacti exanimatique fuerant. Sed Id. 2. 11. P. Valerius inde T. Herminium cum modicis copiis ad secundum lapidem Gabinia via occultum considere jubet. et 4. 41. Jam consul via Lavicana ad fanum Quietis erat. Similiter Cæs. 1. B. C. 41. Ibi paulisper sub armis moratus facit æquo loco pugnandi potestatem. At Cic. Cæcin. 17. 50. Illud vero nullo modo potest, dejectus esse quisquam, non modo qui tactus non sit, sed ne in æquo quidem et plano loco. Rursus Cæs. 1. B. C. 43. Legiones tres ex castris educit, acieque in locis idoneis instructa etc. At Id. 7. B. G. 69. Castra opportunis locis erant posita. ¶ 2. Speciatim præpositio in cum vocabulis quoque usurpatur, quæ translate locum significant, vel ad locum referuntur. — a) Generatim. Leg. XII. Tab. apud Gell. 20. 10. SI QVI IN IVRE MANVM CONSERVNT. Vetus formula apud Cic. Cæcin. 19. 54. QVANDOQVE TE IN IVRE CONSPICIO. Plaut. Men. 4. 2. 19. Ad populum aut in jore, aut apud ædilem res est. Id. Rud. 3. 6. 28. In jure causam dicito. Cic. Cæcin. 1. 2. In judicio. Id. ibid. 1. 1. In causa. Id. 2. Divinat. 54. 110. In senatu dicere. Senatuscons. de Bacchanal. VTEI IN CONVENTIONID EXDEICATIS. Sic Cato apud Fronton. Ep. p. 184. edit. Rom. Si quis strenue fecerat, – in contione verbis multis laudabam. Cic. 7. Fam. 18. extr. In contione dicere. Id. Opt. gen. orat. 7. 19. In contione donare aliquem. Id. 6. Verr. 40. 86. Atque hæc agebantur in conventu, palam, de sella et de loco superiore. Id. Quinct. 1. 4. Eo te et hos, qui tibi in consilio sunt, meliore mente nostra verba audire oportebit. et ibid. 2. 10. Te, C. Aquili, vosque qui in consilio adestis, orat atque obsecrat, ut etc. Plaut. Mil. glor. 3. 1. 60. Neque per vinum unquam ex me exoritur

disciditum in convivio. Sic *Ter. Eun.* 3. 1. 29. Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio, numquam tibi dixi? et *Cic. Quinct.* 18. 59. Non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus. Adde *Nepot. Att.* 8.; et *Quintil.* 5. 10. 42. et 11. 2. 15. Similiter *Plaut. Cist.* 1. 1. 12. Ita in prandio nos lepide atque nitide accepisti apud te. — *Cato R. R.* 138. Suessæ et in Lucania plostra (*bona sunt*), trebiæ Albæ. *Cic. Senect.* 14. 46. Quæ quidem etiam in Sabinis persequi soleo. *Id.* 1. *Divinat.* 41. 90. Et in Persis augurantur et divinant magi. *Liv.* 2. 31. Dum hæc in Volscis geruntur. *V.* alia sub init. hujus voc. — *Pacuvius* apud *Non. p.* 234. 25. *Merc.* Quod ego in acie celebra objectaus vitam bellando aptus sum. *Accius* apud *eumd. p.* 502. 2. Mea facta in acie obliti. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 4. Ut contra conserta manu præstringat oculorum aciem in acie hostibus. *Cic. Ligar.* 3. 9. Tuus ille destrictus in acie Pharsalica gladius. *Id.* 1. *Off.* 23. 81. In acie versari. *Liv.* 22. 60. In acie stare. *Cic.* 2. *Cat.* 11. 25. In hujusmodi certamine ac prælio nonne di ipsi immortales cogunt ab his virtutibus tot et tanta vitia superari? *Cæs.* 2. *B. C.* 35. Plures in eo loco sine vulnere, quam in prælio aut fuga intereunt. *Sall. Cat.* 59. Cito cohortes in fronte constituit, reliquarum signa in subsidio arctius collocat. *Nepos Timol.* 1. Dum res conficeretur, procul in præsidio fuit. *Cic. Rabir. Post.* 8. 22. At dicecetes fuit regius. Et quidem in custodia etiam fuit regia. Sic *Sall. Cat.* 50. De his, qui in custodiis tenebantur, supplicium sumendum decreverat. et *Tac.* 1. *Hist.* 58. Ita in custodia habitus et post victoriam demum dimissus est. *Cic. Dejot.* 7. 21. Quid? ille signa aenea in insidiis posuerat? *Id. Rosc. Am.* 27. 73. Sic tecum agam, ut in meo loco vel respondendi, vel interpellandi tibi potestatem faciam. Sic *Cato* apud *Quintil.* 9. 2. 21. Cedo, si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis? *Cæs.* 2. *B. G.* 29. Ex omnibus in circuitu partibus. — *b*) Quum de scriptoris alicujus opere sermo est, si de toto agitur, præpositio *in* est omittenda: ut apud *Cic.* 1. *Fin.* 1. 2. Quamquam philosophiæ quidem vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, quum esset accusata et vituperata ab Hortensio. V. *Görenz.* ad h. l. — Sed præpositio additur, quoties sermo est de iis, quæ in opere tractantur. *Cato* apud *Gell.* 2. 28. *extr.* Non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara etc. *Cic. Balb.* 14. 32. Ubi est igitur in fœdere Gaditano, ne quem populus Romanus recipiat civitate? *Id. Fat.* 1. 1. Quod in aliis libris feci, qui sunt de natura deorum, itemque in iis, quos de divinatione edidi –; id in hac disputatione de fato casus quidam ne facerem impedivit. Adde *eumd. Amic.* 1. 4. — Item additur præpositio, quoties aliqua sententia inde sumpta laudatur, sive in medium affertur. *Cic.* 4. *Tusc.* 2. 3. In Originibus dixit Cato, morem apud majores hunc epularum fuisse. *Id. Amic.* 24. 89. Quod in Andria familiaris meus dicit: Obsequium amicos, veritas odium parit. Adde *eumd. Senect.* 7. 21., 1. *Nat. D.* 12. 30., 1. *Off.* 13. 32. et alibi sæpe. ¶ 3. Non raro in Latina lingua præpositio *in* Ablativum regit cum Verbis aut motum aut aliud significantibus, cum quibus in aliarum nationum linguis Accusativum amat vel præfert. Horum Verborum præcipua, servato litterarum ordine, hic exhibere opportunum duximus. *Cic.* 1. *Orat.* 7. 28. Quum se abjiceret in herba. Sic *Ovid. Heroid.* 7. 1. udis abjectus in herbis. *Cic.* 5. *Fin.* 30. 52. Nisi quod anulum – in mari abjecerat. V. *Madvig.* ad h. l. *Sueton. Ner.* 48. Odore abjecti in via cadaveris. Adde *Nepot. Hann.* 9. *Plaut. Most.* 1. 4. 13. Cave ne prius in via accumbas. Sic *Nepos Ages.* 8. Accumbere in acta. *Cic.* 2. *Verr.* 26. 66. in convivio. *Id. Mur.* 3. 5. 74. quotidianis epulis in robore. *Id. Vatin.* 12. 30. in epulo. *Plaut. Stich.* 3. 2. 32.; et *Sall.* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 702. in lecto. *Cato R. R.* 152. Alligare scopas in asserculo. *Cic. Rosc. Am.* 32. 89. Annumerari in grege. Sic *Ovid.* 5. *Trist.* 4. 20. se annumerare in exemplis. *Cic.* 3. *Att.* 23. Ascribere diem in epistola. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. in litteris. *Id. Cæcin.* 33. 95. Ascribitur in omnibus legibus (quamquam legatur *ibid.* Ascribere aliquid in legem). *Plaut. Bacch.* 3. 3. 28. Assidere in sella apud magistrum. *Id. Rud.* 3. 3. 26. in ara. *Varro* 3. *R. R.* 16. 6. In loco inquinato. *Sueton. Domit.* 11. in toro. *Cic.* 2. *Legg.* 4. 10. Ut contra omnes hostium copias in ponte unus assisteret. Adde *Cæs.* 6. *B. G.* 10.; et *Sueton. Vitell.* 9. *Cic. Rosc. Am.* 46. 133. Coacervare multum una in domo. *Cato R. R.* 18. Collocare trabes in trabeculis. *Plaut. Asin.* 3. 3. 67. crumenam in collo. *Cic.* 2. *Tusc.* 17. 29. aliquem in cubili. *Cæs.* 3. *B. G.* 1. legionem in aliquo loco. *Id.* 3. *ibid.* 29. exercitum in hibernis. *Virg.* 4. *G.* 424. juvenem in latebris. *Cato R. R.* 79. Componere aliquid in quasio. *Ovid.* 3. *Met.* 286. Cetera turba coit confertque in corpore dentes. *Id. ibid.* 90. conjectum in gutture ferrum. Adde *Plin.* 9. *Hist. nat.* 53. 78. (167).; et *V.* in fine hujus paragr. *Nepos Pausan.* 4. Considere in ara. *Liv.* 21. 46. in arbore. *Cic.* 1. *Divinat.* 36. 78. In labellis dormienti consederant apes. *Curt.* 4. 6. 11. In turre consedit avis. *Cæs.* 6. *B. G.* 7. Constituere præsidia in oppidis. *Id.* 2. *ibid.* 8. legiones pro castris in acie. *Virg.* 5. *Æn.* 237. in litore taurum ante aras. *Cæs.* 6. *B. G.* 41. Deponere prædam in silvis. *Liv.* 44. 25. pecunias in templo. *Cæs.* 7. *B. G.* 27. Disponere custodias in muro. *Id.* 1. *B. C.* 14. legiones in Apulia. *Id. ibid.* 17. tormenta in muro. *Sueton. Aug.* 43. custodes in urbe. *Cæs.* 5. *B. G.* 10. Naves adflictas atque in litora ejectas esse. *Sueton. Cæs.* 10. Exponere apparatum in porticibus. *Liv.* 28. 44. aliquem in Africa. *Sueton. Cæs.* 4. aliquem in litore. *Ovid. Heroid.* 20. 48. Inque tui cupido rapta ferere sinu. *Plaut. Aulul.* 2. 8. 16. Hæc imponentur in foco nostro Lari. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 54. Imponere aliquem dominum in cervicibus alicujus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 26. 86. Imprimere signa in cera. *Id. ibid.* 18. 58. visa in animis. *Cic. Mur.* 14. 30. Locare aliquem in amplissimo gradu dignitatis. *Sall. Jug.* 105. milites super vallum in munimentis. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 124. Aves, quæ se in mari mergunt. *Id.* 11. *Phil.* 1. 3. Numerare aliquid in beneficii parte. *Id.* 1. *ibid.* 8. 19. aliquid in actis. *Id.* 2. *Legg.* 5. 12. aliquid in bonis. *Cæs.* 1. *B. G.* 65. Ponere castra in proximo colle. *Id.* 3. *B. C.* 108. tabulas in ærario. *Cic. Flacc.* 9. 21. tabulas obsignatas in publico. *Quintil.* 1. 7. 12. columnam in foro. *Cic. Sext.* 18. 41. Præficere aliquem in aliquo exercitu. *Liv.* 29. 18. Reponere pecuniam in thesauris. *Cic.* 2. *Nat. D.* 49. 125. colla et capita in tergo. *Val. Flacc.* 3. 339. aliquem celso in ostro. — Antiquitatem sapiunt illa *Caton. R. R.* 146. Quæ in fundo illata erunt, pigneri sunto. *V.* supra conferre. *et ibid.* 157. Si polypus in naso introierit. *Plaut. Amph.* 4. 3. 14. Introrumpam in ædibus. *Colum.* 11. *R. R.* 24. 9. Introitum facere in cancro. *Id.* 6. *ibid.* 4. 2. Infundere aliquid in naribus. *Id.* 12. *ibid.* 21. 2. Conjicere salem in orceo fictili. *Phædr.* 5. 1. In conspectu meo audet venire. *Manil.* 5. 385. Quum venit in regione tuæ, Capricorne, figuræ. — *Pseudo-Ascon.* ad illud *Cic.* 3. *Verr.* 1. 3. Si fortes fueritis in eo etc. Ideo *in eo* dixit, et non *in eum*, quia hoc in utrumque casum profertur, sicut Virgilius (2. *Æn.* 541.) *Talis in hoste fuit Priamo.* quum *in hostem Priamum* debuit dicere. Confer quæ dicta sunt infra sub *B.* 1. init. et II.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de tempore, et *in* significat idem quod Italice *entro, nel corso, nello spazio* etc.: sic *in triduo, in anno* etc. est *entro tre giorni, nel corso di un anno* etc. Occurrit — *a*) Universim. *Cato R. R.* 157. Ita subducito susum animam quam plurimum poteris: in triduo polypus excidit. Cf. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 51. 75. (165). Ceteræ feminæ in triduo excludunt. *Senatuscons. de Bacchan.* IN DIEBVS X., QVIBVS VOBEIS TABELAI DATAI ERVNT, FACIATIS VTEI DISMOTA SIENT. *Ter. Andr.* 1. 1. 77. Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt, Chrysis vicina hæc moritur. Adde *Plaut. Capt.* 1. 2. 65.; et *Varron.* 2. *R. R.* 7. 12. Similiter *Ter. Heaut.* 5. 2. 2.; et *Sueton. Vesp.* 4. In brevi spatio. *Sall. Jug.* 96. Sollertissimus omnium in paucis tempestatibus factus est. *Cic.* 6. *Att.* 3. 5. Bruto ærata hoc anno talenta circiter c., Pompejo in sex mensibus promissa cc. *Id. Topic.* 10. 44. Si filius natus esset in decem mensibus. *Nepos Reg.* 2. Neque in tam multis annis cujusquam ex sua stirpe funus vidit. *Sall. Jug.* 78. Cetera, uti fors tulit, alta, alia in tempestate vadosa. *Ter. Andr.* 4. 5. 24. Sequar hos: nolo in tempore hoc me videat senex. *Cic. Quinct.* 1. 1. Quæ res in civitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore. *Nepos Miltiad.* 5. Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit præter Platæenses. *Avien. Arat.* 402. longis hoc tempore in anni Otia sunt remis. Adde *Ovid. Heroid.* 21. 65.; et *Tac.* 13. *Ann.* 47. et 15. *ibid.* 7. in *fragm.* 2. *ep. Cornel. matr. Gracchor.* inter *fragm. Nepot.* In eo tempore. *Lucret.* 1. 93. Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat Quod etc. *Sall. Cat.* 48. Quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda, quam exagitanda videbatur. Adde *Liv.* 22. 35., 24. 28. et alibi; et *Tac.* 16. *Ann.* 26. Sic *Sall. Jug.* 66. Postea milites palantes, inermos, quippe in tali die ac sine imperio, aggrediuntur. *Cic.* 15. *Fam.* 16. In hoc interdicto non solet addi: IN HOC ANNO. *Id. Brut.* 93. 321. Atque ut multa omittam, in hoc spatio et in his post ædilitatem annis et prætor primus et incredibili populi voluntate sum factus. *Id. Brut.* 43. 161. Dicendi Latine prima maturitas in qua ætate exstitisset, posset notari. *Id. Senect.* 3. 9. Quæ (*artes exercitationesque virtutis*) in omni ætate cultæ – mirificos efferunt fructus. *Id. Brut.* 76. 265. Me quidem admodum delectabat etiam Triarii in illa ætate plena litteratæ senectutis oratio. *Plaut. Rud.* 4. 7. 9. In ætate hominum plurimæ fiunt transennæ, illi ubi decipiuntur dolis. *Sueton. Cæs.* 7. In ætate, qua jam Alexander orbem terrarum subegisset. *Nepos Att.* 1. In pueritia. h. e. dum puer fuit. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 6. Feci ego istæc itidem in adolescentia. Sic *Varro* 3. *R. R.* 16. 1. An quia tu solitus es in adolescentia tua domi mulsum non bibere propter parcimoniam, nos mel negligemus? *Ennius* apud *Cic. Orat.* 55. 184. Quemnam te esse dicam, qui tarda in senecta etc.? *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 18. 60. Quum nullum illius in vita rectius factum sit. *Id.* 5. *Verr.* 91. 213. Nihil in vita se Antonii simile fecisse. *Id. Cluent.* 6. 18. Nihil in vita vidit calamitatis A. Cluentius. *Id.* 5. *Att.* 20. 6. Ego in vita mea nulla umquam voluptate tanta sum affectus, quanta afficior hac integritate. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 12. 40. Qui in omni vita nihil aliud egi. Adde *eumd. post redit. ad Quir.* 8. 8. Et *Id.* 4. *Tusc.* 13. 29. In tota vita inconstans. *Nepos Pausan.* 5. Quum jam in eo esset, ut comprehenderetur. *sul punto d'essere preso.* — *b*) Speciatim præpositio *in* vocabulis jungitur, quæ tempus quidem significant, sed translate, ut *in vino*, h. e. *durante il banchetto, in magistratu*, h. e. *durante la sua magistratura* et similia. *Plaut. Truc.* 4. 4. 1. Blitea et lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam. Adde *Ter. Heaut.* 3. 3. 7. Sic *Cic.* 5. *Verr.* 25. 62. in vino atque lusu. *Id.* 2. *Cat.* 5. 10. in vino et alea. *Catull.* 12. 2. in joco atque vino. *Cic. Brut.* 43. 160. Nisi in eo magistratu cœnavisset apud præconem Granium. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Ut in itinere copia frumenti suppeteret. – In eo itinere persuadet Castico etc. *Nævius* apud *Non.* p. 17. 19. *Merc.*; et *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 98. in venatu. *Ter. Adelph. prol.* 20. in bello, in otio, in negotio. Sic *Nepos Cim.* 4. In bello, in pace. *h. e.* tempore belli et pacis. et *Cic.* 14. *Phil.* 8. 22. Numquam enim in civili bello supplicatio decreta est. *Sall. Cat.* 51. in pace. *Cic. Cæcin.* 4. 10. in morte sua. *Cels.* 2. 6. In ipsis funeribus. *V.* alia infra sub *A.* II. 2. — Item ex præpos. *in* et certis quibusdam Substantivis aliquot usu venerunt dicendi formulæ, quæ Adverbiorum more usurpantur, et sub *c., d., e., f.* et *g.* exhibentur. — *c*) *In anno, in mense, in die*, Italice *all'anno, al mese, al giorno*, vel etiam unoquoque anno, unoquoque mense, unoquoque die, *ogni anno, ogni mese, ogni giorno.* Sic *Cato R. R.* 58. *extr.* Salis unicuique in anno modium satis est. *Varro* 2. *R. R.* 11. 8.; et *Sueton. Aug.* 31. Bis in anno. *Cic. Rosc. Am.* 46. 132.; et *Varro* 3. *R. R.* 10. 3. Ter in anno. (Hac significatione *anno* absolute sine præpos. raro admodum usurpatur: *V.* ANNUS.). Similiter *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 103. Binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias (*sol*) facit. *Liv.* 39. 13. Tres in anno stati dies. *Cato R. R.* 57. In mense congios II. –, in mense congios V. *Cels.* 1. 3. Bis in mense. *Varro* 3. *R. R.* 16. 17. Ter in mense. *Cato R. R.* 26., 64. et alibi; et *Cic.* 5. *Tusc.* 35. 100. Bis in die. *Plaut. Stich.* 3. 2. 45. Decies in die. *Cato R. R.* 88. Aliquoties in die. (Hac significatione *bis die, ter die* etc. raro admodum occur-

rit.). — d) *In præsenti, in præsentia*, hoc est *al presente, in questo momento, nelle presenti circostanze. Cic.* 2. *Fam.* 10. Quod si, ut spero, cepero, tum vero litteras publice mittam. Hæc ad te in præsenti scripsi, ut sperares te assequi id, quod optasses. Adde *Nepot. Att.* 12. Rursus *Cic.* 1. *Tusc.* 8. 14. Sic enim mihi in præsentia occurrit. *Id.* 5. *ibid.* 35. 100. Vestræ quidem cœnæ non solum in præsentia, sed etiam postero die jucundæ sunt. *Liv.* 21. 37. Id quod unum maxime in præsentia desiderabatur. Adde *Ter. Andr.* 5. 2. 14.; et *Cæs.* 1. *B. G.* 15. — e) *In ætate*, hoc est *secondo le circostanze, talvolta*, in vita, seu aliquo vitæ tempore, occurrit apud *Plaut. Trin.* 1. 1. 1. Amicum castigare ob meritam noxiam immœne est facinus, verum in ætate utile et conducibile. Sic *ibid.* 2. 4. 61. Nam et stulte facere et stulte fabularier, utrumque, Lesbonice, in ætate haud bonum'st. V. *Turneb. Advers.* 26. 16. — f) *In tempore* est opportuno tempore, opportuno temporis momento, ad rem. *Ennius* apud *Gell.* 12. 4. Suavis homo – secunda loquens in tempore. *Plaut. Capt.* 4. 2. 56. Quantum'st hominum optime optimorum, in tempore advenis. Adde *eumd. Amph.* 3. 1. 17. Sic *Ter. Phorm.* 2. 4. 24. Sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere. Adde *eumd. Hecut.* 2. 3. 123. Similiter *Liv.* 33. 5 Ni pedites equitesque in tempore subvenissent. *Id.* 2. 47. Spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit. Adde *Sall.* apud *Donatum* ad *Ter. Phorm.* 2. 4. 24.; *Ovid.* 1. *Art. am.* 661.; et *Tac.* 1. *Ann.* 58., 3. *ibid.* 41. et alibi sæpe. — Majore vi *in ipso tempore* dixit *Ter. Andr.* 3. 2. 52. Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam. Adde *Plaut. Pœn.* 5. 3. 19. — g) *In loco* est quod Itali dicunt *a tempo e luogo*. Sic *Ter. Adelph.* 5. 9. 37. Hæc reprehendere et corrigere me et obsecundare in loco. *Cic.* 11. *Fam.* 16. Epistolæ non in loco redditæ. *Horat.* 4. *Od.* 12. 28. Dulce est desipere in loco. — h) Demum huc pertinent etiam formulæ, in quibus præpositio *in* cum Particip. fut. passivo usurpatur ad spatium temporis indicandum, quo aliquid durat. *Cic.* 1. *Off.* 3. 9. Fit ut distrahatur in deliberando animus. h. e. *mentre delibera, durante il tempo in cui delibero.* Sic *Id.* 3. *Cat.* 3. 6. Tardissime Lentulus venit, credo, quod in litteris dandis præter consuetudinem proxima nocte vigilarat. *Cæs.* 2. *B. G.* 21. Ad hæc constitit, ne in quærendis suis pugnandi tempus dimitteret. *Cic. Orat.* 21. 74. Quum in immolanda Iphigenia tristis Calchas esset. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (120). Lacrima in fricando odorata. h. e. dum fricatur. *Id.* 8. *ibid.* 42. 66. (165). In bibendo profundius nares mergit. ¶ 2. Præpositio *in* transfertur ad alias quoque significandas rationes; et quidem — 1.°) Ad significandam conditionem, in qua quis aut quid versatur; in quo ratio temporis et loci sæpissime conjunguntur. — a) Universim. *Cato* apud *Gell.* 11. 18. Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt; fures publici in auro atque in purpura. *Ter. Phorm.* 3. 1. 9. Loquere, obsecro: quonam in loco sunt res et fortunæ meæ? *Ennius* apud *Non. p.* 494. 2. et 507. 18. *Merc.* Utinam mortem oppetam, prius quam evenat, Quod in pauperie mea senex graviter gemam! *Id.* apud *Cic. Amic.* 17. 64. Amicus certus in re incerta cernitur. *Cato* apud *Festum* p. 281. 23. *Müll.* Ego jam a principio in parsimonia atque in duritia atque industria omnem adolescentiam meam abstinui agro colendo etc. *Id.* apud *Gell.* 13. 24. Scio solere plerisque hominibus in rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam – crescere. *Plaut. Pseud.* 2. 3. 20. Atque hoc evenit in labore atque in dolore, ut mors obrepat interim. *Accius* apud *Non.* p. 13. 23. *Merc.* Nunc tu in re crepera tua quid capias consili vide. *Cic.* 2. *Fam.* 16. 19. Hoc adspersi, ut scires me tamen in stomacho solere ridere. *Id.* 2. *Cat.* 8. 18. Qui magno in ære alieno majores etiam possessiones habent. *Id.* 3. *Fam.* 11. 4. Mirificam cepi voluptatem ex tua diligentia: quod in summis tuis occupationibus mihi tamen reipublicæ statum per te notum esse voluisti. *Id. Cluent.* 8. 25. Larinum in summo timore omnium cum armatis advolavit. *Cæs.* 3. *B. C.* 31. Summa in sollicitudine ac timore Parthici belli in provinciam quum venisset etc. *Id. ibid.* 103. Ad eum Pompejus misit, ut – illius opibus in calamitate tegeretur. *Sall. Jug.* 14. In suis dubiis rebus societatem vestram appetiverunt. *Liv.* 23. 9. Torpescent ne dexteræ in amentia illa? *Horat.* 2. *Od.* 3. 1. Æquam memento rebus in arduis Servare mentem, non secus in bonis. — b) Speciatim hoc sensu præpositio *in* occurrit cum verbo *esse* — Et Substantivis. *Cic.* 3. *Off.* 27. 100. Itaque (*Atilius Regulus*) tum quum vigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi senex captivus, perjurus consularis remansisset. *trovavasi in migliore posizione o condizione.* Sic *Id.* 1. *ibid.* 31. 112.; et *Cæs.* 4. *B. G.* 4. Esse in causa. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 4. 10. esse in exspectatione. *Cic.* 6. *Verr.* 1. 3. esse in amore atque in deliciis. *Id.* 6. *Att.* 1. esse in amoribus. *Cæs.* 2. *B. G.* 14.; et *Cic. Brut.* 8. 36. esse in fide atque amicitia. *Cic.* 1. *Tusc.* 2. 5. esse in honore. *Id.* 2. *Verr.* 17. 51. cum populo Romano et in laude et in gratia esse. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 42. 97. (241). In gloria esse. *Cic.* 2. *Att.* 9. esse in invidia. *Id.* 1. *Cat.* 8. 19. esse in periculo. *Id.* 4. *Fam.* 13. esse in spe. *Id.* 12. *ibid.* 14. 13. esse in timore. *Id.* 1. *Off.* 7. 23. Qui non offendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quam etc. Sic *Id. ibid.* 19. 62. et 5. *Fin.* 11. 31. esse in vitio. — Cum Adjectivis absolute Substantivorum more usurpatis. *Plaut. Capt.* 3. 4. 4. Mihi res omnis in incerto sita'st. *Id. Trin.* 2. 4. 193. In ambiguo est etiam nunc quid de hac re fiat. *Ter. Andr.* 2. 5. 31. Dum in dubio'st animus, paullo momento huc vel illuc impellitur. Sic *Id. ibid.* 2. 2. 10. Mea quidem hercle certe in dubio vita'st. *Cæs.* 2. *B. G.* 25. Res in angusto est. *Cic.* 5. *Fam.* 20. De centurionibus – res est in integro. *Liv.* 3. 8. § 11. Adeo moderatio tuendæ libertatis in difficili est. *Id. ibid.* § 9. Quum exitus haud in facili esset. *Id.* 5. 28.; et *Sall. Jug.* 38. In incerto esse. *Liv. præfat.* 3. In obscuro esse. *Id.* 37. 23. In obvio esse. *Id.* 29. 17. In promiscuo esse. *Id.* 38. 4. In tuto esse. *Sall. Jug.* 5.; et *Tac.* 3 *Ann.* 56. In aperto est aliquid. *Curt.* 4. 2. 22.; et *Seneca Ep.* 94. In expedito esse. *Seneca Phœniss.* 98. In æquo esse. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 8. 34. (54).; at *Seneca* 3. *Benef.* 11. In confesso esse. *Quintil.* 1. 3. 4. In proximo esse. *Gell.* 18. 10. In promptu et in propatulo esse. *Dig.* 7. 1. 25. § 1. In pendenti est. — c) Similiter cum aliis Verbis. *Liv.* 39. 50. In æquo ponere. *Seneca* 2. *Benef.* 29. In æquo stare. *Lucret.* 4. 1137. Aliquid in ambiguo relinquere. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 28. Aliquid in ambiguo servare. *Liv.* 36. 16. In expedito habere corpus. *Sall. Cat.* 41. In incerto habere aliquid. Cf. *Tac.* 2. *Hist.* 83. In incerto relinquere. *Id. ibid.* 20. In levi habere. *Sall. Cat.* 13. In propatulo habere. — d) Et in quibusdam formulis Adverbiorum more ac vi usurpatis. *Senatuscons. de Bacchan.* SACRA IN OQVOLTOD (h. e. in occulto) NE QVISQVAM FECISSE VELET. Sic *Ennius* apud *Festum* p. 298. 31. *Müll.* Intus in occulto mussabant. et *Plaut. Trin.* 3. 2. 86. Agere in occulto. *Liv.* 39. 18. In privato. — 2.°) Sæpissime significat id, quo tamquam fundamento vel causa eventus, actiones et hominum rerumve qualitates innituntur, aut innixa putantur. — a) Universim. *Leg. XII. Tab.* apud *Cic.* 2. *Invent.* 50. 148. SI FVRIOSVS ESCIT, AGNATVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO. *Ennius* apud *Non.* p. 342. 23. *Merc.* Quæ tibi in concubio verecunde et modice morem gerit. *Plaut. Amph. prol.* 1. Ut vos in vestris vultis mercimoniis emundis vendundisque me lætum lucris afficere atque adjuvare in rebus omnibus. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 79. Nam in mala uxore atque inimico si quid sumas, sumptus est: in bono hospite atque amico quæstus est quod sumitur; ut quod in divinis rebus sumptum'st, sapienti lucro'st. *Ter. Andr.* 1. 2. 25. Si sensero hodie quidquam in his te nuptiis fallaciæ conari, quo fiant minus; aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus etc. *Cato R. R. præfat.* 4. Minimeque male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt. *Ter. Hecyr. prol.* 5. Ita populus studio stupidus in funambulo animum occuparat. *Id. Andr. prol.* 5. Nam in prologis scribundis operam abutitur non qui argumentum narret etc. *Cic.* 11. *Phil.* 4. 9. Qua re quum crudelissimi Pœni judicati sint in hoste. *verso il nemico. V.* quæ supra dicta sunt sub I. 3. in fin. Sic *Sall. Cat.* 52. Sint misericordes in furibus ærarii. *Liv.* 42. 9. Qua ferocia animi usus erat in Liguribus. *Ovid.* 5 *Trist.* 2. 36. Sæpe suo victor lenis in hoste fuit. *Cic. Amic.* 12. 41. Hunc etiam post mortem secuti amici et propinqui quid in P. Scipione effecerint, sine lacrimis non possum dicere. *Id.* 14. *Phil.* 3. 9. Refugit animus eaque dicere reformidat, quæ L. Antonius in Parmensium liberis et conjugibus effecerit. *Id. Dejot.* 9. 26. Frugi hominem dici non multum habet laudis in rege. *Id. Cæcin.* 19. 55. Intelligetis in eo ipso, si in verbis jus constituamus, omnem nos utilitatem hujus interdicti amissuros. Quid enim facilius est quam probari, in uno servulo familiæ nomen non valere? *Id.* 1. *Phil.* 8. 20. In judice spectari debet et fortuna et dignitas. *Id. ibid.* 20. 58. Quod in hac re quæri nihil attinet. Similiter *Nepos Att.* 25. *extr.* Cavit, ne qua in re jure plecteretur. *h. e.* ob vel propter aliquam rem, ut *Forcellinus* interpretatur etiam in iis, quæ sequuntur. *Id. Timol.* 4. Se in ea re maximas diis gratias agere etc. *Id. Pausan.* 2. In quo facto domum revocatus etc. — b) Speciatim hac significatione plurimis jungitur Adjectivis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, hic exhibentur. *Virg.* 12. *Æn.* 938. Acer in armis. Sic *Cic. Brut.* 24. 86. acrior in dicendo. et *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 15. acrior in rebus gerendis. *Cic. Brut.* 46. 169. Admirabilis in dicendo. *Id.* 2. *Off.* 18. 64. In omni re contrahenda, vendendo, emendo – æquus, facilis, multa multis de suo jure cedens. *Id.* 5. *Phil.* 8. 22. Avidus in pecuniis locupletium. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (87). Benignus in æmulis Apelles. *Quintil.* 12. 2. 14. Callidus in disputando. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 9. 27. Cautus in periculis. Sic *Id.* 10. *Att.* 9. cautus in credendo. et *Sueton. Cæs.* 58. In obeundis expeditionibus dubium cautior, an ardentior. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (11). Clarus in scientia. *Cic. Cæcin.* 36. 104. Amplissimis viris Etruriæ totius in utraque fortuna cognitus multis signis et virtutis et humanitatis. Sic *Id.* 5. *Fam.* 12. 7. viri in reipublicæ maximis gravissimisque causis cogniti atque in primis probati. et *Id. in tog. candid.* p. 522. ed. *Orell.* homo in hoc largitionis quæstu notus et cognitus. et 2. *Verr.* 10. 29. homo in rebus judicandis spectatus et cognitus. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 18. Constans in vitiis. *Cæs.* 1. *B. C.* 23. Continentior in vita hominum, quam in pecunia. *Cic.* 3. *Verr.* 36. 88. Copiosus in dicendo. Sic *Quintil.* 1. 1. 106. copiosior in eloquendo. *Cic.* 7. *Verr.* 3. 7. Crudelis in animadvertendo. *Id.* 1. *Off.* 43. 154. Cupidum esse in perspicienda cognoscendaque natura rerum. *Id.* 1. *Tusc.* 45. 108. Curiosus in omni historia. *Id.* 1. *Verr.* 10. 29. Homo in quærendo nimium diligens. Sic *Id. Amic.* 17. 62. diligens in rebus omnibus. *Id.* 7. *Verr.* 3. 7. Dissolutus in prætermittendo. *Ovid. Heroid.* 21. 182. in parum fausto carmine doctus. *Liv.* 41. 18. In rebus peragendis efficax. *Cic. Brut.* 68. 239. Elegans in dicendo. *Id.* 1. *Tusc.* 1. 2. Excellens in omni genere virtus. *Cæs.* 1. *B. C.* 57. Exercitatus in armis. Sic *Cic. Fontej.* 14. 31. exercitatus in re militari. *Quintil.* 1. 1. 1. Facilis in excogitando. Sic *Cic. Brut.* 57. 207. facilis in causis recipiendis Antonius, fastidiosior Crassus. *Sall. Cat.* 9. In amicis fideles erant. *Cic. fragm.* apud *Non.* p. 527. 33. *Merc.* Fortis in dolore podagræ. Sic *Quintil.* 12. 3. 8. imperator in præliis strenuus et fortis. *Cic.* 1. *Orat.* 50. 218. Peregrinus atque hospes in agendo. *Vitruv.* 1. 1. 13. In doctrinis his non imperitus. Sic *Quintil.* 1. 4. 27. in verbis adeo imperitus. *Cic.* 7. *Verr.* 10. 27. in itineribus usque eo se præbere patientem atque impigrum. *Seneca Ep.* 99. Populus in omnibus inconstantissimus. *Cic.* 3. *de republ.* 16. Minime in disserendo mali. *Vellej.* 2. 25. 4. Nobiles in medendis corporibus aquæ. *Cic. Brut.* 39. 145. Scævola in jure paratissimus. Sic *Id ibid.* 42. 154. prompta et parata in agendo celeritas. *Id. Balb.* 22. 50. Parcus in largienda civitate. Sic *Plin. Paneg.* 3. parcus in laudibus alicujus. *Propert.* 2. 34. 82. In amore peritus. *Cic.* 1. *de republ.* 8. Perpoliti in disputationibus. *Id.* 1. *Orat.* 20. 93. Perpugnax in disputando. *Id. Amic.* 2. 6 Prudens in jure civili. *Tac.* 3. *Ann.* 1. Recens in dolore. *Cic. Cæcin.* 10. 26. In testimonio religiosum se præbere. Sic *Id. Flacc.* 10. 23. natio minime in testimoniis dicendis religiosa. *Id.* 4. *Fam.* 1. Rudis in causa. Sic *Id.* 1. *Orat.* 50. 218. nulla in re tiro ac rudis. *Id.* 2. *de republ.* 31. In omni vel officio vel sermone sollers. Sic *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11.

40. (142). pictor ingeniosus et sollers in arte. *Cic. Brut.* 48. 180. Omnium oratorum solutissimus in dicendo. *Id. ibid.* 68. 239. Tardus in excogitando. *Id.* 3. *de republ.* 16. Vafer in disputando. *Id. Quinct.* 1. 3. Homo in aliqua causa multum ac sæpe versatus. Sic *Id.* 3. *de republ.* 3. viri in rerum publicarum varietate versati. — *c*) Item multis junguntur Verbis: hic tamen ea tantum animadvertenda putamus, in quibus præpositio *in* ponitur pro *ob*, *propter*. Sic *Cic.* 3. *Fam.* 11. et 7. *Att.* 17. Accusare aliquem in aliqua re. *Id.* 1. *Orat.* 11. 47. et 2. *ibid.* 78. 316.; et *Nepos Alcib.* 11. Admirari aliquem in aliqua re. *Ovid.* 6. *Met.* 490. Æstuare in aliqua. *h. e.* aliquam perdite amare. (Similiter *Id. Heroid.* 4. 99., et 9. *Met.* 724. Ardere in aliquo vel in aliqua. *Ter. Eun.* 3. 5. 19. Commoveri in aliqua. *Catull.* 61. 101. In mala deditus vir adultera. Cf. *Lucret.* 3. 647. et 4. 815. Sic *Propert.* 1. 13. 7. Perditus in quadam tardis pallescere curis. Cf. *Ovid.* 1. *Art. am.* 731. et 3. *Amor.* 6. 25. Item *Ovid.* 8. *Met.* 50. quid in hospite, regia virgo, ureris?). *Cic.* 13. *Phil.* 7. 16. Certatur in aliqua re. *Id.* 6. *Verr.* 47. 104. Coarguere aliquem in aliqua re. *Ter. Andr. prol.* 15.; et *Cic.* 3. *Nat. D.* 40. 95. et 3. *Fam.* 8. Disputare in aliqua re. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 2. 1. Excusare aliquem in aliqua re. *Id.* 1. *Tusc.* 21. 48. et 3. *Nat. D.* 36. 87. Gloriari in aliqua re. *Id.* 6. *Fam.* 12. Gratulari alicui in aliqua re. *Id.* 2. *Att.* 1. 5. Quum in eo se in contione jactavisset etc. *Id.* 2. *Fam.* 9. Objurgare aliquem in aliqua re. *Id. Planc.* 33. 82. Reprehendere aliquem in aliqua re. Sic *Id.* 2. *ad Q. fr.* 6. 5. Pompejus noster in amicitia P. Lentuli vituperatur.

B) Præpositio *in* Accusativo servit, quum motum adsignificat. Animadvertendum tamen est, hanc præpositionem modo poni pro *intro*, ut *in silvam*; modo pro *versus*, ut *in urbem* (*V.* infra sub I. 1.); interdum pro *supra*, ut *in montem*, *in aram* (sic *Cic.* 1. *Orat.* 53. 228. Pupillum filium pæne in humeros extulisset. et *Plaut. Curc.* 5. 2. 13. Ludere in chlamydem.); interdum pro *per* (*Cic. Flacc.* 26. 62. Leges in omnes terras distributæ. Cf. *eumd.* 2. *Orat.* 79. 322. Est id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam.); aliquando pro *ante* (*Ovid.* 2. *Fast.* 832. Et cadit (*Lucretia*) in patrios sanguinolenta pedes.): et translate pro *apud* (*Cic. Parad. proœm.* § 2. Cato ea sentit, quæ non sane probantur in vulgus.); pro *erga* (*Cic.* 1. *Orat.* 44. 196. Inflammati amore in patriam. et 2. *ibid.* 40. 168. Indulgentia in liberos. *Id.* 1. *Legg.* 15. 43. Obsequia in homines, religiones in deos. *Id. Orat.* 38. 133. Facta, consilia, merita in rempublicam.); pro *contra* (*Cic.* 1. *Orat.* 46. 202. Populum inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare. *Id.* 3. *Nat. D.* 34. 84. Ita ad impietatem in deos, in homines adjunxit injuriam. *Id.* 2. *Att.* 22. Impetum facere in aliquem. *Id. Rabir. perduell.* 6. 19. Quod in hunc majus crimen exspectas?); pro *cum* (*Plaut. Aulul.* 3. 5. 12. In pauciores avidos altercatio est. *Cic.* 2. *Invent.* 37. 110. Partes aliam in aliam implicatam videbit.); pro *super* vel *de* (*Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. In eam tabulam magni risus consequebantur. *Id.* 2. *Att.* 22. In eam sententiam quum multa dixisset.); pro *ad*, *juxta*, *secundum* (*Cic.* 7. *Verr.* 28. 73. Hostilem in modum. *Id. Quinct.* 20. 63. Judicium quin acciperet in ea ipsa verba, quæ Nævius edebat, non recusasse.); et pro *instar* (*Albinov.* 2. 88. *de Jove in bovem, Europæ causa, mutato.* Dicitur in nitidum procubuisse bovem. *Apul.* 3. *Met.* In lapidem steti gelidus. *Id.* 6. *ibid.* Juppiter mugivit in bovem.) Ceterum

I.) Proprie usurpatur de loco. ¶ 1. Generatim. — a) Universim. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 108. Interea sol albu' recessit in infera noctis. *Id.* apud *Varron.* 7. *L. L.* 6. *Müll.* Unus erit, quem tu tolles in cærula cæli templa. *Livius Andron.* apud *Non. p.* 110. 29. *Merc.* Ipsus se in terram saucius figit cadens. *Ennius* apud *eumd. p.* 115. 32. Vide hunc, meæ in quem lacrimæ guttatim cadunt. Sic *Ter. Andr.* 1. 1. 109. Rejecit se in eum flens quam familiariter. *Nævius* apud *Non. p.* 323. 2. *Merc.* Vos ite actutum in frundiferos locos. *Ennius* apud *eumd. p.* 378. 20. Conjicit in silvam sese. Sic *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 34. Nam is illius filiam conjicit in navem miles clam matrem suam. *Id. ibid. v.* 39. Ubi sumus profecti in situm. *Id. ibid. v.* 43. Hic postquam in ædes med ad se adduxit domum. *Id. Bacch.* 2. 3. 2. Ibo in Piræum, visamque, ecquæ advenerit in portum ex Epheso navis mercatoria. *Ter. Andr.* 2. 2. 19. Ubi te non invenio ibi, ascendo in quemdam excelsum locum. *Id. Adelph.* 3. 3. 5. Credo abductum in ganeum aliquo. *Accius* apud *Charis. de vers. Saturn.* Ita nobis datur bona pausa loquendi tempusque in castra reverti. *Scipio Africanus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 10. Cum cinædulis et sambuca psalterioque eunt in ludum histrionum. – Eunt, inquam, in ludum saltatorium virgines puerique ingenui. – Sed quum ductus sum in ludum saltatorium etc. *Cic. Cæcin.* 23. 66. Non dejeci te ex eo loco, quem in locum prohibui ne venires. *Id. ibid.* 30. 88. Hoc jam simplex est, in eum locum restituas: sive ex hoc loco dejecisti, restitue in hunc locum; sive ab hoc loco, restitue in eum locum, non ex quo, sed a quo dejectus est. *Id. ibid.* 7. 21. De castello descendunt: in fundum proficiscuntur. *Id.* 3. *Tusc.* 10. 35. Tamquam in aram confugitis ad deum. *Id.* 2. *de republ.* 19. Influxit non tenuis quidam e Græcia rivulus in hanc urbem. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 13. Ergo Antiocho id magis licuerit remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere. *Id. Ligar.* 1. 2. Q. Ligarius legatus in Africam cum C. Considio profectus est. *Id. ibid.* 9. 27. In Macedoniam ad Cn. Pompeji castra venit, in eam ipsam causam, a qua erat rejectus in curia. *Id.* 1. *Cat.* 8. 20. Abire in aliquas terras. *Id.* 15. *Fam.* 9. A te ipso missi in ultimas gentes. Sic *Cæs.* 4. *B. G.* 11. Petebant sibi, uti potestatem faceret in Ubios legatos mittendi. *Id. ibid.* 6. In fines Eburonum pervenerant. *Varro* 1. *R. R.* 2. 1. Sementivis feriis in ædem Telluris veneram rogatus ab æditumo. *Nepos Miltiad.* 3. Ex Asia in Europam exercitum trajicere. *Id. ibid.* 4. In Asiam mittere. *Id. Themist.* 10. Magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam rediit. *Sall. Cat.* 30. Q. Marcius Rex Fæsulas, Q. Creticus in Apuliam circumque ea loca missi. *Liv.* 1. 1. Æneam primum in Macedoniam venisse, inde in Siciliam quærentem sedes delatum etc. *Lucret.* 1. 170. Inde enascitur atque oras in luminis exit. *Virg.* 9. *Ecl.* 1. Quo te, Mœri, pedes? an, quo via ducit, in urbem? *Id.* 1. *Æn.* 209. per tot discrimina rerum Tendimus in Latium. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 111. Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est, Solos felices viventes clamat in urbe. *Ovid. Remed. am.* 257. Ut solet, æquoreas ibit Tiberinus in undas. *Curt.* 3. 1. 6. Arcem, in quam confugerant, oppugnare adortus. – Illi caduceatorem in turrem et situ et opere editam perductum, quanta esset multitudo, intueri jubent. *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 1. 8. Necesse est in magna copia corpusculorum, quæ terræ ejectant et in superiorem agunt partem, aliqua in nubes pervenire alimenta ignium. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 67. 67. (169). Qui navigasset ex Hispania in Æthiopiam commercii gratia. *Id.* 3. *ibid.* 1. 2. (6). Hic (*fluvius*) modo se in stagna fundens, modo in angustias resorbens, aut in totum cuniculis condens et sæpius nasci gaudens, in Atlanticum oceanum effunditur. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Mox triclinium satis pulcrum, quod in litus excurrit. *Id.* 6. *ibid.* 14. Sollicitas me in Formianum. — *b*) Speciatim propria urbium, oppidorum et pagorum nomina cum Verbis motum significantibus per Accusativum sine præpositione *in* efferuntur: sed tamen — Cum præpositione usurpantur si propriis nominibus generalia quoque nomina *urbs*, *oppidum* etc. per appositionem, uti ajunt, addantur, ac præcipue si præponantur, ut apud *Sall. Jug.* 102. Post ea loci consul pervenit in oppidum Cirtam. *Liv.* 42. 22. Si non ante Idus in urbem Romam introisset. — Similiter si postponantur, ut apud *Cic.* 2. *de republ.* 19. Se contulisse Tarquinios in urbem Etruriæ florentissimam. *Sall. Jug.* 75. Dein Thalam pervenit in oppidum magnum atque opulentum. *Liv.* 3. 58. C. Claudius - Regillum antiquam in patriam se contulerat. *Tac.* 4. *Hist.* 32. Mox allatis Geldubam in castra nunciis. — Interdum Latini propria etiam nomina cum præpositione *in* usurparunt aut Græcos imitati, aut ipsius præpositionis vim majore in luce collocare cupientes. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 35. Eamque hic invitam mulierem in Ephesum advehit. Adde *eumd. Bacch.* 2. 3. 190. Rursus *Id. Mil. glor.* 2. 4. 31. Hac nocte in somnis mea soror gemina' st germana visa venisse Athenis in Ephesum cum suo amatore quodam. *Id. Curc.* 4. 4. 6. Salvus quum advenis in Epidaurum. *Id. Pseud.* 4. 6. 36. Qui illam quidem jam in Sicyonem abduxit modo. *Id. Pœn. prol.* 93. Is ex Anactorio - huc in Calydonem commigravit haud diu. *Id. Bacch.* 2. 3. 2. Ibo in Piræeum. *V.* hac de re *Cic.* 7. *Att.* 3. 10. ¶ 2. Speciatim præpositio *in* usurpatur etiam cum vocabulis, quæ locum translate tantum significant. *Leg. XII. Tabul.* apud *Gell.* 20. 1. QVI IN IVS VOCABIT. Adde *easdem* apud *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 9. 65. Sic rursus apud *Gell. loc. cit.* IN IVS DVCITO. Adde *Ter. Eun.* 4. 6. 30. Similiter *Id. Ter. Phorm.* 5. 7. 43. In jus ambula. *Cic. Cæcin.* 1. 2. Quod in judicium venire ausus est. Adde *Nepot. Epam.* 8. Rursus *Cic. Balb.* 28. 64. et *Quinct.* 19. 61. In judicium vocare aliquem. *Id.* 1. *Cat.* 1. 2. Catilina etiam in senatum venit. *Plaut. Men.* 3. 1. 3. Quando in contionem mediam me immersi miser. *Liv.* 4. 6. In contionem procedere. *Cic. post red. in senat.* 6. 13. Producere aliquem in contionem. *Id.* 3. *Legg.* 1. 1. Prodire in contionem. *Id.* 4. *Att.* 2.; et *Liv.* 3. 49. Ascendere vel escendere in contionem. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 20. 40. Nec sese dedit in conspectum corde cupitus. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 44. Paulisper tace, dum ego mihi consilia in animum convoco. *Nævius* apud *Charis.* 1. *p.* 102. *Putsch.* Marcus Valerius consul partem exercitus in expeditionem ducit. *Plaut. Amph.* 5. 2. 7. In exercitum proficisci. *Cæs.* 3. *B. C.* 99. In pugnam proficisci. *Plaut. Mil. glor.* 4. 9. 16. Nunc in tumultum ibo. Cf. *Quintil.* 6. 4. 13. In rixam non ibimus. et *Ovid.* 6. *Fast.* 89. In litem studio certaminis issent. *Cic.* 15. *Att.* 1. In funus venire. *Plaut. Pers.* 2. 4. 17.; et *Ter. Andr.* 2. 1. 17. Abi in malam rem. Cf. JCtorum formulam apud *Cic. Cæcin.* 7. 20. et 1. *Off.* 10. 32. et *Senec.* 4. *Benef.* 35. In rem præsentem venire. *Cæs.* 2. *B. G.* 23. Resistentes hostes in fugam conjicere. Sic *Cic. Cæl.* 26. 63. In fugam se conjicere. *Id. Cæcin.* 8. 22. In fugam se conferre. *Cæs.* 5. *B. G.* 51. Tum Cæsar - hostes in fugam dat. et *Cic.* 6. *Verr.* 43. 95. Dant sese in fugam milites. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 6. Loquere: aures meas profecto dedo in dicionem tuam. Cf. *eumd. Amph.* 1. 1. 103. Sic *Liv.* 26. 21. Civitates omnes, quæ defecerant, in dicionem redegit. ¶ 3. Item speciatim — *a*) Sæpissime præpositio *in* cum Accusativo occurrit, ubi præpositio *ad* vel alius casus usurpandus esse nobis videtur: præcipua, quibuscum hæc præpositio conjungitur, Verba, servato litterarum ordine, exhibentur. *Cic.* 13. *Fam.* 29. Abdere se in intimam Macedoniam. *Id. Mil.* 15. 40. se in scalarum tenebras. *Id.* 2. *Divinat.* 23. 51. se in terram. *Cæs.* 1. *B. G.* 12. se in proximas silvas. *Id.* 7. *ibid.* 30. se in occultum. *Sueton. Tib.* 38. Sequenti tempore præterquam in propinqua oppida, et quum longissime Antio tenus, nusquam abfuit. *h. e.* profectus est. *Colum. Arbor.* 7. 3. Abscondere aliquid in terram. Cf. *Plaut. Cist.* 1. 1. 65. stultitiam in tenebras pectoris. *Cic. Cæcin.* 13. 36. Armatos se tibi obstitisse (*dixerunt*), ne in ædes accederes. *Id.* 2. *Divinat.* 54. 111. Ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari videantur. *h. e.* ad aliam rem. *Id.* 12. *Att.* 53. Addere epistolas in eumdem fasciculum. Sic *Id.* 1. *ibid.* 13. *ad fin.* In illam orationem Metellinam addidi quædam. *Id. Cæcin.* 31. 91. Addere aliquid in quotidianum interdictum. *Nepos Cat.* 2. multas res in edictum. *Cic.* 5. *Phil.* 7. 19. Adesse in senatum jubere. *V.* mox infra sub *c. Id. Cæcin.* 33. 95. Adscribere aliquid in legem. *Id.* 11. *Phil.* 12. 30. Advenire in provinciam. Sic *Id. pro leg. Manil.* 5. 13. Adventus in urbes sociorum. et 1. *Nat. D.* 38. 105. adventus in animos et introitus imaginum. *Liv.* 8. 3. Appellere classem in Italiam. *approdare*. Sic *Id.* 28. 42. In urbem sociorum. Et eodem sensu *Ovid. Heroid.* 16. 126. Applicari in terras. *Virg.* 2. *Æn.* 349. Audere in prælia. *Liv.* 1. 48. Cogere senatum in curiam. *h. e.* convocare. Sic *Cæs.* 2. *B. C.* 5. copias in unum. *Cic.* 7. *Att.* 3. 10. Coire in Piræeum. *h. e.* convenire. Sic *Curt.* 6. 8. 17. in regiam. *Ovid.* 4. *Met.* 574. Committere crura in unum. Sic *Cels.* 8. 1. vulnera in unum. *Cæs.* 3. *B. C.* 12. Comportare aquam in arcem. *Cic. Pis.* 10. 23. arma in templum. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 104. citharas emptas in unum. *Plaut. Epid.* 3. 3. 21. Concludere aliquem in ædiculam seorsum. *Ter. Adelph.* 4. 2. 13. aliquem in cellam cum aliis.

Plaut. Rud. 3. 1. 18. bestiam in vincla. Cic. 1. Legg. 5. 17. jus civile in parvum quemdam et angustum locum. Cæs. 1. B. C. 7. Concursus fit in prætorium. Sic Liv. 2. 56. in forum a tota urbe. Plaut. Truc. 3. 1. 9. Condere minas viginti in crumenam. Sic Varro 1. R. R. 65. 1. mustum in dolium. et Cic. 6. Verr. 29. 76. aliquem in carcerem. et Plaut. Pseud. 1. 5. 120. aliquem in pistrinum. Cæs. 1. B. G. 24. Conferre sarcinas in unum locum. Sic Plaut. Men. prol. 6. argumentum in verba paucissima. Cf. Cic. Cæcin. 6. 17. Rursus Id. Brut. 74. 258. Confluxerunt in hanc urbem multi inquinate loquentes. Cato R. R. 123. Confundere materiam in lagenam. Cic. 2. Divinat. 31. 66. Congerere grana in os alicujus. Sic Plaut. Pseud. 3. 2. 34. herbas in alvum. Cic. 1. Orat. 8. 33. Congregare dispersos homines in unum locum. Sic Plin. 6. Hist. nat. 26. 30. (117). Mesopotamiam vicatim dispersam in urbes congregare. Cic. 1. Cat. 23. 32. Congregari unum in locum. Cæs. 1. B. G. 34. Contrahere exercitum in unum locum. Pompejus apud Cic. 8. Att. 12. c. 1. et 2. copias in unum. Cic. Mil. 27. 74. Convehere lintribus in insulam materiam, calcem etc. Sic Liv. 24. 39. frumentum et commeatus in castra. Cic. 9. Fam. 14. Qui valetudinis causa in hæc loca conveniunt. Sic Cæs. 4. B. G. 19. Convenire unum in locum. Cic. 1. Att. 16. 9. in senatum. Cf. Plaut. Pseud. 4. 7. 85.; et Cato R. R. 21. En fistulam ferream indito, quæ in columellam convenіat et in cupam. Cic. 1. Legg. 20. 53. Convocare philosophos in unum locum. Plaut. Mil. glor. 3. 1. 145. Deverti in amici hospitium. Cic. 2. Off. 18. 61. in villam suam. Ter. Andr. 1. 5. 62. Hanc mi in manum dat. Plaut. Curc. 1. 2. 28. Effundere vinum in barathrum. Sic Mela 1. 1. 5. Fluvius effundit se in mare. et Plin. 2. Hist. nat. 108. 112. (243). se in Oceanum. Cic. 7. Verr. 51. 133. Egredi in terram. sbarcare. Sic Liv. 1. 1. in aliquem locum. Similiter Cæs. 1. B. C. 31. et 3. ibid. 22. Exponere in terram. et Liv. 37. 28. in litora Cic. Cæcin. 14. 39. Facere vestigium in possessionem. Senatuscons. de Bacchan. Utei hoce in tabolam ahenam inceideretis. Sic Cic. 1. Phil. 10. 26. Incidere aliquid in æs. et Liv. 3. 57. Leges in æs incisæ. (Contra Plin. 16. Hist. nat. 9. 14. (35). Incidere litteras in fago recenti. Et Part. præter pass. cum Ablat. sæpius occurrit, ut apud Cic. 13. Fam. 36. Tabula, in qua nomina civitate donatorum incisa essent). Cic. 7. Verr. 55. 144. Includere tantum numerum civium in prædonum hostiumque custodias. Sic Liv. 38. 59. virum clarissimum in carcerem inter fures et latrones. Id. 1. 11. Incursionem facere in fines Romanorum. Cic. Orat. 64. 215. Pæon commodissime putatur in solutam orationem illigari. Id. Brut. 96. 330. Ingredi in viam, in vitam. Liv. 24. 9. Inire in urbem. Cic. 5. Tusc. 12. 34. Insinuare se in antiquam philosophiam. Sic Id. 2. leg. Agr. 5. 12. se in sermonem aliquorum. et absolute Id. 2. Orat. 35. 144. Insinuare penitus in causam. Tac. 4. Ann. 56. Nunciare Smyrnam in contionem. Sisenna apud Non. p. 130. 2. Merc. Servutum in populum produxit armatum. h. e. ad populum. Cic. 3. Verr. 21. In publicas tabulas ad ærarium perscribenda curavit. Monum. Scipion. Inscript. apud Orell. 558. QVARE LVBENS TE IN GREMIV. (h. e. gremium) SCIPIO RECIPIT TERRA. V. mox infra sub c. Quintil. 10. 3. 35. Recondere se in locum. Liv. 29. 3. Renunciare in consilium. Cic. 1. ad Q. fr. 2. 4. In custodiam, vel in pistrinum tradere aliquem. Id. Quinct. 30. 92. Ea res nunc in discrimen versatur, utrum etc. Plaut. Cas. 5. 8. 47. Vocare aliquem ad se in nuptias. — b) Item occurrit cum Verbis collocare, ponere et compositis, et ἀρχαϊκῶς cum v. relinquere, macerare, jacĕre etc. (V. mox infra sub c.). Livius Andron. apud Non. p. 127. 30. Merc. In sedes collocat se regias. Sic Plaut. Men. 5. 6. 28. Collocare in tabernam vasa et servos. Id. Aulul. 4. 8. 6. se in arborem. Ter. Eun. 5. 5. 45. aliquem in tectum. Cæs. 2. B. G. 30. turrim in muros. Id. 1. ibid. 18. sororem et propinquos suos nuptum in alias civitates. Sall. Jug. 61. exercitum in provinciam hiemandi gratia. Cato R. R. 113. Componere amphoras in culleum. Cæs. 4. B. G. 19. Deponere aliquid in silvas. Sic Colum. 3. R. R. 10. 19. In terram depositum. Plaut. Rud. 2. 3. 27. Quidquid domi fuit, in navem imposivit. Sic Ter. Andr. 1. 1. 102. In ignem imposita' st. Cic. 1. Tusc. 35. 85. Imponere aliquem in rogum. Plaut. Pers. 4. 6. 10. aliquem in collum. Cic. 5. Tusc. 5. 13. aliquem in equuleum. Cato R. R. 7. Ponere aliquem in solem. Ovid. Remed. am. 7. 19. aliquid in ignes. Gell. 3. 15. coronam in caput. Plaut. Trin. 3. 3. 10. aliquem in crimen populo. Liv. 29. 19. Reponere pecuniam in thesauros. Cic. 1. Nat. D. 15. 38. homines in deos. V. Madvig. ad h. l. — Et ἀρχαϊκῶς. Cato R. R. 52. Eum qualum in arborem relinquito. Sic Q. Claudius apud Gell. 17. 2. In medium relinquere. Rursus Cato R. R. 156. Brassicam in aquam macerare oportet. Plaut. Cas. 2. 3. 26. Ubi in lustra jaculisti? — c) Huc pertinent et quædam dicendi formulæ cum Verbis esse (et adesse) et habere paucisque aliis, quæ præpositionem in cum Accusativo recipiunt: quod perantiquo loquendi consuetudine factum videtur. Plaut. Amph. 1. 1. 25. Nunc mihi in mentem fuit diis gratias agere. (V. Gell. 1. 7.: hæc dicendi ratio alii videtur inniti, h. e. in mentem venire). Sic Id. ibid. 2. 2. 34. Qui tibi nunc istuc in mentem' st? Id. Bacch. 2. 1. 53. Ecquid in mentem' st tibi patrem tibi esse? Cic. pro leg. Manil. 12. 33. Quum vestros portus in prædonum fuisse potestatem sciatis. Sic Id. 7. Verr. 38. 98. Quod, qui illam partem urbis tenerent, in eorum potestatem portum futurum intelligebant. et Liv. 24. 1. Ut portus in potestatem Locrensium esset. Id. 2. 14. Quæ (auctio) ne in potestatem quidem populi Romani esset. Cic. 4. Verr. 27. 67. Ut omnium bona atque fortunæ in istius unius essent potestatem. Id. 12. Phil. 2. 4. Ne si in senatus quidem potestatem futurum se dixerit. Id. 3. Legg. 17. 37. Eam optimam rempublicam esse duco, quæ sit in potestatem optimorum. Quintil. 6. 2. 29. Neque enim sunt motus in nostram potestatem. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 20. 66. Ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi Romani dicionemque essent, injurias propulsare. Id. 15. Att. 4. Ut certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus. Sueton. Aug. 16. Nec prius surrexisse, ac militibus in conspectum fuisse. Cic. Quinct. 5. 22. Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium cœpit. Liv. 22. 20. Quod satis in usum fuit, sublato, ceterum omne incensum est. Cic. 5. Phil. 7. 19. Adesse in senatum jussit a d. XIII. Kal. Octobr. Sic Liv. 45. 28. Jussis Amphipolim adesse. Plaut. Pœn. 5. 4. 108. Facito in memoriam habeas tuam majorem filiam mihi te despondisse. Sall. Jug. 112. Quum talem virum in potestatem habuisset. Liv. 22. 25. M. Minucium magistrum equitum, ne quid rei bellicæ gereret, prope in custodiam habitum. Sic Tac. 1. Hist. 87. Reliquos sævitia Galbæ in custodiam habitos. Cf. Liv. 8. 20. Vitruvium in carcerem adservari jussit, quoad consul redisset. Fragm. leg. Thor. QVEI SOCIVM IN AMICITIAM POP. ROMANI BELLO POENICO PROXIMO MANSERENT. Cf. Cic. 3. Phil. 4. 8. Pollicetur se provinciam Galliam retenturum in senatus populique Romani potestatem. V. Gell. 1. 7. et 17. 2.; Interppr. ad Liv. 2. 17. et præcipue Alschefski ad eumd. 22. 25., Halm. ad Cic. pro leg. Manil. 12. 33.; Klotz. ad Cic. scrip. part. 2. vol. 2. præfat. p. XVI.; Zumpt. ad Cic. 4. Verr. 27. 67. et ad Curt. 7. 13. 10.: ceterum plura in hanc rem congessere Voss. de Grammat. l. 7. c. 65., Gifan. in Lucret., Pareus in Lex. Crit., Hand Tursell. t. 3. p. 344., Sciopp. et al. ¶ 3. Demum præpositio in cum Accusativo usurpatur etiam pro versus, h. e. quoties de regione vel loco agitur, in quem actio spectat, tendit, vergit, quin tamen ad eum usque perveniat. — Stricto sensu. Ennius apud Non. p. 518. 5. Merc. Ibi tum de repente ex alto in altum despexit mare. Plaut. Cist. 2. 3. 78. Quid nunc supina sursum in cælum conspicis? Cato R. R. 1. Si poteris, sub radice montis siet (ager), in meridiem spectet. Cæs. 1. B. G. 1. Belgæ spectant in septentriones et orientem solem. Liv. 5. 5. Munitiones non in urbem modo, sed etiam in Etruriam spectantes. Cic. 3. ad Q. fr. 1. 4. § 14. Id (tectum) nunc honeste vergit in tectum inferioris porticus. Liv. 37. 31. Qui (portus) in meridiem vergit. Virg. 1. Æn. 165. Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur In cælum scopuli. Plin. 5. Hist. nat. 1. 1. Mons in cælum attollitur. Id. 2. ibid. 73. 75. (183). Per eos XL dies in meridiem umbras jaci. Tac. Agric. 10. In orientem Germaniæ, in occidentem Hispaniæ obtenditur, Galliis in meridiem etiam inspicitur. Stat. 2. Theb. 218. In lævum prona nixus sedet Inachus urna. — Aliquando et versus additur. Varro 3. R. R. 5. 10. Ab hac ambulatione in agrum versus ornithonis locus ex duabus partibus conclusus. Cæs. 7. B. G. 8. extr. Castra ex Biturigibus movet in Arvernos versus. Sall. Cat. 56. Modo ad urbem, modo in Galliam versus castra movere. Frontin. 1. Strateg. 4. 11. In Italiam versus. — Huc pertinent et dicendi formulæ in omnes partes, in utramque partem. Sic Pacuvius apud Non. p. 467. 15. Merc. Incipio saxum temptans scandere, verticem summusque in omnes partes prospectum aucupo. Ceterum V. PARS. — Item huc pertinent illa in aurem dormire, in latus cubare etc., ut apud Plaut. Pseud. 1. 1. 122. ps. De istac re in oculum utrumvis conquiescito. CA. In oculum ne, an in aurem? Ter. Heaut. 2. 3. 101. In aurem utramvis otiose ut dormias. Sic Plin. 1. Ep. 29. In dexteram aurem dormire. Cels. 2. 3. Si in latus aut dextrum aut sinistrum, ut ipsi in usu est, cubat. — Denique huc pertinent omnia, in quibus, quomodocumque agitur de intentione versus aliquem locum. Plaut. Amph. 1. 1. 168. Si in me (pugnos) exerciturus, quæso in parietem ut primum domes. Ter. Adelph. 2. 4. 5. Vereor, coram in os te laudare amplius. Horat. 1. Sat. 8. 12. trecentos cippus in agrum hic dabat. Lucan. 6. 471. puppimque ferentes In ventum tumuere sinus.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de tempore; et quidem — a) Ponitur pro usque ad cum addito termino, a quo tempus incipit. Liv. 27. 2. Postero die Romani ab sole orto in multum diei stetere in acie. Colum. 2. R. R. 10. 17. Seritur (semen lini) a Kalendis Octobribus in ortum Aquilæ. Id. ibid. § 18. Ab æquinoctio autumnali serenda sunt in Idus Octobres. Id. 3. ibid. 14. 1. Ab Idibus Octobribus in Kalendas Decembres. Plin. 2. Hist. nat. 31. 31. (99). Qui a matutino tempore duraverunt in occasum. — b) Ponitur pro usque ad etiam omisso termino, a quo tempus incipit, et significato per Accusativum solummodo termino, ad quem usque actio producitur. Cic. fragm. apud Arus. Mess. p. 239. Lindem. Sermonem in multam noctem produximus. Sic Sueton. Tib. 74. Exarsit prima vespera atque in multam noctem luxit. Et absolute in noctem apud Plin. 18. Hist. nat. 34. 77. (339). Vulturnus si a serena cæli parte cœperit flare, non durabit in noctem: at Subsolanus in majorem partem noctis extenditur. Sic Cels. 7. 27. Si febris non desinit, eaque in noctem augetur. Cf. Virg. 4. G. 189. Post, ubi jam thalamis se composuere, siletur In noctem. et Plin. 4. Ep. 9. 14. Dixit in noctem atque etiam nocte illatis lucernis. Horat. 1. Ep. 18. 34. Dormiet in lucem. Cf. Tac. Germ. 22. Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur. Rursus Horat. 1. Ep. 17. 6. Si te grata quies et primam somnus in horam Delectat. — Interdum etiam usque additur. Quintil. 12. 11. 20. Neque illi didicerunt hæc usque in senectutem. Id. 8. 3. 68. Male in illum usque diem servati fato senes. Sueton. Oth. 11. In serum usque patente cubiculo. Sil. It. 11. 392. regnum trahat usque in tempora fati. Cf. Lucan. 8. 300. usque in pacem. — c) Sæpissime usurpatur de actione, quæ in definitum tempus constituitur. Plaut. Stich. 3. 2. 24. I modo: alium conviram quærita tibi in hunc diem. per questo giorno. Sic Id. ibid. 4. 1. 12. Nam ille me heri jam vocaverat in diem hunc. Id. ibid. 4. 2. 55. Numquam edepol me vivum quisquam in crastinum prospiciet diem. Ter. Eun. 3. 4. 1. Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo, in hunc diem ut de symbolis essemus. (In his postremis pro Accusativo, recte et Ablativus poterat usurpari). Ceterum Plaut. Trin. 5. 2. 65. Tu in perendinum paratus sis ut ducas. Id. Pseud. 5. 2. 33. In crastinum vos voco. Cic. 3. Off. 14. 58. Ad cœnam hominem in hortos invitavit in posterum diem. pel dì venturo. Cf. eumd. Dejot. 7. 21. Sic Liv. 3. 38. Jubent acciri omnes, senatumque in diem posterum edicunt. Cic. 1. leg. Agr. 2. 4. Audistis auctionem populi Romani proscriptam a tribuno plebis constitutam in mensem Januarium. Id. 2. Phil. 30. 76. Qui in proximum annum consulatum peteres. per l'anno prossimo. Sic Id. Mil. 9. 24. Subito reliquit annum suum, seque in

annum proximum transtulit. — Huc pertinent et formula *in ante diem* etc., ut apud *Cic.* 1. *Att.* 16. 13. Ita comitia in ante diem VI. Kal. Sext. dilata sunt. *Id.* 1. *Cat.* 3. 7. Dixi ego item in senatu, cædem te optimatium contulisse in ante diem V. Kal. Nov. *Liv.* 41. 16. Comitia in ante diem III. Nonas Sextiles, Latinas in ante diem III. Idus Sextiles edixit. *V.* ANTE. — Sic de temporis diuturnitate. *Ter. Eun.* 1. 2. 110. In hoc biduum, Thais, vale. *Cato R. R.* 30. Pabulum aridum, quod in hiemem condideris, quam maxime conservato. *Cic. Sext.* 9. 20. Habebit senatus in hunc annum quem sequatur. Sic *Liv.* 2. 42. Nec in præsens modo, sed in venientem etiam annum M. Fabium et L. Valerium consules dedit. et *Tac.* 3. *Ann.* 71. Dum ne diebus publici sacrificii, neu sæpius, quam bis eumdem in annum. *Cic.* 2. *Divinat.* 6. 17. Solis defectiones itemque lunæ prædicuntur in multos annos. *Varro* 2. *R. R.* 5. 13. Boves pariunt in decem annos. *h. e.* usque ad etc. *Liv.* 9. 37. Inducias in triginta annos impetraverunt. *Cato R. R.* 57. Eos non est nimium in annos singulos vini quadrantalia x. ebibere. Sic *Cic.* 6. *Att.* 3. Renovato in singulos annos fenore. *h. e.* singulis annis. *Cæs.* 1. *B. G.* 20. Monet, ut in reliquum tempus omnes suspiciones vitet. *Cic.* 1. *Tusc.* 38. 91. Non deterret sapientem mors, quo minus in omne tempus reipublicæ suisque consulat. *Id.* 5. *Fam.* 15. Nisi id verbum in omne tempus perdidissem. — Sic præpositio *in* locum habet in plurimis dicendi rationibus, quarum præcipuæ sub litteris *d*, *e*, *f* et sequentibus exhibentur. — *d*) *In æternum*, *in ævum*, hoc est *per tutta l'eternità, per sempre*; ut apud *Liv.* 34. 6. Leges non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ. *Lucan.* 7. 131. Advenisse diem, qui fatum rebus in ævum Conderet humanis. — *e*) *In annum* aliquando est in anni spatium, ut apud *Horat.* 1. *Ep.* 18. 109. Sit bona librorum et provisæ frugis in annum Copia, neu fluitem dubiæ spe pendulus horæ. *Sueton. Gramm.* 17. Sestertia centum in annum accipere. — Aliquando *in annum* est in proximum annum, ut apud *Varron.* 2. *R. R.* 2. 12. Quibus in locis messes sunt factæ, inigere est utile, quod obtritis stramentis et stercoratione faciunt in annum segetes meliores. — *f*) *In diem* plura significat: scilicet — *In diem* est *per un giorno*, in diei spatium. *Ovid.* 2. *Met.* 46. currus rogat ille paternos Inque diem alipedum jus et moderamen equorum. Adde *Plin.* 21. *Hist. nat.* 1. 1. (2).; et *Liv.* 22. 39. et 40. — *In diem vivere* est nulla cogitatione et cura futuri, apud *Cic.* 5. *Tusc.* 11. 33., 2. *Orat.* 40. 169. et 2. *Phil.* 35. 86.; *Colum.* 3. *R. R.* 3. 6.; et *Plin.* 5. *Ep.* 5. *V.* DIES. — *In diem* est etiam in singulos dies, singulis diebus, unaquaque die. *Liv.* 21. 11. Interiora tuendo minorem in diem urbem Saguntini faciunt. *Horat.* 3. *Od.* 29. 42. Cui licet in diem dixisse: Vixi. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 15. 17. (73). In diem ex æquo convenarum turba renascitur. — Aliquando *in diem* τῷ præsenti opponitur et de futuro usurpatur. *Ter. Phorm.* 5. 2. 16. Præsens quod fuerat malum, in diem abiit. *si porta innanzi.* *Cic. Cæl.* 21. 58. Dii præsentia fraudis pœnas in diem reservant. *in altro tempo*, in incertum diem, sed certo futurum. *Nepos Att.* 9. Fundum emere in diem. *da pagare a tempo determinato.* *Dig.* 17. 1. 1. § 3. Mandatum et in diem differri et sub conditione contrahi potest. — *g*) *In dies* locum habet in sequentibus formulis: — *In dies singulos*, hoc est *in tutti i giorni, in ogni singolo giorno*, ut apud *Cic.* 12. *Att.* 13., 2. *ibid.* 22., 5. *ibid.* 7., 6. *Fam.* 4. et alibi. — *In dies* est idem atque in dies singulos. *Cato R. R.* 54. Inde semodios singulis bubus in dies dari oportet. *Plaut. Epid.* 1. 1. 51. Id adeo argentum ab danista apud Thebas sumpsit fenore in dies. *Sall. Jug.* 44. Panem in dies mercari. — Demum *in dies* significat etiam *di giorno in giorno*, ut apud *Cic.* 2. *Fam.* 18. Mihique scito in dies majori curæ esse dignitatem tuam. *Id.* 5. *Att.* 2. Quem mehercle plus plusque in dies diligo. *V.* plura in v. DIES. — *h*) *In horam* est in horæ spatium, sive in perbreve temporis spatium, *per un'ora, per pochissimo tempo*, ut apud *Cic.* 5. *Phil.* 9. 25. Ut hi, qui in horam viverent, ne de utilitate quidem sua cogitaverunt. — *In horas singulas*, hoc est *a tutte l'ore, per ogni singola ora*, legitur apud *Liv.* 2. 12.; et *Phædr.* 3. 15. — *In horas* est Italice *d'ora in ora*, ut apud *Cic.* 14. *Att.* 20. *ad fin.* Consilia temporum sunt, quæ in horas commutari vides. Adde *Virg.* 10. *Ecl.* 73.; *Horat.* 2. *Sat.* 7. 10. et *Art. P.* 160.; et *Plin.* 3. *Ep.* 17. — *i*) *In tempus* est brevissimo tempore, temporis momento, *in brevissimo tempo, in un momento, in un attimo*, apud *Tac.* 14. *Ann.* 20. Scæna in tempus structa. *Id.* 1. *ibid.* 37. Sensit militem in tempus conficta. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 66. et 6. *ibid.* 11. — *l*) Postremo huc pertinent etiam illa: In præteritum, *per lo passato*, apud *Quintil.* 2. 4. 37., 7. 4. 30. — In præsens, *al presente*, apud *Cic.* 1. *Cat.* 9. 22. Video quanta tempestas invidiæ nobis, si minus in præsens. at in posteritatem impendeat. — In futurum, *nel futuro*, ut apud *Liv.* 30. 17. Ingenti omnium et in præsens lætitia et in futurum spe. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 71. Effugis in futurum, diffidentia præsentium mutationum pavens. — In posterum, *per l'avvenire, in seguito*, ut apud *Cic.* 4. *Cat.* 5. 10. Sancit in posterum, ne quis hujus supplicio levando se jactare possit. *Id.* 10. *Fam.* 12. Res dilata est in posterum. — In longitudinem, *per lungo tempo*, apud *Ter. Heaut.* 5. 2. 10.; et in longum, eodem sensu, apud *Tac.* 1. *Ann.* 69., 11. *ibid.* 20. et 4. *Hist.* 70.; item in tempora, eodem sensu, apud *Lucan.* 1. 181. — In sæcula, *pei secoli*, apud *Lucan.* 5. 621. et 8. 608. — In perpetuum, *per sempre*, apud *Cic.* 2. *Verr.* 30. 77., 4. *Fam.* 4. et alibi. ¶ 2. Præpositio *in* ad alias quoque significandas rationes transfertur: et quidem — 1.°) Sæpissime notat causam finalem. — *a*) Generatim. *Cato R. R.* 13. In cellam oleariam hæc opus sunt. Sic *Id. ibid.* In torcularium in usu quod opus est. *Plaut. Truc.* 4. 2. 27. Dedi ei minam in opsonatum. *Id. Most.* 3. 1. 7. Qui dedit pecuniam fenori, quo amica est empta, quoque opus in sumptus fuit. *Ter. Adelph.* 3. 3. 10. Dedit præterea in sumptum dimidium minæ. *Cic.* 5. *Verr.* 33. 76. Hæc civitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines. *Id.* 4. *ibid.* 55. 137. Denarium XXXIX. millia palam salvis legibus contulerunt in statuam. *Id. Rabir. Post.* 12. 31. Nullam pecuniam Gabinio, nisi in rem militarem, datam. *Id. Flacc.* 14. 33. At enim negas fratrem meum — pecuniam ullam in remiges imperasse. *Liv.* 28. 28. Rhegium quondam in præsidium missa legio. Adde *Tac.* 4. *Hist.* 35. *Virg.* 7. *Æn.* 664. Pila manu sævosque gerunt in bella dolones. *Petron. Satyr.* 89. scissaque in molem cadunt robora. *h. e.* cæsa cadunt robora, ut equus ligneus fiat. Sic *Lucan.* 1. 306. In classem cadit omne nemus. *Vellej.* 2. 41. 2. Qui denique semper et somno et cibo in vitam, non in voluptatem uteretur. *Plaut. Aulul.* 2. 6. 2. Hos ut accipias coquos tibicinamque obsoniumque in nuptias. *per le nozze.* *Id. Trin.* 3. 2. 65. Me meam germanam sororem in concubinatum tibi sic sine dote dedidisse, magis quam in matrimonium. *Cæs.* 1. *B. G.* 9. Quod ex ea civitate Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat. *Ter. Andr.* 5. 1. 9. Perpulisti me, ut homini adolescentulo filiam darem in seditionem atque in incertas nuptias. *Cic. Cluent.* 66. 188. In familiæ luctum atque in privignorum funus nupsit. *Liv.* 26. 18. Ut nemo audeat in Hispaniam imperium accipere. Sic *Sueton. Cæs.* 8. Conscriptas in Ciliciam legiones. *h. e.* ut in Ciliciam ducerentur. Similiter *Cic.* 16. *Att.* 1. *ad fin.* Hæc scripsi in eam partem, ne me motum putares. *io scrissi questo affinchè non mi reputassi* etc. et *Vellej.* 2. 41. In hoc scilicet, ne suspectus his foret. *a fine di non rendersi sospetto.* et *Seneca* 7. *Benef.* 23. In hoc omnis hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio veniat. — *b*) Speciatim in distributionibus et divisionibus sæpe usum habet. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 30. Dividere argenti dixit nummos in viros. *Cato R. R.* 57. Hoc amplius in Saturnalibus et Compitalibus in singulos homines congios. *Liv.* 34. 50. Quum quingenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, statuissent. *Id.* 2. 33. *extr.* Sextantibus collatis in capita. *Virg.* 5. *Æn.* 61. Bina boum vobis Troja generatus Acestes Dat numero capita in naves. *Cic.* 4. *Verr.* 53. 133. Describebat censores binos in singulas civitates Timarchides. *Id.* 6. *ibid.* 26. 58. Ut in singula conclavia — tricenos lectos optime stratos — quæreret. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 10. 30. C. Verrem ab aratoribus pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisse. *Cæs.* 1. *B. C.* 52. Jamque ad denarios in singulos modios annona pervenerat. *Cic. Partit. orat.* 9. 33. Quæ quidem in confirmationem et reprehensionem dividuntur. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Gallia omnis divisa est in partes tres. *Cic.* 2. *de republ.* 22. Reliquum populum distribuit in quinque classes. *Id.* 1. *Legg.* 10. 29. Itaque quæcumque est hominis definitio, una in omnes valet. — *c*) Item speciatim præpositio *in* cum Accusativo in certis occurrit formulis, in quibus potius cum Ablativo usurpanda esse nobis videretur: hæ autem sunt: — *In hanc rem*, ut apud *Cic. Quinct.* 11. 37. In hanc rem te, te, inquam, testem, Nævi, citabo. *Alii perperam leg.* in hac re. *Id.* 4. *Verr.* 59. 116. Primum igitur in hanc rem testem totam Siciliam citabo. *Id. Cæcin.* 9. 23. Nam in eas ipsas res testimonia sumpsit, et eis in causa testimoniis utitur. *Id. Rosc. com.* 4. 12. Quis in hanc rem fit arbiter? Confer *eumd. Cluent.* 38. 105. Similiter *Liv.* 10. 25. In utramque auctores sunt. — *In has leges, in has conditiones, in hæc, in id* et similia, ut apud *Plaut. Asin.* 1. 3. 81. Habeo, unde istuc tibi quod poscis dem, sed in leges meas dabo. *h. e.* secundum leges meas. *Ter. Heaut.* 5. 2. 44. Nam quam adolescens maxime spe situs erit, tam facillime patris pacem in leges conficiet suas. *Liv.* 33. 30. Quorum ex consilio pax data Philippo in has leges est. *Id.* 34. 35. Conditiones, in quas cum tyranno pax fieret, has conscripsit. *Id.* 32. 21. Fide in hæc data. *Id.* 29. 17. In id modo fide ab rege accepta. Similiter *Tac. Germ.* 18. In hæc munera uxor accipitur. — *In hæc verba, in hanc formulam* et sæpius *in hanc sententiam*, h. e. juxta, secundum hæc verba etc. præcipue in jure usurpantur. *Cic. Quinct.* 20. 63. Judicium quin acciperet in ea ipsa verba, quæ Nævius edebat, non recusasse. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 14. jurare in verba magistri. Rursus *Cic. Rosc. Am.* 5. 15. Perinde ac si in hanc formulam omnia judicia legitima sint. *Id.* 1. *Fam.* 9. 9. Hoc senatusconsulto in meam sententiam facto. Sic *Id.* 9. *ibid.* 15. 4. Quod senatusconsultum in meam sententiam factum esse dicatur. (Confer ea, quæ ad senatores pertinent alicujus sententiæ suffragantes aut refragantes. *Cic.* 1. *Fam.* 2. Perspiciebant in Hortensii sententiam multis partibus plures ituros. *Id.* 14. *Phil.* 7. 21. Has in sententias meas si consules discessionem facere voluissent.). Et universim *Cic.* 2. *Fam.* 4. In hanc sententiam scriberem plura, nisi etc. *Cæs.* 1. *B. C.* 1. In eamdem sententiam loquitur Scipio. Sic *Cic.* 2. *Att.* 22. Hæc et in eam sententiam quum multa dixisset. *Id.* 2. *Divinat.* 10. 25. Huc idem significat Græcus illa in eam sententiam versus. *Id.* 4. *Herenn.* 53. 67. Quum verbum potest in duas pluresve sententias accipi. — *d*) Huc denique pertinent plures formulæ adverbiorum more usurpatæ, quarum præcipuæ sunt hæ. — *In partem utramque, in omnes partes* etc., ut apud *Cic.* 3. *Fin.* 4. 12. Qui omnia sic exæquaverunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla selectione uterentur. Sic *Id.* 3. *Off.* 23. 89. In utramque partem disputat. *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 10. *extr.* Te rogo, me tibi in omnes partes defendendum putes. Sic *Cic.* 2. *Off.* 13. 46. Facillime et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros contulerunt. *Id.* 11. *Att.* 7. 8. Bonam in partem accipere aliquid. *Id.* 13. *Fam.* 1. nullam in partem. Cf. *Colum.* 12. *R. R.* 24. 1. In partem dimidiam decoquere aquam. — *In universum, in totum, in plenum*, ut apud *Liv.* 9. 26. Non nominatim, qui Capuæ, sed in universum qui usquam coissent conjurassentve adversus rempublicam, quæri senatum jussisse. *Tac. Germ.* 5. Terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus fœda. Adde *eumd. ibid.* 6.; et *Colum.* 3. *R. R.* 12. 6. et alibi. *Cels.* 1. 3. Æstate in totum, si fieri potest, venere abstinendum est. Sic *Colum.* 2. *R. R.* 1. 2. Si in totum nullæ fruges provenirent. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 79. (217). In plenum dici potest, ubique quæ odore præcellant, ea æternitate præstare. — *In majus, in melius, in pejus* et similia. *Sall. Jug.* 73. Marii virtutem in majus celebrare. *Cels.* 2. 2. Aliter se corpus habere atque consuevit, neque in pejus tantum, sed etiam in melius. Sic *Tac.* 11. *Ann.* 43. in deterius. *Id. ibid.* 39. in mollius. *Seneca* 2. *Ira* 11. Quid enim est iracundia in supervacuum tumultuante frigidius? *Tac.* 6. *Ann.* 42. Civitas septa muris, neque in barbarum corrupta. *Id.* 5. *Hist.* 2. Aucto in barbarum cognomento. *Liv.* 43. 12. Priusquam id sors cerneret, in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in utramque provinciam

decerni. — *In tantum, in quantum*, ut apud *Virg.* 6. *Æn.* 876. Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos In tantum spe tollet avos. Sic *Liv.* 22. 27. In tantum suam felicitatem virtutemque enituisse. Adde *Senec.* 3. *Quæst. nat.* 24. Similiter *Vellej.* 2. 43. 4. Viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest. *Ovid.* 11. *Met.* 71. Quippe pedum digitos, in quantum quæque secuta est, Traxit. — *In omnia*, ut apud *Vellej.* 2. 13. Meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna usus. Sic *Quintil.* 11. 3. 25. Ut simul in omnia paremur. — *In rem est aliquid* idem significat atque usui vel utilitati est. *Liv.* 26. 44. Hortatur, imperat, quæ in rem sunt. Adde *Plaut. Aulul.* 2. 1. 10. et *Pers.* 3. 1. 14.; et *Ter. Andr.* 3. 3. 14., *Phorm.* 1. 3. 9.; et *Hecyr.* 2. 2. 7. — 2.°) Præpositio *in* cum Accus. usurpatur etiam ad modum vel speciem significandam, qua quis aut quid se habet vel fit. *Plaut. Trin.* 3. 3. 39. Is homo exornetur graphice in peregrinum modum. *Cic.* 2. *Verr.* 5. 13. Cives Romani servilem in modum cruciati et necati. *Id. Prov. cons.* 3. 5. Miserandum in modum milites populi Romani capti, necati sunt. *Sall. Cat.* 12. Domus et villæ in orbium modum ædificatæ. *Liv.* 5. 15. Senior quidam Vejens vaticinantis in modum cecinit. *Virg.* 4. *G.* 82. haud unum in faciem nascuntur olivæ. Adde *Tac.* 5. *Hist.* 23. Sic *Colum.* 9. *R. R.* 9. 7. Animadvertito, an totum examen (apum) in speciem unius uvæ dependeat. *Sueton. Cal.* 19. in formam. *Id. Aug.* 45. puerilem in habitum. *Id. Claud.* 20. in exemplum Alexandrini phari. — Huc pertinent et illa *Virg.* 11. *Æn.* 771. quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat. *h. e.* in formam plumæ, ad instar plumæ. et 6. *ibid.* 42. Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum. *V.* alia supra sub *B.* — 3.°) Postremo *in* pro *erga* (Ital. *verso*) in bonam partem et pro *contra* (Ital. *contro*) in malam partem ponitur cum Accusativo personæ aut rei ad significandum, quo animorum nostrorum motus, cogitationes atque actiones tendant. — *a*) In bonam partem pro erga. *Plaut. Most.* 1. 3. 82. Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 22. Quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui. *Cic. Amic.* 16. 57. Quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. *Id. Planc.* 33. 80. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? *Id.* 11. *Fam.* 17. Magna ejus in me non dico officia, sed merita. *Id.* 1. *Orat.* 44. 196. Quo amore tandem inflammati esse debemus in ejusmodi patriam? *Cæs.* 2. *B. G.* 14. Patere Æduos, ut sua clementia ac mansuetudine in eos utatur. *Id.* 1. *ibid.* 6. Quod nondum bono animo in populum Romanum viderentur. *Virg.* 1. *Æn.* 106. regina quietum Accipit in Teucros animum. — *b*) In malam partem pro contra. *Plaut. Truc.* 1. 2. 56. Quæ in nos illosque, ea omnia tibi dicis. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 1. Quam iniqui sunt patres in omnes adolescentes judices. *Cic.* 1. *Tusc.* 34. 84. Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est. *Id. Brut.* 44. 164. Illa in legem Cæpionis oratio. *Id.* 3. *Nat. D.* 34. 84. Ita ad impietatem in deos in homines adjunxit injuriam. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. Omnium temporum injurias inimicorum in se commemorat. *Sall. Cat.* 9. Qui contra imperium in hostem pugnaverat. *Liv.* 7. 40. Ergo vos prius in me strinxeritis ferrum, quam ego in vos? *Ovid. Nuc.* 174. Et stringi cultros in sua colla videt.

In compositione *in* ante *b*, *m*, *p* mutat *n* in *m*, ut *imbibo*, *immitto*, *impono*: ante *l* et *r* in easdem vertit, ut *illigo*, *irretio*: ante *gn* amittit, ut *ignarus*: ante alias consonantes integram servat. Sunt qui ante omnes integram servari volunt, ex veterib. MSS. et lapidib., ut est apud *Noris.* in *Cenotaph. Pisan. dissert.* 4. c. 6., *Pier.* ad *Virg.* 8. *Æn.* 3. et *Cellar.* in *Orthogr.*; itaque scribunt *inmitto*, *inpono*, *inligo*, *inrito*. Sunt etiam qui ante omnes integram necessario servandam esse ajunt, quum *in* est adverbium inseparabile (*V.* mox infra sub 2.°). Nos in hoc opere utramque scribendi rationem semper posuimus. — De forma *indu* in compositione *V.* INDU. — Quod vero ad significationem attinet, *in* aut est præpositio loquelaris, aut est adverbium inseparabile. — 1.°) Quum est *præpositio loquelaris*, *in* eamdem multiplicem vim habet, qua pollet separatim cum substantivis usurpata, et ratione etiam habita verbi, quocum jungitur, quietem aut motum significantis: hinc modo significat intus, ut *inædifico*, *inambulo*; modo supra, ut *immineo*; modo intra, ut *ingredior*; modo contra, ut *impello*, *insulto*: interdum etiam intendit augetque, ut *increpo*, *insono*, *infractus*. Quod vero ad pronunciandi rationem spectat, videtur præpositio *in*, quemadmodum et *con*, longior efferri solita; ut vocabula *immutatus*, *indictus* et similia, quæ duo prorsus diversa significant, ipsa quoque pronunciandi ratione distinguerentur. — 2.°) Quum est adverbium inseparabile, *in* Græcis particulis ἀν vel ἀ respondet, et negat privatque, ut docet *Cic. Topic.* 11. 48. Præpositio *in* privat verbum ea vi, quam haberet, si *in* præpositum non fuisset, ut *dignitas indignitas*, *humanitas inhumanitas*. Idem valet de aliis: *doctus indoctus*, *sapiens insipiens*, *sanus insanus*, *aptus ineptus* etc. Hoc autem sensu brevior efferebatur, ut paullo supra sub 1. in fin. dictum est.

ĬNA, æ, f. 1. vena, seu pars chartæ tenuissima. *Paul. Diac.* p. 81. 4. *Müll.* Exilis et illa a tenuitate inarum, quas Græci in chartis ita appellant, videotur esse dicta. *Id.* p. 104. 14. Ilia dicta ab ina, quæ pars chartæ est tenuissima. *Marcell. Empir.* 31. Ad ulcera in ano facta chartæ combustæ, seu inarum ejus drachma i. etc. Affert *Voss.* in *Etymol.* v. *Inane* exempla ex *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 25. (81). et ex *Varron.* 3. *R. R.* 9. 11. Ibi tamen in optimis codicibus *tænia* legitur apud *Plin.*, et *vena* apud *Varron. V.* tamen *Scalig.* et *Schneider.* in *loc. Varron. cit.* Est autem *ina* ab ἴς, ἰνός, vena; cujusmodi sunt in chartis, et in ovorum vitellis, in quibus fecunditatis vis inesse putatur.

ĬNABRUPTUS, a, um, adject. (in *privat.* et abruptus) non abruptus, *non rotto*, ἄῤῥηκτος. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 43. Nec mirum, si vos collato pectore mistos Junxit inabrupta concordia longa catena.

ĬNABSCONDĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et abscondo) qui abscondi non potest. *Gloss. Philox.* Inabscondibile, ἄκρυπτον.

ĬNABSCONDĬTUS, a, um, adject. (in *privat.* et absconditus) non absconditus. *Gloss. Cyrill.* Ἄκρυπτον, incelatum, inabsconditum.

ĬNABSŎLŪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et absolutus) non absolutus, imperfectus, *non finito*. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Quas ἰδέας idem vocat, inabsolutas, informes.

ĬNABSTĬNENTĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et abstinentia) frequentia. *Ennod.* 4. *Ep.* 12. Ubi fuit inabstinentia tabellarum non circa omnes in Liguria custodita.

ĬNABSTRACTUS, a, um, adject. (in *negat.* et abstractus) qui abstrahi, vel separari nequit. *Boeth. de Trinit.* 1. p. 1121. Nam quum tres sint speculativæ partes, naturalis, in motu, inabstracta, ἀχώριστος, id est inseparabilis etc.

ĬNACCENSUS, a, um, adject. (in *privat.* et accensus) non accensus. *Sil. It.* 1. 96. inaccensi flagrant altaribus ignes. *h. e.* non ab aliquo accensi, sed sponte ardentes. Figurate *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 225. Pectus inaccensum Veneri. Utrumque ita restituit *Heins.* ex veterib. libris. Nam priore loco alii leg. *in accensis*; posteriore *inaccessum*.

ĬNACCESSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et accessibilis) inaccessus, *inaccessibile*, ἀπρόσιτος. *Mamertin. Genethl. Maximian.* 9. Tanta felicitate illa, (*loca*) quæ tunc aliis forent inaccessibilia, superastis. Adde *Tertull. advers. Prax.* 15. ex 1. *Timoth.* 6. 16.

ĬNACCESSUS, a, um, adject. (in *privat.* et accessus) quo non acceditur, vel accedi non potest, *inaccessibile, dove non si può andare*, ἀνεπίβατος, ἄβατος.

I.) Proprie. *Virg.* 7. *Æn.* 11. Dives inaccessos ubi Solis filia lucos Assiduo resonat cantu. *h. e.* ad quos nemo debet accedere. *V.* ILLAUDATUS. *Seneca Herc. Fur.* 606. Loca inaccessa omnibus. *Sil. It.* 3. 516. Rumpit inaccessos aditus. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 30. (52). Mare scopulis inaccessum. *Id.* 6. *ibid.* 28. 32. (144). Oppidum circumdatum montibus inaccessis. *Tac.* 4. *Hist.* 50.; et *Prudent. Apotheos.* 535. Inaccessa mapalia. *Flor.* 4. 12. 27. saltus. *Plin. Paneg.* 49. arx. *Ammian.* 27. 5. montes. *Firmic.* 3. *Mathes.* 15. n. 1. Facient inaccessorum locorum præpositos judices. *Ammian.* 23. 6. *med.* nationes. *Pacat. Paneg. Constant.* 22. gentes.

II.) Translate. *Macrob.* 5. *Saturn.* 17. *ante med.* Pindarus, quem Flaccus (4. *Od.* 2. 1.) imitationi inaccessum fatetur. *Apul.* 4. *Met.* Inaccessa formositas.

ĬNACCRESCO, is, ere, n. 3. (in et accresco) accrescere, crescere. *Tertull. advers. Gnost.* 1. *a med.* Nausea nominis inaccrescit. *Al. leg.* inacrescit, *h. e.* inacescit.

ĬNACCŪSĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et accusabilis) qui accusabilis non est. *Gloss. Philox.* Inaccusabilis, ἀνέγκλητος. Sic *Gloss. Cyrill.* Ἀκατηγόρητος, inaccusabilis.

ĬNACCŪSĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et accusatus) non accusatus, *non accusato*. *Tertull. Apolog.* 49. Inaccusati et impuniti.

ĬNĂCERBO, as, are, a. 1. (in et acerbus) exacerbare, *esacerbare*. *Gloss. Philox.* Inacerbo, δυσωποῶ. Sic *Gloss. Cyrill.* Δυσωποῶ, acerbo, inacerbo.

ĬNĂCESCO, ăcescis, ăcui, ăcescere, n. 3. (in et acesco). Scribitur et *inacisco* (quo modo *conticisco*, *delitisco* et similia) apud *Gargil. Mart. de pom.* edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 421., ut legitur etiam *acisco*, quod vide suo loco. — Ceterum inacescere est idem quod acescere, *inacetire*, *inforzare*, ἐξοξύνομαι.

I.) Proprie. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 36. (135). Acido lacte addito in recens, quod velis inacescere. *Scribon. Compos.* 104. Quibus frequenter inacescit cibus. Adde *Theod. Priscian.* 2. 29.

II.) Translate. *Ovid. Remed. am.* 307. Hæc tibi per totos inacescant omnia sensus: Hæc refer: hinc odii semina quære tui. *h. e.* acria fiant, pungant, displiceant. Sic *Plaut. Bacch.* 5. 1. 13. Hoc, hoc est, quod peracescit: hoc est demum, quod percrucior. Alii apud *Ovid.* leg. *marcescant*, sed minus recte. *Apul.* 5. *Met.* Si tibi etiam, ut par est, inacuit nostra contumelia.

ĬNĂCISCO. *V.* voc. præced. init.

ĬNĂCRESCO. *V.* INACCRESCO.

ĬNACTŬŌSUS, a, um, adject. (in *privat.* et actuosus) segnis, deses. *Augustin.* 4. *Civ. D.* 16. Faceret hominem, ut ait Pomponius, marcidum, id est nimis desidiosum et inactuosum. Adde *Servium* ad *Virg.* 3. *Æn.* 587.

ĬNACTUS, a, um. *V.* INIGO.

ĬNADCENSUS, INADCESSIBILIS et similia. *V.* INACCENSUS, INACCESSIBILIS, etc.

ĬNADFECTĀTUS. *V.* INAFFECTATUS.

ĬNĀDĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et adire) qui adiri non potest, inaccessus, *inaccessibile*. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Is lacus solo palustri voraginosus, et vestigio inspectoris inadibilis est. *V.* ADIBILIS.

ĬNADPĂRĀTĬO, et similia. *V.* INAPPARATIO, etc.

ĬNADSIGNĀTUS, INADSUETUS, et similia. *V.* INASSIGNATUS, INASSUETUS, etc.

ĬNADTĔNŬĀTUS, et similia. *V.* INATTENUATUS ect.

ĬNĀDŪLĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et adulabilis) non adulabilis, non obnoxius adulationi, *non soggetto alle adulazioni*, ἀκολάκευτος. *Gell.* 14. 4. Judicem oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem.

ĬNĀDUSTUS, a, um, adject. (in *privat.* et adustus) non adustus. *Ovid. Heroid.* 12. 93. Jungis et æripedes, inadusto corpore, tauros. *Prudent. Apotheos.* 131. Inadustis fratribus. *h. e.* tribus pueris in fornace Babylonis.

ĬNÆDĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (in et ædificatio) ædificatio. Jlocaliter *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 54. Ecce autem ædificat: columnam mento suffulsit suo. Apage: non placet profecto mihi illa inædificatio.

ĬNÆDĬFĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĬNÆDĬFĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et ædifico). Part. *Inædificatus* in omnibus paragr. — Inædificare est in aliquo loco ædificare, *fabbricare in qualche luogo, dentro qualche luogo*.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est, ut diximus, in aliquo loco ædificare. *Cic. Harusp. resp.* 14. 31. In domo tua ita est inædificatum sacellum, ut alius fecerit, tibi tantummodo sit demoliendum. *Cæs.* 2. *B. C.* 16. Quum pæne inædificata in muris ab exercitu nostro mœnia viderentur. *Auct. B. G.* 8. 9. Castra imperat vallo muniri, coronisque loricularum pro ratione ejus altitudinis inædificari. Adde *eumd. ibid.* 5. *Liv.* 39. 44. Et quæ in loca publica inædificata immolitare privati habebant, intra dies triginta demoliti sunt. Adde *Colum.* 6. *R. R.* 37. 10. Similiter *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 4. (12). Quinto

aquilarum generi inædificatur nido lapis aetites. *h. e.* inseritur, immittitur. *Al. leg.* innidificatur. *Pompon. Dig.* 41. 1. 30. *extr.* Inædificare supra pilas. Ita *Torrentin.*; alii *ædificare.* ¶ 2. Latiori sensu, vel translate, ut aliis placet, est ædificando obstruere. *Cic. Harusp. resp.* 15. 32. A Sex. Serrano sanctissima sacella suffossa, incensa, inædificata, oppressa, summa denique turpitudine esse fœdata nescimus? *Liv.* 44. 45. Nec clausæ modo portæ, sed etiam inædificatæ erant. *murate. Cæs.* 1. *B. C.* 27. Portas obstruit, vicos plateasque inædificat, fossas transversas viis præducit. (Aliis verbis eadem narrat *Frontin.* 1. *Strateg.* 5. 5.). ¶ 3. Item est ædificando occupare. *Scævola Dig.* 13. 7. 43. Inædificare locum aliquem.

II.) Translate, metaphora sumpta a superiori paragr. 1. *Lucret.* 6. 264. Multa nubila multis inædificata. *h. e.* alia super alia exstructa. *nuvole ammontate. Seneca Consol. ad Marc.* 2. Adolescens patiens laboris: quantumcumque imponere avunculus, et, ut ita dicam, inædificare voluisset, laturus.

ĬNÆQUABĪLIS, e, adject. (in *privat. et* æquabilis) inæqualis, *disuguale, ἀνισος. Varro* 1. *R. R.* 6. 6. Campester locus inæquabilis. Sic *Liv.* 35. 28. Inæquabile solum. Rursus *Varro* 2. *R. R.* 4. 22. Inæquabiles greges. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 51. 52. (171). Venarum inæquabili, aut formicante percussu. *Cic. Partit. orat.* 4. 12. Hæc inæquabili varietate distinguimus.

ĬNÆQUĀBĪLĬTAS, ātis, f. 3. (inæquabilis) inæqualitas, *disuguaglianza. Arnob.* 2. 55. Inæquabilitas elementorum.

ĬNÆQUĀBĪLĬTER, adverb. (inæquabilis) inæqualiter, *inegualmente. Varro* 3. *R. R.* 9. 8. Ova inæquabiliter maturescunt. *Sueton. Galb.* 9. Varie et inæqualiter provinciam rexit. *Id. Claud.* 16. Inæquabiliter censuram gessit.

ĬNÆQUĀLIS, e, adject. (in *privat.* et æqualis). Comp. *Inæqualior* et Sup. *Inæqualissimus.* — Inæqualis est non æqualis, dispar, *ἀνώμαλος* (It. *disuguale, ineguale;* Fr. *qui n'est pas niveau, inégal;* Hisp. *desigual;* Germ. *uneben, ungleich, unähnlich;* Angl. *unequal, uneven, odd, unlike*). Occurrit — *a)* De locis. *Tac. Agric.* 36. Loca inæqualia. Cf. *Quintil.* 8. 5. 29. Inæqualia et confragosa. *Martial.* 1. 56. Pinguis inæquales onerat cui villica mensas. — *b)* De rerum magnitudine, caloris gradu et similibus. *Ovid.* 5. *Met.* 408. inæquales portus. *di differente ampiezza o grandezza. Quintil.* 1. 10. 41. Triangula inæqualibus lateribus. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 68. Siccat inæquales calices conviva solutus Legibus insanis. *h. e.* modo plenos, modo dimidios, ut libet. Alii interpretantur, modum excedentes et numerum. *Ovid.* 1. *Met.* 117. Inæquales auctumni. *h. e.* varii, ac modo sereni, modo pluvii: modo frigidi, modo calidi. *Id. Heroid.* 4. 29. Quam male inæquales veniant ad aratra juvenci. *h. e.* qui non æquis sunt viribus. *Horat.* 2. *Od.* 9. 2. mare Caspium Vexant inæquales procellæ. *h. e.* quæ æquor inæquale et asperum faciunt, ait *Forcellinus;* at *Ritterus:* Inæquales procellæ potissimum timentur a nautis, nam dum intermittunt, quasi vires colligere videntur, ut novo impetu proruant. *Id.* 2. *Sat.* 7. 10. Vixit inæqualis, clavum ut mutaret in horas. *h. e.* varius, inconstans, mutabilis. *Seneca Vit. beat.* 12. Illi ipsi stulti et inæquales et sub ictu pœnitentiæ positi etc. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 94. Inæqualis tonsor. *h. e.* qui inæqualiter tondet. — Comp. et Sup. *Plin.* 8. *Ep.* 5. Nihil est ipsa æqualitate inæqualius. *Sueton. Aug.* 75. Inæqualissimarum rerum sortes. *disparatissime.*

ĬNÆQUĀLĬTAS, ātis, f. 3. (inæqualis) disparilitas, *disuguaglianza, inegualità, ἀνισότης.* ¶ 1. Generatim. *Varro* 8. *L. L.* 28. *Müll.* Quum dissimillima sit virilis toga tunicæ muliebri, tamen inæqualitatem hanc sequimur. *Quintil.* 11. 3. 79. Inæqualitate dissident supercilia. *Id.* 12. 9. 17. Inæqualitas coloris. *Id.* 11. 3. 43. Ne inæqualitate harum omnium (*spatiorum, sonorum* etc.) sermo claudicet. — In plur. num. *Colum.* 3. *R. R.* 12. 3. Opus est inter has inæqualitates magno temperamento. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 70. 70. (177). Inæqualitates temporum. ¶ 2. Speciatim in re grammatica apud *Varron.* 9. *L. L.* 3. *Müll.* est anomalia. Sic *Gell.* 2. 25. Ἀνωμαλία est inæqualitas declinationum, consuetudinem sequens.

ĬNÆQUĀLĬTER, adverb. (inæqualis) cum inæqualitate, *inegualmente, ἀνίσως. Tac.* 2. *Ann.* 16. Is (*campus*) medius inter Visurgim et colles, ut ripæ fluminis cedunt, aut prominentia montium resistunt, inæqualiter sinuatur. *Seneca Ep.* 28. Sicut in navi onera immota minus urgent: inæqualiter convoluta, citius eam partem, in quam incubuere, demergunt. *Colum. Arbor.* 7. *a med.* Sicubi inæqualiter fundi videbitur. *Cels.* 2. 6. Brachia inæqualiter dispergere. *Liv.* 37. 53. Inæqualiter alios deprimere, alios extollere.

ĬNÆQUĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* æquatus) non æquatus, inæqualis. *Tibull.* 4. 1. 43. Qualis (*libra*) inæquatum si quando onus urget utrimque, Instabilis natat alterno depressior orbe.

ĬNÆQUĪMŎDUS, a, um, adject. (in *intent. et* æquimodus) qui æqui est modi. *Boeth.* loc. cit. in ÆQUIMODE.

ĬNÆQUO, as, are, a. 1. (in *et* æquare) adæquare, complanare, planum et æquum facere. *Cæs.* 1. *B. C.* 27. Hæc (*scil.* sudes stipitesque) levibus cratibus terraque inæquat.

ĬNÆSTĬMĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et æstimabilis) dicitur et est ¶ 1. Generatim id de quo judicium fieri non potest. *Liv.* 31. 34. Nihil tam incertum, nec tam inæstimabile est, quam animi multitudinis. ¶ 2. Speciatim est pretium omne excedens, *inestimabile. Liv.* 35. 14. *extr.* Perplexum Punico astu responsum et improvisum assentationis genus Scipionem movisse, quod a grege se imperatorum, velut inæstimabilem, secrevisset. Juxta *Forcellinum* hic *Livii* locus utramque significationem, hanc scilicet et posteriorem, habere potest. *Id.* 29. 32. Id vero inæstimabile gaudium fore. Adde *eumd.* 28. 32. *Val. Max.* 4. 8. n. 1. Accedit pretio rei inæstimabilis monumentum occasionis. *Ammian.* 22. 16. Inæstimabilis bibliotheca. — Et de numero *Ammian.* 16. 12. Inæstimabiles acervi mortuorum. *Id.* 29. 5. turmæ. ¶ 3. Item speciatim qui æstimari non potest, quia nullius est pretii, *di niun prezzo, di niun conto, ἀτίμητος. Cic.* 3. *Fin.* 6. 20. Æstimabile appellamus id, quod aut ipsum secundum naturam sit, aut tale quid efficiat, ut selectione dignum propterea sit: contraque inæstimabile, quod sit superiori contrarium.

ĬNÆSTĪMĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et æstimatus) non æstimatus, *non istimato. Ulp. Dig.* 25. 3. 10. Si pretiis inæstimatis aliquid accesserit. *Tryphonin. ibid.* 75. Si in dotem fundum inæstimatum dedit.

ĬNÆSTŬO, as, are, n. 1. (in et æstuo). Part. *Inæstuans* II. — Inæstuare est in aliqua re æstuare.

I.) Proprie. *Boeth.* 1. *metr.* 6. Quum Phœbi radiis grave Cancri sidus inæstuat.

II.) Translate. *Horat. Epod.* 11. 15. Si meis inæstuet præcordiis Libera bilis. *s'accenda e bolla.* Sic *Prudent. advers. Symmach. præfat.* 1. 53. Sed dum forte latens impietas riget, Dextram justitiæ pigra momorderat Succensi stomacho fellis inæstuans.

ĬNAFFECTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et affectatus) non affectatus, *non affettato. Quintil.* 8. 3. 87. Ἀφέλεια simplex et inaffectata. *Id.* 9. 4. 17. Simplex et inaffectatus color. *Id.* 11. 1. 93. Quia simplicitas illa et securitas inaffectatæ orationis mire tenues causas decet. *Id.* 10. 1. 82. Inaffectata jucunditas. *Plin. Paneg.* 67. veritas verborum. *Apul.* 15. *Met.* gesticulatio. *Id.* 2. *ibid.* capillitium. Adde *Tertull. Pall.* 4.

ĬNAGGĔRĀTUS, a, um, adject. (in et aggero) in aliquo loco aggeratus. *Sidon.* 3. *Ep.* 12. *in carm.* Ne fors tempore postumo, viator, Ignorans reverentiam sepulti Tellurem tereres inaggeratam.

ĬNĂGĬTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* agitabilis) qui agitari non potest. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 5. An existimas, aerem inertem, inagitabilem relictum esse?

ĬNĂGĬTĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* agitatus) non agitatus, *non agitato.*

I.) Proprie. *Seneca Suasor.* 1. Inagitata remigio vastitas. *h. e.* mare nullis remis pulsatum. *Id.* 3. *Quæst. Nat.* 12. 4. Nec potuerit imbres inagitata (*tellus*) transmittere.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 75. *ad fin.* Inagitati terroribus, incorrupti voluptatibus, nec mortem horrebimus, nec deos.

ĬNALBĔO, es, ere, n. 2. (in *et* albeo) albus fio, *imbianchirsi. Apul.* 7. *Met. init.* Ut primum tenebris abjectis dies inalbebat. Sunt qui leg. *inalbabat,* et putant esse sumptum ex *Annali* 6. *Ennii;* sed perperam, nam etiam *albeo, es* neutrum est, et *albo, as* activum.

ĬNALBESCO, is, ere, n. inchoat. 3. (in *et* albesco) albus fieri incipio. *Cels.* 2. 7. *sub fin.* Venæ sub lingua inalbescunt.

ĬNALBO, as, are, a. 1. (in *et* albo) album facere, *imbiancare.* — *a)* Absolute. *Ennius* apud *Achill. Stat.* ad *Catull.* 64. 40. Ut primum tenebris abjectis inalbabat — dies. Cl. *Vahlen.* leg. *indalbabat. V.* INALBEO. — *b)* Cum Accusativo. *Apul.* 10. *Met.* Cerei nocturnas tenebras inalbabant. *Id.* 9. *ibid.* Viminea caves laciniis circumdatas, suffusa candido fumo sulfuris, inalbabat.

ĬNALESCO, is, ere, n. 3. una crescere. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 110.

ĬNALGESCO, is, ere, n. inchoat. 3. (in *et* algesco) algere incipio, *divenir freddo. Cels.* 3. 3. Ubi extremæ partes membrorum inalgescunt.

ĬNĂLĬĒNĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* alienatus) non alienatus, incorruptus. *Scribon. Compos.* 214. Adjicitur propolis inalienatæ, sinceræ, bonæ selibra.

ĬNALPĪNI, ōrum, m. 2. *V.* voc. seq. in fin.

ĬNALPĪNUS, a, um, adject. (in et alpinus) qui est in Alpibus, *alpino. Sueton. Aug.* 21. Domuit Vindelicos ac Salassos, gentes inalpinas. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 7. (47). Inalpini populi. — Hinc

Inalpini, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt populi inalpini. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 4.; et *Plin.* 3. *Hist. nat.* 4. 5. (37).

ĬNALTĀTUS, a, um. *V.* INALTO.

ĬNALTĔRO, as, āvi, are, a. 1. (in *et* altero). *Tertull. Virg. vel.* 4. Quas non divisit, tacendo inalteravit. *h. e.* alteram in altera complexus est.

ĬNALTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et altus). Part. *Inaltatus.* — Inaltare est exaltare, extollere. *Apul. Trismeg.* Inaltata est cava mundi rotunditas in modum sphæræ. *Vulgat. interpr. Eccli.* 20. 30. Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum. *et ibid.* 22. 30. Ante ignem camini vapor et fumus ignis inaltatur. Sic figurate *Paulin. Nol. carm.* 21. 738. Quia qui superbos deprimit, Humiles inaltat.

ĬNĀMĀBĬLĔ, adverb. *V.* voc. seq. in fin.

ĬNĀMĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* amabilis). Comp. *Inamabilior.* — Inamabilis est non amabilis, atque adeo odio dignus, invisus (*V.* ILLAUDATUS), *disamabile, odioso, ἀνέραστος. Plaut. Bacch.* 4. 3. 3. Incredibilis, imposque animi, inamabilis, illepidus vivo. *Plin.* 9. *Ep.* 10. Genus operis inamabile, inamœnum, magisque laboribus ruris, quam voluptatibus simile. *Virg.* 6. *Æn.* 438. tristique palus inamabilis unda. Sic *Ovid.* 14. *Met.* 590. Inamabile regnum. *scil.* Inferorum. *Id.* 5. *Trist.* 7. 43. locus inamabilis. *Id.* 1. *Pont.* 6. 5. Non cadit in mores feritas inamabilis istos. *Seneca* 3. *Controv.* 20. *a med.* Nihil est inamabilius, quam diligens stultitia. — Hinc neutrum

Inamabile, adverbiorum more occurrit apud *Ovid.* 3. *Art. am.* 289. Illa sonat raucum quiddamque inamabile stridet.

ĬNĀMĀRESCO, is, ere, n. inchoat. 3. (in et amaresco) idem atque amaresco. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 107. Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ. *h. e.* cruditate acescunt. *Alii minus recte leg.* immarcescunt.

ĬNĀMĀRĪCO, as, are, a. 1. (in et amarico) valde amaricare, *amareggiare.* Translate *Augustin. in Psalm.* 5. n. 15. Ipi enim inamaricaverunt Deum.

ĬNĀMĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* amatus) non amatus, invisus, *non amato, odiato. Sil. It.* 12. 526. hinc Allifanus Iaccho Haud inamatus ager.

ĬNAMBĬTĬŌSUS, a, um, adject. (in *privat. et* ambitiosus) non ambitiosus, *senza ambizione. Ovid.* 11. *Met.* 765. Secretos montes et inambitiosa colebat Rura.

ĬNAMBŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (inambulo) ambulatio, deambulatio, *passeggio, passeggiamento.*

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Herenn.* 15. 27. Si contentio fiet, celeri porrectione brachii, inambulatione, pedis dextri rara supplosione uti oportebit. *Id. Brut.* 43. 158. Non multa jactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis. — Poetice est lecti hac illac nutantis quassatio,

scotimento, apud *Catull.* 6. 10. tremulique quassa lecti Argutatiu inambulatioque.

II.) Translate est locus ipse, ubi inambulatur. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 3. (11). Una vitis subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacat. Adde *Vitruv.* 1. 3.

INAMBŬLO, as, āvi, are, n. 1 (in et ambulo). Part. *Inambulans.* — Inambulare est spatiari, spatia ambulando conficere, *passeggiare*, περιπατεῖν. *Cic.* 1. *de republ.* 2. Quum paululum inambulavisset in porticu. *Id.* 1. *Legg.* 5. 15. In viridi opacaque ripa inambulantes. *Id.* 6. *Att.* 2. *circa med.* Ante lucem inambulabam domi. *Asinius* apud *Cic.* 10. *Fam.* 33. Quum quidem pransus, nudis pedibus, tunica soluta, manibus ad tergum rejectis, inambularet. *Liv.* 23. 43. Per muros inambulare. — Passive impers. *Plaut. Asin.* 3. 3. 92. Inambulandum est.

ĬNĀMISSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et amissibilis) qui amitti non potest. *Augustin.* 22. *Civ. D.* 30. *circa med.*

ĬNĀMŒNUS, a, um, adject. (in *privat.* et amœnus) non amœnus, asper, horridus, tristis, *non ameno, orrido*, ἀηδής. *Ovid.* 10. *Met.* 15. Persephonen adiit, inamœnaque regna tenentem Umbrarum dominum. *Stat.* 1. *Theb.* 89. Inamœnus Cocytus. *Id.* 2. *Silv.* 2. 32. Qua prius obscoro permixti pulvere soles, Et feritas inamœna viæ, nunc ire voluptas. *V.* ILLAUDATUS.

ĬNĀNE, is, n. 2. *V.* INANIS in fin.

ĬNĀNEFACTUS, a, um, adject. inanis atque irritus factus. *Ulp. Dig.* 10. 4. 18. Solutione chirographo inanefacto et pignoribus liberatis. *Al. rectius leg.* inani facto.

ĬNĀNESCO, is, ere, n. inchoat. 3. (inanis) inanis fio, κενοῦμαι. *Ammian.* 23. *sub fin.* Conchulæ concussæ metu fulgurum inanescunt. Adde *Augustin.* 6. *de Music.* 13.

ĬNĀNĬA, æ, f. 1. inanitas, ut *Non.* p. 123. 18. *Merc.* docet. Jocalariter hanc vocem effinxit *Plaut. Aulul.* 1. 2. 5. Hic apud nos nihil est aliud quæsti furibus: ita inanis sunt oppletæ (ædes) atque araneis.

ĬNĀNĬLŎGUS vel

ĬNĀNĬLŎGISTA. *V.* voc. seq.

ĬNĀNĬLŎQUUS, a, um, adject. qui inania loquitur. *Plaut. Pseud.* 1. 3. 24. Surdus sum: profecto inaniloquus es. *Al. leg.* inanilogus, *alii* inanilogista, *quæ idem significant, sed voces hybridæ sunt.* Sic *Gloss. Philox.* Inaniloquus, κενολόγος. *Hic fortasse* inaniloquus *legendum est.* Hucusque *Forcellinus.* Sunt tamen qui lectionem *inanilogus* præferunt.

ĬNĀNĪTĬO, ōnis, f. 3. (inanis) vacuitas. *Isid.* 4. *Orig.* 6. Fit (*spasmus*) duobus modis, aut ex repletione aut ex inanitione.

ĬNĀNĬMĀLIS, e, adject. (in *privat.* et animalis) inanimatus, non animalis, *inanimato*. *Apul. Trismeg.* Animalia omnia et inanimalia. *Macrob.* 4. *Saturn.* 6. Sermo dirigitur ad inanimalia. Adde *Tertull. Apolog.* 48.

ĬNĀNĬMANS, antis, adject. (in *privat.* et animans) inanimalis. *Seneca Ep.* 58. Corpus quomodo divido? ut dicam, aut animantia sunt, aut inanimantia. *Al. leg.* inanimata. *Firmic.* 1. *Mathes.* 1. *a med.* Stellæ animantes et inanimantes.

ĬNĀNĬMĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et animatus) anima carens, *inanimato*, ἄψυχος. *Cic.* 3. *Nat. D.* 16. 40. Singulas stellas numeras deos, easque aut belluarum nomine appellas, ut Capram etc., aut rerum inanimatarum, ut Argo etc. *Id. Amic.* 19. 68. In iis tamen, quæ sunt inanimata, consuetudo valet. *Id. Topic.* 18. 69. Ut anteponantur animata inanimatis. *Lambin.* qui vocem hanc minus Latinam putat, ubique *inanimus* reponit. *Voss. de vitiis serm.* rejicere non audet, sed certius esse *inanimus*, vere affirmat. Sed omnino retinent ac tuentur *Manut.*, *Cellar.* in *Cur. poster.*, *Borrich.* in *Voss.* et alii, a quibus standum profecto est, ita evincentibus libris melioribus et analogia. Hucusque *Forcellinus.* At *Madvig.* ad *Cic. Fin.* p. 540. et seq. ex optimis MSS. ubique legendum probat *inanimus*; quocum et *Klotz.* consentit. Ceterum hanc vocem habet *Boeth. Aristot. Analyt. prior.* 1. 4. p. 471. Rursum *a* quidem nulli *b* insit, *b* autem alicui *c* non insit, et sint termini inanimatum, homo, album, deinde sumantur alba, de quibus non prædicatur homo, cygnus et nix, nam inanimatum de hoc quidem omni prædicatur, de illo vere nullo. Adde *eumd. ibid. p.* 472.

ĬNĀNĪMENTUM, i, n. 2. (inanio) inane, res inanis. *Plaut. Stich.* 1. 3. 19. Inanimentis explementum quærito.

ĬNĀNĬMIS, e, adject. (in *privat.* et anima) sine anima. *Apul.* 1. *Met.* Mare pigrum colligari, ventos inanimes exspirare. *h. e.* sine flatu, quæ *anima* dicitur. — *Id. ibid.* Humi projectus, inanimis, nudus et frigidus. *h. e.* exanimis. *Id.* 2. *ibid.* Inanimis et indigens alio custode.

ĬNĀNĬMUS, a, um, adject. (in *privat.* et anima) sine anima, *inanimato*, ἄψυχος. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 12. 37. Quum inter inanimum et animal hoc maxime intersit, quod inanimum nihil agit, animal agit aliquid. *Id.* 1. *Tusc.* 23. 54. Inanimum est omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo. Adde *eumd.* 6. *de republ.* 26. Sic *Id.* 2. *Divinat.* 47. 98. Res inanimæ. *Id.* 7. *Verr.* 67. 171. Omnia muta atque inanima tanta et tam indigna rerum acerbitate commoverentur. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 69. *extr.* Etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur. *Quintil.* 5. 3. 23. Ex mutis animalibus atque inanimis. *Liv.* 41. 18. Satiati cæde animantium, quæ inanima erant parietibus affligunt. Adde *Quintil.* 8. 6. 9.; *Tac.* 1. *Hist.* 84.; *Apul.* 11. *Met.*; et *V.* INANIMATUS.

ĬNĀNĬO, is, ivi, itum ire, a. 4. (inanis). Part. *Inanitus.* — Inanire est vacuare, *votare*. ἐξκενόω, κενόω. *Lucret.* 6. 1003. Hoc ubi inanitur spatium, multusque vacefit In medio locus etc. *Id. ibid. v.* 1022. rarior aer Factus, inanitusque locus magis ac vacuatus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 3. 8. (14). Herbacea arefacta per se inanit alvum. *Id.* 21. *ibid.* 20. 84. (146). Polium vesicas inanit. *Id.* 2. *ibid.* 99. 102. (221). Sidus Lunæ accedens corpora impleat, abscedens inaniat.

ĬNĀNIS, e, adject. Etiam *inanus, a, um* scribitur: *V.* ZETEMA. — Comp. *Inanior* I. et II.; Sup. *Inanissimus* II. — Inanis, cui *plenus* recte opponitur, (ab ἰνάω *vacuo*, ut videtur) est vacuus, cassus, vanus, κενός; (It. *vuoto*; Fr. *vide, libre*; Hisp. *vacio, hueco*; Germ. *leer, inhaltlos, inhaltleer, leicht, leblos*; Angl. *empty, void*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Cic. Fat.* 11. 21. Quum vas inane dicimus, non ita loquimur ut physici, quibus inane esse nihil placet, sed ita ut, verbi causa, sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus. *Plaut. Mil. glor.* 3. 2. 41. Ea (*aqualis*) sæpe decies complebatur die, eam plenam atque inanem fieri maximam vidi. *Lucret.* 1. 523. sunt ergo corpora certa, Quæ spatium pleno possint distinguere inane. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 40. 125. Tune inane quicquam putes esse, quum ita completa et conferta sint omnia, ut etc? *Id.* 4. *Verr.* 34. 84. Domum ejus exornatam et instructam, fere jam iste reddiderat nudam atque inanem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 45. (161). Granum inane cassumque. *Cæs.* 5. *B. G.* 23. Quæ (*naves*) inanes ad eum remitterentur. Adde *eumd.* 3. *B. C.* 8. et 40.; et *Cic.* 7. *Verr.* 50. 131. Sic *Plin. Paneg.* 31. Inde navigia inania et vacua, hinc plena et onusta mittantur. *Varro* 1. *R. R.* 20. 3. Inania plaustra. Poetice *Virg.* 3. *G.* 170. rotæ inanes. *h. e.* sine pondere, *carra vuote*. *Cic.* 16. *Fam.* 26. Inanes lagenæ. *Plaut. Pers.* 3. 1. 26. mensa. *Id. Amph.* 1. 1. 174. Vix incedo inanis, ne ire posse cum onere existimes. *h. e.* nihil omnino gerens vel bajulans. Sic *Id. Asin.* 3. 3. 70. Ego bajulabo: tu, ut decet dominum, ante me ito inanis. *Propert.* 4. 5. 47. Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis, Surdus etc. *h. e.* nihil muneris afferens. Similiter *Plaut. Most.* 3. 1. 41. Hic homo est inanis. *h. e.* pecunia omnino caret, *non ne ha un soldo*. Adde *eumd. Bacch.* 3. 6. 2. et *Trin.* 3. 2. 75. Confer *Cic.* 4. *Verr.* 66. 260. Misera in civitate et inani. *Id. ibid.* 9. 25. Vicerunt Agyrinenses fratres ita, ut egentes inanesque discederent. *colle mani vuote*. Sic *Id.* 14. *Att.* 3. Structores ad frumentum profecti, inanes redierunt. *Id.* 4. *Verr.* 66. 160. equus inanis. *h. e.* nullo sessore. *Id.* 1. *Cat.* 7. 16. Quid quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt? quod omnes consulares —, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? *Horat.* 2. *Od.* 20. 21. Inane funus. *h. e.* imaginarium, sine cadavere. *Id.* 1. *Sat.* 6. 127. Inani ventre diem durare. Sic *Juvenal.* 5. 7. alvo inani. et rursus *Horat.* 2. *Sat.* 2. 14. siccus, inanis Sperne cibum vilem. *h. e.* jejunus. *Id. ibid.* 7. 8. sæpe notatus Cum tribus anellis, modo læva Priscus inani. *h. e.* sine anulo. *Virg.* 1. *G.* 496. et 5. *Æn.* 673. Inanes galeæ. *h. e.* nullo capite. *Id.* 4. *G.* 241. Inanes ceræ. *h. e.* sine melle. *Cic.* 6. *Fam.* 22. Inanes esse meas litteras, quam nullas malui. *h. e.* rebus alicujus momenti carentes. *Virg.* 3. *G.* 134. Surgentem ad Zephyrum paleæ jactantur inanes. *h. e.* leves. *Id.* 4. *ibid.* 196. Inania nubila. *Id.* 6. *Æn.* 740. Inanes venti. *Cic.* 2. *Legg.* 18. 45. Tum ebur ex inani corpore extractum. *h. e.* inanimo; est enim illud Platonis ἀπολελοιπότος ψυχὴν σώματος. *Quidam minus recte leg.* Inanime. Sic *Ovid. Heroid.* 15. 116. et 3. *Amor.* 9. 6. Inane corpus. *h. e.* mortuum. Similiter *Stat.* 1. *Theb.* 93. Inane vulgus. *h. e.* Manes, quia vita carent et corpore. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 25. Inanis umbra. *h. e.* umbra defuncti; et eodem sensu *Id.* 5. *Fast.* 463. Inanis imago. Hinc *Virg.* 6. *Æn.* 269. inania regna Ditis. *h. e.* ubi sunt Manes. et *Ovid.* 11. *Met.* 670. Inania Tartara. Eodem sensu *Stat.* 4. *Theb.* 477. dixit *inane* absolute. *Id. Stat.* 1. *ibid.* 483. Inanis leo. *h. e.* leonis pellis a corpore avulsa. Sic 6. *ibid.* 722. tigris inanis. *Seneca Phœniss.* 43. Inanes vultus. *h. e.* vultus hominis cæci, cui oculi effussi sunt. — *b*) Cum Ablativo sine præpos., cum Genitivo, et raro admodum cum Ablativo et præpos. *ab*. *Cic.* 2. *Att.* 8. Permoleste tuli: nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliqua re utili et suavi venerat. *Id.* 5. *Verr.* 52. 121. Agyrinensis ager centum septuaginta aratoribus inanior est. *Ovid. Heroid.* 3. 60. Sanguinis atque animi pectus inane fuit. *Id.* 13. *Met.* 438. Quæ corpus complexa animæ tam fortis inane. Sic *Id.* 2. *ibid.* 611. et *Ib.* 154.; et *Propert.* 3. 18. 32. corpus inane animæ. *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 101. Inanis a marsupio. *h. e.* crumenam inanem denariorum habens.

II.) Translate latissime patet, et est vacuus, substantia vel fundamento carens; item supervacuus, sine vi aut effectu; item futilis, levis; item otiosus; item superbus et ea ostentans, quæ re vera non habet — *a*) Absolute. *Cic. Brut.* 8. 34. Aures ipsæ quid plenum, quid inane sit, judicant. *Id.* 5. *Tusc.* 41. 119. Quod honestum nos et laudabile esse dicamus, id illi [illegible] quiddam et inani vocis sono decoratum esse dicant. Sic *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 22. 71. Honesti inane nomen esse. *Id.* 2. *Divinat.* 62. 127. Sin vera visa divina sunt, falsa autem et inania humana. Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 639. dat inania verba, Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis. *h. e.* falsa: ibi enim *Servius*: Nec a membris, nec a mente venientia. Rursus *Cic.* 3. *Tusc.* 18. 42. Nisi si vellent voces inanes fundere. *Id.* 1. *Orat.* 6. 20. Inanem quamdam habet elocutionem et pæne puerilem. *Quintil.* 11. 3. 32. Inanis vox. *Id.* 8. 2. 17. et 9. 3. 100. Inania verba. *Hieronym. Ep.* 38. n. 2. Verba omni inaniora fumo. *Quintil.* 10. 7. 23. Inanis verborum torrens. *Cic.* 4. *Verr.* 72. 177. Crimen ejusmodi, nisi litteris confirmetur, inane esse dicet? *Val. Flacc.* 1. 707. visu lassatur inani. *h. e.* frustra lassatur in tanta oculorum acie, quum nihil cernat. Cf. *Id.* 3. 661. vacuos cur lassant æquora visus? *Cic.* 3. *Orat.* 2. 7. O inanes nostras contentiones, quæ in medio cursu sæpe franguntur et corruunt! *h. e.* supervacuas, sine vi aut effectu. *Id. Mil.* 34. 94. Spes fallaces et cogitationes inanes meæ! *Id. Rosc. com.* 14. 42. Inani et tenui spe te consolaris. *Virg.* 10. *Æn.* 627. Spes inanes pascere. *Cic. Amic.* 14. 49. Delectari multis inanibus rebus, ut gloria etc. *Id. ibid.* 23. 86. Quam multi ita contemnunt (*honores*), ut nihil inanius, nihil esse levius existiment! *Horat. Epod.* 5. 7. Inane decus purpuræ. *Sall. orat. Macri Licinii.* Inania species magistratus. *Cic.* 1. *Fin.* 13. 46. Inanium cupiditatum nec modus ullus, nec finis inveniri potest. *Virg.* 9. *Æn.* 219. causas nequidquam nectis inanes. *ragioni frivole*. *Id.* 4. *G.* 315. Cura inanis. et 400. Doli inanes. *Horat. Epod.* 6. 3. Inanes minæ. *Id. Art. P.* 433. Inanem operam insumere. — *Virg.* 4. *Æn.* 433. Tempus inane peto, requiem spatiumque labori. *h. e.* tempus otiosum, in quo nihil agitur. Sic *Val. Flacc.* 3. 657. moras et inania tempora. — Alio sensu *inania tempora* in rhythmis sunt, quæ nostri musici *sospiri* et *pausa* appellant, Græci κενοὺς χρόνους. *Quintil.* 9. 4. 51. Inania quoque tempora rhythmi facilius accipient: quamquam hæc et

in metris accidunt: major tamen illic licentia, ubi tempora etiam animo metiuntur, et pedum et digitorum ictu intervalla signant. — *Cic.* 1. *ad Brut.* 3. Nihil est in me inane: neque enim debet: sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio, gratulatio me commovet. *h. e.* superbum et ea ostentans, quæ re vera non habet. *Liv.* 45. 23. *ad fin.* Non negaverim, et totam Asiæ regionem inaniora parere ingenia, et nostrorum tumidiorem sermonem esse. *Sall. Jug.* 64. Homo inanis et regiæ superbiæ. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 76. Inanes hoc juvat. *Lucret.* 1. 639. *de Heraclito.* Clarus ob obscuram linguam, magis inter inanes, Quamde graves inter Grajos, qui vera requirunt. *h. e.* inter futiles, leves. *Quintil.* 12. 10. 16. Hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes. — *b*) Cum Genitivo. *Cic.* 1. *Orat.* 9. 37. Omnia plena consiliorum, inania verborum. *Id. Mur.* 12. 26. Quæ inanissima prudentiæ reperta sunt. — Hinc

Inane, *is*, n. 3. absolute, substantivorum more, frequentissime occurrit; et

I.) Proprie est locus inanis. — *a*) In sing. num. *Lucret.* 1. 437. Scilicet hoc id erit vacuum, quod inane vocamus. *Id.* 1. 330. namque est in rebus inane. Adde *eumd.* 1. 569. et 2. 236. Sic *Cic.* 1. *Nat. D.* 23. 65. Nihil est, quod vacat corpore; corporibus autem omnis obsidetur locus: ita nullum inane. *Lucret.* 1. 364. Corporis officium est quoniam premere omnia deorsum, Contra autem natura manet sine pondere inanis. *Id.* 1. 456. et 520. inani. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 4. (13). Ars oceanum quoque transgressa et ad naturæ inane pervecta. *Id.* 8. *ibid.* 43. 68. (169). Pes per inane emicat. Adde *Lucret.* 1. 1019., 1097. et 1102., 2. 64. et alibi. Sic *Virg.* 6. *Ecl.* 32. magnum per inane coacta Semina terrarum. Similiter *Id.* 12. *Æn.* 906. lapis vacuum per inane volutus. *per aria.* et *Stat.* 1. *Theb.* 310. sublimes raptim per inane volatus Carpit. *per l'aria.* *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (108). Species inflata inani. *di aria.* Adde *Lucret.* 1. 744. et 1009. Sic *Id. ibid. v.* 433. ab inani. *Id. ibid. v.* 1078., 2. 121. et 6. 942. in inani. *Id.* 1. 512. et 534. sine inani — *b*) In plur. num. *Lucret.* 1. 225. Aut intus penetret per inania dissolvatque. Sic *Ovid.* 2. *Met.* 506. celeri raptos per inania ventos Imposuit cælo. Adde *Tibull.* 4. 1. 130.; et *Sil. It.* 4. 8. et 11. 210.

II.) Translate. — *a*) In sing. num. *Pers.* 1. 1. O curas hominum! o quantum est in rebus inane! *h. e.* quanta inanitas. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 113. Inane abscindere soldo. — *b*) In plur. num. *Horat. Art. P.* 230. Dum vitat humum, nubes et inania captat. *Tac.* 5. *Ann.* 10. Spes inanium. *Id.* 13. *ibid.* 8. Species inanium. *Id.* 3. *Hist.* 19. Inania laturus. *Id.* 2. *Ann.* 76. Neque suspiciones imbecillas, aut inania famæ pertimescenda. *h. e.* rumores, qui sparguntur in vulgus incerto auctore. *Id. Agric.* 6. Inania honoris.

ĬNĀNĬTAS, ātis, f. 3. vacuitas, *vacuità, vuoto*, κενότης.

I.) Proprie. *Plaut. Cas.* 4. 3. 5. Mihi inanitate jamdudum intestina murmurant. *Cic. Fat.* 9. 18. Quum duo individua per inanitatem ferantur. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 25. Inanitas loci. *Quintil.* 1. 11. 6. Nec verba in faucibus patietur audiri, nec oris inanitate resonare. *h. e.* cavitate. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 22. 42. (122). Inanitas arundinis. *Capell.* 2. *p.* 36. Ipsa species ovi, – perlucida inanitate albidoque humore, interiore tamen medio solidior apparebat. *Theod. Priscian.* 4. *p.* 316. bis ed. *Ald.* Matrix ad inanitatem humecta veniens etc.

II). Translate est vanitas. *Cic.* 1. *Fin.* 13. 44. Ut sapiens solum, amputata circumcisaque inanitate omni et errore, naturæ finibus contentus sine ægritudine possit et sine metu vivere. *Id.* 3. *Tusc.* 2. 3. Ad quam (*gloriam*) fertur optimus quisque – et in summa inanitate versatur etc. *Ammian.* 17. 13. Inanitate tumens. *Gell.* 13. 8. Inanitates verborum et imaginum.

ĬNĀNĬTER, adverb. (inanis) vane, *vanamente*, κενῶς. *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 13. Quum tamen inaniter et effuse animus exsultat. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 47. Quum animi inaniter moveantur eodem modo rebus iis, quæ nullæ sint, ut iis, quæ sint. Cf. *eumd. ibid.* 11. 34. *Horat.* 2. *Ep.* 1. mire laudat poetam illum, qui v. 211. pectus inaniter angit, Irritat, mulcet. *h. e.* rebus inanibus quidem et fictis, moventibus tamen. *Ovid.* 2. *Met.* 617. seraque ope vincere fata Nititur et medicas exercet inaniter artes. *h. e.* frustra. *in vano.* *Ammian.* 16. 4. Inaniter cogitare. *Arnob.* 3. *p.* 132. fabricatum. *Id.* 7. 27. concremari.

ĬNĀNĪTUS, a, um. *V.* INANIO.

ĬNANTE. *V.* ANTE.

ĬNANTESTĀTUS. *V.* INATTESTATUS.

ĬNĂPERTUS, a, um, adject. (in *privat. et* apertus) non patens, non expositus. Translate *Sil. It.* 7. 26. fraudique inaperta senectus.

ĬNĂPŎDIXIS, is, f. 3. haud facilis probatio: ab *in* privativa et *apodixis*, quam vocem vide suo loco.

ĬNAPPĂRĀTĬO, ōnis, f. 3. (in *privat. et* apparatio) incuria, negligentia apparationi contraria. *Cic.* 2. *Herenn.* 4. 7. Ex altera parte imbecillitas, inopia, stultitia, imprudentia, inapparatio demonstrabitur fuisse.

ĬNAPPRĔHENSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et apprehensibilis) qui comprehendi nequit, *che non si può comprendere.* Translate occurrit apud *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 3. 38. Locutionis inapprehensibilis articulatio. Adde *Tertull. advers. Valentin.* 11. et *advers. Hermog.* 43., et *Paulin. Nol. Ep.* 32. 20.

ĬNĂQUO, as, are, a. 1. (in *et* aquo) in aquam convertere. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 14. Inaquare nutrimenta corporis. *V.* integrum loc. in v. HYDROPISMUS. *Theod. Priscian.* 4. *p.* 317. ed. *Ald.* Terrore enim naturale nutrimentum in sanguinem cogi æstimat: quo exstincto, per morborum tarditatem supradicta materia inaquetur.

ĬNĂQUŌSUS, a, um, adject. (in *privat. et* aquosus) aqua carens, siccus, aridus. *Tertull. Baptism.* 1. Serpentes arida et inaquosa sectantur. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 1. *a med.* Dum per inaquosa loca (*Alexander M.*) properaret cum Macedonibus. Adde *Cyprian. Ep.* 63.; et *Vulgat. interpr. Psalm.* 62. 2. et *Luc.* 11. 24. Sic *Gloss. Cyrill.* Inaquosus, ἄνυδρος. — Hinc etiam neutro gen. absolute *Vulgat. interpr. Psalm.* 106. 4. Erraverunt in solitudine in inaquoso. Adde *ibid.* 77. 17. et 40. et 105. 14.

ĬNĂRĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* aratus) non aratus, incultus, *non arato, incolto*, ἀνήροτος. *Virg.* 1. *G.* 81. Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ. *Horat. Epod.* 16. 43. Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis. *Stat.* 10. *Theb.* 512. quanta pariter cervice gementes Perstringunt inarata diu Pangæa juvenci.

ĬNĂRĀTUS, a, um, particip. *V.* INARO.

ĬNARCŬLUM virgula erat ex malo Punico incurvata, quam regina sacrificans in capite gestabat. *Paul. Diac. p.* 113. 18. *Müll.* Est ab *in* et *arcus* vel *arcuare.* V. et ARCULUM.

ĬNARDĔO, es, ere, n. 2. (in *et* ardeo) idem quod ardeo, aut valde ardeo. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Orat.* 51. 222. (*Nam*) flammam sapiens facilius ore inardente opprimit, Quam bona dicta teneat. *At ibi divisim legendum est* in ardente.

ĬNARDESCO, ardescis, arsi, ardescere, n. inchoat. 3. (in *et* ardesco). Part. *Inardescens* I. — Inardescere est flammam concipere, accendi, ignescere, *accendersi.*

I.) Proprie. *Virg.* 8. *Æn.* 622. quum cærula nubes Solis inardescit radiis longeque refulget. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 25. 51. (140). Arbusculæ in igne, ut ferrum, inardescentes. *Horat. Epod.* 3. 18. Nec munus (*h. e.* vestis) humeris efficacis Herculis Inarsit æstuosius. — Poetice *Seneca Herc. Œt.* 251. Nunc inardescunt genæ. *h. e.* rubore suffunduntur. *arrossiscono.*

II.) Translate. *Quintil.* 11. 3. 2. Affectus omnes languescant, necesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardescant. *Tac.* 6. *Ann.* 32. Tardari metu, modo cupidine vindictæ inardescere. *Ovid.* 7. *Met.* 83. Ut vidit juvenem, specie præsentis inarsit.

ĬNĀRĔFACTUS, a, um, adject. (in *et* arefactus) aridus factus, siccatus, idem atque arefactus, *seccato, inaridito.* *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 42. (121). Ad sanguinem sistendum ranarum illinunt sanguinem inarefactum.

ĬNĀRESCO, ārescis, ārui, ārescere, n. inchoat. 3. (in *et* aresco) idem quod arescere, vel in aliqua re, aut penitus arescere, *inaridirsi, seccarsi*, καταξηραίνομαι.

I.) Proprie. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 46. (163). Ut non tædia animalium capiti inarescant. *Id.* 26. *ibid.* 8. 40. (66). Inarescere in sole. *Id.* 31. *ibid.* 6. 32. (61). Cænum illum sole inarescit. *Tac.* 5. *Hist.* 6. Quum undantes bitumine moles vi solis inaruerint. et *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 4. Arbor ardore solis inarescit. *Colum.* 2. *R. R.* 14. 2. et 12 *ibid.* 15. 1. Radices inarescunt. *Id.* 4. *ibid.* 24. 2. Nec patiuntur ante maturitatem fructum inarescere. *Id.* 1. *ibid.* 6. 14. Quum tectorium inaruerit. *Vitruv.* 7. 3. Non patiatur uno tenore opus inarescere. *Cels.* 5. 17. *sub fin.* Medicamenta inarescere. *Colum.* 4. *R. R.* 7. 2. vulnus. *Ammian.* 19. 9. Corpora interfectorum inarescunt in modum stipitum. *Quintil.* 6. 1. 27. Nec sine causa dictum est, nihil facilius, quam lacrimas, inarescere. Adde *Curt.* 5. 5. 11.

II.) Translate. *Plin.* 2. *Ep.* 4. Liberalitas e frugalitate, velut e fonte, decurrit: quæ tamen ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat.

ĬNARGENTĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *inargento* (quod occurrit tantummodo in *Not. Tir. p.* 126.) argento obductus, illitus, *inargentato*, ἐπάργυρος. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Lamina ærea tenuis inaurata, aut inargentata. *Paul. Dig.* 33. 10. 3. Lecti inargentati vel inaurati. Adde *Vulgat. interpr. Baruch* 6. 7.

INARGENTO, as. *V.* voc. præced. init.

ĬNARGŪTĒ, adverb. (inargutus) non acute, non *argutamente.* *Gell.* 21. 13. Non mehercule inargute, inquit, nec inscite opposuisti hoc Tullianum.

ĬNARGŪTUS, a, um, adject. (in *privat. et* argutus) non argutus. *Ulp. Dig.* 7. 5. 5. Sententia non inarguta.

ĬNĀRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et aro). Part. *Inarandus* I.; *Inaratus* II. 1. — Inarare est intus arare, sive arando obruere, *coprire arando.*

I.) Proprie. *Cato R. R.* 37. Vitis si macra erit, sarmenta sua concidito minute, et ibidem inarato, aut infodito. *Varro* 1. *R. R.* 23. 3. Fabalia pro stercore inarare. *Colum.* 2. *R. R.* 5. 2. Disjectum fimum inarari et obrui convenit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 47. (169). Inarare semina abjecta. *Id. ibid.* 20. 49. (182). Postquam respuebat natura, inararunt panicum miliumque. *h. e.* aratraverunt, ut *Id. ibid.* ait. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 11. Arboribus, si raræ sunt, tantum succidendis incendendisque et inarandis. *posti a rovescio.*

II.) Translate. ¶ 1. Est idem quod arare, seu colere. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 14. 36. (136). Inarari protinus solum opus est. *Ulp. Dig.* 43. 23. 9. Si quis vi aut clam agrum inaraverit, vel fossam fecerit. Sic *Ambros. Ep.* 6. 39. Quorum (*signorum*) ad exortum duris inarata vomeribus fodiantur convallia. Et figurate *Id. in Luc.* 8. 17. Dicat anima tua, Christo fertilitatis suæ jam conscia, et seminata Dei verbo, spiritualibus quoque inarata culturis. ¶ 2. Item, ut exarare, est scribere. *Commodian.* 70. 15. De breviori titulo non tot inararem.

ĬNARTĬCŬLĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* articulatus) non expressus et nihil significans, ut *coax, cra*, (quod affert exemplum *Priscian. initio l.* 1.), quæ a nullo affectu mentis proficiscuntur, *non articolato*, ἄναρθρος. *Arnob.* 2. 23. Nonne vocem si fuerit coactus emittere, ut solemne est mutis, inarticulatum nescio quid ore hiante clamabit?

ĬNARTĬFĬCĬĀLIS, e, adject. (in *privat. et* artificialis) arte carens, non artificialis, *non artifizioso*, ἄτεχνος. *Quintil.* 5. 1. 1. Illas (*probationes*) ἀτέχνους, id est inartificiales; has ἐντέχνους, id est artificiales vocaverunt. Adde *eumd.* 5. 5. 2. et 5. 10. 11. *Capell.* 5. *p.* 181. Inartificialia argumenta.

ĬNARTĬFĬCĬĀLĬTER, adverb. (inartificialis) sine artificio, *senz'artifizio*, ἀτέχνως. *Quintil.* 2. 17. 42. Qua in re alius se inartificialiter, alius artificialiter gerat, in ea esse artem.

ĬNARTĬFĬCĬŌSUS, a, um, adject. (in *privat. et* artificiosus) idem quod inartificialis. *Boeth.* in *Topic. Cic.* 5. *p.* 846. Naturalia non naturalibus (*excellunt*), et artificiosa inartificiosis.

ĬNASCENSUS, a, um, adject. (in *privat. et* ascensus) non ascensus, inaccessus. *Plin. Paneg.* 65. Procedere in rostra, inascensumque illum superbiæ principum locum tenere.

ĬNASPECTUS, a, um, adject. (in *privat. et* aspectus) non visus, non conspectus, *non visto.* *Stat.* 1. *Theb.* 50. Imaque recessus Sedis inaspectos cælo, radiisque Penates Servantem. *Id.* 4. *ibid.* 423. Hujus inaspectum luco stridere sagittæ.

ĬNASPĬCĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* aspicio) invisibilis. *Gloss. Philox.* Inaspicabilis, ἀόρατος.

INASPICŬUS, a, um, adject. (in *privat.* et aspicio) inspectus, *non veduto*. *Auson. Epist.* 23. 22. Lacte incide notas: arescens charta tenebit Semper inaspicuas: prodentur scripta favillis.

INASPĪRĀTĬO, ōnis, f. 3. (in *privat.* et aspiratio) idem ac psile, seu privatio aspirationis. *Phocas de aspir. p.* 1724. *Putsch.* De psila, id est inaspiratione.

INASSĀTUS, a um, particip. (in *et* assatus) idem atque assatus, *arrostito*, ἔνοπτος. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 8. 22. (72). Verendorum formicationibus verrucisque medetur arietini pulmonis inassati sanies.

INASSĔRO, as, are, a. 1. (in *et* asser) asseribus contegere, *coprire con travicelli*. *Vet. Inscript.* apud *Gruter.* 207. *col.* 2. TRABICVLAS INASSERATO ASSERIBVS ABIEGNEIS SECTILIBVS. *copri le travetta con travicelli di abete segaticci*. Ita locum vertendum putat *Zannonius*. *V.* ABIEGNEUS.

INASSIGNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et assignatus) non assignatus. *Aggen. Controv. agr. p.* 70. *Goes.* Superfuit inassignatus agrorum modus.

INASSUĒTUS, a, um, adject. (in *privat.* et assuetus) non assuetus, *non assuefatto, non avvezzo, insolito*. *Ovid.* 4. *Fast.* 449. Panditur interea Diti via: jamque diurnam Lumen inassueti vix patiuntur equi. *Id.* 1. *Art. am.* 299. Ipse novas frondes et prata tenerrima tauro Fertur inassueta subsecuisse manu. *Sil. It.* 3. 225. at vestigia nuda sinusque Cingere, inassuetum. *h. e.* insolitum est, non est in more positum. *Fragm. orat.* Claudii Aug. apud *Gruter.* 502. *col.* 2. *l.* 37. et apud *Lips. Auctar. Smetii p.* 24. Quum ad census (*al. leg.* a censu), novo tum opere et inadsueto Gallicis, ad bellum avocatus esset. *Sulpic. Sev.* 1. *Hist. sacr.* 4. Inassuetum sermonis genus.

INATTĀMĬNĀTUS, a, um, adject. (in *et* attamino) non contaminatus, *non contaminato*. *Tertull. Cor. mil.* 15. Serva Deo rem suam inattaminatam. *Scioppi.* rectius leg. *intaminatam*.

INATTENTĒ, adverb. (in *privat. et* attentus) non attente, *senz'attenzione, senza badare*. *Ammian.* 30. 8. *ad fin.* Ad pavores irritos aliquoties abjectius pallens, et quod nusquam erat, inattente formidans. *Al. melius leg.* ima mente.

INATTĔNUĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* attenuatus) non extenuatus, *non estenuato*. *Ovid.* 8. *Met.* 843. Attenuaret opes, sed inattenuata manebat Tum quoque dira fames.

INATTESTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et attestatus) qui testatus non est, qui in jus non est vocatus. *Plaut. Curc.* 5. 3. 17. Hoccine pacto indemnatum atque inattestatum me arripi? *Al. rectius leg.* intestatum, *alii* inantestatum.

INATTRĪTUS, a, um, adject. (in *privat. et* attritus) non attritus. *Paulin. Nolan. carm.* 10. 254. *de trabea.* Fulget inattrito longum venerabilis auro.

INAUDAX, ācis, adject. (in *privat. et* audax) non audax, atque adeo timidus, *timido*, ἄτολμος. *Horat.* 3. *Od.* 20. 3. Dura post paullo fugies inaudax Prælia raptor.

INAUDĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et audibilis) qui nequit audiri. *Censorin. de die nat.* 13. Ut dulcissimam concinant melodiam, sed nobis inaudibilem.

INAUDĬENTĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et audio) inobedientia. *Cyprian. Ep.* 28., ubi tamen alii legunt *inobedientia*.

INAUDĬO, is, īvi vel ĭi, ītum, īre, a. 4. (in et audio). Occurrit etiam vetus forma *indaudio* apud *Plaut.*; V. *Ritschl. Proleg. ad Plaut. p.* CXLIII. — Part. *Inauditus*. — Inaudire est idem quod audire, intelligere; et fere de rebus non vulgatis dicitur, *udire, intendere, rilevare*, ἐνακούω. *Pacuvius* apud *Non. p.* 126. 23. *Merc.* Quod ego inaudivi, accipite, et quid sit facto opus, decernite. *Novius* apud *eumd. ibid.* Unde hoc tam repente jucundum inaudivi melum? *Plaut. Most.* 3. 1. 11. Metuo, ne de hac re quippiam hic inaudiverit. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 126. 20. *Merc.* Quorum erupit illa vox, de qua ego ex te primum quiddam inaudieram. *Id.* 6. *Att.* 1. *a med.* Num quid de quo inaudisti? *Id.* 9. *Fam.* 21. Fabraterim consilia sunt inita de me: quæ te video inaudisse. *Id. Balb.* 18. 41. Re denique multo ante Gadibus inaudita, fore huic ut ab illo periculum crearetur. *Alii leg.* jam audita. Confer *Justin.* 22. 3. 7. Sed hæc callida commenta Pœnorum et sententias inaudita mors Hamilcaris prævenit. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 56. Nam os columnatum poetæ esse inaudivi barbaro. *Id. Aulul.* 2. 2. 88. Credo ego illum jam inaudisse, mihi esse thesaurum domi. — *Afranius* apud *Non. p.* 126. 25. *Merc.* Novis dictis, quæso, ne ille inaudiat. *Neukirch.* leg. *Nobis dicatis* etc.

INAUDĪTĬO, ōnis, f. 3. surditas. Ita reprobatur hæc vox a *Boeth.* in *Aristot. Categ.* 3. *p.* 185. Surditas quum sit auditus privatio sine negatione profertur, eodem quoque modo cæcitas. Nullus enim dicit *inauditio*, neque *invisio*, nec aliquid hujusmodi, sed tantum surditas cæcitasque nominantur propriis nominibus.

INAUDĪTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* compositum ab auditiuncula et præpos. *in*, ejusdemque significationis, ἀκροαμάτιον. *Gell.* 5. 21. Habebatque nonnullas disciplinæ grammaticæ inauditiunculas, partim rudes inchoatasque, partim non probas.

INAUDĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et auditus). Comp. *Inauditior* 1. — Inauditus est non auditus, ac propterea ¶ 1. Est novus, inusitatus. *Cic.* 1. *Orat.* 31. 137. Nihil dicam reconditum, nihil exspectatione vestra dignum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum. *Id.* 2. *de republ.* 12. Quum prudenter illi novam et inauditam ceteris gentibus interregni ineundi rationem excogitaverunt. *Id. Harusp. resp.* 27. 57. Sacra maribus non invisa solum, sed etiam inaudita. Sic *Quintil.* 1. 6. 9. Quod nobis inauditum est. Rursus *Cic. Cæcin.* 13. 36. Novum est, non dico inusitatum, verum omnino inauditum. *Id. Vatin.* 14. 33. Quod in hac republica non modo factum ante nunquam est, sed in omni memoria est omnino inauditum. *Id. Sext.* 39. 85. Insignis quædam, inaudita, nova magnitudo animi. *Id. Balb.* 5. 13. Incredibili quadam atque inaudita gravitate, virtute, constantia præditus. *Liv.* 35. 49. Inaudita nomina. *Sueton. Cal.* 19. Inauditum spectaculi genus. Sic *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*). 23. Hominum nescias invisitatius, an inauditius genus. *Tac.* 2. *Ann.* 24. Inauditæ volucres. *Sueton. Cal.* 40. vectigalia. *Id. Ner.* 42. Inaudita pati. ¶ 2. Item indefensus, *non ascoltato*. *Seneca Med.* 199. Qui statuit aliquid parte inaudita altera, Æquum licet statuerit, haud æquus fuit. *Tac.* 2. *Ann.* 77. Ut te inauditum et indefensum primo rumore rapiant. *Justin.* 22. 3. *ad fin.* Inauditum per injuriam damnare. *Sueton. Claud.* 38. Inauditos et innoxios relegavit. Adde *eumd. Galb.* 14. et *Vitell.* 14. — *NB.* De loco *Gell.* 7. 6. *V.* INAURITUS.

INAUGŬRĀTĬO, ōnis, f. 3. inaugurandi actus; et translate principium apud *Tertull. advers. Valentin.* 11. Inauguratio quædam dividendæ doctrinæ Valentini.

INAUGŬRĀTŌ, adverb. (inauguratus) idem atque augurato, id est captato augurio, præcedente augurio et addicentibus avibus, οἰωνιστικῶς. *Liv.* 1. 36. Id quia inaugurato Romulus fecerat. *Id. ibid.* 44. Locum inaugurato consecrare.

INAUGŬRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INAUGŬRO, as, āvi, ātum, are, a. et n. 1. (in *et* auguro). Part. *Inaugurans* I.; *Inauguratus* I. et II. 1. — Inaugurare est augurium captare, *prendere gli augurii*, οἰωνίζομαι.

I.) Proprie. *Plaut. Asin.* 2. 1. 11. Impetritum, inauguratum est: quovis admittunt aves. Picus et cornix est ab læva, corvus porro ab dextera: consuadent. *Varro* 5. *L. L.* 47. *Müll.* Per sacram viam augures ex arce profecti solent inaugurare. *Liv.* 1. 7. Palatinum Romulus, Aventinum Remus ad inaugurandum templa capiunt. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 9. An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium circumvolitantis limina potentiorum, somnumque regis sui rumoribus inaugurantis? *Vulgati libri habent* somniumque: at pro inaugurantis *Schneider. rectius legit* augurantis. — Apud *Liv.* 1. 36. Agedum divine, inaugura, fieri ne possit, quod nunc ego mente concipio. *inaugurare* est divinare, *indovinare*.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe occurrit *inaugurare locum, sacerdotem*. — *a*) Inaugurare locum est, capto augurio, locum rei gerendæ auspicatum deligere. *Liv.* 3. 20. Augures jussos adesse ad Regillum lacum; locumque inaugurari, ubi auspicato cum populo agi posset. *Kalend. Prænest.* apud *Orell. Inscript. vol.* 2. *p.* 386. Romulus urbem inauguravit. *Flor.* 1. 7. 8. Capitolium quum inauguraretur. *Cic. Dom.* 53. 137. Simulacrum in templo inaugurato dedicare. *Liv.* 1. 55. Inaugurare fana. — *b*) Inaugurare aliquem sacerdotem est creare et consecrare: nefas enim erat veteribus, ut ædem diis sacrare, sic sacerdotium assumere, nisi captis prius auguriis. *Cic.* 2. *Phil.* 43. 110. Quid igitur cessas? cur non inaugurere? Sume diem: vide qui te inauguret. *Liv.* 30. 26. Augur in locum ejus inauguratus est filius. Sic *Sueton. Cal.* 12. Augurem inaugurare. Rursus *Liv.* 27. 8. Inaugurare aliquem flaminem. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 87. (237). Apud quas inauguratus esse traditur Tiburnus. ¶ 2. Hinc metaphorā sumptā *Apul.* 7. *Met.* Singulos exosculatur, et in summo pulvinari locatus, cœna et poculis magnis (*dux latronum*) inauguratur. ¶ 3. Hinc etiam pro initiare, incipere. *Claudian. Cons. Honor.* 6. 12. quem Tibris inaugurat, annus. *h. e.* Tibris incipit, auspicatur annum Honorii, quia sic consulatum suum gereret Romæ ad Tibrim; alius cœperat Mediolani.

INAURĀTOR, ōris, m. 3. (inauro) qui aurum obducit, *doratore*, χρυσοχόος. *Inscript.* apud *Murat.* 971. 1. FILLOMVSVS TERI (corrige ex *Gor. Columb. Liv. p.* 150. TERTII) L. INAVRATOR. *Alia* apud *Orell.* 4067. CONCORDIAE COLLEGI BRATTIARIORVM (ita corrext *Henzen.*) INAVRATORVM Q. HOADIONIVS PRIMIGENIVS Q. HOADIONIVS PANNYCHVS S. P. D. D. Adde *Firmic.* 4. *Mathes.* 15.; et *V.* BRACTEARIUS.

INAURĀTŪRA, æ, f. 1. (inauro) auri inductio. *indoratura*. *Frontin. Expos. formar. p.* 31. *Goes*, Planum est, quod Græci ἐπίπεδον appellant, nos constratos pedes, in quo longitudinem et latitudinem habeamus: per quæ etiam agros, ædificiorum sola, ut et opera tectoria, inauraturas, tabulas et his similia, in quibus altitudo aut crassitudo non proponitur etc.

INAURĀTUS, a, um, particip. *V.* INAURO.

INAURĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et auratus) non auratus, auro carens. *Titinius* apud *Charis.* 2. *p.* 181. *Putsch.* Inauratæ atque inlautæ mulieris.

INAURES, ĭum, f. plur. 3. (in *et* auris) ornamenta ex auro, margaritis, aut gemmis, ab auribus pendentia, *orecchini pendenti*, ἐνώτια, ἐλλόβια. *Isid.* 19. *Orig.* 31. Inaures ab aurium foraminibus nuncupatæ, quibus pretiosa grana lapidum dependent. Harum usus in Græcia; puellæ utraque aure, pueri tantum dextra gerebant.

I.) Proprie. — *a*) In plur. num. *Plaut. Men.* 3. 3. 17. Inaures da mihi faciundas, pondo duum nummum stalagmia. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 55. 81. (172). Murænæ, quam diligebat, inaures addidit. *Id.* 32. *ibid.* 2. 7. (16). Anguillæ inaures additas gerunt. Adde *Petron. Satyr.* 55.; et *Lamprid. Alex. Sev.* 59. — *b*) In sing. num. *Plaut. Epid.* 5. 1. 33. Non meministi me inaurem ad te afferre natali die? *Vulgati libri habent* auream; *alii legendum putant* minam auream. *Vulgat. interpr. Job* 42. 11. Dederunt ei unusquisque ovem unam et inaurem auream unam. Adde *ibid. Prov.* 25. 12., *Ezech.* 16. 12. et *Oseæ* 2. 13.

II.) Improprie *inauris* vocatur anulus, qui in Arabia, ornamenti causa, ex feminarum naribus pendet. Hujus meminit *Hieronym.* in *Ezech.* 16. 12.

INAURĬO, is, īre, a. 4. (in et auris) aurium usum tribuo. *Lactant. Epit.* 45. Christus cæcis visum restituebat, mutis eloquium dabat, surdos inauribat.

INAURIS, is, f. 3. *V.* INAURES.

INAURĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et auritus) carens auribus, ἄωτος, *chi non ha orecchie*. *Gell.* 7. 6. Quædam animalium aut cæca natura gignuntur, aut inora inauritave. *h. e.* sine ore et auribus. *Non.* tamen *p.* 129. 12. *Merc.* legit *inaudita* et interpretatur quæ non audiant: hæc porro lectio *Forcellino* magis placebat.

INAURO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* auro). Part. *Inauratus* I. et in fin. — Inaurare est auro obducere, aurum illinere, *dorare*, χρυσόω.

I.) Proprie. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 18. (57). Lacunaria primo inaurata sunt in Capitolio, censura L. Mummii. Inde transiere in cameras quoque et parietes, qui jam et ipsi, tamquam vasa, inaurantur: quum sua ætas varia de Catulo existimaverit, quod tegulas æreas Capitolii inaurasset primus. Adde *Vitruv.* 7. 8. *Cic.* 4. *Verr.* 21. 50. Inauratam statuam alicui ponere. *Id.* 1. *Divinat.* 24. 48. Columna extrinsecus inaurata. *Id.* 3. *Cat.* 8. 19. Romulus inauratus in Capitolio. Cf. *Juvenal.* 13. 151. inaurati Herculis femur. *Sueton. Cæs.* 54. Inauratum

as. *Ovid.* 2. *Fast.* 251. crater. *Id.* 2. *Art. am.* 494. lyra. *Id. Medic. fac.* 18. Vultis inaurata corpora veste tegi. *h. e.* auro texta. Sic *Cic.* 4. *Herenn.* 47. 60. Citharœdus palla inaurata indutus. Adde *Trebell. Poll. Claud.* 14.; et *Vopisc. Aurel.* 40. Similiter de aureo vellere *Ennius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 22. 34. quia Argivi in ea (*nave*) delecti viri Vecti petebant pellem inauratam arietis Colchis.

II.) Translate est divitiis cumulare. *Horat.* 1. *Ep.* 12. 9. ut te Confestim liquidus fortunæ rivus inauret. *Cic.* 7. *Fam.* 13. Moriar, ni (quæ tua gloria est) puto, te malle a Cæsare consuli, quam inaurari. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Inauratus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Inauratior* apud *Tertull. Pall.* 3. *init.* Omni patagio inauratior pavo.

ĬNAUSPĬCĀTŌ, adverb. (inauspicatus) non captatis, vel perperam captatis auspiciis, *senza auspizii, con auspizii contrarii*, ἀπαισίως. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 33. Quod inauspicato pomœrium transgressus esset. *Val. Max.* 1. 1. n. 6. Inauspicato consul creatus.

ĬNAUSPĬCĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* auspicatus). Sup. *Inauspicatissimus* II. — Inauspicatus est non auspicatus, sine auspicio.

I.) Proprie. *Liv.* 7. 6. Lex inauspicata.

II.) Improprie ¶ 1. Est infelix, qui est mali ominis. *Seneca Œdip.* 723. Inauspicata bos. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Inauspicatarum animantium vice. *Id.* 10. *ibid.* 12. 14. (30). Inauspicata cornicis garrulitas. *Id.* 3. *ibid.* 23. 26. (145). nomen. *Id.* 7. *ibid.* 16. 15. (68). exemplum. *Id.* 28. *ibid.* 2. 5. (26). Bibente conviva mensam tolli, inauspicatissimum judicatur. ¶ 2. Etiam in partem meliorem accipitur pro bono improviso et insperato. *Ennod.* 1. *Ep.* 5. Inauspicatis successibus illi provectuum incrementa ventura sunt, quem cœpisse videmus a fascibus. *Id.* 4. *ibid.* 20. Inauspicata bene de Deo merentibus bona tribuuntur. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 35.

ĬNAUSUS, a, um, adject. (in *privat. et* ausus) audacter non susceptus, intentatus, *non tentato, non impreso con audacia. Virg.* 8. *Æn.* 205. ne quid inausum, Aut intentatum scelerisve dolive fuisset. *Val. Flacc.* 1. 807. si quod inausum Arcanumque nefas superest. *Seneca Troad.* 669. Fuerat hoc prorsus nefas Danais inausum. *Seneca Ep.* 91. *a med.* Sciat animus, nihil inausum esse fortunæ. *Tac.* 1. *Ann.* 42. Quid enim per hosce dies inausum intemeratumve vobis? *Seneca Thyest.* 20. Audere inausa.

ĬNAUXĬLĬĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* auxiliatus) qui sine auxilio est, ἀβοήθητος. *Vulgat. interpr. Sapient.* 12. 6. Parentes animarum inauxiliatarum.

ĬNĀVĀRĬTĬES, ĕi, f. 5. (in *et* avarities) idem atque avarities. *Inscript.* opt. notæ apud *Fabrett.* p. 421. *n.* 388. FIDO FIDA VIRO VIXSIT STVDIO PARILI, QVAM (in lapide est QVM; sed videtur exaratum fuisse QVAE pro QVAM, ut sæpe alias) NVLLA INAVARITIES CESSIT AB OFFICIO. *ritrasse dal dovere*, ita ut cessit sit active usurpatum. *V.* tamen *Anthol. Lat. P.* 2. *p.* 117. *Burmann.*, ubi legitur: quam Nulla in avaritie cessit ab officio. Cf. et *Guarini, Pros. Lat. fundam.* p. 88.; *Borghesi, Lettera* 2. *Agosto* 1826.; et *Labus, Lettera* 4. *Luglio* 1827.

ĬNĀVĀRUS, a, um, adject. (in *privat. et* avarus) non avarus. *Cassiod.* 1. *Variar.* 3. Publica privataque commoda inavarus arbiter æstimabas; at, proprio censu neglecto, sine invidia lucri morum divitias retulisti. *Id.* 6. *ibid.* 9. Ut inavarum judicem palatia nostra testentur.

ĬNĀVERSĀBĬLIS vel

ĬNĀVERSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* aversabilis) qui averti et evitari non potest, ἀναπότρεπτος. *Apul. Trismeg. prope fin.* Æternitas inaversabilis, immobilis, insolubilis est. *Al. leg.* inaversibilis *eod. sensu.*

INBĔCILLIS, INBELLIS, INBIBO et similia litteris IMB incipientia, *V.* IMBECILLIS, IMBELLIS, IMBIBO etc.

INCÆDUUS, a, um, adject. (in *privat. et* cæduus). *Inciduus* quidam leg. apud *Ovid.* locis infra cit. et apud *Stat.* 6. *Theb.* 90. — Incæduus est qui non cæditur, ut *incædua silva*, quæ non cæditur, *incædui montes*, in quibus arbores non cæduntur. *Ovid.* 2. *Fast.* 435. multis incæduus annis Junonis magnæ nomine lucus erat. *Id.* 3. *Amor.* 1. 1. Stat vetus et multos incædua silva per annos. *Servius* ad *Virg.* 5. *Ecl.* 63. Intonsi montes, silvosi, incædui.

INCÆLĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* cælatus) *non intagliato. Gloss. Philox.* Incælatus, ἀτόρνευτος, ἄγλυφος.

INCĂLANTO, invocanto. *Paul. Diac. p.* 114. 14. *Müll.*

INCĂLĀTIŌNES, invocationes. *Paul. Diac. p.* 107. 17. *Müll.*

INCĂLĀTĪVĒ, vocative. *Paul. Diac. p.* 114. 2. *Müll.*

INCALCĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* calcatus) non calcatus. *Paulin. Nolan. carm.* 16. 110. Monstrat inaccessos humus incalcata recessus.

INCĂLESCO, călescis, călŭi, călescere, n. inchoat. 3. (in et calesco). Part. *Incalescens* I. — Incalesco est valde calidus fio, *scaldarsi, divenir caldo*, διαθερμαίνομαι.

I.) Proprie. *Liv.* 22. 6. Incalescente sole depulsa nebula. *Colum.* 2. *R. R.* 4. 1. Proscindendi sunt uno tempore jam incalescente. *Liv.* 1. 57. Incaluerant vino. Sic *Curt.* 8. 1. 22. Quum rex mero incaluisset. Cf. *Ammian.* 30. 1. *ad fin.* Vino incalescente. *Ovid.* 9. *Met.* 161. Incaluit vis illa mali (*h. e.* veneni) resolutaque flammis etc. Poetice *Propert.* 4. 7. 27. quis nostro curvum te funere vidit? Atram quis lacrimis incaluisse togam! *h. e.* calidis lacrimis.

II.) Translate. *Ovid.* 2. *Met.* 640. Ergo ubi fatidicos concepit mente furores Incaluitque deo. *Id.* 2. *ibid.* 87. *de equis.* acres Incaluere animi cervixque repugnat habenis. *Flor.* 3. 15. 1. Statim et mortis et legum fratris sui vindex non minore impetu incaluit Cajus Gracchus. *Ovid. Heroid.* 11. 25. Ipsa quoque incalui. *h. e.* amorem concepi. Sic *Id.* 2. *Met.* 574. Vidit et incaluit pelagi deus. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 371. Sic *Sil. It.* 5. 19. Idaliâ sagittâ (*h. e.* Amoris) incaluit. *Tac.* 4. *Hist.* 14. Ubi (*eos*) nocte ac lætitia incaluisse videt. — Et de abstractis. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 30. Plausibus ex ipsis populi lætoque favore Ingenium quodvis incaluisse potest. *Lucan.* 6. 240. Incaluit virtus.

INCALFĂCĬO, făcis, făcere, a. 3. (in *et* calfacio) calefacere, *scaldare. Ovid.* 4. *Fast.* 919. si culmos Titan incalfacit udos. *Id.* 15. *Met.* 735. Ictaque conjectos incalfacit hostia cultros.

INCALLĬDĒ, adverb. (incallidus) non callide, simpliciter, *senza astuzia, semplicemente*, ἀπλῶς. *Cic.* 3. *Off.* 33. 118. In his tribus generibus non incallide tergiversantur. *h. e.* non sine industria. *Gell.* 12. 13. Non mehercule inargute, nec incallide opposuisti hoc Tullianum. *Id.* 7. 3. Ac primum ea non incallide conquisivit.

INCALLĬDUS, a, um, adject. (in *privat. et* callidus) non callidus, simplex, *semplice, non astuto*, ἄδολος, ἁπλοῦς. *Cic. Cluent.* 16. 47. Servus non incallidus et frugi atque integer. *Id.* 1. *Invent.* 3. 4. Arbitror, alios fuisse non incallidos homines. *Tac.* 3. *Ann.* 8. Incallidus alioqui et facilis juventa. *sempliciotto. Capitolin. Macrin.* 13. Fuit in jure non incallidus. *h. e.* non imperitus. Sic *Sabin. Heroid.* 3. 55. Atque utinam formæ judex incallidus essem Creditus.

INCALLO, as, āvi, are, 1. (in *et* callum). — *a*) Active est in callum vertere. *Veget.* 3. *Veterin.* 27. 1. *Schneid.* Tunc enim qua (*tabidus humor*) commeaverit ad instar cuniculi, carnem indurat et incallat, et fit fistula. — *b*) Absolute, neutrorum more, est callum ducere. *Vulgat. Ital.* (edente *A. Maio*) *Deuter.* 8. 4. Vestimenta tua non sunt extrita, pedes tui non incallaverunt, ecce quadraginta anni sunt.

INCĂLO, as, etc. *V.* INCALANDO.

INCANDESCO, candescis, candŭi, candescere, n. inchoat. 3. (in *et* candesco) candens et ignitus fio, vehementer incendor, *divenire infocato*, ἐκπυρόομαι.

I.) Proprie. *Ovid.* 2. *Met.* 729. volat illud (*plumbum*) et incandescit eundo. *Id.* 12. *ibid.* 12. vetus accensis incanduit ignibus ara. *Virg.* 3. *G.* 478. morbo cæli miseranda coorta est Tempestas, totoque autumni incanduit æstu. *h. e.* exarsit, incaluit. *Plin. Paneg.* 30. Pars magna terrarum alto pulvere incanduit.

II.) Translate. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 16. Æstas suo tempore incanduit.

INCANDĬDO, as, are, a. 1. (in et candido) candidum facere. *Firmic. error. relig.* 28. Maculas Christi sanguis incandidat.

INCANDĬDUS, a, um, adject. (in *privat. et* candidus) non candidus. *Gloss. Philox.* Incandidus, ἀλεύκαντος.

INCĀNESCO, cānescis, cānŭi, cānescere, n. inchoat. 3. (in *et* canesco) albus, vel canus fio, *farsi bianco o canuto, incanutire.* Occurrit tantum Præter. perf. apud Poetas. *Catull.* 64. 13. Tortaque remigio spumis incanuit unda. *Virg.* 2. *G.* 71. ornusque incanuit albo Flore piri. *Val. Flacc.* 6. 611. gelu magnoque incanuit imbre Caucasus. *Sil. It.* 3. 328. quum pigra incanuit ætas.

INCANTĀMENTUM, i, n. 2. (incanto) incantatio, *incantesimo*, ἐπῳδή. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 3. (10). Polleant ne aliquid verba et incantamenta carminum. *Ammian.* 29. 2. *init.* Anilia incantamenta. *Id.* 16. 8. Anile incantamentum. — Tmesi valde improbanda utitur in hac voce *Commodian.* 43. Falluntur volucres, silvarum bestiæ silvis; Ipsis incanta, jectura quibus est tradita, mentis.

INCANTĀTĬO, ōnis, f. 3. (incanto) incantamentum, ἐπῳδή. *Firmic.* 5. *Mathes.* 5. Magicas insequentur incantationes. *Tertull. Habit. mul.* 2. Incantationum vires. Adde *Vulgat. interpr. Exod.* 7. 11. et 22. et alibi sæpe.

INCANTĀTOR, ōris, m. 3. (incanto) qui incantamentis utitur, *incantatore, stregone. Tertull. Idolol.* 9. Nusquam invenias aut incantatores, aut conjectores, aut magos, nisi plane punitos. Adde *Vulgat. interpr. Deuter.* 18. 11., 2. *Par.* 33. 6. et alibi.

INCANTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INCANTO, as, āvi, ātum, are, a. et n. 1. (in *et* canto). Part. *Incantans* 1.; *Incantatus* 2. — Incantare ¶ 1. Generatim est idem quod cantare, vel in aliquo loco cantare, *cantare*, ᾄδειν. *Apul.* 8. *Met.* Dum forte passerem incantantem sæpiculæ consectatur arripere. ¶ 2. Speciatim est magico carmine quippiam supra naturam nocendi causa moliri. *Leg. XII. Tab.* apud *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (17). QVI MALVM CARMEN INCANTASSIT. — Absolute *Apul. Mag.* Quæsisti, quod mihi emolumentum fuerit incantandi: responderunt, ut mulier rueret. *Id. ibid.* Quum illi incantatam mulierem dicerent. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 48. Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum Excidere, atque herbas atque incantata lacertis Vincula. *Ammian.* 14. 7. Familiarem suum cum pileo, quo caput operiebat, incantato vetitis artibus, ad templum misisse fatidicum, quæritatum expresse an ei firmum portenderetur imperium. *Spartian. Did. Jul.* 7. Incantato vertice.

INCĀNUS, a, um, adject. (in *et* canus) idem quod canus, aut valde canus, *canuto*, πολιός. *Plaut. Rud.* 1. 2. 37. Ecquem tu hic hominem crispum incanum videris. *Catull.* 64. 310. Cum cinere incanos solvent a vertice crines. *Virg.* 3. *G.* 311. barbas incanaque menta Cinyphii tondent hirci. Sic *Colum.* 8. *R. R.* 2. 9. Gallinaceorum paleæ ex rutilo albicantes, quæ velut incanæ barbæ dependent. *Sueton. Domit.* 20. Incanum caput. *Ovid.* 8. *Met.* 802. Labra incana situ. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 19. 113. (173). Incana herba. Poetice *Catull.* 95. 5. *de Smyrna Cinnæ.* Smyrnam incana diu sæcula pervolvent. *h. e.* antiqua, multorum annorum sæcula.

INCĂPĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* capio) qui capi non potest, incomprehensibilis. *Arriani* apud *Augustin. Ep.* 174. dicebant, credere se Deum patrem invisibilem, ingenitum, incapabilem. *Gloss. Philox.* Incapabilis, ἀχώρητος.

INCĂPAX, ācis, adject. (in *privat. et* capax) non capax, *incapace. Augustin. de Nat. et Grat.* 21. Quos videt ita nasci – non solum præcepti incapaces etc. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 588. Scio, incapacem te sacramenti, impie. *Id. ibid.* 348. Ædes incapax solvi.

INCĂPISTRO, as, āvi, are, a. 1. (in *et* capistro) capistro vincire: sed occurrit translate tantum pro irretire. *Apul.* 11. *Met.* Quum me malis incapistrasset erroribus.

INCARESCO, is, ere, n. 3. idem quod caresco, vel multum caresco. Vox a Lexicis expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 95.

INCARNĀTĬO, ōnis, f. 3. (incarno) actus carnem assumendi. *Augustin.* in *Johann.* 36. Ut perveniat ad omnes gentes non solum Incarnatio Filii Dei,

passio et resurrectio, sed etiam quod erat ante incarnationem unicus Patri, Verbum Patris, coæternus generanti, æqualis ei a quo missus est. *Hieronym. Ep. Hedibiæ T.* 4. p. 182. Ut humilitate et incarnatione Christi eos salvos faceret. *Ambros. Ep.* 8. 64. Dum nesciret dominicæ incarnationis sacramentum. Adde *Paulin. Nol. Ep.* 11.; *Alcim. Avit. Ep.* 3.; *Cassiod. de Anim.* 12.; et *Venant. Fortun.* 11. *init.*

INCARNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INCARNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* caro). Part. *Incarnatus.* — Incarnare, quod fere passive occurrit, sed Mediorum apud Græcos significatione, est carneum reddere, carnem assumere, *incarnare*, σαρκόω. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 12. *a med.* Sicut et Deum dicimus incarnatum, et sicut ipsa anima humana incarnatur, utique quum administrandam suscipit carnem. *Salvian.* 3. *advers. Avar.* 2. *ante med.* Scrivimus, parentes testamenta facturi, quid justitia Dei posceret; sed subacti, fatemur, summus jugo incarnatæ necessitatis; cessit sanguini fides. *scil.* ut improbis filiis aliquid divitiarum relinquamus. *Ambros. in* 1. *Luc.* 10. 22. Venit incarnatus ex Virgine. *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 9. Incarnatus homo factus est. *Id.* 6. *ibid.* 22. *a med.* Dominus hæc etiam ante incarnatam sui præsentiam in sanctis locutus est. — Apud *Veget.* 3. *Veterin.* 22. 3. nonnulli leg. *incarnare;* at *Schneider.* cum plerisque leg. *concarnare.*

INCĀSEĀTUS, a, um, adject. (in *et* caseatus) idem ac caseatus, caseo abundans. *Augustin.* 9. *Confess.* 3. Dimisisti ei peccata super terram, in monte incaseato, monte tuo, monte uberi. *V.* CASEATUS.

INCASSUM *V.* CASSUS.

INCASTĒ, adverb. inceste. Legitur apud *Senec.* 2. *Controv.* 13. *init.*

INCASTĪGĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* castigatus) non castigatus, *impunito,* ἀδιόρθωτος. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 45. Nec me dimittes incastigatum.

INCASTRĀTŪRA, æ, f. 1. (in *et* castratura) commissura, *incastratura,* ἐφαρμογή. *Vulgat. interpr. Exod.* 26. 17. In lateribus tabulæ duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur. Adde *eumd. ibid.* 36. 22. et 24.

INCASTUS. *V.* INCESTUS, a, um.

INCĀTHŎLĬCUS, a, um, adject. (in *privat. et* catholicus) non catholicus, *incattolico, acattolico. Cassiod. de anim.* 12. *ante med.* Ab incatholicis catholica lacerabatur Ecclesia.

INCAUTĒ, adverb. (incautus). Comp. *Incautius* et Sup. *Incautissime.* — Incaute est improvide, imprudenter, *incautamente, inconsideratamente,* ἀπρονοήτως. *Cic.* 7. *Att.* 10. Adhuc, nisi ego insanio, stulte omnia et incaute. *Liv.* 7. 15. Incaute atque inconsulte pugnare. Sic *Quintil.* 5. 11. 27. Incaute et inconsulte. *Plin.* 9. *Ep.* 13. 10. Incaute et nimis fortiter. *Cæs.* 7. *B. G.* 27. Quod paulo incautius custodias in muro dispositas videbat. *Id.* 3. *B. C.* 24. Illi studio incitati incautius sequebantur. *Liv.* 21. 7. Sed dum murum incautius subit, femur tabula ictus cecidit. Adde *Curt.* 4. 6. 23. *Plin.* 1. *Ep.* 15. *extr.* Potes apparatius cœnare apud multos: nusquam hilarius, simplicius, incautius. *h. e.* securius, ita ut cauto minus sit opus, liberius et minori sollicitudine. *Augustin. mor. Manich.* c. *ult.* Ut se ipsos incautissime proderent.

INCAUTĒLA, æ, f. 1. (incautus) actus illius, qui incaute aliquid agit. *Salvian.* 6. *Gubern. D.* 10. Unus incautus periit, ne multi per incautelam postea deperirent.

INCAUTUS, a, um, adject. (in *privat. et* cautus). Comp. *Incautior* et Sup. *Incautissimus.* 1. — Incautus ¶ 1. Activa est qui sibi cavere nescit, ἀφύλακτος (It. *incauto, mal avveduto;* Fr. *qui n'est pas sur ses gardes, qui manque de précaution, imprudent;* Hisp. *el que carece de precaucion, imprudente, inconsiderado;* Germ. *unbehutsam, nicht behutsam, unvorsichtig, sich nicht in Acht nehmend;* Angl. *unwary, incautious, heedless, improvident, inconsiderate*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cæs.* 6. *B. G.* 30. Ut in ipsum incautum etiam atque imparatum incideret. *Cic. Rosc. Am.* 7. 20. Perfacile hunc hominem incautum et rusticum et Romæ ignotum de medio tolli posse. *Id.* 11. *Phil.* 2. 5. Trebonius oppressus est ab hoste incautus. *Id. Planc.* 22. 53. Qui te incautum fortasse nunc tuo loco dimovere potuerunt. *Id. Brut.* 70. 246. Messala prudens, acutus, minime incautus patronus. *Id.* 9. *Fam.* 21. Quod ego non suspicans incautior fuissem, nisi a te admonitus essem. *Liv.* 5. 44. *sub fin.* A secundis rebus incauti. *Tac.* 1. *Ann.* 68. Cadebantque, ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti. *Id.* 11. *ibid.* 26. Claudius, ut insidiis incautus, ita iræ properus. *Id.* 4. *ibid.* 1. Tiberius obscurus adversum alios, sibi uni incautus intectusque. *Curt.* 4. 1. 32. Victoriæ fiducia incautus. *Id.* 10. 9. 8. Incautum opprimere. *Sidon.* 8. *Ep.* 11. Incautissimus, quia credulus. *Liv.* 30. 13. Juventa incautior. *Ovid.* 4. *Pont.* 14. 18. Incautum ingenium. *Val. Flacc.* 2. 433. linguæ. — *b*) Cum Ablat. et præpos. *ab. Liv.* 40. 5. Incautus a fraude fraterna juvenis. — *c*) Cum Genit. *Stat.* 6. *Theb.* 766. et ille nocendi Prodigus, incautusque sui, ruit omnis etc. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 35. formica haud ignara ac non incauta futuri. ¶ 2. Passive est qui non cavetur. *Lucret.* 6. 390. Quibus incautum scelus aversabile cumque est. Sic *Propert.* 2. 1. 80. Sic est incautum quidquid habetur amor. *Liv.* 25. 38. *a med.* Quod neglexeris, incautum atque apertum habes. *Tac.* 1. *Ann.* 50. Iter impeditius at intentatum, eoque hostibus incautum. *non guardato da' nemici. Sil. It.* 2. 98. rueretque incopina sub ictu Ante fera incauto, quam sibila poneret arcus. *Lucan.* 5. 500. Sponte per incautas audet tentare tenebras, Quod jussi timuere, fretum. *h. e.* in quibus nihil cavere possumus.

INCĀVILLĀTĬO, per despectum irrisio. *Paul. Diac.* p. 107. 16. *Müll.*

INCĀVILLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (in *et* cavillor) idem fere ac cavillari. *Gell.* 5. 5. in *lemmate.* Cujusmodi joco incavillatus sit Antiochum regem Pœnus Hannibal.

INCĀVO, as, are, a. 1. (in *et* cavo) idem quod cavare, excavare, effodere, *cavare, incavare,* κοιλόω. *Colum.* 4. *R. R.* 25. 2. Quum allevare quid debet, scalpro; quum incavare, rostro falcis nititur.

INCĒDO, cēdis, cessi, cessum, cēdere, n. *et aliquando* a. 3. (in *et* cedo, *qua ire significat*). Part. *Incedens* I. 1. et 2.; *Incessurus* I. 1. — Incedere est ire, ambulare, atque adeo venire, advenire, accedere, progredi, ingredi, intrare, βαδίζω (It. *camminare, andare;* Fr. *marcher posément, aller, s'avancer;* Hisp. *ir, andar, caminar;* Germ. *inhergehen, - schreiten in oder -bei etwas;* Angl. *to walk, go*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum addito loco, per quem quis incedit. *Plaut. Merc.* 2. 3. 71. Quando incedat per vias. *Val. Flacc.* 7. 381. per mœnia deficit urbis incedens. *Tac.* 14. *Ann.* 53. per hæc suburbana. *Ammian.* 16. 11. per brevia. *Horat.* 2. *Od.* 1. 7. per ignes. *Virg.* 5. *Æn.* 188. media socios incedens nave per ipsos. *Plaut. Curc.* 1. 1. 32. Caute ut incedas via. *Ovid.* 6. *Fast.* 653. vagus incedit tota tibicen in urbe. *Cic.* 1. *Divinat.* 24. 49. Tum visam belluam, quacumque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere. *Liv.* 8. 36. *a med.* Incessit deinde, qua duxit prædæ spes, victor exercitus. *Lucan.* 2. 675. Incedere super fretum. — *b*) Absolute, sed sæpissime addito modo. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 89. Cæruleo incinctæ angui (*Furiæ*) incedunt, circumstant cum ardentibus tædis. *Cic. Sext.* 8. 19. Quam teter incedebat, quam truculentus, quam terribilis aspectu. *Liv.* 28. 9. *ad fin.* Etiam si pedes incedat, memorabilem fore. *vada a piedi. Justin.* 41. 3. 5. Servi pedibus, liberi non nisi equis incedunt. Sic *Sueton. Aug.* 53. Incedere pedibus. Cf. *Virg.* 5. *Æn.* 553. Incedunt pueri pariterque ante ora parentum Frenatis lucent in equis. *Ovid.* 2. *Met.* 772. Incedere passu incerti. *Id.* 10. *ibid.* 49. passu tardo. *Ammian.* 21. 10. et 24. 5. citis passibus. *Catull.* 40. 8. turpe. *Ovid.* 2. *Art. am.* 423. mollitær. *Id. Remed. am.* 337. durius. *Sueton. Tib.* 68. cervice rigida. *Ammian.* 21. 12. sensim et caute. Huc pertinet et illud *Apul.* 2. *Met. ab init.* Jam statuas et imagines incessuras, parietes locuturos etc. — *c*) Cum addito, quo quis incedit, et fere est venire, advenire, intrare, *andare, venire, capitare; entrare. Plaut. Most.* 4. 3. 6. A foro incedo domum. *Id. Pœn. prol.* 10. Nimis est stultitia, sessum impransum incedere. *Id. Most.* 1. 3. 152. Est ne hic meus sodalis, qui huc incedit cum amica sua? *h. e.* venit, advenit. Cf. *Tac.* 11. *Ann.* 32. Undique nuncii incedunt, qui afferrent etc. *Id.* 2. *ibid.* 20. Incedere in silvam. *h. e.* intrare. Sic *Justin.* 34. 3. 1. Mittitur legatus Popilius ad Antiochum, qui abstinere illum Ægypto, aut si jam incessisset, excedere juberet. — *d*) Sæpissime pertinet ad gravitatem ac tarditatem gressus, de fastu dicitur; et in aliquibus locis pro apparere, aut esse ponitur. *Seneca* 7. *Quæst. nat.* 31. Tenero et molli ingressu suspendimus gradum: non ambulamus, sed incedimus. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 146. Ut ovans præda onustus incederem. Sic *Liv.* 1. 16. Quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis. *Id.* 2. 6. Nostris decoratus insignibus magnifice incedit. *Lucret.* 3. 76. claro qui incedit honore. *Cic.* 2. *Fam.* 9. Repente vero incessi omnibus lætitiis. *mi posi a camminare tronfio ed esultante. Sall. Jug.* 31. Incedunt per ora vestra magnifici. *Id. in orat. M. Lepidi ad fin.* Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? Quia secundæ res mira sunt vitiis obtentui. *Horat. Epod.* 15. 18. quicumque es felicior et meo Superbus incedis malo. Cf. *Juvenal.* 12. 126. incessit superbus victis rivalibus. *Virg.* 1. *Æn.* 500. Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit, magna juvenum stipante caterva. *Id.* 1. *ibid.* 50. Ast ego quæ divum incedo regina, Jovisque Et soror et conjux. *Propert.* 2. 2. 57. Fulva coma est, longæque manus, et maxima toto Corpore: et incedit vel Jove digna soror. *Id.* 3. 11. 11. Matrona incedit census induta nepotum. *Tibull.* 2. 3. 52. utque per urbem incedat donis conspicienda meis. — *e*) Cum Accusativo vi præpositionis, quæ inest in ipso verbo. *Tac.* 1. *Ann.* 61. Incedunt mæstos locos, visuque ac memoria deformes. *Id.* 14. *ibid.* 15. Postremus ipse scenam incedit, multa cura tentans citharam. *Id. ibid.* 22. Fontem aquæ Marciæ ad urbem deductæ nando incesserat. ¶ 2. Specialim usurpatur in re militari et est progredi, *marciare. Sall. Jug.* 101. Barbari in perculsos Romanos acrius incedere. *Liv.* 8. 8. Incedere in hostes. *Id.* 7. 33. in aciem hostium. *Id.* 9. 21. in erumpentes. *Sall. Cat.* 60. Tuba signum dat: cohortes paulatim incedere jubet. *Id. Jug.* 46. Pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere. *Liv.* 21. 33. Prima deinde luce castra mota, et agmen reliquum incedere cœpit. *Id.* 28. 14. Segnius Hispanorum signa incedebant. *Id.* 2. 63. Sabini usque ad portas urbis populantes incessere. Adde *Curt.* 3. 9. 12. Sic *Tac.* 4. 47. Propius incedentes.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, sed raro admodum, de hominibus. *Plaut. Rud.* 3. 3. 31. Præsidio Veneris malitiæ lenonis contra incedam. *mi farò incontro, mi opporrò. Cic.* 2. *Invent.* 14. 45. Facilius ad inventionem animus incedet, si etc. *h. e.* accedet, progredietur. *Tac.* 1. *Ann.* 51. Incessit itineri et prælio. *h. e.* viæ pariter et pugnæ compositus. ¶ 2. Specialim et sæpe de rebus et abstractis occurrit pro advenire, intrare, ingruere, invadere, occupare, *venire addosso, sopravvenire:* et fere in præteritis usurpatur. Non desunt tamen Grammatici, qui verbum impersonale faciunt, vel ab *incesso* ducunt: sed apparet duci ab *incedo* ex nonnullis, quæ sequuntur, in quibus imperfectum *incedebat* occurrit. Ceterum — 1.°) Dicitur de iis, quæ ad tempus referuntur. *Tac.* 15. *Ann.* 37. Postquam tenebræ incedebant. Adde *Liv.* 1. 57.; et *Sil. It.* 8. 339. Similiter *Colum.* 11. *R. R.* 1. 18. Ubi crepusculum incesserit. *Ammian.* 20. 11. vespera. *Colum.* 12. *R. R.* 2. 5. Ubi tempestas incessit. *Id. ibid.* 52. 12. *Schneid.* Quum majora frigora incesserunt. *Id.* 5. *ibid.* 9. 11. siccitates. — Huc referri possunt et sequentia. *Ammian.* 22. 13. Incessit aquarum inopia. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 63. Ubi noxia incesserunt animalia. *Id.* 2. *ibid.* 10. 1. Si sterilitas annonæ incessit hominibus. *V.* infra sub 2.° c. *Tac.* 2. *Ann.* 55. *extr.* Haud invito imperatore ea fieri, occultus rumor incedebat. *si spargeva.* — 2.°) De aliis et præcipue de abstractis occurrit — *a*) Cum Accusativo et præpos. *in. Ter. Andr.* 4. 3. 15. Nova nunc religio in te istæc incessit. *Liv.* 29. 10. Tanta incessit in ea castra vis morbi, ut etc. *Id. ibid.* 24. Periculum erat, ne timor in exercitum incederet. *Al. leg.* in exercitu; *at alii* in exercitum incideret. — *b*) Cum Accusativo vi præpositionis, quæ inest in ipso verbo. *Sall. ep. Mithridat. ad Arsac.* Inopia ambos incessit. *Liv.* 24. 13. Ipsum ingens cupido incesserat Tarenti potiundi. *Id.* 1. 17. Timor patres incessit, ne etc. *Id.* 3. 60. Indignatio hostes incessit. *Justin.* 23. 6. 11. Stupor omnes et admiratio incessit. *Tac.* 2.

Ann. 16. Incessit seditio legiones. Liv. 22. 12. cura animos. Curt. 4. 2. 16. desperatio animos. Id. 3. 8. 25. formido animos. — c) Sæpius cum Dativo. Cæs. 3. B. C. 74. Exercitui omni tantus incessit ex incommodo dolor tantumque studium infamiæ sarciendæ etc. Sall. Cat. 31. Ad hoc mulieres, quibus belli timor insolitus incesserat, afflictare sese etc. Liv. 4. 57. Gravior cura patribus incessit. Adde eumd. 2. 7. Tac. 3. Ann. 36. Incedebat deterrimo cuique licentia, impune probra in bonos excitandi. Curt. 7. 11. 4. Cupido deinde incessit animo naturam quoque fatigandi. Adde eumd. 3. 1. 16.; Val. Max. præfat. 1.; et Symmach. 1. Ep. 5. — d) Absolute. Sall. Jug. 13. Ubi Romam legati venere, tanta commutatio incessit, ut etc. Id. ibid. 41. Ubi formido illa mentibus decessit, scilicet ea, quæ secundæ res amant, lascivia atque superbia incessere. Pseudo-Sall. orat. 1. ad Cæs. circa med. Is incessit mos, ut adolescentuli sua atque aliena consumere, pulcherrimum puteot. s'è introdotto. Rursus Sall. Cat. 7.; et Curt. 4. 8. 3. Incessit cupido. Sall. Cat. 13. lubido. Liv. 8. 17. Religio deinde incessit, vitio eos creatos. Id. 9. 4. mæstitia. Tac. 3. Ann. 26. Ubi pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes. Id. 6. ibid. 21. suspicio. 2. Hist. 63. formido. Id 1. Ann. 51. spes. Id. 3. Hist. 28. cunctatio. Id. 2. Ann. 51. certamen. Curt. 5. 4. 24. desperatio.

INCĒLĀTUS, a, um, adject. (in privat. et celatus) non celatus, non nascosto. Gloss. Philox. Incelatus, ἄκρυπτος. Sic Gloss. Cyrill. Ἄκρυπτον, incelatam, inabsconditam.

INCĔLĔBER, bris, bre, adject. (in privat. et celeber) non celebris, non celebre, ἀδοξίμαστος. Sil. It. 8. 379. Incelebri valle. Gell. 1. 22. Non incelebris advocatus. Id. 5. 14. Non incelebres libri.

INCĔLĔBRĀTUS, a, um, adject. (in privat. et celebratus) non celebratus, atque adeo non vulgatus, non pubblicato. Sall. fragm. apud Gell. 2. 27. et Donatum ad Ter. Eun. 3. 2. 29. Multaque tum ductu ejus curata primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum incelebrata sunt. incelebrata ingeniosa Jac. Gronovii conjectura est pro celebrata, quæ Codicum scriptura auctoris menti ex adverso repugnat. Hæc Kritzius ad l. c. Tac. 6. Ann. 7. extr. Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata.

INCENDĔFĂCIO, facis, feci, facere, a. 3. (incendere et facio) incendere. Trebell. Claud. 8. Qui carraginem tantam nunc incendefecit. Ita legit Salmas. Alii incendi fecit, alii incendio affecit.

INCENDIĀLIS, e, adject. (incendium) ad incendium pertinens. Tertull. 1. ad Nation. 18. Si crucem, configendi corporis machinam, nullus ex vobis regnius pepigit, attamen jam ignis contemptus evasit, ex quo se quidam proxime vestiendum incendiali tunica ad certum asquequaque tempus auctoravit. V. MOLESTUS et TUNICA.

INCENDIĀRIUS, a, um, adject. (incendium) ad incendium aptus, incendiario. Veget. 4. Milit. 8. et 18. Oleum incendiarium. h. e. naphtha. Ammian. 20. 11. Malleolos atque incendiaria tela torquentes. — De incendiaria ave ita Plin. 10. Hist. nat. 13. 17. (36). Inauspicata est incendiaria avis, propter quam sæpe numero lustratam Urbem in Annalibus invenimus, sicut L. Cassio, C. Mario Coss. (h. e. an. U. C. DCXLVII.), quo anno et bubone viso lustrata est. Quæ sit avis ea, nec reperitur, nec traditur. Quidam ita interpretantur, incendiariam esse quæcumque apparuerit carbonem ferens ex aris vel altaribus. Alii spinturnicem eam vocant. Sed hæc ipsa quæ esset inter aves, qui se scire diceret, non inveni. Hæc Plinius. Confer Lamprid. Commod. 5.; et Jul. Obseq. 100. — Hinc

Incendiarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui ædificiis ignem injicit, incendiario, ἐμπρηστής. Tac. 15. Ann. 67. Auriga et histrio et incendiarius exstitisti. Adde Sueton. Vitell. 17. Sic Quintil. Declam. 9. 21. Mirabar inter sacrilegos, incendiarios et (quæ gladiatoribus una laus est) homicidas inclusos turpiore custodia.

INCENDIŌSUS, a, um, adject. (incendium). Comp. Incendiosior. — Incendiosus est incendio, seu calore plenus. Apul. Herb. 58. Folia gustu remordentia et incendiosa. Cæl. Aurel. 5. Tard. 4. Fervor incendiosus. Fulgent. 1. Mythol. 15. Solis fervor incendiosus.

INCENDĬUM, ii, n. 2. (incendo) combustio (It. incendio, abbruciamento; Fr. incendie, feu, embrasement; Hisp. incendio, fuego, quema, abrasamiento; Germ. d. Brand, d. Feuersbrunst; Angl. a burning, setting fire to).

I.) Proprie. Cic. Dom. 24. 62. Domus ardebat non fortuito, sed oblato incendio. Id. 2. Cat. 5. 10. Eructant sermonibus suis cædem bonorum atque urbis incendia. Id. ibid. § 10. Nihil cogitant, nisi cædes, nisi incendia, nisi rapinas. Cf. Auct. B. G. 8. 25. Quum omnia cædibus, incendiis, rapinis vastasset. et Tac. 5. Hist. 25. Quid profectum cæde et incendiis legionum, nisi ut plures validioresque accirentur? h. e. castrorum incendiis. Quintil. 7. 7. 4. Si incendium in arce fuerit. Id. 2. 13. 16. Si janua tenebitur incendio. Cic. 4. Parad. 2. 31.; et Cæs. 5. B. G. 19. Incendium facere. Cic. Mur. 25. 51. excitare. Liv. 26. 27. conflare. Petron. Satyr. 124. portare terris. Virg. 10. Æn. 406. immittere silvis. Curt. 4. 3. 3. latius fundere. Cic. Mur. 25. 51. restinguere. Ovid. Remed. am. 117. sedare Plin. 10. Ep. 42. compescere. Sueton. Ner. 16. arcere. Curt. 3. 4. 15. inhibere. Nepos Themist. 4. Oppidum incendio delere. Cæs. 7. B. G. 55. Incendio frumentum corrumpere. Curt. 9. 4. 6. Incendio se cremare. Sueton. Aug. 30. Incendio aliquid absumere. Plin. 36. Hist. nat. 9. 14. (70). Incendio consumi. Curt. 4. 3. 4. Incendio hauriri. Cf. Tac. 4. Hist. 60. extr. Cuortos, qui prælio superfuerant, incendium hausit. Cic. 1. Cat. 11. 29. Incendio conflagrare. V. infra sub II. 3. Justin. 1. 3. 5. Se et divitias suas in incendium mittere. nel fuoco. Virg. 5. Æn. 680. Sed non idcirco flammæ atque incendia vires indomitas posuere. — Γνώμη est illud Horat. 1. Ep. 18. 85. Et neglecta solent incendia sumere vires. Item illud Flor. 3. 5. Exstincta parum fideliter incendia majore flamma reviviscunt.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur pro ignis dilatatione et augmento, pro ipso igne, inflammatione, calore. Plin. 2. Hist. nat. 68. 68. (172). Incendium siderum. Id. 3. ibid. 8. 14. (88). Ætna nocturnis mirus incendiis. Cf. Justin. 4. 1. 5. Accedunt vicini et perpetui Ætnæ montis ignes et insularum Æolidum, veluti ipsis undis alatur incendium. Plin. 18. Hist. nat. 33. 76. (329). Auster Africæ incendia cum serenitate affert. Pallad. 1. R. R. 4. incendia æstatis. Lucret. 4. 869. glomerataque multa vaporis Corpora, quæ stomacho præbent incendia nostro, Dissipat adveniens liquor. h. e. nimium calorem. ¶ 2. Abstractum pro concreto, incendia sunt flammæ, faces, apud Poetas. Virg. 9. Æn. 71. socios incendia poscit ovantes. Sic Ovid. 14. Met. 539. jactare incendia dextrâ. Tibull. 2. 5. 49. Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris. Cf. Virg. 2. Æn. 329. incendia miscere. et 2. G. 311. glomeratque ferens incendia ventus. ¶ 3. Per metaphoram est calamitas, exitium, periculum; item vehemens animi commotio ex cupiditate, amore et hujusmodi. — a) Universim pro calamitate, exitio, periculo. Cic. Mur. 25. 51. Si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum. Id. 1. de republ. 1. Non duo Scipiones oriens incendium belli Punici secundi sanguine suo restinxissent, nec etc. Id. Marcell. 9. 29. Belli civilis incendium salute patriæ restinguere. Sic Sil. It. 2. 338. primi incendia belli. et Vellej. 2. 48. Belli civilis exarserunt incendia. et 88. Belli civilis restinxit incendium. Cludius ita pro initia et initium edidit. et Justin. 9. 3. 5. Ne, victis Atheniensibus, bellum, veluti vicinum incendium, ad se transiret. Et absolute eodem sensu Id. 1. 7. 5. Ad commune exstinguendum incendium. Adde eumd. 5. 1. 5.; Flor. 2. 15. 15., 3. 21. 9. et 4. 6. 1.; et Val. Flacc. 8. 399. Similiter Sil. It. 16. 160. in Libyam portari incendia suades. Cic. 4. Tusc. 32. 69. Amor Medeæ quanta miseriarum excitavit incendia! Id. 1. Cat. 11. 29. Quum vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiæ incendio conflagraturum? Sic Liv. 39. 6. Incendio alieni judicii conflagrare. Asin. Pollio apud Cic. 10. Fam. 33. Res cogit, huic tanto incendio succurrere omnes, qui etc. Liv. 22. 40. Se populare incendium priore consulatu semiustum effugisse. — b) Speciatim incendium annonæ est ejus pretii incrementum, l'incarire de' viveri, ritocco. Manil. 4. 168. Et gravis annonæ speculantem incendia, ventis Credere opes. Quintil. Declam. 12. 4. Si quid residui erat, ut carius venderent, ad annonæ incendium suppressum est. V. voc. sequent. II. 3. — c) Pro vehemente animi commotione ex cupiditate, amore et hujusmodi. Plaut. Merc. 3. 4. 3. Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium: ni oculos lacrimæ defendant, jam ardeat, credo, caput. Cic. 5. Fin. 24. 70. Cupiditatum incendiis inflammatus. Id. Orat. 8. 27. Restinctis jam animorum incendiis. Id. 2. Orat. 47. 197. Qui in accusando sodali et quæstore meo tantum incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi et dolore et ardore animi concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere. Vellej. 2. 130. 4. Abstruso pectus ejus flagravit incendio. h. e. dolore. Id. ibid. 125. 4. Plurimo igne emicans incendium militaris tumultus. h. e. seditionis vis. Apul. 8. Met. Aper incendio feritatis ardescens. Ovid. 1. Fast. 411. aliæ Satyris incendia mitia præbent. h. e. amorem. Id. 2. Art. am. 301. movare incendia. h. e. excitare amorem. Cf. Val. Flacc. 7. 242. Unde metus æstusque mihi, quæque aspera, mater, Perpetior duræ jamdudum incendia mentis.

INCENDO, cendis, cendi, censum, cendere, a. 3. (in et candeo: Cf. accendo et succendo). Incensit pro incenderit, sicut incepsit pro inceperit, olim dictum est, teste Paul. Diac. p. 107. 20. Müll. — Part. Incendens II. 2.; Incensus I., II. 2. et in fin.; Incensurus et Incendendus I. — Incendere est accendere, inflammare, comburere, ἐμπυρίζω (It. accendere, infiammare, abbruciare; Fr. mettre en feu, allumer, embraser, incendier, brûler; Hisp. encender, pegar fuego á, abrasar, quemar; Germ. in Brand stecken, anzünden, verbrennen; Angl. to kindle, set fire to, burn).

I.) Proprie. — a) Stricto sensu. Cæs. 2. B. C. 11. Cupas tæda ac pice refertas incendunt, easque de muro in musculum devolvunt. Cic. 6. Verr. 35. 77. Tus et odores incendere. Id. 3. Tusc. 18. 43. Incendere odores. Virg. 1. Æn. 730. dependent lychni laquearibus aureis incensi. Ennius apud Non. p. 429. 4. Merc. Et civitatem video Argivum incendere. Cato apud Gell. 5. 6. Quis vidit corona donari quemquam, quum oppidum captum non esset, aut castra hostium non incensa essent? Cæs. 1. B. G. 5. Oppida sua omnia, vicos, reliqua privata ædificia incendunt: frumentum omne comburunt. Similiter Id. 6. ibid. 6. Incendere ædificia vicosque. Cic. 3. Nat. D. 30. 74. tabularium. Sall. Cat. 47. Vigesimus annus ab incenso Capitolio. Nepos Miltiad. 7. Lucus nocturno tempore incensus. Cic. 9. Att. 6. Naves omnes aut præcidisse, aut incendisse. Id. 7. Verr. 35. 91. Classem inflammare et incendere. Id. 3. Cat. 4. 10. Quod cædem Saturnalibus fieri atque urbem incendi placeret. Liv. 9. 9. Si spopondissemus, urbem hanc relicturum populum Romanum? si incensurum? Cæs. 7. B. G. 30. Quod primo incendendum Avaricum, post deserendum censuerat. Plin. 35. Hist. nat. 9. 36. (60). Ajax fulmine incensus. h. e. combustus. — In illo Stat. 1. Theb. 630. de Phœbo. Pestifera arma jacit, camposque et celsa Cyclopum Tecta superjecto nebularum incendit amictu. incendit est corrumpit, absumit, velut incendio, nebulis æstuque pestilenti. — Rogum incendere apud Plaut. Men. 1. 2. 44. proverbiali locutione est opipare vivere, genio indulgere, vino et epulis diem consumere. Versu præcedenti dixerat diem comburere. V. COMBURO. Simile est quodammodo quod nos dicimus dar fuoco alla casa. — b) Poetice. Virg. 1. G. 81.; et Pallad. 1. R. R. 6. 23. Incendere agros. h. e. frumenta. Virg. 1. ibid. 271. vepres. Id. 3. Æn. 279. aras votis. h. e. votivas victimas aris cremare. Sic Id. 8. ibid. 285. Incensa altaria. Lucan. 4. 68. Incendere diem nubes oriente remota. h. e. effecere, ut sol esset ardentior et diem calore accenderet. Virg. 3. G. 459. Profuit incensos æstus avertere. Colum. 12. R. R. 19. 3. Levi igne et tenuibus lignis fornacem incendemus. h. e. calefaciemus, riscalderemo. — c) Absolute. Quintil. 6. 2. 28. Nec incendit nisi ignis.

II.) Translate. ¶ 1. Interdum ponitur pro illuminare, igneum colorem inducere. Cic. 1. Nat. D. 31. 87. Ejusdem (solis) incensa radiis luna. Ovid. 2. Pont. 1. 41. Deque triumphato, quod sol incenderit, auro etc. Virg. 5. Æn. 87. maculosus et auro Squamam incendebat fulgor. Stat. 2. Silv. 1. 134. vivis digitos incendere gemmis. h. e. ornare ita ut splendeant. ¶ 2. Sæpissime de animi affectibus

usurpatur, et est vehementer commovere, concitare, incitare, irritare. — a) Active. Cic. 2. Orat. 45. 188. Ut mihi non solum tu incendere judicem, sed ipse ardere videaris. Id. 13. Fam. 15. Iidem hominem perustum etiamnum gloria volunt incendere. Id. 5. ibid. 12. Me ita vel cepit, vel incendit, ut cuperem etc. Sall. Jug. 25. Ne amplius morando, Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet. h. e. incitaret, irritaret. Adde Ter. Phorm. 1. 4. 9., quem locum V. infra sub c. Sic Virg. 4. Æn. 360. Desine meque tuis incendere teque querelis. Horat. 2. Sat. 6. 47. acris ubi me natura incendit. Quintil. 4. 2. med. Incendere aliquem et plenum iræ relinquere. Val. Flacc. 6. 207. Tyndariden incendit amor. Sever. Ætn. 187. opus artificem incendit. h. e. accendit cupiditate intelligendi, acuit, stimulat. Sall. Cat. 38. Plebem exagitare, dein largiundo atque pollicitando magis incendere. Id. ibid. 13. Hæc juventutem ad facinora incendebant. Ter. Heaut. 2. 3. 126. Incendere animum cupidum inopiâ. Cic. 2. Att. 16. Si ulla res est, quæ bonorum animos, quos jam vides esse commotos, vehementius possit incendere, hæc certe est. Virg. 4. Æn. 147. Incendere animum dictis. Id. 6. ibid. 890. animum famæ venientis amore. Ter. Andr. 2. 1. 8. lubidinem alicujus. Cic. 15. Fam. 21. Quum incendisses cupiditatem meam consuetudinis augendæ nostræ. Sueton. Cal. 15. Incendere studia hominum omni genere popularitatis. Virg. 5. Æn. 455. Tum pudor incendit vires et conscia virtus. h. e. auget. Sic Id. 9. ibid. 500. Illam incendentem luctus etc. Tac. 2. Ann. 82. Sermones vulgi incendit mors audita. Cic. 9. Att. 1. Ne odia improborum rursus in nos, quæ jam exstincta erant, incendamus. Seneca Brevit. vit. 16. Quid est aliud vitiis nostris incendere, quam auctores illis inscribere deos? Val. Flacc. 6. 92. incendere prælia cornu; quod Virg. 6. Æn. 165. Martemque accendere cantu. Juvenal. 6. 647. Rabies jecur incendit. — Pro implere per catachresin, ut Servius notat in illo Virg. 10. Æn. 895. clamore incendunt cælum. Adde eumd. 11. ibid. 147. Sic Justin. 38. 8. sub fin. Ut regia omnis repentino luctu incenderetur. Simile est illud Silii It. 14. 200. atque hinnitibus aera flammat. — Cum Infinito. Ennius apud Non. p. 160. 5. Merc. Deum me incendit facere pietas, civium porcet pudor. Forcellinus ita leg.; at cl. Vahlen. Ennianæ poes. reliqq. p. 138. legit: Dein senis me facere pietas etc. — b) Passive. Plaut. Pseud. 1. 2. 67. Nimis sermone hujus iræ incendor. Ter. Hecyr. 4. 1. 47. Incendor ira, esse ausam facere hæc te injussu meo. Sic Nepos Pelop. sub fin. Incensus ira. at Virg. 4. Æn. 376. Furiis. Rursus Ter. Phorm. 5. 7. 81. Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo, ut etc. Sic Virg. 5. Æn. 719. Talibus incensus dictis. Cic. 3. ad Q. fr. 1. 5. § 18. Sed tamen amore sum incensus. Sic Virg. 3. Æn. 298. magnoque incensum pectus amore, Compellare virum etc. Cic. Cluent. 64. 181. Mulier incensa odio pristino. Sic Sall. Cat. 47. Incensus odio. Nepos Lysand. 2. dolore. Cic. Orat. 10. 33. Incendor quotidie magis non desiderio solum, sed etiam incredibili fama virtutum admirabilium. Id. Rosc. Am. 17. 48. Incensus studio, quod ad agrum colendum pertinet. innamorato, dilettantissimo. Id. 1. Tusc. 2. 4. Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria. Justin. 18. 4. 6. Incensus pecunia. h. e. pecuniæ cupiditate. Cic. Opt. gen. orat. 7. 22. Inimicitiis incensa contentio. Auct. B. G. 8. 48. Equus incensus calcaribus. — Et absolute. Cic. 1. Tusc. 19. 44. Quum corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates, eoque magis incendi, quod etc. Id. Prov. cons. 14. 35. Nec imperatorem incensum ad rempublicam bene gerendam revocare debemus. portato, desideroso, voglioso. Nepos Eumen. 10. Adeo erat incensus, ut teniri non posset. adirato, irritato. Sic Cic. 4. Verr. 36. 89. Vehementer Sthenio incensus. Al. leg. infensus. Id. 1. Fam. 9. Cæsar a Crasso in me incensus. incitato contro di me. Phædr. 3. 10. Incensus ille falso uxoris crimine. Virg. 4. Æn. 300. totamque incensa per urbem Bacchatur. Plin. Paneg. 73. Hoc magis incensi sumus, ut precaremur. ¶ 3. Incendere annonam apud Varron. 3. R. R. 2. 16. est annonæ pretium augere, rincarare, incarire i viveri. quod paullo sup. dixerat excandefacere. ¶ 4. Incendere genus suum est perdere, et quasi incendio consumere, apud Plaut. Trin. 3. 2. 42. rovinare la casa. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima supra exempla retulimus,

Incensus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. Incensior apud Claudian. 3. Rapt. Pros. 201. Phlegrâ nobis incensior æther. — Et hinc

Incensum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est idem atque incensio, scilicet luminis atque lucernæ. Ambros. de Virginib. 3. Solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, quum e somno surgimus, quum prodimus, quum cibum sumimus, quum sumpserimus, et hora incensi, quum denique cubitum pergimus. — Alio sensu V. INCENSUM loco suo.

INCENSĒ, adverb. (incensus) translate occurrit, et est vehementer, ardenter. Gell. 10. 3. circa med. Odium in Verrem incense atque acriter atque inflammanter facit.

INCENSĬO, ōnis, f. 3. (incendo) incendium, combustio, accendimento, incendio, ἔμπρησις. Cic. 3. Cat. 4. 9. Annus post Capitolii incensionem vicesimus. Id. Sull. 11. 33. Incensione urbem, internecione cives liberari. Arnob. 7. 29. Incensio turis. Adde Vulgat. interpr. Num. 11. 3.

INCENSĬTUS, a, um, adject. (in privat. et censitus) non censitus. Cod. Theod. 10. 23. 1. Ut classicorum numerus ex incensitis vel accrescentibus compleatur.

INCENSOR, ōris, m. 3. (incendo) qui incendit, ἐμπρηστής.

I.) Proprie. Claud. Saturnin. Dig. 48. 19. 16. § 9. Messium incensores. Ita Torrentin.; at Haloand. edidit incisores. Sed incensores messium habetur etiam apud Paul. 5. Sentent. tit. 20. — Incensores specularum apud Apul. de Mundo sunt qui in speculis ignes accendunt significandi gratia. V. SPECULA.

II.) Translate est concitator. Ammian. 31. 9. Metuendus antehac incensor turbarum.

INCENSUM, i, n. 2. (incendo) est quidquid incenditur, vel comburitur: hinc ¶ 1. Est tus, thymiama, incenso. Isid. 4. Orig. 12. Incensum dictum quia igne consumitur, dum offertur. Inscript. apud Marin. Frat. Arv. p. 639. ET PRAETERRA OMNIBUS kalendis, NONIS, IDIBVS SVIS QVIBVSQVE MENSIBVS LVCERNA LVCENS SIBI PONATVR INCENSO IMPOSITO. Sulpic. Sev. 1. Hist. sacr. 47. Ozias regnum Judææ adeptus, illicita præsumens, incensum Deo obtulit, quod solis facere sacerdotibus fas erat. Adde Vulgat. interpr. Exod. 29. 13. et alibi sæpissime. Gloss. Philox. Incensum, θυμίαμα. ¶ 2. Item est idem atque holocaustum, sacrificium. Tertull. advers. Jud. 5. Incensum abominatio est mihi. ¶ 3. V. aliam significationem in fin. v. INCENDO.

INCENSUS, a, um, particip. V. INCENDO.

INCENSUS, a, um, adject. (in privat. et census) non census, in censu non descriptus, non dato o posto in nota. Cic. Cæcin. 34. 99. Hominem incensum vendere. Liv. 4. 8. Populus per multos annos incensus. Id. 1. 44. Lex de incensis lata.

INCENTĬO, ōnis, f. 3. (incino, sive in et cantio) cantio, sonus. ¶ 1. Generatim. Gell. 4. 13. Democritus docet, plurimis hominum morbis medicinam fuisse incentiones tibiarum. ¶ 2. Specialim sumitur pro incantamento, quod vocis modulatione fiebat. Gell. 16. 11. Et incentionibus herbarumque succis faciant medelarum miracula. Cf. Ammian. 30. 1. Circeæ incentiones.

INCENTĪVUM, i, n. 2. V. voc. seq. in fin.

INCENTĪVUS, a, um, adject. (incino) qui ad canendum inservit.

I.) Proprie, tibia incentiva est, quæ a dextra canit, sicut succentiva, quæ a sinistra succinit. Varro 1. R. R. 2. 15. Dextera tibia alia quam sinistra, ita ut tamen sit quodammodo conjuncta, quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva.

II.) Translate. ¶ 1. Incentivus dicitur qui prior est, ut succentivus qui posterior. Varro 1. R. R. 2. 16. Aliud pastio, aliud agricultura, sed affinis. Et licet adjicias, pastorum vitam esse incentivam, agricolarum succentivam, quæ succinit pastorali, quod est inferior, ut tibia sinistra dextræ. ¶ 2. Item per metaphoram est ad incitandum aptus: quia incentione tubarum solent milites ad pugnam incitari. Prudent. Hamartig. 250. terras lues incentiva fatigat. Firmic. 1. Mathes. 5. Incentivi ignes. — Hinc

Incentivum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est invitamentum, stimulus, incentivo. Incertus Auct. Paneg. ad Constantin. 1. Non tubæ solum, sed etiam Spartanæ tibiæ incentivum aliquod feruntur habuisse. Ammian. 31. 7. Incentivum audendi majora. Id. 14. 1. Acerbitati uxor grave accesserat incentivum. Adde eumd. 20. 6., 27. 8., 22. 11. et alibi. Hieronym. Ep. 52. n. 3. Incentiva vitiorum et carnis titillationes. Prudent. Apotheos. 929. Est incentivum peccaminis. Arnob. 4. 33. Incentivum laudis.

INCENTOR, ōris, m. 3. (incino) qui incinit.

I.) Proprie. Paulin. Nol. carm. 15. 32. Incentor carminis. Adde Avien. Perieg. 895.; et Isid. 6. Orig. 9. et 7. ibid. 12.; et V. ACCENTOR.

II.) Translate incentor dicitur, qui alium ad mala incitat. Paulin. Nol. Ep. 29. 8. Incentor potius, quam consolator lacrimarum. Ammian. 15. 1. init. Apodemius, quoad vixerat, igneus turbarum incentor. Id. 16. 12. Et Chnodomarius quidem nefarius belli totius incentor. Sic Vulgat. interpr. 2. Machab. 4. 1. Simon autem prædictus pecuniarum et patriæ delator, male loquebatur de Onia, tamquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc, et ipse fuisset incentor malorum. Adde Ambros. Ep. 5.; et Symmach. Ep. 532.

INCEPS deinceps. Paul. Diac. p. 107. 12. Müll.

INCEPTĬO, ōnis, f. 3. inceptum, principium, actus incipiendi, cominciamento, principio, ἀρχή. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 38. 119. Tam præclari operis inceptio intermitti non debet. Ter. Andr. 1. 3. 12. Audire eorum est operæ pretium audaciam: nam inceptio est amentium, non amantium. Quidquid peperisset, decreverunt tollere. attentato, risoluzione. Adde Quintil. 11. 3. 46., ubi tamen al. aliter leg.; et Apul. de Mag.

INCEPTĪVUS, a, um, adject. (inceptum) qui ad inceptionem vel actum incipiendi pertinet. Diomed. 1. p. 364. Putsch. Inceptiva verbi littera. Charis. 2. p. 158. Quædam participia sunt inceptiva, ut calescens, tepescens etc. h. e. actionis initium significant. Sic Caper de Orthogr. p. 2240. Inceptiva sunt sordescit, arescit etc. h. e. inchoativa.

INCEPTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (intens. ab incipio). Sunt qui scribunt incœpto, tamquam sit a cœpi: sed ab inceptum ducere, et diphthongum omittere, magis videtur esse ex analogia. — Inceptare est aggredi, ordiri, et ejusdem fere significationis atque incipere, cominciare, mettersi a fare, ἐπιχειρεῖν. Occurrit — a) Cum Infinito. Plaut. Curc. 1. 1. 23. Numquid tu, quod te, aut genere indignum sit tuo, facis, aut inceptas facinus facere? Id. Trin. 4. 3. 23. Basilica hic facinora inceptat loqui. Gell. 1. 11. Tibicines canere inceptabant. — b) Cum Accusativo. Plaut. Truc. 1. 2. 28. Quo iter inceptas? Ter. Eun. 5. 6. 1. Quæ spe, aut quo consilio huc imus? quid inceptas, Thraso? Id. Heaut. 3. 3. 39. Inceptare facinus. Id. Andr. 5. 4. 22. fabulam.

INCEPTOR, ōris, m. 3. qui incipit, cominciatore, ἔξαρχος. Ter. Eun. 5. 9. 4. O mearum voluptatum omnium inventor, inceptor, perfector! Avien. Arat. init. carminis inceptor.

INCEPTUM, i, n. 2. V. INCIPIO in fin.

INCEPTUS, a, um, particip. V. INCIPIO.

INCEPTUS, a, um, adject. (in privat. et ceptus) non ceptus, initium non habens. Apul. de Mundo sub fin. Saturnum illi appellant Κρόνον, quasi χρόνον, idest quemdam inceptum ab origine, interminum ad finem. Plerique tamen leg. Jovem Saturnium appellant, filium Κρόνου, quasi χρόνου, id est, quemdam incepta (vel inceptum) ab origine, interminum ad finem. h. e. inceptum, quia habet originem; interminum, quia caret fine.

INCEPTUS, us, m. 4. inceptum, institutum. Nepos Iphicr. 2. Epaminondæ retardavit inceptus. Al. leg. impetus. Liv. 24. 19. Quum multa milites acciperent vulnera, neque satis inceptus succederet. Adde eumd. 31. 24. Sic Val. Flacc. 6. 124. inceptus jam lances temnit heriles.

INCĒRĀMENTUM. V. INTERAMENTUM.

INCĒRĀTUS, a, um. V. INCERO.

INCERNĬCŬLUM, i, n. 2. genus cribri minutioribus foraminibus præditi, quo farina a furfuribus secernitur, staccio, τηλία. Cato R. R. 13. Cribrum unum, incerniculum unum. Lucilius apud Non. p. 88. 26. Merc. Cribrum incerniculum, lucernam in la-

terem, in telam licium. Alii putant hic divisim scribendum Cribrum in cerniculum. — In plur. num. Plin. 8. Hist. nat. 44. 69. (175). Athenienses decretum fecere, ne frumentarii negotiatores ab incerniculis eum (mulum) arcerent. nempe in quibus furfures, seu potius farina, venui exponebantur, ut habet Suidas. Τηλία, περίφραγμα σανίδων ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἐν ᾗ ἄλφιτα ἐπιπράσκοντο.

INCERNO, is, ere, a. 3. (in et cernere, qua dirimere, sejungere significat). Part. Incretus. — Incernere est unam rem in aliam cribrare, sive incerniculo cernere, spargere sopra collo staccio. Cato R. R. 48. Et eo terram cribro incernito. Sic Colum. 5. R. R. 6. 6. Atque ita cribro putrem terram duos alte digitos incernemus. Vitruv. 7. 1. Super fricaturam incernatur marmor. Varro apud Non. p. 114. 21. Merc. Liba quum sunt facta, incerni solent farris semina. At Mercerus rectius legit injicere solent. Horat. 2. Sat. 4. 74. Primus et inventor piper album cum sale nigro Incretum puris circumposuisse catillis.

INCĒRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et cero). Part. Inceratus. — Incerare est aliquid cera tegere, cera obducere, incerare, κηρόω. Cels. 8. 8. Ex ferula facto canaliculo, eoque intus incerato. Varro apud Non. p. 82. 31. Merc. Itaque eas (tabulas) inceravi et conscribillavi Herculis athlis. A. Riese ita leg.; alii aliter. — Genua deorum incerare erat tabellis sua vota inscribere, easque deorum genubus affigere. Juvenal. 10. 55. Propter quæ fas est genua incerare deorum. Ita Rutgers. l. 5. Variar. lect. c. 5., ubi multa congerit in hanc rem. Idem sentire videtur Turneb. l. 1. Adversar. c. 17. Alii tamen incerare interpretantur, sæpe repetitis osculis et amplexibus unguem ac sordes, veluti ceram, inducere. Cf. Prudent. 1. in Symmach. 203. saxa illita ceris Viderat unguentoque Lares humescere nigros. Id. Hamartig. 404. Incerat lapides fumosos idololatria religio.

INCERTĒ, adverb. (incertus) dubie, incertamente. Ennius apud Gell. 19. 10. Imus huc, illuc hinc: quum illuc ventum est, ire illinc lubet: Incerte errat animus. Pacuvius apud Non. p. 467. 25. Merc. Incerte errans vagat. Mercerus leg. incerta.

INCERTŌ, adverb. (incertus) idem atque incerte. Plaut. Pseud. 4. 2. 7. Quotumas ædes dixerit, id ego admodum incerto scio. Adde eumd. Epid. 3. 4. 68. Sic Id. Epid. 4. 1. 18. Incerto autumo.

INCERTO, as, are, a. 1. (incertus). Part. Incertans. — Incertare est incertum, seu dubium reddere, far dubbio, rendere incerto, ἀδηλόω. Plaut. Epid. 4. 1. 18. Longa dies meum incertat animum. Pacuvius apud Non. p. 123. 30. Merc. Se ne incertet dictio quam rem expedi. Apul. 11. Met. Cursus spatio prospectum suum nobis incertat. Id. 5. ibid. Singultu lacrimoso sermonem incertans.

INCERTUM, i. V. voc. seq. in fin.

INCERTUS, a, um, adject. (in privat. et certus). Incertum pro incertorum dixit Pacuvius apud Non. p. 495. 27. Merc. — Comp. Incertior et Sup. Incertissimus I. — Incertus, quum de rebus dicitur, est obscurus, non plane cognitus, indefinitus; quum vero de hominibus, est non certus, dubius, ἄδηλος, ἄπορος (It. incerto, dubbioso; Fr. incertain, indécis; Hisp. incierto, indeciso; Germ. ungewiss, schwankend, unsicher, unstät, zweifelhat, unschlüssig, unzuverlässig; Angl. uncertain, doubtful, dubious).

I.) Proprie, seu passive, — 1.°) Quum objective, uti vulgo ajunt, seu de rebus dicitur, est obscurus, non plane cognitus, non stabilis, indefinitus. Γνώμη est illud Ennii apud Cic. Amic. 17. 64. Amicus certus in re incerta cernitur. h. e. in dubiis et adversis rebus. Ter. Hecyr. prol. alt. 9. Quia sciebam dubiam fortunam esse scænicam, spe incerta certum mihi laborem sustuli. Id. Andr. 2. 3. 16. Hic reddes omnia, quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient. Id. ibid. 5. 1. 11. Filiam ut darem in seditionem atque incertas nuptias. Cic. 7. Verr. 52. 137. Ætas puerilis maxime lubrica atque incerta. Cæs. 5. B. G. 36. Pauci ex prælio elapsi incertis itineribus per silvas in hiberna perveniunt. Horat. Epod. 9. 32. Incertum mare. Tac. 5. Hist. 6. undæ. Val. Flacc. 1. 307. æther. Ovid. 2. Amor. 9. 33. aura. Sall. Jug. 50. prælium. Eodem sensu Tac. 4. Hist. 35. Mars. Cic. 1. de republ. 17. dominatus. Id. ibid. 26. status. Sall. Cat. 6. sedes. Martial. 2. 66. comarum Annulus incerta non bene fixus acu. h. e. non stabili. Ovid. 1. Amor. 11. 1. Colligere incertos et in ordine ponere crines. h. e. turbatos, incompositos. Virg. 6. Æn. 270. per incertam lunam sub luce maligna. h. e. quæ non plene apparet nubibus involuta. Sic Id. 3. ibid. 203. Incerti soles. h. e. obscuri. Colum. 11. R. R. 2. 93. dies. Id. ibid. § 97. status cœli. Virg. 2. Æn. 223. fugit quum saucius aram Taurus, et incertam excussit cervice securim. h. e. quæ certum ictum non ferit. Horat. 2. Ep. 1. 188. Incerti oculi. Cf. Val. Flacc. 7. 214. oculos incerta. Seneca Agam. 748. Incertos vultus gerere. che non si ravvisano. Scribon. Compos. 214. Incertus color. Cic. Sext. 22. 50. Vitam suam ad incertissimam spem reservare. — Incertum opus, V. RETICULATUS, et Winckelmann T. 6. p. 70., et Schiassi G. al Mus. Bol. p. 112. — Incertum onus est fluctuans. Sall. fragm. apud Gell. 10. 26. extr. Earum (navium) aliæ paullum progressæ nimio simul et incerto onere, quum pavor corpora agitaverat, deprimebantur. Id. apud Servium ad Virg. 1. Æn. 580. Et onere turrium incertis navibus. — Incertus ager apud augures quid sit, V. PEREGRINUS. — 2.°) Quum subjective, uti ajunt, dicitur, seu ratione habita hominis, qui rem cognoscit, est non certus, dubius, sive id cujus certi non sumus, de quo dubitamus; et occurrit — a) Absolute. Cic. Mur. 17. 36. Nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Id. Orat. 28. 98. Ancipites dicendi incertique casus. Id. 2. Off. 2. 7. Ut alia certa, alia incerta esse dicunt. Id. Mur. 32. 68. Est igitur ridiculum, quod est dubium, id relinquere incertum; quod nemini dubium potest esse, id judicare. Plin. 17. Hist. nat. 1. 1. (9). Ideo non vulgata tractabimus, nec quæ constare animadvertimus, sed incerta atque dubia, in quibus maxime fallitur vita. Cæs. 7. B. G. 16. Incertis temporibus diversisque itineribus ire. Cic. Quinct. 26. 83. Incerti eventus reliqui temporis. Id. Mil. 31. 56. exitus pugnarum. Quintil. 5. 11. 41. auctor. — b) Sequente Relativo. Ter. Heaut. 1. 1. 43. Habeam, nec ne, incertum est. Cic. Senect. 20. 74. Moriendum enim certe est, et id incertum, an hoc ipso die. Liv. 3. 27. Quid quæque nos aut dies ferat, incertum esse. Quintil. 7. 9. 2. Gallus avem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis significet, incertum est. Adde eumd. 1. 6. 27. Sic Plin. 4. Ep. 11. Confessus est quidem, sed incertum, utrum quia verum erat, an quia etc. ma non si sa, se etc. Sall. Jug. 49. Neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam esset. h. e. non bene cogniti. Liv. 30. 35. Italicos incertos socii an hostes essent, in postremam aciem summotos. — Et incerto absolute. Liv. 28. 36. Multi adnantes navibus incerto præ tenebris, quid aut peterent aut vitarent, fœde interierunt. V. in fin. — c) Cum Genitivo. Stat. 11. Theb. 301. tellus incertissima regni.

II.) Improprie, vel active dicitur de hominibus, et est qui dubius est, qui dubitat. — a) Absolute. Plaut. Epid. 3. 4. 1. Cave, præterbitas ullas ædes, quin roges: incertus tuum cave ad me retuleris pedem. senza sapere qualche cosa di certo. — Sic incerto me, insciente me. Id. Asin. 2. 4. 60. Ego certe, me incerto, scio hoc daturum nemini homini. — Ceterum Cic. 2. leg. Agr. 25. 66. Nolo suspensam et incertam plebem Romanam obscura spe et cæca exspectatione pendere. Sall. Jug. 74. Varius incertusque agitabat. — b) Habet post se particulas dubitandi vim habentes. Ter. Hecyr. 3. 4. extr. Quid dicam hisce, incertus sum. Id. Phorm. 4. 3. 51. Incertus sum, utrum etc. Cic. 1. Att. 9. Quum incertus essem, ubi esses. Sall. Jug. 67. Incerti ignarique, quid potissimum facerent. Id. ibid. 101. Incertus, quonam modo aciem instrueret. Virg. 3. Æn. 7. Incerti, quo fata ferant. Id. 5. ibid. 95. Incertum, Geniumne loci, famulumne parentis Esse putet. Horat. 1. Sat. 8. 2. faber, incertus scamnum faceretne Priapum. Adde Liv. 10. 12.; Curt. 4. 10. 26.; Sueton. Tib. 11.; et Val. Flacc. 4. 55. — c) Cum Genitivo historicorum est et poetarum. Ennius apud Cic. 1. Orat. 45. 199. Unde sibi populi et reges consilium expetunt, Summarum rerum incerti, quos ego ope mea Pro incertis certos compotesque consili Dimitto. Liv. 21. 30. Sollicitl incertique rerum suarum Megaram referri signa jubent. Id. 4. 23. Tubero incertus veri est. Id. ibid. 57. Incertus sententiæ. Tac. 2. Ann. 75. ultionis. Ovid. 3. Trist. 3. 4. Incertusque meæ pæne salutis eram. Seneca Œdip. 312. Incertus viæ. Id. Troad. 898. voti. Sil. It. 4. 112. fugæ. Stat. 5. Theb. 524. Incertus sui. Auct. B. Afr. 7. 21. et 28. Naves incertæ locorum. — Alia ratione Tac. 6. Ann. 46. Mox incertus animi, fesso corpore etc. — Hinc

Incertum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est res incerta, incertezza. — a) Absolute. Plaut. Pseud. 2. 4. 69. Quidquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit, nunc liquet. Liv. 4. 13. Ne cujus incerti vanique auctor esset. — Incerti agere, de re incerta et indeterminata actionem instituere. JCti in Dig. sæpe: sic incerti stipulatio, incerti condicere etc. — b) Cum addito Genit. Tac. 3. Ann. 54. Incerta maris et tempestatum. Plin. 3. Ep. 19. Incerta fortunæ experiri. Liv. 30. 2. Duas legiones scripserunt ad incerta belli. Justin. 38. 1. 9. Incertum belli timens, consilia ad insidias transfert. Veget. 3. Milit. 11. Ad publici conflictus incertum ratio disciplinæ militaris invitat. — c) Ad vel in incertum revocare est incertum reddere. Cic. Cæcin. 13. 38. Cui non perspicuum est, ad incertum revocari bona, possessiones omnium? Id. ibid. 27. 76. Bona, fortunæ possessionesque omnium in dubium incertumque revocabantur. Cf. Tac. 1. Ann. 11. Tiberioque in rebus quas non occuleret —, suspensa semper et obscura verba; tunc vero nitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. — d) In incertum est in incertum tempus, vel in incertum casum, sull'incerto, a tempo indeterminato. Liv. 4. 13. Minucius præfectus annonæ in incertum creatus. — e) In incerto esse est incertum esse: in incerto habere est pro incerto habere, similiter et in incerto relinquere. Sic Auct. B. Alex. 16. Omnia victoribus erant futura in incerto. Tac. 2. Hist. 33. Dum et ipse nonnisi militibus credit, imperia ducum in incerto reliquerat. — Sequente Relativo. Sall. Jug. 38. Postremo, fugere an manere, tutius foret, in incerto erat. Adde Tac. 1. Hist. 47. et 2. ibid. 83. Rursus Sall. Cat. 41. Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consilii caperent. Forcellinus leg. in incertum. Id. Jug. 46. Abseus an præsens perniciosior esset, in incerto habebatur. Adde Tac. 3. Ann. 56. V. supra sub I. 2.° b.

INCESPĪTĀTOR, ōris, m. 3. (in intent. et cespito) sternax. Servius ad Virg. 11. Æn. 671. Suffuso (equo), casuro. Nam suffusi equi dicuntur, quos vulgo incespitatores vocant. Al. leg. cespitatores.

INCESSĀBĪLIS, e, adject. (in privat. et cesso) qui non cessat, incessante, ἀκατάπαυστος. Est Cæl. Aurel. 4. Tard. 6.; Capell. 1. p. 14.; Hieronym. Ep. 58.; et Oros. sub fin. proœm. l. 7.

INCESSĀBĪLĪTER, adverb. (incessabilis) incessanter. Hieronym. Ep. 64. n. 19. Incessabiliter velut rotam in suo axe torqueri. Adde Capell. 2. p. 303.; Salvian. 3. advers. Avar. 12.; et Fulgent. sub initio l. 1. Mythol.

INCESSANS, antis, adject. (in privat. et cesso) qui non cessat, incessante. Cassiod. Complex. Act. Ap. 11. Verbum Domini incessanti virtute prædicabant.

INCESSANTER, adverb. (in privat. et cesso) indesinenter, incessantemente, ἀπαύστως. Imp. Zeno Cod. 11. 42. 10. extr. Excubiis aquæ custodiendæ incessanter inhæreant. Sidon. 8. Ep. 11. a med. Auctores antiquos incessanter legebat.

INCESSIO, onis, f. 3. actus incessendi. Affertur locus Cic. 12. Att. 5. sub fin. Mihi et calendæ vitandæ fuerunt, incessionumque ἀρχέτυπα fugienda. Sed ibi legendum Nicasionumque, feneratorum nempe nomen proprium, qui Romæ pecuniam fenori dabant, quorumque ἀρχέτυπα, h. e. calendaria sibi fugienda ait Cicero, qui solvendo tunc non fuisse videtur.

INCESSIT. V. INCEDO ad fin.

INCESSO, cessis, cessivi vel cessi, cessere, a. 3. frequentat. ab incedo. Part. Incessens I. et II. — Incessere est invadere, appetere, impetere, aggredi, molestus sum, lacessere, παραγίνομαι (It. assalire, molestare; Fr. fondre sur, attaquer, assaillir, combattre; Hisp. cargar á, embestir, atacar; Germ. etwas angreifen, darauf losgehen, anfallen; Angl. to attack, assail, assault).

I.) Proprie. — a) Cum Accusativo. Liv. 8. 24. ad fin. Quæ (pars corporis) quum jaculis saxisque

incesseretur. Cf. *Sueton. Cal.* 25. *extr.* Infestis digitis ora et oculos infantium incessere. *Ovid.* 3. *Amor.* 13. 21. jaculis incessitur judex. *Curt.* 3. 9. 11. Incessere aliquem missilibus. *Sil. It.* 1. 523. sudibus. *Id.* 2. 26. dextra. *Ammian.* 14. 7. calcibus et pugnis. Adde *Tac.* 14. *Ann.* 17. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 16. (53). Feras argenteis vasis incessivere tum primum nosti. *Colum.* 8. *R. R.* 11. 16. Quum tot unum incesserent manus. — Poetice *Ovid.* 13. *Met.* 566. Thracum gens Throada telorum lapidumque incessere jactu Cœpit. *Stat.* 11. *Theb.* 361. jaculis et voce superba Tecta incessentem. *Eutyches* 2. p. 2184. *Putsch.* leg. ait *incessantem*, ut a prima conjugatione. Sed depravato codice videtur usus. *Sil. It.* 1. 473. cuncta e muris unum incessentia tela. — b) Cum Accus. et præpos. *in*. *Liv.* 9. 21. Infestior in erumpentes incessit. — c) Absolute. *Ovid.* 14. *Met.* 402. Vimque ferunt sævisque parant incessere telis. *Sueton. Vitell.* 17. Quibusdam stercore et cœno incessentibus. — d) Cum Dativo. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 63. Ubi regionibus noxia incesserunt animalia. *Forcellinus* ab *incedo* deducit; at *Klotz.* ab *incesso*.

II.) Translate. *Ovid.* 13. *Met.* 232. Ausus erat reges incessere dictis Thersites — protervis. *Sil. It.* 11. 234. ferocibus dictis incessens. *Id. ibid.* 209. aliquem verbis amaris. *Ovid.* 3. *Trist.* 11. 31. aliquem dictis amaris. *Sil. It.* 2. 271. aliquem monitis amaris. *Ammian.* 17. 3. aliquem vocibus truculentis. *Quintil.* 7. 2. 34. aliquem levibus verbis. *Sueton. Tib.* 11. et *Ner.* 35.; et *Ammian.* 16. 11. aliquem conviciis. *Sueton. Tib.* 23. adversarios maledictis. *Id. Claud.* 12. senatum quasi parricidam diris esse orationibus. *Quintil.* 8. 3. 29. Sallustium noto epigrammate. *Gell.* 1. 2. Juvenes objurgatione justa incessivit. *Ammian.* 17. 9. aliquem probris. *Sueton. Tib.* 57. nomen hominis acerba cavillatione. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 76. Hunc Galatia vigens ausa est incessere bello. *Id.* 1. *Theb.* 245. aliquem pœnis. *Tac.* 2. *Hist.* 23. aliquem criminibus. *h. e.* accusare. Sic *Id.* 3. *ibid.* 65. occultis suspicionibus. (Et cum Genit. criminis *Symmach.* 1. *Ep.* 2. *al.* 5. Nequicquam taciturnitatis incessimur). *Quintil.* 12. 10. 12. Quem incessere audebant ut tumidiorem. *Sueton. Rhet.* 6. Quum ut impium erga parentes incessebat. *Quintil.* 5. 10. 31. Nomen ut argumentum morum incessit. *Tac.* 3. *Hist.* 77. Fuere qui uxorem Vitellii incesserint, tamquam superbe et severe egisset. *h. e.* arguerint, criminati sint. *Quintil.* 6. 3. 35. Si aut nationes totæ, aut ordines incessantur. *Id.* 5. 7. 23. Paucitatem, conspirationem, vilitatem, gratiam oportebit incessere. *Stat.* 11. *Theb.* 390. Incessere moras. *riprendere gl'indugi.* *Quintil. Declam.* 5. 2. Famam alicujus incessere. *Id.* 6. 3. 21. Sermo cum risu aliquos incessens.

INCESSUS, us, m. 4. (incedo) gressus, ambulatio, actus et modus incedendi; et dicitur tum de hominibus, tum de aliis animalibus, βάδισις (It. *passo, il camminare, andatura, incesso*; Fr. *marche, pas, manière de marcher, démarche, allure, port*; Hisp. *marcha, paso, andadura, modo de andar, porte*; Germ. *d. Einherschreiten, -gehen, d. Gang*; Angl. *a gait, walking with a stately air, pace, walking*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) In sing. num. *Cic.* 1. *Off.* 35. 128. Status, incessus, sessio, accubitio, vultus — teneant illud decorum. *Id. Orat.* 18. 59. Status erectus et celsus, rarus incessus, nec ita longus. *il passeggio del pulpito*: quem *Quintil.* 11. 3. 19. ambulationem vocat. *Sall. Cat.* 15. Citus modo, modo tardus incessus. *Quintil.* 5. 9. 14. Incessus fractus. Cf. *Ovid.* 3. *Art. am.* 306. rusticus alter Motus, in incessu mollior alter erit. *Cic. Pis.* 11. 24. Fuit incessus Seplasia dignus et Capua. *Tac.* 1. *Hist.* 53. Cæcina decora juventa, rito sermone, erecto incessu. *Id.* 3. *Ann.* 33. Incessus barbarus. *Ammian.* 23. 6. vagus. *Virg.* 12. *Æn.* 219. tacitus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 38. 54. (111). Omnibus animalibus certus et uniusmodi incessus est. *Quintil.* 1. 2. 31. Ovantis incessu. *Cic.* 2. *Fin.* 24. 77. Vultum, incessum fingere, quo gravior videaris, *contraffare il passo, il portamento della persona.* *Id. Cœl.* 20. 49. Si ita sese gerat non incessu solum, sed ornatu atque comitatu. *Tac.* 4. *Hist.* 11. Apparatu, incessu, excubiis vim principis complecti. *Virg.* 1. *Æn.* 409. Et vera incessu patuit dea. *al passo.* *Juvenal.* 2. 17. incessu morbum fatetur. — b) In plur. num. *Ovid.* 11. *Met.* 636. non illo jussos solertius alter Exprimit incessus vultumque sonumque loquendi. *Val. Flacc.* 3. 606. Stat lacrimans; magnoque viri cunctatur amore Illius incessus habitumque ad terga pharetram. *Ammian.* 16. 12. Pedestres copiæ lentis incessibus educuntur. ¶ 2. Speciatim in malam partem est ingressus, invasio, *ingresso, invasione*. *Tac.* 12. *Ann.* 50. Incessu Parthorum sine acie pulsi Iberi. *Id.* 4. *ibid.* 24. Primo incessu solvit obsidium. *al primo accostarsi.* Et in plur. num. *Id.* 2. *ibid.* 74. Tres incessus, totidem agmina parantur.

II.) Translate, h. e. concreto, uti ajunt, sensu est aditus, *entrata, passo*. *Tac.* 6. *Ann.* 33. Quum alios incessus hostis clausisset, unum reliquum, mare inter et montes, æstas impediret.

INCESTĀTUS, a, um. *V.* INCESTO.

INCESTĒ, adverb. (incestus). Scribitur et *incaste*, ut apud *Senec.* 2. *Controv.* 13. *init.* — Comp. *Incestius* 2. — Inceste est non caste, inquinate, impure, *impuramente*, μιαρῶς. Hinc ¶ 1. Generatim est impie, nulla in deos pietate. *Lucret.* 1. 98. Et casta inceste nubendi tempore in ipso Hostia concideret mactatu mœsta parentis. *Liv.* 1. 45. *sub fin.* Inceste sacrificium Dianæ facere. ¶ 2. Speciatim est turpiter, libidinose. *Cic. Cœl.* 14. 34. Ideo aquam adduxi, ut tu inceste uterere? *Sueton. Ner.* 28. Inceste libidinatus. *Arnob.* 5. 20. Agit incestius res suas.

INCESTĪFĬCUS, a, um, adject. (incestus et facio) incestus, qui incestum committit, *incestuoso*, μιαρός. *Seneca Phœniss.* 223. Nefandus, incestificus, exsecrabilis.

INCESTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (incestus). Part. *Incestatus* 2. — Incestare ¶ 1. Generatim est incestum reddere, polluere, contaminare, *macchiare, contaminare*, μιαίνω. *Virg.* 6. *Æn.* 150. totamque incestat funere classem. *Stat.* 5. *Silv.* 5. 4. quas incestavimus aras. *Id.* 1. *Theb.* 234. Incestare gremium parentis. *Id.* 11. *ibid.* 120. de Furiis. Incestare diem, trepidumque Hyperionis orbem Suffundi maculis. *Claudian. cons. Mall. Theod.* 267. Turpia non Latios incestant nomina fastos. ¶ 2. Speciatim refertur ad impudicitiam et illicitos concubitus. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 136. Neque puellam incestavit unquam. *Tac.* 6. *Ann.* 19. Sex. Marius defertur incestasse filiam, et saxo Tarpejo dejicitur. *Symmach.* 9. *Ep.* 129. Præfecto Urbi incestatæ Primigeniæ virgini, quæ sacra Albana curabat, a collegio nostro vindicta delata est. *Sueton. Tib.* 43. Ut monstrosi concubitus repertores invicem incestarent se. *Prudent.* 2. *advers. Symm.* 166. Incestabo toros, sacrum calcabo pudorem.

INCESTUM, i, n. 2. *V.* INCESTUS in fin.

INCESTŬŌSUS, a, um, adject. qui incestum committit, incestificus, incestus. *Val. Max.* 6. 3. n. 7. Quæ sacris Bacchanalium incestuose fuerant. *Al. rectius leg.* incesto usæ.

INCESTUS, a, um, adject. (in *privat.* et castus. A Græco ἀνήκεστον, inespiabile, incurabile, *Paul. Diac.* p. 107. 13. *Müll.* non recte ducit. Sic *Lactant.* ad *Stat.* 2. *Theb.* 263. perperam putat ducendum a cesto, h. e. cingulo, quod in honestis nuptiis nova uxor marito tradit; hinc eas vocari nuptias incestas, quæ sine cesto fiunt. *V.* CESTUS). *Incastus* pro *incestus* habent *Gloss. Philox.* Incastus, ἄσεμνος. — Ceterum incestus ¶ 1. Generatim est non castus, impurus, contaminatus, pollutus, *impuro, macchiato*, ἀνόσιος, μιαρός. — a) Morali significatione. *Cic.* 11. *Phil.* 2. 5. Verborum contumeliis optimum virum incesto ore lacerare. *Horat.* 3. *Od.* 2. 30. Sæpe Diespiter Neglectus incesto addidit integrum. *h. e.* reo innocentem. *Stat.* 9. *Theb.* 27. subtexunt atra catervæ Incestarum avium. *h. e.* corvorum et hujusmodi, quæ humani sanguinis et cadaverum pastu polluuntur. — b) In re sacra. *Tac.* 5. *Hist.* 4. Profana illic (*h. e.* apud Judæos) omnia, quæ apud nos sacra: rursum concessa apud illos, quæ apud nos incesta. *Horat. Art. P.* 472. an triste bidental Moverit incestus. *h. e.* impius in deos. ¶ 2. Speciatim est impudicus, qui illicitis amoribus et venere usus est. *Horat.* 3. *Od.* 3. 19. Fatalis incestusque judex. h. e. Paris adulter. Sic *Stat.* 1. *Achill.* 45. incestus prædo. *Plin. Paneg.* 52. princeps. *Capitolin. Macr.* 2. homo. *Ovid.* 6. *Fast.* 459. si incesta perit. *h. e.* Vestalis. *Seneca Hippol.* 1184. Morere, si casta es, viro: si incesta, amori. *Id. ibid.* 1195. Juvenisque castus crimine incestæ jacet. Adde *eumd. Herc. fur.* 1100. Sic *Juvenal.* 6. 158. incesta soror. *Quintil.* 7. 8. 5. Postulo, ut præcipitetur incesta. *Horat.* 3. *Od.* 6. 23.; et *Tac.* 12. *Ann.* 4. Incesti amores. *Tac.* 11. *Ann.* 25. *extr.* nuptiæ. *Sueton. Claud.* 26. Conjugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur. *Plin. Paneg.* 63. Incestæ noctes. *Cic. Dom.* 40. 105. Incesto flagitio et stupro polluit ceremonias. *Ovid.* 2. *Trist.* 503. incestis temerari vocibus aures. *oscene.* Sic *Liv.* 8. 28. Perlicere aliquem incesto sermone. — Hinc

Incestum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est flagitium impudicum, illicitus cum aliqua congressus lege aut moribus prohibitus, *incesto*, ἀνόσιος συνουσία. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto. *Id.* 1. *Invent.* 40. 73. Si peperit, cum viro concubuit: peperit autem, fecit igitur incestum. *fornicazione.* *Quintil.* 4. 2. 88.; et *Paul. Dig.* 23. 2. 39. Incestum committere. *Sueton. Cal.* 23. admittere cum aliqua. *Id. Ner.* 5. Incesti reus. *Quintil.* 7. 8. 3. Incesti damnata. Adde *Cic. Pis.* 39. 53. — Et in plur. num. *Id.* 4. *Tusc.* 35. 75. Stupra dico, et corruptelas, et adulteria, incesta denique, quorum omnium accusabilis est turpitudo. (Duo priora παιδοφθόρων sunt, reliqua καταγυναίων). Adde *Sueton Cal.* 36. et *Domit.* 8.

INCESTUS, us, m. 4. (incestus 2.) incestum. *Cic. Brut.* 32. 122. Sunt enim et aliæ et pro Ser. Fulvio de incestu nobilis oratio. *Id. Mil.* 22. 59. De servis nulla quæstio est in dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Adde *Vulgat. interpr. Levit.* 18. 17.

INCHĂRAXO, as, are, a. 1. (in et charaxo) aperire, perforare. *Apic.* 6. 5. Avem incharaxas et perfundis. *h. e.* perforas ad accipiendum emittendumve humorem.

INCHŎĀMENTUM, i, n. 2. (inchoo). Licenter tertiam syllabam corripit *Auric. HelP. carm.* 72. qui nobilis ævi Inchoamenta gerens. — Inchoamentum est actus inchoandi, principium: translate autem rudimentum significat; et in plur. tantum numero occurrit. *Capell.* 3. p. 93. Scholaria inchoamenta. *Id.* 5. p. 139. Hæc inchoamentorum primordia detrectaret excurrere. Adde *eumd.* 6. p. 189.

INCHŎĀTĬO, ōnis, f. 3. (inchoo) idem atque inchoamentum. *Augustin. Ep.* 120. (*al.* 222.) 3. Non enim parva est inchoatio cognitionis Dei. *Id.* 1. *de Genesi in Manich.* 14. Vespera propter transactionem consummati operis, et mane propter inchoationem futuri operis. Adde *Ambros. de Vocat. Gent.* 2. 3.; et *Vulgat. interpr. Hebr.* 6. 2.

INCHŎĀTĪVĒ, adverb. (inchoativus) apud Grammaticos est inchoativorum verborum more. *Charis.* 3. p. 221. *Putsch.* Quidam solent in declinatione inchoativorum, quum ad perfectum venerint, quamvis inchoative declinant, nihilominus inchoativi verbi perfecto uti, ut *horresco horrui*, ut ex eo quod est *horreo horrui*.

INCHŎĀTĪVUS, a, um, adject. (inchoo) ad inchoationem pertinens, *cominciativo*, ἀρχικός, ut inchoativa verba, quæ rem inchoatam et futuram significant, ut *horresco*, id est incipio horrere; *torpesco*, incipio torpere. *Charis.* 3. p. 223. *Putsch.*; *Diomed.* 1. p. 333.; *Priscian.* 8. p. 824.; et *Capell.* 3. p. 84. Grammaticus apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 5. p. 305. Verba inchoativa specie profecta, vel quæ regunt, præteritum tempus non recipiunt. V. *Cassiod. de orat.* 2. Ceterum de inchoativis multa habentur apud *Diomed.* 1. p. 334., qui consulendus est.

INCHŎĀTOR, ōris, m. 3. (inchoo) inceptor, *cominciatore*. *Prudent. præf. Hamartig.* 27. ille mortis inchoator. *h. e.* Cain, qui primus occidit hominem. Adde *Augustin. de Gen. ad litt.* 1. 11.

INCHŎĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INCHOO vel incoho, as, āvi, ātum, are, 1. Inchoare, inquit *Paul. Diac.* p. 107. 8. *Müll.*, videtur ex Græco originem trahere, quod Hesiodus omnium rerum initium esse dixerit chaos. *Scaurus* quoque de *Orthogr.* p. 2251. *Putsch.* et *Modestin.* apud *Diomed.* 1. p. 361. a *chaos* deducunt. Sed *Verrius Flacc.* et *Tranquill. ibid.* a *cohum*, quod apud veteres mundum significat: unde et *incoho* scribi volunt: quod a majoribus factitatum fuisse, *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 223. testatur. Ita etiam scriptum se reperisse in *Codd. palimpsestis* ait *A. Maius* tum ad *Cic.* 1. *de republ.* 35. et 3. *ibid.* 2., tum ad *Fronton.* p. 154. *edit. Rom.*; *Marinius* vero *Frat. Arv.* p. 363. hanc scriptionem Augusteo ævo frequentatam fuisse affirmat. Sed scribendi usus *inchoo* obtinuit; et ex vett. lapidibus probatur a *Cellar.* in

Orthogr., a quo stant *Manut.*, *Dausq.* et alii. — Part. *Inchoans* sub *A.* 1. et *B.* 1.; *Inchoatus* sub *A.* 1. et 2.; *Inchoaturus* et *Inchoandus* sub *A.* 1. — Inchoare usurpatur *A*) Sæpissime active; et *B*) Raro admodum neutrorum more.

A) Active inchoare stricto sensu est certam alicui rei formam dare; hinc est incipere, exordiri, attingere, ἄρχομαι (It. *cominciare, dar principio*; Fr. *commencer, fonder, ébaucher*; Hisp. *comenzar, empezar, dibuxar*; Germ. *anfangen, beginnen, unternehmen, d. Grund legen*; Angl. *to commence, begin, essay, attempt, take in hand, enter upon, inchoate*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accusativo. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 22. 34. Neve inde navis inchoandæ exordium Cepisset, quæ nunc nominatur nomine Argo. *Cic.* 4. *Fin.* 13. 34. Ut Phidias potest a primo instituere signum idque perficere, potest ab alio inchoatum accipere et absolvere. Huic similis est sapientia. Non enim ipsa genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum. *Id.* 3. *Off.* 2. 9. Ut nemo pictor esset inventus, qui Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret. *Id. ibid.* 7. 33. Quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tamquam fastigium imponimus. *Quintil.* 2. 1. 12. Is ne statuam quidem inchoari credet, quum ejus membra funduntur. Rursus *Cic. Dom.* 51. 132. Inchoare novum delubrum. *Sueton. Cæs.* 46. villam. *Id. ibid.* 26. forum. *Id. Ner.* 31. piscinam. *Id. Claud.* 20. aquæductum. *Id. Aug.* 60. ædem. *Cic.* 1. *Legg.* 16. 44. Communis intelligentia notas nobis res efficit eas, quas in animis nostris inchoavit. *Id. Arch.* 11. 28. Quas res nos in consulatu nostro gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 3. 9. Philosophiam multis locis inchoasti. *Id. Brut.* 5. 20. Quod mihi nuper in Tusculano inchoasti de oratoribus. *Quintil.* 4. *proœm.* 5. Quod initio, quo primum hanc materiam inchoavi, non feceram. *Id.* 4. 3. 13. Abrupto quem inchoaverat sermone. *Cic. Orat.* 9. 33. Referamus nos igitur ad eum, quem volumus inchoandum et eadem eloquentia informandum, quam in nullo cognovit Antonius. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 39. (93). Favonius ver inchoans. *Id.* 11. *ibid.* 14. 14. (35). Inchoandæ vindemiæ dies. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 38. Inchoatur prima pampinatio. *Curt.* 6. 7. 10. Dixit ab illo capite conjuratos pulcherrimum facinus inchoaturos. *Sueton. Vitell.* 10. Inchoare iter. *Id. Oth.* 6. expeditionem. *Id. Aug.* 16. bellum. *Liv.* 38. 17. prælium. *Sil. It.* 4. 574. nova prælia. *Sueton. Aug.* 17. tumultum. *Id. Tib.* 9. magistratus. *Tac.* 1. *Hist.* 1. dignitatem. *Horat.* 1. *Od.* 4. 15. spem longam. *Virg.* 6. *Æn.* 252. Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras. *h. e.* aras sacrificio facto dedicat, usui tradit, ἐγκαινίζειν. *Servius* hic monet esse verbum sacrorum. Sed fortasse pro simplici incipio positum est. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (51). *de apib.* Reges plures inchoantur, ne desint. — *b*) Cum Infinito. *Lucret.* 3. 184. Quam si mens fieri proponit et inchoat ipsa. *Lucan.* 10. 173. longis Cæsar producere noctem Inchoat alloquiis. *Pallad.* 13. *R. R.* 2. Post Idus pastina inchoemus effodere. ¶ 2. Speciatim Part. præter. *inchoatus*, prægnanti, uti ajunt, significatione, absoluto perfectoque opponitur, et est imperfectus, nondum perfectus, *imperfetto*. *Cic.* 1. *Orat.* 2. 5. Quæ adolescentulis nobis, ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt. Cf. *Gell.* 5. 21. Inauditiunculæ rudes inchoatæque. Rursus *Cic.* 1. *Off.* 43. 153. Cognitio manca quodammodo et inchoata. *Id. Brut.* 33. 126. Præclare inchoata multa, perfecta non plane. Sic *Id.* 4. *Fin.* 6. 15. Hoc inchoati cujusdam officii est, non perfecti. et *Topic.* 18. 69. Perfecta anteponuntur inchoatis. *Id.* 3. *de republ.* 2. Homines inconditis vocibus inchoatum quiddam et confusum sonantes. *Id.* 1. *Nat. D.* 20. 56. Erat autem difficile, rem tantam tamque præclaram inchoatam relinquere. Sic *Id.* 1. *de republ.* 35. Expediri, quæ restant, vix poterunt, si hoc inchoatum reliqueris. *Sueton. Claud.* 3. Inchoatum portentum. *Quintil.* 5. 10. 5. probatio. *Plaut. Amph.* 8. 1. 8. comœdia. *Id. Trin.* 1. 2. 95. Qui exædificaret suam inchoatam ignaviam. *Catull.* 35. 13. Nam quo tempore legit inchoatam Dindymi dominam etc. *et mox.* est enim venuste Magna Cæcilio inchoata Mater. *h. e.* poema de Cybele confectum, perfectum, ut intelligunt multi: sed nihil vetat, quo minus interpretemur, hujus carminis primam tantum partem Cæcilium scripsisse, nondum vero idem absolvisse. — Hinc *ab inchoato* est a fundamentis, *da' fondamenti*. *Colum.* 4. *R. R.* 3. 1. Ab inchoato domos exstruere. *Inscript.* apud *Gruter.* 170. 3. SCHOLAM AB INCHOATO REFECERVNT, MARMORIBVS ORNAVERVNT etc. *Alia* apud *eumd.* 169. 6., quæ est apud *Orell.* 4088. SCHOLA AB INCHOATO EXSTRVCTA, SOLO DATO AB T. FVRIO PRIMIGENIO etc. *h. e.* quod Græce dicitur ἐκ καινῆς.

B) Neutrorum more. ¶ 1. Generatim est initium sumere, incipere. *Symmach.* 7. *Ep.* 75. Moris est, ut munus hujusmodi a proficiscentibus inchoet. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 20. Inchoante mense. *Id.* 6. *ibid.* 7. Diebus canicularibus inchoantibus. ¶ 2. Speciatim *inchoat* est infit, fari incipit. *Stat.* 8. *Theb.* 623. post longa silentia rursus Inchoat Ismene. *Tac.* 4. *Hist.* 41. Senatus, inchoantibus primoribus, jusjurandum concepit, quo etc. *Id. ibid.* 44. Proximo senatu, inchoante Cæsare de abolendo dolore iraque et priorum temporum necessitatibus, censuit Mucianus prolixe pro accusatoribus. *h. e.* inchoante Cæsare memorare de etc.

INCĪBO, as, are, a. 1. (in et cibo) idem ac cibare. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 10. 230. Hirundo pleno ore volat, dum incibat filios suos. *h. e.* eis ingerit in os cibum.

INCĬCUR, ŏris *vel* ūris, adject. (in *privat.* et cicur) non cicur, immansuetus, ferus. *Paul. Diac.* p. 108. 2. *Müll.* Incicorem immansuetum et ferum. *Pacuvius*: Reprime incicorem iracundiam.

INCĬDENTER, adverb. (incido) per accidens, fortuito. *Vet. Scholiast.* ad *Lucan.* 1. 412. Lucanus hic incidenter, ut facit Pomponius Mela (3. 1.) adducit tres rationes de fluxu et refluxu Oceani, quarum prima et ultima est falsa, et media vera.

INCĬDO, cĭdis, cĭdi, cāsum, cĭdere, n. 3. (in et cado). *Incidērunt* pro *incidĕrunt* legitur apud *Lucret.* 6. 1174. — Part. *Incidens* II. 4. et in fin.; *Incasurus* II. 4. — Incidere est in, vel supra aliquid cadere, ἐμπίπτω (It. *cadere, cadere dentro o sopra qualche cosa*; Fr. *tomber dans ou sur, se précipiter dans ou sur*; Hisp. *caer dentro ó sobre*; Germ. *hinein –, niederfallen, in etwas hineinstürzen, gerathen, kommen auf etwas*; Angl. *to fall into or upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accusativo et præpos. in. *Cic.* 4. *Phil.* 5. 12. Quæ bellua, quoniam in foveam incidit, obruatur. *Id. Fat.* 3. 6. Ex spelunca saxum in crura ejus incidit. *Quintil.* 6. 3. 69. Tullius dixit, ferrum in Tuccium incidisse. *Lucret.* 6. 145. ubi e nube in nubem vis incidit ardens Fulminis. *Virg.* 2. *Æn.* 305. In segetem veluti quum flamma furentibus Austris Incidit. *Liv.* 27. 23. Pestilentia gravis incidit in urbem agrosque. *Al. leg.* per urbem. *Cic.* 1. *de republ.* 14. Ut incideret luna tum in eam metam, quum sol etc. — *b*) Cum Accus. et præpos. *ad, super*. *Virg.* 12. *Æn.* 926. incidit ictus ingens ad terram duplicato poplite Turnus. *Id.* 2. *ibid.* 466. turris Danaum super agmina late Incidit. — *c*) Cum Dativo. *Lucret.* 6. 1174. Multi (*ægri homines*) præcipiter lymphis putealibus alte Inciderunt. *Ovid.* 5. *Met.* 104. Demetit ense caput, quod protinus incidit aræ. *Liv.* 21. 10. *a med.* Sagunti ruinæ capitibus vestris incident. *Id.* 28. 13. *sub fin.* Acrius ultimis incidebat Romanus, neque sustineri impetus poterat. *Id.* 5. 11. *sub fin.* Quum fuga trepidum, plenum vulnerum ac pavore, incidentem portis exercitum viderint. *h. e.* accedentem et præ lassitudine veluti in portis cadentem. Adde *eumd.* 3. 3. et 27. 13. *Stat.* 5. *Theb.* 233. sic illa jacenti Incidit. *cade addosso*. *Val. Flacc.* 4. 403. Oblato donec paullum cunctata (*Io*) profundo Incidit. *Virg.* 2. *G.* 107. Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus etc. *Ovid.* 4. *Met.* 198. modo (*sol*) serius incidis undis. — *d*) Cum Accus. tantum vi præpositionis, quæ inest in verbo. *Solin.* 11. Coturnices vela incidunt. *M. Aurel.* apud *Vulcat. Avid. Cass.* 2. Ipse (*Avidius Cassius*) sponte sine nostra crudelitate fatales laqueos inciderit. *h. e.* inciderit in fatales etc. *Virg.* 9. *Æn.* 721. Bellatorque animos deus incidit. *Al. leg.* animo. *Lucret.* 3. 569. pars vocum non aures incidit ipsas. *Al. leg.* accidit. — *e*) Absolute. *Juvenal.* 4. 39. Incidit Hadriaci spatium admirabile rhombi. *h. e.* incidit in retia. *Liv.* 2. 50. Itaque et pecora prædantibus aliquoties, velut casu incidissent, obviam acta. ¶ 2. Speciatim est casu incurrere, *incorrere, incappare, abbattersi*. — *a*) Cum Accus. et præpos. *in*. *Cic. Planc.* 7. 17. Equidem si quando, ut fit, jactor in turba, non illum accuso, qui est in summa sacra via, quum ego ad Fabium fornicem impellor, sed eum, qui in me ipsum incurrit atque incidit. *Id. ibid.* 41. 99. O acerbam memoriam temporis illius et loci, quum hic in me incidit, quum amplexus est etc. Sic *Curt.* 8. 1. 37.; et *Quintil.* 9. 2. 73. et 9. 3. 52. Incidere in aliquem. *Liv.* 3. 13.; et *Vellej.* 2. 112. 5. in hostes. *Cæs.* 1. *B. G.* 53. C. Valerius Procillus, quum in fuga catenis vinctus traheretur, in ipsum Cæsarem incidit. *Cic. Rosc. Am.* 52. 151. Ut in eo loco, quo fugam hostium fore arbitrentur, milites collocent; in quos, si qui ex acie fugerint, de improviso incidant. *Id. Cluent.* 7. 21. Adolescentulus bello captus in Q. Sergii manus incidit. *Id.* 7. *Fam.* 3. Discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deveniendum in victoris manus. Sic *Liv.* 2. 30. Incidere in insidias. *Juvenal.* 10. 314. in laqueos. *Cic.* 7. *Fam.* 3. Si quando in vituperatores meos incidisses. *Id.* 6. *ibid.* 1. Quum omnia obsignaret, in Vedianas res incidit. — Huc referri potest et illud *Cic. Mil.* 1. 1. Quocumque oculi inciderint. — *Sall. fragm.* apud *Non.* p. 534. 30. *Merc.* Primo incidit forte per noctem in lenunculo piscantis. *in lenunculo* est casus Ablativus præter consuetudinem; agitur vero de fragmento et quidem obscuro atque abrupto. — *b*) Cum Accus. et præpos. *inter*. *Liv.* 25. 39. Incidunt inermes inter catervas armatorum. — *c*) Cum Dativo. *Cic.* 4. *Verr.* 74. 182. Sane homini præter opinionem improviso incidi. *Virg.* 11. *Æn.* 699. Incidit huic, subitoque adspectu territus hæsit Apenninicolæ bellator filius Auni. *Val. Flacc.* 3. 592. Heu miseræ, quibus ille, feræ, quibus incidit usquam Immeritis per lustra viris! Cf. *eumd.* 4. 744. — *d*) Cum Accus. sine præpos. *Tac.* 3. *Hist.* 29. Quos (*ballista*) disjecit obruitque, quos inciderat. — *e*) Absolute. *Val. Flacc.* 7. 403. Haud secus in mediis noctis nemorisque tenebris Inciderant ambo attoniti. Cf. *Tac.* 2. *Hist.* 10.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim in malam partem accipitur, ut docet *Ruhnken.* ad *Ter. Heaut.* 2. 4. 15. Hinc — *a*) De morbis, quibus quis corripitur. *Cic.* 13. *Fam.* 29. *circa med.* Ille in morbum continuo incidit, ex quo non convaluit. Adde *Nepot. Dion.* 2.; et *Sueton. Gramm.* 3. Similiter *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 21. *extr.* Incidere in febriculam ex labore. *Liv.* 41. 21.; et *Sueton. Cal.* 14. Incidere in adversam valetudinem. *Cic. Pis.* 35. 85. Neque se recreare quisquam posset, qui semel incidisset. *subaudi* in morbum. Sic *Liv.* 25. 26. Ut neglecti, qui incidissent, morerentur. et *Scribon. Compos.* 172. Si casu inciderit, remedium habere oportet. — Sic *Cels.* 3. 14. Quum morbus in vetustatem inciderit. — Et contra cum Dativo *Ovid.* 7. *Met.* 523. Dira lues irâ populis Junonis iniquæ Incidit exosæ dictas a pellice terras. Sic *Sil. It.* 5. 389. incidit Pœnis lues. *Sueton. Galb.* 7. Subita et valetudo incidit. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 87. seu (*tibi*) Dira valetudo inciderit, seu tarda senectus. — *b*) De animi motibus, de malis et calamitatibus. *Cic. Pis.* 20. 46. Incidere in insaniam. *Id.* 1. *Off.* 8. 26. in honorum cupiditatem. *Curt.* 6. 11. 24. in superbiam. *Plin.* 1. *Ep.* 8. 17. in speciem ambitionis. *Sueton. Tib.* 72. in languorem. *Justin.* 36. 1. 9. in easdem vitia. *Id.* 5. 10. 101. in errorem. *Ter. Heaut.* 3. 1. 33. in fraudem. *Cic.* 2. *Cat.* 9. 20. in æs alienum. — Cum Accus. sine præpos. *Nepos Att.* 10. Ne quod periculum incideret, præsidium ei misit. *Al. leg.* in periculum. Sic *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Vatin.* 9. edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. p. 176. Deinde occultantem se, ne periculum salutis incideret, extrahere domo sua contenderit. — Et contra *Liv.* 29. 24. Timor in exercitum incidit. *Nepos Att.* 20. Æmulatio inter hos incidit. Sæpius cum Dativo, ut apud *Ter. Heaut.* 2. 4. 5. Incidit amori vestro calamitas. *Cæs.* 3. *B. C.* 13. Tantus terror incidit ejus exercitui, ut etc. *Cic.* 1. *Orat.* 7. 26. Ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidisset. *Horat.* 1. *Sat.* 7. 11. bellum alicui. *Id.* 1. *Ep.* 17. 23. manibus tremor. *Val. Flacc.* 7. 30. gregibus pavor. *Plin. Paneg.* 82. occupationibus species severitatis. — Et absolute. *Ovid. Remed. am.* 662. nulla simultas incidit. *Cæs.* 6. *B. G.* 14. Quum aliquod bellum incidit. — *c*) Per ironiam. *Sall. Cat.* 14. Quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat. Cf. *Cic. Amic.*

12. 42. Ut si in hujusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint. *Id. ibid.* 10. 34. Sæpe labefactari amicitiam, si in honoris contentionem (*amici*) incidissent. Huc referri potest et illud ejusd. *Cic.* 5. *Fam.* 8. Tibi persuadeas velim, non me repentina aliqua voluntate aut fortuito ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidisse. ¶ 2. Speciatim est in rem aliquam casu venire, vel cadere; et sæpe de iis dicitur, in quorum mentionem vel recordationem venimus. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 15. 50. Quoniam non consulto, sed casu in eorum mentionem incidi. *son venuto a far menzione di loro. Id. Amic.* 1. 3. Tum Scævola, quum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Lælii. *Id.* 1. *Orat.* 24. 111. Fortuito in aliorum sermonem incidere. *sopravvenire per accidente, mentre altri discorrono. Id. Amic.* 1. 2. Memini in eum sermonem illum incidere, qui etc. *ch'egli venne a discorrere di ciò che* etc. *Id.* 16. *Att.* 2. Ego enim in varios sermones incidebam. *Id. Brut.* 2. 9. Quum in eam memoriam et recordationem nuper ex sermone quodam incidissemus. *essendo venuti a ricordarci* etc. — Et contra *Cic.* 4. *Fin.* 16. 43. Sapiens appeteret aliquid, quodcumque in mentem incideret et quodcumque tamquam occurreret. *Ter. Phorm.* 2. 3. 5. Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset. *fosse venuto in mente.* Sic *Id. Heaut.* 3. 1. 75. Quodcumque inciderit in mentem, volet. *Id. Andr.* 2. 2. 22. Redeunti, ex ipsa re mihi incidit suspicio. Similiter *Id. ibid.* 3. 2. 21. Qui istæc tibi incidit suspicio? et *Adelph.* 4. 4. 5. Tanta nunc suspicio de me incidit. *Id. Heaut.* 3. 3. 37. Aliud ex alio incidit. *da una cosa ne viene in mente un'altra. Cic.* 2. *Orat.* 34. 147. Nihil te effugiet, atque omne, quod erit in re, occurret atque incidet. *Liv.* 1. 57. Potantibus his apud Sex. Tarquinium, incidit de uxoribus mentio. Sic *Id.* 32. 20. Mentio de Philippo incidit. *Catull.* 10. 5. Huc ut venimus, incidere nobis Sermones varii. *Tac.* 6. *Ann.* 30. Ac tamen accusatores, si facultas incideret, pœnis afficiebantur. ¶ 3. Item speciatim dicitur de iis, quæ in idem tempus congruunt. *Cic. Orat.* 12. 39. Quorum ætas in eorum tempora, quos nominavi, incidit. Sic *Nepos Eumen.* 1. Quum ætas ejus incidisset in ea tempora, quibus Macedones florerent etc. Rursus *Cic.* 6. *Att.* 1. *in fin.* Facies me, in quem diem Romana incidant mysteria, certiorem. *Id. Pis.* 4. 8. Quum in tert. Kal. Jan. Compitaliorum dies incidisset. *Quintil.* 12. 11. 16. Quæ (*bella*) in ejus ætatem gravissima inciderunt. *Sueton. Cæs.* 40. Fuitque is annus - xv. mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat. — Similiter *Quintil.* 6. 5. 4. Cicero summo consilio videtur in Verrem vel contrahere tempora dicendi maluisse, quam in eum annum, quo erat Cn. Hortensius consul futurus, incidere. Cf. *Cic.* 2. *Fam.* 7. Quod in reipublicæ tempus non incideris, sed veneris, (judicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum) profecto vides etc. et *Plin.* 8. *Ep.* 6. *extr.* Quam juvat, quod in tempora illa non incidi, quorum sic me, tamquam illis vixerim, pudet? ¶ 4. Denique speciatim incidere usurpatur pro accidere, *accadere;* et occurrit — a) Cum Nominativo rei, quæ accidit. *Cic.* 5. *Fam.* 17. Cogiteres, et in nostra civitate et in ceteris multis fortissimis atque optimis viris injustis judiciis tales casus incidisse. Sic *Plancus* apud *eumd.* 10. *ibid.* 21. Nec mori, si casus inciderit, pro vobis paratior fuit quisquam. Rursus *Cic.* 1. *Off.* 10. 31. Incidunt sæpe tempora, quum ea quæ etc. *Id. ibid.* 43. 152. Eorum ipsorum, quæ honesta sunt, potest incidere sæpe contentio et comparatio, de duobus honestis utrum honestius. *Quintil.* 7. 1. 19. Potest incidere quæstio. *Id.* 11. 1. 70. Inter nos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem incidisse. *Cels.* 5. 27. n. 3. Si cucurbitula non est (quod tamen vix incidere potest) tum etc. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 27. 27. (97). Ea accidisse, non quia hæc facta sunt, arbitror; verum hæc ideo facta, quia incasura erant illa. — b) Absolute. *Quintil.* 2. 5. 5. Si quando ita incidit. — c) Sequente part. *ut. Liv.* 26. 23. Forte ita incidit, ut comitiis perfectis nunciaretur etc. *Auct. B. Afr.* 1. Incidit per id tempus, ut tempestates ad navigandum idoneas non haberet. Adde *Liv.* 1. 43., 3. 40. et 38. 49.; et *Sueton.* in *Vit. Horat.* — d) Sequente part. *ne. Liv.* 1. 46. Forte ita inciderat, ne etc. — Hinc a Part. præs.

Incidentia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, sunt casus et rerum adjuncta, *circostanze,* apud *Ammian.* 31. 10. Hic quoque intra septa, quæ appellant vivaria, sagittarum pulsibus crebris dentatas conficiens bestias, incidentia multa parvi ducebat et seria. Adde *eumd.* 14. 5., 22. 9., 26. 10. et 30. 8.

INCĪDO, cīdis, cīdi, cīsum, cīdere, a. 3. (in et cædo). Part. *Incidens* II. 1. et 2.; *Incisus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Incidendus* I. — Incidere est cædere, præcidere, amputare, διατέμνω, κόπτω (It. *tagliare, troncare;* Fr. *entailler, inciser, couper;* Hisp. *hacer unas muescas en alguna cosa, sajar, cortar;* Germ. *in etwas hineinschneiden, e. Einschnitt machen, an -, ver -, beschneiden, durch Einschneiden unterbrechen;* Angl. *to cut*).

I.) Proprie. *Cæs.* 2. *B. G.* 17. Teneræ arbores incisæ atque inflexæ. Sic *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 30. (54). et 32. *ibid.* 12. 25. Incidere arbores. *Id.* 14. *ibid.* 9. 11. (84). Palmes inciditur in medullam. *Pallad.* 8. *R. R.* 4. 3. Sentes corpus ovium incidunt. *Cels.* 2. 8.; *Sueton. Cal.* 38., *Ner.* 37. et *Vitell.* 2.; et *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (126). Incidere venam. *salassare.* Eodem sensu *Tac.* 16. *Ann.* 19. Incisæ venæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 88. (218). Incisi nervi non solidantur. *Cels.* 5. 27. n. 3. Scalpello circa vulnus incidere. *Cic.* 4. *Att.* 2. *a med.* Qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci. *h. e.* reciderant, præciderant. Sic *Virg.* 3. *Ecl.* 11. vites incidere falce. *potare.* et *Ammian.* 29. 5. Incidere manus. *h. e.* præcidere. *Cic.* 1. *Divinat.* 39. 85. Cur pulmo incisus in bonis extis proferat diem. *h. e.* incisuris divisus. Eodem sensu *Plin.* 25. *Hist. nat.* 6. 29. (65). Eupatoria foliis per ambitum incisis. et *Id. ibid.* 5. 23. (58). Helleborus incisus forficulis. *Cic.* 3. *Cat.* 5. 10. Tabellas proferri jussimus; ostendimus Cethego signum; cognovit. Nos linum incidimus, legimus. *ne stacchiamo.* Sic *Virg.* 3. *Æn.* 667. incidere funem. *Cels. præfat. l.* 1. Nocentes homines vivos incidere. *fare la notomia.* et *ibid.* Incidere vivorum corpora. Alio sensu *Id.* 7. 19. Si inguen incidendum est. *Quintil.* 2. 13. 16. Si rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint. *Stat.* 5. *Theb.* 517. squamisque incisus adæstuat amnis. — Huc pertinent et illa *Horat.* 4. *Od.* 8. 13. Non incisa notis marmora publicis. et *Liv.* 6. 29. *in fin.* Tabula sub eo (*signo*) fixa, monumentum rerum gestarum, his ferme incisa litteris fuit.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro insculpere, *scolpire, incidere, inscrivere;* et occurrit — a) Cum præpos. *in* et Accus. *Cic.* 1. *Phil.* 10. 26. Quod ita erit gestum, lex erit, et in æs incidi jubebitis credo illa legitima: CONSVLES POPVLVM IVRE ROGAVERVNT etc. *Liv.* 3. 57. *sub fin.* Leges in æs incisas in publico proponere. Adde *Sueton. Cæs.* 48.; et *Plin.* 8. *Ep.* 6. 13. — b) Cum præpos. *in* et Ablat. *Cic.* 6. *Verr.* 65. 145. Id non modo tum scripserunt, verum etiam in ære incisum nobis tradiderunt. *Id. Balb.* 23. 53. Fœdus in columna ænea incisum et perscriptum. *Id.* 4. *Verr.* 63. 154. Videmus in basi statuarum maximis litteris incisum, A COMMVNI SICILIA DATAS. Adde *eumd.* 6. *ibid.* 34. 74. Sic *Id.* 13. *Fam.* 36. Incidere nomina in tabula. *Sueton. Aug.* 101. aliquid in æneis tabulis. *Nepos Alcib.* 4. in pila lapidea. Rursus *Cic. Senect.* 17. 61. et *Pis.* 29. 72. Carmen, elogium incisum in sepulcro. *Id. Fontej.* 14. 31. Incisus ac notatus in monumentis rerum gestarum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 9. 14. (35). Incidens litteras in fago recenti. — c) Cum Dativo. *Horat. Art. P.* 399. leges incidere ligno. *Id.* 2. *Sat.* 3. 83. summam sepulcro. *Ovid.* 9. *Met.* 528. Scripta soror fuerat, visum est delere sororem, Verbaque correctis incidere talia ceris. *Virg.* 10. *Ecl.* 53. tenerisque meos incidere amores Arboribus. *Sueton. Gramm.* 17. Fasti marmoreo parieti incisi. *Plin. Paneg.* 54. *extr.* Non trabibus aut saxis nomen tuum, sed monumentis æternis laudis inciditur. — d) Absolute. *Cic. Mil.* 32. 87. Incidebantur jam domi leges. Sic *Plin. Paneg.* 26. et 28. dixit *incidi* pro inscribi in tabulis publicis. — *Incisus* etiam dicitur is, cujus nomen in tabulis æneis publicis incisum est. *Seneca* 4. *Benef.* 28. Frumentum publicum tam fur, quam perjurus et adulter accipiunt, et sine delectu morum quisquis incisus est. *Inscript.* apud *Murat.* 116. 11. EVTYCHETI FILIO QVI VIXIT ANN. VI. DIEBVS VI. INCISVS IXXXXVVSQVE ACCEPIT CONGIARIVM (*ostio*) XC. ¶ 2. A Poetis aliquando ponitur pro incidendo facere. *Ovid.* 8. *Met.* 245. ferroque incidit acuto Perpetuos dentes et serræ repperit usum. *Virg.* 8. *Ecl.* 29. novas incide faces. Cf. *Colum.* 2. *R. R.* 22. 3. ¶ 3. Per metaphoram usurpatur pro abrumpere. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 4. § 11. Poema ad Cæsarem, quod institueram, incidi. *Id.* 2. *Orat.* 82. 336. Inciditur omnis jam deliberatio, si intelligitur non posse fieri. *Liv.* 32. 37. *ad fin.* Longiorem exorsis orationem, brevis interrogatio sermonem incidit. *Albinov.* 2. 7. non omnia dixit: Inciditque pudor, quæ prope dixit amor. *Stat.* 9. *Theb.* 884. Tandem hæc singultu verba incidente profatur. *Virg.* 9. *Ecl.* 14. novas incidere lites. *h. e.* decidere, dirimere. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 36. Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum. *Cic.* 3. *Orat.* 58. 217. Aliud vocis genus iracundiæ sibi sumit, acutum, incitatum, crebro incidens. ¶ 4. Item pro auferre, tollere, delere. *Cic.* 2. *Phil.* 19. 47. Tametsi incidamus oportet media, ne nimis sero ad extrema veniamus. *h. e.* breviemus. *Liv.* 2. 16. Tarquinius spe omni reditus incisa exsulatum Tusculum abiit. *troncata, tolta.* Sic *Id.* 44. 6. *a med.* et 3. 58. Incidere spem. *Sil. It.* 3. 78. Si quis forte deum tantos inciderit actus. *Seneca Ep.* 101. Ipsam, quam premimus, horam casus incidit. *Marcell. Dig.* 28. 4. 3. Incidere testamentum. — Hinc a Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Incisum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est Græcum κόμμα, sive pars periodi brevior apud Rhetores: nam longior membrum est. *Cic. Orat.* 62. 211. Nescio cur, quum Græci κόμματα et κῶλα nominent, nos non recte incisa et membra dicamus. *V.* et INCISIO 1. Sic *Quintil.* 9. 4. 122. Incisum, quantum mea fert opinio, erit sensus non expleto numero conclusus; plerisque pars membri. Tale est enim quo Cicero utitur (*Orat.* 67. 223.): *Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas.* Fiunt autem singulis verbis incisa, ut *Diximus, testes dare volumus.* Incisum est *diximus.* Cf. *Quintil. ibid.* 22. et 32. et 44. et 67. et 123.

INCĪDUUS, a, um. *V.* INCÆDUUS.

INCĪENS, entis, adject. femina prægnans, propinqua partui, *gravida, vicina al parto:* ita dicta, inquit *Paul. Diac. p.* 97. 15. *Müll.*, quod incitatus sit fetus ejus: vel, ut alii, quod cieat et invocet alias ad auxilium: vel quod se ciat, seu incitat ac movet ad pariendum: vel demum, quod præstat, ab ἐγκύω *prægnans sum,* unde ἔγκυος et ἐγκύμων. *Varro* 2. *R. R.* 2. 8. Faciendum quoque septa secreta ab aliis, quo incientes oves secludere possis. *Colum.* 8. *R. R.* 11. 8. Incientes pavones includere. *Id.* 7. *ibid.* 3. 16. Partus incientis pecoris. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 84. (211). Incientes sues occidere. *Arnob.* 7. 22. Scrofa inciens. *Al. leg.* ingens. *V. Incinctus* in fin. v. INCINGO.

INCĪEO. *V.* INCIO.

INCĪLE, is, n. 3. *V.* voc. seq. in fin.

INCĪLIS, e, adject. De etymo *V.* mox in *Incile.* — Incilis est ad derivandam aquam pertinens. *Cato R. R.* 155. In monte fossas inciles puras habere oportet. — Hinc

Incile, is, n. 3. absolute, substantivorum more, est locus depressus ad latus fluminum, aquæ derivandæ causa, *fossa da condur acqua, rigagnolo,* διωρυγή, ἀμάρα. *Ulp. Dig.* 43. 21. 1. deducit ab *incidendo* (ut *incilis* sit pro *incidilis*), quia inciditur lapis, vel terra, unde aqua ex flumine agi possit: alii ab *incieo. Paul. Diac. p.* 107. 2. *Müll.* Incilæ (*lege* incilia) fossæ, quæ in viis fiunt ad deducendam aquam, sive derivationes de rivo communi factæ. — Masc. gen. legitur in *Gloss. Philox.* Inciles, διώρυγες. — Ceterum

I.) Proprie. *Cato R. R.* 155. Quum pluere incipiet, familiam cum ferreis sarculis exire oportet, incilia aperire, aquam deducere in vias. *Colum.* 5. *R. R.* 9. 13. A superiore parte, si olea in clivo sit, incilia excitantur, quæ limosam aquam ad codicem deducant. *Ulp. Dig.* 43. 13. 1. Incile ducere. *Apul.* 9. *Met.* Via lacunosis incilibus voraginosa.

II.) Translate. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 5. 3. Sane tamquam in quodam incili jam omnia adhæserunt. *Alii aliter leg.*

INCĪLO, as, are, a. 1. Part. *Incilans.* — Ratione habita etymi, *Voss.* vellet esse ab *incieo* commoveo; alii ab *incido* concido: est autem increpare, objurgare, improbare, dictis asperis mordere. *Lucret.* 3. 977. Jure, ut opinor, agat, jure increpet inciletque.

Pacuvius apud *Non.* p. 125. 5. *Merc.* Si quis hac me oratione incilet, quid respondeam? *Lucilius* apud *eumd. ibid.* Incilans nos lædis vicissim. *Accius* apud *eumd. ibid.* Spernere, incilare probris. *Id. ibid.* Incilare factum alicujus. — *NB.* Pro incilia facere leg. nonnulli apud *Pallad.* 12. *R. R.* 3. Vinea vetus viridissima parte corticis feriatur ac fossa frequentius incilietur. *Schneider.* vero leg. *incitetur.*

INCINARIUM. *V.* INCINERARIUM.

INCINCTUS, a, um. *V.* INCINGO.

INCĬNĔRĀRĬUM, ii, n. 2. *Charis.* 1. p. 78. *Putsch.* Muliebre ministerium, incinerarium dicitur; nam Cato in Originibus, Mulieres, inquit, nostræ capillum cinere inungitabant, ut rutilus esset crinis. Hæc *Charis.* Porro hoc ministerium erat eorum, qui cinerarii et ciniflones dicebantur. *V.* CINERARIUS. Apud *Charis.* alii leg. *incinarium*: quod corruptum videtur.

INCĬNĔFACTUS, a, um, adject. (in cinis *et* facio) in cinerem conversus, cinefactus. *Commodian.* 41. 12. Tunc Babylon meretrix incinefacta favilla. *At pro* incinefacta *videtur legend.* cinefacta.

INCINGO, cingis, cinxi, cinctum, cingere, a. 3. (in *et* cingo). Part. *Incinctus* in fin. — Incingere est idem quod cingere, circumdare, καταζωννύω (It. *cingere, circondare*; Fr. *enceindre, ceindre, entourer*; Hisp. *ceñir, cercar, rodear, circunvalar*; Germ. *durch Gürten ein –, umschliessen, daher umgürten, umgeben, gürten*; Angl. *to bind, encircle, surround*). Occurrit — *a*) Cum Accusat. *Ovid.* 7. *Met.* 242. Aras verbenis silvaque incinxit agresti. *Id.* 3. *Amor.* 8. 47. turritis incingere mœnibus urbes. *Id. Heroid.* 9. 66. Nec te Mæoniæ lascivæ more puellæ Incingi zona dedecuisse pudet. *Mela* 2. 3. *ante med.* Arcadiam Peloponnesiacæ gentes undique incingunt. — *Catull.* 64. 258. Pars sese tortis serpentibus incingebant. — *b*) Mediorum apud Græcos more. *Ovid.* 4. *Met.* 483. Induitur pallam (*Tisiphone*) tortoque incingitur angue. *Id.* 14. *ibid.* 720. nitidaque incingere lauro. *incoronati.* Cf. *Mela* 1. *extr.* Corycos oppidum portu incingitur. *Quintil.* 11. 3. 146. Lævam involvere toga et incingi pæne furiosum est. — Hinc Part. præter. pass.

Incinctus, a, um, est idem quod cinctus, amictus, circumdatus, *cinto, circondato, vestito. Liv.* 8. 9. Incinctus cinctu Gabino. *Apul.* 7. *Met.* Zonis pretiosissimis incincta. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 89. Furiæ Cæruleæ incinctæ angui incedunt. *Forcellinus* leg. *igni. Virg.* 4. *G.* 342. *de Nymphis.* Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ. *h. e.* succinctæ. Sic *Ovid.* 2. *Fast.* 634. Nutriat incinctos missa patella Lares. (*V.* SUCCINCTUS). *Id.* 5. *ibid.* 675. incinctus tunicas mercator. *Al. leg.* tunica. Sed confer *eumd.* 13. *Met.* 894. Incinctus juvenis textis nova cornua cannis. *Petron. Satyr.* 135. Anus incincta quadrato pallio. *Ovid.* 5. *Fast.* 337. capilli incincti philyra. *Solin.* 15. *ante med.* Capitum ossa auro incincta. *Ovid.* 3. *Met.* 162. *de fonte.* Margine gramineo patulos incinctus hiatus. *Mela* 2. 6. Hispania pelago undique incincta. *Scribon. Compos.* 163. et 161. Habere aliquid incinctum. *h. e.* in zona habere, *in saccoccia.* suspicatur *Rhodius*, legendum esse *in cinctu.* — Pro non cinctus, discinctus, *scinto, discinto,* affertur illud *Tibull.* 3. 2. 18. ossa incinctæ nigra candida veste legant. Sic *Sueton. Aug.* 100. Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati et discincti pedibusque nudis. Potest tamen apud *Tibull. loc. cit.* intelligi *incinctæ nigra veste,* amictæ, indutæ, ut apud *Petron. loc. cit.* Incincta pallio. — *Incincta femina* dicitur quæ gravida est. *Isid.* 10. *Orig.* Incincta, id est sine cinctu: quia præcingi fortiter uterus non permittit. At alii rectius ducunt ab *inciente*; hinc Itali *incinta*, Galli *enceinte*, Hispani *encinta* eamdem vocant. *V.* INCIENS.

INCĬNGŬLUM, i, n. 2. (incingo) idem quod cingulum. *Non.* p. 47. 25. *Merc.* Cingulum a cingendo, quod incingulum plerumque dicitur.

INCĬNO, is, ere, 3. (in *et* cano) canere, accinere, insonare, *cantare o suonare,* ἐπᾴδω. Occurrit — *a*) Active. *Varro* apud *Non.* p. 299. 28. *Merc.* Ære cava nunc sonitum mi incine cornuis. *A. Riese* ita legendum conjecit: alii omnino aliter leg. *Propert.* 2. 18. 6. varios incinit ore modos. *Gell.* 1. 11. *a med.* Si ut planipedi saltanti, ita Graccho concionanti, numeros et modos et frequentamenta quædam varia tibicen incineret. — *b*) Neutrorum more. *Gell.* 4. 13. Si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores.

INCĬO, is, *a.* 4. vel Incĭĕo, es, a. 2. *muovere,* movere. *Lucret.* 5. 960. Et Venus in silvis incibat corpora amantum. Al. leg. *inciebat*, ut sit synæresis: sed et *incibat* ab *incio* esse potest, ut *lenibant* a *lenio*, et *servibat* a *servio*, et *nutribant* a *nutrio* etc. Recentiores tamen plerique omnes leg. *jungebat.*

INCĬPĔRA, pro impera, quidam legunt apud *Plaut. Truc.* 3. 2. 8. *V.* INCITEGA.

INCĬPESSO. *V.* INCIPISSO.

INCĬPIO, cipis, cēpi, ceptum, cipere, 3. (in *et* capio). *Incepsit* pro *inceperit* olim dictum est, teste *Paul. Diac.* p. 107. 20. *Müll.* — Præteritum *incepi* habent præter *Plaut. Truc.* 2. 5. 14. et alibi, etiam *Virg.* 3. *Æn.* 8. et *Ter. Andr.* 5. 1. 13. et *Adelph.* 2. 2. 19. Ceterum prosæ scriptores, *Cicero* præsertim, *Cæsar*, *Nepos* et hujusmodi, *cœpi* libentius usurpant. Ex quo quidam non *incepi*, sed *incœpi* scribendum putarunt, tamquam non a *capio* aut *incipio*, sed vel a *cœpi* vel a *cœpio* sit. — Part. *Incipiens* sub *A.* et *B.*; *Inceptus, Incipiendus* et *Incipiundus* sub *A.* — *Incipere*, cui recta opponuntur *desinere* et *desistere*, est inchoare, initium facere, ἄρχω (It. *cominciare, principiare*; Fr. *commencer, entreprendre*; Hisp. *comenzar, empezar*; Germ. *eine Sache anfassen, daher unternehmen, anfangen, beginnen*; Angl. *to commence, begin*). Occurrit autem *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active usurpatur — *a*) Sæpissime cum Infinito. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Orat.* 58. 217. Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi? *Plaut. Asin.* 2. 4. 42. Nunc adeam optimum est, priusquam incipit tinnire. *Cic.* 1. *Tusc.* 49. 117. Ut homines mortem vel optare incipiant, vel certe timere desistant. *Id.* 2. *Nat. D.* 3. 9. Tum bella gerere nostri duces incipiunt, quum auspicia posuerunt. *Id.* 1. *de republ.* 43. Ex quo leges quoque incipiunt negligere. *Id.* 5. *Tusc.* 1. 3. Equidem meos casus mecum ipse considerans, huic incipio sententiæ diffidere. *Id. Amic.* 21. 78. Ne nimis cito diligere incipiant, neve non dignos. *Id. ibid.* 16. 60. Ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus. *Cæs.* 5. *B. G.* 51. Ut fossas complere inciperent. *Id.* 1. *B. C.* 80. Iter facere incipere. *Virg.* 1. *G.* 5. Hinc canere incipiam. *Cæs.* 6. *B. G.* 29. Quum maturescere frumenta inciperent. Adde *eumd.* 3. *B. C.* 49. et *Id.* 2. *B. G.* 2. Quum primum pabuli copia esse inciperet. Sic *Ovid.* 6. *Met.* 255. Lætus erat, qua crus esse incipit. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 474. et 15. *ibid.* 256. — Præter. perf. *Plaut. Truc.* 2. 5. 12. et 14. Mala quod mulier facere incepit, nisi id efficere perpetrat etc. – Si bene facere incepit etc. *Id. Rud.* 2. 5. 5. Satis nequam sum, utpote qui hodie inceperim amare. — *b*) Raro absolute. *Cic.* 1. *Off.* 37. 135. Ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus. Sic *Plin.* 9. *Ep.* 4. Ut sæpe incipere, sæpe desinere videatur. *Seneca Ep.* 116. Non obtinebit ut desinat, si incipere permiseris. *Quintil.* 11. 3. 144. Dum incipimus. *Id.* 12. 6. 3. Dum deliberamus, quando incipiendum sit, incipere jam serum est. *Id.* 11. 1. 6. In incipiendo, narrando etc. *Sall. Jug.* 109. Statim sic rex incipit: Numquam ego sum ratus etc. Sic *Horat. Art. P.* 136. Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim: Fortunam Priami cantabo etc. *Id.* 2. *Sat.* 6. 79. sic incipit: olim etc. Adde *Ovid.* 9. *Met.* 281. Cf. *Val. Flacc.* 7. 433. Nec quibus (*verbis*) incipiat demens videt, ordine nec quo. Rursus *Horat.* 1. *Sat.* 9. 21. Incipit ille: Si bene me novi, etc. *Virg.* 3. *Ecl.* 58. Incipe, Damœta, tu deinde sequere Menalca. Adde *eumd.* 2. *Æn.* 348.; *Juvenal.* 4. 31.; et *Auson. Ep.* 81. Similiter *Horat.* 1. *Ep.* 2. 40. Dimidium facti qui cœpit habet: sapere aude, Incipe. *Ter. Phorm.* 2. 4. 16. Turpe inceptu est. at *Liv. præfat.* § 10. Fœdum inceptu. *Quintil.* 1. 2. 26. Incipientibus et teneris jucundior. *a' principianti.* Adde *eumd.* 2. 5. 18., 2. 6. 15. et alibi sæpe. — *c*) Cum Accusativo; quocum Infinitum subintelligi facile potest. *Cato* apud *Gell.* 16. 14. Qui multa simul incipit, neque perficit, is festinat. — Activa forma. *Plaut. Aulul.* 3. 4. 1. Di immortales, facinus audax incipit qui etc. *h. e.* suscipit, aggreditur, *imprende.* Sic *Sall. Cat.* 20. Ausus est pulcherrimum facinus incipere. *Id. orat. Cottæ ad Coss.* Quare indigna vobis nobisque et republica incipitis? *Ter. Eun.* 5. 5. 23. Quid igitur faciam miser, quidve incipiam? *Id. Adelph.* 2. 2. 19. Hoccine incipere Æschinum, ut hanc mihi eripere postulet? *Cic. Planc.* 19. 48. Si id facere non potueris, quod, ut opinio mea fert, ne incipies quidem. Sic *Quintil.* 1. 12. 5. Recentes sumus ad id, quod incipimus. *Plaut. Capt.* 4. 2. 13. Hic homo pugilatum incipit. *Id. Cas.* 4. 4. 2. Sospes iter incipe hoc. *Id. Trin.* 4. 2. 164. Incipere cursuram. *Sall. Jug.* 83. bellum. *Liv.* 7. 34. *sub fin.* Opus incipit nemo. *Virg.* 1. *G.* 230. Incipere sementem. *Tac.* 3. *Ann.* 59. auspicia. *Virg.* 8. *Ecl.* 21. Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus. *Ovid.* 8. *Met.* 713. Ante gradus sacros quum starent forte locique Inciperent casus. *Plerique tamen leg.* narrarent. *Tac.* 12. *Ann.* 10. Mandata incipit. *scil.* exponere. — Præter. perf. *Plaut. Cas.* 2. 1. 16. Non pol per tempus iter mihi incepi. *Id. Men.* 2. 3. 80. Tantum incepi operis. — Passive. *Plaut. Capt.* 2. 1. 31. Tanta incepta res est. *Ter. Andr.* 5. 1. 17. Nuptiarum gratia hæc sunt ficta atque incepta. *Id. ibid.* 3. 3. 7. Amicitia, quæ incepta a parvis, cum ætate accrevit. *Cæs.* 7. *B. G.* 17. Inceptam oppugnationem relinquere. *Sall. Jug.* 21. Quia die extremum erat, prælium non inceptum. *Virg.* 8. *Æn.* 90. iter inceptum celerare. *Id.* 2. *G.* 39. Inceptumque decurre laborem. *Id.* 12. *Æn.* 832. Inceptum frustra summitte furorem. *Horat. Epod.* 14. 7. Deus me vetat inceptos iambos ad umbilicum adducere. *Val. Flacc.* 8. 258. incepti hymenæi. *Sueton. Aug.* 27. proscriptio. *Ter. Phorm.* 1. 4. 48. In re incipiunda. *Quintil.* 11. 3. 128. In contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. *Ovid.* 5. *Fast.* 570. A tantis princeps incipiendus erat. *Tac.* 5. *Hist.* 17. Saxis glandibusque et ceteris missilibus prælium incipitur. *Lactant.* 2. 8. *ante med.* Nec incipi, aut fieri, aut consummari quidquam potest, nisi etc. — *d*) Cum addito Ablat. et præpos. *ab. Cic.* 1. *de republ.* 36. Qui (*Aratus*) magnis de rebus dicere exordiens, a Jove incipiendum putat. *Quintil.* 6. 3. 76. Semper ab excusatione ætatis incipiens. *Id.* 3. 1. 7. Potissimum incipiam ab ea parte. Adde *eumd.* 4. 1. 50., 7. 3. 39. et alibi; at *Juvenal.* 7. 318. *Justin.* 13. 6. 10. Quibusdam placebat bellum in Macedoniam transferri: sed in rem visum est, ab Ægypto incipere. — Sic passive impersonaliter. *Quintil.* 9. 4. 92. Optime incipitur a longis: recte aliquando a brevibus.

B) Neutrorum more. *Plaut. Capt.* 5. 3. 3. Quam diu id factum est? STAL. Hic annus incipit vicesimus. *Ter. Andr.* 4. 2. 26. Narrationis incipit mihi initium. *Cic.* 7. *Verr.* 10. 27. Quum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur. *Id.* 7. *Att.* 8. Epistola, quam incipiente febricula scripseras. *Virg.* 3. *Æn.* 8. prima incipit æstas. *Id.* 2. *ibid.* 268. Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris incipit. *Ovid.* 2. *Art. am.* 648. amor. *Tac.* 1. *Hist.* 31. seditio. *Id.* 1. *Ann.* 19. Curæ incipientes. *Curt.* 3. 1. 17. Unde nexus inciperet, quave se conderet, perspici non poterat. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 13. 14. (68). Mox Idumæa incipit et Palæstina. *Id.* 27. *ibid.* 13. 109. (133). Incipiente æstate. *Id.* 8. *ibid.* 5. 5. (11). Menander Syracusanus incipientis juventæ. *Id.* 21. *ibid.* 15. 80. (131). Trixago incipientibus hydropicis efficax. — Hinc a Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Inceptum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est principium, institutum, ἐγχείρημα, *cominciamento, tentativo.* — *a*) In sing. num. *Sall. Cat.* 20. Tantummodo incepto opus est. *bisogna sol principiare. Cic.* 2. *Cat.* 12. 27. Si cujus ego non modo factum, sed inceptum ullum conatumve contra patriam deprehendero. *Horat. Art. P.* 126. servetur ad imum Qualis ab incepto processerit (*carmen*) et sibi constet. *dal cominciamento. Vellej.* 2. 68. Incepto pari similis fortuna Milonis fuit. *Lucceius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 14. *extr.* Cupio (*te*) deterrere, ne permaneas in incepto. *Nepos Dion.* 8. *extr.* Deterrere aliquem ab incepto. *Sall. Cat.* 4. A quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat. *Id. ibid.* 7. *extr.* Ea res longius nos ab incepto trahit. *Liv.* 31. 28. Absistere incepto. *Virg.* 1. *Æn.* 41. mene incepto desistere victam? *Id.* 2. *ibid.* 654. hærere in incepto. *Ovid.* 6. *Met.* 50. Perstat in incepto. *Virg.* 4. *Æn.* 452. inceptum peragere. *Sall. Jug.* 11. *extr.* perficere. *Virg.* 5. *Æn.* 678. Piget incepti. *Sall. Jug.* 4. *extr.* Nunc ad inceptum redeo. *h. e.* ad rem redeo. — *b*) In plur. num. *Sall. Jug.* 70. Cupidus incepta patrandi. *Id. Cat.* 17. Favere inceptis alicujus. Cf. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 56. inceptis

annue, diva, meis. *Virg.* 7. *Æn.* 259. dii nostra incepta secundent. *Id.* 11. *ibid.* 469. magna incepta deserere. *Horat. Art. P.* 14. Inceptis gravibus plerumque et magna professis etc. *Nepos Miltiad.* 1. Incepta prospera.

INCĬPISSO, is, ere, a. 3. (incipio). In quibusdam lib. leg. *incipesso*. — Incipisso antique idem est quod incipio. *Plaut. Capt.* 4. 2. 22. Quid hic homo tantum incipissit facere cum tantis minis? *Id. ibid.* 3. 3. 17. Maximas nugas ineptiasque incipisso. *Id. Mil. glor.* 2. 2. 73. Magnam rem incipissis. *et* 82. Sic rationem incipissam. *Id. Capt.* 2. 1. 19. Brevem orationem incipisse.

INCIRCUMCĪSUS, a, um, adject. (in *privat.* et circumcisus) non circumcisus, *incirconciso*. *Prudent. Psychom.* 389. nec (*Samuel*) victum vivere regem Incircumcisum patitur. Adde *Tertull. advers. Jud.* 2.; et *Vulgat. interpr. Genes.* 34. 14. et alibi sæpe.

INCIRCUMSCRIPTUS, a, um, adject. (in *privat.* et circumscriptus) non circumscriptus, *incircoscritto*. *Prudent. Apotheos.* 863. Incircumscriptus Dominus. Adde *Tertull. advers. Hermog.* 38.

INCĪSĒ *et*

INCĪSIM, adverb. (incido, incisus) occurrit improprie tantum apud Rhetores de oratione, et est per incisa, invisis seu minutis particulis, *a membretti*, κατὰ κόμματα. *Cic. Orat.* 63. 212. Quo pacto debeat incise membratimve dici, jam videbimus. *et paullo post* § 213. Hæc quidem duo binis pedibus incisim; dein membratim. Adde *eumd. ibid.* 67. 225.

INCĪSĬO, ōnis, f. 3. (incido) actus incidendi, incisura, *taglio, incisione*, διατομή.

I.) Proprie. *Scribon. Compos.* 206. *extr.* Punctus nervorum musculorum, qui periculosissimi sunt, quos νύγματα Græci dicunt, sine incisione aut divisione (*hoc emplastrum*) sanat cyprio oleo dilutum. *Colum. Arbor.* 8. Infra incisionem et alligaturam vitem vulnerato. *Sed hic legendum* insitionem, ut *habent* Gesneri et Schneideri *editiones*. Certa est lectio apud *Theod. Priscian. l.* 2. p. 2. *c.* 4. Sin vero plura augmenta causæ concreverint, incisio venarum in capite et ustio celebranda est.

II.) Improprie. ¶ 1. In re oratoria est brevissima periodi pars, Gr. κόμμα: *V. Incisum* in fin. v. INCĪDO. *Cic. Orat.* 61. 206. De eorum particulis et tamquam incisionibus disserendum est. *Id. ibid.* 64. 216. In incisionibus et in membris. ¶ 2. Apud Grammaticos *incisiones* sunt quæ alias *cæsuræ* appellantur. *V.* CÆSURA. *Diomed.* 3. p. 496. *Putsch.* ¶ 3. *Incisiones interiorum* sunt tormina ventris apud *Veget.* 1. *Veterin.* 39. Dolorem ventris in jumentis torsiones vocant et interiorum incisiones.

INCĪSOR, ōris, m. 3. (incido) idem ac scissor, *trinciante*. *Alcim. Ep.* 77. *ante med.* Trepidans accensis faucibus gula aliquantulo temporis mora sub docti incisoris pependit arbitrio.

INCĪSŌRĬUS, a, um, adject. (incido) qui incidit. Legitur hæc vox in *Analect. gramm. Vindob.* p. 449. n. 81.

INCĪSUM, i, n. 2. *V.* INCĪDO in fin.

INCĪSŪRA, æ, f. 1. (incido) est idem atque incisio. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 39. 94. (230). Pili recisi, non, ut herbæ, ab ipsa incisura augentur, sed ab radice exeunt. Adde *Colum.* 12. *R. R.* 54. 1.; et *Pallad.* 4. *R. R.* 1. 2. ¶ 2. Speciatim incisuræ dicuntur in manibus, quæ vulgo lineæ vocantur: item in foliis plantarum, in insectis, etc. quæ et divisuræ appellantur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 52. 114. (274). Et in manu duas incisuras longas habentes. *Id.* 26. *ibid.* 8. 29. (46). Astragalus folia habet longa incisuris multis. *Id.* 15. *ibid.* 11. 10. (37). Chrysomela incisuris distincta. *Id.* 11. *ibid.* 1. 1. (1). Insecta appellata ab incisuris, quæ nunc cervicum loco, nunc pectorum atque alvi, præcincta separant membra. ¶ 3. Denique in pictura incisuræ dicuntur divisiones umbrarum ab lumine, ut *Id.* docet 33. *ibid.* 13. 57. (163). *V.* HARMOGE. Italice dicuntur *tratteggiamenti*: V. *Winckelmann. T.* 2. p. 997.

INCĪSUS, a, um. *V.* INCĪDO.

INCĪSUS, us, m. 4. (incido) idem atque incisio. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 12. 23. (60). Fructum quædam proximo anno ab incisu largiuntur.

INCĪTĀ. *V.* INCITUS, a, um, secundo loco.

INCĪTĀBĬLIS, e, adject. qui incitari potest. *Gloss. Philox.* Incitabilis, παροξυντικός.

INCĪTĀBŬLUM, i, n. 2. (incito) idem atque incitamentum. *Gell.* 15. 2. Fomitem esse quemdam dicens et incitabulum ingenii virtutisque, si mens et corpus hominis vino flagraret.

INCĪTĀMENTUM, i, n. 2. (incito) stimulus, invitamentum, *incitamento, stimolo*, ὁρμητήριον; et occurrit quum abstracto, hoc est de rebus, tum concreto, uti ajunt, sensu de personis. — *a*) In sing. num. *Cic. Arch.* 10. 23. Hoc maximum et periculorum incitamentum est et laborum. *Curt.* 4. 10. 21. Ipse eximiam pulcritudinem formæ ejus non libidinis habuerat incitamentum, sed gloriæ. *Tac.* 2. *Ann.* 29. Hortante Sextia uxore, quæ incitamentum mortis et particeps fuit. *Id.* 2. *Ann.* 23. Acerrima seditionum ac discordiæ incitamenta interfectores Galbæ. *Plin. Paneg.* 27. Incitamentum educandi. *Liv.* 21. 44. Incitamentum ad vincendum. Sic *Curt.* 9. 5. 12. Desperatio magnum ad honeste moriendum incitamentum. *Id.* 3. 11. 7. Darius et suis ad se tuendum, et hostibus ad invadendum, ingens incitamentum. *Tac.* 2. *Ann.* 38. Inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit, quo promptius adversaretur. *Curt.* 8. 14. 11. Id (*simulacrum Herculis*) maximum erat bellantibus incitamentum. — *b*) In plur. num. *Curt.* 4. 14. 1. Ingentia spei gloriæque incitamenta. *Tac. Agric.* 32. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis sunt. *Id.* 1. *Ann.* 55. Incitamenta irarum. Adde *Senec. Ep.* 64.; *Plin.* 1. *Ep.* 6.; et *Ammian.* 28. 1.

INCĪTĀTĒ, adverb. (incitatus) cum incitatione, *con incitazione*, ὁρμητικῶς. Occurrit translate de oratione Comp. *Incitatius* apud *Cic. Orat.* 63. 212. Fluit omnino numerus a primo tum incitatius brevitate pedum, tum proceritate tardius. *Id. ibid.* 20. 67. Locutio, quod incitatius feratur. — Et generatim *Id.* 2. *Att.* 24. *init.* Quas Numestio litteras dedi, sic te iis evocabam, ut nihil acrius neque incitatius fieri posset.

INCĪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (incito) usurpatur *A*) Active; et *B*) Passive.

A) Active est actus incitandi, *incitamento*, ὅρμημα, ὁρμή. *Cic.* 2. *Orat.* 9. 35. Ejusdem (*oratoris est*) et languentis populi incitatio et effrenati moderatio. *Id. ibid.* 43. 183. In quibus (*causis*) minus potest inflammari animus judicis acri et vehementi quadam incitatione.

B) Passive est motus incitatus, impetus, celeritas, *veemenza, celerità*.

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 26. 82. Sol tanta incitatione fertur, ut, celeritas ejus quanta sit, ne cogitari quidem possit. *Scribon. Compos.* 84. Si (*utris*) super foratus casu fuerit, incitatione ejaculabitur quod in eo erit. *h. e.* liquor.

II.) Translate. *Cæs.* 3. *B. C.* 92. Est quædam animi incitatio atque alacritas innata omnibus, quæ studio pugnæ incenditur. Cf. *Ammian.* 14. 1. *in fin.* Thalassius considerans incitationem ejus (*Constantii Galli*) ad multorum augeri discrimina, non maturitate vel consiliis mitigabat, ut aliquoties celsæ potestates iras principum molliverunt etc. *Cic.* 1. *Divinat.* 40. 89. Helenus et Cassandra divinantes, alter augurits, altera mentis incitatione et permotione divina. *h. e.* furore: *V.* INCITO II. 2. *Id.* 1. *Orat.* 35. 161. Sic evolavit oratio, ut ejus vim atque incitationem aspexerim, vestigia ingressumque vix viderim.

INCĪTĀTOR, ōris, m. 3. qui incitat, *incitatore*, ὀτρυντήρ. *Fronto de eloq.* (edente iterum *A. Maio*) *ante med.* Apollo pæanum auctor, Liber dithyramborum cognitor, Fauni vaticinantium incitatores. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 67. Incitator et fax omnium. *Ammian.* 28. 1. *ad fin.* Male sanus incitator.

INCĪTĀTRIX, icis, f. 3. quæ incitat, *incitatrice*. *Lactant. Ira D.* 23. Opulentia libidinum incitatrix. *Nazar. Paneg. Constantin.* 34. Quum matronarum species luculenta non incitatrix licentiæ esset, sed pudoris ornatrix. *Arnob.* 2. 30. Incitatrix ad vitia.

INCĪTĀTUS, a, um. *V.* INCITO.

INCĪTĀTUS, us, m. 4. idem atque incitatio. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 45. 45. (116). Venti sive assiduo mundi incitatu et contrario siderum occursu nascuntur, etc. *Alii leg.* incitu.

INCĪTĒGA, æ, f. 1. machinula, in qua constituebatur in convivio vini amphora, de qua subinde deferrentur vina. Ita *Paul. Diac.* p. 107. 3. *Müll.* Usus ejus erat, ne amphora fundo suo maculam mensæ imprimeret. Nomen ex eo, quod tegeret mensæ partem: ab *incitego*, pro *intego*, interjecta syllaba *ci* per epenthesin, quod veteres in multis faciebant, ut *concipilo* pro *compilo*, *recipero*, sive, ut nunc dicimus, *recupero* pro *reparo*, *reciprocus* pro *reprocus*. *Scalig.* — Ceterum, ut observat *Fea* ad illud *Horat.* 1. *Sat.* 6. 116. et lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet; *incitega* videtur esse vox corrupta ex ἐγγυθήκη (ab ἔγγος pro ἄγγος vas et θήκη *repositorium*), quæ plerumque marmorea erat, ut ait *Javolen. Dig.* 32. 1. 100. § 3., basis vasorum collocandorum causa parata, quamque ita describit *Sidon. carm.* 17. 7. Nec per multiplices abaco splendente cavernas Argenti nigri pondera defodiam. Ubi abaco est pro mensa seu delphica multiforatili, in cujus *cavernis* seu foraminibus pocula fundo olim sphærico prædita, non, ut apud nos, plano, inserebantur in convivarum usum a pocillatore identidem depromenda. *V.* REPOSITORIUM; et consule *Cavedoni, Marm. Moden.* p. 152. et *Annali dell' Instit. archeol. T.* 11. *ann.* 1839. p. 89.

INCĪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et cito *frequentat. a* cieo). Part. *Incitatus* I. 1. et 2., II. 1. et 3. et in fin.; *Incitaturus* II. 1.; *Incitandus* II. 1. et 4. — Incitare est vehementer impellere, concitare, commovere, παρορμάω (It. *muovere con veemenza, spingere, incitare, commuovere*; Fr. *mouvoir fortement, pousser*; Hisp. *incitar, mover fuertemente, empujar*; Germ. *anreizen, anregen, in Bewegung setzen*; Angl. *to incite, hasten or put forward, put violently in motion*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accusativo rei. *Cæs.* 2. *B. G.* 41. Neque longius fugientes prosequi, nec vehementius equos incitare poterant. Sic *Sueton. Galb.* 19. Incitare equites. *Lucret.* 3. 744. pavor incitat artus. *Val. Flacc.* 7. 507. incitare dextram. Cf. *Juvenal.* 6. 315. tibia lumbos incitat. *Sall. fragm.* apud *Non.* p. 555. 1. *Merc.* incitare saxa per pronum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 103. Stellarum motus tum incitantur, tum retardantur: sæpe etiam insistunt. *Cæs.* 4. *B. G.* 25. Naves longas remis incitari. Sic *Id.* 7. *ibid.* 60. Lintres magno sonitu remorum incitatæ. *Id.* 3. *ibid.* 14. Navigio remis incitato. — *b*) Cum Accusativo se. *Cæs.* 2. *B. C.* 14. Nostri ex castris se incitant. *h. e.* se proripiunt. *Id.* 3. *B. G.* 12. Quum ex alto se æstus incitavisset. *Id.* 4. *ibid.* 17. Quo major vis aquæ se incitavisset. *Id.* 2. *B. C.* 6. Duabus ex partibus sese naves in eam (*navem*) incitaverant. *Id.* 3. *ibid.* 24. Scaphæ se in hostes incitaverunt. — *c*) *Incitare currentem* proverb. apud *Cic.* 3. *Phil.* 8. 19. et 1. *ad Q. fr.* 1. 16. *V.* CURRO. Eodem sensu dixit *Plin.* 3. *Ep.* 7. 15. Instigare currentem. ¶ 2. Speciatim *incitare amnem* est pluviis augere atque promovere; *incitare arborem* est cultu promovere, ut libere crescat. *Liv.* 44. 8. Enipeus amnis fluit ex valle Olympi montis, æstate exiguus, hibernis idem incitatus pluviis. Cf. *Ammian.* 20. 5. Velut incitati torrentes, hostes abruptius inundantes. *Colum.* 4. *R. R.* 22. 3. Frequentibus fossuris terra permiscetur, ut incitari vitis possit. *Id. ibid.* 33. 5. Castanea ferro repetenda est, ut invitetur ejus proceritas. *Id.* 3. *ibid.* 21. 7. Interest, plures ne, an pauciores vehementer materias vinitor submittat prolixisve flagellis incitet, an etc. Adde *Pallad.* 12. *R. R.* 2. Ceterum *Cic.* hoc sensu verbo *excitare* usus est 2. *Orat.* 21. 88. Nova sarmenta culturа excitare. *Colum.* 4. *R. R.* 28. 1. eadem ratione *concitare* adhibuit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est excitare, hortari, impellere, stimulos admovere; et occurrit — *a*) Absolute. *Cic. Brut.* 92. 317. Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent. *Cæs.* 1. *B. C.* 56. Incitare aliquem præmiis et pollicitationibus. *Id.* 3. *B. C.* 78. Celeritate et studio incitatus. *Nepos Att.* 1. Omnes studio suo incitare. *Ammian.* 24. 6. Incitare tardantes. *Cic.* 1. *Fam.* 7. *a med.* Quum beneficiis tuis, tum amore incitatus meo. *Id.* 1. *Orat.* 32. 53. Quibus causis mentes aut incitantur, aut reflectuntur. *Id. Orat.* 19. 63. Animos incitare, aut sedare. *Id.* 2. *Orat.* 35. 147. Ipsum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat. *Id.* 2. *Divinat.* 2. 5. Quorum studio legendi meum scribendi studium in dies incitatur. *Id.* 3. *Orat.* 60. 226. Quamquam ea tela texitur et ea incitatur in civitate ratio vivendi ac posteritati ostenditur. *Auct.*

B. Gall. 8. 10. Quæ res stultas cogitationes incitabat barbarorum. Ovid. Remed. am. 632. Et multam saliens incitat unda sitim. Id. 2. Pont. 7. 14. Incitare metum. Plin. 20. Hist. nat. 7. 26. (64). Incitare aviditatem. eccitar l'appetito. Alter Plin. 2. Ep. 9. studium. Pallad. 4. R. R. 14. 1. libidinem. Val. Flacc. 4. 609. Incitare pugnas hastâ. h. e. ad prælium: quo sensu Stat. dixit 9. Theb. 72. impellere. — b) Cum addito Accusativo rei, ad quam quis incitatur, et præpos. ad vel raro admodum in. Cic. 1. Orat. 61. 262. Hisce ego cohortationibus ad studium et ad laborem incitandos juvenes assentior. Id. 1. de republ. 2. Quoniam ad hanc voluntatem ipsius naturæ stimulis incitamur. Id. 3. Fin. 20. 66. Ii, qui valent opibus, ad servandum genus hominum natura incitantur. Id. 9. Fam. 16. Incitari ad scribendum. Cæs. 3. B. G. 10. Multa Cæsarem ad id bellum incitabant. Liv. 1. 27. Incitare aliquem ad bellum atque arma. Id. 44. 30. Incitatus ad Romanum bellum. Sueton. Cæs. 7. Incitare aliquem ad amplissimam spem. Cic. Senect. 12. 39. Cujus voluptatis avidæ libidines temere et effrenate ad potiundum incitarentur. Cic. 34. 33. Maximæ partis sententia erat, ipsum exemplo multos in aliis civitatibus ad insidiandum libertati civium suorum incitaturum. Trebonius apud Cic. 12. Fam. 16. Ne putes, in Asia feriatum illum ab iis studiis, in quæ tua cohortatione incitatur, futurum. ¶ 2. Specialim est divino afflatu concitare. Cic. 1. Divinat. 36. 79. Nam terræ vis Pythiam Delphis incitabat, naturæ Sibyllam. Id. 4. Acad. (2. pr.) 5. 14. Exclamant quasi mente incitati. Catull. 63. 93. Alios age incitatos, alios age rabidos. ¶ 3. Item specialim in malam partem occurrit, et est irritare, provocare. — a) Cum Accus. et præpos. in vel contra. Cic. Flacc. 28. 66. Neque enim desunt, qui istos in me atque in optimum quemque incitent. Id. 12. Fam. 2. Ut in me veterani incitentur. Id. 1. Orat. 46. 202. Populum incitatum in bonos mitigare. Liv. 4. 2. Eodem tempore et consules senatum in tribunum et tribunus populum in consules incitabat. Id. 8. 33. Dictatorem in se his vocibus incitavit. Cf. Sueton. Ner. 35. Omnium odio in se incitato. Cic. 4. Acad. (2. pr.) 47. 144. Opifices si undique omnes convenerint, facile contra vos incitabuntur. Auct. B. G. 8. 35. Nostri acrius contra armatos incitati. — b) Absolute. Cic. 2. Legg. 22. 56. Acerbiore odio incitatus. Cæs. 1. B. G. 4. Quum civitas, ob eam rem incitata, armis suum jus exsequi conaretur. irritata. Sic Id. 4. ibid. 14. Milites pristini diei perfidia incitati. Quintil. 6. 4. 10. Actoris iracundia ipsos nonnunquam judices incitat. Huc referri potest et illud Sueton. Cal. 50. Incitabatur insomnia maxime. h. e. vexabatur, agitabatur. ¶ 4. Item specialim, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. I. 2., est augere, intendere. Cic. 1. Orat. 20. 90. Consuetudo exercitatioque et intelligendi prudentiam acuit et eloquendi celeritatem incitat. Tac. 3. Ann. 25. Relatum de moderanda Papia Poppæa, quam Augustus post Julias rogationes, incitandis cælibum pœnis, sanxerat. — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Incitatus, a, um, adjective occurrit, unde Comp. Incitatior II., et Sup. Incitatissimus I. et II. — Incitatus proprie est citatus, impulsus, vehementer motus, παρορμηθεὶς, incitato, commosso, spinto con veemenza.

I.) Proprie. Cic. 3. Nat. D. 6. 15. Imperator equo incitato se in hostes immittens. Sic Cæs. 4. B. G. 12. Incitato equo. Id. 2. ibid. 26. Milites cursu incitato in summo colle ab hostibus conspiciebantur. Senec. Troad. 999. Incitato gradu accurrere. Id. Hippol. 1236. Incitati turbines. Scribon. Compos. 81. Eruptio sanguinis incitata. Cic. 6. de republ. 18. Tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut etc. Flor. præfat. § 6. Hoc fuit tempus viris armisque incitatissimum: ideo quis adolescentiam dixerit.

II.) Translate. Cic. 5. Tusc. 24. 68. Esse studio incitato ad investigandam veritatem. Id. Orat. 59. 201. Interdum cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio. Sic refertur ad vim impetumque dicendi apud eumd. ibid. 12. 39. Herodotus sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit: Thucydides incitatior fertur. Ammian. 31. 2. med. Per inducias infidi, inconstantes, ad omnem auram incidentis spei novæ perquam mobiles, totum furori incitatissimo tribuentes. Asin. Pollio apud Cic. 10. Fam. 32. Legionem incitatissimam retinui, ægre mehercules: nec retinuissem, si uno loco habuissem, utpote quum singulæ quædam cohortes seditionem fecerint. — Hinc Incitatus apud Sueton. Cal. 55. nomen est equi, cui Caligula consulatum destinasse traditur. Apud Martial. vero 10. 76. et 11. 1. videtur esse celebris aurigæ Circensis.

INCĬTUS, a, um, adject. duo diversa significat, prout A) Est ab in intensiva; aut B) Ab in privativa et citus.

A) Incitus ab in intensiva et citus est incitatus, concitatus, vehementer impulsus, velox; et est vox fere poetica, spinto con veemenza, incitato, veloce, παρορμητος. Lucret. 1. 271. venti vis verberat incita pontum. Cic. poet. 2. Nat. D. 35. 89. Sic inciti atque alacres rostris perfremunt Delphini. Virg. 12. Æn. 492. apicem tamen incita summum Hasta tulit. Val. Flacc. 6. 302. Lancea cæruleas circum strepit incita vittas. Sil. It. 5. 473. Transegit juvenem, ac perfossis incita membris Hæsit in opposito cuspis Sidonia ligno. Id. 1. 491. pronoque sitos ruit incitus ictu. Id. 3. 450. Ac propere in pontum (Rhodanus) lato ruit incitus alveo. Id. 1. 174. Incita pulveream campo trahit ungula (equorum) nubem. Prudent. Hymn. 3. 93. Incita lingua. Val. Flacc. 1. 728. talem incita longis Porticibus conjusque fugit natique Lycurgum. Sil. It. 1. 497. velut incita clausum Agmina Pœnorum cingant et cuncta paventem Castra premant.

B) Incitus ab in privativa et citus est qui cieri et ulterius promoveri nequit, immotus. Hinc in ludo calculorum seu latrunculorum proprie incitus dicebatur lusor, qui pluribus calculis spoliatus reliquos habebat nullos, nisi alligatos seu incitos, quos nempe sine damno ciere non poterat: nos dicimus ha scaccomatto. Isid. 18. Orig. 67. Calculi partim ordine moventur, partim vage. Ideo alios ordinarios, alios vagos appellant: at vero qui moveri omnino non possunt, incitos dicunt. Unde et egentes homines inciti vocantur, quibus spes ultra procedendi nulla restat. Hæc Isid. — Porro ad incitas, scil. calces, seu ad incita, scil. loca, redactus, deductus etc. is translate dicitur, qui fortunis atque opibus accisus in summa rerum difficultate consiliique inopia ita versatur, ut inde expediri nequeat. Hinc Gloss. Isid. Incitæ, ultima conditio fortunarum. Plaut. Pœn. 4. 2. 85. sy. Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas (puellas) abduxerit. mi. Quin prius disperibit faxo, quam unam calcem civerit. (Hic calcem calculum significat: V. CALX secundo loco). Id. Trin. 2. 4. 136. Ut ad incitas redactus est! Lucilius apud Non. p. 123. 27. Merc. Villicum Aristocrates, mediastinum atque bubulcum Commanducatus corrupit, ad incita adegit. Id. apud eumd. ibid. Illud ad incita quum redit atque internecionem. Mamertin. Gratiar. act. ad Julian. 9. Epirotæ ad incitas, intolerandi tributi mole, depressi. Apul. 3. Met. sub fin. Ad extremas incitas deducti. h. e. ad ultima salutis jam detrusi, ut ait Id. 9. ibid. Plura huc pertinentia vide apud Wernsdorf. ad Poet. Lat. min. T. 4. p. 415. et seqq. — Charis. 1. p. 73. Putsch. docet, incitas unius tantum casus esse, ut infitias, suppetias, adfatim etc.

INCĪTUS, us. V. INCITATUS, us.

INCĪVĪLIS, e, adject. (in privat. et civilis) inter cives inusitatus, atque adeo inhumanus, immoderatus, superbus, iniquus, rationi æquitatique non consentaneus, improprio, superbo, crudele, ingiusto, ἄπολις. Eutrop. 9. 27. Homo ferus et incivilis ingenii. Aurel. Vict. Cæsar. 22. Horum nihil, præter sævos atque inciviles animos, interim reperimus. Gell. 10. 6. Ob hæc mulieris verba tam improba ac tam incivilia. Ulp. Dig. 48. 19. 9. Sunt quidem hæ pœnæ inciviles, invitum hominem jubere facere, quod facere non potest. Id. ibid. 50. 13. 3. Incivile factum coerceat prætor. Paul. ibid. 23. 2. 67. Libertum eam pupillam, cujus patronus res administrat, uxorem ducere, satis incivile est.

INCĪVĪLĬTAS, ātis, f. 3. (incivilis) inhumanitas, sævitia, vis, crudeltà, insolenza, soperchieria. Ammian. 18. 2. Ut sæpe contigit per incivilitatem militis occurrentia vastantis. Id. 29. 5. Qui incivilitatis ejus erat particeps et furtorum. Adde Cassiod. 4. Variar. 12. et 7. ibid. 39. ad fin.

INCĪVĪLĬTER, adverb. (incivilis). Comp. Incivilius. — Inciviliter est incivili modo, inhumaniter, inusitate, injuste, superbamente, ingiustamente, con soperchieria. Sueton. Tit. 6. Præfecturam egit aliquanto incivilius et violentius. Flor. 1. in fin. Manlius altius se et incivilius efferens. Apul. 7. Met. An te nos tractamus inciviliter, qui nostrum asinum furatum abducis? Ulp. Dig. 4. 2. 23. Judex inciviliter extorta restitui jubeat. Id. ibid. 50. 13. 2. Novi rivi inciviliter instituti. Adde Ammian. 29. 5. et 36. 6.; et Vopisc. Aurel. 6.

INCLĀMĀTĬO, ōnis f. 3. (inclamo) exclamatio. Tertull. 4. advers. Marcion. 41. Inclamatio imprecationis.

INCLĀMĀTUS, a, um. V. INCLAMO.

INCLĀMĬTO, as, are, a. 1. intensivum ab inclamo. Plaut. Epid. 5. 2. 46. Etiam inclamitor quasi servus. vengo sgridato.

INCLĀMO, as, āvi, ātum, are, a. et n. 1. (in et clamo). Part. Inclamatus 2. — Inclamare ¶ 1. In malam partem primo apud veteres usavenit pro clamando objurgare, alta voce increpare, sgridare; ut docet etiam Paul. Diac. p. 108. 1. Müll. Inclamare conviciis et maledictis insectari. — a) Cum Accusativo personæ. Plaut. Stich. 2. 2. 4. Tuos inclama, tui delinquunt. Id. Cist. 1. 1. 110. Si me absente Alcesimarchus veniet, nolito acriter eum inclamare. Adde eumd. Mil. glor. 4. 2. 44. et Truc. 3. 2. 4. — b) Cum Dativo personæ. Liv. 1. 25. Inclamat Curiatiis, ut opem ferant fratri. Ovid. 1. Amor. 7. 45. Nonne satis fuerat timidæ inclamasse puellæ? — c) Cum Accus. personæ et præpos. in vel contra. Gell. 5. 9. in fin. Repente in eum, qui id faciebat, videre sese quid faceret, magnum inclamavit. Aurel. Vict. Epit. 12. sub fin. Voce quam maxima inclamare contra aliquem. — d) Absolute. Lucret. 3. 956. Non merito inclamet magis et voce increpet acri? Horat. 1. Sat. 9. 76. quo tu turpissime? magna inclamat voce. ¶ 2. In bonam partem etiam apud Augustei ævi scriptores occurrit, et est clamore vocare, invocare, chiamare ad alta voce, invocare, ἐπιβοάω. — a) Cum Accusativo personæ. Plaut. Amph. 5. 1. 16. Ubi me inclamat Alcumena etc. Cic. 2. Invent. 4. 14. Comitem illum suum inclamavit semel et sæpius. Liv. 26. 15. Consurgentem jam Fulvium Taurea nomine inclamavit. Adde eumd. 8. 9. Sic Val. Max. 1. 7. 7. Perterritus deinde tam tetro visu et nomine horrendo, servos inclamarit; sciscitatusque est etc. Plin. 9. Hist. nat. 8. 8. (25). Delphinus quocumque diei tempore inclamatus a puero, ex imo advolabat. Id. ibid. 8. 10. (33). Ultro, neque inclamati, præsto sunt. Cælius apud Quintil. 4. 2. 124. Excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant. — Sic Gell. 17. 19. Inclamabant deum atque hominum fidem. invocavano. Cf. Ovid. 3. Fast. 756. Inclamatque suos auxiliumque vocat. — b) Absolute. Cic. 2. Att. 18. extr. Ita te para, ut, si inclamaro, advoles. Sic Id. ibid. 20. 5. Expeditus facito ut sis; si inclamaro, ut accurras. Id. 1. Orat. 53. 230. Nemo ingemuit, nemo inclamavit patronorum, nihil cuiquam doluit. h. e. exclamavit, clamavit, gridò. Sic Quintil. 11. 3. 172. Quasi inclamaret aut testaretur, locutus est.

INCLĀREO vel rectius

INCLĀRESCO, clarescis, clārŭi, clārescere, n. inchoat. 3. (in et claresco). Occurrit tantum Præter. perf. inclarui. — Inclarescere est clarus fieri, diventar chiaro, farsi chiaro.

I.) Proprie. Ammian. 25. 1. init. Ubi vero primum dies inclaruit etc. Sic Vulgat. interpr. Exod. 19. 16. Jamque advenerat tertius dies, et mane inclaruerat.

II.) Translate sæpius occurrit, et est clarus sum, manifestus, notus, esser chiaro, famoso, ἐκφαίνομαι. Sueton. Gramm. 17. Docendi genere maxime inclaruit. Adde eumd. ibid. 18. Sic Plin. 35. Hist. nat. 11. 40. (130). Inclaruit maxime discipulo Nicia Atheniensi, qui diligentissime mulieres pinxit. Alter Plin. Paneg. 82. Video enim deorum liberos his artibus inclaruisse. Sic Ammian. 25. 4. med. bonis. Id. 29. 5. init. fortibus factis. Plin. 7. Hist. nat. 37. 38. (125). Quæ artes pluribus inclaruere exemplis. Tac. 12. Ann. 37. Si statim deditus traderer, neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset. Ammian. 24. 6. Non minus quorumdam ex nostris inclaruit virtus.

INCLĀRUS, a, um, adject. (in privat. et clarus) non clarus, obscurus, oscuro; et occurrit translate tantum apud Symmach. 3. Ep. 4. An ita vel me,

animi fides incisa est, vel meriti tui anguste monumenta sunt, ut etc?

INCLAUDĬCĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et claudico) qui non claudicat; et

INCLAUSĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et claudo) qui non clauditur. *Gloss. Placid.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 471. Inclaudicabilis ad pedem refertur; inclausibilis ad locum.

INCLĒMENS, entis, adject. (in *privat.* et clemens). Comp. *Inclementior* et Sup. *Inclementissimus.* — Inclemens est durus, asper, *crudele, aspro*, ἀπηνής. *Liv.* 8. 32. a *med.* Increpabant inclementem dictatorem. *Sil. It.* 8. 438. inclemens hirsuti signifer Ascli. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 10. Dionysius aulæ Siculæ inclementissimus incubator. *Ammian.* 20. 4. Inclemens fortuna. *Liv.* 9. 34. *sub fin.* Inclementiori verbo appellare. *Ammian.* 25. 4. Inter quæ erat illud inclemens, quod docere vetuit magistros rhetoricos et grammaticos christianos, ni transissent ad numinum cultum.

INCLĒMENTER, adverb. (inclemens). Comp. *Inclementius.* — Inclementer est dure, aspere, *crudelmente, aspramente*, ἀπηνῶς. *Plaut. Amph.* 2. 2. 110. iterum hic jam in me inclementer dicit. *Id. Pseud.* 1. 1. 25. Inclementer dicere alicui. *Id. Pœn.* 5. 5. 44. Alicui inclementer loqui. *Ter. Eun. prol.* 4. Si quis est, qui dictum in se inclementius existimabit. *Liv.* 3. 48. Si quid inclementius in te sum invectus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (35). Inclementer consulit. *troppo rigorosamente.* *Ammian.* 26. 10. Inclementius puniri. *Pacat. Paneg. Constant.* 22. Inclementius facere in aliquem.

INCLĒMENTĬA, æ, f. 1. (inclemens) crudelitas, asperitas, *crudeltà, asprezza*, ἀπηνεία. *Virg.* 2. *Æn.* 602. divum inclementia, divum has evertit opes. *Val. Flacc.* 7. 416. haud tales decet inclementia vultus. Rursus *Virg.* 3. *G.* 68. Et labor et duræ rapit inclementia mortis. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 50. gravis inclementia fati. *Val. Flacc.* 2. 648. procul effera virtus Bebrycis et Scythici procul inclementia sacri. *Claudian. B. G.* 210. maris inclementia. *Justin.* 9. 2. 7. cæli. *aria cattiva.* Sic *Claud. Mamert. Genethl.* 9. 2. locorum ac siderum. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 82. *de Plutone.* diræ riget inclementia formæ. *Forcellinus* quatuor postrema loca translate accepit.

INCLĪNĀBĬLIS, e, adject. (inclino) qui facile inclinat et propendet: occurrit translate tantum apud *Senec. Ep.* 94. *circa med.* Dubios et in pravum inclinabiles animos revocat ad rectum bonorum virorum conversatio.

INCLĪNĀMENTUM, i, n. 2. (inclino) occurrit translate in re tantum grammatica, et est declinatio et positio verborum, *terminazione.* *Nigidius* apud *Gell.* 4. 9. Inclinamentum hujuscemodi verborum, ut vinosus, mulierosus, nummosus, signat copiam quamdam immodicam rei, super qua dicitur.

INCLĪNANS, antis. *V.* INCLINO.

INCLĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. (inclino) actus inclinandi, ἔγκλισις (It. *piegamento, inchinamento*; Fr. *action de pencher, inclinaison*; Hisp. *la accion de inclinarse, inclinacion*; Germ. *d. Neigung nach einer Seite hin*; Angl. *an inclining or bending downwards*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) In sing. num. *Cic.* 1. *Nat. D.* 34. 94. Corporis ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio. Sic *Quintil.* 1. 11. 16. Corporis inclinatio. *Id.* 1. 11. 18. Fortis ac virilis laterum inclinatio. *Id.* 11. 3. 90. Inclinatio incumbentis in aliquem Verris. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 83. (227). Alterna inclinatione egerunt scobem. *Id.* 8. *ibid.* 51. 77. (208). Merso navigio inclinatione lateris unius. *Ammian.* 15. 4. Inclinatione præcipite funditur Nilus. — *b*) In plur. num. *Tac.* 2. *Hist.* 35. Quum variis trepidantium inclinationibus mixti remiges propugnatoresque turbarentur. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 58. (160). Eristalis gemma, quum sit candida, ad inclinationes rubescere videtur. *al piegarsi.* ¶ 2. Speciatim inclinatio cæli Latinis est idem, quod Græcis κλίμα, *clima, l'inclinazione della terra dall'equatore verso il polo.* *Vitruv.* 1. 1. Propter inclinationes cæli, quæ Græci κλίματα dicunt. *Gell.* 14. 1. *ante med.* Sub ea inclinatione cæli, sub qua Chaldæi fuerunt. Eodem sensu *Vitruv.* 6. 1. Inclinationes mundi.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic. Sext.* 31. 67. Fieri quædam ad meliorem spem inclinatio visa est. *Seneca* 2. *Clem.* 4. a *med.* Crudelitas est inclinatio animi ad asperiora. *Quintil.* 5. 13. 57. Inclinatio causæ. *il piegar della causa a favore d'una delle parti.* Similiter *Cic. Brut.* 43. 158. Jactatio corporis, inclinatio vocis. *inflessione.* Sic *Quintil.* 11. 3. 168. Inclinationes vocis. *Cic. Orat.* 18. 57. vocat *flexiones.* ¶ 2. Speciatim est in aliquem animi inclinatio, studium, benevolentia. *Cic.* 2. *Orat.* 29. 129. Necesse est ut is, qui nobis causam adjudicaturus est, inclinatione voluntatis propendeat in nos. *Id. Mur.* 26. 53. Magna est autem comitiis consularibus repentina voluntatum inclinatio, præsertim quum incubuit ad virum bonum. *Quintil.* 6. 1. 20. Inclinatio judicum ad nos petitur initio parcius. *Tac.* 4. *Ann.* 20. Principum inclinatio in hos, offensio in illos. *inclinazione, propensione.* *Id.* 1. *ibid.* 28. Utendum ea inclinatione Cæsar ratus. *di quella propensione d'animi.* Adde *eumd.* 2. *ibid.* 38. Sic *Liv.* 44. 31. Adjuvante inclinationem animorum clementia in omnes et justitia prætoris. — In plur. num. *Tac.* 2. *Hist.* 92. Variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus. ¶ 3. Item speciatim est conversio et mutatio, quum quippiam in aliam rationem inclinatur et vertitur. *Cic. Balb.* 26. 58. Fuit hoc sive meum, sive reipublicæ fatum, ut in me unum omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. *Id.* 2. *leg. Agr.* 29. 80. An ignoratis, illa magnifica populi Romani vectigalia perlevi sæpe momento fortunæ, inclinatione temporis, pendere? Sic *Id.* 5. *Phil.* 10. 26. Minimis momentis maximæ inclinationes temporum fiunt. *Id.* 5. *Fin.* 4. 11. Hoc amplius Theophrastus (*scripsit*) quæ essent in republica rerum inclinationes et momenta temporum. *Id.* 6. *Fam.* 10. 5. Inclinationes temporum atque momenta. *Id. Planc.* 39. 94. Quascumque sententias reipublicæ status, inclinatio temporum, ratio concordiæ postularet. *Justin.* 5. 4. 12. Inclinatio fortunæ. Adde *Pacat. Paneg. Constant.* 6. ¶ 4. Denique in re grammatica *inclinationes verborum* sunt eorum derivationes ab uno ad aliud, ut a *vino vinosus.* *Varro* 9. *L. L.* 1. *Müll.*

INCLĪNĀTĪVUS, a, um, adject. encliticus, ἐγκλιτικός. *Priscian. de XII. vers. Æn.* p. 1225. *Putsch.* Hæc (*que*) et aliæ duæ conjunctiones, *ve* videlicet et *ne*, sunt apud Latinos inclinativæ, quas Græci ἐγκλιτικὰς vocant: solent enim suos accentus in extremam syllabam præcedentis dictionis remittere, ut *virumque, subjective, tantone.* Adde *eumd.* 13. p. 965. *Putsch.* Sic *Id.* 17. p. 1063. Inclinativa pronomina apud Græcos sunt, ut εἶδέ με.

INCLĪNĀTUS, a, um. *V.* INCLINO.

INCLĪNĀTUS, us, m. 4. idem atque inclinatio; et occurrit translate tantum in re grammatica. *Gell.* 3. 12. Neque aliud est, quod simili inclinatu dicatur. *idest* derivatione. *V.* DECLINATIO.

INCLĪNIS, e, adject. duo diversa significat, prout est *A*) Ab *in* intensiva, aut *B*) Ab *in* privativa et *clino.*

A) *Inclinis* ab *in* intensiva et *clino* est qui inclinatur et flectitur. *Val. Flacc.* 4. 307. sonat omnis vulnere cervix Inclinis, ceditque malis. *Minuc. Fel. Octav.* 3. *ad fin.* Inclinis atque humilis.

B) *Inclinis* ab *in* privativa et *clino* est non inclinans, ἀκλινής. *Manil.* 1. 595. His eadem est vita, quæ mundo, pariterque tuentur Inclines. V. *Scaliger.* ad h. l.

INCLĪNO, as, āvi, ātum, are, a. et n. 1. (in et clino). Part. *Inclinans* sub *B.* 1. 2. 3. et II. 2.; *Inclinatus* sub *A.* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Inclinaturus* sub *A.* II. 2.; *Inclinandus* sub *A.* I. 1. — Inclinare est torquere, flectere, inflectere, declinare, ἐγκλίνω (It. *inchinare, piegare*; fr. *faire pencher, incliner, fléchir, courber*; Hisp. *inclinar, torcer, encorvar*; Germ. *etwas hinneigen, neigen, biegen, wenden, kehren*; Angl. *to incline, bend*). Usurpatur tum *A*) Active cum Accusativo; tum *B*) Neutrorum more, Accusativo omisso ac subaudito.

A) Active cum Accusativo.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ovid.* 11. *Met.* 355. Parque boum fulvis genua inclinarat arenis. *Id. ibid.* 208. rector maris omnes Inclinavit aquas ad avaræ litora Trojæ. *Cels.* 7. 7. n. 14. Inclinanda acus ad ipsam suffusionem est. *Quintil.* 11. 3. 119. Inclinato in dextrum capite. *Id.* 11. 3. 69. Capite in latus inclinato. *Id.* 1. 11. 9. Inclinata utrolibet cervix. *Id.* 11. 3. 99. Pollice intus inclinato. *Juvenal.* 15. 63. Inclinatis per humum lacertis. *Sil. It.* 10. 485. Inde (*equus*) inclinatus colla et submissus in armos etc. *Martial.* 1. 77. arbor Inclinat varias pondere nigra comas. *Ovid.* 2. *Met.* 721. Sic super Actæas agilis Cyllenius arces Inclinat cursus. *Propert.* 4. 7. 23. At mihi non oculos quisquam inclinavit euntes. *h. e.* clausit oculos jam morte natantes. — Sol, dies se inclinare dicuntur, quum ad vesperam vergunt. *Liv.* 9. 32. Prius sol meridie se inclinavit, quam etc. *Cic.* 3. *Tusc.* 3. 7. Inclinato in postmeridianum tempus die. *Curt.* 4. 7. 22. Die in vesperam inclinato. Adde *Senec.* 4. *Quæst. nat.* 1.; et *Plin.* 5. *Ep.* 6. *in fin.* Sic *Ammian.* 15. 5. Ad occasum inclinato jam die. *Plin.* 2. *Ep.* 17. 12. Inclinato jam die. Cf. *Stat.* 12. *Theb.* 1. astra inclinaverat ortus. — Similiter de situ regionis. *Ammian.* 23. 6. Betæ (*populi*) australi celsitudini montium inclinati. *Id. ibid.* His locis Paropanisadæ sunt proximi —, ipsi quoque montium defectibus inclinati. — *Inclinari* Mediorum apud Græcos more occurrit apud *Quintil.* 11. 3. 132. Inclinari ad judicem. *Lucret.* 6. 572. terra inclinatur retroque recellit. ¶ 2. Speciatim in re militari *inclinari acies* dicitur, quum retro cedit et ad fugam spectat. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Tusc.* 16. 38. Ubi fortuna Hectoris nostram acrem aciem inclinatam (*dedit*). *Liv.* 1. 12. Ut Hostus cecidit, confestim Romana inclinatur acies. Sic *Sueton. Cæs.* 62.; *Tac. Germ.* 8.; *Justin.* 41. 1. 5.; at *Vellej.* 2. 52. 3. Inclinata acies. *Flor.* 4. 7. 12. cornu. *Nepos Pelop.* 5. Inclinatæ copiæ. *h. e.* ad fugam versæ. Adde *Vellej.* 2. 55. 1. Similiter *Liv.* 7. 33. Tum primum referri pedem atque inclinari rem in fugam apparuit. ¶ 3. Item speciatim *inclinare puerum* vel *virum* est illum pronum ita obvertere, ut stuprum patiatur. *Juvenal.* 10. 224. quot discipulos inclinet Hamillus. *Id.* 9. 26. atque ipsos etiam inclinare maritos. *V.* INCURVO. Aliter vero interpretandus est locus, qui huc referri a quibusdam solet, *Plauti Pers.* 4. 8. 7. Nam jam inclinabo me cum liberta tua. hic enim significat tantum *accumbam*, ut patet ex *eod. ibid.* 5. 1. 4. Ita *Forcellinus*: at *Freund.* et *Klotz.* contrariam sententiam amplexi sunt. ¶ 4. Denique speciatim, sed figurate, de coloribus dicitur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 11. 10. (37). Cotonea colore ad aurum inclinato. *che tira all'oro.* Sic *Id.* 21. *ibid.* 15. 86. (136). Herba coloris in luteum inclinati.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est flectere, vertere. *Cic.* 3. *Fin.* 3. 10. Quam vellem te ad Stoicos inclinavisses! *Liv.* 5. 8. *ad fin.* Quum omnem culpam in collegam inclinaret. *h. e.* transferret. Paullo aliter *Id.* 8. 21. Inclinare rem in causam plebis. Γνώμη est illud *Justin.* 5. 1. 11. Quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat. *Liv.* 42. 30. Plebs deterioribus inclinata. *Id.* 27. 45. Ait, ipsos rem omnem inclinaturos. *Quintil.* 4. 1. 14. Judicem inclinat miseratio. *Liv.* 29. 33. *extr.* Hæc animum inclinant, ut credam etc. — Et Mediorum more *Id.* 1. 18. Quamquam inclinari opes ad Sabinos, rege inde sumpto, videbantur. — *Inclinatus morbus* est in melius mutatus, *malattia su declinazione.* *Cels.* 3. 2. et 4.; et *Plin.* 23. *Hist. nat.* 4. 40. (82). ¶ 2. Speciatim in malam partem inclinari dicitur fortuna, aut respublica, aut quid simile, quum in deterius mutatur. *Cæs.* 1. *B. C.* 52. Magna erat rerum facta commutatio, ac se fortuna inclinaverat: ut nostri inopia rerum conflictarentur, illi omnibus abundarent rebus. Cf. *Cic.* 2. *Flam.* 16. Inclinata fortuna et prope jacens. *che ha preso cattiva piega*, quæ optimum statum, seu tenorem non amplius servat. Sic *Justin.* 4. 4. 8. Statu inclinato. — Sic *inclinata domus* est quæ ruinam minatur: allegorice *Virg.* 12. *Æn.* 59. in te omnis domus inclinata recumbit. Cf. *Ovid.* 15. *Met.* 294. adhuc ostendere nautæ Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis. *h. e.* terræ motu absorpta. — Similiter *Cic.* 1. *ad Brut.* 18. Ferre præsidium labenti et inclinatæ reipublicæ. Eodem sensu *Liv.* 9. 12. et 42. 59. Inclinata res. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (162). Inclinati mores. *h. e.* in pejus mutati, *deteriorati.* *Quintil.* 10. 1. 80. Quin etiam Phalereum illum Demetrium (quamquam is primus inclinasse eloquentiam dicitur) multum ingenii habuisse et facundiæ fateor. *h. e.* eloquentiam immutasse, in deterius vertisse. Huc pertinet et illud *Cic.* 3. *Att.* 13. Ut me paullum inclinari timore viderunt, sic impulerunt, ut etc. *h. e.* nutare, demitti. ¶ 3. Item speciatim apud Grammaticos *inclinare verba* est eorum

formam quomodocumque mutare: hinc — *a*) Est ab una voce aliam formare, inclinatione postremæ syllabæ (quod et *declinare* dicitur), ut *ingeniosus*, *formosus*, *officiosus*, quæ ab *ingenio* et *forma* et *officio* inclinata sunt, inquit *Gell.* 4. 9. *a med.* Adde *eumd.* 3. 12. et 18. 6. *a med.* — *b*) Item in casus variare. *Id.* 10. 13. Nam *partim* hoc in loco adverbium est, neque in casus inclinatur.

B) Neutrorum more, Accusativo omisso ac subaudito.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim inclinare est se torquere, se flectere, inflectere. *Lucret.* 2. 243. Paullum inclinare necesse est corpora. *Tac.* 14. *Ann.* 5. Visum dehinc remigibus unum in latus inclinare atque ita navem submergere. *Cic.* 2. *Orat.* 44. 187. Tantam vim habet oratio, ut non modo inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed etc. *chi piega per cadere.* — Sic sol, dies *inclinare* dicuntur, quum ad vesperam vergit. *Juvenal.* 3. 316. Sed jumenta vocant et sol inclinat: eundum est. *Horat.* 3. *Od.* 28. 5. Inclinare meridiem sentis. *Curt.* 6. 11. 9. Dies in vesperam inclinat. ¶ 2. Speciatim in re militari *inclinare acies* dicitur, quum retro cedit et ad fugam spectat. *Poeta* apud *Cic.* 4. *Tusc.* 23. 52. Danais inclinantibus –, restituit prælium. *che piegavano alla fuga.* *Liv.* 7. 33. Ita conflixerunt, ut aliquamdiu in neutram partem inclinarent acies. *Id.* 34. 28. *ad fin.* Tandem Nabidis milites in fugam inclinarunt. *Tac.* 1. *Ann.* 64. Nox demum inclinantes jam legiones adversæ pugnæ exemit. Adde *eumd.* 3. *Hist.* 83. ¶ 3. Item speciatim, de coloribus figurate. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 12. 105. (128). Color ad crocum inclinans. *h. e.* accedens, proximus, similis: *che tira al zafferano.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, sæpe refertur ad animum et significat flecti, propendere, proclivem esse. *Cic.* 2. *Orat.* 44. 187. Si se dant et sua sponte, quo impellimus, inclinant et propendent etc. *Liv.* 4. 26. *in fin.* Ita dubii quoque inclinant ad nomina danda. *Quintil.* 2. 10. 10. Paullum aliquid inclinare ad voluptatem audientium. *Tac.* 4. *Hist.* 68. Suopte ingenio ad mitiora inclinantes. *inclinati*, *propensi.* Sic *Id.* 13. *Ann.* 34. *extr.* Libertate ignota magis ad servitium inclinantes. *Id.* 2. *Hist.* 45. Postera die, haud ambigua Othoniani exercitus voluntate, et qui ferociores fuerant ad pœnitentiam inclinantibus, missa legatio. *Liv.* 30. 9. In hoc consilium inclinavere. *Curt.* 10. 7. In stirpem regiam inclinavere studiis. *piegarono col favore.* Sic *Tac.* 1. *Hist.* 59. Octo Batavorum cohortes –, tum discordia temporum a legione digressæ, prout inclinassent, grande momentum sociæ aut adversæ. — Et cum Dativo. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 69. amicus dulcis, ut æquum est, Quum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce (Si modo plura mihi bona sunt) inclinet, amari Si volet. *h. e.* his faveat; hæc magis spectet, quam vitia. — Similiter de abstractis. *Cic. Senect.* 6. 16. Quum sententia senatus inclinaret ad pacem et fœdus faciendum cum Pyrrho. *Liv.* 27. 46. *a med.* Multorum eo inclinabant sententiæ, ut tempus pugnæ differretur. *Tac.* 14. *Ann.* 2. Et fama huc inclinat. Rursus *Liv.* 32. 13. Inclinavit sententia, suum in Thessaliam agmen demittere. *Al. leg.* dimittere. *Id.* 7. 9. Ut belli causa dictatorem creatum arbitrer, inclinat animus. — De terra. *Varro* 1. *R. R.* 9. 6. Quo terra propius accedit, ut non sit macra, quam ut sit jejuna, eo ad omnes res commodior, quam si inclinavit ad illud quod deterius. ¶ 2. Speciatim est mutari, in melius aut in deterius verti. *Liv.* 3. 61. At, si fortuna belli inclinet, omnium liberis etc. *Id.* 6. 32. Ut semel inclinavit pugna, jam intolerabilis Romana vis erat. *Sil. It.* 6. 28. postquam subsidere fata (*h. e.* recedere, vel eorum favorem decrescere, minui) Viderat et magna pugnam inclinare ruina etc. *Lucan.* 3. 752. Inclinant jam fata ducum. *h. e.* Pompeji in deterius, in melius Cæsaris. *Tac.* 15. *Ann.* 21. Initia magistratuum nostrorum meliora ferme, et finis inclinat, dum in modum candidatorum suffragia conquirimus. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Inclinatus, *a*, *um*, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Inclinatior* I. et II. 2. — Inclinatus est flexus, vergens, ἐπικλινής, *inclinato*, *piegato.*

I.) Proprie. *Cic. Arat.* 10. Aries ad flamen Austri inclinatior. *Avien. Perieg.* 12. 63. tellus in australem inclinatior axem.

II.) Translate. ¶ 1. *Inclinata vox* est demissa simulque plena, quam βαρύτονον Græci dicunt, *voce bassa e piena:* opponiturque altiori et erectæ, quæ acutiore sono funditur. *Cic. Orat.* 8. 27. Inclinata ululantique voce, more Asiatico, canere. *Id. ibid.* 17. 56. Volet igitur ille, qui eloquentiæ principatum petet, et contenta voce atrociter dicere, et summissa leniter: et inclinata videri gravis, et inflexa miserabilis. ¶ 2. Item est proclivis, propensus. *Liv.* 23. 46. Plebs ante inclinatior ad Pœnos fuerat. *Id.* 34. 33. Ipsius imperatoris animus ad pacem inclinatior erat. *Seneca* 3. *Benef.* 12. Ista majora aut minora erunt, prout fuerit judex aut ad hæc aut ad illa inclinatus animo. *Curt.* 6. 9. 28. Contio ad misericordiam inclinata. *Tac.* 1. *Hist.* 84. Inclinatæ ad suspicionem mentes. *Justin.* 18. 1. 2. In quam rem inclinatum semel animum, præcipitem agere cœperant exempla majorum. ¶ 3. *Inclinatus* etiam dicitur, qui optimum statum, seu tenorem non amplius servat, *chi ha preso cattiva piega*, qui in deterius mutatus est. *Cic.* 2. *Fam.* 16. Ut existimares me tam improvidum, qui ab excitata fortuna ad inclinatam et prope jacentem desciscerem. — Hinc *inclinata rerum* sunt res inclinatæ et adversæ. *Sil. It.* 6. 119. Quidquid adest duri, et rerum inclinata feremus.

INCLĪTUS, a, um. *V.* INCLUTUS.

INCLOCTOR, ōris, m. 3. vox ficta de lorariis, qui crebris ictibus servorum terga cædentes, κλαγγὴν seu strepitum edebant. Quidam tribuunt *Plauto*, *Asin.* 3. 2. 6., ubi alii alia. *V.* INDUCTOR.

INCLŪDO, dis, si, sum, dere, a. 3. (in *et* claudo). Part. *Inclusus* I. 1. et II. 1.; *Includendus* I. 1. — Includere est intus claudere, κατακλείω (It. *rinchiudere*, *serrare dentro*, *inchiudere*; Fr. *enfermer*, *renfermer*; Hisp. *encerrar*; Germ. *einschliessen*, *einsperren*; Angl. *to shut up*, *confine*, *enclose*, *keep in*, *include*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Cum Ablativo et præpos. *in.* *Cic.* 1. *Cat.* 2. 4. Habemus senatusconsultum inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum. *Id.* 3. *Phil.* 12. 31. Armatos in cella Concordiæ inclusit. *Id. Tim.* 10. Sed quia nondum omne animal in mundo intus incluserat. *Id. Senect.* 21. 77. Nam dum sumus inclusi in his compagibus corporis. *Id.* 2. *Att.* 1. 8. Consule in carcere incluso. *Id.* 2. *Divinat.* 35. 73. Avis inclusa in cavea. Sic *Id.* 6. *de republ.* 26. Animus quum erit inclusus in corpore, eminebit foras etc. *Id.* 6. *Verr.* 24. 54. Illa (*emblemata*), ex patellis et turibulis quæ vellerat, ita apte in scyphis aureis includebat, ut etc. *incastrava.* Sic *Id.* 1. *Tusc.* 15. 34. Phidias sui similem speciem inclusit in clipeo Minervæ. *h. e.* cælavit. — *b*) Raro cum Accusativo et præpos. *in.* *Cic.* 7. *Verr.* 55. 144. In prædonum hostiumque custodias tu tantum numerum civium Romanorum includere ausus es? *Liv.* 28. 59. *in fin.* Ut in carcerem inter fures nocturnos et latrones vir clarissimus includatur. V. *Drakenborg.* ad h. l. — *c*) Cum Ablativo sine præpos. *Cic.* 3. *de republ.* 9. Quod deos, quorum domus est omnis hic mundus, inclusos parietibus contineri nefas esse duceret. *Cf. Plin. Paneg.* 49. Parietibus secum ultorem deum includere. *Liv.* 38. 60. Qui plurimos duces hostium carcere incluserit. *Ovid. Ib.* 521. Inclusus cavea. *Cæs.* 3. *B. C.* 66. et 67. Minora castra inclusa majoribus. *Liv.* 6. 8. Includere se mœnibus. *Curt.* 7. 6. 24. se muris. *Ovid.* 1. *Fast.* 53. populos septis. *Horat.* 4. *Od.* 6. 13. Ille non inclusus equo Minervæ etc. *Lucret.* 4. 1119. grandes viridi cum luce smaragdi Auro includuntur. *si legano in oro.* Adde *Trebell. Poll. Claud.* 16. Similiter *Virg.* 11. *Æn.* 488. surasque incluserat auro. *h. e.* ocreis aureis. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 430. — *d*) Raro admodum cum Dativo. *Virg.* 2. *Æn.* 119. corpora furtim includunt cæco lateri. *Curt.* 9. 8. 11. Oxycanus rex erat, qui se munitæ urbi cum magna manu popularium incluserat. *Sueton. Ner.* 6. Quas (*serpentis exuvias*) aureæ armillæ ex voluntate matris inclusas dextro brachio gestavit aliquamdiu. — *e*) Propria urbium nomina modo in Genit. vel Ablat., modo in Accus. occurrunt. *Liv.* 36. 17. Pars Heracleæ incluserunt sese. *Id.* 36. 16. Ætolorum utræque manus Heracleam sese incluserunt. — *f*) Absolute. *Ulp. Dig.* 19. 2. 13. § 5. Si gemma includenda, aut insculpenda data sit, eaque fracta sit, si quidem vitio materiæ factum sit, non erit ex locato actio; si imperitia facientis, erit. *Cic. Rabir. perduell.* 7. 21. Inclusum atque abditum latere in occulto atque ignaviam suam tenebrarum atque parietum custodiis tegere. *Id. Harusp. resp.* 12. 25. Populus Romanus septus atque inclusus. *Curt.* 8. 2. 10. Rex triduum jacuit inclusus. *Sil. It.* 4. 213. Demetit aversi Vosegus tum colla, jubaque Suspensam portans galeam atque inclusa perempti Ora viri etc. *Juvenal.* 12. 75. Tandem intrat positas inclusa per æquora moles. *h. e.* mare clausum per aggeres constitutos. *Pallad.* 7. *R. R.* 5. 4. Ut gemma locum gemmæ prioris includat. *h. e.* in se complectatur. — *g*) Huc pertinet et illud *Virg.* 2. *G.* 76. huc aliena ex arbore germen includunt, udoque docent adolescere libro. *h. e.* inserunt. ¶ 2. Speciatim in re militari includere est hostes undique circumdando præcludere. *Curt.* 4. 14. 15. Ne illis quidem ad fugam locus est. Hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet inclusos. *Id.* 4. 15. 21. Qui in lævo cornu erant Persæ, spe posse eum includi, agmen suum a tergo dimicantis opponunt. — Paullo aliter *Justin.* 14. 5. 6. Territi Spartani urbem, quam semper armis, non muris defenderant, tum contra responsa fatorum, armis diffisi, murorum præsidio includunt. ¶ 3. Item speciatim est præcludere, impedire. *Liv.* 27. 26. Circuiere, qui a tergo includerent viam. *Seneca* 3. *Ira* 10. *a med.* Os alicui inserta spongia includere. *Cic. Rabir. Post.* 17. 48. Me dolor debilitat includitque vocem. *Stat.* 12. *Theb.* 318. Inclusitque dolor lacrimas. *Liv.* 21. 58.; et *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 84. (209). Includere spiritum. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 12. Omnia quæ seruntur, crescente luna et diebus tepidis sunt serenda: nam tepor evocat, frigus includit. Cf. *Plin.* 5. *Ep.* 15. *extr.* Includor angustiis commeatus. *h. e.* breve secessus spatium mihi permittitur. ¶ 4. Denique est etiam definire, terminare. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 27. 28. (102). Asiam in duas partes Agrippa divisit: unam inclusit ab oriente Phrygia –; alteram determinavit ab oriente Asia minore etc. *Justin.* 2. 2. 1. Scythia in orientem porrecta, includitur ab uno latere Ponto, ab altero montibus Riphæis; a tergo Asia et Phasi flumine.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim metaphora sumpta a superiore paragr. 1. — *a*) Cum Ablat. et præpos. *in.* *Cic. Brut.* 79. 275. Illud, quod multis locis in jurisconsultorum includitur formulis. — *b*) Cum Accus. et præpos. *in.* *Cic.* 2. *Phil.* 12. 32. In hujus me tu consilii societatem tamquam in equum Trojanum cum principibus includis? *Id.* 4. *Tusc.* 7. 15. Quam (*opinationem*) in omnes definitiones superiores inclusimus. *Id.* 2. *Nat. D.* 24. 64. Physica ratio inclusa est in impias fabulas. *Id.* 13. *Att.* 19. Constituebam, neminem includere in dialogos eorum, qui viverent. *introdurre a parlare.* — *c*) Cum Ablat. sine præpos. *Cic.* 15. *Att.* 4. Illa, quæ mihi sunt inclusa medullis. *Liv.* 21. 8. Nullis neque temporis, neque juris inclusus angustiis. *ristretto.* *Ovid.* 5. *Trist.* 9. 31. lege data vincta atque inclusa Thalia. *legata e ristretta.* *Liv.* 45. 25. Includere orationem libro. *Cic.* 3. *Orat.* 48. 184. Includere verba versu. *mettere in verso.* Sic *Stat.* 4. *Silv.* 4. 11. Verba inclusa modis. *versi.* et *Horat. Art. P.* 76. Sententia inclusa versibus. *messa, spiegata in versi.* *Quintil.* 8. 3. 68. Si aperias hæc, quæ verbo uno inclusa erant. *Id.* 12. 10. 66. Neque his tribus quasi formis inclusa eloquentia est. *Val. Flacc.* 4. 372. verba pectore inclusa. *Sil. It.* 4. 779. Bacchus pectore inclusus. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 3. antiquo me includere ludo Quæris. — *d*) Cum Dativo. *Cic.* 1. *Att.* 13. *ad fin.* Τοποθεσίαν quam postulas, includam orationi meæ. — *e*) Cum Adverb. *intus.* *Cic.* 2. *Cat.* 5. 11. Intus insidiæ sunt, intus inclusum periculum est. — *f*) Absolute. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Inclusum odium effundere. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 63. Strangulat inclusus dolor atque exæstuat intus. *trattenuto e non isfogato.* ¶ 2. Speciatim, metaphora fortasse sumpta a superiore paragr. 3. vel 4., ponitur pro claudere, finire. *Propert.* 2. 15. 53. Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes, Forsitan includet crastina fata dies. Cf. *Sil. It.* 13. 685. peracta est illa suprema dies et laude inclusimus ævum. *Horat.* 4. *Od.* 13. 14. tempora, quæ semel Notis condita fastis Inclusit volucris dies. *Plin.* 2. *Ep.* 11. 18. Hujus actionem vespera inclusit. Alter *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 15. (42). Mellatio idib. Novembr. fere includitur. *Cels.* 1. 8. *ad fin.* Omnes potiones aqua frigida includere

INCLŪSĬO, ōnis, f. 3. (includo) actus includendi, *rinchiudimento*. ¶ 1. Generatim *Cic. Vatin.* 10. 24. Bibulum, cujus inclusione contentus non eras, interficere volueras. *Theod. Priscian. l.* 2. *p.* 2. *c.* 16. Quos vero repentinus dolor stomachi comprehenderit, qui cum gravedine etiam scapulis et dorso immineat, faucium quoque inclusionem et ructus difficiles faciat, etc. ¶ 2. Speciatim apud Rhetores inclusio dicitur figura, quæ Græce ἐπαναδίπλωσις, *Jul. Rufinian de schem. lex.* 9. *Frotscher.* Epanadiplosis est, quum idem verbum in eadem sententia et primum est et extremum. Latine dicitur inclusio.

INCLŪSOR, ōris, m. 3. (includo) qui includit; sed occurrit speciatim et est qui aurum in argento vel in ære, et qui gemmas in auro vel in argento includit. *Hieronym.* 5. *in Jerem.* 24. Artifices inclusoresque auri atque gemmarum, quæ ars apud barbaras nationes pretiosissima est. Cf. *loc. cit. Cic.* 6. *Verr.* 21. in INCLUDO I. 1.; et adde *Vulgat. interpr.* 4. *Reg.* 24 14. et alibi. — Ejusdem, suppresso tamen nomine, mentionem facit. *Apul. Florid. n.* 9. Ipse et annuli orbiculum circulaverat, et palam cluserat, et gemmam insculpserat. V. ENCLUDO.

INCLŪSUS, a, um. *V.* INCLUDO.

INCLŪTUS, a, um, *vel ut alii scribunt*

INCLȲTUS, a, um, adject. Quid sit apud *Cic. Orat.* 48. 159. inclutus prima brevi etc., diximus in BREVIS. — Quod ad scriptionem attinet, veteres dixere *inclutus*, more Latinis usitato Græcam υ in u sertendi (*inclutus* enim est a κλυτὸς et in): quod et in *clueo* et *cluo* a κλύω derivatis factum est, et hodieque a nonnullis usurpatur. Sunt etiam qui *inclitus* scribunt, quod verba, quamvis Græcæ originis, paulatim usu longo in Latinam scriptionem transeunt, ut *fama*, *silva* etc. *Forcellinus* et alii scribunt *inclytus*; quam scribendi rationem *Klotz.* omnino improbat. — Sup. *Inclutissimus.* — Inclutus est qui valde cluet, illustris, clarus, nobilis; a κλυτὸς (ut diximus) quod idem significat quodque a κλύω deducitur, et in intentiva, διάσημος (It. *inclito*, *glorioso*, *illustre*, *famoso*, *celebre*; Fr. *renommé*, *fameux*, *célèbre*, *illustre*; Hisp. *renombrado*, *famoso*, *celebre*, *ilustre*; Germ. *berühmt*, *gerühmt*; Angl. *illustrious*, *renowned*, *famous*, *celebrated*, *noble*). Occurrit — *a*) De hominibus. *Ennius apud Festum p.* 178. 15. *Müll.* Horatius inclutu' saltu. *Plaut. Pers.* 2. 3. 1. Jovi opulento, incluto. *Id. Pseud.* 1. 2. 41. Inclutæ amicæ. *Lucret.* 5. 8. et 3. 10. inclute Memmi. *Virg.* 6. *Æn.* 479. inclutus armis Partenopæus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 197. Inclutus Ulixes. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 2. Dux inclutissimus. — Posit. pro Superl. usurpari videtur a *Justin.* 12. 16. 18. Aristotele doctore incluto omnium philosophorum. — *b*) De rebus et abstractis. *Ennius apud Varron.* 3 *R. R.* 1. 2. Augusto augurio postquam inclута condita Roma 'st. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 241. O patria, o divum domus Ilium et incluta bello Mœnia Dardanidum. *Cato apud Gell.* 3. 7. Inclutissima claritudo. *Vet. Poeta apud Cic.* 1. *Divinat.* 50. 114. judicavit inclutum judicium inter deas tres aliquis. *Liv.* 1. 18. Incluta justitia religioque ea tempestate Numæ Pompilii erat. *Virg.* 2. *Æn.* 82. incluta famâ gloria Palamedis. *Sall. in ep. reg. Mithr. ad fin.* Tu vero, cui Seleucia, maxuma urbium, regnumque Persidis inclutis divitiis est etc. *h. e.* divitiis, de quibus magna fama est. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Sagaris fluvius ex inclutis. — *c*) Poetice cum Genitivo. *Sil. It.* 13. 821. incluta leti Lucretia.

INCŎACTUS, a, um, adject. (in *privat.* et coactus) non coactus, voluntarius, *non isforzato*, *spontaneo*, ἑκούσιος. *Seneca Ep.* 66. *ante med.* Omne honestum injussum incoactumque est. *Val. Max.* 4. 7. *init.* Voluntas incoata. *Cassiod.* 11. *Variar.* 3. *ad fin.* Quod generaliter debeo, incoactus absolvo.

INCOCTILIS, e, adject. (incoquo) qui incoctus est. *Gloss. Philox.* Incoctile, ἐνεψημένον. — Hinc translate

Incoctilia, ium, n. plur. 3. absolute, substantivorum more (subaudi *vasa*), sunt *vasi di metallo stagnati*, vasa ænea, quibus plumbum incoctum est, ne quid ex ære ingrati saporis accedat. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 17. 48. (162). Album plumbum incoquitur æreis operibus, Galliarum invento, ita ut vix discerni possit ab argento, eaque incoctilia appellant. *V. Eckhel. V. T.* 1. *p.* XXVII.

Incoctiles, *ium*, m. plur. 3. eadem significatione. *Inscript.* apud *Renier.* 1891. INCOCTILES NUMERO X., SCYPHI DEPENDENTES AVRO INLVMINATI NUMERO V. etc. Ita legit et cl. *Mommsen. V. Inscript.* apud *Henzen.* 6140. *in notis.*

INCOCTĬO, ōnis, f. 3. (incoquo) actus coquendi. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 3. *post med.* Incoctio aquosi liquoris.

INCOCTUS, a, um, particip. *V.* INCOQUO.

INCOCTUS, a, um, adject. (in *privat.* et coctus) non coctus. *Fabius Pictor* apud *Gell.* 10. 15. Incocta caro. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 53. Incoctum non expromit, bene coctum dabit. *Hieronym. advers. Lucif. n.* 19. Cicatrix male obducta, incocto pure, dirumpitur.

INCŒNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et cœnatus) *chi non ha cenato*, ἄδειπνος. *Cato R. R.* 156. Bibat aquam mulsam, cubet incœnatus. *Plaut. Cas.* 4. 2. 39. Incœnatum senem foras extrudere. *Id. Aulul.* 2. 7. 6. Superi incœnati sunt et cœnati inferi. *Scribon. Compos.* 140. Pridie incœnato dare medicamenta. Adde *Vulgat. interpr. Dan.* 6. 18.

INCŒNIS, e, adject. (in *privat.* et cœna) qui sine cœna est, qui non cœnavit, ἄδειπνος. *Plaut. Cas.* 4. 1. 18. Illum autem senem incœnem extrudere cupiunt ex ædibus. In *Gloss. Isid.* recte *incenis* scribitur. *V.* CŒNA init.

INCŒNO, as, are, n. 1. (in et cœno) idem ac cœnare. Occurrit tantum Part. *Incœnans* apud *Sueton. Tib.* 39. Incœnante eo, complura et ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt. *Alii leg.* cœnante.

INCŒPTUM, i. *V. Inceptum* in fin. v. INCIPIO.

INCŒPTO. *V.* INCEPTO.

INCŌGĬTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et cogitabilis). ¶ 1. Active est qui non solet cogitare, quum quid rerum gerit, *sconsiderato*, *spensierato*, ἀλόγιστος. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 63. Nunc demum scio, me fuisse excordem, cæcum, incogitabilem. *Lactant.* 1. 8. Tam cæci, tam incogitabiles, tam excordes. ¶ 2. Passive est qui mente concipi nequit atque adeo incredibilis. *Capell.* 9. *p.* 312. Incogitabilis efficientiæ immensitas. *Ammian.* 15. 8. Incogitabilis dementia. *Fragm. jur. civ.* (edente *A. Maio*) *p.* 23. Etenim esse incogitabile, eamdem esse causam cuique et amittendi et recipiendi.

INCŌGĬTANS, antis, adject. (in *privat.* et cogito) non cogitans, inconsideratus, *sconsiderato*, ἀλόγιστος. *Ter. Phorm.* 1. 3. 3. Quod nisi fuissem incogitans, ita eum exspectarem, ut par fuit. *Id. ibid.* 3. 2. 11. Adeon' te esse incogitantem atque impudentem, ut etc.? Adde *Auson. sap. Periandr.* 15.

INCŌGĬTANTĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et cogito) inconsiderantia, *inconsiderazione*, *sconsideranza*, ἀλογία. *Plaut. Merc.* 1. 1. 27. Amori accedunt temeritas, incogitantia, excors immodestia.

INCŌGĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (incogito) idem ac cogitatio. *Vulgat. Ital.* (edente *A. Maio*) *Hierem.* 18. 11. Corrigite vias vestras et incogitationes vestras. *Vulgat. interpr.* habet *studia vestra*. De lectione tamen *Maius* ipse dubitat.

INCŌGĬTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et cogito). ¶ 1. Passive est non cogitatus, *non pensato*. *Seneca* 6. *Benef.* 23. *a med.* Scias non esse hominem tumultuarium, et incogitatum opus. *Id. Ep.* 57. Ad primum conspectum redditæ lucis alacritas incogitata rediit et injussa. *Apul. Florid.* Incogitata dicere. ¶ 2. Active est incogitans, *sconsiderato*. *Plaut. Bacch.* 4. 3. 1. Iracundo animo, indomito, incogitato, sine modo et modestia sum. *Lamprid. Alex. Sev.* 16. Dato spatio ad disquirendum, ne incogitati dicere cogerentur.

INCŌGĬTO, as, are, a. 1. (in et cogito) idem quod cogitare, vel valde cogitare. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 122. Non fraudem socio puero incogitat ullam Pupillo. *h. e.* ἐπινοεῖ, ἐπιβουλεύεται. Sic accepit *Cruquii* commentator scribens: intendit, molitur.

INCOGNĬTUS, a, um, adject. (in *privat.* et cognitus) non cognitus, *incognito*, ἄγνωστος. *Cic.* 1. *Off.* 6. 18. Ne incognita pro cognitis habeamus. *Id.* 4. *Phil.* 1. 3. Hoc insperatum omnibus consilium, incognitum certo ceperit. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 12. 45. Quum aut falsa, aut incognita res approbaretur. *Id.* 2. *Legg.* 8. 20. Incognita fatidicorum effata. *Id. Cæcin.* 10. 29. Dum incognita re judicare voluisset. Sic *Id.* 2. *Nat. D.* 29. 73. Ceteros causa incognita condemnare. *Cæs.* 4. *B. G.* 20. Quæ omnia fere Gallis erant incognita. Adde *eumd. ibid.* 29. Rursus *Cic.* 3. *leg. Agr.* 10. 25. Vident, si per imprudentiam vestram legem incognitam acceperitis etc. *Liv.* 5. 16. Biduum ad recognoscendas res datum dominis, tertio incognita sub hasta veniere. *h. e.* bona, quorum dominus ignorabatur. *Ovid.* 2. *Met.* 45. Dis juranda palus, oculis incognita nostris. *h. e.* quæ a nobis non videtur. Adde *Nepot. Epam.* 4. et *Cat.* 3.; *Virg.* 1. *Æn.* 522.; *Curt.* 9. 9. 4.; *Juvenal.* 9. 34.; *Val. Flacc.* 1. 809., 3. 399. et 5. 403.; et *Ammian.* 14. 16. *Sall. fragm.* ex *Cod. Vatic.* edente *Kritzio p.* 259. Qua Varinus — novos incognitosque et aliorum casibus perculsos milites ducit tamen ad castra fugitivorum presso gradu. *h. e.* milites, qui quales futuri essent, nondum cognoverat, sive nondum probatos. Cf. *Sueton. Aug.* 94. Habere aliquem incognitum, *non conoscere.* — Sequente relativo. *Cic. post. redit. ad Quir.* 2. 5. Parentes mihi fratrem incognitum, qualis futurus esset, dederunt. — Absolute neutr. gen. et sing. num. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 35. 113. Nihil ejusmodi invenio: itaque incognito nimirum assentiar. *Id. ibid.* 36. 114. Quum me incognito assentiri vetes. et *ibid.* 43. 133. Contineo igitur me, ne incognito assentiar.

INCOGNOSCĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et cognosco) qui cognosci non potest. *Ambros. de Vocat. Gent.* 1. 5. Qui de incognoscibilibus devenire in convenientia præsumpserunt. *V.* INCONGRESSIBILIS.

INCOGNOSCO, is, ere, a. 3. (in et cognosco) idem quod cognoscere. *Apul. Florid. n.* 19. Propius accessit, ut etiam incognosceret, quisnam esset. *Alii fortasse melius leg.* ut ne cognosceret.

INCŌHÆRENS, entis, adject. (in *privat.* et cohærens) qui non cohæret. Translate *Boeth. Music.* 1. 1. *p.* 1371. Si dissipati (*soni*) atque incohærentes feriant sensum.

INCŌHĬBEO, es, ere, a. 3. (in *privat.* et cohibeo) nullo modo cohibeo, impotens sum ad cohibendum. *Lucret.* 3. 445. Aere qui credas posse hanc (*animam*) cohiberier ullo, Corpore qui nostro rarus magis incohibessit. *Alii fortasse melius leg.* cum cohibessit. *Forcellinus* vero legebat *incohibescit* ab *incohibesco*.

INCŌHĬBESCO. *V.* voc. præced.

INCŌHĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et cohibeo) qui cohiberi nequit. *Gell.* 5. 3. Eo genere oneris tam impedito ac tam incohibili. *Al. leg.* incoibili. *Ammian.* 24. 1. *ante med.* Pars maxima (*cervorum*) incohibili cursu evasit ad solitudines notas. *Id.* 14. 2. Amplificatis viribus ardore incohibili in excidium urbium efferebantur.

INCŌĬBĬLIS, e, adject. qui coire et conjungi non potest. Legunt nonnulli apud *Gell.* 5. 3.: *V.* voc. præced.

INCŌINQUĬNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et coinquinatus) non coinquinatus, ἀμίαντος. *Vulgat. interpr. Sapient.* 8. 20. Et quum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. *Id. ibid.* 3. 13. Mulier incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto. *Cyprian. de singul. Cleric. sub f.* In perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum prælium vincens. Cf. *Vulgat. interpr. Sap.* 4. 2.

INCŎLA, æ, comm. gen. (in et colo) qui in alieno loco colit, seu habitat. Differt a cive et municipe, quos vel origo vel manumissio, vel adoptio; incolam vero solum domicilium facit, ut *Ulp. Dig.* 50. 1. 1. docet. Gr. ἔνοικος, πάροικος (It. *abitatore*, *abitante*; Fr. *celui qui demeure dans un lieu*, *domicilié*, *habitant*; Hisp. *domiciliado*, *habitador*, *morador*; Germ. *der Einwohner*, *Bewohner eines Ortes*; Angl. *an inhabitant*).

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Pompon. Dig.* 50. 16. 239. Incola est, qui in aliquam regionem domicilium suum contulit, quem Græci πάροικον appellant. Nec tantum hi, qui in oppido morantur, incolæ sunt; sed etiam qui in alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut intra eum se, quasi in aliquam sedem, recipiant. *Cajus ibid.* 50. 1. 29. Incola et his magistratibus parere debet, apud quos incola est; et illis, apud quos civis est. *Cic.* 1. *Off.* 34. 125. Talem sentimus et sentire bonum civem et

dicere. Peregrini autem atque incolæ officium est, nihil præter suum negotium agere, – minimeque esse in aliena republica curiosum. Id. 6. Verr. 12. 26. Quam crucem vos Rheginis, quorum civitati invidetis, itemque incolis vestris, civibus Romanis, ostendere soletis, quo minus etc. Id. 5. Fin. 1. 3. Coloneus ille locus, cujus incola Sophocles ob oculos versabatur. Id. 2. Nat. D. 56. 140. Sunt enim e terra homines, non ut incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum. Id. 5. Tusc. 37. 108. Socrates totius mundi se incolam et civem arbitrabatur. Id. Senect. 21. 78. Audiebam Pythagoram Pythagoreosque incolas pæne nostros. Ovid. Heroid. 1. 52. Pergama, incola captivo quæ bove victor arat. Lucan. 9. 976. incola Phryx. — Incolæ quo jure in comitiis municipalibus fruerentur, docet Inscript. apud Henzen. 7121. — Interdum ex incola quis municeps fiebat. Inscript. apud Murat. 151. 4., quæ est apud Orell. 3709. P. RVTILIVS P. L. MENELAVS INCOLA EX DD. MVNICIP. MVNICIPI PONTIF. D. S. P. h. e. incola, inquilinus, ex decreto decurionum municipii, municipii pontifex factus de suo posuit. — b) Dicitur et universim de omnibus alicubi habitantibus. Nepos Miltiad. 1. Quum accessisset Lemnum, et incolas ejus insulæ sub potestatem redigere vellet Atheniensium. Plin. 18. Hist. nat. 5. 6. (27). Salubritas loci non semper incolarum colore deteguitur. — c) Adjective. Ovid. 3. Fast. 582. Camenen incola turba vocat.

II.) Translate. — a) De brutis animalibus. Cic. 5. Tusc. 13. 38. Bestias nantes aquarum incolas esse voluit. Phædr. 1. 6. Rana stagni incola. Plin. 9. Hist. nat. 17. 29. (63). Novum incolam (piscem) mari dedit. — b) De inanimis. Plin. 12. Hist. nat. 3. 7. (14). Quæ (arbores) incolarum numero esse cœpere, dicentur inter frugiferas. Id. 3. ibid. 19. 23. (131). Adduam, Ticinum, Mincium, amnes Padi incolas. h. e. in Padum influentes. Horat. 3. Od. 10. 3. me Porrectum ante fores objicere incolis Plorares Aquilonibus.

INCŎLĀTUS, us, m. 4. (incolo) habitatio in aliena patria; item tempus, quo quis alicubi incola est, abitazione.

I.) Proprie. Modestin. Dig. 50. 1. 34. Incola jam muneribus publicis destinatus, nisi perfecto munere incolatui renunciare non potest. Inscript. apud Gruter. 484. 2., quæ est apud Orell. 3725. SEX. VENCIO IVVENTIANO FLAMINI DIVI AVG. ADLECTO IN CVRIAM LVGVDVNENSIVM NOMINE INCOLATVS A SPLENDIDISSIMO ORDINE EORVM. Adde aliam apud Reines. cl. 7. n. 32., quæ tamen subiectæ fidei est; et Vulgat. interpr. Psalm. 119. 5., Sap. 19. 10. et alibi.

II.) Translate. Tertull. Resurr. carn. 26. Sancta sit terra, vere sancta per incolatum Spiritus Sancti.

INCOLLECTĪLIS, e, adject. (in privat. et colligo) unde nihil colligitur. Boeth. Aristot. Elench. sophist. 1. 4. p. 737. Incollectiles igitur simpliciter non sunt hujusmodi orationes, sed ad propositum incollectiles.

INCŎLO, as, are. V. voc. seq. init.

INCŎLO, cōlis, cōlŭi, cōlere, a. et n. 3. (in et colo). Est et alia forma incolo, as, are, quæ legitur apud Tertull. Resurr. carn. 26. extr.; unde incolatus. — Incolere est in aliquo loco habitare, inhabitare, κατοικέω (It. abitare; Fr. habiter; Hisp. habitar, morar; Germ. bewohnen; Angl. to inhabit). Occurrit — 1.°) Cum Accusativo. — a) Activa forma. Cic. 2. de republ. 4. Jam qui incolunt eas (maritimas) urbes, non hærent in suis sedibus, sed volucri semper spe rapiuntur a domo longius. Sic Id. 6. Verr. 10. 21. et 4. Acad. (2. pr.) 45. 137.; et Sueton. Cæs. 42. Incolere urbem. Cic. 3. Verr. 17. 40. Qui Delum incolebant. Nepos Miltiad. 3. Incolere Asiam. Horat. 1. Sat. 6. 2. Etruscos fines. Cic. 2. de republ. 2. eos agros. Id. 1. ibid. 17. eam partem terræ. Id. 2. Nat. D. 16. 42. terras. Id. 6. de republ. 15. eum locum. Id. 1. Tusc. 6. 11. aliquem locum. Cæs. 2. B. G. 4. ea loca. Id. 1. ibid. 1. unam, aliam, tertiam Galliæ partem. Tibull. 1. 11. 18. Sic veteris sedes incoluistis avi. Lucan. 1. 449. nemora. Sil. It. 8. 573. lustra. Cæs. 4. B. G. 10. Alpes. In illo Plin. 2. Ep. 17. in fin. Justisne de causis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere secessum? incolere videtur referri ad animum, et ad curam cultumque villæ, quæ domino valde placet: inhabitare ad corpus et mansionem. Simile est illud Sil. It. 14. 672. indulgens templa vetustis Incolere atque habitare deis. — b) Passive. Cic. 1. Divinat. 42. 93. E locis quoque ipsis, qui a quibusque incolebantur. Id. 2. ibid. 44. 92. Quicumque (ortus) gignantur in omni terra, quæ incolatur. — Pro accolere activa forma Justin. 18. 3. 3. Assyrium stagnum primo, mox mari proximum litus incoluerunt. Mamertin. Grat. act. 7. 3. Urbes, quæ Danubium incolunt. — 2.°) Neutrorum more. Plaut. Rud. 4. 2. 2. Neptuno, qui salsis locis incolit. Cæs. 1. B. G. 1. Germani, qui trans Rhenum incolunt. Adde Sueton. Cæs. 25. Rursus Cæs. 2. ibid. 3. cis Rhenum. Liv. 22. 20. cis Iberum. Id. 22. 31. circa locum. Adde eumd. 5. 33. et 21. 31. Sic Id. 1. 1. inter mare Alpesque. Cæs. 4. B. G. 1. Neque longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet. Sall. Jug. 47. Erat oppidum Vaga, ubi et incolere et mercari consueverant multi mortales.

INCOLONATUS, us, m. 4. incolatus. Imp. Julian. Cod. 12. 1. 52.; sed falsa esse videtur lectio: nam eodem loco et incolatus habetur, et hanc vocem, non illam res, de qua ibi agitur, postulat.

INCŎLOR, ōris, adject. (in privat. et color) colore destitutus. Gloss. Philox. Incolor, ἄχροος.

INCŎLŌRĀTĒ, adverb. (in privat. et coloratus). Translate Ulp. Dig. 4. 4. 18. Denique Glabrionem Acilium divus Severus et Imp. Antoninus non audiverunt, incolorate restitui desiderantem. h. e. nullo colore, seu causa allegata.

INCŎLŪMIS, e, adject. (in et columis; quod a columen, quo stante fulcitur domus). In sexto singulari, fere in ĭ desinit: interdum et in e. Cic. fragm. Charis. 1. p. 108. Putsch. Quo stante et incolume. Pompon. ibid. Incolume illo. Liv. 5. 14. in fin. Nulla incolumi relicta re, cui ferro aut igni noceri possit. — Comp. Incolumior habet Claud. Quadrigarius apud Gell. 17. 2. a med. Deteriores sunt incolumiores. — Incolumis est salvus, sanus, integer, ἄρτιος, ὑγιής (It. sano e salvo, intero; Fr. entier, intact, sain et sauf; Hisp. entero, salvo y sano; Germ. unverletzt, unversehrt; Angl. safe, sound, whole, entire). Occurrit — a) De personis. — Conjungitur cum integro apud Cic. 3. Cat. 10. 25. Ita me gessi, Quirites, ut omnes salvi conservaremini –, et urbem et cives integros incolumesque servavi. — Item cum salvo apud Cæs. 2. B. C. 32. An pœnitet vos, quod salvum atque incolumem exercitum, nulla omnino nave desiderata, transduxerim? Id. 1. ibid. 72. Quibus (civibus) salvis atque incolumibus rem obtinere malebat. Cf. Cic. 4. Fin. 8. 19. Ut se (animal) salvum in suo genere incolumeque vellet. V. infra sub b. Rursus Cic. 2. Invent. 56. 169. Quibus rebus non illud solum conficitur, ut salvæ et incolumes, verum etiam ut ampiæ atque potentes sint civitates. — Ceterum Id. Mil. 34. 93. Valeant cives mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati. Id. Sull. 21. 91. Hunc patronum, si in omni fortuna atque in omni honore incolumem habere non potuerunt, in hoc tamen casu, quo afflictus jacet, per vos conservari cupiunt. Id. Rosc. Am. 47. 136. Se ad eos jungere, quibus incolumibus et domi dignitas et foris auctoritas retineretur. Cæs. 1. B. G. 53. Sortium beneficio se esse incolumem. Id. 6. ibid. 40. Incolumesque ad unum omnes in castra perveniunt. Id. 1. B. C. 61. Transducto incolumi exercitu, copias instruit. Horat. 1. Od. 3. 5. Navis, quæ tibi creditum Debes Virgilium, finibus Atticis Reddas incolumem precor Et serves animæ dimidium meæ. Sueton. Oth. 12. Magna pars hominum, (Othonem) incolumem gravissime detestata, mortuum laudibus tulit. — b) De rebus physicis. Lucret. 1. 247. Incolumi corpore. Horat. 2. Sat. 3. 132. caput. Lucret. 4. 604. vox. Cæs. 3. B. C. 6. Omnibus navibus ad unam incolumibus. Ovid. 2. Trist. 100. Incolumis ratis. Cic. 2. de republ. 6. Arx etiam in illa tempestate tam horribili Gallici adventus incolumis atque intacta permansit. Ulp. Dig. 39. 2. 13. Non vitio incolumium ædium hoc factum, si aliæ in eas incidentes damnum mihi dent. Plin. 16. Hist. nat. 34. 62. (152). de hedera. Totidem initia radicum habet, quot brachia, quibus incolumis et solida arbores sugit et strangulat. Horat. 4. Od. 10. 8. incolumes non redeunt genæ. h. e. integræ et florentes, quales in puero fuerunt. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 22. 72. Ut hæc, quæ dixi, retinere per populum Romanum incolumia ac salva possimus. Adde Liv. init. cit. — c) De abstractis. Plaut. Trin. 3. 3. 14. Dotem incolumem sistere alicui. presentaria tutta intiera. Horat. 1. Sat. 4. 118. vitam famamque tueri incolumem. Id. Art. P. 222. Incolumi gravitate jocum tentavit. salva. Id. 3. Od. 24. 31. Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quærimus invidi. h. e. virtutem eorum, qui vivi et incolumes sunt. Ammian. 16. 5. Victoriis, per quas cadentes sæpe incolumi contumacia barbaros fudit. — Et sequente Ablat. cum præpos. ab. Cic. Planc. 5. 12. Qui ne equestrem quidem splendorem incolumem a calamitate judicii retinere potuisset.

INCŎLŪMĪTAS, ātis, f. 3. (incolumis) salus, ἀβλάβεια, σωτηρία (It. salvezza, salute, conservazione; Fr. état intact d'une chose, conservation, salut, sûreté; Hisp. conservacion, salud, seguridad; Germ. die Unverletztheit, der unversehrte Zustand; Angl. safety, soundness). Occurrit — a) In sing. num. Cic. 2. Invent. 56. 169. Incolumitas est salutis tuta atque integra conservatio. Id. 1. de republ. 32. Concordi populo et omnia referenti ad incolumitatem et ad libertatem suam. Cf. eumd. 2. Invent. 56. 168. Quibus rebus incolumitatem ac libertatem retinent civitates. Id. 2. Nat. D. 46. 119. Copulatio rerum et quasi consentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturæ. Brutus apud Cic. 1. ad Brut. 16. ante med. Habere precariam incolumitatem ab aliquo. Nepos Att. 10. extr. Qui ex tot procellis civilibus ad incolumitatem pervenit. Cæs. 3. B. C. 28. Incolumitatem deditis polliceri. Auct. B. Afr. 93. concedere. Tac. 1. Hist. 66. Salutem et incolumitatem alicujus commendare. Id. 3. ibid. 60. alicui quærere. Quintil. 9. 2. 85. Incolumitatem optare. Curt. 6. 11. 7. Ipsos missuros ad oraculum, – qui gratias agant; qui vota pro incolumitate regis optimi persolvant. Colum. 11. R. R. 3. 61. Plantarum incolumitatem tueri. — b) In plur. num. Cic. post redit. ad Quir. 1. 3. Reliquæ meæ fortunæ recuperatæ plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumitates afferebant. Orellius rectius leg. incolumitatis. Certa est lectio apud Arnob. 2. 13. Non omnes pro illorum geritis incolumitatibus curas?

INCŌMIS, e, adject. (in privat. et comis) non comis, incultus, disadorno, ἄξεστος. Macrob. 1. Saturn. 7. a med. Ab incomi et tenebrosa vita quasi ad lucem et bonarum artium scientiam editi sumus.

INCŌMĬTĀTUS, a, um, adject. (in privat. et comitatus) non comitatus, comite destitutus, scompagnato, ἀπαράπεμπτος. Varro 2. R. R. 10. 9. Virginibus in Illyrico incomitatis vagari licet. sole. Ovid. Remed. am. 592. Certa necis causa est: incomitata fuit. Cic. 1. Orat. 55. 234. Cujus artem quum indotatam esse atque incomitatam videres etc. Orellius ex optimis Codicib. legit incomptam et quidem rectius. Lucret. 6. 1223. Incomitata funera. h. e. sine pompa exsequiarum. Ovid. 2. Pont. 3. 35. per seque petenda est Externis virtus incomitata bonis. Sil. It. 9. 101. Incomitata vestigia ferre. h. e. solum ire, sine comite.

INCŌMĬTEM sine comite. Paul. Diac. p. 107. 20. Müll.

INCŌMĬTĬO, as, are, a. 1. Incomitiare, inquit Paul. Diac. p. 107. 5. Müll., significat tale convicium facere, pro quo necesse sit in comitium, hoc est in conventum venire. Plautus (Curc. a. 3. v. 30.): Quæso, ne me incomities. Hæc Paul. Diac. Ceterum verbum est nove a Plauto fictum ex persona Curculionis parasiti: neque facile usurpandum.

INCOMĬUM, ii, n. 2. species quædam unguenti, de qua nihil certi statui potest. Legitur apud Veget. 6. Veterin. 28. 18. Schneider.

INCOMMA, æ, f. 1. et rectius ătis, n. 3. Gloss. Isid. Incomma, mensura militum. Videtur autem fuisse palus defixus in castris, ad cujus altitudinem statura exigeratur eorum qui militiæ nomina dabant, ut Salmas. putat ad illud Lamprid. Alex. Sev. 4. Fuit et staturæ militaris. Veget. 1. Milit. 5. Proceritatem tironum ad incomma scio semper exactam, ita ut senos pedes, vel certe quinos et denas uncias habentes in primis legionum cohortibus probarentur. — Est ab ἔγκομμα incisura; nam instrumentum illud incisuras habebat, quibus pedum et unciarum notæ insculptæ erant. Hinc etiam Encomma, ătis, n. 3. legitur apud Hieronym. 2. in Jovinian. n. 34. Si tolles ordinem tabernaculi, templi, ecclesiæ; si omnes qui a dextris sunt, unum, ut vulgo

dicitur, encomma ad militiam probat: nequidquam episcopi, frustra presbyteri, sine causa diaconi sunt. Præterea plures codices MSS. in loc. cit. *Vegetii* habent ad *incommoda*, quod *incommata* patet legendum.

INCOMMEĀBĪLIS, e, adject. (in *privat.* et commeabilis) non commeabilis, *che non si può passare.* *Ammian.* 16. 11. Vias clivosas et incommeabiles clausere sollerter. *Alii rectius leg.* clivosas concædibus clausere.

INCOMMENDĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et commendatus) non commendatus, *non raccomandato.* *Ovid.* 11. *Met.* 434. Nil illis (*ventis*) vetitum, incommendataque tellus Omnis et omne fretum. *h. e.* impune violata.

INCOMMENSŪRĀBĪLIS, e, adject. (in *privat.* et commensurabilis) qui commensurabilis non est, *incommensurabile*, ἄμετρος. *Boeth. Aristot. Topic.* 8. 5. p. 731. Ut latus incommensurabile esse diametro, si oporteat ostendere. *Id.* 1. *Arith.* 17. p. 999. Si quoslibet illos numeros secundum suam in semetipsos multiplices quantitatem, qui procreantur, ad alterum comparati nulla mensuræ communione junguntur. Si quinque et septem, quos procreant, compares, incommensurabiles erunt. Quinquies enim quinque viginti quinque, septies septem faciunt novem et quadraginta: quorum mensura nulla communis est, nisi forte omnium horum procreatrix et mater unitas. *V.* INCOMPOSITUS sub c.

INCOMMĬNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *incomminari*, idem quod comminatus, seu valde comminatus. *Apul.* 10. *Met.* Illum parricidam fraterno exitio et incomminata novercæ nece sicarium.

INCOMMISCĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et commiscibilis) qui misceri non potest. *Tertull. Anim.* 12. Simplex et incommiscibilis animus.

INCOMMŌBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (in *privat.* et commobilitas). *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Incommobilitas dicta Græce ἀοργησία; ita enim dixerim, quæ non exstinguit incitamenta irarum, sed ea stupore defigit immobili.

INCOMMŎDĀTĬO, ōnis, f. 3. incommoditas, *incomodità.* *Cic.* 1. *Att.* 17. Atque in ista incommodatione alienati animi et offensi, illud inest tamen commodi. *Ita referunt cum Nizolio plerique Lexicographi: at libri habent* incommoditate.

INCOMMŎDĒ, adverb. (incommodus). Comp. *Incommodius* et Sup. *Incommodissime.* — Incommode est moleste, intempestive, sine modo, *con incomodo, scomodamente, fuor di tempo o di proposito*, ἀχρήστως. *Plaut. Trin.* 5. 1. 8. Fores hæ sonitu suo mihi moram objiciunt incommode. *Ter. Eun.* 2. 3. 37. Incommode fieri obviam alicui. *Cic.* 7. *Att.* 8. Posse pro re nata te non incommode ad me in Albanum venire. *Id.* 5. *ibid.* 9. Incommodissime navigare. *Id. Amic.* 4. 15. Quamobrem cum illo quidem actum optime est, mecum autem incommodius. *Cæs.* 5. *B. G.* 33. Quod consilium etsi in hujusmodi casu reprehendendum non est, tamen incommode accidit. *ebbe cattiva riuscita.* *Liv.* 40. 51. Ab his columnis, quæ incommode opposita videbantur, signa amovit. *senz' ordine, disacconciamente.* *Gell.* 9. 15. Quod genus Græci ἄπορον vocant, Latine non nimis incommode inexplicabile dici potest. *Id.* 11. 4. Hos versus Q. Ennius non sane incommode æmulatus est. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 15. Ut rusticos, qui modo non incommode se gessissent, sæpius, quam urbanos, familiariusque alloqueretur. *avessero fatto il debito loro mediocremente.* et *Varro* 1. *R. R.* 7. 1. Non incommode Cato videtur dicere, quum scribit, optimum esse agrum, qui sub radice montis situs sit et spectet ad meridianam cœli partem. *h. e.* non absurde.

INCOMMŎDISTĬCUS, a, um, adject. vox joculariter a parasito effieta apud *Plaut. Capt.* 1. 1. 19., *h. e.* incommodus. Alii leg. *incommodesticus* vel *incomedesticus*, ab edendo. *V.* INVENATICUS.

INCOMMŎDĬTAS, ātis, f. 3. (incommodus) incommodum, damnum, res intempestiva et noxia, *danno, disordine, incomodo, disturbo.* — a) In sing. num. *Ter. Andr.* 3. 3. 35. Nempe incommoditas denique huc omnis redit, si eveniat, quod di prohibeant, discessio: at si corrigitur, quot commoditates, vide. *V.* locum *Cic.* in v. INCOMMODATIO. *Liv.* 10. 11. Romæ tum desiderio viri, tum incommoditate temporis, tristis nuntius fuit. *h. e.* quia maxime inopportuno tempore acciderat. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 49. Incommoditate abstinere me apud convivas commode commemini. *importunità, molestia, scortesia.* — b) In plur. num. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 58. Hæ sunt in magnis dotibus incommoditates. *Arnob.* 2. 16. et 3. 43. Morborum incommoditatibus frangi.

INCOMMŎDO, as, āvi, ātum, are, n. et a. 1. (incommodus). Part. *Incommodaturus* sub a. — Incommodo est idem quod incommodum affero, officio, molestus sum, *recare noja, disturbo, danno, scomodo, incomodare*, βλάπτω. — a) Neutrorum more. *Ter. Andr.* 1. 1. 135. Magis id adeo, mihi ut incommodet, quam ut obsequatur gnato. *Cic. Quinct.* 16. 51. Quum ipsi nihil alteri scientes incommodarint, nihil ipsis jure incommodi cadere possit. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 3. § 10. Te aut quasi amicis tuis gratias acturum, aut quasi inimicis incommodaturum. *Id.* 5. *Fin.* 19. 50. Ipsa scientia, etiam si incommodatura sit, gaudeant. *Apul.* 8. *Met.* Et puellæ, si vellet, furatrinæ conjugalis incommodaret rudimentum. *h. e.* imperitia obstaret. — Passive impersonaliter. *Gell.* 7. 17. Obnoxium eum dici, cui quid ab eo, cui esse obnoxius dicitur, incommodari et noceri potest. — b) Active. *Ulp. Dig.* 43. 11. (Torrentino 12.) 1. § 15. Si quid aliud fiat, quod navigationem incommodet, difficiliorem faciat, vel prorsus impediat. *At Haloander habet* incommodiorem difficilioremve faciat. — Passive. *Id. ibid.* 21. 1. 14. Si incommodatur ad usum manus. *h. e.* impeditur, inepta redditur.

INCOMMŎDUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

INCOMMŎDUS, a, um, adject. (in *privat.* et commodus). Comp. *Incommodior* et Sup. *Incommodissimus* sub a. — Incommodus est non commodus, atque adeo damnum, molestiam afferens, adversus, inutilis, alienus, intempestivus, βλαβερός, ἄκαιρος (It. *incomodo, scomodo, molesto, dannoso*; Fr. *peu convenable, mal ajusté, incommode, désagréable, malheureux, contraire, défavorable*; Hisp. *incomodo, enfadoso, molesto*; Germ. *unbequem, lästig, beschwerlich, unfreundlich, ungünstig*; Angl. *inconvenient, unseasonable, unfavourable, troublesome, hurtful, disadvantageous*). Occurrit — a) De rebus. *Ter. Hecyr.* 3. 4. 1. Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter? *Id. ibid.* 4. 2. 27. Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum induces pati? *Cic. Brut.* 34. 130. Valetudine incommoda Calvinus fuit. *Id.* 14. *Att.* 6. Colloquium pro re nata non incommodum. *Id. Cluent.* 59. 161. Hujus illum opes in rebus ejus incommodissimis sublevarunt. *nelle sue gravi disgrazie.* *Liv.* 3. 11. sub fin. Nec vero quidem incommoda, nedum ut ulla vis fieret, paulatim permulcendo mansuefecerant plebem. *detto improprio, parola aspra e spiacevole.* *Id.* 27. 31. Periculosum et viris et parentibus erat, moram incommoda severitate libidini regiæ fecisse. *h. e.* in re præsenti sibi importuna. *Quintil.* 3. 8. 29. Incommoda turbæ conflictatio. *Ulp. Dig.* 10. 4. 11. *med.* Ut actori incommodior esset exhibitio. *V.* INCOMMODO sub b. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (113). Incommodum pondus. *Id.* 35. *ibid.* 15. 51. (180). Incommodi oculorum pili. *Quintil.* 1. 7. 16. Quod quum supervacuum est, tum incommodum aliquando. *Ammian.* 21. 3. Didicit Alamannos a pago Vadomarii exorsos, unde nihil post ictum fœdus sperabatur incommodum, vastare confines Rætiis tractus. *Cic.* 1. *Invent.* 34. 57. Eorum controversiam non incommodum videtur cum utrorumque ratione exponere. Sic *Nepos Reg.* 3. *extr.* De quibus quoniam satis dictum putamus, non incommodum videtur non præterire Hamilcarem et Hannibalem. — b) De personis. *Plaut. Bacch.* 3. 2. 17. Malignus, largus; commodus, incommodus. *Id. Pœn.* 1. 2. 189. Aliquid huic responde, commoda, ne incommodus nobis sit. *Id. Asin.* 1. 1. 47. Uxor importuna atque incommoda. *Cic.* 3. *Nat. D.* 29. 73. Idem facilem et liberalem patrem incommodum esse amanti filio disputat. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 75. Ne dominus pueri pulcri te incommodus angat. *h. e.* exspectatam gratiam non concedat eoque angorem animi tibi faciat. *Curt.* 9. 4. 28. Si quis, inquit, arti tuæ intentum et aæta spectantem sic interpellet, non dubitem, quin incommodus ac molestus videri tibi possit. *Vopisc. Tacit.* 6. Si recolere velitis vetusta illa prodigia, Nerones dico, et Elagabalos, et Commodos, seu potius semper Incommodos; certe non hominum magis vitia illa, quam ætatum, fuerunt. *Hæc tamen aliter leguntur.* — Hinc

Incommŏdum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est calamitas, detrimentum, clades, damnum, molestia, *danno, disturbo, disordine, disgrazia, incomodo*, βλάβη. — a) In sing. num. — Sine addito Genitivo, seu absolute. *Varro* apud *Non.* p. 171. 17. *Merc.* Hoc erat incommodi, quod nesciebamus etc. *Cic. Brut.* 1. 4. Nostro incommodo detrimentoque, si est ita necesse, doleamus. *Id.* 2. *Orat.* 24. 102. Qui locus est talis, ut plus habeat adjumenti, quam incommodi. *Id.* 5. *Verr.* 46. 109. Non modo incommodi nihil ceperunt, sed etiam — in quæstu sunt versati. *Id.* 1. *Off.* 7. 24. Quum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. *Cæs.* 1. *B. C.* 48. Accidit repentinum incommodum: tanta enim tempestas cooritur, etc. *Cic. Amic.* 2. 8. Nec ab isto officio abduci incommodo meo debui. *Id.* 12. *Att.* 46. Nec id incommodo tuo. *subaudi* feceris. *con tuo incomodo.* *Ulp. Dig.* 43. 13. 1. § 6. Neque ripæ cum incommodo accolentium muniendæ sunt. *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Quid iniquitas loci habeat incommodi. *Id.* 3. *B. C.* 63. Afferre incommodum alicui. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 3. ferre. *Id.* 5. *Fin.* 19. 50. dare. *Orellius* pro *incommoda dare* leg. *incommodare.* *Id.* 2. *Off.* 5. 18. importare. *Lucret.* 3. 878. conciliare alicui. *Cæs.* 5. *B. G.* 10. accipere. *Id.* 3. *B. C.* 9. sustinere. *Id. ibid.* 73. acceptum sarcire. *Cic.* 2. *Invent.* 5. 18. rejicere, deminuere, devitare. — Raro cum Genit. *Cic.* 7. *Att.* 7. Te commoveri incommodo valetudinis tuæ nolo. *con pregiudizio della tua salute.* *Id. Mur.* 23. 47. Quibus aut contra valetudinis commodum laborandum est, aut incommodo morbi etiam ceteri vitæ fructus relinquendi. — b) In plur. num. — Absolute. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 3. 8. Multis incommodis difficultatibusque affectum esse. *Id.* 1. *Nat. D.* 9. 23. Ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant. *Id. Amic.* 13. 48. Ut et bonis amici quasi diffundantur et incommodis contrahantur. *Cæs.* 5. *B. G.* 35. Tot incommodis conflictati. *Id.* 3. *B. C.* 10. Quantum in bello fortuna posset, jam ipsi incommodis suis satis essent documento. *Nepos Att.* 12. In deprecandis amicorum aut periculis aut incommodis. *Horat. Art. P.* 169. Multa senem circumveniunt incommoda. *Quintil.* 10. 3. 28. Incommodis repugnare. — Cum Genit. *Juvenal.* 13. 21. ferre incommoda vitæ. Sic *Val. Flacc.* 4. 86. miseræ solans incommoda vitæ. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (162). incommoda corporum. *h. e.* morbi. Sic *Id.* 28. *ibid.* 7. 21. (75). pulmonum. et 27. *ibid.* 12. 101. (126). vesicæ.

INCOMMŌTĒ, adverb. (in *privat.* et commotus) firmiter, *immobilmente.* *Justinian. ep. ad Joann. Papam, post leg.* 7. *tit.* 1. *lib.* 1. *Cod.* Statum Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet et incommote permanet.

INCOMMŪNĬCĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et communicabilis) qui communicari non potest, *incomunicabile*, ἀκοινώνητος. *Vulgat. interpr. Sapient.* 14. 21. Affectui, aut regibus deservientes homines incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt. Adde *Boeth. in libr. de interpr. ed. sec.* p. 340. loc. cit. in COMMUNICABILIS.

INCOMMŪNĬCĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et communicatus) non communicatus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 5. Potiare, inquit, o rex, Cleopatræ, potiare: a qua tibi spero privatos filios atque incommunicatos alteri proventuros.

INCOMMŪNIS, e, adject. (in *privat.* et communis). Comp. *Incommunior* legitur apud *Boeth. Aristot. Topic.* 3. 2. p. 682. — Incommunis est non communis. *Tertull. Pall.* 3. *ad fin.* Variæ indumentorum formæ, quarum pars gentilitas inhabitantur, ceteris incommunes.

INCOMMŪTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et commutabilis) non commutabilis, immutabilis, ἀμετάβλητος. *Varro* 9. *L. L.* 99. *Müll.* Omnia verbi principia incommutabilia viderentur. *Cic.* 2. *de republ.* (edente *A. Maio*) 33. Non posse hunc incommutabilem reipublicæ conservari statum. *Augustin.* 1. *Retract.* 9. Incommutabile bonum. *Paulin. Nolan. Ep.* 13. 24. Incommutabilis veritas Dei. Adde *Ambros. Ep.* 81.

INCOMMŪTĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (incommuta-

bilis) immutabilitas, ἀμεταβλησία. *Augustin.* 12. *Confess.* 12. Æternitas et incommutabilitas.

INCOMMŪTĀBĬLĬTER, adverb. (incommutabilis) immutabiliter, ἀμεταβλήτως. *Augustin. Ep.* 3. 3. Incommutabiliter immoralis. Adde *eumd.* 7. *Trin.* 1. et 5. *Civ. D.* 9.

INCOMMŪTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et commutatus) non mutatus, immutabilis. *Augustin. de Morib. Manich.* c. 11. Nec incommutatus (*Deus esse potest*) qui ex aliqua parte mutatus est.

INCOMPĂRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et comparabilis). Comp. *Incomparabilior* et Sup. *Incomparabilissimus.* — Incomparabilis est is, cui nihil potest comparari, *incomparabile,* ἀσύγκριτος. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 25. 26. (91). Illa fuit vera et incomparabilis invicti animi sublimitas. *Quintil.* 1. 2. 11. Incomparabilis magister. *Ambros. de Isaac et anim.* 8. Quanto incomparabilior est illa divinitatis gloria. *Inscript.* apud *Gruter.* 486. 7. P. VETTIO P. F. CAM. CAEINO CORNELIA MAXIMINA MARITO INCOMPARABILI ET SIBI VIVA POSVIT. *Alia* apud *eumd.* 432. 8. TVLIAE CHRYSANTHIDI T. LYSIDIENVS NESTOR *conjugi* INCOMPARABILI. *Alia* apud *Fabrett.* p. 147. n. 183. L. PERCENNIO LASCIVO ALVMNO KARISSIMO ET INCOMPARABILISSIMO L. PERCENNIVS POLLIO PARENS. Adde *Vulgat. interpr. Judith* 10. 4. et 14. 18.

INCOMPĂRĀBĬLĬTER, adverb. (incomparabilis) sine comparatione, *senza paragone,* ἀσυγκρίτως. *Augustin.* 21. *Civ. D.* 9. *a med.* Incomparabiliter plura. *Id. ad Hieronym.* inter *epist. ejusd. ep.* 67. *n.* 7. Incomparabiliter pulcrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Adde *Sidon.* 6. *Ep.* 4.

INCOMPĂRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et comparo) incomparabilis. Occurrit Sup. *Incomparatissimus* tantum in *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 421. n. 386. L. CORDIO AGATOCLETI FLAVIA VERA CONIVX CONIVGI INCOMPARATISSIMO.

INCOMPASSĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et compassibilis) qui simul pati non potest. *Tertull. in Prax.* 29. Tam incompassibilis Pater est, quam impassibilis etiam Filius, ex ea conditione, qua Deus est.

INCOMPELLĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et compello) innominabilis, qui compellari non potest. *Rufin.* 2. *Invect.* in *Hieronym. n.* 29. *ad fin.* Ignosce mihi, quod nesciebam, te ἀκατονόμαστον dici et incompellabilem nominari.

INCOMPERTUS, a, um, adject. (in *privat.* et compertus) incognitus et de quo nihil certi habemus, *non trovato, incognito,* ἀγνώριστος. *Liv.* 4. 23. Inter cetera vetustate incomperta hoc quoque in incerto positum. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 13. 38. (137). Origo atque natura ejus incomperta est mihi. *Sever. Ætn.* 141 Incomperta via. *Prudent.* 2. *in Symmach.* 363. Incomperti dii. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 8. 16. (32). Qualis sit ea, incompertum habeo. *non trovo. Liv.* 28. 3. Id utrum parum ex intervallo sit conspectum, an dolus aliquis suspectus fuerit, incompertum est.

INCOMPĔTENS, entis, adject. (in *privat.* et competens) non competens, *incompetente. Theod. Priscian.* 2. 17. *init.* Quum vero corruptis stomachi humoribus non competentibus etc.

INCOMPĔTENTER, adverb. (incompetens) non competenter, inconvenienter, *inconvenientemente. Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.* 1. 3. 19.; et *Cassiod.* 5. *Variar.* 14., 6. *ibid.* 19., 7. *ibid.* 29. et 9. *ibid.* 14.

INCOMPETUS, a, um, adject. (in *privat.* et competo) idem atque incompetens. *Ennii fragm.* in *Thesaur. N. Latinit.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 8. *p.* 534. Squarrose et incompeta rostra. *h. e.* quorum pars superior non convenit cum inferiore. Hucusque cl. *Furlanetto.* At cl. *Quicherat.* recte animadvertit versum esse *Lucilii* (quem propterea cl. *Vahlen.* inter Ennianos minime recensuit), et pro *incompeta* legendum *incondita,* ut est apud *Festum p.* 329. 30. *Müll.* Varonum ac rupicum squarrosa, incondita rostra.

INCOMPLĔBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et compleo) qui compleri nequit, non implebilis. *Gloss. Philox.* Incomplebilis, ἀπλήρωτος.

INCOMPLĒTUS, a, um, adject. (in *privat.* et completus) non completus, non absolutus, *non compiuto, imperfetto. Firmic.* 5. *Mathes.* 2. Et qui semper imperfecta incompletaque sua consilia derelinquant.

INCOMPLEXĪVUS, a, um, adject. (in *privat.* et complexivus) non complexivus, qui non complectitur. *Gloss. Philox.* Δυσπερίληπτος, incomprehensibilis, incomplexivus.

INCOMPLEXUS, a, um, adject. (in *privat.* et complexus) non complexus. *Gloss. Philox.* Incomplexus, ἀπερίληπτος.

INCOMPŎSĬTĒ, adverb. (incompositus) inordinate, *senza ordine,* ἀτάκτως. *Liv.* 25. 37. Et in hostem negligenter et incomposite venientem incurrunt. — De oratione *Quintil.* 10. 2. 17. Qui horride atque incomposite quidlibet frigidum extulerunt, antiquis se pares credunt. *h. e.* aspera verborum compositione.

INCOMPŎSĬTUS, a, um, adject. (in *privat.* et compositus) male compositus, inordinatus, *disordinato, mal unito,* ἄτακτος. Occurrit — *a*) Sæpissime in re militari de agmine. *Liv.* 5. 28. Incomposito agmine negligentius ab re bene gesta euntem adorti Æqui, terrore injecto, in proximos perpulere tumulos. *Id.* 44. 38. *extr.* Hostes incompositi. *quibus* compositi *ibid.* opponuntur. *Justin.* 1. 3. 4. Cum paucis et incompositis. *Curt.* 3. 11. 14. et 4. 2. 24. Sparsi et incompositi. *Id.* 5. 13. 11. et 4. 9. 23. Incompositi et inordinati. *Id.* 9. 9. 15. Territi incompositique. *Tac.* 2. *Hist.* 40. Aggredi eut incompositos in agmine, aut dispersos et vallum molientes. — Ceterum generatim e *Quintil.* 4. 5. 10. *incompositus moribus* dicitur, qui moderatus ac patiens non est, sed facile ira aliove effectu turbatur. *Virg.* 1. *G.* 350. Det motus incompositos. *h. e.* incondite saltet. — *b*) Item sæpe de numeris et oratione. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 1. Nempe incomposito dixi pede currere versus Lucili. *h. e.* duris pedibus fluere; *durum componere versus,* supra dixerat *Sat.* 4. 8. *Quintil.* 9. 4. 32. Si ordo vitiosus est, licet et juncta sit et apte cadens oratio, tamen merito incomposita dicatur. *h. e.* si nimis longas transgressiones habeat et asperam compositionem. *Id.* 9. 4. 6. opponit *incompositum* in oratione *juncto* et *bene collocato.* Sic *Id.* 9. 4. 17. Rudibus et incompositis similia. Similiter *Id.* 10. 1. 66. Æschylus rudis in plerisque et incompositus. Cf. *Tac. Dial. de orat.* 26. *de Cassio Severo oratore.* Ipsis, quibus utitur armis, incompositus et studio feriendi plerumque dejectus, non pugnat, sed rixatur. — *c*) *Incompositus numerus* dicitur, qui e nullo alio componitur, nisi ab unitate. *Capell.* 7. *p.* 247. Per se incompositi numeri dicuntur, qui nullam mensuram habent, nisi singularitatis; per se vero compositi, quos metiri non tantum singularitate, sed alia quoque multiplicatione licet. *et mox.* Bini vero pluresve inter se incompositi esse dicuntur numeri, qui nullam communem mensuram, nisi singularitatis, habent, ut tres et quatuor: et inter se compositi sunt, quibus alia quoque quam singularitatis mensura communis est, ut novem et duodecim. *Boethius* hos *incommensurabiles* vocat. Rursus *Capell.* 7. *p.* 257. Incompositi per se numeri impares sunt, ut tria, quinque, septem, novem, tredecim, septemdecim, undeviginti similesque. Sic *Boeth.* 1. *Arithm.* 14. *p.* 997. Incompositus numerus est, qui nullam partem habet, nisi eam, quæ a tota numeri quantitate denominata sit, ut ipsa pars non sit nisi unitas, ut sunt tres, quinque, septem, undecim etc.

INCOMPRĔHENSĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et comprehendo) qui comprehendi, seu capi non potest, ἀκατάληπτος.

I.) Proprie. *Colum.* 10. *R. R. præfat.* 4. Ut, quod ajunt Græci, ex incomprehensibili parvitate arenæ funis effici non possit. *Suidas:* Ἐξ ἄμμου σχοινίον πλέκειν. *Solin.* 20. Alces incomprehensibili fuga pollet.

II.) Translate. *Plin.* 1. *Ep* 20. Ut est in disputando incomprehensibilis et lubricus, ita eludit, ut etc. *Seneca Consol. ad Helv.* 11. Vitiosæ consuetudinis immensum et incomprehensibile arbitrium est. *h. e.* quod coerceri et intra certos fines contineri non potest. *Seneca Ep.* 94. Si præcepta singulis damus, incomprehensibile opus est. *Cels. præfat. ante med.* Quum igitur illa (*natura*) incerta incomprehensibilisque sit, a certis potius et exploratis petendum esse præsidium. *Quintil.* 9. 1. 12. Præcepta incomprehensibilia.

INCOMPRĔHENSĪBĬLĬTER, adverb. (incomprehensibilis) incomprehensibili modo. *Ambros. in Luc.* 2. 1. Incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in matre.

INCOMPRĔHENSUS, a, um, adject. (in *privat.* et comprehensus) non comprehensus, *non compreso,* ἀσύλληπτος. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 95. Quæ nos incomprehensa et non percepta dicimus. *At ibi ex optimis Codicib. legendum* non comprehensa. Per syncopen *Prudent. Apotheos.* 812. Incomprensa manet virtus.

INCOMPTĒ, *vel* incomte, adverb. (incomptus) inornate, ἀκόμψως.

I.) Proprie. *Ammian.* 31. 2. Effigiati stipites dolantur incompte.

II.) Figurate. *Stat.* 5. *Silv.* 5. 33. juvet illaudabile carmen Fundere, et incompte miserum laudare dolorem.

INCOMPTUS *vel* incomtus, a, um, adject. (in *privat.* et comptus). Comp. *Incomptior* I. — Incomptus est non comptus, incompositus, inornatus, ἄκομψος, *rabbuffato, disadorno, incolto.*

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Od.* 12. 41. incomptis Curium capillis. Sic *Sueton. Aug.* 69. Incomptior capillus. Rursus *Horat.* 2. *Od.* 11. 23. Incompta coma. *Id. Epod.* 5. 16. Incomptum caput. *Cic. fragm.* apud *Augustin.* 3. *Acad.* 7. Quem incomptis unguibus bacchantes asperoque ore discerpant. *Tac. Germ.* 11. Epulæ et quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. *Id.* 3. *Ann.* 2. Præcedebant (*in exsequiis*) incompta signa (*militaria*), versi fasces.

II.) Translate de oratione: ad rem *Cic. Orat.* 23. 78. Ut mulieres esse dicuntur nonnullæ inornatæ, quas id ipsum deceat: sic hæc subtilis oratio, quasi incompta, delectat. *Id.* 2. *Att.* 1. Quamquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant. *Id.* 1. *Orat.* 55. 234. Cujus (*Scævolæ*) artem quum indotatam esse atque incomptam videres, verborum eam dote locupletasti et ornasti. Adde *Liv.* 4. 41. *Quintil.* 8. 6. 41. nuda sit et velut incompta oratio. *Virg.* 2. *G.* 386. coloni Versibus incomptis ludunt risuque soluto. Sic *Horat. Art. P.* 446. Incompti versus. *Quintil.* 8. 6. 65. Rectum erat, sed durum et incomptum.

INCONCESSĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et concedo) qui concedi non potest. *Tertull. Pudic.* 9. *sub fin.* Delicta inconcessibilia.

INCONCESSUS, a, um, adject. (in *privat.* et concessus) non concessus, negatus, prohibitus, illicitus, *non concesso, illecito,* ἀσυγχώρητος. *Virg.* 1. *Æn.* 655. Pergama quum peteret inconcessosque hymenæos. *Ovid.* 10. *Met.* 153. Inconcessi ignes. *Id.* 3. *Amor.* 4. 31. voluptas. *Quintil.* 10. 2. 26. Quum totum exprimere, quem elegeris, pæne sit homini inconcessum.

INCONCĬLIĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et conciliatus) non conciliatus. *Boeth. in Aristot. Categ. syllog. introd. p.* 561. Atque ideo universalis affirmatio universalisque negatio contrariæ nominantur. Hæ igitur non eam vim ipsa semper adversitate conservant, ut eis sit perpetua atque inconciliata discordia, nec se semper invicem perimunt, quæ quum sententia dissideant, communi tamen falsitate concordant.

INCONCĬLĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* concilio). Part. *Inconcilians* II. — Inconciliare contrariam habet significationem τῷ *conciliare*; et

I.) Proprie est per dolum decipere, atque adeo improbare. *Paul.* enim *Diac. p.* 107. 10. *Müll.* docet, valere etiam comparare, commendare, idem scilicet quod conciliare: addit vero apud antiquos fuisse, per dolum decipere. Quæ postrema interpretatio cadere potest in *Plauti* locum *Trin.* 1. 2. 99. Inconciliastin' eum, qui mandatu' st tibi?

II.) Translate est inimicum facere, irritare, alienare. *Plaut. Most.* 3. 1. 84. Ne inconciliare quid nos porro postules. *Id. Pers.* 5. 2. 53. Eo credo, quia non inconciliavit, quum te emo. *Id. Bacch.* 3. 6. 22. Ille, quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali facere et in me inconciliare copias omnes meas. Adde *Sidon.* 3. *Ep.* 9. — Absolute. *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 82. Sed inconciliantibus Bessi sociis jugumque gentium nominantibus. *h. e.* alienatis, improbantibus.

INCONCINNĒ, adverb. (inconcinnus) inconcinniter, incomposite. *Apul.* 1. *Met.* Perspiciens malum

istum verberonem blaterantem atque inconcinne causificantem. *h. e.* futiles ineptasque causas afferentem.

INCONCINNĬTAS, ātis, f. 3. (inconcinnus) incomposita et præpostera rerum coagmentatio, incongruentia, ineptiæ, *disacconcezza*, ἀναρμοστία. Occurrit de oratione tantum. *Sueton. Aug.* 86. Genus eloquendi secutus est elegans et temperatum, vitatis sententiarum ineptiis atque inconcinnitate. *Alii leg.* concinnitate. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Quæ a semetipsa tot modis discrepet, et non solum disparilitatem, sed etiam inconcinnitatem præ se gerat.

INCONCINNĬTER, adverb. (inconcinnus) incomposite, incongruenter, inornate, inepte, *disacconciamente*, ἀναρμόστως. *Gell.* 10. 17. Vertitque in eam rem, quam tum agebat, non inconcinniter.

INCONCINNUS, a, um, adject. (in *privat. et* concinnus) incompositus, incongruens, ineptus, rudis, inelegans, *scomposto, malacconcio, rozzo*, ἀνάρμοστος. *Cic.* 2. *Orat.* 4. 17. Qui in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus esse dicitur. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 29. Personamque feret non inconcinnus utramque. *Id. ibid.* 18. 6. Asperitas agrestis et inconcinna gravisque.

INCONCĬTUS, a, um, adject. (in *privat. et* concitus) non concitus, non concitatus. *Ammian.* 21. 6. Leni et inconcito gradu. *Alii melius leg.* leni ante, dein concito.

INCONCRĒTUS, a, um, adject. (in *privat. et* concretus) non concretus. *Nazar. Paneg. Constantin.* 14. Quamvis cælestia sub oculos hominum venire non soleant, quod crassam et caligantem aciem simplex et inconcreta substantia naturæ tenuis eludat. *h. e.* materia et corpore carens.

INCONCŬPISCENDUS, a, um, adject. (in *et* concupisco) valde concupiscendus. *Apul. Florid.* n. 17. Mihi vestra amicitia inconcupiscenda. *Alii rectius leg.* concupiscenda.

INCONCUSSĒ, adverb. (inconcussus) constanter, firmiter, *fermamente*, ἀσείστως. *Augustin.* 1. *Retract.* 11. Hoc sane inconcusse retinendum esse, non dubito. *Imppp. Gratian., Valens et Theodos. Cod.* 11. 61. 6. Inconcusse possidere aliquid. Adde *Cassiod.* 1. *Variar.* 35.

INCONCUSSUS, a, um, adject. (in *privat. et* concussus) non concussus, immobilis, constans, firmus, ἄσειστος, *inconcusso, stabile, fermo, immobile, costante.*

I.) Proprie. *Lucan.* 2. 267. cælestia semper Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu. *Id.* 2. 248. Inconcussa vestigia.

II.) Translate. *Plin. Paneg.* 82. Procul ab omni sono inconcussus ipse et immotus – non secus ac piaculum aliquod trahebatur. *Seneca* 3. *Ira* 25. Qui non irascitur, inconcussus injuria perstitit: qui irascitur, motus est. *Tac.* 2. *Ann.* 44. Fratres proximorum certaminibus inconcussi. *Ammian.* 19. 6. Galli corporum robore inconcussi. *Seneca Ep.* 67. *ad fin.* In otio inconcusso jacere. *Tac.* 2. *Hist.* 6. Proximo civili bello turbatis aliis inconcussa ibi pax. *Seneca Vit. beat.* 3. Inconcussum gaudium.

INCONDEMNĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* condemnatus) non condemnatus. *Cato* apud *Gell.* 13. 24. Decem hominibus vitam eripis, indicta causa, injudicatis, incondemnatis. *Alii leg.* indemnatis.

INCONDĬTĒ, adverb. (inconditus) confuse, inordinate, incomposite, *confusamente, senz' ordine, sgarbatamente*, ἀτάκτως. *Ammian.* 16. 12. Equites nostri cornu tenentes dextrum, præter spem incondite discesserunt: dumque primi fugientium postremos impediunt etc. *Cic.* 2. *Divinat.* 71. 146. Nihil tam præpostere, tam incondite, tam monstruose cogitari potest, quod non possimus somniare. *Id.* 3. *Orat.* 44. 175. Ille rudis incondite fundit, quantum potest: et id quod dicit, spiritu, non arte determinat: orator autem sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur et adstricto et soluto. *Gell. præfat.* Indigeste et incondite. *Id.* 12. 14. Temere et incondite. *Ammian.* 22. 6. Aliquem incondite interpellare. Adde *eumd.* 26. 6. *Spartian. Carac.* 2. *sub fin.* Involute et incondite questus est. Adde *Capitolin. Macr.* 17.

INCONDĬTUS, a, um, adject. (in *privat. et* conditus) non conditus: hinc ¶ 1. Est non factus, non creatus. *Tertull. advers. Hermog.* 18. Ne quid innatum et inconditum, præter solum Deum, crederemus. ¶ 2. Item non conditus, non repositus, *non riposto*. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 1. Inconditum fructum mercantibus vendere. Sic *Id.* 1. *ibid.* 5. 6. Situs inconditos conditosque fructus corrumpit. ¶ 3. Item sæpius est incompositus, inordinatus, inconcinnus, agrestis, *confuso, disordinato, incondito, mal composto, sgarbato*, ἄτακτος, ἄκοσμος: hinc *Paul. Diac.* p. 107. 18. *Müll.* Inconditum, non ordinate compositum. *Liv.* 44. 39. Acies incondita et inordinata. *Curt.* 4. 14. 5. Interrentur barbarorum inconditum agmen. *Id.* 9. 2. 22.; et *Sueton. Aug.* 35. Incondita turba. *Flor.* 1. 17. 5. Subito inconditos atque palantes aggressus est. *Liv.* 24. 29. Multitudo incondita ac tumultuosa. Sic *Kritzius* leg. in *Sall. fragm.* apud *Servium* 2. *Ecl.* 4. At illi, quibus res incognita erat, ruere cuncti ad portas, inconditi tendere. *h. e.* confusi ac sine ordine properare. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 53. (122). Inconditus ramorum ordo. *Sever. Ætn.* 233. Incondita sidera. *stelle erranti*. *Plin.* 9. *Ep.* 13. Inconditus turbidusque clamor. *Liv.* 26. 40. Syracusis nova pace inconditas componere res. *Id.* 24. 21. Dum turbata omnia nova atque incondita libertate essent. — *Incondita carmina* sunt versus, quibus, ut ait *Fortunatian.* p. 2680. *Putsch*, antiqui usi sunt non observata lege, nec uno genere custodito inter se versus. *V.* SATURNIUS. *Liv.* 4. 20. Longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus spolia opima regis interfecti gerens: in eum milites carmina incondita, æquantes eum Romulo, canere. — *Plin.* 9. *Hist. nat.* 13. 15. (41). Vituli marini incondito fremitu, nomine vocati, respondent. *Flor.* 3. 20. 6. Affluentibus in diem copiis, – e viminibus pecudumque tegumentis inconditos sibi clipeos fecerunt. *Id.* 3. 8. 3. Inconditæ rates. *rozze*. *Tac.* 2. *Hist.* 16. Sed ubi delectum agere Pacarius et inconditos homines fatigare militiæ muneribus occepit, laborem insolitum perosi infirmitatem suam reputabant. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 2. 2. (4). *de elephantis*. Inconditos meatus edidere saltantium modo. *Cic.* 1. *Orat.* 44. 197. Incredibile est, quam sit omne jus civile præter hoc nostrum inconditum ac pæne ridiculum. *Id. Brut.* 69. 242. Inconditum dicendi genus. *Id.* 3. *Orat.* 44. 137. Incondita antiquorum dicendi consuetudo. *Id. Orat.* 44. 150. Quamvis suaves gravesque sententiæ, tamen, si inconditis verbis efferuntur, offendent aures. *h. e.* hiulca, aut aspera junctura compositis. *Id. ibid.* 70. 233. Si alicujus inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam. *Quintil.* 3. 6. 107. Urbanitas, in qua nihil inconditum possit deprehendi. *Liv.* 30. 28. Syphax inconditæ barbariæ rex. *Flor.* 1. 13. 4. Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita. ¶ 3. Occurrit etiam pro insepulto, *insepolto*. *Lucan.* 6. 101. dum mixta jacent incondita vivis Corpora. *Sueton. Rhet.* 6. Jura per patris matrisque cineres, qui inconditi jacent. Adde *Senec.* 3. *Controv. præfat. med.*

INCONFECTUS, a, um, adject. (in *privat. et* confectus) non confectus, *non fatto, non finito*. *Hieronym. Ep.* 119. n. 1. Quæ mihi ad vestram tunicam paraveram, vobis inconfecta transmisi. — Item non concoctus, *non digerito*, ubi de cibo sermo est. *Cels.* 4. 16. Intestinorum lævitas, qua continere nihil possunt, et, quidquid assumptum est, inconfectum protinus reddunt. *Alii leg.* imperfectum.

INCONFESSUS, a, um, adject. (in *privat. et* confessus) non confessus. *Ovid.* 2. *Met.* 557. Servandum dederat, sed enim inconfessa quid esset. *Heinsius* hunc versum spurium esse pronunciat, ideoque in plerisque editionibus abest.

INCONFŪSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* confusus) ἀνεπαίσχυντος, qui confundi, et translate qui erubescere nequit. *Vulgat. interpr. Paul.* 2. *ad Timoth.* 2. 15. Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.

INCONFŪSĬBĬLĬTER, adverb. (inconfusibilis) non confuse. *Claud. Mamert.* 1, *Stat. anim.* 15. *init.* Inconfusibiliter misceri.

INCONFŪSUS, a, um, adject. (in *privat. et* confusus) non confusus.

I.) Proprie. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 45. Dei consilio huic mundo providetur, ut inconfusus eat et actus suos explicet. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 622. Armatos hic sæpe choros certaque vagandi Textas lege fugas inconfusosque recursus etc. *giri e rigiri spediti.*

II.) Translate. *Seneca* 3. *Quæst. nat. proœm. ad fin.* Animus, qui sciat fortunam non expectare, sed facere; et adversus utramque intrepidus inconfususque prodire. *Id.* 1. *Ira* 12. Officia sua vir bonus exsequitur inconfusus, intrepidus.

INCONGĔLĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* congelo) qui non potest congelari, *che non si può congelare*, ἀκρυστάλλωτος. *Gell.* 17. 8. *sub fin.* Mare omne incongelabile sit. *Alii leg.* ingelabile.

INCONGRESSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* congredior) eum quo congredi non licet, quem alloqui non possumus. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 27. Invisibilis et incongressibilis Deus. *Alii perperam leg.* incognoscibilis.

INCONGRŬĒ, adverb. (incongruus) incongruenter. *Macrob.* 5. *Saturn.* 13. *a med.* Hoc idem Maro de fama dixit, sed incongrue. *Augustin. ad Hieronym. in epist. ejusd. Ep.* 67. n. 5. Nec mendaciter, nec incongrue faceret. Adde *Capell.* 9. *sub init.*; et *Priscian. loc. cit.* in INCONSEQUENTIA.

INCONGRŬENS, entis, adject. (in *privat. et* congruens). Sup. *Incongruentissimus.* — Incongruens est qui non congruit rei, de qua agitur, *disconvenevole*, ἀνάρμοστος. *Plin.* 4. *Ep.* 9. *a med.* Illam alteram dissolutam atque etiam incongruentem vocant. *Gell.* 12. 5. *ante med.* Stoica disciplina pleraque est et sibi et nobis incongruens. *Augustin. de Don. Persev.* 61. Ita sane, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum.

INCONGRŬENTER, adverb. (incongruens) inconvenienter, *sconvenientemente*. *Tertull. Baptism.* 19. Nec incongruenter quis ad figuram interpretabitur.

INCONGRŬENTĬA, æ, f. 1. (incongruus, incongruens) inconvenientia, *sconvenienza*. *Tertull. Anim.* 6. Incongruentia definitionis. *Id.* 2. *advers. Marcion.* 25. Ad incongruentias interpretandas. Adde *Augustin.* 22. *Civ. D.* 19.; et *Lactant.* 5. 13.

INCONGRŬĬTAS, ātis, f. 3. (incongruus) incongruentia. *Priscian.* 18. p. 1118. *Putsch.* Quando ex duobus obliquis constructio fit, ἀσυμβάματα, id est incongruitates (*Stoici*) dicebant, ut *placet mihi venire ad te.*

INCONGRŬUS, a, um, adject. (in *privat. et* congruus) incongruens, inconveniens. *Val. Max.* 4. 1. n. 12. Quam incongruo ambitu amplectar. *Al. leg.* quam angusto. *Apul.* 3. *Dogm. Plat.* Incongruæ inter se propositiones. Adde *Veget.* 2. *Milit.* 19.; et *Symmach.* 4. *Ep.* 8.

INCONJŬGUS, a, um, adject. (in *privat. et* conjugus) qui cum alio indefinite conjungitur. *Priscian.* 17. p. 1065. *Putsch.* Conjuga sunt personis pronomina, quum similiter et conjuncte per omnes personas definiuntur vel demonstratione, vel relatione: verba vero inconjuga, quum in prima quidem et secunda persona finiuntur, in tertia vero non, nisi præcipuus sit ad aliquem unum pertinens actus, ut *fulminat* et *tonat* de Jove solo intelligimus, non quod verbum tertiæ personæ finitum est, sed quod is, qui ejus significationem agit, proprium habet hunc actum. *scil.* prima et secunda persona verbi definiuntur a pronomine *ego* et *tu*, tertia vero inconjuga est, *h. e.* non definitur a solo pronomine *ille*, sed ab infinitis nominibus personarum, quæ eam significationem agunt.

INCONJUNCTUS, a, um, adject. (in *privat. et* conjunctus) non conjunctus. *Boeth. Aristot. Analyt. prior.* 1. 25. p. 488. Plures erunt, et inconjuncti syllogismi ad invicem. *Id. Arithm.* 2. 32. p. 1345. Quidquid in mundo est, permanere putat individuum inconjunctumque. Adde *eumd. ibid.* p. 329. et 332.

INCONNEXUS, a, um, adject. (in *privat. et* connexus) non connexus. *Auson. Edyll.* 12. *ad Paulin.* Res exigua est, at fastiditur; inconnexa, et implicatur. *Mar. Victorin.* p. 2531. *Putsch.* Quæ commutatio plerumque inter initia versuum fit, nec facile in medietate, nisi in eo genere versuum, quæ ἀσυνάρτητα, idest inconnexa sunt, reperitur.

INCONNĪVENS, entis, adject. (in *privat. et* conniveo) qui palpebras non movet, *che non muove le palpebre*, ἀσκαρδάμυκτος.

I.) Proprie. *Gell.* 2. 1. A summo lucis ortu ad solem alterum orientem inconnivens.

II.) Translate. *Ammian.* 29. 2. Inconnivens justitiæ oculus.

INCONNÎVUS, a, um, adject. (in *privat.* et conniveo) idem atque inconnivens. *Apul.* 2. *Met.* Inconnivi oculi. *Id.* 6. *ibid.* Inconniva vigilia.

INCONSCÏENTÏA, æ, f. 1. *Gloss. Philox.* Inconscientia, ἀσυνειδησία.

INCONSCÏUS, a, um, adject. (in *privat.* et conscius) non conscius, *non consapevole*, ἀσυνείδητος. *Liv.* 21. 12. Alcon inconsciis Saguntinis quum ad Hannibalem nocte transiisset. *Meliores libri habent* insciis. Certa est lectio apud *Cassiod.* 10. *Variar.* 4. Præsumpsistis me inconscio susurrare, quod palam non poteratis assumere.

INCONSCRIPTUS, a, um, adject. (in *privat.* et conscriptus) non conscriptus, *non iscritto. Servius* ad *Virg.* 2. *Ecl.* 4. Incondita, id est inconscripta.

INCONSENSUS, us, m. 4. (in *privat.* et consensus) discordia. *Gloss. Cyrill.* Ἀσυμφωνία, inconsensus.

INCONSENTĀNĔUS, a, um, adject. (in *privat.* et consentaneus) non consentaneus. *Capell.* 5. p. 139. Nihil magis inconsentaneum atque indecens. *Id.* 3. p. 50. Inconsentaneum tamen videbatur incedere medicam paululatam.

INCONSENTÏENS, entis, adject. (in *privat.* et consentiens) non consentiens. *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. ed.* sec. p. 433. Videntur utraque quasi quodammodo inconvenientia esse: quippe quum illud unum etiam impossibile sit, ut affirmatio negatioque consentiant; illud alterum non secundum esse, vel non esse fieri oppositiones, inconsentiens sit aliis propositionibus, in quibus hoc modo fieri contradictionem manifestum est.

INCONSĔQUENS, entis, adject. (in *privat.* et consequens) qui non consequitur, ἀνακόλουθος. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 2. *Verr.* 9. Inconsequens locutio similisque solœcismi. Adde *eumd. ibid.* 18. Sic *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. Inconsequentia adjutoria. — Hujus decomposito *per inconsequens* usus est *Gell.* 14. 1.

INCONSĔQUENTER, adverb. (inconsequens) non consequenter. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. Clysteribus utendum ob avertendam materiam, vel avocandam a locis patientibus, inconsequenter jubet Asclepiades. Adde *eumd. ibid.* 17. *ad fin.*

INCONSĔQUENTÏA, æ, f. 1. (inconsequens) vitium orationis, quum aut res, aut verba prætermittuntur, quæ ad superiora subsequi deberent, ἀνακόλουθον. *Quintil.* 8. 6. 10. Quæ est inconsequentia rerum fœdissima. *Priscian.* 17. p. 1071. *Putsch.* His itaque se habentibus, certum est, quod si dicam *Priscianus scribo*, et his similia, sine dubio incongrue dico: nec propter aliud quid, nisi propter personarum consequentiam (*corrige* inconsequentiam). Tertiæ enim personæ est nomen, verbum vero primæ. Est igitur consequens, quod in duabus tertiis profertur, ut *Priscianus scribit*.

INCONSÏDĔRANS, antis, adject. (in *privat.* et considerans) inconsideratus. Occurrit tantum Sup. *Inconsiderantissimus* apud *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 29. Inconsiderantissime Marcion. — Apud *Cic.* 2. *Divinat.* 27. 59. Nos ita leves atque inconsiderantes sumus. *ex optimis Codicib. legendum est* inconsiderati.

INCONSÏDĔRANTER, adverb. (inconsiderans) inconsiderate. *Ulp. Dig.* 26. 10. 3. *sub fin.* Tutor, qui inconsideranter pupillum, vel dolo abstinuit hereditate. *inavvertentemente*. Ita *Torrentin.*; at *Haloander* edidit *inconsiderate*. *Hieronym. Ep.* 108. *n.* 20. Non quod inconsideranter et ultra vires sumpta onera probem.

INCONSÏDĔRANTÏA, æ, f. 1. inconsulta ratio, *inavvertenza, inconsideratezza*, ἀβλεψία, ἀλογιστία. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 9. 2. Cujus in hoc uno inconsiderantiam ego sustinebo, ut potero. *Alii tamen leg.* considerantiam. *Sueton. Claud.* 39. In eo mirati sunt homines et oblivionem et inconsiderantiam. *Est qui legit* inconsiderationem. *V.* CONSIDERANTIA. Certa est lectio apud *Salvian.* 1. *Gubern. D.* 11. Sed quid ego de his dico, quorum inconsiderantia quodammodo Deum tetigit?

INCONSÏDĔRĀTĒ, adverb. (inconsideratus). Comp. *Inconsideratius.* — Inconsiderate est inconsulte, temere, *sconsideratamente*, ἀσκέπτως. *Cic.* 1. *Off.* 29. 104. Temere et fortuito, inconsiderate negligenterque agere. Adde *eumd.* 4. *Herenn.* 38. 50.; et *Gell.* 17. 1. Sic Comp. apud *Val. Max.* 1. 5. *n.* 9. Inconsideratius præliando. *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 47. Inconsiderate loquentes. Adde *Augustin.* 9. *Confess.* 9.

INCONSÏDĔRĀTÏO, ōnis, f. 3. (inconsideratus) inconsiderantia. *Salvian.* 1. *Gubern. D.* 11. Percussi a Deo, qui sola mentis inconsideratione peccassent. *V.* INCONSIDERANTIA.

INCONSÏDĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et consideratus). Comp. *Inconsideratior* 1.; Sup. *Inconsideratissimus* 2. — Inconsideratus ¶ 1. Active est qui non considerat, *sconsiderato, temerario*, ἀπερίσκεπτος. *Cic.* 2. *Divinat.* 27. 59. Nos ita leves atque inconsiderati sumus. *Alii minus recte leg.* inconsiderantes. *Nepos Con.* 5. Inconsideratior in secunda, quam in adversa fortuna. Adde *Quintil.* 2. 15. 28. ¶ 2. Passive de rebus dicitur, quæ inconsulte ac temere aguntur. *Cic. Quinct.* 25. 80. O rem incredibilem, o cupiditatem inconsideratam! Adde *Ammian.* 15. 3. Rursus *Cic. Harusp. resp.* 26. 55. Plenus inconsideratissimæ ac dementissimæ temeritatis.

INCONSÏTUS, a, um, adject. (in *privat.* et consitus) non consitus, incultus, *non seminato, incolto. Varro* 5. *L. L.* 36. *Müll.* Inconsitus ager.

INCONSŌLĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et consolor) cui consolatio nulla mederi potest, *inconsolabile*, ἀπαραμύθητος. *Ovid.* 5. *Met.* 426. Inconsolabile vulnus Mente gerit tacita. *Ammian.* 29. 2. Inconsolabile malum.

INCONSŎNANTÏA, æ, f. 1. (inconsonans) sonorum defectus vel asperitas. *Priscian.* 8. p. 818. *Putsch.* Quum apud Græcos pæne innumerabilia sint verba, quæ vel litterarum inconsonantia, vel regularum quibusdam rationibus impediantur, vel usu, ut non habeant declinationem plenam per omnia tempora etc. *Id. ibid.* p. 784. Incommoditate vero vel inconsonantia, quam Græci ἀσυμφωνίαν vocant, deficiunt quædam (*derivata*), ut etc.

INCONSŎNANS, antis, adject. (in *privat.* et consonans) non consonans, male sonans, *di cattivo suono. Pompej.* in *lib. Donati de barb. et metapl.* 6. *de metacismo.* Non enim videris dicere *hominem amicum*, sed *homine mamicum*, quod est incongruum et inconsonans.

INCONSŎNUS, a, um, adject. (in *privat.* et consonus) idem atque inconsonans. *Mar. Victorin.* 4. p. 2590. *Putsch.* Phalicum quoque tetrametro hexametro, assimili quoque inconsona inter se conjunctione sociavit. *Boeth.* 1. *Music.* 20. p. 1075. Nil in eis esset inconsonum, ad imitationem scilicet musicæ mundanæ, quæ ex quatuor constat elementis, cujus quadrichordi Mercurius dicitur inventor.

INCONSPECTUS, a, um, adject. (in *privat.* et conspectus) non conspectus, inconsideratus. *Gell.* 17. 21. Ne in sermonibus forte inconspectum aliquid super ætate atque vita clarorum hominum temere diceremus.

INCONSPĪCŬUS, a, um, adject. (in *privat.* et conspicuus) non conspicuus.

I.) Proprie. *Capell.* 6. p. 193. Quis igitur dubitet globi devexioris oppositu alia inconspicua fieri, atque alia velut sphæræ curvationibus eminere? *Id.* 8. p. 280. Colurorum primus in regionem inconspicuæ nobis partis obruitur.

II.) Translate est incelebris. *Flor.* 4. 2. *a med.* Non inconspicua tamen morte.

INCONSPRĒTUS, non improbatus. *Paul. Diac.* p. 107. 14. *Müll.* Est autem ab *in* privat. et *consperno*.

INCONSTANS, antis, adject. (in *privat.* et constans). Comp. *Inconstantior* et Sup. *Inconstantissimus.* — Inconstans est qui sibi non constat, levis, mobilis, volubilis, varius, *incostante, instabile*, ἀβέβαιος, ἄστατος. — *a*) De personis. *Cic. Rosc. com.* 6. 19. Mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eumdem et læderes et laudares. *Quintil.* 5. 7. 10. Testis inconstans. *Seneca Ep.* 99. *circa med.* Populus in omnibus inconstantissimus. — *b*) De rebus physicis et abstractis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 80. (352). Inconstantes venti. *Gell.* 13. 30. Accepit librum inconstantissimo vultu et mœstissimo. *Cic.* 2. *Divinat.* 62. 127. Si ea quoque divina, quid inconstantius Deo? *Id.* 1. *Invent.* 50. 93. Inconstans est, quod ab eodem de eadem re diverse dicitur. *Id.* 10. *Fam.* 16. Quum is frigidas sane et inconstantes recitasset litteras Lepidi. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Medendi arte nulla inconstantior.

INCONSTANTER, adverb. (inconstans). Comp. *Inconstantius* et Sup. *Inconstantissime.* — Inconstanter est nulla constantia, leviter, *incostantemente*, ἀβεβαίως. *Lucret.* 3. 490. anhelat Inconstanter et in jactando membra fatigat. *Cic.* 4. *Tusc.* 10. 24. Jactantibus se opinionibus inconstanter et turbide. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 53. Inconstanter loqui. *Id.* 2. *Fin.* 27. 88. Hæc dicuntur inconstantissime. *Auct. B. Afr.* 82. Inconstanter immoderateque prodire. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 3. *ad Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 2. Inconstantius agens.

INCONSTANTÏA, æ, f. 1. (inconstans) levitas, *leggerezza, incostanza, instabilità*, ἀστασία. — *a*) De personis. *Cic.* 7. *Phil.* 3. 9. Quid est inconstantia, mobilitate, levitate, quum singulis hominibus, tum vero universo senatui turpius? *Id. Vatin.* 1. 3. Inconstantia levitate implicata. *Id.* 1. *Fam.* 9. *ante med.* Famam inconstantiæ pertimescere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 52. 114. (276). Inconstantiæ notam habere. Rursus *Cic.* 16. *Att.* 7. Nemo doctus unquam mutationem consilii inconstantiam dixit esse. *Id.* 3. *Nat. D.* 24. 61. Fortunam nemo ab inconstantia et temeritate sejunget. — *b*) De rebus physicis et abstractis. *Quintil.* 9. 3. 101. Frontis ac luminum inconstantia trepidare. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 76. (199). Inconstantia fulgoris. *Lucan.* 5. 414. veris. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (125). mensuræ. *Id.* 7. *ibid.* 49. 50. (162). ortis. *Cic.* 4. *Tusc.* 35. 76. Inconstantia mutabilitasque mentis. *Sueton. Tib.* 67. Inconstantia judicii. *Cic. Dom.* 2. 4. Varietas et inconstantia et crebra, tamquam tempestatum, sic sententiarum commutatio.

INCONSŬĒTUS, a, um, adject. (in *privat.* et consuetus). ¶ 1. Est non consuetus, inusitatus, *inusitato, insolito*, ἀήθης. *Vitruv. præfat. l.* 5. Inconsueto sermone objiciunt sensibus obscuritatem. *Id.* 1. 4. *ad fin.* Inconsueta salsitudo. *Theod. Priscian. l.* 2. p. 1. c. 8. Lavacrorum inconsueta vitatio. ¶ 2. Item non assuetus, *non assuefatto*. Cum Genitivo *Sil. It.* 11. 282. stupet inconsuetus opimæ Sidonius mensæ miles.

INCONSULTĒ, adverb. (inconsultus). *V.* aliam formam in voc. seq. Comp. *Inconsultius.* — Inconsulte est inconsiderate, stulte, temere, nullo consilio, *inconsideratamente, sconsigliatamente*, ἀβούλως. *Cic.* 1. *Nat. D.* 16. 43. Hæc, qui considerat, quam inconsulte ac temere dicantur. *Seneca* 1. *Benef. initio.* Temere inconsulteque vivere. *Liv.* 4. 37. *a med.* Prælium incaute inconsulteque commissum. *Cæs.* 1. *B. C.* 45. Incitati studio inconsultius processerant. Adde *Sall. Cat.* 42. et *Jug.* 35.; *Curt.* 8. 1. 38. et 9. 9. 13.; et *Plin.* 6. *Ep.* 1. et *Paneg.* 83.

INCONSULTŌ, adverb. (inconsultus) idem atque inconsulte. *Cic.* 3. *Herenn.* 5. 8. Inconsulto se in periculum mittere. *Ulp. Dig.* 28. 4. 1. Quæ in testamento legi possunt, ea inconsulto deleta et inducta, nihilominus valent; consulto non valent.

INCONSULTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

INCONSULTUS, a, um, adject. (in *privat.* et consultus). Comp. *Inconsultior* et Sup. *Inconsultissimus* 3. — Inconsultus ¶ 1. Passive est is, a quo consilium non est petitum, *non consultato*. Afferunt perperam Lexicographi hæc verba, quæ nusquam inveniuntur, ex *Varron.* 1. *R. R.* 10. Etenim inscio atque inconsulto domino, servi sæpe ex agro discedunt. *Sueton. Tib.* 52. Quod vero Alexandriam, propter immensam et repentinam famem, inconsulto se (*Germanicus*) adisset, (*Tiberius*) questus est in senatu. Ceterum cl. *Quicherat.* sequentia congessit: *Augustin. Ep.* 63. Ut inconsulto fratre proficisceretur. *Ambros. Ep.* 6. 43. Quia te inconsulto uxorem acceperat. *Cod. Theod.* 15. 1. 37. Ut inconsulta pietate nostra novi aliquid operis existimet inchoandum. *Ibid.* 15. 1. 44. Liceat, etiam inconsulta clementia nostra, imaginem reponere. *Ibid.* 15. 15. 1. Nobis insciis atque inconsultis. *Novell. Theod. tit.* 7. 4. Inconsulto pontifice. *Gloss. Cyrill.* Inconsultus, ἀσύμβουλος. ¶ 2. Active, raro admodum est is, cui non datum est consilium. *Virg.* 3. *Æn.* 452. Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllæ. ¶ 3. Item active et sæpius est qui consilio non utitur, temere agens, imprudens, *sconsigliato, imprudente, sconsiderato, temerario*, ἄβουλος. — *a*) De personis. *Cic. Dejot.* 6. 16. Hæc homo inconsultus et temerarius non videbat. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 14. potare et spargere flores Inci-

piam, patiarque vel inconsultus haberi. *Sueton. Claud.* 15. Modo circumspectus, modo inconsultus. *Tryphonin. Dig.* 23. 2. 77. § 6. Si inconsultus hoc fecerit, cui opponitur *ibid.* si optimo consilio usus sit. *Liv.* 3. 21. Turbam inconsultam imitari. *Veget.* 1. *Milit.* 2. Populus inconsultus. — De brutis. *Ammian.* 31. 2. Inconsultorum animalium ritu, quid honestum inhonestumve sit penitus ignorantes. — *b*) De rebus. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 6. Bene consultum inconsultum est, si inimicis sit usui. *Cic. Rabir. Post.* 1. 2. Qui illam Postumi sive inanem spem, sive inconsultam rationem, sive temeritatem vituperandam putet. *Liv.* 5. 20. Largitionem novam, prodigam, inconsultam arguens. *Val. Flacc.* 4. 302. vacuas agit inconsulta per auras Brachia. *Seneca Ep.* 40. Inconsultæ aures turbæ. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 4. *ad Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 2. Si quod verbum absurdius, aut inconsultior sensus, aut infirmior littera istic erit, id tempori apponas. *Gell.* 19. 1. *a med.* Motus rapidi et inconsulti, officium mentis atque rationis prævertentes. *indeliberati. Nazar. Paneg. Constant.* 13. Confessus est se inconsultior dolor, nec timuit deprehendi. *Salvian.* 1. *de avarit.* p. 18. *Rittersh.* Inconsultissimum est. — Cum Infinito. *Sil. It.* 8. 546. Capua rebus servare secundis Inconsulta modum. — *Ex inconsulto*, ex temerario et inconsulto decreto senatus. *Id.* 8. 217. jam bellum atque arma senatus Ex inconsulto posuit Tirynthius heros. — Similiter

Inconsultum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est inconsiderantia, inconsulta ratio. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 52. Implicati ordines universi non tam discriminum necessitate, quam multitudinis inconsulto. *per inavvertenza.*

INCONSULTUS, us, m. 4. (in *privat. et* consulo). *Inconsultu meo*, me inconsulto. *Plaut. Trin.* 1. 2. 130. Me absente atque insciente, inconsultu meo ædes venales inscribit.

INCONSUMMĀTĬO, onis, f. 3. (in *privat. et* consummo) imperfectio. *Tertull. advers. Valentinian.* 10. Inconsummatio generationis.

INCONSUMMĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et consummatus) non perfectus. *Ammian.* 31. 14. Ut erat inconsummatus et rudis. *Id.* 21. 10. *extr.* Inconsummatus et subagrestis. h. e. omnis ingenii cultura expers. Adde *Augustin.* 10. *Confess.* 30.; et *Vulgat. interpr. Sap.* 4. 5.

INCONSUMPTĪBĪLIS, e, adject. (in *privat.* et consumo) qui consumi non potest. *Cyprian.* de *Cœn. Dom. init.* Inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis.

INCONSUMPTUS, a, um, adject. (in *privat.* et consumptus) non consumptus, *non consumato. Ovid.* 7. *Met.* 592. Inque manu turis pars inconsumpta reperta est. *Id.* 1. *Pont.* 2. 41. Tityi jecur inconsumptum semperque renascens. *Id.* 4. *Met.* 17. *ad Bacchum.* tibi enim inconsumpta juventa: Tu puer æternus. Cf. *Tibull.* 1. 4. 33. Solis æterna est Phœbo Bacchoque juventa.

INCONSŪTĬLIS, e, adject. (in *privat.* et consuere) idem atque inconsutus, ἄρραφος. *Vulgat. interpr. Joann.* 19. 23. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.

INCONSŪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et consutus) ἄρραφος, non consutus, qui nullis suturis junctus est, sed uno tenore contextus, ut *Inconsuta tunica* (quæ a *Vulgat. interpr. Johann.* 19. 23. *inconsutilis* dicitur), eadem ac *recta*, qua apud Romanos utebantur tum tirones seu adolescentes, quum toga prætexta deposita, puram seu virilem sumerent; tum virgines pridie nuptiarum diem. *V.* RECTA. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 19. Consuant tunicas, qui inconsutam desursum tunicam perdiderunt. *nempe* vir et femina, qui continentiam servare nequiverint, tunica inconsuta deposita, consutam induant, h. e. nubant.

INCONTĀMĬNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et contamino) qui contaminari non potest. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 9. Incontaminabilis Deus. Adde *Augustin.* 7. *Confess.* 3.; et *Salvian.* 3. *Gubern. D.* p. 78. *Rittersh.*

INCONTĀMĬNĀBĬLĬTER, adverb. (incontaminabilis) ita ut quis aut quid contaminari nequeat. *Augustin. de Genes. ad litt. c. ult.*

INCONTĀMĬNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et contaminatus) impollutus, purus, *non contaminato, puro*, ἀμίαντος. *Liv.* 4. 2. Ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit. *Varro* 3. *R. R.* 9. 16. Gallinæ rusticæ aspectu et facie incontaminatæ. *h. e.* non fucatæ coloribus. Adde *Vulgat. interpr.* 2. *Macab.* 15. 34. et alibi.

INCONTANTER. *V.* INCUNCTANTER.

INCONTEMPLĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et contemplor) quem contueri et contemplari non licet. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 11. Facies Moysi incontemplabilis filiis Israel. *Id. Resurr. carn.* 55. Incontemplabilis claritas. *Junius* ita legit.

INCONTEMPTĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et contemno) non contemptibilis. *Tertull. Apolog.* 45. Incontemptibilis dispector Deus. *ubi alii legunt* intemptibilis *eodem sensu.*

INCONTENTUS, a, um, adject. (in *privat.* et contentus) non contentus, non tensus, *non tirato, lento. Cic.* 4. *Fin.* 27. 75. Ut in fidibus, si nulla earum ita contenta numeris sit, ut concentum servare possit, omnes æque incontentæ sunt etc.

INCONTEXTUS, a, um, adject. (in *privat.* et contexo) non contextus. *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr.* ed. *pr.* p. 340. Quum illa, quæ nomine æquivoco significantur, juncta fuerint, neque in unam substantiam convenerint talis juncturæ, quæ res sibimet incontextas copulant, non erit ullus intellectus.

INCONTĪGŪUS, a, um, adject. (in *privat.* et contingo) non contiguus, qui non tangitur. *Arnob.* 7. 3. Deus omni est incontiguus tactu.

INCONTĪNENS, entis, adject. (in *privat.* et continens) qui non continet, seu retinet, quod infusum est, *chi non ritiene.*

I.) Proprie. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 43. 68. (168). Incontinens uterus urinam genitalem reddit.

II.) Improprie est intemperans, qui se non continet a fœdissimis præsertim voluptatibus gustus et tactus, ut *Gell.* 19. 2. docet, *intemperante, incontinente*, ἀκόλαστος, ἀκρατής. — *a*) Absolute. *Plaut. Asin.* 5. 2. 9. Homo madidus, nihili, incontinens. *Horat.* 3. *Od.* 4. 77. Incontinens Tityus. *Id.* 1. *ibid.* 17. 26. Incontinentes manus injicere. — *b*) Cum Genitivo. *Seneca* 3. *Quæst. nat. sub fin.* Nihil est tam violentum et incontinens sui, tam contumax infestumque retinentibus, quam magna vis undæ.

INCONTĪNENTER, adverb. (incontinens) intemperanter, sine continentia, *incontinentemente, intemperantemente*, ἀκρατῶς.

I.) Proprie. *Cels.* 1. 3. Periclitatur et qui semel et qui bis die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit.

II.) Improprie. *Cic.* 3. *Off.* 8. 37. Nihil avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.

INCONTĪNENTI. *V.* CONTINENS.

INCONTĪNENTĬA, æ, f. 1. (incontinens) imbecillitas, qua infusum quippiam contineri, seu retineri non potest, *debolezza.*

I.) Proprie. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 15. 57. (161). Cumino urinæ incontinentiam cohiberi. Adde *eumd.* 28. *ibid.* 8. 27. (103).

II.) Improprie est intemperantia et effusa libido gustus aut tactus, *incontinenza, intemperanza*, ἀκρασία. *Cic. Cœl.* 11. 25. Multa de incontinentia intemperantiaque disseruit. Cf. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 7. 5. — Refertur etiam ad nimiam cupiditatem habendi; cui *abstinentia* opponitur. *Cic.* 6. *Verr.* 15. 34. Est boni judicis, parvis ex rebus conjecturam facere uniuscujusque et cupiditatis et incontinentiæ. Qui reus, — re et opinione hominum pæne damnatus, temperare non potuerit maximo conventu, quin L. Sisennæ argentum tractaret et consideraret, hunc etc.

INCONTINGENS, entis, adject. (in *privat.* et contingo) qui non contingit. *Varron. Sentent.* a *Vinc. Devit.* edit. p. 65. Contrarie opinari pluribus nec in omnibus inconveniens, nec in aliquibus est incontingens. *Hæc etiam vox*, Sententias *illas, quod ad verba attinet*, Varroni *abjudicandas confirmat.* Quamquam legitur apud *Boeth.* in *Aristot. de interpr. ed. sec. p.* 426. Incontingens autem nullus dixerit quod est privatio.

INCONTINGĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et contingo) qui contingi non potest. *Apul. de Mundo.* Mundi cardo robustus et incontingibilis. *Alii melius leg.* immobilis. *Aristoteles* enim, quem hic *Apulejus* imitatur, ἀκίνητος habet.

INCONTĬNŬUS, a, um, adject. (in *privat.* et continuus) non continuus. *Boeth.* 2. *Music.* 22. p. 1104. Verisimile est, ut est consonantia diatessaron consonantiæ, diapente continua; ita si diatessaron in duplici statuitur, diapente incontinua duplicis poni, id est triplici.

INCONTRĀDĪCĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et contradico) cui contradici non potest. Occurrit tantum Comp. apud *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 39. Quid incontradicibilius confessione simplici?

INCONTRŎVERSUS, a, um, adject. (in *privat.* et controversus) qui in dubium vocari non potest. *Cic.* 1. *Orat.* 57. 241. Licet impune oratori omnem hanc partem juris incontroversi ignorare. *Lambinus* ita legit; sed MSS. et antiquæ edit. *in controversiis*, quam lectionem *Orellius* probavit: *Klotz.* vero legit *sine controversiis.*

INCONTŬMĀCĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et contumacia) idem atque inconstantia: *V.* CONTUMACIA. *Salvian.* 4. *Gubern. D.* 2. In eodem crimine punimus alios, nos absolvimus: intolerabilis prorsus et incontumaciæ et præsumptionis.

INCONVĔNĬENS, entis, adject. (in *privat.* et conveniens) qui cum alio non convenit, dissentaneus, disconveniens, incongruens, *discordante, ripugnante*, ἀνάρμοστος.

I.) Proprie. *Cassius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 13. Nostra facta, non subita, nec inconvenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum etc. *Seneca Vit. beat.* 12. Desinant ergo inconvenientia jungere, et virtuti voluptatem implicare. *Phædr.* 3. 13. *de fucis et apib.* Non inconveniens est corpus, et par est color. *h. e.* non dissimile.

II.) Translate ponitur pro indecoro, *inconveniente, disconvenevole. Apul. de Mundo.* Si regi indecorum est per semetipsum procurare omnia; multo magis Deo inconveniens erit.

INCONVĔNĬENTER, adverb. (inconveniens). Sup. *Inconvenientissime.* — Inconvenienter est incongrue, *inconvenientemente. Augustin.* 11. de *Gen. ad litt.* 15. Cui testimonio non inconvenienter aptatur illud etc. Adde *eumd.* 2. *de Trin.* 9. Sic *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr.* p. 264. Inconvenientissime prædicabitur.

INCONVĔNĬENTĬA, æ, f. 1. (inconveniens) incongruentia. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 16. *a med.* Inconvenientia voluntatis et facti. *Macrob. de differ. Græci Latinique verbi* p. 2768. *Putsch.* Litterarum inconvenientia (*h. e.* litterarum non bene cohærentium concursu) deficiunt, quoties verbum habet, ante ω, μ vel μν. Cf. *Grammat. incert.* edente *Eichenf.* p. 175.

INCONVENTUS, a, um, adject. (in *privat.* et convenio) non aditus, non consultus. *Novell. Valent. tit.* 8. Quisquis inconvento domino possessorem de prædio rustico urbanoque depulerit. et *ibid.* Inconvento possessore.

INCONVERSĪBĪLIS, e, adject. (in *privat.* et converto) qui nequit inverti, seu alio ordine poni. Occurrit tantum Comp. *Inconversibilior* apud *Augustin. Music.* 5. 21. Itaque inconversibiliores, ut ita dicam, sunt quam illi qui aut omnibus brevibus, aut longis omnibus constant. Apud *eumd.* huic voci *conversibilis* opponitur *ibid.* 5. 27. Non conversibilibus semipedibus.

INCONVERSUS, a, um, adject. (in *privat.* et conversus) non conversus. *Apul.* 2. *Met.* Oculis inconversis. *Plerique tamen melius leg.* inconnivis.

INCONVERTĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et converto) qui converti et immutari non potest. *Tertull. advers. Hermog.* 12. Deus inconvertibilis et indemutabilis. Adde *eumd. Anim.* 21.; et *Ambros. de Fil. divin.* 8.

INCONVERTĪBĬLĬTAS, atis, f. 3. (inconvertibilis) impossibilitas convertendi, seu immutandi. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 14. *ante med.* Divinæ Scripturæ, quibus palam designatur inconvertibilitas Verbi. *h. e.* immutabilitas.

INCONVŎLŪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et convolvo) explicatus, evolutus. *Ammian.* 29. 2. Post inconvolutos multiplices casus. *Sunt qui in præpositionem intentivam esse affirmant, et* convolutos *involutos interpretantur.*

INCONVULSUS, a, um, adject. (in *privat.* et convello) non convulsus, *non distaccato.* Translate

Fragm. Cod. Theod. 5. 13. 14. (edente *A. Peyronio*). Priusquam securitatis publicæ firmaverint cautionem, susceptos scilicet semel fundos, post emensa immunitatis spatia, inconvulsa a se vectigalium pensione, retinendos. *h. e.* manente apud se præstandorum vectigalium obligatione. *Boeth.* 4. *Pros.* 1. Quæ paullo ante conclusa sunt, inconvulsa servantur. Adde *Ennod. Dict.* 21. *p.* 1031. *D.*; et *Novell. Valent. tit.* 30. et 31.

INCŌPĬŌSUS, a, um, adject. (in *privat.* et copiosus). *Tertull. Jejun.* 5. Incopiosa solitudo.

INCŌPRĬO, as, are, a. 1. ab *in* et κοπρίας *scurra*, V. COPREA, est conspurcare. *Commodian. Instruct.* 19. Incopriat cives qui detestabilis omnes. *Gloss. Isid.* Scorra, qui incopriatur.

INCŌQUO, cŏquis, coxi, coctum, cŏquere, a. 3. (in *et* coquo). Part. *Incoctus* in omnibus paragr.; *Incoquendus* I. — Incoquere est in aliqua re coquere, ἐνέψω (It. *cuocere in qualche cosa, cuocere*; Fr. *faire cuire dans ou avec, faire bouillir*; Hisp. *cocer dentro, cocer*; Germ. *einkochen, kochen*; Angl. *to boil or seeth in any thing*).

I.) Proprie occurrit cum Dativo, aut cum Ablativo sine præpos., aut raro admodum cum Ablat. et præpos. *in*. *Virg.* 4. *G.* 279. Hujus odorato radices incoque Baccho. Sic *Pallad.* 4. *R. R.* 15. 1. Mala incocta vino. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 17. 18. (60). Cotonea incoqui melle oportet. *Id.* 37. *ibid.* 3. 11. (46). Glæsum incoctum adipe suis lactentis. *Scribon. Compos.* 2. Incoquere aliquid aceto. *Horat. Epod.* 3. 7. Cruor incoctus herbis. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (56). Allium fractæ incoctum fabæ. *Scribon. Compos.* 53. Incoquere aliquid in aqua. *Id. ibid.* 118. et 201. aliquid in oleo. — Absolute. *Cels.* 6. 7. *n.* 6. Incoquendum mel est et eo utendum. Cf. *eumd.* 3. 22. *sub fin.* Plantaginis succus cum melle incoctus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 11. 29. (116). Candorem autem ei pro creta lactis incocti mixtura confert. *Scribon. Compos.* 40. Mala incoquuntur. *Gell.* 10. 15. Caro incocta. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 37. (73). Succum incoqui sole. Sic *Gell.* 2. 26. Fructus non admodum sole incocti.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro valde coquere, adurere. *Sil. It.* 17. 633. incocti corpora Mauri *h. e.* nimio sole adusti, *abbronziti*. Hinc *incoctæ mulieres* apud *Paul. Diac. p.* 107. 15. *Müll.* dicuntur plus æquo calamistris ustæ. *Admodum probabiliter legendum* ustæ. — Similiter pro colorem inducere, tingere. *Virg.* 3. *G.* 307. vellera Tyrios incocta rubores. *h. e.* tincta purpurarum sanguine cum iis cocto. Sic *Sil. It.* 15. 684. spicula incocta cerastis. *h. e.* cocto cerastarum sanguine venenato imbuta. — Item apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 17. 48. (162). Incoquere stannum æreis operibus. *h. e.* coquendo illinere, *stagnare*. et *ibid.* incoquere argentum. *inargentare*. ¶ 2. Hinc poetice *Pers.* 2. 74. incoctum generoso pectus honesto. *h. e.* imbutum.

INCŌRAM. *V.* CORAM.

INCŌRŌNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et coronatus) corona privatus. *Apul.* 4. *Met.* Simulacra incoronata et aræ viduæ frigido cinere fœdatæ.

INCORPŎRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et corpus) incorporalis. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 17. Habitus incorporabilis. *Alii leg.* incorporali. Labantem *Tertulliani* auctoritatem suffulcit locus *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 1. p. 8. Sic igitur meos rerum nixa primordiis, altiori atque incorporabili intelligentia sublimatur.

INCORPŎRĀLIS, e, adject. (in *privat.* et corpus) qui non habet corpus, *incorporeo*, ἀσώματος. *Seneca Ep.* 90. *a med.* Deinde a corporibus se ad incorporalia transtulit. Adde *eumd. Brevit. Vit.* 8. et 6. *Benef.* 2.; et *Tertull. advers. Hermog.* 35. Sic *Quintil.* 5. 10. 116. Jus, quod sit incorporale, apprehendi manu non posse. — *Incorporalia nomina* apud *Priscian.* 2. *p.* 579. *Putsch.* sunt, quæ rem incorporalem significant, ut *virtus*: et *corporalia*, quæ corporalem, ut *homo*.

INCORPŎRĀLĬTAS, ātis, f. 3. (incorporalis) corporis deficientia. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 27. Incorporalitas animæ. Adde *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 5. et 11.; et *Tertull. Anim.* 7.

INCORPŎRĀLĬTER, adverb. (incorporalis) sine corpore. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. anim.* 14. Memoria incorporaliter etiam corporalium reminiscitur.

INCORPŎRĀTĬO, ōnis, f. 3. (incorporo) corporis constitutio, *corporatura*, μετενσωμάτωσις. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 13. *de bobus*. Custodiendum est, ne incorporatione, vel statura, vel viribus impar cum valentiore jungatur. *Alii multo melius legunt* in comparatione, *h. e. nel fare la compera*, atque ita edidit *Schneiderus* loco gemino fretus *Pallad.* 4. *R. R.* 11. Curandum est, ut viribus ad trahendum comparentur æquales. Certa tamen lectione incorporatio occurrit

I.) Proprie pro actu, quo natura aliqua corpore donatur; hinc pro incarnatione. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 3. *ante med.* Per hoc incorporatum corpus dici non potuit, velut in corpus missum: quia incorporatio ad illam pertinet absque ambiguitate naturam, quæ et priusquam incorporata est, non fuit corpus; et postquam incorporata est, non est corpus. *Ambros. de Fide* 5. 6. Seipsum secundum substantiam divinitatis incorporationisque describens. *Id. de Virginib.* 1. *post med.* Atque omne in eo et ingenitæ divinitatis et assumptæ mysterium incorporationis agnoscas. *Cassiod. Instit. divin. litt.* 32. Per incorporationis beneficium rumperet vincula peccatorum.

II.) Improprie est bonorum alicujus rei damnati ad fiscum delatio. *Imppp. Valentin., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 10. 9. 1. qui est *De incorporatione*. Si quando aut alicujus publicatione, aut ratione juris aliquid rei nostræ addendum est, rite atque solemniter per comitem rerum privatarum incorporatio compleatur. Et *ibid.* 10. 9. 2. Incorporationem bonorum fiscus accipiat.

INCORPŎRĀTUS, a, um. *V.* INCORPORO.

INCORPŎRĔUS, a, um, adject. (in *privat.* et corporeus) corpore carens, *senza corpo, incorporeo*, ἀσώματος. *Macrob.* 7. *Saturn.* 15. De incorporeis disputat. *Gell. Macrobio* antiquior 5. 15. testatur, fictam esse hanc vocem a quibusdam ad explicandam Græcam ἀσώματος. Quare prudenter dubitari potest, an ea usus fuerit *Cicero*, cujus hæc verba afferuntur ex 3. *Fin.* 14. 45. Omnis ista rerum incorporearum æstimatio etc. Alii enim legunt *in corpore sitarum*, quod rectius: alii *corporearum*.

INCORPŎRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* corporo). Part. *Incorporatus* I. et II. 1.; *Incorporandus* II. 2. — Incorporare est

I.) Proprie ¶ 1. Unire, conjungere in uno corpore, *incorporare*, ἐνσωματίζω. *Solin.* 22. *extr.* Variæ animalium effigies incorporantur. *Ammian.* 23. 4. *med.* Rapazula, quibus incorporati sunt funes. *h. e.* conjuncti. ¶ 2. Item est corpore donare. *Prudent.* 12. *Cathemer.* 80. Ducem salutis cœlitus incorporatum gignere. *Augustin. Ep.* 34. (*al.* 31.) *n.* 5. Aliud est enim nolle incorporare, quæ desunt; aliud jam incorporata divellere. Adde *eumd.* 2. *Doctr. Christ.* 6.

II.) Improprie ¶ 1. Est corpori alicui, seu collegio adscribere. *Inscript.* apud *Reines. cl.* 11. *n.* 36. CIVIS LVGDVNENSIS INCORPORATVS INTER VTRICLARIOS LVGDVNI CONSISTENTES. *V.* CORPORO. ¶ 2. Item est alicujus rei damnati bona ad fiscum deferre. *Fragm. vet. JCti de jure fisci* (edente iterum *Goeschenio*) § 14. Eorum bonorum, quæ ad fiscum pertinere dicuntur, si controversia moveatur, ante sententiam nec obsignari, nec describi, aut incorporari possunt. *V.* INCORPORATIO II. *Cassiod.* 1. *Variar.* 7. Ut incorporanda militi nostro sine aliqua dilatione restituas.

INCORRECTUS, a, um, adject. (in *privat.* et correctus) non correctus, *incorretto, scorretto*, ἀνεπανόρθωτος. *Ovid.* 3. *Trist.* 14. 23. Nunc (opus) incorrectum populi pervenit ad ora. *Augustin. serm.* 44. *de Sanctis*. Mancipata est æternis cruciatibus tortoris incorrecta malitia.

INCORRUPTĒ, adverb. (incorruptus). Comp. *Incorruptius*. — Incorrupte translato sensu est pure, sincere, *puramente, incorrottamente*, ἀφθάρτως. *Cic.* 1. *Fin.* 9. 30. incorrupte atque integre natura judicante. *Id. Marcell.* 9. 29. Qui multis post sæculis de te judicabunt, et quidem haud scio, an incorruptius, quam nos. *Gell.* 13. 21. Scite atque incorrupte loqui.

INCORRUPTĒLA, æ, f. 1. (in *privat.* et corruptela) incorruptio. *Tertull. Car. Christ.* 15. et *Resurr. carn.* 51.; item *Augustin. Ep.* 146. *ad Consent. n.* 15. ex 1. *Cor.* 15. 50.

INCORRUPTĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et corruptibilis) qui corrumpi nequit, *incorruttibile*. *Lactant.* 1. 3.; *Tertull. Anim.* 50.; *Augustin.* 22. *Civ. D.* 20. et *Vulgat. interpr. Rom.* 1. 23. et alibi. Comp. *Incorruptibilior* legitur apud *Boeth. p.* 530.

INCORRUPTĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (incorruptibilis) qualitas, qua quis corrumpi nequit. *Tertull. Apolog.* 48. *sub fin.*, 1. *ad Uxor.* 7. et 2. *advers. Marcion.* 16. *V.* INCORRUPTORIUS; et adde *Vulgat. interpr.* 1. *Petr.* 3. 4.

INCORRUPTĬBĬLĬTER, adverb. (incorruptibilis). Comp. *Incorruptibilius* II. — Incorruptibiliter est idem atque incorrupte, *incorruttibilmente*.

I.) Proprie. *Isid.* 19. *Orig.* 6. Exstinctus (*carbo*) incorruptibiliter durat.

II.) Translate. *Augustin.* 3. *Confess.* 2. *de Deo*. Qui purius et incorruptibilius misereris, quia nullo dolore sauciaris.

INCORRUPTĬO, ōnis, f. 3. (in *privat.* et corruptio) integritas, conservatio, *incorruzione*, ἀφθαρσία. *Tertull. Resurr. carn.* 51. ex 1. *Cor.* 15. 53.; *Augustin.* 13. *de Trin.* 7.; et *Hieronym. Ep.* 119. *n.* 2.

INCORRUPTĪVUS, a, um, adject. (in *privat.* et corrumpo) incorruptibilis. *Hieronym. Ep.* 119. *n.* 7. Corruptivum hoc incorruptivum efficitur.

INCORRUPTŌRĬUS, a, um, adject. (in *privat.* et corrumpo) incorruptus. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 16. Incorruptorios sensus in Deo efficit incorruptibilitas substantiæ divinæ.

INCORRUPTUS, a, um, adject. (in *privat.* et corruptus). Comp. *Incorruptior* I. et II.; Sup. *Incorruptissimus* II. — Incorruptus est non corruptus, integer, *incorrotto, incorruttibile, intiero*, ἄφθαρτος.

I.) Proprie. *Cic. Brut.* 9. 36. Succus et sanguis incorruptus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 103. 106. (230). Incorruptæ aquæ. *Liv.* 32. 33. Nicephorium Venerisque templum, quæ spoliasset evastassetque, pro incorruptis restitui. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 6. 8. (22). Fortius lignum quercus habet et incorruptius. *Id.* 13. *ibid.* 16. 30. (101). Immortalitas materiæ contra omnia vitia incorruptæ. *Scribon. Compos.* 38. Incorruptæ compositiones. — *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 43. Animus incorruptus suique similis. *h. e.* incorruptibilis. Sic *Sall. Jug.* 2. Corporis et fortunæ bonorum ut initium, sic finis est, omniaque orta occidunt et aucta senescunt; animus incorruptus, æternus – agit atque habet cuncta, neque ipse habetur.

II.) Translate est nullo affectu aut cupiditate labefactatus, inviolatus, integer, purus, fidus, certus, sincerus; et occurrit — *a*) De hominibus. *Cic.* 1. *Fin.* 21. 71. Incorrupti atque integri testes. *Gell.* 14. 4. Judicem oportet esse gravem, sanctum, severum, incorruptum. *Quintil.* 5. 12. 20. Incorruptus vir. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 81. Custos incorruptissimus. *Cic. Orat.* 19. 64. Virgo incorrupta. *Sueton. Aug.* 40. Populum incorruptum servare. *Tac.* 1. *Hist.* 35. Galba adversus blandientes incorruptus. *h. e.* incorruptibilis. — Cum Accusativo, Græco more. *Stat.* 2. *Silv.* 3. 68. Incorrupte fidem nullosque experte tumultus. — *b*) De rebus et abstractis. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 19. Integri incorruptique sensus. *Sueton. Cal.* 1. Incorruptum cor. *Quintil.* 2. 5. 12. natura. *Horat.* 1. *Od.* 24. 7.; et *Tac.* 12. *Ann.* 41. Libertus incorrupta fide. *Cic. Brut.* 35. 132. Incorrupta quædam Latini sermonis integritas. *Ammian.* 23. 6. *med.* Cultus incorruptissimus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (8). Quintum aquilarum genus γνήσιον vocatur, velut verum solumque incorruptæ originis. *h. e.* sinceræ, non adulterinæ. *Liv.* 4. 6. Incorruptum judicium. *h. e.* verum, rectum, sincerum. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Incorrupta voluptas. *Tac.* 1. *Ann.* 68. Promptam expugnationem, plures captivos, incorruptam prædam fore. *Id.* 2. *ibid.* 12. Explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, agitabat. *h. e.* quonam modo ea exploratio sincera et tuta esset. — Absolute *Curt.* 7. 8. 11. Nos qui, utcomque tradita, incorrupta perferemus. *h. e.* vera, *riferiremo le cose tali quali ci vennero tramandate, senza punto alterarle*.

INCŌXO, as, āvi, are, a. 1. (in *et* coxa). *Incoxare nates* est inflectere, demittere, ut qui sedendi gratia subsidunt. *Pomponius* apud *Non. p.* 39. 9. *Merc.* Neque interim cacandi causa unquam incoxavi nates. — Absolute *Pacuvius*. Adeo incoxaoti mihi pes obstupuerat. *Ita referunt plerique Lexico-*

graphi, loco non laudato. Etiam in verbis Pomponii al. leg. incoxavi nate.

INCRASSĀTUS, a, um. V. voc. seq.

INCRASSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et crassus). Part. Incrassatus. — Incrassare est crassum reddere. Finito modo occurrit apud Tertull. advers. Psychom. 6.; Part. vero Incrassatus apud eumd. 3. advers. Marcion. 6. ex Isai. 6. et Jejun. 6. ex Deuter. 32. 15.

INCREĀTUS, a, um, adject. (in privat. et creatus) non creatus, increato. Claud. Mamert. 2. Stat. anim. 4. sub init. Si nihil increatum, nisi creator, est, hæc ergo create sunt. h. e. mensura, pondus et numerus. Ambros. 1. Hexæm. 1. Et ea (principia) incorrupta et increata esse asseverarent. Adde eumd. 1. ibid. 2. et 2. ibid. 1.

INCRĒBRESCO vel increbesco, crēbrescis, crēbrŭi, crēbrescere, n. inchoat. 3. (in et crebresco). Quidam mallent r litteram secundo loco expungere: qua de re V. dicta in CREBRESCO. — Part. Increbrescens. — Increbresco est creber fio, crebresco, augeor, invalesco, diventare frequente, crescere, aumentarsi, διαθρυλλοῦμαι. Cic. 7. Fam. 20. extr. Ventus increbrescit. Sic Cæs. 3. B. C. 26. Auster increbruit nostrisque præsidio fuit. Horat. 2. Sat. 5. 93. mone, si increbruit aura, Cautus uti velet carum caput. Virg. 1. G. 359. Litora misceri et nemorum increbrescere murmur. Sueton. Tib. 11. Increbrescente rumore, quasi ad occasionem majoris spei commoraretur. Id. Aug. 11. Hoc bello quum Hirtius in acie, Pansa paullo post ex vulnere perisent, rumor increbruit, ambos opera ejus occisos. Cic. Opt. gen. orat. 4. 11. Nonnullorum sermo increbruit, partim seipsos Attice dicere, partim neminem. Liv. 8. 8. a med. Inde rem ad triarios redisse, proverbio increbruit. è passato in proverbio. Id. 7. 12. Gallici belli fama increbrescebat. Virg. 8. Æn. 14. late Latio (viri) increbrescere nomen. Cic. Orat. 20. 66. Ipse numerus increbruit. Plaut. Merc. 5. 1. 9. Ubi mores deteriores increbrescunt in dies. Cic. 14. Phil. 5. 12. Hæc consuetudo, quæ increbruit. Id. 4. Verr. 3. 7. Ut ad nostram disciplinam illam veterem, non ad hanc, quæ nunc increbruit, videantur accedere. Val. Max. 3. 7. n. 3. Increbrescente annonæ caritate.

INCRĒBRO, as, āvi. V. CREBRO, as.

INCRĒDENDUS vel incredundus, a, um, adject. (in privat. et credo) incredibilis. Apul. 2. Met. Incredenda fabula. Id. Florid. n. 15. Incredenda potentia. Id. de Mag. Incredundæ frugum illecebræ.

INCRĒDĬBĬLIS, e, adject. (in privat. et credo) Comp. Incredibilior sub A. 1. — Incredibilis occurrit A) Passive; et B) Active.

A) Passive. ¶ 1. Incredibilis est qui credi non potest, fidem superans, improbabilis, παράδοξος, ἄπιστος (It. incredibile; Fr. incroyable; Hisp. increible; Germ. unglaublich; Angl. not to be believed, incredible). Cic. 2. Invent. 13. 42. Quæ rem credibilem aut incredibilem facere possunt. Cf. Quintil. 5. 13. 28. Incredibilis rei ordo et ipsa expositione fidem perditurus. Rursus Cic. Partit. orat. 4. 12. Incredibilia probabilibus intexere. Id. 13. Fam. 54. Singularis et prope incredibilis fides. Id. 1. Orat. 38. 172. Incredibilis quædam et prope singularis et divina vis ingenii. Id. Sull. 27. 75. Incredibilis ac singularis furor. Vellej. 2. 99. Mira et incredibilis atque inenarrabilis pietas. Cic. 1. Cat. 10. 25. Incredibilem voluptatem afferre. Id. 2. ibid. 4. 8. Incredibile sceleris fœdus. Seneca 3. Quæst. nat. 17. Quanto incredibiliora sunt opera luxuriæ, quoties etc! Quintil. 7. 6. 11. Modus et inauditus et incredibilis. Cic. 5. Att. 16. Incredibilem in modum concursus fiunt ex agris. Cf. Horat. 2. Od. 17. 21. Utrumque nostrum incredibili modo Consentit astrum. Cic. 7. Phil. 3. 8. Si erit vel acerbum auditu, vel incredibile. Ter. Phorm. 2. 1. 9. Præter spem, atque incredibile hoc mihi obtigit. — Sequente Relativo. Cic. 13. Att. 23. Incredibile est, quam ego ista non curem. non si può credere, quanto etc. Id. 15. ibid. 1. Incredibile est, quanta me molestia affecerit. Adde Quintil. 1. 1. 32. — Cum Supino et Relativo. Sall. Cat. 6. et 7. Incredibile memoratu est, quam facile coaluerint. Nepos Hann. 6.; et Justin. 12. 9. 8. Incredibile dictu est, ut eum non multitudo hominum, non vis magna telorum tenuerit. — Cum Infinito. Quintil. 7. 2. 31. Incredibile esse, ab imperatore proditam hostibus patriam. Justin. 1. 10. Incredibile prorsus, tanta patientia cessisse eo, quod etc. Cf. Q. Cic. ad Tiron. 16. Fam. 27. Incredibile est, quæ ego illos scio in æstivis fecisse. — Incredibile quantum legitur apud Justin. 36. 2. extr. Quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coaluere. Id. 8. 2. 5. Incredibile quantum ea res apud omnes nationes Philippo gloriæ dedit. ¶ 2. Item is, cui non creditur. Plaut. Bacch. 4. 3. 3. Incredibilis imposque animi, inamabilis, illepidus vivo.

B) Active est incredulus. Apul. Trismeg. Incredibiles enim post delicta cogentur credere non verbis, sed exemplis. Sic Vulgat. interpr. Eccli. 1. 36. Ne sis incredibilis timori Domini; et ne accesseris ad illum duplici corde. et Tit. 1. 16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, quum sint abominabiles et incredibiles et ad omne opus bonum reprobi.

INCRĒDĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (incredibilis). ¶ 1. Est actus non credendi, il non credere, il non prestar fede, ἀπιστία. Ulp. Dig. 48. 5. 29. Adumbrare patientiam prætextu incredibilitatis. ¶ 2. Item incredulitas, incredulità, incredibilità, ἀπείθεια. Apul. Trismeg. Mors, quam ignoratio, aut incredibilitas contemnit humana.

INCRĒDĬBĬLĬTER, adverb. (incredibilis) supra fidem, incredibilem in modum, incredibilmente, ἀπίστως. Cic. Senect. 15. 51. Quibus ego incredibiliter delector. Id. 1. Phil. 15. 36. Incredibiliter consentiens populi Romani voluntas. Id. 8. Att. 7. Incredibiliter pertimuit.

INCRĒDĬTUS, a, um, adject. (in privat. et creditus) cui non creditur, non creduto, ἄπιστος. Seneca 5. Controv. 30. Increditam adhuc inertiam miratus est. Apul. de deo Socrat. Incredita vaticinia Cassandræ.

INCRĒDŬLĬTAS, ātis, f. 3. (incredulus) qualitas ejus, qui non credit, incredulità, ἀπείθεια. Apul. 1. Met. Obstinata incredulitate sermonem ejus respuebat. Paulin. Nolan. carm. 6. 95. pœnas incredulitate meretur. Adde Hieronym. Ep. 125.; et Vulgat. interpr. Matth. 12. 18. et alibi sæpe.

INCRĒDŬLUS, a, um, adject. (in privat. et credulus). ¶ 1. Active est qui non credit, incredulo, ἄπιστος. Horat. Art. P. 188. Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi. Quintil. 12. 8. 11. Optimus est patronus incredulus. Id. 10. 3. 11. Increduli quidam et de ingenio suo pessime meriti, qui diligentiam putant facere sibi scribendi difficultatem. h. e. qui sibi diffidunt. ¶ 2. Passive est incredibilis. Gell. 9. 4. Res inauditæ incredulæ.

INCRĒDUNDUS. V. INCREDENDUS.

INCRĔMĀTUS, a, um, particip. ab inusit. incremo, idem ac crematus, abbruciato. Flor. 4. 2. 21. Viginti centurionibus incrematis. Recentiores libri leg. in crucem actis.

INCRĔMENTO, as, are, a. 1. (incrementum) augere. Est Augustini contra litter. Petiliani 3. 54.

INCRĔMENTŬLUM, i, n. 2. deminut. ab incrementum, parvum incrementum. Apul. 5. Met. Miratur de brevi punctulo tantum incrementulum locupletis uteri. V. PUNCTULUM.

INCRĔMENTUM, i, n. 2. (incresco) augmentum, αὔξησις (It. aumento, accrescimento; Fr. accroissement, développement; Hisp. acrecientamento, aumento; Germ. d. Wachsthum; Angl. an increase, augmentation, increment).

I.) Proprie occurrit — a) De plantis. Cic. Senect. 15. 52. Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? Colum. 11. R. R. 2. 28. Ad deponendas vites, vel non magni incrementi arbores, sulcus deprimi debet. Adde eumd. 2. ibid. 18. 1. et 9. ibid. 4. 2.; et Pallad. 3. R. R. 24. et 25. — b) De brutis animalibus. Colum. 8. R. R. 15. 6. Parvi incrementi animalia. Id. ibid. 17. 14. Incrementi minuti pisces. Adde eumd. 9. ibid. 1. 8. — c) De aliis rebus. Colum. 8. R. R. 5. 2. Optime (gallinis) præbetur ad satietatem hordeum semicoctum: nam et majus facit ovorum incrementum, et frequentiores partus. Adde eumd. 6. ibid. 18. 1. et 11. ibid. 3. 31. — d) Apud Pallad. 3. R. R. 17. 5. Si arborem minorem desiderabis inserere, in qua sine dubio meliora incrementa proveniunt, circa terram secato. incrementa sunt surculi.

II.) Translate. ¶ 1. Concreto, uti ajunt, sensu — a) Usurpatur de sobole: sic de alumnis Virg. 4. Ecl. 49. Cara deûm soboles, magnum Jovis incrementum. Curt. 5. 1. 42. Magnorum præfectorum et ducum hæc incrementa sunt et rudimenta. nempe hi aluntur et erudiuntur, ut sint aliquando præfecti et duces. Ita Forcellinus: quamquam incrementa hoc loco abstracte accipienda esse videntur. Inscript. apud Marin. Frat. Arv. p. 423., quæ est apud Orell. 2683. NICERATVS AVGVSTORVM N. SERVVS PAEDAGOGVS FECIT SIBI ET DVOBVS INCREMENTIS VICTORI ET CHRYSOMALLO. Ennod. Dict. 7. p. 1059. D. Incrementum rusticum matris mamma inter sulcos evacuat, et per pascua pecus agere, dum ab uberibus pendet, assuescit. — Et de curiæ prætextatis. Inscript. apud Gruter. 461. EX QVORVM REDITV QVOT ANNIS DARETVR PVERIS CVRIAE INCREMENTIS CRVSTulum, MVLSVM ET HS VIII. N. — Item de filiis. Apul. 5. Met. Nimirum istud incrementum lenam me putavit. Hic loquitur Venus indignabunda de Cupidine filio suo. Inscript. apud Murat. 981. 9. C. VALERIVS.... INCREMENTVM MAXIMVM ANNOR. XI. M. V. D. VII. P. (fortasse a.) III. — Huc pertinet et illud Curt. 5. 1. 39. Incremento novare exercitum. rimettere con reclute. — b) Item incrementum dicitur id, quod increvit. Ammian. 17. 3. Provincialis solemnia præbeat, ne dum incrementa, quæ nulla supplicia egenis possent hominibus extorquere. Papinian. Dig. 31. 1. 9. Eamdemque summam penes te esse volo, cujus ex incremento eos (alumnos) alere te volo. Inscript. apud Gruter. 1028. 5. REI (h. e. summæ) INCREMENTA POSTEA AD EPVLVM PLEBIS VRBANAE VOLVIT PERTINERE. — Item pro interpretatio. Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod. 14. 16. 1. Incrementa, quæ venumdato tritico accesserint, etc. — c) Denique incrementum dicitur etiam id, quod increscendo inservit: sic de nutrimento Fronto apud Putsch. 2198. Altitudo (est) incrementum corporis, alimentum incrementum infantis. — Hinc de semine, unde increscit soboles. Ovid. 3. Met. 102. motæque jubet supponere terræ Vipereos dentes, populi incrementa futuri. V. CREMENTUM. ¶ 2. Abstracte; et quidem — a) Generatim. Cic. 2. Fin. 27. 88. Negat summo bono afferre incrementum diem. Curt. 9. 3. 39. Virtus tua semper in incremento erit: nostra vis in fine jam est. Quintil. 5. 10. 33. Bonorum incrementum et malorum imminutio. Adde eumd. 10. 6. 3. et 11. 2. 41. Ammian. 22. 9. Reliquit Constantinopolin incrementis maximis fultam. Spartian. Hadrian. 7. Pueris et puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementa liberalitatis adjecit. Nazar. Paneg. Constant. 18. Incrementa laudis. Adde Juvenal. 14. 259.; Justin. 6. 4. 4.; et Vopisc. Prob. 4. — b) Speciatim de augmento dignitatis et ascensu honorum, avanzamento, promozione. Sueton. Vitell. 3. Existimatus initium et causa incrementorum patri fuisse. Vellej. 2. 51. Illis incrementis fecit viam, quibus in triumphum et pontificatum assurgeret. Ammian. 16. 1. Julianus incrementis velocibus ita domi forisque colluxit, ut etc. Inscript. apud Henzen. 7170. ASTRIVM FEROCEM CENTVR. LEG. II. TRAIAN. FORTIS. PER INCREMENTA GRADVS MILITIAE SVAE TAM SINGVLIS QVAM REIP. N. QVOTIENS NECESSE FVIT MVLTVM PRAESTITISSE. — c) Item speciatim incrementum est pars amplificationis rhetoricæ. Quintil. 8. 4. 28. Quatuor maxime generibus video constare amplificationem, incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie. Incrementum est potentissimum, quum magna videntur, etiam quæ inferiora sunt. Id aut uno grado fit, aut pluribus. Per id venitur non modo ad summum, sed interim quodammodo supra summum. Omnibus his sufficit vel unum Ciceronis exemplum (7. Verr. 66. 170.). Facinus est vincire civem Romanum; scelus, verberare; prope parricidium, necare: quid dicam in crucem tollere? Hæc et plura ibid. Quintil.

INCRĔPĀTĬO, ōnis, f. 3. (increpo) objurgatio. Vulgat. interpr. Job 5. 17. Beatus homo, qui corripitur a Domino: increpationem ergo Domini ne reprobes. Adde ibid. 23. 4. et alibi; et Tertull. 4. advers. Marcion. 7. sub fin. et 5. ibid. 20.

INCRĔPĀTĪVĒ, adverb. (increpo) increpando. Sidon. 6. Ep. 9. Non increpative, sed consolatorie aliquem compellare.

INCRĔPĀTŌRIUS, a, um, adject. ad increpandum inserviens, riprensivo. Sidon. 9. Ep. 7. Nostra judicia nil mioantur increpatorium.

INCRĔPĀTUS, a, um. V. INCREPO.

INCRĔPĬTĀTUS, a, um. V. voc. seq.

INCRĔPĬTO, as, āvi, ātum, are, n. et a. 1. *frequentat. ab* increpo. — Part. *Increpitans* in omnibus paragr.; *Increpitatus* I. — Increpitare est idem fere atque increpare, vel magnum crepitum edere, vehementer insonare sive inclamare, ψοφέω (It. *strepitare fortemente, fare un grande strepito*; Fr. *crier fortement*; Hisp. *gritar fuertemente*; Germ. *e. starkes Geräusch machen*; Angl. *to chide*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu et neutrorum more est magnum crepitum edere. *Sil. It.* 17. 105. *de incendio.* Ipsius ingenti regis tentoria saltu Lugubre increpitans late circumvolat ardor. — Et de homine pro vehementer inclamare. *Virg.* 1. *Æn.* 742. Tum Bitiæ dedit increpitans: ille impiger hausit Spumantem pateram et pleno se proluit auro. *Servius* exponit *inclamans*. *Vulpius* ad *Propert. loc. infra cit.* refert ad crepitum vini in libatione humi fusi. Alii explicant *increpitans moram ad bibendum*: sed simpliciter intelligendum est, *invitans, ut ipse biberet.* ¶ 2. Latiori seu prægnante significatione sæpius occurrit et est reprehendere, incusare, objurgare, *riprendere, accusare, rimbrottare*, quasi crepare et altius loqui in aliquem. — Cum Accusativo personæ. *Cæs.* 2. *B. G.* 15. Increpitare atque accusare reliquos Belgas, qui se populo Romano dedidissent. *Val. Flacc.* 5. 266. tunc ordine regi Proximus et frater materno sanguine Perses Increpitare virum. *Id.* 3. 229. Sævit acerbe fremens, tardumque a mœnibus agmen Increpitat: Numquamne etc. *Stat.* 11. *Theb.* 668. Increpitare hostem. — Cum Accus. personæ et addito Genit. rei. *Sil. It.* 9. 6. Increpitare aliquem segnitiæ. *Id.* 8. 264. aliquem moræ. — Absolute. *Cæs.* 2. *B. G.* 30. Irridere ex muro atque increpitare vocibus. *Liv.* 1. 7. Cum verbis quoque increpitans, adjecisset: Sic deinde quicumque alius transiliet mœnia mea. Adde *eumd.* 5. 11. et 36. 32.; et *Val. Flacc.* 5. 472. — Neutrorum more cum Dativo personæ. *Propert.* 2. 20. 15. Et tibi præ invidia Nereides increpitarent. — Cum Accus. rei. *Virg.* 10. *Æn.* 900. Hostis amare, quid increpitas mortemque minaris? *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 1. *Sat.* 71. Hæc increpitata a Nerone. Rursus *Virg.* 4. *G.* 138. Æstatem increpitans seram zephyrosque morantes. *h. e.* incusans. — Cum Accus. rei et Dat. personæ. *Val. Max.* 3. 3. *n.* 2. *extern.* Increpitare ignaviam alicui. *h. e.* objicere, *rinfacciare.* Sic *Propert.* 3. 13. 34. Et speculo rugas increpitante tibi. *Sil. It.* 5. 632. Queis consul terga increpitans. *h. e.* fugam.

II.) Translate pro ferire, ut *increpo. Paul. Diac.* p. 114. 9. *Müll.* Increpitato, ferito. *Stat.* 10. *Theb.* 132. increpitans languentia pectora dextra.

INCRĔPĬTUS, a, um. *V.* INCREPO.

INCRĔPĬTUS, us, m. 4. increpatio. In sexto casu sing. *Apul. de deo Socrat.* Increpitu indignatum Amorem recinendo placare. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 8. Jussu et increpitu dæmonia expellens.

INCRĔPO, as, ŭi, ĭtum, (*raro* āvi, ātum) are, 1. (in *et* crepo). Part. *Increpans sub B.* II.; *Increpitus* et *Increpatus* in fin.; *Increpandus sub B.* II. — Increpare occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more increpare est crepare, crepitum edere, sonare, insonare, ψοφέω (It. *sonare, risonare, fare strepito*; Fr. *faire du bruit, du tapage, sonner, craquer*; Hisp. *hacer ruido, hacer sonido, sonar, rechinar, cruxir*; Germ. *ertönen, erschallen*; Angl. *to sound, resound, make a noise*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Orat.* 5. 21. Simul ut discus increpuit. Adde *Propert.* 3. 12. 6. ubi de trocho agit. *Liv.* 38. 17. Arma increpuerunt. *Propert.* 4. 7. 12. at illi Pollicibus fragiles increpuere manus. *Val. Flacc.* 4. 691. Saxa (*h. e.* scopuli) sed extremis (*navium*) tamen increpuere corymbis. *Virg.* 1. *G.* 382. Corvorum increpuit densis exercitus alis. *Id.* 12. *Æn.* 753. vividus Umber Increpuit malis morsuque elusus inani est. *Sil. It.* 16. 94. raucus stridenti murmure clangor (*tubarum*) increpuit. *Minuc. Fel. Octav.* 5. Flare ventos, grandines increpare, tonitrua mugire.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphora sumpta a super. paragr. *Cic.* 1. *Cat.* 7. 18. Quidquid increpuerit, Catilinam timeri. Cf. *Ammian.* 14. 5. Animus ejus angustus et tener quidquid increpuisset, ad salutis suæ dispendium existimans factum aut cogitatum etc. Rursus *Cic. Mur.* 10. 22. Simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostræ conticescunt. *Liv.* 4. 40. *ad fin.* Si quid terroris increpuerit. *Seneca Troad.* 302. Timide quum increpuit metus. ¶ 2. Latiori vel prægnante significatione est disrumpi, findi, *crepare*, apud *Theod. Priscian.* 1. 28. Quibus vero perniones increpuerint, et vulnerati fuerint, his spumæ argenti trita, mixto adipe porcino, pro emplastro apponi debet.

B) Active seu cum Accusativo increpare

I.) Proprie — *a*) Stricto sensu est magno strepitu edere. *Propert.* 1. 17. 6. sævas increpat aura minas. *h. e.* magno strepitu ventus minatur. *Virg.* 9. *Æn.* 503. At tuba terribilem sonitum simul ære canoro Increpuit. *Sil. It.* 5. 188. Increpuere simul feralia classica signum. *Sever. Ætn.* 62. validos tum Juppiter ignes Increpat. — *b*) Latiori sensu est percutere, ferire, quia percutiendo crepitus, aut sonitus fit, *battere, percuotere. Ovid.* 1. *Trist.* 4. 24. Increpuit quantis viribus unda latus! *Id.* 14. *Met.* 820. conscendit equos Gradivus, et ictu Verberis increpuit. *Id.* 12. *ibid.* 51. Juppiter atras Increpuit nubes. *Id. Ib.* 230. Terque cruentatas increpuere manus. *h. e.* manibus plausere. *Id. Heroid.* 3. 118. et 2. *Amor.* 11. 32. Threiciam digitis increpuisse lyram. — Increpare hibernum. *V.* HIBERNUS in fin. — *Sabella carmina increpant pectus*, apud *Horat. Epod.* 17. 28., *h. e.* quasi vehementi sonitu penetrant in pectus, perculluntque animum ac de statu dejiciunt. — c) Item est insonare, personare. *Ennius* apud *Non.* p. 255. 25. *Merc.* Sonitus aures meas pedum pulsu increpat. *Calpurn.* 5. *Ecl.* 56. simul argutæ nemus increpuere cicadæ. — *d*) Item dictitare, jactare, in ore habere, cantare, intonare. *Turpilius* apud *Non. loc. cit.* Age tu, hymenæum increpa. *Propert.* 3. 8. 9. Alcyonum positis requiescant ora querelis: Increpet absumptum nec sua mater Ityn. Cf. *Id.* 4. 11. 59. Ille sua nata dignam vixisse sororem Increpat.

II.) Translate est reprehendere, incusare, objurgare, *riprendere, accusare, rimbrottare*; quasi crepare et altius loqui in aliquem. — *a*) Cum Accusativo personæ tantum. *Ennius* apud *Non.* p. 516. 16. *Merc.* Ast hic, quem nunc tu tam torviter increpuisti. *Plaut. Most.* 3. 2. 63. Numquid increpavit filium? Adde *eumd. Amph.* 1. 1. 58. *Sall. Cat.* 21. Maledictis increpare omnes bonos. *Liv.* 23. 45. Gravibus probris aliquem increpare. *Sueton. Aug.* 86. Increpare aliquem ut insanum. *Curt.* 9. 4. 16. Macedones rursus seditiosis vocibus regem increpare cœperunt. *Plin.* 3. *Ep.* 9. *sub fin.* Increpare aliquem graviter. *Tac.* 2. *Hist.* 44. Milites Vedium Aquilam desertorem proditoremque increpant, nullo proprio crimine ejus, sed more vulgi suum quisque flagitium aliis objectantes. — Passive *Ovid.* 3. *Met.* 646. Increpor a cunctis. — *b*) Cum Accus. personæ et Genitivo rei, cujus aliquem incusamus. *Sueton. Cal.* 39. Modo avaritiæ singulos increpans. *Id. Galb.* 15. Sævitiæ populum increpuit. — *c*) Cum Accusativo rei. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 23. 74. Illis versibus increpant eorum arrogantiam. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. Increpare perfidiam. *Id.* 2. *Orat.* 48. 199. Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Cæpionis fugam. Similiter *Liv.* 23. 47. Increpare ignaviam alicujus. *Ovid. Heroid.* 1. 82. moras. *Sueton. Tib.* 5. victorias seu damnosas. *Tac.* 1. *Ann.* 39. fatalem rabiem. *Id.* 11. *ibid.* 13. Theatralem populi lasciviam severis edictis (*Claudius*) increpuit. *Id.* 1. *Hist.* 90. inscitiam potius legionum, quam audaciam increpans. *Flor.* 4. 2. 43. Miles otium, socii moram, principes ambitum increpabant. — *d*) *Increpare aliquid* est quippiam dicere objurgandi atque accusandi causa. *Liv.* 1. 51. Hæc Aricinus in regem increpans, ex concilio abiit. *Id.* 6. 37. Hæc indigna miserandaque auditu quum, apud timentes sibimet ipsos, increpuissent etc. *Sall. orat.* 1. *ad Cæs. de republ. ordin. ante med.* Illa quæ in Cn. Pompejum victoriemque Sullanam increpabantur. *Curt.* 9. 7. 16. Intererat epulis Dioxippus Atheniensis, pugil nobilis, — regi (*Alexandro*) pernotus et gratus. Invidi malignique increpabant per seria et ludum, saginati corporis sequi inutilem belluam. *h. e.* incusantes, objurgantes clamabant, dicebant. Cf. *Liv.* 4. 50. Saxo ictus turba excedit: insuper increpante, qui vulneraverat, habere quæstorem, quod imperator esset militibus minatus. *Flor.* 1. 13. 17. Quum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, superbe væ victis increparent etc. — *e*) Et pro mordere, carpere, pungere, arguere. *Flor.* 1. 1. 8. Cujus dum irridet angustias Remus idque increpat saltu etc. — *f*) Cum Accusativo personæ pro monere, hortari, atque adeo stimulare, acuere. *Horat.* 4. *Od.* 15. 1. Phœbus volentem prælia me loqui Victas et urbes increpuit lyrâ, Ne parva Tyrrhenum per æquor Vela darem. *h. e.* me volentem lyrâ loqui, h. e. narrare prælia, Phœbus monuit, ne tam inepte ac periculose agerem, quam qui parva vela per Tyrrhenum æquor daturus est. Similiter poetice *Virg.* 9. *Æn.* 127. et 10. *ibid.* 278. Ultro animos tollit dictis atque increpat ultro. *h. e.* stimulat, acuit, hortatur. et *Tibull.* 1. 1. 10. Aut stimulo tardos increpuisse boves. — Hinc Part. præter. pass.

Increpitus et raro *increpatus, a, um*, est reprehensus, objurgatus, incusatus. — *a*) Cum Nominat. personæ. *Liv.* 23. 26. Præfecti navium, post classem per pavorem desertam, graviter increpiti. *Id.* 24. 17. *ad fin.* Graviter ab consule increpitus. est qui *minus recte leg.* increpatus. Adde *eumd.* 42. 9. *ad fin.* Sic *Curt.* 4. 13. 8. Parmenionem nuper acrius, quam vellet, increpitum rursus castigare (*rex*) non sustinebat. Adde *Sueton. Cæs.* 79., *Tib.* 42. et *Vesp.* 4. — *Lactant.* 4. 11. Judæi a prophetis increpati. — *b*) Cum Nominat. personæ et Genitivo rei. *Apul. de Mag.* Levitatis et inconstantiæ increpitus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1. 17. Ignaviæ increpitus. — *c*) Cum Nominat. rei. *Vellej.* 2. 55. 3. Fortuna increpita. — *Prudent.* 7. *Cathemer.* 195. Sed increpata fraude, post tergum ruit.

INCRESCO, crescis, crēvi, crescere, n. 3. (in et cresco). Part. *Increscens* II. — Increscere est idem quod crescere, αὐξάνομαι (It. *crescere*; Fr. *croître, grandir, se développer*; Hisp. *crecer, aumentarse, agrandarse*; Germ. *wachsen, in etwas wachsen*; Angl. *to increase, grow*).

I.) Proprie. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 46. (163). Tædia animalium capillis non increscunt. *h. e.* in capillis non crescunt: *V.* TÆDIUM. *Pers.* 3. 32. fibris increvit opimum Pingue. *Ovid.* 4. *Met.* 476. cuti squamas increscere sentit. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 11. Ne, quum increverint (*arbores*), obumbrent. *Id.* 4. *ibid.* 13. 2. Vitis increvit. Cf. *Inscript.* apud *Murat.* 539. 1. NE PATIARE MEIS TVMVLIS INCRESCERE SILVAS. *Cels.* 1. 3. *ad fin.* Maxime cibo eget, qui increscit. Huc referri potest et illud *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 5. increscunt æquora ventis.

II.) Translate. *Virg.* 9. *Æn.* 688. increscunt animis discordibus iræ. *Cels.* 3. 2. Videndum est, morbus an increscat, an consistat, an minuatur. *Plin.* 7. *Ep.* 19. Increscit tussis. *Justin.* 11. 11. 12. tumor. *Plin.* 1. *Ep.* 10. 12. valetudo. *Quintil.* 11. 3. 40. respiratio. *Val. Flacc.* 1. 315. gemitus. *Seneca Med.* 931. dolor. *Plin.* 8. *Ep.* 4. ingenium. *Liv.* 1. 33. *sub fin.* Increscens audacia. *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. *circa med.* Quam sententiam quotidie increscere et invalescere videmus. *Inscript.* allata in voc. ANNONA. Increscit annona. — Speciatim apud Rhetores. *Quintil.* 8. 4. 2. Hoc genus increscit et fit manifestius. De *incremento* amplificationis loquitur.

INCRĒTO, as, are, a. 1. (in *et* creta) creta illinere, obducere, *incretare. Petron. Satyr.* 102. Pertunde aures, ut imitemur Æthiopes; increta facies, ut suos Gallia cives putet. — Hinc est etiam cretam cimoliam ex aceto jumentis inducere. *Veget.* 5. *Veterin.* 17. 4. *Schneid.* Increta locum, ut cutis ad pulpas adhæreat.

INCRĒTUS, a, um, adject. (in *privat.* et cretus a cerno). ¶ 1. Est non cretus, non purgatus, *non crivellato. Apul.* 7. *Met.* Mihi vero furfures apponebat incretos ac sordidos. *Oudendorp.* interpretatur cribro a farina separatos et sordibus ac lapillis salebrosos. ¶ 2. Item indivisus, confusus, admixtus. *Paul. Diac.* p. 110. 9. *Müll.* Increta, indivisa. *Müller.* vero leg. *inercta. Horat.* 2. *Sat.* 4. 74. piper album cum sale nigro incretum. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 23. (87). Minium incretum candido pingui. *Sillig.* ex Cod. Bamberg. leg. redimitum. *V.* INCERNO.

INCRĪMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (in *privat.* et criminatio) criminationis, vel criminis, vel accusationis defectus. *Tertull. Resurr. carn.* 23.

INCRISPĀTĬO, ōnis, f. 3. (incrispo) incrispandi actus, *increspamento. Augustin. Ep.* 112. *ad Paulin.* 22. ex 1. *Petri* 3. 3. Ornatus capillorum incrispationibus.

INCRISPO, as, are, a. 1. (in *et* crispus) crispum facere, *increspare. Tertull. Idolol.* 8. Incrispare

ornamenta parietibus. *Junius* ita legit; alii *incrustare*.

INCRUCIO, as, are, a. 1. et

INCRUDESCO, crudescis, crudui, crudescere, n. 3. voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 109. et 81.

INCRŬENTĀTUS, a, um, adject. duo diversa significat:

A) Quum componitur ex *in* privat. et *cruentatus*, est non maculatus cruore. Per tmesin *Ovid.* 12. *Met.* 496. manet imperfossus ab omni Inque cruentatus Cæneus Elateius ictu.

B) Quum componitur ex *in* intent. et *cruentatus*, est idem ac cruentatus, valde cruentatus. *Tertull.* 1. *ad nation.* 7. *a med.* Quis unquam semeso puero supervenit, quis incruentato pene vestigia dentium deprehendit? *Num legendum* in cruentato?

INCRŬENTĒ, adverb. (incruentus) sine sanguine, *senza sangue*, ἀναιμεί. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 1094. Si vos sinatis, incruente vivimus.

INCRŬENTUS, a, um, adject. (in *privat.* et cruentus) sine sanguine, sine cæde, *senza sangue*, *incruento*, ἀναίμακτος: ut Incruenta victoria, in qua nullus cruor effusus est ab iis, qui vicere; in qua nulli, aut pauci ex victoribus cæsi sunt. — *a)* De rebus. *Liv.* 2. 56. *ad fin.* Certatum haud incruento prælio foret, ni etc. Adde *eumd.* 5. 26., 4. 17.; et *Nazar. Paneg. Constant.* 7. Similiter *Vellej.* 2. 21. 6. Incruentum certamen. *Liv.* 7. 8. *extr.* Nec Romanis incruenta victoria fuit. Sic *Sall. Cat.* 61.; *Tac.* 2. *Ann.* 4.; et *Justin.* 18. 1. 7. Incruenta victoria. *Tac.* 2. *Ann.* 46. Integrum adversum Romanos bellum, an pacem incruentam mallent. Sic *Colum.* 9. *R. R.* 9. 7. *de apib.* Si constat principibus gratia, manet pax incruenta. Rursus *Tac.* 13. *Ann.* 37. Regnum stabile et res incruentas contingere. *Id.* 12. *ibid.* 46. Ne dubitaret armis incruentas conditiones malle. *Id.* 3. *Hist.* 66. Exercitus incruentam urbem intravit. Sic *Id.* 1. *ibid.* 29. Solatium proximi motus habebamus incruentam urbem et rem sine discordia. — *b)* De personis. *Liv.* 9. 29. *ad fin.* Uno prælio cecidit Vestinorum res, haudquaquam tamen incruento milite suo. *Id.* 9. 17. *ad fin.* Alexander Darium incruentus devicit. *Tac.* 3. *Hist.* 13. Integri incruentique. Adde *Ammian.* 21. 6. et 26. 5. Sic *Sall. Jug.* 92. Multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento.

INCRUSTĀTĬO, ōnis, f. 3. (incrusto) affixio crustæ marmoris, aut laminæ ad parietem, pavimentum, aut vasa. *Procul. Dig.* 8. 2. 13. *extr.* Incrustatio parietis. *Paul. ibid.* 50. 16. 79. Voluptariæ impensæ sunt viridaria, incrustationes, loricationes, picturæ.

INCRUSTĀTUS, a, um. *V.* CRUSTATUS et voc. seq.

INCRUSTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et crusta) crusta marmoris, aliusve rei operire, obducere, *incrostare*, πλακόω. *Varro* 3. *R. R.* 14. 5. Ollam incrustare sapa et farre. *Id. ibid.* 15. 1. Tota maceria levi lapide aut tectorio intrinsecus incrustetur. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 56. Sincerum vas incrustare. *Procul. Dig.* 8. 2. 12. parietem. *V.* INCRISPO. *Inscript.* apud *Lupoli It. Venus.* p. 293. ARAM · ISIS INCRUSTAVIT. *Vetus Poeta* apud *Scholiast. Cruq.* ad *Horat.* 1. *Sat.* 3. 56. nam vel regionibus illis Incrustatu' calix ruta caulique bibetur.

INCŬBA, æ, f. 1. (incubo, as). *Gloss. Isid.* Incuba, quæ res alienas tenet. *V.* INCUBO, onis, sub 1.

INCŬBĀTĬO, ōnis, f. 3. (incubo) actus incubandi, quum aves ova excludunt, *covatura*, *covazione*, ἐγκοίμησις.

I.) Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 54. 75. (152). Incubationi datur initium post novam lunam. *Est qui legit* incubitioni. *Id. ibid.* 56. 77. (156). Incubatio ovis noxia. *Id. ibid.* 60. 80. (167). Incubationem derelinquere.

II.) Translate. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod.* 7. 38. 3. Diuturna incubatio. *h. e.* occupatio et detentio alicujus fundi, seu domus. *V.* INCUBO, as, II.

INCŬBĀTOR, ōris, m. 3. (incubo, as) qui alicubi incubat.

I.) Proprie. *Tertull. Anim.* 49. Incubatores fani. *V.* INCUBO, as, I. 3.

II.) Improprie est possessor anxius aut iniquus alicujus rei. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 10. *ad fin.* Dionysius aulæ Siculæ inclementissimus incubator. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.* 16. 10. 20. Omnia loca, quæ sacris error veterum deputavit, nostræ rei jubemus sociari, ita ut fructus ab incubatoribus exigantur. *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 266. Apud nos incubator imperii, tyrannus dicitur. *V.* INCUBO, as, II.

INCŬBĀTUS, us, m. 4. (incubo, as) idem atque incubatio. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 54. 75. (152). Si incubatu tonuerit, ova pereunt. *Al.*, *inter quos et Sillig.*, *leg.* incubitu.

INCŬBĬTĀTUS, a, um. *V.* INCUBITO.

INCŬBĬTĬO, ōnis, f. 3. *V.* INCUBATIO.

INCŬBĬTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (*frequentat. ab* incubo). Part. *Incubitatus*. — Incubitare est super aliqua re cubare, incumbere. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 9. Cellas, in quibus incubitant, siccissimas esse oportet, substratasque habere paleas. *h. e.* incubant ovis excludendis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 43. 68 (169). Asini non nisi spatiosa incubitant laxitate. *h. e.* decumbunt dormiendi causa. *Sillig.* legit: Nec nisi spatiosa incubitat laxitas. — Hinc Part. præter. pass.

Incubitatus, *a*, *um*, de eo dicitur, super quo quis incubitat, a *Plaut. Pers.* 2. 4. 13. SA. Video ego te: jam incubitatus es. PAE. Ita sum: quid id attinet ad te? At non sum ita, ut tu, gratis. *Sunt qui interpretantur* in cubitum nisus, seu cubitissim obversus stuprum passus es.

INCŬBĬTUS, a, um. *V.* INCUBO, as.

INCŬBĬTUS, us, m. 4. (incubo, as) incubandi actus, incubatio. ¶ 1. Generatim, incubitus dextri lateris est, dum aliquis supra dextrum latus cubat. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 14. (51). Celerius concoqui dextri lateris incubitu, difficilius a supinis. Cf. *Solin.* 53. ¶ 2. Speciatim est idem atque incubatio ad ova excludenda. *Id.* 10. *ibid.* 54. 75. (153). Quædam autem citra incubitum sponte naturæ gignunt.

INCŬBO, cŭbas, cŭbui, cŭbitum (*et quum refertur ad aves ova foventes* cŭbāvi, cŭbātum), cŭbare, 1. (in et cubo). Part. *Incubans* I. 1. et II.; *Incubitus* I. 2.; *Incubaturus* I. 1.; *Incubandus* I. 2. — Incubare differt ab *incumbere*, quod fere ad actionem refertur: *incubare* autem fere ad quietem; et est super aliqua re cubare, quiescere, inclinari, inniti, ἐγκεῖμαι, ἐπίκειμαι (It. *posare*, *giacere su qualche cosa o in qualche luogo*, *posare*, *piegare*, *appoggiarsi*; Fr. *être couché*, *étendu dans ou sur*, *reposer sur*, *presser*; Hisp. *estar acostado*, *tender*, *extender*, *echarse en*, *apoyarse*; Germ. *in*, *aus etwas liegen*; Angl. *to lie*, *recline*, *or repose upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Stricto sensu. *Virg.* 7. *Æn.* 88. Pellibus incubuit stratis somnosque petivit. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 117. Incubare stramentis. *Justin.* 23. 1. Sine veste, quam induerent, vel cui incubarent. *Seneca Thyest.* 909. Resupinus ipse purpura atque auro incubat. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 105. (253). Omnia animalia a dextris partibus incedunt, sinistris incubant. — *Seneca Vit. beat.* 25. Super tomentum incubabo. *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 88. *incubare*, inquit, dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda responsa. Unde est, *ille incubat Jovi*, id est dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere. Hæc *Servius*. Solebant id facere et qui opem a diis petebant. *Plaut. Curc.* 1. 1. 61. Hic leno ægrotus incubat in Æsculapii fano. *Id. ibid.* 2. 2. 16. Incubare satius te fuerat Jovi, tibi qui auxilium in jurejurando tulit. CA. Siquidem incubare velint, qui pejeraverint, locus non præberi potis est in Capitolio. *Tertull. Anim.* 48. Superstitio (*est*), ut quum apud oracula incubaturis jejunium indicitur, ut castimoniam inducat. — Cum Accusativo. *Apul.* 7. *Met.* Tabernulam quamdam litori proximam incubabat. — De iis, qui vigilant. *Seneca Thyest.* 570. pavidusque pinnis (*murorum*) Anxiæ noctis vigil incubabat. Ita *Forcellinus*: hic tamen *Senecæ* locus, ni fallor, ad subsequentem paragr. 3. commode referri potest. — Ceterum *Liv.* 5. 46. Cortici incubando secundo Tiberi ad urbem defertur. *Curt.* 7. 5. 18. Utres quamplurimos stramentis refertos dividit: his incubantes transnavere amnem. — *b)* Latiori sensu pro sedere, hærere, stare. *Ovid.* 6. *Met.* 592. Vite caput tegitur: lateri cervina sinistro Vellera dependent: humeros levis incubat hasta. — *c)* Item de iis, qui nituntur in gladium, ut sibi necem inferant. *Seneca Hippol.* 259. Laqueo ne vitam finiam, an ferro incubem? — *d)* Et qui moriendo procumbunt. *Ovid. Heroid.* 9. 87. Ut Tegeæus aper cupressifero Erymantho Incubet, et vasto pondere lædat humum. — *e)* Est etiam incumbere, inclinari, inniti, *piegare*, *posare*, *appoggiarsi*. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 20. (53). Jugum incubans mari. *Id.* 2. *ibid.* 54. 55. (145). Omnia contrarias incubant partes: homo, nisi convertatur in percussas (*fulmine*), non exspirat. — *f)* Item supra extendi, superjacere, premere, contegere. *Val. Flacc.* 2. 494. cælumque, quod incubat urbi. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 3. (16). Incubuere maria tam longo ævo: alibi processere litora. *si stesero dentro terra, formando seni.* ¶ 2. Speciatim et sæpe dicitur de avibus, quæ insidendo fovent ova et excludunt, *covare*. *Varro* 3. *R. R.* 9. 6. Quæ velis, incubent, negant, plus vigintiquinque oportere ova incubare. *et paullo post.* Ova, quæ incubantur. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 10. Gallinas incubare fetibus alienigenis patiemur. *Pallad.* 1. *R. R.* 29. 2. Gallinæ ovis incubandis. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 30. 2.; *Colum.* 8. *R. R.* 5. 5. et 14. 6.; et *Sueton. Tib.* 14. Sic *Plin.* 10. *Hist. nat.* 59. 79. (163). Ova gallinis incubanda subjicere. *Id.* 29. *ibid.* 3. 11. (45). Quum ova triduo incubita tolluntur. — Hinc metonymice est soboli operam dare. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 15. (45). *de apib.* Nam nisi incubavere, favos lividos faciunt. *V.* loc. *Plaut.* in paragr. proxime seq. ¶ 3. Item speciatim est inhabitare, morari. *Plaut. Cas.* 1. 1. 21. Quando ego eam mecum rus uxorem duxero, rure incubabo in præfectura mea. *hic* vero ea etiam innuitur significatio, de qua in fin. paragr. proxime præcedentis. Cf. *Flor.* 1. 10. 2. Quum occupato Janiculo ipsis urbis faucibus incubaret. — Et cum Accusativo. *Apul.* 4. *Met.* Hoc genus bestiæ lucos consitos et colles amœnos semper incubare.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim metaphorā sumptā a superiori paragr. 1. *Horat.* 1. *Od.* 3. 30. macies et nova febrium Terris incubuit cohors. *Seneca Hippol.* 99. Sed major alius incubat mæstæ dolor. *sta addosso*, *le pesa e la opprime*. *Id. ibid.* 268. Incubat menti furor. *Lucan.* 2. 27. filio metus incubat amens. *Val. Flacc.* 1. 682. quum stabulis et messibus ingens Ira deûm et Calabri populator Sirius arvi Incubuit. ¶ 2. Speciatim dicitur de iis, qui mala fide possident et alienam rem injuste detinent; quasi ei rei assidue immineant vigilentque, ne elabatur. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 45. Quasi jam probaverit, possessorem esse eum, qui incubavit. *et mox.* Nec adimere tibi licet possessionem incubanti, nec dare jure poscenti. *Servius* ad illud *Virg.* 1. *Æn.* 93. ponto nox incubat atra: *incubat* dixit, quod alienum tempus invasit; nam *incubare* proprie dicitur per vim rem alienam velle tenere. Sic *Flor.* 2. 6. 57. Ut inhærentem atque incubantem Italiæ extorqueret Hannibalem. — Itaque universim de iis usurpatur, qui alieni rei inhiant et cupide adhærent arcteque custodiunt. *Cic. Cluent.* 26. 72. Ille planus improbissimus, quæstu judiciario pastus, qui illi pecuniæ, quam condiderat, spe jam atque animo incubaret. *Virg.* 2. *G.* 507. Condit opes alius defossoque incubat auro. *Id.* 6. *Æn.* 610. Aut qui divitiis soli incubuere repertis. *Liv.* 6. 15. Incubare publicis thesauris. *Quintil.* 10. 1. 2. clausis thesauris. *Martial.* 12. 53. gazæ. *Fronto* 1. *ad M. Cæs.* 8. Quid ille cogitet aliud, quam bonis alienis incubare? *Flor.* 2. 10. 2. Incubare prædæ. Sic *Ammian.* 24. 8. *extr.* Nonnulli Persas nobis viantibus incubuisse firmabant. *Capitolin. Anton. phil.* 8. Incubare rei publicæ. — Et cum Accusativo. *Apul.* 4. *Met.* Pannosus ac sordidus aureos folles incubabat.

INCŬBO, ōnis, m. 3. (incubo, as). ¶ 1. Est qui incubat alicui rei custodiæ causa. *Petron. fragm. Tragur.* 38. *Burmann.* Quum modo incuboni pileum rapuisset, thesaurum invenit. *Gloss. Philox.* Incubones, ἐπικεκυφότες. ¶ 2. Item qui cubantibus insilire videtur et præfocare, ἐφιάλτης, ut in voce sequenti dicetur. *Scribon. Compos.* 100. Hæc compositio facit ad eos, qui sæpius existimantur ab incubone deludi. *Tertull. Anim.* 44. Genus fuerat gravioris aliquanto soporis, ut de incubone præsumptio est. Adde *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* toto c. 3. V. voc. seq.

INCŬBUS, i, m. 2. (incubo, as) morbus noctu quiescentes infestans, quum externa quædam vis dormientes videtur invadere et veluti suo pondere pressos gravare, *incubo*, ἐφιάλτης, ἐπιβολή, πνιγα-

λίων. Vana est autem opinio illorum, qui aut dæmonem, aut Cupidinem, aut vetulam quamdam pectus supine cubantis comprimentem esse putaverunt. V. voc. præced. 2. — Præterea *incubos* vulgo vocant Silvanos et Faunos, qui feruntur improbi sæpe exstitisse mulieribus, ut *Augustin.* 15. *Civ. D.* 23. Adde *Hieronym. Vit. Hilarion.* et 5. *in Isaj.* 13. 21.; *Isid.* 8. *Orig.* 11.; et *Servium* ad *Virg.* 6. *Æn.* 776., ubi *incubones* appellat, Itali vero *fantasime* dicunt.

INCŪDO, cūdis. *V.* INCUS.

INCULCĀTĬO, ōnis, f. 3. (inculco) inculcandi actus, *l'inculcare. Tertull. Apolog.* 39. Disciplinam præceptorum inculcationibus densamus.

INCULCĀTOR, ōris, m. 3. (inculco) qui pedibus calcat.

I.) Proprie. *Tertull. advers. Gnost.* 6. Deus hominem diaboli inculcatorem voluit efficere.

II.) Figurate. *Cassiod.* 12. *Variar.* 1. Plus agit inculcator rationis, quam possit exercere terribilis. *h. e.* suasor.

INCULCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INCULCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et calco). Part. *Inculcans* I. 1. et II. 1.; *Inculcatus* in omnibus paragr.; *Inculcandus* II. 2. — Inculcare est idem quod calcare, calcando immittere, ἐπισάττω, ἐπισταίβω (It. *calcare saldamente*; Fr. *fouler, presser, tasser*; Hisp. *hollar, atropellar, pisar, tupir*; Germ. *fest* —, *ein* —, *niedertreten*; Angl. *to tread, drive, or ram down, beat close, drive or thrust in*).

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 20. 1. Area molari lapide condensetur, et rursus subjectis paleis inculcetur. *Id.* 11. *ibid.* 3. 34. Semen obrutum inculcare paviculа. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 8. Cochlearum vacuas testas si usseris, et eo cinere foramen inculces. *Aggen.* in *Frontin. de controv. agr.* p. 61. Ut per diem solemnitatis eorum privatorum agri nullam molestiam inculcantis populi sustinerent. — Part. præter. pass. apud *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 9. (32). Lana succida canis rabiosi morsibus inculcata. *h. e.* calcata. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 13. Solum stagni lapidibus inculcatis ac tectorio munire. *h. e.* calcatis, calcando impressis. Sic *Id.* 6. *ibid.* 12. 2. Primo ferro circumcisus et expurgatus, deinde panois aceto et sale et oleo madentibus inculcatis, mox etc. *Gell.* 2. 6. *sub fin.* Quidquid nimis inculcatum obsitumque aliqua re erat, ut incuteret visentibus facie nova horrorem, id squalere dicebatur. *h. e.* infartum.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro obtrudere atque adeo infarcire, *cacciar dentro per forza, e quindi infarcire, riempire*: quo sensu de oratione tantum occurrit. *Cic.* 1. *Off.* 31. 111. Sermone eo debemus uti, qui nobis notus est, ne, ut quidam, Græca verba inculcantes, jure optimo irrideamur. *Id. Orat.* 15. 50. De firmissimis alia prima ponet, alia postrema; inculcabitque leviora. *e vi caccierà in mezzo i più deboli.* — Part. præter. pass. apud *eumd. Orat.* 69. 230. Apud alios autem, et Asiaticos maxime, numero servientes, inculcata reperis inania quædam verba, quasi complementa numerorum. *Id.* 16. *Att.* 3. Idem σύνταγμα misi ad te retractatius, et quidem ἀρχέτυπον ipsum, crebris locis inculcatum et refectum. *riempiuto, arricchito,* additis quibusdam, ubi quid inane esse videbatur. ¶ 2. Item est dicendo vel alia ratione instare, urgere, ingerere, *inculcare. Cic.* 1. *Nat. D.* 38. 108. Vos autem non modo oculis imagines, sed etiam animis inculcatis. *Id.* 5. *Verr.* 67. 156. Inculcatum est Metello et Vultejo, te oratores evertisse. *Cels.* 1. *præfat.* Inculcare aliquid ægris. *Quintil.* 3. 1. 6. aliquid pueris. *Id.* 11. 3. 130. aliquid singulis. *Id.* 6. 4. 5. Firmissima quæque memoriæ judicis inculcanda sunt. *Lucan.* 9. 292. de voce Catonis Inculcata viris justi patientia Martis. *impressa la necessità della tolleranza. Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *a med.* Traditam atque inculcatam libertatem recipera. *h. e.* impressam ac veluti impactam infixamque, *inculcata.* Cf. *Cic.* 1. *Orat.* 28. 127. Et id quod tradatur, vel etiam inculcetur, posse percipere animo. *Plin.* 1. *Ep.* 20. *init.* Cursim et breviter attingere, quæ sint inculcanda, infigenda, repetenda. Rursus *Cic. Vatin.* 11. 26. Inculcaris ne, ut C. Pisonem, generum meum, nominaret? *Seneca Vit. beat.* 24. Quibusdam non dabo, quamvis desit: quibusdam offeram, quibusdam etiam inculcabo. *Cic.* 2. *Orat.* 5. 19. Græci, qui se inculcant auribus nostris. *h. e.* obtrudunt se, ut audiantur.

INCULPĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* culpabilis) qui culpari non potest, *incolpabile. Prudent. Apotheos.* 1015. solum inculpabile Numen. *Vulgat. interpr. Num.* 32. 22. Eritis inculpabiles apud Dominum. *Avien. Arat.* 28. Inculpabiles mores. *Cassiod.* 4. *Variar.* 3. Inculpabile obsequium. *Solin.* 30. *sub fin.* Hyacinthus, lapis pretiosus, siquidem inculpabilis invenitur. *h. e.* sine vitio et macula. *Forcellinus* hunc *Solini* locum translate accepit.

INCULPĀBĬLĬTER, adverb. (inculpabilis) non culpabiliter, sine culpa, *incolpabilmente. Cassiod.* 5. *Variar.* 27. Inculpabiliter necesse vivat, qui suam præsentiam novit principibus offerendam. *Id.* 7. *ibid.* 32. *ad fin.* Ita irremuneratum non relinquimus, si te egisse inculpabiliter senserimus. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 18. et 19.

INCULPĀTIM, adverb. (inculpatus) sine culpa. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 6. 30. 20. Qui inculpatim ad calcem terminumque militiæ pervenerint.

INCULPĀTĬO, ōnis, f. 3. (inculpo) idem fere ac culpatio, *incolpazione*, ἐπιτίμησις. *Boeth. Aristot. Topic.* 8. 4. *p.* 729. Inculpatio vero orationis et secundum ipsam orationem, et quando interrogatur, non eadem. *et mox.* Orationis autem secundum se ipsas quinque sunt inculpationes.

INCULPĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* culpatus). Sup. *Inculpatissimus.* — Inculpatus est qui culpa caret, *senza colpa, incolpabile,* ἀνέλεγκτος. *Gell.* 7. 22. Existimandum est non omnino inculpatum, neque indesidem (*eum*) visum esse, cui corpus etc. *Ovid.* 9. *Met.* 671. sed vita fidesque Inculpata fuit. Sic *Gell.* 14. 2. Vita inculpatissima. *Id.* 2. 6. Inculpata virtus. *Ammian.* 21. 13. honestas. *Arnob.* 2. 49. mores. Adde *Macrob.* 6. *Saturn.* 7. *Impp. Diocl. et Maximian. Cod.* 8. 4. 1. Recte possidenti ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, inculpatæ tutelæ moderatione illam vim propulsare licet. *nempe* licita defensio, quæ fit sine culpa illius, qui injuste impetitur.

INCULPO, as, are, a. 1. (in et culpo) culpare, alicujus rei culpam alicui tribuere, *incolpare.* Occurrit tantum Part. *Inculpandus*, apud *Boeth. Aristot. Topic.* 8. 4. *p.* 730. Quod non similiter inculpandum.

INCULTĒ, adverb. (incultus). Comp. *Incultius.* — Inculte est sine cultu et vitæ commodis, *senza agi, senza coltura, alla buona,* ἀγρίως, ἀκόσμως. *Cic. Quinct.* 18. 59. Vixit enim semper inculte atque horride. *Sall. Jug.* 20. et 89. Gætulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare. *Ammian.* 22. 12. incultius victitare. — Hinc de oratione est inornate, *senza ornamenti, rozzamente. Cic. Orat.* 9. 28. Horride inculteque dicere. *Id. Brut.* 28. 107. Non inculte dicere.

INCULTUS, a, um, adject. (in *privat. et* cultus). Comp. *Incultior* I. — Incultus locum habet in re agraria et est non cultus, ἀγεώργητος (It. *incolto, non lavorato*; Fr. *non travaillé, non cultivé, inculte, en friche*; Hisp. *inculto, lo que no es cultivado*; Germ. *unangebaut, unbearbeitet*; Angl. *uncultivated, undressed*).

I.) Proprie. *Cic. Rosc. com.* 12. 33. Tunc erat ager incultus, sine tecto: nunc est cultissimus, cum optima villa. Sic *Liv.* 2. 31. Incultus ager. *Cic. Brut.* 74. 259. Inculta et silvestris via. Cf. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 49. (87). Inculta itinerum. *Cic. Prov. cons.* 12. 29. Quid illis terris asperius? quid incultius oppidis? *Colum.* 2. *R. R.* 2. 8.: et *Quintil.* 7. 9. 5. et 5. 10. 37. Incultus locus. *Cic.* 1. *Nat. D.* 10. 24. Regiones inhabitabiles atque incultæ. *Id. Brut.* 4. 16. Incultum et derelictum solum. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 45. Incultæ silvæ. *Virg.* 4. *Ecl.* 29. sentes. Cf. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 42. (145). Genus incultius asparago, mitius corruda.

II.) Translate est neglectus, incomptus, inornatus, rudis, horridus, *negletto, disadorno, orrido, rozzo,* ἀκοσμος. *Ovid.* 3. *Fast.* 470. incultæ comæ. *Id. Heroid.* 9. 125. capilli. *Virg.* 6. *Æn.* 300. canities. *Ovid. Heroid.* 8. 64. Hument incultæ fonte perenne genæ. *squallide. Horat.* 1. *Sat.* 3. 34. Incultum corpus. *mal vestito, disadorno.* Sic *Juvenal.* 11. 146. Incultus puer. et *Cic. post redit. in senat.* 6. 13. Quem prætariens, quum incultum, horridum mæstumque vidisses etc. *mal in ordine. Id. Brut.* 31. 117. Homo, ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus. *Id. Quinct.* 30. 92. Rusticana atque inculta parsimonia. *Sall. Cat.* 2. Indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transiere. *senza coltura ed educazione. Ammian.* 28. 1. Ortuque nobiles inculti videbantur. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 233. Inculti versus. *Pacat. Paneg. Constant.* 1. Incultus sermonis horror. *h. e.* inculta Gallorum eloquentia. Rursus *Horat.* 1. *Ep.* 3. 22. Ingenium incultum et turpiter hirtum. *Tibull.* 4. 1. 59. Inculti Læstrygones. *h. e.* nullo cultu mitigati, feri, sævi, crudeles.

INCULTUS, us, m. 4. (in *privat.* et cultus) omissio cultus, *negligenza, squallidezza, rozzezza, orridezza,* ἀγεωργησία. *Sall. Cat.* 55. *de carcere Tulliano.* Incultu, tenebris, odore fœda atque terribilis ejus facies. *Al. leg.* inculta tenebris. *Id. Jug.* 2. Ingenium incultu atque socordia torpescere sinunt. *Liv.* 42. 12. *ad fin.* Suos honores partim desertos per incultum ac negligentiam, partim hostiliter sublatos esse. Adde *Senec. Ep.* 5.

INCUMBA, æ, f. 1. (incumbo) membrum est in architectura, projectum instar mutuli, cui fornix incombit, *impostatura. Vitruv.* 6. 11. Quum cunei ab oneribus parietum pressi, per coagmenta ad centrum se prementes, extruderint incumbas. *V. Bald.* in *Lexic. Vitruv.*

INCUMBO, cumbis, cŭbŭi, cŭbĭtum, cumbere, n. 3. (in et cubo). *Incumbuverim* pro *incubuerim*, quod ita postulat metri ratio, quidam legunt apud *Phædr. prol. l.* 3., ut *fuvi* pro *fui* etc. — Nonnulla, quæ hic adscripta sunt, ad verbum *incubo* referri possunt, ut *Forcellinus* monet. — Part. *Incumbens* I. 1., 2. et alibi. — Incumbere est in aliquid inclinari, inniti, incubare (a quo postremo verbo quid differat, *V.* ibi *init.*) ἐπίκειμαι (It. *appoggiarsi, posare, andare addosso, piegarsi a qualche cosa*; Fr. *se coucher, s'étendre, se pencher, s'appuyer, peser sur*; Hisp. *tender, entender, echarse en, apoyarse, descansar sobre alguna cosa*; Germ. *sich legen, stämmen, stützen auf etwas*; Angl. *to lean, lie, rest, or recline upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est, ut diximus, in aliquid inclinari, inniti; et occurrit — *a*) Cum Dativo, quamvis monet *Quintil.* 9. 3. 1. Veteres libentius dixisse *incumbere in illum*, quam *illi. Virg.* 8. *Ecl.* 16. Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ. *Id.* 4. *Æn.* 650. Incubuitque toro dixitque novissima verba. *Ovid.* 1. *Fast.* 177. Tum deus incumbens baculo, quem dextra gerebat, etc. *Quintil.* 11. 3. 132. Incumbere advocato adversis subselliis sedenti. *Martial.* 5. 13. incumbunt tecta columnis. *Seneca Herc. Œt.* 1764. Herculi totus æther pondus incubuit iare. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 64. 61. (160). *de cælo.* Cava in se convexitas vergit, et cardini suo, hoc est terræ, undique incumbit. — Figurate *Juvenal.* 8. 76. Miserum est aliorum incumbere famæ, Ne collapsa ruant subductis tecta columnis. *h. e.* miserum est pendere omnino ab existimatione majorum, et nulla niti virtute ac laude propria. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in. Curt.* 6. 9. 33. Lacrimis deinde manantibus, linquente animo, in eum, a quo tenebatur, incubuit. *Quintil.* 11. 3. 90. Incumbere in mulierculam. *Id.* 2. 12. 2. Luctator, qui totius corporis nisu in id, quod semel invasit, incumbit. *Ulp. Dig.* 39. 2. 28. Onera, quæ in parietem incumbunt. — *c*) Omissa præpositione, quæ inest in ipso verbo. *Sall. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 229. Fessi arma sua quisque stantes incumbere. Sic *Plin.* 5. *Hist. nat.* 32. 40. (141). Impetum deinde sumit Hellespontus et mare incumbit. *h. e.* vi influit in mare Ægæum, et veluti pondere aquarum premit. — *d*) Cum Accusativo et præpos. *super. Petron. Satyr.* 80. Super prædam incumbere. — *e*) Cum Accusativo et præpos. *ad. Ovid.* 9. *Met.* 385. Et quoniam mihi fas ad vos incumbere non est, Erigite huc artus. *Est qui aliter legit.* — *f*) Absolute. *Seneca Ep.* 123. *ad fin.* Non vides, quam diversus sit ascendentium habitus et descendentium? qui per pronum eunt, resupinant corpora: qui in arduum, incumbunt. *Sueton. Tib.* 25. Dextram obambulantis, veluti incumbens, quoad perageretur sermo, continuit. *Val. Flacc.* 7. 600. invadit (*laurum*) totusque incumbit Iason Desuper. — Huc referri potest et illud *Virg.* ubi incumbere est inclinare se et veluti accingi ad aliquid faciendum, 12. *Æn.* 774. Incu-

buit, voluitque manu convellere ferrum Dardanides. — Cum v. *sedere* jungitur, et est idem quod *incubare*, apud *Quintil.* 9. 1. 11. Nos sedemus, incumbimus. Et figurate *Id.* 2. 13. 10. Cursum habent quædam (*signa*) et impetum, sedent alia vel incumbunt. ¶ 2. Latiori sensu, aut translate ut aliis placet, de ventis et similibus dicitur, quæ super mare, vel aliquid aliud ingruunt, urgent, impellunt. *Virg.* 1. *Æn.* 84. Incubuere mari, totumque a sedibus imis Una Eurusque Notusque ruunt. *Val. Flacc.* 2. 59. venti veloque marique Incumbunt. *Lucan.* 3. 1. Propulit ut classem velis cedentibus Auster Incumbens. Similiter *Virg.* 2. *G.* 311. si tempestas a vertice silvis Incubuit. *Sil. It.* 4. 666. Adde modum dextræ, aut campis incumbe propinquis. *Id.* 16. 423. Incubuit campo Durius, misitque citatos Verbere quadrupedes. *Quintil.* 5. 9. 5. Magna vis venti in mare incubuit. *Justin.* 4. 1. 6. Ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur. *Lucan.* 5. 423. hibernos flatus, quos incumbere certos Perfida nubiferi vetat inconstantia veris. ¶ 3. Item latiori sensu, aut translate ut aliis placet, de iis usurpatur, quæ quacumque ratione inclinantur aliquo. — De iis, quæ vergunt, propendent, imminent. *Virg.* 8. *Æn.* 236. Silex prona jugo lævum incumbebat ad amnem. *Id.* 2. *ibid.* 514. Laurus incumbens aræ. Cf. *Sil. It.* 14. 194. Incumbens Messana freto, minimumque revulsâ Discreta Italiâ. *h. e.* ad fretum Siculum sita, ubi Sicilia ab Italia minimum distat. — Et cum Accusativo sine præpos. *Avien. Perieg.* 849. Asiam incumbit Taurus. — De iis, qui cursu vel fuga inclinantur aliquo. *Val. Flacc.* 6. 722. Tempestate pari versis incumbere turmis. — Et qui pectore gladium premunt, sui occidendi causa. *Cic.* 2. *Invent.* 51. 154. Incumbere in gladium. Et jocularitcr *Sueton. Aug.* 85. Respondit, Ajacem suum (*tragœdiam*) in spongiam incubuisse. *Plaut. Cas.* 2. 4. 29.; et *Lucilius* apud *Non.* p. 502. 9. *Merc.* Incumbere gladium. *Cic.* 1. *Herenn.* 11. 16.; *Sueton. Oth.* 10.; et *Ammian.* 17. 4. gladio. *Phædr.* 3. 10.; et *Sil. It.* 8. 156. ferro. *Liv. epit.* 89. mucroni. *Nazar. Paneg. Constant.* 13. Eripuisti gladios, ne quis incumberet. — De iis, quæ imminent, instant, superveniunt. *Virg.* 11. *Æn.* 674. incumbens eminus hasta. *Liv.* 30. 34. Pugna Romana stabilis et suo et armorum pondere incumbentium in hostem. — Et quæ procumbunt. *Virg.* 10. *Æn.* 894. ejectoque incumbit cernuus armo. *Val. Flacc.* 5. 162. summo pariter cum monte secutæ Incubuere trabes. *Seneca Troad.* 14. Pergamum incubuit sibi. *h. e.* in se ruit, subsidit in ignem, et in cinerem versum est. Figurate *Cic. Balb.* 26. 58. Fuit hoc fatum, ut in me unum omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. *h. e.* in me caderet, me opprimeret. Item *Id.* 2. *Orat.* 79. 324. Impelli primo judicem leviter, oportebit, ut jam inclinato reliqua incumbat oratio. — *NB. Incumbere ova* pro *incubare* quidam leg. apud *Petron. Satyr.* 33.; sed dubia est lectio.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim et sæpissime est enixe operam dare, insistere, intendere in aliquid, *attendere, mettersi a far qualche cosa*: et occurrit — a) Cum Dativo. *Virg.* 10. *Æn.* 294.; et *Juvenal.* 15. 128. incumbere remis. Cf. *Virg.* 7. *Æn.* 189. insurgere remis. *Id.* 1. *G.* 213. incumbere aratris. Hæc tamen proprie accipi possunt: translate *Plin.* 7. *Ep.* 27. *a med.* Ceris et stilo incumbere. *Sil. It.* 4. 820. labori. *Vopisc. Prob.* 23. studiis. Cf. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 64. Et vitæ pars nulla perit: quodcumque recedit Litibus, incumbit studiis. *Sil. It.* 7. 241. Incumbere fortunæ. *Id.* 14. 119. bello. Sic *Flor.* 4. 2. 6. Africæ. *h. e.* bello Africano. *Sil. It.* 13. 21. jusso. *Tac. Dial. de orat.* 14. toto pectore novæ cogitationi. *Lamprid. Commod.* 5. curis. *Lactant.* 2. 1. voluptatibus. *Flor.* 3. 16. 2. Rogandis legibus ita vehementer incubuit, ut etc. *Ammian.* 26. 3. Incumbere abolendæ maculæ. *Id.* 25. 10. ratiociniis scrutandis. *Id.* 17. 12. populandis terris. — Et cum Adverbio *huc* apud *Quintil.* 6. 2. 7. Huc igitur incumbat orator: hoc opus ejus, hic labor est. — b) Cum Accusativo et præpos. *in. Cæs.* 7. *B. G.* 76. Incumbere et animo et opibus in bellum. *Cic.* 1. *Orat.* 8. 34. in aliquod studium. *Id.* 4. *Phil.* 5. 12. in causam. *Id.* 10. *Fam.* 3. et 16. *Att.* 10. tota mente in aliquam curam et cogitationem. *Id.* 10. *Fam.* 1. omni cogitatione curaque in rempublicam. Adde *Plin.* 4. *Ep.* 7.; et *Pallad.* 4. *R. R.* 11. 6. — c) Cum Accusativo sine præpos. *Stat.* 6. *Theb.* 575. tunc Palladios non inscius haustus Incubuit. *h. e.* oleo et palæstræ adjecit animum. — d) Cum Accusativo et præpos. *ad. Cic.* 10. *Fam.* 12. Incumbere toto pectore ad laudem. *Id. Sull.* 29. 82. ad remp. conservandam. *Id.* 4. *Cat.* 2. 4. ad salutem reip. *Id.* 6. *Phil.* 1. 2. acrius graviusque ad ulciscendas reipublicæ injurias. *Auct. B. Alex.* 12. *extr.* omni studio ad parandam classem. — d) Cum Conjunct. et *ut* partic. *Liv.* 10. 15. Appius quum suis tum totius nobilitatis viribus incubuit, ut se consulem dicerent. — e) Cum Infinito. *Virg.* 4. *G.* 249. hoc acrius omnes Incumbunt generis lapsi sarcire ruinas. *Tac.* 2. *Hist.* 10. Propria vi Crispus incubuerat delatorem fratris sui pervertere. — f) Absolute. *Ovid.* 10. *Met.* 657. nunc nunc incumbere tempus, Hippomene. *ora è tempo di maneggiarsi, di attendere di proposito.* Cf. *Sil. It.* 5. 218. hortantes se quisque vicissim Incumbunt, pressoque impellunt pectore pectus. *Id. ibid.* 501. Incumbunt sociæ dextræ; magnoque fragore Pulsa gemit, crebris succumbens ictibus, arbos. ¶ 2. Specialim est propendere, inclinari voluntate, oratione etc., studere, velle, cupere. — a) Cum Adverbiis motus. *Plaut. Aulul.* 4. 1. 7. Qui amanti hero servitutem servit, quasi ego servio, si herum videt superare amorem, hoc servi esse officium reor, retinere ad salutem; non eum, quo incumbat, eo impellere. *h. e.* non adjuvare ejus amentiam, seu præcipitantem impellere. *Cic.* 3. *Orat.* 14. 55. Ut eos, qui audiunt, quocumque incubuerit, possit impellere. *Id.* 6. *Phil.* 7. 18. Idem volunt omnes ordines, eodem incumbunt municipia, coloniæ, cuncta Italia. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 8. 6. Nunc de Milone. Pompejus ei nihil tribuit, et omnia Guttæ: dicitque se perfecturum, ut illo Cæsar incumbat. *Orellius* ita legit: alii vero *in illo*. — b) Cum Accus. et præpos. *ad. Cic.* 1. *Att.* 19. *ante med.* Pompejus ad voluntatem perferendæ legis incubuerat. *Id. Mur.* 26. 53. Magna est comitiis consularibus repentina voluntatum inclinatio, præsertim quum incubuit ad virum bonum. — c) Cum Accus. et præpos. *in. Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 11. In quam (*causam*) incubuisse cum senatu Pompejus videtur, et Cæsar Id. Novembr. decedat. — Hinc *incumbere in cupiditatem, iram etc.* est se incitare ad cupiditatem. *Cic.* 5. *Att.* 13. Cujus in cupiditatem, te auctore, incubui, nec me piget. *Seneca Med.* 902. Incumbe in iras, teque jacentem excita. — d) Huc referendum videtur et illud *Virg.* 2. *Æn.* 653. ne vertere secum Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet. *h. e.* accedere, vel sequi, *assecondare.* ¶ 3. Apud sequioris ævi scriptores incumbere dicuntur, quæcumque hostilem in modum et per vim adversus aliquem vertuntur atque urgent. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Marium una civitas publice multique privati reum peregerunt: in Classicum tota provincia incubuit. *h. e.* accusationem intendit. *Tac.* 12. *Ann.* 6. Discors Suilio Silius acriter incubuit, referens etc. *Sil. It.* 12. 192. tergis incumbens hasta ruentum. *Tac.* 2. *Ann.* 17. Insignis Arminius manu, voce, vulnere sustentabat pugnam: incubueratque sagittariis, illa (*agmina*) rupturus, ni etc. *Id.* 4. *ibid.* 73. Tum tres leves cohortes ac rursum duæ, dein tempore interjecto alarius eques immissus. Satis validi, si simul incubuissent; per intervallum adventantes nec constantiam addiderant turbatis, et pavore fugientium auferebantur. ¶ 4. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. I. 3., apud sequioris ævi scriptores ponitur de rebus pro supervenire, ingruere. *Val. Flacc.* 3. 446. Huc Stygias transire minas iramque severi Sanguinis, his orat vigiles incumbere curas. *Tac.* 14. *Ann.* 54. Invidia mihi incumbit. *Id.* 3. *Hist.* 10. Ira militum in T. Ampium Flavianum incubuit. *Id.* 4. *ibid.* 41. Ea censura in Sariolenum Voculam et Nonium Attianum — acerrime incubuit. Cf. *Frontin. Aquæduct.* 117. Necessitas incubuit in aliquam regionem. *Juvenal.* 6. 291. sævior armis Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem. — Similiter *Vopisc. Aurel.* 21. Vespera incubuit. ¶ 5. *Hoc mihi incumbit*, mei officii est, *tocca a me, è mio debito*, præcipue apud *JCtos. Ulp. Dig.* 48. 2. 5. Accusandi necessitas incumbet domino. *Paul. ibid.* 22. 3. 2. Ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat. *Ulp. ibid.* 21. 1. 25. *a med.* Judici omnium rerum officium incumbit.

INCŪNĀBŬLA, ōrum, n. plur. 2. (in et cunabula) ea, quæ cunis insunt, quæ ad cunas muniendas et ornandas pertinent, id est lectulus et fasciæ lineæ laneæque, quibus infantes involvuntur, σπάργανα, *le fasce.*

I.) Proprie. *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 13. Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis. *Incunabula* hic sunt lora, aut vincula, quibus in cunis illigantur infantes, ne excidant. Cf. *eumd. Amph.* 5. 1. 48. Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnus est et multum valet! Neque eum quisquam colligare quivit incunabulis. — Hinc *ab incunabulis*, hoc est *sin dalle fasce. Liv.* 4. 36. Ab incunabulis imbutus odio tribunorum. — *Ammian.* 14. 6. Ejus (*Romæ*) populus ab incunabulis primis adusque pueritiæ tempus extremum — circummurana pertulit bella.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro loco, unde orti sumus, vel pro natalibus et origine generis. *Cic.* 2. *Att.* 15. Ego vero *in montes patrios et ad incunabula nostra pergam. Verba alio edita charactere* Enniana *esse post* Santenium *ad* Terentian. p. 280. *opinatur* Firnhaberus Philol. 6. 371. *et inter* Enniana *recensuit cl.* Vahlen. *Ovid.* 8. *Met.* 99. Jovis incunabula Crete. *Sueton. Vesp.* 2. Princeps quoque (*Vespasianus*) locum incunabulorum (*h. e.* Phalacrinem vicum) assidue frequentavit, manente villa, qualis fuerat olim. *Justin.* 31. 8. Majorum incunabula. ¶ 2. Metaphorâ hinc ductâ sumitur pro principio et origine. *Cic. Orat.* 13. 42. Non alienum fuit de oratoris quasi incunabulis dicere. *Id.* 1. *Orat.* 6. 23. Ab incunabulis nostræ veteris puerilisque doctrinæ. *Quintil.* 1. *procem.* 6. Ab ipsis dicendi velut incunabulis. *Plin. Paneg.* 14. Nonne incunabula hæc tibi, Cæsar, et rudimenta, quum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augens nomenque Germanici jam tum mererere? Adde *Ammian.* 22. 6.

INCUNCTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et cunctor) qui moram, vel dubium non patitur. *Arcad. Dig.* 22. 5. 21. Illud quoque incunctabile est, ut, si res exigat, testimonium dicant.

INCUNCTĀBĬLĬTER, adverb. (incunctabilis) idem atque incunctanter. *Alcim. Sentent.* ex ep. *ad Philipp.* 4. Triplicis linguæ pagina fuit, ut a toto mundo incunctabiliter crederetur.

INCUNCTANS, antis, adject. (in *privat.* et cunctor) non cunctans, promptus. *Paulin. Petroc. Vit. S. Martin.* 5. 133. Incunctante fide præsentia munera poscunt.

INCUNCTANTER *vel* incontanter, adverb. (incunctans) non cunctando. *Apul.* 9. *Met.* Incunctanter respondere. *Id.* 11. *ibid.* Incunctanter continuare pompam. *Ulp. Dig.* 40. 2. 20. Incunctanter debet ei permitti. *Lactant.* 6. 12. Incunctanter ac fortiter mortem subire. Adde *eumd.* 1. 15. *ad fin.*; *Aurel. Vict. Orig. gentis R.* 13.; *Capell.* 2. *init.*; et *Nazar. Paneg. Constant.* 12.

INCUNCTĀTUS *vel* incontatus, a, um, adject. (in *privat.* et cunctatus) non cunctatus, qui omnem cunctationem sustulit, qui sine mora facit. *Apul.* 5. *Met.* At illæ incontatæ, statim confecto vestigio domum penetrant. *Al. leg.* incontanter.

INCŬPĬDUS, a, um, adject. (in *privat.* et cupidus) non cupidus. Comp. *Incupidior* usus est *Afranius* apud *Non.* p. 496. 15. *Merc.* Majores nostri incupidiores liberûm fuere. *Al. interpret.* valde cupidi, ut in sit *intentiva*; *inter hos* Freund. *et* Klotz.

INCŪRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et curo) non curabilis, qui curari non potest, *incurabile. Gloss. Philox.* Incurabilis, ἀθεράπευτος. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 15. *sub init.* Additur etiam, quod (*hæc passio*, scil. *hydrophobia*) sit incurabilis. *Theod. Priscian. l.* 2. *p.* 2. *c.* 9. Fit ejusdem loci vel venæ patulum orificium incurabile. *Cassiod.* 2. *Hist. Eccl.* 6. Confusionem incurabilem suo providit auctori.

INCŪRĀTĒ, adverb. (incuratus) non curate, *trascuratamente. Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. ed. sec. p.* 384. Quod autem dicitur, perobscurum est, et expositum a pluribus incurate.

INCŪRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et curatus) non curatus. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 24. Stultorum incurata pudor malus ulcera celat. *Vopisc. Aurelian.* 28. Neque quidquam vir fortis reliquit, quod aut imperfectum videretur, aut incuratum.

INCŪRĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et cura) negligentia, ἀμέλεια (It. *negligenza, poca cura, trascurag-*

gine; Fr. *négligence*, *défaut de soin*, *incurie*; Hisp. *negligencia*, *descuido*; Germ. *Sorglosigkeit*, *Vernachlässigung*; Angl. *want of care*, *carelessness*, *negligence*, *neglect*). Occurrit — a) Generatim. *Cic. Prov. cons.* 3. 5. Milites populi Romani incuria, fame, morbo, vastitate consumpti. *Tac.* 3. *Ann.* 31. Plurima per Italiam itinera fraude mancipum et incuria magistratuum interrupta et impervia. *Id.* 4. *ibid.* 48. Mox versi in lusum et raptis opulenti (*Thraces*) omittere stationes lascivia epularum, aut somno et vino procumbere. Igitur hostes incuria eorum comperta etc. *Id. Agric.* 20. Hæc primo statim anno comprimendo egregiam famam pari circumdedit, quæ vat incuria, vel intolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur. *Hieronym. Ep.* 77. n. 8. Muri, neglecti pacis incuria, sarciebantur. *Cic. Amic.* 23. 86. Vituperanda est rei maxime necessariæ tanta incuria. *Horat. Art. P.* 351. non ego paucis Offendar maculis, quas haud incuria fudit, Ast humana parum cavit natura. *Ita legend. monuit* Sibiliatus *pro vulgari* aut incuria fudit, Aut humana etc. *Franc. Dorighellus* ex *Clem. Sibiliato* in sua *Horatii* editione Patav. ann. 1780. *T.* 2. *p.* 83. Quomodo enim, ait, Horatius dicere poterat, se non offendi maculis, quas negligentia effudit? quum ipse dicat *v.* 46. In verbis etiam tenuis cautusque etc. et *v.* 292. carmen reprendite, quod non Multa dies et multa litura coercuit etc. *Cato* apud *Ammian.* 16. 5. Magna cura cibi, magna virtutis incuria. *Tac.* 4. *Ann.* 36. Objecta publice Cyzicenis incuria cærimoniarum divi Augusti. *Id.* 16. *ibid.* 4. Crederes lætari, ac fortasse lætabantur per incuriam publici flagitii. — b) Speciatim de negligentia in capitis comendis. *Tertull. Pœnit. sub fin.* Capitii incuria horrorem leoninum præferens. *Apul. de Mag.* Capillus prorsus inenodabilis diutina incuria. *Arnob.* 5. 25. Partem illam corporis, per quam secus femineum et sobolem prodere, et nomen soles acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat. *h. e.* a pilis in eadem jam silvescentibus volsella, seu novacula purgat. — Incuria Dei apud *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 15. *circa med.* est neglectus, impietas.

INCŪRĬŌSĒ, adverb. (incuriosus). Comp. *Incuriosius.* — Incuriose est sine cura, negligenter, *negligentemente*, ἀμελῶς. *Liv.* 8. 38. Castra in hostico incuriose posita. *Tac.* 1. *Hist.* 13. Otho pueritiam incuriose egerat. *h. e.* sine cura pudoris et custodia sui. *Gell. præfat. ante med.* incuriose et immeditate. *Id.* 19. 9. Homines amœni et nostras quoque litteras haud incuriose docti. *Tac.* 4. *Hist.* 28. Cæsæ cohortes incuriosius agentes. Adde *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 46. (110).; et *Apul. de Mag.*

INCŪRĬŌSĬTAS, ātis, f. 3. (incuriosus) indiligentia, *negligenza*. *Salvian.* 1. *Gubern. D.* 1. Incuriosus a quibusdam et quasi negligens humanorum actuum Deus dicitur. — Probamus igitur, ne illos quidem de incuriositate ac negligentia ista sensisse, qui veræ religionis expertes etc. *Cassiod.* 7. *Variar.* 4. Nec nostros ad gentes sub incuriositate transmittas. *Gloss. Philox.* Incuriositas, ἀπραγμοσύνη.

INCŪRĬŌSUS, a, um, adject. (in *privat.* et curiosus) occurrit ¶ 1. Active, et est negligens, socors, curam non habens, ἀμελής; (It. *trascurato*, *non curante*, *negligente*; Fr. *peu soigneux*, *insouciant*, *négligent*; Hisp. *descuidado*, *negligente*; Germ. *nachlässig*, *unbesorgt*; Angl. *careless*, *regardless*, *negligent*). Usurpatur — a) Cum Genitivo. *Plin.* 8. *Ep.* 20. Ita natura comparatum, ut proximorum incuriosi, longinqua sectemur. *Tac.* 2. *Ann.* 88. Vetera extollimus, recentium incuriosi. Idem aliis verbis dixit *Vellej.* 2. 92. Naturaliter audita visis laudamus libentius. Rursus *Tac.* 1. *Hist.* 49. Incuriosus famæ. *Id.* 4. *Ann.* 32. imperii proferendi. Adde *eund.* 15. *ibid.* 31., *Agric.* 1. et alibi. *Gell.* 6. 5. Alfenus rerum antiquarum non incuriosus. — b) Cum Ablativo et præpos. *in.* *Sueton. Aug.* 79. In capite comendo tam incuriosus, ut etc. — c) Cum Ablativo et præpos. *ab.* *Sall. fragm.* apud *Arusian. Mess.* Statio incuriosa ab armis, *h. e.* milites in statione positi, neque arma in promptu habentes. Cf. *Cæs.* 2. *B. C.* 14. 1. — d) Cum Ablativo sine præpos. *Tac.* 14. *Ann.* 38. Sed nihil æque, quam fames affligebat serendis frugibus incuriosos. *Id.* 4. *ibid.* 23. Ptolemæus Jubæ filius, juventa incuriosus. — e) Absolute. *Tac.* 5. *Hist.* 22. Remeabat disjecto agmine, incuriosis vigiliis. *Id.* 1. *ibid.* 34. Credula fama inter gaudentes et incuriosos. — Sic eo sensu, quo nos dicimus *non curioso*, qui scire non curat, *Gell.* 2. 28. *sub fin.* M. Cato incerta et incuriose super ea re opinatus est. *V.* integrum loc. Proximum est illud *Solin. præfat.* Nonnulla etiam digna memoratu, quæ prætermittere incuriosum videbatur. — *Agnum incuriosum* apud *Apul. Florid. n.* 2. *extr.* quidam exponunt pinguem, quasi qui nulla cura maceat, ut contra *Plaut. Aulul.* 3. 6. 25. *agnum curiosum* macrum intelligit. *V.* CURIOSUS. Alii melius interpretantur *agnum incuriosum*, qui nulla cavet insidias, et sine cura in prato oberrat, atque hinc facile ab aquila rapitur. ¶ 2. Passiva est neglectus, non curatus, remissus. *Tac.* 7. *Ann.* 17. *extr.* Acribus, ut forma talia, initiis, incurioso fine. *Sueton. Galb.* 3. Multiplicem, nec incuriosam historiam edidit.

INCURRO, curris, curri *vel* cĕcurri, cursum, currere, n. 3. (in et curro). Præter perf. *incucurri* legitur in recentioribus editionibus apud *Cic. Sext.* 6. 14.; *Liv.* 1. 37., 27. 18., 28. 15. et alibi: contra *incurristi* apud *Cic. Orat.* 67. 224. et alibi sæpe. Part. *Incurrens* I. 1. et II. 3.; *Incursus* II. 3. *f.*; *Incursurus* I. 2. — Incurrere est in aliquem currere, intus currere, ἐντρέχω (It. *correre contro*, *o addosso alcuno*, *o dentro*; Fr. *courir sur*, *se jeter sur*, *fondre sur*; Hisp. *correr sobre*, *arrebatar*, *cargar á*, *arrojarse á*; Germ. *hinein laufen*, *hineingerathen*, *angreifen*, *anfallen*; Angl. *to run into*, *upon*, *or against*).

I.) Propria. ¶ 1. Generatim occurrit — a) Cum Accusativo et præpos. *in.* *Cic. Orat.* 67. 224. Incurristi amens in columnas. *Id. Planc.* 7. 17. Incurrere atque incidere in aliquem. *Sall. Jug.* 97. Incurrere in nostros. *Curt.* 9. 2. 19. In suos vehementius, quam in nos. *Liv.* 5. 49. in Romanos. *Flor.* 1. 9. 7. in hostem. *Liv.* 27. 48. in latus. *Quintil.* 9. 1. 20. in latera. *Martial.* 1. 38. in enses. — b) Cum Dativo. *Ovid.* 7. *Met.* 545. Non aper irasci meminit, nec fidere cursu Cerva, nec armentis incurrere fortibus ursi. *Tac.* 2. *Ann.* 16. Ut præliantibus Romanis desuper incurrerent. *Liv.* 28. 15. Peditum signa cornibus incucurrerunt. *Al. aliter leg.* At *Id.* 22. 17. Incurrere levi armaturæ hostium. *Sil. It.* 13. 179. ardora pari nisuque incurrere muris. — c) Cum Accusativo sine præpos. *Sall. Jug.* 101. Rediens ab latere Mauros incurrit. *Plerique leg.* Mauris. *Id. fragm.* apud *Rufinian. de schem. lex.* 33. *Ruhnk.* Atque eos a tergo incurrerunt. *Tac.* 1. *Ann.* 51. Tota vi novissimos incurrunt. *Id.* 2. *ibid.* 17. Validissimos equitum incurrere latus jubet. — d) Absolute. *Nepos Chabr.* 1. Agesilaus progredi non est ausus, suosque jam incurrentes tuba revocavit. *Curt.* 9. 5. 8. Itaque contemptim et incaute, qui proximi steterant, incurrerunt. *Sil. It.* 4. 143. Incurrunt acies, magnoque fragore etc. Cf. *Sueton. Aug.* 67. Diomedem dispensatorem, a quo, simul ambulante, incurrenti repente fero apro per metum objectus est, etc. ¶ 2. Speciatim in re militari est incursionem facere, *fare un' irruzione o scorreria*. *Liv.* 26. 25. Incurrere ea gens Macedoniam solita erat. *Plerique leg.* in Macedoniam. *Flor.* 3. 4. 1. Nec in proximas modo provincias contenti (*Thraces*) incurrere, Thessaliam atque Dalmatiam. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 10. Ut decursionibus per equites, quos habet multos, vastet ea loca, in quæ incurrerit. *Liv.* 29. 5. Dixit, extemplo infestos utrimque exercitus in agrum suum incursuros.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. 1. et præcipue 2., est invehi, insectari, inveire. *Trebonius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 16. *ad fin.* In quos tanta libertate verborum incurreret. Cf. *Quintil.* 11. 1. 86. Ne in totos ordines, aut gentes, aut populos petulantia incurreret. ¶ 2. Est protendi, dilatari, *stendersi*. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 31. 82. Ut privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, coemeret. — Sic de fluviis. *Curt.* 6. 4. 5. Inde torrens et saxorum, per quæ incurrit, asperitate violentior, terram præceps subit. *Id.* 9. 9. 9. Quod (*flumen*) primo coercitum, deinde vehementius pulsum, majore impetu adversum agebatur, quam torrentis præcipiti alveo incurrunt. ¶ 3. Sæpius et latissimo sensu est incidere, occurrere, accidere, cadere, *incorrere*. Sic — a) Pro objici, occurrere. *Cic.* 12. *Att.* 21. *a med.* In oculos incurrentibus iis, quos æquo animo videre non possum. *Senec.* 1. *Benef.* 5. Id quod oculis incurrit, solum notant. *Cic.* 2. *Fam.* 16. Incurrit hæc nostra laurus non solum in oculos, sed etiam in voculas malevolorum. Sic *Quintil.* 7. 1. 41. et 10. 3. 16. Quæ in oculos incurrunt. *Id.* 9. 1. 11. In animum ejus oratio, ut sol in oculos, incurrat. — b) Item pro incidere, *incorrere*, *cadere*. *Cic.* 3. *Off.* 13. 55. Per errorem in maximam fraudem incurrere. *Id.* 1. *Fin.* 14. 47. Incurrere in morbos, in damna, in dedecora. *Curt.* 4. 13. 14. in perniciem. Rursus *Cic.* 1. *Off.* 42. 150. Quæstus, qui in odia hominum incurrunt. *Id.* 4. *Fam.* 2. *ad fin.* Nihil constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. *Id.* 1. *Fin.* 1. 1. Ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. *Id.* 9. *Fam.* 2. Quis est tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat? *non urti*, *non inciampi?* — Et cum Accusat. sine præpos. *Ulp. Dig.* 24. 1. 13. Nihil vitii mulier incurrit. *Paul.* 1. *Sentent. tit.* 15. Incurrere periculum plus petendi, et causam perdere. *Lamprid. Alex. Sev.* 12. In milites gravissime animadvertit, qui forte incurrerunt aliquid, quod videretur injustum. *h. e.* commiserunt. — c) Item libidinose aliquem vel aliquam aggredi. *Juvenal.* 6. 331. Si nihil est, servis incurritur. *Apul.* 10. *Met.* Ne qua casu nescius nesciam sororem incurreret. *Probus* ad *Virg.* 1. *G.* 20. Quum Cratis pastor juxta flumen aliquod pasceret capellas, et unam earum incurrere soleret, etc. *V.* INCURSO I. 2. — d) Item de temporum eventibus et de ipso tempore, et est obtingere, accidere, incidere, *accadere*, *cadere*, *venire*. *Cic.* 5. *Tusc.* 10. 29. Casus, qui in sapientem potest incurrere. *Id.* 15. *Fam.* 11. *extr.* Si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos etesias. *Id.* 7. *Att.* 7. Tua λῆψις in quem diem incurrat, nescio. *Cels.* 3. 25. Febris in tempus exercitationis incurrit. *Sueton. Tib.* 26. Natalem suum, plebejis incurrentem Circensibus (*h. e.* in Circenses), vix unius bigæ adjectione honorari passus est. *Cic. Topic.* 21. 79. Illud intelligendum, nec ullam esse disputationem, in quam non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnem quæstionem. *Id.* 2. *Orat.* 32. 139. Nam etsi incurrunt tempora et personæ, intelligendum est, non ex iis, sed ex genere quæstionis pendere causas. *Papinian. Dig.* 39. 6. 41. Quærebatur, an mulier etc.; incurrebat hæsitatio etc. *nasceva un dubbio*, emergebat, interveniebat. — Passive. *Pallad.* 3. *R. R.* 20. 1. Incurritur grande dispendium. *ha luogo*, *avviene.* — e) Item venire, incidere dicendo. *Cic. Sext.* 6. 14. Neque quemquam offendet oratio mea, nisi qui se ita obtulerit, ut in eum non invasisse, sed incurrisse videamur. *Id. Brut.* 69. 244. Ordinem sequens, in memoriam notam et æqualem necessario incurro. *Quintil.* 1. 5. 54. Neque enim artem grammaticam componere aggressi sumus: sed quum in ordinem incurreret, inhonoratam transire noluimus. *essendo venuta a proposito*, *vel a suo luogo.* — f) Raro admodum incurrere est injici, percutere, *colpire*. *Sil. It.* 12. 453. Adsessos Capuæ muros, claustra ipsa revelli Portarum, ac totum miseris incurrere bellum. — Passive. *Sidon.* 8. *Ep.* 9. Si quid asperum aut triste (*acciderit*), non statim se – poetica teneritudo a vinculo incursi angoris alsaquent. *h. e.* injecti, *che l'è venuta addosso*, *che l'ha colpita*.

INCURSĀTĬO, ōnis, f. 3. (incurso) incursio, ut Larvarum incursatione animo vexari apud *Non.* p. 44. 27. *Merc.*

INCURSĀTUS, a, um. *V.* INCURSO.

INCURSAX, ācis, adject. (incurso) qui incursiones crebro facit. *Sidon.* 8. *Ep.* 12. Incursaces Massagetæ.

INCURSIM, adverb. (incurro) incurrendo, atque adeo celeriter. *Cæcilius* apud *Non.* p. 127. 20. *Merc.* Rem omnem incursim perdere. *Fronto ad Verum Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 6. Omnium opinione compertum et traditum est, sanguinem, ubi abundet, incursim detrahendum, postea pedetemptim esse reparandum.

INCURSĬO, ōnis, f. 3. (incurro) actus incurrendi, cursus, excursio, *il correre addosso*, ἐμβολή. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 40. 114. Quum sine ulla intermissione pulsetur, agiteturque incursione atomorum sempiterna. *Id. Cæcin.* 15. 44. Incursio atque impetus armorum. *assalimento*. *Quintil.* 6. 4. 14. Nonnunquam solet hoc quoque esse artis ge-

nus, ut quædam in actione dissimulata subito in alterando proferantur, et inopinatis eruptionibus et incursioni ex insidiis factæ simillimum. ¶ 2. Speciatim est irruptio militaris, *irruzione, scorreria*. *Liv.* 1. 11. Antemnatium exercitus hostiliter in fines Romanos incursionem facit. *Cæs.* 6. *B. G.* 9. Prohibere hostem ab injuriis et incursionibus. *Auct. B. G.* 8. 11. Subitas hostium incursiones sustinere. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (146). Incursionem molientes Parthos inundatione arcere. Adde *Liv.* 3. 26.; *Cæs.* 5. *B. G.* 21.; *Sueton. Aug.* 1. et 21., *Cæs.* 55. et *Tib.* 9.; et *Flor.* 1. 13. 1., 3. 10. 10. et alibi.

INCURSĪTO, as, are, n. 1. frequentat. seu potius intensiv. ab *incurso*. Part. *Incursitans*. — Incursitare est totis viribus incursare. *Seneca Vit. beat.* 27. Si exercere istam licentiam placet, alter in alterum incursitate. *Id. Ep.* 110. Tota vita incursitamus. *Id.* 2. *Ira* 35. Incursitans, vastans, fugans. *Id.* 3. *ibid.* 6. Per frequentia urbis loca properanti in multos incursitandum est.

INCURSO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (*frequentat. seu potius intensiv. ab* incurro). Part. *Incursans* II. 1. et 2.; *Incursatus* I. 1.; *Incursaturus* II. 2. — Incursare est currere adversus aliquem, *incorrere*, invadere, aggredi, ἐπιτρέχω (It. *correre addosso o contra, assaltare*; Fr. *courir sur, se jeter sur, fondre sur, attaquer*; Hisp. *correr sobre, cargar á, arrojarse á, atacar*; Germ. *gegen etwas, Jemanden anlaufen, angreifen*; Angl. *to run upon or against, to attack*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim — *a*) Cum Accusativo et præpos. in. *Plaut. Bacch.* 5. 2. 29. Arietes truces nos erimus: jam in vos incursabimus. *Liv.* 36. 14. *a med.* Juventus omnis armata in agmen Romanum incursavit. *Id.* 8. 38. Incursare in hostem. *Id.* 3. 70. in aciem. *Id.* 22. 28. in latera. — *b*) Cum Accusativo sine præpos., quæ inest in ipso verbo. *Plaut. Rud.* 3. 4. 16. Ego te follem pugilatorium faciam, et pendentem incursabo pugnis. *Id. Aulul.* 2. 2. 57. Asini me mordicus scindant, boves incursent cornibus. *Id. Asin.* 1. 1. 22. Ubi vivos homines mortui incursant boves. *h. e.* lora bubula incidunt et pulsant. *Apul.* 9. *Met.* Nec saxeas tantum sudes incursando contribam ungulas: verum etc. *Liv.* 5. 31. Volsinienses superbia elati, ultro agros Romanos incursavere. *fecero un'irruzione o scorreria*. Sic *Tac.* 11. *Ann.* 18. Per idem tempus Chauci inferiorem Germaniam incursavere duce Gannasco. *Id.* 13. *ibid.* 37. Moschi, gens ante alias socia Romanis, avia Armeniæ incursavit. *Id.* 4. *Hist.* 56. Claudius Labeo furtim magis quam bello Canninefates Marsacosque incursabat. Adde *Ammian.* 14. 3. Rursus *Tac.* 3. *Hist.* 18. Nutantem aciem victor equitatus incursat. Cf. *eumd. Agric.* 36. Vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant. — Hinc passive. *Liv.* 24. 41. Agmen Romanum impune incursatum ab equitibus hostium fuerat. *Tac.* 15. *Ann.* 1. Eo contemptionis descensum, ut ne duce quidem Romano incursarentur. — *c*) Cum Dativo. *Ovid.* 1. *Met.* 302. silvasque tenent delphines, et altis Incursant ramis. *Id.* 14. *ibid.* 190. Prætentatque manu silvas, et luminis orbus Rupibus incursat. *h. e.* incidit, impingit, *inciampa, urta*. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 205. ¶ 2. Speciatim *incursare mulierem* est libidinose comprimere, vel aggredi. *Tertull. Pudic.* 4. Nec interest nuptam alienam, an viduam quis incurset, dum non suam feminam. *V.* INCURRO II. 3. *c.*

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro occurrere, objici. *Quintil.* 10. 3. 28. Nihil eorum, quæ oculis vel auribus incursant, ad animum perveniet. *h. e.* occurrunt, objiciuntur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 54. (147). Oculi lubrici propter incursantia. *h. e.* incidentia. *Id.* 28. *Hist. nat.* 8. 28. (111). Lana ovis nigræ, cui nullus alius color incursaverit. *h. e.* intercurrerit. Sic *Id.* 29. *ibid.* 4. 27. (84). Reliqua parte corporis nigra, albis incursantibus respersum guttis. *Sillig.* verba *incursantibus respersum* omittit. ¶ 2. Pro accidere, aggredi, percutere, *assalire, colpire*. *Cic.* 4. *Herenn.* 39. 51. In omnes amicos atque inimicos, notos atque ignotos incursans. *Id.* 12. *Att.* 41. Quod nisi fieri videro, (audebo hoc dicere, et tu, ut soles, accipies) incursabit in te dolor meus. *Cels.* 3. 22. Febris incursat. — Cum Accusat. sine præpos. *Sever. Ætn.* 351. Aura incursat corpora. — Passive. *Arnob.* 1. 3. Pestilentiâ et bellis negotia incursantur humana. — Apud *Tac. Agric.* 1. *extr.* At nunc narraturo mihi vitam defuncti hominis venia opus fuit; quam non petissem, incursaturus tam sæva et infesta virtutibus tempora. *Dronke* ita legit: at *Halm.* et vulgati libri *incusaturus*.

INCURSŌRIUS, a, um, adject. (incurro) qui incurrit. *Incursorius terminus* legitur apud *Auct. cas. litter.* in *Grom. vet.* p. 330.

INCURSUS, a, um. *V.* INCURRO.

INCURSUS, us, m. 4. (incurro) incursio, aggressio, invasio, impetus in aliquem, *impressione, assalto, irruzione*, ἐμβολή, εἰσβολή.

I.) Proprie. *Cic. Cæcin.* 8. 22. Impetum armati ceterorumque tela atque incursus effugit. *Cæs.* 1. *B. C.* 71. Vix equitum incursus sustinere. *Id. ibid.* 72. Incursus atque impetus militum. *Liv.* 2. 25. Primo statim incursu pulsi hostes. *Ovid.* 4. *Pont.* 14. 27. Frigus, et incursus omni de parte timendos, Et quod pulsetur murus ab hoste, queror. Adde *Sueton. Vesp.* 8.; *Tac.* 2. *Ann.* 45. et 4. *ibid.* 24.; et *Ammian.* 22. 8. Similiter *Virg.* 3. *G.* 406. numquam custodibus illis Nocturnum stabulis furem incursusque luporum Horrebis.

II.) Translate. *Incursus fluminis* apud *Plin.* 10. *Ep.* 73. est cursus atque impetus, quo aliquem locum impetit et evertit, abraditve. Simile est illud *Lucani* 7. 700. Respice turbatos incursu sanguinis amnes. Sic *Ovid.* 11. *Met.* 495. Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes, Undarum incursu gravis unda, tonitribus æther. *Id. ibid.* 729. moles, quæ primas æquoris iras Frangit, et incursus quæ prædelassat aquarum. *Colum.* 4. *R. R.* 17. 8. Nam ubi magna vis et incursus est pluviarum procellarumque, ubi frequentibus aquis vitis labefactatur etc. *Quintil. Declam.* 9. 4. Sævos tempestatis incursus perferre. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 22. Nec (*ea rustici*) arescere ventis sinunt, aut solis incursu patiuntur exuri. *Quintil. Declam.* 8. 9. Morborum incursibus mederi. *Ovid.* 9. *Met.* 152. Incursus animus varios habet. *h. e.* modo hæc, modo illa versat. Ita legit *Heinsius*: alii *In cursus animus varios abit*.

INCURVĀBĬLIS, e, adject. (incurvo) qui curvari non potest. *Cassiod.* 10. *Variar.* 30. Pedes eorum (*elephantum*) nullis articulis inflectuntur, sed in modum columnarum rigentes atque incurvabiles jugiter perseverant.

INCURVĀTĬO, ōnis, f. 3. (incurvo) actus incurvandi, *curvamento*, κύρτωσις. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (207). Flagello infra relicto et nasci coacto incurvatione materiæ. Adde *Hygin.* 3. *Astron.* 15.

INCURVĀTUS, a, um. *V.* INCURVO.

INCURVESCO vel isco, is, ere, n. inchoat. 3. (incurvus) incurvus fio, *divenir curvo, torto*, κυρτόομαι. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Orat.* 38. 154. Ramos baccarum ubertate incurvescere. Cf. *eumd.* et apud *Cic.* 1. *Tusc.* 28. 69. *Al. leg.* incurviscere, ut *Non.* p. 122. 17. *Merc.*

INCURVĪCERVĪCUS, a, um, adject. (incurvus et cervix) qui incurvat cervicem. *Pacuvius* apud *Quintil.* 1. 5. 67. Nerei repandirostrum, incurvicervicum pecus. *Quintil. ibid.* mox. Quum κυρταύχενα mirati sumus, incurvicervicum vix a risu defendimus. Cf. *Pacuvium* apud *Varron.* 5. *L. L.* 7. *Müll.*

INCURVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* curvus). Part. *Incurvans* et *Incurvatus* I. — Incurvare est incurvum facere, κυρτόω (It. *incurvare, torcere*; Fr. *courber, plier*; Hisp. *corvar, torcer, combar, plegar*; Germ. *biegen, krümmen*; Angl. *to bend, bow, curve, make crooked, crook, incurvate*).

I.) Proprie. *Virg.* 5. *Æn.* 500. Tum validis flexos incurvant viribus arcus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 42. 81. (222). Robur et olea incurvantur ceduntque ponderi. *Cic.* 2. *Fin.* 11. 33. Ut bacillum aliud est inflexum et incurvatum de industria, aliud ita natum. *Catull.* 64. 183. lentos incurvans gurgite remos. *Pallad.* 1. *R. R.* 28. 2. Pavo circa se amictum caudæ gemmantis incurvat. *Ovid.* 6. *Met.* 246. incurvata dolore Membra. *V.* DUPLICATUS. Sic *Grat. Cyneg.* 478. Incurvata podagra. *h. e.* quæ curvos et contractis nervis reddit, ut ait *Seren. Sammon.* 779. — Obsceno sensu usurpat *Martial.* 11. 43. Incurvabat Hylam posito Tirynthius arcu. *V.* INCLINO.

II.) Translate. *Seneca* 3. *Ira* 5. *extr.* Non est magnus animus, quem incurvat injuria. *h. e.* affligit, deprimit. Sic *Id. Ep.* 82. *ante med.* Est magnus animus, quem non incurvat paupertas. *Pers.* 1. 90. verum, nec nocte paratum Plorabit, qui me volet incurvasse querela. *h. e.* flectere animum meum ad misericordiam.

INCURVUS, a, um, adject. (in *et* curvus) idem quod curvus, aut valde curvus, *curvo, torto*, κυρτός. — *a*) De hominibus. *Ter. Eun.* 2. 3. 44. Incurvus, tremulus, labiis demissis. *Quintil.* 11. 3. 160. Stare incurvum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 52. 114. (274). Longæ vitæ esse incurvos humeris. — *b*) De rebus. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 30. Lituus, id est incurvum et leviter a summo inflexum bacillum. *Id.* 4. *Verr.* 35. 87. Stesichori poetæ statua senilis, incurva. *Virg.* 1. *G.* 494. Agricola incurvo terram molitus aratro. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 12. Incurva falx. *Id.* 4. *Trist.* 6. 2. Incurvum jugum. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 12. 41. (70). Herba incurvo folio. *Ovid.* 14. *Met.* 534. Incurva carina. *Lucret.* 2. 376. Incurvum litus. Sic *Ovid.* 15. *Met.* 690. incurvo munitus aggere portus. *Stat.* 5. *Silv.* 2. 26. Incurva meta. *Tac.* 4. *Ann.* 57. Illi (*erat*) prægracilis et incurva proceritas, nudus capillo vertex, etc.

INCUS, ūdis, f. 3. (incudo) instrumentum e solido ferro, super quod fabri ferri massas cudunt et formant, ἄκμων (It. *ancudine, incudine*; Fr. *enclume*; Hisp. *ayunque, yunque*; Germ. *d. Ambos*; Angl. *a smith's anvil*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 54. Formæ, quas vos effici posse sine follibus et incudibus non putatis. *Virg.* 2. *G.* 540. Impositos duris crepitare incudibus enses. *Id.* 7. *Æn.* 629. Quinque adeo magnæ, positis incudibus, urbes Tela novant. *h. e.* officinis ferrariis institutis. *Id.* 8. *ibid.* 419. Antra Ætnæa tonant, validique incudibus ictus Auditi referunt gemitum. *Horat.* 1. *Od.* 35. 38. o utinam nova incude diffingas retusum in Massagetas Arabasque ferrum. *Lucan.* 7. 146. Martius incaluit Siculis incudibus ensis. *Ovid.* 2. *Amor.* 17. 19. incude relicta. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (195). Cinyra Agriopæ filius invenit forcipem, martulum, vectem, incudem. Adde *Juvenal.* 3. 309., 10. 132., 14. 118. et 15. 165.

II.) Translate. *Plaut. Pseud.* 2. 2. 20. Hic mihi incus est: procudam ego hodie hinc multos dolos. *Tac. Dial. de orat.* 20. Juvenes et in ipsa studiorum incude positi. *h. e.* dum adhuc formantur in scholis. Sic *Sidon.* 4. *Ep.* 1. Philosophica incude formatus. *Horat. Art. P.* 441. incudi reddere versus. *rifare*. Cf. *Sidon.* 8. *Ep.* 4. Versus a meditationis incude calidi. — *Incudem eamdem tundere* proverbio dicitur idem opus assidue urgere, in eodem labore perseverare. *Cic.* 2. *Orat.* 39. 162. Si quem plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis, uno opere eamdem incudem diem noctemque tundentibus. Sic *Ammian.* 28. 4. *med.* Parte aliâ uxor, ut proverbium loquitur vetus, eamdem incudem diu noctuque tundendo, maritum testari compellit. Adde *eumd.* 18. 4. *med.*

INCŪSĀBĬLIS, e, adject. (incuso) accusabilis. Occurrit tantum Comp. *Incusabilior* apud *Tertull.* 1. *ad Nation.* 12. Hoc quidem vos incusabiliores etc.

INCŪSĀTĬO, ōnis, f. 3. (incuso) reprehensio, querela, actus incusandi, *riprensione, accusa*, αἰτίασις. *Cic.* 3. *Orat.* 27. 106. Quorum partim habent vitiorum et peccatorum acrem quamdam cum amplificatione incusationem, aut querelam.

INCŪSĀTĪVUS, a, um, adject. (incuso), ut *Incusativus casus* et absolute *Incusativus* idem est atque accusativus apud *Diomed.* 1. p. 296. *Putsch.*

INCŪSĀTOR, ōris, m. 3. (incuso) accusator, *accusatore*. *Imp. Anastas. Cod.* 12. 36. 18. § 8.

INCŪSĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INCŪSO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* causa). Part. *Incusans*, *Incusatus* et *Incusandus* infra; *Incusaturus* vero in v. INCURSO sub II. 2. in fin. — Incusare est accusare, arguere, quasi causam, seu culpam in *alium* transferre, reprehendere cum querela. In re forensi usurpari non solet: in quo ab *accuso* differt. Neque enim verum est alterum illud discrimen, quod tradit *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 414. *incusare* esse, superiorem arguere; *accusare*, parem, vel inferiorem: quod et *Valla* l. 6. *elegantiar.* c. 13. monuit. Gr. αἰτιάομαι, μέμφομαι (It. *accusare, riprendere, dar la colpa, lamentarsi*; Fr. *accuser, blâmer, se plaindre de*; Hisp. *acusar, reprehender, quejarse*; Germ. *anklagen, vorwerfen, anschuldigen, tadeln*; Angl. *to accuse, blame, find fault*

with, lay to the charge of, complain of). Occurrit — a) Cum Accusativo personæ et Genitivo criminis. *Plaut. Truc.* 1. 2. 58. Qui alterum incusat probri, eum ipsum se intueri oportet. *Tac.* 2. *Ann.* 78. Incusare aliquem luxus et superbiæ. *Spartian. Sever.* 8. Incusati proscriptionis. *Ammian.* 25. 4. *init.* Quam labem in ipso juventutis robore ita caute vitavit, ut ne suspicione quidem tenus libidinis ullius vel citerioris vitæ ministris incusaretur. — b) Cum Accus. personæ et sequente *quod* vel relativo. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Convocato concilio, vehementer eos incusat, quod etc. *Ter. Phorm.* 3. 1. 7. Nos jamdudum hic te absentem incusamus, qui abieris. *Virg.* 11. *Æn.* 471. Multaque se incusat, qui non acceperit ultro Dardanium Æneam. — c) Cum Infinito. *Ammian.* 14. 11. *ad fin.* Quum ex magisterio peditum altius niti quorumdam susurris incusaretur. — d) Cum Accus. personæ tantum. *Virg.* 2. *Æn.* 745. Quem non incusavi amens hominumque deorumque? *Quintil.* 6. *procem.* 4. Incusare deos. Sic *Curt.* 7. 7. Deos quoque incusans querebatur, se jacere segnem etc. *Val. Flacc.* 8. 158. Sed quid ego quemquam immeritis incuso querelis? — e) Cum Accus. rei et Dativo personæ, vel Accus. personæ et præpos. *in.* *Plin.* 7. *Hist. nat.* 45. 46. (149). Augusto incusatæ liberorum mortes. *h. e.* adscriptæ, quasi is in causa fuerit, cur mortui sint. *Tac.* 5. *Ann.* 3. In nurum ne id quidem confingere ausus, arrogantiam oris et contumacem animum incusavit. *hic* tamen per zeugma dictum videtur. — f) Cum Accus. rei tantum. *Liv.* 8. 23. Incusare incurias Romanorum. *Ovid. Remed. am.* 479. factum alicujus. *Quintil.* 5. 2. 3. Actionum incusanda negligentia. *Id.* 11. 1. 81. Incusare alienam culpam. *Id.* 6. 3. 52. exiguitatem congiariorum. *Id.* 6. 3. 74. sordes alicujus. *Id.* 5. 13. 39. Non oratio modo, sed vita etiam incusari solet. *Colum.* 3. *R. R.* 17. 3. Sterilitas racemimis jure incusata. *Tac.* 1. *Ann.* 35. Incusare angustias stipendii, duritiam operum. *lamentarsi.* *Id.* 6. *ibid.* 23. casum. *Id.* 2. *Hist.* 94. Intemperiem cæli. *Sil. It.* 9. 15. contrario Paulo Auspicia incusante. — g) Absolute. *Quintil.* 5. 8. 2. Iisdem laudamus, incusamus.

INCUSSĬO, ōnis, f. 3. (incutio) impressio, *impressione*. *Jornand. Get.* 40. Quum nihil ageret (*Attila*) vel prostratus abjectum, sed strepens armis, tubis canebat incussionemque minitabatur.

INCUSSOR, ōris, m. 3. (incutio) qui incutit et percutit. *Paulin. Petroc. Vit. S. Martin.* 5. 285. Incussor laceri quatiebat corporis artus.

INCUSSUS, a, um. *V.* INCUTIO.

INCUSSUS, us, m. 4. (incutio) actus incutiendi, *l'urto, l'urtare.* In sexto casu sing. *Tac.* 4. *Hist.* 23. Armorum incussu præcipitati. *Seneca Const. Sap.* 6. Munimenta incussu arietis labefieri. Adde *Prudent.* 5. *Cathemer.* 7.

INCUSTŌDĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et custoditus) occurrit ¶ 1. Passive, et est non custoditus, non servatus, *non guardato, non custodito,* ἀφύλακτος. *Ovid.* 1. *Trist.* 6. 10. Incustoditum captat ovile lupus. *Martial.* 1. 35. Incustodita et aperta limina. *Sil. It.* 13. 245. Incustoditam sine milite liquerat urbem. *Id.* 5. 40. Incustoditum litus. *Pallad.* 12. *R. R.* 4. 2. regio. *Tac.* 4. *Hist.* 65. transitus. *Apul.* 6. *Met.* pastus. *Ovid.* 2. *Met.* 686. boves. *Sil. It.* 15. 333. Incustodita penetravit mœnia nocte. *h. e.* qua vigiliæ habitæ non sunt. *Tac.* 15. *Ann.* 50. Quum per noctem huc illuc cursaret incustoditus. *senz' accompagnamento di guardie.* *Id. ibid.* 55. Tabulas testamenti sæpius a se, et incustodita dierum observatione, signatas. *senz' osservazione di giorni.* *Id.* 12. *ibid.* 4. Incustoditus amor. *non celato.* *Id.* 2. *ibid.* 12. *extr.* Quum secreti et incustoditi, inter militares cibos, spem aut metum proferrent. *non osservati.* ¶ 2. Active est imprudens, qui sibi non cavet. *Plin.* 6. *Ep.* 29. *sub fin.* Julius Bassus, ut incustoditus nimis et incautus, ita minime malus. *che non istà sulla guardia.*

INCŪSUS, a, um, particip. ab inusit. *incudo,* ἐμπαίω, idem est ac cudendo impressus.

I.) Proprie. *Virg.* 1. *G.* 275. lapidemque revertens incusum, aut atræ massam picis urbe reportat. *h. e.* molam cudendo asperatam. *Al. leg.* incisum. *Pers.* 2. 52. Si tibi crateras argenti, incusaque pingui Auro dona feram. *h. e.* cælata, aspera signis. Alii male interpretantur non cusa, non elaborata, sed ex rudi massa auri.

II.) Translate est percisus. *Auson. Epigr.* 131. 4. Et teris incusas pumice Clazomenas. *V.* CLAZOMENÆ in ONOM.

INCŬTĬO, cŭtis, cussi, cussum, cŭtere, a. 3. (in et quatio). Part. *Incutiens* I. 1. et II. 1.; *Incussus* I. 2. et II. 1.; *Incutiendus* I. 4. — Incutere est infligere, illidere, impingere, injicere, immittere, ἐμβάλλω (It. *battere, batter dentro, urtare*; Fr. *heurter contre, appliquer en frappant*; Hisp. *achocar contra, aplicar ó allegar golpeando*; Germ. *hineinschlagen, - stossen*; Angl. *to strike or dash upon, throw or cast into*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est infligere, illidere, impingere. — a) Cum Accusativo et præpos. *in.* *Liv.* 5. 41. *sub fin.* Incutere scipionem in caput alicujus. — b) Sæpius cum Dativo. *Quintil.* 2. 12. 10. Terræ pedem incutere. *battere col piede in terra.* *Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (181). Incutere pollicem limini cubiculi. *urtare col pollice nel limitare.* *Juvenal.* 3. 246. tignum capiti. *Sil. It.* 2. 256. umbonem fesso. *Id.* 12. 514. arietem muris. *Curt.* 5. 3. 18. Saxa incussa subjacentibus petris. *Sil. It.* 14. 327. Incutere chalybem puppi. *Curt.* 9. 9. 17. Incutiebantur puppibus proræ. *le prore urtarono le poppe.* — c) Absolute. *Lucan.* 3. 490. aries incussus densi compagem solvere muri Tentat. *spinto.* *Tac.* 4. *Hist.* 30. Turrim promoti contra validi asseres et incussæ trabes perfregere. *Val. Flacc.* 2. 339. et incussæ sonitum mirabere massæ. *Seren. Sammon.* 47. 872. scorpius incussit vulnus atrox. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 38. 72. (182). Cortex in moro lapide incussus manat; altius fractus, siccus videtur. *ammaccato.* *Id.* 9. *ibid.* 30. 48. (92). *de polypo.* Afflatu terribili canes agebat, nunc extremis crinibus flagellatos, nunc robustioribus brachiis clavarum modo incussos. *percossi, ammaccati.* — Hinc *incussi articuli* et absolute *incussa* (subintellige *membra*) sunt quæ alicubi incutiendo et impingendo quis læsit. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 9. 23. (78). Incussos articulos aranei telæ commodissime curant. *ammaccati.* *Id.* 29. *ibid.* 2. 9. (33). Succidam lanam imponunt percussis, lividis, incussis, collisis, contritis, dejectis. *Id.* 22. *ibid.* 14. 16. (37). Medetur contusis incussisque. ¶ 2. Latiori sensu est injicere, immittere, mittere, jacere, *scagliare dentro, scagliare.* *Tac.* 13. *Ann.* 39. Tormentis faces et hastas incutere. *Id.* 3. *Hist.* 31. Tela saxaque incutere. *Curt.* 8. 4. Repente imber grandinem incutiens, torrentis modo effunditur. Sic *Seneca Ep.* 45. *ad fin.* Grando incussa tectis crepitat. *Juvenal.* 9. 5. colaphum incutimus lambenti crustula servo. *Seneca Herc. Fur.* 88. Viperea sævæ verbera incutiant manus. *Curt.* 6. 11. Flagellorum ictus nudis ossibus incussos ferre non poterat. *Sil. It.* 12. 623. Regnator superum sublata fulmina dextra Libravit, clipeoque ducis non cedere certi Incussit. — Poetice *Id.* 2. 543. Sic voce instimulans, dextra dea (*Juno*) concita sævam Eumenida incussit muris. *h. e.* immisit urbi. Cf. *eumd.* 12. *ibid.* 423. Inde ubi permisit flammis atque ensibus urbem (*Acerras*), Nuceriæ, nihilo levior nec parcior ira, Incussit sese, atque æquavit mœnia terræ. *h. e.* omnem iram ac vim Nuceriæ immisit. ¶ 3. Pro simplici quatere, pulsare. *Avien. Perieg.* 827. Incute doctam, Phœbe, chelyn; totis Helicon adspires ab antris. ¶ 4. Item pro cudere. *Sext. Aurel. Vict. Orig. gent. R.* 3. Istum etiam usum signandi æris ac monetæ in formam incutiendæ (*Janus*) ostendisse traditur. *Nisi mendum sit pro cudendæ, addita in ex præcedentibus.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est injicere, immittere, objicere, infundere: et dicitur fere de iis, quæ animum subito quatiunt, turbant, immutant. *Ennius* apud *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 69. dictis Romanis incutit iram. *Lucret.* 1. 19. et 923. Incutere amorem per pectus et in pectus. *Id.* 6. 592. alicui tremorem. *Id. ibid.* 772. morbos. *Cic.* 1. *Att.* 16. *circa med.* Incutere alicui dolorem. *Al. leg.* inurere. *Id. Tim.* 10.; et *Curt.* 8. 7. 5. terrorem. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 4. Incutit multis magnum metum. Sic *Liv.* 2. 16.; *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 14.; *Curt.* 3. 8. 25.; et *Justin.* 9. 7. 11. Incutere alicui metum. *Liv.* 27. 42.; et *Flor.* 3. 10. 14. pavorem. *Curt.* 4. 10. 2. formidinem. *Pers.* 5. 187. alicui deos. *h. e.* objicere et injicere deorum timorem. *Liv.* 22. 42. *a med.* religionem animo. *Curt.* 7. 7. 21. superstitionem. *Liv.* 2. 8. alicui fœdum nuncium. *recare all'improvviso trista novella.* *Horat.* 1. *Ep.* 18. 77. pudorem. *Curt.* 3. 6. ingentem sollicitudinem. *Justin.* 3. 5. 14. curam. *Vellej.* 2. 126. 2. Recte faciendi omnibus aut incussa voluntas, aut imposita necessitas. *h. e.* injecta: *fatto venir voglia.* *Justin.* 38. 7. 8. Adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas proconsulum. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 22. fornix et uncta popina Incutiunt urbis desiderium. *fanno venir voglia.* *Id.* 2. *Sat.* 1. 80. ne forte negoti Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum. *h. e.* aliquod negotium facessat. *Virg.* 1. *Æn.* 73. Incute vim ventis. *Ovid.* 1. *Trist.* 11. 42. se rigidas incutiente minas. — Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 51. 209. Timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus. ¶ 2. Speciatim pro concutere, percellere. *Val. Flacc.* 5. 551. Crebrior incussit mentem pavor.

INDĀGĀBĪLIS, e, adject. (indago, as) reus, in quem quæstio de crimine aliquo haberi potest, ὑπεύθυνος. *Varro* 5. *L. L.* 28. *Müll.* Qui aliter fecit, indagabili ex ambitu causam dicit. *Al. leg.* indagabilis: *alii eam vocem omittunt; quam tamen Müllerus tuetur.* Certa est lectio apud *Isid.* 3. *Orig.* 23. Quæ (*astronomia*) cursus siderum — indagabili ratione percurret. *h. e.* indagando.

INDĀGANTER, adverb. (indago, as) cum indagatione, *seguendo diligentemente la traccia.* *Colum.* 5. *R. R.* 1. 2. Boni venatoris est indaganter quamplurimas feras rapere. *Schneid.* rectius leg. *indagantem.*

INDĀGĀTĬO, ōnis, f. 3. (indago, as) inquisitio ferarum, *investigazione, ricerca,* θήρευμα: et translate omnis inquisitio, seu perscrutatio. *Cic.* 5. *Tusc.* 24. 69. Inde est indagatio nata initiorum. *Id.* 1. *Off.* 5. 15. Velut ex ea parte, quæ primo descripta est, inest indagatio atque inventio veri. *Gell.* 16. 2. Inopinati rariorisque verbi indagatio. *esame, interpretazione.*

INDĀGĀTOR, ōris, m. 3. (indago, as) venator, *cacciatore,* θηρευτής, qui nempe, ut ait *Virg.* 4. *Æn.* 121., saltus indagine cingit.

I.) Proprie. *Isid.* 10. *Orig. extr.* Quatuor sunt venatorum officia, vestigatores, indagatores, alatores, pressores.

II.) Translate est inquisitor in genere. *Plaut. Trin.* 2. 1. 15. Celati indagator. *V.* INDICATOR. *Colum.* 9. *R. R.* 8. 12. Sed indagatorem (*apium*) conveniet matutino tempore vestigandi eligere. *Id.* 2. *ibid.* 2. 20. Indagator aquarum. *h. e.* aquilex. Adde et *Solin.* 43.

INDĀGĀTRIX, īcis, f. 3. (indago, as) quæ indagat, *investigatrice.* Translate *Cic.* 5. *Tusc.* 2. 5. O vitæ philosophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! *Val. Max.* 9. 4. *init.* Protrahatur etiam Avaritia, latentium indagatrix lucrorum. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 1. Subtilissima rerum indagatrix ratio. *Non. p.* 23. 2. *Merc.* Feminæ ad libidinem virorum indagatrices.

INDĀGĀTUS, a, um. *V.* INDAGO, as.

INDĀGĀTUS, us, m. 4. (indago, as) indagatio. In sexto casu sing. *Apul.* 7. *Met.* Tota factione militarium vexillationum indagatu confecta atque concisa.

INDĀGES, is, f. 3. (indago, as) indagatio. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 2. Quid dignum tanta indage sentirent. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 845. Quæsitura deum variata indage latentem.

INDĀGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (*juxta nonnullos est ab in vel indu et ago vel agito*). Part. *Indagans* I.; *Indagatus* II.; *Indagaturus* I. — Deponentis forma *Varro*, quem *V.* sub I. in fin. — Indagare proprie est verbum venatorum et canum feras investigantium, ἐξιχνιάζω θηρεύομαι (It. *indagare, investigare, cercare*; Fr. *dépister, chercher avec soin, rechercher, poursuivre*; Hisp. *buscar, inquirir ó procurar, allar alguna cosa*; Germ. *aufspüren, er –, nachforschen*; Angl. *to search or trace out as hunthers do, to make diligent inquiry, explore, investigate*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Fin.* 13. 39. Canis natus ad indagandum. *Apul.* 8. *Met.* Die quadam Tlepolemus indagaturus feras. *Colum.* 5. *R. R.* 1. 2. Boni venatoris est indagantem quamplurimas feras capere. *Schneid.* ita recte leg.; alii *indaganter.* — Deponentis forma. *Varro* 5. *L. L.* 93. *Müll.* Vestigator a vestigiis ferarum, quas indagatur.

II.) Translate est diligenter inquirere, exquirere, investigare. *Cic.* 4. *Verr.* 54. 135. Acutissime tota provincia, quid cuique esset necesse, indagare et odorari solebat. *Id. Mil.* 37. 103. Quum illa indi-

cia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, exstinxi. *Id. Orat.* 3. 11. Inusitatas vias indagare, tritas relinquere. *Id.* 2. *Att.* 4. *a med.* Tu quidquid indagaris de republica, et maxime quos consules futuros putes, facito ut sciam. *Id.* 1. *leg. Agr.* 1. 3. Veneat, inquit, silva Scantia. – Utrum tandem hanc silvam in relictis possessionibus, an in censorum pascuis invenisti? Si quid est, quod indagaris, inveneris, ex tenebris erueris, consume sane etc. *Apul. de Mag.* Aliena indagare.

INDĀGO, ginis, f. 3. (indago, as) στοιχισμός.

I.) Proprie — *a*) Stricto sensu venatorum vox est, significans inclusionem ferarum, quæ fit retibus seu plagis, vel etiam serie seu corona hominum itinera obsidentium, item formidine, fossa, aut sæpibus, ita cingendo saltus et nemora, ut ibi latentes feræ qua evadant, non habeant. *Virg.* 4. *Æn.* 121. Dum trepidant alæ saltusque indagine cingunt. *Tibull.* 4. 3. 7. densos indagine colles Claudere. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 375. Sic ligat immensa virides Indagine saltus Venator. — *b*) Hinc, præcipue per similitudinem, de exercitu dicitur hostibus insidiante. *Liv.* 7. 37. Velut indagine dissipatos Samnites agerat. *Flor.* 4. 2. 28. Missæ quoque in auxilium ejus rates, nova arte, actis sub aura funibus, captæ quasi per indaginem. *Id.* 4. 12. 48. Partito exercitu totam amplexus Cantabriam, efferam gentem ritu ferarum quasi indagine debellabat. *Id.* 3. 6. 11. Sic per omnes æquoris portus, sinus, latebras –, quidquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum et oppressum est. *Tac. Agric.* 37. Quodni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo, et sicubi arctiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare jussisset etc. *Ammian.* 29. 6. His velut obicibus barbari ab oppugnanda urbe depulsi – ad Æquitii vertuntur indaginem. *h. e.* Quadi et Sarmatæ Æquitium armorum magistrum, et Gabinii regis circumventorem, investigant. *Stat.* 12. *Theb.* 451. armata indagine aliquid lustrare. *Cf. eumd.* 2. *ibid.* 553. — Hinc etiam indago dici potest sæptum fossa, aggere, turribus longo spatio ductum, arcendis hostium incursibus, *linea, cordone*; qua significatione e *Forcellino* et aliis translate accipitur. *Lucan.* 6. 38. plerumque per ardua Cæsar Ducit opus, pandit fossas, turritaque summis Disponit castella jugis; magnoque recessu Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesqua, Et silvas, vastaque feras indagine claudit. *Auct. B. G.* 8. 18. Campus patens, silvis undique impeditissimus, aut altissimo flumine, velut indagine munitus. Et figurate *Arnob.* 4. 35. Herculeis pestiferi tegminis circumretitus indagine. *h. e.* veste tamquam rete. *Plin. Paneg.* 35. Delatores in æternum repressisti, mille pœnarum indagine inclusos. *Tac.* 13. *Ann.* 42. Testamenta et orbos velut indagine capi.

II.) Translate et universim est inquisitio, investigatio, *ricerca. Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (16). In qua sententia fuisse Aristotelem video, et multis persuasisse doctrinæ indaginibus. Ita vulgati libri: at *Sillig.* leg. *doctrina indignis. Gell.* 7. 16. Has undiquevorsum indagines cupediarum majori detestatione dignas censebimus. *Ammian.* 28. 4. *extr.* Plerique distentioribus sagiolis addicti, præeunt nidoris indagine. *h. e.* prandii inquisitione. *Id.* 28. 6. Indago veritatis. *Id.* 16. 1. rationis. *h. e.* philosophiæ. *Id.* 15. 5. In hoc æstu mentis ancipiti, ad effectum tendens consilium occulta scrutabamur indagine. Et in re judiciali *Id.* 30. 3. Præfectus negotium scrupulosa quæsivit indagine. *Imp. Justinian. Cod.* 4. 31. 14. Si invenerint, eas majorem et ampliorem exposcere indaginem. *esame.*

INDĀGUS, a, um, adject. qui indagat. *Capell.* 1. p. 9. quodque indaga veri Cura facit dubium. *Alii melius leg.* indiga veri, *nam secunda syllaba male corriperetur in indaga. Hinc jure ac merito indiga habet* Koppius.

INDALBO. *V.* INALBO.

INDĔ, adverb. (is et *adverbialis terminatio*) ex eo loco, ἐκεῖθεν (It. *indi, da quel luogo, di là*; Fr. *de là, de ce lieu*; Hisp. *de allá*; Germ. von da, von dort; Angl. *thence, from thence, from that place*). Occurrit *A*) De loco; et *B*) De tempore.

A) De loco; et quidem — *a*) Stricto sensu de spatio. *Plaut. Amph.* 1. 1. 3. Quid faciam nunc, si tresviri me in carcerem compegerint? Inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum. *Ter. Andr.* 2. 2. 31. Etiam puerum inde abiens conveni. *Cic.* 7. *Att.* 21. Eo die mane Calibus: inde has litteras dedi. *Cæs.* 1. *B. G.* 33. Ut in provinciam exirent, atque inde in Italiam contenderent. *Liv.* 40. 49. Convertit inde (h. e. e Celtiberia) agmen retro. *Curt.* 3. 2. 3. Orto sole ad noctem agmina, sicut descripta erant, intravere vallum. Inde occupaverunt emissa Mesopotamiæ campos. *Id.* 3. 1. 3. Fons ejus ex summo montis cacumine excurrens, in subjectam petram – cadit: inde diffusus, circumjectos rigat campos. *Sueton. Cæs.* 35. Ab Alexandria in Syriam, et inde Pontum transiit. *Quintil.* 11. 3. 124. Togam inde removere. — Et cum Adverbiis huic respondentibus. *Cic.* 13. *Att.* 39. Nec inde venit, unde mallem. *Liv.* 8. 22. Palæpolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est. *Cæs.* 3. *B. C.* 45. Si legiones sese recepissent inde, quo temere essent progressæ. *Sueton. Ner.* 27. Quoties Ostiam Tiberi deflueret –, dispositæ per litora et ripas deversoriæ tabernæ parabantur, insignes ganeæ et matronarum institorio copas imitantium atque hinc inde hortantium ut appelleret. Conjuncta hæc duo leguntur apud *Ammian.* 30. 4. *ad fin.* Corrugatis hincinde frontibus. *Sueton. Aug.* 96. Aquila tentorio ejus supersedens, duos corvos hinc et inde infestantes afflixit et ad terram dedit. *Juvenal.* 1. 64. quum jam sextâ cervice feratur Hinc atque inde patens ac nudâ pæne cathedrâ. *Id.* 14. 12. Barbatos licet admoveas mille inde magistros, Hinc totidem cupiet lauto cœnare paratu. *Id. ibid.* 44. Nil dictum fœdum visuque hæc limina tangat, Intra quæ puer est. Procul hinc, procul inde puellæ. *Id.* 8. 95. Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone. *Tac.* 6. *Ann.* 34. Hinc viros, inde prædam ostendere. *V.* alia plura in v. HINC. — *b*) Refertur interdum ad res ipsas. *Plaut. Amph.* 1. 1. 273. Cadus erat vini: inde implevi hirneam. *Juvenal.* 7. 122. Si quater egisti, si contigit aureus unus, Inde cadunt partes, ex fœdere pragmaticorum. *h. e.* si obvenerit commune unus aureus, ex eo detrahuntur portiones pragmaticorum secundum pactum. *Ovid.* 6. *Met.* 644. Vivaque adhuc animæque aliquid retinentia membra Dilaniant: pars inde cavis exsultat ahenis; Pars veribus stridet. Sic *Id.* 1. *ibid.* 625. Centum luminibus cinctum caput Argus habebat. Inde suis vicibus capiebant bina quietem. *Cic. Rosc. Am.* 27. 75. Ex avaritia erumpat audacia, necesse est: inde omnia scelera gignuntur. *Juvenal.* 9. 27. Utile et hoc multis vitæ genus: at mihi nullum Inde operæ pretium. *Liv. præfat.* Inde tibi, quod imitere, capias. *Cic.* 1. *Invent.* 20. 28. Si unde necesse est, inde initium sumetur. *Plin. Paneg.* 54. Incipimus inde, e quo etc. *Id.* 7. *Ep.* 5.; et *Juvenal.* 6. 612. Inde est, quod etc. *quindi è, che* etc. — *c*) Interdum ad personas. *Ter. Adelph.* 1. 1. 21. Uxorem duxit: nati filii duo: inde ego hunc majorem adoptavi mihi. *Plaut. Curc.* 5. 3. 43. MI. Quo sequar ego te? CA. Ad trapezitam meum, ad prætorem: nam inde rem solvo omnibus, quibus debeo. *Curt.* 3. 1. 8. Sexaginta dierum inducias pacti (sunt), ut nisi intra eos auxilium Darius ipsis misisset, dederent urbem. Postquam nihil inde præsidii mittebatur, ad præstitutam diem permisere se regi. *Sueton. Aug.* 8. Cæsare post receptas Hispanias expeditionem in Dacos, et inde in Parthos, destinante. — *d*) Hinc latiori sensu etiam ad rei causam transfertur. *Sueton. Aug.* 80. Coxendice et femore et crure sinistro non perinde valebat, ut sæpe etiam inde claudicaret. *Juvenal.* 3. 235. magnis opibus dormitur in urbe. Inde caput morbi. *Id.* 14. 172. Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto. Inde fere scelerum causæ. *Id.* 1. 168. Inde iræ et lacrimæ. *Tac.* 4. *Hist.* 23. Illis hibernis obsideri premique Germanias Augustus crediderat; neque umquam id malorum, ut oppugnatum ultro legiones nostras venirent. Inde non loco, neque munimentis labor additus. *Quintil.* 2. 4. 9. Inde fiunt humiles statim. *Id.* 3. 2. 2. Curam dicendi inde cœpisse, quod – accuratius loqui instituerint. *Id.* 8. 2. 12. Quæ inde contraxerit, quod non intelliguntur. Adde *eumd.* alibi sæpe. *Plin. Paneg.* 22. Inde alii se satis vixisse prædicabant. — *e*) Locum habet etiam in derivandis vocabulis apud *Quintil.* 1. 4. 13. Et sic a lavando lotus, et inde rursus illotus. Adde *eumd.* 1. 5. 69. et 9. 4. 39.

B) De tempore occurrit et quidem — *a*) Stricto sensu pro ex eo tempore, *indi, da quel tempo. Cic. Arch.* 1. 1. Quoad longissime potest mens mea respicere spatium præteriti temporis; inde usque repetens, hunc video etc. *sin d'allora. Cf. Ter. Heaut.* 1. 1. 1. Quamquam hæc inter nos nuper notitia admodum est: inde adeo quod agrum in proximo hic mercatus es. *h. e.* omnino ex eo tempore, quo etc. *Quintil.* 1. 5. 21. Inde durat ad nos usque. *Sueton. Tib.* 11. Amœnitate et salubritate insulæ jam inde captus, quum ad eam ab Armenia rediens appulisset. *Id. Gramm.* 22. Affirmante Atejo Capitone, et esse illud Latinum, et si non esset, futurum certe jam inde etc. — *b*) Jungitur etiam vocabulis tempora significantibus. *Ter. Heaut.* 1. 2. 9. Jam inde usque a pueritia. *Id. Adelph.* 1. 1. 16. Jam inde ab adolescentia. Sic *Plin. Paneg.* 26. Inde ab infantia. *Cic. Prov. cons.* 13. 33. Jam inde a principio hujus imperii. *sin dal principio. Liv.* 4. 36. Jam inde ab incunabulis. *Id.* 1. 5. Jam inde ab initio. *Virg.* 3. *G.* 74. Præcipuum jam inde a teneris impende laborem. — *c*) Latiori sensu ponitur pro deinde. *Cic. Brut.* 90. 312. Prima causa pro Sex. Roscio dicta: deinceps inde multæ. *e dopo quella susseguentemente molte. Sall. Cat.* 22. Fuere – qui dicerent, Catilinam sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse; inde, quum post exsecrationem omnes degustavissent –, aperuisse consilium suum. *Nepos Phoc. sub fin.* Ne perorandi quidem ei data est facultas. Inde judicio damnatus etc. *Liv.* 1. 3. Agrippa inde, post Agrippam Romulus Silvius regnat. Adde *eumd.* 24. 27., 21. 31., 42. 56. et alibi. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. Eodem impetu altera castra sunt adorti, inde tertia, deinceps reliqua. *Sueton. Tib.* 9. Exhinc Rhæticum bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. *Quintil.* 2. 11. 5. Ad alia deinceps, atque inde alia devertunt. *Id.* 1. *præfat.* 4. Quasi perfectis omni alio genere doctrinæ summam inde eloquentiæ manum imponerent. Adde *eumd.* 9. 4. 51., 7. 1. 24. et 3. 6. 73. — *d*) *Inde loci* est ex eo loco: sed per catachresin ponitur pro ex eo tempore, vel deinde. *Lucret.* 5. 789. inde loci mortalia sæcla creavit. *Ennius* apud *Festum p.* 301. 13. *Müll.* Constitit inde loci propter sos (*h. e.* eos) dia dearum. *Id.* apud *Paul. Diac. p.* 116. 17. *Müll.* Inde loci liquidas sonitus effudit acutos. *Id.* apud *Servium* ad *Virg.* 12. *Æn.* 121. Inde loci liquidas pilatasque ætheris oras Contemplor. *Lucilius* apud *Non. p.* 275. 2. *Merc.* Multis inde loci sermonibus concelebrarunt. *At* Mercerus *leg.* Multis indu locis etc.

INDĔBĬTĒ et

INDĔBĬTŌ, adverb. (indebitus) immerito, injuria, *indebitamente, contro il dovere*, ἀδίκως, ἀναξίως. — *a*) Forma *indebite* occurrit apud *Paul. Dig.* 22. 3. 25. *sub fin.* Si cautio indebite exposita esse dicatur. Adde *Augustin. Serm.* 122.; et *Cassiod.* 1. *Ep.* 19. et 22. — *b*) Forma *indebito* apud *Ulp. Dig.* 12. 6. 25. Tria indebito soluta sunt.

INDĔBĬTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

INDĔBĬTUS, a, um, adject. (in privat. et debitus) qui non debetur, *non dovuto, indebito. Virg.* 6. *Æn.* 66.; et *Ovid. Heroid.* 16. 19. Præmia magna quidem, sed non indebita posco. *Val. Flacc.* 5. 509. Non aliena peto terrisve indebita nostris. *Ammian.* 26. 7. Usurpator indebitæ potestatis. Adde *Cod. Theod.* 4. 12. 1. — Hinc

Indebitum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est res vel pecunia indebita. *Paul. Dig.* 12. *tit.* 6. *qui inscribitur* De condictione indebiti, *leg.* 65. *in fin.* Indebitum est, non tantum quod omnino non debetur, sed et quod alii debetur, si alii solvatur, aut si id, quod alius debebat, alius, quasi ipse debeat, solvit.

INDĔCENS, entis, adject. (in privat. et decens). Comp. *Indecentior* et Sup. *Indecentissimus* sub b. — Indĕcens est non decens, deformis, indecorus, turpis, *brutto, indecente, indecoroso, sconvenevole*, ἀπρεπής. — *a*) De personis. *Petron. Satyr.* 128. Numquid indecens sum? numquid incompta? *Martial.* 5. 14. Oculoque ludos spectat indecens uno. — *b*) De rebus. *Martial.* 2. 11. Indecens nasus. *Id.* 11. 61. morbus. *vergognoso. Sueton. Claud.* 30. risus. *Quintil.* 11. 3. 158. In hac cunctatione sunt quædam non indecentes, ut appellant scænici, moræ, caput mulcere, manum intueri etc. *Vitruv.* 7. 5. *a med.* Ita indecens inter locorum proprietates status signorum, publice civitati vitium existimationis adjecit. *V.* INDECENTIA. *Quintil.* 10. 2. 19. Nihil est tam indecens, quam quum mollia dure fiunt. *Se-*

neca 5. *Controv. præfat. a med.* Nihil indecentius, quam ubi scholasticus forum, quod non novit, imitatur. *Sidon.* 9. *Ep.* 1. indecentissimum est materiæ unius simplex principium, triplices epilogos invenire.

INDĔCENTER, adverb. (indecens). Comp. *Indecentius* et Sup. *Indecentissime.* — Indecenter est non decenter, parum decenter, *indecentemente, sconvenevolmente,* ἀπρεπῶς. *Quintil.* 1. 5. 64. Non indecenter efferri. *Martial.* 12. 22. Quam sit lusca Philænis indecenter etc. *quanto sia bruttamente losca. Petron. fragm. Tragur.* 64. *Burmann.* Catella indecenter pinguis. *Seneca Ep.* 27. Numquam vidi hominem beatum indecentius. *Quintil.* 8. 3. 45. Intersistere indecentissime.

INDĔCENTĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et decentia) decentiæ privatio, *indecenza, sconvenienza. Vitruv.* 7. 5. *a med.* Non magnum indecentiæ vitium. *Vitruvius* loquitur de Alabandeis, quorum in gymnasio omnes statuæ erant causas agentes, in foro autem discos tenentes, aut currentes, seu pila ludentes: quod contra esse oportuerat. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. Siquidem hydropismus et difficultatem et indecentiam et periculum infert ægrotanti.

INDĔCERNO, dēcernis, dēcrēvi, dēcernere, n. 3. (in et decerno) idem ac decernere. *Gargil. de re hort.* (edente *A. A. Scottio*) 3. 1. Julius Atticus ex Novembri in Februarium mensem serere (*castaneam*) indecrevit. *Scottius* hic putat scribendum esse *inde decrevit.*

INDĔCEPTĬBĬLIS, e, adject. qui decipi non potest. *Boeth. Aristot. Topic.* 5. *p.* 698. Non enim est proprium, quod positum est esse proprium, ut, quia de geometra non verificatur indeceptibilem esse ab oratione (nam decipitur geometer quum pseudographism facit), non erit hoc scientis proprium, non decipi ab oratione.

INDĔCET, cebat, cere, imp. 2. (in *privat.* et decet) dedecet, *essere sconveniente, star male,* οὐ πρέπει. *Plin.* 3. *Ep.* 1. Juvenes adhuc confusa quædam et quasi turbata non indecent. *non isconvengono.* Hoc verbum occurrit etiam in *Not. Tir. p.* 111. — *NB.* Pro *decere* nonnulli accipiunt apud *Gell.* 7. 12. Feminis solis vestem longe lateque diffusam indecere existimaverunt. *Alii leg.* indecorem. *Possis etiam conjicere legendum* addecere.

INDĔCĬDŪUS, a, um, adject. (in *privat.* et deciduus), ἀκατάπτωτος. *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 64. Est autem (*cypressus*) arbor procera, caudice oblongo et recto, fronde indecidua, odore vehementi. *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 2. *p.* 706. Alius (*locus est*), si secundum metaphoram dixit: ut scientiam indeciduam, terram autem nutricem, aut temperantiam consonantiam.

INDĔCLĪNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et declinabilis) qui nullam in partem declinat, rigidus, firmus, constans, *inflessibile, fermo, costante,* ἀκαμπτος, ἀκλινής. Occurrit translate tantum; et quidem ¶ 1. Generatim. *Seneca Ep.* 66. Virtus animum rectum et indeclinabilem præstat. *Id. ibid.* 74. *a med.* Exacta prudentia, indeclinabilis justitia. *Gell.* 6. 2. Fatum est sempiterna quædam et indeclinabilis series rerum. *Ammian.* 29. 1. Indeclinabile fatum. *Id.* 19. 8. eventus. — Et de personis. *Ammian.* 25. 4. Indeclinabilis judex. Cf. *eumd.* 18. 1. Indeclinabilis justorum injustorumque distinctor. ¶ 2. Specialim *indeclinabile nomen* dicitur a Grammaticis, quod in casus non flectitur. *Diomed.* 1. *p.* 288. et 289. *Putsch.*; et *Priscian.* 5. *p.* 668. etc.

INDĔCLĪNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et declinatus) indeclinabilis, firmus, constans, *costante, fermo.* Translate, de personis. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 83. qui perstas indeclinatus amico. — De rebus. *Id.* 4. *Trist.* 5. 23. Teque, quod est rarum, persta constanter ad omne Indeclinatæ munus amicitiæ.

INDĔCOR, ōris, *vel* indĕcōris, e, adject. (in *privat.* et decorus). *Servius* ad *Virg.* 7. *Æn.* 231. putat compositum esse a nomine *decor*, et penultimam obliquorum naturaliter produci, sed a poetis corripi per systolen, vel certe carere Nominativo singulari. Etiam *Priscian.* 6. *p.* 699. *Putsch.* ponit Nominativum *indecor.* Sed *Nonius* asserit, apud antiquos fuisse in usu Nominativum *indecoris* et *indecore.* Utcumque sit, *indecor* hodie non est in usu. — Ceterum est idem atque indecorus, *indecoro, di disonore,* ἀσχήμων, ἀπρεπής. — a) De personis. *Virg.* 7. *Æn.* 231. Non erimus regno indecores. *Id.* 12. *ibid.* 24. Sunt aliæ innuptæ Latio et Laurentibus arvis, Nec genus indecores. ἀσχήμονες τὸ γένος, Græca loquendi ratio. *Val. Flacc.* 5. 670. Ibimus indecores frustraque tot æquora vectæ. Cf. *eumd.* 3. 515. *Tac. Agric.* 16. Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecoris atque humilis precario mox præfuit. *Sed Halm. leg.* indecorus. — b) De rebus. *Ammian.* 23. 6. Indecoris barba. *Accius* apud *Non. p.* 489. 2. *Merc.* Cujus sit vita indecoris, mortem fugere turpem haud convenit. *Val. Flacc.* 1. 810. pallibunda exitia indecoresque obitus. *Claudian.* 2. 1. *Cons. Stilich.* 145. non indecores avaris lassant Hypenas.

INDĔCŌRĀBĬLĬTER, adverb. (indecoro) indecore. *Accius* apud *Charis.* 2. *p.* 188. *Putsch.* Indecorabiliter alienos alunt.

INDĔCŌRĒ, adverb. (indecorus). Comp. *Indecorius.* — Indecore est indecenter, turpiter, *indecentemente,* ἀπρεπῶς. *Cic.* 1. *Off.* 4. 14. Ne quid indecore effeminateque faciat. *Tac.* 5. *Hist.* 23. Captæ lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis juvabantur. *Quintil.* 9. 4. 24. Fit contra quoque frequenter non indecore. *Fronto* 1. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *Ep.* 2. *ante med.* Nec mediocriter laborandum est, ne proceræ illæ sententiæ male sint amictæ, neve indecorius cinctæ, neve sint semiandæ.

INDĔCŌRIS. *V.* INDECOR.

INDĔCŌRO, as, are, a. 1. (in *privat.* et decoro). Part. *Indecorans.* — Indecorare est dedecus afferre, *disonorare. Accius* apud *Non. p.* 125. 2. *Merc.* Me spernens, incilans (*al.* incitans) probris, sermone indecorans. *Horat.* 4. *Od.* 4. 36. Indecorant bene nata culpæ. *Al. leg.* dedecorant; *sed prius præstat.*

INDĔCŌRUS, a, um, adject. (in *privat.* et decorus) indecens, turpis, *indecoro, indecente, disonorevole,* ἀπρεπής. *Cic.* 1. *Off.* 27. 94. Quod animo magno fit, id dignum viro et decorum videtur: quod contra, id ut turpe, sic indecorum. *Id.* 3. *Fin.* 4. 14. Nihil malum, nisi quod turpe, inhonestum, indecorum, pravum, flagitiosum, fœdum. *Id. Orat.* 21. 72. Quam indecorum est, de stillicidiis quum dicas, amplissimis verbis et locis uti communibus; de majestate populi Romani submisse et subtiliter! *Plin. Paneg.* 46. Effeminatæ artes et indecora sæculo studia. *Horat.* 2. *Od.* 1. 22. Non indecoro pulvere sordidi (duces). *Quintil.* 1. 10. 35. Indecorus gestus. Adde *eumd.* 11. 1. 60. et alibi sæpe. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 88. (364). Pecora exsultantia et indecora lascivia ludentia. *Id.* 11. *ibid.* 2. 4. (28). Uva indecora visu. *brutta a vedersi. Id.* 13. *ibid.* 12. 24. (79). Charta indecoro visu pertranslucida. *di brutta vista. Tac.* 4. *Ann.* 3. Quæ soror Germanici, formæ initio ætatis indecoræ, mox pulcritudine præcellebat.

INDĔFĀTĪGĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et defatigabilis) qui defatigari non potest, *instancabile,* ἀκάματος. *Seneca* 2. *Ira* 12. Vigiliam indefatigabilem extendit.

INDĔFĀTĪGĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et defatigatus) non defatigatus, *instancabile,* ἀκάματος. *Seneca Consol. ad Marc.* 18. Intrature es urbem indefatigata cælestium officia volventem.

INDĔFECTUS, a, um, adject. (in *privat.* et defectus) indeficiens, perpetuus, *indeficiente. Apul. de deo Socrat.* Vivacitas æterna et indefecta. *Tertull. Pall.* 3. Chamæleon jejunus semper et indefectus. Adde *eumd. Apolog.* 21. Sic *Cassiod.* 1. *Variar.* 45. *a med. de horolog. aquatil.* Prædicabilis indefecta rotatio.

INDĔFENSĒ, adverb. (indefensus) sine defensione et munimine juris, legum, consuetudinis. *Imp. Justinian. Cod.* 4. 18. 2. *extr.* Quos negotiatores indefense constituerint.

INDĔFENSUS, a, um, adject. (in *privat.* et defensus) non defensus, *non difeso.* — a) De rebus. *Liv.* 25. 15. Ut Capuam desertam indefensamque populo Romano tradat. *Sil. It.* 5. 652. Campanis bellum indefensa recepit. — b) De personis. *Liv.* 4. 28. Hic præbituri vos telis hostium estis, indefensi, inulti? *Tac.* 3. *Ann.* 77. Ut te inauditum et indefensum vulgus imperitum primo rumore rapiat. Sic *Id.* 1. *Hist.* 6. Hi duo inauditi atque indefensi tamquam innocentes perierant. Cf. *eumd. Dial. de orat.* 16. Non enim — inauditum et indefensum sæculum nostrum patiar vestra conspiratione damnari. *Id.* 11. *Ann.* 31. Ne indefensa conjux exitio daretur.

INDĔFESSĒ, adverb. (indefessus) constanter sine ulla fatigatione. *Spartian. Æl. Ver.* 5. Cursores suos indefesse atque inhumaniter faciens cursitare. *indefessamente, continuamente,* quasi non fatigarentur. *Auson. Gratiar. act.* 35. Omnia agere indefesse et benigne. *instancabilmente.*

INDĔFESSIM, adverb. (indefessus) indefesse. *Sidon.* 3. *Ep.* 2. *sub fin.* Bonorum amicitias indefessim expetere. Adde *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 7.

INDĔFESSUS, a, um, adject. (in *privat.* et defessus) non fessus, indefatigatus, *indefesso, instancabile,* ἀκάματος. *Virg.* 12. *Æn.* 651. Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem. *Ovid.* 9. *Met.* 198. defessa jubendo est Sæva Jovis conjux: ego sum indefessus agendo. *Tac.* 16. *Ann.* 22. Assiduus et indefessus. *Plin. Paneg.* 14. Hercules post labores duraque imperia indomitus semper indefessusque. Adde *Apul. Florid.*; et *Ammian.* 14. 11.

INDĔFĬCĬENS, entis, adject. (in *privat.* et deficiens) qui non deficit, *indeficiente. Tertull. advers. Jud.* 14. Decor indeficiens. Adde *Augustin.* 2. *Confess.* 8.; *Paulin. Nolan. Ep.* 23. 8.; *Lactant.* 4. 8. *extr.*; et *Vulgat. interpr. Eccli.* 24. 6.

INDĔFĬCĬENTER, adverb. (indeficiens) indesinenter. *Augustin.* 12. *Confess.* 11. *V.* INDESINENTER.

INDĔFĪNĪTĒ, adverb. (indefinitus) non determinando. *Gell.* 2. 24. Promiscue atque indefinite largiri. *Capell.* 4. *p.* 121. Quod igitur indefinite dicimus, necessario particulariter accipimus.

INDĔFĪNĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et definitus) non definitus, et translate nullis rationibus circumscriptus, obscurus, implexus, *indefinito,* ἀόριστος. *Gell.* 16. 4. Indefinitus inexplicabilisque sermo fiet. *Id.* 1. 7. Plautus *occisurum,* Laberius *facturum* indefinito modo dixerunt. *h. e.* absolute, et nulla habita ratione numeri, personæ, generis.

INDĔFLĒBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et deflebilis) qui defleri non potest. *Gloss. Philox.* Indeflebilis, ἄκλαυστος.

INDĔFLĒTUS, a, um, adject. (in *privat.* et defletus) non defletus, cujus mortem nemo lacrimis est prosecutus, *non pianto,* ἄκλαυστος. *Ovid.* 7. *Met.* 611. Indefletæque vagantur Natorum matrumque animæ.

INDĔFLEXUS, a, um, adject. (in *privat.* et deflexus) qui non flectitur, non inclinatur, *non piegato,* ἄκαμπτος. Translate *Apul. de deo Socrat. ab init.* Indeflexo cursu. *diritto. Plin. Paneg.* 4. Ad hoc ætatis indeflexa maturitas *h. e.* nondum deflexa in senii debilitatem. *Ammian.* 27. 9. Indeflexa severitas. *h. e. inflessibile severità. Id.* 17. 5. cupiditas.

INDĔJECTUS, a, um, adject. (in *privat.* et dejectus) non dejectus, non *abbattuto. Ovid.* 1. *Met.* 288. Si qua domus mansit potuitque resistere tanto Indejecta malo. *Al. leg.* indisjecta.

INDĔLASSĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et delassatus) non delassatus, non defatigatus, *non istancato. Manil.* 5. 63. Indelassato properantia corda labore. *Alii leg.* vigore.

INDĔLĒBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et deleo) qui deleri non potest, *indelebile, sempiterno, perpetuo,* ἀνεξάλειπτος. *Ovid.* 15. *Met.* 876. nomenque erit indelebile nostrum. *Id.* 2. *Pont.* 8. 26. sæcli decus indelebile nostri.

INDĔLECTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et delectatus) non delectatus, *non dilettato. Petron. Satyr.* 87. At ille non indelectatus nequitia mea.

INDĔLĪBĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et delibatus) non delibatus; et translate illibatus, intactus, *non tocco, intiero, puro,* ἄψαυστος. *Ovid.* 1. *Trist.* 6. 28. Indelibatas cuncta sequuntur opes. *Sil. It.* 15. 271. Indelibata virgo.

INDĔLĪBĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et deliberatus) non deliberatus, *indeliberato. Cassiod.* 7. *Variar.* 8. Nil subitum aut indeliberatum jubemus assumi. *Id.* 12. *ibid.* 22. *ad fin.* Inæqualis quippe arbiter, qui sententiam mittit in casum, et mali sibi probatur conscius, qui est indeliberata dicturus.

INDĔLICTUS, a, um, adject. (in *privat.* et delictus) non malus, qui non deliquit, nihil delicti in se habens. *Accius* apud *Festum p.* 229. 26. *Müll.* Qui nisi probrum, omnia alia indelicta æstimant. *Inde-*

licta alii substantive accipiunt, *h. e.* non delicta, ut *inquies* non quies, *incultus* substant. non cultus: quæ *V.* suo loco.

INDEMNĀTIO, ōnis, f. 3. (In *privat.* et damnum). *Gloss. Cyrill.* Ἀζήμιον, indemnatio, indemnitas.

INDEMNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et damnatus) non damnatus, *non condannato*, ἄκριτος. *Plaut. Curc.* 5. 3. 17. Hoccine pacto indemnatum atque intestatum me arripi? *Cic.* 2. *leg. Agr.* 21. 56. Quum bona indemnatorum civium funesta illa auctione sua venderet. *Vellej.* 2. 45. Indemnatum civem interimere. Adde *Liv.* 3. 56. *extr.*; *Quintil.* 3. 11. 14.; *Juvenal.* 6. 562.; et *Ammian.* 15. 5. Sic *Apul.* 10. *Met. ad fin.* Mihi vero quasi indemnato et innoxio parceret. *h. e.* innocenti. *Cato Dir.* 81. Exsul ego, indemnatus, egens mea rura reliqui.

INDEMNIS, e, adject. (in *privat.* et damnum) nullo affectus damno, *senza danno*, ἀζήμιος. *Seneca Ep.* 9. *ad fin.* Illæsus et indemnis evasit. Adde *eumd. Constant. Sap.* 5. Sic *Ulp. Dig.* 17. 2. 23. Socios præstare indemnes. Adde *Ammian.* 19. 11., 26. 6. et 31. 14. *Nonius p.* 371. 5. *Merc.* tribuit etiam *Ciceroni* 3. *Off.* 16. 66., ubi in editis aliter legitur.

INDEMNĪTAS, ātis, f. 3. (indemnis) ratio damni vitandi, securitas, *indennità, sicurezza*, ἀζημία. *Papinian. Dig.* 3. 5. 31. Alicujus indemnitati consulere. *Ulp. ibid.* 12. 4. 5. Indemnitatem alicui præstare. *Ammian.* 21. 16. Provinciarum indemnitati prospicere. Adde *eumd.* 24. 5.

INDĒMONSTRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et demonstro) qui demonstrari non potest, vel demonstratione non eget. *Apul. Dogm. Plat.* 3. Primi quatuor (modi) indemonstrabiles nominantur, non quod demonstrari nequeant, sed quod simplices tamque manifesti sint, ut demonstratione non egeant. Adde *Boeth. p.* 415. et 859.

INDĒMONSTRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et demonstratus) non demonstratus. *Boeth. Aristot. Analyt. prior.* 2. 1. *p.* 503. Indemonstratæ propositio.

INDĒMŪTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et demuto) qui mutari non potest. *Tertull. advers. Hermog.* 12. Deus inconvertibilis et indemutabilis. Adde *eumd. Pudic.* 12.; et *Salvian.* 2. *Gubern. D.*

INDĒMŪTĀBĬLĬTER, adverb. (indemutabilis) idem atque immutabiliter. *Ennod.* 5. *Ep.* 21. Ego ut tarde amicos eligo, ita in his indemutabiliter persevero.

INDĒNUNCĬĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et denuncio) non denunciatus, *non denunziato*. *Seneca Suasor.* 5. Arma indenunciata. *Id. ibid.* 2. Indenunciata sorte rapi.

INDĒPISCI, assequi, adipisci. *Paul. Diac. p.* 106. 14. *Müll. V.* INDIPISCO.

INDĒPLŌRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et deploratus) indefletus, *non pianto*, ἄκλαυστος. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 46. Indeploratum barbara terra teget.

INDĒPRĀVĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et depravatus) incorruptus, *non guasto*, ἄφθαρτος. *Seneca Ep.* 76. *circa med.* Si ona indepravata virtus est et sola permanet tenoris sui.

INDĒPRĔCĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et deprecor) qui nullis precibus potest averti, ἀπαραίτητος. *Gell.* 1. 13. Et pœna indeprecabilis subeunda esset.

INDĒPRĔHENSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et deprehendo) qui deprehendi non potest, ἀκατάληπτος. *Quintil. Declam.* 8. 11. Inerrabile, indeprehensibile est, quidquid nos elementorum varia compago formavit. *Id. ibid.* 4. 15. Nec (*mathematicus*) per varias ambages indeprehensibilem sparsit errorem. *Inscript.* in *Bibliot. Ital. T.* 3. *p.* 51., quæ est apud *Orell.* 1912. et 5000. SIGNUM INDEPREHENSIBILIS DEI (*h. e.* Mithræ) C. VALERIUS SACERDOS SUA PECUNIA POSUIT.

INDĒPRĔHENSUS *et per syncop.* indeprensus, a, um, adject. (in *privat.* et deprehendo) non deprehensus, incognitus. *Virg.* 5. *Æn.* 591. *de labyrintho.* Falleret indeprensus et irremeabilis error. *Stat.* 6. *Theb.* 563. quis Mænaliæ Atalantes Nesciat egregium decus et vestigia cunctis Indeprensa procis? *Prudent. Hamartig.* 140. retinacula denique cæcis Indepensa locis erranti opponere prædis.

INDĒPTARE, consequi. *Paul. Diac. p.* 106. 11. *Müll.*

INDEPTUS, a, um. *V.* INDIPISCOR.

INDESCRĪPTUS, a, um, adject. (in *privat.* et descriptus) non descriptus. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 4. Quod indescriptis vitibus contingere potest. *Male qui separatim leg.* in descriptis; *at melius qui cum Pontedera leg.* indiscretis. *V.* INDISCRETUS. *Sidon. carm.* 2. 412. Halant rura rosis indescriptosque per agros Fragrat odor. *h. e.* nullis privatorum terminis definitos.

INDĒSERTUS, a, um, adject. (in *privat.* et desertus) qui non deseritur, *non abbandonato*. *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 52. Indeserta meo pectore regna tene.

INDĒSES, idis, adject. omn. gen. (in *privat.* et deses) non deses, strenuus, *non pigro*, ἄοκνος. *Gell.* 7. 22. *extr.* Existimandum est, non omnino inculpatum, neque indesidem visum esse, cujus corpus in tam immodicum modum luxuriasset exuberassetque.

INDĒSĬNENS, entis, adject. (in *privat.* et desino) non desinens. *Ennod.* 6. *Ep.* 10. Indesinentes pro vobis ducat excubias.

INDĒSĬNENTER, adverb. (indesinens) semper, sine intermissione, *incessantemente, continuamente*, ἀδιαλείπτως. *Varro* 2. *R. R.* 9. 16. Et si alter indesinenter æger est. Quæ tamen lectio *Scaligero, P. Victorio, Borrich.* et aliis mendosa, et *Schneidero* abundare videtur. *Veget.* 1. *Milit.* 26. Ut assiduo exercitio milites in acie dispositos ordines indesinenter observent. *Al. recte omittunt* indesinenter. *Cyprian. Ep.* 69. *ad fin.* Sacrificia indesinenter offero. *Hieronym. præfat. in translat. Isaj.* Obtrectatio, qua me indesinenter æmuli laniant. *Augustin.* 12. *Confess.* 11. Indesinenter et indeficienter cohærere. Adde *Vulgat. interpr. Hebr.* 20. 1.

INDESPECTUS, a, um, adject. (in *privat.* et despicio) qui despici, seu aspici nequit. *Lucan.* 6. 748. Indespecta tenet vobis qui Tartara. *Al. leg.* inspectata.

INDESPONSĀTA, æ, adject. (in *privat.* et desponsata) nondum desponsata, innupta. *Ambros. in Luc.* 2. 1. Causam autem mentiendi indesponsata habuit, desponsata non habuit.

INDESTRICTUS, a, um, adject. (in *privat.* et destrictus) non destrictus, illæsus, *non ferito, illeso*. *Ovid.* 12. *Met.* 91. removebitur omne Tegminis officium, tamen indestrictus abibo. *Al. leg.* indistrictus.

INDĒTERMĬNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et determino) qui determinari, seu definiri non potest. *Tertull. advers. Hæret.* 7. Indeterminabiles quæstiones. Adde *eumd.* 1. *advers. Marcion.* 9.

INDĒTERMĬNĀTĒ, adverb. (indeterminatus) non determinate, *indeterminatamente*. *Boeth. Aristot. Elench. sophist.* 8. 3. *p.* 726. Necesse est respondentem sustinere orationem, ponendo aut probabilem, aut improbabilem positionem, aut neutram, et aut simpliciter probabilem, aut improbabilem, aut indeterminate, ut huic, alicui, vel alii.

INDĒTERMĬNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et determinatus) non determinatus. *Tertull. advers. Hæret.* 33. Indeterminatæ genealogiæ. Adde *Cassiod.* 3. *Ep.* 52.

INDĒTONSUS, a, um, adject. (in *privat.* et detonsus) non tonsus, intonsus, *non tosato*, ἄκαρτος. *Ovid.* 4. *Met.* 13. Additur his Nyseus indetonsusque Thyoneus.

INDĒTRĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et detero) qui deteri non potest. *Paulin. Nolan. ep.* 16. Soliditas indetribilis.

INDĒTRĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et detero) non detritus, *non logorato*. *Tertull. Resurr. carn.* 58. Indetrita vestimenta.

INDĒVĪTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et devito) non devitatus, *non schivato*. *Ovid.* 2. *Met.* 605. Indevitato trajecit pectora telo.

INDĒVŎRĀTUS, a, um, adject. (in *intent.* et devoro) tribuitur a quibusdam *Martiali* 7. 20. Indevorato capite turturem truncum. *h. e.* devorato, comeso. Sed rectius leges *et inde vorato*: vel *et devorato*.

INDĒVŌTĒ, adverb. (indevotus) irreligiose. *Ambros.* in *Luc.* 7. 9. Indevote Dominum refutantes. *V.* et vocem sequent.

INDĒVŌTĬO, ōnis, f. 3. (in *privat.* et devotio) devotionis, seu pietatis et obedientiæ legibus debitæ defectus. *Imp. Justinian. Cod.* 7. 2. 15. et *ibid.* 4. 17. *extr.* et 8. 54. 35. *ad fin.* Addunt etiam *Ulp. Dig.* 33. 9. 1. *extr.* Sed ea verba alii *Triboniani* esse putant, qui *Ulpiano* recentior est et *Justiniani* æqualis. — *Justinian. Novell.* 1. 3. indevotionem appellat repugnantiam heredis solvendi legata. *et ibid. præf.* eos, qui adeunt hereditates et legata non implent, *indevote eos percipere* dicit. *V.* DEVOTIO. — Hinc est etiam idem fere atque irreligiositas apud *Salvian.* 3. *advers. Avar.* 11. Reddere siquidem post mortem patris pietas filii non poterit, quod unicuique indevotio sua et infidelitas denegavit. Sic *Alcim. Avit. Ep.* 84. Nihil indevotioni plus arbiter, nihil imputet tarditati.

INDĒVŌTUS, a, um, adject. (in *privat.* et devotus) devotionis, pietatis et obedientiæ legibus ac principi et Deo debitæ expers. *Imp. Justinian. Cod.* 8. 53. 35. *sub fin.* Donator non solum indevotus, sed etiam impius. *Ambros.* in *Luc.* 7. 9. Devotus admittitur, indevotus excluditur. *Id. ibid.* Es indevotis devotos fecisset. Adde *Alcim. Avit. Ep.* 81.

INDEX, dicis, m. et f. 3. (indico) qui aliquid indicat, manifestat, defert, ostendit, ἐνδείκτης, μηνυτής (It. *discovritore, manifestatore, delatore, spia*; Fr. *indicateur, révélateur, dénonciateur, espion*; Hisp. *el que indica y revela, denunciador, espia*; Germ. *d. Angeber, Spion, Verräther*; Angl. *a discoverer, discloser, informer, spy*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) De personis, et quidem — *a*) Universim de eo dicitur, qui occultum quippiam patefacit ei, cuja interest sciri. *Cic.* 4. *Cat.* 3. 5. Hæc omnia indices detulerunt, rei confessi sunt. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. 5. Sextius ab indice Cn. Nerio de ambitu est postulatus. *Id. Cluent.* 7. 21. Venit index ad Dineam, neque obscurus, neque incertus, qui nunciaret ei, filium ejus vivere. *Curt.* 6. 7. 23. Protinus regi, corpus forte curanti, quid et index detulisset, ostendit. *Liv.* 28. 46. Indici præmium constitutum, quantæ pecuniæ ager indicatus esset, pars decima. *Justin.* 32. 2. *extr.* Ad cujus rei probationem immittit indices, testes subornat. *Tac.* 4. *Ann.* 28. Structas principi insidias, index idem et testis, dicebat. *Justin.* 32. 3. 2. Philippus impatientius in dies mortem Demetrii dolebat, tunc et insidiis circumventum suspicari, testes indicesque torquere. *Ammian.* 14. 10. Ecce autem ex improviso index quidam regionum gnarus advenit, et mercede accepta vadosum locum nocte monstravit, unde superari potuit flumen. Adde *Nepot. Pausan.* 4.; *Liv.* 32. 3.; *Sueton. Tib.* 73., *Ner.* 35. et 39. et alibi; et *Quintil.* 7. 2. 54. — *b*) Aliquando etiam de eo dicitur, qui alios explorat, *spia*. *Cic. Mur.* 24. 49. Catilinam vallatum indicibus atque sicariis etc. *Id. Sext.* 44. 95. et *Vatin.* 10. 24. Sæpius armatis indicibus. — *c*) In re forensi is est, qui facinoris, cujus ipse est conscius, latebras indicat impunitate proposita, ut *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin.* in *Q. Cæcil.* 11. edente *Bait.* docet: ubi etiam tradit, certas esse personas, quæ indices fieri possunt: itaque neque repetundarum causas per indices agi solere; neque senatoriam personam posse indicium profiteri, salvis legibus. — *d*) De *Hercule indice*, V. *Cic.* 1. *Divinat.* 25. 54.
— 2.°) De rebus omnibus physicis et aliquando etiam abstractis, quæ rem quampiam indicant. *Cic.* 11. *Phil.* 2. 5. Complexus summæ benevolentiæ falsi indices exstiterunt in amore simulato. *Id. Rabir. perduell.* 6. 18. Quin continetis vocem, indicem stultitiæ vestræ, testem paucitatis? Sic *Curt.* 8. 11. 8. Ipse (*rex*) primus truncam arborem jecit; clamorque exercitus index alacritatis sequutus est. *Id.* 5. 10. 13. Lacrimæ etiam pœnitentiæ indices profuderunt. *Ovid.* 2. *Pont.* 10. 3. auctoris annulus index. *Id.* 9. *Met.* 534. Esse quidem læsi poterant tibi pectoris index Et color et macies et vultus et humida sæpe Lumina. *Sueton. Cæs.* 81. Libellus insidiarum index. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 27. 67. (252). Herbæ horarum indices, heliotropium ac lupinum. *Cic. Orat.* 18. 60. Imago animi vultus, indices oculi. Cf. *Curt.* 8. 6. 22. Et tempus, quo venerant, et vultus haud sane securi animi index. *Id.* 7. 1. 16. Jam linguæ violentiam temeritatemque verborum, quæ in semetipsum jacularentur, nihil aliud esse, quam sceleris animi indicem ac testem. *Ovid.* 4. *Fast.* 393. non est opus indice causa. *Stat.* 1. *Achill. in fin.* partus index Lucina resolvit. *Forcellinus* omnia translate accepit, quæ sub 2.° allata sunt. ¶ 2. Specialim di-

gitus index est primus e pollice, quo res indicare solemus, *indice*. *Horat*. 2. *Sat*. 8. 25. qui, si quid forte lateret, Indice monstraret digito. Adde *Plin*. 28. *Hist. nat*. 2. 5. (28). — Et absolute *Cic*. 13. *Att*. 46. Pollex quidem, ut dixerat, præsto fuit: sed plane pollex, non index.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) In libris est summa, seu elenchus, quo res, quæ in iis continentur, summatim indicantur, *indice, tavola*. *Varro* 1. *R. R*. 1. 4. Scribam tibi tres libros indices, ad quos revertare, si qua in re quæres, quemadmodum quidque te in colendo oporteat facere. *Seneca Ep*. 39. Sume in manus indices philosophorum: hæc ipsa res expergisci coget, si videris, quam multi tibi laboraverint. il *catalogo*. Adde *Plin*. 3. *Ep*. 5. *init*. Sic *Quintil*. 10. 1. 57. Indicem poetarum ex bibliotheca sumptum transferre in libros suos. *Sueton. Aug*. 101. Indices rerum gestarum. Sic *Macrob*. 2. *Saturn*. 9. Refero vobis pontificis vetustissimam cœnam, quæ scripta est in indice quarto Metelli pontificis. *sommario, compendio, ristretto*. — Hinc *per indicem rem exponere* apud *Pseudo-Ascon*. ad *Cic*. 3. *Verr*. 9. edente *Bait*. est summatim exponere indicando summa capita, *in ristretto*. — *b*) Est etiam idem ac sillybus, *cartella, biglietto*. *Cic*. 4. *Att*. 4. Glutinatores sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Græci, ut opinor, σιλλύβους appellatis. *V*. SILLYBUS. — *c*) Item titulus et frons primæ, quæ indicat, qua de re in libro agatur, *titolo, frontispizio*. *Cic*. 2. *Orat*. 14. 61. In philosophos vestros si quando incidi, deceptus indicibus librorum, quod sunt fere inscripti de rebus notis et illustribus etc. *Sueton. Cal*. 49. Reperti sunt duo libelli diverso titulo: alteri Gladius, alteri Pugio index erat. *Liv*. 38. 56. Index orationis P. Scipionis, nomen M. Nævii trib. pleb. habet. *Gell. præfat*. Neque desunt qui indices libris suis fecerint aut *Epistolarum moralium*, aut *Epistolicarum quæstionum*. — *d*) In statuis et similibus est inscriptio, titulus, *inscrizione, titolo*. *Tibull*. 4. 1. 30. Nec quæris, quid quaque index sub imagine dicat. *Liv*. 41. 28. Tabula in æde Matris Matutæ cum indice hoc posita est: Ti. Sempronii Gracchi consulis imperio auspicioque legio exercitusque populi Romani Sardiniam subegit etc. — *e*) *Curator ab indicibus*, vel absolute *ab indices* pro *ab indicibus* (*V*. CÆSAR in ONOM. et CAPUT in LEXIC.) is dicebatur in militia, qui nomina militum legionis vel cohortis servabat, et in laterculis inscribenda curabat. *Inscript*. apud *Donat*. 275. 4., quæ est apud *Orell*. 3464. M. APICIO T. F. CAM. TIRONI EVOCATO SALARIARIORUM CURATORI AB INDICIBUS etc. *Alia* apud *Kellerm. Vig*. p. 62. n. 202. et apud *Henzen*. 6814. L. ANTISTIO L. F. SAB. QVIETO EVOC. AB INDICES FECIT MARIA IVSTA MATER FILIO PIENTISSIMO. ¶ 2. Speciatim *silex index* est, qui tactu indicat auri et aliorum metallorum bonitatem, *paragone*. *Ovid*. 2. *Met*. 706. In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Index. *V*. BATTUS in ONOM. Sunt tamen qui recte putant, hic non esse intelligendum, Battum in illud genus lapidis esse conversum, qui *Lydius* dicitur, a Latinis vero *coticula* appellatur; sed in lapidem seu scopulum fuisse mutatum, cui, ob perfidum indicium, indicis nomen hæserit, et cum nomine etiam infamia. Hinc *Lactant. Placid*. in *Argum. ejusd. fab*. Mercurius perfidia ejus offensus, in lapidem eum mutavit, qui ab eventu index circa Pylum vocatur.

INDĬCĀBĬLIS, e, adject. (indico) qui indicat. *Cæl. Aurel*. 2. *Acut*. 3. Signum facere indicabile lethargi.

INDĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (indico) occurrit speciatim tantum et est æstimatio, taxatio, et propositio pretii alicujus rei a venditore facta, *stima e proposta del prezzo di qualche cosa*, τίμησις. *Plaut. Pers*. 4. 4. 37. SA. Indica, fac pretium. DO. Tua merx est, tua indicatio est. *Plin*. 22. *Hist. nat*. 24. 50. (109). Mellis causas atque differentias nationesque et indicationem in apium ac deinde florum natura diximus. *Sillig*. vero *judicationem* leg. *Ulp. Dig*. 19. 1. 13. § 3. Hic (*venditor sciens*) præmonere debuit, furem esse (*servum*), hic (*venditor ignorans*) non debuit facilis esse ad temerariam indicationem. *V*. INDICATURA.

INDĬCĀTĪVĒ, adverb. (indicativus) affirmando, sine ulla dubitatione dicendo. *Priscian*. 15. p. 1029. *Putsch*. Est quando indicative dicuntur (*conjunctiones*), est quando dubitative. Indicative ut *aut lux est, aut tenebræ*. Sic *Id. Præexercit*. p. 1332. Sententia indicative profertur; usus vero sæpe etiam per interrogationem et responsionem.

INDĬCĀTĪVUS, a, um, adject. (indico) id quo aliquid indicatur vel affirmatur, ὁριστικός. *Priscian. Præexercit*. p. 1332. *Putsch*. Usus alii sunt indicativi, alii interrogativi. *V*. voc. præced. *Id*. 17. p. 1043. Nomina tertiarum personarum sunt indicativa. h. e. tertias indicant personas. — *Indicativus modus* est unum ex attributis verborum. Dictus est, quia eo præsentem actionem indicamus. *Diomed*. 1. p. 329. *Putsch*.; *Priscian*. 8. p. 819. *Putsch*.; *Capell*. 3. p. 83.; *Isid*. 1. *Orig*. 8. etc.

INDĬCĀTOR, ōris, m. 3. (indico) qui indicat. *Solin*. 40. Anaxagoras naturæ indicator. *Al. melius leg*. indagator.

INDĬCĀTŪRA, æ, f. 1. (indico) speciatim occurrit, et est idem atque indicatio, *stima, prezzo, tassa*. *Plin*. 37. *Hist. nat*. 2. 7. (18). Neque est hodie murrhini alterius præstantior indicatura. *Id*. 29. *ibid*. 1. 8. (21). *de medicis*. Dolorum indicaturam et mortis arrham, aut arcana præcepta. h. e. pretium a medicis constitutum pro morbis sanandis. *Id. præfat*. § 19. Hæc fiducia operis est, hæc indicatura. *V*. INDICATIO, et DICATURA.

INDĬCATUS, a, um. *V*. INDĬCO.

INDĬCENDUS, ἄλεκτος. *Gloss. Philox*. *V*. voc. seq. et INDICTUS secundo loco.

INDĬCENS, entis, particip. præs. (in *privat*. et dico) non dicens; occurrit tantum in formula *me indicente* apud *Ter. Adelph*. 3. 5. 62. Non me indicente hæc fiunt. h. e. ita ut non ego aliquando hæc dixerim, seu prædixerim. *Liv*. 22. 39. Nam et duo boni consules, etiam me indicente, omnia e republica faceretis. *Al. leg*. tacente, *invitis sanioribus criticis*. Apud *Cic*. 2. *Fin*. 3. 10. Etiam indicente te, intelligo. *plerique leg*. non dicente.

INDĬCIÆ, ārum, f. plur. 1. pro indicia legitur tantum in *Grammat. incert*. edente *Eichenf*. p. 99. Feminina semper pluralia: hæ induciæ, hæ inferiæ, hæ insidiæ, hæ indiciæ. ἔλεγχοι.

INDĬCĪNA, æ, f. 1. (indico) indicium, delatio. *Apul*. 7. *Met*. Ob indicinæ præmium. *Id*. 6. *ibid*. Accipere aliquid indicinæ nomine. *Jul. Vict. Art. rhet*. (edente *A. Maio*) 4. 4. Quidam mortuum filium ostendit, petit indicinam. *Ita legendum videtur pro* indicivam, *quod Maius edidit*. Sic *Grammat. incert*. edente *Eichenf*. p. 106. Indicina, μήνυτρον.

INDĬCĬUM, ii, n. 2. (index) delatio, manifestatio, detectio rei occultæ, præsertim criminis: et quidem proprie, quæ ab eo fit, qui delicti est conscius; *V*. INDEX: Gr. μήνυμα (It. *dinunzia, accusa, manifestazione*; Fr. *indication, dénonciation, révélation*; Hisp. *indicacion, denunciacion, revelacion*; Germ. d. *Angabe, Anzeige, Entdeckung*; Angl. *a discovery, evidence, proof, information*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, quo nempe *index* I. 1. usurpatur. *Ter. Adelph*. 4. 4. 7. Id anus mihi indicium fecit. *mi ha palesato*. *Sall. Cat*. 48. Frequens senatus decernit, Tarquinii indicium falsum videri. *Cic*. 2. *Divinat*. 20. 46. Eo ipso tempore, quo fieret indicium conjurationis in senatu. *Sueton. Aug*. 19. Conjurationes indicio detegere. Rursus *Cic. Dom*. 52. 134. Afferre ad aliquem indicia rei alicujus. *Tac*. 2. *Ann*. 28. Deferre indicium ad aliquem. *Cæs*. 1. *B. G*. 4. Ea res est Helvetiis per indicium enunciata. *Auct. B. Hisp*. 18. Indicium glande scriptum misit, per quod certior fieret Cæsar etc. *Sueton. Tib*. 62. Auxit intenditque sævitiam, exacerbatus indicio de morte filii sui Drusi. *Tac*. 16. *Ann*. 18. Ergo crudelitatem principis — aggreditur, amicitiam Scævini Petronio objectans, corrupto ad indicium servo ademptaque defensione. *Sall. Cat*. 52. Convictus indicio alicujus. *Id. Jug*. 35. Sed ipse deprehensus, multis hortantibus, indicium profitetur. h. e. palam fatetur et indicat. Sic *Tac*. 6. *Ann*. 3. Indicium profiteri. Et eodem sensu *Id*. 11. *ibid*. 35. indicium offerre. *Profiteri et offerre indicium* est proprie ejus, qui, quum sit sceleris particeps, ultro indicat et manifestat socios, aut auctores sceleris, ut impunitatem obtineat, *pigliare l'impunità*. V. infra sub II. 1. et 2. ¶ 2. Latiori sensu est signum, argumentum, *indizio, contrassegno*; et occurrit — *a*) Cum Genitivo rei, quæ indicatur. *Cic. Cluent*. 10. 30. Indicia et vestigia veneni. *Id*. 3. *Cat*. 5. 13. Certissima argumenta atque indicia sceleris. *Id. Harusp. resp*. 12. 24. Scelerum indicia ostendere et periculorum signa patefacere. *Id. Sull*. 27. 76. Notæ scelerum, indicia parricidiorum. *Id. post redit. in senat*. 4. 8. Hoc specimen virtutis, hoc indicium animi sui fore putavit. *Curt*. 7. 1. 9. Trepidatio conscientiæ indicium est. *Id*. 6. 9. 16. Hoc quidem illius non innocentiæ, sed potentiæ indicium est. *Plin. Paneg*. 58. libertatis. *Curt*. 9. 9. 10. Ignota vulgo freti natura erat, monstraque et iræ deûm indicia cernere videbantur. *Quintil*. 9. 2. 4. Indicium docti hominis. — *b*) Cum Verbis. *Plaut. Cist*. 4. 2. 8. Mi homines, mi spectatores! facite indicium, si quis vidit, si quis eam abstulerit, quisve sustulerit, et utrum etc. Sic *Ter. Hecyr*. 4. 1. 31. Res indicium hæc facit, quo pacto factum volueris. *dimostra*. — *Indicium dare* est ostendere, indicare, apud *Varron*. 9. *L. L*. 19. *Müll*. Sic *indicium edere* apud *Lucret*. 2. 556. indicium mortalibus edant, Infidi maris insidias viresque dolumque Ut vitare velint. — *Indicio esse*, argumento esse. *Ter. prol. Adelph*. 4. Indicio de se ipse erit. *Nepos Att*. 16. Ei rei indicio sunt sexdecim volumina epistolarum. *Cic. Dom*. 42. 110. Quæ domus erat ipsa indicio tui crudelissimi dominatus. *Nepos Timol*. 2. Quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quod etc. Sic cum Relativo *Ter. Heaut*. 2. 4. 4. Mihi, quale ingenium haberes, indicio fuit oratio. *Nepos Lysand*. 3. Quam vere de eo foret judicatum, oratio indicio fuit. Cf. *Sueton. Tib*. 63. Quam vero inter hæc non modo invisus ac detestabilis, sed prætrepidus quoque atque etiam contumeliis obnoxius vixerit, multa indicia sunt. — Ceterum *Tac*. 2. *Ann*. 27. Firmius Catus Libonem hortatur ad luxum et æs alienum, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis illigaret.

II.) Translate. ¶ 2. *Indicium* est copia seu facultas indicandi, quam quis postulabat, ad obtinendam impunitatem *V*. supra sub I. 1. in fin. *Cic*. 2. *Att*. 24. 4. Vettius reus, quum esset damnatus, erat indicium postulaturus: quod si impetrasset, judicia fore videbantur. *Ubi male alii leg*. judicium. Adde eumd. *Divin. in Q. Cæcil*. 11. 34.; et V. *Klotz*. ad *Cicer. oration*. vol. 2. p. 651. Hinc *Cic. Rosc. Am*. 37. 107. Indicii partem accipere. ¶ 2. Indicium ponitur etiam pro præmio indicii. *Cic*. 3. *Off*. 20. 80. Conscripserant communiter edictum cum pœna atque indicio. h. e. pœna proposita et præmio promisso indicanti eos, qui contra fecissent. Ita leg. *Facciolat*. ex conjectura: editi vero libri habent *judicio*, h. e. judicii formula, quam vocem vide. Adde eumd. *Vatin*. 11. 25.; et cf. *Liv*. 28. 46. Sic *Petron. Satyr*. 97. In lance argentea indicium et fidem præferebat. *Ulp. Dig*. 12. 5. 4. Si tibi indicium dedero, ut fugitivum meum indices, vel furem rerum mearum. ¶ 3. In illo *Vitruv*. 9. 3. Postquam indicium est factum, dempto auro, tantumdem argenti in id coronarium opus admixtum esse. *indicium* videtur esse ab indice lapide, quo de auri argentique bonitate experimentum capitur: *V*. INDEX II. 2. Sunt tamen, ut recentiores plerique omnes, qui putant, hic *indicium* significare tantum suspicionem.

INDĬCĪVA, æ, f. 1. *V*. INDICINA.

INDICIVUS, a, um, adject. qui indicat. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir*. p. 90.

INDĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et dico, as, ubi *V*. vocis etymon). *Indicasso, is*, pro *indicavero, is*, est *Plauti Pœn*. 4. 2. 66. et *Rud*. 4. 3. 89. — Part. *Indicans, Indicaturus* et *Indicandus* 1.; *Indicatus* in omnibus paragr. — Indicare est manifestare, detegere, patefacere, μηνύω, καταμηνύω (It. *palesare, dinunziare, rivelare*; Fr. *indiquer, denoncer, révéler, dévoiler*; Hisp. *indicar, denunciar, descubrir*; Germ. *angeben, anzeigen*; Angl. *to show, discover, disclose, declare, inform, make known, reveal, indicate*). Ceterum ¶ 1. Sæpissime indicare dicitur præsertim de iis, qui crimen deferunt, cujus sunt ipsi conscii, ut in INDEX et INDICIUM *init*. diximus; (hinc *Donatus* ad *Ter. Adelph. prol*. 4. *Indicat* is, qui de se volens aliquid, et de aliis etiam prodit: sed *confitetur*, qui de se tantum, et qui invitus): item universim est ostendere, monstrare. — *a*) Cum Nominativo personæ. *Cic. Cluent*. 64. 80. Puer ille conscius pertimuit: rem omnem dominæ indicavit. *Curt*. 6. 11. 19. Illo indi-

gnante, ludificari eum, rursusque revocante tortores; tempus terere cœpit, dum reciperet spiritum, cuncta quæ sciret, indicaturus. Rursus *Cic. Mur.* 25. 51. Catilina, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit. Sic *Nepos Pausan.* 4. Neque prius vim adhibendam putaverunt, quam se ipse indicasset. *Cic.* 2. *Tusc.* 22. 52. Conscios delendæ tyrannidis indicare. Sic *Val. Max.* 3. 3. *extern.* 3. Indicandorum consciorum causa. *Cic. Cluent.* 65. 183. A puero conscio indicatus. *Cæs.* 3. *B. C.* 112. *in fin.* Indicati deprehensique internuncii. *Sall. Cat.* 30. Indicare de conjuratione. *Id. ibid.* 48. Nisi de eo indicasset, cujus consilio etc. *Ulp. Dig.* 50. 16. 197. Indicasse est detulisse, arguisse, accusasse et convicisse. — *Ter. Adelph.* 4. 4. 19. Non me hanc rem patri, ut ut erat gesta, indicasse? *Liv.* 8. 18. Ancilla quædam indicaturam sese causam publicæ pestis professa est. *Quintil.* 4. 2. 1., 4. 1. 24. et alibi. Indicare rem. *Nepos Att.* 4. *extr.* Civitas lacrimis dolorem indicavit. *Cic. Tim.* 2. Indicare aliquid in vulgus. εἰς πάντας λέγειν. *Id. Flacc.* 37. 92. Quis tibi, Læli, de epistolis istis indicavit? *Curt.* 7. 7. 25. Tibi autem quam potest denuncio, ipse mihi indices, quid ex extis cognoveris. *Ovid.* 15. *Met.* 667. quaque ipse (*deus*) morari Sede velit, signis cælestibus indicet, orant. *Quintil.* 4. 2. 128. Contentus indicare, quid facti sit. *Id.* 8. 2. 2. Nisi spartum eum dicere velle indicasset. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 16. (20). Indicare se deum. — *b*) Cum Nominativo rei. *Ter. Eun.* 4. 3. 16. Hoc, quod fecit, res ipsa indicat. *Cic.* 1. *Legg.* 9. 27. Vultus indicat mores. *Id. Brut.* 94. 321. Dicendi genus, quod fuerit in utroque, orationes utriusque etiam posteris indicabunt. *Liv.* 8. 24. *a med.* Amnis indicans iter. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 51. (138). Supercilia maxime indicant fastum. *Id. ibid.* 37. 61. (168). Ætas veterinorum indicatur dentibus. *Auct. B. Alex.* 54. Ne ex eo quid sensisset, indicaretur. *Phædr.* 1. 15. Id esse verum parva hæc fabella indicat. *Quintil.* 4. 2. 106. Sermo aversus a judice et brevius indicat interim et coarguit magis. *Id.* 11. 3. 176. Eadem verba, mutata pronunciatione, indicant, affirmant etc. ¶ 2. Aliquando est brevi et paucis verbis, et quasi per indicem, ut *Pseudo-Ascon.* loquitur ad *Cic.* 3. *Verr.* 9., dicendo aliquid attingere, *mostrar brevemente, toccare. Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (96). Sed priusquam hæc generatim persequamur, indicare convenit, quæ prodit Onesicritus. *Id. ibid.* 33. 38. (205). Abunde orbis terrarum extra intra indicatus. *Id.* 31. *ibid.* 8. 41. (96). Hæc obiter indicata sint desideriis vitæ. Sic *Id.* 33. *ibid.* 1. 5. (15). Indicare aliquid obiter. *Id.* 15. *ibid.* 14. 15. (49). nominatim. *Id.* 36. *ibid.* 15. 24. (115). Signa æreа, ut indicavimus, fuerunt tria millia. ¶ 3. Speciatim *indicare* est vendentium, quum rem venalem proponunt, et pretium statuunt, et quanti vendituri sint, indicant, *stimare, tassare. Plaut. Pers.* 4. 4. 25. Hanc eme. DO. Modo ut sciam, quanti indicet. et *ibid.* 37. Indica, fac pretium. *Cic.* 3. *Off.* 15. 62. Quum postulasset, ut sibi fundus, cujus emptor erat, semel indicaretur. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 13. 57. (201). Emi lienem vituli, quanti indicatus sit, jubent magi. *Id.* 37. *ibid.* 1. 3. (6). Indicatus sex aureis denariis smaragdus.

INDĪCO, dicis, dixi, dictum, dicere, a. 3. (in et dico, is, ubi *V.* vocis etymon). *Indice* pro *indic* antiquum est. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 133. Indice ludos nunc jam, quando lubet. — *Indixtei* pro *indixisti* apud *Fronton. de Fer. Als.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 3. — Part. *Indictus* 1. — Indicere est dicendo significare, denunciare, καταγγέλλω (It. *dinunziare, intimare, publicare*; Fr. *faire savoir, publier, annoncer, notifier, déclarer*; Hisp. *denunciar, publicar, hacer saber, anunciar, declarar*; Germ. *ansagen, öffentlich bekannt machen, ankündigen, auferlegen, anbefehlen*; Angl. *to denounce, declare, proclaim, publish, appoint*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Liv.* 31. 49. *sub fin.* Comitiis diem indixit. *Id.* 10. 27. diem pugnæ. *Id.* 4. 25. Indicere cœtus. *Cæs.* 7. *B. G.* 63. Totius Galliæ concilium Bibracte indicitur. Sic *Liv.* 1. 50. Indicere concilium. — *Senatus indictus* opponitur *legitimo*. Est legitimus, qui habetur certis anni diebus lege vel more constitutis. *Sueton. Aug.* 35. Sanxit, ne plus, quam bis in mense legitimus senatus haberetur. *Indictus* autem, qui aliis diebus vocabatur, prout respublica postulabat: quare hic extraordinarius erat, ille ordinarius. *Capitolin. Gordian.* 11. Non legitimo, sed indicto senatus die consul domi conventus etc. — *Liv.* 6. 12. Indicere exercitum in aliquem locum. *h. e.* ut conveniat. Adde *eumd.* 40. 41. et 43. 1. *Cæs.* 7. *B. G.* 90. *in fin.* Romæ dierum viginti supplicatio indicitur. *Liv.* 1. 9. Indici finitimis spectaculum jubet. *Plaut. Pseud.* 1. 5. 133. Indicere ludos. *Sueton. Claud.* 22. Ut ferias, advocata contione, prætor indiceret. *Cic.* 4. *Verr.* 53. 133. Indicere mercatum. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Invent.* 19. 27. Appius indixit Carthaginiensibus bellum. *Cic.* 2. *Cat.* 6. 14. Bellum populo Romano suo nomine indixit. Sic *Id.* 1. *Off.* 11. 36. Bellum denunciatum ante et indictum. Cf. *eumd.* 7. *Verr.* 72. 188. Quorum (*deorum*) templis et religionibus iste bellum sacrilegum semper impiumque habuit indictum. *ebbe intimato.* Adde *Nepot. Themist.* 8. et *Thrasyb.* 1.; *Justin.* 2. 3. 8.; et *Flor.* 2. 8. 8. Rursus *Cic.* 5. *Phil.* 12. 31. Justitium indici, saga sumi dico oportere. Similiter *Id.* 7. *Verr.* 71. 182. Tacitæ magis et occultæ inimicitiæ timendæ sunt, quam indictæ et apertæ. *Liv.* 3. 10. Indicere delectum. *Virg.* 5. *Æn.* 758. forum. *Varro* 6. *L. L.* 61. *Müll.*; et *Sueton. Cæs.* 84. funus. *h. e.* vocare ad exsequias. Sic *Cic. Dom.* 16. 42. Indictum funus. *Virg.* 1. *Æn.* 636. Indicere honorem templis divum. Cf. *eumd.* 11. *ibid.* 737. choros indixit tibia Bacchi. *Sueton. Ner.* 27. Indicebat et familiaribus cœnas. *h. e.* jubebat, eos sibi cœnam apparare. Cf. *Ovid.* 4. *Fast.* 354. Indictas concelebrare dapes. *conviti accordati. Sueton. Cal.* 55. Viciniæ silentium per milites indicere solebat. *Virg.* 7. *Æn.* 467. Indicere iter. *Tac.* 3. *Ann.* 49. ultimum supplicium alicui. *Id.* 12. *ibid.* 65. Indicta mors. *intimata.* — *b*) Speciatim pro imponere, *imporre, comandare. Liv.* 4. 60. Indicere tributum. Sic *Tac.* 2. *Ann.* 60. Indicta gentibus tributa. Adde *Ammian.* 25. 4. Sic *Sueton. Cal.* 41. Indicere vectigalia. *Liv.* 2. 52.; et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (11). multam. *Tac.* 3. *Hist.* 58. servorum numerum et pondus argenti senatoribus. — *c*) Item speciatim in re militari. *Sueton. Aug.* 23. Indicere excubias per urbem. *Id. Ner.* 7. decursionem prætorianis.

II.) Figurate. *Cic.* 5. *Verr.* 1. 1. Legem sibi ipsi indicunt innocentiæ, qui ab altero rationem vitæ reposcunt. *Plerique tamen leg.* dicunt. *Id.* 5. *Fin.* 10. 29. Indicere bellum sibi. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 8. bellum ventri. *Seneca* 2. *Benef.* 27. odium pecuniæ. *Ammian.* 16. 5. sibi temperantiam. *Seneca Ep.* 123. sibi patientiam. *Sueton. Claud.* 15. matrimonium juveni. *Id. Cal.* 25. Horreis præclusis, populo famem indixit.

INDICTĪCIUS, a, um, adject. (indico, is) indictivus. *Cassiod.* 5. *Variar.* 11. Indicticia onera.

INDICTĬO, ōnis, f. 3. (indico, is) indicendi actus, *dinunzia, intimazione.* ¶ 1. Generatim *Flor.* 4. 10. 2. Neque causa, nec consilio, ac ne imaginaria quidem belli indictione — in Parthos impetum facit. ¶ 2. Speciatim est genus tributi, quod non in pecunia, sed in frugibus imponitur agris, seu possessionibus, ut pro modo redituum solvatur. Hoc significatur illis verbis *Cic.* 4. *Verr.* 2. 5. Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus esse putaret, non ultro pollicita est? quando id, quod imperaretur, recusavit? Ubi *Pseudo-Ascon.* Omne genus pensitationis in hoc capite positum est, canonis, oblationis, indictionis. *V.* adnotata ad COLONIARIUS. *Plin. Paneg.* 29. Nec novis indictionibus pressi, ad vetera tributa deficiunt. *Ulp. Dig.* 19. 1. 13. *ante med.* Si qua tributorum, aut vectigalis, indictionisve nomine præstare oporteret. *Paul. ibid.* 33. 2. 28. Si fundo indictiones temporariæ indictæ sint. *Cassiod.* 12. *Variar.* 22. Memoratas species in tot solidos data pro tributaria functione, qui vobis de præsenti prima indictione reputentur. Adde *Lactant. Mort. persecut.* 7., qui *ibid.* 31. auri argentique indictiones memorat. Ex quibus omnibus satis colligi videtur, *indictionem* esse, quum quippiam extra ordinem, ac de novo solvendum, publice indicitur. ¶ 3. Apud Scriptores Ecclesiasticos *indictio* est revolutio quindecim annorum ab 1. usque ad XV., qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli a januario in bullis pontificiis. Indictionum frequens usus fuit in diplomatibus et scripturis publicis. *Cod. Theod.* 11. 28. 3. et 7. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* HIC IN PACE REQVIESCIT COLVMBA VIRGO SACRATA DI (*h. e.* Dei) QVE (*sic*) VIXIT IN DNO ANNOS PL. M. NONAGINTA DP (*h. e.* deposita) AVB D. VIII. IDVS AVGVSTAS OPILIONE V. C. CONS. IN. SEC. *h. e.* Indictione secunda ann. post Chr. n. 524. Cf. *aliam* apud *eumd.* 3132.

INDICTĬŌNĀLIS, e, adject. (indictio) ad indictionem pertinens, *h. e.* ad tributum. *Ammian.* 17. 3. Indictionale augmentum oblatum sibi humi projecit. *V.* INDICTIO 2.

INDICTĪVUS, a, um, adject. (indico, is) indictus. *Indictivum funus* erat, ad quod per præconem avocabantur. *Varro* 5. *L. L.* 160. et 7. *ibid.* 42. *Müll.*; et *Paul. Diac.* p. 106. 13. *Müll.* — Formulam, qua usi, docebit *Ter. Phorm.* 5. 8. 37. Exsequias Chremeti, quibus est commodum ire, jam tempus est. His adde ex *Varron.* 7. *loc. cit.* Ollus leto datus est. et ex *Festo* p. 254. 34. *Müll.* Ollus Quiris leto datus.

INDICTUS, a, um, particip. *V.* INDICO.

INDICTUS, a, um, adject. (in *privat.* et dictus: *V.* INDICENS et INDICENDUS loco suo). ¶ 1. Est non dictus, *non detto.* — *a*) Generatim. *Ter. Phorm.* 5. 7. 58. Quod dictum, indictum'st: quod modo erat ratum, irritum est. *Liv.* 5. 15. Quæ tum cecinerit, ea se nec, ut indicta sint, revocare posse etc. *Virg.* 7. *Æn.* 733. Nec tu carminibus nostris indictus abibis, Œbale. *Horat.* 3. *Od.* 25. 7. Dicam insigne, recens, adhuc indictum ore alio. *Gell.* 1. 22. Nescio quid aliud indictum inscitumque dicit. *h. e.* non dictum a veteribus, non usurpatum, insolitum. — *b*) Speciatim *indicta causa* est non audita defensione, *senz' ascoltar le difese, senza lasciare che uom si discolpi. Cato* apud *Gell.* 13. 21. Decem capita libera interficis, decem hominibus vitam eripis indicta causa, injudicatis, incondemnatis. *Cic.* 1. *Legg.* 15. 42. Ut dictator, quem vellet civium, indicta causa, impune posset occidere. *Id.* 5. *Fam.* 2. *a med.* In aliquem animadvertere, indicta causa. *Id. Rabir. perduell.* 4. 12. Indicta causa, civem Romanum capitis condemnare. *Id.* 4. *Verr.* 17. 43. Indicta causa, fortunis omnibus everti. *Id.* 2. *Phil.* 23. 56. Res judicata, indicta causa. Adde *Liv.* 3. 56. et 38. 33.; et *Curt.* 3. 12. 19., 8. 7. 5. et 8. 8. 22. ¶ 2. Item qui dici non potest, ἄρρητον. *Apul. Dogm. Plat.* 1. Deum cælestem, indictum, innominabilem.

INDĬCŬLUM, i, n. 2. *vel*

INDĬCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* ab index, parvus index, seu brevis epistola vel scriptum, in quo res breviter et per indicem conscriptæ sunt. *Symmach.* 6. *Ep.* 49. (*al.* 48.). Quæ ad urbem pertinent, indiculi cohærentis lectione noscetis. *Id.* 7. *ibid.* 81. (*al.* 82.). Capita rerum subjecto indiculo strictim notavi. *Alcim. Ep.* 28. *ad fin.* Hæc, quia jussistis, quædam responsionis nostræ indiculo transmisi.

INDĬCUS, a, um, adject. ad Indiam vel Indos pertinens, *Indiano*: *V.* ONOM. — Hinc

Indicum, i, n. 2. absolute, *indaco*, Ἰνδικόν, genus est coloris cærulei, non pridem, inquit *Plin.* 33. *Hist. nat.* 13. 57. (163). ex India apportari cœptum, cujus usus in pictura ad incisuras, hoc est umbras dividendas ab lumine. Aliud est Indicum antiquius, Romanisque magis cognitum et pretiosius, indidem veniens, arundinum spumæ adhærescente limo: quum teritur, nigrum; at in diluendo mixturam purpuræ cæruleique mirabilem reddens. Alterum genus ejus est in purpurariis officinis innatans cortinis, et est purpuræ spuma. Qui adulterant, vero Indico tingunt stercora columbina, aut cretam Selinusiam: vel anulariam vitro inficiunt. Probatur carbone. Reddit enim, quod sincerum est, flammam excellentis purpuræ, et dum fumat, odorem maris. Hæc *Id.* 35. *ibid.* 6. 27. (46). *Vitruv.* 7. 11., quod *Plin. loc. cit.* vocat absolute *Indicum*, ipse appellat *colorem Indicum*.

INDĬDEM, adverb. (inde et idem) ex eodem loco, *da quello stesso luogo*, ἐντεῦθεν, αὐτόθεν. ¶ 1. Stricto sensu de loco. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 78. PA. In regionem astutiarum mearum te induco, ut scias justa mecum mea consilia. PE. Salva sumes indidem. *Cic. Rosc. Am.* 27. 74. Indidem ne Ameria, an hosce ex urbe sicarios? *Nepos Epam.* 5. Habuit obtrectatorem Meneclidem indidem Thebis. *h. e.* ipsum quoque Thebanum, ut erat Epaminondas. *Liv.* 39. 12. Indidem ex Aventino. *Id.* 25. 15. Indidem ex Achaja. Adde *eumd.* 39. 8.; et *Gell.* 6. 10. Sic *Inscript.* apud *Henzen.* 5580. MARKATE PER TV-

SCIA (*sic*) EA CONSVETVDINE, VT INDIDEM CREATVS SACERDOS etc. — Cum adverb. *unde*. *Plaut. Cist.* 1. 1. 64. Indidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem. ¶ 2. Latiori sensu de rebus, pro ex eadem re. *Cato R. R.* 25. Indidem, si voles, lavito. *Cic.* 3. *Orat.* 40. 161. Unde simile duci potest (potest autem ex omnibus) indidem verbum unum, quod etc. *Liv.* 39. 8. Falsi testes, falsa signa ex eadem officina exibant: venena indidem intestinæque cædes. *Apul.* 10. *Met.* Indidem de potione gustavit ampliter. — Pro *inde* videtur usurpari ab *eodem* 11. *ibid.* Nec tamem sinebat me animus ungue latius indidem digredi. — Item pro ea re, eo instrumento. *Id.* 8. *ibid.* Arrepto deinde flagro – indidem sese multinodis commulcat ictibus.

INDIFFĔRENS, entis, adject. (in *privat.* et differens) qui non differt, *indifferente*, ἀδιάφορος. — *a*) De rebus est qui nec bonus, nec malus est. *Cic.* 3. *Fin.* 16. 53. Quod illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem. Adde *Senec. Ep.* 82. *circa med.* Sic *Gell.* 12. 5. Cur dolor apud Stoicos indifferens esse dicitur, non malum? — *b*) De personis. *Indifferens homo*, qui non est difficilis aut morosus in re aliqua. *Sueton. Cæs.* 53. Nam circa victum C. Oppius adeo indifferentem fuisse docet, ut ab hospite conditum oleum pro viridi appositum, aspernantibus ceteris, solum etiam largius dicat appetisse. — *c*) In re grammatica *indifferens syllaba*, quæ nihil refert longa, an brevis sit. *Quintil.* 9. 4. 93. Clausula e longis firmissima est; sed cludent et breves, quamvis habeatur indifferens ultima.

INDIFFĔRENTER, adverb. (indifferens) indiscriminatim, promiscue, *indifferentemente*, *senza differenza*, ἀκρίτως, ἀδιαφόρως. *Quintil.* 11. 3. 1. Utraque appellatione indifferenter uti licet. Adde *eumd.* 9. 2. 6. Sic *Gell.* 10. 24. Consuetum veteribus litteris his uti indifferenter, sicut *præfiscine* et *præfiscini* etc. *Paul. Dig.* 48. 3. 10. Quum scierint, sibi quoque molestiæ futurum magistratum, si facile solverint vinctos, non indifferenter de cetero facient, *h. e.* passim, promiscue et quacumque de causa. Sic *Ammian.* 30. 5. Valentinianus vero tamquam auribus cerâ illitis ignorabat, indifferenter quidem lucrandi vel ex rebus minimis avidus, idque tantum cogitans quod offerebatur. — *Indifferenter vivere* apud *Scribon. Compos.* 122. est quocumque cibo uti, more eorum, qui sani sunt, et nullis medicorum legibus subjici volunt. — *Indifferenter ferre* est æquo animo ferre, neque dolendo, neque gaudendo. *Sueton. Domit.* 23. Occisum eum populus indifferenter, miles gravissime tulit.

INDIFFĔRENTĬA, æ, f. 1. (indifferens) discriminis defectus, atque adeo similitudo, affinitas, convenientia, *indifferenza, similitudine*, ἀδιαφορία. *Gell.* 13. 3. Hoc ego scripsi de utriusque vocabuli indifferentia.

INDIFFĬCULTER, adverb. (in *privat.* et difficulter) non difficulter, *facilmente*. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 21. *ante med.* Hinc est, quod etiam nos per fistulam, vel cujuscemodi attracto aere, aquas indifficulter haurimus.

INDĬGĔNA, æ, adject. comm. gen. (indu *pro* in et geno *pro* gigno) genitus in eo loco, ubi degit, αὐτόχθων (It. *nativo del paese*; Fr. *indigène, né dans le pays, du pays*; Hisp. *natural de un país*; Germ. *eingeboren, inländisch, d. Eingeborne*; Angl. *a native of the place*). Occurrit — *a*) De personis. Omnes terræ habitatores aut indigenæ sunt, aut advenæ. Indigenæ sunt inde geniti, quos vocant Aborigenes Latini, Græci αὐτόχθονας, de Faunis *Virgilius* dixit 8. *Æn.* 314. Advenæ de uno loco venientes, ut Saturnus. Convenæ, de diversis, ut Ausones et Sicani. Hæc *Servius* ad *Virg. loc. cit.* *Virg.* 12. *Æn.* 823. Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos, Neu Troas fieri jubeas. *Ovid.* 2. *Met.* 839. Quæque tuam matrem tellus a parte sinistra Suspicit, (indigenæ Sidonida nomine dicunt) Hanc pete. *Colum.* 1. *R. R.* 7. 3. Felicissimum fundum esse, qui colonos indigenas haberet. *Liv.* 21. 30. Ne majores quidem eorum indigenas, sed advenas Italiæ cultores etc. *Id.* 23. 5. Indigena miles. *Val. Flacc.* 6. 93. duces. Adde *Ammian.* 29. 5. *Tac. Agric.* 11. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenæ an advecti, ut inter barbaros parum compertum. *Prudent.* 2. *Symmach.* 500. Perfidia ne deûm Indigenum cecidere tot urbes? — *b*) Tribuitur et brutis animantibus et rebus. *Ovid.* 3. *Amor.* 13. 4. Casta sacerdotes Junoni festa parabant Per celebres ludos indigenamque bovem. Sic *Colum.* 6. *R. R.* 2. 12. Longe omnis bos indigena melior est, quam peregrinus. *Ovid.* 14. *Met.* 343. Apri indigenæ. *Apul.* 1. *Met. init.* equæ. *Val. Flacc.* 6. 294. aquæ. *Claudian. cons. Prob. et Olybr.* 254. fluvina. *Rutil.* 2. *Itiner.* 65. Indigenis saxis. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 6. 8. (72). Indigena vinum. *Flor.* 2. 18. 12. Quum sese implevissent carnis semicrudæ et celiæ: sic vocant indigenam ex frumento potionem. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 161. *de Ætna.* Nunc vomit indigenas nimbos. *Id. VI. Cons. Honor.* 8. Indigenas habitus nativa Palatia sumunt, *h. e.* vere Romanos. *Prudent. loc. cit.* 341. Indigena pietas, *h. e.* orta inter nos.

INDĬGENS, entis. *V.* INDIGEO in fin.

INDĬGENTĬA, æ, f. 1. (indigeo). ¶ 1. Est inopia, egestas, penuria, *bisogno*, ἔνδεια. *Cic. Amic.* 8. 27. A natura mihi videtur potius, quam ab indigentia orta amicitia. *Boeth. p.* 656. Indigentia planì. *Vulgat. interpr. Amos* 4. 6. Ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris et indigentiam panum in omnibus locis vestris. ¶ 2. Item immodica rerum libido. *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 21. Indigentia est libido inexplebilis. *Id. ibid.* 7. 16. Subjecta sunt – libidini ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium. *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 18. *p.* 1203. *Putsch.* Video indigentiam dona quæsitum gratiæ properantem. *h. e.* abstractum pro concreto, homines video inexplebili libidine properantes quærere honores et imperia, populi gratiæ debita. *Kritzius* ita legit et interpretatur.

INDĬGĔNUS, a, um, adject. idem atque indigena. *Apul.* 1. *Met. ab init.* Mox in urbe Latia advena studiorum Quiritium indigenum sermonem excolui.

INDĬGĔO, ges, gŭi, gere, n. 2. (indu et egeo). Part. *Indigens* in fin. — Indigere ¶ 1. Stricto sensu dicitur is, quem res aliqua deficit, ἀπορέω, *mancare, difettare, avere difetto di qualche cosa*; et occurrit cum Ablativo rei. *Cic. Rosc. Com.* 15. 44. Indigere bona existimatione. *Nepos Agesil.* 7.; et *Val. Max.* 7. 2. *extern.* 8. pecunia. *Nepos Att.* 21. medicina. *Cæs.* 2. *B. C.* 35. iis rebus, quæ ad oppugnationem castrorum sunt usui. *Cassius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 11. cohortatione. *Sulpicius* apud *eumd.* 3. *ibid.* 5. consolatione. *Varro* 1. *R. R.* 31. 6. Quod indigent potui, poma dicta esse possunt. *Non.* ita leg. *p.* 502. 21. *Merc.*, *al.* potu. ¶ 2. Latiori sensu est opus habere, *avere bisogno, abbisognare*; et occurrit — *a*) Sæpe cum Genitivo. *Plaut. Rud.* 3. 2. 28. Mulieres duæ innocentes intus hic sunt, tui indigentes auxilii. *Ter. Andr.* 5. 3. 19. Quid mi pater? quasi tu hujus indigeas patris! Domus, uxor, liberi inventi invito patre. *Cic.* 1. *Orat.* 34. 156. Jam illa non tam artis indigent, quam laboris. *Id.* 6. *Fam.* 4. Quæ ad consolandum majoris ingenii et ad ferendum singularis virtutis indigent. *Id.* 12. *Att.* 35. Indigeo tui consilii. *Id. Amic.* 14. 51. Qui minime alterius indigeant. Adde *Nepot. Cim.* 4. *Thrasyb.* 2. et *Hann.* 1.; et *Sueton. Tib.* 10. Sic *Colum.* 7. *R. R.* 11. 3. Indigere pabuli. *Id.* 8. 14. 8. ciborum. *Virg.* 2. *Ecl.* 71. Quin tu aliquid saltem, potius quorum indiget usus; Viminibus mollique paras detexere junco? — *b*) Cum Ablativo. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 3. 2. Ut, vivo me, aliis indigeres. *Sueton. Galb.* 7. Militi – vetuit, simul atque indigere cibo cœpisset, a quoquam opem ferri. Adde *eumd. Aug.* 29. et 89. — *c*) Cum Accusativo. *Afranius* apud *Non. p.* 502. 10. *Merc.* Male merentur de nobis heri, qui nos tantopere indigent in pueritia. *Mercerus* leg. *indulgent*. *Varro* 5. *L. L.* 27. *Müll.* Dives, qui ut Deus, nihil indigere videtur. — *d*) Cum Infinito. *Gell.* 4. 1. Hoc plane indigeo addiscere. — *e*) Passive impersonaliter. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 27. 39. (76). Quum præsidio earum indigetur. Adde *Pallad.* 8. *R. R.* 4. 1. ¶ 3. Latissimo sensu, vel metonymice est vehementer cupere aut sectari. *Cic. Sull.* 8. 25. Contemnere omnes libidines: non auri, non argenti, non ceterarum rerum indigere. *V.* INDIGENTIA 2. — Hinc

Indigens, entis, particip. præs., adjective quoque occurrit, unde Sup. *Indigentissimus* sub *a*; et est qui indiget, pauper, egens, indigus, *bisognoso*, ἐνδεής. — *a*) Cum Genitivo. *Plaut. Rud.* 4. 3. 6. Non edepol pisces expeto, quam tui sermonis sum indigens. *Cic. Amic.* 9. 30. Quid enim? Africanus indigens mei? minime hercle: at ne ego quidem illius. *Nepos Reg. sub fin.* Alienarum opum indigens. *Auct. B. Hisp.* 17. Cives Romani indigentes præsidii. *Sueton. Aug.* 78. Indigens somni. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 2. 1. Aquarum indigentissimæ terræ. — *b*) Cum Ablativo. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 47. (164). Cotes oleo indigentes. *Justin.* 18. 1. 1. Ipsis auxilio adversus Romanos indigentibus. *Val. Max.* 1. 4. *n.* 5. Nullo vocis ministerio indigens. *Gell.* 14. 2. *circa med.* Disceptatio multa cura indigens. — *c*) Absolute. *Cic.* 2. *Off.* 15. 52. Indigentibus benigne facere. *Id.* 2. *Fin.* 35. 118. Opem indigentibus ferre.

INDĬGES, *vel* indigens, gĕtis, m. 3. *V.* INDIGETES ad fin.

INDĬGES, is, adject. (indigeo) idem atque indigens. *Pacuvius* apud *Cic.* 1. *Orat.* 46. 193. Quem ætate exacta indigem liberum lacerasti, orbasti, extinxisti.

INDĬGESTĒ, adverb. (indigestus) inordinate, incomposite, *disordinatamente*, ἀτάκτως. *Gell. præfat.* Quas breviter et indigeste et incondite annotationibus, tractationibus lectionibusque variis feceramus. Adde *Macrob. Saturn. præfat. init.*

INDĬGESTĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et digero) *indigestibile*, qui concoqui in ventriculo non potest. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 6. 90. Offert farinam cum lacte, quæ indigestibilis probatur. Adde *eumd.* 2. *Acut.* 9. *ad fin.*; et *Theod. Priscian. de diæt.* 6.

INDĬGESTĬO, ōnis, f. 3. (in *privat.* et digestio) cruditas, *indigestione*. *Gargil. de pom.* edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 479. Persicorum caro ejus (*stomachi*) indigestionem facit. *Hieronym. Ep.* 22. *n.* 17. Ad orationem tibi nocte surgenti non indigestio ructum faciat, sed inanitas. Adde *Veget.* 1. *Veterin.* 21. 3. et 2. *ibid.* 7. 1.; et *Theod. Priscian.* 4. *p.* 311. retro edente *Aldo*.

INDĬGESTUS, a, um, adject. (in *privat.* et digestus) non digestus. ¶ 1. Generatim est confusus, perturbatus, sine ordine, *mal composto, disordinato, confuso*, ἄτακτος. *Ovid.* 1. *Met.* 7. Chaos, rudis indigestaque moles. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 15. 30. (98). Indigesta simplicitas. *Id.* 17. *ibid.* 10. 12. (65). Indigesta turba. At *Sillig.* pro *indigesta* legit *ingesta*. *Ammian.* 30. 4. *med.* circumlocutio. ¶ 2. Speciatim est idem ac crudus, *non digerito*. *Macrob.* 7. *Saturn.* 7. *ante med. de menstruo.* Indigestum est enim et crudum, quod egeritur e corpore muliebri et quasi infirmum effluit. Adde *Theod. Priscian.* 4. *p.* 311. retro edente *Aldo*; et *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 2. *p.* 707. ¶ 3. Item *indigestus* dicitur qui cibos non concoquit atque adeo indigestione laborat. *Veget.* 3. *Veterin.* 53. 1. *Schneid.* Nec stare potest (*jumentum*), nec ambulare, sed si cogatur, claudicat, et sæpe se projiciet, sicut indigesta ex hordeo animalia faciunt, quæ propter dolorem non coquunt cibum. Adde *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 21. *init.*

INDĬGESTUS, us, m. 4. (in *privat.* et digero) idem atque indigestio. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 4. *Sat.* 67. Escis futuris stomachi indigestum parare.

INDĬGĔTES, um, m. plur. 3. ἀνθρωποδαίμονες, qui ex hominibus dii facti sunt: ab *in* et *dico, as*, hoc est dedico, consecro, unde *indices*, et *c* in *g* converso *indiges*, inter deos consecratus: vel ab *indigito* invoco, quod ab *indu* pro *in* et *cito* voco, quia una cum ceteris diis invocantur: vel a *deus* et *ago*, quasi in diis agentes. Aliqui censent, deos Indigetes esse deos patrios, seu deos topicos, qui Græcis θεοὶ πατρῷοι et ἐγχώριοι et τοπικοὶ vel ἐντόπιοι vocantur, et dici ab *indu* pro *in* et *ago* habito, ut Indiges sit, qui locum aliquem incolit. *Servius* ad *Virg.* 12. *Æn.* 794. Sed hac acceptione dicti potius fuerunt ab *inde* vel *indu* et *geno*, quod in eo loco geniti sunt, in quo coluntur. Ceterum *Servius* aliorum opinionem hic recitat; V. *Bullett. archeol. Nap. T.* 3. *p.* 35. Nam ad *Virg.* 1. *G.* 498. deos patrios ab Indigetibus distinguit, his verbis: Patrii dii sunt, qui præsunt singulis civitatibus, ut Minerva Athenis, Juno Carthagini: Indigetes autem proprie sunt dii ex hominibus facti, quasi in diis agentes. — Sunt qui stricte intelligunt Semideos Curetes. *Gloss. Philox.* Indigetes, ἡμίθεοι Κουρῆτες. *Arnob.* 3. 43. Aut si Curetas pro Laribus invocaro, quos Indigetes Samothracios pars vestrorum adse-

verat auctorum. *Al. melius leg.* Digitos. — Universe dicebantur Indigetes, qui dii ex hominibus facti essent. Aliqui Indigetes dicunt esse deos tutelares, quorum nomina vulgari non licet (V. *Paul. Diac.* p. 106. 10. *Müll.*). Aliqui omnes deos Indigetes appellari volunt ab *indigeo*, quod nullius rei indigeant, vel quod nos eorum indigeamus. (Sic in Kalend. *Capranic.* mense Augusto apud *Gruter.* 134. et in *Amiternino* apud *Foggin.* legitur: Soli indigeti in colle Quirinale sacrificium publicum, vel feriæ. *h. e.* ait *Fogginius*, Soli, quo maxime indiget Pop. Rom., ut ei aer saluber sit). Sed verius esse videtur, Indigetes esse deos ex hominibus factos, et ibi maxime cultos, ubi nati sunt. *Hesiod.* apud *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 9.; et *Servius* ad *cit.* 12. *Æn.* etc. *Liv.* 8. 9. Lares, dii Novensiles, dii Indigetes, divi quorum est potestas nostrum hostiumque. *Virg.* 1. *G.* 498. Di patrii, Indigetes, et Romule Vestaque mater. Adde *Arnob.* 1. 36. et 64.; et *Paul. Diac. loc. cit.* — In singulari numero est Indiges, etis: et *indigens* in *Inscript.* apud *Henzen.* 5345. AENEAS *cum nimbo exorto* NON *conparuisset dictus* EST INDIGENS *et in deorum* NVMERO RELATVS. *Tibull.* 2. 5. 45. *de Ænea.* Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici Unda deum cælo miserit Indigetem. Sic *Virg.* 12. *Æn.* 794. Indigetem Æneam scis ipsa, et scire fateris, Deberi cælo. et *Sil. It.* 8. 39. Tum diva, Indigetis castis contermina lucis. *h. e.* Indigetis dei Æneæ. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 9. (56). Oppidum Laurentum, lucus Jovis Indigetis, amnis Numicius. Adde *Gell.* 2. 16. *sub fin.*; et *Paul. Diac.* p. 106. 15. *Müll.* — *V.* et ONOM.

INDĬGĔTO *vel* indigito, as, are, a. 1. (in *vel* indu *pro* in *et* cito *voco*) proprie significat invocare. *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. Namque Virgines Vestales ita indigetant: Apollo Medice, Apollo Pæan. *Paul. Diac.* p. 114. 3. *Müll.* Indigitanto, imprecanto. *h. e.* invocanto. — *Indigitare precem* apud *Tertull. Jejun.* 16. est precari. — Quia deos invocans, nomine eos appellare solet, *indigitare* et pro nominare ponitur. *Arnob.* 4. 25. Qui Patrocles Thurius scriptorum in titulis indigitatur. *Plerique tamen rectius leg.* indicatur.

INDĬGĬTĀMENTA, ōrum, n. plur. 2. (indigito) appellantur libri pontificales, qui deorum nomina et eorum invocandorum rationem ritusque continent. ἱερατικὰ βιβλία. *Arnob.* 2. 73. Apollinis nomen Pompiliana indigitamenta nescire. *h. e.* a Numa Pompilio scripta. Adde *Servium* ad *Virg.* 1. *G.* 21. Sic *Censorin. de die nat.* 3. Liber de indigitamentis. *Paul. Diac.* p. 114. 6. *Müll.* Indigitamenta, incantamenta, vel indicia. *Indigitamenta* ita indicat *Lucret.* 6. 380. Non Tyrrhena retro volventem carmina frustra Indicia occultæ divûm perquirere mentis. Ea igitur erant *indicia mentis divûm, h. e. deorum.* V. *Le Clerc des journaux chez les Romains* p. 135. et *Niebuhr. Hist. R. T.* 1. p. 156. *not.* 341.

INDĬGĬTO. *V.* INDIGETO.

INDIGNĀBUNDUS, a, um, adject. (indignor) indignationis plenus, *pieno di sdegno*, δυσχεραίνων δύσοργος. *Liv.* 38. 57. Illa muliebriter indignabunda, nihil de communi filia secum consultatum. *Sueton. Aug.* 40. Indignabundus et clamitans. Adde *eumd. Cal.* 35. *Gell.* 19. 9. Animo irritato indignabundus.

INDIGNANS, antis. *V.* INDIGNOR in fin.

INDIGNANTER, adverb. (indignans) cum indignatione, *sdegnosamente.* *Arnob.* 3. 7. Mussitare indignanter. *Ammian.* 15. 1. Indignanter ferre. *Id.* 27. 3. Indignanter sustinere.

INDIGNĀTĬO, ōnis, f. 3. (indignor) ira, stomachus, dolor ob rem indignam, quam ferre quis non potest, ἀγανάκτησις (It. *indignazione, sdegno, stizza*; Fr. *indignation*; Hisp. *indignacion, ira, cólera*; Germ. *d. Unwille*; Angl. *indignation, rage, disdain*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Liv.* 4. 50. Indignationem movere. *Id.* 3. 48. Publicæ indignationes. *Auct. B. G.* 8. 44. Drapes sive indignatione et dolore vinculorum, sive timore gravioris supplicii, paucis diebus se se cibo abstinuit atque ita interiit. *Horat. Epod.* 4. 9. Ut ora vertat huc et huc euntium Liberrima indignatio. *Quintil.* 3. 8. 45. Rem sceleratissimam non malitia, sed indignatione audere. *Curt.* 7. 1. 24. Militantium nec indignatio, nec lætitia moderata est: ad omnes effectus impetu rapimur. *Vellej.* 2. 66. 3. Cogit excedere propositi formam operis erumpens animo ac pectore indignatio. *Justin.* 12. 4. Indignatio omnium totis castris erat, a Philippo illum patre tantum degeneravisse. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (18). Tanta senatus indignatio exarsit, ut etc. *Id.* 8. *ibid.* 42. 64. (158). Equus indignatione accensus. *Id.* 9. *ibid.* 30. 48. (91). Alicujus indignationem in se convertere. Adde *Sueton. Aug.* 14.; *Juvenal.* 1. 79. et 5. 120.; et *Ammian.* 28. 5. *init.* ¶ 2. Speciatim apud Rhetores, ut docet *Cic.* 1. *Invent.* 53. 100., *indignatio* est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offensio concitetur. *et mox.* Ex iis rebus, quæ personis atque negotiis attributæ sunt, quævis amplificationes et indignationes nasci possunt. Cf. *Quintil.* 4. 3. 15. ¶ 3. Item *Indignatio* titulus fuit libello, quem P. Valerius Cato scripsit, teste *Sueton. Gramm.* 11.

II.) Translate. ¶ 1. Pro indignitate. *Quintil. Declam.* 5. 1. Nec intelligit, majorem se factis meis auctoritatem hac indignatione conferre. ¶ 2. A *Vegetio Veterin.* sæpe usurpatur de læsione alicujus membri, ex qua veluti indignatur, irritatur et dolet, (Itali dicunt *irritazione*), v. gr. 1. 63., 2. *prol.* et 13. et 18., 3. 15. etc. Sic *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. Potum dabimus paulatim, ne tumentia indignentur. Sæpissime hoc sensu *indignatio* usurpatur a *Theod. Priscian.*, ut 1. 27. Nascitur ergo in hoc sæpissima indignatio vel fervor.

INDIGNĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* indignatio, parva indignatio. *Plin.* 6. *Ep.* 17. Indignatiunculam, quam in cujusdam amici auditorio cepi, non possum mihi temperare, quo minus apud te per epistolam effundam.

INDIGNĀTĪVUS, a, um, adject. (indignor) qui indignatur. *Tertull. Anim.* 16. Indignativum, quod appellant θυμικόν. *l'irascibile.*

INDIGNĀTUS, a, um. *V.* INDIGNOR.

INDIGNĒ, adverb. (indignus). Comp. *Indignius* et Sup. *Indignissime* 1. — Indigne est ¶ 1. Contra dignitatem, contra jus fasque, inhoneste, ignominiose, *indegnamente, ignominiosamente, ingiustamente, miseramente*, ἀεικῶς, ἀναξίως. *Plaut. Cist.* 2. 3. 21. Tute tibi indigne dotem quæras corpore. *Id. Bacch.* 3. 3. 66. Meretricem indigne deperit. *Ter. Adelph.* 3. 2. 10. Cui miseræ indigne per vim vitium obtulerat. *Id. Phorm.* 5. 8. 20. An quidquam est hodie factum indignius? *Cic.* 7. *Verr.* 57. 147. Cervices in carcere frangebantur indignissime civium Romanorum. *Cæs.* 7. *B. G.* 38. Persequamur eorum mortem, qui indignissime interierunt. Adde *Sueton. Rhet.* 6.; *Justin.* 7. 6. 3.; *Plin.* 6. *Ep.* 6.; et *Gell.* 13. 8. ¶ 2. Item cum indignatione, ægre, moleste. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 31. Quum indigne pateretur uxor Cleomenis, in conventum suum mimi filiam venisse. *Nepos Eumen.* 1. Macedones, eum sibi anteponi, indigne ferebant. *Phædr.* 3. 18. Pavo ad Junonem venit, indigne ferens, Cantus lusciniI quod sibi non tribuerit. Adde *eumd.* 1. 21., et *Curt.* 6. 11. 23.

INDIGNĬTAS, ātis, f. 3. (indignus). ¶ 1. Generatim est contrarium dignitatis, turpitudo, dedecus, *indegnità, viltà*, ἀπρέπεια. — a) De personis. *Cic.* 2. *Orat.* 32. 63. Si quid affert præterea hominis aut dignitas aut indignitas, extra quæstionem est. *Id. Vatin.* 6. 15. Ne que ex tua summa indignitate labes illius dignitati aspersa videatur. *Id. Cæcil.* 19. 63. Quorum nemo propter indignitatem repudiatus est. *Id. Dejot.* 1. 2. Indignitas accusatoris. *h. e.* servi accusantis. *Liv.* 3. 12. Cum multa indignitate prensabat singulos. — b) De rebus. *Cæs.* 7. *B. G.* 56. Infamia atque indignitas rei. *Cic. Mur.* 25. 51. Neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevit. *Id.* 7. *Verr.* 46. 123. Indignitas calamitatis. *Id.* 3. *ibid.* 55. 144. injuriæ. *Quintil.* 6. 1. 19. calumniæ. ¶ 2. Speciatim est res indigna, indignum factum, iniquitas, atrocitas, ἀεικεία. *Cic.* 6. *Fam.* 14. Quum venissem mane ad Cæsarem, atque omnem adeundi et conveniendi illius indignitatem et molestiam pertulissem. *Cæs.* 2. *B. G.* 14. Omnes indignitates contumeliasque perferre. Cf. *Justin.* 5. 1. 2. Revocatus (*Alcibiades*) e bello ad judicium, sive conscientiam, sive indignitatem rei non ferens, tacitus in exsilium Elidem profectus est. *Liv.* 42. 52. Omnibus indignitatibus compulsus ad rebellandum. *Id.* 5. 48. *extr.* Rei fœdissimæ per se adjecta indignitas est: pondera ab Gallis allata iniqua, et adjectus ab insolente Gallo ponderi gladius. Adde *Sueton. Galb.* 16. et *Cal.* 23. ¶ 3. Item indignatio, *indegnazione*, quæ re vel facto indigno in animis excitatur. *Cic.* 10. *Att.* 8. Tacita esse poterit indignitas nostra? *Liv.* 5. 45. Inde primum miseratio sui, deinde indignitas, atque ex ea ira animos cepit. *Justin.* 3. 5. 4. Quum hinc injuria, inde indignitas animos acuerit. Adde *Sueton. Claud.* 36.

INDIGNĪTER, adverb. (indignus) indigne. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 176. *Burmann.* Vixit bis decem annis nata indigniter.

INDIGNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (indignus). *Indignarier* pro *indignari* paragoge est apud *Lucret.* 3. 884. — Part. *Indignans* I. et in fin.; *Indignatus* I.; *Indignandus* in fin. — Indignor est rem indignam esse ajo, ferre non possum, stomachor, cum ira detrecto, graviter fero, ἀγανακτέω (It. *non poter sopportare, disdegnare, sdegnarsi, corrucciarsi*; Fr. *s'indigner, être indigné*; Hisp. *indignarse, irritarse, enfadarse*; Germ. *unwillig sein über etwas, es für unwürdig, empörend halten*; Angl. *to scorn, disdain, be unwilling to brook, be enraged, incensed, or highly offended at, be indignant*).

I.) Proprie occurrit — a) Cum Accusativo. *Cic.* 1. *Invent.* 17. 24. Ea, quæ indignantur adversarii, tibi quoque indigna videri. *Nepos Dion.* 4. Id quum factum multi indignarentur. *Liv.* 2. 31. Indignari vicem suam. *Virg.* 2. *Æn.* 93. Et casum insontis mecum indignabar amici. *Seneca Tranquill.* 10. Ubi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fortiter ferre docet. *Quintil.* 1. 3. 6. Sunt quidam, nisi institeris, remissi: quidam imperia indignantur. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 16. Indignari preces alicujus. *Val. Flacc.* 1. 9. Phrygios prius indignatus Iulos. Huc referri potest et illud *Claudian. IV. Cons. Honor.* 557. Ipse tibi famulas præberet Pegasus alas, Portaretque libens, melioraque pondera passus Bellerophonteas indignaretur habenas. — b) Cum Ablativo et præpos. *de* vel sine præpos. *Auct. B. Hisp.* 18. *extr.* Transfuga nunciavit, Pompejum et Labienum de jugulatione oppidanorum indignatos esse. *Val. Flacc.* 1. 801. Atque indignatos temerato litore reges Mente agitat. — c) Sequente part. *quod.* *Cæs.* 7. *B. G.* 19. Indignantes milites, quod conspectum suum hostes ferre possent. *Virg.* 5. *Æn.* 650. Ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui Ægram, indignantem, tali quod sola careret Munere, nec meritos Anchisæ inferret honores. — d) Sequente *quandoque* apud *Horat. Art. P.* 359. Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus. — e) Sequente part. *si.* *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. Nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit. *Curt.* 6. 5. 11. Itaque rex indignatus, si una gens posset efficere, ne invictus esset etc. — f) Cum Infinito v. neutr. et passivi. *Quintil.* 1. 1. 8. Cedere peritis indignantur. *Id.* 1. 2. 10. Non indignantur singulis hærere. *Id.* 1. 11. 17. Quod facere oportest, non indignandum est discere. *Lucan.* 10. 444. Et timet incursus indignaturque timere. *Juvenal.* 5. 64. Quippe indignatur veteri parere clienti. *Stat.* 1. *Theb.* 720. Indignata sequi. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 76. Indignor quicquam reprehendi. Cf. *eumd. Art. P.* 90. Sic *Ovid.* 10. *Met.* 604. a tanto non indignabere vinci. — g) Cum Infinito et Accusativo. *Sall. Jug.* 31. Tecti indignabamini, ærarium expilari. *Cæs.* 3. *B. C.* 108. Queri atque indignari cœpit, regem ad dicendam causam evocari. Adde *Sueton. Cæs.* 78. et *Aug.* 51. — h) Cum Dativo. *Ulp. Dig.* 48. 5. 2. Quique contaminationi non indignatur. Ita *Torrentin.*; at *Haloander* contaminatione: *V.* supra sub *b.* — i) Absolute. *Sueton. Aug.* 66. Laudavit pietatem tantopere pro se indignantium. *Quintil.* 6. 3. 83. Utrum ridere audientes, an indignari debuerint. *Id.* 11. 3. 61. Indignantium affectus. Adde *eumd.* 11. 3. 58. et 11. 3. 123.

II.) Figurate. — a) A Poetis eleganter tribuitur rebus inanimis. *Virg.* 1. *Æn.* 59. Venti indignantes circum claustra fremunt. *Id.* 8. *ibid.* 728. pontem indignatus Araxes. *Id.* 2. *G.* 162. Indignatum magnis stridoribus æquor. *Sil. It.* 5. 606. Clausus ubi exusto liquor indignatur aheno. — b) In re medica indignari dicitur membrum, quod læsione aliqua irritatur et dolet. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 3. Potum dabimus paulatim, ne tumentia indignentur.

V. INDIGNATIO II. 2. et IRRITAMENTUM. — Hinc

Indignandus, a, um, particip. pass., est is quem quis indignari debet. *Ovid.* 8. *Met.* 658. sed et hæc vilisque retusque Vestis erat lecto non indignanda saligno. Adde *Val. Flacc.* 1. 547.; et *Cic.* 2. *Invent.* 18. 56.

Indignans, antis, particip. præs., adjective quoque occurrit, unde Sup. *Indignantissimus* 1., et est qui indignatur et detrectat, impatiens, δύσοργος, *chi si sdegna, sdegnoso, irato.*

I.) Proprie. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 7. Mulorum genus mollissimum est et indignantissimum servitutis. *Ovid.* 6. *Met.* 583. dolor ora repressit, Verbaque quærenti satis indignantia linguæ Defuerunt. *Id.* 4. *Fast.* 895. cadit Mezentius ingens, Atque indignanti pectore plangit humum. *Id.* 12. *Met.* 353. qui pronos montibus ursos Ferre domum vivos indignantesque solebat. *Stat.* 3. *Theb.* 599. corda indignantia. *Id.* 2. *Silv.* 2. 125. Indignans fortuna.

II.) Figurate de inanimis. *Ovid.* 11. *Met.* 491. Bella gerunt venti, fretaque indignantia miscent. Sic *Val. Flacc.* 1. 202. tu tantum non indignantibus undis Hoc caput accipias.

INDIGNUS, a, um, adject. (in *privat. et* dignus). Comp. *Indignior* et Sup. *Indignissimus* sub *A.* — Indignus est non dignus, qui non meretur, qui non convenit, alienus, ἀνάξιος (It. *indegno*; Fr. *indigne*; Hisp. *indigno*; Germ. *unwürdig*; Angl. *unworthy, undeserving*). Occurrit *A*) Tum in malam; et *B*) Tum in bonam partem.

A) In malam partem. — 1.°) De personis. — *a*) Cum Ablativo. *Cic. Vatin.* 16. 39. Te omni honore indignissimum judicat. *Curt.* 4. 1. 16. Strato quis deditionem magis popularium, quam sua sponte fecerat, regno visus indignus. *Juvenal.* 8. 30. Quis enim generosum dixerit hunc, qui indignus genere, et præclaro nomine tantum insignis? — Aliquando indignus est, quem non decet, qui non debet. *Cic. Pis.* 23. 54. L. Flaccus, vir tua legatione indignissimus. Cf. *Ter. Eun.* 5. 2. 26. Nam si ego digna hac contumelia sum maxime; at tu indignus qui faceres tamen. — *b*) Cum Genitivo. *Virg.* 12. *Æn.* 649. magnorum haud unquam indignus avorum. — *c*) Sequente part. *ut. Liv.* 22. 59. Nihil nobis vilia opus esse censeamus, quum indigni, ut a vobis redimeremur, visi sumus. — *d*) Sequente Conjunct. et Relat. *qui. Cic. Rosc. Am.* 41. 119. Ii ne, qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent? *Curt.* 6. 4. 13. Ceterum si, cui fidem daret, videretur indignus, multa essilia patere fugienti. *Plin.* 7. *Ep.* 27. *in fin.* Digna res est, quam diu multumque consideres; ne ego quidem indignus, cui copiam scientiæ tuæ facias. — *e*) Cum Infinito. *Horat.* 1. *Ep.* 3. 35. indigni fraternum rumpere fœdus. — *f*) Absolute. *Cic.* 5. *Tusc.* 16. 46. Divitias quivis, quamvis indignus, habere potest. — 2.°) De rebus, et alienum, iniquum, fœdum, crudelem, turpem significat. — *a*) Cum Ablativo. *Ter. Adelph.* 3. 4. 41. Hæc te admittere indigna genere nostro. *Cæs.* 7. *B. G.* 17. Nulla vos est audita populi Romani majestate et superioribus victoriis indigna. *Id.* 5. *ibid.* 35. Nihil, quod ipsis esset indignum, committebant. *Nepos Datam.* 5. Indignum fide sua nihil fecit. *Quintil.* 6. 1. 37. Ne illud quidem indignum est admonitione. — *b*) Sequente Conjunct. et Relat. *qui. Quintil.* 7. 1. 78. illud protinus non indignum, quod annotetur. *Id.* 2. 4. 10. Ne illud quidem, quod admoneamus, indignum est. — *c*) Cum Supino. *Virg.* 9. *Æn.* 595. digna atque indigna relatu Vociferans. — *d*) Cum Infinito. *Ovid.* 1. *Art. am.* 681. Fabula nota quidem, sed non indigna referri. *Quintil.* 8. 4. 21. Non putant indignum — sustinere. — *e*) Absolute, seu cum rei nomine tantum, aut neutro genere sine addito. *Liv.* 29. 9. Lictoribus indignum in modum mulcatis. *Ter. Adelph.* 2. 1. 12. Indignis quum egomet sim acceptus modis. *Id. Andr.* 1. 1. 118. Indignum facinus. *Id. Eun.* 5. 5. 4. Indigna exempla. *Virg.* 6. *Æn.* 162. Misenum indigna morte peremptum. Sic *Justin.* 11. 15. 14. Indigna mors. *Id.* 7. 5. 8. cædes. *Val. Flacc.* 2. 146. amor. *Id.* 8. 38. causa. *Liv.* 1. 40. Antea semper pro indignissimo habuerunt, se pro patrio regno tutoris fraude pulsos. *Cic.* 2. *Off.* 8. 28. Hoc uno sol quidquam non vidit indignius. *Flor.* 2. 5. 3. Præfectos navium igni comburunt. Idque, quo indignius foret, mulier imperabat. *Virg.* 12. *Æn.* 811. Digna, indigna pati, d'ogni sorta. Cf. *Val. Flacc.* 2. 117. Quam (*Famam*) pater omnipotens digna atque indigna canentem, Spargentemque metus etc. Ceterum *Liv.* 31. 30. Indigna pati. et *Nepos Phoc.* 4. Is (*Emphyletus*) quum lacrimans dixisset: O quam indigna perpeteris, Phocion! huic ille, At non inopinata, inquit. *Sil. It.* 11. 240. nam cur indigna feramus? — *Indignæ hiemes* sunt asperæ, sævæ, horridæ. *Virg.* 2. *G.* 373. Huc pertinere videtur illud *Propert.* 1. 16. 5. Nunc ego (*janua loquitur*) nocturnis potorum saucia rixis Pulsata indignis sæpe queror manibus. Item illud *Ovid.* 10. *Met.* 722. pariterque sinus, pariterque capillos Rupit; et indignis percussit pectora palmis. — *f*) *Indignum est*, res est indigna, aliena, *è cosa indegna, sconveniente. Cic. Quinct.* 31. 95. Indignum est a pari vinci, aut superiore: indignius ab inferiore. *Virg.* 1. *G.* 490. Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro Emathiam et latos Hæmi pinguescere campos. *Lucan.* 10. 102. Sat fuit indignum, Cæsar, mundoque tibique, Pompejum fuisse etc. *Justin.* 7. 5. 7. Indignum prorsus, libidinis causa liberos a matre vita privatos. *Sall. Jug.* 79. Sed quoniam in has regiones venimus, non indignum videtur, egregium facinus duorum Carthaginensium memorare. — *g*) *Indignum* aliquando interjectio est indignantis, ut *infandum, nefas. Ovid.* 5. *Met.* 36. nisi post altaria Phineus Isset; et (indignum!) scelerato profuit ara. *Id.* 1. *Amor.* 6. 1. Janitor (indignum!) dura religate catena.

B) In bonam partem indignus dicitur de eo, qui malum non meretur, pro immerito, immerenti. — *a*) Sæpe absolute. *Plaut. Curc.* 4. 2. 27. Indignis si male dicitur, maledictum id esse dico. *Lucret.* 2. 1101. sæpe nocentes Præterit (*fulmen*) exanimatque indignos inque merentes. *Cic.* 4. *Tusc.* 20. 46. Ad calamitates hominum indignorum sublevandas. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 103. Cur eget indignus quisquam, te divite? *Ovid. Heroid.* 5. 8. Quæ venit indigno pœna, dolenda venit. — *b*) Cum Ablativo. *Ter. Adelph.* 2. 1. 12. Indignus injuria. — *c*) Cum Conjunct. et Relat. *qui. Juvenal.* 4. 95. Cum juvene indigno, quem mors tam sæva maneret Et domini gladiis tam festinata. — *d*) Cum Infinito. *Ovid.* 2. *Amor.* 3. 14. Forma indigna perire situ. *Id.* 1. *Met.* 508. Crura indigna lædi. *Sil. It.* 2. 111. indignumque sagittæ, Impubem malas, tam certæ occurrere Lyxum. *h. e.* Lyxum utpote impubem κατὰ malas, indignum qui occurreret sagittæ tam certæ. — *NB.* Pro magno, ingenti, vult *Servius* poni in illo *Virg.* 10. *Ecl.* 10. indigno quum Gallus amore periret. Additque *Ennium* dixisse *indignas turres*, id est magnas. Sed *Scaligero indignus* his locis est ἄφατος, ineffabilis, inenarrabilis, quique æstimari non potest. Nam *dignum*, inquit, quod æstimari ac monstrari potest. Sic Attici τὸ ἄξιον vocabant, quod facile æstimari poterat, παρὰ τὸ ὠνεῖσθαι. Hæc ille ad illud *Virg. Cir.* 310. Verum hæc tum nobis gravia atque indigna fuere.

INDIGUS, a, um, adject. (indigeo) vox fere poetica. ¶ 1. Generatim est indigens, egenus, *bisognoso*, ἐνδεής, ἄπορος. — *a*) Cum Genitivo. *Lucret.* 1. 60. Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri. *Virg.* 2. *G.* 428. Vi propria nituntur, opisque haud indiga nostræ. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (143). Canes fidelissima auxilia, nec stipendiorum indiga. *Id.* 4. *ibid.* 7. 11. (21). Civitas non indiga ullius præconii. *Tac.* 3. *Hist.* 22. Exercitus indigus rectoris. *Id. ibid.* 48. Urbs externæ opis indiga. *Capell.* 1. *p.* 9. Quodque indiga veri Cura facit dubium. *Alii male leg.* indaga. *Id.* 9. *p.* 303. Præsidii indiga natio. Adde *Sil. It.* 2. 155.; et *Pallad.* 12. *R. R.* 11. — *b*) Cum Ablativo. *Lucret.* 5. 221. indigus omni Vitai auxilio. *Apul.* 9. *Met.* Refectione virium vehementer indigus. — *c*) Absolute. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 102. mihi pauper et indigus uni. ¶ 2. Specialim est cupidus. *Lucan.* 9. 254. et omnis indiga servitii fervebat litore plebes.

INDIGUUS, a, um, adject. (indigeo) idem atque indigus. *Paulin. Nolan. carm.* 27. 4. Quos magis indiguos opis et virtute carentes Affectu rimante vident. Adde *eumd. carm.* 16. 196. Sunt qui *indiguus* leg. etiam apud *Apul. loc. cit.* in voce præced. sub 1. *b.*

INDILIGENS, entis, adject. (in *privat. et* diligens). Comp. *Indiligentior* 1. — Indiligens ¶ 1. Active, seu ratione habita hominis, est non diligens, negligens, *negligente, non curante, trascurato*, ὀλίγωρος. — *a*) Absolute. *Plaut. Bacch.* 2. 2. 23. Vide, quæso, ne quis tractet illam indiligens: scis tu, ut confringi vas cito Samium solet. *Ter. Adelph.* 4. 5. 50. Vereor, ne indiligens nimium sies. *Nepos Att.* 4. Quum rei familiari tantum operæ daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias. *Cæs.* 7. *B. G.* 71. Si indiligentiores fuerint. — *b*) Cum Genitivo. *Gell.* 15. 20. Cornelius Nepos rerum memoriæ non indiligens. ¶ 2. Passive, seu ratione habita rei. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 4. 19 (57). Nequam esse in domo matremfamilias, ubi indiligens esset hortus. *h. e.* non diligenter cultus, neglectus.

INDILIGENTER, adverb. (indiligens). Comp. *Indiligentius.* — Indiligenter est negligenter, remisse, *negligentemente, spensieratamente, trascuratamente*, ἀμελῶς, ὀλιγώρως. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 28. At indiligenter iceram. *V.* ICO. *Ter. Phorm.* 5. 3. 5. Mei patris bene parta indiligenter (*vir*) tutatur. *Cic.* 16. *Att.* 3. Nihil ab eo arbitror neque indiligenter, neque illiberaliter factum. *Cæs.* 2. *B. G.* 33. Nostros præsidia deducturos, aut denique indiligentius servaturos crediderant. *Gell.* 4. 12. Agrum suum indiligenter curare.

INDILIGENTIA, æ, f. 1. (indiligens) negligentia, *negligenza, trascuraggine*, ὀλιγωρία. *Plaut. Pers.* 4. 4. 9. Invidia, ambitio, obtrectatio, perjurium, indiligentia, injuria. *Cæs.* 7. *B. G.* 17. Summa difficultate rei frumentariæ affecto exercitu, indiligentia Æduorum. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. § 7. Litterarum missarum indiligentiam reprehendere. *Tac.* 4. *Hist.* 49. Gaudio clamoribusque cuncta miscebant, indiligentia veri et adulandi libidine. *per trascuraggine di rintracciare il vero. Plin.* 14. *Hist. nat.* 4. 5. (50). Prædia per indiligentiam negiecta.

INDILUCESCO, is, ere, n. inchoat. 3. (in *intens. et* dilucesco) idem fere ac dilucesco. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 42. Quum jam ferme dies insequens indilucesceret.

INDIMENSUS, a, um, adject. (in *privat. et* dimensus) non dimensus, immensus, innumerabilis. *Ammian.* 19. 2. Cernentes populos tam indimensos in nostrorum conversos exitium.

INDIMISSUS, a, um, adject. (in *privat. et* dimissus) non dimissus. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 34. Illicite dimissam uxorem pro indimissa ducens, adulter est.

INDIPISCO, dipiscis, deptus, dipiscere. *V.* voc. seq.

INDIPISCOR, dipisceris, deptus sum, dipisci, dep. 3. (indu *pro* in *et* apiscor). Dicebant etiam *indepiscor*, ut *Paul. Diac.* p. 106. 14. *Müll.* docet: atque ita quidam leg. apud *Plaut. Rud.* 5. 2. 26. et *Asin.* 2. 2. 13. *Indepiscor* autem defenditur analogia verborum *depeciscor* et *defetiscor*; in quibus quamquam *i* legitimum fuisset, e propter euphoniam aliquam rationem prælatum est. — Est etiam vetus forma *Indipisco*, quam *V.* infra sub I. *b.* — Part. *Indeptus* I. *a. b.* — Indipisci vel indipiscere est adipisci, assequi, nancisci, invenire, *conseguire, trovare*, ἐπιτυγχάνω.

I.) Proprie. — *a*) Depon. forma. — Cum Accusativo. *Plaut. Epid.* 3. 4. 15. Divitias magnas indeptus. *Lucret.* 3. 212. simul atque hominem leti secura quies est indepta. *h. e.* mors hominem occupavit. *Liv.* 26. 39. *circa med.* Quam quis indeptus navem erat ferrea injecta manu etc. *Apul.* 6. *Met.* Nec indipisci jam maritum volatilem quiens. *arrivare. Plaut. Trin.* 2. 1. 2. Indipisci multum dolorem. *Gell.* 12. 1. *extr.* amœnitates verborum. *Id.* 17. 2. Indipisci aliquid animo. *h. e.* memoriæ mandare. — Cum Genitivo. *Plaut. Rud.* 5. 2. 28. Manga hercle præda est: largiter mercedis indipiscar. — Absolute. *Plaut. Stich.* 4. 1. 57. Senes quidem voluit, si posset indipisci de cibo. *h. e.* alimoniam obtinere: al. leg. *cibo.* — *b*) Active. — Cum Accusativo. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 45. Neque partem tibi ab eo, quiqui est, indipisces, neque furem excipies? *Non. p.* 129. 2. *Merc.* ita legit; *alii* inde posces. Hinc Part. præter. pass. *Indeptus* apud *Plin. Hist. nat. præf.* § 9. Cato repulsis tamquam honoribus indeptis gaudens. *Al. male leg.* ineptis. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 12. 21. 14. Indeptæ dignitatis honore potiantur. — Cum Ablativo. *Plaut. Asin.* 2. 2. 13. Numquam edepol quadrigis albis indipiscet postea.

II.) Translate pro incipere. *Gell.* 1. 11. Achæos pugnam indipisci, non tibiarum concentu, sed mentium animorumque conspiratu.

INDĪRECTŌ, adverb. (indirectus) non directo. *Venant. Fortun.* 5. 4. *ep. ad Syagr.* Quia, etsi indirecto pervenit (*epistola*) ad terminum.

INDĪRECTUS, a, um, adject. (in *privat.* et directus) non directus. *Quintil.* 5. 13. 2. Quum accusatori satis sit plerumque, verum id esse, quod objecerit: patronus neget, defendat, transferat, excuset, deprecetur, molliat, minuat, avertat, despiciat, derideat: quare indirecta fere atque, ut sic dixerim, clamosa est actio; hinc mille flexus et artes desiderantur. *Venant.* in *ep. præmiss. carm.* 6. *l.* 5. *ad fin.* Indirectus versus.

INDĪREPTUS, a, um, adject. (in *privat.* et direptus) non direptus, *non saccheggiato*. *Tac.* 3. *Hist.* 71. *extr.* Sic Capitolium clausis foribus indefensum et indireptum conflagravit.

INDISCIPLĪNA, æ, f. 1. (in *privat.* et disciplina) defectus disciplinæ. *Gloss. Philox.* Indisciplina, ἀμαθία. Adde *Boeth.* 1. in *Aristot. Analyt. prior.* 3. p. 470. Termini, ut inesse, bonum, habitus, prudentia: ubi non inesse, bonum, habitus, indisciplina.

INDISCIPLĪNĀTĒ, adverb. (indisciplinatus) sine disciplina, inordinate. *Commodian. Instruct.* 76. Indisciplinate loqueris. Adde *eumd.* 57. 21.

INDISCIPLĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. (in *privat.* et disciplina) defectus disciplinæ. *Cassiod.* 7. *Variar.* 3. Ne qua inter consortes, ut assolet, indisciplinatio nasceretur.

INDISCIPLĪNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et disciplina) *indisciplinato*, disciplina carens. *Vulgat. interpr. Eccli.* 22. 3. Confusio patris est de filio indisciplinato. Adde *ibid. Sap.* 17. 1. et alibi; *Cyprian. Ep.* 62. *ad fin.*; *Augustin. Ep.* 169.; et *Commodian. Instruct.* 30.

INDISCIPLĪNŌSUS, a, um, adject. (in *privat.* et disciplina) idem atque indisciplinatus. *Fragm. IV. Vatic. Arianorum* apud *A. Maium* in *Scriptor. vet. N. Coll. T.* 3. *P.* 2. p. 219. Consueverunt homines, quando aliquos vident ineruditos et indisciplinosos esse, improperare eis, qui circa se, vel sub se eos habent. *Vulgat. Ital.* (edente *A. Maio*) *Eccli.* 23. 17. Indisciplinosæ inqueiæ non adsuescas os tuum.

INDISCISSUS, a, um, adject. (in *privat.* et discissus) non discissus. *Hieronym. Ep.* 15. n. 1. Indiscissa Domini tunica. *h. e.* inconsutilis.

INDISCRĔPANTER, adverb. (in *privat.* et discrepo) sine discrepantia. *Boeth.* 2. *Arithm.* 38. *p.* 1043. Id si in infinitum facere libeat, indiscrepanter incurrit.

INDISCRĒTĒ, adverb. (indiscretus). Comp. *Indiscretius.* — Indiscrete est indifferenter, indiscriminatim, *indifferentemente, alla rinfusa*, ἀδιακρίτως. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (174). Avium et animalium vocis indiscrete editur imitatio. *Spartian. Nigr.* 3. Quum indiscrete subsellia Circi repleta essent. *Auct. Itin. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 37. Additur, Hephæstionem una quum vidissent mulieres indiscretius cultum, de auctu corporis melius opinatas, ipsum pro Alexandro salutasse. *egualmente vestito*. *Ammian.* 15. 3. Honorum vertices ipsos ferinis morsibus appetebant, posteaque pauperes et divites indiscrete. *Id.* 22. 11. Georgii odio omnes indiscrete flagrabant. Adde *Salvian.* 2. *advers. Avar.* 2.

INDISCRĒTIM, adverb. (indiscretus) indiscrete. *Solin.* 30. Locus opiparis epulis semper refertus, quibus indiscretim omnes vescuntur. Adde *Vet. interpr. Virgil.* apud *A. Maium p.* 11.

INDISCRĒTĬO, ōnis, f. 3. (indiscretus) pro iniquitate, *indiscrezione, indiscretezza*, legitur apud *Coripp.* 2. *Johann.* 36. Heu ducis ignavi quale indiscretio bellum Movit!

INDISCRĒTUS, a, um, adject. (in *privat.* et discretus) non divisus, non separatus, indivisus, conjunctus, *indiviso*.

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 1. 7. Quum agricolarum primo propter paupertatem maxime indiscretam haberent, quod a pastoribus qui erant orti in eodem agro et serebant et pascebant, qui postea creverunt, peculia diviserunt, ac factum, ut dicerentur alii agricolæ, alii pastores. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 46. (129). Quibusdam indiscretum caput est, ut cancris. *Tac.* 4. *Hist.* 52. Suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus. Sic *Quintil.* 1. 2. 3. Indiscreta, et inter se connexa atque juncta. *Sil. It.* 8. 575. Parebat legio audaci permissa Cethego, Cui socias vires atque indiscreta maniplis Arma recensebant, nunc sese ostendere miles Leucosiæ a scopulis, nunc quem Picentia Pæsto Misit. *Ammian.* 17. 12. Aderant Sarmatis periculorum Quadi participes, qui nosarum sæpe socii fuerant indiscreti. *Colum.* 3. *R. R.* 21. 4. Quod indiscretis vitibus contingere solet, *nempe* vitibus, quæ diversæ sunt notæ seu qualitatis, conjunctim positis. Alii minus recte *indescriptis leg.*: opponuntur enim iis vitibus, quas *Id. paullo supra* vocat *discreta* semina.

II.) Figurate est qui discerni non potest, maxime similis, *che non si può discernere, indistinto*, ἄκριτος. Sic *indiscretum nomen* idem est atque indifferens apud *Cels.* 4. 3. Quamvis minus subtiliter quidam indiscretis his nominibus utuntur. *usano indistintamente questi nomi.* Et generatim *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (88). Imagines adeo similitudinis indiscretæ pinxit. *Virg.* 10. *Æn.* 392. simillima proles Indiscreta suis. *Prudent. Apotheos.* 256. Unde in utroque (*h. e.* Patre et Filio) operis forma indiscreta. *Lucan.* 9. 715. Concolor exustis atque indiscretus arenis Ammodites serpens. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 41. Haeccine vita juvat silvestribus abdita lustris, Indiscreta feris? *Seneca* 1. *Clem.* 26. Multos occidere et indiscretos. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. in *conc. a med.* Indiscreta familiaritas. *h. e.* ea, quæ quemque obvium in familiaritatem admittit. Sic pro pari *Imppp. Valentinian., Valens* et *Gratian. Cod. Theod.* 6. 7. 1. Præfectum urbi, præfectum prætorio, magistros equitum ac peditum indiscretæ ducimus dignitatis. *Capell.* 1. p. 3. Indiscretum fœdus.

INDISCRĪMĬNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et discrimen) indiscretus. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 10. Ut sint et negotio et sensu et verbo indiscriminabilia.

INDISCRĪMĬNĀTIM, adverb. (in *privat.* et discrimen) indifferenter et sine discrimine, *indifferentemente*, ἀκρίτως, ἀδιαφόρως. *Varro* apud *Non. p.* 127. 23. *Merc.* Quibus nos in hoc libro utemur indiscriminatim et promiscue.

INDISCUSSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et discutio) qui discuti non potest, certissimus. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 12. *circa med.* Sed quoniam et tres esse cælos, et non omnes corporeos, vel indiscussibilis auctoritas docet, vel ratio manifesta convincit etc.

INDISCUSSUS, a, um, adject. (in *privat.* et discutio) non examinatus, ἀλογοθέτητος. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. anim.* 11. Illud indiscussum restat. *Imp. Majorian. Novell.* 5. (*ann. post Chr. n.* 458.). Quod specialiter factum nuper in damnatione Severiuæ mulieris, quæ peregisse asseritur necem mariti in Piceni provincia, indiscussum præteriri non debet. *Cassiod.* 4. *Variar.* 50. Quia nobis dubia est uniuscujusque indiscussa calamitas etc. *Alcim. Avit. Ep.* 3. Non impunitus tantummodo, verum et indiscussus interiit.

INDĪSERTĒ, adverb. (indisertus) non diserte, *senz' eloquenza*. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 1. 3. Orationem meam collaudavit satis multis verbis, non mehercule indiserte.

INDĪSERTUS, a, um, adject. (in *privat.* et disertus) non disertus, *senz' eloquenza*, ἀφραδής. *Cic.* 2. *Nat. D.* 1. 1. Neque indisertum Academicum pertimuissem. — Et de abstractis *Id.* 3. *Orat.* 35. 142. Malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem.

INDISJECTUS. *V.* INDEJECTUS.

INDISJUNCTIM, adverb. (in *privat.* et disjungo) non disjunctim, continuo, *immediatamente*. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 12. *a med.* Indisjunctim namque mox adjicit, ac dicit etc.

INDISPENSĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et dispenso) non dispensatus, immoderatus. *Sil. It.* 16. 310. at queis prudentia Circi Altior, effusas primo certamine vires Damnare, et cassis longe increpitare querelis Indispensato lassantem corpora nisu. *Seneca* dixit eodem sensu *præf. l.* 1. *Controvers. a med.* Nesciebat dispensare vires suas, sed immoderati adversum se imperii fuit.

INDISPŌSĬTĒ, adverb. (indispositus) incomposite, *senz' ordine*. *Seneca Ep.* 124. *a med.* Quid ergo, inquis, muta animalia perturbate et indisposite moventur?

INDISPŌSĬTUS, a, um, adject. (in *privat.* et dispositus) incompositus, *disordinato, confuso*. *Tac.* 2. *Hist.* 68. Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta pervigiliis ac bacchanalibus etc. *Augustin. Ep.* 59. Me valde indispositum invenit (*epistola*), ut occurrere omnino non possem. *h. e.* imparatum.

INDISPŪTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et disputo) is, de quo disputari non potest. *Cassiod.* 12. *Variar.* 21. *de scribis.* Indisputabile testimonium, vox antiquarum chartarum.

INDISSĔCĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et disseco) insecabilis. *Isid.* 3. *Orig.* 5. Sed partes *ejus* (*numeri*) mox indissecabiles permanent.

INDISSĬMĬLIS, e, adject. (in *privat.* et dissimilis) non dissimilis. *Varro* 9. *L. L.* 40. *Müll.* Formæ vocum indissimiles. *Müllerus* tamen aliter omnino legendum conjecit.

INDISSĬMŪLĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et dissimulo) non dissimulatus, *che non si può dissimulare*. *Gell.* 10. 22. Cum quadam indissimulabili veritate disseruit.

INDISSĬMŪLANTER, adverb. (in *privat.* et dissimulo) aperte. *Gloss. Placid.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 459. Exserte, indissimulanter, ostentabiliter.

INDISSŎCĬĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et dissociabilis) qui disjungi nequit, *che non si può disgiungere*. *Lactant. Opif. D.* 10. Indissociabilem prætendunt unitatem. Adde *Ambros. Ep.* 14.

INDISSŎCĬĀBĬLĬTER, adverb. (indissociabilis) ita ut non possit dissociari. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 18. Anima conspicatur incorporeas illocaliter formas, quibus indissociabiliter juncta etc.

INDISSŎLŪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et dissolvo) qui dissolvi non potest, insolubilis, *che non si può slegare, indissolubile*, ἄλυτος.

I.) Proprie. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 21. 28. (81). Maculasque paribus intervallis, indissolubili nodo implicat.

II.) Translate. *Cic. Tim.* 11. Sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse et indissolubiles non potestis. Adde *Lactant. Opif. D.* 4. Sic *Ammian.* 15. 3. Et Paulo quidem Catenæ inditum est cognomentum, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis.

INDISSŎLŪBĬLĬTER, adverb. (indissolubilis) ita ut non possit dissolvi. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 2. Indissolubiliter nexum.

INDISSŎLŪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et dissolutus) non dissolutus, non solutus, colligatus, *legato*. *Cic. Tim.* 11. Hæc sunt indissoluta, me invito. *Plerique alii rectius leg.* non sunt dissoluta. Incertam *Ciceronis* auctoritatem obfirmat locus *Boeth.* 1. *Music.* 3. *p.* 1066. Idcirco definitur sonus aeris percussio indissoluta usque ad auditum.

INDISSUĀSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et dissuadeo) qui dissuaderi non potest. *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 4. *p.* 713. Si scientiam definivit opinionem indissuasibilem.

INDISTANTER, adverb. (in *privat.* et distare) sine distantia, nulla mora interposita.

I.) Proprie. *Priscian.* 2. *p.* 565. *Putsch.* Syllaba est vox litteralis, quæ sub uno accentu et uno spiritu indistanter profertur.

II.) Translate idem est atque indifferenter. *Ammian.* 27. 9. Imperator puniens gregariorum errata, parcens potioribus, qui ex eo anhelantes, ex nutu suo indistanter putant omnium pendere fortunas. *Id.* eodem sensu *sine distantia* dixit 31. 6. Sine distantia enim ætatis vel sexus cædibus incendiorumque magnitudine cuncta flagrabant.

INDISTINCTĒ, adverb. (indistinctus) indiscriminatim, *indistintamente, confusamente*, ἀδιακρίτως. *Gell. præfat.* Ita quæ libitum erat, cujus generis cumque erant, indistincte atque promiscue adnotabam. *Ulp. Dig.* 32. 1. 73. Nummis indistincte legatis, hoc receptum est, ut exiguiores legati videantur. *h. e.* generaliter. *Paul. ibid.* 4. 8. 32. Julianus indistincte scribit, si per errorem etc. *h. e.* absolute, omnino, sine ulla distinctione.

INDISTINCTUS, a, um, adject. (in *privat.* et distinctus) inordinatus, confusus, *non distinto, confuso, indistinto*, ἀδιάκριτος.

I.) Proprie. *Catull.* 64. 283. Indistinctæ corollæ. *Quintil.* 8. 2. 23. Neque inordinata, neque indistin-

cta. *Gell.* 13. 30. Quonam pacto legere ego possum, quæ non assequor? Indistincta namque fient et confusa quæ legero.

II.) Translate. *Indistinctus orator* est qui indistincte et obscure loquitur. *Quintil.* 12. 10. 39. An non in privatis et acutus, et non asper, et non indistinctus, et non supra modum elatus M. Tullius? Alio sensu *Tac.* 6. *Ann.* 8. Quid ergo? indistincta hæc defensio et promiscua dabitur? immo justis terminis dividatur.

INDISTRICTUS. *V.* INDESTRICTUS.

INDĪTUS, a, um. *V.* INDO.

INDĪVĬDŬĒ, adverb. (individuus) separatim, specialiter. *Boeth. Introd. ad syllog.* p. 569. Singulariter atque individue differentias quantitatis habere. Adde *eumd.* p. 881.

INDĪVĬDŬĬTAS, ātis, f. 3. (individuus) abstracta qualitas rei, quæ dividi nequit, *indivisibilità*. *Tertull. Anim.* 51. Individuitas animæ. *Id. Monog.* 5. matrimonii. *Boeth.* 4. *pros.* 6. *ante med.* Quantum a puncti media individuitate discedit orbis circa eumdem cardinem sese vertens, tanto etc.

INDĪVĬDŬUS, a, um, adject. (in *privat.* et divido) qui non potest dividi, vel qui non separatur, *individuo, che non si può separare, indivisibile*, ἄτομος.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 17. Ille atomos, quas appellat, id est corpora individua. Sic *Ammian.* 26. 1. Individua corpuscula. et *Manil.* 1. 128. Sive individuis in idem reditura solnta Principiis natura manet post secula mille. — Et absolute, substantivorum more *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 55. Ex illis individuis, unde omnia Democritus gigni affirmat.

II.) Translate. *Tac.* 6. *Ann.* 10. E vetustissimis familiarium Rhodum secuti et apud Capreas individui. *compagni indivisibili*. *Ammian.* 16. 12. Testis individuus. Adde *eumd.* 30. 8. *Apul.* 4. *Met.* Individuum contubernium. *Quintil.* 5. *Declam.* 3. pietas.

INDĪVĪSĒ, adverb. (indivisus) sine divisione. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 55. *Particeps*, qui certam habet partem, et non indivise agit, ut *socius*.

INDĪVĪSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et divido) individuus, *indivisibile*. *Diomed.* 2. p. 415. *Putsch.* Indivisibilis materia. *Tertull. Anim.* 51. Indivisibilis anima.

INDĪVĪSĬBĬLĬTER, adverb. (indivisibilis) ita ut dividi nequeat, *indivisibilmente*, ἀδιαιρέτως. *Tertull. Anim.* 51. Mors indivisibili animæ indivisibiliter accidens.

INDĪVĪSĬO, ōnis, f. 3. (in *privat.* et divisio) id quod dividi non potest, ἄτομος. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 1. 12. p. 533. Manifestum igitur, quod utrisque falsis (*propositionibus*) et altera solum, erit syllogismus deceptivus in indivisionibus. *h. e.* in his propositionibus, quæ divisionem non admittunt; Græce ἐν ἀτόμοις.

INDĪVĪSUS, a, um, adject. (in *privat.* et divisus) non divisus, *indiviso*, ἄσχιστος.

I.) Proprie. *Varro* 2. *R. R.* 7. 2. Equorum, qui ungulas indivisas habent. *Stat.* 8. *Theb.* 312. O rerum media, indivisaque magnis Fratribus. *h. e.* tellus communis Jovi, Neptuno, Plutoni. Cf. *Sil. It.* 8. 9. Jam vero concors miles, signisque relatis Indivisus honor.

II.) Translate ponitur pro communi. *Ammian.* 21. 12. Injectis ponticulis – transgredi festinarant indiviso negotio; ut etc. *V.* integrum locum. — Sæpius hoc sensu *pro indiviso* usurpatur. *Cato R. R.* 137. Vineam curandam partiario: partiario fenum et pabulum: cetera omnia pro indiviso. *in comune*, pariter et ex æquo communia. Sic *Plin.* 17. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Pro indiviso possessa a feris. *h. e.* pari jure simul cum homine. *Id.* 9. *ibid.* 39. 64. (138). Jus temperatur aqua et pro indiviso humani potus excremento. *h. e.* æquis portionibus. *Id.* 16. *ibid.* 32. 59. (137). Mutari naturam in iisdem (*arboribus*) et pro indiviso valere. *h. e.* æque, perinde, similiter. Adde *Senec. Consol. ad Helv.* 17. Sic *Frontin. de limit. agr.* p. 41. *Goes.* Compascua multis locis in Italia communia appellantur, quibusdam provinciis pro indiviso. *supple* habentur. Adde *Aggen. Urb. de cont. agr.* p. 66.

INDĪVULSUS, a, um, adject. (in *privat.* et divulsus) non divulsus. *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. *circa med.* Gracchum servus indivulsus comes tutatus est.

INDO, dis, dĭdi, dĭtum, dĕre, a. 3. (in et do). Part. *Inditus* I. et II.; *Inditurus* I. — Indere est immittere, injicere, imponere, ἐντίθημι (It. *mettere, metter dentro, imporre*; Fr. *mettre dans ou sur, placer, joindre, poser sur*; Hisp. *poner ó meter dentro ó sobre*; Germ. *hineinthun, – setzen, – bringen, – legen an, in oder zu etwas, hineinfügen*; Angl. *to put, put into, set upon*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Cato R. R.* 100. Oleum sic in metretam novam inditurus eris. *Id. ibid.* 143. Indere coronam in focum. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 1. Inde ignem in aram. *Id. Merc.* 1. 2. 92. Quasi in aquam indideris salem. *Id. Cas.* 2. 3. 31. Si in os meum vini guttam indidi. Similiter *Id. Asin.* 3. 2. 7. Indere cicatrices in scapulas. *imprimere, fare*. *Cels.* 6. 9. Indere cataplasmata in dentem. *Sueton. Claud.* 33. Ut pinna in os inderetur. *Ulp. Dig.* 48. 13. 1. Indere aliquid in aurum argentumve. *frammischiare*. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *in*. *Cato R. R.* 21. Uti cupam in columella indere possis. *Tac.* 1. *Ann.* 74. Alia in statua, amputato capite Augusti, effigiem Tiberii inditam. — *c*) Cum Dativo. *Cato* apud *Festum* p. 182. 27. *Müll.* Equus respondit: oreas mihi inde, tibi capa flagellum. *Plaut. Men.* 1. 1. 3. Fugitivis servis indunt compedes. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 46. et 12. *ibid.* 69. Indere vincula alicui. *Id.* 15. *ibid.* 37. flammeum imperatori. *Id.* 3. *ibid.* 14. Inditus lecticæ. *h. e.* impositus. *Flor.* 3. 1. 14. Indita monti urbs. *h. e.* imposita. *Seneca Troad.* 584. Ferrum inditum visceribus. *cacciato*. *Tac.* 15. *Ann.* 57. Vinclo fasciæ indidit cervicem. *Sueton. Aug.* 11. Indere venenum vulneri. *Curt.* 10. 10. 17. Venenum potioni inditum. *Seneca Ot. Sap.* 31. Utrum Deus extrinsecus (*operi suo*) circumfusus sit, an toti inditus. *internato*. *Gell.* 1. 23. Catonis verba huic commentario indidissem, si etc. *avrei posto, inserito*. Cf. *eumd. præfat.* Indere titulos libris. — *d*) Absolute. *Plaut. Rud.* 1. 1. 6. Indere fenestras. *porre*. *Tac.* 12. *Ann.* 57. Inditi pontes. *Id.* 11. *ibid.* 2. Vinclisque inditis in urbem raptus.

II.) Translate. *Tac.* 3. *Ann.* 28. Inditi custodes. *h. e.* additi, appositi. *Ennius* apud *Varron.* 7. *L. L.* 82. *Müll.* Andromachæ nomen qui indidit, recte indidit. et *Plaut. Men.* 2. 1. 38. Huic urbi nomen Epidamno inditum est. Sic *Liv.* 1. 34. Puero ab inopia Egerio inditum nomen. Sic *Sueton. Aug.* 7.; *Curt.* 4. 9. 16. et 8. 2. 14.; et *Ammian.* 14. 8. Indere alicui nomen. *Gell.* 1. 23.; et *Ammian.* 16. 5. cognomentum. *Tac.* 2. *Ann.* 56. vocabulum alicui. *applicare*. *Id.* 4. *Hist.* 34. pavorem suis, alacritatem hostibus. *Id.* 12. *Ann.* 3. Ei non judicium, non odium erat, nisi indita et jussa. *Id.* 5. *Hist.* 4. Indere novos ritus. *introdurre*.

INDŎCĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et doceo) idem atque indocilis. *Gloss. Philox.* Indocibilis, δυσμαθής. *Cassiod. de anim.* 12. *ad fin.* In schola siquidem Christi cor indocibile non potest inveniri.

INDŎCĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (indocibilis) mens indocilis, *durezza d'ingegno, mente indocile*. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Prudentiam indocibilitas impugnat, quæ non abolitionem infert scientiæ, sed contraria disciplinæ discendi.

INDŎCĬLIS, e, adject. (in *privat.* et doceo) occurrit sæpe *A*) Active; et raro admodum *B*) Passive.

A) Active indocilis est qui doceri non potest, qui doctrinam recipere nequit aut non vult, ἀδίδακτος, δυσμαθής (It. *indocile, incapace d'imparare*; Fr. *qui n'est pas susceptible d'instruction, indocile*; Hisp. *indocil*; Germ. *ungelehrig, schwer lernend*; Angl. *not easy to be taught, indocile, indocible*).

I.) Proprie. — 1.°) Refertur ad eum, qui docetur. et quidem — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Nat. D.* 5. 12. Quia nimis indociles quidam tardique sunt. Adde *Quintil.* 1. 1. 2. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 45. 62. (128). E volucribus hirundines esse indociles, e terrestribus mures. — *b*) Poetice cum Genitivo. *Sil. It.* 12. 726. vir indocilis pacisque modique. — *c*) Item cum Dativo. *Sil. It.* 11. 11. gens vana indocilisque quieti. *Al. leg.* quietem *Græco more*. Sed cf. *Juvenal.* 14. 40. dociles imitandis turpibus. — *d*) Item cum Infinito. *Horat.* 1. *Od.* 1. 18. Mercator indocilis pauperiem pati. *Lucan.* 5. 538. quamquam plebejo tectos amictu, Indocilis privata loqui. *Sil. It.* 13. 310. indocilis tristia ferre. *Id.* 15. 570. indocilis fidem exuere. *Stat.* 6. *Theb.* 313. equus ferus indocilisque teneri. — 2.°) Aliquando refertur ad rem, quæ docetur, *che non si può insegnare*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 1. Sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam.

II.) Translate. — 1.°) De personis dicitur, et est indoctus, *ignorante*. Absolute *Virg.* 8. *Æn.* 321. Is genus indocile et dispersum montibus altis Composuit legesque dedit. *Sil. It.* 8. 279. veluti quum carcere rupto Auriga indocilis totas effundit habenas, Et præceps trepida pendens in verbera planta Impar fertur equis. — Cum Genitivo. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 60. (226). Indocilis cæli agricola. — Cum Infinito *Seneca Troad.* 82. Non indociles lugere sumus. — 2.°) De abstractis est rudis, ineruditus. *Ovid.* 4. *Trist.* 1. 5. Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor, Indocili numero quum grave mollit opus. Cf. *eumd.* 3. *ibid.* 12. 8. Indocilique loquax gutture vernat avis. — 3.°) In re rustica est culturam non recipiens. Cum Dativo *Sil. It.* 1. 237. Nec Cereri terra indocilis, nec inhospita Baccho. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Arbores indociles nasci alibi, quam ubi cœpere.

B) Passive est non doctus, non monstratus, nulla arte paratus. *Propert.* 1. 2. 12. Et sciat indociles currere lympha vias.

INDOCTĒ, adverb. (indoctus). Comp. *Indoctius*. — Indocte est imperite, inscite, *indottamente, da ignorante*, ἀμαθῶς. *Plaut. Pers.* 4. 4. 14. Verba haud indocte fecit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 16. 44. Quæ qui videat, non indocte solum, verum etiam impie faciat, si deos esse neget. *Gell.* 12. 5. Dicam ego indoctius, ut ajunt, et apertius, quæ fuisse dicturum puto sinuosius atque solertius, si quis nunc adesset Stoicorum. Nosti enim, credo, verbum illud vetus et pervulgatum, ἀμαθέστερόν πως εἰπέ, καὶ σαφέστερον λέγε. Hæc *Gell.*; unde colligitur *indoctius et apertius* proverbium esse.

INDOCTOR, ōris, m. 3. (in *intens.* et doceo) pro servorum castigatore usurpatur a *Plaut. Asin.* 3. 2. 6., quemadmodum indoctores puerorum virgis eos castigare solent. Est tamen ibi lectionis mira varietas. *V.* INDUCTOR.

INDOCTUS, a, um, adject. (in *privat.* et doctus). Comp. *Indoctior* et Sup. *Indoctissimus* I. — Indoctus est non doctus, imperitus, inscitus, ineruditus, rudis, ignarus, ἀπαίδευτος (It. *non addottrinato, ignorante, indotto*; Fr. *privé d'instruction, ignorant*; Hisp. *privado de instruccion, ignorante*; Germ. *ungelehrt, ungebildet, unkundig*; Angl. *untaught, unlearned, illiterate, ignorant, unskilful*). Occurrit — 1.°) De personis. — *a*) Absolute. *Cic.* 4. *Herenn.* 46. 59. Homo indoctus, quamvis sit ingeniosus, ad virtutem non potest pervenire. *Id. Brut.* 48. 178. T. Juventius nec indoctus, et magna cum juris civilis intelligentia. *Id. Partit. orat.* 25. 90. Hominum duo esse genera: alterum indoctum et agreste, alterum humanum et politum. *Id.* 1. *Fin.* 21. 72. Non ergo Epicurus ineruditus, sed ii indocti, qui etc. *Id.* 1. *Tusc.* 2. 4. Themistocles quum in epulis recusaret lyram, habitus est indoctior. Cf. *eumd.* 2. *Divinat.* 63. 129. Hominum levissimum et indoctissimum genus. *Sall. Cat.* 2. Multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam sicut peregrinantes transiere. Adde *Sueton. Claud.* 40. et *Gramm.* 18.; *Quintil.* 2. 17. 43., 3. 8. 51. et alibi; et *Juvenal.* 3. 87. et 8. 49. — *b*) Poetice cum Genitivo. *Horat. Art. P.* 380. Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit. — *c*) Item cum Infinito. *Horat.* 2. *Od.* 6. 2. Cantabrum indoctum juga ferre nostra. — *d*) Cum Accusativo. *Gell.* 9. 10. Homo pleraque alia non indoctus. — 2.°) Dicitur et de ipsis rebus, præcipue de rebus imperite factis. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 3. Omnes longe anteeo stultitia et moribus indoctis. *Cic.* 3. *Orat.* 48. 185. Rudis et indocta loquacitas. *Plerique tamen leg.* impolita. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 9. Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti. *Seneca Herc. Œt.* 129. Pastor indocta referens carmina fistula. *Quintil.* 4. 2. 46. Indocta brevitas. *Id.* 1. 11. 16. Ut recta sint brachia, ne indoctæ rusticæve manus, ne status indecorus.

INDŎLĀTĬLIS, e, adject. (in *privat.* et dolo) qui dolari nequit. Translate *Sidon.* 5. *Ep.* 5. Quamquam æque corporibus ac sensibus rigidi sint (*Germani*) indolatilesque. *Al. leg.* indociles.

INDŎLĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et do-

latus) non dolatus. *Arnob.* 7. 46. Lapis indolatus et asper. *Id.* 6. 11. Indolatum lignum.

INDŎLENS, entis, adject. (in *privat. et* doleo) non dolens. *Hieronym. Comment.* in *ep. ad Ephes.* c. 4. Exprimamus, si possimus, verbum de verbo, et dicamus ἀπηλγηκότες indolentes sive indolorios.

INDŎLENTĬA, æ, f. 1. (in *privat. et* doleo) vacuitas doloris, *privazione di dolore*, ἀναλγησία. *Cic.* 2. *Fin.* 4. 11. Num propterea idem voluptas est, quod, ut ita dicam, indolentia? Adde *eumd.* 3. *Off.* 3. 12.; *Senec. Ep.* 66. *post med.* et *Ep.* 87.; *Macrob.* 7. *Saturn.* 9.; et *Lactant.* 3. 8. — *Cicero* libentius usurpat *doloris vacuitas*: *V.* INDOLORIA.

INDŎLES, is, f. 3. Etymologi ducunt ab *indu* et *olesco* eresro. Hinc *Paul. Diac.* p. 106. 9. *Müll.* indolem *incrementum* interpretatur et *industriam*, quo crescit vis innata in pueris et in virtutem roboratur: ad rem *Gell.* 20. 6. In plures libros mendæ istius indoles manavit. — Extra eos casus, qui sunt in allatis exemplis, non facile usurpaverim. — Ceterum indoles est vis innata et ingenita, φύσις (It. *natura, indole, il naturale*; Fr. *nature, caractère, naturel*; Hisp. *naturaleza, natural*; Germ. *d. angeborne Eigenschaft, natürliche Beschaffenheit*; Angl. *a natural disposition or inclination, natural talents or abilities*). Occurrit ¶ 1. Raro de mutis atque inanimis. *Plaut. Rud.* 2. 4. 10. Quæ indoles in savio est! quanta gratia! *Liv.* 38. 17. In frugibus pecudibusque non tantum semina ad servandam indolem valent, quantum terræ proprietas cælique, sub quo aluntur, mutat. *Gell.* 12. 1. Arborum indolem vel deterere, vel augere. Cf. *Sil. It.* 4. 475. macte, o! marte, indole sacra, Vera Jovis proles. *h. e.* divina origine. ¶ 2. Sæpius de animo dicitur, et est egregia spes in pueris, seu significatio quædam futuræ probitatis, et in viris signum præsentis virtutis: et generatim præstantia, seu generositas quædam virtutis atque animi. *Cic. Senect.* 8. 26. Ut enim adolescentibus bona indole præditis sapientes senes delectantur etc. *Id.* 1. *ad Brut.* 18. Videtur in eo esse indoles: sed flexibilis ætas multique ad depravandum parati. *buona inclinazione.* *Liv.* 21. 2. Gener ob aliam indolem adscitus. *Tac.* 1. *Hist.* 15. Præclara indoles. *Justin.* 7. 2. 13. Egregia indole clarus. *Flor.* 1. 6. 1. Eximiam alicujus indolem educare. *Curt.* 4. 1. 26. Magnæ indolis specimen ex hoc sermone cepit. Cf. *Stat.* 1. *Achill.* 277. magnæ indolis exordia. *Curt.* 8. 2. 35. Lysimachi erat frater, tum primum adultus, et quod facile appareret indolis raræ. *Gell.* 19. 9. Adolescens lætæ indolis. *spiritoso.* *Cic.* 3. *Off.* 4. 16. Homines, in quibus est virtutis indoles, commoveantur. *Id. Cæl.* 17. 39. Si qui hac indole virtutis ac continentiæ fuit, ut respueret omnes voluptates. Sic *Liv.* 3. 12.; et *Nepos Eumen.* 1. Indoles virtutis. *Justin.* 2. 9. 15. Inter ceteros Themistoclis adolescentis gloria emicuit, in quo jam tunc indoles futuræ imperatoriæ dignitatis apparuit. *Liv.* 1. 3. Tantisper tutela muliebri (tanta indoles in Lavinia erat) res Latina stetit. *tanta abilità.* *Quintil.* 10. 6. 3. Si qua sunt dicta juveniliter, pro indole accipiuntur. — In malam partem. *Liv.* 21. 4. *de Hannibale adolescente.* Cum hac indole virtutum ac vitiorum sub Hasdrubale meruit. *Tac.* 12. *Ann.* 26. Segnis indoles. — In plurali numero rarum est. *Gell.* 12. 12. Ne bonas quoque et utiles animi indoles amittamus.

INDŎLESCO, dŏlescis, dŏlŭi, dŏlescere, n. inchoat. 3. (in et doleo). Part. *Indolescens* et *Indolescendus* II. — Indolescere est idem quod dolere, dolore affici, *dolersi*, διαλγέω.

I.) Proprie occurrit — *a*) Absolute. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 27. (46). Tanta intentione oculorum opus est, ut indolescant. *Cels.* 8. 9. Tactu is locus leviter indolescit. — *b*) Cum Accusativo, Græco more. *Justin.* 12. 13. 9. Tanto dolore cruciatus est, ut ferrum in remedia posceret, tactumque hominum, velut vulnera, indolesceret.

II.) Translate est animo turbari, queri; et occurrit — *a*) Absolute. *Seneca* 1. *Ira* 16. *a med.* Mihi videtur veternosi et infelicis animi, imbecillitatis sibi conscii, sæpe indolescere. — *b*) Sequente Infinito, vel part. *quod*, vel Ablativo. *Cic.* 2. *Phil.* 25. 61. Quis fuit, qui non indoluerit, tam sero se, quem hominem secutus esset, cognoscere? *Tac.* 4. *Ann.* 17. Tiberius haud unquam domui Germanici mitis, tum vero æquari adolescentes senectæ suæ impatienter indoluit. *Ovid.* 5. *Trist.* 11. 3. Indolui, non tam quod *etc.*, quam quia etc. *Id.* 2. *ibid.* 570. Non igitur nostris ullum gaudere Quiritem Auguror, at multos indoluisse malis. *Id.* 4. *Met.* 172. ridet hic deus omnia primus: Indoluit facto. — *c*) Cum Accusativo, Græco more. *Ovid.* 2. *Met.* 468. id ipsum Indoluit Juno. *Arnob.* 1. 63. Humanas miserias indolescens. — *d*) Cum Genitivo. *Ovid.* 2. *Met.* 788. successorumque Minervæ Indoluit. *Alii leg.* surressurum, *al. aliter* — *e*) Part. *Indolescendus* apud *Sidon.* 2. *Ep.* 12. Mœroris retia amicis et externis indolescenda. Adde *Minuc. Fel. Octav.* 5. Sic *Inscript.* quæ pertinet ad ann. a Chr. n. 260., apud *Guasco Mus. Capitol. T.* 1. *p.* 230. MEMMIAE VICTORIAE QVONDAM INDOLES. MAMURIAE FEMINAE. *h. e.* indolescendæ memoriæ feminæ.

INDŎLŌRĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et dolor) idem atque indolentia. *Sidon. Ep. præfixa carmini* 14. scribit, *Ciceronem* ipsum hac voce usum, scil. 2. *Fin.* 4. 11., ubi tamen viri docti *indolentia* substituunt: ipsum etiam *Sidonium* eodem modo corrigendum censent, quamquam *Sirmondus* eam lectionem tueri videtur.

INDŎLŌRIS, e, adject. (in *privat.* et dolor) sine dolore, expers doloris. *Gloss. Philox.* Indoloris, ἀνάλγητα. Adde locum *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 4. allatum in v. ANODYNA.

INDŎLŌRĬUS, a, um, adject. *V.* INDOLENS.

INDŎMĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et domo) qui domari non potest, *indomabile*, ἀδάμαστος. *Plaut. Cas.* 4. 3. 12. Ædepol næ tu, si esses æquus, esses indomabilis. *Lactant. Plac.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 136.) *fab.* 136. Tauros ignem naribus efflantes, qui apud Colchos indomabiles erant, jungens Iason. *Cassiod.* 10. *Variar.* 29. Indomabilis nervis illa passionis flectitur. *h. e.* podagra. Adde *Vulgat. interpr. Ezech.* 2. 4.

INDŎMĬNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et dominus) qui dominum pati nequit. *Gloss. Philox.* Indominabilis, ἀδέσποτος.

INDŎMĬTUS, a, um, adject. (in *privat.* et domitus) qui domari et mitescere non potest, et qui nondum domitus est, ferus, ferox, pervicax, contumax, ἀδάμαστος (It. *indomito, indomabile, disobbediente, contumace, sfrenato*; Fr. *indompté, insoumis, sauvage*; Hisp. *indomito, salvage*; Germ. *ungezähmt, ungebändigt, unbezähmbar, unbezwingbar*; Angl. *unsubdued, untamed, unbridled, contumacious, fierce, wild*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Non.* p. 407. 22. *Merc.* Quadrupes indomita. *Varro* 2. *R. R.* 5. 11. Boves indomitos emere. Cf. *Val. Flacc.* 4. 361. Campus alit primæ referentem cornua Phœbes Indomitamque bovem. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 9. Indomitus juvencus. *Cic.* 4. *Herenn.* 46. 59. Equus indomitus, quamvis natura bene compositus, idoneus non potest esse ad eas utilitates, quæ desiderantur ab equo. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 2. 10. Indomitus equus. Hinc etiam *Id.* 1. *Ep.* 3. 32. ac vos Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat Indomita cervice feros.

II.) Translate occurrit — *a*) De hominibus. *Plaut. Men.* 1. 2. 1. Mulier indomita impos que animi. *Id. Trin.* 3. 3. 22. Adolescens indomitus, plenus amoris ac lasciviæ. *Cæs.* 1. *B. C.* 57. Pastores indomiti, spe libertatis excitati. Cf. *Tac.* 15. *Ann.* 27. Indomitæ et præferoces nationes. *Id. Agric.* 31. Nos integri et indomiti et libertatem non in pœnitentiam laturi etc. *Plin. Paneg.* 14. *extr.* Hrrenles indomitus semper indefessusque. *invitto.* *Stat.* 5. *Silv.* 3. 192. indomitus alumnus. *h. e.* Achilles. — *b*) De rebus physicis. *Plaut. Bacch.* 4. 9. 92. Animo cupido atque oculis indomitis fui. *che non si seppero trattenere.* *Ovid.* 13. *Met.* 355. Dextra indomita *h. e.* fortis, insuperabilis. *Id. Heroid.* 15. 9. Euri indomiti. *Tibull.* 2. 6. 27. Indomitum mare. *Pers.* 3. 3. Falernum. *h. e.* quod vis concoqui potest atque edormiri; vel quod austerissimum est et difficile frangitur. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 19. (60). Aurum igni indomitum. *Sever. Ætn.* 184. Rupes igni indomitæ. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 11. (72). Indomita ponderibus immensis preta. Apud *Arnob.* 6. 15. Indomitum argentum. *est infectum.* — *c*) De abstractis. *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 5. p. 650. *Putsch.* Nobis primæ dissensiones vitio humani ingenii evenere, quod inquies atque indomitum semper in certamine libertatis, aut gloriæ, aut dominationis agit. *h. e.* indomabile. V. *Kritz.* ad *Sall. Jug.* 76. *init.* *Liv.* 21. 20. Ferocia atque indomita ingenia Gallorum. Similiter *Quintil.* 10. 2. 19. Forte quidem, sed indomitum ingenium. *h. e.* quod nulla arte mollitur, aut flectitur. *Tac.* 1. *Ann.* 33. Castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum (*Agrippina*) vertebat. Cf. *Plaut. Bacch.* 4. 3. 1. *Cic. Rosc. Am.* 14. 39. Indomitæ animi cupiditates. *Id. Cluent.* 6. 15. O libidinem effrenatam et indomitam! *Id. Harusp. resp.* 24. 52. Indomiti atque effrenati furores. *Virg.* 2. *Æn.* 594. Indomitæ iræ. *Horat. Epod.* 12. 9. Indomitam rabiem sedare. *Id.* 3. *Od.* 24. 28. licentiam refrenare. *Ovid.* 2. *Fast.* 585. Indomito captus amore. *Juvenal.* 14. 175. sæva cupido Indomiti census. *h. e.* magnarum opum, quibus homines indomiti fiunt ac superbi. *Horat.* 2. *Od.* 14. 4. Indomita mors. *Virg.* 2. *Æn.* 440. Mars indomitus. *h. e.* pugna ac vis hostium crescens, et cui resisti non potest. *Id.* 5. *ibid.* 880. Sed non idcirco flammæ atque incendia vires Indomitas posuere. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 4. 15. (57). Adamantis indomita vis. *Id.* 8. *ibid.* 44. 69. (171). Mula effrenis et indomitæ tarditatis. *h. e.* quæ compelli non potest, ut gradum celeret.

INDŌNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et donatus) non donatus, *non regalato*, ἀδώρητος. *Lamprid. Elagab.* 28. Nec quemquam facile indonatum relinquebat.

INDORMĬO, is, ivi, itum, ire, n. 4. (in *et* dormio). Part. *Indormiens* II. 2. — Indormire est in re aliqua, vel super rem aliquam dormire, *dormire sopra qualche cosa*, ἐπικοιμάομαι.

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 70. congestis undique saccis Indormis. Adde *eumd. Epod.* 5. 69. *Petron. Satyr.* 79. Indormivit alienis amplexibus.

II.) Translate. ¶ 1. Apud *Veget.* 3. *Veterin.* 24. et 47. *indormire* dicitur membrum, quod torpescit, induratur: eodemque sensu utitur verbo *obdormio* eod. *cap.* 47.; et in loco simili *Pelagon.* 17. 1. p. 72. *obtorpescere* dixit. Itali dicunt *indormentire.* ¶ 2. Per metaphoram accipitur pro cessare et tardum esse; et occurrit — *a*) Cum Ablativo et præpos. *in.* *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 15. 2. Qui in isto homine colendo tam indormivi diu. — *b*) Cum Dativo; et *indormire causæ* est remissius et segnius tractare negotium. *Cic.* 2. *Phil.* 12. 30. An fores admovendæ sunt, quæ te exciteut tantæ causæ indormientem? *Seneca Vit. beat.* 10. Desidiam dissolutionemque segnis animi indormientis sibi. *h. e.* sibi uni vacantis et securi. *Plin.* 1. *Ep.* 2. Longæ desidiæ indormiens. *Curt.* 6. 10. 13. Quum me malis indormientem mei inimici vivendo excitarunt. *h. e.* securum malorum imminentium dormientem. — *c*) Absolute. *Veget.* 5. *Veterin.* 23. 15. *Schneid.* Fustes quoque vel de salice, vel de robore in os (*jumenti*) mittant, ne maxillarum usus indormiat. ¶ 3. Peculiare est illud in *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 62. T. CVRVIVS T. L. HELIADES, IN QVO NVNQVAM INDORMIVIT TIMOR.

INDORMIS, e, adject. (in *privat.* et dormio) insomnis. *Gloss. Philox.* Indormis, ἀκοίμητος. Sic *Gloss. Cyrill.* Ἀκοίμητος, insomnis, indormis.

INDOSTRŬUS. *V.* INDUSTRIUS.

INDŌTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et dotatus) dote carens, *senza dote, indotato*, ἄπροικος.

I.) Proprie. *Ter. Phorm.* 5. 7. 45. Vos me indotatis modo patrocinari fortasse arbitramini: etiam dotatis soleo. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 46. Indotata mihi soror est, paupercula mater. — Huc refertur et illud, quod *Forcellinus* translate accepit, *Ovid.* 7. *Met.* 608. corpora missa neci Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos Indotata rogos. *h. e.* nullis ductis exsequiis, nullis ornamentis ac muneribus, quæ alias in rogum una cum cadavere conjicere mos erat. — Varie a variis exponitur illud *ejusd.* 4. *Met.* 756. *de Perseo.* Protinus Andromeden et tanti præmia facti Indotata rapit. Hic *præmia* per appositionem additum videtur; *indotata* vero, quia ipse puellam, spreto regno, quod parentes dotis loco promiserant supra v. 705., sibi vindicat.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Orat.* 55. 234. Cujus artem quum indotatam esse et incomptam videres, verborum eam dote locupletasti et ornasti.

INDŪ, præpos. apud veteres pro *in*, a Syracusano ἔνδοι, sive ἐνδοῖ, pro ἔνδον *intus*. Nam ab ἐνδοῖ fit

endæ, et converso æ in u fit indu, quomodo a pœna est impune, a Pœnus est Punicus. Gifanius negat invenire se indu a veteribus dictum pro in, sed endo, unde Endo procinctu, endoperator, endogredi, endoitium, endoplorato etc. Sed dubium non est, quin indu quoque dixerint, quia in veteribus libris Lucretii aliisque non tantum endo, sed et indu, et corrupte interdum inde legitur, quod Gifanius ipse agnoscit: et quia in compositis indu non minus reperitur, quam endo, ut induperator, indigena, induciæ, indigito, industrius etc. Ennius apud Macrob. 6. Saturn. 2. Indu mari magno fluctus extollere certant. Hæc Voss. in Etymol. Sic Lucilius apud Lactant. 5. 9. Jactare indu foro se omnes, decedere nusquam. Et Ennius apud Gell. 12. 4. Concilio indu foro lato sanctoque senatu. V. alia in v. IN init.

INDŬBĬĒ, adverb. (indubius) non dubie, sine dubio, indubitatamente. Cassiod. in clausula Institut. div. litt. (edente A. Maio in Class. auct. T. 3. p. 355.). Ista sic admiranda sunt, ut constanter indubieque credantur.

INDŬBĬTĀBĬLIS, e, adject. (in privat. et dubito) certus, de quo dubitari non potest, certo, indubitato. Quintil. 4. 5. 13. Illo sequenti (si modo indubitabile sit) utendum solo. Id. 4. 1. 55. In genere causæ etiam indubitabili. Stat. 11. Theb. 64. indubitabile signum. Ammian. 21. 1. fides. Adde Ulp. Dig. 28. 5. 9. circa med. Sic Capell. 6. p. 192. indubitabile probamentum. et Salvian. 3. advers. Avar. 16. Habes itaque indubitabilem futuræ retributionis securitatem. Adde Arnob. 6. 10.

INDŬBĬTĀBĬLĬTER, adverb. (indubitabilis) indubitanter, indubie. Arnob. 5. 37. Cunctis indubitabiliter notum est. Adde Pompej. gramm. p. 343. et 397.

INDŬBĬTANDUS, a, um, adject. (in privat. et dubitandus) indubitatus, de quo dubitare non possumus. Augustin. Ep. 19. 2. Ut veritas indubitanda persistat.

INDŬBĬTANTER, adverb. (in privat. et dubito) certe, sine dubio, certamente, indubitatamente, ἀναμφιβόλως. Plin. 18. Hist. nat. 11. 29. (109). Quæ palma frugum indubitanter Italiam contigit. Harduin. legit indubitata ex MSS.; quam lectionem etiam Sillig. retinuit. Ulp. Dig. 37. 11. 2. a med. Indubitanter probatur. Augustin. de vera Relig. 46. Indubitanter invitus. Venant. 9. carm. 14. 10. Et fidei tribuis indubitanter opem. Ammian. 28. 2. Latrociniorum rabies sæva scatebat in perniciem multorum, observans celebres vias, fundensque indubitanter quidquid inciderat fructuosum.

INDŬBĬTĀTĒ, adverb. (indubitatus). Sup. Indubitatissime. — Indubitate est indubitanter, sine dubio, haud dubie, indubitatamente. Liv. 33. 40. Quædam ex proxima Thracia, quæ indubitata Lysimachi fuerint. Vellej. 2. 60. Falsi indubitateque corrupti commentarii. Oros. 3. sub fin. Indubitatissime probatur.

INDŬBĬTĀTŌ, adverb. (indubitatus) indubitate. Tertull. 1. advers. Marcion. 9. Major indubitato eo, quem abscondit.

INDŬBĬTĀTUS, a, um, adject. (in privat. et dubitatus). Comp. Indubitatior. — Indubitatus est certus, de quo dubitari non potest, certo, sicuro, indubitato, ἀναμφίβολος. Quintil. 9. 4. 2. In iis ero, quæ indubitata sunt, brevior. Id. 1. 1. 31. indubitata litterarum inter se conjunctio. Adde eumd. 1. 6. 32., 5. 14. 32. et 9. 1. 2. Sic Id. 8. 5. 7. Quidquid pro causa videtur, indubitatum pronunciant. Stat. 2. Achill. 72. cubilia prædæ Indubitata tenens, multo legit arva molosso Venator. Justin. 12. 13. 1. Quarto die Alexander indubitatam mortem sentiens etc. Plin. 31. Hist. nat. 3. 27. (45). Indubitata spes. Id. 23. ibid. 1. 21. (36). Alvo citæ Signinum (vinum) maxime conducere, indubitatum est. Paul. Dig. 42. 1. 49. Indubitati juris est. Ulp. ibid. 43. 13. 1. § 8. Illius æstatis fluxus indubitatior est. Capell. 8. p. 289. indubitata ratio.

INDŬBĬTO, as, are, n. 1. (in intens. et dubito) dubitare, diffidere; et poeticum est, cum Dativo usurpatum, dubitare, diffidare, ἀπιστεῖν. Virg. 8. Æn. 404. absiste precando Viribus indubitare tuis. Stat. 3. Silv. 5. 110. sed ingratus, qui plura adnecto, tuisque Moribus indubito. Servius notat, ante Virgil. usum hoc verbo fuisse neminem.

INDŬBĬUS, a, um, adject. (in privat. et dubius) haud dubius, indubitatus, indubitato. Tac. 14. Ann. 55. Plurimorum indubia innocentia. Quintil. 5. 13. 24. Indubia exempla. Al. tamen aliter leg.

INDŪCĬA, æ, et

INDŪCĬÆ, ārum, f. 1. V. INDUTIÆ.

INDŪCO, dūcis, duxi, ductum, dūcere, a. 3. (in et duco). Induxti syncope est pro induxisti apud Ter. Andr. 5. 3. 12. et Hecyr. 4. 4. 67. — Induce pro induc, antique, est Varron. 3. R. R. 2. 18.; et Pomponii apud Non. p. 537. 9. Merc. — Part. Inducens II. A. 1.; Inductus in omnibus fere paragr. et in fin.; Inducturus II. A. 6.; Inducendus II. A. 1. et 5. — Inducere est in aliquem locum ducere, introducere, inferre, adducere, εἰσάγω (It. condur dentro, introdurre; Fr. conduire dans, faire entrer, introduire, mener; Hisp. introducir, conducir; Germ. ein –, hineinführen, anführen, bringen; Angl. to lead or bring in, lead into, introduce).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Cum Accusativo et præpos. in. Varro 1. R. R. 2. 12. Oves et armenta inducere in rura. Auct. B. Alex. 5. Inducere aquam in privatas domus. Aurel. Vict. vir. illustr. 31. aquam in orbem. Justin. 43. 4. 7. vehiculis aliquem in urbem. Cf. Plin. 7. Hist. nat. 35. 35. (120). Inducta Romam deûm mater. Alter Plin. 2. Ep. 12. Firminus inductus in senatum respondit crimini. Varro 3. R. R. 2. 18. Inducere aliquem in viam. mettere in istrada. Val. Flacc. 1. 848. nurum in sedes. Plin. 2. Ep. 7. aliquem in regnum. Liv. 8. 19. exercitum in agrum. Id. 31. 28. exercitum in Macedoniam. Id. 40. 25. exercitum in Ligures. Sall. Cat. 60. cohortem prætoriam in medios hostes. spingere. Liv. 30. 34. ad fin. principes triariosque in cornua. Id. 27. 13. exercitum in aciem. Id. 34. 28. cohortes in prælium. Id. 30. 18. equites in pugnam. Id. 31. 15. milites in pugnam. Cæs. 3. B. C. 112. Pars erat regiæ, in quam ipse habitandi causa initio erat inductus. — b) Cum Dativo. Virg. 1. G. 316. messorem induceret arvis Agricola. Sil. It. 3. 668. inducere aliquem tectis. Stat. 12. Theb. 326. age, mœnibus induc, Et patrios ostende lares. Ovid. 11. Met. 231. Inductum æquor arenis. h. e. illatum. Sueton. Ner. 16. Fossâ mare urbi inducere. — c) Absolute. Virg. 11. Æn. 620. princeps turmas inducit Asylas. Plin. 2. Ep. 11. Sed Honoratum cognitioni senatus mors opportuna subtraxit: Martianus inductus est absente Prisco. h. e. in senatum. Adde eumd. ibid. 14.; et Horat. 2. Sat. 7. 56. Sueton. Aug. 43. Parthorum obsides per arenam mediam ad spectaculum induxit. Colum. 1. R. R. 5. 1. Sit autem vel intra villam vel extrinsecus inductus fons perennis. Plin. 2. Ep. 17. Inducunt venti nubilum. Pallad. 2. R. R. 13. 2. Prius (ager) multis arationibus exerceatur, ut abolitis radicibus prioris vineæ novella vitis tutius possit induci. Propert. 4. 10. 34. Vineaque inductum longa tegebat opus. h. e. perductum usque intra muros urbis. ¶ 2. Speciatim de spectaculis scenæ et arenæ. Cic. Opt. gen. orat. 6. 17. A me autem gladiatorum par nobilissimum inducitur. Sueton. Cal. 27. Equitem R. objectum feris, quum se innocentem proclamasset, reduxit, abscissaque lingua rursus induxit. Plin. 8. Hist. nat. 6. 6. (17). Elephantos in Circum inducere. — Similiter Sueton. Ner. 11. Inducta est Afranii togata, quæ Incendium inscribitur. si rappresentò. Adde eumd. Claud. 34. et 45. et Domit. 4. Sic Horat. 1. Sat. 2. 20. ut pater ille, Terenti Fabula quem miserum gnato vixisse fugato inducit. ¶ 3. Item speciatim in re judiciali est producere, sistere. Sueton. Claud. 40. Teste inducta in senatu etc. Id. Domit. 11. Quosdam majestatis reos in curiam induxerat, et facile perfecerat, ut condemnarentur. Ammian. 28. 1. Inducere reos in judicium. Adde Tac. 6. Ann. 7. — Inducere in possessionem est immittere: translate Curt. 8. 8. 11. Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur: beneficiorum gratia sempiterna est. ¶ 4. Item inducere alicui novercam dicitur pater, qui filios habens ex priore conjuge, post ejus mortem, aliam ducit uxorem. Plin. 6. Ep. 33. Sic inducere pellicem qui, viva uxore, cum alia vivit. Val. Flacc. 2. 132. charasque toris inducere Thressas.

II.) Translate occurrit A) pro obducere, obtegere; et B) pro intro ducere, inferre.

A) Pro obducere, obtegere. ¶ 1. Generatim pro obtegere, coprire con qualche cosa. Horat. Art. P. 1. Humano capiti cervicem pictor equinam Jungere si velit, variasque inducere plumas. h. e. appingere plumas. Cf. Ovid. 7. Met. 642. humanam membris inducere formam. h. e. apponere, dare. et Id. 4. ibid. 373. nam mixta duorum Corpora junguntur; faciesque inducitur illis Una. Sic Juvenal. 6. 470. Sed quæ mutatis inducitur atque fovetur Tot medicaminibus – facies dicetur, an ulcus? Ceterum Curt. 5. 5. Inducere pontem. h. e. supra flumen ducere. Plin. 35. Hist. nat. 6. 17. (36). Inducere aurum ligno. Ovid. Heroid. 7. 23. inducto ceratæ sulphure tædæ. Cæs. 2. B. C. 10. Inducere coria supra lateres. Id. 2. B. G. 33. Scuta ex cortice facta pellibus inducere. Ovid. 1. Met. 408. brachia pennâ. Id. 7. ibid. 161. inductaque cornibus aurum Victima vota cadit. Adde eumd. 10. ibid. 271. et 2. Art. am. 495.; et Liv. 41. 20. Justin. 12. 7. 6. Phaleras equorum et arma militum argento inducit. Seneca Ep. 116. Inducere parietes marmore. Pallad. 1. R. R. 38. Podia inducta testaceo. — Huc referri potest et inducere cicatricem, h. e. curare ut vulnus cicatricem ducat, apud Plin. 8. Ep. 5. in fin. Sic Cels. 7. 8. Conjicienda eo pinna est illita medicamento cicatricem inducente. Id. 5. 22. n. 6. Ad inducendam cicatricem, squamæ æris, turis fuliginis, singulorum P. ✕. 1. ¶ 2. Speciatim ponitur pro induere, vestire, mettere. Cic. 2. Invent. 50. 149. Ligneæ soleæ in pedes inductæ sunt. Id. 1. Herenn. 13. 23. Soleæ ligneæ pedibus inductæ. Sic utroque loco plerique Codices; alii indutæ. Sueton. Aug. 92. Si sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero induceretur. Id. Claud. 8. Inducere soccos. Adde Plin. 2. Hist. nat. 7. 5. (24). Confer eumd. Plin. 28. ibid. 20. 81. (265). Pellicula cutio inducta. et Stat. 5. Silv. 2. 67. albentique humeros induxit amictu. Et Græca constructione Virg. 8. Æn. 457. tunicaque inducitur artus. ¶ 3. Item speciatim pro illinere, allinere, spalmare. Vitruv. 7. 3. in fin. Inducere arenatum et marmor et omne tectorium. Sic Cic. 3. Verr. 55. 145. Tectorium vetus delitum, et novum inductum. Plin. 35. Hist. nat. 10. 36. (102). Inducere colorem picturæ. Id. ibid. 6. 26. (45). purpurissum. Id. 33. ibid. 7. 40. (122). parieti ceram liquefactam. Justin. 21. 6. ceram desuper. Plin. 24. Hist. nat. 8. 33. (49). cuti nitorem. Plaut. Most. 3. 2. 142. postes pice. impeciare. — Sic de medicamentis quæ ægrotorum corpori imponuntur. Scribon. Compos. 158. Benefacit et aloe aceto diluta et per pinnam pedibus inducta. Veget. 3. Veterin. 48. 2. Primo lanam succidam ex oleo et aceto induces. et ibid. § 3. Locum, quem curare volueris, inducto psilotro, decalvas. ¶ 4. Et pro æquare, complanare, quod fit inducenda in rimas materia, qua impleantur. Plin. 2. Hist. nat. 80. 82. (194). Ita inducto solo, ut nulla vestigia extent. ¶ 5. Hinc delere significat, cancellare, cassare, verso stilo ceram complanando, ut litterarum ductus tollantur; et translate abrogare, tollere, abolere. Cic. 13. Att. 14. Nomina jam facta sunt: sed vel induci, vel mutari possunt. Id. 1. ibid. 20. Inducendi senatus consulti maturitas nondum est. Liv. 39. 44. Quas locationes quum senatus, precibus et lacrimis publicanorum victus, induci, et de integro locari jussisset etc. Sueton. Ner. 52. extr. Multa (in libellis) et deleta et inducta et superscripta inerant. Adde Justin. 21. 6. 6. Ulp. Dig. 28. 1. 1. Quæ in testamento legi possunt, ea inconsulto deleta et inducta nihilominus valent. Adde Marcell. ibid. 28. tit. 4. qui De his quæ in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur, inscribitur. Ubi delere est inverso stilo litteras omnino tollere, Itali cancellare dicunt: inducere, per ipsas litteras lineam ducere, Itali depennare vocant, ut appareat voluisse tollere, quod et perducere dicitur. V. INDUCTIO II. 2. ¶ 6. Denique de abstractis dicitur. Horat. 1. Sat. 5. 9. Nox terris umbras inducit. Ovid. 1. Met. 99. inducta latas caligine terras Occuluit. Sic figurate Vellej. 2. 36. 1. Omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inductutus caliginem. Ovid. 5. Fast. 163. inducunt crepuscula noctem. Val. Flacc. 1. 614. venti Inducere hiemem. Tibull. 2. 2. 19. dum tarda senectus inducat rugas inficiatque comas.

B) Pro intro ducere, inferre multiplices elegantesque habet usus. ¶ 1. Generatim cum Accusativo

rei est intro ducere, *introdurre, apportare*. *Cic.* 1. *Off.* 25. 85. Inducere seditionem atque discordiam in civitatem. *Id.* 2. *Orat.* 28. 121. Qui hoc primum in nostros mores induxit. *Id. Rabir. Post.* 4. 9. Inducere morem novorum judiciorum in rempublicam. *Id.* 13. *Phil.* 19. 43. Inducere novum verbum in linguam Latinam. *Id.* 1. *Fam.* 16. nomen fictæ religionis. *Sueton. Ner.* 55. novam appellationem. *Plin. Paneg.* 6. exemplum. *Sueton. Tib.* 30. speciem libertatis. *Auct. B. Afr.* 90. Edicit, se bonorum venditionem inductorum. Rursus *Cic.* 3. *Verr.* 41. 106. Inducere pecuniam in rationem. *mettere in conto, in partita*. *Id.* 2. *leg. Agr.* 26. 70. agrum alicui pecunia ingenti. *h. e.* adscribere alicui, emptum alicui referre, tamquam si ingenti pecunia coemptus sit. ¶ 2. Speciatim cum Accusativo personæ est aliquem loquentem facere, *introdurre a parlare*: ducta metaphora ab auctoribus fabularum, a gladiatoribus, a ceteris spectaculis, quæ proprie induci dicuntur, quum ad agendum scenam aut arenam ingrediuntur. *Cic.* 3. *Off.* 9. 38. Hinc ille Gyges inducitur a Platone. *Id. Cæl.* 15. 35. Sed quid ego, judices, ita gravem personam induxi? *Id.* 5. *Tusc.* 39. 115. Augurem Tiresiam, quem sapientem fingunt poetæ, numquam inducunt deplorantem cæcitatem suam. *Nepos Alcib.* 2. inducere Alcibiadem memorantem etc. — Similiter cum Accusativo rei, quæ dicitur, vel in medium affertur, adducitur, proponitur. *Cic.* 13. *Att.* 19. Puero me, hic sermo inducitur. *Id. Cæl.* 11. 25. Verebar, ne illa subtiliter ad criminandum inducta oratio, ad animos vestros sensim accideret. *Id. Fat.* 10. 23. Hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quod etc. *Id. Cæl.* 23. 58. Si ei tanta consuetudo, quanta a vobis inducitur, non erat, quæ cum servis potuit familiaritas esse tanta? *Tac.* 1. *Ann.* 7. Postea cognitum est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem: nam verba vultus in crimen detorquens recondebat. ¶ 3. Item speciatim *inducere aliquem*, et *animum* vel *in animum inducere* est adducere, impellere, cogere, *indurre*. — 1.°) *Inducere aliquem* occurrit — *a*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Plaut. Pers.* 4. 4. 91. Inducere aliquem in memoriam. *far sovvenire*. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 3. *sub fin.* Si nobiscum eum res aliquo eduxerimus, in hanc nostram rationem consuetudinemque inducemus. *lo ridurremo, lo tireremo*. Sic *Id. Amic.* 15. 59. Amici jacentem animum excitare, et inducere in spem cogitationemque meliorem. *Forcellinus* et alii præpositionem omittunt. Ceterum *Id.* 2. *Off.* 15. 53. Inducere aliquem in spem. *mettere in speranza*. *Quintil.* 11. 3. 58. Ab his effectibus, in quos inducendus est judex, recedere. Rursus *Cic. Brut.* 85. 293. et 3. *Off.* 13. 55. in errorem. *far errore*. et *Catull.* 30. 8. in amorem. *far innamorare*. *Nepos Hann.* 5. Sempronium in insidias inductum sustulit. *Cic.* 2. *Herenn.* 19. 29. multos in peccatum. — Cum Accus. sine præpos., quæ inest in ipso verbo, *Tertull. advers. Valentinian.* 11. *extr.* Et veram inducerentur quietem. *h. e.* in quietem ducerentur. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *ad*. *Cic. Rosc. Am.* 28. 76. Pretio, gratia, spe, promissis aliquem ad parricidium inducere. *Id. Brut.* 50. 188. Induci ad misericordiam, ad pudendum, ad pigendum. *Nepos Hann.* 8. Si forte Carthaginienses ad bellum posset inducere. *Id. Con.* 3. induci ad credendum. — *c*) Cum Adverbiis motum ad locum significantibus. *Ter. Andr.* 2. 3. 25. Vide, quo me inducas. *che cosa m'induci a fare*. et *Id. Heaut.* 4. 4. 1. Me Syri promissa huc induxerunt. — *d*) Cum part. *ut* et Conjunctivo. *Cic. Rosc. com.* 16. 46. Quem ego, ut mentiatur, adducere possum. Cf. *Tac.* 2. *Ann.* 52. Spe victoriæ inducti sunt, ut vincerentur. — *e*) Cum Infinito. *Tac.* 12. *Ann.* 9. Consulem Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt sententiam expromere, qua oraretur Claudius etc. — *f*) Absolute occurrit fere particip. *Inductus* et est impulsus, persuasus, *indotto, persuaso*, ὑπαχθείς. *Cic. Quinct.* 3. 12. Inductus familiaritate fecit societatem. *Id Planc.* 42. 101. falsa spe. *Justin.* 18. 1. 1. spe. *Sall. Cat.* 36. præmio. *Cic.* 5. *Fam.* 6. odio. *Id. Mur.* 30. 62. auctoribus eruditissimis. *Id. Cæl.* 16. 38. cupiditate. *Phædr.* 2. 6. verbis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 44. (137). argumentis. — 2.°) *Inducere animum* occurrit — *a*) Cum Accusativo et præpos. *ad*. *Ter. Hecyr.* 4. 4. 67. Inducere animum ad aliquid. *applicare*. — *b*) *Inducere animum* (quasi *ducere in animum*) sequente fere Infinito, est sibi persuadere, adduci, *indursi, persuadersi a far qualche cosa*. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 24. Quod numquam credidi fore, ut, illa viva, posset animum inducere, uxorem habere. *Cic.* 14. *Att.* 12. *extr.* Etenim ille, quoniam semel induxit animum, sibi licere quod vellet, fecisset nihilominus, me invito. *Id.* 1. *Divinat.* 13. 22. Tu igitur animum poteris inducere, de divinatione dicere, qui etc.? *Id.* 5. *Tusc.* 10. 30. Inducant animum opes contemnere. Sic *Id.* 7. *Att.* 3. *a med.* Id quod animum induxeret, paullisper non tenuit. — *Inducere in animum* eodem sensu dicitur. *Ter. Hecyr.* 4. 2. 27. Non tute incommodam rem in animum inducas pati? *Id. Heaut.* 5. 4. 5. Ne istuc in animum inducas tuum, alienum esse te. *Cic. Sull.* 30. 83. In animum inducam, ejus vitam defendere. *Sall. Cat.* 54. Postremo Cæsar in animum induxerat, laborare, vigilare. — *c*) *Inducere animum* eadem significatione cum part. *ut, ne, quo minus* et Conjunctivo. *Cic. Rosc. Am.* 19. 53. Vitia filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut patrem esse sese oblivisceretur. *Plaut. Asin.* 5. 1. 5. Possum inducere animum, ne ægre patiar. — Similiter *inducere in animum* occurrit. *Liv.* 27. 9. Quod consules in senatu ut pronunciarent, in animum inducere non possent. *Plin.* 9. *Ep.* 13. *ante med.* Non sustinui inducere in animum, quo minus illi indicarem. ¶ 4. Item inducere est decipere, *dar ad intendere, far credere quel che non è, ingannare*: ducta metaphora a feris, quæ in casses pertrahuntur. *Cic. Pis.* 1. 1. Hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit. *Id. Rosc. Am.* 40. 117. Socios induxit, decepit, destituit. *Id.* 2. *Phil.* 32. 79. Dolabella impulsus, inductus, elusus. *Id.* 3. *Att.* 15. *ad fin.* Proditus, inductus, conjectus in fraudem. *Tibull.* 1. 7. 1. Semper ut inducas, blandos offers mihi vultus. *Al. melius leg.* inducar. ¶ 5. *Inducere injuriam* est inferre. *Cajus Dig.* 5. 2. 4. Non est consentiendum parentibus, qui injuriam adversus liberos suos testamento inducunt. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Inductus, a, um, adjective quoque usurpatur, et translate est adscititius, aliunde arcessitus. *Plin.* 4. *Ep.* 3. *extr.* Neque enim conjectura eget, quid sermone patrio exprimere possis, quum hoc insiticio et inducto tam præclare opera perfeceris. *Id.* 5. *ibid.* 6. *sub fin.* Si nihil inductum et quasi devium loquimur, non epistola quæ describit, sed villa quæ describitur, magna est. *Id.* 3. *ibid.* 18. *in fin.* Quum ea potius, quæ pressius et adstrictius, quam illa quæ hilarius et quasi exsultantius scripsi, possit videri arcessita et inducta.

INDUCTĬBĬLIS, e, adject. (induco) qui potest induci et illini. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. Coagulata inductibiliaque et digitis convoluta nullam corpori infectionem dimittant.

INDUCTĪCIUS, a, um, adject. (induco) qui inductus fuit. *Gloss. Philox.* Inducticius, ἐπείσακτος.

INDUCTĬO, ōnis, f. 3. (induco) actus inducendi, immissio, introductio, *introducimento, introduzione*, εἰσαγωγή.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 152. Nos aquarum inductionibus terris fecunditatem damus. *Liv.* 44. 9. Horum (*juvenum*) inductio (*in Circum*) in parte simulacrum decurrentis exercitus erat. Cf. *Inscript.* apud *Henzen.* 6042. *Cic.* 3. *Orat.* 53. 205. Personarum ficta inductio. *h. e.* prosopopœia. Cf. *Quintil.* 9. 1. 31.

II.) Translate. ¶ 1. Abstracte est tectorii, aut coloris appositio: et ipsa calx quæ inducitur, tectorium, *intonacato, intonaco*: *V.* INDUCO II. *A.* 3. *Pallad.* 1. *R. R.* 15. Prima trullis frequentetur inductio: quum siccari cœperit, iterum inducatur. *et ibid.* Quæ inductio tamdiu subigenda est, ut rutrum, quo calx subigitur, mundum levemus. ¶ 2. Abstractum pro concreto, inductio est fomentum, quia ægrotis inducitur. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 27. 216. Cataplasmatum atque inductionum appositio. ¶ 3. Item rei scriptæ deletio, *cancellazione*, abrogatio, *annullazione*. *Ulp. Dig.* 28. 4. 1. Lituras, inductiones, superductiones ipse feci. Adde *ibid.* 2.; et *V.* INDUCO II. *A.* 5. ¶ 4. Concreto, uti ajunt, sensu *inductiones velorum* in Circo et theatris, *il tirar le tende*, quum vela expanduntur soli arcendo. *Vitruv. præfat.* 10. ¶ 5. Abstracte et per metaphoram *inductio animi* est persuasio, quum quis in animum induxit, aliquid facere. *persuasione*: *V.* INDUCO II. *B.* 3. 2.° *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 11. § 32. Nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, facilem se præbere, præclarum magis est, quam difficile: non enim est positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi atque voluntate. *Id.* 1. *Fam.* 8. Tantum enim animi inductio et mehercule amor erga Pompejum apud me valet, ut etc. ¶ 6. Speciatim inductio est genus argumentationis oratoriæ, ἐπαγωγή, qua rebus dubiis captatur assensio ejus, quicum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quædam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur. Ita describit *Cic.* 1. *Invent.* 31. 51., et exemplum subjicit. *Quintil.* 5. 11. 3. Inductio, qua plurimum Socrates est usus, hanc habuit viam: quum plura interogasset quæ fateri adversario necesse esset, novissime id, de quo quærebatur, inferebat, cui simile concessisset. ¶ 7. *Inductio erroris* apud *Cic.* 3. *Orat.* 53. 205. et *Topic.* 10. 42.; et *Quintil.* 9. 1. 31. est figura apoplanesis, quam vocem *V.* loco suo.

INDUCTĪVĒ, adverb. (inductivus) translate occurrit, et est indulgendo, obsequendo, quasi inductione et persuasione. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. n. 157. Sed inductive nunc indulgeant consentientes, nunc insinuando corrigant etc.

INDUCTĪVUS, a, um, adject. (induco) qui inducit. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 1. 9. p. 530. Non oportet autem instantiam in ipsum ferre, si sit propositio inductive. *Priscian.* 18. p. 1144. *Putsch.* Nec aliter possunt suppositiva sive inductiva, quæ Græci ὑποθετικά vocant, proferri, nisi per subjunctivum.

INDUCTOR, ōris, m. 3. (induco) qui aliquid inducit. *Gloss. Philox.* Inductor, εἰσακτής. — Translate *inductores* sunt, qui servos cædunt, quod exercitum ulmorum in eorum terga tamquam tectorium in parietes inducunt. *Plaut. Asin.* 3. 2. 6. inductores acerrimi, gnarique nostri tergi, qui sæpe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt. *Alii male leg.* indoctores, *alii pejus* incloctores.

INDUCTŌRĬUM, ii, n. 2. (induco) medicamentum quod inducitur. *Plin. Valer.* 1. 3. Figatum perdicis cum felle aut certe de vulture totum insimul cum aliis speciebus facies inductorium.

INDUCTŌRĬUS, a, um, adject. (induco) qui inducit; et translate qui invitat, ut apud *Augustin.* 1. *contra Acad.* 4. Quamvis tuam sitim noverim, gustum tamen mittere volui, quem tibi suavissimum et, ut ita dicam, inductorium fore puto, ne frustra speraverim.

INDUCTRIX, icis, f. 3. (induco) quæ inducit. Translate *Apul. Florid.* n. 23. *extr.* Corvus crucire adortae, prædæ, quam ore gestabat, inductricem compotivit. *h. e.* vulpem, quæ fraude illum ad canendum induxerat ac deceperat. Adde *Capell. loc. cit.* in DYSPROPHERON.

INDUCTŪRA, æ, f. 1. (induco) idem atque inductio, appositio. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. *ante med.* Sicut fuit, quum grave quisquam cataplasma apponendum putarit ex plurima atque corporosa inductura. *h. e.* ex multa et magnæ molis materia.

INDUCTUS, a, um. *V.* INDUCO.

INDUCTUS, us, m. 4. (induco) translate tantum occurrit, et est inductio, persuasio, impulsus, *indotta, persuasione*, ἐπαγωγή. In sexto casu sing. *Cic. fragm.* apud *Quintil.* 5. 10. 69. Utrum velitis, casu illo itinere Varenum usum esse, an hujus persuasu et inductu. *Id.* 2. *Herenn.* 17. 26. Non concedi reo convenist, quod alieno inductu fecerit.

INDŪCŬLA, æ, f. 1. vestis interioris genus, ab induendo dictæ, *sottana, giustacore*. De vestitu femineo usurpat *Plaut.*, sed quæ ejus forma fuerit, incompertum est, *Epid.* 2. 2. 39. PERIPH. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam? EPID. impluviatam, ut istæc faciunt vestimentis nomina. Videtur *Non.* p. 539. 11. *Merc.* legere *tuniculam*. Certe in tunicarum genere *inducula* ponenda videtur.

INDŪGRĔDĬOR. *V.* INGREDIOR, ENDOGREDI et INDU.

INDULCĀTUS, a, um. *V.* INDULCO.

INDULCĔO, es, ere, a. 2. (in *et* dulceo) valde dulceo. *Gloss. Philox.* Indulceo, ἐγγλυκαίνω.

INDULCĪTAS, ātis, f. 3. (in *privat.* et dulcitas) non dulcitas. *Cæcilius* apud *Non.* p. 96. 29. *Merc.* Tanta huic invasit in corda indulcitas. *Mercerus*

legendum putet: *Tantau' invasit in cor Davi dulcitas*?

INDULCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* dulco). Part. *Indulcatus* I. et II. — Indulcare est dulce facere, idem atque edulcare, *addolcire*, γλυκαίνω.

I.) Proprie. *Tertull. advers. Jud.* 13. Hoc lignum, quo Moyses aquam amaram indulcavit. *Vulgat. interpr. Eccli.* 38. 5. Nonne a ligno indulcata est aqua amara? *Theod. Priscian.* 1. 10. Fenogræci succus, palmarum indulcatus decoctione.

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Eccli.* 12. 15. In labiis suis indulcat inimicus: et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam. *Cf. ibid.* 49. 2. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria.

INDULCŌRO, as, are, a. 1. (in *et* dulcoro) valde dulcoro. *Gloss. Philox.* Indulcoro, ἡδύνω.

INDULGENS, entis. *V.* INDULGEO.

INDULGENTER, adverb. (indulgeo). Comp. *Indulgentius* et Sup. *Indulgentissime*. — Indulgenter est indulgendo, obsequenter, blande, facile, ad gratiam, *cortesemente, benignamente, con piacevolezza, condiscendendo*, πειθηνίως, φιλοστόργως. *Cic.* 9. *Att.* 9. *circa med.* Illud me præclare admones, quum illum videro, ne nimis indulgenter, et ut cum gravitate potius loquar. *Liv.* 36. 14. Athamanum captivis indulgenter habitis. Sic *Flor.* 1. 18. 15. Nam interemptos cremavit: captivosque indulgenter habuit et sine pretio restituit. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 40. 41. (130). Abunde atque indulgentera fortuna deciditur cum eo, qui jure dici non infelix potest. *Cic.* 2. *Fin.* 33. 109. Bestiæ multa faciunt indulgenter vel cum labore. *h. e.* in gratiam aliorum. *Seneca* 4. *Benef.* 32. Dii alios indulgentius tractant. *Val. Max.* 1. 7. *extern.* 3. Longe indulgentius dii in poeta Simonide, cujus etc. *Seneca Consol. ad Helv.* 5. Omnia illa, quæ fortuna in me indulgentissime conferebat. *Solin.* 9. Voluptati aurium indulgentissime deditos.

INDULGENTĬA, æ, f. 1. (indulgeo) facilitas et remissio animi, lenitas, obsequentia, qua faciles sumus ad concedendum, remittendum, gratificandum, connivendum: ei occurrit tum in bonam, tum etiam in malam partem, quum scilicet plus gratiæ amorique tribuitur, quam par est, ἄνεσις, συγγνώμη, φιλοστοργία (It. *indulgenza, condiscendenza, compiacenza, cortesia, clemenza*; Fr. *indulgence, douceur, ménagement, bonté, complaisance*; Hisp. *indulgencia, bondad, dulzura, complacencia*; Germ. d. *Nachsicht, Liebe, Zärtlichkeit, Güte, Huld, Gnade*; Angl. *indulgence, favour, condescension, courtesy, complaisance, gentleness, fondness*).

I.) Proprie de hominibus. — *a*) Generatim, et quidem — Absolute. *Tac. Agric.* 4. Mater Julia Procilla fuit, raræ castitatis. In hujus sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. *amorosa attenzione. Cic.* 1. *Legg.* 23. 60. Quum animus, cognitis perceptisque virtutibus, a corporis obsequio indulgentiaque discesserit. *Id. ibid.* 13. 35. Homines inter se naturali quadam indulgentia et benevolentia contineri. *Liv.* 37. 52. *ad fin.* Quum aliquandiu, hinc indulgentia, hinc modestia, inter permittentes invicem, certatum esset. *Justin.* 1. 9. 13. Tributa et militiæ vacationem in triennium permittunt: ut regnum, quod fraude quæsierant, indulgentia et largitionibus confirmarent. *Grat. Cyneg.* 141. frondosas gravat indulgentia silvas. *h. e.* potator indulgens nimium frondescere patitur silvas. *Plin.* 10. *Ep.* 3. Experiri alicujus plenissimam indulgentiam. *h. e.* benignitatem, liberalitatem, *grazia, benignità. Curt.* 5. 3. 13. Metuere sese, ne victoria indulgentiam fatigaret. *Plin. Paneg.* 74. Civitas religionibus dedita semperque deorum indulgentiam pie merita. *Id.* 10. *Ep.* 107. Rogatus a P. Accio, ut mitterem tibi libellum, per quem indulgentiam pro statu filiæ suæ implorat. *h. e.* ut civis Romana fiat. *Ulp. Dig.* 29. 1. 1. Nerva plenissimam indulgentiam in milites contulit. *h. e.* amplam facultatem condendi testamenta sine solemnitatibus legum. — Cum præpos. *in* et Accusativo personæ, cui quis indulget. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. Ejus nimia indulgentia in Lepidum, ad hæc pericula perspicienda fecit eum minus sagacem. *Balbus et Oppius* apud *Cic.* 9. *Att.* 7. A. 3. Et hoc Cæsarem, pro sua indulgentia in suos, probaturum putamus. — In plurali numero usurpavit *Plin. Paneg.* 82. Validior toto corpore animus imperitet, quem non fortunæ indulgentiæ molliant, non copiæ principales etc. Adde *Auson. Gratiar. act. ad Gratian.* 32. Sic *Inscript.* apud *Labusium, Colonna di Maguzz.* p. 10. INTER PLVRIMA INDVLGENTIARVM SVARVM IN AQVILEIENSES PROVIDENTISSIMVS PRINCEPS RESTITVIT. *V.* et infra sub II. 1. et 2. — *b*) Præcipue dicitur de caritate et facilitate in liberos, parentes, agnatos. *Cic. post redit. ad Quir.* 1. 2., 3. *Verr.* 44. 112., 2. *Orat.* 40. 168. et alibi; *Nepos Att.* 17.; et *Quintil.* 1. 2. 6.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur aliquando de rebus physicis et abstractis. Sic *indulgentia cœli* apud *Virg.* 2. *G.* 345., et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (16). et 18. *ibid.* 21. 50. (186). est temperatus aer, tepidum cœlum, bonitas climatis, qua fruges facile proveniunt. Et de fortuna *Vellej.* 2. 80. 1. Vir omnium vanissimus, neque ulla virtute tam longam fortunæ indulgentiam meritus. ¶ 2. Apud sequioris ævi scriptores indulgentia usurpatur pro remissione pœnæ et tributi. *Capitolin. Antonin.* 6. His, quos Hadrianus damnaverat, in senatu indulgentias petiit. *h. e.* pœnæ remissionem. Pro remissione tributi, *rilascio*, legitur apud *Eumen. Gratiar. act. ad Constantin.* 8. et 10.; et *Ammian.* 16. 5. *ad fin.* Confer *Sueton. Cæs.* 59. et 65.; et V. *Casaubon.* ad *Scriptor. Hist. Aug.* 1. p. 273.

INDULGEO, dulges, dulsi, dultum, dulgere, 2. Ratione habita etymi, volunt esse ab *in* privativa et *urgeo*: nam qui indulgens est, non urget, aut severe exigit, sed remittit facile et condonat; vel potius ab *indu* et *algeo*, quia indulget is, qui ægre quidem et exoratus aliquid alicui, ceteroquin non concessurus, permittit. Hæc *Forcellinus*. Mihi autem videtur, quanquam affirmare non ausim, *indulgere* esse ab *in* et *dulceo* seu *dulcis*; ita ut indulgere dicatur, qui dulcem, hoc est facilem in alios et clementem se præbet. — Part. *Indulgens* sub *B.* et in fin.; *Indultus, Indulturus* et *Indulgendus* sub *B.* — Indulgere occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active.

A) Neutrorum more ¶ 1. Generatim indulgere est facile concedere, plus æquo permittere, connivere, gratificari, inservire, χαρίζομαι (It. *condiscendere, compiacere, permettere, secondare, essere indulgente*; Fr. *être bienveillant, indulgent, avoir de l'indulgence, de la complaisance pour*; Hisp. *estar indulgente, benigno, complacer, haber indulgencia, complacencia*; Germ. *nachsichtig, gefällig sein, nachgeben, nachsehen, sich hingeben, gestatten*; Angl. *to indulge, gratify, caress, pamper, humour, make much of*). Occurrit — *a*) Cum Dativo. *Ter. Heaut.* 4. 8. 21. Indulgere alicui. Cf. *eumd. Adelph.* 1. 1. 36. Cur perdis adolescentem nobis? cur amat? cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris? Vestitu nimio indulges. *Cæs.* 7. *B. G.* 40. Æduorum civitati Cæsar præcipue indulserat. *Cels.* 3. 6. Indulgere ægris. *Curt.* 7. 1. 40. Sex millia Macedonum peditum et DC. equites adduxi, quorum pars secutura me non erat, si militiam detrectantibus indulgere voluissem. *Seneca* 3. *Benef.* 21. Dominus servo indulsit, liberalius educavit. *Nepos Lysand.* 1. Sic sibi indulsit, ut ejus opera in odium Græciæ Lacedæmonii pervenerint. *h. e.* tantum licentiæ sibi sumpsit. *Id. Chabr.* 3. Indulgebat sibi liberalius, quam ut invidiam vulgi posset effugere. *si trattava* etc. Cf. *Cic.* 4. *Tusc.* 18. 42. Ipsa sibi imbecillitas indulget, in altumque provehitur imprudens. *Ammian.* 25. 4. indulgere naturæ. *Sueton. Aug.* 51. ætati. *Id. Claud.* 16. ætatulæ. *Lucilius* apud *Non.* p. 325. 33. *Merc.* Tu quid iræ indulges nimis? manus a muliere abstinere melius est. *Mercerus* leg. *iram.* Sic *Liv.* 3. 53. *ad fin.* Iræ vestræ magis ignoscendum, quam indulgendum est. *Id.* 9. 43. Indulgent consules legionum ardori. *secondano. Nepos Reg.* 1. Indulgere dolori. *Plin.* 1. *Ep.* 14. *extr.* amori. *Liv.* 40. 5. odio. *Plin.* 4. *Ep.* 15. precibus. *Id.* 5. *ibid.* 15. gaudio. *Id.* 10. *ibid.* 34. desiderio alicujus. *Val. Flacc.* 3. 371. lacrimis. *Pers.* 5. 151. Genio. *V.* GENIUS. *Ovid.* 12. *Met.* 597. et 1. *Trist.* 3. 57. animo. *secondare la voglia. Id.* 7. *Met.* 568. animis. *Sueton. Gramm.* 23. luxuriæ. *Val. Flacc.* 8. 392. conjugiis. *Id.* 2. 371. thalamis. *Justin.* 32. 4. 10. Hannibal cœnans numquam plus, quam sextario vini indulsit. *non si allargò a bere più di due fogliette. Virg.* 2. *G.* 276. Sin tumulis acclive solum collesque supini, indulge ordinibus. *h. e.* vitium ordines laxa, majus eis da spatium atque intervallum. — Et omisso Dativo, qui facile subauditur. *Lucret.* 1. 805. Et, nisi tempestas indulget tempore fausto, Imbribus et tabe nimborum arbusta vacillant. — *b*) Cum Accusativo personæ. *Afranius* apud *Non.* p. 502. 11. *Merc.* Male merentur de nobis heri, qui nos tantopere indulgent in pueritia. *Ter. Heaut.* 5. 2. 34. Dum istis fuisti solus, te indulgebant, tibi dabant. *Id. Eun.* 2. 1. 16. Ejicienda est mollities animi: nimis me indulgeo. *Al. legunt* mi. ¶ 2. Speciatim est libenter inservire, enixe operam, etiam plus aliquanto quam par est, dare, *attendere, andar dietro vogliosamente. Cic. Amic.* 15. 54. Veteres amicitias spernere, indulgere novis. *Id.* 5. *Verr.* 24. 59. Cives Romanos coluit, his indulsit, eorum voluntati et gratiæ deditus fuit. *Id.* 16. *Fam.* 18. Ut ut est, indulge valetudini tuæ: cui quidem tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis. *Virg.* 6. *Æn.* 135. Indulgere labori. *Id.* 9. *ibid.* 615. choreis. *Id. ibid.* 165. vino. *Id.* 4. *ibid.* 51. hospitio. *Ovid. Remed. am.* 751. theatris. *Quintil.* 10. 1. 84. eloquentiæ. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 49. Gymnasio indulgent Græculi. *sono dilettanti. Flor.* 3. 12. 10. Indulgere spectaculis. *Tac.* 16. *Ann.* 19. somno. *Lucan.* 7. 54. regno. *h. e.* imperio. — Passive impersonaliter. *Liv.* 45. 35. Nihil relicturus, si aviditati indulgeretur, quod in ærarium referret. *Colum.* 5. *R. R.* 7. 3. Si segetibus indulgetur.

B) Active cum Accusativo rei et Dativo personæ indulgere significat permittere, concedere, largiri, *concedere, permettere*. — *a*) Activa forma. *Sueton. Aug.* 41. Usum ejus pecuniæ gratuitum iis, qui cavere in duplum possent, ad certum tempus indulsit. *Id. Claud.* 24. Ornamenta consularia etiam procuratoribus indulsit. *Id. Domit.* 11. Indulgere damnatis arbitrium mortis. *Val. Flacc.* 2. 356. moras et spatium amori. *Quintil.* 2. 17. 32. nomen oratoris malis moribus. *Ulp. Dig.* 42. 6. 1. § 14. De his autem omnibus an admittenda separatio sit, nec ne, ejus erit notio, qui separationem indulturus est. *Martial.* 1. 105. improbæque tigres indulgent patientiam flagello. *h. e.* præbent, præstant: *portano con pazienza le sferzate.* — Similiter *indulgere se alicui* est facilem se præbere, seu potius se alicui concedere vel permittere. *Stat.* 4. *Silv.* 6. 36. Deus, ille Deus, seseque videndum indulsit, Lysippe, tibi. *Juvenal.* 2. 165. ardenti sese indulsisse tribuno. — *b*) Cum Infinito. *Sil. It.* 14. 672. Jussit stare domos, indulgens templa vetustis incolere atque habitare deis. *Stat.* 1. *Theb.* 500. Indulgens reparare animum. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 317. — *c*) Passive. *Gell. præfat.* Animus, intersitione aliqua negotiorum data, laxari indulgerique potuisset. *h. e.* recreari. *Modestin. Dig.* 48. 16. 17. Abolitio reorum, quæ publice indulgetur. *h. e.* conceditur. *Ulp. ibid.* 4. 3. 9. *extr.* Neque enim passim hæc actio indulgenda est. Sic *Theod. Priscian.* l. 2. p. 2. c. 21. Quum variæ emergunt species motionum, quæcumque expediunt medicorum conjecturis, vel judicio, indulgenda erunt. *Callistrat. Dig.* 50. 5. 6. *circa med.* Non potest privilegiis navicularils indultis uti. *Ammian.* 14. 1. Licentia crudelitati indulta. *Sidon.* 4. *Ep.* 24. Indultis tantisper indutiis. *Ovid. de nuce* 39. Non odium facit hoc, sed spes indulta rapinæ. *Al. leg.* inducta: *al.* indicta. *Pallad. initio l. de insit.* Habes aliud indultæ fidei testimonium. *h. e.* datæ fidei. — Hinc Part. præs.

Indulgens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Indulgentior* 1., et Sup. *Indulgentissimus* 1. et 3.: et ¶ 1. Active est qui indulget et obsequitur, facilis, clemens, *indulgente, condiscendente, cortese, benigno*, συγχωρητικὸς φιλόστοργος. — *a*) Cum Dativo. *Cic. Amic.* 24. 89. Molesta veritas: sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit. *Vellej.* 2. 117. indulgens alicui in re aliqua. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Liv.* 22. 61. Civitas minime in captivos, jam inde antiquitus, indulgens. — *c*) Cum Genitivo. *Liv.* 24. 25. Non ferme desunt irarum indulgentes ministri. — *d*) Absolute. *Cic. Cluent.* 5. 12. Quo ipsum nomen amantius indulgentiusque maternum, hoc illius matris singulare scelus etc. *Sueton. Vesp.* 21. Nec ullo tempore facilior aut indulgentior traditur. *Seneca Consol. ad Helv.* 2. *a med.* Avunculus indulgentissimus. — Apud *Nepot. Att.* 1. *indulgens pater* in laude ponitur; et de eo dicitur, qui ex naturali caritate nihil omittit eorum, quæ ad honestam filii educatio-

nem pertinent: eodemque modo *indulgentia* usurpatur. — Rom. Imperator sæpe *indulgentissimus* dicitur a *Plin.*, ut *Paneg.* 38. et 90. — Figurate *Quintil. Declam.* 18. 10. Si filio obtigerit indulgentior facies, vultus erectior. *h. e.* cui plus natura indulserit decoris: vel quia decori aspectu mites et indulgentiores esse videntur: vel quia pulcris indulgere facile solemus. ¶ 2. Active est etiam deditus, proclivis. *Sueton. Aug.* 70. Notatus est et ut aleæ indulgens. Cf. *Curt.* 8. 14. 11. Humani ingenii vitio spei suæ indulgens. ¶ 3. Passiva significatione de eo, cui quis indulget, usurpari videtur a *Quintil. Declam.* 10. 13. Fili, indulgentissime adolescens, vidi te, nec semel vidi.

H o m o n y m. Inter *indulgere* et *ignoscere* hoc interest, quod illud ad peccata futura refertur, hoc ad præterita; et illud ad miseros et obsecrantes, hoc ad reos tantummodo spectat. Videtur tamen pro hoc illud poni a *Quintil. Declam.* 10. 11. Indulge sane vanæ rei, ignosce: libenter se orbitas decipit.

INDULGĬTAS, ātis, f. 3. (indulgeo) indulgentia (vetus verbum). *Sisenna* apud *Non. p.* 120. 9. *Merc.* Bassus assiduitate, indulgitate victus. *Cœlius* apud *Servium* ad *Virg.* 2. *G.* 345. Consuetudine uxoris, indulgitate liberum. *Gloss. Philox.* Indulgitas, συγχώρησις.

INDULTĬO, ōnis, f. 3. (indulgeo) idem atque indultum et indultus. *Imppp. Valentin., Theod. et Arcad.* in *Append. Cod. Theod.* a *Sirmondo* edita n. 7. Placida beneficia lenitatis pro felicitate sæculi publicamus, ut illos, quos imminentis supplicii terror exagitat, insperatæ miserationis indultio, securitati perpetuæ restitutos, ad communis vitæ gaudia, depulsa culparum acerbitate, perducat.

INDULTOR, ōris, m. 3. qui indulget. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 9. *ad fin.* Malus jam, quando legis eversor; si bonus, quum legis indultor.

INDULTUM, i, n. 2. (indulgeo) concessio, permissio, *concessione, indulto*; *V.* INDULGEO sub *B. Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 4. 15. 1. Justa Constantinianæ legis indultum. *Iidem ibid.* 3. 10. 1. Indultum principis.

INDULTUS, a, um. *V.* INDULGEO.

INDULTUS, us, m. 4. (indulgeo) concessio, venia, *concessione*; *V.* INDULGEO sub *B.* In sexto casu sing. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. *a med.* Oro, ut indultu clementiæ tuæ in accusatorem meum, quæ volo, scribam.

INDŬMENTUM, i, n. 2. (induo) vestis, *veste, vestimento*, ἔνδυμα.

I.) Proprie. *Gell.* 16. 19. *de Arione.* Oravit, ut priusquam mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi omnia indumenta. *Aurel. Vict. Cæsar.* 21. Indumenta in talos demissa. Adde *Ammian.* 14. 7. et 19. 8. Sic *Gabius Bassus* apud *Gell.* 5. 7. *de persona.* Indumentum illud oris clarescere et resonare vocem facit.

II.) Translate. *Prudent.* 9. *Cathemer.* 99. Patres carnis indumenta sumunt, aquæ bustis prodeunt. *h. e.* e mortuis resurgunt corpus assumendo. *Lactant.* 6. 13. Danda igitur opera, ut indumento justitiæ pietatisque velemur, quo nos exuat nemo, quod nobis sempiternum præbet ornatum.

INDŬO, dŭis, dŭi, dūtum, dŭere, a. 3. (a Græco ἐνδύω, quod idem significat). Part. *Indutus* in omnibus ferre paragr. — Induere est corpori circumdare, inducere, vestire: et dicitur tam de eo, qui ipse se, quam qui alium vestit: item tam de vestibus, quam de aliis, quæ corpori circumdantur, seu inducuntur (It. *vestire*; Fr. *vêtir, revêtir, mettre, passer à quelqu'un*; Hisp. *vestir*; Germ. *anlegen, anziehen, anstecken*; Angl. *to put on, clothe*).

I.) Proprie occurrit de hominibus et rebus — *a*) Cum Accusativo vestis vel rei et interdum Dativo personæ. *Cic.* 2. *Tusc.* 8. 20. Quum Dejanira Herculi sanguine Centauri tinctam tunicam induisset. *Virg.* 11. *Æn.* 76. induere vestem juveni. *Ovid. Heroid.* 21. 90. vestes humeris. *Cic.* 2. *Fin.* 22. 73. Ex ejus spoliis sibi torquem induit. *Ovid.* 2. *Amor.* 15. 4.; et *Cic.* 3. *Off.* 9. 38. Induere annulum articulis. *Ovid.* 6. *Met.* 598. alicui insignia Bacchi. *Ovid.* 1. *Art. am.* 197.; et *Liv.* 30. 31. arma alicui. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 49. (140). soleas ex auro jumentis. *Aurel. Vict. vir. ill.* 28. torquem cervici suæ. Et passive *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 29. Induiturque humeris cum lato purpura clavo. — *Ter. Eun.* 4. 4. 34.; *Ovid. Heroid.* 21. 109.; *Sueton. Cæs.* 84. et *Ner.* 30.; et *Val. Flacc.* 2. 266. Induere vestem. Sic passive *Virg.* 3. *G.* 364. vestesque rigescunt Indutæ. et *Ter. Eun.* 4. 4. 40. Indui vestem. *Al. leg.* veste. *Sueton. Aug.* 38. Induere togam. *Ovid.* 11. *Met.* 669. lugubria. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (38). calceamentum. *Cæs.* 2. *B. G.* 21. galeam. *Curt.* 4. 6. loricam. *Val. Flacc.* 7. 91. arma. *Id.* 4. 251. cæstus. *Id.* 2. 399. vincula. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 6. 23. (85). smaragdos et sardonyches. *Virg.* 7. *Æn.* 417. albos cum vitta crines. *Id.* 11. *ibid.* 5. Ingentem quercum, decisis undique ramis, Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma. *h. e.* trophæum erigit. — *Induere scalas* est ferre humeris, quia sæpe fit, ut scalas qui ferunt, caput collumque gradibus inserant. *Ovid.* 14. *Met.* 650. Induerat scalas: lecturum poma putares. Huc facit illud *Stat.* 10. *Theb.* 841. Innumerosque gradus, gemina latus arbore clusus Aerium sibi portat iter. — *b*) Passive *indui* usurpatur cum Accusativo rei Græco more. *Virg.* 2. *G.* 393. Androgei galeam clipeique insigne decorum Induitur. *Id.* 7. *ibid.* 639. clipeumque auroque trilicem Loricam induitur. Sic *Sil. It.* 5. 140. loricam induitur. *Ovid.* 6. *Met.* 568. Induiturque atras vestes. *Virg.* 2. *Æn.* 275. Hector exuvias indutus Achillis. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 28. Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet. *Ovid.* 14. *Met.* 262. palliumque induta nitentem. *Curt.* 7. 5. 16. Indutus thoracem. *Id.* 8. 9. 24. Distincta sunt auro et purpura carbasa, quæ indutus est. *Sueton. Cal.* 52. Indutus pænulas. *Id. Ner.* 51. synthesinam. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 7. (29). Vitilem sibi arborique induti circulum. *h. e.* circumdati, cincti. Similiter *Ovid.* 7. *Met.* 280. Fit (*stipes*) viridis primo; nec longo tempore frondem Induit. Adde *Colum.* 5. *R. R.* 9. 15., ubi male al. leg. *inducit.* — *c*) *Induere se vel alium aliqua re* est vestire et quomodocumque obtegere. — Passive. *Cic.* 3. *Orat.* 32. 127. Pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. *V.* AMICIO. *Id.* 4. *Herenn.* 47. 60. Citharœdus palla inaurata indutus. *Virg.* 5. *Æn.* 674. Indutus galea. *Cœl. Sabin.* apud *Gell.* 7. 4. Mancipia jure belli capta, coronis induta venibant. *h. e.* circumdata, cincta. *Virg.* 11. *Æn.* 83. Trunci induti hostilibus armis. *trofei.* *Petron. Satyr.* 127. Terra vario gramine induta. Adde *Colum.* 4. *R. R.* 27. 5., 5. *ibid.* 8. 2. et alibi. Sic *Plin. Paneg.* 30. Ægyptus tantis segetibus induebatur, ut etc. *Val. Flacc.* 7. 371. Talibus infelix contra sua regna venenis induitur. *h. e.* munitur, armatur. — *Induere aliquem aliqua re* raro admodum occurrit: sic pro armare, munire, *Val. Flacc.* 2. 19. *de gigantibus.* Quos scopulis trabibusque parens miserata jugisque Induit, et versos exstruxit in æthera montes. Alio sensu *Sil. It.* 17. 194. Dumque etiam Cerere et victu fraudesse cohortes Hannoni placet, induitur tota Africa flammis. — Sæpius occurrit *induere se aliqua re*, ut apud *Virg.* 4. *G.* 143. pomis se induit arbos. *Colum.* 4. *R. R.* 24. 12. Vites se induunt uvis. *Id.* 4. *ibid.* 27. 5. et 5. *ibid.* 6. 28. et alibi. Vitis induit se vel induitur majore fructu. *Id.* 10. *ibid.* 242. induit se floribus arbos. *Lucan.* 7. 834. numquam tanto se vulture cælum Induit, aut plures presserunt aera pennæ. *fu ingombrato da tanti avoltoi.* — Raro admodum et poetice tantum res rem induere dicitur pro obtegere, ut apud *Val. Flacc.* 4. 509. cinis induit arbes. *h. e.* obtegit. Singulare est illud *Statii* 9. *Theb.* 281. Induit a tergo Mycalesia cuspis Agyrten. *h. e.* transfigit. — *d*) *Induere se aliqua re* vel *in rem aliquam* est etiam immittere, implicare. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. et 82. Quo qui intraverant, se ipsi acutissimis vallis induebant. *Liv.* 44. 41. *extr.* Induere se hastis. *Virg.* 10. *Æn.* 681. Induere se mucrone. *trafiggersi.* Cf. *Ovid.* 12. *Met.* 339. Decidit in præceps et pondere corporis ornum Ingentem fregit, suaque induit ilia fractæ. *Gronov.* mallet *fracta.* Similiter *Seneca Phœniss.* 180. Nunc manum cerebro indue. *h. e.* injice, immitte. — *Plaut. Cas. a.* 1. *v.* 25. Mea præda est illa: proin tu te in laqueum induas. *vatti appicca.* *Cic.* 2. *Divinat.* 19. 44. Quum venti se in nubem induerint. Cf. *Virg.* 1. *G.* 187. quum se plurima silvis Induet in florem. *metterà i fiori, vel si metterà in fiori.* Hunc *Virg.* locum aliaque præcipue poetica hic a nobis allata *Forcellinus* inter translata recensuit.

II.) Translate. — *a*) Absolute, vel raro cum Dativo *sibi*, est sumere, assumere, inire, capere. *Cic.* 2. *Nat. D.* 24. 63. Dii induti specie humana. *Id. Sull.* 27. 76. Formæ hominum indutæ belluæ. *Ovid.* 11. *Met.* 203. Induere mortalem formam. *Id.* 1. *ibid.* 88., 8. *ibid.* 856., 9. *ibid.* 82. et 12. *ibid.* 340. figuras hominum. *Cic.* 1. *Tusc.* 38. 92. Habes somnum imaginem mortis, eamque quotidie induis. *Virg.* 1. *Æn.* 688. notos pueri puer indue vultus. *prendi la sembianza.* Cf. *Sil. It.* 2. 558. Sic *Martial.* 2. 41. Induere vultus severos. *Cic.* 3. *Off.* 10. 43. Ponit enim personam amici, quum induit judicis. *Id.* 1. *ibid.* 30. 107. Duabus quasi nos indutos esse personis. *Petron. Satyr.* 113. Induere supercilium domini. *Tac.* 4. *Ann.* 12. habitus ac voces dolentum, simulatione magis, quam libenter. *Liv.* 40. 12. percussoris speciem. *Tac.* 15. *Ann.* 69. Speciem judicis. *Id.* 16. *ibid.* 28. palam proditorem et hostem. *h. e.* personam proditoris. *Claudian. III. Cons. Honor.* 157. indue mente patrem. *Tac.* 1. *Ann.* 69. Induere munia ducis. *Curt.* 6. 6. mores Persarum. *Tac.* 11. *Ann.* 7. magnum animum. *Id.* 4. *Hist.* 57. hostiles spiritus. *et* 42. *Ann.* 40. hostilia. *Liv.* 1. 56. Juvenis longe alius ingenio, quam cujus simulationem induerat. *Tac.* 6. *Ann.* 4. Induere plurimum adulationis. *Liv.* 21. 3. spem. *Tac.* 4. *Ann.* 38. falsos pavores. *Sil. It.* 15. 739. pavorem. *Id.* 1. 38.; et *Stat.* 8. *Theb.* 392. iras. *Tac.* 2. *Ann.* 15. seditionem. *Id.* 12. *ibid.* 13. societatem. *Id.* 6. *ibid.* 33. Sceptuchi, utrimque donis acceptis, more gentico diversa induere. *h. e.* alii aliis partibus adhæsere. *Id.* 15. *ibid.* 45. Induere animum bonis artibus. — Cum Dativo *sibi. Cic.* 2. *Fin.* 22. 73. Induere sibi cognomen. Sic *Sil. It.* 9. 545. sibi nomine gentis. *Liv.* 3. 33. sibi novum ingenium. *Quintil.* 1. 1. 8. sibi falsam persuasionem scientiæ. — *b*) Cum Dativo, vel cum Accusativo et præpos. *in*, est indere, injicere, immittere: sic proprie *Seneca Hippol.* 374. Induere frænos alicui. *Petron. Satyr.* 4. Eloquentiam pueris induunt adhuc nascentibus. *Gell.* 12. 5. Induere alicui amorem sui. *Sil. It.* 15. 739. cunctis pavorem. *Id.* 4. 13. splendorem ferro. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 22. (40). Vino fumi amaritudine vetustas induitur. *s'acquista, si procaccia.* *Stat.* 1. *Silv.* 4. 17. Nec tantum induerint Fatis nova sæcula crimen. — Huc referri potest et illud *Quintil.* 4. 1. 28. Fictam orationem induere personis. *h. e.* affingere, attribuere. — *Gell.* 2. 29. Induere aliquid in mentes hominum. *Al. leg.* inducere. *Virg.* 7. *Æn.* 19. Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis Induerat Circe in vultus ac terga ferarum. *h. e.* verterat ac sub specie ferarum occuluerat. — *c*) Cum Accusativo *se* est se implicare. *Lucret.* 4. 815. Induere se in fraudem. *Cic.* 4. *Verr.* 42. 102. Videte in quot se laqueos induerit, quorum ex nullo se unquam expediret. *Id.* 2. *Divinat.* 17. 41. Induere se in captiones. *Quintil.* 12. 1. 3. Qui in gravissimas frequenter legum, semper vero malæ conscientiæ pœnas a semetipsis, improviso rerum exitu, induantur. — Et cum Dativo. *Seneca* 1. *Clem.* 4. *extr.* Ita se induit reipublicæ Cæsar, ut seduci alterum non possit sine utriusque pernicie. *h. e.* junxit, immiscuit, inseruit. — Sine additis. *Cic.* 7. *Verr.* 64. 166. Sua confessione induatur ac juguletur, necesse est. *s'imbrogli, s'intrichi, si scuopra reo.* Sic *Id. Mur.* 25. 51. Nun se purgavit, sed indicavit atque induit.

INDŬPEDĪO. *V.* ENDOPEDIRI et IMPEDIO.

INDŬPEDĪTUS, a, um, particip. impeditus. *V.* ENDOPEDIRI et IMPEDIO.

INDŬPĔRANS, antis, particip. ab *indupero*, imperans. *Ennius* apud *Festum p.* 169. 2. *Müll.* Navorum imperium servare est induperantum. *Sic enim legendum ibi monet* Scaliger, *non* insuperantum.

INDŬPĔRĀTOR, ōris. *V.* ENDOPERATOR, IMPERATOR, et INDU, ENDO, IN.

INDŬPĔRO, as, are, a. 1. idem atque impero. *Hygin. fab.* 221. Nosce, inquit, tete Chilon Lacedæmone cretus: Cecropiusque Solon, ne quid nimis, induperabit. *Gloss. Philox.* Indupero, induperat, ἐπιτάττω, ἐπιτάττει. *V.* INDUPERANS et IMPERO.

INDŪRĀTOR, ōris, m. 3. (induro) qui indurat, qui ferrum temperet. *Gloss. Cyrill.* Στομωτής, indurator.

INDŪRĀTUS, a, um. *V.* INDURO.

INDŪRESCO, dūrescis, dūrui, dūrescere, n. inchoat. 3. (in et duresco) durus fio, *indurarsi*, σκληρύνομαι.

I.) Proprie. *Cels.* 6. 18. *n.* 8. Vetus condyloma jam induruit. *Id.* 4. 12. Venter induruit. *Colum.* 2. *R. R.* 20. 2. Antequam ex toto grana indurescant. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 6. 2. et 7. 1., 6. *ibid.* 26. 1., et 12. *ibid.* 15. 3. *Virg.* 3. *G.* 366. Stiriaque impexis induruit horrida barbis.

II.) Translate. *Tac.* 3. *Hist.* 61. Gregarius miles induruerat pro Vitellio. *h. e.* constantiam induerat. *Quintil.* 1. 3. 12. Frangas citius, quam corrigas, quæ in pravum induruerunt. *Plin.* 1. *Ep.* 12. Julius Atticus nunciat, nihil jam ne me quidem impetraturum: tam obstinata magis ac magis (*Corellium*) induruisse. *h. e.* omnino mori decrevisse. *Ovid.* 5. *Trist.* 2. 5. corpus ipso vexatum induruit usu. *s' è fatto vigoroso.* — Cum Accusativo, Græcorum more. *Lucan.* 4. 631. totosque induruit artus.

INDŪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* duro). Part. *Indurans* I.; *Induratus* in fin.; *Indurandus* I. et II. — Indurare est durum reddere, σκληρύνω (It. *indurare*; Fr. *durcir, rendre dur*; Hisp. *endurar, endurecer*; Germ. *härten*; Angl. *to make hard, indurate*).

I.) Proprie. *Ovid.* 3. *Trist.* 9. 14. nivem indurat Boreas, perpetuamque facit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 52. 78. (212). Sues indurantes attritu arborum costas. *Id.* 31. *ibid.* 2. 8. (12). Cicero in admirandis posuit, Reatinis tantum paludibus ungulas jumentorum indurari. *Id.* 34. *ibid.* 14. 41. (144). Nucleusque quidam ferri excoquitur in iis (*fornacibus*) ad indurandam aciem.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 51. Indurandus est animus, et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus. *Id. ibid.* 4. *circa med.* Adversus omnia, quæ accidere possunt, adhortare te et indura. *Tac.* 2. *Hist.* 46. Quas inter voces, ut flexerat vultum, aut induraverat Otho etc. *h. e.* ad constantiam composuerat. *Seneca* 7. *Benef.* 28. *ad fin.* Indurare frontem. *h. e.* pudorem exuere. *Justin.* 23. 1. 9. Sic ad labores bellicos indurabantur. — Hinc Part. præter. pass.

Induratus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Induratior* II., et est durus factus, *indurato.*

I.) Proprie. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 21. 50. (184). Sarculatio induratam hiberno rigore soli tristitiam laxat temporibus vernis novosque soles admittit. *Stat.* 4. *Theb.* 64. Robora indurata flammis.

II.) Translate. *Liv.* 30. 18. Induratus præter spem resistendo hostium timor. *Justin.* 9. 3. 10. Assiduis bellis indurata virtute Macedonum (*Athenienses*) vincuntur. *Id.* 12. 4. 10. Itaque a parvula ætate periculis laboribusque indurati, invictus exercitus fuere. Sic *Ammian.* 14. 2. Bellicis sudoribus indurati. Adde *eumd.* 20. 11., 25. 4., 21. 16. et 16. 9. Rursus *Justin.* 7. 2. 6. Quorum armis, veluti quotidiano exercitio (*milites*) indurati. *Seneca* 1. *Ira* 11. Germanis quid induratius ad omnem patientiam?

INDŪRO, as, āvi, are, n. 1. (in *et* duro) durus fio. *Veget.* 5. *Veterin.* 81. 2. *Schneid.* Ipsum animal vivum (*mus araneus*) de creta circumdabitur, quæ quum induraverit, suspenditur in collum.

INDŪRUS pro valde durus legitur a quibusdam apud *Ovid.* 12. *Met.* 131. et induro lædi quoque corpora ferro. *Sed alii divisim* in duro *rectius.*

INDŪSIĀRĬUS, ii, m. 2. (indusium) qui conficit indusia, *chi fa camicie.* *Plaut. Aulul.* 3. 5. 35. Patagiarii, indusiarii, flammearii, violarii. *Gloss. Isid.* Indusiarii, vestiarii.

INDŪSIĀTUS, a, um, adject. (indusium) indusio vestitus. *Apul.* 2. *Met.* Pueri calamistrati, pulcre indusiati. *Id.* 8. *ibid.* Variis coloribus indusiati. *Id.* 10. *ibid.* Pulcre indusiatus adulescens. — *Indusiatam vestem* nominat *Plaut. Epid.* 2. 2. 47. inter varia feminearum vestium nomina: ab indusio certe denominatam, quod interioris vestimenti genus est. Videtur autem vox esse adjectiva. *Varro* 5. *L. L.* 131. *Müll.* hunc eumdem *Plauti* locum referens *intusiatam* legit. *V.* INDUSIUM.

INDŪSIO, as, are, a. 1. (indusium) vestire, induere. *Capell.* 1. *p.* 17. Quum ipsum Tonantem exuviis indusiari publice cernerent. *Id.* 2. *p.* 28. Ex illa herbarum felicium lana, qua indusiari perhibent Indicæ prudentiæ vates.

INDŪSIUM, ii, n. 2. (induo) genus vestis interioris et adstrictæ membris, corpori adhærens inter plurimas vestes, ut *Non. p.* 539. 32. *Merc.* definit. Est ab *induo*, ut etiam *inducula*: vel ab *intus*, ut *Varroni* placet 5. *L. L.* 131. *Müll.*, qui proinde *intusium* scribit. Ejus verba sunt: Alterius generis (*h. e. earum vestium, quæ corpus amiciunt*) unum quod foris et palam, palla: alterum quod intus, a quo intusium; id quod Plautus (*Epid.* 2. 2. 47.) dicit: intusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam. Adde *eumd.* apud *Non. p.* 539. 11. *Merc.* *Gloss. Philox.* Indusium, χιτωνίσκος. — Fuisse videtur propria mulierum, ut *subucula* virorum. *Plaut.* enim *indusiarios* ponit inter eos, qui matronarum cultui operantur. *Varro loc. cit.* cum palla conjungit, quæ muliebris est. Similiter in allatis *Plauti* verbis patagiata, caltula, crocotula femineæ vestes sunt. Non tamen ausim hoc perpetuum dicere. Nam *Apul.* ter de viris usurpat: *V.* INDUSIATUS. Ceterum in illis *Apuleji* locis sermo est de pueris mollibus et quasi muliebriter indutis.

INDUSTRĬA, æ, f. 1. De notatione hujus vocis *V.* INDUSTRIUS init. — Industria est solertia, diligentia, sedulitas, vis ingenii, qua quippiam excogitamus et adipiscimur. Itaque supra naturam et ingenium addit studium et artem et laborem, σπουδή, φιλοπονία (It. *industria, diligenza ingegnosa, studio*; Fr. *grande activité, application, zèle, soin, travail*; Hisp. *industria, destreza, grande actividad, grande diligencia*; Germ. d. *Thätigkeit, Emsigkeit, Betriebsamkeit,* d. *Fleiss*; Angl. *industry, carefulness, diligence*). Occurrit — *a*) In sing. num. *Ennius* apud *Non. p.* 402. 3. *Merc.* annos multos longinque ab domo Bellum gerentes summum summa industria. *Cato* apud *Festum* p. 281. 22. *Müll.* Ego jam a principio in parsimonia atque in duritia atque industria omnem adolescentiam meam abstinui, agro colendo etc. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. Messala tanta industria est, tantamque evigilat in studio, ut non maxima ingenio, quod in eo summum est, gratia habenda videatur. *Id. Cæl.* 19. 45. Ingenium industria alitur. *Id. pro leg. Manil.* 11. 29. Virtutes imperatoriæ, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo. *Id. ibid.* 1. 1. Nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere. *Id. post redit. ad Quir.* 10. 24. Hoc vobis repromitto, mihi in perferendo labore industriam non defuturam. *Id.* 3. *Fam.* 9. *a med.* Qui in scribendo tantum industriæ ponam. *Id. ad Pompej. post* ep. 11. *l.* 8. *ad Att.* Vibullii virtutem industriamque libenter agnovi. *Id.* 15. *Att.* 13. Enitar, ne desideres aut industriam meam, aut diligentiam. *Nepos Ages.* 3. Magna industria bellum apparavit. *et ibid.* Quorum egregia in ea re fuisset industria. *Id. Cat.* 3. In omnibus rebus singulari fuit prudentia et industria. *Sall. Jug.* 95. Atque illi (*L. Sullæ*) ante civilem victoriam numquam super industriam fortuna fuit, multique dubitavere fortior an felicior esset. *Cæs. fragm.* apud *Gell.* 13. 3. Mihi videor non labore, non operis, non industria defuisse. *et* 11. 16. Res obire plurimas cum industria et celeritate. *et* 5. 3. *in fin.* Quanam verborum industria causa infirmior fieret fortior. *Sueton. Aug.* 8. Industria itineris. *h. e.* in itinere faciendo. *Tac.* 3. *Hist.* 50. Is (*Annius Bassus legionis legatus*) Silvanum (*consularem, exercitus ducem*) socordem bello et dies rerum verbis terentem specie obsequii regebat, ad omniaque quæ agenda forent quieta cum industria aderat. *Grat. Cyneg.* 12. tetigitque industria finem. *h. e. e aggiunse la sua meta l'industria.* *Ammian.* 22. 14. Apim bovem operosa quæsitum industria, tamen post tempus inveniri potuisse. — *De* vel *ex industria* est dedita opera, *appostatamente, a bello studio, a bella posta.* *Ter. Andr.* 4. 4. *in fin.* Paullum interesse censes, ex animo omnia, ut fert natura, facias, an de industria? *Cic. Orat.* 44. 151. Ubi etiam de industria id faciendum fuit. *Id.* 1. *Off.* 7. 24. Injuriæ, quæ nocendi causa de industria inferuntur. Adde *Sall. Jug.* 1. et 4.; *Curt.* 5. 3. 17., 7. 8. 1. et 9. 5. 4.; *Quintil.* 9. 4. 144.; *Scribon. Compos.* 271.; *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 1.; et *Ammian.* 30. 4. *med.* Alia præposit. *Liv.* 1. 56. et *sub fin. l.* 26. Ex industria famam captæ Carthaginis compresserunt. *Curt.* 6. 5. 14. Arbores densæ sunt ex industria consitæ. Adde *Quintil.* 1. 5. 8. et 11. 1. *extr.*; *Sueton. Cal.* 50., *Claud.* 2. et 38., *Vesp.* 16. et *Tit.* 9.; et *Frontin.* 2. *Strateg.* 1. 9. — Et *industria* absolute *Plaut. Truc.* 1. 1. 37., ubi tamen alii aliter legunt. At *Plin.* 16. *Hist. nat.* 1. 2. (5). Velut industria fluctibus agerentur in proras. — *Ob industriam* idem est. *Plaut. Cas.* 4. 3. 6. Quid illic nunc tam diu intus remoratur, quasi ob industriam? — Juxta *Forcellinum* significat etiam vim, robur. *Dictys Cret.* 2. *B. Troj.* 2. Quem res ob industriam virium atque ingenii inter duces habuerat. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 10. 136. Usque adeo infelix sum, ut vix industria inguinis ad victum sufficiat. Eod. sensu *Apul.* 8. *Met.* dixit *fortissimum rusticanum industria laterum bene præparatum.* — *b*) In plur. num. raro admodum occurrit. *Plaut. Most.* 2. 1. 1. Summis opibus atque industriis. *Cic.* 3. *Herenn.* 7. 14. Si sint vires atque velocitas egregia; honestis hæc exercitationibus et industriis dicemus comparata. *Orellius* ita leg., al. *industria.* V. etiam *Zumpt.* ad *Cic.* 5. *Verr.* 4. 7. — *NB.* De nomine oppidi *V.* ONOM.

INDUSTRĬĒ, adverb. (industrius). Comp. *Industrius.* — Industrie est cum industria, diligenter, solerter, *industriosamente, diligentemente,* σπουδαίως. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 181. *Putsch.* Arbitror rem publicam curare industrie, summum periculum esse. *Cæs.* 7. *B. G.* 60. Ut ea, quæ imperasset, diligenter industrieque administraret. *Id.* 3. *B. C.* 95. Castra industrie defendere. *Sueton. Galb.* 3. Causas industrie actitare. *Justin.* 43. 5. 3. Auxiliis industrie socios juvare. Adde *Quintil.* 5. 13. 35.; *Sueton. Domit.* 8.; *Justin.* 13. 2. 9.; *Flor.* 1. 6. 3.; et *Ammian.* 15. 5. Sic *Inscript.* quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 133., apud *Henzen.* 6086. ET BENE ATQVE INDVSTRIE CONTRAXERIMVS AT EXITVS *de*FVNCTORVM HONESTE PROSEQVAMVR. Apud *Cic. Dom.* 11. 27. Quis apud populum Romanum de illius dignitate industrius, quis senatui sæpius dixit? *al. leg.* illustrius, *quam lectionem ex bonis Codicib. confirmavit* Klotz.

INDUSTRĬŌSĒ, adverb. (industriosus). Comp. *Industriosius* et Sup. *Industriosissime.* — Industriose est idem atque industrie, *industriosamente,* τεχνικῶς. *Cato* apud *Charis.* 2. *p.* 181. *Putsch.* Pleraque Gallia duas res industriosissime persequitur, rem militarem et argute loqui. *Fronto* 4. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 3. *ante med.* Rari admodum veterum scriptorum in eum laborem studiumque et periculum verba industriosius quærendi sese commisere. *Sueton. Vit. Juvenal.* Genus scripturæ industriose excoluit. *Al. leg.* industrie. *Cassiod.* 5. *Variar.* 1. Hoc vester splendidissimus pulvis industriose detergit.

INDUSTRĬŌSUS, a, um, adject. (industria) industria præditus, industrius, *industrioso, ingegnoso, diligente,* σπουδαῖος, τεχνικός. *Seneca Prov.* 2. Cui non industrioso otium pœna est? *Val. Max.* 3. 4. *n.* 2. Industriosum pro ignominioso, pro inviso gloriosum reddidit. *Alii hic aliter leg.* *Cassiod.* 8. *Variar.* 33. Quidquid præcipuum industriosa mittit Campania.

INDUSTRĬUS, a, um, adject. Ratione habita etymi, videtur esse ab *indu* et *struo*; quia, ut docet *Paul. Diac. p.* 106. 12. *Müll.*, industrium antiqui dicebant *indostruum*, quasi qui quidquid ageret, intro strueret et studeret domi. *Döderlinus* autem (*Latein. Synonym. Vol.* 1. *p.* 120.) acute hanc vocem a verbo *induere*, i. e. subire, suscipere aliquid, derivandam putat: *industria* enim ejus est, qui magno ac strenuo animo ad res gerendas sese offert, qui negotiis se non subducit, sed quæcumque agenda sunt impigre aggreditur. — Comp. *Industrior* vel *Industriior*, antiquum est. *Plaut. Most.* 1. 2. 71. Quo neque industrior de juventute erat: arte gymnastica, disco, hastis, pila, cursu, armis, equo victitabam volupe. *Cato* apud *Priscian.* 3. *p.* 601. *Putsch.* Imperator exercitum meliorem et industriiorem facit. *C. Gracchus ibid.* Ut in me industriior sis, quam in te. — Ceterum industrius est sedulus, promptus, solers, laboriosus, multum artis et operæ ponens in rebus agendis, *industrioso, ingegnoso, fatichevole, destro,* φιλόπονος, σπουδαῖος. *Cic.* 5. *Verr.* 21. 53. Homo navus et industrius, experientissimus ac diligentissimus arator. *Id. ad Pompej. post* ep. 11. *l.* 8. *ad Att.* Vigilans homo et industrius. *Id. Cæl.* 31. 74. Quæ nisi vigilantes homines, nisi sobrii, nisi industrii, consequi non possunt. *Id.* 5. *Tusc.* 20. 57. Vir acer et industrius in rebus gerendis. *Juvenal.* 8. 52. juvenis armis industrius. *Justin.* 29. 3. *extr.* Quem promptum in bella industriumque cognoverant. *Id.* 1. 7. 12. Gens industria. *Sueton. Vitell.*

2. Vir industrius. *Tac.* 12. *Ann.* 12. Industrios atque ignavos pax in æquo tenet.

INDŪTĬÆ *vel* induciæ, ārum, f. plur. 1. *Varro* apud *Gell.* 1. 25. definit: *Induciæ sunt pax castrensis paucorum dierum.* Item *induciæ sunt belli feriæ.* Quas definitiones *Gell. ibid.* reprehendit. Originem autem vocis sumit ex *inde uti jam*: quod sit pactum, uti ante certam diem non pugnetur; ex eo die postea uti jam omnia belli jure agantur. *Aurel. Opil. ibid.* ab *initus* seu *introitus*, quasi *initiæ*, quod hostes inter se utrimque utroque alter ad alterum impune et sine pugna ineant. Sed hæ grammaticæ nugæ videntur. Aliis *induciæ* appellatæ videntur, quia per id tempus exercitus in hostes non ducitur; alii vero aptius deducunt ab *in* vel *indu* et *otium*, quod antiquitus scribebatur *oitium* vel *oetium*, unde recte, diphthongo *œ* in *u* contracta, ut in *punio* a *pœna*, *indutiæ* derivatæ, quia per id tempus otiantur arma. Utrique etymo convenit quantitas antepænultimæ, quæ longa est: item scribendi varietas; *Manut.* enim, *Cellar.* et *Dausq.* per *t*, nonnulli per *c* scribi volunt. — Ceterum indutiæ sunt belli cessatio ad tempus: differuntque a pace et fœdere, quæ in perpetuum dantur, ἀνοχαί (It. *tregua*; Fr. *armistice, trève*; Hisp. *armisticio, tregua*; Germ. d. *Waffenstillstand*; Angl. *a truce or cessation from hostilities*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Off.* 10. 33. Quum triginta dierum essent cum hoste pactæ indutiæ, noctu populabantur agros, quod dierum essent pactæ, non noctium indutiæ. *Liv.* 10. 5. *ad fin.* Pax negata: indutiæ biennii datæ. *Id.* 1. 15. Agri parte multatis in centum annos indutiæ datæ. *Id.* 4. 30. Indutias octo annorum impetraverunt. *Cic.* 8. *Phil.* 7. 20. Indutias facere. *Curt.* 3. 1. 8. pacisci. *Justin.* 3. 7. 14. condicere. *Plin. Paneg.* 11. inire æquis conditionibus. *Nepos Ages.* 2. petere. *Id. ibid.* conservare. *Liv.* 30. 4. tollere. *Justin.* 3. 7. 14. rumpere. *Sall. Jug.* 31. agitare. *Id. Cat.* 50.; et *Liv.* 30. 37. Per indutias. *h. e.* indutiarum tempore. *Justin.* 6. 7. 1. Paucis deinde post diebus, neutris quidquam hostile facientibus, quum quasi tacito consensu indutiæ essent etc.

II.) Translate. *Plaut. Amph.* 1. 1. 233. Imo indutiæ parumper fiant, si quid vis loqui. *cessiamo dal litigare. Ter. Eun.* 1. 1. 15. In amore hæc omnia insunt vitia, injuriæ, suspiciones, inimicitiæ, indutiæ. *Plin.* 8. *Ep.* 14. Postulabam, ut tribus sententiis constaret suus numerus, nec se brevibus indutiis duæ jungerent. *Apul.* 2. *Met.* Noctis indutias cantus perstrepebat cristatæ cohortis. *h. e.* nocturnam quietem finiebat cantus gallorum. Sic *Ammian.* 14. 11. Per indutias naturæ conquiescentis. *durante il sonno. Id.* 27. 10. Indutiæ quiescendi. *Id.* 19. 2. Indutiæ ærumnarum *Prudent.* 2. περὶ στεφ. 125. Unum sed orans flagito, Induriarum paullulum, Dum fungar efficacius Promissionis munere. — Hinc *indutiæ* vocatur etiam dilatio solvendi tributi: unde *indugia* et *indugio* apud Italos recentiores. *Cassiod.* 5. *Variar.* 34. Ille omnia confessus, reddere se posse constituit, si ei largæ præberentur indutiæ. h. e. *indugio.*

INDŪTĬLIS, e, adject. (induo) qui indui seu inseri potest. *Cato R. R.* 135. Vomis indutilis optimus erit. *Pontedera* legit *in Rutulis*; *Popma* rectius *inde utilis.*

INDŪTŌRĬUS, a, um, adject. (induo) ad induendum pertinens, ut Indutoria pellis, apud *Paul.* 3. *Sentent. tit.* 6. § 79.

INDŪTUS, a, um. *V.* INDUO.

INDŪTUS, us, m. 4. (induo) vestitus, *vestito.* ¶ 1. Abstracte. *Varro* 5. *L. L.* 131. *Müll.* Prius dein indutui, tum amictui quæ sunt tangam. *V.* AMICIO.; et cf. *Apul. de Mag.* p. 310. Sic *Tac.* 16. *Ann.* 4. Ne sudorem, nisi ea, quam indutui gerebat, veste detergeret. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu. *Ammian.* 30. 7. Indutibus imperatoriæ majestatis ornatus. Adde *eumd.* 24. 2.; et *Symmach.* 3. *Ep.* 10.

INDŬVĬÆ, ārum, f. plur. 1. (induo, sicut *exuviæ* ab *exuo*) indumenta, quibus quis induitur, *vestimenti*, ἐνδύματα. *Plaut. Men.* 1. 3. 9. Induviæ tuæ, atque uxoris exuviæ, rosa. *h. e.* quibus tu induaris, exuatur uxor. *Prudent. Psychom.* 578. omnibus ibat Nudata induviis. Adde *eumd.* 2. *in Symmach.* 288. Sic *Salvian.* 5. *Gubern. D.* 5. Induviarum barbaricarum fœtor. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 22.

ĬNĒBRÆ aves, quæ in auguriis aliquid fieri prohibebant (*scil. ab* inhibendo): at prorsus omnia i n e b r a appellantur, quæ tardant vel morantur agentem. *Paul. Diac.* p. 109. 19. *Müll.* Hæc fere eadem habet etiam *Isid.* 12. *Orig.* 7. et *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 246., ubi et *inhibræ* legitur. *Gloss. Philox.* Inebra, ὄρνεον μαντευτικόν. — Etiam *Eniber, bra, brum* adject. antique fuit usurpatum eodem sensu. *Paul. Diac.* p. 76. 16. *Müll.* E n i b r o (*Müllerus* leg. *enubro*) inhibenti. *Gloss. Philox.* Eniber, ὄρνις πονηρά; enibra ἐναντία; enibrum, πράγματος ἐπιβλαβές.

ĬNĒBRĬĀTOR, ōris, m. 3. (inebrio) qui inebriat. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 18. Inebriatores increpantur.

ĬNĒBRĬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĬNĒBRĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* ebrio). Part. *Inebriatus* II. — Inebriare est ebrium reddere, *inebbriare*, μεθύσκω.

I.) Proprie. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 22. 47. (103). Palmæ, quæ vocatur adipsos, vescentes inebriat.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro saturare. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 12. 12. (34). Dracones inebriati sanguine. *Id.* 17. *ibid.* 26. 40. (249). Inebriatæ radices. *h. e.* nimis irrigatæ. *Id.* 14. *ibid.* 1. 3. (17). Conduntur et musto uvæ, ipsæque vino suo inebriantur. *Id.* 35. *ibid.* 6. 26. (44). Purpurissum fervente aheno rudibus medicamentis inebriatum. *Id.* 9. *ibid.* 41. 65. (139). *de colorib.* Amethystum absolutum inebriatur Tyrio. ¶ 2. Per metaphoram. *Juvenal.* 9. 113. miseram vinosus inebriet aurem. *h. e.* impleat, garrulitate obtundat, ut ebrii solent. *Sidon.* 1. *Ep.* 5. *a med.* Spiritus aeris venenatis flatibus inebriatus. *pregno.*

ĬNĔDAX, ācis, adject. omn. gen. (in *privat. et* edax) non edax, seu parum edax. *Gloss. Philox.* Inedax, ὀλιγοφάγος.

ĬNĔDĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et edo) abstinentia a cibo, et tempus, quo quis ab edendo abstinuit, ἀσιτία (It. *dieta, digiuno, inedia*; Fr. *abstinence ou privation de nourriture, diète*; Hisp. *abstinencia, privacion de comer, dieta*; Germ. d. *Enthalten v. Speisen, das Fasten, Hungern*; Angl. *want of food, hunger, fasting*). Occurrit — a) In sing. num. *Cic.* 5. *Fin.* 27. 82. Vigiliis et inedia necatus. — Differt a fame; nam fames semper est cum cupiditate edendi, inedia non item, ut in ægrotis, et in iis, qui voluntaria ciborum abstinentia sibi mortem inferunt. *Plin.* 3. *Ep.* 7. Modo nunciatus est Silius Italicus in Neapolitano suo inedia vitam finisse. *Id. Paneg.* 13. Quum milites tecum inediam, tecum ferrent sitim. *Cels.* 1. 3. *a med.* Inediam sustinere. *Gell.* 3. 10. Inedia mori. *Vopisc.* in *Aurelian.* 10. Medicum ad se, quum ægrotaret, numquam vocavit, sed ipse se inedia præcipue curabat. Adde *Sueton. Aug.* 53. et *Vesp.* 20.; *Tac.* 6. *Ann.* 48.; et *Ammian.* 14. 2. et 16. 5. — b) In plur. num. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 54. 118. (283). Septimo die inedias durasse. *Sillig.* vero *inediam* scripsit.

ĬNĒDĬTUS, a, um, adject. (in *privat.* et editus) non editus, non promulgatus, *non pubblicato, inedito*, ἀνέκδοτος. *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 39. Essent et juvenes, quorum quod inedita cura est, Appellandorum nil mihi juris adest.

ĬNEFFĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et effabilis) quem effari non possis, aut exprimere, *ineffabile, che non si può esprimere*, ἀνεκφώνητος. *Plin.* 5. *Hist. nat. proœm.* (1). Populorum ejus oppidorumque nomina vel maxime sunt ineffabilia, præterquam ipsorum linguis. *Id.* 28. *ibid.* 2. 4. (20). Ineffabilia verba. *Ammian.* 16. 10. Res relatu ineffabilis. Adde *Apul.* 8. *Met.*

ĬNEFFĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (ineffabilis) status illius qui enarrari nequit, *ineffabilità. Augustin. Ep.* 147. (*al.* 112.) 13. Necesse est, abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur.

ĬNEFFĀBĬLĬTER, adverb. (ineffabilis) ita ut dici nequeat, *ineffabilmente*, ἀῤῥήτως. *Augustin. Enchir.* 89. Deus ineffabiliter artifex. *Id. Ep.* 32. *ad Paulin.* Ineffabiliter gaudere. Adde *eumd.* 3. *de Trinit.* 3.; et *Lactant.* 2. 9.

ĬNEFFĬCĀCĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et efficacia) inutilitas, *inefficacia. Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 94. De prioris inefficacia libertatis etc.

ĬNEFFĬCĀCĬTER, adverb. (inefficax) inutiliter, frustra, *senza effetto, indarno. Paul. Dig.* 49. 8. 2. Eum, qui in rebus humanis non fuit sententiæ dicto tempore, inefficaciter condemnatum videri. *Symmach.* 6. *Ep.* 54. (al. 53.). Verecundiam creant inefficaciter postulata.

ĬNEFFĬCAX, ācis, adject. (in *privat.* et efficax). Comp. *Inefficacior* et Sup. *Inefficacissimus.* — Inefficax est non efficax, inutilis, *inefficace, inutile*, ἀνενέργητος. — a) Cum Genitivo. *Seneca* 1. *Ira* 3. Vox inefficax verborum. *h. e.* quæ verba non potest exprimere. — b) Absolute. *Seneca* 4. *Benef.* 4. Alioqui surda numina et inefficaces deos. *h. e.* nihil agentes et nihil boni hominibus facientes, ut deliravit Epicurus. *Id.* 1. *Ira* 10. Ratio sine affectu inefficax est. *Firmic.* 5. *Mathes.* 15. Studia inefficacia. Adde *eumd.* 16. *ibid.* 10. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 2. 34. Inefficax inexsecutio. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 11. 25. (109). Fit et ex candido ære squama, longe Cypria inefficacior. *Inscript.* apud *Gruter.* 415. 10. PARENTES INEFFICACISSIMI. *h. e.* imbecillimi.

ĬNEFFĬGĬĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et effigio) qui effingi non potest. *Tertull. Anim.* 24. Anima invisibilis, ineffigiabilis.

ĬNEFFĬGĬĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* effigio) effigie carens, informis, *senza forma, che non ha alcuna effigie*, ἄμορφος. *Gell.* 17. 10. Ut illa bestia fetum ederet ineffigiatum informemque. *Tertull. Anim.* 9. Anima indissolubilis et ineffigiata.

ĬNEFFRĒNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et effrenatus) sine freno, infrenatus, *sfrenato. Auct. Collat. Mosaic.* et *Rom. leg. tit.* 6. § 4. De futuro nemo audeat ineffrenatis cupiditatibus obedire.

ĬNEFFŪGĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et effugio) qui evitari nequit, *inevitabile. Apul. de Mundo ad fin.* Ineffugibilis necessitas ultionis. Sic *Vulgat. interpr. Sap.* 17. 16. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem.

ĬNEFFŪSUS, a, um, adject. (in *privat.* et effusus) non effusus, *raccolto. Apul.* 2. *Met.* Sed, ut mihi morem plenius gesseris, ineffusum laxa crinem, et capillo fluenter undante ede complexus amabiles. *Alii leg. eodem sensu* in effusum laxa crinem, *ita ut laxa non verbum, sed nomen sit.*

ĬNĒLĀBŌRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et elaboratus) non elaboratus, et translate artificio non satis excultus, *non lavorato, rozzo*, ἀνέργαστος. *Quintil.* 4. 1. 60. Sed (*orationi*) simplici atque inelaboratæ similis. *Plerique leg.* illaboratæ. *Seneca Tranquill.* 1. Inelaborata oratio. *Cassiod.* 8. *Variar.* 31. Inelaboratæ divitiæ. *Id. de anim.* 12. *ante med.* Rerum veracissimus intellectus inelaborato mentis lumine declaratur.

ĬNĒLĔGANS, antis, adject. omn. gen. (in *privat. et* elegans) non elegans. ¶ 1. Est sine elegantia, *rozzo, senza eleganza*, ἄκομψος. *Catull.* 6. 1. Deliciæ illepidæ atque inelegantes. *Cic. Brut.* 81. 282. Ineratque et ingenium satis acre, et orationis non inelegans copia. *Sueton. Domit.* 20. Sermo inelegans. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 25. 96. (160). Odor non inelegans. ¶ 2. Item non conveniens, non rectus, non honestus. *Cajus* 3. *Instit.* 100. Nam inelegans esse visum est, ab heredis persona incipere obligationem.

ĬNĒLĔGANTER, adverb. (inelegans) est — a) Sine delectu, judicio, ratione. *Cic.* 2. *Fin.* 9. 26. Primum divisit ineleganter. Duo enim genera quæ erant, fecit tria: hoc est non dividere, sed frangere rem. — b) Hinc sine elegantia, *senz'eleganza*, ἀκόμψως. *Cic. Brut.* 26. 101. Historia non ineleganter scripta. *Sueton. Claud.* 41. Composuit et de vita sua octo volumina, magis inepte, quam ineleganter. *Gell.* 17. 2. *in fin.* Non hercle inscite, nec ineleganter.

ĬNĒLĔGANTĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et elegantia) inconcinnitas, *ineleganza*, ἀμουσία. Translate *Cajus* 1. *Institut.* (edente iterum *Geschenio*) § 84. Divus Hadrianus iniquitate rei et inelegantia juris motus restituit juris gentium regulam, ut, quum ipsa mulier libera permaneat, liberum pariat. Adde *eumd. ibid.* § 85. *Gloss. Philox.* Inelegantia, ἀχρασία.

ĬNĒLĪMĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et elimatus) non limatus. Translate *Ennod.* 5. *Ep.* 7. Do-

mnæ meæ Cynegiæ epitaphium, vix una hora habens tractandi spatium, incelimata velocitate composui.

ĬNĒLŎQUAX, ācis, adject. (in *privat.* et eloquor) qui dici nequit, inenarrabilis. *Novatian. Trinit.* 29. *a med.* Spiritus Sanctus, qui interpellat divinas aures pro nobis gemitibus ineloquacibus.

ĬNĒLŎQUENS, entis, adject. omn. gen. (in *privat.* et eloquens) non eloquens. *Lactant. Opif. D.* 20. Tullius eloquentiæ unicum exemplar, ab indoctis et ineloquentibus, qui tamen pro vero nitebantur, sæpe superatus est.

ĬNĒLŎQUĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et eloquor) ineffabilis, *ineffabile. Lactant.* 7. 11. Ineloquibilis et divinus fructus. *Id. ibid.* 5. Æternæ vitæ ineloquibile præmium.

ĬNĒLUCTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et eluctabilis) qui evitari non potest, ut ut eluctere et exire coneris, *inevitabile.*

I.) Proprie. *Stat.* 9. *Theb.* 502. Ineluctabile cœnum.

II.) Translate. *Virg.* 2. *Æn.* 324. Venit summa dies et ineluctabile tempus Dardaniæ. *Id.* 8. *ibid.* 334. ineluctabile fatum. Sic *Vellej.* 2. 57. 3. Ineluctabilis fatorum vis.

ĬNĒLUCTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et eluctatus) non eluctatus. *Ennod. Opusc.* 1. *sub init.* Cui ille advocandus est, qui ineluctatæ nobiscum semper pondus propositionis exsuperat. *Id. Dict.* 1. *ante med.* Novellis se adhuc impositæ dignitatis labantem vestigiis ineluctati temporis suscepit adversitas.

ĬNĒLŪĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et eluo) qui elui et deleri non potest. *Lactant.* 7. 20. *a med.* Ineluibilem quemdam fucum trahant labemque terrenam. *Id. Ira D.* 23. Ineluibiles sibi maculas inusserunt.

ĬNĒMENDĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et emendabilis) qui emendari non potest, *incorreggibile,* ἀδιόρθωτος. *Quintil.* 1. 1. 37. Inemendabilis pravitas. *Id.* 11. 3. 12. incommoda. *Val. Max.* 7. 2. 2. error. *Seneca* 3. *Ira* 41. Inemendabilis affectus, quum ex ira in odium occaluit. *Arnob.* 2. 29. Addidistis causas, quibus et vitia crescerent, et inemendabilis nequitia permaneret.

ĬNĒMENDĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et emendatus). Comp. *Inemendatior.* — Inemendatus est non emendatus, *inemendato. Hieronym. in Ezech.* 40. 5. Ut sciat, omnia prope verba Hebraica et nomina, quæ in Græca et Latina translatione sunt posita, nimis vetustate corrupta scriptorumque vitio depravata; et dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica, immo nullius gentis, dum et Hebræa esse desierint, et aliena esse non cœperint. Adde *Augustin. Ep.* 54. Sic *Rufin.* 2. *Invect. in Hieronym. n.* 44. Meos vero non codices, sed schedules imperfectas, inemendatas, furto cujusdam nebulonis et fraude subtractas sibique delatas ad Orientem mitteret. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 565. Nec hæc in opere inemendato miranda sunt.

INEMENSUS, a, um, adject. (in *privat.* et emensus) non emensus. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 18.

ĬNĒMĔRĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et emereor) quem mereri seu consequi non possumus. *Tertull. Resurr. carn.* 18.

ĬNĒMŎRĬOR, mŏrĕris, mortŭus sum, mŏri, dep. 3. (in et emorior) immorior, in aliqua re morior, ἐπιθνήσκω. Cum Dativo *Horat. Epod.* 5. 34. Inemori spectaculo.

ĬNEMPTUS, a, um, adject. (in *privat.* et emptus) non emptus, *non comperato,* ἀπρίατος. *Virg.* 4. *G.* 133. dapibus mensas onerabat inemptis. *Horat. Epod.* 2. 48. Dapes inemptas apparet. Cf. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 1. *Martial.* 4. 66. Saltus aprum, campus leporem tibi misit inemptum. *Tac.* 2. *Hist.* 60. Consulatus innoxius et inemptus.

ĬNĒNARRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et enarrabilis) qui enarrari non potest, *che non si può narrare, indicibile,* ἀνέκφραστος, ἀνεκδιήγητος. *Liv.* 44. 5. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina jumentorum sarcinarumque. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 22. Flumina, quorum inenarrabilis natura est. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 7. 7. (21). *de elephantis.* Misericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes, supplicavere. Adde *Quintil.* 1. 5. 33. et 11. 3. 177.; et *Martial.* 2. 10. *V.* et INENARRATIVUS.

ĬNĒNARRĀBĬLĬTER, adverb. (inenarrabilis) ita ut enarrari vel dici nequeat, *indicibilmente. Liv.* 41. 15. Jecur omne inenarrabiliter absumptum. *Cassiod.* in *clausula Institut. Div. litt.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 336.). Omnia inenarrabiliter plus arbiter administret.

ĬNĒNARRĀTĪVUS, a, um, adject. (in *privat.* et enarro) idem atque inenarrabilis. *Tertull. advers. Valentin.* 27. Christum substantia corporali inenarrativa stipant. *Id. ibid.* 26. hoc idem his verbis effert: Christum volunt corporalem ex animali substantia, sed miro et inenarrabili rationis ingenio constructum. *V.* SOTERICIANUS.

ĬNĒNARRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et enarratus) inexplicatus, *non ispiegato. Gell.* 12. 6. Quod reliquimus inenarratum, ut legentium conjecturas in requirendo acueremus. *Id.* 19. 14. Verba inenarrata.

ĬNĒNĀTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et enato) qui enatari non potest, ut Inenatabile profundum, apud *Tertull. Idolol.* 24.

ĬNĒNŌDĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et enodo) qui enodari et dissolvi non potest, inextricabilis, perplexus.

I.) Proprie. *Apul. de Mag.* Capillus prorsus inenodabilis diutina incuria non modo comendi, sed saltem expediendi et discriminandi.

II.) Translate. *Accius* apud *Non. p.* 15. 10. *Merc.* Tam obscurum dicunt esse tamque inenodabile. *Cic. Fat.* 9. 18. Et uno tempore suscipiat res duas inenodabiles.

ĬNĒNORMIS, e, adject. (in *privat.* et enormis) non enormis. *Apul.* 2. *Met. sub init.* Inenormis proceritas, succulenta gracilitas, rubor temperatus.

ĬNĒNUNCĬĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et enuncio) qui enunciari non potest, inenarrabilis. *Censorin. de die nat.* 19. Incomprehensibile quiddam et inenunciabile.

ĬNĔO, is, ivi et *sæpius* ii, itum, ire, 4. (in et eo). *Inietur* pro *inibitur,* et *iniet* pro *inibit, V.* in EO, is, init. — Part. *Iniens, euntis* sub *A.* I. 1., II. et *B.*; *Initus* sub *A.* I. 2. et II. et sub *B.*; *Ineundus* sub *A.* II. — Inire occurrit *A*) Active, seu cum Accusativo; et *B*) Neutrorum more.

A) Active, seu cum Accusativo inire est ingredi, εἰσέρχομαι (It. *entrare;* Fr. *aller dans, entrer;* Hisp. *entrar, ir dentro;* Germ. *etwas betreten, in etwas hineingehen;* Angl. *to go into, enter*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Dejot.* 3. 8. Tu illius domum inire, tu vetus hospitium renovare voluisti. *Liv.* 3. 24. Triumphantes victore cum exercitu urbem inierunt. *Tac.* 3. *Ann.* 10. et 15. *ibid.* 32. Inire scenam. *Plin. Paneg.* 13. tentoria. *Tac.* 6. *Ann.* 2. curiam. *Val. Flacc.* 4. 196. flumen. *Horat.* 3. *Od.* 3. 34. sedes. *Tac.* 13. *Ann.* 35. stationem. *Stat.* 8. *Theb.* 107. Argolicas acies non ignaros ini. *h. e.* inii. *Cic. Rosc. Am.* 18. 52. Convivia cum patre non inibat. *non andava a conviti.* Sic *Curt.* 5. 1. *a med.* Feminarum convivia ineuntium modestus est habitus. Adde *Val. Flacc.* 4. 760. Similiter *Tac.* 15. *Ann.* 52. Balneas et epulas inire. et *Stat.* 1. *Silv.* 6. 48. dapes. *Cic. Mur.* 12. 26.; *Curt.* 3. 4. *ad fin.*; et *Val. Flacc.* 3. 629. Inire viam, iter. *entrare in cammino, mettersi in istrada.* Et translate *Liv.* 1. 23. *sub fin.* Ineamus viam aliquam, qua utri utris imperent, decerni possit. *troviamo qualche via, qualche ripiego. Id.* 35. 7. Viam fraudis inire. — Passive. *Ovid.* 2. *Fast.* 266. nemus nullis illud initur equis. *Liv.* 28. 12. *ad fin.* Hispania prima Romanis inita. *h. e.* adita, intrata, *entrata, invasa.* — Cum Accusativo et præpos. in vel *ad. Liv.* 24. 9. Quia in urbem non inierat. *Aurelius Opilius* apud *Gell.* 1. 25. *in fin.* Induciæ dicuntur, quum utrimque utroque alter ad alterum impune et sine pugna ineunt. *vanno a trovarsi l'un l'altro.* ¶ 2. Speciatim est συνουσιάζειν: et ad mares refertur tum voce activa, tum passiva: et tam de hominibus, quam de animantibus usurpatur. *Cic. Harusp. resp.* 18. 39.; *Varro* 2. *R. R.* 7. 9.; *Ovid. Remed. am.* 402.; *M. Antonius* apud *Sueton. Aug.* 69.; *Colum.* 7. *R. R.* 3. 12.; et *Pallad.* 3. *R. R.* 26. 1. Confer *Plaut. Cas.* 5. 2. 44. Huc referri potest et illud *Colum.* 5. *R. R.* 9. 16. Arbores terebrari Gallica terebra convenit, atque ita in foramen viridem taleam demitti: sic velut inita arbor fecundo semine fertilior exstat. *h. e.* veluti mare admisso gravidata.

II.) Translate jungitur plurimis Substantivis, quorum præcipua subjicimus. — *a*) Inire magistratum, *entrare, prendere possesso, cominciare. Cic.* 3. *Phil.* 1. 2. Quod confido equidem, consules designatos, simul ac magistratum inierint, esse facturos. Sic *Liv.* 23. 30. Inire magistratum. *Cæs.* 1. *B. C.* 5.; *Liv.* 24. 9.; et *Gell.* 2. 15. *extr.* Consulatum ineuntes. *Sueton. Tib.* 67. inire imperium. *Id. Cal.* 1.; et *Tac.* 2. *Ann.* 53. honorem. *Liv.* 5. 17. interregnum. Apud *Cic.* 3. *Legg.* 19. 44. Altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat, nondum initis seditiosis tribunis plebis. *plerique rectius leg.* et nondum natis seditiosis etc. *idest* nondum creato vel constituto magistratu tribunorum. — *b*) Inire numerum, *annoverare, fare il computo. Liv.* 38. 23. Numerus interfectorum haud facile iniri potuit. *Cæs.* 7. *B. G.* 76. Numerus inibatur, præfecti constituebantur. — *c*) Inire rationem, *fare il conto. Cato R. R.* 2. Rationem inire oportet operarum, dierum. *Cic.* 3. *Nat. D.* 21. 79. Inita subductaque ratione. *fatti i conti.* — Et translate est considerare, videre, invenire cogitando, *pensare, trovare la via, il modo. Cic.* 13. *Fam.* 28. Rogo, ut adjuves, ineasque rationem, quemadmodum ea mulier Romam perducatur. *Id.* 5. *Verr.* 46. 110. Mihi ineunda ratio et via reperiunda est, qua ad Apronii quæstum possim pervenire. *Id.* 5. *Fam.* 20. Ut multa tam gravis ipsi T. Mario depelleretur, a me inita ratio est. *Id.* 5. *Phil.* 19. 53. Ut inirent rationem de commodis militum veteranorum augendis. *Nepos Hann.* 10. Ad hunc interficiendum talem iniit rationem. *Liv.* 28. 8. Vix rationem iniri posse, utrum ab se audacius, an fugacius ab hostibus, geratur bellum. *potersi appena ravvisare, comprendere.* — *d*) Inire æstimationem, *fare la stima. Seneca* 3. *Benef.* 8. *extr.* Horum quomodo judex inibit æstimationem? — *e*) Inire mensuram agrorum, *misurare. Colum.* 5. *R. R.* 3. 1. — *f*) Inire societatem, fœdus cum aliquo, *entrare in società, in alleanza. Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 8. Ut potius cum pluribus societatem defendendæ libertatis iniremus. *Liv.* 42. 43.; et *Justin.* 37. 4. 3. Societatem inire. *Vellej.* 2. 65. 2. Inita potentiæ societas. *contratta.* Sic *Propert.* 4. 4. 60. Inire fœdus. — *g*) Inire bellum, prælium, certamen, pugnam etc., *incominciare, attaccare. Justin.* 8. 2. 11. Illo duce Athenienses tot bella victores inierant. Adde *eumd.* 12. 11. 6. et 15. 1. 9. Et *Id.* 23. 4. *in fin.* Prima bella ineunti aquila in clipeo consedit. *Plaut. Cist.* 1. 1. 8.; *Ter. Eun.* 3. 5. 3.; *Cic.* 7. *Att.* 9.; *Liv.* 28. 6. et 38. 17.; et *Sil. It.* 11. 164. Inire prælium. Sic *Cic.* 1. *Off.* 11. 37. Monet igitur, ut caveat, ne prælium ineat. *non entri in battaglia. Vellej.* 2. 45. Inito certamine. *attaccata la battaglia.* Adde *Virg.* 5. *Æn.* 114. Sic *Cic.* 4. *Fin.* 12. 31. Magnum et difficile certamen iniens. Et *Quintil.* 5. 12. 22. Inire pugnam certaminum forensium. *Sil. It.* 1. 180. Martem. — *h*) Inire inducias. *Plin. Paneg.* 11. *entrare in tregua.* — *i*) Inire suffragia, *entrare a ballottare. Liv.* 3. 17. et 25. — *l*) Inire beneficium, *promettere, accordare, principiare. Ter. Andr.* 5. 1. 5. Ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes. — *m*) Inire consilium, *h. e.* capere, *prendere partito. Ovid.* 3. *Fast.* 380. Consilium multæ calliditatis init. *Cæs.* 7. *B. G.* 9. Si quid de sua salute ab Æduis consilii iniretur. et *Id.* alio sensu *ibid.* 43. Consilia inibat, quemadmodum a Gergovia discederet. *deliberava, consultava. Nepos Lysand.* 3. Iniit consilia, reges Lacedæmoniorum tollere. *fece delle trame per etc. Vellej.* 2. 88. Interficiendi Cæsaris consilia inierat. *Cic. Dejot.* 2. 4. Inire consilium facinoris contra vitam alicujus. — *n*) Inire gratiam, *entrare in grazia, farsi merito:* quasi *ire in gratiam. Cic. Brut.* 57. 209. Plures ineuntur gratiæ, si uno tempore dicas pro pluribus. *Id. Harusp. resp.* 23. 48. et alibi; *Cæs.* 6. *B. G.* 44.; *Nepos Alcib.* 9. *extr.*; et *Quintil.* 3. 1. 5. Inire gratiam ab aliquo. *Liv.* 36. 5. Apud regem initam gratiam volebant. Adde *Curt.* 5. 7. *Cic.* 7. *Att.* 9. *a med.* Quod si ille faciat, jam cum bonis omnibus summam ineat gratiam. Ita *Aldus:* alii *jam jam a bonis:* alii et *a* et *cum* omittunt, ut *P. Victor.* etc. — *o*) Inire imperia alicujus, *h. e.* subire et iis parere, *obbedire, eseguire. Stat.* 1.

Achill. 280. *de equo.* non aspera præbet Ora lupis, dominique gemit captivus inire imperia. — *p*) Inire nexum, *sottoporsi, obbligare la persona per debiti. Liv.* 7. 19. Sorte ipsa obruebantur inopes, nexumque inibant. — *q*) Sic inire pericula, connubia, *h. e.* subire. *Cic.* 1. *Divinat.* 24. 51. Inire audacius pericula præliorum. *incontrare, mettersi ne' pericoli.* Sic *Quintil.* 2. 16. 8. Inire pericula. *Ovid.* 2. *Amor.* 7. 21. connubia. Cf. *Justin.* 2. 4. 9. — *r*) Inire malum facinus apud sequioris ævi scriptores est patrare. *Vellej.* 2. 45. Initum adulterium. *Ammian.* 14. 1. Inire flagitium. — *s*) Inire somnum, *mettersi a dormire. Virg.* 1. *Ecl.* 56. — *t*) Inire munus alicujus, *sottentrare, fare le veci. Virg.* 5. *Æn.* 846. Ipse ego paullisper pro te tua munera inibo. — *u*) Inire formam vitæ, *imprendere una regola, un tenore di vita. Tac.* 1. *Ann.* 74. Formam vitæ iniit, quam postea celebrem miseriæ temporum fecerunt. — *v*) Inita æstate, apud *Cæs.* 2. *B. G.* 2., est inchoata, *principiata*: *V.* infra sub *B.*

B) Neutrorum more vel absolute est incipere, *cominciare. Ennius* apud *Charis.* 2. *p.* 214. *Putsch.* Tum pariter euhan euhoe euhoe euhium ignotus juvenum cœtus alterna vice inibat alacris. — Ceterum de tempore *Virg.* 4. *Ecl.* 11. Teque adeo decus hoc ævi, te consule, inibit Pollio. *Lucret.* 5. 857. ea ineunte ævo. *Cic.* 4. *Att.* 2. *ad fin.* Ineunte æstate. *Id. pro leg. Manit.* 12. 35. Ineunte vere. *Id. ibid.* t. 1. et 1. *Orat.* 21. 97. Ab ineunte ætate. *sin da fanciullo. Id.* 1. *Off.* 34. 122. Ineuntis ætatis inscientia. *Sueton. Tib.* 54. Anno ineunte. *cominciante, entrante.* Sic *Id. ibid.* 61. Ineunte anno novo. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 2. 4.; et *Nepos Alcib.* 2. Ineunte adolescentia. *sul principio della gioventù. Gell.* 14. 1. Ineunte vita.

IN EOPTE, in eo ipso. *Paul. Diac. p.* 110. 2. *Müll.*

ĬNEPTĒ, adverb. (ineptus.) Comp. *Ineptius* et Sup. *Ineptissime.* — Inepte est minus apte, inconvenienter, stulte, sine ratione, *inettamente, disadattamente, sconciamente, mal a proposito, scioccamente,* ἀλόγως, ἀναρμόστως. *Cic.* 1. *Tusc.* 6. 10. Inepte disserere. *Id. Brut.* 82. 284. Qui nec inepte dicunt, nec odiose, nec putide. *Horat. Art. P.* 140. nil molitur inepte. *Id.* 1. *Sat.* 10. 2. quis tam Lucili fautor inepte est, Ut non hoc fateatur? Adde *Sueton. Claud.* 41. et *Vesp.* 12. *Gell.* 13. 24. Inepte et frigide uti verbis. *Id. ibid.* 30. Homo inepte gloriosus. *Id.* 18. 5. Inscite inepteque argutus. *Lactant.* 3. 17. *a med.* Quo sane nullus æger ineptius deliravit. *Quintil.* 11. 3. 31. Moneor, ineptissime fieri quum inter moras laudationum in aurem alicujus loquuntur.

ĬNEPTĬÆ, ārum, f. plur. 1. (ineptus). In sing. numero. *Plaut. Merc. prol.* 26. Ineptia stultitiaque adeo et temeritas. *Ter. Adelph.* 4. 7. 31. Video ego tuam ineptiam. — Ceterum ineptiæ sunt res absurdæ, incongruæ, nugæ futiles, ἀπειροκαλία (It. *inezie, scioccherie*; Fr. *sottises, niaiseries, absurdités, sornettes, inepties*; Hisp. *boberia, necedad, inepcia*; Germ. *Possen, Thorheiten, Albernheiten, Ungereimtheiten*; Angl. *trifles, insignificant nicelies, absurdities, fooleries*). *Ter. Eun.* 4. 6. 3. Ferre ineptias alicujus. *Catull.* 6. 14. Ni tu quid facias ineptiarum. *Cic.* 2. *Orat.* 4. 18. Omnium ineptiarum, quæ sunt innumerabiles, haud scio an ulla sit major, quam ut illi solent, quocumque in loco, quoscumque inter homines argutissime disputare. *Id.* 1. *ibid.* 24. 111. Petamque a vobis, ne meas ineptias efferatis. *Id. Rosc. Am.* 16. 46. Quid ad istas ineptias abis? *Id.* 1. *Tusc.* 39. 93. Pellantur istæ ineptiæ pæne aniles. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 2. Socors et somniculosum genus mancipiorum, otiis, campo, circo, theatris, aleæ, popinæ, lupanaribus consuetum, numquam non easdem ineptias somniat. *Sueton. Aug.* 86. Sententiarum ineptiæ atque inconcinnitas. Adde *eumd. Tib.* 70.; et *Quintil.* 1. 7. 6. — Hoc nomine inscripti sunt libri grammatici C. Melissi, de quo ita *Sueton. Gramm.* 21. Atque, ut ipse (*Melissus*) tradit, sexagesimum ætatis annum agens, libellos Ineptiarum, qui nunc Jocorum inscribuntur, componere instituit, absolvitque centum et quinquaginta.

ĬNEPTĬO, is, ire, n. 4. (ineptus) est inepte agere, ineptias dicere aut facere, *fare inezie o sciocchezze, essere pazzo,* ματαιοῦμαι. *Ter. Adelph.* 5. 8. 10. DE. Hanc te æquum est ducere. MI. Me? DE. Te. MI. Ineptis. *Catull.* 8. 1. Miser Catulle, desinas ineptire. *Inscript.* apud *Gruter.* 660. 1. VENVSTA AMOENA INEPTIENS ET GARRVLA. De puella annos tres nata et menses novem. At eadem apud *De Lama, Iscrizioni di Parma p.* 119. Venusta, amœna, inter morbum garrula. *Et reapse ita legitur in marmore, teste cl.* Furlanetto *in suis MSS.*

ĬNEPTĬŎLA, æ, f. 1. *deminut. ab* ineptia. *Auson. epist. Edyll.* 11. *præmissa.* Fuit ineptiolæ hujus ista materia.

ĬNEPTĬTŪDO, inis, f. 3. (ineptus) idem atque ineptiæ. *Cæcilius* apud *Non. p.* 128. 15. *Merc.* Homo ineptitudinis cumulatus.

ĬNEPTO, āi, verbum quod nullo auctore laudato, affertur a *Priscian. super XII. vers. Æn. p.* 1254. *Putsch.* In *to* syllabam terminans *p* antecedente unum (*verbum*) invenitur, *inepto, ineptui.*

ĬNEPTUS, a, um, adject. (in *privat. et* aptus). Comp. *Ineptior* et Sup. *Ineptissimus.* — Ineptus est qui non est aptus, qui a quovis reprehendi potest, qui sui aliorumque, rei, loci, temporis, modi nec habet, nec callet rationem, ἀπειρόκαλος (It. *sciocco, inetto, improprio, mal a proposito*; Fr. *déplacé, maladroit, gauche, fade, sot*; Hisp. *desatinado, inepto, enfadoso, necio*; Germ. *thöricht, albern, läppisch, unpassend, ungereimt*; Angl. *unsuitable to the time, place, and circumstance, unfit, impertinent, improper, absurd, foolish, silly*). Occurrit — *a*) De personis. *Cic.* 2. *Orat.* 4. 17. Quem enim nos ineptum vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quod non sit aptus. Idque in sermonis nostri consuetudine perlate patet. Nam qui aut tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus esse dicitur. Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Græcorum natio. Itaque quod vim hujus mali Græci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt. Ut enim quæras omnia, quomodo Græci ineptum appellent, non reperies. *Id.* 1. *Legg.* 2. 7. In orationibus multus et ineptus ad summam impudentiam. *Orellius* vero h. l. aliter omnino et quidem rectius leg. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 82. sine, vivat ineptus. Adde *eumd.* 1. *Sat.* 3. 49. et 10. 79.; *Sueton. Cal.* 56.; et *Quintil.* 2. 12. 11. et 9. 2. 70. — Adhibetur et in conviciis. *Ter. Eun.* 5. 7. 6. Quid est, inepta? quid rides? *Ovid. Remed. am.* 472. Officio natam lædis, inepte, tuo. — *b*) De rebus. *Ter. Andr.* 1. 5. 22. Causa inepta. *Id. Adelph.* 3. 3. 17. Inepta lenitas. *Catull.* 39. 16. Nam risu inepto res ineptior nulla est. *Cic. Orat.* 9. 29. Nihil insolens aut ineptum. *Id.* 1. *Tusc.* 35. 86. Ineptum sane negotium et Græculum. *Id.* 15. *Att.* 13. Longinum sane iter et via inepta. *incomoda, disastrosa.* Al. leg. *amara,* al. *madida,* al. *molesta,* al. aliter. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 270. quidquid chartis amicitur ineptis. *Ovid.* 2. *Trist.* 223. lusus ineptus. *Quintil.* 11. 3. 126. *de actione oratoria.* Discursare, ineptissimum. *Plin.* 1. *Ep.* 9. Ineptus labor. *Gell.* 12. 2. Sententiæ inepto inanique impetu. *Id.* 14. 1. Ineptum absurdumque.

ĬNEQUĪTĀBĪLIS, e, adject. (in *privat. et* equitabilis) qui equo adiri non potest. *Curt.* 8. 14. 4. Imber campos lubricos et inequitabiles fecerat.

ĬNEQUĬTO, as, are, n. 1. (in *et* equito) in aliquo loco equitare, *cavalcare,* ἐνιππάζομαι.

I.) Proprie. *Flor.* 4. 12. 20. Sarmatæ patentibus campis inequitant.

II.) Translate. ¶ 1. De iis, quæ figurate equitare videntur. — *a*) Cum Accusativo *Apul.* 3. *Met. initio.* Commodum punicantibus phaleris Aurora cœlum inequitabat. — *b*) Obscœno sensu. *Arnob.* 4. 7. Cujus (*Mutuni*) immanibus pudendis horrentique fascino vestras inequitare matronas et auspicabile ducitis et optatis. *V.* EQUITO. ¶ 2. Pro insultare. *Macrob.* 7. *Saturn.* 15. Medicina audet inequitare philosophiæ, de incorporeis et vere divinis tractanti. Sic *Arnob.* 7. 30. Sed frustra, inquit, inequitas nobis. Simile est illud *Cic.* 6. *Verr.* 20. 43. Jactabit se, et in his equitabit equuleis: emi, pecuniam solvi.

ĬNERCTA, indivisa. *Paul. Diac. p.* 110. 9. *Müll.* Ita legit *Müllerus* bonis Codicib. fretus, pro vulgato *increta,* quod reprehendendum non putaret, nisi illud multo præstaret. Porro hæc addit: *Inerctum* contrarium esse apparet *ercto cito.* Quo comprobatur, quod etiam aliis rationibus evincitur, ipsi ercto inesse notionem divisionis.

ĬNERMAT, armis spoliat. *Paul. Diac. p.* 110. 13. *Müll.*

ĬNERMIS, e, et

INERMUS, a, um, adject. (in *privat. et* arma). Forma *inermus* V. sub I. — Inermis *vel* inermus est non armatus, ἄνοπλος (It. *disarmato, inerme*; Fr. *non armé, sans armes*; Hisp. *no armado, sin armas*; Germ. *wehrlos, unbewaffnet*; Angl. *without arms, unarmed, weaponless*).

I.) Proprie. — *a*) Forma *inermis* apud *Cic. Dom.* 39. 76. Ne eam civitatem, quam servassem inermis, armatus in discrimen adducerem. Adde *eumd. Cæcin.* 22. 63. *Cæs.* 3. *B. G.* 29. Ne quis inermibus militibus ab latere impetus fieri posset. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 10. Quum parvulam manum militum haberet inermium. *Sall. Jug.* 94. Postremo fugere cuncti, armati, inermesque. *Propert.* 4. 1. 148. Vel licet armatis hostis inermis eas. *Sueton. Cal.* 48. Vocatas (*legiones*) ad concionem inermes, atque etiam gladiis depositis, equitatu armato circumdedit. *h. e.* sine loricis, scutis et galeis, hæc enim proprie arma dicuntur. Adde *Ovid.* 2. *Fast.* 693.; *Curt.* 4. 16. 11. et 7. 5. 33.; et *Sueton. Ner.* 44. — *b*) Formam *inermus* habet *Sisenna* apud *Non. p.* 492. 24. *Merc.* Plerique inermi in castra perfugiunt. *Cic.* 11. *Fam.* 12. Cum paucis inermis, perterritis metu, fugisse Antonium. Adde *eumd. Cæcin.* 12. 33. et 21. 60. *Lepidus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 34. Multitudo inermorum. *Sall. Jug.* 113. Nec decere quemquam, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere. Adde *eumd. ibid.* 107. *Id. in orat. Philippi contra Lepid. ad fin.* Armato Lepido vos inermes relinquet. *Tac.* 3. *Hist.* 6. Luce prima inermes plerosque oppressere. *Id.* 1. *Ann.* 6. Postumum Agrippam ignarum inermumque — centurio ægre confecit. Cf. *Lucret.* 5. 1291. Omnia cedebant armatis nuda et inerma.

II.) Translate. ¶ 1. 1. Dicitur de iis, qui militari aut alia vi carent. *Tac.* 2. *Ann.* 81. Sed inermes legati regebant, nondum additis Cappadociæ legionibus. *h. e.* legati sine exercitu. *Liv.* 29. 4. *a med.* Prædas agens ex agro inermi ac nudo præsidiis. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 11. Inermes provinciæ atque ipsa in primis Italia, cuicumque servitio exposita, in pretium belli cessuræ erant. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 5. Confer *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (51). Nilus famæ tantum, inermi quæsitus sine bellis, quæ ceteras omnes terras invenere. Ita *Sillig. Ovid.* 5. *Met.* 175. trepidum Perseus et inermia frustra Brachia tendentem confodit. Cf. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 27. jam caligantibus armis Debilis Orion destram miratur inermem. *h. e.* exigua et maligna luce fulgentem. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 80. illum parcentes inermi strinximus arcu. *h. e.* levem sagittam jaculantes. *Juvenal.* 10. 200. Frangendus misero gingiva panis inermi. *h. e.* dentibus carente. *Prudent.* 3. *Cathemer.* 154. inerme virus. ¶ 2. Metaphorâ hinc sumptâ est non instructus, atque adeo imbellis, innoxius. *Cic.* 1. *Fin.* 7. 22. In altera philosophiæ parte, quæ est quærendi ac disserendi, inermis ac nudus est. *h. e.* minime instructus. *Tac.* 6. *Ann.* 31. Senectutem Tiberii, ut inermem, despiciens. *h. e.* filiis carentem. *Propert.* 4. 6. 32. Aut testudineæ carmen inerme lyræ. *h. e.* imbelle, armis minime aptum. *Ovid. Ib.* 2. Omne fui Musæ carmen inerme meæ. *h. e.* innoxium et neminem lædens.

ĬNERRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* erro) non errans. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Globorum cœlestium omnium supremum esse eum, qui inerrabili meatu censetur. *Id. de Mundo.* Inerrabilis orbis. *Augustin.* 21. *Civ. D.* 8. Computatio inerrabilis astrologorum.

ĬNERRANS, antis, adject. (in *privat. et* errans) non errans, ἀπλανής. Unde *inerrantes stellæ* dicuntur, quæ et fixæ appellantur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 21. 54. Nec vero eæ stellæ, quæ inerrantes vocantur, non significant eamdem mentem atque prudentiam, quarum est quotidiana, conveniens constansque conversio. *Id.* 3. *ibid.* 20. 51. Si Luna dea est, ergo etiam Lucifer ceteræque errantes numerum deorum obtinebunt: igitur etiam inerrantes. *Capell.* 8. *p.* 281. Inerrantia signa.

ĬNERRO, as, are, n. 1. (in *et* erro) idem atque

errare, vel in loco quopiam errare, ἐμπλανάομαι.

I.) Proprie. — Cum Ablativo sine præpos. *Plin.* 1. *Ep.* 6. Non magis Dianam montibus, quam Minervam inerrare. Poetice *Stat.* 1. *Silv.* 5. 58. ubi languidus ignis inerrat Ædibus. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in. Minuc. Fel. Octav.* 31. Dum etiam domi natos alienæ misericordiæ frequenter exponitis, necesse est in vestros recurrere, in filios inerrare. — *c*) Et sine præpositione, quæ ipsi tamen verbo inest. *Apul.* 10. *Met.* Puelli puellæque, dispositis ordinationibus, decoros ambitus inerrabant, nunc in orbe flexuosi, nunc in obliquam seriem connexi. *h. e.* saltantes choreas ducebant.

II.) Translate. — *a*) Cum Ablativo sine præpos. *Plin.* 7. *Ep.* 27. Memoria imaginis oculis inerrabat. *h. e.* obversabatur. — *b*) Cum Ablat. et præpos. *in. Tibull.* 4. 1. 201. Quod tibi si versus noster totusve, minusve, Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore. *ti stia in sulla punta della lingua.*

ĬNERS, ertis, adject. (in *privat. et* ars). In sexto casu singulari fere in *i* desinit. Poetice autem etiam in e. *Ovid.* I. *Pont.* 5. 8. estque minor factus inerte situ. *Id. ibid.* 10. 14. Stabit et in stomacho pondus inerte diu. — Comp. *Inertior* et Sup. *Inertissimus* 2. — Iners ¶ 1. Stricto sensu est qui nullam exercet artem, *senz' arte*, ἄτεχνος. *Lucilius* apud *Servium* ad *Virg.* 4. *Æn.* 158. Ut perhibetur iners, ars in quo non erit ulla. *Cic.* 2. *Fin.* 34. 115. Lustremus animo has maximas artes, quibus qui carebant, inertes e majoribus nominabantur. Fortasse huc spectat et illud *Nævii* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 5. Silvicolæ homines, bellique inertes. *ignari della guerra, che non conoscevano l'arte della guerra.* Sed *Forcellinus* hunc *Nævii* locum ad paragr. proxime seq. retulit. ¶ 2. Latiori sensu et universim dicitur de nihil agente, nihil moliente, otioso, segne, ignavo, deside, pigro, ut sunt qui nullam artem exercent (It. *ozioso, pigro, da nulla*; Fr. *oisif, inactif, inefficace, paresseux*; Hisp. *ocioso, holgazan, ineficaz, perezoso*; Germ. *träge, unthätig*; Angl. *slothful, indolent, inactive, lazy, sluggish, dull*). Occurrit — *a*) De personis et brutis animalibus. *Plaut. Bacch.* 3. 6. 13. Linguæ factiosi, inertes opera. *Ter. Andr.* 3. 5. 2. Quandoquidem tam iners, tam nullius consilii sum. *Id. Heaut.* 5. 4. 10. Gerro, iners, fraus, helluo. *Cic.* 4. *Verr.* 78. 192. Homo inertior, ignavior proferri non potest. *Cf. eumd. Senect.* 11. 36. Quæ vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavæ, somniculosæ senectutis. *Tibull.* 1. 1. 58. Dummodo sim, quæso, segnis inersque vocer. *Horat.* 1. *Ep.* 5. 17. Spes jubet (*ebrietas*) esse ratas, ad prælia trudit inertem. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 20. vacui Averni vulgus iners. *h. e.* animæ mortuorum, quæ et vita careant et actione. *Propert.* 2. 23. 70. Tendis iners docto retia nota mihi. *h. e.* minime vafer, incallidus. — *Plin.* 8. *Hist. nat.* 21. 32. (77). Fera iners membris. *pigra, tarda. Colum.* 6. *R. R.* 27. 10. Iners in Venerem admissarius. *Id.* 8. *ibid.* 2. 12. Gallinæ inertes ad incubandum. *Virg.* 4. *Æn.* 158. Spumantemque dari pecora inter inertia votis Optat aprum. *h. e.* minime strenua, imbellia, infirma, *deboli, imbelli.* — *b*) De inanimis et abstractis, quo sensu *Forcellinus* translate accepit. *Ovid. Heroid.* 18. 121.; et *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 15. Inertes aquæ. *stagnanti, morte.* Sic *Sil. It.* 5. 5. Iners pelagus. *h. e.* grave, immobile. et *Horat.* 2. *Od.* 9. 5. glacies. *Seneca Herc. fur.* 869. Iners Cocytus. *h. e.* qui tarde admodum fluit: cf. *Ovid.* 4. *Met.* 434. Similiter *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 14. Iners stomachus. *h. e.* qui non concoquit. *Sil. It.* 5. 571. stipula crepitabat inani Ignis iners, cassamque dabat sine robore flammam. *Id.* 5. 572. Cuspis iners. *h. e.* quæ non ferit. *Virg.* 1. *G.* 94. Inertes glebæ. *h. e.* steriles et nihil gignentes. *Horat.* 3. *Od.* 4. 45. Qui terram inertem, qui mare temperat Ventosum. *h. e.* gravem, immobilem, brutam. *Ovid.* 2. *Met.* 8. pondus iners. *h. e.* inordinatum, chaos. *Grat. Cyneg.* 44. *de lino.* Ipse in materia damnosus candor inerti. *h. e.* inutili, venationi inepta. *Sil. It.* 6. 146. Lucus iners. *h. e.* inutilis, nulli usui patens, inhabitabilis. — *Cic.* 2. *leg. Agr.* 33. 91. Inertissimum et desidiosissimum otium. *Id.* 1. *Fin.* 2. 5. Rudem esse in nostris poetis, inertissimæ segnitiæ est. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 61. somno et inertibus horis ducere vitam. *h. e.* quas inertes otiosique transigimus. *Ovid. Heroid.* 18. 314. et 1. *Pont.* 15. 44. iners tempus. *h. e.* in quo nihil fit. *Sil. It.* 12. 114. iners dies. *h. e.* sine prælio. — *Iners censoria nota* apud *Liv.* 24. 18. est quæ a censoribus inuritur iis, qui militiam detrectaruut, et sine causa vacatione armorum usi sunt. — *Iners victoria*, quæ nullo aut exiguo labore ac certamine, et fortuna potius, quam virtute parta est. *Claudius Quadrigarius* apud *Non. p.* 405. 29. *Merc.* Cf. *Justin.* 5. 1. 19. Non tamen inerti, neque incruento cecidere bello: sed præliati ad ultimum, victores etiam interdum, consumpti magis fortunæ varietate, quam victi sunt. — Refertur et ad cibos, qui insipidi sunt et sine acrimonia. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 41. Curvet aper lances carnem vitantis inertem. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 22. 93. (252). Blitum iners videtur, ac sine sapore, aut acrimonia ulla. *Id.* 31. *ibid.* 7. 39. (82). Iners sal. — Metaphorice. *Horat. Art. P.* 445. Inertes versus reprehendere. *h. e.* quibus nervi desunt. *senza spirito, insulsi.* — In bonam partem accipitur in illo *Tibulli* 1. 1. 5. Me mea paupertas vitæ traducat inerti. *h. e.* quietæ, sine curis ac negotiis, ἀταραξίᾳ καὶ ἀπραξίᾳ. ¶ 3. Metonymice, seu active dicitur de iis, quæ pigros et inertes faciunt. *Cic. Fat.* 13. 29. Ignavum et iners genus interrogationis. *V.* IGNAVUS. *Ovid.* 8. *Met.* 790. Frigus iners. *Id.* 2. *Amor.* 10. 19. inertes somni. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 83. (227). Viridia ligna serrarum dentes replent æqualitate inerti. *h. e.* quæ serram reddit secando ineptam.

INERSĪTŪDO. *V.* INERTITUDO.

ĬNERTER, adverb. (iners) cum inertia. In vulgari consuetudine fuisse hoc adverbium testatur *Charis.* 2. p. 165. *Putsch.* Neque omnia tamen, quæ *rs* litteris terminantur, in adverbia transeunt, sicut *concors. Iners* quoque habuit dubitationem, an omnino in adverbium transire possit. Quamvis in vulgari consuetudine sit *inerter*; non statim tamen annuere debemus, nisi auctoritas alicujus eruditi accesserit. Nam *inertissime* quin recte dicatur, dubitare non possumus, quum ab eo quod est *inertissimus* veniat.

ĬNERTĬA, æ, f. 1. (iners) ¶ 1. Stricto sensu est ignoratio omnis artis, imperitia (*V.* INERS 1.), *ignoranza, il non saper far nulla*, ἀτεχνία. *Cic. Partit. orat.* 10. 35. Animi spectantur, quomodo affecti sint, virtutibus, vitiis; artibus, inertiis. *Petron. Satyr.* 135. Illa inertiam meam accusans *etc.*, dentibus folliculos perite spoliat. — Item artis defectus, quum scilicet artem aliquam exercere non licet, vel quum nihil agi potest. *Sall. orat.* 2. *ad Cæs. ante med.* Ubi eos paullatim expulsos agris, inertia atque inopia incertas domos habere coegit. ¶ 2. Sæpissime latiori sensu est pigritia, desidia, ignavia, *poltroneria, pigrizia, ozio*, ῥᾳθυμία. Ab ignavia et desidia quomodo differat, in iis vocibus dictum est. *Cato* apud *Gell.* 11. 2. Inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitatio. *Cic.* 1. *Orat.* 15. 68. Duo illa relinquamus: idque largiamur inertiæ nostræ. *Id.* 1. *Cat.* 2. 4. Jam me ipse inertiæ nequitiæque condemno. *Id.* 1. *Orat.* 41. 185. Castigare segnitiem hominum atque inertiam. *Sall. orat.* 2. *ad Cæs. a med.*; et *Curt.* 9. 2. 26. Libertatem per inertiam amittere. *Horat.* 1. *Ep.* 11. 28. Strenua nos exercet inertia. *Plin.* 3. *Ep.* 1. 12. Inertiæ crimen effugere. *Sall. Cat.* 56. Inertia et mollitia animi. *Cic. Rosc. com.* 8. 24. Propter inertiam laboris. *h. e.* fugam. *Liv.* 33. 45. *sub fin.* Inertia operis. *il non far nulla. Sueton. Domit.* 15. Flavius Clemens contemptissimæ inertiæ. Adde *Nepot. Att.* 15.; *Flor. præfat.* 8.; et *Justin.* 36. 1. 9.

ĬNERTĬCŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* iners *et* inerticus. *Inerticula* appellatur genus vitis, de qua ita *Colum.* 3. *R. R.* 2. 24. Inerticula tamen nigra, quam quidam Græci amethyston (ἀμέθυστον) appellant, potest in secunda quasi tribu esse, quod et boni vini est et innoxia: unde etiam nomen traxit, quod iners habeatur in tentandis nervis, quamvis gustu non sit hebes. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (31). Inerticulam e nigris appellavere, justius sobriam dicturi, inveterato præcipue commendabilem vino, sed viribus innoxiam: siquidem temulentiam sola non facit. Cf. *Isid.* 17. *Orig.* 5.

ĬNERTĬCUS, a, um, adject., unde est deminut. *inerticulus.* Utitur hoc adjectivo *Auct. Thesaur. N. Latinit.* ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 8. p. 3. Adeo displicentes, adeo inertici esse approbantur. *Id. p.* 9. Unde hæc inertia, æ, et inerticus, *a*, um, id est ignavus, remissus. Hæc ex altera cl. *Furlanetti Appendice* retulimus; quæ tamen a Lexico expungenda nobis videntur; quippe nimis recentia atque omni auctoritate destituta.

ĬNERTĬTŪDO, inis, f. 3. (iners) inertia. *Gloss. Philox.* Inersitudo (*lege* inertitudo), ἀδρανία.

ĬNĒRŪDĪTĒ, adverb. (ineruditus) non erudite, *ignorantemente, rozzamente*, ἀπαιδεύτως. *Quintil.* 1. 10. 33. Non inerudite — ad declamandum ficta materia. *Gell.* 7. 3. Inerudite et ἀναγώγως principio nimis insolenti (*Cato*) usus est.

ĬNĒRŪDĪTĬO, ōnis, f. 3. (in *privat. et* eruditio) eruditionis defectus, *inerudizione. Gloss. Philox.* Ineruditio, ἀπαιδευσία. Usurpat etiam *Vulgat. interpr. Eccli.* 4. 30.

ĬNĒRŪDĪTUS, a, um, adject. (in *privat. et* eruditus). Sup. *Ineruditissimus.* — Ineruditus est non eruditus, indoctus, illitteratus, *ignorante, indotto*, ἀπαίδευτος. — *a*) De personis. *Cic.* 1. *Fin.* 21. 72. Non ergo Epicurus ineruditus, sed ii indocti, qui etc. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 43. 132. Ne quis illud tam ineruditum absurdumque respondeat. *Quintil.* 10. 1. 32. Ineruditus judex. *Sueton. Gramm.* 15. Sallustius Catonis verborum ineruditissimus fur. — *b*) De abstractis, quod *Forcellinus* translate accepit. *Quintil.* 1. 12. 18. Quanto plus delectationis habiturus, quam ex ineruditis voluptatibus?

ĬNĒRUMPĬBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* erumpo) qui rumpi non potest. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 14. *ante med.* Inerumpibilem Christi tunicam, quam milites dividere noluerunt, isti scindere nunc præsumunt. *V.* INCONSUTUS.

ĬNERVO. *V.* ENERVO.

ĬNESCĀTĬO, ōnis, f. 3. (inesco) inescandi actus. Cl. *Klotzius* hanc vocem *Augustino* tribuit, loco tamen non laudato.

ĬNESCATUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĬNESCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et esca). Part. *Inescans* sub *A.* II.; *Inescatus* sub *A.* II. et *B*; *Inescandus* sub *A.* II. — Inescare duo diversa significat, scilicet

A) Proprie est pisces et aves esca captare, *adescare*, δελεάζω.

1.) Proprie. *Petron. Satyr.* 140. Sicut muta animalia cibo inescantur, sic homines non caperentur spe, nisi aliquid morderent.

II.) Translate sumitur pro decipere, allicere. *Ter. Adelph.* 2. 2. 12. Nescis inescare homines, Sannio. *Liv.* 41. 23. Specie parvi beneficii inescamur. *Vellej.* 2. 13. Inescandæ multitudinis causa. *Ammian.* 30. 4. *extr.* Quæstibus inescati. Adde *Flor.* 3. 5. 13.; et *Prudent. Hamartig.* 322. Sic *Seneca Ep.* 74. *ante med.* Nec quidquam ex his hominem inescantibus ad Deum pertinet. *Liv.* 22. 41. Quin potius credere velut inescatam temeritatem ferocioris consulis.

B) Apud *Apul.* Part. *Inescatus* occurrit pro esca repletus, 9. *Met.* Gravi odore sulphuris juvenis inescatus atque obnubilatus. *pieno la gola. Id.* 7. *ibid.* Canes largissimæ cœnæ reliquiis rapinisque inescati atque distenti.

ĬNĒSUS, a, um, adject. (in *privat. et* esus) non comesus. *Gloss. Philox.* Inesus, ἄβρωτος.

ĬNĒVECTUS, a, um, adject. (in *intent. et* eveho) idem atque evectus. *Virg. Cul.* 340. Cur aliquis propriæ fortunæ munere dives Tendit inevectus cælum super? *Id. ibid.* 100. Tendit inevectus radios Hyperionis ardor.

ĬNĒVĬDENS, entis, adject. (in *privat. et* evidens) non evidens. *Boeth.* in *Porphyr.* 1. *p.* 46. Sed eas imaginationes confusas atque inevidentes sic sumunt, ut nihil ex earum conjunctione ac compositione efficere possint.

ĬNĒVINCĬBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* evinco) qui evinci non potest, invincibilis. *Cassiod.* 3. *Hist. Eccl.* 7. Vota vestra inevincibilia esse contenditis.

ĬNĒVĬTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* evitabilis) qui vitari non potest, *inevitabile*, ἀδιάδραστος. *Ovid.* 3. *Met.* 301. inevitabile fulmen. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 50.; et *Plin. Paneg.* 42. Mala inevitabilia. *Curt.* 10. 1. 30. sors. *Id.* 4. 6. fatum. *Albinov.* 2. 443. Sed rigidum jus est et inevitabile mortis. *Stat.* 9. *Theb.* 549. inevitabile numen. *Tac.* 1. *Ann.* 74. crimen. *Ammian.* 27. 9. insidiæ.

INĒVĪTĀBĪLĬTER, adverb. (inevitabilis) ita ut vitari nequeat, *inevitabilmente*. *Augustin. Enchir.* 13. Inevitabiliter nos compellit.

INĒVŎLŪTUS, a, um, adject. (in *privat. et* evolutus) non evolutus. *Martial.* 11. 1. *ad librum suum*. Vades et redeas inevolutus.

INĒVULSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* avello) non evellendus, indissolubilis, indivulsus. *Augustin.* 3. *Baptism. contra Donatist.* 10. Universæ Ecclesiæ inevulsibile membrum esse gaudebat.

INEXĀMĬNĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* examinatus) non examinatus, *non esaminato*. *Firmic.* 1. *Mathes.* 2. Inexaminatæ partis allegationes. *Capell.* 9. *p.* 303. Quis in cælum venientes feminas inexaminatas attentet explodere?

INEXCĬTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* excitabilis) qui excitari non potest. *Seneca Ep.* 83. *circa med.* Oppressus inexcitabili somno.

INEXCĬTUS, a, um, adject. (in *privat. et* excitus) non excitus, non excitatus. *Virg.* 7. *Æn.* 623. Ardet inexcita Ausonia atque immobilis ante.

INEXCOCTUS, a, um, adject. (in *privat. et* excoctus) non excoctus. *Sidon. carm.* 7. 380. pando pronus aratro Vertit inexcoctam per pingula jugera glæbam.

INEXCŌGĬTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* excogito) qui excogitari non potest, *inescogitabile*. *Lactant.* 1. 8. Inexcogitabilis et nulli alii satis notus. Adde *Tertull. advers. Valentin.* 37.

INEXCŌGĬTĀBĬLĬTER, adverb. (inexcogitabilis) ita ut excogitari non possit. *Cassiod. clausula Instit. div. litt.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 352). Cognoscat, Dominum Christum, qui tanta tamque mirifica opera providentia excogitavit, ratione disposuit, virtute perfecit, nunc spiritu divino sustentare, potestate terrere, pietate moderari, inexcogitabiliter, ineffabiliter, et nulli alii plenissime notus, quam ipse sibi. Adde *Alcim. Ep.* 3. *p.* 18. *B.*

INEXCŌGĬTĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* excogitatus) qui excogitatus et præmeditatus non est, *impensato*. *Sueton. Domit.* 14. Oblatum a senatu novum et inexcogitatum honorem recusavit. *Al. leg.* excogitatum. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (107). Novum et inexcogitatum antea posteaque remedium invenit ille rex.

INEXCULTUS, a, um, adject. (in *privat. et* excultus) inornatus, *incolto, rozzo*, ἀκομψος, ἀνέργαστος. *Gell.* 13. 22. Villas suas inexcultas et rudes, ne tectorio quidem prælitas fuisse dixit.

INEXCŪSĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* excusabilis). Comp. *Inexcusabilior.* — Inexcusabilis est qui excusari non potest, *inescusabile*, ἀναπολόγητος. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 58. ne te retrahas et inexcusabilis abstes. *Ovid.* 7. *Met.* 511. felix et inexcusabile tempus. *h. e.* in quo nulla excusatio afferri potest. *Ulp. Dig.* 5. 1. 50. Inexcusabilia onera. *h. e.* quæ detrectare non licet. *Ambros. lib.* 9. *in cap.* 20. *Luc.* Quo indulgentior liberalitas, eo inexcusabilior pervicacia. *h. e.* veniâ minus digna. *Id. Vocat. Gent.* 2. 4. Sed malitia pertinax facta est inde inexcusabilior, unde debuit esse correctior.

INEXCŪSĀBĬLĬTER, adverb. (inexcusabilis) inexcusabili modo. *Alcim. Avit. Ep.* 3. Inexcusabiliter jam perseverabis incredulus. *h. e.* ita ut venia indignus sis.

INEXCŪSĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* excusatus) inexcusabilis. *Gloss. Cyrill.* Ἀπαραίτητος, inexcusabilis, inexcusatus.

INEXCUSSUS, a, um, adject. (in *privat. et* excussus) non excussus. *Virg. Cul.* 300. Assidet hac juvenis, sociat quem gloria, fortis, Acer, inexcussus. — Item inexaminatus. *Scævola Dig.* 33. 8. 23., sed ibi est interpretatio Græcæ vocis ἀνεξέταστος.

INEXERCĬTĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* exercitatus. ¶ 1. Generatim est non exercitatus, *non esercitato*, ἀγύμναστος. *Cic.* 2. *Tusc.* 16. 38. Rudis et inexercitatus miles. Sic *Nepos Eumen.* 3. Inexercitatæ copiæ. *Veget.* 2. *Milit.* 23. Post quanta volueris stipendia inexercitatus miles semper erit tiro. Rursus *Cic. Senect.* 18. 64. Nec, tamquam inexercitati histriones, in extremo actu corruisse. *Id.* 2. *Orat.* 17. 72. Homo non hebes, neque inexercitatus. *Id. Brut.* 36. 136. Promptus et non inexercitatus ad dicendum. Adde *Quintil.* 11. 2. 9.; et *Senec. Ep.* 11. Sic *Tac. Dial. de orat.* 5. Inexercitata eloquentia. ¶ 2. Speciatim, sed raro admodum, de eo dicitur qui a labore abstinet, otiosus, iners. *Cels. præfat. ad fin.* Famem facilius inexercitatus, quam exercitatus homo sustinet.

INEXERCĬTUS, a, um, adject. (in *privat. et* exercitus) idem atque inexercitatus. *Cic.* 5. *Tusc.* 39. 113. Asclepiadem ferunt non ignobilem, nec inexercitum philosophum. *Alii melius leg.* non ignobilem Eretricum philosophum. *Macrob.* 7. *Saturn.* 8. Disarium nostrum inexercitum non relinquo. Adde *Frontin.* 2. *Strateg.* 1. 9.

INEXĒSUS, a, um, adject. (in *privat. et* exesus) non exesus. *Minuc. Fel. Octav.* 35. Pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.

INEXHAUSTUS, a, um, adject. (in *privat. et* exhaustus) qui exhauriri non potest, indeficiens, numquam deficiens, *che non si può vuotare, inesausto*, ἀνεξάντλητος. Sic *inexhausta metalla* sunt fodinæ, quæ exhauriri non possunt præ abundantia. *Virg.* 10. *Æn.* 174. Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis. *Sil. It.* 14. 681. Felices populi! si, quondam ut bella solebant, Nunc quoque inexhaustas pax nostra relinqueret urbes. *Tac.* 5. *Hist.* 7. Modicum id litus et egerentibus inexhaustum. *Id. Germ.* 20. Sera juvenum venus, eoque inexhausta pubertas. Apud *Cic.* 3. *Fin.* 2. 7. Erat enim in eo inexhausta aviditas legendi. *Alii aliter leg.*; adjectivus enim, ut *Orellius* adnotat, excidisse videtur.

INEXOPTABILIS, e, adject. non exoptabilis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 106.

INEXŌRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* exorabilis). ¶ 1. Est implacabilis, qui exorari non potest, *che non si può placare, inesorabile*. — *a*) De personis. — Cum Accus. et præpos. *in*. *Cic. Sull.* 31. 87. Ego ille, qui vehemens in alios, qui inexorabilis in ceteros visus sum. — Cum Accus. et præpos. *adversus*. *Liv.* 34. 4. *sub fin.* Adversus te et rem tuam et liberos tuos inexorabiles. — Cum Accus. et præpos. *contra*. *Gell.* 14. 4. Contra improbos nocentesque immisericors atque inexorabilis. — Cum Dat. *Tac.* 11. *Ann.* 18. Inexorabilis delictis. — Absolute. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. Te inexorabilem præbuisti. *Id.* 1. *Tusc.* 5. 10. Judex inexorabilis. *Horat. Art. P.* 121. Impiger, iracundus, inexorabilis, acer. *Gell.* 1. 13. Ferus, durus, indomitus, inexorabilis. Cf. *Sil. It.* 16. 97. inexorabilis Auster. — *b*) De rebus et abstractis. *Liv.* 2. 3. Leges rem surdam, inexorabilem esse. *Tac.* 1. *Hist.* 51. Inexorabilis disciplina. *h. e.* quæ numquam remittitur. *Ovid.* 5. *Met.* 244. sed inexorabile durus Exercas odium. *Virg.* 2. *G.* 491. inexorabile fatum. Hinc *Stat.* 1. *Silv.* 4. 1. inexorabile Clotho Volvit opus. *Val. Max.* 4. 8. *extern.* 2. Arcæ inexorabilibus claustris obseratæ. *Forcellinus* hunc *Val. Max.* locum translate accepit. ¶ 2. Item qui impetrari non potest, *non impetrabile*. *Val. Flacc.* 5. 321. Annuet ipse, reor; neque inexorabile certe, Quod petimus.

INEXŌRĀBĬLĬTAS, atis, f. 3. (inexorabilis) abstracta qualitas ejus, qui exorari non potest. *Servius* ad *Virg.* 3. *G.* 68. Inclementia, inexorabilitas et duritia.

INEXŌRĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* exoratus) non rogatus, *non chiesto*. *Arnob.* 3. 24. Hoc est proprium Dei, inexorata beneficia præbere.

INEXORTUS, a, um, adject. (in *privat. et* exortus) non exortus, principio carens. *Gloss. Philox.* Inexortum, ἄναπτον.

INEXSPECTĀTUS. *V.* INEXSPECTATUS.

INEXPĔDĪBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* expedio) inexplicabilis. *Ammian.* 31. 13. *a med.* Ne per moras inexpedibiles populandi amitterent copiam.

INEXPĔDĪTUS, a, um, adject. (in *privat. et* expeditus). Sup. *Inexpeditissimus.* — Inexpeditus est non expeditus, non promptus, impeditus. *Arnob.* 7. 40. Inexpeditus in rebus obeundis. *Id.* 5. 36. Quis cuncta, quæ scripta sunt, inexpeditissimum vobis est traducere, invertere, derivare.

INEXPĔRĬENS, entis, adject. (in *privat. et* experior) qui non est experiens, inexpertus, *inesperto*. *Boeth. de divis. p.* 638. Nec putet supervacuam loquacitatem harum rerum inexperiens, rudis insolensque novi, audientium mentes habere.

INEXPĔRĬENTER, adverb. (inexperiens) non experienter, *inespertamente*. *Boeth. Aristot. Topic.* 2. 3. *p.* 678. Quod injuste est, ignoranter et inexperienter est.

INEXPĔRĬENTIA, æ, f. 1. (in *privat. et* experientia) experientiæ defectus, *inesperienza*. *Tertull. Anim.* 20. Obtundunt inscitiæ, inexperientia, otia, vitia.

INEXPERRECTUS, a, um, adject. (in *privat. et* experrectus) non experrectus, *non isvegliato*. *Ovid.* 12. *Met.* 317. In tanto fremitu ductis sine fine jacebat Sopitus vinis et inexperrectus Aphydnas.

INEXPERS, ertis, adject. (in *privat. et* expers) idem atque inexpertus, qui expertus non est. *Avien. Descr. Orb. terr.* 919. Ignorant flavæ Cereris commercia, Bacchi Semper inexpertes, animam traxere ferinam. *Id. ibid.* 1391. semper inexpertes famæ. *Cyprian. Laud. Martyr. init.* Inexpertes cujusdam cladis initia et strages populatarum urbium intuemur.

INEXPERTĒ, adverb. (inexpertus) idem atque inexperienter, ἀπείρως. *Boeth. Aristot. Elench. sophist.* 2. 1. *p.* 746. Circa omnia exercitatus esse videbitur, et in nullo se inexperte habere.

INEXPERTUS, a, um, adject. (in *privat. et* expertus). ¶ 1. Active est qui expertus non est, qui periculum non fecit, *chi non ha provato, inesperto*. — *a*) Cum Genitivo. *Tac.* 16. *Ann.* 5. Quique per longinquas provincias lasciviæ inexperti. — *b*) Cum Dativo. *Tac.* 1. *Ann.* 8. Hispaniæ præerat Cluvius Rufus, vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus. — *c*) Absolute. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 86. Dulcis inexpertis cultura potentis amici: Expertus metuit. Cf. *Ovid. Heroid.* 12. 23. Jussus inexpertam Colchos advertere puppim. ¶ 2. Passive est non expertus, intentatus, *non provato, non esperimentato*, ἄπειρος. — *a*) Cum Dativo. *Tac.* 2. *Hist.* 75. Legiones civili bello inexpertæ. *Liv.* 23. 18. *a med.* Exercitum in tectis habuit, adversus omnia humana sæpe ac diu durantem, bonis inexpertum atque insuetum. — *b*) Singulare est illud *Liv.* 6. 18. Animus ad contumeliam inexpertus. — *c*) Absolute. *Virg.* 4. *Æn.* 415. Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat. Sic *Curt.* 4. 4. 2., 8. 14. 29. et 9. 2. 27. Igitur ne quid inexpertum omitteret, plures naves admoveri jubet delectosque militum imponi. *Liv.* 28. 18. *ad fin.* Committere se in fidem inexpertam. *Curt.* 3. 5. 15. Inexperta remedia ipsis esse suspecta. *Tac.* 2. *Hist.* 4. Inexperti belli ardor. *Id.* 1. *Ann.* 59. Aliis gentibus ignorantiâ imperii Romani inexperta esse supplicia, nescia tributa. *Val. Flacc.* 1. 97. inexpertos tentare parentibus Austros Æsoniden. *Horat. Art. P.* 125. Si quid inexpertum scænæ committis, et audes Personam formare novam etc. *Plin.* 8. *Ep.* 14. *ante med.* Genus quæstionis inexpertum. — *Inexpertum carmen* apud *Stat.* 4. *Silv.* 5. 11. est adhuc contentum domi, necdum prolatum recitatumve.

INEXPĬĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* expio) qui expiari non potest, *inespiabile, che non si può purgare*, ἀκάθαρτος.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Tusc.* 12. 27. Nec violatas (*cæremonias sepulcrorum*) tam inexpiabili religione sanxissent. *Id. Harusp. resp.* 27. 57. Inexpiabile scelus. Sic *Ammian.* 15. 3. culpa.

II.) Translate sumitur pro implacabili. *Cic. Pis.* 33. 81. Sese alicui implacabilem inexpiabilemque præbere. *Liv.* 39. 51. Inexpiabile odium Romanorum in Hannibalem. *Sueton. Cæs.* 78. Inexpiabilis invidia. *Pacat. Paneg. Constant.* 10. iræ. *Ammian.* 18. 4. detestatio. *Liv.* 4. 35.; *Justin.* 38. 6. 6.; et *Flor.* 4. 4. 1. bellum. *Ammian.* 29. 1. *med.* Sed inexpiabile illud erat, quod regaliter turgidus, pari eodemque jure nocentes innocentesque maligna insertatione perurgebat.

INEXPĬĀBĬLĬTER, adverb. (inexpiabilis) modo inexpiabili. *Augustin.* 11. *de Gen. ad litt.* 13. Inexpiabiliter corruptus atque perversus. *senza rimedio*.

INEXPĬĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* expiatus) non expiatus. *Augustin. Ep.* 56. *ad Dioscor. post init.* Dedecus inexpiatum remanet.

INEXPLACABILIS, e, adject. non explacabilis. Vox a Lexico espungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 106.

INEXPLĀNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* explanabilis) inexplicabilis. *Capell.* 4. *p.* 95. Nescio quid vulgo inexplanabile loquebatur.

INEXPLĀNĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* ex-

planatus) non planus, impeditus, *impedito*, ut inexplanata lingua, *h. e.* impedita. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (174). Metellum pontificem linguæ adeo inexplanatæ fuisse accepimus.

ĬNEXPLĒBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* expleo) qui expleri non potest, insatiabilis, *che non si può empire, insaziabile*, ἀσυμπλήρωτος.

I.) Proprie. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 25. 30. (88). Scorpiones quum sitiunt, (*sunt*) inexplebiles potu. *Sillig.* leg. *inexplebili. Seneca Ep.* 89. *extr.* Inexplebilis stomachus.

II.) Translate. — *a*) Absolute. *Cic.* 5. *Tusc.* 6. 16. Omnia rapide appetentem cum inexplebili cupiditate. *Liv.* 28. 17. Vir inexplebilis virtutis veræque laudis. *Flor.* 3. 21. 6. Inexplebilis honorum fames. *Seneca* 3. *Ira* 30. Divum Julium amici confecerunt, quorum non expleverat spes inexplebiles. *Tac.* 2. *Hist.* 62. et 95. libido. *Justin.* 31. 8. 4. desiderium vivendi. *Ammian.* 15. 2. nocendi propositum. — *b*) Cum Genitivo. *Seneca Consol. ad Helv.* 15. Ubi colloquia, quorum inexplebilis eram? *Justin.* 38. 6. 8. Illum populum luporum animos, inexplebiles sanguinis atque imperii, divitiarumque avidos ac jejunos habere.

ĬNEXPLĒBĬLĬTER, adverb. (inexplebilis) inexplebili modo. Usurpatur a *Servio* ad *Virg.* 8. *Æn.* 559.

ĬNEXPLĒTUS, a, um, adject. (in *privat. et* expletus) non expletus, inexplebilis.

I.) Proprie. *Stat.* 2. *Theb.* 518. Inexpleta alvus.

II.) Translate. *Ovid.* 3. *Met.* 439. *de Narcisso.* Spectat inexpleto mendacem lumine formam. *Stat.* 3. *Silv.* 3. 8. inexpleto rumpentem pectora questu. *Val. Flacc.* 6. 762. Semper inexpletis agnoscit Iasona curis. *Stat.* 8. *Theb.* 703. Ardet inexpleto sævi Mavortis amore. *Id.* 4. *ibid.* 473. et formidabile regnum Mortis inexpletæ. *Id.* 8. *ibid.* 482. Inexpleto rapitur per millia ferro. *che non si sazia di sangue.* Sic *Id. ibid.* 667. Inexpletæ cædes. *h. e.* plurimæ quidem, sed quæ nondum tamen crudelitatem explevere. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 474.; et *Lucan.* 2. 176. *Ammian.* 21. 16. Inexpleta flagitatorum rapacitas. — Hinc

Inexpletum, adverbii more. *Virg.* 8. *Æn.* 559. Inexpletum lacrimans. *insaziabilmente.*

ĬNEXPLĬCĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* explicabilis) involutus, impeditus, difficilis, unde se facile expedire quis nequit, *inviluppato, imbrogliato, intricato*, ἄλυτος.

I.) Proprie. *Curt.* 3. 1. 16. Inexplicabile vinculum. *Quintil.* 5. 10. 101. Laquei inexplicabiles.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de re quammaxime difficili. *Liv.* 40. 33. Inexplicabiles continuis imbribus viæ. *h. e.* quibus nemo, nisi difficillime, ire poterat. *Plin.* 5. *Ep.* 9. Cujus interest quammaturissime inexplicabili morbo liberari. *h. e.* incurabili. ¶ 2. Ponitur etiam pro eo, quod verbis declarari nequit, inenarrabili, *inesplicabile*, ἀνέκφραστος, ἄπορος. *Cic.* 8. *Att.* 3. *ad fin.* O rem, inquis, difficilem et inexplicabilem! atqui explicanda est. *Liv.* 37. 52. Quum aliquandiu hinc indulgentia, hinc modestia, inter permittentes invicem, non magis mutua, quam inexplicabili facilitate certatum esset. *Id.* 39. 51. Inexplicabile odium. *Tac.* 3. *Ann.* 73. bellum. *Quintil.* 8. 6. 1. pugna. *Id.* 5. 14. 32. series. *Ammian.* 19. 11. negotium. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 13. 19. (87). Inexplicabilis error viarum. *Gell.* 14. 2. ambiguitas. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 95. Hæc inexplicabilia esse dicitis. (ἄπορα Græce hæc dici, *Gell.* 9. 15. docet: et ad dialecticos pertinent). *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 17. (37). Inexplicabilis multitudo. *Id.* 23. *ibid.* 1. 19. (32). De generibus singulis disserere immensum et inexplicabile est. *h. e.* impossibile.

ĬNEXPLĬCĀBĬLĬTER, adverb. (inexplicabilis) ita ut explicari nequeat, et translate ita ut explicari seu declarari verbis non possit, *inesplicabilmente. Apul.* 2. *Met. sub fin.* Cetera corporis inexplicabiliter ad regulam congruentia. *Augustin. Ep.* 255. *a med.* Inexplicabiliter implicare.

ĬNEXPLĬCĀTUS, a, um, adject. (in *privat et* explicatus) non explicatus, et translate verbis non declaratus, ut apud *Arnob.* 7. 12. Quas tamen nos partes inexplicatas transcurrimus atque intactas.

ĬNEXPLĬCĬTUS, a, um, adject. (in *privat. et* explicitus) inexplicatus, inexplicabilis; et translate qui verbis non est declaratus, obscurus, ut apud *Stat.* 2. *Theb.* 510. *de Sphinge.* Conlustrat campos, si quis concurrere dictis Hospes inexplicitis, aut comminus ire viator Audeat. *Martial.* 9. 48. Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas.

ĬNEXPLŌRĀTĒ, adverb. (inexploratus) sine exploratione et inquisitione, ἀκατασκόπως, ἀνεξετάστως. *Gell.* 5. 19. Sed arrogationes non temere, nec inexplorate committuntur.

ĬNEXPLŌRĀTŌ, adverb (inexploratus) idem atque inexplorate. *Liv.* 21. 25. Ibi inexplorato profectus, in insidias præcipitatus, etc. *Id.* 22. 4. Inexplorato angustiis superatis. *h. e.* non explorato itinere per speculatores præmissos. *senza scoprire prima il paese.*

ĬNEXPLŌRĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* exploratus) non exploratus, non investigatus, non ante cognitus, incompertus, obscurus, *non iscoperto, non riconosciuto, incerto, oscuro*, ἀνεξέταστος. *Liv.* 26. 48. Inexplorata stagni vada. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 25. (43). Apportatur et Indicum ex India, inexploratæ adhuc inventionis mihi.

ĬNEXPUGNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* expugnabilis) qui expugnari non potest, *inespugnabile*, ἀνάλωτος.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu de locis. *Liv.* 2. 7. Ibi alto et munito loco arcem inexpugnabilem fore. *Plin. Paneg.* 49. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. — *b*) Latiori sensu de militibus. *Curt.* 3. 1. 7. Jubent nunciare Alexandro, non eâdem ipsum et incolas æstimatione munimenta metiri: se scire inexpugnabiles esse; ad ultimum, pro fide morituros. *Justin.* 37. 4. 2. Atque ita invictus ipse inexpugnabilem exercitum fecerat. Cf. *Liv.* 5. 34.

II.) Translate. — *a*) Absolute. *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 41. Volumus enim eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, septum atque munitum. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 21. (72). Terra prope inexpugnabilis. *h. e.* quæ perfringi et cavari non potest. *Ovid.* 5. *Met.* 486. inexpugnabile gramen. *h. e.* inexstirpabile. *Quintil.* 7. 3. 18. Verborum finitio inexpugnabilis. *Cels.* 3. 20. In hoc (*morbo*) marcor est et inexpugnabilis pæne dormiendi necessitas. — *b*) Cum Dativo. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 13. 47. (166). Lapis undis inexpugnabilis. *h. e.* qui ab undis non eroditur, consumiturve. *Ovid.* 11. *Met.* 767. Non agreste tamen, nec inexpugnabile amori Pectus habens. *Seneca Ep.* 57. Naturalis affectio inexpugnabilis rationi.

ĬNEXPUGNĀBĬLĬTER, adverb. (inexpugnabilis) inexpugnabili ratione, *inespugnabilmente. Alcim. Homiliar. fragm.* 5. Inexpugnabiliter plus hæc basilicis, quam propugnaculis urbs munitur.

ĬNEXPUGNANDUS, a, um, adject. (in *privat. et* expugno) inexpugnabilis. *Jornand. Get.* 7. Taurus mons naturali constructione præstat gentibus inexpugnanda munimina.

ĬNEXPUGNĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* expugnatus) non expugnatus, non victus. Translate *Paulin. Nolan. ep.* 18. *ad Vitric. n.* 5. Voluntas sanctis operibus et pio ministratu inexpugnata.

ĬNEXPŪTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* exputo) cujus ratio et numerus iniri non potest, *innumerabile*, ἀσυλλόγιστος. *Colum.* 9. *R. R.* 4. 6. Nam inexputabilis erat numerus.

INEXSATIABILIS, e, adject. qui satiari nequit. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 33.

ĬNEXSĀTŪRĀBĬLIS *vel* inexaturabilis, e, adject. (in *privat. et* exsaturabilis) qui satiari nequit, *insaziabile*, ἀπλήρωτος. *Virg.* 5. *Æn.* 781. Junonis gravis ira et inexsaturabile pectus. *Plerique tamen leg.* nec exsaturabile pectus. *Arnob.* 2. 40. Inexsaturabilis appetitus.

INEXSECRABILIS, e, adject. non exsecrabilis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 152.

ĬNEXSĔCŪTĬO, ōnis, f. 3. (in *intent. et* exsecutio) idem quod exsecutio. *Jul. Valer. de reb. g. Alex. M.* (edente iterum *A. Maio*) 31. Inefficacem illam inexsecutionem Alexander laboraret.

ĬNEXSISTENS, entis, adject. (in *et* exsisto) particip. ab inusit. *inexsistere*, quod idem significat atque inesse. *Boeth. Aristot. Analyt. prior.* 1. 11. *p.* 477. In utrisque affirmativis et negativis syllogismis necesse est alteram propositionem similem esse conclusioni. Dico autem similem, si inesse quidem, inexsistentem, si autem necessaria, necessariam.

ĬNEXSŎLŪBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* exsolvo) insolubilis, inenodabilis. *Ambros. Ep.* 9. 70. In medio earum (*caudarum*) inseruit facem, nodoque adstrinxit inexsolubili.

ĬNEXSPECTĀTUS *vel* inexpectatus, a, um, adject. (in *privat. et* exspectatus) non exspectatus, *inaspettato*, ἀπροσδόκητος. — *a*) De personis. *Ovid.* 12. *Met.* 65. Inexspectatus in armis finitis adest. — *b*) De rebus et abstractis. *Cic.* 2. *Orat.* 55. 255. Pro dii immortales, quæ fuit illa, quanta vis! quam inexspectata! *Seneca Ep.* 91. 3. Inexspectata plus aggravant. *Id. ibid.* 107. Nihil insolitum, nihil inexspectatum est. *Plin.* 8. *Ep.* 18. Omnia pietate plenissima; ac tanto magis, quoniam inexspectata sunt. *Ammian.* 29. 2. *extr.* Judicium inexspectatum.

ĬNEXSTINCTUS *vel* inextinctus, a, um, adject. (in *privat. et* exstinctus) non exstinctus, *non estinto.*

I.) Proprie. *Ovid.* 6. *Fast.* 297. Ignis inexstinctus templo celatur in illo.

II.) Translate. *Ovid. Ib.* 424. Inexstincta conficiare fame. *insaziabile. Id.* 5. *Trist.* 14. 35. Aspicis, ut longo maneat laudabilis ævo, Nomen inexstinctum, Penelopea fides? *Id.* 1. *Fast.* 413. Inexstincta libido.

ĬNEXSTINGUĬBĬLIS *vel* inexstinguibilis, e, adject. (in *privat. et* exstinguibilis) qui exstingui non potest, *inestinguibile.*

I.) Proprie. *Lactant.* 7. 19. Flamma inexstinguibilis. *Arnob.* 2. 14. Ignes inexstinguibiles. Adde *Vulgat. interpr. Matth.* 3. 12. et *Marc.* 9. 43.

II.) Translate. *Varro* apud *Non. p.* 131. 6. *Merc.* Mala consuetudo diu inveterata est inexstinguibilis. *Scribon. Compos.* 105. Inexstinguibilis sitis. *Arnob.* 6. 7. Inexstinguibilis testificatio.

ĬNEXSTIRPĀBĬLIS *vel* inextirpabilis, e, adject. (in *privat. et* exstirpo) qui exstirpari nequit, *che non si può estirpare. Plin.* 15. *Hist. nat.* 20. 22. (81). Radices multæ atque altæ, et ideo inexstirpabiles.

ĬNEXSŬPĔRĀBĬLIS *vel* inexuperabilis, e, adject. (in *privat. et* exsuperabilis). Comp. *Inexsuperabilior* 1. Inexsuperabilis est qui superari non potest, *insuperabile*, ἀνυπέρβλητος.

I.) Proprie. *Liv.* 5. 34. *de Alpib.* Quas inexsuperabiles visas, haud equidem miror. *Id.* 44. 35. Natura et operibus inexsuperabilis ripa videbatur. *Id.* 42. 54. Inexsuperabile munimentum. Adde *eumd.* 37. 53. *Id.* 36. 17. Inexsuperabilior saltus ad amnem Aoum fuit. *Plerique Codd. leg.* inexsuperabilis magis.

II.) Translate. *Liv.* 8. 7. Inexsuperabilis vis fati. *Vellej.* 2. 120. Inexsuperabilis difficultas. *Seneca Ep.* 85. *circa med.* Beata vita bonum in se perfectum habet, inexsuperabile. *h. e.* quod a nullo alio bono vincitur. *Inscript.* apud *Donat.* 33. 9. INEXSVPERABILE DONVM.

ĬNEXTERMĬNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* extermino) qui exterminari non potest. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. anim.* 10. ex *Sap.* 2. 23. Deus creavit hominem inexterminabilem.

ĬNEXTRĪCĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* extrico) unde se facile extricare atque expedire quis nequit, *d'unde niuno può disbrigarsi ed uscire.*

I.) Proprie. *Virg.* 6. *Æn.* 27. *de labyrintho.* Hic labor ille domus et inextricabilis error. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 74. (188). Cædi tempestivum, quæ decorticentur, quum germinant: alias cortice inextricabili *h. e.* qui avelli non potest.

II.) Translate. *Sil. It.* 4. 582. Dum sibi quisque viam per inextricabile litus Præripit, et putri luctatur cespite, lapsi Occumbunt. *h. e.* in quo nemo consistere poterat, *in cui nessuno poteva stare in piedi.* Al. leg. *inexplicabile*; sed huic lectioni obstat metri ratio. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 85. (232). Stomachi inextricabilia vitia. *Id.* 11. *ibid.* 2. 1. (2). Inextricabilis perfectio. *h. e.* inexplicabilis, inenarrabilis. Addunt nonnulli et illud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 95. Hæc inextricabilia esse dicitis. ἄπορα. *Sed al. leg.* inexplicabilia.

ĬNEXTRĪCĀBĬLĬTER, adverb. (inextricabilis) inextricabili ratione, *inestricabilmente. Apul.* 11. *Met.* Inextricabiliter contorta fatorum licia.

ĬNEXTRĪCĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* extricatus) non extricatus. *Gloss. Philox.* Inextricatus, ἄτριπτος.

INFĂBRĒ, adverb. (in *privat. et* fabre) inartifi-

cíose, inornate, impolite, *senza artificio, rozzamente*, ἀτέχνως, ἀκόμψως. *Liv.* 36. 40. In Gallicis vasis, non infabre suo more factis. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 22. Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset. — *Non.* p. 40. 31. *Merc.* exponit etiam fœde, ut *affabre* pulcre: affertque illud *Pacuvii* (quem locum habet etiam p. 248. 22.). Barbaricam pestem navibu' nostris obtulit, Nova figura factam, commissam infabre.

INFĂBRICĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et fabricatus) non fabricatus, impolitus, *rozzo*, ἀκατασκεύαστος, ἀνέργαστος.

I.) Proprie. *Virg.* 4. *Æn.* 400. Frondentesque ferunt ramos et robora silvis Infabricata fugæ studio. *Acro* ad *Horat.* 2. *Od.* 2. 2. *Lamnam* pro rudi et infabricata materia dixit.

II.) Translate est inelegans. *Ennod.* 2. *Ep.* 6. Infabricata verba. *Id.* 8. *ibid.* 59. Infabricata confabulatio.

INFĂCĒTĒ vel inficete, adverb. (infacetus). Sup. *Inficetissime.* — Infacete est minime facete, rustice, ineleganter, insulse; et sæpe præcedenta negativa particula ponitur, *rozzamente, sgraziatamente, insulsamente*, ἀκόμψως. *Sueton. Tit.* 20. Unde quidam urbanorum non infacete, Dicam, inquit, quum etc. *Vellej.* 2. 33. *extr.* Quem haud infacete Pompejum Xersem togatum vocare assueverat. Adde *Solin.* 1. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 8. (25). Ostendens in tabula pictum inficetissime Gallum exserentem linguam. (*Cic.* 2. *Orat.* 66. 266. eamdem rem narrat).

INFĂCĒTIÆ, ārum, f. plur. 1. (infacetus) res aut dicta infaceta, ineptiæ, *insipidezze, insulsaggini.* *Catull.* 36. 19. At vos interea venite in ignem Pleni ruris et infacetiarum, Annales Volusi. *Al. leg.* inficetiarum.

INFĂCĒTUS vel inficetus, a, um, adject. (in *privat.* et facetus). Comp. *Inficetior.* — Infacetus est minime facetus, insipidus, insulsus, inurbanus, illepidus; et fere particulæ negativæ postponitur, *insipido, insulso, sgraziato*, ἄκομψος. *Cic.* 3. *Off.* 14. 58. Canius nec infacetus, et satis litteratus. *Id. Cœl.* 29. 69. Non inficetum mendacium. *Sueton. Gramm.* 23. Non infaceto dicto notatus. *Martial.* 5. 78. Sed quod grave sit, nec infacetum Parvi tibia condyli sonabit. *spiacevole.* — Hinc est rudis, rusticus, fatuus, elegantiarum expers atque ignarus. *Plaut. Truc.* 2. 4. 4. Qui tam inficetus Lemno adveniens, qui tuæ non des amicæ suavium? *malcreato.* *Catull.* 22. 14. Idem infiсeto est inficetior rure. *Id.* 43. 1. Tecum Lesbia nostra comparatur? O sæclum insipiens et inficetum!

INFACTUS pro infectus legitur a nonnullis apud *Tertull. Apolog.* 11.

INFĂCUNDĬA, æ, f. 1. (infacundus) imperitia loquendi aut dicendi, infantia, *infacondia*, ἡ ἐν τῷ λέγειν ἀπειρία. *Gell.* 11. 16. *in fin.* Hujus tui erroris culpam esse intelligo in mea scilicet infacundia, qui ne pluribus quidem verbis potuerim non obscurissime dicere, quod a Græcis perfectissime uno verbo et planissime dicitur.

INFĂCUNDUS, a, um, adject. (in *privat.* et facundus). Comp. *Infacundior.* — Infacundus est non facundus, infans, imperitus dicendi aut loquendi, *infacondo, inesperto o rozzo nel dire o parlare*, ὁ ἐν τῷ λέγειν ἄπειρος. *Liv.* 4. 49. *a med.* Tribunus plebis vir acer, nec infacundus. *Id.* 7. 4. *ad fin.* Quod filium juvenem in opus servile dederit, quia infacundior sit et lingua impromptus. *Sueton. Claud.* 40. Infacundus et indoctus. *Gell.* 18. 3. Vir inopi lingua et infacundus.

INFÆCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et fæx) fæce polluere, maculare, conspurcare. *Tertull. Anim.* 53. *ad fin.* Animam concretione carnis infæcat.

INFALSĀTUS, a, um, adject. (in *intent.* et falsatus) corruptus, *falsificato*, ut Infalsati codices, *Augustin.* 13. *contra Faust.* 4. *sub fin.*

INFĀMĀTĬO, ōnis, f. 3. (infamo) id quod malam famam adquirit. *Non.* p. 263. 8. *Merc.* Calumnia est malitiosa et mendax infamatio.

INFĀMĀTUS, a, um. *V.* INFAMO.

INFĀMĬA, æ, f. 1. (infamis). ¶ 1. Stricto sensu, and raro admodum est malus sermo dissipatus, malus rumor, mala fama, *mala fama*, δυσφημία. *Ovid.* 1. *Met.* 211. Contigerat nostras infamia temporis aures. *Id. ibid.* 215. minor fuit ipsa infamia vero. ¶ 2. Latiori sensu et sæpissime est nota ex mala fama, probrum, turpitudo nominis, macula, ἀδοξία (It. *infamia, cattivo concetto*; Fr. *mauvaise réputation, déshonneur, infamie*; Hisp. *infamia, descredito, deshonra*; Germ. *schlechter Ruf, Schimpf, Schmach, Schande*; Angl. *infamy, disgrace, slander, dishonour, ignominy*). Occurrit — a) Abstracta significatione. — In sing. num. *Plaut. Pers.* 3. 1. 27. Hominum immortalis est infamia: etiam tum vivit, quum esse credas mortuam. *Ter. Andr.* 2. 6. 13. Hæc res est mihi infamiæ. *Cæs.* 7. *B. G.* 56. Quum infamia atque indignitas rei impediebat. *Cic. Cluent.* 22. 61. Illa judicia senatoria insigni turpitudine notata atque operta dedecore et infamia. *Id.* 1. *Cat.* 6. 13. Quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta vitæ tuæ est? quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? *Id.* 4. *Tusc.* 20. 45. Ignominiam et infamiam ferre sine dolore. *Sueton. Domit.* 1. Primæ adolescentiæ tempora tanta infamia gessisse fertur, ut etc. *Id. Aug.* 55. Libellos ad infamiam cujusquam edere. *Tac.* 12. *Ann.* 4. Trahere aliquid ad infamiam. *h. e.* infame reddere. *Cic. Cœl.* 18. 42. Infamiam alicui inferre. *Liv.* 44. 25. *extr.* movere. *Tac.* 14. *Ann.* 22. ferre alicui. *Id. ibid.* 56. alicui parare. *Justin.* 3. 7. acquirere alicui. *tirare addosso.* *Ulp. Dig.* 3. 2. 13. alicui irrogare. *Firmic.* 6. *Mathes.* 14. Spargere aliquem infamia. *Justin.* 3. 4. 10. Infamiam ex aliqua re colligere. *Auct. B. G.* 8. 30. De re aliqua infamiam capere. *Cæs.* 6. *B. G.* 22. habere. *Sueton. Aug.* 68. Variorum dedecorum infamiam subire. *Plaut. Trin.* 1. 2. 84. Accedere in infamiam. *Ter. Heaut.* 2. 3. 18. In summa infamia esse. *Cic.* 4. *Att.* 18. Infamiā flagrare. *Julian. Dig.* 3. 2. 1. notari. *Ulp. ibid.* 6. laborare. *Nepos Alcib.* 3. aspergi. *Cic.* 2. *Verr.* 12. 36. urgeri. *Id.* 5. *ibid.* 60. 140. Ex infamia eripere. *Id.* 2. *ibid.* 15. 43. liberare. *Cæs.* 3. *B. C.* 74. Infamiam sarcire. *Justin.* 30. 3. expiare. *Sueton. Cæs.* 79. discutere. *Id. Aug.* 71. refutare. — In plur. num. *Plaut. Pers.* 3. 1. 19. Si ad paupertatem admigrant infamiæ, gravior paupertas fit. *Tac.* 4. *Ann.* 33. Qui, Tiberio regente, pœnam vel infamias subiere. — b) Concreto, uti ajunt, sensu. *Ovid.* 1. *Fast.* 551. Cacus Aventinæ timor atque infamia silvæ. *h. e.* qui silvam Aventinam infamem reddidit. Sic *Id.* 8. *Met.* 97. Di te submoveant, o nostri infamia sæcli, Orbe suo. *Vellej.* 2. 33. 2. Infamia pecuniæ.

INFĀMIS, e, adject. (in *privat.* et fama). Sup. *Infamissimus* 2.° a. — Infamis dicitur et est qui ob scelus, aut turpitudinem mala fama est, male audit, turpis, famosus, vitiis notus, ἄτιμος (It. *infame, di mal concetto*; Fr. *mal famé, decrié, déshonoré, infâme*; Hisp. *infame, desacreditado, que ha perdido la honra y reputacion*; Germ. *verrufen, übelberüchtigt, in schlechtem Rufe*; Angl. *infamous, ill spoken of, disreputable, disgraceful, dishonourable, ignominious*). Occurrit — 1.°) De personis. — a) Generatim. *Cic. Cluent.* 47. 130. Homines ceteris vitiis atque omni dedecore infames. Cf. *eumd.* 6. *Verr.* 9. 20. Multas familias in perpetuum infames tuis flagitiis fecisti. *svergognate, disonorate.* Sic *Horat. Epod.* 17. 42. Infamis Helenæ Castor offensus vice. *h. e.* infamatæ a Stesichoro. *Liv.* 22. 22. Infamis proditor. *Tac. Germ.* 14. Infamis et probrosus. *Id.* 2. *Hist.* 56. Valens ob lucra et quæstus infamis. *Id.* 1. *Ann.* 73. Infamis corpore. *h. e.* flagitiis. *Id.* 6. *ibid.* 7. Infamis per flagitia. Adde *Nepot. Epam.* 10.; *Sueton. Gramm.* 23.; et *Juvenal.* 2. 22. — b) Speciatim *infamis in aliquem* dicitur, qui alicui infamiam creat, præsertim stupro oblato. Interdum enim *infamis* absolute dicitur, qui libidinum probro laborat. *Quintil.* 9. 2. 79. et *Declam.* 19. Pater, qui infamem in matrem filium secreto occidisset. *Petron. Satyr.* 92. Nescio quis eques Romanus, ut ajebant, infamis. *Quintil.* 6. 3. 51. Dicebantur infames feminæ ad eam convenire solitæ. — Cum Ablativo et præpos. in. *Capell.* 5. p. 153. Qui duos filios habuit, quorum uni uxor, in qua infamis fuit. — 2.°) De rebus et abstractis. — a) Generatim. Metonymice. *Plin.* 7. *Ep.* 27. Spatiosa et capax domus; sed infamis et pestilens. Sic *Tac.* 2. *Hist.* 93. Ne salutis quidem cura; infamibus Vaticani locis magna pars tetendit: unde crebræ in vulgus mortes. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 7. 24. Ceratam unicuique tabellam dari cera legitima, non illa infami et nefaria. V. *Pseudo-Ascon. ibid.* Rursus *Cic. Fontej.* 11. 24. Turpis adolescentia, vita infamis. *Imppp. Gratian., Valent.* et *Theod. Cod.* 10. 31. 34. Infamissima utilitas. *Nepos præfat.* 5. Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur. *Augustus* apud *Sueton.* in *Vit. Horat.* An vereris, ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse? — b) Speciatim *infamis digitus* est medius, qui et impudicus ob penis similitudinem dicitur: *V.* IMPUDICUS. *Pers.* 2. 33. uda labella infami digito et lustralibus ante salivis Expiat. — c) Item dicitur de rebus inanimis et de locis, in quibus aut scelus aliquod commissum est, aut periculum inest et pernicies. *Ovid. Remed. am.* 254. Non anus infami carmine rumpet humum. *Liv.* 8. 18. Quorum mora infamem annum pestilentia fecit. *Id.* 21. 31. Infames frigoribus Alpes. *Id.* 44. 24. *extr.* Quæ colloquia occulta et legationes infames quidem erant, sed quid actum esset, ignorabatur. *piene di cattivo sospetto.* *Horat.* 2. *Sat.* 2. 47. Galloni præconis erat acipensere mensa infamis. *h. e.* propter nimios sumptus. (De hac re exstant *Lucilii* versus apud *Cic.* 2. *Fin.* 8. 24.). *Id.* 1. *Od.* 3. 20. Infames scopulos Acroceraunia. *h. e.* propter crebra naufragia. *Stat.* 1. *Theb.* 333. Infames Scirone petræ. *h. e.* propter latrocinia et cædes Scironis. *Val. Flacc.* 2. 622. Jam juga Percotes Pariumque infame fragosis Exsuperant Pythiamque vadis. — d) Item *infames materias* appellat *Gell.* 17. 12. quas Græci ἀδόξους ὑποθέσεις, *h. e.* ignobiles, viles, et de quibus mala apud omnes opinio est, ut febris, Thersites, asinus, musca, quorum laudes non defuere qui, animi causa ostendendique ingenii, luculentis scriptionibus persequerentur.

INFĀMĬTER, adverb. (infamia) cum infamia, *infamemente*: positivi adhuc exempla non vidimus; occurrit tantum Sup. *Infamissime* apud *Capitolin. Pertin.* 13. *extr.* Cornificiæ infamissime dicitur adhæsisse.

INFĀMĬUM, ii, n. 2. idem quod infamia apud *Isid.* 5. *Orig.* 27. 26. Hoc quoque est infamium quasi sine bona fama. *Cod. Guelf.* habet *infamia.* Adde tamen *Ennod. Opusc.* 2. p. 1011. *A.*

INFĀMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (infamis). Part. *Infamans* et *Infamatus* I.; *Infamandus* II. — Infamare est infamia afficere, ignominiam vel notam inurere, ἀτιμάζω (It. *infamare, svergognare*; Fr. *diffamer, décrier*; Hisp. *disfamar, infamar*; Germ. *beschimpfen, in schlechten Ruf bringen*; Angl. *to defame, slander*).

I.) Proprie. *Cic.* 9. *Fam.* 12. Ut tua moderatio et gravitas aliorum infamet injuriam. *Propert.* 3. 9. 28. Juppiter infamat seque suamque domum. *Ovid.* 14. *Met.* 446. infamatæque relinquunt Tecta deæ. *Sueton. Ner.* 23. Infamare adversarios. Adde *Quintil.* 5. 7. 1. et 10. 1. 127.; et *Ammian.* 14. 10. et 28. 1. *Colum.* 9. *R. R.* 8. 5. Non sunt degeneres apes intermiscendæ, quæ infament generosas. *Stat.* 9. *Theb.* 96. fausta infamantia bellum.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 22. Non est, quod quisquam illos apud te temeritatis infamet. *h. e.* accuset, damnet. *Nepos Alcib.* 11. Hunc infamatum a plerisque tres historici laudibus extulerunt. *Petron. Satyr.* 6. Sententias rident, ordinemque totius dictionis infamant. *h. e.* carpunt, damnant, explodunt. *Liv.* 40. 7. Infamandæ rei causa januam obserari jubet. *per aggravare il fatto.* *Quintil.* 10. 1. 74. Infamare fidem. *Colum.* 1. *R. R.* 7. 7. Ita fit, ut et actor et familia peccent, et ager sæpius infametur. *h. e.* agro imputetur peccatum familiæ et domini damnum. Cf. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 8. *Claudian. B. Gild.* 513. Insanus infamat navita montes. *h. e.* infami nomine insanos appellat. *Stat.* 7. *Theb.* 416. Acheloon utroque Deformem cornu vagus infamabat Acarnan. *h. e.* vulgabat, diffamabat. — *Ovid.* 3. *Pont.* 6. 43. Desine mitem animum vano infamare timore. *Alii rectius leg.* inflammare; *alii* informare. *Sil. It.* 3. 273. ferrum infamare veneno. *h. e.* imbuere. *Al. leg.* inflammare.

INFANDUM, adverbii more, *V.* voc. seq. in fin.

INFANDUS, a, um, adject. (in *privat.* et fandus a v. fari). Sup. *Infandissimus* sub 2.° — Infandus est inenarrabilis, nefandus, exsecrandus, is de quo quis fari non debet vel non potest: et fere in malam partem sumitur, scil. de rebus turpissimis, aut miserrimis, ἄρρητος (It. *da non dirsi, nefando*; Fr. *dont on ne doit pas parler, horrible à dire*; Hisp. *lo que no se debe decir, horrible*; Germ. *unaussprechlich, unerhört, abscheulich, traurig, unglücklich, unsäglich*; Angl. *not to be expressed, shocking, base, abomina-*

ble). Occurrit — 1.°) Cum addito Substantivo; et quidem — *a*) Sæpissime de rebus et abstractis. *Varro* apud *Non.* p. 55. 32. *Merc.* Postremo nemo ægrotus quidquam somniat Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus. *Ter. Eun.* 4. 3. 22. Infandum facinus. *Cic.* 2. *Orat.* 79. 322. Res crudelis, infanda, præter opinionem. *Id. Sext.* 55. 117. Vix homines odium suum a corpore ejus impuro atque infando represserunt. *Liv.* 23. 5. Infandæ epulæ. *h. e.* quæ humanis dapibus parabantur. *Id.* 5. 49. merces. *Virg.* 2. *Æn.* 3. Infandum regina jubes renovare dolorem. *Id.* 4. *ibid.* 85. infandum si fallere posset amorem. *Id.* 1. *ibid.* 601. infandos Trojæ miserata labores. *Id.* 4. *ibid.* 613. Infandum caput. *h. e.* homo exsecrabilis. *Id.* 7. *ibid.* 583. infandum contra omina bellum. *Id.* 8. *ibid.* 578. infandum casum Fortuna minaris. *Id.* 10. *ibid.* 673. infanda mors. *obbrobriosa. Id.* 2. *ibid.* 132. infanda dies. *Id.* 4. *ibid.* 483. infandæ cædes. *Val. Flacc.* 7. 51. rapinæ. *Id.* 3. 15. prælia. *Id.* 2. 173. fœdera. *Id.* 5. 575. error. *Martial.* 9. 10. pœnæ. — *b*) De personis. *Virg.* 3. *Æn.* 644. infandi Cyclopes. *Val. Flacc.* 7. 87. Tam tamen infando quæ det responsa tyranno Colligit. *Id.* 7. 415. Ne precor infando similem te, virgo, parenti Gesseris. *Sil. It.* 4. 160. infandi lenones. — 2.°) Absolute. *Virg.* 8. *Æn.* 489. infanda furentem Armati circumsistunt. *Seneca Œdip.* 15. infanda timeo. *Lucan.* 5. 307. Passurasque infanda nurus. *Quintil. Varius* apud *Quintil.* 3. 8. 45. Jam fero infandissima, jam facere cogor. — Hinc

Infandum, adverbii ritu. *Virg.* 1. *Æn.* 255. Navibus (infandum!) amissis, unius ob iram etc.

INFANS, antis, adject. (in *privat.* et fari). Comp. *Infantior* et Sup. *Infantissimus* I. — Infans est qui fari nescit, vel nequit, ἄλαλος (It. *chi non sa o può parlare*; Fr. *qui ne peut pas parler, qui ne parle pas encore*; Hisp. *el que no sabe ó pode hablar*; Germ. *nicht sprechend, nicht redend*; Angl. *that cannot speak*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Divinat.* 53. 121. Scribit Herodotus, Crœsi filium, quum infans esset, locutum. — Hinc est indisertus, infacundus, dicendi imperitus. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 4. Gabinius absolutus est. Omnino nihil accusatore infantius. *Id. Cluent.* 18. 51. Ut timerem, si nihil dixissem, ne infantissimus; si multa, ne impudentissimus existimarer. *Id.* 2. *Herenn.* 11. 16. Dialectici, dum caute et expedite loqui volunt, infantissimi reperiuntur. Cf. *eumd. Brut.* 26. 101. Quæ historia neque nimis est infans, neque perfecte diserta. *Varro* apud *Non.* p. 56. 11. *Merc.* Infantior, quam meus est mulio. *proverb. Horat.* 1. *Sat.* 6. 57. Infans namque pudor prohibebat plura profari. — *b*) Specialim dicitur de puero, qui nondum fari cœpit, *fanciullo, infante, bambino. Varro* 6. *L. L.* 61. *Müll.* Fatur is, qui primum homo significabilem ore emittit vocem: ab eo, antequam ita faciant pueri, dicuntur infantes. *Cic. Cluent.* 9. 27. Quum haberet ex Novia infantem puerum. Sic *Sueton. Ner.* 35. Infans filia. Rursus *Cic.* 2. *Orat.* 39. 162. Omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant. *Id. Rosc. Am.* 53. 153. infantium puerorum incunabula. *Id.* 3. *Verr.* 58. 153. Iste infanti pupillæ fortunas patrias ademit. *Juvenal.* 3. 176. rusticus infans. Adde *eumd.* 9. 60. et 13. 163. — Hinc *Infans, antis*, absolute *V.* in fin. — Poetice. *Ovid.* 6. *Fast.* 145. Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis. *h. e.* pectora puerorum. *Id.* 4. *ibid.* 208. Tutus ut infanti vagiat ore puer. *Id. Heroid.* 9. 56. Infans manus. *mano bambina. Id.* 4. *Met.* 517. ossa. *Id. ibid.* 229. guttura. *Id. Heroid.* 11. 119. infantes umbræ. *h. e.* manes puerorum. — *c*) Per catachresin usurpatur de brutis animalibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (92). *de halcyonibus.* Nidum mollibus plumis consternunt, ne durus sit infantibus pullis. *Id. ibid.* 61. 81. (168). *de vespertilione.* Mater geminos volitat amplexa infantes. *Id.* 29. *ibid.* 5. 32. (100). Infantes catuli. *cagnolini.* Adde *Martial.* 13. 97. — *d*) Item de rebus inanimis. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 46. (93). Infans boletus. *h. e.* recens editus. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 39. (*fortasse ex persona alterius poetæ*). rubra Canicula findet Infantes statuas. *h. e.* e recenti et viridi ligno factas: alii rectius exponunt *mutas.*

II.) Translate. ¶ 1. Pro puerili. *Cic.* 10. *Att.* 18. Illa Hortensiana omnia fuere infantia. *h. e.* puerilia; non enim, quæ promiserat, præstitit. ¶ 2. Pro infando. *Accius* apud *Non.* p. 56. 12. et p. 416. 12. *Merc.* Infans facinus. — Hinc

Infans, antis, m. et f. 3. absolute, substantivorum more usurpatur — *a*) Pro puero, qui nondum fari cœpit, *fanciullo, infante, bambino. Lucret.* 1. 187. Nam fierent juvenes subito ex infantibu' parvis. *Cic.* 2. *Fin.* 11. 33. Nec vero, ut voluptatem expetat, natura movet infantem. *Cæs.* 7. *B. G.* 28. Non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt. *Liv.* 31. 12. In Sabinis incertus infans natus, masculus, an femina esset. *Virg.* 6. *Æn.* 427. Infantumque animæ flentes. Adde *Sueton. Aug.* 7., *Cal.* 48. et alibi; *Quintil.* 6. *procem.* 7.; *Flor.* 3. 3. 17.; *Plin.* 4. *Ep.* 21. et *Paneg.* 26.; *Juvenal.* 14. 168.; et *Stat.* 4. *Silv.* 8. 35. — *b*) Dicitur et de fetu in utero. *Liv.* 24. 10. Infantem in utero matris clamasse etc. Adde *Cels.* 7. 29. et 5. 21. — *c*) *Ab infante* est a puero, *sin da fanciullo. Colum.* 1. *R. R.* 8. 2.; et *Seneca* 2. *Ira* 5. Eligendus est rusticis operibus ab infante duratus. *Cels.* 7. 7. n. 15. In his, qui ab infantibus id vitium habent. — *d*) In *Inscript.* apud *Gruter.* 682. 9. et in *alia* apud *Murat.* 1160. 11. dicitur *infans* puer annorum novem; in *alia* apud *Gruter.* 671. 13. itidem puella annorum duodecim; et auriga in *alia*, quam vide in v. BIGARIUS. *Inscript.* apud *Guarini, Ricerche di Eclano* p. 113. C. PONTIO HYGINO INFANTI DVLCISSIMO DECVRIONI C. COGITATVS PATER. *V.* DECURIO. *Alia* apud *Labus., Ant. marm.* p. 4. C. IVLIO INGENVO *clarissimo* IUVENI TRIU. LEG. III ITAL. TIB. CLAUDIUS VICTOR *vir egregius* INFANTI BENIGNO PLVUA DE SE MERENTI. *V. eumd. ibid.* p. 31., ubi plurima huc pertinentia. Confer etiam *Orell. Collect. Inscript. Lat.* n. 4912.

INFANTĀRĬUS, a, um, adject. (infans). Infantaria a *Martial.* 4. 88. dicitur mulier, quæ infantes amat, vel quæ infantem gestat. — Hinc

Infantarii, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more dicebantur, quos olim in Christianorum cœtus infantem sacrorum causa mactandum et comedendum portare falso putabant ethnici. *Tertull.* 1. *ad nation.* 2. Porrigenda quæstio in socios consciosque. Perducerentur infantarii (*qui infantem attulerunt*), et coqui (*qui coxere*), et ipsi canes pronubi (*eversores luminum*); emendata res esset. *V.* PRONUBUS.

INFANTĬA, æ, f. 1. (infans). ¶ 1. Stricto sensu est inscitia, aut impotentia loquendi, *il non potere o saper parlare*, ἀλαλία, ἀφωνία. *Lucret.* 5. 1029. ipsa videtur Protrahere ad gestum pueros infantia linguæ. ¶ 2. Latiori sensu est imperitia dicendi, jejunitas, orationis inopia, *mancanza d'eloquenza, difficoltà di spiegarsi. Cic.* 4. *Att.* 16 *circa med.* Accusatorum incredibilis infantia. *Id.* 3. *Orat.* 35. 142. Neque infantiam ejus, qui rem novit, sed eam explicare dicendo non queat, esse laudandam. *Sueton. Gramm.* 4. Quæ quidem omitti jam video desidia quorumdam et infantia. Adde *Quintil.* 5. 13. 38. et 6. 1. 32. Similiter *Fronto de eloq.* p. 226. Si eligendum sit, longe longeque eloquentiam infantiæ præferas. ¶ 3. Latissimo sensu, vel ut aliis placet, translate, infantia dicitur ætas hominis, qua nondum fari cœpit, vel, si loquitur, non rationabiliter tamen et congruenter, *infanzia, puerizia*, νηπιότης. Ea usque ad septimum annum fere producitur, ut colligitur ex *Ulp. Dig.* 2. 7. 1. *V.* ÆTAS. — *a*) De hominibus. *Quintil.* 1. 1. 19. Quantum in infantia præsumptum est temporis, adolescentiæ acquiritur. *Sueton. Tib.* 6. Infantiam pueritiamque habuit laboriosam et exercitatam. *Tac.* 13. *Ann.* 58. Ruminalis arbor, quæ Remi Romulique infantiam texerat. Adde *eumd.* 11. *ibid.* 11. *Flor. præfat.* 5. et 1. 8. 1. Infantia populi Romani. — Pro ipsis infantibus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 2. 11. (24). Surculi curalii, infantiæ adalligati, tutelam habere creduntur. — *Ab infantia*, a puero, *sin da fanciullo. Tac.* 1. *Ann.* 4. Prima ab infantia eductus in domo regnatrice. — *b*) Per catachresin dicitur de prima brutorum ætate. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (171). Infantia asini. *Id.* 11. *ibid.* 48. 108. (260). Solidipedes in infantia scabunt aures posterioribus cruribus. *Id.* 10. *ibid.* 63. 83. (182). Cervi ab infantia educati. — *c*) Item de rebus inanimis recentibus. *Colum.* 5. *R. R.* 5. 8. Posito semini arundo adnectitur, quæ velut infantiam ejus tueatur. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 19. 21. (80). Culices lacteum humorem, hoc est infantiam pomi, absumunt. *Macrob.* 7. *Saturn.* 7. *a med.* Vinum, quum in infantia est, dulce; quum pubescit, magis suave, quam dulce est. — Poetice, vel translate, ut *Forcellino* placet, *Juvenal.* 10. 199. madidique infantia nasi. *h. e.* destillatio nasi in senectute, qualis in infantia esse solet.

INFANTĬCĪDA, æ, m. et f. 1. (infans et cædo) qui infantem occidit. *Tertull. Apolog.* 4.

INFANTĬCĪDIUM, ii, n. 2. (infanticida) cædes infantis. *Tertull. Apolog.* 2.: quocum confer *Salvian.* 4. *Gub. D.* 17.; et *Labus. Fasti T.* 6. p. 52.

INFANTĪLIS, e, adject. (infans) ad infantem pertinens, *infantile, puerile. Ulp. Dig.* 34. 2. 26. Infantilis vestis. *Justin.* 17. 3. 20. Parvulum infantilibus blandimentis inductus diu protexit. *Apul.* 5. *Met.* Hic adhuc infantilis uterus gestat nobis infantem alium: si texeris nostra secreta silentio, divinum; si profanaveris, mortalem. *h. e.* parvus, paucis ab diebus prægnans; de Psyche vero loquitur ex Cupidine gravida.

INFANTO, as, are, a. 1. (infans) infantis instar nutrio. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 14. Lactis et mellis societatem, qua suos infantat.

INFANTŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* infans, puella, *fanciullina. Apul.* 10. *Met.* Habebat filiam parvulam de marito. Huic infantulæ quod leges successionem deferrent etc. Adde *Hieronym.* 4. *in Ezech.* 16. 4. et 5.; et *Sidon.* 7. *Ep.* 2.

INFANTŬLUS, i, m. 2. *deminut. ab* infans, puellulus, *fanciullino. Apul.* 8. *Met.* Gerebamus infantulos et mulieres. *Nazar. Paneg. Constant.* 16. *ad fin.* Ut jam in infantulo indoles futuri roboris emicaret. Adde carmen lapidi incisum, apud *Murat.* 1514. 3., quod tamen sublestæ fidei esse, jamdiu critici monuerunt ad *Anthol. Lat. Burmann. T.* 2. p. 80., ubi legitur: Cresce puer, tu cresce infans, infantule cresce. *Vulgat. interpr. Levit.* 12. 3. Die octavo circumcidetur infantulus. Adde *ibid. Exod.* 2. 3., *Num.* 11. 12. et alibi.

INFARCĬO vel infercio, cis, si, sum vel tum, cire, a. 4. (in et farcio). Part. *Inferciens* II.; *Infarsus* vel *infersus* legitur tantum apud *Tertull. Pall.* 4. et 3. *advers. Marcion.* 10. — Infarcire est implendi causa immittere, conjicere, *empire, insaccare*, ἐμπλάττω.

I.) Proprie. — *a*) *Infarcire aliquid in rem aliquam vel alicui rei*, ut *Colum.* 12. *R. R.* 53. 2. Et maxime in eas partes, quibus ossa relicta sunt, largum salem infarcito. Cf. *Prudent. Psychom.* 459. infarcire crumenis Turpe lucrum. *V.* FORMACEUS. — *b*) *Infarcire aliquid aliqua re* apud *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 6. (25). Bracteas infarcire leviore materia.

II.) Translate. — *a*) *Infarcire aliquid* apud *Cic. Orat.* 69. 231. Neque inferciens verba, quasi rimas expleat. *h. e.* inculcans et sine ordine inserens. — *b*) *Infarcire aliquid aliqua re* est inserere apud *Sueton. Vit. Juvenal.* Ut ea quoque quæ prima fecerat, infarciret novis scriptis. *Doergens.* vero leg. *insereret.*

INFARSUS vel infersus, a, um. *V.* voc. præced.

INFASCĬNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et fascino) qui fascinari non potest. *Gloss. Philox.* Infascinabilis, ἀβάσκαντος.

INFASCĬNĀTĒ, adverb. (in *privat.* et fascino) sine fascino. *Gloss. Philox.* Infascinate, ἀβασκάντως.

INFASTĪDĬBĪLIS, e, adject. (in *privat.* et fastidio) non fastidibilis. *Cassiod. Instit. div. litt.* 16. *a med.* Sancti Augustini viginti duos libros, quos de Civitate Dei confecit, infastidibili sedulitate percurramus.

INFASTĪDĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et fastiditus) non fastiditus, fastidium minime afferens. *Sidon. carm.* 16. 124. Infastiditum fert ipse ad busta cadaver. *Cassiod.* 5. *Variar.* 41. Infastidita suggestio. Adde *eumd. Ep.* 14.

INFĀTĪGĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et fatigabilis) qui non defatigatur, *che non si stanca, infaticabile*, ἀκάματος. *Claud. Mamert. Genethl.* 3. 4. Infatigabilis manus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 78. (257). Dentes quidem eorum maximi equis quoque adalligati infatigabilem cursum præstare dicuntur. *Val. Max.* 3. 2. 1. infatigabilis pugna. *Claud. Mamert. Genethl.* 2. 4. motus. *Seneca Vit. beat.* 7. Altum quiddam est virtus, regale, invictum, infatigabile. *Id. Ep.* 66. *a med.* Animum servare infatigabilem. *Inscript.* apud *Gruter.* 317. 6., quæ est

apud *Orell.* 2186. OB INFATIGABILEM PIETATEM EIVS. *Alia* apud *eumd.* 408. 1. REMPVBLICAM NOSTRAM INFATIGABILI CVRA GVBERNAT.

INFĀTĪGĀBĪLĪTER, adverb. (infatigabilis) sine fatigatione, *infaticabilmente. Augustin. Ep.* 32. *ad Paulin.* Infatigabiliter gaudere.

INFĀTĪGĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et fatigatus) indefatigatus. *Capell.* 6. *p.* 190. Crepidas permenso orbe contritas viatrix infatigata gestabat.

INFATIGO, as, are, a. 1. non fatigare. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 118.

INFĂTŪĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INFĂTŬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et fatuor). Part. *Infatuatus.* — Infatuare est fatuum atque stolidum facere, *rendere balordo, far impazzire,* μωραίνω. *Cic.* 3. *Phil.* 9. 22. Ut hominem stultum magis etiam infatuet mercede publica. *Id. Flacc.* 20. 47. Neminem quidem adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet. *Seneca Suasor.* 2. *in fin.* Sed ne vos diutius infatuem, finem suasoriæ faciam. Adde *eumd. Ep.* 59. *a med.* Sic *Hieronym. Ep.* 2. 6. Infatuatum sal ad nihil est utile. *Lactant.* 1. 5. *extr.* Nisi eos retrorsum infatuata pravis opinionibus consuetudo repulisset. Ita legit *Bunemannus, Heumannus,* et optimæ habent editt.: olim legebant *infucata.*

INFĂVŌRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et favorabilis) non favorabilis, *da non favorirsi. Cels. Dig.* 37. 6. 6. Nec infavorabilis sententia est.

INFĂVŌRĀBĬLĬTER, adverb. (infavorabilis) sine favore. *Ulp. Dig.* 50. 2. 2. *ad fin.* Non infavorabiliter quis medium tempus liti prodesse respondebit.

INFAUSTUS, a, um, adject. (in *privat.* et faustus) non faustus, improsper, infelix, mali ominis, δυστυχής (It. *infausto, di cattivo augurio, sfortunato;* Fr. *malheureux, funeste, sinistre;* Hisp. *aziago, infausto, funesto;* Germ. *unglücklich, unglückselig;* Angl. *unlucky, unfortunate, unprosperous, disastrous, ominous*). Occurrit — *a*) Cum addito Substantivo. *Virg.* 5. *Æn.* 635. infaustas exurite puppes. *Id.* 7. *ibid.* 717. Allia, nomen infaustum. *Id.* 11. *ibid.* 347. auspicium. *Ovid. Heroid.* 6. 45. sed tristis Erinnys Prætulit infaustas sanguinolenta faces. *Id.* 3. *Met.* 36. lucum infausto tetigere gradu. *Seneca Agam.* 416. infaustum nuncium. *Sueton. Oth.* 8. Quod antiquitus infaustum habebetur. *Quintil.* 6. *proœm.* 3. Infaustum opus. *Val. Flacc.* 8. 315. infausto sese occulit antro Certa mori. *Id.* 5. 202. Infaustus fluctus. *Id.* 5. 263. vellus. *Tac.* 2. *Hist.* 91. Infaustus dies. *Id.* 1. *Ann.* 30. Castra infausta temerataque. *Id.* 4. *ibid.* 74. Infaustæ amicitiæ gravis exitus imminebat. *Id.* 1. *Hist.* 6. Infaustus omine. *Id.* 12. *Ann.* 10. Socors domi, belli infaustus. *Plerique al. et ipse* Helm. *leg.* bellis. *Ammian.* 24. 7. Infaustus ductor. — Absolute, substantivorum more, *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 66. (169). Quod notatum apud Chæroniam infausto Atheniensium, *h. e.* infortunio. Ita legi vult *Harduin.* Alii aliter.

INFECTĬO, ōnis, f. 3. duo diversa significat, prout est *A*) Ab in privativa et *facio;* aut *B*) Ab in præpos. intus vel supra significante et *facio.*

A) Infectio, ab in privat. et *facio*, est abstinentia ab agendo, *il non far niente*, ἀπραξία. *Eumen. Paneg.* ad *Constantin. Cæs.* 18. Nec idcirco minoribus gaudiis feruntur, dempto periculi metu, quod experiundi necessitate caruerunt; sed hoc ipso et in administratione providentiæ vestræ, et infectione fortunæ impensius gratulantur, quod etc. *più consolansi e dell' operato dalla vostra provvidenza, e della fortuna che nulla fece.* Alii leg. *effectione,* vel *festinatione,* vel *confectione.*

B) Infectio, ab in intus vel supra significante et *facio,* est actus tingendi, tinctura, *tintura.*

I.) Proprie. *Gloss. Philox.* Infectio, βαφή, βάμμα. *Theod. Priscian.* 1. 1. De infectione capillorum. Adde *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. cit. in INDUCTIBILIS.

II.) Translate est contaminatio, violatio, *infezione. Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 51. Neque enim animus barbari improvisa formidine incitatus ab infectione raptæ mulieris temperabit.

INFECTĪVUS, a, um, adject. (inficio) ad inficiendum, seu tingendum pertinens, βαφικός. *Vitruv.* 7. 14. *sub fin.* Hæc autem infectiva appellantur.

INFECTOR, ōris, m. 3. (inficio) occurrit — *a*) Substantivorum more, et est qui lanam colore aliquo inficit, idest tingit, *tintore*, βαφεύς. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 47. Infectores crocotarii. *Varro* apud *Non. p.* 228. 25. *Merc.* Suis manibus lanea tracta ministrare infectori. *Cic.* 2. *Fam.* 16. *sub fin.* Curtius dibapham cogitat, sed eum infector moratur. *Theod. Priscian.* 1. 1. Alumen, quo infectores utuntur, cum aqua conteres. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 25. (59). Infectores lanarum. — *b*) Adjective *infector succus*, quo lanæ, vel quidpiam aliud tingitur et inficitur. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 3. 2. (8). Purpurarum generi infector ille succus. Adde *Senec.* 3. *Quæst. nat.* 23.; et *Scribon. Compos.* 57.

INFECTŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

INFECTŌRĬUS, a, um, adject. (inficio) infectivus. *Marcell. Empir.* 4. Infectorium alumen. — Hinc

Infectorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est officina tinctoris, *tintoria. Gloss. Philox.* Infectorium, βαφεῖον.

INFECTUS, a, um, adject. (in *privat.* et factus) non factus, ἄπρακτος (It. *non fatto;* Fr. *non fait, non avenu, non terminé;* Hisp. *no hecho, no terminado;* Germ. *ungeschehen, ungethan, unverrichtet, unbearbeitet;* Angl. *not done, undone, unmade*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Universim. *Cato R. R.* 2. Ubi cognovit, opera quæ facta, infectaque sient. *Plaut. Amph.* 3. 2. 3. Ea, quæ sunt facta, infecta refert. *Cic.* 2. *Invent.* 27. 80. Et id, quod judicatum non sit, pro infecto haberi oportere. *Liv.* 9. 11. Si sponsionis factæ pœnitet, restituat legiones: omnia pro infecto sient. *s' abbia il tutto per non fatto. Horat.* 1. *Ep.* 2. 58. qui non moderabitur iræ, Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens. *Ter. Phorm.* 5. 8. 45. Quando accusando fieri infectum non potest, ignosce. *Horat.* 3. *Od.* 29. 47. Diffingere aliquid infectumque reddere. *Cic. Topic.* 4. 22. Si quis in pariete communi demoliendo damni infecti promiserit. *V.* DAMNUM. *Ter. Eun.* 1. 1. 8. Infecta pace ultro ad eam venies. *Cæs.* 1. *B. C.* 33. Infectis iis, quæ agere destinaverat, ab urbe proficiscitur. Sic *Nepos Miltiad.* 7. Infectis rebus a pugna discessit. *Cæs.* 6. *B. G.* 11.; et *Liv.* 9. 32. Re infecta abire. *senza aver fatto nulla. Liv.* 9. 23. *a med.* Infecta victoria. *non ottenuta. Id.* 31. 10. Argentum infectum. *h. e.* non signatum, aut cælatum. *non lavorato.* Sic *Virg.* 10. *Æn.* 527. sunt auri pondera facti Infectique mihi. — Similiter ubi de corio et de pellibus sermo est, infectus dicitur, qui non medicatus est, *non conciato.* V. *Confectus* in v. CONFICIO. — *Plaut. Most.* 1. 3. 27. Infecta dona facere. *h. e.* dona promissa revocare. *Id. ibid.* 4. 3. 23. Speras, dissimulando infectum hoc reddere. *h. e.* irritum. *Stat.* 3. *Theb.* 430. Facta, infecta loqui. *h. e.* vera et falsa. De Fama sermo est, de qua etiam *Virg.* 4. *Æn.* 190. pariter facta atque infecta canebat. *Petron. Satyr.* 114. Rudis atque infecta materies. *h. e.* non dolatum, non politum lignum. — *b*) Specialim est non confectus, imperfectus. *Varro* 9. *L. L.* 32. *Müll.* Quis est tam tardus, qui illas quoque non animadverterit similitudines, quibus utimur in imperando, quibus in optando, quibus in infectis rebus, quibus in perfectis? Adde *eumd. ibid.* § 101. et *V.* infra sub c. *Ovid.* 4. *Met.* 10. Telasque et calathos infectaque pensa reponunt. *Id.* 6. *ibid.* 202.; et *Val. Flacc.* 3. 117. infectaque sacra relinquunt. *Propert.* 2. 19. 65. infecto deposcit præmia cursu. — Hinc est non fictum, h. e. non ornatum, non politum, non fucatum, in illo *Plaut. Stich.* 5. 5. 3. Ita est ingenium muliebre: bene quum lauta est, tersa, ornata, ficta est, infecta est tamen. *h. e.* nondum perfecta. — *c*) Item specialim *infecta verba* dicuntur a *Varron.* 9. *L. L.* 99. et seq. *Müll.*, quæ rem non jam factam, sed quæ vel nunc fit, aut fiebat, aut facienda est, ostendunt; ut *pungebam, pungo, pungam:* contra *perfecta*, quæ rem jam factam significant, ut *pupugeram, pupugi, pupugero.* ¶ 2. Latiori sensu pro eo, quod perfici nequit, *h. e.* impossibili, occurrit apud *Sall. Jug.* 76. Sed rex, nihil jam infectum Metello credens, quippe qui omnia, arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipsam, ceteris imperitantem, industria vicerat, etc. *h. e.* nihil esse, quod Metellus perficere non posset. Quæ enim, ait cl. *Kritzius* ad *h. l.*, participia perfecti pass. in adjectivorum naturam abierunt, ac deposita præteriti temporis significatione vel statum aliquem aut conditionem perpetuam ac constantem designant, ea proxime accedunt ad sensum adjectivorum in *bilis* exeuntium, secundum eam rationem, quæ inter causam et effectum obtinet. Cf. INVICTUS, INCORRUPTUS etc.

INFECTUS, a, um, particip. *V.* INFICIO.

INFECTUS, us, m. 4. (inficio) tinctura, *tintura,* βαφή. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 73. (193). De reliquarum lanarum infectu suis locis dicemus.

INFĒCUNDĒ, adverb. (infecundus) non fecunde, *sterilmente*, ἀφόρως. Translate *Gell.* 19. 3. Infecunde atque jejune laudare. *h. e.* parce, frigide.

INFĒCUNDĬTAS, ātis, f. 3. (infecundus) sterilitas, *infecondità, sterilità*, ἀφορία. *Colum.* 1. *R. R. proœm.* 1. Culpantes agrorum infecunditatem. *Tac.* 4. *Ann.* 6. Infecunditas terrarum. *Hieronym. adv. Helv.* 1. foliorum. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 16. 16. (50). apum.

INFĒCUNDUS, a, um, adject. (in *privat.* et fecundus). Comp. *Infecundior.* — Infecundus est non fecundus, sterilis, *infecondo, sterile*, ἄφορος. *Virg.* 2. *G.* 48. Infecunda quidem, sed læta et fortia surgunt. *Sall. Jug.* 17. Ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus. Figurate *Ovid.* 3. *Trist.* 14. 34. Fons (*ingenii*) infecundus parvaque vena fuit. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 167. infecunda natura. *Colum.* 2. *R. R.* 4. 7. Ut infecundior materia mixta pinguiori segetem minus uberem reddet. Adde *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 954., ubi quoque Comparativus occurrit.

INFĒLĪCĬTAS, ātis, f. 3. (infelix) occurrit translate tantum, et est adversa fortuna, calamitas, *infelicità*, δυστυχία. — *a*) In sing. num. *Ter. Adelph.* 4. 2. 5. Qui hoc, malum, infelicitatis? *Cic.* 2. *Fin.* 27. 86. Beate autem vivere alii in alio, vos in voluptate ponitis: item omnem infelicitatem in dolore. *Orellius* leg. *miseriam.* — *b*) In plur. num. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Miseriæ et infelicitates.

INFĒLĪCĬTER, adverb. (infelix). Comp. *Infelicius* habent *Seneca* 5. *Controv.* 33.; et *Quintil.* 8. 6. 33. — Infeliciter occurrit translate tantum, et est misere, incommode, improspere, *infelicemente, disgraziatamente*, δυστυχῶς. *Ter. Eun.* 2. 3. 36. Fit mihi obviam infeliciter. *Liv.* 1. 45. Ob rem toties infeliciter tentatam in armis.

INFĒLĪCĬTO, as, are. *V.* voc. seq.

INFĒLĪCO, as, are, a. 1. (infelix) translate est infelicem et miserum facere, *fare infelice*, δυστυχῆ ποιῶ. *Cæcilius* apud *Non. p.* 126. 27. *Merc.* Ut te dii omnes infelicent cum male monitis memoriæ. *Plaut. Cas.* 2. 3. 30. Dii me et te infelicent. Adde *eumd. Merc.* 2. 3. 99., *Pœn.* 2. 1. 1. et alibi. Sunt qui ubique legendum putant *infelicitent;* at *Taubmann.* et *Pareus* in *Lex. Crit.* et *Bothe* in *Poet. Scæn. Lat. T.* 2. *p.* 139. contendunt legendum esse *infelicent;* ita enim in MSS. esse. Recentiores, ut *Freund.* et *Klotz* leg. *infelicitent* apud *Cæcilium*, et *infelicent* apud *Plaut. Gloss.* vero *Philox.* Infelinco, ἀπιστοῦσιν. Quæ profecto mendosa ita quisque corrigenda putet: Infelicent, ἀτυχοῦσιν.

INFĒLIX, īcis, adject. (in *privat.* et felix). Comp. *Infelicior* et Sup. *Infelicissimus* II. — Infelix proprie est infecundus, sterilis, *sterile*, ἄφορος.

I.) Proprie. *Virg.* 2. *G.* 239. Tellus infelix frugibus. *Id.* 5. *Ecl.* 37. Infelix lolium. — Specialim de arboribus dicitur, ut docet *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 45. (108). et 24. *ibid.* 9. 41. (68). Infelices arbores existimantur damnatæque religione, quæ neque seruntur unquam, neque fructum ferunt. Adde *Macrob.* 3. *Saturn.* 20. Sic *Paul. Diac. p.* 92. 10. *Müll.* Felices arbores Cato dixit quæ fructum ferunt, infelices quæ non ferunt. Hinc *Virg.* 2. *G.* 314. infelix foliis oleaster amaris. Cf. *Pallad.* 5. *R. R.* 2. 1. Hinc etiam *Cic. Rabir. perduell.* 4. 13.; et *Liv.* 1. 26. Arbori infelici suspendito. *V.* FELIX I. et ARBOR I., et hac de re *Niebuhr.*, *röm. Gesch. T.* 1. *p.* 355. et *Klotz.* ad *Cic. oration. vol.* 2. *p.* 851.

II.) Translate. ¶ 1. Passive est infortunatus, calamitosus, miser, cui nihil succedit, *infelice, sfortunato, misero*, δυστυχής. — *a*) De hominibus. — Sine addito. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 56. Quem propter hodie tantum perdidi infelix, miser. *Id. Cist.* 4. 2. 17. Me infelicem et scelestum. *Ter. Andr.* 1. 5. 10. Adeon' hominem esse invenustum, aut infelicem quemquam, ut ego sum? Adde *eumd. Eun.*

2. 2. 13. et 5. 5. 21. et *Adelph.* 4. 2. 1. Sic *Cic.* 7. *Verr.* 62. 162. Crux infelici et ærumnoso comparabatur. *Id. Quinct.* 30. 94. Hic miser atque infelix. *Id. Rosc. Am.* 41. 119. Postulabant pro homine miserrimo atque infelicissimo. *Liv.* 5. 12. Ne infelicior domi, quam militiæ esset. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 304. Infelix gnatus. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 1. 90. et *Epod.* 12. 25. *Quintil.* 8. 5. 2. Femina infelicissima. *Val. Flacc.* 5. 188. comes infelix. — Cum Genitivo. *Virg.* 4. *Æn.* 529. Infelix animi Phœnissa. *Sil. It.* 12. 432. fidei Petilia. *Id.* 9. 627. ausi. — *b*) De abstractis et inanimis. *Virg.* 9. *Æn.* 786. Infelix patria. *Id.* 12. *ibid.* 608. totam infelix vulgatur fama per urbem. *Liv.* 3. 48. Infelix forma. *Id.* 3. 48. Infelix erga plebem Romanam studium. *Ovid.* 4. *Trist.* 9. 8. dolor. *Quintil.* 10. 7. 14. verborum cavillatio. *Id.* 16. 7. 1. opera. *Plin. Hist. nat. præfat.* § 23. ingenium. ¶ 2. Active, seu per metonymiam dicitur de iis, quæ infelicem faciunt: ita enim putant *Forcellinus* et *Freund.*: contra *Klotz.*, quæ mox adducuntur, majori tantum vi prolata censet. *Cic.* 2. *Phil.* 26. 64. Si quis reipublicæ sit infelix, felix esse non potest. *Propert.* 3. 3. 29. O prima infelix fingenti terra Prometheo. *Virg.* 6. *Æn.* 521. Infelix thalamus. *Id.* 10. *ibid.* 850. exsilium. *Id.* 12. *ibid.* 941. balteus. *Id.* 2. *ibid.* 245. monstrum. *Id.* 3. *ibid.* 246. vates. *h. e.* quæ infelicia prædicit. ¶ 3. Pro inauspicato, tristi, adverso, a *Forcellino* affertur illud *Propert.* 3. 5. 29. Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ, Quæ spolia ex illo tanta fuere tibi? Et illud *Claudian. IV. Cons. Honor.* 496. infelices tabulæ.

INFENDĪTOR, ōris, m. 3. *sindaco*, qui in alicujus rationes inquirit: est autem illius contrarium *defensor. Gloss. Philox.* Infenditor, σύνδικος. *V.* voc. seq.

INFENDO, is, ere, n. 1. *sindacare*, inquirere in rationes alicujus: opponitur autem verbo *defendo. Gloss. Philox.* Infendere, ἐπιτεῖναι, ἐγκληματίσαι. *V.* INFINDO.

INFENSĒ, adverb. (infensus). Comp. *Infensius.* — Infense est infenso animo, inimice. *Cic. Orat.* 51. 172. Quis Isocrati est adversatus infensius? *Al. leg.* impensius. *Liv.* 34. 15. Infensius hostes pro vallo pugnabant. *Tac.* 5. *Ann.* 3. Tiberius etsi infense invectus, cetera ambigua reliquerat.

INFENSO, as, are, 1. (infensus). Part. *Infensans* sub *B.* — Infensare occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active est infestare, turbare, insectari, *infestare, travagliare, molestare*, ἐνοχλέω. *Tac.* 13. *Ann.* 37. Palam bello infensare Armeniam. *Id.* 6. *ibid.* 34. Adequitare castris, infensare pabula.

B) Neutrorum more infensare est infensum esse. *Tac.* 13. *Ann.* 41. Ut, quasi infensantibus diis, exitio tradi crederetur.

INFENSUS, a, um, adject. (ab in *privat.* et inusit. fendo, ut *Freundio* placet; *vel ab* in *intent.* et fensus, *adversus, hostis, inimicus*, ut Feind *apud Germanos*). Comp. *Infensior.* — Infensus est iratus, qui ira in alium elatus est: at juxta *Forcellinum* differt ab *infestus*, quia *infensus* est vehementer iratus, *infestus* vehementer molestus et qui alicui malum infert; et plus est quam inimicus, ἐχθρός (It. *adirato, nemico*; Fr. *irrité, animé contre, hostile, acharné*; Hisp. *irritado, enemigo, contrario*; Germ. *feindselig, erbittert*; Angl. *angry, displeased, enraged, hostile, inimical*). Occurrit — *a*) Sine addito. *Ter. Andr.* 1. 3. 7. Me infensus (*senex*) servat, ne quam faciam nuptiis fallaciam. *Cic.* 4. *Verr.* 61. 149. infenso atque inimico animo venire. *Virg.* 5. *Æn.* 641. prima infensum vi corripit ignem. *h. e.* ipsa infensa: hypallage. *Id.* 10. *ibid.* 521. procul infensam contenderat hastam. *Liv.* 7. 27. Infensum odium. *Val. Flacc.* 5. 37. Infensa numina. *Tac.* 4. *Hist.* 25. infensior illius miles culpam cladis in Hordeonium vertebat. *Id.* 1. *Ann.* 81. *in fin.* Infensius servitium. *h. e.* magis obnoxium, gravius. *Id.* 14. *ibid.* 56. Rarus per urbem, quasi valetudine infensa. *h. e.* adversa. *Vopisc. Aurel.* 36. Infensa libertas. Adde *Sueton. Cal.* 30.; et *Stat.* 2. *Theb.* 660. — *b*) Cum Dativo. *Virg.* 11. *Æn.* 122. Drances infensus Turno. *Curt.* 4. 7. 1. Ægyptii olim Persarum opibus infensi. Adde *eumd.* 9. 7. 1.; et *Sueton. Galb.* 3. Sic *Val. Flacc.* 1. 71. populumve levem veterique tyranno infensum advocet. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 201. Phlegra nobis infensior æther. *Tac.* 11. *Ann.* 1. Opes principibus infensæ. *h. e.* inimicæ, noxiæ.

INFER, fĕra, fĕrum. *V.* INFERUS init.

INFĔRĀ. *V.* INFRA init.

INFĔRAX, ācis, adject. omn. gen. (in *privat.* et ferax) non ferax. *Hieronym. Homil.* 2. *translata ex Orig. ante med.* Silvæ inferaces existimantur.

INFĔRCIO. *V.* INFARCIO.

INFĔRI, ōrum, m. plur. 2. *V.* INFERUS.

INFĔRIÆ, ārum, f. plur. 1. (inferi). Caret singulari numero, monente etiam *Gell.* 19. 8. — Inferiæ sunt sacrificia, quæ diis Manibus inferebant, ut *Paul. Diac.* p. 112. 5. *Müll.* definit. Eæ fiebant tum victimis mactandis, tum liquoribus libandis, aqua, vino, lacte, sanguine: neque diis solum, sed propinquis etiam, amicis et viris illustribus: nec tantummodo eorum mortis tempore, sed aliis deinceps temporibus (*V.* INFERO I. 4.), ἐναγίσματα (It. *esequie, funerali, sacrifizii de' morti*; Fr. *sacrifice offert aux mânes, libations funèbres*; Hisp. *sacrificio funeral, exequias*; Germ. *die den Manen dargebrachten Todtenopfer*; Angl. *sacrifices, or oblations, to the infernal deities, or to the manes or shades deceased friends*). Occurrit — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Nat. D.* 16. 42. Tertius Hercules est ex Idæis Dactylis; cui inferias afferunt. *Virg.* 9. *Æn.* 215. Absenti ferat inferias, decoretque sepulcro. In *Cenotaph. Pis. L. Cæsaris.* inferias alicui mittere. *Ovid.* 5. *Fast.* 422. Inferias tacitis Manibus illa dabunt. *Tac.* 2. *Hist.* 95. Quod exstructis in campo Martio aris, inferias Neroni fecisset. *Sueton. Cal.* 15. Inferias his annua religione instituit. *Catull.* 101. 8. Tradita sunt tristes munera ad inferias. *Ovid.* 8. *Met.* 490. magnoque paratas Accipite inferias uteri mala pignora nostri. *Id.* 13. *ibid.* 615. alasque adversaque pectora lassant, Inferiæque cadunt cineri cognata sepulcro. *Id. Ib.* 453. Vulnera totque feras, quot dicitur ille tulisse, Cujus ab inferiis culter abesse solet. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 123. MAESTVS VTERQVE PARENS, POSTQVAM MISERABILE FVNVS FECIT, INFERIS (*h. e.* inferiis) MVNERA SVMMA DEDIT. Adde *Flor.* 2. 6. 8. et 2. 18. 12.; et *Justin.* 18. 4. 13. et 18. 6. 6. Singulare est illud ejusdem *Justin.* 14. 4. 13. Ultima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico; ut inopes extorresque omne ævum in hoc castrensi exsilio agatis devorentque vos arma vestra. — *b*) Aliquando cum altero Accusativo jungitur. *Virg.* 4. *G.* 545. Inferias Orphei Lethæa papavera mittes. *Id.* 10. *Æn.* 519. inferias quos immolet umbris. *Id.* 11. *ibid.* 81. quos mitteret umbris inferias. *Horat.* 2. *Od.* 1. 27. victorum nepotes Rettulit inferias Jugurthæ. *Sil. It.* 4. 232. Mactare aliquem inferias alteri.

INFĔRIĀLIA. *V.* voc. seq. in fin.

INFĔRIĀLIS, e, adject. (inferiæ) ad inferias pertinens, feralis. *Apul.* 8. *Met.* Officiis inferialibus statim exactis. — Hinc

Inferialia, ōrum, n. plur. 2. sunt eadem atque inferiæ, seu infernalia. *Gloss. Philox.* Inferilia (*lege* Inferialia, quamvis el. *Furlanetto* putat *Inferilia* legendum), καταχθόνια.

INFĔRĪLIA, ōrum, n. plur. 2. *V.* voc. præced.

INFĔRĬOR, ĕrius. *V.* INFERUS.

INFĔRĬUS, adverb. *V.* INFRA.

INFĔRĬUS, a, um, adject. (infero). *Inferium vinum*, idem ac calpar, id est vinum novum, quod ex dolio demebant sacrificii causa, in honorem Jovis, antequam vina gustarent. Nisi enim id fecerent, vinum omne in apothecis sacrum fiebat usibusque humanis eripiebatur: vini parte libata, hac religione solvebantur. Dictum est inferium, quia solum inferretur, his verbis: *Macte hoc vino inferio esto.* Festum, quo id fiebat, *Vinalia* appellabatur. Hæc ex *Trebatio Arnobius* 7. 31. *V.* CALPAR. Meminit et *Paul. Diac.* p. 113. 2. *Müll.* his verbis: *Inferium vinum, id quod in sacrificando infra pateræ labrum ponebatur.* Quibus hoc fortasse significat, eo vino, quum Jovi libabatur, moris fuisse pateram infra labra tantummodo impleri. Ceterum etiam extra Vinalia inferium vinum Jovi libare solitos fuisse veteres, constat ex *Caton. R. R.* 132. et 134.; unde colligas *inferium* universim dictum, quod Jovi inferretur. Etiam Minervæ hoc vinum libari potuit, ut est apud *Arnob.* 4. 16.

INFERMENTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et fermentatus) non fermentatus, *azzimo*, ἄζυμος. *Paulin. Nolan. carm.* 23. 47. Infermentati panes.

INFERMENTUM, i, n. 2. (in *privat.* et fermentum) id quod fermentatum non est. *Gloss. Philox.* Infermentum, ἀφύρατον, τὸ μὴ ἐζυμωμένον. *Fortasse legendum* Infermentatum.

INFĔRNA, ōrum, n. plur. 2. *V.* INFERNUS in fin.

INFERNĀLIS, e, adject. (infernus) ad inferos pertinens, infernus, *infernale*, καταχθόνιος. *Alcim. Avit.* 2. 290. infernali jamdudum nocte sepultis. *Prudent.* 1. *advers. Symmach.* 389. Hæc sunt deliciæ Jovis infernalis. *h. e.* Plutonis.

INFERNAS, ātis, adject. omn. gen. (infernus) qui est ex regione infera. Hinc *infernas arbor* dicitur, quæ ex Apennino, qua parte mare inferum Etruriamque spectat, cæditur: sicut *supernas*, quæ aversa parte et ad superum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 76. (197). Ideo Romæ infernas abies supernati præfertur. *Vitruv.* 2. 10. Ideo infernates, quæ ex apricis locis apportantur, meliores sunt, quam quæ ab opacis de supernatibus advehuntur. *Capell.* 6. p. 196. Terra duas sibi partes hemicycliorum quadam diversitate despicit, id est, unam habet supernatem, quam nos habitamus et ambit Oceanus, et aliam infernatem. — De hominibus *Inscript.* apud *Gruter.* 1086. 6., quæ est apud *Orell.* 1084. IMP. FL. VAL. CONSTANTINO CODICARII NAVICVLARII INFERNATES DEVOTI N. M. Q. EIVS. *h. e.* qui infero mari navigant. *V.* INFERUS.

INFERNĒ, adverb. (infernus) ab inferiori parte, *a basso, di sotto*, κάτωθεν. Ultima corripitur a *Lucret.* 6. 596. Tecta superne timent, metuunt inferna cavernas. *Id. ibid.* 763. hinc animas Acherontis in oras Ducere forte deos Manes inferne reamur. Adde *eumd. ibid.* 186. Ita corripitur ultima etiam in *interne*: *V.* hanc vocem.

INFERNI, ōrum, m. plur. 2. et

INFERNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

INFERNUS, a, um, adject. (infer, inferus) in inferiore parte positus et infra nos, sicut *supernus*, qui supra, ὁ κάτω (It. *posto di sotto, inferiore, basso*; Fr. *d'en bas, inférieur*; Hisp. *lo que está mas baxo en sitio, inferior*; Germ. *unten befindlich, der, die, das Untere*; Angl. *lying beneath, below*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* vertens *Arati* versus 2. *Nat. D.* 44. 114. Huc sese infernis e partibus erigit Hydra. *Liv.* 24. 38. *ad fin.* Superi inferique dii. *Cf. Juvenal.* 8. 257. Rursus *Liv.* 8. 24. Amnis fluens in stagna inferna. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 49. Inferna fulmina sunt, quum e terra exsiliunt ignes. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 48. (128). Auster infernus ex imo mari spirat. *Lucan.* 2. 400. mare infernum. *h. e.* Tyrrhenum. ¶ 2. Speciatim de iis dicitur, quæ ad inferos pertinent, *infernale*. *Virg.* 6. *Æn.* 106. inferni janua regis. *h. e.* Plutonis. *Id. ibid.* 138. Juno inferna. *h. e.* Proserpina. *Val. Flacc.* 5. 239. Diana inferna. *Tac.* 2. *Ann.* 69. Inferna numina. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 27. Infernæ sorores. *h. e.* Furiæ et ceteræ pestes inferorum. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 35. canes. *Tac.* 2. *Ann.* 28. Infernas umbras carminibus elicere. *Virg.* 8. *Æn.* 244.; et *Ovid.* 3. *Met.* 501. Infernæ sedes. *Virg.* 7. *Æn.* 325.; et *Horat.* 4. *Od.* 7. 25. tenebræ. *Virg.* 3. *Æn.* 386. Inferni lacus. *Ovid.* 2. *Fast.* 610. Inferna palus. *h. e.* Styx. *Val. Flacc.* 1. 551. Infernæ undæ. *Propert.* 3. 3. 36. Inferna ratis. *h. e.* cymba Charontis. *Id.* 1. 9. 20. Inferna rota. *h. e.* Ixionis. *Colum.* 10. *R. R.* 274. Inferno potiri regno. *Ovid. Ib.* 77. Infernæ vatis. *Val. Flacc.* 2. 192. Infernum barathrum. (quod dicitur ab eod. 2. 86. barathrum, absolute; at a *Stat.* 1. *Theb.* 85. tartareum barathrum; et a *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 37. ferale barathrum). *Val. Flacc.* 1. 851. Inferni honores. *Sil. It.* 2. 426. supplex infernis Hannibal aris. *h. e.* quæ sacræ sunt diis infernis. *Apul.* 10. *Met.* pallor. *Tac. Germ.* 43. Nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum. *vista, aspetto infernale.* — Hinc

Inferna, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Generatim sunt loca inferiora corporis, per quæ stercus et urina secernuntur. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 12. (69). Helioscopion trahit bilem per inferna. *Id.* 25. *ibid.* 11. 87. (136). Hyssopum cum fico sumptum purgat per inferna. *Id. ibid.* 5. 21. (51). Helleborum nigrum purgat per inferna, candidum autem vomitione. *Id.* 26. *ibid.* 13. 83. (135). Si sanguis per os redditus est, fluxitve ab infernis. *Tertull. Resurr. carn.* 61. Forsia sunt in-

ferna in viro et in femina, nimirum quæ libidines fluitent; cur non magis quæ deflorum colentur? ¶ 2. Speciatim sunt res infernæ, loca inferna. *Tac.* 5. *Hist.* 5. Eadem de infernis persuasio: cælestium contra. *Seneca Herc. Fur.* 423. Inferna tetigit, posset ut supera assequi. Adde *Solin.* 55.

Inferni, ōrum, m. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt ipsi inferi. *Propert.* 2. 1. 37. Theseus infernis, superis testatur Achilles. *Id. ibid.* 21. 49. Sunt apud infernos tot millia formosarum.

Infernus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, dicitur de ipso loco inferorum, *l'inferno,* ᾅδης: et frequenter usurpatur a Christianis Theologis, ut a *Vulgat. interpr. Luc.* 10. 15. et alibi sæpissime. Dubium est tamen, utrum ab antiquioribus dictum sit unquam: tametsi contra Latinam consuetudinem non est, quum *locus* facile subintelligatur. Afferunt locum *Varronis* apud *Non.* p. 318. 12. *Merc. Infernus tenebrosus κακοδαίμονας tenet.* Verum is locus dubiæ lectionis, varieque ac multum exagitatur a criticis.

Infernum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, eodem sensu quo *infernus,* seu de loco legitur apud *Julium Obsequen.* 105. et 106.

INFĔRO, infers, intŭli, illātum vel inlātum, inferre, a. 3. (in et fero). Aliquando per tmesin dividitur. *Manil.* 1. 50. Inque deum Deus ipse tulit. pro intulit. — Part. *Inferens* I. 6. et 7.; *Illatus* in omnibus fere paragr.; *Illaturus* I. 7. d.; *Inferendus* I. 5. et II. 1. *f.* — Inferre est intro ferre, importare, invehere, εἰσφέρω (It. *portar dentro, introdurre, apportare*; Fr. *porter dans, apporter dans ou vers*; Hisp. *traer, llevar dentro, conducir*; Germ. *hineinbringen,-führen,-setzen,-tragen, hinaufsetzen,-werfen,-bringen*; Angl. *to bring or carry into, introduce*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Dativo. *Cic.* 3. *Cat.* 9. 22. Tectis et templis ignem inferre conati sunt. *appiccar fuoco. Val. Flacc.* 1. 798. Inferre tectis faces. Cf. *Sil. It.* 4. 786. incendia tectis. *Horat.* 1. *Od.* 3. 28. Iapeti genus ignem fraude mala gentibus intulit. *introdusse fra gli uomini. Liv.* 4. 20. Inferre spolia templo. *Lucan.* 10. 36. classes Oceano. *Val. Flacc.* 4. 83. lintea fluctibus. *Tac.* 11. *Ann.* 13. fontes urbi. *Val. Flacc.* 2. 30. Ætnam urbi. *Sueton. Aug.* 100. corpus urbi. *Tac.* 13. *Ann.* 54. semina arvis. *Val. Flacc.* 2. 565. socios mœnibus. *Tac.* 11. *Ann.* 35. aliquem castris. *Val. Flacc.* 1. 281. juvenem undis. *Sil. It.* 11. 245. leo armentis illatus. *Plin. Paneg.* 11. Imperatorem sideribus inferre. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in. Cato* apud *Priscian.* 6. *p.* 684. *Putsch.* Aquam Anienem in sacrarium inferre oportebat. *Cic. Dom.* 39. 104. Clodius, qui ex pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit? Sic *Plin.* 13. *Hist. nat.* 21. 37. (117). Arbor in domum illata. Cf. *Colum.* 12. *R. R.* 1. 6. Quæ domum inferuntur, diligenter inspicere. et *Plin.* 14. *Hist. nat.* 14. 17. (96). Chium vinum domum suam illatum dicebat tum primum. Ceterum *Cæs.* 6. *B. G.* 18. Inferre aliquid in ignem. *gettare. Liv.* 6. 6. aliquid in urbem. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 106. ignem in aram. *mettere sull'altare.* Sic *Cæs.* 6. *B. G.* 29. *extr.* Illam in equum quidam ex suis intulit: fugientem silvæ texerunt. *h. e.* imposuit. *Liv.* 38. 10. aliquid in scopulum. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *ad. Liv.* 32. 24. Inferre scalas ad mœnia. Cf. *Ter. Phorm.* 4. 4. 9. Qui te ad scopulum e tranquillo inferat. *ti spinga, ti faccia urtare.* — *d*) Cum Adverbiis motum ad locum significantibus. *Sueton. Aug.* 29. Huc insignia intulit. *Plaut. Amph.* 2. 2. 101. Neque meum pedem huc intuli. — Ceterum *inferre pedem,* extra rem militarem, est ingredi, *entrare, metter piede in qualche luogo.* Sic *Id. Men.* 5. 2. 87. Inferre pedem in ædes. Cf. *Cic. Cæcin.* 14. 39. Pedem quum intulero atque in possessione vestigium fecero. *Virg.* 4. *G.* 358. jubet discedere late Flumina, qua juvenis gressus inferret. Similiter *Tac.* 3. *Hist.* 25. Inferre gradum. *Sil. It.* 5. 448. gressus. *Lucret.* 6. 758. vestigia aliquo. — *e*) Absolute. *Cic.* apud *Colum.* 12. *R. R. procem.* 3. Res illatas custodire. *portate in casa. Curt.* 8. 2. Interiora, nisi lumine illato, obscura sunt. *Sueton. Tib.* 23. Illatum deinde Augusti testamentum. *Id. Domit.* 23. Scalas etiam inferri, clipeosque et imagines ejus coram detrahi — jubet. ¶ 2. Speciatim est funebre verbum, *seppellire. Cic.* 2. *Legg.* 26. 64. Ne quis sepulcra deleat, neve alienum inferat. *Nepos Pausan. sub fin.* Mortui corpus quum eodem dicerent inferri oportere, quo etc. *Justin.* 11. 15. 15. Reliquias ejus majorum tumulis inferri jussit. Adde *Sueton. Cal.* 15., *Domit.* 17. et *Aug.* 101. Huc pertinet et illud *Plin.* 7. *Hist. nat.* 44. 45. (142). A quatuor filiis illatus rogo. ¶ 3. Item speciatim est tricliniare verbum, et significat *portare in tavola.* Habet passim *Apicius,* præcipue *l.* 4. Sic *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (120). Inferri secundam mensam jussit. *Id.* 33. *ibid.* 11. 52. (145). Lancem, quam multi conservi ejus inferrent. ¶ 4. Item pro offerre, diis libare, et præcipue Manibus. *Plaut. Curc.* 1. 1. 72. Me inferre Veneri jam vovi jentaculum. *offerire, portare. Virg.* 3. *Æn.* 66. Inferimus tepido spumantia cymbia lacte, Sanguinis et pateras. Sic *Ovid.* 6. *Met.* 568. et inane sepulcrum Constituit; falsisque piacula Manibus infert. Adde *Lucan.* 2. 176. Hinc *inferiæ.* ¶ 5. Item est verbum tributi conferendi, *pagare, sborsare. Colum.* 1. *R. R.* 1. 11. Tributum alicui inferre. *Plin. Paneg.* 39. Ne remotus quidem vicesimam inferre cogetur. *Id.* 2. *Ep.* 11. *a med.* Septingenta millia ærario inferenda. Cf. *Liv.* 37. 57. et 38. 55. ¶ 6. Item rationum. *Cic. Flac.* 19. 45. Quum pro frumento pecuniam accepisset, celavit suos cives, ultroque iis sumptum intulit. *mise a loro carico, spesa o conto. Id. ibid.* 9. 20. inferre rationes falsas. *presentar conti falsi. Colum.* 1. *R. R.* 7. 7. Nec frumentum conditum cum fide rationibus inferunt. *mettono in partita. Julian. Dig.* 34. 3. 12. Inferre aliquid in rationes. Adde *Sueton. Cæs.* 74. et *Vesp.* 22.; et *Flor.* 2. 2. 5. Similiter *Paul. Dig.* 40. 4. 53. Illata pecunia. *h. e.* soluta, *danaro contato, pagato, sborsato.* ¶ 7. Item pertinet sæpe ad rem militarem. — *a*) *Inferre signa* est acie instructa milites in hostem movere, signa eodem promovendo. *Cæs.* 2. *B. G.* 26. Ut paulatim se se legiones conjungerent, et conversa signa in hostes inferrent. *Liv.* 3. 18. *a med.* Trepidare tam hostes, nec ulli satis rei fidere: trepidantibus inferunt signa Romani. *Id.* 4. 18. Dictator destro cornu adversus Faliscos, sinistro contra Vejentem Quinctius intulit signa. *Auct. B. Afr.* 69. Legionarios jubet celeriter signa hostibus inferre. *Liv.* 6. 23. Inferre signa vallo. *Id.* 30. 30. signa ad mœnia. — *b*) *Inferre pedem, gradum,* est progredi, procedere, instare, *avanzarsi, incalzare. Liv.* 10. 33. Inferunt pedem, urgentque, et impulsos semel terrore eodem agunt. *Curt.* 7. 9. Turbatis acriter pedem inferre cœperunt. *Liv.* 35. 1. Gradum acrius intulere Romani, cessitque Lusitanus. — *c*) *Inferre se* est vi progredi, irruere, acriter pedem inferre. *Liv.* 2. 14. Adeo concitato impetu se intulerant Etrusci, ut funderent ipso incursu Aricinos. *Id.* 33. 36. Inferens se ferociter hostis. Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 66. Inferre se hostem alicui. Sic passive *Liv.* 4. 33. Effreno equo in medios ignes infertur. Sic *Tac.* 2. *Ann.* 17. Simul pedestris acies infertur, et præmissus eques postremos ac latera impulit. — *d*) *Inferre bellum* vel *bella* vel *arma* significat *portare o far la guerra. Cic.* 9. *Att.* 1. Bellum Italiæ terra marique inferamus. *Justin.* 2. 8. Illatum Atheniensibus bellum. *portata contro.* Sic *Nepos Miltiad.* 3.; *Themist.* 2., *Pelop.* 2. et *Hann.* 2.; *Curt.* 3. 10. 8.; *Sueton. Cæs.* 44. et *Aug.* 21.; *Justin.* 1. 1. 4., 1. 3. 4., 2. 9. 7. et alibi; et *Val. Flacc.* 5. 420. Inferre bellum vel bella alicui. *Nepos Hann.* 4. bellum in Italiam. *Cic.* 2. *Phil.* 22. 53. Inferre bellum contra patriam. *Liv.* 22. 2. Ut appareret, Hamilcare duce Pœnos arma Italiæ illaturos esse. Sic *Id.* 1. 30. Inferre arma. ¶ 8. *Inferre se* — *a*) Est intro ire, se conferre, *entrare, mettersi, cacciarsi. Liv.* 1. 21. Lucus erat, quo se Numa sine arbitris inferebat. *Cic. Pis.* 23. 55. Inferre se in urbem. *Id. Vatin.* 13. 31. se in templum. *Liv.* 5. 43. se in concionem. *Virg.* 1. *Æn.* 443. Infert se sæptus nebula per medios, miscetque viris. *Id.* 11. *ibid.* 36. Æneas foribus sese intulit altis. *Val. Flacc.* 1. 487. Inferre se carinæ. *Id.* 5. 457. se penetralibus. *Sil. It.* 16. 138. se vallo. *Val. Flacc.* 7. 583. se flatibus flumineis. *Vellej.* 2. 74. *extr.* Transfixum se gladio flammæ intulit. *Virg.* 2. *G.* 145. equus se campo. *Sueton. Cæs.* 81. Avem Pompejanæ curiæ se inferentem volucres discerpserunt. — Passive. *Liv.* 4. 33. In medios ignes infertur. Cf. *Curt.* 4. 12. Temere illati præsidiis hostium. *entrati.* — Absolute. *Cic. Cæcin.* 5. 13. Atque etiam se inferebat et intrudebat. *h. e.* non vocatus aderat. Al. aliter leg. — Similiter figurate *Id. Balb.* 10. 25. Inferre se in periculum capitis atque in vitæ discrimen. — *b*) Item est se offerre. *Gell.* 19. 1. *a med.* Visa vi quadam sua inferunt sese hominibus noscitanda. — *c*) Aliquando est cum fastu incedere. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 54. Viden' ignavum, ut se inferat! *come si pavoneggia! Id. Pseud.* 4. 1. 7. Ut magnifice infert sese!

II.) Translate. ¶ 1. Generatim plures habet usus. — *a*) Pro invehere, *introdurre. Cic.* 1. *Off.* 40. 144. Turpe est in re severa delicatum aliquem inferre sermonem. *introdurre. Liv.* 4. 1. Inferre mentionem. *far menzione, introdurre discorso.* Sic *Curt.* 8. 1. Parmenionis cum honore mentio illata. *Id.* 8. 4. 26. Ne inferri nefas arbitraretur. *h. e.* ne arbitraretur in mores et jura Macedonum nefas inferri. Sic *Juvenal.* 6. 299. Inferre mores peregrinos. *introdurre.* et *Sueton. Gramm.* 2. studium in urbem. *Quintil.* 10. 5. 3. artem in eloquentiam. Cf. *Sil. It.* 141. Intulerit Latio, spreta me, Troius, inquit, Exsultes, Dardaniam et bis numina capta Penates. — *b*) Sæpe ponitur pro afferre, *apportare, arrecare. Cæs.* 2. *B. G.* 25. Inferre spem alicui. *dare speranza. Id.* 7. *ibid.* 8. hostibus terrorem maximum. *Id. ibid.* 54. alicui injuriam. Sic *Cic. Sext.* 27. 58. injurias in socios. *Id. Harusp. resp.* 18. 38. injuriam stupri in aliquem. *Cæs.* 6. *B. G.* 14. Illatas injurias propulsare. *Id.* 1. *ibid.* 12. calamitatem. *Cic.* 14. *Phil.* 3. 9. turpitudinem. *Id. Sext.* 1. 2. periculum civibus. *Id. Cæl.* 18. 42. probrum captis, labem integris, infamiam bonis. *Id.* 1. *Invent.* 9. 12. moram et impedimentum alicui rei. *V.* infra sub *c. Nepos Themist.* 9. mala in domum. *Liv.* 26. 20. metum. *Id.* 27. 28. fraudem. *Justin.* 8. 1. 10. invidiam. *Tac.* 15. *Ann.* 49. odia. *Justin.* 22. 2. 7. desperationem. *Cic. Harusp. resp.* 2. 3. excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem tectis atque agris. *Auct. B. G.* 8. 16. magna detrimenta. *Liv.* 10. 30. cladem. *Cic. Mil.* 7. 17. mortem alicui per scelus. *Sueton. Cæs.* 20. necem. *Cic. Mil.* 19. 51. vim. *usare o far violenza. Vellej.* 2. 45. vim vitæ suæ. *ammazzarsi da sè.* Sic *Auct. B. Afr.* 93. sibi manus. et *Cic.* 1. *Cat.* 8. 21. vim et manus cuipiam *mettere le mani addosso. Ovid. Ib.* 813. in aliquem. *Cæs.* 1. *B. G.* 39. Alius alia causa illata. *addotto chi uno, chi un altro pretesto.* et *Auct. B. Hisp.* 1. Aliqua ei inferebatur causa, ut etc. *se gli dava qualche occasione.* — *c*) Item pro interponere. *Cæs.* 3. *B. C.* 75. Neque vero Pompejus, cognito consilio ejus, moram ullam ad insequendum intulit. — *d*) Item pro infligere. *Cæs.* 2. *B. C.* 6. Inferre vulnera hostibus. Sic *Id.* 1. *B. G.* 50. Multis et illatis et acceptis vulneribus. *Auct. B. G.* 8. 21. Inferre pœnam. — *e*) Item pro inducere, impellere. *Plaut. Truc.* 2. 7. 19. Meum herum miserum sua blanditia intulit in pauperiem. *Cic. Fontej.* 15. 33. Inferre oculos in curiam. *volgere, fissare,* ubi al. leg. *inserere.* — *f*) Item pro objicere, intentare. *Cic. Amic.* 18. 65. Delectari criminibus inferendis. *in dar delle accuse. Id. Cluent.* 41. 116. et *Rabir. Post.* 4. 10. Inferre litem capitis in aliquem. *h. e.* intentare. *Id.* 7. *Verr.* 41. 106. Inferre alicui crimen proditionis. — *g*) *Inferre judicium,* judicare. *Maxim. Dig.* 5. 2. 4. Parentes maligne circa sanguinem suum, inferentes judicium, novercalibus delinimentis corrupti. ¶ 2. Speciatim usurpatur pro concludere, colligere, conficere, *inferire. Cic.* 1. *Invent.* 47. 87. Quum concesseris propositionem et assumptionem, complexio est infirmanda: aliud enim, quam cogebatur, illatum est. *Quintil.* 5. 11. 27. Itaque in hoc genere maxime quæritur, an simile sit, quod infertur. Adde *Apul.* 3. *Dogm. Plat.*

INFERSUS, a, um. *V.* INFARCIO.

INFERTĪLIS, e, adject. (in *privat. et* fertilis) non fertilis, infecundus. *Gloss. Philox.* Infertilis, ἄγονος.

INFERTĪLĬTAS, ātis, f. 3. (in *privat. et* fertilitas) sterilitas. *Gloss. Philox.* Infertilitas, ἀγονία.

INFERTOR, ōris, m. 3. (infero) qui dapes in convivium infert, structor. *Gloss. Philox.* Infertor, παραθέτης. Sic *Gloss. Cyrill.* Παραθέτης, structor, infertor. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 9. *Sat.* 109. *Archimagiri,* carptores. Infertores et qui illata carpunt. *Id.* ad eumd. 5. *ibid.* 83. Ministri, in-

fertores. *et* ad 11. *ibid.* 145. Infertor noster furtum facere ignorat.

INFERTUS. *V.* CALCEATUS.

INFERUS, a, um, adject. *Infer* occurrit apud veteres, ut *citer, exter. Cato R. R.* 149. Ubi super inferque vicinus permittet, tum decedito. *h. e.* qui pratum super te, quique infra te habet. — Comp. *Inferior* sub *B.*; Sup. *Infimus* sub *C.*; et Sup. *Imus* sub. *D.* — Inferus est qui infra est, inferior, ut *superus*, qui est supra, ὁ κάτω. (It. *inferiore, basso, di sotto*; Fr. *qui est au-dessous, inférieur*; Hisp. *lo que está mas baxo en sitio, inferior*; Germ. *der, die, das untere, unten befindliche*; Angl. *below, beneath, underneath*).

A) Posit. *inferus.* ¶ 1. Generatim. *Livius Andron.* in *Odyss.* apud *Priscian.* 3. *p.* 606. *Putsch.* Inferus, an superus tibi fert deus funera. *Plaut. Cist.* 2. 1. 36. At ita me di deæque superi atque inferi, medioxumi. Sic *Ter. Phorm.* 4. 4. 6. Ut te quidem omnes di deæque superi, inferi, malis exemplis perdant. et *Liv.* 31. 31. In deos superos inferosque. et *Cic. Amic.* 3. 12. Ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videantur deos, potius quam ad inferos pervenisse. Rursus *Plaut. Merc.* 5. 1. 1. Limen superum inferumque salve. *Cic.* 1. *Tusc.* 26. 64. Ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videremus. *Id. Arat.* 474. Infera loca. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 78. 80. (189). Illis in supera succum revocari, his in inferas partes depelli. *Id. ibid.* 52. 53. (139). *de fulminib.* Quum sit illa ratio non inferi ictus, sed adversi. — Neutr. gen. cum Genit. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. Interea sol albus recessit in infera noctis. — *Nonius p.* 46. 2. *Merc.* docet, *inferum* dici posse quidquid desuper mittatur. *Varro ibid.* Nubes aquam vomentes inferam mortalibus. — *Inferum mare* est *mar di sotto, mar di Toscana*, mare illud, quod Etruriam alluit, et Tuscum ac Tyrrhenum dicitur: sicut *mare superum* est Hadriaticum et Jonium. Dictum est tum quia vergit ad meridiem et occidentem Italiæ; superum vero ad septemtriones, quæ pars cœli altior esse videtur: tum quia ex Urbe versus Hadriaticum euntes fere semper ascendunt; contra ex Urbe ad mare Tuscum, descendunt: tum quia mare Hadriaticum et Jonium revera altius est, quum per fretum Siculum assidue in Tuscum defluat. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (44). Inter duo maria, inferum et superum. Adde *Cic.* 9. *Att.* 3. et 3. *Orat.* 19. 69.; *Justin.* 20. 1. 7.; *Lucan.* 2. 400.; et *Melam* 2. 4. — De inferis avibus *V.* PRÆPES. ¶ 2. Specialim *inferi, orum*, m. plur. 2. (Genit. plur. num. *inferum* pro *inferorum* est *Varron.* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 16.; et *Senec.* 2. *Ira* 35.) absolute, substantivorum more, sunt loci inferi terræ; vel dæmones et homines mortui, qui in centro terræ habitant, *inferno, demonii infernali, i morti*, οἱ κάτω. *Cic.* 1. *Tusc.* 5. 10. Num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis etc.? *Liv.* 26. 32. Si ab inferis exsistat rex Hiero. *Cic.* 2. *Cat.* 9. 20. Si salvi esse velint, Sullâ sit iis ab inferis excitandus. *Id. Mil.* 29. 79. Aliquem ab inferis evocare. *Id. Vatin.* 6. 14. Inferorum animas elicere. *Id.* 14. *Phil.* 12. 32. Illi igitur impii, etiam ad inferos pœnas parricidii luent: vos vero piorum estis sedem et locum consecuti. *h. e.* apud inferos. *Seneca* 2. *Ira* 35. Teterrimæ inferûm exeunt Furiæ. *Justin.* 11. 15. 15. Precari superûm inferûmque numina. *Flor.* 4. 8. 3. Aliquid ad inferos secum ferre. *Vellej.* 2. 48. 2. ad inferos deferre. *Inscript.* apud *Henzen.* 7. 341. C. ATILIVS C. L. BARNAEVS. OLLA EIVS SI QVI OVTIOLAVIT AD INFEROS NON RECIPIATVR. — Similiter *Cic. Orat.* 25. 85. Non faciet (*orator*) rempublicam loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit. *Id. Brut.* 93. 322. Ab inferis locupletissimos testes excitare. — Eadem fere significatione *inferus, i*, absolute occurrit apud *Vulgat. interpr. Matth.* 16. 18. Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *h. e.* inferorum, seu tenebrarum potestates.

B) Comparativum est *inferior, ius*, ut apud Italos *inferiore, più basso.*

I.) Proprie refertur ad locum. *Cæs.* 7. *B. G.* 46. Inferiore omni spatio vacuo relicto, superiorem partem collis castris compleverant. *Id.* 2. *ibid.* 25. Ex inferiore loco subeuntes. *Id.* 7. *ibid.* 35. Iisdem sublicis, quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere cœpit. *Cic.* 2. *Att.* 24. Ex inferiore loco dicere. *cui ibid. opponitur* ex superiore loco. *Horat. Epod.* 5. 79. cœlum inferius mari. *Ovid.* 4. *Pont.* 14. 12. Si quid et inferius, quam Styga, mundus habet. *Curt.* 8. 13. 23. Inferior ripa. *Quintil.* 1. 2. 16. rami. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 24. 36. (88). Foliorum pars inferior a terra herbido viret colore. *Cic.* 2. *Invent.* 40. 117. Ex superiore et ex inferiore scriptura docendum id, quod quæratur, fieri conspicuum. Sic ad ordinem refertur pro *posterior* apud *Ovid.* 1. *Amor.* 1. 1. Arma gravi numero violentaque bella parabam Edere, materia conveniente modis. Par erat inferior versus. *Tac.* 1. *Hist.* 61. Inferior exercitus. *h. e.* Germaniæ inferioris. *Stat.* 4. *Theb.* 332. Inferior vultu dea visa. *h. e.* demissa, humilis, atque adeo minime læta. — Absolute. *Ovid.* 15. *Met.* 240. suoque Pondere in inferius tellus atque unda feruntur. *al basso. Curt.* 4. 10. 12. Quæ (*flammæ*) quum in summo hæsissent, ad inferiora nondum penetraverant.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad tempus. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 5. 2. Maximos motus nostræ civitatis attingere non poteram, quod erant inferiores, quam illorum ætas, qui loquebantur. *Id. Brut.* 64. 228. Inferioris ætatis erat proximus L. Sisenna. *Id. ibid.* 49. 182. Ætate inferiores paullo, quam Julius, sed æquales propemodum fuerunt Cotta, Sulpicius etc. *Varro* 6. *L. L.* 13. *Müll.* Inferiores quinque dies. *gli ultimi cinque giorni.* ¶ 2. Item ad genus et dignitatem, virtutem, fortunam, vires, numerum etc.; et occurrit — *a*) Cum Ablativo rei, qua quis inferior est, sine ulla prapos. *Cic.* 2. *de republ.* 34. Quum honore longe antecellerent ceteris, voluptatibus erant inferiores, nec pecuniis ferme superiores. *Id.* 13. *Fam.* 5. Gravissimum est, quum superior factus sit ordine, inferiorem esse fortuna. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. 6. Dignitate, auctoritate, existimatione, gratia non inferior, quam qui unquam fuerunt amplissimi. *Id.* 1. *Off.* 32. 116. Belli laude inferior. *Cæs.* 3. *B. G.* 24. Romanos sub sarcinis inferiores animo adoriri cogitabant. *Sall. fragm.* apud *Arusian. Mess.* Nulla arte cuiquam inferior. *Propert.* 2. 7. 27. Inferior multo quum sis vel matre, vel armis. *Nepos Datam.* 8. Inferior copiis. *Sueton. Cæs.* 19. gratiâ. *Quintil.* 5. 11. 39. præceptis. *Justin.* 44. 4. 8. Inter servorum greges, haud inferior velocitate, peragravit. *Id.* 12. 1. 10. Alexandro virtute inferior. Cf. *Tac.* 3. *Ann.* 3. Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius majestate sua rati, si palam lamentarentur. *Cæs.* 1. *B. C.* 57. Erat multo inferior navium numero Brutus. — Hinc dicitur et de iis, qui vincuntur tum in judicio, tum in acie. *Cic. Brut.* 8. 30. Docere se profitebantur, quomodo causa inferior, dicendo fieri superior posset. Et absolute *Propert.* 1. 4. 9. si levibus fuerit collata figuris, Inferior duro judice turpis eat. et *Curt.* 5. 1. 6. Alexandrum, quibus antea vicisset, inferiorem fore. — *b*) Cum Ablativo rei, qua quis inferior est, et præpos. in. *Cic. Brut.* 48. 179. In dicendo non nimis exercitatus, in jure autem civili non inferior, quam magister fuit. — *c*) Absolute. *Cic. Amic.* 20. 72. Ut ii, qui superiores sunt, submittere se debent in amicitia, sic quodammodo inferiores extollere. *Id.* 2. *Orat.* 52. 209. Invident homines maxime paribus aut inferioribus —, sed etiam superioribus invidetur. *Id. Quinct.* 31. 95. Indignum est a pari vinci aut superiore; indignius ab inferiore atque humiliore. *Id. Fontej.* 11. 23. Ad opem judicum supplices inferioresque confugiunt. *Id.* 4. *Herenn.* 40. 52. in superiores contumax, in inferiores crudelis. *Justin.* 8. 1. 3. Inferioribus auxilium ferre. *Cæs.* 1. *B. C.* 46. Qui propter eximiam virtutem ex inferioribus ordinibus in eum locum pervenerant. *Quintil.* 8. 4. 4. Inferius facinus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 770. Vilis in amplexus inferioris eat. *Virg.* 6. *Æn.* 170. non inferiora secutus. *h. e.* pejora.

C) Superlativum *infimus* est, *infimo, il più basso.* Antiquo loquendi more *infumus* pro *infimus* legitur in *Vet. Inscript.* apud *Gruter.* 204. *lin.* 10. AD RIVOM VINELASCAM INFVMVM. Adde *ibid. lin.* 14. et 20.

I.) Proprie. — *a*) Cum addito Substantivo. *Cato R. R.* 110. Testam demittito in dolium infimum leniter. *sino al fondo della botte. Horat.* 4. *Od.* 8. 31. Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis Quassas eripiunt æquoribus rates. Sic *Plaut. Curc.* 4. 1. 14. In foro infimo boni homines atque dites ambulant. *h. e.* in infima fori parte. Sic *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 72. Ut ab infima ara subito anguis emergeret. *h. e.* ab infima parte aræ. et *Cæs.* 2. *B. G.* 18. Sub infimo colle. Ceterum *Cic.* 2. *Nat. D.* 6. 17. Omnia supera esse meliora: terram autem esse infimam, quam crassissimus circumfundat aer. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Stabiliendi causa singuli ab infimo solo pedes terra exculcabantur. *Id.* 1. *B. C.* 41. Ab infimis radicibus montis. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 6. Quum scripsissem hæc infima, quæ sunt mea manu. *quest' ultime righe.* — *b*) Absolute. — *Ab infimo* apud *Plaut. Most.* 3. 2. 14. Postes ambo ab infimo termes secat. *h. e.* ab infima parte. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Stipites demissi et ab infimo revincti. *Id. ibid.* 19. Collis erat leniter ab infimo acclivis. Rursus *Plaut. Asin.* 3. 2. 41. Da, puere, ab summo (*poculum*): age tu (*puella*), interibi ab infimo da suavium. — *Infimâ, h. e.* infima parte, apud *Cæs.* 2. *B. G.* 18. Collis passus circiter cc. infimâ apertus.

II.) Translate refertur ad conditionem, genus, fortunam etc. *Ennius* apud *Non. p.* 110. 17. *Merc.* mortalem summum fortuna repente Reddidit, e summo regno ut famul infimus esset. Cf. *Lucret.* 3. 1032. *Ter. Eun.* 3. 2. 36. Tace tu; quem ego esse infra infimos omnes puto homines. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. *a med.* Infima fæx populi. Sic *Horat.* 2. *Od.* 3. 22. gens infima. *Sueton. Oth.* 7. infima plebs. *Cic.* 1. *Off.* 13. 41. Est autem infima conditio et fortuna servorum. *Id. Flacc.* 11. 24. Infimo loco natus. *Sueton. Cæs.* 72. Infimum genus. *Id. Aug.* 66. Infima fortuna. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (37). L. Tarius Rufus infima natalium humilitate. *Tac.* 13. *Ann.* 3. Quod Italiam, infimam nationem, afflictavisset. *Liv.* 8. 2. *a med.* Precibus infimis petiere, ut etc. *umilissime.* — Absolute *Cic.* 2. *Off.* 12. 41. Summos cum infimis pari jure retinebat. *Nepos Att.* 3. Communis infimis, par principibus. *Sueton. Cal.* 26. Infimus quisque.

D) Superlativum aliud est *imus*, per syncop. ab *infimus, inmus* et *imus*, ut a *supremus, supmus* et *summus*, et a *brevissima* fit *bruma* (*V.* hanc voc.); et est idem atque infimus; infimo loco, vel in fundo positus, *imo, basso, infimo*, κατώτατος, ὕστατος.

1.) Proprie. — *a*) Cum addito Substantivo. *Cic. Rosc. com.* 7. 20. Ab imis unguibus usque ad verticem summum. *Id.* 6. *de republ.* 18. Terra immobilis manens, ima sede semper hæret. *Id.* 3. *Herenn.* 14. 25. Imæ fauces. *Virg.* 6. *Æn.* 581.; et *Val. Flacc.* 3. 224. fundo volvuntur in imo. *Phædr.* 2. 4. ad imam quercum. *alle radici. Sueton. Cæs.* 82. ima crura. *Val. Flacc.* 4. 382. valles. *Id.* 2. 529. mare. *Id.* 2. 320. aquæ. *Id.* 5. 522. gurges. *Virg.* 6. *Æn.* 459. tellus. *Id.* 12. *ibid.* 108. stirps. *Id.* 2. *ibid.* 419. fores. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 45. 103. (251). Est in ima aure memoriæ locus. *h. e.* in ima auris parte. Sic *Ammian.* 19. 12. Ima auricula. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 8. voce modo summa, modo ima. *bassa, grave.* Sic *Quintil.* 11. 3. 15. Ima vox. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 40. secutis omnibus imis. *h. e.* in convivio imus est qui imo lecto accumbit, vel ima lecti parte; *V.* ACCUMBO: apud *Horat.* alii aliter leg. Cf. *Martial.* 6. 74. Medio recumbit imus ille qui lecto. *Id.* 10. 80. Et gemitus imo promit de pectore. *dal fondo del cuore.* Sic *Virg.* 10. *Æn.* 464. magnumque sub imo Corde premit gemitum. *Id.* 3. *G.* 457. ima ossa. *le midolle.* Sic *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 9. imis infixa medullis. *Ammian.* 30. 8. Ima mente formidare. — *b*) Neutro genere absolute. *Cic.* 3. *Herenn.* 18. 30. Nihil interest, utrum a summo, an ab imo dicere incipiamus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 308. ab imo Ad summum totus moduli bipedalis. Adde *Quintil.* 2. 8. 15. Sic *Cæs.* 3. *B. G.* 19. Locus erat paullatim ab imo acclivis. *Id.* 4. *ibid.* 17. Tigna paullum ab imo præacuta. *Scribon. Compos.* 71. Supprimere uvam ab imo. *Ammian.* 14. 11. Ab imo suscitare. *Ovid.* 3. *Art. am.* 675. Suspirare ab imo. *dal fondo del cuore. Id.* 5. *Met.* 588. aquas perspicuas imo. *in fondo. Id.* 11. *ibid.* 177. aures instabiles imo facit. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 57. imo petere. *andare a fondo.* Sic *Ovid.* 2. *Met.* 265. imo petunt pisces. — Ima summis mutare *Horat.* 1. *Od.* 34. 12., et miscere *Vellejo* 2. 2. 3. est vertere omnia, permiscere, turbare. — *c*) Absolute cum Genitivo. *Ovid.* 5. *Fast.* 665. Superis imisque deorum. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 6. 21. (61). Ima maris. *il fondo. Id.* 4. *ibid.* 11. 18. (40). Amnis ambiens ima montis. *le radici, il piede. Quintil.* 11. 3. 99. Imo pollicis. *Claudian.*

2. *Rapt. Pros.* 115. ima secreta profundi. — *Ima ventris* sunt genitalia. *Apul.* 8. *Met.* Quemdam fortissimum rusticanum, industria laterum et imis ventris bene præparatum, comitem cœnæ secum adducunt. *h. e.* hominem bene mutoniatum. Hoc idem *imum ventrem* dixit *Justin.* 38. 1. Scrutatori curiosius imum ventrem pertractanti ait, Caveret, ne aliud telum inveniret, quam quæreret.

II.) Translate refertur ad tempus, et ultimum significat. *Ovid.* 2. *Fast.* 52. Imus mensis. *h. e.* Februarius, ultimus anni. — Hinc *ad imum* absolute. *Horat. Art. P.* 126. Servetur ad imum, Qualis ab incepto processerit. *h. e.* ad finem. *Id.* 1. *Ep.* 18. 33. Quum pulcris tunicis sumet nova consilia et spes: Dormiet in lucem: scorto postponet honestum Officium: nummos alienos pascet: ad imum Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum. *h. e.* ad extremum, denique, *finalmente, alla fine.* — Hinc

Inferi, ōrum, m. plur. 2. absolute: *V.* sub *A.* 2.

Inferus, i, m. 2. absolute: *V.* sub *A.* 2.

Inferiores et *Inferiora, ōrum,* m. et n. 3. absolute: *V.* sub *B.* II. *c.*

Infimum, i, n. 2. absolute: *V.* sub *C.* I.

Infimi, ōrum, m. 2. absolute: *V.* sub *C.* II.

Imum, i, et *Ima, ōrum,* n. 2. absolute: *V.* sub *D.* I. et II.

INFERVĔFĂCĬO, facis, fēci, factum, facere, a. 1. (in et fervefacio). Pass. *Infervefio, factus, fieri,* et Part. *Infervefactus.* — Infervefacere est idem ac fervefacere, vel intus fervefacere, *far bollire. Cato R. R.* 156. Infervefacito paullisper. *Colum.* 12. *R. R.* 17. 2. Liquetumque acetum infervefaciant. *Scribon. Compos.* 271. Tertio die quum infervefiunt. *Colum.* 9. *R. R.* 13. 5. Omnia eadem æquis ponderibus in unum levigata, et fictili vase cum Aminco vino infervefacta.

INFERVĔFACTUS, a, um, *et*

INFERVĔFĪO, fis, factus sum, fieri. *V.* voc. præced.

INFERVĔO, ves, vere, n. 2. (in *et* ferveo). Præter. *Inferbui* V. in voc. seq. — Infervere est idem quod fervere. *Cato R. R.* 108. Facito, bis aut ter inferveat. *Cels.* 5. 25. *n.* 4. Cum eo humore passum misceatur, inferveatque. *Apic.* 4. 3. 6. Suffundis mel, liquamen, passum, — præcoqua enucleata mittes: facies ut inferveant, donec percoquentur.

INFERVESCO, fervescis, ferbŭi, fervescere, n. inchoat. 3. (in *et* fervesco) idem ac fervescere. *Cato R. R.* 90. Et fabæ tertia pars ut infervescet. *Cels.* 2. 30. Mulsum, quod inferbuit. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 67. Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 12. 60. (183). Ne infervescat aqua sole. Poetice *Sil. It.* 13. 311. Obtendensque manum, solem infervescere fronti Arcet. *Scribon. Compos.* 37. Id super carbones infervescit.

INFESSUS, a, um, adject. (in *privat. et* fessus) non fessus, indefessus. *Gloss. Philox.* Infessus, ἄοχνος.

INFESTĀTĪO, ōnis, f. 3. (infesto) vexatio, molestia, *infestazione, molestia,* ἐνόχλησις. *Frontin. de limit. agr. p.* 41. *Goes.* De alluvione fit controversia fluminum infestatione. *Theod. Priscian. l.* 2. p. 2. c. 16. Quibus autem phlegmatis infestatione stomachus infrixerit etc. *Tertull. Apolog.* 1. Sectæ hujus infestatio obstruit viam defensioni. *Salvian.* 5. *Gub. D.* 9. Jubet Deus, ut omnes nos invicem cari simus; omnes autem nos mutua infestatione laceramus. Adde *Cassiod.* 9. *Variar.* 2.

INFĔSTĀTOR, ōris, m. 3. (infesto) qui molestiam affert, *infestatore. Plin.* 6. *Hist. nat.* 28. 32. (143). Nomadas infestatoresque Chaldæorum Scenitæ claudunt. Adde *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 81.

INFESTĀTUS, a, um. *V.* INFESTO.

INFESTĒ, adverb. (infestus). Comp. *Infestius* et Sup. *Infestissime.* — Infeste est noxie, inimico animo, *ostilmente, nimichevolmente,* ἐχθρωδῶς. *Liv.* 26. 13. Age contra, quæ illi infeste in nos fecerint, repetite. Adde *Sueton. Tib.* 51.; et *Vellej.* 2. 45. 3. — Comp. apud *Liv.* 2. 55. Quo ferocius clamitabat, eo infestius circumscindere et spoliare lictor. Adde *eumd.* 44. 4. — Sup. apud *Cic. Quinct.* 21. 66. Sin inimicissime atque infestissime contendere perseveret. *Quintil.* 11. 8. 10. Infestissime interrogare et premere.

INFESTĪVĪTER, adverb. (infestivus) non festive, *spiacevolmente. Gell.* 9. 9. Cetera vertit non infestiviter.

INFESTĪVUS, a, um, adject. (in *privat. et* festivus) non festivus, infacetus, injucundus, *spiacevole, non faceto,* ἐκτράπελος, σκαιός. *Gell.* 1. 5. Homo subagresti ingenio et infestivo.

INFESTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (infestus). Part. *Infestans* I.; *Infestatus* I. et in fin. — Infesto est infestus sum, sæpe nocere aggredior, molestiam infero, vexo, ἐνοχλέω (It. *infestare, molestare, incomodare;* Fr. *attaquer, infester, inquiéter, harceler;* Hisp. *infestar, inquietar, fatigar;* Germ. *feindlich behandeln, angreifen, beunruhigen;* Angl. *to trouble, moleste, vex, plague, gall, annoy, infest*).

I.) Proprie. *Auct. B. Alex.* 3. Utroque tempore et nostras munitiones infestabant, et suas defendebant. *Ovid.* 13. *Met.* 730. Scylla latus dextrum, lævum irrequieta Charybdis Infestant. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 32. 37. (205). Infestari eas (*insulas*) belluis, quæ expellantur, assidue putrescentibus. *Justin.* 36. 1. 10. Quorum vires tantæ fuere, — ut Syriam magnis bellis infestaverint. *Vellej.* 2. 73. Latrociniis ac prædationibus infestatum mare. *Colum.* 6. *R. R.* 14. 6. Clavorum, qui fere cervicem (*boum*) infestant, minor molestia est. *Justin.* 43. 2. 9 Crimini datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 165. attonitus stabulo ceu pastor inani, Cui pecus aut rabies Pœnorum inopine leonum, Aut populatrices infestavere catervæ. *Val. Flacc.* 4. 494. unum omnes incessere planctibus, unam Infestare manus. *Sil. It.* 2. 277. Ductorem infestans odiis gentilibus Hanno. *Id.* 4. 626. infestare cædibus hostem. *h. e.* cædere. Adde *Sueton. Claud.* 13. et *Aug.* 96.

II.) Translate est corrumpere, vitiare, *mandar a male, guastare. Cels.* 4. 12. Si exulceratio stomachum infestat. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 5. (16). Aloe non infestat stomachum. *Id.* 23. *ibid.* 1. 22. (39). Vinum minus infestat nervos, quod vetustate dulcescit. *Id.* 15. *ibid.* 23. 25. (92). Infestare saporem. *amareggiare. Id.* 2. *ibid.* 103. 106. (228). Fons amaritudine infestatur. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 11. Materia sic cæsa judicatur caria non infestari. *Id.* 1. *ibid.* 5. 7. Assiduis devertentium hospitiis infestat rem familiarem. *Id.* 11. *ibid.* 1. 22. Haruspicem sagamque sua sponte non noverit, quia utraque genera vana superstitione rudes animos infestent. — Hinc Part. præter. pass., cujus exemplum *V.* sub I.,

Infestatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Sup. *Infestatissimus* legitur apud *Oros. præf. ad Augustinum,* etsi al. legunt *infestissimus.*

INFESTUS, a, um, adject. (in *privat. et* festus). Comp. *Infestior* I.; Sup. *Infestissimus* I. et II. — Ratione habita etymi, ut volunt plerique etymologi et docet etiam *Forcellinus,* est ab in privativa et *festus* (quod pro *fenstus* ab inusit. *fendo,* a quo *defendo* et *infensus:* V. et quæ diximus in v. INFENSUS init). *Nigidius* autem apud *Non. p.* 51. 20. *Merc.* et *Gell.* 9. 12. ducit a festinando. Nam qui instat alicui, eumque properans urget et opprimere studet festinatque, is infestus dicitur. Hæc illi. Sunt etiam qui ab *infero* utcumque derivant. Denique ingeniose *Döderlinius* (*Latein. Synonym. Vol.* 4. *p.* 400.) docet vocabulum compositum esse ex *festus* et negante in syllaba: res festæ enim quum non solum lætitiam habeant, sed otium quoque et securitatem, illæ sunt infestæ quæ, securitatis sensu sublato, timorem et formidinem excitant, periculis objectis. Rem solam igitur si spectes, *infesta* sane possunt etiam *infestata* dici, quasi periculosis rebus petita ac perturbata. — Ceterum infestus, ab in privat et inus. *fendo,* ut diximus, passive est non defensus, atque adeo non tutus, vexatus, impetitus, infestatus, plenus discriminis, uti docet etiam *Gell. loc. cit.* affertque illud *Cic. Planc.* 1. 1. (It. *non difeso, mal sicuro, infestato;* Fr. *peu sûr, inquiété, infecté, attaqué;* Hisp. *infestado, inquietado;* Germ. *unsicher, beunruhigt, unruhig;* Angl. *infested, aimed at, obnoxious*).

I.) Proprie, hoc est passive. *Cic. Prov. cons.* 2. 4. Via nostra militaris non solum excursionibus barbarorum infesta, sed etiam castris Threciis distincta ac notata. *Id.* 12. *Phil.* 10. 25. Iter infestum et periculosum. *Id.* 2. *Fam.* 10. *a med.* Infestissima pars Ciliciæ. *Varro* 1. *R. R.* 16. 1. Infesta regio. *Liv.* 3. 24. civitas. *Id.* 2. 49. Sua tuta omnia, infesta hostium (*omnia*). *Curt.* 4. 6. 22. Itaque interiora quoque urbis infesta telis erant. *Sall. Jug.* 89. Alia omnia vasta, inculta, infesta serpentibus. *Ovid.* 4. *Met.* 616. nulla infestior terra colubris. *Tac.* 2. *Ann.* 23. Auster rapuit disjecitque naves in aperta Oceani, aut insulas saxis abruptis, vel per occulta vada infestas. — Cum Verbis. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 125. 15. *Merc.* Uno myoparone mare infestum habere. *h. e.* infestare. Cf. *eumd.* 16. *Att.* 1. Dymæos agro pulsos mare infestum habere nil mirum. et *Liv.* 26. 24. Infestam habere Macedoniam. et *Nazar. Paneg. Constant.* 17. Infestas habere armis oras. *Liv.* 2. 11. Infestum agrum reddere. Sic *Justin.* 40. *in fin.* Syriam latrociniis infestam reddere. — Cum abstractis. *Cic. Rosc. Am.* 11. 30. Filii vita infesta, sæpe ferro atque insidiis appetita. *Id. Planc.* 1. 1. Si hujus salus ob eam causam esset infestior, quod is meam salutem atque vitam sua custodia texisset. *Liv.* 1. 47. Infestior senectus.

II.) Translate, vel active, est inimicus, adversus, molestus, hostilis, qui crebro malum infert: et quid ab *infensus* differat, ibi dictum est, *nemico, insolente, infesto, molesto, odioso,* ἐχθρός, ὀχληρός, δάιος. — *a*) Generatim. *Cic.* 10. *Phil.* 10. 21. Galliam, quam sibi armis animisque infestam inimicamque cognovit. *Id. Ligar.* 8. 24. Veniebatis in provinciam, unam ex omnibus huic victoriæ maxime infestam. Sic *Auct. B. Alex.* 61. In regionibus alienis et sibi infestis. Rursus *Cic.* 1. *Cat.* 5. 11. Pestis infesta reipublicæ. *Sall. Cat.* 52. Gens infestissima nomini Romano. *Cic.* 4. *Herenn.* 40. 52. Ingratus in amicos, infestus in cognatos. *Al. leg.* infestus cognatis. *Id.* 7. *Verr.* 56. 145. Sic iste in omnia maria infestus ex omnibus Siciliæ partibus imminebat. *Sall. Cat.* 54. Dii irati infestique sunt. — *b*) Specialim *infesta signa* sunt vexilla militaria, quæ in hostes pugnandi, cædendi fugendique animo inferuntur. *Cæs.* 6. *B. G.* 7. Ubi præter spem, quos fugere credebant, infestis signis ad se ire viderunt. *Id.* 7. *ibid.* 51. Legiones infestis contra hostes signis constiterunt. *Id.* 3. *B. C.* 93. Infestisque signis tanta vi in equites impetum fecerunt, ut etc. *Cic. Fontej.* 16. 34. Infestis prope signis inferuntur Galli in Fontejum. *gli vanno contra armata mano.* Adde *Liv.* 2. 30. et alibi. Sic *Cæs.* 3. *B. C.* 93. Milites, dato signo, quum infestis pilis procucurrissent. *Liv.* 2. 20. Infesto spiculo aliquem petere. *Virg.* 5. *Æn.* 582. Infesta tela ferre. Sic *Justin.* 37. 1. infesta arma contra populum Romanum tulerant. *Sil. It.* 15. 74. Infestis sagittis pugnam restaurare. *Tac.* 3. *Hist.* 85. Vitellium infestis mucronibus coactum erigere os. *Id.* 1. *Ann.* 69. Infesto agmine Gallias petere. Cf. *Liv.* 2. 36. Exercitu infesto in agrum Sabinum profecti. — *c*) De rebus et abstractis. *Sall. Cat.* 15. Animus impurus, dis hominibusque infestus. *Nepos Hamilc.* 3. Fidenti animo atque infesto Romanis. *Colum.* 2. *R. R.* 14. 3. Ager seminibus infestus. *Tac. Agric.* 1. Sæva et infesta virtutibus tempora. *Cic. Quinct.* 2. 10. Quum ei summam per injuriam omnia inimica atque infesta fuerint. *Id.* 7. *Verr.* 55. 144. Qui nunc animo te iniquissimo infestissimoque intuetur. *Id.* 1. *Cat.* 7. 17. Carere me adspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem. *Id.* 3. *Verr.* 5. 12. Clamore populi Romani infesto atque inimico excitatus. *Id. Cluent.* 66. 188. Scelus infestum et immane. *Catull.* 66. 73. Infestis quempiam dictis discerpere. *Liv.* 9. 12. Infestum bellum. *Id.* 1. 34. nomen.

INFĪBŬLA, æ, f. 1. (in et fibula) uncus fibulam jaciens. *Tertull. Pall.* 1. Pallii habitus infibulæ morsu humeris acquiescebat. *Ita legit* Junius; *alii melius* in fibulæ.

INFĪBŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INFĪBŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et fibula). *Infiblare* per syncopen legitur a nonnullis apud *Apic.* 8. 7. — Part. *Infibulatus.* — Infibulare est fibula nectere, *affibiare,* ἐμπερονάω. *Cels.* 7. 25. Infibulare quoque adolescentulos interdum valetudinis causa quidam consueverunt. *V.* ibi cetera et quæ in FIBULA diximus. *Paul. Diac. p.* 113. 15. *Müll.* Infibulati sacrificabant flamines, propter usum æris antiquissimum, æreis fibulis. *h. e.* fibulis vestes subnexi. Sic *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 262. Toga duplex, in qua flamines sacrificant infibulati.

INFĪCĒTĒ, *et*

INFĪCĒTĬÆ *et*

INFICETUS. *V.* INFACETE, INFACETIÆ, INFACETUS.

INFICIALIS, *et*

INFICIAS, *et*

INFICIATIO et similia. *V.* INFITIALIS, INFITIAS, INFITIATIO etc.

INFICIENS, entis, adject. (in *privat.* et facio) non faciens, iners, nihil agens. *Varro* 6. *L. L.* 78. *Müll.* Dicimus, qui aliquid agit, non esse inficientem. *Id.* 3. *R. R.* 16. 8. *de apib.* Neque ipsæ sunt inficientes; nec non oderunt inertes.

INFICIO, ficis, feci, fectum, ficere, a. 3. Part. *Infectus* in omnibus paragr. — Inficere est imbuere, tingere: ab *in* et *facio*, quasi *intus facio*, color enim inditus, se immittit et intus pervadit, βάπτω (It. *tingere, colorire*; Fr. *pénétrer d'une couleur, teindre, colorer*; Hisp. *teñir, colorear*; Germ. *benetzen, färben, beflecken*; Angl. *to stain, dye, colour, tinge, paint*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Ablativo rei, qua quis aut quid inficitur. *Cæs.* 5. *B. G.* 14. Omnes se Britanni vitro inficiunt, quod cæruleum efficit colorem. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 7. 25. (77). Infecta conchylio lana. *Propert.* 2. 13. 58. infectas sanguine habere manus. *macchiate, intrise.* Sic *Phædr.* 4. 6. Inficere manus cæde patris. et *Sueton. Tib.* 59. cæde manus. *Horat.* 3. *Od.* 6. 33. Non his juventus orta parentibus Infecit æquor sanguine Punico. Sic *Tac.* 2. *Hist.* 55. Quem locum Galba moriens sanguine infecerat. *Ovid.* 15. *Met.* 135. Inficere cultros sanguine. *Ammian.* 19. 2. hastam sanguine. *Virg.* 5. *Æn.* 413. arma infecta sanguine. Sic *Stat.* 9. *Theb.* 187. tela infecta sanguine. *Sil. It.* 8. 382. Cogit aquas Ufens atque inficit æquora limo. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 19. 22. (70). Infecti sole populi. *imbruniti.* Sic *Stat.* 5. *Silv.* 1. 123. conjux sole infecta Sabino. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 37. (118). Velut infecta fumo iaspis. *Claudian. B. Gild.* 360. juvenci Semineces, et adhuc infecta mapalia tabo. *Id.* 2. *in Rufin.* 131. Infectæ pallore genæ. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 264. ostroque infecta corusco Humida gemmiferis illuxit regia mensis. *h. e.* ornata. Sic poetice *Ovid.* 6. *Met.* 63. Qualis ab imbre solet percussis solibus arcus Inficere ingenti longum curvamine cælum. et *Seneca Herc. Œt.* 337. Scythasque tepida Phœbus inficiet rota. *h. e.* illustrabit et calefaciet. — *b*) Absolute. — De hominibus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (196). Textilia Ægyptii invenere: inficere lanas Sardibus Lydi. *Id.* 11. *ibid.* 37. 56. (154). Palpebræ infectæ mulieribus. *Propert.* 2. 13. 58. infectos imitare Britannos. *h. e.* fucatos. — De rebus. *Horat. Epod.* 7. 15. Ora pallor albus inficit. Sic *Lucan.* 5. 214. Inficit ora rubor. Cf. *Tibull.* 3. 4. 32. virgo inficitur teneras ore rubente genas. *Ovid. Heroid.* 9. 142. aquas infecit sanguis. *Id.* 13. *Met.* 601. nigrique volumina fumi Infecere diem. *Forcellinus* hoc loco accepit pro vitiare, corrumpere.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro immiscere. *Virg.* 12. *Æn.* 417. hoc fusum labris splendentibus amnem Inficit, occulte medicans. *Justin.* 21. 4. 3. Pocula veneno infecta. *Sueton. Cal.* 49. maria veneno. ¶ 2. In malam partem est vitiare, corrumpere, *guastare, avvelenare.* *Virg.* 3. *G.* 481. Corruptique lacus, infecit pabula tabo. *Id.* 7. *Æn.* 341. Gorgoneis Alecto infecta venenis. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 203. infectæ spumis vitiantur arenæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 13. 13. (32). Mel optimum et minime fronde infectum. *Ovid.* 3. *Met.* 76. vitiatas inficit herbas. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Inficere flumina. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 229. Infecti enses. *avvelenati.* *Id.* 1. *in Rufin.* 301. infecto morbus crudescere cælo Incipiens. *aria infetta.* Sic *Manil.* 2. 357. Aeraque infectum nostras demittit ad auras. *h. e.* imbutum vi siderum. Cf. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 7. 6. (19). Odorem quidem non aliud, quam infectum aera, intelligi potest. ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. I., est leviter tingere, imbuere. *Seneca Ep.* 71. *ad fin.* Sapientia, nisi alte descendit et diu sedit, animum non coloravit, sed infecit. *Id. Consol. ad Marc.* 7. Paupertatem, luctum, orbationem alius aliter sentit, prout illum consuetudo infecit. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 3. 4. (17). Dulcem succum olivas bibere, et alieno sapore infici. ¶ 4. Item speciatim est instituere. *Cic.* 3. *Fin.* 2. 9. Infici debet (*puer*) iis artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad majora veniet paratior. *Id.* 1. *Legg.* 17. 47. Teneros et rudes animos inficiunt et flectunt, ut volunt. ¶ 5. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. II. 2., est corrumpere, vitiare. *Cic.* 5. *Tusc.* 27. 78. Umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus. *Id.* 3. *ibid.* 2. 3. Inficimur opinionum pravitate. *Id.* 3. *Legg.* 13. 30 Cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas. *Liv.* 40. 11. Imbuti et infecti delenimentis Romani. *Lucan.* 4. 736. infectaque semper Punica bella dolis. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 1. 2. (8). Magica arte infectus orbis. *Tac.* 2. *Ann.* 85. Homines superstitione infecti. *Id.* 1. *Hist.* 74. Infectæ muliebribus blandimentis epistolæ. *Id. Germ.* 24. Nullis aliarum nationum connubiis infecti. *Id.* 3. *Ann.* 65. Tempora illa adeo infecta et adulatione sordida fuere, ut etc. *Plin.* 4. *Ep.* 22. *ad fin.* Placuit agona tolli, qui mores Viennensium infecerat. — *Virg.* 6. *Æn.* 741. aliis sub gurgite vasto Infectum eluitur scelus. *h. e.* animus scelere infectus. hypallage. Vel *scelus infectum*, h. e. penitus immissum in animo: quasi intus factum.

INFICIOR. *V.* INFITIOR.

INFICTUS, a, um, adject. (in *privat.* et fictus a fingo) non fictus. *Gloss. Philox.* Infictus, ἀνυπόκριτος. — *V.* et INFIGO.

INFIDELIS, e, adject. (in *privat.* et fidelis). Comp. *Infidelior* et Sup. *Infidelissimus.* — Infidelis est non fidelis, qui promissis non stat, nec fidem promissam exsolvit, quin potius violat, ἄπιστος (It. *infedele, senza fede*; Fr. *sans foi, qui manque à sa parole, infidèle*; Hisp. *infiel, desleal*; Germ. *treulos, untreu, ungetreu*; Angl. *unfaithful, faithless, not keeping one's promise, treacherous, perfidious*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) De hominibus. *Plaut. Asin.* 3. 2. 15. Servus hero infidelis. *Id. Capt.* 2. 3. 83. Infidelior mihi ne fuas, quam ego sum tibi. Sic cum Dat. *Horat. Epod.* 5. 49. o rebus meis Non infideles arbitræ, Nox et Diana. — Absolute. *Cic.* 3. *Off.* 29. 106. Nullam esse fidem, quæ infideli data sit. *Id.* 15. *Fam.* 4. *ad fin.* Ut ex infidelissimis sociis firmissimos redderem. *Cæs.* 7. *B. G.* 59. Bellovaci, qui ante erant per se infideles. — *b*) De rebus et abstractis, quæ *Forcellinus* translate accepit. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 49. (169). Silex ad structuram infidelis, nisi multa suffrenatione devinctus. *Sillig.* ex Codice Bambergensi *structuræ* legit. *Alter Plin. Paneg.* 45. *extr.* Infidelis recti magister est metus. *h. e.* non diuturnus magister officii, ut est apud *Cic.* 2. *Phil.* 36. 90. Γνώμη: cui simile est illud *ejusd.* 2. *Off.* 7. 23. Malus custos diuturnitatis metus. ¶ 2. Speciatim apud Scriptores Ecclesiasticos infidelis est idem atque ethnicus, qui scilicet nondum Christi fidem recepit. *Vulgat. interpr.* 1. *Cor.* 7. 13. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem. Adde *ibid.* sæpe.

INFIDELITAS, atis, f. 3. (infidelis) fides violata, perfidia, *infedeltà*, ἀπιστία. *Cic.* 5. *Tusc.* 22. 63. Quantopere vero amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimescebat. *Cæs.* 2. *B. C.* 33. Infidelitatis suspicionem sustinere. *Vulgat. interpr. Sap.* 14. 25. Omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum et fictio, corruptio et infidelitas, turbatio et perjurium. — In plur. num. *Cic. Mil.* 26. 69. Vide quam sit varia vitæ commutabilisque ratio, quantæ infidelitates in amicitiis.

INFIDELITER, adverb. (infidelis). Sup. *Infidelissime.* — Infideliter est sine fide, *infedelmente*, ἀπίστως. *Cic.* 2. *ad Brut.* 1. Minus me puterim reprehendendum, si inutiliter aliquid senatui suaserim, quam si infideliter. *Salvian.* 3. *advers. Avar.* *a med.* Quærunt infidelissime, quos propinquos suos, aut affines suos dicant. *Vulgat. interpr. Esai.* 21. 2. Qui incredulus est, infideliter agit.

INFIDIBULUM. *V.* INFUNDIBULUM.

INFIDUCIATUS, a, um. *V.* voc. seq.

INFIDUCIO, as, atum, are, a. 1. Part. *Infiduciatus.* — Infiduciare est obligare res suas alicui. *Gloss. Isid.* Infiduciare, impignerare. Cf. *Furlanettus* affert etiam *Vet. instrum.* apud *Marin. Papir. diplom.* n. 121. *lin.* 22. Nulli antea (*res*) a se donatæ, cessæ, commutatæ, infiduciatæ. At hoc *instrum.* pertinet ad finem sæc. VI. post Chr. n.

INFIDUS, a, um, adject. (in *privat.* et fidus) non fidus, infidelis, *infido, infedele*, ἄπιστος. — *a*) De hominibus. *Cic. Amic.* 15. 53. Se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos. *Virg.* 2. *G.* 496. Infidi fratres. *Propert.* 1. 6. 18. vir. *Horat.* 4. *Od.* 15. 23. Persæ. *Id.* 1. *Ep.* 18. 4. scurra. *Sall. Cat.* 50. Rhodiorum civitas infida atque adversa nobis fuit. *Id. Jug.* 94. Genus hominum mobile, infidum. *Curt.* 10. 4. 7. Vanum eumdem et infidum, celeriterque res novaturum. *Tac.* 2. *Ann.* 3. Armenia vacua tunc, interque Parthorum et Romanas opes infida ob scelus Antonii. — *b*) De abstractis et rebus physicis: quorum nonnulla *Forcellinus* translate accepit. *Liv.* 1. 14. Infida societas regni. *Justin.* 1. 11. Barbaræ gentes fidei dubiæ et mentis infidæ. *Liv.* 9. 45. Æqui sub specie infidæ pacis quieti. *Val. Flacc.* 2. 578. promissa infida tyranni. *Id.* 7. 102. infida præceps prorumpit ab aula. *Ovid.* 3. *Art. am.* 578. Infida proditio. *Liv.* 34. 28. *ad fin.* Fuga infida ac trepida. *h. e.* intuta. *Lucret.* 2. 557. Infidi maris insidias viresque dolumque vitare. *Flor.* 3. 4. 5. Flumen glacie infidum. *Sil. It.* 4. 578. infida vorago. *Id.* 15. 105. sors. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (118). *de amphitheatro versatili Curionis.* Sedere ausi tam infida instabilique sede.

INFIDUS, a, um, adject. (in *et* findo) idem ac fissus, ita ut *infidus* eamdem originem habeat, quam *bifidus, trifidus, quadrifidus.* Ita legendum putat *Pontedera* in loco *Accii* apud *Non.* p. 395. 24. *Merc.* Ut rorulentas terras, ferro et infidas Proscindent. *Bothe Poet. trag.* p. 220. legit *ferro rufulas*; alii *ferro et uvidas.* Codex juxta *Merc.* habet *ferro fidas.*

INFIGO, figis, fixi, fixum, figere, a. 3. (in *et* figo). Part. *Infictus* pro infixus. *Callistrat. Dig.* 47. 9. 7. Navi vel inficta, vel fracta intra fines agri cujusque. Ita *Torrentin.* probante *Cujacio* et aliis: *Haloander* edidit *infixa.* — Part. *Infixus* I. et II.; *Infigendus* II. — Infigere est intus figere, immittere, ἐμπήγνυμι (It. *figgere, infiggere, ficcar dentro*; Fr. *ficher dans, enfoncer, faire entrer de force*; Hisp. *fixar, hincar, clavar una cosa en otra, encaxar*; Germ. *hineinheften, -fügen, -stossen, -schlagen*; Angl. *to fix, thrust, or fasten in*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Tusc.* 22. 50. Gladium hosti in pectus infixit. *Ovid.* 13. *Met.* 393. telum infixum educere. *Liv.* 27. 14. In quorum tergis infixa stetere pila. *Virg.* 9. *Æn.* 699. hasta stomacho infixa sub altum Pectus abit. Poetice *Id.* 4. *ibid.* 689. infixum stridet sub pectore vulnus. *h. e.* telum, quod infixum vulneraverat. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Taleæ pedem longæ, ferreis hamis infixis, totæ in terram infodiebantur. *Virg.* 9. *Æn.* 746. portæque infigitur hasta. *Sil. It.* 16. 568. infigere spicula metæ. *Cic.* 2. *Divinat.* 31. 67. Timide signifer evellebat, quod fidenter infixerat. *Virg.* 5. *Æn.* 504. adversique infigitur (*sagitta*) arbore mali. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 12. 79. (127). Omnia infixa corpori extrahunt folia tussilaginis, daucum etc. *Pompon. Dig.* 33. 7. 21. Quæcumque infixa inædificataque sunt, fundo legato continentur. *Cic.* 5. *Tusc.* 24. 69. Sidera certis infixa sedibus. Poetice *Nemesian. Cyneg.* 224. Infigere morsus. et *Sil. It.* 12. 738. natis infigunt oscula matres. *et ibid.* 502. infigere oscula dextræ.

II.) Translate. *Cic. Cluent.* 6. 17. Si hoc, quod in communibus hominum sensibus atque in ipsa natura positum atque infixum est, non viderem. *Id.* 1. *ad Brut.* 15. Animus semper infixus est in patriæ caritate. *Id. post redit. ad Quir.* 10. 25. Hæc cura erat infixa animo meo sempiterna. *Liv.* 3. 71. Rem se vetustate obliteratam, ceterum suæ memoriæ infixam afferre. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 9. Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis. *Plin.* 1. *Ep.* 20. Dolor pectori infixus hæret. *Quintil.* 9. 4. 134. docere aliquid et infigere animis. *Virg.* 4. *Æn.* 4. hærent infixi pectore vultus. *scolpiti in cuore.* Sic *Nazar. Paneg. Constant.* 12. Infigere vultus pectoribus. *Quintil.* 9. 2. 4. Alia repetitione, alia commoratione infigere. *imprimere.* Sic *Plin.* 1. *Ep.* 20. Quæ sint inculcanda, infigenda, repetenda. *Seneca Ep.* 11. Quidquid infixum et ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. Γνώμη. — Cum Accus. et Infinito. *Ammian.* 27. 3. Vilis quidam plebejus infixerat illum dixisse etc. — *Infixum est*, decretum est, certum est. *Tac.* 15. *Ann.* 5. Vologesi vetus et penitus infixum erat, arma Romana vitandi. Sic cum Infinito *Sil. It.* 4. 331. nec leti cura decori, Sed fugere infixum est. Adde *eumd.* 10. 644.

INFĪGŪRĀBĪLIS, e, adject. (in *privat.* et *figura*) non figuratus, informis, deformis. *Ammian.* 24. 4. Compage scutorum, velut testudine infigurabilium fornicum, operiebantur.

INFĪGŪRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et *figuratus*) non figuratus. *Cassiod. de anim.* 4. Forma animæ valde infigurata atque incorporali. — *NB.* Pro figurato, ut *aurei infigurati, h. e.* principis imagine insigniti, occurrit in *Pap.* apud *Marini Pap. Diplom.* n. 132., quæ pertinet ad sæc. VII. medium circiter.

INFĪMAS, ātis, m. et f. 3. *vel certius*

INFĪMĀTIS, is, m. et f. 3. (infimus) qui ex infima plebe est, *di infima condizione*, ut *summas*, qui nobilis ac summæ est nobilitatis. *Plaut. Stich.* 3. 2. 36. Ergo oratores populi, summates viri, summi accumbent: ego infimatis infimus. *Infimatis* pro *infimas* dictum est, quod et *Priscian.* adnotavit 7. p. 761. *Putsch.* et 12. p. 493. *V.* CUJAS. *Gloss. Philox.* Infimates, οἱ ὑστερεύοντες.

INFĪMĀTUS, a, um. *V.* INFIMO.

INFĪMĪTAS, ātis, f. 3. (infimus) conditio ejus, qui infimus est, *bassezza*. *Ammian.* 29. 2. Ipsa sortis infimitate ad omnia præceps. *Id.* 17. 13. Ad infimitatem obsequiorum venire servilium. Adde *Augustin.* 1. *Music.* 9. n. 15.

INFĪMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (infimus). Part. *Infimatus* I. et II. — Infimare est deprimere, infimum facere, *abbassare*.

I.) Proprie. *Capell.* 8. p. 287. Quis dubitet Cancrum Geminosque in mundi ardua sublimari, rursumque Sagittarium Capricornumque pererratis deflexibus infimari? *Id. ibid.* Umbræ pro locorum aut elationibus celsæ, aut inclinationibus infimatæ. *Apul.* 1. *Met.* Manes sublimare, deos infimare.

II.) Translate. *Apul. de Deo Socrat.* Ingenia ad miserias infimata.

INFĪMUS, a, um. *V.* INFERUS.

INFINDO, findis, fidi, fissum, findere, a. 3. (in *et* findo) idem quod findere, vel in aliqua re findere, ἐπισχίζω, *fendere, aprire, spaccare*. *Virg.* 5. *Æn.* 142. Infindunt pariter sulcos. *Id.* 4. *Ecl.* 33. telluri infindere sulcos. *Val. Flacc.* 1. 687. volat immissis cava pinus habenis, infinditque salum. — Tribuunt et *Cic. Brut.* 16. 62. Quum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus. *At omnino legend.* infunderentur. h. e. *s'introducessero*. — *Paul. Diac.* p. 112. 4. *Müll.* Infindere, intercipere, interponere. *h. e.* interjicere: ducta metaphora a surculis, qui infissis truncis arborum inseruntur, inquit *Scaliger*: vel potius *infindere* hic scribitur pro *infendere*. *V.* INFENDO.

INFĪNĪBĪLIS, e, adject. (in *privat.* et finio) qui finem habere non potest. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Quum viduata sit fine, infinibilis recte videri potest. *Capell.* 2. p. 45. Universumque totum infinibilis patris profunditate coercitum veneratur.

INFĪNIS, e, adject. (in *privat.* et finis) qui finem non habet, infinitus. *V.* DEFINIS.

INFĪNĪTAS, ātis, f. 3. (in *privat.* et finis) immensitas, *infinità*, ἀοριστία, ἀπειρία. *Cic.* 1. *Nat. D.* 26. 73. Infinitas locorum innumerabilitasque mundorum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Infinitas naturæ. *Priscian.* 8. p. 815. *Putsch.* Infinitas temporis. — In plur. num. *Ammian.* 15. 1. Infinitates mundorum. — Absolute. *Cic.* 5. *Tusc.* 39. 114. Ille in infinitatem omnem peregrinabatur. *Augustin.* 1. *Music.* 9. n. 15. Illud etiam intelligis, omnem mensuram et modum immoderationi et infinitati recte anteponi. *h. e.* ei, quod fine caret.

INFĪNĪTĒ, adverb. (infinitus). ¶ 1. Est sine fine, immense, *infinitamente*, ἀορίστως. *Cic.* 6. *Parad.* 3. 49. Supellectilem et vestem infinite concupiscenti. *Id.* 1. *Acad.* (post.) 7. 27. Infinite secare ac dividere aliquid. *Id. Orat.* 36. 127. Infinite perorare. ¶ 2. Item non definite, atque adeo universim, *universalmente*. *Gell.* 14. 7. *a med.* Referri oportere (*ad senatum*) aut infinite de republica, aut de singulis rebus finite.

INFĪNĪTIO, ōnis, f. 3. (infinitus) idem atque infinitas. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 21. Infinitio ipsa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo (*Democrito*) est. — Pro abstracta qualitate, qua quid numero vel quantitate definiri nequit, *indeterminazione di numero*. *Priscian. super XII. vers. Æn.* p. 1268. *Putsch.* Numeri, *quot*; quod similiter tria significat, interrogationem, infinitionem, relationem. Adde *eumd. ibid.*

INFĪNĪTĪVUS, a, um, adject. (infinitus). *Infinitivus modus* (qui et *Infinitivus*, i, m. 2. absolute substantivorum more dicitur), Gr. ἀπαρέμφατον, est unus ex modis verborum; quia nullum certum numerum, nec personam sibi aperte definit. Nam numeri et personæ in infinitivo sunt incerta, obscure latent, evolvenda sunt beneficio pronominum, ut *me amare, illos amare* etc. *Diomed.* 1. p. 331. et *Priscian.* 8. p. 808. et 822. *Putsch.*; *Capell.* 3. p. 83.; et *Isid.* 1. *Orig.* 8. *V.* et INFINITUS sub *B.* 2.

INFĪNĪTĪVUS, i, m. 2. *V.* voc. præced.

INFĪNĪTŌ, adverb. *V.* voc. seq. sub *B.* 1. *d.*

INFĪNĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et finitus). Comp. *Infinitior* et Sup. *Infinitissimus* sub *B.* — Infinitus duo præcipue significat, scilicet *A*) Est qui finem non habet; et *B*) Indefinitus.

A) Infinitus est qui finem, seu terminum non habet, immensus, interminatus, ἄπειρος, ἀόριστος (It. *infinito*; Fr. *infini, illimité, sans bornes*; Hisp. *infinito, ilimitado*; Germ. *unbegränzt, gränzenlos*; Angl. *infinite, endless, without bounds, immense*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 50. 103. Nihil, quum habeat extremum, infinitum sit, necesse est. *V.* ibi præcedentia. *Lucret.* 5. 371. spatium infinitum. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. 33. Infinita potestas. Sic *Liv.* 3. 9. Duos pro uno dominos acceptos, immoderata, infinita potestate. *Forcellinus* h. l. pro immodica accepit.

II.) Translate est amplus, immodicus, multiplex, numerosus. — *a*) Cum addito Substantivo. *Cic.* 2. *Divinat.* 43. 91. Reliqua vero tria intervalla, infinita et immensa, a Sole ad Martis, inde ad Jovis, ab eo ad Saturni stellam etc. *Id.* 6. *Verr.* 48. 107. Spelunca infinita altitudine. *senza fondo*. *Id.* 1. *Off.* 16. 52. Infinita multitudo eorum, qui his egent. Cf. *Gell.* 14. 1. Infinitus prope et innumerabilis annorum numerus. Rursus *Cic.* 1. *Nat. D.* 9. 21. Ab infinito tempore. *Id. Dejot.* 5. 13. A Pompejo discessit: spem infinitam persequi noluit. *Id. Balb.* 27. 62. Si qui sunt, quibus infinitum sit odium. *Id.* 1. *Orat.* 1. 1. Infinitus rerum forensium labor. *Nepos Att.* 20. Infinitæ occupationes. *Quintil.* 10. 3. 12. curæ. *Justin.* 15. 4. 2. magnitudo. *Id.* 39. 2. 7. pondus. *Jabolen. Dig.* 35. 2. 61. Quum heres fundum emere, nisi infinito pretio, non posset. *h. e.* immodico. *Scribon. Compos.* 221. celeritas. *Id. ibid.* 194. dolor. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 23. (56). Singultus infiniti, aut sternutamenta. *Alter Plin.* 2. *Ep.* 10. 8. Infinita cunctatio. *Spartian. Hadrian.* 20. aquarum ductus. *Eutrop.* 4. 9. auxilia. — *b*) Neutr. genere absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 15. 65. Si cuipiam nimis infinitum videtur, quod ita proposui. *h. e.* nimis amplum. *Quintil.* 11. 3. 121. Omnia persequi prope infinitum est. *Id.* 5. 10. 16. Impossibile, aut potius infinitum est. *Curt.* 10. 1. 17. Ipse (*Alexander*) animo infinita complexus, statuerat etc. — Cum Genitivo *Eutrop.* 9. 9. Infinitum auri. *h. e.* immensum auri pondus. — *c*) Adverbii more occurrit — *Ad* vel *in infinitum* apud *Plin.* 34. *Hist. nat.* 2. 3. (5). Quum ad infinitum operum pretia creverint. Sic *Id. ibid.* 7. 16. (35). Hæc (*ars statuaria*) ad infinitum effloruit. Adde *Quintil.* 11. 2. 41. Rursus *Plin.* 17. *Hist. nat.* 25. 38. (243). In infinitum ne abeamus. *Quintil.* 1. 10. 49. Sectio in infinitum. *Ulp. Dig.* 38. 16. 2. Deincepsque ceteri, si qui sunt, in infinitum. — *Infinitum quantum* apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (277). Infinitum quantum illo tempore cadentes pruinas congelat. *non si può dir quanto*. — *Infinitum* apud *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 74. (189). Infinitum refert et lunaris ratio. *infinitamente, assaissimo*. — *Infinito* apud *Quintil.* 8. 4. 25. Infinito plus. *Id.* 11. 3. 172. Infinito magis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 53. (93). Quidquid in Creta nascitur, infinito præstat ceteris alibi genitis. *è infinitamente migliore*. *Seneca procem. l.* 2. *excerpt. controvers. ante med.* Ex tempore coactus dicere, infinito se antecedebat.

B) Infinitus est etiam indefinitus, *indeterminato, universale*. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum addito Substantivo. *Cic. Topic.* 8. 33. Formarum certus est numerus, quæ cuique generi subjiciantur: partium distributio sæpe est infinitior, tamquam rivorum a fonte deductio. *Boeth.* 1. *Arithm.* 1. p. 988. Magnitudo a finito inchoans quantitate modum in divisione non recipit; infinitissimas enim sui corporis recipit sectiones. — Hinc *infinita quæstio* dicitur a rhetoribus, in qua aliquid indefinite et universim quæritur, v. gr. *expetenda ne sit eloquentia*: cui opponitur *finita*, in qua certum quippiam ac determinatum disputatur: *V.* FINITUS. *Cic.* 1. *Orat.* 31. 138. Esse omnem orationem aut de infinitæ rei quæstione, sine designatione personarum et temporum; aut de re certis in personis ac temporibus locata. Adde *eumd. Partit. orat.* 18. 61.; et *Quintil.* 3. 5. 5. et 3. 6. 81. — Similiter *infinitæ conjunctiones* apud *Cic. Fat.* 8. 15. et *infinita connexa* sunt propositiones, quas vocant *particulares*, h. e. de re aliqua indefinita, ut Si quis natus est oriente Canicula, in mari non morietur. — *b*) Hinc *juridicus de infinito* est de quocumque pecuniæ summa, in *Inscript.* quæ pertinet ad Gallieni Aug. tempora apud *Orell.* 3174. M. AELIO AVRELIO THEONI V. C. IVRID. DE INFINITO PER FLAM. ET VMBRIAM. — *c*) *In infinito* absolute est ad libitum. *Paul. Dig.* 9. 2. 23. Cujus ædificium jure superius est, ei jus est, in infinito supra suum ædificium imponere. *Cels. ibid.* 8. 1. 9. Si cui simpliciter via per fundum cujuspiam cedatur, in infinito, videlicet per quamlibet ejus partem, ire, agere licebit. — *d*) *Infinito* legitur apud *Mæcian.* eodem sensu *de asse* § 39. Partem aliquam infinito separare. *V.* SIMPLIUM. ¶ 2. Speciatim in re grammatica — *a*) *Infinitus* verborum (subaudi *modus*) est qui nullas designat personas, aut numerum: *V.* INFINITIVUS. *Quintil.* 1. 6. 7. Dummodo per eamdem litteram in infinito exeant. Adde *eumd.* 1. 6. 8. — Similiter *Infinitum verbum* est verbum infinitivi modi. *Quintil.* 9. 3. 9. (ad illud *Pers.* 1. 9. nostrum istud vivere triste). Quum infinito verbo usus sit pro appellatione. — *b*) *Infinitum pronomen* est, quod personas non recipit, ut *quis, quæ, quid*: contra *finitum*, quod recipit, ut *ego, tu, ille*. *Varro* 10. *L. L.* 18. *Müll.*; et *Donatus edit.* 2. p. 1752. *Putsch.* — *c*) *Infinitum nomen* est, quod rem indefinitam significat, ut *qualis, quantus, quot*, quum sine interrogatione ponuntur. *Priscian.* 2. p. 580. *Putsch.*

INFĪNĪTUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. sub *B.* 2. *a.*

INFIO. *V.* INFIT init.

INFIRMĀTĪO, ōnis, f. 3. (infirmo) actus infirmandi, *indebolimento*, ἀσθένωσις. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 3. 8. Sed suspicione ac perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum. ¶ 2. Speciatim sumitur pro argumento, quo ratio infirmatur. *Cic.* 1. *Invent.* 13. 18. Judicatio est, quæ ex infirmatione et confirmatione rationis nascitur controversia. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 21. 62.

INFIRMĀTUS, a, um. *V.* INFIRMO.

INFIRMĒ, adverb. (infirmus). Comp. *Infirmius* II. — Infirme est debiliter, *debolmente*, ἀσθενῶς.

I.) Proprie. *Cic.* 15. *Fam.* 1. Etsi intelligebam socios infirme animatos esse. De oratione *Plin.* 1. *Ep.* 21. *ad fin.* Ut illud immodice et redundanter, ita hoc jejune et infirme.

II.) Translate de animo. *Sueton. Aug.* 9. Tonitrua et fulgura paullo infirmius expavescebat.

INFIRMIS, e, adject. *V.* INFIRMUS init.

INFIRMĪTAS, ātis, f. 3. (infirmus) invaliditas, imbecillitas, debilitas illa, quæ vel ex ætate, vel ex morbo contingit, ἀσθένεια (It. *debolezza*; Fr. *faiblesse*; Hisp. *flaqueza, debilidad*; Germ. *die Schwäche, Kraftlosigkeit*; Angl. *weakness, feebleness, invalidity, imbecility*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Senect.* 10. 33. Infirmitas est puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis ætatis. Sic *Quintil.* 2. 3. 7. Puerilis infirmitas. Rursus *Cic. Brut.* 91. 313. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis. *Quintil.* 5. 2. 3. Infirmitas personarum. *Id.* 10. 2. 19. naturæ. *Plin.* 7. *Ep.* 21. oculorum. — Abstractum pro concreto, de iis qui infirmi sunt. *Liv.* 34. 7. *extr.* Patiendum huic infirmitati est, quodcumque vos censueritis. *h. e.* mulieribus. Sic *Quintil.* 2. 2. 14. Infirmitas a robustioribus separanda est. *h. e.* pueri separandi sunt. ¶ 2. Speciatim ponitur pro morbo, *infermità*. *Sueton. Tib.* 72. Ne quam suspicionem infirmitatis daret, castrensibus ludis interfuit. *Justin.* 28. 3. *extr.* Infirmitate correptus in itinere decessit. Adde *eumd.* 2.

15. 6., 11. 8. 6. et 26. 3. 2. *Plin.* 10. *Ep.* 6. Proxima infirmitas mea obligavit me Mariuo medico. *Ulp. Dig.* 4. 6. 38. Si infirmitate impeditus continuare iter non potuit. Adde *Quintil.* 2. 3. 9. et 2. 4. 6.; et *Tac. Dial. de orat.* 23. *a med.*

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de rebus physicis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 18. (78). Hordeo contra tempestates maxima infirmitas. *Alphen. Dig.* 39. 2. 43. Infirmitas ædificii. — Infirmitas vini est imbecillitas, qua ferre ætatem nequit. *Colum.* 12. *R. R.* 20. 7. Propter nimiam infirmitatem vini, quod vix triginta diebus integrum permanebat. — Huc referri potest et illud *Cæs.* 7. *B. G.* 26. Matresfamilias petierunt, ne se et communes liberos hostibus ad supplicium dederent, quos ad capiendam fugam naturæ et virium infirmitas impediret. ¶ 2. Per metaphoram de animo ponitur. *Cic. Rosc. Am.* 4. 10. Impositum onus propter infirmitatem animi deponere. *Seneca Ep.* 11. Infirmitas mentis. *Papinian. Dig.* 41. 2. 44. memoriæ. ¶ 3. Ponitur et pro levitate et inconstantia, *incostanza*, *leggerezza*. *Cæs.* 4. *B. G.* 5. Infirmitatem Gallorum veritus, quod sunt in consiliis capiendis mobiles et novis plerumque rebus student. Adde *Colum.* 3. *R. R.* 10. 7.

INFIRMĬTER, adverb. infirme. *Vulgat. interpr. Sap.* 4. 4. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur et a nimietate ventorum eradicabuntur. *Arnob.* 7. 42. Quam infirmiter invallideque dicatur.

INFIRMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (infirmus). Part. *Infirmatus* I. et II. — Infirmare est infirmum reddere, ἀσθενόω (It. *indebolire*; Fr. *affoiblir, débiliter, énerver*; Hisp. *debilitar, extenuar, enervar*; Germ. *schwächen, entkräften*; Angl. *to weaken, enfeeble*).

I.) Proprie. *Tac.* 15. *Ann.* 10. Legiones promiscuis militum commeatibus infirmaverat. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 138. 6. *Merc.* Ne ex latere nova munimenta madore infirmarentur. *Ammian.* 30. 1. Milites periculoso madore infirmati. *Id.* 25. 1. Infirmatus humerum telo. *Id.* 24. 4. Membris infirmati. *Cels.* 2. 12. Alvus, si vehementius fluit, hominem infirmat. *Sueton. Aug.* 84. Infirmatæ fauces.

II.) Translate. — *a*) De animi et aliarum rerum viribus pro debilitare, frangere. *Cic. Pis.* 19. 44. Infirmatus conscientia scelerum. *Ita plerique*; at Orellius *legit* infrenatum. *Ammian.* 17. 5. Infirmato imperii robore. — *b*) Sumitur sæpius pro confutare, refellere, dissolvere, *confutare, sciogliere*, ostendendo scil. verbis, nullam in re, quæ objicitur, aut teste, vim inesse ad probandum. *Cic. Rosc. Am.* 15. 42. Ego res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum. *Id.* 2. *Nat. D.* 59. 147. Quanta vero illa sunt, quæ vos Academici infirmatis ac tollitis? *Id.* 1. *Orat.* 31. 143. Quæ pro adversariis sunt, infirmare et frangere. *Id. Rosc. com.* 15. 45. Infirmare fidem testis. *Id.* 15. *Att.* 26. Dubitans, utrum morem gerat Lepidæ, an fidem infirmet Silio. — *c*) Item pro rescindere, irritum reddere, *annullare, sciogliere*. *Liv.* 34. 3.; et *Quintil.* 7. 1. 49. Infirmare legem, *h. e.* legi vim atque auctoritatem adimere. *Hermogenian. Dig.* 49. 14. 46. Infirmatus contractus, *h. e.* rescissus. *African. ibid.* 19. 30. 105. *circa med.* Infirmare legatum. *Ulp. ibid.* 28. 4. 2. testamentum. *Vellej.* 2. 2. 2. Graviter ferens aliquid a se factum infirmari.

INFIRMUS, a, um, adject. (in *privat. et* firmus). Alia forma *infirmis*, e, occurrit apud *Ammian.* 2. 6. Coagmenta lapidum recens structorum, madoreque etiamnum infirmium. Similiter *Vulgat. Ital.* (edente *A. Maio*) *Prov.* 31. 4. Potentes iracundi sunt: vinum non bibant, ne quum biberint, obliviscantur sapientiam et rectum non possint indicare infirmibus. Adde *ibid. Act.* 20. 33. — Comp. *Infirmior* et Sup. *Infirmissimus* I. et II. — Infirmus est non firmus, imbecillus, debilis, ἀσθενής (It. *debole, infermo*; Fr. *faible, debil*; Hisp. *floco, debil, feble*; Germ. *schwach, schwächlich*; Angl. *weak, feeble, infirm*).

I.) Proprie. — *a*) Sine additis. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 95. Nemo ætate tam affecta, neque viribus tam infirmis fuit, qui non surrexerit. *Id. Brut.* 48. 180. Infirma atque etiam ægra valetudine esse. *Id.* 7. *Verr.* 33. 86. Classis inops et infirma. *Id.* 1. *Orat.* 45. 200. Valetudo infirmissima. *Sueton. Aug.* 98. Infirma intestina. *Fronto* 3. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 29. Sum adhuc a cubito et cervice infirmus. Similiter de eo, qui æger est, *infermo*, *Plin.* 7. *Ep.* 26. Nuper me cujusdam amici languor admonuit, optimos esse nos, dum infirmi sumus. *Ovid. Ib.* 44. Infirmum pecus. h. e. oves. *Lucan.* 5. 545. Infirmum lumen solis. *poca luce*. *Cels.* 2. 18. Infirmior est panis ex polline: infirmissimus cibarius panis. *h. e.* minoris alimenti, *di minore sostanza*. *Colum. arbor.* 3. 7. Infirmi saporis vinum, nec perenne. *di poca forza e durata, vino debole*. Cf. *Ter. Phorm.* 5. 1. 6. Infirmæ nuptiæ. *che non hanno durata*. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (217). Infirmissimæ arbores. *Id.* 23. *ibid.* 2. 28. (59). Infirmi nervi. *Ovid.* 6. *Met.* 27. artus. *Id. Heroid.* 19. 7. corpus. *Id.* 6. *Fast.* 599. ætas. *Cæs.* 7. *B. G.* 17. Alteri non magni facultatibus, quod civitas erat exigua et infirma. *Quintil.* 2. 3. 8. Si potens infirmum se vocet. Adde *Nepot. Eumen.* 3. et *Themist.* 6. — *b*) Cum addito Accusativo et præpos. *ad* vel *adversus*. *Cæs.* 3. *B. C.* 9. Quum essent infirmi ad resistendum. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 20. 37. (145). Infirmior ad omnia hæc est, quem schiston appellant. *h. e.* minoris virtutis adversus hæc mala. *Sillig.* ex multis iisque optimis Codicib. leg. *Infirmiora omnia eadem in eo, quem* etc. *Curt.* 4. 14. 13. Falcem, infirmissimum adversus fortes viros telum, contemnite. — *c*) Absolute, substantivi more. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 43. 67. (145). Giuliunt usque ad infirma lineæ. *sin dove la corda dell' amo è ben salda*.

II.) Translate. — 1.°) Sæpe refertur ad animum, et — *a*) Dicitur de eo, qui humili aut fracto animo est. *Cæs.* 1. *B. C.* 32. Tenuis et infirmus animus. Adde *Juvenal.* 13. 190. Rursus *Cæs.* 1. *B. C.* 3. Quorum vocibus et concursu terrentur infirmiores, dubii confirmantur. *coloro che hanno minore spirito*. — *b*) Et quoniam ex infirmitate metus, sic ex metu religio sive superstitio oritur, hinc infirmus dicitur superstitiosus, δεισιδαίμων. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 70. nulla mihi, inquam, Religio est. Ast mi: sum paullo infirmior. *alquanto scrupoloso*. Eod. sensu *Cic.* 2. *Divinat.* 39. 81. Imbecilli animi superstitiosa ista concipiant. — *c*) Speciatim de iis dicitur, qui inconstantes sunt ac leves animo aut fide: quo sensu et *infirmitas* a *Cæsare* adhibetur. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 6. Veniunt imprudentissimi ad rem maxime necessariam: deinde etiam infirmissimi. — 2.°) Præterea refertur ad ea, quæ minus valent ad probandum, minusque habent auctoritatis ac ponderis. *Cic. Cæcin.* 23. 64. Omnino ad probandum utraque res infirma et nugatoria est. *Id. Rosc. com.* 2. 6. Quod apud omnes leve et infirmum est, id apud judicem grave et sanctum esse ducetur? *Id.* 7. *Fam.* 18. Vestræ cautiones infirmæ sunt. *Quintil.* 5. 12. 4. Infirma argumenta. *Id.* 5. 10. 57. probatio. *Id.* 7. 8. 1. finitio.

INFIT, verbum defectivum. *Priscian.* 8. *sub fin. Putsch.* docet *infio* apud *Varron.* inveniri. In *Gloss.* quoque *Philox.* legitur *infe*, ἄρξαι, h. e. incipe: et *infiunt* apud *Capell.* 2. *ad fin.* Nunc ergo mythos terminatas, infiunt Artes libelli qui sequentes asserent. — Ceterum apud optimos quosque scriptores hæc sola in usu est persona; de qua ita *Paul. Diac.* p. 112. 9. *Müll.* Infit, incipit, sed diversæ significationis est ab eo, quod est *fit*. nam *infit* agentis, *fit* autem patientis est. — Itaque *infit* est idem quod incipit, ἄρχεται (It. *comincia*; Fr. *il ou elle commence*; Hisp. el *comenza, empeza*; Germ. er, *sie, es fängt an*; Angl. *he begins*). Occurrit ¶ 1. Generatim cum Infinito. *Plaut. Aulul.* 2. 4. 38. Homo ad prætorem deploratum venit: infit ibi postulare, ut etc. *Id. Asin.* 2. 2. 76. Me infit percontarier. *Id. Merc.* 2. 1. 25. Infit mihi prædicare, sese abduxisse etc. *Id. Rud. prol.* 51. Infit laudare. *Lucret.* 3. 516. Commutare animum quicumque adoritur et infit. *Id.* 5. 1207. caput erigere infit. *Virg.* 5. *Æn.* 708. his Æneam solatus vocibus infit. *Id.* 11. *ibid.* 242. Ita fariei infit. *Sil. It.* 12. 67. rursusque hortatibus infit Laudum agitare suos: Pro di, qui terminus, inquit, etc. ¶ 2. Speciatim et absolute est, incipit dicere, *comincia a dire*. *Ennius* apud *Priscian.* 10. p. 880. *Putsch.* Infit: o cives, quæ me fortuna etc. *Virg.* 10. *Æn.* 860. alloquitur mœrentem et talibus infit. *Id. ibid.* 10. Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas, Infit: eo dicente etc. Adde *eumd.* 7. 258.; et *Val. Flacc.* 1. 666. Sic *Liv.* 3. 71. Ibi infit, annum se tertium et octogesimum agere etc. *Ovid.* 4. *Met.* 475. Atque ita, non longis opus est ambagibus, infit. ¶ 3. Hinc *infit*, loquitur, *parla*, apud *Prudent. Apotheos.* 805. *de anima.* Imperat, antevidet, perpendit, præcavet, infit.

INFĪTENS, entis, particip. ab *infiteor*, qui non fatetur. *Gloss. Philox.* Infitentes, ἀρνούμενοι. *V.* voc. seq.

INFĪTĒRI, non fateri. *Paul. Diac.* p. 112. 10. *Müll.*

INFĪTIĀLIS *vel* inficialis, e, adject. (infitior) negativus, *negativo*, ut Constitutio infitialis, qua negamus quod objicitur, vel quod petitur. *Cic. Topic.* 24. 92. Itaque aut infitialis, aut conjecturalis prima (*quæstio*) appellatur. *Quintil.* 3. 6. 31. Status infitialis. *V.* INFITIOR.

INFĪTĬAS *vel* inficias, (infitior) nomen defectivum, in quarto plurali solummodo usurpatum, cum verbo *eo, is*. Itaque *infitias ire* est negare, *sconfessare*, ea ratione, qua *exsequias, suppetias ire* dicimus: omissa *ad* præpositione, quæ exprimitur in illo *Pauli Dig.* 10. 2. 44. Non calumniæ causa ad infitias ire. Ita *Torrentin.*, nam *Haloand.* τὸ *ad* omittit. Fere dicitur de iis, quæ vera sunt et probe scimus, sed fateri nolumus: et occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Plaut. Cist.* 4. 1. 9. Omnia infitias ire ea, quæ dudum confessa est mihi. Adde *eumd. Men.* 2. 3. 45. Sic *Ter. Adelph.* 3. 2. 41. Si hoc palam proferimus, ille infitias ibit. *Nepos Epam. in fin.* Hujus de virtutibus satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo est infitias. *Curt.* 7. 1. 26. Amicitiam, quæ nobis cum Philota fuit, adeo non eo infitias, ut expetisse confitear. Adde *Quintil.* 4. 2. 67. — *b*) Cum Infinito. *Liv.* 6. 40. Quorum alterum neque nego, neque infitias eo, nos enixe operam dedisse etc. Adde *eumd.* 31. 31. Sic *Curt.* 7. 1. 35. Nec infitias eo, liberi hominis animo loquutum esse me cum ignavissimo. *Quintil.* 3. 7. 1. Neque infitias eo, quasdam esse ex hoc genere materias. Adde *eumd.* 1. *procem.* 4. — *c*) Absolute, ita tamen, ut Accusativus rei ex ipsius orationis contextu facile pateat. *Plaut. Most.* 4. 3. 29. Fides servanda est, ne ire infitias postules. *Id. Bacch.* 2. 3. 25. Infitias ire cœpit filio. Adde *eumd. Mil. glor.* 2. 2. 32., *Pseud.* 4. 6. 24. et *Truc.* 4. 3. 18. et 76. Sic *Tac.* 15. *Ann.* 2. Non ibo infitias: æquitate quam sanguine, causa quam armis retinere parta majoribus malueram. — *d*) Sequente part. *quin*. *Frontin. Aquæd.* 72. Nec eo infitias, quin etc. Sic *Vellej.* 2. 26. et 19. 5. Non infitias eo, quin etc.

INFĪTĬĀTĬO *vel* inficiatio, ōnis, f. 3. (infitior) negatio, *negazione*, ἄρνησις. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Orat.* 25. 105. Ac nostræ fere causæ, quæ quidem sunt criminum, plerumque infitiatione defenduntur. *Quintil.* 3. 6. 32. Infitiatione uti. *Id.* 5. 13. 7. Nuda infitiatione. Adde *eumd.* 8. 5. 5. et 8. *procem.* 9. *Ammian.* 18. 1. Qui quum infitiatione defenderet objecta, nec posset in quoquam confutari etc. Adde *eumd.* 15. 5. et 29. 1. ¶ 2. Speciatim est negatio pecuniæ debitæ, aut depositi. *Seneca* 2. *Ira* 9. Circumscriptiones, furta, fraudes, infitiationes. *Cels. Dig.* 47. 2. 69. Infitiatio depositi. *Terent. ibid.* 46. 7. 16. Compellere ad infitiationem.

INFĪTĬĀTOR *vel* inficiator, ōris, m. 3. (infitior) qui infitiatur, *negatore*, ἀποστερητής; et præcipue qui debitam pecuniam, aut depositum, aut hujusmodi negat fraudandi causa. *Cic.* 1. *Orat.* 37. 168. Si ille infitiator probasset judici, ante petisse esse pecuniam etc. *Id.* 2. *Cat.* 10. 21. Hos non tam acres milites, quam infitiatores lentos esse arbitror. *cattivi pagatori*. *Martial.* 1. 104. In jus, o fallax atque infitiator, eamus. *Seneca* 3. *Benef.* 17. *ad fin.* Tristis et sollicitus, qualis esse infitiator ac fraudulentus solet. Adde *Quintil.* 7. 2. 50.; *Martial.* 1. 98.; et *Sidon.* 3. *Ep.* 13.

INFĪTĬĀTRIX *vel* inficiatrix, icis, f. 3. quæ infitiatur. *Prudent. Psychom.* 630. Fluei fraus infitiatrix.

INFĪTĬOR *vel* inficior, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Quibusdam placet esse ab in privativa et *facio*, quasi quis ajat, se non fecisse: itaque per *c* scribunt. Aliis ab *in* et *fateor*: et scribunt per *t*. Hos inter sunt *Paul. Diac.*, *Manut.*, *Cellar.*; inter illos *Dausquius*. In neutram partem *Voss.* inclinat: nos in priorem; ita tamen ut alteram non damnemus.

Hucusque *Forcellinus*. — Part. *Infitians* 2.; *Infitiatus* et *Infitiandus* 1. — Infitiari est negare, pernegare: et dicitur fere de iis, qui quæ vera sunt et sibi nota optime, tamen negant, ἀρνέομαι (It. *sconfessare, negare*; Fr. *nier*; Hisp. *negar*; Germ. *verläugnen, läugnen*; Angl. *to deny, disavow, disown*). Occurrit ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Accusativo rei. *Cic.* 3. *Cat.* 5. 11. Quum id posset infitiari, repente confessus est. *Id.* 3. *Off.* 16. 65. Quæ qui infitiatus esset, dupli pœnam subiret. *Id. Partit. orat.* 14. 50. Infitiari verum. *Ovid.* 4. *Pont.* 6. 42. quum magna meorum Notitiam pars est infitiata mei. *Id.* 2. *Amor.* 17. 265. Infitiandus amor. *Id. Heroid.* 9. 4. fama Decolor et factis infitianda tuis. *Martial.* 5. 30. Varro, Sophocleo non infitiande cothurno. *h. e.* quem tragica poesis numquam infitiabitur suum maximum cultorem. — *b*) Cum Infinito. *Cic. Sext.* 22. 49. Neque enim, in hoc me hominem esse, infitiabor unquam. *Nepos Hann.* 1. Non est infitiandum, Hannibalem tanto præstitisse etc. *Curt.* 7. 7. 25. Ne possis infitiari dixisse, quæ dixeris. Adde *Quintil.* 2. 1. 6. et 12. 10. 74. — *c*) Absolute. *Cic.* 6. *Verr.* 47. 104. Earum rerum nullam sibi iste neque infitiandi, neque defendendi facultatem reliquit. *Id. Partit. orat.* 29. 102. Is qui defendit, resistat oportet aliquo statu, aut infitiando, aut defiuiendo etc. *Varro* 5. *L. L.* 49. *Müll.* Infitiabatur de aliis rebus. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 31. quum Capitolia nostræ Infitiata lyræ. *h. e.* quum in agone Capitolino victus fui. ¶ 2. Spectatim de iis, qui pecuniam debitam, depositum aliudve id genus negant, fraudandi causa. *Paul. Diac. p.* 112. 11. *Müll.* Infitiari, creditum fraudare. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 3. § 10. Quid, si infitiatur? quid, si omnino non debetur? *Juvenal.* 13. 60. si depositum non infitietur amicus. *Flor.* 1. 22. 2. Postumium infitiantem, quas promiserat, prædas, lapidavit. *V.* INFITIATOR et INFITIATIO 2.

INFIXUS, a, um. *V.* INFIGO.

INFLABELLĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *inflabello. Tertull. advers. Valentinian.* 23. His omnibus elementis atque corporibus ignis inflabellatus est. *h. e.* flando immissus. *V.* FLABELLO.

INFLĀBILIS, e, adject. (inflo). ¶ 1. Passive est qui inflari potest. *Lactant. Opif. D.* 11. pulmonem vocat viscus inflabile atque aeris capax. ¶ 2. Active est qui inflat, ut inflabiles cibi, apud *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 40. 233.

INFLACCĒO, es, ere, n. 2. (in *et* flacceo) flaccidus, infirmus, inutilis fio. Translate *Ennius* apud *Non. p.* 110. 14. *Merc.* Inflaccebunt conditiones. *Sic vulgati libri*: *at* Gulielmus in Plauti Capt. c. 5. *legit.* Sin flaccebunt; *quam lectionem retinuit et cl.* Vahlen.

INFLĀGRO, as, are, n. 1. (in *et* flagro) intus flagrare, vel accendi. Occurrit tantum Part. *Inflagrans* apud *Solin.* 5. *ad fin. de Sicilia.* Sarmenta, licet viridia, ignem sponte concipiunt, et, nullo inflagrante halitu, ab ipso numine fit accendium.

INFLĀMEN, inis, n. 3. (inflo) idem atque inflatio. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 9. Minerva ex osse tibias invenit, quibus quum in convivio deorum cecinisset, ejusque tumentes buccas dii omnes irrisissent, illa ad Tritoniam paludem pergens, in aqua faciem suam speculata, dum turpia adjudicasset buccarum inflamina, tibias jecit.

INFLAMMANTER, adverb. (inflammo) cum inflammatione, *con ardore*. Translate *Gell.* 10. 3. *circa med.* Acriter et inflammanter facit complorationem tam acerbæ rei.

INFLAMMĀTĬO, ōnis, f. 3. (inflammo) actus inflammandi, φλόγωσις, φλεγμονή (It. *infiammazione, accensione, incendio*; Fr. *action d'incendier, incendie*; Hisp. *inflamacion, la accion de encender, incendio*; Germ. *d. Feuersbrunst, d. Brand*; Angl. *an inflammation, accension, kindling, lighting up*).

I.) Proprie. *Flor.* 4. 2. 3. Cæsaris furor totum, qua patebat, imperium quodam quasi diluvio et inflammatione corripuit. *Nazar. Paneg. Constantin.* 21. Quum portarum inflammatio ignem late distulisset.

II.) Translate. ¶ 1. Ad corpus refertur, et apud medicos sic dicitur, quum noxius humor collectus in aliqua parte corporis cum doloris sensum facit, qui ignis ardore sentitur. *Cels.* 6. 6. n. 1. Oculos interdum inflammatio occupat. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 64. (132). Inflammatio aurium. et *ibid.* 25. 72. (149). testium. *Id.* 28. *ibid.* 9. 37. (141). ulcerum. *Id. ibid.* 4. 13. (50). sedis. *Cels.* 4. 5. stomachi. *Id.* 4. 6. Laterum inflammatio se remittit. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 20. 86. (150). Inflammationem discutere. *Id.* 22. *ibid.* 25. 74. (155). sedare. *Id.* 24. *ibid.* 8. 35. (51). refrigerare. *Id.* 23. *ibid. procem.* 3. (3). mitigare. *Cels.* 7. 25. reprimere. *Id.* 6. 6. *extr.* lenire. *Id.* 5. 26. *n.* 20. *extr.* solvere. *et n.* 21. et 23. movere. *promuovere, cagionare.* et *n.* 28. excitare. *Scribon. Compos.* 183. inferre. *V.* INFLAMMO II. 1. ¶ 2. Item ad animum. *Cic.* 2. *Orat.* 46. 194. Poetam bonum neminem sine inflammatione animorum exsistere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris.

INFLAMMĀTRIX, icis, f. 3. (inflammo) quæ inflammat; et translate incitat et accendit. *Ammian.* 14. 1. Megæra inflammatrix. *Mamertin. Paneg. Julian.* 3. Eædem odii causæ, quæ amoris inflammatrices.

INFLAMMĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INFLAMMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* flamma). Part. *Inflammatus* in omnibus paragr.; *Inflammandus* I. et II. 2. — Inflammare est flammam inferre, accendere, igne corripere, atque adeo exurere, comburere, φλογόω ἐπιφλέγω (It. *appiccare il fuoco, accendere, infiammare, abbruciare*; Fr. *mettre le feu à, allumer, embraser, incendier*; Hisp. *inflamar, encender*; Germ. *ent-, anzünden, entflammen*; Angl. *to set on fire, kindle, light*).

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Verr.* 48. 106. Ceres dicitur inflammasse tædas iis ignibus, qui ex Ætnæ vertice erumpunt. *Id.* 8. *Att.* 2. *extr.* Quum eadem lucerna hanc epistolam scripsissem, qua inflammaram tuam. *Id. ibid.* Patriam diripiendam et inflammandam reliquimus. *Id.* 7. *Verr.* 35. 91. Classem populi Romani inflammari incendique jussit. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari. *Liv.* 10. 2. Inflammare tecta. *Sueton. Ner.* 38. Horrea labefactata atque inflammata sunt. *Ammian.* 24. 1. Inflammare agros cum segetibus. *Id.* 29. 4. terras hostiles. *Id.* 31. 5. Macedoniam.

II.) Translate. ¶ 1. Ad corpus refertur, et apud medicos est nimium calorem, noxio humore collecto, in corpore accendere et ardoris sensum facere: *V.* INFLAMMATIO II. 1. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 23. 49. (106). Laser tauros inflammat, naribus illitis. *Id.* 30. *ibid.* 4. 10. (30). Buprestis bovem ita inflammat, ut rumpat. *Id.* 25. *ibid.* 2. 5. (15). Inflammari vulnera ac morbos. *Id. ibid.* 8. 53. (94). Equi pasti inflammantur rabie. *Id.* 28. *ibid.* 16. 62. (223). Inflammata omnia sedat fimi vitulini cinis. ¶ 2. Item ad animum, et est excitare, permovere, incitare. *Cic.* 2. *Verr.* 1. 2. Quum sint parati, qui concionibus et legibus hanc invidiam senatus inflammare conentur. *Id. Marcell.* 10. 31. odium. *Id. leg. Manil.* 2. 6. studium. *Alii aliter. Id.* 1. *Fin.* 16. 51. cupiditates. *Claudian.* 3. *Cons. Honor.* 51. Inflammare magis amorem pugnæ. *Cic. Orat.* 14. 60. Admovere orationem ad sensus animorum atque motus vel inflammandos, vel etiam exstinguendos. *Id.* 1. *Tusc.* 19. 44. Quum corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates. *Id. Harusp. resp.* 19. 41. Animus imperitorum excitare et inflammare. Sic *Quintil.* 11. 3. 155. Inflammare animos. Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 46. 202. populum in improbos. *Virg.* 4. *Æn.* 54. aliquem amore. *Stat.* 3. *Theb.* 338. aliquem odiis. *Cic. Amic.* 23. 86. Inflammari cupiditate honorum. Cf. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 17. (44). Inflammatus cupidine noscendi animalium naturas. Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 44. 196. Inflammatus amore in patriam. *Id.* 1. *Fam.* 7. *a med.* A pueritia inflammatus ad gloriam. *Claudian.* 1. *in Rufin.* 231. Inflammata semel nescit mitescere virtus. *Cic. Dom.* 23. 61. In quos propter eorum crudelitatem inflammatæ nostræ mentes fuerunt. *Id.* 1. *Fin.* 18. 60. Voluptatum potiendi spe inflammatus. *Id.* 5. *Tusc.* 6. 16. Libidinibus inflammatus et furens. *Id.* 7. *Verr.* 62. 161. scelere et furore. *Auct. B. Afr.* 19. auda ia. *Martial.* 10. 86. amica. *Claudian.* 1. *Cons. Stilich.* 243. pretio inflammata manus. *h. e.* corrupta et stimulata pecunia.

INFLĀTĒ, adverb. (inflo) tumide, *gonfiamente*. Occurrit translate tantum pro superbe, *superbamente*, et quidem Comp. *Inflatius* apud *Cæs.* 2. *B. C.* 17. Atque hæc ad eum latius atque inflatius Afranius perscribebat. *Ammian.* 22. 16. Inflatius fabulari.

INFLĀTĪLIS, e, adject. (inflo) idem ac flatilis. *Cassiod. de music. sub init.* Instrumentorum musicorum genera sunt, percussionale, tensibile, inflatile: inflatilia sunt, quæ spiritu reflante completa, in sonum vocis animantur, ut sunt tubæ, calami, organa, panduria et cetera hujusmodi.

INFLĀTĬO, ōnis, f. 3. (inflo). ¶ 1. Est tumor præcipue in corpore, ex morbo, *gonfiamento, enfiatura, flato, ventosità*, φύσημα. *Cic.* 1. *Divinat.* 30. 62. Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus. *Cels.* 2. 26. Minima inflatio fit ex venatione, aucupio, piscibus etc. Feniculum vero et anethum inflationes etiam levant. *Colum.* 12. *R. R.* 11. 2. Si bibatur, inflationem stomachi facit. *Id.* 6. *ibid.* 6. Inflatio ventris. *Scribon. Compos.* 116. intestinorum. *Id. ibid.* 176. interanea. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 6. 57. (106). Mala dulcia inflationes pariunt. *Scribon. Compos.* 104. Inflationibus urgeri. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (48). Inflationes discutere. *Id.* 23. *ibid.* 4. 40. (81). Inflationem sedare. *Seneca* 5. *Quæst. nat.* 4. In nostris corporibus ex cibo fit inflatio, quæ non sine magna narium injuria emittitur, et ventrem interdum cum sono exonerat, interdum secretius. *Hieronym.* 15. in *Isaj.* 47. 2. Inflationem ventris crepitu digerere. *Theod. Priscian. l.* 2. p. 2. c. 5. Circa præcordia vero de assidua inflatione queruntur. Adde *Vitruv.* 8. 3., ubi dicitur de spiritu ex aqua percalefacta efflante. ¶ 2. Pro inflammatione legitur apud *Sueton. Aug.* 81. Initio veris præcordiorum inflatione tentabatur. *Estne librarii mendum pro inflammatione?*

INFLĀTOR, ōris, m. 3. (inflo) qui inflat, vel sufflat. *Gloss. Cyrill.* Φυσητής, inflator. *Ibid.* Ἐμφυσητής, inflator.

INFLĀTUS, a, um. *V.* INFLO.

INFLĀTUS, us, m. 4. (inflo) actus inflandi, inflatio, *il soffiar dentro*.

I.) Proprie. *Cic. Brut.* 51. 192. Oratori populi aures tamquam tibiæ sunt; eæ si inflatum non recipiunt, agitandi finis faciendus est. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 20. Primo inflatu tibicinis.

II.) Translate est afflatus, *inspirazione*. *Cic.* 1. *Divinat.* 6. 12. Instinctu inflatuque divino futura prænuntiant.

INFLECTO, ctis, xi, xum, ctere, a. 3. (in *et* flecto). Part. *Inflectens* I. 1.; *Inflexus* in omnibus paragr.; *Inflectendus* II. — Inflectere est idem quod flectere, ἐπικάμπτω (It. *piegare*; Fr. *courber, plier, tourner*; Hisp. *corvar, combar, plegar, torcer*; Germ. *beugen, krümmen, einbeugen*; Angl. *to bend, bow, crook, inflect*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Quum ferrum se inflexisset. *Cic.* 1. *Divinat.* 17. 30. Incurvum et leviter a summo inflexum bacillum. *Colum.* 4. *R. R.* 26. 4. Meminerit, ne retorqueat sarmentum, sed tantum inflexum deviciat. *Id.* 5. *ibid.* 6. 8. Radices in nodum inflectere. *Sueton. Aug.* 79. Capillus leniter inflexus. *Catull.* 61. 256. Euoe bacchantes, euoe capita inflectentes. *Propert.* 4. 8. 77. Colis cave inflectas ad summum obliqua theatrum. *Virg.* 3. *Æn.* 631. Cervicem inflexam posuit jacuitque per antrum. *Quintil.* 11. 3. 112. Digitis leviter inflexis. *Propert.* 3. 13. 34. inflexo genu cadere. *Ovid.* 4. *Fast.* 181. Inflexum cornu. *Pelagon. præfat.* 2. Equus sit lateribus inflexis. *h. e. di fianchi ripiegati. Cic. post redit. ad Quir.* 3. 8. Frater erat unus, qui suo squalore vestros oculos inflecteret. *h. e.* in se converteret. *Id.* 2. *Nat. D.* 19. 49. Stellæ numquam cursus sui vestigium inflectunt. — Mediorum apud Græcos more. *Cic.* 7. *Verr.* 12. 30. Tibi primum ex alto sinus ad urbem ab litore inflectitur. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 20. (53). A Caspio mari in Eoum cursus inflectitur. *Id.* 4. *ibid.* 8. 15. (30). Montes inflexi theatrali modo. ¶ 2. Spectatim *inflectere vocem* est variare, *modulare*. *Tibull.* 1. 8. 37. voces inflectere cantu. *Cic.* 2. *Orat.* 46. 193. Ut idem, inflexa ad miserabilem sonum voce, flens ac lugens dicere videatur. *Id. Orat.* 17. 56. Volet igitur ille, qui eloquentiæ principatum petet, et contentâ voce atrociter dicere, et summissâ leniter; et inclinatâ videri gravis, et inflexâ miserabilis. Utrobique *Schützius* pro *inflexa* legit *flexa*, nam hic mox sequitur *inflexus* sonus alia significatione; et apud *eumd.* 3. *Orat.* 57. 216. habetur *flexus so-*

nus, h. e. ad misericordiam compositus: *V. Flexus, a, um*, in v. FLECTO. ¶ 3. Item speciatim in re grammatica *inflectere* est circumflexum accentum verbo apponere. *Cic. Orat.* 17. 57. Mira est enim quædam natura vocis: cujus quidem, e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit et tam suavis varietas perfecta in cantibus. Apud *Capell.* 3. *p.* 61. et 62. *circumflexus, inflexus* et *flexus* idem significant. *Arnob.* 1. 59. Inflectatur quod acui, an acuatur quod oportebat inflecti.

II.) Translate est mutare, deflectere, movere, in aliam mentem inducere: ad rem *Cic. Mur.* 29. 60. At ego te verissime dixerim peccare nihil, neque ulla in re te esse hujusmodi, ut corrigendus potius, quam leviter inflectendus esse videare. *Virg.* 4. *Æn.* 22. Solus hic inflexit sensus, animumque labantem Impulit. *Val. Flacc.* 8. 138. hinc (h. e. his cognitis) subitis inflexit (*subaudi se*) frater in armis. Urbs etiam mox tota coit. Rursus *Virg.* 12. *Æn.* 800. Desine jam tandem precibusque inflectere nostris. *piegati. Stat.* 8. *Theb.* 716. Lacrimis aliquem inflectere. *Id. ibid.* 759. jamque inflexo Tritonia patre Venerat. *h. e.* placato. *Cic. Cæcin.* 26. 73. Jus civile neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia potest. *Id. Brut.* 9. 38. Inflectere orationem. *Id.* 1. *Fam.* 7. magnitudinem animi.

INFLĒTUS, a, um, adject. (in *privat. et* fletus) indefletus, *non pianto, non compianto. Virg.* 11. *Æn.* 372. animæ viles, inhumata infletaque turba. Adde *Val. Flacc.* 6. 651.; et *Auson. carm. parental.* 10.

INFLEXĬBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* flexibilis) qui inflecti non potest, *inflessibile, ἄκαμπτος.* Translate. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 12. 52. (192). Dolorem inflexibilem (opisthotonon vocant) levat urina capræ. Sic *Theod. Priscian. l.* 2. *p.* 1. c. 10. Sub spasmo ita tenduntur, ut sub uno schemate jacentes, tensione molesta et inflexibili teneantur. *Seneca Ep.* 95. *a med.* Necessaria sunt decreta, quæ dant animis inflexibile judicium. *h. e.* certum et immutabile. *Plin.* 10. *Ep.* 97. Pervicaciam et inflexibilem obstinationem debere puniri. *Ammian.* 29. 2. Qui quum abstinere malo rogaretur, obnixe inflexibilis mansit.

INFLEXĬO, ōnis, f. 3. (inflecto) inflectendi actus, *piegamento, inflessione, ἔγκαμψις.*

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Orat.* 59. 220. Laterum inflexione hac forti ac virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palæstra. *Id. Tim.* 27. Inflexio orbis. *Ammian.* 22. 8. Bospori.

II.) Translate. *Macrob. de differ. Græci Latinique serm. p.* 2759. *Putsch.* In adverbio temporum significationes non de ejusdem soni inflexione nascuntur, sed ut tempora, mutantur et voces. Sic *Boeth.* in *Topic. Cic.* 3. *p.* 805. Quoniam dura est hujus nominis per casus inflexio. *Id. ibid. p.* 792. Parva nominis inflexione sejungitur. Adde *eumd. ibid.* 870.

INFLEXŬŌSUS, a, um, adject. (in *privat. et* flexuosus) qui non flectitur, rectus. *Isid.* 12. *Orig.* 4. Cenchris, serpens inflexuosus.

INFLEXUS, a, um. *V.* INFLECTO.

INFLEXUS, us, m. 4. (inflecto) inflexio, *piegamento, κατάκαμψις.*

I.) Proprie. *Juvenal.* 3. 236. rhedarum transitus arcto Vicorum inflexu. *volta stretta. Arnob.* 2. 20. Nec sit introitus rectus, sed adeatur inflexibus flexuosis.

II.) Translate. *Seneca Brevit. vit.* 12. Vocem, cujus rectum cursum natura et optimum et simplicissimum fecit, inflexu modulationis inertissimæ torquent.

INFLICTĬO, ōnis, f. 3. (infligo) actus infligendi. Translate *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 9. 17. 2. Factum, solitum sanguine vindicari, multæ inflictione corrigimus.

INFLICTUS, a, um. *V.* INFLIGO.

INFLICTUS, us, m. 4. (infligo) inflictio, collisio. *Arnob.* 3. 18. Aut si verba ore funduntur, labia habere cum dentibus, quorum inflictu et mobilitate multijuga lingua sonos articulet et vocem in verba conformet.

INFLĪGO, fligis, flixi, flictum, fligere, a. 3. (in *et* fligo). Part. *Inflictus* I. et II. 3. — Infligere est impingere, percutere, προστρίβομαι (It. *percuotere, dare, ferire*; Fr. *frapper ou lancer contre, battre, blesser*; Hisp. *achocar una cosa contra otra, cascar, herir, golpear*; Germ. *an etwas schlagen*; Angl. *to inflict, deal, fling, strike*).

I.) Proprie. *Cic. Planc.* 29. 70. Infligere alicui securim. *Lactant. Mort. persecut.* 49. Caput parietibus infligere. *Virg.* 10. *Æn.* 303. Puppis inflicta vadis. *h. e.* illisa. *Val. Flacc.* 4. 281. jam ecce ruunt, Inflictaque late Terga sonant.

II.) Translate. ¶ 1. Pro jacere. *Cic.* 2. *Orat.* 63. 255. Quum in altercatione arripitur ab adversario verbum, et ex eo in eum ipsum aliquid, qui lacessivit, infligitur. ¶ 2. Item pro percutiendo inferre. *Cic. Vatin.* 8. 20. Mortiferam plagam infligere. *Id. Pis.* 14. 32. vulnera. ¶ 3. Item generatim pro inurere, inferre, imponere. *Cic. Pis.* 26. 63. Infligere sempiternam alicui turpitudinem. *h. e.* inurere. *Justin.* 3. 5. 8. detrimenta civitati. *Ulp. Dig.* 42. 9. 8. *ad fin.* alicui damnum. Sic *Imp. Gordian. Cod.* 5. 71. 2. Damnum inflictum alicui. *Prudent. Apoth. in fin.* Inflictos casus contemnite. *h. e.* illatas calamitates. *Paul. Dig.* 22. 1. 11. Infligere graviores usuras. *h. e.* imponere. Sic *Julian. ibid.* 3. 5. 30. Infligere alicui pretium rei emptæ. *addossare.* imponere onus solvendi pretii. Alii tamen leg. *affligere.* Et *Imp. Antonin. Cod.* 10. 8. 1. Summa pœnæ nomine inflicta.

INFLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* flo). Part. *Inflans* I.; *Inflatus* in fin.; *Inflandus* II. 1. — Inflare est intus flare, inspirare, flatu implere, tumentem facere, ἐμπνέω, φυσάω (It. *soffiare dentro, gonfiare*; Fr. *souffler dans, remplir de vent*; Hisp. *soplar dentro, hinchar, inflar*; Germ. *ein –, aufblasen, blasen, blähen*; Angl. *to blow or breathe into, blow or puff uf, swell, inflate*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Colum.* 9. *R. R.* 8. 2. Labris foramini aditus admotis et inflato spiritu etc. *Cato R. R.* 90. Ex ore in os palumbi inflare aquam. *h. e.* flando injicere. *Virg.* 3. *Æn.* 357. tumidoque inflatur carbasus Austro. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 20. merito quin illis Juppiter ambas Iratus buccas inflet. *Quintil.* 11. 3. 80. Nares inflare. *Id.* 2. 3. 6. Corpora non robore, sed valetudine inflantur. *Veget.* 5. *Veterin.* 22. 2. *Schneid.* Animalia ex hac passione subito inflata moriuntur. — *b*) Speciatim de tibiis, lituis et similibus dicitur pro inspirare atque adeo sonum edere. *Lucret.* 5. 1382. cavas inflare cicutas. *sonare.* Sic *Virg.* 5. *Ecl.* 2. calamos inflare leves. *Id.* 2. *G.* 193. ebur. *Id. ibid.* 395. classica. Et absolute *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 27. 86. Simul inflabit tibicen, a perito carmen agnoscitur. *Id.* 3. *Orat.* 60. 225. Servus cum eburneola fistula, qui inflaret eum sonum. — *c*) Item in re medica de iis usurpatur, quæ in causa sunt, cur membrum aliquod vel corpus tumeat. *Cels.* 2. 26. Inflant (*corpus*) omnia fere legumina, omnia pinguia, omnia prædulcia. Cf. *Ovid. Medic. fac.* 70. Et simul inflantes corpora frige fabas. Adde *Scribon. Compos.* 190. et 188. V. *Inflatus* in fin. sub I. I.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic. Pis.* 36. 89. Quum tibi spe falsa animos rumor inflasset. *Liv.* 35. 42. Quibus mendaciis creserat multorum animos, iisdem et regis spem inflabat. *Id.* 45. 31. Inflavit ad intolerabilem superbiam animos. *Id.* 37. 26. Aliquid etiam inflabat animos classis Rhodia. *Curt.* 5. 10. 3. Inflabat impios animos regio cui præerant, armis virisque et spatio locorum nulli earum gentium secunda. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 98. Crescentem tumidis infla sermonibus utrem. *adula e gonfialo. Quintil.* 11. 1. 75. Ipse (*judex*) erit gloria inflandus. *Sil. It.* 4. 362. inflat præcordia fama. *Paul. Dig.* 39. 4. 9. Locatio vectigalium, quæ calore licitantis ultra modum solitæ conductionis inflatur. *cresce, s'alza, ascende.* Cf. *Veget.* 6. *Veterin.* 7. 4. *Schneid.* Ea (*medicamenta*), quæ non tam ad utilitatem curandi, quam ob caritatem emendi mulomedicorum cupiditas inflaverat, submovimus. ¶ 2. Speciatim refertur ad orationem et absolute occurrit apud *Cic.* 1. *Legg.* 2. 6. Quid tam exile, quam isti omnes? Antipater paullo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem, sed etc. *h. e.* fuit in historia scribenda plenior: ducta, opinor, metaphora ab inflandis tibiis. *V. Inflatus* in fin. sub II. 2. — Hinc Part. præter. pass.

Inflatus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Inflatior* I. 2. et II. 1.; et

I.) Proprie ¶ 1. Stricto sensu est flatu impletus, inspiratus, *empito di fiato o di vento, ἐμπνευσθείς, ὀγκύλος.* — *a*) Generatim. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 54. (108). Species modo inani inflata, sine corpore. *Seneca Agam.* 90. Vela secundis inflata Notis. *Cic.* 3. *Orat.* 11. 40. Nolo verba exiliter exanimata exire: nolo inflata et quasi anhelata gravius. *proferite con troppo fiato.* — *b*) Speciatim de musicis instrumentis. *Cic. Brut.* 51. 192. Si tibiæ inflatæ non referant sonum, abjiciendas eas sibi tibicen putat. *Ovid.* 1. *Met.* 340. buccina cecinit jussos inflata receptus. ¶ 2. Latiori sensu, aut translate, ut aliis placet, est tumidus, turgidus, *enfiato, gonfio. Cic. Vatin.* 2. 4. Serpens inflato collo, tumidis cervicibus. Sic *Ovid.* 6. *Met.* 377. inflataque colla tumescunt. *Sueton. Rhet.* 5. Fulviam, cui altera bucca inflatior erat, acumen stili tentare dixit. *Virg.* 6. *Ecl.* 15. Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho. *Liv.* 40. 33. Inflati amnes. Sic *Id.* 23. 19. Fluvius inflatus aquis. et *Ammian.* 18. 7. Euphrates inflatus nivibus. *Ovid.* 3. *Art. am.* 145. Inflati capilli. *h. e.* laxi, sparsi, fluentes. *Virg. Catal.* 7. 2. Ite hinc, inanes rhetorum manipli, Inflata rore non Achaico turba. *Tertull. Pall.* 4. *a med.* Vestis inflatior.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est superbiens, elatus. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 97. Quibus illi rebus elati et inflati non continebantur. *Id.* 3. *Tusc.* 9. 19. Inflatus et tumens animus. *Id. Mur.* 15. 33. Quum hostium classis Italiam spe atque animis inflata peteret. *Id. ibid.* 24. 49. Inflatus promissis. *Id.* 14. *Phil.* 6. 15. Inflati lætitia atque insolentia impii cives. *Curt.* 10. 10. 14. Antipater titulo Spartanæ victoriæ inflatus. *Sueton. Ner.* 37. Elatus inflatusque tantis velut successibus. Adde *Justin.* 2. 10. 23. et 33. 1. 3. *Liv.* 29. 37. Intempestiva jactatione severitatis inflatus. *Id.* 24. 6. Inflatus assentationibus. *Vellej.* 2. 80. 2. Inflatus legionum numero. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 116. Est ne quisquam tanto inflatus errore, ut sibi, se illa scire, persuaserit? *Id.* 1. *Off.* 26. 91. Homines inflati opinionibus turpiter irridentur. *Liv.* 39. 53. Et ipse juvenis haud dubie inflatior redierat, subnisus erga se judiciis senatus, concessisque sibi, quæ patri negata essent. *Juvenal.* 8. 72. quem nobis fama superbum Tradit et inflatum, plerumque Nerone propinquo. ¶ 2. Speciatim refertur ad orationem nimis elatam ac turgidam, et sæpius ad oratores qui tument. *Cic.* 4. *Herenn.* 10. 15. Gravis oratio sæpe imperitis videtur ea, quæ turget et inflata est. *Tac. Dial. de orat.* 18. Ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens *etc.* videretur. *Quintil.* 12. 10. 16. Attici pressi et integri, Asiani inflati et inanes. *Propert.* 2. 25. 32. non inflati somnia Callimachi. *Sueton. Rhet.* 5. Subtractoque nomine, hordearium, ut inflatum ac levem et sordidum.

INFLŌRĔO, es *vel*

INFLŌRESCO, florescis, flōrŭi, florescere, n. 3. (in *et* floreo *vel* floresco) in aliquo loco florescere, vigere. *Claudian.* II. *cons. Stilich.* 124. Pristina Romuleis infloruit arcibus ætas.

INFLŬENS, entis. *V.* INFLUO.

INFLŬESCO, is, ere, n. 3. inchoat. ab *influo*, et ejusdem fere significationis. *Cassiod.* 12. *Variar.* 12. Non guttis impluit, sed quibusdam repentinis torrentibus influescit.

INFLŬO, fluis, fluxi, fluxum, fluere, n. 3. (in *et* fluo) Part. *Influens* I. et II. — Influere est intro fluere, illabi, εἰσρέω (It. *scorrere, inondare dentro*; Fr. *couler dans, se jeter dans*; Hisp. *correr, distilar, manar dentro*; Germ. *hineinfliessen, – strömen*; Angl. *to flow or run into*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo et prœpos. *in. Cic.* 1. *Tusc.* 39. 94. Apud Hipanim fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum influit. *sbocca.* et *Id.* 2. *Nat. D.* 55. 138. In quem sanguis a jecore per venam illam cavam influit. *Id.* 1. *Divinat.* 35. 78. Atque in amnes mare influxerit. *Cæs.* 7. *B. G.* 57. Palus influit in Sequanam flumen. *Curt.* 8. 9.; et *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 6. (44). Amnis influens in mare. *che sbocca.* — *b*) Cum Accusativo sine præpos., quæ inest in ipso verbo. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. Lacus Lemanus, quem flumen Rhodanum influit. *Al. leg.* in quem. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 9., ubi eadem lectionis varietas. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 24. 28. (108). Oceanum qui influit, Azanium appellant. — *c*) Cum Adverbiis motus ad locum. *Varro* 1. *R. R.* 13. 4. Itaque periti qui possint ut eo aqua influat, eo nomine faciunt. *Cæs.* 4. *B. G.* 1. Non longe a

mari, quo Rhenus influit. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 48. Huc Lycus, huc Sagaris influit. — *d*) Cum Accusativo et præpos. *per.* *Justin.* 11. 8. 3. Flumen per mediam urbem influens. — *e*) Absolute. *Curt.* 8. 9. 8. Ganges asperum os influenti (*fluvio*) objicit. *Quintil.* 1. 2. 28. Humor sensim influens.

II.) Translate. — *a*) Est irrumpere, ingruere, irruere magna vi et copia instar fluminum. *Cic. Prov. cons.* 13. 32. Influentes in Italiam Gallorum copias reprimere. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 7. 7. (22). Influxisse eo Scythas tradunt. *Flor.* 1. 1. 9. Arcades influxerunt. *immigrarono.* Et cum Dativo *Quintil. Declam.* 3. 13. Influxit Italiæ inaudita multitudo. Ceterum *Plin. Paneg.* 8. Si quando cum influentibus negotiis paria fecisti. *Cic. Tim.* 13. Influens atque effluens divinus animus. *h. e.* incurrens, immeans. Et cum Dativo *Seneca Ep.* 50. *circa med.* Illud desperandum est, posse nobis casu tantum bonum influere. — *Fortuna influens* est favens, propitia. *Seneca Thyest.* 536. Quis influentis dona Fortunæ abnuit? — *b*) Item ponitur pro sese insinuare, sensim irrepere. *Cic.* 2. *Off.* 9. 31. Ut universorum animos tamquam influere possimus. *Id. Amic.* 25. 96. Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures concionis? *Id.* 2. *Legg.* 15. 38. Nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos. *Quintil.* 12. 10. 16. Paulatim sermone Græco in proximas Asiæ civitates influente. *introducendosi.* Et cum Dativo *Albinov.* 1. 395. dolor menti influit ægræ. — In *Cic.* 2. *Orat.* 53. 212. Ex illa lenitate ad hanc vim acerrimam influat, oportet, aliquid; et ex hac vi nonnumquam animi aliquid influendum est illi lenitati. *Sunt qui* infundendum, *sunt qui* inflandum *reponunt, sunt qui multo rectius* inflammandum. — *c*) *Influentes capilli* apud *Cels.* 6. 1. sunt excidentes, decidui.

INFLŬUS, a, um, adject. qui influit. Translate *Paulin. Nolan. carm.* 15. 107. tam largiter influa traxit Dona Dei.

INFLŪVĬUM, ii, n. 2. profluvium, *flusso.* *Vellej.* 2. 120. *extr.* Ut protinus pariter sanguinis cerebrique influvio exspiraret. *Alii legunt* profluvio, *alii* effluvio.

INFLUXĬO, ōnis, f. 3. (influo) influxus, illapsus, actus influendi. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 12. Materialis influxio in corpus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 37. *sub init.* Flabellis etiam latenter aerem frigerandum dicimus, aqua frigida aspergentes solum, et ea, quæ influxione sui, quam Græci ἀπόῤῥοιαν vocant, spirationem facilem ægrotantibus facere valent, circum projici jubemus, quæ tamen sine ullo percussu et odore gravi valeant aerem facere constrictivum, ut vitis folia, aut myrti, aut quercus, aut pini atque lentisci, aut mali punici, vel rosæ, atque his similium.

INFLUXUS, a, um, adject. (in *privat.* et fluxus) qui fluxus non est. Translate *Avien. Perieg.* 256. Eamque (*insulam*) pridem, influxa et est satis fides, Tenuere Cempsi. *h. e.* certa.

INFLUXUS, us, m. 4. (influo) actus influendi, *influsso.* *Firmic.* 1. *Mathes.* 1. Si ex solis stellarum influxibus pendeamus.

INFŎDĬO, fŏdis, fōdi, fossum, fŏdere, a. 3. (in et fodere). Part. *Infodiens* II.; *Infossus* in omnibus paragr.; *Infodiendus* I. 1. — Infodere est idem quod fodere, vel in aliquo loco fodere, ἐνσκάπτω (It. *scavare*; Fr. *creuser*, *former en creusant*; Hisp. *ahondar, cavar, hacer cavando*; Germ. *hineingraben in etwas*; Angl. *to dig in, dig*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu pro fodere, vel in aliquo loco fodere. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 5. Atque ita sequentem sulcum infodiunt. *Id. ibid.* 13. 5. Campestris locus alte duos pedes infodiendus est. *Id.* 9. *ibid.* 1. 2. Infossi lacus Signino consternuntur. ¶ 2. Latiori sensu est terra obruere, plantare, sepelire. *Cato R. R.* 37. Sarmenta concidito minute, et ibidem inarato, aut infodito. *Virg.* 2. *G.* 348. squalentes infode conchas. *Id.* 3. *ibid.* 535. Unguibus infodiunt fruges. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Taleæ totæ in terram infodiebantur. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 13. 27. (85). Libri tot infossi duraverunt annis. *Horat. Epod.* 5. 33. Infossus puer humo. *Virg.* 11. *Æn.* 200. corpora multa virum terræ infodiunt. *Nepos Pausan.* 5. Procul ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus. *Plin.* 12. *H. N. procem.* 1. (2). Gemmas infodere corpori. *h. e.* una cum corpore sepelire.

II.) Translate est intus impingere. *Sil. It.* 10. 235. saxum perfractæ cassidis æra Ossibus infodiens. Sic *Lucan.* 6. 193. Et galeæ fragmenta cavæ compressa perurunt Tempora. Ceterum *Stat.* 8. *Theb.* 534. vulnera – penitus infossa cerebro.

INFŒCUNDUS, a, um. *V.* INFECUNDUS.

INFŒDĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et fœderatus) fœdere non junctus. *Tertull. Præscript.* 12. Qui miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus, stipendium captat, nisi plane desertor?

INFORMĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et formabilis) qui formari et creari nequit. *Tertull. advers. Prax.* 27. Deus immutabilis et informabilis.

INFORMĀTĬO, ōnis, f. 3. (informo) proprie dicitur prima illa et rudis forma, quæ ab artifice operi alicui inducitur, *il primo schizzo*, ὑποτύπωσις, περιγραφή.

I.) Proprie. *Vitruv.* 4. 6. *in fin.* Ædium sacrarum informationes.

II.) Translate accipitur pro notione a natura animo impressa, hoc est, quasi præsumpta notitia et anticipata. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. 100. Quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est anteceptam animo rei quamdam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari possit. *Id.* 2. *Orat.* 87. 358. Et unius verbi imagine, totius sententiæ informatio. *Ammian.* 29. 2. O præclara informatio doctrinarum, munere cælesti indulta felicibus, quæ vel vitiosas naturas sæpe excoluisti! Rursus *Cic. Partit. orat.* 29. 102. Informatio verbi. *h. e.* explicatio et ostensio significationis.

INFORMĀTOR, ōris, m. 3. (informo) qui informat et instruit. Translate *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 22. Moses populi informator. *Id. Pall.* 6. Primus informator litterarum. *h. e.* qui pueros formas litterarum docet. *V.* ABECEDARIUS et ARENARIUS.

INFORMĀTUS, a, um. *V.* INFORMO.

INFORMĪDĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et formidabilis) non formidabilis, *non formidabile.* *Coripp.* 2. *Laud. Justin.* 354. Omnis erat judex informidabilis illi.

INFORMĪDĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et formidatus) non formidatus, *non temuto.* *Sil. It.* 15. 241. Hac tacite nitens informidatus adire.

INFORMIS, e, adject. (in *privat.* et forma). Comp. *Informior* II. — Informis est sine forma, inchoatus, rudis, ἄμορφος (It. *informe, rozzo, sformato*; Fr. *informe, sans forme*; Hisp. *informe, sin forma*; Germ. *ungestaltet, unförmlich*; Angl. *without shape or form, shapeless*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Herenn.* 53. 66. Quum res muta aut informis fit eloquens et formata. *Liv.* 21. 26. *extr.* Alveos informes (nihil, dummodo innare aquæ et capere onera possent, curantes) raptim faciebant. *Tac.* 4. *Hist.* 23. Excussa ballistis saxa stravere informe opus. *V.* ibi quæ præcedunt. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (63). Mola est caro informis, inanima, ferri ictum respuens. *Id.* 10. *ibid.* 63. 83. (176). Leænæ et vulpes informia pariunt, postea lambendo figurant.

II.) Translate est deformis, squalidus, turpis, fœdus, *deforme, brutto, orrido*: hinc *Priscian.* 1. p. 541. *Putsch.* Informis dicitur mulier, non quæ caret forma, sed quæ male est formata. *Virg.* 8. *Æn.* 264. pedibusque informe cadaver (*Caci*) Protrahitur. *Horat.* 2. *Od.* 15. 15. Informes hiemes. *Id.* 2. *Ep.* 2. 118. Informis situs. *Val. Flacc.* 4. 245. horrendosque toris informibus artus. *Propert.* 1. 5. 16. Et timor informem ducet in ore notam. *Tibull.* 4. 4. 6. Informis color. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 16. ager ossibus informis. *Stat.* 12. *Theb.* 528. Informes sanguine peltæ. *Lucan.* 6. 224. imbre cruento informis facies. *Virg.* 6. *Æn.* 416. Informis limus. *Sil. It.* 6. 160. Informe solum. *insozzato.* *Tac.* 6. *Ann.* 49. Papinius repentinum et informem exitum delegit, jacto in præceps corpore. *Id.* 12. *ibid.* 37. Sors mea mihi informis, tibi magnifica est. *Virg.* 12. *Æn.* 603. Et nodum informis leti trabe nectit ab alta. *h. e.* suspendii. *Seneca Ep.* 94. *a med.* Nihil est illis (*metallis*) dum fluunt, et a fæce sua separantur, informius.

INFORMĪTAS, ātis, f. 3. (informis) formæ, figuræ privatio. *Solin. ep. priore ad advent.* Ut scabræ adhuc informitatis proditio editione vera exstingueretur. *Tertull. advers. Hermog.* 42. Sectari informitatem materiæ. Adde *Augustin.* 12. *Confess.* 12.

INFORMĪTER, adverb. (informis) sine forma. Translate *Augustin.* 12. *Confess.* 29. Informiter sonare.

INFORMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et formo). Part. *Informans* II. 3.; *Informatus* I. et II.; *Informaturus* et *Informandus* I. — Informare est primam et rudem alicui rei formam inducere, deformare, describere, inchoare, ὑποτυπόω, διαμορφόω (It. *formare, disegnare, abbozzare, descrivere*; Fr. *donner une forme à, former, façonner, esquisser*; Hisp. *dar forma à alguna cosa, formar, labrar, bosquejar*; Germ. *e. Sache e. Gestalte geben, gestalten, formen, bilden*; Angl. *to form, shape, fashion, design, roughcast, roughdraw*).

I.) Proprie. *Varro* apud *Gell.* 3. 10. Quarta hebdomade caput et spina, quæ est in dorso, informatur. *Virg.* 8. *Æn.* 447. Ingentem clipeum informant. Sic *Id.* 8. *ibid.* 426. His informatum manibus, jam parte polita, Fulmen erat. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 10. Sarmentis connexus velut funis informabitur in eam crassitudinem, quam etc. *Id.* 11. *ibid.* 3. 13. Areæ sic informandæ sunt, ut facile runcantium manus ad dimidiam partem latitudinis earum perveniant. *Sil. It.* 17. 525. Informare effigiem. *Plin. carm. ep.* 9. *l.* 7. Et nunc (*cera*) informet Martem castamque Minervam, Nunc Venerem effingat. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 331. Noctivago tædas informatura labori.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 15. 39. Chrysippus magnam turbam congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne conjectura quidem informare possimus, quum mens nostra quidvis videatur cogitatione posse depingere. *idearseli, adombrarli, immaginarseli.* *Id. ibid.* 27. 76. Ita est informatum anticipatumque mentibus nostris, ut homini, quum de Deo cogitet, forma occurrat humana. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 16. 51. Inanium visorum una depulsio est, sive illa cogitatione informantur, sive in quiete, sive per vinum, sive per insaniam. *Id.* 4. *Fin.* 16. 45. Dicitis informari non posse virtutem, si quippiam, nisi quod honestum sit, numeretur. *Id.* 1. *Att.* 1. Petitorum hæc est adhuc informata cogitatio. *Id. Quinct.* 10. 34. Ab illo qui ante dixit, informata jam causa est. *Id.* 11. *Att.* 6. Non nominatim, sed generatim proscriptio est informata. *Id. Orat.* 2. 7. Atque ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualem fortasse nemo fuit. *Id. ibid.* 9. 33. Inchoare et informare oratorem. *Tac. Dial. de orat.* 31. Informare sapientem. ¶ 2. Specialim est prima institutione imbuere, instituere, docere. *Cic. Arch.* 3. 4. Artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet. *Quintil.* 1. 1. 16. Informare mentes infantium. Cf. *Cic.* 1. *Off.* 4. 13. Ut nemini parere animus a natura bene informatus velit, nisi etc. ¶ 3. Item est enunciare, quod *informare* dicunt recentiores Itali. *Ennod.* 9. *Ep.* 33. Frequenter de his, quæ vobiscum aguntur, vel acta sunt, informantes.

INFORMUS, a, um, adject. valde calidus: *V.* FORMUS. — Pro *informis* tribuunt quidam *Tertulliano Pall.* 2., sed alii melius leg. divisim *in forma.*

INFŎRO, as, are, a. 1. duo diversa significat, prout est *A*) Ab *in* et *forare*; vel *B*) Ab *in* et *forum.*

A) Inforare ab *in* et *forare* est intus forare, *forare dentro*, ἀντιτρυπάω. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 24. (102). Timebant prisci truncum findere, mox inforare ausi medio. Hic *Harduin.* ex MSS. legit *imperare*, quod melius videtur; quamquam rejectum est a *Sillig.* *V.* IMPERO.

B) Inforare ab *in* et *forum* est in forum, sive in jus vocare. *Plaut. Curc.* a. 3. v. 30. CVRC. Quæso, ne me incomities. LY. Licetne inforare, si incomitiare haud licet? CVRC. Non inforabis me quidem: nec mihi placet tuum profecto nec forum, nec comitium. *Ubi* tamen alius latet et obscœnus quidem sensus: *V.* PERFORO.

INFORTŪNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et fortunatus). Comp. *Infortunatior* et Sup. *Infortunatissimus.* — Infortunatus est infelix, miser, calamitosus, ærumnosus, *infelice, misero, sfortunato*, δυστυχής. *Plaut. Bacch.* 5. 1. 20. Homo miser et infortunatus. *Ter. Eun.* 2. 3. 7. O infortunatum senem! *Cic.* 2. *Att.* 24. *ad fin.* Nihil me infortunatius. *Apul.* 4. *Met.* Infortunatissimus maritus.

INFORTŪNĬTAS, ātis, f. 3. (in *privat. et* fortuna) idem atque infortunium. *Gell.* 6. 1. Itidem sunt bona et mala, felicitas et infortunitas, dolor et voluptas. In eodem loco, a *Lactant. Epit.* 29. allato, pro *infortunitas*, legitur *importunitas*, quod postremum quidam præferendum arbitrantur.

INFORTŪNĬUM, ii, n. 2. (in *privat. et* fortuna) infelicitas, calamitas, *infelicità, disgrazia, malanno*, ἀτυχία. *Plaut. Amph.* 1. 1. 130. Modo sis, veni huc: invenies infortunium. *Id. ibid.* 4. 2. 14. Mactare aliquem infortunio. *Id. Merc. prol.* 21. multare. — *Vitare infortunio* dixit *Id. Curc.* 2. 3. 19. pro *infortunium*, quemadmodum *Rud.* 3. 5. 48. Cave sis infortunio: *et Bacch.* 1. 2. 39. Cavere malo. — Ceterum *Ter. Adelph.* 2. 1. 24. Si attigisses, ferres infortunium. *Liv.* 1. 50. *extr.* Ni pareat patri, habiturum infortunium esse. *h. e.* meritam pœnam. *Horat. Art. P.* 103. tunc tua me infortunia lædent, Telephe vel Peleu. *Ammian.* 19. 7. His turbinum infortuniis perculsus.

INFOSSĬO, ōnis, f. 3. (infodio) actus infodiendi. *Pallad.* 3. *R. R.* 16. Vetus vinea mergis melius reparabitur, quam si infossione totius corporis obruatur.

INFOSSUS, a, um. *V.* INFODIO.

INFRĀ, ab *infer, infera*, ex quo *infra* per syncopen: hinc in *Inscript.* apud *Gruter.* 171. 8. L. BETILIENVS L. F. VAARVS HAEC QVAE INFERA SCRIPTA SONT, DE SENATV (*sic*) SENTENTIA FACIENDA COIRAVIT. — Ceterum infra est *A*) Adverbium; et *B*) Præpositio Accusativum regens.

A) Adverbium *infra*, a quo Comp. *Inferius* sub I. et II., est sub, κάτω (It. di sotto; Fr. *au-dessous, en bas, à la partie inférieure*; Hisp. *baxo, debaxo, ménos*; Germ. *unten, an der untern Seite*; Angl. *below, under, beneath, underneath*).

I.) Proprie de loco usurpatur: et quidem — *a*) Absolute. *Cic.* 6. *de republ.* 17. Infra nihil est nisi mortale: supra lunam sunt æterna omnia. *Quintil.* 8. 4. 9. Augendo quod est infra, necesse est, extollat id, quod supra positum est. *Pompejus* ad *Cons.* apud *Cic.* 8. *Att.* 6. et 6. *Fam.* 8. *extr.* Earum litterarum exemplum infra scripsi. Sic *Scribon. Compos.* 269. Quæ infra scriptæ sunt res. *Cels.* 3. 23. *sub fin.* Ferro candente in occipitio et infra, qua summa vertebra cum capite committitur, adurere. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 8. 20.; *Quintil.* 8. 4. 9.; et *Juvenal.* 3. 204. — *b*) Sequente *quam. Varro* 1. *R. R.* 41. 3. In qua vite inserunt, in ea paullo infra, quam insitum est, incidunt. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 30. 53. (123). Si infra, quam rami fuere, præcidatur. — *c*) Poetice inferos significat in illo *Tibulli* 1. 11. 35. Non seges est infra, non vinea culta, sed audax Cerberus etc. — *e*) In discumbendo *infra* est, qui ad dexteram est alterius; *supra*, qui ad sinistram. *Infra* autem locus erat honoratior. *V.* ACCUMBO. — *d*) *Magis infra* pro *inferius*, seu potius interius, penitius, altius. *Lucret.* 3. 274. Nam penitus prorsum latet hæc natura subestque, Nec magis hac (*Forcellinus* leg. *hanc*) infra quicquam est in corpore nostro. — *f*) Comparativum *inferius* apud *Ovid.* 2. *Met.* 136. Altius egressus cœlestia tecta cremabis, Inferius terras. *Id.* 2. *Trist.* 263. Persequar inferius *etc.* Posse nocere animis carminis omne genus. *dirò più sotto, più a basso.* Adde *Quintil.* 11. 3. 65. Rursus *Ovid.* 2. *Met.* 208. Inferiusque suis fraternos currere Luna Admiratur equos. *Id.* 12. *ibid.* 420. inferius, quam collo pectora subsunt, Cyllare, te fixit. — De tempore. *Quintil.* 1. 7. 20. Ciceronis temporibus paullumque infra.

II.) Translate. *Tac. Ann.* 43. Vix Tiberio concedere: liberos ejus, ut multum infra despectare. *Ammian.* 15. 8. *med.* Eumque – nec supra modum laudabant, nec infra quam decebat. — Comparat. apud *Senec. Ep.* 79. Virtutem non flamma, non ruina inferius adducet. *Solin.* 2. *circa med.* Quæ præterire, quam inferius exsequi, tutius duximus. *h. e.* pejus, deterius.

B) Præpositio *infra*, cui contraria est *supra*, Accusativum regit, et est sub, ὑπό (It. *sotto*; Fr. *sous, au-dessous de*; Hisp. *baxo, debaxo de*; Germ. *unterhalb, unter*; Angl. *below*).

I.) Proprie. — *a*) De loco. *Cic.* 6. *Verr.* 23. 51. Argentum, in lectica cubans, ad mare infra oppidum exspectabat. *Tac. Agric.* 12. Infra cælum et sidera nox cadit. *Curt.* 6. 5. 27. Nec tamen sinus vestis, quem nodo (*Amazones*) colligunt, infra genua descendit. Adde *Quintil.* 11. 3. 138.; et *Juvenal.* 3. 97. — *b*) Refertur interdum ad tempus. *Cic. Brut.* 10. 40. Homerus non infra superiorem Lycurgum fuit. — *c*) Et ad magnitudinem. *Cæs.* 6. *B. G.* 27. Uri sunt magnitudine paullo infra elephantos. — *d*) Et ad numerum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 62. (231). Ternadena (*ova*) subjicito, hieme pauciora, non tamen infra novena. *meno di nove.*

II.) Translate ad dignitatem refertur. — *a*) Generatim: ad rem *Gell.* ex *Caton.* 7. 13. *Classici* dicebantur – primæ tantum classis homines, qui centum et viginti quinque millia æris ampliusve censi erant. *Infra classem* autem appellabantur secundæ classis ceterarumque omnium classium, qui minore summa æris, quam supra dixi, censebantur. *Ter. Eun.* 3. 2. 36. Tace tu, quem ego esse infra infimos omnes puto homines. *Cic.* 3. *Tusc.* 7. 15. Qui invictus sit, eum res humanas despicere atque infra se positas arbitrari. *Id.* 3. *Fin.* 7. 25. Sapientia et animi magnitudinem complectitur, et ut omnia, quæ homini accidant, infra se esse judicet. Sic *Horat.* 2. *Ep.* 1. 14. artes infra se positas. et *Sueton. Cal.* 24. Aliquid infra se collocare. *Plin. Paneg.* 76. Infra se aliquid putare. *Vellej.* 2. 76. 4. E quo infra se et Cæsarem et rempublicam videret. *Propert.* 1. 20. 5. Est tibi non infra speciem, non nomine dispar Thiodamanteo proximus ardor Hylæ. *h. e.* est tibi ejusdem formæ et nominis puer non inferior Hyla. *Tac. Germ.* 37. Infra Ventidium dejectus Oriens. *Id.* 14. *Ann.* 51. Invidia infra tuam magnitudinem jacet. *Id.* 13. *ibid.* 2. Sed neque Neroni infra servos ingenium, neque etc. *Vellej.* 2. 83. Infra servos cliens. *Id.* 2. 127. *extr.* Semperque infra aliorum æstimationes se metiente.... *Eumen. Paneg. Constant.* 23. Infra exspectationem dicere. — Huc et illa pertinent *Plin.* 6. *Ep.* 2. Conferant se Marii, Sullæ, Pompeji: infra Pallantis laudes jacebunt. *Id.* 1. *ibid.* 20. *a med.* Non minus non servat modum, qui infra rem, quam qui supra dicit. *h. e.* minus, quam res et causa postulat. *Quintil.* 1. 7. 1. Id quidem infra grammatici officium est. *è da meno, che grammatico.* Sic *Id.* 2. 5. 4. illa multum infra rhetoris officium existimanda. — *b*) *Infra esse* est inferiorem esse. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 38. (79). Multum infra hunc succum est, qui in Gallia fit. *Id.* 19. *ibid.* 3. 15. (40). Laser in Armenia nascitur large, sed multo infra Cyrenaicum.

Homonym. Differunt *infra* et *intra* non uno discrimine. *Intra* contrarium habet *extra*; *infra*, *supra*. Præterea *intra* ad numerum et spatium refertur, ut *intra viginti dies*, et *intra muros*: *infra* ad dignitatem, ut dictum est. Quibus locis *intra* non videtur locum habere. Ita *Valla elegant.* l. 2. c. 53. Reperitur tamen *infra* relatum ad numerum: *V.* locum *Plin.* sub *B.* I. d. Etiam *Petron.* posuit *infra* pro *intra*, *Satyr.* 137. Infra manus meas camellam vini posuit. *Intra* tamen est, qui reponat.

INFRACTĬO, ōnis, f. 3. (infringo) idem quod fractio. Translate dicitur de animo pro torpore, demissione, pusillanimitate. *Cic.* 3. *Tusc.* 7. 14. In eumdem cadere timorem et infractionem quidem animi et demissionem.

INFRACTOR, ōris, m. 3. qui infringit, *et*

INFRACTRIX, icis, f. 3. quæ infringit, *et*

INFRACTŪRA, æ, f. 1. idem quod fractio, agnoscuntur a *Priscian. super XII. vers. Æn.* p. 1282. *Putsch.*, nullo tamen auctore laudato.

INFRACTUS, a, um, particip. ab INFRINGO, quam vor. *V.*

INFRACTUS, a, um, adject. (in *privat. et* fractus) non fractus. Translate *Symmach.* 1. *Ep.* 3. (edition. *Ger. Wingendorpii* 1653: nam apud *Juret.* deest) *a med.* Fractæ opes infractos animos repererunt. *Hieronym.* in *Vita Pauli ant. med.* Infractus et hoc Antonius spectaculo. *Capell.* 2. p. 33. Quæ supererat, fortissima ac superandis omnibus adversis semper infracta, virium vocabulum possidebat. *h. e.* Fortitudo dea.

INFRACTUS, us, m. 4. (infringo) infringendi actus. *Veget.* 5. *Veterin.* 4. 2. *Schneid.* Quæ valetudo nascitur ex itineris longi fatigatione, aut ab infractu clivosarum viarum. *Alii leg.* anfractu. *Infractus* tamen agnoscitur etiam a *Priscian. super XII. vers. Æn.* p. 1282. *Putsch.*

INFRÆNO, as, etc. *V.* INFRENO.

INFRĀFŎRĀNUS, a, um, adject. (infra *et* forum) qui infra forum est, ut *circumforaneus*, qui circum forum. *Inscript.* apud *De-Vita, AA. BB.* 26. 3. C. VMBRIO EVDRASTO COLLEGIVM MARTENSIVM INFRAFORANVM MEMOR LIBERALITATIS ET HONORIFICENTIÆ *ejus patrono præstantissimo posuit.* Ita *Mommsen.* in *Bullett. archeol. ann.* 1847. p. 25.

INFRĂGĬLIS, e, adject. (in *privat. et* fragilis) qui frangi nequit, *che non si può spezzare*, ἄρρηκτος.

I.) Proprie. *Plin.* 20. *Hist. nat. proœm.* 1. (2). Adamantem infragilem omni cetera vi, et invictum, sanguine hircino rumpente.

II.) Translate est firmus, validus, *fermo, saldo*. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 53. Si vox infragilis, pectus mihi firmius ære etc. *Seneca Vit. beat.* 9. Summum bonum est infragilis animi rigor. *Ubi minus recte al. leg.* infrangibilis. *Albinov.* 1. 354. Infragilemque animum, quod potes, usque tene.

INFRANGIBILIS. *V.* voc. præced. II.

INFRASCRĪBO, scribis, scripsi, scriptum, scribere, a. 3. infra scribere; et rectius divisim scribitur. Occurrit Part. *Infrascriptus* apud *Marcell. Empir.* 29. Ad colli dolorem scribere debes in lamina aurea de graphio aureo infrascriptos characteres. et *Cassiod.* 4. *Variar.* 21. infrascriptis brevibus. — Item Part. *Infrascripturus* in *Papyr.* apud *Marin. loc. cit.* in AREA, ubi tamen pro mendoso *intrascripturis* corrige *infrascripturis*.

INFRASCRIPTUS, a, um. *V.* voc. præced.

INFRĔMO, mis, mŭi, mere, n. 3. (in *et* fremo) id quod fremere, hoc est, murmure indignationem ostendere.

I.) Proprie. *Virg.* 10. *Æn.* 711. de apro. Infremuitque ferox. *Vulg. interpr. Job* 16. 10. Collegit furorem suum in me, et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis

II.) Translate de inanimis accipitur pro personare et sonitu horrorem incutere. *Sil. It.* 3. 230. Nec bellum raptis tam dirum mille carinis Acrius infremuit trepidùmque exterruit orbem.

INFRĒNĀTĬO *vel* infrænatio, ōnis, f. 3. (infreno) freni injectio, *imbrigliamento.* Translate *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 29. Infrenatio libidinis.

INFRĒNĀTUS *vel* infrænatus, a, um, particip. ab INFRENO, quam voc. *V.*

INFRĒNĀTUS vel infrenatus, a, um, adject. (in *privat. et* frenatus) non frenatus, *sbrigliato, sfrenato*, ἀχάλινος.

I.) Proprie. *Liv.* 21. 44. Video generosissimarum gentium equites frenatos et infrenatos.

II.) Translate. *Cassiod.* 12. *Hist. Eccl.* 4. *ante med.* Infrenata lingua.

INFRENDĔO, es, ere, n. 2. (in *et* frendeo). Est etiam *infrendo, is*, 3. conjugat. *Tertull. Apolog.* 12. Infrendite, inspumate. — Part. *Infrendens* I. et II. — Infrendere est dentes irascendo quatere et invicem collidere, *fremere*, τοὺς ὀδόντας βρύχω.

I.) Proprie. *Virg.* 3. *Æn.* 664. Dentibus infrendens gemitu. *Ammian.* 16. 12. Nec finiri perpessi quæ dicebantur, stridore dentium infrendentes, ardoremque pugnandi hastis illidendo scuta monstrantes etc. *Stat.* 8. *Theb.* 580. Sæpius infrendentem aliis, aliosque sequentem.

II.) Translate. De lætitia. *Ammian.* 22. 11. Plebs omnis elata gaudio insperato, vocibus horrendis infrendens, Georgium petit.

INFRENDIS, e, adject. (in *privat.* et frendeo) qui frendere non potest. *Lactant.* ad *Stat.* 5. *Theb.* 663. Infrendere est dentes dentibus quatere; ut *Virg.* (3. *Æn.* 664.). Dentibus infrendens. Infantes enim sine dentibus infrendes dicuntur.

INFRENDO, dis, dere, n. 3. *V.* INFRENDEO init.

INFRĒNIS *vel* infrænis, e, *et* infrēnus *vel* infrænus, a, um, adject. (in *privat.* et frenum) sine freno, *sfrenato, sbrigliato*, ἀχάλινος.

I.) Proprie. *Virg.* 10. *Æn.* 750. Illum infrenis equi lapsu tellure jacentem etc. Adde *Ammian.* 19. 8. Rursus *Virg.* 4. *Æn.* 41. Et Numidæ infreni. *h. e.* infrenis equis utentes. Sic *Claudian. B. Gild.* 20. Infrenis Garamas.

II.) Translate. *Colum.* 10. *R. R.* 215. infreno volitare per æthera cursu Passus equos. *h. e.* celeri, præcipiti. *Gell.* 1. 15. *a med.* Quorum lingua tam prodiga infrenisque sit, ut fluat semper colluvione verborum teterrima. Sic *Ammian.* 29. 1. Solusque pæne omnium erat, cujus linguam non infrenem,

sed displicentem quæ loqueretur, nullius claudebat periculi metus. *Seren. Sammon.* 43. 804. infrenus manat de vulnere sanguis.

INFRĒNO *vel* infræno, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* freno). Part. *Infrenatus* I. — Infrenare est frenum imponere, *imbrigliare, frenare*, χαλινόω.

I.) Proprie. *Liv.* 37. 20. *ad fin.* Pauci stabant impavidi equi: eos ipsos non sternere, non infrenare, aut ascendere facile poterant. *Id.* 37. 20. Non stratos, non infrenatos magna pars habebant equos. *Sil. It.* 4. 315. undique nudi Assiliunt frenis infrenatique manipli. *Virg.* 12. *Æn.* 287. Infrenant alii currus. *h. e.* equos, qui currus trahant.

II.) Translate est cohibere, detinere, coercere. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 31. 51. (100). Statim pluribus ancoris navigia infrenant. *Id.* 32. *ibid.* 1. 1. (2). *de echeneide.* Infrenat impetus et domat mundi rabiem.

INFRĒNUS *vel* infrænus, a, um. *V.* INFRENIS.

INFRĔQUENS, entis, adject. (in *privat. et* frequens). Comp. *Infrequentior* et Sup. *Infrequentissimus* II. 1. — Infrequens proprie de personis active usurpatur et est non frequentans, *che non frequenta, che fa di rado.*

I.) Proprie. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 9. 4. De mancipiis, quod mihi polliceris, valde te amo: et sum equidem, ut scribis, et Romæ et in prædiis infrequens. *h. e.* raro Romam et in prædia mea advenio: *Forcellinus* vero sensu passivo accepit et interpretatus est: et mea domus Romæ et prædia mea servis frequentia non sunt. *Horat.* 1. *Od.* 34. 1. Parcus deorum cultor et infrequens. — *Infrequens miles*, inquit *Paul. Diac. p.* 112. 7. *Müll.*, qui abest abfuitque a signis. Confirmat *Cincius* 3. *Milit.* apud *Gell.* 16. 4. *ad fin.* Hinc *Plaut. Truc.* 2. 1. 10. Ubi nihil det, pro infrequente eum mittas militia domum. *V.* EMANSOR.

II.) Translate. ¶ 1. Absolute dicitur — *a)* De numero, et est non numerosus. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 12. Quum Appius senatum infrequentem coegisset. Adde *Liv.* 3. 6. Similiter *Cæs.* 3. *B. C.* 2. Eæ copiæ ipsæ hoc infrequentiores imponuntur, quod multi Gallicis tot bellis defecerant. *Justin.* 2. 4. 21. Infrequens multitudo. — *b)* Item de loco non frequentato, *non frequentato, solitario.* *Liv.* 31. 25. Paullo ante lucem, qua infrequentissima urbis sunt, paucis militibus turrim scalis cepit. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 13. Alvi, quæ paucitate plebis infrequentes sunt. *Inscript.* apud *Henzen.* 5. 795. FORTVNAM VICTRICEM CVM SIMVLACRIS VICTORIARVM *ex* INFREQVENTI ET INCVLTO LOCO IN ISTA SEDE *privata* — IVLIVS RVSTICIANVS — CONSTITVIT ET LOCAVIT. Huc referri potest et illud *Cic.* 2. *Orat.* 79. 320. Causa infrequens. *h. e.* cui pauci numero sunt auditores. — *c)* Item de iis, quæ raro fiunt. *Ulp. Dig.* 43. 31. 1. Infrequens est hoc interdictum. *Gell.* 9. 12. *sub fin.* Infrequens usus. *Id.* 2. 22. Infrequens vocabulum. *poco usato.* ¶ 2. Cum Ablativo, vel cum Genitivo infrequens est non dives. *Liv.* 37. 32. Altera pars (*urbis*) infrequens ædificiis. *Id.* 10. 20. Signa infrequentia armatis. *Id.* tamen et absolute dixit 7. 8. Infrequentia signa. — *Cic.* 4. *Herenn.* 27. 37. Te tribuni rei militaris infrequentem tradiderunt. *Alii tamen aliter leg.* *Gell.* 13. 24. Non usque eo infrequens sum vocum Latinarum, ut ignorem etc. *h. e.* parum assuetus.

INFRĔQUENTĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* frequentatus) non frequentatus, atque adeo translate non usitatus, *V.* voc. præced. sub II. 1. *c.*, *non usitato.* *Sidon.* 9. *Ep.* 15. Metrum infrequentatum durius texitur.

INFRĔQUENTER, adverb. (infrequens) non frequenter, *infrequentemente.* Occurrit tantum Comp. *Infrequentius* apud *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr. ed. sec. p.* 378. Contingit, ut rarius infrequentiusque contingant.

INFRĔQUENTĬA, æ, f. 1. (in *privat. et* frequentia) occurrit figurate tantum, et quidem — *a)* De numero est paucitas, raritas, *infrequenza*, μανότης. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 2. 2. Summa infrequentia senatus. *Liv.* 2. 23. *a med.* Nec agi quidquam per infrequentiam poterat senatus. *Tac.* 15. *Ann.* 10. Unde famam aucti exercitus sperat, prodita infrequentia. *la scarsezza, il picciol numero.* — *b)* De loco, et est solitudo. *Tac.* 14. *Ann.* 27. Veterani Tarentum et Antium adscripti: non tamen infrequentiæ locorum subvenere. *solitudine.*

INFRĬĀTUS, a, um. *V.* INFRIO.

INFRĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INFRĬCO, fricas, fricŭi, frictum *vel* fricātus, fricare, a. 1. (in et frico). Part. *Infrictus* et *Infricatus.* — Infricare est fricare et fricando contundere, vel etiam illinere, *fregare*, ἐντρίβω. *Colum.* 12. *R. R.* 30. 2. Et pondo quadrantem amphoris singulis infricato et oblinito. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 3. 8. (26). Cinerem ex aceto infricare. *Id.* 28. *ibid.* 11. 49. (178). Infricare dentes. *Id.* 31. *ibid.* 9. 45. (100). Sal infricatus. *Id.* 30. *ibid.* 12. 34. (108). Muscæ infricatæ digito medico. *Colum.* 6. *R. R.* 32. 3. Fuligo ulceri infricata. *Marcell. Empir.* 10. Infrictus naribus.

INFRĬCŎLO, as, are, a. 1. *frequentat. ab* infrico, sæpe infrico. *Pelagon. Veterin.* 31. *ad fin.* Misces simul; et deinde secundo, vel tertio ad diem oculum infrigolato (*lege* infricolato). *due o tre volte al giorno fregherai, seu strofinerai l'occhio.* Veneti nunc vulgo dicunt *sfregolare.*

INFRICTĬO, ōnis, f. 3. (infrico) actus infricandi, *fregagione*, ἔντριψις. *Cels.* 8. 11. *sub fin.* Infrictionem membro adhibere. *Targa* in 2.ᵃ editione habet *frictionem*, atque ita legend. probat.

INFRICTUS, a, um. *V.* INFRICO.

INFRĪGĔO, es, *vel* sæpius

INFRĪGESCO, frigescis, frixi, frigescere, n. inchoat. 3. (in *et* frigesco) infrigere incipio, *raffreddarsi.* *Cels.* 5. 25. *n.* 4. Quum infrixit, catapotia ex eo fiunt. *Veget.* 5. *Veterin.* 27. 2. De cauda parum sanguinis demis: nam si amplius abstuleris, infrigescet. *Theod. Priscian. l.* 2. *p.* 2. *c.* 10. Quibus autem phlegmatis infestatione stomachus infrixerit, chalasticis unguentis calidis curandi sunt. *Id.* 4. *pag.* 314. *retro edente Aldo.* Siticulosus manducet de uva silvatica, et infriget.

INFRĪGĬDĀTĬO, ōnis, f. 3. (infrigido) actus, quo quid frigidum fit, *raffreddamento.* *Veget.* 1. *Veterin.* 29. Sudoris subita infrigidatio.

INFRĪGĬDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INFRĪGĬDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* frigidus). Part. *Infrigidans* et *Infrigidatus.* — Infrigidare est refrigerare, *raffreddare.* *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *a med.* Navigationes fluminales caput infrigidant. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 7. 194. Infrigidatus fuit. *Æmil. Macer. de herb.* 3. 5. Et sic sub dio prius infrigidata bibatur. *Hic perperam secunda syllaba corripitur*, ut apud *eumd.* 40. 38. Leniter infrigidans corpusque sopore resolvens. *Theod. Priscian.* 1. 10. Poscâ frigidâ frequenter infrigidetur (*tumor*). *Id.* 1. 21. Frigidi tactus et acres vitandi sunt. Infrigidatæ enim partes facilius commoventur. Adde *Theod. Priscian. de diæt.* 2.; et *Macrob.* 1. *Saturn.* 24.

INFRINGO, fringis, frēgi, fractum, fringere, a. 3. (in *et* frango). Part. *Infringens* I.; *Infractus* I. et in fin.; *Infringendus* 2. — Infringere est idem quod frangere, aut valde frangere, *in* præposit. augente, καταῤῥήγνυμι (It. *frangere, spezzare, rompere*; Fr. *briser contre, briser*; Hisp. *romper, quebrar, desmenuzar*; Germ. *durch Biegen brechen, einbrechen, umbrechen, knicken, brechen*; Angl. *to break in pieces*).

I.) Proprie. — *a)* Generatim. *Ovid.* 10. *Met.* 190. Ut si quis violas riguoque papavera in horto Liliaque infringat. *Id.* 5. *ibid.* 82. Ingentem manibus tollit cratera duabus Infregitque viro. *gliela ruppe sul capo.* Sic *Plaut. fragm. Amph.* apud *Non. p.* 543. 10. *Merc.* Optimo jure infringetur aula cineris in caput. *Al. leg.* refringatur. *Val. Flacc.* 6. 199. infracta est vulnere cervix. *Id.* 5. 412. genibusque tumens infringitur unda. *Pallad.* 6. *R. R.* 12. Hordeum mola infringere. *Horat. Epod.* 11. 22. postes et Limina dura, quibus lumbos et infregi latus. *Ovid.* 9. *Met.* 208. infringere vestes. *lacerare.* *Val. Flacc.* 3. 286. Ille ubi concretos pingui jam sanguine crines, Pallentesque genas, infractaque pectore caro Tela — agnovit etc. *i dardi che aveano lacerato il petto.* Sic *Stat.* 2. *Theb.* 556. abscissis infringens cautibus uncas Exsuperat juga dira manus. *lacerandosi le mani nell'inerpicarsi.* — *b)* Speciatim pro inflectere ponitur, et infractus dicitur qui inflexus est, ita ut infractus videatur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. 79. Infractus remus. Sic *Plin.* 2. *Hist. nat.* 38. 38. (103). Infracti radii resiliunt. — *c)* Item *infringere manus* est etiam inter se usque ad articulorum strepitum constringere, seu conterere, ut *Petron. Satyr.* 17. loquitur. *Id. ibid.* 23. Qui ut infractis manibus congemuit, ejusmodi carmina effudit. *Quintil.* 11. 3. 158. eodem sensu dixit *infringere articulos.* *V.* CONTERO. — *d)* *Digitos citharæ infringere*, apud *Stat.* 1. *Achill.* 575. est illidere chordis, easque pulsare. — *e)* *Infringere alicui colaphum* est infligere, illidere. *Ter. Adelph.* 2. 1. 46. Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi. Sic *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (130). Invalidissimum urso caput: — sæpe (*ursi*) in arena colapho infracto exanimantur. *Forcellinus* legit: Caput ursi colapho infractum. *h. e.* fractum. — *f)* *Infringere linguam* est retardare, lingua hærere, *balbettare*, apud *Lucret.* 3. 156. infringi linguam (*metu*), vocemque aboriri. — *g)* *Infringendo* passive, *Lucret.* 6. 141. Sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur Dant infringendo graviter. *frangendosi.*

II.) Translate est minuere, debilitare, reprimere. — *a)* Generatim. *Seneca Ep.* 67. Nondum me committo frigidæ: adhuc rigorem ejus infringo. *tempero.* Sic *Pallad.* 12. *R. R.* 13. 4. Infringere ardorem solis. *Seneca* 3. *Controv.* 19. Vocem de industria infringere. *h. e.* demittere, submittere, ad miserationem mollire. *Cæs.* 3. *B. C.* 92. Ut primus excursus visque militum infringeretur. *Id.* 2. *ibid.* 21. Infringere conatus adversariorum. *Cic. Balb.* 6. 15. florem dignitatis. *Id. Mil.* 2. 5. alicujus gloriam. *Liv.* 38. 16. *sub fin.* animos hostium. *Cic. Orat.* 2. 6. spem. *Id.* 1. *Orat.* 27. 24. Quum Drusi tribunatus infringi jam debilitarique videretur. *Id.* 7. *Att.* 2. Vehementius esse quiddam suspicor, quod te infringat. *ti abbatta, ti faccia perdere d'animo.* *Propert.* 1. 14. 17. Infringere vires heroum. *Liv.* 8. 39. res Samnitium. *Tac.* 14. *Ann.* 1. potentiam. *Id.* 11. *ibid.* 19. ferociam. *Curt.* 9. 2. 29. palmam in manibus alicujus. *Colum.* 2. *R. R.* 4. 10. difficultatem. *superare, vincere.* *Tac.* 4. *Ann.* 19. Infringere jus consulis. *sminuire, restringere.* Sic *Id.* 1. *ibid.* 77. dicta alicujus. *Paul. Dig.* 34. 9. 5. *ad fin.* testamentum. *rompere, annullare.* *Modestin. ibid.* 50. 4. 11. immunitatem. *togliere, levare.* *Ovid.* 2. *Trist.* 411. Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem, Infregisse suis fortia facta modis. *Plin.* 7. *Ep.* 31. Numquam officiorum varietate continuam laudem humanitatis infregit. *h. e.* interrupit, corrupit. *Stat.* 1. *Achill.* 144. humilique deos infringe precatu. *h. e.* placa. — *b)* Speciatim refertur ad dictionem. *Cic.* 3. *Orat.* 48. 186. Membra illa modificata esse debebunt: quæ si in extremo breviora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus. *si rompe il numero e 'l giro.* *Id. Orat.* 69. 230. Infringendis concidendisque numeris in quoddam genus abjectum incidunt. — Hinc Part. præter. pass., cujus exempla et sub I. retulimus,

Infractus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Infractior* II. *b.*; et proprie est idem omnino quod fractus, vel valde fractus, *rotto, spezzato, infranto*, ἐπικλασθείς.

I.) Proprie. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 13. Unedo digitis infracta. *Schneider.* ita ex Polit. libri lectione correxit: vulgati libri *nuces infractæ.* habent. *Id.* 12. *ibid.* 55. 2. Sal mole infractum. *Val. Flacc.* 3. 236. Infracti currus. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 16. (24). Infracta ossa extrahere. *Id.* 8. *ibid.* 50. 76. (202). Mares caprarum longis auribus infractisque probant. *h. e.* deciduis, (*flaccidas* et *prægravantes* vocat *Colum.* 7. *R. R.* 6. 2.), quasi fractæ sint.

II.) Translate quoque eamdem, ut *fractus*, vim habet apud probatum quemque scriptorem. Neque audiendus est *Servius*, qui illud *Virg.* 12. *Æn.* 1. Turnus ut infractos adverso Marte Latinos Defecisse videt etc. exponit, antea semper infractos. Sunt enim hic Latini debilitati, afflicti, dejecti, demissi, abjecti, accisis viribus, *abbattuti, snervati, avviliti, mortificati, perduti d'animo.* — *a)* Generatim. *Virg.* 5. *Æn.* 784. *de Junone.* Nec Jovis imperio, fatisve infracta quiescit. *vinta, domata.* *Ovid.* 6. *Met.* 627. Mota quidem est genetrix, infractaque constitit ira. *Curt.* 6. 2. 21. Numquam (*milites*) infractos et objectos recessisse, quoties ipsius alacritatem et tanti animi spiritus haurire potuissent. *Flor.* 2. 2. 23. Regulus non infractus carcere. *Vellej.* 2. 37. 2. Infractus rex armis. *Cic. post redit. ad Quir.* 8. 19. Quum esset summa senectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato atque renovato. *Liv.* 7.

31. Infractos animos gerere. *Curt.* 9. 2. 30. Surdas jamdudum aures pulso: aversos animos et infractos excitare conor. *Id.* 8. 14. 44. Magnitudo animi ejus interrita, ac ne fortunâ quidem infracta. *Virg.* 9. *Æn.* 499. torpent infractæ ad prælia vires. *Stat.* 2. *Achill.* 213. Infracta virtus. *Cic. Dom.* 25. 64. Itaque infractus furor tuus inanes faciebat impetus. *Atticus* apud *Cic.* 9. *Att.* 12. *ad fin.* Tum poterimus deliberare, non scilicet integra re, sed certe minus infracta. *Liv.* 38. 14. Oratio submissa et infracta. *Val. Max.* 5. 10. n. 1. *extern.* Oratione nulla ex parte infractiore continuatus est. *Cels.* 3. 7. n. 2. Infractus calor. *h. e.* domitus et sublatus. *Val. Flacc.* 3. 236. infracti languescunt frigore currus. *h. e.* debilitati, retardati. *Tac.* 1. *Hist.* 1. Veritas pluribus modis infracta. *h. e.* corrupta, adulterata. *Id.* 3. *ibid.* 42. Fides metu infracta. *h. e.* violata. *Id.* 4. *ibid.* 57. Infracta tributa. *h. e.* imminuta. *Id.* 13. *Ann.* 12. Infracta paullatim potentia matris. — *Infracta fama* apud *Virg.* 7. *Æn.* 332. et *Tac.* 2. *Hist.* 22. est imminuta et corrupta. — *b*) Speciatim refertur ad sermonem. *Cic. Orat.* 51. 170. Infracta et amputata loqui. *h. e.* interrupta et veluti confragosa collocatione comprehensa. — Hinc *infracta loquela* seu *vox* est effeminata et mollis, qualis esse cinædorum solet, ac præcipue nutricum, quæ de industria decurtata et fracta verba coram infantibus loquuntur. *Gell.* 3. 5. Quum vocem ejus (*delicati*) infractam, capillumque arte compositum, et oculos ludibundos atque illecebræ voluptatisque plenos videret. *Lucret.* 5. 231. Almæ nutricis blanda atque infracta loquela. *Arnob.* 4. 21. Ergone Juppiter ad somnos inductus est in mollissimis cunis jacens et vocibus delinitus infractis? Huc spectat locus *Philodemi de musica* apud *Viscont. Iscriz. Triop.* p. 310. *edit. Mediol.*, ubi κεκλασμένη φωνὴ legitur, quæ in loco simili *Aristoph. Nub.* v. 973. μαλακὴ dicitur. Adde *Minuc. Fel. Octav.* 2.; et *Hieronym. Ep.* 79. n. 6.

INFRĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et frio). Part. *Infriatus* et *Infriandus.* — Infriare est idem ac friare, hoc est comminuere, vel rem friatam et comminutam rei alicui imponere, *stritolare o fregare sopra, o in qualche cosa,* ἐπιτρίβω. *Cato R. R.* 156. Farinam infriet in aquam. *Id. ibid.* 79. Eos melle ungito, papaver infriato. *Varro* apud *Non.* p. 220. 11. *Merc.* et apud *Charis.* 1. p. 64. *Putsch.* Infria semi papaverem. *Cels.* 7. 12. Arida medicamenta infrianda sunt. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 22. Atque ita paullum triti salis vulneribus infriatur. *Id.* 7. *ibid.* 5. 12. Superfusoque aceto, vel æris ærugine infriata. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 13. 51. (140). Dare rutam cum bitumine infriatam potioni, propter anhelitum. Adde *Veget.* 4. *Veterin.* 19.

INFRONS, frondis, adject. omn. gen. (in *privat.* et frons) sine frondibus, *privo di frondi.* *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 31. Hic agri infrondes. *h. e.* sine arboribus. Est qui leg. *informes.*

INFRONTĀTĒ, adverb. (in *privat.* et frons) petulanter, *sfrontatamente.* *Fulgent. de prisc. serm.* n. 22. C a t i l l a r e est per alienas domos infrontate gyrare. *V.* CATILLO.

INFRUCTĬFER, fĕra, fĕrum, adject. (in *privat.* et fructifer) non fructifer. *Papyr.* Ravennas ann. a Chr. n. DXCI. apud *Marin. Papyr. Diplom.* n. 122. p. 187. Arbores pomiferæ, fructiferæ et infructiferæ. Hæc vox, quamvis ad sæculum septimum post Chr. n. pertineat, ex prima *Furlanetti* Appendice allata est, ne quid omitteretur.

INFRUCTŬŌSĒ, adverb. (infructuosus) sine fructu, *infruttuosamente.* Est *Hieronym. Ep.* 112. n. 16.; *Augustin. Ep.* 67. n. 6. et 21. *Civ. D.* 9. Comp. *Infructuosius* apud *Sidon.* 1. *Ep.* 9.

INFRUCTŬŌSĬTAS, ātis, f. 3. (infructuosus) inanitas. *Tertull. Resurr. carn.* 33. Judaica infructuositas.

INFRUCTŬŌSUS, a, um, adject. (in *privat.* et fructuosus) qui non fert fructum, *infruttuoso, senza frutto, inutile,* ἄκαρπος.

I.) Proprie. *Colum. arbor.* 9. Infructuosæ vites. *Id. ibid.* 6. Infructuosa vinea. *Id.* 11. *R. R.* 2. 32. Post quem diem sera et infructuosa fit hujusmodi rerum cultura. *Ammian.* 22. 15. Nilus infructuosus, si venerit parcior.

II.) Translate. *Plin.* 8. *Ep.* 23. Obversantur oculis cassi labores et infructuosæ preces. *h. e.* vanæ, frustra factæ. Sic *Seneca* 3. *Controv.* 19. *ad fin.* Infructuosa epistola. *Tac.* 1. *Hist.* 51. militia.

INFRŪGĬFER, fĕra, fĕrum, adject (in *privat.* et frugifer) frugem non ferens. *Vet. Scholiast. Cruq.* ad *Horat.* 2. *Od.* 15. 4. *Platanusque cælebs.* Plures, inquit, erant platani, quam ulmi, quæ infrugiferæ magis ad amœnitatem deambulationis poni solent.

INFRŪNĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et fruniscor) insipiens, stultus, insulsus, fatuus, quasi qui communi sensu caret et rebus recte *frui* nescit; *V.* FRUNISCOR, *sciocco, stolto, che non ha buon gusto delle cose,* ἄφρων, ἀπειρόκαλος. *Seneca Vit. beat.* 23. Sapiens nec jactabit opes, nec abscondet: alterum infruniti animi est, alterum timidi et pusilli. *Id.* 3. *Benef.* 16. Infrunita et antiqua est, quæ nesciat matrimonium vocari unum (*lege* unius) adulterium. *Vulgat. interpr. Eccli.* 23. 6. Animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me. *Gell.* 4. 9. *sub fin.* Verba infrunita. *h. e.* insipida. *Al. leg.* infulta. *Macrob.* 5. *Saturn.* 1. *a med.* Dicendi genus, in quo nec præceps brevitas, nec infrunita copia, nec jejuna siccitas, nec lætitia pinguis.

INFŪCĀTUS, a, um, adject. duo diversa significat, prout est *A*) Ab *in* intensiva; vel *B*) Ab *in* privativa et *fucatus.*

A) Infucatus ab *in* intent. et *fucatus* est fuco tinctus; ac translate occurrit apud *Cic.* 3. *Orat.* 25. 100. In scriptis et in dictis non aurium solum, sed animi judicio etiam magis infucata vitia noscuntur.

B) Infucatus ab *in* privat. et *fucatus* est non fucatus. Translate *Arnob.* 2. 47. Si infucata vultis audire, nec ab aliqua vocis ostentatione deducta.

INFŪCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. fuco tingere, *imbellettare,* φυκόω. Translate sumitur pro tegere, simulare. *Plaut. Mil. glor.* 2. 9. 46. Nunc pol ego metuo, ne quid infucaverit. Ubi *infucare aliquid* dixit pro fallaciam aliquam latenter struere, et quibusdam quasi coloribus ita simulare, ut deprehendi vix possit. Al. melius leg. *infuscaverit.* *V.* INFUSCO II. *Id. Cist.* 1. 1. 21. Infucare merum. *h. e.* aqua diluere. Sed ibi quoque *infuscare* legitur *V.* INFUSCO I.

INFŪDĪBŬLUM. *V.* INFUNDIBULUM.

INFŬLA, æ, f. 1. (quæ vox juxta *Forcellinum* est ab *involvo*) generatim est quælibet fascia (It. *fascia, benda*; Fr. *ruban, bande, bandelette*; Hisp. *cinta, liston, venda, tirilla*; Germ. *Binde, Band*; Angl. *a fillet, turban, mitre, garland*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Orat.* 21. 81. In infulis rem aliquam depingere. *Forcellinus* hoc loco accipit pro qualibet fascia, aut tabella oblonga. ¶ 2. Speciatim ac sæpius est ornamentum capitis sacerdotale, *fascia, benda, mitra,* στέμμα, μίτρα. *Paul. Diac.* p. 113. 1. *Müll.* ita describit: Infulæ sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes et hostiæ templaque velabantur. Plenius vero *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 538. Infula, *inquit,* fascia in modum diadematis, a qua vittæ ab utraque parte dependent: quæ plerumque lata est, plerumque tortilis, de albo et cocco. Ceterum prosæ scriptores fere in plurali usurpant. — *a*) De sacerdotum ornatu. *Cic.* 6. *Verr.* 50. 110. Præsto mihi sacerdotes Cereris cum infulis ac verbenis fuerunt. *Virg.* 10. *Æn.* 538. Hæmonides, Phœbi Triviæque sacerdos, Infula cui sacra redimibat tempora vitta. *Justin.* 24. 8. 3. In hoc partium certamine, repente universorum templorum antistites, simul et ipsi vates, sparsis crinibus, cum insignibus atque infulis – procurrunt etc. *Id.* 18. 7. 9. Ornatusque purpura et infulis sacerdotii. Adde *Ovid.* 3. *Pont.* 2. 74.; *Stat.* 2. *Theb.* 95., 4. *ibid.* 218. et 7. *ibid.* 717. Sic *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 1035. Infulas Vestalibus tribuit; et *Gellius* 6. 7. Fratribus Arvalibus. — Metonymice *Prudent. Apotheos.* 486. genus hoc hominum (*Christianorum*) tremit infula et omne Pulvinar divum. *h. e.* ethnici sacerdotes. Huc *Lactant.* 4. 27. Quum diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant. — *b*) De ornatu hostiarum. *Varro* 7. *L. L.* 24. *Müll.* Dictas apparet infulatas hostias, quod velamenta, his e lana quæ adduntur, infulæ. *Müllerus* ita legit; alii aliter. *Lucret.* 1. 87. de *Iphigenia.* Infula virgineos circumdata comptus Ex utraque pari malarum parte profusa. *Virg.* 3. *G.* 486. Sæpe in honore deûm medio stans hostia ad aram, Lanea dum nivea circumdatur infula vitta etc. *Flor.* 4. 2. 92. Quæ omnia velut infulæ in destinatam morti victimam congerebantur. Cf. *Liv.* 2. 54. Consulares fasces, prætextam curulemque sellam, nihil aliud, quam pompam funeris, putent. Claris insignibus velut infulis velatos ad mortem destinari. — *c*) Infulæ fuerunt etiam precantium ac supplicum insignia. *Cæs.* 2. *B. C.* 12 Inermes cum infulis sese porta foras universi proripiunt, ad exercitum supplices manus tendunt. *Tac.* 1. *Hist.* 66. Velamenta et infulas præferentes, genua, vestigia prensando, flexere militum animos. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 31. Huc referri potest et illud *Liv.* 30. 36. Velata infulis ramisque oleæ Carthaginiensium occurrit navis. *scil.* tamquam sacra esset et pacem pro se ferret. Is enim mos fuit pacem petentium. Hunc tamen *Livii* locum ad § II. *d.* commode retuleris. — *d*) De sepulcrorum et hastarum militarium ornatu accepit *Forcellinus* in illo *Frontin.* 1. *Strateg.* 12. n. 5. Epaminondas, contristatis militibus, quod ex hasta ejus ornamentum, infulæ more dependens, ventus ablatum in sepulcrum Lacedæmonii cujusdam depulerat: Nolite, inquit, milites trepidare; Lacedæmoniis significatur interitus. Sepulcra enim funeribus ornantur. Ex hoc tamen *Frontini* loco haud recte colligi potest, ut mihi videtur, infulas hastarum militarium et sepulcrorum ornatum fuisse. *V.* infra sub II. *d.* — *e*) Infulæ diis quoque tribuuntur. *Capell.* 1. p. 8. Subdendæ tamen (*voces*) Clario (*h. e.* Apollini) fidibus personanti, atque inter serta laurigera infularum lubrico implexoque crine redimito. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 429. nec te tua plurima, Panthu, Labentem pietas, nec Apollinis infula texit. — *f*) Poetis quoque tribuuntur a *Stat.* 4. *Silv.* 4. 93. — *g*) Infulas de fasciolis dixit *Tertull. Anim.* 39.

II.) Translate pro quocumque ornamento accipiuntur; et quidem — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 2. 6. His insignibus atque infulis imperii venditis. — *b*) Dicuntur *infulæ* etiam ornamenta et insignia magistratuum. Hinc Infulas honorum *Imp. Constantin. Cod.* 7. 63. 1.; Infulas magistratus *Ammian.* 15. 6.; Infulas imperiales *Imp. Justinian. Cod. tit.* 37. *in fin.*; et Infulas curules *Cassiod.* 2. *Variar.* 1. — Hinc et pro ipso magistratu ponuntur, ut fasces. *Spartian. Hadrian.* 6.; ut quidem legit *Salmas.* Martium Turbonem, post Mauritaniæ præfecturam, infulis ornatum Pannoniæ, Daciæ quoque ad tempus præfecit. Adde *Trebell. Poll. Gall.* 14. — *c*) *Infularum loco esse vel haberi* est sacrum ac religiosum esse, ac veneratione dignum, *essere in alta considerazione.* *Seneca Ep.* 14. *circa med.* Hæ litteræ, non dico apud bonos, sed apud mediocriter malos, infularum loco sunt. *Id. Consol. ad Helv.* 13. Qui adversus sævissimos casus se extollit, et ea mala, quibus alii opprimuntur, evertit, ipsas miserias infularum loco habet. — Huc referri potest et illud *Nazar. Paneg. Constant.* 32. Quot in illo turpitudinis notas exstiuxeras, tot in te laudum infulæ refulserunt. — *d*) De ornatu ædium et templorum. *Lucan.* 2. 355. Infulaque in geminos discurrit candida postes. *festoni, nastri.* Cf. locum *Livii* allatum sub I. *c.*

INFŬLĀTUS, a, um, adject. infula ornatus.

I.) Proprie de hostiis quæ mactantur. *Cenotaph. Pisan. de L. Cæs.* apud *Orell.* 642. EO DIE EIVS VESTIS HABENDAE INFERIAE MITTANTVR, EOSQVE ET OVIS ATRI INFVLIS CAERVLIS INFVLAT. DIIS MANIBVS EIVS MACTENTVR. Sic de homine, qui hostiæ in modum per vicos ageretur, ex aggere mox præcipitandus, *Sueton. Cal.* 27. Alterum, qui se periturum pro salute sua voverat, cunctantem pueris tradidit verbenatum infulatumque.

II.) Translate de honorum insignibus. *Prudent.* 9. *Cathemer.* 5. Christus est, quem rex sacerdos adfuturum infulatus concinebat voce, chorda et tympano. *h. e.* rex David diademate cinctus. *Id.* 4. περὶ στεφ. 78. Clerus hinc tantum peperit triumphum, Hinc sacerdotum domus infulata Valeriorum.

INFULCĬO, fulcis, fulsi, fultum, fulcire, a. 4. (in et fulcio) idem atque infercire, ingerere, inculcare, *cacciar dentro, ficcar dentro per forza.*

I.) Proprie. *Sueton. Tib.* 53. Mori inedia destinanti, per vim ore diducto, infulciri cibum jussit. *Frontin.* 3. *Strateg.* 13. n. 4. Aliqui et jumentum (*lege* jumento) in aversam partem infulserunt (*lit-*

terræ), dum stationes transeunt. *h. e.* in podicem intruserunt.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 114. Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire. *Id. Ep.* 106. Ut aliud quoque, de quo non quæris, infulciam. *Id. Ep.* 24. *a med.* Quæris, quid huic epistolæ infulserim, quod dictum alicujus animosum, quod præceptum utile. Adde *eumd.* 3. *Benef.* 28. *Capitolin. Macrin.* 5. Infulsit præterea nomen Severi, quum illius nulla cognatione tangeretur. *h. e.* inseruit Severi nomen propriis nominibus: nam, quum ille adhuc privatus *M. Opelius Macrinus* appellaretur, imperio arrepto vocatus est *Imp. Cæs. M. Opel. Sev. Macrinus Aug.*, ut constat ex ejus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 237.; ac proinde rejicienda est conjectura *Salmasii*, qui legend. putavit *Infulsit præterea in nomen Severi se.* Alii vero male *infulsit* ab *infulgeo* derivant.

INFULGEO, fulges, fulsi, fulgere, n. 2. idem quod fulgeo. *V.* voc. præced. II. in fin. — Sunt qui Particip. *Infulgens* legunt in illo *Catull.* 64. 388. Sæpe pater divûm templo infulgente revisens Annua sacra. *Alii melius leg. divisim* in fulgente. Certa est lectio apud *Cassiod. de anim.* 8. Quum tamen ei (*animæ*) gratia divinitatis infulserit.

INFULGERAT, ăbat, impers. idem ac fulgerat, seu fulgurat, vel valde fulgurat; ut *fulgerator* pro *fulgurator*, quam vocem vide. Ceterum *infulgerat* est vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 118.

INFULLŌNĬCĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et fullo) qui fullonicam pilam non est expertus. *Gloss. Philox.* Infullonicatus, ἄκναφος. Sic *Gloss. Cyrill.* Ἄκναφος, rudis, infullonicatus, impolitus.

INFŪMĀBŬLUM. *V.* INFURNIBULUM.

INFŪMĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *infumo* (in et fumus) fumo expositus, aut siccatus, posto o seccato al fumo. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 16. 63. (225). Asini cerebrum infumatum. *Id. ibid.* 11. 48. (176). Putant hæc efficaciora, in cornu caprino per dies viginti infumata.

INFŪMĪBŬLUM. *V.* INFURNIBULUM.

INFŪMO, as, are, a. 1. (in et fumus) fumo excitato tegere. *Isid.* 12. *Orig.* 14. Hic (*chelydros*), per quam labitur, terram fumare facit; quem sic Macer describit: Seu terga expirant spumantia virus, Seu terram infumat qua teter labitur anguis. *Alii tamen aliter leg.*

INFŪMUS, a, um, antiquo more pro *infimus*, *V.* INFERUS sub *C.*

INFUNDĬBŬLUM, i, n. 2. (infundo.) ¶ 1. Generatim est vas in summo latum et expansum, in imo angustum et in fistulam desinens, quo in vasa angusti oris liquores infundimus, *imbottatoja, pevera, imbuto,* χώνη. *Colum.* 3. *R. R.* 18. 6. Illa quæ reflexa et resupina, more infundibuli per medullam transmittit quidquid aquarum superfluit. Adde *Caton. R. R.* 10., 11. et 13.; *Pallad.* 7. *R. R.* 7. 2.; *Vitruv.* 10. 10. 12. et 13.; et *Vopisc. Aurel. extr.*, quibus locis MSS. habent *infidibulum*, quasi ab *infindendo*, quia eo tamquam infunduntur vasa angusta. Alii leg. *infudibulum*. Ceterum. *V.* et INFURNIBULUM. ¶ 2. Speciatim est instrumentum, per quod frumentum in molam infunditur, *tramoggia. Vitruv.* 10. 10. In qua machina impendens infundibulum subministrat molis frumentum.

INFUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. (in et fundo). Part. *Infundens* I. 1.; *Infusus* in fin.; *Infundendus* I. 4. — Infundere est intro fundere, fundendo injicere, ἐγχέω (It. *infondere, versar dentro*; Fr. *verser dans ou sur, répandre, introduire en versant*; Hisp. *echar dentro, introducir echando*; Germ. *hineingiessen, schütten, fliessen lassen, begiessen*; Angl. *to pour in or into, infuse*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 61. Utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo, tamquam in aliquod vas, ea quæ meminimus infundantur. *Seneca* 7. *Benef.* 19. Vinum infundere reticulo, aut cribro. *Colum.* 6. *R. R.* 5. 5. Visci folia cum vino trita per nares infundere jubet. *Id. ibid.* 4. 2. Spicas allii cum vino conteras, et in naribus infundas. *Id. ibid.* 6. 3. Vini sextarium faucibus infundere. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 69. (180). Tritum cum oleo in aurea infunditur. *Id.* 33. *ibid.* 3. 14. (48). Mithridates Aquilio capto aurum in os infudit. *Id.* 24. *ibid.* 9. 40. (66). Clystere aliquid infundere. et *eodem sensu* 27. *ibid.* 4. 5. (20). Aloe dysenteriæ infunditur. et 20. *ibid.* 21. 84. (227). Malvas tenesmo et dysentericis utilissime infundi. *Id.* 31. *ibid.* 7. 39. (81). Infundere mare in salinas. *Id. ibid.* 10. 46. (109). salinis. *Id.* 3. *ibid.* 1. 1. (5). Oceanus Atlanticum mare infundens. *h. e.* per Gaditanum fretum immittens. *Id.* 2. *ibid.* 38. 38. (103). Tellus inani cælo spiritum infundit. *sparge pel cielo.* Nonnulli, inter quos etiam *Sillig.*, legunt *fundit.* Cf. *Ovid.* 1. *Met.* 361. animas formatæ infundere terræ. — *Infundere sibi aliquid* est se proluere, aut perfundere. *Auct. B. Hisp.* 33. Ipse de tempore cœnavit: resinam et nardum identidem sibi infudit. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 46. 63. (129). Bibunt aves suctu, et capite resupinato, velut infundentes sibi. ¶ 2. Latiori sensu *infundere alicui* est miscere, dare, porrigere. *Cic.* 11. *Phil.* 6. 13. Hic nuper sororis filio infudit venenum, non dedit. *Horat. Epod.* 5. 77. majus infundam tibi Fastidienti poculum. *Juvenal.* 8. 154. infundet jumentis hordea lassis. *Id.* 6. 615. Cui totam tremuli frontem Cesonia pulli infudit. *h. e.* in potione, seu philtro. ¶ 3. Item usurpatur pro perfundere, aspergere. *Colum.* 12. *R. R.* 49. 6. Olivas aceto non acerrimo infundere. *Id. ibid.* 56. 3. Rapa sinapi et aceto infundere. *Pallad.* 11. *R. R.* 9. Si uvam nimius imber infuderit. *Id.* 6. *ibid.* 1. Si fena pluviis infusa fuerint. ¶ 4. Item pro superfundere, affundere, injicere, immittere. *Virg.* 4. *Æn.* 121. nigrantem commixta grandine nimbum Desuper infundam. *Id.* 1. *G.* 385. Certatim largos humeris infundere rores. *Cels.* 1. 3. Multa aqua per caput infundenda. *Sueton. Cæs.* 94. Infundere merum super altaria. *Curt.* 8. 9. Gemmas margaritasque mare litoribus infundit. *Id.* 7. 9. Barbari ingentem vim sagittarum infudere ratibus. *Id.* 5. 6. 1. Hinc (*h. e.* a Persida) immensa illa agminâ (*in Græciam*) infusa. Sic *Flor.* 3. 21. Collina porta geminum agmen Urbi infudit. *Sil. It.* 14. 638. Infundunt rapidum convulsis mœnibus agmen, Condensique ruunt. *Ammian.* 17. 13. Dextrâ pedites caterras peditum obtruncabant; equites lævâ equitum se turmis agilibus infuderunt. ¶ 5. Item *infundere se* est cum re aliqua misceri. *Cic. Brut.* 16. 62. Quum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus. *Id.* 9. *Fam.* 15. Tunc quum in urbem nostram infusa est peregrinitas.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Orat.* 77. 355. Ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere. Cf. *Sil. It.* 11. 431. In primis dulcem, Pœno lætante, per aures Nunc voce infundit Teuthras, nunc pectine cantum. et *Ammian.* 15. 3. Id, venenatis artibus coloratum in pejus, patulis imperatoris auribus infundebat. Rursus *Cic.* 3. *Legg.* 14. 32. Vitiosi principes vitia infundunt in civitatem. *Id.* 2. *Orat.* 74. 300. Qui (*Themistocles*) ita responderit, ut intelligere possemus, nihil ex illius animo, quod semel esset infusum, umquam effluere potuisse. *Seneca Hippol.* 151. Rebus lumen infundere. *Pers.* 1. 79. monitus pueris. *Justin.* 3. 5. civitati detrimenta. *Al. leg.* infligere. *V.* INFINDO. *Auct. declam.* quæ inscribitur *Tribun. Marian.* 3. opprobrium alicui. — Sic *infundere se* apud *Sil. It.* 17. 504. Haud secus, ac tectis urbis Vulcania pestis Quum sese infundit, rapidusque incendia flatus Ventilat. *Ammian.* 14. 5. Hic, jura licentius supergressus, fluminis modo fortunis complurium sese repentinus infudit. — Hinc Part. præter. pass.

Infusus, a, um, est intro, aut supra fusus, *infuso, sparso,* ἐγχυθείς.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 496. infuso lympharum rore superne. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 27. (60). Succus infusus auribus. *Id.* 30. *ibid.* 3. 8. (23). Fimus auriculæ infusus. *Id. ibid.* (24). Cinis infusus in aurem. *Id.* 25. *ibid.* 13. 92. (144). Succus per nares infusus. Adde *Scribon. Compos.* 2.; et *Veget.* 5. *Veterin.* 15. 15. Rursus *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 27. (56). Acetum sistit alvum et rheumatismos interaneorum infusum. *h. e.* per clysterem injectum. *Id.* 32. *ibid.* 11. 53. (142). Maria tot millibus passuum terræ infusa. *Justin.* 32. 4. Aurum in statuis infusum. *Ovid.* 1. *Art. am.* 437. Cera infusa tabellis. — *Infusus vino* apud *Macrob.* est vino madens, temulentus, 7. *Saturn.* 3. Vino vel infusum, vel aspersum parvus quoque dolor incitat in furorem. et *ibid.* 5. Infusus vino fit similis insano.

II.) Translate. *Ovid.* 7. *Met.* 183. nudos humeris infusa capillos. *h. e.* capillos habens infusos humeris. *hypallage. Catull.* 64. 224. Canitiem terra atque infuso pulvere fœdans. *Virg.* 9. *Æn.* 461. jam sole infuso, jam rebus luce retectis. Sic *Sil. It.* 12. 732. infuso Phœbo. *Id.* 5. 678. tenebræ. *Id.* 11. 270. umbra. *Al. leg.* offusa. *Virg.* 8. *Æn.* 406. Conjugis infusus gremio. *abbandonatosi in grembo.* Sic *Ovid. Heroid.* 2. 93. collo infusus amantis. *Id.* 11. *Met.* 386. collo infusa mariti. *Virg.* 5. *Æn.* 552. populus circo infusus. *h. e.* magno numero circum ingressus et totum occupans more aquarum inundantium. *Id.* 6. *ibid.* 726. totamque infusa per artus Mens agitat molem. *h. e.* diffusa. *Sil. It.* 7. 258. sensim infusa tranquilla per æquora pace. *Val. Flacc.* 4. 551. tam largus honor, tam mira senectæ Majestas infusa. *h. e.* indita, addita. *Ammian.* 14. 6. Infusus ardor mentibus. *Id.* 16. 5. sopor. — Apud *Quintil.* 6. 1. 40. imago senis cadaveri infusa, est e cera facta, quæ in mortui facie infusa sit, *stampata sul volto d'un cadavere. V.* IMAGINARIUS. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 44. (153). Hominis imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit, ceraque in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius. *Apul. de Mag.* Quod luto fictum, vel ære infusum, vel lapide incisum, vel cera inustum, vel pigmento illitum, vel alio quopiam humano artificio assimulatum. — Hinc

Infusum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est id quod infunditur. *Scribon. Compos.* 1. Frequenter ex eo curatur caput; ubi enim concaluit, quod infusum est, nisi aliud recens adjiciatur, nocet.

INFURNĬBŬLUM, i, n. 2. (in et furnus) instrumentum ad fumum excipiendum, quasi parvus furnus. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 15. 85. (135). Radix ejus imponitur carbonibus cupressi, atque is nidor per infurnibulum imbibitur in vetera tussi. *pippa.* Ita in quibusdam MSS. legit *Harduin.*; in aliis *infundibulum*, quam lectionem optimis Codicibus fretus prætulit *Sillig.*, qui legit per *infundibulum imbibitur inveteratæ tussi.* Sunt etiam, qui leg. *infumibulum.* In *Gloss. Philox.* Infumabulum, καπνοδόχη.

INFUSCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INFUSCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et fusco). Part. *Infuscans* I.; *Infuscatus* I. et II. — Infuscare est fuscum reddere, ἀμαυρόω (It. *infoscare, offuscare, imbrattare*; Fr. *ternir, rendre brun, donner une teinte foncée*; Hisp. *empañar, deslucir, obscurecer*; Germ. *schwärzen, schwarz machen, verfinstern*; Angl. *to darken, blacken, make dusky or dark*).

I.) Proprie. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 69. Si vinacea jam infuscata, et nonnulla propemodum nigra fuerint. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 51. 52. (137). Humida fulmina non urunt, sed infuscant. *Id.* 9. *ibid.* 29. 45. (84). Sepiæ, ubi sensere se apprehendi, effuso atramento infuscata aqua, absconduntur. *Aurel. Vict. Orig. gentis R.* 14. Subitis turbinibus infuscato aere. *Virg.* 3. *G.* 388. Nigra subest udo tantum cui lingua palato, Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis Nascentum. *Id. ibid.* 493. Summaque jejuna sanie infuscatur arena. *Gell.* 2. 26. Rufum colorem nigro infuscantes. — *Infuscare vinum* apud *Plaut. Cist.* 1. 1. 21. est diluere: nam merum nigrum est; addita aqua ad fuscum accedit. *V.* INFUCO. — *Infuscare saporem* est aliquo modo corrumpere, hebetare. *Colum.* 12. *R. R.* 19. 2. Nec omnino quidquam (*vino*) permiscendum, quo naturalis ejus sapor infuscetur. — *Infuscare sonum* est graviorem et obscuram et minus claram vocem edere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (81). *de lusciniæ cantu.* Copulatur intorto spiritu, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato. Sic *Seneca præfat.* 1. *Controv. a med.* Vox robusta, sed sordida lucubrationibus, et negligentia, non natura, infuscata.

II.) Translate. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 46. Metuo, ne quid infuscaverit. *h. e.* turbaverit. *V.* INFUCO. *Cic. Brut.* 74. 258. Omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur. *Id. Planc.* 9. 22. Vicinitas retinens veterem illum officii morem, non infuscata malevolentia, non assueta mendaciis, non fucata, non fallax. *h. e.* obumbrata, in-

quinata: *Justin.* 12. 11. Ne gloriosam militiam seditionibus infuscarent. *oscurassero.* *Id.* 12. 5. 5. Ne victoriæ gloria sævitiæ macula infuscaretur. *si denigrasse.* *Calpurn. Declam.* 24. Infuscare jus pietatis.

INFUSCUS, a, um, adject. (in *intent.* et fuscus) idem quod fuscus. *Colum.* 9. *R. R.* 3. 1. Apes infusci coloris horridique pili. *Id. ibid.* 10. 1. Quidam (*reges apum*) infusci atque hirsuti reperiuntur.

INFŪSĬO, ōnis, f. 3. (infundo) actus infundendi, *infusione*, ἔγχυσις. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 21. 84. (228). Malva vulvas et cibo et infusione emollit. *h. e.* injectione per clysterem. *V.* INFUNDO. I. 1. Al. leg. *insessione*, invitis MSS., inquit *Harduin.* Et eodem sensu *Id.* 27. *ibid.* 13. 113. (140). Thlaspi et ipsum utile ischiadicorum infusioni. διακλυσμῷ. *Scribon. Compos.* 20. Medicamentum hoc tollit dolorem, adjutum ovi infusione et aquæ calidæ vapore. *Pallad.* 3. *R. R.* 28. Theriacæ infusione assidua vim succi senescentis iterare. *Id. ibid.* 25. *a med.* Rigandæ sunt, quoties cœlestis negatur infusio. *h. e.* aqua pluvia.

INFŪSOR, ōris, m. 3. (infundo) qui infundit, *infonditore.* Translate *Prudent.* 4. *Cathemer.* 11. Infusor fidei.

INFŪSŌRĬUM, ii, n. 2. infundibulum. *Vulgat. interpr. Zachar.* 4. 2. Septem lucernæ ejus super illud; et septem infusoria lucernis. *V.* SUFFUSORIUM.

INFŪSŪRA, æ, f. 1. *intingolo,* intrita. *Gloss. Philox.* Infusura, τρίμμα προςφαγίου. *V.* INTRITUS.

INFŪSUS, a, um. *V.* INFUNDO.

INFŪSUS, us, m. 4. (infundo) idem atque infusio. In sexto casu singul. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 6. 15. (24). *de styrace.* Sonitus aurium emendat infuso, strumas illitu. *Sillig.* vero legit: Sonitus aurium emendare infusum, strumas illitum.

INGĔLĀBĬLIS. *V.* INCONGELABILIS.

INGĔLĬDUS, a, um, adject. non gelidus, tepidus. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 1084. Discit et ingelido nova nupta tepescere lecto. *Al. divisim* in gelido *rectius legunt.*

INGĔMĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (ingemino) actus geminandi, geminatio, *raddoppiamento.* *Mall. Theod. De metr.* 11. Metrum unius pedis ingeminatione expletur.

INGĔMĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INGĔMĬNO, as, āvi, ātum, are, 1. (in *intent.* et gemino). Part. *Ingeminans* et *Ingeminatus* sub *A.* — Ingeminare, vox poetica, est idem quod geminare, aut frequenter geminare, duplicare, iterare (It. *raddoppiare, ripetere;* Fr. *redoubler, réitérer, répéter;* Hisp. *redoblar, repetir;* Germ. *verdoppeln;* Angl. *to repeat often, reduoble, reiterate*). Occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more, sive absolute.

A) Active, seu cum Accusativo. *Virg.* 5. *Æn.* 457. Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra. *Id.* 1. *G.* 410. Tum liquidas corvi presso ter gutture voces Aut quater ingeminant. *Id.* 3. *G.* 45. Et vox assensu nemorum ingeminata remugit. *Coripp.* 2. 360. Ingeminare plausus. *Val. Flacc.* 2. 169. oscula. *Ovid.* 6. *Fast.* 568. hostiles opes. *Virg.* 7. *Æn.* 578. Terrorem ingeminat. *Ovid.* 4. *Pont.* 16. 43. Maternos Cottas cui Messalasque paternos Maxima nobilitas ingeminata dedit. Inusitatum et obscurum est illud *Statii* 4. *Silv.* in *alcaica.* Barbiton ingemina sub antro.

B) Neutrorum more, sive absolute, ita tamen ut Accusativus subaudiatur. *Virg.* 1. *G.* 333. Ingeminant Austri et densissimus imber. *si rinforzano, crescono.* *Id.* 1. *Æn.* 751. Ingeminant plausu Tyrii, Troesque sequuntur. *Id.* 5. *ibid.* 227. Ingeminat clamor. *Id.* 4. *ibid.* 531. Ingeminant curæ. *Val. Flacc.* 7. 195. Ingeminant commotis questibus æstus. *Ovid.* 1. *Met.* 653. Me miserum! ingeminat. *va ripetendo.* Sic *Val. Flacc.* 4. 328. Salve vera Jovis, vera o Jovis, undique, proles, ingeminant.

INGĔMISCO, is, ere, 3. (in et gemisco). Part. *Ingemiscens* sub *A.* et *B.;* *Ingemiscendus* sub *A.* — Ingemiscere est idem quod ingemere, queri, gemere, dolere, στενάζω: et occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active. — *a*) Cum Accusativo. *Apul.* 8. *Met.* Hortulanus suos casus graviter ingemiscens. Sic *Ammian.* 15. 5. Ingemiscere vicem suam. *Id.* 30. 1. arrogantiam. *Ambros. de Bon. Mort.* 2. Sapientes viri, qui longævitatem peregrinationis ingemiscebant. — Hinc Part. *Ingemiscendus* apud *Ammian.* 30. 7. Clades ingemiscendas Illyrici vindicasset. *lagrimevoli, degne di pianto.* — *b*) Cum Accus. et Infinito. *Cic.* 13. *Phil.* 10. 23. Quid ingemiscis hostem Dolabellam judicatum?

B) Neutrorum more.

I.) Proprie. — *a*) Cum Dativo. *Cic.* vertens *Sophoclis* carmina 2. *Tusc.* 9. 21. Quem vidit nemo ulli ingemiscentem malo. *Plin. Paneg.* 53. Lætemur his, quibus fruimur: ingemiscamus illis, quæ patiebamur. — *b*) Absolute. *Cic.* 5. *Tusc.* 27. 77. Pueri Spartani non ingemiscunt, verberum dolore laniati. *Id.* 7. *Att.* 23. In quo tu quoque ingemiscis. *Sueton. Aug.* 65. *extr.* Ad omnem ejus mentionem ingemiscens.

II.) Translate de inanimis. *Seneca Herc. Œt.* 1732. Totum ingemiscit ignis.

INGĔMĬTUS, us, m. 4. idem ac gemitus. *Gloss. Philox.* Ingemitus, ἐπιστεναγμός.

INGEMMESCO, is, ere, n. 3. (in et gemmesco) idem quod gemmescere. *Isid.* 16. *Orig.* 14. 7. Draconites ex cerebro draconis eruitur, quæ nisi viventibus abscisa fuerit, non ingemmescit. *V.* GEMMESCO.

INGĔMO, gĕmis, gĕmui, gĕmere, 3. (in et gemo). Part. *Ingemens* sub *B.* — Ingemere est idem quod gemere, aut valde gemere, queri, dolere, ἐπιστενάζω (It. *gemere, lamentarsi;* Fr. *gémir sur, pleurer;* Hisp. *gemir sobre, lamentarse, quejarse;* Germ. *seufzen über etwas;* Angl. *to groan, lament, mourn, grieve*). Occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active. — *a*) Cum Accusativo. *Virg.* 5. *Ecl.* 27. tuum Pœnos etiam ingemuisse leones Interitum. *h. e.* ob mortem tuam. *Seneca Herc. Œt.* 1785. cæsos ingemunt nati patres. *Stat.* 9. *Theb.* 2. ingemuere jacentem. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 354. — *b*) Cum Infinito. *Martial.* 9. 60. Ingemuit, citro non satis esse suo.

B) Neutrorum more.

I.) Proprie. — *a*) Cum Dativo. *Horat. Epod.* 5. 30. Ligonibus duris humum Exhauriebat, ingemens laboribus. *Liv.* 38. 28. *extr.* ingemuerunt quidem principes conditioni suæ: parendum tamen victori censebant. *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 8. Diceris exsiliis ingemuisse meis. *Sueton. Vesp.* 15. Justis suppliciis illacrimavit etiam et ingemuit. *Curt.* 4. 10. 30. Ingemuisse etiam Alexandrum morti, et non parcius flevisse, quam ipsa lacrimaretur. *Val. Flacc.* 4. 449. consuetis serum est et ordine fatis ingemere. Cf. *Virg.* 1. *G.* 45. Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere. — *b*) Cum Ablativo. *Curt.* 9. 3. 20. Ibi forte Cœnus morbo exstinctus est: cujus morte ingemuit rex quidem etc. — *c*) Absolute. *Cic.* 2. *Phil.* 26. 64. Una illa in re, servitutis oblita civitas ingemuit. Adde *Liv.* 4. 49. *Sueton. Cæs.* 7. Animadversa Alexandri imagine ingemuit. Adde *eumd. Galb.* 12. Sic *Tac. Germ.* 46. Id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus. *h. e.* in agris excolendis. *Val. Flacc.* 3. 509. Ingemuit Juno, tandemque silentia rumpit.

II.) Translate de inanimis. *Ovid.* 14. *Met.* 407. Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbos. *Id.* 4. *ibid.* 449. sacroque a corpore pressum Ingemuit limen. Cf. *Val. Flacc.* 1. 577. omne dei (*venti Boreæ*) rapidis nemus ingemit alis.

INGĔNĔRASCO. *V.* GENERASCO.

INGĔNĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et generatus) non generatus. *Boeth. Arithm.* 2. 27. *p.* 134. 2. Primæva ingeneerataque unitas.

INGĔNĔRĀTUS, a, um, particip. *V.* voc. seq.

INGĔNĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et genero). Part. *Ingeneratus* I. — Ingenerare est idem ac generare, intus generare, inserere, indere, *ingenerare, inserire,* ἐμφύω.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Off.* 4. 12. Natura ingenerat præcipuum quemdam amorem in eos, qui procreati sunt. *Ejusd. fragm.* apud *Non.* p. 123. 5. *Merc.* In tanta animalium varietate homini ut soli cupiditas ingeneraretur cognitionis et scientiæ. *Id.* 2. *leg. Agr.* 35. 95. Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus etc. *Id. Sext.* 9. 21. Ut ingenerata familiæ frugalitas videretur. *Id.* 1. *Legg.* 8. 24. Animum esse ingeneratum a Deo. *Id.* 2. *Divinat.* 46. 96. Si hæc astro ingenerata et tradita essent, nulla res ea mutare posset. *Liv.* 5. 27. Societas, quam ingeneravit natura. *Catull.* 60. 212. non decet Tam vetus sine liberis Nomen (*h. e.* familiam, stirpem) esse, sed indidem Semper ingenerari. *Stat.* 4. *Theb.* 230. ingenerat deus iras.

II.) Translate. *Colum.* 10. *R. R.* 196. Ingenera (*tellurem*): nunc sunt genitalia tempora mundi. *h. e.* generationem plantarum in horto tuo promove.

INGĔNĬĀTUS, a, um, adject. (ingenium) ingenio seu natura præditus, natura aptus alicui rei. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 135. Divos dispertisse vitam humanam, æquum fuit: qui lepide ingeniatus esset, vitam longinquam darent: qui improbi essent et scelesti, iis adimerent animam cito. *Est qui leg.* ingenuatus. *Gell.* 12. 1. *a med.* Corpus et animum bene ingeniatis primordiis inchoatum degeneri alimento corrumpere. *Apul. Florid. n.* 18. Versutus alioquin et ingeniatus ad astutiam.

INGĔNĬCLA. *V.* INGENICULUS.

INGĔNĬCŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INGĔNĬCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et genu). Part. *Ingeniculatus* in fin. — Ingeniculare est dextrum genu flectere, altero eminente, uno genu niti, *inginocchiarsi,* γονατίζω. — *a*) Cum Accus. *Hygin.* 2. *Astron.* 6. *ad fin.* Herculem se ingeniculasse, multis jam vulneribus acceptis. Cf. *Gloss. Philox.* Ingeniculari, γονυπετεῖν. — *b*) Absolute. *Lamprid. Elagab.* 5. Nudusque ingeniculare, posterioribus eminentibus in subactorem rejectis et oppositis. — Hinc Part. præter. pass.

Ingeniculatus, a, um, est nixus genibus, *posto inginocchioni.* Dicitur a *Vitruv.* 9. 6. de sidere illo, qui et Ingeniculus vocatur.

INGĔNĬCŬLUS, a, um, adject. (in et genu) nixus genibus, ἐν γόνασι: ita vocatur sidus Herculis in cœlo, dextro genu nitentis, de quo *V.* in ENGONASI et v. GENICULATOR. *Firmic.* 8. *Mathes.* 17. In extremis partibus oritur Ingeniculus, qui a Græcis ἐν γόνασιν dicitur. — Per syncopen *ingenicla imago* dicitur a *Manil.* 5. 645.; unde apparet vocem esse adjectivam.

INGĔNĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. ab* ingenium, parvum ingenium, *ingegnetto.* *Arnob.* 5. 4. Apparet, puerilium esse ingeniola fictionum. *Hieronym.* 3. *advers. Rufin.* 4. *extr.* Hoc est, quod destruit strophas ingenioli tui.

INGĔNĬŌSĒ, adject. (ingeniosus). Comp. *Ingeniosius* et Sup. *Ingeniosissime.* — Ingeniose est acute, solerter, *ingegnosamente,* εὐφυῶς. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 27. 87. Tractantur ista ingeniose, disputantur etiam eleganter. *Id.* 1. *Invent.* 6. 18. Ingeniose et diligenter electas rēs collocare. *Quintil.* 1. 6. 36. Ingeniose dicere. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 13. 12. (42). Nec aliud pomum ingeniosius geminatum est. *Vellej.* 2. 58. Ingeniose nequam. Sic *Id. ibid.* 48. 3. Homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico.

INGĔNĬŌSĬTAS, ātis, f. 3. (ingeniosus) idem atque ingenium. *Inscript.* in *Mus. Kircher. Rom.* DALMATIO FILIO DVLCISSIMO TOTIVS INGENIOSITATIS ET SAPIENTIAE PVERO.... DALMATIVS PATER FECIT.

INGĔNĬŌSUS, a, um, adject. (ingenium). Comp. *Ingeniosior* et Sup. *Ingeniosissimus* I. — *Ingenuosissimus* legitur in *Inscript.* apud *Murat.* 1742. 15. c. SEIVS INGENVVS INGENVOSISSIMVS. — Ingeniosus est qui naturalem vim ad aliquid agendum accommodatam habet, qui ingenio pollet, solers, acutus, εὐφυής (It. *ingegnoso;* Fr. *plein de talent, ingénieux, habile, fin, adroit;* Hisp. *ingenioso, habil, fino, sagaz;* Germ. *geistvoll, geistreich, verständig, scharfsinnig, gescheut;* Angl. *gifted with good natural talents, acute, clever, shrewd, ingenious*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Tusc.* 33. 80. Aristoteles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse. *Id.* 5. *Fin.* 13. 36. Docilitas, memoria, quæ fere appellantur uno ingenii nomine: easque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur. *Id.* 14. *Att.* 20. Vir ingeniosus et eruditus. *Id. Rosc. com.* 11. 31. Quo quisque est solertior et ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius. *Id. Mur.* 30. 62. Homo ingeniosissimus. *Quintil.* 10. 1. 40. Auctoribus ingeniosis quidem, sed arte carentibus. *Id.* 8. *proœm.* 25. Tum demum ingeniosi scilicet, quum ad intelligen-

dos non opus sit ingenio. *Plin.* 10. *Ep.* 49. Architecti tibi deesse non possunt: nulla provincia est, quæ non peritos et ingeniosos homines habeat. Hinc *ingegnere* recentiorum Italorum. *V.* INGENIUM. *Ovid.* 11. *Met.* 313. furtum ingeniosus ad omne. Cf. *Plin. Paneg.* 55. Ingeniosior ad cogitandum simulatio. Rursus *Ovid.* 1. *Amor.* 11. 4. dandis ingeniosa notis. *Martial. præf. l.* 1. Ingeniosum esse in aliqua re. *Ovid.* 2. *Trist.* 342. Inque meas pœnas ingeniosus eram. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 31. ingeniosa egestas. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 62. Crede mihi, res est ingeniosa, dare. — De iis, quæ ingeniose excogitata, vel facta sunt. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (69). Pinxit demon (δῆμον) Atheniensium argumento quoque ingenioso. *Quintil.* 8. 2. 21. Ingeniosa hæc et fortia et ex ancipiti diserta creduntur.

II.) Figurate tribuitur rebus inanimis. *Ovid.* 2. *Amor.* 6. 18. Vox mutandis ingeniosa sonis. *h. e.* apta, accommodata. *Id. Heroid.* 6. 117. terra ingenio sa nolenti. *fertile per natura. Id.* 4. *Fast.* 683. nec olivis apta ferendis Terra, sed ad segetes ingeniosus ager.

INGĔNĬTUS, a, um, particip. ab INGENO, quam voc. *V.*

INGĔNĬTUS, a, um, adject. (in *privat. et* genitus) non genitus. *Arnob.* 1. 32. Deus infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus. *Paulin. Nolan.* edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 379. Tu Pater ingenitus; genitus tibi Filius; ex te Non genitus Sanctus Spiritus egreditur. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 14. *ante med.* Unus est ingenitus Pater.

INGĔNĬUM, ii, n. 2. (ab in *et antiquo* geno *pro* gigno, *unde* genui *præteritum*) vis, natura, indoles, insita facultas cujusque rei, φύσις, εὐφυΐα, ἀγχίνοια (It. *natura, naturalezza*; Fr. *qualité, vertu innée, ou naturelle*, nature; Hisp. *natura, naturaleza, natural*; Germ. *d. angeborne Beschaffenheit, natürlich Art und Weise*; Angl. *nature, genius, quality, naturalness*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — 1.°) De inanimis. *Nævius* apud *Non. p.* 323. 3. *Merc.* Ite actutum in frundiferos locos, ingenio arbusta ubi nata sunt, non insita (*al.* obsita). *h. e.* sua sponte, naturaliter, *da se, non per arte. Sall. fragm.* apud *eumd. ibid.* Castrisque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur. *pel sito naturale del luogo.* Sic *Flor.* 2. 6. 16. et 2. 17. 3.; *Tac.* 6. *Ann.* 41.; et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (19). Ingenium loci. *Tac.* 2. *Hist.* 4. Duro magis et arduo opere ob ingenium montis. *Ammiam.* 23. 6. Ingenium tractuum. *Virg.* 2. *G.* 177. Nunc locus arvorum ingeniis, quæ robora cuique etc. *Tac.* 5. *Hist.* 14. Campi suopte ingenio humentes. *Colum.* 3. *R. R.* 1. 2. Arbores silvestres ac feræ sui cujusque ingenii poma gerunt. *Gell.* 3. 6. Ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus non cedat. *Sall. orat. Cottæ* 4. Neque mox ingenio corporis honestius, quam pro vestra salute finem vitæ fecerim. *Petron. Satyr.* 126. Crines ingenio suo flexi. *naturalmente. Gell.* 12. 1. Lactis ingenia et proprietates. *Sever. Ætn.* 214. Ingenium velox igni motusque perennis. *Sil. It.* 14. 283. Ingenio portus urbs invia. Adde *Liv.* 28. 12., 37. 54. et 40. 35.; *Sil. It.* 4. 92. et 16. 46.; et *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 146. — 2.°) De hominibus etiam dicitur, et significat naturam, indolem, mores, *natura, costume, indole. Ter. Andr.* 1. 1. 50. Ut ingenium est omnium hominum ab labore proclive ad libidinem. *Seneca ad Helv.* 6. Hominum ingenia ad similitudinem cæli sui vigentia. *Curt.* 8. 9. 20. Ingenia hominum, sicut ubique, apud illos locorum quoque situs formant. *Ter. Eun.* 4. 7. 42. Novi ingenium mulierum: nolunt, ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro. *Id. Andr.* 3. 2. 7. Ingenio bono esse. *di buona natura, di buona pasta. Id. Adelph.* 4. 5. 49. Ingenium novi tuum liberale. *Id. Hecyr.* 1. 2. 77. pium ac pudicum. *Id. Heaut.* 1. 1. 99. lene in liberos. *Varro* 7. *L. L.* 91. *Müll. Cicur ingenium obtineo*, (*h. e.*) mansuetum. *Ovid.* 13. *Met.* 187.; et *Curt.* 8. 3. 15. mite. *Ovid. Heroid.* 15. 84. molle. *Juvenal.* 10. 300. castum. *Liv.* 27. 23. fervidum. *Plin.* 4. *Ep.* 7. rectum. *Id.* 2. *ibid.* 11. *ad fin.* mobile. *Flor.* 1. 8. 1. varium. *Ter. Phorm.* 3. 2. 12. durum atque inexorabile. *Id. Eun.* 5. 2. 41. inhumanum *Sall. Cat.* 5. malum. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 2. iners. *Id.* 15. *Met.* 85. immansuetum. *Plin.* 4. *Ep.* 7. insanum. *Flor.* 3. 2. 2. atrox. *Sueton. Ner.* 2. trux. *Justin.* 44. 2. 7. Ingenia feris propiora. *Liv.* 10. 22. Ingenia consularia. *uomini nati fatti pel consolato. Justin.* 18. 3. 14. Tunc intellectum est, quantum ingenua servilibus ingenia præstarent. *Flor.* 3. 4. 4. Silvarum et montium situs cum ingenio consentiebant. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Orat.* 58. 218. Mater terribilem minitatur vitæ cruciatum et necem: Quæ nemo est tam firmo ingenio et tanta confidentia, Quin refugiat timido sanguen atque exalbescat metu. *d'animo sì coraggioso e imperterrito. Liv.* 3. 68. Vere loqui, etsi meum ingenium non moneret, necessitas cogit. *Ter. Hecyr.* 5. 4. 20. Tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines. *Plaut. Merc.* 4. 1. 2. Feci ego ingenium meum. *ho secondato, ho soddisfatto il mio natural talento.* et *Liv.* 3. 36. Ingenio suo vivere. *a suo modo, a suo genio.* et *Ter. Adelph.* 1. 1. 45. Redire ad ingenium. *h. e.* ad pristinam animi pravitatem et vitiosos mores, quos diu quis dissimulatione celaverit. Sic *Liv.* 2. 23. Volscis levatis metu suum redit ingenium. *la primiera voglia di far guerra.* Apud *Plaut.* vero *ingenium ingenii* est ipsa vis, proprietas, inclinatio ingenii. Ædepol (inquit *Stich.* 1. 2. 69.) vos lepide tentavi vestrumque ingenium ingenii. — 3.°) Raro de brutis animantibus. *Colum.* 6. *R. R.* 1. 1. Pecudes pro regionis cælique statu et habitum corporis et ingenium animi et pili colorem gerunt. *Id.* 8. *ibid.* 15. 7. Pulli silvestria ingenia deponunt. Cf. *Curt.* 8. 1. 35. Sogdianam regionem mihi attribuis, toties rebellem, et non modo indomitam, sed quæ ne subigi quidem possit. Mittor ad feras bestias præcipitis ingenio sortitas. *Cassiod.* 10. *Variar.* 30. *ante med.* Elephantes dum ingenuis cubationis, arte hominum succisis arboribus, ingentia membra commiserint etc. ¶ 2. Specialim et sæpissime ratione habita intellectus sumitur pro solertia et vi animi ac facultate insita excogitandi, percipiendi, addiscendi, *capacità, ingegno, mente.* — *a*) De hominibus. *Cic.* 5. *Fin.* 13. 36. Docilitas, memoria, quæ fere appellantur uno ingenii nomine. *Id. Fontej.* 14. 30. Multum habet ingenii ad fingendum. *Id.* 2. *Orat.* 74. 298. Crassi responsum excellentis cujusdam est ingenii ac singularis. *Id. Orat.* 5. 18. Vir acerrimo ingenio. *Id.* 2. *Orat.* 27. 107. Tardum ingenium. *Id.* 1. *Divinat.* 36. 72. acutum, aut retusum. *Id.* 5. *Tusc.* 24. 68. eximium. *Id.* 2. *Fin.* 16. 51. præstantissimum. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 1. magnum. *Id. Cæl.* 1. 1. illustre. *Sall. Cat.* 25.; et *Tac.* 13. *Ann.* 45. haud absurdum. *Nepos Dion.* 1. docile. *Ovid.* 8. *Met.* 533. capax. *Id. Heroid.* 19. 6. fortius. *Sueton. Cal.* 3. præcellens. *Quintil.* 2. 8. 12. imbecillum. *Id.* 10. 2. 19. tenue. et *ibid.* forte, sed indomitum. *Plin.* 8. *Ep.* 12. pulcherrimum et maximum. *Id. ibid.* 14. hebetatum, fractum, contusum. *Id.* 1. *ibid.* 16. varium, flexibile, multiplex. *Juvenal.* 3. 73. velox. *Vellej.* 1. 7. perelegans. *Ammian.* 16. 1. mediocre. *Id.* 21. 16. obtusum. *Cic.* 1. *Orat.* 25. 113. Celeres ingenii motus. *Id.* 3. *ibid.* 5. 20. Ingenii acies. *Id. Brut.* 15. 59. lumen. *Id. Flacc.* 4. 9. acumen. *Id.* 5. *Phil.* 18. 49. vis. *Horat.* 2. *Od.* 18. 9. vena. *Ovid.* 8. *Met.* 254. vigor. *Quintil.* 6. *proœm.* 7. igniculi. *Id. ibid.* vires. *Juvenal.* 10. 119. fons. *Quintil.* 1. 1. 1. tarditas. *Plin.* 4. *Ep.* 18. imbecillitas. *Nepos Eumen.* 1. celeritas. *Id. Att.* 1. docilitas. *Id. Epam.* 1. Ingenii facultates. *Ammian.* 30. 4. Sicam ingenii destringere. *l'acume dello spirito. Sall. Cat.* 20. Ingenii vana consilia. *vuoti capricci. Cic.* 4. *Fam.* 8. Ingenio abundare. *Quintil.* 1. 8. 8.; et *Plin. Paneg.* 44. valere. *Ammian.* 30. 4. eminere. *Sueton. Gramm.* 7. Magni ingenii esse. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 117. Ingenio divino esse. *Id.* 10. *Phil.* 8. 17. hebeti esse. *Id. Cæl.* 19. 45. In eo ingenium ejus elucere videbatis. *Justin.* 7. 6. 1. Ingenium ejus spondet magnum virum. *Inscript.* apud *Gruter.* 6801. 2., quæ est apud *Orell.* 4419. CVIVS INGENIVM AETATEM EXCEDEBAT. *Tac.* 15. *Ann.* 42. Nero usus est magistris et machinatoribus Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentare et viribus principis illudere. *Lucret.* 3. 454. claudicat ingenium. *Plaut. Trin.* 2. 2. 16. Colere et imbuere ingenium artibus. *Quintil.* 1. 8. 8.; et *Tac. Dial. de orat.* 33. alere. *Quintil.* 1. 4. 7. acuere. *Id.* 2. 4. 20. exercere multiplici variaque materia. Sic *Tac. Dial. de orat.* 14. exercere. *Sueton. Gramm.* 17. exercitare. *Tac.* 4. *Ann.* 52. divulgare. *Id.* 16. *ibid.* 29. proferre. *Ammian.* 15. 2. producere. *Nepos Dion.* 2. Ingenio superari. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 78. subdere stimulos ingenio. *Id.* 3. *ibid.* 14. 33. ingenium frangere. *Id.* 3. *Pont.* 4. 11. minuere. *Propert.* 2. 1. 4. facere alicui ingenium. — *Cum ingenio* est ingeniose et cum delectu. *Cic.* 13. *Fam.* 10. Versabatur in hoc studio nostro et cum ingenio, ut nostri, nec sine industria. *Ulp. Dig.* 1. 16. 9. Patientem esse proconsulem oportet, sed cum ingenio, ne contemptibilis videatur. — Dicitur et de opera, facultate, industria. *Tac.* 1. *Hist.* 90. In rebus urbanis Galerii ingenio utebatur. *Id.* 14. *Ann.* 3. Obtulit ingenium Anicetus. Similiter de plantis *Plin.* 15. *Hist. nat.* 24. 27. (97). Minimum in hac arbore ingenia profecerunt, nec nominibus nec insitis nec alio modo, quam pomi magnitudine. *il modo di trattare le piante.* — *b*) De brutis animalibus. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (7). Ingenium est aquilæ, testudines raptas frangere, e sublimi jaciendo. *Id. ibid.* 45. 62. (128). Non omittendum est, quum de ingeniis disserimus, e volucribus hirundines indociles esse, e terrestribus mures, quum elephanti jussa faciant, leones jugum subeant etc. *Id.* 32. *ibid.* 2. 5. (11). Mihi videntur mira et quæ Ovidius prodidit piscium ingenia in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur. Hæc tamen *Plinii* loca ad superiorem paragr. referri posse videntur.

II.) Translate. ¶ 1. Abstractum pro concreto, dicitur de ipsis hominibus ingeniosis. — *a*) In plurali num. *Seneca Consol. ad Polyb.* 8. (*al.* 27.). Intentatum Romanis ingeniis opus. *Id. Ep.* 2. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere. *Sueton. Vesp.* 18. Ingenia et artes vel maxime fovit. *Id. Aug.* 89. Ingenia sæculi sui omnibus modis fovit. Sic *Plin.* 6. *Ep.* 21. Sum ex iis, qui mirer antiquos: non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. *Quintil.* 10. 1. 122. Summa hodie ingenia. *Tac. Agric.* 9. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis jurisdictio secura et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. — *b*) In singulari num. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 81. Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas Et studiis annos septem dedit insenuitque Libris et curis, statua taciturnius exit Plerumque et risu populum quatit. *quel genio che* etc. *Plin.* 1. *Ep.* 3. Scio quem animum, quod horter ingenium. ¶ 2. Item de re ingeniose excogitata. *Plin. Paneg.* 49. *ad fin.* Exquisita ingenia cœnarum. *h. e.* ingeniosi apparatus. *Tac.* 2. *Hist.* 71. Immixtis histrionibus et spadonum gregibus et cetero Neronianæ aulæ ingenio. *Id.* 16. *Ann.* 20. Ambigenti Neroni, quonam modo noctium suarum ingenia notescerent, etc. *Id.* 3. *Hist.* 28. Hormi ne id ingenium, an potior auctor sit Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim. *Tertull. Pall.* 1. *ad fin.* Arietem dicitur Carthago prima omnium armasse in oscillum penduli impetus, quem tamen jam Romanum stupuere Carthaginienses, ut novum, extraneum ingenium. Adde *eumd. Resurrect. carn.* 8. et *Habit. mul.* 2.

INGĔNO, gĕnis, gĕnui, gĕnitum, gĕnere, a. 3. (in *et ant.* geno). Part. *Ingenitus* in fin. — Ingenere est ingignere, gignere. *Lucret.* 3. 745. Ex ineunte ævo ingenerascunt inque genuntur. *tmesi* pro *ingenuntur.* Alii tamen rectius leg. *Ex ineunte ævo generascunt, ingenioque* etc. *Munil.* 5. 137. His etiam ingenitur visendi nota cupido. *Alii leg.* ingenium. — Certe et sæpius occurrit Part. præter. pass.

Ingenitus, a, um, et est ingeneratus, insitus, a natura inditus, *innato, naturale*, ἔμφυτος. *Seneca Ep.* 11. Quidquid infixum et ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. *Colum.* 3. *R. R.* 7. 3. Vites natali et ingenita sterilitate laborantes. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 13. 119. (146). Ingenitæ animalibus morborum omnium medicinæ. *Sueton. Ner.* 1. Ut tamen vitia cujusque, quasi tradita et ingenita, retulerit. *Auct. Paneg. ad Pis.* 92. ingenitæ stat nobilitatis in illo Pulcher honos. *Quintil.* 2. 16. 14. Arma iis ingenita quædam. *Id.* 2. 8. 10. Ingenitum bonum. *Curt.* 3. 6. 17. veneratio *Ammian.* 23. 5. pietas. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 25. bonitas.

INGENS, entis, adject. Comp. *Ingentior* I. b.; Sup. *Ingentissimus* I. a. (attamen hic superlativus non agnoscitur a *Grammat. Vatic.* edito ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 5. *p.* 164. Interdum nomina in positivo et comparativo tantum inveniuntur, ut *ingens, ingentior*, et cetera talia). — De origine

ita *Paul. Diac.* p. 114. 15. *Müll.* Ingens dicitur augendi consuetudine, ut inclamare, invocare: quia enim gens populi est magnitudo, ingentem per compositionem dicimus, quod significat valde magnum. Ex *Pauli Diac.* mente locutus videtur *Sall. Cat.* 10. Nationes feræ et populi ingentes. et *Virg.* 8. *Æn.* 475. ingentes populos opulentaque regnis Castra. *Scalig.* tamen et *Voss.* ducunt a *censeo*: ut sit quasi *incens*, nempe ita magnus, ut censeri non possit. Recentiores plerique *Pauli Diac.* sententiæ quodammodo accedere videntur: his enim *ingens*, ab *in* et *gens*, *genus*, est quidquid suum genus excedit. Quod vero plus significet, quam *magnus*, colligitur ex illo *Ter. Eun.* 3. 1. 1. THR. Magnas vero agere gratias Thais mihi? GN. Ingentes. (*Cic. Amic.* 26. 98. Satis erat respondere *magnas*: *ingentes* inquit: semper auget assentator). — Ceterum ingens est immanis, immensus, εὐμεγέθης (It. *grande*, *assai grande*, *enormemente grande*; Fr. *grand*, *extraordinaire*, *démésuré*; Hisp. *gran*, *extraordinario*, *desmesurado*; Germ. *ungeheuer*, *ungeschlacht gross*, *sehr grose*, *ausserordentlich*; Angl. *great*, *large*, *huge*, *vast*, *big*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Ennius* apud *Festum* p. 206. 14. *Müll.* Alte elata jacet petrisque ingentibu' tecta. *Cic.* 5. *Verr.* 46. 110. Ingens immanisque præda. *Id.* 3. *Orat.* 19. 70. Ingens immensusque campus. *Id. Prov. cons.* 3. 5.; et *Justin.* 11. 8. 7. Ingens pecunia. *gran somma di danaro.* *Liv.* 35. 9. Aquæ ingentes eo anno fuerunt. *Horat.* 1. *Od.* 7. 32. Ingens æquor. *Val. Flacc.* 2. 628. cælum. *Horat.* 2. *Od.* 3. 9. pinus. *Val. Flacc.* 7. 519. arbor. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 111. acervus. *Veget.* 4. *Milit.* 8. Rotæ de lignis viridibus ingentissimæ fabricantur. *Val. Flacc.* 8. 185. Ingens exitus Istri. *gran foce.* *Virg.* 8. *Æn.* 527. Ingens fragor. *Ovid.* 7. *Met.* 644. murmur. *Liv.* 2. 23. clamor. *Sueton. Domit.* 13. consensus. *Liv.* 2. 22. *ad fin.* gloria. *Ovid.* 1. *Met.* 166. ira. *Virg.* 5. *Æn.* 172. dolor. *Sueton. Ner.* 3. meritum. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 103. virtus atque animus. *Flor.* 4. 12. *in fin.* Ingentia facta. *Ter. Adelph.* 4. 7. 3. flagitia. *Tac.* 3. *Ann.* 30. Vigor animi ingentibus negotiis par. *Id.* 12. *ibid.* 9. Ingentibus promissis. *Seneca Herc. Fur.* 441. Ingens vir. — Neutr. plur. num. *Ammian.* 14. 7. Ingentia lucrari. *Id.* 27. 11. Ingentia largiri. — *b*) Cum Ablativo, *ingens aliqua re* dicitur, qui abundat, polletve. *Virg.* 11. *Æn.* 124. vir fama ingens, ingentior armis. (Comp. habent etiam *Nazar. Paneg. Constant.* 1.; et *Symmach.* 8. *Ep.* 31.). *Id. ibid.* 641. Ingentem animis, ingentem corpore et armis Dejicit Herminium. Sic *Tac.* 15. *Ann.* 53. Lateranus animi validus et corpore ingens. *Id.* 2. *Hist.* 81. Antiochus vetustis opibus ingens. *Id.* 1. *ibid.* 61. Ingens viribus opibusque ingens. *Grat. Cyneg.* 68. geminisque securibus ingens. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 71. Ingens eloquio. — *c*) Cum Genitivo. *Tac.* 1. *Ann.* 69. Femina ingens animi. *Id.* 4. *Hist.* 66. *extr.* Vir ingens rerum. *grande per l'imprese.* — *d*) Sequente Infinito. *Sil. It.* 10. 216. Ingens ferre mala. *h. e.* magni animi in ferendis malis.

II.) Figurate notat gravitatem, auctoritatem, vim, robur. *Sil. It.* 11. 67. cœtu patrum ingentique senatu. *Id.* 17. 297. Ingens Paulus. *Id.* 2. 255. hostis. *h. e.* Hannibal. *Val. Flacc.* 5. 371. Juppiter. *Id.* 1. 679. Triton. *Id.* 6. 172. reges. Et per ironiam *Juvenal.* 6. 512. ingens semivir. *Liv.* 21. 1. Ingentis spiritus vir. *Ovid.* 7. *Met.* 178.; et *Val. Flacc.* 2. 242. quæ digna tuis ingentibus ausis etc. *Sil. It.* 1. 518. ingens casus. — Et nobilitatem, antiquitatem notat in illo *Virg.* 12. *Æn.* 225. Cui genus a proavis ingens.

INGĔNŪĀTUS. *V.* INGENIATUS.

INGĔNŬĒ, adverb. (ingenuus) occurrit translate tantum; et — *a*) Est liberaliter, et ut hominem ingenuum decet, *civilmente*, ἐλευθέρως. *Cic.* 3. *Fin.* 11. 38. Honeste in familia institutus et educatus ingenue. — *b*) Item aperte, simpliciter, vere, *ingenuamente*, *schiettamente*, ἁπλῶς. *Cic.* 5. *Fam.* 2. Me abs te cupisse laudari, aperte atque ingenue confitebor. Adde *eumd.* 13. *Att.* 27. — *c*) Item libere, *liberamente*, *francamente*. *Quintil.* 12. 3. 3. Potest autem, quæ tum audiet, fortiter affirmare, aut ingenue pro suis dicere?

INGĔNŬĬTAS, ātis, f. 3. In plurali num. usurpavit tantum *Arnob.* 2. 76. — Ingenuitas est conditio ingenui hominis, honestas, nobilitas, *libertà*, *civiltà*, *nobiltà*, ἐλευθεριότης.

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Verr.* 44. 113. Eripies igitur pupillæ togam prætextam? detrahes ornamenta non solum fortunæ, sed etiam ingenuitatis? *Liv.* 8. 28. Quum ingenuitatis magis, quam præsentis conditionis memorem videret. *Sueton. Aug.* 74. Assertus in ingenuitatem. *Tac. Dial. de orat.* 32. Eloquentia olim omnium artium domina, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, pæne dixerim, sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discitur. Adde *eumd.* 13. *Ann.* 27.

II.) Translate. — *a*) Est probitas, pudor, honestas morum, *probità*, *onestà*. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 9. 33. Vir ita moratus, ut præ se probitatem quamdam et ingenuitatem ferat. *Id.* 2. *Orat.* 59. 242. Præstare ingenuitatem et ruborem, verborum turpitudine et rerum obscœnitate vitanda. — *b*) Item simplicitas, veritas. *ingenuità*, *schiettezza*. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (66). Fertur Zeuxis pinxisse puerum uvas ferentem: ad quas quum advolasset avis, eadem ingenuitate processit iratus operi, et dixit: uvas melius pinxi, quam puerum.

INGĔNŬŌSUS. *V.* INGENIOSUS.

INGĔNŬUS, a, um, adject. (ingeno, ingigno) nativus, innatus, naturalis, naturæ insitus, non manu aut arte factus, non adventicius, non fucatus (It. *nativo*, *naturale*; Fr. *inné*, *natif*, *naturel*; Hisp. *innato*, *nativo*, *natural*; Germ. *im Lande geboren*, *entstanden*, *eingeboren*, *einheimisch*; Angl. *native*, *natural*).

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 230. Unde mare, ingenui fontes, externaque longe Flumina suppeditant? Sic *Eumen. Gratiar. act.* 10.; et *Auson. Mos.* 65. Ingenui fontes. *Juvenal.* 3. 20. nec ingenuum violarent marmora tophum. *Prudent. Hymn. ante cib.* 51. ager ingenuas fundit opes. *Propert.* 1. 4. 13. Ingenuus color. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 38. Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles. — Hinc de versibus, qui sponte et quasi natura fluunt. *M. Aurel.* inter ep. *Fronton.* 2. *ad M. Cæs.* 6. Nos istic vehementer æstuamus. Habes hendecasyllabum ingenuum.

II.) Translate. ¶ 1. *Ingenuus homo* olim dicebatur, qui certo patre natus esset: quasi ex eo genitus, non aliunde adscitus. *Liv.* 10. 8. *a med.* En unquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de cælo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil ultra quam ingenuos? — Deinde strictiore significatione ita dicitur qui statim ac nascitur, liber est, *libero*, *civile*: et servo et libertino opponitur, ἐλεύθερος, εὐγενής. Talis autem est tum qui ex duobus ingenuis matrimonio natus est; sive ex duobus libertinis; sive ex altero libertino, altero ingenuo; sive ex matre libera, et patre servo, aut etiam incerto: et sufficit liberam esse matrem, quo tempore peperit, licet serva conceperit: aut si libera conceperit, quamvis ancilla facta pariat. Ita enim *Justinian.* 1. *Institut. tit.* 4. docet. Differt a *libero* in eo, quod *ingenuus* est ex natali: *liber* etiam ex manumissione, quamvis servus sit natus. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 15. Ea ingenuan', an festuca facta e serva libera est? *Id. ibid.* 2. 1. 189. Ingenuam ne, an libertinam? *Cic.* 4. *Cat.* 7. 15. Omnis ingenuorum adest multitudo. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 91. ingenui clarique parentes. *Id.* 3. *Od.* 24. 55. Ingenuus puer. *Id.* 1. *Ep.* 19. 33. Ingenuis oculisque legi manibusque teneri. Adde *Curt.* 8. 7. 15.; *Sueton. Cæs.* 42., *Vesp.* 3. et *Tit.* 2.; *Quintil.* 7. 3. 27., 7. 4. 14. et 4. 2. 69.; *Juvenal.* 3. 131.; *Martial.* 3. 32.; et *Ammian.* 18. 10. et 19. 8. — Ingenuus opponitur ei, qui aliquando servus fuit, apud *Liv.* 40. 18. Naves sociis civibus R., qui servitutem serviissent, complerentur, ingenui tantum ut iis præessent. ¶ 2. Præterea usurpatur in iis, quæ ingenuum hominem decent: et sumitur pro honesto, liberali; cui opponitur servilis, abjectus, illiberalis, sordidus. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 17. Ingenua facies. Sic *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 52. genæ. *Id. Heroid.* 5. 144. corpus. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 17. Ingenua facta. *Cic.* 3. *Phil.* 11. 28. Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum nihil pudens. *onesto*, *civile*, *da galantuomo*. *Id.* 1. *Off.* 42. 150. Opifices omnes in sordida arte versantur: nec enim quidquam ingenuum potest habere officina. *Id.* 2. *Orat.* 3. 10. Pudore a dicendo et timiditate ingenua quadam refugisti. *Id.* 10. *Phil.* 9. 18. Ad servitutem propulsandam ingenuo dolore excitari. *Id.* 5. *Fam.* 21. *sub fin.* Vita ingenua in beata civitate et libere vivere. *Id.* 2. *ibid.* 6. Est animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere. *Id.* 5. *Fin.* 18. 48. Ingenuis studiis atque artibus delectari. *Id.* 3. *Orat.* 6. 21. Ingenuæ et humanæ artes. *Id. ibid.* 32. 127. Liberales doctrinæ atque ingenuæ. *Juvenal.* 11. 154. Ingenui vultus puer ingenuique pudoris, Quales esse decet, quos ardens purpura vestit. *Horat.* 1. *Od.* 27. 16. Ingenuus amor. *Auson. Edyll.* 10. 442. Ingenui mores. *Martial.* 10. 82. Per gemitus nostros ingenuasque cruces. *h. e.* quæ quum servile supplicium, ab homine ingenuo feruntur. — Interdum est liber, verax, sincerus, *franco*, *sincero*. *Cic. Brut.* 67. 236. Respuere aliquid ingenuo liberoque fastidio. *Id. Amic.* 18. 65. Aperte enim vel odisse, magis ingenui est, quam fronte occultare sententiam. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 186. Astuta ingenuum vulpes imitata leonem. ¶ 3. Interdum est delicatus, infirmus, male assuetus, *delicato*, *debole*, *mal avvezzo*. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 72. Illi corpus erat durum patiensque laborum; Invalidæ vires ingenuæque mihi. *h. e.* moderatæ, aut delicatæ: non immensæ, ut in servis labori assuetis. *Martial.* 3. 46. Ingenuum latus. *Id.* 6. 11. Non minus ingenua est et mihi, Marce, gula. *h. e.* delicata et sciens, qualis est ingenui et domini. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

INGĔRO, gĕris, gessi, gestum, gĕrere, a. 3. (in et gero). *Inger* in Imperativo, ut *fer*. *Catull. carm.* 27. *ad puer. suum.* Minister veteris puer Falerni, Inger mi calices amariores. *h. e.* misce ac porrige. Alii leg. *infer*, alii *misce*. — Part. *Ingerens* I. 4. et II. 3.; *Ingestus* I. 1., 2., 3. et; *Ingerendus* I. 2. — Ingerere est intro gerere. Inferre, importare, imponere, ἐμφορέω, εἰσφέρω (It. *portare o porre dentro*, *gettare dentro*, *gettare sopra*; Fr. *mettre dans ou sur*, *jeter*, *verser*, *porter*; Hisp. *llevar dentro*, *echar dentro*, *echar sobre*; Germ. *hineintragen*, *-thun*, *-schütten*, *giessen*; Angl. *to carry or put into*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est intro gerere. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 24. Tu, qui urnam habes, aquam ingere: face plenum ahenum sit cito. *Sil. It.* 5. 395. Ceu pater Oceanus quum - exesa in viscera montis Contortum pelagus latrantibus ingerit undis. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 39. (82). E puteis aquam in salinas ingerunt. *Tibull.* 2. 1. 22. Ingeret ardenti grandia ligna foco. *Petron. Satyr.* 136. Collocavit ignem cessis arundinibus collectum, ingestisque super pluribus lignis etc. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 7. 36. (120). Pusillo caverna facta ac fimo ingesto. *Colum.* 2. *R. R.* 16. 5. Stercus ingerere vitibus. *Id. ibid.* 10. 2. lupinum novalibus. *seminare*. Adde *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 6. — Proverbium est illud *Plauti Pseud.* 1. 3. 135. In pertusum ingerimus dicta dolium. *gettiamo le parole al vento*, operam ludimus. *V.* DANAUS in ONOM. ¶ 2. Specialim de cibo et potu est porrigere, præbere, *dare*, *porgere*. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 12. 48. (123). Ocimum equis asinisque ingeritur. *Id.* 30. *ibid.* 13. 38. (112). Adeps pastillis ingestus. *h. e.* præbitus. Sic *Id.* 29. *ibid.* 1. 8. (23). Cibi sæpe die ingesti. Adde *Ammian.* 23. 4. *Pallad.* 1. *R. R.* 30. 4. Saginandis anseribus polentæ duas partes et furfuris quatuor ingerunt, pro appetentia voluntate sumenda. *Cels.* 5. 27. Vinum merum calidum cum ruta quamplurimum ingerendum est. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 3. 23. (40). Aqua frigida ingesta sistitur sanguis. Cf. *Curt.* 7. 5. 7. Ergo quidquid vini oleique erat, hominibus ingerebatur: tantaque dulcedo bibendi fuit, ut etc. Poetice *Nemesian. Cyneg.* 5. Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno ingerit. ¶ 3. Item est imponere, superjacere. *Ovid. Ib.* 464. Saucius ingesta contumuleris humo. *Curt.* 4. 2. 19. Quo longius moles agebatur a litore, hoc magis quidquid ingerebatur prærutum absorbebat mare. *Stat.* 4. *Theb.* 180. summis ingestum montibus Æpy. *h. e.* Æpy oppidum Messenæ impositum montibus. *Propert.* 4. 4. 91. Dixit, et ingestis comitum superobruit armis. *h. e.* superjectis. *Claudian. B. Gild.* 365. Ingesta vincula unguibus. *h. e.* indita. ¶ 4. Item infligere, incutere, jacere, conjicere. *Ter. Phorm.* 5. 7. 95. Nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere. *Seneca Ep.* 99. *circa med.* Ingerere manus capiti. *Curt.* 6. 11. 16. verbera. *Tac.* 3. *Hist.* 85. Ac deinde ingestis vulneribus concidit. *Sueton. Gramm.* 23. *extr.* Quum in turba osculum sibi ingerentem devitare non posset.

Val. Flacc. 6. 230. Fulmineumque viris proturbans ingerit ansem. *Virg.* 9. *Æn.* 763. fugientibus ingerit hastas In tergus. *Liv.* 2. 65. Saxa ingerere in subeuntes. *Id.* 36. 18. sagittas et jacula. *Stat.* 9. *Theb.* 303. tela. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 1. 1. (1). lapides contra aliquem. ¶ 5. *Ingerere se* est se immiscere, se conjicere aliquo, *mettersi, cacciarsi. Justin.* 11. 14. 5. Ubi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper ingerebat. *Juvenal.* 6. 607. hos amat, his se Ingerit, atque suos ridens producit alumnos. *Seneca Herc. Fur.* 1032. Quo te obvium morti ingeris? *Sil. It.* 10. 4. In medios fert arma globos, seseque periclis Ingerit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim ponitur pro injicere, conjicere, inferre, afferre. *Plaut. Asin.* 5. 2. 77. Ingerere dicta in aliquem. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 11. convicia alicui. *Liv.* 2. 45. probra. *Tac.* 1. *Ann.* 39. contumelias. *Ter. Andr.* 4. 1. 16. mala multa. *Seneca Med.* 461. supplicia. *Liv.* 3. 68. Vocis verborumque quantum voletis ingerent, et criminum in principes, et legum et contionum. *ve ne daranno.* Cf. *Capell.* 5. *p.* 140. Depulsio ingesti criminis. *Seneca* 1. *Benef.* 12. Oblivisci non sinit, sed auctorem suum ingerit et inculcat. *Id.* 7. *ibid.* 22. Hoc sobrii loquuntur, hoc ebrii non continent, hoc ignotis ingerunt. *Sueton. Aug.* 54. E curia per iram se proripienti quidam ingesserunt, licere oportere etc. *gli gridarono dietro. Petron. Satyr.* 36. Ingerebat lentissima voce, carpe, carpe. *h. e.* repetebat, dictitabat. *Tac.* 4. *Ann.* 42. Voces, quæ plerumque veræ et graves coram ingerebantur. *Id.* 4. *Hist.* 78. A tribunis eadem ingerebantur. ¶ 2. Speciatim ponitur pro sistere, objicere, afferre, *offerire, presentare. Justin.* 18. 7. 9. Quum Cartalo, ornatus purpura et infulis sacerdotii, omnium se oculis ingereret etc. *Val. Flacc.* 7. 651. nec si ipse sibi terga ingerat ultro, Qui pepigit, valit in pacem dextramque reverti. *Id.* 8. 53. modo ne quis abactam Huc referat me forte dies oculisque parentis Ingerat. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 81. facies ingesta sopori. *presentata in sogno. Ammian.* 30. 5. Sortem ei supremam prodigiis ingerentibus multis. *Sueton. Vit. Horat.* Ne recusanti quidem amicitiam suam ingerere destitit. *Tac. Dial. de Orat.* 7. Quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt. *suggeriscono, ripetono. Petron. Satyr.* 140. Filium filiamque ingerebat orbis senibus. *h. e.* obtrudebat. *Justin.* 6. 8. Quippe recensanti omnia imperia ingesta sunt. *Tac.* 1. *Ann.* 72. Nomen patris patriæ Tiberius, a populo sæpius ingestum, repudiavit. *Cic.* 5. *Verr.* 28. 69. ingerebat iste Artemidorum. — Sic pro memorare, mentionem facere. *Cic.* 11. *Att.* 6. Sed ingero præterita. Vides, quæso, igitur ea, quæ restant. *Tac.* 2. *Ann.* 79. Magnitudinem imperatoris identidem ingerens. ¶ 3. Dicitur etiam *ingerere se*, qui ultro, nec vocatus se operamque offert suam, *ingerirsi, offerirsi. Plin. Paneg.* 86. Præfectum prætorii, non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus legere. ¶ 4. Aliquando ponitur pro uggerare, adjicere, *aggiungere. Seneca Thyest.* 731. Puero ne parcit? an scelus sceleri ingerit?

INGESTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* gesto) qui gestari non potest, importabilis, ἀβάστακτος. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 6. 5. (41). Ingestabile onus.

INGESTĬO, ōnis, f. 3. (ingero) actus ingerendi, ingestus. *Cod. Theod.* 9. 24. 1. Eis meatus et os faucium liquentis plumbi ingestione claudatur. *Capell.* 5. *p.* 148. Primæ vocis ingestio.

INGESTO, as, are, a. 1. (in *et* gesto) idem quod ingerere. Part. *Ingestans* quidam tribuunt *Apulejo* 11. *Met.*, sed lectio variat.

INGESTUS, a, um. *V.* INGERO.

INGESTUS, us, m. 4. (ingero) actus ingerendi ut immittendi, ingestio. *Tertull. Resurr. carn.* 42. Immortalitatis ingestus.

INGIGNO, gignis, gĕnŭi, gĕnĭtum, gignere, a. 3. (in *et* gigno). Part. *Ingenitus V.* in v. INGENO. — Ingignere est intus gignere, ingenerare, inserere, *ingenerare, inserire,* ἐγγεννάω. Usum habet in præteritis.

I.) Proprie. *Lucan.* 6. 438. herbasque nocentes Rupibus ingenuit tellus.

II.) Figurate. *Cic.* 2. *Fin.* 14. 46. Natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 21. 59. Sic *Id.* 2. *Nat. D.* 48. 124. Tantam ingenuit animantibus conservandi sui naturu custodiam.

INGLŎMĔRO, as, are, a. 1. (in *et* glomero) idem ac glomerare, idest coacervare, accumulare, et veluti in globi formam involvere. *Stat.* 1. *Theb.* 350. sed plurimus Auster Inglomerat noctem.

INGLŌRĬUS, a, um, adject. (in *privat. et* gloria) qui nullam gloriam sua virtute consecutus est, inhonoratus, ignobilis, *senza gloria, ignobile,* ἄδοξος.

I.) Proprie. — *a*) Sine additis. *Cic.* 1. *Legg.* 11. 32. Beati, qui honorati sunt, videntur; miseri, qui sunt inglorii. *Virg.* 9. *Æn.* 548. parmaque inglorius alba. *Id.* 4. *G.* 94. horridus alter Desidia, latamque trahens inglorius alvum. *Tac. Agric. in fin.* Multos veterum, velut ingloríos et ignobiles, oblivio obruet. *Id.* 6. *Ann.* 37. Ornospades – exsul quondam et Tiberio, quum Dalmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator. Adde *Val. Flacc.* 6. 530.; et *Plin.* 9. *Ep.* 26. *Cic.* 3. *Tusc.* 34. 81. Vita inhonorata et ingloria. *Tac.* 12. *Ann.* 14. Brevi et inglorio imperio perfunctus est. *Id. ibid.* 70. Quippe illis etiam honestæ mortis usus, his inglorium exitium. *Id.* 4. *ibid.* 32. Nobis in arcto et inglorius labor. *Stat.* 5. *Silv.* 3. 138. Ingloria vos. *Tac. Agric.* 9. Vincere inglorium arbitrabatur. — *b*) Cum Genitivo. *Tac.* 3. *Hist.* 59. Inglorius militiæ. *Sil. It.* 12. 39. inglorius ausi.

II.) Translate. *Stat.* 9. *Theb.* 108. convulsæ cuspide longe Diffugere jubæ, patuitque ingloria cassis. *h. e.* indecora, sine cristis, sine ornamentis.

INGLŪTĬNĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* glutinatus) non glutinatus. *Gloss. Philox.* Inglutinatus, ἀκόλλητος.

INGLŪTĬO *vel*

INGLUTTĬO, is, ire, a. 4. (in *et* glutio) deglutire. *Isid.* 4. *Orig.* 9. Catapotia, eo quod modicum potetur vel ingluttiatur.

INGLŪVĬES, ei, f. 5. (a *gula*, ut *Paulo Diac.* placet, ita ut sit pro *ingulu vies*: *V.* voc. seq.) sinus ille in gutture avium, in quem demittunt cibos, priusquam in ventrem recondant, *gozzo,* πρόλοβος; hinc universim gula, guttur, *gola.*

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 17. *de pullis gallinaceis.* Singuli tentandi, ne quid hesterni habeant in gutture: nam si vacua non est ingluvies, cruditatem significat. — *b*) Latiori sensu pro gula, gutture. *Virg.* 3. *G.* 430. *de angue.* hic piscibus atram Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet. *Apul.* 5. *Met.* Priusquam bestia ingluvie voraci me misellam hauriret. — De hominibus. *Apul.* 1. *Met.* Restis ad ingluviem adstricta. *Fronto* 2. *Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 12. Iis margaritis collos filiarum suarum despoliabis, ut cujus tandem ingluvies turgida ornetur? Adde *Ammian.* 22. 4.

II.) Translate est voracitas, liguritio, *golosità. Ter. Eun.* 5. 4. 15. Harum videre ingluviem, sordes, inopiam: quam inhonestæ solæ sint domi atque avidæ cibi. *Al. melius leg.* illuviem. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 7. avi cur atque parentis Præclaram ingrata stringat malus ingluvie rem. *Gell.* 7. 16. Nomina edulium, quæ profunda ingluvies vestigavit. *Eutrop.* 7. 18. Notabilis ingluvie atque voracitate. *Salvian.* 1. *Gubern. D. p.* 36. Ventris ingluvies. — Hinc per metaphoram *Petron. Satyr.* 119. *ad fin.* Fenoris ingluvies.

INGLŪVĬŌSUS, a, um, adject. (ingluvies) gulosus, vorax, helno. *Paul. Diac. p.* 112. 2. *Müll.* Ingluvies a gula dicta: hinc ingluviosus.

INGRANDESCO, grandescis, grandŭi, grandescere, n. 3. (in *et* grandis) grandior fio, augeor, cresco, *ingrandirsi, crescere,* μεγαλύνομαι. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 15. Lens ut celeriter prodeat et ingrandescat. *Id.* 3. *ibid.* 6. 3. Ne difficulter scions ingrandescat. *Id.* 11. *ibid.* 3. 17. Licet porrum, si jam ingranduit, transferre.

INGRĀTĒ adverb. (ingratus)

I.) Proprie. ¶ 1. Est non jucunde, sine gratia, *spiacevolmente,* ἀχαρίστως. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 19. (74). gemma ingrate viridis atque intus sordida. *Ovid.* 2. *Art. am.* 435. Sunt, quibus ingrate timida indulgentia servit. *h. e.* nullam gratiam ineundo. — Huc referri potest ut illud, quod *Forcellinus* singulari paragr. distinxit, *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 5. (23). Non ingrate nominando M. Varrone. *h. e.* non libenter, ingratiis, *di mala voglia.* At *Sillig.* ex bonis Codicib. legit: *Non in grege numerando* etc.; affertque illud *Cic. Rosc. Am.* 32. 89. In grege annumerer. ¶ 2. Item ingrato animo, *ingratamente. Cic.* 12. *Fam.* 1. et *Dejot.* 11. 30. Ingrate nostra facilitate abutuntur. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 2. 2. (6). Quæ si quis ab homine excogitari potuisse credit, ingrate deorum munera intelligit. *Tac.* 1. *Hist.* 52. Infensus Galbæ, tamquam oppressæ Capitonis consilia ingrate tulisset.

II.) Translate, metaphora sumpta a super. paragr. 2., de iis dicitur, quæ fructu spei non respondent. *Pallad.* 7. *R. R.* 5. Ubi ramos multa poma densabunt, interlegenda sunt quæcumque vitiosa, ut succus, qui ingrate his posset impendi, ad meliora vertatur. *h. e.* sine utilitate, tamquam ingratis.

INGRĀTĬA, æ, f. 1. (ingratus) contrarium gratiæ, *spiacevolezza,* ἀχαριστία. *Tertull. Pœnit.* 1. Pœnitet fidei, amoris, simplicitatis, prout quid in ingratiam incidit. *Id. ibid.* 2. Viderit ergo ingratia hominum, si etiam bonis factis pœnitentiam cogit. — Hinc

Ingratiis et per syncopen *ingratis*, in ablativo plurali sumitur adverbii more, *contra genio, contra voglia, per forza,* ἀέκητι. — 1.°) *Ingratiis* occurrit — *a*) Cum Genitivo. *Plaut. Cas.* 2. 5. 7. Vobis invitis atque amborum ingratiis. — *b*) Absolute *Plaut. Merc.* 2. 4. 11. CH. Nimium multum scis. EV. Tuis ingratiis. Adde *eumd. Curc.* 1. 1. 6., *Cist.* 2. 3. 82. *Men.* 5. 8. 3. et *Amph.* 1. 1. 215. *Ter. Eun.* 2. 1. 14. Ingratiis dormire. Adde *eumd. Heaut.* 3. 1. 37. ut *Phorm.* 5. 6. 48. *Cic. fragm. orat. pro Tull.* (edente *A. Peyronio*) *n.* 5. Tametsi postulat causa, tamen, nisi plane cogit ingratiis, ad maledicendum non soleo descendere. *Id. Quinct.* 14. 47. Extorquendum est invito atque ingratiis. *h. e.* velit, nolit. *Nepos Themist.* 4. Ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur. Adde *Gell.* 17. 1. — 2.°) *Ingratis* apud *Lucret.* 3. 1083. Effugere haud potis est, ingratis hæret et angit. Adde *eumd.* 5. 45. et 6. 215. Sic *Lactant.* 2. 10. Ingratis tamen Epicurus eripist. *Al. leg.* ingrate. Videtur autem in locis *Lucretii* esse per synæresin dictum metri causa pro *ingratiis*: veteres enim Latini litteram i numquam geminabant. Quidam male putant esse ab *ingratus*, et ejusdem rationis atque *alternis*, omnimodis.

INGRĀTĬFĬCUS, a, um, adject. (ingratus et facio) ingratus, beneficii immemor. *Accius* apud *Cic. Sext.* 57. 122. O ingratifici Argivi, immunes Graji, immemores beneficii.

INGRĀTĬIS *et*

INGRĀTIS. *V.* INGRATIA in fin.

INGRĀTĬTŪDO, inis, f. 3. (ingratus). ¶ 1. Est ingrati animi vitium, *ingratitudine,* ἀχαριστία. Perperam ponitur in titulo *l.* 5. *c.* 5. *Val. Max.*, ut diximus in *V.* GRATITUDO. Habet tamen *Firmic.* 5. *Mathes.* 1. *a med.* Ingratitudinis vitio inquinati. ut *Cassiod.* 5. *Variar.* 8. Sine ingratitudinis nævo. Adde *eumd.* 8. *ibid.* 17. *a med.* Legitur præterea apud *Curt.* in quibusdam editionibus *sub fin l.* 5. At is locus *Curtii* non est, sed ex supplementis *Freinshemii.* ¶ 2. Pro ingratia, indignatione, *spiacere. Cassiod.* 1. *Variar.* 30. Noverit, se nostræ ingratitudinis pericula subiturum.

INGRĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* gratus). Comp. *Ingratior* et Sup. *Ingratissimus* I. 2. — Ingratus

I.) Proprie. ¶ 1. 1. Est non gratus, non acceptus, injucundus, molestus, *spiacevole, ingrato, nojoso,* ἄχαριστος, ἀηδής. *Cic.* 5. *Fam.* 5. *a med.* Quæ si ego non profundere videbor, omnibus meis viribus sustinebo: sin autem ingrata esse sentiam, non committam etc. *Cæs.* 7. *B. G.* 30. Fuit hæc oratio non ingrata Gallis. *Horat.* 3. *Od.* 10. 9. Ingratam Veneri pone superbiam. *Id. Epod.* 17. 63. Ingrata misero vita ducenda est in hoc, Novis ut usque suppetas laboribus. *Id.* 1. *Od.* 15. 3. Ingrato celeres obruit otio ventos Nereus. *Virg.* 3. *G.* 97. Ingratus labor. *Ovid.* 3. *Fast.* 738. Ingrati joci. *Colum.* 7. *R. R.* 8. 7. Non ingrati saporis caseus. *Quintil.* 9. 2. 14. Ingratæ vices. *Tac.* 2. *Ann.* 5. Tiberio haud ingratum accidit, turbari res Orientis. *Curt.* 8. 1. 27. Hæc ut his similia læti audiere juvenes: ingrata senioribus erant. *Propert.* 1. 10. 23. Neu, si quid petiit, ingratā fronte negaris. *h. e.* ore duro. ¶ 2. Item qui beneficium non agnoscit, *sconoscente, ingrato.* — *a*) Absolute. *Seneca* 3. *Benef.* 1. Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus, qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: ingratissimus omnium, qui oblitus

est. *Cic.* 8. *Att.* 4. Nihil cognovi ingratius: in quo vitio nihil mali non inest. Cf. *eumd.* 9. *Att.* 2. *a med.* Ingrati animi crimen. *Nepos Eumen.* 6. Satius dixit, si ita tulisset fortuna, perire bene meritis referentem gratiam, quam ingratum vivere. Adde *eumd. Cim.* 3. et *Eumen.* 6.; *Horat.* 1. *Ep.* 19. 35.; *Sueton. Claud.* 25.; *Quintil.* 6. 3. 93. et 12. 7. 11.; et *Juvenal.* 7. 169. Similiter *Sueton. Ner.* 32. Ingratorum testamenta. Cf. *eumd. Cal.* 38. Ingrata testamenta. *V.* TESTAMENTUM. — Pro invito dixit *Plaut. Pers.* 2. 2. 45. so. Siu te amo? PAE. Male operam loces. so. Qui? PAE. Quia enim nihil amas, quum ingratum amas. — *b)* Cum addita praeposit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 33. 93.; et *Liv.* 38. 50. Ingratum esse in aliquem. *Paul. Dig.* 4. 2. 21. Ingratus contra aliquem. *Vellej.* 2. 69. Vir adversus meritu Cæsaris ingratissimus. — *c)* Cum Genitivo. *Virg.* 10. *Æn.* 666. Ingratus salutis. *h. e.* ob salutem acceptam. Græcismus est: ἀχάριστος σωτηρίας, *scil.* ἕνεκα. ¶ 3. Passive, de eo, cui gratiæ actæ non sunt. *Stat.* 1. *Theb.* 700. *de Phœbo.* Seu Trojam Thymbræus habes, ubi fama volentem Ingratis Phrygios humeris subiisse motares.

II.) Translate refertur ad res inanimas: et dicitur de iis, ex quibus exiguus, aut nullus fructus percipitur, etsi plurimus labor impendatur. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 6. ingrato vocem prostituisse foro. *Martial.* 10. 47. Non ingratus ager. *Id.* 5. 19. colit ingratas pauper amicitias. *Ter. Heaut.* 5. 1. 60. Ignosces tamen post: et id erit ingratum. *h. e.* nullam tibi pariet gratiam. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 7. Hunc si percontaris, avi cur atque parentis Præclaram ingrata stringat malus ingluvie rem, etc. *h. e.* gula et ventre, qui cito voluptatis et ingestorum ciborum obliviscitur, nec unquam satiatur. Sic apud *eumd.* 2. *Ep.* 1. 187. migravit ab aure voluptas Omnis ad ingratos oculos. *h. e.* qui cito spectacula obliviscuntur et nova poscunt. Ita enim legit *Bentlej.*: alii *incertos.*

INGRĀVĀTĒ, adverb. (ingravo) non gravate; et translate libenti animo, *di buona voglia. Ammian.* 17. 10. *extr.* Obsecundabant imperiis ingravate. Adde *eumd.* 18. 2.

INGRĀVĀTĬO, ōnis, f. 3. (ingravo) vexatio, molestia, onus. *Imppp. Valentinian., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 7. 13. 7. Perpetuæ ingravationi addici.

INGRĀVĀTUS, a, um. *V.* INGRAVO.

INGRĀVESCO, grāvescis, grāvescere, n. 3. (in *et* gravis). Part. *Ingravescens* II. — Ingravesco est gravior fio augeor, *divenire più grave, crescere,* ἐπιβαρύνομαι.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Senect.* 11. 36. Et corpora quidem defatigatione et exercitatione ingravescunt. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 7. 39. (79). Sal vix credibili pondere ingravescit. ¶ 2. Speciatim pro gravidam fieri. *Lucret.* 4. 1242. Suscipiunt aliæ pondus magis inque gravescunt. *tmesis.*

II.) Translate. Raro in bonam partem. *Cic.* 4. *Fam.* 4. *ad fin.* Hoc studium quotidie ingravescit. *h. e.* crescit, augetur. — Sæpissime in malam partem; et quidem — *a)* De abstractis. *Cic.* 1. *ad Brut.* 10. Ingravescit in dies malum. *Id. Dom.* 5. 11. Annona ingravescit. *h. e.* carior fit. *Id. Senect.* 2. 6. Ingravescens ætas. *Id.* 2. *Divinat.* 6. 16. Ingravescens morbus. *Sueton. Tib.* 73. vis morbi. *Id. Cal.* 23. tussis. *Id. Aug.* 16. fames. *Ammian.* 30. 2. cura. — *b)* De inanimis: sic de ædibus. *Plin.* 2. *Ep.* 17. 19. Patentibus fenestris Favonios accipit transmittitque, nec unquam aere pigro et manente ingravescit. — *c)* De hominibus. *Cic.* 10. *Att.* 4. Alter ardet furore et scelere: nec remittit aliquid, sed in dies ingravescit. *Tac.* 3. *Hist.* 51. Confitenti consultantique supererant spes viresque: quum e contrario iste omnia fingeret, falsis (*rumoribus*) ingravescebat. *Plin.* 2. *Ep.* 20. *de ægrota.* Illa, ut in periculo credula, poscit codicillos, legatum Regulo scribit: mox ingravescit; clamat moriens: O hominem nequam etc.

INGRĀVĬDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INGRĀVĬDO, as, (āvi), ātum, are, a. 1. (in *et* gravido). Part. *Ingravidatus* II. — Ingravidare est idem quod gravidare.

I.) Proprie. *Paulin. Nolan. carm.* 24. 253. Ingravidat coeuntes.

II.) Translate. *Augustin.* 7. *Confess.* 5. *sub fin.* Pectus meum ingravidatum curis mordacissimis.

INGRĀVIS, e, adject. valde gravis, molestus. *Ulp. Dig.* 29. 5. 3. *init.* Si quis ingravi valetudine affectus. *Al. leg.* ingravescente; *al. vero* in gravi *divisim.*

INGRĀVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* gravo). Part. *Ingravans* et *Ingravatus* II. — Ingravare est gravitate ponderis deprimere, gravem reddere, *aggravare, premere col peso,* ἐπιβαρέω.

I.) Proprie. *Stat.* 2. *Theb.* 401. puppemque ulternus utrimque Ingravat, et medias ardet descendere in undas.

II.) Translate. *Virg.* 11. *Æn.* 220. Ingravat hæc sævus Drances. *h. e.* exaggerat, graviora facit. *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 60. Illa meos casus ingravat, illa levat. *Spartian. Sever.* 21. Ingravatus morbo. *aggravato. Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 48. (174). Ingravatas aures sic perluendas putant. *h. e.* quæ gravitate et difficultate audiendi laborant. *Capell.* 8. p. 274. Ne me ultra loquendi necessitas ingravaret. — Absolute. *Phædr.* 5. 10. canis Languere cœpit annis ingravantibus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 51. (166). Iisdem fruticibus utuntur, si non sævitia hiemis ingravet.

INGRĔDĬOR, grĕderis, gressus, grĕdi, dep. 3. (in *et* gradior). *Ingredier* paragoge pro *ingredi* est apud *Phædr.* 5. 7. — Tmesis est in illo *Lucret.* 4. 885. ut velit ire inque gredi. — Part. *Ingrediens* I. 1. et 2. et II. 2.; *Ingressus* II. 1. et 2.; *Ingressurus* II. 1.; *Ingrediendus* II. 1. — Ingredi est intro gradi, introire, εἰσέρχομαι (It. *entrare;* Fr. *entrer, s'avancer dans;* Hisp. *entrar, penetrar;* Germ. *hineingehen;* Angl. *to enter, go into*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est intro gradi, introire. — *a)* Cum Accusativo sine præpos. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 68. Tu ingredi illam domum ausus es? *Id.* 3. *Cat.* 2. 6. Quom pontem Milvium ingredi inciperent. *Id. Senect.* 2. 6. Via, quam nobis quoque ingrediendum sit. *Al. leg.* qua nobis etc. *Ter. Hecyr.* 3. 4. 4. O fortunate, nescis quid mali præterieris, qui numquam es ingressus mare. Sic *Sueton. Cal.* 23. Ingredi mare. *Val. Flacc.* 1. 304. æquora. *Sueton. Galb.* 6. provinciam. *Id. Aug.* 53. urbem. *Id. Domit.* 9. curiam. *Id. Oth.* 7. senatum. *Id. Claud.* 7. forum. *Cic. Senect.* 10. 34. Ingredi iter pedibus. *incamminarsi, mettersi in viaggio.* Sic *Quintil.* 3. 1. 6. Qualecumque ingressi sunt iter. Et figurate *Juvenal.* 7. 172. vitæ diversum iter ingredietur. — *b)* Cum Accusativo et præpos. *intra,* aut *ad. Cic. Cæcin.* 8. 22. Ingrediens intra finem ejus loci, quem etc. *Cæs.* 5. *B. G.* 9. Ingredi intra munitiones. *Justin.* 6. 3. 4. Non diis Penatibus, ad quos paulio ante ingressus hospitaliter fuerat, pepercit. — *c)* Poetice cum Ablativo. *Virg.* 10. *Æn.* 762. quatiens Mazentius hastam Turbidus ingreditur campo. *Forcellinus* hunc locum ad paragr. proxime sequentem retulit. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro simplici gradi, incedere, ambulare, *camminare, andare. Cic.* 1. *Tusc.* 31. 75. Qui in compedibus semper fuerunt, etiam quum soluti sunt, tardius ingrediuntur. *Id.* 2. *Att.* 23. Si stas, ingredere; si ingrederis, curre. *Cels.* 5. 28. n. 14. Clavus in pedibus dolorem ingredienti movet. *Curt.* 7. 5. 8. Graves deinde avide hausto humore non sustinere arma, non ingredi poterant. Adde *eumd.* 6. 11. 34. et 7. 3. 14. *M. Aurel.* inter *ep. Fronton.* 1. *ad M. Cæs.* 11. Ingredienti manum subjicere. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 13. Ingredi per semitas. *Curt.* 5. 6. 14. Rex pedes per nivem et glaciem ingredi cœpit. Cf. *Val. Flacc.* 2. 546. qualis per pascua victor Ingreditur, quum colla tumens, tum celsior artus Taurus etc. *Ovid.* 4. *Fast.* 481. Quacumque ingreditur, miseris loca cuncta querelis Implet. *Virg.* 4. *G.* 177. Ingrediturque solo et caput inter nubila condit. *solo* Ablativus casus est. *Id.* 3. *ibid.* 75. pecoris generosi pullus in arvis Altius ingreditur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 5. 5. (11). Elephanti gregatim semper ingrediuntur. *Quintil.* 11. 3. 179. Ingrediendo ventum concipere veste. *Ovid.* 13. *Met.* 252. Ingredior curru lætos imitante triumphos. — Huc referri potest et illud *Plaut. fragm.,* in quo ingredi ponitur pro venire, prodire, apud *Non.* p. 454. 4. *Merc.* Nihili te pudet, sceleste, populi in conspectum ingredi?

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1.: ad rem *Cic. Brut.* 96. 330. In vitam paullo serius, tamquam in viam, ingressus. *Id.* 1. *Off.* 32. 118. Quam quisque viam vivendi sit ingressus. *Id.* 12. *Fam.* 25. Quo primum die in spem libertatis ingressus sum. *Id.* 7. *Phil.* 3. 8. Magna spe ingredior in reliquam orationem. *Id.* 2. *Cat.* 6. 14. Quem jam ingressum in bellum esse dicebam. *Id. Planc.* 3. 8. Qua nolui janua ingressus sum in causam. *Id.* 1. *Orat.* 21. 94. Antequam ad discendum ingressi sumus. *Id. ibid.* 28. Quum istam disputationem mecum ingressus esset. *Cæs.* 3. *B. C.* 18. Ingredi in sermonem. *Cic. Arch.* 1. 1. Hunc video mihi principem ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. Cf. *Quintil.* 12. *proœm.* 3. Eloquendi rationem novissime repertam ingressi su us. *Tac. Dial. de orat.* 11. Recitatione tragœdiarum famam ingredi. *Id.* 11. *Ann.* 2. Valerius Asiaticus ingressus defensionem. *Liv.* 38. 54. Catone auctore existimantur Petillii rem ingressi. *Id.* 45. 23. Lacedæmoniorum populum cunctatorem esse, et vix ea, quibus fidit, ingredientem. *Justin.* 38. 7. Multoque se timidius ac diffidentius bella Pontica ingressum. *Sall. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 5. *Æn.* 295. Ingredi regnum. *h. e.* suscipere, adire. Sic *Auct. B. Afr.* 22. Ingredi in rempublicam. *h. e.* in administrationem reipublicæ. *Quintil.* 6. 1. 35. Ingredi consulatum. et *Justin.* 7. 6. 1. Ut est ingressus imperium, magna de illo spes omnibus fuit. *Vellej.* 2. 61. 1.; et *Quintil. proœm. l.* 6. Cæsar decimum nonum annum ingressus. Sic *Tac.* 3. *Ann.* 29. Per idem tempus Neronem e liberis Germanici, jam ingressum juventam, commendavit patribus. ¶ 2. Hinc ponitur pro incipere, aggredi, *cominciare, accingersi.* — *a)* Cum Infinito. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 1. 3. Posteaquam sum ingressus res eas mandare monumentis. *Id.* 15. *Att.* 11. Quum ingressus essem dicere, quid oportuisset. Sic *Quintil.* 1. 3. 18. Dicere ingrediar. *Vellej.* 2. 119. Fuga Rhenum petere ingressus est. — Et absolute *Virg.* 4. *Æn.* 107. Sic contra est ingressa Venus. *subaudi* dicere. Sic *Id.* 6. *ibid.* 867. Anchises lacrimis ingressus obortis. — *b)* Cum Accusativo. *Val. Flacc.* 5. 70. primo lætos sic tempore rector Ingreditur cursus. *si mette colla nave in corso. Sueton. Aug.* 92. Terra marive ingrediens longinquam profectionem. *Sall. Jug.* 42. Gracchorum actionibus obviam ierat, et primu Tiberium, dein paucos post annos eodem ingredientem Cajum — necaverat. *Liv.* 38. 54. et 45. 23. Ingredi rem. *Sil. It.* 6. 66 patriis heu! Punica bella Auspiciis ingressus erat. *Cic. Mur.* 2. 4. Qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediuntur. *h. e.* adeunt, subeunt. *Lucan.* 10. 224. fluvius, ingresso vere, tumescit. Sic absolute *Val. Flacc.* 1. 741. Heu quibus ingreditur fatis! qui gentibus horror Pergit! *con quali destini egli incomincia!* ¶ 3. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. I. 2. est incedere. *Cic.* 6. *de republ.* 24. Ingredi vestigiis patriis. *camminare sulle vestigia, imitare.* Eodem sensu dixit *Liv.* 37. 53. Ingredi vestigia patris. *Ovid.* 2. *Fast.* 16. per titulos ingredimurque tuos. *h. e.* carmine procedimus. *Quintil.* 10. 2. 22. Nec tragœdia socculo ingreditur. *Id.* 9. 4. 139. Sublimia debent ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere. *h. e.* alte velut incedere.

INGRESSĬO, ōnis, f. 3. (ingredior) actus ingrediendi, *entrata,* εἴσοδος.

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Phil.* 4. 9. Ita ob ingressione fori populum tribunosque plebis propulsari videres.

II.) Translate. ¶ 1. Est ambulatio, incessus. *Cic. Orat.* 59. 201. Interdum cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio. ¶ 2. Item principium. *Cic. Orat.* 3. 11. Ac video hanc primam ingressionem meam e media philosophia repetitam etc.

INGRESSUS, us, m. 4. (ingredior).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est actus ingrediendi, introitus, *ingresso, entrata,* εἴσοδος. *Tac.* 15. *Ann.* 3. Ingressus hostiles intercipere. *Plin.* 10. *Ep.* 28. Hæc tibi, domine, in ipso ingressu meo scripsi. *scil.* in provinciam. — Hinc translate ponitur pro janua, porta, aditu. *Prudent. Psychom.* 843. trinis ingressibus aram Cordis adit. ¶ 2. Latiori sensu est ambulatio, incessus, *il camminare. Cic.* 1. *Nat. D.* 34. 94. Ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio. *Cæs.* 1. *B. C.* 84. Prohiberi ingressu. *non potersi muovere.* Hunc locum *Forcellinus* ad superiorem paragr. retulit. *Liv.* 24. 34. Eadem causa ad subeundum arduum aditum instabilemque ingressum præbebat. *Quintil.* 11. 3. 66. Ex vultu ingressuque perspicitur habitus animorum. *Id.* 11. 3. 112. In fabulis juvenum, senum, militum, matronarum gravior ingressus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 91. 96. (208). Quædam terræ ad ingres

sus tremunt. *Id.* 11. *ibid.* 16. 16. (51). Crura recta, ingressus celsior. *Id.* 23. *ibid.* 4. 7. (36). Animalis ingressum corrigere.

II.) Translate. ¶ 1. Est initium, *principio*. *Quintil.* 9. 4. 72. Si pars posterior in clausula, deprehendatur rursus in ingressu. *Id.* 8. *proœm.* 7. Affectus maxime in ingressu causæ ac fine dominantur. *Id.* 10. 1. 48. In ingressu operis. *Virg.* 4. *G.* 316. Unde nova ingressus hominum experientia cepit? *h. e.* novum hoc experimentum hominum undenam initium sumpsit? *Vitruv.* 1. 1. *ad fin.* Operum ingressus, qui manu aut tractationibus ad elegantiam perducuntur. *il metter mano all' opera, il cominciamento d' una fabbrica.* ¶ 2. Pro janua, porta: *V.* supra sub I. 1. in fin.

INGRŬENS, entis. *V.* voc. seq.

INGRŬO, uis, ŭere, ui. 3. (*potius quam a gruibus*, unde quidam derivant, *Vossius* duci mallet ab *in* et *ruo*, inserto *g*; quamquam est etiam vox *grumus*). Part. *Ingruens* I. et II. — Ingruere est adventare, irruere, cum vi accedere, prope esse: differt ab *immineo*, *impendeo*, quæ dicuntur de iis, quæ licet sint prope et supra caput, tamen interdum non eveniunt; ut quæ *ingruunt*, et imminent et certe in nos irruunt et invadunt ac nocent, [illegible], [illegible] (It. *venire addosso, assalire, soprastare, essere vicino*; Fr. *fondre avec violence sur, se précipiter sur*; Hisp. *cargar á alguno, cerrar con él con impetuosidad, arrojarse a él con furia*; Germ. *hereinstürzen, - brechen*; Angl. *to come violently upon, fall on with violence or great force, invade, assail, be hard at hand, overhang*).

I.) Proprie. *Plaut. Amph.* 1. 1. 81. Hostes crebri cadunt: nostri contra ingruunt vicinius, vi feroces. *Virg.* 12. *Æn.* 628. Ingruit Æneas Italis et prælia miscet. *Tac.* 1. *Ann.* 27. Simul ingruunt, saxa jaciunt. *Id.* 2. *ibid.* 11. Hortatus suos, ut ingruentes catervas globo perfringerent. *Id.* 12. *ibid.* 12. Exercitare legiones, perinde agere ac si hostis ingrueret. *Id.* 3. *Hist.* 34. Ingruente in Italiam Hannibale. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 21. (54). Sago contra ingruentes feræ impetus objecto. *Tac.* 6. *Ann.* 38. Ingruentes accusatores.

II.) Translate. *Virg.* 12. *Æn.* 284. ferreus ingruit imber. Cf. *Flor.* 4. 2. 59. Ingruentia tela et saxa. *Liv.* 37. 23. Ingruere morbi vulgo, maxime in remiges cœperunt. Sic *Plin.* 7. *Hist. nat.* 50. 51. (170). Et universis gentibus ingruunt morbi. et *Curt.* 5. 1. Ingruentes morbi. *Virg.* 2. *G.* 410. ingruit vitibus umbra. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 4. Frigus ingruit. *Id.* 11. *ibid.* 3. 18. Ingruente æstate. *Tac.* 4. *Ann.* 50. Ingruebat nox nimbo atrox. *Virg.* 8. *Æn.* 535. Si bellum ingrueret. *Id.* 2. *ibid.* 301. armorumque ingruit horror. *Liv.* 28. 44. *sub fin.* Hinc terror fugaque, populatio agrorum, defectio sociorum, ceteræ belli clades, quæ in nos per quatuordecim annos ingruerunt, certantur. *Id.* 5. 21. Quo minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus esset. *Id. ibid.* 37. Adeo occæcat animos fortuna, ubi vim suam ingruentem refringi non vult. *Quintil.* 3. 8. 22. Ingruit vis. *Id.* 11. 3. 56. major vis eloquentiæ. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 30. 50. (95). Si nullus ingruat metus. *Tac.* 4. *Ann.* 2. Si quid subitum ingruit. *Id.* 2. *ibid.* 77. Si quid hostile ingruat. *Id.* 6. *ibid.* 10. Ingruit necessitas. *Id.* 4. *ibid.* 35. damnatio. *Id.* 4. *Hist.* 84. mala. *Id.* 4. *Ann.* 41. invidia. *Id.* 12. *ibid.* 4. Ingruens dominatio.

INGUEN, inis, n. 3. *Voss.* in *Etymol.* ab *ingeno* derivat, quia in inguine sunt partes genitales: alii ab ἐν *in* et γονή *genitale*: nisi potius *inguen* dictum sit quasi *unguen*, quod ab inusit. ὕγω *succosus sum*, unde ὑγρός *madidus*; inguen enim semper madescit; ita etiam *anguen* dicitur serpens, quia quasi unguine oblitus esse solet: alii, inter quos recentiores fere omnes, ob eamdem causam ab *inquino* deducunt. — Ceterum

I.) Proprie. ¶ 1. Inguen est pars corporis humani anterior, ad latera pubis, ubi coxendices imo ventri junguntur, βουβών (It. *anguinaja, inguine*; Fr. *région inguinale*; Hisp. *ingles, region inguinaria*; Germ. d. *Dünnen, Weichen e. Körpers*; Angl. *the groin*). Adhibetur tum in singulari numero, tum in plurali. *Cels.* 7. 2.; et *Plin.* multis in locis. ¶ 2. A loci vicinitate dicitur de pudendis virilibus, et femineis. *Horat.*, *Petron.*, *Ovid.*, *Martial.*, *Juvenal.* etc. ¶ 3. Interdum sumitur pro tumore inguinum, *tumore, bubone. Lucilius* apud *Festum* p. 360. 20. *Müll.* Inguen ne existat, papulæ, tama, ne boa noxit. *Cels.* 3. 5. Si febris vel ex inguine, vel ex lassitudine, vel ex æstu fuit. Adde *eumd.* 2. 7. *ante med.* ¶ 4. Et pro tumore in genu exulcerato. *Fronto* 5. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) ep. 44. Ita genum mihi simul abrasum et ambustum est, postea etiam inguen ex ulcere exstitit. ¶ 5. Per synecdochen de toto imo ventre. *Sueton. Domit.* 17. Legenti suffodit inguina. *Val. Flacc.* 6. 221. cadit impiger uno inguine transfosso clari Taulantis alumnus etc. *Stat.* 6. *Theb.* 900. procumbentemque secutus Colla simul dextra, pedibus simul inguina vincit.

II.) Figurate a similitudine dicitur in arboribus sinus ille, qua ramus trunco adhæret. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 36. 65. (163). de arundine et 17. *ibid.* 21. 35. (153). de vite.

INGUĪNĀLIS, e, adject. (inguen) ad inguina pertinens. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 9. 59. (92). Inguinalis (*herba*), quam quidam argemonem vocant, passim in vepribus nascens, ut prosit inguinibus etc. *Al. leg.* inguinaria. *Apul. Herb.* 60. Inguinalis herba. *V.* BUBONION.

INGUĪNĀRĬUS, a, um. *V.* voc. praeced. Hæc vox legitur etiam apud *Paul. Diac. de gest. Rom.* 18. Subsecuta statim est hanc inundationem gravissima pestilentia, quam inguinariam appellant. *Isid.* 4. *Orig.* 6. Ipsa et inguinaria ab inguinum percussione. Ita legit *Areval.*, et quidem recte; *Lindemann.* leg. *inguinia*; Codd. habent *inguina*.

INGURGĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (ingurgito) devorandi gulamque implendi vehementia, *il mangiare o bere con troppa voracità. Firmic.* 5. *Mathes.* 8. Qui conviviis et ingurgitationibus delectantur.

INGURGĬTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INGURGĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et gurges). Part. *Ingurgitans* I. 1.; *Ingurgitatus* et *Ingurgitandus* I. 2. — Ingurgitare est in gurgitem se immittere, immergere: *V.* GURGES.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (15). Humor ex nivibus non universus ingurgitans (*scil.* se) diluensque, sed destillans. *h. e.* redundans, exundans gurgitis modo. *Lactant.* 4. 17. Sus se ingurgitat cœno. *Plaut. Curc.* 1. 2. 35. Ingurgitat se in merum. *ubi alii legunt*: Ingurgitat in se merum. *Lactant. Mort. persecut.* 49. Sed Maximinus prius cibo se infercit ac vino ingurgitavit. ¶ 2. Latiori sensu est cum vehementia devorare, gulam implere, cibo aut potu intemperanter se obruere, *bere o mangiare con troppa voracità. Cic.* 2. *Fin.* 8. 23. Crudique postridie se rursus ingurgitant. *Gell.* 15. 2. Ingurgitare ingenium crebris et ingentibus poculis. *Apul.* 4. *Met.* Merum sævienti ventri tuo soles avidiler ingurgitare. — Hinc *ingurgitatus* dicitur, qui ebrius est. *Petron. Satyr.* 79. Anus diutius ingurgitata ne ignem quidem admotum sensit. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 3. Temeto ingurgitatus aut distentus.

II.) Translate sumitur pro immergere se, immittere, *ingolfarsi. Cic. Pis.* 18. 42. Ingurgitare se in flagitia. *Id.* 2. *Phil.* 27. 66. In ejus copias quum se subito ingurgitavisset. *Gell.* 5. 16. Illius Enniani Neoptolemi — consilio utendum est, qui degustandum ex philosophia censet, non in eam ingurgitandum. V. *Vahlen.*, *Ennianæ poes. reliq.* p. 145. — Obscœno sensu *Petron. Satyr.* 79. Toto corpore me ingurgitavi. — Singulare est illud *Fronton.* 4. *ad M. Cæs.* 1. *in fin.* Cum amicis tuis mihi amorem tui ingurgito.

INGUSTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et gusto) qui gustari non potest, *ingustabile, che non si può gustare*, ἄγευστος. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 26. 43. (105). Fert baccas acerbas et ingustabiles cunctis animantibus. *Id.* 2. *ibid.* 106. 110. (233). Fons ille ingustabilis.

INGUSTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et gustatus) non gustatus, *non gustato. Horat.* 2. *Sat.* 8. 30. Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi. *h. e.* quæ ante numquam gustaveram.

INGUSTO, as, are, a. 1. (in et gusto) gustandum dare, apud *Tertull. advers. Gnost.* 7. Jovi in media urbe sanguis humanus ingustatur.

ĬNHĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et habilis) qui facile haberi, h. e. adhiberi et tractari non potest, *difficile da maneggiare.*

I.) Proprie. *Liv.* 24. 34. Quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est. Cf. *Curt.* 8. 9. *a med.* Telum inhabili pondere oneratur. Rursus *Liv.* 33. 30. Navis regia, inhabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant. *Curt.* 9. 9. 13. Quidam clauda et inhabilia navigia languide moliebantur. *Id.* 8. 13. 11. Quippe inhabiles rates nec dirigi ad ripam, nec tuto applicari posse credebant. *Mützell.* ita legit; vulgati libri *instabiles* habent. *Id.* 9. 2. *de elephantis.* Ubi nec stare, nec fugere potuerint inhabiles vastorum corporum moles. *Tac. Agric.* 36. Quod et ipsis vetustate militiæ exercitatum, et hostibus inhabile. *h. e.* impeditum, incommodum. *Ulp. Dig.* 8. 5. 4. Inhabile iter. *strada cattiva.*

II.) Translate est non aptus, *inabile*, [illegible]. — *a*) Cum Dativo. *Cic. fragm. Œcon.* 4. edente *Orell.* Mulieri deinceps, quod omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit. *Seneca Ep.* 15. Reddere aliquem inhabilem studiis. Adde *Plin.* 8. *Ep.* 1. *Colum.* 2. *R. R.* 1. 2. Progenerandis esse fetibus inhabilem. *Id.* 6. *ibid.* 1. 1. Boves labori et culturæ non inhabiles. *Tac.* 3. *Hist.* 59. Sabinus inhabilem labori et audaciæ valetudinem causabatur. *Quintil.* 11. 3, 46. Habet enim acre quiddam atque expeditum et calori concitationique non inhabile. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *ad. Liv.* 26. 16. *a med.* Multitudinem nullius rei inter se sociam, inhabilem ad consensum fore. *Tac.* 2. *Hist.* 87. Tot legatorum amicorumque comitatus inhabilis ad parendum, etiam si summa modestia regeretur. — *c*) Cum Infinito. *Callistrat. Dig.* 50. 2. 11. Illi, quasi inhabiles rempublicam tueri, ad tempus excusantur.

ĬNHĂBĬTĀBĬLIS, e, adject. duo diversa significat, prout est *A*) Ab *in* privat.; aut *B*) Ab *in* intent. et *habito*.

A) Inhabitabilis, ab *in* privat. et *habito*, est qui habitari non potest, *non abitabile*, ἀοίκητος. *Cic.* 1. *Nat. D.* 10. 24. Atque terræ magnas regiones inhabitabiles incultasque videmus. *Mela* 3. 7. *ad fin.* Indi ostia inhabitabilia. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 20. (53). Inhabitabilis ejus prima pars. Adde *Ammian.* 23. 6. et 31. 2.

B) Inhabitabilis, ab *in* intent. et *habito*, est etiam idem atque habitabilis, *abitabile. Arnob.* 1. Quos homines per inhabitabiles oras terræ sparsit prima incipiensque navitas. Sic *Id.* 7. 47. Terra adhuc mari terrisque inhabitabilibus discreta. *Orellius* ita legendum putat ex Codice MSS. et edit. Rom., pro *habitabilibus*, quod habent vulgati libri.

INHABITACULUM, i, n. 2. locus, in quo quis inhabitat. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 113.

ĬNHĂBĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (inhabito) habitatio, domicilium. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 24. ex *Gen.* 27. 40. De opimitate terræ erit inhabitatio tua. Adde *Vulgat. interpr. Sap.* 9. 15.; et *Fulgent. Ep.* 4.

ĬNHĂBĬTĀTOR, ōris, m. 3. (inhabito) qui inhabitat. *Ulp. Dig.* 9. 3. 5. Nisi vel dominus fuerit ædium, vel inhabitator. *Hieronym. advers. Helvid.* n. 2. Jesus sacri ventris decem mensibus inhabitator fuit. Adde *Augustin.* 1. *Retract.* 7.; et *Vulgat. interpr. Sap.* 12. 3. et *Sophon.* 2. 5.

ĬNHĂBĬTĀTRIX, icis, f. 3. (inhabito) quæ inhabitat. *Isid.* 12. *Orig.* 7. Domorum semper blanda inhabitatrix (*turtur*).

ĬNHĂBĬTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et habito). Part. *Inhabitans* I. — Inhabitare est in aliquo loco habitare, incolere, *abitare*, ἐνοικέω.

I.) Proprie. *Petron. Satyr.* 116. Quum diligentius exploraremus, qui homines inhabitarent nobile solum. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 20. (53). Inhabitatur illa regio. *Ammian.* 23. 6. Natio regiones inhabitans ad speciem quadratæ figuræ formatas. — Sine Accus. *Apul.* 8. *Met.* Ut in asini corio hominem inhabitare credas. — Hinc *Inhabitantes* sunt inhabitatores, incolæ, *gli abitanti. Plin.* 7. *Ep.* 27. Inhabitantibus tristes noctes per metum vigilabantur. *Apul.* 1. *Met.* Densa inhabitantium ædificia. — Tribuitur etiam *Livio* 24. 3., sed alii leg. *habito*.

II.) Translate *inhabitare* apud *Tertull.* est in habitum seu vestem assumere, vel potius habere, usurpare, uti, *Pall.* 3. *sub fin.* Varias indumentorum formas promulgavere, quorum pars gentilitus inhabitantur, ceteris incommunes; pars vero passivitus omnibus utiles.

ĬNHÆRĔO, hæres, hæsi, hæsum, hærere, n. 2.

(in *et* hæreo). Part. *Inhærens* I. et II.; *Inhæsurus* I. — Inhærere est in aliqua re hærere, adhærere, infixum esse, προσέχομαι, προσκολλάομαι (It. *essere attaccato, stare unito*; Fr. *tenir à, être fixé, attaché, adhérer*; Hisp. *adherir, estár inherente, pegarse*; Germ. *fest an etwas hangen*; Angl. *to stick in, stick or cleave to, be fixed in, adhere to, inhere*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Dativo. *Cic. Tim.* 10. Sidera suis sedibus inhærent et perpetuo manent. *Id.* 1. *Divinat.* 50. 114. Animi, qui corporibus non inhærent. *Id.* 2. *Tusc.* 8. 20. Inhærere visceribus. *Horat. Epod.* 12. 20. nova collibus arbor inhæret. *Flor.* 4. 12. 46. Hispania scopulis. Cf. *eumd.* 4. 12. 18. Daci montibus. *h. e.* montibus proximi sunt. *Vellej.* 2. 120. 3. occupati regni finibus. *Curt.* 9. 1. 33. Deinde non segnius inhærentem ferro cædebat. *Colum.* 9. *R. R.* 8. 10. Prioribus inhærens vestigiis. *insistendo*. *Ovid.* 1. *Trist.* 3. 79. Tum vero conjux humeris abeuntis inhærens etc. *Plin.* 5. *Ep.* 16. Ut illa patris cervicibus inhærebat. *h. e.* arcte patrem amplectebatur. Sic *Curt.* 5. 12. 8. Unicam in illa fortuna opem Artabazum ultimum illum visurus amplectitur; perfususque mutuis lacrimis, inhærentem sibi avelli jubet. Cf. *Virg.* paullo infra sub *d* allatum. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *ad. Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 100. Partim fluitantes et innantes belluæ, partim ad saxa nativis testis inhærentes. — *c*) Cum Ablativo et præpos. *in. Cic.* 4. *Tusc.* 11. 24. Inhærere in visceribus. *Id.* 2. *Orat.* 39. 163. Ea, quæ sunt foris, neque inhærent in rei natura. — *d*) Absolute. *Cic.* 2. *Divinat.* 46. 96. Quorum linguæ sic inhærerent, ut loqui non possent. *Virg.* 8. *Æn.* 124. Excepitque manu, dextramque amplexus inhæsit. *Ovid.* 1. *Met.* 535. inhæsuro similis (*canis*) jam jamque tenere Sperat.

II.) Translate. — *a*) Cum Dativo. *Cic.* 1. *Fin.* 20. 68. Virtutes semper voluptatibus inhærent. *h. e.* voluptates habent conjunctas. *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 19. Vultibus illa tuis, tamquam præsentis, inhæret. *Id.* 1. *ibid.* 6. 3. pectoribus tu nostris, uxor, inhæres. *Vellej.* 1. 14. 1. Inhærere oculis animisque. *Id.* 2. 36. 3. Pæne stulta inhærentium oculis ingeniorum enumeratio. *Ovid.* 3. *Trist.* 7. 11. Inhærere studiis. *h. e.* incumbere. *Id.* 3. *Art. am.* 561. semper alicui. *essergli sempre a lato*. *Petron. Satyr.* 88. Lysippum statuæ unius lineamentis inhærentem, inopia exstinxit. *h. e.* nimis assidue intentum statuæ perficiendæ. *Quintil.* 8. *proœm.* 30. Semper sensibus inhærere, atque eos ut umbra corpus sequi. *Id.* 7. 1. 58. Verbis inhærebit. *Id.* 10. 6. 2. Memoriæ inhæret fidelius, quod nulla scribendi securitate laxatur. *Ammian.* 21. 13. Magnentius rebus confundendis inhærebat. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *in. Cic.* 1. *Tusc.* 15. 33. Sed nescio quomodo, inhæret in mentibus quoddam augurium etc. — *c*) Cum Accusativo. *Apul.* 8. *Met.* Frustra timorem illum satis inanem perfuncti, longe pejores inhæsimus laqueos. — *d*) Absolute. *Cic.* 4. *Tusc.* 11. 26. Opinatio inhærens et penitus insita. *Quintil.* 11. 2. 6. Excidere proxima, vetera inhærere.

ĬNHÆRESCO, is, ere, n. 3. (inhæreo) inhærens fio, adhæresco, *attaccarsi, appiastricciarsi*, προσκολλάομαι

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 144. Ut si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium tamquam in visco, inhæresceret. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Ne quid emineret, ubi ignis hostium inhæresceret. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 17. 37. (74). Succum villis inhærescere.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Tusc.* 2. 3. Poetæ audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhærescunt penitus in mentibus.

ĬNHÆSĬO, ōnis, f. 3. (inhæreo) inhærendi actus. Affertur a *Klotz.* ex *Augustin. Confess.*, loco tamen non laudato.

ĬNHĀLĀTĬO, ōnis, f. 3. (inhalo) inhalandi actus. *Cassiod. de anim.* 17. Eorum et ipse odor acerbus est, nisi quum suavissimis inhalationibus superstites condiuntur.

ĬNHĀLĀTUS, a, um. *V.* INHALO.

ĬNHĀLĀTUS, us, m. 4. (inhalo) afflatus, spiritus. *Apul.* 2. *Met.* Patentis oris inhalatu cinnameo.

ĬNHĀLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* halo). Part. *Inhalatus* I. — Inhalare est halitu inspirare, afflare, *spirare*, εἰσπνέω.

I.) Proprie. *Lactant. Ira D.* 10. *ante med.* Si ceræ inhalaveris, paullatim per minutissimos rores aquæ concrescit. *Cic. Pis.* 6. 13. Quum isto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhalasses.

II.) Translate. *Apul.* 2. *Met.* Surculis et lapillis et hujusmodi frivolis inhalatis. *h. e.* magico carmine afflatis.

ĬNHĀMO, as, are, a. 1. (in *et* hamus) hamo involvo. Occurrit translate tantum Part. *Inhamans* apud *Sidon.* 9. *Ep.* 9. *a med.* Ligati syllogismis uncatis, volubilem tergiversantum linguam inhamantibus.

ĬNHĒRĒDĬTO, as, are, a. 1. (in *et* heredito) idem atque hereditare. *Valerian. Homil.* 4. *a med.* Ita hereditatem, cui solet unus inhereditare, frequenter videmus, inter multos numero accrescente sufficere.

ĬNHĬANTER, adverb. (inhio) inhiando. Translate pro cupide habet *Augustin.* 9. *Confess.* 8. Plenos mero caliculos inhianter haurire. *Id. Ep.* 112. n. 8. Videre Deum cupiunt, et inhianter ardescunt.

ĬNHĬĀTĬO, ōnis, f. 3. (inhio) actus inhiandi.

I.) Proprie. *Trebell. Poll. Gallien.* 9. Uniuscujusque vultum mira inhiatione mirantes. *h. e.* intentione oculorum et animi, quæ oris hiatu interdum significari solet.

II.) Translate est aviditas. *Cod. Theod.* 10. 10. 15. Plerumque ita in nonnullis inverecunda inhiatione constringuntur, ut etc.

ĬNHĬBEO, hibes, hĭbŭi, hĭbĭtum, hĭbere, a. 2. Part. *Inhibens* sub *A.* I. et *B.*; *Inhibitus* sub *A.* I. et *B.*; *Inhibendus* sub *A.* II. — Inhibere duo diversa significare videtur, prout est *A*) Ab *in* privativa; aut *B*) Ab *in* intentiva et *habere*.

A) *Inhibere* ab *in* privativa, ut videtur, et *habere*, est rem cœptam, ne ultra progrediatur, impedire, cohibere, prohibere, sistere, ἐπέχω, ἀνείργω (It. *impedire, trattenere, fermare*; Fr. *retenir, arrêter, empêcher*; Hisp. *retener, detener, impedir*; Germ. *etwas durch Anlegen d. Hand zurückhalten, hemmen, anhalten*; Angl. *to hold in, keep back, check, restrain, repress, stop, inhibit*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Virg.* 12. *Æn.* 693. Parcite jam, Rutuli, et vos tela inhibete, Latini. Sic *Liv.* 30. 10. *a med.* Inhibere tela. *h. e.* cessare a telorum jactu. Sic *Flor.* 4. 10. 6. Tum Parthus arcus inhibuit. *Petron. Satyr.* 105. Inhibete crudelissimas manus. *Liv.* 1. 48. Inhibuit frenos is, qui jumenta agebat. *tirò a se*. *Ovid.* 2. *Met.* 128. Inhibere equos. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 28. boves. *Ovid.* 7. *Met.* 849. cruorem. *stagnare*. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 40. (135). alvum. *fermare il flusso*. Sic *Curt.* 3. 10. 3. Alexander ante prima signa ibat, identidem manu suos inhibens; ne suspensi, acrius ob nimiam festinationem concitato spiritu, capesserent bellum. — *Inhibere remos* est a remigando cessare apud *Quintil.* 12. *proœm.* 4. Hoc mare ingressus contrahit vela inhibetque remos. *h. e.* ulterius progredi non audet. Alio tamen sensu *inhibere* — *b*) Speciatim pertinet ad rem nauticam. *Liv.* 37. 30. *sub fin.* Quum, divellere se ab hoste cupientes, inhiberent Rhodii. *Cic.* ipse explicat, quid hoc sit. Ita enim scribit 13. *Att.* 21. Inhibere illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet: est enim verbum totum nauticum: quamquam id quidem sciebam; sed arbitrabar sustineri remos, quum inhibere essent jussi remiges. Id non esse ejusmodi, didici heri, quum ad villam nostram navis appelleretur; non enim sustinent, sed alio modo remigant: id ab ἐποχῇ remotissimum est. et *mox.* Inhibitio autem remigum motum habet, et vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim. Hactenus *Cic.*, qui tamen alibi *inhibere* jam posuerat eo sensu, quem hic damnat, nempe 1. *Orat.* 33. 153., ubi sic habet: Ut concitato navigio, quum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum. — Dicitur etiam *inhibere remis* et *inhibere navem retro* eo sensu, quem *Cic.* 13. *Att.* 21. probat. *Justin.* 2. 12. 7. Ite cessim, inhibete remis, et a bello discedite. *Gronov. l.* 4. *Observat. c.* 26. (ubi multa in hanc rem) reprehendit eos, qui *remos* legunt. *Curt.* 4. 4. 9. Tyrii inhibentes remis ægre evellere navem, quæ hærebat. *Lucan.* 3. 659. Postquam inhibent remis (*alii leg.* remi) puppes ac rostra reducunt. *Liv.* 28. 30. Quum rostris concurrissent, neque retro navem inhiberent. *Id.* 30. 10. *ad fin.* Ut quæque retro inhibita rostrata onerariam hærentem unco traberet.

II.) Translate occurrit — *a*) Cum Accusativo tantum. *Liv.* 39. 21. *extr.* Inhibere impetum victoris. *Curt.* 4. 16. Inhibitus cursus. Sic *Quintil.* 10. 3. 20. Inhibere cursum. *Ovid.* 1. *Met.* 511. fugam. *Id.* 5. *Trist.* 1. 56. fletus. *Sueton. Cal.* 6. luctum. *Id. Aug.* 55. testamentorum licentiam. *Petron. Satyr.* 108. facinus. *Flor.* 4. 4. 2. adoptionem. *Tac.* 15. *Ann.* 64. mortem. *Sueton. Aug.* 32. grassatores. *Id. Domit.* 6. copias transituras. *Id. Aug.* 47. apparantem. *Id. Galb.* 6. plaudentes. *Quintil.* 9. 2. 76. bonos. *Curt.* 8. 7. 7. Pater supremum strinxerat ferrum percussurus haud dubie, ni inhibitus esset a rege. *Id.* 6. 7. 29. Inter hæc Dymnus, haud ignarus quam ob causam arcesseretur a rege, gladio, quo forte erat cinctus, graviter se vulnerat, occursuque satellitum inhibitus, perfertur in regiam. *Id.* 7. 4. 33. In primos ordines adequitavit, demptaque galea, inhibitis qui tela jaciebant; si quis viritim dimicare vellet, provocavit ad pugnam. — *b*) Cum addito Ablativo rei, a qua quis cohibetur, et præpos. *ab. Catull.* 91. 4. a turpi mentem inhibere probro. — *c*) Sequente *quominus* et Conjunctivo. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 6. 14. (31). Nec tamen (*Cato*) potuit inhibere, quominus Romæ quoque ponerentur statuæ. Adde *Sueton. Aug.* 79. — *d*) Sequente *quin* et Conjunctivo. *Curt.* 7. 2. 1. Infesta contio vix inhiberi potuit, quin protinus suo more saxa in eum jaceret. Adde *Sueton. Cal.* 11. et 48. — *e*) Cum Infinito. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 16. 13. (69). Inhibentur rectum agere cursum. *Seneca Herc. Œt.* 1030. Inhibenda tamen est (*mater mori*). Cf. *Curt.* 5. 2. 22. Procumbens venerari me sæpe voluisti; inhibui. Adde *Quintil.* 10. 1. 18.

B) *Inhibere* ab *in* intentiva, ut videtur, et *habere*, significat operam dare alicui rei perficiendæ, atque hinc est facere, exsequi, perficere, habere, exercere, uti, adhibere. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 43. Istocine hic pacto potest inhibere imperium magister, si ipsus primus vapulet? *Id. Stich.* 5. 4. 17. Utrum Fontinali, an Libero imperium te inhibere mavis? *h. e.* utrum aquæ, an vino præesse mavis? *Cic.* 13. *Phil.* 18. 37. Ut Brutum, Cassium discruciatos necaret, eademque inhiberet supplicia nobis. *Al. leg.* adhiberet. *Id.* 3. *leg. Agr.* 2. 6. Sed tamen inhibet illis legibus spem nonnullam ille, cui ademptus est. *Plerique leg.* habet in illis. *Liv.* 36. 28. Dum ego imperium inhibeam in deditos. *Alii leg.* id habeam; *alii* adhibeam. *Id.* 3. 50. *a med.* Imperium si quis inhiberet, et viros et armatos se esse respondetur. *Al. leg.* imperio. *Id.* 3. 38. Neque animis ad imperium inhibendum imminutis. *Id.* 4. 53. Damnum et coercitionem inhibenti auxilio futuros esse. *Al. leg.* ferenti. *Curt.* 10. 6. 3. Ac primum ejulatus ingens ploratusque renovatus est; deinde futuri exspectatio inhibitis lacrimis silentium fecit. *Forcellinus* interpretatus est cohibitis: alii vero persolutis, *terminato il pianto*. *Liv.* 3. 59. Inhibito salubriter modo nimiæ potestatis. *Id.* 37. 51. Magnis contentionibus certatum est, et imperia inhibita ultro citroque, et pignora capta, et multæ dictæ. *fatte intimazioni*.

ĬNHĬBĬTĬO, ōnis, f. 3. (inhibeo) actus inhibendi, *il vincolare*. *Cic.* 13. *Att.* 21. Inhibitio autem remigum motum habet, et vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim. *V.* voc. præced. sub *A.* I. *b.*

ĬNHĬBĬTUS, a, um. *V.* INHIBEO.

INBIBRÆ. *V.* INEBRÆ.

ĬNHINNĬO, is, ĭvi, ire, n. 3. (in *et* hinnio) idem quod hinnire. *Inhinnivit* sunt qui legunt apud *Prudent.* 1. *in Symmach.* 57., ubi alii *adhinnivit*.

ĬNHĬO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (in *et* hio). Part. *Inhians* sub *A.* II. et *B.* I. et II.; *Inhiandus* sub *B.* II. — Inhiare, quod regit tum Dativum, tum Accusativum, vi præpositionis, quæ est in ipso verbo,

A) Stricto sensu est idem quod hiare, ore aperto esse, *stare colla bocca aperta*, ἐπιχαίνω.

I.) Proprie. *Stat.* 1. *Theb.* 626. Oraque sicca ferunt trepidorum inhiasse luporum. *h. e.* aperto rictu, et morsu non illato.

II.) Translate in admiratione ac stupore locum habet. *Virg.* 4. *G.* 483. tenuitque inhians tria Cerberus ora. *Id.* 7. *Æn.* 812. Illam omnis tectis agrisque effusa juventus, Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem, Attonitis inhians animis.

B) Latiori sensu est aperto ore esse ad aliquid

appetendum; tractum a lupis famelicis, qui aperto ore cibum appetunt, *aprire la bocca per prendere qualche cosa.*

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Cat.* 8. 19. Romulus lactens uberibus lupinis inhians. *Seneca Herc. Fur.* 166. Hic nullo fine beatus componit opes, gazis inhians. *Val. Flacc.* 2. 531. Inhiare prædæ. *Virg.* 4. *Æn.* 64. pecudumque reclusis Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.

II.) Translate est vehementer cupere, appetere. *Plaut. Stich.* 4. 2. 25. Illic homo tuam hereditatem inhiat, quasi esuriens lupus. *Id. Aulul.* 2. 2. 17. Inhiat aurum, ut devoret. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 120. Bona mea inhiant. *Id. Truc.* 2. 3. 18. Illum (*militem*) inhiant omnes: illi est animus omnibus. *Cæcilius* apud *Gell.* 2. 23. Inhiare mortem alicujus. *Virg.* 2. *G.* 463. varios pulcra testudine postes. *Porcius* apud *Sueton.* in *Vit. Terent.* Dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus. *Ammian.* 30. 4. Qui quum semel umbraticis lucris et inhiandæ undique pecuniæ sese dediderunt, litigare frustra quoslibet innocentes hortantur. *h. e.* pecuniæ corradendæ. *Tac.* 11. *Ann.* 1. Hortis inhians, quos ille a Lucullo acceptos insigni magnificentia extollebat. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 59. Sic *Flor.* 3. 11. 2. Cupiditas consulis Crassi, dum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum et ipsius capite multata est. *Id. ibid.* § 5. Regis inhians ille thesauris. *Justin.* 27. 3. 4. Ptolemæus rex Ægypti, sub specie sororiæ ultionis, Asiæ inhiabat. *Val. Flacc.* 5. 469. postquam primis inhiantis dictis Agmina, suppressumque videt jam murmur Iason. *Ammian.* 26. 7. Equitum peditumque turmæ – promissis uberrimis inhiantes, sub exsecrationibus diris in verba juravere Procopii.

ĬNHISCO, is, ere, n. 3. (in et hisco) idem atque inhiare. *Gloss. Philox.* Inhisco, ἐπιχαίνω.

ĬNHŎNESTĀMENTUM, i, n. 2. (inhonesto) dehonestamentum, dedecus, *disonore, vergogna,* ἀτιμία. *Gracchus* apud *Isid.* 2. *Orig.* 21. Pueritia tua adolescentiæ tuæ inhonestamentum fuit, adolescentia senectuti dedecoramentum, senectus reipublicæ flagitium. *Apul. de Mag.* Sedulo laboro, ne quid maculæ aut inhonestamenti in me admittam.

ĬNHŎNESTAS, ātis, f. 3. (inhonestus) inhonestamentum, dedecus. *Tertull.* 5. *advers. Marcion* 5. *sub fin.* Stultitiæ et infirmitati et inhonestati et contemptui deputari possunt. *Id. advers. Jud.* 14. Omni inhonestate prostratus.

ĬNHŎNESTĀTĬO, ōnis, f. 3. (inhonestus) dehonestandi actus, dedecus. Affertur a cl. *Klotz.* ex *Hieronym.*, loco tamen non laudato.

ĬNHŎNESTĒ, adverb. (inhonestus). Comp. *Inhonestius.* — Inhoneste est indecore, turpiter, *vergognosamente, disonoratamente,* αἰσχρῶς. *Ter. Andr.* 4. 5. 2. Inhoneste optavit parere hic divitias, potius quam in patria honeste pauper vivere. *Cic.* 2. *Att.* 1. *ad fin.* Accusavit Nasicam inhoneste: modeste tamen dicit. *Gell.* 10. 19. Inhoneste et improbe facere aliquid. *Vellej.* 2. 37. Inhoneste submitti alicui. *con viltà a disonore. Capitolin. Ver.* 8. Libertis inhonestius indulsit.

ĬNHŎNESTĬTĀS, ātis, f. 3. idem quod inhonestas. *Gloss. Cyrill.* Ἀσχημοσύνη, inhonestitas.

ĬNHŎNESTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *privat.* et honesto) dedecorare, dehonestare, *disonorare, deturpare,* ἀτιμάζω. *Ovid.* 4. *Trist.* 8. 19. Ne cadat, et multas palmas inhonestet adeptas, Languidus in pratis gramina carpit equus. *Heinsius* hoc distichon illegitimum esse arbitratur.

ĬNHŎNESTUS, a, um, adject. (in *privat. vel neg.* et honestus). Comp. *Inhonestior* et Sup. *Inhonestissimus* 1. — Inhonestus ¶ 1. Stricto sensu est turpis, inhonorus, fœdus, *vergognoso, disonorato, disonesto,* ἄτιμος, αἰσχρός. *Cic. Rosc. Am.* 18. 50. Homo turpissimus atque inhonestissimus. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 36. ignota matre inhonestus. *di sangue vile. Sall. Cat.* 20. Nonne emori per virtutem præstat, quam vitam miseram atque inhonestam – per dedecus amittere? *Propert.* 2. 20. 58. Exitus hic nobis non inhonestus erit. *Id.* 2. 7. 89. Mors inhonesta. *Virg.* 6. *Æn.* 497. truncas inhonesto vulnere nares. *Ovid.* 2. *Fast.* 211. hostes inhonesta vulnera tergo accipiunt. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 6. *extr.* Inhonestissima cupiditas. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. Omnia fœda et inhonesta sunt. *Cic. Dom.* 41. 107. Quum expeti nihil ab iis, quod sit injustum atque inhonestum, arbitrere. *Val. Max.* 7. 8. n. 9. Quid hoc joco inhonestius? Adde *Quintil.* 5. 13. 19. *Gell.* 7. 3. *a med.* Velle id facere, si liceat, inhonestum non est. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro sordido, deformi, *brutto, sporco. Ter. Eun.* 2. 3. 65. Illum ne, obsecro, inhonestum hominem, quem mercatus est heri, senem, mulierem? *Id. ibid.* 5. 4. 15. Harum videre illuviem, sordes, inopiam, quam inhonestæ solæ sint domi, atque avidæ cibi.

ĬNHŎNŌRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et honorabilis) inhonorus. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 17. Si ingloriius, si ignobilis, si inhonorabilis.

ĬNHŎNŌRĀTĬO, ōnis, f. 3. (inhonoro) ἀτιμία, *ignominia,* dehonestamentum. *Vulgat. interpr. Sapient.* 1. 38. Ne forte adducas animæ tuæ inhonorationem.

ĬNHŎNŌRĀTUS, a, um. *V.* INHONORO.

ĬNHŎNŌRĒ, adverb. (inhonorus) sine honore, *inonoratamente, disonorevolmente. Cassiod.* 3. *Variar.* 53. Ut nec aspera (*aqua*) dispendioso labore debeat quæri, nec dulcis necessariaque inhonore contemni. *Id.* 6. *ibid.* 18. Qui ne aliquando inhonore diceretur, cum nominis taxatione vocabitur et Magnus. *scil.* Pompejus.

ĬNHŎNŌRĬFĬCUS, a, um, adject. (in *privat.* et honorificus) qui non parit honorem, *non onorifico. Seneca Constant. Sap.* 10. Ob factum dictumque inhonorificum.

ĬNHŎNŌRIS, e, adject. idem atque inhonorus. *Jul. Valer.* 1. *res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 35. Et Parmenion quidem jussa complet, ipse quoque non inhonoris hoc labore.

ĬNHŎNŌRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *privat.* et honoro). Part. *Inhonoratus* in fin. — Inhonorare est dedecorare, dehonestare, *deturpare, disonorare,* ἀτιμάζω. Occurrit apud *Tertull. Resurr. carn.* 10. et *Fug. in persecut.* 5.; et *Vulgat. interpr. Eccli.* 22. 5., *Johann.* 8. 49. et *Rom.* 2. 23. — Hinc Part. præter. pass.

Inhonoratus, a, um, adjective ac sæpe usurpatur, unde Comp. *Inhonoratior* 1. et Sup. *Inhonoratissimus* 2. Ponitur autem ¶ 1. Stricto sensu pro non honorato, *senza onore, disonorato,* ἀτίμητος. *Cic.* 3. *Tusc.* 34. 81. Vita inhonorata et ingloria. *h. e.* ejus qui nullos honores in republica gessit. *Liv.* 33. 23. Inhonoratior triumphus. *Id.* 45. 36. Inhonorata militia. *Quintil.* 1. 5. 54. ars grammatica. *Sil. It.* 4. 607. mors. *Ovid.* 8. *Met.* 280. Inhonorata dea. *h. e.* cui nulli turis et sacrificii honores sunt habiti. ¶ 2. Latiori significatione est indonatus, nullo præmio affectus, *non regalato, non premiato. Liv.* 37. 54. Ne regem amicum inhonoratum dimitteretis. *Id.* 35. 12. Omnium Græciæ gentium inhonoratissimi. *Flor.* 2. 8. 5. Inhonoratam apud Romanos quærens militiæ suæ societatem. Adde *Ovid.* 13. *Met.* 41.; et *Sueton. Claud.* 11.

ĬNHŎNŌRUS, a, um, adject. (in *privat.* et honor). ¶ 1. Stricto sensu est sine honore, ignobilis, *senza onore, ignobile,* ἀκλεής. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (39). Inhonorus Hercules. *h. e.* cui nullus honor sacri habetur. *Stat.* 3. *Theb.* 567. Inhonora sacerdos. *Eutrop.* 10. 7. Aliquos inhonoros sinere. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 30. 33. (126). Aliæque inhonoræ civitates. *Id.* 15. *ibid.* 24. 28. (99). Inhonorum pomum. *h. e.* nullo in pretio habitum. ¶ 2. Latiori sensu est turpis, deformis. *Sil. It.* 10. 391. heu rebus facies inhonora sinistris. *Tac.* 4. *Hist.* 62. Revulsæ imperatorum imagines, inhonora signa.

ĬNHORRĔO, horres, horrui, horrere, n. 2. (in *intent.* et horreo). Part. *Inhorrens.* I. I. — Inhorreo, quod frequentem habet usum in præteritis, est idem quod horreo, aut valde horreo, horridus fio, *V.* HORREO, ἐμφρίττω (It. *arricciarsi, incresparsi, rabbuffarsi, divenir orrido;* Fr. *se hérisser, se dresser;* Hisp. *erizarse, encresparse;* Germ. *starren, o. emporgerichteten spitzen;* Angl. *to stand an end, stand or rise erect, become rough or horrent*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu dicitur de pilis et similibus. *Petron. Satyr.* 63. Salve, inquit, tuo sermone, Trimalchio, si qua fides est, ut mihi pili inhorruerunt. *Apul.* 8. *Met.* Aper pilis inhorrentibus corio squalidus. *Virg.* 1. *G.* 314. Spicea jam campis quum messis inhorruit. *Liv.* 8. 8. Hastas subrecta cuspide in terra fixas, haud secus quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. ¶ 2. Latiori sensu ponitur pro agitari ac tremere. *Ovid.* 3. *Pont.* 3. 9. Quum subito pennis agitatus inhorruit aer. *Val. Flacc.* 3. 348. Inhorruit æther, Luctificum clangente tuba. *Horat.* 1. *Od.* 23. 4. Nam seu mobilibus veris inhorruit Adventus foliis. *h. e.* ver adveniens, cujus accessus proditur aurâ Favonii per intervalla spirante, quæ inhorret mobilibus silvæ foliis. *Bentlejus* vero tentavit: *vepris inhorruit Ad ventum.* Huc pertinet et illud *Virg.* 3. *Æn.* 195. inhorruit unda tenebris. — Apud *Lucret.* 6. 1193. frigida pellis inhorrebat rictum. *h. e.* ore rigebat, recentiores leg. *in ore jacens rictum* etc. ¶ 3. Poetice cum Accusativo pro excutere. *Virg.* 10. *Æn.* 711. Aper ferox infremuit et inhorruit armos.

II.) Translate. — *a*) De iis, qui horrore frigoris percelluntur in febris accessione. *Cels.* 3. 12. Quum primum aliquis inhorruit et ex horrore incaluit. Sic *Petron. Satyr.* 17. Tam periculoso inhorrui frigore, ut tertianæ etiam impetum timerem. *V.* HORRESCO. — *b*) Item qui metu, aut stupore. *Cic. fragm.* apud *Non.* p. 423. 6. *Merc.* Horum severitate dicitur inhorruisse primum civitas. *Al. leg.* in severitatem, *al.* severitatem. *Tac.* 11. *Ann.* 28. Igitur domus principis inhorruerat. — *c*) *Inhorruit* dixit *Stat.* 1. *Theb.* 309. *de Mercurio,* ad explicandum ejus transitum ab aura cælesti ad terrestrem.

ĬNHORRESCO, is, ere, inchoat. n. 3. (in *intent.* et horresco). Part. *Inhorrescens* I. — Inhorresco est inhorrere incipio, horresco, ἐμφρίττω (It. *arricciarsi, rabbuffarsi, divenir orrido;* Fr. *se hérisser, frissonner;* Hisp. *erizarse, incresparse, tener horror;* Germ. *anfangen zu starren;* Angl. *to begin to stand an end, stand or rise erect, bristle, grow rough or horrid*).

I.) Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 41. 57. (116). Gallinæ inhorrescunt, edito ovo, excutiuntque sese. *si rabbuffano. Id.* 11. *ibid.* 23. 27. (77). Frigoris impatientia papiliones villis inhorrescunt. *Pacuvius* apud *Cic.* 4. *Divinat.* 14. 24. Inhorrescit mare, tenebræ conduplicantur. *s'increspa, si turba.* Sic *Curt.* 4. 3. 17. Inhorrescens mare paullatim. Cf. *Ammian.* 24. 8. Ruptis riparum terminis inhorruere torrentes. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 89. (365). Trifolium inhorrescere, et folia contra tempestatem subrigere. *Solin.* 24. Atlas manat fontibus, nemoribus inhorrescit, rupibus asperatur.

II.) Translate. — *a*) De iis, qui horrore febrili corripiuntur, aut frigore. *Cels.* 3. 12. *a med.* Antequam inhorrescere possit, operiatur. *Id.* 1. 3. Frigidæ potio inutilis est iis, qui facile inhorrescunt. *intirizziscono. Apul. de Mundo.* Aer nivibus et glacie inhorrescit. *Ammian.* 27. 1. Quum per glaciales tractus hiemis rigidum inhorresceret sidus. — *b*) Et qui horrorem ac metum sentiunt. *Apul.* 5. *Met. sub fin.* Rusticæ feminæ colloquium prius adhibendum est? inhorresco. *m'inorridisco al pensarlo. Tac.* 3. *Hist.* 85. Terret solitudo et tacentes loci: tentat clausa, inhorrescit vacuis. — Huc pertinet et illud *Quintil.* 9. 4. 126. Adeo rebus accommodanda compositio, ut asperis asperos etiam numeros adhiberi oporteat, et cum dicente æque audientem inhorrescere. — Cum Accusativo. *Aurel. Vict. Cæsar.* 24. Quum tantæ severitatis vim milites inhorrescunt.

ĬNHORTĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

ĬNHORTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (in *intent.* et hortor). Part. *Inhortatus.* — Inhortari est idem quod hortari, vel valde hortari, *esortare. Apul.* 8. *Met.* Jubilationibus solitis et cujuscemodi vocibus nobis inhortantur. *Id. ibid.* Inhortari alicui canes. — Hinc Part. *Inhortatus* passiva significatione apud *eumd.* 9. *ibid. sub fin.* Canes pastoricios in eorum exitium inhortatos immitti præcepit.

ĬNHOSPĬTĀLIS, e, adject. (in *privat.* et hospitalis) qui nullos recipit hospites, inhabitabilis, ἄξενος, *inabitabile, inospitale, disabitato.*

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Od.* 22. 6. Facturus iter per inhospitalem Caucasum. *Plin. Paneg.* 34. *extr.* Nuda saxa et inhospitale litus incolere. *Ammian.* 22. 8. Mare inhospitale. *Seneca Troad.* 215. Inhospitale regnum. Adde *Jul. Valer. res. gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 26.

II.) Translate. — *a*) De abstractis. *Varro* apud *Non.* p. 417. 13. *Merc.* Scytharum inhospitalis

campis vastitas. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Pontus Euxinus antea ab inhospitali feritate Axenos appellatus. — *b*) De insitione. *Id.* 17. *ibid.* 14. 24. (104). Reliqua observatio, ne fissura in nodo fiat: repudiat quippe advenam inhospitalis duritia.

INHOSPĬTĀLĬTAS, ātis, f. 3. (inhospitalis) vitium contrarium hospitalitati, *inospitalità*, ἀξενία. *Cic.* 4. *Tusc.* 11. 27. Ut inhospitalitas sit opinio vehemens, valde fugiendum esse hospitem, eaque inhærens et penitus insita. *Vulgat. interpr. Sap.* 19. 13. Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt: alii quidem ignotos non recipiebant advenas, alii autem bonos hospites in servitutem redigebant.

INHOSPĬTĀLĬTER, adverb. (inhospitalis) crudeliter, inciviliter. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 24. Populum inhumane et inhospitaliter cupiis defraudare.

INHOSPĬTUS, a, um, adject. (in *privat. et* hospes) inhospitalis, hospitio non aptus, sive propter asperitatem loci, sive propter inhumanitatem incolarum: vox poetica, ἄξενος, *inospitale, inabitabile.*

I.) Proprie. *Ovid.* 15. *Met.* 15. Ipse domum magni, nec inhospita tecta Crotonis intrasse. *Virg.* 4. *Æn.* 41. inhospita Syrtis. *Id.* 5. *ibid.* 627. inhospita saxa. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 19. deserta et inhospita tesqua. *Sil. It.* 2. 23. per inhospita litore pulsi.

II.) Translate. *Sil. It.* 1. 237. Nec Cereri terra indocilis, nec inhospita Baccho. — Hinc

Inhospita, n. plur. 3., substantivorum more occurrit. *Sil. It.* 4. 753. tanta inter inhospita. *Id.* 6. 308. Et derus facilem per inhospita ducere vitam.

INHOSTUS, a, um, adject. (in *intent. et* hostis) iniquus. *Tac.* 2. *Hist.* 31. Vitellius ventre et gula sibi inhostus. *Id.* 15. *Ann.* 25. Per inhosta. Ita leg. *Pareus* et *Grævius*: alii priore quidem loco *sibi ipse hostis*: posteriore vero *inhonesta.*

INHŪMĀNĀTĬO, ōnis, f. 3. (in et humano) *incarnazione*, ἐνσάρκωσις. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 5. et 6. *sub fin.* Unigeniti Dei Filii inhumanationem, sive humanitatem etc.

INHŪMĀNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *inhumano*: *incarnato*, ἐνσαρκωθείς, homo factus. *Imp. Justin. Cod.* 1. 1. 6. Jesus Christus inhumanatus, sive homo factus est. et passus crucem pro nobis. *Cassiod.* 10. *Hist. Eccl.* 10. *ante med.* Si Serapio clericus mortuus fuerit, Christus inhumanatus non est.

INHŪMĀNĒ, adverb. (inhumanus) Comp. *Inhumanius.* — Inhumane est duriter et contra legem humanitatis, inurbane, inciviliter. *Ter. Heaut.* 5. 5. 1. Nimis graviter cruciat adolescentulum nimisque inhumane. *Cic.* 3. *Off.* 6. 30. Inhumane feceris contraque naturæ legem. *Id. Amic.* 13. 46. Inhumanius dicere. Adde *Tertull.* in v. INHOSPITALITER. *Nazar. Paneg. ad Constantin.* 16. Tenebo hunc orationis modum, ut nec inhumane de ceteris muta sit, nec odiose de instantibus loquatur. *h. e.* maligne, cum invidentia.

INHŪMĀNĬTAS, ātis, f. 3. (inhumanus). ¶ 1. Stricto sensu est vitium humanitati contrarium, immanitas, crudelitas, *inumanità, crudeltà*, ἀπανθρωπία. *Cic.* 7. *Verr.* 44. 115. Illam clementiam mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem inhumanitatemque esse conversam? *Id. Dejot.* 12. 32. Quæ est ista tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? ¶ 2. Universim quiddam minus significat, et *inhumanitas* dicitur quidquid humanæ societati vitæque civili opponitur: hinc ponitur — *a*) Pro rusticitate, incivili animo, *inciviltà, scortesia. Cic.* 1. *Orat.* 22. 99. Me tibi cupienti atque instanti sæpissime negasse, dixisti: quod ego non superbia, neque inhumanitate faciebam etc. Affinis huic est alter locus *ejusd.* 2. *Phil.* 4. 8., ubi *inhumanitatem* Antonio objicit, quod litteras a se amice missas, offensione interposita, palam recitasset: hoc enim esse, tollere e vita vitæ societatem. — *b*) Item pro vitio ejus, qui se aliis minus officiosum præbet. *Cic. Mur.* 4. 9. Quod si licet desinere, si te auctore possum, si nulla inertiæ, nulla superbiæ, nulla inhumanitatis culpa suscipitur: ego vero libenter desino. *ibid.* opponitur *officiosus.* — *c*) Item austeritatis in alios severitatisque habitus. *Cic. Senect.* 3. 7. Importunitas autem et inhumanitas omni ætati molesta est. *indole barbera, condotta austera.* — *d*) Item sordida avaritia, *spilorceria. Cic. Mur.* 36. 76. Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit: non amat profusas epulas, sordes et inhumanitatem.

INHŪMĀNĬTER, adverb. (inhumanus) inhumane, *incivilmente, scortesemente*, ἀπανθρώπως. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 6. § 21. Me miratum esse, illum tam inhumaniter fecisse, ut sine meis litteris ad te proficisceretur: *V.* INHUMANITAS 2. *a.*

INHŪMĀNUS, a, um, adject. (in *privat.* et humanus). Comp. *Inhumanior* et Sup. *Inhumanissimus* 2. — Inhumanus ¶ 1. Stricto sensu est humanitatis expers, crudelis, immanis, ἀπάνθρωπος (It. *inumano, crudele*; Fr. *inhumaine, cruel, barbare*; Hisp. *inhumano, cruel, riguroso*; Germ. *unmenschlich, grausam, roh*; Angl. *inhuman, cruel, barbarous, savage*). *Cic.* 7. *Verr.* 46. 121. Quis tam fuit durus et ferreus, quis tam inhumanus, qui non illorum miseria commoveretur? *Ovid.* 3. *Trist.* 9. 2. Inter inhumanæ nomina barbariæ. *Lactant.* 4. 26. Inhumana gens. *Cic.* 3. *Fin.* 19. 64. Vox inhumana et scelerata eorum, qui negant se recusare, quo minus, ipsis mortuis, terrarum omnium deflagratio consequatur. (*Sueton. Ner.* 38. Dicente quodam, Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, immo, inquit, ἐμοῦ ζῶντος). *Liv.* 1. 48. Fœdum inhumanumque scelus. *Id.* 21. 4. Inhumana crudelitas. *Solin.* 21. Inhumana litora. *Tac.* 2. *Hist.* 70. Inhumana vis. *h. e.* cadaveribus strata et strage recentis pugnæ. *Id.* 3. *ibid.* 83. Inhumana securitas. *h. e.* qua in media cæde et urbis direptione voluptatibus tamen dat operam. *Cic.* 3. *Verr.* 42. 107. Inhumanum testamentum. *h. e.* iniquum, injustum. *Quintil.* 6. 3. 33. Inhumanus jocus adversus miseros. ¶ 2. Universim mitiore sensu usurpatur de eo, qui agrestibus est moribus, qui humanæ naturæ ac societatis ignarus, qui incivilis, durus, difficilis, *villano, scortese, incivile, zotico, duro. Ter. Phorm.* 3. 2. 24. Homo inhumanissimus. *Cic.* 4. *Verr.* 78. 192. At mores commodi: quis contumacior, quis inhumanior, quis superbior? At hæc sine cujusquam malo: quis acerbior, quis insidiosior, quis crudelior unquam fuit? *Id. Senect.* 3. 7. Moderati, nec difficiles, nec inhumani senes tolerabilem agunt senectutem. Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 47. Surge et inhumanæ senium depone Camenæ. *senium* dicit gravitatem senum severiorum; Camenam non per se *inhumanam*, sed inhumanam tunc, si juveni venandi cupido velit adversari. V. *Donatum* ad locum *Ter. Eun.* mox citand. *Cic.* 1. *Off.* 40. 144. Si quid attentius cogitet, non reprehendatur: at hoc idem si in convivio faciat, inhumanus videatur. *incivile, malcreato. Id. ibid.* 36. 103. Adhibenda est munditia, non odiosa et exquisita nimis, tantum quæ fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. *Ter. Eun.* 5. 2. 41. Non adeo inhumano ingenio sum, neque ita imperita, ut quid amor valeat, nesciam. *Cic.* 12. *Att.* 46. Exculto animo nihil agreste, nihil inhumanum est. *Id. Orat.* 51. 172. Inhumanæ aures. *h. e.* incultæ. *ineducate*, *Id. post red. in senat.* 6. 14. Inhumanum negotium. *Quintil.* 5. 13. 41. Non inhumana conquestio. *Id.* 1. 6. 35. Auctorem nominare ea parte, qua a me reprehenditur, inhumanum est. ¶ 3. Pro non humanus, sed cælestis, divinus. *Apul.* 5. *Met.* Lavacro pulcherrimo et inhumanæ mensæ lautitiis eas opipare reficit.

INHŪMĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et humatus) de hominum cadaveribus præcipue dicitur, et est non humatus, insepultus, *insepolto*, ἄταφος. *Cic.* 2. *Divinat.* 69. 143. Is quum esset projectus inhumatus ab omnibusque desertus jaceret, amica corpus ejus texit suo pallio. *Virg.* 11. *Æn.* 22. Interea socios inhumataque corpora terræ Mandemus. Adde *Horat.* 1. *Od.* 28. 34. et 2. *Sat.* 3. 95. *Lucan.* 7. 820. cui dant pœnas inhumato funere gentes.

INHŪMECTUS, a, um, adject. (in *privat. et* humectus) non humectus, siccus. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 37. *a med.* Quum inhumectum atque siccum fuerit corpus.

INHŪMIGO, as, are, a. 1. (in *et* humigo) *bagnare*, madefacere. *Liv. Andron.* apud *Non. p.* 62. 22. *Merc.* Confluges ubi conventu campum totum inhumigant.

INHŪMO, as, ātum, are, a. 1. (in, *h. e. intus, et* humare) est humo integere, terra obruere, *sotterrare*, ἐνθάπτω. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 18. 30. (130). Non inhumare taleas, aut siccare prius, quam serantur, utilius compertum.

INĬBĪ, adverb. (in, *h. e. intus, et* ibi) in eo ipso loco, αὐτόθι (It. *in quello stesso luogo*; Fr. *en ce lieu-là, dans le même endroit*; Hisp. *en el mismo lugar*; Germ. *daselbst, dort, darin*; Angl. *in that very place, just there, precisely there*).

I.) Proprie usurpatur de loco. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 7. 20. Superbia nata inibi esse ex Campanorum fastidio videtur. *Apul.* 1. *Met.* Inibi iste Milo diversatur. *Cato R. R.* 18. Prelum longum pedes vigintiquinque: inibi lingulam pedes duos. *h. e.* in eo. Sic *Plaut. Pers.* 1. 3. 45. Marsupium habeat: inibi paullum præsidii. et *Gell.* 17. 8. Aula lentis Ægyptiæ, et cucurbitæ inibi minutim cæsæ. *Id. ibid.* 13. Inibi in iisdem lentibus non invenuste lusit. *pleonasmus: at alii rectius leg.* Inibi iisdem etc.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad tempus, et significat prope, jam jam, mox. *Gell.* 1. 3. Quum die vitæ suæ postremo eum inibi mors occuparet. — Hoc *inibi est*, prope est, in proximo est, *la cosa è lì lì per essere fatta. Cæcilius* apud *Non. p.* 124. 23. *Merc.* Liber ne es? non sum: verum inibi est. *Pacuvius* apud *eumd. ibid.* Profecto aut inibi est, aut jam potiuntur Phrygum. *Cic.* 14. *Phil.* 2. 5. Quod sperare debemus aut inibi esse, aut jam esse confectum. ¶ 2. Item ad personas. *Plaut. Capt. arg.* 5. Et inibi (*h. e.* inter captivos) emit olim amissum filium. *Al. tamen aliter leg.*

INĬDŌNĔĒ, adverb. (in *privat.* et idonee) non idonee, *in modo disadatto. Apul.* 4. *Met.* Inidonee celebrari posse humanis laudibus. *At legendum videtur* idonee.

INĬENS, euntis. *V.* INEO.

ĬNĬGO, igis, ēgi, actum, igere, a. 3. (in, *h. e. intus, ad, et* ago). Perf. *Inactus* I. — Inigere est intro agere, inducere, impellere; cui contrarium est *exigere*: verbum rusticorum et de pecudibus usurpatum, teste *Paul. Diac. p.* 110. 10. *Müll.* Inigere pecus, agere, id est minare, ἐνάγω (It. *condurre o cacciar dentro*; Fr. *pousser dans, diriger vers*; Hisp. *pujar dentro, dirigir hácia*; Germ. *hineintreiben*; Angl. *to lead or drive in*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) De pecudibus. *Varro* 1. *R. R.* 52. 2. Apud alios exteritur (*seges*) grege jumentorum inacto et ibi agitato perticis. *Id.* 2. *ibid.* 2. 14. Quibus locis messes sunt factæ, oves inigere est utile. *h. e.* ad pastum inducere. *et paullo post.* Inigunt in stabula ea, quæ habent ad eam rem seclusa. *Id.* 1. *ibid.* 2. 20. Capram Athenis in arcem non inigi, præterquam semel ad sacrificium. *Fronto* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 15. Ubi id audivi, calcar equo subringo, equum in oves inigo. — *b*) De aliis rebus. *Seneca Ep.* 103. Numquam feras ad nocendum nisi necessitas inigit. *Fronto B. Parth.* (edente iterum *A. Maio*) *p.* 203. Si eorum (*Pœnorum*) linguas resecari imperasset (*Scipio*), navem onustam linguis hostium Romam inegisset. ¶ 2. Latiori sensu est vehementer agere, jacere. *Apul.* 4. *Met.* Anus repentino pulsu nutantem ac pendulum præceps inegit. *h. e.* in præceps egit, præcipitem dedit.

INĬMĪCĀLIS, e, adject. (inimicus) inimicus. *Sidon.* 1. *Ep.* 3. Stimulis inimicalibus excitari in aliquem.

INĬMĪCĒ, adverb. (inimicus). Comp. *Inimicius* et Sup. *Inimicissime.* — Inimice est hostiliter, adverso animo et infenso, *da nemico*, ἐχθρωδῶς. *Cic.* 2. *Phil.* 14. 34. Ego autem, vide, quam tecum agam non inimice. *Id.* 1. *Nat. D.* 3. 5. Quempiam inimice insectari. *Quintil.* 12. 1. 22. Vitia orationis inimice insequi. *Id.* 11. 1. 68. Inimice corripere. *Liv.* 28. 29. De nullis enim, quam de vobis, infestius aut inimicius consuluerunt. *Al. leg.* iniquius. *Cic. Quinct.* 21. 66. Inimicissime atque infestissime contendere.

INĬMĪCĬTER, adverb. (inimicus) idem quod inimice, sed antiquius. *Accius* apud *Non. p.* 514. 22. *Merc.* Placare hostem ferocem inimiciterque offensum. *Claud. Quadrigarius* apud *Gell.* 3. 8. Nos pro tuis injuriis commoti inimiciter. *Tubero* apud *Charis.* 1. *p.* 181. *Putsch.* Inimiciter irasci. Adde *Ennium* apud *Priscian.* 15. *p.* 1010.

INĬMĪCĬTĬA, æ, f. 1. (inimicus) simultas, alienatio, disjunctio: sive ut definit *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 21. Inimicitia est ira ulciscendi tempus observans. Gr. ἔχθρα (It. *inimicizia*; Fr. *inimitié, haine, ressen-*

timent; Hisp. inimicicia, enemistad; Germ. d. Feindschaft; Angl. enmity, hostility). Occurrit — a) Fere in numero plur. Ter. Phorm. 2. 3. 23. Capere inimicitias in familiam aliquam. Tac. 5. Ann. 11. Capessere inimicitias. Cic. 2. Fam. 18. Suscipere inimicitias graves. Adde Nepot. Pelop. 1.; et Quintil. 6. 1. 22. Curt. 6. 10. 18.; at Sueton. Cæs. 73. Excipere inimicitias. Cic. Cæl. 13. 32. Intercedunt mihi inimicitiæ cum aliquo. Id. Rosc. Am. 6. 17. Erant ei veteres inimicitiæ cum Rosciis. Adde Ter. Andr. 5. 2. 11.; et Quintil. 4. 2. 23. Rursus Cic. Fontej. 11. 23. Inimicitias insitas habere et gerere cum aliquo. Cæs. 3. B. C. 16. habere conceptas ex re aliqua. Quintil. 5. 7. 23. habere. Nepos Att. 11. gerere. Sall. Cat. 49. exercere cum aliquo. Quintil. 7. 1. 53. contrahere. Cic. 7. Verr. 71. 182. subire. Id. Flacc. 1. 2. denunciare alicui. Antonius apud Cic. 14. Att. 13. deponere. Cælius apud Cic. 8. Fam. 6. simpliciter et candide ponere. Cic. Prov. cons. 9. 22. exstinguere, et ad amicitiam consuetudinemque traducere. Id. 5. Fam. 4. suas donare reipublicæ. Id. Sext. 33. 72. temporibus reipublicæ permittere. Tac. 3. Ann. 12. privatas ulcisci. Id. 11. ibid. 6. fovere. — b) In singul. num. Ennius apud Gell. 19. 8. et apud Non. p. 129. 28. Merc. Amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gero. Id. apud Gell. 20. 10. Haud doctis dictis certantes, sed maledictis Miscent inter sese inimicitiam agitantes. Plaut. Stich. 3. 1. 8. Cum eo reveni ex inimicitia in gratiam. Adde Accium apud Charis. 1. p. 75. Putsch.; Pacuvium apud Non. p. 127. 4. Merc.; et Ulp. Dig. 5. 1. 15.

INIMICO, as, are, a. 1. (inimicus) inimicum facio, inimicare, ἐχθραίνω. Horat. 4. Od. 15. 20. Et miseras inimicat urbes. h. e. hostilium loco habet. Stat. 2. Theb. 419. hostiles inimicant classica turmas. h. e. ad pugnam incitant. Sidon. 5. Ep. 19. init. Quod vos nosque inimicat. Adde Auson. Ep. 24. 63. — Apud Cic. 2. Att. 19. 4. Noster autem Publius mihi inimicatur. Forcellinus vulgatam lectionem tuetur: recentiores vero critici rectius leg. minitatur.

INIMICOR, aris, ari, dep. 1. (inimicus) inimicitias capere. Vulgat. interpr. Eccli. 28. 6. Memento novissimorum, et desine inimicari. V. et voc. præced. in fin.

INIMICUS, a, um, adject. (in neg. et amicus). Comp. Inimicior et Sup. Inimicissimus 1. a. et b. — Inimicus est non amicus, alienatus, aversus, infensus, infestus, δυσμενής, ἐχθρός (It. nemico, inimico, contrario, nocevole; Fr. ennemi, hostile, défavorable, opposé; Hisp. enemigo, contrario, opuesto; Germ. feindlich, abgegeneigt; Angl. at enmity with, inimical, hostile, unfriendly, unkind, contrary, adverse, hurtful, prejudicial). Adjective occurrit ¶ 1. Stricto sensu; et quidem — a) De hominibus. Plaut. Bacch. 3. 6. 18. Inimicos ipsi in sese omnes habent. Cic. Cæl. 13. 32. Mulier semper amica omnium potius, quam cujusquam inimica. Id. 2. Att. 21. 6. Clodius inimicus est nobis. Id. 11. ibid. 10. 2. Qui mihi tam crudeliter inimici sunt. Id. Divin. in Q. Cæcil. 13. 42. Inimicum infensumque esse alicui. Id. Mil. 9. 25. Ubi vidit fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem. Quintil. 11. 1. 73. Homines inimicissimi. Ovid. 2. Pont. 8. 38. Numina sint precibus non inimica meis. Val. Flacc. 2. 225. dira inimica. Cic. 10. Phil. 10. 21. Gallia, quam sibi armis animisque infestam inimicamque cognovit. Id. 4. Verr. 61. 149. Quod eos infenso animo atque inimico venisse dicatis. Cf. eumd. Quinct. 2. 10. Quum ei omnia inimica atque infesta fuerint. Sic Liv. 22. 39. Inter omnia inimica infestaque. — b) De inanimis et abstractis. Virg. 9. Æn. 355. lux inimica propinquat. Id. 1. ibid. 127. naves Accipiunt inimicum imbrem. Horat. 1. Od. 12. 59. inimica fulmina. Plin. 17. Hist. nat. 23. 35. (103). Maritare ulmos, nisi validas, inimicum. Varro 2. R. R. 2. 19. Ne parum, aut nimium saturentur: utrumque enim ad corpus alendum inimicum. Horat. 2. Sat. 4. 53. Odor nervis inimicus. Plin. 19. Hist. nat. 5. 26. (86). Raphani dentibus inimici, quoniam atterunt. Id. 20. ibid. 9. 38. (96). Brassica inimicissima stomacho. Val. Flacc. 8. 326. æquora Colchis inimica. Sil. It. 3. 455. amnis pontibus inimicus. Nepos Pausan. 3. Consilia capere quum patriæ, tum sibi inimica. Cic. Orat. 57. 197. Nec quidquam inimicius, quam oratio versibus. Id. 3. Fam. 8. sub fin. Sententia, quæ nihil mihi potest esse inimicius. Quædam MSS. habent inimicitius. Simile quiddam adscripsimus in AMICUS, a, um. Id. 4. Tusc. 15. 34. Animorum motus inimicissimi mentis vitæque tranquillæ. ¶ 2. Latiori sensu, quamvis inimicus et hostis differant, ut in HOSTIS dictum est, tamen inimicus sæpe poetice pro hostili ponitur, nemico, ostile. Virg. 11. Æn. 83. Indutosque jubet truncos hostilibus armis Ipsos ferre duces inimicaque nomina figi. Id. ibid. 809. tela inimica. Id. 12. ibid. 944. insigne. h. e. spolium cæsi hostis. Id. 8. ibid. 375. casurasque inimicis ignibus arces. Id. 10. ibid. 295. terra inimica. Juvenal. 16. 20. cohors. Val. Flacc. 3. 389. pectora Pœnis. Id. 1. 700. vela. Id. 8. 293. gaudia. Cf. Ammian. 19. 11. Aliquid inimicum moliri. — Hinc

Inimicus, i, m. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Generatim est qui odit et aversatur, nemico. Ennius apud Gell. 6. 16. Ego meæ quum vitæ parcam, letum inimico deprecer. Cato apud Charis. 2. p. 204. Putsch. Atque quamquam multa nova miracula fecere inimici mei, tamen etc. Ter. Andr. 4. 2. 12. Inimicos capere. Nepos fragm. 12. Staver. Inimicos ulcisci. Cic. Prov. cons. 8. 19. Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? Id. 4. Verr. 24. 58. Si eo animo esset, quo quivis liber debet esse, aspicere te non potuisset, inimicus, hostis esset. Liv. 39. 28. sub fin. Aliquem insectari tamquam inimicum et hostem. V. HOSTIS. ¶ 2. Speciatim in jure inimicus appellatur interdum maritus respectu uxoris, divortio facto. Tryphonin. Dig. 23. 3. 78. circa med. Cuivis magis gratiam præstare, quam relinquere apud inimicum, jus a se translatum.

INIMITABILIS, e, adject. (in privat. et imitor) quem imitari non possumus, inimitabile, ἀμίμητος. Quintil. 10. 2. 19. Quædam sunt inimitabilia, quibus infirmitas naturæ non sufficit. Id. 8. 3. 5. Olli enim et quianam et mis et pone aspergunt illam, quæ etiam in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem arti auctoritatem. Id. 1. 10. 7. Muta animalia mellis illum inimitabilem humanæ rationi saporem perficiunt. Vellej. 2. 97. 3. Morum dulcedo ac suavitas inimitabilis. Inscript. apud Gruter. 1095. 8. PATRONVS INIMITABILIS.

ININITIATUS, a, um, adject. (in privat. et initiare) initio carens. Tribuunt Claud. Mamert. 1. Stat. anim. 23. Operante Deo, principali potestate et stabili motione atque ininitiato substantiarum cardine. Al. leg. in initiato.

ININTELLIGIBILIS, e, adject. (in privat. et intelligibilis) non intelligibilis. Ambros. 1. Off. 14. Inintelligibilis Dei splendor.

ININTENSIBILIS, e, adject. (in privat. et intendo) qui tendi nequit. Boeth. in Porphyr. 5. p. 107. Et differentia quidem inintensibilis est et irremissibilis.

ININTERPRETABILIS, e, adject. (in privat. et interpretabilis) non interpretabilis. Tertulliano tribuunt advers. Valentinian. 14. Ininterpretabile nomen. Alii male leg. interpretabile. Sic Vulgat. interpr. Hebr. 5. 11. Sermo ininterpretabilis. Ceterum, addit Forcellinus, haud digna vox est, pro qua labores.

ININTERPRETATUS, a, um, adject. (in privat. et interpretatus) non interpretatus. Hieronym. Ep. 29. n. 4. Quod quare alibi interpretari voluerint, alibi ininterpretatum reliquerunt, etc. Al. leg. non interpretatum.

ININVENTIBILIS, e, et

ININVESTIGABILIS, e, adject. (in privat. et invenio, investigo) qui inveniri et investigari non potest. Voces sunt Tertull. advers. Hermog. 45. ex Rom. 11. 33., et ipsi relinquendæ.

ININVICEM, adverb. non invicem, sed continuo. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in Not. Tir. p. 84.

INIQUE, adverb. (iniquus). Comp. Iniquius I.; Sup. Iniquissime II. 2. 3. — Inique est non æque, impariter (It. con disuguaglianza, inegualmente; Fr. inégalement; Hisp. desigualmente; Germ. ungleich; Angl. unequally).

I.) Proprie. Aurel. Vict. vir. illustr. 23. Prædam inique dividere. Ter. Adelph. 2. 2. 3. Numquam vidi iniquius concertationem comparatam: ego vapulando, ille verberando etc. Sic Id. Phorm. 1. 1. 7. Quam inique comparatum est. et Quintil. 9. Declam. 6. Quod videbar inique comparatus.

II.) Translate. ¶ 1. Inique est injuste, injuria, ingiustamente, a torto, iniquamente, ἀδίκως, παρανόμως. Plaut. Cas. 3. 4. 27. Aut quod ego umquam erga Venerem inique fecerim, cui sic tot amanti mihi obviam eveniant moræ? Sic Brutus apud Cic. 1. ad Brut. 4. Inique facis, qui hostilis animi in rempublicam homines, cives appelles. Ter. Hecyr. prol. 54. Inique circumvenire aliquem. Cic. Dom. 33. 87. Qui expulsi sunt inique, sed tamen legibus reducti. Liv. 29. 48. inique, an jure accepissent. Horat. 1. Ep. 14. 12. Inique causari aliquem. Gell. 6. 2. Pœnæ legibus inique constitutæ. ¶ 2. Item inique est non ea, qua decet, ratione, inconvenienter, in modo disadatto, sconveniente. Cic. Dejot. 11. 31. Vide, quid intersit: etsi inique Castorem cum Domitio comparo. Id. Cluent. 21. 57. Jam hoc prope iniquissime comparatum est, quod in morbis corporis medicus nobilissimus quæritur; in periculis capitis deterrimus patronus adhibetur. Quintil. 5. 2. 4. Inique pronunciare. Gell. 4. 15. Inique interpretari. ¶ 3. Item ægre, iniquo animo, di mala voglia. Sueton. Cæs. 45. Ut calvitii deformitatem iniquissime ferret. Lactant. 6. 4. ante med. Inique ferunt, id habere aliquem, quod ipsi non habent.

INIQUITAS, atis, f. 3. (iniquus) inæqualitas, ἀνωμαλία (It. inegualità, disuguaglianza; Fr. inégalité; Hisp. desigualdad; Germ. die Ungleichheit, Unebenheit; Angl. inequality, unevenness).

I.) Proprie. — a) De loco; et iniquitas loci in re bellica est locus iniquus, seu inæqualis, ubi cum hostibus ut congrediaris, ascenso opus est, aut transitione fluminis etc., unde incommodum oritur et victoriæ difficultas. Liv. 38. 22. Subsidia in talibus iniquitatibus locorum maxima sæpe usui fuerunt. Cæs. 7. B. G. 45. Quid iniquitas loci habeat incommodi, proponit. il disvantaggio. Adde Liv. 7. 34. et 21. 53.; et Sueton. Tib. 10. — b) De pondere vel sarcina. Apul. 7. Met. Lapidibus additis insuper, sic iniquitati ponderis medebatur. h. e. sarcinæ in alterum latus præponderantis. — Hinc iniquitas mensurarum et ponderum dicitur pœna pecuniaria, qua multantur fraudulenti promercalium rerum venditores. Inscript. reperta prope Ariminum, edita vero in Bullett. dell' Instit. di corrisp. archeol. ann. 1840. p. 96. EX INIQVITATIBVS MENSVRARVM ET PONDERVM G. SEPTIMIVS CANDIDVS ET P. MVNATIVS CELER AED. STATERAM AEREAM ET PONDERA DECOR. DECVR. PONENDA CVRAVERVNT. — c) De opera quod præstatur; et est difficultas, quæ oritur, quum quippiam gravius est, quam vires ferre possint. Colum. 2. R. R. 4. 6. Boves iniquitate operis maxime multantur. malagevolezza.

II.) Translate. ¶ 1. Iniquitas dicitur de iis omnibus, quæ difficilia sunt, ardua, incommoda. Sic — a) Iniquitas rerum est, quum et loca iniqua sunt, et alia simul obstant, quo minus prospere res geratur. Cæs. 2. B. G. 22. extr. In tanta rerum iniquitate, fortunæ quoque eventus varii sequebantur. in tanti disvantaggi e difficoltà. — b) Temporum iniquitas, tempi calamitosi, disgrazie. Liv. 35. 16. sub fin. Quod aliquando servierunt, temporum iniquitate pressi. Curt. 7. 7. Terrebat eum non hostis, sed iniquitas temporis. Adde Plin. 3. Ep. 19. 7. Sic apud Cic. Rosc. Am. 1. 1. iniquitas temporum respicit nimiam Sullæ potentiam, qua vis et libido dominabantur. ¶ 2. Sæpe iniquitas refertur ad animum, et significat vitium æquitati contrarium, injustitiam, injuriam, ingiustizia, iniquità, ἀδικία. Cic. 2. Cat. 11. 25. Æquitas, temperantia, fortitudo certant cum iniquitate, luxuria, ignavia. Id. Quinct. 2. 9. Id accidit prætoris iniquitate et injuria. Id. 1. Fam. 2. a med. Dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia et iniquitate, retinebimus. Id. 5. Verr. 89. 207. Locus intra oceanum nullus est, quo non nostrorum hominum libido iniquitasque pervaserit. insolenza, soperchieria. Sic Plin. 12. Hist. nat. 19. 42. (93). Ob iniquitatem præpotentium. Id. 28. ibid. 8. 27. (100). Iniquitates potestatum. Sueton. Cæs. 32. Inimicorum. Tac. 2. Hist. 84. Vespasiano ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante. h. e. tributa subditorum vires excedentia. Id. 16. Ann. 17. Iniquitas exitii. ingiustizia. Quintil. 12. 7. 6. causæ. Id. 4. 2. 22. rei. Cæs. 7. B. G. 19. Summæ se iniquitatis condemnari debere, nisi eorum vitam sua salute habeat cari-

rem. ¶ 3. Item illud vitium, quod nos dicimus *indiscretezza*, quum scilicet plus postulatur, quam præstare quis possit. *Cic.* 1. *Orat.* 48. 208. Quæ si vobis non probabuntur, vestram iniquitatem accusatote, qui ex me ea quæsieritis, quæ ego nescirem. Cf. *eumd. Cæcin.* 23. 65. Si verbis et litteris, et, ut dici solet, summo jure contenditur, solent ejusmodi iniquitati boni et æqui nomen dignitatemque opponere.

INĪQUO, as, are, a. 1. iniquum facere. *Laberius* apud *Non. p.* 126. 31. *Merc.* Æquum animum indignanti iniquat contumelia.

INĪQUUS, a, um, adject. (in *privat.* et æquus). Comp. *Iniquior* I. et II. 1.; Sup. *Iniquissimus* I. et II. 2. et 4. — Iniquus est non æquus, inæqualis, impar; atque adeo difficilis, arduus, incommodus, ἀνώμαλος (It. *ineguale, disuguale, faticoso, difficile, disvantaggioso*; Fr. *inégal, et de là incommode, défavorable, difficile*; Hisp. *desigual, incomodo, enfadoso, dificil*; Germ. *ungleich, uneben, hoch*; Angl. *unequal, uneven, hard, difficult, disadvantageous*).

I.) Proprie usurpatur — *a*) De loco. *Virg.* 10. *Æn.* 303. Puppis inflicta vadis dorso dum pendet iniquo Anceps sustentata diu etc. *Liv.* 2. 31. Loco iniquo subeundum erat ad hostes. *Id.* 28. 16. Quum hostis nequidquam subire iniquo ascensu conatus esset. *Cæs.* 5. *B. G.* 32. Iniquissimo nostris loco prælium committere cœperunt. *Id.* 2. *ibid.* 10. in locum iniquiorem progredi pugnandi causa. *et ibid.* 27. Ascendere altissimas ripas, subire iniquissimum locum. *Tac.* 1. *Ann.* 63. Trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis. *h. e.* inviam. *Virg.* 5. *Æn.* 202. dum proram ad saxa suburget Interior, spatioque subit Sergestus iniquo. *h. e.* angusto, atque adeo difficili transitu. Adde *eumd.* 4. *G.* 147.; et *Colum.* 10. *R. R.* 2. *Liv.* 8. 38. Iniqua ad transitum loca. — *b*) Item de mensura et pondere; et iniquus est modum excedens, vel a modo deficiens, ut in ponderibus et mensuris, quando communi et justæ rationi non respondent. *Pers.* 1. 130. Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas. *scarse.* *Ulp. Dig.* 19. 1. 32. Oleum adhibitis iniquis ponderibus accipere. *Seren. Sammon.* 37. Pocula iniqua siccare. *h. e.* magna nimis. Cf. *Val. Flacc.* 3. 66. Iniquum merum. *h. e.* nimis large potum. *Paul. Dig.* 40. 5. 31. Iniquum pretium. *Virg.* 1. *G.* 164. iniquo pondere rastri. *h. e.* ingenti, nimio, *straordinario*. *Juvenal.* 14. 126. Servorum ventres modio castigat iniquo, ipse quoque esuriens. *h. e.* mensurâ ciborum nimis parvâ. *Virg.* 7. *Æn.* 226. et si quem extenta plagarum Quattuor in medio dirimit plaga solis iniqui. *h. e.* nimis ardentis. — *c*) Item de aliis, quæ inter se comparata, inæqualia vel imparia sunt. *Val. Flacc.* 3. 486. Hæret Hylas lateri (*Heraclis*), passusque moratur iniquos. *h. e.* suis grandiores. *Virg.* 10. *Æn.* 889. urgetur pugna congressus iniqua. *scil.* quia pedes contra equitem stabat. Cf. *Sall. Jug.* 54. Ubi videt (*Metellus*) – iniquum certamen sibi cum hostibus, minore detrimento illos vinci, quam suos vincere etc. *Ulp. Dig.* 33. 1. 3. Si adjectum sit, pensionibus iniquis, inæquales debebuntur.

II.) Translate. ¶ 1. Est injustus, *ingiusto, iniquo*. *Ter. Heaut.* 2. 1. 1. Quam iniqui sunt patres omnes in adolescentes judices. *Cic. Harusp. resp.* 3. 6. Cui præripere destinatam laudem, valde est iniquum. Cf. *Curt.* 7. 1. 39. Quid igitur iniquius est, quam me, qui si tibi non paruissem, jure daturus fui pœnas, nunc perire quia parui? Rursus *Cic. Quinct.* 2. 8. Quid hoc iniquius, aut indignius dici potest? *Ter. Heaut.* 5. 3. 9. Oh, iniquus es, qui me tacere de re tanta postules. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 67. Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam! *Ter. Andr.* 1. 5. 22. Iniqua causa. *motivo ingiusto.* *Id. Adelph.* 2. 1. 33. Iniqua loqui. *Cic.* 8. *Att.* 11. D. 6. Pacem vel iniqua conditione retinere. Adde *Quintil.* 5. 6. 3. *Sueton. Claud.* 3. Iniqua sors. ¶ 2. Item alienatus, inimicus, infestus, improbus, malignus, *nemico, contrario, malevolo, cattivo, maligno*. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 25. Iniquum esse in aliquem. *Cic. Planc.* 16. 40. Homines natura asperi atque omnibus iniqui. *Horat.* 1. *Od.* 2. 51. iniquus nostris vitiis. *Tac.* 14. *Ann.* 52. oblectamentis principis. *Cic.* 1. *Fam.* 5. *sub fin.* Partim sunt obscurius iniqui, partim non dissimulanter irati. *Gell.* 19. 3. Qui maledicit et vituperat, pro iniquo et inimico ducitur. *Virg.* 8. *Æn.* 291. ut duros mille labores Rege sub Eurystheo fatis Junonis iniquæ Pertulerit. *Cic.* 7. *Verr.* 55. 144. Hæc frequentia, quæ nunc animo te iniquissimo infestissimoque intuetur. *Ovid.* 1. *Art. am.* 313. vultu iniquo spectare. *h. e.* malevolo, invido. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Quorum iniqui sermones ad me perferuntur. *h. e.* obtrectationes. *Horat.* 2. *Od.* 6. 9. Parcæ prohibent iniquæ. *h. e.* improbæ, malignæ. *Virg.* 10. *Æn.* 380. fatis adductus iniquis. Adde *Val. Flacc.* 6. 205. *Sil. It.* 8. 293. iniqui venti. *Lucan.* 10. 35. sidus gentibus. — Hinc *iniquus, i,* m. 2. absolute, substantivorum more, ut *inimicus, adversarius*. *Ter. Heaut. prol.* 27. Ne plus iniquûm possit, quam æquûm oratio. *h. e.* iniquorum. *Cic. Planc.* 16. 40. Notos et tuos et tuorum necessarios, vel iniquos meos, vel etiam defensorum meorum. *Id. ibid.* 23. 57. Nonnulli nostri iniqui. *Id.* 11. *Fam.* 27. Me scio a te contra iniquos meos solere defendi. ¶ 3. Item noxius, gravis, miser, infelix. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 9. (44). Vina iniqua capiti. *h. e.* noxia. Sic *Virg.* 8. *Æn.* 475. casu percussus iniquo. *Liv.* 2. 23. Tributum iniquo suo tempore imperatum. *calamitoso, quando si trovava scomodo.* — Et pro misero, infelici, *infelice, misero*. *Virg.* 12. *Æn.* 243. et 6. *ibid.* 232. sortem miseratur iniquam. ¶ 4. Item æger, invitus. *Ter. Eun.* 2. 1. 6. Iniquo animo pati. *di mala voglia.* *Cic.* 2. *Tusc.* 2. 5. Iniquo animo ferre aliquid. *Id. Senect.* 23. 83. Iniquissimo animo mori. *Ovid.* 8. *Met.* 634. paupertas non iniqua mente ferenda. *Horat.* 1. *Sat.* 9. 20. Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus, Quum gravius dorso subiit onus. — Huc pertinet et illud *Ovid. Heroid.* 8. 87. Quæ mea cœlestes injuria fecit iniquos? *h. e.* qui animo sunt in aliquem iniquo, inviti. Adde *eumd. ibid.* 9. 45.; *Val. Flacc.* 7. 251.; et *Lucan.* 1. 576. — Huc etiam referri potest et illud *Colum.* 3. *R. R.* 3. 12. Nullus vel iniquissimus locus non majorem quæstum reddet, quam acceperit impensam. *h. e.* ut incultus sit et minus respondens laboribus atque impensis agricolarum. ¶ 5. Item contrarius, *contraddittorio*. *Plaut. Capt. prol.* 61. Nam hoc pæne iniquum est Comico choragio. — Hinc

Iniquus, i, m. 1. absolute, substantivorum more, *V.* sub II. 2. in fin.

INĪTĀLIA, ium, n. plur. 3. (initialis) sacra et cæremoniæ initiorum. *Capitolin. M. Aurel.* 27. Athenis fuit, et initalia Cereris adiit. *Al. leg.* initialia: *alii melius* inter alia Cereris templum adiit. *Priorem lectionem defendit* Salmas.

INĪTIĀLIS, e, adject. (initium) ad initium pertinens. *Apul.* 4. *Met.* Rerum naturæ prisca parens, elementorum origo initialis. *Id.* 11. *ibid.* Sæculorum progenies initialis. *Aggen.* in *Frontin. de limit. p.* 63. *Goes.* Initialis controversiæ status. — Hinc

Initiales, ium, m. plur. 3. absolute, substantivorum more dicuntur, qui primo in collegium aliquod coaluerunt, ac proinde ejusdem initium constituerunt. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12., quæ est apud *Orell.* 2561. INITIALES COLLEGII SILVANI AURELIANI. *V.* GLADIATOR. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

INĪTIĀMENTA, ōrum, n. plur. 2. (initiare) institutiones, rudimenta, quibus aliquis ad sacra admittitur et initiatur. Translate *Seneca Ep.* 90. *a med.* Hæc ejus (*sapientiæ*) initiamenta sunt, per quæ non municipale sacrum, sed ingens omnium deorum templum, mundus iste reseratur.

INĪTIĀTĬO, ōnis, f. 3. (initiare). ¶ 1. Generatim est actus initiandi sive inchoandi. *Priscian. de decl. nom. p.* 1316. *Putsch.* Hoc interest inter amandum et amatum, quod *amandum* necessitatem amoris significat, *amatum* initiationem ad amorem. ¶ 2. Speciatim est actus cooptandi in participationem sacrorum, μύησις: quod quibus ritibus perageretur, docet *Apulejus* 11. *Met.* ¶ 3. Item ipsa initiorum sacrorum celebratio. *Sueton. Ner.* 34. Peregrinatione quidem Græciæ, Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii et scelerati voce præconis submoventur, interesse non ausus est.

INĪTIĀTOR, ōris, m. 3. (initiare) qui rem inchoat, atque adeo qui in sacrorum communionem adsciscit, μυσταγωγός. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 14. Novi testamenti initiator. *Augustin.* 4. *Civ. D.* 11. Ipse Juppiter sit in merce Mercurius, in jano initiator, in termino terminator.

INĪTIĀTRIX, īcis, f. 3. (initiare) quæ in sacrorum communionem adsciscit. Translate. *Tertull.* 2. *ad Nation.* 7. *a med.* Denique per hanc initiatricem litteraturæ ingenuitatis studiis producitis. *Salvian.* 4. *advers. avar.* 8. Initiatrix virtutum omnium.

INĪTIĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INĪTĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (initium). Part. *Initians* 1. et 3.; *Initiatus* 1., 2. et 3.; *Initiaturus* 2. — Initiare ¶ 1. Generatim est inchoare, incipere (It. *cominciare*; Fr. *commencer*; Hisp. *comenzar, empezar*; Germ. *anfangen*; Angl. *to commence, begin*). *Pallad.* 7. *R. R.* 4. Brassicam seremus vel irriguo loco, vel pluvia initiante madefacto. *h. e.* post caniculam redeunte. *Firmic.* 2. *Mathes.* 12. Ver enim tunc initiatur, quum primam ejus signi (*Arietis*) partem sol fuerit ingressus. *Tertull. advers. Valentinian.* 15. Ex his initiata sunt cetera. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 3. 8. 3. Absque conventione personæ legitimæ initiatum jurgium videtur. ¶ 2. Speciatim est sacris imbuere, ad sacra præparare atque admittere, *ordinare, consacrare, instruire nelle cose sacre,* μυεῖν. — *a*) Dicitur primo de sacris Cereris, et usurpatur sæpius passiva voce. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 21. Neve quem initianto, nisi ut assolet Cereri, Græco sacro. *Id. ibid.* 15. 37. Initiunturque eo ritu Cereri, quo Romæ initiantur. *Id.* 1. *Tusc.* 13. 29. Reminiscere, quoniam initiatus es, quæ tradantur mysteriis. Adde *eumd.* 1. *Nat. D.* 42. 119., quæ verba *Ennio* tribuuntur: V. cl. *Vahlen. Ennianæ poes. reliqq. p.* 110. *Vitruv. præfat. l.* 7. *sub fin.* ita aucto vestibulo, laxamentum initiantibus adjecit. *Liv.* 31. 14. Acarnanes duo juvenes, per initiorum dies, non initiati templum Cereris ingressi sunt. *Justin.* 11. 7. 14. Mida ab Orpheo sacrorum solemnibus initiatus Phrygiam religionibus implevit. *Ammian.* 29. 1. Initiari mysticis disciplinis. Adde *Sueton. Aug.* 93.; *Quintil.* 12. 10. 14.; *Tertull. Pall.* 4.; et alios. — *b*) Deinde ad alia quoque sacra refertur. *Liv.* 39. 9. Bacchis eum se initiaturam vovit. Adde *eumd. ibid.* 14. et 15. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 2. 6. (17). Magicis etiam cœnis eum initiaverat. *Ter. Phorm.* 1. 1. 13. Geta ferietur alio munere, ubi hera pepererit: porro autem alio, ubi erit puero natalis dies: ubi initiabunt. *Al. leg.* initiabitur. Ubi *Donatus*: Legitur apud Varronem, initiari pueros Edulicæ et Potinæ et Cubæ, divis edendi et potandi et cubandi; ubi primum a lacte et cunis transierunt. Sed Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur, in insula Samothracum a certo tempore pueros initiari, more Atheniensium. Hæc *Donatus*. Porro *Varronis* verba sunt apud *Non. p.* 108. 21. *Merc.* Quum primo cibo et potione initiarent pueros, sacrificabatur ab edulibus Edusæ, et a potione Potinæ nutrici. — Huc pertinet et illud *Cic.* 1. *Att.* 18. M. Luculli uxorem Memmius suis sacris initiavit (*h. e.* stupravit). Menelaus (*h. e.* M. Lucullus) ægre id passus divortium fecit. Quamquam ille pastor Idæus Menelaum solum contempserit: hic noster Paris (*h. e.* Memmius) tam Menelaum, quam Agamemnonem (*h. e.* L. Lucullum Marci fratrem) liberum non putavit. ¶ 3. Item speciatim, et juxta *Forcellinum* translate, est imbuere in primis alicujus rei initiis; atque adeo absolute instruere, edocere. *Quintil.* 1. 2. 20. Neque enim est sanctius sacris iisdem, quam studiis initiari. *Symmach.* 4. *Ep.* 20. Dum filius meus Græcis litteris initietur. *Plin.* 5. *Ep.* 15. Aliis enim chartis, aliis sum litteris initiatus. *Quintil.* 1. *Declam.* 13. Maritum et uxorem, nisi liberis initiarentur, non fortissimis corporum vinculis inhærere. *Aurel. Arcad. Dig.* 1. 11. 1. His cunabulis præfectorum auctoritas initiata in tantum augeri meruit, ut etc. *Plaut. Cas.* 2. 3. 9. Postquam amo Casinam, magis initio munditiis munditiantiæ deo. *h. e.* magis do operam munditiis, quasi sacra faciens Amori, deo munditiarum. Alii tamen aliter legunt: *V.* MUNDITIA. ¶ 4. Item pro baptizare, *battezzare*. *Tertull. Monogam.* 8. *de Jo. Bapt.* Qui non tantum prædicaverit, verum etiam baptizaverit Christum. Quis enim corpus Domini dignius initiaret, quam ejusmodi caro etc.

INĪTĬO, ōnis, f. 3. insectatio, *invettiva*. *Fenestella* apud *Non. p.* 385. 12. *Merc.* C. Cato initionibus assiduis insidiam Ptolemæo concitare cœpit. *Num legendum injectionibus, an invectionibus? An potius* contionibus *cum* Mercer.? *Tu videris.*

INĪTĬUM, ii, n. 2. principium: ab *initum* verbi *ineo*; quasi ingressus in rem aliquam, ἀρχή (It.

principio, cominciamento; Fr. *commencement, principe, début*; Hisp. *principio, comenzamiento*; Germ. d. *Hinein – Hinangehen in oder an etwas, daher d. Anfang, Eingang*; Angl. *a commencement, beginning*).

I.) Proprie. — a) In singulari numero. *Cic.* 4. *Tusc.* 23. 52. An est quidquam similius insaniæ quam ira, quam bene Ennius initium dixit insaniæ? *Id.* 1. *ibid.* 38. 39. Quomodo initium nobis rerum omnium ortus noster offert, sic exitum mors. *Id.* 2. *Orat.* 12. 52. Ab initio rerum Romanarum usque ad etc. *Id.* 1. *ibid.* 26. 121. Sic initio accusationis exanimatus sum etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano. Sic *Plin. Paneg.* 1. Dicendi initium a precationibus capere. *Cic.* 2. *Legg.* 1. 1. Dicendi initium sumere. *Quintil.* 3. 2. 3. Initium dicendi dedit natura, initium artis observatio. *Cic.* 14. *Phil.* 14. 36. Facere initium confligendi cum hostibus. *cominciare a combattere. Id.* 5. *ibid.* 7. 20. Cædis initium a me fecisset. *avrebbe principiato da me. Id.* 9. *Att.* 9. Bellum exitiosum impendet, cujus initium ducetur a fame. Sic *Quintil.* 1. 9. 3. Ethologiæ initium ex lectione ducunt. *Tac. Germ.* 30. Ultra hos Chatti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant. *Ammian.* 14. 4. Initium exordiri. *Tac.* 3. *Hist.* 44. Capto Valente cuncta ad victoris opes conversa, initio per Hispaniam a prima Adjutrice legione orto, quæ memoria Othonis infensa Vitellio decimam quoque ac sextam traxit. *Cic.* 1. *Herenn.* 9. 14. Ab ultimo initio rem repetere. *Nepos Cimon.* 1. Duro initio uti. — b) In plurali numero. *Cic. Brut.* 31. 128. Bonis initiis orsus tribunatus, tristes exitus habuit consulatus. *Id.* 10. *Att.* 18. Ut male posuimus initia, sic cetera sequuntur. *Justin.* 1. 2. 4. Primis initiis. *Id.* 21. 1. 3. Inter initia regni. *Tac.* 2. *Hist.* 72. Non ultra paucos dies, quanquam acribus initiis cœptum, mendacium valuit. *Id. Germ.* 31. Penes hos initia pugnarum. — c) *Ab initio* ac sæpius *initio* adverbii ritu ponitur pro in principio, *da principio*. *Cic.* 1. *ad Brut.* 10. Cui consuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit. *Id.* 1. *Fam.* 7. *ante med.* Quemadmodum senatus initio censuit. et *paullo post.* Redeo ad illud, quod initio scripsi. *Nepos Timol.* 3. Quod ab his initio Syracusæ erant conditæ. Adde *Sall. Cat.* 2. *Sueton. Cæs.* 4. Comites servosque ceteros initio statim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiserat. *Id. ibid.* 22. Et initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adjecto, lege Vatinia accepit: mox per senatum Comatam quoque. Similiter *Cic.* 1. *Orat.* 31. 143. Etiam illis rogorem et acceperam, antequam de re diceremus, initio conciliandos eorum esse animos, qui audirent: deinde rem demonstrandam: postea controversiam constituendam: tum id, quod nos intenderemus, confirmandum: post, quæ contra dicerentur, refellenda: extrema autem oratione, ea, quæ pro nobis essent, amplificanda et augenda. — d) Aliquando initium significat occasionem, causam rei alicujus faciendæ. *Tac.* 16. *Ann.* 10. Initium detegendæ sævitiæ præbuit Fortunatus libertus. *Id.* 15. *ibid.* 51. Primores classiariorum Misenensium labefacere et conscientia illigare connisa est tali initio. Erat navarchus in ea classe etc.

II.) Translate. ¶ 1. Initia dicuntur rerum elementa. *Cic.* 1. *Tusc.* 38. 91. Inde est indagatio nata initiorum et tamquam seminum, unde essent omnia orta, generata, concreta. ¶ 2. De principiis alicujus scientiæ. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 36. 116. Non quæro ex his illa initia mathematicorum, quibus non concessis, digitum progredi non possunt: punctum esse, quod magnitudinem nullam habeat etc. ¶ 3. Item de origine et conditione natalium. *Vellej.* 2. 76. Qui natus obscurissimis initiis, parum habebat summa accepisse. ¶ 4. Sæpe initia sunt mysteria et sacra Cereris, ita dicta, quod ab ea initium vitæ sit, vel quod ea sacra essent initium melioris vitæ. *Varro* 3. *R. R.* 1. 5. Nec sine causa Terram eamdem appellabant et Cererem, et qui eam colerent, piam et utilem agere vitam credebant: atque eos solos reliquos esse ex stirpe Saturni regis. Cui consentaneum est, quod initia vocantur potissimum ea, quæ Cereri fiunt sacra. *Cic.* 2. *Legg.* 14. 36. Nam mihi quum multa eximia divinaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus; initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitæ cognovimus: neque solum cum lætitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. *Justin.* 2. 6. Per ordinem deinde successionis regnum ad Erechtheum descendit, sub quo frumenti satio apud Eleusin a Triptolemo reperta est: in cujus muneris honorem noctes initiorum sacratæ. Adde *eumd.* 5. 1. 1. — Alia quoque sacra aliquando *initia* appellantur. *Varro* 2. *R. R.* 4. 9. Initiis pacis, fœdus quum feritur, porcus occiditur. *Curt.* 8. 1. 9. Initia Samothracum. ¶ 5. Item res, quæ in hujusmodi initiis adhiberi solent. *Catull.* 63. 8. Niveis citata cepit manibus leve tympanum: Tympanum, tubam, Cybele, tua, mater, initia. ¶ 6. Pro auspiciis, quia hæc omni rei gerendæ initium præbent. *Curt.* 5. 9. 4. Novis initiis et ominibus opus est. *V.* PRINCIPIUM.

INĬTO, as, are, 1. *frequentat. ab* ineo, ἐμβατεύω. *Pacuvius* apud *Diomed.* 1. p. 336. *Putsch.* Loca horrida initas. *Gloss. Philox.* Inito, ἐμβατεύω. *Commodian.* 76. 11. Sic feminæ quoque coeunt, quasi initent balneum. *Ita legendum videtur pro initient, quod habent vulgati libri.*

INĬTUS, a, um. *V.* INEO.

INĬTUS, us, m. 4 (ineo). ¶ 1. Est ingressus, adventus. *Lucret.* 1. 12. Aeriæ primum volucres te, diva, tuumque Significant initum, perculsæ corda tua vi. *Al. minus recte leg.* initium, *ut sit synæresis.* ¶ 2. Item initium, principium. *Lucret.* 1. 384. Unde initum primum capiat res quæque movendi. *Id.* 2. 269. Ut videas initum motus a corde creari. ¶ 3. Item coitus brutorum animalium. *Ovid.* 4. *Fast.* 91. *de Venere.* Perque suos initus continet omne genus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 44. 69. (172). Et quæ non primo initu generare cœperit. *Id.* 10. *ibid.* 63. 83. (181). Sues initum matutinum appetere.

INJECTĬO, ōnis, f. 3. (injicio) actus injiciendi, ἐπιβολή.

I.) Proprie, manus injectio est jus domini in re capienda, quam suam agnoscit, seu vindicatio rei nobis debitæ, nulla judicum auctoritate exspectata. *Quintil.* 7. 7. 9. Patri in filium, patrono in libertum manus injectio sit. *Ulp. Dig.* 2. 4. 10. Venditor manus injectionem excepit. *Lex XII. Tabul.* apud *Gell.* 20. 1. *a med.* AERIS CONFESSI REBVSQVE IVRE IVDICATIS TRIGINTA DIES IVSTI SVNTO: POST DEINDE MANVS INIECTIO ESTO, IN IVS DVCITO *etc. h. e.* injecta manu et obtorto collo, ut ait *Plaut. Pœn.* 3. 5. 45., in jus ducere fas esto.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumpta a superiore paragr. *Seneca Constant. Sap.* 5. Habebat secum vera bona, in quæ non est manus injectio. *h. e.* in quæ fortuna jus non habet, ut auferat, quum libuerit. ¶ 2. Ponitur etiam pro suggestione, tentatione. *Tertull. Pudic.* 13. Injectiones Satanæ. ¶ 3. Item pro objectione usurpat *Id. Tertull. advers. Hermog.* 10. et 3. *advers. Marcion.* 21.

INJECTĬŌNĀLE, is, n. 3. est neutrum adjectivi *injectionalis*, cui subauditur *remedium*, absolute, substantivorum more usurpatum, et est id quod injicitur, clyster. *Theod. Priscian.* 4. 8. Ut neque clysteris injectio accipiatur (*ab intestino*), omnibus concidentibus et obstantibus injectionali.

INJECTĪVUS, a, um, adject. (injicio). *Aggen. in Frontin. de limit. agr.* p. 63. *Goes.* Injectivus status est generalis. Nam sive de possessione, sive de fine controversia nascatur, per hoc repetitio justa injustaque injicitur.

INJECTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. ab* injicio. Part. *Injectans* I. et II. — Injectare est sæpe aut vehementer injicere, *gettar dentro con forza.*

I.) Proprie. *Ammian.* 14. 2. Quos quum in somnum sentirent effusos, per ancoralia quadrupedo gradu repentes, seseque suspensis passibus injectantes in scaphas, eisdem nihil opinantibus adsistebant. *Stat.* 9. *Theb.* 133. Ausus erat furto dextram injectare Leonteus, Pone virus, atque arma latens, positumque trahebat, Prenso crine, caput. *stender la mano.* Adde *Sil. It.* 3. 183.; et *Lucan.* 3. 611.

II.) Improprie. *Ammian.* 26. 4. Persarum rex manus Armeniis injectabat, eos ad suam ditionem ex integro vocare vi nimia properans, sed injuste. Sic *Id.* 27. 12. Sapor injectabat Armeniæ manum, ut eam ditioni jungeret suæ. *Id.* 22. 11. Marcelli filius, ut injectans imperio manus, publica deletus est morte. Similiter *Id.* 14. 11. Utque solent manum injectantibus fatis hebetari sensus hominum et obtundi etc. *Id.* 14. 6. Quæ (*Semiramis*) teneros mares castravit omnium prima, velut vim injectans naturæ.

INJECTUS, a, um. *V.* INJICIO.

INJECTŬS, us, m. 4. (injicio). ¶ 1. Est actus injiciendi vel supra jaciendi, injectio, *il gettar sopra. Tac.* 6. *Ann.* 50. Macro intrepidus opprimi senem injectu multæ vestis jubet. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 21. (54). Quamvis levi injectu operto capite. *h. e.* injectu vestis operto leonis capite. *Id. ibid.* 17. 21. (60). Secutus, qua trahebat vestem unguium levi injectu. *h. e.* immissis leviter in vestem unguibus. *Id.* 11. *ibid.* 17. 18. (58). Quæ dimicatio injectu pulveris discutitur. *coll' intraspargimento. Stat.* 4. *Silv.* 3. 23. novoque Injectu solidat graves arenas. *col gettar sopra.* ¶ 2. Item immissio, infusio. *Lucret.* 2. 738. In quæ corpora si nullus tibi forte videtur Posse animi injectus fieri, procul avius erras.

INJEXIT, injecerit. *V.* voc. seq. init.

INJĬCIO, jicis, jēci, jectum, jicere, a. 3. (in, *h. e. intro vel super, et* jacere). Altero *i* extrito, poetæ primam corripiunt. *Sil. It.* 10. 570. fulgentia pingui Murice suspirans inicit velamina et auro. Sic *inici* pro *injici* legitur apud *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 65. *V.* ABJICIO, ADJICIO, CONJICIO et SUBJICIO init. — *Injexit* pro *injecerit* antique dictum est a *Plaut. Pers.* 1. 2. 18. — *Endojacito* pro *injicito* vide suo loco. — Part. *Injiciens* I. 2.; *Injectus* in omnibus fere paragr.; *Injecturus* II. 1.; *Injiciendus* I. 2. — Injicere

I.) Proprie. ¶ 1. Est intro jacere, ingerere, immittere, conjicere, ἐμβάλλω, ἐπιῤῥίπτω (It. *gettar dentro*; Fr. *jeter dans*; Hisp. *echar, arrojar dentro*; Germ. *hineinwerfen, – stürzen, – giessen, – halten*; Angl. *to throw or cast into, throw in, inject*). *Plaut. Pers.* 1. 3. 7. Struthea, coluthea oppara, bene ut in scutris concaleant: calamum injice. *Cic. Cluent.* 30. 79. Injectus in flammam. Sic *Sueton. Cæs.* 84. Injicere vestem flammæ. et *Flor.* 1. 10. 5. ardentibus focis manum. Rursus *Cic. Pis.* 11. 26. Quum mea domus ardebat ignibus injectis. Cf. *eumd. carm. de suo consulatu* 1. *Divinat.* 12. 19. Et Capitolinis injecit sedibus ignem. *h. e.* fulmen jecit. *Liv.* 40. 31. *extr.* Injicere ignem castris. *Colum.* 12. *R. R.* 22. 2. Aquæ decoctæ congios duos injicito. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 18. 48. (173). Semen protinus injiciunt, cratesque supertrahunt. *Auct. B. Alex.* 29. Repentino aggere injecto, flumen transierunt. — *Injicere se* est se conjicere, *gettarsi. Ter. Andr.* 1. 1. 113. Quæ se in ignem injicere voluit. *Cic. Dom.* 24. 64. Injicere se in medios hostes ad perspicuam mortem. *Virg.* 2. *Æn.* 408. Et sese medium injecit periturus in agmen. *Id.* 8. *ibid.* 257. seque ipse per ignem Præcipiti injecit saltu. *Id.* 9. *ibid.* 552. fera sese haud nescia morti Injicit et saltu supra venabula fertur. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (143). Injicere se flammæ. ¶ 2. Item est super jacere, imponere, *gettar sopra o addosso.* — a) Generatim. *Plaut. Truc.* 2. 5. 26. Pallium injice in me huc, Archilis. *h. e.* indue me: *mettimi il mantello.* Sic *Cic.* 3. *Nat. D.* 34. 83. Eique laneum pallium injecit. *gli mise addosso.* Cf. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 101. Prome, quod injicias humeris victoribus ostrum. *Quintil.* 11. 3. 156. Togam ex integro injicere. *vestirsi.* Sic *Val. Flacc.* 3. 312. galeam dilectaque cingula regi Injicit. — *Injectus vestem* Græca loquendi ratione est vestem injectam, seu super indutam habens. *Apul.* 9. *Met.* Raptim tunicam injectus, procurrit cubiculo. — Huc referri possunt et illa *Ovid.* 11. *Met.* 770. Injectos humeris siccantem sole capillos. *h. e.* sparsos, diffusos. et 2. *Fast.* 772. injectæ comæ collo. et 3. *Art. am.* 266. Injecta lateant fac tibi veste pedes. — Rursus *Plaut. Capt.* 3. 5. 1. Injicere manicas alicui. *Liv.* 1. 51. *sub fin.* Turno injectæ catenæ. *Cic.* 7. *Verr.* 41. 106. Injicere catenas alicui. *Id.* 3. *Fin.* 22. 76.; et *Virg.* 6. *Ecl.* 19. vincula. *Cic.* 13. *Phil.* 9. 20.; et *Horat.* 4. *Od.* 15. 10. frenos cuipiam. *metter freno. Sueton. Vitell.* 17. cervicibus laqueum. *Catull.* 35. 9. manusque collo Ambas injiciens. Sic *Ovid.* 3. *Met.* 389. injiceret sperato brachia collo. — *Cels.* 5. 26. n. 23. Utraque neque nimis rara, neque nimis crebra injicienda est. Sic *Scribon. Compos.* 208. Injicere emplastrum — *Ennius* apud *Macrob.*

6. *Saturn.* 2. Neque terram injicere, neque cruenta convestire corpora Mihi licuit. *Catull.* 64. 153. neque injecta tumulabor mortua terra. *Virg.* 6. *Æn.* 365. Injicere terram alicui. *sotterrare.* *Nepos Agesil.* 8. Ut terra tecta esset strameotis, neque huc amplius quam pellis esset injecta. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Hæc directa materia injecta contexebantur. *Ovid.* 14. *Met. init.* Giganteis injectam faucibus Ætoen. Sic *Val. Flacc.* 2. 31. pariter tunc omnis anhelat Trinacris, injecta fesso dum pectore molem Commovet experiens, gemituque reponit inani. Cf. *Horat.* 3. *Od.* 4. 73. Injecta monstris Terra dolet suis. *Quintil.* 6. *proœm.* 3. Infaustum opus super immaturum funus consumpturis mea viscera flammis injicere. *Cic.* 1. *Divinat.* 27. 57. Se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum et supra stercus injectum. *Liv.* 27. 32. Raptus ab suis atque alteri equo injectus fugit. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 12. 12. (33). Ab excelsa arbore se injicit. *Cæs.* 2. *B. C.* 10. Eo super tigna bipedalia injiciunt. *Liv.* 26. 6. Injicere pontem. *Cæs.* 1. *B. C.* 58. Injecta manu ferrea, et retenta utraque nave. *Cic. Mur.* 24. 48. Injicere securim alicui. *h. e.* impingere, illidere, infligere. *Plaut. Epid.* 5. 2. 25. tragulam in aliquem. *Auct. B. Afr.* 83. tela in elephantos. Cf. *Auct. B. Hisp.* 23. Multis telis injectis, complures vulneribus affecere. *gettati, lanciati.* *Val. Flacc.* 2. 235. Injicere tædas ad fastigia tectorum. Cf. *Cic. Harusp. resp.* 21. 45. Injecta est fax luctuosa reipublicæ. *h. e.* conjecta. — *b)* Speciatim *injicere manum* est extensa manu prehendere, ἐμβάλλειν χεῖρα, *mettere le mani addosso, prendere colla mano.* *Petron. Satyr.* 115. Injicio ego phrenetico manum, jubeoque etc. *Val. Flacc.* 3. 562. Illa avidas injecta manus, heu sera cientem Auxilia, et magni referentem nomen amici Detrahit. *Ovid.* 6. *Fast.* 515. Injiciuntque manus, puerumque revellere pugnant. *Horat.* 1. *Od.* 17. 25. ne male dispari Incontinentes injiciat manus Et scindat hærentem coronam Crinibus immeritamque vestem. Poetice *Ovid.* 1. *Met.* 184. *de Gigantib.* Injicere anguipedum captiva brachia cœlo. *Sueton. Cæs.* 68. Acilius navali ad Massiliam prælio, injecta in puppem hostium dextra et abscisa, etc. — Præterea *injicere manum* verbum est juris, et significat manu capere, sibi vindicare, possessionem apprehendere alicujus rei, aut personæ, tamquam nostri sit juris, non exspectata sententia judicis, ut in INJECTIO I. dictum est: quod in quibusdam casibus lex permittit, ut domino in servum fugitivum, etc. *Liv.* 3. 44. Virgini venienti in forum minister decemviri manum injecit, serva sua natam (servamque appellans) esse: sequique se jubebat: cunctantem vi abstracturum. Adde *Ovid.* 13. *Met.* 170.; et *Paul. Dig.* 18. 7. 9. — Etiam qui in jus vocant, *injicere manum* dicuntur. *Plaut. Pers.* 1. 2. 18. Ubi quadruplator quempiam injexit manum; tantidem idem illi rursus injiciat manum. *injexit* antique dictum pro *injecerit*: præpositionem autem omittit, quia inest in ipso verbo: scil. in *quempiam jecerit manum.* Sic *Id. Truc.* 4. 2. 49. Post id ego te manum injiciam quadrupli, venefica. Cf. *Curt.* 8. 6. 21. Omnibus Philotæ supplicium in oculis erat. Itaque protinus injicit fratri manum, et in regiam pervenit. — Hujus generis est etiam illud *Plaut. Pseud.* 2. 2. 47. Nunc certo scio, hoc febrim tibi esse, quia non licet hoc injicere ungulas. *non puoi metterci su l'ugne.* Vide hanc in rem alia infra sub II. 3.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est immittere, afferre, objicere. *Plaut. Cas.* 3. 3. 26. Injicere metum alicui in pectus. Sic *Sueton. Cæs.* 14. et 20.; et *Justin.* 6. 7. 12. metum alicui. *Cic.* 5. *Verr.* 28. 68. formidinem alicui. *Nepos Hann.* 5.; et *Curt.* 8. 14. 23. terrorem. *Cic.* 5. *Fin.* 11. 31. terrorem mortis. Sic *Id. Prov. cons.* 18. 43.; et *Liv.* 27. 28. Terror alicui injectus. *h. e.* illatus. *Nepos Alcib.* 3. Injicere timorem. *Plaut. Pseud.* 2. 1. 15. metum et fugam perduellibus. *Cic.* 3. *Cat.* 3. 7. tumultum civitati. *Id. Cluent.* 38. 106. Tam atrocis rei suspicio injecta. *h. e.* mota. Sic *Nepos Eumen.* 9. injicere suspicionem. *Cic. Cluent.* 28. 76. Injectus scrupulus. *Id. Cæcin.* 33. 97. Injicere religionem. *Id.* 7. *Att.* 3. Cogitatio de triumpho nobis injecta. *pensiero messo in capo.* *Liv.* 27. 4. Injicere curam, ne etc. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 6. 32. curam quærendi quid etc. et *Curt.* 8. 2. 8. Affirmatio Pori multiplicem animo regis injecerat curam. *Ter. Phorm.* 4. 4. 10.; et *Cic.* 3. *Att.* 22. Injicere spem. *Cæs.* 1. *B. G.* 46. alacritatem et studium pugnandi exercitui. *Sueton. Rhet.* 1. studium. *Cic. Mil.* 31. 84. alicui mentem, ut audeat etc. *Liv.* 5. 28. tantum ardoris. *Justin.* 3. 5. 10. ardorem. *Virg.* 10. *Æn.* 728. iras stimulis haud mollibus. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 10.; et *Curt.* 5. 13. 12. cupiditatem. Sic *Phædr.* 1. 27. Injecta illi divitiarum cupiditas. *Nepos Iphicr.* 3. Injicere admirationem sui. *h. e.* excitare. *Varro* 1. *R. R.* 17. 6. alicui voluptatem præfecturæ. *far venir voglia.* Al. leg. *voluntatem.* *Cic.* 7. *Verr.* 9. 24. Hominem pecuniosissimum, sine aliqua causa quæstus injectum ad tam incredibile crimen. *h. e.* inductum. *Plerique tamen leg.* electum. *Id. Cæcin.* 29. 83. Periculum mortis injectum. *h. e.* objectum. *Liv.* 34. 4. Injicere certamen. *h. e.* præbere occasionem certaminis. *Id.* 35. 25. cunctationem. *Plaut. Amph.* 3. 1. 15. frustrationem. *h. e.* fallere, decipere. *Cic. Cæcin.* 2. 4. Speraront, se injecturos vobis causam deliberandi et judicandi justam moram. *h. e.* præbituros. *Id. Mur.* 23. 48. Plaga injecta petitioni tuæ. *h. e.* inflicta. ¶ 2. Speciatim *injicere se in rem* animus dicitur, qui se totum ei dat eamque cogitatione revolvit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 51. In quam (*magnitudinem*) se injiciens animus et intendens, ita longe lateque peregrinatur, ut etc. ¶ 3. Item speciatim, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. I. 2. *b.*, *injicere manum* — *a)* Est retinere et morari. *Cic. Rosc. com.* 16. 48. Ipsa mihi veritas manum injecit, et paullisper consistere et commorari coegit. *Seneca proœm.* 1. *Controv. a med.* At quum sibi manum injecerat, et se blandiendo, unde abduxerat, revocarat, tantis viribus incumbebat in studium, ut etc. *Vellej.* 2. 41. Scribenti manum injicere. *h. e.* retinere et morari. — *b)* Est etiam tamquam suum vindicare, atque adeo vim adhibere. *Seneca Consol. ad Helv.* 11. *extr.* Animus sacer et æternus est; et cui non possint injici manus. *Plin.* 10. *Ep.* 19. Quieti ejus injeci manum, et exegi, ut me in Bithynia consilio instrueret. *h. e.* otiosum eum nactus, quasi injecta manu me sequi jussi, ejusque operam mihi vindicavi. *Virg.* 10. *Æn.* 419. Injecere manum Parcæ telisque sacrarunt Evandri. *h. e.* tamquam suum vindicarunt et ad mortem traxere. Cf. *Curt.* 10. 1. 37. Similiter *Ovid. Heroid.* 8. 16. Injice non timidas in tua jura manus. et 2. *Amor.* 5. 30. Injiciam dominas in mea jura manus. *Id.* 4. *Fast.* 89. Aprilem memorant ab aperto tempore dictum: Quem Venus injecta vindicat alma manu. Hinc poetice *Stat.* 1. *Theb.* 241. injicere arma regnis. *h. e.* bellum inferre. ¶ 4. Pertinet etiam ad sermonem, et significat inferre mentionem, et in medio sermone de re quapiam leviter et paucis meminisse. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 91. Injecta mentio. *fatta menzione.* *Cic. Quinct.* 21. 68. An vero id, quod Hortensium, quia nuper injecit, dicturum arbitror, etc. *ne ha fatto parola, ne ha dato un motivo.* *Trebonius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 16. Quum mihi in sermone injecisset, se velle Asiam visere. *Cic.* 16. *Att.* 5. Bruto quum sæpe injecissem de ὁμονοίᾳ etc. — *Injicere alicui nomen cujuspiam* est inculcare et veluti imprimere. *Cic. Dom.* 6. 14. Meum nomen operis ediderat, imperitis injecerat. *h. e.* servis quidem jusserat, ut me nominarent, imperitis vero suaserat.

INJŬCUNDE, adverb. (injucundus) ingrate, insuaviter, *spiacevolmente*, ἀηδῶς. Occurrit tantum Comp. *Injucundius* apud *Cic.* 1. *Att.* 20. Res quæ mihi asperius a nobis atque nostris et injucundius actæ videbantur.

INJŬCUNDĬTAS, ātis, f. 3. (injucundus) insuavitas, *spiacevolezza*, τὸ ἀτερπές. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 138. Ne quid habeat injucunditatis oratio.

INJŬCŪNDUS, a, um, adject. (in *privat.* et jucundus). Comp. *Injucundior* legitur apud *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. § 123. — Injucundus ¶ 1. Generatim est qui displicet, minimeque gratus est, insuavis, tristis, molestus. *Cic.* 1. *Fin.* 1. 3. Minime nobis injucundus labor. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 8. *a med.* Rumor dictaturis injucundus bonis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 7. 36. (74). Herba odore non injucundo. *Gell.* 13. 20. Injucundus et laxior vocis sonus. *Quintil.* 11. 3. 60. Nec cuiquam sunt injucunda, quæ cantant ipsi. *Id.* 10. 1. 124. Levis quidem, sed non injucundus tamen auctor. ¶ 2. Speciatim est sermone asper, severus, acerbus. *Tac. Agric.* 22. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur, ut bonis comes, ita adversus malos injucundus: ceterum ex iracundia nihil supererat.

INJŪDĬCĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et judicatus) non judicatus, ἄκριτος. *Cato* apud *Gell.* 13. 23. Decem hominibus vitam eripis, indicta causa, injudicatis, incondemnatis. *Gell.* 5. 10. *sub fin.* Tum judices – rem injudicatam reliquerunt, causamque in diem longissimam distulerunt. *Quintil.* 10. 1. 67. Id injudicatum relinquo. *indeciso.*

INJŪGĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et jugatus) qui jugum non habet, vel jugum nondum passus. *Sidon.* 9. *Ep.* 16. *in carm.* Vinxit ad tauri latus injugati.

INJŪGIS, e, adject. (in *privat.* et jugum) jugo numquam subditus.

I.) Proprie *injuges hostiæ*, ἄζυκται θυσίαι, vocabantur, quæ numquam domitæ, aut jugo subditæ fuerant. *Paul. Diac.* p. 133. 19. *Müll.*; et *Macrob.* 3. *Saturn.* 5. Addit *Manilius Chrestus* apud *Fulgent. Planc. de prisco serm.* n. 10. injuges boves Minervæ sacrificari, quia virginitas jugum nescit maritale, et virtus numquam est jugo prementi subjecta. Cf. *Ennius* apud *Non.* p. 407. 22. *Merc.* Adducit quadrupedem invitam indomitam injugem. *Vahlen.* et *Ribbeck.* ita leg.; alii aliter.

II.) Figurate *injuges versus* sunt, qui nulla conjunctionis syllaba copulantur, quos Græci ἀσυνδέτους nuncupant, sicut (*Virg.* 7. *Æn.* 170.) *Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis.* Nullus enim conjunctionis nexus occurrit. Hæc *Diomed.* 3. p. 498. *Putsch.*

INJUNCTĬO, ōnis, f. 3. (injungo) actus injungendi; et translate actus demandandi, *commissione, comando,* ut apud *Sidon.* 9. *Ep.* 2. Quæ litteræ plurimum nobis honoris, plus oneris imponunt: unde et ipsarum sic benedictione lætor, quod injunctione (hac scil. oneris) confundor. *Cassiod.* 7. *Variar.* 22. Honor est principalis injunctio.

INJUNCTĪVUS, a, um, adject. qui injunctus, seu conjunctus est. *Inscript.* apud *Henzen.* 5171. MARCIO FELICI V. I. CIVITATIS VENAFRANAE DEFENSORI ORDINIS POSSESSORI POPVLIQVE RECTORI PROVINCIAE SAMNITIVM INIVNCTIVAE VICIS MERITO OB INSIGNIA SIVE IN REM PVBLICAM BENE GESTA etc. Ann. 362. post Chr. n. Samnium extra ordinem cum Campania conjunctum erat, nam peculiares antea præsides habebat, ut titulis ex. gr. Fabii Maximi 6623. et 6624. apud *Henzen.* probatur, confirmaturque inscriptione Æsernina n. 6901. apud *Henzen.* V. *Garrucci, Storia d'Isernia* n. 11. p. 87. et *Mommsen. Inscript. Neap.* 5020.

INJUNCTUS, a, um, particip. *V.* INJUNGO.

INJUNCTUS, a, um, adject. (in *privat.* et junctus) non junctus. *Tertull.* 2. *ad Uxor.* 2. Fideles injuncti. *h. e.* non juncti matrimonio.

INJUNGO, jungis, junxi, junctum, jungere, a. 3. (in et jungo). Part. *Injunctus* I. 1. et 2. et II. 2. — Injungere

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est aliquid in rem aliquam infigere atque adeo cum ea jungere, *inserire una cosa in un'altra.* *Liv.* 44. 5. Duo validi asseres in terra defigebantur: in eos transversi incumbentes tigni, ut pons esset, injungebantur. *Pallad.* 3. *R. R.* 10. 1. Vitis transferatur ad scrobem, cui arbor injuncta est. *h. e.* implantata, vel prope plantata. Sic generatim pro plantare, serere, *piantare,* *Id.* 1. *ibid.* 6. 5. Inter novellas vites omnino nihil est conserendum. Græci jubent, exceptis caulibus, tertio anno, quæ libebit, injungere. ¶ 2. Latiori sensu est idem quod jungere, adjungere, innectere, conjungere, unire, *attaccare, congiungere,* συνάπτω ἐπιζεύγνυμι. *Liv.* 37. 26. Vineas et aggerem muro injunxit. *Id.* 5. 7. Quum agger promotus ad urbem, vineæque tantum non injunctæ mœnibus essent. *Scævola Dig.* 19. 1. 52. *extr.* Ante domum mari injunctam. *Javolen. ibid.* 2. 57. Area injuncta domui. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 6. Fenestellis scandulæ injunguntur. *Id.* 6. *ibid.* 2. 7. Jugum quarto die accipiunt, cui ramus illigatur et temonis vice trahitur: interdum et pondus aliquod injungitur. *h. e.* adalligatur. Sic *Id.* 4. *ibid.* 21. 2. Singulis brachiis licebit bina injungere flagella. *Al. leg.* jungere. *Pallad.* 1. *R. R.* 6. 9. Pro macie, vel soliditate vitium, nutrienda sarmenta putator injungat. *h. e.* non amputet, sed reservet et pedamento suo injungat. — Huc referri potest et illud *Colum.* 6. *R. R.* 37. 2. Injungere marem feminæ.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe est imponere, irrogare, *imporre*. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Civitatibus æternam servitutem injungere. Sic *Sueton. Tib.* 24. alicui onerosam servitutem. *Cæs.* 2. *B. C.* 18. alicui onera. Sic *Liv.* 26. 35. *extr.* seu æquum, seu iniquum onus. *Id.* 5. 4. alicui novum laborem. *Id.* 39. 37. alicui leges. *Auct. B. Alex.* 44. moram sibi, aut necessitatem. *Tac. Agric.* 15. delectus. *Id. Germ.* 25. tributum. *Liv.* 3. 65. *extr.* Injuriam a nobis repulsam injungimus aliis. *h. e.* facimus, imponimus. *Id.* 8. 32. ignominiam. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. *a med.* Ne quod detrimentum reipublicæ injungant. *Ulp. Dig.* 50. 16. 135. damnum alicui. *Id. ibid.* 47. 15. 2. Alicui pœnam extraordinariam. *Plin. Paneg.* 86. sibi tormentum. *h. e.* sibi ipsi vim facere, se macerare. ¶ 2. Item demandare, *commettere, ingiungere.* — a) Cum Accusativo. *Liv.* 3. 35. Injungere alicui munus comitiorum habendorum. *Id.* 32. 3. Seu injuncta, seu suscepta foret militia. *Al. leg.* invita. *Tac. Agric.* 13. Injuncta imperii munera impigre obeunt. *Plin. Paneg. ult.* In istis officiis, quæ e studiis nostris circa tuendos socios injunxeratis. *Sueton. Vit. Horat.* Carmen componendum injungere. — Hinc *injuncta peragere* est idem quod imperata facere apud *Cassiod.* 5. *Variar.* 19. — *b)* Sequente *ut*. *Plin.* 2. *Ep.* 18. Quid a te jucundius mihi potuit injungi, quam ut præceptorem fratris tui liberis quærerem? — Et absolute *injungere*, subaudi *munus*, apud *eumd.* 4. *ibid.* 9. Mihi Bassus injunxerat, ut defensionis fundamenta jacerem. *et ep.* 13. *ad fin.* Injungo autem, ut pro rei magnitudine rogo, ut etc. *Trajanus* apud *eumd.* 10. *ibid.* 55. Injungo mihi, ut mittam nova diplomata. *h. e.* legem mihi impero, munus mihi demando, statui. ¶ 3. Pro addere, jungere. *Val. Max.* 6. 6. *n.* 12. Crasso pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit: sed eidem postea inopia turpem decoctoris superlationem injunxit. *h. e.* addidit, indidit. *Aurel. Vict. vir. illustr.* 50. Ne respublica male administraretur, amicitiam cum eo injunxit. *Plerique al. leg.* junxit.

INJŪRĀTUS, a, um. *V.* INJURO.

INJŪRĬA, æ, f. 1. (Injurius, in *privat. et* jus, juris) omne id, quod non jure fit, sive re fiat, ut quum manus inferuntur; sive verbis, ut in convicio et contumelia. *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 10. *qui est.* De injuriis, l. 1. Injuria ex eo dicta est, quod non jure fiat: omne enim, quod non jure fit, injuria fieri dicitur: hoc generaliter. Specialiter autem injuria dicitur contumelia. Interdum injuriæ appellatione damnum culpa datum significatur: interdum iniquitatem injuriam dicimus. *Cic.* 4. *Herenn.* 25. 35. Injuriæ sunt, quæ aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cujuspiam violant. Gr. ὕβρις, ἀδίκημα (It. *ingiuria, torto, ingiustizia*; Fr. *toute action injuste, injustice, violation de la justice*; Hisp. *injuria, injusticia*; Germ. d. *Unrecht*, d. *Gewaltthat*; Angl. *injury, wrong, injustice, insult*).

I.) Proprie. — *a)* Generatim. *Ter. Adelph.* 2. 1. 35. Tibi a me nulla orta est injuria. *Id. Hecyr.* 4. 4. 70. Facis injuriam, quum fingis causas ad discordiam. *h. e.* injuste facis. *Id. Andr.* 1. 3. 9. Quo jure, quaque injuria, præcipitem me in pistrinum dabit. *a ragione o a torto.* *Cic.* 3. *Fin.* 21. 71. Alienum est a sapiente non modo injuriam cui facere, verum etiam nocere. *Ulp. Dig.* 47. 10. 1. *a med.* Nulla injuria est, quæ in volentem fit. *Tac.* 1. *Hist.* 1. Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio, nec injuria cogniti. *Virg.* 3. *Æn.* 604. si sceleris tanta est injuria nostri, Spargite me in fluctus. *l'ingiustizia, la gravità.* *Ter. Hecyr.* 5. 1. 14. Injuriam offerre alicui. *Cic.* 1. *Off.* 7. 24. alicui inferre. *Quintil.* 8. 3. 46. afferre. *Cic. Rosc. Am.* 1. 1. conflare. *Id.* 6. *Verr.* 9. 20. Injurias contumeliasque imponere. *Id.* 4. *Parad.* 1. 28. Injuriam jacere et immittere in aliquem. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 18. 60.; et *Curt.* 8. 6. 1. accipere ab aliquo. *Id. Amic.* 21. 78. pati. *Id. Rosc. Am.* 50. 145. propulsare. *Liv.* 3. 65. repellere. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. *extr.* defendere. *Cic.* 5. *Att.* 20. revellere. *Cæs.* 7. *B. G.* 38. *extr.* persequi. *Id.* 1. *ibid.* 12. ulcisci. *Curt.* 8. 3. 16. vindicare. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 90. ferre. *Ammian.* 30. 1. perferre. *Cæs.* 1. *B. G.* 20. condonare alicui. *Ter. Phorm.* 5. 1. 3. Injuria afficere. *Id. Andr.* 5. 1. 8. Injuriis onerare. — *b)* Speciatim per *injuriam* est injuste, cum injuria. *Cic.* 5. *Verr.* 97. 226. Quid potest esse in calamitate residui, quod non ad miseros aratores per summam injuriam ignominiamque pervenerit? — *c)* Ablativus *injuria*, adverbii more, est injuste, immerito, cum injuria, *ingiustamente, a torto, senza ragione.* *Plaut. Pœn. prol.* 37. Ne palma detur cuiquam artifici injuria. *Cic.* 1. *Cat.* 7. 17. Si me meis civibus injuria suspectum viderem. Adde *Quintil.* 7. 1. 34. et 5. 14. 3. — Sæpe habet ante se negantem particulam. *Ter. Eun.* 3. 1. 43. Metuebant omnes jam me. GNA. Non injuria. *Id. Heaut.* 3. 3. 20. Credo: neque id injuria. Adde *Plaut. Aulul.* 2. 5. 5. et *Epid.* 5. 2. 20. Sic *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 8. 6. Hoc horret Milo, nec injuria. *a con ragione.* *Curt.* 3. 5. *sub fin.* Inexperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro injustitia; et occurrit — 1.°) Active, scil. ratione ejus, qui injuriam facit, *ingiustizia*. *Plaut. Truc.* 1. 2. 66. Vostra hercle factum injuria, quæ properavistis etc. *Cic.* 2. *Parad.* 18. Quocumque aspexisti, ut furiæ, sic tuæ tibi occurrunt injuriæ, quæ te respirare non sinunt. *Id. Cæcin.* 11. 32. Ut meum jus teneam, et tuam injuriam persequar. *Id. Quinct.* 2. 9. Id accidit prætoris iniquitate et injuria. — Et abstractum pro concreto; scil. *injuria* pro iis qui injuriam faciunt. *Sall. orat. M. Licinii med.* Omnis injuriæ gravitate (*h. e.* per gravitatem, seu per vires et potentiam) tutior est. *Id. Sall.* aliis verbis eamdem sententiam protulit *Jug.* 31. Ita quam quisque pessume fecit, tam maxime tutus est. — 2.°) Passive, scil. ratione ejus, qui injuriam accipit. — a) Generatim. *Sall. Cat.* 51. *med.* Neque cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur; multi eas gravius æquo habuere. *Id. ibid.* 52. Non agitur de vectigalibus, neque de sociorum injuriis: libertas et anima nostra in dubio est. *Cæs.* 1. *B. G.* 30. Pro veteribus Helvetiorum injuriis populi Romani. *Liv.* 1. 13. Sabinæ mulieres, quarum ex injuria bellum ortum. Adde *Nepot. Con.* 5.; et *Sueton. Aug.* 44. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 73. Deorum injurias dis curæ (*esse*). *Id.* 2. *Hist.* 20. Uxorem autem ejus Salonipam, quamquam in nullius injuriam insignis equo ostroque veheretur, tamquam læsi gravabantur. *Justin.* 42. 2. 5. Ultor injuriæ parentum fuit. — *b)* Speciatim aliquando refertur ad stuprum. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 61. Ego me injuriam fecisse filiæ fateor tuæ. *Id. Cist.* 1. 3. 32. Ejus se ex injuria peperisse gnatam. Adde *Petron. Satyr.* 25. et 110.; et *Quintil.* 2. 2. 3., 9. 2. 47. et 11. 1. 53. ¶ 2. *Injuriarum* actio est, quum damnum quodvis culpa alicujus nobis illatum persequimur. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 57. Injuriarum multam dicere. *Ter. Phorm.* 2. 2. 15. Injuriarum dicam alicui scribere. *Cic. Cæcin.* 12. 35. Actio injuriarum non jus possessionis assequitur, sed etc. *Sueton. Vitell.* 7. Injuriarum formulam alicui intendere. *Id. Aug.* 56. Injuriarum postulari. *Quintil.* 4. 2. 100. Injuriarum reus. *Paul. Dig.* 47. *tit.* 10., *qui est* De injuriis, *l.* 6. Agere injuriarum. *Ulp. ibid. l.* 11. Teneri injuriarum. *et ibid. sub fin.* experiri. *et l.* 13. Injuriarum judicio convenire quempiam. ¶ 3. Præcipue apud sequioris ævi scriptores, frequenter significat læsionem, damnum, detrimentum, quod vel ex rebus inanimis proficiscitur, vel ipsis rebus inanimis refertur, *lesione, danno, strapazzo, incomodo.* *Plin.* 3. *Ep.* 5. Orabat, ut se ab injuria oblivionis assereret. *Justin.* 43. 2. 4. Puellam vinculis onerat, ex quorum injuria decessit. *Sueton. Aug.* 14. Qui desiderabatur, repente comparuit incolumis, ac sine injuria. *Cels.* 2. 10. *a med.* Opportuniores hæ partes injuriæ sunt, quam quæ jam male habent. *più esposte a risentirsi.* *Scribon. Compos.* 23. Patiuntur injuriam oculi. *h. e.* dolorem. Sic *Seren. Sammon.* 35. 452. Quum sævit penitis hærens injuria lumbis. *h. e.* morbus et dolor. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 7. Veprem post ignis injuriam melius renasci. *Id.* 3. *ibid.* 18. 2. Nulla stirps vexata et infracta melius provenit, quam quæ integra et inviolata sine injuria deposita est. *Id.* 9. *ibid.* 1. 3. Quidquid sub injuria pluviarum magis diuturnum est. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 24. 47. (134). Cytisus non æstuum, non frigorum, non grandinum, aut nivis injuriam expavescit. Rursus *Colum.* 5. *R. R.* 6. 13. Ut novæ virgæ ab injuria pecoris tutæ sint. Sic injurias *Plin.* 22. *Hist. nat.* 7. 8. (18) vocat ictus morsusque animalium. *Id.* 19. *ibid.* 12. 60. (183). Porrum, raphani, apium in translatione desinunt sentire injurias. *Id.* 33. *ibid.* 12. 55. (157). Tam opportuna injuriæ subtilitas erat. *tanto facile a rompersi.* ¶ 4. Sumitur etiam pro nimia severitate et sævitia, præcipue parentum in filios. *Ter. Heaut.* 5. 2. 39. Matres omnes filiis in peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria solent esse. *Id. ibid.* 1. 1. 85. (*Filius*) carens patria ob meas injurias. ¶ 5. Hinc et pro vindicta injuriæ. *Liv.* 42. 1. *extr.* Injuria consulis, etiam si justa, non tamen in magistratu exercenda. *Est qui ita vult legi.* *Virg.* 3. *Æn.* 256. dira fames nostræque injuriæ cædis. ¶ 6. Concreto, uti ajunt, sensu de rebus dicitur, quæ per injuriam ablatæ sunt. *Liv.* 29. 1. *a med.* Partim edicto, partim judiciis, etiam in pertinaces ad obtinendam injuriam, redditis, suas res Syracusanis restituit.

INJŪRĬĀTUS, a, um. *V.* INJURIO.

INJŪRĬĒ, adverb. (Injurius). Sup. *Injuriissime.* — Injurie est injuriose. *Nævius* apud *Non. p.* 124. 31. *Merc.* Injurie facere. *Ammian.* 16. 12. *ad fin.* Quidam Julianum injuriissime Victorinum nominabant. *Alii rectius leg.* irrisive.

INJŪRĬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (Injuria). Part. *Injurians* et *Injuriatus.* — Injuriare est injuria afficere. *Cassiod.* 12. *Variar.* 30. Elephas læsus servat offensam, et longo post tempore reddere dicitur, a quo injuriatus esse sentitur. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 2. 14. p. 554. Achilles et Ajax quid unum omnes habent? Non tolerare injuriati. *Id. ibid.* Aut impassibilitas, aut non tolerantia quum injuriantur. *Vulgat. Ital.* (edente *A. Maio*) *Hierem.* 22. 3. Eripite direptum de manu injuriantis eam.

INJŪRĬOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (Injuria). Part. *Injuriatus* in fin. — Injuriari est injuriam facere, *fare ingiuria, ingiuriare*, ἀδικεῖν. *Seneca Constant.* 9. Omne fortuitum citra nos sævit atque injuriatur. *Al. aliter leg.* — Impersonaliter. *Tertull. advers. Gnost.* 6. Plus victoriatum est, quam injuriatum.

INJŪRĬŌSĒ, adverb. (injuriosus). Comp. *Injuriosius* et Sup. *Injuriosissime.* — Injuriose est cum injuria, *ingiuriosamente*, ὑβριστικῶς. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 7. § 21. Quæ in magistratibus injuriose decreverant. Adde *eumd.* 1. *ad Brut.* 13. *Id. pro leg. Manil.* 5. 11. Majores vestri sæpe, mercatoribus ac naviculatoribus injuriosius tractatis, bella gesserunt. *Augustin. de* 83. *quæstion. n.* 82. Quæ in eos, qui juste vivunt, injuriosissime cogitantur.

INJŪRĬŌSUS, a, um, adject. (injuria). Comp. *Injuriosior* et Sup. *Injuriosissimus* I. 1. — Injuriosus

I.) Proprie ¶ 1. Stricto sensu est qui injuriam infert, injurius, injustus, *ingiurioso*, ὑβριστής, ὑβριστικός. *Cic.* 1. *Off.* 14. 44. In eo peccant, quod sint injuriosi in proximos. *Seneca* 2. *Controv.* 12. *ante med.* Adversus patrem injuriosior. *Hadrian. Imp.* in ep. apud *Vopisc. Saturnin.* 8. Genus hominum seditiosissimum, injuriosissimum. *Cic.* 1. *Legg.* 14. 40. Injuriosa et facinorosa vita. *Id.* 4. *Herenn.* 25. 35. Avaritia, injuriosa appetitio alienorum. *Justin.* 13. 7. 10. Injuriosi exsilii omnibus se veniam dare dicit. *Cic. Balb.* 9. 24. In socios vero ipsos injuriosum et contumeliosum. *Forcellinus* h. l. damnosum interpretatus est. ¶ 2. Latiori sensu est damnosus, perniciosus, *nocevole, dannoso.* *Plin.* 17. *Hist. nat.* 24. 37. (227). Quum circumfossor injurioso ictu vitem verberavit.

II.) Translate. *Horat. Epod.* 17. 33. donec cinis Injuriosis aridus ventis ferar. *Id.* 1. *Od.* 35. 13. *ad Fortunam.* Injurioso ne pede proruas Stantem columnam.

INJŪRĬUM, perjurium. *Paul. Diac. p.* 110. 1. *Müll.* At *Müllerus* legit. Injurum, perjurum. *V.* INJURUS.

INJŪRĬUS, a, um, adject. (in *privat. et* jus) injuriosus, injustus, iniquus, *ingiurioso, ingiusto*, ὑβριστικός, ἄδικος. *Ter. Andr.* 2. 3. 2. Si id succenseat, ipsus sibi esse injurius videatur. Adde *eumd. Heaut.* 2. 3. 79. *Cic.* 3. *Off.* 23. 89. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extorquebit ne eam sapiens, si potuerit? negat, quia sit injurium. *Plaut. Aulul.* 4. 7. 19. Si mihi dat operam, me illi irasci injurium est. Sic *Ter. Hecyr.* 1. 1. 15. Injurium autem est ulcisci adversarios.

INJŪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *privat. et* juro). Part. *Injuratus* in fin. — Injurare est non jurare, *non giurare.* *Inscript.* opt. notæ apud *Marin. Frat. Arv.* p. 70. EX HAC LEGE MAGISTER MAGISTRATVE IVDICIVM DANTO: QVI INIVRAVERIT .... RECVPERATOREM VNVM COMMVNEM ADEVNTO SINGVLQVE

IVRANTO. — Hinc Part. præter. pass. seu potius mediorum more

Injuratus, a, um, sæpius occurrit, et est qui non juravit, *chi non ha giurato,* ἀνώμοτος. *Plaut. Amph.* 1. 1. 281. Injurato, scio plus credet mihi, quam jurato tibi. *Cic. Cæcin.* 1. 3. Quum id jurati dicunt, quod ego injuratus insimulo. *Liv.* 10. 41. *a med.* Pariter jurati injuratique fugiunt. *Quintil.* 15. 7. 5. Non ipsos esse testes, sed injuratorum afferre voces. *Al. leg.* injuriatorum. *Cic.* vertens *Euripidis* versum 3. *Off.* 29. 108. Juravi lingua, mentem injuratam gero.

INJŪRUS, a, um, adject. (in *privat.* et juro) injurius, injustus, exlex, ut *perjurus. Plaut. Pers.* 3. 3. 4. Impure, inhoneste, injure, illex, labes populi. *Al. leg.* injurie. *V.* et INJURIUM.

INJUSSUS, a, um, adject. (in *privat.* et jussus) non jussus, *non comandato,* ἀκέλευστος.

I.) Proprie. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 1. Omnibus hoc vitium est cantoribus inter amicos Ut numquam inducant animum cantare rogati, Injussi numquam desistant. *Val. Flacc.* 6. 497. Deseris heu nostrum nemus æqualesque catervas, Ah misera, ut Grajas haud sponte vageris ad urbes! Non injussa tamen. *Lucan.* 7. 37. Te mixto flesset luctu juvenisque senexque Injussusque puer. *Virg.* 6. *Ecl.* 9. Non injussa cano.

II.) Translate sumitur pro spontaneo, vel naturali. *Horat. Epod.* 16. 49. injussæ veniunt ad mulctra capellæ. *Virg.* 1. *G.* 55. aut injussa virescunt Gramina. *Colum.* 10. *R. R.* 16. injussi (*tellus*) consternitur ubera mali. *Lucan.* 6. 84. Classica nulla sonant; injussaque tela vagantur. *h. e.* temere emissa. Al. leg. *invisaque. Seneca Ep.* 11. Nihil adversus hæc (*quæ scil. a natura proficiscuntur*) sapientia promittit, nihil proficit: sui juris sunt, injussa veniunt, injussa discedunt.

INJUSSUS, us, m. 4. (in *privat.* et jussus) sine jussu, alio non præcipiente, *senza comandamento,* ἀπαραγγέλτως: usurpatur enim fere in Ablativo. *Cic. Senect.* 20. 73. Vetatque Pythagoras, injussu imperatoris, id est Dei, de præsidio et statione vitæ decedere. *Id. Balb.* 15. 34. Populus Romanus non potest injussu suo religione obligari. *Sall. Jug.* 39. Senatus ita, uti par fuerat, decernit, suo atque populi injussu nullum potuisse fœdus fieri. *Liv.* 3. 63. Senatus in unum diem supplicationes decrevit: populus injussu et altero die frequens iit supplicatum. *Id.* 4. 32. *ad fin.* Magistro equitum præcipit, ne injussu pugnam incipiat. Adde *eumd.* alibi sæpe; et V. *Drakenb.* ad *eumd.* 7. 12. *Auct. B. Afr.* 61. Pars equitatus injussu ac temere longius progressi etc. *Sueton. Tib.* 2. Injussu populi. *Curt.* 4. 13. 19. Nec miles injussu ducis aut arma capere poterat, aut in ordines ire. Adde *eumd.* 7. 6. 12.

INJUSTĒ, adverb. (injustus). Sup. *Injustissime* 2. — Injuste ¶ 1. Generatim est injuriâ. *Cels.* 7. 3. Morbus ipse, sive subito solutus est, sive permanet, non injuste terret. *non senza ragione,* non injuria. ¶ 2. Speciatim ac sæpius est inique, injuriose, *ingiustamente,* ἀδίκως. *Plaut. Capt.* 2. 2. 58. Injuste imperare alicui. *Id. Bacch.* 3. 3. 59. Dicere injuste in aliquem. *Id. Pœn.* 5. 2. 77. Loqui injuste alicui. *sparlare. Cic. Flacc.* 17. 41. Facis injuste, Læli, si putas periculo nostro vivere tuos contubernales. Sic *Nepos Themist.* 7. Lacedæmonios male et injuste facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod universæ Græciæ utile esset. Rursus *Cic.* 2. *Fin.* 18. 57. Quam multa vero injuste fieri possunt, quæ nemo possit reprehendere! et 1. *ibid.* 16. 52. Neque homini infanti, aut impotenti, injuste facta conducunt. *Sall. Jug.* 85. Injustissime luxuria et ignavia, pessimæ artes, illis qui coluere eas, nihil officiunt, reipublicæ innoxiæ cladi sunt. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 73. Inter quæ verbum emicuit si forte decorum et Si versus paullo concinnior unus et alter, Injuste totum ducit venditque poema. *Quintil.* 6. 3. 95. Aliquid injuste rogare. *Id.* 6. *procem.* 14. Non injuste petierim moræ veniam. *Id. procem.* 2. Injungere laborem non injuste. *Sidon.* 2. *Ep.* 8. *in carm.* Atque in temporibus vigentis ævi Injuste tibi justa persoluta.

INJUSTĪTĬA, æ, f. 1. (injustus). ¶ 1. Est iniquitas, *ingiustizia, iniquità,* ἀδικία. *Cic.* 1. *Off.* 7. 23. Sed injustitiæ duo genera sunt, unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam. *Id. ibid.* 13. 41. Totius autem injustitiæ nulla capitalior est, quam eorum, qui tum quum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. ¶ 2. Speciatim est nimia severitas. *Ter. Heaut.* 1. 1. 82. Ego eum hinc ejeci injustitia mea. *indiscretezza.*

INJUSTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

INJUSTUS, a, um, adject. (in *privat.* et justus). Comp. *Injustior* I. 2.; Sup. *Injustissimus* I. 1. et II. — Injustus est non justus, qui a justitia et ratione recedit, sive excedendo, sive deficiendo, ἄδικος (It. *ingiusto, irragionevole, indiscreto;* Fr. *injuste, méchant, excessif;* Hisp. *injusto, irracionable, excesivo;* Germ. *ungerecht, was gegen das Recht ist, unbillig, unangemessen;* Angl. *unjust, wrongful, iniquitous, unreasonable*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic. Orat.* 10. 35. Ut si sustinere tantam quæstionem non potero, injusti oneris impositi tua culpa sit. *h. e.* immodici et meas vires excedentis. Sic *Virg.* 3. *G.* 346. acer Romanus in armis Injusto sub fasce viam quum carpit. *Liv.* 4. 25. Fœnus injustum. *Ovid.* 5. *Met.* 211. Pœnitet injuste nunc denique Phinea belli. *h. e.* quod imparibus viribus agebatur. Sic *Stat.* 6. *Theb.* 774. injustis collatum viribus hostem. *h. e.* iniquis, imparibus, majoribus. *Arnob.* 2. 13. Non injustissimum ducitis illudere tamquam stulta nobis et bruta dicentibus; quum vel ea, vel talia reperiamini et nos dicere? ¶ 2. Speciatim est non rectus, severus. *Ter. Adelph.* 1. 2. 18. Homine imperito numquam quidquam injustius, qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 57. Vir maleficus natura et injustus. *Id. Flacc.* 38. 97. Nemo erit tam injustus, quin potius de præmiis meis, quam de pœna cogitandum putet. *Virg.* 3. *Ecl.* 33. Injusta noverca. Adde *Quintil.* 12. 1. 35. *Val. Flacc.* 4. 474. Teque, ait, injusti, quæ nunc premis, ira Tonantis, Ante precor; nostræ tandem jam parce senectæ. *Ter. Heaut.* 1. 2. 18. Quam multa injusta ac prava fiunt moribus! *Quintil.* 2. 17. 31. Injusta causa.

II.) Translate. — 1.°) Active. *Liv.* 7. 29. Samnites Sidicinis injusta arma quum intulissent. *Ovid. Heroid.* 12. 176. injustis auribus apta loqui. *h. e.* iniquis, inimicis. *Id.* 3. *Pont.* 4. 73. lædere viros Livor, et injusto carpere dente solet. *h. e.* invido, maligno. *Id.* 2. *Amor.* 11. 12. Injustum mare. *h. e.* æque iniquum omnibus. *Seneca Troad.* 545. Est quidam injustus dolor rerum æstimator. *Sueton. Claud.* 38. Injusta iracundia. — 2.°) Passive. *Cic.* 2. *Orat.* 50. 203. Ut illam non Norbani seditionem, sed populi Romani iracundiam, neque eam injustam, sed meritam ac debitam fuisse, defenderes. *Id.* 3. *Off.* 21. 82. Id quam injustum in patriam, quam inutile, quam turpe esset, non videbat. *Id.* 5. *Fam.* 17. Injustissima atque acerbissima incommoda. *Ovid.* 5. *Met.* 277.; et *Val. Flacc.* 6. 608. injustaque regna tenebat. *h. e.* injustis artibus parta. *Val. Flacc.* 1. 278. ut steterit redimitus tempora vittis Phrixus; et injustas contectus nubibus aras Fugerit. — Hinc

Injustum, i, n. 3. absolute, substantivorum more, est injustitia, *ingiustizia. Horat.* 1. *Sat.* 3. 111. Jura inventa metu injusti, fateare necesse est. *Quintil.* 12. 7. 7. Injusta tueri. *Id.* 2. 15. 18. De justis et injustis tractare. Adde *eumd.* 12. 1. 34.

INJŬVĔNESCO, is, ere, n. 3. (in et juvenesco) valde juvenesco. *Lactant. Plac.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 137.) *fab.* 138. Eisdem remediis, quibus et Æson injuvenescebat, Liberi nutrices in juvenilem vigorem redigens (*Medea*), Libero æternum secum beneficii pignus firmavit.

INLĂQUEĀTUS, a, um. *V.* ILLAQUEATUS.

INLARGĬO, is, ire, a. 4. (in et largus) idem quod largior. *Cato* apud *Non. p.* 470. 27. *Merc.* Pecuniam inlargibo tibi.

INLEX, licis. *V.* ILLEX.

INLĬCĬTĀTOR, emptor. *Paul. Diac. p.* 113. 14. *Müll. V.* ILLICITATOR.

INLĬCĬUM. *V.* ILLICIUM.

INLIGA, ōrum. n. plur. 2. Occurrit hæc vox in *Inscript. Bullett. Archeol. ann.* 1839. *p.* 184. et est apud *Henzen.* 5495. ISIDI REGINÆ OB REMISSA EXACTA INLIGA POPVLO A MAX. IMPERAT. SEVERO ET ANTONIN. AVGG. C. SVAVLNIVS FAVSTINVS V. S. L. M. Cl. *Borghesius* in *Bullett. loc. cit.* verbum *liga* cum *lega* Italorum componendum et ad monetam referendum esse suspicatus est.

INLITTĔRĀTUS. *V.* ILLITTERATUS.

INLŎQUĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et loquor) quod dici nequit. *V.* SEMIVOCALIS.

INLŪDĬA. *V.* ILLUDIA.

INLŪDUS, i, adject. m. (in *privat.* et ludus) qui est sine ludis. *Inscript. Pompej.* apud *Garucc. tab.* XX. IANVARIVS INLVDVS.

INLŪTUS. *V.* ILLOTUS.

INNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et no) innavigabilis, *che non si può nuotare, o navigare. Ovid.* 1. *Met.* 16. Sic erat instabilis tellus, innabilis unda.

INNARRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et narro) inenarrabilis. *Lactant. carm. de Phœnic.* 54. *ex MS. Voss.* Innarrabilibus nocte dieque sonis. *Al. rectius leg.* Non errabilibus. Hæc vox legitur etiam in *Not. Tir. p.* 72.

INNASCĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et nascor) qui nasci non potest. *Tertull. Præscript. advers. Hæret.* 46. Innascibilem virtutem, idest Deum.

INNASCOR, nasceris, nātus sum, nasci, dep. 3. (in et nascor). Part. *Innatus* I. et II. — Innasci est nasci, simul nasci, *nascere,* ἐμφύομαι.

I.) Proprie. *Horat. Art. P.* 245. Fauni innati triviis. *Justin.* 2. 6. 4. Eodem innati solo, quod incolunt. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 37. Neglectis urenda filix innascitur agris. *Ovid. Heroid.* 7. 37. innataque rupibus altis Robora. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 32. 50. (118). Innata in cornibus cervi hedera. *Scribon. Compos.* 145. innatus lapis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 47. (131). Calvitium uni tantum animalium homini, præterquam innatum. *h. e.* exceptis iis, quibus naturale est, ut corvis aquaticis etc. *Id.* 37. *ibid.* 7. 25. (93). Carbunculi innato fulgore radiantes. *Sillig.* vero ex multis Codicib. leg. *pinnato.*

II.) Translate. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 71. Non mihi avaritia umquam innata est. *Ter. Andr.* 4. 1. 1. Innata vecordia. *Id. Hecyr.* 4. 1. 28. Innatum vitium. *Cic.* 1. *Off.* 19. 61. Quod in hac elatione et magnitudine animi facillime pertinacia et nimia cupiditas principatus innascitur. *Id.* 4. *Fin.* 2. 4. Nos habere insitam quamdam, vel potius innatam cupiditatem scientiæ. *Id.* 6. *Verr.* 48. 106. Hoc Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum atque innatum esse videatur. *Id. Topic.* 18. 69. Innata atque insita anteponantur assumptis atque adventiciis. *Cæs.* 1. *B. G.* 41. Conversæ sunt omnium mentes, summaque alacritas et cupiditas belli gerendi innata est. *Id.* 7. *ibid.* 42. Iracundia et temeritas, quæ maxime illi hominum generi est innata. *Id.* 3. *B. C.* 92. Alacritas naturaliter innata omnibus. *Ovid.* 6. *Met.* 458. Innata libido. *Quintil.* 9. 3. 74. Affectatio innata, non arcessita. *Plin. Paneg.* 20. Affectata aliis castitas, tibi ingenita et innata.

INNĀTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et nato). Part. *Innatans* I. 1. et II. 1. — Innatare est super aquam natare, fluitare, supernatare, ἐπινήχομαι, ἐπιπολάζομαι (It. *galleggiare, star sopra l'acqua, sornuotare;* Fr. *nager sur, surnager, flotter;* Hisp. *sobrenadar, nadar encima de, fluctuar;* Germ. *auf etwas schwimmen;* Angl. *to swim or float upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Cum Accusativo. *Virg.* 2. *G.* 451. torrentem undam levis innatat alnus. — *b*) Cum Dativo. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 38. (93). Homines flumini innatant. *Id.* 18. *ibid.* 35. 86. (360). Aquis innatans pluma. *Id.* 23. *ibid.* 1. 22. (38). Dulce vinum minus inebriat, sed stomacho innatat. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 59. lactuca innatat acri Post vinum stomacho. *Scribon. Compos.* 37. Rursus invertere oportet palpebram, atque ita pollice impresso membranas innatantes abducere. — c) Absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 100. Belluæ partim submersæ, partim fluitantes et innatantes. *Sed Orellius prætulit lectionem* innantes. *Colum.* 12. *R. R.* 4. 5. Ubi non innatent, sed semper sint jure submersa. ¶ 2. Est etiam in aliquem locum natare, adnatare, *entrare nuotando,* εἰσνέω. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 123. Quum pisciculi parvi in concham hiantem innataverint. ¶ 3. Hinc latiori sensu ponitur pro influere, inundare. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (54). Nilus fecundus innatat terræ. *si spande.* Sic *Plin. alter* 8. *Ep.* 17. Flumen campis innatat. et *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 63. Innatat unda freto dulcis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Quintil.* 10. 7. 28. ita enim servabitur pondus, et innatans illa

verborum facilitas in altum reducetur. *superficiale ed esterna.* Loquitur de extemporali dicendi facultate. *Id.* 7. 1. 44. Hæc veluti innatantia videbunt. *h. e.* exstantia, manifesta, in oculos incurrentia. ¶ 2. Speciatim et eleganter de comis dicitur. *Val. Flacc.* 3. 525. tenui vagus innatat unda Crinis, ad obscuræ decurrens cingula mammæ. — Hinc de radicibus *Colum.* 4. *R. R.* 1. 7. Humus condensata subsidit, ac velut innatantes radices vitium summo solo destituit.

INNĀTŪRĀLIS, e, adject. (in *privat. et* naturalis) non naturalis, *innaturale. Boeth.* in *Aristot. Categ.* 3. *p.* 178. Quoniam quum verecundia fit, in os omnis sanguis egreditur, ita quoque fit rubor ex sanguinis progressione. Quocirca si hoc ex innaturali passione contigerit, naturali facies rubore perfunditur.

INNĀTUS, a, um, particip. ab INNASCOR, quam vide. *V.*

INNĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* natus) non natus, *non nato. Tertull. advers. Hermog.* 5. et 18. Innatus Deus: an non et innata materia? *Prudent. Apotheos.* 215. natum scimus ab innato. Adde *eumd. ibid.* 80.

INNĀVĪGĀBĪLIS, e, adject. (in *privat. et* navigo) ubi quis navigare non potest, *innavigabile*, ἄπλοος. *Liv.* 5. 13. Insignis annus (*U. C.* 354.) hieme gelida ac nivosa fuit, adeo ut viæ clausæ, Tiberis innavigabilis fuerit.

INNĀVĪGO, as, are, n. 1. (in *et* navigo) aliquo navigare. Occurrit Part. *Innavigans* apud *Melam* 2. 1. *ab init.* Europe est modo sinistro latere innavigantium apposita. *Avien. Or. mar.* 167. Et si quis hanc innavigando accesserit. *Al. leg.* in navigando.

INNECTO, nectis, nexui, nexum, nectere, a. 3. (in *et* necto). *Innectier* paragoge pro *innecti* est apud *Prudent. Psychom.* 357. — Part. *Innectens* I.; *Innexus* I. et II. — Innectere est colligare, adnectere, circumligare, ἐμπλέκω, ἐνείρω (It. *legare insieme, legare, cingere, stringere, aggruppare*; Fr. *lier, enlacer, attacher, unir, ourdir*; Hisp. *ligar, atar, travar, unir, enlazar, liar*; Germ. *an-, verknüpfen, zusammenknüpfen*; Angl. *to tie, bind, or fasten, about*).

I.) Proprie. *Virg.* 7. *Æn.* 351. fit tortile collo Aurum, ingens coluber: fit longæ tænia vittæ, Innectitque comas. *Id.* 8. *ibid.* 661. lactea colla Auro innectuntur. *Id.* 5. *ibid.* 425. Et paribus palmas amborum innexuit armis. *h. e.* cæstibus palmas induit. *Ovid.* 5. *Trist.* 3. 3. Innectere tempora sertis. *Id.* 10. *Met.* 378. fauces laqueo. *Val. Flacc.* 6. 111. jubas ferro. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 22. Mancipia compedibus diligenter innexa. *Prudent. Psychom.* 357. rigidas nodis innectier ulnas. *Ovid.* 11. *Met.* 240. Innectere colla lacertis. *Stat.* 4. *Theb.* 26. brachia collo. *Tac.* 4. *Hist.* 46. Innecti cervicibus. *h. e.* amplecti cervices. *Ammian.* 15. 4. Equorum dorsis innexi. *Stat.* 1. *Theb.* 511. ambos innectens manibus, tecta ulterioris ad aulæ Progreditur. *prendendogli per la mano. Horat. Epod.* 17. 72. Innectere vincla gutturi. *Plerique tamen rectius leg.* nectere. *Sil. It.* 11. 250. huic meritas innecte catenas. *Bentlej.* ad *Horat. loc. cit.* negat *innectere vincula alicui* Latine dici: sed non videtur probare. *Claudian* 2. *Rapt. Pros.* 211. innectere retia lustris. *tendere.* — Part. *Innexus* cum Accusativo, Græco more. *Virg.* 5. *Æn.* 510. *de columba.* nodos et vincula rupit, Queis innexa pedem malo pendebat ab alto. *Id.* 6. *ibid.* 281. Vipereum crinem vittis innexa cruentis. *Id.* 7. *ibid.* 669. Herculeoque humeros innexus amictu.

II.) Translate. *Virg.* 4. *Æn.* 51. causas innecte morandi. *h. e.* aliam super aliam affer morandi causam. *Stat.* 5. *Theb.* 743. plures moras innectere. *Virg.* 6. *Æn.* 609. fraus innexa clienti. *h. e.* conflata, parata. *Ammian.* 15. 2. Insidias letales alicui innectere. *Tac.* 3. *Ann.* 10. Innexus conscientiæ alicujus. *conscio, complice. Ammian.* 25. 1. Saraceni nostrorum metu peditum repedare compulsi, paulo postea innexi Persarum multitudine tutius irruebant. *Tac.* 6. *Ann.* 36. Artabanus Hyrcanis Carmaniis per affinitatem innexus. *h. e.* conjunctus. Sic *Id.* 4. *Hist.* 68. Arrecinus Clemens domui Vespasiani per affinitatem innexus. *Seneca Ep.* 95. *n.* 88. Sed nihil agetur, si ignoramus, quid sit virtus: una sit, an plures: separatæ, an innexæ. *Al. leg.* annexæ. *Gell.* 19. 2. Motus animi innexi implicatique vigoribus quibusdam mentium. *Seneca Hippol.* 416. Innectere mentem. *h. e.* veneficio illigare.

INNERVIS, e, adject. (in *privat. et* nervus) sine nervis, atque adeo effeminatus, enervis, *molle. Sidon.* 1. *Ep.* 6. Ad majora se pingui otio marcidus et innervis animus attollat.

INNEXUS, a, um. *V.* INNECTO.

INNEXUS, us, m. 4. (innecto) vinculum. Translate *Apul.* 2. *Met.* Innexu germanitatis una coaluimus. *At rectius divisim legitur* in nexu.

INNĪDĪFĪCO. *V.* loc. *Plinii* in INÆDIFICO.

INNĪSUS, a, um. *V.* voc. seq.

INNĪTOR, niteris, nixus *vel* nisus sum, niti, dep. 3. Pro *innixus* dicitur etiam *innisus*, ut ab *enitor enisus. Tac.* 2. *Ann.* 29. Lectica delatus ad fores curiæ, innisusque fratri etc. *V.* Part. *Nixus* in v. NITOR. — Part. *Innitens* I.; *Innixus* I. et II. 1. et in fin. — Inniti est in aliqua re niti, incumbere, inhærere, ἐνισχυρίζομαι (It. *appoggiarsi, sostentarsi*; Fr. *s'appuyer sur, se soutenir sur, être fixé par*; Hisp. *apoyarse, estribar, sostenerse, descansar sobre alguna cosa*; Germ. *sich stützen, stemmen, lehnen an oder auf etwas*; Angl. *to lean or rest upon, recline upon*).

I.) Proprie. — 1.°) Stricto sensu — *a*) Cum Dativo. *Ovid.* 3. *Met.* 599. Dque leves saltus, udæque innitor arenæ. *fermo il piede sull'arena. Stat.* 12. *Theb.* 144. Debilis carpit iter, fractæque innititur hastæ. — *b*) Cum Ablativo, qui tamen sæpe et Dativus esse potest. *Liv.* 4. 19. Et ipse hasta innixus se in pedes excepit. *Ovid.* 15. *Met.* 726. innixus moderamine navis. *Cæs.* 2. *B. G.* 27. Ut etiam qui vulneribus confecti procubuissent, scutis innixi prælium redintegrarent. *Ovid.* 14. *Met.* 656. Innitens baculo. *Id.* 3. *Amor.* 1. 31. pictis innixa cothurnis. *Id.* 7. *Met.* 401. avis innixa alis. *che si sostenta sull'ali e vola. Id.* 3. *Pont.* 2. 49. templa vastis innixa columnis. *Curt.* 4. 6. 24. Innixus telo. *Sueton. Ner.* 43. humeris. *Id. Cæs.* 57. inflatis utribus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 31. 56. (127). Arbores radicibus innituntur. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *in. Plin.* 7. *Hist. nat.* 53. 54. (182). In Pansam fratrem innixus. Cf. *Nepot. Att.* 2. Hos ut venisse videt, in cubitum innixus, Quantam, inquit, curam etc. — *d*) Absolute. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (185). Vineis breves ad innitendum cannas circumdare. *Capell.* 1. *p.* 17. Juppiter læva enneaphthongon chelyn innitenti similis imprimebat. — 2.°) Latiori sensu inniti etiam dicitur de eo, qui incumbit premendi causa. *Auct. B. Afr.* 84. Quum elephantus lixam sub pede subditum, deinde genu innixus, pondere suo premeret atque enecaret.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic. Harusp. resp.* 27. 60. Vix hæc, si undique fulciamus, jam labefacta, vix, inquam, innixa in omnium nostrum humeris cohærebunt. *Klotz.* vero leg. *nixa. Quintil.* 6. 1. 35. Omnia curæ tutelæque unius innixa. *Tac.* 3. *Ann.* 30. Præcipuus, cui secreta imperatorum innitebantur. *si confidassero. Id.* 15. *ibid.* 60. Salutem suam incolumitati Pisonis inniti. *Id. Dial. de orat.* 2. Tamquam majorem industriæ et laboris gloriam habiturus, si ingenium ejus nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur. *Id.* 13. *Ann.* 14. Nero infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur. *Plin. Paneg.* 66. Tuisque promissis freti et innixi. ¶ 2. Speciatim in re grammatica. *Quintil.* 12. 10. 32. Syllabæ nostræ in *b* litteram et *d* innituntur. *h. e.* desinunt et veluti incumbunt. — Hinc Part. præter., cujus plurima superius exempla retulimus,

Innixus, a, um, adjective quoque occurrit, ut *innixum sidus* apud *Avien. Arat.* 205. est Engonasi. *V.* hanc vocem.

INNĪTENS, entis, particip. ab inusit. *inniteo*, valde nitens. *Capell.* 2. *p.* 47. Transcursa, lector, parte magna fabula, Quæ tam morosis implicata ductibus Tenui lucernam palpitare lumine Coegit instans innitens crepusculum. *Koppius* ita edidit; at pro *innitens* reponendum *imminens* putat, crepusculum enim vix nitet. Num potius legendum *instans in* (h. e. usque in) *nitens crepusculum*, ut grammatica ratio constet?

INNIXUS, a, um. *V.* INNITOR.

INNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* no). Part. *Innans* 1. et 3. — Innare ¶ 1. Generatim est in aliquo loco nare, innatare, *nuotare*, ἐννέω. — *a*) Absolute. *Virg.* 10. *Æn.* 222. innabant pariter, fluctusque secabant. *Ammian.* 14. 2. Dum innare temere contextis ratibus parant. — *b*) Cum Dativo, vel Ablativo. *Liv.* 21. 26. *extr.* Alveos informes (nihil, dummodo innare aquæ, et capere onera possent, curantes) raptim faciebant. *stare a galla. Tac.* 1. *Ann.* 70. Quo levior classis vadoso mari innaret. *Virg.* 8. *Æn.* 93. fluvio pictas innare carinas. *Id. ibid.* 691. pelago credas innare revulsas Cycladas. *Sil. It.* 12. 448. Innabat pelago classis. *Sueton. Ner.* 12. Marina aqua innantes belluæ. Adde *Colum.* 10. *R. R.* 388. — *c*) Cum Accusativo. *Virg.* 3. *Æn.* 142. fluviosque innare rapaces. *passare a nuoto.* Sic *Id.* 8. *ibid.* 651. Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis. ¶ 2. Speciatim est navigando transire. *Virg.* 6. *Æn.* 134. Stygios innare lacus. ¶ 3. Item speciatim pro fluere, super fluere. *Horat.* 3. *Od.* 17. 7. dicitur Princeps et innantem Maricæ Litoribus tenuisse Lirim. *h. e.* Lirim placide fluentem, ubi venit ad litora et nemus Maricæ.

INNŎBĪLĪTĀTUS, a, um, adject. (in *et* nobilis) ignobilis. *Lamprid. Elagab.* 4. Quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitatæ remanerent.

INNŎCENS, entis, adject. (in *privat. et* noceo). Comp. *Innocentior* I.; Sup. *Innocentissimus* II. 1. — Innocens est qui non nocet, innocuus, innoxius, *innocuo*, ἄκακος, ἀβλαβής.

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Fam.* 18. *in fin.* Epistolam tuam conscidi innocentem: nihil enim habebat, quod non vel in contione recte legi posset. *Martial.* 1. 83. Innocens ruina. *Tac.* 1. *Hist.* 56. Spectator flagitii Hordeonius Flaccus consularis legatus aderat, non compescere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos ausus, sed segnis, pavidus et socordia innocens. *Horat.* 1. *Od.* 17. 21. innocentis pocula Lesbii ducere. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 67. (132). Quis alius ejus pomis innocentior cibus.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est qui nocet nemini, atque adeo, qui honestus, rectus, integer est. — *a*) Sæpissime de personis occurrit. *Ennius* apud *Rufinian. de fig. sent. et eloc.* 37. *Ruhnk.* Pro malefactis Helena redeat, virgo pereat innocens? Tua reconcilietur uxor, mea necetur filia? *Plaut. Capt.* 3. 5. 7. Decet innocentem servum atque innoxium, confidentem esse, suum apud herum potissimum. *Ter. Adelph.* 2. 1. 1. Ferte misero atque innocenti auxilium. *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 41. Innocens is dicitur, non qui leviter nocet, sed qui nihil nocet. *Id. Rosc. Am.* 20. 56. Innocens si accusatus sit, absolvi potest: nocens nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. *Id.* 6. *Verr.* 4. 7. Vir integer, innocens, religiosus. *Id. Brut.* 48. 179. Erat et bonus vir et innocens. *Id.* 4. *Verr.* 33. 88. Innocentissimo patre privatus est. *Martial.* 3. 44. Vir justus, probus, innocens. *Curt.* 6. 10. 1. Verba innocenti reperire facile est. *Ammian.* 29. 1. Nocentes innocentesque maligna insectatione perurgebat. *Inscript.* apud *Henzen.* 5213. AVRELIAE THEODOSIAE BENIGNISSIMAE ET INCOMPARABILI FEMINAE AVRELIVS OPTATVS CONIVGI INNOCENTISSIMAE — B. M. F. — Cum Genitivo. *Tac.* 4. *Ann.* 34. Verba mea arguuntur: adeo factorum innocens sum. *Flor.* 4. 1. 6. Innocens parricidii. — Cum Ablativo. *Vellej.* 2. 2. *med.* Homo vita innocentissimus. — *b*) De rebus. *Tac. Agric.* 45. Innocenti sanguine perfundi. *Plin.* 33. *Hist. nat. proœm.* 1. 3. Innocens et beata vita. *Vellej.* 1. 11. 6. Innocentes contentiones. *senza acrimonia.* ¶ 2. Speciatim innocens dicitur, qui abstinet se ab alieno, et manus continet, ne quidquam cuiquam detrimenti in re sua inferat: quæ laus est præcipua magistratuum provincialium. *Cic.* 2. *Verr.* 4. 12. Siciliam ita vexavit ac perdidit, ut vix per multos annos innocentesque prætores recreari posse videatur. *Sall. Cat.* 54. *de Catone.* Cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente modestia certabat. *Sueton. Vitell.* 2. Vir innocens et industrius. Adde *Plin. Paneg.* 28.

INNŎCENTER, adverb. (innocens). Comp. *Innocentius* et Sup. *Innocentissime.* — Innocenter est sine noxa, sine culpa, innoxie, *innocentemente*, ἀβλαβῶς. *Quintil.* 7. 4. 18. Innocenter vivere. *Tac.* 4. *Ann.* 44. Opes innocenter paratæ et modeste habitæ. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 32. 75. (321). Omnia, quæ cæduntur, carpuntur, conduntur, innocentius decrescente luna, quam crescente fiunt. *h. e.* salubrius, melius, a damno magis procul. *Tac.* 1. *Hist.* 9. Innocentius agere. *Auct. declam. in Sall.* 2. Vita innocentissima acta.

INNŎCENTĬA, æ, f. 1. (innocens) qualitas ejus, qui nemini nocet, vel damnum infert, *innocuità*, *ἀβλάβεια*, *ἀκακία*.

I.) Proprie. *Tac.* 14. *Ann.* 51. Segnis innocentia alicujus. *che non ha fatto nè bene, nè male.* *Plin.* 37. *Hist. nat.* 13. 77. (201). Italia principatum obtinens nemorum salubritate, ferarum animalium innocentia, soli fertilitate etc. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 11. Nocentes spiritus innocentia fumi graveolentis exagitat.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est probitas, integritas, justitia, sanctitas, *innocenza*. *Cic.* 3. *Tusc.* 8. 16. Innocentia, quæ apud Græcos usitatum nomen ullum habet, sed habere potest *ἀβλάβειαν*. Nam est innocentia affectio talis animi, quæ noceat nemini. *Id.* 3. *Phil.* 10. 25. Vir summa integritate atque innocentia. *Crassus* apud *Cic. Orat.* 65. 219. Ubi lubido dominatur, innocentiæ leve præsidium est. *Sall. Jug.* 85. Alii si deliquere, vetus nobilitas, majorum fortia facta, cognatorum et adfinium opes, multæ clientelæ, omnia hæc præsidio adsunt: mihi spes omnes in memet sitæ, quas necesse est virtute et innocentia tutari; nam alia infirma sunt. *Liv.* 2. 3. Periculosum esse in tot humanis erroribus sola innocentia vivere. *Id.* 39. 40. Rigidæ innocentiæ Cato erat. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 32. (59). Silva turis, divisa certis portionibus, mutua innocentia tuta est. *h. e.* dum nemo eorum, quibus eæ portiones contigere, alteri nocet. Adde *Curt.* 6. 10. 14.; *Quintil.* 7. 2. 37. et 11. 1. 2.; et *Tac.* 4. *Hist.* 58. et *Agric.* 45. ¶ 2. Speciatim est abstinentia, ut in INNOCENS II. 2. dictum est; et rapacitati atque avaritiæ opponitur. *M. Cato* apud *Cic.* 15. *Fam.* 5. Tuam virtutem, innocentiam, diligentiam cognitam in maximis rebus, domi togati, armati foris, pari industria administrari gaudeo. *V.* integram epist. *Cic. pro leg. Manil.* 13. 36. Ac primum quanta innocentia debent esse imperatores! *Cæs.* 1. *B. G.* 40. Suam innocentiam (quæ *ibid.* opponitur *avaritiæ*) perpetua vita esse perspectam. Adde *Nepot. Arist.* 1. et 2.; *Sall. Jug.* 46.; *Sueton. Vitell.* 5.; et *Plin. Paneg.* 49.

INNŎCŬE, adverb. (innocuus) non nocendo, *ἀβλαβῶς*. *Ovid.* 1. *Art. am.* 640. Innocue vivere. *Sueton. Domit.* 19. Sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent. *Al. leg.* innocuo; *sed rectius legendum* innocuæ.

INNŎCŬUS, a, um, adject. (in *privat.* et noceo)

I.) Proprie, ¶ 1. Active est qui non nocet, innoxius, *che non nuoce*, *ἀβλαβής*. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 34. 52. (123). Luporum genus innocuum homini. Cf. *Ammian.* 18. 7. Innocui leones. Rursus *Plin.* 18. *Hist. nat.* 17. 44. (152). Imber leguminibus innocuus. *Ovid.* 14. *Met.* 299. Spargimur innocuæ succis melioribus herbæ. *Sueton. Domit.* 19. Innocuæ sagittæ. *V.* INNOCUE. *Ammian.* 20. 7. Parthi nostris innocui. *Ovid.* 4. *Fast.* 800. Æneas, innocuum cui dedit ignis iter. *Virg.* 7. *Æn.* 229. Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus Innocuum. *h. e.* quod sine aliorum damno possideamus. ¶ 2. Passiva cui non nocetur, *senza lesione*. *Virg.* 10. *Æn.* 302. sedere carinæ Omnes innocuæ. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 330. Fida per innocuas errent incendia turres. *illese.* Sic *Id.* *IV. Cons. Honor.* 195. Innocuus flagrarat apex. et *Lucan.* 3. 482. Innocua tecta. *Ammian.* 16. 2. Innocuos abire perpessus est. *et* 29. 1. *extr.* Innocuus abscessit.

II.) Figurate est integer, probus, justus, sanctus. *Ovid.* 9. *Met.* 373. Viximus innocuæ. *Id.* 2. *Trist.* 273. Agere causas innocuas. *h. e.* innocentium. *et* 3. *ibid.* 9. 26. Innocuum rigido perforat ense latus.

INNŌDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INNŌDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et nodus). Part. *Innodatus* I. et II. — Innodare est nodo constringere, *annodare*, *legare*, *περισφίγγω*.

I.) Proprie. *Ammian.* 28. 6. *ad fin.* Innodato gutture laquei nexibus interire. Adde *eumd.* 30. 2. Sic *Ambros.* in *Psalm.* 118. *serm.* 8. Altis enim cervicibus cito laqueus innodatur.

II.) Translate. *Sidon.* 9. *Ep.* 9. *sub fin.* Spiris categoricis lubricas quæstiones innodare. *Imp. Justinian. Cod.* 4. 31. 14. Si causa liquida sit et non multis ambagibus innodata. *h. e.* implicata, involuta, obscura.

INNŌMĬNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et nomino) qui nomine significari non potest, *che non si può nominare*, *ἀνώνυμος*. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Indictus, innominabilis. *Tertull. advers. Valentinian.* 37. Inexcogitabilis, inenarrabilis, innominabilis. *Capell.* 1. *p.* 19. Quamvis intus dii, quos innominabiles Sacra vis testatur, intrarent.

INNŌMĬNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et nominatus) non nominatus, *innominato*. *Boeth.* in *Aristot. libr. de interpr.* 2. *ed. sec. p.* 250. Subjectum illud aut nomen est, aut quod apud veteres quidem fuit innominatum, ab Aristotele vero infinitum nomen vocatus est: prius enim dictum est, quod homo nomen esset; non homo vero innominatum quidem apud antiquos, sed nunc infinitum nomen.

INNŌTĀTUS, a, um. *V.* INNOTO.

INNŌTESCO, nōtescis, nōtui, nōtescere, n. inchoat. 3. (in *et* notus *a* nosco). Part. *Innotescens* 2.; *Innotescendus* in fin. — Innotesco est notus fio, *διαγνωρίζομαι* (It. *farsi noto*; Fr. *venir à la connaissance de, se faire connaitre*; Hisp. *hacerse conocido*; Germ. *bekannt werden*; Angl. *to become noted or known*). Usum habet fere in præteritis. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum Ablativo rei, qua quis innotuit. *Phædr.* 1. 10. Quicumque turpi fraude semel innotuit, Etiam si verum dicit, amittit fidem. *Ovid.* 3. *Amor.* 12. 7. nostris innotuit illa libellis. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 11. 40. (140). Ctesilochus petulanti pictura innotuit. *Val. Max.* 8. 14. *n.* 3. *extern.* Etiam sceleribus innotescere non dubitarunt. — *b*) Absolute. *Sueton. Ner.* 42. Carmina, quæ vulgo innotuerunt. *si pubblicarono.* *Justin.* 12. 2. Ubi Appollis oraculum innotuit. *Tac.* 4. *Hist.* 50. Sed ubi Festo consternatio vulgi, centurionis supplicium, veraque et falsa more famæ in majus innotuere, etc. *Id. Dial. de orat.* 10. Quando enim rarissimarum recitationum fama per tot provincias innotescat? *Capitolin. Maximin.* 2. Innotescendi sub Severo Imperatore prima hæc fuit causa. *Macrob* 1. *Somn. Scip.* 1. Ut liquido mens operis innotescat. *Ulp. Dig.* 4. 9. 3. Ut innotesceret prætorem curam agere reprimendæ improbitatis. *Al. leg.* prætor *Græca loquendi ratione.* ¶ 2. Speciatim de luce. *Ammian.* 19. 8. *init.* Somno per breve spatium capto, innotescente jam luce. ¶ 3. Pro cognoscere. *Ulp. Dig.* 26. 7. 4. *sub fin.* Ex quo innotuit tutor, se esse tutorem. Ita *Torrentin.*, alii *tutori.* — *NB.* Etiam pro notum facere usurpari posse, affirmat *Salmas.* non uno in loco Historiæ Augustæ: et legitur in c. 7. *Soliloquior.* quæ olim *Augustino* tribuebantur. Sed neque hic, neque præcedens dicendi modus satis Latinus est. Certa lectione occurrit apud *Cassiod.* 6. *Hist. Eccl.* 13. Quum propter hoc multi comprehensi ad supplicium ducerentur, illi semetipsos innotuerunt. *si palesarono.* *Id. ibid.* 41. Qui in vicinæ civitatis itinere aggressus imperatorem, suam voluntatem et abdicationem patris innotuit. *gli manifestò.* *Id.* 1. *Variar.* 24. Innotescenda sunt magis Gothis, quam suadenda certamina.

INNŌTĬTĬA. *V.* IGNOTITIA.

INNŌTO, as. are, a. 1. (in *et* noto) pro notare, adnotare, tribuunt quidam *Hygino* 4. *Astron.* 1., sed dubia est ejus loci scriptura. — Part. *Innotatus* certa lectione occurrit apud *Prudent.* 6. *Cathemer.* 128. Te chrismate innotatum.

INNŌTUS, a, um, adject. pro ignotus legitur a quibusdam apud *Ammian.* 29. 2. Ultimi sanguinis et innoti.

INNŎVĀTĬO, ōnis, f. 3. (innovo) actus innovandi, renovatio, *rinnovazione*. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 1. Innovationis ejus occasio aliquid adjicere persuasit. *Arnob.* 1. 8. Innovatio rerum. Adde *Apul. Trismeg.*; et *Vulgat. interpr.* 1. *Machab.* 12. 17.

INNŎVĀTOR, ōris, m. 3. (innovo) novator. *Gloss. Cyrill.* Καινιστής, innovator.

INNŎVĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INNŎVO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* novus). Part. *Innovatus* I. — Innovare est novum facere, renovare, *rinnovare*, *mutare*, *ἐγκαινίζω*, *νεόω*.

I.) Proprie. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. *ad fin.* Labeo, fiducia doctrinæ fretus, plurima innovare instituit. *Veget.* 2. *Veterin.* 24. Innovare calefactionem. *Coripp.* 1. 348. Phœnix innovat artus. Sic *Minuc. Fel. Octav.* 11. *ad fin.* Vellem sciscitari, utrum ne sine corpore, an cum corporibus; et corporibus quibus, ipsis ne, an innovatis resurgatur. *Inscript.* in *Giorn. di Firenze ann.* 1789. *p.* 454. VILLA FVNDI BARBARI A SOLO INNOVATA ANTONINO AVG. ET ADVENTO cos. scil. an. a Chr. n. 218. Adde *Lactant.* 7. 22 *circa med.*

II.) Translate. *Cic. Pis.* 36. 89. Quum tibi spe falsa animos rumor inflasset, quo te modo ad tuam intemperantiam, scelerate, innovasti? *h. e.* iterum ad intemperantiam redisti.

INNOX, pro innoxius habetur in tribus *Inscript.* apud *Reines. cl.* 20. *n.* 144., 145. et 317., quæ monumenta Christianorum sunt et sequioris ævi. *Gloss. Philox.* Innox, *ἀβλαβής*. *Isid.* 10. *Orig. litt. L.* Innox, quod non nocet.

INNOXĬE, adverb. (innoxius) innocue.

I.) Proprie. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (102). Sal emollit alvum in vino mixtus, innoxie. *Vopisc. Aurelian.* 4. Quod vinctum fasciola Aurelianum aquila innoxie de cunis levaverit. *senza lesione.*

II.) Translate. *Minuc. Fel. Octav.* 33. Deum caste, innoxie religioseque coluerunt. *innocentemente.*

INNOXĬUS, a, um, adject. (in *privat.* et noxa, noceo). Comp. *Innoxior* II. — Innoxius

I.) Proprie, ¶ 1. Active et stricto sensu est innocuus, innocens, qui non nocet, qui quocumque damni periculo caret, *che non nuoce*, *innocuo*, *ἀβλαβής*. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 59. 84. (229). Quædam animalia indigenis innoxia, advenas interimunt. Sic *Juvenal.* 13. 156. Innoxia simia. *Ammian.* 22. 8. delphines. *Virg.* 5. *Æn.* 92. serpens. *et Lucan.* 9. 727. Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris Serpitis. Rursus *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (31). Vitis viribus (*bibentium*) innoxia. *Id.* 21. *ibid.* 31. 105. (181). Innoxia medicamina. *Id.* 10. *ibid.* 37. 52. (109). Innoxia vulnera. *h. e.* sanabilia. *Id.* 3. *ibid.* 5. 6. (41). Innoxii saltus. *h. e.* in quibus nullum est a noxiis animalibus periculum. *Tac.* 4. *Hist.* 20. Innoxium iter. *h. e.* in quo miles nemini nocet. *Ammian.* 27. 2. Innoxium prælium. *Virg.* 2. *G.* 683. Innoxia verba. *Tac.* 3. *Hist.* 47. *extr.* Hinc, vel illinc appellere, indiscretum et innoxium est. — Cum Genitivo. *Sever. Ætn.* 354. fax innoxia rapti. *h. e.* quæ nihil corripit uritve. Al. aliter leg. ¶ 2. Passive (ut INNOCUUS I. 2.) est is, cui non nocetur, *illeso*. *Lucret.* 6. 394. innoxius volvitur in flammis. *Sall. Cat.* 39. Illi magistratus, provincias aliaque omnia tenere; ipsi innoxii, florentes, sine metu ætatem agere. *Tibull.* 2. 5. 63. sic usque sacras innoxia laurus Vescar. *Ammian.* 19. 12. Innoxius abire permissus est. *Curt.* 9. 4. 11. In oculis duo majora omnium navigia submersa sunt: leviora quum et ipsa nequirent regi, in ripam tamen innoxia expulsa sunt. *Colum.* 12. *R. R.* 38. 8. Quod non decoxeris, poterit innoxium durare biennium. *incorrotto.* Sic *Id. ibid.* 45. 4. Mel exanimum corpus hominis per annos plurimos innoxium conservat. *Flor.* 3. 12. 2. Cujus ætatis superiores centum anni sancti, pii, et, ut diximus, aurei, sine flagitio, sine scelere, dum sincera adhuc et innoxia pastoriæ illius sectæ integritas. *incorrotta.* — Cum Ablativo et præpos. *ab.* *Lucan.* 9. 892. gens a sævo serpentum innoxia morsu. *Colum.* 2. *R. R.* 10. 12. Faba sic condita, a curculionibus erit innoxia.

II.) Figurate, et quidem activa, sed latiori sensu, de hominibus et rebus ad eos pertinentibus dicitur, et est qui nemini nocet, probus, justus, sanctus, *innocente*. *Plaut. Capt.* 3. 5. 7. Decet innocentem servum atque innoxium, confidentem esse, suum apud herum potissimum. *Nepos Miltiad.* 8. *in fin.* Maluit eum innoxium plecti, quam etc. *Ovid.* 9. *Met.* 628. non possum innoxia dici. *Sall. Cat.* 40. Eo præsente conjurationem aperit, nominat socios, præterea multos cujusque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset. *h. e.* non reos, non conscios conjurationis. *Liv.* 5. 29. Pessimo exemplo innoxii denis millibus gravis æris condemnati sunt. — Cum Ablativo *crimine*. *Liv.* 4. 44. Postumia, virgo Vestalis, de incestu causam dixit, crimine innoxia; ob suspicionem propter cultum amœniorem ingeniumque liberius, quam virginem decet. — Cum Genitivo. *Curt.* 8. 8. 21. Callisthenes quoque tortus interiit: initi consilii in caput regis innoxius. — De rebus. Cato apud *Priscian.* 3. *p.* 601. *Putsch.* Animus innoxior. *Al. leg.* innoxiior. *Sueton. Domit.* 10. Innoxii joci. *Tac.* 14. *Ann.* 34. Paupertas innoxia.

INNŪBĬLO, as, are, a. 1. (in *et* nubes) nubilum inducere, obscurare.

I.) Proprie. *Solin.* 53. *a med.* Orbiculi lapillorum rufo colore innubilantur

II.) Translate. *Augustin. Ep.* 238. Serenitatem

gaudii fœda innubilare tristitia. Cf. Cassiod. 11. *Variar*. 2. Vigor ille rationabilis animæ nobis consilium præstet: facies veritatis albescat, ne mentem nostram innubilet caligo corporea.

INNŪBĬLUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* nubilus) non nubilus, clarus, serenus, *non nuvoloso, sereno, chiaro*, αἴθριος. *Lucret*. 3. 21. semperque innubilus æther Integit.

INNŪBIS, e, adject. (in *privat*. *et* nubes) qui est sine nubibus, *senza nuvole*, ἀνέφελος. *Seneca Herc. Œt*. 238. Et fulsit Iole, qualis innubis dies.

INNŪBO, nūbis, nupsi, nuptum, nūbere, n. 3. (in *et* nubo) est transire ad domum mariti, *andare a marito*, ἐγγαμέω.

I.) Proprie. *Innubere in illustrem familiam* dicuntur mulieres, quæ nobili viro nubunt. *Liv*. 1. 34. Ea quam innupsisset. *Al. leg*. Ea quæ innupsisset. *Ovid*. 7. *Met*. 856. Ne thalamis Auram patiare innubere nostris. Τῷ *innubere* opponitur *denubere*, ut apud *Ovid*. 12. *Met*. 196.; et *Tac*. 6. *Ann*. 27.

II.) Translate per catachresin sumitur pro *transire* in genere. *Lucilius* 6. *Sat*. Invadere atque innubere censent. Ita *Nonius* p. 125. 10. *Merc*.

INNŪBUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* nubo) ut mulier innuba, quæ numquam nupsit, *che mai non si è maritata*, ἄγαμος.

1.) Proprie. *Ovid*. 14. *Met*. 141. contempto munere Phœbi innuba permaneo. *Val. Flacc*. 1. 87.; et *Auson*. *Epigr*. 106. innuba Pallas. Sic *Val. Flacc*. 4. 605. Divaque Gorgonei gestatrix innuba monstri. et *Capell*. 7. p. 235. Innuba, solertes curam quæ instigat in artes. *scil*. Minerva. *Id*. 1. p. 3. Quod Sophia sororis ejus (*Dianæ*) collactea et individuo amica fœdere videretur, periodeque ad innubas ipsa quoque transisse. *Prudent*. 2. *advers. Symmach*. 1072. innuba Vestalis. *Varro* apud *Non*. p. 154. 6. *Merc*. Non solum innubæ fiunt communes, sed etiam etc.

II.) Figurate *laurus* dicitur *innuba* propter Daphnen virginem, quam fabulantur in laurum fuisse conversam. *Ovid*. 10. *Met*. 92. Nec tiliæ molles, nec fagus et innuba laurus.

INNŬCLĔĀTUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* nucleus) qui nucleo caret. *Plin. Valer*. 1. 47. Uncias uvæ passæ innucleatæ quatuor, nucis duas, croci unam accipias.

INNŬMĔRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat*. *et* numero) qui numerari non potest, *innumerabile*, ἀναρίθμητος. *Cic*. 4. *Acad*. (2. *post*.) 17. 55. Ais Democritum dicere, innumerabiles esse mundos. *Id. Quinct*. 11. 37. Doce, te petisse ab eo istam nescio quam innumerabilem pecuniam. *Id. post redit. in senat*. 5. 12. Quum innumerabilis multitudo bonorum de Capitolio ad eum supplex sordidata venisset. *Horat*. 3. *Od*. 30. 4. Innumerabilis annorum series. *Quintil*. 10. 7. 2. Innumerabiles arridunt subitæ necessitates. Adde *eumd*. 5. 10. 100. et 6. 1. 3. *Gell*. 14. 1. *ante med*. Infinito prope et innumerabili numero annorum. *Plin*. 2. *Hist. nat*. 23. 21. (88). Innumerabilis multiplicatio. *Sillig*. vero *nec numerabilis* leg. *Quintil*. 12. 1. 45. Innumerabilia sunt bonis causis malisque communia.

INNŬMĔRĀBĬLĬTAS, atis, f. 3. (innumerabilis) infinitas, ἀπειρία. *Cic*. 1. *Nat. D*. 26. 73. Tamen pleraque dicit eadem, atomos, inane, imagines, infinitatem locorum innumerabilitatemque mundorum. *Id. ibid*. 39. 109. Innumerabilitas atomorum. *Arnob*. 3. 9. Per suboles subolem multiplicata semper innumerabilitas ampliatur.

INNŬMĔRĀBĬLĬTER, adverb. (innumerabilis) sine numero, *innumerabilmente*. *Lucret*. 5. 274. Aera nunc igitur dicam, qui corpore toto Innumerabiliter privas mutatur in horas.

INNŬMĔRĀLIS, e, adject. (in *privat*. *et* numerus) idem atque innumerabilis. *Lucret*. 2. 1084. Non esse unica, sed numero magis innumerali.

INNŬMĔRANDUS, a, um, particip. ab inusit. *innumero*, non numerandus, innumerabilis. *Jornand. Get*. 54. *in fin*. De innumeranda vero variaque multitudine hostium, qui voluerunt evadere, effugati vix ad sua inglorii pervenerunt.

INNŬMĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* numeratus) non numeratus, innumerabilis. *Tertull. advers. Marcion. in carm*. 2. 17. Innumerata Dei miracula.

INNŬMĔRŌSUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* numerosus) idem atque innumerabilis, *innumerabile*. *Coripp*. 5. *Joann*. 662. jam crescit iniquis Innumerosa manus.

INNŬMĔRUM, adverb. *V*. voc. seq. in fin.

INNŬMĔRUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* numerus) innumerabilis, ἀνάριθμος (*It*. *innumerabile*; *Fr*. *innombrable*, *sans nombre*; *Hisp*. *innumerable*; *Germ*. *zahllos*; *Angl*. *without number*, *numberless*, *countless*, *innumerable*, *innumerous*). Vox est fere poetica; in prosa tamen oratione occurrit tantum apud sequioris ævi scriptores: namque apud *Cic*. 2. *Orat*. 22. 94. Isocrates, cujus e ludo, tamquam ex equo Trojano, innumeri principes exierunt. ex *Nonio* p. 344. 16. *Merc*. legendum est *meri*. ¶ 1. Generatim. *Lucret*. 2. 1052. innumero numero semina. Adde *Plaut*. loc. infra cit. sub 2. *Virg*. 6. *Æn*. 706. Hunc circum innumeræ gentes populique volabant. *Ovid*. 5. *Trist*. 12. 20. Cluctus ob innumero me tenet aucta locus. *Id. Heroid*. 16. 366. de *Hectore*. Unus is innumeri militis instar habet. *Val. Flacc*. 2. 130. innumerum flatus conflagis equorum. pro innumerorum. *Martial*. 8. 55. Innumero quoties silva leone furit. *Plin*. 6. *Hist. nat*. 17. 21. (59). Multitudo populorum innumera. *Id*. 18. *ibid*. 26. 65. (239). Innumera rusticos cura distringit. *Id*. 29. *ibid*. 2. 10. (35). Innumeros prope usus habent. Adde *Sueton*. *Cæs*. 68. et *Galb*. 6.; et *Ammian*. 25. 4. ¶ 2. Speciatim est numeris non inclusus. *Plaut*. epitaphio, quod sibi ipse composuit, teste *Varrone* apud *Gell*. 1. 24. Scæna est deserta, dein Risus, Ludus', Jocusque Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt. *h. e*. innumerabiles versus comici, quos conscripsit. *Turneb*. *l*. 10. *adversar*. c. 12. alterum ab altero distinguit commate, et per *numeros* comicos versus, per *innumeros* prosam orationem intelligit, quæ sine numeris est: ut *in* sit privativa. Additque eodem modo interpretandum esse illud *Auson*. 4. *Edyll*. 47. tu flexu et acumine vocis Innumeros numeros doctis accentibus effer. *Scalig*. in *Lect. Auson*. *l*. 2. *c*. 17. nihil distinguendum censet, sed versus comicorum *innumeros* appellari, quia numeri quidem sunt, sed lege soluti, ut sit *Horat*. 4. *Od*. 2. 12., et prosæ orationis similes. Sunt etiam qui ita scribi apud *Auson*. volunt, *in numeros numeros*, ut dicat, effer numeros doctis accentibus in numeros, h. e. ad musicæ leges. *Barthius l*. 37. *adversar*. *c*. 11. putat etiam *Cic*. 1. *Divinat*. 21. 43. dixisse *innumerum*, numeris non inclusum: sed ibi longe aliter alii leg. — Hinc

Innumerum, absolute, more adverbii. *Tertull. Exhort. castit*. 6. Innumerum nubere.

INNŬO, nŭis, nŭi, nūtum, nuere, n. 3. (in *et inusit*. nuo: *V*. ADNUO) signo aliquo capitis voluntatem ostendere, *far cenno*, ἐπινεύω. — *a*) Cum addito Dativo personæ. *Plaut*. *Rud*. 3. 4. 26. Vos adeo, ubi ego innuero vobis, ni ei caput exoculassitis, ego vos virgis circumvinciam. *Ter*. *Eun*. 4. 5. 9. Abiens innuit mihi. *Juvenal*. 3. 317. Nam mihi commota jamdudum mulio virga Innuit. — *b*) Absolute. *Ter*. *Adelph*. 2. 1. 17. Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus in mala hæreat. *Cic*. 4. *Herenn*. 26. 36. Si iste suos hospites rogasset, immo innuisset modo, hoc facile perfici posset. *Al. aliter leg*. *Liv*. 8. 4. Respondeamusque Romanis, nos, ubi innuerint, posituros arma. *Vitruv*. 8. 5. *extr*. Aquæ innuctur his signis esse tenus et in summa salubritate.

INNUPTA, æ, f. 1. *V*. voc. seq. in fin.

INNUPTUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* nubo) apud Classicos Auctores occurrit fem. gen. tantum de muliere, quæ non nupsit, *non maritata*, *vergine*, ἄνανδρος.

I.) Proprie. *Virg*. 4. *G*. 476. pueri innuptæque puellæ. *Id*. 2. *Æn*. 31. innupta Minerva. *Sil. It*. 2. 75. innupta manus (*Amazonum*). — *Innupta bos* apud *Senec*. *Œdip*. 373., quæ marem nondum est experta. Al. tamen leg. *infausta*. — *Innuptus* masc. gen. pro cælibe legitur apud *Tertull*. *Pudic*. 16. Quia innupti de Domino curent quomodo placeant Deo, nupti vero de mundo recogitent.

II.) Translate, *innuptæ nuptiæ*, quæ contra jus fasque factæ sunt. *Vet. Poeta* apud *Cic*. 3. *Orat*. 58. 219. Qua tempestate Paris Helenam innuptis junxit nuptiis. Sic *insepulta sepultura* apud *Cic*., et *funera ne funera* apud *Catull*. et Græcis ἄγαμος γάμος. — Hinc

Innupta, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est quæ non nupsit. *Catull*. 62. 6. Cernitis, innuptæ, juvenes? consurgite contra. *Id*. 64. 78. Electos juvenes simul et decus innuptarum.

INNŪTRĪBĬLIS, e, adject. (in *privat*. *et* nutrio) qui non nutrit. *Cæl*. *Aurel*. 2. *Acut*. 9. *sub fin*. Juscellum innutribile. *brodetto magro*.

INNŪTRĬO, is, ivi, itum, ire, a. 4. (in *et* nutrio). Part. *Innutritus* I. — Innutrire est in aliquo loco nutrire, in aliqua re nutrire, simul nutrire, *nodrire*, *allevare*, ἐντρέφω.

I.) Proprie. *Sil*. *It*. 2. 286. ne castris innutriretur et armis. *Plin*. 9. *Ep*. 33. Donec homines innutritos mari subiret timendi pudor. *Sueton*. *Aug*. 3. Innutritus amplis opibus. *Plin*. *Paneg*. 16. Innutritus bellicis laudibus. *Vellej*. 2. 94. 1. Innutritus cælestium præceptorum disciplinis. *Seneca Consol. ad Polyb*. 21. *ad fin*. Liberalibus disciplinis innutritus.

II.) Translate. *Seneca Ep*. 2. Vide, ne ista lectio multorum auctorum habeat aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat.

INNŪTRĪTUS, a, um, particip. *V*. voc. præced.

INNŪTRĪTUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* nutritus) non nutritus. *Cæl*. *Aurel*. 1. *Acut*. 17. *a med*. Ægrotantem innutritum relinquere.

INŎBAUDĬENTĬA, æ, f. 1. Idem quod inobedientia. *Tertull*. 4. *advers*. *Marcion*. 17. *sub fin*.

INŎBAUDĬO, is, ire, n. 4. Idem quod inobedio, non obedio. *Tertull*. 3. *advers*. *Marcion*. 16. ex *Exod*. 23. 21.

INŎBĔDĬENS, entis. *V*. INOBEDIO.

INŎBĔDĬENTER, adverb. (inobediens) inobediendo, *con inobbedienza*. *Augustin*. 14. *Civ*. *D*. 17. Voluntatem libido inobedienter movebat.

INŎBĔDĬENTĬA, æ, f. 1. (inobedio) inobediendi actus, *inobbedienza*, παρακοή, ἀπείθεια. *Augustin*. 14. *Civ*. *D*. 17. Damnata culpa inobedientiæ. *Hieronym*. *Quæst*. *Hebraic*. ad 2. *Reg*. 1. Saulus per inobedientiam periit. Adde *Vulgat*. *interpr*. *Esther* 16. 24., *Rom*. 5. 19. et 2. *Cor*. 10. 6.; et *Salvian*. 1. *Gubern*. *D*. p. 20.

INŎBĔDĬO, is, ire, n. 4. (in *privat*. *et* obedio). Part. *Inobediens*. — Inobedire est non obedire, *disubbidire*. *Ambros*. *Serm*. *Epiph*. 1. A paradiso recessistis superbiendo, inobediendo, etc. *Augustin*. 11. *de Gen*. *ad litt*. 1. *extr*. Quum in corpore inobedientium hominum justissimo reciprocatu inobedientium membrorum tumultum mors concepta versaret. *Vulgat*. *interpr*. *Deuter*. 8. 20. Sicut Gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo, ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri. Adde *eumd*. *Tit*. 1. 10.

INŎBĔDUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* obedio) non obediens, *disubbidiente*. *Arnob*. 7. 40. Ut ab ipso patre terror coercitionis inciperet, quem causa tanti fuerit motus et inobeda cessatio. *Al*. *leg*. et in obeundo. *Meursius scribendum putat* in obedientia cessatio, *quod a librariis per compendium scriptum* inobeda *errori originem dederit*.

INOBJŪRGĀTUS, a, um, adject. (in *privat*. et objurgatus. *Charis*. 1. p. 41. *Putsch*. Utcumque dixeris, jure inobjurgatum est. *h*. *e*. irreprehensum.

INOBLECTOR, āris, ari, dep. 1. (in et oblector) in aliqua re oblectari. *Tertull*. *advers*. *Hermog*. 18. Inoblectabatur in filiis hominum.

INOBLITTĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* oblittero) non oblitteratus, non deletus. *Tertull*. *Anim*. 24. Scientia inoblitterata.

INOBLĪTUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* oblitus) non oblitus, atque adeo perpetuo memor. *Ovid*. 4. *Pont*. 15. 37. Semper inoblita repetam tua munera mente.

INOBRŪTUS, a, um, adject. (in *privat*. *et* obrutus) non obrutus, *non oppresso*. *Ovid*. 7. *Met*. 356. Deucalioneas effugit inobrutus undas.

INOBSÆPTUS *vel* inobseptus, a, um, adject. (in *privat*. et obsæptus) non sæptus. *Lactant*. *Opif*. *D*. 8. Aurium foramina inobsæpta.

INOBSCŪRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat*. *et* obscuro) qui obscurari non potest. *Tertull*. *Anim*. 3. Inobscurabilis regula.

INOBSCŪRO, as, are, a. 1. (in et obscuro) obscurum reddere, *oscurare*, ἀμαυρόω. *Cic*. 9. *Phil*. 5. 10. Nulla ejus legationem posteritatis inobscurabit oblivio. *At ibi legendum* obscurabit.

INOBSEPTUS, *V*. INOBSÆPTUS.

INOBSĔQUENS, entis, adject. (in *privat*. *et* ob-

sequens) contumax, non obsequens, *disubbidiente*, ἀπειθής. *Seneca præf. Quæst. nat. sub fin.* An a magno artifice prave formentur multa, non quia cessat ars, sed quia id, in quo exercetur, sæpe inobsequens arti est. *Seneca alter Hippol.* 1068. Inobsequentes protinus freris equi Rapuere currum. Adde *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 17.

INOBSEQUENTĬA, æ, f. 1. (inobsequens) inobedientia. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 2. 21. Quod eorum culpa inobsequentiæ argueremini.

INOBSERVĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et observo) qui observari non solet, aut potest. *Catull.* 64. 115. Ne labyrintheis e flexibus egredientem Tecti frustraretur inobservabilis error. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 17. 15. (77). Cujus (*Martis sideris*) est maxime inobservabilis cursus.

INOBSERVANS, antis, adject. (in *privat.* et observo) non observans. *Pallad.* 1. *R. R.* 35. 12. Quod si inobservantes homines sub aere deprehendant etc.

INOBSERVANTĬA, æ, f. 1. (inobservans) indifferentia circa rem aliquam, *non curanza*. *Sueton. Aug.* 76. Ex hac inobservantia nonnunquam solus vel ante initum, vel post dimissum convivium cœnitabat. *Quintil.* 4. 2. 107. Id fecisse inobservantia quadam. *Al. leg.* non observantia: at Spalding. *priorem lectionem tuetur.*

INOBSERVĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et observatus) non observatus, *non osservato*, ἀπροφύλακτος. *Ovid.* 3. *Fast.* 111. Inobservata sidera. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 26. *a med.* Tempus inobservatum et incertum. *Id. Ep.* 40. Inobservatus cursus. *Ovid.* 2. *Met.* 544. Dum vel casta fuit, vel inobservata Coronis. *Id.* 4. *ibid.* 341. Ut puer, et vacuis ut inobservatus in herbis etc. *Martial.* 8. 32. Luserat hos casus, nisi inobservata maneret. *Frontin.* 3. *Strateg.* 2. 8. Milites inobservati.

INOBSŎLĒTUS, a, um, adject. (in *privat.* et obsoletus) non obsoletus, *non invecchiato*. *Tertull. Resurr. carn.* 58. Vestimenta inobsoleta et indetrita.

INOBTEMPĔRANS, antis, adject. (in *privat.* et obtemperans) inobediens. *Gloss. Cyrill.* Ἀπειθής, ὁ αὐθαδής, contumax, inobtemperans, inobediens.

INOBTŪTUS, us, m. 4. (in et obtutus) idem fere quod obtutus. *Juris civ. Antejustinian. fragm.* ab *A. Maio* edit. p. 8. Populi proruentes in nostros inobtutus. *V.* ibi ab *A. Maio* adnotata.

INOCCĀTUS, a, um. *V.* INOCCO.

INOCCĬDŬUS, a, um, adject. (in *privat.* et occiduus) qui occasu non absconditur, *che non tramonta.*

I.) Proprie. *Lucan.* 8. 175. Axis inocciduus, gemina clarissimus Arcto. *Claudian. Gigant.* 11. Inoccidui Triones.

II.) Translate. *Stat.* 6. *Theb.* 277. Spectat inoccidois stellatum visibus Argum. *h. e.* oculis semper vigilantibus. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 400. ignes inoccidui. *inestinguibili*. *Nemesian. Cyneg.* 105. Inocciduum ævum. *Arnob.* 2. 36. Vita continua et inoccidua.

INOCCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et occo). Part. *Inoccatus*. — Inoccare est semen cooperire, quod fit, quum semen in agro seminatum est, et glæbas sarculis, aut cratibus dissolvimus, ut semen humo contegatur, *coprire*, ἐμβωλοκοπεῖν. *Colum.* 2. *R. R.* 8. 4. Semen, quod sicco solo ingestum et jam inoccatum est. *Id.* 11. *ibid.* 2. 52. Sementi facta, inoccare oportet quod sparseris. *Id.* 3. *ibid.* 15. 1. Pastinatio emundata, inoccata et æquata.

INOCCULTUS, a, um, adject. (in *privat.* et occultus) non occultus. *Quintil.* 7. 9. 5. Tertia amphibologiæ species est ex compositis, ut si quis corpus suum inocculto loco poni jubeat, circaque monumentum multum agri ab heredibus in tutelam cinerum, ut solent, leget, sit litis occasio inocculti. *Spaldingius* ita legendum probat in sua editione; alii perperam legunt *in occulto loco* et mox *sit litus occultum*. Sed vide *Zumptium* in *Supplem. annot.* et *Bonnellum* in *Lex. Quintil.* p. 416. et 430., unde evincitur legendum *in culto* et *incultum*.

INŎCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (inoculo) actus inoculandi, *It. innesto a occhio o a impiastro*, Gr. ἐνοφθαλμισμός, insitio per oculum, quum gemma seu oculus arboris cum exiguo cortice, alterius arboris delibrato cortici inseritur: quæ et emplastratio dicitur, ut *Cato R. R.* 42.; *Colum.* 5. *R. R.* 11. 1. et 11. *ibid.* 2. 54.; et *Pallad.* 7. *R. R.* 5. docent. — Olim inoculatio alio modo fiebat, scil. fistula aperiendo in arbore oculum cortice exciso; semenque seu surculum includendo, eadem fistula sublatum ex alia: quæ sunt verba *Plin.* 17. *Hist. nat.* 14. 23. (100)., qui proinde *ibid.* 16. 26. (118). recte eam ab emplastratione distinguit. Consule *Schneiderum* ad *Colum.* 5. *R. R.* 11. 1.

INŎCŬLĀTOR, ōris, m. 3. (inoculo) qui inoculat, *innestatore*. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33. 76. (329). Hunc caveat insitor calamis, gemmisque inoculator.

INŎCŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INŎCŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et oculus). Part. *Inoculatus* II. 2.; *Inoculandus* II. 1. — Inoculare est insitionem per oculum facere, eo modo, quo in INOCULATIO dictum est, *innestare a occhio, inocchiare, ingemmare*, ἐνοφθαλμίζειν.

I.) Proprie. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 59. His diebus arbores ficorum inoculantur: quod genus insitionis emplastratio vocatur. *Pallad.* 12. *R. R.* 7. 7. Mense Junio persicus inoculari potest: quod emplastrari dicitur. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 5. 2. et 8. *ibid.* 3. 2. Sic *Tertull. Anim.* 19. Frutices inoculantur.

II.) Translate. ¶ 1. Pro inserere, imprimere. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 1. Ad hunc justitiæ affectum pectoribus inoculandum. ¶ 2. Item distinguere, ornare. *Apul.* 6. *Met.* Bullis aureis inoculatus.

INODIATUS, a, um, adject. minime exosus, *non odiato*. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 77.

INŎDŌRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et odoratus) non odoratus. *Gloss. Cyrill.* Ἄνοσμον, inodoratum.

INŎDŌRO, as, are, a. 1. (in et odor) odore inficere, *rendere odoroso*. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 22. Allium sic satum, et rursus sic reconditum, existimatur neque acerrimi saporis exsistere, neque mandentium halitus inodorare.

INŎDŌROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (in et odoror) metaphorâ a canibus ductâ est indagare, quod in occulto latet. *Cic.* 2. *Att.* 25. Mirabiliter enim inodoratus est, sicut nosti. *Manutius* ita legit. Alii melius *moratus*, ut *Orell.*

INŎDŌRUS, a, um, adject. (in *privat.* et odor). ¶ 1. Qui est sine odore, *senza odore*, ἄνοδμος. *Pers.* 6. 35. urnæ ossa inodora dabit. *h. e.* nullis unguentis condita. *Al. leg.* inhonora. *Apul.* 4. *Met.* Flos inodorus. ¶ 2. Item carens sensu odoratus. *Gell.* 7. 6. Animalia inodora. *V.* INAUDITUS.

INOFFENSĒ, adverb. (inoffensus) Comp. *Inoffensius*. — Inoffense est sine offensione, ἀβλαβῶς. *Gell.* 6. 2. Omnem illam vim, quæ de fato extrinsecus ingruit, inoffensius tractabiliusque transmittunt. *Cassiod.* 11. *Variar.* 36. Nec habet, quod possit metuere, qui ad designatum tempus inoffense meruit pervenire. *Theod. Priscian. l.* 2. *p.* 2. *c.* 5. Ventris officium prius inoffense procurabo. Adde *Ambros. Apolog. Dav.* 1. et *in Psalm.* 118. *serm.* 20.

INOFFENSUS, a, um, adject. (in *privat.* et offensus) qui non offenditur, illæsus, *non offeso*, ἀβλαβής.

I.) Proprie. *Tibull.* 1. 8. 62. Inoffensum pedem referre. *Plin.* 6. *Ep.* 4. Voluptates regionisque abundantiam inoffensa transmitteres. *Tac.* 1. *Ann.* 56. Siccitate et amnibus modicis inoffensum iter properaverat. Sic *Martial.* 14. 209. Inoffensa via currere. *h. e.* expedita. *Virg.* 10. *En.* 292. Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu. *Lucan.* 8. 201. cogit inoffensæ currus accedere metæ. *non toccata*. *Pallad.* 1. *R. R.* 3. Inoffensum lumen oculorum. *chiara e buona vista*. *Gell.* 2. 1. Ut omnia fere vitæ suæ tempora valetudine inoffensa vixerit. *Ovid.* 1. *Trist.* 9. 1. Detur inoffensæ vitæ tibi tangere metam. *h. e.* felicis, nullis vexatæ malis.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 52. Inoffensa et molliter lapsa oratio. *Tac.* 1. *Hist.* 48. Cursu honorum inoffenso, legioni post præturam præpositus. *Quintil.* 1. 1. 31. Inoffensa atque indubitata litterarum inter se conjunctio. *h. e.* ad quam quis legendo non offendit, nec moratur. *Id.* 1. 10. 23. Structura quædam et inoffensa copulatio vocum. *h. e.* plana, æquabilis, ut in proferendo quis non offendat et retardetur.

INOFFĬCĬŌSĬTAS, ātis, f. 3. (inofficiosus) illiberalitas, *inofficiosità, scortesia*. *Salvian. Ep.* 3. Si excusare inofficiositatem meam apud sanctimoniam tuam cupiam, magis accusandus sim, qui etc. Adde *eumd. Ep.* 4. *ante med.* Sic *Alcim. Avit. Ep.* 62. Cogitans atque pertractans, inofficiositatem vestram qua ultione percellerem.

INOFFĬCĬŌSUS, a, um, adject. (in et officiosus). ¶ 1. Stricto sensu est qui contra officium facit. *Tertull. Apolog.* 40. Humana gens inofficiosa Dei. *h. e.* negligens. *Ulp. Dig.* 37. 14. 1. Si libertus inofficiosus patrono sit, castigari eum et dimitti oportet. — *Inofficiosum testamentum*, inquit *Paul.* 4. *Sentent. tit.* 5. est, quod frustra liberis exheredatis, non ex officio pietatis videtur esse conscriptum. *Cic.* 3. *Verr.* 42. 107. Testamentum P. Annius fecerat non improbum, non inofficiosum, non inhumanum. Ubi hæc *Ascon.* Hæc testamenta non solent valere: nam improbum, contra leges; inofficiosum, contra merita; inhumanum, contra pietatem. *Ulp. Dig.* 5. *tit.* 2. *qui* De inofficioso testamento *inscribitur*, *l.* 1. Sciendum est, frequentes esse inofficiosi querelas. Omnibus enim tam parentibus, quam liberis de inofficioso licet disputare. *V.* de inofficioso testamento *Apul. de Mag.* p. 597. *Oudend.* ¶ 2. Latiori sensu est illiberalis, inhumanus, *discortese, disobbligante*, ἄχαρις. *Cic.* 13. *Att.* 27. De epistola ad Cæsarem, nobis vero semper rectissime placuit, ut isti ante legerent: aliter enim fuissemus et in hos inofficiosi et in nosmetipsos periculosi.

INŎLENS, entis, adject. (in *privat.* et olens) non olens, *che non ha odore alcuno*, ἄνοδμος. *Lucret.* 2. 849. Inolentis olivi Naturam, nullam quod mittat naribus auram.

INŎLESCO, ŏlescis, ŏlēvi, ŏlitum, ŏlescere, 3. (in et olesco). Part. *Inolescens* sub *A.* II.; *Inolitus* et *Inolescendus* sub *B.* — Inolescere occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active apud sequioris ævi scriptores.

A) Neutrorum more inolescere est idem quod crescere, in vel cum aliqua re adolescere, coalescere, ἐμφύομαι (It. *crescere*; Fr. *pousser dans, croître sur*; Hisp. *crecer sobre, agrandarse*; Germ. *einwachsen, wachsen*; Angl. *to grow, grow to or upon*).

I.) Proprie. *Virg.* 2. *G.* 76. huc aliena ex arbore germen Includunt, udoque docent inolescere libro. *Id.* 6. *Æn.* 739. Multa diu concreta modis inolescere miris. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 14. Tradux a materno sustinetur ubere, dum inolescat. *h. e.* in aliena vite crescat. *Id. ibid.* 22. 5. Vastior plaga nisi habeat superpositam valentem materiam, quæ possit inolescere, solis halitu torretur. *h. e.* crescente circa cortice claudi. *Prudent. Hamartig.* 830. sancit edaces Perpetuis scelerum pœnis inolescere vermes. Poetice *Sil. It.* 8. 583. Duritiem lapidum mersis inolescere ramis.

II.) Translate. *Gell.* 5. 21. Assidua veterum scriptorum tractatione inoleverat linguæ illius vox, quam sæpe ostenderat. *h. e.* inhæserat et simul quodammodo creverat. *Auson. Epigr.* 141. Quæ nosti meditando velis inolescere menti. *h. e.* inseri et simul cum ea crescere. *Capitolin. Maximin.* 5. Veritus, ne vitia sub aliis inolescentia emendare non posset.

B) Active est inserere et crescere facio, *inserire*.

I.) Proprie. *Vulgat. interpr. Levit.* 13. 11. Lepra vetustissima judicabitur atque inolita cuti.

II.) Translate. *Gell.* 12. 5. Natura induit nobis inolevitque amorem nostri et caritatem. *Auson. Gratiar. act. ad Gratian.* 36. Gratiano ejusmodi semina nostri amoris inolesti, ut etc. *inolesti*. syncop. pro *inolevisti*. Adde *Nazar. Paneg. Constant.* 4. *Gell.* 12. 1. *a med.* In moribus inolescendis magnam fere partem ingenium altricis et natura lactis tenet. Sic *Macrob.* 5. *Saturn.* 11. Inolescere mores. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 33. Inolitum nomen urbi.

INŎLĪTUS, a, um. *V.* voc. præced.

INŌMĬNĀLIS, e, adject. (in *privat.* et omen) mali ominis, inominatus, *infausto, di cattivo augurio*. *Gell.* 5. 17. Tamquam inominalem diem plerique vitant. Adde *Macrob.*, qui e *Gellio* descripsit, 1. *Saturn.* 16. *a med.*

INŌMĬNATUS, a, um, adject. (in *privat.* et ominatus) idem quod inominalis, male ominatus,

malagurato, malaguroso, κακόφημος, δυσοιώνιστος. *Horat. Epod.* 16. 38. mollis et asspes inominata perprimat cubilia. *h. e.* diris exsecrata.

ĬNŌPĀCO, as, are, a. 1. (in *et* opaco) opacum reddere, obumbrare, *rendere opaco, inombrare,* ἐπισκιάζω. *Colum.* 8. *R. R.* 15. 4. Viridia quæ inopacant avium receptacula.

ĬNŌPĀCUS, a, um, adject. (in *privat. et* opacus) non opacus. *Gloss. Philox.* Inopacus, ἄσκιος.

ĬNŌPĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* operor). ¶ 1. Active est non operatus, otiosus. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 11. Nec naturæ inoperatam debuit continuisse bonitatem. ¶ 2. Passive est non factus, increatus. *Ambros. de Fide* 3. 7. Ἀκατέργαστον enim dixit Verbum, hoc est inoperatum atque increatum. *Gloss. Cyrill.* Ἀκατέργαστον, inoperatum, infectum.

ĬNŌPĔROR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (in *et* operor) idem quod operari, facere. *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 17. ex *ad Ephes.* 1. Ille inoperatus est in Christum valentiam suam, suscitando eum a mortuis.

ĬNŌPERTUS, a, um, adject. (in *privat. et* opertus) non opertus, *scoperto.*

I.) Proprie. *Seneca Vit. beat.* 13. Capite inoperto. *Prudent.* 3. *Cathem.* 116. Corpora mutua nosse nefas Post epulas inoperta videot —: Tegmina sula parant foliis, Dedecus ut pudor occuleret.

II.) Translate. *Seneca Ot. Sap.* 30. Inoperta ac confessa veritas.

ĬNŌPĬA, æ, f. 1. (inops) opis carentia, indigentia, ἔνδεια, ἀπορία (It. *mancanza, mancamento, bisogno*; Fr. *défaut, dénûment, besoin*; Hisp. *falta, carencia, menester*; Germ. d. *Mangel*; Angl. *want, indigence, need, scarcity, lack, dearth, poverty*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Curc.* 2. 3. 55. Inopia argenti. *Cic. Dom.* 30. 80. Propter inopiam tecti in foro pernoctans. *Id. ibid.* 7. 17. Inopia frugum. *Id. ibid.* 3. 6. frumentariæ rei. *Id. Rosc. Am.* 16. 48. criminum. *Id.* 6. *Att.* 3. Affici inopia consilii. *Sall. Jug.* 91. Inopiam frumenti lenire. *Id. ibid.* 83. Pati inopiam rei alicujus. *Cæs.* 5. *B. G.* 24. Mederi inopiæ frumentariæ. *Id. ibid.* 2. Summa rerum omnium inopia. *Liv.* 29. 16. Inopia ærarii. *Id.* 1. 33. loci. *mancanza di sito. Sueton. Aug.* 42. vini. *Id. Cal.* 36. Aliis per inopiam occasionis cunctantibus. *Colum.* 6. *R. R.* 3. 4. Inopia leguminum. *Id.* 5. *ibid.* 12. 2. Inopia lactis premi. *Tac.* 13. *Ann.* 57. Inopia remedii. *Id.* 1. *Hist.* 35. veri. *di non potersi sapere la verità. Id.* 11. *Ann.* 7. advocatorum. *Id.* 6. *ibid.* 17. rei nummariæ. *Id. Dial. de orat.* 28. Quis enim ignorat, et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab illa vetere gloria non inopia hominum, sed desidia juventutis etc? ¶ 2. Speciatim est carentia earum rerum, quæ ad victum sunt necessaria, itemque annonæ caritas, *povertà, bisogno, carestia.* Differt a paupertate, ut majus a minori, gravior enim inopia est et latius patet. *Sueton. Gramm.* 11. Vixit in summa paupertate ac pæne inopia. *V.* EGESTAS. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Orat.* 58. 218. Multis sum modis circumventus, morbo, exsilio atque inopia. *Plaut. Rud.* 3. 2. 3. Inopiæ opem ferre. *Id. Pseud.* 3. 2. 9. Si me arbitrabare isto pacto, cur conducebas? BAL. Inopia: alius non erat. *Id. Bacch.* 3. 3. 134. Inopia excruciatam mori. *Cic.* 1. *Invent.* 47. 88. Si propter inopiam in egestate estis. *Id. Amic.* 8. 26. Num propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia. *Id. ibid.* 9. 29. Amicitiam ex inopia atque indigentia natam volunt. *Id.* 3. *Off.* 12. 50. Magnum frumenti numerum Rhodum advehere in Rhodiorum inopia et fame summaque annonæ caritate. *Id.* 2. *Cat.* 11. 24. Neque vero ceteras copias, ornamenta, præsidia vestra cum illius latronis inopia atque egestate conferre debeo. *Sall. Cat.* 11. Avaritia semper infinita, insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur. *Id. ibid.* 38. Manuum mercede inopiam tolerare. *Cæs.* 1. *B. C.* 48. Inopiæ subsidium. *Id.* 3. *ibid.* 17. Inopiam vitare. *Nepos Att.* 2. Suis opibus aliorum inopiam levare. *Id. Miltiad.* 3. Inopia interire. *Curt.* 4. 1. 25. Inopiam patientia ferre. *Id.* 4. 1. 24. Ditissimus quisque humilitatem inopiamque ejus apud amicos Alexandri criminabatur. *Id.* 3. 5. 6. Fame atque inopia hostem debellare. *Id.* 10. 8. 12. Itaque inopia primum, deinde fames esse cœpit. *Sueton. Tib.* 47. Alicujus inopiam sustentare. *Justin.* 9. 1. 8. Mercibus distractis anhelantem inopiam recreare. *Tac.* 2. *Ann.* 37. *extr.* Defendere aliquem ab inopia. *Id. ibid.* 38. *extr.* Ad pudendam inopiam delabi. *Id. Agric.* 28. Ad extremum inopiæ venire. *Id.* 3. *Hist.* 48. Inopiam alicui facere. *h. e.* afferre. *Modestin. Dig.* 2. 4. 25. Inopia laborare.

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Cic. Quinct.* 1. 5. Præsidio esse contra vim et gratiam solitudini atque inopiæ. *h. e.* ejus qui inops est ab advocatis. Sic *Sall. fragm.* apud *Donatum* ad *Ter. Eun.* 4. 3. 8. Festinantibus in summa inopia patribus. *h. e.* turbatis, trepidantibus difficultate idonei ducis reperiendi, qui Spartaco par esset, ut *Kritzius* interpretatur. *Seneca Consol. ad Helv.* 12. Nec tantum conditio temporum, aut locorum inopia. *h. e.* loca, quæ multis carent rebus. Sic *Vellej.* 2. 51. 3. Ingenti cum difficultate itinerum, locorumque inopia. — *b*) Speciatim refertur ad dicendi facultatem. *Cic. Brut.* 55. 202. Cavenda est presso illi oratori inopia et jejunitas. — *c*) Est etiam negatio noctis, et opponitur copiæ, quam sui facit meretrix. *Ter. Heaut.* 2. 3. 125. Hac arte tractabat virum, ut illius animum cupidum inopia incenderet.

ĬNŌPĪNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* opinor). Comp. *Inopinabilior.* — Inopinabilis est non opinabilis, qui opinione concipi non potest, vel de quo non facile opinamur, *strano, difficile da concepire,* παράδοξος. *Gell.* 17. 9. *sub fin.* Profunda quædam et inopinabilis latebra. *Aurel. Vict. Cæsar.* 39. *ante med.* Quæ res post memoriam humanam nova atque inopinabilis fuit. *Ammian.* 29. 1. Inopinabilis impetus. *Gell.* 17. 12. Infames materias, sive quis mavult dicere inopinabiles, quas Græci ἀδόξους ὑποθέσεις appellant. *Boeth. Aristot. Topic.* 8. 3. p. 727. Ut faciat respondentem dicere inopinabiliora, quam ea quæ etc. Adde *eumd. ibid. p.* 730.

ĬNŌPĪNĀBĬLĬTER, adverb. (inopinabilis) inopinanter. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 3. *ante med.* Conscriptor quoque inopinabiliter apparebit, non inops Deo. *Id.* 8. *ibid.* 1. *ante med.* Plurima inopinabiliter miracula faciebat.

ĬNŌPĪNANS, antis, adject. (in *privat. et* opinor) improvidus, incogitabilis, incautus, nec opinans, *spensierato, sorpreso, incauto, che non pensa a ciò che può accadere. Cæs.* 4. *B. G.* 4. Omni hoc itinere una nocte confecto, inscios inopinantesque Menapios oppresserant. *Id.* 1. *ibid.* 12. Impeditos et inopinantes aggressus. *Id.* 2. *B. C.* 38. Imprudentes atque inopinantes hostes aggredi. *Id. ibid.* 3. Freto Siciliæ, imprudente atque inopinante Curione, provehitur. *Id.* 6. *B. G.* 36. Inopinantes nostri re nova perturbantur. Adde *Nepot. Datam.* 3.; *Liv.* 27. 48. *ad fin.*; *Sueton. Tib.* 65., *Cal.* 23. et *Claud.* 16.; *Justin.* 2. 4. 19. et 2. 5. 5.; et *Quintil.* 5. 10. 19.

ĬNŌPĪNANTER, adverb. (inopinans) præter opinionem, inopinate, inopinato, *impensatamente, improvvisamente,* ἀπρονοήτως. *Sueton. Tib.* 60. Piscatori, qui sibi secretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, etc.

ĬNŌPĪNĀTĒ et

ĬNŌPĪNĀTŌ, adverb. (inopinatus) idem quod inopinanter. *Seneca Consol. ad Helv.* 5. Hostium adventus eos prosternit, quos inopinata occupavit. *Liv.* 34. 28. Qui ad id, quod futurum erat, ne inopinate acciderat, præparatis suorum animis, signa extemplo convertit. *Plerique tamen leg.* inopinatum. *Id.* 26. 6. *a med.* Quum inopinato in castra Romana Numidæ irrupissent.

ĬNŌPĪNĀTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

ĬNŌPĪNĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* opinor). Sup. *Inopinatissimus* sub *a.* — Inopinatus est qui præter opinionem evenit, improvisus, subitus, *impensato, inopinato, improvviso,* ἀπροσδόκητος. — *a*) De rebus. *Cic.* 4. *Verr.* 8. 24. Nova tibi hæc sunt et inopinata. *Id. ibid.* 28. 69. Quum hoc illi improvisum atque inopinatum accidisset. *Id.* 5. *Parad.* 1. 35. Nec hoc tam re est, quam dicto inopinatum atque mirabile. *Id. Dom.* 4. 14. Allata est a me res inopinata et recens. *Cæs.* 2. *B. C.* 12. Hostes inopinato malo permoti. *Sueton. Cæs.* 87. Finis vitæ repentinus et inopinatus. *Justin.* 13. 1. Principes regnum, vulgus militum thesauros, velut inopinatam prædam, spectabant. *Sil. It.* 7. 133. si præcipitare sequentem, Atque inopinata detur circumdare fraude. *Quintil.* 6. 1. 39. Inopinatus casus. *Id.* 6. 4. 14. Inopinatæ eruptiones. *Plin. Paneg.* 33. Ac sic quoque plura inopinata, plura subita. *Gell.* 4. 11. Verba ipsa Plutarchi, quoniam res inopinata est, subscripsi. *fuor dell'opinione comune. Augustin.* 7. *Trin.* 1. Ex quo conficitur inopinatissimus sensus. — *b*) De personis. *Sueton. Vesp.* 7. Auctoritas et quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato atque novo principi, deerat. Adde *Frontin.* 3. *Strateg.* 2. 4. — Hinc

Inopinatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est res inopinata, improvisa. *Cic.* 3. *Tusc.* 3. 76. Nihil inopinati accidit. *Nepos Phoc.* 4. Is quum lacrimans dixisset: O quam indigna perpeteris Phocion! huic illa: At non inopinata, inquit. *Quintil.* 8. 6. 51. Magis inopinata delectant. *Id.* 5. 13. 3. Patronus inopinatis frequenter occurrit. — Hinc *ex inopinato* adverbii more usurpatur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 123. Aliæ ut ex inopinato observant, et si quid incidit, arripiunt. *Sueton. Galb.* 10. Repente ex inopinato prope cuncta turbata sunt. Adde *Quintil.* 8. 5. 15.

ĬNŌPĪNOR, āris, ari, dep. 1. (in *intent. et* opinor) idem fere quod opinari. *Jul. Valer. de reb. gest. Alex. M.* (edente primum *A. Maio*) 43. Id consilium disjici Alexander facilius inopinatus.

ĬNŌPĪNUS, a, um, adject. (in *privat. et* opinor) idem quod inopinatus; sed vox magis poetica, *inopinato, improvviso.* — *a*) De rebus. *Virg.* 5. *Æn.* 857. Inopina quies. *Id.* 6. *ibid.* 103. nulla laborum, O virgo, nova mi facies inopinave surgit. *Id.* 8. *ibid.* 476. fors inopina salutem Ostentat. *Ovid.* 4. *Met.* 232. inopino territa visu. *Sil. It.* 12. 185. Inopinus turbo. *Stat.* 1. *Theb.* 249. dolor. *Id.* 1. *Silv.* 2. 46. gaudia. *Plin. Paneg.* 30. Ægyptus inopina siccitate exaruit. *Ammian.* 23. 3. Ne quid inopinum oriretur. — *b*) De personis. *Val. Flacc.* 5. 639. Vel tu sola polo tacitis inopina tenebris Labere. *Ammian.* 19. 8. Inopini visebantur. Adde *eumd.* 14. 11. et 27. 2.

ĬNŌPĬŌSUS, a, um, adject. (inops) idem quod inops. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 2. Sæpe ego res multas tibi mandavi, dubias, egenas, inopiosas consilii.

ĬNOPPĪDĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* oppidum) oppidis carens. *Sidon.* 5. *Ep.* 13. Singulos Gabalitanos sparsos, inoppidatos nunc inauditis indictionum generibus exhaurit, nunc etc. *Gloss. Philox.* Inoppidatus, ἀοίκητος.

ĬNOPPORTŪNĬTAS, ātis, f. 3. (inopportunus) intempestivitas, *inopportunità. Idac. Chron.* ad ann. a Chr. n. CCCCLXVII. Expeditio ad Africam adversus Vandalos ordinata metabolarum commutatione et navigationis inopportunitate revocatur.

ĬNOPPORTŪNUS, a, um, adject. (in *privat. et* opportunus) non opportunus. *Cic.* 3. *Orat.* 5. 18. Est in eo loco sedes huic nostro non inopportuna sermoni.

ĬNOPS, ŏpis, adject. omn. gen. ab *in* privat. et *ops*, unde *Festus p.* 190. 18. *Müll.* Ops antiqui dicebant, quem nunc opulentum dicimus, ut testimonio est ei contrarius inops. et *Varro* 5. *L. L.* 92. *Müll.* Ab ope inops, qui ejus indiget. Itaque inops est sine ope, egens, nudus, auxilio carens, ἄπορος (It. *mancante, bisognoso, privo, sprovvisto*; Fr. *privé de ressources, dépourvu de tout, pauvre*; Hisp. *desproveido, indigente, pobre*; Germ. *hülflos*; Angl. *poor, needy, indigent, necessitous*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute. *Cic.* 7. *Verr.* 34. 89. Inopes relicti a duce. *lasciati senz'ajuto. Liv.* 9. 1. Nihil cum potentiore juris humani relinquitur inopi. *Virg.* 9. *Æn.* 290. At tu, oro, solare inopem et succurre relictæ. *h. e.* matri, quæ unico amisso filio, non habet præterea, unde opem exspectet. *abbandonata. Val. Flacc.* 1. 697. Cetera nuda neci, medioque in crimine patrem Liquerit, ac nullis inopem vallaverit armis. *Id.* 3. 608. Illum inter proceres mœstæque silentia mensæ Quærit inops. *Id.* 5. 686. inops senecta. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *ab. Cic. Dom.* 22. 58. et 1. *Att.* 1. Sic inopes et ab amicis et existimatione sunt. — *c*) Cum Infinito. *Propert.* 2. 8. 27. Inopes laudis conscendere carmen. *h. e.* carens viribus ingenii, quibus conscendam etc. ¶ 2. Speciatim est qui rebus ad vitam necessariis caret; quo sensu plus est quam *pauper* et *egens*; et latius patet: quia *egens* ab *inope* fit, ut effectus a causa: *V.* INOPIA I. 2. — *a*) Absolute. *Plaut. Rud.* 1.

5. 24. Hic pauperes res sunt inopesque. *Cic.* 5. *Verr.* 70. 164. Ærarium inops et exhaustum. *Virg.* 1. *G.* 186. inopi metuens formica senectæ. Similiter *Ovid.* 7. *Met.* 2. inops senecta. *Id. Heroid.* 14. 14. Cum sene nos inopi turbe vagamur inops. *Cloatius* apud *Gell.* 16. 12. Commodi esse videntur inopibus nummos desiderantibus. *Petron. Satyr.* 133. Inops et rebus attritis egenus. *Sueton. Ner.* 6. et *Gramm.* 8. Adeo inops atque egens, ut etc. Cf. *Horat.* 3. *Od.* 16. 28. *de avaro.* magnas inter opes inops. — *b*) Cum Genitivo. *Cic.* 2. *Orat.* 10. 40. Inops humanitatis. *Id. Amic.* 15. 53. amicorum. *Liv.* 3. 7. *a med.* Inops senatus auxilii humani, ad deos vota vertit. *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 96. Terra inops pacis. *h. e.* in qua perpetua sunt bella. *Id.* 14. *Met.* 423. Sex illam noctes, totidem redeuntia solis Lumina viderunt inopem somnique cibique. *Id.* 4. *Fast.* 457. Inops mentis. *fuor di se.* Sic *Virg.* 4. *Æn.* 300. animi. et *Stat.* 1. *Theb.* 373. rationis. *non sa quello che debba fare.* Sic *Liv.* 26. 18.; et *Sueton. Ner.* 34. consilii. (Absolute hoc sensu inopes, *scil.* consilii, ἄποροι, dixit *Sil. It.* 2. 462.; quamquam nonnullis proprie usurpasse videtur). *Sueton. Cæs.* 35. Inops omnium rerum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 1. 2. (3). remedii. *Id.* 6. *ibid.* 29. 33. (167). Inops aquarum iter. *Tac.* 2. *Hist.* 6. Provinciæ nec virorum inopes, et pecuniæ opulentæ. Sic *Id. Dial. de orat.* 12. Aureum sæculum et oratorum et criminum inops, poetis et vatibus abundabat. *Stat.* 10. *Theb.* 356. tumuli inops. *insepolto.* (Quo sensu absolute *Virg.* 6. *Æn.* 325. Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.). *Horat.* 2. *Ep.* 2. 50. inops paterni Et laris et fundi. *spogliato. Juvenal.* 7. 60. æris. *senza danari. Sil. It.* 9. 331. miles Martis inops. *h. e.* cui non datur pugnandi facultas. *Stat.* 12. *Theb.* 444. toque exsul ubique Semper inops æqui. *h. e.* cui omnes negant, quod æquum est. ¶ 3. Inops qui parvo emitur. *V.* locum *Martial.* in STURNUS.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ ductâ a superiore paragr. 1., refertur ad facultatem dicendi. *Cic. Brut.* 67. 238. Non erat abundans, non inops tamen. *Id. ibid.* 70. 247. Non tardus sententiis, non inops verbis. *Id. ibid.* 76. 263. Ex hac inopi ad ornandum, sed ad inveniendum expedita Hermagoræ disciplina. *Id.* 1. *Fin.* 3. 10. Latinam linguam non modo non inopem, sed locupletiorem etiam esse, quam Græcam. *Gell.* 18. 3. Vir inopi lingua et infacundus. *Calpurn.* 3. *Ecl.* 60. carmen inops. *Horat. Art. P.* 322. versus inopes rerum nugæque canoræ. ¶ 2. Metaphorâ ductâ a superiore paragr. 2. *Lucret.* 4. 1138. Adversus atque inops amor. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 17. Inopis et pusilli animi esse. *h. e.* sine audacia. *Ovid. Ib.* 24. nostras inopes noluit esse vias. *h. e.* abitum meum et exsilium, quia opes mihi non ademit. *Val. Flacc.* 5. 145. Nam prius ignoti quam dura cubilia ferri Eruerent ensesque darent; odia ægre sine armis Errabant iræque inopes et segnis Erinnys. *Juvenal.* 12. 67. inopi miserabilis arte cucurrit Velo prore suo.

INOPTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et optabilis) non optabilis. *Apul.* 9. *Met.* Inoptabilis officinæ disciplina.

ĬNOPTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et optatus) non optatus. *Seneca* 8. *Excerpt. controv.* 6. Lacrima est indicium inoptatæ rei.

ĬNŌRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et oro) inexorabilis, *inesorabile. Accius* apud *Non.* p. 487. 15. *Merc.* Sed pervico Ajax animo atque inorabili. Ita legit *Lips. epist. Quæst. l.* 4. c. 8.; alii melius *immemorabili.*

ĬNŌRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et oratus) non oratus. *Ennius* apud *Non.* p. 166. 23. *Merc.* Quo nunc incerta re atque inorata gradum regredere conare? *h. e.* non exposita. Sic *Cic. Rosc. Am.* 9. 26. Legati Ameriam re inorata reverterunt.

ĬNORDĬNĀLĬTER, adverb. (in *privat.* et ordo) inordinate. *Cœl. Aurel.* 3. *Acut.* 4. *circa med.* Inordinaliter scarificandum.

ĬNORDĬNĀTĒ *et*

ĬNORDĬNĀTIM, adverb. (inordinatus) sine ordine, *disordinatamente,* ἀτάκτως. *Cels.* 3. 3. Febres inordinate redire. *Id. in fin. lib.* 4. Inordinate agere. *Vulgat. interpr.* 2. *Thessal.* 3. 6. Denunciamus autem vobis fratres, — ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. *Ammian.* 19. 7. Acies non inordinatim incedebant.

ĬNORDĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (inordinatus) confusio, *disordine, confusione,* ἀταξία. *Apul. Trismeg.* Senectus mundi, inordinatio, irrationabilitas bonorum. *Imp. Justinian. Cod.* 3. 43. 3. Quidam nec ludentes, nec ludum scientes, sed numeratione tantum suas substantias perdiderunt, die noctuque ludendo. Consequenter ex hac inordinatione blasphemare Deum conantur et instrumenta conficiant. Adde *Vulgat. interpr. Sap.* 14. 26.

ĬNORDĬNĀTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

ĬNORDĬNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et ordinatus). Sup. *Inordinatissimus.* — Inordinatus est non ordinatus, *disordinato,* ἄτακτος. *Liv.* 22. 50. Inordinati et incompositi milites. *Id.* 35. 29. hostes. Adde *eumd.* 23. 37. Sic *Curt.* 5. 13. 11. Exercitum, utpote qui nihil præcaveret, incompositum inordinatumque procedere. et *Veget.* 1. *Milit.* 9. Divisus et inordinatus exercitus. *Quintil.* 8. 2. 23. Inordinata, aut indistincta dicere. Adde *eumd.* 1. 10. 46. et 10. 4. 1. *Apul.* 2. *Met.* Non operosus, sed inordinatus ornatus addebat gratiam. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 45. (91). Inordinatissimi pili. — Hinc

Inordinatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est inordinatio, confusio. *Cic. Tim.* 3. 7. Idque ex inordinato in ordinem adduxit.

ĬNORDĬNO, as, are, a. 1. (in et ordino) idem quod ordinare, disponere. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 9. Mos inordinandi pastinandique soli duo sunt tempora. *h. e.* in areolas distribuendi. Alii melius leg. *ordinandi.*

ĬNŎRĬOR, ŏrĕris, ŏriri, dep. 4. (in *et* orior) idem quod oriri. *Tac.* 11. *Ann.* 23. Quid, si memoria eorum inoriretur, qui etc. *Halm.* leg. *Quid si memoria eorum oreretur* etc.; alii aliter.

ĬNŌRIS, e, *et* Inōrus, a, um, adject. (in *privat.* et os, oris) qui est sine ore, *senza bocca,* ἄστομος. *Paul. Diac.* p. 114. 13. *Müll.* Inori, inores. *Al. leg.* Inori, sine ore. *Turpilius* apud *Non.* p. 216. 8. *Merc.* In acta cooperta age inores ostreas. *Bothe Poet. com. T.* 2. p. 79. legit *alga inoras. V.* etiam INAUDITUS.

ĬNORMIS, pro enormis legit *Salmas.* ad *Spartian. Æl. Ver.* 1. *extr.* ex MSS., eamque lectionem multis probare nititur. Ita etiam legitur in *Tab. edicti,* quæ pertinet ad ann. a Chr. n. DCLXIV. vel DCLXXII. apud *Gruter.* 647. 7. INTERDICENTES, NE INORMIA ILLA INDEBITAQVE PRAESTENTVR, QVAE TAM TRIBVNVS, QVAM PATRONI DIVERSI, ET VARIA CONSEQVERANTVR OFFICIA. In *Not. Tir.* p. 110. *enormis* quidem legitur, et illa sigla præmissa *innormis* significat; ita enim legitur in libro Casseliano, teste *Koppio Palæogr. crit. T.* 1. p. 201. — Sic

ĬNORMĬTAS, pro enormitas. *Imppp. Valentinian., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 8. 5. 30. Excedere legem vel vehiculi inormitate, vel ponderis.

ĬNORNĀTĒ, adverb. (inornatus). Comp. *Inornatius.* — Inornate est sine ornatu, *senza ornamenti, rozzamente,* ἀκόμψως. *Cic.* 4. *Herenn.* 31. 42. Hoc pacto non inornate poterimus dicere. *Fronto ad Verum Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 1. *ante med.* Quod Paterculus res inornatius scripsisset.

ĬNORNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et ornatus). ¶ 1. Est non ornatus, incultus, rudis, *disadorno, senza ornamenti, rozzo,* ἄκομψος. — *a*) Generatim. *Cic. Orat.* 23. 78. Mulieres esse dicuntur nonnullæ inornatæ, quas id ipsum deceat. *Tibull.* 3. 3. 29. Inornatum caput. *Ovid. Heroid.* 8. 9. clamantem nomen Orestæ Traxit inornatis in sua tecta comis. Sic *Id.* 9. *Met.* 3. Inornati crines. — *b*) Speciatim refertur ad orationem, quæ exornationibus et figuris caret. *Cic. Orat.* 9. 29. Lysias tenuis atque inornatus. *Id.* 4. *Herenn.* 56. 70. Ne nuda atque inornata inventio vulgari sermone efferetur. *Horat. Art. P.* 234. Nomina et verba inornata et dominantia. *h. e.* vulgaria, passim usurpata, omni urbanitatis aut troporum ornamento carentia. Sic *Quintil.* 8. 3. 38. Inornata verba. *Id.* 8. 3. 50. oratio. *Id.* 4. 2. 46. brevitas. *Id.* 2. 4. 3. res. ¶ 2. Item illaudatus. *Horat.* 4. *Od.* 9. 31. non ego te meis Chartis inornatum silebo, Lolli.

ĬNORNO, as, are, a. 1. (in *et* orno) idem quod ornare, *ornare. Tertull. Anim.* 19. Et folia formantur et flosculi inornantur. *V.* et voc. seq.

ĬNŌRO, as, are, a. 1. (in *et* ora) circa oram ornare. *Tertull. Resurr. carn.* 16. Calix de coronis quoque potatoris sui inorabitur. *Al. leg.* inornabitur.

ĬNŌRUS. *V.* INORIS.

ĬNŌTĬŌSUS, a, um, adject. (in *privat.* et otiosus) non otiosus, ἄσχολος, ut Inotiosa actio, *h. e.* gestus non lentus et gravis, sed celer et velut cursitans. *Quintil.* 11. 3. 183. Non immerito reprehenditur pronunciatio vultuosa et gesticulationibus molesta et vocis mutationibus resultans. Nec inutiliter ex Græcis veteres transtulerunt: quod ab his sumptum Lænas Popilius posuit, esse hanc Inotiosam actionem. *V.* MOCOSUS.

ĬNŎVANS, antis, adject. (in *intent.* et ovans) valde ovans. *Apul.* 11. *Met.* Inovanti gradu. *Alii melius leg.* in ovanti.

INQUÆSĪTUS, a, um, adject. (in *et* quæsitus) inquisitus, *ricercato. Tertull.* 5. *carm. advers. Marcion.* 3. Inquæsita ergo, sed non erepta probatur. Ita *Forcellinus:* aliis vero *inquæsitus* est non quæsitus.

INQUAM. *V.* INQUIO.

INQUASSĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et quassatus) non quassatus. *Gloss. Philox.* Inquassatus, ἀθραυστος. Sic *Gloss. Cyrill.* Ἀσάλευτος, immotus, inquassatus, inconcussus.

INQUĬES, ētis, f. 3. (in *privat.* et quies) idem atque inquietudo, *inquietudine. Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (142). Furiales somni et inquies nocturna. *Tertull. Anim.* 25. Si desierit inquies ejus. *scil.* infantis in utero.

INQUĬES, ētis, adject. omn. gen. (in *privat.* et quies) idem atque inquietus. — *a*) De personis. *Sall.* 1. *Hist.* apud *Priscian.* 6. p. 704. *Putsch.* Hominem corpore et lingua percitum et inquietem. *Id.* 5. *ibid.* p. 656. Humanum ingenium inquies atque indomitum. *Id.* apud *Arusian.* L. Hostilius Dasianus inquies animi. *Tac.* 1. *Ann.* 68. Haud minus inquies Germanus spe, cupidine. *Id.* 6. *ibid.* 18. Q. Pomponius moribus inquies. *Id.* 16. *ibid.* 14. Inquies animo et occasionum haud segnis. *Apul.* 2. *Met.* Nec animo tantum, verum etiam corpore ipso ad libidinem inquies et petulans. *Vellej.* 2. 68. Inquies vir. *Ammian.* 29. 1. homo. *Id.* 19. 5. Persa. — *b*) De animo et rebus. *Justin.* 44. 2. 5. Velocitas genti (*Hispanæ*) pernix, inquies animus. Sic *Plin. Hist nat. præfat.* § 16. Animus inquies pascitur opere. *Tac.* 3. *Ann.* 4. Dies modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies. *Id.* 1. *ibid.* 65. Nox per diversa inquies. Adde *Liv.* 5. 41.

INQUĬESCO, is, ere, n. 3. (in *et* quiesco) idem quod quiescere. Occurrit tantum Part. *Inquiescens* apud *Apul.* 9. *Met. sub init.* Immo vero jam virus, inquiescente sævitia, prorsus exstinctum. *Alii melius leg.* increscente.

INQUĬĒTĀTĬO, ōnis, f. 3. (inquieto) actus inquietandi, σφαδασμός. *Liv.* 22. 27. *de bobus, quorum cornibus sarmenta succensa alligaverat Hannibal.* Capitum inquietatio excitans flammas, hominum passim discurrentium speciem præbebat. *dibattimento.* Alii tamen melius legunt *irrita quassatio. Seneca Suasor.* 2. *de Euripo.* Qua vix minimo aditus navigio est: et hujus quoque remigium arcet inquietatione, quod circumfluit, mare. *Marcell. Empir.* 8. 1. Collyrium, quod ad omnem epiphoram et inquietationem et tumorem facit sedandum.

INQUĬĒTĀTOR, ōris, m. 3. (inquieto) qui inquietat. *Tertull. Spectac.* 23. Inquietator animarum. *Cod. Theod.* 6. 10. 1. Si quis – temerarius in census discussiones, peræquationes, aliam denique rem inquietator exstiterit etc.

INQUĬĒTĒ, adverb. (inquietus). Comp. *Inquietius.* — Inquiete est sine quiete, sine intermissione. *Solin.* 30. Mons ingenito igne per æternum fervidus, et inquiete jugis flagrantibus. *Ammian.* 27. 3. Eâque confidentiâ deinceps inquietius agitans multa. Adde *eumd.* 15. 5. *init.*; et *Vulgat. interpr.* 2. *Thessal.* 3. 11.

INQUĬĒTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (inquietus). Part. *Inquietatus.* — Inquieto est turbo, quietem agere non sino, ἐνταράττω (It. *inquietare, turbare;* Fr. *troubler, agiter, inquièter;* Hisp. *turbar, inquietar, acedar;* Germ. *beunruhigen;* Angl. *to disquiet, disturb, harass, trouble*). Occurrit — *a*) Generatim. *Quintil.* 11. 3. 80. Inquietare nares digito. *Colum.* 8. *R. R.* 5. 11. Ne incubantes matrices ab aliis avibus inquietentur. *Seneca Ep.* 2. Locorum mutationibus inquietari. *Id. Vit. beat.* 12. O-

piniones inter se contrariæ mentem inquietabunt. *Petron. Satyr. init.* Num alio genere furiarum declamatores inquietantur? *Id. ibid.* 100. Inquietatus ille moleste tulit. *Sueton. Aug.* 53. Officii causa inquietare aliquem. *Id. Cal.* 26. Inquietatus fremitu. *Id. ibid.* 59. umbris. *Id. Claud.* 9. assidue varieque. *Plin.* 1. *Ep.* 9. Nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor. *Id.* 9. *ibid.* 51. Libellis inquietor. *Ammian.* 14. 3. Tractus omnes crebro inquietari sueti. *Tac.* 3. *Hist.* 84. Inquietare victoriam. — *b*) Specialim et præcipue apud *JCtos* in *Digest.* frequens est pro accusare, in jus vocare, actionibus et litibus inferendis turbare. *Sueton. Ner.* 34. Inquietare aliquem litibus. *Ulp. Dig.* 48. 5. 26. Quiescens matrimonium non debet alius turbare atque inquietare, *scilicet* uxorem adulterii accusando. *Modestin. ibid.* 31. 1. 35. *ante med.* Sciant heredes mei, nullam pecuniam esse penes uxorem meam: ideoque eam hoc nomine inquietari nolo.

INQUĬĒTŪDO, inis, f. 3. (inquietus) privatio quietis, *inquietudine, perturbazione*, ταραχή.

I.) Proprie. — *a*) Passiva significatione. *Seneca* 2. *Benef.* 8. Tametsi inquietudinem Tiberius ne hoc quidem modo, quo putabat, potuit effugere. *Al. aliter leg.* Sic *Salvian.* 2. *advers. Avar.* Animæ quietem veram desideranti, ea non pati tantum nimis magna inquietudo, sed etiam videre quodammodo pars est inquietudinis. *Impp. Dioclet.* et *Maximian. Cod.* 7. 14. 5. Ne de cetero inquietudinem sustineres. *Theod. Priscian.* 1. 8. Ut frequentibus etiam fomentationibus doloris illius penitus inquietudo quiescat. Adde *Hieronym. Ep.* 108. n. 20. — *b*) Activa significatione. *Dict. Cret.* 1. 22. Inclamans, ab inquietudine Iphigeniæ cohiberent sese. *h. e.* ab inquietanda Iphigenia.

II.) Translate est febricula, commotiuncula. *Marcell. Empir.* 20. *ante med.* Stomachum corroborat herba absinthii decocta cum vino austero, si febres non erunt: quod si inquietudo fuerit, cum aqua coqui et dari debet. Cf. *Solin.* 1. Jam inde incipiet capitis inquietudo, et caligine visus hebetabitur.

INQUĬĒTUS, a, um, adject. (in *privat.* et quietus). Comp. *Inquietior* et Sup. *Inquietissimus.* — Inquietus est qui est sine quiete, *inquieto, senza riposo*, ἄστατος. *Liv.* 3. 46. Inquietus homo. *Ammian.* 22. 5. *extr.* O Sarmatæ, tandem alios vobis inquietiores inveni. *Al. leg.* inertiores. *Vopisc. Saturn.* 1. Gens inquietissima. *Sueton. Tib.* 9. Inquieta Gallia. *Id. Galb.* 7. provincia. *Liv.* 1. 46. animus. *Id.* 22. 21. Ingenia inquieta et in novas res avida. *Horat. Epod.* 5. 95. Inquieta præcordia. *Id.* 3. *Od.* 3. 3. auster dux inquieti turbidus Hadriæ. *h. e.* maris Hadriatici. *Plin.* 2. *Ep.* 17. 16. Ventus inquietus. *Seneca Herc. Œt.* 1537. Si quis fecerit aper silvas inquietas. *Liv.* 5. 42. Nox inquieta. *Seneca* 7. *Benef.* 22. Inter affectus inquietissimos rem quietissimam, fidem, quæris? *Ammian.* 17. 1. Nihil inquietum agere. — Cum Accusativo et præpos. *in. Justin.* 41. 3. 9. Parthi semper aut in externos, aut in domesticos motus inquieti.

INQUĬLĪNĀTUS, us, m. 4. (inquilinus) habitatio inquilini. *Tertull. Anim.* 38. *ad fin.* Desiderabit inquilinus toto inquilinatus sui tempore. Adde *Sidon.* 5. *Ep.* 19.

INQUĬLĪNO, as, are, a. 1. (inquilinus) habitare. *Gloss. Philox.* Inquilino, ἐνοικέω.

INQUĬLĪNUS, a, m. et f. (in et colo, *quasi* incolinus) occurrit fere absolute, substantivorum more, et est qui in alienis et privatis ædibus habitat; et proprie in conducticiis, ἔνοικος (It. *chi abita in casa d'altri a pigione, pigionale*; Fr. *celui qui habite un appartement loué, locataire*; Hisp. *inquilino*; Germ. *Insasse, Miethsmann*; Angl. *one who lodges in a hired house, a renter or tenant*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Justin.* 43. 4. 5. Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoque dominos regionum futuros. — Differt a *colono*: quia *inquilinus* proprie nihil præter domum alienam colit; *colonus* agros quoque. *Marcell. Dig.* 41. 2. 37. Ut is, qui hypothecam dedit, pro colono in agro, in ædibus pro inquilino sit. *Ulp. ibid.* 43. 31. 1. Hoc interdictum proponitur inquilino, qui soluta pensione vult migrare: nam colono non competit. — Differt etiam ab *incola*, quia incola habitatorem notat in genere; inquilinus est habitator alienæ domus. Sed neque hoc semper servatur. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 12. 43. (73). Hostilia vicus alluitur Pado. Hujus inquilini, pabulo circa deficiente, imponunt navibus alvos etc. — Denique differt ab *advena*, quia *advena* non perpetuo habitat, sed brevi migrat; *inquilinus* manendi animo incolit. *Cic.* 2. *Phil.* 41. 105. At vero te inquilino (non enim domino) personabant omnia vocibus ebriorum. *Sueton. Ner.* 44. Jussit, inquilinos privatarum ædium atque insularum pensionem annuam repræsentare fisco. — Inquilinus dicitur etiam servus, qui prædio alicui adscriptus est. *Marcian. Dig.* 30. 1. 112. Si quis inquilinos sine prædiis, quibus adhærent, legaverit, inutile est legatum. Cf. *Marin. Pap. Dipl. p.* 83. *col.* 4. *lin.* 2. Inquilinus, sive servus. — Adjective. *Sall. Cat.* 31. Quum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romæ. ¶ 2. Latiori sensu dicitur *inquilinus*, qui in domo mea habitat. *Paul. Diac. p.* 107. 1. *Müll.* Inquilinus, qui eumdem colit focum. *Martial.* 1. 87. Vicinus Novio, vel inquilinus Sit, si quis Novium videre non vult.

II). Translate. *Varro* apud *Non. p.* 403. 28. *Merc.* In quarum locum subierunt inquilinæ, impietas, perfidia, impudicitia. *Cic.* 15. *Fam.* 18. Ubi igitur, inquies, philosophia? Tua quidem inquilina. *Alii melius leg.* in culina. *V.* CULINA. *Seneca Ep.* 108. Quos ego non discipulos philosophorum, sed inquilinos voco. *Ammian.* 30. 3. Quum non suppeterent, quod daretur, erant perpetui carcerum inquilini. *Tertull. Resurr. carn.* 46. *sub fin.* Anima inquilina est carnis. *Salvian.* 5. *Gub. D.* 8. Qui habere amplius vel sedem, vel dignitatem suorum natalium non queunt, jugo se inquilinæ abjectionis addicunt.

Homonym. *V.* supra sub I. 1.

INQUĬNĀBŬLUM, i, n. 2. (inquino) idem atque inquinamentum. *Gloss. Philox.* Inquinabulum, μόλυμμα.

INQUĬNĀMENTUM, i, n. 2. (inquino) sordes et immunditia, *lordura*, ῥυπαρία. *Vitruv.* 8. 5. *extr.* Si neque inquinatus ab aliquo inquinamento is locus fuerit. *Gell.* 2. 6. *extr.* Ut jam squalor de re nulla alia, quam de solis inquinamentis dici cœperit. Adde *Macrob.* 6. *Saturn.* 7.; *Tertull. Spectac.* 10.; et *Vulgat. interpr. Deuter.* 7. 26. et alibi.

INQUĬNĀTĒ, adverb. (inquinatus) sordide, *lordamente*, ῥυπαρῶς. Translate *inquinate loqui* est nimis vulgaribus, sordidis, inelegantibus aut barbaris verbis uti, ut *Cic. Brut.* 37. 140. et 74. 258. docet.

INQUĬNĀTĬO, ōnis, f. 3. (inquino) pollutio, *contaminazione*, μιασμός. *Vulgat. interpr. Sapient.* 14. 26. Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio.

INQUĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INQUĬNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Inquinans* II.; *Inquinatus* in fin. — Ratione habita etymi, videtur esse a κοινόω vel ἐγκοινόω, quæ sunt ejusdem significationis. *Paul. Diac. p.* 50. 16. *Müll.* ducit a *cunire*, quod est stercus facere: *V.* CUNIO. Ceterum inquinare est sordibus aspergere, polluere, fœdare, maculare, μολύνω, κοινόω (It. *imbrattare, insozzare, lordare*; Fr. *souiller, salir, tacher*; Hisp. *ensuciar, manchar, emporcar*; Germ. *beschmutzen, besudeln, verunreinigen, beflecken*; Angl. *to pollute, defile, contaminate, befoul, stain*).

I.) Proprie. *Plaut. Capt.* 2. 2. 17. Ne id quidem involucre injicere voluit, vestem ut ne inquinet. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 37. Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis Corvorum. *Ovid.* 4. *Fast.* 928. Ruris opes niteant: inquinet arma situs. *Propert.* 3. 15. 18. Et nova pressantes inquinet ova pedes. *Scribon. Compos.* 80. Inquinare manus medicamento. *Ovid.* 14. *Met.* 55. Inquinare aquas venenis. *Ulp. Dig.* 9. 2. 27. *ante med.* Si lolium in segetem alienam injeceris, quo eam inquinares.

II.) Translate. *Varro* apud *Non. p.* 168. 7. *Merc.* Sæpe unus puer petulans atque impurus inquinat gregem puerorum. *Cic. Planc.* 19. 46. Quos tu si sodales vocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso. *Id.* 2. *Phil.* 17. 43. Quos iste agros, ereptos reipublicæ, turpissimis possessoribus inquinavit. *Id.* 5. *Fin.* 8. 22. Obscurantis est omnem splendorem honestatis, ne dicam inquinantis. *Id. Dejot.* 12. 23. Idcirco in hanc urbem venisti, ut hujus urbis jura et exempla corrumperes, domesticaque tua immanitate inquinares? *Liv.* 9. 46. Senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat. *Id.* 29. 37. *a med.* Inquinare famam alterius. Cf. *Curt.* 6. 11. 37. Inquinare innoxios. *infamare e far rei. Cic.* 5. *Tusc.* 2. 6. se parricidio. *Id.* 1. *ibid.* 30. 72. se vitiis atque flagitiis. *Horat.* 3. *Od.* 6. 17. Fecunda culpæ sæcula nuptias Primum inquinavere et genus et domos. *Id. Epod.* 16. 64. Juppiter inquinavit ære tempus aureum. *Quintil.* 4. 2. 102. Inquinare bona malis. *Id.* 10. 1. 100. argumenta fœdis amoribus. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 304. egregios mores superbia. — Hinc Part. præter. pass.

Inquinatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Inquinatior* et Sup. *Inquinatissimus* II. 1.; et est fœdatus, contaminatus, pollutus, *imbrattato, macchiato, lordo, sozzo*, μολυνθείς.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 97. Darius in fuga, quum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit, unquam se bibisse jucundius. ¶ 2. Latiori sensu est tinctus, infectus, *tinto. Martial.* 4. 4. bis murice vellus inquinatum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic. Rosc. Am.* 24. 68. Nisi turpis adolescentia, nisi omnibus vitiis inquinata. *Id. Flacc.* 22. 53. Nihil hoc homine egentius, nihil inquinatius. *Id.* 2. *Off.* 6. 21. Quæ sordidissima quidem est ratio et inquinatissima. *Id. Harusp. resp.* 24. 51. An ille fœdior atque inquinatior in Cn. Pompejo accusando, quam in universo senatu vituperando fuit? *Id. Cœl.* 6. 13. Quis in voluptatibus inquinatior? *Id. ibid.* 32. 78. Ore, lingua, manu, vita omni inquinatus. *Id. Harusp. resp.* 12. 25. Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest? *Q. Cic. Petit. cons.* 14. 56. Comitia largitione inquinata. *Catull.* 33. 3. Nam dextra pater est inquinatiore. *h. e.* multis furtis polluta et contaminata. *Cic.* 5. *Verr.* 26. 65. Tantum ejus sermo inquinatissimus et blanditiæ flagitiosæ valuerunt. *h. e.* in quo inhonesta ac turpia dicebantur. ¶ 2. Specialim refertur ad orationem, in qua adhibentur verba aut barbara, aut sordida, aut nimis vulgaria. *Cic. Opt. gen. orat.* 3. 7. Est vitiosum in verbis, si inquinatum, si abjectum, si non aptum, si durum, si longe petitum. *Id. Orat.* 49. 163. Splendidis nominibus illuminatus est versus: sed proximus inquinatus, insuavissima littera finitus. *Tac. Dial. de orat.* 20. Exigitur jam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed etc. ¶ 3. Item de eo, qui leviter est imbutus, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. I. 2. *Petron. fragm. Tragur.* 46. *Burmann.* Nam litteris satis inquinatus est. *Seneca Ep.* 59. *circa med.* Diu in istis vitiis jacuimus, elui difficile est, non enim inquinati sumus, sed infecti.

INQUĬO et *sæpius* inquam, v. defectiv. Est a. 3. secundum *Priscian.* 10. *sub init.* et 4. secundum *Diomed.* 1. *p.* 375. *Putsch.* — *Inquid* pro *inquit* sæpe scribitur, sequente *t* aut alia consonante, ut *inquid Tubero* apud *Cic.* 1. *de republ.* (edente *A. Maio*) 15., et *inquid tam mane* apud *eumd. ibid.* 9., et *inquid Philus* apud *eumd. ibid.* 11. — Ratione habita etymi, putat *Voss.* esse *inquio* ab ἐνέπω, et *inquam* per syncopen ab *inquiebam*, ut olim fuerit imperfectum, nunc vero usu pro præsenti usurpetur. Rectius tamen duxeris ab inusit. ἔνφαμι, compos. ex ἐν in et φαμί Dorice pro φημί *dico*; deinde absorpta ultima vocali ι, ortum *inquam* et Latina desinentia *inquio*. — Verbum est defectivum, et sine casu usurpatur: cujus tempora ac personas omnes hic subnectam. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 66. Communi sensu plane caret, inquimus. eheu etc. *Arnob.* 2. 4. Non credimus, inquitis, vera esse quæ dicit. *Cic.* 6. *Verr.* 14. 32. Ubi sunt, Pamphile, inquiunt, scyphi? Adde *Quintil.* 1. 10. 3. et 9. 2. 85. Rursus *Cic. Topic.* 12. 51. Inquibat Galius noster. *Al. leg.* inquiebat. *Catull.* 10. 14. At certe tamen, inquiit, quod illic etc. *Al. leg.* inquiunt. *Cic.* 2. *Orat.* 64. 259. Tu vero, inquisti, molestus non eris. *Catull.* 24. 7. non est homo bellus, inquies? est. *Cic.* 4. *Verr.* 18. 45. Ergo, inquiet aliquis, donavit etc. Sic *Id.* 2. *Herenn.* 21. 34. Quid amor? inquiet quispiam. Adde *Horat.* 2. *Sat.* 5. 43. *Ter. Heaut.* 4. 7. 1. Eccum me, inque. *Plaut. Aulul.* 4. 10. 58. et *Rud.* 5. 2. 55. Ita dii faxint, inquito. *Cic.* 4. *Herenn.* 3. 5. Quid enim tibi vis? inquiat aliquis. Ita legit *Priscian.* 10. *sub init.*,

alii *inquiet*. Ceterum usitatissima sunt *inquam, inquis, inquit;* quorum exempla *V. infra*. — Inquio vel inquam est dico, loquor, λέγω, φημί (It. *dire;* Fr. *dire, parler;* Hisp. *decir, hablar;* Germ. *sagen;* Angl. *to say*). Usurpatur ¶ 1. Quum aliorum, vel nostra ipsa verba in orationem inducimus, et post unum aut alterum verbum poni solet. *Cic. Planc.* 26. 65. Quum respondissem, me ex provincia decedere, etiam mehercules, inquit, ut opinor, ex Africa. Huic ego jam stomachans fastidiose, immo ex Sicilia, inquam etc. *Italice* hoc loco per præteritum reddi potest. Sic *Id.* 3. *Cat.* 5. 10. Quæsivi, cognosceret ne signum. Annuit. Est vero, inquam, signum quidem notum etc. *diss'io*. *Nepos Alcib.* 8. Ab hoc discedens Alcibiades, quoniam, inquit, victoriæ repugnas etc. *Liv.* 1. 12. Juppiter, inquit, tuis jussus avibus etc. *Curt.* 6. 11. 18. Cratere, inquit, dic. *Id.* 3. 12. 17. Non errasti, inquit, mater, nam et hic Alexander est. *Pers.* 1. 112. Hoc juvat, hic, inquis, veto quisquam faxit oletum. — *Inquam, inquit* in dialogis locum habent, qui aliorum nomine referuntur. *Cic. Amic.* 1. 3. Quasi ipsos induxi loquentes, ne *inquam* et *inquit* sæpius interponerentur. *Id.* 5. *Att.* 1. At illa audientibus nobis, ego sum, inquit, hic hospita. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 42. — Cum Dativo personæ. *Cic.* 5. *Att.* 1. Tum Quinctius, en, inquit mihi, hæc ego patior quotidie. *Catull.* 10. 27. minime, inquio puellæ. *Est qui leg.* inquii. *Nepos Con.* 3. Huic ille inquit. *Id. Epam.* 5. et *Phoc.* 4. Inquit mihi. *Quintil.* 11. 3. 155. Inquit Cædio Cicero. *Id.* 6. 3. 87. Dicenti inquit. ¶ 2. *Inquam* adhibetur sæpe in repetitione. *Lucret.* 2. 257. Libera per terras unde hæc animantibus exstat, Unde est hæc, inquam, fatis avolsa voluntas? *inquam* hoc loco servit etiam indignationi. *Cic.* 6. *Verr.* 29. 67. Rex maximo conventu Syracusis, in foro, ne quis forte me in crimine obscuro versari atque affingere aliquid suspicione hominum arbitretur, in foro, inquam, Syracusis etc. *Id.* 2. *Phil.* 44. 112. Hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem defende, si potes. *Id.* 1. *Att.* 20. *ad fin.* Per mihi, per, inquam, mihi gratum feceris, si etc. *Id.* 2. *Fin.* 22. 72. Delector enim: quamquam te non possum, ut ais, corrumpere: delector, inquam, et familia vestra et nomine. ¶ 3. Præterea *inquit* veluti formula est, ubi aliquid ex adverso nobis objici et opponi fingimus; sive ab uno, sive e pluribus; sive a præsente, sive ab absente fiat. *Cic. Cluent.* 34. 92. Hoc vos Cluentio putatis obesse oportere? Quam ob causam? Si ex lege subsortitus non erat Junius, aut si in legem aliquando non juraverat, idcirco illius damnatione aliquid de Cluentio judicabatur? Non, inquit: sed ille idcirco his legibus condemnatus est, quod etc. (pro *inquitis*). *Id. Flacc.* 23. 55. Nunc tantum a Trallianis requiro, quam pecuniam a se ablatam queruntur, suam ne dicant, sibi a civitatibus collatam in usum suum: cupio audire. Non, inquit, dicimus. Quid igitur? delatam ad nos, creditam nobis L. Flacci patris nomine, ad ejus dies festos atque ludos. Quid tum? Hanc te, inquit, capere non licuit. (pro *inquiunt*). *Horat.* 1. *Sat.* 4. 78. lædere gaudes, Inquit, et hoc studio pravus facis. (pro *inquis*). Al. leg. *inquis*: sed contradicit *Bentlejus*, (a quo hæc desumpsimus) alia quoque congerens in hanc rem. *Seneca* 2. *Ira* 12. Non magis quisquam eodem et iratus potest esse et vir bonus, quam æger et sanus. Non potest, inquit, omnis ex animo ira tolli, nec hominis natura patitur. ¶ 4. Sæpe *inquit* repetitur. *Cic.* 1. *Nat. D.* 7. 17. Mihi vero, inquit Cotta, videtur; sed ut hic, qui intervenit etc. Quamobrem, inquit, Vellei, nisi molestum est etc. *Id.* 2. *Orat.* 3. 13. Crassus, numquidnam, inquit, novi? Nihil sane, inquit Catulus; etenim vides esse ludos: sed vel tu nos ineptos, licet, inquit, vel molestos putes, quum ad me in Tusculanum, inquit, heri vesperi venisset Cæsar de Tusculano suo, dixit etc. *Id. ibid.* 74. 298. Dicam equidem, Cæsar inquit, quid intelligam; sed tu et vos omnes hoc, inquit, mementote etc. Adde *Sueton. Cæs.* 32. ¶ 5. Aliquando redundat per pleonasmum. *Seneca* 2. *Ira* 3. Excepit Demochares: Te, inquit, suspendere. *Nepos Hann.* 2. Hoc adjunxit: Pater, inquit, meus etc. ¶ 6. Interdum *inquit* omittitur. *Phædr.* 5. 5. Turpemque aperto pignore errorem probans, En, hic declarat, quales sitis judices. Adde *eumd.* 1. 30.; *Ter. Hecyr.* 1. 2. 73.; *Virg.* 4. *G.* 356.; et *Val. Flacc.* 1. 626. — *NB.* Interdum *inquit* in fine orationis ponitur. *Ovid.* 8. *Met.* 279. at non impune feremus; Quæque inhonoratæ, non et dicemur inultæ, inquit: et Oeneos ultorem spreta per agros Misit aprum. *Id.* 10. *ibid.* 141. Ingemuit, tristisque deus, Lugebere nobis, Lugebisque alios, aderisque dolentibus, inquit. — Cum præcedente Nominativo. *Ovid.* 11. *Met.* 205. pretium rex infitiatur; et addit Perfidiæ cumulum falsis perjuria verbis. Non impune feres, rector maris inquit: et omnes Inclinavit aquas ad avaræ litora Trojæ. Adde *Catull.* 55. 11.; et *Plin.* 1. *Ep.* 5. 13.; et *V. Giese* ad *Cic.* 1. *Divinat.* 5. 8. — Cum subsequente Nominativo. *Nepos Att.* 4. Noli, oro te, inquit Pomponius, adversum eos me velle ducere, cum quibus etc.

INQUĪRO, quīris, quīsīvi, quīsītum, quīrere, a. 3. (in et quæro). Part. *Inquirens* II. 2.; *Inquisitus* I. 1. et II. 1.; *Inquirendus* I. 1. — Inquirere est exquirere, enquirere, perquirere, investigare, quasi in aliqua re quærere, ἐξετάζω, ἐπιζητέω (It. *cercare, ricercare, investigare;* Fr. *rechercher, chercher à découvrir;* Hisp. *rebuscar, escudriñar, pesquisar;* Germ. *nach etwas suchen, forschen, aufsuchen;* Angl. *to seek for, seark after, make inquiry, inquire, ask, demand, investigate, examine*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Tusc.* 2. 3. Vera illa honestas, quam natura maxime inquirit. *Liv.* 22. 7. *a med.* Priusquam omnia ordine inquisissent. *Id. ibid.* Flaminii corpus, magna cum cura inquisitum, non invenit. *Justin.* 3. 4. 10. Ad sedes inquirendas proficiscuntur Partheniæ. ¶ 2. Specialim est verbum forense, et dicitur de iis, qui accusandi causa, aut judicandi, quærunt qui mores ejus sint, quæ crimina, quo de agitur, *far inquisizione o processo, informarsi, inquisire, inquerire*. *Cic.* 2. *Verr.* 2. 6. Quum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulavissem. *Id. Mur.* 21. 45. Scis tu, illum accusationem cogitare? inquirere in competitores? testes quærere? *Cæs.* 1. *B. G.* 18. *sub fin.* Reperiebat Cæsar inquirendo, initium ejus fugæ a Dumnorige factum esse. *Curt.* 6. 8. 24. inquirere de rebus capitalibus. Adde *Liv.* 40. 20.; *Sueton. Aug.* 27. et 51. et *Vesp.* 1.; et *Plin.* 3. *Ep.* 9.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1. *Cic.* 3. *Orat.* 29. 113. Consecutio autem tractatur, quum, quid quamque rem sequatur, inquiritur. *Liv.* 10. 40. *a med.* Juvenis rem inquisitam, ne quid incompertum deferret ad consulem, detulit. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 28. Vitia alicujus inquirere. *Quintil.* 1. 6. 28. verborum originem. *Cic.* 1. *Legg.* 1. 4. Inquire in ea, quæ memoriæ sunt prodita. *Al. leg.* anquire. *Id.* 1. *Off.* 34. 125. De alieno negotio nihil inquirere. *Al. leg.* anquirere. *Quintil.* 3. 11. 21. Ne parum diligenter inquisisse de opere, quod aggressi sumus, videremur. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 21. Primum nam inquiram, quid sit furere. ¶ 2. Specialim, methaphorâ sumptâ a superiore paragr. 2. *Cic. Brut.* 82. 283. Nimium inquirens in se, atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. *Ovid.* 1. *Met.* 148. Filius ante diem patrios inquirit in annos. *h. e.* ætatem sciscitatur et valetudinem, ejus mortem cupit, adeundæ hereditatis impatiens. *Id.* 12. *ibid.* 62. *de Fama*. Ipsa quid in cælo rerum pelagoque geratur Et tellure videt, totumque inquirit in orbem. *Seneca Ep.* 1. Inquirere in patrimonium alicujus. *Plin. Paneg.* 68. in secreta alicujus. *Tac. Germ.* 34. Obstitit Oceanus, in se simul atque in Herculem inquiri.

INQUĪSĪTĒ. *V.* ANQUISITE.

INQUĪSĪTĬO, ōnis, f. 3. (inquiro) investigatio, disquisitio, *ricerca, investigazione,* ἐξέτασις.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Cas.* 3. 1. *in fin.* Sed tu cave, inquisitioni mihi sis. *guarda di non ti far cercare*. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 30. 44. (106). Ab uno animali sepulcra erui, inquisitione corporum. *Curt.* 4. 6. 30. Ægyptum adire festinans, Amyntam cum decem triremibus in Macedoniam ad inquisitionem novorum militum misit. *h. e.* conquisitionem, *leva*. *V.* voc. seq. I. 1. in fin. ¶ 2. Specialim est investigatio vitæ et criminum alicujus, qui accusandus, aut judicandus est, *inquisizione, processo, informazione*. *Cic.* 4. *Verr.* 4. 14. Ecquem existimatis unquam ulla in provincia reum absentem, contra inquisitionem accusatoris, tantis opibus esse defensum? *Id. Mur.* 21. 44. Non placet mihi inquisitio candidati, prænuncia repulsæ. *Tac.* 13. *Ann.* 43. Inquisitionem annuam impetrare. *h. e.* annum ad inquirendum. Sic *Pseudo-Ascon.* in *argum. orat. pro Scauro*. Inquisitionem in Sardiniam itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt. *h. e.* veniam et facultatem inquirendi. Sic *Plin.* 3. *Ep.* 9. Postulare inquisitionem in aliquem. *Id.* 5. *ibid.* 20. Dare inquisitionem alicui. *Plin. alter* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (18). agere. *Id.* 30. *ibid.* 2. 5. (15). Inquisitiones alicui mandare. *Tac. Agric.* 2. Ademptum per inquisitiones loquendi audiendique commercium.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1. *Cic.* 1. *Off.* 4. 13. Hominis est propria veri inquisitio atque investigatio. *Quintil.* 3. 1. 2. Opinionum inquisitio. Adde *eumd.* 5. 7. 23. Sic *Firmic.* 5. *Mathes.* 13. Sagaci semper inquisitione res magnas perquirere.

INQUĪSĪTOR, ōris, m. 3. (inquiro) qui inquirit, seu investigat, *investigatore, ricercatore,* ἐξεταστής.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (147). Scrutatur vestigia (*canis*) atque persequitur, comitantem ad feram inquisitorem loro trahens. *h. e.* venatorem. *Juvenal.* 4. 49. dispersi protinus algæ Inquisitores agerent cum remige nudo. *spie*. *Sueton. Cæs.* 1. Ut prope per singulas noctes commutare latebras cogeretur, seque ab inquisitoribus pecunia redimere. *spie*. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 39. *de tironibus*. Lecti si sunt, inquisitor peccavit: si vicarii dati, penes eos culpa est, qui dederunt. *h. e.* conquisitor, *chi recluta i soldati*. Al. leg. *inquisitio*, quam vocem *V.* sub I. 1. in fin. ¶ 2. Specialim est, qui in alterius vitam inquirit, accusationis aut judicii causa, *inquisitore, chi fa processo*. *Cic.* 2. *Verr.* 2. 6. Ille Achaicus inquisitor ne Brundusium quidem pervenit. Adde *Sueton. Cæs.* 67. et *Claud.* 1. Sic *Plin.* 3. *Ep.* 9. *a med.* Norbanus legatus et inquisitor reum postulavit. Adde *Tac.* 15. *Ann.* 66. Sic *Inscript.* apud *Orell.* 3653. L. CASSIO MELIOR. SVESSION.. OMNIBVS HONORIB. APVD SVOS FVNCTO INQVISITORI G.. III. PROV. GALL. Cf. *Seneca* 5. *Benef.* 25. Inquisitorem habebat veterem amicum. *h. e.* putabat veterem amicum esse inquisitorem sui, *teneva per ispia*.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1. *Cic. fragm. Acad.* apud *Augustin.* 2. *contra Acad.* 11. Non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 13. Rerum naturæ inquisitor fuit. Adde *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 11.

INQUĪSĪTĪVUS, a, um, adject. (inquiro) qui multus est in indagatione veritatis, ἐξεταστικός. *Boeth. Aristot. Topic.* 1. 2. *p.* 663. Quum dialectica sit inquisitiva, ad omnium methodorum principia viam habet. Cf. *Priscian.* 18. *p.* 1163. *Putsch.* Desiderative (*verba*) vel inquisitive accusativo sociantur: *quæro te*.

INQUĪSĪTUS, a, um, particip. *V.* INQUIRO.

INQUĪSĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et quæsitus) *non cercato, non esaminato*. Translate *Plaut. Amph.* 2. 2. 117. Istam rem inquisitam certum est non omittere. *Id. ibid.* 4. 1. 9. Quæstionem inquisitam omittere.

INRĀDO. *V.* IRRADO.

INRECTUS, a, um, adject. (in *privat. et* rectus). *Non. p.* 46. 25. *Merc.* Vulpinari dictum est ab inrecto, seu intorto vulpium cursu. *V.* VULPINOR.

INRĔDĪVĪVUS,

INRESTINCTUS, et hujusmodi. *V.* IRREDIVIVUS, etc.

INRŪDIS. *V.* IRRUDIS.

INSÆPTUS *vel* inseptus, a, um, adject. (in *intent. et* sæptus) idem quod sæptus, vel valde sæptus. *Seneca* 4. *Benef.* 19. Hunc insæptum ingenti muro, divisumque a conspectu mortalium etc.

INSÆPTUS *vel* inseptus, a, um, adject. (in *privat. et* sæptus) non sæptus. *Paul. Diac. p.* 111. 13. *Müll.*

INSÆVĪO, is, ire, n. 4. (in et sævio) valde sævire, desævire. *Cassiod.* 1. *Variar.* 37. Videmus arietes pro suis ovibus capitaliter insævire.

INSĀLŪBRIS, e, adject. (in *privat. et* salubris). Comp. *Insalubrior* et Sup. *Insaluberrimus* I. — Insalubris est non salubris, gravis, noxius, *insalubre, mal sano,* ἀνυγιής, νοσώδης.

I.) Proprie. *Curt.* 7. 10. 13. Hic (*fluvius Oxus*)

quia limum vehit, turbidus semper et insalubris est potu. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 22. (39). Vinum fumo inveteratum, insaluberrimum est. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 2.; et *Plin.* 18. *Hist. nat.* 5. 6. (27). Fundum sicuti ne fecundissimi quidem soli, quum sit insalubris; ita nec effeti, si vel saluberrimus sit, parandum. *Gell.* 19. 5. *a med.* Manet, quod est gravius, sordidius et insalubrius. *Plin.* 4. *Ep.* 2. Insalubre tempus. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 6.; et *Quintil.* 3. 2. 3.

II.) Translate insalubre dicitur quod non est utile. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 2. 2. (20). Meridiem vineas spectare colono insalubre est.

INSĂLŪBRĬTER, adverb. (insalubris) non salubriter. *Salvian.* 3. *advers. Avar. ab init.* Loco et causæ huic non insalubriter coaptatur. *Id. paullo post.* Parentibus naturæ insalubriter indulgentibus. Adde *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6.

INSĂLŪTĀRIS, e, adject. (in et salutaris) pro salutaris, quidam legunt apud *Apul.* 2. *Met.* Licet insalutare non erit, Fatis illa tentetur. *Sed alii multo rectius* salutare.

INSĂLŪTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et salutatus) non salutatus, ἀπροσηγόρητος. *Sidon.* 4. *Ep.* 10. Annis jam multis insalutatum. *Hieronym. Ep.* 3. 1. *Vit. S. Paul.* Cur me, Paule, dimittis? Cur insalutatus abis? *Ennod. Ep.* 7. 4. Ut proficiscentem insalutatum me linqueretis. Per tmesin *Virg.* 9. *Æn.* 288. Inque salutatam linquo.

INSĀNĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et sanabilis) Comp. *Insanabilior* II. — Insanabilis est qui sanari non potest, *insanabile,* ἀνίατος.

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Tusc.* 1. 3. Insanabiles morbi. Cf. *Seneca Ep.* 108. Senectus insanabilis morbus est. Rursus *Cic. Sext.* 19. 44. Si mihi uni pereundum fuisset, ac non accipienda plaga insanabilis illa mortifera, quam etc. *Cels.* 5. 26. Insanabilia vulnera. Sic *Colum.* 7. *R. R.* 5. 13. vulnus. *Scribon. Compos.* 171. vitium. *Plin.* 3. *Ep.* 7. clavus. Alter *Plin.* 7. *Hist. nat.* 15. 13. (64). Insanabili veneno morsus inficitur. *Curt.* 10. 2. 21. Remedia insanabilibus adhibere. — *Insanabile* est res insanabilis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 6. (17). Insanabile ad hosce annos fuit rabidi canis morsus. Ita *Virg.* 5. *Ecl.* 80. Triste lupus stabulis.

II.) Translate. *Cic. Orat.* 26. 89. Insanabiles contumeliæ. *Liv.* 1. 28. Insanabile ingenium. *Plin.* 1. *Ep.* 12. dolor. Adde *Quintil.* 6. *procem.* 5.; et *Juvenal.* 7. 51. Rursus *Liv.* 28. 25. Lætare, quod nihil tristius, nec insanabilius esset. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 100. (157). Insanabili leto perire. *irreparabile. Horat. Art. P.* 300. tribus Anticyris caput insanabile.

INSĀNĀBĬLĬTER, adverb. (insanabilis) non sanando, *senza sanare o guarire. Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 2. *ad fin.* Insanabiliter atque indocte descensum ab aliis ad alias species faciendum jubent.

INSANCTUS, a, um, adject. (in *privat.* et sanctus) non sanctus. *Gloss. Philox.* Insanctus, ὁ μὴ ἅγιος.

INSĀNĒ, adverb. (insanus). Comp. *Insanius* et Sup. *Insanissime* I. — Insane est insipienter, stulte, *pazzamente,* ἐμμανῶς.

I.) Proprie. *Plaut. Curc.* 1. 3. 20. Bonum est pauxillum amare sane: insane non bonum est. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 34. In silvam non ligna feras insanius, ac si etc. *Augustin. Ep.* 238. Insanissime desperare.

II.) Translate est vehementer, immodice. *Varro* 7. *L. L.* 86. *Müll.* Plautus vehementer quum vellet dicere, dicit insane; quod insani faciunt omnia vehementer. *Plauti* locus est *Mil. glor.* 1. 1. 24. Esuriens insans bene.

INSĀNĬA, æ, f. 1. (insanus) morbus animi, quo de suo statu deducitur, dementia, insipientia, stultitia, ἄνοια, μανία (It. *pazzia, insania;* Fr. *folie, aliénation mentale, démence;* Hisp. *locura, demencia;* Germ. d. *Wuth, Raserei, Verstandlosigkeit;* Angl. *madness, folly, distraction, infatuation*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) In sing. num. *Cic.* 3. *Tusc.* 4. 8. Nomen insaniæ significat mentis ægrotationem et morbum, idest insanitatem et ægrotum animum, quam appellarunt insaniam. *Id. ibid. mox* § 9. Sanitatem animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant: his rebus mentem vacuam appellarunt insaniam; propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non possit. *Id. ibid.* 5. 11. Furorem esse rati sunt mentis ad omnia cæcitatem: quod quum majus esse videatur, quam insania, tamen ejusmodi est, ut furor in sapientem cadere possit, non possit insania. *V.* FUROR. *Id. Pis.* 20. 46. Mihi numquam veniret in mentem, furorem et insaniam optare vobis, in quam incidistis. *Id.* 4. *Verr.* 35. 87. Concupiscere aliquid ad insaniam. *sino ad impazzire.* Sic *Sueton. Cal.* 55. Favere alicui ad insaniam. et *Quintil.* 1. 10. 33. Agere aliquid ad insaniam. et eodem sensu *Ammian.* 17. 8. in insaniam. *Val. Flacc.* 2. 525. vanique insania cœpti. *Virg.* 7. *Æn.* 461. Sævit amor ferri et scelerata insania belli. *Martial.* 9. 71. Nulla est insania ferri. *h. e.* bellicus furor. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 60. (127). purpuræ. *h. e.* nimia cupiditas, *pazza e sterminata voglia.* Sic *Martial.* 8. 48. fœdique insania lucri. *Ter. Adelph.* 1. 2. 31. Adigere ad insaniam. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 31. 105. (178). Insaniam facere. *Id.* 25. *ibid.* 4. 17. (35). gignere. *Id.* 31. *ibid.* 2. 4. (8). abolere. — De brutis animalibus. *Pelagon.* 5. 4. Diligentius curato, ne in insaniam (*equus*) convertatur. *V.* INSANIO I. 1. in fin. — *b*) In plur. num. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 15. Larvæ hunc atque intemperiæ insaniæque agitant senem. *Cic.* 4. *Fam.* 1. Incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 11. 72. (118). Contra insanias vettonica bibitur. — *c*) *Optimum est aliena insania frui,* proverb. apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 5. 6. (31). *h. e.* parvo emere, quæ alii maximis impensis compararunt. ¶ 2. Speciatim a *Celso* dicitur de morbo, qui φρενῖτις a Græcis appellatur, *h. e.* continua dementia cum febri: de qua plura ille 3. 18.

II.) Translate. — *a*) De immodica magnitudine, aut impensis. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. Ea villa, quæ nunc est, tamquam philosophica videtur esse, quæ objurget ceterarum villarum insaniam. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 15. 29. (91). Insania mensarum. *Id.* 19. *ibid.* 1. 5. (22). Vestium insania. Adde *Quintil.* 11. 1. 38. Rursus *Cic. Sull.* 25. 70. Insania libidinum. *h. e.* immodicæ, immensæ libidines. *Liv.* 7. 2. *extr.* Ut appareret, quam ab sano initio res in hanc, vix opulentis regnis tolerabilem, insaniam venerit. *eccesso.* — *b*) Transfertur et ad orationem. *Cic. Brut.* 82. 284. Insulsitatem et insolentiam, tamquam insaniam quamdam orationis, odit: sanitatem autem et integritatem, quasi religionem et verecundiam oratoris, probat. — *c*) De mentis alienatione poetica. *Horat.* 3. *Od.* 4. 5. Auditis? an me ludit amabilis Insania? audire, et videor pios Errare per lucos.

INSĀNĪBĬLIS, e, adject. idem atque insaniens, ab *insanio,* ut *infinibilis* a *finio* fit, a *partio partibilis.* Apud *Lactant.* 4. 19. legitur (si locus mendo caret). Insanibili furore correpti. *Rectius tamen legas* insanabili.

INSĀNĬENS, entis. *V.* voc. seq.

INSĀNĬO, is, ivi vel ii, itum, ire, n. 4. (insanus). Part. *Insaniens* in omnibus paragr.; *Insaniturus* I. 1. — Insanio est insanus sum, furo, desipio, μαίνομαι, παραφρονέω (It. *impazzire;* Fr. *être fou, être furieux;* Hisp. *estar loco, estar furioso;* Germ. *rasen, v. Wahnsinn ergriffen sein;* Angl. *to be or become mad, be besides himself, be furious or outrageous, rage*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Merc.* 2. 2. 53. Insanire ex amore. Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 37. 53. (110). amore alicujus rei. *Ter. Adelph.* 2. 1. 43.; et *Liv.* 7. 29. ex injuria. Rursus *Ter. Eun.* 3. 5. 8. Sanus sim, anne insaniam? *Id. Phorm.* 4. 3. 37. Primo homo insanibat. (pro *insaniebat,* ut *audibat, lenibant* etc.) scilicet nimis insanitam pecuniam postulando. *Cic.* 1. *Att.* 29. Nec tamen insaniturum illum puto. *Id. Orat.* 67. 224. In alienos insanus insanisti. *Orellius* tamen, nec immerito, hæc corrupta esse ait. *Id.* 6. *Verr.* 18. 39. Usque eo est commotus, ut insanire omnibus ac furere videretur. *Id.* 9. *Fam.* 21. Ain' tandem? insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, ut scribis, fulmina? tum insanires, si consequi non posses. *Id.* 7. *Att.* 10. Adhuc certe, nisi ego insanio, stulte omnia et incaute. — *Insaniens* est qui insania laborat. *Ter. Adelph.* 4. 2. 22. Verum venit post insaniens: nihil pepercit. *Curt.* 8. 7. 2. Scelere et malis insanientem ultra negat audiendum. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 5. 22. (51). Elleborum nigrum medetur insanientibus. *Petron. Satyr.* 3. Necesse habent cum insanientibus furere. (proverbii genus, de quo *Horat.* 2. *Sat.* 3. 39. pudor, inquit, te malus angit, Insanos qui inter verere insanus haberi.). — *Insanire cum ratione* de iis est, quæ fieri nullo modo possunt. *Ter. Eun.* 1. 1. 18.; et *Horat.* 2. *Sat.* 3. 270. — *Insanientem sapientiam* appellat *Horat.* 1. *Od.* 34. 2. sectam Epicuri, qui deos ac religionem sustulit. — Dicitur et de brutis animalibus, quum ex morbo furunt. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 76. (101). *de bobus.* Alligari ad præsepia oportet, donec purgentur, insanire enim solent. ¶ 2. Speciatim *insaniens,* phrenitide laborans, non semel apud *Cels.* 3. 18. *V.* INSANIA I. 2.

II.) Translate. — *a*) Neutrorum more. — Refertur ad nimios sumptus et res immodicas. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 160. Quid opus fuit hoc, hospes, sumptu tanto, nostra gratia? Insanivisti hercle: nam idem hoc hominibus sat erat decem. *Id. Merc.* 2. 1. 40. Amavi equidem olim in adolescentia: verum ad hoc exemplum numquam, ut nunc insanio. — Et ad contentionem et œstrum poetici certaminis. *Virg.* 3. *Ecl.* 36. Insanire libet quoniam tibi. — Et ad ardorem pugnandi. *Stat.* 3. *Theb.* 668. Illic augur ego et mecum quicumque parati Insanire manu. — Et ad orationem nimis veluti bacchantem. *Quintil.* 12. 10. 73. Vitiosum et corruptum dicendi genus, quod aut præcipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit. — De eo, qui cupide ædificat. *Cic.* 4. *Herenn.* 50. 63. Tametsi in Tusculano quidem cœpi insanire, et in iisdem fundamentis ædificare. — De inanimis. *Horat.* 3. *Od.* 4. 30. Insanientem navita Bosphorum Tentabo. *h. e.* furentem undis, procellosum. *Theod. Priscian.* 1. 32. Humor corruptus insaniens quique omne corpus suo horrore funestarat. *h. e. accrescendosi fuor di misura e spiegando forza straordinaria.* — *b*) Cum Accusativo, Græco more. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 63. Insanire errorem. *Id.* 1. *Ep.* 1. 101. solemnia. *Id.* 2. *Sat.* 3. 301. stultitiam. *Al. leg.* stultitia. *Propert.* 2. 25. 25. amores alicujus. *h. e.* deperire eam, quam ille quoque amat. *Seneca Vit. beat.* 12. Hilarem insaniam insanire ac per risum furere. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *in. Horat.* 1. *Sat.* 2. 49. Insanire in libertinas. — *d*) Passive impersonaliter. *Seneca* 2. *Controv.* 9. *ante med.* Domus, in qua toties aut insanitur a patre, aut peccatur in liberos.

INSĀNĪTAS, ātis, f. 3. (insanus) mala valetudo, morbus, *malattia. Cic.* 3. *Tusc.* 4. 8. Nomen insaniæ significat mentis ægrotationem et morbum, idest insanitatem et ægrotum animum. *Id. ibid.* 5. 10. Sapientia sanitas sit animi, insipientia autem quasi insanitas quædam. Adde *Varron.* apud *Non.* p. 122. 25. et 49. 25. *Merc.*

INSĀNĪTER, adverb. (insanus) insane. *Pomponius* apud *Non.* p. 509. 31. *Merc.* et apud *Priscian.* 15. *p.* 1010. *Putsch.* Ludit nimium insaniter.

INSĀNUM, adverb. *V.* voc. seq. in fin.

INSĀNUS, a, um, adject. (in *privat.* et sanus). Comp. *Insanior* et Sup. *Insanissimus* II. 1. — Insanus est non sanus; sed refertur ad mentem (V. *Cic.* 3. *Tusc.* 4. 8. et 5. 11.), amens, demens, furens, vesanus, μανικὸς, παράφρων (It. *pazzo, matto, insano, mentecatto, forsennato;* Fr. *fou, aliéné, atteint de démence;* Hisp. *loco, enajenado;* Germ. *rasend, seines Verstandes nicht mächtig;* Angl. *mad, frantic, furious, raging*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 52. Quod idem contingit insanis, ut incipientes furere, sentiant. *Juvenal.* 6. 617. Ardebant cuncta et fracta compage ruebant, Non aliter quam si fecisset Juno maritum Insanum. *Quintil.* 11. 3. 45. Ne dicamus omnia clamose, quod insanum est.

II.) Translate. ¶ 1. De homine usurpatur ac rebus ad hominem pertinentibus, et refertur ad animum, qui ægritudine, quasi morbo, perturbatur. *Ter. Eun.* 2. 2. 23. Hic homines prorsus ex stultis insanos facit. *Id. ibid.* 5. 2. 22. Abin' hinc, insana? *Cic.* 4. *Parad.* 1. 27. Ego vero te non stultum, ut sæpe; non improbum, ut semper; sed amentem et insanum rebus addicam necessariis. *Id. Rosc. Am.* 12. 33. Hominem longe audacissimum, et quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum. *Id. Sext.* 7. 16. Homo flagitiis insanus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 102. uter est insanior horum? *Cic.* 6. *Verr.* 18. 39. Acrior et insanior cupiditas. *Id. Mil.* 17. 45. Insanissima contio. *Virg.* 9. *Æn.* 760. cædisque insana cupido.

Id. 10. *Ecl.* 44. Insanus amor duri me Martis in armis Detinet. *Tibull.* 2. 5. 116. insana mente nefanda loqui. *Propert.* 4. 8. 60. Omnis et insana semita nocte sonat. *h. e.* feminis noctu insanientibus. *Id.* 4. 1. 134. insano verba tonare foro. *h. e.* ubi homines actionibus strepunt ac veluti insaniunt. *Id.* 2. 18. 16. Et Phrygis insanos cæditur ad numeros. *h. e.* ad sonum tibiæ Berecynthiæ, quando cultris se ipsos secabant, qui illis sacris operabantur. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 59. Insani enses. *h. e.* eorum arma, quos belli insania cepit. ¶ 2. Rebus quoque inanimis tribuitur. *Virg.* 9. *Ecl.* 43. Huc ades: insani feriant sine litora fluctus. *Tibull.* 2. 4. 9. insanis cautes obnoxia ventis. *Stat.* 1. *Theb.* 366. Insanus turbo. *Seneca Phœniss.* 420. insanæ procellæ. *Id. Agam.* 598. maris asperis insane coris. *h. e.* procellosa. Sic *Horat.* 3. *Od.* 7. 6. Insana Capræ sidera. *Virg.* 1. *G.* 481. insano contorquens vertice silvas Fluviorum rex Eridanus. *Pers.* 3. 5. Insana Canicula. *Stat.* 5. *Theb.* 373. puppemque insana flagellat Arbor. *h. e.* malus navis, impellente procella, nutat, casuro similis et frangi proximus, quasi insanus sit et loco stare nesciat. — De insanis vitibus. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 27. 50. (115). Vites quidem et triferæ sunt, quas ob id insanas vocant, quoniam in iis alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent. — *Insani montes* apud *Liv.* 30. 39., et *Flor.* 2. 6. 35. sunt prealti in Sardinia, e quorum vertice validi venti et maxime incerti (unde nomen) in mare ruunt et periculum navigantibus afferunt. *Claudian. B. Gild.* 513. insanos infamat navita montes. — *Insanus* pro non sanus, *malato*, ut ad corporis valetudinem referatur, videtur quibusdam usurpari tum in ipsis Sardiniæ *insanis montibus*, quod dicantur ob altitudinem prohibere septentrionales ventos, unde pars ejus insulæ meridionalis pestilens sit: tum ex loco *Silii It.*, ubi narrat de Hannibale 1. 250. vertice nudo Excipere insanos imbres etc. Sed non satis id probant. Affertur et illud *Pallad.* 3. *R. R.* 7. Ne (*ervum*) pastu suo pecoribus noceat, et boves reddat insanos. *e li buoi faccia diventare infermi*: ita enim interpres Italus. Ast hic boves *insani* sunt furentes, dementes: *Palladius* enim secutus est *Columellam*, qui ait 2. *R. R.* 10. 34. *Schneid.* Quod eo tempore satum (*ervum*) pecori sit noxium, et præcipue bubus, quos pabulo suo cerebrosos reddat. *V.* CEREBROSUS et Cf. *eumd. Colum.* 12. *ibid.* 2. 10. ¶ 3. Metonymice insanum dicitur id, quod insaniam inducit. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 89. (239). Laurum insanam vocant, quoniam si quid ex ea decerptum inferatur navibus, jurgia fiunt, donec abjiciatur. Sic *Seren. Sammon.* 20. *sub fin.* Insana herba. h. e. hyoscyamus, quia insaniam gignit. *Ovid.* 4. *Fast.* 364. Amnis it insana, nomine Gallus, aqua. *h. e.* quæ pota insaniam inducit. *Lucan.* 7. 413. Insana fames. *h. e.* quæ ad insaniam redigit. ¶ 4. Sæpe significat magnum, immodicum, vehementem, qualia sunt, quæ insani faciunt, *smoderato, spropositato, smisurato*. *Cic. Mil.* 31. 85. Aræ, quas ille præceps amentia, cæsis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 24. 15. (104). Substructiones Capitolii insanæ. *Virg.* 6. *Æn.* 135. insano juvat indulgere labori. *Liv.* 32. 17. *extr.* Insana trepidatio. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 5. Quum stupet insanis acies fulgoribus. *Auson. Sapientib. de Solone* 20. Dives insanum in modum. ¶ 5. De iis, qui divino furore œstroque percelluntur. *Virg.* 3. *Æn.* 443. Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub imo Fata canit. — Hinc

Insanum, adverbii more ponitur pro insane: sed occurrit translate tantum et est valde: *V.* INSANE II. et INSANUS II. 4. *Plaut. Most.* 3. 3. 5. Quid porticus? TRAN. insanum bonam. *Id. Bacch.* 4. 5. 1. Insanum magnum molior negotium. *Id. fragm.* apud *Non.* p. 127. 26. *Merc.* Insanum valde uterque deamat.

INSĂPĬENS. *V.* INSIPIENS.

INSĂPŌRO, as, are, a. 1. (in *et* sapor) idem ac saporare, *rendere saporito*. *Cassiod.* 12. *Variar.* 4. Licet ingeniosa Græcia vina sua aut odoribus condiat, aut marinis permixtionibus insaporet.

INSĀTĬĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* satio). Comp. *Insatiabilior* 2. — Insatiabilis ¶ 1. Est qui satiari nequit, insaturabilis, inexplebilis, *insaziabile*, ἀπλήρωτος. — *a*) Absolute. *Cic.* 1. *Tusc.* 19. 44. Natura inest mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi. *Id.* 5. *ibid.* 25. 70. Insatiabili gaudio compleri. *Id.* 11. *Phil.* 3. 8. Insatiabilem crudelitatem exercere. *Id.* 4. *Fin.* 5. 12. Insatiabilis voluptas. *Sall. Cat.* 11. Avaritia semper infinita, insatiabilis est. Sic *Curt.* 8. 8. 12. Insatiabilis avaritiæ est, adhuc implere velle, quod jam circumfluit. *Liv.* 4. 13. Est humanus animus insatiabilis eo, quod fortuna spondet. *Ovid. Ib.* 173. Deque tuo fiet (licet hac sis laude superbus) Insatiabilibus corpore rixa lupis. *Sil. It.* 9. 245. Insatiabilis Libys. *Ammian.* 30. 4. rapinæ. — *b*) Cum Genitivo. *Justin.* 1. 8. 13. Insatiabilem esse sanguinis. *Val. Max.* 8. 14. n. 3. *extern.* Pectus insatiabile laudis. *Juvenal.* 14. 125. acquirendi insatiabile votum. ¶ 2. Item qui satietatem et fastidium non affert. *Cic.* 2. *Nat. D.* 39. 98. Terra universa cernatur, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. *Id. fragm.* apud *Non.* p. 402. 16. *Merc.* Cæli signorum admirabilem ordinem insatiabilemque pulcritudinem spectare. *Id.* 2. *Nat. D.* 62. 155. Nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior.

INSĀTĬĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (insatiabilis) cupiditas inexplebilis, *insaziabilità*, ἀπληστία. *Ammian.* 31. 4. *a med.* Quantos undique insatiabilitas colligere potuit canes.

INSĀTĬĀBĬLĬTER, adverb. (insatiabilis) sine satietate, *insaziabilmente*, ἀκορέστως. *Lucret.* 3. 921. Insatiabiliter deflebimus æternumque. *Id.* 6. 978. Insatiabiliter toti (*sues*) ut volvantur ibidem (in *cœno*). *Plin.* 9. *Ep.* 6. In re inani insatiabiliter desidero. *Tac.* 4. *Ann.* 38. *extr.* Insatiabiliter parare memoriam sui. *Lactant. Epit.* 4. *a med.* Insatiabiliter opes congerere.

INSĀTĬĀTRIX, īcis, f. 3. (in *privat. et* satio) insatiabilis. *Venant.* 2. *carm.* 4. 12. Insatiatrici morti famis accidit illinc. *famis* est casus rectus pro *fames*.

INSĀTĬĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et satiatus) non satiatus, *non sazio*, ἀκόρεστος. *Stat.* 6. *Theb.* 305. Insatiatus ardor eundi. *V.* PETAX. *Prudent. Psychom.* 478. Nec parcit propriis amor insatiatus habendi Pignoribus, spoliatque suos fames impia natos.

INSĀTĬĔTAS, ātis, f. 3. (in *privat. et* satietas) cupiditas inexplebilis, *insaziabilità*. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 13. Quorum animis avidis atque insatietatibus neque lex, neque tutor capere est qui possit modum.

INSĀTĪVUS, a, um, adject. (in *privat. et* sativus) qui non seritur, sed sponte provenit. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 12. 60. (184). Hoc insativum rumex vocatur. *Al. rectius leg.* in sativis.

INSĀTŪRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* saturo) inexsaturabilis, insatiabilis, *insaziabile*. *Cic. Sext.* 51. 110. Manebat insaturabile abdomen, copiæ deficiebant. *Oros.* 3. 18. *ad fin.* Alexander insaturabilis sanguinis humani. Adde *Vulgat. interpr. Prov.* 13. 25. et 30. 15.

INSĀTŪRĀBĬLĬTER, adverb. (insaturabilis) idem atque insatiabiliter. *Cic.* 2. *Nat. D.* 25. 64. Annisque præteritis insaturabiliter expletur. *Venant.* 3. *carm.* 9. 79. Inferus (*deus*) insaturabiliter cava guttura pandens.

INSĀTŪRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et saturatus) insatiatus. *Avien. Phænom. Arat.* 183. Noverca insaturata odiis.

INSĀTŪRUS, a, um, adject. (in *privat.* et satur) insaturabilis, *non satollo*. *Coripp.* 3. *Johann.* 368. et tantis implevit prædia rebus Insaturus.

INSAUCĬĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* sauciatus) non sauciatus. *Ambros. Dignit. sacerd.* 5. Ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere.

INSCALPO et

INSCALPTUS. *V.* INSCULPO.

INSCENDO, scendis, scendi, scensum, scendere, a. 3. (in *et* scando). Part. *Inscensus* 1. — Inscendere est idem quod ascendere, *ascendere, salire, montare*, ἀναβαίνω.

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Amph.* 1. 1. 294. Quadrigas Jovis inscendere. *Sueton. Ner.* 48. equum. *Id. Tit.* 4. Inscenso equo. De bucephalo *Gell.* 5. 2. Neud unquam inscendi sese ab alio, nisi a rege, passus est. *Apul.* 7. *Met.* Properiter inscensum (*asinum*) baculo obverberans per obliquam ducebat viam. *Id.* 2. *ibid.* Inscenso grabatulo. *Tac.* 14. *Ann.* 15. Inscendere scenam. *montare in scena*. *Ammian.* 15. 8. tribunal. — *b*) Cum Accus. et præpos. *Cato R. R.* 127. Supra pilam inscendat. *Plaut. Aulul.* 4. 6. 12. Inscendere in arborem. *Id. Asin.* 4. 1. 31. in lectum. *Id. Men.* 5. 2. 110. in currum. — *c*) *Inscendere* absolute, pro in navem inscendere, conscendere, *imbarcarsi*. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 37. Ubi amicam avectam scio, inscendo, ut eam rem Naupactum ad herum nunciem.

II.) Translate inscendere mulierem est inire, συνουσιάζειν, apud *Apul.* 7. et 10. *Met.*

INSCENSĬO, ōnis, f. 3. (inscendo) ascensio. *Plaut. Rud.* 2. 6. 19. Quid hinc abitio, quidve in navem inscensio est?

INSCENSUS, a, um. *V.* INSCENDO.

INSCENSUS, us, m. 4. (inscendo) pro initu (in sexto casu sing.) *Apul.* 7. *Met.* Daturus dominis equarum inscensu generoso multas mulas alumnas.

INSCĬĒ, adverb. (inscius) inscienter. *Fronto* 4. *ad M. Cæs.* 3. Quia se indiret verba inscie contrectare. *Apul. de deo Socrat.* Hos deos plurimi, sed non rite, venerantur; omnes, sed inscie, metuunt; pauci, sed impie, diffitentur.

INSCĬĔNS, entis, adject. (in *privat. et* scio). ¶ 1. Stricto sensu est ignarus, *ignorante*, ἀγνώς. *Ter. Heaut.* 4. 1. 18. Si peccavi, insciens feci. *Id. ibid.* 20. Certo scio, te inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia. *Cic. Balb.* 5. 13. Utrum inscientem vultis contra fœdera fecisse, an scientem? *Id.* 5. *Fam.* 2. Nihil in ea re per collegam meum, me insciente, esse factum. *senza mia saputa*. *Sueton. Claud.* 29. Honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est; et quidem insciens plerumque et ignarus. Adde *Plaut. Trin.* 1. 2. 130.; *Ter. Andr.* 4. 5. 13.; *Nepot. Eumen.* 12. et *Hann.* 9.; et *Quintil.* 3. 6. 26. ¶ 2. Latiori sensu est stultus. *Ter. Phorm.* 1. 2. 9. Abi, sis, insciens.

INSCĬĔNS, entis, adject. ab *in* intent. et *sciens*, pro sciens. *Alfen. Dig.* 41. 3. 34. Si servus, insciente domino, rem peculiarem vendidisset, emptorem usucapere posse. In *fragm. legis Mamiliæ*, p. 340. *Goes.* In terminos singulos, quos ejecerit, locove moverit insciens dolo malo, HS XXV. dare damnas esto. *Al. leg.* sciens: *et de loco etiam* Digestor. *miræ lites a criticis excitantur*.

INSCĬENTER, adverb. (insciens). Sup. *Inscientissime*. — Inscienter est per imprudentiam, sive ignorantiam, *ignorantemente*, δι' ἄγνοιαν. *Cic. Topic.* 8. 32. Ut si partiri velis tutelam, inscienter facias, si ullam prætermittas. *Liv.* 25. 10. Tuba inscienter a Græco inflata. *Hygin.* 2. *Astron.* 12. Ut quidam inscientissime interpretantur.

INSCĬENTĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et scientia). ¶ 1. Generatim est ignorantia, *ignoranza*, ἄγνοια: unde *Capell.* 4. p. 112. Inscientiæ scientia contraria est. *Cic. Sull.* 14. 40. Vos in tantis tenebris erroris et inscientiæ clarissimum lumen prætulistis menti meæ. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 146. Quod inscientia multa versaretur in vita *Id.* 1. *Orat.* 46. 203. Neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit. *Id.* 3. *ibid.* 35. 142. Neque inscientiam illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 4. (5). Inscientia medicorum. *Cæs.* 7. *B. G.* 43. vulgi. *Id.* 3. *ibid.* 9. locorum. *Id. ibid.* 13. lini. *h. e.* lini elaborandi. *Nepos Epam.* 7. belli. *Quintil.* 12. 11. 14. tradendi. — *NB.* In uno et altero ex allatis locis al. leg. *inscitia*. ¶ 2. Speciatim apud philosophos est cognitionum defectus quo animus ad res investigandas exstimulatur. *Cic.* 1. *Nat. D.* 1. 1. De qua (*natura deorum*) tam variæ sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiæ, ut magno argumento esse debeat, causam, id est principium philosophiæ esse inscientiam.

INSCĪTĒ, adverb. (inscitus). Sup. *Inscitissime*. — Inscite est imperite, ineleganter, incompte, impolite, *goffamente, ignorantemente, rozzamente*, ἀμαθῶς, ἀτέχνως. *Plaut. Trin.* 1. 2. 58. Inscite facere. *Cic.* 3. *Fin.* 7. 25. Inscite autem medicinæ et gubernationis ultimum cum ultimo sapientiæ comparatur. *Id.* 2. *Divinat.* 13. 30. Democritus non inscite nugatur. *Liv.* 36. 43. Romanas naves inscite factas, immobiles esse. *Quintil.* 11. 3. 39. Spiritum inscite recipere. *Gell.* 10. 16. Inscitissime petit.

INSCĪTĬA, æ, f. 1. (inscitus). ¶ 1. Stricto sensu est defectus facultatis applicandi id, quod alioquin scimus, imperitia, *imperizia*, ἄγνοια. — a) Cum Genitivo rei. *Cic. Prov. cons.* 5. 11. Negotii gerendi inscitia. *Id.* 1. *Orat.* 22. 49.; et *Quintil.* 5. 13. 38. rerum. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 81. sanctarum legum. *Id. ibid.* 3. 43. quæcumque inscitia veri Cæcum agit. *Sueton. Ner.* 41. Inscitia artis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 48. 49. (155). temporum. *Gell.* 11. 6. antiquitatis. *Tac.* 1. *Hist.* 1. reipublicæ. *Id. Germ.* 16. ædificandi. *Id. Agric.* 28. Amissæ naves per inscitiam regendi. — b) Cum Accusativo et præpos. *erga*. *Tac.* 11. *Ann.* 25. *extr.* Isque illi finis inscitiæ erga domum suam. *h. e.* rerum domesticarum. — c) Cum Ablativo et præpos. *in*. *Quintil.* 1. 11. 16. Inscitia in proferendis pedibus. — d) Absolute. *Pers.* 5. 99. debilis inscitia. *Quintil.* 3. 6. 1. Quorum inscitiam res ipsa deprehendet. Adde eumd. 2. 10. 3. Sic *Tac.* 11. *Ann.* 38. Quo fidem inscitiæ pararet, atrox adversus socios. *Id.* 1. *Hist.* 54. Per inscitiam occidere aliquem. *per ignoranza.* — e) Cum Genitivo personæ. *Justin.* 4. 5. 7. Sed inscitiâ ducum, qui inter angustias maris tenentes se Syracusanos aggressi fuerant, facile vincuntur. *Tac.* 1. *Hist.* 90. Adversum Vitellianas partes modeste disseruit, inscitiam potius legionum, quam audaciam increpans. — Et in plur. numero. *Fronto Princip. Hist.* (edente iterum *A. Maio*) p. 310. Sed forte temere Syrorum munditias introspicere et Pannoniorum inscitias. ¶ 2. Latiori sensu et absolute est etiam stultitia, *sciocchezza, stoltezza*, quod et *Paul. Diac. p.* 111. 17. *Müll.* monuit. *Plaut. Curc.* 1. 3. 29. Male merari de immerente inscitia est. *Id. Pœn.* 4. 2. 99. Si eadem hic iterem, inscitia est. Adde *vet. Poet.* apud *Cic. Sext.* 48. 102.; et *Ter. Eun.* 5. 9. 41. et *Phorm.* 1. 2. 27.

INSCĪTŬLUS, a, um, adject. deminut. ab *inscitus*, aliquantulum inscitus, *goffetto, sciocchetto*. *Afranius* apud *Non. p.* 12. 21. *Merc.* Novi non inscitulam ancillulam vestiplicam et vestispicam.

INSCĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et scitus, scio). Comp. *Inscitior* et Sup. *Inscitissimus* t. — Inscitus ¶ 1. Active et sæpissime est qui, quod sciat, scite applicare nescit, stultus, imprudens, ἄτεχνος, ἄμουσος, μωρός (It. *ignorante, sciocco, goffo*; Fr. *ignorant, gauche, maladroit*; Hisp. *ignorante, poco diestro, torpe*; Germ. *unwissend, ungeschickt, albern, thöricht, dumm*; Angl. *ignorant, silly, foolish, absurd*). Occurrit — a) De personis. *Plaut. Most* 1. 3. 51. Inscita ecastor tu quidem es, quæ istuc cures, ut te ille amet. *Id. ibid.* 2. 3. 85. Mulier hæc stulta atque inscita est. *Id. Mil. glor.* 3. 1. 141. Qui deorum consilia culpat, stultus inscitusque est. *Id. Most.* 5. 2. 14. Sed tu quid istuc confugisti in aram inscitissimus? *Id. Merc.* 5. 4. 57. Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus scortarier, cum eo lege agemus: inscitum arbitrabimur. *h. e.* invenustum, ittepidum, ineptum, risu dignum. *Auson. Epigr.* 138. inscite magister. *Gell.* 1. 10. Tibi, inquit, Fronto postea uni dicam, ne inscitiores audiant ac discant. — b) De rebus et abstractis. *Plaut. Rud.* 3. 1. 5. Mirum atque inscitum somniavi somnium. *stravagante, strano*, absurdum, ineptum et quod, quid portendat, non facile dignoscas. *Cic.* 2. *Nat. D.* 13. 36. Quid est autem inscitius, quam eam naturam, quæ omnes res sit complexa, non optimam dici? *Sueton. Ner.* 28. Exstatque cujusdam non inscitus jocus. *Quintil.* 9. 4. 56. Inscitum atque agreste. *Gell.* 2. 24. Ancillæ non inscito ministerio et facie non illiberali. *di qualche abilità.* ¶ 2. Passive, sed raro admodum, est non scitus, *non saputo*. *Gell.* 1. 22. *a med.* Nihil istorum vult dicere, sed nescio quid aliud indictum inscitumque dicit.

INSCĬUS, a, um, adject. (in *privat.* et scio) qui minime scit, nescius, ignorans, rudis, imperitus, ἀμαθής, ἀνεπιστήμων (It. *ignorante, rozzo*; Fr. *ignorant, qui ne sait pas*; Hisp. *ignorante, el que no sabe ó no tene noticias de las cosas*; Germ. *unwissend, unkundig*; Angl. *ignorant, unskilful, rude*).

I.) Proprie. ¶ 1 Active de personis. — a) Absolute. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 22. Artem si subtraxeris, qui distingues artificem ab inscio? *Colum.* 6. *R. R. proœm.* 5. Majus dispendium sequitur inertem et inscium pastorem, quam prudentem diligentemque compendium. *Cic.* 2. *Legg.* 5. 13. Neque medicorum præcepta dici vere possint, si quæ inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint. *Id.* 9. *Phil.* 5. 10. Perficite, ut is, quem vos ad mortem inscii misistis, immortalitatem habeat a vobis. *senza saperlo.* *Id. Planc.* 16. 40. Tu, me ignaro, nec opinante, inscio, notes et tuos et tuorum necessarios? *Nepos Datam.* 3. Omnibus insciis. *Val. Flacc.* 6. 660. Castigatque metus et, quas alit inscia (*regina*), curas. *Cæs.* 4. *B. G.* 4. Inscios inopinantesque Menapios oppresserunt. *Auct. B. Afr.* 37. Itaque, omnibus insciis, neque suspicantibus, jubet legiones educi. — b) Cum Genitivo rei. *Cic. Brut.* 85. 292. Socrates se omnium rerum inscium fingit et rudem. Cf *Quintil* 2. 21. 14. Inscius rei. *Id* 2. 12 2. armorum. *V.* alia sub II. *b.* — c) Cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Plaut. Trin* 1. 2. 178. Ego de eorum verbis famigeratorum inscius, prosilui etc. Potest tamen *inscius* cum *prosilui* conjungi. *Tryphonin. Dig.* 16. 3. 31. Latro spolia deposuit apud Sejum inscium de malitia deponentis. — d) Cum Accusativo communi. *Turpilius* apud *Non.* p. 501. 18. *Merc.* At enim scies ea, quæ fuisti inscius. — e) Sequente relativo. *Cæs.* 7. *B. G.* 77. Inscii, quid in Æduis gereretur. *non sapendo.* *Virg.* 1. *Æn.* 722. inscia Dido, Insideat quantus miseræ deus. *Horat.* 3. *Od.* 5. 37. Hic, unde vitam sumeret inscius, Pacem duello miscuit. — f) Cum Infinito. *Varro* apud *Non. p.* 165. 17. *Merc.* Qui sutrinas facere inscius, nihil homo agis. — g) *Non inscius* commode et eleganter de eo dicitur, qui probe omnino scit. *Cic.* 5. *Fin.* 19. 51. Nec vero sum inscius, esse utilitatem in historia. *so benissimo.* *Pseudo-Sall. orat.* 2. *ad Cæs. ante med.* Non inscius, neque imprudens sum, quæ sævitia quæque tempestates futuræ sint etc. *Virg.* 10. *Æn.* 907. juguloque haud inscius accipit ensem. *Val. Flacc.* 2. 278. *de vate œstro assueta.* et flatu non inscia gliscit anhelo. ¶ 2. Passive occurrit pro ignoto, non cognito, apud *Apul.* 2. *Met.* Psyche inscio quodam tramite accedit quamdam civitatem.

II.) Translate de brutis, inanimis et abstractis. — a) Absolute. *Varro* 10. *L. L.* 60. *Müll.* Naturam usu inscio depravare. *Ovid.* 4. *Fast.* 750. Pabulaque in bustis inscia carpsit ovis. — b) Cum Genitivo rei. *Virg.* 12. *Æn.* 648. Sancta anima atque inscia culpæ. *h. e.* non conscia, non rea. *Id.* 3. *G.* 189. equus inscius æri. *h. e.* etiamnum pullus, et qui quasi per ætatem nondum vivere didicit. *Horat.* 4. *Od.* 4. 6. pullus aquilæ inscius laborum. *Juvenal.* 11. 68. Hædulus inscius herbæ. *h. e.* qui nondum attigit herbam et solo lacte est nutritus. *Sil. It.* 1. 215. equus inscius freni. *Val. Flacc.* 4. 36. *de Argo.* lumina inscia somni. *h. e.* oculi, qui numquam somno clauduntur. *Seneca Œdip.* 545. humor lucis et Phœbi inscius. *h. e.* quem solis radii numquam vident.

INSCRĪBO, bis, psi, ptum, bere, a. 3. (in et scribo). Part. *Inscribens* I. 2.; *Inscriptus* I. 1. et 2. et in fin.; *Inscribendus* II. 2. — Inscribere est in aliqua re, vel supra scribere, ἐπιγράφω (It. *scrivere dentro o sopra, soprascrivere*; Fr. *écrire sur, inscrire*; Hisp. *escribir sobre, inscribir*; Germ. *in oder auf etwas schreiben*; Angl. *to write in, or upon, inscribe*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) De monumentis; et quidem — De iis, quæ in monumento inscribuntur. *Cic. Pis.* 38. 92. Ut esset, quod in basi tropæorum incidi inscribique posset. *Id.* 12. *Fam.* 3. In statua, quam posuit in rostris, inscripsit, Parenti optime merito. *Id.* 5. *Tusc.* 23. 64. Senarioli in monumento inscripti. Cf. *Tibull.* 4. 1. 38. Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis. Rursus *Cic. Harusp. resp.* 27. 58. Vestris monumentis nomen suum inscripsit. *Quintil.* 7. 3. 21. Inscribere nomen tumulo. Sic *Sueton. Vesp.* 6. aliquid textilis. et *Lucan.* 8. 792. aliquid semiusto stipite. *Cic. Dom.* 53. 137. Ut si quæ essent incisæ, aut inscriptæ litteræ tollerentur. *Varro* apud *Non. p.* 152. 32. *Merc.* In januam *cave canem* inscribi jubeo. — Inscribi dicuntur etiam monumenta, quæ inscriptione notantur. *Cic.* 4. *Verr.* 69. 167. Statuæ illæ equestres, quas tu poni inscribique jussisti. *Id. Dom.* 37. 100. Sepulcrum inimico nomine inscriptum. *Sueton. Cal.* 8. Aras ostendi inscriptas, Ob Agrippinæ puerperium. Sic *Tibull.* 1. 3. 54.; *Sueton. Vitell.* 10.; et *Quintil.* 4. 5. 22. Inscribere lapidem. *Martial.* 9. 45. basis inscripta est. *Virg.* 3. *Ecl.* 106. flores inscripti nomina. (Græce locutio). — b) *Inscribere ædes* est scripto affixo venales, vel locandas proponere. *Plaut. Trin.* 1. 2. 131. Inconsultu meo ædes venales hasce inscribit litteris. *Ter. Heaut.* 1. 1. 92. Inscripsi illico ædes mercede. *posi sulla casa l'appigionasi.* Huc referri potest et illud *Martial.* 11. 45. inscriptæ limina cellæ. *h. e.* quæ præfert perscriptum nomen prostantis. — c) *Inscribere librum* est titulo notare, *intitolare*. *Cic.* 15. *Fam.* 2. Oratorem meum (sic enim inscripsi) Sabino tuo commendavi. *Id.* 3. *Orat.* 31. 122. Aliqui de oratoris arte paucis præcipiunt libellis, eosque rhetoricos inscribunt. *Id.* 2. *Off.* 24. 87. In eo libro, qui Œconomicus inscribitur. *Id.* 2. *Divinat.* 1. 1. Eo libro, qui est inscriptus Hortensius. *Id.* 2. *Orat.* 14. 61. Deceptus indicibus librorum, quod sunt fere inscripti de rebus notis et illustribus. *Sueton Cæs.* 55. Oratio inscripta pro Metello. *Quintil.* 6. 3. 22. Hæc disputatio a Græcis περὶ γελοίου inscribitur. *Plin.* 4. *Ep.* 14. *ad fin.* Cogito has nugas meas ita inscribere, Hendecasyllabi: qui titulus etc. *Gell.* 1. 25. *ad fin.* Opilius in primo librorum, quos Musarum inscripsit. — d) Hinc inscribere est etiam nomen imponere. *Cic. Arch.* 11. 26. Philosophi etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt. *Al. leg.* in illis libellis. *Quintil.* 3. 5. 14. Libri inscripti nomine Hermagoræ. Sic *Sueton. Aug.* 7. Nactus puerilem imagunculam – hoc nomine (*scil.* Thurino) inscriptam. et *Plin. Paneg.* 47. Magno quidem animo parens tuus (*Trajanus*) hanc ante hos principes arcem (*h. e.* domum Palatinam) publicarum ædium nomine inscripserat. *Stat.* 8. *Theb.* 269. solus stat puppe magister Pervigil, inscriptaque deus, qui navigat, alno. *h. e.* navi picturam aut insculptum habente deum aliquem in tutelam, et ab ejus nomine appellata. — Sic de personis. *Cic.* 5. *Tusc.* 26. 73. Epicurus, qui tantummodo induit personam philosophi, et sibi ipse hoc nomen inscripsit. *h. e.* in suis libris inscripsit et sibi imposuit. Sic *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (9). Quum monumento suo Iatronicen se inscripserit. Confer *Sueton. Gramm.* 4. Orbilius ait, quum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem litteratum in titulo, sed litteratorem inscribi solitum esse. — e) Pro simplici scribere. *Cic.* 4. *Att.* 1. Ea inscribam brevi, quæ te puto potissimum ex meis litteris velle cognoscere. *Ita plerique Codd.*; at Orellius *ex nonnullis rectius leg.* scribam. Affertur, sed minime ad rem, et illud *ejusd.* 6. *ibid.* 3. Q. Cicero puer legit epistolam inscriptam patri suo: solet enim aperire. *diretta.* ¶ 2. Speciatim est incidere, notare, signare, *incidere, segnare, bollare.* *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 86. Quis robur illud cecidit, dolavit, inscripsit? *intagliò.* *Virg.* 1. *Æn.* 482. et versa pulvis inscribitur hasta. *Sil. It.* 13. 327. et imo Vix ulla inscribens terræ vestigia cornu. *Plaut. fragm.* apud *Servium* ad *Virg. Æn. loc. cit.* Corpus tuum virgis ulmeis inscribam. *h. e.* dilacerabo. *Seneca* 4. *Benef.* 37. *sub fin.* Inscribere alicui stigmata. *bollare.* *V.* CONSCRIBILLO et CONSCRIBO. Sic *Juvenal.* 14. 24. Inscripta ergastula. *h. e.* stigmate notata, *bollati.* *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 4. (21). Nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscriptique vultus exercent. Absolute *Martial.* 875. Quatuor inscripti portabant vile cadaver. *h. e.* stigmatiæ.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Orat.* 87. 355. Ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere. *Id.* 1. *Cat.* 13. 32. Sit inscriptum in fronte uniuscujusque civis, quid de republica sentiat. *Ovid.* 6. *Met.* 73. sua quemque deorum Inscribit facies. *h. e.* ostendit, qui deus sit. *Seneca Vit. beat.* 12. Vitiis suis sapientiam inscribit, et abscondenda profitetur. *h. e.* dat vitiis suis titulum sapientiæ. ¶ 2. Speciatim *inscribere alicui aliquid* est tribuere, auctorem facere, *attribuire*. *Seneca* 1. *Benef.* 15. Quod ostentare libet et inscribere sibi. *Ovid.* 15. *Met.* 128. ipsos Inscripsere deos sceleri. *Sil. It.* 10. 619. Adversis etenim frangi, non esse virorum, Qui Martem inscribunt genti. *h. e.* Martem suæ gentis auctorem faciunt. *Ovid.* 10. *Met.* 198. mea dextera leto Inscribenda tuo est. ¶ 3. Item est subscribere accusandi gratia. *Imp. Zeno Cod.* 9. 35. 11. *V.* IN-

SCRIPTIO II. ¶ 4. *Inscribere* est etiam veteri scripturæ aliam ita inducere, ut, priore obscurata, recentior tantum appareat: differt autem a *superscribere*, id enim est, intacta remanente priore scriptura, aliud superius scribere. *Dig. l.* 28. *tit.* 4. De his, quæ in testamento delentur, inducuntur, inscribuntur. *V.* INDUCO et SUPERSCRIBO. — Hinc a Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Inscriptum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est inscriptio, titulus. *Gell. præfat. ante med.* Et quædam alia inscripta nimis lepida, multasque prorsus concinnitates redolentia.

INSCRIPTĬLIS, e, adject. (in *privat.* et scribo) qui scribi nequit. *Diomed.* 2. *init. p.* 413. *Putsch.* Vox litteralis vel scriptilis appellatur, quia litteris comprehendi potest. Confusa est irrationalis, vel inscriptilis, simplici vocis sono animalium effecta, quæ scribi non potest, ut est equi hinnitus, tauri mugitus.

INSCRIPTĬO, ōnis, f. 3. (inscribo) actus inscribendi, *inscrizione*. ἐπίγραμμα, ἐπιγραφή.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Universim. *Cic. Dom.* 20. 51. Quid? operum publicorum exactio: quid? nominis inscriptio, tibi num aliud videtur esse, ac bonorum meorum direptio? *Plin.* 5. *Ep.* 19. Est homo probus, officiosus, litteratus, et ars quidem ejus, et quasi inscriptio, comœdus, in qua plurimum facit. — *b*) Speciatim est epigramma, quod statuis, sepulcris et hujusmodi inscribi solet. *Cic.* 13. *Phil.* 4. 9. Hæc causa fuit, cur decerneretis statuam in rostris cum inscriptione præclara. In *monum. Ancyr.* apud *Gruter.* 232. 12. OPVS IMPENSA GRANDI REFECI SINE VLLA INSCRIPTIONE NOMINIS MEI. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 5. (11). Hinc illa infelicis monumenti inscriptio, *turba se medicorum periisse.* et *Petron. Satyr.* 29. Hinc quemadmodum ratiocinari didicisset, dein dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat. *Vellej.* 2. 104. Bellum ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter: eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum triumphalia ornamenta. *elogio. Flor.* 3. 19. *a med.* Fuit de servis orationi contentus, ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret. *h. e.* ne, quum mos esset perscripta devictorum nomina præferre in triumpho, cogeretur id facere de servis, quos devicerat. — *c*) Item est titulus, qui in fronte libri inscribitur, *intitolazione.* *Cic.* 16. *Att.* 11. *a med.* Quod de inscriptione quæris; non dubito, quin καθῆκον officium sit; sed inscriptio plenior *de officiis. Id. Topic. init.* Incidisti in Aristotelis topica quædam: quæ inscriptione commotus etc. ¶ 2. Speciatim est stigma, compunctio, nota. *Petron. Satyr.* 103. Frontes notans inscriptione Solerti, ut videamini stigmate esse puniti. *Id. ibid.* 106. Utinam quidem hac se inscriptione frontis maculassent!

II.) Translate est perscriptio, delatio nominis ejus, quem quis accusare aggreditur, *accusa, querela. Ulp. Dig.* 48. 5. 2. *ad fin.* Si pater prævenerit et libellum inscriptionis deposuerit. *Paul. ibid. tit.* 2. (qui *De accusationib. et inscriptionib.* est) *l.* 3. Libellorum inscriptionis conceptio talis est: consul et dies: apud illum prætorem, vel proconsulem L. Titius professus est, se Mæviam adulterii ream deferre etc. *et mox.* Quod si libelli inscriptionum legitime ordinati non fuerint, rei nomen aboletur. *Impp. Sever. et Antonin. Cod.* 9. 1. 1. Inscriptionem deponere. — Et metaphorâ hinc sumptâ *Quintil.* 2. 17. 15. Inscriptione, qua rhetorices accusationem professus est.

INSCRIPTŪRA, æ, f. 1. (inscribo), inscriptio, seu nota impressa alicui rei. *Tertull. advers. Valentinian.* 30., ubi alii divisim leg. *in scriptura.* At profecto junctim sic legitur hæc vox apud *Var. auct. de limit. p.* 301. *Goes.* Hæc inscriptura demonstrat tibi, quomodo debeas typum in re præsenti collocare. *Hygin. p.* 203. Quæ pars erit inscripturæ sursum versus.

INSCRIPTUS, a, um, particip. *V.* INSCRIBO.

INSCRIPTUS, a, um, adject. (in *privat.* et scriptus) non scriptus. *Quintil.* 3. 6. 36. Unde et illa divisio est, alia esse scripta, alia inscripta. ἔγγραφα et ἄγραφα. — *Inscriptæ merces* sunt, quas mercatores, ne portoria solvant, apud publicanos non profitentur, *di contrabbando. Lucilius* apud *Non. p.* 37. 18. *Merc.* Facit idem, quod illi, qui inscriptum ex portu exportant clanculum, ne portorium dent. *Varro* 2. *R. R.* 1. 16. Greges ovium longe abiguntur ex Apulia in Samnium æstivatum, atque ad publicanum profitentur, ne, si inscriptum pecus paverint, lege censoria committant. — *Inscriptum maleficium* est, de quo nihil in legibus scriptum cautumque est, ἄγραφον ἀδίκημα. *Seneca præfat. l.* 3. *excerpt. controv. ad fin.* Postulavi, ut præter nomen ejus reciperet, lege inscripti maleficii. Adde *tit. controv.* 1. *l.* 5. *excerpt.*; et *Quintil.* 7. 4. 36.

INSCRŪTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et scrutor). Comp. *Inscrutabilior.* — Inscrutabilis est qui investigari non potest, *imperscrutabile. Augustin. Ep.* 106. *n.* 4. Non valentes inscrutabilia Dei judicia perscrutari. *Id. Don. Persever.* 21. Inscrutabiliora sunt judicia Dei. Adde *Vulgat. interpr. Job* 5. 9. et alibi.

INSCRŪTOR, āris, ari, dep. 1. (in *et* scrutor) idem quod scrutari. *Macrob.* 7. *Saturn.* 1. *a med.* Si Homeri latentem prudentiam inscruteris altius. *Al. leg.* scruteris.

INSCULPO, sculpis, sculpsi, sculptum, sculpere, a. 3. (in *et* sculpo). Legitur etiam *inscalpo* apud *Lactant. Phœn.* 153. Protinus inscalpunt sacrato in marmore formam. *Alii tamen leg.* insculpunt *vel* exculpunt. Similiter *inscalptus* apud *Plin.* 36. *Hist.nat.* 5. 4. (42). Sunt etiamnum in columnarum spiris inscalpta nominum eorum monumenta — Part. *Insculptus* I. et II.; *Insculpendus* I. — Insculpere est in aliqua re sculpere, incidere, inscribere, ἐγγλύφω (It. *scolpire, intagliare, incidere*; Fr. *graver sur, inciser, tracer*; Hisp. *gravar sobre, esculpir, imprimir*; Germ. *eingraben, einschneiden*; Angl. *to engrave, carve, cut out upon*).

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Divinat.* 41. 87. Sortes in robore insculptæ. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 90. quum summam patrimonî insculpere saxo Heredes voluit. *Ovid.* 15. *Met.* 620. Cornuaque æratis, miram referentia formam, Postibus insculpunt. *Sueton. Ner.* 41. Insculpere militem monumento. *Id. Claud.* 1. *sub fin.* Elogium tumulo alicujus versibus insculpsit. *Justin.* 3. 5. 10. Insculpere nomina tesseris. *Quintil.* 1. 1. 27. Litteras tabellæ quam optime insculpere. *Plin.* 8. *Ep.* 6. Incisa et insculpta sunt publicis æternisque monumentis.

II.) Translate. *Cic.* 2. *Nat. D.* 4. 13. Omnibus innatum est et in animo quasi insculptum, esse deos. *Id.* 1. *ibid.* 17. 45. Natura insculpsit in mentibus, ut deos æternos et beatos haberemus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 2. Res habere insculptas in animo. *Ulp. Dig.* 19. 2. 13. § 5. Si gemma includenda, aut insculpenda data sit, eaque fracta sit, si quidem vitio materiæ factum sit, non erit ex locato actio. — *Præcordia insculpta scænam* more Græcorum pro *habentia insculptam scænam* dixit *Tertull. Apolog.* 35. *a med.* Si pectoribus ad translucendum quamdam specularem materiam natura obduxisset, cujus non præcordia insculpta apparerent novi ac novi Cæsaris scænam congiario dividundo præsidentis, etiam illa hora, qua acclamant: De nostris annis tibi Juppiter augeat annos?

INSĔCĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* seco) qui secari aut dividi non potest, *che non si può tagliare o dividere*, ἄτμητος. *Seneca Ep.* 118. *in fin.* Aliquid difficulter secari, cogitavimus: novissime, crescente difficultate, insecabile inventum est. *Quintil.* 2. 17. 38. Corpora insecabilia esse, ex quibus res omnes initium duxerunt. *h. e.* atomos. Adde *eumd.* 3. 3. 13.; et *Vitruv.* 2. 2. Sic *Capell.* 6. *p.* 228. Monas insecabilis procreatio numerorum est. *Id.* 9. *p.* 328. Tempus insecabile.

INSĔCE, pro insequere, h. e. persequere, dic, narra. *Ennius* apud *Gell.* 18. 9. Insece Musa manu Romanorum induperator Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo. *Livius Andron.* apud *eumd. ibid.* Virum mihi, Camena, insece versutum. Adde *Caton.* apud *eumd. ibid.* — Ejusdem rationis est *insecendo*, h. e. *fando, narrando. Cato* apud *Gell. ibid.* Scelera nefaria, quæ neque insecendo, neque legendo audivimus. — Hinc *insectiones* narrationes, teste eodem *Gellio.* — Ceterum, ratione habita etymi, videtur esse ab *in* et ἕπω *dico*, Græca enim Π sæpissime transit in Latinam gutturalem, ut in λείπω *linquo*, ἵππος *equus*, etc. *V.* INSEQUE.

INSĔCENDO. *V.* voc. præced.

INSĔCO, sĕcas, sĕcŭi, sectum, sĕcare, a. 1. (in *et* seco). Part. *Insectus* in fin.; *Insecans* et *Insecandus.* — Insecare est idem quod secare, sive intus secare, *tagliare*, ἐντέμνω. *Cic.* 4. *Herenn.* 49. 62. Insecare aliquid dentibus. *Colum.* 4. *R. R.* 15. 3. Sequente deinde anno insecatur superior pars curvaturæ usque ad medullam. *Id.* 12. *ibid.* 47. 3. Olivam acuta arundine insecare. *et mox.* Sive contuderint, sive insecuerint olivas etc. *Id.* 4. *ibid.* 29. 10. Vimen quum inserueris, penetrat et insecat corticem. *Id.* 9. *ibid.* 15. 9. Insecandi sunt favi. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 26. (86). Regibus corpora mortuorum ad scrutandos morbos insecantibus. — Hinc

Insectus, a, um, particip. præter. pass. concisus, sectus, dissectus, *tagliato*, διασχισθείς. *Varro* 5. *L. L.* 110. *Müll.* Insecta caro. *Ovid.* 6. *Met.* 57. Insecti pectine dentes. *Gell.* 10. 10. Insecta apertaque humana corpora. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 24. 38. (90). Folia divisa platano, insecta pectinum modo piceæ, abieti. — Hinc

Insecta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt parva animalia, *insetti*, τὰ ἔντομα, alia, inquit *Plin.* 11. *Hist. nat.* 1. 1. (1). pinnata, ut apes; alia utroque modo, ut formicæ; aliqua et pinnis et pedibus carentia: jure omnia insecta appellata ab incisuris, quæ nunc cervicum loco, nunc pectorum atque alvi, præcincta separant membra, tenui modo fistula cohærentia. Aliquibus vero non tota incisura, eam ambiente ruga: sed in alvo, aut superne tantum, imbricatis flexili (*incisura*) vertebris: nusquam alibi spectatiore naturæ rerum artificio. Hæc *Plin.*, qui et sequentibus capitibus multa de his. *Id. ibid.* 28. 33. (98). Insectorum quædam binas gerunt pinnas, ut muscæ, quædam quaternas, ut apes. *Sillig.* vero in priore *Plinii* loco pro *flexili* leg. *flexilibus.*

INSECTA, ōrum. *V.* voc. praeced. in fin.

INSECTANTER, adverb. (insector) cum insectatione; et translate infeste, *oltraggiosamente*, ὀνειδιστικῶς. *Gell.* 19. 3. Insectanter et graviter vituperari.

INSECTĀTĬO, ōnis, f. 3. (insector) actus insectandi, *persecuzione, oltraggio*, δίωξις.

I.) Proprie. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 1. Tanta est hominum insolentia et nostri insectatio. *Liv.* 21. 47. Ut ratibus, sine tumultu atque insectatione hostis, copias trajiceret.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est actus verbis insectandi, ludibrium. *Liv.* 22. 31. Terentius Varro plebi insectatione principum conciliatus. *Curt.* 4. 2. 20. Quum Tyrii — per ludibrium exprobrabant, illos (*Alexandri milites*) armis inclitos dorso, sicut jumenta, onera gestare; hæc ipsa insectatio alacritatem militum accendit. *Sueton. Gramm.* 9. Ne principum quidem virorum insectatione abstinuit. *Id. ibid.* 19. Insectatio studiorum et morum alicujus. *Quintil.* 6. 3. 28. et 11. 1. 86. Insectatio fortunæ. *h. e.* qua miseram alicujus fortunam insectamur et deridemus. *Plin. Paneg.* 28. Insectatio maleficii. *Tac.* 2. *Ann.* 55. Insectationibus petere aliquem. *Id.* 12. *ibid.* 14. Hostem ad prælium per insectationes et nuncios vocare. *Id.* 3. *Hist.* 53. Litteras ad Vespasianum composuit jactantius quam ad principem, nec sine occulta in Mucianum insectatione. Adde *Ammian.* 23. 6. ¶ 2. Speciatim est actus, quo aliquid alicui culpæ datur. *Sueton. Cal.* 23. Prædicabat autem matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Julia commisisset, procreatam. Ac non contentus hac Augusti insectatione etc. — Hinc pro accusatione. *Quintil.* 5. 7. 6. Interim adversus singulos dirigitur actio: quod insectationis genus etc. ¶ 3. Inter figuras sententiæ *insectatio* enumeratur a *Jul. Rufinian. de schem. dian. p.* 52. *Capper.* Chleuasmus Latine dicitur insectatio.

INSECTĀTOR, ōris, m. 3. (insector) qui insectatur, *perseguitatore.*

I.) Proprie. *Liv.* 3. 33. Trux et sævus insectator plebis.

II.) Translate. *Quintil.* 10. 1. 129. Seneca egregius vitiorum insectator.

INSECTĀTUS, a, um. *V.* INSECTO et INSECTOR.

INSECTĬO, ōnis, f. 3. duo diversa significat: scilicet

A) Ab *insecando* est actus insecandi, sectio, *taglio, sezione. Macrob.* 7. *Saturn.* 8. Ab insectione insicium dictum.

B) Ab *insecendo* est narratio, sermo. *V.* INSECE.

INSECTO, as, avi, atum, are, a. 1. Part. *Insectans* et *Insectatus*. — Insectare est idem quod insectari, sed raro admodum occurrit. *Plaut. Capt.* 3. 4. 61. Jam illic nos insectabit lapidibus. Adde *eumd. Pœn.* 3. 1. 21. Sic *Auct. B. Afr.* 71. Gravis armaturæ miles, simul atque ab his insectatus constiterat, illi veloci cursu periculum vitabant. — *Forcellinus* addit etiam illud *Cic.* 2. *Divinat.* 70. 144. Aquila insectans alias aves et agitans. et *Justin.* 15. 3. Insectanti regi quosdam palantes hostes. *Hæc duo tamen ad seq. formam* INSECTOR *commode referri possunt.*

INSECTOR, aris, atus sum, ari, dep. 1. (*frequentat. ab* insequor). Part. *Insectans* in voce præced.; *Insectatus* I. et II. — Insectari est persequi, insequi, instare, urgere, agitare, διώκω (It. *perseguitare, essere addosso, incalzare*; Fr. *poursuivre en ennemi, persécuter, s'acharner à, presser vivement*; Hisp. *perseguir, encarnizarse en perseguir, apretar, estrechar*; Germ. *verfolgen*; Angl. *to poursue closely, chase, press upon*).

I.) Proprie. *Plaut. Capt.* 3. 4. 17. Hic hastis insectatus est domi matrem et patrem. *Id. Rud.* 3. 6. 5. Insectari aliquem lapidibus. *Cic.* 1. *Legg.* 14. 40. Impios agitant insectanturque furiæ. *Sueton. Claud.* 1. Insectari duces Germanorum. *Quintil.* 11. 1. 89. hostes. *Tac.* 1. *Ann.* 20. aliquem verberibus.

II.) Translate. ¶ 1. Poetice. *Virg.* 1. *G.* 155. assiduis terram insectabere rastris. *h. e.* assidue rastris versabis et veluti infeste exercebis. Simile est illud *ibid.* 104. Jacto qui semine protinus arva Insequitur. ¶ 2. In prosa oratione sæpissime occurrit pro urgere aliquem maledictis vel maleficiis. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 4. Insectari miserorum fortunam. *Id. ad Att. ibid.* 17. dolores alicujus. *Cic.* 10. *Att.* 1. audaciam improborum. *Id.* 5. *ibid.* 17. *a med.* injuriam alicujus. *Plin.* 1. *Ep.* 10. et 6. *ibid.* 21. vitia. *Tac.* 3. *Ann.* 12. contumaciam. *Id.* 4. *Hist.* 8. aliquem ut tumidum infestumque. *Cic.* 4. *Herenn.* 26. 36. O virtutis comes invidia, quæ bonos insequeris plerumque atque adeo insectaris. *Tac.* 2. *Hist.* 96. In hunc modum Vitellius apud milites disseruit, prætorianos nuper exauctoratos insectatus. *avendo inveito. Cic. Amic.* 16. 57. Acerbius in aliquem invehi insectarique vehementius. *Id.* 1. *Nat. D.* 3. 5. Inimice insectari quempiam. *Id.* 2. *Fin.* 25. 80. Insectari aliquem maledictis. *Sueton. Tib.* 32. verbo. *Flor.* 4. 4. 2. probris. *Tac.* 1. *Ann.* 20. irrisu et contumeliis. *Ammian.* 23. 6. conviciis. *Ulp. Dig.* 1. 18. 6. calumniosis criminibus innocentes. — *Phædr.* 3. 11. Insectari damnum amissi corporis. *h. e.* objicere, exprobrare. — *Cic. Fontej.* 1. 1. Insector ultro, atque insto accusatori, judices: insector, inquam, et flagito testes. *Id. Planc.* 19. 48. Quid taces, quid dissimulas? etiam atque etiam insto atque urgeo, insector, posco atque adeo flagito crimen. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 69. Non equidem insector delendave carmina Livi Esse reor. *h. e.* non hostili animo lacesso.

INSECTŪRA, æ, f. 1. (inseco) incisura, *incisura, taglio. Seneca* 1. *Quæst. nat.* 7. Virgula totidem redderet soles, quot habuisset insecturas.

INSECTUS, a, um, particip. *V.* INSECO.

INSECTUS, a, um, adject. (in *privat.* et sectus) non sectus. *Paul. Diac. p.* 111. 14. *Müll.* Insecta non secta, sed et aliquotiens significantur secta.

INSECUNDUS, a, um, adject. qui non secundat, inobsequens. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 95.

INSĔCŪTĬO, ōnis, f. 3. (insequor) actus insequendi, *l'inseguire. Apul.* 8. *Met.* Nequissimi fugitivi, cæcæ festinationis temeritate, ac metu incertæ insecutionis, non exspectata luce etc. *Cassiod.* 10. *Variar.* 32. Qui fecerunt insecutiones sine reatu.

INSĔCŪTOR, ōris, m. 3. (insequor) qui quempiam insequitur nocendi causa, *persecutore. Tertull. Apolog.* 5. Tales semper nobis insecutores, injusti, impii. *Prudent.* 2. *Cathemer.* 126. Quos lucis ipso in limine Christi insecutor sustulit. *Apul.* 7. *Met. sub init.* Nam et præsidium fugæ, quo velocius frustratis insecutoribus, procul abderet sese, eidem facile suppeditasse etc.

INSĒDĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et sedo) qui sedari non potest. *Gloss. Philox.* Insedabilis, ἀκατάπαυστος.

INSĒDĀBĬLĬTER, adverb. (insedabilis) sine ulla sedandi ratione. *Lucret.* 6. 1174. Insedabiliter sitis arida corpora mersans.

INSĒDĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et sedatus) non sedatus, turbulentus, commotus, *non acquietato, turbato. Cic. Partit. orat.* 22. 77. Et omne, quod est ejus generis, grave, insedatum, turbulentum. *At plerique, alii melius leg.* sedatum, non turbulentum.

INSĒDŪLUS, a, um, adject. (in *privat.* et sedulus) non sedulus. *Gloss. Philox.* Insedulus, ἀσπούδαστος.

INSEGNIS, e, adject. (in *privat.* et segnis) non segnis. *Gloss. Philox.* Insegnis, ἀδρανής.

INSĒMĬNĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INSĒMĬNO, as, avi, atum, are, a. 1. (in et semino). Part. *Inseminatus*. — Inseminare est inserere, *seminare*, ἐμβάλλω. *Vitruv. proœm. l.* 8. Terra ex cælestium imbrium conceptionibus inseminata. *Arnob.* 2. 70. Ex conventu Jovis inseminati et orti sunt. *Gell.* 19. 5. Tabem et morbos sensim atque in diem longam visceribus inseminare. Adde *Macrob.* 1. *Saturn.* 17. *a med.* et *sub fin.*

INSĒMĬTĀTĬO, ōnis, f. 3. (in *privat.* et semita) ubi nulla est semita, iter impervium. *Gloss. Philox.* Insemitatio, ἀνοδία.

INSĒNESCĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et senesco) qui senescere non potest. *Gloss. Philox.* Insenescibilis, ἀγήραος, ἀγήρατος.

INSĔNESCO, sĕnescis, sĕnui, sĕnescere, n. 3. (in et senesco) diutissime immoror in aliqua re, quasique in ea ætatem consumo et senex fio, *divenir vecchio in qualche cosa*, ἐγγηράσκω. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 82. Insenuit libris et curis. *Tac.* 4. *Ann.* 6. Quum plerique iisdem negotiis insenescerent. *Quintil.* 10. 3. 11. Quomodo sufficere civilibus officiis possit, qui singulis actionum partibus insenescat? *Al. leg.* Insuescat. *Ovid.* 1. *Pont.* 4. 47. Te quoque, quam juvenem discedens Urbe reliqui, Credibile est nostris insenuisse malis. *h. e.* ob calamitatem exsilii mei.

INSENSĀTĒ, adverb. (insensatus) stolide. *Vulgat. interpr. Sap.* 12. 23. Qui in vita sua insensate et injuste vixerunt.

INSENSĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et sensus) rationis sensu carens, *insensato, irragionevole*, ἄλογος. *Tertull. Præscript.* 27. ex *Gal.* 3. 1. et 4. *advers. Marcion.* 43. ex *Luc.* 24. 25.; et *Augustin.* 3. *de Gen. ad litt.* 12. ex *Psalm.* 48. 13.

INSENSĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et sensus). ¶ 1. Active est qui expers est sensus. *Lactant.* 6. 13. *ad fin.* Insensibilia simulacra. Adde *eumd.* 1. 20. et 7. 3. ¶ 2. Passive est qui non sentitur, qui sub sensum cadere non potest, *insensibile, che non cade sotto i sensi*, ἀναίσθητος. *Gell.* 17. 10. Inenarrabile esse ait, et propemodum insensibile. *incomprensibile. Seren. Sammon.* 3. *de porrigine.* Est insensibilis morbus, sed noxia formæ etc.

INSENSĪBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (insensibilis) sensus vacuitas, stupor, *insensibilità*, ἀναισθησία. *Ambros. Bon. Mort.* 7. Igitur suscipit in se anima insensibilitatem defuncti corporis. *Boeth. Aristot. Topic.* 2. 3. *p.* 677. Necessarium est visum sequi sensum, cæcitatem autem insensibilitatem. Opponitur enim sensus insensibilitati. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 3. *a med.* Quid dicis? Divinitas vulnus in passione non sensit? Si ita est, vulnerari ergo potuit, etsi sentire non potuit; unumque fuit insensibilitatis, aliud corruptibilitatis.

INSENSĪLIS, e, adject. (in *privat.* et sensus) idem atque insensibilis, sensu carens. *Lucret.* 2. 864. necesse est Ex insensilibus tamen omnia confiteare Principiis constare.

INSENSŪĀLIS, e, adject. (in *privat.* et sensus) sensu carens. *Cassiod.* 2. *Variar.* 40. *a med.* Res insensuales.

INSĔPĂRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et separo). Comp. *Inseparabilior*. — Inseparabilis est qui separari non potest, *inseparabile*, ἀχώριστος. *Seneca Ep.* 118. Bonum honestumque aliquid inter se habent mistum et inseparabile. *Id. Ep.* 85. *ante med.* Ei juncta semper est et inseparabilis. *Gell.* 1. 9. *extr.* Coire societatem inseparabilem. *Apul.* 9. *Met.* Anus quotidie inseparabilis est. Adde *Sidon.* 9. *Ep.* 9. *Augustin.* 15. *Trin.* 23. Trinitas inseparabilior.

INSĔPĂRĀBĬLĬTAS, atis, f. 3. (inseparabilis) conjunctio inseparabilis, *inseparabilità. Augustin.* 15. *Trin.* 23. In Trinitate tanta est inseparabilitas, ut etc. *Id. Ep.* 29. 2. Inseparabilitas virtutum.

INSĔPĂRĀBĬLĬTER, adverb. (inseparabilis) non separabiliter, *inseparabilmente*, ἀδιαχωρίστως. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 22. Quæ inseparabiliter involuta rerum necessitas in se vinxit. *Lactant.* 3. 11. Inseparabiliter connexa. *Capell.* 4. *p.* 106. *in fin.* Substantia (*prima*) est, quæ nec in subjecto est inseparabiliter, neque de ullo subjecto prædicatur. Inseparabiliter autem ob hoc definitioni adjectum est, quod omnis prima substantia, quamvis in loco aliquo sit, tamen ab eo separari et migrare potest.

INSĔPĂRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et separatus) non separatus, *non separato. Tertull. advers. Prax.* 9. Inseparatos ab alterutro Patrem et Filium et Spiritum testor. Adde *eumd. ibid.* 18.

INSEPTUS, a, um. *V.* INSÆPTUS.

INSĔPULTUS, a, um, adject. idem quod sepultus, *sepolto*, ut *in* ea ratione auctatur, qua in *infractus, incanus* etc. Translate *Cic.* 14. *Phil.* 12. 33. Vestra virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit. *Est qui leg.* sepulta.

INSĔPULTUS, a, um, adject. (in *privat.* et sepultus) non sepultus, inhumatus, *insepolto*, ἄθαπτος. *Cic.* 4. *Cat.* 6. 11. Cerno animo miseros atque insepultos acervos civium. *Horat. Epod.* 5. 99. Post insepulta membra different lupi. *Liv.* 29. 9. *ad fin.* Nec satiatus pœna virorum, insepultos projecit. Adde *Sueton. Vesp.* 2.; et *Curt.* 5. 4. 3. Sic *Seneca Ep.* 92. Ne quis insepultus esset. *Id. Tranquill.* 14. Mortem insepultam minari alicui. *h. e.* sine sepultura. — *Insepultam sepulturam* (τάφον ἄταφον, ex *Eurip.* in *Phœniss.*) appellat *Cic.* 1. *Phil.* 2. 5. tumultuarias exsequias et funus illegitimum C. Cæsari occiso factum in foro. Quum enim, ut narrat *Sueton. Cæs.* 84., rogus ei in campo Martio fuisset exstructus, ut ibi cremaretur; lectus autem cum cadavere in forum delatus esset, ut inde per exsequias ad locum rogi transferretur, repente immisso igne congestisque subselliis et tribunalibus, in medio foro combustus est. Verba *Cicer.* sunt: Nam quum serperet in Urbe infinitum malum, idemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant etc. Al. perperam leg. *refecerant*: quia Cæsari, inquiunt, instauratum funus fuit. Porro *bustum facere* hoc loco significat monumentum excitare, ubi Cæsar crematus fuit. Populus enim ei combusto columnam ibidem statuit, ad quam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam distrahere perseveravit, donec a Dolabella consule eversa est. Quod vero *bustum* etiam monumentum significet, in ea voce jam est dictum.

INSĔQUĔ, insece, dic, narra; antiquum. *Ennius* apud *Paul. Diac. p.* 111. 11. *Müll.*; et *insexit*, dixit, *Id.* apud *eumd. ibid. Gloss. Philox.* Inseque, εἰπέ. *V. Gell.* 18. 9., et supra INSECE et SEQUOR secundo loco.

INSĔQUENS, entis. *V.* INSEQUOR.

INSĔQUENTER, adverb. (insequens et insequor) pro deinceps, protinus, habet *Non. p.* 376. 19. *Merc.*

INSĔQUENTER, adverb. (in *privat.* et sequor) inconsequenter, ἀνακολούθως. *Gell.* 10. 29. Obscure et insequenter particula illa posita. *Al. aliter leg.*

INSĔQUOR, sĕqueris, sĕquūtus *vel* sĕcūtus sum, sĕqui, dep. 3. (in et sequor). Part. *Insequens* I. 1. et 2.; *Insecutus* et *Insecuturus* I. 1.; *Insequendus* I. 1. et II. — Insequi est statim sequi, post venire, pone sequi, subsequi, ἕπομαι, ἀνακολουθέω (It. *seguire, venir dietro o dopo*; Fr. *suivre le pas, suivre, venir immédiatement après*; Hisp. *seguir, ir detras de alguno, venir despues*; Germ. *nachfolgen, begleiten, auf etwas folgen*; Angl. *follow close after, pursue, ensue*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Absolute; et quidem — De personis. *Virg.* 5. *Æn.* 320. Proximus huic, longo sed proximus intervallo, Insequitur Salius. Sic *Val. Flacc.* 4. 654. Corripit abjecti remumque locumque Phaleri, Et trahit: insequitur flammata pudore juventus. et 6. 100. Insequitur Drancæa phalanx, claustrisque profusi Caspiades. *Petron. Satyr.* 31. Discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes et paronychia tollentibus. *h. e.* pone sequentibus. Huc referri potest et illud *Horat.* 1. *Od.* 12. 7. Unde vocalem temere insequutæ Or-

phea silvæ. — De rebus, et sæpissime de tempore. *Lucret.* 3. 171. Si minus offendit vitam vis horrida leti, Attamen insequitur languor. *Cic. Orat.* 48. 161. Postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur. *et ibid.* 44. 150. Ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat, aut asperas. *Virg.* 1. *Æn.* 91. Una Eurusque Notusque ruunt etc. Insequitur clamorque virum stridorque rudentum. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 78. (341). Arundinem impendente pluvia seri jubent, et fruges insecuturo imbre. *Phædr.* 3. 2. Nox insecuta est: abeunt securi domum. *Auct. B. G.* 8. 23. Nocte insequenti legati responsa referunt. *Liv.* 26. 14. Quum noctem totam et diei insequentis partem animam egissent. *Gell.* 3. 2. Unum et eumdem diem esse a meridie ad insequentem meridiem. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 11. 9. (49). Quæ septem mensium edito puerperio, insecutis mensibus geminos enixa est. *Liv.* 2. 18. Insequens annus Postumum Cominium et T. Lartium consules habuit. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 67. (259). Prata restitui debent, faba in iis sata, mox insequenti anno frumento. *Vellej.* 1. 6. Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis translatum est ad Medos. *Sueton. Aug.* 31. Ut illorum veluti ad exemplar insequentium ætatum principes exigerentur a civibus. — Similiter de regibus, imperatoribus etc., quorum alii aliis succedunt. *Sueton. Aug.* 50. In diplomatibus libellisque et epistolis signandis — novissime (*Augustus*) sua imagine usus est, qua signare insecuti quoque principes perseveraverunt. Adde *eumd. Domit.* 23.; et *Quintil.* 5. 10. 46. — *b*) Cum Dativo. *Apul.* 8. *Met.* Tanto periculo malum majus insequitur. — *c*) Cum Accusativo. *Val. Flacc.* 1. 715. qua te, infelix, quibus insequar oris? *Ovid.* 11. *Met.* 468. Insequitur fugientem lumine pinum. *tiene dietro collo sguardo.* *Justin.* 32. 3. Vestigia Argonautarum insequentes. *h. e.* pone sequentes. *Cic.* 1. *Fin.* 16. 50. Plerumque improborum facta primo suspicio insequitur, deinde sermo atque fama, tum accusator, tum judex. *Id. Brut.* 10. 41. Hunc proximo seculo Themistocles insecutus est. *Id.* 2. *Divinat.* 29. 62. At mors insecuta Gracchum est. *sopravvenne.* V. Infra sub 3. — *d*) Cum Infinito. *Virg.* 3. *Æn.* 32. Rursus et alterius lentum convellere vimen Insequor. *seguito a svellere.* ¶ 2. Specialim, interdum est instare, urgere, *instare, incalzare.* *Cic.* 2. *Orat.* 3. 10. Nec vero te, frater, rhetoricis quibusdam libris insequor, ut erudiam. — Huc referri potest et illud *ejusd.* 3. *Nat. D.* 17. 44. Hæc Carneades ajebat, non ut deos tolleret, sed ut Stoicos nihil de diis explicare convinceret. Itaque insequebatur. *Id.* 5. *Verr.* 20. 54. Pergam atque insequar longius. Cf. sub II. 2. ¶ 3. Item specialim, sæpe est militare verbum, et est instare fugientibus, *dar dietro, dare alla coda.* *Sall. Jug.* 21. Multitudo Numidas insequentes mœnibus prohibuit. *che davano loro alla coda.* *Cæs.* 1. *B. C.* 45. Hostem insolenter atque acriter insequentem supprimere. *Id.* 7. *B. G.* 53. Ne tum quidem insecutis hostibus, tertio die pontem refecit. *Id.* 1. *ibid.* 15. Qui cupidius novissimum agmen insecuti, alieno loco prælium committunt. *Liv.* 26. 6. Legionum ardor ingens ad hostem insequendum fuit. *Virg.* 12. *Æn.* 748. Insequi et urgere. *Curt.* 3. 9. 13. Strenue hostem insequi cœpit. *Id.* 7. 9. 13. Barbari capessunt fugam. Quos rex — per LXXX. stadia insequi perseveravit. *Tac. Agric.* 26. Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus. ¶ 4. Hinc est persequi, insequi, insectari ultionis causa, διώκειν, *perseguitare.* *Cic.* 2. *Phil.* 7. 21. Quum tu illum, in foro, gladio stricto insecutus es. *Nepos Att.* 9. Insequi Antonii familiares. *Val. Flacc.* 3. 638. aliquem sævis dictis. *Cic.* 14. *Att.* 11. *a med.* homines benevolos contumelia. *Id. Sext.* 11. 25. irridendo. *Id. Cluent.* 8. 24. clamore ac minis. *Virg.* 8. *Æn.* 146. aliquem crudeli bello. *Ovid.* 12. *Met.* 234. ora alicujus protervis manibus. *Id.* 13. *ibid.* 568. saxum morsibus.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 4. *Virg.* 1. *Æn.* 241. Nunc eadem Fortuna viros tot casibus actos Insequitur. *Cic. Sull.* 29. 81. Insequi turpitudinem vitæ. *Ovid.* 8. *Met.* 130. crimen. *Quintil.* 12. 1. 22. vitia orationis. *Plin. Paneg.* 53. dissimiles. *Tac. Dial. de orat.* 4. Nam nec tu agitare et insequi poetas intermittis, et ego - quotidianum hoc patrocinium defendendæ adversus te poeticæ exerceo. *Virg.* 1. *G.* 104. jacto qui semine protinus arva insequitur. *V.* INSECTOR II. 1. ¶ 2. *Insequi* est etiam narrare, persequi. *T. Liv.* apud *Senec. Suasor.* 7. *circa med.* Vir memorabilis fuit, et in cujus laudes insequendas Cicerone laudatore opus fuerit. *Al. leg.* sequendas *eod. sensu.* *V.* INSEQUR et SEQUOR.

INSĔRĀBĬLĬTER, adverb. (in *privat.* et *sera*) ita ut sera removeri nequeat. *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 100. Et aditu reserato, quem inserabiliter obstruxerant.

INSĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et *sera*) non clausus. Vox afficta a *Servio* ad *Virg.* 3. *Æn.* 151. *V.* INSERO secundo loco sub I. *g.*

INSĔRĒNUS, a, um, adject. (in *privat.* et *serenus*) non serenus, nubilus, *nuvoloso.* *Stat.* 1. *Silv.* 6. 21. Non tantis Hyas inserena nimbis Terras obruit.

INSĔRO, sēris, sēvi, sĭtum, sĕrere, a. 3. (in et sero, sevi). Part. *Insitus* I. 2. et II. et in fin.; *Insiturus* I. 2. — Inserere est in aliquo loco serere, inseminare, ἐνσπείρω (It. *seminare, piantare*; Fr. *semer, planter*; Hisp. *sembrar, plantar*; Germ. *hineinsäen, -pflanzen*; Angl. *to sow or plant in*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim est in aliquo loco serere, inseminare. *Colum.* 5. *R. R.* 7. 3. Arboribus rumpotinis, si frumentum non inseritur, in utramque partem viginti pedum spatia interveniunt: at si segetibus indulgetur, quadraginta pedes. ¶ 2. Specialim est unius arboris surculum alteri arbori includere, *innestare, incalmare.* *Cato R. R.* 50. Quem ramum insiturus eris, præcidito, inclinato aliquantum, ut aqua defluat. *Varro* 1. *R. R.* 40. 5. Si in pirum silvaticam inseveris pirum quamvis bonam. *Horat. Epod.* 2. 13. Inutilesque falce ramos (*vitium*) amputans Feliciores inserit. *Colum. Arbor.* 8. Vitem, quam insiturus es, resecato et plagam lævato. *Id.* 5. *R. R.* 11. 12. Omne genus surculi omni generi arboris inserere. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 15. 17. (57). Insita nucibus arbutus, cerasis ulmus. *Colum. Arbor.* 20. Arbor insita fructuosior est, quam quæ insita non est. *Virg.* 2. *G.* 33. mutatamque insita mala Ferre pirum, et prunis lapidosa rubescere corna. Adde *Ovid.* 14. *Met.* 630.; *Quintil.* 8. 3. 88.; et *Pallad.* 3. *R. R.* 9. 11. — Hinc *Insitum, i*, n. 2. absolute, substantivorum more, est surculus insitus, *incalmo, nesto.* *Varro* 1. *R. R.* 41. 2. Aqua recenti insito inimica: tenellum enim cito facit putre. *Colum.* 5. *R. R.* 11. 8. Terram circa arborem adaggerato usque ad ipsum insitum. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 29. 11. et *Arbor.* 26.

II.) Translate est immittere, injicere, introducere. *Colum.* 6. *R. R.* 36. 2. de *mulis.* Equam convenit membris fortibus eligere, ut discordantem utero suo generis alieni stirpem insitam facile recipiat ac perferat. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 34. denique teipsum Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim Natura. *Cic. Tim.* 12. Quum autem animos corporibus necessitate insevisset etc. *h. e.* junxisset. *Forcellinus et al. leg.* Quum autem animis corpora cum necessitate etc. — Hinc Part. prætar. pass.

Insitus, a, um, translate apud optimos quosque scriptores sæpissime occurrit, et ¶ 1. Est nativus, innatus, ingenitus, inhærens, *insito, innato, naturale.* *Cic. Brut.* 58. 213. O generosam stirpem, et tamquam in unam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam sapientiam! *Id.* 6. *Verr.* 48. 106. Hoc Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum atque innatum esse videatur. *Id.* 1. *Nat. D.* 17. 44. Insitas deorum, vel potius innatas cognitiones habemus. *Id.* 7. *Verr.* 53. 139. Reliqua est ea causa, quæ non jam recepta, sed innata; neque delata ad me, sed in animo sensuque meo penitus affixa atque insita est. *Id.* 1. *Fin.* 9. 31. Notio quasi naturalis atque insita in animis nostris. *Id.* 1. *Tusc.* 24. 57. Habere notiones tot rerum insitas et quasi consignatas in animis. *Id. Cluent.* 1. 4. Evellam ex animis hominum tantam opinionem, tam penitus insitam, tam vetustam. *Id. Harusp. resp.* 25. 55. Haud obscurum odium, atque id insitum penitus et inustum animis hominum. *Id.* 4. *Fin.* 7. 18. Insitus menti cognitionis amor. *Id. Sull.* 30. 83. Hoc natura est insitum, ut etc. *Liv.* 28. 21. Insita hominum libido alendi de industria rumores. *Al. leg.* hominibus. *Id.* 23. 14. Industria insita animis. *Id.* 31. 20. Silvestrem gentem insita feritas continebat in armis. *Lucret.* 5. 1164. Unde (*h. e.* a sacris) etiam nunc est mortalibus insitus horror. *Horat.* 4. *Od.* 4. 33. Doctrina sed vim promovet insitam. *Quintil.* 8. 6. 75. Insita cupiditas omnibus. *Justin.* 5. 3. 6. superbia genti. *Tac.* 2. *Hist.* 20. Uxorem autem ejus Saloninam, quamquam in nullius injuriam insigni equo ostroque veheretur, tamquam læsi gravabantur, insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem acribus oculis introspicere. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 55. Nota et illud *ejusd.* 15. *Ann.* 29. Magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum cædes aut obsidio. ¶ 2. Item adscriptus, adscitus, *ascritto, inserito.* *Cic. Sext.* 33. 72. Ex deserto Gavii horreo in Calatinos Atilios insitus. *Tac.* 13. *Ann.* 14. Insitus et adoptivus.

INSĔRO, sĕris, sĕrui, sertum, sĕrere, a. 3. (in et sero, serui). *Inseriuntur* pro *inseruntur*, eadem ratione qua *prodinunt* et similia, habet *Festus ed. Müll.* p. 307. col. 1. — Part. *Inserens* I. et II.; *Insertus* in omnibus paragr. et in fin.; *Inserendus* II. — Quamvis etymologi hoc a superiore verbo, non solum præterito, sed etiam origine ipsa disjungant, ut in CONSERO, serui, sub init. dictum est; tamen hoc pro illo aliquando ponitur: *V.* infra sub I. — Ceterum inserere est immittere, ingerere, imponere, injicere (It. *porre dentro, inserire, conficcare dentro, infiggere*; Fr. *mettre dans, insérer, introduire, fourrer*; Hisp. *poner dentro, inserir, introducir, entremeter*; Germ. *hineinfügen, -pflanzen, -stecken, -pfropfen*; Angl. *to ingraft, to put or introduce into, insert*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accusativo et præpos. *in.* *Cic.* 6. *Verr.* 17. 37. Homini collum in laqueum inserenti subvenisti. *Id.* 2. *Orat.* 39. 162. Omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant. *Ter. Heaut.* 3. 3. 2. Inserere meretrici manum in sinum. *Liv.* 8. 36. Inserere in tentoria caput. *Quintil.* 2. 20. 3. grana ciceris in acum. *infilzare.* *Ovid.* 2. *Met.* 93. utinamque oculos in pectora posses Inserere. *penetrar colla vista nell' interno del cuore.* — b) Cum Ablativo et præpos. *in.* *Ovid.* 2. *Amor.* 15. 12. Et lævam in tunicis inseruisse manum. — c) Cum Ablativo sine præpos., quæ inest in ipso verbo. *Propert.* 3. 12. 30. Nec digitum angusta est inseruisse via. *Quintil.* 8. 2. 15. Interjectio, qua et oratores frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum. *h. e.* interponant. — *d*) Cum Dativo. *Phædr.* 1. 26. Ciconia lagenæ rostrum inserens. *Ovid.* 2. *Amor.* 1. 27. Sera inserta posti. *Sueton. Ner.* 49. Inserere cervicem furcæ. *Quintil.* 8. 5. 28. clavum purpuræ. *Seneca Hippol.* 1177. Inserere ferrum pectori. *h. e.* adigere. *Id. Herc. Œt.* 521. Tabum fluentem vulneris insertum unguine. *h. e.* infusum. *Val. Max.* 3. 3. *extern.* 1. Inserere oculos alicui rei. *h. e.* intendere, intueri. — *e*) Cum Dativo, qui esse potest et Ablativus sine præpos. *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Falces præacutæ, insertæ atque affixæ longuriis. *conficcate.* *Curt.* 9. 1. Inserere gemmas aureis soleis. *incastrare.* *Colum.* 6. *R. R.* 4. 2. Inserere integrum crudum ovum jejuni bovis faucibus. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 63. potes, si forte juvabit, Cancellis primos inseruisse pedes. *Gell.* 2. 3. H litteram plerisque vocibus inserere. *Seneca Herc. Œt.* 493. caput astris. *Sil. It.* 9. 19. caput cælo. Rursus *Seneca Agam.* 92. Nubibus ipsis inserta caput Turris, pluvio vapulat Austro. *h. e.* tam alta, ut cacumen inter nubila immittere videatur. Græca constructio. *Virg.* 11. *Æn.* 770. quem pellis ahenis in plumam squamis, auroque inserta tegebat. *h. e.* habens aurum assutum et quasi intextum. *Al. leg.* auro conserta. *Cels.* 5. 23. *initio.* Venena vel per morsus, vel per cibos aut potiones corporibus inserta. *h. e.* infusa. — *f*) Cum Accusativo et præpos. *per.* *Sueton. Galb.* 20. Inserere pollicem per os. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 57. 78. (157). Pinna per transversas inserta nares. — *g*) Absolute; et quidem — Generatim. *Ennius* apud *Donatum* ad *Ter. Phorm.* 2. 2. 25. Insertæ malæ. *V.* CALCEATUS. *Virg.* 3. *G.* 509. Profuit inserto latices infundere cornu. *h. e.* immisso faucibus. *Stat.* 5. *Theb.* 230. Inserere ensem. *h. e.* adigere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 12. (40). Inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant. *infilzate.* At *Sillig.* hunc l. aliter omnino legit et quidem rectius. *Virg.* 3. *Æn.* 151. multo manifesti lumine, qua se Plena per insertas fundebat luna fenestras. *h.*

e. iona inserta per rimas fenestræ. hypallage. *Servius* prætec hanc, aliam quoque interpretationem addit. Aut, inquit, clathratas, aut non seratas, ut sit quasi inseratas, id est non clausas: et dictum quo modo asprus, compostus, vixet, pro asperos, compositus, vixisset. *Plin.* 3. *Ep.* 19. Prædia agris meis vicina, atque etiam inserta, venalia sunt. *h. e.* immissa et veluti permixta. — Speciatim est surculum arboris in aliam arborem immittere, *innestare, incalmare. Colum. Arbor.* 8. Quidquid inserueris, vimine diligenter ligato. *et ibid.* Nocet nimius humor, nec patitur surculos insertos comprehendere.

II.) Translate est inseminare, immittere, injicere, admiscere. — *a*) Generatim. *Cic. Cœl.* 31. 76. Amputanda plura sunt illi ætati, quam inserenda. *Id.* 2. *Invent.* 53. 161. Jus est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit. — *b*) Speciatim pro admiscere, *frammischiare:* ad rem *Colum.* 12. *R. R.* 57. 2. Quum viridia, quæ dicta sunt, contriveris, nuces juglandes inserito. — Hinc translate usurpatur sæpissime de oratione. *Ovid.* 2. *Trist.* 414. nec obfuit illi Historiæ turpes inseruisse jocos. *Liv.* 5. 21. Inserere fabulam huic loco. *Sueton. Tib.* 61. aliquid annalibus. *Id. Domit.* 18. aliquid libello. *Curt.* 6. 8. 12. aliquid sermoni. *Quintil.* 1. 5. 8. Hispanum nomen Latinæ orationi. *Id.* 8. 5. 59. similitudinem parabolæ. *Id.* 10. 6. 5. scriptis aliquid. *Id.* 6. 3. 42. Orationibus narrationes insertæ. *Id.* 2. 4. 30. Vix ullus est tam communis locus, qui possit cohærere cum causa, nisi aliquo propriæ quæstionis vinculo copulatus; appareatque, eum non tam insertum, quam applicitum. *Justin.* 38. 3. *in fin.* Trogus in Livio et Sallustio reprehendit, quod contiones directas operi suo inserendo, historiæ modum excesserint. *Tac.* 1. *Hist.* 23. Inserendo sæpius querelas et ambiguos de Galba sermones. *Id. Dial. de orat.* 25. Supersunt aliqua, epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur. — Item de iis, qui in gentem aliquam vel in aliquorum numerum adsciscuntur. *Sueton. Tib.* 3. Insertus Liviorum familiæ, adoptato in eam materno avo. *Id. Aug.* 42. Manumissi insertique civium numero. *Horat.* 1. *Od.* 1. 35. Quod si me lyricis vatibus inseres etc. Sic *Ovid.* 13. *Met.* 33. Inserit Æacidis alienæ nomina gentis. *Tac.* 6. *Ann.* 2. Ignobilitatem suam magnis nominibus inserit. *Sueton. Cal.* 23. Inserere aliquem imaginibus Cæsarum. *Horat.* 3. *Od.* 25. 6. stellis æternum decus. — De aliis. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 9. Osculaque inseruit cupidæ luctantia linguæ. *Sil. It.* 5. 31. Pedites globo inserti. *Ammian.* 14. 6. Inserere prandiis subditicios ignobiles. *Liv.* 27. 23. Adeo minimis etiam rebus prava religio inserit deos. *ci fa entrare. Seneca Thyest.* 322. Quid est necesse liberos sceleri meo inserere? *h. e.* implicare et una mecum auctores sceleris ac reos facere. — *c*) *Inserere se*, se immittere, immiscere. *Tac.* 2. *Hist.* 19. Jamque totis castris modesti sermones, et inserentibus se centurionibus, laudari providentia ducis etc. *Val. Max.* 6. 2. *extern.* 1. Inserit se tantis viris mulier alienigeni sanguinis. *Ovid.* 1. *Art. am.* 605. Inserere se turbæ. *Id.* 3. *Met.* 117. se bellis civilibus. *Tac.* 2. *Hist.* 61. Mariccus quidam, e plebe Bojorum, inserere se fortunæ et provocare arma Romana simulatione numinum ausus est. — *d*) *Inserere aliquem vitæ* apud *Stat.* 5. *Silv.* 5. 72. Poscentemque novas tremulis ululatibus auras Inserui vitæ. *h. e.* assecuì, servavi, ut viveret, curavi. — *e*) *Inserere nomen famæ* apud *Tac. Dial. de orat.* 10. est committere, mandare. — Hinc a Part. præter. pass. *Insertus, a, um*, cujus plurima superius exempla retulimus.

Inserta, æ, f. 1. absolute, substantivorum more. *P. Syrus* apud *Gell.* 17. 14. et *Macrob.* 2. *Saturn.* 7. Frugalitas inserta est rumoris boni. *h. e.* ornamentum bonæ existimationis. Volunt enim alii, *insertam* esse emblema quod inseritur ornatus causa: alii vittam, institam, fasciam, ornatus item causa assutam vesti: alii denique rectius legunt *miseria*, h. e. frugaliter vivere perinde est ac misere vivere, nisi quod cum rumore fit bono, non malo, ut in avaritia.

INSERPO, serpis, serpsi, serptum, serpere, n. 3. (in *et* serpo) idem ac serpere, vel in aliquo loco serpere. Figurate tantum occurrit et cum Dativo. *Stat.* 1. *Theb.* 340. Jam somnus avaris Inserpit curis. *Apul.* 7. *Met.* Et lanugo malis inserpebat. Sic *Ammian.* 31. 10. Lanugo genis speciosa inserpebat. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 256. raucum bibulis inserpere murmur arenis.

INSERTA, æ, f. 1. *V.* INSERO secundo loco in fin.

INSERTĀTĬO, ōnis, f. 3. (inserto) actus inserendi, insitio, immissio. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. *ad fin.*

INSERTĀTUS, a, um. *V.* INSERTO.

INSERTĪCĬUS, a, um, adject. (insero 2.) idem atque insiticius, qui inseri potest. *Gloss. Philox.* Insertícius, ἐγκεντρήσιμος, ἐντάξιμος.

INSERTIM, adverb. (insero 2.) inserendo, immittendo. *Lucret.* 2. 114. quum solis lumina cumque Insertim fundunt radios per opaca domorum.

INSERTĬO, ōnis, f. 3. (insero 2.) actus inserendi, *innesto. Augustin. Ep.* 120. *n.* 20. Insertio oleastri. *Macrob.* 1. *Saturn.* 7. *a med.* Huic deo insertiones surculorum tribuunt.

INSERTĪVUS, a, um, adject. (insero 2.) qui inseritur. *Calpurn. declam.* 24. Nemo unquam sacra gentilicia insertiva stirpe corrupit. *h. e.* filiis illegitimis. Sic *insitivi liberi* apud *Phædr.* 3. 3.

INSERTO, as, are, a. 1. *frequentat. verbi* insero 2., a supino *insertum*. Part. *Insertans* et *Insertatus*. — Insertare est sæpe inserere, vel inserere simpliciter; et occurrit cum Dativo. *Virg.* 2. *Æn.* 672. clipeoque sinistram Insertabam aptans. *Petron. Satyr.* 97. Insertans commissuris securim, claustrorum firmitatem laxavit. *Sil. It.* 5. 492. arbor nubibus insertans caput. *Stat.* 12. *Theb.* 460. Insertare dextras catenis. *Seneca Ep.* 85. manum leonibus. *h. e.* in fauces immittere. *Prudent. Apotheos.* 464. Jamque insertato reserarat viscera cultro. *Id.* 2. *in Symmach.* 726. Quos spargam flores? quibus insertabo coronis Atria?

INSERTŌRĬUM, ii, n. 2. (insero 2.). *Cæl. Rhodig. l.* 10. *c.* 4. ait esse lorum scuti in modum annuli, inter quod et scutum læva manus inseritur. Hoc adscivit loco *Plinii* 33. *Hist. nat.* 1. 4. (13)., qui varie a variis legitur, et ab *Harduino* expenditur in *not. et emend. n.* 2. V. Nuper *Sillig.* ex Codice Bamberg. lectionem hausit, quæ vocem *insertorium* cum *Harduino* rejicit, et justam explicationem admittit.

INSERTUS, a, um. *V.* INSERO secundo loco.

INSERVĬO, is, ivi, itum, ire, n. 4. (in *et* servio). *Inservibat* pro *inserviebat* ἀρχαϊκῶς, ut *lenibant, insanibat* etc. est *Sil. It.* 7. 341. — Part. *Inserviens, Inservituras* et *Inserviendus*. — Inservio est idem quod servio, obsequor, studiosus et obnoxius sum, δουλεύω (It. *servire, attendere*; Fr. *servir, s'appliquer à*; Hisp. *servir, aplicarse*; Germ. *dienen, dienstbar sein, willfahren, willfährig sein*; Angl. *to serve, to attend to or upon*). Occurrit — 1.°) De personis. — *a*) Absolute. *Tac.* 2. *Hist.* 81. Antiochus inservientium regum ditissimus. *h. e.* imperio R. subjectorum. — *b*) Ἀρχαϊκῶς cum Accusativo. *Plaut. Most.* 1. 3. 59. Si illum inservibis solum. *et* 33. Unum inservire amantem. — *c*) Sæpe cum Dativo. *Ter. Heaut.* 3. 1. 8. Inservire amico atque æquali suo. *h. e.* gratificari, adesse, assistere. *Cic.* 1. *Off.* 15. 49. A quo plurimum sperant, ei potissimum inserviunt. Passive impersonaliter *Liv.* 2. 21. Plebi, cui ad eam diem summa ope inservitum erat, injuriæ a primoribus fieri cœpere. *h. e.* indultum et curatum erat, ut in omnibus satisfieret. *s'era procurato di compiacere.* eodem modo *Id.* 45. 37. locutus est. — 2.°) De rebus. *Gell.* 1. 25. Non id fuit Varroni negotium, ut legibus rationibusque omnibus definitionis inserviret. *di soggettarsi.* — Ceterum — *a*) Cum Dativo de rebus sæpissime est dare operam, more eorum qui serviunt, incumbere, studere, attendere, *attendere, applicare, studiare, aver cura. Cic.* 2. *Fin.* 35. 117. Quos suis commodis inservituros, et quidquid ipsis expediat facturos arbitramur. *Nepos Alcib.* 1. Temporibus callidissime inserviens. *Cic.* 2. *Off.* 1. 4. Inservire honoribus. Sic *Horat. Art. P.* 167. inservit honori. *Nepos Alcib.* 11. inservire studiis. *Tac.* 13. *Ann.* 8. famæ. *Nepos Alcib.* 11. firmitati corporis. Cf. *Cic.* 16. *Fam.* 17. Valetudo tua me valde sollicitat: sed inservi et fac omnia. *Tac.* 16. *Ann.* 27. Inservire hortorum amœnitati. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 2. fortiter operibus. *attendere valorosamente al lavoro. Id.* 5. *ibid.* 7. 3. frumento. *Auct. B. Alex.* 12. Accurate alicui rei studere atque inservire. *Auct. B. G.* 8. 8. Omnibus rebus inserviendum statuit, quo celerius etc. *Sil. It.* 7. 341. feroci Pervigil inservibat equo. *attendea a governare. Gell.* 13. 20. Inservire auribus. *h. e.* curare, ne aures offendantur. — *b*) Absolute. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 105. Et illud autem inserviendum est consilium vernaculum. *h. e.* adjuvandum, promovendum. *Cic.* 3. *Fam.* 12. Nihil est a me inservitum temporis causa.

INSERVO, as, are, a. 1. (in *et* servo). Part. *Inservans* 1. — Inservare est idem quod servare. ¶ 1. Pro observare, *osservare. Stat.* 10. *Theb.* 830. gemit, inservante noverca, Liber. *Id.* 6. *ibid.* 935. piget inservare. *h. e.* servare de cælo. Sic 8. *ibid.* 194. Elysias dedit inservare volucres. ¶ 2. Pro conservare, *conservare, ritenere. Ammian.* 31. 15. Sagittæ, quæ volitantes vires integras inservabant.

INSESSOR, ōris, m. 3. (insideo) qui insidet. *Jul. Valer. Alex. M. Ort.* 1. 2. edente *A. Maio. De incantatione.* Simul cum submersione illius ceræ et cereis insessoribus. Sic Insessor viarum, *h. e.* obsessor, apud *Symmach.* 2. *Ep.* 48. Et *Paul. Diac.* p. 111. 18. *Müll.* Insessores, latrones, quod circa vias insidientur sedentes.

INSESSUS, a, um, particip. *V.* INSIDEO.

INSESSUS, a, um, adject. (in *privat. et* sedeo) qui certam non habet sedem, vagans. *Sicul. Flacc. de cond. agr.* p. 3. *Goes.* Accidit autem insessarum earum gentium populis sæpe mutantibus id (solum) in Italia et in provinciis, ut Phryges in Latio, et Diomedes cum Gallis in Apulia.

INSEXIT, dixit. *V.* INSEQUR.

INSĪBĪLO, as, are, 1. (in *et* sibilo) sibilare, spirando sibilare, *fischiare, spirare fischiando*, ἐπισυρίττω. — *a*) Neutrorum more. *Ovid.* 15. *Met.* 603. Qualia succinctis, ubi trux insibilat Eurus, Murmura pinetis fiunt. *Stat.* 6. *Theb.* 421. densis insibilat aer Verberibus. *Sil. It.* 12. 615. jactæ in turmas per nubila flammæ Stridorem servant, membrisque insibilat ignis. — *b*) Cum Accusativo. *Sil. It.* 2. 625. verbera Erinnys Incutit, atque atros insibilat ore tumores.

INSICCĀBĪLIS, e, adject. (in *privat. et* sicco) qui siccari non potest. *Sidon.* 9. *Ep.* 16. Licet antiquarium moraretur insiccabilis gelu pagina et calamo durior gutta.

INSICCĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* siccatus) non siccatus, *non seccato. Stat.* 3. *Theb.* 364. Vulneraque ista ferens putri insiccata cruore. *Id.* 8. *ibid.* 216. Insiccatus cruor.

INSĪCĬA, æ, f. 1. et insicium, ii, n. 2. (inseco). Scribitur et *insitia* et *isicium*. Quidam vellent et *esitium*. Ex *Macrob.* autem discimus *isicium* frequentius esse: unde *salsicia* pro *salis isicia*, quod nempe ex suilla concisa atque salita, inque intestinis insita fit, mox *salsicia*, hinc Italice *salsiccia*: *V.* SALSICIA. — Insicia vel insicium est genus farciminis seu obsonii ex carne concisa (It. *salsiccia*; Fr. *farce, achis*; Hisp. *relleno, gigote, picadillo*; Germ. *eine Art Würste*; Angl. *a kind of sausage*). *Varro* 5. *L. L.* 32. *Müll.* Insicia ab eo, quod insecta caro, ut in carminibus Saliorum est: quod in extis dicitur nunc prosectum. *Macrob.* 7. *Saturn.* 8. Dices, quæ causa difficile facit insiciam: quod ab insectione insicium dictum, amissione litteræ postea, quod nunc habet, nomen obtinuit. *Arnob.* 2. 42. Ut spirulas et botulos facerent, isicia, catillamenta, lucanica. *Donatus* ad *Ter. Eun.* 2. 2. 26. Fartores, qui insicia et farcimina faciunt. — Locus autem classicus est *Apicii l.* 2. *c.* 1. et 2., ubi formulæ isiciorum plurimæ e genere piscium, carnium, omento, spongiolis etc. Ubique concisum, tunsum, tritum, aromatis conditum, involutum nonnumquam foliis, siccatum, denuo perfusum liquamine, cibarium deprehendes.

INSĪCĬĀRĬUS, ii, m. 2. (insicia) qui insicia facit. Legitur in quodam ludicro testamento M. Grunnii Corocottæ Porcelli, quod habetur apud *Brisson. de Formul. l.* 7. *c.* 57. Ejus meminit etiam *Hieronym. proœm. l.* 12. *in Isaj.* et 1. *in Rufin. n.* 17. *V.* BUBULARIUS.

INSĪCĬĀTUS *vel* Isiciatus, a, um, adject. (insicia) insicio conditus, vel ad modum insicii conditus. *Apic.* 8. 7. *ad fin.* Isiciatus pullus.

INSĪCĬŎLUM *vel* Isiciolum, i, n. 2. *deminut.* ab insicium, insicium minutum. *Apic.* 5. 4. Isiciola porcina. Adde *eumd.* 2. 2. et alibi.

INSĪCĬUM, ii, n. 2. *V.* INSICIA.

INSĪDĔO, sides, sēdi, sessum, sidere, n. 2. (in *et*

sedeo). Part. *Insidens* II.; *Insessus* I. 2.; *Insidendus* I. 2. — In multis hoc verbum cum *insido*, *is*, confunditur, et in libris sæpissime invicem commutantur: in quo vero differat ab *insido*, *V.* ad eam vocem. — Insidere est super aliqua re sedere, ἐπικάθημαι (It. *sedere sopra qualche cosa*; Fr. *être placé*, *être assis sur*; Hisp. *estar asentado sobre*; Germ. *worauf sitzen*; Angl. *to sit*, *or rest upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est, ut diximus, super aliqua re sedere; et occurrit — a) Cum Dativo vel Ablativo. *Liv.* 7. 6.; et *Aurel. Vict. vir. ill.* 32. Insidere equo. *Ovid. Heroid.* 20. 134. toro. *Sueton. Aug.* 82. ligneo solio. *Seneca Med.* 29. curru. — b) Cum Accusativo. *Vetus Poeta* apud *Varron.* 5. *L. L.* 153. *Müll.* Insidere currum. *Müllerus* leg. *insidĕre*. Hunc locum *Ennio* tribuit *Forcellinus Columnam* secutus; sed inter *Ennianæ poeseos reliquias* cl. *Vahlen.* minime recepit. *Seneca Phœniss.* 122. assum. — Sic de locis. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 13. 14. (69). Joppe insidet collem. *sta, giace su un colle.* — c) Passive. *Gell.* 18. 5. Pleraque enim veterum ætas et hominem equo insidentem, et equum qui insideretur, equitem dixerunt. ¶ 2. Latiori sensu dicitur de his, qui in aliquo loco considunt. — a) Sic de his, qui in aliquo loco habitandi causa considunt, *mettersi ad abitare*. Cum Ablat. *Virg.* 8. *Æn.* 479. ubi Lydia quondam Gens bello præclara jugis insedit Etruscis. Et cum Accus. *Val. Flacc.* 2. 177. Sarmaticas utinam Fortuna dedisset Insedisse domos tristesque habitasse pruinas. Confer *Tac.* 4. *Ann.* 67. Capreas Teleboïs habitatas fama tradit. Sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus et molibus insederat. — b) Et de his, qui exspectandi, aut spectandi, aut precandi gratia alicubi se locant: cum Accusativo. *Plin. Paneg.* 26. Adventante congiarii die, observare principis egressum, insidere vias examina infantium solebant. *Tac.* 3. *Ann.* 61. Mox Liberum patrem, bello victorem, supplicibus Amazonum, quæ aram insederant, ignovisse. — c) Hinc est etiam universim locum aliquem morando occupare, tenere, obsidere, *occupare*: et occurrit sæpius cum Accusativo: ad rem *Cic.* 2. *de republ.* 33. Nam quum esset ex ære alieno commota civitas, plebs montem sacrum prius, deinde Aventinum occupavit. quocum Cf. *Sall. fragm.* apud *Augustin.* 2. *Civ. D.* 18. Plebes – armata montem sacrum atque Aventinum insedit. *Liv.* 21. 54. Mago locum monstrabit, quem insideatis. *Tac.* 2. *Ann.* 16. Cherusci juga insedere, ut præliantibus Romanis desuper incurrerent. *si posero no.* *Id.* 4. *Hist.* 73. Nec ideo Rhenum insedimus, ut Italiam tueremur, sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur. *Sil. It.* 5. 3. Silvarum anfractus cæcis insederat armis. *s'era posto in aguato.* Al. leg. *insiderat*. Sic *Virg.* 11. *Æn.* 531. Arripuitque locum et silvis insedit iniquis. (Huc pertinet et illud *Lactant. Opif. D.* 1. Adversarius noster saltus insidet. *ubi alii minus recte leg.* saluti insidet, *h. e.* insidiatur. *Liv.* 26. 44. Quingentis militibus arcem insedit. *presidiò.* Sic *Tac.* 3. *Hist.* 69. Sabinus – arcem Capitolii insedit mixto milite. et 2. *Ann.* 59. Quisquis eam provinciam (*Ægyptum*) claustraque terræ ac maris quamvis levi præsidio adversum ingentes exercitus insedisset. — Passive. *Liv.* 25. 13. Viæque omnes hostium præsidiis insidentur. *Id.* 21. 31. Quibusdam ad itinera insidenda missis. *Id.* 7. 34. Consul exercitum incaute in saltum cava valle pervium, circaque insessum ab hoste, induxit. *Tac.* 13. *Ann.* 39. Commeatus per montes ducebantur præsidiis nostris insessos. *Ammian.* 16. 2. Barbarorum impetu insessos muros. *Tac.* 3. *Hist.* 1. Insessis Alpibus. *Id.* 12. *Ann.* 43. Insessum diris avibus Capitolium. *Stat.* 12. *Theb.* 236. horrendis insessa nubilia monstris. *Id.* 1. *Silv.* 1. 56. insessaque pondere tanto Subter anhelat humus.

II.) Translate est consistere, hærere, inhærere, incumbere, *fermarsi*, *posarsi*, *stare addosso*, *stare inerente*. Occurrit — a) Cum Ablativo et præpos. *in*, aut cum Dativo, aut absolute. *Cic.* 2. *Nat. D.* 51. 128. Quum in locis semen insedit, rapit omnem fere cibum ad sese. *Tac.* 2. *Ann.* 21. Insidens capulo manus. *h. e.* arcte hærens gladii manubrio, et fortiter tenens ac vibrans. *Horat. Epod.* 3. 15. Nec tantus unquam siderum insedit vapor Siticulosæ Apuliæ. Cf. *Ammian.* 17. 7. Humo caliginis squalor insedit. *Cels.* 3. 1. Longus morbus, quum penitus insedit, acuto par est. *Plin.* 1. *Ep.* 12. *circa med.* Dolor non pedibus solis insidebat, sed omnia membra pervagabatur. Cf. *Seneca Œdip.* 224. Torpor insedit per artus. — *Cic.* 2. *Orat.* 28. 122. Nihil quisquam unquam, me audiente, egit orator, quod non in memoria mea penitus insederit. *Id. Orat.* 5. 18. Insidebat in ejus mente species eloquentiæ, quam cernebat animo, re ipsa non videbat. *Id.* 1. *Legg.* 17. 47. Voluptas, quæ penitus in omni sensu implicata insidet. *Id.* 4. *Tusc.* 10. 24. Quum hic fervor concitatioque animi inveteraverit, et tamquam in venis medullisque insederit, tunc existit morbus etc. *Id. pro leg. Manil.* 3. 7. Macula, quæ penitus jam insedit atque inveteravit in populi Romani nomine. *Lucret.* 3. 932. Insidet mihi desiderium alicujus rei. *Plin. Paneg.* 61. auribus clamor. *Liv.* 1. 21. Et animi aliquid agendo occupati erant, et deorum assidua insidens cura, quum interesse rebus humanis cæleste numen videretur. — b) Cum Accusativo. *Val. Flacc.* 4. 445. mea quod vates insedit Apollo Pectora. *Pacat. Paneg. Constant.* 24. Pestis terras insedit.

INSĬDĬÆ, ārum, f. plur. 1. (insideo). In singulari numero, sed post pluralem, dixit *Sall. fragm.* apud *Charis.* 1. p. 75. *Putsch.* et apud *Servium* ad *Virg.* 2. *G.* 98. et 10. *Æn.* 896. Quis a Sertorio triplices insidiæ per idoneos saltus positæ erant: prima, qui fronte venientis exciperent. — Insidiæ sunt occulta et dolosa exspectatio ad aliquem aggrediendum: ab *insideo*, quia clam aliquis insidetur locus, ex quo in tempore ad vim afferendam erumpatur, ἐνέδρα, ἐπιβουλή (It. *insidie*, *aguato*; Fr. *embûches*, *piége*, *embuscade*; Hisp. *celada*, *fraude*, *engaño oculto*, *emboscada*; Germ. d. *Nachstellung*, d. *Hinterhalt*; Angl. *an ambush*, *ambuscade*, *lying in wait*, *snares*, *treachery*).

I.) Proprie. — a) De loco ipso, in quo insidiæ collocantur. *Ter. Phorm.* 1. 4. 52. Nunc prior adito tu: ego in insidiis hic ero succenturiatus. *starò in aguato.* *Cic. Dejot.* 7. 21. Quid? ille signa sua in insidiis posuerat. *Id.* 2. *Cat.* 1. 1. Illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus. *Cæs.* 3. *B. G.* 20. Milites in insidiis collocare. *Liv.* 23. 1. disponere. *et ibid.* Trahere in insidias. *Cæs.* 3. *B. C.* 38. Intrare insidias. *Liv.* 2. 51. In insidias præcipitare. *Cæs.* 3. *B. C.* 37. Subito illi ex insidiis consurrexerunt. *Virg.* 3. *G.* 537. Nec lupus insidias explorat ovilia circum. *h. e.* captat locum insidiis idoneum. — b) De ipsis insidiatoribus. *Auct. B. G.* 8. 19. Qui sustinuerant primos impetus insidiarum. *Tac.* 2. *Hist.* 24. Equites procedere longius jussi, donec insidiæ coorirentur. — c) Ceterum abstracte pluribus jungitur Verbis. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 32. et *Cas.* 2. 7. 13. Insidias dare alicui. *h. e.* facere. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 3. 4. facere vitæ alicujus. Sic *Nepos Alcib.* 9., *Pausan.* 5. et *Dion.* 8.; et *Horat.* 1. *Sat.* 2. 104.; et *Justin.* 16. 1. 10. facere alicui. *Cic. Sext.* 18. 41. ponere vitæ alicujus. *Id.* 2. *leg. Agr.* 18. 49. Insidias penitus abstrusas ponere contra aliquem. *Tac.* 5. *Hist.* 22. componere. *Propert.* 2. 23. 69. componere in aliquem. *Tibull.* 1. 7. 4. componere alicui. *Quintil.* 4. 2. 48.; et *Flor.* 3. 10. 8. disponere. *Cic. Cæcin.* 29. 84. opponere. *Plaut. Rud.* 2. 5. 17.; et *Liv.* 2. 50. locare. *Cic. Mil.* 10. 27. collocare. *Id. Rosc. Am.* 9. 26.; *Curt.* 8. 1. 3.; et *Justin.* 11. 7. 1. parare alicui. *Curt.* 6. 7. 31. præparare. *Cic. Cluent.* 16. 47.; et *Curt.* 6. 2. 4. comparare. *Cic. Rosc. com.* 16. 46.; et *Sueton. Cæs.* 35. tendere. *Cic. Cluent.* 66. 190.; *Sueton. Domit.* 2.; et *Ovid.* 1. *Met.* 198. struere. *Al. leg.* instruere apud *Cic.*; quod habent *Catull.* 21. 7.; *Liv.* 6. 23.; et *Justin.* 24. 2. 1. instruere. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 40. afferre ovilibus. *Virg.* 1. *G.* 271. avibus moliri. *Id.* 5. *Ecl.* 60. pecori lupus meditatur. *Ammian.* 14. 9. consarcinare. *Sall. Cat.* 33. maturare. *Justin.* 16. 4. 8. Postea autem insidias, quas civibus paraverat, in ipsum Mithridatem verterat. *Tac.* 4. *Ann.* 31. Insidiis aliquem illicere. *Justin.* 7. 5. 6. Insidiarum fraude decipere. *Nepos Hann.* 5. in insidias inducere. *tirar negli aguati.* *Justin.* 44. 5. 4. deducere. *Sueton. Cæs.* 86. Insidias undique imminentes satius est subire semel, quam cavere semper. *Id. ibid.* 74. Insidias evadere. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 59. fugere. *Quintil.* 11. 1. 40. superare. — d) *Insidiis*, *per insidias*, *ex insidiis* adverbiorum more usurpantur. *Cic.* 13. *Att.* 10. Marcellus insidiis interfectus est. *a tradimento.* Sic *Nepos Datam.* 9.; et *Justin.* 5. 2. 5. Insidiis aliquem interficere. *Sall. Jug.* 7. Insidiis opprimere aliquem. *Nepos Hann.* 4. Insidiis circumventum occidere. *Quintil.* 12. 9. 3. Insidiis et occultis artibus rem gerere. *Flor.* 2. 17. 7. vincere. — *Cic. Dom.* 23. 59. Per insidias quempiam interficere. *Cæs.* 1. *B. G.* 42. Per insidias circumvenire. *Curt.* 10. 2. 3. Interceptus et trucidatus a quodam viatore per insidias. Adde *Justin.* 16. 1. 8.; et *Flor.* 1. 10. 5. et 2. 17. 17. — *Sall. Jug.* 113. Ex insidiis invadere aliquem. Adde *Plaut. Asin.* 5. 2. 31.; *Sueton. Claud.* 12.; et *Quintil.* 5. 10. 52. et 6. 4. 14.

II.) Translate. *Cic. Orat.* 51. 170. Nimis insidiarum ad capiendas aures adhiberi videtur. *Id. ibid.* 61. 208. Compositæ orationis insidiis fidem alicujus attentare. *Petron. Satyr.* 3. Adulatores insidias auribus faciunt. *Virg.* 1. *G.* 426. neque insidiis noctis capiere serenæ. *Id.* 3. *Ecl.* 18. caprum excipere insidiis. *furtivamente.* et *Cic. Orat.* 12. 38. Non ex insidiis, sed aperte ac palam elaborare. *Val. Flacc.* 1. 416. Nosse insidias maris. *Quintil.* 12. 11. 4. Antequam in has ætatis veniat insidias. *Virg.* 2. *Æn.* 36. Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona Præcipitare jubent. *h. e.* id, quo insidiæ fiunt, nempe equum durateum.

INSĬDĬANTER, adverb. (insidior) per insidias, cum insidiis. *Justin.* 6. 6. 7. Securi insidianter absentiam Arcadum speculati. *Al. leg.* insidiantes.

INSĬDĬĀTOR, ōris, m. 3. (insidior) qui tendit insidias, *insidiatore*, ἐπίβουλος. *Cic.* 2. *Cat.* 12. 27. Nullus est portæ custos, nullus insidiator viæ. *Id. Mil.* 7. 19. Insidiator in foro collocatus. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 25. si vafer unus et alter Insidiatorem præroso fugerit hamo. Adde *Nepot. Datam.* 9. et *Reg.* 2.; *Auct. B. G.* 8. 18.; *Sueton. Claud.* 10.; et *Quintil.* 3. 5. 10., 7. 1. 36. et 10. 5. 13.

INSĬDĬĀTRIX, īcis, f. 3. (insidiator) quæ tendit insidias, *insidiatrice*. *Ammian.* 24. 4. *sub fin.* et 27. 10. Insidiatrix manus. *h. e.* hostilis. *Id.* 23. 5. Aviditate rapiendi postbabita, quæ insidiatrix sæpe Romanis militis fuit. Sic *Edict. Dioclet.* n. 4. Insidiatrix audacia.

INSĬDĬO, as, etc. *V.* voc. seq. init.

INSĬDĬOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (insidiæ). Activa forma *insidiare* leg. *Torrentin.* apud *Callistrat. Dig.* 48. 19. 28. *a med.* Servi, qui saluti dominorum suorum insidiaverint. *Al. leg.* insidiati erunt. — Part. *Insidians*, *Insidiatus*, *Insidiaturus* et *Insidiandus* I. — Insidiari est insidias facere, ἐνεδρεύω (It. *insidiare*; Fr. *guetter*, *tendre des piéges*, *dresser des embûches*; Hisp. *tender*, *armar asechanzas*, *lazos*, *redes*; Germ. *auflauern*, *nachstellen*; Angl. *to lie in wait*, *lie in ambush*, *lay snares or ambuscades for*, *plot against*).

I.) Proprie occurrit cum Nominativo personæ et — a) Dativo personæ, aut bruti animantis, qui tamen aliquando omittitur, facile enim subintelligitur. *Cic.* 1. *Cat.* 5. 11. Quamdiu mihi, Catilina, insidiatus es, me privata diligentia defendi. *Nepos Datam.* 9. Quum nunciatum esset, quosdam sibi insidiari. *Ovid.* 13. *Met.* 212. Hostibus insidior; fossas munimine cingo. Adde *Curt.* 5. 11. 8. et alibi sæpe; *Sueton. Aug.* 27.; et *Quintil.* 12. 3. 40. *Martial.* 12. 14. Insidiari apris. Cf. *Virg.* 9. *Æn.* 59. Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili. — *Cic. Cæl.* 21. 51. Magnum crimen vel in legatis insidiandis, vel in servis sollicitandis. — Absolute. *Ennius* apud *Philargyr.* ad *Virg.* 4. *G.* 230. Hic insidiantes vigilant, partim requiescunt Contecti gladiis sub scutis ore faventes. *Cic.* 1. *Orat.* 30. 136. Quod neque precibus, nec insidiando, nec speculando assequi potui. *Auct. B. Afr.* 65. Cum magno equitatu levique armatura insidiaturus locis idoneis consedit. — Part. *Insidians* pro insidiatore ponitur. *Auct. B. G.* 8. 19. Qui sustinuerant primos impetus insidiarum, hoc ipso fiunt superiores, quod nullum ab insidiantibus imprudentes acceperant detrimentum. *Tac.* 4. *Ann.* 50. Hortari – ne casum insidiantibus aperirent. Adde *Ammian.* 15. 3. — *Insidiatum* supinum habet *Dict. Cret.* 3. 15. Insidiatum propere pergit. — b) Cum Dativo rei. *Nepos Phoc.* 2. Nicanorem Cassandri præfectum insidiari Piræo Atheniensium. *Cic.* 1. *Cat.* 10. 26. Vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis occisorum. *Al. leg.* ad insidiandum. *Justin.* 8. 1. 3. Philippus rex Macedoniæ, velut e specula quadam, libertati omnium insidiatus. — Huc referri

possunt et sequentia, quæ *Forcellinus* inter translata retulit. *Liv.* 23. 35. Nocturnum erat sacrum, ita ut ante mediam noctem compleretur. Huic Gracchus insidiandum tempori ratus, vigilia prima tolli jussit signa. *h. e.* hostibus hoc tempore. Alio sensu *Vellej.* 2. 21. Ita se dubium mediumque partibus præbuit, ut omnia ex proprio usu ageret, temporibusque insidiari videretur. *h. e.* tempora captaret occasionesque; et ad mutationes temporum consilia mutaret sua. Sic de Amynta *Curt.* 4. 1. 27. Utrique regi hostis, et semper ex ancipiti mutatione temporum pendens.

II.) Translate cum Nominativo rei. *Cic. Mil.* 14. 37. Hæc sicca intentata nobis est: hæc insidiata Pompejo est. *Quintil.* 6. *procem.* 8. Insidians fortuna. *Id.* 12. 1. 7. Quum mens insidiatur. *Id.* 8. 3. 11. Orationis genus, quod non insidietur.

INSĬDĬŌSĒ, adverb. (insidiosus). Sup. *Insidiosissime.* — Insidiose est ex insidiis, cum insidiis, dolose, fraudulenter, *insidiosamente*, ἐπιβούλως. *Cic. Rabir. Post.* 12. 33. Insidiose in gratiam rediit cum illo. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 3. 8. Me sceleratissime insidiosissimeque tractavit. Adde *Vulgat. interpr.* 4. *Reg.* 10. 19. et *Eccli.* 32. 19.

INSĬDĬŌSUS, a, um, adject. (insidiæ). Comp. *Insidiosior* et Sup. *Insidiosissimus.* — Insidiosus est qui sæpe insidiatur, plenus insidiis, fallax, *insidioso, fallace, pericoloso*, ἐπιβούλευτος, ἐπιβουλευτικός. — *a*) De personis. *Cic.* 4. *Verr.* 78. 192. Quis acerbior, quis insidiosior, quis crudelior unquam fuit? *Horat.* 2. *Ep.* 1. 172. Insidiosus leno. *Martial.* 14. 20. latro. *Justin.* 9. 8. 8. Philippus blandus pariter et insidiosus alloquio. — *b*) De rebus et abstractis. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 11. (178). Capraria insidiosa naufragiis. *Ovid.* 14. *Met.* 294. Insidiosa pocula Circes. *Sueton. Cæs.* 58. Exercitum neque per insidiosa itinera duxit unquam. *Cajus Dig.* 6. 1. 36. Qui per insidiosa loca servum misit. *Ovid. Heroid.* 20. 210. Verba insidiosa. *Id. ibid.* 15. 22. O facies oculis insidiosa meis! *Cic.* 8. *Att.* 16. Hujus insidiosa clementia delectantur. *Quintil.* 5. 13. 21. Insidiosæ actiones. *Stat.* 1. *Silv.* 4. 57. quies. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (28). In qua conditione insidiosissime auctoritatem pessimis boni faciunt.

INSĪDO, sīdis, (sēdi, sessum), sīdere, n. 3. (in et sido). *Insidi* præteritum pro *insedi* quidam leg. apud *Sil. It.* 5. 3. et 12. 487.; sed varia est lectio. — *Insido* idem est quod *insideo*, adeoque commune cum illo habet præteritum, et in aliquibus temporibus facile cum illo commutatur; alii tamen *insido* ita interpretantur, demitto me ad sedendum; quum *insideo* sit sedeo alicubi, locum teneo obsessum, *porsi a sedere, posarsi*, ἐφιζάνω, ἐνίζω.

I.) Proprie. — *a*) Cum Dativo. *Virg.* 6. *Æn.* 707. ubi apes æstate serena Floribus insidunt variis. (Ad hunc locum *Servius* adducit illud *ejusd.* 1. *Æn.* 722. nescia Dido, Insidat quantus miseræ deus. Et ita legit etiam *Donatus*; alii *insideat*). *Lucan.* 3. 407. illis et volucres metuunt insidere ramis. — Et pro hærere, inhærere. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 22. In opere boves arcte junctos habere convenit, quo jugum melius aptum cervicibus insidat. — Et pro sidere, descendere, immergi. *Ovid.* 10. *Met.* 257. Et credit tactis digitos insidere membris. *Quintil.* 6. *Declam.* 7. Insidunt ossibus catenæ. *Pallad.* 1. *R. R.* 4. 1. Aqua sit perspicui coloris; nullus illi limus insidat. — *b*) Cum Accusativo. *Stat.* 2. *Theb.* 150. locumque, Quo serere arcanas aptum atque evolvere curas, Insidunt. — *c*) Passive. *Stat.* 2. *Theb.* 35. Stat sublimis apex ventosque imbresque serenus Despicit, et tantum fessis insiditur astris. *h. e.* ab astris insidentibus premitur.

II.) Translate. *Quintil.* 1. 4. 11. Littera I sibi insidit. *h. e.* geminata simul pronunciatur. *Id.* 10. 7. 2. Dum illa verba fabricentur et memoriæ insidant. *Id.* 1. 1. 11. Dicta vitiose corrigat protinus, nec insidere illi sinat.

INSIGNE, is, n. 3. *V.* INSIGNIS in fin.

INSIGNĪĀRĬUS, ii, m. 2. (insignis) qui insignia servat et profert. *Gloss. Philox.* Insigniarius, ὁπλοφύλαξ (?).

INSĬGNĬFĬCĀTĪVUS, a, um, adject. (in *privat.* et significo). Insignificativus dicitur a nonnullis Grammaticis infinitivus modus, quia per se nullam personam significat. *Diomed.* 1. p. 331. *Putsch.*

INSIGNĪO, is, īvi, ītum, īre, a. 4. (insignis). *Insignibam* et *insignibo* pro *insigniebam* et *insigniam* in imperfecto et futuro in 4. conjug. frequens est apud Poetas. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 246. Hic elementorum seriem sedesque paternas Insignibat acu. — Part. *Insigniens* I.; *Insignitus* I., II. et in fin. — Insignire est insignem reddere, signis notare, distinguere, ἐπισημαίνω (It. *ornare, adornare, distinguere*; Fr. *revetir d'une marque, marquer*; Hisp. *marcar, señalar*; Germ. *mit e. Kennzeichen versehen, zeichnen, bezeichnen, kenntlich machen, auszeichnen*; Angl. *to adorn, ornement, render remarkable, distinguish*).

I.) Proprie. — *a*) Generatim. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 127. Ne uxor mihi insignitos pueros pariat postea, aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut bronchum filium. Cf. *Petron. Satyr.* 110. Non translaticia deformitate insignitus. et *Plin.* 9. *Hist. nat.* 17. 30. (64). Mulli insigniuntur barba gemina inferiori labro. *Varro.* 5. *L. L.* 142. *Müll.* Muri summa pinnæ ab his, quas insigniti milites habere in galeis solent. Cf. *Tac. Dial. de orat.* 26. Malim oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. *Virg.* 7. *Æn.* 790. At lævem clipeum sublatis cornibus Io Auro insignibat. *Id.* 11. *ibid.* 385. passimque tropæis insignes agros. *Macrob.* 5. *Saturn.* 6. *ante med.* Tarquinius Priscus filium suum annos quatuordecim natum bulla aurea prætextaque donavit, insigniens puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis et honoris. *Seneca Ep.* 18. Illud temperatius, non excerpere se, nec insigniri, nec misceri omnibus. *rendersi singolare, distinguersi dagli altri.* — *Insigniti milites* sunt per signa descripti, sub signis dispositi. *Ennius* apud *Priscian.* 1. *p.* 556. *Putsch.* Insignita fere tum millia militum octo Duxit, dilectos, bellum tolerare potentes. — *b*) Speciatim in malam partem est insignem, seu infamem reddere. *Liv.* 4. 29. *ad fin.* Imperioso, Manlio cognomen inditum: Postumius nulla tristi nota est insignitus. *Sueton. Cal.* 31. Queri de conditione suorum temporum solebat, quod nullis calamitatibus insignirentur. *Tac. Agric.* 41. Quum omnis annus funeribus et cladibus insigniretur. *Id.* 16. *Ann.* 13. Tot facinoribus fœdum annum etiam dii tempestatibus et morbis insignivere. — *c*) Item denotare, nominare, notum facere. *Plin.* 8. *Ep.* 22. *in fin.* Quisque ille est, qualiscumque, sileatur: quem insignire, exempli nonnihil; non insignire, humanitatis plurimum refert. *palesare, nominare.*

II.) Translate. *Cic.* 2. *Orat.* 87. 358. Utendum imaginibus agentibus, acribus, insignitis, quæ occurrere celeriterque percutere animum possint. *h. e.* expressis, notabilibus et veluti signo impressis. *Id. Topic.* 5. 27. Conformatio insignita et impressa intelligentiæ. Cf. *eumd.* 1. *Divinat.* 30. 64. Plenus est aer immortalium animorum, in quibus tamquam insignitæ notæ veritatis appareant. *impresse, sigillate.* — Hinc Part. præter. pass., cujus multa superius exempla retulimus,

Insignitus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Insignitior*; et translate est insignis, singularis, apertus, notabilis, *insigne, notabile.* *Cato* apud *Gell.* 10. 3. *ad fin.* Insignitæ injuriæ. *Liv.* 7. 15. *ad fin.* Qua fœditate supplicii aliquanto ignominia populi Romani insignitior fuit. *Al. leg.* insignior. *Tac.* 4. *Ann.* 51. Insignitius flagitium. *Id.* 3. *ibid.* 70. Insignitior infamia. — Hinc

Insignita, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, in corpore sunt signa et livores ex percussione, præcipue circa oculos, *lividure, contusioni.* *Plin.* 27. *Hist. nat.* 4. 5. (18). Oculorum vitia sanari ea convenit: privatim prurigines et scabritiem genarum, item insignita ac livida. *Id. ibid.* 12. 105. (128). Epiphoras oculorum sedat, ex passo illita; insignita cum melle, et alia liventia ex aceto.

INSIGNIS, e, adject. (in et signum). Comp. *Insignior* sub *c.* et *d.*; Sup. *Insignissimus* legitur tantum apud *Tertull. Spectac.* 12. et *Apolog.* 21. — Insignis est qui signo aliquo, vel nota inter alia eminet: in quo est aliquod signum, unde ab aliis dignoscitur, insignitus, ἐπίσημος (It. *segnato, contrassegnato, insigne, segnalato, notabile*; Fr. *qui se distingue des autres par une marque, remarquable, singulier*; Hisp. *marcado, señalado, notable*; Germ. *mit e. Kennzeichen versehen, kenntlich, ausgezeichnet, merkwürdig, ausserordentlich, auffallend*; Angl. *marked, distinguished, remarkable*). Occurrit — *a*) De notis a natura in corpore impressis. *Paul. Diac.* p. 114. 7. *Müll.* Insignes appellantur boves, qui in femine et in pede album habent, quasi insigniti. *Tertull. Resurr. carn.* 57. Itaque cæci et claudi et paralytici et ut quis insignis excesserit, ita et revertetur. *Curt.* 9. 1. 25. Si quos (*pueros*) insignes, aut aliqua membrorum parte inutiles notaverunt, necari jubent. *Virg.* 3. *G.* 56. maculis insignis et albo. Cf. *Sueton. Aug.* 38. Senio, aut aliqua corporis labe insignes. — *b*) Item generatim de iis, quibus aliquis est ornatus, distinctus, *insigne, distinto, adorno.* *Virg.* 9. *Æn.* 583. Puer insignis facie. *Ovid.* 1. *Amor.* 1. 11. Crinibus insignis Phœbus. *Sueton. Ner.* 20. Insignis comâ. *Aurel. Vict. Epit.* 44. insignis corpore. *Virg.* 6. *Æn.* 295. Insignis formâ. *Liv.* 34. 7.; et *Virg.* 4. *Æn.* 134. ostroque insignis et auro Stat sonipes. *Id.* 5. *ibid.* 310. Insignis equus phaleris. *Sil. It.* 1. 415. Insignis flexo galeam per tempora cornu. Sic *Id.* 2. 42. insignis nudato vulnere ductor. *Liv.* 1. 20. Insigni eum veste et curuli regia sella adornavit. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (161). Insignes officinæ. *botteghe insigni e famose.* — *c*) Universim (et juxta *Forcellinum* translate) dicitur de eo, qui ob decus aliquod facile incurrit in oculos et ab aliis distinguitur, singularis, præstans, eximius, egregius, *insigne, segnalato, singolare, notabile.* *Q. Cic. Petit. cons.* 3. 12. Vir insignis genere. *Lucan.* 8. 73. titulis avorum. *Virg.* 1. *Æn.* 14. Vir pietate insignis. *Claudian.* I. *cons. Stilich.* 1. 28. bellis insignior. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 15. excolimur teneri, curaque parentis Imus ad insignes Urbis ab arte viros. *Propert.* 3. 23. 4. Versibus insignem te pudet esse meis. *Cic. Amic.* 27. 102. Virtus Scipionis etiam posteris erit clara et insignis. *Id.* 2. *Nat. D.* 31. 80. Sol et luna, quorum insignem vim et illustrem faciem videmus. *Virg.* 1. *Æn.* 629. Insignis laus. *Ovid. Heroid.* 3. 121. Insignia facta. *Sueton. Tib.* 50. honor. *Liv.* 10. 15. Monumenta insigniora. *Cic. Orat.* 14. 44. Hæc sunt insignia ad maximam laudem. *Id.* 2. *Orat.* 22. 90. Aut ea, quæ facilia sunt, aut etiam illa, quæ insignia ac pæne vitiosa, consectantur imitando. — Et de tempore *Justin.* 6. 6. 5. Hic annus non eo tantum insignis fuit, quod repente pax tota Græcia facta est; sed etiam eo, quod eodem tempore urbs Romana (Roma?) a Galliis capta est. *Id.* 5. 8. 7. Insignis hic annus et expugnatione Athenarum et morte Darii regis Persarum et exsilio Dionysii Siciliæ tyranni fuit. In malam partem cum Dativo *Liv.* 6. 1. Alliensis dies rei nulli publice privatimque agendæ insignis. — *d*) Refertur etiam ad deformitatem, vitium, vituperationem, ut docet ipse *Paul. Diac.* p. 111. 12. *Müll.* Insignis tam ad laudem, quam ad vituperationem inflecti potest. Utrumque conjunxit. *Justin.* 6. 8. 3. Nam neque hunc ante ducem (*Epaminondam*) ullum memorabile bellum gessere, nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere. *Cic.* 3. *Legg.* 8. 19. Insignis ad deformitatem puer. *Sueton. Cal.* 26. Insignis debilitate aliqua corporis. *Cato* apud *Festum* p. 193. 12. *Müll.* Insignia flagitia. *Lucret.* 3. 1027. insignia malefacta. *Cic. Harusp. resp.* 17. 36. Maxime illustre atque insigne perjurium. *Id. Rabir. perduell.* 9. 24. Hominem omnibus insignem notis turpitudinis accusare. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 46. Flebit, et insignis tota cantabitur urbe. *h. e.* notatus, infamatus. — *e*) Hinc ponitur et pro ingenti, vehementi, in utramque partem. *Lucilius* apud *Non.* p. 331. 10. *Merc.* Coquus non curat, caudam insignem esse, illis dum pinguis siet. *Cic.* 2. *Fin.* 22. 72. Cujus studium insigne fuit erga me. *Id.* 14. *Att.* 13. a. 3. Insigne odium in aliquem. *Id.* 2. *Orat.* 58. 237. Insignis improbitas, insignis miseria. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 12. 45. temeritas. *Id.* 6. *Verr.* 29. 68. impudentia. *Liv.* 4. 4. An esse ulla major aut insignior contumelia potest? *Id.* 22. 7. *ad fin.* Feminarum præcipue et gaudia insignia erant et luctus. *Ter. Eun.* 5. 6. 31. Jamdiu causam quærebat senex, quamobrem insigne aliquid faceret his. *qualche notabile ingiuria.* — Cum Genitivo. *Tertull. Pallad.* 4. *circa med.* Qui, nisi insignes libidinum, alias reges nemo nosset. — Præcipue in malam partem hoc sensu occurrit in jure. *Cic. Cæcin.* 13. 36. Quid tu, tam insigni accepta injuria, postulabis. Sic *Id. Quinct.* 7. 28.; 3. *Verr.* 33. 84., 4. *ibid.* 34. 83. et 45. 110. Insignis injuria. *Id. Cæcin.* 13. 37. Nullam esse actionem

dicere in re tam insigni tamque atroci, neque prudentiæ, neque auctoritatis tuæ est. — Hinc

Insigne, is, n. 3. absolute, substantivorum more,

I.) Proprie. ¶ 1. Ponitur simpliciter pro signo, *segno, segnale*, παράσημον. *Cic.* 3. *Orat.* 33. 133. Quod erat insigne, eum, qui ita faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam. *Cæs.* 2. *B. G.* 20. Vexillum proponendum, quod erat insigne, quum ad arma concurri oporteret. — *Lucret.* 5. 699. solem vocat *radiatum insigne diei*. ¶ 2. De genitivis notis. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 46. 71. (184). Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur: Apim vocant. Insigne ei in dextero latere candicans macula. *Sueton. Ner.* 1. Adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum ærique assimilem capillum redderent. Quod insigne mansit et in posteris ejus, ac magna pars rutila barba fuerunt. ¶ 3. Sæpissime est signum, indicium, nota, monimentum, id quod in veste, vexillo et hujusmodi insignitum est, aut ipsa vestis, vexillum etc. (It. *insegna*; Fr. *marque distinctive, signe particulier*; Hisp. *marca distintiva, señal, insignia*; Germ. *d. Abzeichen*, bes. *Ehrenzeichen e. Amtes, Insignien, Kennzeichen, Zeichen, Merkmal, Auszeichnungen*; Angl. *a badge, mark of distinction, sign, ensign*). Occurrit — 1.°) Sæpe in plurali numero; et quidem — *a*) Cum Adjectivis. *Cic. Sext.* 26. 57. Sedebat cum purpura et sceptro et insignibus illis regiis. *Cæs.* 1. *B. G.* 22. Dicit montem ab hostibus teneri: id se a Gallicis armis atque insignibus cognovisse. *Liv.* 10. 7. Insignia pontificalia. *Tac.* 11. *Ann.* 38. quæstoria. *Aurel. Vict. Cæsar.* 33. Cæsarea. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 109. barbara. — Hinc *tripus* fuit insigne quindecimvirorum sacris faciundis: *V.* QUINDECIMVIR. — *b*) Cum Genitivo. *Cæs.* 7. *B. G.* 45. Tectis insignibus suorum, occultatisque signis militaribus. Cf. *eumd.* 2. *ibid.* 21. Temporis tanta fuit exiguitas, ut non modo ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas induendas tempus defuerit. *Insignia* his *Cæsaris* locis videntur fuisse ornatus quidam peculiaris in galea, aut veste, quo nobiliores quique milites, centuriones, tribuni etc. dignoscebantur. *Veget.* 2. *Milit.* 13. et 16. ursinas pelles et argenteas cristas in galeis commemorat. Ceterum *Cæs.* 3. *B. C.* 96. Insignia imperatoris. *Liv.* 3. 39. sacerdotum. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 6. ingenuorum puerorum. *h. e.* toga prætexta. *Sueton. Cal.* 52. deorum. *Cic.* 1. *Divinat.* 34. 75. Castoris et Pollucis. *Sueton. Cal.* 35. familiarum. *h. e.* cognomina. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 2. 6.; *Sall. Cat.* 36.; et *Liv.* 2. 7. imperii. *Tac.* 11. *Ann.* 4. præturæ. *Justin.* 10. 1. 3. majestatis. *Aurel. Vict. Cæsar.* 19. dominatus. *Id. Vir. illustr.* 23. honorum. *Sueton. Aug.* 29. triumphorum. *Ammian.* 17. 12. Conspicuæ fortunæ insignia. *h. e.* regia. *Inscript.* sub Constantino M. in *Bullett. dell' Instit. archeol. ann.* 1815. *p.* 63. ORNAMENTA LIBERTATIS RESTITVTA ET VETERA CIVITATIS INSIGNIA CVRANTE CEIONIO APRONIANO CL. V. PATRONO CIVITATIS. Cf. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver. p.* 462. 3. Quid vero fuerint illa *insignia civitatis*, viderint eruditi: cf. *Henzen. Inscript.* 6963. — *c*) Absolute. *Sueton. Tib.* 4. Prætura deinde functus (*Tiberii pater*), quum exitu anni discordia inter Triumviros exorta esset, retentis ultra justum tempus insignibus etc. *Tac.* 1. *Ann.* 4. Obviæ fuere legiones, non lætæ, ut adsolet, neque insignibus fulgentes. *Ammian.* 17. 12. Para reducitur in Armeniam, recturus interim sine ullis insignibus gentem. — *d*) Per periphrasin *Curt.* 4. 1. 21. Subito cum regiæ vestis insignibus hortum intrant. *h. e.* cum regiis insignibus. Per appositionem *Virg.* 2. *Æn.* 389. Danaumque insignia, nobis Aptemus clipeos. — 2.°) In singulari numero, et quidem — *a*) Cum Adjectivis. *Lucret.* 5. 1135. regibus occisis, subversa jacebat Pristina majestas soliorum et sceptra superba; Et capitis summi præclarum insigne etc. *h. e.* diadema. *Liv.* 24. 5.; et *Sueton. Aug.* 60. Insigne regium. *Virg.* 12. *Æn.* 944. atque humeris inimicum insigne gerebat. *h. e.* balteum Pallantis a se occisi. — *b*) Cum Genitivo. *Cic.* 3. *Phil.* 5. 12. Si Cæsar ab eo regni insigne accipere voluisset. Sic *Aurel. Vict. Cæsar.* 3. Insigne regni. *Id. ibid.* 13. potestatis. *Sueton. Aug.* 94. ordinis. *Cic.* 1. *Att.* 3. Minerva singulare est insigne ejus gymnasii. *Id.* 3. *Verr.* 58. 152. Bulla erat ornamentum pueritiæ, indicium et insigne fortunæ. *Virg.* 8. *Æn.* 683. cui (*Agrippæ*) belli insigne superbum Tempora navali fulgent rostrata corona. *Sueton. Claud.* 17. Navalis corona trajecti et quasi domiti Oceani insigne. — *c*) Absolute. *Ennius* apud *Macrob.* 5. *Saturn.* 1. tamen indu volens secum abstulit hasta Insigne. *h. e.* galeæ cristas. *Cæs.* 2. *B. C.* 6. Navem Bruti, quæ ex insigni facile agnosci poterat. — *d*) Per periphrasin *Virg.* 2. *Æn.* 391. comantem Androgei galeam clipeique insigne decorum Induitur.

II.) Translate ponitur pro omni honorum et decoris genere. *Cic.* 1. *Nat. D.* 36. 100. Quum ipsum mundum, quum ejus membra, cælum, terras, maria, quum horum insignia, solem, lunam stellasque vidissent etc. *Id.* 3. *Fam.* 13. Insignia enim virtutis multi etiam sine virtute assecuti sunt. *Id. Sull.* 9. 26. Sibi habeant honores, imperia, triumphos et alia præclara laudis insignia. — Item pro aliquo insigni ac pretioso ornatu: unde et ad orationem transfertur. *Cic. Orat.* 39. 134. Et reliqua, ex collocatione verborum quæ sumuntur, quasi lumina, magnum afferunt ornatum orationi. Sunt enim similia illis, quæ in amplo ornatu scenæ aut fori appellantur insignia: non quod sola ornent, sed quod excellant. Eadem ratio est horum, quæ sunt orationis lumina, et quodammodo insignia: quum aut duplicantur iteranturque verba etc. Confer *Quintil.* 9. 1. 37.

INSIGNĪTA, n. plur. 2. *V.* INSIGNIO in fin.

INSIGNĪTĒ, adverb. (insignitus). Comp. *Insignitius*. — Insignite est insigniter, valde, summe, clare, *segnalatamente, notabilmente*, παρασήμως. *Plaut. Cas.* 5. 4. 31. Mihi quidem edepol insignite facta est magna injuria. *Id. Pœn.* 3. 6. 14. Postulare aliquid insignite a quopiam. *h. e.* aperte, aut noise. *Cic. Quinct.* 23. 73. Neque quisquam inventus est tam insignite improbus. *Id.* 3. *Phil.* 4. 10. Qui autem rex unquam fuit tam insignite impudens, ut etc. *Al. leg.* insigniter. *Id.* 2. *Orat.* 85. 349. Nec bonum virum proprie et copiose laudari, sine virtutum; nec improbum notari ac vituperari, sine vitiorum cognitione, satis insignite atque aspere posse. *Al. leg.* insigniter. *Liv.* 8. 13. Quo insignitius omisse res consuli exprobaretur. *Al. leg.* insignius. *Gell.* 6. 15. Neque se tam insignite locuturum, absona inauditaque ut diceret. *h. e.* perperam, vel deformiter: nam et *insignitus* in malam partem sumitur. Al. tamen leg. *insigniter*.

INSIGNĪTER, adverb. (insignis). Comp. *Insignius* et Sup. *Insignissime*. — Insigniter est insignem in modum, valde, clare: in utramque partem. *Cic. Partit. orat.* 23. 80. Amicos præcipue atque insigniter diligere. *Nepos Agesil.* 3. Et quo studiosius armarentur insigniusque ornarentur, præmia proposuit. *Sueton. Tib.* 14. Pullos insigniter cristatus apparuit. *Justin.* 33. 2. 5. Dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat. *Plin.* 9. *Ep.* 29. Satius est unum aliquid insigniter, quam facere plurima mediocriter. *Id.* 2. *ibid.* 11. *a med.* Dixit pro Mario Fronto Catius insigniter. *insignemente bene*. *Gell.* 18. 3. Graviter insigniterque accusare aliquem. *Id.* 19. 7. Verba nove et insigniter dicta. *degne d'essere notate*. *Id.* 1. 15. Neque minus insigniter veteres nostri hoc genus homines in verba projectos, locutulejos et blaterones dixerunt. *h. e.* significanter, espresse. *Hieronym.* in *Euseb. Chron.* ad an. Chr. 46. Clodius Quirinalis rhetor Arelatensis Romæ insignissime docet. *V.* et vocem præced. — Cum Adjectivo. *Justin.* 7. 2. 13. Amyntas propria virtute insigniter clarus.

INSIGNĪTĪVUS, a, um, adject. (insignio) qui insignit, atque adeo definit, *determinante*. *Boeth.* in *Porphyr. dial.* 1. p. 14. Insignitiva (ratio) proprietatis illius.

INSIGNĪTOR, ōris, m. 3. (insignio) qui gemmas anulis includendas insculpit, easque signis seu imaginibus, ad cellas, litteras, testamenta aliaque his similia obsignanda, exornat, *intagliatore di gemme*. *Augustin.* 21. *Civ. D.* 4. Adamantem lapidem multi apud nos habent, et maxime aurifices insignitoresque gemmarum; qui lapis nec ferro, nec igni, nec alia vi ulla perhibetur, præterquam hircino sanguine, vinci.

INSIGNĪTUS, a, um. *V.* INSIGNIO.

INSIGNO, as, are, a. 1. (in et signo) idem ac signare. *Gloss. Philox.* Insigno, ἐγχαράσσω.

INSĪLIA, um, n. plur. 3. instrumentum textorum, aut nentium, quod quidam volunt, esse binas regulas ligneas, pedibus textorum suppositas, quæ alternis depressæ stamen deducunt, aut contrahunt; ab *insiliendo*, quia in eas textor insilit. *Lucret.* 5. 1351. Nec ratione alia possunt tam lævia gigni Insilia, ac fusi, radii scapique sonantes. Illud adjunctum *lævia* hanc interpretationem videtur evertere, ut recte monet *Creech*. Sed dici potest, quod alterno motu invicem atteruntur et lævigantur, ideo lævia appellari. *Voss.* in *Catull.* legit *ensilia*. *Lambin.* vero *insubula*, vel *insubla*. *Salmas.* ad *Trebell. ex XXX. Tyrann.* 1. dicta esse ait pro *ansilia*; hæc esse κανόνια, telæ. Porro *Schneiderus*, in Indice *Script. R. R.* in V. *Tela*, recte putat, *insilia* apud *Lucretium* et *insubulum* apud *Isid.* 19. *Orig.* 29. esse *liciatorium*, perticam scilicet licia annexa gerentem, quæ in tela plana scamillis sursum deorsumque calcatis trahitur, simulque filorum strata gemina alternat, dum radius tramæ insertus subtemen immittit. Vocantur autem *insilia* ab insiliendo; *insubulum* vero, quia, ut *Isid. loc. cit.* ait, insubulatur, h. e. inter licia, quasi subulum, trajectum est. *V.* INSUBULUM et LICIATORIUM. Hinc *Hesych.* habet: Κανών, κτείνας, ἢ τὸ ξύλον, περὶ ὃ ὁ μίτος. *Scholiast. Homer.* ad *Iliad.* ψ v. 761. Κανών, ὁ κάλαμος, περὶ ὃν εἱλεῖται ὁ μίτος ὁ ἱστουργικός.

INSĬLIO, silis, silui, silire, n. 4. (in et salio). Pro *insilui* legitur et *insilii* apud *Lucan.* et *Claudian.*, sed inconstanti lectione. — Part. *Insiliens* I. — Insilire est saltu ingredi, aut ascendere, εἰσάλλομαι, ἐπιπηδάω (It. *saltar dentro o sopra*; Fr. *sauter, bondir dans ou sur*; Hisp. *saltar, botar dentro ó sobre*; Germ. *hinein-, hinauf-springen*; Angl. *to leap into or upon*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo et prærpos. *in*, aut *supra*. *Plaut. Rud.* 2. 3. 36. E navi in scapham insiluimus. *Liv.* 6. 7. In equum insilit, et ante signa etc. *Phædr.* 1. 2. Tignumque supra turba petulans insilit. Huc pertinet et illud *Ovid.* 11. *Met.* 731. Insilit huc: mirumque fuit potuisse; volabat. — *b*) Cum Accusativo sine præpos., quæ inest in ipso verbo. *Liv.* 8. 9. Insilire equum. *Horat. Art. P.* 465. ardentem frigidus Ætnam insiluit. *Sueton. Claud.* 21. Tauros defessos insiliunt. *Val. Flacc.* 8. 132.; et *Lucan.* 3. 625. attonita cum virgine puppim insilit. *Justin.* 25. 4. 8. Item prætio navali quinqueremem ex scapha quum insiluerit captamque tenuerit. *Cæs.* 1. *B. G.* 52. Reperti sunt milites, qui phalanges insilirent. Sic *Apul.* 8. *Met.* Insilire aliquem. *h. e.* aggredi, *assalire*. — c) Cum Dativo. *Ovid.* 8. *Met.* 367. Arboris insiluit, quæ stabat proxima, ramis. *Id.* 12. *ibid.* 345. Insilire tergo Centauri. *Id.* 1. *Trist.* 4. 7. Monte nec inferior, proræ puppique recurvæ Insilit, et pictos verberat unda deos. — *d*) Absolute. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 19. (50). Leo dum sequitur insilit saltu, quo in fuga non utitur. *va a salti*. *Sil. It.* 14. 540. subito quum pondere victus, Insiliente mari, submergitur alveus undis.

II.) Translate. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (175). Palmes in jugum insilit. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 8. Metuo, ne hodie in malum cruciatum insiliemus.

INSĬMUL, adverb. (in et simul) idem ac simul, *insieme*. *Stat.* 1. *Silv.* 6. 36. Et gentes alis insimul togatas. *Flor.* 2. 20. 1. Tota insimul regna veniebant. *Id. præfat.* 3. Si pariter atque insimul universam magnitudinem ejus ostendero.

INSĬMŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (insimulo) insimulandi actus, accusatio, *accusa*, ἔγκλησις. *Cic. Fontej.* 13. 29. In falsam atque iniquam probrorum insimulationem vocabatur. *Id.* 7. *Verr.* 9. 23. Insimulatio repentina capitalis atque invidiosi criminis. *Apul.* 10. *Met.* Falsis insimulationibus Palamedes proditionis damnatur. *Inscript.*, quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 431., apud *Henzen.* 5593. VT QVIDQVID IN ISTVM CAECA INSIMVLATIONE COMMISSVM EST PROCVL AB AEVO PRINCIPIS VOTO FVISSE IVDICETIS.

INSĬMŬLĀTOR, ōris, m. 3. (insimulo) accusator, *accusatore*, κατήγορος. *Pacat. Paneg. Theodos.* 43. Nisi te purgare eodem teste, quo insimulatore voluisses. Adde *Apul. de Mag.*

INSĬMŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INSĬMŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et simulo). Tmesis est in illo *Plaut. Stich.* 1. 2. 19. Quasi numquam quicquam in eas simulem. *h. e.* eas insimulem. — Part. *Insimulatus* et *Insimulaturus*. — Insimulare est accusare, criminari, arguere; a *simulo*: et proprie significat crimen confingere in aliquem, ut docet *Paul. Diac. p.* 111. 8. *Müll.*;

sive illud verum sit, sive falsum: quod confirmat *Donatus* ad illud *Ter. Phorm.* 2. 3. 12., quod *V.* infra sub *b.*, καταιτιάομαι, προβάλλομαι: atque adeo universim est accusare, culpam conferre, arguere, reum facere (It. *incolpare a torto, apporre, accusare*; Fr. *imputer quelque chose à, reprocher, faire un crime de*; Hisp. *imputar, atribuir, achacar algun delito, culpa ó accion*; Germ. *beschuldigen, anschuldigen, anklagen*; Angl. *to blame, charge, or tax withe, accuse*). Occurrit — *a*) Raro admodum cum Accusativo rei, aut personæ tantum. *Plaut. Amph.* 2. 2. 188. Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet. *Cic. Cæcin.* 1. 3. Si testes sunt boni viri, me adjuvant, quum id jurati dicunt, quod ego injuratus insimulo. Et passive *Liv.* 29. 20. Neque aliud quam patientia, aut pudor, quod legato pepercisset, insimulari possit. — *Plaut. Men.* 5. 2. 54. Male facit, si istuc facit: si non facit, tu male facis, quæ insontem insimules. *Cic. Cluent.* 65. 183. At is et ex servula insimulatus, et a puero conscio est indicatus. — *b*) Cum Accusativo personæ et Genitivo criminis. *Plaut. Amph.* 1. 2. 15. Amphitruo uxorem insimulabit probri. Sic *Id. ibid.* 3. 2. 7. Neque me perpetiar probri falso insimulatam. *Ter. Phorm.* 2. 3. 12. Si herum insimulabis avaritiæ, male audies. *Cic.* 10. *Att.* 19. De diplomate admiraris, quasi nescio cujus te flagitii insimularem. *Id.* 3. *Tusc.* 27. 64. Peccati se insimulant, quod dolere intermiserint. *Id.* 6. *Verr.* 15. 33. Mirari stultitiam alii, quod in ipso judicio, ejus ipsius cupiditatis, cujus insimularetur, suspicionem augeret. *Cæs.* 7. *B. G.* 38. Insimulatus proditionis. Adde *eumd. ibid.* 20. *sub fin. Sueton. Vitell.* 6. Insimulare aliquem parricidii. *Tac.* 4. *Ann.* 54. veneficii. *Justin.* 21. 5. 11. Insimulatus est affectatæ tyrannidis. — *c*) Cum Accusativo personæ et Ablativo criminis. *Ovid. Heroid.* 6. 21. utinam temeraria dicar Criminibus falsis insimulasse virum. *Liv.* 6. 16. Senatus insimulatus falso crimine. Cf. *Cic.* 7. *Verr.* 41. 107. Non possum quemquam insimulare falso. — *d*) Cum Infinito. *Plaut. Amph.* 3. 2. 21. Nisi etiam hoc falso dici insimulatura es. *Ter. Heaut.* 1. 2. 30. Et quod illum insimulat durum (*scil.* esse), id non est. *Cic.* 4. *Verr.* 24. 59. Insimulant hominem fraudandi causa discessisse: postulant, ut bona possidere liceat. Et passive *Justin.* 5. 1. 1. Alcibiades insimulatur mysteria enunciavisse. *Ammian.* 14. 5. Insimulatus fovisse partes hostiles. — *e*) Cum altero Accusativo rei. *Plaut. Amph.* 2. 2. *in fin.* Collibitum est meo viro sic me insimulare falsum facinus tam malum. — *NB.* Pro simulare, fingere, afferunt locum *Cic.* 4. *Verr.* 21. 59., qui ad rem non facit, quem *V.* supra sub *d.*; et *Pacuvium* apud *eumd.* 3. *Off.* 26. 97., ubi plerique leg. *assimulo*, aut *simulo*.

INSINCĒRUS, a, um, adject. (in *privat. et* sincerus) non sincerus, non integer, corruptus, *non sincero, corrotto*, διεφθαρμένος.

I.) Proprie. *Virg.* 4. *G.* 284. quoque modo, cæsis jam sæpe juvencis, Insincerus apes tulerit cruor. *Prudent. Hamartig.* 4. Insincera acies duo per divortia semper Spargitur, in geminis visu frustrata figuris. *vista imperfetta.*

II.) Translate. *Gell.* 5. 3. *sub fin.* Protagoras insincerus quidem philosophus, sed acerrimus sophistarum fuit. *h. e.* fallax, captiosus.

INSINŬĀTĬO, ōnis, f. 3. (insinuo) actus insinuandi, *insinuazione*.

I.) Proprie. *Avien. Perieg.* 397. eadem insinuatio Ponti Europam et Lybiam rapido discriminat æstu. *h. e.* ingressus Oceani per fretum Gaditanum.

II.) Translate. ¶ 1. Apud Rhetores quid sit, loca docent, quæ subjicio. *Cic.* 1. *Herenn.* 4. 6. Exordiorum duo sunt genera: principium, quod Græce προοίμιον appellatur; et insinuatio, quæ ἔφοδος nominatur. *Id. ibid.* 7. 11. Inter insinuationem et principium hoc interest. Principium ejusmodi esse debet, ut statim apertis his rationibus aut benevolum, aut attentum, aut docilem faciamus auditorem: at insinuatio ejusmodi esse debet, ut occulte per dissimulationem eadem illa omnia conficiamus. *Id.* 1. *Invent.* 15. 20. Exordium in duas partes dividitur, in principium et insinuationem. Principium est oratio perspicue et protinus perficiens auditorem benevolum, aut docilem, aut attentum. Insinuatio est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscure subiens auditoris animum. Adde *Quintil.* 4. 1. 42. ¶ 2. *Imp. Constantin. Cod.* 8. 54. 52. et *Imp. Justinian. ibid.* 36. usurpant pro denunciatione cujuspiam rei apud magistratum facta, per quam res ipsa publice nota fit. *notificazione.* ¶ 3. Hinc est etiam brevis enarratio ad rem aliquam declarandam. *Capell.* 6. p. 201. Ipsius divisionem terræ, quantum patitur, succincta insinuatione memorabo. ¶ 4. Item adhortatio, suasio; hinc Itali suum repetunt *insinuazione*. *Capell.* 9. p. 302. Verum Superum pater, licet insinuatione germanæ, ut properaret, admonitus etc.

INSINŬĀTOR, ōris, m. 3. (insinuo) qui insinuat. Translate. *Arnob.* 1. 63. Insinuator, magister atque auctor. *Tertull.* 2. *ad Nation.* 1. Insinuatores deorum. *h. e.* qui deos introducunt. — More adjectivi usurpat *Salvian.* 4. *advers. Avar.* 1. Nec expectandum, ut insinuatorem salutis atque animarum sermonem ament.

INSINŬĀTRIX, icis, f. 3. (insinuo) quæ insinuat. Translate *Augustin. Ep.* 110. (*al.* 135.) n. 1. Epistola rem quidem mihi in te notissimam insinuavit; verumtamen etsi non mihi rei novæ insinuatrix, nova tamen rescriptorum exactrix fuit.

INSINŬĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INSINŬO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* sinuo). Part. *Insinuans* II. 1.; *Insinuatus* I. et II. 1. 2.; *Insinuandus* II. 1. *a.* — Insinuare proprie est in sinum immittere, ἐγκολπίζω, παρεισάγω (It. *insinuare, introdurre nel seno*; Fr. *introduire dans le sein, insinuer*; Hisp. *insinuar, introducir*; Germ. *in den Busen hineinfügen, stecken*; Angl. *to put into one's bosom, introduce, insinuate*).

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Tertull. Resurr. carn.* 28. Moyses manum in sinum condit, et emortuam profert; et rursus insinuat, et vividam explicat. Et *Apul.* 9. *Met.* Siccine vacuus et otiosus insinuatis manibus ambulabis mihi? *colle mani alla cintola.* Sed alii explicant manibus inflexis, complicatis, compressis, *colle mani in mano.* Sic *Liv.* 7. 13. Cur veteranus dux compressis, quod ajunt, manibus sedeas?

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est paullatim introducere, sensim intromittere, injicere; et occurrit — *a*) Cum Accusativo rei, quæ insinuatur sive introducitur. *Avien. Arat.* 312. Insinuare ratem terris. *h. e.* appellere, *approdare*. *Lucret.* 6. 859. *de sole.* quum vix possit per septa domorum Insinuare suum radiis ardentibus æstum. Sic *Id.* 3. 699. intrinsecus insinuatam Permanare animam nobis per membra solere. *Id.* 4. 525. vox insinuata in aures. et *Gell.* 1. 15. Ne ulla tua ædificatio e ligno, correpta atque insinuata flammis arderet. *h. e.* penetrata, pervasa, *penetrata*. *Liv.* 44. 41. *ad fin.* Romani, quacumque data intervalla essent, insinuabant ordines suos. — Et passive *Propert.* 3. 7. 27. Et tibi ad effectum vires det Cæsar, et omni Tempore tam faciles insinuentur opes. *h. e.* ad te veluti ingrediantur, accedant, ingerantur. — Insinuari sacris *Apulejo* 11. *Met.* est initiari, introduci. — *Insinuare alicui aliquid* est in ejus animum suadendo, aut rogando infundere, *insinuare*. *Aurel. Vict. Orig. gent. R.* 3. Vitam moresque feris etiam tum mentibus insinuans. *Claudian. epist.* 3. 21. littera Labris atque animis insinuanda meis. — *b*) Cum Accusativo se. *Curt.* 5. 3. 2. Tigris leni tractu aquarum Persico mari se insinuat. *entra pian piano.* *Cæs.* 4. *B. G.* 33. Quum se inter equitum turmas insinuavere, ex essedis desiliunt et pedibus præliantur. *Liv.* 9. 2. Aut eadem, qua te insinuaveris, retro via repetenda. *Id.* 7. 10. Romanus (*h. e.* Manlius Torquatus) mucrone subrecto, quum insinuasset se inter corpus armaque, uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit. *Cic.* 1. *Herenn.* 6. 10. His nos rebus insinuabimus ad causam. *h. e.* ingrediemur, aditum nobis faciemus: *V.* INSINUATIO II. 1. *Id.* 2. *Orat.* 35. 144. Penitus insinuare se in causam. *entrare, penetrare*, causam penitus perspicere. Alii τὸ se omittunt. *Id.* 5. *Tusc.* 12. 31. Zeno insinuasse se in antiquam philosophiam videtur. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 16. *ad fin.* Futura mala explores, ne se insinuent. — *c*) Neutrorum more, omisso Accusativo *se*, qui tamen facile subintelligitur. *Manil.* 4. 602. Italiæque urbes dextram insinuantis in undam, *h. e.* procurrentis. *Gell.* 3. 7. Milites Romani, uti res nata est, in locum insinuant fraudi et perniciei obnoxium. *Lucret.* 4. 330. semina possidet ignis Multa, dolorem oculis quæ gignunt insinuando. *Virg.* 2. *Æn.* 229. tremefacta novus per pectora cunctis Insinuat pavor. *Liv.* 40. 37. Fraudis quoque humanæ insinuaverat suspicio animis. *Cic.* 1. *Orat.* 20. 90. Quod ita nati essemus, ut et blandiri et suppliciter insinuare iis, a quibus esset petendum, possemus. — *d*) Omissa præpositione quæ inest in ipso verbo, et simul interdum Accus. se. *Lucret.* 1. 116. *de anima.* An pecudes alias divinitus insinuet se. *Id.* 1. 408. cæcasque latebras Insinuare omnes. *h. e.* se in latebras insinuare. *Sisenna* apud *Non.* p. 58. 17. *Merc.* Agmen perturbatum pedites insinuant ac loco commovent. *Stat.* 2. *Silv.* 1. *extr.* desolatamque sororem, Qua potes, et miseros perge insinuare parentes. ¶ 2. Specialim et sæpe de iis dicitur, qui paullatim et quasi latenter ad amicitiam et familiaritatem alicujus perveniunt: quo sensu occurrit — *a*) *Insinuare se ad aliquem* vel *in alicujus familiaritatem* etc. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 27. Miles insinuat se ad illam amicam heri mei. *Id. Cist.* 1. 1. 94. Insinuare se in amicitiam cum aliquo. *Cic. Cæcin.* 5. 13. se in familiaritatem alicujus. *Id.* 1. *Fam.* 13. *ad fin.* se in consuetudinem alicujus. *Liv.* 40. 21. *extr.* Per omne obsequium insinuare se in quam maxime familiarem usum. Huc referri potest et illud *Cic.* 2. *leg. Agr.* 5. 12. Quum familiariter me in eorum sermonem insinuarem ac darem, celabar, excludebar. — *b*) *Insinuare se alicui*, et sæpius *insinuare aliquem alicui, introdurlo nella grazia, farlo amico*, commendare, tradere alicui in amicitiam. *Justin.* 5. 2. 5. Insinuare se alicui officii comitate et obsequendi gratia. *Sueton. Oth.* 2. Per hanc insinuatus Neroni. *insinuatosi.* *Id. Gramm.* 21. Quare cito manumissus, Augusto et insinuatus est. *Plin. Paneg.* 62. Hoc est igitur, quod penitus illos animo Cæsaris insinuavit. ¶ 3. Est etiam notum facere, *far sapere*. *Ulp. Dig.* 32. 1. 11. Voluntatem suam fideicommittentis heredibus insinuare. *Ammian.* 25. 8. Provinciarum militiæque rectoribus insinuare novi principis scripta. *Solin. ep.* 2. *a med.* Quod cum primis industriæ tuæ insinuatum velim.

INSĬPĬDUS, a, um, adject. (in *privat. et* sapidus). Comp. *Insipidior* II. — Insipidus est non sapidus, saporis expers, insulsus, *insipido*, ἄχυμος.

I.) Proprie. *Firmic.* 2. *Mathes.* 12. *a med.* Significat saporem salsum et insipidum. *Paulin. Nolan. Ep.* 39. 4. Insipidi ultra betam incoctam.

II.) Translate. *Gell.* 6. 1. Nihil est prorsus istis imperitius, nihil insipidius, qui opinantur etc. *Al. leg.* insubidius.

INSĬPĬENS, entis, adject. (in *privat. et* sapiens). Scribitur etiam *insapiens*. Hinc *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Sext.* 53. (edente *A. Maio* in *Class. auct. T.* 2. p. 147.). De Afilo clementer loquitur, magis quasi de viro insapiente, quam de malo. — Comp. *Insipientior* et Sup. *Insipientissimus*. — Insipiens est non sapiens, desipiens, stultus, qui non cogitat quæ agenda sunt. *Cic. Amic.* 15. 54. Neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. *Id.* 2. *Fin.* 15. 50. Turpe est sapientem ex insipientium sermone pendere. *Id.* 2. *Divinat.* 23. 51. Ego insipientior, quam illi ipsi. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 59. Timidissimus omnium et insipientissimus. Adde *Sueton. Ner.* 33. *Catull.* 43. 6. Ten' provincia narrat esse bellam? Tecum Lesbia nostra comparatur? O sæclum insipiens et infacetum.

INSĬPĬENTER, adverb. (insipiens) imprudenter, *scioccamente, stoltamente*, ἀνοήτως. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 78. Insipienter a me factum, at non malitiose tamen. *Cic. Senect.* 19. 68. Sperat adulescens diu se victurum: insipienter sperat. Adde *Lactant.* 1. 22.; et *Vulgat. interpr.* 1. *Par.* 21. 8. et *Job* 42. 3.

INSĬPĬENTĬA, æ, f. 1. (insipiens) dementia, amentia, imprudentia, *sciocchezza, stoltezza, pazzia*, ἀνοησία. *Plaut. Amph. prol.* 36. Justa ab injustis petere, insipientia est. *Id. Pœn.* 5. 2. 130. Subdolum esse amico, insipientia est. *Id. Mil. glor.* 3. 3. 5. Stultitia atque insipientia insulsa atque maxima. *Cic.* 3. *Tusc.* 5. 10. Ita fit, ut sapientia sanitas sit animi, insipientia autem quasi insanitas quædam, quæ est insania eademque dementia. *Id. ibid.* 28. 68. Neque insipientia ullum majus malum est.

INSĬPO, sipis, sipui, sipere, a. 3. Est etiam *insipo, as*, ut *dissipo, as*, teste *Paul. Diac.* p. 111, 15. *Müll.* — Insipere est *gettar dentro*, injicere, conjicere: a *sipo*, quod significat jacio: unde *dissipo* disji-

cio: *obsipo* objicio, ut *Festus* docet p. 310. 23. *Müll.* Hinc *Cato R. R.* 85. Ita insipito in aulam novam. *Pomponius* apud *Non.* p. 504. 26. *Merc.* Facite, ut ignis fervat: ligna insipita, far concidite. *Id.* apud eumd. p. 39. 12. Partem insipui, conclusi, condepsui. *Paul. Diac.* p. 105. 11. *Müll.* Insipere far in olam, jacere pultis. — Passive. *Varro* 5. *L. L.* 105. *Müll.* De victu antiquissima puls: hæc appellata vel quod ita Græci, vel ab eo unde scribit Apollodorus, quod ita sonet quum aquæ ferventi insipitur.

INSISTO, sistis, stiti, sistere, n. 3. (in et sisto). Part. *Insistens* I. et II. — Insisto est super, vel in aliqua re me sisto, consisto, innitor, incumbo, ἐφίσταμαι (It. *stare, fermarsi, appoggiarsi, tenere il piede su qualche cosa, essere addosso, star sopra*; Fr. *se mettre sur, se tenir sur, s'arrêter sur, se planter sur*; Hisp. *estar sobre, insistir, apoyarse, estribar, descansar sobre*; Germ. *auf etwas stehen, hintreten, betreten, drängen, zusetzen*; Angl. *to stand, stand upon, tread or rest upon, insist*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Dativo. — Generatim. *Ovid.* 5. *Met.* 299. Institerant ramis imitantes omnia picæ. *Plin.* 8. *Ep. ad fin.* Villæ, quæ secutæ fluminis amœnitatem, margini insistunt. *Ovid.* 5. *Fast.* 151. Huic (*monti Aventino*) Remus institerat frustra, quo tempore etc. *Ammian.* 11. 2. *ad fin.* Reducti intra mœnia bellatores, obseratis undique portarum aditibus, propugnaculis insistebant et pinnis. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 27. Hastæ insistens, se diis Manibus devovit. *appoggiato all' asta. Cæs.* 2. *B. G.* 27. Ut quum primi eorum cecidissent, proximi jacentibus insisterent. *h. e.* sisterent se supra jacentes. — Huc referri potest et illud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 16. 30. (100). Inter pecua nitidioris vitæ instrumenta hæc arbor est: quapropter insistendum ei paullum videtur. *discorrerne, trattarne alquanto.* Cf. *Ovid. Remed. am.* 315. Vitiis alicujus insistere. *fermarsi a considerare.* — Speciatim in re militari insistere hostibus est urgere, instare, premere, *incalzare, essere addosso. Nepos Eumen.* 4. Neque eo magis ex prælio excessit, sed acrius hostibus institit. *Liv.* 26. 41. Adeo effusis institerunt, ut, nisi receptui cecinisset, permisti fugientibus etc. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *in. Cic.* 3. *Orat.* 2. 6. Ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. *Id.* 6. *Verr.* 49. 110. Insistebat in manu Cereris dextra simulacrum Victoriæ. *Id.* 6. *de republ.* 20. Cingulus australis, in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia. *Cæs.* 4. *B. G.* 33. Per temonem percurrere, et in jugo insistere. — *c*) Cum Ablativo sine præpos. *Quintil.* 11. 3. 128. Indecora in dextrum ac lævum latus vacillatio alternis pedibus insistentium. *alternis pedibus* et Dativus esse potest. *Ammian.* 21. 5. Classico ad contionem exercitu convocato, saxeo suggestu insistens, etc. — *d*) Cum Accusativo et præpos. *super. Gell.* 9. 11. Corvus repente improvisus advolat, et super galeam tribuni insistit. — *e*) Cum Accusativo et præpos. *in. Quintil.* 11. 3. 125. Insistere in sinistrum pedem. — *f*) Cum Accusativo sine præpos., præsertim quum motum aliquem adsignificat. *Plaut. Cas.* 4. 4. 21. Institit plantam. *h. e.* pedem pede pressit. *Accius* apud *Non.* p. 15. 25. *Merc.* Quamcumque institeram grumum, vel præcisum jugum. *Virg.* 6. *Æn.* 563. Nulli fas casto sceleratum insistere limen. *h. e.* adire, ingredi, *por piede. Horat. Epod.* 16. 11. Barbarus heu cineres insistet victor et urbem Eques sonante verberabit ungula? *Virg.* 11. *Æn.* 573. Utque pedum primis infans vestigia plantis Institerat etc. *h. e.* stare in vestigia et ambulare cœperat. *Stat.* 3. *Theb.* 318. Ira Jovis si quando nivalem Othryn, et Arctoæ gelidum caput institit Ossæ. — Hinc *insistere iter, viam*, est inire, perstare in via, quam semel sis ingressus, *incamminarsi, insistere. Plaut. Cist.* 4. 2. 11. Facite indicium, utrum hac, an illac iter institerit. *Ter. Eun.* 2. 3. 3. Ubi quæram? ubi investigem? quam insistam viam? *Al. leg.* qua via. *Liv.* 37. 7. Iter, quod insistis, ego quoque approbo. Cf. et *Virg.* 3. *G.* 164. Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi. — *g*) Cum Infinito est persistere, pergere, *insistere, continuare, persistere. Plaut. Capt.* 3. 4. 53. Vide, ne quid tu huic temere insistas credere. *h. e.* credere pergas. *Cic.* 10. *Fam.* 16. Flagitare senatus institit Cornutum, ut referret etc. *Nepos Att.* 11. Ceterosque pari fortuna perculsos institit tueri. *Liv.* 21. 46. Aspus institit oppugnare. *Id.* 27. 2. *ad fin.* Ubi lux fugam hostium aperuit, vestigiis institit sequi. — Hoc eodem sensu occurrit interdum etiam absolute. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*). 25. 80. Confidere suis testibus, et importune insistere. — *h*) Absolute insistere est pedem firmiter infigendo stare, *tenersi fermo sui piedi*; atque adeo resistere, subsistere, gradum sistere, cujus contrarium est progredi, *fermare il passo, fermarsi. Cæs.* 4. *B. G.* 26. Quod neque ordines servare, neque firmiter insistere, neque signa subsequi poterant. *Stat.* 7. *Theb.* 765. jam lubrica tabo Frena, nec insisti madidus dat temo. *Sueton. Cal.* 26. Quæstorem flagellavit veste detracta, subjectaque pedibus militum, quo firme verberaturi insisterent. *Tac.* 15. *Ann.* 57. Nam, dissolutis membris, insistere nequibat. *tenersi in piedi.* — *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 103. Stellarum, quas vagas dicimus, motus tum incitantur, tum retardantur, sæpe etiam insistunt. *si fermano. Id.* 12. *Phil.* 3. 8. Ut non referat pedem, insistet certe. *Id. Orat.* 56. 187. Circuitus ille incitatior numero ipso fertur et labitur, quoad perveniat ad finem et insistat. *Id. ibid.* 66. 221. Sæpe accidit, ut aut citius insistendum sit, aut longius procedendum. Similiter de oratione. *Id.* 5. *Fin.* 25. 75. Quæ quum dixisset paullumque institisset etc.

II.) Translate. — *a*) Cum Dativo. — Speciatim. *Insistere vestigiis*, est hærere, vestigia alicujus sequi, *calcare l'orme, seguire le pedate.* Cf. *Quintil.* 1. *præfat.* 3. Ne vulgarem viam ingressus, alienis demum vestigiis insisterem. *Cic.* 3. *Orat.* 9. 33. Quibus vestigiis primum institi, in iis fere soleo perorare. *Liv.* 5. 30. Insistere omnes vestigiis laudum suarum. Alia quidem ratione, sed eodem sensu *Plin.* 4. *Ep.* 8. Lætaris enim, quod honoribus ejus insistam, quem æmulari in studiis cupio. *h. e.* sequar eum per eosdem honorum gradus. — Generatim *insistere alicui rei* est incumbere, attendere, animo instare, *badare, attendere. Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 94. Sed negas te usque ad obscura progredi. Illustribus igitur rebus insistis. *Tibull.* 4. 1. 135. Insistere magnis rebus. *Liv.* 37. 60. rei. *Quintil.* 1. 12. 10. studiis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 52. 53. (177). funeri. *h. e.* curare et interesse. *Id.* 28. *ibid.* 1. 1. (2). curæ rerum. *Tac.* 3. *Hist.* 77. perdomandæ Campaniæ. *Ammian.* 21. 4. abigendis prædis. *Tac.* 2. *Hist.* 46. Fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei, timidos et ignavos ad desperationem formidine properare. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in*, *insistere in aliquam rem* est pariter incumbere, attendere, animo instare. *Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 4. Age jam nunc insiste in dolos. *Cæs.* 6. *B. G.* 5. Totus et mente et animo in bellum Trevirorum insistit. — *c*) Et cum Accusativo sine præpos. *Plaut. Mil. glor.* 3. 3. 51. Agite, intro abite, insistite hoc negotium sapienter. *Cic.* 3. *Orat.* 45. 176. Quonam igitur modo tantum munus insistemus, ut arbitremur, nos hanc vim consequi posse? — *Cæs.* 3. *B. G.* 14. Neque satis constabat, quam rationem pugnæ insisterent. *a quale metodo dovessero appigliarsi.* — *d*) Absolute est persistere: passive impersonaliter *Tac.* 2. *Ann.* 62. Utque, fracto jam Maroboduo, usque in exitium insisteretur. *h. e.* persisteretur usque ad exitium ejus agendum. — De tempore pro imminere dixit *Ovid.* 9. *Met.* 768. dilataque tempora tædæ Institerant; unusque dies restabat. — *e*) Cum Infinito ponitur pro urgere, sollicitare, *insistere, instare. Augustin. in Psalm.* 63. *n.* 4. Institit quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret. *insistè. Macrob.* 1. *Saturn.* 6. *a med.* Papirius, quid ipsi mater audire institisset, quid matri ipse simulasset, enarrat. Et absolute *Inscript.* portæ antiquæ Veronensis ab Imp. Gallieno constructæ, apud *Maff. Mus. Ver.* 197. MVRI VERONENSIVM FABRICATI EX DIE III. NON. APRILIVM DEDICATI PRID. NON. DECEMBRIS IVBENTE SANCTISSIMO GALLIENO AVG. N. INSISTENTE AVR. MARCELLINO V. P. DVC. DVC. CVRANTE IVL. MARCELLINO.

INSĪTĪCIUS, a, um, adject. (insitio) ex insitione proveniens, *d'incalmo*, ἐμφυτευθείς.

I.) Proprie. *Insiticius somnus* dicitur a *Varron.* 1. *R. R.* 2. 5., qui æstivo tempore diurnis operibus meridie inseritur. *Id.* insiticios vocat mulos 2. *ibid.* 8. 1., quia non ex suo genere, sed ex alienis parentibus, quasi insitione nascantur.

II.) Translate est adventicius, aliunde adscitus, et naturali seu nativo opponitur. *Plin.* 4. *Ep.* 3. *in fin.* Neque enim conjectura eget, quid sermone patrio exprimere possis, quum hoc insiticio et inducto tam præclara opera perfeceris.

INSĪTĬO, ōnis, f. 3. (insero, insevi) inserendi actus, *innestamento, innestazione*, ἐμφυτεία.

I.) Proprie. *Cic. Senect.* 15. 54. Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones, quibus nihil invenit agriculturæ solertius. *Colum.* 3. *R. R.* 9. 6. Vitis celerrime insitionibus ad maximum numerum perducitur. — De variis insitionum generibus V. *Colum.* 5. *R. R.* 11. et *Arbor.* 26.; et *Plin.* 17. *Hist. nat.* 11. 21. (101). et seqq. Est præterea *de insitione* integer *lib.* 14. *Palladii.* — De mira vero insitione *V.* CATACHANNA. — Insitioni Artio dea præerat: *V.* ARTIO, is in Lexic. et ARTIO, onis in ONOM.

II.) Figurate. ¶ 1. Abstractum pro concreto, uti ajunt, insitio est ipsa arbor insita. *Pallad.* 5. *R. R.* 2. 2. Insitionem prope infra terram nutriamus. ¶ 2. Item inserendi tempus. *Ovid. Remed. am.* 195. Venerit insitio: fac ramum ramus adoptet.

INSĪTĬUM, ii, n. 2. (insero) interpositio. *Gloss. Philox.* Insitium, ἔνθεσις.

INSĪTĪVUS, a, um, adject. (insero, insevi) ex insito proveniens, insiticius, *d'incalmo*, ἔνθετος.

I.) Proprie. *Horat. Epod.* 2. 19. Insitiva decerpens pira. *V.* SECURICULA.

II.) Translate. *Cic. Sext.* 47. 101. Quum insitivum Gracchum censu prohibuisset. *h. e.* qui se Gracchum esse simulabat, mentitus conditionem ac nomen. *Phædr.* 3. 3. Insitivi liberi. *h. e.* illegitimi. *Seneca* 2. *Controv.* 9. *a med.* Tota familia expellere insitivum heredem cupiente. *h. e.* per adoptionem heredem factum. *Gell.* 12. 1. *a med.* Insitivum et degener alimentum lactis alieni. *h. e.* aliunde, quam e matre sumptum.

INSĪTOR, ōris, m. 3. (insero, insevi) qui inserit, *innestatore. Propert.* 4. 2. 17. Insitor hic solvit pomosa vota corona. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 33. 76. (329). Hunc caveat insitor calamis gemmisque inoculator. — *Insitoris* nomine flamen Cerealis deum invocabat, sacrum Telluri ac Cereri faciens. *V.* IMPORCITOR.

INSĪTUS, a, um. V. INSERO, insevi.

INSĪTUS, us, m. 4. (insero, insevi) insitio, *innestagione.* In sexto casu sing. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 14. 15. (52). *de malis.* Est quibusdam sanguineus color, origine ex mori insitu tracta. Adde *eumd.* 14. *ibid.* 3. 4. (36).

INSŎCĬĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et sociabilis) qui sociari, seu conjungi non potest, qui societatem commerciumque cum aliis non habet, *insociabile*, ἀσυνάλλακτος, ἀσύνακτος. — *a*) Cum Dativo. *Liv.* 27. 39. Homines omni generi humano insociabiles. *Al. leg.* insociales. *Tac.* 4. *Ann.* 12. Anum suapte natura potentiæ anxiam, insociabilem nurui efficiebat. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *cum. Plin.* 16. *Hist. nat.* 43. 83. (226). Et glutinum abdicant quædam, et inter se, et cum aliis insociabilia glutino. — *c*) Absolute. *Liv.* 37. 1. Indomita et insociabilis gens. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 19. 30. (137). Inserendi nova ratio Columellæ excogitata, qua vel diversæ insociabilesque naturæ arborum copulentur. *Tac.* 13. *Ann.* 17.; et *Curt.* 10. 9. 1. Insociabile est regnum. *h. e.* socium non admittit: quia ut ait *Lucan.* 1. 92. Nulla fides regni sociis, omnisque potestas Impatiens consortis erit.

INSŎCĬĀLIS, e, adject. (in *privat.* et socialis) idem atque insociabilis. *Porphyr.* ad *Horat.* 1. *Ep.* 18. 6. Inconcinna, insocialis. *V.* voc. præced.

INSŌLĀBĬLĬTER, adverb. (in *privat.* et solor) sine consolatione, *inconsolabilmente, senza conforto*, ἀπαραμυθήτως, ἀπαρηγορήτως. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 7. rapto de fratre dolentis insolabiliter.

INSŌLĀTĬO, ōnis, f. 3. (insolo) siccatio in sole, *l'esporre al sole*, ἡλίασις. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 14. 49. (84). Candidissima cera fit post insolationem etiamnum recocta.

INSŌLĀTUS, a, um. *V.* INSOLO.

INSŎLENS, entis, adject. (in *privat.* et solens). Comp. *Insolentior* et Sup. *Insolentissimus* II. 2. — Insolens est non solens, insuetus, ἀήθης (It. *non solito, non avvezzo*; Fr. *inaccoutumé à, qui n'a pas l'habitude de*; Hisp. *no acostumbrado, insólito*; Germ. *ungewöhnlich, ungebräuchlich, unmassend, ausserordentlich*; Angl. *unaccustomed, unusual*).

I.) Proprie. ¶ 1. Dicitur de hominibus, et est,

ut dicimus, non solens, insuetus. — *a*) Absolute. *Ter. Andr.* 5. 4. 4. Quid tu Athenis insolens? cat. Evenit. *Horat.* 1. *Od.* 5. 7. aspera Nigris æquora ventis Emirabitur insolens. — *b*) Sæpius cum Genitivo. *Cic.* 2. *Att.* 21. Ille amicus noster, insolens infamiæ, semper in laude versatus. *Id.* 1. *Orat.* 48. 207. Ea requiruntur a me, quorum sum ignarus atque insolens. *Cæs.* 2. *B. C.* 36. Multitudo insolens belli diuturnitate otii. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 87. Is urbanæ militiæ impiger, bellorum insolens etc. *Sall. Cat.* 3. Insolens malarum artium. *Tac.* 2. *Hist.* 88. Non tulit ludibrium insolens contumeliæ animus. *Id.* 3. *ibid.* 53. Nec sermonibus temperabat, immodicus lingua et obsequii insolens. *Id.* 15. *Ann.* 67. Nero ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi, quæ faceret, insolens erat. *Gell.* 19. 12. *a med.* Ruris colendi insolens. — *c*) Cum Ablativo et præpos. *in*. *Cic. Sext.* 56. 119. Non sum tam ignarus causarum, non tam insolens in dicendo, ut etc. — *d*) Cum Ablativo sine præpos. *Sulpic. Sever.* 2. *Hist. eccl.* 4. Insolens consiliis. ¶ 2. De rebus est insolitus, *insolito, non usato, strano, nuovo.* *Cic. Orat.* 8. 25. Nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere solebat. *Gell.* 11. 7. Verbis uti aut nimis obsoletis exculcatisque, aut insolentibus. *Id.* 2. 27. *in fin.* Non corporis dehonestamento lætus, quod est insolens et immodicum, sed etc. *Id.* 7. 3. *ante med.* Principio nimis insolenti usus est. Adde quæ congessit *Non.* p. 322. 17. *Merc.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est intemperans, immodicus, nimius, solitum morem excedens, nimium elatus, atque adeo superbus, arrogans, audax, immodestus, *eccessivo, insolente, superbo, smoderato, tracotante.* *Cic. Senect.* 10. 31. Nec erat ei verendum, ne vera de se prædicans, nimis videretur aut insolens, aut loquax. *Id.* 2. *Orat.* 84. 342. Non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 12. *a med.* Insolentissimi homines, summis ludis circensibus meis, postulandum me lege Scantinia curant. *Auct. B. G.* 8. 13. *extr.* Utrum secundis rebus insolentiores, an adversis timidiores essent. *Auson. Gratiar. act.* 11. *extr.* Eum pagina Fastorum suorum fecit insolentem. *Vellej.* 2. 110. Pannonia insolens longæ pacis bonis. *Horat.* 1. *Od.* 16. 21. Imprimeretque muris Hostile aratrum exercitus insolens. *Cic. Marcell.* 3. 9. Victoria naturâ insolens et superba est. *Id.* 5. *Tusc.* 14. 52. Temperantia insolenti alacritate gestire non sinit. *Id.* 6. *Parad.* 1. 42. Quæ est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio? *Nepos Timol.* 4. Nihil unquam neque insolens, neque gloriosum ex ore ejus exiit. *Auct. B. Alex.* 51. Insolenti voluptate efferri. Cf. *Ammian.* 20. 7. Gaudio insolenti elatus. *Horat.* 2. *Od.* 3. 2. Mentem in rebus bonis servare ab insolenti temperatam lætitia. *Sueton. Vesp.* 15. Non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis pæne in ordinem redactus. *Quintil.* 1. *proœm.* 14. Nomen sibi insolentissimum arrogare. *Val. Max.* 2. 7. n. 1. Insolentissimos Numantinæ urbis spiritus contundere. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 18. 58. (201). Insolens fortuna. *h. e.* quæ sæpe humiles homines nimium extollit, et contra omnem moram ac fas sua bona distribuit. *Aurel. Vict. Epit.* 9. Insolens fiducia meritorum. *Id. ibid.* 14. Ingenium insolens ad ostentationem sui. ¶ 2. Speciatim est prodigus apud *Cic. Rosc. Am.* 8. 23. Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena. ¶ 3. *Insolens locus* dicitur a *Pallad.*, qui infrequens est, ubi non solent homines sæpe versari, 12. *R. R.* 4. Si regio insolens et incustodita contigerit.

INSŌLENTER, adverb. (insolens). Comp. *Insolentius* I. et II.; Sup. *Insolentissime* II. — Insolenter est præter id, quod fieri solet, præter morem et consuetudinem, *fuor del costume, stranamente, contra l'usanza,* ἀήθως.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Invent.* 28. 43. Evenire ne vulgo soleat, an insolenter et raro. *Gell.* 1. 21. *ad fin.* Non enim primus finxit hoc verbum Virgilius insolenter, sed in carminibus Lucretii inventum est. *Id.* 10. 13. Insolentius paullo hac figura usus est.

II.) Translate — *a*) Est præter id, quod decet, par est, opus est: atque adeo immodice, intemperanter, *eccessivamente, smoderatamente, oltre il dovere.* *Catull.* 25. 12. Insolenter æstuare. *h. e.* immodice, vehementer jactari. *Cic. Orat.* 52. 176. Gorgias his festivitatibus insolentius abutitur, quas Isocrates moderatius temperavit. — *b*) Item superbe, arroganter, *insolentemente, arrogantemente, superbamente.* *Cæs.* 1. *B. G.* 14. Victoria sua insolenter gloriari. *Id.* 1. *B. C.* 45. Hostem insolenter atque acriter nostros insequentem supprimit. *Id.* 3. *ibid.* 46. Insolentius atque audacius nostros premere cœperunt. *Cic.* 2. *Cat.* 9. 20. Qui se in insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque jactarunt. *Id.* 9. *Phil.* 3. 7. Auctorem senatus exstinctum, læte atque insolenter tulit. *Id.* 4. *Tusc.* 17. 39. Efferre se insolenter. *Quintil.* 1. 5. 9. Insolenter dicere. *Aurel. Vict. Epit.* 40. affirmare. *Ammian.* 28. 1. adnumerare fabulis. *Flor.* 1. 26. irridere aliquem. *Val. Max.* 3. 2. n. 21. Insolentissime obequitantem consectatus interemit.

INSŌLENTĬA, æ, f. 1. (insolens) insuetudo, novitas, ἀήθεια (It. *stranezza, novità, modo insolito;* Fr. *rareté, nouveauté, défaut d'habitude;* Hisp. *falta de habitud, novedad, raridad, extrañeza;* Germ. *die Ungewohntheit, Neuheit e. Sache;* Angl. *unusualness, not being accustomed to, strangeness, novelty, rarity*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim — *a*) Cum Genitivo rei. *Cic. Dejot.* 2. 5. Moveor enim ipsius loci insolentia, quod tantam causam dico intra domesticos parietes etc. *la novità.* Cf. *Ammian.* 24. 1. Utque ductor usu et docilitate firmatus, metuens ne per locorum insolentiam insidiis caperetur occultis, agminibus incedere quadratis exorsus est. *Sall. Jug.* 94. Timidus insolentia itineris. *per la stranezza e difficoltà.* *Cic. Cæl.* 31. 75. Fama adolescentis paullum hæsit ad metas, notitia nova mulieris et infelici vicinitate et insolentia voluptatum. *V.* locum *Livii* 30. 42. infra sub *b*. Rursus *Cic. Rosc. Am.* 31. 88. Qui propter fori judiciorumque insolentiam, non modo subsellia, verum etiam urbem ipsam reformidat. *per non essere avvezzo.* *Id.* 1. *Orat.* 22. 99. Insolentia disputationis. *Tac.* 3. *Ann.* 59. Nominatim arguens insolentiam sententiæ auresasque litteras contra patrium morem. *h. e.* insolentia, qua nominaretur tribunicia potius, quam consularis potestas in monumentis publicis privatisve. — *b*) Absolute. *Turpilius* apud *Non.* p. 322. 19. *Merc.* Timere occœpi et interdum oscitarier: Ineptus, quid mihi vellem ex insolentia Nesciebam. *Liv.* 30. 42. *ad fin.* Ex insolentia, quibus nova bona fortuna sit, impotentes lætitiæ insanire. *per non essersi avvezzi.* *Horat. Epod.* 17. 75. Meæque terra cedat insolentiæ. *h. e.* novis ausis, insolitis ac novis viribus, quibus ulciscar et deprimam omnes. ¶ 2. Speciatim de sermone, qui est inusitatus. *Cic. Brut.* 82. 284. Insulsitatem et insolentiam tamquam insaniam quamdam orationis odit. *Id.* 3. *Orat.* 13. 50. Insolentia verborum. *h. e.* verba inusitata. *Id. ibid.* 12. 44. Peregrina insolentia. *modo di parlare forastiero e non usato fra noi.* — In plur. num. *Gell.* 13. 20. *ad fin.* Insolentias verborum respuere.

II.) Translate in malam partem accipitur; et — *a*) Ponitur pro intemperantia et excessu ab eo, quod ex laudabili consuetudine fieri solet, præcipue in cœnarum sumptibus, *eccesso.* *Cic.* 9. *Phil.* 6. 13. Mirifice Sulpicius majorum continentiam diligebat, hujus sæculi insolentiam vituperabat. *Id.* 9. *Fam.* 20. In Epicuri nos castra conjecimus: nec tamen ad hanc insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam etc. *Sueton. Vitell.* 10. Plurimum meri propalam hausit passimque divisit. Pari vanitate atque insolentia lapidem *Memoriæ Othonis* inscriptum intuens, dignum eo mausoleo ait. Hic *Suetonii* locus rectius fortasse ad paragraphum proxime seq. referendus est. — *b*) Item pro arrogantia, superbia, *superbia, insolenza, arroganza.* *Cic.* 6. *Verr.* 41. 89. Ista tua singularis insolentia, superbia, contumacia. *Id.* 2. *Orat.* 52. 209. Non esse tanti illa merita, quanta insolentia hominis quantumque fastidium. *Id.* 1. *leg. Agr.* 6. 18. Modeste insolentiam suam continere. *Id.* 2. *ad Brut.* 2. Cœperat esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret. *Sall. Jug.* 4. Ne per insolentiam quis existimet memet studium meum laudando extollere. *Id. ibid.* 40. Insolentia ex secundis rebus. *Nepos Epam.* 5. Insolentiam alicui objicere. *Id. Agesil.* 5. Tantum abfuit ab insolentia gloriæ, ut etc. *Seneca* 3. *Benef.* 29. Homi num insolentiam contundere. *Justin.* 39. 2. 1. Superba insolentia spernere aliquem. *Quintil.* 1. 6. 20. Abolita atque abrogata retinere, insolentiæ cujusdam est et frivolæ in parvis jactantiæ. — In plur. num. *Phædr.* 3. *epil.* A noxiorum premitur insolentiis.

INSŌLEO, es, ere, n. 2. (in *et* soleo) idem ac solere, *solere.* *Cæcilius* apud *Gell.* 3. 16. Insolet ne mulier decimo mense parere? Pol nono, etiam septimo, atque octavo. *Bothe Poet. Scæn. T.* 2. *p.* 143. legit: *Insuet ne* etc. ut *consueo* a *sueo*.

INSŌLERS *vel* Insollers, ertis, adject. (in *privat. et* solers) non solers. Occurrit tantum Comp. *Insolertior* apud *Boeth. de syllog. categ.* 2. *p.* 591. Si domus artificis compositionem æquabilem solertemque fuerit nacta, ipsa quoque constructio merito stabilitatis erit laudabile fundamentum. Si vero insolertior compositio fiat, tota quoque quamvis ex bonis ordinata lapidibus, nulla se gerens fabrica stabilitate nutabit.

INSŌLERTER *vel* insollerter, adverb. (insolers) non solerter. *Boeth.* in *Porphyr. Dial.* 1. *p.* 1. Quod intentionem cujusque libri insolerter interpretaretur, de inscriptione quoque operis apud quosdam minus callentes hæsitatum est.

INSŌLESCO, is, ere, n. inchoat. 3. (insoleo). Part. *Insolescens* I. et II. — Insolesco est insolens, immodicus, superbus fio, *insolentire, insuperbirsi, lasciarsi trasportare,* ἀβρύνομαι, vel ut in *Gloss. Gr. Lat.* ὑπερηφανεύεσθαι.

I.) Proprie. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. *ante med.* Ne Romani, Persa quoque rege victo, ad superbiam ferociamque et immodicum modum insolescerent. *Sall. Cat.* 6. Per licentiam animus humanus insolescit. *Tac.* 2. *Hist.* 7. Rebus secundis etiam egregios duces insolescere. Sic *Justin.* 31. 8. 7. Neque Romanis, si vincantur, animos minui; neque si vincant, secundis rebus insolescere. *Tac.* 2. *Ann.* 75. Neque ipsa gaudium moderans, et magis insolescente Plancina. *Ammian.* 15. 12. Sublatius insolescentes. Adde *Tertull. anim.* 30. in LAPILLISCO.

II.) Translate. *Hieronym. in Helvid.* n. 18. Novem mensibus uterus insolescens. *h. e.* intumescens præter solitum.

INSŌLĬDUS, a, um, adject. (in *privat. et* solidus) non solidus, infirmus, mollis, *non saldo, debole, tenero,* μαλακός. *Ovid.* 15. *Met.* 203. tunc herba nitens et roboris expers Turget et insolida est.

INSŌLĬTĒ, adverb. (insolitus) præter consuetudinem, insolenter, *insolitamente.* *Augustin.* 2. *Doctr. Christ.* 23. *extr.* Si forte insolite acciderint. *Coripp.* 2. *Johann.* 431. intremuit crescentia sidera credens Insolite esse polis. *Gellio* quoque tribui solet, 1. 2. Multa atque immodica intempestive atque insolite disserebat. *Sed plerique omnes leg.* insubide.

INSŌLĬTUS, a, um, adject. (in *privat. et* solitus). ¶ 1. Active est qui non assuevit, insuetus, insolens, *non avvezzo,* ἀήθης. — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *Verr.* 37. 94. Cur pudentissimas feminas in tantum virorum conventum insolitas invitasque prodire cogis? Cf. *Virg.* 3. *G.* 543. Insolitæ fugiunt in flumina phocæ. *h. e.* quæ non solent in fluminibus versari. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *ad.* *Cæs.* 3. *B. C.* 85. Ut insolitum ad laborem Pompeji exercitum quotidianis itineribus defatigaret. — *c*) Cum Genitivo. *Sall. Jug.* 39. Civitas insolita rerum bellicarum, timere libertati. *Id. fragm.* apud *Arusian. Mess.* Genus armis ferox et servitii insolitum. ¶ 2. Passive est non solitus, novus, *insolito, strano, straordinario.* *Lucret.* 5. 101. rem insolitam apportare auribus. *Cic.* 2. *Orat.* 88. 361. Quæ causa me ad hanc insolitam mihi loquacitatem impulerit. *Id. Brut.* 81. 282. Æstus quidam non insolitæ adolescentibus gloriæ. *Id. Balb.* 16. 36. Priscum aut insolitum verbum interpretari. *Horat. Art. P.* 217. Insolitum eloquium. *Virg.* 1. *G.* 475. insolitis tremuerunt motibus Alpes. *Justin.* 12. 3. 6. Insolitus feminis habitus. *Id.* 2. 7. 11. Insolitis sibi versibus suadere populo cœpit etc. *Quintil.* 11. 3. 26. Insolitus labor. *Stat.* 1. *Theb.* 431. Insolitus clamor. *Tac.* 1. *Hist.* 86. Insoliti animalium partus. *Id.* 4. *ibid.* 62. Insolito spectaculo frui. *Id.* 2. *ibid.* 95. Ingenti parata et ante illum diem insolito. *Id.* 12. *Ann.* 37. Novum et moribus veterum insolitum. *Id.* 4. *Hist.* 23. Machinas etiam, insolitum sibi, ausi. *cosa insolita loro.* — *Insolitum est* sequente ut. *Plin. Paneg.* 60. Sed in principe rarum ac prope insolitum est, ut se putet obligatum. — *Insolitum*

ut fieri, fieri non solet. *Callistrat. Dig.* 48. 19. 27. Suam mutare sententiam neminem posse; idque insolitum esse fieri.

INSOLLERS et

INSOLLERTER. *V.* INSOLERS et INSOLERTER.

INSOLLICĬTUS, a, um, adject. (in *privat. et* sollicitus) non sollicitus, securus. *Gloss. Philox.* Insollicitus dies, ἀμνήμονος ἡμέρα. *Ubi legendum videtur* ἀμέριμνος.

INSŌLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* sol). Part. *Insolatus.* — Insolare est ad solem expandere, siccare ad solem, *soleggiare, seccare al sole, sciorinare*, ἡλιάζω. *Colum.* 12. *R. R.* 39. 2. Uvæ, quas per triduum insolaveris. Sic *Id.* 4. *ibid.* 27. 3. Uvæ commodius insolatæ percoquuntur. et *Id.* 12. *ibid.* 43. 2. Uva sine noxa servari potest, si sereno cælo, post horam quartam, quum jam insolata est, nec roris quidquam habet, viti detrahatur. *Id. ibid.* 18. 6. Vasa insolata. *Id.* 4. *ibid.* 17. 8. Sic facilius insolatur humus, et fructus percoquitur. — *Insolati dies* sunt sereni et sole perfusi apud *eumd.* 11. *ibid.* 3. 51. Tepidis diebus et insolatis sub divo ponat.

INSŎLŪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et solubilis) qui solvi non potest, *insolubile*, ἄλυτος.

I.) Proprie. *Ammian.* 16. 12. Steterunt vestigiis fixis, antepilanis, hastatis et ordinum primis velut insolubili muro fundatis. *Id.* 20. 11. Insolubile claustrum. *Id.* 28. 11. retinaculum mortalitatis. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *ante med.* Insolubili inter se vinculo clementia devinxit. *Minuc. Fel. Octav.* 34. Mundus insolubilis.

II.) Translate. *Seneca* 4. *Benef.* 12. Beneficium, creditum insolubile est. *che non si può pagare.* — *Quintil.* 5. 9. 3. Ubi est signum insolubile, ibi ne lis quidem est. *h. e.* indubitatum, et quod solvi et infirmari non potest.

INSŎLŪBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (insolubilis) difficultas, ambages. *Sidon.* 4. *Ep.* 11. Quæstionum insolubilitas labyrinthica.

INSŎLŪBĬLĬTER, adverb. (insolubilis) ita ut solvere non possis, *insolubilmente*. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *ante med.* Non tenaciter tantum, sed etiam insolubiliter vinciuntur.

INSŎLUM. *V.* SOLUM, I.

INSŎLŪTUS, a, um, adject. *V. Solutus* in fin. v. SOLVO.

INSOMNĬA, æ, f. 1. (insomnis) privatio somni, vigilia, *vigilia, veglia*, ἀγρυπνία. De hac voce ita *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 9. Hoc enim majores inter vigilias et ea quæ videmus in somnis interesse voluerunt, ut *insomnia* generis feminini numeri singularis vigiliam significaret, *insomnia* vero generis neutrius numeri pluralis ea quæ per somnium videmus, ut: *Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes* (6. *Æn.* 897.). Sciendum igitur, quia si *terret* diserimus, antiqua erit elocutio. Insomnia enim licet et Pacuvius et Ennius frequenter dixerint, Plinius tamen exclusit et ab usu removit. Ceterum — a) In sing. num. *Cæcilius* apud *Non.* p. 209. 15. *Merc.* Consequitur comes insomnia: ea porro insaniam affert. *Plaut. Merc.* 1. 1. 24. Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus, insomnia, ærumna, error, terror et fuga. *Pacuvius* apud *Charis.* 1. p. 78. *Putsch.* Perdita illuvie atque insomnia. *Sueton. Cal.* 50. Incitabatur insomnia maxime: neque enim plus quam tribus nocturnis horis quiescebat. *Gell.* 6. 4. *in fin.* Captivos insomnia cruciatos interiisse. *Ammian.* 19. 2. Continuus cum insomnia labor. — b) In plur. num. *Sall. Cat.* 27. Vigilare, neque insomniis, neque labori fatigari. *Id. epist. Mithrid. ad Arsac.* Persen, acceptum in fidem, insomniis occidere. *h. e.* prohibendo, ne somnum caperet.

INSOMNĬĔTAS, ātis, f. 3. (insomnia) idem atque insomnia. *Theod. Priscian.* 2. 1. Febris procurat capitis dolorem, linguæ asperitatem, aliquando insomnietates. Adde *Plin. Valer.* 1. 35.

INSOMNĬŌSUS, a, um, adject. (insomnia) qui insomniæ morbo laborat. *Cato R. R.* 157. *circa med.* Omnis, qui insomniosus est, hac eadem curatione sanum facies. *h. e.* brassica adhibita: de qua etiam *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 33. (82). Insomnia etiam vigiliasque tollere decoctam, si jejuni edant. Ubi *insomnia* neutr. gen. pro *insomnias* posuisse videtur: (atque ita legit etiam *Sillig.* in omnibus Codicib.; contra *Reisig.*, *Schol. grammat. Lat.* p. 122., legendum putat *insomnias*). At *Pontedera* *Op. posth. T.* 1. p. 290., approbante *Schneidero*, locum *Catonis* ex Cod. *Politiani* ita legit: *Insomnis, vel qui seniosus est*, etc. Ita ut *insomnis* apud *Caton.* ad *insomnia* apud *Plin.*, et *seniosus* ad *vigilias* referantur, quippe senes vigiliis tentantur.

INSOMNIS, e, adjet. (in *privat.* et somnus) sine somno, vigil, *senza sonno, vigilante*, ἄυπνος. — a) De hominibus et brutis. *Tac.* 1. *Ann.* 65. Quum ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis, quam pervigiles. *Horat.* 3. *Od.* 7. 6. frigidas Noctes non sine multis insomnis lacrimis agit. *Al. leg.* insomnes. *Ovid.* 9. *Met.* 190. Pomaque ab insomni male custodita dracone. — b) De rebus. *Virg.* 9. *Æn.* 166. noctem custodia ducit Insomnem ludo. Sic *Tac.* 2. *Hist.* 49. Noctem quietam, utque adfirmatur, non insomnem egit. *Stat.* 3. *Theb.* 328. Insomnes oculos rubor excitat. *Lucan.* 2. 239. Invenit insomni volventem publica cura Fata virum. *Id.* 4. 552. insomni dente creati Terrigenæ. *h. e.* dentibus satis draconis insomnis.

INSOMNĬUM, ii, n. 2. (in et somnus) fit, quum cura oppressi animi, corporisve, sive fortunæ, qualis vigilantem fatigaverat, talem se ingerit dormienti: animi, si amator deliciis suis aut fruentem se videat, aut carentem: corporis, si temeto ingurgitatus, aut distentus cibo, vel ex abundantia præfocari se existimet, vel gravantibus onerari: fortunæ, quum se quis existimat vel potentia, vel magistratu aut augeri pro desiderio, aut exui pro timore. Hæc et his similia, quoniam ex habitu mentis quietem sicut præveneraant, ita et turbaverant dormientis, una cum somno avolant et pariter evanescunt; hinc et insomnio nomen est, non quia per somnium videtur, sed quia in ipso somnio tantummodo esse creditur, dum videtur, post somnium nullam sui utilitatem, vel significationem relinquit. Hæc *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 3., ubi quinque species enumerat eorum, quæ videre sibi dormientes videntur, ἐνύπνιον (It. *sogno*; Fr. *songe, rêve, vision nocturne*; Hisp. *sueño, desvario*; Germ. *Traum*; Angl. *a dream*). Usurpatur — a) Fere in plurali num. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 8. 8. (45). Atlantes insomnia non visunt, qualia reliqui mortales. *Sillig.* vero leg. *neque in somno visunt qualia* etc. — Sæpius de malis somniis dicitur. *Cic. Senect.* 13. 41. Carent etiam vinolentia, cruditate et insomniis. *Virg.* 6. *Æn.* 897. Sed falsa ad cælum mittunt insomnia Manes. *Tibull.* 3. 4. 1. Di meliora ferant, nec sint insomnia vera. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 27. vexant me insomnia. *Sil. It.* 10. 347. Exercent rabidam truculenta insomnia mentem. *Id.* 11. 102. furibunda insomnia. — b) In singulari num. *Arnob.* 7. 36. Rusticulo cuidam Jovem per insomnium dixisse etc.

INSOMNĬUM, ii, n. 2. (in *privat. et* somnus) vigilia, privatio somni. *V.* INSOMNIOSUS.

INSŌNO, sŏnas, sŏnŭi, sŏnare, n. 1. (in *et* sono). Part. *Insonans.* — Insonare est idem quod sonare, in aliqua re sonare, resonare, ἐνηχέω, κατηχέω (It. *sonare, risonare*; Fr. *résonner, rendre un son, se faire entendre*; Hisp. *sonar, hacer sonido*; Germ. *darin, darauf ertönen, erschallen, hören-, erschallen lassen*; Angl. *to sound, sound loudly, resound*). *Virg.* 2. *Æn.* 53. Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ. *Ovid.* 11. *Met.* 161. calamis agrestibus insonat ille. *Lucan.* 1. 478. Insonuere tubæ. *Terentian. de litter.* p. 2389. *Putsch.* Græcus pueros ut docet insonans magister. *Virg.* 5. *Æn.* 579. Insonuitque flagello. *fischiò.* et 7. *ibid.* 450. geminos erexit crinibus angues, Verberaque insonuit. *h. e.* per verbera, inquit *Servius.* et 12. *Æn.* 366. Edoni Boreæ quum spiritus alto Insonat Ægæo. *sibila, fischia.* *Ovid.* 6. *Met.* 286. insonuit contento nervus ab arcu. *Val. Flacc.* 6. 366. Insonuit quæ (galea) lapsa solo dextramque fefellit. *Id.* 4. *ibid.* 688. unda insonuit. *Sil. It.* 14. 428. flammis insonat ignis. *Petron. Satyr.* 137. alto insonuit gemitu turbatum murmure pectus. *Quintil.* 11. 3. 121. Si memoria fefellerit, quasi faucibus aliquid obstiterit, insonare. *h. e.* ingenti sonitu fauces purgare conari.

INSONS, sontis, adject. (in *privat. et* sons). ¶ 1. Est innocens, innoxius, minime reus, *innocente*, ἀθῷος, ἀναίτιος. — a) Cum Genitivo. *Plaut. Amph.* 3. 1. 9. Insontem probri accusare. sed τὸ *probri* potest esse Genitivus a v. *accusare* pendens. *Liv.* 22. 49. Insons culpæ cladis hodiernæ. *Al. leg.* culpa. *Id.* 34. 32. Insontes publici consilii. *Ovid.* 13. *Met.* 149. fraterni sanguinis insons. — b) Cum addito Ablativo *crimine*, *Liv.* 4. 15. Regni crimine insons. — c) Absolute. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 70. Aliquem falso atque insontem arguere. *Sall. Cat.* 16. Insontes, sicut sontes, circumvenire, jugulare. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 69. vivo purus et insons. *Virg.* 2. *Æn.* 93. Et casum insontis mecum indignabar amici. Adde *Sueton. Claud.* 10., *Ner.* 3. et *Vesp.* 15.; *Aurel. Vict. Cæsar.* 41.; et *Ammian.* 14. 12. *med.* — Eleganter *Val. Flacc.* 6. 130. at qui tua jugera nondum Eruis, ignotis insons, Arimaspe, metallis. *h. e.* abstinens, integer et nulla habendi cupiditate flagrans; atque adeo a vitiis immunis. *Seneca Hippol.* 486. Non illum avaræ mentis inflammat furor, Qui se dicavit montium insontem jugis. ¶ 2. Item qui non nocet, *non nocevole*. *Horat.* 2. *Od.* 19. 29. Te vidit insons Cerberus aureo Cornu decorum. *Val. Flacc.* 1. 103. quibus arvorum studiumque insontis aratri. *Stat.* 12. *Theb.* 682. ille quidem ramis insontis olivæ Pacificus. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 66. Et cremat insontes hostica flamma casas.

INSŎNUS, a, um, adject. (in *privat. et* sonus) sono seu strepitu carens, *senza suono o strepito*, ἄψοφος.

I.) Proprie. *Apul.* 3. *Met.* Ad cubiculum suspenso et insono vestigio me perducit. *Ammian.* 27. 12. Insonis passibus repens. *Id.* 29. 5. Insoni gressu.

II.) Translate. *Insonæ litteræ* apud *Apul. de Mundo* sunt mutæ, ἄφωνα γράμματα. Cf. *Isid.* 1. *Orig.* 4. Vocales et semivocales et mutæ a veteribus sonæ et semisonæ et insonæ dictæ sunt.

INSŌPĬBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* sopio) qui sopiri non potest. *Capell.* 9. p. 308. Insopibilis flamma. *Id.* 1. p. 4. Insopibilis perennitatis igniculos incendere.

INSŌPĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et sopitus) non sopitus, insomnis, pervigil. *Ovid.* 7. *Met.* 36. Terrigenasque feros insopitumque draconem. Sic *Lucan.* 9. 357. Insopitus draco. *Claudian.* 3. *Rapt. Pros.* 401. Insopitus ignis. *h. e.* inexstinctus.

INSORDESCO, sordescis, sordŭi, sordescere, n. inchoat. 3. (in *et* sordesco) sordidus fio. *Sidon.* 5. *Ep.* 13. Dejecta caducæ frondis agger insorduit. *Id.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Si turbo austrinus insorduit, lacus immane turgescit. *Rutil.* 1. *Itiner.* 617. subitis tectus nimbis insorduit æther.

INSORS, sortis, f. 3. (in *privat. et* sors) mala sors, infelicitas. *Gloss. Placid.* edit. ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 477. Insortem, infelicitatem.

INSORTĪTUS, a, um, adject. (in *privat.* et sortitus) non sortitus. *Plaut. Cas.* 2. 4. 27. Spicula etiam insortita sunt mihi. *Al. melius leg.* Etiam specula in sortitu est mihi.

INSPARGO et

INSPARSUS. *V.* INSPERGO.

INSPĀTĬANS, antis, adject. seu potius particip. ab inusit. *inspatior*, in aliquo loco spatians. *Prudent. Apotheos.* 130. quem videat Babylonis ab arce tyrannus Innocuas inter flammas inspatiantem. *Al. melius leg.* exspatiantem.

INSPĔCĬĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* species) in suas species non divisus. *Tertull. advers. Valentin.* 10. *extr.* Substantia informis et inspeciata.

INSPĔCĬŌSUS, a, um, adject. (in *privat. et* speciosus) non speciosus, deformis. *Petron. fragm. Tragur.* 74. *Burmann.* Non inspeciosus puer.

INSPECTĀTĬO, ōnis, f. 3. (inspecto) actus inspectandi, inspectio. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 4. Quorum adeo mihi dulcis inspectatio. *Alii leg.* inspectio. At *inspectatio* legitur apud *eumd.* 1. *ibid.* 7. Si apte fabricata foret (virgula vitrea, striata, vel tortuosa), totidem redderet soles, quot habuisset inspectationes. *Seneca* loquitur hic de *prismate*, quod non habet inspectationes, Itali dicunt *facciate*, in quas sol radios recte immittat. Adde *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 17. et 4. *ibid.* 35.

INSPECTĀTOR, ōris, m. 3. (inspecto) inspector. *Symmach.* 6. *Ep.* 9. Adhibiti inspectatores, muro dividi loca nostra dixerunt. *Alii leg.* inspectores. Adde *Mythogr. Vatic.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 54.) *fab.* 150. Inspectator suarum calamitatum.

INSPECTĀTUS, a, um, adject. *V.* INDESPECTUS.

INSPECTĀTUS, a, um, particip. *V.* INSPECTO.

INSPECTĬO, ōnis, f. 3. (inspicio) actus inspicien-

di, diligens alicujus rei consideratio, quæ inspiciendo fit, contemplatio, *il guardare, inspezione*, ἐπίσκεψις, ἐπιθεώρησις.

I.) Proprie. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 1. Ager prima inspectione neque vitia, neque virtutes abditas ostendit, quæ mox retractantibus facilius apparent. *a prima vista. Apul. de Mag.* Inspectio speculi. *Inscript.* apud *Gruter.* 208. NECESSARIAM FVISSE INSPECTIONEM AEDIFICIORVM ET LOCI, DE QVIBVS APVD ME ACTVM EST, VT IPSA MANIFESTATVR. *Quintil.* 5. 5. 2. Tabularum inspectio sæpe falsum deprehendit. *lettura. Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 57. Eos, qui pro consulibus hanc provinciam obtinuerunt, abstinuisse inspectione rationum. *revisione de' conti.* — In re augurali quid sit, *V.* SPECTIO.

II.) Translate refertur ad animum, *considerazione, specolazione, contemplazione. Quintil.* 2. 18. 1. Artium aliæ positæ in inspectione, idest cognitione et æstimatione rerum, qualis est astrologia, nullum exigens actum, sed ipso rei, cujus studium habet, intellectu contenta, quæ θεωρητική vocatur: aliæ in agendo etc. *scienze specolative, e pratiche. Tryphonin. Dig.* 41. 1. 63. Inspectio in illo est, num ex operis servi acquiratur etc. *Id. ibid.* 16. 3. 31. Incurrit hic et alia inspectio, an etc.

INSPECTĪVUS, a, um, adject. (inspicio) qui inspicit; et translate qui invisibilia inspicit, *specolativo*, ut apud *Isid.* 2. *Orig.* 24. Alii definierunt, philosophiæ rationem in duabus consistere partibus, quarum prior inspectiva est, secunda actualis. Inspectiva dicitur, qua supergressi visibilia, de divinis aliquid et cælestibus contemplamur, easque mente tantum inspicimus, quoniam corporeum supergrediuntur obtutum. Dividitur in naturalem, doctrinalem et divinalem. Cf. INSPECTIO II. Adde *Boeth.* p. 1229. Similiter *Priscian. de præexerc.* p. 1342. *Putsch.* Nominaverunt quidam has quæstiones activas, illas autem inspectivas, sive intellectivas.

INSPECTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat.* ab inspicio. Part. *Inspectatus* sub *b.* — Inspectare est attente inspicere, diligenter intueri, *guardare attentamente, considerare*, ἐφοράω. — *a)* Sine Accusativo, qui tamen facile subauditur. *Plaut. Mil. glor.* 2. 2. 18. Nescio quis inspectavit per impluvium. *Id. Rud.* 3. 6. 31. Viden'me, ut rapior? CHAR. Video atque inspecto libens. *Id. Pœn.* 3. 3. 69. Illinc procul nos istuc inspectabimus. *Cato* apud *Gell.* 10. 3. Eos dolores atque carnificinas – inspectantibus popularibus suis atque multis mortalibus te facere ausum esse! *Cic.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Quoniam, me inspectante, sæpe eum amplexarentur. *sugli occhi miei. Cæs.* 2. *B. C.* 20. Legio ex castris Varronis, adstante et inspectante ipso, signa sustulit. Rursus *Cic.* 6. *Fam.* 18. P. Curtium jussu Pompeji, inspectante exercitu, interfectum. — *b)* Cum Accusativo. *Brutus* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 4. *sub fin.* Quod utinam inspectare possis timorem de illo meum! *se tu potessi vedere. Stat.* 3. *Silv.* 3. 1. Summa deûm Pietas, cujus gratissima cælo Rara profanatas inspectant numina terras. *h. e.* æquis oculis aspiciunt. *Dict. Cret.* 3. 9. Ita inspectatis omnibus, ad tentoria sua quisque regreditur.

INSPECTOR, ōris, m. 3. (inspicio) qui aliquid inspicit, *inspettore*, σκόπτης. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 28. (100). Accedit religio narrata, a siderum cognatione, ab inspectoribus. *Sillig.* et *a* ante *siderum* et *ab inspectoribus* omittit. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.* Lacus a vestigio inspectoris inadibilis est. — Præcipue qui considerat et examinat aliquid venale, ut videat, probum ne sit, pretiumque statuat. *Ulp. Dig.* 13. 6. 10. Si rem inspectori dedi, dum volo pretium exquirere etc. — In lemmate *tit.* 57. *l.* 11. *Cod. Justin.* et *Cod. Theod.* 11. 1. 31. et 33. et *ibid.* 28. 2. inspectores sunt, quos princeps dimittit per provincias, ut inspiciant, quæ prædia vectigalibus subjicienda sint.

INSPECTRIX, īcis, f. 3. (inspicio) quæ inspicit. *Ambros. Ep.* 5. (*al.* 64.). Legimus etiam in veteri Testamento obstetrices, non inspectrices; ad parturientes ingrediebantur, non ad virgines; ut partus susciperent, non ut pudorem examinarent.

INSPECTUS, a, um. *V.* INSPICIO.

INSPECTUS, us, m. 4. (inspicio) inspectio, intuitus. *Apul.* 10. *Met.* Oculis inspectu minacibus. *Seneca Ep.* 92. Vacat animus molestia, liber ad inspectum universi. *Ammian.* 22. 1. Inspectu jecoris prædoctus.

INSPĒRĀBĪLIS, e, adject. (in *privat.* et sperabilis) qui sperari non potest, *insperabile*, ἀνέλπιστος, ἄελπτος. *Gell.* 4. 18. Parem et victoriam vobis peperi insperabilem. *Ammian.* 15. 5. Perfertur Mediolanum insperabilis nuncius, aperte Silvanum demonstrans – sollicitato exercitu ad Augustum culmen evectum.

INSPĒRANS, antis, adject. (in *privat.* et sperans) qui minime sperat, *che non ispera*, ἀνελπίζων. — *a)* In obliquis casibus fere adhibetur. *Ter. Andr.* 3. 4. 24. Feci hodie ut fierent nuptiæ, insperante hoc atque invito Pamphilo. *Catull.* 107. 5. Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te. *Cic.* 1. *Orat.* 21. 96. Insperanti mihi, sed valde optanti cecidit, ut in istum sermonem delaberemini. *Id. Marcell.* 7. 21. Quibus tu salutem insperantibus reddidisti. Adde *Liv.* 22. 39.; et *Pseudo-Sall.* 2. *orat. ad Cæs. de republ. ordin.* 12. — In recto casu sing. et de re tristi. *Inscript.* apud *Gruter.* 1133. 15. MANLIVS HIC SITVS EST MONTANVS, RAPTVS INIQVA FEMINEAQVE MANV, INSPERANS INCIDIT AETAS. *V.* INSPERATUS sub *b.*

INSPĒRĀTĒ, adverb. (insperatus). Comp. *Insperatius.* — Insperate est idem atque insperato. *Vulgat. interpr. Sap.* 11. 8. Dedisti illi abundantem aquam insperate. *Cassiod.* 7. *Variar.* 6. Claudia (*aqua*) dum recedit, limus est; dum venit insperate, diluvium. *Val. Max.* 3. 8. *n.* 2. *extern.* Et quo vehementius noceat, insperatius prodest.

INSPĒRĀTŌ, adverb. (insperatus) præter spem, *fuori d'ogni speranza*, ἀέλπτως. *Lucilius* apud *Non.* p. 35. 10. *Merc.* Insperato abiit, quem una angina abstulit hora. In *argum.* 1. *Aulul. Plauti* 14. Aulam insperato invenit. *Apul.* 9. *Met.* Insperato et contra opinionem.

INSPĒRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et speratus). Sup. *Insperatissimus.* — Insperatus est non speratus, inexspectatus, *insperato, inaspettato, improvviso*, ἀνέλπιστος. — *a)* De personis. *Plaut. Men.* 5. 9. 72. O salve, insperate, multis annis post quem conspicor, frater. *Id. Pœn.* 5. 3. 8. Hanno, insperatissime mihi tuisque filiis, salve. *Ammian.* 16. 2. Insperatus venit. *Id.* 17. 8. Insperatus occurrit. *Sil. It.* 1. 426. insperata juventus. — *b)* De rebus et abstractis. — De re fausta. *Plaut. Most.* 1. 3. 40. Insperata accidunt magis sæpe, quam quæ speres. *Ter. Heaut.* 3. 1. 5. Insperatum gaudium. *Id. Eun.* 3. 5. 57. Insperata occasio. *Cic.* 10. *Phil.* 11. 24. Insperatum et repentinum præsidium. *Id.* 2. *Cat.* 9. 20. Insperatæ repentinæque pecuniæ. *Virg.* 3. *Æn.* 278. tellus insperata. *Fronto* 4. *ad M. Cæs.* (*edente iterum A. Maio*) *Ep.* 3. Insperatum atque inopinatum verbum appello, quod præter spem atque opinionem audientium aut legentium promitur. *Justin.* 20. 5. 3. Tanto insperata interdum sperata victoria certior est. *Ammian.* 14. 11. *extr.* Insperata potestas. *Gell.* 9. 4. Insperata vilitas. — De re tristi. *Cic.* 3. *Tusc.* 13. 28. Insperatum et necopinatum malum. *Liv.* 3. 26. Nihil tam necopinatum nec insperatum accidere potuit. *h. e.* quod hostes castra Romana adorirentur obsiderentque. *Horat.* 4. *Od.* 10. 2. Insperata tuæ quum veniat pluma superbiæ. *h. e.* lanugo. *Inscript.* apud *Gruter.* 671. 15. M. AVRELIVS LVCIDIVS INFELICISSIMVS PATER INSPERATOS TVMVLOS DEDIT *misitque* VLTIMA DONA. — *c) Ex insperato*, insperato, *insperatamente. Plaut. Stich.* 2. 1. 32.; *Liv.* 2. 35. et 30. 10. *extr.*; et *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 6. (17). Cf. INSPERATO.

INSPERGO, spergis, spersi, spersum, spergere, a. 3. (in et spargo). Dicitur etiam *inspargo* et *insparsus.* V. infra. — Part. *Inspersus* I. et II.; *Inspergendus* I. — Inspergere est super aliquam rem spargere, ἐπιπάσσω (It. *spargere sopra*; Fr. *répandre sur, verser sur*; Hisp. *derammar sobre, verter sobre*; Germ. *hinein-, darauf streuen*; Angl. *to sprinkle upon, scatter upon, besprinkle*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 65. Oleam sale inspergito. *Cic.* 2. *Divinat.* 16. 37. Caput est in jecore, cor in extis: jam abscedet, simul ac molam et vinum insperseris. *Virg. Mor.* 97. Hinc salis inspergit micas. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 18. Stercoris pars in prata digerenda, pars oleis et ceteris arboribus inspergenda. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 8. 53. (168). Papaver panis rustici crustæ inspergitur, affuso ovo inhærens. *Id.* 26. *ibid.* 8. 46. (73). Farina potioni inspergitur. *Id.* 28. *ibid.* 15. 60. (215). Suis cinis potioni inspersus. *Id.* 23. *ibid. proœm.* 5. (8). Œnanthe vulneribus inspergitur. *Id.* 24. *ibid.* 16. 92. (143). Aron aridum potioni inspersum. *Id. ibid.* 16. 98. (155). Siccata in farinæ modum et inspersa vino albo. — *Inspargo* et *insparsus* apud *eumd.* 34. *ibid.* 12. 32. (127). Ursorum in arena et leonum ora atramento inspargere. *Id.* 18. *ibid.* 11. 29. (115). Postea gypsi pars quarta inspargitur. *Id.* 26. *ibid.* 14. 87. (140). Farina ejus carnes excrescentes per se insparsa consumit. *Sillig.* leg. *inspersa*; et primo loco pro *inspargere* leg. *spargere*, alibi tamen *inspargere.*

II.) Figurate. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 67. Egregio inspersos reprehendas corpore nævos. — *Insparsus* apud *Minuc. Fel. Octav.* 28. *a med.* Fama semper insparsis mendaciis alitur.

INSPERSĪO, ōnis, f. 3. (inspergo) actus inspergendi, aspersio, *lo spargere sopra*, διάπασμα. *Pallad.* 4. *R. R.* 9. *a med.* Ruta seritur locis apricis, solius cineris inspersione contenta.

INSPERSUS, a, um. *V.* INSPERGO.

INSPERSUS, us, m. 4. (inspergo) inspersio. In sexto casu sing. *Apul.* 7. *Met.* Corium affirmatum cineris inspersu. *Id.* 9. *ibid.* Comæ sordentes inspersu cineris.

INSPĬCĬO, spicis, spexi, spectum, spicere, a. 3. (in et specio). Part. *Inspiciens* I.; *Inspectus* I. et II.; *Inspecturus* et *Inspiciendus* I. — Inspicere est in aliquid aspicere, introspicere, intueri, εἰσοράω, ἐποπτεύω (It. *guardare, mirare, osservare*; Fr. *plonger ses regards dans, garder, régarder dans*; Hisp. *mirar, acatar, observar*; Germ. *hineinsehen,-schauen, betrachten, anblicken,-sehen, untersuchen, besehen*; Angl. *to look into or upon, view, behold, observe, survey, inspect*).

I.) Proprie. — *a)* Generatim. — Raro absolute. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 72. Intro inspice. *Ter. Adelph.* 3. 4. 51. Inspicere tamquam in speculum, in vitas omnium jubeo. — Sæpius cum Accusativo. *Ennius* apud *Probum* ad *Virg.* 6. *Ecl.* 31. Juppiter tuque adeo summe Sol, qui omnes res inspicis. *Tac.* 2. *Hist.* 6. Auditi sæpius Cæsares, quam inspecti. *Petron. fragm. Tragur.* 71. *Burmann.* Inspicere horas. *Ovid.* 4. *Fast.* 389. quum Romam inspexerit Eos. *Id.* 12. *Met.* 39. Orbe locus medio est etc. Unde quod est usquam, quamvis regionibus absit, Inspicitur. *si vede, si scopre.* Cf. *Justin.* 4. 1. 2. Ea est procul inspicientibus natura loci, ut etc. Et poetice *Virg.* 2. *Æn.* 46. in nostros fabricata est machina muros, Inspectura domos. *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 9. Inspice quid portem: nihil hic, nisi triste videbis. *Id.* 3. *Art. am.* 232. Inspice quam tenuis bractea ligna tegat. *Id.* 15. *Met.* 137. ereptas viventi pectora fibras Inspiciunt. Sic *Id. ibid.* 577.; et *Ammian.* 261. Inspicere exta. et *Tac.* 2. *Hist.* 78. Inspecta exta. — *b)* Specistim de iis, qui legunt. *Plaut. Trin.* 3. 3. 65. Si epistolas obsignatas non feret, dici hoc potest, apud portitorem eas resignatas sibi inspectasque esse. *Ovid.* 3. *Art. am.* 471. Inspice, quodque leges, ex ipsis collige verbis etc. *Inscript.* apud *Gruter.* 208. PLANE QVVM IN RE PRAESENTI INSPEXERIM LITVRATVM AC. ET ERASVM. *Plaut. Stich.* 3. 2. 1. Inspicere libros. *scil.* Sibyllinos. Adde *Liv.* 25. 12. Sic *Ovid.* 4. *Fast.* 257. Carminis Euboici fatalia verba sacerdos Inspicit. *Cic. Balb.* 14. 32. Si neque Pœnorum jura calles, neque nostras leges inspicere potuisti. *studiare, imparare.* — *c)* Item specistim de iis, qui quippiam considerant examinantque, quale sit, quantique, ut fit in rebus venalibus, *esaminare, considerare. Plaut. Most.* 3. 2. 63. Te hoc orare jussit, ut sibi liceret inspicere has ædes. at. Non sunt venales. Sic *Sueton. Oth.* 6. Inspicere venalem domum. *Cic.* 6. *Verr.* 28. 64. Petit a rege, ut candelabrum ad se mittat: cupere se dicit inspicere. *Colum.* 1. *R. R.* 3. 1. In emendo inspiciendoque agro præcipue duo esse consideranda etc. *Ulp. Dig.* 19. 5. 18. Si rem tibi inspiciendam dedi, et dicas, te perdidisse. *Martial.* 6. 82. Quidam me modo, Rufe, diligenter Inspectum, velut emptor aut lanista etc. Adde *eumd.* 9. 60. et 10. 80. — *d)* Item de iis, qui aliquid attente considerant ejusque rationem habent. *Plaut. Pers.* 2. 5. 15. Inspicere morbum tuum jubet. *Id. Men.* 2. 1. 29. Quum inspicio marsupium, viaticati hercle admodum æstive sumus. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 57. Inspicere rationes. *rivedere i conti. Cic.*

Cæcin. 21. 61. Tamquam si arma militis inspicienda sint, ita probat armatum.

II.) Translate est considerare, cognoscere. — a) De hominibus. *Cic.* 2. *Phil.* 18. 44. Visne igitur, te inspiciamus a puero? *Liv.* 6. 41. Est aliquis, qui se inspici, æstimari fastidiat. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 2. Eligendus est rusticis operibus ab infante duratus et inspectus experimentis. *conosciuto alle prove.* *Plin.* 4. *Ep.* 15. Est enim avus et quidem ex Saturio Firmo, quem diliges, ut ego, si, ut ego, propius inspexeris. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 11. — b) De abstractis. *Plaut.* in *argum.* 2. *Aulul.* 7. Reque omni inspecta, servulus id surpit. Sic *Liv.* 26. 51. Inspicere rem. et *Justin.* 34. 1. 4. Spartanis e senatu responsum est, legatos se ad inspiciendas res sociorum et ad injuriam demendam in Græciam missuros. Similiter *Id.* 38. 8. 8. Obvius legatis Romanorum, qui ad inspicienda sociorum regna veniebant, procedit. Rursus *Plaut.* *Mil. glor.* 2. 1. 51. Inspexi mulieris sententiam. *conobbi, intesi il suo sentimento.* *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 25. Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum, Tempore sic duro est inspicienda fides. *Petron.* *Satyr.* 15. Flagitabant, ut postero die judex querelam inspiceret. *h. e.* de querela cognosceret. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (27). Satis esse ingenia Græcorum inspicere, non perdiscere. *Quintil.* 11. 1. 8. Eum demum dicere apte, qui non solum quid expediat, sed etiam quid deceat inspexerit. *Martial.* 1. 55. Inspice, an possit fieri etc.

INSPĬCĬUM, ii, n. 2. (inspicio) idem atque inspectio. *Tertull. carm.* 1. *advers. Marcion.* 12. posse videre Extorum inspiciis resque aspectare futuras.

INSPĪCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* spico). *Inspicare faces* est ligna in usum facium ita incidere, ut in acutum desinant, et multis præterea incisuris dividantur, in morem spicæ et aristarum: quas ideo *multifidas* vocat *Ovid.* 8. *Met.* 644. *V.* MULTIFIDUS. *Virg.* 1. *G.* 292. ferroque faces inspicat acuto. Hinc *Grat. Cyneg.* 481. spicatæ faces. et *Gloss. Philox.* Inspico, διασταχύζω.

INSPĪRĀMEN, inis, n. 3. (inspiro) inspiratio. *Cassiod. de anim.* 7. Absque peccato sine dubio venit, qui erat omnium peccata soluturus, conceptus mystico inspiramine, natus ex Virgine.

INSPĪRĀMENTUM, i, n. 2. (inspiro). inspiratio. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. inspiramentis inserere.

INSPĪRĀTĒ, adverb. (inspiro). Translate Comp. *Inspiratius* apud *Val. Max.* 3. 8. n. 2. *extern.* Blandum animum sane temeritati casus facit, ubi pravo consilio propitius adspirat: et quo vehementius nocest, inspiratius prodest. *h. e.* magis inspirando, seu adspirando, benignius, profusius.

INSPĪRĀTĬO, ōnis, f. 3. (inspiro) inspirandi actus, *inspirazione,* ἐμπνευσις. *Solin.* 7. *a med.* Fontes (*Aganippes* et *Hippocrenes*) poti inspirationem litterariam faciunt. *Tertull. Patient.* 1. Divina inspiratio. Adde *Vulgat. interpr.* 2. *Reg.* 22. 16. et alibi.

INSPĪRĀTOR, ōris, m. 3. (inspiro) qui inspirat et injicit. Translate *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 5. Apollo furoris inspirator.

INSPĪRĀTUS, a, um. *V.* INSPIRO.

INSPĪRĬTĀLIS, e, adject. (in *privat.* et spiritalis) non spiritalis. Est vox *Paulin. Nolan. Ep.* 22. (*al.* 7.).

INSPĪRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* spiro). Part. *Inspirans* I.; *Inspiratus* I. et II. — Inspirare est intro spirare, spiritum seu ventum immittere, εἰσπνέω, ἐμπνέω (It. *soffiar dentro, immettere soffiando, inspirare*; Fr. *souffler dans ou sur*; Hisp. *soplar dentro ó sobre*; Germ. *hineinblasen, einblasen*; Angl. *to blow in or upon, breathe into, inspire*).

I.) Proprie. — a) Cum Accusativo rei, in quam spiritus immittitur, sine præpos., quæ inest in ipso verbo. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (84). Qui lusciniæ sonum, addita in transversas arundines aqua, foramen inspirantes, linguæve parva aliqua opposita mora, indiscrete redderent similitudine. Cf. *Flor.* 3. 19. In ore abdita nuce, quam sulphure et igne stipaverat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. — Passive. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 10. Granaria modicis fenestellis aquilonibus inspirentur. — b) Cum Dativo rei, cui quis aut ventus inspirat. *Ovid.* 1. *Met.* 333. Cæruleum Tritona (*Neptunus*) vocat, conchæque sonaci Inspirare jubet. *Seneca Hippol.* 1008. Nullus inspiret salo ventus. *Quintil.* 10. 3. 24. Inspirantes ramis arborum auræ. — c) Cum Accusativo rei, quæ inspiratur sive inspirando emittitur aut immittitur. *Gell.* 1. 11. *a med.* Fistulâ sensim graviusculum sonum inspirare. *Ammian.* 22. 15. Solusque fluminum (*Nilus*) nullas auras inspiret. Cf. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 9. Videmus hominibus inspiratam, velut aurigam rectricemque membrorum, animam. — Similiter de medicamentis. *Cels.* 7. 27. Si quæ (*medicamenta*) erunt arida, per scriptorium calamum inspirabuntur. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 10. Facit idem trita sepiæ testa, et per fistulam ter die oculo inspirata. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 12. 32. (127). Si gravitati aurium aliquid per fistulas inspiretur. Huc pertinet et illud *Virg.* 4. *G.* 236. læsæque venenum Morsibus inspirant. *h. e.* immittunt, infundunt. — De litterarum aspiratione *Quintil.* 2. 3. 2. Atticos ἰχθὺν, ἵπον inspirantis primæ litteræ dixisse. *h. e.* prima littera aspirata. Alii leg. *inspirantes primæ litteræ*; alii *primam litteram*: sed eodem recidunt omnia.

II.) Translate. — a) De animi motibus est immittere, infundere, *inspirare, infondere.* *Virg.* 1. *Æn.* 692. Occultum inspires ignem. *Id.* 6. *Æn.* 11. magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 194. Inspirare amorem. *Curt.* 4. 13. 12. fortitudinem. *Quintil.* 12. 10. 63. iram, misericordiam. — b) Item est divino spiritu implere. *Justin.* 43. 1. 8. Unde adhuc, qui inspirari solent, fatuari dicuntur. *h. e.* divino spiritu œstroque impleri. *Id.* 18. 5. 7. Quum inspirati vates canerent, non impune laturum. — c) Item de oratoribus, qui auditorum animos inflammant. *Quintil.* 2. 5. 8. Quanta in dividendo prudentia, quam subtilis argumentatio: quibus viribus inspiret, quæ jucunditate permulceat. *h. e.*, ut *Forcellinus* interpretatur, inserat, imprimat quod dicit; seu potius auditorum animos inflammet, excitet. Adde *eumd.* 5. 14. 32.

INSPĬSSĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INSPĬSSO, as, āvi, ātum, are, a. 2. (in *et* spisso). Part. *Inspissatus*. — Inspissare est conspissare, spissum facere, *inspessire.* *Veget.* 2. *Veterin.* 30. Meliceris est tuber, in quo caro inspissata, quomodo in verrucia, invenitur. *Boeth. de unit.* p. 966. Ad similitudinem aquæ, quæ in ortu suo subtilis et clara nascitur, sed paulatim deorsum fluens in paludibus et stagnis inspissatur et obscuratur.

INSPLENDESCO, is, ere, n. inchoat. 3. (in *et* splendesco) in aliquo loco splendescere. *Gloss. Philox.* Insplendesco, ἐνλάμπω (*leg.* ἐλλάμπω).

INSPŎLĬĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* spoliatus) non spoliatus, *non ispogliato.* — a) De hominibus. *Quintil.* 7. 1. 33. Occursus est non prædæ gratia, quia inspoliatus est. Adde *Senec.* 5. *Controv.* 30. — b) De rebus. *Pseudo-Sall.* 1. *de republ. ordin.* 2. Inspoliatum fanum. *Virg.* 11. *Æn.* 594. corpus et arma inspoliata feram tumulo.

INSPŪMO, as, are, n. 1. (in *et* spumo) spumas emittere. *Tertull. Apolog.* 12. O sacrilega convicia! infrendite, inspumate: iidem estis, qui etc.

INSPŬO, spuis, spui, spuere, a. 3. super aliquid spuere, *sputare addosso,* ἐμπτύω. — a) Passive et cum Dativo. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (105). Et (*sal*) oculis jumentorum inspuitur. *Id.* 22. *ibid.* 21. 25. (52). Commanducata ea si inspuatur, mori serpentem. — b) Absolute cum Accusativo et præpos. *in.* *Seneca* 3. *Ira* 38. *extr.* Inspuere alicui in frontem mediam. *Id. Consol. ad Helv.* 13. Inspuere in faciem alicujus. — c) Absolute sine additis. *Sueton. Vesp.* 7. Restituturum oculos, si inspuisset.

INSPURCO, as, are, a. 1. inquinare, spurcare. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 86.

INSPŪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et sputo, seu *frequentat.* ab inspuo) idem fere quod inspuere, *sputare addosso,* ἐμπτύω. *Plaut. Capt.* 3. 4. 21. Ain' eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit insputarier? *HE.* Ne verere: multos iste morbus homines macerat, quibus insputari, saluti fuit. Loquitur *Plaut.* de comitiali morbo (de quo *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (35). *V.* DESPUO) et paullo ante dixerat 18. Illic isti, qui insputatur, morbus interdum venit. Ex quo intelligimus, non solum evertendi ejus morbi caussa, sed etiam sanandi, in eum, qui laboraret, inspui moram fuisse. Nam saliva hominis in multis vim medicinæ habere creditur. V. *Plin. loc. cit.*

INSTĀBĪLĬO, is, ire, a. 4. (instabilis) instabilem reddere, non stabilire, infirmare. *Hygin. Gromat. ad fin.* Angulos castrorum circinare oportet, et, quia cosas efficiunt instabiliuntque opus, propugnatione tutari. Hinc porro *Vitruv.* 1. 5. In quibus (*locis*) anguli procurrunt, difficulter defenditur, quod angulus magis hostem tuetur, quam civem.

INSTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* stabilis) qui stare et firmiter hærere non potest, ἀβέβαιος, ἀσταθής (It. *instabile*; Fr. *qui ne se tient pas bien, qui manque de consistance*; Hisp. *que no está firme, vacilando*; Germ. *worauf mann nicht stehen kann, beweglich, unbeständig, nicht feststehend, schwankend*; Angl. *unsteady, tottering, not firm, unsolid, not to be stood on, unstable*).

I.) Proprie. *Ovid.* 1. *Met.* 16. Sic erat instabilis tellus, innabilis unda. *Tac.* 1. *Ann.* 64. Locus uligine profunda: idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus. *Curt.* 8. 11. 13. Instabili et lubrico gradu præcipites recidebant. *Liv.* 21. 34. *ad fin.* Instabilis ingressus. *Plin. Paneg.* 22. instabile et suspensum vestigium. Alter *Plin.* 31. *Hist. nat.* 6. 33. (63). Vomitiones instabili volutatione commotæ. *h. e.* excitatæ navis agitatione. *Ovid.* 6. *Met.* 190. Hospita tu terris erras, ego, dixit, in undis, Instabilemque locum Delos dedit. *Id.* 11. *ibid.* 177. Instabilesque (*aures*) imo facit, et dat posse moveri. *Curt.* 4. 2. 9. Naves nec habebat res; et, si admovisset, pendentes et instabiles missilibus arceri poterant. V. *Mützell.* ad *h. l.* — *Liv.* 9. 35. instabilis et fluctuans acies. *che non sapeva star ferma contro il nemico.* Sic *Id.* 27. 18. *med.* Hostis instabilis ad comminus conserendas manus.

II.) Translate est inconstans, incertus, mutabilis, brevi durans, *incostante, incerto, instabile, non durevole.* *Cæs.* 4. *B. G.* 23. Res maritimæ celerem atque instabilem motum habent. *Virg.* 4. *G.* 105. Instabiles animos ludo prohibebis inani. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 23. 36. *de Fortuna.* Insanam autem ajunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit. *Seneca Thyest.* 215. Ubi non est pudor, nec cura juris, instabile regnum est. *Tac.* 13. *Ann.* 19. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiæ non sua vi nixæ. *Curt.* 7. 8. 19. Jam etiam ad pecora nostra avaras et instabiles manus porrigis. *h. e.* quæ huc illuc veluti vagantur prædandi causa, neque ullo pretio et lucro implentur. *Mützell.* leg. *insatiabiles.*

INSTĀBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (instabilis) f. 3. occurrit translata tantum et est inconstantia, *instabilità, incostanza,* ἀστασία. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 17. 102. (162). Herbam hanc comedi contra omnia corporum incommoda instabilitatemque mentis. *Sillig.* encliticam *que* ex Codicib. sustulit; et propter eosdem Codd. *stabilitatem* veram lectionem ducit, ita ut *ad stabilitatem mentis* legatur. *Arnob.* 6. 10. Luna vobis ducibus et figuratoribus femina est, quæ per habitus mille quotidiana instabilitate mutatur. *Vulgat. interpr. Eccles.* 9. 9. Cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ.

INSTĀBĬLĬTER, adverb. (instabilis) non stabiliter, *instabilmente.* *Augustin.* 13. *Confess.* 20. Genus humanum profunde curiosum, et procellose tumidum, et instabiliter fluidum.

INSTAGNO, as, are, n. 1. in aliquo loco stagnare. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 183.

INSTANS, antis. *V.* INSTO.

INSTANTER, adverb. (insto). Comp. *Instantius* et Sup. *Instantissime.* — Instanter est instando; et translate urgendo, vehementer, magna vi et contentione, *instantemente, con vigore e veemenza,* ἐνστατικῶς. — a) Posit. *Quintil.* 9. 4. 126. Ubicumque acriter erit et instanter pugnaciterque dicendum, membratim cæsimque dicemus. *Plin.* 5. *Ep.* 19. Dum intente instanterque pronunciat, sanguinem rejecit. *Id.* 7. *ibid.* 22. instanter petere. *Ammian.* 25. 8. promissa flagitare. *Id.* 27. 2. urgere. *Id.* 24. 4. dimicare. *Id.* 20. 8. mortem intentare. — Comp. *Sueton. Claud.* 5. Instantius flagitare. *Quintil.* 9. 3. 50. Dissolutio est apta, quum quid instantius dicimus: nam et singula inculcantur, et quasi plura fiunt. *Tac.* 6. *Ann.* 35. Pharasmanes instantius concurrit. *con maggior impeto.* — Sup. *Gell.* 4. 18. *a med.* Instantissime desiderare. Adde *Apul.* 3. *Met.*; et *Aurel. Vict. Epit.* 10.

INSTANTĬA, æ, f. 1. (insto) figurate tantum occurrit, et est — a) Præsentis temporis, *presenza,* παρουσία. *Cic. Fat.* 12. Ut præterita ea vera dici-

tia, quorum superiore tempore vera fuerit instantia; sic futura, quorum consequenti tempore vera erit instantia, ea vera dicemus. *Quidam ita leg.*: *sed rectius* Forcellinus *et plerique omnes* vera fuerint et erunt instantia, *ut sit adjectiv. plur. num.* — *b*) Item actus urgendi aliquid. *Nigidius* apud *Gell.* 9. 12. Is infestus dicitur ab instantia atque imminentia fraudis. *Ennod. Dict.* 11. Sicut artium in suo quæque opere invenitur mater instantia, ita noverca eruditionis negligentia. — *c*) Item attentio, sedulitas, assiduitas, σπουδή. *Plin.* 3. *Ep.* 5. *ad fin.* Quid est enim, quod non aut illæ occupationes impedire, aut hæc instantia non possit efficere? Adde *Gell.* 6. 2. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Veron.* 351. 5. L. FABIVS MODESTVS SIBI ET SVIS OMNIBVS INSTANTIA ET LABORIBVS SVIS FECIT. *Alia* apud *Reines. cl.* 6. *n.* 13. ORDO SPLENDIDISSIMVS CIVI OB MEMORIAM ET INSTANTIAM ERGA PATRIAM CIVESQVE. *Solin.* 2. *a med.* Duces duo sunt: alter agmen anteit, alter insequitur: ille ut iter dirigat, hic ut instantia urgeat tarditatem. — d) Item vis, vehementia, *forza, veemenza. Plin.* 5. *Ep.* 8. *a med.* Oratio maxime vi, amaritudine, instantia; historia tractu et suavitate atque etiam dulcedine placet. — *e*) Item diligens et assidua petitio, flagitatio, exactio, *instanza. Papinian. Dig.* 32. 1. 32. Omissa est repetendi debiti instantia. *Scævola ibid.* 13. 7. 43. Cujus instantia Caji reciperati sunt. *Apul.* 2. *Met.* Sed instantia Byrrhenæ perfecit, ut vellet. Adde *Ammian.* 28. 1.

INSTANTĪVUS, a, um, adject. (insto) qui multum instat, ἐνστατικός. *Boeth. Aristot. Topic.* 8. *p.* 733. Maxime circa propositiones et instantias est dialecticus propositivus et instantivus. Est autem proponere quidem unum facere, quæ sunt plura; instare autem, quod unum est, facere plura.

INSTAR, nomen indeclinabile; cujus originem alii aliam comminiscuntur etymologi: V. *Voss.* et *Martinium* etc. *Val. Prob.* in *Cathol. p.* 1411. *Putsch.* tribuit Genitivum *instaris*: sed usu caret. — Ceterum instar est similitudo, exemplar, æquiparatio, vis tantundem valens, ὁμοίωμα, ἀπεικόνισμα (It. *similitudine, esemplare, uguaglianza*; Fr. *ressemblance, esquisse, plan, dessin*; Hisp. *semejanza, bosquejo, plan, plano*; Germ. *Abriss, Entwurf, daher Bild, Gestalt, Ansehen, Art*; Angl. *similitude, likeness, resemblance, equality*). Occurrit — 1.°) *Instar* pro exemplari, similitudine etc. cum Genitivo rei, cujus est exemplar etc. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 7. 18. (46). Quod primum operis instar fuit. *il primo disegno o modello.* At *Sillig.* ex optim. Codd. *instaurati* rectius leg. *Ulp. Dig.* 39. 1. 21. Si proponatur instar quoddam et quasi facies quædam operis facta. *Sueton. Cæs.* 61. Cujus (*equi*) etiam instar pro æde Veneris genetricis postea dedicavit. *Flor.* 3. 5. *a med.* Classem aggressa tempestas tam fœda strage laceravit, ut navalis belli instar efficeret. *Liv.* 35. 49. Videretis vix duarum male plenarum legiuncularum instar in castris regis. *Id.* 28. 17. Parvum instar eorum, quæ spe ac magnitudine animi concepisset, receptas Hispanias ducebat. *Tac.* 3. *Ann.* 36. C. Cestius senator disseruit principes quidem instar deorum esse: sed etc. — 2.°) *Ad instar* cum Genitivo Italice est *a guisa, a foggia* (falluntur autem, qui *adinstar* conjunctim scribunt et adverbium esse putant). *Justin.* 36. 3. 2. Vallis continuis montibus ad instar castrorum clauditur. *Ulp. Dig.* 6. 2. 7. Ad instar proprietatis, non ad instar possessionis. Adde *Apul.* 2. *Met.* et 9. *ibid.* — 3.°) Sæpius absolute usurpatur, subaudito aliquo verbo per ellipsin, et sequente Genitivo, eadem significatione qua *ad instar.* — *a*) Refertur ad qualitatem et magnitudinem. *Cic.* 15. *Fam.* 4. *ante med.* Eranam, quæ fuit non vici instar, sed urbis, cepimus. *Id.* 10. *Att.* 4. Epistola, quæ voluminis instar erat. *Cæs.* 2. *B. G.* 17. Ut instar muri, hæ sæpes munimenta præberent. *a guisa di muro, vel tanto quanto un muro. Varro* 5. *L. L.* 133. *Müll.* Læna, quod de lana multa: duarum etiam (*al.* enim) togarum instar. *Virg.* 2. *Æn.* 15. Instar montis equus. *Colum.* 6. *R. R.* 14. 1. Porri succus instar heminæ pari olei mensuræ miscetur. *Id.* 4. *ibid.* 8. 2. Recedere ab ipso codice instar unius digiti spatio conveniet. *tanto che sia lo spazio d'un dito.* — *b*) Item ad numerum. *Cæs.* 3. *B. C.* 66. Animadversum est, cohortes quasdam, quod instar legionis videretur, esse post silvam. *Auct. B. Alex.* 19. Cohortium trium instar in terram exposuit. *Cic.* 16. *Att.* 5. *extr.* Mearum epistolarum nulla est συναγωγή: sed habet Tiro instar septuaginta. *alla somma. Varro* 1. *R. R.* 1. 10. In quæ volumina de Græcis libris adjecit non pauca, et de Magonis dempsit instar librorum octo. *al numero di otto. Vellej.* 2. 29. Cujus viri magnitudo multorum voluminum instar exigit. *un' opera di molti volumi. Colum.* 12. *R. R.* 28. 1. Irim cribratam, quæ sit instar pondo quincuncem et trientem. *che arrivi al peso di etc.* — *c*) Item ad figuram, adspectum. *Virg.* 6. *Æn.* 866. quantum instar in ipso est! *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 40. Terra ad universi cœli complexum quasi puncti instar obtinet. — d) Item ad pretium. *Cic.* 3. *Off.* 3. 11. Omnia ex altera parte collocata vix minimi momenti instar habent. *Ovid. Heroid.* 2. 29. Unum in me scelus est, quod te, scelerate, recepi: Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet. *Id.* 1. *Art. am.* 675. Quæcumque est subita Veneris violata rapina, Gaudet, et improbitas muneris instar habet. *Cic. Pis.* 22. 52. Unus ille dies mihi immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii. *Ovid. Heroid.* 16. 366. *de Hectore.* Unus is innumeri militis instar habet. *Justin.* 4. 4. 7. Auxilium a Lacedæmoniis petierunt. Ab his mittitur Gylippus solus, sed in quo instar omnium auxiliorum erat. *Cic. Brut.* 51. 191. Plato mihi unus instar est omnium. *vale per tutti. Ovid.* 12. *Met.* 265. Non impune feres, teli modo copia detur, Dixerat Exadius: telique habet instar, in altâ Quæ fuerant pinu, votivi cornua cervi. *Cic.* 2. *Off.* 20. 67. Clientes appellari, mortis instar putant. *Id.* 9. *Fam.* 6. *ad fin.* Equidem hos tuos Tusculanenses dies instar esse vitæ puto. *Sil. It.* 6. 133. Ille ensem nobis magnorum hunc instar honorum Virtutisque ergo dedit.

INSTAURĀTĪCĬUS *vel* instauratitius, a, um, adject. (instauro). Instauraticius dictus est dies additus ludis circensibus, senatusconsulto et lege Mævia, placandi Jovis causa, quod quum quidam ante spectaculi commissionem servum suum verberatum patibuloque constrictum per circum egisset; ea re iratus Juppiter Annio cuidam per quietem significaverat, non sibi placuisse plenum crudelitatis admissum. (Quod narrat etiam *Liv.* 2. 36.). Dictus est autem non a patibulo, ut quidam putant, Græco nomine ἀπὸ τοῦ σταυροῦ; sed a redintegratione, ut Varroni placet, qui instaurare ait esse instar novare. Hæc *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 126. 2. *de agitatore circensi.* INSTAVRATIAM TERTIAS I. *h. e.*, ut *Id. ibid.* interpretatur, die instauraticia (pro mendosa voce *instauratiam*) tertias palmas semel tulit.

INSTAURĀTĬO, ōnis, f. 3. (instauro) renovatio, repetitio, *rinnovazione*, ἀνασκευή. — *a*) Generatim. *Cic. Harusp. resp.* 11. 23. Si ludi sunt non rite facti, mentes deorum immortalium, ludorum instauratione, placantur. *Liv.* 2. 36. Ludi forte ex instauratione magni parabantur. *Gell.* 15. 18. Instauratio pugnæ. *Paul.* 5. *Sentent. tit.* 5. *sub fin.* Instaurationem causæ deposcere. *chiedere di rimettere in piedi la causa.* Rursus *Gell.* 13. 24. *ante med.* Quid valet hæc repetitio instaurationque ejusdem rei sub alio nomine, in *manubiis* et in *præda*? *ripetizione e replica.* — *b*) Specialim est refectio, restitutio, reparatio, *risarcimento, restaurazione. Eumen. Paneg. ad Constant.* 20. Civitas Æduorum exstructione veterum domorum et refectione operum publicorum et templorum instauratione consurgit. *Id. Restaur. schol.* 4. Divinæ imperatorum nostrorum providentiæ hujus quoque operis instauratione parendum est.

INSTAURĀTĪVUS, a, um, adject. (instauro) qui instauratur et renovatur; ut Instaurativi ludi, qui in locum eorum, qui aut prætermissi erant, aut perperam facti, instaurabantur. *Cic.* 1. *Divinat.* 26. 55. Itaque ludis intermissis, instaurativi constituti sunt.

INSTAURĀTOR, ōris, m. 3. (instauro) qui instaurat et renovat, *restauratore*, ἐπισκευαστής. *Ammian.* 27. 3. Nomen proprium inscribebat, non ut veterum instaurator, sed conditor. Adde *Alcim. Avit. ad soror.* 438. Sic *Inscript.* apud *Reines. cl.* 2. *n.* 31. INSTAVRATORI MOENIVM.

INSTAURĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INSTAURO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. *Instaurans, Instauratus, Instauraturus* et *Instaurandus.* — Ratione habita etymi, si *Varronem* audias (apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 11.) et *Paulum Diac. p.* 111. 4. *Müll.*, est ab *instar* et significat instar novare, *h. e.* aliquid ad pristinam similitudinem et comparationem reficere. — Ceterum est renovare, repetere, reparare, ἀνασκευάζω (It. *rinnovare, replicare, ripigliare, restaurare*; Fr. *renouveler, reprendre, rétablir, restaurer*; Hisp. *renovar, volver à empezar, restablecer, restaurar*; Germ. *erneuern, wiederherstellen, bereiten*; Angl. *to renew, repeat, instaurate*). Occurrit — *a*) Generatim pro renovare, repetere. — Conjungitur cum v. *renovare* et *reparare* apud *Cic. Harusp. resp.* 10. 21. Quorum de sententia illa eadem renovata atque instaurata celebrantur. *Id. Prov. cons.* 8. 19. Instauratæ maximi belli reliquiæ ac renovatæ. *Id.* 2. *Verr.* 4. 11. Instaurare et renovare scelus pristinum. *Liv.* 24. 42. Pœni gens nata instaurandis reparandisque bellis. — Ceterum *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 6. 4. Instaurare Latinas. Sic *Liv.* 32. 1. et 37. 3. ferias Latinas. *Id.* 2. 36. ludos. *Cic.* 1. *Att.* 11. *circa med.* sacrificium. *Liv.* 5. 19. et 52. sacra. *Virg.* 4. *Æn.* 63. diem donis. *h. e.* diei celebritatem sacris renovare. Sic *Stat.* 2. *Theb.* 88. Instaurare diem festasque reponere mensas. *Sil. It.* 3. 218. deûm regi instauratus honos. *Liv.* 37. 19. Instaurare novum de integro bellum. Sic *Auct. B. Alex.* 42. Omnem illam partem regionemque (*Macedoniæ*) bellum instauraturam esse credebat. *Sil. It.* 1. 35. arma. *h. e.* bellum *Virg.* 2. *Æn.* 669. instaurata prælia. *Sil. It.* 1. 391. Mox instaurantis pugnam circumsilit arma. *Cic. Dom.* 3. 6. Instaurare cædem. *Id. Rosc. Am.* 53. 153. Cavete, ne nova et multo crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur. *Virg.* 6. *Æn.* 529. di, talia Grajis Instaurate, pio si pœnas ore reposco. *Id.* 4. *ibid.* 145. choros. *ripigliare le danze. Id.* 7. *ibid.* 146. epulas. *Val. Flacc.* 5. 601. mensas. *Justin.* 12. 13. 7. Instaurata comissatio. *Sueton. Ner.* 57. societatem. *Val. Max.* 8. 1. *n.* 4. quæstionem. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 98. omne genus operis, auspicandi causa. *ripigliare, riassumere. Stat.* 5. *Theb.* 9. vias. *ripigliare il cammino.* Sic *Id.* 2. *ibid.* 743. iter ad Argos. — *b*) Specialim pro reparare, reficere, resarcire, *restaurare. Eumen. Restaur. schol.* 3. Instaurare opera, reparare templa. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 20. 25. (126). Cinere aut gypso instaurare vina. *Mamertin. Gratiar. act. ad Julian.* 7. Levati status, instauratæ fortunæ. *Virg.* 2. *Æn.* 451. Instaurati animi. *rinfrancati, ripreso coraggio.* — *c*) Pro conficere, parare, facere, *fare, fabbricare. Plin.* 11. *Hist. nat.* 23. 27. (77). Bombycas frigorum impatientia villis inhorrescere, et adversum hiemem tunicas sibi instaurare densas. *Id.* 31. *ibid.* 2. 3. (6). Instaurare sibi monumenta. *Virg.* 3. *Æn.* 62. Instaurare funus. *h. e.* facere: Polydorus enim nondum fuerat funere decoratus. *Tac.* 2. *Hist.* 70. Lætus ultro (*Vitellius*) et tam propinquæ sortis ignarus instaurabat sacrum dis loci.

INSTERNO, sternis, strāvi, strātum, sternere, a. 3. (in *et* sterno). Part. *Instratus* etiam in fin. — Insternere est supersternere, superextendere, operire, ἐπιστρώννυμι (It. *distendere di sopra, coprire distendendo*; Fr. *étendre, déployer sur, et de là couvrir*; Hisp. *extender sobre, desplegar sobre, cubrir*; Germ. *überdecken, überziehen, bedecken*; Angl. *to strew or spread over, lay upon, cover, overlay*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo rei quæ operitur, et Ablativo rei, qua quid operitur. *Lucret.* 5. 975. instrata cubilia fronde. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 26. (84). Si palo adacto caverna palea insternatur. *Virg.* 2. *Æn.* 722. fulvique insternor pelle leonis. *Id.* 7. *ibid.* 277. instratos ostro alipedes. *h. e.* equos. *Gell.* 20. 1. *a med.* Arcera instrata vestimentis. *Sueton. Claud.* 18. Fragminibus panis instratus. *Capitolin. Anton. phil.* 2. Insternere lectulum pellibus. *Stat.* 3. *Theb.* 213. terrâque insternor avitâ. *h. e.* humer, sepeliar. — Huc pertinet et illud *Virg.* 2. *G.* 230. instrato saxa cubili. *h. e.* cubili instrato saxis. hypallage. Et Græco more *Sil. It.* 5. 148. Caucasiam instratus (*sonipes*) virgato corpore tigrim. *h. e.* tigris pelle opertus. — *b*) Cum Dativo. *Horat. Art. P.* 279. modicis instravit pulpita tignis. *Val. Flacc.* 3. 462. Illi alacres pars arma locant, pars ardua celsis Insternunt tabulata foris. Cf. *Stat.* 12. *Theb.* 800. Turbine quo sese caris instraverit audax Ignibus Euadne. *si sia gettata sul fuoco.* — *c*) Absolute. *Vet. poeta* (fortasse *Ennius*, ait *For-*

efflictus; sed cl. *Vahlen.* inter *Ennianæ poeseos reliquias* hoc minime recensuit) apud *Terentian.* p. 2406. *Putsch.* Pontibus instratis conjunxit litora Xerxes. *Liv.* 34. 7. Et equus tuus speciosius instratus erit, quam uxor vestita? *bardato.* Sic *Id.* 27. 21. Instrati equi. *Sueton. Aug.* 73. Ne toro quidem cubuisse ajunt, nisi humili et modice instrato. Cf. *Sil. It.* 7. 289. *Gell.* 20. 1. *a med.* In jus vocato, qui ingredi non quiret, plaustrum esse dandum censuerunt, neque insterni tamen delicate arceram jusserunt. *V.* ARCERA. — Hinc e Part. præter. pass., cujus multa exempla retulimus,

Instratum, i, n. 2. absolute, substantivorum more est vestis stragula, στρῶμα. *Cato R. R.* 10. Sirpeas stercorarias tres, semuncias tres, instrata asinis tria. *barde, bardelle.* *Ulp. Dig.* 50. 16. 45. Instrato omne vestimentum contineri, quod injiciatur, Labeo ait. *Torrentin.* habet *in stratum* divisim: quod verius videtur.

INSTĪGĀTĬO, ōnis, f. 3. (instigo) instigandi actus, *stimolo.* *Cic.* 2. *Herenn.* 30. 47. Amplificatio est res, quæ per locum communem instigationis auditorum causa sumitur. *Cajus Dig.* 5. 2. 4. Novercalibus instigationibus corrupti. Adde *Lactant.* 5. 19.

INSTĪGĀTOR, ōris, m. 3. (instigo) qui instigat, *instigatore.* *Tac.* 1. *Ann.* 38. Sibi quisque dux et instigator. *Auson. Ep.* 17. Superfluus instigator agitabo. *Papinian. Dig.* 3. 2. 20. Instigator accusationis.

INSTĪGĀTRIX, ícis, f. 3. (instigator) quæ instigat, *instigatrice.* *Tac.* 1. *Hist.* 51. Acerrima instigatrix adversus Galbianos.

INSTĪGĀTUS, a, um. *V.* INSTIGO.

INSTĪGĀTUS, us, m. 4. (instigo) instigatio. In sexto casu sing. *Ulp. Dig.* 9. 1. 1. Si instigatu alterius fera damnum dederit.

INSTĪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (pro *instinguo*, ab *in* et Græco etymo στίω στίζω, *pungo, stimulo*: alii derivant ab *insto*, quia qui instat atque urget, is proprie instigat). Part. *Instigans, Instigatus* et *Instigandus.* — Instigare est incitare, impellere, ἐκκεντίζω, παροξύνω, παρορμάω (It. *instigare, stimolare*; Fr. *pousser, exciter, animer*; Hisp. *excitar, animar, estimular*; Germ. *anregen, anreizen, auch in schlimmen Sinne, aufwiegeln, aufreizen, - hezen*; Angl. *to instigate, incite, stimulate*). Occurrit et in bonam et in malam partem. *Ter. Andr.* 4. 2. 9. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. *Cic. Pis.* 11. 26. Quum in Palatio mea domus ardebat, non casu aliquo, sed ignibus injectis instigante te. Cf. *Liv.* 10. 19. Dea instigante. et *Colum.* 10. *R. R. præfat.* 4. Instigante quasi numine. et *Sueton. Oth.* 5. Instigante magnitudine æris alieni. *Liv.* 33. 47. Infensi et irati Romanos in Hannibalem instigabant. Sic *Tac.* 1. *Hist.* 73. Ad instigandum in arma Clodium Macrum. et *Vellej.* 1. 12. Instigare in arma. et *Petron. Satyr.* 95. canem in aliquem. *Lactant.* 5. 21. aliquem in furorem. *Virg.* 11. *Æn.* 730. Fertur equo, variisque instigat vocibus alas. *Ovid.* 3. *Met.* 212. At comites rapidus solitis latratibus agmen Ignari instigant. *Seneca Ep.* 10. Instigare iracundiam. Alt. *Seneca Thyest.* 27. mentes cæcus instigat furor. *Stat.* 4. *Silv.* 4. 33. vires instigat alitque Tempestiva quies: major post otia virtus. *h. e.* excitat. — Cum Infinito. *Lucret.* 4. 1075. Et stimuli subsunt, qui instigant lædere idipsum.

INSTILLĀTĬO, ōnis, f. 3. (instillo) infusio stillatim et guttatim facta, ἐνστάλαξις. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 39. (133). Instillatio lactis sedat dolorem. *Pallad.* 12. *R. R.* 10. Urinæ quatuor cotylas circa truncum debere suffundi, ut ad radices instillatio ipsa descendat.

INSTILLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INSTILLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* stillo). Part. *Instillatus* et *Instillandus.* — Instillare est intro stillare, guttatim infundere, ἐνσταλάζω (It. *instillare, gocciolare, gocciare*; Fr. *verser goutte à goutte dans ou sur, instiller*; Hisp. *instilar, echar poco á poco*; Germ. *einträufeln, wohin träufeln*; Angl. *to pour in drop by drop, infuse by drops, instil*).

I.) Proprie. — *a)* Cum Dativo. *Cic. Senect.* 11. 36. Hæc quoque, nisi tamquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 62. Oleum instillare caulibus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 33. (83). auribus succum brassicæ. Sic *Gargil. de pom.* (edente *A Maio* in *Class. Auct. T.* 3. p. 424). 22. Folia earum (succum) cum aceto trita, auribus instillata, auditum præbent. Rursus *Plin.* 32. *Hist. nat.* 4. 14. (41). Testudinum sanguis instillatus cerebro capitis dolores sedat. *Id.* 24. *ibid.* 10. 47. (77). Hederæ acinos tritos in rosaceo oleo instillavit dentium dolori. — *b)* Cum Accusativo et præpos. *in* vel *per.* *Ovid. Heroid.* 19. 153. Instillare merum in ignes. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 3. 8. (21). Instillatus cinis ex oleo cyprino per aurem. — *c)* Cum Accusativo sine prapos., quæ inest in ipso verbo. *Cic.* vertens *Æschyli* carmina 2. *Tusc.* 10. 25. Guttæ, quæ saxa assidue instillant Caucasi. *h. e.* cadunt guttatim in saxa. — *d)* Absolute. *Cels.* 8. 10. n. 1. Dia instillandum vinum est. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 21. Si jam deficiat suppresso lingua palato, Vix instillato restituenda mero. *Quintil.* 1. 2. 28. Vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt; sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur.

II.) Translate est sensim immittere, paullatim infundere. *Cic.* 9. *Att.* 7. Uberrimæ tuæ litteræ mihi quiddam quasi animulæ instillarunt. *Al. leg.* restillarunt. *Horat.* 1. *Ep.* 8. 16. subinde Præceptum auriculis hoc instillare memento. *Seneca* 6. *Benef.* 16. *ad fin.* Præter illa, quæ a præcipientibus in commune dicuntur, aliqua instillavit ac tradidit.

INSTĪMŬLĀTOR, ōris, m. 3. (instimulo) instigator, *instigatore.* *Cic. Dom.* 5. 11. Seditionis instimulator et concitator. *Alii leg.* stimulator.

INSTĪMŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INSTĪMŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* stimulo). Part. *Instimulans* et *Instimulatus.* — Instimulare est stimulare, instigare, *instigare, stimolare.* *Ovid.* 6. *Fast.* 508. Latias Saturnia Bacchas Instimulat fictis insidiosa sonis. *Sil. It.* 2. 543. Sic voce instimulans. *Marcell. Dig.* 5. 2. 3. Falso instimulati parentes liberos suos vel exheredant vel prætereunt.

INSTINCTOR, ōris, m. 3. (instinguo) stimulator, impulsor, *stimolatore.* *Tac.* 1. *Hist.* 22. Nec deerat sceleris instinctor. *Id.* 4. *ibid.* 68. Acerrimus instinctor belli.

INSTINCTUS, a, um. *V.* INSTINGUO.

INSTINCTUS, us, m. 4. (instinguo) instigatio, incitatio, impulsus; et proprie is, qui intus in animo fit, παρόρμησις, ἐνθουσιασμός (It. *instinto, impulso, inspirazione*; Fr. *instigation, impulsion, excitation, mouvement*; Hisp. *instigacion, impulsion, impulso*; Germ. *Antrieb, Anreizung*; Angl. *instigation, incitement, impulse, inspiration, instinct*). *Cic.* 1. *Divinat.* 18. 31. Oracula, quæ instinctu divino afflatuque funduntur. *Id.* 1. *Tusc.* 26. 64. Mentis instinctus cælestis. Sic *Curt.* 8. 10. 15. Credo equidem non divino instinctu, sed lascivia esse provectos, ut etc. *Val. Max.* 1. 6. *extern.* 3. Deorum instinctu. et *Gell.* 16. 17. Vaticinia, quæ vi atque instinctu ejus dei fiunt. *Sueton. Vesp.* 7. *extr.* Tegeæ in Arcadia, instinctu vaticinantium, effossa sunt vasa operis antiqui. *Curt.* 10. 8. 6. Ille Meleagri instinctu se jussisse respondit. *Tac.* 1. *Hist.* 70. Milites instinctu decurionum transiere in partes. *Gell.* 1. 11. *a med.* Effervescente impulsu et instinctu extraneo. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 81. Instinctu alicujus in exsilium agi. *Lactant.* 4. 30. Instinctibus dæmonum populus Dei scissus est. *Plin. Paneg.* 73. Multa fecimus sponte: plura instinctu quodam et imperio; nam gaudio quoque cogendi vis inest. *per impeto d'allegrezza.* *Firmic.* 3. *Mathes.* 6. Cupiditatis instinctu. *Quintil. Declam.* 4. 19. Tamquam sequar classici vocantis instinctum.

INSTINGUO, stinguis, stinxi, stinctum, stinguere, a. 3. (in *et* stinguo, *quod a* στίζω *pungo*). Part. *Instinctus* in fin. — Instinguere est instigare, stimulare, *incitare, instigare.* *Gell.* 17. 20. Hæc admonitio non modo non repressit, sed instinxit nos ad elegantiam Græcæ orationis verbis Latinis affectandam. — Sæpius usurpatur

Instinctus, a, um, particip. præter. pass., et est instigatus, stimulatus, incitatus, *instigato, inspirato, stimolato.* *Cic.* 7. *Verr.* 72. 188. Quorum templis et religionibus iste, nefario quodam furore et audacia instinctus, bellum sacrilegum semper impiumque habuit indictum. *Liv.* 9. 40. et 6. 14. His vocibus instinctos milites in prælia ducit. *Lucret.* 1. 923. Instinctus amore. *Liv.* 1. 47. furiis. *Id.* 5. 15.; et *Quintil.* 12. 10. 24. spiritu divino. *Ovid.* 6. *Fast.* 507. talibus instinctus. *Lucan.* 5. 150. [illegible] mens instincta furore. *Quintil.* 10. 1. 81. Instinctus oraculo. *Sueton. Cæs.* 19. injuria. *Sil. It.* 4. 231. strage suorum. *Val. Max.* 1. 5. *extern.* 1. arrogantia. — Cum addito Accusativo et præpos. *in.* *Justin.* 12. 7. 8. Exercitus repentino impetu mentis in sacros dei ululatus instinctus sine noxa discurrit. *Vellej.* 1. 12. 1. Universa instincta in bellum Achaja. — Absolute. *Sil. It.* 12. 518. Instincti glomerant gressus. *h. e.* hortationibus ducis incitati. *Id.* 15. 133. Instinctis subrepit terror. *h. e.* adspectu Scipionis incitatis. — Et cum Accusativo Græcorum more, *Sil. It.* 8. 244. instincti pectora Pœni.

INSTĪPO, as, are, a. 1. (in *et* stipo) in aliquid stipare, infercire, implere, *empire, stipare,* ἐνστοιβάζω. *Cato R. R.* 113. Post quatriduum in culleum (*lege* post quadriennium in cuneum) amphoras componito et instipato. *h. e.* ita invicem proximas colloca, ut cadere nequeant. *V.* CUNEUS. *Marcell. Empir.* 10. *a med.* Ficus veteres contritæ naribus instipantur.

INSTĪPŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (in *et* stipulor) idem ac stipulari. *Plaut. Pseud.* 4. 6. 7. Quas minas abs te est instipulatus Pseudolus. *Id. Rud.* 5. 3. 25. Ni dolo malo instipulatus sis.

INSTĪTA, æ, f. 1. limbus, seu fascia, quæ matronarum stolæ ad oram assuebatur; et per synecdochen ipsa stola: ita appellata ab *insisto, institum,* quod ea vesti insistat, πέζα, λῶμα, κρασπεδον, περιχιτώνιον (It. *lembo, orlo, pedana*; Fr. *garniture, falbala*; Hisp. *guarnicion, falbala*; Germ. *an Kleidern d. Saum oder Besatz*; Angl. *the fringe, border, guard, or selvage of a garment*). ¶ 1. Stricto sensu, ut diximus. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 29. Quarum subsuta talos tegit instita veste. *h. e.* instita subsuta vesti: hypallage. V. *Acronis* loc. cit. in SUBSUO. *Ovid.* 1. *Art. am.* 32. Quæque tegis medios, instita longa, pedes. *Id.* 2. *ibid.* 600. Luditur in nostris instita nulla jocis. *h. e.* matrona. metonymia. ¶ 2. Latiori sensu est fascia ad vinciendum, *fascia, legaccio.* *Petron. Satyr.* 20. Duas institas ancilla protulit de sinu (*al. leg.* de suris), alteraque pedes nostros alligavit, altera manus. *Scribon. Compos.* 133. Ventrem constringere instita longa. *Petron. Satyr.* 97. Ut raptim grabatum subiret, annecteretque pedes et manus institis, quibus sponda culcitam ferebat. *le cinghie.* In *Gloss. Isid.* Institæ, grabati resticulæ. ¶ 3. Item tænia, quæ ex thyrso Baccharum dependet. *Stat.* 7. *Theb.* 654. Candida pampineo subnectitur instita pilo.

INSTĪTĬO, ōnis, f. 3. (insisto) actus insistendi, quies, mora, *il fermarsi.* *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 62. Qui errantium stellarum cursus, prægressiones, institiones notavit. *Alii male leg.* institutiones, *alii vero* regressiones.

INSTĪTĬUM, ii, n. 2. (insisto) idem quod institio, *il fermarsi.* In vet. *Kalend.* apud *Gruter.* 138. mense Junio, quando solstitium fit, solis institium legitur. Sed illud Kalendarium habetur apocryphum a *Pontedera* in *Antiq. Gr. et Lat.* ep. 46., genuinum vero a *Morcell. de Stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 79. *edit. Patav.*

INSTĪTO, as, are, n. 1. *frequentat. ab* insto, sæpe urgere, contra stare, repugnare. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Rursus institare et prælium redintegrare cœperunt. *Al. plerique leg.* instare.

INSTĪTOR, ōris, m. 3. (insisto) qui a mercatore negotiationi est præpositus: ab insistendo, quod negotio gerendo instet, ut *Ulp. Dig.* 14. *tit.* 3., qui De institoria actione *inscribitur,* *l.* 3. docet, παλιγκάπηλος, ἐπιστάτης (It. *agente o fattore di mercatante, rivenditore*; Fr. *vendeur, marchand, colporteur*; Hisp. *vendedor, mercader, buhonero*; Germ. *Hausirer, Trödler, Krämer*; Angl. *a retailer, huckster, shopkeeper, trader, dealer, factor*). Itaque

I.) Proprie institor est, qui vel tabernæ est præpositus, vel cuilibet alii negotiationi, ut qui a vestiario, vel lintearia vestem accipit circumferendam et distrahendam: item mulio: item fullonum et sarcinatorum præpositus: item stabularius: item qui peregre mittitur ad merces comparandas, ut *Ulp. loc. cit. l.* 5. tradit: denique præpositus apud mensam pecuniis mutuis dandis et accipiendis, ut *Papinian. Dig. loc. cit.* 19. et *Paul. ibid.* 5. 8. docet. *Horat. Epod.* 17. 20. Amata nautis multum et institoribus. *Ovid.* 1. *Art. am.* 421. Institor ad dominam veniet

discinctus emacem, Expediet merces teque sedente suas. *Propert.* 4. 2. 37. et ibo Mundus demissis institor in tunicis. *Martial.* 7. 60. Abstulerat totam temerarius institor urbem. *Liv.* 22. 25. *extr.* Patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institorem mercis. *Juvenal.* 7. 221. Institor hibernæ tegetis niveique cadurci. *Seneca* 4. *Quæst. nat.* 13. *a med.* Habet institores aquæ et annonam, pro pudor! variam. *Inscript.* apud *Murat.* 935. 7., quæ est apud *Orell.* 4202. ADIECTO SEX. AVIDII EVTYCHI SEPLASIARII NEGOTIANTIS SER. INSTITOR COMMVNIS AMICO B. M. *Alia* apud *Orell.* 4203. FAVSTVS POPILLIVS INSTITOR VNGVENT. — Apud poetas allatos *institores* præcipue sunt, qui variis mercibus extraneis, ad mundum muliebrem pertinentibus, ad mulieres ventitabant: quarum amorem propterea omni cura captabant alliciebantque: quod adnotavit *Broukus.* ad *Propert. loc. cit.* — Sidus Vergiliarum *institorem* vestis dici ait *Perott.* in *Cornucop.*, quia in ejus occasu fiat conjectura futuræ hiemis: quæ, si nubilus fuerit, pluviosa exspectatur; unde institores lacernarum pretia augent. Hæc ille ex *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 60. (225). hausit, ubi tamen res aliter se habet. *Plinii* enim verba sunt, ut ex MSS. legit *Harduin.*: Hoc, ipso Vergiliarum occasu, fieri putant aliqui, a. d. III. Id. Novembris: servantque id sidus etiam vestis institores *etc.* statimque augent lacernarum pretia. At *Silligius Perotti* lectionem tuetur.

II.) Translate. *Quintil.* 8. 3. 12. et 11. 1. 50. Ambitiosus institor eloquentiæ. *h. e.* ostentator, jactator. Sic *Val. Max.* 6. 1. *n.* 9. vocat *institorem libidinis*, qui in pueritia corpore quæstum fecerat.

INSTĪTŌRĬA, æ, f. 1. et

INSTĪTŌRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

INSTĪTŌRĬUS, a, um, adject. ad institorem pertinens. *Hieronym.* in *Helvid.* *n.* 21. Ad virginem veniam, quæ institorias exercet artes, nescio an corpore; quod scio, spiritu virgo non permanet. — *Institoria actio*, de qua est integer titulus 3. *lib.* 14. *Dig.*, est quæ datur ex contractu cum institoribus facto. Item *institoria formula* apud *Cajum* 4. *Institut.* (edente iterum *Goeschenio*) § 71. est ea, qua agitur in institores. — Hinc

Institoria, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est actio institoria. *Ulp. Dig.* 14. 3. 5. *a med.* Non institoria, sed ex locato tenebitur. *et ad fin.* Institoriæ locus erit.

Institorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est institoris munus, vel locus, ubi institor merces vendendas proponit. *Sueton. Ner.* 27. Matronæ institorio copas imitantes. *Alii melius leg.* Matronæ institorias operas imitantes., h. e. *matrone che fingevano essere rivenditrici*: *alii vero* institorum loco invitantes.

INSTĬTŬO, stĭtŭis, stĭtŭi, stĭtūtum, stĭtŭere, a. 3. (in *et* statuo). Part. *Instituens* II. 1.; *Institutus* in omnibus paragr.; *Instituendus* II. 1. — Instituere est in aliquo loco statuere, ponere, constituere, καθιδρύω, ἐνίσταμαι (It. *piantare, porre, mettere in piedi, instituire*; Fr. *mettre dans, fixer dans, placer, établir*; Hisp. *meter, poner, colocar en, establecer*; Germ. *hineinstellen,-setzen, einsetzen, errichten*; Angl. *to plant, place, appoint, institute*).

I.) Proprie: ad rem, quamvis translate, *Plaut. Most.* 1. 2. 2. Argumenta in pectus multa institui. *h. e.* versavi, excogitavi, *mi posi e piantai nel petto.* *Ter. Adelph.* 1. 1. 13. Quemquam ne hominem in animum instituere, aut parare, quod etc. *h. e.* in animo statuere, ponere. Al. leg. *in animo.* Ceterum proprie occurrit — *a*) Generatim de arboribus. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 25. 67. Jugera trecenta, ubi institui vineæ possint. *Varro* 1. *R. R.* 37. 5. Instituere segetes. *Sueton. Galb.* 1. Arborem ab ipso institutam elanguisse. *Id. Gramm.* 23. Instituere vitem. *Aurel. Vict. epit.* 39. olera. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 4. 8. (36). plantaria. — *b*) Speciatim refertur ad alia. *Virg.* 7. *Æn.* 689. vestigia nuda sinistri Instituêre pedis; crudus tegit altera pero. *Nepos Timoth.* 2. Quæ victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tum primum aræ paci publicæ sint factæ eique deæ pulvinar sit institutum. *Cic. Fontej.* 5. 9. Instituere portorium vini. Sic *Sueton. Cæs.* 43. portoria. *Cic.* 6. *Verr.* 24. 54. officinam. Sic *Nepos Agesil.* 3. officinas armorum. Rursus *Cic.* 3. *Phil.* 12. 30. mercatum. *Varro* 3. *R. R.* 92. ὀρνιθοβοσκεῖον. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 2. 2. (10). bibliothecam. *Liv.* 39. 24. metalla. *miniere.* *Cic. Rosc. Com.* 2. 6. codicem et conscribere. — *c*) Item de cujusque generis ædificiis, et est facere, construere, *fabbricare, fare.* *Cæs.* 5. *B. G.* 50. Institutas turres, testudines munitionesque hostium admiratur. *Id.* 7. *ibid.* 69. Instituere munitiones. *Id.* 1. *B. C.* 83. Munitiones institutas Cæsar parat perficere. *Forcellinus* interpretatus est inceptas. *Cic.* 7. *Fam.* 23. exhedria. *Val. Flacc.* 1. 16. delubra. *Id.* 3. 427. aras. *Ammian.* 15. 9. oppida. *Aurel. Vict. Cæsar.* 29. mœnia. *Cæs.* 5. *B. G.* 39. Magnus muralium pilorum numerus instituitur. *Id.* 5. *ibid.* 18. Instituere pontem. *Id.* 5. *ibid.* 11. naves. *Horat. Art. P.* 22. amphora cœpit Institui: currente rota cur urceus exit? — Similiter *Sueton. Tit.* 7.; et *Justin.* 12. 11. 6. convivia. *Virg.* 7. *Æn.* 109. dapes. *Sil. It.* 11. 272. epulas de more. — *d*) Item ponitur pro comparare, ordinare, cogere, *fondare, raccogliere, fare*: quæ tamen afferuntur, inter translata locum habere possunt. *Cæs.* 3. *B. C.* 93. Quartæ aciei, quam instituerat sex cohortium numero, signum dedit. *Id.* 1. *ibid.* 16. Instituere delectum. et 3. *B. G.* 8. remiges ex provincia. *Cic.* 1. *Orat.* 19. 86. civitates. *fondare delle comunità.* et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 12. 46. (159). collegium figulorum. et *Ammian.* 17. 13. Furor hostilis jam inde ab instituta gente nostris quoque majoribus formidatus.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim latissime patet: ponitur enim — *a*) Pro creare, *fare, creare, dichiarare.* *Cic.* 13. *Fam.* 61. Qui me quum tutorem, tum etiam secundum heredem instituerit. Sic *Sueton. Cæs.* 83. et *Vitell.* 6.; *Justin.* 7. 2. 5.; et *Plin.* 5. *Ep.* 1. Instituere aliquem heredem. Similiter *Val. Max.* 5. 9. *n.* 3. Instituens heredem. et *Plin.* 7. *Hist. nat.* 36. 36. (123). Heres bonis omnibus institutus. *Sueton. Claud.* 1. coheredem. Rursus *Cic.* 1. *Orat.* 53. 228. Populum Romanum tutorem instituit filiorum orbitati. *Id.* 6. *Att.* 1. Hic magistratus multis annis post decemviros institutus est. — *b*) Et pro decernere, inducere, *stabilire, introdurre.* — Sæpissime de feriis, festis diebus, sacris etc. *Liv.* 2. 21. instituere dies festos. Sic *Plin.* 18. *Hist. nat.* 29. 69. (284). ferias diesque festos. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 8. ferias Latinas. *Ovid.* 1. *Met.* 446. Instituit sacros celebri certamine ludos. *Val. Max.* 2. 4. 4. Instituendorum ludorum causa. *Sueton. Ner.* 12. certamen. *Id. Cal.* 12. inferias. Similiter *Id. Rhet.* 6. auditoria. *Plin.* 5. *Ep.* 4. nundinas. *Liv.* 1. 42. censum. *Justin.* 3. 2. 7. leges. — Universim pro statuere, decernere. Cum Accusativo *Cic. Mur.* 28. 60. Iniquam legem et miseram conditionem instituere periculis hominum. *Id. Dom.* 48. 126. Instituere pœnam in aliquem. Cf. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 23. 39. (77). Mulcta instituta alicui. *h. e.* statuta, imposita, inflicta. *Sueton. Rhet.* 1. Majores nostri, quæ liberos suos discere et quos in ludos itare vellent, instituerunt. — Cum Infinito. *Cæs.* 5. *B. G.* 1. Discedens ab hibernis in Italiam, ut quotannis facere instituerat. *Virg.* 6. *Æn.* 142. Hoc sibi pulcra suum ferri Proserpina munus Instituit. *Sueton. Aug.* 31. Compitales Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus et æstivis. — Sequente part. *ut.* *Cic.* 2. *Fin.* 1. 2. Arcesilas instituit, ut ii, qui se audire vellent, ipsi dicerent, quid sentirent. *Id.* 5. *Tusc.* 20. 58. Ab his ipsis – ferrum removit, instituitque, ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. *Sueton. Cæs.* 20. Primus omnium instituit, ut tam senatus, quam populi diurna acta conficerentur et publicarentur. Adde *eumd. Ner.* 32. et *Domit.* 13. — Et omissa *ut* particula. *Sueton. Cæs.* 41. *extr.* Instituit, quotannis subsortitio a prætore fieret. — *c*) Et pro invenire, auctorem esse, *inventare, introdurre.* *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (207). Biremem Damastes Erythræos, triremem Thucydides Aminoclem Corinthium, quadriremem Aristoteles Carthaginienses, quinqueremem Mnesigiton Salaminios ferunt instituisse. *Sillig.* aliter leg.; est enim h. l. mira Codicum varietas. *Id.* 29. *ibid.* 1. 8. (26). Luctatus, ceromata valetudinis causa instituta. — *d*) Et pro inire, ordinare, disponere, componere. *Plaut. Stich.* 3. 1. 28. Ubi cœnas hodie, si hanc rationem instituis? Sic *Cæs.* 1. *B. C.* 42. In præsentia similem rationem operis instituit. *Cic. Mur.* 9. 22. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. *Ter. Andr.* 1. 1. 40. Sapienter vitam instituit. *Plaut. Rud.* 4. 2. 30. Oppidum magnum communibo, ei ego urbi Gripo indam nomen, – ibique regnum magnum instituam. *Ammian.* 19. 11. Instituere partem Pannoniæ. *ordinarla a provincia.* *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 2. equitum centurias. *Cic.* 14. *Fam.* 18. Velim tabellarios instituatis certos, ut quotidie aliquas a vobis litteras accipiam. ¶ 2. Speciatim et sæpe est incipere, aggredi, suscipere, ordiri, *cominciare, ordire, dar principio, imprendere*; et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 103. Id negotium institutum est: non datur cessatio. *Cic.* 1. *Legg.* 3. 9. et 16. *Att.* 13. *ad fin.* Historia nec institui potest, nisi præparato otio, nec exiguo tempore absolvi. *Id. Mur.* 32. 67. Ut ad id, quod institui, revertar. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*). 1. 2. Jam pridem ad hunc ipsum quædam institui, quæ et sunt magna sane, et limantur a me politius. *h. e.* orsus sum quædam, ad hunc ipsum dirigens sermonem. *Id.* 5. *Fam.* 12. Quantis oneribus premerere susceptarum rerum et jam institutarum. *Sueton. Cæs.* 30. Cn. Pompejus ita dictitabat, quod neque opera consummare, quæ instituerat etc. Sic *Quintil. ad Tryphon.* Institutum opus. *Id.* 1. 5. 55. Institutum ordinem sequi. *Ter. Phorm.* 5. 6. 8. Num mirum aut novum est, revocari, cursum quum institueris? Sic *Cic. pro leg. Manil.* 14. 40. Ab instituto cursu aliquem revocare. *Orellius* leg. *devocare.* *Q. Cic. Petit. cons.* 14. 55. Perge tenere istam viam, quam instituisti. *Orellius* leg. *institisti.* *Horat.* 3. *Od.* 35. 7. Rumpat et serpens iter institutum. Similiter *Plaut. Epid.* 3. 2. 27. Instituere astutiam. *Sall. Jug.* 15. amicitiam cum aliquo. *Cic.* 16. *Fam.* 20. Confido, si diligentiam, quam instituisti, adhibueris, cito te firmum fore. — Huc referri potest et illud *ejusd.* *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*). 12. 44. Cum Zenone Arcesilas sibi omne certamen instituit. *h. e.* suscepit, *imprese.* Item illud *Cæs.* 5. *B. G.* 36. longior consulto ab Ambiorige instituitur sermo. *si pianta o s' incomincia un discorso.* Sic *Cic.* 2. *Orat.* 73. 296. Quum mihi sermo cum hoc ipso Crasso esset de te institutus. — *b*) Cum Infinito. *Ter. Eun. prol.* 18. Si perget lædere ita, ut facere instituit. τὸ *facere* subauditur apud *Cic.* 2. *Orat.* 28. 124. Tu vero, Antoni, perge, ut instituisti. Sic subauditur verbum apud *Nepot. Att.* 14. Neque in sestertio centies affluentius vixerit, quam instituerat. Ceterum *Cic. Cluent.* 3. 8. Quæso, ut me, judices, sicuti facere instituistis, benigne attenteque audiatis. ¶ 3. Item speciatim significatione, quæ mox allatæ incipiendi atque aggrediendi proxime accedit, — *a*) Est consilium capere, constituere. *Cic.* 7. *Fam.* 19. Ut primum Velia navigare cœpi, institui Topica conscribere. *Nepos Cat.* 3. Senex historias scribere instituit. Cf. *Sueton. Gramm.* 21. Sexagesimum ætatis annum agens libellos ineptiarum componere instituit. Rursus *Nepos Alcib.* 5. Itaque tempus ejus interficiendi quærere instituerunt. *Liv.* 28. 46. Pœnus, societate cum Ingaunis composita, montanos instituit oppugnare. *Alii leg.* institit, *hæc duo enim sæpissime commutantur.* V. *Drakenborg.* ad h. *Livii* locum. *Sueton. Ner.* 22. Instituerant civitates, coronas ad ipsum mittere. *Justin.* 8. 3. 8. Et ne quod jus vel fas inviolatum prætermitteret, piraticam quoque exercere instituit. Adde *Ammian.* 15. 5. — *b*) Et pro applicare, adhibere, *applicare.* *Ter. Phorm.* 2. 1. 10. Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere. Ubi *Donatus*: Bene *instituere* dixit, quo verbo quies ostenditur cogitativæ mentis. *fermarmi a pensare.* — *c*) Et pro parare, adjungere, acquirere. *Cic. Quinct.* 3. 12. Qui ab adolescentulo quæstum sibi instituisset sine impendio. *Id.* 6. *Verr.* 9. 21. Instituere aliquos sibi amicos. ¶ 4. Frequenter est etiam erudire, docere, παιδεύω, *instruire, ammaestrare, insegnare*; præsertim adolescentulos et nulla adhuc præditos disciplina. — *a*) Cum Accusativo, — Et addito alio Accus. cum præpos. *ad* vel *in.* *Cic.* 2. *Orat.* 39. 162. Aliquem plane rudem instituere ad dicendum. *Quintil.* 1. 17. 17. Qui pueri ad lectionem instituuntur. Rursus *Cic.* 6. *Verr.* 69. 161. Filios instituere atque erudire ad majorum instituta atque civitatis disciplinam, non ad tua flagitia atque ad tuas turpitudines debuisti. Similiter *Colum.* 6. *R. R.* 2. 8. Sic perdomiti boves mox ad aratrum instituantur. *Quintil.* 1. 11. 1. Instituere aliquem in aliquid. — Cum addito Ablativo rei, qua quis instituitur. *Cic. Brut.* 47. 173. Græcis doctrinis

institutus. *Quintil.* 1. 12. 19. Studiis, quibus puer instituendus est. *Id.* 1. 1. 12. Instituere aliquem disciplinis Græcis. *Id.* 1. 3. 18. artibus. *Id.* 1. 12. 9. litteris. *Id.* 1. 10. 13. lyra. — Absolute. *Cic. Cæl.* 17. 39. Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? *Id. Quinct.* 21. 69. Quem tu a puero sic institueras, ut ne gladiatori quidem cederet. *Sall. Jug.* 17. Nos ita instituit, ne quem coleremus, nisi populum R. *Quintil.* 1. 1. 10. Oratorem institui, rem arduam, etiam quum ei formando nihil defuerit. *Id.* 10. 2. 20. illi præceptori, quem instituebam in libro secundo. *Cic. Senect.* 9. 29. Senectus adolescentulos docet, instituit, ad omne officii munus instruit. (docere est rem monstrare: *instituere* est, re monstrata, ad recte agendum dirigere, et quasi in honesta re monstrata statuere et collocare: *instruere* est ornare et veluti apparare. — *b*) Cum Infinito. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 12. M. Cato censorius agricolationem Latine loqui primus instituit. *Frontin.* 3. *Strateg.* 13. *extr.* Disposito quibusdam locis cibo, columbas illuc devolare instituerat. *avea avvezzato.* — *c*) Cum Dativo personæ et Relativo. *Alcim. Ep.* 78. Deposcit, ut artificem figulum e vestigio dirigatis, qui nobis, qualibus strui possit mensuris crebrati cœnaculum furni, instituat. — Hinc a Part. præter. pass., cujus multa exempla retulimus,

Institūtum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, quod *V.* loco suo.

INSTĬTŪTĬO, ōnis, f. 3. (instituo) actus instituendi. — *a*) Generatim. *Cic.* 2. *Nat. D.* 13. 35. Neque dici potest, in illis rerum institutione non esse aliquid extremum atque perfectum. *nell'ordinamento.* — *b*) Speciatim institutio dicitur quidquid dicendum vel agendum statuimus vel proponimus. *Cic.* 1. *Off.* 2. 7. Omnis, quæ a ratione suscipitur, de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci. *trattato.* *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 6. Hæc institutio atque hæc disciplina potest sustinere in rebus statuendis et decernendis eam severitatem, quæ etc. *massima, regola.* *Id.* 1. *Att.* 17. *ad fin.* Sic ego conservans rationem institutionemque nostram, tueor, ut possum, concordiam. *h. e.* institutum, propositum, scopum. *Sueton. Gramm.* 4. Existimo posteriores grammaticos retinuisse quædam genera institutionum ad eloquentiam apparandam, ut problemata, paraphrases, allocutiones, ethologias. *alcune forme o specie di metodi.* *Ammian.* 29. 1. *ad fin.* Movendi autem mensulam erat institutio talis. — *c*) Item et sæpius est actus docendi, educatio, eruditio, disciplina. *Cic.* 2. *Orat.* 1. 1. L. Crassum non plus attigisse doctrinæ, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset. Sic *Quintil.* 1. 1. 9. Institutio puerilis. et *Sueton Gramm.* 23. Nemini minus institutionem puerorum vel juvenum committendam. *Cic.* 1. *Nat. D.* 4. 8. Complures Græcis institutionibus eruditi. *Quintil. ad Tryphon.* Libri de institutione oratoria.

INSTĬTŪTOR, ōris, m. 3. (instituo) qui instituit. — *a*) Est qui aliquid instituit et facit. *Ammian.* 14. 6. Institutores veteres urbium. *fondatori.* Adde *eumd.* 17. 4. et 20. 7. *Tertull. Spectac.* 2. Multum interest inter institutorem et interpolatorem. *Inscript.* apud *Orell.* 1071. INSTITVTOR LIBERTATIS AC FVNDATOR PVBLICAE SECVRITATIS. *scil.* Licinianus Licinius, qui ann. a Chr. n. CCCVII. dictus est Augustus, obiit autem laqueo strangulatus a Constantino M. ann. CCCXXIII. — *b*) Item qui instituit et edocet. *Lamprid. Commod.* 1. Qui in aula institutores habentur. *Trebell. Poll.* 3. Institutor morum. *Edict. Dioclet.* p. 22. Magistro institutori litterarum in singulis pueris menstruos ✕. L.

INSTĬTŪTUM, i, n. 2. (instituo). ¶ 1. Est scopus, propositum, inceptum, *instituto, oggetto, soggetto*, προαίρεσις, σκοπός. *Cic. fragm. Hortens.* Ejus omne institutum voluntatemque omnem successio prospera consecuta est. *Id. Topic.* 6. 28. Sed ad hujus libri institutum illa nihil pertinent. *Aurel. Vict. epit.* 9. Institutum imperii. ¶ 2. Sumitur etiam pro more, seu certa quadam vitæ ratione ad mores spectante, *usanza, costume*, ἔθος. *Cic.* 4. *Att.* 19. Me nunc oblitum consuetudinis et instituti mei, rarius ad te scribere. *Id. Cæl.* 20. 50. Si quæ mulier sit vita institutoque meretricio. *professione.* *Cæs.* ad *Oppium* post ep. 8. *l.* 9. *ad Att.* Meo instituto usus sum, et eum statim missum feci. *ho fatto, come son solito.* *Cic.* 4. *Fin.* 15. 40. institutum vitæ capere. *un tenore di vita, una maniera.* *Quintil.* 12. 8. 14. Rimari, quæ litigantium instituta. *h. e.* mores. ¶ 3. Et speciatim dicitur de publicis moribus consilio et ratione sumptis, et civilis disciplina, quæ litteris non mandatur, sed observatur communi opinione bonorum virorum per quamdam consuetudinem. Unde *De institutis externis* titulus est apud *Val. Max.* 2. 6., id est, de moribus, usu et consuetudine receptis. *Cic. Brut.* 77. 269. Sed bene juris publici leges et instituta cognoverat. *Id.* 2. *leg. Agr.* 1. 1. Est hoc in more positum institutoque majorum. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 2. 5. Adductus sum consuetudine institutoque majorum, ut onus hoc suscipiendum putarem. *Nepos Agesil.* 4. Institutis patriæ parere. *Tac.* 4. *Hist.* 64. Instituta cultumque patrium resumite. *Aurel. Vict. epit.* 41. Instituta veterum. *Tac.* 6. *Ann.* 32. Phraates apud Syriam, dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum sumit etc. *Justin.* 43. 4. 12. Adeo illic (*Massiliæ*) bene instituta, non temporum necessitate, sed recte faciendi consuetudine servantur. ¶ 4. Item institutio, doctrina. *Cic.* 1. *Off.* 1. 1. Abundare præceptis institutisque philosophiæ. *Quintil.* 1. 1. 16. Optimis institutis mentem infantium informare. ¶ 5. Item conventio, pactum, *patto, convenzione.* *Liv.* 6. 10. *ad fin.* Cur per eos annos milites ex instituto non dedissent.

INSTO, stas, stĭti, stătum, stare, n. 1. (in *et* sto). Part. *Instans* I. 1. et II. et in fin.; *Instaturus* I. 3. — Multa quæ afferuntur in præteritis, ad *insisto* commode reduci possunt, cum quo id tempus commune habet. — Instare est in vel super aliqua re stare, insistere, ἐνίστημι (It. *stare sopra, o addosso, o in qualche cosa*; Fr. *se trouver sur ou au-dessus de ou dans*; Hisp. *estar sobre ó encima ó en*; Germ. *auf etwas stehen, betreten*; Angl. *to stand in, over, or upon any thing*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit — *a*) Cum Dativo. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 23. 36. Saxoque illam (*Fortunam*) instare globoso prædicant volubilem. *Virg.* 11. *Æn.* 529. instare jugis, et grandia volvere saxa. *Lucret.* 1. 65. Horribili super aspectu mortalibus instans. *Lucan.* 8. 177. instabit summis minor Ursa ceruchis. *Calpurn.* 4. *Ecl.* 121. Jamque palam presso magis ac magis instat aratro. *h. e.* innititur, stat super ac premit, ut altius tellurem sulcet. *Plin.* 6. *Ep.* 11. Mala instare vestigiis videbantur. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *in*. *Sueton. Tib.* 72. *extr.* Instans in medio triclinio, adstante lictore, singulos valere dicentes appellavit. ¶ 2. Latiori sensu significat vicinum esse, imminere, *essere imminente.* — *a*) Cum Dativo. *Sil. It.* 12. 496. arduus ipse Tifata insidit, propior quæ mœnibus instat Collis, et e tumulis subjectam despicit urbem. (Cf. *Liv.* 26. 5. In valle occulta post Tifata montem imminentem Capuæ consedit.). *Cic.* 2. *Cat.* 5. 11. Quibus ego confido impendere fatum aliquod, et pœnas jam diu debitas aut instare jam plane, aut certe jam appropinquare. *Id.* 13. *Att.* 23. Quum illi iter instaret et subitum et longum. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 20. Tibi ab iis instat periculum. *ti sovrasta.* — *b*) Absolute. *Ter. Adelph.* 3. 2. 9. Partus instabat prope. *Cic. Pis.* 27. 65. Instant apparatissimi magnificentissimique ludi. *Plaut. Pers.* 4. 3. 22. instant bona multa. *Liv.* 2. 18. bellum. — Sæpe de tempore. *Sall. Cat.* 58. Optimum facto ratus, noctem, quæ instabat, ante capere. *Liv.* 36. 10. hiems. *Nepos Alcib.* 4. tempus. *Lucan.* 5. 5. dies. — Hoc sensu in præteritis non tam sæpe invenitur. *Ovid.* 9. *Met.* 768. dilataque tempora tædæ institerant, unusque dies restabat. *Id.* 1. *Fast.* 315. institerint Nonæ etc. *V.* INSISTO. — Raro de personis occurrit. *Cæs.* 2. *B. C.* 43. Ut alii dicerent, cum legionibus instare Varum, jamque se pulvere venientem cernere. — *c*) Cum Accusativo, vi præposit. quæ inest in ipso verbo. *Plaut. Pœn.* 4. 2. 96. Tantum eum instat exitii. ¶ 3. Item latiori sensu est urgere, insistere, premere, *incalzare.* — *a*) Cum Dativo. *Liv.* 10. 36. Diversique integri atque intacti abiissent, ni cedenti instaturum alterum, timuissent. Sic *Sueton. Tib.* 16. Instare cedentibus. et *Frontin.* 2. *Strateg.* 6. Fugientibus instaturos victores. *Nepos Eumen.* 4. Neque eo magis ex prælio excessit, sed acrius hostibus institit. *Alii leg.* hostes. *V.* mox sub *c.* Adde *eumd. Epam.* 9. Sic *Virg.* 5. *Æn.* 167. ecce Cloanthum Respicit instantem tergo et propiora tenentem. *che gli era alle spalle.* — *b*) Absolute. *Cic.* 3. *Verr.* 27. 69. Cædere januam saxis, instare ferro. Sic *Sil. It.* 1. 321. instare sude. *Id.* 3. 363. veruto. Cf. *Virg.* 2. *Æn.* 491. Instat vi patria Pyrrhus: nec claustra, neque ipsi Custodes sufferre valent. *Sall. Cat.* 60. Veterani, pristinæ virtutis memores, comminus acriter instare; illi haud timide resistunt. *Cæs.* 3. *B. C.* 46. Audacius nostros premere et instare cœperunt. *Id.* 1. *ibid.* 80. *extr.* Instabat agmen Cæsaris atque universum imminebat. *Auct. B. G.* 8. 14. Ut discedere ex eo loco, sine periculo, barbari, militibus instantibus, non possent. *incalzandogli i soldati.* *Auct. B. Afr.* 69. Quum et proficiscentes insequerentur, et refugerent instantes. *Justin.* 23. 3. Instantibus hinc Carthaginiensibus, inde Romanis. *essendogli addosso.* *Ovid.* 5. *Met.* 162. Sustinet instantes. Instabant parte sinistra Chaonius Molpeus, dextra Nabathæus Ethemon. — Passive impersonaliter. *Tac.* 3. *Ann.* 21. Sed Tacfarinas perculsis Numidis et obsidia aspernantibus spargit bellum, ubi instaretur, cedens, ac rursum in terga remeans. — *c*) Cum Accusativo. *Plaut. Curc.* *a.* 3. *v.* 6. Si me instabunt, ad prætorem sufferam. *Alii leg.* mi. ¶ 4. Speciatim *quod instat* (It. *ciò che preme*), est quod imminet et præsentem postulat curam. *Cic.* 2. *Invent.* 11. 37. Quare, ante factis omissis, illud quod instet, agi oportere. *Virg.* 9. *Ecl.* 66. Desine plura puer, et quod nunc instat, agamus.

II.) Translate. ¶ 1. Universim est persistere, pergere, animo instare, incumbere. — *a*) Generatim. *Cic.* 13. *Att.* 32. Quamobrem, ut facis, urge, insta, perfice. *Id. Fontej.* 1. 1. Insector ultro atque insto accusatori, judices; insector, inquam, et flagito testes. — Sic cum Accusativo *instare viam* est insistere, pergere. Translate. *Plaut. Asin.* 1. 1. 39. Estne hoc, ut dico, Libane? LI. Rectam ut instas viam! *come tocchi il punto!* — Passive impersonaliter. *Liv.* 2. 44. *sub fin.* Profecto, si instetur, suo milite vinci Romam posse. — *b*) Speciatim *instare alicui rei* est urgere, sedulam dare operam sine intermissione. *Virg.* 1. *Æn.* 508. instans operi regnisque futuris. Sic *Plin. Paneg.* 18. Nec ducum quisquam aut non amari a militibus, aut amari timet: et inde offensæ gratiæque pariter securi, instant operibus, adsunt exercitationibus, arma, mœnia, viros aptant. Adde *Sil. It.* 2. 407. Cf. *Virg.* 9. *Æn.* 350. hic furto fervidus instat. *Tac. Agric.* 18. Non ignarus instandum famæ, ac prout prima cessissent, fore universa. *non doversi lasciar languire.* Sic *Sil. It.* 7. 177. sed enim de more parentum Grato cursabat studio instabatque senectæ. *Id.* 1. 268. Ergo instat fatis. (*Id.* eodem sensu dixit 12. 45. addere cursum fatis. *et* 5. 234. fata irritare. et *Virg.* 2. *Æn.* 653. fato urgenti incumbere). Sic *Ammian.* 17. 9. Ultimis hostium fatis instamus. Cf. *eumd.* 19. 1. Eruendæ urbis apparatu nisibus magnis instabat. *Ovid.* 2 *Art. am.* 535. Quid moror in parvis? animus majoribus instet. — Et cum Accusativo. *Novius* apud *Non.* p. 212. 30. *Merc.* Instat mercaturam; spero, rem faciet: frugi est homo. *Virg.* 8. *Æn.* 433. Parte alia Marti currumque rotasque volucres instabant. *h. e.* urgebant fabricando. Est enim sermo de Cyclopibus Vulcani ministris. — Et cum Accusativo et præpos. *ad*. *Aurel. Vict. epit.* 15. Instantibus patribus ad eos persequendos. — Et cum Infinito. *Liv.* 25. 29. Incertus primo, utrum sequeretur, Appium institit sequi. *Id.* 35. 11. Converso agmine redire institit consul. *V.* alia hujusmodi allata a *Drakenborg.* ad *Liv.* 30. 12. et cf. INSISTO. ¶ 2. Speciatim est flagitare, *insistere, fare istanza.* — *a*) Absolute. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 2. Nolo cum Pompejo pugnare: satis est, quod instat de Milone. *Id.* 3. *Att.* 15. Quod profecto quum sua sponte, tum, te instante, faciet. *ad istanza tua.* *Id.* 1. *Orat.* 22. 99. Cupienti atque instanti negare. *Liv.* 2. 4. Evincunt instando, ut etc. — *b*) Cum Conjunctivo et part. *ut, ne.* *Ter. Heaut.* 5. 1. 22. Unum instat, ut conficiantur nuptiæ. *Cic. Quinct.* 10. 34. Tibi instat Hortensius, ut eas in consilium. *Curt.* 6. 7. 29. Rex item quærens, an Philotam adisset? an institisset ei, ut perveniret ad se? perseverante eo affirmare etc. — *Plaut. Cas.* 2. 5. 33. Uxor acriter tua instat, ne mihi detur. — *c*) Cum Infinito. *Cic.* 5. *Verr.* 59. 136. Instat Scandilius poscere recuperatores. *insiste, persiste.* ¶ 3. Hinc etiam de oratione usur-

petur: ad rem *Ter. Andr.* 1. 1. 20. Ego illud sedulo negare factum: ille instat factum. *h. e.* contendit factum esse. *persiste a dire. Virg.* 12. *Æn.* 47. Ut primum fari potuit, sic institit ore. *Val. Flacc.* 1. 301. Visa coronatæ fulgens tutela carinæ Vocibus his instare duci. Cf. *Sil. It.* 7. 458. Dumque hic aligeris instat Cytherea etc. h. e. aligeros precibus fatigat. — Hinc Part. præsens, cujus multa exempla etiam supra retulimus,

Instans, antis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Instantior* et Sup. *Instantissimus* II.; et

I.) Proprie est qui stat in aliquo loco; *V.* supra sub I. 1.; hinc latiori sensu (*V.* supra sub I. 2. et 3.) est qui instat, præsens, imminens, *presente*, ἐνεστώς. — a) Generatim. *Cic.* 4. *Tusc.* 6. 11. Quæ enim venientia metuuntur, eadem afficiunt ægritudine instantia. *Id.* 2. *Orat.* 25. 105. In deliberationibus plerumque ex controversia futuri, raro etiam ex instantis, aut facti. Cf. *Nepos Themist.* 1. Quod et de instantibus (ut ait Thucydides) verissime judicabat, et de futuris callidissime conjiciebat. Rursus *Cic.* 11. *Phil.* 10. 24. Vereor, ne exercitus nostri tardentur animis, si quidquam aliud a nobis, nisi de instanti bello, cogitatum putent. *Nepos Pausan.* 3. Pecunià et potentià instans periculum depellere. *Aurel. Vict. epit.* 4. Instans uxoris partus. *Cic.* 2. *Herenn.* 5. 8. Id dividitur in tempora tria, præteritum, instans, consequens. In *vet. S. C. circa ann. U. C.* DCCC. apud *Heinec. cl.* 7. n. 11. CONVENIT FELICITATI SAECVLI INSTANTIS. *del secolo che corre.* — b) Hinc speciatim apud Grammaticos *tempus instans* in verbis est tempus præsens. *Charis.* 2. p. 147. *Putsch.* et *Diomed.* 1. sæpe.

II.) Translate est urgens, flagitans. *Sueton. Aug.* 65. Deprecans et pertinacius instans. *Auct. B. G.* 8. 31. Non dubitabat, quin dato spatio ac tempore, eodem instante Dumnaco, possent concitari. *Horat.* 3. *Od.* 3. 1. Justum et tenacem propositi virum Non vultus instantis tyranni Mente quatit solida. *h. e.* urgentis, minitantis. Cf. *Tac.* 4. *Hist.* 83. Donec eadem species (*per quietem oblata*) terribilior jam et instantior exitium ipsi regnoque denunciaret. *Quintil.* 11. 3. 92. Gestus in exprobrando et arguendo acer atque instans. *Id.* 11. 3. 164. Argumentatio plerumque agilior et acrior et instantior consentientem orationi postulat etiam gestum, id est fortem celeritatem. *Tac.* 2. *Ann.* 56. Nota hæc Germanico: sed præverti ad Armenios instantior cura fuit. *più pressante, più urgente. Gell.* 13. 24. a *med.* Duplex eadem compellatio admonitionem facit instantiorem. *Augustin.* 1. *Retract.* 19. *extr.* Instantissima petitio.

INSTRĂGŬLUM, i, n. 2. (insterno) stragulum, *coperta*, στρῶμα. *Cato R. R.* 10. et 11. *extr.* Culcitas quatuor, instragula quatuor, pulvinos sex.

INSTRĀMENTUM, i, n. 2. (insterno) idem quod stramentum, stragulum. *Augustin. Serm.* III. edente *A. Mai.* in *Spicil. T.* 8. p. 719. Dum itaque in unius discubitionis instramento jactati. *Cod. tamen habet* instrumentum.

INSTRĀTUM, i, n. 2., et

INSTRĀTUS, a, um. *V.* INSTERNO.

INSTRĒNŬĒ, adverb. (instrenuus) non strenue. *Justin.* 17. 2. 1. In eo bello Lysimachus non instrenue moriens.

INSTRĒNŬUS, a, um, adject. (in *privat.* et strenuus) imbellis, timidus, piger, ad res gerendas minime promptus, *non valente, non generoso*, ῥάθυμος. *Plaut. Most.* 1. 2. 23. Atque ubi illo immigrat nequam homo, indiligens, cum pigra familia, immundus, instrenuus etc. *Ter. Heaut.* 1. 1. 67. Tamen animi est pudentis signum et non instrenui. *Sueton. Vesp.* 4. Ad hunc motum comprimendum quum exercitu ampliore et non instrenuo duce — opus esset etc.

INSTRĔPĬTO, as, are, n. 1. *frequentat.* ab instrepo. Occurrit Part. *Instrepitans* apud *Venant.* 3. *carm.* 9. 26. Floribus instrepitans (*apis*) poplite mella rapit.

INSTRĔPO, strĕpis, strĕpŭi, strĕpĭtum, strĕpere, n. 3. (in *et* strepo) idem ac strepere, cum quadam tamen intentione soni ex vi præpositionis accedentis, ut sit gravem strepitum et sonum emittere, *fare strepito*, ἐμβομβέω. *Virg.* 3. *G.* 172. Post valido nitens sub pondere faginus axis Instrepat. *Liv.* 4. 43. *ad fin.* Unde si quid instrepat terroris etc. *Al. leg.* increpat. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 222. nec dentibus unquam Instrepis horrendum. *h. e.* infrendes. — Cum Accusativo more Græcorum. *Apul.* 2. *Met.* Sic ille senior lamentabiles questus singultim instrepebat.

INSTRICTŪRA, æ, f. 1. (instringo) instringendi actus, strictura. *Isid.* 19. *Orig.* 10. Intinctio ferri in aquam instrictura est. *Perperam vulgati libri habent* instructura; *rectius ed. Areval.* strictura.

INSTRICTUS, a, um. *V.* INSTRINGO.

INSTRĪDĔO, des, dere, n. 2. (in *et* strideo) idem quod stridere, vel in aliquo loco stridere. Occurrit tantum Part. *Instridens* apud *Sil. It.* 14. 435. Fax nidore gravi fœdavit comminus auras Ambusto instridens pelago.

INSTRINGO, stringis, strinxi, strictum, stringere, a. 3. (in et stringo). Part. *Instrictus* I. et II. — Instringere est idem quod stringere, vel valde stringere, *stringere*.

I.) Proprie. *Apul.* 9. *Met.* Feralibus amiculis instrictus atque obditus. *Quintil. Declam.* 5. 16. Jacet inter vincula, quibus instringat adhuc recentem pirata captivum. *Auct. collat. leg. Mosaic.* et *Rom. tit.* 1. § 6. Si gladium instrinxit, aut telo percussit, quid dubium est, quin occidendi animo percusserit? *Isid.* 19. *Orig.* 10. Constructio autem vel instructio vocata eo quod instringat et cohærere faciat.

II.) Translate. *Apul.* 8. *Met.* Dolore pellicatus uxor ejus instricta. — Tribuitur etiam *Catullo* 76. 11. Quin te animo obfirmas, teque instringisque reducisque. *Alii melius leg.* teque istinc usque reducis.

INSTRUCTĒ, adverb. (instructus) cum apparatu, aut ordine. Occurrit tantum Comp. *Instructius* apud *Liv.* 1. 35. Ludos opulentius instructiusque, quam priores reges, fecit. *Apul. de Mag.* Instructius accusare.

INSTRUCTĪLIS, e, adject. (in *privat.* et structilis) non structilis, ut Instructilis anima, *Tertull. Anim.* 14.

INSTRUCTĬO, ōnis, f. 3. (instruo) actus instruendi, ædificatio, *fabbrica*, κατασκευή.

I.) Proprie. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 35. Si instructio novi balinei oneratura vires Prusensium non est. *Ammian.* 20. 7. Munimentum instructione varia inaccessum. *Vitruv.* 5. 9. *a med.* Tubulorum instructio in cloacas. *h. e.* immissio in parietibus cloacarum, et in ipsas cloacas inclinatio.

II.) Translate. ¶ 1. Est præparatio, dispositio, ordinatio, *disposizione, ordinanza. Cic. Cæcin.* 15. 43. Sæpe clamore ipso militum, aut instructione aspectuque signorum magnas copias pulsas esse audivimus. *Ammian.* 28. 1. Instructiones vel ex ipsis tabulariis suppeterent publicis. — ¶ 2. Hinc pro institutione, *instruzione. Arnob.* 5. 15. Illam (*historiam*) quotidie perlegi, et futuri temporis pro instructione per ordinem succedentium tradi. *Veget.* 6. *Veterin.* 27. 9. Ne longior liber confusionem magis legentium, quam instructionem videretur afferre etc.

INSTRUCTOR, ōris, m. 3. (instruo) qui instruit et apparat, *apparecchiatore*, κατασκευαστής. *Cic. post redit. in sen.* 6. 14. Hi sunt conditores instructoresque convivii.

INSTRUCTŪRA, æ, f. 1. (instruo) instructio et dispositio rei alicujus, *cumulo, costruzione, ordinanza.* — a) De qualibet lapidum structura. *Frontin. de colon.* p. 122. *Goes.* Variis autem locis per instructuras, arcas, rivorum vel fluminum cursus, sed et juga montium atque supercilia fines servantur. *Auct. agr. r.* 251. *Goes.* Deficientibus (*fossatis*) terminos posuimus, aut certe instructuram fecimus, deinde limitem opere manu factum constituimus. — b) De acie. *Frontin.* 2. *Strateg.* 3. *a med.* Quadrigæ exterritæ clamore turbaverunt Macedonum instructuram. — c) Et de verborum structura. *Fronto* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 1. Ut in compositionis instructura æque mollitia sit delictum, quam in sententiis impudentia.

INSTRUCTUS, a, um. *V.* INSTRUO.

INSTRUCTUS, us, m. 4. (instruo) apparatus, copia, ornatus, *provvisione, apparecchio. Cic.* 3. *Orat.* 6. 23. Oratio, quocumque ingreditur, eodem est instructu ornatuque comitata. *Apul.* 11. *Met.* Instructum teletæ comparo. *V.* TELETA.

INSTRŬMENTUM, i, n. 2. (instruo) copia et apparatus earum rerum, sine quibus tueri aut exercere quippiam non licet, supellex, ἐργαλεῖον, τὰ σκεύη (It. *masserizie, mobili, fornimento, arredo, suppellettile, arnesi*; Fr. *ustensile de toute espèce, instrument, ameublement, mobilier, appareil*; Hisp. *utensilio, instrumento, alhaja, mueble, aparato*; Germ. d. *Mittel z. Einrichtung, Geräth, Werkzeug, Hülfsmittel, Zierde, Tracht, Kleidung*; Angl. *furniture, effects, goods, provision, moveables, utensils, implements, equipage, gear*).

I.) Proprie. — a) Generatim. *Cic.* 6. *Verr.* 44. 97. Hostium spolia, monumenta imperatorum, decora atque ornamenta fanorum posthac, his præclaris nominibus amissis, in instrumento ac supellectili C. Verris numerabuntur. *Id.* 5. *ibid.* 21. 53. Quum arationes magnas conductas haberet, easque magna impensa, magno instrumento tueretur. Confer *Caton. R. R.* 1. Villa instrumenti magni ne siet. *non sia di grande apparato e spesa. Id. ibid.* 10. et 11.; et *Pallad.* 1. *R. R.* 43. instrumentum rusticum enumerat: quod *Varro* 1. *R. R.* 17. 1. ex quorumdam sententia in tria genera dividit, *vocale*, in quo sunt servi; *semivocale*, in quo sunt boves; *mutum*, in quo sunt plaustra: ex aliorum in duo, homines scilicet et adminicula hominum. Rursus *Cic.* apud *Colum. R. R. præfat.* 12. Agrestia instrumenta. *Id. Dom.* 24. 62. In fundum vicini consulis non modo instrumentum aut ornamenta villæ, sed etiam arbores transferebantur. — In *Dig.* titulus est 7. *lib.* 33. qui *De instructo, vel instrumento legato* inscribitur: ubi *instructo* subintelligitur *fundo*: *instrumentum* itidem ad fundum pertinet. Porro hæc duo ita differunt, ut si *fundus cum instrumento* legatus sit, omnia instrumenta, quæ ad fundi culturam pertinent, legato contineantur: si vero *fundus instructus*, non tantum agri instrumentum, sed et proprium suum instrumentum dominus legasse videtur: quæ sunt verba *Ulpiani* in *Dig.* 33. 7. 12. § 27. Quare *instructo legato* et supellex continebitur, quæ illic fuit usus ipsius domini gratia, et vestis non solum stragula, sed et qua uti solebat: mensæ quoque eboreæ, item vitrea, et aurum, et argentum, vina quoque etc. V. *Brisson. de formul.* 7. 81. — Ceterum *Cæs.* 6. *B. G.* 30. Omni militari instrumento, quod circum se habebat, erepto. *bagaglio, equipaggio.* Adde *Liv.* 42. 1.; et *Ammian.* 19. 11. Rursus *Cæs.* 5. *B. G.* 31. Instrumenta hibernorum. *Sueton. Aug.* 71. Quum nihil sibi præter unum murrhinum calicem ex instrumento regio retinuerit. *Id. Cæs.* 37. Primum triumphum egit Gallicum, sequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, diverso quemque apparatu et instrumento. Cf. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 1. 2. Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, prœliis, oppugnationibus, navalibus pugnis totiusque belli instrumento et apparatu, ut etc. *Plin.* 3. *Ep.* 19. Instrumentum venatorium. *Martian. Dig.* 33. 2. 17. piscatorium et balnearium. et *ibid.* 33. 7. 17. pictoris. *Colum.* 4. *R. R.* 3. 2. Liberos avare nutrire, nec disciplinis aut ceteris corporis instrumentis excolere. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 131. Instrumenta artis. *gl' instrumenti.* Sic *Ovid.* 3. *Met.* 697. crudelis jussæ Instrumenta necis, ferrumque ignisque parantur. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 50. 51. (168). Ciborum instrumenta. *h. e.* omnia membra, per quæ cibus conficitur. *Sueton. Aug.* 73. Instrumenti ejus et supellectilis parcimonia apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatæ elegantiæ sint. — *Instrumentum tricliniorum* in *Inscript.* apud *Gruter.* 215. 2. est omne vasorum genus, quo in tricliniis veteres utebantur; ut *Instrumentum cocinatorium* apud *Ulp. Dig.* 34. 2. 9. § 12. quo in culinis. Cf. *Justin.* 38. 10. 4. Culinarum quoque argentea instrumenta fuere, prorsus quasi ad epulas, non ad bella pergerent. *Sueton. Cæs.* 84. Vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, etc. Sic apud *Aurel. Vict. epit.* 16. instrumenta dicuntur vestes. *Ammian.* 14. 6. Organa fabricantur hydraulica, et lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiæque et histrionici gestus instrumenta non levia.

II.) Translate de plurimis dicitur. — a) *Instrumenta litis* sunt ea, quibus causa instruitur et probationibus firmatur, et speciatim tabulæ, chirographa, *instrumenti, carte, scritture, processi. Quintil.* 12. 8. 12. Opus est intueri omne litis instrumentum: quod videre non est satis, perlegendum

est. *Modestin. Dig.* 2. 14. 35. Instrumentum divisionis. *Paul. ibid.* 24. 3. 49. et 26. 7. 42. dotis. *Scævola ibid.* 24. 1. 58. emptionis. — *b*) Etiam acta publica *instrumenta* dicuntur. *Sueton. Cal.* 9. Ego in actis Antii editum (*Cajum*) invenio. et mox. Sequenda est igitur, quæ sola restat, publici instrumenti auctoritas. Cf. *Inscript.* apud *Henzen.* 7215. EPISTVLAM PRO PERFECTO INSTRVMENTO RETINEBITIS. — *c*) *Instrumentum imperii* dicitur tabularium publicum in Capitolio, ubi senatusconsulta et plebiscita servabantur. *Sueton. Vesp.* 6. Ærariarum tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus; instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur pæne ab exordio Urbis senatusconsulta, plebiscita de societate et fœdere ac privilegio, cuicumque concessis. — *d*) Hinc inter officia domus Augustæ fuit servus *ab instrumentis*, qui scilicet eorum conficiendorum curam habebat. *Inscript.* apud *Gruter.* 586. 2. VALENTINVS, QVI ET POTINIANVS AVG. N. VERN. LIBR. AB INSTRVM. *Alia* apud *Murat.* 913. 2. PERVSIO AVGG. NN. AB INSTRVMENTIS. — *e*) Latiori significatione. *Cic.* 1. *Orat.* 36. 165. In oratoris instrumento tam lautam supellectilem numquam videram. *Id.* 2. *ibid.* 34. 146. Hoc instrumentum causarum et generum universorum in forum deferre debemus. *Tac.* 4. *Hist.* 7. Nullum majus boni imperii instrumentum, quam bonos amicos. — *f*) Itaque commode sic dicitur omne subsidium ac præsidium ad aliquid agendum, *mezzo, ajuto. Cic.* 1. *Legg.* 22. 59. Quanta instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam. *Id.* 2. *Cat.* 5. 9. Industriæ subsidia atque instrumenta virtutis in libidine audaciaque consumere. *Id. Brut.* 97. 331. Eloquentiam locupletare graviorum artium instrumento. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 16. 30. (100). Vitæ nitidioris instrumenta. *Quintil.* 12. 11. 24. Quod instrumentum dicendi M. Tullio defuit? *Gell.* 18. 7. Utinam muti omnes homines essemus! minus improbitas instrumenti haberet. *Justin.* 1. 1. 8. Quum proxima quæque victoria instrumentum sequentis esset. — *g*) Pro ornamento simpliciter. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 9. Felices ornent hæc instrumenta libellos. *ornamenti, abbellimenti.* — *h*) Pro vestitu et cultu. *Ovid.* 14. *Met.* 766. in juvenem rediit, et anilia demit Instrumenta sibi. — *Instrumenta itineris* apud *Quintil. Declam.* 359. dicuntur ea, quæ viantibus necessaria sunt, quæque vectigali obnoxia minime habentur.

INSTRŬO, struis, struxi, structum, struere, a. 3. (in *et* struo). Part. *Instruens* I. 3.; *Instructus* in fin.; *Instruendus* I. 3. et II. 1. et 2. — Instruere est in aliquo loco struere, ædificare, construere, exstruere, κατασκευάζω (It. *fabbricare, costruire*; Fr. *élever, construire, bâtir*; Hisp. *construir, fabricar, erigir un edificio*; Germ. *bauen, errichten, anrichten*; Angl. to *construct, build*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cæs.* 2. *B. C.* 9. Ubi turris altitudo perducta est ad contabulationem, eam (*contabulationem*) in parietes instruxerunt ita, ut capita tignorum extrema parte structuræ tegerentur. *h. e.* struendo immiserunt. Sic *Vitruv.* 5. 9. *a med.* Instruere tubulos in parietibus. *Nepos Themist.* 6. Postquam audierunt muros instrui, legatos Athenas miserunt. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. 48. (169). Ex terra parietes inferciuntur verius, quam instruuntur. *Auct. B. G.* 8. 41.; et *Tac.* 2. *Hist.* 22. Instruere aggerem. *Curt.* 9. 10. tuguria conchis et ceteris purgamentis maris. *Inscript.* apud *Henzen.* 6626. BALNEVM CVM BASILICA A SOLO INSTRVXIT. ¶ 2. Latiori sensu est disponere, ordinare, *ordinare, disporre*, præcipue in re militari. *Cato* apud *Gell.* 15. 13. Exercitum suum pransum, paratum, cohortatum eduxit foras atque instruxit. *Plaut. Amph.* 1. 1. 66. Nos nostras more nostro et modo instruximus legiones: item hostes contra suas instruunt. *Ter. Eun.* 4. 7. 11. Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo. *Cic. Mur.* 9. 22.; et *Cæs.* 1. *B. G.* 22. Copias in collem subducit, aciem instruit. Similiter *Cic.* 2. *Cat.* 11. 24. Instruite nunc, Quirites, contra has Catilinæ copias vestra præsidia, vestros exercitus. Adde *Nepot. Miltiad.* 5.; *Liv.* 3. 22., 3. 60. et alibi sæpe: et V. *Instructus* in fine sub I. *a.* — Et cum Dativo. *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 10. *p.* 905. *Putsch.* Neque se recipere, aut instruere prœlio quivere. *Id.* apud *Arusian. p.* 237. *Lind.* Antequam egressus Sertorius instrueret pugnæ suos. ¶ 3. Item latiori sensu est collocare, struere, parare, moliri. *Cic. Cluent.* 66. 190. Instruere insidias in loco aliquo. *Catull.* 21. 7. Insidias mihi instruens. *Liv.* 6. 23. Locum insidiis instruere. *h. e.* parare. Alii aliter leg. *Id.* 23. 35. Instruendæ fraudi aliquanto intentior. Similiter *Justin.* 9. 8. 9. Gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia, solemnis illi (*Philippo*) consuetudo. *Id.* 5. 2. 10. Memorem esse debere, alienam se victoriam, non suam instruere. Huc referri potest et illud *Colum.* 11. *R. R.* 2. 25. His diebus commode instruuntur horti. ¶ 4. Item apparare, adornare, de rebus necessariis prospicere, *provvedere, fornire, allestire, corredare, armare. Ennius* apud *Cic. Orat.* 27. 93. Domus auro, ebore instructa regifice. *Cic.* 6. *Verr.* 5. 9. Instruere domum. *Id. ibid.* 27. 62. Instruere et parare convivium omnibus rebus. *Ovid.* 8. *Met.* 571. mensas epulis. *Liv.* 26. 13. epulas. *Sueton. Tib.* 43. cubicula libris. *Liv.* 6. 5. agrum. *h. e.* cultoribus et instrumento rustico ornare. *Justin.* 6. 3. 1. classem. *Id.* 29. 4. 4. naves. *Colum.* 4. *R. R.* 3. 1. navigia armamentis ministrisque. *Plin.* 8. *Ep.* 18. *ad fin.* Fuit tam copiosus, ut amplissimos hortos, eodem quo emerat die, instruxerit plurimis et antiquissimis statuis. *Virg.* 8. *Æn.* 80. socios armis. *Sueton. Ner.* 44. aliquos securibus. *Ovid.* 2. *Fast.* 318. *de Omphale.* Cultibus Alciden instruit illa suis. *veste a adorna. Justin.* 16. 7. 11. Instruere aliquos commeatibus. *Id.* 22. 6. 12. frumento et stipendio victorem. *Sueton. Vesp.* 14. Filiam splendidissime maritavit, dotavit etiam et instruxit. *e provvide di tutto il bisognevole.* Singularis est loquendi ratio in illo *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 34. Instruere mulieri aurum atque ornamenta. Adde *eumd. ibid.* 4. 3. 7. V. *Instructus* in fin. sub I. *b.*

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — *a*) *Instruere accusationem, litem* etc. est tabulis, testibus ceterisque ad agendum necessariis adornare ac munire. *Cic. Cluent.* 6. 18. Hoc ipsum judicium, hoc periculum, illa accusatio, omnis testium copia, a matre initio est adornata, a matre hoc tempore instruitur. *Plin.* 10. *Ep.* 85. Ut longiorem diem ad instruendam causam darem, petit. — Similiter *Cic. Brut.* 59. 216. Quum tardus in cogitando, tum in instruendo dissipatus fuit. *h. e.* in componendo. — *b*) Instruere se, *provvedersi, mettersi all'ordine, allestirsi. Cic.* 6. *Verr.* 26. 60. Ne cui forte nimium negligens fuisse videatur, neque se satis, quum potestatem habuerit, instruxisse et ornasse. *Id. ibid.* 19. 41. Ad judicium nondum se satis instruxerat. *Id.* 5. *Att.* 6. Instruar etiam consiliis idoneis ad hoc negotium. *Ovid.* 13. *Met.* 544. seque armat et instruit irâ. ¶ 2. Speciatim et sæpe significat docere, erudire, *instruire, informare, insegnare. Cic. Cæl.* 30. 72. Disciplinæ et artes, quibus instruimur ad hunc usum forensem, ad capessendam rempublicam, ad honorem, gloriam, dignitatem. *Ovid.* 6. *Met.* 590. deque Ritibus instruitur. *Quintil.* 4. 2. 86. Protinus judex notitia rerum instruendus videtur. *Id.* 1. *proœm.* 23. Instruere aliquem scientia alicujus rei. *Petron. Satyr.* 140. salubribus præceptis juvenes. *Sueton. Gramm.* 10. aliquem de arte scribendi præceptis. *Plin.* 10. *Ep.* 97. ignorantiam alicujus. — Hinc Part. præter. pass.

Instructus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Instructior* I. et II., et Sup. *Instructissimus* II.

I.) Proprie, latiori occurrit significatione, et — *a*) Est ordinatus, dispositus, in re militari (*V.* supra sub I. 2.), *ordinato. Liv.* 4. 18. Exercitus ita stetit instructus, ut dextrum cornu Vejentes, sinistrum Falisci tenerent. *Id.* 1. 15. Romanus instructus dimicationi. *Id.* 3. 8. Instructi milites. Cf. *Ovid.* 4. *Pont.* 10. 9. miles. *Id.* 1. *ibid.* 1. 19. eques. *Cæs.* 1. *B. G.* 48. Instructa acies. Sic *Nepos Eumen.* 8. Instructa acie confligere. et *Virg.* 11. *Æn.* 449. Instructos acie descendere Teucros. *Sall. Cat.* 62. Instructi ordines. — *b*) Item ornatus, paratus, munitus, *fornito, provveduto*, κατασκευασθείς (*V.* supra sub I. 4.). *Cic.* 2. *Nat. D.* 37. 95. Domicilia ornata signis atque picturis, instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur. *Id.* 4. *Verr.* 34. 84. Domum exornatam et instructam iste reddiderat nudam et inanem. *Id.* 6. *ibid.* 27. 62. Omnibus rebus instructum et paratum convivium. *Ovid.* 4. *Met.* 762. convivia pulcro instructa parata. *Id.* 11. *ibid.* 167. Fides instructa gemmis et dentibus Indis. *ornata, intarsiata. Cic.* 7. *Verr.* 51. 133. Instructæ ornatæque naves. *Id. pro leg. Manil.* 8. 20. Mithridatis copiæ omnibus rebus ornatæ atque instructæ. *Id.* 10. *Phil.* 4. 9. Græcia copiis non solum instructa, sed etiam ornata. *Id.* 15. *Fam.* 1. Nos quemadmodum instructos, et quibus præsidiis munitos ad tanti belli opinionem miseritis, non estis ignari. *Justin.* 17. 2. 13. Antiochus opibus, quam militibus instructior erat. *Virg.* 12. *Æn.* 124. Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis Pugna vocet. — *De instructo fundo* V. INSTRUMENTUM I.

II.) Translate. — *a*) Pro ordinato, disposito. *Ter. Phorm.* 2. 2. 7. Cedo senem: jam instructa sunt mihi in corde consilia omnia. *Cic.* 1. *Legg.* 13. 39. Res satis scite instructæ et compositæ. — *b*) Est etiam ornatus, paratus, et refertur ad animum. *Cic. Orat.* 5. 20. Ad permovendos et convertendos animos instructi et parati. *Id.* 2. *Fin.* 17. 57. Instructus ad mortem contemnendam, ad exsilium, ad ipsum dolorem. *Id.* 3. *Orat.* 8. 31. Ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur. *Id.* 1. *ibid.* 58. 249. Satis instructi in jure civili. *Id. ibid.* 16. 73. Omnibus ingenuis artibus instructus. *Brutus* apud *Cic.* 1. *Brut.* 17. Artibus instructissimus. *Ovid.* 15. *Met.* 479. Talibus atque aliis instructo pectore dictis. *instruito. Justin.* 20. 4. 5. Pythagoras instructus legibus Minois et Lycurgi. *informato, fatto pratico. Liv.* 34. 61. Aristonem instructum mandatis ab Hannibale venisse. *con instruzioni: incaricato di commissioni. Cic. Brut.* 43. 161. Nisi qui a philosophia, a jure civili, ab historia esset instructior. — In malam partem. *Cic. Vatin.* 1. 3. Accusatores instructi et subornati. *Virg.* 2. *Æn.* 152. dolis instructus et arte Pelasga. *Ter. Heaut.* 3. 1. 41. Instructa pulcre ad perniciem. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 25. Vitiis instructior.

INSTŬDIŌSUS, a, um, adject. (in *privat.* et studiosus) non studiosus, ἀφιλόπονος. *Apul. de Mag.* Medicinæ neque instudiosus, neque imperitus.

INSTŬPENS, entis, adject. (in *intent.* et stupeo) idem ac stupens, aut valde stupens, stupidus, expers sensus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 7. (38). Torporem sedari, quocumque membro instupente, si quis in sinum exspuat. *Sillig.* ex optimis Codicib. leg. *stupente*, et quidem rectius.

INSUASUM, i, n. 2. *Paul. Diac. p.* 111. 9. *Müll.* Insuasum appellabant colorem similem luteo, qui fiebat ex fumoso stillicidio. *V.* SUASUM. *Plaut. Truc.* 2. 2. 16. Quia tibi insuaso infecisti, propudiosa, palliulam? *Alii leg.* Quia tibin' suaso etc. *Gloss.* tamen *Philox.* Insuasum, εἶδος δοχαρίου κεκαπνισμένου. *V.* IMPLUVIATUS.

INSUASUS, a, um, adject. (in *privat.* et suasus) non suasus. *Gloss. Philox.* Insuasum, ἀσυμβούλευτον.

INSUAVIS, e, adject. (in *privat.* et suavis). Comp. *Insuavior* et Sup. *Insuavissimus.* — Insuavis est non suavis, injucundus, tristis, asper, *ingrato, spiacevole, scipito, nojoso*, ἀηδής. *Colum.* 12. *R. R.* 51. *extr.* Oleum non insuavis odoris. *Vitruv.* 8. 1. Aqua limosa et insuavis. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 16. 97. (154). Herba cibo non insuavis. *Cic. Orat.* 49. 163. Versus insuavissima littera inquinatus. *V.* in A. *Id. ibid.* 47. 158. Ipsum meridiem cur non medidiem? credo, quod erat insuavius. *Gell.* 18. 11. Voces dicta profatuque ipso tetræ, aut insuaves. *Cic.* 3. *Herenn.* 12. 22. Quid insuavius, quam clamor in exordio causæ? *Id.* 10. *Att.* 4. Ipsius videmus vitam insuavem reddidisse. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 84. paullum deliquit amicus, Quod nisi concedas, habeare insuavis.

INSUAVĪTAS, ātis, f. 3. (insuavis) acerbitas, molestia, *spiacevolezza. Gell.* 1. 21. Insolentia et insuavitas dictionis. *Tertull. Pænit.* 10. Per insuavitatem medentur.

INSUAVĬTER, adverb. (insuavis) non suaviter. *Boeth.* 1. *Music.* 8. *p.* 1069. Quum alter sonus alteri officit, ad sensum insuaviter uterque transmittitur. *Id.* 5. *ibid.* 10. *p.* 1107. Voces dissonæ sunt, quæ non permiscent sonos atque insuaviter feriunt sensum.

INSUBDĪTĪVUS, a, um, adject. (in *privat.* et subditivus) qui subdi nequit, non subditivus. *Tertull. advers. Valentin.* 27. Proinde nec matris se-

men admisit injurias, eque insubditivum, et ne ipsi quidem demiurgo compertum. *h. e.* non obnoxium passioni. Sermo autem est de Virgine Maria, quæ viri vim passa non est.

INSŬBĪDĒ, adverb. (insubidus) præcipitanter, priusquam subeat, aut veniat in mentem, quid faciamus, aut quid dicamus, *senza considerazione.* Alii exponunt invenuste, rustice. *V.* vocem seq. *Macrob.* 7. *Saturn.* 14. Ipsam vero videndi naturam non insubide introspexit Epicurus. *Gell.* 1. 2. Multa atque immodica de philosophiæ doctrinis intempestive atque insubide disserebat. *Al. leg.* insolite.

INSŬBĪDUS, a, um, adject. Comp. *Insubidior.* — Insubidus est improvidus, inconsideratus, cui non *subit,* quid agendum sit: vel a *subidus* (quam vocem vide suo loco) ut præpositio *in* augeat vim significationis. Alii exponunt, invenustus, rusticus, truculentus, durus. *Gell.* 19. 9. Sed ne nos, idest nomen Latinum, tamquam profecto vastos quosdam et insubidos ἀναφροδισίας condemnetis. *Id.* 6. 1. Nihil est prorsus istis imperitius, nihil insubidius, qui opinantur, bona esse potuisse, si non essent ibidem mala. *Id.* 13. 20. relato Virgilii versiculo *Urbis ne invisere, Cæsar etc.,* subdit: Verte, et muta, ut *urbes* dicas, insubidius nescio quid facies et pinguius. *In duobus his posterioribus locis sunt qui legant* insipidius. Rursus *Id.* 18. 8. Ὁμοιτέλευτα quam sint insubida et inertia et puerilia facetissime significat Lucilius. *Lamprid. Commod.* 17. Fuit vultu insubido, ut ebriosi solent. *V.* SUBIDUS.

INSUBJECTUS, a, um, adject. (in *privat. et* subjectus) non subjectus, nulli subditus. *Prudent. Hamartig.* 609. Insubjecte, potens, rerum arbiter. *Al. leg.* In subjecta potens. Certior est lectio apud *Avien. Prognost.* 87. Insubjectum oculis. ἀνυπότακτον τοῖς ὀφθαλμοῖς.

INSUBSTANTĪVUS, a, um, adject. (in *privat. et* substantivus) qui substantia caret. *Ambros.* 1. *Hexæm.* 2. Minuta et insubstantiva principia. *Id.* 3. *de Fide* 7. Non potest insubstantivus Filius Dei esse, per quem cuncta subsistunt.

INSUBTĪLIS, e, adject. (in *privat. et* subtilis) non subtilis, crassus, *grossolano.* Translate. *Papinian. Dig.* 30. 1. 11. Julianus non insubtili ratione motus.

INSUBTĪLĬTER, adverb. (insubtilis) insubtili ratione, *grossolanamente.* Translate. *Ulp. Dig.* 2. 14. 7. *ante med.* Quod non insubtiliter dici potest. Adde *ibid.* 28. 5. 1. *ad fin.*

INSŬBŬLO, as, are, a. 1. *V.* INSILIA et vocem seq.

INSŬBŬLUM, i, n. 2. lignum teres, circa quod licia involvuntur, ἀντίον; hinc porro factum est, ut apud Italos nunc *subbio* appelletur lignum illud, circa quod tela textoris involvitur. *Isid.* 19. *Orig.* 29. Insubulum textoris instrumentum, sic dictum, quod infra et supra sit, vel quia insubuletur. *Gloss. Philox.* Insubulum et Insubluma, ἀντίον. *V.* INSILIA.

INSŪCATUS *vel* insuccatus, a, um. *V.* voc. seq.

INSŪCO *vel*

INSUCCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* succus). Part. *Insuccatus* et *Insuccandus.* — Insuccare est succo imbuere, tingere, immergere, *bagnare, inzuppare, intingere,* ἐμβάπτω. *Colum.* 7. *R. R.* 4. 5. Lana vino et oleo insuccanda. Sic *Id. ibid.* 5. 18. Lanæ oleo atque vino insuccatæ. *Id.* 9. *ibid.* 13. 5. Uvæ passæ austero vino insuccatæ. Adde *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 8.

INSŪDO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (in *et* sudo) idem quod sudare, aut valde sudare, vel in aliqua re sudare, *sudare,* ἐνιδρόω. *Cels.* 2. 2. Si corpus dormientis circa partes aliquas, contra consuetudinem, insudat. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 71. Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos, Queis manus insudet vulgi.

INSŪDUS, a, um, adject. (in *intent. et* sudus) idem ac sudus, aut valde sudus. *Gloss. Philox.* Insudus, ἄνυδρος, ἄβροχος.

INSUEFACTUS, a, um, adject. (in, suesco *et* facio) assuefactus, *assuefatto. Cæs.* 4. *B. G.* 24. Paulatim in aquam progressi equos insuefactos incitarent.

INSUESCO, suescis, suevi, suetum, suescere, 3. (in *et* suesco). Part. *Insuetus* sub *B.* — Insuescere duplici ratione usurpatur; scilicet

A) Neutrorum more, et est assuefieri, *assuefarsi, avvezzarsi,* ἐθίζομαι. — *a)* Cum Dativo. *Tac.* 11. *Ann.* 29. Duas pellices, quarum is corpori insueverit. — *b)* Cum Accusativo et præpos. *ad. Liv.* 5. 6. Ad disciplinam certe militiæ plurimum intererat insuescere militem nostrum, non solum parata victoria frui. — *c)* Cum Infinito. *Ter. Adelph.* 1. 1. 30. Nam qui mentiri, aut fallere insuevit patrem etc. *Lucret.* 4. 1279. Ut facile insuescat secum vir degere vitam. *Sall. Jug.* 8. Secreto monuit, ne quibus largiri insuesceret. *Prudent.* 9. *Cathemer.* 93. Ad brevem se mortis usum dux salutis dedidit, Mortuos olim sepultos ut redire insuesceret.

B) Active est assuefacere, *assuefare.* — *a)* Cum Accus. personæ et rei. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 105. insuevit pater optimus hoc me, Ut fugerem etc. — *b)* Cum Accus. personæ et Ablat. rei. *Colum.* 6. *R. R.* 4. 4. Maxime tamen habetur salutaris amurca, si tantumdem aquæ misceas et ea pecus insuescas. — *c)* Passive. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 6. Ubi cœperunt aliquod incrementum habere, sic insuesci debent, ut etc. — Hinc Part. *Insuetus* apud *Liv.* 24. 48. Ita majores suos bella gessisse, ita se a pueris insuetos.

INSUETĒ, adverb. (insuetus). Comp. *Insuetius.* — Insuete est præter consuetudinem. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 3. Insuete immorari. *Augustin. Ep.* 3. Insuetius perscrutari.

INSUETŪDO, inis, f. 3. (insuetus) consuetudinis privatio, ut Insuetudo cibi, h. e. cui quis non est assuetus. *Spartian. Sever.* 16. Fluente quoque per insuetudinem cibi alvo militum.

INSUETUS, a, um, adject. (in *privat. et* suetus) usurpatur *A)* Active; et *B)* Passive.

A) Active de hominibus dicitur et est qui rei alicui non assuevit, *non avvezzo,* ἀήθης. — *a)* Cum Genitivo. *Cic.* 2. *Att.* 21. Tam acer in ferro, et tam insuetus contumeliæ. *Cæs.* 7. *B. G.* 30. *extr.* Homines insueti laboris. *Id.* 5. *ibid.* 6. Insuetus navigandi. *Id.* 3. *B. C.* 49. Insueti operum. *Nepos Dion.* 7. Insuetus male audiendi. *Liv.* 6. 34. Insuetus moris. — Sic, prægnanti significatione, pro imperito *Cic.* 4. *Herenn.* 4. 6. Videte, ne insueti rerum majorum videamini. — *b)* Cum Dativo. *Liv.* 28. 18. Syphax barbarus insuetusque moribus Romanis. *Tibull.* 1. 4. 42. Manus insuetæ operi. — *c)* Cum Accusativo et præpos. *ad. Liv.* 31. 35. Eques insuetus ad stabilem pugnam. *Id.* 41. 21. *ad fin.* Insueti ad tale spectaculum. *Cæs.* 1. *B. C.* 78. Corpora insueta ad onera portanda. — *d)* Cum Infinito. *Liv.* 4. 31. Mæsta civitas vinci insueta. *Id.* 31. 18. Insuetus vera audire. *Virg.* 10. *Æn.* 364. Arcadas insuetos acies inferre pedestres. — *e)* Absolute, ita tamen ut ex orationis contextu facile id eruatur, cui quis est insuetus. *Justin.* 1. 8. 6. Ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas, non ad prælium venisset, omissis hostibus, insuetos barbaros vino se onerare patitur; priusque Scythæ ebrietate, quam bello vincuntur. *Liv.* 2. 64. Qui (*equi*) insueto sedente equite — sæviebant.

B) Passive dicitur de rebus ipsis, quibus non assuevimus, et insolitum significat, *non usato, insolito. Virg.* 5. *Ecl.* 56. insuetum miratur limen Olympi. *Id.* 1. *ibid.* 50. Insueta pabula. *Id.* 6. *Æn.* 16. Insuetum iter. *Liv.* 3. 52. Insueta solitudo. *Ovid.* 2. *Pont.* 4. 49. reformidant insuetum lumina solem. *Sueton. Domit.* 2. Poeticæ studium tam insuetum antea sibi. *Sil. It.* 5. 12. Isque insueta tubæ monstravit murmura primus Gentibus, et bellis ignava silentia rupit. — Hinc *Insueta,* neutrum plurale, adverbii more. *Virg.* 8. *Æn.* 248. *de Caco.* Inclusumque cavo saxo atque insueta rudentem.

INSUETUS, a, um, particip. *V.* INSUESCO.

INSUFFĪCIENS, entis, adject. (in *privat. et* sufficiens) qui non est satis idoneus ad aliquid faciendum. *Tertull. advers. Hermog.* 15. Nisi si insufficiens fuit divina virtus omnibus producendis.

INSUFFĪCIENTĪA, æ, f. 1. (insufficiens) sufficientiæ defectus, *insufficienza. Tertull.* 1. *ad Uxor.* 4. Concupiscentia causas habet gloriam, cupiditatem, ambitionem, insufficientiam.

INSUFFLĀTĪO, ōnis, f. 3. et (insufflo) actus insufflandi. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Aceti insufflatio naribus. *Alcim. Avit. Ep.* 1. Insufflationis (*ad res creandas*) carnale commentum. *V.* INSUFFLO. *Augustin.* 4. *de Symb. ad Catechum.* 1. Omnia sacramenta, quæ acta sunt et aguntur in vobis per ministerium servorum Dei, exorcismis, orationibus, canticis spiritalibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum etc.

INSUFFLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INSUFFLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* sufflo). Part. *Insufflatus.* — Insufflare est intro sufflare, inflare. *Tertull. Resurr. carn.* 5. Et finxit Deus hominem, limum de terra: et insufflavit in faciem ejus flatum vitæ. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 920. Insufflat, ipsos ceu videret dæmones. *Veget.* 2. *Veterin.* 21. Per fistulam os plenum vino insufflet. *Id.* 4. *ibid.* 22. 1. *Schneid.* Idem præstat trita sepiæ testa et per fistulam oculo ter in die insufflata. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 7. in simili loco habet *inspirata.* Adde *Apul. Herb.* 128.; *Salvian.* 7. *Gubern. D.* 14.; et *Vulgat. interpr. Sap.* 15. 11. et alibi.

INSŬLA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, est quasi *in salo,* ut *Paulo Diac. p.* 111. 6. *Müll.* et *Capell.* 6. *p.* 206. et *Isid.* 14. *Orig.* 6. 1. placet. Alii alias origines comminiscuntur: fortasse est ab *insilio,* quasi terra e medio mari exorta. — Ceterum insula est terra in medio mari, undique aquis cincta, νῆσος (It. *isola;* Fr. *île;* Hisp. *isla;* Germ. *Insel, Eiland;* Angl. *an island, isle*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est, ut diximus, terra in medio mari, undique aquis cincta. *Cic.* 15. *Fam.* 16. Si insulam Britanniam cœpero cogitare. *Id. pro leg. Manil.* 11. 32. Quam multas existimatis insulas esse desertas? *Virg.* 3. *Æn.* 210. Strophades Grajo stant nomine dictæ Insulæ Ionio in magno. *Id. ibid.* 386. Ææaque insula Circes. — De pœna relegationis in insulam. *V.* DEPORTO. ¶ 2. Latiori sensu est terra, seu locus fluminis, aut lacu clausus. *Cic. Mil.* 27. 74. Ut insulam in lacu Prelio venderet. *Id.* 2. *Legg.* 3. 6. Ventum in insulam est. Hac vero nihil est amœnius. Ut enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, et divisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit! *Ovid.* 15. *Met.* 739. Scinditur in geminas partes circumfluus amnis: Insula nomen habet, laterumque a parte duorum Porrigit æquales medio tellure lacertos. *Id.* 2. *Fast.* 194. Hic ubi discretas insula rumpit aquas. *Liv.* 2. 5. Insulam inde paulatim, et aliis, quæ temere fert flumen, eodem invectis factam. Adde *eumd.* 21. 27.

II.) Translate. ¶ 1. Insulæ dicuntur ipsi habitatores vel incolæ insularum. *Nepos Miltiad.* 7. Classem Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quæ barbaros adjuverant, bello persequeretur. Quo imperio plerasque ad officium redire coegit: nonnullas vi expugnavit. Ex his Parum insulam opibus elatam quum oratione reconciliare non posset etc. Adde *eumd. Cim.* 2. ¶ 2. A similitudine *insulæ* dicuntur domus urbanæ, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico, aut privato cinguntur, ut *Paul. Diac. p.* 111. 5. *Müll.* docet, *case in isola, isolato,* ita ut ea via, tamquam insulæ mari, cinctæ essent. *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 4. 2. 39. Domos vel portus, vel insulas, veteres dixerunt. *Cic.* 3. *Off.* 16. 66. Claudius proscripsit insulam, vendidit. — Hujusmodi insulæ plura sæpe cœnacula et cubicula habebant, quæ pluribus familiis locabantur, et fere pauperiorum; Italice dicimus *casa di più affittanze.* Quare *insula* in *Gloss. Philox.* dicitur συνοικία, *h. e.* plurium simul habitatio. *Seneca* 3. *Ira* 35. *extr.* Parietes insularum exesi, ruinosi, inæquales. *Id.* 6. *Benef.* 15. *sub fin.* Agnatem ex imo rimas insulam incredibili arte suspendere. *Martial.* 4. 37. Ex insulis fundisque tricies soldum, Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi. *Sueton. Cæs.* 41. Recensum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit. — Hinc licet aliud discrimen colligere inter domum et insulam, ut illa sit, in qua una familia habitat, quod fere ditiores faciunt (sive aliis ædibus juncta sit, sive insulæ modo separata); hæc, in qua plures et pauperiores, sive itidem aliis ædificiis cohæreat, sive ab aliis disjungatur. *Tac.* 6. *Ann.* 45. Exsolutis domuum et insularum pretiis. *Sueton. Ner.* 16. Formam ædificiorum urbis novam excogitavit: et ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur. *Id. ibid.* 38. Tunc præter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ. *Id. ibid.* 44. Inquilini privatarum ædium atque insularum. *Sext. Ruf. de region. U. R.* In reg. I. insulæ IV. M. CCL. domus CXXI., in reg. III. insulæ II. M. DCCCVI. domus CLX., in reg. V. insulæ III. M. DCCCL. domus CLXX. etc.

— Promiscue adhiberi hæc duo videntur a *Capitolin. Antonin.* 9. Incendium, quod trecentas quadraginta insulas, vel domos absumpsit. — *Muratorius* p. 2125. *suar. Inscription.* quum animadvertisset, numerum insularum in descriptione Urbis Romæ esse 46602, domuum vero 1790, dubitare se scripsit, an eorum opinio præferenda sit, qui *insulas* fuisse putant ædes privatas, plerasque conducticias, parietibus tantum a vicinis divisas, quas nos dicimus *affittanze: domos* autem, quas nunc appellamus *palazzi.* Fortasse hæc ita componuntur, ut *Paul. Diac.* recte et proprie *insulas* definierit, ut posuimus: qui vero Urbem postea descripserunt, *insularum* nomine improprie et per synecdochen partes ipsarum appellaverint, quæ a singulis familiis incolebantur: unde in tantum earum numerus excreverit. V. *Leclerc, Des journaux chez les Romains* p. 310. ¶ 3. A Scriptoribus Ecclesiasticis templa quoque *insulæ* dicta sunt, quia sejuncta ab ædibus privatorum. V. *Is. Voss.* ad *Justin.* 32. 2. 2.; et INSULARIS II.

INSŬLĀNUS, i, m. 2. (insula). In *Gloss. Philox.* legitur *insulaneus.* — Insulanus est insulæ incola, *isolano*, νησιώτης. *Cic.* 3. *Nat. D.* 18. 45. Achillem Astypalæenses insulani sanctissime colunt. *Pacat. Paneg. Theodos.* 23. Quum pauci homines et insulani totius incendium continentis adolerent. — *Insulanæ preces* apud *Sidon.* 9. *Ep.* 3. Peritus precum insulanarum, quas de palæstra congregationis eremiticæ et de senatu Lirinensium cellulanorum in urbem quoque transtulisti. *h. e.* ex monasterio percelebri in insula Lirins prope Antipolim, Galliæ Narbonensis urbem. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

INSŬLĀRIS, e, adject. (insula) ad insulam pertinens, *d' isola*, νησιωτικός.

I.) Proprie. *Auct. Priap.* 33. Ductor ferreus insularis. *h. e.* qui in insula ad metalla damnatus, ferrum ducit. *Ammian.* 15. 11. Matrona et Sequana, post circum clausum ambitu insulari Parisiorum castellum, consociatim meantes. *Id.* 14. 5. Insularis solitudo. *Id.* 15. 7. Insulari pœna multavit. *h. e.* deportatione in insulam. *Id.* 26. 10. Insulare supplicium. *V.* DEPORTO. *Cassiod.* 12. *Variar.* 24. de *Venetiarum situ.* Qui nunc terrestris, modo cernitur insularis.

II.) Figurate *insulares* apud *Justin.* 32. 2. 2. sunt insularii, seu custodes templi (nam et templa *insulæ* dicta sunt, quia sejuncta ab ædibus privatorum), vel etiam inquilini, qui in conductis ædibus templo adhærentibus habitant.

INSŬLĀRIUS, ii, m. 2. (insula) figurate tantum occurrit, et ¶ 1. Est inquilinus, qui in conducta insula, seu æde habitat. *Petron. Satyr.* 95. Interim coctores insulariique mulcant exclusum. *Inscript.* apud *Murat.* 943. 11. CERDO INSVLARIVS. ¶ 2. Item servus, qui insulas, h. e. ædes conducticias custodit et pensiones locationum exigit. *Pompon. Dig.* 7. 8. 16. Dominus proprietatis, etiam invito usufructuario, vel usuario, fundum vel ædes per saltuarium vel insularium custodire poterit. et *ibid.* 50. 16. 166. Insularius urbanorum servorum numero est. *Impp. Sever.* et *Antonin.* apud *Ulp. Dig.* 1. 15. 4. Insularios, et eos, qui negligenter ignes apud se habuerunt, potes fustibus et flagellis cædi jubere. *Inscript.* apud *Gruter.* 624. 10. M. ANTONIVS FELIX INSVLARIVS. *Alia* apud *Viscont. Monum. degli Scip. tab.* 6. *n.* 10. T. FLAVIVS AVGVSTI L. DAPHNVS PRAEPOSITUS INSVLARIORVM. Sic *alia* in *Memor. dell'Acad. Archeol. Rom. T.* 1. p. 174. NARCISSVS TI. CLAVDII BRITANNICI L. SVPRA INSVLAS. Cf. *aliam* apud *Orell.* 2928., ubi EXACTOR AD INSVLAS. In *Gloss. Philox.* Insularius, ἐνοικολόγος. *h. e.* exactor pretii pro habitatione.

INSŬLĀTUS, a, um, adject. (insula) in insulam redactus, *isolato. Apul. de Mundo.* Audivimus, terras, quæ prius fuerint continentes, hospitibus atque advenis fluctibus insulatas. *Augustin.* 4. *Civ. Dei* 2. eadem verba habet.

INSULCĀTĬO, ōnis, f. 3. (in et sulcus) humi dispositio in modum sulci. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 20. Omnia (*flumina*) vergentia juxtim in mare, sicut nunc etiam ad memoriam veteris insulcationis datur visere.

INSULCO, as, are, a. 1. in modum sulci humum convertere. Vox a Lexico expungenda: occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 155.

INSŬLENSIS, e, adject. (insula) insularis. *Solin.* 54. Ab insulense, ut consequens est, ad continentem.

INSŬLŌSUS, a, um, adject. (insula) insulis abundans, *pieno d' isole. Ammian.* 23. 6. Mare Persicum ex omni latere insulosum et celebre.

INSULSĒ, adverb. (insulsus). Comp. *Insulsius* et Sup. *Insulsissime.* — Insulse proprie est insipide; sed occurrit translate tantum et est inepte, frigide, inaniter, *insipidamente, insulsamente, scioccamente*, ἀνοήτως. *Cic.* 15. *Att.* 4. Nescio quid ab eo litterularum, nisi me sibi restituerem: sane insulse, ut solet: nisi forte, quæ non ames, omnia videntur insulse fieri. *Id.* 5. *ibid.* 10. Ita multa vel iracunde, vel insolenter, vel in omni genere stultitiæ insulse, arroganter et dicuntur et tacentur quotidie. *Id.* 2. *Orat.* 54. 221. Non insulse interpretari. *Ejusd. fragm.* apud *Non.* p. 33. 15. *Merc.* Insulse loqui. *Gell.* 16. 12. Sive hoc ipse Claudius, sive nescio qui alius nebulo effutivit, nihil potest dici insulsius. *Id.* 12. 2. Post hoc etiam addidit insulsissime.

INSULSĪTAS, ātis, f. 3. (insulsus) figurate tantum occurrit, et est ineptia, stultitia, *scipitezza, sciocchezza, inezia*, ἀπειροκαλία, ἀπειροκαλία. *Cic.* 13. *Att.* 29. In villa, cujus insulsitatem bene noram, video nihil, aut pauca mutata. *disacconcezza. Id. Rabir. Post.* 13. 36. Jam nostis insulsitatem Græcorum. *Id.* 5. *Att.* 11. Horum rerum insulsitas. *Id. Brut.* 82. 284. Insulsitatem et insolentiam tamquam insaniam quamdam orationis odit: sanitatem autem et integritatem, quasi religionem et verecundiam oratoris, probat. *Id.* 2. *Orat.* 54. 217. Qui ejus rei (*h. e.* ridiculi) rationem quamdam conati sunt artemque tradere, sic insulsi exstiterunt, ut nihil aliud eorum, nisi ipsa insulsitas, rideatur. *Aurel. Vict. Cæsar.* 40. Insulsitate offendere.

INSULSOR, āris, ari, dep. 1. insulsus fio. *Gloss. Cyrill.* Βλαρούμαι (*lege* Βλαδαρούμαι), insulsor.

INSULSUS, a, um, adject. (in privat. et salsus) Comp. *Insulsior* I. et II.; Sup. *Insulsissimus* II. — Insulsus est non salsus, non salitus, insipidus, fatuus, ἄναλος (It. *insipido, non salato, scipito*; Fr. *non salé, insipide, fade*; Hisp. *no salado, insipido*; Germ. *ungesalzen, nicht schmackhaft*; Angl. *insipid, tasteless, flat, stale, unsavoury*).

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 9. 10. Amurca insulsa perfundunt sulcos. *Vulgat. interpr. Job* 6. 6. Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? *Hieronym. Ep.* 22. n. 40. Si cibus insulsior fuerit, contristamur. *Cic.* 13. *Att.* 31. *extr.* O gulam insulsam! *h. e.* quæ insulsa appetit.

II.) Translate est ineptus, frigidus, insuavis, absurdus, *insulso, scipito, scimunito, sciocco.* — a) De rebus et abstractis. *Cic.* 2. *Orat.* 64. 259. Est etiam in verbo positum non insulsum genus (*ridiculi*) ex eo, quum ad verbum, non ad sententiam rem accipere videare. *Id.* 9. *Fam.* 16. *ante med.* Incidunt in sermone vario multa, quæ fortasse illis, quum dixi, nec illitterata, nec insulsa esse videantur. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 24. *ad fin.* Insulsa et flagitatio. *Prudent.* 1. *advers. Symmach.* 213. Insulsus usus. *h. e.* stulta consuetudo, ineptus mos. *Tertull.* 1. *ad Nat.* 3. Insulsior figura. — b) De hominibus. *Plaut. Rud.* 2. 6. 32. Bonam est quod habeas gratiam merito mihi, qui te ex insulso salsum feci operâ meâ. *Ter. Eun.* 5. 4. 9. Fatuus, insulsus, tardus. *Catull.* 17. 12. Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar bimuli. *Cic.* 1. *Tusc.* 8. 15. Mihi videris Epicharmi, acuti, nec insulsi hominis, ut Siculi, sententiam sequi. *Id. Cæl.* 29. 69. Adolescens non tam insulsus, quam non verecundus. Adde *Martial.* 12. 55.

INSULTĀBUNDUS, a, um, adject. (insulto) valde insultans. Figurate *Augustin. Ep.* 86. *ad. Casulan.* In temulenta convivia et nequissimas ebrietates insultabundus invehitur.

INSULTĀTĬO, ōnis, f. 3. (insulto) actus insultandi, *salto.*

I.) Proprie. *Solin.* 52. *ante med.* Adeo proceri, ut elephantos, velut equos, facillime insultatione transiliant.

II.) Translate. — a) Est insolens jactatio in re, de qua nihil amplius dubitamus. *Quintil.* 8. 5. 11. Et addita in clausula est, epiphonematis modo, non tam probatio, quam extrema quasi insultatio. — Item irrisio alienæ calamitatis cum superbia et contemptu. *Flor.* 4. 12. 36. Nihil insultatione barbarorum intolerantius. *Nazar. Paneg. Constant.* 32. Injiciebantur vulgo contumeliosissimæ voces: nam et ludibriis oppressoris sui auspicari libertatem juvabat, et mira voluptate conceptus e vita terror insultatione interitus obterebatur.

INSULTĀTOR, oris, m. 3. qui insultat. *Fragm. B. Hisp.* p. 578. *lin.* 25. Tam fervidus insultator. Sed hoc *fragm.* nullius est auctoritatis, quia vulgo attribuitur Julio Celso.

INSULTĀTŌRIĒ, adverb. (insultatorius) insultando. Figurate *Sidon.* 1. *Ep.* 7. Libere queror, non insultatorie.

INSULTĀTŌRĬUS, a, um, adject. (insulto) figurate est ad insultandum et irridendum inserviens, ut insultatorium verbum, apud *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 10. *extr.*

INSULTĀTRIX, icis, f. 3. (insulto) quæ insultat, *insultatrice.* Figurate *Hieronym.* 5. *in Isaj.* 23. 1. Tyrus inimica, et insultatrix subversionis Jerusalem.

INSULTO, as, āvi, ātum, are, 1. *frequentat. ab insilio.* — Part. *Insultans* I.; *Insultaturus* II. 2. et 3. — Insultare est in aliquam rem insilire, irruere, ἐπιπηδάω (It. *saltare, saltar sopra*; Fr. *sauter sur ou dans, bondir*; Hisp. *saltar, saltar sobre, en*; Germ. *springen an, in, auf etwas*; Angl. *to leap or springe upon*).

I.) Proprie. — a) Cum Dativo. *Virg.* 3. *G.* 116. atque equitem docuere sub armis Insultare solo et gressus glomerare superbos. Cf. *Sil. It.* 4. 65. equitemque per ardua vectum Insultasse jugo, et fremuisse hinnitibus Alpes. Rursus *Virg.* 4. *G.* 10. neque oves hædique petulci Floribus insultent. *Horat.* 3. *Od.* 3. 40. Dum Priami Paridisque busto Insultet armentum. *Propert.* 2. 7. 79. Exagitet nostros manes, sectetur et umbras, Insultetque rogis, calcet et ossa mea. Huc referri potest et illud *Sil. It.* 1. 602. Si nondum insultat templorum Punicus ignis Culminibus. — b) Cum Accusativo. *Ter. Eun.* 2. 2. 54. Næ tu istas (*fores*) faxo, calcibus sæpe insultabis frustra. *busserai. Virg.* 7. *Æn.* 580. attonitæ Baccho nemora avia matres Insultant thiasis. *h. e.* saltant per nemora. — c) Absolute. *Ennius* apud *Charis.* 2. p. 214. *Putsch.* Ignotus juvenum cœtus alterna vice Inibat alacris, Bacchico insultans modo. *Alii tamen leg.* exsultans; *Vahlen.* exsultas. *Virg.* 11. *Æn.* 599. fremit æquore toto Insultans sonipes.

II.) Translate. ¶ 1. Est ex confidentia, aut superbia et contemptu quippiam calcare, et tamquam victum premere. *Ovid.* 1. *Met.* 133. quæque diu steterant in montibus altis, Fluctibus ignotis insultavere carinæ. *Tac.* 2. *Ann.* 8. Batavi, dum insultant aquis, artemque nandi ostentant, turbati, et quidam hausti sunt. ¶ 2. Speciatim est irridere, dictis aggredi, alienæ calamitati illudere, in alienum dolorem gaudere, insolenter se gerere, ludibrio habere, *insultare.* — a) Cum Dativo. *Virg.* 8. *Æn.* 569. neque finitimo Mezentius unquam Huic capiti insultans, tot ferro sæva dedisset Funera. *Propert.* 2. 4. 7. Nec mihi tam duris insultet moribus. *Ovid.* 2. *Trist.* 571. insultare jacenti. *Cic.* 7. *Verr.* 50. 132. alicui in calamitate. *Ovid.* 5. *Trist.* 8. 4. casibus alicujus. *Stat.* 2. *Theb.* 18. malis, rebusque ægrescere lætis. *Justin.* 5. 7. 1. fortunæ hostium. *Ammian.* 27. 3. vigori publico. *Id.* 14. 6. temporum iniquitati. — b) Cum Accusativo. *Sall. fragm.* apud *Donatum* ad *Ter. Eun.* 2. 2. 54. et *Servium* ad *Virg.* 9. *Æn.* 643. Multos ab adolescentia bonos insultaverat. *Lucilius* apud *Non.* p. 330. 21. *Merc.* Insultat miserum te quonam, Muti. *Alii tamen aliter leg. Tac.* 4. *Ann.* 59. *extr.* Insultare patientiam et segnitiam cujusplam. — c) Cum Accusativo et præpos. *in. Cic.* 2. *Nat. D.* 29. 74. Nominat Epicurum insultantem in omnes sine acumine ullo, sine auctoritate, sine lepore. *Id. Mil.* 32. 87. Insultare in rempublicam. *Id.* 4. *Herenn.* 39. 51. in alicujus miserias. — d) Cum Ablativo. *Propert.* 3. 4. 24. Si placet, insultet, Lygdame, morte mea. — e) Absolute. *Liv.* 2. 45. Quippe impune se insultaturos etc. *Ammian.* 27. 1. Erulorum Batavorumque vexillum dereptum insultando tripudiantes barbari crebro sublatum altius ostendebant. ¶ 3. Item speciatim, *insultare capiti alicujus* est aliquem irrumare, ὑβρίζομαι. *Sueton. Cæs.* 22. Proinde frequenti curia jactaret, se insultaturum omnium capitibus. Hinc *Lactant.* 6. 23. *ante med.* De istis loquor, quorum teterrima libido et ex-

secrabilis furor ne capiti quidem parcit. *V.* ILLUDO.

INSULTŪRA, æ, f. 1. (insilio) actus insiliendi. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 8. Ne hodie maximum in malum cruciatumque insiliamus. PA. Tu sali solus: nam ego istam insulturam et desulturam nihil moror.

INSULTŪS, us, m. 4. (insilio) insultatio, et figurate irrisio contumeliosa, *insulto. Lactant. carm. de pass. Chr.* 30. Collige consilia, insidiasque, meique nefandum Sanguinis innocui pretium, et simulata clientis Oscula, et insultus, et sævæ jurgia turbæ.

INSUM, ines, infŭi, inesse, anom. (in *et* sum). Part. *Infuturus* legitur tantum in *Not. Tir. p.* 7., quæ omni prorsus carent auctoritate. — Inesse est in aliqua re aut loco esse, ἔνειμι (It. *essere dentro, trovarsi*; Fr. *être dans, se trouver*; Hisp. *estar dentro*; Germ. *an, in, auf etwas sein, sich befinden*; Angl. *to be in*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Ablativo. *Plaut. Rud.* 5. 2. 26. Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt. *Ovid.* 4. *Fast.* 658. Nec digitis anulus ullus inest. Cf. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 36. 52. (108). Columbis inest quidam et gloriæ intellectus. — Similiter *Plaut. Rud.* 4. 4. 144. Credo edepol illic inesse auri et argenti largiter. *Ter. Eun.* 3. 5. 35. Sedet suspectans tabulam quamdam pictam: ibi inerat pictura hæc. Sic *Lucret.* 3. 1094. Præterea versamur ibidem atque insumus usque. Cf. *Plaut. Rud.* 5. 3. 3. Omnia ut infuere, ita salva sistantur tibi. — *b*) Cum Dativo. *Plaut. Amph. prol.* 144. Meo patri torulus inerit aureus sub petaso. *Ovid.* 1. *Amor.* 14. 32. Comæ insunt capiti. *Id.* 9. *Met.* 687. Inerant lunaria fronti Cornua. Cf. *Val. Flacc.* Jamque inerat populo mediæque incognitus urbi.

II.) Translate. — *a*) Cum Ablativo et præpos. *in. Ter. Eun.* 1. 1. 14. In amore hæc omnia insunt vitia. *Cic.* 5. *Fam.* 15. *a med.* Manere in vita, in qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis. *Id.* 1. *Nat. D.* 42. 117. Superstitio, in qua inest timor inanis deorum. *Id.* 1. *Off.* 37. 131. Vitium aliquod inesse in moribus. *Nepos Alcib.* 1. Dissimilitudinem tantam in uno homine inesse. — *b*) Cum Dativo. *Plaut. Capt.* 2. 1. 53. Nobis inest spes. *Cic.* 1. *Off.* 42. 151. Quibus artibus prudentia major inest. *Id.* 1. *Nat. D.* 43. 120. Imagines divinitate præditas inesse universitati rerum. *Nepos Epam.* 5. Inest illi genti plus virium, quam ingenii. Sic *Sall. Cat.* 20. Cui virile ingenium inest. *Id. orat. Cottæ ad pop. in fin.* Multa cura summo imperio inest. Sic *Liv.* 23. 35. Inest magna cura duci. *Ovid. Heroid.* 17. 130. Tarda solet magnis rebus inesse fides. *Inscript.* apud *Smet.* 69. 8. et apud *Gruter.* 361. 2. ILLE EGO CVM PROCVLVS, TOTVS QVI NATVS HONORI: AVT DIC, QVIS SIT HONOS, QVAM MIHI INESSE NEGAS. — *c*) Absolute. *Cic.* 11. *Phil.* 1. 1. Inest tamen aliquid, quod reipublicæ profuturum putem. *Liv.* 9. 16. Præcipue pedum pernicitas inerat, quæ cognomen etiam dedit. *Sall. Jug.* 64. Inerat contemptor animus et superbia. *Tac. Agric.* 39. Inerat conscientia derisui fuisse nuper a Germania triumphum.

INSŪMO, sūmis, sumpsi, sumptum, sūmere, a. 3. (in *et* sumo). Part. *Insumens* et *Insumptus* sub *A*. I. 2. — Insumere duo diversa significat; scilicet

A) Est consumere, impendere, ἀναλίσκω (It. *consumare, spendere, impiegare*; Fr. *employer à, consacrer à*; Hisp. *emplear en, consagrar á*; Germ. *zu etwas nehmen, verwenden*; Angl. *to spend, consume, lay out, expend, bestow*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Cum præpos. *in* et Accusativo rei, in quam quid insumitur. *Cic.* 5. *Att.* 17. Sic in provincia nos gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruntius insumatur in quemquam. *Id.* 2. *Invent.* 38. 113. Quid sumptus in eam rem, aut laboris insumpserit. *Gell.* 2. 24. *a med.* Sestertios tricenos in cœnam insumere. — *b*) Cum Dativo. *Tac.* 2. *Ann.* 53. Paucos dies insumpsit reficiendæ classi. *Apul.* 2. *dogm. Plat. p.* 28. Mercedem epulis insumpsit. ¶ 2. Speciatim in re medica insumere est debilitare, infirmare. *Cæl. Aurel.* 2. *Tard.* 1. *ad fin.* Sunt enim ea, quæ stomachum vitiant, fugienda, ut sunt corpus insumentia. *Id.* 2. *Acut.* 37. *in fin.* Corporis virtus insumpta. *h. e.* exhausta.

II.) Translate. — *a*) Sine additis. *Liv.* 10. 18. *extr.* Frustra operam insumere. — *b*) Cum Dativo. *Tac.* 3. *Ann.* 44. Insumere operam libellis accusatorum. *Id. Dial. de orat.* 9. Insumere vitam versibus. — *c*) Cum Ablativo et præpos. *in*. *Id. ibid.* 29. Nec in evolvenda antiquitate satis operæ insumitur. — *d*) Cum Accusativo et præpos. *ad*. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 46. 70. (153). Omnis cura ad speculandum hoc malum insumitur.

B) Est etiam sumere, assumere, *pigliare*. Translate. *Tac.* 14. *Ann.* 44. Creditisne servum interficiendi domini animum insumpsisse? *Stat.* 12. *Theb.* 643. dignas insumite mentes Cœptibus. *Id.* 2. *ibid.* 38. medium cava nubila montis Insumpsere latus. *h. e.* sibi velut sumpsere ad insidendum immorandumque.

INSUMPTĬO, ōnis, f. 3. (insumo) actus insumendi, impensa, *spesa, consumo. Impp. Valentinian.* et *Valens Cod. Theod.* 6. 24. 3. Ita etiam sportularum diversa esse debebit insumptio. *Theod. Priscian. p.* 316. *bis retro* edente *Ald.* Etenim per superficiem, seu cutem corporis et rationabiles vias, id est digestorias, invisibili dispendio insumptione facta, sequitur ut inanitas non valeat substantiam retinere, id est cibum vel potum.

INSUMPTUM, i, n. 2. impensa, id quod insumptum est. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 68.

INSŬO, sŭis, sŭi, sŭtum, sŭere, a. 3. (in *et* suo). Part. *Insutus* I. — Insuere est in aliqua re suere, suendo includere, consuere, adsuere, ἐνράπτω (It. *cucire, inchiudere in qualche cosa*; Fr. *coudre dans, enfermer dans*; Hisp. *coser, encerrar*; Germ. *einnähen*; Angl. *to sew into, sew or stitch up*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo et præpos. *intra*, vel *in*. *Varro* 2. *R. R.* 9. 15. Cingulum cum clavulis capitatis, quæ intra capita insuitur pellis mollis, ne noceat collo duritie ferri. *Cic. Rosc. Am.* 11. 30. Insutus in culeum. Sic *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. Quosdam Smyrnæ duos Mysios insuisses in culeum. — *b*) Cum Dativo. *Seneca* 1. *Clem.* 23.; et *Val. Max.* 1. 1. n. 13. Insuere aliquem culeo. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 5. 32. (98). Alii vermem adalligavere, aut intus ipsius caudæ pilos combustos insuere vulneri. At *Sillig.* legit *inseruere*. *Ovid.* 3. *Met.* 312. Imperfectus adhuc infans – Eripitur, patrioque tener – Insuitur femori. *Id.* 3. *Art. am.* 131. insutum vestibus aurum. *h. e.* assutum, consutum Phrygio opere. *V.* infra sub *d*. — *c*) Cum Ablativo. *Ovid. Ib.* 321. insutus pelle juvenci. — *d*) Absolute. *Virg.* 4. *Æn.* 505. Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant. *h. e.* cæstus. *Colum.* 3. *R. R.* 15. 1. Linea insuitur purpurâ, vel alio conspicuo colore. — Sic *insuere* dicuntur qui acu et Phrygio opere vestes ornant. *Tertull. Habit. mulier.* 1. Si Milesii oves tonderent, et Seres arbores nerent, et Tyrii tingerent, et Phryges insuerent, et Babylonii intexerent.

II.) Translate. *Liv.* 40. 51. Censores opera ex pecunia attributa hæc confecerunt: Lepidus molem ad Terracinam; ingratum opus, quod prædia habebat ibi, privatamque publicæ rei impensam insuerat. *h. e.* implicaverat, conjunxerat. Alii leg. *imposuerat*.

INSŬPER, ab *in* et *super*. — Quidam malunt divisim scribere *in super*, ut *ab usque, in ante, in coram*: afferuntque illud *Plauti Merc.* 1. 2. 82. Neque quisquam hominem conspicatus est, donec in navi super. Contendunt alii, junctim scribendum esse: quibus ego libentius accessero. Neque enim quidquam *Plauti* locus conficere videtur. — Insuper est *A*) Adverbium; et *B*) Præpositio.

A) Adverbium *insuper* est idem ac supra (It. *sopra, di sopra*; Fr. *dessus, par-dessus*; Hisp. *demas á mas, encima*; Germ. *oben, oberhalb*; Angl. *upon, above*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Lucret.* 6. 190. Aut ubi per magnos montes cumulata videbis Insuper esse aliis alia. *Liv.* 22. 2. *a med.* Cumulatis in aquas sarcinis, insuper incumbebant. Sic *Id.* 44. 5. Humum insuper injicere. *Colum.* 12. *R. R.* 39. 1. Cannas insuper ponere. *Virg.* 3. *Æn.* 579. ingentemque insuper Ætnam Impositam. *Sall. Cat.* 58. Eum muniunt undique parietes, atque insuper camera. ¶ 2. Latiori sensu pro desuper. *Lucan.* 3. 610. Ansus Romanæ Graja de puppe carinæ Injectare manum: sed eam gravis insuper ictus Amputat.

II.) Translate est ad hoc, præterea, *oltra a ciò, di più*, πρὸς ἔτι. — *a*) Generatim. *Plaut. Amph.* 3. 2. 8. Ego illum aut deseram, aut satisfaciat mihi, atque adjuret insuper, nolle esse dicta, quæ etc. *Id. Merc.* 4. 2. 1. Parum ne est, quod amat, ni sumptuosus insuper etiam siet? *Ter. Adelph.* 2. 2. 38. Etiam insuper defraudat? *Liv.* 3. 67. Si id parum est, insuper pœnas expetite. *Sueton. Cæs.* 66. Neu negando minuendove, sed insuper amplificando ementiendoque. *Virg.* 2. *Æn.* 593. roseoque hæc insuper addidit ore. *Id.* 9. *ibid.* 273. Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma: Insuper id campi quod rex habet ipse Latinus. *Plerique leg.* Insuper his. — *b*) Speciatim sequente part. *quam*. *Liv.* 23. 7. Hæc pacta: illa insuper, quam quæ pacta erant, facinora Campani ediderunt. *h. e.* ultra quam. *Al. leg.* Alia insuper, quam etc. — *c*) Item speciatim *insuper habere* est negligere, tamquam rem supervacaneam et non necessariam, nihili facere, posthabere, non curare, contemnere, *trascurare, non far conto, sprezzare*. *Gell.* 1. 19. Tarquinius eam constantiam confidentiamque non insuper habendam intelligit. *Id.* 4. 1. *ad fin.* Hæc ego, quum philosophiæ me dedissem, non insuper tamen habui discere. *Fronto* 4. *ad M. Cæs.* 3. *p.* 98. Visus etiam es mihi insuper habuisse, quum ordinem verbi tui immutassem, uti ante tricipitem diceres, quam Geryonem nominares. *Apul.* 1. *Met.* Hic est, qui, meis amoribus insuper habitis, non solum me diffamat probris, verum etc. Adde *Papinian. Dig.* 11. 7. 43.

B) Præpositio *insuper* est super et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Cato R. R.* 18. Insuper arbores stipitesque trabem planam imponito. *Vitruv.* 5. 12. insuper eam exæquationem pila struatur. Adde *eumd.* 10. 20. — *b*) Cum Ablativo. *Vitruv.* 5. 1. *sub fin.* Super eas trabes everganeæ sunt collocatæ: quibus insuper transtra cum capreolis collocata sustinent culmen etc. *Id.* 10. 21. Erigebantur arrectaria duo, conjuncta capitibus transversario tigno, quo insuper collocata erat materies etc. Adde *Virg. loc. cit.* sub *A*. II. *a*.

INSŬPĔRĀBĬLIS, e, adject. (in *et* supero) qui superari non potest, *insuperabile*.

I.) Proprie. *Liv.* 21. 23. Insuperabilis Alpium transitus. *inaccessibile*. Sic *Id. ibid.* 36. via.

II.) Translate est qui superari et vinci non potest, *insuperabile, invincibile*, ἀδάμαστος. *Virg.* 4. *Æn.* 40. genus insuperabile bello. Sic *Ovid.* 12. *Met.* 613. Æacides caput insuperabile bello. *Sever. Ætn.* 535. uni insuperabile ab igni. *Ammian.* 17. 13. Insuperabilis contumacia. *Plin.* 2. *Ep.* 2. Insuperabilis valetudo. *incurabile*. — Sic *Ovid.* 15. *Met.* 807. insuperabile fatum. *inevitabile*. *Gell.* 13. 1. necessitas fati.

INSŬPĔRĀBĬLĬTER, adverb. (insuperabilis) insuperabili ratione, *insuperabilmente*. Translate *Augustin.* 5. *Civ. D.* 8. Dei potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur.

INSŬPĔRANS. *V.* INDUPERANS.

INSŬPĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et superatus) non superatus, invictus. Figurate *Maximian. Gall.* 1. 33. tolerantia rerum Spernebat cunctas insuperata minas.

INSŬPĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* supero) idem ac superare, *rimaner superiore*. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 3. Qua fortitudine ego princeps semper militiæ laborisque semper dux in præliis insuperavi.

INSURGO, surgis, surrexi, surrectum, surgere, n. 3. (in *et* surgo). Part. *Insurgens* I. 1. et 2. — Insurgere est erigi, assurgere, attolli, ἀνθίσταμαι (It. *alzarsi, levarsi*; Fr. *se lever, s'élever, se mettre debout, se dresser sur*; Hisp. *elevarse, erigirse, levantarse*; Germ. *sich irgendwo, irgend wohin erheben*; Angl. *to rise upon, rise up or against*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) De hominibus et brutis animantibus. *Tac. Germ.* 39. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor et potestatem numinis præ se ferens. Si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum. *Virg.* 11. *Æn.* 754. Arrectisque horret squamis et sibilat ore, Arduus insurgens. Sic *Sil. It.* 2. 546. Sibilat insurgens capiti serpens. — *Insurgere remis* dicuntur nautæ, quum vehementius remigant: tunc enim, ut totis viribus in remos incumbant, e transtris assurgere solent. *Virg.* 3. *Æn.* 560. et 5. *ibid.* 189. Sic *Val. Flacc.* 2. 14. Vela legunt: remis insurgitur. *Id.* 1. 450. Insurgit transtris, et remo Nerea versat Cas-

tibus. — *b*) De rebus. *Virg.* 9. *Æn.* 33. nigro glomerari pulvere nubem Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis. — *c*) Cum Accusativo. *Apul.* 1. *Met. sub init.* Jugi, quod insurgimus, aspritudinem fabularum jucunditas levigabit. *h. e.* quod ascendimus. Cf. *Capell.* 7. *p.* 249. Quum deinde (*forma*) crassitudinem insurgat etc. — *d*) Passive impersonaliter, *V.* supra sub *a.* ¶ 2. Latiori sensu *insurgere* dicitur, qui alterum aggreditur, aut ei resistit. *Val. Flacc.* 4. 274. paullatim insurgere fesso Integer. *Virg.* 12. *Æn.* 902. Altior insurgens et cursu concitus heros. *Sil. It.* 15. 373. tortæ nunc eminus hastæ Altius insurgit, nunc sævit comminus ense. *Id.* 1. 399. at ferit alte Insurgens gladio. *Seneca Hippol.* 1064. Contra feroci gnatus insurgens minax vultu etc. *Horat. Epod.* 10. 7. Insurgat Aquilo, quantus altis montibus Frangit trementes ilices. — Huc referri potest et illud *Val. Flacc.* 5. 671. cœperat ardens Hinc iterum alternis Mavors insurgere dictis. ¶ 3. Item latiori sensu *insurgere* dicuntur, quæ prælta sunt et imminentia. *Virg.* 8. *Æn.* 233. Stabat acuta silex, præcisis undique saxis, Speluncæ dorso insurgens. *Tac.* 2. *Ann.* 16. Pone tergum insurgebat silva, editis in altum ramis etc. *Sil. It.* 16. 555. crista nitenti Insurgens cono.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1., insurgere dicuntur qui fortuna, opibus et honore crescunt. *Tac.* 1. *Ann.* 2. Insurgere paullatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere etc. *Id.* 11. *ibid.* 16. Romanas opes insurgere. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2., insurgere est hostili animo aggredi. *Ovid.* 9. *Met.* 444. Insurgere regnis alicujus. *h. e.* ad regna invadenda. *Stat.* 1. *Theb.* 627. in miseros Delius insurgit. ¶ 3. Ponitur etiam pro oriri, excitari. *Val. Flacc.* 2. 82. Insurgunt fremitus. *Sil. It.* 5. 609. Mavors insurgere cœperat. *h. e.* bellum. ¶ 4. Insurgere dicuntur et qui incumbunt, dant operam, animum intendunt in aliquid. *Plin. Paneg.* 66. Universos edhortatus es resumere libertatem, capessere imperii curas, invigilare publicis utilitatibus, et insurgere. ¶ 5. Transfertur et ad orationem. *Quintil.* 10. 1. 96. Lyricorum Horatius fere solus legi dignus: nam et insurgit aliquando etc. *h. e.* stilo sublimi utitur. *Id.* 9. 4. 23. Augeri debent sententiæ et insurgere. *Id.* 12. 2. 28. Hæc sunt, quibus mens pariter et oratio insurgant. *Id.* 11. 3. 13. Vox imbecilla inhibet multa, ut insurgere, exclamare: et aliqua cogit, ut summittere, deflectere. *inveire.*

INSURRECTĬO, ōnis, f. 3. (insurgo) idem ac surrectio, *risorgimento. Gloss. Philox.* Insurrectio, ἐπανάστασις.

INSUSCEPTUS, a, um, adject. (in *privativ.* et suscipio) non susceptus. *Albinov.* 1. 197. vota insuscepta reliquit.

INSUSPECTĒ, adverb. (in *privat.* et suspicio) citra suspicionem, ἀνυπόπτως. *Boeth. Aristot. Topic.* 8. 1. *p.* 724. Insuspecte se habent respondentes ad eos, qui videntur juste argumentari.

INSUSPĬCĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et suspicio) non suspicabilis, *inaspettato*, ἀνυπονόητος. *Vulgat. interpr. Eccli.* 11. 5. Multi tyranni sederunt in throno, et insuspicabilis portavit diadema. et 25. 9. Novem insuspicabilia cordis magnificavi.

INSUSTENTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et sustento) qui ferri nequit, intolerabilis. *Lactant.* 7. 16. Insustentabili dominatione vexare orbem. *Id. Mort. persecut.* 49..; et *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 9. 55. Insustentabilis dolor. Adde *Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 1. *c.* 4.

INSŬSURRĀTĬO, ōnis, f. 3. (insusurro) actus insusurrandi. *Capitolin. M. Aurel.* 19. Quum suos mores semper teneret, neque alicujus insusurratione moveretur.

INSŬSURRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INSŬSURRO, as, āvi, ātum, are, 1. (in et susurro). Part. *Insusurrans* I. *a.*; *Insusurratus* I. *b.* — Insusurrare est susurrare, submissa voce in aurem loqui, καταψιθυρίζω (It. *parlare all'orecchio*; Fr. *chuchoter, dire a l'oreille*; Hisp. *cuchear, hablar en tono baxo*; Germ. *einzischeln, einflüstern*; Angl. *to whisper into the ear, whisper*).

I.) Proprie. — *a*) Neutrorum more. *Cic.* 5. *Tusc.* 36. 103. Demosthenes illo susurro delectari se dicebat, aquam ferentis mulierculæ, insusurrantisque alteri: Hic est ille Demosthenes. *Id.* 7. *Verr.* 41. 107. Eum vident sedere ad latus prætoris, et ad aurem familiariter insusurrare. *Sueton. Cal.* 22. Interdum cum Capitolino Jove secreto fabulabatur, modo insusurrans ac præbens invicem aures, modo clarius, nec sine jurgiis. — Passive impersonaliter. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. Sint aures tuæ, quæ id, quod audiunt, existimentur audire, non in quas ficte et simulate insusurretur. Adde *Sidon.* 5. *Ep.* 6. — *b*) Cum Accusativo. *Cic.* 1. *Att.* 9. *a med.* Ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam. *Seneca Brevit. vit.* 14. Insusurratum millies nomen oscitatione superbissima reddent. *Id. Ep.* 10. Turpissima vota diis insusurrare. *V.* MURMUR.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 48. 147. Quoniam non solum nauta significat, sed etiam Favonius ipse insusurrat, navigandi nobis tempus esse.

INSŬTĪCĬUS *vel* insutitius, a, um, adject. (insuo) insutus, ut Insuticius asinus et fartilis, cujus scil. corio latrones puellam quamdam insuere volebant; apud *Apul.* 6. *Met. sub fin.*

INSŬTUS, a, um. *V.* INSUO.

INSŪTUS, us, m. 4. (insuo) actus insuendi. *Apul.* 7. *Met.* Expromptis millia aureûm, quos insutu laciniæ contexerat. *Alii leg.* insutos.

INTĀBESCO, tābescis, tābŭi, tābescere, n. 3. (in et tabesco) tabescere, macie consumi, succum et vigorem paullatim amittere, macerari, languescere, ἐκτήκομαι, *smagrire, seccarsi, intristire.*

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Nat. D.* 35. 84. Diuturno morbo intabescere. *Al. leg.* tabescere. *Horat. Epod.* 5. 39. Interminato cum semel fixæ cibo Intabuissent pupulæ. *Colum.* 4. *R. R.* 3. 5. Novella vitis dum adolescit, nisi omnia justa perceperit, ad ultimam redigitur maciem, et sic intabescit, ut nullis deinceps impensis recreari possit. *Ovid.* 2. *Met.* 780. *de Invidia.* Sed videt ingratos, intabescitque videndo, Successus hominum. *Pers.* 3. 38. Virtutem videant, intabescantque relicta. *Seneca Consol. ad Polyb.* 24. Intabescere dolori.

II.) Translate est liquescere, *struggersi, disfarsi.* *Ovid.* 3. *Met.* 487. ut intabescere flavæ Igne levi ceræ, matutinæve pruinæ Sole tepente solent. Sic *Id.* 14. *ibid.* 825. ceu lata plumbea funda Missa solet medio glans intabescere cælo. *Alii tamen* incandescere *leg.* (ut apud *eumd.* 2. *ibid.* 728.); sed illud retinendum videtur, namque idem prope affirmat *Lucret.* 6. 177. et *Virg.* 9. *Æn.* 588.

INTACTĬLIS, e, adject. (in *privat.* et tango) qui tangi nequit, qui sensui tactus non est subjectus. *Lucret.* 1. 435. Cui si tactus erit, *etc.* Corporum augebit numerum, *etc.* Sin intactile erit *etc.* Scilicet hoc id erit, vacuum quod inane vocamus.

INTACTUS, a, um, adject. (in *privat.* et tactus). Comp. *Intactior* II. 1. — Intactus est non tactus, integer, illæsus, ἄψαυστος, ἄναπτος (It. *intatto, non tocco, illeso, intiero*; Fr. *non touché*; Hisp. *no tocado*; Germ. *unberührt, unversehrt, unbeschädigt, unverletzt*; Angl. *not touched, untouched, unhurt, whole, entire*).

I.) Proprie. — *a*) Sine addito. *Liv.* 21. 36. Intacta nix. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 1. 4. (8). Polycratis gemma, quæ demonstratur, illibata intactaque est. *Pallad.* 10. *R. R.* 10. 3. Intactus locus. *Justin.* 3. 7. 8. Agros intactos relinquere. *Curt.* 4. 16. 9. Pontem intactum sinere. *Id.* 5. 9. *sub fin.* Intactæ regionis opulentia. *h. e.* bello non vastatæ. *Virg.* 4. *G.* 540. intacta cervice juvencæ. *h. e.* quæ nondum passa est jugum. *Id.* 11. *Æn.* 419. et opes nobis, et adhuc intacta juventus. *h. e.* nullis præliis imminuta, nullo bello adhibita. *Horat. Epod.* 7. 7. Intactus Britannus. *h. e.* nondum Romanis armis petitus, aut domitus. *Sall. Jug.* 58. *extr.* Eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur, nemo omnium intactus profugit. *Liv.* 5. 38. *ad fin.* Integri intactique fugerunt. *Id.* 10. 14. Ne ab exercitu integro intactoque opprimerentur. *Id.* 2. 12. *sub fin.* Intactum aliquem inviolatumque dimittere. Similiter *Curt.* 9. 7. Intactæ vires. *h. e.* integræ, non imminutæ, non domitæ. et *Sil. It.* 1. 179. mens intacta manet. et *Stat.* 5. *Silv.* 1. 77. intacta fides. *h. e.* intemerata, integra. — *b*) Cum addito Ablativo. *Juvenal.* 14. 194. Caput intactum buxo. *h. e.* impexum, nullo pectine culta coma. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 1. 1. (3). Herbarum folia quadrupedum pabulo intacta. Cf. *eumd.* 16. *ibid.* 2. 2. (6). Hercyniæ silvæ roborum vastitas intacta ævis. *Sil. It.* 2. 661. arx intacta bellis. *Id.* 7. 399. intactus vulnere miles. *Justin.* 2. 3. 10. Scythæ ab alieno imperio aut intacti, aut invicti. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 2. Intactus a sibilo pervenit Hortensius ad senectutem. *h. e.* numquam exsibilatus, numquam adverso clamore proscissus. *Curt.* 4. 6. Intactus superstitione. *h. e.* carens, expers, vacuus. Sic *Liv.* 5. 15. Vir haud intacti religione animi. *Id.* 38. 51. Intactus infamia. *h. e.* nulla infamia notatus. *Id.* 10. 40.; et *Seneca Ep.* 41. Intactus cupiditate. *h. e.* non cupidus. *non tocco di desiderio. Sil. It.* 14. 427. intactum fortuna ingenium.

II.) Translate. ¶ 1. Interdum est Veneris expers, castus, *casto, vergine. Horat.* 1. *Od.* 7. 5. Intacta Pallas. *Virg.* 1. *Æn.* 349. Cui pater intactam dederat, primisque jugarat Ominibus. *Juvenal.* 6. 162. intactior omni Crinibus effusis bellum dirimente Sabina. ¶ 2. Item intractatus, intentatus. *Virg.* 3. *G.* 40. Dryadum silvas saltusque sequamur Intactos. *h. e.* agriculturam a nullo adhuc Latino poeta tractatam. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 10. 66. intacti carminis auctor. *Sall. Jug.* 70. Prorsus nihil intactum, neque quietum pati. Cf. *eumd. ibid.* 85. *extr.* Tempus procedere, bellum intactum trahi. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 8. 19. (65). Nova intactaque ratione. *Juvenal.* 7. 87. Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven. *h. e.* tragœdiam nullis manibus tractatam, nulli lectam, non editam.

INTACTUS, us, m. 4. (in *privat.* et tactus, us) non tactus, ut *inusus* non usus, *il non toccare. Lucret.* 1. 453. Pondus uti saxis, calor ignibu', liquor aquai, Tactus corporibus cunctis, intactus inani. *V.* tamen ad h. l. *Lachmann.*, qui totum hunc versum *Lucretio* abjudicat.

INTĀMĬNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et tamino a tango) incontaminatus, purus, *incontaminato. Horat.* 3. *Od.* 2. 18. Virtus repulsæ nescia sordidæ Intaminatis fulget honoribus. (Adde *Sulpic. Sever.* 1. *Hist. sacr.* 14.; et *Tertull. Cor. mil.* 15. *init. V.* INATTAMINATUS). Al. leg. *Virtus repulsæ nescia sordidæ in – Contaminatis etc.*, propterea quod *intaminatus* in *Gloss. Philox.* exponitur μιανθείς, *h. e.* pollutus, inquinatus: qua de re multa *Bentlejus.*

INTARDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INTARDO, as, āvi, ātum, are, 1. idem ac tardare, moram trahere. Occurrunt tantum Part. *Intardans* et *Intardatus* apud *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 4. *a med.* Magis intardans atque perseverans perspicitur. et 2. *Tard.* 3. *extr.* Sic enim intardata corporibus emoveri atque excludi mutatione poterunt curationis.

INTECTĀMENTUM, i, n. 2. (intego) integumentum tecti. *Gloss. Philox.* Intectamentum, σκέπασμα στέγης.

INTECTUS, a, um, adject. (in *privat.* et tectus) non tectus, non vestitus, ἀκάλυπτος.

I.) Proprie. *Sall. fragm.* apud *Isid.* 19. *Orig.* 23. 4. edente *Kritz.* Germani intectum renonibus corpus tegunt. *Tac.* 5. *Hist.* 22. Dux semisomnus ac prope intectus. *Id. Germ.* 17. Tegumen omnibus sagum: cetera intecti. *Id.* 2. *Ann.* 59. Sine milite incedere, pedibus intectis, et pari cum Græcis amictu. *h. e.* non calceis pedes indutus, sed soleis. *Apul.* 10. *Met.* Nudum et intectum corpus. *Ammian.* 27. 10. Intecto capite. Adde *eumd.* 15. 4.; et *Aurel. Vict. Cæsar.* 21.

II.) Translate. *Tac.* 4. *Ann.* 1. Tiberium devinxit adeo, ut obscurum adversus alios, sibi uni incautum intectumque efficeret. *scoperto e schietto.*

INTECTUS, a, um, particip. *V.* INTEGO.

INTĔGELLUS, a, um, adject. *deminut.* ab integer. *Cic.* 9. *Fam.* 10. Sed tamen suavissimum συμβιώτην nostrum præstabo integellum. *Catull.* 15. 4. Quod castum expeteres et integellum.

INTĔGER, gra, grum, adject. (in *privat.* et tago *themate v.* tango). Comp. *Integrior* I. 2. et II. 1.; Sup. *Integerrimus* I. 2. et II. 1. et 3. — Sup. *Integrissimus* legitur in *Inscript.* apud *Henzen.* 6524. — Integer ab antiquo *tago* pro *tango*, ut rem intactam significet, cujus partem nullam quisquam tetigit abstulitque, est is cui nihil deest, totus, solidus, intactus, plenus, ὁλόκληρος, ἀθιγής (It. *intiero*; Fr. *non touché, non endommagé, qui est en bon état*; Hisp. *no tocado, entero, integro*; Germ. *unversehrt, unverletzt*; Angl. *whole, entire*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Plaut. Truc.* 4. 2.

13. Integer et plenus thesaurus. *Id. Bacch.* 4. 9. 146. Domum reduco integrum omnem exercitum. *Cic. Prov. cons.* 8. 17. Annus est integer vobis exspectandus. Sic *Horat.* 4. *Od.* 5. 38. Integro die. *Cæs.* 7. *B. G.* 35. Iisdem sublicis, quorum pars inferior integra remanebat, pontem reficere cœpit. *Id.* 1. *B. C.* 49. Loca integra. *h. e.* bello non vastata, atque adeo omni copia abundantia. Cf. *Flor.* 2. 17. 7. Igitur quasi novam integramque provinciam Scipio ille, mox Africanus, invasit. *Sueton. Cæs.* 42. Integris bonis exsulere. *Liv.* 5. 38. *ad fin.* Non tentato certamine, integri intactique fugerunt. *Horat.* 2. *Od.* 17. 7. Nec carus æque, nec superstes integer. *Juvenal.* 10. 287. cecidit que Cethegus integer. *h. e.* non truncatus. *Stat.* 8. *Theb.* 487. puer malasque comamque Integer. ἀλληνομός. *h. e.* barbatus et capillatus. *Sueton. Ner.* 46. Posteriore corporis parte in similæ speciem transfiguratum, ac tantum capite integro. *h. e.* immutato. *Juvenal.* 15. 54. Sævit nuda manus: paucæ sine vulnere malæ; Vix cuiquam, aut nulli toto certamine nasus Integer. ¶ 2. Speciatim refertur ad valetudinem et vires, quibus nihil aut morbus, aut labor dempsit, aut ætas, *sano, vegeto, forte, fresco* — a) — Absolute. *Cic.* 2. *Fin.* 11. 33. Natura movet infantem, ut se ipse diligat, ut integrum se salvumque velit. *Id.* 1. *Divinat.* 29. 60. Somnia vero multo plura evenirent, si ad quietem integri iremus: nunc onusti cibo et vino, perturbata et confusa cernimus. *sobrii e sani di corpo e di mente. Inscript.* apud *Gruter.* 934. 4. VIXIT ANNIS (*fortasse legendum* annos) LXXX. INTEGER INTEGROS. *h. e.* vixit incolumis annos octoginta totos et decessit natali suo. Sic *alia* apud *Don. cl.* 10. *n.* 30. *quæ* VIXIT ANNOS XV. INTEGROS INTEGRA. — Similiter a *Celso* dicuntur *integri*, qui febri carent, 3. 4. *ad fin.* Antequam ex toto integer fiat. *totalmente libero di febbre.* Cf. *eumd. ibid. paullo ante.* Quam integerrimis corporibus cibum offerre. et *Stat.* 4. *Theb.* 94. jam lætus et integer artus. *sano dalle ferite. Quintil.* 8. *proœm.* 19. Corpora sana et integri sanguinis. *Cic.* 2. *Fin.* 20. 47. Integra valetudo. *Sueton. Tib.* 10. Integra ætate ac valetudine. — *Nepos Eumen.* 9. Ad lassitudinem sedandam militum, quo integriore exercitu decerneret. *più fresco.* Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 48. Integros defatigatis submittens. *Id.* 5. *ibid.* 16. *extr.* Integri et recentes defatigatis succederent. *Id.* 3. *B. C.* 94. Quum recentes atque integri defessis successissent. *Id.* 3. *B. G.* 4. Integris viribus repugnare. *con forze fresche. Ter. Andr.* 1. 1. 45. Mulier egregia forma atque ætate integra. *sul fior dell'età.* — b) Cum Genitivo. *Virg.* 9. *Æn.* 255. integer ævi Ascanius. *h. e.* adolescens et robustæ ætatis. Præiverat *Ennius* apud *Servium* ad hunc *Virg.* loc. Adde *Ovid.* 9. *Met.* 441. Sic *Stat.* 1. *Theb.* 414. Integer annorum. *d'età fresca.* — c) Cum Ablativo sine præpos. *Justin.* 27. 3. 2. Nec difficile saucios adhuc ex superiore congressione, integer ipse viribus, superat. *Aurel. Vict. Epit.* 45. Integer sensu. *Ovid.* 5. *Met.* 50. Integer annis. *Sueton. Aug.* 19. Integer ætate. *Albinov.* 3. 5. Pectore maturo fuerat puer, integer ævo. *Propert.* 4. 5. 57. rugis integer annus. — d) Cum Ablativo et præpos. *ab. Cæs.* 3. *B. G.* 26. Cohortes integræ ab labore. — e) Cum Ablativo et præpos. *in. Cic.* 3. *Herenn.* 12. 21. Commutationes faciunt, ut nullo genere vocis effuso, in omni voce integri simus. ¶ 3. Item refertur ad fortunam, quam nulla imminuit calamitas; et ad conditionem et statum florentis, salvi et incolumis. — a) Absolute. *Cic. Planc.* 35. 86. Quos ego florentes atque integros sine ferro viceram. *Ovid.* 3. *Trist.* 3. 35. Integer hanc potui nuper bene reddere lucem: Exsul ut occiderem, nunc mihi vita data est. *Id.* 5. *ibid.* 1. 7. Integer et lætus læta et juvenilia lusi *etc.* At cecidi, perago subiti præconia casus. *Cæs.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Ne quo progredereris, inclinata jam re, quo integra etiam, progrediendum tibi non existimasses. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 113. Integris opibus novi non latius usum, Quam nunc accisis. *Atticus* ad *Cic.* 9. *Att.* 10. *ad fin.* Non scilicet integra re, sed certe minus infracta. *Cic. Quinct.* 15. 49. Dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem. — b) Cum Ablativo sine præpos. *Cic* 13. *Fam.* 4. *a med.* Si Volaterranos omnibus rebus integros incolumesque esse volueris. *Sall. orat. Cottæ ad popul.* Fama et fortunis integer. — c) Cum Ablativo et præpos. *ab. Liv.* 9. 41. Gens integra a cladibus belli. ¶ 4. Item ad ordinem aciei: nam integri milites dicuntur, qui in acie ordinem servant. *Cæs.* 2. *B. C.* 42. Partim fugientes ab equitatu interficiuntur, partim integri procumbunt. *Tac.* 4. *Hist.* 12. Integris turmis Rhenum perrumpere. ¶ 5. Item locum habet in plerisque adverbialibus formulis, quarum præcipuæ sunt hæ: — a) *In integrum restituere,* est in pristinum statum reponere: id enim est integrum, loquit *Auct. B. Alex.* 35., quod ita est, ut fuit, *rimettere nel pristino stato. Ter. Phorm.* 2. 4. 10. Quod te absente hic filius egit, restitui in integrum æquum est et bonum. *Cæs.* 3. *B. C.* 1. Nonnullos ambitus damnatos in integrum restituit. Adde *Cic. Cluent.* 36. 98. et *Flacc.* 32. 79.; *Sueton. Cæs.* 16.; et *JCtos* in *Dig.* sæpe. — b) *De integro, ab integro, ex integro* est rursus, denuo, *di nuovo, nuovamente. Ter. Heaut.* 4. 2. 7. Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda est mihi. *Cic.* 13. *Att.* 27. Ut mihi de integro scribendi causa non sit. *Liv.* 21. 8. Acrius de integro obortum est bellum. Adde *eumd.* 30. 34. — *Cato* apud *Servium* ad *Virg.* 3. *Ecl.* 5. Omnia ab integro paranda erant. *Cic.* 3. *Verr.* 58. 147. Unam columnam efficere ab integro novam, an quatuor illas reponere. *di pianta. Virg.* 4. *Ecl.* 5. Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo. — *Colum.* 9. *R. R.* 13. 8. Ut omnes vitiosi favi eximantur, et cibus ex integro recens ponatur. *Quintil.* 10. 3. 20. Calor ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires. *Sueton. Aug.* 16. Navibus ex integro fabricatis. *di pianta.* Adde *Justin.* 2. 15. 1. et 20. 5. 6.; et *Ammian.* 26. 4. — *Ad integrum* apud *Ter. Heaut.* 5. 3. 8. Redeat ad integrum eadem oratio. *si torni a capo col medesimo discorso.* — *Ad integrum,* integre, omnino, apud *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 5. *ante med.* Hæc est prima incorporea natura, post corporea, sed non pure, nec ad integrum carens corpore. ¶ 6. Latiori sensu integer est purus, incontaminatus, incorruptus, *puro, netto, incorrotto. Cic. Topic.* 18. 69. Ut anteponantur integra contaminatis, jucunda minus jucundis etc. *Horat.* 1. *Od.* 26. 6. Integri fontes. *Id.* 2. *Sat.* 4. 54. integer sapor. *Id. ibid.* 2. 91. Vitiatum aprum commodius, quam integrum consumere. *Colum.* 12. *R. R.* 20. 7. Integrum vinum. *sano. Stat.* 5. *Silv.* 2. 63. decor integer ævi.

II.) Translate. ¶ 1. Transfertur ad vitam omni ex parte honestam, et mores nullo vitio corruptos, *dabbene, senza taccia, integerrimo.* — a) Cum Genit. *Horat.* 1. *Od.* 22. 1. Integer vitæ scelerisque purus. Alia ratione *Val. Flacc.* 2. 374. integer urbis. *h. e.* qui urbis deliciis se corrumpi non est passus. — b) Cum Ablat. sine præpos. *Martial.* 6. 28. Castus moribus, integer pudore, Velox ingenio, decore felix. — c) Cum Ablat. et præpos. *in. Cic. Fontej.* 14. 31. Ipse in omnibus vitæ partibus honestus atque integer. — d) Sæpius absolute. *Cic.* 1. *Orat.* 53. 229. Quum esset ille vir exemplum innocentiæ, quumque illo nemo neque integrior esset in civitate, neque sanctior. *Id.* 6. *Verr.* 4. 7. Homines integri, innocentes, religiosi. *Horat.* 3. *Od.* 2. 29. sæpe Diespiter Neglectus incesto addidit integrum. *Cic.* 1. *Fin.* 21. 71. Incorrupti atque integri testes. *Papinian. Dig.* 22. 5. 13. Ejus testimonii fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendere. *Cic. Planc.* 1. 3. Integerrima vita, modestissimi mores. *Tac.* 2. *Hist.* 97. Integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius egerat. *h. e.* innocentem, abstinentem. — *Curt.* 10. 2. 10. Quo facilius ab integris sumptuosos secerneret. *i frugali, i parchi.* — Similiter refertur ad pudorem et florem virginitatis, et inviolatum castumque significat, *casto, vergine, inviolato, intatto. Plaut. Truc.* 4. 3. 47. Integra filia. *Catull.* 59. 36. virgo. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 70. Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet. *Cic.* 2. *Verr.* 5. 14. Quibus liberos conjugesque suas integras ab istius petulantia conservare non licitum est. ¶ 2. Dicitur et de iis, qui nullo affectu et cupiditate perturbantur, *indifferente, spassionato. Horat.* 3. *Od.* 7. 21. Scopulis surdior Icari Voces audit, adhuc integer. *h. e.* intactus amore. Sic *Id.* 2. *ibid.* 4. 21. Brachia et vultum teretesque suras Integer laudo. *Id.* 2. *Sat.* 3. 219. Si quis gnatum pro muta devovet agna, Integer est animi? *sano di mente.* Sic *ibid. v.* 65. Integer mentis. *et* 1. *Od.* 31. 18. Integra mens. *Cic.* 7. *Att.* 26. Integrum se servare. *neutrale,* neutrius partis studiosum. *Tac.* 15. *Ann.* 52. Integer a conjuratione. ¶ 3. Et de iis, qui rem quampiam nondum experti sunt. *Cic.* 3. *Nat. D.* 3. 7. Quia sic aggredior ad hanc disputationem, quasi nihil unquam audierim de diis immortalibus, nihil cogitaverim; rudem me discipulum et integrum accipe. *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 10. *p.* 902. *Putsch.* Curionem quæsivit, uti adolescentior et populi suffragiis integer, ætati concederet Mamerci. ¶ 4. *Res integra* est, de qua nondum quidquam est deliberatum, intacta, libera, *negozio vergine. Cic.* 5. *Att.* 21. *sub fin.* Præsertim quum integram rem et causam reliquerim. *Id.* 2. *Off.* 23. 82. Rem integram ad reditum suum jussit esse. *Id.* 13. *Fam.* 4. Integram omnem causam reservare alicui. *Id. Mur.* 21. 43. Ea dicam, vobis audientibus, amisso jam tempore, quæ ipsi soli, re integra, sæpe dixi. *quando ci era ancor tempo. Cæs.* 1. *B. C.* 85. Qui etiam bona conditione et loco confligere noluerit, ut quam integerrima ad pacem essent omnia. — Similiter *integræ offensiones* apud *Tac.* 3. *Ann.* 24. sunt, quæ nondum sedatæ sublatæque, et adhuc durant. *disgusti vivi.* Sic *Liv.* 34. 62. *extr.* Integro certamine aliquos relinquere. *h. e.,* ut *Id. ibid.* paullo supra dixit: Suspensa omnia, neutro inclinatis sententiis, relinquere. — Similiter *integrum est mihi,* res est mihi integra, alterutram partem eligere possum, res est in mea potestate. *Cic.* 15. *Att.* 23. Quousque? inquies: quoad erit integrum. *sino a che starà in mia mano. Id.* 1. *Phil.* 10. 26. Loquor de legibus promulgatis, de quibus est integrum vobis. *Id. Pis.* 24. 58. Non est integrum Cn. Pompejo consilio jam uti tuo. *non è più in libertà: non è più a tempo. Id.* 5. *Tusc.* 21. 62. Et ne integrum quidem erat, ut ad justitiam remigraret. — Sic *res in integro mihi est,* res est in mea potestate. *Cic.* 4. *Verr.* 40. 98. Quum tibi in integro tota res esset. Adde *eumd.* 11. *Att.* 6.; et *Liv.* 3. 10. — *Integrum alicui dare* est copiam ac potestatem facere, *concedere libertà di azione. Cic. Partit. orat.* 38. 132. Defendat, eam sententiam quemris prudentem hominem, si integrum daretur, scripturum fuisse.

INTEGIMENTUM, i, n. 2. *V.* INTEGUMENTUM.

INTĚGO, tĕgis, texi, tectum, tĕgere, a. 3. (in et tego). Part. *Intectus* et *Integendus* I. — Integere est idem ac tegere, ἀμφικαλύπτω (It. *coprire, vestire*; Fr. *couvrir, recouvrir*; Hisp. *cubrir*; Germ. *bedecken*; Angl. *to cover, clothe*).

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 1. 2. 13. Villam integundam intellego totam mihi. Nam nunc perlucet ea, quam cribrum, crebrius. *Cæs.* 7. *B. G.* 22. Turres coriis intexerant. *Id. ibid.* 73. Reliqua pars scrobis, ad occultandas insidias, viminibus ac virgultis integebatur. *Liv.* 27. 3. Stramento intecta omnia. *Auct. B. G.* 8. 5. Tentoriorum integendorum gratia. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 4. 9. (15). Statuas auro integere. *indorare. Id.* 11. *ibid.* 37. 80. (204). Intestina tenui omento integuntur. *Id.* 9. *ibid.* 14. 16. (43). Pisces crustis intecti. *Id.* 24. *ibid.* 6. 16. (26). Succus ejus, quum exprimitur, integendus est, quoniam mire appetitur a muscis et similibus. *Seneca Œdip.* 551. Ipse funesto integit Vates amictu corpus. *Stat.* 4. *Theb.* 303. casside crines integere. *Propert.* 2. 15. 25. Qua formosa suo Clitumnus flumina luco Integit. *inombra. Lucret.* 1. 404. canes montivagæ persæpe ferai Nariibus inveniunt intectas fronde quietes. *Liv.* 26. 17. Densa nebula saltum omnem camposque circa intexit. — *Integere viam,* non est lapide sternere, *lastricare,* ut quidam putarunt, verum fornice viam tegere, id enim indicat locus ipse camera tectus perpetua, in quo reperta Tibure est *Inscript.* apud *Gruter.* 150. 1. C. AVATIVS C. F. FLAVOS ITERUM, L. OCTAVIVS L. F. VITVLVS IIII. VIR. DE *senatus sententia* VIAM INTEGENDAM CVRAVERE. Hinc *Propert.* 2. 18. 55. quænam nunc porticus illam (*puellam*) integit. *V.* FORNICATUS, et *Plinii loc. cit.* in VELUM.

II.) Translate. *Liv.* 7. 23. Quum loci altitudine, tum vallo etiam integi Romanos vidit. *h. e.* protegi, defendi. Alii leg. tegi: sed V. *Drackenborg.* ad h. l.

INTEGMENTUM, i, n. 2. *V.* INTEGUMENTUM.

INTĚGRASCO, is, *ere,* n. 3. *inchoat. ab inte-*

gro, integrari, in pristinum statum redire, in integrum restitui, *rinnovarsi, rintegrarsi,* ἀνασκευάζομαι. *Ter. Andr.* 4. 2. 5. Perii! hoc malum integrascit.

INTĔGRĀTĬO, ōnis, f. 3. (integro) instauratio, renovatio, in integrum restitutio, *rinnovamento, integrazione,* ἀνασκευή, ἐπανάληψις. *Ter. Andr.* 3. 3. 23. Amantium iræ amoris integratio est. *Symmach.* 3. *Ep.* 73. Amici inopiam rei familiaris integratione solare.

INTĔGRĀTOR, ōris, m. 3. (integro) restitutor, instaurator, *rinnovatore, ristoratore,* ἀνασκευαζόμενος. *Tertull. Apolog.* 46. *extr.* Veritatis integrator.

INTĔGRĀTUS, a, um. *V.* INTEGRO.

INTĔGRĒ, adverb. (integer). Comp. *Integrius* et Sup. *Integerrime* II. 1. — Integra est in totum, omnino, *intieramente.*

I.) Proprie. *Tac.* 1. *Hist.* 52. Sordem et avaritiam Fonteji Capitonis, adimendis assignandisve militiæ ordinibus, integre mutaverat. *Nisi malis hoc translate accipere.*

II.) Translate. ¶ 1. Morali significatione refertur ad vitæ integritatem morumque innocentiam et abstinentiam. *Cic.* 1. *Fin.* 9. 30. Incorrupte atque integre judicare. *disappassionatamente, sinceramente. Id. pro leg. Manil.* 1. 2. In amicorum periculis caste integreque versatus. *senz' interesse,* ἀδωροδοκήτως. Cf. *Tac. Agric.* 7. Agricola missus ad delectus agendos, integreque ac strenue versatus. et *Plin.* 7. *Ep.* 25. Procuratione Narbonensis provinciæ integerrime functus. *con ogni integrità.* et *Sueton. Vesp.* 4. Asiam integerrime administravit. et *Tac.* 1. *Hist.* 48. Provinciam severe integreque regere. et 13. *Ann.* 46. Integre sancteque agere. *Cic. Mil.* 22. 60. Quid hac quæstione dici potest integrius? quid incorruptius? ¶ 2. Refertur et ad orationem, quæ sana est, nullaque barbarie aut vitio corrupta. *Cic. Opt. gen. orat.* 4. 12. Integre et ample et ornate dicere. *sanamente, emendatamente, correttamente,* καθαρῶς. *Gell.* 7. 11. Proprie atque integre loqui. *Id.* 13. 6. Pure atque integre locuti sunt. *Id.* 18. 9. Recte atque integre scriptum.

INTĔGRĬTER, adverb. pro integre, improbari videtur a *Charis.* 2. *p.* 181. *Putsch.* Integriter vitiose putant dici, sed integre, ut impigre.

INTĔGRĬTAS, ātis, f. 3. (integer) totum aliquid integrum, *interezza.*

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Macrob.* 2. *Somn. Scip.* 14. Ex accidenti moventur, quæ in eo sunt, quod movetur, ut in navi sarcina. aut etiam quum pars movetur quiescente integritate. ¶ 2. Latiori sensu est qualitas rei integræ, soliditas, incorruptio, sanitas, *sanità, incorruzione,* ἀδιαφθαρσία. *Colum.* 8. *R. R.* 11. 9. Pavones perticis insistentes enituntur ova, quæ quo propius ac mollius deciderint, illibatam servant integritatem. *Inscript.* apud *Henzen.* 7420. a 3. AQVAEDVCTVM — MVLTORVM INCVRIA DILAPSVM — DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS AVGG. — IN MELIVS REFORMATVM AD INTEGRITATEM RESTITVERVNT. *Ammian.* 21. 5. Sequimini viam consilii mei salutarem, ut puto, quum integritas rerum intentioni nostræ voluntatique respondeat. *Cic.* 5. *Fin.* 14. 40. Integritas corporis. quod est membra omnia tum integre habere, tum bene valentia: *intieri e sani,* quæ duo alibi distinxit, ut 2. *ibid.* 11. 34. Non ingenii motum, non integritatem corporis, non valetudinem etc. *Phædr.* 3. 11. Integritatis testes desunt mihi. *h. e.* testiculi, qui ἀρρενότητος testes sunt: verba sunt eunuchi. *Cic.* 5. *Fin.* 27. 80. Valetudo, vires, integritas unguiculorum omnium. *Id.* 5. *Tusc.* 34. 99. Integritas valetudinis. *sanità intiera, compita, perfetta, totale.* Vocat *Celsus* 3. 5. integritatem, quum omnino febri caret is, qui febri intermittente laborat: quod idem habet *ibid.* 4. *sub fin.* et *Vitruv.* 8. 7. *a med.* Integritas saporis (*in aqua*).

II.) Translate. ¶ 1. Raro admodum ad mentem refertur. *Labeo Dig.* 28. 1. 2. Integritas mentis. *sanità, saviezza.* ¶ 2. Sæpe refertur ad animum, vitam, mores, *innocenza, integrità, probità. Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 9. 27. Multo esse oportet in eo, qui alterum accuset: primum integritatem atque innocentiam singularem etc. *Nepos Phoc.* 1. Integritas vitæ. *Cic. Lig.* 1. 2. Sic provinciæ præfuit in pace, ut et civibus et sociis gratissima esset ejus integritas et fides. *Tac. Agric.* 9. Integritas et abstinentia. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 16. Ut omnes æquitatem tuam, temperantiam, severitatem integritatemque laudent. *et ibid.* § 13. Omnes ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, ut etc. *et ibid.* § 6. Tua integritas et continentia. *Id.* 6. *Att.* 2. *a med.* Laudator integritatis et elegantiæ nostræ. ¶ 3. Speciatim ad castitatem, pudicitiam, virginitatem. *Cic.* 3. *Verr.* 23. 64. Mulierem eximia pulcritudine, sed eam summa integritate pudicitiaque existimari. *Flor.* 2. 6. *med.* Ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur. ¶ 4. Interdum ad orationem puram, emendatam, vitio carentem. *Cic. Brut.* 35. 132. Incorrupta quædam Latini sermonis integritas.

INTĔGRĬTŪDO, inis, f. 3. (integer) integritas. *Imp. Trajan.* apud *Ulp. Dig.* 29. 1. 1. Secutus animi mei integritudinem erga optimos fidelissimosque commilitones. *h. e.* voluntatem integre propensam, bonitatem, benevolentiam.

INTĔGRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (integer). Part. *Integrans* et *Integratus* I. 2. — Integrare est integrum reddere, in integrum restituere, instaurare, renovare, repetere, ἀνασκευάζω (It. *integrare, rintegrare, rimettere, rinnovare, ripetere;* Fr. *rétablir, guérir, renouveler, recommencer;* Hisp. *restablecer, renovar, volver á empezar;* Germ. *erneuern, wiederanfangen;* Angl. *to restore, repeat, renew, renovate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est integrum reddere, in integrum restituere, instaurare. *Lucret.* 1. 1029. ut largis avidum mare fluminis undis integrent amnes. *empiano. Id.* 2. 1145. Omnia debet enim cibus integrare novando. *ristorare. Tac.* 4. *Hist.* 81. Elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. *h. e.* in integrum restitui et sanari. *Capell.* 7. *p.* 239. Denasque plena his quatuor numeris gradatim plicatis integratur, id est uno, duobus, tribus, quatuor. *Accius* apud *Non. p.* 127. 2. *Merc.* Huc venio, ut mea ope opes Trojæ integrem. *per rimettere in piedi.* ¶ 2. Est etiam renovare, repetere, *rinnovare, ripetere, ricominciare. Sisenna* apud *Non. p.* 127. 2. *Merc.* Ultro citroque integrant in oppido cædem. *Pacuvius apud eumd. ibid.* Integrare inimicitiam. Sic *Flor.* 4. 10. 2. Integrata amicitia. *Liv.* 7. 7. *extr.* Equites provolant ante signa, et novam integrant pugnam. *Stat.* 8. *Theb.* 657. Integrare bellum. *Liv.* 5. 25. seditionem. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 6. exercitium. *Auson. epist.* 14. 7. Integratus vigor. *Papinian. Dig.* 29. 5. 21. Integratum jus. *Apul.* 2. *Met.* Voluptatem integrantes. *Liv.* 1. 29. *a med.* Et conspectus aliorum mutua miseratione integrabat lacrimas. Cf. *Curt.* 10. 6. 4. Quorum adspectu rursus obortæ omnibus lacrimæ integravere luctum. *Virg.* 4. *G.* 514. ramo sedens philomela miserabile carmen integrat. *h. e.* de integro repetit. Quod quidem suavius expresserat *Homer. Odyss. l.* 19. *v.* 521. Ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν. *Stat.* 5. *Theb.* 29. immania vulnera, rector, integrare jubes. *h. e.* quod *Virg.* dixit 2. *Æn.* 3. infandum renovare dolorem.

II.) Figurate pro reficere, recreare. *Cic.* 1. *Invent.* 17. 25. Animus defessus audiendo, aut admiratione integratur, aut risu novatur. *Gell.* 15. 2. Modicis honestisque inter bibendum remissionibus refici integrarique animos ad instauranda sobrietatis officia.

INTĔGŪMENTUM, i, n. 2. (intego). Legitur et *integimentum* apud *Ambros. de Isaac et anim.* 4. Hoc integimento animæ piorum indutæ. Adde *eumd. ibid.* 6. — *Integmentum* quoque occurrit apud *eumd. Ep.* 7. 44. Nam et sine integmento in hoc mundo nascitur. — Integumentum est id quo quippiam integitur, tegumentum, velamentum, *coprimento, coperta,* σκέπασμα.

I.) Proprie. *Liv.* 40. 59. *in fin.* Lana (*al.* læna) cum integumentis, quæ Jovi opposita (*al.* apposita) fuit, decidit. Adde *eumd.* 10. 38. *Aurel. Vict. Orig. G. R.* 13. Tum veste aut pellibus, quæ sis integumento erant, sinistris manibus involutis.

II.) Translate. *Plaut. Bacch.* 4. 2. 19. Dic mihi, quis tu es? PARASITVS. Illius sum integumentum corporis. *h. e.* latus ejus tego tamquam satelles et custos: comes assiduus, sodalis mensæque assecla. *Cic. post redit. in senat.* 7. 16. Frontis integumento ad occultanda flagitia uti. quod paullo ante dixerat vos populumque Romanum togis supercilioque decepit. Sic *Id. Pis.* 6. 12. Vereor, ne qui sit, qui istius insignem nequitiam, frontis involutam integumentis, nondum cernat. *Id. Cæl.* 20. 47. Huc unius mulieris libidinem esse prolapsam, ut ea non modo solitudinem ac tenebras atque hæc flagitiorum integumenta non quærat, sed etc. *Id.* 2. *Orat.* 86. 350. Libenter te aliquando evolutum illis integumentis dissimulationis tuæ nudatumque perspicio.

INTELLECTĬBĬLIS, e, adject. (intelligo) qui intellectu percipitur, *intellettibile. Boeth. Dial. in Porphyr.* 1. *p.* 2. Est intellectibile quod nullis unquam sensibus, sed sola tantum mente intellectuque capitur. *Id. ibid.* Intellectibilia egomet, mea verbi compositione, vocavi. *Id.* in *Aristot. Categ.* 1. *p.* 129. Quum naturaliter primæ intellectibiles sint substantiæ, ut Deus et animus, cur non has primas substantias nuncupaverit?

INTELLECTĬO, ōnis, f. 3. (intelligo) ¶ 1. Est actus intelligendi, *intendimento,* νόησις. Figura est rhetorica, quæ Græco vocabulo *synecdoche* dicitur. *Cic.* 4. *Herenn.* 33. 44. Intellectio est, quum res tota parva de parte cognoscitur, aut de toto pars. — Pro ipso intelligendi actu non solent Latini hac voce uti, sed *intelligentia.* Tamen *Priscian.* 8. *p.* 808. *Putsch.* Nec mirum, sic infinite in hoc modo intelligi præteritum, quod quantum ad veram intellectionem etc. ¶ 2. Pro inclinatione usurpatur a *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 10. *ad fin.*

INTELLECTĪVUS, a, um, adject. (intelligo) in cogitatione positus, *intellettivo,* διανοητικός. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 1. 1. *p.* 532. Omnis doctrina et omnis disciplina intellectiva ex præexistente fit cognitione. Adde *Priscian. loc. cit.* in INSPECTIVUS.

INTELLECTOR, ōris, m. 3. (intelligo) qui intelligit, *intenditore.* Est *Augustin.* 2. *Doctrin. Christ.* 13. et 8. *de Gen. ad litt.* 2. et 2. *de morib. Manich.* 3. et *Ep.* 111. *ad Fortunatian. a med.,* qui videtur alicubi, v. gr. postremo loco laudato, pro attento lectore usurpare.

INTELLECTŪĀLIS, e, adject. (intellectus) ad intellectum pertinens, *intellettuale. Apul.* 1. *Dogm. Plat.*; *Augustin.* 12. *de Gen. ad litt.* 7.; et *Capell.* 2. *p.* 45., 7. *p.* 238. et 9. *p.* 312.

INTELLECTŪĀLĬTAS, ātis, f. 3. (intellectualis) facultas intelligendi. *Tertull. Anim.* 38. *extr.*

INTELLECTŪĀLĬTER, adverb. (intellectualis) *intellettualmente,* ex intellectu. *Claud. Mamert.* 2. *Stat. an.* 5. Sicut de mensura claruit, ita et de numeris satis apparet, esse hos in corpore visibiliter, in anima intellectualiter. *Boeth. de Trin.* 2. *p.* 1122. In divinis intellectualiter versari oportebit.

INTELLECTUS, a, um. *V.* INTELLIGO.

INTELLECTUS, us, m. 4. (intelligo) apud argentei ævi scriptores ¶ 1. Est actus intelligendi, intelligentia, *intendimento, conoscimento,* νόησις. *Tac.* 6. *Ann.* 36. Queis neque boni intellectus, neque mali cura. *Seneca* 3. *Benef.* 17. Alicujus rei intellectum amittere. *Quintil.* 1. 2. 27. Ad intellectum audientium descendere. *Id.* 1. 1. 15. Capere intellectum disciplinarum. *Id.* 2. 5. 18. Intellectu consequi aliquid. *arrivar a capire.* et *Seneca Ep.* 120. *a med.* Facere multis intellectum sui. *farsi conoscere.* et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 65. (159). Equi in circo ad currus juncti non dubie intellectum adhortationis et gloriæ fatentur. *mostrano d'intendere.* et *Id. ibid.* 1. 1. (1). Elephantis intellectus sermonis patrii et imperiorum obedientia. *Id.* 29. *ibid.* 6. 34. (107). *de muscis.* Nullum animal minus docile existimatur, minorisve intellectus. *Tac.* 13. *Ann.* 38. Dissimulare intellectum insidiarum. *fingere di non accorgersi.* — *Intellectu carere,* est non intelligi, apud *Quintil.* 1. 1. 28. Stilus rudis et confusus intellectu caret. — *Intellectum habere,* est intelligi, apud *Tac. Germ.* 26. Hiems et ver et æstas intellectum ac vocabula habent: auctumni perinde nomen ac bona ignorantur. ¶ 2. Speciatim de cognitione et peritia in rebus artefactis. *Vellej.* 1. 13. 5. Magis pro republica fuit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi. *la cognizione, la pratica. V.* INTELLIGENTIA 3. et INTELLIGO 2. ¶ 3. Est etiam notio, sententia, *significato, senso. Quintil.* 7. 9. 2. Verba quædam diversos intellectus habent, ut cerno. *Id.* 8. 3. 44. Male consuetudine in obscœnum intellectum sermo detortus. *Id.* 8. 3. 83.

Ἔμφασις; altiorem præbet intellectum, quam verba per se ipsa declarant. *fa intendere, significa più. Id.* 1. 7. 13. Quum eadem littera alium atque alium, prout correpta aut producta est, intellectum facit. *et* 1. 5. 71. Translata alium natura intellectum, alium loco præbent. ¶ 4. Raro sumitur pro intelligendi vi, facultate, quæ animo inest, quam *mentem* et *intelligentiam* sæpius dicimus, *intelletto. Seneca Ep.* 120. Per analogiam nostro intellectu et honestum et bonum judicante. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Nostræ enim super stellarum cursibus opiniones disputationesque possunt in errorem intellectum inducere. *Paul. Dig.* 29. 2. 92. Mutus dominus, si intellectu non caret, nutu jubere potest etc. ¶ 5. Refertur etiam ad perceptionem, quæ sensu fit, *sentimento, senso, percezione. Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (174). Intellectus saporum est ceteris in prima lingua, homini et in palato. *Id.* 19. *ibid.* 8. 54. (171). Citra intellectum acrimoniæ. *Id.* 11. *ibid.* 53. 116. (280). Nec est intellectus ullus in odore, vel sapore. *h. e.* neque ex odore, neque ex sapore sentitur venenum. *Id.* 16. *ibid.* 39. 76. (195). Intellectus in cortice protinus peritis. *h. e.* periti ex cortice statim intelligunt, quænam arbor sit.

INTELLĬGENS, entis. *V.* INTELLIGO in fin.

INTELLĬGENTER, adverb. (intelligens) cum intelligentia, *con intelligenza*, συνετῶς. *Cic. Partit. orat.* 8. 28. Sumuntur autem trium rerum gratia, ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur. *Plin.* 5. *Ep.* 16. Quam studiose, quam intelligenter lectitabat! *intelligibilmente.*

INTELLĬGENTĬA, æ, f. 1. (intelligo). In Pandectis Florentinis *Dig.* 20. 1. 20. *sub fin.* legitur *intellegentia. V.* INTELLIGO init. — ¶ 1. Intelligentia est facultas animæ nobilissima, qua res, etiam incorporeas, percipimus et contemplamur, ἔννοια, νόησις (It. *intelletto, perspicacia, intendimento*; Fr. *intelligence, faculté de comprendre, entendement*; Hisp. *inteligencia, facultad intelectiva*; Germ. d. *Einsicht, Fassungskraft, Verstand*; Angl. *the power of discerning or understanding, intellect, understanding*). *Cic.* 2. *Invent.* 53. 160. Intelligentia est, per quam animus ea perspicit, quæ sunt. *Id. Tim.* 3. Deus intelligentiam in animo, animum conlocavit in corpore. *Id.* 1. *Divinat.* 32. 70. Pars animi, rationis atque intelligentiæ particeps. *Id.* 1. *Nat. D.* 19. 49. In eas imagines mens intenta, infixaque nostra intelligentia capit, quæ sit beata natura. *Id.* 1. *Legg.* 16. 44. Communis (*h. e.* totius humani generis) intelligentia notas nobis res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. *Id.* 1. *Nat. D.* 19. 49. Hæc quamquam dicta sunt subtilius, quam ut quivis ea possit agnoscere; tamen fretus intelligentia vestra, dissero brevius, quam causa desiderat. *Id.* 3. *Off.* 4. 17. Id honestum, quod in nostram intelligentiam cadit. *Id. ibid.* 17. 68. Ratione et intelligentia tenere aliquid. *Id.* 1. *Orat.* 3. 12. Quod longissime est ab imperitorum intelligentia sensuque disjunctum. *capacità.* ¶ 2. Dicitur haud raro de particularibus notionibus, quas mente assequimur ac tenemus, *cognizione, notizia, scienza. Cic.* 1. *Tusc.* 22. 51. Quia difficilis erat animi, quid aut qualis esset, intelligentia, nullum omnino animum esse dixerant. *Id.* 5. *ibid.* 24. 68. Quæ nos magis ad cognitionem intelligentiamque convertant. *Id.* 9. *Phil.* 5. 10. Habere intelligentiam juris civilis. *Justin.* 36. 2. 8. Somniorum primus intelligentiam condidit. *h. e.* artem interpretandi. — In plur. num. *Cic.* 1. *Legg.* 22. 58. Rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente concipere. ¶ 2. Specialim de cognitione et peritia in rebus artefactis, *cognizione, pratica. Cic. Rosc. Am.* 17. 49. Quid censes hunc ipsum Sex. Roscium, quo studio et qua intelligentia esse in rusticis rebus? *Id.* 6. *Verr.* 21. 46. Ut intelligatis in homine intelligentiam esse, non avaritiam: artificii cupidum, non argenti fuisse. *Id.* 1. *Invent.* 49. 91. Pecuniæ quærendæ intelligentia. Adde *eumd.* 6. *Verr.* 44. 98.; et *V.* ELEGANS et INTELLIGO 2. ¶ 3. Refertur etiam ad ea, quæ sensibus percipiuntur. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 21. In gustatu et odoratu intelligentia, etsi vitiosa, est quædam tamen.

INTELLĬGĬBĬLIS, e, adject. (intelligo). Comp. *Intelligibilior* legitur apud *Boeth. de Divis.* 1. *p.* 642. Divisio — debet ad intelligibiliora deducere. — Intelligibilis ¶ 1. Generatim est qui intelligi potest, *intelligibile*, νοητός. *Seneca Ep.* 124. Quicumque voluptatem in summo ponunt, sensibile judicant bonum; nos contra intelligibile, quia illud animo damus. *Ammian.* 20. 3. Scrutatores caussarum intelligibilium. Adde *Augustin. loc. cit.* in voc. seq. ¶ 2. Item qui sub sensum cadit, *sensibile. Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *ante med.* In corporis intelligibilis lineam (*dyas*) prima defluxit.

INTELLĬGĬBĬLĬTER, adverb. (intelligibilis) Comp. *Intelligibilius.* — Intelligibiliter est ita ut intelligi sentirive possit, *intelligibilmente, sensibilmente*, νοητῶς. *Augustin. Ep.* 218. Multa nos ad corpus pertinentia intelligibiliter posse percipere. *Id.* 1. *Soliloquior.* 1. Deus intelligibilis lux, in quo et a quo et per quem intelligibiliter lucent, quæ intelligibiliter lucent omnia. *Aggen. Urb.* in *Jul. Frontin. p.* 44. Volumus ea, quæ a veteribus obscuro sermone conscripta sunt, apertius et intelligibilius exponere.

INTELLĬGO (*vel* intellego), ligis, lexi, lectum, ligere, a. 3. (inter *vel juxta nonnullos* intus *et* lego). *Intellego* per secundam vocalem sæpissime apud *Plaut.* legitur et *Terent.*, itemque in multis optimis MSS. aliorum scriptorum inveniri, plures critici testantur; non desunt etiam, qui ita omnino scribendum putant. Quare non est ea scriptio damnanda: alteram tamen per *i* communior usus tuetur. *Dausquius.* — Perfectum antique habuit *intellegi*, testibus *Diomed.* 1. *p.* 366. *Putsch.* et *Priscian.* 10. *p.* 894. V. *Kritz.* ad *Sall. Jug.* 40. — *Intellexti* pro *intellexisti*, et *intellexes* pro *intellexisses*, syncopæ sunt: illa *Cic.* 13. *Att.* 32. et *Ter. Eun.* 4. 6. 30., hæc *Plauti Cist.* 2. 3. 81. — Part. *Intelligens* in fin.; *Intellectus* 1. et 6.; *Intellecturus* 6.; *Intelligendus* 5. — Intelligere est mente percipere, intelligentia comprehendere, cognoscere, animadvertere, συνίημι, διανοέω (It. *intendere, capire, conoscere*; Fr. *comprendre, concevoir, entendre, saisir*; Hisp. *comprehender, entender, alcanzar, conocer, percebir*; Germ. *einsehen, verstehen, Einsicht von etwas haben*; Angl. *to understand, comprehend, know*. ¶ 1. Generatim est mente percipere, intelligentia comprehendere, cognoscere; et occurrit — *a*) Cum Accusativo. *Ter. Andr.* 1. 3. 1. Enimvero, Dave, nihil loci 'st segnitiæ, neque socordiæ, quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis. *Id. Heaut.* 3. 1. 69. Nam si semel tuum animum ille intellexerit, (*scilicet*) prius proditurum te tuam vitam et prius pecuniam omnem, quam abs te amittas filium etc. *Cic.* 2. *Orat.* 14. 60. Hæc dumtaxat intelligo, quæ ipsi, qui scripserunt, voluerunt a vulgo intelligi. *Id.* 1. *Off.* 41. 146. Magna sæpe intelligimus ex parvis. *Id.* 8. *Att.* 12. Aliquid penitus intelligere. *Id. Topic.* 5. 27. Cernere aliquid animo atque intelligere. *Sueton. Aug.* 86. Ea scribere, quæ mirentur potius homines, quam intelligant. *Ovid.* 7. *Met.* 759. Carmina non intellecta. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Intellecta causa. *Id.* 35. *ibid.* 10. 36. (65). Intellectus error. *Gell.* 18. 13. Captio parum intellecta. *Id.* 16. 19. Intellecta pernicies. — Et omisso Accusativo, qui tamen facile subauditur. *Cic.* 1. *Nat. D.* 39. 109. Puderet, me dicere non intelligere, si vos ipsi intelligeretis, qui ista defenditis. *Id.* 2. *Off.* 14. 48. Intelligere et sapere plus quam ceteri. — *b*) Sequente Infinito. *Cic.* 6. *Att.* 9. Intellexi ex tuis litteris, te audisse etc. *Nepos Pausan.* 5. E vultu cujusdam, insidias sibi fieri intellexit. *comprese, s'avvide. Cic. Marcell.* 1. 3. Intellectum est enim mihi quidem in multis, et maxime in me ipso, te auctoritatem hujus ordinis tuis doloribus anteferre. *Id.* 1. *Nat. D.* 17. 44. Intelligi necesse est, esse deos. *et* 3. *Tusc.* 5. 11. Eos enim sanos quoniam intelligi necesse est. — *c*) Sequente relativo. *Cic.* 1. *Nat. D.* 26. 74. Corpus quid sit, intelligo; quasi corpus quid sit, nullo prorsus modo intelligo. *Id. Vatin.* 15. 35. De gestu intelligo, quid respondeas. *dal gesto. Tac.* 1. *Ann.* 49. Et quidam bonorum cæsi, postquam, intellecto in quos sæviretur, pessimi quoque arma rapuerant. *intesosi, saputosi.* Rursus *Cic.* 3. *Nat. D.* 14. 35. Non intelligo, quo modo, calore exstincto, corpora intereant. *Id. ibid.* 24. 61. Quare autem in his vis deorum insit, tum intelligam, quum cognovero. Sic *Nepos Hann.* 11. Intelligi non poterat, quare id fieret. *Cic. Rosc. Am.* 31. 87. Quam sis audax, hinc omnes intelligere potuerunt, quod etc. et *Nepos Dion.* 9. Facile intellectu est, quam invisa sit etc. *Id. Att.* 15. Difficile intellectu est, utrum etc. — *d*) Absolute. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. Secundæ res lætitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo. — *e*) In responsionibus *intelligo* est annuentis se percipere, quæ dicuntur. *Ter. Eun.* 2. 3. 79. PAR. Pro illo te deducam. CHAE. Audio. PAR. Te esse illum, dicam. CHAE. Intelligo. *Id. Phorm.* 2. 3. 93. PH. Si quid opus fuerit, heus, domo me. GE. Intelligo. Adde *Plaut. Epid.* 2. 2. 63. ¶ 2. Specialim intelligere dicuntur, qui artefacta optime dignoscunt, et in statuis, picturis et hujusmodi æstimandis peritiam habent. *Cic.* 6. *Verr.* 43. 94. Simulacrum, quo non facile quidquam dixerim me vidisse pulcrius; tametsi non multum in istis rebus intelligo. *Id. ibid.* 14. 33. Ego antea nugatorium sciebam, ista intelligere. *Petron. fragm. Tragur.* 52. *Burmann.* Habeo pocula omnia ponderosa; meum enim intelligere nulla pecunia vendo. V. *Intelligens* 2. in fin. hujus vocis, et INTELLIGENTIA 3. ¶ 3. Pro discernere, *distinguere. Lactant.* 2. 16. Oraculorum præstigias profani a veritate intelligere non possunt. ¶ 4. Pro scire, videre, cognoscere, sentire. *Plaut. Truc.* 2. 6. 64. Vehementer nunc mihi est irata; sentio atque intelligo. *io sento e io conosco. Ter. Eun.* 5. 2. 44. Tibi ab isto cavendum intelligo. *Cic. Ligar.* 5. 15. Intelligo, quid loquar. *so quel che dico. Petron. Satyr.* 129. Non intelligo me virum esse, non sentio. *non so d'esser uomo. Nepos Alcib.* 4. Quia nocere se ei non posse intelligebant. *Id. Datam.* 7. Intelligebat, sibi cum viro forti esse negotium. *sapeva.* et *Eumen.* 3. Intelligebat, copias suas dilapsuras. *vedea. Cæs.* 2. *B. C.* 42. Ubi neque cohortationes suas, neque preces audiri intelligit. *Id.* 2. *B. G.* 33. Illi autem inito, ut intellectum est, consilio etc. *come s'è saputo. Auct. B. G.* 8. 3. Illud vulgare incursionis signum, quod incendiis ædificiorum intelligi consuevit, *conoscere. Tac.* 14. *Ann.* 6. Solum remedium insidiarum, si non intelligerentur. *se si mostrasse di non essersene accorto.* Sic *Justin.* 2. 8. Jussis matronis solito clamore ac strepitu, etiam in accessu hostium, ne intellectos se sentiant, sacra celebrare. *affinchè non s'accorgano d'essere stati scoperti. Cic.* 16. *Fam.* 22. Si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis. *non sapranno leggere.* ¶ 5. *Intelligere virum* est mores ejus tenere, eum plane dignoscere, recte judicare ac tanti habere, quanti est; similis est usus Græcæ dictionis ἀγνοεῖν τινα, de qua V. *Brem.* ad *Demosthen. Olynt.* 1. § 7. *Seneca Constant. Sap.* 1. Quod Catonem ætas sua parum intellexisset. Sic *Quintil.* 11. 1. 10. Quando Socrates ab hominibus sui temporis parum intelligebatur. Rursus *Seneca Prov.* 4. Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. *Vellej.* 2. 116. 4. Quem virum ne qui intellexit quidem, miratus est. Adde *eumd.* 2. 114. 5. et *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (88). Ea res concitavit Rhodios ad intelligendum artificem. *Tac.* 3. *Ann.* 3. Tiberius atque Augusta publico abstinuere —, ne omnium oculis, vultum eorum scrutantibus, falsi intelligerentur. V. *Intelligens* 3. in fin. ¶ 6. Sæpe refertur ad sensum gustus, tactus etc. et significat sentire, *sentire*: atque hac ratione etiam brutis animalibus tribuitur. *Ovid.* 9. *Met.* 456. Illa quidem primo nullos intelligit ignes. *non sente amore. Colum.* 12. *R. R.* 21. 5. Si genus vini tantum valeat, ut aquæ salsæ non intelligatur sapor. *Id. Arbor.* 13. Quum frigus, contra consuetudinem, intellexeris. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 14. (55). Perfundere caput calida, et postea frigida, saluberrimum intelligitur. *Id.* 8. *ibid.* 16. 21. (58). Vestigia hominum intelligi a feris. *Id.* 10. *ibid.* 18. 20. (40). Pici, percussi corticis sono, pabulum subesse intelligunt. *Ovid.* 11. *Met.* 41. os illud Auditum saxis, intellectumque ferarum sensibus. *Id.* 3. *Trist.* 14. 40. Intellecturis auribus uter. — De visu oculorum recte dici, negat *Quintil.* 10. 1. 14. — Hinc Part. præs.

Intelligens, entis, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Intelligentior* 1.; et ¶ 1. Generatim est qui intelligit, sciens, peritus, ingeniosus, *intendente, conoscitore, perito, ingegnoso*, συνετός. *Ter. Eun.* 2. 2. 1. Di immortales, homini homo quid præstat? stulto intelligens quid interest? *Cic. Brut.* 49. 183. Semper ne vulgi judicium cum intelligentium judicio congruit? *Id. ibid.* 54. 200. Intelligens dicendi existimator. *Id. Opt. gen. orat.* 4. 11. Si te-

rytas aures habent intelligensque judicium. *Id.* 3. *Fin.* 5. 19. Doctus et intelligens vir. *Id.* 2. *ibid.* 20. 63. Erat et cupidus voluptatum, et cujusvis generis ejus intelligens. *Tac.* 5. *Ann.* 9. Imminentium intelligens. *Augustin.* 1. *Retract.* 19. *circa med.* Aliquid vigilantiore atque intelligentiore mente discutere. ¶ 2. Speciatim dicitur de eo, qui in judicandis dignoscendisque operibus artificum callidus est et peritus, *intendente. Cic.* 6. *Verr.* 2. 4. Signa pulcherrima, quæ non modo istum hominem, ingeniosum atque intelligentem, verum etiam quemvis nostrum, quos iste idiotas appellat, delectare possent. *Id. ibid.* 15. 33. Ita studiosus est hujus præclaræ existimationis, ut putetur in istis rebus intelligens esse. ¶ 3. Item speciatim viri alicujus intelligens dicitur, qui eum plane dignoscit recteque judicat. *Plin.* 6. *Ep.* 27. Omni specie adulationis abstinui, non tamquam liber et constans, sed tamquam intelligens principis nostri. *pratico del suo genio.*

INTĔMĔRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et temero) inviolabilis. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. anim.* 3. *a med.* Intemerabilis divinitas. *Epithalam.* in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 640. *Burmann. v.* 71. ab excelsa laus intemerabilis arce Monstrat iter.

INTĔMĔRANDUS, a, um, adject. vel nom. participial. ab *in* privat. et *temerandus*, non violandus vel contaminandus, referturque ad res sacras. *Val. Flacc.* 5. 642. An Martis templa intemeranda minus?

INTĔMĔRĀTĒ, adverb. (intemeratus) incorrupte. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 15. 5. 3. Dum popularibus plausibus intemerate serviunt. *Alii melius leg.* intemperate, *alii* intemperanter.

INTĔMĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et temeratus). Comp. *Intemeratior.* — Intemeratus est non temeratus, incorruptus, inviolatus, integer, *inviolato, incorrotto, puro, casto,* ἀμίαντος. *Virg.* 11. *Æn.* 583. Æternum telorum et virginitatis amorem Intemerata colit. *Capell.* 1. *p.* 3. Intemeratior cunctis pulcriorque virginibus. *Id.* 2. *p.* 37. Quum nihil contagionis corporeæ sexu intemerata pertulerim. Cf. *Stat.* 2. *Theb.* 724. Intemeratæ equæ. *h. e.* virgines, quæ currum Minervæ trahere dicuntur. *Virg.* 3. *Æn.* 177. munera libo Intemerata focis. *h. e.* pura et rite oblata. *Tac.* 1. *Ann.* 42. Quid enim per hos dies inausum intemeratum vobis? *Id.* 4. *Hist.* 58. Ut si vobis non fuit cordi, me duce hæc castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui fœdarique a Classico ne sinatis. *Sil. It.* 3. 499. Intemerata gradu saxa. *h. e.* nullis vestigiis humanis profanata. *Val. Flacc.* 4. 270. ratis rapidum, ventis certantibus, æquor Intemerata secat. *Virg.* 2. *Æn.* 143. Intemerata fides. *Tac.* 1. *Ann.* 49. Octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit. *h. e.* integra et in officio manens. *Apul.* 2. *Met. sub fin.* Intemerata veritas. *Id. Florid. n.* 16. Integrum et intemeratum beneficium.

INTEMPĔRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et tempero) cui *temperare* non possumus. Est *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *a med.*, ubi etiam alii leg. *intemporalis.*

INTEMPĔRANS, antis, adject. (in *privat.* et tempero). Comp. *Intemperantior* II. 1. et 2.; Sup. *Intemperantissimus* II. 2. — Intemperans est immodicus, qui modo mensuraque caret (It. *smoderato, fuor di misura;* Fr. *immodéré, désordonné, excessif, intempérant;* Hisp. *inmoderado, desordenado, excesivo;* Germ. *ungemässigt;* Angl. *unknowing how to govern himself, intemperate, excessive, immoderate*).

I.) Proprie. *Apul.* 1. *Dogm. Plat. sub fin.* Æqualitas ista sicci, humidi, ferventis ac frigidi sanitatem largitur: sicut ille intemperans atque immoderata permistio animal celeri exitio corrumpit. *Ammian.* 19. 4. Pauci intemperanti æstu consumpti.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est qui temperare sibi nescit, incontinens, immoderatus, intemperatus, *chi non si sa contenere, intemperante, smoderato,* ἀκρατής, ἀκόλαστος. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 1. 2. Intemperantis esse arbitror, scribere quod occultari velit. *Id. Vatin.* 1. 1. Fui paullo intemperantior fortasse, quam debui. *Sueton. Vit. Lucan.* Usque eo intemperans, ut *Cæsaris caput* proximo cuique clamaret. *Cic.* 13. *Att.* 26. Intemperans sum in ejus rei cupiditate, quam nosti. *Liv.* 36. 38. In numero scriptori parum fidei est, quia in augendo eo non alius intemperantior est. *Sueton. Cal.* 45. In hoc quoque mimo præter modum intemperans. *Seneca* 1. *Ira* 3. Feræ in quasdam voluptates intemperantiores homines sunt. *Aurel. Vict. Epit.* 6. Ad vescendum intemperans. *Liv.* 24. 25. Avidi atque intemperantes animi. *Apul.* 1. *Met.* Ne quam tibi lingua intemperante noxam contrahas. *Petron. fragm. Tragur.* 57. *Burmann.* Intemperans licentia. ¶ 2. Speciatim et sæpe dicitur de incontinente voluptatum. *Cic.* 5. *Verr.* 68. 160. Inter impudicas mulieres et intemperantes viros versari. *Id. Pis.* 29. 72. Impurissima atque intemperantissima pecus. *Sueton. Vit. Horat.* Ad res venereas intemperantior traditur. *Cic. Senect.* 9. 29. Libidinosa et intemperans adolescentia.

INTEMPĔRANTER, adv. (intemperans). Comp. *Intemperantius* et Sup. *Intemperantissime.* — Intemperanter translate tantum occurrit, et est intemperate, incontinenter, immoderate, *smoderatamente, intemperantemente,* ἀκρατῶς, ἀκολάστως. *Cic.* 1. *Phil.* 5. 12. Nimis iracunde hoc quidem et valde intemperanter. *Id.* 1. *Tusc.* 3. Et otio et litteris intemperanter abuti. *Nepos Att.* 13. Intemperanter concupiscere. *Plin.* 1. *Ep.* 5. lacerare aliquem. *Cic.* 5. *Phil.* 18. 48. Ne honoribus nostris elatus, intemperantius suis opibus utatur. *Liv.* 31. 37. Aviditate cædis intemperantius insecuti, in cohortes Romanas incidere. *Sueton. Claud.* 38. Intemperantius adesse adversus aliquem. *Plin. Paneg.* 68. amare. *Apul. de Mag.* Intemperantissime gloriari.

INTEMPĔRANTĬA, æ, f. 1. (intemperans) idem quod intemperies, *intemperie,* ἀκρασία.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 141. Calamitates intemperantiasque prohibessis. *Al. leg.* intemperiasque. *V.* hanc vocem. *Seneca Constant. Sap.*; et *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 3. Intemperantia cœli.

II.) Translate et sæpius ¶ 1. Generatim est incontinentia, immoderatio, *smoderatezza, intemperanza,* ἀκράτεια. *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 22. Omnium perturbationum fontem esse dicunt intemperantiam, quæ est a tota mente et recta ratione defectio, sic aversa a præscriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant. *et mox.* Menti inimica intemperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. *Id.* 2. *leg. Agr.* 36. 100. Hæc ego vos concupisse, pro vestra stultitia atque intemperantia, non miror. *Id. Cæl.* 11. 25. Is multa de incontinentia intemperantiaque disseruit. *Id. Dom.* 9. 21. Tanta fuisti intemperantia, ut illius tui sceleris rationem occultare non posses. *Id.* 1. *Off.* 34. 123. Intemperantia libidinum. *Liv.* 44. 30. Violentiam insitam ingenio intemperantia vini accendebat. *Aurel. Vict. Epitom.* 45. Intemperantia cibi. *Sueton. Tib.* 62. Morbo et intemperantia perire. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 80. (205). Intemperantia risus. *Seneca Ep.* 106. *in fin.* litterarum. *Tac.* 4. *Ann.* 18. linguæ. *Id.* 2. *Hist.* 1. Intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinantis. Eleganter *Val. Max.* 2. 1. *n.* 3. secundas nuptias *legitimam intemperantiam* vocat. *V.* ILLEGITIMUS. Hinc etiam Christiani monogamiam laudabant, digamiam vero vituperabant. ¶ 2. Speciatim pro immodestia et incivili insolentia, παρανομία. *Nepos Arist.* 2. Tum autem et intemperantia Pausaniæ et justitia factum est Aristidis, ut etc. *Id. Eumen.* 8. Periculum est, ne faciant sua intemperantia nimiaque licentia, ut omnia perdant.

INTEMPĔRĀTĒ, adverb. (intemperatus) idem atque intemperanter. Figurate *Cic. Tim.* 12. 38. Qui autem immoderate et intemperate vixerit, eum secundus ortus in figuram muliebrem transferet. *V.* INTEMERATE.

INTEMPĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et temperatus). Comp. *Intemperantior.* I.; Sup. *Intemperantissimus* II. — Intemperatus est non *temperatus,* in quo scilicet inest mala rerum mixtarum temperatura, ἄκρατος.

I.) Proprie. *Seneca Consol. ad Helv.* 6. Quid ad ipsum loci situm horribilius? quid ad cœli naturam intemperantius? *di peggior aria?* Cf. *Capell.* 6. *p.* 199. Intemperatus aer. — *Intemperatum vinum* apud *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 17. *a med.* est non temperatum, merum, ἄκρατος. — *Intemperata nocte* est nocte intempesta, *nel maggior bujo della notte,* apud *Aurel. Vict. Cæsar.* 33. *a med.* Gallienum educunt nocte intemperata.

II.) Translate est immoderatus, incontinens, *smoderato, eccessivo, intemperante. Cic. Amic.* 20. 77. Ne intemperata quædam benevolentia impediat magnas utilitates amicorum. *Id. Pis.* 10. 22. Intemperatissimæ perpotationes. *Al. leg.* intemperantissimæ. Eadem lectionis varietas est in illo *Apul. de Mag.* Intemperatissimi versus.

INTEMPĔRĬÆ, ārum, f. plur. 1. (in *privat.* et temperies) intemperies.

I.) Proprie. *Cato R. R.* 141. Calamitates intemperiasque prohibessis.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim quum referuntur ad animum, insaniam, furorem significant, qui ex intemperie cerebri nascitur. Quidam furias intelligunt, quæ mentem agitant et corrumpunt: alii deas quæ vim habeant per intemperantiam nocendi. *Capell.* 2. *p.* 40. jungit cum Furina et Mania. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 24. Quæ te intemperiæ tenent, qui me perperam perplexo nomine appelles? *Id. Aulul.* 1. 1. 32. Nescio pol, quæ illum hominem intemperiæ tenent: pervigilat noctes totas. et *ibid.* 4. 4. 15. Larvæ hunc atque intemperiæ insaniæque agitant senem. *Gell. præfat. a med.* Qui intemperiarum negotiorumque pleni sunt, abeant a Noctibus his procul. *h. e.* insanis curis, quibus eorum mens distinetur et quasi a Furiis agitatur. ¶ 2. Speciatim de intemperantia et morum difficultate, qua quis ab injuriis, quasi furens, abstinere nescit. *Gell.* 1. 17. Xantippe Socratis uxor morosa admodum fuisse fertur et furiosa. Has ejus intemperias in maritum Alcibiades demiratus etc. *stravaganze.* Ita legit *Non. p.* 493. 6. *Merc.* Alii *intemperies.*

INTEMPĔRĬĒS, ēi, f. 5. (in *privat.* et temperies) mala rerum mixtarum temperatura, ut *intemperies cœli,* quum aer immoderate aut calidus est, aut frigidus, aut humidus, aut siccus, ἀκρασία (It. *intemperie, mala disposizione;* Fr. *intempérie, état désordonné, dérèglement;* Hisp. *intemperie, desreglamiento;* Germ. *d. ungemässigte Beschaffenheit;* Angl. *the intemperateness of the sky or weather*).

I.) Proprie. *Liv.* 8. 18. Fœdus annus intemperie cœli. Sic *Colum. R. R. præfat.* 1. Cœli noxia frugibus intemperies. Adde *Curt.* 7. 4. 20. Rursus *Colum.* 11. *R. R.* 2. 67. Intemperies solis, aut anni. et *Liv.* 3. 31. Annona propter aquarum intemperiem laboratum est. — Figurate. *Plaut. Capt.* 4. 4. 3. Clades calamitasque, intemperies modo in nostram advenit domum.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim de moribus dicitur. *Cic.* 4. *Att.* 6. Videor stulte illius amici intemperiem non tulisse. *la stravaganza de' costumi,* vel *pazzia, furore.* Sic *Gell.* 18. 7. *circa med.* Intemperies ista, quæ μελαγχολία dicitur, non parvis nec abjectis ingeniis accidit. *Id.* 1. 23. Senatores ingredientes curiam, quid illa mulierum intemperies sibi vellet, mirabantur. *Tac.* 1. *Hist.* 61. Benigne excepti, modestia certavere: sed brevis lætitia fuit, cohortium intemperie, quas etc. *per insolenza.* ¶ 2. Speciatim pro intemperantia, *intemperanza. Justin.* 12. 13. 10. Amici causam morbi intemperiem ebrietatis disseminaverunt.

INTEMPESTĪVĒ, adverb. (intempestivus) extra tempus, importune, incommode, *fuor di tempo,* ἀκαίρως, παρακαίρως. *Cic.* 1. *Off.* 25. 88. Si irascamur aut intempestive accedentibus, aut impudenter rogantibus. Sic *Id.* 11. *Fam.* 16. Intempestive adire ad aliquem. *Liv.* 45. 21. Tum inter prætorem tribunosque omnia intempestive agendi certamen fuit. *Ovid.* 4. *Pont.* 11. 19. vulnera mentis intempestive qui fovet, ille novat. *Phædr.* 3. 19. *extr.* Intempestive qui occupato alluserit. *Tac.* 2. *Ann.* 23. Miles pavidus turbat nautas, vel intempestive juvat. Adde *Colum.* 11. *R. R.* 2. 74.; *Senec.* 4. *Benef.* 40.; *Gell.* 4. 20.; et *Ammian.* 18. 6.

INTEMPESTĪVĬTAS, ātis, f. 3. (intempestivus) inopportunum tempus, *tempo improprio,* ἀκαιρία. *Gell.* 3. 16. *ad fin.* Octavi mensis (*ad partum*) intempestivitas.

INTEMPESTĪVĪTER, adverb. (intempestivus) intempestive. In *lemmate* apud *Gell.* 4. 20. Qui dixerant joca quædam intempestiviter.

INTEMPESTĪVUS, a, um, adject. (in *privat.* et tempus). Comp. *Intempestivior* I. — Intempestivus est qui præter tempus fit, inopportunus, *fuor di tempo, intempestivo,* ἄκαιρος, ἄωρος.

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 3. 2. 141. Postes intempestivos excisos credo; id eis vitium nocet. *Lucret.* 2. 873. et 6. 1101. putorem quum sibi nacta est intempestivis ex imbribus humida tellus. *Cic. Amic.* 6. 22. Amicitia numquam intempestiva, numquam

molesta est. *Id.* 4. *Att.* 14. Intempestiva epistola. *Ovid.* 10. *Met.* 689. cupido. *Id.* 4. *ibid.* 33. Intempestiva turbantes festa Minerva. *Id.* 5. *Trist.* 6. 45. Intempestivi timores. *Val. Max.* 7. 8. *extr.* Quid hoc joco intempestivius? *Ammian.* 29. 1. Intempestivus turbo. *Id.* 14. 7. utilitas. *Sueton. Vitell.* 13. Intempestiva gula. — *Intempestiva convivia.* V. TEMPESTIVUS.

II.) Translate intempestivus dicitur, qui aliquid facit præter tempus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 35. 87. (363). Anseres continuo clangore intempestivi. *h. e.* intempestive clangentes. *Ammian.* 22. 10. Et quamquam in disceptando aliquoties erat intempestivus, quid quisque jurgantium coleret, tempore alieno interrogans; tamen etc.

INTEMPESTUS, a, um, adject. (in *privat.* et tempestas) intempestivus, ἄκαιρος, ἄωρος (It. *intempestivo*; Fr. *intempestif, défavorable*; Hisp. *inoportuno, no favorable*; Germ. *unzeitig*; Angl. *unseasonable*).

I.) Proprie. Fere est epithetum noctis, quæ rebus agendis idoneum tempus non habet, ut *Macrob.* 1. *Saturn.* 3. *in fin.* loquitur, *il maggior bujo della notte.* *Ennius* apud *Acron.* ad *Horat.* 2. *Ep.* 2. 97. Bellum æquis manibus nox intempesta diremit. *Virg.* 1. *G.* 247. Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox Semper, et obtenta densantur nocte tenebræ, etc. Est hoc nomine certum noctis tempus, scilicet inter concubiam noctem et mediam (*V.* CONCUBIUS), ut *Macrob. ibid.* et *Censorin. de die nat.* 24. docent. *Servius* ad illud *Virg.* 5. *Æn.* 587. Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat: ipsam mediam noctem *intempestam* dici tradit. *Varro* 6. *L. L.* 7. *Müll.* cum *concubio* et *silentio* noctis, seu conticinio confundit. Omnes tamen in eo conveniunt, ut significet altiorem noctis partem, quum tempus agendi nullum est. Consentit *Paul. Diac.* p. 110. 19. *Müll.*, qui noctem intempestam dici ait incertiore noctis tempus, quia non tam facile noctis horæ, quam diei possunt intelligi. V. *Sidon.* 2. *Ep.* 2. *a med.*, qui convenire videtur cum *Apulejo*, cujus locum lege in CONCUBIUS. Porro noctis tempora eo incertiora sunt, quo magis ab initio ejus et fine distant. *Cic.* 1. *Phil.* 3. 8. Quum intempesta nox esset, mansissemque in villa P. Valerii. *Id. Pis.* 38. 92. Domum se abdidit: inde nocte intempesta, crepidatus, veste servili, navem conscendit. Adde *Liv.* 37. 11.; *Curt.* 4. 13. 4.; *Petron. Satyr.* 105.; et *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 26. et 49.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad intemperiem aeris. Hinc *intempestas Graviscas* dixit *Virg.* 10. *Æn.* 184., quod oppidum illud gravitate cæli laboraret, ut *Cato* et *Plin.* apud *Servium* ad *eum loc.*, itemque *Diomed.* 1. p. 407. *Putsch.* docent. ¶ 2. Pro procelloso *Stat.* 2. *Theb.* 153. quibus ipse per imbres Fulminibus mixtos intempestamque tonantem Has meus usque domos vestigia fecit Apollo. *tempestoso.*

INTEMPŎRĀLIS, e, adject. (in *privat.* et tempus) qui est extra tempus. Hinc ¶ 1. Æternus. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Præteriti futurique ævi ultimas partes attingere, et esse quodammodo intemporalem. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 316. Intemporalis ante, quem primus dies. ¶ 2. Item intempestivus, inopportunus. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 10. *circa med.* Intemporalis cibus. *Id.* 3. *ibid.* 17. Immodicus atque intemporalis usus Veneris. Adde *Augustin.* in *Psalm.* 39. n. 13.

INTEMPŎRĀLĬTAS, ātis, f. 3. (intemporalis) intempestivitas. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 9. *circa med.* Somni intemporalitatem interrumpere. Adde *eumd. ibid.* 15.

INTEMPŎRĀLĬTER, adverb. (intemporalis). ¶ 1. Est æternaliter *Ambros. ep. de Fide* edente *A. Maio* in *Script. vet. T.* 7. p. 159. Sempiterna atque intemporaliter una eademque potentia Genitoris et Geniti. ¶ 2. Item intempestive. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 9. *a med.* Intemporaliter uti cataplasmatibus.

INTENDĪTUS, a, um. *V.* voc. seq. init.

INTENDO, tendis, tendi, tentum *et* tensum, tendere, a. 3. (in et tendo). — *Intenditus* pro *intentus* vel *intensus* legitur apud *Fronton. de fer. Alsiens.* (edente iterum *A. Maio*) 3. Quis arcus perpetuo intenditus? — Part. *Intendens* I. 3. et II. 3.; *Intentus* I. 2., 3., 4. et alibi et in fin.; *Intensus* in fin.; *Intendendus* II. 2. et 3. — Intendere est idem quod tendere, aut valde tendere, extendere, porrigere, ἐντείνω (It. *stendere, distendere, tirare*; Fr. *tendre, étendre, donner de la tension*; Hisp. *tender, entesar, extender*; Germ. *anspannen, ausdehnen*; Angl. *to bend, stretch*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim pro tendere, valde tendere. *Cic.* 16. *Att.* 15. *ante med.* Et simul dextram intendit ad statuam. *Id.* 1. *Orat.* 43. 103. Intendere digitum ad fontes. *Ovid.* 10. *Met.* 58. brachia. *Id.* 6. *ibid.* 533. palmas. *Id.* 8. *ibid.* 107.; et *Liv.* 3. 50. manus. *Val. Flacc.* 8. 68. Jamque manus Colchis crinemque intenderat astris. *Tac.* 13. *Ann.* 27. Verberibus manus ultro intenderent. *opponessero spontaneamente le mani alle battiture.* *Seneca* 1. *Clem.* 25. Intendere alicui manus. *stendere le mani addosso.* Al. leg. *intentare.* *Plin.* 26. *Hist. nat.* 10. 62. (96). Nervos intendere, aut remittere. *Virg.* 3. *Æn.* 683. Intendere vela ventis. *Ammian.* 29. 1. equuleos. Rursus *Virg.* 5. *Æn.* 33. Zephyri intendunt vela. *gonfiano.* *Plin.* 8. *Hist. nat.* 35. 53. (125). Histrici longiores aculei et, quum intendit cutem, missiles. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 58. Intendere ballistam in aliquem. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*). 28. 89.; et *Cic. Sext.* 7. 15. arcum in aliquem. Sic *Virg.* 8. *Æn.* 704. arcum intendebat Apollo. et *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 21. At semel intentus nervo levis arcus equino Vincula semper habens irresoluta manet. *Cic.* 3. *Orat.* 57. 216. Chordæ intentæ. ¶ 2. Speciatim ponitur pro tendendo effundere, ampliare; quo sensu præcipue de tempore usurpatur. *Curt.* 4. 3. 16. Quum subito spissæ nubes intendere se cælo, et quidquid lucis internitebat, effusa caligine exstinctum est. Sic *Id.* 8. 13. 24. Adeo spissæ intendere se nubes, ut conderent lucem. Poetice *Propert.* 1. 14. 5. Et nemus omne satas intendat vertice silvas. Sic de tempore *Liv.* 1. 57. *a med.* Intendentibus se tenebris. *venendo notte.* et *Id.* 7. 28. Nox interdiu visa intendi. *farsi.* Hinc *Ammian.* 31. 11. Vesperâ intendente. *Al. tamen leg.* incendente, *al.* incedente. ¶ 3. Prægnanti sensu de armis dicitur pro dirigere, intentare, quod ab intendendo arcu (*V.* supra sub 1. in fin.) ad aliquem feriendum deductum videtur. *Cic. Prov. cons.* 9. 23. Quum omnia tela undique esse intenta in patriam viderem. *Id. Pis.* 2. 5. Tela intenta jugulis civitatis. *Plin.* 3. *Ep.* 9. *a med.* Intendere telum in jugulum. *Virg.* 9. *Æn.* 590.; et *Curt.* 7. 9. 3. Intendere sagittas. *Liv.* 44. 41. Phalangis confertæ et intentis horrendis hastis intolerabiles vires sunt. *Id.* 7. 5. Super lectum stans ferro intento. Sic *Tac.* 14. *Ann.* 61. Intento ferro. *col ferro brandito.* Sic *Sil. It.* 17. 477. et præsens adstare viritim Creditur intento perculsis Juppiter igne. *h. e.* fulmine. ¶ 4. Item est tendendo imponere, superponere, atque adeo illigare, innectere, circumdare. *Cato R. R.* 48. *Schneid.* Furcas circum offigito: eo perticas intendito: eo sarmenta aut crates ficarias imponito, quæ frigus defendant et solem. *Colum.* 6. *R. R.* 17. 3. Folia malagmatis more scarificationi intenduntur. *si stendono sopra.* *Cic.* 7. *Verr.* 12. 30. et 31. 80. Tabernacula carbaseis intenta velis. *Quintil.* 6. 3. 25. Sella intenta loris. *Virg.* 2. *Æn.* 236. et stupea vincula collo Intendunt. *h. e.* illigant, innectunt. *Id.* 5. *ibid.* 403. duroque intendere brachia tergo. *h. e.* corio cæstuum. Sic *Id. ibid.* 136. Intentaque brachia remis. *Id.* 4. *ibid.* 506. Intenditque locum sertis et fronde coronat. *h. e.* circumdat.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Tusc.* 18. 38. Acrem in omnes partes aciem (*oculorum*) intendit. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. 80. Intendi longius acies non potest. *Tac.* 4. *Ann.* 70. Quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga, vastitas. *Justin.* 11. 8. 8. Oculos in vultum legentis intendit. *Ovid.* 4. *Pont.* 4. 36. Intendere aures ad verba. *star coll'orecchie tese.* *Pallad.* 1. *R. R.* 21. Boves nitidiores fiant, si focum proxime habeant, et ignis lumen intendant. *h. e.* ad ignis lumen spectent. *Tac.* 16 *Ann.* 9. Intendere ictus. *tirar colpi.* *Cic.* 1. *Nat. D.* 11. 27. Animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem. ¶ 2. Speciatim est aliquo dirigere, vertere, *indirizzare, volgere*; quo sensu latissime patet. — *a*) Sic *intendere iter* est dirigere. *Liv.* 31. 33. Ad explorandum, quonam hostes iter intendissent. *Id.* 36. 21. A porta ad prætorem iter intendit. *Id.* 21. 29. Cœptum iter in Italiam intendere. *V.* 8. *c.* — Et *intendere* absolute pro iter intendere. *Cic. Mur.* 9. 22. Ut eo, quo intendit, cum exercitu mature perveniat. *dove è indirizzato.* Cf. *eumd.* 1. *Cat.* 12. 30. Si iste, quo intendit, in Manliana castra pervenerit. Similiter *Ter. Andr.* 2. 2. 6. Ubi quæram? aut quo nunc primum intendam? *h. e.* quo me vertam. et *Pseudo-Sall. orat.* 2. *ad Cæs. circa med.* Avaritia, bellua fera, intoleranda est: quo intendit, oppida, agros vastat. — *b*) *Intendere animum* et aliquando *considerationem*, *cogitationes* etc. est animum adhibere, convertere, sed cum conatu et studio, *rivolgere l'animo, applicare.* *Cic. fragm.* apud *Non.* p. 329. 5. *Merc.* Quæro enim, non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 46. Parum defigunt animos et intendunt in ea, quæ perspicua sunt. Sic *Sall. Jug.* 20. In regnum Adherbalis animum intendit. *Cic.* 11. *Phil.* 9. 22. Intentus animus tuus est ad fortissimum virum liberandum. Sic *Liv. præfat. a med.*; *Sall. Jug.* 45.; *Plin.* 7. *Ep.* 27.; et *Justin.* 21. 1. 4. Acriter intendere animum ad aliquid. *Cic.* 2. *Verr.* 3. 10. Quid iste speret, et quo animum intendat, facile perspicio. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 35. Intendere animum studiis et rebus honestis. Sic *Ovid.* 6. *Met.* 5. Mæoniæque animum fatis intendit Arachnes. *Cic.* 2. *Invent.* 33. 102. Intendere considerationem in aliquam rem. *Orellius* aliter omnino legit; in hoc enim loco mira est Codicum varietas. *Liv.* 40. 5. omnes cogitationes ad aliquid. *Sall. Cat.* 51. ingenium. *Liv.* 37. 36. *extr.* totam curam in belli apparatum. Sic *Id.* 25. 9. In cetera adeo nihil ob id intenta cura est. et 9. 31. Omnium eo curæ sunt intentæ. Adde *Ovid.* 3. *Pont.* 9. 29.; et *Curt.* 3. 1. 21. Similiter *Justin.* 21. 4. 1. Intendere opes suas ad occupandam dominationem. *Plin.* 7. *Ep.* 27. *extr.* Proinde rogo, eruditionem tuam intendas. Digna res est, quam diu multumque consideres. *h. e.* rogo ut, quum sis eruditus, diligenter et acriter pensites. *Quintil.* 10. 7. 21. Vis omnis intendenda rebus, et remittendum aliquid ex cura verborum. *h. e.* vis animi adhibenda in rebus, et verborum cura remittenda. — Similiter *intendere aliquem* apud *Liv.* 24. 37. Intenderant eum ad cavendi omnia curam tot auditæ proditiones. *Id.* 21. 49. Intendere aliquem ad custodiæ curam. — *c*) *Intendere* absolute, pro intendere animum. *Cic.* 2. *Orat.* 42. 179. Quod est tibi ante explicandum, quam illuc proficiscare, quo te dicis intendere. *aver intenzione di andare.* *Sall. Jug.* 77. Quocumque intenderat, res adversæ erant. *rivolgea il pensiero.* *Plin.* 8. *Ep.* 19. Intende libro quem hac cum epistola accipies. *attendi, leggi con attenzione.* *Val. Flacc.* 6. 600. campis intendere suadet, Dum datur, ardentesque viri percurrere pugnas. *volgere l'animo e l'occhio.* *Lactant.* 7. 27. *ad fin.* Intendamus justitiæ, quæ ad Deum sola perducet. *Justin.* 13. 6. 4. Ad nuptias Cleopatræ intendit. *rivolse l'animo.* — Et cum part. *ut*, *Quintil.* 10. 1. 45. Nunc genera ipsa lectionum, quæ præcipue convenire intendentibus, ut oratores fiant, existimem, persequar. *h. e.* enitentibus, conantibus. — *d*) *Intendere aliquid* vel *animo aliquid intendere* est statuere, propositum habere. *Sall. Jug.* 27. Quod ubi secus procedit, neque, quod intenderat, efficere potest etc. *avea tentato, avea divisato, stabilito.* *Cic.* 10. *Phil.* 4. 9. Si C. Antonius, quod animo intenderat, perficere potuisset. — *e*) Cum infinito, eadem significatione. *Sall. Jug.* 115. *extr.* Quo ire intenderant, perventum est. *Id. ibid.* 97. Quem locum Marius summa vi capere intendit. *si applica a prenderlo.* *Pseudo-Sall. orat.* 2. *ad Cæs. ante med.* Neque aliam rem agere intendit, nisi illi auctores fierent. *Liv.* 36. 44. Dolonibus erectis altum petere intendit. *si mette.* et *Id. ibid.* 45. Postero die hostem persequi intenderunt. Adde *eumd.* 38. 2. — *f*) *Intendere in se* est ad se recipere, in se ipsum animo et cogitatione converti. *Seneca præfat. l.* 1. *Quæst. nat.* Quid sit Deus: totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat. — *g*) *Intendere alicui* est converti ad aliquem, aliquem spectare. *Stat. præfat.* 3. *Silvar. in fin.* Quum scias hanc destinationem quietis meæ tibi maxime intendere. ¶ 3. Item speciatim *intendere se* est animo et viribus parare se, eniti, intentum se præbere. *Cic.* 2. *Tusc.* 23. 56. Ne ingemiscit quidem vir fortis, nisi forte ut se intendat ad firmitatem. *h. e.* vires suas colligat. *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 4. Qui se intenderant adversarios in ejus tribunatum. *Quintil.* 4. 1. 39. Intendere se in rem. *attendere, applicare.* — Hinc *intendi animo* est

intentum adhibere animum. *Liv.* 1. 25. Erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur. ¶ 4. Item est intente agere, contendere, affirmare, *sostenere, contendere, affermare. Plaut. Mil. glor.* 2. 4. 27. Pergin', sceleste, intendere, atque hanc arguere? *seguiti a perfidiare? Ter. Eun.* 3. 3. 19. Nisi si illa forte, quæ olim periit parvula soror, hanc se intendit esse, ut est audacia. *Cic. Quinct.* 29. 88. Quem, quo modo nunc intendit, ne in vivorum quidem numero tum demonstrat fuisse. *Seneca Const. sap.* 4. Quam potentes et consensu servientium validi nocere ei intendent. ¶ 5. Item *intendere consilium* est parare, translatum, inquit *Donatus*, a venatoribus, qui retia intendunt ad feras captandas. *Ter. Andr.* 4. 3. 18. Repudio quod consilium primum intenderam. Simile est illud *ejusd. Heaut.* 3. 2. 2., quod vide in proxime seq. paragr. 6. ¶ 6. Item intentare, inferre. *Ter. Heaut.* 3. 2. 2. Intendenda est in senem fallacia. *Cic. Mil.* 14. 36. Intendere alicui actionem perduellionis. *Liv.* 9. 26. crimen in aliquem. *dare un'accusa. Sueton. Domit.* 8. crimen alicui. *Cic.* 1. *Orat.* 10. 42. alicui litem. *muover lite. Sueton. Vitell.* 7. alicui injuriarum formulam. *Vellej.* 2. 13. *in fin.* Intendere injurias. *Tac.* 1. *Ann.* 28. Spem offerre, metum intendere. *Cic. Harusp. resp.* 1. 1. alicui periculum judicii. *Id. Rosc. Am.* 3. 7. periculum in omnes. *Tac.* 3. *Ann.* 36. probra et minas alicui. *Justin.* 24. 3. 8. Vulneraque excipere, quæ liberis intendebantur, voluit. *Val. Flacc.* 5. 340. Intenta nex. *Liv.* 21. 6. *ad fin.* Intendere bellum in Hispaniam et Hannibalem. *Cic.* 4. *Herenn.* 27. 37. Intendere orationem. *h. e.* dirigere in aliquem: oratione et criminatione quempiam aggredi. Alii tamen, inter quos *Orelius*, legunt *actionem*. ¶ 7. Apud Rhetores *intendi* dicitur, quod in prima argumentationis propositione (quæ et *intentio* vocatur) exprimitur. *Quintil.* 5. 14. 10. In qua idem concluditur, quod intenditur. ¶ 8. Est etiam augere, quia quæ intenduntur, majorem vim habent, *accrescere.* — *a*) *Virg.* 7. *Æn.* 513. cornuque recurvo Tartaream intendit vocem. *Val. Flacc.* 8. 362. mæstas altis intendere voces Puppibus. *alzar grida verso le navi.* Cf. *Quintil.* 11. 3. 63. Vocem velut omnibus nervis intendere. *V.* paragr. proxime seq. — *b*) *Sall. Jug.* 78. Intendere officia. *Plin. Paneg.* 19. studium et laborem. *Tac.* 12. *Ann.* 35. ardorem exercitus. *Id.* 4. *ibid.* 26. gloriam. *Id.* 13. *ibid.* 20. iussum principis. *Id.* 1. *Hist.* 12. inhiantes amicorum cupiditates facilitate. *Id.* 2. *ibid.* 54. formidinem. *Id.* 13. *Ann.* 15. odium. *Sueton. Tib.* 62. sævitiam augere et intendere. *Tac.* 2. *Ann.* 38. Languescet industria, intendetur socordia. *Id.* 4. *ibid.* 2. Vim præfecturæ modicam antea intendit. *Id.* 1. *Hist.* 89. Intenta alimentorum pretia. *accresciuti.* — *c*) *Intendere fugam* est fugæ se enixe dare. *Liv.* 7. 37. *ad fin.* Neque, utrum castra peterent, an longiorem intenderent fugam, constare poterat. *Curt.* 3. 11. 19. Barbari diversam fugam intenderunt: alii, qua rectum iter in Persidem ducebat: quidam circumita rupes saltusque montium occultos petivere; pauci castra Darii. *Id.* 4. 1. 2. Pauci regem sequebantur: nam nec eodem omnes fugam intenderant, et etc. *Id.* 10. 8. 19. Diversa parte ad Euphraten fugam intendunt. Hæc, *Curtii* præcipue, loca possunt tamen ad superiorem paragr. II. 2. sub *a.* referri. — *d*) *Intendere leges* apud *Plin.* 4. *Ep.* 9. a med. est earum severitatem sequi: ducta translatione ab intendendo arcu. Cui contrarium est mitigare. ¶ 9. Apud Grammaticos *intendere* aliquando est producere: *V.* allata in paragr. proxime superiori sub *a. Gell.* 13. 22. *sub fin.* Primam syllabam intendit, tertiam corripuit. — Hinc Part. præter. pass., quorum plurima superius exempla retulimus,

Intentus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Intentior* I. 2. et 3.; et Sup. *Intentissimus* 1. Est autem translate ¶ 1. Attentus, diligens, *intento, applicato, attento.* — *a*) Cum Accus. et præpos. *in. Cic.* 1. *Nat. D.* 19. 49. In eas imagines mentem intentam infixamque nostram intelligentiam capere, quæ sit et beata natura et æterna. *Liv.* 4. 27. Intentus in eventum. *Justin.* 2. 12. 18. Sociorum classis intenta in bellum navale. — *b*) Cum Accus. et præpos. *ad. Cæs.* 3. *B. G.* 26. Omnium oculi mentesque ad pugnam intentæ. — *c*) Cum Dativo. *Tibull.* 4. 1. 132. Intentaque tuis precibus se præbuit aure. *Liv.* 3. 26. Operi agresti intentus. *Id.* 23. 35. Intentus fraudi struendæ. *Lucan.* 3. 53. paci. *Justin.* 30. 1. 1. magnis rebus. *Sueton. Tib.* 62. cogitationi. *Ammian.* 16. 12. præliis. — *d*) Cum Ablat. et præpos. *in. Cæs.* 3. *B. G.* 22. Atque in ea re omnium nostrorum intenti animi. — *e*) Cum Ablativo, qui regitur a præpositione, quæ inest in ipso adjectivo. *Sall. Cat.* 2. *extr.* Aliquo negotio intentus. Cf. *Cic.* 2. *Orat.* 35. 149. Ut sit (*animus*) cura et cogitatione intentus. — *f*) Seq. part. *sive* apud *Liv.* 6. 6. Te, Q. Servili, altero exercitu instructo paratoque, in urbe castra habere; intentum, sive Etruria se interim, ut nuper, sive nova hæc cura, Latini atque Hernici, moverint. — *g*) Absolute. *Cic. Flacc.* 11. 29. Totam causam quam maxime intentis, quod ajunt, oculis contemplari. *Sall. Cat.* 6. At Romani domi militiæque intenti festinare. *Id. ibid.* 16. Senatus nihil sane intentus. *Cæs.* 7. *B. G.* 80. Militum intenti animi pugnæ eventum exspectare. *Virg.* 5. *Æn.* 137. Intenti exspectant signum. *Val. Flacc.* 4. 351. Intentis canere. *Liv.* 29. 35. a *med.* Quum intentissima conquisitione ad triginta millia peditum confecisset. *Id.* 39. 19. Intentiore custodia asservare aliquem. *Id.* 25. 22.; et *Quintil.* 10. 1. 111. Quæ vis singula quisquam intentissima cura consequi posset. *Curt.* 4. 13. 1. Omnia intentiore cura præparari apud hostem. Adde *eumd.* 3. 13. 8.; *Justin.* 17. 3. 10.; et *Ammian.* 27. 12. *Val. Flacc.* 4. 257. intenta silentia. ¶ 2. Aliquando est acer, vehemens, *veemente, intenso. Cic.* 2. *Orat.* 52. 211. Oratio, quæ suscipitur ab oratore ad commutandos animos, intenta et vehemens esse debet. Sic *Id.* 1. *ibid.* 60. 255. Multique oratores fuerunt, — qui omnia sermone conficerent paullo intentiore, numquam, ut Ser. Galba, lateribus aut clamore contenderent. *Cels.* 3. 19. Intenta febris. *Ovid.* 1. *Pont.* 5. 60. Intentus labor. *Val. Flacc.* 3. 103. Intentæ vires. ¶ 3. Aliquando est etiam rigidus, severus. *Tac.* 12. *Ann.* 42. Igitur distrahi cohortes ambitu duorum, et si ab uno regerentur, intentiorem fore disciplinam adseverante uxore, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium, egregiæ militaris famæ.

Intensus, a, um, est altera forma, quam tribuunt et *Ciceroni*, sed apud eum rectius leges *intentus*, quod frequentius est et magis Latinum. *Intensus* quoque adjective occurrit, unde Comp. *Intensior* II. 2. et Sup. *Intensissimus* II. 1.

I.) Proprie est extentus. *Seneca* 2. *Ira* 3. Qui meditatus est per intensos funes ire.

II.) Translate. ¶ 1. Est attentus, intentus. *Augustin. Ep.* 56. Aurem intensissimam præbere. *Id. Mor. Eccl. cath.* 31. Intensissima in Deum vita. ¶ 2. Item acer, vehemens. *Seneca* 2. *Ira* 35. Acrior spiritus est, intensior impetus, rupturus se, nisi eruperit. *Nazar. Paneg. ad Constantin.* 23. Virtus in parvis remissa, in mediocribus modice intensior.

INTENSĒ. *V.* INTENTE.

INTENSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* tendo) non tensibilis. Translate *Boeth.* in *Porphyr.* 5. p. 107. Differentia quidem intensibilis est et irremissibilis.

INTENSĬO, ōnis, f. 3. (intendo) vis rei intentæ, extensio, intentio, *intensione*, ἐπίτασις. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 6. Intensionem aeris ostendent tibiæ inflatæ, nec ad ictum cadentia. et *mox.* Quid est vox, nisi intentio aeris? *et* 8. Nihil non intensione vehementius est. *Scribon. Compos.* 255. Cervix rigida cum intensione oculorum et maxillarum. *convulsione.*

INTENSUS, a, um. *V.* INTENDO in fin.

INTENTĀBĬLIS *vel* intemptabilis, e, et

INTENTĀLIS *vel* intemptalis, e, adject. (in *privat.* et tento) qui tentari non potest. *Gloss. Philox.* Intentabilis, ἀπείραστος. *Gloss. Lat. Gr.* Intentalis, ἀπείραστος.

INTENTĀTĬO, ōnis, f. 3. (intento) actus intentandi, *l'atto dello stendere.*

I.) Proprie. *Seneca* 2. *Ira* 4. Oculi ad intentationem subitam digitorum comprimuntur. *Est qui legit* intentionem.

II.) Translate. *Tertull. Apolog.* 46. Intentatio criminum. *h. e.* objectio. *Al. leg.* intentio.

INTENTĀTOR, ōris, m. 3. (in *privat.* et tentator) qui tentator non est, ἀπείραστος. *Vulgat. interpr. Jacob.* 1. 13. Deus enim intentator malorum est. Plerique autem hic *intentatus*, aut *intentabilis* scribendum contendunt: quod quidem et Græco vocabulo et loci hujus sententiæ magis consentaneum est. At hoc iisdem verbis exhibet *Augustin.* 2. *de Peccat. merit.* 2. 4. Non quod ipse Deus tali tentatione aliquem tentet; nam Deus intentator malorum est etc.

INTENTĀTUS, a, um, particip. *V.* INTENTO.

INTENTĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* tentatus) non tactus, intactus, et figurate non expertus, *non tocco, intentato, non provato.*

I.) Proprie. *Seneca Med.* 62. Vacca intentata jugo.

II.) Figurate. *Horat.* 1. *Od.* 5. 12. miseri, quibus intentata nites. *Id. Art. P.* 285. Nil intentatum nostri liquere poetæ. Cf. *Gell.* 9. 4. Notavi quædam mirabilia et scriptoribus fere nostris intentata. *Virg.* 10. *Æn.* 39. Nunc etiam Manes (hæc intentata manebat Sors rerum) movet. *Ovid.* 10. *Met.* 584. sed cur certaminis hujus intentata mihi fortuna relinquitur? inquit. *Tac.* 1. *Ann.* 50. Iter intentatum.

INTENTĒ, adverb. (intentus). Comp. *Intensius* legitur apud *Fronton. de fer. Als.* (edente iterum *A. Maio*) 3. *a med.* — Comp. *Intentius* et Sup. *Intentissime.* — Intente est intentis viribus, intento animo, acriter, impense, vehementer, *attentamente, diligentemente, con isforzo o applicazione,* ἐντόνως. *Plin.* 5. *Ep.* 19. Dum intente instanterque pronunciat, sanguinem rejecit. *Quintil.* 2. 2. 15. Intente et modeste audire aliquem. *Cic.* 4. *Herenn.* 56. 69. Alia meliora sunt, quæ multo intentius petimus in vita. *Est qui legit* intensius. *Liv.* 8. 17. Quum delectus intentius, quam adversus finitima bella, haberetur. *Id. ibid.* 1. *ad fin.* Intentius apparare bellum. *Id.* 25. 30. Quo intentius custodiæ serventur. *Tac.* 3. *Ann.* 35. Intentius se excusare. *Id.* 11. *ibid.* 11. Intentius adesse alicui rei. *Id.* 15. *ibid.* 13. Intentius premere obsessos. *Ammian.* 24. 8. Intentius resistere. *Lamprid. Elagab.* 14. Exspectans intentissime.

INTENTĬO, ōnis, f. 3. (intendo) actus intendendi, extensio, contentio; cui opponitur laxatio, remissio, languor, ἔντασις, ἐπίτασις (It. *stiramento, tensione, intensione*; Fr. *action de tendre, tension, contention*; Hisp. *el acto de tender, tension*; Germ. *die Ausdehnung, Anspornung, Anstrengung*, Angl. *a stretching, straining, intension*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de rebus physicis. *Cic.* 1. *Tusc.* 10. 20. Ipsius corporis intentionem quamdam, velut in cantu et fidibus, quæ harmonia dicitur. *Colum.* 6. *R. R.* 6. 1. Cruditatis signa sunt fastidia cibi, nervorum intentio, hebetes oculi. *Cels.* 5. 26. n. 24. Quidquid aridum est, et intentione quadam proximum quoque locum male habet, concidere. Adde *eumd.* 8. 18. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 14. (53). Intentio vocis. *Gell.* 5. 16. aeris. *Id.* 18. 10. *extr.* et remissio motus. *Tac.* 6. *Ann.* 31. vultus. *il tener fisso il volto.* ¶ 2. Latiori sensu est augmentum, *intensione, accrescimento. Seneca Ep.* 78. Summi doloris intentio invenit finem. *Gell.* 16. 5. *Ve* particula tum intentionem significat, tum minutionem. *Id.* 7. 7. *Ad* præverbium significat ἐπίτασιν, quam nos intentionem dicimus.

II.) Translate est mentis vel animi in rem aliquam directio: itaque ¶ 1. Est studium, conatus, contentio, *sforzo. Cic.* 2. *Tusc.* 23. 54. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt: simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. *Id. ibid.* 27. 65. Patientiam dolorum animi intentione firmare. *Plin. Paneg.* 71. Intentio humanitatis. *h. e.* contentio, qua se aliis ostentare studebat. *Id.* 1. *Ep.* 3. Intentio rei familiaris obeundæ. Rursus *Cic.* 4. *Tusc.* 2. 3. Mentem a cogitationum intentione cantu fidibusque ad tranquillitatem traducere. *studio, sforzo di attenzione e applicazione. Id.* 2. *Invent.* 11. 46. Quum animus hac intentione omnes totius negotii partes considerabit. ¶ 2. Item cura, diligentia, labor. *Plin.* 2. *Ep.* 10. Opto equidem amicos tibi tam fideles, tam eruditos, tam laboriosos, ut tantum curæ intentionisque suscipere et possint et velint. *Pallad.* 10. *R. R.* 10. 3. Summa intentione servare locum intactum. *Plin. Paneg.* 78. Hæc nempe intentio tua, ut libertatem revoces ac reducas. *quest'è la tua premura, di richiamare* etc. — In plurali num. *Gell.* 15, 2. Animos ad intentiones rursum capiendas fieri habiliores. ¶ 3. Item animi in re aliqua occupatio, *applicazione, attenzione. Liv.* 4. 17. Non aversus ab intentione lusus animus. non

divertito dall'applicazione del giuoco. Sic Quintil. 6. 3. 1. Risus animum ab intentione rerum frequenter avertit. Id. 10. 3. 23. Avocare ab intentione operis destinati. Seneca Ep. 113. Dicam, si mihi accommodaveris subtilitatem et intentionem tuam. ¶ 4. Raro est voluntas, mens, consilium; hinc Itali nunc habent intenzione. Papinian. Dig. 34. 1. 10. Intentionem quidem defuncti prima facie refragari. Ammian. 21. 5. Quum integritas rerum intentioni nostræ voluntatique respondeat. Adde Cassiod. 3. Variar. 4.; at Inscript. apud Gruter. 209. 1., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 193. ¶ 5. Aliquando est objectio, accusatio, actio. Quintil. 3. 9. 11. Judiciale genus officiis constat duobus, intentionis ac depulsionis. Id. 7. 1. 9. Intentio simplex: occidit Saturninum Rabirius: conjuncta: lege de sicariis commisit L. Varenus. Ulp. Dig. 11. 6. 1. Si ex locato fuerit actum, dicendum erit, non tenere intentionem. Adde Cic. 1. Invent. 10. 13. et 2. ibid. 43. 125. et 1. Herenn. 17. 27. Cf. Capell. 5. p. 142. et 145. et alibi. Sic Dig. 10. 4. 6. Perdere intentionem. perdere il processo. ¶ 6. Nonnunquam est propositio, seu prima pars argumentationis, la maggiore. Quintil. 5. 14. 6. Ita erit prima intentio, secunda assumptio, tertia connexio.

INTENTIŌSĒ, adverb. (intendo) cum intentione, ut contentiose est cum contentione. Vet. Scholiast. ad Juvenal. 11. 15. Intentiose emunt, quæ carius distrahuntur.

INTENTĪVUS, a, um, adject. (intendo) intendendi et augendi vim habens, ut Intentiva adverbia, Priscian. 15. p. 1022. Putsch.

INTENTO vel intempto, as, āvi, ātum, are, a. 1. frequentat. ab intendo. Part. Intentans I. 1. 2. et II. 2. 3.; Intentatus 1. 2. et in fin.; Intentandus I. 1. — Intentare est vehementer intendere, extendere, stendere, stirare, προτείνω.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu pro simpliciter intendere, extendere. Liv. 3. 47. Virginius intentans in Appium manus, Icili, inquit, non tibi filiam despondi. Petron. Satyr. 122. Intentans cum voce manus ad sidera. — Ammian. 21. 12. Nec ad intentandas machinas inveniebatur usquam habilis locus. a dirizzare, erigere. ¶ 2. Sæpius prægnanti significatione est injicere, objicere terrendi et nocendi causa, presentare minacciando. Cic. Mil. 14. 37. Hæc sica intentata nobis est. Liv. 9. 6. Gladii etiam plerisque intentati, et vulnerati quidam necatique. Petron. Satyr. 95. Vero cetis stridentibus plenum in oculos ejus intentat. Tac. 1. Hist. 69. Tela ac manus in ora legatorum intentant. Auct. B. Hisp. 22. Et ei manus intentare cœperunt. a mettergli le mani addosso.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ e superiori paragr. 1. Petron. fragm. Tragur. 70. Burmann. Intentavimus oculos in prœliantes, notavimusque etc. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 2. generatim est objiciendo minari, minacciare. Cic. 5. Tusc. 27. 76. Dolor ardentes faces intentat. Liv. 6. 27. Intentare arma Latinis, Hernicis. Justin. 2. 5. 5. verbera. Tac. 3. Hist. 31. Ingerebant probra, intentabant ictus. Liv. 42. 12. Nisi discussa res per paucos, Romanum imperium intentantes, esset. Virg. 1. Æn. 95. Præsentemque viris intentant omnia mortem. Tac. 3. Ann. 28. Terror omnibus intentatur. Quintil. 4. 3. 7. Intentare periculum. Ammian. 28. 6. mala. Quintil. 3. 10. 4. Intentare invicem crimen. ¶ 3. Speciatim intentare dicitur, qui actionem intendit. Cic. 2. Invent. 43. 125. Tum ipsum adversarium, quasi intentantis loco, producendo. Nonnulli leg. intendentis. — Hinc a Part. præter. pass.

Intentatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est id quod intentatum est, minæ. Ammian. 29. 4. Intentatorum formido.

INTENTUS, a, um. V. INTENDO.

INTENTUS, us, m. 4. (intendo) intendendi actus, extensio.

I.) Proprie. Cic. Sext. 55. 117. Voces quidem et palmarum intentus et maledictorum clamorem omnes profuderunt. Apul. de Mag. Seu intentu aeris fracti, resultant (imagines) ad facies suas reduces.

II.) Translate est idem atque intentio; hinc Itali recentiores intento habent. Augustin. 15. Civ. D. 13. Ubi numeri non faciunt intentum ad aliquid, quod facile possit intelligi. Interpres Italus: Ove li numeri non fanno alcuno intento, che si possa agevolmente intendere. Sic Cassiod. Instit. lib. litt. præf. Intentus nobis est de arte grammatica sive rhetorica, vel de disciplinis aliqua breviter velle conscribere. Gloss. Cyrill. Προσοχή, attentio, intentus.

INTĔPEO, tĕpes, tĕpŭi, tĕpēre, n. 2. (in et tepeo) idem ac tepeo, vel tepidus fio. Propert. 4. 1. 124. Et lacus æstivis intepet Umber aquis. Ovid. 5. Fast. 215. Roscida quum primum foliis excussa pruina est, Et variæ radiis intepuere comæ. Seneca Ep. 67. Ver quo tempore calere debebat, intepuit. Stat. 2. Theb. 376. ambustaque sentibus alte Intepet Hydra vadis. Scribon. Compos. 207. Ubi intepuerit medicamentum.

INTĔPESCO, tĕpescis, tĕpescere, n. 3. inchoat. ab intepeo. Part. Intepescens I. et II. — Intepesco est tepere incipio, divenir tepido, cominciare a divenir tepido.

I.) Proprie. Seneca Ep. 78. ad fin. Ne quis intepescat cibus. Colum. 1. R. R. 1. 5. Intepescente frigore. Id. 11. ibid. 2. 2. Intepescit annus, permittitque clementior dies opera moliri.

II.) Translate. Petron. Satyr. 94. Paullatim intepescente sævitia. Ammian. 31. 15. Ne intervallatis ardor (militum) intepesceret moris. Id. 17. 13. Ne alacritas intepesceret pugnatorum. Id. 14. 5. Hoc vitium, quod in aliis nonnunquam intepescit, in illo, ætatis progressu, effervescebat. Sic Id. 30. 4. In quibus ætatis progressu non ut aliorum vitia intepescunt, sed magis magisque roborantur. — Et de personis Id. 20. 10. Julianus tamen jam celsiore fortunâ militisque fiduciâ lætior, ne intepesceret, neve ut remissus argueretur et deses etc.

INTER est pro intera, quod etiam contractum fuit in intra; ab ἔντερος nempe derivatur inusit. interus, pro quo comparativum interior in usu est. Ceterum occurrit A) Raro admodum adverbii ritu, sine casu; et B) Sæpissime tamquam præpositio Accusativum regens, et significat medium quiddam.

A) Adverbii ritu, sine casu, in mezzo, frammezzo, legitur apud Val. Flacc. 3. 337. Dumque pii petit ore patris, stetit arduus inter Pontus. Id. 8. 382. Noctes atque dies vastis mare fluctibus inter Perfurit. Id. 6. 219. Quis tibi fatales unquam metuisset Amyclas Œbaliumque Taenum, tot, Rhyndace, montibus inter Diviso totidemque fretis? h. e. tot montibus interpositis. Hinc cum verbis quoque jungi posse ait Priscian. 14. p. 991. Putsch., ut si dicas Tu dextrorsum, ille sinistrorsum, ego curro inter. Nullo id tamen Latino auctore confirmat.

B) Sæpissime inter est præpositio Accusativum regens, et significans medium quiddam, μεταξύ (It. tra, fra, in mezzo; Fr. entre, parmi, au milieu de; Hisp. entre, en medio; Germ. innerhalb, zwischen, unter; Angl. between, betwixt, among, amongst). Interdum repetitur: postponitur interdum, aut interponitur suis casibus; immo poetice a suo etiam casu, interjecto verbo, disjungitur. V. infra sub I. 1. e. f. g. et II.

I.) Proprie ad locum refertur. ¶ 1. Generatim — a) De loco, vel de personis, quæ pro locis ponuntur. Liv. 5. 35. Quum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur. Id. 2. 5. Ager Tarquiniorum, qui inter urbem ac Tiberim fuit. Nepos Themist. 3. Inter Eubœam continentemque terram. Cæs. 1. B. G. 2. Mons Jura, qui est inter Sequanos et Helvetios. Cic. 9. Att. 2. Is queretur Brundisium me non venisse, quum inter me et Brundisium Cæsar esset? — b) De rebus, quæ pro locis ponuntur. Cic. 1. Orat. 46. 202. Orator potest incolumis inter hostium tela versari. Cf. Val. Flacc. 6. 509. Seminecesque duces inter sua tela suosque Inter equos sævum misero luctamine versant Congeriem. Sueton. Vitell. 2. Soccnium inter togam tunicamque gestare. Quintil. 12. 3. 104. Vox vel inter dentes expressa non dedecet. Id. 9. 4. 81. Media inter longas brevis faciet amphimacrum. Huc referri potest et illud Sueton. Aug. 79. Color inter aquilum candidumque. — c) De personis. Cic. Orat. 28. 99. Furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur. Id. 1. Tusc. 14. 32. Inter homines esse. Cf. Tibull. 2. 1. 67. Ipse quoque inter agros interque armenta Cupido. — d) De aliis, quæ ad locum quomodocumque referuntur. Cic. 4. Verr. 52. 130. Ut dies quadragintaquinque inter binos ludos tollerentur. Id. 7. ibid. 11. 28. Ut ailus inter manus e convivio auferretur. sulle braccia. Adde Liv. 3. 13. Sic Curt. 4. 10. 19. Inter socrus et filiarum manus collapsa. Adde eumd. 8. 2. 39.; et cf. Virg. 2. Æn. 681.; et Sueton. Vesp. 24. Hinc Seneca Ep. 12. Villa inter manus mihi crevit. Similiter Curt. 8. 10. 18. Eadem felicitas ab Oceano revertentes temulentos comessantesque inter ora hostium texit. Sueton. Cæs. 58. Inter classes transmisit. Liv. 35. 11. Inter stationes medias erumpere. Id. 44. 3. Inter media præsidia hostium paucos præmittere. Id. 22. 13. Inter multitudinem sociorum tres equites erant etc. Gell. 1. 11. Tibicines inter exercitum positi canere inceptabant. in mezzo. — e) Interdum repetitur. Virg. 9. Æn. 556. inter et hostes, inter et arma. Tibull. 4. 1. 165. Fertilis hanc inter posita est (zona) interque rigentes. Propert. 2. 23. 15. Inter matrem deus ipse (Apollo) interque sororem. Adde Tibull. 2. 1. 67.; et Val. Flacc. 6. 509. superius allatos.; Sil. It. 11. 180.; et Claudian. 2. in Rufin. 195., quæ omnia et alia plura inferius allata congessit Cuningam. in Bentlej. Horatii loca sollicitantem. — f) Postponitur interdum, aut interponitur suis casibus. Liv. 22. 3. Qui Fæsulas inter Arretiumque jacent. Tac. 2. Hist. 78. Est Judæam inter Syriamque Carmelus. Id. 4. Ann. 69. Tectum inter et laquearia tres senatores sese abstrudunt. Horat. 1. Sat. 1. 116. extremos inter euntem. Tac. 14. Ann. 33. Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit. — g) Poetice a suo etiam casu, interjecto verbo, disjungitur. Horat. 3. Od. 27. 51. utinam inter errem Nuda leones. Id. ibid. 15. 5. inter ludere virgines. Cf. Virg. 9. Ecl. 36. argutos inter strepere anser olores. ¶ 2. Speciatim et latiori sensu præpositio inter usurpatur ad significanda aliquorum fabrorum domicilia vel officinas. Cic. 1. Cat. 4. 8. Dico te priore nocte venisse inter falcarios in Læcæ domum. Servius ad illud Virg. 12. Æn. 436. (nunc te mea dextera bello Defensum dabit, et magna inter præmia ducet.) ait: Inter veteres pro ad ponebant. et Ciceronis allato loco confirmat. Liv. 35. 41. Iidem porticum extra portam trigeminam inter lignarios fecerunt.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim usurpatur ad varias rationes significandas, quæ inter unam et alteram personam, vel unam et alteram rem intercedit. — a) De discrimine, quod inter unam rem et alteram interest. Cic. Balb. 21. 49. Sit hoc discrimen inter gratiosos cives atque fortes. Id. 2. Fin. 13. 43. Inter optime valere et gravissime ægrotare nihil prorsus interesse. — Hac significatione haud raro repetitur. Cic. 1. Parad. 3. 14. Sic te ipse abjicies atque prosternes, ut nihil inter te atque inter quadrupedem aliquam putes interesse? Id. 1. Fin. 9. 30. Interesse enim inter argumentum conclusionemque rationis, et inter mediocrem animadversionem atque admonitionem. Id. Amic. 25. 95. Quid intersit inter popularem, idest assentatorem et levem civem, et inter constantem, severum et gravem. Id. Fat. 9. 19. Sed interest inter causas fortuito antegressas, et inter causas cohibentes in se efficientiam naturalem. In loc. cit. ex Parad. al. alterum inter omitt. — b) De judicio, quod fertur inter unam personam et alteram. Cic. 1. Divinat. 50. 114. Judicavit inclitum judicium inter deas tres. Sic Id. 1. Orat. 39. 176. Qua de re inter Marcellos et Claudios patricios judicarunt? Cf. Id. 1. Tusc. 11. 23. Utrum igitur inter has sententias dijudicare malumus. Suis casibus interponitur apud Tac. 4. Ann. 55. Ita Sardianos inter Zmyrnæosque deliberatum. — c) De ratione, præcipue iræ, contentionis, societatis etc., quæ inter duas personas intercedit. Repetitur apud Horat. 1. Ep. 2. 11. Nestor componere lites Inter Peliden festinat et inter Atriden. et 1. Sat. 7. 11. inter Hectora Priamidem, animosum atque inter Achillem Ira fuit capitalis. Sic Ter. Andr. 3. 3. 20. Iræ sunt inter Glycerium et natum. Liv. 10. 7. Inter Appium et Decium certatum. Nepos Miltiad. 4. Inter quos magna fuit contentio, utrum etc. Id. Att. 20. Inter quos æmulatio intercedit. Cic. Amic. 10. 33. Quæ sæpissime inter me et Scipionem disserebantur. Nomini postponitur apud eumd. ibid. 23. 83. Si quos inter societas aut est, aut fuit. — d) Sæpissime de personis pro invicem ponitur. Cic. 1. Off. 16. 51. Latissime quidem patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnes, societas hæc est. Id. ad Anton. post ep. 13. l. 14. ad Att. sub fin. Ut nosmetipsi inter nos con-

junctiores simus. Sic *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 11. 34. Facile omnes intelligent, vobis inter vos voluntatem fuisse conjunctam. *Id.* 1. *Divinat.* 28. 58. Nos inter nos esse complexos. *Id.* 1. *Orat.* 8. 32. Quod colloquimur inter nos. — Hinc *inter se*, Italice *a vicenda, vicendevolmente*, frequenter admodum occurrit. *Cic.* 6. *Att.* 1. *ante med.* Cicerones pueri amant inter se. *Id. Amic.* 22. 82. Neque solum colent inter se et diligent, sed etiam verebuntur. *Liv.* 7. 42. Complecti inter se lacrimantes milites cœpisse. *Cic.* 3. *Cat.* 5. 13. Furtim nonnunquam inter se aspiciebant. *Id.* 3. *Tusc.* 29. 72. Hæc inter se quam repugnent, plerique non vident. — Ceterum multis jungitur Verbis, quorum præcipua hæc sunt: *Plaut. Mil. glor.* 5. 40. Inter se amplexari. *Id. Epid.* 2. 2. 53. fabulari. *Nepos Eumen.* 4. complecti. *Sueton. Oth.* 12. concurrere. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. contingere. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 8. distare. *Ter. Andr.* 1. 3. 15. fingere fallaciam. *Sueton. Aug.* 71. ludere. *Nepos Arist.* 1. obtrectare. *Varro* 2. *R. R.* 3. 8. pugnare cornibus. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 30. 36. (110). sepelire. *Virg.* 1. *G.* 413. strepitare foliis. *Nepos Dion.* 4. timere. — Aliquando *inter* pendet a substantivo. *Cic.* 1. *Fin.* 6. 19. Ita effici complexiones et copulationes et adhæsitationes atomorum inter se. *Id.* 9. *Fam.* 3. 4. Ne nostra nobiscum aut inter nos cessatio vituperetur. *Sall. Jug.* 79. Quæ res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit. — *e*) *Inter nos dicere liceat*, est familiariter et arcano, apud *Cic.* 2. *Att.* 4. Serapionis librum ad me misisti, ex quo quidem ego (quod inter nos liceat dicere) millesimam partem vix intelligo. *sia detto qui tra noi in confidenza.* Sic *Seneca Ep.* 12. Quod inter nos sit; ego illas platanos posueram. *Alii leg.* intra, *alii aliter; sed nihil mutandum.* — *f*) Interdum præpositio *inter* inservit parti significandæ, quæ numero aliquo vel toto continetur. *Curt.* 3. 11. 10. Inter quos (*cæsos*) Alexandri dextrum femur – perstrictum est. *Id.* 6. 5. 18. Excepti sunt quidam: inter quos equus regis. *Id.* 8. 6. 27. Sceleris autem auctores, interque eos Callisthenem vinctos adservari jubet. Sic *Sueton. Cæs.* 32. Inter eos et (*h. e.* etiam) æneatores. *Id. Claud.* 10. Exclusi inter ceteros. *Id. Aug.* 2. Gens allecta inter Romanas. *Id. Cæs.* 49. Inter cetera carmina etiam illud. *Id. Tib.* 1. Inter cognomina et Neronis assumpsit. — *g*) Pro *apud* locum habet in sequentibus dicendi rationibus. *Nepos Alcib.* 1. Inter omnes constat. Sic *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 65. (162). Et fere inter omnes constare video. *Liv.* 10. 1. Inter augures constat. *Sueton. Claud.* 26. Dote inter auspices consignata. *Id. Aug.* 79. Confiteri inter suos. *Id. Cæs.* 31. Profiteri inter suos. ¶ 2. Speciatim usurpatur de tempore pro *intra*, Italice *nel corso, durante.* — *a*) Stricto sensu de tempore. *Plaut. Stich.* 1. 3. 61. Quot prandia inter continuum perdidi triennium! *Titinius* apud *Non. p.* 406. 18. *Merc.* Inter decem annos nequisti unam togam detexere. *Cic. Quinct.* 14. 46. Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quinctium. Sic *Id.* 1. *Verr.* 13. 37. et *pro leg. Manil.* 23. 68.; et *Liv.* 1. 10. inter annos, inter tot annos. *Plaut. Truc.* 2. 6. 29. Inter tot dies quidem hercle jam actum aliquid oportuit. Adde *Scribon. Compos.* 159. Sic *Gell.* 9. 4. Plus cernant oculis per noctem, quam inter diem. *di giorno. Liv.* 32. 29. Frusinone inter noctem lux orta. *Id.* 36. 20. Inter ipsum pugnæ tempus. *Id.* 2. 5. Quum inter omne tempus pater (*Brutus*) vultusque et os ejus spectaculo esset. *Gell.* 4. 7. Valerius Probus grammaticus inter suam ætatem præstanti scientia fuit. *Id.* 13. 7. Leænas inter omnem vitam semel parere. *in tutta la vita.* — *b*) De rerum eventibus, adjunctis et similibus, quæ certo aliquo tempore locum habent, et *inter* pro *in* poni videtur. *Plaut. Cist.* 2. 1. 28. Inter novam rem verbum usurpabo vetus. *Ter. Eun.* 4. 2. 1. Cœpi egomet mecum inter vias aliam rem ex alia cogitare. *nel cammino. Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 6. Hæc inter cœnam Tironi dictavi. Sic *Sueton. Aug.* 71. Inter cœnam. *Justin.* 12. 6. 6. Occisus inter epulas. *Cic.* 7. *Fam.* 22. Illuseras heri inter scyphos. et *Horat.* 1. *Ep.* 7. 28. inter vina. *Cic.* 5. *Phil.* 6. 15. Inter fulmina et tonitrua. *Sueton. Domit.* 4. Inter maximos imbres. *Tac.* 1. *Ann.* 82. Promptior inter tenebras affirmatio. *Cels.* 3. 8. Inter initia sanguis mitti debet. *h. e.* in ipsis initiis. Adde *Sueton. Ner.* 22. et *Domit.* 3.; *Justin.* 11. 2. 4. et 21. 1. 3.; et *Plin.* 7. *Ep.* 3. et 10. *ibid.* 2. Rursus *Cels.* 7. 27. Cibus inter principia non nisi humidus dari debet. Adde *Tac.* 3. *Hist.* 18. et *Ammian.* 30. 6. Inter exordia. — Huc trahi possunt etiam sequentia. *Cic.* 16. *Fam.* 11. Nobis inter has turbas senatus tamen frequens flagitavit triumphum. *Liv.* 2. 58. Inter seditionem. *Id.* 22. 49. Inter tumultum. *Id.* 4. 18. et 6. 11. Inter dimicationem. *Curt.* 4. 10. 25. Inter trepidationem. *Ovid.* 10. *Met.* 482. Inter mortis metus. *Sueton. Tib.* 60. Inter pœnam. *Curt.* 4. 16. 12. Inter mutuos gemitus. *Gell.* 3. 15. Inter gaudium. *Sueton. Ner.* 49.; et *Plin.* 9. *Ep.* 13. *extr.* Inter moras. *Tac.* 3. *Hist.* 40. Utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur etc. — Repetitur apud *Val. Flacc.* 5. 13. Ecce, inter lacrimas interque extrema virorum Munera – Tiphyn egit violenta lues. — Suis casibus interponitur apud *Tac. Agric.* 31. Verbera inter ac contumelias. — Huc pertinent et illa *Plaut. Cist.* 4. 2. 55. Inter rem agendam. Sic *Sueton. Cæs.* 45. Comitiali quoque morbo bis inter res agendas correptus est. et *Virg.* 9. *Ecl.* 24. Inter agendum Occursare capro, cornu ferit ille, caveto. *Quintil.* 12. 7. 6. Cognita inter disceptandum iniquitate. *Gell.* 1. 26. Vociferari inter vapulandum incipit. *et ibid.* 12. *in fin. Amata* inter capiendum a pontifice appellatur. *Justin.* 11. 8. 7. Inter bibendum. — *c*) *Inter hæc, inter quæ* est interea. *Liv.* 2. 23. *in fin.* Inter hæc major alius terror. *Id.* 1. 29. Inter hæc jam præmissi Albam erant equites, Adde *Curt.* 3. 1. 1.; at *Sueton. Tib.* 8., *Vesp.* 3. et *Tit.* 10. Suo nomini postponitur apud *Phædr.* 2. 8. Hæc inter ipse dominus a cœna redit. Similiter *Ammian.* 25. 7. et 28. 2. Hæc inter. *Cels.* 4. 2. *n.* 4. Inter quæ unctione et consueto cibo nihilominus uti licet. Adde *Sueton Cæs.* 26.; et *Tac.* 1. *Ann.* 15. et 2. *ibid.* 31. — *Inter id* idem valet. *Varro* 6. *L. L.* 93. *Mull.* Inter id quum circum muros mittitur etc. ¶ 3. Item speciatim servit sæpe comparationibus. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 21. Inter alias præstitimus pulcritudine. *Cic. Flacc.* 22. 52. Ceteri homines apud nos noti, inter suos nobiles. *Id. Cluent.* 5. 11. Quæ nupsit A. Aurio consobrino suo, adolescenti in primis inter suos et honesto et nobili. *Nepos Att.* 1. Qua ex re in pueritia nobilis inter æquales ferebatur. *Liv.* 2. 46. Inter primores genus Fabium insigne spectaculo civibus erat. *Cic. Orat.* 2. 6. In oratoribus vero, admirabile est, quantum inter omnes unus excellat. *Id. Rosc. Am.* 6. 16. Rectum putabat, pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur. *Seneca* 2. *Controv.* 9. Ille Crœsus, inter reges opulentissimus. *Mela* 2. 1. 6. Borysthenes inter Scythiæ amnes amœnissimus. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 7. 19. (40). Iris Africana amplissima inter omnes. *Id.* 25. *ibid.* 9. 70. (117). Inter primas celebratur peucedanum. *Id.* 29. *ibid.* 4. 26. (83). Inter præcipua laudant. *Id.* 35. *ibid.* 11. 42. (150). Pingunt et vestes in Ægypto inter pauca mirabili genere. *et* 24. *ibid.* 11. 58. (97). Sternutamenta utilis inter pauca. *Liv.* 22. 7. Nobilis ad Trasimenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. *Quintil.* 10. 13. 3. Inter paucos disertus. *Tac.* 16. *Ann.* 18. Inter paucos familiarium Neroni assumptus est. — Suo casui postponitur apud *Tac.* 11. *Ann.* 10. Incautum interfecere primam intra juventam, sed claritudine paucos inter senum regum. ¶ 4. Item in re judiciali *quæstio inter sicarios* est quæstio de homicidiis. *Cic.* 2. *Fin.* 16. 54. Quum prætor quæstionem inter sicarios exercuisset. Adde *eumd. Cluent.* 53. 147. Sic *Id.* 2. *Invent.* 20. 60. In recuperatorio judicio ejus maleficii, de quo inter sicarios quæritur. *Id. Rosc. Am.* 5. 11. Longo intervallo judicium inter sicarios hoc primum committitur. *Id. ibid.* 32. 90. Sexcenti sunt, qui inter sicarios et de veneficiis accusabant. *Id.* 2. *Phil.* 4. 8. Ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus. ¶ 5. In jure publico *provincia inter peregrinos* est provincia peregrina. *Liv.* 41. 15.

In compositione cum omnibus litteris jungitur, nec unquam mutatur, præterquam in v. *intelligo*, in quo *r* transit in *l*, quemadmodum in *pelluceo* et *pellucidus* pro *perluceo* et *perlucidus*. — Ceterum in compositis *inter*, tamquam adverbium, vim suam retinet, sive agatur de loco, ut in v. *intercipere, intercludere, intercurrere, interjicere, interponere, interamnus, intervallum* etc.; sive agatur de tempore, ut in v. *intercalare, interfari, interminari, interpellare, interrogare, interrex, interregnum* etc. At *Forcellinus* hæc addit: Aliquando tamen augere videtur, ut in *interbibo* omnino bibo, *intertraho* penitus extraho, *interficio* penitus conficio; aliquando significat contra, ut in *interdico*; aliquando cum, ut in *interprimo* comprimo. Vide tamen hæc suis locis. — Apud Poetas interdum a verbo, quocum componitur, *inter* per imesin dividitur. *Lucret.* 3. 872. Inter enim jecta est vitai pausa. *Id.* 4. 227. Nec mora, nec requies, inter datur ulla fluendi. *Id.* 4. 833. Cetera de genere hoc, inter quæcumque pretantur, Omnia perversa præpostera sunt ratione. *Virg.* 2. *G.* 349. Inter enim labentur aquæ.

INTERÆSTŬO, as, are, n. 1. (inter *et* æstuo). Part. *Interæstuans* I. — Interæstuare est per intervalla æstuare, subinde æstuare.

I.) Proprie. *Plin.* 6. *Ep.* 16. *ad fin.* Stomachus illi natura invalidus et angustus et frequenter interæstuans erat.

II.) Translate. *Ambros.* 5. *Hexaem.* 11. Requiescendum, ne interæstuare incipiamus ingenio, et nobis etiam verba deficiant.

INTERALBĬCANS, antis, adject. (inter et albico) albicans per intervalla. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 62. (172). Leucochrysos fit a chrysolitho interalbicante. *Harduin.* ex MSS. emendat: Leucochrysos sicut crystallus albicat. At *Sillig.* ex Codice Bamberg. et aliis optimæ notæ vulgatam lectionem tuetur.

INTERĀMENTA, ōrum, n. plur. 2. (inter) quidquid ad aliquid interius muniendum vel instruendum requiritur. *Liv.* 28. 45. *a med.* Populonienses ferrum, Tarquinienses lintea in vela, Volaterrani interamenta navium et frumentum polliciti sunt. *h. e.* interiorem navium apparatum. Aliquis legit *inceramenta*, h. e. picem et ceram et similia ad naves oblinendas. *V.* CERA.

INTERAMNĀNUS. *V.* voc. seq.

INTERAMNUS *vel* interamnānus, a, um, adject. (inter *et* amnis) qui inter duos amnes jacit, μεσοποτάμιος. *Lamprid. Alex. Sev.* 56. Terras interamnas (Mesopotamiæ *scil.*) recepimus. *Alii leg.* interamnanas. *Solin.* 32. *ab init.* Nilus scissus a loco, cui Delta nomen est, ad insulæ faciem spatia amplectitur interamna. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

INTERĀNEA, ōrum, et

INTERĀNEUM, i. *V.* voc. seq. in fin.

INTERĀNEUS, a, um, adject. (inter) internus, interior, *intestinale. Scribon. Compos.* 96. Purgat etiam interaneas vomicas. Nonnulli addunt et illud *Plin.* 20. *Hist. nat.* 11. 46. (117). Hipposelinum, poto semine, torminibus interaneis medetur. At *Harduin.* ex MSS. *torminibus et interaneis* corrigit; quam lectionem *Sillig.* quoque tuetur. — Hinc

Interanea, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt intestina, *gli intestini*, ἔντερα. *Colum.* 9. *R. R.* 14. 11. Exemptis interaneis occisas aves intus includunt. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 7. 20. (61). Occulti interaneorum morbi. *Id.* 22. *ibid.* 25. 70. (145). Lens glutinat interanea procidentia. Adde *eumd.* 23. *ibid.* 6. 54. (103). et alibi; et *Scribon. Compos.* 191. et 264. — Hinc etiam

Interaneum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, eodem sensu. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 33. (105). Procidentia interanei morbum coercere.

INTERĂPERIO, is, ire, a. 4. adaperio. *Gloss. Philox.* Interaperio, διανοίγω.

INTERĀRESCO, is, ere, n. 3. (inter *et* aresco) penitus arescere, h. e. omnino aridum fieri, *seccarsi in tutto*, διαξηραίνομαι.

I.) Proprie. *Vitruv.* 7. 8. Hæ glebæ, propter humoris plenitatem, conjiciuntur in fornacem, ut interarescant. *Id. proœm. l.* 8. Animalia sine humoris potestate interarescent. *h. e.* extinguentur.

II.) Figurate. *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 40. Nihil enim interarescere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata consistit.

INTERĀTIM. *V.* INTERDUATIM.

INTERBĬBO, is, ere, a. 3. (inter *et* bibo) totum bibo, plane ebibo, *bere tutto*, ἐκπίνω. *Plaut. Aulul.* 3. 6. 22. Quæ mihi interbibere sola, si vino scatat, Corinthiensem fontem Pyrenen potest.

INTERBĪTO, is, ere, n. 3. (inter *et* bito) idem quod intereo, pereo. *Plaut. Most.* 5. 1. 47. Ne illi

huc confugere possint, quæstioni quos dabo, hic ego tibi præsidebo, ne interbitat quæstio. *Eadem significatione usurpatur* perbito *ab eodem* Plauto *et aliis apud* Non. p. 153. 24. Merc.

INTERBLANDĬENS, entis, particip. ab inusit. *interblandior* (inter *et* blandior) idem fere ac blandiens. *Augustin.* 9. *Confess.* 12. Obsequiis meis interblandiens appellabat me pium.

INTERCÆLESTIS, e, adject. (inter *et* cœlestis) qui inter cœlum est. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. anim.* 12. *ante med.* Sin autem est illic quædam terrenis potior viventium multitudo, substantia ergo supercœlestis istâ sub cœlo (*potior*) est, hauriens videlicet a superno sui vibrantium siderum flammas et liquidiores auras aeris, cujus elementum replet intercœlestis vacui concavum, quod scilicet a cœlo tertio alii viventium populi atque alia intersiti aeris profunda discriminant.

INTERCĂLĀRIS, e, adject. (intercalo) qui intercalatur, seu interponitur, *interposto, intercalare*, ἐμβολιμαῖος, ἐμβόλιμος.

I.) Proprie. — *a*) *Intercalaris dies* est, qui quinto quoque anno inseritur inter Terminalia et Regifugium, seu inter vigesimum quartum fere et vigesimum quintum diem Februarii mensis, ut temporum ratio solis itineri congruat, uti loquitur *Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (35)., seu, quod idem est, ut annus civilis ad naturalem exæquetur, ut est apud *Censorin. de die nat.* 20. et *Solin.* 1. *ante med.*, ubi multa hac de re, sumpta fere ex *Macrob.* 1. *Saturn.* 13. et 14. *V.* INTERCALO. At *Danieli* in *Numism. Capuan.* p. 106. putat, diem priorem, non posteriorem, intercalarem fuisse in anno bisextili. — Quod *Plinius* ait *quinto quoque anno*, alii dicunt *quarto*. Conveniunt tamen. Nam ille intelligit quinto quoque anno incipiente: alii quarto quoque anno transacto, ut est apud *Macrob. loc. cit.* — *b*) *Intercalaris mensis* olim fuit, qui ceteris anni mensibus interponebatur ad solis cursum exæquandum: postea ita dictus est mensis Februarius, quod in eo dies addi cœptus, ut dictum est. *Macrob.* et *Censorin. loc. cit.* — *c*) *Intercalares calendæ* sunt ejus mensis, cujus præcedenti dies inseritur. *Liv.* 45. 44. Intercalatum eo anno; postridie Terminalia intercalares fuerunt. *et* 43. 11. *sub fin.* Hoc anno intercalatum est: tertio die post (*al.* postridie) Terminalia calendæ intercalares fuere. — *d*) *Intercalares calendæ priores*, aut *posteriores* (idem dic de Nonis et Idibus) dictæ sunt primi et secundi mensis, quos Jul. Cæsar, ut anni perversam rationem amendaret, interseruit ante mensem Decembrem, anno U. C. DCCVII., ut *Sueton. Cæs.* 40. docet. *Cic.* 6. *Fam.* 14. Quum a. d. v. cal. intercalares priores venissem mane ad Cæsarem. De his *Manut. de quæs. per epist.* n. 3. — *e*) *Intercalaris annus* est, in quo dies additur Februario mensi, *bisestile*. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 48. (130). *V.* INTERCALARIUS.

II.) Translate *intercalaris versus* est, qui inter aliquot versus interponitur, ut in *Ecl.* 8. *Virg.* illud *Incipe Mænalios* etc. Et *Ducite ab Urbe domum* etc. *Servius ibid.* 21.

INTERCĂLĀRĬUS, a, um, adject. (intercalo) idem quod intercalaris. *Cic.* 4. *Verr.* 52. 129. Cephalœditani decreverunt intercalarium (*mensem*) quadraginta dies longum, ut reliqui menses in suam rationem reverterentur. *Liv.* 37. 59.; et *Sueton. Cæs.* 40. Intercalarius mensis. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (207). Ad CCCLXV. adjiciunt etiamnum intercalarios diei noctisque quadrantes. *Sillig.* legit *intercalarius* etiam in locis *Plinii*, quæ in voc. præced. afferuntur.

INTERCĂLĀTĬO, ōnis, f. 3. (intercalo) interpositio, ἐμβολισμός. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 47. 47. (122). Competit ferme et hoc omnibus, quos deinde ponam, per singulas intercalationes uno die anticipantibus. *Macrob.* 1. *Saturn.* 13. Omni intercalationi mensis Februarius deputatus est. *Capell.* 8. *p.* 292. Sic fit, ut annus solaris diebus XI. major (*lunari*) habeatur; quod intercalationum diversitatibus compensatur.

INTERCĂLĀTOR, ōris, m. 3. *V.* INTERCALO I. in fin.

INTERCĂLĀTUS, a, um. *V.* INTERCALO.

INTERCALCO. *V.* INTERCULCO.

INTERCĂLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (inter *et* calo). Part. *Intercalans* I. sub fin.; *Intercalatus* I. et II.; *Intercalandus* II. — Intercalare est interponere, interserere, *intraporre*, παρεμβάλλω; et

I.) *Proprie dicitur de diebus*, qui interponuntur alicui mensi, ut anni civilis cursus naturalem annum exæquet. Quia enim olim apud Romanos, rudes et rerum cœlestium ignaros, anni spatium brevius, quam par esset, institutum fuerat, necesse habuerunt identidem dies aliquot interponere, ut solis annuam circuitionem æquo dierum anni numero plane complecterentur. Quod quum vere, neque satis certa ratione facilitatum esset, C. Jul. Cæsar, qui annum civilem emendavit, inter alia instituit, ut quarto quoque anno dies unus Februario mensi adderetur, ut in INTERCALARIS I. *a.* dictum est. Id porro ideo *intercalare* appellarunt, quod mos erat vetus, ut a pontificibus cujusque mensis nonæ, idus, calendæ populo *calarentur* (καλεῖν), h. e. indicerentur. *V.* CALO, as. Ex eo, si dies interponeretur, intercalare dictum est. Fere usurpatur passiva voce, et impersonaliter. *Cato R. R.* 159. Si intercalatum erit calendis Majis. Adde *Liv. locc. citt.* in INTERCALARIS I. c. Sic *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (211). Ut duodecim annis continuis non intercalaretur. *Sueton. Cæs.* 40. Ut unus dies quarto quoque anno intercalaretur. *Macrob.* 1. *Saturn.* 11. *ad fin.* Intercalati dies. — Intercalandi arbitrium ante correctionem C. Cæsaris penes pontifices maximos erat, qui non semper habita temporum ratione, sed privatis frequenter indocti rationibus, vel id faciebant, vel omittebant; modo plures, modo pauciores dies interponebant: quod ex *Cic.* 2. *Legg.* 12.; 29.; *Sueton.* et *Macrob. locc. citt.* licet cognoscere. Unde ambitu et potentia, sæpe cuja intererat annum brevi excurrere, obtinebat, ne intercalaretur: cuja longius protrahi, ut pluribus diebus intercalaretur. *Cic.* 5. *Att.* 9. Memento curare, ut annus noster maneat suo statu, ne quid novi decernatur. Hoc tibi ita mando, ut dubitem, an etiam te rogem, ut pugnes, ne intercaletur. Adde *eumd. ibid.* 13.; et *Cœlium* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. *ad fin.* — *Intercalantes dies* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 13. *circa med.* sunt dies intercalati. Est qui leg. *intercalatores*.

II.) Translate. *Cœl. Aurel.* 2. *Tard.* 13. *a med.* Si celeriter ægros crassificari viderimus, erit abstinentia intercalanda. *h. e.* interserenda, interponenda. *Liv.* 9. 9. Hanc jam ut intercalatæ pœnæ usuram habeant. *h. e.* dilatæ, prorogatæ.

INTERCĂPĒDĬNANS, antis, particip. ab inusit. *intercapedino*, intermittens, omittens, cessans, vel cessare faciens. *Fulgent.* l. 1. *Mythol. post init.* Intercapedinante pavoris prolixitate. *Abstineas.*

INTERCĂPĒDĬNĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *intercapedino*, intervallo distinctus, divisus. *Capell.* 9. *p.* 312. Vanescentia intercapedinatæ prolixitatis oblivia. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 1. Nunc continuæ, nunc intercapedinatæ exacerbationes. *interrotte.*

INTERCĂPĒDO, inis, f. 3. (inter et capio) spatium, interstitium, interruptio. *Paul. Diac.* p. 111. 3. *Müll.* Intercapedo tempus interceptum, quum scilicet mora est ad capiendum. Gr. διαχώρημα (It. *spazio, vuoto, intervallo*; Fr. *interruption, délai, intervalle*; Hisp. *interrupcion, plazo, intervalo*; Germ. d. *Unterbrechung*; Angl. *an interval of time, intermission, pause, respite*). — *a*) Generatim. *Turpilius* apud *Non.* p. 484. 29. et 525. 32. *Merc.* Videre mihi ægre id pati, quia hos dies complusculos intercapedo sumpti faciundi fuit. *Id.* apud *eumd. p.* 337. 4. Intercapedo amicitias levat. *h. e.* interruptio consuetudinis minuit amicitias. *Cic.* 16. *Fam.* 21. Me non pœnitebat intercapedinem scribendi fecisse. *d'avere omesso per qualche tempo di scrivere. Id.* 1. *Fin.* 18. 61. Quas ob causas in eorum vita nulla est intercapedo molestiæ. *interrompimento di travaglio*: numquam molestia vacant. *Sueton. Ep.* 78. Morbus intercapedinem habet. *Sueton. Vesp.* 10. Litium series majorem in modum excreverant, intercapedine jurisdictionis. *Id. Aug.* 38. Post longam intercapedinem reducto more transvectionis. *Justin.* 21. 3. 10. Syracusas, post longam intercapedinem pacis, per proditionem recepit. *Plin.* 4. *Ep.* 9. *circa med.* Dicentis calor et audientis intentio continuatione servatur: intercapedine et quasi remissione languescit. — *b*) Speciatim in recto casu singulari interdum habet obscœnum sensum: eique affinis est *divisio*. *Cic.* 9. *Fam.* 22. *a med.* Non honestum verbum est divisio? et inest obscœnum: cui respondet intercapedo. *Quintil.* 8. 3. 46. Sed *divisio* quoque affert injuriam pudori, ut si *intercapedinis* nominativo casu quis utatur.

INTERCĂPĬO, is, ere, a. 3. Idem atque intercipio. Agnoscitur a *Priscian.* 4. *p.* 624. *Putsch.* Ut intercapio, intercapis, intercapedo; torpeo, torpes, torpedo.

INTERCARDĬNĀTUS, a, um, adject. (inter *et* cardo), ut Intercardinatæ trabes, h. e. cardine simul colligatæ, *incastrate*, apud *Vitruv.* 10. 20.

INTERCĒDO, cēdis, cessi, cessum, cēdere, n. 3. (inter et cedo, quod proprie *ire* significat). Part. *Intercedens* I. 1.; *Intercessurus* II. 4.; *Intercedendus* I. 1. — Intercedere proprie est intervenire, advenire, accedere, ἐπέρχομαι (It. *venire di mezzo, intervenire, sopravvenire*; Fr. *venir entre ou dans l'intervalle, aller entre*; Hisp. *venir entre, venir en medio*; Germ. *dazwischen -, dazu kommen*; Angl. *to come between, intervene, come upon*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est intervenire, advenire, accidere. — *a*) De personis. *Plaut. Most.* 5. 1. 56. Huc si quis intercedat tertius, pereat fame. *Cic. Brut.* 47. 173. Nisi nemo intercedebat, qui se illi anteferret. — Huc trahi potest et illud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 11. 8. (49). Non posset totus sol adimi terris, intercedente luna, si etc. — *b*) De abstractis. *Plaut. Curc.* 1. 1. 5. Si status condictus cum hoste intercedat dies. *Cic.* 15. *Fam.* 2. *ante med.* Quum vestra auctoritas intercessisset, ut ego regem tuerer. *Nepos Dion.* 1. Ejus consilio multum movebatur tyrannus, nisi qua in re major ipsius cupiditas intercesserat. *Ter. Andr.* 5. 5. 4. Nam mihi immortalitas parta est, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit. *intravenga, accada. Cæs.* 1. *B. C.* 21. Sæpe in bello parvis momentis magni casus intercedunt. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *a med.* Nullum meum minimum dictum, non modo factum, pro Cæsare intercessit, quod ille non illustri gratia exceperit. *h. e.* non exstitit. — Huc referri potest et illud *Fronton.* 2. *ad Antonin. Imp.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 7. Qui sine mora intercedenda alia mihi scripsit. ¶ 2. Latiori sensu de rebus physicis dicitur, et significat medium esse inter duo quædam, interjacere, interesse, *stare o porsi di mezzo, frapporsi*, ἐνίστασθαι. *Cæs.* 7. *B. G.* 26. Longe ab oppido castra Vercingetorigis aberant: et palus, quæ perpetua intercedebat, Romanos ad insequendum tardabat. *Id.* 2. *ibid.* 17. Inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 83. 85. (199). Pratis oleisque, intercedente via publica, in contrarias sedes transgressis. ¶ 3. Item latiori sensu refertur ad tempus, quod medium inter duo quædam transit. *Cic.* 2. *Orat.* 21. 89. Vix annus intercesserat ab hoc sermone, quum iste accusavit etc. *era passato. Id. Cluent.* 9. 28. Dies nondum decem intercesserant. *Liv.* 2. 64. pauci dies. *Cic. Cluent.* 26. 72. unus et alter dies. *Id.* 4. *Verr.* 36. 89. Una nox intercesserat. *Id.* 1. *Cat.* 2. 4. Nox nulla intercessit. *Nepos Att.* 20. Nullus dies temere intercessit, quo non ad eum scriberet. Cf. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. Ut spatium intercedere posset, dum milites, quos imperaverat, convenirent, legatis respondit, diem se ad deliberandum sumpturum.

II.) Translate. ¶ 1. Sæpe de iis dicitur, per quæ alteri jungimur, aut alienamur. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 25. Magnum nescio quid necesse est evenisse, unde ira inter eas intercessit, quæ tam permansit diu. *Cic.* 13. *Fam.* 23. Inter nosmetipsos vetus usus intercedit. *passa tra noi. Id. ibid.* 65. Multa et magna inter nos officia, paria et mutua intercedunt. *Nepos Att.* 20. Obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit intercedere necesse inter Cæsarem atque Antonium. *Cic. Cæl.* 13. 32. Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiæ cum istius mulieris viro. *Id. Quinct.* 15. 48. Is, quicum tibi affinitas, societas, omnes denique causæ et necessitudines veteres intercedebant. *Id.* 3. *Fin.* 20. 67. Ut ei cum genere humano quasi civile jus intercederet. *Cæs.* 5. *B. G.* 11. *extr.* Huic cum reliquis civitatibus continentia bella intercesserant. *Modestin. Dig.* 20. 1. 25. Quum vitiose, vel inutiliter contractus pignoris intercedat. ¶ 2. Ponitur et pro interponere se mediumque se offerre spondendo et fidejubendo, *entrare per sicurtà, far-*

el pieggio o mallevadore. *Cic.* 1. *Att.* 16. *ante med.* Biduo per unum servum confecit totum negotium: arcessivit ad se, promisit, intercessit, dedit. *Id.* 2. *Phil.* 18. 45. Orabat, ut te contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem: tantum enim se pro te intercessisse. *Id.* 6. *Att.* 1. *ante med.* Adscribit etiam, et quasi calcar admovet, intercessisse se pro iis magnam pecuniam. *h. e.* spondendo impetrasse. *Alii leg.* intercessisse a se. Adde *Ulp.*, *Paul.*, *Cajum* et *alios* toto fere *tit.* 1. *lib.* 16. *Dig.* — *NB.* Qui putant, poni pro deprecari, *intercedere*; quamvis ea significatio facile ab antecedenti descendat, nondum tamen plane probare potuerunt. *V.* INTERCESSOR 1. ¶ 3. Sæpe etiam significat opponere se, ne aliquid fiat, *frapporsi, opporsi, impedire*: Veneti dicunt *intromettere*. Apud Romanos fuit proprium tribunorum plebis, qui quum legem, aut senatusconsultum, aut quippiam ejusmodi perferri nolebant, voce *veto* (ut apud *Liv.* 6. 35.) utebantur, et rem impediebant, donec ferretur ad populum ejusque arbitrio permitteretur. Hæc intercedendi potestas eis concessa fuit, ut auxilii lationem pro plebe adversus consules aliosque omnes magistratus haberent, ut apud *Liv.* 2. 33. habetur. Auctor tribuniciæ intercessionis fuit ann. ab U. C. 352. Appius Claudius; qua de re V. *Liv.* 5. 2.; et *Niebuhr.* *T.* 4. *p.* 172. *not.* 257. *Cic.* 3. *Legg.* 8. 18. Quod genus legationis ego consul, approbante senatu, nisi mihi levissimus tribunus plebis intercessisset, sustulissem. *Id.* 1. *Verr.* 46. 119. Piso Verri intercessit. *Id.* 2. *Orat.* 47. 197. Vi pulsum ex templo Cottam et Didium, quum intercedere vellent rogationi. *Id.* 1. *Fam.* 7. *ante med.* Ea, quæ de reductione regis scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, ut etc. *Liv.* 38. 60. Pronunciavit, prætori non intercedere tribunos, quo minus sua potestate utatur. *Cic. Prov. cons.* 8. 17. Ea lege, qua intercedi de provinciis non licebit. — Etiam reliquis magistratibus intercedendi jus fuisse, colligitur ex *Varron.* apud *Gell.* 14. 7., ubi docet, intercedendi, ne senatusconsultum fieret, jus fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii, qui senatusconsultum facere vellent, majoreve essent. Item ex *Ascon.* in *Pisonian.* 26. ubi narrat, Q. Scævolam consulem intercessisse senatusconsulto, quo triumphus Crasso collegæ decernebatur. Denique ex *Liv.* 5. 9., ubi tradit, duos tribunos militum consulari potestate intercessisse senatusconsulto de abrogando sibi magistratu. ¶ 4. Hinc universim pro opponere se, obstare et impedire, ne quid fiat. *Sueton.* *Tib.* 26. Intercessit, et quominus in acta sua juraretur, et ne mensis september Tiberius – vocaretur. *Id. ibid.* 17. De cognomine intercessit Augustus. *Tac. Agric.* 46. Non quia intercedendum putem imaginibus, sed etc. *Est qui malit* interdicen dum. *Plin. Paneg.* 4. Parens noster privatas gratiarum actiones cohibet, intercessurus etiam publicis, si etc. *Id. ibid.* 25. *extr.* Intercedere casibus, occursare fortunæ. *Id. ibid.* 80. Intercedere iniquitatibus magistratuum. *Plin. alter* 32. *Hist. nat.* 1. 1. (4). de *echeneide*. Invenere adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Cajo indignanti, hoc fuisse, quod se revocaret, quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet. *Apul.* 11. *Met.* Plurimum duritia paupertatis intercedente. ¶ 5. Hinc etiam aliquando pro interpellare. *Gell.* 4. 1. Quumque nimis odiose sibi placeret, intercessit placide Favorinus, et, Jam, inquit, bone magister etc. *Id.* 15. 9. Quum homo vultum intorqueret et non hisceret, tum ego intercessi, et, Vade, inquam etc. *Forcellinus* hæc duo ad superiorem paragr. I. 1. retulit.

INTERCEPTĬO, ōnis, f. 3. (intercipio) actus intercipiendi, *sorpresa, rapimento*, διάληψις. *Cic. Cluent.* 60. 167. Quæ deinde interceptio poculi? — Et in re medica *Theod. Priscian.* *l.* 2. *part.* 2. c. 1. Si vero de frigore caput fuerit inquietatum, tunc gravedo quædam cum turbore venarum et interceptione contingit, tunc effusio lacrimarum, tunc falsi somni graves exsistunt.

INTERCEPTOR, ōris, m. 3. (intercipio) qui intercipit, interversor, *sorprenditore, attrappatore, rapitore*, μεσολαβῶν. *Liv.* 4. 50. Prædæ ne interceptorem fraudatoremque, etiam malum minitari militibus? *Id.* 3. 72. Populus Romanus quadruplatoris et interceptoris litis alienæ personam laturus. *Tac.* 3. *Hist.* 10. Interceptor donativi.

INTERCEPTUS, a, um. *V.* INTERCIPIO.

INTERCEPTUS, us, m. 4. (intercipio) interceptio. In sexto casu singul. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 10. Quæ quidem serpentis ictu moritur, quasi astutiæ interceptu secretis velut inferis transmigratur.

INTERCESSĬO, ōnis, f. 3. (intercedo) interventus, intercessus, *intervento, presenza*.

I.) Proprie. *Gell.* 14. 2. Probari debere pecuniam datam consuetis modis, expensi latione, mensæ rationibus, chirographi exhibitione, testium intercessione. — Hinc est mediatio inter reum et judicem apud *Alcim.* *Ep.* 39. *p.* 54. *B.*, ubi V. *Sirmondii* adnotata.

II.) Translate ¶ 1. Est fidejussio in re pecuniaria, *sicurtà, malleveria*: *V.* INTERCEDO II. 2. *Cic.* 1. *Att.* 4. Utile est, te aliquando transigere: mea intercessio parata et est et fuit. *Id.* 6. *Parad.* 2. 46. Intercessiones pecuniarum in coitionibus candidatorum. *Ulp. Dig.* 16. 1. 8. Pignoris datio intercessionem facit. ¶ 2. Item executio, in *Cod. Justinian.* 12. 22. 1. et in *Cod. Theod.* 6. 28. 4. et 8. 9. 1. ¶ 3. Item sæpius actus intercedendi, oppositio, quæ fit a tribuno plebis, quo minus quippiam perferatur, *opposizione*, ἀντικαράστασις: *V.* INTERCEDO II. 3. *Cic.* 2. *leg Agr.* 12. 30. Quum intercessio stultitiam intercessoris significatura sit, non rem impeditura. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. Sullam, nudata omnibus rebus tribunicia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse. *Liv.* 38. 54. *extr.* Remittentibus tribunis intercessionem, omnes tribus, uti rogas, jusserunt. *Val. Max.* 6. 1. *n.* 10. Tribuni intercessionem suam interponere noluerunt. *Gell.* 7. 19. *extr.* Intercessionem facere pro aliquo.

INTERCESSOR, ōris, m. 3. (intercedo) qui intercedit; translate tantum occurrit, et est ¶ 1. Fidejussor, vel proxeneta, *mallevadore a sensale*. *Seneca Ep.* 119. Ut negotiari possis, æs alienum facias oportet: sed nolo per intercessorem mutueris. — Possit videri etiam mediator, conciliator, deprecator, *mediatore, intercessore*, apud *Apul. de Mag.* Res acta est in Rufini cujusdam domo, intercessoribus et deprecatoribus ipso Rufino etc.: sed ibi quoque de pecuniaria re agitur. Nihilominus locus est *Ciceronis* 7. *Fam.* 27., ubi *intercessoris* vocem, ludens in ambiguo, et pro tribuno intercedente et pro deprecatori usurpari posse ostendit: quod et *Manut.* et *Græv.* et *Cellar.* adnotarunt. En ejus verba *loc. cit. ad Gallum.* Utinam semper esses tribunus: intercessorem non quæreres. Petierat enim a Cicerone Gallus, ut pro se restituendo apud Cæsarem verba faceret. Etiam *Sidon.* hoc sensu usurpat 7. *Ep.* 9. *in contione*. Præterea pro conciliatore pacis et dirimente lites ponitur a *Quintil. Declam.* 306. *a med.* Non existimabam tam asperam illam dissensionem, nec veram esse litem, quæ ad filium ducebatur. Videbamini mihi quærere intercessorem. ¶ 2. Item in *Cod. Justin.* non semel ponitur pro executore, ut 1. 42. 8. et 8. 17. 7., et pro fidejussore *ibid.* 8. 3. 41. in *Authent.* ¶ 3. Item est qui intercedit et quippiam fieri vetat, *oppositore, contradditore*, διακωλυόμενος: et proprie de tribuno plebis dicitur. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 12. 30. Quum intercessio stultitiam intercessoris significatura sit, non rem impeditura. *Id. Sull.* 23. 65. Agrariæ legi intercessorem fore professus est. *Liv.* 4. 53. Tribuni jam ante præparati intercessores legis agrariæ. ¶ 4. Hinc universim qui rem aliquam impedit. *Cic. Rosc. Am.* 38. 110. Postremo isto hortatore, auctore, intercessore, ad Sullam legati non adierunt. *Id.* 3. *Legg.* 4. 11. et 19. 42. Intercessor rei malæ, salutaris civis esto.

INTERCESSUS, us, m. 4. (intercedo) intercessio, interventus.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de personis. *Val. Max.* 5. 4. *n.* 2. Consulem graviter saucium intercessu suo servavit. Cf. *Salvian.* 1. *Gub. D.* 11. Ne illius quidem intercessu, qui læsus fuerat, indulsit. *et Alcim. Ep.* 8. Me vestro intercessui, vel favori, votis præfusa supplicatione, insinuo. *Dict. Cret.* § 14. Menelaus singulos ambiendo orandoque perfecerat, ut intercessu Ulixis Helene incolumis sibi traderetur. Adde *eumd.* § 6., 4., 9. et 10. ¶ 2. Latiori sensu de tempore. *Oros.* 5. 15. Intercessu temporis. *col decorso del tempo*. *V.* INTERCEDO I. 3.

II.) Figurate, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1. *Impp. Dioclet.* et *Constantin.* inter *fragm. Juris antejustin.* (edente *A. Maio*) p. 75. Præses provinciæ, ne qua tibi legitime possidenti fiat injuria, intercessu auctoritatis suæ providebit.

INTERCĪDO, cīdis, cīdi, cīsum, cīdere, a. 3. (inter et cædo). Part. *Intercidens* II.; *Intercisus* I. et II.; *Intercidendus* I. — Intercidere est in medio secare, διακόπτω (*It.* *tagliare in mezzo*; Fr. *couper par le milieu, percer*; Hisp. *cortar en medio*; Germ. *auseinander –, zerschneiden*; Angl. *to cut asunder, cut down*).

I.) Proprie. *Colum.* 4. *R. R.* 32. 4. Arundinetum densatum potest intercidi et disrarari: quod opus rustici castrationem vocant. *Plin.* 6. *Ep.* 22. Corrupto scribæ servo, interceperat commentarios intercideratque. *Cels.* 5. 26. *n.* 21. Venæ duobus locis deligandæ, intercidendæ sunt. Sic *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (174); et *Tac.* 16. *Ann.* 11. Intercidere venas. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 19. 49. (177). Intercidere radices. *Id.* 16. *ibid.* 31. 62. (152). Hedera etiam pluribus locis intercisa vivit duratque. *Cic.* 4. *Att.* 15. Lacus a Curio emissus, interciso monte. Hinc *Intercisa*, nempe saxa, memorat *Itiner. Hierosol.* et *Tab. Peuting.*, quæ ab *Aurel. Victore Epitom.* 9. vocatur *Petra pertusa*, in via Flaminia, inter Fanum et Forum Sempronii, ubi Vespasianus Aug. montem intercidit ad viam complanandam in loco, qui nunc *il Furlo* appellatur: et a *Claudian. VI. Cons. Honor.* 500. describitur. *V.* PERTUSUS.

II.) Translate est præcidere, dividere. — *a*) Pro præcidere, *tagliare*. *Cæs.* 2. *B. G.* 9. Ut castellum expugnarent, pontemque intercideret. *Al. leg.* interscinderent. *Liv.* 26. 6. Intercidere pontem. *Ulp. Dig.* 9. 2. 49. Qui incendii arcendi gratia vicinas ædes intercidit. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 29. 31. (116). Intercidi planitiem eam jusserat, ut duos sinus jungeret. *h. e.* fossam duci per mediam planitiem. *Vulgat. interpr. Ps.* 28. 7. Vox Domini intercidentis flammas ignis. *Gell.* 13. 30. Intercidere sententias et verba corrupte pronunciare. *rompere e confondere i sensi*. *Stat.* 2. *Theb.* 184. Non fugeret diras lux intercisa Mycenas. *h. e.* interrupta, quum sol condidit se die medio, ne Thyestæ cœnam videret. Adde *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 171. — *b*) Pro separare, dividere, *dividere, disgiungere*. *Auct. B. G.* 8. 14. Jugum mediocri valle a castris intercisum. *Auct. B. Alex.* 72. Colles intercisi vallibus. *Seneca Consol. ad Marc.* 17. Insulæ ab Italia angusto intercisa freto. — *c*) *Intercisi dies* apud Romanos sunt deorum hominumque communes, *h. e.* partim festi, partim profesti, quod quibusdam eorum horis fas est, quibusdam fas non est jus dicere. Nam quum hostia cæditur, fari nefas est: inter cæsa et porrecta fari licet: rursus, quum adoletur, non licet. Hæc *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. Paullo distinctius *Varro* 6. *L. L.* 31. *Müll.* I n t e r c i s i dies sunt, per quos mane et vesperi est nefas, medio tempore inter hostiam cæsam et exta porrecta fas; a quo quod fas tum intercedit, aut eo est intercisum nefas, i n t e r c i s u m. Hactenus *Varro*, cujus posterius etymon varius est, quam primum. *Ovid.*, tacito nomine, eosdem 1. *Fast.* 49. describit. — Gymnasium dedit vicanis per triduum intercisis temporibus, in *Inscript.* apud *Orell.* 339., est non continuis diebus: cui *ibid. in not.* contrarium est, per quatriduum sine intermissione ediderunt spectacula. — Quod in veteri quodam Calendario apud *Gruter.* 133. non semel legitur *en*, ea nota hos dies designat, leguntque *endotercisus*, quod *endo* olim pro *in* usurpatum fuit; alii *entercisus*, quod et *en* pro *in* dictum fuerit: quod confirmatur ex *Fragm. Fastor. Verrii Flacci* a *Fogginio* editis, ubi ad diem IV. Id. Jan. quædam leguntur mutila verba idipsum declarantia.

INTERCĪDO, cĭdis, cĭdi, cĭdere, n. 3. (inter et cado). Part. *Intercidens* I. 1. — Intercidere est inter aliqua cadere, διαπίπτω (*It.* *cadere tra mezzo*; Fr. *tomber entre*; Hisp. *caer entre*; Germ. *dazwischenfallen*; Angl. *to fall through or between*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Liv.* 21. 8. *extr.* Nullo inter arma corporaque vano intercidente telo. *Id.* 26. 39. Ita in arcto stipatæ erant naves, ut vix ullum telum in mari vanum intercideret. *Forcellinus* affert etiam *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 231. 5. ..... HADRIANVS VIAM IVLIAM AVG. A FLVMINE TREBIA QVAE VETVSTATE INTERCIDERAT SVA PECVNIA RESTITVIT. *s'era interrotta*. Sed hoc fortasse ad paragr. proxime sequentem referendum.

¶ 2. Latiori sensu et universim est cadere, concidere, perire, *cadere, rovinare, andare a male*. Plin. 9. Hist. nat. 51. 74. (163). Polypi ova excludunt quinquagesimo die: a quibus multa propter numerum intercidunt. *Forcellinus* addit et illud ejusd. 4. ibid. 12. 20. (62). Oppida Coressus, Pœessa interciderunt. Hoc tamen inter translata referendum videtur.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 2., est perire, interire, deficere, *perire, mancare*. Cic. Dejot. 9. 25. *ex Græco poeta*. Pereant amici, dum una inimici intercidant. Liv. 2. 8. Credo, quia nulla gesta res insignem fecerit consulatum, memoria intercidisse. *Al. leg.* memoriam. Seneca 3. Benef. 1. *a med.* Utrum pejorem vocas, apud quem gratia beneficii intercidit, an apud quem etiam memoria? Ovid. 2. Fast. 443. Augur erat: nomen longis intercidit annis. *s'è perduto*. Plin. 14. Hist. nat. 6. 8. (61). Cæcubum jam intercidit et incuria coloni locique angustia. Id. 35. ibid. 8. 34. (53). Et opera (*pictorum*) ipsa conveniet attingi, sive exstant, sive intercidere. Quintil. 1. 5. 52. Quamquam hæc sequenti tempore intercidere. *sono andate in disuso*. Sic Id. 10. 2. 13. Quum verba intercidant invalescantque temporibus. Justin. 6. 9. 1. Hujus morte etiam Atheniensium virtus intercidit. Id. 3. 4. 4. Quantum juventutis bello intercidat, mulierum fecunditate suppleri. Papinian. Dig. 5. 3. 49. Si periculum erit, ne inter moras rationes intercidant. Id. ibid. 40. 5. 26. *a med.* Quæstionis est, an fideicommissa libertas non debeat intercidere: et putem, dici debere, salvam esse. — Horat. 2. Sat. 4. 6. Quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox. *h. e.* si oblitus fueris. — *NB.* Pro intervenire, accidere, afferunt illud Cic. 5. Fam. 8. Si quæ interciderunt, non tam re, quam suspicione violata, ea quam fuerint falsa et inania, sint evulsa ex omni memoria. *At ibi legendum* inciderunt *inter omnes recentiores constat*. V. et *Orell.*

INTERCĪLIUM, ii, n. 2. (inter *et* cilium) locus medius inter supercilia. Gloss. Philox. Intercilium, μεσόφρυον. Isid. 11. Orig. 1. Intercilium est medium illud inter supercilia, quod sine pilis est. Suppresso nomine idem describit Claudian. Nupt. Honor. et Mar. 267. Quam juncto leviter sese discrimine confert Umbra supercilii! et Capell. 2. p. 34. Ubi pubem ciliorum discriminat glabella medietas. et Ovid. 3. Art. am. 201. supercilii confinia nuda. Hinc Aristænet. l. 1. ep. 1. Τὸ μεσόφρυον ἐμμέτρως τὰς ὀφρῦς διορίζει.

INTERCINCTUS. *V.* INTERSTINCTUS.

INTERCĪNO, is, ere, a. 3. (inter *et* cano) cantum immiscere, interponere, inserere, *cantare in mezzo*, παρᾴδω. Horat. Art. P. 194. nec quid medios intercinat actus, Quod non proposito conducat. *h. e.* nihil immisceat, quod non ad rem faciat.

INTERCĬPĬO, cipis, cēpi, ceptum, cipere, a. 3. (inter *et* capio). Part. *Intercipiens* II. 1; *Interceptus* I. et II. 2. 3.; *Intercipiendus* I. 1. c. — Intercipere est in medio excipere, atque adeo de medio tollere, intervertere, auferre; et late patet, ut infra sub I. dicemus.

I.) Proprie. — a) Est in medio excipere. Cæs. 2. B. G. 27. Ut ex tumulo tela in nostros conjicerent, pilaque intercepta remitterent. *h. e.* excepta. Sic Plin. 29. Hist. nat. 3. 12. (52). In sublime jactari sagoque intercipi, ne tellurem attingat. — b) Eleganter, pro invito animo excipere atque adeo deprehendi, Virg. 10. Æn. 401. Ilo namque procul validam direxerat hastam, Quam medius Rhœteus intercipit. *h. e.* in alium directam ipse corpore excipit, et quasi alieno ictu concidit. — c) Hinc, quum sermo est de rebus, est etiam intervertere, auferre, quippiam rapere, dum alio mittitur; furari aliquid, antequam ad eum perveniat, ad quem pertinet, *attrappare, sorprendere, rubare*, μεσολαβέω. Ovid. 6. Met. 379. Terga caput tangunt: colla intercepta videntur. *h. e.* de medio ablata. Rutil. 1. Itiner. 101. Intercepta tuis conduntur flumina muris. *h. e.* in medio cursu derivata in aliam partem, et inter muros tuos inclusa. Ter. Eun. 1. 1. extr. Quod nos capere oportet, hæc intercipit. Auct. B. G. 8. 47. Infestisque itineribus, commeatus complures, qui comportabantur in hiberna Romanorum, intercipiebat. Liv. 36. 3. Classem paratam ad commeatus intercipiendos habebat. Cic. 1. Att. 13. Litteræ non sunt committendæ ejusmodi periculo, ut aut intercipi, aut aperiri, aut intercipi possint. *venire intercette*. Sic Id. 3. ad Q. fr. 9. Ne cujusquam animum meæ litteræ interceptæ offendant. et 10. Att. 8. De iis rebus, quas intercipi periculosum esset, finem inter nos scribendi fieri tempus esse. *che fossero sorprese e scoperte*. Id. Cluent. 60. 166. Venenum quum daretur in mulso, Balbutium quemdam intercepisse, bibisse, statimque esse mortuum. Tac. 4. Ann. 45. Interceptæ e publico pecuniæ. — d) Quum de hominibus agitur, est aliquem inter agendum occupare, incautum deprehendere, ab aliis seclusum capere, *sorprendere*. Plaut. Asin. 1. 1. 93. Tu redimes me, si me hostes interceperint? Cæs. 1. B. C. 55. Inopinantes aggressi magnum numerum jumentorum atque hominum intercipiunt. Auct. B. G. 8. 48. Compluras hostium partim in fuga proteruntur, partim intercipiuntur. Sic Auct. B. Afr. 19. Intercepti hostium complures. *sorpresi, fatti prigioni*. Tac. 4. Hist. 73. Hostes discretos intercipere. Liv. 29. 9. Tum ipsum ab suis interceptum et seclusum hostiliter lacerant. *tolto in mezzo e separato*.

II.) Translate. ¶ 1. Est intercidere, abrumpere, impedire. Sic *intercipere iter* est intercidere, et ne progredi quis possit, impedire, *serrare, tagliare la strada*. Curt. 4. 2. 9. Præceps in salum murus pedestre interceperat iter. Adde Liv. 25. 39. — *Intercipere sermonem* est abrumpere, interpellare, *interrompere*. Quintil. 6. 4. 11. Ut obstrepant ingenti clamore, et medios sermones intercipiant, et omnia tumultu confundant. — Pro impedire. Curt. 4. 13. 38. Intercipiente usum aurium fremitu duorum agminum. Sil. It. 3. 486. cælum intercipit (*Alpium*) umbra. ¶ 2. Item generatim est auferre, rapere, furari. Cic. 2. leg. Agr. 2. 3. Ut vester honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienæ petitionis occasionem interceptus esse videatur. Phædr. 4. 11. dives arca veram laudem intercipit. *h. e.* pecunia sibi sumit eam laudem, quæ uni virtuti debetur. Liv. 3. 71. ad fin. Intercipere aliquid ab aliquo. Ovid. 4. Pont. 7. 25. aliquid alicui. Plin. 9. Hist. nat. 8. 8. (28). quæstus alicujus. *tor di mano*. Sueton. Gramm. 3. Commentarios, quorum tamen pars maxima intercepta dicitur. *rubata, copiata da altri*. Apul. 9. Met. Intercipere cœnam. Aurel. Vict. Vir. ill. 6. regnum. Id. ibid. 60. victoriam. Plin. Paneg. 75. Quæ vos, ne qua interciperet oblivio, in acta mittenda censuistis. *h. e.* deleret, tolleret. — Poetice Stat. 8. Theb. 87. exstincto tamen interceptus in ore Augurii perduret honos. *h. e.* subtractus, subductus injuriæ leti. Sic Ovid. 10. Met. 476. Myrrha fugit, tenebris et cæcæ munere noctis Intercepta neci. *sottratta, salvata*. ¶ 3. Speciatim *intercipi morbo* est rapi, mori, *essere tolto di vita*, præsertim si de immatura et alieni temporis morte sermo sit. Quintil. 6. procem. 1. Si me, quod æquum fuit, fata intercepissent. Colum. 9. R. R. 3. 4. Apes sæpe morbis intercipiuntur. Justin. 37. 1. 6. Repentina morte interceptus. Plin. 10. Ep. 50. Rex mortalitate interceptus. Sueton. Cæs. 20.; et Tac. 3. Ann. 12. Interceptus veneno. Aurel. Vict. Cæsar. 3. exitio. Id. Epit. 15. Viribus exesis intercipi. Auct. de orig. gent. Rom. 14. Interceptus Æneas nusquam comparuit. Similiter Ovid. 8. Met. 290. Is (*aper*) modo crescenti segetes proculcat in herba Et Cererem in spicis intercipit. Id. 15. ibid. 111. et prima putatur Hostia sus meruisse mori; quia semina (*Cereris*) pando Eruerit rostro spemque interceperit anni. Apul. de Mund. Urbes terræ motu interceptæ. Rutil. 1. Itiner. 411. Sola manent interceptis vestigia muris. *h. e.* vetustate absumptis, dirutis.

INTERCĪSĒ, adverb. (intercisus) de oratione præcipue occurrit, et est per incisa et divisim; cui opponitur continuate, conjunctim, perpetua oratione, *a pezzi, a tocchi, interrottamente*, ἀποτόμως. Cic. Partit. orat. 7. 24. Ut quum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa tulerit, invertatur ordo, et idem quasi sursum versus retroque dicatur; deinde idem intercise atque permixte. *h. e.* naturalem verborum ordinem, alio verbo interposito, abrumpendo: ut *nullum intermisi diem*; *ab heroicis ducta temporibus*. Gell. 11. 2. Ex eodem libro Catonis hæc etiam sparsim et intercise commeminimus. Id. 15. 3. *Autumo* dictum intercise, quasi *abæstumo*. *h. e.* per syncopen, intercidendo mediam syllabam.

INTERCĪSĬMEN, ĭnis, n. 3. (intercido) sectio, *il taglio*. Gloss. Philox. Intercisimen, διακοπή.

INTERCĪSĬO, ōnis, f. 3. (intercido) actus intercidendi, sectio, abscisio, *taglio*, διάκοψις. Varro apud Augustin. 6. Civ. D. 9. Intercidonam nuncupari a securis intercisione. *V.* DEVERRA in ONOM. Aggen. in Frontin. p. 45. Goes. Ager jussu principum intercisivis limitibus distributus quinquagenis jugeribus. Quæ intercisiones per trifinia et quadrifinia sive intervenientium, sive interpositorum ratione signorum cernuntur esse dispositæ. Priscian. 8. p. 813. Putsch. Præsens tempus hoc solemus dicere, quod contineat et conjungat, quasi puncto aliquo, juncturam præteriti temporis et futuri, nulla intercisione interveniente.

INTERCĪSĪVUS. *V.* INTERSECIVUS.

INTERCĪSUS, a, um. *V.* INTERCĪDO.

INTERCLĀMANS, antis, particip. ab inusit. *interclamo* (inter *et* clamo) clamore obstrepens. Ammian. 31. 13. Cedentes nostri multis interclamantibus restiterunt.

INTERCLŪDO, clūdis, clūsi, clūsum, clūdere, a. 3. (inter *et* claudo). Part. *Interclusus* I. in omnibus paragr.; *Interclusurus* I. 2.; *Intercludendus* I. 1. — Intercludere est inter eundum quippiam claudere, intersæpire, obstare ne quis progrediatur, prohibere, includere, διακλείω (*It. serrare a mezzo o a mezza strada, intrachiudere, chiudere il passo, serrar fuori*; Fr. *boucher, fermer, arrêter, couper*; Hisp. *tapar, cerrar, circundar, atajar el paso, cortar, excluir*; Germ. *abschneiden, versperren, absperren*; Angl. *to shut or block up, stop the passage, prevent, hinder*).

I.) Proprie. ¶ 1. *Intercludere aliquid* est inter eundum claudere, intersæpire, obstare, ne id progrediatur, *serrare a mezzo o a mezza strada, impedire*. Plaut. Mil. glor. 2. 2. 68. Intercludito inimicis commeatum. Sic Sueton. Aug. 16. Interclusi commeatus, famesque ingravescens. *impedite le vettovaglie, chiusi i passi alle vettovaglie*. Cf. Liv. 26. 39. Intercludere spem commeatus. Cic. 7. Att. 20. Illum ruere nunciant, non ut manum conserat, sed ut fugam intercludat. Id. Rosc. Am. 38. 110. Hisce, aliqua fretus hora, semper omnes aditus ad Sullam intercludere. Id. post redit. ad Quir. 5. 14. Inimici mei flumine sanguinis meum reditum intercludendum putaverunt. Liv. 22. 13. Intercludere exitum. Cic. Rabir. perduell. 1. 3. Omnes seditionum vias intercludere. Justin. 11. 8. 4. Tum repente tantus nervos ejus occupavit rigor, ut interclusa voce non spes modo remedii, sed nec dilatio periculi inveniretur. ¶ 2. *Intercludere aliquem* est a re aliqua, vel ab aliquo loco prohibere, *impedirgli, tenerlo lontano da*; et occurrit — a) Cum Ablativo sine præpositione. Cæs. 3. B. G. 23. Nostros commeatibus intercludere instituunt. Sic Justin. 4. 4. 5. Intercludere hostes commeatibus. Rursus Cæs. 1. B. C. 72. Quod re frumentaria adversarios interclusisset. Id. ibid. 48. Intercludere Cæsarem frumento. Adde Liv. 3. 70. Rursus Cæs. 2. B. C. 20. Omni interclusus itinere. *h. e.* prohibitus. et ibid. Ne itinere, aut transjectu intercluderetur. et 3. ibid. 42. Pompejus interclusus Dyrrachio. *h. e.* prohibitus ingredi. — b) Cum Ablativo et præpos. *ab*. Cæs. 1. B. C. 43. Ab oppido et ponte et commeatu omni se intercluserum adversarios confidebat. Cælius apud Cic. 8. Fam. 1. *a med.* Ipsum apud Bellovacos circumsederi, interclusum ab reliquo exercitu. *separato, serrato fuori*. Sic Liv. 34. 38. Intercludi a suis. Id. 27. 42. a castris. Cæs. 7. B. G. 59. Legiones a præsidio et impedimentis interclusas flumen distinebat. Liv. 8. 24. Quum interclusissent trifariam exercitum a mutuo inter se auxilio. — c) Absolute. Ammian. 21. 1. Intercluso Constantio trans Euphratem. Virg. 2. Æn. 111. sæpe illos aspera ponti Interclusit hiems. *h. e.* impedivit, ne discederent. Liv. 4. 39. Ne tot fortissimos viros interclusos opprimeret hostis. ¶ 3. *Intercludere aliquem* vel *aliquid* est etiam includere, *rinchiudere, circondando rinchiudere*. Cæs. 3. B. G. 69. Veriti, ne angustiis intercluderentur. *di essere rinchiusi o tolti in mezzo*. Sic Cic. Cæcin. 29. 84. In iis ipsis intercludere insidiis, quas mihi conaris opponere. et 9. Att. 6. Plane interclusi captique sumus. et 14. Fam. 14. Metuo, ne jam intercludamini, ut, quum velitis exire, non liceat. Similiter Id. 2. leg. Agr. 28. 75. Quum totam

Italiam suis opibus obsidebant, vestram libertatem suis præsidiis interclusam tenebant. *rinchiusa, circondata. Lucret.* 6. 1264. anima interclusa ab dulcedine aquai. *quasi soffocata.* et *Liv.* 23. 7. Comprehensos balneis includi jussit, ubi fervore atque æstu interclusa anima fœdum in modum exspirarent. et *Tac.* 6. *Ann.* 50. Interclusa anima. *chiuso il fiato, tolto il respiro.* et *Curt.* 7. 5. 15. Qui intemperantius hauserant, intercluso spiritu exstincti sunt. *Cic. Cæl.* 18. 42. Via deserta et inculta atque interclusa frondibus et virgultis. *Id. Prov. cons.* 4. 6. Quum Byzantii Mithridaticos impetus totumque Pontum erumpentem, ægre repulsum, et cervicibus interclusum suis, sustinuerent. *rinchiuso e trattenuto. Jul. Obseq.* 130. Intercludere locum vallo. *Stat.* 5. *Silv.* 1. 131. Amazonià latus intercludere peltà. *h. e.* claudere, tegere, ne tela feriant.

II.) Translate. *Cic.* 8. *Att.* 8. Intercludor dolore, quo minus ad te plura scribam. *h. e.* impedior, prohibeor.

INTERCLŪSĬO, ōnis, f. 3. (intercludo) actus intercludendi, impedimentum, *chiudimento,* ἀπόληψις. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 3. *Orat.* 46. 181. Clausulas enim atque interpunctа verborum animæ interclusio atque angustiæ spiritus attulerunt. *mancamento di fiato. Cl. Theod. Priscian. l.* 2. *part.* 2 *c.* 1. Et doloris tunc vehementia atque subita vocis interclusione periclitantur. Adde *eumd. ibid. part.* 1. *c.* 9. ¶ 2. Specialim, παρένθεσιν quam Græci vocant, figuram dicendi, tum *interpositio,* tum *interclusio* Latine dicitur, *parentesi,* teste *Quintil.* 9. 3. 23.

INTERCLŪSUS, a, um. *V.* INTERCLUDO.

INTERCŎLUMNĬUM, ii, n. 2. (inter *et* columna) spatium inter columnas, *spazio tra una colonna e l'altra, intercolunnio,* μεσοστύλιον. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. Hedera convestit intercolumnia ambulationis. *Id.* 3. *Verr.* 19. 51. Signa omnibus intercolumniis disposita. Adde *Vitruv.* 3. 1. et 2., et 4. 3.

INTERCONCĬLĬO, as, are, a. 1. (inter *et* concilio) idem ac conciliare, id est benevolum reddere. *Quintil.* 12. 10. 59. Sive aliud interconciliandi videtur præstare officium. *Alii tamen aliter leg.*

INTERCREĀTUS, a, um, adject. (inter *et* creatus) intra generatus. *Cæl. Aurel.* 5. *Tard.* 1. *ante med.* Denique augmento passionis intercreatus humor in saniem transit. *ingenerato e raccolto.*

INTERCULCO, as, are, a. 1. (inter *et* calco) in medio, vel inter aliqua calcare. *Colum.* 12. *R. R.* 43. 10. Ita distantes, ut interculcari possint vinacea. *Schneiderus* ex MSS legit *intercalcari.*

INTERCULTUS, a, um, adject. (inter *et* cultus, colo) qui modo cultus, modo incultus est. *Sicul. Flacc. de condit. agr. p.* 7. *Goes.* Si interculti finibus, aut prope fines disponuntur arbores, spissioribus et disconvenientes ordinibus arbustorum.

INTERCURRO, curris, curri, cursum, currere, 3. (inter *et* curro). Tmesis est in illo *Lucret.* 5. 1373. olearum Cærula distinguens inter plaga currere posset Per tumulos etc. — Part. *Intercurrens* sub *A.* I. 1.; *Intercursus* sub *B.* — Intercurrere usurpatur *A*) Neutrorum more; et *B*) Raro admodum active.

A) Neutrorum more intercurrere est inter aliqua currere, παραμπίπτω (It. *tracorrere, correre per mezzo;* Fr. *courir dans l'intervalle de;* Hisp. *correr por medio, entre;* Germ. *dazwischen laufen;* Angl. *to run or go between, run in betwixt*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de loco. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 11. 16. (100). Latitudine intercurrentis freti. ¶ 2. Latiori sensu de tempore. *Liv.* 5. 19. Indicto delectu in diem certum, ipse interim Vejos ad confirmandum militum animos intercurrit. *diè fra tanto una corsa:* medio tempore currit.

II.) Translate. ¶ 1. Est intercedere, interesse, immisceri: et dicitur sæpe de iis, quæ inter aliqua porriguntur in longum. *Lucret.* 2. 373. intercurrit quædam distantia formis. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 18. (67). Quibusdam smaragdis intercurrit umbra, surdusque fit color. *passa per entro, o per mezzo. Id. ibid.* 10. 59. (162). Gemma candida intercurrentibus sanguineis venis. *Id.* 12. *ibid.* 3. 7. (14). Folium ejus est unedonis, intercurrentibus spinis. — Huc pertinent et illa, quæ *Forcellinus* ad seq. paragr. retulit, *Cic.* 2. *Tusc.* 15. 36. Ergo his laboriosis exercitationibus et dolor intercurrit. et 1. *Herenn.* 8. 12. Alterum genus narrationis est, quod intercurrit nonnunquam, aut fidei, aut criminationis causa. ¶ 2. Item pro intervenire, *intervenire, frapporsi. Cic.* 8. *Phil.* 6. 17. Pugnatur acerrime: qui intercurrerent, misimus tres principes civitatis: hos contempsit Antonius.

B) Active est intercurrendo peragrare; et occurrit Part. *Intercursus* apud *Ammian.* 15. 10. *a med.* Navigatione veloci intercurso spatio maris haud longo.

INTERCURSO, as, āvi, ātum, are, n. 1. *frequentat. ab* intercurro. — Tmesis est in illo *Lucret.* 3. 263. Inter enim cursant primordia principiorum. — Part. *Intercursans* I. et II. — Intercursare est inter aliqua currere, *tracorrere.*

I.) Proprie. *Liv.* 21. 25. Postero die, jam segnius intercursantibus barbaris, junctæ copiæ.

II.) Translate. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (42). Acinos foliis intercursantibus. *Id.* 5. *ibid.* 18. 16. (74). Intercursant, cinguntque has urbes tetrarchiæ, regnorum instar singulæ.

INTERCURSUS, a, um. *V.* INTERCURRO.

INTERCURSUS, us, m. 4. (intercurro) cursus inter aliqua, *tracorrimento, intervento.* In sexto casu sing. *Liv.* 37. 42. Ibi perturbati ordines, et impeditus intercursu suorum usus prælongarum hastarum. *Id.* 2. 29. Quum conversus in patres impetus esset, consulum intercursu rixa sedata est. Adde *eumd.* 30. 11. et 34. 3. Sic *Tac.* 2. *Hist.* 36. Jamque vulneratum eminus lenees strictis gladiis invaserant, quum intercursu tribunorum centurionumque protegitur.

INTERCUS, ŭtis, adject. omn. gen. (inter *et* cutis) intra cutem positus, *sotto la pelle, intercutaneo.*

I.) Proprie. *Aqua intercus* est hydrops, *idropisia,* quæ intra cutem aqua colligitur, unde corpus turgescit. *Plaut. Men.* 5. 4. 3. Num eum veternus, aut aqua intercus tenet? *Cic.* 3. *Off.* 24. 92. Medicamentum alicui dare ad aquam intercutem. *Sueton. Ner.* 5. *extr.* Decessit morbo aquæ intercutis. — Absolute. *Hieronym. Vita Hilarion. n.* 37. De primoribus quidam, tumens morbo intercutis. *Alii tamen ex MSS. leg.* aquæ intercutis. At absolute profecto utitur hoc nomine *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 8. *ante med.* Hoc quidem plurimi magis intercutibus convenire probaverunt. et *mox.* Intercutes autem et ascitas iis curandos probant, quæ siccare, vel exsiccare valeant corpus.

II.) Translate est intestinus, occultus, *occulto, interno. Lucilius* apud *Non. p.* 37. 2. *Merc.* Aquam te in animo habere intercutem. *Gell.* 13. 8. *extr.* Vitia facundissime accusant intercutibus ipsi vitiis madentes. — Habet etiam obscœnum sensum. *Cato* apud *Priscian.* 6. *p.* 719. *Putsch. V.* FLAGITO.

INTERCUSSUS, us, m. 4. (inter *et* quatio) in medio quassatio. In sexto casu singul. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 27. *a med.* Quod olim fuerat nubilum, nox est, et quidem horrida intercussu luminis diri. *h. e.* lumine in tenebris intermicante. Est qui leg. *intercursu.*

INTERCŪTĀNEUS, a, um, adject. (inter *et* cutis) qui est inter cutem. *Gloss. Isid.* Subcus, subcutaneus —, intercus, intercutaneus, intercutitus.

INTERCŪTĪTUS, a, um, adject. (intercus) vehementer cutitus, id est valde stupratus. Ita *Paul. Diac. p.* 113. 13. *Müll.:* nam, teste *eodem,* inter cutem flagitatos dicebant antiqui mores, qui stuprum passi aliquando essent. *V.* FULLO., et voc. præced.

INTERDĀTUS, a, um, adject. vel particip. ab *interdo, inter* et *do. Lucret.* 4. 866. Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus, Et recreet vires interdatus. *h. e.* interjecto convenienti temporis spatio datus: vel, inter corporeos meatus divisus.

INTERDĬĀNUS, a, um, adject. (interdiu) interdius, diurnus. *Cæl. Aurel.* 3. *Tard.* 6. *ad fin.* Post interdianum cibum ambulatio adhibenda.

INTERDĬĀRĬUS, ii, n. 2. (interdiu) fur diurnus, qui interdiu furatur: opponitur autem nocturno, qui etiam dormitator appellatur. *Gloss. Philox.* Interdiarius, ἡμεροκλέπτης.

INTERDĪCO, dicis, dixi, dictum, dicere, a. 3. (inter *et* dico). *Interdixem* pro *interdixissem* habetur in quodam carmine *Q. Catuli* apud *Gell.* 19. 9. — Part. *Interdicens* II. 1.; *Interdictus* I. 3. *a.*; *Interdicturus* I. 4. — Interdicere est inter duos vel inter aliquos dicere, loqui, *dire fra due, dire frammezzo.*

I.) Proprie. ¶ 1. Est dicendo alicui obstare, resistere, *opporsi frammettendosi con parole. Cic.* 4. *Verr.* 12. 30. Si prætor improbus, cui nemo intercedere possit, det, quem velit, judicem. *Al. leg.* intercedere, *quod rectius* Forcellino *videtur.* ¶ 2. Item interloqui, seu *inter* alium sermonem aliud *dicere,* ut apud *Cic.* 2. *Herenn.* 11. 16. In præsenti hoc interdicere non alienum fuit. *Alii interpretantur* obiter dicere. ¶ 3. Universim ponitur pro prohibere, vetare, *proibire, vietare, interdire:* et occurrit — *a*) Cum part. ne vel ut ne. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 48. Interdico, ne extulisse extra ædes puerum usquam velis. *Cæs.* 5. *B. G.* 22. *extr.* Interdicit atque imperat Cassivellauno, ne Mandubratio noceat. *Id. ibid.* 58. Præcipit atque interdicit, omnes unum peterent Indutiomarum, neu quis quemquam prius vulneraret, quam etc. Adde *Cic.* 1. *Divinat.* 30. 62. et 1. *Fin.* 3. 7.; et *Sueton. Tib.* 61. Similiter *Cic.* 1. *Orat.* 49. 215. Neque enim est interdictum aut a rerum natura, aut a lege aliqua, aut more, ut singulis hominibus ne amplius quam singulas artes nosse liceat. — *b*) Cum Ablativo rei et Dativo personæ. *Cæs.* 6. *B. G.* 12. Si quis eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. *Cic. Cæl.* 20. 48. Qui etiam meretriciis amoribus interdictum juventuti putet. *Id. Senect.* 7. 22. Male rem gerentibus patribus, bonis interdici solet. *Sueton. Aug.* 66. et *Gramm.* 11. alicui domo. — *c*) Et addita præpositione, *Cato* apud *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 7. (14). Interdixi tibi de medicis. — *d*) Cum Accusativo rei et Dativo personæ. *Liv.* 34. 7. Feminis dumtaxat purpuræ usum interdicemus. *Al. leg.* usu. *Sueton. Domit.* 7. Interdixit histrionibus scænam. *Ovid.* 6. *Met.* 333. cui Juno urbem interdixit. *Justin.* 16. 4. 5. Interdicere alicui patriam. *Id.* 41. 3. 2. feminis convivia et conspectum virorum. *Seneca Ep.* 87. *circa med.* alicui admirationem rerum. — Hinc passive. *Liv.* 8. 14. Interdictum est mare Antiati populo. *Al. leg.* mari. *Seneca* 1. *Controv.* 1. *a med.* Nulli interdici misericordiam. *Sueton. Claud.* 23. Quibus provinciæ interdicuntur. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 10. 27. (87). Interdicitur vini potus quinis diebus. *Id.* 19. *ibid.* 4. 19. (53). Exquisita poma pauperibus interdicta. *Sueton. Claud.* 25. *a med.* Druidarum religio interdicta civibus. — *e*) Et omisso Dativo personæ, qui facile subauditur. *Cic. Balb.* 10. 26. Non modo nullo proposito præmio, sed etiam interdicto. *Sueton. Ner.* 32. Quum interdixisset usum amethystini coloris. *Id. Aug.* 27. Interdicta urbs. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (118). Interdicta amicitia. *Horat.* 1. *Ep.* 6. 64. Interdicta voluptas. *illecita.* et *Ovid.* 16. *Met.* 336. Spes interdictæ discedite. — *f*) Cum Infinito. *Ter. Phorm.* 4. 3. 27. Interdixit hariolus, haruspex vetuit ante brumam aliquid novi negotii incipere. *Sueton. Galb.* 9. Interdixit commeatus peti. *Paul. Dig.* 48. 19. 43. Interdicere alicui arte sua uti. — *g*) Cum Accusativo personæ et Ablativo rei sine præpos. *Nepos Hamilc.* 3. Quod moribus eorum interdici non poterat socero gener. *Gell.* 15. 11. *extr.* Philosophi urbe et Italia interdicti sunt. ¶ 4. Speciatim *aqua et igni interdicere* est in exsilium pellere: nam cui illa duo subducuntur elementa ad vitam necessaria, solum vertere cogitur, *cacciare in bando:* causam hujusce elocutionis habes apud *Lactan.* 2. 9. *a med. Cic.* 6. *Phil.* 4. 10. Tamquam si illi aqua et igni interdictum sit. *Cæs.* 6. *B. G.* 44. Quibus quum aqua et igni interdixisset etc. *D. Brut.* ad *M. Brut.* et *Cass.* apud *Cic.* 11. *Fam.* 1. Futurum puto, ut hostes judicemur, aut aqua et igni nobis interdicatur. *Al. leg.* aut aqua et igni interdicamur. *Flor.* 3. 16. Quum abnuentibus aqua et igni se interdicturum minaretur. — Etiam absolute interdicere alicui idem est atque *interdicere alicui aqua et igni. Ampel.* 42. Quo terrore victus senatus Mario totique factioni ejus interdixit. *h. e.* eos omnes *exsules fecit,* ut de eadem re ait *Vellej.* 2. 19.

II.) Translate. ¶ 1. Est interponere auctoritatem, ut, vel ne aliquid fiat: et ad magistratus pertinet, qui jus dicunt, quum edicto sententiave jubent aliquid, aut vetant, *decretare,* παραγγέλλω. Præsertim vero prætoris proprium est jus *inter duos dicentis:* quæ etymologia a *Justiniano* 4. *Institution. tit.* 15. traditur. *Cic. Cæcin.* 8. 23. Prætor interdixit de vi, hominibus armatis, sine ulla exceptione, tantum ut, unde dejecisset, restitueret. *Id. ibid.* 13. 36. Prætor qui de fossis, de cloacis, de minimis

aquarum itinerumque controversiis interdicit. *fu decreti.* et *ibid.* 28. 80. Prætor interdixit, ut unde dejectus esset, eo restitueretur. *Ulp.* recitans verba prætoris *Dig.* 43. 13. 1. Ut per lacum, fossam, stagnum navigare liceat, interdicam. *Cajus* 4. *Institut.* (edente iterum *Goeschenio*) § 166. Quæ adversus edictum prætoris interdicentis nobis facta essent. ¶ 2. Apud JCtos interdum significat interdicto uti. *Ulp. Dig.* 43. 18. 1. *a med.* An noceat tibi exceptio, si adversus eum velis interdicere. *et ibid.* 10. 1. Neque latiorem, neque humiliorem viam, sub nomine refectionis, is, qui interdicit, potest facere. at *Paul. ibid.* 16. 1. *circa med.* Jus projectionis interdico tecum. *h. e.* ago tecum de jure projectionis ex interdicto, *sicuti nunc possidetis* etc. Huc pertinet illud *Catonis* apud *Charis.* 2. *p.* 178. *Putsch.* Donicum illa tibi interdixit rem capitalem. *h. e.* tecum egit ex interdicto, et rei capitalis reum fecit damnavitque.

INTERDICTĬO, ōnis, f. 3. (interdico) prohibitio, vetitum, interdictum, *proibizione, divieto,* ἀπόῤῥησις. *Cic. Dom.* 30. 78. Non ademptione civitatis, sed tecti, et aquæ et ignis interdictione. *Liv.* 41. 24. *ad fin.* Ne interdictione finium nostrorum et nos quoque regno arceamus. *Martian. Dig.* 48. 22. 5. Exsilium est aut certorum locorum interdictio, aut lata fuga etc. *Tertull. Spectac.* 17. Habes igitur et theatri interdictionem de interdictione impudicitiæ. *Arnob.* 2. 11. Scabiem una interdictione sanare.

INTERDICTOR, ōris, m. 3. (interdico) qui interdicit, qui vetat, *proibitore. Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 9. *extr.* Deliciis interdictor, immo et condemnator. Adde *eumd. advers. Hær.* 23.

INTERDICTŌRĬUS, a, um, adject. (interdico) qui interdicit, prohibet. *Salvian.* 3. *advers. avar.* 17. Deinde illud, quod præcepto interdictorio generaliter jubet (*Deus*): Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.

INTERDICTUM, i, n. 2. (interdico) proprie et universim est prohibitio, vetitum, *proibizione, divieto.*

I.) Proprie. *Plaut. Asin.* 3. 1. 1. Nequeon' ego te interdictis facere mansuetam meis? *Cic. Pis.* 21. 48. Numen interdictumque deorum immortalium, responsa sacerdotum, regi Ægyptio vendidit. Adde *eumd.* 7. *Att.* 26. et *Dom.* 26. 69. Sic *Justin.* 11. 4. 9. Portas refugiis profugorum contra interdictum regis aperuere. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 58. (157). Malas duodecim tabularum interdicto radi a feminis vetantes. Adde *Ammian.* 30. 9. et 22. 8.

II.) Translate est decretum, quod prætor inter duos aliquos dicit, quippiam jubendo aut vetando, *decreto,* παράγγελμα: *V.* INTERDICO II. 1. *Cic.* 3. *leg. Agr.* 3. 11. Ergo hac lege jus civile, causæ possessionum, prætorum interdicta tollentur. *Id. Cæcin.* 3. 9. Possessionem per interdictum repetere. *Id.* 1. *Orat.* 10. 41. Interdicto contendere cum aliquo. *Petron. Satyr.* 13. et 83. Venire ad interdictum. *h. e.* venire ad prætorem in jus: jure agere et prætoris interdictum experiri. *Spartian. Pescenn.* 2. *in fin.* Ex interdicto agere cum aliquo de re quapiam. *h. e.* ex decreto et formula prætoris, Uti possidetis. *V.* POSSIDEO. — *Interdicti* formula habetur apud *Paul. Sentent. recept.* 3. 4. 7. Quando tibi bona paterna avitaque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico. Hæc sunt prætoris verba.

INTERDICTUS, a, um. V. INTERDICO.

INTERDĬGĬTĀLĬA, ium, n. plur. 3. (inter et digitus) loca inter digitos manuum et pedum, quæ et interdigitia dicuntur. *Plin. Valer.* 2. 52.

INTERDĬGĬTĬA, ōrum, n. plur. 2. (inter et digitus) loca inter digitos manuum et pedum, et rhadages ibi enascentes. *Marcell. Empir.* 34. Interdigitia sanat cera in oleo cyprino remissa et imposita. *Gloss. Philox.* Interdita (*lege* interdigitia), μεσοδάκτυλα.

INTERDĬU, adverb. (inter et dies, diu) per diem; cui opponitur noctu, *di giorno,* μεθ' ἡμέραν. *Cato R. R.* 124. Canes interdiu clausos esse oportet, ut noctu acriores sint. *Cæs.* 7. *B. G.* 69. *extr.* In quibus interdiu stationes disponebantur: hæc eadem noctu firmis præsidiis tenebantur. *Liv.* 1. 47. Nec noctu, nec interdiu. *Id.* 8. 34. Nocte et interdiu. *Id.* 31. 32. Interdiu, nocte. Adde *Ter. Adelp.* 4. 1. 15.; *Cic.* 2. *Herenn.* 4. 7.; *Nepot. Pelop.* 2.; et *Sueton. Cæs.* 65., *Aug.* 100. et *Ner.* 26.

INTERDĬUS, adverb. idem quod interdiu, apud *Plaut. Aulul.* 1. 1. 33. Pervigilat noctes totas: tum autem interdius, quasi claudus sutor, domi sedet totos dies. *Id. Most.* 2. 2. 14. Occlusa est janua interdius. *Id. Merc.* 5. 2. 21. Neque quiescam usquam noctu, neque interdius.

INTERDO, das, dătum, dăre, a. 1. *V.* INTERDATUS et INTERDUO.

INTERDŬĀTIM, et interatim dicebant antiqui, quod nunc interdum et interim. *Paul. Diac. p.* 111. 1. *Müll.* Hinc *Plaut. Truc.* 4. 4. 29. Id quoque interduatim nomen commemorabitur. *Alii leg.* interim futatim. *V.* FUTATIM.

INTERDŪCA. *V.* DOMIDUCUS.

INTERDUCTUS, us, m. 4. (inter et ductus) interpunctio et distinctio, quæ inter sententias a librariis duci solet, διαστολή. *Cic. Orat.* 68. 228. Ne infinite feratur, ut flumen, oratio, quæ non aut spiritu pronunciantis, aut interductu librarii, sed numero coacta debet insistere.

INTERDŬIM. *V.* INTERDUO.

INTERDUM, adverb. (inter et dum). ¶ 1. Apud classicos optimæ notæ est aliquando, nonnunquam, ἐνίοτε, ὅτε (*It. talora, alle volte, qualche volta; Fr. quelquefois, parfois;* Hisp. *alguna vez, algunas veces;* Germ. *zuweilen, bisweilen;* Angl. *sometimes, now and then, occasionally*). *Ter. Eun.* 2. 3. 76. Cibum nonnunquam capiat cum ea: interdum propter dormiet. *Cic. Brut.* 67. 236. Sæpe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum. *Id. Orat.* 59. 201. Interdum cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio. *Id.* 3. *Orat.* 51. 206. Habet interdum vim, leporem alias. *Sueton. Cal.* 43. Confecitque (*iter*) modo tam festinanter et rapide, ut etc. —; interdum adeo segniter et delicate, ut etc. *Id. Ner.* 49. Ac modo Sporum hortabatur, ut *etc.* —; modo orabat, ut etc. —; interdum segnitiem suam his verbis increpabat etc. *Cato* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 14. Præterea cantat, ubi collibuit; interdum Græcos versus agit, jocos dicit etc. *Cels.* 1. 1. Interdum quiescere, sed frequentius se exercere debet. *Virg.* 2. *G.* 257. piceæ tantum taxique nocentes interdum, aut hederæ pandunt vestigia nigræ. Adde *Horat.* 1. *Sat.* 9. 9.; et *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 18. ¶ 2. Apud sequioris ævi scriptores significat etiam interea, interim, *tra tanto;* quasi *interea dum. Sil. It.* 4. 491. Dumque vada et molles aditus per devia flexo Cirrhæus petit et stagni languentis quærit, Interdum rapta etc. Adde *eumd.* 6. 30. *Apul.* 3. *Met. sub init.* Hæc identidem mecum replicans, fortunas meas ejulabam. Quasi fores interdum etc. *Id.* 9. *ibid.* Ille nocturnas tenebras causabatur sibi obsistere. Interdum Philesitærus, cognito strepitu etc. *Modestin. Dig.* 40. 5. 15. Ideoque nec vendere eum interdum alii potest, ut ab eo, cui traditus est, manumittatur. — Huc alii trahunt et illud *Justini* 11. 9. 2. Movebat hæc multitudo hostium, respectu paucitatis suæ, Alexandrum; sed interdum reputabat etc. et *Velleji* 2. 74. L. Antonius vitiorum fratris sui consors, sed virtutum, quæ interdum in illo erant, expers. et *Taciti* 1. *Ann.* 5. Acribus custodiis domum et vias sepserat Livia: lætique interdum nuncii vulgabantur, donec etc.

INTERDŬO, is, a. 3. *antique* pro interdo, as, (*V.* INTERDATUS) a. 1. (inter et do) idem fere ac do, æstimo, facio. *Plaut. Capt.* 3. 5. 36. Dum pereat, nihil interduo. *Id. Trin.* 4. 2. 152. Ciccum non interduim. Adde *eumd. Rud.* 2. 7. 22. Porro *interduim* simile est τοῖς *faxim, ausim.* Ceterum *interdit* et *interdidit* leguntur etiam in *Not. Tir. p.* 20.

INTĔRĔĀ, adverb. ex *inter* et *ea.* Habet ultimam longam, etsi Accusativus *ea* corripitur, quia adverbium est, ut *præterea, antea* et similia. Significat autem ¶ 1. Stricto sensu ac proprie idem atque interim, ἐν τούτῳ, ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ (*It. tra tanto, fra questo mezzo; Fr. pendant ce temps-là, dans cet intervalle;* Hisp. *en tanto, entre tanto, mientras, interin;* Germ. *unterdess;* Angl. *in the mean time, meanwhile, in the meanwhile, in the interim*). Occurrit — *a*) Absolute. *Ter. Hecyr.* 1. 2. 82. Quid interea? ibat ne ad Bacchidem? PA. Quotidie. *Cic. Quinct.* 6. 28. Hæc dum Romæ geruntur, Quinctius interea de agro detruditur. *Id.* 1. *Orat.* 42. 191. Atque interea tamen, dum hæc, quæ dispersa sunt, coguntur, licet etc. *Cæs.* 1. *B. C.* 10. Interea quoad fides esset data, non intermissuros consules delectus. *Virg.* 1. *Ecl.* 58. Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes etc. Adde *eumd.* 6. *Æn.* 212. et 10. *ibid.* 833. — *b*) Apud Comicos additur Genitivus *loci,* et significationem nihil mutat. *Plaut. Men.* 3. 1. 1. Plus annis triginta natus sum, quum interea loci nunquam quicquam feci pejus', quam hodie, quum etc. *Ter. Eun.* 2. 2. 24. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum etc. ¶ 2. Aliquando significat interdum, *alle volte. Sil. It.* 7. 395. Interea (crede experto: non fallimus) ægris, Nil movisse, salus rebus. *Interim* quoque nonnunquam hanc vim habet. *V.* hanc vocem ipsam sub 2.

INTĔREMPTĬBĬLIS vel interemtibilis, e, adject. (interimo) qui interimi potest. *Tertull.* 3. *advers. Marcion.* 6. Non eas scripturas evolvam, quæ interemptibilem Christum edicentes utique et ignorabilem affirmant.

INTĔREMPTĬO vel interemtio, ōnis, f. 3. (interimo) actus interimendi, actus e medio tollendi, occisio, καθαίρεσις. *Cic. pro leg. Manil.* 11. 30. Iter Gallorum interemptione patefactus est. Ita legit *Gruter.* Alii *interitione,* vel *internecione. Porcius Latro declam. in Catil.* 10. Hastam contorquere in omnium nostrum ruinam atque interemptionem. *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Mil.* 5. (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. *p.* 101.). Biduo post interemptionem P. Clodii. *Gloss. Philox.* Interemptio, κατασφαγή. — Generatim. *Boeth. Aristot. Elench. soph.* 2. 7. *p.* 755. Non tamen est explorata per cujus interrogationum interemptionem vel divisionem solvenda sit. *Ibid.* præcedunt verba: Quæ interrogationum interimenda est.

INTĔREMPTOR vel interemtor, ōris, m. 3. (interimo) qui interimit, *uccisore. Seneca Ep.* 70. *ante med.* Interemptorem sui heri. *Val. Max.* 6. 1. n. 2. Virginius filiæ pudicæ interemptor. Adde *Vellej.* 2. 129. 1.

INTĔREMPTŌRĬUS, a, um, adject. (interimo) qui e medio tollit, atque adeo letalis. *Isid.* 17. *Orig.* 10. Alii dicunt fungos vocatos, quod sint ex eorum genere quidam interemptorii: unde et defuncti.

INTĔREMPTRIX vel interemtrix, īcis, f. 3. (interimo) quæ interimit, *ucciditrice.*

I.) Proprie. *Lactant.* 1. 10. Fratris interemptrix.

II.) Translate. *Tertull. Spectac.* 17. Ipsæ illæ (*feminæ*) pudoris sui interemptrices.

INTĔREMPTUS vel interemtus, a, um. *V.* INTERIMO.

INTĔREMTĬBILIS, INTĔREMTĬO et similia *V.* INTEREMPTIBILIS, INTEREMPTIO etc.

INTĔRĔO, is, ii, itum, ire, n. 4. (inter et eo, is). Part. *Interitus* et *Interiturus* II. — Interire proprie est ire, vel positum esse inter aliqua, ita tamen ut se aliis immiscendo evanescat, pereat.

I.) Proprie. *Sever. Ætn.* 450. disjectaque saxa Intereunt venis. *h. e.* sunt inter venas, seu venis immiscentur. Hinc *Gloss. Philox.* Intereo, ὑπεισέρχομαι. Huc pertinet et illud *Cic.* 3. *Fin.* 14. 45. Ut interit magnitudine maris Ægæi stilla muriæ. *si perde.*

II.) Translate est intercidere, perire, mori, occidere, διαφθείρομαι (*It. perire, perdersi, andare a male, morire; Fr. se perdre, être perdu, périr, mourir;* Hisp. *perderse, ser perdido, arruinarse, perecer, morir;* Germ. *zu Grunde gehen, umkommen, untergehen, vergehen, sterben;* Angl. *to perish, go to ruin or decay, cease to exist, be destroyed, be slain, die*). Occurrit — *a*) De rebus physicis. *Cic.* 3. *Nat. D.* 14. 35. Non intelligo, quomodo calore exstincto corpora intereant, non intereant humore aut spiritu amisso; præsertim quum intereant etiam nimio calore. *Id. ibid.* Ignem interiturum esse, nisi alatur. *Id. Arch.* 4. 8. Tabulas publicas, incenso tabulario, interisse, scimus omnes. *Id.* 1. *Att.* 13. Litteræ aut interire, aut aperiri, aut intercipi possunt. *Varro* 2. *R. R.* 11. 8. Tegeticulis subjectis oves tondere solent, ne qui flocci intereant. *Virg.* 1. *G.* 152. intereunt segetes: subit aspera silva Lappæque tribulique. *Cæs.* 3. *B. C.* 27. Naves naufragio intereunt. *Ovid.* 2. *Met.* 305. omnia fato interitura gravi. *Cic.* 1. *Acad.* (post.). 7. 27. Omnes res intereunt, non in nihilum, sed in suas partes. *finiscono. Horat.* 2. *Od.* 18. 15. Truditur dies die, Novæque pergunt interire lunæ. *h. e.* condi et confici, *finire.* Sic *Id.* 4. *ibid.* 7. 9. ver proteret æstas interitura, simul Pomifer auctumnus fruges

effuderit. — *b*) De abstractis. *Cic. Dom.* 13. 31. Sacra gentis Clodiæ cur intereunt, quod in te est? *Id.* 5. *Verr.* 55. 127. Vectigalia sunt deminuta: res frumentaria, commeatus, copiæ, salus urbis atque exercituum nostrorum istius avaritiâ interiit. *Sall. fragm.* apud *Non. p.* 449. 29. *Merc.* Multi commeatus interierant insidiis latronum. *Nepos Themist.* 2. Quum pecunia publica largitione magistratuum quotannis interiret. *si consumava, si perdeva. Cæs.* 2. *B. C.* 16. Tormentorum usum spatio propinquitatis interire. *rendersi inutile, perdersi. Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 7. 29. Nihil esse valentius, a quo ratio perfecta intereat. *per cui opera o mezzo perisca. Ovid.* 1. *Art. am.* 374. Interit ira morâ. *h. e.* desinit, sedatur. *Paul. Dig.* 27. 3. 10. Actiones morte tutoris intereunt. *h. e.* extinguuntur, finiuntur. *Papinian. ibid.* 41. 2. 44. Interit possessio. *h. e.* amittitur. — *c*) De hominibus. *Plaut. Amph.* 2. 2. 64. Vivus et sanus intereo. *Auct. B. G.* 8. 21. Multa millia interiisse. *Ovid.* 11. *Met.* 686. Naufragus intereat. *Cæs.* 5. *B. G.* 30. Interire ferro, aut fame. *Nepos Miltiad.* 3. ferro. *Ovid. Ib.* 299. morte. *Aurel. Vict. Cæsar.* 10. veneno. *Id. Vir. ill.* 75. morbo. *Id. Cæsar.* 14. tabe. *Id. Epit.* 10. febri. *Nepos Pausan.* 5. sub divo. *Id. Cim.* 1. in vinculis. *Ammian.* 16. 8. pœnaliter. — *d*) Hoc sensu occurrit etiam Part. *Interitus*, h. e. exstinctus. *Claud. Quadrigarius* apud *Priscian.* 9. *p.* 869. *Putsch.* Pugna acriter commissa, et multis utrimque interitis. Cl. *Sidon.* 2. *Ep.* 10. Eam brevi abolitam defleamus interitamque. — *e*) *Interii* (ut *perii*) familiaris et frequens exclamatio est, apud Comicos, ejus, qui de se actum putat, *son morto, son perduto, sono spedito. Plaut. Most.* 4. 3. 36. Hei mihi disperii! vocis non habeo satis: vicini, interii, perii. *Id. Bacch.* 5. 1. 7. Omnibus exitiis interii. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 42. Interii! cur mihi id non dixisti? — Similiter *Horat.* 1. *Sat.* 9. 38. Si me amas, inquit, paullum hic ades. Inteream, si Aut valeo stare, aut novi civilia jura.

Homonym. Differt a *pereo* magno discrimine. Nam *perire* levius est, et habet inventionis spem, et non omnium rerum finem. Ita *Non. p.* 422. 5. *Merc.* Hinc *Plaut. Capt.* 3. 5. 32. Qui per virtutem peritat, non interit. Hæc *Forcellinus.*

INTERĔQUĬTO, as, are, n. 1. (inter et equito) per medios equitare, *cavalcare per mezzo.* Occurrit tantum Part. *Interequitans*; et quidem — *a*) Absolute. *Liv.* 35. 5. *a med.* Obstabant duces, cædentes terga trepidantium et redire in ordines cogentes: sed interequitantes alarii non patiebantur. *Id.* 34. 15. Ipse interequitans sparo percutit. — *b*) Cum Accusativo, qui a præpositione ipsi verbo præfixa regitur. *Liv.* 6. 7. Ordines interequitans. *Curt.* 4. 13. 1. Sollicitudo prætorum agmina sue interequitantium.

INTĔRERRO, as, are, n. 1. (inter et erro) inter aliquid errare. *Minuc. Fel. Octav.* 10. Deus locis omnibus intererrat. *Prudent.* 6. *Cathemer.* 43. Nunc splendor intererrat, Qui dat futura nosse. — Cum Accusativo. *Avien. Or. marit.* 219. Dumosa semper intererrant cæspitum. — Huc nonnulli trahunt et illud *Horat.* 3. *Od.* 27. 51. utinam intererrem Nuda leones. *At ibi rectius divisim legitur.*

INTEREST, impers. anom. *V.* INTERSUM.

INTERFĂCĬO, facis, facere, a. 3. (inter et facio) interim, vel per intervalla facere. Occurrit tantum Part. *Interfaciendus* apud *Liv.* 25. 11. Reliquit tamen modicum præsidium, ut simul interfaciendo muro adjuvaret. *h. e.* dum murus fieret. Plerique tamen rectius leg. *ut simul in faciendo muro.*

INTERFĀRIS, fātus sum, fāri, dep. 1. (inter et fari). Part. *Interfans* sub *a.*; *Interfatus* sub *b.* — Interfari est interpellare, loquentem interrumpere, *interrompere, intramettersi a parlare*, διακόπτω. — *a*) Absolute. *Liv.* 3. 47. Priusquam illa postulatum perageret, interfatur Appius. *Id.* 7. 36. Interfante Decio, distulit concionem. *Virg.* 1. *Æn.* 390. medio interfata dolore est. — *b*) Cum Accusativo personæ. *Liv.* 32. 34. Orsum eum dicere Phæneas interfatus etc. *Plin.* 1. *Ep.* 23. Quem (*tribunum plebis*) interfari nefas esset, hunc etiam convicia audire. Adde *Val. Max.* 9. 5. n. 2.; et *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 33.

INTERFĀTĬO, ōnis, f. 3. (interfari) actus interfandi, brevis sermo interpositus, interlocutio, *interrompimento*, μετάβασις. *Cic. Sext.* 37. 79. Itaque fretus sanctitate tribunatus quum se non modo contra vim et ferrum, sed etiam contra verba et interfationem legibus sacratis esse armatum putaret. *Alii perperam leg.* intercessionem; *alii* interjectionem. *Quintil.* 4. 2. 50. Interim expediet expositionem brevi interfatione distinguere; *audistis, quæ ante acta sunt; accipite nunc, quæ insequantur.* Sunt qui legunt *intersectione.*

INTERFECTĬBĬLIS, e, adject. (interficio) qui interfectionem procurat. *Apul. Herb.* 89. Ruta interfectibilis viperarum. *V.* VIPERALIS.

INTERFECTĬO, ōnis, f. 3. (interficio) cædes, *uccisione*, φόνος. *Brutus* apud *Cic.* 2. *ad Brut.* 3. Interfectio Trebonii. *Ascon.* in *argum. Milon. p.* 34. *Bait.* Interfectio Clodii. *Lamprid. Commod.* 4. Compulit ad ejus interfectionem consilia inire.

INTERFECTĪVUS, a, um, adject. (interficio) letalis, *mortale*, ut Interfectivus morbus, apud *Cæl. Aurel. præf.* et 5. *Tard.* 10.

INTERFECTOR, ōris, m. 3. (interficio) qui interfecit, *uccisore*, φονεύς.

I.) Proprie. *Cic. Mil.* 27. 72. Quorum interfectores impleruot orbem terrarum nominis sui gloria. *Seneca Ep.* 7. *ante med.* Interferiores interfecturis jubentur objici. *Justin.* 9. 8. Philippum sæpe vulneratum prælia remisere, Alexander amicorum interfector convivio frequenter excessit. Adde *Nepot. Att.* 8.; *Curt.* 8. 7. 36.; *Sueton. Vitell.* 2.; *Tac.* 1. *Ann.* 9. et 4. *Hist.* 42.; et *Val. Max.* 3. 2. *n.* 11.

II.) Translate. *Tertull. Carn. Christ.* 5. Interfector veritatis. *h. e.* destructor.

INTERFECTŌRĬUS, a, um, adject. (interficio) qui interficit, letalis. *Augustin. de liber. Arbitr.* 3. 25. Unde factum est, ut pœna hominem susciperet emendatoria, potius quam interfectoria. *Isid.* 17. *Orig.* 6. Hæc in Perside fructum generat interfectorium.

INTERFECTRIX, īcis, f. 3. (interficio) quæ interfecit, *ucciditrice.*

I.) Proprie. *Tac.* 3. *Ann.* 17. Interfectricem nepotis aspicere. Adde *Hygin. fab.* 122.; et *Vulgat. interpr. Tob.* 3. 9.

II.) Translate. *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 8. Immodica atque interfectrix tanta abstinentia judicatur.

INTERFECTUS, a, um. *V.* INTERFICIO.

INTERFĒMĬNĬUM, ii, n. 2. (inter et femen) pudendum muliebre, ita appellatum, quia inter femina jacet. *Gloss. Philox.* Interfeminium, τὸ γυναικεῖον. *Apul. de Mag. de Venere.* Interfeminium tegat et femoris objectu et palmæ velamento. *V.* SEMIREDUCTUS. Fortasse hæc vox legenda est etiam in illo *Novii* apud *Non. p.* 505. 31. *Merc.* Quum natus arrivit matri interfeminia fortiter. *Mercerus* divisim leg.

INTERFĔMUS, ŏris, n. 3. (inter et femur) spatium medium inter femora, idem ac περίνεον. *Gloss. Philox.* Interfemus, μεσομήριον. Adde *Gloss. Cyrill.*

INTERFĬCĬO, ficis, fēci, fectum, ficere, a. 3. (inter et facio). Part. *Interficiens* 2.; *Interfectus* 4. et 5.; *Interfecturus* et *Interficiendus* 5. — Interficere plura significat, quæ tamen inter se conjunguntur: scilicet ¶ 1. Est inficere, imbuere, apud *Plin.* 2. *Hist. nat.* 100. 104. (223). Terræ natura medicatas aquas interficit. Ita *Forcellinus*: at *Sillig.* legit *inficit*, et, quod miror, nullam prorsus affert variantem lectionem. ¶ 2. Est interrumpere apud *Apul.* 11. *Met.* Singultu crebro sermonem interficiens. ¶ 3. Item consumere, finire. *Lucilius* apud *Non. p.* 330. 31. *Merc.* Piscium magnam atque altilium vim interfecisti. Ita *Nonius ibid.* interpretatur. Rursus *Lucilius* apud *eumd. p.* 419. 26. Durum, molle voras, fragmenta interfici' panis. *Accius* apud *eumd. p.* 15. 31. Fati internecionem fore Meleagro, ubi torris esset interfectus flammeus. ¶ 4. Hinc universim est delere, ad oblivium redigere. — *a*) Absolute. *Virg.* 4. *G.* 330. Fer stabulis inimicum ignem atque interfice messes. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 450. 2. *Merc.* Herbas arescere et interfici. Comice *Plaut. Merc.* 5. 1. 4. Usus, fructus, victus, cultus jam mihi harunc ædium interemptus est, interfectus est, alienatus. Huc pertinet et illud *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 4. 22. 2. Ut neuter reparationem interfecti hoc pacto negotii audeat postulare. *h. e.* extincti, finiti. et *Apul.* 5. *Met.* Novem nuptiam interfectæ virginitatis curent. *Nepos Arist.* 2. In prælio, quo Mardonius fusus barbarorumque exercitus est interfectus. *distrutto. V.* INTERFIO. — *b*) *Interficere aliquem vita* est vita privare, *privar di vita. Plaut. Truc.* 2. 6. 37. Qui me interfecisti pæne et vita et lumine. *Gell.* 12. 7. Mulier virum et filium, venenis clam datis, vita interfecerat. ¶ 5. Hinc sæpissime et apud optimos quosque scriptores est occidere, interimere, *ammazzare, uccidere*, ἀναιρέω, κτείνω. *Cato* apud *Gell.* 13. 25. Decem funera facis, decem capita libera interficis, decem hominibus vitam eripis. *Plaut. Most.* 1. 3. 35. Dii deæque omnes me pessumis exemplis interficiant, nisi ego illam anum interfecero siti fameque atque algu. *Cic. pro leg. Manil.* 5. 11. Vos legatum populi Romani omni supplicio interfectum inultum relinquetis? *Id. Dom.* 23. 59. Eum toties per insidias interficere voluistis. *Nepos Datam.* 9. Eum insidiis interficere studuit. *Id. Regg.* 3. Neque ita multo post Seleucus a Ptolemæo Cerauno dolo interfectus est. *Id. Hann.* 8. Alii naufragio, alii e servis ipsius interfectum eum, scriptum reliquerunt. *Lucret.* 5. 1248. feras interficere, et ditescere præda. *Cæs.* 3. *B. G.* 6. Undique circumventos interficiunt. *Liv.* 40. 14. Capta domo dominum interfecturus erem. *Val. Max.* 9. 2. *n.* 1. Quinque millia Prænestinorum interficienda curavit. — Etiam *interficere se* occurrit apud *Curt.* 6. 11. 20. Alii se interficiunt; alii in devios montes vastasque solitudines fugiunt.

INTERFĪNES, ium, m. plur. 3. spatium, in quo fines duorum vel plurium locorum junguntur. *Gloss. Cyrill.* Μεθόρια, interfines.

INTERFĪNĬUM, ii, n. 2. intervallum. *Isid.* 11. *Orig.* 1. Medium autem (*narium*) interfinium (*vocatur*).

INTERFĬO, fis, fieri, *n.* pass. anom. (interficio) est plane tolli, consumi, interire: *V.* INTERFICIO 4., *consumarsi, morire*, ἀναιρέομαι. *Plaut. Trin.* 2. 4. 131. Istic oportet obseri mores malos, si in obserendo possint interfieri. *Lucret.* 3. 866. Post mortem fore, ut aut putrescat corpore posto, Aut flammis interfiat malisve ferarum.

INTERFLŬO, fluis, fluxi, fluere, n. 3. (inter et fluo). Tmesis est in illo *Lucret.* 4. 228. Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi. — Part. *Interfluens* I. — Interfluere est per medium fluere, *scorrere per mezzo*, διαρρέω.

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 5. 11. (76). Angusto freto interfluente. — *b*) Cum Accusativo. *Liv.* 27. 29. *ad fin.* Per fretum, quod Naupactum et Patras interfluit. *Curt.* 3. 1. 12. Quam (*urbem*) Sangarius amnis interfluit. — *c*) Hinc passive. *Apul. de Mundo.* Insulæ interfluuntur. *scil.* mari.

II.) Translate de tempore. *Cic. Senect.* 6. 16. Quum inter duos consulatus anni decem interfluxissent. *Al., inter quos et Orellius, leg.* interfuissent.

INTERFLŬUS, a, um, adject. (interfluo) qui interfluit, *che scorre di mezzo*, μεσόρρους. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 26. 30. (121). Interfluo Euphrate. *Solin.* 66. Interfluus amnis. *Pallad.* 10. *R. R.* 10. *extr.* humor. — Hinc

Interfluum, ui, n. 2. absolute, substantivorum more, idem est ac fretum apud *Avien. Or. marit.* 312. et *Descript. Orb.* 404.

INTERFŎDĬO, fŏdis, fōdi, fossum, fŏdere, a. 3. (inter et fodio). Part. *Interfossus.* — Interfodere est idem ac fodere, vel in media parte fodere, pungere. *Lucret.* 4. 720. Pupillas interfodiunt. *Pallad.* 11. *R. R.* 12. Cuneum salicis interfossis radicibus premi.

INTERFOR. *V.* INTERFARIS.

INTERFRĪGESCO, is, ere, n. 3. (inter et frigesco) interea frigescere. Translate tantum occurrit, et est interea elanguescere, cessare. *Fragm. jur. civ. antejustin.* (edente *A. Maio*) p. 45. Nec in infinitum captiosi silentii tempus, per quod res interfrigescat, concessum sibi credat.

INTERFRINGO, fringis, frēgi, fractum, fringere, a. 3. (inter et frango) idem quod infringere. *Cato R. R.* 44. Et si quid ventus interfregerit, ea omnia eximito. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 18. 30. (127).

INTERFŪGĬO, is, ere, n. 3. (inter et fugio) inter aliquæ fugio. Per tmesin dividit *Lucret.* 6. 331. Inter enim fugit ac penetrat per rara viarum.

INTERFULGENS, entis, particip. ab inusit. in-

terfulgeo, inter aliqua fulgens. *Liv.* 28. 23. Aurum argentumque cumulo aliarum rerum interfulgens.

INTERFUNDO, fundis, fūdi, fūsum, fundere, a. 3. (inter et fundo). Part. *Interfusus* in fin. — Interfundere est per medium fundere, *spargere di mezzo*, διαχέω. *Avien. Perieg.* 255. Sic vasti moles pelagi interfunditur oras. *Id. ibid.* 1110. et tenuis procul interfunditur undis. *Id. Or. marit.* 37. Sed ad columnas quidquid interfunditur Undæ æstuantis etc. — Hinc Part. præter. pass.

Interfusus, a, um, usitatius est et est inter aliqua fusus, *sparso di mezzo*.

I.) Proprie. *Virg.* 4. *G.* 480. quos novies Styx interfusa coercet. *Horat.* 1. *Od.* 14. 19. interfusa nitentes Vites æquora Cycladas. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 8. 14. (86). Sicilia Bruttio quondam agro cohærens, mox interfuso mari avulsa. *Salvian.* 7. *Gubern. D.* 2. Illic omnis regio aut irrigua fontibus, aut interfusa fluminibus. — Similiter *Virg.* 4. *Æn.* 643. maculisque trementes Interfusa genas. et *Ammian.* 30. 6. Liventibus maculis interfusus.

II.) Translate. *Stat.* 3. *Theb.* 677. Hæc alterna deorum nox interfusa diremit.

INTERFŪRO, is, ere, n. 3. (inter et furo) in medio duorum insanire, *infuriarsi di mezzo*. *Stat.* 1. *Achill.* 395. et alternum Mavors interfurit orbem.

INTERFŪSĬO, ōnis, f. 3. (interfundo) actus interfundendi. *Lactant.* 7. 3. *sub fin.* Maris opulenta et copiosa interfusio.

INTERFŪSUS, a, um. *V.* INTERFUNDO.

INTERFŪTŪRUS. *V.* INTERSUM.

INTERGANNĪTUS. *V.* voc. seq.

INTERGARRĪTUS, a, um, particip. ab inusit. *intergarrio*, inter aliqua garritus, garriendo interpositus, effutitus. *Apul. de Mag.* Dein pauculis verbis intergarritis etc. *Al. leg.* intergannitis, *simili sane sententia, sed prius præstat*.

INTERGĔRĪES, ēi, f. 5. (inter et gero). *Gloss. Philox.* Intergeries, paries, τοῖχος ὁ δύο κτήσεις διορίζων. h. e. murus duas possessiones separans. *V.* INTERGERIVUS.

INTERGĔRĪNUS. *V.* INTERGERIVUS in fin.

INTERGĔRĬUM, ii, n. 2. (inter et gero) quidquid alicui rei interjicitur, seu intergeritur. Itaque *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 26. (82). intergerium vocat glutinamentum quoddam, quod inter duas chartas inseritur in earum confectione: ducta metaphora ab intergerivo pariete.

INTERGĔRĪVUS, a, um, adject. (intergero) interjectus. *Paul. Diac.* p. 110. 21. *Müll.* Intergerivi parietes dicuntur, qui inter confines struuntur et quasi intergeruntur. *muraglie che tramezzano*. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. 49. (173). Sesquipedalis parics non plus quam unam contignationem tolerat: cautumque est, ne communis crassior fiat, nec intergerivorum ratio patitur. *Inscript.* edita a *N. Desvergers.* in *Revue de Philologie T.* 1. p. 527. HIC PARIES COMMVNIS EST INTERGERIVOS CVM ILLISO CAESARIS AVG. DIOGENIA. — Absolute transfertur ad alia. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 10. 10. (23). *de apibus.* Ruentes ceras fulciunt, pilarum intergerivis sic a solo fornicatis, ne desit aditus ad sarciendum. h. e. interstruendo quasi pilas, quæ favos per intervalla sustineant. — Tribuunt quidam etiam *Vitruv.* 5. 12., sed dubia est lectio. — Sunt, quibus placet *intergerinus* ubique legi. *Scaliger* mallet etiam *intergerrivus*, a gerris, h. e. cratibus.

INTERGĔRO, is, ere, a. 3. (inter et gero) interponere, interserere, *portare, o gettare tra mezzo*. Exemplum *Paul. Diac. V.* in voc. præced.

INTERGRESSUS, us, m. 4. (inter et gradior) interventus. In sexto casu sing. *Minuc. Fel. Octav.* 15. Vires actionis meæ intergressu gravissimæ disputationis infringere.

INTĔRHĬO, as, are, n. 1. (inter et hio) in medio hiare. *Tertull. Apolog.* 48. *ad fin.* Finis et limes medius, qui interhiat.

INTĔRĬBI, adverb. (inter et ibi) interea, interim, *fra tanto*. *Plaut. Pers.* 1. 3. 85. Abi, et istuc cura: interibi ego puerum volo mittere etc. Adde *eumd. Capt.* 5. 1. 31., *Pæn.* 3. 3. 3. et *Rud.* 4. 6. 20.; *Afranium* apud *Non.* p. 535. 31. *Merc.*; et *Apul. de Mag.* Sic *Gell.* 3. 7. Interibi, dum ea pugna fit.

INTĔRĬBĬLIS, e, adject. (intereo) qui interire potest, mortalis, *mortale*. *Tertull. advers. Hermog.* 34. *ad fin.* Nihil Deus interibile fecisset. Adde *eumd. Resurr. carn.* 34. Sic *Arnob.* 2. 31. Animæ passivæ atque interibiles.

INTĔRĬM, adverb. (inter et im pro eum, *V.* IM). ¶ 1. Sæpissime et apud optimos quosque scriptores est interea, μεταξύ (It. *tra questo mezzo, intanto, fra tanto*; Fr. *pendant ce temps-là, cependant*; Hisp. *en tanto, entre tanto, mientras, interin*; Germ. *unterdess*; Angl. *in the mean time, meanwhile, in the interim*). *Ter. Andr.* 1. 1. 100. Funus interim procedit. *Id. Eun.* 5. 2. 3. Interim, dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam venit. *Cic.* 10. *Fam.* 12. Interim ad me venit Munatius noster. *Id.* 2. *Orat.* 86. 353. Hoc interim spatio conclave illud concidisse. *Id. Rosc. Am.* 29. 80. Interim mihi videris, Eruci, una mercede duas res assequi velle. h. e. dum ista dicis. Adde *Cæs.* 5. *B. G.* 37.; *Liv.* 28. 44. et alios fere omnes. Sic *Fronto* 2. *ad amic.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 6. *a med.* Lenissimum, dulcissimum, piissimum, tanto nato senem prohibuisse curia interim? et *mox*. Hoc quod vocas interim, quantisper abit? ¶ 2. Apud sequioris ævi scriptores significat etiam interdum, modo, *alle volte*: quemadmodum etiam *interdum* aliquando pro *interim* ponitur. *Seneca* 1. *Ira* 16. Interim optimum misericordiæ genus est, occidere. *Seneca alter Herc. Œt.* 481. Interim scelus est fides. *Quintil.* 9. 3. 27. Ut in cibis interim acor ipse jucundus est. *Id.* 5. 10. 70. Hæc interim necessario fiunt, interim plerumque, sed non necessario. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 27. Prudenter constituis interim navibus, interim vehiculis uti. Scripserat *Plin. ep. præced.* destinasse se partim navibus, partim vehiculis provinciam petere. Adde *Melam* 3. 6. *Inscript.* Tergestina apud *Gruter.* 408. 1. PATRIAM SVAM TVM ORNATAM, TVM AB OMNIBVS INIVRIIS TVTAM DEFENSAMQVE SERVARET INTERIM APVD IVDICES A CAESARE DATOS, INTERIM APVD IPSVM IMPERATOREM CAVSIS PVBLICIS PATROCINANDO.

INTĔRĬMO, imis, ēmi, emptum vel emtum, imere, a. 3. Part. *Interemptus, Interempturus* et *Interimendus* I. — Interimere est a medio tollere, adimere, intercipere: ab *inter* et *emo*, quod samere, tollere significat, ut in *abemere, adimere, eximere* etc. ἀφαιρέω (It. *toglier via*; Fr. *ôter ou enlever du milieu*; Hisp. *quitar, sacar una cosa de*; Germ. *weg –, fortnehmen*; Angl. *to take away*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Generatim pro e medio tollere, adimere, intercipere. *Plaut. Epid.* 4. 2. 24. et *Cas.* 3. 5. 29. Interimere ait velle vitam. *Lucret.* 3. 288. Interimere sensum. *Cic. Mur.* 12. 27. Senes ad coemptiones faciendas, interimendorum sacrorum causa, reperti sunt. *Ulp. Dig.* 40. 7. 3. *ad fin.* Quatenus dilatione interempta, illico accipiat, quod post tempus consequi poterat. h. e. adempta, sublata, *tolta, levata*. *V.* INTERFICIO 3. — *b*) Item exstinguere, destruere, delere. *Lucret.* 1. 215. uti quæque in sua corpora rursum Dissolvat natura, neque ad nihilum interimat res. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 7. Hunc veprem manifestum est interimi non posse, nisi radicitus effodere velis. *Fronto* 3. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 13. *a med.* Ne luna occidat, ne ventus lucernam interimat. — *c*) Speciatim ac sæpe est e vivis tollere, interficere, occidere, *toglier di vita, uccidere*, διαφθείρειν. *Plaut. Cist. a.* 3. v. 13. Accurrite amabo, ne se interimat. *Cic.* 1. *Nat. D.* 19. 50. Si quæ interimant, innumerabilia sunt, etiam ea quæ conservent, infinita esse debere. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 131. Quum laqueo uxorem interimis matremque veneno. *Id.* 4. *Od.* 4. 72. Hasdrubale interempto. *Liv.* 1. 3. *sub fin.* Addit sceleri scelus: stirpem fratris virilem interimit. *Justin.* 14. 4. 5. Ipsum Alexandrum interemptori. *Id.* 26. 2. 7. Obversantibus ante oculos Manibus interemptorum. Adde *Nepot. Alcib.* 10.; *Sueton. Cæs.* 89. et alios passim. — *d*) Hinc *interemptus* est etiam simpliciter mortuus. *Paul. Sentent. recept.* 3. 6. 9. Servo fataliter interempto, legatarii damnum est. h. e. si servus legatus fato intereat.

II.) Translate. *Plaut. Merc.* 3. 4. 22. Disperii! illæc interemit me modo hic oratio. *Cic. Mil.* 34. 93. Me quidem, judices, exanimant et interimunt hæ voces Milonis.

INTĔRĬOR, ius, ōris, adject. (intus) qui est magis intus, ἐνδότερος (It. *interiore, che è più addentro*; Fr. *intérieur*; Hisp. *interior*; Germ. *der, die, das innere*; Angl. *more within, more inward, inner, interiour*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Generatim. *Cic. Sext.* 10. 24. Quibuscum hominibus in interiore ædium parte vivebat. Adde *Nepot. præfat. in fin.* Sic *Ter. Eun.* 3. 5. 51. In interiore parte ut maneam solus cum sola. et *Liv.* 40. 8. Secessit in partem interiorem cum amicis. *Virg.* 4. *Æn.* 494. Tu secreta pyram tecto interiore sub auras Erige. *Ovid.* 7. *Met.* 670. Phocas in interius spatium pulcrosque recessus Cecropidas ducit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 11. 23. Nihil est interius mente. *Id. pro leg. Manil.* 22. 64. Regna interiorum nationum. *più dentro terra*; a mari remotiorum. V. *Interiora* in fin. — *b*) Speciatim *interior homo* apud *Plaut. Asin.* 3. 3. 66. est ipsa anima et vita. ¶ 2. Latiori sensu. — *a*) In cursu circensi *interior* est sinister: ite enim metam adibant quadrigis, ut a dextra ad lævam partem flecterent, eam circumituri. Hinc *interior rota* est sinistra: *interior equus* sinister. (Confer *Varron.* 5. *L. L.* 143. *Müll.* Oppida condebant in Latio, Etrusco ritu, ut multa, id est junctis bobus, tauro et vacca interiore, aratro circumagebant sulcum). Ex quo etiam fit, ut *interior* sit propinquior, quia sinistra pars ad metam accedit, et minorem gyrum, circa eam flectendo, facit. Contrarium *dexter* et *exterior* significant. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. 12. Nunc stringam metas interiore rota. *Id.* 2. *Art. am.* 426. Interior curru meta terenda meo est. *Virg.* 5. *Æn.* 170. Radit iter lævum interior. et 202. dum proram ad saxa suburget interior. *più vicino alla meta*. et 11. *ibid.* 694. *de Camilla.* magnumque agitata per orbem Eludit gyro interior sequiturque sequentem. *incalzata con largo giro, lo delude con giro più stretto, più breve, e serrandosegli addosso*. Sic *Horat.* 2. *Sat.* 6. 26. bruma nivalem Interiore diem gyro trahit. *con più breve e ristretto corso*. — *b*) Hinc sæpe idem est, quod propinquior, vicinior. — Cum Dativo. *Liv.* 7. 10. *a med.* Quum scuto scutum imum perculisset, totoque corpore interior periculo vulneris factus, insinuasset se inter corpus armaque. *fattosi sotto, venuto a mezza spada*. et 21. 34. *a med.* Propius quædam subibant naves: quo interiore ictibus tormentorum essent. — Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 51. 209. Timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus: interior ille est proprius, sed hic quoque communis etc. *che più tocca*. et 3. *Off.* 17. 69. Societas latissime patet hominum inter homines: interior eorum, qui ejusdem gentis sunt; propior eorum, qui ejusdem civitatis. — *c*) In ambulando *interior* est, qui a media via est remotior et parieti propior (sive dexter sit, sive sinister), et honoratiorem locum tenet: contra *exterior*, qui minus honorato loco ambulat, scilicet mediam viam versus et a pariete longius. Hic dicitur latus tegere, aut claudere. *Ovid.* 5. *Fast.* 67. Et medius juvenum (*senior*), non indignantibus ipsis, Ibat; et interior, si comes unus erat. Cf. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 16. ne tamen illi Tu comes exterior, si postulet, ire recuses. — *d*) *Lectus interior* est ejus pars ab janua remotior et parieti cubiculi propior: in ea cubabant pueri et mulieres. *Ovid.* 3. *Amor.* 14. 32. Cur pressus prior est interiorque torus? h. e. utraque lecti sponda. Sic *Sueton. Cæs.* 49. Interior sponda regiæ lecticæ. — *e*) *Interior epistola* apud *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 7. *a med.* est pars epistolæ remotior a principio, h. e. vel media, vel mediæ proxima. *Manutio* placet esse eam, quæ a fine propius absit, nimirum a consuetudine complicandi epistolas in volumen, ita ut quæ ultima scripta in pagina pars erat, involveretur prima; quæ prima, ultima. Sic enim volumine confecto, postrema pars interior remanebat.

II.) Translate. ¶ 1. Est occultus, reconditus, non vulgatus, *occulto, recondito*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 4. Nos autem illa externa cum multis, hæc interiora cum paucis ex ipso (*Lucullo*) sæpe cognovimus. *Id.* 2. *Divinat.* 60. 124. Sed hæc quoque in promptu fuerint: nunc interiora videamus. *Id.* 3. *Nat. D.* 16. 42. Qui interiores scrutantur et reconditas litteras. *Ovid.* 3. *Art. am.* 239. pars maxima rerum Offendat, si non interiora tegas. *Nepos Hann.* 2. Quum se ab interioribus consiliis segregari vidisset. *dai consigli secreti*. *Sueton. Tib.* 51.

Patefacta interiore animi sui nota. *l'interno dell' animo suo.* et *Aug.* 61. Referam nunc interiorem ac familiarem ejus vitam. *privata e domestica. Horat.* 2. *Od.* 3. 8. interiore nota Falerni. *h. e.* magis recondita ac diligentius asservata. ¶ 2. Item familiaris, intimus, *intrinseco. Liv.* 42. 17. Litteris spem amicitiæ interioris magnæque inde fortunæ facientibus. *Tac.* 1. *Hist.* 2. Alii sacerdotia et consulatus adepti, procurationes alii et interiorem potentiam. *h. e.* gratiam familiaritatis apud principem et ex ea potentiam. — Hinc

Interiōra, ōrum, n. plur. 3. absolute, substantivorum more, proprie sunt interna loca, aut internæ partes rerum. — *a*) Cum Genitivo. *Liv.* 42. 39. Ab Dio Perseus in interiora regni se recepit. Sic *Curt.* 4. 9. 1. Darius dubitaverat, utrumne circa Mesopotamiam subsisteret, an interiora regni sui peteret. Similiter *Scribon. Compos.* 184. Nucleorum interiora. *il midollo.* — *b*) Absolute. — In re medica pro intestinis usurpantur, *le interiora. Cels.* 1. 1. Facilius omnium interiorum morbi curationesque in notitiam venient, si prius eorum sedes breviter ostendero. *Veget.* 1. *Veterin.* 39. Torsiones vocant et interiorum incisiones. — Pro hominibus, qui intus habitant vel sunt. *Ammian.* 20. 11. Quum spes nostrorum interiora cuncta mœrore compleret. *h. e.* obsessos, *gli assediati.*

INTĔRĪTĬO, ōnis, f. 3. (intereo) interitus; et occurrit translate tantum. Sic — *a*) *Interitio rerum* est, quum penitus destructæ in nihilum redigantur. *Vitruv. præfat. l.* 8. Quæ de aere nascerentur, item in cœli regiones reverti, neque interitiones recipere, sed dissolutione mutata, in eamdem recidere, in qua ante fuerant, proprietatem. — *b*) Sæpius pro morte, internecione, *morte, ammazzamento. Cic.* 5. *Verr.* 51. 125. Tamen aratorum interitio facta nulla est. Ita leg. *Non.* p. 209. 12. *Merc.* et alii: alii *internecio. Auct. B. Hisp.* 21. *extr.* Ita pridie duorum centurionum interitio hac adversariorum pœna litata est. *Arnob.* 2. 63. Christus in hoc missus a Deo est, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret. Adde *Auson. perioch.* 24. *Odyss.*

INTĔRĪTUS, a, um. *V.* INTEREO.

INTĔRĬTUS, us, m. 4. (intereo) translate tantum occurrit, et est quasi discessus et secretio ac diremptio earum rerum, quæ junctione aliqua tenebantur, ut *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. definit, ἀναίρεσις, διάλυσις (It. *distruzione, scioglimento, rovina, morte*; Fr. *destruction, perte, ruine, mort*; Hisp. *destruccion, ruina, perdidad, muerte*; Germ. *Untergang, Vernichtung, Tod*; Angl. *destruction, ruin, utter decay, extinction, death*). *Cic.* 1. *Nat. D.* 25. 71. Individuorum corporum concretionem fugit, ne interitus et dissipatio consequatur. *Id.* 2. *Divinat.* 16. 37. Natura omnium rerum interitus atque obitus conficit. *Id.* 3. *Cat.* 8. 19. Cædes atque incendia, et legum interitum, atque imperii occasum appropinquare. *Id. Sull.* 11. 33. Ad occasum interitumque reipublicæ. *Nepos Epam.* 8. Uno prælio Thebas ab interitu retraxit. *Cic.* 1. *Divinat.* 32. 68. Quum interitum exercitus nunciavisset. *la disfatta.* Adde *eumd.* 2. *Off.* 6. 20. Sic *Id.* 2. *Fin.* 9. 27. Qualis iste philosophia est, quæ non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum? *Id. Brut.* 33. 125. Damnum enim, illius immaturo interitu, Latinæ litteræ fecerunt. *Propert.* 2. 8. 18. interitu gaudeat ille tuo. *Nepos Epam.* 10. Post ejus interitum. Adde *eumd. Hann.* 8. et *Att.* 11. *Gell.* 15. 7. Sexagesimum tertium vitæ annum cum periculo venire aut morbi gravioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis. *Lucret.* 5. 875. Redigere aliquid ad interitum. *Seneca Troad.* 489. Ab interitu arcere aliquem. *Cic. Marcell.* 5. 14. Ad interitum ruere voluntarium.

INTĔRĬUS, adverb. *V.* INTRA.

INTERJĂCEO, jăces, jăcēre, n. 2. (inter *et* jaceo). Part. *Interjacens.* — Interjacere est in medio jacere, *giacere in mezzo*, παράγκειμαι. Occurrit — *a*) Absolute. *Liv.* 37. 41. Interjacebat campus: colles imminebant nudi. *Plin. Paneg.* 14. Vastitas interjacentis soli. *Id.* 2. *Ep.* 17. Adhæret dormitorium membrum transitu interjacente. — *b*) Cum Dativo. *Liv.* 21. 30. *extr.* Campus interjacens Tiberi ac mœnibus Romanis. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 6. Spatium, quod sulcis interjacet. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *inter. Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 20. (60). Interjacet hæc inter eam et Rhodum. — *d*) Cum Accusativo sine præpos. *Id.* 5. *ibid.* 4. 4. (27). Regio, quæ duas Syrtes interjacet.

INTERJĂCĬO *vel* interjicio, jăcis *vel* jĭcis, jēci, jectum, jăcere *vel* jicere, a. 3. (inter *et* jacio). Part. *Interjectus*, quod usitatius est, in fin. — Hoc participium dividitur per tmesin a *Lucret.* 3. 873. Inter enim jecta est vitai pausa. — Interjacere vel interjicere est inter aliqua jacere, interponere, interserere, admiscere, tum proprie, tum translate, παρεμβάλλω (It. *frapporre, mettere in mezzo*; Fr. *placer entre, interposer, insérer*; Hisp. *poner entre, interponer, entremeter, inserir*; Germ. *dazwischen werfen, - stellen, - setzen, dazuthun, einmischen*; Angl. *to cast, put, set, or place between, trhow among*). Occurrit — *a*) Cum Dativo. *Sueton. Domit.* 17. Brachio dolonem interjecit. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *inter. Cic. Tim.* 7. Tertium materiæ genus ex duobus in medium admiscuit, idque interjecit inter individuum atque id, quod etc. *Sueton. Cæs.* 40. Inter Novembrem et Decembrem mensem interjecit duos alios. — *c*) Sine additis. *Cæs.* 1. *B. C.* 73. Crebras stationes disponunt equitum, legionariisque interjiciunt cohortes. Sic *Id.* 7. *B. G.* 80. Expeditos levis armaturæ interjecerant. *Tac.* 2. *Ann.* 10. Pleraque sermone Latino interjaciebat. *Id.* 1. *ibid.* 23. *extr.* Ni miles preces et minas interjecisset. *Id.* 3. *Hist.* 81. Si morem interjecissent. — Hinc Part. præter. pass.

Interjectus, a, um, h. e. interpositus, amplissime usurpatur; et occurrit — *a*) Cum Dativo. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 143. Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interjectus esse videatur. *Liv.* 21. 54. Loca Alpibus Apenninoque interjecta. *Tac.* 3. *Hist.* 79. Equiti pedes interjectus. *Cic.* 1. *Acad.* (post.) 10. 36. His ipsis alia interjecta. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *inter. Cic.* 2. *Nat. D.* 26. 66. Aer interjectus inter mare et cœlum. *Id.* 1. *Off.* 26. 92. Aut interjecti inter philosophos et eos qui rempublicam administrarent. Adde *eumd.* 12. *Phil.* 7. 18. — *c*) Absolute. *Tac.* 2. *Ann.* 10. Quo minus pugnam consererent, ne flumine quidem interjecto cohibebantur. *Cic.* 6. *de republ.* 19. In ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas vides. *Id.* 1. *Off.* 9. 30. Quasi longo intervallo (*temporis*) interjecto. Sic *Cæs.* 3. *B. G.* 4.; et *Liv.* 2. 17. Brevi spatio interjecto. *Justin.* 1. 5. 8., 2. 15. 6. et 4. 4. 1.; et *Sueton. Rhet.* 1. Interjecto tempore. *Cic. Prov. cons.* 8. 17.; et *Sueton. Aug.* 26. Anno interjecto. *Justin.* 38. 1. 6. Interjectis mensibus. *Liv.* 1. 58. Paucis interjectis diebus. *pochi giorni dopo.* Adde *Justin.* 3. 7. 5. et 5. 4. 2.; et *Sueton. Cæs.* 37. *Inscript.* apud *Murat.* 375. 2. PROPOSITO BONVM RESTITIT PROVOCATIONE INTERIECTA. — Pro disjectus. *Claudian. Epithal. Pallad. et Celer.* 28. Utque erat interjecta comas, turbata capillos. *h. e.* comam habens non in unum collectam, sed divisis disjectisque capillis solutam. — Hinc

Interjecta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, sunt loca interposita. *Liv.* 9. 13. Interjecta inter Romam et Arpos.

INTERJECTĬO, ōnis, f. 3. (interjacio) interpositio, insertio, *interposizione*, παρένθεσις. — *a*) Generatim. *Cassiod.* 12. *Variar.* 18. Iter Flaminiæ, rivis sulcantibus exaratum, hiantes ripas latissime pontium interjectione conjungite. *Cic.* 1. *Herenn.* 6. 9. Et tamen occulte dicemus interjectione verborum. *V.* INTERJECTUS, us. — *b*) Speciatim apud Grammaticos est pars orationis indeclinabilis, quæ varios animi effectus ostendit, ut *euge, malum, vah* etc. *interjezione. Charis.* 2. p. 171. *Putsch.*; *Quintil.* 1. 4. 19.; *Capell.* 3. p. 70. etc. — *c*) Item speciatim apud Rhetores est figura, eadem ac parenthesis, seu interruptio. *Quintil.* 8. 2. 15. Etiam interjectione (qua et oratores et historici frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum) impediri solet intellectus, nisi quod interponitur, breve est.

INTERJECTĪVĒ, adverb. (interjectivus) ad modum interjectionis. *Priscian.* 15. *ad fin. Putsch.* Aliæ quoque partes orationis singulæ vel plures solent interjective proferri, ut Virgilius (1. *Æn.* 251.): Navibus, infandum! amissis, unius ob iram Prodimur.

INTERJECTĪVUS, a, um, adject. (interjacio) qui interjicitur, seu interponitur. *Simplic. de re agrar.* p. 78. *Goes.* Interjectivi rigoris incessus.

INTERJECTŪRA, æ, f. 1. (interjacio) idem atque interjectio. *Frontin. de colon.* p. 135. *Goes.* Sunt et per recturas positæ interjecturæ.

INTERJECTUS, a, um. *V.* INTERJACIO.

INTERJECTUS, us, m. 4. (interjacio) est — *a*) Actus interjaciendi. *Apul. Florid.* n. 23. Velut in maceria lapides temerario interjectu poni necesse est. — *b*) Sæpius est idem atque interjectio. *Cic.* 2. *Nat. D.* 40. 103. Luna interpositu interjectuque terræ repente deficit. *Ammian.* 22. 8. Interjectu deinde non mediocri, Carcinites panditur sinus. *h. e.* non mediocri locorum spatio interposito. *Capell.* 8. p. 281. Idem interjectus spatiis similibus continetur. *Tac.* 3. *Ann.* 51. *extr.* Interjectu temporis. *et* 6. *ibid.* 39. Interjectu noctis. *et* 3. *ibid.* 67. Petito paucorum dierum interjectu. *Colum.* 3. *R. R.* 21. *ante med.* Si vero interjectibus capere cujusque generis fructum aveat etc. *h. e.* per intervalla temporis. *Schneid.* et alii leg. *interjectionibus* eodem sensu.

INTERJĬCĬO. *V.* INTERJACIO.

INTERJUNCTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INTERJUNGO, jungis, junxi, junctum, jungere, a. 3. (inter *et* jungo). *Inter* per tmesin sejungitur a verbo apud *Grat. Cyneg.* 77. Tantum inter nivei junguntur vellera cygni. — Part. *Interjunctus* 1. 1. et 2. — Interjungere

I.) Proprie duo diversa significat; scilicet ¶ 1. Est jungere, jungere inter se. *Liv.* 22. 30. Tum dextræ interjunctæ, militesque benigne invitati. Similiter *Stat.* 6. *Theb.* 307. Sæpe per Ionium Libycumque natantibus ire Interjunctus equis. *h. e.* jugo junctus inter alia jumenta: de Arione celebri equo Neptoni filio loquitur. ¶ 2. Est etiam equos, intermisso paullum itinere, a curru disjungere, et cibo ac quiete recreare. *Martial.* 3. 67. et hora lassos Interjungit equos meridiana. *Id.* 2. 6. Lassus tam cito deficis viator: Et quum currere debeas Bovillas, Interjungere quæris ad Camenas.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorā sumptā a superiore paragr. 1. est jungere. *Capell.* 9. p. 303. Hæ virgines inter divina humanaque dissidia solæ semper interjunxere colloquia. ¶ 2. Item metaphorā sumptā a superiore paragr. 2., est intermittere, quiescere. *Seneca Tranquill.* 15. *a med.* Quidam medio die interjunxerunt, et in postmeridianas horas aliquid levioris operæ distulerunt. *Id. Ep.* 83. Brevissimo somno utor, et quasi interjungo. *Al. leg.* intervigilo.

INTERLĀBOR, lāberis, lapsus sum, lābi, dep. 3. (inter *et* labi.) Part. *Interlabens.* — Interlabi est inter aliqua labi, *scorrere o cadere tra mezzo*, παραρρίπτω. — *a*) Absolute. *Virg.* 2. *G.* 349. *per tmesin.* Inter enim labentur aquæ. *Stat.* 2. *Theb.* 649. Parce per has stellis interlabentibus umbras. *Sil. It.* 6. 16. truncosque trahebat Per stragem, nervis interlabentibus, artus. — *b*) Cum Accusativo. *Ammian.* 22. 8. Thermodon (*fluvius*) his est proximus, ab Armonio defluens monte et Themiscyræos interlabens lucos.

INTERLĂTEO, es, ere, n. 2. (inter *et* lateo) inter aliqua latere. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 16. *sub fin.* Non est dubium, quin multum spiritus interlateat, et cæca sub terra spatia aer latus obtineat.

INTERLĀTRANS, antis, particip. ab inusit. *interlatro*, inter aliqua latrans. Translate *Paulin. Nolan. Ep.* 4. (*al.* 41.) *a med.* Inter nos et Deum peccatis interlatrantibus.

INTERLECTĬO, ōnis, f. 3. (interlego). ¶ 1. Est lectio, quæ in opere aliquo interponitur. *Tertull.* 2. *ad Uxor.* 6. Ubi fomenta fidei de Scripturarum interlectione? ¶ 2. Item conjectatio ad scopum. *Gloss. Philox.* Interlectio, στοχασμός.

INTERLĔGO, lĕgis, lēgi, lectum, lĕgere, a. 3. (inter *et* lego). Part. *Interlegendus.* — Interlegere est inter aliqua legere, seu colligere, decerpere, *cogliere qua e là.* Tmesis est in illo *Virg.* 2. *G.* 366. uncis Carpendæ manibus frondes interque legendæ. *Pallad.* 3. *R. R.* 25. 16. Si spissa poma ramos onerabunt, interlegenda sunt quæque vitiosa. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 5. et 8. *ibid.* 3.

INTERLĪDO, līdis, līsi, līsum, līdere, a. 3. (inter *et* lædo). Part. *Interlisus* 1. — Interlidere est ¶ 1. In medio elidere. *Gabius Bassus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. Jovis glans, litteris interlisis, juglans nominatur. ¶ 2. Item illidere. *Paulin. Nolan. carm.* 10. 261. gravem interlidere dentem.

INTERLĬGO, as, are, a. 1. (inter et ligo) in medio ligare, *legare tra mezzo*. *Stat.* 7. *Theb.* 571. alterno maculas interligat ostro.

INTERLĬNO, linis, lēvi, litus, linere, a. 3. (inter et lino). Part. *Interlitus* 1. et 2. — Interlinere

I.) Proprie ¶ 1. Est scripturam, vel picturam, vel aliud simile atramento, vel aliqua alia re superinducta corrumpere, destruere, abolere. *Cic. Cluent.* 44. 125. Qui tabulas publicas municipii sui corrupisse judicatus est, qui testamentum interleverit. *Id. ibid.* 33. 91. In eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur. *Id.* 4. *Verr.* 42. 104. Corruptæ atque interlitæ tabulæ. ¶ 2. Est etiam illinere, seu allinere. *Liv.* 21. 11. Cæmenta non calce durata erant, sed interlita luto. *Curt.* 5. 1. 25. Constat Babylonios muros hujus fontis bitumine interlitos fuisse. *et ibid.* Murus instructus latereulo coctili, bitumine interlitus. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 9. 34. (132). Caseus oleo interlinitur. — Huc referri potest et illud *Hieronym. Ep.* 14. n. 1. Litteræ lacrimis interlitæ. *h. e.* madefactæ.

II.) Translate. *Capell.* 1. p. 5. Præsagiorum interlita memoria.

INTERLĪSUS, a, um. *V.* INTERLIDO.

INTERLĬTUS, a, um. *V.* INTERLINO.

INTERLŎCŪTĬO *vel* interloquutio, ōnis, f. 3. (interloquor) sermonis interpositio, interpellatio, διαλογισμός. ¶ 1. Generatim. *Quintil.* 5. 7. 26. Brevi interlocutione patroni refutandus est. *Gell.* 14. 2. *a med.* Nisi is, qui judicat, crebris interrogationibus et necessariis interlocutionibus et suos sensus aperiat et litigantium deprehendat. ¶ 2. Specialim apud JCtos *interlocutio* est pronunciatio judicis initio, mediove litis, quæ totam causam non perimit finitque, sed ex parte solum definit et judicat: quæ *sententia interlocutoria* hodie in scholis appellatur. *Paul. Dig.* 1. 15. 3. Aut fustibus castigat eos, qui negligentius ignes habuerunt, aut severa interlocutione comminatus, fustium castigationem remittit. *Impp. Diocliet.* et *Maxim. Cod.* 7. 45. 9. Nec causam ullam interlocutiones plerumque perimunt. Adde *Imp. Gordian. Cod.* 2. 12. 17. etc. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 278. n. 170. INTERLOCVTIONES AELII FLORIANI, HERENNII MODESTINI, FALTONII RESTVTIANI PRAEF. VIGIL. P. P. V. V.

INTERLŎCO, as, are, a. 1. (inter et loco) in medio locare. *Mela* 2. 1.

INTERLŎQUOR, lŏqueris, lŏquutus *vel* lŏcūtus sum, lŏqui, dep. 3. (inter *et* loquor). Part. *Interloquens* II.; *Interlocutus* I. 2. — Interloqui est alio loquente sermonem intermiscere ac quodammodo interturbare loquentem, διαλέγομαι, διακόπτω (It. *rompere il parlare, interrompere*; Fr. *parler entre, interrompre*; Hisp. *hablar entre, interromper, cortar la palabra*; Germ. *dazwischen reden*; Angl. *to interrupt one while speaking, interrupt in discourse*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Ter. Heaut.* 4. 3. 13. Siccine mihi interloquere? *Gell.* 14. 2. *a med.* Aliter atque aliter eadem in causa eodemque in tempora sentire et interloqui videatur. ¶ 2. Specialim apud JCtos interloqui dicitur judex, quum quippiam inter cognoscendum pronunciat: ut in voce præced. sub 2. explicatum est. *Ulp. Dig.* 48. 19. 32. Si judex ita interlocutus sit, Vim fecisti. *Id. ibid.* 38. 3. 6. *circa med.* Si de decurione puniendo præses, scribendum principi, interlocutus est.

II.) Translate. *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 51. Interscatentibus lymphis et interloquentibus rivulis. *h. e.* interstrepentibus.

INTERLŪCĀTĬO, ōnis, f. 3. (interluco) colluratio, recisio ramorum inutilium. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 45. (257). Interlucatio arboribus prodest, sed omnium annorum truridatio inutilissima.

INTERLŪCĀTUS, a, um. *V.* INTERLUCO.

INTERLŪCĔO, lūces, luxi, lūcere, n. 2. (inter et luceo). Part. *Interlucens* II. 2. — Interlucere est in medio lucere, inter aliquid lucere, *tralucere*, παρεμφαίνω.

I.) Proprie. *Liv.* 29. 14. Duos soles visos, et nocte interluxisse.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro apparere, conspici. *Cic.* 3. *Herenn.* 19. 31. Ut loci distincte interlucere possint. ¶ 2. Dicitur de iis, quæ rara sunt et intervalla habent, per quæ visus transit. *Virg.* 9. *Æn.* 508. Qua rara est acies, interlucetque corona Non tam spissa viris. *Frontin.* 2. *Strateg.* 3. *a med.* Ea ipsa intervalla velitibus implevit, ne interluceret acies. *Veget.* 1. *Milit.* 26. Ita rariores (*milites*) atque interlucentes aditum perrumpendi hostibus præstant. *Quintil. Declam.* 12. 2. Rari per vias interlucent. ¶ 3. Est etiam præ aliis eminere, *distinguersi*. *Liv.* 2. 42. Servius conditor omnis in civitate discriminis ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunæque aliquid interlucet.

INTERLŪCESCO, is, ere, n. 3. (inter et lucesco) idem atque interluceo. *Gloss. Philox.* Interlucesco, διαφαίνω.

INTERLŪCO, as, ātum, are, a. 1. (inter *et* lucus *vel rectius* lux). Part. *Interlucatus*. — Interlucare est ramos, seu plantas inutiliter pullulantes cum intervallo resecare, superfluos ramos amputare: a *lucus*; vel a *luce*, quod quum rædantur rami, lux fiat ipsi arbori amplior, διακαθαίρω. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 23. 35. (214). Deputantur enim pariter cum vite, interlucata densitate ramorum, qui sint supervacui. *Id. ibid.* 12. 19. (94). Adultas arbores interlucare justo plus et in senectam præcipitare.

INTERLŪDO, lūdis, lūsi, lūsum, lūdere, a. 3. (inter et ludo) inter aliquid ludere. Occurrit tantum Part. *Interludens* apud *Auson. Edyll.* 10. 76. Interludentes examina lubrica pisces.

INTERLŪNIS, e, adject. (inter *et* luna) ut Nox squalida et interlunis, apud *Ammian.* 19. 6. quum scilicet interlunium est.

INTERLŪNĬUM, ii, n. 2. (inter *et* lūna) lunæ silentium, luna silens, quum luna est in conjunctione solis, id spatium temporis, quo nec amplius luna vetus apparet, nec adhuc nova videtur, quia radiis solaribus superne illustratur, non autem ab ea parte, quæ nobis conspicua est: ab *inter* et *luna*, quasi aliquod tempus sit inter veterem novamque lunam, σύνοδος, συμμηνία (It. *luna nuova*; Fr. *nouvelle lune*; Hisp. *luna nueva*; Germ. *Neumond*; Angl. *the change of the moon*). *Plin.* 18. *Hist. nat.* 32. 75. (323). In coitu vero (quod interlunium vocant) quum luna apparere desierit. *Id.* 7. *ibid.* 5. 4. (38). Septimo non nisi pridie posterove plenilunii die, aut interlunio concepti nascuntur. *Id.* 16. *ibid.* 39. 74. (190). Inter omnes convenit, utilissime in coitu lunæ sterni, quem diem alii interlunii, alii silentis lunæ appellant. *Horat.* 1. *Od.* 25. 11. Thracio bacchante magis sub interlunia vento. Cf. *Veget.* 4. *Milit.* 40. (*al.* 5. 10.). Interluniorum autem dies tempestatibus plenos et navigantibus quam maxime metuendos non solum peritiæ ratio, sed etiam vulgi usus intelligit. *Gloss. Philox.* Interlunium, μεσοσέληνον.

INTERLŬO, luis, luere, a. 3. (inter *et* luo). Part. *Interluens* 2. — Interluere significat in medio luere, *bagnare in mezzo*, διακλύζω. Itaque ¶ 1. Est idem ac simplex abluere. *Cato R. R.* 132. Manus interluito, postea vinum sumito. ¶ 2. Sæpius usurpatur habita ratione loci. *Liv.* 41. 23. Quantum interluit fretum? *Curt.* 4. 3. 6. Saxaque interluens unda medium opus rupit. *Virg.* 3. *Æn.* 418. *de freto Siculo.* arvaque et urbes Litore diductas angusto interluit æstu. Sic *Tac.* 6. *Ann.* 1. Quod Capreas et Surrentum interluit fretum. et *Claudian.* *I. Rapt. Pros.* 143. Nereus abscissos interluit æquore montes. *Capell.* 6. *p.* 226. Babylonia interluitur Euphrate. Adde *Ammian.* 23. 6.; et *Solin.* 56.

INTERLŬVĬES, iēi, f. 5. (interluo) fretum interluens, seu interfluens, ὁ μεταξὺ πορθμός. *Solin.* 22. *a med.* Hebudes insulæ anguste interluvie dividuntur.

INTERMĂNĔO, mănes, mansi, mănere, n. 2. (inter *et* maneo) inter, vel in medio maneo, *stare in mezzo*. *Lucan.* 6. 47. Defessus Cæsar mediis intermanet agris.

INTERMĔDĬUS, a, um, adject. (inter *et* medius) medius inter aliqua, interjectus, interpositus, interjacens, *frapposto*, ἔμμεσος. *Varro* 3. *R. R.* 5. 11. Porticus, primoribus columnis lapideis, intermediis arbusculis humilibus ordinatæ. *Pindar.* seu *Auct. incert. Epitom. Iliad.* 894. Hic intermedius stabat Mars aureus armis. *Paulin. Nolan. carm.* 26. 637. Pontem intermedium.

INTERMENSTRŬUM, ui, n. 2. (intermenstruus) interlunium. *Cic.* 1. *de republ.* (edente *A. Maio*) 16. Itaque etsi non omni intermenstruo, tamen id fieri non posse, nisi intermenstruo tempore. *Varro* 1. *R. R.* 37. 1. Quoad veniat ad intermenstruum, a quo die dicitur luna esse extrema et prima. *Ammian.* 20. 3. Quum post inæquales cursus intermenstruum lunæ ad idem revocatur initium certis temporum intervallis. *Est tamen qui aliter leg.*

INTERMENSTRŬUS, a, um, adject. (inter et menstruus) inter duos menses interjectus. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 32. 75. (322). Maxime autem luna intermenstrua, dimidiaque stercorato. *h. e.* interlunio. *V.* vocem præced.

INTERMĔO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (inter *et* meo). Part. *Intermeans*. — Intermeare est interfluere, per medium meare, *scorrere di mezzo*, διαρρέω. Cum Accusativo, qui pendet a præpositione verbo juncta. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 30. 33. (126). Longeque clarissimum Asiæ Pergamum, quod intermeat Selinus. *Ammian.* 15. 11. Rhodanus paludi sese ingurgitat nomine Lemanno, eamque intermeans, nusquam aquis miscetur externis. *Id.* 26. 6. Procopius Constantinopolim, quantum fieri poterat clanculo, sæpe intermeans.

INTERMESTRIS, e, adject. (inter et mensis) interjectus inter menses, ut Luna intermestris, id est interlunium, coitus lunæ. *Cato R. R.* 37.; et *Plin.* 16. *Hist. nat.* 39. 75. (194). Nisi intermestri luna atque dimidiata, ne tangas materiem. *Varro* 6. *L. L.* 10. *Müll.* A mensibus intermestris dictus, quod putabant inter prioris mensis senescentis extremum diem et novam lunam esse diem, quem diligentius Attici ἔνην καὶ νέαν appellarunt; ab eo quod eo die potest videri extrema et prima luna.

INTERMĒTĬUM, ii, n. 2. (inter *et* meta) spatium inter duas metas. *Gloss. Philox.* Intermetium, τὸ μεταξὺ τῶν καμπτήρων. *V.* EURIPUS.

INTERMĪCO, micas, micŭi, micare, n. 1. (inter *et* mico). Part. *Intermicans*. — Intermicare est in medio splendere, *risplendere in mezzo*, διαστίλβω. — *a*) Absolute. *Stat.* 12. *Theb.* 252. e speculis moriens intermicet ignis. *Ammian.* 20. 3. Intermicantibus stellis. Sic *Lactant.* 6. 20. Intermicantibus astrorum luminibus. *Apul. de Deo Socrat.* Lumine intermicante. *Claudian.* 1. *Rapt. Pros.* 183. rutilum squamis intermicat aurum. *Ammian.* 24. 2. Splendor ferri intermicans Romanorum metum augebat. *Id.* 20. 11. *ad fin.* Quarta pars Iris ideo purpurat, quod intermicante asperginum densitate per quas oritur etc. — *b*) Cum Accusativo qui a præpositione regitur verbo juncta. *Val. Flacc.* 4. 662. tenebras nimbosque intermicat ignis.

INTERMĪNĀBĬLIS, e, adject. (in et terminus) sine termino, interminatus, *senza termine*, ἄπορος. *Salvian.* 1. *advers. Avar.* p. 223. ed. *Baluz.* Habentes — nec inserta nubibus aeris habitatore fastigia, non denique fundos interminabiles. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 3. Immensa et interminabilis ætas. *Sidon.* 2. *Ep.* 7. *extr.* Jurgium prope interminabile. Adde *Hieronym. Ep.* 32.; et *Boeth.* 2. *de Music.* 3. *p.* 1394.

INTERMĪNĀTĬO, ōnis, f. 3. (interminor) comminatio, *minaccia, divieto*. *Imppp. Valentin.*, *Theodos.* et *Arcad. Cod. Theod.* 16. 5. 18. De hac urbe pellantur sub interminatione judicii. *et ibid.* 8. 7. 21. Quos etiam monuimus sub viginti interminatione librarum auri. *sotto pena*.

INTERMĪNĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et terminatus) non terminatus, termino carens, indefinitus, *senza termine, sterminato*, ἀπέραντος.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 54. Si immensam et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis.

II.) Translate. *Vellej.* 2. 33. 2. Interminata cupiditas imperii. *Ammian.* 30. 4. licentia petendi. Adde *Apul. de Mundo.*

INTERMĪNĀTUS, a, um, particip. ab INTERMINO, quem voc. *V.*

INTERMĪNIS, e, adject. (in *privat.* et terminus) idem atque interminus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 30. Mundumque istum interminem regis. *Gloss. Philox.* Interminis, ἀπέραντος.

INTERMĪNO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (inter et mino). Part. *Interminatus*. — Interminare est interpositis minis aliquid vetare. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 42. Quis homo interminat? *Horat. Epod.* 5. 39. Interminato quum semel fixæ cibo Intabuissent pupulæ. *h. e.* vetito, prohibito. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod. Theod.* 5. 16. 60. Interminatæ pœnæ erunt obnoxii.

INTERMĬNOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (inter et minor). Aliam formam *V.* in voc. præced. — Interminari est graviter minari, interpositis minis aliquid vetare, *minacciare, vietare con minaccie*, διαπειλέω. — a) Cum Infinito. *Plaut. Asin.* 2. 2. 95. Mihi tibique interminatus est, nos futuros ulmeos, nisi etc. — b) Cum Accusativo. *Plaut. Cas.* 3. 5. 28. Viro suo interminatur vitam. *h. e.* se vitam viro ablaturam minatur. Adde *eumd. Pseud.* 3. 1. 10. Sic *Ter. Eun.* 5. 1. 14. Istuccine interminata sum tibi? — c) Cum part. *ne. Plaut. Capt.* 4. 2. 11. Eminor interminorque, ne quis mi obstiterit obviam. *Ter. Andr.* 3. 2. 15. Edixin' tibi? interminatas sum, ne faceres? num veritus?

INTERMĪNUS, a, um, adject. (in *privat.* et terminus). Aliam formam *V.* in INTERMINIS. — Interminus est idem atque interminatus. *Avien. Perieg.* 74. Oceanus interminus. *Prudent.* 2. *advers. Symmach.* 106. longis intermina sæclis. *Auson. Epist.* 16. 38. Perge, o libelle, et utere Felicitate intermina. *Apul. de Mundo.* Agens stellarum choros intermino lapsu.

INTERMISCĔO, misces, miscŭi, mistus vel mixtus, miscere, a. 2. (inter *et* misceo). Part. *Intermiscens, Intermixtus* et *Intermiscendus.* — Intermiscere est in medio miscere, *mischiare di mezzo, frammescolare*, παραμίγνυμι. — a) Cum Dativo. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 57. Quibus et aliquod saturejæ semen intermiscendum erit. *Virg.* 10. *Ecl.* 5. Sic tibi, quam fluctus subterlabere Sicanos, Doris amara suam non intermisceat undam. *Liv.* 10. 20. Intermixti hostibus. *Id.* 4. 56. Turbam indignorum intermiscendo dignis. *Theod. Priscian. l.* 1. *part.* 1. *c.* 10. Dabo etiam – castorei pulverem cum mellicrato, aliquoties his piper intermiscens. — b) Absolute. *Scribon. Compos.* 207. Ubi his adjectis et intermixtis intepuerit medicamentum. *Liv.* 21. 46. Turbabant equos pedites intermixti. *Justin.* 2. 8. 3. Classe captiva intermixtis mulieribus, ut speciem captarum matronarum præberent. *Reposian. Concub. Mart. et Ven.* 19. Dumque intermixti captatur spiritus oris. *h. e.* junctis osculis animas misceat.

INTERMISSĬO, ōnis, f. 3. (intermitto) vacatio ab aliquo munere per aliquod tempus, διάλειψις (It. *intermissione, intralasciamento*; Fr. *discontinuation, cessation*; Hisp. *descontinuacion, cesacion, interrupcion*; Germ. *d. Unter –, Nachlassen, d. Unterbrechung*; Angl. *a discontinuance, ceasing, intermission, respite, leaving off*). *Cic.* 2. *Divinat.* 68. 142. Nunc quidem propter intermissionem forensis operæ et lucubrationes detraxi et meridiationes addidi. *Id.* 1. *Nat. D.* 41. 115. Quum sine ulla intermissione pulsetur agiteturque atomorum incursione sempiterna. *Id.* 1. *Off.* 6. 19. Virtutis laus in actione consistit; a qua tamen sæpe fit intermissio, multique dantur ad studia reditus. *Liv.* 5. 5. Ipsi per intermissiones et intervalla lentiorem spem nostram facimus. *Cels.* 2. 10. *a med.* Intermissio febris. *Cic.* 7. *Fam.* 13. epistolarum. *Id.* 5. *ibid.* 17. consuetudinis. *Id. Amic.* 2. 8. Intermissionem officii facere. *Al. aliter leg. Id. Partit. orat.* 6. 19. Verba disposita, aut circumscriptione conclusa, aut intermissione, aut concisione verborum. *h. e.* vel per periodos, vel per membra, vel per incisa. *Ulp. Dig.* 28. 1. 20. *circa med.* Si furiosus habet intermissionem. *lucido intervallo.*

INTERMISSUS, a, um. *V.* INTERMITTO.

INTERMISTUS, a, um. *V.* INTERMISCEO.

INTERMISSUS, us, m. 4. (intermitto) idem quod intermissio. In sexto casu singul. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (81). Lusciniis diebus ac noctibus continuis quindecim garrulus sine intermissu cantus.

INTERMITTO, mittis, misi, missum, mittere, 3. (inter et mitto). Part. *Intermittens* sub *B.*; *Intermissus* in fin.; *Intermissurus* et *Intermittendus* sub *A.* — Intermittere occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active, intermittere est interim omittere, ad tempus omittere, interim relinquere, differre, διαλείπω (It. *intralasciare, intermettere*; Fr. *interrompre, suspendre, cesser*; Hisp. *interromper, interrumpir, suspender*; Germ. *unterlassen, nachlassen, ablassen*; Angl. *to give over for a time, leave off, intermit, discontinue*). Occurrit — a) Cum Accusativo rei, quæ intermittitur vel ad tempus omittitur. *Cic. Orat.* 10. 34. In maximis occupationibus numquam intermittis studia doctrinæ. *Cæs.* 3. *B. C.* 13. Intermittere iter. *Id.* 1. *ibid.* 10. Non intermissuros consules Pompejumque dalectus. *Id.* 3. *B. G.* 5. Intermittere paullisper prælium. *Id. ibid.* 29. opus. *Ovid.* 3. *Met.* 154. laborem. *Sueton. Claud.* 21. ludos. *Id. Cal.* 16. rationes imperii. *Tac.* 4. *Ann.* 13. curam rerum. *Id.* 1. *ibid.* 16. solita munia. *Justin.* 5. 1. 9. officia. *Quintil.* 11. 1. 56. dolorem. *Plin.* 7. *Ep.* 31. Intermittere et ponere otium. — b) Cum Infinito. *Cic.* 7. *Fam.* 12. Mirabar, quid esset, quod tu mihi litteras mittere intermisisses. *Id.* 1. *Tusc.* 28. 68. Non intermittit suo tempore cælum mitescere, arbores frondescere. *Cæs.* 4. *B. G.* 31. Obsides dare intermiserant. — c) *Intermittere tempus, diem* etc. est interponere, rem interim differendo et ab opere cessando. — Cum addito Ablat. et præpos. *ab. Cæs.* 1. *B. C.* 32. Ut reliquum tempus a labore intermitteretur. *Id.* 7. *B. G.* 24. Ne quod omnino tempus ab opere intermitteretur. — Cum addito Accus. et præpos. *ad. Cæs.* 5. *B. G.* 40. Nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittitur. — Cum part. negativa et sequente *quin. Plaut. Bacch.* 2. 2. 31. Non tantulum umquam intermittit tempus, quin eum nominet. *non lascia passare un tantino senza nominarlo.* et *Ter. Adelph.* 3. 1. 6. Numquam intermittit diem, quin semper veniat. — Absolute. *Cic.* 9. *Att.* 16. Ne quem diem intermitterem, has dedi litteras. *Cels.* 3. 22. Post cibum intermittenda hora.

B) Neutrorum more est cessare. *Cic.* 1. *Divinat.* 34. 74. Gallos gallinaceos sic assidue canere cœpisse, ut nihil intermitterent. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 46. 63. (129). Aves, quibus longa colla, intermittentes bibunt. *a sorsi. Cæs.* 1. *B. G.* 38. Flumen pæne totum oppidum cingit: reliquum spatium, qua intermittit, mons continet. *h. e.* qua non fluit. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (171). Marsi ad vicenos pedes intermittunt, arationis gratia. *h. e.* vitem non serunt, intervalla relinquunt. — Hinc Part. præter. pass.

Intermissus, a, um, est cessans, interruptus, *intralasciato, interrotto, intermesso*, διαλελειμμένος. Itaque ¶ 1. De loco est interruptus. *Cæs.* 7. *B. G.* 70. Planities intermissa collibus. ¶ 2. De tempore est interpositus, interjectus, *frapposto. Cic.* 1. *Nat. D.* 20. 52. Nullo puncto temporis intermisso. *Cæs.* 4. *B. G.* 34. Brevi tempore intermisso, in castra legiones reduxit. *Id.* 5. *ibid.* 11. Ne nocturnis quidem temporibus ad laborem militum intermissis. *Id.* 1. *ibid.* 26. *extr.* Triduo intermisso, eos sequi cœpit. *lasciati passare*, vel *passati tre dì.* Sic *Pallad.* 11. *R. R.* 8. Triennio intermisso. ¶ 3. De physicis rebus et abstractis est interruptus, *h. e.* haud omnino circumclusus, non continuatus. *Cæs.* 7. *B. G.* 17. Castris ad eam partem oppidi positis, quæ intermissa a flumine et a palude aditum angustum habebat. *Liv.* 34. 37. *extr.* Per intermissa mœnia urbem intrarunt. Sic *Id.* 24. 35. Intermissa custodiis loca. *Plin.* 2. *Ep.* 17. *sub fin.* Litus ornant nunc continua, nunc intermissa tecta villarum. *distanti l'uno dall'altro.* Similiter *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Trabes intermissæ spatiis. *distanti.* Huc referri potest et illud *Senecæ* 1. *Quæst. nat.* 3. *a med. de iride.* Incipit facies esse non multarum imaginum intermissarum, sed unius longæ atque continuæ. *h. e.* non imaginum separatarum, distinctarum. — *Cæs.* 1. *B. G.* 26. Nullam partem noctis itinere intermisso. *Ovid.* 1. *Pont.* 4. 16. Non intermissis cursibus ibit equus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (51). Intermissus ordo. *h. e.* non continuatus, *interrotto. Cic.* 2. *Off.* 7. 24. Acriores morsus sunt intermissæ libertatis, quam retentæ. *Id.* 3. *Orat.* 38. 153. Verba prisca et ab usu quotidiani sermonis jamdiu intermissa. *Curt.* 4. 3. 4. Sacrum multis sæculis intermissum repetere. *Plin.* 2. *Ep.* 13. *ad fin.* Intermissum morem reducere. ¶ 4. Est etiam omissus, *omesso*, apud *Hieronym. præf. ad Chron. Euseb. ad fin.* Nonnulla, quæ mihi intermissa videbantur, adjeci.

INTERMIXTĬO, ōnis, f. 3. (intermisceo) mistio, permistio cum aliis rebus, *tramischianza. Mar. Victorin. art. gramm.* 1. p. 2507. *Putsch.* Omnis ἐπιπλοκή propriis pedibus nulla intermistione aliorum subsistens suis usque ad ultimum pedibus terminabitur.

INTERMIXTUS, a, um. *V.* INTERMISCEO.

INTERMŎRĬOR, mŏreris, mortŭus sum, mŏri, dep. 3. (inter *et* morior). Part. *Intermoriens* I. 2.; *Intermortuus* in omnibus paragr.; *Intermoriturus* II. — Intermori est idem quod mori, interire, perire; quasi in media re mori, ἀποθνήσκω (It. *morire*; Fr. *mourir*; Hisp. *morir*; Germ. *unvermerkt sterben, hin –, absterben*; Angl. *to die*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu pro mori, interire, perire. — a) De rebus. *Cato R. R.* 161. Asparagum vellito ab radice: nam si defringes, stirpes fient et intermorientur. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 69. (114). Radices omnibus annis intermoriuntur. *Curt.* 6. 6. 31. Si qua intermoreretur ignis, effugere tentabant: sed qua flamma dederat locum, hostis obstabat. Similiter *Ulp. Dig.* 43. 7. 3. Viarum vicinalium pars in militares vias exitum habet, pars sine ullo exitu intermoritur. *finisce.* — b) De hominibus. *Sueton. Ner.* 42. Collapsus, animoque male fracto, diu et sine voce, et prope intermortuus jacuit. Cf. *Liv.* 34. 49. Satius visum est, tyrannum debilitatum relinqui, quam intermori vehementioribus, quam quæ pati posset, remediis civitatem sinere. ¶ 2. Latiori sensu est deficere, spiritu linqui, morientis modo, *tramortire. Cels.* 5. 26. *n.* 25. Multi ex profluvio sanguinis intermorientes, ante ullam curationem vino reficiendi sunt. Cf. *Veget.* 5. *Veterin.* 32. 1. Animalia, sicut homines, repente corruunt et intermoriuntur. *Liv.* 37. 53. Quum Bœotos ad societatem vestram hortaretur, in ipsa contione intermortuus, paullo post exspiravit. *h. e.* inter mortem vitamque veluti positus, exspiranti proximus. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 10. 46. (130). Vituli marini adeps instillatur naribus intermortuarum vulvæ vitio.

II.) Translate. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 27. (99). Anthracitides gemmæ jactatæ in ignem, velut intermortuæ, exstinguuntur: contra aquis perfusæ exardescunt. *h. e.* igneum colorem amittunt. *Cic. Mil.* 5. 12. Declarant hujus ambusti tribuni plebis illæ intermortuæ contiones. *h. e.* incendii coorti flamma intermissæ atque abruptæ, atque adeo fractæ et perditæ. *Plaut. Trin.* 1. 1. 7. Mores boni plerique omnes jam sunt intermortui: sed dum illi ægrotant, interim mores mali, quasi herba irrigua, succreverunt uberrime. *Cic. Pis.* 7. 16. Intermortuæ Catilinæ reliquiæ. *Id. Mur.* 7. 16. Memoriam prope intermortuam generis sui, virtute renovare. *h. e.* abolitam. *A. Pompejus Bithynicus* apud *Cic.* 6. *Fam.* 16. Peto, ut absentem me tueare, si nullum officium tuum apud me intermoriturum existimas. *Ovid.* 2. *Pont.* 5. 5. Candor in hoc ævo res intermortua pæne.

INTERMORTŬUS, a, um. *V.* voc. præced.

INTERMŎVĔO, mŏves, mŏvere, a. 2. (inter et moveo) inter ducere. *Symmach.* 8. *Ep.* 69. Rusticari te asseris, et ducendis vitibus aut arboribus inserendis crudam senectutem fovere: non hoc litteræ tuæ sapiunt; alios sulcos stilo intermoves, alios ordines pangis.

INTERMUNDĬUM, ii, n. 2. (inter *et* mundus) spatium medium inter plures mundos. Voluit enim Epicurus, infinitos esse mundos, et inter eos spatia magna inania, per quæ atomi volitantes alios atque alios mundos coagmentarent. *Cic.* 2. *Fin.* 23. 71. Individua quæm dicitis et intermundia, quæ nec sunt ulla, nec possunt esse, intelligimus. *Id.* 1. *Nat. D.* 8. 18. Tamquam modo ex Epicuri intermundiis descendisset.

INTERMŪNUS, nĕris, n. 3. (inter *et* munus) quod loco muneris est. *Ennod. Dict.* 21. *a med.* Quidquid non dare prævales, ceu intermunus computa, si dedisti.

INTERMŪRĀLIS, e, adject. (inter et muralis) qui est inter muros, *tra due muri. Liv.* 44. 46. Divisa est (*urbs Pydna*) intermurali amni, et eadem ponte juncta.

INTERMŬTĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *intermuto* (inter *et* muto) invicem mutatus. *Tertull. Baptism.* 8. Nepotes suos Jacob, capitibus impositis et intermutatis manibus, benedixit. *h. e.* decussatis.

INTERNAS, ātis, adject. omn. gen. (intra, internus) ὁ ἐντός, qui intus est; ut *infernas*, qui est infra, *supernas*, qui est supra. *V.* INTERNATIVUS.

INTERNASCOR, nasceris, nātus sum, nasci, dep. 3. (inter et nascor). Part. *Internascens* et *Internatus.* — Internasci est in medio nasci, *nascere in mezzo*, παρεμφύομαι. *Liv.* 28. 2. Angustiæ et internata virgulta ordines dirimebant. *Seneca Vit. beat.* 9. In arvo, quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur. *Colum.* 2. *R. R.* 12. 6. Herbæ fœno internatæ. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 24. 5. Sic *Tac.* 4. *Hist.* 60. Internatas saxis herbas vellentes. et *Plin.*

18. *Hist. nat.* 16. 43. (145). Internascentesque herbas excludi opus est. *Id.* 17. *ibid.* 27. 42. (251). Dilatatæ cicatrices et internato corpore expletæ.

INTERNATĪVUS, a, um, adject. (inter *et* nates) qui inter nates est. *Fronto* 1. *ad amic.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 16. Graviter oculos dolui...., nullus dolor.... aut interis.... aut internati oriebantur internativum, Græci ἱερὸν ὀστοῦν, Suetonius Tranquillus spinam sacram appellat. Ego me neque Græcum, neque Latinum vocabulum ullius membri nosse mallem, dum istius doloris expers vitam degeram.

INTERNĀTO, as, are, n. 1. (inter *et* nato) inter aliqua natare. *Avien. Or. marit.* 410. Vis belluarum pelagus omne internatat. Adde *eumd. ibid. v.* 129.

INTERNĀTUS, a, um. *V.* INTERNASCOR.

INTERNĒ, adverb. (internus) intra, interius, *internamente*, ἔνδον. *Auson de clar. urb.* 14. 14. Distinctas interne vias mirere domorum. *Alii aliter leg.* At *Id. Epist.* 5. 21. Implicitum quam te nostris interne medullis etc. — Utroque loco ultima corripitur: quod in *inferne* et *superne* fecit etiam *Lucretius*.

INTERNĔCĀTUS, a, um. *V.* INTERNECO.

INTERNĔCIĀLIS *vel* internicialis, e, adject. (internecio) letifer, *mortale*. *Liv.* 27. 23. Pestilentia magis in morbos longos, quam internecia les evasit. Ita leg. *Rhenanus* ex vet. cod. Alii melius *in perniciales*.

INTERNĔCĪDA, æ, m. 1. (internecio) est qui falsum testamentum fecit, et ob id hominem occidit. Hæc *Isid.* 10. *Orig* 149. *V.* etiam INTERNECIVUS.

INTERNĔCĪES, ei, f. 5. (internecio) idem atque internecio. *Gloss. Isid.* Internecies, mors, jactura. — *Internecium, ii*, n. 2. eodem sensu habent *Not. Tir. p.* 123.

INTERNĔCĪNUS. *V.* INTERNECIVUS.

INTERNĔCĬO, ōnis, f. 3. Legitur et *internicio*. — *Priscian.* 4. *p.* 623. *Putsch.* ab *internectus* deducit, extrito *t* euphoniæ causa; sed eadem ratione rectius ab *internectio* deducitur. — Ceterum internecio est actus internecandi, decisio, nex illata, excidium, exitium, πανωλεθρία (It. *uccisione*, *disfatta*, *eccidio*; Fr. *tuerie*, *boucherie*, *carnage*, *défaite complète*; Hisp. *matanza*, *carniceria*, *deshecha*; Germ. *völlige*, *gänzliche Niederlage*, *Vernichtung*, *Untergang*, *Todt*, *Tödtung*; Angl. *a massacre*, *general slaughter*, *carnage*, *internecion*). *Cic. Dom.* 24. 63. Vicissem cum magna internecione improborum. *Id.* 3. *Cat.* 10. 25. Illæ dissensiones non reconciliatione concordiæ, sed internecione civium dijudicatæ. *Tac.* 2. *Ann.* 21. Solam internecionem gentis finem bello fore. *Sueton. Oth.* 8. Ordinis internecio. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 25. 38. (244). Internecionem hominum fore. *Cic.* 2. *Att.* 20. Neque enim resisti sine internecione posse arbitramur. *Colum.* 1. *R. R.* 3. 11. Internecionem hostium facere. *Aurel. Vict. vir. ill.* 23. Hostes internecione occidere. *Sueton. Oth. in fin.* Multi, accepto nuncio, præ dolore, armis inter se ad internecionem concurrerunt. *Curt.* 4. 11. *med.* Persequi aliquem ad internecionem. *perseguitare a morte*. *Sall. ep. Pomp. ad senat.* Hispaniam ad internecionem vastavimus. *Nepos Eumen.* 3. Bella, quæ ad internecionem, post Alexandri mortem, gesta sunt. *sino all' ultima disfatta de' vinti*. Sic *Liv.* 9. 26. Lucerini ad internecionem cæsi. et *Vellej.* 2. 119. 2. Exercitum ad internecionem trucidatus. *Eutrop.* 4. 6. Ad internecionem vincere. *Liv.* 9. 45. *sub fin.* Nomen Æquorum ad internecionem deletum. *Cæs.* 2. *B. G.* 28. Prope ad internecionem gente ac nomine Nerviorum redacto. *Colum.* 4. *R. R.* 22. 8. Ad internecionem vineta perducere. — In illo *Plinii* 18. *Hist. nat.* 6. 7. (37). Internecionem ergo famemque censemus? *internecio* est neglectus culturæ, quo agri fertilitas interimitur quodammodo et utilia sata intereunt. *Id.* 14. *ibid. proœm.* (3). Internecionem memoriæ inducere. *h. e.* oblivionem. *Sillig.* legit *indicere*, h. e. edicto imponere.

INTERNĔCIUM, ii, n. 2. Vox a Lexico expungenda: *V.* INTERNECIES.

INTERNĔCĪVĒ, adverb. (internecivus) cum internecione, ad internecionem. *Ammian.* 27. 9. Internecive cuncta disperdere.

INTERNĔCĪVUS, a, um, adject. (internecio). Scribitur et *internecinus*, quod a nonnullis etiam præfertur: a nobis stat, præter alios, *Dausquius*, qui probe ex analogia eam scriptionem confirmat. Non tamen alteram damnaverim. — Internecivus est ad internecionem pertinens, *mortale*, πανώλεθρος: ut *internecivum bellum*, quod ad internecionem alterius partis suscipitur: *internecivum odium*, quod, nisi internecione et excidio, non satiatur. *Cic.* 14. *Phil.* 3. 7.; *Liv.* 9. 25. *extr.*; *Justin.* 26. 2. 5.; et *Ammian.* 26. 10. Internecivo bello certare. *Ammian.* 22. 16. et 23. 1. Internecivum certamen. *Id.* 28. 6. Internecive populatio. *Justin.* 6. 6. 2. Assidua bellorum internecive odia. *Gell.* 2. 1. Pestilentia Atheniensium civitatem internecivo genere morbi depopulata est. *Ammian.* 26. 5. Internecive minari. *Fronto* 3. *ad M. Cæs.* 3. *ad fin.* Sicubi Græculum et indoctum dixero, non erit internecivum. *non è un chiamarlo omicida*, aut fortasse rectius *non è cosa da ucciderlo*. — *Internecivum testamentum* est, propter quod dominus ejus necatus est, ut ait *Paul. Diac. p.* 114. 8. *Müll.* Hinc *internecivi actio* apud *Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod. Theod.* 9. 1. 14., ubi alii intelligunt actionem de veneficio, qua vitæ hominis internecio infertur. Et *internecivi judicium* apud *Isid.* 5. *Orig.* 26. Internecivi judicium in eum dabatur, qui falsum testamentum fecerat et ob id hominem occiderat.

INTERNĔCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (inter *et* neco). Part. *Internecans* et *Internecatus*. — *Internectus* affertur a *Priscian.* 4. *p.* 623. *Putsch.*, nullo tamen auctore laudato. — Internecare est interimere, extinguere, ad nihilum reducere. *Plaut. Amph.* 1. 1. 34. Internecatis hostibus. *Ammian.* 23. 6. *a med.* Apud quos, glæbæ macie internecante sementes, ruris colendi cura est levior. *Prudent. proœm. Apotheos.* 61. Ne forte culmum fibra inanis spiceum Simul revulsa internecet. Adde *Juvenc.* 2. 757.

INTERNECTĬO, vitæ privatio: a nece denominato vocabulo. *Paul. Diac. p.* 110. 22. *Müll.* Alii et ipse *Müllerus* leg. *internecio*.

INTERNECTO, nectis, nectere, a. 3. (inter *et* necto) inter aliqua nectere, annectere, *legare*, *stringere o unire insieme*, συμπλέκω. *Virg.* 7. *Æn.* 816. ut fibula crinem Auro internectat. *Stat.* 8. *Theb.* 168. et effluentes libet internectere plagas. *h. e.* hiantium vulnerum oras sutura jungere.

INTERNĪCĬO. *V.* INTERNECIO.

INTERNĪDĬFĬCO, as, are, n. 1. (inter *et* nidifico) inter aliqua nidificare. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 49. (95). Ripas (*hirundines*) excavant, atque ita internidificant.

INTERNĪGRANS, antis, particip. ab inusit. *internigro* (inter *et* niger) inter aliqua nigricans, *negro*. *Stat.* 6. *Theb.* 338. noctemque diemque Assimilant maculis internigrantibus albæ.

INTERNĪTEO, nites, nitere, n. 2. (inter *et* niteo). Part. *Internitens*. — Internitere est inter aliqua nitere, et aliquando per intervalla nitere. *Curt.* 5. 4. 25. Etiam si qua sidera internitebant. *Id.* 4. 3. 16. Quidquid lucis internitebat, offusa caligine exstinctum est. *Id.* 8. 4. 3. Emicare fulgura, et nunc internitente luce, nunc condita etc. Adde *eumd.* 7. 11. 21. et 4. 12. 14. Similiter *Id.* 4. 13. 2. Fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor. *Id.* 3. 3. 16. Internitentes gemmæ. Sic *Plin.* 37. *Hist. nat.* 5. 17. (65). Tellure versa internitent smaragdi. *Sillig.* vero legit *deoperta nitent*.

INTERNOCTĀTĬO, ōnis, f. 3. (inter *et* nox) pervigilium. *Gloss. Labb.* Παννυχίδες, excubiæ, internoctatio.

INTERNŌDĬUM, ii, n. 2. (inter et nodus). *Internodius*, *ii*, masc. gen. *Colum.* 3. *R. R.* 2. 9. Internodius quoque rarior. *Al. melius leg.* internodiis. — Internodium ¶ 1. Stricto sensu est spatium medium inter duos nodos, quale videmus in arundinibus et culmis. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 2. 2. (21). Arundines vero tantæ proceritatis, ut singula internodia alveo navigabili ternos interdum homines ferant. *Colum. Arbor.* 3. Brevia internodia habent. Adde *Pallad.* 4. *R. R.* 10. 23. et 5. *ibid.* 8. 3. ¶ 2. Latiori sensu ad animalium membra transfertur. *Varro* 2. *R. R.* 9. 4. *de canibus*. Crassis cervicibus, internodiis articulorum longis, cruribus rectis etc. *Virg. Cir.* 491. *de vitello ovi in pullum abeunte*. Internodia membris imperfecta novo fluitant concreta calore. *h. e.* internodia membrorum. *Ovid.* 6. *Met.* 256. Mollis nervosus facit internodia poples. ¶ 3. Latissimo sensu pro cruribus. *Calpurn.* 1. *Ecl.* 26. Longa internodia. *h. e.* longa crura.

INTERNOSCO, noscis, nōvi, nōtum, noscere, a. 3. (inter *et* nosco) est inter alios noscere, sive discernere, *discernere*, *conoscere tra gli altri*, *distinguere*, διαγιγνώσκω. *Plaut. Amph. prol.* 142. Nunc internosse ut nos possitis facilius, ego etc. Adde *eumd. Men. prol.* 20. *Pacuvius* apud *Cic.* 2. *Herenn.* 23. 36. Fortuna dignum atque indignum nequit internoscere. *Cic.* 2. *Divinat.* 63. 128. Quæ (*somnia*) si alia falsa, alia vera: qua nota internoscantur, scire sane velim. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 18. 57. Mater geminos internoscit consuetudine oculorum. *Varro* 9. *L. L.* 56. *Müll.* Propter domesticos usus, quod internovimus, appellatur mas columbus, femina columba. *Cic. Amic.* 25. 95. Secerni blandus amicus a vero et internosci potest, adhibita diligentia. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 7. 22. Geometres cernere ea potest, quæ internosci a falsis non possunt. *Id. ibid.* 15. 48. Ut internoscat, visa vera illa sint, anne falsa. Adde *Prudent. Psychom.* 792.

INTERNUCŪLUS a quibusdam legitur apud *Petron. Satyr.* 7. pro puero meritorio. Sed dici vix potest, quam varie is locus a variis legatur. Meliores lectiones habent *inter titulos*.

INTERNUNCĬA, æ, f. 1. *V.* INTERNUNCIUS sub *b*.

INTERNUNCĬO *vel* internuntio, as, are, a. 1. (inter *et* nuncio) est nuncios vicissim mittere, *mandar messaggieri vicendevolmente*, apud *Liv.* 42. 39. Paullisper internunciando cunctatio fuit.

INTERNUNCĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. sub c.

INTERNUNCĬUS *vel* internuntius, ii, m. 2. (inter *et* nuncius). Occurrit etiam fem. gen. *Internuncia*, *æ*, 1. sub *b.*; et neutr. gen. *Internuncium*, *ii*, 2. sub c. — Internuncius est qui inter aliquos medius est ad aliquid tractandum, et modo illi per vices nunciat, διάκτωρ (It. *messo*, *mezzano*, *interprete*; Fr. *messager*, *intermédiaire*, *médiateur*, *interprète*; Hisp. *mensagero*, *intermedio*, *interprete*; Germ. d. *Unterhändler*; Angl. *a go-between trouchman*, *interpreter*, *internuncio*). — *a*) Masc. gen. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 16. Egone ut ad te ab libertina esse auderem internuncius? *Id. Amph. prol.* 71. Sive qui ipsi ambissent, seu per internuncium. *Ter. Eun.* 2. 2. 56. Ne quis forte internuncius clam a milite ad istam curset. *Cæs.* 1. *B. C.* 20. Internunciis ultro citroque missis. *Nepos Alcib.* 5. Colloqui per internuncium cum aliquo. *Liv.* 33. 28. Internuncius totius rei. *Curt.* 8. 2. 29. Dimisso internuncio pacis, obsidionem ferre decreverat. *Tac.* 15. *Ann.* 56. Internuncium esse inter aliquos. *Justin.* 6. 2. 14. Agere cum aliquo per internuncios. et 1. 2. 12. Responsa per internuncios dare. *Cic.* 7. *Verr.* 6. 14. Ut ab eo vita, vel ipso carnifice internuncio, redimeretur. *Id.* 13. *Phil.* 5. 12. Utrum igitur augurem Jovis optimi maximi, cujus interpretes internunciique constituti sumus etc. — *b*) Femin. gen. *Plaut. Mil. glor.* 4. 1. 39. Hæc celox illius est, quæ hic egreditur, internuncia. *Cic.* 2. *Divinat.* 34. 72. Illæ sunt aves internunciæ Jovis. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 37. 53. (110). Columbæ internunciæ in rebus magnis fuere. — Et cum Genitivo *Apul.* 9. *Met.* Anus quædam adulteriorum internuncia. — *c*) Neutr. gen. *Apul.* 1. *Dogm. Plat. ad fin.* Ea, quæ sunt internuncia sentiendi.

INTERNUNTĬA, **INTERNUNTĬO** et similia *V.* INTERNUNCIA etc.

INTERNUNDĬNĬUM, ii, *et*

INTERNUNDĬNUM, i, n. 2. (inter et nundinæ) spatium novem dierum, inter quos fiunt nundinæ. *Marius Victorin.* ut Latinum agnoscit 1. *artis. Gramm.* p. 2469. *Putsch.* *V.* NUNDINÆ. Ceterum *internundinum* etiam scribitur, quod rectius fortasse habendum est, nam etiam *trinundinum* scribitur. *Varro* apud *Non.* p. 214. 29. *Merc.* Quoties priscus homo ac rusticus Romanus internundinum barbam radebat. *Mercerus* divisim leg. *Macrob.* 1. *Saturn.* 16. Sed hæc omnia negligentius haberi cœpta, et post abolita, postquam internundino etiam ob multitudinem plebis frequentes adesse cœperunt.

INTERNUS, a, um, adject. (intus, intra) interior, intestinus, ὁ ἐντός (It. *interno*, *interiore*; Fr. *intérieur*, *interne*; Hisp. *interior*, *interno*; Germ. *inwendig*, *innerlich*; Angl. *that is within*, *inner*, *interiour*, *internal*). Occurrit tantum apud

scriptores, qui post Augusteum ævum floruerunt. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 27. Aer corruptus internorum ignium vitio. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 68. 68. (173). Oceanus infusus in multos sinus, adeo vicino accessu interna maria allatrat, ut etc. *Sil. It.* 8. 21. Internæ tabes et civica invidia. *Tac.* 2. *Ann.* 26. Internæ discordiæ. *Id. ibid.* 51. Provinciæ internis certaminibus fessæ. *Id.* 2. *Hist.* 69. Internum simul externumque bellum. *Ammian.* 14. 7. Internæ clades. *Id.* 30. 8. Interna exempla. — Hinc

Interna, ōrum, n. 2. absolute, substantivorum more, sunt partes vel res internæ. — *a*) Cum Genitivo. *Veget.* 3. *Veterin.* 1. *circa med.* Interna boum. *h. e.* viscera. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 1. 1. (4). Interna mundi. *Cod. Theod.* 7. 7. 13. Interna provinciarum. *Ammian.* 31. 16. Interna domorum. — *b*) Absolute. *Tac.* 4. *Ann.* 32. Si quando ad interna prævorterent. *alle cose domestiche.* *Ammian.* 30. 6. Venam ejus iterum sæpiusque pungendo, ne guttam quidem cruoris elicere potuit, internis nimietate calorum ambustis.

INTĔRO, tĕris, trīvi trītum, tĕrere, a. 3. (in et tero). Part. *Intritus* in fin. — Interere est idem quod terere tritumque alteri rei immiscere, ἐντρίβω (It. *tritare, pestare e mescolare in altre cose*; Fr. *broyer dans, émietter dans, tremper dans*; Hisp. *majar entre, desmenuzar entre, mezclar*; Germ. *einreiben, einbrocken*; Angl. *to crumble, bruise, or pound into any thing*).

I.) Proprie. *Cato R. R.* 156. *a med.* Infundito in catinum: eo interito etc. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 19. 80. (261). Aridi, ut potioni interi possint. *Id.* 30. *ibid.* 9. 23. (77). Cochleæ illinuntur cum helxines herbæ succo: quidam ex aceto intrivisse contenti sunt. *V. Intritus* in fin.

II.) Translate. Notum est illud *Ter. Phorm.* 2. 2. 4. Tute hoc intristi: tibi omne exedendum est. Ubi *Donatus*: Παροιμία apta parasito, quæ de cibo est. Hoc autem inter rusticos de allato moretario dici solet. Et bene *intristi*: proprie enim *intrita* dicitur hujusmodi cibus. Hæc *Donatus*. Porro hoc proverbium significat: tu te in hoc periculum conjecisti; tu quoque te expedire debes. *tu ti se' fatto questo intriso; e tu dei tutto mangiartelo.* Hoc eodem proverbio utitur *Auson. præf. Edyll.* 7. Tibi, quod intristi, exedendum est: sic vetus verbum jubet. — Hinc Part. præter. pass.

Intritus, a, um, est ¶ 1. In aliqua re tritus, *pesto, tritato*. *Plin.* 24. *Hist. nat.* 3. 3. (7). Glans intrita duritias cum salsa axungia sanat. *Id.* 30. *ibid.* 9. 23. (81). Cantharides cum uva taminia intritæ. ¶ 2. Item aqua, aliove humore mollitus, maceratus, subactus, *macerato, ammollito, intriso*. *Varro* 3. *R. R.* 9. 10. Panis triticeus intritus in aquam. *Id. ibid.* 10. 6. Hordeum intritum in aqua. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 11. (62). Grandissimis baccarum tusis leviter, ne grana frangantur, eaque intrita reste circumlini, atque ita seri. — Apud *Scribon. Compos.* 201. *acetum intritum* est quod rebus contusis et intritis infunditur. — Hinc

Intrita, æ, f. 1. absolute, substantivorum more (*scil.* res), est res aliqua intrita, ὑπότριμμα. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 8. 9. (32).; et *Cels.* 3. 19. *a med.* Intrita panis e vino. *zuppa*. *Cels. ibid.* 6. *a med.* Dari potest intrita ex aqua calida. *pan bollito*, fortasse, aut *pappa*. et 4. 8. *sub fin.* Incipiendum erit a pulticula, vel intrita bene madida. *un pesto brodoso.* Docet *Donatus* loco superius cit. sub II. a rusticis *intritam* vocari allatum moretarium. *V.* MORETUM. Cf. *Phædr.* 1. 26. Intrito cibo Plenam lagonam posuit. — Similiter *Colum.* 12. *R. R.* 57. 1. Semen sinapis in mortarium conjicito et pistillis conterito: quum contritum fuerit, totam intritam ad medium mortarium contrahito et comprimito manu plana. *V.* INFUSURA. — Hinc etiam *Plin.* 35. *Hist. nat.* 14. 49. (170). *de confectione laterum.* Quin et intritam ipsam eorum, priusquam fingantur, macerari oportet. *la pasta.* et 36. *ibid.* 23. 55. (176). Intrita quo vetustior, eo melior. *la calcina bagnata.* et 17. *ibid.* 15. 25. (115). Atque ita ligatum insitum, intritaque illitum operire terra. *h. e.* luto paleis mixto et subacto, ut ipse *ibid.* 14. 24. (112). et *Colum. Arbor.* 26. docent. — Hinc et

Intrītum, i, n. 2. eodem sensu, quo intrita, dixit *Apul.* 11. *Met.* Et insuper fluctus libant intritum lacte confectum.

INTĔRORDĪNĬUM, ii, n. 2. (inter et ordo) spatium quod est inter ordines arborum, *spazio tra ordine e ordine*, μεσοστίχιον, μετόρχιον. *Colum.* 3. *R. R.* 13. 3. Minimum est quinque pedum interordinium, septem maximum. *Id.* 4. *ibid.* 14. 2. Quum terra vitibus detrahitur, et in media spatia interordiniorum confertur. Adde *eumd.* 5. *ibid.* 5. 2.

INTĔROSCĬTANS, antis, particip. ab *inter* et *oscitare*, qui inter aliqua oscitat. Est *Vet. Scholiast.* ad *Lucan.* 6. 126.

INTERPĂTĔO, pătes, pătere, n. 2. (inter et pateo) patesco, apertus sum. *Macrob.* 1. *Saturn.* 18. Ei deo ædes dicata est specie rotunda, cujus medium interpatet tectum. *Id.* 7. *ibid.* 15. *a med.* Pulmo tot meatibus distinctus est, et interpatet rimis. *Veget.* 3. *Milit.* 15. Senos pedes inter singulas acies in latum diximus interpatere debere. *Ammian.* 14. 8. Dein Syria per speciosam interpatet diffusa planitiam. *Capell.* 2. p. 39. A lunari circulo usque ad terram quidquid interpatet, interstitii proprii partitione discernitur. *Id.* 4. p. 214. Inter quos interpatent millia quingenta. *Id.* 8. *p.* 281. Inter septentrionalem circulum et inter solstitialem interpatet tantumdem, quantum interest octo et sex.

INTERPĔDĪO, is, ire, a. 4. (inter et pes, pedis) idem quod impedire, apud *Macrob.* 7. *Saturn.* 12. *extr.* Gustatum linguæ fervor interpedit.

INTERPELLĀTĬO, ōnis, f. 3. (interpello) interpellandi actus. Hinc ¶ 1. Est interruptio, *interrompimento*, διακοπή. *Cic. Partit. orat.* 8. 30. Si interventus alicujus, aut interpellatio dederit occasionem. *Id.* 2. *Orat.* 10. 39. Cursum orationis interpellatione impedire. *Id. Prov. cons.* 8. 18. Orationem interpellatione interrumpere. *Plin.* 9. *Ep.* 36. Interveniunt amici ex proximis oppidis, partemque diei ad se trahunt, interdumque lassato mihi opportuna interpellatione subveniunt. ¶ 2. Item molestia, quæ ex interruptione oritur. *Cic.* 6. *Fam.* 18. Itaque ne litteræ quidem meæ impediuntur, in quibus sine ulla interpellatione versor. *senza disturbi.* Adde *Sueton. Aug.* 72. ¶ 3. Item judiciaria persecutio. *Paul. Dig.* 5. 1. 23. Non potest videri in judicium venisse id, quod post judicium acceptum accidit: ideoque alia interpellatione opus est. *Ulp. ibid.* 50. 16. 188. Obtinere aliquid sine interpellatione. *senza contraddizione.*

INTERPELLĀTOR, ōris, m. 3. (interpello) interventor, qui interpellat, ὁ ὑποβάλλων. ¶ 1. Est qui sermonem interrumpit, *chi rompe il parlare*. *Cic.* 2. *Herenn.* 11. 16. Dialectici alieni sermonis molesti interpellatores. ¶ 2. Item generatim qui interrumpit aliquid aliud agentem eique propterea molestiam creat. *Cic.* 3. *Off.* 14. 58. Et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. *Sueton. Aug.* 97. Quum interpellatores aliis atque aliis causis in jure dicendo (eum) detinerent. ¶ 3. Item qui de re turpi aliquam appellat. *Paul. Dig.* 74. 11. 1. Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores. Adde *Paul.* 5. *Sentent.* 4. 5.

INTERPELLĀTRIX, īcis, f. 3. quæ interpellat. *Hieronym. Ep.* 60. *n.* 11. Vidua interpellatrix duri judicis.

INTERPELLĀTUS, a, um. *V.* INTERPELLO.

INTERPELLĀTUS, us, m. 4. (interpello) idem atque interpellatio. *Auct. Itiner. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 31. *init.* Post id magnæ curæ Alexandro fuit, Ciliciam quoque omni hostium interpellatu purgare. *disturba, molestia.*

INTERPELLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (inter et *obsoleto* pello, as, quod ex compositis conjicimus pro *loqui* usurpatum fuisse. *V.* COMPELLO, as). Part. *Interpellans* sub *A.* 3. 4. et sub. *B.*; *Interpellatus* sub *A.* 3. 4. 5. et sub *B.* — Interpellare

A) Speciatim ¶ 1. Est loquentem interrumpere, interfari, *interrompere chi parla*, ὑποβάλλω, διακόπτω. *Cic.* 1. *Tusc.* 8. 16. Nihil te interpellabo: continentem orationem audire malo. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 10. Tu vero, ut me et appelles, et interpelles, et obloquare, et colloquare, velim. *Sueton. Tib.* 27. Si quid in sermone, vel in continua oratione blandius de se diceretur, non dubitabat interpellare, ac reprehendere et commutare continuo. ¶ 2. Item alloqui aliud agentem, cogitantemve. *Curt.* 6. 10. 19. Id me, quum a Cebalino interpellatus sum, movere non poterat. *Id.* 9. 4. *med.* Si quis arti tuæ intentum et exta spectantem sic interpellet. *Sueton. Vit. Ter.* Ait, C. Lælium — admonitum ab uxore, temperius ut discumberet, petiisse ab ea ne interpellaret, seroque tandem ingressum triclinium dixisse etc. ¶ 3. Item interrumpendo aliquem interfari, affari, interrogare. *Sueton. Gramm.* 22. Causas agebat (*Pomponius*), et solœcismum ab adversario factum usque adeo arguere perseveravit, quoad Cassius Severus, interpellatis judicibus, dilationem petiit, ut litigator suus alium grammaticum adhiberet. *Id. Claud.* 15. Alium interpellatum ab adversariis de propria lite, negantemque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, etc. *Id. Vitell.* 15. Rursus interpellante milite ac populo, et ne deficeret hortante, — animum resumpsit. ¶ 4. Item est precibus petere, flagitare. — *a*) Generatim. *Sueton. Tib.* 34. Interpellari se toto mense ab iis, qui potestatem sui die festo non habuissent. *Id. ibid.* 40. Urbe egrediens, ne quis se interpellaret, edixerat, ac toto itinere adeuntes submoverat. Adde *eumd. Ner.* 40. et *Vesp.* 23. *Val. Max.* 3. 1. *n.* 2. Cato sæpius interpellatus in proposito perstitit. — *b*) Speciatim *interpellare aliquem* est de re turpi appellare, *tentare*. *Paul. Dig.* 47. 11. 1. Qui mulierem, puellamve interpellaverit. *Id.* 5. *Sentent. tit.* 4. Interpellari de stupro. — *c*) Item speciatim *interpellare debitorem* est in, vel extra judicium ab eo debitum petere. *Paul. Dig.* 26. 7. 41. Improba alterum filius nomine consbitur interpellare. et 50. 1. 21. Post mortem patris in reliqua collegarum interpellari cœpit. et 36. 2. 24. Quum interpellatus heres fundum non dederit. *Pompon. ibid.* 22. 2. 2. Si nemo sit, qui ex parte promissoris interpellari trajecticiæ pecuniæ possit. *Papinian. ibid.* 22. 1. 32. Si interpellatus opportuno loco non solverit. ¶ 5. Pro dicere, alloqui. *Lucilius* 28. Verum tu quid agis? interpella me, ut sciam. Ita *Non. p.* 330. 33. *Merc.*

B) Generatim, vel translate ut *Forcellino* placet, est aliquid agentem impedire, remorari, mediam rem turbare, intercipere, *interrompere, disturbare, frastornare, impedire*; et occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. Nos esse iniquos, quod in suo jure se interpellaremus. *Id.* 3. *B. C.* 105. Senatores ex provincia vocasse, sed interpellatum adventu Cæsaris profugisse. Cf. *Ammian.* 14. 6. Tria millia saltatricum ne interpellata quidem remanebant. — *b*) Cum Accusativo rei, namque ad inanima etiam refertur. *Cic.* 1. *Att.* 19. *ante med.* Hæc tota res interpellata bello refrixerat. *Cæs.* 3. *B. C.* 73. Sive ipsorum perturbatio, sive error aliquis, sive etiam fortuna partam jam victoriam interpellasset. *Liv.* 3. 57. Stupro interpellato magis, quam cæde motus. *Id.* 9. 14. *ad fin.* Infensi milites ob interpellatam dulcedinem iræ. Adde *Plancum* apud *Cic.* 10. *Fam.* 23. *a med.* Sic *Auct. B. Alex.* 50. Sibi, quod rapuerant, acceptum ferebant: quod interciderat, aut erat interpellatum, Cassio assignabant. *h. e.* interceptum. *Curt.* 6. 6. 12. Otium bello interpellare. *Justin.* 15. 3. 3. morem. *Id.* 18. 5. 7. incrementa urbis. *Id.* 27. 2. 10. pacem. — Huc pertinent illa JCtorum, *Tryphon. Dig.* 23. 5. 16. Lex Julia non interpellat eam possessionem, quæ per longum tempus fit. *h. e.* interrumpit, tollit. *Paul. ibid.* 8. 6. 18. Interpellare jus alicujus. et 41. 5. 2. *extr.* usucapionem. *Julian. ibid.* 17. 1. 30. manumissionem servi. *h. e.* impedire. *Modestin. ibid.* 40. 5. 38. *extr.* jurisdictionem. — De rebus physicis. *Curt.* 4. 6. 8. Nec saxa cotesque, quæ interpellent specus, obstabant. *h. e.* intercidant, obstruant, impediant. Sic *Id.* 6. 4. 3. Amnis saxo, quod alveolum interpellat, repercussus, duo itinera aperit. — *c*) Cum part. *quin*. *Matius* apud *Cic.* 11. *Fam.* 28. *ad fin.* Cæsar numquam interpellavit, quin, quibus vellem, uterer. — *d*) Cum part. *quo minus*. *Brutus* apud *Cic. ibid.* 10. Interpellent me, quo minus honoratus sim, dum ne interpellent, quo minus respublica a me administrari possit. — *e*) Cum part. *ne*. *Liv.* 4. 43. Tribunis interregem interpellantibus, ne senatusconsultum fieret. — *f*) Cum infinito. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 127. Pransus non avide, quantum interpellet inani Ventre diem durare. *h. e.* quantum impediat, ne ventre jejuno totum diem durem. — *g*) Absolute. *Cic.* ad *Anton.* post *ep.* 13. l. 14. *ad Att. sub fin.* Interpellantibus enim his inimicitiis, animus tuus mihi magis patuit, quam domus. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 56. (154). Chelidoniæ utera parte purpureæ nigris interpellantibus maculis. *h. e.* intervenientibus, ut ait loco simili *Isid.* 16. *Orig.* 9. 6.

INTERPENDĪUM. *V.* INTERPONDIUM.

INTERPENSĪVA, ōrum, n. plur. 2. (inter et pendēre) scilicet tigilla; apud Vitruv. 6. 3. sub init. aliis sunt tigilla ab angulis parietum ad angulos tignorum, ad imbres in colliquias derivandos, vel alium quemvis usum interlocata, quasi ea, quæ a pendendo Græci κρεμαστῆρα appellant. Aliis sunt fulcra stillicidiorum, quæ uno capite trabes projectas sustinent, altero infiguntur parieti. Aliis trabes a pariete in parietem trajectæ ad easdem trabes sustinendas. Eorumdem interpensivorum dispositionem et usum demonstrare conatus est Jos. Riva, in opere, cujus mentionem habes in V. DISPLUVIATUS, p. 38. quem consule sis: sed præcipue V. Avellino, Descriz. di una casa Pompejana p. 9.

INTERPLĬCO, as, are, a. 1. (inter et plico) implicare, involvere, internectere, inviluppare, avvolgere, παρεμπλέκω. Stat. 2. Theb. 282. raptumque interplicat atro Tisiphones de crine ducem. et 4. ibid. 218. Albaque puniceas interplicat infula cristas.

INTERPŎLĀMENTUM, i, n. 2. (interpolo) id quod miscetur, interpolatur. Claud. Mamert. de Stat. anim. præfat. Sicque adjectis nostris aliquot sine alienorum interpolamento finem liber accepit.

INTERPŎLĀTĬO, ōnis, f. 3. (interpolo) actus interpolandi, renovatio, ripulimento, rinfrescamento, rinnovazione, ἀνακαίνισις. Plin. 13. Hist. nat. 12. 23. (75). de charta. Excepit hanc Fannii sagax officina, tenuatamque curiosa interpolatione, principalem fecit e plebeja. Adde Tertull. advers. Hæret. 39.

INTERPŎLĀTOR, ōris, m. 3. (interpolo) qui interpolat, reficit, renovat; et præsertim translate qui renovando fucum facit et corrumpit, rifacitore, rinnovatore, corruttore, ἐπιχνιαστής. Tertull. Spectac. 2. Multum interest inter corruptelam et integritatem, quia multum est inter institutorem et interpolatorem. Id. Testim. anim. 3. Satanas totius sæculi interpolator. Id. Apolog. 46. extr. interpolator veritatis.

INTERPŎLĀTRIX, icis, f. 3. (interpolo) quæ interpolat et rei veteri novam speciem inducit. Afferunt quidam hoc fragmentum Pomponii. Interpolatricem arcessire oportet, quæ huic vestem adducet. — Ceterum translate occurrit, et est quæ fucum facit et corrumpit. Nazar. Paneg. Constantin. 15. de historia. Neque in hoc veri interpolatrix tenenda. non si dee stimare, che abbia alterata la verità. Tertull. advers. Hæret. 7. sub fin. Sapientiæ humanæ affectatrix et interpolatrix veritatis.

INTERPŎLĀTUS, a, um. V. INTERPOLO.

INTERPŎLIS, e, adject. (interpolo) qui interpolari potest: item interpolatus, refectus.

I.) Proprie. Plin. 19. Hist. nat. 2. 8. (29). Est sparti natura interpolis, rursusque quam libeat vetustum novo miscetur. Fronto de orat. (edente iterum A. Maio) ep. 3. Peritiæ opus est, ut vestem interpolem a sincera discernas.

II.) Translate. Plaut. Most. 1. 3. 117. Istæ veteres, quæ se unguentis unctitant, interpoles, vetulæ, edentulæ. h. e. quæ se pigmentis oblinunt, ut faciem novent, ringiovanite a forza di belletti. Plin. 29. Hist. nat. 1. 5. (11). de medicina. Mutatur ars quotidie, toties interpolis.

INTERPŎLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Part. Interpolans II. 1.; Interpolatus II. 1. 2. et 3. — Interpolare est immittere, interponere, et novam formam e vetere fingere in vestibus: est enim proprium artis fullonicæ, quæ poliendo diligenter vetera quæque, quasi in novam speciem mutat, rinnovare, rinfrescare, ripulire, racconciare, ἀνασκευάζω.

I.) Proprie. Cic. 2. ad Q. fr. 12. Quod nolit, inquam, renovare honores eosdem, quo minus togam prætextam quotannis interpolet.

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro rebus quibuslibet vetustis novam formam inducere, immutare, renovare, instaurare, nova veteribus miscendo. Plaut. Amph. 1. 1. 161. Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo. Cf. eumd. Most. 1. 3. 105. Nova picturæ interpolare vis opus lepidissimum? h. e. pigmento vis corrumpere faciem tuam pulcherrimam? Cic. 3. Verr. 61. 158. de tabulis. Semper aliquid demendo, mutando, curando, ne litura appareat, interpolando. Plin. 12. Hist. nat. 14. 32. (59). At hercle Alexandriæ, ubi tura interpolantur. id est rudia quum sint, polliuntur. Convehebatur enim illuc tus rude, aspectu simile cortici. si raffinano. et 35. ibid. 16. 56. (194). Tectoriorum albaria interpolare. Id. 36. ibid. 26. 67. (197). Ex quo apparet antiquior materiæ origo. nunc vitri similitudine interpolata. Ulp. Dig. 21. 1. 37. Quia igitur venalicii sciunt, facile decurri ad novitiorum emptionem, idcirco interpolant veteratores, et pro novitiis vendunt. Jul. Valer. res gest. Alex. M. (edente A. Maio) 3. 57. Ebeno plurima interpolante. ¶ 2. Est etiam addendo corrumpere. Ammian. 15. 5. Florentius – contemplans diligentius scripta, apicumque pristinorum reliquias quasdam reperiens, animadvertit, ut factum est, priore textu interpolato longe alia, quam dictarat Silvanus, ex libidine consarcinatæ falsitatis adscripta. Minuc. Fel. Octav. 34. Interpolata veritas. Prudent. præf. 2. Apotheos. 45. qui læta Christi colla fur interpolat, Addens avenas æmulas. ¶ 3. Item interpellare, interrumpere. Seneca Ep. 47. Magno malo ulla voce interpolatum silentium luitur. Al. leg. interpellatum. Curt. 4. 6. 28. Vincam tamen silentium, et si nihil aliud, certe gemitu interpolabo. Al. leg. interpellabo. Id. 6. 2. 5. Satietatem epularum ludis interpolabat. h. e. intermiscebat: nam et qui interpolant, miscent nova veteribus. Recentiores tamen hic quoque leg. interpellabat. Certior est lectio apud Veget. 3. Milit. 6. a med. Vitandum, ne aliis festinantibus, aliis tardius incedentibus interrumpatur acies: continuo enim hostes interpolata pervadunt.

INTERPŎLUS, a, um, adject. (interpolo). Qui interpollus scribunt, male scribunt. — Interpolus est interpolatus, refectus, racconciato, rinfrescato, rifatto. Martian. Dig. 18. 1. 45. Si vestimenta interpola quis pro novis emerit, Trebatio placere, ita emptori præstandum quod interest, si ignorans interpola emerit.

INTERPONDĬUM, ii, n. 2. (inter et pondus) idem atque æquipondium, contrappeso, quum nempe in utraque libræ lance paria sunt pondera. Gloss. Philox. Interpondium, παράλληλον. Salmas. in Solin. p. 708. interpendium legendum putat.

INTERPŌNO, pōnis, pŏsŭi, pŏsĭtum, pōnere, a. 3. (inter et pono). Part. Interponens 1.; Interpositus 1. 2. et 7.; Interponendus 1. et 7. — Interponere ¶ 1. Generatim est inter aliqua ponere, interjicere, interserere, παρεντίθημι (It. frapporre, frammettere; Fr. mettre entre, placer entre, interposer; Hisp. poner entre, poner dentro, interponer; Germ. dazwischen stellen, legen, setzen, schieben, beieinmischen; Angl. to interpose, put in between or amongst, insert). Occurrit — a) Universim. Auct. B. Afr. 13. Inter eos levis armaturæ Numidas interposuerant. Auct. B. G. 8. 17. Equitatui interponit præsidia levis armaturæ. Plin. 23. Hist. nat. 4. 14. (55). Cibis frigidam interponere. h. e. bibere inter cibos. Cic. Amic. 1. 3. Quasi ipsos induxi loquentes, ne inquam et inquit sæpius interponeretur. Id. 1. Divinat. 57. 131. Paucis interpositis versibus. et Nepos Pelop. 3. Hoc loco libet interponere, etsi sejunctum a re proposita est, nimia fiducia quantæ calamitati soleat esse. — b) Hinc et pro interfari, interloqui. Cic. Quinct. 4. 15. Neque interea verbum illum interposuit Nævius. Quintil. 6. 3. 64. Augustus præfecto, quem cum ignominia mittebat, subinde interponenti precibus, quid respondebo patri meo? dixit, dic me tibi displicuisse. — c) Hinc usurpatur etiam de aliis et abstractis: quæ Forcellinus inter translata retulit. Cic. 13. Phil. 7. 15. Interponere auctoritatem. Liv. 34. 25. jusjurandum. Cic. 2. ad Q. fr. 3. querelas. Id. 5. Verr. 57. 131. nomen alicujus in re turpi. Cels. 3. 3. Illo tantum interposito discrimine, quod etc. Justin. 7. 6. 4. Alia (bella) interposita pactione composuit, alia redimit. Adde eumd. 22. 3. 3. — Huc referri potest et illud Nepot. Themist. 7. Dedit operam, ut quam longissime tempus duceret, causam interponens, se collegas exspectare. h. e. afferens. — Similiter Cic. 6. Phil. 1. 2. Nullam moram interponendam insequendi Antonium putavi. Id. 1. Acad. (post.) 1. 1. Nullam moram interponendam putavimus, quin etc. Tac. 13. Ann. 46. Interponere cunctationem. — d) Præcipue de tempore. Cic. Cluent. 2. 5. Spatio interposito, et causa cognita consenescet. Sic Cæs. 3. B. C. 74. Interponere spatium ad recreandos animos. Id. 1. B. G. 11. Tridui mora interposita. Cic. Mur. 17. 35. Dies intermissus unus, aut nox interposita, sæpe perturbat omnia. Adde Liv. 44. 39. Sic Varro 3. R. R. 9. 11. Diebus aliquot interpositis. Sueton. Claud. 26. Vix uno die interposito. Id. Tib. 9. Tempore interposito. ¶ 2. Speciatim interponere se est se immiscere, ingerirsi, frammischiarsi, entrare. Cic. 10. Fam. 27. Sapientius facies, si te in istam pacificationem non interpones. Auct. B. G. 8. procem. Qui me mediis Cæsaris scriptis interposuerim. Nepos Att. 9. Quum post calamitatem versuram facere (Fulvia) non potuisset, ille se interposuit; pecuniamque sine fenore sinequu ulla stipulatione credidit. Rursus Cic. Divin. in Q. Cæcil. 6. 21. Cur te interponis, invitissimis iis, quibus etc.? Id. 3. ad Q. fr. 4. ad fin. Tu vero, quod voles, facies: nihil me intérpono. Flor. 3. 10. med. Num me interpono Romanis? Cic. Vatin. 15. 37. Num quem putas posse reperiri, qui se interponat, quo minus etc. — Huc referri potest et illud Ulp. Dig. 44. 5. 1. a med. Parvi refert, proinde libertus patrono cogatur dare, an per interpositam fidejussoris personam. ¶ 3. Item speciatim interponere fidem est sua fide confirmare, in suam fidem recipere, polliceri, impegnar la parola. Cic. Rosc. Am. 39. 114.; et Cæs. 5. B. G. 36. Inque eam rem fidem suam interponeret. Auct. B. Alex. 63. Fidem suam in re omni interponit. ¶ 4. Item aliquando est admittere, adhibere, uti. Sueton. Cal. 39. Provincialem locupletem ducenta HS. numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur. Id. Ner. 22. Interponere aliquem epulis familiaribus. Id. Aug. 74. acroamata. scil. cœnæ. Cic. Divin. in Q. Cæcil. 19. 63. Pro sociis, pro salute provinciæ operam, studium, laborem interponere. ¶ 5. Item intercedere, opponere. Cic. 2. Phil. 4. 9. Quid enim me interponerem audaciæ tuæ? Ulp. Dig. 44. 1. 2. Exceptionem actioni interponere. Sic Val. Max. 6. 1. n. 10. de tribunis. Intercessionem suam interposuerunt. ¶ 6. Item proferre, proponere. Cic. 7. Att. 15. Interponere postulata. Id. 2. Divinat. 72. 150. Quum proprium sit Academiæ, judicium suum nullum interponere. Quintil. 5. procem. 3. Sententiam suam interponere. — Huc referri potest et illud Cic. 3. Verr. 11. 30. Interposuistis accusatorem, qui etc. h. e. submisistis. ¶ 7. Item edicere, judicare, facere. Cic. 4. Verr. 48. 119. Ob decreta interponenda pecuniam accipere. Id. 5. ibid. 19. 48. Acerbiorem legem, duriora edicta interposuit. Id. ibid. 27. 66. Iste, pœnis compromissisque interpositis, HS ccc. extorquenda curavit.

INTERPŎSĬTĬO, ōnis, f. 3. (interpono) insertio, interjectio, frapponimento, interposizione, παρένθεσις. ¶ 1. Generatim. Cic. 1. Invent. 6. 8. Quæstionem autem eam appellat, quæ habeat in se controversiam in dicendo positam, sine certarum personarum interpositione. Vitruv. 6. 5. Interpositiones columnarum. ¶ 2. Speciatim de iis, quæ lineis superscribi et interscribi solent, dum aliquid emendatur. Cic. 16. Fam. 22. Tu istic, si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis. Una omnino interpositio difficilior est, quam ne ipse quidem facile legere soleo, de quadrimo Catone. aggiunta interlineare. ¶ 3. Item speciatim dicitur etiam de parenthesi, figura rhetorica, parentesi. Quintil. 9. 3. 23. V. INTERCLUSIO.

INTERPŎSĬTUS, a, um. V. INTERPONO.

INTERPŎSĬTUS, us, m. 4. (interpono) idem quod interpositio et interventus. Cic. 2. Nat. D. 40. 103. Luna interpositu interjectuque terræ repente deficit. Plin. 2. Hist. nat. 10. 7. (47). Solis radios luna interpositu suo auferens terræ.

INTERPRECIUM. V. INTERPRETIUM.

INTERPRES, ĕtis, m. et f. 3. Ratione habita etymi, alii ab inter ducunt et pretium, quod præsertim locum habeat in contrahendo: alii a para, quod sit quasi inter partes: alii a paro: alii aliunde. Priscian. 14. p. 990. Putsch. Interpres, cujus simplex, id est pres, in usu non inveni. Ceterum interpres ¶ 1. Generatim est internuncius, qui in aliqua re agenda medium se interponit, quasi conciliator et auctor, μεσίτης (It. mezzano, sensale, mediatore; Fr. intermédiaire, médiateur, négociateur; Hisp. intermedio, mediador; Germ. Unterhändler, Mittler, Vermittler; Angl. a mediator; umpire, arbitrator). Plaut. Curc. a. 3. v. 64. Quod te præsente istic egi, teque interprete. Id. Mil. glor. 4. 1. 6. Quæ tibi conditio nova et luculenta fertur per me interpretem! Cic. 2. Verr. 12. 36. Qui aut deponere, aut recipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrumpendi judicii solent esse. Ubi Pseudo-Ascon. per quos indicitur pactio. Plancus

apud *Cic.* 10. *Fam.* 11. *sub fin.* Utor in hac re adjutoribus interpretibusque fratre meo et Laterense. *Liv.* 21. 12. Se pacis ejus interpretem fore pollicetur. *Val. Flacc.* 6. 690. Regius interpres ut fœdera jungat. *plenipotenziario.* *Cic.* 1. *ad Brut.* 10. Cæsarem quidam improbissimis litteris fallacibusque interpretibus ac nunciis impulerunt in spem certissimam consulatus. *Virg.* 4. *Æn.* 377. Jove missus ab ipso Interpres divum fert horrida jussa per auras. *h. e.* Mercurius, qui est deorum internuncius. *Id. ibid.* 608. Tuque harum interpres curarum et conscia Juno. *h. e.* quæ has nuptias conciliasti. ¶ 2. Speciatim, quoniam hujusmodi homines eorum animos sciscitantur, quibuscum agunt; hinc *interpres* accipitur etiam pro eo, qui obscura exponit, *interprete*, ἐξηγητής. *Cic. Topic.* 1. 4. Interpres juris. *Id.* 1. *Divinat.* 18. 34. Grammatici interpretes poetarum. *Id.* 2. *ibid.* 44. 92. Interpretes cæli. *h. e.* astronomi. *Id.* 1. *Legg.* 10. 30. Interpres est mentis oratio. *Horat. Art. P.* 111. effert animi motus interprete lingua. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 6. 5. (44). Menander diligentissimus interpres luxuriæ. *intendentissimo del lusso.* *Liv.* 27. 44. *extr.* Metus interpres semper in deteriora inclinatus. ¶ 3. Item sæpe dicitur de auguribus, et somniorum vel similium conjectoribus. *Cic.* 13. *Phil.* 5. 12. Augures interpretes internunciique Jovis. *Virg.* 3. *Æn.* 359. Trojugena interpres divum. *Liv.* 1. 7. *a med.* Mater veridica interpres deum. *Cic.* 2. *Divinat.* 35. 73. Avis illa videri posset interpres et satelles Jovis. Adde *Ovid.* 3. *Amor.* 5. 45. Rursus *Cic.* 2. *Divinat.* 28. 62. Quod etiam conjector quidem et interpres portentorum non inscite respondisse dicitur. *Id.* 5. *Phil.* 4. 9. Interpres auspiciorum. *Id. Quinct.* 3. 6. somniorum. *Curt.* 7. 7. 24. extorum. *Sil. It.* 8. 478. fulminis. *Ammian.* 29. 1. fatorum. ¶ 4. Item de eo, qui ex una in aliam linguam convertit, *traduttore*, *interprete*. *Cic. Opt. gen. Orat.* 5. 14. Nec converti, ut interpres, sed ut orator. *Id.* 3. *Fin.* 4. 15. Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent. ¶ 5. Item qui duorum diversa lingua utentium sermonem explicat, *interprete*. Hujusmodi homines habere solebant in provinciis Romani magistratus. *Cæs.* 1. *B. G.* 19. Divitiacum ad se vocari jubet, et quotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium, familiarem suum, cum eo colloquitur. *Cic.* 13. *Fam.* 54. M. Marcilius, amici atque interpretis mei filius. *Id.* 2. *Divinat.* 64. 131. Tamquam si Pœni, aut Hispani in senatu nostro loquerentur sine interprete. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 2. 3. (6). Appellare aliquem per interpretem. *Cic.* 5. *Fin.* 29. 89. Audire aliquem eum interprete. *Gell.* 17. 17. Per interpretem colloqui. *Liv.* 27. 43. Litteræque lectæ per interpretem sunt.

INTERPRESSUS, a, um. *V.* INTERPRIMO.

INTERPRĔTĀBĬLIS, e, adject. (interpretor) qui explicari potest. *Tertull. advers. Valentinian.* 14. *V.* ININTERPRETABILIS.

INTERPRĔTĀMENTUM, i, n. 2. (interpretor) idem atque interpretatio, ἑρμήνευμα. *Petron. Satyr.* 10. Interpretamenta somniorum. *Gell.* 6. 2. Si cui istud interpretamentum videbitur obscurius. *Id.* 13. 9. Propterea suculas appellarint Romani, quod eas ὑάδας Græci vocant; tamquam id verbum Latinum Græci interpretamentum sit.

INTERPRĔTĀTĬO, ōnis, f. 3. (interpretor) expositio, conjectura, judicium, *interpretazione*, *esposizione*, ἑρμηνεία. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Off.* 10. 33. Existunt sæpe etiam injuriæ calumnia quadam, et nimis callida, sed malitiosa juris interpretatione. *Id. Balb.* 6. 14. Interpretatio fœderis. *Liv.* 2. 8. Nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 53. 54. (141). Interpretatio fulgurum. *Id.* 7. *ibid.* 56. 57. (203). ostentorum et somniorum. Sic *Curt.* 3. 3. 4. Ad hæc vates varia interpretatione curam distrinxerant: alii lætum id regi somnium esse dicebant etc. Rursus *Plin.* 2. *Hist. nat.* 107. 111. (241). Interpretatio naturæ. *studio delle cose naturali.* *Id.* 3. *ibid.* 17. 21. (124). nominis. *etimologia.* *Id.* 18. *ibid.* 5. 6. (26). Singula magnas interpretationes habent. *grandi sensi.* *Sueton. Cæs.* 14. Consulem non piguit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire. *mitigare con ispiegazione.* ¶ 2. Speciatim *interpretatio* est figura rhetorica, eadem atque illa, quæ Græco vocabulo synonymia vocatur. *Cic.* 4. *Herenn.* 28. 38. Interpretatio est, quæ non iterans idem redintegrat verbum, sed id commutat, quod positum est, alio verbo, quod idem valeat, hoc modo: Rempublicam radicitus evertisti, civitatem funditus dejecisti. Item: Patrem nefarie verberasti, parenti manus scelerate intulisti.

INTERPRĔTĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* interpretatio, brevis interpretatio, *interpretazioncella*. *Hieronym. Ep.* 112. *n.* 19. Miror, quod Christiani hominis interpretatiunculam non sequaris.

INTERPRĔTĀTOR, ōris, m. 3. (interpretor) explicator, interpres. *Tertull. advers. Prax.* 19. Ipse interpretator est, quomodo cælum solus extenderit. *Id. Monog.* 6. Apostolus edocet interpretator utriusque testamenti.

INTERPRĔTĀTŌRĬUS, a, um, adject. (interpretor) qui ad interpretationem pertinet. *Tertull.* 2. *ad Nation.* 4. Quod si nomen istud proprium divinitatis, et simplex, nec interpretatorium in illo Deo reprehensum etc.

INTERPRĔTĀTRIX, īcis, f. 3. (interpretator) quæ interpretatur. Affertur a *Charis.* 1. *p.* 35. *Putsch.*, nullo tamen auctore laudato.

INTERPRĔTĀTUS, a, um. *V.* INTERPRETOR sub 1. *b.*

INTERPRĔTĬUM *vel* interprecium, ii, n. 2. (inter *et* pretium) lucrum, vel damnum inter emptum et venditum; sæpius tamen accipitur pro lucro: ut si quid pretio unius solidi sive aurei emptum, tribus postea solidis sive aureis vendam, interpretium erit duo solida, *differenza di prezzo tra una compera e una vendita.* *Ammian.* 28. 1. Verum, quoniam denis modiis (*tritici*) singulis solidis indigentibus venumdatis, emerat ipse tricenos, interpretii compendium ad principis ærarium misit. *h. e.* quum tritici decem modios uno solido vendidisset, triginta modios eodem solido comparaverat, ideoque interpretii compendium, quod erat duorum solidorum in singulum solidum, ad publicum ærarium misit. *Gloss. Philox.* Interpretium, παράλληλον. *h. e.* τίμημα. Adde *Cassiod.* 2. *Variar.* 26.

INTERPRĔTO, as, etc. *V.* voc. seq. sub 1. *b.*

INTERPRĔTOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (interpres). Divisit more suo per tmesin *Lucret.* 4. 830. Cetera de genere hoc inter quæcumque pretantur. — Part. *Interpretans* et *Interpretatus* 1.; *Interpretaturus* 2.; *Interpretandus* 1. — Interpretari ¶ 1. Stricto sensu est interpretem agere, exponere, explicare rem obscuram, ἑρμηνεύω (It. *interpretare*, *spiegare*, *esporre*; Fr. *interpréter*, *expliquer*, *éclaircir*; Hisp. *interpretar*, *explicar*, *aclarar*; Germ. *erklären*, *auslegen*, *übersetzen*, *deuten*; Angl. *to interpret*, *expound*, *explain*). Occurrit — a) Deponent. forma. — Generatim. *Cic.* 2. *Off.* 2. 5. Nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiæ. *Id.* 1. *Legg.* 4. 14. Qui jus interpretari populo et responsitare soliti sunt. *Id.* 2. *ibid.* 5. 11. In ipso nomine legis interpretando inest vis et sententia justi. *Id.* 1. *Orat.* 34. 158. Interpretari scriptores. *Sueton. Gramm.* 1. Antiquissimi doctorum – nihil amplius quam Græcos interpretabantur, aut, si quid ipsi Latine composuissent, prælegebant. — Speciatim *interpretari somnium*, *prodigium* etc. est, quid illa portendant, explicare: quod est augurum, conjectorum et hujusmodi. *Cic.* 1. *Divinat.* 6. 12. Monstra aut fulgura interpretantes. *Id. ibid.* 2. 3. In monstris interpretandis, aut procurandis. et *ibid.* 41. 92. Etruria interpretatur, quid quibusque ostendatur portentis. *Curt.* 3. 3. 6. Protinusque Chaldæos interpretatos, imperium Persarum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus. Adde *Sueton. Cæs.* 7., *Aug.* 94. et *Galb.* 8. — b) Passive. *Ammian.* 24. 6. Flumen Naarmalcha, quod amnis regum interpretatur. (nam Hebr. נָהָר *nahàr* est amnis, et מֶלֶךְ *mélech* rex). *Cic.* 2. *Legg.* 12. 29. Vesta quasi focus Urbis, ut Græco nomine est appellata, quod nos prope idem Græcum interpretatum nomen tenemus. *Id. Harusp. resp.* 17. 37. Quæ nunc ex Etruscis libris in te conversa atque interpretata dicuntur. *Id.* 1. *Divinat.* 23. 46. Ex quo illud somnium esse interpretatum. *Liv.* 23. 11. Carmina ex Græco interpretata. *Macer Dig.* 49. 1. 4. An jure interpretatum sit. Adde *Sueton. Ner.* 13.; et *Ammian.* 23. 5. et 17. 4. Similiter *Julian. Dig.* 28. 5. 37. Hæc verba sic interpretanda sunt, ut etc. Adde *Paul. ibid.* 50. 17. 12.; et *Augustin. in Psalm.* 126. *n.* 3. ¶ 2. Latiori sensu est in bonam aut malam partem accipere. *Cic. ad Planc. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att. in fin.* Sic velim existimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo summo beneficio me affectum judicem. *Id. Mur.* 31. 64. Mitiorem in partem aliquid interpretari. *Id. Brut.* 1. 5. Grato animo alicujus felicitatem interpretari. *Id.* 3. *Nat. D.* 31. 77. Bene dicta male interpretari. *Seneca Ep.* 63. *ante med.* Beneficium fortunæ male interpretari. *Plin.* 2. *Ep.* 13. *a med.* Beneficia mea ipse tam grata interpretatur, ut, dum priora accipit, posteriora mereatur. ¶ 3. Hinc ponitur etiam pro colligere, eruere, intelligere, *intendere*, *ricavare*. — a) Cum Accusativo. *Cic.* 2. *Invent.* 47. 139. Cogitationem alicujus assequi, et voluntatem interpretari. *Id.* 3. *Tusc.* 17. 37. Numquid est aliud? recte ne interpretor sententiam tuam? *Id.* 15. *Att.* 28. Bruti epistolæ, quam interpretari vix ipse poteram, exemplum tibi miseram. *appena avea potuto intendere.* *Colum.* 11. *R. R.* 2. 67. Vindemiarum maturitatem alii aliter interpretati sunt: quidam quum vidissent partem aliquam uvarum virescere: quidam quum coloratas animadvertissent etc. — b) Cum Infinito. *Cic.* 3. *Off.* 32. 113. Reditu enim in castra, liberatum se esse jurejurando, interpretabatur. *Liv.* 3. 36. Nec attinuisse demi securim, quum sine provocatione creati essent, interpretabantur. *Nepos Att.* 3. Quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam alia adscita. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. (94). Interiisse gaudio sibi illum natum, seque in eo nasci, interpretatus est. ¶ 4. Pro definire, pronunciare. *Liv.* 1. 23. Cupido imperii duos cognatos populos ad arma stimulat: neque, recte, an perperam, interpretor. ¶ 5. Cum Dativo est tribuere, *ascrivere*. Sic *interpretari memoriæ alicujus* apud *Plaut. Epid.* 4. 1. 25. est divinare, et dicere quid quis meminerit. — *Interpretari diabolo*, h. e. tribuere, acceptum ferre, dixit *Tertull. Virgin. veland.* 15.

INTERPRĬMO, primis, pressi, pressum, primere, a. 3. (inter et premo). Part. *Interpressus* II. — Interprimere est comprimere, vel premendo collidere, re aliqua compressa spiritum intercludere, *soffocare*, διασπίζω.

I.) Proprie. *Plaut. Rud.* 3. 2. 46. Qui sacerdoti scelestus fauces interpresserit.

II.) Translate pro occultare, *sopprimere*. *Accius* apud *Non. p.* 467. 24. *Merc.* ex lectione *Bothii Poet. trag. p.* 165. Quod dii interdiu Inferûm penitus interpressum altis clauserunt specis. *V.* SPECUS. *Minuc. Fel. Octav.* 10. Quod colunt, et interprimunt.

INTERPUNCTĬO, ōnis, f. 3. (interpungo) actus interpungendi, distinctio, *distinzione*, *interpunzione*, διαστολή. *Cic. Mur.* 11. 25. Res enim sunt parvæ prope in singulis litteris atque interpunctionibus verborum occupatæ.

INTERPUNCTUM, i, n. 2. (interpungo) idem atque interpunctio. *Cic.* 3. *Orat.* 46. 79. Clausulas et interpuncta verborum animæ interclusio et angustiæ spiritus attulerunt.

INTERPUNCTUS, a, um. *V.* voc. seq. in fin.

INTERPUNGO, pungis, punxi, punctum, pungere, a. 3. (inter et pungo). Part. *Interpunctus* in fin. — Interpungere est punctis distinguere, *distinguere con punti*, διαστέλλω, διαστίζω. *Seneca Ep.* 40. *a med.* Nos etiam quum scribimus, interpungere consuevimus. — De ratione interpungendi agunt *Diomed.* 2. *p.* 432. *Putsch.*, *Lips. epist. cent.* 3. *miscell. n.* 39., *Manut.* et *Cellar.* in *Orthograph. Emman. Alvar. l.* 3. *c.* 18., et *Frid. Osann.* in *Syllog. Inscript. Græc. et Latin. p.* 74. — Interpungere pro distinguere verbum unum in duo legitur apud *Mar. Victorin. de Orthogr.* 1. *p.* 2468. *Putsch.* Non composita interpungere, qualia sunt levisomna, biduansula, tardigrada: hæc enim fiunt specie et significatione unum. — Hinc Part. præter. pass.

Interpunctus, *a*, *um*, est generatim distinctus, *distinto*, διεσταλμένος. *Cic.* 2. *Orat.* 80. 328. Sed et festivitatem habet narratio distincta personis et interpuncta sermonibus. *Id. Orat.* 16. 53. Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est: distincta

alios et interpuncta intervalla, moræ respirationesque delectant.

INTERPURGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (inter et purgo) idem fere quod purgare. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 26. 65. (243). Herbas malas radicitus erui, ficus interpurgari. *h. e.* interputari.

INTERPŪTO, as, are, a. 1. (inter et puto) idem quod putare, per intervalla amputare. *Cato R. R.* 50. Ficos interputare. *Varro* 1. *R. R.* 30. *extr.* oleam. *Colum. Arbor.* 30. rosas.

INTERQUĔROR, quĕreris, questus sum, quĕri, dep. 3. (inter et queror) in media aliqua re queri, *lamentarsi.* *Liv.* 33. 35. *ad fin.* Ætolorum principes interquesti sunt, quod etc. *Alii leg.* leniter questi sunt.

INTERQUIESCO, quiescis, quiēvi, quiētum, quiescere, n. 3. (inter et quiesco) inter aliquid agendum quiescere, *riposarsi, ristarsi a mezzo di qualche fatica.* — a) De hominibus. *Cato R. R.* 159. Adde vini Coi cyathum unum, bibe, interquiesce: deinde iterum eodem modo, deinde tertium. *Cic. Brut.* 23. 91. Quum hæc dixissem, et paullulum interquievissem. *Ammian.* 20. 5. Princeps tribunal adscendit —: quumque interquievisset paullulum, dum alte contemplatur præsentium vultus etc. — b) De abstractis. *Seneca Ep.* 78. Dolor interquiescit. *Plin.* 8. *Ep.* 21. Julio mense, quo maxime lites interquiescunt.

INTERRĀDO, rādis, rāsi, rāsum, rādere, a. 3. (inter et rado). Part. *Interrasus* 1. et 2. — Interradere ¶ 1. Est per intervalla radere, ita ut aliquid politum, aliquid vero sit perforatum, *radere, perforare interpolatamente, lavorare a straforo*, διαξέω. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 49. (140). Vasa (*argentea*) repositoriis imponimus, et ad sustinenda opsonia interradimus latera; et interest, quam plurimum limæ perdiderit. *Sillig.* nonnulla hoc loco aliter omnino legit. *Id.* 35. *ibid.* 1. 1. (2). Interraso marmore, vermiculatisque ad effigies rerum et animalium crustis. *h. e.* interrasili. Sic *Lactant.* ad illud *Statii* 7. *Theb.* 658. et fibula rasilis auro; hæc habet: Ad luxuriam retulit pulcritudinem fibulæ; erat enim foraminibus multis exornata, quas vulgo interrasas appellant. ¶ 2. Item stolones arborum hac illac interputare, *diradare, dibruscare.* *Plin.* 15. *Hist. nat.* 1. 2. (4). Oleæ tondentur, quum et vites, atque etiam interradi gaudent. *Id.* 18. *ibid.* 27. 67. (254). Taleas olivarum ponere, ipsasque oleas interradere, rigare prata æquinoctii diebus primis. *h. e.* ramos inutiles amputare. Sic *Colum.* 11. *R. R.* 2. 41. Oleæ putentur et emuscentur. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 18. 30. (130). Similiter *Paulin. Nolan. carm.* 24. 254. (*de virgis a Jacobo per intervalla decorticatis*, ex *Genes.* 30. 37.). Ut de interrasa variatis cortice virgis insignita gregis sancti fetura probetur. ¶ 3. Item intervellere, *spiantare, svellere qua e là.* *Colum. Arbor.* 19. Arbores, si spisse posueris, fructuosæ non erunt, nisi eas interraseris. *Id.* 5. *R. R.* 10. 5. eadem verba repetens habet *intervulseris.*

INTERRĀSĪLIS, e, adject. (interrado) rasus, limatus per intervalla, *lavorato a straforo.* *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 42. (94). Coronas ex cinnamo interrasili auro inclusas primus omnium in templis Capitolii atque Pacis dicavit Vespasianus Aug. *scil.* ut ab omnibus videri, tangi tamen non possent. *Hieronym.* 12. in *Ezech.* 41. 16. Fenestræ quoque erant factæ in modum retis, instar cancellorum, ut non speculari lapide, nec vitro, sed lignis interrasilibus et vermiculatis clauderentur. *finestre ingraticolate di legno, gelosie.* *Venant.* 1. *carm.* 13. 15. Hic sculptæ cameræ decus interrasile pendet. *Vulgat. interpr. Exod.* 25. 25. et 37. 12. Corona aurea interrasilis. et 3. *Reg.* 7. 28. Opus basium interrasile erat. *Anastas.* vero *bibliothec.* in *Vit. pontif. Leonis III.* Hic idem præsul fecit crucem anaglypham interrasilem ex argento purissimo. V. *Fontanini, Discus argent.* p. 5. *Anonym. Vales.* ad *Ammian.* § 79. Laminam auream jussit (*Theodericus*) interrasilem fieri, quatuor litteras regis habentem (*Theo.*, seu Θεοδ.), ut si subscribere voluisset, posita lamina super chartam, per eam penna duceretur, et subscriptio ejus tantummodo videretur.

INTERRĀSOR, ōris, m. 3. artifex operum interrasilium. *Gloss. Philox.* Interrasor, διακροτητής.

INTERRĀSUS, a, um. *V.* INTERRADO.

INTERREGNUM, i, n. 2. (inter et regnum). ¶ 1. Stricto sensu est regni intervallum, tempus illud, quo regnum rege vacat: ab *inter* et *rex*, quia inter regem defunctum et regem eligendum interpositum est, *interregno*, μεσοβασιλεία. Ejus originem *Liv.* 1. 17. tradit. *Id. ibid.* Id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, interregnum appellatum. ¶ 2. Latiori sensu, vel translate ut aliis placet, dicebatur, quum consulum loco, quod abessent reipublicæ causa, aut vitio creati fuissent, si dictatorem dici non placeret, interrex creabatur, per quem consularia comitia haberentur. *Cic.* 9. *Att.* 9. Nam permagni ejus interest, rem ad interregnum non venire. *Id.* 7. *ibid.* 9. Rem adduci ad interregnum. *Liv.* 7. 21. Res ad interregnum redit. — *Interregnum inire* est interregis potestatem capere. *Liv.* 3. 8. Tertio die, quam interregnum inierat, consules creat.

INTERREX, rēgis, m. 3. (inter et rex). ¶ 1. Stricto sensu est qui regis mortui munera fungitur, donec novus creatus sit, *vicerè in morte del re, reggente*, μεσοβασιλεύς. Apud Romanos primum interrex creatus fuit post mortem Romuli. Hinc mos exstitit, ut quando rex mortuus esset, interrex constitueratur. Creatus est a patribus, et ex patribus. Patres enim illi, ex quibus senatus a Romulo constitutus est, Romulo mortuo, decem factis decuriis eorum senatorum, qui prima electione ex Albanis electi fuerant, (nam *Livius* 1. 8. quidem centum senatores a Romulo creatos esse scripsit: sed *Dionysius* l. 2. ducentos duabus electionibus, prima ex Albanis, altera ex Sabinis), singulos ex singulis legerunt, qui summæ rerum præessent, et ex his unum decreverunt, qui esset cum fascibus et reliquis regiæ potestatis insignibus. Primi illius interregni imperium quinque dierum spatio finiebatur. Nam singulos imperare oportebat eo ordine, quo sors unicuique obtigisset. Transacto quinquaginta dierum spatio, quo illi decem primi regnaverant, rursus decem decuriis factis ex secundæ electionis senatoribus, qui ex Sabinis erant, decem alii creati eum magistratum suscepere. Atque ita imperium per omnes in orbem ibat. Regni intervallum annuum fuit, rege denique constituto Numa Pompilio. Vide *Dionys.* l. 2. et *Liv.* 1. 17. — Causam interregis creandi habes apud *Cic.* 2. *de republ.* 12. (edente *A. Maio*). ¶ 2. Latiori sensu: etiam reipublicæ tempore interrex creari solitus fuit. Quum enim consules abessent reipublicæ causa, aut vitio creati fuissent, si dictatorem comitiorum causa dici non placeret, res deducebatur ad interregem, et per eum consularia comitia habebantur. Ejus imperium similiter quinque dierum erat, ut tradit *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Mil.* 5., de quo infr. — Interregem patricium esse, et a patricio prodi necesse erat, *Cic. Dom.* 14. 38. *Id.* 3. *leg. Agr.* 2. 5. L. Flaccus interrex legem de Sulla tulit, ut omnia quæcumque ille fecisset, rata essent. *Id. Dom. loc. cit.* Interregem prodere. *Liv.* 5. 31. creare. Cf. *Inscript.* apud *Orell.* 539., 541. et 542. — Porro *Cic.* 2. *de republ.* 12. (edente *A. Maio*) docet, ei, qui primus interrex creabatur, comitia habere minime licuisse, sed ei tantummodo, qui secundo loco proditus fuerat: idipsum confirmat *Vet. Scholiast.* ad *Cic. Mil.* 5. editus ab *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 2. p. 101.

INTERRĬGO, as, are, a. 1. (inter et rigo) in medio rigare. *Rutil. Itiner.* 1. 201. Et tamen insanas cedendo interrigat undas.

INTERRĪTĒ, adverb. (interritus) intrepide. *Capell.* 1. p. 7. Dum sola (*Virtus*) cunctos interrite transmearet.

INTERRĪTUS, a, um, adject. (in privat. et territus) non territus, imperterritus, intrepidus, *intrepido, imperterrito*, ἀδεής. — a) De hominibus. *Virg.* 11. *Æn.* 737. spectatque interrita pugnas. *Ovid.* 5. *Met.* 506. nec adhuc interrita vultu. *Seneca Ep.* 41. Homo interritus periculis, intactus cupiditatibus. *Quintil.* 5. 7. 11. Plus deprehensi nocent, quam firmi et interriti profuissent. *Tac.* 1. *Ann.* 64. Secundarum ambiguarumque rerum sciens: eoque interritus. *Vellej.* 2. 70. 2. Cervicem interritus præbuit. *Gell.* 19. 1. Scire cupiens, quo statu animi, et an interritus intrepidusque esset. — b) De rebus. *Quintil.* 1. 3. 4. Hæc vultu interrito, nulla tardati verecundia, proferunt. *Virg.* 5. *Æn.* 863. interrita classis. — c) Cum Genitivo. *Ovid.* 10. *Met.* 616. et mens interrita leti.

INTERRĪVĀTĬO, ōnis, f. 3. (inter et rivo) derivatio aquarum inter duo loca. *Capell.* 6. p. 203. Quas angustias Hellespontum dicunt: verum hac angustiora quadam interrivatione per octoginta sex millia distenduntur.

INTERRĪVĀTUS, a, um, adject. (inter et rivo) rivi tractu, vel generatim lineæ ductu interstinctus. *Capell.* 6. p. 202. Hispania Iberi fluminis interrivata tractu, amnis sui meruit cognomentum. *Id. ibid.* p. 191. Quæ tamen immenso, quo cingitur illa profundo, interrivata marmore talius erat.

INTERRŎGĀMENTUM, i, n. 2. (interrogo) idem atque interrogatio. *Gloss. Philox.* Interrogamentum, πεῦσις.

INTERRŎGĀTĬO, ōnis, f. 3. (interrogo). ¶ 1. Generatim est actus interrogandi, interrogatio, ἐρώτησις, πεῦσις (It. *interrogazione, domanda*; Fr. *interrogation, question, demande*; Hisp. *interrogacion, demanda*; Germ. *d. Frage*; Angl. *a question, demand, interrogation*). *Quintil.* 8. 5. 5. Sententia per interrogationem. *Id.* 5. 7. 16. Contra testes duplici acie confligitur, actionum et interrogationum *et ibid. ante med.* Interrogationi instare. *persistere nell'interrogare.* Sic *Id.* 6. 3. 68. Instare interrogatione. *insistere interrogando.* *Justin.* 11. 11. 10. Tertiam interrogationem poscenti, victoriam omnium bellorum possessionemque terrarum dari responderetur. *Plin.* 1. *Ep.* 5. Laqueis insidiosæ interrogationis involvi. — Ceterum de tribus interrogationum generibus consule *Vet. Interpret.* in *argum. orat. de ære alieno Milonis* ab *A. Maio* edit. in *Class. Auct. T.* 2. p. 218. ¶ 2. Speciatim est quæstio, inquisitio, *esame.* *Martian. Dig.* 48. 3. 6. Quum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis et receptoribus, et interrogationes litteris inclusas atque obsignatas ad cognitionem magistratus mittant. *Tac.* 6. *Ann.* 47. Interrogatio testium. ¶ 3. Item speciatim apud Rhetores est figura sententiarum, quum non simpliciter sciscitandi gratia quidpiam interrogamus, sed instandi et urgendi. *Quintil.* 9. 2. 15. et 9. 3. 98. ¶ 4. Quia veteres Dialectici sæpe per interrogationem et responsionem argumenta disponebant: rogabant enim aliquid; quo admisso conficeretur id, quod argumentatione probare conabantur (qua de re *Gell.* 16. 2.): hinc aliquando *interrogatio* argumentum significat, licet interrogando non efferatur, *argomento, sillogismo.* *Cic. Fat.* 12. 29. Si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere, sive tu medicum adhibueris, sive non, non convalesces. Medicum ergo adhibere nihil attinet. Recte genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum est. *Seneca Ep.* 87. *ante med.* Volo paucissimas interrogationes nostrorum tibi reddere: Quod bonum est, bonos facit: fortuita bonum non faciunt: ergo non sunt bona. Adde *eumd. ibid. ad fin.* et *Ep.* 82., 83. et 85. et 2. *Quæst. nat.* 37. *V.* INTERROGO 3. ¶ 5. Pro stipulatione, quia et hæc per interrogationem fit. *Seneca* 3. *Benef.* 15. Ille per tabulas plurium nomina, interpositis pararis, facit: ille non est interrogatione contentus, nisi reum (*al. minus recte* rem) manu sua tenuit. *V.* STIPULATIO.

INTERRŎGĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut. ab* interrogatio, brevis interrogatio: item breve argumentum, ut in INTERROGATIO sub 4. dictum est. *Cic. proœm. Parad.* 2. Minutis interrogatiunculis et quasi punctis, quod proposuit, efficit. Adde *eumd.* 4. *Fin.* 3. 7. *Seneca Ep.* 82. *sub fin.* Verba mihi captiosa componis et interrogatiunculas nectis. Adde *Ammian.* 29. 1.; et *Capell.* 4. p. 95.

INTERRŎGĀTĪVĒ, adverb. (interrogativus) interrogando, per interrogationem, *interrogando*, ἐρωτηματικῶς. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 56. Hucusque interrogative pronunciandum est: et contra responsive *omnes rejecti sunt.* Adde *eumd. ibid.* 42.; et *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 41.

INTERRŎGĀTĪVUS, a, um, adject. (interrogo) interrogationem continens, *interrogativo*, πευστικός. *Priscian.* 17. p. 1059. *Putsch.* Adverbia *quo, ubi, unde, qua* et *quando* possunt et interrogativa, et relativa, et infinita esse. *Diomed.* 2. p. 432. Interrogativa particula. — Hinc

Interrogativus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est membrum orationis per interrogationem dispositum. *Salvian. Ep.* 4. *ante med.* Parentes carissimi, interrogativos, quæsumus, liceat. *scil.* facere.

INTERRŎGĀTOR, ōris, m. 3. (interrogo) qui

interrogat, *interrogatore*, ἐπερωτητής. *Ulp. Dig.* 11. 1. 11. *circa med.* An obscure respondeat, ut incertum dimittet interrogatorem.

INTERRŎGĀTŌRĬUS, a, um, adject. (interrogo) ad interrogandum pertinens, interrogativus, *interrogativo*, *interrogatorio*, ἐρωτηματικός. *Callistrat. Dig.* 11. 1. 1. Interrogatoriæ actiones. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 25. Interrogatorio sono legendum est.

INTERRŎGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INTERRŌGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (inter et rogo). Part. *Interrogans* et *Interrogatus* 1. et 2.; *Interrogandus* 1. — Interrogare ¶ 1. Generatim est percontari, sciscitari, quærere, rogare, ἐρωτάω (It. *interrogare, ricercare, domandare*; Fr. *interroger, demander, questionner*; Hisp. *interrogar, preguntar, inquirir*; Germ. *fragen, befragen, verhören, verklagen*; Angl. *to ask, question, demand, inquire, interrogate*). Occurrit — a) Sequente part. *utrum, si nec ne, num, an, ne, cur.* *Nepos Iphicr.* 3. Is quum interrogaretur, utrum pluris patrem, matremne faceret: Matrem, inquit. *Plaut. Pœn.* 3. 4. 20. Censetis, hominem interrogem, meus servus si ad eum venerit, nec ne? *Cic.* 1. *Cat.* 5. 13. Interrogas me, num etc. *Sueton. Aug.* 54. Interrogatus, an etc. Sic *Plin. Paneg.* 64. Stupeo, P. C., nec dum satis aut oculis meis, aut auribus credo, atque identidem me an audierim, an viderim interroga. *Cæs.* 3. *B. C.* 71. *extr.* Magna verborum contumelia (eos) interrogans, solerent ne etc. Similiter *Plin. Paneg.* 41. Interrogandus videris, satisne etc. *Sueton. Cæs.* 74. *extr.* Interrogatus, cur etc. — b) Sequente relativo *ecquis, quis, qualis, quantus* etc. *Plaut. Curc.* 2. 3. 61. Me interrogat, ecquem trapezitam novarim? *Cic.* 2. *Orat.* 54. 220. A Philippo interrogatus, quid latraret? furem se videre respondet. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 3. Interrogabat suos, quis esset? Sic *Tac.* 2. *Hist.* 72. Interrogatus quisnam mortalium esset. *Sueton. Ner.* 49. Interrogarit, quale id genus pœnæ esset. *Id. Vesp.* 23. Interrogavit, quanti calceasset. — c) Cum Accusativo personæ et Ablat. rei. *Cic. Partit. orat.* 1. 2. Ut tu me Græce soles ordine interrogare, sic ego te vicissim eisdem de rebus Latine interrogem. Cf. *Tac.* 12. *Ann.* 22. Interrogatam Apollinis simulacrum super nuptiis imperatoris. — Huc referri potest illud *Plin.* 1. *Ep.* 5. *ante med.* Interrogare testes in reos. *esaminare.* — d) Cum Accusativo personæ et rei. *Plaut. Merc.* 1. 2. 70. Hoc quod te interrogo, responde. Sæpius hoc sensu occurrit Part. præter. pass. *Sueton. Tib.* 71. Miles interrogatus testimonium. *ricercato di fare testimonianza.* et *Tac.* 2. *Hist.* 53. Interrogatus causam digressus. et *Vellej.* 2. 35. 3. Pæne inter ultimos interrogatus sententiam. *ricercato del suo parere.* — e) Hinc cum Accus. rei *Liv.* 45. 25. Sententiæ interrogari cœptæ. et *Sueton. Cæs.* 21. Interrogare sententias. *h. e.* petere a senatoribus, ut in senatu, quid sentiant, expromant. Quo sensu *Plin. Paneg.* 76. Quis antea loqui, quis hiscere audebat, præter miseros illos, qui primi interrogabantur? — Huc pertinet et illud *Paul. Dig.* 45. 1. 83. § 2. et *Caj. ibid.* 141. § 3. Respondere ad interrogatum. — f) Absolute. *Cic. Orat.* 40. 137. Ut interrogando urgeat, at rursus, quasi ad interrogata, sibi ipse respondeat. — g) *Interrogandi casus* est Genitivus. *Nigidius* apud *Gell.* 13. 25.; et ipse *Gell.* 20. 6. ¶ 2. Speciatim est accusare, inquirere in aliquem, *inquerire, accusare.* *Cic. Dom.* 29. 77. Quis me unquam ulla lege interrogavit? quis diem dixit? *Sall. Cat.* 18. Legibus ambitus interrogati, pœnas dederant. *Liv.* 38. 50. Neminem civem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit. Adde *Sall. Cat.* 31.; et *Vellej.* 2. 13. 3. Similiter *Tac.* 13. *Ann.* 14. Pepigerat Pallas, ne cujus facti in præteritum interrogaretur. et 14. *ibid.* 46. Damnatus Priscus repetundarum, Bithynis interrogantibus. Formulam hoc modo interrogandi habes apud *Liv.* 8. 32. ¶ 3. Item speciatim pro argumentari, *argomentare, disputare*: *V.* INTERROGATIO sub 4. *Seneca Ep.* 87. *ad fin.* Posidonius sic interrogandum ait: Quæ neque magnitudinem animo dant, nec securitatem, non sunt bona: divitiæ nihil horum faciunt: ergo non sunt bona.

INTERRUMPO, rumpis, rūpi, ruptum, rumpere, a. 3. (inter et rumpo). Tmesis est in illo *Lucret.* 5. 288. et radios inter quasi rumpere lucis. Sic in illo ejusd. 5. 300. nec loca lux inter quasi rupta relinquit. — Part. *Interrumpens* et *Interrumpendus* II.; *Interruptus* I. et II. — Interrumpere est in medio rumpere, dividere, abrumpere, διαῤῥήγνυμι (It. *rompere a mezzo, interrompere*; Fr. *rompre, couper, déchirer, briser*; Hisp. *romper en medio, gastar, destrozar*; Germ. *zerreissen, ab –, zerbrechen*; Angl. *to break down, break off, or asunder*).

I.) Proprie. *Sisenna* apud *Non.* p. 294. 8. *Merc.* Cohors una, qua murus erat interruptus, evasit. *Cæs.* 1. *B. C.* 48.; et *Liv.* 2. 10. Pontes ambos, quos Fabius fecerat, uno die interrupit. Adde *Justin.* 2. 13. 5. Similiter *Cæs.* 7. *B. G.* 34.; et *Tac.* 3. *Hist.* 70. Interrupti fluminum pontes. *Tac.* 16. *Ann.* 15. Venæ quamquam interruptæ parum sanguinis effundebant. *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 116. Contingere idem terræ necesse est, ut omnibus ejus partibus in medium vergentibus, nihil interrumpat, quo labefactari possit. *Ammian.* 24. 2. Occupant arcem, asperi montis interrupta planitie superpositam. *Tac.* 3. *Ann.* 31. Itinera interrupta et impervia. *Cic.* 6. *de republ.* 19. Hos, qui incolunt terram, interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit. *separati, distinti, dissiti.* *Virg.* 9. *Æn.* 239. Interrupti ignes. *h. e.* rari, non totis castris continuati. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 14. 17. (43). Interruptis angusto transitu jugis. *separati, divisi.* *Liv.* 26. 5. et 40. 40. Interrupta acies. *sgominata.*

II.) Translate. *Plaut. Trin.* 5. 2. 25. Interrumpere sermonem. Sic *Tac.* 2. *Hist.* 41. Interruptus sermo. *Varro* 2. *R. R.* 1. 1. Ista, quæ cœperat hic dissercre; quum Petam fessum visere venissemus, ni medici adventus nos interrupisset. *Cæs.* 3. *B. C.* 19. Quorum mediam orationem interrumpunt undique subito tela immissa. *Quintil.* 9. 2. 71. Interrupta silentio dictio. *Ovid.* 11. *Met.* 420. Singultuque pias interrumpente querelas. *Cic. Cæl.* 24. 59. Interruptis atque morientibus vocibus significabat, quanta impenderet procella urbi. *Curt.* 5. 1. 1. Si quæque suis temporibus reddere voluero, interrumpendæ sunt res Asiæ. *h. e.* narratio de rebus Asiæ. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 14. (55). Interrumpere somnos. *Cic.* 4. *Att.* 2. Occupatio nulla esse potest tanta, ut interrumpat iter amoris nostri et officii mei. *Id.* 5. *Fam.* 8. Multa varietate temporum interruptum officium, cumulate reddidi. *h. e.* intermissum. *Id.* 15. *ibid.* 14. Amicitia, quæ longis intervallis temporum interruptam consuetudinem habuit. *Id.* 1. *Legg.* 3. 9. Neque tam facile interrupta contexo, quam absoluta instituta. *Virg.* 4. *Æn.* 88. Pendent opera interrupta. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 25.; et *Tac.* 2. *Hist.* 27. Ordinem cœptum interrumpere. *Quintil.* 11. 2. 46. Interruptus actionis impetus. *Tac.* 1. *Ann.* 25. Interruptus tumultus. *h. e.* tantisper sedatus. *Cajus Dig.* 41. 3. 5. Interrumpitur possessio, quum quis de possessione dejicitur.

INTERRUPTĒ, adverb. (interruptus) incise, divise, *interrottamente.* Figurate *Cic.* 2. *Orat.* 80. 329. Si verbis usitatis, si ordine temporum conservato, si non interrupte narrabitur.

INTERRUPTĬO, ōnis, f. 3. (interrumpo) actus interrumpendi, *interrompimento.*

I.) Proprie. *Inscript.* apud *Orell.* 862. VIA AD FONTEM AQVARVM INTERRVPTIONE ET LATROCINIIS DESTITVTA. *Vulgat. interpr.* 2. *Esdr.* 6. 1. Quum audisset, quod ædificassem ego murum, et non esset in ipso residua interruptio etc.

II.) Translate. ¶ 1. Speciatim est hoc nomine figura rhetorica. *Quintil.* 9. 2. 14. Ἀποσιώπησις, quam idem Cicero reticentiam, Celsus obticentiam, nonnulli interruptionem appellant. ¶ 2. Generatim. *Paul. Dig.* 41. 3. 2. Usurpatio est usucapionis interruptio.

INTERRUPTOR, ōris, m. 3. (interrumpo) qui interrumpit, *interruttore.* *Gloss. Philox.* Interruptor, διαῤῥήκτης.

INTERRUPTUS, a, um. *V.* INTERRUMPO.

INTERSÆPIO vel intersēpio, sæpis, sæpsi, sæptum, sæpire, a. 4. (inter et sæpio vel sepio). Part. *Intersæptus* I. et II. — Intersæpire est sæpibus quibusdam intercludere, *assiepare, chiudere a guisa di siepe, barricare,* διαφράσσω.

I.) Proprie. *Liv.* 34. 40. Nunc præliis lacessendo, nunc operibus intersæpiendo quædam, ne exitus ad fugam esset. *Cic.* 1. *Tusc.* 20. 47. Foramina illa, quæ patent ad animum a corpore, terrenis concretisque corporibus sunt intersæpta quodammodo. *Tac.* 3. *Hist.* 21. Legio densis arbustis intersæpta. *cinta, difesa.*

II.) Translate est generatim munire, intercludere. *Liv.* 25. 11. Vallo urbem ab arce intersæpire statuit. Cf. *eumd.* 6. 9. et 21. 34. *Cic. Balb.* 18. 43. Ne intersæptum sit his iter perpetuo ad hoc amplissimum præmium civitatis. Cf. *Ammian.* 14. 2. Rursus *Liv.* 1. 27. a *med.* Id factum magnæ parti peditum Romanorum conspectum abeuntis exercitus intersæpsit. *tolse, impedì la vista.* *Tac.* 3. *Hist.* 53. Intersæpta Germanorum auxilia. *serrati fuori, arrestati a mezza strada.*

INTERSÆPTUM vel interseptum, i, n. 2. (intersæpio) est — a) Idem ac diaphragma. *Gloss. Philox.* Intersæptum, διάφραγμα. — b) Item in plur. num. divisiones limitum. *Auson. Grat. act.* 37. Tu, Gratiane, tot imperii Romani limites, tot flumina et lacus, tot veterum intersæpta regnorum ab usque Thracia per totum, quam longum est, Illyrici latus, Venetias, Liguriamque, et Galliam veterem, insuperabilia Rhætiæ, Rheni accolas, Sequanorum invia, porrecta Germaniæ celeriore transcursu, quam est properatio nostri sermonis, evolvis.

INTERSÆPTUS vel interseptus, a, um. *V.* INTERSÆPIO.

INTERSCALMĬUM, ii, n. 2. (inter et scalmus) Gr. μεσοσκάλμιον, est spatium illud in navi, quod est inter duos scalmos. *Vitruv.* 1. 2.

INTERSCALPTUS, a, um, adject. (inter et scalptus) in medio scalptus, atque adeo affabre scalpendo elaboratus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 58. Quod una de gemmis scalptum templum, indidemque eculumuas cerneret interscalptas.

INTERSCĂPĪLĬUM, ii, n. 2. (inter et scapula) *Intersclapium* legitur apud *Musam de tuenda valet.* p. 112. edent. *Cald.* Genua succident, lumbi gravabuntur, intersclapium contrahetur. — Interscapilium est spatium illud in dorso, quod inter scapulas est, μετάφρενον. *Apul. Florid.* n. 14. Quum interscapilium Crates retexisset, quod erat aucto gibbere. *Optimæ edition. habent* interscapulum, ut et apud *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. Cucurbitulæ apponendæ stomacho atque thoraci, et interscapulis atque præcordiis. Adde *Gloss. Philox.*: At apud *Hygin.* 3. *Astron.* 1. Arctos habet stellam in summo interscapillo unam. Adde *eumd. ibid.* 19. 20. 23. 26. 27. 37.; et *Isid.* 11. *Orig.* 1. In *Not. Tir.* p. 128. legitur *interscapulium.* Ceterum *V.* infra INTERSCAPULUS.

INTERSCĂPŬLUM, i, n. 2. *V.* voc. præced.

INTERSCĂPŬLUS, a, um, adject. (inter et scapula) qui inter scapulas est. *Cæl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. *ante med.* Atque omnes interscapulas partes cum stomacho, usque ad locum, quo discernitur venter, quem diaphragma vocant, simili curatione insumus. et *mox.* Nunc stomachus, nunc vesica, nunc interscapulæ releventur.

INTERSCĀTENS, entis, adject. (inter et scateo) in medio scatens. *V.* INTERLOQUOR II.

INTERSCINDO, scindis, scidi, scissum, scindere, a. 3. (inter et scindo) medium discindere, atque adeo abrumpere, dividere, *rompere o tagliare per mezzo,* διασχίζω.

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Legg.* 4. 10. A tergoque pontem interscindi juberet. *Cæs.* 2. *B. G.* 9. Ut castellum expugnarent pontemque interscinderent. *Id.* 7. *B. G.* 24. *extr.* Alii turres reducerent, aggeremque interscinderent. *Auct. B. G* 8. 43. Opera flumma comprehensa partim restinguunt, partim interscindunt. *Tac.* 15. *Ann.* 35. Brachiorum venas Torquatus interscidit. *aprì.*

II.) Translate. *Liv.* 28. 7. Chalcis arcto interscinditur freto. *h. e.* separatur, dirimitur. *Seneca* 3. *Quæst. nat.* 11. Sæpe ruina interscindit aquas. *h. e.* fontium iter interrumpit. *Ammian.* 14. 8. Quam mediam navigabile flumen interscindit. *Id.* 21. 10. Illyrios et Thracas interscindunt montes. — *Gell.* 12. 1. *ad fin.* Vinculum illud animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, interscindunt. *Seneca Ep.* 72. *circa med.* Imperfectis adhuc interscinditur lætitia: sapienti vero contexitur gaudium: nulla rumpitur causa.

INTERSCRĪBO, scribis, scripsi, scriptum, scribere, a. 3. (inter et scribo). Part. *Interscribens* II. — l...erscribere est in medio scribere, inter versus scribere, scribendo interponere, interserere, *scrivere di mezzo,* παραγράφω.

I.) Proprie. *Plin.* 7. *Ep.* 9. Multa retinere, plura transire, alia interscribere, alia rescribere.

II.) Translate. *Solin.* 33. *circa med. de phœnice.* In cauda roseis pennis cœrulens interscribitur nitor. *h. e.* intermiscetur. *Id.* 5. *ad fin. de achate lapide.* Quippe interscribentes eum venæ naturalibus sic notant formis, ut varias præferat rerum imagines. *h. e.* intercurrentes et distinguentes.

INTERSĔCĪVUS, a, um, adject. (interseco) intersectus, divisus. In agris *intersecivi termini* sunt, qui intercidantur montibus, vel alio soli genere, quod culturam non patitur. *Frontin. de colon. p.* 112. et 119. *Goesii.* Al. leg. *intercisivus*, quod est ab *intercido*, eodem sensu. Hinc *Boeth.* 2. *Geom. p.* 1230. Agros convallium jure ordinario disposuimus, quos intercisivos nominavimus.

INTERSĔCO, sĕcas, sĕcŭi, sectum, sĕcare, a. 1. (inter *et* seco). Part. *Intersecans* et *Intersectus* I. — Intersecare est per medium secare, in partes secare, *tagliare per mezzo*, διατέμνω.

I.) Proprie. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 9. Non intersectas commenta retexere telas. *Ammian.* 29. *sub fin.* Tiberis media intersecans mœnia. Sic *Id.* 25. 10. Tiberis intersecans urbem æternam. *Id.* 15. 4. Hanc paludem – amnis mediam velut finali intersecat libramento. *Id.* 21. 12. Aquarum ductibus intersectis. Adde *Avien. Or. Marit.* 610. Sic *Capell.* 6. p. 202. Qui quidem Nilus eamdem (*Asiam*) Africamque disrumpens telluris complexum intersecat multitudine fluviorum.

II.) Translate. *Cic.* 3. *Herenn.* 14. 24. Ut ipsa pronunciatione res ipsas, quas demonstravimus, inserere, aut intersecare videamur in animis auditorum. *Alii aliter leg.*

INTERSECTĬO, ōnis, f. 3. (interseco) actus intersecandi, *intersecazione*, διακοπή. *Vitruv.* 3. 3. *a med.* Intersectio, quæ Græce μετοχή dicitur, sic est dividenda etc. *h. e.* spatium inter denticulos, qui sunt supra zophorum.

INTERSECTUS, a, um. *V.* INTERSECO.

INTERSĒMĬNĀTUS, a, um, adject. (inter *et* semino) in medio, vel per intervalla seminatus. *Apul. de Mag.* Remedia sane sunt plurima in omnibus rebus naturæ munere interspersa atque interseminata.

INTERSĒPĬO, sēpis, etc. *et*

INTERSEPTUM, i. *V.* INTERSÆPIO et INTERSÆPTUM.

INTERSĔRO, sĕris, sĕrŭi, sertum, sĕrere, a. 3. (inter *et* sero, serui). Part. *Interserens.* — Interserere est in medio serere, *intrecciare in mezzo*: sed occurrit translate tantum pro interponere, intermiscere, interjicere, *frapporre, frammettere. Ovid.* 10. *Met.* 559. mediis interserit oscula verbis. *Nepos Miltiad.* 4. Causam interserens, se hostem esse Atheniensibus. *Pallad.* 9. *R. R.* 11. Si se vallis interserat. *Stat.* 6. *Theb.* 781. et manibus necopinum interserit ictum. *h. e.* inter manus ictum caventes plagam infligit. — *Forcellinus* hæc omnia inter sequentis verbi translata retulit.

INTERSĒRO, sēris, sēvi, situm, sērere, a. 3. (inter *et* sero, sevi). Part. *Intersitus* I. et II.; *Interserendus* I. — Interserere est inter aliqua serere, *piantare o seminare tra mezzo*, παρεμφυτεύω.

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 1376. omnia pomis intersita dulcibus. *Colum.* 3. *R. R.* 9. 7. Quemnam igitur existimas vitium numerum interseri posse duorum jugerum malleolis? *Id. ibid.* 16. 1. Malleolus ordinariis vitibus interserendus est. *Id.* 8. *ibid.* 15. 5. Eaque contegantur intersitis buxeis, aut myrteis fructibus. *Pallad.* 1. *R. R.* 41. 2. Serrulæ manubriatæ, quibus facile est, quod per serram fieri non potest, resecando trunco arboris, aut vitis interseri. *incalmarsi.*

II.) Translate est interponere, *frapporre. Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 17. (43). Nullis ossibus spinisve intersitis, carne prædulci. *Plin. alter* 3. *Ep.* 19. Habet multum jucunditatis soli cœlique mutatio, ipsaque illa peregrinatio intersita. *Gell.* 2. 22. *ante med.* Quatuor venti intersiti inter primores duos. *C. Ælius Gallus* apud *eumd.* 16. 5. Janua procul via est, area vacanti intersita.

INTERSISTO, sistis, stiti, stitum, sistere, n. 3. (inter *et* sisto) in medio immorari, *fermarsi a mezzo*, διΐσταμαι. Translate tantum occurrit apud *Quintil.* 8. 3. 45. Intersistere nos indecentissime cogit. *h. e.* in medio sermone consistere. *et* 9. 4. 33. Vocalium concursu hiat et intersistit et quasi laborat oratio. — Sic passive impersonaliter *Id.* 9. 4. 36. Longæ syllabæ aliquid etiam medii temporis inter vocales, quasi intersistatur, assumunt. *et* 9. 4. 206. Ubi cursus orationis exigitur, et clausulis non intersistitur.

INTERSĪTUS, a, um. *V.* INTERSERO secundo loco.

INTERSŎNO, as, are, n. 1. (inter *et* sono) in medio sonare. *Stat.* 5. *Theb.* 144. mediis intersonat Orpheus Remigiis.

INTERSPERSUS, a, um, particip. ab inusit. *interspergo* (inter *et* spargo) sparsus per intervalla. *Apul.* 5. *Met.* Interspersus rara canitie. Adde alium *ejusd. loc. cit.* in INTERSEMINATUS.

INTERSPĪRĀTĬO, ōnis, f. 3. (interspiro) inter spirandi actus, *respiro, il respirare*, διαπνοή. *Cic.* 3. *Orat.* 44. 171. Interspirationis enim, non defatigationis nostræ, neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 18. (29). Mustum raptim et sine interspiratione potum.

INTERSPĪRO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (inter *et* spiro) de medio, seu per medium spirare, *traspirare*, διαπνέω. *Cato R. R.* 112. Operculum imponito, relinquito, qua interspiret.

INTERSTERNO. *V.* INTERSTRATUS.

INTERSTES, itis, adject. (intersto) interjectus, interpositus, medius. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 33. *ad fin.* Desierunt vetera, et coeperunt nova, interstite Joanne.

INTERSTINCTĬO, ōnis, f. 3. (interstinguo) distinctio, divisio. *Arnob.* 6. 3. Sidereos evomunt variata interstinctione fulgores. *Alii leg.* interstitione.

INTERSTINCTUS, a, um. *V.* voc. seq. in fin.

INTERSTINGUO, stingui, stinxi, stinctum, stinguere, a. 3. (inter *et* stinguo). Part. *Interstinctus* in fin. — Interstinguere ¶ 1. Est penitus exstinguere, *estinguere totalmente*, nam præpositio *inter* hic vim habet φθαρτικήν, idest corruptivam, ut in *interficere, interimere.* — *a*) Stricto sensu. *Lucret.* 5. 760. Quæ faciunt ignes interstingui atque perire. — *b*) Latiori sensu de hominibus. *Apul.* 4. *Met.* Jamque protinus oblisis faucibus interstinguere eam debuisset. ¶ 2. Significat etiam distinguere, separare: qua significatione occurrit

Interstinctus, a, um, part. præter. pass., et est distinctus, divisus, διαστικτος. *Stat.* 3. *Silv.* 5. 90. Spatia interstincta columnis. *Tac.* 4. *Ann.* 57. Ulcerosa facies, ac plerumque medicaminibus interstincta. *segnata. Capell.* I. p. 17. Amictus stellantibus oculis interstinctus. *Ammian.* 19. 1. Aureum figmentum interstinctum lapillis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 8. 13. (63). Lapis interstinctus aureis guttis. *Est qui* intertinctus *hoc loco malit. Quidam etiam* intercinctus. *Id.* 37. *ibid.* 10. 54. (143). Candor interstinctus coloribus.

INTERSTĪTĬO, ōnis, f. 3. (intersisto). ¶ 1. Est intervallum, cessatio, vacatio, *cessazione, vacanza, intervallo*, μεταπαυσωλή. *Gell.* 20. 1. *a med.* Velut quoddam justitium, id est juris inter reos quasi interstitionem quamdam et cessationem. *Id. præfat. init.* Quando animus eorum, interstitione aliqua negotiorum data, laxari indulgerique potuisset! ¶ 2. Item discrimen, dissimilitudo. *Arnob.* 6. 12. Interstitio quæ fieri poterit singulorum, quum qui Juppiter fuerat, idem possit existimari Mars esse? *Alii leg.* instinctio. *V.* et INTERSTINCTIO. *Hygin. p.* 198. *Goes.* Omnium rigorum latitudines velut limitem servabimus, interstitioni limitari.

INTERSTĪTĬUM, ii, n. 2. (intersisto) distantia, spatium, intervallum, quod inter aliqua interjectum est, *intervallo, interstizio, spazio, distanza*, διάστημα, διαχώρημα, τὸ μεταξύ. Occurrit — *a*) De loco. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. Ex quatuor elementis et tribus eorum interstitiis absolutionem corporum constare. — *b*) De tempore. *Tac.* 5. *Ann.* 4. Dandum interstitium pœnitentiæ. *Halm. et alii aliter omnino leg. Capell.* 6. *p.* 195. Quantum interstitii dies habet, quum cœli culmina sol elatus illustrat, tantum spatii longior nox, quum sol in brumam decidens repræsentat. *Id. ibid. paullo ante.* Æquinoctialis temporis interstitia.

INTERSTO, stas, stĕti (et stiti), stare, n. 1. (inter *et* sto) inter aliquid stare, seu intercedere, *stare in mezzo*, διΐστημι. *Ammian.* 22. 11. Quum tempus interstetisset exiguum. *Id.* 19. 6. *extr.* Tempus interstitit longum. *Ernesti* ita legit pro *interstetit. Vulgat. interpr. Sap.* 18. 23. Quum enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit et amputavit impetum. — Cum Accusativo. *Avien. Perieg.* 849. *de Tauro monte.* Interstatque jugo mediam. *scil.* Asiam: hic Accusativus regitur a præpos. *inter*, quæ inest in ipso verbo.

INTERSTRĀTUS, a, um, particip. ab inusit. *intersterno*, inter aliqua stratus. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 2. 9. (34). Assulis tædæ subjectis et subinde interstratis. *Justin.* 1. 2. 7. Murum urbi cocto latere circumdedit, arenæ vice bitumine interstrato.

INTERSTRĔPO, strĕpis, strĕpere, n. 3. (inter *et* strepo) strepitum inter alios, vel inter rem aliquam emittere. *Virg.* 9. *Ecl.* 36. argutos interstrepere anser olores. Potest etiam divisim legi: non sic tamen apud *Claudian. III. Rapt. Pros.* 103. tu sæva choreis Indulges, Phrygiasque etiamnum interstrepis urbes. *h. e.* vacas saltationibus, et nunc adhuc strepis per oppida Phrygiæ. — Cum Dativo. *Id.* 2. *in Rufin.* 303. mediis Nereus interstrepat undis.

INTERSTRINGO, stringis, strinxi, strictum, stringere, a. 3. (inter *et* stringo) idem quod stringere, comprimere, interprimere, *stringere*, διασφίγγω. *Plaut. Aulul.* 4. 4. 31. Ibo intro, atque illi tuo socienno jam interstringam gulam.

INTERSTRŬO, strŭis, struxi, structum, strŭere, a. 3. (inter *et* struo) simul inter se struere, διοικοδομέω, συνάπτω. *Sil. It.* 10. 149. Telesinus, ad ossa Illiso saxo, qua spina interstruit artus, Occumbit. *idest* ubi spina, quæ est in medio dorso, artus connectit. — Figurate. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 39. *a med.* Nullam hic poteris interstruere distinctionem. *h. e.* interponere.

INTERSUM, es, fŭi, esse, n. anom. (inter *et* sum). Tmesis est in illo *Arnob.* 7. 48. Bellicas res amat, interque esse desiderat pugnis. — Part. *Interfuturus* II. 2. et 3. — Intersum idem est atque inter aliqua sum, intercedo, medius sum, διαγίγνομαι, μέτειμι (It. *essere in mezzo*; Fr. *être entre, se trouver entre, être placé entre*; Hisp. *ser entre*; Germ. *dazwischen sein, – liegen*; Angl. *to be in the midst, come or lie between*).

I.) Proprie. — *a*) De loco. *Cic.* 3. *Cat.* 2. 5. Ut Tiberis inter eos et pons interesset. *Liv.* 22. 4. Via tantum interest perangusta. *Nepos* apud *Melam* 3. 5. *extr.* Emensosque quæ intererant, tandem in Germaniæ litora exiisse. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 30. 35. (189). Fertilissima regio, quæ interest, auri. — *b*) De tempore. *Cic. Senect.* 17. 60. Cujus inter primum et sextum consulatum sex et quadraginta anni interfuerunt. *Vel. lex* apud *eumd.* 3. *Legg.* 3. 8. Eumdem magistratum, ni interfuerint decem anni, ne quis capito. Adde *Liv.* 1. 3.

II.) Translate. ¶ 1. Est distare, *essere distante. Cato R. R.* 4. Clathros interesse oportet pede. ¶ 2. Est etiam differre, discrepare, *essere differente*, διαφέρειν. — *a*) Cum Accusativo et præpos. *inter. Cic.* 1. *Off.* 4. 11. Inter hominem et belluam hoc maxime interest, quod etc. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 11. 35. Vide, quantum interfuturum sit inter meam atque tuam accusationem. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 17. 55. Ut inter eos ne minimum quidem intersit. *et mox.* Nihil differat, nihil intersit. Sic *Id.* 4. *Fin.* 25. 69. Rebus omnibus sic exæquatis, ut inter eas nihil interesset. *Sempronius Asellio* apud *Gell.* 5. 18. Inter eos, qui annales relinquere voluissent, et eos qui res gestas a Romanis perscribere conati essent, omnium rerum hoc interfuit. — *b*) Cum aliis additis, vel etiam absolute. *Cic* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 48. In iis rebus nihil omnino interest. *Id. ibid.* 13. 40. Quæ visa sunt ejusmodi, ut in iis nihil intersit. *Liv.* 26. 11. *extr.* Tantum id interest, venerit ne eo itinere ad urbem, an ab urbe in Campaniam redierit. *Plaut. Bacch.* 3. 3. 57. Triduum non interest ætatis, uter major siet. *non v'è differenza di tre dì.* et *Ter. Adelph.* 1. 1. 51. Hoc pater ac dominus interest. τούτῳ πατὴρ καὶ δεσπότης διαφέρει. *Nepos Eumen.* 8. Quod si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat, neque rem ullam, nisi tempus, interesse

judicet. *Seneca* 2. *Benef.* 6. Sicut in telis eadem ferri vis est; sed infinitum interest, utrum excusso lacerto torqueantur an remissa manu effluant: idem est quod datur, sed interest quomodo datur. — c) Cum Ablativo et præpos. *ab.* *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 9. 27. Qui illa visa, e quibus omnia decreta sunt nata, negant quidquam a falsis interesse. *Id. ibid.* 26. 83. Nullum esse visum verum, a sensu profectum, cui non appositum sit visum aliud, quod ab eo nihil intersit. — d) Cum Dativo. *Ter. Eun.* 2. 2. 1. Di immortales, homini homo quid præstat? stulto intelligens quid interest? *Horat. Art. P.* 231. Effutire leves indigna tragœdia versus, Ut festis matrona moveri jussa diebus, Intererit Satyris paullum pudibunda protervis. Adde *Senec.* 1. *Quæst. nat. præfat.*; et *Gell.* 3. 14. — e) Cum Genitivo. *Cic.* 5. *Att.* 19. *extr.* Sed plane gaudeo: quoniam τὸ νεμεσᾶν interest τοῦ φθονεῖν. *h. e.* indignatio differt ab invidentia. *Varro* apud *Non. p.* 458. 24. *Merc.* Quam sympathiam lumbi ad oculos haberent, quid inguinum interesset. ¶ 3. Sæpe significat adesse, *esser presente, intervenire*, παρεῖναι. — a) Cum Dativo. — Cum Dativo rei. *Cic.* 14. *Att.* 22. Quod et pluro audir, et interes consiliis. *Id.* 9. *ibid.* 5. *extr.* Melioris viri putabam, quovis supplicio affici, quam illi crudelitati non solum præesse, verum etiam interesse. *Id.* 1. *Fam.* 6. Omnibus negotiis non interfuit solum, sed etiam præfuit. *Id.* 11. *ibid.* 7. Interesse sermoni aliquorum. *Cæs.* 9. *B. G.* 12. rebus divinis. *Id.* 7. *ibid.* 87. *extr.* prælio. *Liv.* 36. 4. Interfuturus bello. *Nepos Arist.* 2. pugnæ. *Id. Att.* 13. rebus domesticis. *Id. Timol.* 4. rebus privatis. *Sueton. Aug.* 45. certamini. *Id. Cær.* 31.; et *Liv.* 2. 38. spectaculo. *Sueton. Tib.* 72. ludis. *Id. Ner.* 34. sacris. *Id. Domit.* 17. cædi. *Id. Cal.* 11. pœnis. *Val. Max.* 2. 1. 9. convivio. — Similiter *Sueton. Aug.* 38. curiæ. *Id. Claud.* 46. senatui. *Horat.* 1. *Od.* 2. 46. Lætus intersis populo. — Cum Dativo personæ. *Sueton. Oth.* 6. Etiam sacrificanti interfuit. *gli fu da presso anche mentre sacrificava.* Cf. *Seneca Provid. præfat.* Præesse universis providentiam et interesse nobis Deum. — b) Cum Ablativo et præpos. *in.* *Cic. Rosc. Am.* 14. 39. Hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse. *Id. Cluent.* 59. 162. Neque hic in testamento faciendo interfuit. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 5. In candidatorum consularium coitione interesse. *Id.* 1. *Herenn.* 9. 16. Quibus in rebus alicujus firmæ auctoritas videbitur interfuisse. — c) Apud serioris ævi Scriptores occurrit etiam de tempore. *Vellej.* 2. 114. 2. Quisquis illis temporibus interfuit. *Sulpic. Sev.* 3. *Dial.* 3. Cui quidem tempori hic etiam Saturninus interfuit. Sic *Plin.* 2. *Ep.* 1. Legit scripta de se carmina, legit historias, et posteritati suæ interfuit. *h. e.* vidit litterarum monumenta, per quæ victurus erat apud posteros. — d) Absolute. *Cato* apud *Gell.* 14. 2. Quod duo res gessissent, uti testes non interessent. *Cic.* 1. *Invent.* 54. 104. Perinde illi videatur indignum, ac si ipse interfuerit ac præsens viderit. ¶ 4. Item referre, e re esse, pertinere, *importare, appartenere*; qua significatione impersonaliter occurrit *interest*; — a) Cum Genitivo personæ vel rei. *Cic.* 1. *Phil.* 9. 21. Quis enim est hodie, cujus intersit istam legem manere? *Id.* 10. *Att.* 4. *a med.* Quid illius interest, quoniam in senatum non venis, ubi sis? *Id.* 2. *ad Q. fr.* 4. Hoc vehementer interest reipublicæ. *Id.* 4. *Fam.* 10. Multum interest rei familiaris tuæ, te quamprimum venire. — Loco Genitivi *cujus* potest *cuja* usurpari. *V.* CUJUS. — b) *Mea, tua, nostra interest* est e re mea, tua etc. quasi *est in re mea* etc. *Cic.* 16. *Fam.* 4. *a med.* Tua et mea maxime interest, te valere. *V.* alia infra sub c. et g. — Omittitur in illo *Bruti* apud *Cic.* 1. *ad Brut.* 17. *a med.* Quid enim nostra, victum esse Antonium, si victus est, ut etc. — c) Habet etiam Genitivos pretii, *magni, parvi, tanti* etc. *Cic.* 13. *Fam.* 10. Malui facere, quod meus familiaris tanti sua interesse arbitraretur. *Id.* 11. *ibid.* 16. Permagni interest etc. *Id.* 15. *ibid.* 4. Magni mea interest etc. *Ulp. Dig.* 2. 13. 6. Vel minoris, vel pluris interesse cœpit. — d) Cum Adverbiis quantitatem significantibus. *Cic. Mil.* 21. 56. Semper ille, quantum interesset P. Clodii se perire, cogitabat. *Id. Mur.* 2. 4. Ostendam quantum salutis communis intersit, duos consules esse. *Id. Sull.* 28. 79. Vestra enim, qui summa integritate vixistis, hoc maxime interest. *Id.* 1. *ad Brut.* 5. Quantopere intersit, opprimi Dolabellam. *Id. Orat.* 16. 51. Si in philosophia tantum interest, quemadmodum dicas; quid in causis etc? *Cato* apud *Gell.* 3. 7. Sed idem benefactum quo in loco ponas, nimium interest. *Cic.* 12. *Fam.* 9. Multum interest, te venire. Sic *Seneca Ep.* 5. Plurimum interest etc. *Scribon. Compos.* 90. Non multum interest etc. — e) Cum Accusativo et præpos. *ad.* *Cic.* 1. *Nat. D.* 4. 7. Magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis, res tam graves tamque præclaras Latinis etiam litteris contineri. *Id.* 16. *Fam.* 1. Magni ad honorem nostrum interest, me venire. *Id.* 3. *ibid.* 11. Ad rem nihil interest. Adde *Liv.* 5. 6. — f) Sequente Relativo. *Cic.* 13. *Fam.* 10. In omnibus novis conjunctionibus interest, qualis primus aditus sit. *Cæcina* apud *Cic.* 6. *Fam.* 7. Non tam interest, quo animo scribatur, quam quo accipiatur. — g) Sequente part. *ut* vel *ne.* *Cic.* 11. *Att.* 22. *extr.* Illud mea magni interest, te ut videam. *Sueton. Cæs.* 86. Alii ferunt dicere solitum, non tam sua, quam reipublicæ interesse, uti salvus esset. *Id. Cal.* 16. Quando maxime sua interesset, ut facta quæque posteris tradantur. *Tac.* 1. *Hist.* 30. Vestra interest, ne imperatorem pessimi faciant. Adde *Phædr.* 4. 24. — h) Sequent. part. *utrum, necne.* *Sueton. Tib.* 21. Nihil interest, valeam ipse nec ne, si tu non valebis. *Liv.* 26. 31. *ad fin.* Ea vos rata habeatis, ne magis reipublicæ interest, quam mea. — i) Sequente *si.* *Plin.* 9. *Hist. nat.* 16. 23. (56). Ajunt et si teratur gurges, interesse capturæ. — l) Sequente part. *an.* *Cels. præfat. circa med.* Neque interesse, an initio pleraque explorata sint, si a consilio tamen cœperunt.

INTERTĀLEO vel intertalio, as, are, a. 1. intersecare. *Non. p.* 414. 27. *Merc.* Taleas scissiones lignorum vel præsegmina Varro dicit de R. R. lib. 1.; (nam etiamnum rustica voce intertaliare dicitur dividere vel exscindere ramum) ex utraque parte æquabiliter præcisum, quas alii clavolas, alii taleas appellant. Ita *Non.* *Pontadera* vero *Antiqq. Gr. et Lat. p.* 154. putat, verba uncis hic inclusa glossema esse, et ex margine in *Nonii* textum irrepsisse: ergo verbum *intertaleo* perperam Latinitate donatum fuisse.

INTERTEXO, texis, texŭi, textum, texere, a. 3. (inter *et* texo). Part. *Intertextus* I. — Intertexere est inter aliqua texere, aliquid in medio texere, *tessera in mezzo*, διυφαίνω.

I.) Proprie. *Quintil.* 8. 5. 28. Nemini magis decet intertexta pluribus notis vestis. *h. e.* vestis plures notas in media textas habens. *Ovid.* 6. *Met.* 128. Nexilibus flores hederis habet intertextos. *intrecciati.* Cf. *Salvian.* 7. *Gubern. D.* 2. Illic omnis admodum regio aut intertexta vineis, aut florulenta pratis etc.

II.) Figurate. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. Fabricator mundanæ animæ Deus partes ejus ex pari et impari, id est duplari et triplari numero, intertexuit. *h. e.* contexuit, intexuit.

INTERTEXTUS, a, um. *V.* voc. præced.

INTERTIGNĬUM, ii, n. 2. (inter *et* tignum) spatium inter tigna et ornamentum in eo spatio factum. *Vitruv.* 4. 2. Antiqui fabri quodam in loco ædificantes, quum ita ab interioribus parietibus ad extremas partes tigna prominentia habuissent collocata, intertignia struxerunt. *et ibid. a med.* Quod inter duas opes est intertignium, id metopa apud nos est nominatum.

INTERTINCTUS. *V.* INTERSTINCTUS.

INTERTORTUS, a, um, adject. (inter *et* tortus) legitur a quibusdam apud *Petron. Satyr.* 124. Atque intertorto laceratam pectore vestem. *Sed ea lectio valde incerta est.*

INTERTRĂHO, trăhis, traxi, tractum, trăhere, a. 3. (inter *et* traho) plane extrahere, de medio trahere, eripere, auferre: *inter* hic eam vim habet, quam in *interficio, interimo, interbibo*, ἐξέλκω, *levar via.* *Plaut. Amph.* 2. 2. 41. Næ ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero.

INTERTRIGINOSUS, a, um, adject. qui intertrigine laborat. Vox e Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 180.

INTERTRĪGO, ĭnis, f. 3. (inter *et* tero, trivi) morbus, quum femina sive equitando, sive alia de causa attrita sunt, adusta, excoriata: item quum in genere veterinario pes pedem, ungula ungulam terit, παράτριμμα (It. *scorticatura, rosicatura*; Fr. *écorchure, excoriation*; Hisp. *desolladura, excoriacion*; Germ. *Abreiben, Abgang durchs Reiben*; Angl. *a galling, chafing, or fretting of the skin, by rubbing against any thing*). *Varro* 5. *L. L.* 176. *Müll.* Intertrimentum ab eo, quod duo, quæ inter se trita, et deminuta: a quo etiam intertrigo dicta. *Cato R. R.* 159. Intertrigini remedium, in viam quum ibis, absinthii Pontici surculum sub anulo habeto. *Colum.* 6. *R. R.* 32. 1. Intertrigo bis in die subluitur aqua calida, mox decocto ac trito sale cum adipe detricatur. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 5. 11. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 14. 53. (151). Intertrigines menta prohibet. Adde *Scribon. Compos.* 222.; et *Apul. Herb.* 199.

INTERTRĪMENTUM, i, n. 2. (inter *et* tero, trivi) detrimentum, deminutio ex re detrita, aut absumpta: *V.* locum *Varronis* in voce præced. *logoramento, scapito, danno*, παράτριμμα.

I.) Proprie. *Liv.* 34. 7. In purpura, quæ teritur absumiturque, aliquam causam tenacitatis video: in auro vero, in quo, præter manus pretium, nihil intertrimenti fit, quæ malignitas est? *Liv.* 32. 2. Id argentum, quia, probum non esse, quæstores renunciaverant, experientibusque pars quarta decocta erat, pecunia Romæ mutua sumpta intertrimentum argenti suppleverunt. *Scævola Dig.* 13. 7. 43. Intertrimentum culleorum.

II.) Translate est jactura, damnum. *Ter. Heaut.* 3. 1. 35. Paululo tum erat contenta etc.; nunc sine magno intertrimento non potest haberi. *Cic.* 3. *Verr.* 50. 132. Is pupilli tutor erat, cum eo, sine ullo intertrimento, convenerat jam, quemadmodum traderetur. Ubi *Pseudo-Ascon.* Detrimentum vel unius partis dici potest: intertrimentum vero ad utriusque partem spectat, dantis et accipientis. Hoc tamen *Pseudo-Asconii* discrimen non servatur. Rursus *Cic. fragm. orat. pro Fontej. edit. a Niebhurio p.* 59. Nullum in iis nominibus intertrimenti, aut deminutionis vestigium reperietur. *h. e. nessun calo, nessuna diminuzione nella moneta.*

INTERTRĪTŪRA, æ, f. 1. (inter *et* tritura) intertrimentum, *logoramento.* *Scævola Dig.* 13. 7. 43. Quæro intertrituram culleorum, quæ ex operis facta est, utrum debitor, an creditor agnoscere debeat.

INTERTURBĀTĬO, ōnis, f. 3. (interturbo) status ambiguus inter turbationem et animi constantiam. *Liv.* 23. 8. Patre animi quoque ejus haud mirabilem interturbationem causante.

INTERTURBO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (inter *et* turbo). Part. *Interturbans.* — Interturbare est valde turbare, in media re turbas ciere, *sturbare, disturbare*, διαταράττω. *Plaut. Bacch.* 4. 4. 81. Ne interturba: jam imperatum in cera inest. *Ter. Andr.* 4. 1. 39. Quis homo istuc interturbat? *Ammian.* 28. 4. Quibus ita nullo interturbante perfectis etc. Adde *eumd.* 18. 2. et 31. 12. Sic *Jul. Vict. Art. rhet.* (edente *A. Maio*) 26. *ad fin.* Partim plus cachinno interturbant, quam verbis explicant.

INTERTURRĬUM, ii, n. 2. (inter *et* turris) castri mœnia, quæ turres jungunt, *cortina.* *Inscript.* sub Constantino M. sculpta apud *Donat.* 220. 3. MILITES TVRRIM CVM INTERTVRRIO FECERVNT. *V.* TURRIS. Hæc tamen *Inscriptio*, quæ ab *Orellio* n. 1088. affertur, ab *Henzenio* spuria ducitur.

INTĔRŬLA, æ, f. 1. *V.* voc. seq. in fin.

INTĔRŬLUS, a, um, adject. *deminut. ab* inter, interior, internus. *Capell.* 9. *p.* 301. Quin etiam interulos gaudens dissolvere nexus. *Valerian. Imp. in epist.* apud *Vopisc. Prob.* 4. Tunicas russules duas, interulas paragaudiles duas. *Apul. Florid. n.* 9. Habebat indutui ad corpus tunicam interulam, tenuissimo textu, triplici licio, purpura duplici. *h. e.* purpura bis tinctam. — Hinc

Interula, æ, f. 1. absolute, substantivorum more, est vestis interior et corpori adhærens, ut tunica, subucula, indusium. Est qui a tunica sic distinguit, ut sub toga tunica sit, sub pallio interula: alii hoc discrimen non agnoscunt. *Apul.* 8. *Met.* Discissaque interula, decora brachia sævientibus palmulis converberat. *Gloss. Philox.* Interula, χιτωνίσκος. Adde *Tertull. Pall.* 5.; et *Capell.* 1. *p.* 4.

INTĔRUNDĀTUS, a, um, adject. (inter *et* undo) in undarum figuram distinctus. *Solin.* 17. Hoc fulvum nigrentibus segmentis interundatum, varietate apprime decet.

INTĔRŪSŪRĬUM, ĭi, n. 2. (inter et usura) commodum, vel usura medii temporis, *profitto di usura. Ulp. Dig.* 15. 1. 9. § 8. Ut medii temporis interusurium creditor consequatur Adde *ibid.* 35. 2. 66. et 42. 1. 64. et 82.

INTĔRVĂCANS, antis, adject. (inter et vaco) inter aliqua vacans, *vuoto in mezzo, vacante. Colum.* 4. *R. R.* 32. 2. Bulbus tripedaneis intervacantibus spatiis obrutus, anno celerius maturam perticam præbet.

INTERVALLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INTERVALLO, as, ātum, are, a. 1. Part. *Intervallatus* in fin. — Intervallare est per intervalla sumere. *Ammian.* 27. 11. Ingentia largiendo (*Probus*) et intervallando potestates assiduas. *h. e.* tot magistratus gerendo ac præfecturas, ut numquam fere sine magistratu visus sit. Alii minus recte leg. *interpellando.* — Hinc Part. præter. pass.

Intervallatus, a, um, est per intervalla disjunctus, ut intervallata febris, quam intermittentem et revertentem vocamus, περιοδικός. *Gell.* 1. 12. *extr.* Hæc biduo medio intervallata febris. *Ammian.* 26. 1. Intervallato brevi tempore. *h. e.* interposito. Sic *Id.* 31. 15. Ne intervallatis ardor intepesceret moris.

INTERVALLUM, i, n. 2. (inter et vallum) propria est spatium inter capita vallorum, idest stipitum, quibus castrense vallum fit, ut ex *Varrone* docet *Ann. Cornutus* apud *Cassiod. de orthograph.* p. 2284. *Putsch.* Sic *Hygin. Gromat.* p. 6. *col.* 1. Via principalis esse debet latitudine eadem, qua opus, pedum LX., quod est inter vallum et legiones, et ideo a quibusdam intervallum est cognominatum. — Hinc per synecdochen ¶ 1. De quovis loci spatio vacuo et distantia dicitur, διάστημα (It. *intervallo, spazio, distanza*; Fr. *intervalle, espace, distance*; Hisp. *intervalo, espacio, distancia*; Germ. *Zwischenraum, Entfernung*; Angl. *a space, interval, distance*). *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Trabes directæ, paribus intervallis distantes inter se binos pedes, in solo collocantur. Ea autem intervalla grandibus saxis effarciuntur. *Id.* 1. *ibid.* 43. Legionem Cæsar passibus ducentis ab eo tumulo constituit: itemque equites Ariovisti pari intervallo constiterunt. *in eguale distanza. Liv.* 1. 25. Respiciens videt magnis intervallis sequentes. *molto spazio distanti l'uno dall'altro.* Cf. *Virg.* 5. *Æn.* 320. Proximus huic, sed longo proximus intervallo Insequitur Salius. *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 6. p. 680. *Putsch.* Flumen, quod Valentiam parvo intervallo præterfluit. *in poca distanza. Curt.* 7. 9. 15. Cujus monumenta lapides erant crebris intervallis dispositi. *Sueton. Aug.* 46. Juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula, disposuit. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 53. Mercurii stella numquam a sole longius unius signi intervallo discedit. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 7. 27. Quæ autem moveantur, omnia intervallis moveri; quæ intervalla item infinite dividi possint. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 70. Intervalla vides humane commoda. *distanze. Sueton. Cal.* 19. Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles trium millium et sexcentorum fere passuum ponte conjunxit. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 21. 27. (134). Intervalla doliis dare. *spazio tra l'una e l'altra. Ammian.* 23. 6. Permeatis angustiis antedictis, venitur ad Armeniæ sinum, orienti objectum: intervallo Canthicus nomine panditur sinus australis. *Sueton. Domit.* 19. Sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitórum innocue evaderent. *Cic.* 1. *Tusc.* 18. 41. Harmoniam ex intervallis sonorum nosse possumus, quorum varia compositio etiam harmonias efficit plures. *consonanze.* ¶ 2. Sæpe refertur ad spatium temporis, quo aliquid intermittitur: de loco et tempore conjungit *Cic.* 1. *Fam.* 7. Quoniam intervallo locorum et temporum disjuncti sumus. Ceterum *Plaut. Men.* 1. 1. 28. Sed mihi intervallum jam hos dies multos fuit. *h. e.* cessavi, intermisi cœnare foris. *Cic.* 7. *Fam.* 18. Si intervallum longius erat mearum litterarum, ne sis admiratus: eram enim abfuturus mense Aprili. *h. e.* intermissio, cessatio. *Scribon. Compos.* 100. Intervallum a somno facere. *h. e.* cessare. Rursus *Cic.* 2. *Fin.* 29. 94. Dolor si longus, levis: dat enim intervalla et relaxat. *pause. Id. Orat.* 16. 53. Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam: distincta alios et interpuncta intervalla, moræ respirationesque delectant. *pause di pronunzia e di costruzione.* et *ibid.* 57. 194. Ne spondeum quidem intelligit esse æqualem dactylo: syllabis enim metiendos pedes, non intervallis existimat: quod idem facit in trochæo, qui temporibus et intervallis est par iambo. *tempi di pronunzia e quantità.* Similiter *Id.* 15. *Fam.* 14. Ut te tanto intervallo viderem. *dopo tanto tempo.* et *Arch.* 4. 6. Interim satis longo intervallo, quum esset in Siciliam profectus, venit Heracleam. *dopo assai buono spazio di tempo. Liv.* 3. 38. Cur ex tanto intervallo rem desuetam usurparent. *da tanto tempo andata in disuso. Gell.* 15. 12. *sub fin.* Atque ibi ex intervallo, itaque, inquit, etc. *poco dopo.* et *Cic. Orat.* 66. 222. *Missos faciant patronos: ipsi prodeant.* nisi intervallo dixisset *ipsi prodeant*; sensisset profecto, effugisse senarium. *dopo breve pausa. Varro* 2. *R. R.* 1. 22. Statim sine intervallo cibum dare. *senza indugio. Liv.* 2. 2. Ne intervallo quidem facto. *senza nemmeno frapporre tempo. Sueton. Claud.* 41. Subinde ex intervallo reminisci. *di quando in quando. Liv.* 28. 44. Multa quæ ex intervallo non apparent, bellum aperiet. *di lontano. Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 66. (164). Dare quippiam alicui per intervalla. *h. e.* non continuate, sed per interruptas vices. Sic *Tac.* 4. *Ann.* 73. Per intervallum adventantes. *chi prima, chi poi.* et *Id. Agric.* 44. *extr.* Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et veluti uno ictu rempublicam exhausit. *Id.* 4. *Ann.* 3. Dolus intervallo scelerum poscebat. *h. e.* ut per interjectum tempus scelera fierent. *Vellej.* 1. 13. *a med.* Intervalla negotiorum otio dispunxit, semper aut belli aut pacis servit artibus. — Interdum et Genitivus temporis additur. *Sueton. Aug.* 26. Annorum intervallo. *Ammian.* 26. 1. anni. *Id.* 17. 1. Per decem mensium intervallum. et *Liv.* 1. 17. Annuum intervallum. ¶ 3. Interdum est differentia, dissimilitudo, discrimen, *differenza, divario. Cic.* 2. *leg. Agr.* 33. 89. Videte, quantum intervallum sit interjectum inter majorum consilia et inter istorum hominum dementiam. *Id. Rabir. perduell.* 5. 15. Cum vero his rebus omnibus Gracchus omnes vicerit, quantum intervallum tandem inter te atque illum interjectum putas? Adde *Liv.* 33. 1.

INTERVECTUS, a, um, adject. vel particip. ab inusit. *interveho* (inter et veho) in medio evectus, erectus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 38. Duas vero viseres arbores cœlum proceritudine intervectas.

INTERVELLO, vellis, vulsi, vulsum, vellere, a. 3. (inter et vello). Part. *Intervulsus* II. — Intervellere est inter aliqua evellere, a medio evellere, *stirpare, svellere, cavare qua e là*, διατίλλω.

I.) Proprie. — *a*) Stricto sensu de barba. *Seneca Ep.* 114. *a med.* Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam, aut intervellunt, qui labra pressius tondent et abradunt, servata et submissa cetera parte. *Tertull. cult. femin.* 8. Barbam acrius cædere, intervellere. — *b*) De pomis. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 47. (260). Poma intervelli melius est, ut quæ relicta sint, grandescant. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 5. Arbores si spisse posueris, nec infra serere quid poteris, nec ipsæ fructuosæ erunt, nisi intervulseris. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 33. 3.; et *Pallad.* 8. *R. R.* 2. 2.

II.) Translate. *Quintil.* 12. 9. 17. Inviti recedunt e præparatis, et tota actione respiciunt, num aliquid ex illis intervelli, atque ex tempore dicendis inseri possit. *Id.* 10. 7. 5. Quæ ita sunt natura copulata, ut mutari aut intervelli sine confusione non possint. *Solin.* 1. *a med.* Tres Lepidi, intervulsa tamen serie, ex eadem domo, obducto membrana oculo similes.

INTERVĔNĬENS, entis. *V.* voc. seq.

INTERVĔNĬO, vĕnis, vĕni, ventum, vĕnire, n. 4. (inter et venio). Part. *Interveniens* in omnibus fere paragr. — Intervenire ¶ 1. Generatim est inter aliqua venire, in media re venire, intercedere, medium esse, atque adeo interesse, adesse, ἐπέρχομαι (It. *sopravvenire, intervenire, trovarsi presente*; Fr. *survenir pendant une action, arriver*; Hisp. *sobrevenir*; Germ. *dazwischen, dazu kommen*; Angl. *to come upon, come in while any thing is doing*). Occurrit — *a*) De personis. — Absolute. *Plaut. Mil. glor.* 4. 8. 23. Ne intervenerís, quæso, dum resipiscit. *Cic. Cluent.* 16. 47. Multi boni viri quum ex occulto intervenissent. *Id.* 15. *Att.* 11. Quam orationem quum ingressus essem, Cassius intervenit. *Cæs.* 6. *B. G.* 36. Casu Germani equites interveniunt. *Sueton. Cal.* 23. Aviæ Antoniæ secretum petenti denegavit, nisi ut interveniret Macro præfectus. *Ulp. Dig.* 3. 3. 33. *extr.* Si quis in rem suam procurator interveniat. *h. e.* intersit, adsit. — Cum Dativo. *Cic.* 2. *Orat.* 3. 14. Verens, ne molesti vobis interveniremus. *Liv.* 1. 48. Huic orationi Servius quum intervenisset etc. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 1. Statius intervenit nonnullorum querelis, quæ apud me de illo habebantur. *h. e.* interfuit. *Sueton. Aug.* 20. Reliqua (*bella*) per legatos administravit: ut tamen quibusdam Pannonicis atque Germanicis aut interveniret, aut non longe abesset. *Id. Tib.* 50. Ut animadvertit incendio at ipsam intervenisse. *Paul. Dig.* 4. 4. 24. Intervenire negotiis alicujus. — *b*) De rebus physicis et abstractis: in quibus et translate accipi potest. — Absolute. *Plaut. Amph.* 3. 2. 59. Iræ interveniunt: redeunt rursum in gratiam. *Sall. Jug.* 119. Cognationem, affinitatem, præterea fœdus intervenisse. *Sueton. Ner.* 37. Mori jussis non amplius quam horarum spatium dabat. Ac ne quid moræ interveniret, medicos admovebat. *African. Dig.* 10. 3. 9. Si neutrius culpa intervenerit. — Similiter de rebus physicis pro intercedere, medium esse. *Javolen. Dig.* 33. 3. 4. Medius paries, qui utrasque ædes distinguat, intervenit. *Paul. ibid.* 8. 1. 14. Interveniente via publica. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 25. (97). Carbunculi varii intervenientibus maculis albis. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 16. Plaga lævis relinquitur, quæ facilius omni parte sedentem surculum contingat, nulla interveniente lanugine. *h. e.* interposita, interjecta. Sic *Id.* 9. *ibid.* 1. 3. Stipes in circuitu vivarii, certis intervenientibus spatiis, defixus erigitur. — Cum Dativo. *Liv.* 23. 18. Plures recidissent, ni nox prœlio intervenisset. Sic *Ovid.* 8. *Met.* 81. nox dicenti. Rursus *Liv.* 1. 6. *sub fin.* Intervenit his cogitationibus avitum malum regni cupido. et 29. 6. cogitatio minor majori. *Id.* 1. 26. bellum cœptis. *Ovid.* 11. *Met.* 708. Plura dolor prohibet: verboque intervenit omni Planctus. *si frammischia. Quintil.* 9. 3. 23. Græci παρένθεσιν vocant, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit. *V.* INTERJECTIO. — Cum Accusativo et præpos. *inter. Ter. Hecyr.* 3. 2. 15. Omnem rem narrabit, quæ inter vos intervenerit. *ciò che è passato tra di voi.* — Cum Accusativo sine præpositione, quæ inest in ipso verbo. *Tac.* 3. *Ann.* 23. Ludorum diebus, qui cognitionem intervenerant. — Passive impersonaliter. *Ter. Heaut.* 2. 3. 40. Ubi de improviso est interventum mulieri. ¶ 2. Ponitur et pro accidere, contingere, *accadere. Ter. Heaut.* 4. 3. 1. Nulla mihi res posthac potest jam intervenire tanta, quæ etc. *Cic.* 1. *Fin.* 19. 63. Epicurus exiguam dixit fortunam intervenire sapienti. *Id.* 7. *Fam.* 5. Casus mirificus quidem intervenit. — Passive impersonaliter. *Cic. Topic.* 20. 76. Si interventum est casu. ¶ 3. Item pro intercedere, fidejubere, alterius nomine se obligare, se interponere et auctorem fieri alicujus rei. *Ulp. Dig.* 15. 1. 3. Si filiusfamilias, vel servus pro aliquo fidejusserint, vel alias intervenerint, vel mandaverint. *Papinian. ibid.* 50. 1. 17. *extr.* Fidejussores pœnalibus actionibus non adstringuntur, in quas inciderunt hi, pro quibus intervenerunt. ¶ 4. Et auctoritatem suam interponere, quod est magistratus jus dicentis. *Paul. Dig.* 4. 4. 23. Si in eventu damnum minor passurus sit, sine dubio prætor interveniet. *s'intrometterà.* et *Sueton. Cæs.* 30. Cum adversariis pepigit, ut *etc.* verum neque senatu interveniente, et adversariis negantibus etc. ¶ 5. Hinc est etiam sese opponere. *Sueton. Claud.* 38. Quod inquilinos prædiorum suorum, contra vetitum cocta vendentes, multasset, villicumque intervenientem flagellasset. Cf. *eumd. Tib.* 33. Eatenus interveniebat, ne quid perperam fieret. *Calpurn.* 3. *Ecl.* 23. quis vestro deus intervenit amori? *s'è frapposto.*

INTERVĔNIUM, ii, n. 2. (inter et vena) locus vacuus et permeans intra terram, per quem aqua et ignis discurrit, *vena, meato sotterraneo. Vitruv.* 2. 6. Pautius ignis per intervenia permanans et ardens, efficit levem eam terram. et *ibid.* 7. Ignis interveniorum vacuitates occupans. et 8. 7. *ad fin.* Per intervenia fistulose terræ. *Pallad.* 9. *R. R.* 8.

Ne aquæ inventæ inter rimas refugiant et per intervenia dilabantur. *Gloss. Philox.* Intervenium, τὸ μεσοφλέβιον.

INTERVENTĬO, ōnis, f. 3. (intervenio) actus interveniendi, intercessio, fidejussio, *interposizione, malleveria*; *V.* INTERVENIO 3. *Ulp. Dig.* 4. 4. 7. Non solum autem in his eis succurritur, sed etiam in interventionibus, ut puta si fidejussorio nomine se, vel rem suam obligavit.

INTERVENTOR, ōris, m. 3. (intervenio) qui intervenit, ὁ ἐπελθών. ¶ 1. Est qui aliquid agenti supervenit: *V.* INTERVENIO 1. *Cic. Fat.* 1. 2. Quodam liberiore, quam solebat, et magis vacuo ab interventoribus die. *dalle visite.* ¶ 2. Item qui pro altero intervenit, et fidem suam interponit, *interveniente, procuratore, mallevadore. V.* INTERVENIO 3. *Ulp. Dig.* 15. 1. 3. *a med.* Si filius fidejussor, vel quasi interventor acceptus sit. *et* 37. 15. 7. *extr.* Honor his personis habebitur ipsis, non autem interventoribus eorum. ¶ 3. Item deprecator, *intercessore. Lamprid. Commod.* 4. Paternum autem hujus cædis auctorem et interventorem, ne conjuratio latius puniretur, a præfecturæ administratione submovit. *Paulin. Nolan. carm.* 23. 195. Tunc velut Ezechiæ fuit Interventor Isajas.

INTERVENTUS, us, m. 4. (intervenio). ¶ 1. Est superventus, actus interveniendi, *sopravvenimento*, ἐπέλευσις; et — *a*) Proprie occurrit de personis. *Cic. Partit. orat.* 8. 30. Si quando tempus, aut res, aut locus, aut interventus alicujus, aut interpellatio dederit occasionem etc. *Id.* 16. *Att.* 11. Caleni interventum et Calvenæ cavebis. *Id.* 3. *Cat.* 3. 6. Interventu Pomptini pugna sedatur. *Justin.* 11. 1. 7. His rebus veluti medela quædam interventus Alexandri fuit. Adde *Liv.* 3. 45., 22. 14. et 26. 19. — *b*) De rebus physicis et abstractis: in quibus et translate accipi potest. *Cæs.* 3. *B. G.* 15. Perpaucæ (*naves*) noctis interventu, ad terram pervenerunt. *Ulp. Dig.* 4. 6. 26. *a med.* Dies, quibus actor agere voluit, et interventu feriarum impeditus est. *Cic.* 1. *Nat. D.* 40. 111. Quæ ergo vita? Suppeditatio, inquis, bonorum, nullo malorum interventu. *Tac.* 4. *Hist.* 74. Vitia erunt, donec homines: sed neque hæc continua, et meliorum interventu pensantur. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 3. 12. (52). Donec arceantur animæ alicujus interventu. *h. e.* interpositione, *frapponimento. Id.* 2. *ibid.* 10. 7. (47). Solem interventu lunæ occultari. ¶ 2. Item interpositio auctoritatis, aut fidei: *V.* INTERVENIO 3. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 68. Statui alicujus subvenire interventu principis. *Pompon. Dig.* 33. 1. 7. *extr.* Interventu judicis hæc omnia debent ad effectum perduci. *Marcell. ibid.* 46. 3. 68. Conditio potest impleri citra interventum tutoris. *Sueton. Cæs.* 18. Retinentes creditores interventu sponsorum removit.

INTERVERSĬO, ōnis, f. 3. (interverto) translate tantum occurrit, et ¶ 1. Est eversio, subversio, turbatio. *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 20. O Christe patientissime, qui tot annos interversionem prædicationis tuæ sustinuisti. *Id.* 3. *ibid.* 1. Interversio regulæ. ¶ 2. Item interceptio, fraus, eversio. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod.* 10. 70. 12. De interversione convictus.

INTERVERSOR, āris, ari, dep. 1. (inter *et* versor) huc illuc se vertere vel verti, et usurpatur de piscibus, qui coitus tempore inter se collidantur, *andare in frega. Plin.* 9. *Hist. nat.* 50. 74. (157). *de piscib.* Nec satis est generationi per se coitus, nisi, editis ovis, interversando mares vitale asperserint virus. *Alii leg.* nisi inter se versando mares et feminæ etc.

INTERVERSOR, ōris, m. 3. (interverto) translate et speciatim tantum occurrit, et est qui ex pecunia publica aliquid interverit, interceptor. *Impp. Valentin.* et *Valens Cod.* 10. 1. 8. Qui in contractibus societatis ac fisco perniciosis interversorum maculosis se fraudibus implicuerint.

INTERVERSŪRA, æ, f. 1. (interverto) versura et flexus agri in obliquum extensi, antequam ad ejus finem pervenias. *Hygin. de limit. p.* 178., 198. et 218. *Goes.*

INTERVERSUS, a, um. *V.* voc. seq.

INTERVERTO *vel antique* intervorto, vertis, verti, versum, vertere, a. 3. (inter *et* verto *vel* vorto). Part. *Interversus* I. et II. 1. et 2.; *Intervertendus* II. 1. — Intervertere est rem alio directam alio vertere, avertere, ἀποτρέπω (It. *divertire, voltare altrove*; Fr. *détourner, donner une autre direction*; Hisp. *dar vuelta al reves, desviar*; Germ. *wegleiten nach einer andern Richtung hin, anderswohin leiten, richten*; Angl. *to turn aside, turn out of the regular channel*).

I.) Proprie. *Vitruv.* 4. 3. In extremis partibus triglyphi semicanaliculi intervertantur. *Scævola Dig.* 43. 20. 8. Cui per fundum iter aquæ debetur, quacumque vult, in eo rivum faciat, licet: dum ne aquæductum intervertat. Cf. *Inscript.* apud *Henzen.* 7420. a. γ. AQVAM TITVLENSEM QVAM ANTE ANNOS PLVRIMOS LAMBAESITANA CIVITAS INTERVERSO DVCTV VI TORRENTIS AMISERAT etc.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorā sumptā a superiore signif. *Seneca Consol. ad Marc.* 22. Neque enim recta ingenia, qualem in adolescentia spem sui fecerant, usque in senectutem pertulerunt; sed interversa plerumque sunt. *distolti, traviati. Cic. Dom.* 43. 112. Interversa ædilitas. *h. e.* alio conversa, quum prætextu ædilitatis in rem suam quis vertit, quod populo Romano debebatur. *Imp. Alex.* apud *Paul. Dig.* 31. 1. 87. § 3. Ob intervertendam inofficiosi querelam. *sfuggire.* Sic *Papinian. ibid.* 36. 1. 54. Intervertendi fideicommissi gratia. ¶ 2. Hinc sæpe est rem alteri debitam ad dominum pervenire non sinere, et in rem suam convertere sibique retinere, surripere, intercipere, *trattenere l'altrui, rubare*, ὑπεξαιρέω, παρακλέπτω. *Cic.* 2. *Phil.* 32. 72. Ille induxit, ut peteret: et receptum intervertit, ad seque transtulit. *Id.* 6. *Verr.* 30. 68. Si intellexerint, interverso regali hoc dono, graviter vos tulisse. *Sueton. Vitell.* 7. Quorum publica vectigalia interverterat. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 33. Quum interversæ pecuniæ argueretur. *Tac.* 16. *Ann.* 10. Interversis patroni rebus, ad accusationem transgrediens libertus. *Marcell. Dig.* 16. 3. 22. Rem depositam dolo intervertere. *Celsus JCtus* apud *Ulp. Dig.* 43. 2. 44. *a med.* Res non intervertitur ei, qui eam sponte jecit. *Paul. ibid.* 4. 5. 5. Ea capitis deminutione, quæ salva civitate accidit, per quam publica jura non interverti constat. *h. e.* adimi. *Marcell. ibid.* 41. 2. 20. Cujuspiam rei possessionem alicui intervertere. *Seneca Suasor.* 2. Intervertere orationes. *rubare, copiare.* ¶ 3. Absolute est etiam absumere, *consumare. Tac.* 2. *Hist.* 95. Vitellius novies millies sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur. *Fulgent.* 2. *Mythol.* 15. Ideo etiam nudus Bacchus, quod omnis ebriosus intervertendo nudus remaneat. ¶ 4. *Intervertere aliquem re quapiam* est spoliare, fraudare, *gabbare, spogliare, defraudare. Plaut. Asin.* 2. 1. 10. Unde sumam? quem intervortam? *Id. Pseud.* 3. 2. 110. Ut me, si posset, muliere intervorteret. *Gell.* 11. 18. *circa med.* Condemnatum furti colonum, qui fundo, quem conduxerat, vendito, possessione ejus dominum intervertisset.

INTERVĬBRANS, antis, adject. (inter *et* vibro) qui in medio scintillat. *Capell.* 6. p. 191. Æthra intervibrans.

INTERVĬGĬLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (inter *et* vigilo). Part. *Intervigilans.* — Intervigilare est idem ac vigilare, vel per intervalla vigilare. *Lamprid. Alex. Sev.* 61. Dormientibus cunctis, solo tantum imperatore intervigilante. *Seneca Ep.* 83. Somno brevissimo utor, et quasi intervigilo. *Optimæ edit. habent* interjungo: *quam vocem V.*

INTERVĬRĔO, vires, virere, n. 2. (inter *et* vireo) in medio virere. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 100. *de Iride.* Semita discretis interviret humida nimbis. *Stat.* 4. *Theb.* 98. *de angue.* lætisque minax interviret herbis.

INTERVĪSO, visis, visi, visum, visere, a. 3. (inter *et* viso) invisere, aliquem inter negotia, vel per intervalla visere, *andare a vedere, visitare di quando in quando*, ἐπισκέπτομαι. *Plaut. Stich.* 3. 2. 3. Nunc interviso jam ne a portu advenerit. *Id. Aulul.* 2. 7. 1. Intervisam quid faciant coci. *Id. Stich.* 1. 2. 90. Intervisam prius domum, si a viro tibi forte veniat nuncius. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. *extr.* Urbanam expolitionem urget ille quidem: sed etiam ipse crebro interviso. *Id.* 7. *Fam.* 1. *ad fin.* Quod nos minus intervisis, fero animo æquiore. Sic *Sueton. Aug.* 24. Ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravate, hibernisque demum mensibus, permisit uxorem intervisere. *Apul.* 6. *Met.* An tu parentes tuos furtim intervisere properas?

INTERVŌCĀLĬTER, adverb. (inter *et* vocaliter) magna voce. *Apul.* 9. *Met.* Intervocaliter clamare.

INTERVŎLĬTO, as, are, n. 1. (intervolo) in medio volitare. *Liv.* 3. 10. Carne pluit: quem imbrem ingens numerus avium intervolitando rapuisse fertur.

INTERVŎLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (inter *et* volo, as) in medio volare.

I.) Proprie. *Colum.* 8. *R. R.* 10. 1. Veterani (*turdi*) ob aucupibus in hunc usum nutriti quasi allectores sint captivorum, mœstitiamque eorum mitigent intervolando. *Ammian.* 22. 8. Per has saxorum dehiscentium concursantiumque crebritates si etiam avis intervolasset, nulla celeritate pinnarum eripi poterat, quin interiret oppressa.

II.) Translate. *Val. Flacc.* 5. 27. Ille recens oculis intervolat Idmon. *erra cogli occhi.* — Cum Accusativo, qui a juncta præpos. regitur. *Id.* 2. 614. immititque ratem, mediasque intervolat urbes. *Stat.* 2. *Theb.* 539. fuscas intervolat auras Hasta.

INTERVŎMO, vŏmis vŏmŭi, vŏmitum, vŏmere, n. 3. (inter *et* vomo) inter aliquos vomo. Translate *Lucret.* 9. 894. Quod dulces inter salsas (*æquor*) intervomit undas. *h. e.* interfundit.

INTERVULSUS, a, um. *V.* INTERVALLO.

INTESTĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* testabilis). Comp. *Intestabilior* II. 1. — Intestabilis est qui testari non potest.

I.) Proprie. — *a*) Est qui testari, h. e. testis esse non potest, *chi non può far testimonio*, ἀδόκιμος, ἀμάρτυρος. *Lex XII. Tabul.* apud *Gell.* 6. 7. et 15. 13. *extr.* Improbus intestabilisque esto. *Cajus Dig.* 28. 1. 26. Quum lege quis intestabilis esse jubetur, eo pertinet, ne ejus testimonium recipiatur: et eo amplius, ut quidam putant, neve ipsi dicatur testimonium. — *b*) Hinc etiam qui testamentum facere non potest, *chi non può far testamento. Ulp. Dig.* 28. 1. 18. Si quis ob carmen famosum damnetur, senatusconsulto expressum est, ut intestabilis sit: ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi testis.

II.) Translate. ¶ 1. Est detestabilis, exsecrandus, infamis, *esecrando, detestabile, odiato, infame, abominevole.* — *a*) De hominibus. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 180. uter ædilis fueritve Vestrum prætor, is intestabilis et sacer esto. *Sall. Jug.* 71. Quis illi in tanto malo turpis vita integra fama potior fuit, improbus intestabilisque videtur. *Sallustium* conjuncta verba *improbus intestabilisque* ex formula Leg. XII. Tabul. petiisse patet ex *Gell.* 6. 7. et 15. 13. Rursus *Sall.* in *orat. Lepidi.* Quum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit, neque se aliter tutum putet, quam si pejor atque intestabilior metu vestro fuerit. *Nepos* apud *Gell.* 7. 18. *extr.* Eos, qui ad Hannibalem non redissent, usque adeo intestabiles invisosque fuisse, ut tædium vitæ ceperint, necemque sibi consciverint. *Tac.* 4. *Hist.* 42. *ad fin.* Neronem extremum dominorum putatis, quum interim intestabilior et sævior exortus est. *Id.* 6. *Ann.* 40. Lepida crebris criminibus maritum insecuta, quamquam intestabilis, tamen impunita agebat. *Id.* 15. *ibid.* 55. Intestabilis et consceleratus. — *b*) De abstractis. *Tac.* 6. *Ann.* 51. Intestabilis sævitia. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 2. 6. (17). Ars magica intestabilis, irrita, inanis. *Id.* 28. *ibid.* 8. 24. (87). Reliqua intestabilia et infanda. ¶ 2. Ludit in ambiguo *Plaut. Curc.* 1. 1. 30. et *Mil. glor. a.* 5. *v.* 24.: intestabilis enim est etiam, cui adempti sunt testes. *V.* DETESTATIO, INTESTATUS 4. et TESTIS.

INTESTĀTŌ. *V.* voc. seq. in fin.

INTESTĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* testatus). ¶ 1. Est non solum qui testamentum non fecit, sed etiam cujus ex testamento hereditas adita non est, ut *Paul. Dig.* 50. 16. 64. docet. Sed præcipue dicitur de eo, qui nullo facto testamento decessit, ἀδιάθετος (It. *chi non ha fatto testamento*; Fr. *intestat, qui n'a pas testé*; Hisp. *intestado*; Germ. *der vor seinem Tode kein Testament gemacht hat*; Angl. *without making a testament or will, intestate*). *Cic.* 4. *Verr.* 22. 53. Mulier ita propinqua, ut etiam si intestata esset mortua, Epicratem, Bithynorum legibus, heredem esse oporteret. *Labeo* apud *Gell.* 1. 12. *extr.* Virgo Vestalis neque heres est cuiquam intestato, neque intestatæ quisquam. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 88. Nicenses, qui intestatorum civium suorum concessam vindica-

tionem bonorum a divo Augusto affirmant. Hinc etiam *Juvenal.* 1. 114. intestata senectus. *V.* et *Intestato* in fin. hujus voc. ¶ 2. Est præterea nullis testibus convictus. *Plaut. Curc.* 5. 3. 17. Hoccine pacto indemnatum atque intestatum me arripi? ¶ 3. Item intestatus est, cujus verbis fides non habetur, si *Nonio* est fides habenda, qui *p.* 323. 27. *Merc.* hæc affert verba *Pomponii*: Ipsos cum uno servo senex intestato proficiscitur. ¶ 4. Et cui adempti sunt testes. Itaque in ambiguo jocatur *Plaut. Mil. glor. a.* 5. *v.* 24. Si intestatus non abeo hinc, bene agitur pro noxia. *V.* INTESTABILIS II. 2. — Hinc Ablativus

Intestato et *ab intestato*, adverbii ritu, est nullo testamento facto, *abintestato*, ἀδιαθέτως: sed posterius fere ad heredem refertur. — *Intestato* apud *Cic.* 1. *Orat.* 40. 183. Paterfamilias quum uxorem prægnantem reliquisset, mortuusque esset intestato. Adde *eumd.* 2. *Invent.* 50. 148. — *Ab intestato* apud *Ulp. Dig.* 37. 7. 1. *ad fin.* Filia, quæ ab intestato patri heres fit. *Martian. ibid.* 29. 7. 8. Ab intestato succedere. *Ulp. ibid.* 36. 1. 17. *extr.* Bonorum possessor ab intestato.

INTESTĪNA, ōrum. *V.* INTESTINUS in fin.

INTESTĪNĀRĬUS, a, um, adject. ad intestinum opus pertinens Hinc Faber intestinarius, qui intestinum opus facit, *intagliatore in legno*, λεπτουργός. *Inscript.* apud *Murat.* 929. 6. M. ATIVS ATIAS L. FAVSTVS FAB. INTEST. *Alia* apud *eumd.* 939. 7. M. AVIDIVS M. L. AESOPVS FABR. INTESTIN. — Hinc

Intestinarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, idem significat. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 13. 4. 2. intestinarii, statuarii, musivarii.

INTESTĪNĀRĬUS, ii. *V.* voc. præced. in fin.

INTESTĪNUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

INTESTĪNUS, a, um, adject. (intus) interior, internus, intimus, ὁ ἔνδοθεν (It. *interiora, interno, intimo*; Fr. *intérieur, interne*; Hisp. *interior, interno*; Germ. *inwendig, innerlich*; Angl. *internal, inward, intestine*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 15. 48. Nihil ut esset, qui distingueretur tremor ille et pallor, neque ut quidquam interesset inter intestinum et oblatum. *Id.* 3. *Verr.* 15. 39. Occultum, intestinum ac domesticum malum. *Id.* 2. *Cat.* 13. 18. Bellum intestinum ac domesticum. Adde *Nepot. Hann.* 2.; *Sueton. Cal.* 5.; et *Justin.* 3. 4. 2. Similiter *Liv.* 4. 52. *sub fin.* Nihil eo biennio intestini externive incommodi fuit. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. Intestinus dolor. *Curt.* 6. 7. 1. Intestino facinore peti. *congiura occulta a domestica.* Sic *Id.* 9. 6. 24. Intestina fraus. *Sueton. Galb.* 7. dissensio. *Justin.* 20. 5. 7. discordia. *domestica*, *civile.* et *Aurel. Vict. Cæsar.* 39. et 48. clades. ¶ 2. Speciatim intestinum opus est, quod sub tecto et intra domum subtiliore et elegantiore artificio fit, præsertim e ligno, *lavoro d'intaglio o sottile*, λεπτουργία. *Varro* 3. *R. R.* 1. 10. Quum villam haberes opere tectorio et intestino, ac pavimentis nobilibus lithostrotis spectandam. *Vitruv.* 4. 4. Intercolumnia pluteis marmoreis, sive ex intestino opere factis intercludantur. *Id.* 5. 2. Præcingendi sunt parietes medii coronis ex intestino opere, aut albario. *cornici di legno o di stucco. Plin.* 16. *Hist. nat.* 42. 82. (225). Abies valvarum repagulis, et ad quæcumque libeat intestina opera aptissima. — Hinc translate *Plaut. Pseud.* 1. 3. 107. CA. Non habes venalem amicam tu meam Phœnicium? BA. Non edepol habeo profecto: nam jampridem vendidi. CA. Quomodo? BA. Sine ornamentis, cum intestinis omnibus. *h. e.* nudam nempe, seu sine vestibus, quæ mulierum, ut ruta cæsa domuum, sunt ornamenta; at cum omnibus ejus corporis partibus, mammis scilicet et clunibus, quæ, ut in ædificiis, opera intestina haberi debent. — Hinc

Intestinum, i, et *intestina, ōrum*, n. 2. (at *intestinus, i*, m. 2.) absolute, substantivorum more, sunt interanea, h. e. ductus cibi et excrementorum in ventre animalium, qui a ventriculo alimenta excipiunt et longis anfractibus per inferos dejiciunt, *gl' intestini, le budella*, ἔντερα, ἐντόσθια. Differunt a visceribus (apud Medicos), quæ in superiore parte usque ad ventriculum locum habent. *Plaut. Cas.* 4. 3. 6. Mihi insultate jamdudum intestina murmurant. *Id. Men.* 5. 5. 26. Quando esurio, intestina tum crepant. *Lucret.* 4. 114. animalia sunt tantula, eorum Tertia pars nulla ut possit ratione videri: Harum intestinum quodvis quale esse putandum est? *Cic.* 2. *Nat.* 55. 137. Reliquiæ cibi depelluntur, tum adstringentibus se intestinis, tum relaxantibus. *Id.* 7. *Fam.* 26. Quum decimum jam diem graviter ex intestinis laborarem. *Catull.* 76. 3. Alicujus intestina perurere. *Cels.* 4. 11. A visceribus ad intestina venire. *Scribon. Compos.* 206. Intestina prolapsa. *Id. ibid.* 256. soluta. — Intestinorum nomina apud *Cels.* 4. 1. sunt *jejunum, tenue, cæcum*: deinde quod anatomici *colon* vocant, late fusum atque sinuatum: postremo loco *rectum*. *Jejunum* inde nomen habet, quia numquam quod accepit, continet, sed protinus in inferiores partes transmittit: *cæcum*, quia ab altera parte non est pervium: *rectum* dicitur a figura. Anatomici plura intestina faciunt, quæ persequi non est nostri muneris. — *Intestinum medium* apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 137. est μεσεντέριον, seu μεσάραιον, h. e. membrana in mediis intestinis sita, de qua *V.* Anatomicus. — *Intestinus, i*, m. 2. (subaudi *canalis*) usurpatum fuit a *Varrone* (*V.* HYDRAGOGIA) teste *Non.* p. 209. 20. *Merc.*; et præterea *Harduin.* ex MSS. ita legit locum *Plinii* 11. *Hist. nat.* 37. 78. (199). Sanguine carentibus intestinus ab ore incipit, et quibusdam eodem reflectitur, ut sæpiæ et polypo. In homine adnexus infimo stomacho, similis canino etc.

INTESTĪNUS, i, m. 2. *V.* voc. præced. in fin.

INTESTIS, is, adject. (in *privat.* et testis) qui testibus caret, cui testes sunt adempti, ὁ σπάδων. *Arnob.* 5. 7. *de Attide.* Cæremoniis annuis et sacerdotum intestibus honoratur. Alii minus recte leg. *investibus*, ut probat *Salmas.* in *not.* ad *Tertull. Pall.* 3.; etenim Gallos, Matris deum sacerdotes, appellatos esse ait intestes, quia sine testibus erant. *V.* INTESTATUS 4.

INTEXO, texis, texui, textum, texere, a. 3. (in et texo). Part. *Intexens* I. 1. et 2. (et *V.* INTEXTUS, us); *Intextus* I. 1. — Intexere est in aliqua re texere, implicare, innectere, contexere, ἐνυφαίνω (It. *intessere, intrecciare*; Fr. *entrelacer, entremêler, tisser dans*; Hisp. *enlazar, texer entre*; Germ. *ein —, hineinweben, flechten*; Angl. *to inweave, interweave, interlace, plait, embroider*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu occurrit *intexere aliquid alicui rei*, vel *aliquid aliqua re*, ut apud *Cic.* 4. *Herenn.* 47. 60. Chlamys purpurea, coloribus variis intexta. *Sueton. Ner.* 50. Stragula alba, auro intexta. *Ovid.* 6. *Met.* 166. Intextum vestibus aurum. Sic *Curt.* 9. 7. 12. Lineæ vestes intexto auro purpuraque distinctæ. Rursus *Ovid.* 6. *Met.* 577. Purpureasque notas filis intexuit albis. *Curt.* 3. 3. 17. Purpureæ tunicæ medium album intextum erat. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 48. 74. (196). Diversos colores picturæ intexere. *ricamare. Virg.* 3. *G.* 25. Purpurea intexti tollant aulæa Britanni. *h. e.* intexti in ipsis aulæis. *Id.* 5. *Ecl.* 31. Et foliis lentas intexere mollibus hastas. *Id.* 2. *ibid.* 49. casia atque aliis intexens suavibus herbis, Mollia luteola pingit vaccinia caltha. *Lucan.* 5. 517. domus sterili junco cannaque intexta palustri. *Cic.* 2. *Nat. D.* 55. 138. Venæ et arteriæ crebræ multæque toto corpore intextæ. *Virg.* 10. *Æn.* 785. Opus tribus tauris intextum. *h. e.* scutum triplici taurino corio contextum. *Claudian. IV. cons. Honor.* 605. Liber Erythræis intextus nebrida gemmis. *h. e.* nebrida habens gemmis intextam. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 167. diadema gravibus baccis intextum. *Id.* 2. *Rapt. Pros.* 128. illa fucis intexit violis. *h. e.* immiscuit, inseruit. *Virg.* 2. *G.* 221. lætis intexit vitibus ulmos. Sic *Claudian. Epithal. Pallad. et Celer.* 2. Antrum intextum vitibus. et *Ovid.* 4. *Met.* 365. Utque solent hederæ longos intexere truncos etc. *Sil. It.* 13. 109. intextus axibus agger. ¶ 2. Latiori sensu pro simplici texere, contexere. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 33. 50. (96). Acanthyllis nidum ex lino intexens. ¶ 3. Item pro assuere. *Ulp. Dig.* 10. 4. 7. Si purpuram vestimento intexueris.

II.) Translate. *Tibull.* 4. 1. 5. Nec tua præter te chartis intexere quisquam Facta queat. *h. e.* describere. *Petron. Satyr.* 118. Ut quisque versum pedibus instruxit, sensumque teneriorem verborum ambitu intexuit, putavit se continuo in Heliconem venisse. — E pro immiscere, inserere, *inserire*, *frammischiare. Cic. Partit. orat.* 4. 12. Quum parva magnis, simplicia conjunctis, obscura dilucidis, læta tristibus intexímus. *Id.* 2. *Orat.* 16. 68. Aliquid in causa prudenter intexere. *Id.* 13. *Att.* 12. Scis, me ante orationes, aut aliquid id genus solitum scribere, ut Varronem numquam possem intexere. *introdurlo a parlare.*

INTEXTĬO, ōnis, f. 3. (intexo) idem atque intextus. Figurate *Ambros.* in *Luc.* 10. 23. At vero Marcus, tamquam purpuræ fulgore contextus, sine ulla intextione verborum: Initium, inquit, evangelii etc.

INTEXTUS, a, um. *V.* INTEXO.

INTEXTUS, us, m. 4. (intexo) textus, *tessitura. Plin.* 2. *Hist. nat.* 8. 6. (30). Æterna est cælestibus natura, intexentibus mundum, intextuque concretis.

INTHRŎNIZĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INTHRŎNIZO, as, ātum, are, a. 1. (in et thronus). Part. *Inthronizatus.* — Inthronizare est in throno collocare, *intronizzare*, ἐνθρονίζω. *Cassiod.* 12. *Hist. Eccl.* 8. Qui Proclum inthronizare prohibuerunt. *h. e.* in sede Ecclesiæ Constantinopolitanæ collocare. *et mox.* Romanæ civitatis episcopus jussit eum (*Perigenen*) inthronizari in Corintho metropoli. *Id. ibid.* 10. Inthronizatus igitur Proclus exsequias Maximiani corporis celebravit.

INTĪBUS. *V.* INTUBUS.

INTĪMĀTĬO, ōnis, f. 3. (intimo) intimandi actus; sed occurrit translate tantum, et est denunciatio. *Capell.* 9. *p.* 304. Doctæ intimationis excursus. Adde *eumd.* 4. *p.* 134. *Imp. Antonin. Cod.* 9. 40. 1. Si reus post intimationem suam fuerit defunctus.

INTĪMĀTOR, ōris, m. 3. (intimo) qui aliquid introducit atque insinuat. *Capitolin. Pertin.* 10. Velut stultum intimatorem nonnullarum rerum reprehendebat.

INTĪMĀTUS, a, um. *V.* INTIMO.

INTĪMĒ, adverb. (intimus) intrinsecus, intus, *intimamente, internamente*, ἐνδοτάτω.

I.) Proprie. *Apul.* 2. *Met.* Si te meus igniculus afflaverit, ureris intime. *Id.* 2. *Dogm. Plat.* Summus deorum cuncta hæc comperta intime providæ ordinationis constantia regit.

II.) Translāte. ¶ 1. Refertur ad amicitiam et familiaritatem. *Nepos Att.* 5. Utebatur intime Q. Hortensio. *con istretto confidenza. Apul. de Mag.* Arcto contubernio intime junctus. ¶ 2. Enixe, vehementer, ex animo. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. Quem scribis certissimum matricidam tibi a me intime commendari.

INTĪMĬDĒ, adverb. (in *privat.* et timide) non timide. Occurrit tantum Comp. *Intimidius* apud *Ammian.* 26. 6. Huic intimidius incedenti nec resistebat populus, nec favebat. *Hadrian. Valesius* exponit, valde timide, ut *in* augeat.

INTĪMO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (intimus). Part. *Intimatus* II. 2. — Intimare est intimum reddere, insinuare, introducere, infundere (It. *insinuare, inserire dentro*; Fr. *introduire dans, mettre dans, placer dans*; Hisp. *introducir, inserir*; Germ. ins *Innerste hineinbringen, thun, hineinfügen*; Angl. *to run into*).

I.) Proprie. *Solin.* 5. Quantam sui partem gurgiti intimaverit, tantam it perditum. *immergere. Id.* 32. *ante med.* Nilus mari intimatur. *s' interna.* Sic *Ammian.* 15. 4. Rhenus Oceani gurgitibus intimatur. et 22. 8. Borysthenes — concursu multorum amnium adolescens, mari præruptis undarum verticibus intimatur. *Apul.* Ἀνεχ. 15. Carpant papillas atque amplexus intiment. — Huc referri potest et illud *Tertull. Habit. Mul.* 5. *ad fin.* Nullus bidens aurum demergit in terram: nullus clavus argentum intimat tabulis. *h. e.* immittit, adigit.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a super. paragr. *Apul. de Mundo sub init.* Ut quum ipsius intervalli conditione a mundi vicinia natura nos secretos esse voluisset, immensitati tamen ejus cogitationum nos pernicitas intimaret. *Tertull. advers. Valentin.* 17. Imaginem aliquam imbibere et sibi intimare. *h. e.* in intimum animum inducere et altius imprimere. ¶ 2. Sæpe est docere, significare, indicare, et quasi in intimos sensus inducere, *far sapere, spiegare, notificare*, apud sequioris ævi scriptores. *Spartian. Æl. Ver.* 7. Quod contrarium est his, quæ de adoptionis pœnitentia per auctores plurimos intimata sunt. Adde *eumd. Julian.* 2. Sic *Trebell. Poll. Gallien.* 16. Hæc vita Gallieni fuit, breviter a me litteris intimata. *Ammian.* 28. 3. Vicinarum gentium strepitus nostris ducibus in-

timatus. *Arnob.* 5. 33. Unde est vobis cognitum, vel unde intimatum? *Symmach.* 10. *Ep.* 33. (*al.* 40.). Prædecessor meus perennitati vestræ rationem dicitur intimasse. *Sidon.* 7. *Ep.* 10. Qui, quid negotii ferat, præsentaneo compendiosius potest intimare memoratu. *Firmic.* 8. *Mathes.* 5. Breviter tibi promissi operis intimabo decreta. *Imp. Leo Cod.* 8. 54. 30. Donationem suam apud magistratus intimare. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 10. 10. 5. Rerum nobis notitia intimetur. *Imp. Justinian. Cod.* 1. 2. 19. At donationes, licet minus in actis intimatæ essent, tamen valerent. *h. e.* insertæ, *registrate, inserite.* Adde *Capell.* 6. p. 192. et 7. p. 236.; et *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 1111. — Item edicere, indicere. *Imp. Constantin. Cod.* 14. 3. 1. Cunctis pistoribus intimari oportet, quod si quis etc. *denunziare, intimare.* Sic *Impp. Honor. et Theodos. ibid.* 15. 3. 6. Quam legem provinciarum judicibus intimari conveniet.

INTĬMUS, a, um, adject. superlat. ab *intra*, ut *extimus* ab *extra*, qui maxime intus est, internus, reconditus, ἐνδότατος (It. *intimo, interiore*; Fr. *intérieur, intime*; Hisp. *interior, intimo*; Germ. *d. innerste*; Angl. *innermost, inmost, farthest within, interiour*).

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Verr.* 45. 99. In eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum. *h. e.* in intima sacrarii parte. *Id.* 13. *Fam.* 29. *circa med.* Abdidit se in intimam Macedoniam. *Horat.* 1. *Od.* 9. 21. angulus intimus. *Plaut. Truc.* 2. 7. 41. Traxit ex intimo ventre suspirium. *Catull.* 59. 177. Intimum pectus. *Ovid.* 4. *Met.* 506. præcordia. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 65. (172). Ranis lingua prima cohæret, intima absoluta a gutture. *h. e.* interior linguæ pars. *Massur. Sabin.* apud *Gell.* 10. 15. Tunica intima. *giustacuore, camicia*: *V.* INTERULA.

II.) Translate. — *a*) Generatim. *Cic.* 1. *Legg.* 5. 17. Penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam putas. *più recondita.* et 2. *Verr.* 6. 17. Ad intima alicujus consilia pervenire. *più serrati.* *Id.* 2. *Tusc.* 22. 51. Contentio, confirmatio, sermoque intimus, quum ipse secum, Cave turpe quidquam. *Poeta* apud *Sueton. Gramm.* 18. Intima cui soli nota sua extiterint. — *b*) Speciatim refertur sæpe ad amicitiam et familiaritatem. *Nepos Alcib.* 5. Quum in intimam regis amicitiam pervenisset. *intima o stretta confidenza.* et *Att.* 12. Intima familiaritate conjunctus Cæsari. — Hinc

Intimus, i, m. 2. absolute, substantivorum more, est amicus vel familiaris intimus. *Plaut. Truc.* 1. 1. 61. Intimum esse alicui. *Id. Mil. glor.* 2. 1. 30. Facere se intimum apud aliquem. *Ter. Eun.* 1. 2. 47. Tute scis, quam intimum habeam te, et mea consilia, ut tibi credam omnia. *Id. Andr.* 3. 3. 44. Davus, qui intimus est eorum consiliis. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 9. Qui se non intimum Catilinæ esse fateatur. Sic *Nepos Dion.* 1. Erat intimus Dionysio priori. Rursus *Cic.* 4. *Att.* 16. itaque in intimis est meis, quum antea notus non fuisset. *Id.* 13. *Fam.* 27. 31. Æmilius unus est ex meis familiarissimis atque intimis. *Nepos Con.* 2. Intimus regis. Aliter *Sueton. Ner.* 21. Intravit ordine suo, simulque præfecti prætorii, post tribuni militum, juxtaque amicorum intimi. Cf. *Tac.* 15. *Ann.* 61. Ubi hæc a tribuno relata sunt Poppæa et Tigellino coram, quod erat sævienti principi intimum consiliorum, etc. *h. e.* abstractum pro concreto, uti ajunt, hi enim sævienti principi intimi ex consiliariis.

INTINCTIO, ōnis, f. 3. (intingo) actus intingendi. *Hieronym. Ep.* 125. n. 1. Judas nec familiaritate convivii, nec intinctione buccellæ, nec osculi gratia frangitur. *Tertull.* de baptismo usurpat *Pœnit.* 2. 6. et 7. Sic intinctionem secundam, martyrium intelligit, *Patient.* 13. *a med.*

INTINCTUS, a, um. *V.* INTINGO.

INTINCTUS, us, m. 4. (intingo) condimentum liquidum, jusculum, quo intinguntur cibi saporis gratia. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 26. (65). Oxypori oboliis asperitatem, addito dulci, ad intinctum aceti temperantes. et *ibid.* 9. 33. (81). Vel cum his trita sorbenda est brassica, vel ex hoc intinctu sumenda. *Id.* 15. *ibid.* 29. 35. (118). Eadem origine aprorum sapor commendatur, plerumque ad intinctus additis myrtis.

INTINGO vel intinguo, tingis, tinxi, tinctum, tingere. a. 3. (in *et* tingo). *Intinxti* per syncopen pro *intinxisti* dixit *Plaut. Truc.* 2. 2. 39. — Part. *Intinctus* 1. 2. et 3. — Intingere est in aliqua re tingere, madefacere, ἐμβάπτω (It. *intingere, bagnare*; Fr. *tremper dans, imprégner*; Hisp. *mojar, embeber*; Germ. *eintauchen, benetzen*; Angl. *to dip, wet, moisten*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Plaut. Truc.* 2. 2. 39. Buccas rubrica, cera omne corpus intinxti tibi. *Quintil.* 10. 3. 31 Membranæ ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, et cogitationis impetum frangunt. *Vitruv.* 1. 5. Intinctos in aqua. *Id.* 8. 2. *extr.* Sapor (*aquæ*) et odor et color intinctus et commixtus propter naturæ raritatem. *Ovid.* 7. *Met.* 260. Faces intinctæ sanguine. *Cels.* 2. 21. Oleæ aceto intinctæ. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 17. 70. (231). Sevum oleo intinctum. *Sillig.* vero aliter omnino legit. ¶ 2. Speciatim refertur ad cibos, qui intinctu condiuntur. *Cato R. R.* 156. Brassicam si crudam edes, in acetum intinguito. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 72. (185). Anisum omnibus, quæ condiuntur, quæque intinguntur, desideratum. ¶ 3. Item speciatim *Tertull. Pœnit.* 6. *ad fin.* absolute *intinctus* est baptizatus. *V.* INTINCTIO.

INTĬTŬBANTER, adverb. (in *privat. et* titubo) non titubanter. *Boeth.* 1. *Arithm.* 1. p. 1015. Si quis ad alias inæqualitatis species animum tendat, eamdem convenientiam intitubanter inveniet.

INTĬTŬLO, as, āvi ātum, are, a. 1. (in *et* titulus) titulum dare, *intitolare. Rufin.* 1. *Invect.* in *Hieronym.* 8. Jam vero in illo libello, quem de optimo genere interpretandi intitulavit, ubi præter tituli annotationem nihil optimum, sed totum pessimum est, etc.

INTŎLĔRĀBĪLIS, e, adject. (in *privat et* tolerabilis). Comp. *Intolerabilior* 1. — Intolerabilis occurrit translate tantum, et ¶ 1. Passive est qui ferri et tolerari non potest, intolerandus, non ferendus, ἄτλητος, δύσοιστος (It. *intollerabile, insopportabile*; Fr. *intolérable, insupportable*; Hisp. *intolerable, insoportable*; Germ. *unerträglich, unausstehlich*; Angl. *not to be borne, intolerable, insurmountable*). Occurrit — *a*) De rebus physicis et abstractis. *Plaut. Aulul.* 3. 5. 59. Intolerabiles sumptus. *Lucret.* 6. 1158. mala. *Cic.* 2. *Nat. D.* 50. 127. Intolerabilis odoris fœditate insectantes depellunt. *Id. Rosc. Am.* 45. 131. Intolerabile frigus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 8. 23. dolor. *Id. Orat.* 65. 220. Intolerabile vitium est. *Id. ibid.* 8. 26. Verba dira, odiosa, intolerabilia. *Id.* 3. *Fam.* 7. Intolerabilia tributa exigere. *Id.* 11. *Att.* 13. Mihi quum omnia sunt intolerabilia ad dolorem, tum maxime quod etc. *Liv.* 1. 53. Intolerabilis sævitia. *Sueton. Galb.* 14. arrogantia. — *b*) De hominibus. *Cic.* 4. *Fam.* 3. Multo intolerabiliorem fuisse. Cf. *Juvenal.* 6. 459. Intolerabilius nihil est, quam femina dives. ¶ 2. Active est intolerans, *impaziente. Afranius* apud *Non.* p. 125. 25. *Merc.* Quod si fecissem id sæpius, didicisset is ferre, et non esset intolerabilis.

INTŎLĔRĀBĪLĬTAS, ātis, f. 3. (intolerabilis) intolerantia. *Gloss. Philox.* Intolerabilitas, ἀνυποιστότης. et *Gloss. Cyrill.* Ἀφορητότης, intolerabilitas.

INTŎLĔRĀBĪLĬTER, adverb. (intolerabilis) ita ut ferri non possit, *intollerabilmente. Colum.* 1. *R. R.* 4. 9. Quædam loca frigoribus hiemis intolerabiliter horrent. *Hygin.* (edente *A. Maio* in *Class. Auct. T.* 3. *p.* 68.) *fab.* 198. Meleagrides intolerabiliter flentes.

INTŎLĔRANDUM, adverb. *V.* voc. seq. in fin.

INTŎLĔRANDUS, a, um, adject. (in *privat. et* tolero) intolerabilis, *intollerabile, intollerando.* — *a*) De rebus physicis et abstractis. *Liv.* 22. 1. Intoleranda frigora. *Id.* 5. 14. hiems. *Curt.* 8. 9. 13. æstus. *Cic.* 6. *Verr.* 35. 78. Res indigna atque intoleranda. *Sall. Cat.* 61. Res fœdæ atque intolerandæ. *Id. ibid.* 10. *extr.* Crudele intolerandumque factum. Rursus *Cic.* 1. *leg. Agr.* 5. 15. Omnium rerum infinita atque intoleranda licentia. *Id. Fontej.* 16. 34. Immanis atque intoleranda barbaria. *Id. Rosc. Am.* 13. 36. Perniciosa atque intoleranda potentia. *Tac.* 3. *Hist.* 26. Intolerandus tam longi itineris labor. — Et cum Dativo. *Id.* 12. *Ann.* 10. Dominatio nobilitati plebique juxta intoleranda. *Gell.* 10. 12. Multa vana atque intoleranda auribus. — *b*) De personis. *Cic. Vatin.* 9. 23. Intolerandos tyrannos. — Hinc

Intolerandum, adverbii more. *Gell.* 17. 8. Olla, ut video, intolerandum fervit.

INTŎLĔRANS, antis, adject. (in *privat. et* tolerans). Comp. *Intolerantior* 1. et 2.; Sup. *Intolerantissimus* 1. — Intolerans ¶ 1. Active est qui tolerare non potest, impatiens, *impaziente, intollerante*, δυσανάσχετος. *Liv.* 9. 18. Et loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit. *che men sapesse moderarsi.* et *Id.* 10. 28. Corpora intolerantissima laboris atque æstus. *Tac.* 4. *Hist.* 80. Superbia viri, æqualium quoque, adeo superiorum, intolerantis. *Id.* 2. *Ann.* 75. Omnium, quæ ultionem morarentur, intolerans. ¶ 2. Passive est intolerandus, *intollerabile. Lævius* apud *Gell.* 19. 7. Curis intolerantibus. *Flor.* 4. 12. *circa med.* Nihil insultatione Barbarorum intolerantius fuit. *Gell.* 13. 8. Nihil posse fieri indignius atque intolerantius, quam quod homines ignavi etc. *Tac.* 3. *Ann.* 45. Quanto intolerantior servitus iterum victis. *Id.* 11. *ibid.* 10. Vir ingens gloria, atque eo ferocior et subjectis intolerantior. *Grotius* utroque *Taciti* loco malebat *intoleratior.*

INTŎLĔRANTER, adverb. (intolerans). Comp. *Intolerantius* et Sup. *Intolerantissime.* — Intoleranter est intolerabiliter, *intollerabilmente*, δυσανασχέτως. *Cic.* 2. *Tusc.* 10. 22. Intoleranter dolere. Sic *Ammian.* 29. 1. Intoleranter irasci. *Id.* 28. 1. Intoleranter se efferre. *Cic.* 2. *Orat.* 52. 209. Intolerantius se jactare. *Cæs.* 7. *B. G.* 51. Intolerantius Gallos insequentes legio tardavit. *Cic. Vatin.* 11. 29. De divitiis intolerantissime gloriaris.

INTŎLĔRANTĬA, æ, f. 1. (intolerans). Occurrit ¶ 1. Passive, et est impotentia, insolentia, superbia, quæ ferri ac tolerari non potest, *superbia, alterigia insoffribile*, αὐθάδεια. — *a*) De personis. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 13. 33. Perspicite, quanta potestas permittatur: non privatorum insaniam, sed intolerantiam regum esse dicetis. *Id. Cluent.* 40. 112. Quis eum cum illa superbia atque intolerantia ferre potuisset? — *b*) De abstractis. *Sueton. Tib.* 51. Acerbitas et intolerantia morum. ¶ 2. Activa est impatientia, *impazienza. Gell.* 17. 19. *ad fin.* Intolerantia, quum injurias, quæ sunt ferendæ, non toleramus, neque ferimus.

INTŎLĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* toleratus). Intoleratus æger apud *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 19. *sub fin.* est nullis cibis recreatus. *V.* INTOLERANS 2.

INTOLERO, as, are, a. 1. (in *privat. et* tolero) impatienter ferre, *non tollerare.* Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 104.

INTOLLO, tollis, tollere, a. 3. (in *et* tollo) extollere. *Apul.* 8. *Met.* Clamores absonos intollere.

INTŎNĀTUS, a, um. *V.* INTONO.

INTONDĔO, tondes, tondere, a. 2. (in *et* tondeo) idem fere ac tondere, *tosare*, κείρω. *Colum.* 11. *R. R.* 3. 31. Et fibrarum summas partes intondeas.

INTŎNO, tŏnas, tŏnui, (*raro* tŏnāvi), tŏnātum, tŏnare, n. 1. (in *et* tono). Part. *Intonans* II. 1. et 2.; *Intonatus* et *Intonaturus* II. 1. — Intonare est idem quod tonare, vel valde tonare (It. *tuonare*; Fr. *tonner*; Hisp. *tronar*; Germ. *donnern, erdonnern*; Angl. *to thunder loudly*).

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Divinat.* 47. 106. Partibus intonuit cœli Pater ipse sinistris. *Virg.* 1. *Æn.* 94. Intonuere poli. *Id.* 8. *ibid.* 527. iterum atque iterum fragor intonat ingens. *Non.* p. 329. 22. *Merc.* leg. *increpat*: alii, fragor intonat aures. — Imperson. *Virg.* 2. *Æn.* 693. subitoque fragore intonuit lævum. Cf. *Ovid.* 1. *Trist.* 4. 29. At simul intonuit, fugiunt.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim dicitur de quovis sono ac voce vehementiore. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (150). Intonuit urgenti latratu canis. *Petron. fragm. Tragur.* 78. *Burmann.* Consonuere cornicines funebri strepitu: unus præcipue servus tam valde intonuit, ut etc. *Paulin. Nolan. carm.* 21. 903. Quum prima signum suscitandis mortuis Cœlo tuba intonaverit. *Seneca Agam.* 328. chelys Nil aere velim, Magnumque modis intonet altis. *Val. Flacc.* 2. 365. magnis cum fratribus Eurus intonat Ægæo. *fischia, mugge sull'Egeo.* Cf. *Horat. Epod.* 2. 51. Si quos Eois intonata fluctibus Hiems ad hoc vertat mare. *h. e.* procellosa tempestas cum tonitru et ventis immissa. *Virg.* 7. *Æn.* 515. Contremuit nemus, et silvæ intonuere profundæ. *risonarono, rimbom-*

barono. *Sil. It.* 2. 213. Intonuere arma. Sic *Id.* 14. 298. armis intonat urbi. Similiter *Id.* 5. 275. Intonuere minæ. *Sidon.* 9. *Ep.* 14. Præparare aures fragoribus intonaturis. *h. e.* plausibus, qui personabunt. *Ammian.* 30. 3. Sonitu scutorum intonante gentilium. ¶ 2. Speciatim et latiori significatione de eo, qui impetu quodam clamoseque loquitur, ut fit in ira aliove animi impetu. — *a*) Absolute. *Cic. Mur.* 38. 81. Jam hesterna concione intonuit vox perniciosa tribuni. *Seneca Agam.* 544. furibundum intonat, Superesse nunc se pelagus atque ignes. *Val. Flacc.* 3. 168. Occupat os barbamque viri, clavaque superne Intonat. *h. e.* quasi tonitru et fulmine sonantes ictus infligit. Al. leg. *clavamque*, et est, clavam intentando inclamat et tonanti voce percellit. *Tac.* 12. *Ann.* 1. Claudius cælibi vitæ intonans. *h. e.* invehens. *Alii rectius leg.* cælibis vitæ intolerans. — *b*) Cum Accusativo. *Liv.* 3. 48. Quum hæc intonuisset plenus iræ. *Ovid.* 1. *Amor.* 7. 45. Nonne satis fuerat timidæ inclamasse puellæ, Nec nimium rigidas intonuisse minas? *Propert.* 2. 1. 39. Phlegræos Jovis Enceladique tumultus Intonet angusto pectore Callimachus.

INTONSUS, a, um, adject. (in *privat. et* tonsus) non tonsus, ἄκουρος (It. *non tosato*; Fr. *non tondu, non coupé*; Hisp. *no tundido*; Germ. *ungeschoren*; Angl. *unshorn, with the hair uncut*).

I.) Proprie. — *a*) De capillis. *Accius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 26. 62. Scindens dolore identidem intonsam comam. Sic *Curt.* 4. 13. 5. Hirta illis ora et intonsas comas esse. *et* 9. 10. 9. Prominent ungues numquam recisi; comæ hirsutæ et intonsæ sunt. *Horat. Epod.* 15. 9. Intonsi capilli. *Tibull.* 1. 4. 34. Intonsus crinis. *Ovid.* 4. *Fast.* 656. Intonsum caput. — *Intonsus deus* est Apollo. *Propert.* 3. 11. 52.; et *Ovid.* 3. *Trist.* 1. 60. — Cum Accusativo, Græco more. *Sil. It.* 15. 674. Rhodanique comas intonsa juventus. *h. e.* juventus Galliæ comatæ. — *b*) De barba. *Virg.* 9. *Æn.* 181. Ora intonsa. *h. e.* nondum rasa. Sic *Curt.* 8. 22. *med.* Mentum intonsum. *barbuto.* Similiter *Colum.* 7. *R. R.* 3. 7. Intonsæ oves.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur de arboribus. *Virg.* 9. *Æn.* 681. quercus intonsa cælo attollunt capita. *h. e.* frondosa. *Stat.* 4. *Silv.* 7. 10. Intonsa myrtus. Rursus *Virg.* 5. *Ecl.* 63. Intonsi montes. *h. e.* nemorosi et incædui. ¶ 2. Sæpe dicitur de antiquis Romanis, qui quum nullis dediti deliciis essent, ne comam quidem tondebant: unde et *hirsuti* dicti sunt. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 59. 59. (211). Tonsores in Italiam venere post R. C. anno CCCCLIV.; antea intonsi fuere. *Tibull.* 2. 1. 34.; et *Ovid.* 2. *Fast.* 30. Intonsi avi. *Ovid.* 6. *ibid.* 264. intonsi regia magna Numæ. ¶ 3. Hinc universim de incultis hominibus, et pauperem asperamque vitam agentibus. *Liv.* 21. 32. *de Alpinis incolis.* Homines intonsi et inculti. *Tibull.* 1. 8. 16. Cilices. *Ovid.* 4. *Pont.* 2. 2. Getæ.

INTORPEO, torpes, torpere, n. 2. maxime torpere. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 94.

INTORQUĔO, torques, torsi, tortum, torquere, a. 2. (in *et* torqueo). Part. *Intorquens* I. 1.; *Intortus* in fin.; *Intorquendus* I. 2. — Intorquere est idem quod torquere, contorquere, inflectere, ἐκστρέφω (It. *torcere, piegare*; Fr. *tordre, tourner en dedans*; Hisp. *torcer*; Germ. *drehen, herumdrehen, hineinwenden*; Angl. *to twist, writhe, bend*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 2. *Orat.* 66. 266. Mentum in dicendo intorquens. *Virg.* 4. *G.* 451. Ardentes oculos intorsit lumine glauco. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 34. (114). Debet intorqueri caulis, ut caput validius fiat. *Colum.* 5. *R. R.* 10. 16. Intorquere ramulos. *Id. Arbor.* 23. petiolos. *Claudian. II. Cons. Stilich.* 363. clavum. *Val. Flacc.* 8. 287. Intorquere undas remis. *Lucret.* 6. 123. Quum subito validi venti collecta procella Nubibus intorsit sese. *h. e.* se involvit et induit. Similiter *Sil. It.* 5. 535. It globus intorquens nigranti turbine nubem Pulveris. *Id.* 6. 177. Tempestas oritur, mixtam stridore procellam Carbereo intorquens. *Auct. B. Hisp.* 38. Huc accedebat, ut etiam talum intorsisset. *s'era slogato un piede.* V. *Intortus* in fin. I. 1. ¶ 2. Speciatim est jaculari, conjicere, vibrare, *lanciare, vibrare, tirare,* quod torquendo brachio fit. *Cic.* 9. *Att.* 7. Vereor, ne Pompejo quid oneris imponam, μή μοι Γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου intorqueat. *Virg.* 2. *Æn.* 231. et tergo sceleratam intorserit hastam. et 10. *ibid.* 322.; et 11. *ibid.* 637. Intorquere jaculum, hastam alicui. *h. e.* in aliquem. *Id.* 11. *ibid.* 882.; et *Seneca Ep.* 45. *a med.* telum in hostem. *Sil. It.* 2. 124. in mœnia cornum. *Tac.* 14. *Ann.* 36. Ita se ad intorquenda pila expedieret vetus miles. V. *Intortus* in fin. I. 2.

II.) Translate. *Cic.* 4. *Tusc.* 36. 77. Alternis versibus intorquentur inter fratres gravissimæ contumeliæ. *Sil. It.* 11. 342. Intorquere vocem diram. *dare un grido spaventevole.* — Hinc

Intortus, a, um, particip. præter. pass. est contortus, flexus, involutus, *torto, avvolto,* εἰλιγματώδης.

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. *Catull.* 64. 235. Intorti rudentes. *Ovid.* 3. *Met.* 679. funes. *Petron. Satyr.* 131. De sinu licium protulit varii coloris filis intortum. *Id. ibid.* 80. Intorto circa brachium pallio, composui ad præliandum gradum. *Liv.* 25. 16. *sub fin.* Paludamento circa lævum brachium intorto, in hostes impetum fecit. *Sil. It.* 5. 367. Intortus de more amictus. *Scribon. Compos.* 43. linteum. *Horat.* 2. *Od.* 13. 35. Angues intorti capillis Eumenidum. *Val. Flacc.* 6. 563.; et *Martial.* 8. 33. intorti capilli. *ricciuti, crespi.* *Liv.* 28. 30. *ad fin.* Navis repente intorta, in proram circumagebatur. *raggirata.* *Val. Flacc.* 4. 452. niger intorto turbine nimbus. ¶ 2. Speciatim est jactus, vibratus, *tirato, lanciato.* *Virg.* 10. *Æn.* 382. hunc, magno vellit dum pondere saxum, Intorto figit telo. *Sil. It.* 1. 304. verba ocius acer Intorto sancit jaculo. Sic *Id.* 7. 623. moles intorti saxi.

II.) Translate. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 43. (81). Sonus concisus, intortus. *V.* LUSCINIA. *Apul. Florid. n.* 13. Noctuæ intorto carmine occinunt. *Plaut. Cist.* 4. 2. 63. Intorta oratio. *discorso inviluppato, oscuro.* *Pers.* 5. 38. Intorti mores. *h. e.* minus recti, pravi.

INTORTĒ, adverb. (intortus). Comp. *Intortius* I. — Intorte est contorte, *tortamente.*

I.) Proprie. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 16. 27. (68). Bruscum intortius crispum, molluscum simplicius sparsum. *con più rigiri.*

II.) Translate. *Augustin. de Nat. et Grat.* 49. Intorte hoc dixit et ideo subobscure.

INTORTĬO, ōnis, f. 3. (intorqueo) contortio, *torcimento, arricciamento.* *Arnob.* 3. 14. Hos capillorum intortionibus crispulos.

INTORTUS, a, um. *V.* INTORQUEO.

INTRĀ, (cujus ultima syllaba aliquando breviatur, *V.* EXTRA init.) est *A*) Adverbium; et *B*) Præpositio regens Accusativum.

A) Adverbium *intra* est per syncopen pro *intera,* subaudi *parte,* ab *in* ut *citra* a *cis,* *ultra* ab *uls,* ut *Gell.* 12. 13. et *Priscian.* 14. *p.* 991. *Putsch.* docent. Significat autem intus, ἐντός, ἔνδοθι (It. *dentro, al di dentro*; Fr. *intérieurement*; Hisp. *interiormente*; Germ. *inwendig, innerhalb*; Angl. *within*). Occurrit — *a*) Generatim. *Cels.* 7. 15. Pars, quæ intra, longior esse debet, quam quæ extra. *Colum.* 12. *R. R.* 43. 7. Vasa extrinsecus et intra diligenter picata. *Petron. Satyr.* 22. Idem tota intra forisque familia fecerat. *Cels.* 5. 28. Vividius caro intra apparet. *Sueton. Cæs.* 84. Pro Rostris aurata ædes – collocata, intraque lectus eburneus, auro ac purpura stratus. — *b*) Speciatim de interiore regionum parte. *Mela* 1. 4. 4. Intra vix jam homines magisque semiferi, habent potius terram, quam habitant. *Id. proœm.* 2. *de Mari Mediterraneo.* Deinde rursus oras omnium et litora, ut intra extraque sunt. Sic *Plin.* 6. *Hist. nat.* 32. 38. (205). Abunde orbe terræ extra intra indicato. *fuori e dentro dell' Oceano.*

B) Præpositio *intra* regit Accusativum, et significat in, inter (It. *dentro, tra, intra*; Fr. *en dedans de, dans*; Hisp. *dentro, en*; Germ. *innerhalb*; Angl. *within*). Suo casui fere semper præponitur: postponitur a *Tac.* 4. *Ann.* 48. Dum populatio lucem intra sisteretur. *dentro i termini del dì.*

I.) Proprie de loco usurpatur; et quidem — *a*) Cum Verbis quietem, seu statum in loco significantibus. *Ennius* apud *Priscian.* 6. *p.* 725. *Putsch.* Occumbunt multi letum ferroque lapique Aut intra muros aut extra præcipe casu. *Plaut. Merc.* 1. 2. 75. Ubi eam vidit? ACANTH. Intus intra navim. Cf. *eumd. Trin.* 4. 2. 64. Intra dentes amicus conclusos habere. *Cic.* 3. *Att.* 10. *a med.* Nisi intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur. *Id.* 1. *ad Brut.* 18. Quum tantum resideat intra muros mali. *Id.* 4. *Herenn.* 3. 4. Intra carceres stare. *Virg.* 11. *Æn.* 608. Jamque intra jactum teli progressus uterque. *Cic. Sext.* 27. 58. Antiochum intra montem Taurum regnare jusserunt. *h. e.* intra fines montis Tauri, ita ut cis eum montem transgredi non liceret. (*V. Liv.* 38. 38.). *Flor.* 3. 10. et 4. 12. Intra ripam. *h. e.* in ulteriore ripa. *Cic.* 5. *Verr.* 89. 207. Locus intra Oceanum jam nullus est, quo etc. *h. e.* in omnibus terris, quas ambit Oceanus: quod est, in toto terrarum orbe. *Liv.* 3. 35. Intra Apenninum tamen sese tenuere. *h. e.* cis Apenninum transgressi non sunt, neque propius Romam accessere. *Id.* 34. 62. Intra eos terminos esse. *Id.* 25. 24. Intra præsidia alicujus esse. *Nepos Datam.* 6. Quum hostes et intra vallum et foris cæderentur. *Sueton. Cæs.* 68. Intra vallum reperire. *Id. ibid.* 75. Intra castra deprehendi. *Id. Galb.* 14. Intra Palatium habitare. *Id. ibid.* 8. Intra ædem publicam sacrificare. — Huc referri possunt et sequentia. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 21. 45. (99). Ea intra se consumunt Arabes. *h. e.* inter se ipsi consumunt, neque extra fines suos exportant: *fra di loro, nel paese.* *Id.* 9. *ibid.* 51. 75. (165). Torpedo intra se parit ova, in alium locum uteri transferens. *dentro di se.* et 10. *ibid.* 42. 59. (118). Picæ meditantes intra se. *h. e.* secum ipsæ, *fra se.* *Quintil.* 11. 3. 8. Quæ intra nosmet ipsos componimus. *Plin.* 3. *Ep.* 10. Præcipue quum affirmetis, intra vos futura, donec placeat emittere. *fra voi a secreto.* — *b*) Cum Verbis motum ad locum significantibus. *Plaut. Cist. a.* 3. *v.* 19. Ferre aliquid intra limen. *Id. Truc.* 1. 1. 23. Ea intra pectus se penetravit potio. *Cic. Cæcin.* 8. 22. Ingrediens intra finem ejus loci. *Id.* 2. *Orat.* 34. 147. Nosse regiones, intra quas venias. *Cæs.* 1. *B. G.* 32. *extr.* Qui intra fines suos Ariovistum recepissent. Sic *Liv.* 3. 4. Intra castra se recipere. *Id.* 34. 33. Compulsus intra mœnia hostis. Sic *Nepos Ages.* 5. Aliquem intra mœnia compellere. et *Curt.* 8. 11. 1. Intra munimenta compulsi. *Virg.* 2. *Æn.* 33. intra mœnia duci.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad modum. *Propert.* 3. 7. 1. Mæcenas eques Etrusco de sanguine regum, Intra fortunam qui cupis esse tuam etc. Sic *Ovid.* 3. *Trist.* 4. 26. Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra Fortunam debet quisque manere suam. et *Sil. It.* 14. 465. At princeps generis quanto majora paravit Intra pastorem sibi nomina! *Flor.* 1. 3. 5. Abstulit virtus parricidam, et facinus intra gloriam fuit. *h. e.* intra gloriæ fines: adhuc fuit gloriosum. *Plin.* 4. *Ep.* 16. *a med.* Paullisper se intra silentium tenuit. *stette sul tacere.* *Cels.* 3. 24. *ad fin.* Oportet carnis aliquid esse, intraque aquam manere. *h. e.* solam aquam bibere vino abdicato. *Id.* 3. 18. Quidam phrenetici intra verba desipiunt: alii insurgunt, et violenter quædam manu faciunt. *h. e.* verbis tantum desipiunt, neque ulterius progrediuntur. Sic *Curt.* 7. 1. 25. Utinam Philotas quoque intra verba peccasset. *Horat. Art. P.* 266. intra spem veniæ cautus? *h. e.* cautus sim, quamvis veniæ spes proposita sit? ¶ 2. Item ad tempus. — *a*) Absolute. *Plaut. Curc. a.* 3. *v.* 77. Dimidiam partem nationum subegit solus intra viginti dies. *Cic.* 2. *Verr.* 13. 37. Intra decem annos. *Cæs.* 1. *B. G.* 36. *extr.* Qui intra annos quatuordecim tectum non subiissent. *Liv.* 1. 10. Intra tot annos. *Id.* 9. 29.; *Sueton. Domit.* 9.; et *Val. Max.* 1. 1. 17. Intra annum. *Sueton. Tib.* 15. Intra triennium. *Plin.* 10. *Ep.* 41. Intra hos proximos decem annos. *Sueton. Claud.* 1. Intra mensem tertium. *Eutrop.* 6. 10. Intra paucos menses. *Liv.* 23. 41. Intra dies paucos. *Sueton. Claud.* 17. Intra paucissimos dies. *Curt.* 8. 10. 31. Intra nonum diem. *Id. Tib.* 51. Intra breve tempus. *Tac.* 2. *Ann.* 71. Quoad dii me intra juventam præmaturo exitu raperent. — *Gell.* 12. 13. multa disserit de sententia horum verborum *intra calendas*: et quidem ex vi verborum esse ait in ipsis calendis: ex consuetudine autem significare totum illud tempus, quod ante calendas futurum est. Utrum autem et ipsæ calendæ comprehendantur, non statuit: et ipsas quoque comprehendi, aperte significat *Ulp. Dig.* 38. 9. 1. *circa med.* et 50. 16. 133. Verba ejus priore loco sunt: Quod dicimus, intra dies centum bonorum possessionem peti posse; ita intelligendum est, ut et ipso die centesimo bonorum possessio peti possit: quemadmo-

dum intra calendas, etiam ipsæ calendæ sint. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 25. 42. (104). Deflorescunt omnia septenis diebus: quædam tardius, sed nulla pluribus bis septenis: omnia et intra VIII. Id. Jul. *h. e.* antequam illa dies elabatur. — *b*) Sequente *quam*. *Liv.* 36. 10. Intra decimum diem, quam Pheras venerat. *h. e.* in spatio dierum decem, postquam venerat. *Seneca Tranquill.* 11. *a med.* Quem populus Romanus intra annum, quam timuerat, spectavit. *Colum.* 12. *R. R.* 23. 1. Intra quartum diem, quam de lacu sublatum est. ¶ 3. Ponitur et pro citra. *Liv.* 1. 43. Secunda classis intra centum, usque ad quinque et septuaginta millium censum instituta. *sotto, o meno*. *Cic.* 4. *Fam.* 4. *a med.* Modice hoc faciam, aut etiam intra modum. Cf. *Gell.* 12. 13. *a med.* Modice, id est cum modo æquo et pari: intra modum, minus quam modice, id est non ad ipsum modum, sed retro paullulum et citra modum. Rursus *Cic.* 9. *Fam.* 26. *sub fin.* Epulamur una non modo contra legem, sed etiam intra legem, et quidem aliquanto. *h. e.* ut ne omne illud quidem mensæ inferamus, quod lex permittit, sed aliquanto minus. *Quintil.* 11. 3. 8. Hortensii scripta intra famam sunt. *h. e.* sunt minora fama. *Flor.* 4. 11. 9. Cleopatræ pulcritudo intra pudicitiam principis fuit. *h. e.* minus potuit, quam principis pudicitia.

Homonym. Quid differant *intra* et *infra*, *V.* INFRA in fin.

INTRĀBĬLIS, e, adject. (intro, as) qui ediri potest, *dove si può entrare*. *Liv.* 22. 19. *ad fin.* Intrabile os amnis. *Gronov.* ita legit cum aliis.

INTRĂCLŪSUS, a, um, adject. (intra et claudo) Etiam divisim *intra clusus* scribitur. — Intraclusus est qui intra est clusus, qui intra perticam est. *Aggen. Urb. de limit.* p. 49. *Goes.* Quidquid enim inter quatuor limites minus, quam intraclusum est, fuerit assignatum, in hac remanet appellatione. *h. e.* subsecivi. *Frontin. Limit. ibid.* p. 31. Ut intraclusi modus enuncietur

INTRACTABĬLIS, e, adject. (in *privat.* et tractabilis). Apud *Gell.* 4. 15. *in fin.* quidam leg. *intrectabilis*. — Comp. *Intractabilior*. — Intractabilis est qui tractari non potest, durus, asper, indomabilis, ἀδάμαστος, ἀμεταχείριστος. — *a*) De hominibus et brutis. *Gell.* 18. 7. Domitius, cui cognomen Insano factum est, quoniam erat natura intractabilior et morosior. Cf. *Seneca Hippol.* 229. et 271. Tentemus animum tristem et intractabilem. et *Virg.* 1. *Æn.* 313. genus intractabile bello. *indomabile, invincibile*. *Ammian.* 15. 5. Et quamquam ut bestiarii objiceremur intractabilibus feris etc. — *b*) De rebus. *Virg.* 1. *G.* 211. Intractabilis bruma. *insoffribile*. Sic *Justin.* 21. 4. 2. Loca frigore intractabilia. *inabitabili*. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 27. (89). Pastinacæ virus intractabile est. *sapore, sugo, che non si può gustare*. *Grat. Cyneg.* 159. Ira intractabilis. *Seneca Ep.* 25. Respice ætatem ejus jam duram et intractabilem: non potest reformari. *incorreggibile*.

INTRACTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et tracto) non tractatus, indomitus, *non maneggiato, indomito*, ἄδμητος. *Cic. Amic.* 19. 70. Nemo est, qui non equo eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo. *Grat. Cyneg.* 131. intractatus decor. *h. e.* nativus, non arte elaboratus, nullo artificio politus. *Virg.* 8. *Æn.* 205. Caci mens effera, ne quid inausum, Aut intractatum scelerisve dolive fuisset, Quatuor tauros avertit. *h. e.* intactum a furtis suis.

INTRACTĬO, ōnis, f. 3. (intraho) contractio, *contrazione*. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 12. 10. (55). Rictum in loquendo, intractionemque linguæ, et sermonis tumultum piscator quidam reddidit. *Al. leg.* contractionem.

INTRĂHO, trăhis, traxi, tractum, trăhere, a. 3. (in *et* traho). Part. *Intrahens*. — Intrahere est idem fere ac trahere. *Apul.* 11. *Met.* Sol inclinatus intrahebat vesperam. *Id.* 5. *ibid.* Sulcatos intrahens gressus. — Apud *Paul. Diac.* p. 111. 2. *Müll.* intrahere est contumeliam intorquere.

INTRAJECTUS, a, um, adject. idem atque interjectus. *Frontin. Limit.* p. 112. *Goes.* Quorum limitum cursus intrajecta distantia – concurrunt.

INTRAMEATUS *et* intromeatus, us, m. 4. actus meandi intra. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 85.

INTRĀMŪRĀNUS, a, um, adject. (intra *et* murus) qui est intra muros, urbanus. — *a*) De personis. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 4. *Verr.* 6. 17. Magistratus, qui intramuranus non est, nec urbanus, etiamsi administretur ejus Romæ est, ad urbem dicitur. *V.* EXTRAMURANUS. *Inscript.* apud *Fea, Framm. de' Fast. cons. tav.* 7. *n.* 12. M. HERENNIO M. F. PICENTI COS. MVNICIPES MVNICIPII AVGVSTI VEIENTIS INTRAMVRANI PATRONO. Hæc *Inscript.* pertinet ad ann. U. C. 720. *Lamprid. Elagab.* 1. Intramurani exoleti. *Vopisc. Aurelian.* 38. Seditio intramurana. — Quandoque intra murum idem significat. *Inscript.* apud *Viscont. Monum. Gab.* p. 35. DECVRIONIBVS SING. ✕ V. ITEM VI. VIR. AVG. SING. ✕ II. ITEM TABERNARIIS INTRA MVRVM NEGOTIANTIBVS ✕ I. — *b*) De rebus. *Ammian.* 31. 7. Vulgus inæstimabile Barbarorum, ad orbis rotundi figuram multitudine digesta plaustrorum, tanquam intramuranis cohibitum spatiis, otio fruebatur. Adde *Ambros. Ep.* 33.

INTRĀNĔUS, a, um, adject. (intra) qui in interiore est parte; et opponitur extraneo. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 12. Hæc ergo non solum in ecclesia persistebat docens, sed etiam in intraneis conventibus atque conciliis: et domos circumiens, quibuscumque poterat, suadebat.

INTRANSGRESSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et transgredior) qui transferri non potest. *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 14. *circa med.* Unde et intransgressibilem habet filiationem Unigenitus Patris.

INTRANSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et transeo) quo intrari non potest, qua transire nequimus. *Hieronym.* 4. in *Isaj.* 11. 15. Nilus aquarum multarum, qui prius uno fluebat alveo et intransibilis erat, in septem valles humillimas et rivos divisus est atque concisus.

INTRANSĬTĪVĒ, adverb. (intransitivus) vi verborum intransitivorum. *Priscian.* 18. p. 1134. *Putsch.* Quæ habent passivam terminationem impersonalie, non possunt infinitis adjungi, ut *statur, curritur, sedetur*, et intransitive intelliguntur. *Id.* 5. *ibid.* p. 671. Nominativus verbis quoque intransitive quasi egregius adhæret.

INTRANSĬTĪVUS, a, um, adject. (in *privat.* et transeo) non transiens: sed occurrit in re grammatica tantum, *intransitivo*. *Priscian.* 14. p. 982. *Putsch.* Per intransitivam dicuntur elocutionem, id est non transeuntem ab alia ad aliam personam, ut *percurrit homo excelsus*.

INTRANSMEĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.*, trans et meo) non transmeabilis. *Jornand. Get.* 1. Oceanus intransmeabilis. *Id. ibid.* 6. Nilus omnis intransmeabilis. *Claud. Mamert.* 3. *Stat. an.* 8. Quum Abraham in paradiso et dives in inferno sic immenso quodam intransmeabili ab invicem dispara:i sint, ut etc. *Id. ibid.* 9. *sub init.* Intransmeabile chaos.

INTRĀTUS, a, um. *V.* INTRO, as.

INTRĔMĔFACTUS, a, um, particip. ab inusit. *intremefacio*: *V.* TREMEFACTUS. *Optatian. Organ.* 50. Quodque queat minimum ad motum intremefacta frequenter Plectra adaperta sequi.

INTRĔMĬDUS. *V.* TREMIDUS.

INTRĔMISCO, is, ere, n. inchoat. 3. (intremo). Part. *Intremiscens*. — Intremiscere est idem ac contremiscere, *intremire, tremare*. *Cels. præfat.* l. 7. *a med.* Manu stabili esse, nec unquam intremiscente. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 79. 81. (192). Terræ intremiscunt, sopito mari. *Id.* 8. *ibid.* 4. 5. (9). Elephas, vestigio hominis animadverso, priusquam hominem, intremiscere insidiarum metu, circumspectare etc.

INTRĔMO, trĕmis, trĕmŭi, trĕmere, n. 3. (in *et* tremo) idem quod tremere, *tremare, intremire*. — *a*) Absolute. *Cels.* 3. 3. Totum corpus intremit. *Ovid.* 2. *Met.* 180. subito genua intremuere timore. *Id.* 3. *Trist.* 1. 56. pedes. *Virg.* 3. *Æn.* 581. intremere omnem Murmure Trinacriam. *Id. ibid.* 673. undæ. — *b*) Cum Accusativo rei, propter quam quis intremit. *Sil. It.* 16. 664. Hannibalem ecce senectus intremit, aut ægros simulat mentita timores. *Al. leg.* Hannibali. *Id.* 8. 60. Intremuit regum eventus. *V.* TREMO.

INTRĔMŬLUS, a, um, adject. duo diversa significat; namque

A) Ab in intentiva et *tremulus* est valde tremens, tremulus, *tremolante*. *Auson. Epitaph.* 34. Intremulam baculo non subeunte manum. *scil.* hic sermo est de vetulo annorum CV.

B) Ab *in* privat. et *tremulus* est qui non tremit, non tremulus. *Cassiod.* 12. *Variar.* 19. Pontis junctione Tiberinos fluctus solemniter vestiatis, quatenus transitum præbeat intremulum, fixum concatenat navigium. *V.* CONTRABIUM.

INTRĔPĬDANS, antis, adject. (in *privat.* et trepido) non trepidans, firmus, validus. *Inscript.* apud *Paulovich. Marm. Macarens.* p. 61. LICINIA PRIMA ET LICINIVS GERONTIVS, CRESCENTI CONIVX ET FILIVS ADVLTO INTREPIDANTIS AETATIS PATRI, CVI NON LICVIT INFANTIAM SIVE AD SVOS ANNOS PERDVCERE, PIO ET BENE MERENTI, ET OMNIVM AMATORI SVORVM ET AMICORVM, DIGNO HVNC TITVLVM POSVERVNT. Hæc Lexico addidit el. *Furlanettus*; qui postea in suis MSS. quæ sequuntur adnotavit: Jure *Gervasius*, *Due Iscriz. Messinesi* p. 28., hanc meam interpretationem corrigit, et τὸ *intrepidantis* hoc loco pro *valde trepidantis* accipiendum affirmat.

INTRĔPĬDANTER, adverb. (intrepidans) idem atque intrepide. *Non.* p. 530. 5. *Merc.* Festine et intrepidanter adscendere.

INTRĔPĬDĒ, adverb. (intrepidus) sine pavore, audacter, *intrepidamente*, ἀδεῶς. *Liv.* 26. 4. Postquam assuetudine quotidiana satis intrepide visum est fieri. *Gell.* 9. 11. Progreditur intrepide modesteque obviam. Adde *Apul. Florid. ad fin.*; et *Auson. præfat.* 3.

INTRĔPĬDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* trepido) trepidanter, seu festinanter movere. *Symmach.* apud *Jornand. de reb. Get.* 15. Imperator, equo adacto in cursum calcaribus incitatum, multos orbes huc atque illuc usque ad suam fatigationem variis inflexibus intrepidavit. *Capitolin.* hoc idem narrans ait *Maximin.* 3. Equum admisit multis circuitionibus. *V.* TREPIDARII.

INTRĔPĬDUS, a, um, adject. (in *privat.* et trepidus) non trepidus, impavidus, imperterritus, *non isbigottito, intrepido*, ἀδεής. — *a*) De hominibus. *Tac.* 1. *Hist.* 35. *extr.* Intrepidus minantibus, adversus blandientes incorruptus. *Justin.* 24. 4. 8. Ptolemæus adventum Gallorum intrepidus audivit. *Gell.* 19. 1. Interritus intrepidusque. *Id.* 19. 12. Tranquilline, intrepidus, immobilis. *Val. Flacc.* 1. 503. non intrepidus genitor discrimine nati. *Curt.* 8. 11. *fin.* Saluti fuit, quod sensim et intrepidi se receperunt. *non iscompigliati*. — *b*) De rebus et abstractis. *Ovid.* 13. *Met.* 478. Pertulit intrepidos ad fata novissima vultus. *Seneca Hippol.* 593. Intrepida verba. *Gell.* 1. 11. *extr.* Intrepida modulatio. *Ammian.* 27. 6. natura. *Id.* 18. 10. vis. *Tac. Agric.* 22. Ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque præsidio. *h. e.* hiberna quieta ac tuta ab hostibus.

INTRĬBŬLĀTUS, a, um, adject. (in *et* tribulo) tribulo tusus. *Cato R. R.* 127. Vini sextarium origaniti dato jejuno et puero pro ætate intribulatum, et viro heminam. Ita legendum probat *Pontedera Op. posth. T.* 1. p. 282. pro *triobolum et vini heminam*.

INTRĬBŬO, is, ere, a. 3. (in *et* tribuo) contribuere, conferre, tributum solvere, *contribuire*, εἰσφέρω. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 35. Modo ne quid ideo intribuant.

INTRĬBŪTĬO, ōnis, f. 3. (intribuo) actus intribuendi, collatio, pensio, contributio, *contribuzione*, εἰσφορά. *Ulp. Dig.* 49. 18. 4. Nec ab intributionibus veteranos esse excusatos, palam est. *Id. ibid.* 50. 1. 22. *extr.* Omnibus patrimonii intributionibus fungi debent. Adde *Arcad. ibid.* 4. 6. *a med.*

INTRĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INTRĪCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* tricor). Licenter penultimam corripit *Capell.* 7. p. 236. Demumque nec jugalis Cessator intricatus Tardabo fulcra lecti. — Part. *Intricatus*. — Intricare, a tricis, est implicare, involvere, *imbarazzare*, ἐμπλέκω. — *a*) De personis. *Plaut. Pers.* 4. 1. 9. Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo, ut ipsus sese, qua se expediat, nesciat. *Cic. fragm.* apud *Gell.* 6. 2. *extr.* Chrysippus æstuans laboransque, quonam pacto explicet et fato omnia fieri et esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo. — *b*) De rebus. *Afranius* apud *Non.* p. 8. 27. *Merc.* Ita intricavit hanc rem temeritas. *Ulp. Dig.* 11. 3. 1. *in fin.* Is quoque deteriorem facit, qui servo persuadet, ut injuriam faceret vel furtum, vel ut peculium intricaret. *Id.*

ibid. 15. 1. 21. Intricare peculium in netem creditorum. *h. e.* obligare, æri alieno subjicere, *impegnare.*

INTRĪGO, ginis, f. 3. habent codices et vulgati libri apud *Varron.* 5. *L. L.* 176. *Mull.*, ubi *Müllerus* et *Bentini* correctione legit *intertrigo.*

INTRĪMENTUM, i, n. 2. (intero) conditura ex rebus tritis et in cibos condiendi gratia infusis, *salsa, concia, sapore. Apul.* 10. *Met.* Sapidissimis intrimentis suernum pulmenta condita.

INTRINSĔCUS, adverb. (intra *et* secus, quo notat justa, prope). Scribitur etiam *intresecus*, si modo sana est lectio, in *Inscript.* apud *Orell. n.* 3327. — Intrinsecus est in interiore parte, *intrinsecamente, di dentro*, ἐσωθεν. *Lucret.* 6. 1145. Sudabant etiam fauces intrinsecus atro Sanguine. *Varro* 2. *R. R.* 11. 7. Eam intrinsecus eadem re perunguent. *Sueton. Aug* 95. Immolanti omnium victimarum jocinora replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt. Adde *Cels.* 4. 1.; *Justin.* 4. 1. 3.; *Ammian.* 23. 4.; et *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 157. — Cum oppositis. *Colum.* 12. *R. R.* 44. 5. Lata vasa intrinsecus et exterius crasse picari jubebat. *Id.* 8. *ibid.* 3. 6. Aviaria intrinsecus et extrinsecus polliantur opere tectorio.

INTRĪTA, æ, f. 1. *et.*

INTRITUS, a, um, particip. v. *intero*: *V.* INTERO in fin.

INTRĪTUS, a, um, adject. (in *privat. et* tritus) non tritus, non fractus.

I.) Proprie. *Colum.* 12. *R. R.* 49. 2. Deinde intrita oliva novo fisco includitur et prelo subjicitur. *h. e.* integra.

II.) Translate. *Cæs.* 3. *B. G.* 26. Eductis quatuor cohortibus, quæ, præsidio castris relictæ, intritæ ab labore erant etc. *Alii leg.* integræ. Cf. *Liv.* 22. 39.

INTRO, adverb. ab *in*, factum per syncopen pro *intero*, subaudi *loco*, et significat intus (It. *dentro, entro*; Fr. *dedans, dans l'intérieur*; Hisp. *dentro*; Germ. *inwendig, hinein*; Angl. *into a place within*). Occurrit ¶ 1. Raro admodum cum Verbis quietem significantibus pro intus. *Cato R. R.* 157. Omnia sana faciet, intro quæ dolitabunt. *Pallad.* 1. *R. R.* 40. Ut si pilam miseris, intro stare non possit. ¶ 2. Sæpius cum Verbis motum ad locum significantibus: frequentissimum est apud Comicos; et fere ad ædes refertur. *Plaut. Truc.* 3. 2. 19. Sequere intro me, amabo. *in casa. Id. Most.* 2. 2. 39. In hasce ædes pedem nemo intro tetulit. *Id. Merc.* 2. 1. 20. Respondet, ni properem illam ab sese abducere, ad me intro domum ad uxorem ducturum meam. *Id. Pseud.* 2. 2. 59. Huc quidem hercle haud ibis intro, ne quid harpax feceris. *Ter. Eun.* 5. 7. 2. Modo senex intro ad nos venit. *Id. Andr.* 3. 2. 42. Abi intro. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. Cur ad nos filiam tuam non intro vocari jubes? *qui da noi. V.* INTROVOCO. *Auct. B. Afr.* 88. Quum dormitum isset, ferrum intro clam in cubiculum tulit.

INTRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in, intus, intro). Part. *Intrans* I. 1.; *Intratus* I. 1. 4. et II.; *Intraturus* et *Intrandus* I. 1. — Intrare est intro ire, ingredi, εἰσέρχομαι (It. *andare dentro, entrare, penetrare*; Fr. *entrer, pénétrer dans, franchir*; Hisp. *entrar, penetrar*; Germ. *betreten, hineintreten, hineingehen*; Angl. *to go into, enter, penetrate*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim occurrit — *a*) Cum Accusativo sine præpositione. *Cic.* 2. *Phil.* 27. 68. Tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? *Id.* 2. *Nat. D.* 4. 11. Quum pomœrium postea intrasset. *Id. Rabir. Post.* 8. 22. Una reprehensio, quod regnum intrarit. *Petron. Satyr.* 139. Mulier quædam januam intravit. *Nepos Datam.* 2. Intrare castra. *Liv.* 34. 26. agrum hostium. *Id.* 27. 45. vallum. *Ovid.* 15. *Met.* 36.; et *Curt.* 5. 1. 23. urbem. *Nepos Ages.* 7.; et *Ovid.* 6. *Fast.* 577. domum. *Virg.* 5. *Æn.* 57.; et *Ovid.* 6. *Met.* 445. portus. *Nepos Datam.* 7. regionem. *Sueton. Tib.* 30. curiam. *Petron. Satyr.* 28. balneum. *Auct. B. G.* 8. 16. Quum equites intrare fumum et flammam densissimam timerent. *Virg.* 6. *Æn.* 59. Tot maria intravi, duce te. Sic *Justin.* 32. 3. 11. Qui ut a Ponto intraverunt Istrum. *Liv.* 9. 36. Abhorrebat ab fide, quamquam Ciminios saltus intraturum. — Poetice. *Sil. It.* 10. 289. Intrare manes. *h. e.* in Tartara. *Id.* 13. 567. intrat urbem oculis. *la contempla.* Similiter *Id.* 2. 89. hastâ intrantem mœnia. *che lanciava l'asta entro le mura. Stat.* 5. *Theb.* 355. vultu galeas intrare soluto Non pudet. *h. e.* capiti induere. — Et de rebus. *Val. Flacc.* 2. 11. Amnis intrans æquora. *Virg.* 8. *Æn.* 390. medullas intravit calor. *Sil. It.* 5. 447. intravit lumen arundo. *h. e.* sagitta intravit in oculos. — *b*) Passive raro usurpatur. *Tac.* 2. *Ann.* 5. Si mare intretur. *Id.* 16. *ibid.* 25. Intrari curiam placebat. *Liv.* 9. 36. Regio, quæ intranda erat. *Ovid.* 2. *Pont.* 8. 56. Intrata est Superis quod domus una tribus. *Sil. It.* 14. 281. hoste intratos muros. *Id.* 11. 255. templorum intrati postes. *Id.* 12. 583. urbem militibus intratam. *Vellej.* 2. 105. 1. Intrata protinus Germania. *Id.* 2. 39. 1. Intrata Gallia. *Liv.* 21. 25. *a med.* Ubi rursus silvæ intratæ, tum postremos adorti etc. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *in. Cic. Dom.* 3. 5. In Capitolium intrare non debuisti. *Ovid.* 11. *Met.* 656. cultosque intravit in hortos. *Id.* 7. *ibid.* 492. in portusque intrat amicos. *Curt.* 3. 12. 10. Intrare in tabernaculum. *Sueton. Vesp.* 7. in ædem. — *d*) Cum Accusativo et præpos. *ad. Auct. B. Afr.* 79. Ne hostes intrare ad se possent. *Curt.* 6. 7. 19. Philotas, laudato eo, protinus intrat ad Alexandrum. *Phædr.* 5. 9. Quum vix intrare posset ad præsepia. — *e*) Cum Accusativo et præpos. *intra. Plaut. Men.* 2. 3. 63. Peristi, si intrassis intra limen. *Cæs.* 7. *B. G.* 8. Intrare intra præsidia. — *f*) Cum Accusativo et præpos. *per. Martial.* 11. 96. Intrare per rimas. — *g*) Cum Adverbiis motum ad locum significantibus. *Cæs.* 7. *B. G.* 73. Quo qui intraverant etc. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 29. 35. (181). Intravere eo arma Romana. — *h*) Poetice cum Dativo. *Val. Flacc.* 1. 590. mediis intrarent montibus undæ. *Sil. It.* 9. 289. discordia demens Intravit cælo. *Id.* 11. 473. Intrare ponto. *Stat.* 1. *Theb.* 253. septis et turribus aureus intres. Adde *Sil. It.* 7. 461., dubia tamen lectione. — *i*) Absolute. *Petron. Satyr.* 28. Super limen autem cavea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat. — *l*) Passive impersonaliter. *Cæs.* 2. *B. G.* 17. Quo non modo intrari, sed ne perspici quidem posset. *Tac.* 3. *Hist.* 20. Non, si pateant portæ, nisi explorato, nisi die, intrandum. ¶ 2. Speciatim, ad forum et judicia aliquando pertinet. *Plin.* 5. *Ep.* 4. Alio senatu Vicetini sine advocato intraverunt. *comparvero.* et 6. *ibid.* 31. A parte heredum intraverunt duo, omnino postularunt etc. ¶ 3. Item speciatim, interdum est aggredi, *assalire. Stat.* 6. *Theb.* 774. Sæpe etiam injustis collatum viribus hostem Ultro audax animis, intrat. ¶ 4. Item penetrare, transfigere, *trafiggere. Martial.* 7. 27. Quem (*aprum*) meus intravit splendenti cuspide Dexter. *Id.* 14. 30. *de venabulis.* Intrabunt ursos, sit modo firma manus. Sic *Sidon. carm.* 2. 147. quum belua ferrum Ferret, et intratos exirent arma per armos. *h. e.* transfixos.

II.) Translate est se insinuare, penetrare. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 122. Nulla acies humani ingenii tanta est, quæ penetrare in cælum, terram intrare possit. Cf. *Sil. It.* 7. 586. æternas intrarat mente tenebras. *si credeva vicino a morire.* Rursus *Cic.* 5. *Fin.* 16. 44. Intrandum est igitur in rerum naturam, et penitus quid ea postulet, pervidendum. *Id. Flacc.* 10. 23. Quærendum est ergo de omni accusationis iniquitate *etc.* propius accedo: nego esse ista testimonia *etc.* intrabo etiam magis: qui gessit, non adest etc. *mi avanzerò anche di più. Id.* 2. *Orat.* 25. 109. Definitio in sensum et in mentem judicis intrare non potest. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. Intrare penitus in alicujus familiaritatem. *Sil. It.* 1. 121. Intravit mentes Superum. *h. e.* exploravit et intellexit consilia et voluntatem deorum. *Tac. Agric.* 5. Intravit animum militaris gloriæ cupido. *Id.* 1. *Ann.* 43. Istis cum militibus, quos jam pudor et gloria intrat. *Id. ibid.* 39. Pavidos et conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum jussu etc. *Sil. It.* 3. 697. Ecce intrat subitus vatem deus. *h. e.* invadit impletque œstro ejus animum. Sic *Id.* 12. 323. Phœbo jam intrata sacerdos. *h. e.* afflata.

INTRŌCĒDO, cēdi, cessi, cessum, cēdere, n. 3. (intro *et* cedo) introire, *entrare. Apul.* 5. *Met.* Post opimas dapes quidam introcessit et cantavit invisus. *Id.* 10. *ibid.* Super has introcessit alia visendo decore præpollens.

INTRŌCLŪDO, clūdis, clūsi, clūsum, clūdere, a. 3. (intro *et* claudo) idem atque intracludo, *inchiudere. Gloss. Philox.* Introcludo, ἐγκατακλείω. Part. *Introclusus* apud *Sever. Ætn.* 518. legitur. *V.* INTRACLUSUS.

INTRŌCURRO, curris, currere, n. 3. (intro *et* curro) currere intro, incurrere, *correr dentro. Nævius* apud *Non. p.* 205. 27. *Merc.* Per fretum introcurrimus.

INTRŌDŪCO, dūcis, duxi, ductum, dūcere, a. 3. (intro et duco). Part. *Introductus* I. et II. — Introducere est ducere intro, inducere, εἰσάγω (It. *introdurre, condur dentro*; Fr. *introduire, faire entrer, conduire dans*; Hisp. *introducir, conducir dentro*; Germ. *ein -, hineinführen*; Angl. *to bring or lead in, conduct within, introduce*).

I.) Proprie. — *a*) Cum additis. *Plaut. Aulul.* 3. 3. 4. Etiam huc introduce, si vis, vel gregem venalium. ἀρχαϊκῶς pro introduc. *Cæs.* 3. *B. C.* 26. Eo naves introduxerunt. *Id.* 2. *B. G.* 5.; et *Liv.* 40. 25. Copias in fines hostium introducere. *Cæs.* 1. *B. C.* 13. præsidium in oppidum. *Liv.* 43. 2. aliquem in senatum. *Curt.* 6. 7. 8. Opperiens aliquem, quo introduceretur ad regem. — *b*) Absolute. *Sall. Jug.* 12. Noctu milites introducit. *h. e.* in regiam. *Cic.* 2. *Att.* 24. Introductus Curio filius dixit ad ea, quæ Vettius dixerat. Sic *Liv.* 10. 45. Introducere legatos. *h. e.* in senatum. et *Curt.* 4. 11. 1. Legatos misit: quos Alexander, consilio advocato, introduci jussit.

II.) Translate. — *a*) Generatim, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. *Cic.* 5. *Tusc.* 4. 10. Philosophiam devocavit e cælo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit. *Paul. Dig.* 25. 5. 2. Introducere aliquem in possessionem. *Cic. Amic.* 1. 3. Quasi ipsos introduxi loquentes. *Al. leg.* induxi. *Quintil.* 9. 2. 30. Et nostros cum aliis sermones, et aliorum inter se introducimus. *Cic.* 11. *Phil.* 8. 19. Introducere ambitionem in senatum. — *b*) Speciatim est novum aliquid instituere et in usum inducere. *Cæs.* 1. *B. C.* 7. Novum in rep. introductum exemplum queritur. *Cic. fil.* 16. *Fam.* 21. Introducta consuetudo. *Paul. Dig.* 13. 2. 1. Si obligatio nova lege introducta sit. *Id. ibid.* 9. 4. 26. Id enim prætor introduxit, ne eluderetur actio. *Ulp. Dig.* 29. 5. 1. Ideo senatusconsulta introducta sunt de publica quæstione habenda. — *c*) Item speciatim est in medium adducere, contendere. *Cic.* 1. *Nat. D.* 8. 20. Non modo natum mundum introduxit, sed etiam pæne manu factum. *h. e.* docuit, posuit, mundum natum esse. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 42. 131. Introducebat enim Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret Stoicis, summum bonum esse, frui etc. Cf. *Lucret.* 3. 630.

INTRŌDUCTĬO, ōnis, f. 3. (introduco) actus introducendi, *introducimento*, εἰσαγωγή.

I.) Proprie. *Cic.* 1. *Att.* 16. *ante med.* Noctes certarum mulierum atque adolescentulorum introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt. *V.* DEDUCO; et adde *Tertull.* 5. *advers. Marcion.* 6.

II.) Figurate est traditio, immissio in possessionem fundi alicujus vel hereditatis. *Ennod.* 9. *Ep.* 22. His addo, servos vestros de Venetiis jam regressos exhibuisse documenta confirmata de legibus, hic introductionem solemnem illico fuisse confectam. Cf. *Papir.* (a. 541. post Chr. n.) apud *Marin. Pap. dipl. n.* 117. *l.* 11. Ibique nullo contradicente Isacio V. A. emptori solemnis est introductio celebrata. *Cassiod.* 12. *Variar.* 9. Introductionem memoratæ rei (*hereditatis*) officium vestrum celebret ex more.

INTRŌDUCTOR, ōris, m. 3. (introduco) qui introducit, *introduttore*, εἰσαγωγεύς. *Rufin.* 2. *invectivar.* in *Hieronym.* 8. Porphyrius, quem iste introductorem et instructorem ad logicam habere gloriatur.

INTRŌDUCTŌRĬUS, a, um, adject. (introduco) qui introducit, *introduttivo.* Translate. *Cassiod. Instit. divin. litter.* 24. Post introductorios libros auctoritatem cum expositoribus suis sedula intentione curramus.

INTRŌDUCTUS, a, um. *V.* INTRODUCO.

INTRŌEO, is, īvi *et* ii, itum, ire, n. 4. (intro *et* eo). *Introiet* pro *introibit* habetur in *Dial. Hieronym. in Lucifer. n.* 5. *sub fin.* V. in EO, is, init. — Divisim occurrit apud *Ter. Adelph.* 5. 3. 68. I intro. *et Andr.* 1. 1. 11. Eamus intro. — Part. *Introiens*, euntis, *Introitur*, *Introiturus* et *In-*

troeundus I. — Introire est ire intro, ingredi, εἰσέρχομαι (It. *entrare*; Fr. *entrer*; Hisp. *entrar*; Germ. *hineingehen*; Angl. *to enter, go into*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Plaut. Mil. glor.* 4. 4. 32. Introire in alienam domum. *Id. Amph.* 2. 1. 70. in ædes. *Cic.* 7. *Att.* 7. Quod scribis in urbem introisse. *Id.* 16. *ibid.* 11. Ut etiam in Siccæ domum introeat. *Nepos Alcib.* 7. Primus in Thraciam introiit. *Sall. Jug.* 74. In tabernaculum introit, epistolam sumit ac perlegit. — *b*) Cum Accus. et præpos. *ad*. *Ter. Hecyr.* 4. 1. 36.; et *Sall. Cat.* 29. introire ad aliquem. *visitare, andare da qualcheduno in casa*. Verba *Terentii* sunt: Qui vidisse eum diceret exeuntem, aut introeuntem ad amicam. *Apul.* 6. *Met.* Introire ad ipsam Proserpinam. Huc referri potest illud *Cic.* 5. *Phil.* 8. 21. Ad urbem venturum, introiturum, quotiescumque vellet. — *c*) Cum Accusativo sine præpos. *Cic.* 2. *Phil.* 28. 68. An tu illa spolia quum aspexisti, domum tuam te introire putas? *Sueton. Cæs.* 81. *sub fin.* Introiit curiam. *Id. ibid.* 18. Nisi privatus introisset urbem. *Id. ibid.* 80. Consule theatrum introeunte. *Id. Cal.* 12. Introire cubiculum. *Id. ibid.* 47. oceanum. *Ammian.* 14. 11. Bithyniam. — d) Part. *Introeundus* et *Introitus* passive. *Fronto* 2. *ad amic.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 6. Quum ei jus introeundæ curiæ non esset ut relegato. *Ulp. Dig.* 47. 10. 5. Quod se pulsatum verberatumve, domumve suam vi introitam esse dicat. — e) Cum Adverbiis motus ad locum. *Sueton. Aug.* 6. Huc introire nisi necessario et caste, religio est. — *f*) Cum Ablativo et præpos. *in*. *Cato R. R.* 157. *sub fin.* Si polypus in naso introierit. — *g*) Cum Ablativo loci, quo quis introiit. *Cic. Pis.* 23. 55. Quum ego Cælimontana porta introisse dixissem. — *h*) Absolute. *Ter. Andr.* 3. 4. 11. Ut hinc te introire (*al.* intro ire) jussi, opportune hic fit mihi obviam. *Sueton. Cal.* 7. Augustus in cubiculo suo positam (*imaginem*), quotiescumque introiret, exosculabatur. — *i*) Sequente Infinito. *Ter. Hecyr.* 3. 2. 10. Tuus filius introiit videre, quid agat. — *l*) Passive impersonaliter. *Cato R. R.* 66. Caveat, quam minimum in cellam introeatur. *Varro* 1. *R. R.* 63. 1. Cum periculo introitur recenti apertione. *Sall. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 10. *Æn.* 628. Ita castra sine vulnere introitum. *Ulp. Dig.* 47. 10. 5. Si in fundum alienum introitum sit.

II.) Translate. *Cic. Amic.* 4. 15. Quem fuerat æquius, ut prius introieram, sic prius exire de vita.

INTRŎFĔRO, fers, tŭli, lātum, ferre, a. 3. (intro *et* fero). Part. *Introlatus*. — Introferre est inferre, in aliquem locum portare, *portar dentro*, εἰσφέρω, εἰσκομίζω. *Cic.* 7. *Verr.* 13. 34. Lectica in urbem introferri solitus est ad mulierem. *Liv.* 43. 7. Princeps eorum pedibus captus, lectica est introlatus. *Sueton. Tib.* 30. Lectica quondam introlatus æger comites a se removit.

INTRŎGRĔDĬOR, grĕderis, gressus sum, grĕdi, dep. 3. (intro et gradior) introire, *entrare*, εἰσέρχομαι. *Virg.* 1. *Æn.* 524. Postquam introgressi, et coram data copia fandi. Adde *Vulgat. interpr.* 1. *Reg.* 23. 7. et alibi.

INTRŎĬTŌRĬUS, a, um, adject. (introitus) qui in ingressus adhiberi potest. *Gloss. Philox.* Introitorius, εἰσόδιος.

INTRŎĬTUS, a, um. *V.* INTROEO.

INTRŎĬTUS, us, m. 4. (introeo) actus introeundi, ingressus, εἴσοδος (It. *ingresso*; Fr. *action d'entrer, entrée*; Hisp. *el acto d'entrar, entrada*; Germ. *d. Ein -, Hineingehen, Einzug*; Angl. *a going or coming in, entrance*).

I.) Proprie. *Lucret.* 2. 407. Introituque suo perrumpere corpus. *Cic.* 11. *Phil.* 2. 5. Nocturnus introitus Smyrnam, quasi in hostium urbem. *Id. Dom.* 28. 75. Adventus meus atque introitus in urbem. *Justin.* 2. 11. 1. Cujus (*Xerxis*) introitus in Græciam quam terribilis, tam turpis ac fœdus discessus fuit. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 43. Sol in Geminos introitum facit. *et ibid.* § 49. Sol introitum in Cancro facit. *Tac.* 1. *Hist.* 31. Primo statim introitu. *Cic. Cæcin.* 13. 39. Aliquem introitu prohibere. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 9. 39. (101). Introitum alicujus rei pellere. *h. e.* repellere quippiam ne introeat. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 3. Introitum avibus præbere. *Id.* 9. *ibid.* 7. 5. Introitum apibus dare. Poetice *Sil. It.* 5. 52. Introitu facilem piscem. *h. e.* qui facile ingreditur.

II.) Translate. ¶ 1. Dicitur de ingressu in collegium, vel aliud simile corpus. *Plin.* 10. *Ep.* 113. An qui deinde buleutæ leguntur, certum aliquid debeant pro introitu dare. *per l'intratura*. Cf. *Sueton. Claud.* 9. Sestertium octogies pro introitu novi sacerdotii coactus impendere. Eodem sensu occurrit in *Inscript. Bullett. Archeol. Napol. ann.* v. *p.* 113. *Scævola Dig.* 32. 1. 102. *ad fin.* Militiam illam cum introitu comparari volo. *h. e.* cum pecunia, quæ pro introitu in militiam erogari solet. ¶ 2. Est etiam aditus, seu locus, qua introitur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 57. 144. Aures duros et quasi corneolos habere introitus. *Id.* 7. *Verr.* 31. 80. Litus propter ipsum introitum atque ostium portus. *imboccatura*. *Cæs.* 5. *B. G.* 9. Omnes introitus erant præclusi. *i passi.* et *Cic. Cæcin.* 8. 21. Ad omnes introitus, qua adiri poterat in eum fundum, armatos homines opposuit. *Sueton. Ner.* 48. Dum clandestinus ad villam introitus pararetur. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 12. 23. (71). In Euripo Euboico, primo fere introitu, quatuor insulæ etc. *Id.* 12. *ibid.* 12. 25. (41). Primo statim introitu amnis. *foce, bocca.* ¶ 3. Hinc translate est principium, initium. *Cic.* 1. *Att.* 18. Primus introitus fuit in causam fabulæ Clodianæ. *Id. Cæl.* 2. 3. Mihi quidem videtur hic introitus defensionis adolescentiæ M. Cælii maxime convenire. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 27. 31. (141). In introitu hujus operis.

INTRŎJŪGUS, a, um, adject. (intro *et* jugum). *Introjugus equus* in *Inscript.* apud *Smet.* 47. et *Gruter.* 337. imperante Antonino Pio, in qua Dioclis, circensium agitatoris, victoriæ enumerantur, est, opinor, qui sub jugum ab interiori parte junctus est, et *interior* etiam appellatur: *V.* INTERIOR I. Legitur ibi: DVOBVS INTROIVGIS COTYNO ET POMPEIANO VICIT. et INTROIVGIS TRIBVS ACEGIO LVCIDO PARATO VICIT: et COTYNO GALATA ABIGEIO LVCIDO POMPEIANO INTROIVGIS QVINQVE VICIT etc.: quibus verbis et nomina equorum indicantur, et quo loco sub currum juncti essent. Numerus autem ipsorum equorum non significat duos, aut tres, aut quinque simul introjugos uno cursu adhibitos fuisse; sed duobus cursibus v. gr. primum Cotyno, deinde Pompejano victoriam esse partam. Soli autem *introjugi* nominabantur, quamvis quatuor, aut sex sub currum irent; quia in his maximum erat victoriæ momentum, propter flexum metæ; ideoque eisdem titulus palmæ adscribebatur, et eorum tota quadriga designari solita fuit, ut plurimis probat *Salmas.* in *Solin. c.* 45.

INTRŎLĀTUS, a, um. *V.* INTROFERO.

INTRŎMISSUS, a, um. *V.* voc. seq.

INTRŎMITTO, mittis, misi, missum, mittere, a. 3. (intro et mitto). Part. *Intromissus* et *Intromittendus* I. 2. — Intromittere est mittere intro, immittere, εἰσπέμπω (It. *mandar dentro, immettere*; Fr. *introduire, faire entrer, admettre*; Hisp. *introducir, admitir dentro*; Germ. *hineinschicken*; Angl. *to send in, let in, intromit*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est mittere intro, *mandar dentro*. *Cæs.* 7. *B. G.* 11. Legiones, portis incensis, intromittit, atque oppido potitur. *Auct. B. Hisp.* 34. Legatos ad Cæsarem mittunt, ut sibi legiones subsidio intromitteret. *Tac.* 15. *Ann.* 61. *extr.* Intromisit ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denunciaret. *Ulp. Dig.* 48. 2. 4. Qui cum bestiis depugnandi causa in arenam intromissi sunt. *Varro* 3. *R. R.* 12. 4. Quatuor lepores intromittere in leporarium. *rinchiudere*. ¶ 2. Latiori sensu et sæpe est *introdurre, ammettere, ricevere in casa*, εἰσδέχομαι, in domum admittere, recipere. *Plaut. Truc.* 4. 2. 6. Nec quemquam interim istoc ad vos, qui sit odio, intromittam. *et ibid. v.* 53. Quid si me jubeat intromittier? *paragoge.* et *Aulul.* 1. 2. 20. In ædes meas, me absente, neminem volo intromitti: atque etiam hoc prædico tibi: Si bona Fortuna veniat, ne intromiseris. *Ter. Eun.* 3. 1. 52. Phædriam comissatum intromittamus. *Id. Hecyr.* 2. 1. 40. Intromittere aliquem ad aliquem. *Cic. Sull.* 18. 52. Ut quum prima luce consulem salutatum veniret, intromissus meo more et jure amicitiæ, me in meo lectulo trucidaret. *Nepos Dion.* 9. Illi propter notitiam intromissi sunt. *Curt.* 7. 2. 30. Cleander primores eorum intromitti jubet. *Ammian.* 14. 7. Intromittere aliquem ad palatium. *Id.* 28. 1. in consistorium. *Capell.* 8. *p.* 272. Quæ puellarum intromittenda paratur, inquiro.

II.) Translate est introducere, inducere. *Gell.* 19. 13. Verba, quæ a Laberio ignobilia nimis et sordentia in usum linguæ Latinæ intromissa sunt. *Id.* 1. 13. Intromittere exemplum. *Ammian.* 30. 4. Controversiam intromittere. δίκην εἰσάγεσθαι.

INTROPONO, ponis, etc. *et*

INTROPORTO, as, etc. Voces a Lexico expungendæ; occurrunt enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 38. et p. 11.

INTRŎRĔPO, rēpis, rēpere, n. 3. (intro et repo). Part. *Introrepens*. — Introrepere, quod potest etiam divisim scribi, est rependo ingredi. *Apul.* 2. *Met.* Repente introrepens mustela. *Id.* 9. *ibid.* Fide tenebrarum contectus introrepere posset.

INTRORSUM et

INTRORSUS, adverb. (intro *et* versum *vel* versus). Etiam *introsus* scribitur in *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 179. n. 369. IN FRONTE P. XVI. INTROSVS P. X. In *alia* Patavii haud multis abhinc annis reperta, maximam vetustatem redolente, et deposita in *Mus. Patav.* IN FRONTE P. XXIII. S. RETRO P. XX. IN A. P. XX. INTRORSVS PEDES DECEM SEXS QVOQVEVERSVS. — Introrsus est introversus, h. e. versus interiora (It. *addentro*; Fr. *en dedans, vers l'intérieur*; Hisp. *adentro*; Germ. *einwärts, nach innen an, hin, hinein*; Angl. *inwards, inwardly, within*).

I.) Proprie usurpatur cum Verbis motum versus interiora significantibus. — *a*) Forma *introrsum* apud *Liv.* 10. 31. Cedunt primo, et hostem introrsum in media castra accipiunt. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 40. Clavis introrsum adactis. — *b*) Forma *introrsus* apud *Cæs.* 2. *B. G.* 18. Collis infimus apertus, ab superiore parte silvestris, ut non facile introrsus perspici posset. *Id.* 7. *ibid.* 22. Introrsus reducere aliquid. *tirare dentro*. *Curt.* 3. 4. 7. Per hoc dorsum, qua maxime introrsus mari cedit. *Al. leg.* introrsum. *Tac.* 2. *Ann.* 25. Eo promptior Cæsar pergit introrsus, populatur, excindit. *dentro il paese.* et 6. *ibid.* 33. Pulso introrsus freto, brevia litorum nudantur. *Ammian.* 19. 9. Introrsus tendere. Adde *Inscript.* apud *Henzen.* 6660. — Cum Accusativo. *Tac.* 2. *Hist.* 81. Quantum introrsus Pontum et Armenios patescit. *Al. rectius leg.* in Pontum.

II.) Figurate cum Verbis quietem vel statum significantibus est intus, intrinsecus, in interioribus. — *a*) Forma *introrsum* apud *Senec. Vit. beat.* 3. Ista, quæ spectantur, foris nitent, introrsum misera sunt. — *b*) Forma *introrsus* apud *Horat.* 1. *Ep.* 16. 44. Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota introrsus turpem. *Sall. fragm.* apud *Servium* ad *Virg.* 5. *Æn.* 373. Igitur introrsus prima Asiæ Bithynia est. *Liv.* 25. 21. Nihil introrsus roboris ac virium esse.

INTRŎRUMPO, rumpis, rūpi, ruptum, rumpere, n. 3. (intro et rumpo). Part. *Introrumpens*. — Introrumpere est irruere, cum impetu introire, *entrare con furia*, εἰσβάλλω. *Plaut. Mil. glor.* 2. 5. 50. Introrumpam recta in ædes. *Gell.* 15. 22. Cerva emissa in cubiculum Sertorii introrupit. *Id.* 15. 4. *in fin.* Parthos in Syriam introrumpentes tribus præliis fusos. *che facevano un'irruzione*. — *Ter. Eun.* 5. 6. 26. Cesso huc introrumpere? *Al. leg.* intro irrumpere. — *Cæs.* 5. *B. G.* 49. Quod ea non posse introrumpere videbantur. *h. e.* per portas. Al. leg. *eas*, scil. *portas*, ut sit Accusativus verbi.

INTRŎSPECTĬO, ōnis, f. 3. (introspicio) introspiciendi actus. Affertur a *Klotz.* in Lexico et *Capellæ* tribuitur, loco tamen non laudato. Ipse minime inveni.

INTROSPECTO, as, are, a. 1. (intro et specto) introspicere. *Plaut. Most.* 4. 2. 27. Quid volunt? quid introspectant? *Al. leg. divisim* intro spectant.

INTROSPECTOR, ōris, m. 3. (introspicio) qui introspicit. Affertur a *Klotz.* in Lexico et *Augustino* tribuitur, loco tamen non laudato.

INTROSPECTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INTROSPĬCĬO, spicis, spexi, spectum, spicere, a. 3. (intro *et antiq.* spicio *vel* specio). Part. *Introspiciens* et *Introspiciendus* II. — Part. *Introspectus* legitur apud *Macrob. de differ. Gr. Lat. Verbi p.* 2754. *Putsch.* Græci, introspecta solertius jubendi natura, etc. — Introspicere est intro aspi-

cere, εἰσοράω (It. *guardare dentro*; Fr. *regarder dans l'intérieur*; Hisp. *mirar adentro*; Germ. *hineinsehen*; Angl. *to look in or into*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic. Harusp. resp.* 15. 33. Ne quis meorum imprudens introspicere possit domum tuam, tollam altius tectum. ¶ 2. Latiori sensu pro simplici intueri, *mirare, vedere. Tac.* 2. *Hist.* 20. Insita hominum naturæ, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere.

II.) Translate. — *a*) Cum Accusativo tantum. *Cic. Sull.* 27. 76. Penitus introspicere Catilinæ, Cethegi cæterorumque mentes. *Tac.* 1. *Ann.* 7. Ad introspiciendas etiam procerum voluntates. *per ispiare e scoprire.* et *Ammian.* 26. 10. Occultas voluntates principis introspiciens ad crudelitatem propensioris. Rursus *Tac.* 11. *Ann.* 38. Tum primum fortunam suam introspexit. *Gell.* 17. 2. Si quis ea verba non incuriose introspiciet. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Cic. Fontej.* 15. 33. Inserite oculos in curiam, introspicite penitus in omnes reipublicæ partes. *Id.* 2. *Fin.* 35. 118. Tute introspice in mentem tuam ipse: eamque omni cogitatione pertractans, percunctare ipse te etc.

INTRŌTRŪDO, trūdis, trūdere, a. 3. (intro *et* trudere) intrudere. *Cato R. R.* 157. Turundam introtrudito. *Al. scribunt divisim* intro trudito.

INTRŎVĔNĬO, vĕnis, vēni, ventum, vĕnīre, n. 4. (intro et venio) venire intro. Translate *Jul. Obseq. de Prodig.* 128. Lunæ fulgore, qui introvenerat, Calpurnia excitabatur.

INTRŎVERSUS, adverb. (intro *et* versus). Potest etiam divisim scribi *intro versus*. — Introversus est introrsus. *Lucilius* apud *Non.* p. 402. 7. *Merc.* Quid sibi vult? quare fit, ut introversus et ad te Spectent atque ferant vestigia se omnia prorsus? *Horat.* eamdem sententiam his verbis retulit 1. *Ep.* 1. 74. quia me vestigia terrent Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum. *Varro* 2. *R. R.* 7. 5. Genua equi nec magna, nec introversus spectantia sint. *Al. leg.* introrsus. *Petron. Satyr.* 73. Introversus se projicere. *Capell.* 6. *p.* 222. Cappadocia introversus recedit. Adde *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 81. n. 150.; et *aliam* apud *Orell.* 4351.

INTRŎVŎCĀTUS, a, um. *V.* INTROVOCO.

INTRŎVŎCĀTUS, us, m. 4. (introvoco) actus introvocandi, *il chiamar dentro. Ammian.* 29. 1. Primo introvocatu.

INTRŎVŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (intro *et* voco). Potest etiam divisim scribi: *V.* INTRO adverb. — Part. *Introvocatus*. — Introvocare est intro advocare, *chiamare dentro*, εἰσκαλέω. *Cic.* 3. *Verr.* 26. 66. Cur ad nos filiam tuam non introvocari jubes? *Liv.* 10. 24. *extr.* Priusquam introvocarentur ad suffragium tribus. *Apul.* 8. *Met.* Introvocata Charite invadit, ac supersistit sicarium.

INTRŪDO, trūdis, trūsi, trūsum, trūdere, a. 3. (in et trudo) intro trudere et quasi vi quadam. *Cic. Cæcin.* 5. 13. Atque etiam ipse se inferebat et intrudebat. *s'intrudeva*. Recentiores tamen meliorum Codicum auctoritate fieri leg. *se intro dabat.* V. *Klotz. Emend. Tullian.* p. 12.

INTŬBĀCĔUS, a, um, adject. (intubus) qui est ex intubo. *Plin.* 27. *Hist.* nat. 12. 82. (106). Intubacea folia.

INTŬBUS *vel* intybus, i, m. vel f. *vel* intubum *seu* intybum, i, n. 2. ἔντυβον. Qui per *y* scribunt, Græcæ scriptioni adhærent: qui per u, Latinæ. In *Edict.* tamen *Dioclet.* p. 16. scribitur *intiba*, ut et in *Gloss. Philox.* — Intubus est herba eadem ac cichorea, ut *Servius* ait ad *Virg.* 1. *G.* 120., *cicoria, radicchio, endivia.* Ex *Pasq. Amati de restit. purpur.* p. 8. est veterum heliotropium. Hinc *Veget.* 3. *Veterin.* 42. Accipiunt heliotropii unciam, quod intubum agrestem vocamus. — Sed alia herba est ex cichoriorum genere, radice capillata, quam vulgo vocant endiviam. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 8. 29. (73). Intubi quoque non extra remedia sunt: succus eorum cum rosaceo et aceto capitis dolores lenit. *Id.* 19. *ibid.* 8. 39. (129). Intubi hiemis patientiores: sed caule non minus grati. *Virg.* 4. *G.* 120. Quoque modo potis gauderent intuba rivis. *Colum.* 10. *R. R.* 110. et torpenti grata palato Intyba. *Pomponius* apud *Non.* p. 209. 5. *Merc.* Rustici edunt libenter pædidos, tristes, acres intybos.

INTŬĔOR, ērĕris, ĭtus sum, ērĕri, dep. 2. (in et tueor). *V.* alias formas INTUO et INTUOR loco suo. — Divisit per tmesin *Lucret.* 4. 713. Nequeunt rapidi contra constare leones, Inque tueri. — *Intui* in Infinitivo, *V.* CONTUEOR. — Part. *Intuens* I. et II.; *Intuendus* II. 1. — Intueri est in aliquid oculos conjicere, aspicere, contueri, εἰσοράω, βλέπω (It. *fissare lo sguardo, mirare, guardare*; Fr. *regarder attentivement, observer, considérer*; Hisp. *mirar atentadamente, contemplar*; Germ. *ansehen, anblicken, anschauen, worauf insehen, wohin sehen, betrachten*; Angl. *to look steadfastly at, gaze upon, behold*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo sine præpos. *Ter. Eun.* 3. 5. 32. Annuo terram intuens modeste. *Cic.* 6. *de republ.* 18. Intueri solem adversum nequitis. Sic *Sueton. Aug.* 16. Intueri cælum. *Id. Vitell.* 10. lapidem. *Ammian.* 21. 6. lucem. *Plin.* 2. *Ep.* 7. effigiem. *Nepos Ages.* 8. faciem. Rursus *Cic.* 5. *Fam.* 17. *ad fin.* Nec minus nostra sunt, quæ animo complectimur, quam quæ oculis intuemur. *Id. Planc.* 1. 2. Quum intueor et contemplor unumquemque vestrum. *Id. Orat.* 2. 9. Eam intuens, in eaque defixus. *Horat. Epod.* 5. 9. Quid ut noverca me intueris, aut uti Petita ferro bellua? *Cic. Prov. cons.* 9. 22. Intueor coram hæc ornamenta reipublicæ. *Nepos Chabr.* 3. Neque animo æquo pauperes alienam opulentiam intuentur fortunam. *Cic.* 5. *Tusc.* 21. 61. Tum ad mensam pueros delectos jussit consistere, eosque nutum ejus intuentes diligenter, ministrare. *Al. leg.* ad nutum. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Cic. Tim.* 10. In speciem rerum intuens. *Id.* 2. *Tusc.* 13. 31. Dumque in ea intueberis, te continebis. *Id. Brut.* 97. 331. Sed in te intuens, Brute, doleo. Sic *Id.* 1. *Orat.* 2. 6. Mihi quidem in summos homines intuenti, visum est etc. — *c*) Cum Adverbiis motum ad locum significantibus. *Cic.* 1. *Orat.* 40. 184. Huc atque illuc intuens. — *e*) Passive. *Ammian.* 23. 5. Hoc modo contacta loca nec intueri, nec calcari debere.

II.) Translate. ¶ 1. De animo, et est contemplari, atque adeo spectare. *Cic.* 1. *Tusc.* 30. 73. Mentis acies seipsam intuens nonnumquam hebescit. *Id.* 2. *leg. Agr.* 28. 77. Intentis oculis omnes reipublicæ partes intueri. *considerare.* et *Id.* 5. *Tusc.* 3. 9. Rerum naturam studiose intueri. *osservare, contemplare. Plin. Paneg.* 55. Ac mihi intuenti in sapientiam tuam, minus mirum videtur etc. *Liv.* 4. 21. Intueri causam. *Id.* 5. 6. bellum. *Nepos Alcib.* 4. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille intuens etc. Sic *Id. Dion.* 8. Hæc ille intuens, quum nesciret etc. *Cic. Sext.* 9. 20. Impendentem tempestatem intuens. *Id.* 1. *Orat.* 34. 156. Intuendi nobis sunt non solum oratores, sed etiam actores. *Id.* 11. *Phil.* 15. 39. Non tam veteranos intuendos nobis arbitror, quam quid tirones milites, flos Italiæ —, quid cuncta Italia de vestra gravitate sentiat. *Quintil.* 5. 10. 28. Intuendum etiam quid effecerit quisque. *Cic. Planc.* 42. 101. Quos enim ego tum alios animo intuebar? *avea dinanzi gli occhi? avea in pensiero? Id.* 1. *Orat.* 32. 145. Commonens oratorem, quo quidque referat, et quo intuens, ab eo, quodcumque sibi proposuerit, minus aberret. *ed a che avendo la mira.* Sic *Nepos Att.* 9. *in fin.* Potius, quid se facere par esset, intuebatur, quam quid alii laudaturi forent. *avea la mira*, spectabat. et *Themist.* 7. Lacedæmonios male et injuste facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod universæ Græciæ utile esset. — Et cum præpos. *ad*. *Liv.* 36. 45. Creati sunt consules L. Cornelius Scipio et C. Lælius, intuentibus cunctis ad finiendum cum Antiocho bellum. ¶ 2. Interdum est cum admiratione aspicere, admirari, suspicere. *Cic. pro leg. Manil.* 14. 41. Pompejum, sicut aliquem, non ex hac urbe missum, sed de cælo delapsum intuentur. *Liv.* 37. 54. *circa med.* Genus humanum vestrum nomen imperiumque, juxta ac deos immortales, jampridem intuetur. *Petron. Satyr.* 85. Ut me mater præcipue, tamquam unum ex philosophis, intueretur. ¶ 3. De rebus physicis, pro versum esse, prospectum habere. *Plin.* 5. *Ep.* 6. *circa med.* Cubiculum, quod hippodromum, vineas, montes intuetur.

INTŬĬTUS, us, m. 4. (intueor) actus intuendi, aspectus, *il guardare*, ἔποψις.

I.) Proprie. *Quintil.* 10. 1. 31. Non ad intuitum rei pugnamque præsentem. *Al. rectius leg.* actum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 10. 19. (48). Abies hilarior intuitu. *Al. rectius leg.* in totum. *Vulgat. interpr. Eccles.* 11. 9. Ambula in viis cordis tui et in intuitu oculorum tuorum. *Id. Dan.* 2. 31. Statua illa magna et statura sublimis stabat contra te, et intuitus ejus erat terribilis.

II.) Translate. *Modestin. Dig.* 34. 1. 14. Pietatis intuitu. *h. e.* ratione, gratia. Sic *Papinian. ibid.* 46. 1. 47. Intuitu humanitatis. *Tryphonin. ibid.* 23. 2. 68. Affectionis intuitu. *a riguardo.*

INTŬMESCO, tŭmescis, tŭmŭi, tŭmescere, n. 3. (in *et* tumesco). Part. *Intumescens* I. et II. 1. et 4. — Intumescere est turgescere, inflari, ὀγκύλλομαι (It. *gonfiarsi*; Fr. *s'enfler, se gonfler*; Hisp. *hincharse, inflarse*; Germ. *an —, aufschwellen*; Angl. *to swell, rise or be puffed up, be inflated*).

I.) Proprie. *a*) De aquis. *Plin.* 2. *Hist.* nat. 81. 83. (196). Fluctus flatu intumescens. *Ammian.* 22. 15. Spirantibus prodromis perque dies quadraginta et quinque Etesiarum continuis flatibus repellentibus ejus meatum, velocitate cohibita superfusis fluctibus (*Nilus*) intumescit. *Id.* 23. 6. Stagno effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarum inflatus seseque resorbens, numquam extra margines intumescit. — *b*) De venis. *Cels.* 5. 26. *præf.* Quum quid increvit; ut vena, quæ intumescens in varicem convertitur. — *c*) De hydropicis. *Ovid.* 1. *Fast.* 215. quibus intumuit suffusa venter ab unda. — *d*) De corporis partibus et vulneribus. *Ovid.* 6. *Fast.* 700. Vidi virgineas intumuisse genas. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 6. 23. (51). Si partes corporis in vesicas intumuerint. *Cels.* 5. 26. n. 26. Nimis intumescere vulnus, periculosum: nihil intumescere, periculosissimum est. — Poetice. *Horat. Epod.* 16. 52. Nec intumescit alta viperis humus. *h. e.* humus gramine herbisque, non viperis, quæ nullæ insunt, intumescit.

II.) Translate. ¶ 1. De locis dicitur, qui surgunt altius. *Colum.* 1. *R. R.* 4. 9. Loco tamen ipso paullulum intumescente. ¶ 2. Item de voce, quæ altius insurgit. *Tac. Germ.* 3. Affectatur præcipue asperitas soni et fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. ¶ 3. Hinc sumitur pro efferri, superbire. *Quintil.* 1. 1. 8. Jure quodam potestatis intumescere. *Seneca Consol. ad Polyb.* 36. *sub fin.* Supra humanum modum intumescere. *Tac.* 4. *Hist.* 19. Intumuere statim superbia ferociaque. ¶ 4. Et pro crescere, augeri. *Tac.* 1. *Ann.* 38. Intumescente motu. *h. e.* seditione crescente. *Stat.* 1. *Theb.* 412. Iræ intumuere. *Pers.* 5. 145. intumuit sub pectore bilis. ¶ 5. Hinc et pro irasci. *Ovid.* 2. *Fast.* 607. Juppiter intumuit, quaque est non usa modeste, Eripit huic linguam. *Id.* 4. *Pont.* 14. 31. Intumuit vati non tamen Ascra suo. *h. e.* in vatem ira non exarsit.

INTŬMŬLĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et tumulatus) insepultus, inhumatus. *Ovid.* 2. *Heroid.* 136. Occurramque oculis intumulata tuis.

INTUNDO, tundis, tundere, a. 3. (in *et* tundo) idem quod tundere, aut valde tundere. *Scribon. Compos.* 71. Hæc omnia intunduntur, cribrantur.

INTŬO, ŭis, ŭere, a. 3. (in *et* tuo) idem quod intueri. *Commodian.* 31. 1. Intuite dicta Salomonis, judices omnes. *Id.* 39. 5. Intuite plene dictum Rebeccæ de cælo.

INTŬOR, ŭĕris, ŭi, dep. 3. (in *et* tuor) antique pro intueri. *Turpilius* apud *Non.* p. 470. 30. *Merc.* Tamen oculis longa intercapedine appetunt cupide intui. *V.* CONTUEOR init. *Plaut. Most.* 3. 2. 150. Nullam equidem cornicem intuor. *Ter. Heaut.* 2. 4. 23. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? *Seneca Hippol.* 898. Quod facinus cerno? quod monstrum intuor?

INTURBĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* turbatus) non turbatus, *non turbato*, ἀτάραχος. *Plin. Paneg.* 64. Et sedit inturbatus, interritus, et tamquam ita fieri soleret.

INTURBĬDUS, a, um, adject. (in *privat. et* turbidus) non turbidus, quietus, tranquillus. *Tac.* 3. *Ann.* 52. Inturbidus externis rebus annus. *Id.* 14. *ibid.* 22. Esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida juventa frueretur. *Id.* 3. *Hist.* 39. Vir sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris appetens.

INTURBŬLENTUS, a, um, adject. (in *privat. et* turbulentus) non turbulentus. Legitur apud *Cic. Partit. orat.* 22. 77., qui vexatissimus est lo-

cus. *V.* ibi variantes lectiones et Interpr. commenta.

INTURGESCO, is, ere, n. 3. (in et turgesco) idem quod turgescere. *Veget.* 2. *Veterin.* 28. 19. Pridie infundas in calidam, ut inturgescat. *Jul. Vict. Art. rhet.* (edente *A. Maio*) 23. In illo a puerilia in adolescentiam transitu parcatur voci: nam ætas illa inturgescit.

INTUS, adverb. (ab ἐντός, quod idem significat; vel ab *in*, ut *Gellio* 12. 13. et *Prisciano* 15. *p.* 991. *Putsch.* placet) intra, ἔνδον, εἴσω (It. *dentro*; Fr. *au dedans, dedans*; Hisp. *adentro*; Germ. *darin, drinnen, inwendig*; Angl. *within*).

I.) Proprie cum Verbis usurpatur quietem vel statum in loco significantibus. — *a*) Cum opposito *foris* apud *Cic. Sull.* 5. 17. Ille relictus intus, exspectatus foris. — *Intus et foris canere* quid sit, *V.* in ASPENDIUS. — *b*) Absolute. *Ennius* apud *Non. p.* 222. 33. *Merc.* Tum rara sub monte late specus intus patebat. *Plaut. Rud.* 3. 3. 27. Signum in fano hic intus. *qui dentro.* *Id. Capt.* 1. 2. 89. Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam. *Cic.* 2. *Cat.* 5. 11. Intus insidiæ sunt: intus inclusum periculum est: intus est hostis. *Id.* 2. *Orat.* 68. 276. Nasica sensit, illum intus esse. *dentro in casa.* Sic *Ter. Adelph.* 4. 2. 30. Estne frater intus? *è egli in casa?* et *Cic. Senect.* 4. 12. Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, sed intus domique præstantior. *Sueton. Domit.* 3. Cuidam interroganti, esset ne quis intus cum Cæsare, etc. *Varro* 1. *R. R.* 7. 8. In Gallia transalpina intus ad Rhenum. Cf. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 4. 5. (34). Regio Anatiliorum et intus Desuviatium. *dentro terra.* *Pers.* 3. 30. ego te intus et in cute novi. — *c*) Cum addito Ablativo et præpos. *in.* *Lucret.* 2. 964. Corpora, vi quadam per viscera viva, per artus Sollicitata, suis trepidant in sedibus intus. *Cic.* 3. *Fin.* 5. 18. Ea, quæ sunt intus in corpore. *Id. Tim.* 10. Omne animal in mundo intus incluserat. *Liv.* 24. 10. Lanuvii in æde intus Sospitæ Junonis corvos nidum fecisse. — *d*) Cum Ablativo sine præpos. *Varro* apud *Non. p.* 368. 28. *Merc.* Nitidi ephebi, veste pulla candidi, modestiam intus pascunt pectore. *Liv.* 25. 11. Naves, quæ sinu exiguo intus inclusæ essent. — *e*) Cum Genitivo. *Apul.* 8. *Met.* Intus ædium audito reditu meo. *h. e.* intra ædes. — *f*) Cum Accusativo more præpositionis. *Plaut. Mil. glor.* 2. 6. 55. Vide, sit ne istæc vostra intus domum. *Liv.* 27. 11. Romæ intus cellam Fortunæ signum prolapsum. *Al. leg.* intra: *alii* intus in cellam, *vel* in cella.

II.) Translate. ¶ 1. Usurpatur cum Verbis et casibus motus ad locum pro *intro.* — *a*) Absolute. *Plaut. Cas.* 5. 2. 7. Intus novam nuptam deduxi vis recta. *Lucret.* 6. 727. Quom mare, permotum ventis, ruit intus arenam. *h. e.* in amnium ostia. *Ovid.* 10. *Met.* 457. Jamque fores aperit; jam ducitur intus. *Cæs.* 3. *B. C.* 26. Quo simul atque intus est itum etc. *Cels.* 7. 4. Si recta intus tendunt. — *Intus equum agere* est breviore gyro circumagere ac metam propius accedendo: sumptum a cursu equorum in circo, de quo *V.* INTERIOR I. Hinc translate *Ovid.* 6. *Fast.* 585. Tertia causa mihi spatio majore canenda est: Nos tamen adductos intus agemus equos. *andrò ristretto.* — *b*) Cum Accusativo et præpos. *in.* *Lucret.* 2. 710. Nam sua cuique cibis ex omnibus intus in artus Corpora discedunt. — *c*) Cum Accusativo more præpositionis. *Scribon. Compos.* 46. Injicere autem intus narem oportebit cochleæ vivæ carnem. *Id. ibid.* 121. Non patitur iste fieri, nec intus vulnus converti. ¶ 2. Item de loco, apud Comicos, et intus significat ex interiore loco, *dal di dentro al di fuori.* *Plaut. Epid.* 3. 2. 43. Abeamus intro hinc ad me. STRATIP. Atque aliquanto lubentius, quam abs te sum egressus intus. *Id. Amph.* 2. 2. 137. Tu intus pateram proferto foras. *Id. Bacch.* 1. 1. 63. Ego tibi argentum jubeo jam intus efferri foras. *Id. Most.* 3. 1. 144. Evocato aliquem intus ad te. *Id. Cist. a.* 3. *v.* 8. Aliquis intus prodeat propere. — Sunt plurima *Plauti* loca, in quibus *intus* hac ratione effertur: quæ alii ita accipiunt, ut per ὑφ' ἓν dictum sit: v. gr. *argentum intus efferri*, quod est domi in arca: *evocato aliquem intus*, aliquem eorum, qui intus sunt domi etc.

INTUS, ūdis, f. 3. incus. *Isid.* perperam ait 19. *Orig.* 7. Veteres autem non incudem vocabant, sed intudem, eo quod in ea metallum tundatur.

INTŪSIUM. *V.* INDUSIUM.

INTŪTUS, a, um, adject. (in *privat. et* tutus). Comp. *Intutior.* — Intutus est minime tutus, non securus, incustoditus, indefensus, *mal guardato, mal sicuro, pericoloso,* ἐπισφαλής. — *a*) De rebus physicis, præcipue in re militari. *Liv.* 5. 45. Castra Gallorum intuta neglectaque ab omni parte nacti invadunt. *Ammian.* 15. 10. *extr.* Per Druentiam flumen gurgitibus vagis intutum. Sic *Id.* 16. 4. Murorum intuta parte firmata. — Neutr. plur. num. cum Genitivo. *Tac.* 3. *Hist.* 76. intuta mœnium firmare. Sic *Ammian.* 31. 15. Intrinsecus silicibus magnis obstrusæ sunt portæ, et mœnium intuta firmata. — *b*) De abstractis. *Sall. orat. Phil. contra Lepid.* Quousque cunctando rempublicam intutam patiemini? *Tac.* 2. *Ann.* 42. Intuta amicitia. *Nazar. Paneg. Constant.* 26. Non intutior tempore, quam Deo tutior. — *c*) Neutr. absolute. *Tac.* 1. *Hist.* 33. Proinde intuta, quæ indecora. *Plin.* 34. *Hist. nat.* 14. 39. (139). Intutum est scribere stylo.

INTȲBUS. *V.* INTUBUS.

INŪBER, ĕris, adject. (in *privat. et* uber) non uber. *Gell.* 20. 8. Ostreæ quum appositæ fuissent, et multæ quidem inuberes macræque essent.

INŪBĔRO, as, are, n. 1. (in *intent. et* uber) idem atque exuberare. *Alcim.* ep. 48. *a med.* Omnis in commune prædicationum vestrarum cultus inuberat.

INŪDO, as, are, a. 1. (in et udo) valde udare, humidum facere. *Paulin. Nolan. carm.* 18. 413. *de juvencis.* lambuntque vicissim Mulcentem, labrisque manus palpantis inudant. *Alii minus recte leg.* inundant.

INŪLA, æ, f. 1. herba eadem atque helenium, pastinaca et sisere brevior, sed radice torosior amariorque, per se stomacho inimicissima, sed dulcibus mixtis saluberrima, *enula, enula Campana,* ἑλένιον. Ejus condiendæ rationes non unas tradunt *Plin.* 19. *Hist. nat.* 5. 29. (91).; et *Colum.* 12. *R. R.* 48. 1. et seq.; usus in medicina enumerat *Plin.* 20. *Hist. nat.* 5. 19. (38).; culturam *Id.* 19. *ibid.* 5. 29. (92)., *Colum.* 11. *R. R.* 3. 35. et *Pallad.* 3. *R. R.* 24. *sub fin.* docent. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 51. Erucas virides, inulas ego primus amaras Monstravi incoquere. Adde *eumd. ibid.* 2. 44.; et *Juvenal.* 10. 118. De Synonym. *V.* HELENIUM.

INULCĔRO, as, are, a. 1. (in et ulcero) ulcus facere, *impiagare.* *Veget.* 3. *Veterin.* 59. 2. Ne aliquid sordium, aut asperitatis inhæreat, quod sub pondere inulceret pellem (*jumenti*).

INULTĒ, adverb. (inultus) sine ultione, *senza vendetta.* *Curt.* 4. 4. 12. Nonnulli ruunt in hostem, haud inulte tamen perituri. *Alii leg.* inulti.

INULTUS, a, um, adject. (in *privat. et* ultus). ¶ 1. Active est qui acceptam injuriam ultus non est, *invendicato, inulto,* ἀνεκδίκητος. — *a*) De hominibus. *Cic. Sext.* 22. 50. Marius vitam suam, ne inultus esset, ad incertissimam spem reservavit. *Sall. Cat.* 61. *extr.* Cavete, ne inulti animam amittatis. *Id. fragm.* apud *Priscian.* 6. *p.* 699. *Putsch.* Dedecores inultique ab hostibus cædebantur. *Liv.* 25. 37. Ne inultos imperatores suos jacere sinerent. *Virg.* 3. *G.* 227. gemens quos amisit inultus amores. *Id.* 10. *Æn.* 739. non me, quicumque es, inulto Victor, nec longum lætabere. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 34. Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti. — *b*) De rebus, quæ tamen ad homines referuntur atque eos quodammodo significant. *Horat.* 1. *Od.* 28. 33. precibus non linquar inultis. *h. e.* non exauditis: non exoratis diis, qui te ulciscantur, quod me precantem neglexeris. ¶ 2. Passive est impunis, impunitus: hinc — *a*) De hominibus est is, de quo ultio sumpta non est, *impunito.* *Plaut. Epid.* 3. 1. 7. Numquam irridere nos illum inultum sinam servum hominem. *Cic. Cluent.* 62. 172. Cur hunc Asellium esse inultum tamdiu sinis? *Horat. Epod.* 17. 56. Inultus ut tu riseris Cotyttia Vulgata? *Sall. Jug.* 73. Ne ager inultis hostibus vastaretur. *Horat.* 3. *Od.* 3. 40. Dum Priami Paridisque busto Insultet armentum, et catulos feræ Celent inultæ. — Huc referri potest et illud *Curt.*, ubi inultus est de eo, qui est ab injuria tutus, 3. 4. 4. Jugum itinere imminens obtinere, unde inultus subeuntem prohibere potuisset. *senza ricevere danno.* — *b*) De rebus, quæ non puniuntur. *Ter. Andr.* 3. 5. 4. Sed id inultum numquam auferet. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 16. 53. Ut ceterorum quoque injuriæ sint impunitæ atque inultæ. *Val. Max.* 9. 7. *n.* 2. Tantumque scelus curia inultum habuit. *Senec. Agam.* 220. Victrix inultum Græcia hoc facinus feret?

INUMBRĀTĬO, ōnis, f. 3. (inumbro) umbra, obscuratio, tenebræ. *Capell.* 1. *p.* 20. *de Platone.* Lucifuga inumbratione pallescens.

INUMBRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INUMBRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et umbro). Part. *Inumbrans* II. 1. et 2.; *Inumbratus* I. et II. 5. — Inumbrare est umbram inducere, umbra tegere, opacare, ἐπισκιάζω (It. *adombrare, inombrare, oscurare*; Fr. *couvrir d'ombrage, ombrager*; Hisp. *sombrear*; Germ. *beschatten*; Angl. *to shade, darken, cast a shadow upon, inumbrate, obscure*).

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 290. Terraque inumbratur, qua nimbi cumque feruntur. *Virg.* 11. *Æn.* 66. Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant. *Id.* 4. *G.* 20. Palmaque vestibulum, aut ingens oleaster inumbret. *Apul. initio Floridor.* Spelunca frondibus inumbrata. *Curt.* 3. 4. 9. Amnis multa riparum amœnitate inumbratus. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 1. 6. (24). Velis forum inumbravit.

II.) Translate. ¶ 1. Est obscuritatem, seu tenebras inducere. Absolute. *Tac.* 3. *Hist.* 19. Inumbrante vespera, universum exercitus robur advenit. *sull'imbrunir della sera.* ¶ 2. Item tegere. *Lucret.* 3. 927. inumbrant ora coronis. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 25. stridentia colla Gorgonos obtentu pallæ fulgentis inumbrat. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 69. metasque tenentis Ante, genas dulces quam flos juvenilis inumbret. *Apul.* 5. *Met.* Juvenis lanoso barbitio genas inumbrans. *Id.* 10. *ibid.* Venus tenui pallio inumbrabat pubem. *Forcellinus* addit et illud *Plin.*, quod ipse minime inveni, 2. *Ep.* 6. Areola, quæ quatuor platanis inumbratur. ¶ 3. Est etiam solarium, quod plerumque apertum, Italice *loggia scoperta*, erat, addita porticu, ita integere, ut fiat quod Itali dicunt *loggia coperta.* *Varro* 6. *L. L.* 4. *Müll.* Solarium dictum id, in quo horæ in sole inspiciebantur, quod Cornelius (*Sulla*) in basilica Æmilia et Fulvia inumbravit. Hinc *Pompeja umbra* dicta est porticus a Pompejo Romæ facta: *V.* UMBRA II. ¶ 4. Translate est obscurare. *Plin. Paneg.* 19. Parva et exilia sidera validiorum exortus obscurat: similiter imperatoris adventu legatorum dignitas inumbratur. ¶ 5. Item inumbratus pro specioso habet *Cels. Dig.* 41. 2. 18. Si furioso, quem mentis suæ existimasti, eo quod in conspectu inumbratæ quietis fuerit constitutus etc. *apparente, finto.*

INUNCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INUNCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et uncus). Part. *Inuncans, Inuncatus* et *Inuncandus* I. — Inuncare est unco apprehendere, trahere, rapere, arripere, *arraffiare,* ἁρπάζω.

I.) Proprie. *Apul. Florid.* n. 2. Aquila de cælo improvisa, campis pecua cernens, unde rostro transfodiat, unde unguibus inuncet vel agnum, vel leporem. *Id. de Mag.* Instrumenta non falcibus metenda, sed hamis inuncanda. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 10. Lana obnoxia est rubis, quibus, velut hamis inuncata, a pascentium tergoribus avellitur. *Paulin. Nolan. carm.* 20. 267. quem (*oculum*) diducebat inuncans Suffixa clavus cilio. *Sidon.* 7. *Ep.* 9. Bicipitibus hamis inuncabantur.

II.) Translate. *Lucilius* apud *Non. p.* 124. 16. *Merc.* aut qui nummos tristis inuncas.

INUNCTĬO, ōnis, f. 3. (inungo) actus inungendi, illitus, *unzione,* ἄλειψις. *Cels.* 7. 7. n. 14. *extr.* Opus est lenium medicamentorum inunctionibus. *Colum.* 6. *R. R.* 33. 2. Omnis dolor oculorum inunctione succi plantaginis levatur. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (117). Felle glaucomata et suffusiones corrigi, tridui inunctione. *Id.* 29. *ibid.* 6. 38. (125). Accipiter decoctus in rosaceo efficacissimus ad inunctiones omnium vitiorum putatur.

INUNCTUS, a, um. *V.* INUNGO.

INUNDĀTĬO, ōnis, f. 3. (inundo) aquarum exuberantia, exundatio, *inondazione,* κατακλυσμός. *Colum.* 3. *R. R.* 11. 6. Valles, quæ fluminum alluvie et inundationibus concreverint. *Sueton. Aug.* 28. Urbs inundationibus obnoxia. *Id. ibid.* 30. Inundationes coercere. Adde *eumd. Oth.* 8.; et *Plin. Paneg.* 30. Alter *Plin.* 5. *Hist. nat.* 13. 14. (68). Joppe Phœnicum antiquior terrarum inundatione. Adde *Ammian.* 22. 15. Sic *Cassiod.* 3. *Variar.* 41. Propter augmenta Nilotica, quæ singulis annis vo-

tiva inundatione potiuntur. *V.* reliqua in GEOMETRIA. *Capell.* 1. p. 20. de *Neptuno.* Maritima semper inundatione viridior.

INUNDĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INUNDO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et undo). Part. *Inundans* I.; *Inundatus* I. et II. 1. — Inundare est aquis extra ripas diffluentibus obruere, redundare, exundare, superfluere, πλημμυρέω (It. *inondare, coprire d'acqua*; Fr. *inonder, se déborder sur*; Hisp. *inundar, salir de madre*; Germ. *überschwemmen*; Angl. *to overflow, overwhelm, or cover with water, deluge, inundate*).

I.) Proprie. — *a*) Cum Accusativo. *Cic.* 1. *Nat. D.* 37. 103 Ut terra infimum locum teneat: hanc inundet aqua. *Liv.* 24. 9. Tiberis agros inundavit. *Id.* 28. 28. inundavit campum. *Id.* 35. 21. Agri inundati. *Ammian.* 23. 6. Fluvii — æquoream multitudinem inundantes. — *b*) Cum Ablativo, et sæpius absolute. *Liv.* 8. 24. Imbres continui, campis omnibus inundantes. *Id.* 22. 2. Fluvius inundaverat. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 97. 99. (212). Æstus maris inundantes. *Aurel. Vict. Cæsar.* 32. Tiberis inundavit.

II.) Translate. ¶ 1. Est fluviorum more obruere, irruere. — *a*) De liquidis. *Liv.* 24. 38. Crastino die aut vestro, aut Ennensium sanguine Enna inundabitur. *hyperbole.* Similiter apud *Curt.* 9. 2. 23. Cilicia inundata sanguine Persarum. *Ovid.* 11. *Met.* 195. sanguis inundat guttur. *Petron. Satyr.* 113. Inundavere pectus lacrimæ, dolore paratæ. — *b*) De exercitibus. *Curt.* 5. 7. n. Exercitus, quibus Europa inundata est. *Justin.* 38. 4. 15. Cimbros more procellæ inundasse Italiam. *Sil. It.* 15. 555. armis inundant campos. — Et absolute. *Virg.* 12. *Æn.* 280. Hinc densi rursus inundant Troes. *Ammian.* 29. 5. Velut incitati torrentes, hostes abruptius inundantes. Et *Id.* 16. 3. Bellorum inundantium molem humeris suis, quod dicitur, vehens, scindebatur in multiplices curas. — Et cum Accusativo et præpos. in. *Ammian.* 31. 15. Barbari — in urbis obseratos aditus multiplicatis ordinibus inundarunt. ¶ 2. Metaphorice de animo. *Petron. Satyr.* 101. Inundatus hac Eumolpus invidia, jurat etc. h. e. obrutus. *Id. ibid.* 118. Mens ingenti flumine litterarum inundata. ¶ 3. Absolute, aut passive est etiam abundo, plenus sum. *Virg.* 10. *Æn.* 24. et inundant sanguine fossæ. *Al. leg.* fossas. *Petron. Satyr.* 21. Vino etiam Falerno inundamur. h. e. abunde proluimur. ¶ 4. Hinc translate *Tertull. Apolog.* 18. Divino spiritu inundatus. h. e. repletus, afflatus. ¶ 5. Absolute est etiam submergi, inundatione obrui. *Val. Max.* 1. 7. n. 5. Quod in quiete viderat, urina ejus, omnes Asiaticas gentes inundasse. *Al. leg.* inundatas. ¶ 6. Item absolute est corpore fluctuare. *Apul.* 2. *Met. de muliere.* Decenter inundabat. *Plerique tamen leg.* undabat.

INUNGĬTO, as, are, a. 1. *frequentativum ab* inungo. *Cato* apud *Charis.* 1. p. 78. *Putsch.* Mulieres nostræ capillum cinere inungitabant, ut rutilus esset crinis. *Servius* hoc idem referens ad *Virg.* 4. *Æn.* 698. habet *unctitabant.* Alii leg. *ungitabant.* *V.* UNCTITO.

INUNGO vel inunguo, ungis, unxi, unctum, ungere, a. 3. (in et ungo). Part. *Inunctus* 1. et 2. — Inungere est in aliquo loco ungere, ungere, ἐναλείφω. ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Dicitur de oculis ungendis medicinæ causa. — Absolute *Cels.* 7. 7. n. 3. Si intus plaga est, inungendum primo lenibus, deinde acrioribus. — Cum Accusativo. *Varro* 6. *L. L.* 82. *Müll.* inungere oculos. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 6. 38. (119). Cinere mustelarum cum melle inungere caligines, utilissimum est. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 25. Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis. *Id.* 1. *Ep.* 1. 28. Non possis oculo quantum contendere Lynceus: Non tamen idcirco contemnas lippus inungi. *farti medicari.* — *b*) De aliis rebus. *Martial.* 7. 78. Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est. h. e. oleo condita. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 11. 47. (167). Unguis asininæ cinis inunctus e suo lacte. ¶ 2. Latiori sensu pro illinere. *Id.* 18. *ibid.* 30. 73. (308). Lentem siccatam oleo inungunt. *Sillig.* legit unguunt; ita et in loco proxime sequenti. *Id.* 13. *ibid.* 3. 4. (23). Aquilæ ac signa inunguntur festis diebus. *Id.* 25. *ibid.* 13. 103. (164). Succus inunctus hyoscyami. *Sillig.* omittit *inunctus.*

INŪNĪTUS, a, um, adject. (in *intent.* et unitus) unitus, conjunctus, *unito.* *Tertull. advers. Valentinian.* 29. Triformem naturam professi, et tamen inunitam in Adam. *Apul. de Mag.* Radii luminis extrario misti atque inuniti. *Al. leg.* ei uniti.

INURBĀNĒ, adverb. (inurbanus) non urbane, illepide, invenuste. *Cic.* 3. *Nat. D.* 19. 50. Apud quos non inurbane Stratonicus, ut multa etc. *Quintil.* 8. 3. 51. Emendavit hoc non inurbane in Hirtio Cicero. *Plin.* 2. *Ep.* 14. Non inurbane Σοφοκλεῖς vocantur.

INURBĀNUS, a, um, adject. (in *privat.* et urbanus) illepidus, infacetus, *incivile, rustico, rozzo, insulso,* ἄγροικος. — *a*) De rebus. *Cic. Brut.* 63. 227. Expedita erat et perfacile currens oratio: et erat ejus quidem tamquam habitus non inurbanus. *Horat. Art. P.* 273. Scimus inurbanum lepido seponere dicto. *Quintil.* 6. 3. 26. Aspectus et habitus oris et gestus non inurbanus. — *b*) De personis. *Cic.* 2. *Orat.* 90. 365. Non essem tam inurbanus ac pæne inhumanus, uti eo gravarer, quod vos cupere sentirem.

INURGEO, urges, ursi, urgere, a. 2. (in et urgeo) contra aliquem urgere, *premere, urtare, spingere,* ἐπισπέρχω. *Lucret.* 5. 1031. petit atque inurget vitulus cornibus. *Apul.* 8. *Met.* Pergit linguæ sauciantis susurros improbos inurgere.

INŪRĪNO, as, are, n. 1. (in et urino) in aliquo loco urinare, aquam subire. *Colum.* 8. *R. R.* 14. 3. de *anserib.* Lacus piscinæque manu fiant, ut sint, quibus inurinare possint aves. *possano tuffarsi.*

INŪRO, ūris, ussi, ustum, ūrere, a. 3. (in et uro). Part. *Inurens* I. 3.; *Inustus* in omnibus paragr. et in fin.; *Inusturus* II. 1.; *Inurendus* I. 3. — Inurere est in aliqua re urere, exurere, deurere, ἐγκαίω (It. *scottare, abbruciare*; Fr. *brûler sur, brûler*; Hisp. *quemar sobre, quemar en*; Germ. *ein —, hineinbrennen*; Angl. *to burn, scorch*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est intus urere: hinc — *a*) Sæpe est igne adhibito vel ignito ferro inscribere, notam vel stigma imprimere, *bollare con fuoco, marcare,* ut fit in armentorum coxis et servorum frontibus. *Lucret.* 6. 219. quali natura præditu constent Fulmina, declarant ictus et inusta vapore Signa. *Curt.* 5. 5. 6. Alius (*captivos*) pedibus, quosdam manibus auribusque amputatis, inustisque barbararum litterarum notis, in longum sui ludibrium reservaverant. *Virg.* 3. *G.* 158. *de vitulis.* Continuoque notas et nomina gentis inurunt. — *b*) De encaustica picturæ genere. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 10. (27). Nicias scripsit, se inussisse. h. e. pinxisse caustica ratione. *Id. ibid.* 7. 31. (49). Ceræ tinguntur iisdem coloribus ad eas picturas, quæ inuruntur. — *c*) Universim. *Colum.* 4. *R. R.* 29. 16. Terebra Gallica sic excavat truncum, ne foramen inurat. h. e. ne inæqualiter cædat instar ignis amburentis. ¶ 2. Latiori sensu est urendo absumere. *Ovid.* 13. *Met.* 275. vulnere sanguis inustus Terribilem stridore sonum dedit. *Colum.* 8. *R. R.* 2. 3. Ferro candente calcaribus (*caporum*) inustis, quæ quum ignea vi consumpta sunt etc. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 77. Pompeji corpus rogo inurere. *Inscript.* apud *Henzen.* 7332. IN HOC MONIMENTO ALII INVRI LICET NULLI NISI QVORVM NOMINA S. S. ¶ 3. Item latiori sensu est ardentem, calidum, torridum facere. *Colum.* 7. *R. R.* 5. 5. Vetus hominis urina testis candentibus inusta. *Cels.* 1. 3. *ante med.* Extenuat corpus balneum, inurens sol et omnis calor. *Lucan.* 9. 852. Ire libet, qua zona rubens atque axis inustus Solis equis. Sic *Apul. de Mundo.* Pars, quæ curriculis solis inuritur. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 28. 68. (275). Ros inustus sole acri. *seccato, adusto. Colum.* 11. *R. R.* 3. 13. Solum, quod vere conserere destinaverimus, post autumnum patiemur effossum jacere, brumæ frigoribus et pruinis inurendum.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorā sumptā a superiore paragr. I. 1. *a.*, est quocumque modo imprimere, infligere. *Catull.* 25. 10. Ne laneum latusculum manusque mollicellas inusta turpiter tibi flagella conscribillent. *Cic. Sull.* 31. 88. Ne qua generi ac nomini suo nota nefariæ turpitudinis inuratur. *Id.* 1. *Cat.* 6. 13. Quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta vitæ tuæ est? Similiter *inurere aliquem nota* apud *Cic. Cluent.* 46. 129. Is censoriæ severitatis notā non inuretur. Cf. *Ammian.* 14. 5. Admissum est facinus impium, quod Constantii tempus notā inusserat sempiternā. Ceterum *Liv.* 3. 58. inurere eam maculam Claudiæ genti, ut carcere et vinculis digni videantur. Cf. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 501. en pectus inustæ Deformant maculæ, vitiisque inolevit imago. *Cic. Prov. cons.* 7. 16. Ignominia inusta alicui. *Id. Mur.* 4. 8. Inurere alicui famam superbiæ et crudelitatis. h. e. imponere. *Martial.* 6. 64. At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor, Vivet et hærebit. *Cic. Brut.* 75. 262. Inurere aliquid calamistris. *Id. Mil.* 12. 33. Quas ille leges fuit impositurus nobis atque inusturus? h. e. per vim perlaturus. Sic *Id. Pis.* 13. 30. Leges inustas per servos, incisas per vim, imposita per latrocinium. *Id.* 11. *Phil.* 15. 38. Acerbissimum alicui dolorem inurere. et 2. *Cat.* 9. 20. Inustus dolor. *Id.* 2. *Phil.* 46. 117. Inurere plurima mala reipublicæ. h. e. infligere. *Ammian.* 29. 6. magnas reipublicæ clades. *Propert.* 4. 11. 70. Nunc tibi commendo communia pignora, natos: Hæc cura et cineri spirat inusta meo. *Cic.* 2. *Orat.* 45. 189. Nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi esse atque inusti esse videbuntur. *Id. Harusp. resp.* 25. 55. Odium insitum penitus et inustum animis hominum. ¶ 2. Pro molestiis vexare, torquere. *Arnob.* 4. 32. Illud acerbissime vulnerat, quod inurit innoxios. — Hinc

Inusta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, dicitur quidquid laboris vel morbi ex ustione in corpore gignitur. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 14. 16. (37). Medetur contusis, incussisque, inustis et strumis. *alle scottature.*

INŪSĬTĀTĒ, adverb. (inusitatus). Comp. *Inusitatius* et Sup. *Inusitatissime.* — Inusitate est præter consuetudinem, *fuor di costume, stranamente,* ἀήθως. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 2. 3. Absurde et inusitate scriptæ epistolæ. *Id. Brut.* 75. 260. Inusitate loqui. *Id. Orat.* 46. 155. Poeta inusitatius contraxerat. *Gell.* 11. 15. Verbo inusitatius facto *amorabundam* dixit. *Macrob.* 1. *Saturn.* 4. a *med.* Inusitatissima *nox* pro *noctu* dixerunt. *Al. leg.* inusitate.

INŪSĬTĀTŌ, adverb. (inusitatus) inusitate. *Plin. Paneg.* 5. Inusitato enituit. *Al. leg.* inusitato indicio enituit.

INŪSĬTĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et usitatus). Comp. *Inusitatior.* — Inusitatus est insolitus, præter consuetudinem, raro visus, inauditus, ἀήθης (It. *inusitato, fuor d'usanza*; Fr. *inaccoutumé, inusité, extraordinaire*; Hisp. *inusitado, extraordinario*; Germ. *ungewöhnlich*; Angl. *unusual, uncommon, strange, extraordinary, unwonted, not in use*). Occurrit — *a*) Absolute. — Jungitur cum adject. novus apud *Cæs.* 3. *B. C.* 47. Nova et inusitata belli ratio. — Et cum adject. *inauditus* apud *Cic. Cæcin.* 13. 36. Novum est, non dico inusitatum, verum omnino inauditum. Adde *Liv.* 4. 33. et 5. 37. — Ceterum *Accius* apud *Non.* p. 225. 33. *Merc.* Pro dii immortales! speciem humanam inusitatam, egregiam, indignam clade et squalitudine. *Cic.* 3. *Off.* 9. 38. Hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata. *Id. Orat.* 3. 11. Inusitata via. *Id. Marcell.* 1. 1. Inusitata inauditaque clementia. *Cæs.* 4. *B. G.* 25. Species navium inusitatior. *Liv.* 5. 35. Inusitata forma. *Seneca Ep.* 104. camporum spatia. *Id. ibid.* 120. indoles. *Curt.* 9. 1. 13. arbores. *Id.* 9. 6. 7. bellua. *Plin. Paneg.* 3. Magna et inusitata principis gloria. — *b*) Cum Dativo. *Cic.* 2. *Orat.* 23. 98. Alter leporem quemdam inusitatum nostris oratoribus est consequutus. *Justin.* 25. 1. 6. Quibus et elephantos ad terrorem, velut inusitatas Barbaris formas, rex ostendi jusserat. *Flor.* 4. 2. 81. Novissime illud inusitatum Cæsaris oculis —, veteranorum manus gradum retro dedit. — *c*) Neutr. *inusitatum est* cum Infinito. *Cic. Dejot.* 1. 1. Ita est inusitatum, regem capitis reum esse, ut ante hoc tempus non sit auditum.

INUSQUE, *quod et divisim scribitur* in usque, pro usque in, ut *hucusque* pro usque huc. — *a*) Est adverbium apud *Stat.* 1. *Theb.* 439. neque enim meus audeat istas Civis inusque manus. — *b*) Est præpositio apud *Avien. Ora marit.* 525. tum jugum Celebandicum Inusque salsam dorsa porrigit Thetin. Adde *eumd. ibid.* 606. et 641.

INUSTIO, ōnis, f. 3. (inuro) exustio. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 59. Cui (*saxo*) quum sint igneæ quædam maculæ, vel inustiones. h. e. notæ inustæ.

INUSTUS, a, um, particip. *V.* INURO.

INUSTUS, a, um, adject. (in *privat.* et ustus) non ustus: ita videtur esse in illo *Lucan.* 8. 786.

semiusta rapit resolutaque nondum Ossa satis nervis et inustis plena medullis.

INŪSUS, us, m. 4. (in *privat.* et usus) desuetudo, ignavia, *non uso, disuso*. *Plaut. Most.* 1. 2. 65. Ego sum inusu factus nimio nequior. Alii rectius leg. divisim *in usum*: respondent enim iis, quæ leguntur supra *ibid.* 42. Ut et in usum boni, et in speciem populo sint.

INŪTĬLIS, e, adject. (in *privat.* et utilis). Comp. *Inutilior* et Sup. *Inutilissimus* I. et II. — Inutilis est non utilis, ad nullam rem utilis, vanus, ἄχρηστος (It. *inutile, disutile, vano*; Fr. *inutile, vain, superflu*; Hisp. *inútil, vano, superfluo*; Germ. *unbrauchbar, unnütz, untauglich*; Angl. *unuseful, useless, unserviceable, unprofitable, needless*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. — Absolute. *Cic.* 3. *Off.* 6. 31. Homo iners atque inutilis. *Colum.* 3. *R. R.* 10. 6. Nam et inutilissimus quisque, et qui nullum alium laborem ferre queat, huic officio applicatur. Similiter *Justin.* 2. 11. 3. Qui dum ulcisci suos quærunt, principium cladis fuere: succedente deinde inutili turba, major cædes editur. — Cum Accusativo et præpos. *ad*. *Cæs.* 2. *B. G.* 16. Quique per ætatem ad pugnam inutiles viderentur. *inabili*. — Cum Dativo. *Cæs.* 7. *B. G.* 78. Qui valetudine, aut ætate inutiles sunt bello. *invalidi*. — *b*) De rebus physicis et abstractis. *Horat. Epod.* 2. 13. Inutilesque falce ramos amputans, Feliciores inserit. *Id.* 3. *Od.* 17. 10. Inutilis alga. *Ovid. Heroid.* 4. 7. lingua. *Horat.* 1. *Od.* 11. 13. nomen. *Cæs.* 4. *B. G.* 29. Naves ad navigandum inutiles. *Id.* 7. *ibid.* 27. Non inutilem hanc ad capiendum consilium tempestatem arbitratus. *tempo disacconcio, inopportuno*. *Cic.* 1. *Fin.* 4. 12. Genus ad usus civium non inutile. *Cels.* 3. 21. Libertas ægro inutilis.

II.) Translate est perniciosus, incommodus, noxius, *nocevole, pregiudiziale, dannoso*. — *a*) De hominibus. *Cic.* 2. *Off.* 14. 49. Seditiosus et inutilis civis. *Ammian.* 14. 6. Homines eruditos et sobrios ut infaustos et inutiles vitant. *Ovid.* 13. *Met.* 37. solertior istu, Sed sibi inutilior. — *b*) De rebus physicis et abstractis. *Cels.* 5. 27. *n.* 17. Si fungos inutiles quis assumpsit. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 27. Aquæ inutiles pestilentesque in abdito latant. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 28. (47). Succus stomacho inutilis. *Cic.* 2. *Divinat.* 4. 11. Qui moras aut utiles, aut inutiles. *Ovid.* 2. *Pont.* 8. 59. inutile fatum. *Vel lej.* 2. 47. 4. exemplum. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 27. 45. (257). Interlucatio arboribus prodest: sed omnium annorum trucidatio inutilissima. *Liv.* 42. 14. *sub fin.* Orationem habuit invisam senatui, inutilemque sibi et civitati suæ. — Cum supino pass. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 124. an hoc inhonestum et inutile factu Necne sit, addubites. *Alii leg.* factum. — Neutr. cum Infinito. *Cic.* 3. *Off.* 13. 57. Nonne inutile est, vitiorum subire nomina?

INŪTĬLĬTAS, ātis, f. 3. (inutilis) vanitas, utilitatis defectus, *inutilità*, ἀχρηστία.

I.) Proprie. *Lucret.* 5. 1272. Nam fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat, Propter inutilitatem, hebeti mucrone retusum.

II.) Translate est incommodum, damnum, *danno*. *Cic.* 2. *Invent.* 52. 158. Ut appetendarum rerum partes sunt honestas et utilitas, vitandarum turpitudo et inutilitas.

INŪTĬLĬTER, adverb. (inutilis). Comp. *Inutilius* II. — Inutiliter est sine utilitate, *inutilmente*.

I.) Proprie. *Liv.* 3. 51. Non inutiliter respondere. *Quintil.* 2. 4. 18. Narrationibus non inutiliter subjungitur opus destruendi confirmandique eas.

II.) Translate est perniciose, *con pregiudizio*. *Varro* 3. *R. R.* 5. 2. Late diffusa aqua et inquinatur facilius et bibitur inutilius. *Auct. B. Alex.* 65. Multa Romæ male et inutiliter administrari.

INUXŌRUS, a, um, adject. (in *privat.* et uxor) cælebs, ut inuxora virginitas, apud *Tertull. Exhort. ad castit.* 9. *a med.*

INVĀDO, vādis, vāsi, vāsum, vādere, n. 3. (in *et* vado). *Invasse*, syncope pro *invasisse*, est *Lucilii* apud *Non. p.* 291. 31. *Merc.*, ubi alii leg. *involasse*. — Part. *Invasus* II. 5. *b*.; *Invasurus* et *Invadendus* II. 3. — Invadere est irruere, intro ruere, incidere.

I.) Proprie raro admodum occurrit. *Accius* apud *Non. p.* 234. 1. *Merc.* Ut profugiens hostem, inimici invadam manus. *cada nelle mani*. *Cic.* 2. *Nat. D.* 15. 41. Ignis quocumque invasit, cuncta disturbat ac dissipat. *Sil. It.* 3. 455. Invadunt alacres inimicum pontibus amnem.

II.) Translate. ¶ 1. Est ire, inire, iter conficere. *Tac.* 11. *Ann.* 8. Ille, ut erat magnis ausis promptus, biduo tria millia stadiorum invasit, ignarumque et exterritum Gotarzen proturbat. ¶ 2. Item est viam ingredi, irrumpere. *Virg.* 6. *Æn.* 260. Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum. *Apul.* 9. *Met.* Invadere lutum pedibus. ¶ 3. Sæpissime est in locum aliquem aut in personam aliquam (et fere cum aliqua vi, aut impetu) ingredi, irrumpere, irruere; et occurrit — *a*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Cic.* 2. *Phil.* 31. 77. Quum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit: caput aperuit, in collum invasit. *Liv.* 27. 42. et 28. 16. Invadere in latera. *Plaut. Bacch.* 2. 4. 60. In oppidum. *Cic.* 3. *Verr.* 20. 51. Si in eas urbes vi cum exercitu invasisses. *Id.* 11. *Phil.* 2. 4. In Galliam invasit Antonius, in Asiam Dolabella. *Id. Cæcin.* 9. 25. Invadere cum ferro in aliquem. Sic *Liv.* 2. 31. et 47. Invadere in aliquem. — Passive. *Plaut. Asin.* 5. 2. 58. In oculos invadi nunc est optimum. *che se gli salti agli occhi*. — *b*) Cum Accusativo sine præpos. *Virg.* 2. *Æn.* 265. Invadunt urbem somno vinoque sepultam. Adde *Liv.* 10. 10. et 24. 33. Rursus *Virg.* 3. *Æn.* 382. Vicinosque, ignare, paras invadere portus. *Liv.* 10. 35. Jam invasurum castra Samnitem credentibus. *Id.* 33. 44. Spes orta Ægypti invadendæ. *Nepos Themist.* 2. Xerxes Europam cum tantis copiis invasit, quantas neque antea, neque postea habuit quisquam. *Id. Dion.* 9. Foribus obseratis, in lecto cubantem invadunt. *Id. Datam.* 6. Invadere resistentes. *Sueton. Cæs.* 34. copias Pompeji. *Id. Galb.* 18. Taurus assedum invasit. *Sil. It.* 2. 681. ovilia leo faucibus. *Colum.* 7. *R. R.* 12. 7. Canes constantius appropinquantem violenter invadunt. *Ovid.* 2. *Fast.* 210. leones invadunt greges. — Poetice. *Lucret.* 6. 174. Ventus ubi invasit nubem. Sic *Sil. It.* 3. 660. venti invadunt campum. et *Id.* 17. 102. flammæ invasere ora vocantum auxilium. Huc referri potest *Justin.* 6. 2. 11. Sed Cononem seditio militum invadit. — Passive. *Sall. Jug.* 92. Sperans, mox effusos hostes invadi posse. *et* 121. *extr.* Signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. ¶ 4. Pro corripere, arripere, tum in bonam, tum in malam partem, *cingere, afferrare*. *Sil. It.* 9. 144. Invasit nati colla lacertis. *Petron. Satyr.* 91. Invadere amplexibus pectus alicujus. *Id. ibid.* 85. Invadere aliquem basiolis. *Id. ibid.* 74. Aliquem invadere et osculari. Contra *Sueton. Cæs.* 71. Masintham nobilem juvenem, quum adversus Hiempsalem regem tam enixe defendisset, ut Jubæ regis filio in altercatione barbam invaserit, etc. *afferrò la barba*. Sic *Propert.* 3. 6. 5. Invadere capillos alicujus. Cf. et *Sueton. Ner.* 29. et *Apul.* 12. *Met.* Manibus ambabus torum invadere. ¶ 5. Metaphorā hinc sumptā dicitur de iis, qui alienum per vim et nefas occupant. — *a*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Cic.* 2. *Phil.* 16. 41. In multas præterea pecunias alienissimorum hominum, ejectis veris heredibus, tamquam heres esset, invaserat. *Id. Rosc. Am.* 5. 13. Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt. *Id. ibid.* 8. 23. Invadere in prædia alicujus. *Id.* 1. *Phil.* 2. 5. Uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat. Et figurate *Id.* 1. *Fam.* 9. *ante med.* Num potui magis in arcem illius causæ invadere? — *b*) Cum Accusativo sine præpos. — De bonis et fortunis. *Petron. Satyr.* 15. Nescio qui calvus invaserat pallium, exhibiturumque crastino die affirmabat. *Sueton. Ner.* 34. Invadere bona defunctæ. Et passive *Impp. Valentinian.* et *Valens Cod. Theod.* 4. 18. 1. Prædoni quidem ratio a die invasi loci usque ad exitum litis habeatur. Sic poetice *Pallad. de Insit.* 120. Persuadet moris tetrum mutare colorem Ficus, et invasis dat sua jura comis. — Sæpissime de magistratibus et potentia. *Sueton. Aug.* 26. Invadere consulatum. *Id. Cæs.* 9. dictaturam. *Justin.* 5. 8. 12. rempublicam. *Id.* 16. 4. 6. tyrannidem. *Sil. It.* 10. 594. munera. *Id.* 7. 510. nostros fasces. *Id.* 4. 714. clavum regendæ patriæ. *Ammian.* 15. 5. summam rem. *Aurel. Vict. Cæsar.* 7. potentiam. *Id. Epit.* 45. regnum. *Id. ibid.* 38. imperium. ¶ 6. Hinc dicitur de morbis et animi motibus pro tentare, corripere. — *a*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Lucret.* 6. 658. arripit acer Sæpe dolor dentes; oculos invadit in ipsos. *Liv.* 28. 29. Vis morbi in corpus invasit. *Cic.* 3. *Off.* 7. 34. Negat ullam pestem majorem in vitam hominum invasisse, quam etc. *Id.* 2. *ibid.* 21. 75. Invasit malum in rempublicam. *Sall. Cat.* 32. tanta vis avaritiæ in animos eorum. *Justin.* 12. 13. 2. terror nominis Alexandri in orbem terrarum. — *b*) Cum Accusativo sine præpos. *Plaut. Asin.* 1. 1. 40. Eum morbus invasit gravis. *Sall. Jug.* 39. Ne reliquos populares metus invaderet. Sic *Liv.* 28. 20. tantus omnes terror. et *Curt.* 7. 9. 6. ingens navigantes terror. *Id.* 4. 12. 11. exercitum pavor. Rursus *Sall. Jug.* 84. Tanta libido plerosque invasit. *Justin.* 26. 2. 3. tanta rabies animos. *Id.* 42. 4. 14. aliquem sollicitudo. — *c*) Cum Dativo personæ. *Plaut. Epid.* 5. 2. 5. Lassitudine invaserunt misero in genua flemina. *Lucret.* 6. 1210. Usque adeo mortis metus his invaserat acer. *Al. aliter. leg. Varro* apud *Non. p.* 499. 23. *Merc.* Tanta porro invasit cupiditas honorum plerisque, ut etc. *Cic.* 16. *Fam.* 12. Mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam his, qui boni habentur. *Al. leg.* improbos, sed etiam hos etc. *Gell.* 19. 4. Quibus invasit repentinus rei magnæ timor. — *d*) Absolute. *Cæs.* 1. *B. C.* 14. Tantus terror invasit, ut etc. Sic *Ter. Hecyr.* 3. 2. 22. dolor. *Liv.* 5. 13. dulcedo. ¶ 6. Metaphorā sumptā a superiori paragr. 4., est avidissime appetere apud *Sil. It.* 2. 578. pergite primi Nec facilem populis, nec notam invadere laudem. Hunc tamen *Silii* locum ad paragr. proxime sequentem commode referri potest. ¶ 7. Item metaphorā sumptā ab eadem paragr. 4., est suscipere, aggredi. *Virg.* 9. *Æn.* 186. aliquid jamdudum invadere magnum Mens agitat mihi. *Id.* 12. *ibid.* 710. Procursu rapido, conjectis eminus hastis, Invadunt Martem clipeis atque ære sonoro. *entrano in battaglia*. Sic *Sil. It.* 17. 473. Invadere certamina. *Id.* 12. 199. et 17. 387. pugnam. *Id.* 9. 12. bella. *Martial.* 9. 37. prælia. — Absolute de oratione *Virg.* 4. *Æn.* 265. Continuo invadit. *h. e.* verbis aggreditur, alloquitur.

INVĂLENTĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et valentia) idem quod invaletudo. *Gell.* 20. 1. *circa med.* Vitium aliquod imbecillitatis atque invalentiæ demonstratur. *Apul. Dogm. Plat. sub fin.* Alioquin invehit ægritudinem atque invalentiam et fœditatem.

INVĂLEO, vales, valui, vălere, n. 2. (in *et* valeo). Per tmesin divisit *Lucret.* 2. 300.: *V.* infra sub I. — Part. *Invalens* I. — Invalere est idem quod valere, aut valde valere, invalescere, *aver forze, essere robusto, crescere in forze*.

I.) Proprie. *Lucret.* 2. 300. Et quæ consuerunt gigni, gignentur eadem Conditione, et erunt et crescent inque valebunt. *Cic. Mur.* 15. 32. Tantumque opibus conatuque invaluit, ut etc. *crebbe a tanto di forze*. *Tac.* 2. *Hist.* 98. Hæc, illava defensurus, prout invaluissent. *Ammian.* 21. 15. Egredique secuto die conatus, invalente morbi gravitate detentus est.

II.) Translate. *Sueton. Vesp.* 11. Libido atque luxuria, coercente nullo, invaluerat. *Id. Gramm.* 4. Appellatio grammaticorum Græca consuetudine invaluit: sed initio litterati vocabantur. *ha preso piede, è invalsa*. *Plin.* 6. *Ep.* 8. Amor hic mansit, nec refrixit judicio, sed invaluit.

INVĂLESCO, is, ere, n. 3. *inchoat. ab* invalere. — Part. *Invalescens*. — Invalescere est vires ac firmitatem acquirere, *prendere forze, rinforzarsi*, ἐπιῤῥώννυμαι. *Quintil.* 2. 1. 1. Tenuit consuetudo, quæ quotidie magis invalescit. *Id.* 10. 2. 13. Verba intercidunt invalescuntque temporibus. *vengono in uso*. *Ulp. Dig.* 33. 7. 12. *a med.* Quam sententiam quotidie increscere et invalescere videmus. *Sueton. Ner.* 27. Paullatim invalescentibus vitiis. *prendendo piede*. Sic *Id. Aug.* 19. Tumultus post hæc, atque etiam rerum novarum initia conjurationesque complures, priusquam invalescerent, indicio detectas compressit.

INVĂLĒTŪDĬNĀRĬUS, a, um, adject. (invaletudo) idem ac valetudinarius, sæpius ægrotans, *infermiccio*. *Seneca* 1. *Quæst. nat. præfat.* Non video, quare sibi placeat, qui robustior est invaletudinario. *Sed rectius alii leg.* in valetudinario.

INVĂLĒTŪDO, inis, f. 3. (in *privat.* et valetudo) imbecillitas, *debolezza, infermità*, ἀῤῥωστία. *Cic.* 7. *Att.* 2. 2. Invaletudo tua me valde conturbat. Nonnulli afferunt etiam *eumd. Senect.* 11. 35. et *Amic.* 2. 8.: sed in his omnibus locis, ex opti-

morum Codicum auctoritate, legendum est *valetudo*; *V. Orell.* ad *Cic.* 7. *Att.* 2. 2.

INVĂLĬDĒ, adverb. (invalidus) debiliter. *Arnob.* 7. 42. Quam infirmiter invalideque dicatur. Affertur et illud *Cic.* 10. *Att.* 8. An invalide solus tuli scelus? *At plerique rectius leg.* invalidi. *Certe locus est fœde corruptus.*

INVĂLĬDUS, a, um, adject. (in *privat.* et validus). Comp. *Invalidior* et Sup. *Invalidissimus* I. — Invalidus est infirmus, debilis, ægrotus, ἀῤῥωστος (It. *debole, poco gagliardo, invalido*; Fr. *faible, débile, impuissant, sans force*; Hisp. *flaco, debil, falto de fuerza*; Germ. *schwach, unkräftig, unvermögend, unpässlich, krank*; Angl. *not strong, infirm, feeble, weak, invalid*).

I.) Proprie. — *a*) Absolute. *Liv.* 23. 16. Calones lixæque et invalidi milites. *gl' invalidi.* Adde *eumd.* 10. 34. Sic *Val. Flacc.* 5. 24. Pueri invalidi et adhuc genitoris egeni. *Sueton. Oth* 2. Invalidum quemque obviorum et potulentum corripere. *Justin.* 41. 6. 8. Ad postremum ab invalidioribus Parthis oppressi sunt. *Sueton. Aug.* 13. Invalidus atque æger. *Tac.* 1. *Ann.* 46. Invalidus et inermis. *Ammian.* 27. 1. Invalidus et longævus. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 37. 37. (124). Ne medicus crederetur, si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse. *malato. Ovid. Heroid.* 20. 207. invalidum corpus. *Id. ibid.* 21. 245. artus. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (130). Invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum. *Lucan.* 5. 275. invalidæ manus. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 72. vires. *Virg.* 5. *Æn.* 715. Longævosque senes, ac fessas æquore matres, Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est, Delige. — *b*) Cum Accusativo et præpos. *ad. Liv.* 6. 8. Qui ubi videre Camillum, jam ad munera corporis senecta invalidum, vadentem in hostes. etc. *Gell.* 20. 1. *ante med.* Si homo, morbo aut ætate æger, ad ingrediendum invalidus est. *non può camminare.*

II.) Translate est infirmus, inefficax; et dicitur de rebus physicis et abstractis. *Tac.* 12. *Ann.* 16. Invalida mœnia adversus irrumpentes. Sic *Ammian.* 16. 2. Muri caris vetustatis invalidi. *Id.* 23. 4. Et si (*sagitta*) emissa lentius arcu invalido (ictu enim rapidiore extinguitur) hæserit usquam etc. *Tac.* 1. *Ann.* 65. Invalidi ignes. *mezzo spenti, languidi. Colum.* 2. *R. R.* 10. 27. Ne alterius generis herba invalidam Medicam perimat. *Liv.* 41. 2. Invalida statio. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 170. Invalidum venenum. *Ulp. Dig.* 48. 18. 1. *a med.* argumentum. *Lucan.* 7. 67. Addidit invalidæ robur facundia causæ. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 362. n. 101. VIXIT TRIS VSQVE PER ANNOS INQVE NOVEM MENSES INVALIDOSQVE DIES. *h. e.* æger per annos tres, menses et dies novem. — *NB.* Juxta nonnullos est etiam valde validus, *valido, possente*; sed quæ afferuntur, rem minime probant, sunt enim sequentia. *Lucret.* 1. 969. telum invalidis contortum viribus. *Al. leg.* id validis. *Sil. It.* 1. 552. Invalidam duris evellit ab ossibus hastam. *Al. rectius leg.* Et validam. Huc trahunt quidam et illud *Virg.* 6. *Æn.* 113. *de Anchise.* Atque omnes pelagique minas cœlique ferebat Invalidus, vires ultra sortemque senectæ. At *Heynius* interpretatur *ferebat, licet esset invalidus*, quod probandum.

INVĀNUM, adverb. (in et vanus) incassum, *invano. Tertull. advers. Hermogen.* 37. Invanum laborare. *At rectius divisim scribitur* in vanum: *V.* VANUS.

INVĀSĬO, ōnis, f. 3. (invado) actus invadendi, occupatio, *invasione*: *V.* INVADO II. 5. *Gloss. Philox.* Invasio, ἐφόρμησις, ἔφοδος. *Symmach.* 10. *Ep.* 41. (*al.* 48.). Ut in examen clementiæ vestræ invasionis indignitas perveniret.

INVĀSOR, ōris, m. 3. (invado) qui invadit et occupat, *invasore*: *V.* INVADO II. 5. *Aurel. Vict. Epit.* 35. Romanum orbem triennio ab invasoribus receptavit. *Imp. Constantin. Cod.* 7. 4. 5. Invasor locorum pœnæ teneatur legitimæ. Adde *Augustin. sub init. Tract.* 4. *in Epist. Joann.*

INVĀSUS, a, um. *V.* INVADO.

INVĀSUS, us, m. 4. (invado) occupatio, aggressio. *Cœl. Aurel.* 1. *Tard.* 4. n. 82. Primo invasu affici passione.

INVECTĀTĬO, ōnis, f. 3. (inveho) idem ac vectatio, *cavalcata. Cassiod.* 5. *Variar.* 41. Obtinuit ille invectationibus nostris, quod in consistoriis agi solebat antiquis. Si quando enim relevare libuit animum reipublicæ cura fatigatum, equina exercitia petebamus: tunc nobis causas multiplices relator delectabilis ingerebat. *Videtur tamen hic divisim* in vectationibus *scribendum.*

INVECTĪCĬUS, a, um, adject. (inveho) qui invehitur aliunde.

I.) Proprie. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 29. 41. (79). Quam Theophrastus tradat, invecticias esse in Asia etiam columbas. *Ambros.* 3. *Off.* 7. Invecticium frumentum.

II.) Translate. *Seneca Ep.* 23. Quodcumque invecticium gaudium est, fundamento caret.

INVECTĬO, ōnis, f. 3. (inveho) invehendi actus, *il portar dentro.*

I.) Proprie. *Cic.* 2. *Off.* 3. 13. Jam vero et earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, et earum, quibus egeremus, invectio certe nulla esset.

II.) Figurate ponitur pro insectatione et impetu animi in aliquem, *invettiva. Cic.* 2. *Invent.* 54. 164. Clementia, per quam animi, temere in odium alicujus concitati, invectiones comitate retinentur. *Garatonius* ita locum legendum putat in *Curæ secundæ* ad orat. *Cic. pro Planc. p.* 136. *Pseudo-Ascon.* ad illud *Cic.* 2. *Verr.* 10. 28. Quid est, quæso, Metelle, judicium corrumpere *etc.* Invectio est ad Metellum consulem.

INVECTĪVĀLĬTER, adverb. (invectio II.) occurrit translate tantum, et est cum insectatione et impetu animi in aliquem, *con invettiva. Sidon.* 1. *Ep.* 11. Qui satis invectivaliter abusi nominum nuditate carpebant plurimum vitia, plus homines.

INVECTĪVUS, a, um, adject. (invectio II.) occurrit translate tantum, et est στηλιτευτικός, quo in aliquem invehimur, hoc est maledictis eum insectamur. Unde *invectivæ orationes* dicuntur adversus aliquem scriptæ, quibus in illius mores, vel ingenium, aut vitam, invehimur. *Ammian.* 21. 10. Orationem acrem et invectivam, probra quædam in eum explanantem et vitia, scripserat ad senatum. *Id.* 22. 14. In eos volumen composuit invectivum, quod Misopogonem appellavit. — Hinc Grammatici dum citant orationes *Ciceronis* in Catilinam, sæpe *invectivas* appellant, ut *Diomed.* 1. *p.* 318. *Putsch.* et *Priscian.* 16. *p.* 1023. *etc.* Et *Rufin.* 2. *Invect.* in *Hieronym. n.* 39. *sub init.* Ipse scribis in istis invectivis tuis, me etc.

INVECTOR, ōris, m. 3. (inveho) qui aliquid invehit. *Symmach.* 10. *Ep.* 27. (*al.* 34.) *a med.* Lanati pecoris invector.

INVECTRIX, īcis, f. 3. (inveho) quæ invehit. Translate *Ambros. Ep.* 63. (*al.* 71.) n. 3. Etsi Epicurus neget invectricem mali esse voluptatem. *MSS. habent minus recte* inventricem

INVECTUS, a, um. *V.* INVEHO.

INVECTUS, us, m. 4. (inveho) idem quod invectio. *Varro* 1. *R. R.* 16. 2. Quæ prædia vicinitatis invectus habent idoneos, quæ nascuntur, ut ibi vendant; et illinc invectus opportunos, ut ea, quæ in fundo opus sunt, emant. *Schneiderus* ita legend. monet. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 1. 2. (5). Et Artemitam insulam assiduo terræ invectu continenti annectens. *Id.* 2. *ibid.* 85. 87. (201). Terræ nascuntur fluminum invectu, sicut Echinades insulæ ab Acheloo amne congestæ.

INVĔHO, vĕhis, vexi, vectum, vĕhere, a. 3. (in et veho). Part. *Invehens* I. 1. et II. 2. *Invectus* I. 1. et in fin.; *Invehendus* I. 1. — Invehere est intro vehere, importare, inferre, ἐμφορέω, εἰσάγω (It. *portar dentro, introdurre*; Fr. *importer, porter dans, voiturer*; Hisp. *llevar dentro, llevar en*; Germ. *einführen, – fahren*; Angl. *to bring or carry in, introduce*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a*) Active de rebus usurpatur. *Cic.* 2. *Off.* 22. 76. Tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum. *Inscript.* apud *Orell.* 44. 27. SI QVIS HOC SEPVLCRVM VEL MONVMENTVM – VENDERE VEL DONARE VOLVERIT, VEL CORPVS ALIENVM INVEHERE VELLIT (*sic*) DABIT POENAE NOMINE etc. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 30. 73. (303). Frumenta invehere. *scil.* in horreum. *Id.* 18. *ibid.* 17. 45. (162). Limum non invehunt Euphrates Tigrisque. *scil.* in agros. *Cic.* 2. *Nat. D.* 52. 130. Euphrates quotannis quasi novos agros invehit. *depone per alluvione. Sueton. Aug.* 41. Invecta urbi Alexandrino triumpho regia gaza tantam copiam nummariæ effecit, ut etc. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 11. 53. (149). Victoria Achaica signa et tabulas pictas invexit. *scil.* Romam. *Sueton. Claud.* 18. Nihil non excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus. *Liv.* 5. 33. Invehere vinum in Galliam. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 7. 10. (55). Milium ex India in Italiam invectum. *importato, introdotto. Id. ibid.* 10. 20. (93). Externa omnia ab Oriente invecta. *portate dall'Oriente. Id.* 5. *ibid.* 5. 5. (34). Gemma ex Æthiopia invecta. *Id.* 29. *ibid.* 1. 8. (24). Invehi peregrinas merces displicuit majoribus. Cf. *eumd.* 33. *ibid.* 1. 3. (7). Commercia victus gratia invecta. *introdotti.* — Hinc etiam *Tac.* 2. *Ann.* 23. Sed æstate jam adulta legionum aliam itinere terrestri in hibernacula remisse; plures Cæsar classi impositas per flumen Amisiam Oceano invexit. Poetice *Sil. It.* 15. 285. Donec nox, atro circumdata corpus amictu, Nigrantes invexit equos suasitque quietem. — Similiter pro inducere, *h. e.* in aliquem locum ducere, *Val. Flacc.* 2. 624. Ogygii quam (*urbem*) nec trieterica Bacchi Sacra, neque arcanis Phrygius furor invehit antris. — *b*) Passive de hominibus et brutis dicitur, qui equo, curru, navi, flumine feruntur aliquo. *Cic.* 6. *de republ.* 3. Cum eris curru in Capitolium evectus. *Virg.* 6. *Æn.* 780. Invehitur curru Phrygias turrita per urbes. *Liv.* 1. 59. *a med.* Invecta corpori patris nefando vehiculo filia. *Id.* 1. 48. Invehi carpento. *Id.* 22. 15. Concitatis equis invectus. *Ovid.* 3. *Trist.* 10. 54. Invehitur celeri barbarus hostis equo. *Id.* 14. *Met.* 597. Perque leves auras junctis invecta columbis. *Cic.* 5. *Fin.* 24. 70. Perses eodem flumine invectus. *Justin.* 32. 3. 14. Qui ut a Ponto intraverunt in Istrum, alveo Sabi fluminis invecti etc. *Cic. Mur.* 2. 4. Invehi ex alto in portum. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 22. 24. (84). Carmaniæ portum invectus. *Id.* 9. *ibid.* 8. 8. (27). Delphinus in arenam invectus exspiravit. *inoltratosi. Liv.* 2. 31. Dictator triumphans Urbem invehitur. Sic *Id.* 4. 29. Ipse triumphans invectus Urbem dictatura se abdicavit. *Ovid.* 5. *Trist.* 3. 19. ætherias meritis invectus es arces. — Et cum Dativo, ut apud Græcos ἐπιφέρεσθαί τινι. *Liv.* 25. 40. Stationibus hostium cum ingenti terrore ac tumultu invectus. *Curt.* 4. 3. 12. Quibus (*navibus*) rex invectus ipse demersit. — Absolute. *Cic.* 1. *Nat. D.* 28. 78. Qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus invehens belluis. *pro* invectus. ¶ 2. Specialim *invehi in aliquem* est infestum inferri pugnandi causa. *Curt.* 8. 14. 17. Cæmus ingenti vi in lævum cornu invehitur. *Id.* 8. 14. 5. Contra Alexander expedito ac levi agmine strenue invectus est. Similiter *Liv.* 5. 8. *a med.* Quum pleraque castella oppugnata, superatas munitiones, utrimque invehi hostem, nunciaretur. — Sic *invehere se* apud *eumd.* 28. 15. Quam eo ipso acrius, ubi inclinatam sensere rem, victores se undique inveherent. Cf. *eumd.* 6. 32. et 40. 39. — Et absolute *Id.* 2. 19. Tantaque vis infestis invehentium hastis fuit, ut brachium Æbutio trajectum sit. *Vulgati tamen libri habent* vehentium. *V.* ibid. Criticos.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1., de abstractis et præcipue de malis dicitur pro afferre, inducere. *Cic.* 4. *Tusc.* 17. 38. Ut quemcumque casum fortuna invexerit, hunc quiete ferat. *h. e.* attulerit. Sic *Id.* 3. *ibid.* 12. 26. Hæc mala – non inerant in his, quæ tibi casus invexerat. *Id.* 1. *Invent.* 1. 1. Non minimam video per disertissimos homines invectam partem incommodorum. *Liv. præfat. sub fin.* Divitiæ avaritiam invexere. *Seneca Œdip.* 70. Vitia, quæ tecum invehis, infaustus hospes. *Id. Hippol.* 1032. litori invexit malum majus timore. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 2., est asperioribus verbis aliquem aggredi, increpare, maledictis incessere, *inveire*: et plerumque passiva voce. — *a*) Cum Accusativo personæ et præpos. *in. Cic.* 2. *Phil.* 29. 74. De quo Cæsar in senatu, aperte in te invehens, questus est. *Id. fragm.* apud *Non.* p. 319. 28. *Merc.* In eum palam vehementer est invectus. *Id. Sext.* 6. 14. aspere in aliquem. *Id.* 3. *Orat.* 1. 2. graviter. *Id. Amic.* 16. 57. acerbius. Sic 2. *Orat.* 75. 304. Si in homines caros acerbius et contumeliosius invehare. — Et addito Accusativo communi, Græco more. *Nepos Timol.* 5. Quum nonnulla inveheretur in Timoleonta. *Id. Epam.* 6. Quum in oratione sua multa invectus esset in Thebanos. *Liv.* 3. 48. Ignosce patrio dolori, si quid inclementius in te sum invectus. — *b*) Cum Accusativo rei et præpos. *in*

Cic. 3. *Nat. D.* 40. 94. Vehementius, inquit, tu quidem invectus es in eam Stoicorum rationem, quæ etc. Sic *Id.* 1. *Orat.* 7. 24. Vehementius invehi in causam aliquorum. — c) Omisso Accusativo. *Ovid.* 2. *Trist.* 133. Tristibus invectus verbis. — d) Cum Dativo. *Rutil. Lup. de fig. sent. et eloc.* 2. 20. Vehementer eorum vitiis invehi non licebat, reticere omnino non expediebat. — Hinc a Part. præter. pass., cujus plurima supra exempla retulimus,

Invecta, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more occurrunt. *Invecta et illata* et omissa conjunctione *invecta illata* apud JCtos sunt res mobiles, quæ a conductoribus in ædes conducticias invehuntur et inferuntur, utendi causa, *mobili, masserizie. Paul. Dig.* 2. 14. 4. Placet, in urbanis habitationibus locandis, invecta illata pignori esse locatori. *Martian. ibid.* 20. 2. 2. Invecta et illata pignori erunt obligata. Adde *Ulp. ibid.* 3. et 13. 7. 11. Sic inducta, invecta, importata, *Scævola ibid.* 20. 1. 32. Quo spectat illud *Tertull. Patient.* 13. Rector animus facile communicat spiritus invecta cum habitaculo suo. *h. e.* bona seu dona spiritualia cum corpore.

INVĒLĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et velatus) non velatus, intectus, nudus. *Capell.* 1. p. 3. *de Mercurio.* Chlamyde indutus parva, invelatus cetera.

INVĒNĀLIS, e, adject. (in *privat.* et venalis) non venalis, invendibilis. *Gloss. Philox.* Invenalis, ἄπρατος.

INVĒNĀTĬCUS, a, um, adject. (in *privat.* et venaticus) non venaticus, qui venatum non exercet. Vox joculariter efficta a *Plaut. Capt.* 1. 1. 17. Item parasiti rebus prolatis latent in occulto, miseri victitant succo suo. Dum ruri rurant homines, quos liguriant. Prolatis rebus parasiti invenatici Sumus; quando rure redierunt, molossici Odiosicique et multum incommodistici. Ita recte edidit *Bothe*, alii leg. *venatici*; perperam profecto, nam canes molossici sunt quam qui maxime venatici, minime vero iidem opponuntur.

INVENDĬBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et vendibilis) qui non potest facile vendi. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 128. Invendibili merce oportet ultro emptorem adducere.

INVENDĬTUS, a, um, adject. (in *privat.* et venditus) non venditus. *Scævola Dig.* 18. 5. 10. Prædia invendita.

INVĔNĬO, vēnis, vēni, ventum, vēnire, a. 4. (in et venio). *Invenibit* pro *inveniet* antiquum est. *Pomponius* apud *Non.* p. 479. 28. *Merc.* Sæpe annuit, invenibit sæpe. — Part. *Inventus* I., II. 1. 2. et in fin.; *Inventurus* et *Inveniendus* I. 1. — Invenire, quasi *in rem venire*, est reperire; et dicitur de rebus omnibus, quæ vel data opera quæsita, vel casu oblata, quocumque modo comperimus, εὑρίσκω (It. *trovare, ritrovare*; Fr. *rencontrer, trouver, découvrir*; Hisp. *encontrar, topar, descubrir, inventar*; Germ. *finden, treffen, auffinden, antreffen*; Angl. *to find, find out, meet with, discover*).

I.) Proprie. — a) De personis. *Plaut. Amph.* 4. 1. 2. Neque domi, neque in urbe invenio quemquam, qui illum viderit. *Ter. Andr.* 2. 2. 1. Ubi inveniam Pamphilum? *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 12. Inventus est nemo, qui afferret. *Ammian.* 31. 12. Quoscumque accursu veloci invenire potuit. *Nepos Dion.* 8. Quem si invenisset idoneum, facile omnium animos cogniturum etc. Cf. *Phædr.* 3. 2. Quasi inventuri mortuam postridie. et *Virg.* 1. *G.* 184. Inventusque cavis bufo. — Huc pertinent et illa, in quibus *inveniri* significat esse. *Plaut. Capt.* 3. 4. 49. Quia tu te ipse eges in patria, nec tibi, qui vivas, domi est; omnes inveniri similes tibi vis. *Cic.* 1. *Orat.* 2. 8. Quum vix singulis ætatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. *Sueton. Aug.* 94. Reticere ipse genituram suam perseverabat, metu ac pudore, ne minor inveniretur. *Justin.* 10. 1. 6. Ex quinquaginta liberis nemo inventus est, quem aut paterna majestas, aut veneratio senis a tanta immanitate revocaret. *Id.* 6. 2. 14. Queritur inferiorem eum ex parte virium inveniri, qua longe superior sit. — b) De rebus. *Ter. Phorm.* 3. 3. 26. Inventas reddam. *h. e.* inveniam. *farò che sien ritrovate. Cic.* 2. *Divinat.* 7. 15. Qui thesaurum inventum iri (*al. leg.* inveniendum), aut hereditatem venturam dicunt, quid sequuntur? *Cæs.* 3. *B. G.* 5. Naves reliquas paratas ad navigandum atque omnibus rebus instructas invenit. *Ovid.* 1. *Fast.* 556. spelunca Abdita, vix ipsis invenienda feris. *Nepos Hann.* 12. Ipsi si possent, (*Hannibalem*) comprehenderent; locum ubi esset, facile inventuros. *Sueton. Vitell.* 10. Invenire libellos. *Id. Cæs.* 81. Tabula ænea inventa est. *Ammian.* 16. 11. Quidquid extra oppidum potuit inveniri, vastassent. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 1. 1. (1). Pleraque inventu rara ac difficilia. — c) Qui discrimen statuunt inter *invenio* et *reperio*, ut illud de re quæsita, hoc de casu oblata dicatur, frustra sunt. Neque enim quidquam probat, quod multum ex *Ovid.* afferunt 1. *Met.* 654. tu non *inventa reperta* es. Integrum enim sic legi debet; tu non *inventa repertâ Luctus eras levior.* h. e. levius te lugebamus non inventam, postquam reperimus. Deprehendimus enim baculam factam, quæ eras puella. Itaque hic ipse locus satis ostendit promiscue utrumque usurpari. Sic *Cic. Rosc. Am.* 15. 42. Ille, quomodo crimen commenticium confirmaret, non inveniebat: ego res tam leves qua ratione infirmem, reperire non possum. *Quintil.* 5. 10. 116. Hoc reperire, difficilius, quam quum inveneris, argumentis adjuvare. *Plaut. Aulul.* 4. 2. 13. Perscrutabor fanum, si inveniam uspiam aurum: sed si repperero, o Fides!

II.) Translate. ¶ 1. Ponitur pro excogitare, comminisci, *inventare.* — a) Generatim. *Ter. Heaut.* 3. 3. 35. Inveni quamdam nuper fallaciam. *Cic. Dom.* 1. 1. Multa divinitus a majoribus nostris inventa atque instituta sunt. *Virg.* 6. *Æn.* 663. Inventas aut qui vitam excoluere per artes. *Id.* 1. *Ep.* 139. laqueis captare feras et fallere visco Inventum. *Tibull.* 1. 9. 33. At Venus inveniet puero succumbere furtim. *h. e.* inveniet locum, ubi possis furtim etc. *Plin.* 37. *Hist nat.* 12. 75. (197). Inventum est, traducere etc. Et sequente part. *ut*, *Id.* 27. *ibid.* 11. 71. (95). Inventum est, ut eum pisce sumerentur. — b) Specialim, pertinet hoc sensu ad artem rhetoricam, quum excogitamus res veras, aut verisimiles, quæ causam probabilem reddant, ut est apud *Cic.* 1. *Invent.* 7. 9. Sic *Id.* 2. *Orat.* 41. 176. Nequaquam satis est reperire quid dicas, nisi id inventum tractare possis. *Quintil.* 10. 1. 69. Tanta in eo inveniendi copia et eloquendi facultas. ¶ 2. Ponitur et pro cognoscere, comperire, intelligere, atque adeo deprehendere, detegere. *Ter. Phorm.* 5. 3. 34. Gnatam inveni nuptam cum filio tuo. *h. e.* cognovi, intellexi. *Cæs.* 2. *B. G* 16. Inveniebat ex captivis, Sabin flumen ab suis castris non amplius millia passuum decem abesse. *Liv.* 3. 23. *sub fin.* Eodem anno descisse Antiates, apud plerosque auctores invenio. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 21. 25. (50). Invenitur in Annalibus, in Ariminensi agro locutum gallinaceum. *Id.* 14. *ibid.* 13. 14. (89). Invenimus inter exempla, uxorem, quod vinum e dolio bibisset, interfectam fusti a marito etc. *Ter. Eun.* 5. 9. 6. Scis, Pamphilam meam inventam civem? *fu scoperta.* Cf. *Quintil.* 2. 10. 9. Quæ nos, quamlibet per alia in scholis exercitati sumus, tirones in foro inveniant. Rursus *Ter. Hecyr.* 3. 1. 19. Invenire aliquem in culpa. *h. e.* deprehendere. *Cic.* 3. *Cat.* 7. 17. Hæc tanta in rempublicam conjuratio manifesto inventa atque deprehensa est. ¶ 3. Pro scire, aut videre. *Plaut. Most.* 3. 1. 158. Igitur dum accedam hunc, quando quid agam invenero. *Id. Merc.* 2. 1. 28. Hoc quam ad rem credam pertinere somnium, nequeo invenire. *Ter. Eun.* 3. 1. 61. TH. At mihi istuc non in mentem venerat. GN. Ridiculum: non enim cogitaras: ceterum idem hoc tute melius quanto invenisses, Thraso! *Ovid.* 4. *Pont.* 12. 45. Nec quid agam, invenio, nec quid nolimve, velimve. ¶ 4. Pro comparare, acquirere. *Plaut. Merc.* 2. 4. 24. Unde erit argentum, quod des? CHA. Invenietur, exquiretur, aliquid fiet. *Id. Bacch.* 2. 2. 11. Quod ames, paratum est: quod des, invento est opus. *h. e.* invenire oportet. Sic *Ter. Andr.* 2. 1. 34. Si quid potes aut tu, aut hic Byrrhia, facite, invenite, efficite, qui detur tibi. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 43. 45. (140). Pecuniam magnam bono modo invenire. *Plaut. Epid.* 2. 2. 45. Invenire nomen. Sic *Cic.* 1. *Fin.* 7. 23. Eum Torquatum, qui hoc primus cognomen invenit. Adde *Varron.* 2. *R. R.* 4. 1. Similiter *Plaut. Rud. prol.* 27. Invenire gratiam a diis. *Sall. Jug.* 73. gloriam ex culpa. *Sil. It.* 7. 505. salutem fuga. *Liv.* 25. 7. aditum ad obsides. Et in malam partem *Ter. Andr.* 1. 1. 39. infortunium. Sic *Tac.* 1. *Ann.* 74. Perniciem aliis ac postremo sibi invenere. Cf. *eumd. ibid.* 61. Ubi infelici dextera et suo ictu mortem invenerit. ¶ 5. *Non invenire se* dicuntur, qui aliquando eas in se vires aut facultatem non agnoscunt, quam alias habere se probe sciunt, quique quum se putent posse aliquid, in re præsenti nihil possunt. *Seneca* 5. *Benef.* 12. *ad fin.* Felicissimis itaque opulentissimisque plurimum æstus subest, minusque se inveniunt, quo in majorem materiam inciderunt. *Petron. fragm. Tragur.* 47. *Burmann.* Multis jam diebus venter mihi non respondet: nec medici se inveniunt. *si perdono.* et *Ovid. Heroid.* 16. 113. Postquam se dolor invenit, nec pectora plangi, Nec puduit scissis exululare comis. — Hinc a Part. præter. pass., cujus multa supra exempla retulimus,

Inventum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est commentum, res inventa (*V.* INVENIO II. 1.), *invenzione, partito, cosa inventata, ritrovato,* εὕρημα. *Ter. Heaut.* 4. 6. 7. Ut te omnes dii cum istoc invento atque incepto perduint. *Cic. Mur.* 29. 61. Æmuli inventorum Zenonis. *Nepos Chabr.* 1. Sed ex his elucet maxime inventum ejus in prœlio, quod apud Thebas fecit etc. *Virg.* 4. *G.* 283. Memoranda inventa. *Ovid.* 1. *Met.* 521. Inventum medicina meum est. *Id.* 6. *Fast.* 696. Estque sub inventis hæc quoque turba meis. Adde *Liv.* 7. 3.; *Quintil.* 8. *proœm.* 27.; et *Justin.* 2. 6. 5., 13. 7. 10. et 44. 4. 2.

INVENTĀRĬUM, ii, n. 2. (invenio) idem quod repertorium, *inventario*, ἀναγραφή. *Ulp. Dig.* 26. 7. 6. Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgo inventarium appellatur, dolo fecisse videtur. Ex quo colligas, *Ulpiani* temporibus vocem hanc nimus receptam apud doctos fuisse, et *repertorium* elegantius usurpari. *Id. ibid.* 27. 3. 1. Inventaria proferre. et *ibid.* 37. 8. 1. *sub fin.* Inventarium rerum facere. *Scævola ibid.* 26. 7. 56. Ex inventario convenire aliquid.

INVENTĬO, ōnis, f. 3. (invenio) actus inveniendi, *invenzione, ritrovamento,* εὕρεσις, εὕρημα. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 1. *Tusc.* 25. 61. Quid? illa vis quæ tandem est, quæ investigat occulta, quæ inventio atque excogitatio dicitur? *Petron. Satyr.* 88. Chrysippus, ut ad inventionem sufficeret, ter helleboro animum detersit. *Justin.* 3. 2. 7. Lycurgus non habentibus Spartanis leges instituit, non inventione earum magis, quam exemplo clarior. *Plin. Paneg.* 72. *sub fin.* Alia tristium inventio, alia gaudentium. *h. e.* alia sunt, quæ a tristibus inveniuntur, alia, quæ a gaudentibus. *Priscian.* 1. p. 534. *Putsch.* Nihil ex omni parte perfectum in humanis esse credo posse inventionibus. ¶ 2. Specialiam *inventio* est pars officii oratorii. *Cic.* 1. *Invent.* 7. 9. et 1. *Herenn.* 2. 3. Inventio est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ causam probabilem reddant. *Quintil.* 12. 10. 36. Quo minus adjuvat sermo, rerum inventione pugnandum est. *Justin.* 9. 8. 10. Ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deesset ornatus. *h. e.* rerum inventarum.

INVENTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* ab inventio, parva inventio, *invenzioncina. Quintil.* 8. 5. 22. Ad hoc plerique minimis etiam inventiunculis gaudent.

INVENTOR, ōris, m. 3. (invenio) qui quippiam primus invenit, *inventore,* εὑρετής. *Ennius* apud *Charis.* 2. p. 214. *Putsch.* His erat in ora Bromius, his Bacchus pater, Illis Lyæus vitis inventor sacræ. *Ter. Eun.* 5. 9. 5. O omnium voluptatum omnium inventor, inceptor, perfector. *Lucret.* 3. 9. Tu, pater, es rerum inventor. *Cic.* 3. *Nat. D.* 18. 45. Aristæus, qui olivæ dicitur inventor. *Id.* 1. *Fin.* 10. 32. Ille inventor veritatis et quasi architectus beatæ vitæ. *Id.* 1. *Orat.* 11. 47. Harum disputationum inventor, et princeps omnium in dicendo gravissimus et eloquentissimus, Plato. *Id.* 3. *Fin.* 2. 5. Novorum verborum inventor. *Cæs.* 6. *B. G.* 16. Galli Mercurium omnium artium inventorem ferunt. *Liv.* 2. 56. Inventor legis. *Virg.* 2. *Æn.* 164. scelerumque inventor Ulysses. *Stat.* 1. *Silv.* 1. 78. auctor ego inventorque salutis. — *Inventor* cognominatus est Juppiter ab Hercule ob inventas boves, quas Cacus abduxerat, apud *Solin.* 1. *sub init.*; et in *Inscript.* apud *Gud.* 2. 7. Juppiter *inventor* dicitur quod Trajano Decebali Daciæ regis victori ejusdem thesauros in flumine Sargetia absconditos

indicaverit. — *Stoicorum inventor* est *il fondatore*, apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 42. 131. Honestum Zeno statuit finem esse bonorum; qui inventor et princeps Stoicorum fuit.

INVENTRIX, icis, f. 3. (invenio) quæ invenit, *inventrice*, εὑρέτρια. *Cic.* 1. *Orat.* 4. 13. Atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas. *Id.* 3. *Nat. D.* 21. 53. Qui genuisse Minervam dicitur, quam principem et inventricem belli ferunt. *Id.* 5. *Tusc.* 2. 5. Tu (*philosophia*) inventrix legum, tu magistra morum et disciplinæ fuisti. *Virg.* 1. *G.* 18. oleæque Minerva inventrix. *Ovid.* 6. *Fast.* 709. carminis inventrix.

INVENTUM, i, n. 2. *V.* INVENIO in fin.

INVENTUS, a, um. *V.* INVENIO.

INVENTUS, us. m. 4. (invenio) idem atque inventio. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 10. 13. (68). Ex eodem inventu est surculos abietinos serere. *Al.* et *ipse Sillig. leg.* inventum. *Id. ibid.* 21. 35. (162). Inventu novitio finditur malleolus etc.

INVĚNUSTĒ, adverb. (invenustus) illepide, inepte, *senza grazia*, ἀμούσως, ἀχαρίστως. *Quintil.* 1. 6. 27. Quare mihi non invenuste dici videtur. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 84. Non invenuste ait. *Gell.* 17. 12. Inibi in eisdem laudibus non hercle hac sententiola invenusta lusit. *Apul. de Mundo.* Qui in ligneolis hominum figuris gestum movent, quando filum traxerint. torquebitur cervix, nutabit caput etc., nec invenuste totus videbitur vivere.

INVĚNUSTUS, a, um, adject. (in *privat.* et venustus). ¶ 1. Proprie est sine Venere (ut ait *Donatus* ad *Terentii* loc. cit. in § 2.), id est sine gratia, atque adeo illepidus. *Catull.* 10. 3. scortillum Non sane illepidum, nec invenustum. *Colum.* 5. *R. R.* 6. 37. Arbustum invenustum. *Cic. Brut.* 67. 237. Non invenustus actor, sed iners et inimicus furi. *Catull.* 12. 5. Sordida res et invenusta. ¶ 2. Item significat eum, cui amores male procedunt, ἀναφρόδιτος; atque hinc sumitur pro infelici. *Ter. Andr.* 1. 5. 10. Adeone hominem esse invenustum, aut infelicem quemquam, ut ego sum? Ubi *Donatus*: Invenustus, cui displicens objicitur: infelix, cui placens negatur.

INVĚRĚCUNDĒ, adverb. (inverecundus). Comp. *Inverecundius* 1. — Inverecunde ¶ 1. Generatim est impudenter, *senza verecondia, sfacciatamente*, ἀναισχύντως. *Seneca Ep.* 114. Aliqua ætas fuerit, quæ translationis jure uteretur inverecunde. *Quintil.* 7. 4. 10. Non inverecunde dicet. *Ulp. Dig.* 3. 1. *ante med.* Inverecunde postulans et magistratum inquietans. *Hieronym. Ep.* 128. n. 2. Cum quo multo inverecundius, quam cum merito, egisti. Adde *Augustin. Ep.* 52. ¶ 2. Speciatim est sine reverentia diis debita, *senza il rispetto dovuto agli dei. Ammian.* 27. 9. *sub fin.* Discrevit ab ædibus sacris privatorum parietes, iisdem inverecunde connexos.

INVĚRĚCUNDĬA, æ, f. 1. (inverecundus) impudentia, *sfacciataggine*, ἀναισχυντία. *Capitolin. Pertin.* 9. Alimentaria compendia, quæ novem annorum ex instituto Trajani debebantur, obdurata verecundia (*corrige* inverecundia) sustulit. *Arnob.* 4. 34. Obduratus inverecundia. *Tertull. Pœnit.* 6. *in fin.* Præsumptio portio inverecundiæ est. Adde *eumd. Apolog.* 7. Sic *Cassiod.* 1. *Variar.* 10. Nonne, si a magnis viris talia fugiantur inverecundia nostræ mansuetudinis, quamdam repulsam suscipiunt dignitates?

INVĚRĚCUNDĬTER, adverb. idem atque inverecunde. V. *Pomponii loc. cit.* in SCALPO.

INVĚRĚCUNDUS, a, um, adject. (in *privat.* et verecundus). Tertiam syllabam licenter corripit *Venant.* 1. de *Vit. S. Martin.* 393. Irruit in medios clamoribus inverecundus. — Comp. *Inverecundior* et Sup. *Inverecundissimus.* — Inverecundus est impudens, omnis verecundiæ expers, *senza vergogna, sfacciato, sfrontato*, ἀναιδής. *Plaut. Rud.* 3. 2. 43. Legirupa, impudens, impurus, inverecundissimus. *Cic.* 1. *Invent.* 45. 83. Sin inverecundum animi ingenium possidet etc. *Sall.* apud *Sueton. Gramm.* 15. Os probrum, animus inverecundus. *Dörgenius* ita legit: *Forcellinus* habet *improbum. Quintil.* 2. 4. 16. Inverecunda frons. *Val. Max.* 7. 7. n. 1. Quid enim illis inverecundius? *Paul. Dig.* 32. 1. 23. Ex imperfecto testamento legata vindicare, inverecundum est. — *Inverecundus deus* apud *Horat. Epod.* 11. 13. est Bacchus, quia in vino verecundiam abjicimus. — *Inverecunda tunica* dicitur a *Tertull. Pall.* 1. quæ intra genua stat, *h. e.* quæ non producitur ultra genua.

INVERGO, vergis. vergere, a. 3. (in et vergo). Part. *Invergens.* — Invergere est invertere fundendi gratia, *rinversare, rovesciare, versar sopra*, ἐπιχέω. *Plaut. Curc.* 1. 2. 12. Invergere in me liquores tuos sine ductim. *Virg.* 6. *Æn.* 244. frontique invergit vina sacerdos. Ubi *Servius*: Vergere est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur: quod in infernis sacris fit. *Ovid.* 7. *Met.* 247. invergens tepidi carchesia lactis. *Val. Flacc.* 2. 611. pelago vina invergens, dea talibus infit.

INVERSĬO, ōnis, f. 3. (inverto) actus invertendi. Occurrit translate tantum apud Rhetores; et — *a*) *Cic.* 2. *Orat.* 65. 261. *ironiam* appellat *inversionem*, quia invertitur verborum sensus, dum aliud dicimus, aliud significamus. — *b*) Propter eamdem causam *Quintil.* 8. 6. 44. τὴν ἀλληγορίαν interpretatur *inversionem.* — *c*) Similiter inter sententiarum figuras enumeratur a *Capell.* 5. p. 145. etiam inversio, quæ fit, quum, ut ipse ait, primam illam quæstionem tractamus, quæ secunda est, dehinc primam.

INVERSOR, āris, ari, dep. 1. (in *et* versor) in aliqua re versari. *Lucilius* apud *Lactant.* 6. 5. Queis inversamur, queis vivimu' rebus adesse. *Nisi forte divisim sit legendum* Queis in versamur.

INVERSŪRA, æ, f. 1. (inverto) flexus, *piegatura, volta. Vitruv.* 5. 3. Aditus directus et sine inversuris.

INVERSUM, adverb. *V.* INVERTO in fin.

INVERSUS, a, um. *V.* INVERTO.

INVERTĬBILIS, e, adject. (inverto) qui verti non potest. *Fragm. W. Arianor. Vatican.* apud *A. Maium* in *Scriptor. vet. N. Collect. T.* 3. p. 216. Deus est, et Filius Dei unigenitus natura, voluntate Dei et patris sui verus invertibilis. *V.* IMPARTIBILIS.

INVERTO, vertis, verti, versus, vertere, a. 3. (in et verto). Part. *Inversus* I. et II.; *Invertendus* II. — Invertere est in contrariam partem vertere, pervertere, immutare, ἀναστρέφω (It. *rivoltare, rovesciare, stravolgere*; Fr. *retourner, renverser, mettre sens dessus dessous*; Hisp. *volver, trastornar, revolver*; Germ. *umwenden, umkehren, umdrehen*; Angl. *to turn upside down, turn the contrary way, invert, pervert, alter, change*).

I.) Proprie. *Invertere terram* est arare, quia tunc in solem glebæ vertuntur. *Virg.* 1. *G.* 64. Pingue solum fortes invertant tauri. *et* 3. *ibid.* 525. Vomere terras invertere. *et ibid.* 161. campum fractis glebis. — *Horat. Epod.* 2. 63. Videre fessos vomerem inversum boves Collo trahentes languido. *Sall. Jug.* 21. Alveos navium inversos pro tuguriis habere. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 25. 54. (121). Inversa manus. *volta all'ingiù*, cui *supina* opponitur. *Id.* 2. *ibid.* 10. 7. (47). Figura umbræ terræ similis metæ ac, turbini inverso. *Id.* 32. *ibid.* 10. 48. (138). Inversa rana. *Id.* 9. *ibid.* 30. 48. (91). Si polypus invertatur, elanguescit vis. *Id.* 13. *ibid.* 17. 18. (61). Inversa vasa. *Id.* 19. *ibid.* 8. 47. (159). Inversos ramos serere. *Juvenal.* 14. 187. Inversæ pelles. *col pelo all'indentro. Martial.* 4. 87. Inversa charta. *h. e.* aversa, seu ab ea parte, qua scripta non est: in tergo, inquit *Juvenal.* 1. 6. *Virg.* 11. *Æn.* 202. nox humida invertit cælum. Ubi *Servius*: ut ea pars, quæ noctem haberet, sub terra esset. *Scribon. Compos.* 36. et 37. Invertere palpebram. *h. e.* torquere, *torcere.* Similiter *Apul.* 3. *Florid.* talum. Contra *Lucan.* 6. 390. Boreas invertit ornos. *Horat.* 2. *Sat.* 8. 39. Invertunt Allifanis vinaria tota. *vuotano. Id. Epod.* 10. 5. Invertere mare. *sconvolgere. Sil. It.* 16. 569. serva albentes invertere lanas Murice Gætulo docta. *tramutare di bianche in porporine.*

II.) Translate. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 36. Inversus annus. *h. e.* revolutus ad suum principium: quod fit Januario mense. *quum se verterit annus* dixit *Juvenal.* 7. 242. Ceterum *Cic. Partit. orat.* 7. 24. Ut quum semel dictum sit directe, invertatur ordo, et idem quasi sursum versus retroque dicatur. *Horat.* 3. *Od.* 5. 7. Pro curia inversique mores! *h. e.* in pejus versi. *Quintil.* 3. 9. 9. Inversa consuetudo. *Propert.* 1. 15. 30. Inversæ sunt vices. *Val. Flacc.* 3. 646. potioribus ille Deteriora fovens, semperque inversa tueri Durus. *ostinato a difendere le cose strane e stravolte. Horat.* 1. *Sat.* 3. 55. At nos virtutes ipsas invertimus. *h. e.* male interpretamur. *Lucret.* 1. 643. Inversa verba. *h. e.* translata, in alium a proprio sensum detorta, atque adeo obscura. Sic *Apul. de Mag.* Voluntatem meam inversis verbis periclitabundus etc. *Terent.* quoque *inversa verba* dixit *Heaut.* 2. 3. 131. præpostere atque inversis syllabis pronunciata ab amatoribus, quæ solæ amicæ intelligunt, non item ceteri, qui forte adsunt. Simile est, quod nos dicimus *gergo.* In illo *Tac.* 15. *Ann.* 63. de *Seneca moriente*: Advocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quæ in vulgus edita ejus verbis, invertere supersedeo. *invertere* est sententias aliis verbis exprimere. Est tamen qui mallet *innectere. Cic. Harusp resp.* 24. 52. Videant ii, quam se cito inverterit. *si sia mutato. Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 59. 154. Vertumnus deus invertendarum rerum est, id est mercaturæ. *h. e.* permutandarum. Apud *Cic.* 3. *Q. fr.* 2. Nisi noster Pompejus, diis hominibusque invitis, negotium inverterit. *plerique leg.* everterit. — Hinc a Part. præter. pass., cujus multa exempla retulimus,

Inversum, adverbii more. *Solin.* 8. Surculis inversum superpositis.

INVESPĔRASCIT, ebat, ere, impers. 3. (in et vesperascit) vesper fit, *farsi sera*, ἑσπεράζει. *Liv.* 39. 50. Jam invesperascebat.

INVESTĪGĀBĬLIS, e, adject. duo diversa significat, prout est *A*) Ab *investigo*; aut *B*) Ab *in* privat. et *vestigo.*

A) Investigabilis a verbo *investigare* est qui investigari potest. Translate *Tertull. in Hermog.* 43. *extr.* Quæ nec inveniri, nec investigari, nisi a solo Deo possent: alioqui investigabilia, si etc. *Lactant.* 3. 27. Res non investigabiles quærere. *Al. leg.* vestigabiles.

B) Investigabilis ab *in* privat. et *vestigo* est qui vestigari nequit.

I.) Proprie. *Vulgat. interpr. Prov.* 5. 6. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus et investigabiles.

II.) Translate. *Vulgat. interpr. Rom.* 11. 33. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! *et Ephes.* 3. 8. In gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi.

INVESTĪGĀTĬO, ōnis, f. 3. (investigo) translate tantum occurrit, et est indagatio, inquisitio, *ricerca, perquisizione, scoprimento*, ἐξιχνιασμός. *Cic.* 5. *Fin.* 4. 10. Qua ex cognitione facilior facta est investigatio rerum occultissimarum. *Id.* 1. *Off.* 4. 13. Veri inquisitio atque investigatio.

INVESTĪGĀTOR, ōris, m. 3. (investigo) translate est inquisitor, *investigatore, ricercatore e scopritore*, ἀνιχνευτής. *Cic. Tim.* 1. Acer investigator et diligens earum rerum, quæ natura involutæ videntur. *Id. Sull.* 30. 85. Conjurationis investigator atque ultor. Adde *eumd. Brut.* 15. 60.

INVESTĪGĀTRIX, icis, f. 3. (investigo) quæ investigat; et translate quæ inquirit, *investigatrice*, ut apud *Capell.* 5. p. 141. Investigatrix comprehensio.

INVESTĪGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INVESTĪGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et vestigo). *Investigandum* pro *investigandorum* dixit *Pacuvius* apud *Non.* p. 495. 27. *Merc.* — Part. *Investigatus* II. 1. et 2.; *Investigandus* apud *Pacuvium* loc. cit. — Investigare est per vestigia quærere, vestigiis insequi et deprehendere; pertinetque ad rem venatoriam, ἐξιχνεύω (It. *rintracciare, investigare, scoprire cercando*; Fr. *suivre la piste, rechercher avec soin, découvrir*; Hisp. *seguir la pista, rebuscar, descubrir*; Germ. *aus-, nachspüren, erforschen, erfahren, untersuchen*; Angl. *to trace or find out by the prints of the feet, or by the smell, to track, scent*).

I.) Proprie de re venatoria. *Cic.* 2. *Nat. D.* 63. 158. Canum tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium. Cf. eumd. 6. *Verr.* 21. 47. Immittebantur illi continuo Cibyratici canes, qui investigabant et perscrutabantur omnia.

II.) Translate. ¶ 1. Universim est inquirere, perquirere, indagare. *Q. Cic. Petit.* cons. 8. 31. Perquirere et investigare homines. *Cic.* 12. *Att.* 17. Ut investiges ex compensorum tabulis, sit ne ita. ¶ 2. Item reperire, deprehendere, *trovare, scopri-*

re. *Plaut. Rud.* 5. 2. 52. Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi, cum auro atque argento salvum investigavero, isque in potestatem meam pervenerit. *Curt.* 8. 4. 13. Tecta barbarorum, quæ in ultimo saltu abdita, necessitas investigaverat. *Rutil.* 1. *Itiner.* 255. flagrantis tauros, investigato fonte, lavacra dedit. *Plaut. Merc.* 4. 5. 4. Nihil investigo quidquam de illa muliere. *Ter. Heaut.* 4. 2. 8. Nihil tam difficile est, quin quærendo investigari possiet. *Cic.* 9. *Att.* 1. Ubi Lentulus sit, investigare non possum. *Id. Ligar.* 1. 1. Diligentia inimici investigatum est, quod latebat. Cf. *Ovid.* 15. *Met.* 146. Magna, nec ingeniis investigata priorum, Quæque diu latuere, canam. *Al. leg.* evestigata. *Plaut. Aulul.* 4. 9. 4. Equidem quo eam, aut ubi sim, aut qui sim, nequeo cum animo certum investigare. *Cic.* 2. *Verr.* 16. 48. Habeo certam viam atque rationem, qua omnes illorum conatus investigare et consequi possim. *Sueton. Cæs.* 56. Quæ (*scripta*) si quis investigare et persequi vellet, quartam elementorum litteram, id est *d* pro *a*, et perinde reliquas commutet.

INVESTĬO, vestis, vestivi, vestitum, vestire, a. 4. (in *et* vestio). Part. *Investitus* I. et II. — Investire est veste tegere, *vestire, coprire con la veste.*

I.) Proprie. *Prudent.* 2. *in Symmach.* 38. Nec tumidas fluitante sinu investita papillas. *Al. leg.* vestita.

II.) Translate est universim tegere. *Ennius* apud *Festum* p. 333. 13. *Müll.* Scrupeo investita saxo. *V.* SCRUPEUS. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 7. 33. (32). Publicas porticus investivit pictura. *h. e.* tabulis pictis ornavit: *V. Cic. loc. cit.* in VESTIO II.; at *Sillig.* apud *Plin.* legit *occupavit.* — Non est imitandum illud *Mæcenatis* apud *Senec. Ep.* 114. Focum mater, aut uxor investiunt. *h. e.* circumsident, cingunt: vel, ut alii minus recte interpretantur, veste obducta tegunt. V. *Lips.* in *hunc locum.*

INVESTIS, e, adject. (in *privat. et* vestis) sine veste, nudus, *senza veste, nudo,* ἀχίτων.

I.) Proprie. *Tertull. Pall.* 3. Homo nudus certe et investis figulo suo constitit.

II.) Figurate. ¶ 1. Est imberbis, impubes, qui necdum pubertate vestitus est, *sbarbato,* ἄνηβος. *Paul. Diac.* p. 368. 9. *Müll.* Investis puer, qui necdum pubertate vestitus est. *Macrob.* 3. *Saturn.* 8. Romani pueros et puellas nobiles et investes, camillos et camillas appellant, flaminicarum et flaminum præministros. *Pallad.* 11. *R. R.* 14. 16. Ut quoties vinum movetur, investis puer hoc, aut aliquis satis purus efficiat. Adde *eumd.* 8 *ibid.* 7.; *Apul.* 5. *Met.* et *de Mag.*; at *Theod. Priscian.* 1. 10. ¶ 2. Item quia impuberes Venerem nesciunt, investis accipitur etiam pro eo, qui Venerem expertus non est, ἄφθορος. Minus placet *Non.*, qui p. 45. 30. *Merc.* scripsit, investem dici quasi in *Vesta*, hoc est pudicitia, seu castitate, quam amat Vesta, cujus nempe virginibus nubere non licebat. Igitur idem est *mas investis* et *mas virgo.* Sed tamen *virgo* proprie de muliebri sexu dicitur, *investis* de virili. *Tertull. Virg. veland.* 8. Si virgo mulier non est, nec vir investis est. Si non operitur virgo, quia mulier non sit, operiatur investis, quia vir non sit. *Id. ibid.* 11. *extr.* Mater familiæ vocatur licet virgo, et pater familiæ licet investis. Hinc *Id. ibid. paullo supra de virgine.* Pudor ubique vestitur, et menses tributa dependunt. ¶ 3. Translate est spoliatus, privatus. *Tertull.* 2. *ad uxor.* 9. Ac ideo sit investis dotalibus, cui Deus censum suum credidit.

INVESTĪTUS, a, um. *V.* INVESTIO.

INVĔTĔRASCO, ascis, āvi, ascere, n. 3. (in *et* veterasco). Alia forma *Inveteresco,* legitur in *Inscript.*, quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CXXXVI. in *Atti dell' Accad. Rom. archeol. T.* 2. p. 46. *lin.* 17. ITAQVE BENE CONFVGIENDO VNIVERSI CONSENTIRE DEBEMVS, VT LONGO TEMPORE INVETERESCERE POSSIMVS. — Præteritum *inveteravi* a *Forcellino* refertur ad verbum *Invetero:* sed quia fere neutrorum more usurpatum occurrit, huc nobis referendum videtur. — Inveterascere est vetustatem acquirere, περιγηράσκω (It. *invecchiarsi, invecchiare*; Fr. *devenir ancien, s'enraciner, s'invétérer*; Hisp. *inveterarse, antiquarse, arraygarse*; Germ. *alt werden, veralten*; Angl. *to grow old, continue long*).

I.) Proprie. *Ter. Hecyr. prol. alt.* 4. Novas (*fabulas*) qui exactas feci, ut inveterascerent. *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 40. Nihil inveterascere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata consistit. *Al. leg.* interarescere. *Cæs.* 2. *B. G.* 1. Populi Romani exercitum hiemare atque inveterascere in Gallia moleste ferebant. Sic *Id.* 1. *B. C.* 44. Quod (*genus pugnæ*) fere fit quibus quisque in locis miles inveteravit, uti multum earum regionum consuetudine moveatur. *h. e.* quibus in locis diutius quisque remansit. *Id.* 3. *ibid.* 110. Inveteraverant hi equites bellis. *Nepos Att.* 2. Neque indulgendo inveterascere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere. *Tac.* 11. *Ann.* 24. *extr.* Omnia, quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere. – Inveterascet hoc quoque, et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 12. 26. (44). Nardo color si inveteraverit, nigriori melior.

II.) Translate, h. e. metaleptice sumitur pro invalescere, confirmari, tum in bonam, tum in malam partem. *Cic.* 3. *Cat.* 11. 26. Res nostræ litterarum monumentis inveterascent et corroborabuntur. *Id. Sull.* 8. 24. Si tibi nos peregrini videmur, quorum jam et nomen et honos inveteravit et huic urbi et hominum famæ ac sermonibus. *Cæs.* 5. *B. G.* 40. Ut hanc inveterascere consuetudinem nolint. *Cic.* 2. *Verr.* 1. 1. Inveteravit jam opinio perniciosa reipublicæ, nobisque periculosa. *Id. pro leg. Manil.* 3. 7. Illa macula, quæ penitus jam insedit atque inveteravit in populi Romani nomine. *Id.* 11. *Fam.* 3. Spes reliqua est in novis tribunis plebis, et in primis quidem diebus: nam si inveteravit, actum est. *Id.* 3. *Tusc.* 15. 32. Sive illa (*mala*) ante provisa et exspectata sint, sive inveteraverint. Sic *Cels.* 3. 13. Si malum inveteravit, nonnisi magna mole discutitur. *Id. ibid.* Si res inveteraverit. *Scribon. Compos.* 5. Dolor inveteravit. Hinc *Lucret.* 4. 1060. Ulcus enim vivescit et inveterascit alendo. — Absolute impersonaliter, sequente *ut. Cic.* 2. *Off.* 16. 57. Intelligo in nostra civitate inveterasse jam bonis temporibus, ut splendor ædilitatum ab optimis viris postuletur. *essere stato costume antico, che etc.*

INVĔTĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (invetero) vetustas, antiquitas, *invecchiamento,* παλαιότης. Translate *Cic.* 4. *Tusc.* 37. 81. Inveteratio autem ut in corporibus ægrius depellitur, quam perturbatio. *h. e.* morbus qui inveteravit.

INVĔTĔRĀTOR, ōris, m. 3. (invetero) translate occurrit et est idem ac veterator, deceptor. *Cassiod. Complex. Apocal.* 17. Illos inveterator majorum persequi non desinit. *scil.* diabolus.

INVĔTĔRĀTUS, a, um. *V.* INVETERO.

INVĔTĔRESCO. *V.* INVETERASCO init.

INVĔTĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* vetero). De præterito *inveteravi V.* INVETERASCO init. — Part. *Inveteratus* I. et in fin. — Inveterare est ad vetustatem servare, curare, ut aliquid vetus fiat (It. *far invecchiare, serbare*; Fr. *laisser invétérer, laisser enraciner, garder, conserver*; Hisp. *dexar inveterarse, guardar, conservar*; Germ. *alt werden lassen, altern lassen*; Angl. *to keep until it be old or stale, preserve or keep for a long time, preserve fresh*).

I.) Proprie. — *a*) Active forma. *Colum.* 12. *R. R.* 12. 3. Quibus curæ non fuit inveterare aquam cælestem, recentem sumunt. *Plin.* 19. *Hist. nat.* 6. 31. (115). Si diutius allium cæpamque inveterare libeat, aqua salsa tepida ungenda sunt. *Id.* 23. *ibid.* 2. 29. (60). Aquæ marinæ sextarios pariter coquebant, atque ita diffundebant inveterabantque. — Sic de abstractis. *Curt.* 10. 3. 12. Inveteravi peregrinam novitatem. *h. e.* quasi veterem et consuetam reddidi. — *b*) Passive *inveterari* est vetus fieri et ætatem ferre, *invecchiare, durare. Plin.* 31. *Hist. nat.* 10. 36. (11). Ad ea, quæ inveterari volunt, nitro utuntur. *Id.* 28. *ibid.* 9. 37. (135). Adeps inveteratur duobus modis, aut cum sale, aut sincerus. *Id.* 19. *ibid.* 4. 19. (53). Inveterari vina, saccisque castrari. — *c*) Hinc Part. præter. pass. *Inveteratus* est antiquus, *invecchiato, vecchio,* κεπαλαιωμένος. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 2. 4. (31). Inveteratum vinum. — Et sæpius de abstractis. *Cic.* 5. *Phil.* 11. 31. Omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius. *Id. Senect.* 20. 72. Conglutinatio recens ægre, inveterata facile dissolvitur. *Id.* 3. *Fam.* 9. *a med.* Pro nostra non instituta, sed jam inveterata amicitia. *Id.* 2. *Off.* 17. 58. Inveterata invidia. *Nepos Timol.* 1. servitus. *Id. Eumen.* 8. licentia et gloria. *Curt.* 3. 10. 6. Macedones inveteratæ virtutis admonebantur. Adde *Sueton. Ner.* 16.; et *Aurel. Vict. Epit.* 13.

II.) Translate est abolere, antiquare. *Lactant.* 2. 16. *in fin.* Hac versutia et his artibus notitiam veri Dei apud omnes inveteraverunt. — Hinc a Part. præter. pass.

Inveteratum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est id quod antiquum est, ac diuturnitate temporis invaluit. *Seneca Consol. ad Marc.* 1. Leviore medicinā fuisset oriens adhuc restinguenda vis: vehementius contra inveterata pugnandum est.

INVĔTĪTUS, a, um, adject. (in *privat. et* vetitus) non vetitus, *non proibito. Sil. It.* 2. 441. It liber campis pastor, cui fine sine ullo Invetitum saltus penetrat pecus.

INVĬĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* via) invius. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 38. Agminibus militaribus inviabiles aditus. *Id. ibid.* 61. Palus aspera satis, et inviabilis præ rigore.

INVĬCEM, adverb. quod pro *in vicem*; hinc sæpe dividitur per tmesin, interjecto verbo. *Stat.* 2. *Theb.* 149. Inque vicem dextras junxere. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 817.; *Virg.* 4. *G.* 166. et 12. *Æn.* 502.; et *Ovid.* 6. *Met.* 631.; 9. *ibid.* 524., *Heroid.* 17. 180. et 3. *Pont.* 2. 86. — Invicem ¶ 1. Stricto sensu est alternis, vicissim, per vices, in vicem alterius altero succedente et paria paribus reponente, ἀλλήλοις, πρὸς ἀλλήλους (It. *a vicenda, in luogo, vicendevolmente*; Fr. *alternativement, tour à tour, successivement*; Hisp. *alternativamente, el uno despues del otro, sucesivamente*; Germ. *abwechselnd, wechselsweise*; Angl. *by turns, one after another, alternately*). *Cæs.* 4. *B. G.* 1. Quotannis singula millia armatorum suis ex finibus educunt: reliqui domi manent, pro se atque illis colunt. Hi rursus invicem anno post in armis sunt: illi domi remanent. *Id.* 7. *ibid.* 85. Defatigatis invicem integri succedunt. *Auct. B. Afr.* 70. Equitatu suo extremo agmine remoto, legiones invicem ad extremum agmen evocabat. *Liv.* 2. 57. Quum timor atque ira invicem sententias variassent. *Id. ibid.* 44. *extr.* Multis invicem casibus victi victoresque. *Id.* 28. 44. Requiescat Italia, vastetur invicem Africa. *Curt.* 7. 7. 32. Equi binos armatos vehunt, quorum invicem singuli repente desiliunt. *Id.* 3. 8. 8. Regio, invicem a suis atque hoste vexata, non suffectura alimenta. *Id.* 4. 11. 21. Modo Græcis ultro bellum inferebamus; nunc in sedibus nostris propulsamus illatum: jactamur invicem varietate fortunæ. *Id.* 8. 3. 11. Variæ cogitationes invicem animum commoverant. *Colum.* 4. *R. R.* 26. 2. Pedamenta submovenda, quæ curiosa sunt; eorumque invicem idonea reponenda. (Al. divisim leg. in vicem: quod fere fit quum casum regit). *Cels.* 3. 2. *a med.* Bibenda aqua: postero die etiam vinum: deinde invicem alternis diebus modo aqua, modo vinum. ¶ 2. Latiori sensu est mutuo inter se, contra, *scambievolmente. Plin.* 7. *Ep.* 20. *extr.* Ut invicem ardentius diligamus. *Tiberius* apud *Sueton. Tib.* 25. Invicem odisse. *Justin.* 8. 3. 14. Fratres duo invicem metuentes ne etc. *Id.* 13. 2. 2. Invicem se timere. *Id.* 11. 9. 13. Mater et uxor invicem se amplexæ. *Phædr.* 3. 8. Invicem salutare. *Plin.* 3. *Ep.* 7. Invicem se mutuis exhortationibus exacuere. *Curt.* 4. 5. 9. Reges hæc invicem scripserant. *Justin.* 2. 10. 10. Invicem munera mittere. *Quintil.* 9. 4. 129. Ut homines, qui manibus invicem apprehensis gradum firmant, continent et continentur. *Cic.* 5. *Att.* 10. *in fin.* Et tamen propter vicinitatem totos dies simul eramus invicem. *ora io da lui, ora egli da me.* Al. leg. *eramus juncti. Quintil.* 3. 10. 4. Litigatores idem crimen invicem intentant. *l'uno all'altro. Curt.* 6. 1. 10. Clamore invicem suos accendebant. *da una parte e dall'altra.* Sic *Id.* 6. 7. 19. Multoque invicem sermone consumpto. *Sueton. Aug.* 66. Exegit et ipse invicem ab amicis benevolentiam mutuam. *Quintil.* 1. 4. 10. O atque U permutatæ invicem. *l'una nell'altra. Id.* 4. 1. 13. Hæc invicem obstant. *Tac.* 3. *Hist.* 46. Cuncta invicem hostilia. *h. e.* ultro citroque: *da una parte e dall'altra.* — *Ad invicem*, instar, *a guisa.* Est *Veget.* 2. *Veterin.* 7. *extr.* et *Apul. Herb.* 111., sed non imitandi. — ININVICEM et SUBINVICEM V. suo loco.

INVICTĒ, adverb. (invictus). Sup. *Invictissime.*

— Invicte est ita ut vinci seu refutari nequeat. *Augustin. Ep.* 28. *ad fin.* Ut abs te liquidissime atque invictissime defendatur. *h. e.* ita ut tuam defensionem evertere nemo possit. *incontrastabilissimamente.* Adde *Symmach.* 10. *Ep.* 78.

INVICTRIX, icis, f. 3. (invictus) invicta. *Inscript.* incertæ auctoritatis apud *Gruter.* 1065. 6. INVICTRICIS FORTVNAE FILIVS. *Reines.* legit *victricis.*

INVICTUS, a, um, adject. (in privat. et victus). Comp. *Invictior* et Sup. *Invictissimus* et *Invictissumus.* — Invictus est qui victus non est, aut qui vinci non potest, ἀνίκητος (It. *invitto, non vinto;* Fr. *qui n'a pas été vaincu, invaincu;* Hisp. *no vencido, invencido;* Germ. *unbesiegt, unbesiegbar, unüberwindlich, unbezwinglich;* Angl. *unconquered, unsubdued*). Occurrit — *a*) Cum Ablativo et præpos. *ab. Cic.* 1. *Off.* 20. 68. Invictum se a labore præstare. *indefesso. Liv.* 22. 26. Invictus a civibus hostibusque animus. *Id.* 39. 40. Invictus a cupiditatibus animus. — *b*) Cum Ablativo et præpos. *in. Plin.* 19. *Hist. nat.* 2. 8. (29). Spartum in aquis marique invictum. *incorruttibile.* Huc fortasse pertinet et illud *Sueton. Cæs.* 59. Ad eludendas autem vaticinationes, quibus felix et invictum in ea provincia (*Africa*) fataliter Scipionum nomen ferebatur etc. — *c*) Cum Accusativo et præpos. *ad. Ovid.* 12. *Met.* 167. invictum ad vulnera corpus. *invulnerabile. Liv.* 9. 16. Ipse invicti ad laborem corporis erat. — *d*) Cum Accusativo et præpos. *contra. Plin.* 8. *Hist. nat.* 25. 37. (89). Crocodilus contra omnes ictus cute invicta. *impenetrabile.* — *e*) Cum Accusativo et præpos. *adversum. Sall. Jug.* 47. Adversum divitias invictum animum gerebat. Sic *Tac.* 15. *Ann.* 21. Invictus adversum gratiam animus. — *f*) Cum Accusativo et præpos. *in. Justin.* 12. 15. 3. In hostem et in mortem invictus animus. — *g*) Cum Ablativo sine præpos. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 94. Luxuries Hannibalem, armis invictum, voluptate vicit. *Ovid.* 7. *Met.* 792. ambo invicti certamine cursus. *Sall. fragm.* 6. *Hist.* 59. Imperium vetustate invictum. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 16. 15. (70). Dentes invicti ignibus. Cf. *eumd.* 20. *ibid. proœm.* (2). Adamas infragilis omni cetera vi et invictus. Adde *Ovid.* 4. *Pont.* 12. 32. — *h*) Cum Genitivo et Infinito. *Sil. It.* 3. 326. Cantaber hiemisque æstusque famisque Invictus, palmamque ex omni ferre labore. *Tac.* 1. *Ann.* 20. Invictus operis ac laboris. *indefesso.* Al. melius leg. *vetus.* — *i*) Absolute. — De hominibus et animo. *Cic. Marcell.* 4. 12. Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriæ conditio visque devicta est. *Id.* 6. *Verr.* 38. 82. Invictissimus imperator. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 44. Invictus dux. *Nepos Epam.* 9. Renunciatum est, vicisse Bœotios. Id postquam audivit: Satis, inquit, vixi. invictus enim morior. *Id. Hann.* 6. Invictus Hannibal. *Virg.* 12. *Æn.* 191. Invictæ gentes. *Cic.* 1. *Off.* 5. 14. Animi excelsi atque invicti magnitudo ac robur. *Horat. Art. P.* 123. Sit Medea ferox invictaque. *h. e.* indomabilis. *Id.* 3. *Od.* 27. *sub fin.* Uxor invicti Jovis. *h. e.* omnipotentis. — *Invictus* jam inde a Tiberio proprium fuit epithetum imperatorum Romanorum. *Sueton. Tib.* 17.; *Eumen. Restaur. Schol.* 9.; *Symmach.* 10. *Ep.* 8.; et *Inscript* apud *Gruter.* 276. 4. — Item Herculis, ut videre est in multis Inscriptionibus apud *Gruter.* 46. 7. 8. 9. 10. 11. et 12. et 47. 1. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 10. et 11. et 48. 1. 2. 3. 4. 5. 6. et 11. et 49. 1. etc. Hinc *invictum juvenem* appellat *Propert.* 1. 20. 23. Hinc etiam Commodus Aug., qui *Hercules Romanus* in nummis appellatur (*V.* COMMODIANUS in ONOM.) mensem Octobrem appellari jussit Invictum, ut testatur *Lamprid. Commod.* 11., qui hæc habet *ibid.* 12. Assumptus est in omnia collegia sacerdotalia sacerdos XIII. K. Invictas, Pisone et Juliano Cos. — Item Solis Mithræ. *Inscript.* apud *Gruter.* 33. et 34.; et apud *Reines. cl.* 1. *n.* 45. et seq. — De rebus physicis. *Lucan.* 10. 322. Invicti fluctus. *h. e.* qui nullo obice frangi et contineri possunt. *Justin.* 24. 4. 4. Hannibal Alpium invicta juga et frigore intractabilia loca transcendit. — De abstractis. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 57. Pyrgopolinices virtute et forma et factis invictissumis. *Id. Pœn.* 5. 4. 17. Invicta pietas. *h. e.* constans, perpetua, quæ numquam defecit. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 111. Invicta virtus. *Sil. It.* 11. 137. robur. *Justin.* 33. 1. 3. Macedonicus invictæ opinionis exercitus. *Cic. post redit. in senat.* 12. 30. Constans, perpetua, fortis, invicta defensio. *Liv.* 6. 16. Sed invicta sibi quædam, patientissima justi imperii civitas fecerat. *h. e.* quibus contraire non auderet. *Seneca Ep.* 30. *a med.* Necessitas invicta. *inevitabile. Augustin. de immortalit. anim.* 8. Quæ sententia invictiore ratione approbatur. *più incontrastabile.* Comp. *Invictior* occurrit iterum apud *eumd. de morib. Manich.* 2. 11.

INVĬDENS, entis. *V.* INVIDEO primo loco.

INVĬDENTĬA, æ. f. 1. (invideo). ¶ 1. Generatim est *invidia*, φθόνος, βασκανία, ægritudo animi, quam describit *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 17. Invidentiam esse dicunt ægritudinem susceptam propter alterius res secundas, quæ nihil noceant invidenti. *et* 3. *ibid.* 10. 21. Atqui quemadmodum misericordia ægritudo est ex alterius rebus adversis; sic invidentia ægritudo est ex alterius rebus secundis. *et ibid.* 9. 20. Posset sapiens incidere in invidentiam. Non dixi in invidiam, quæ tum est, quum invidetur: ab invidendo autem invidentia recte dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen invidiæ, quod verbum ductum est a nimis intuendo fortunam alterius. *et* 4. *ibid.* 7. 16. Subjicitur ægritudini invidentia. Utendum est enim docendi causa verbo minus usitato; quoniam invidia non in eo, qui invidet, solum dicitur, sed etiam in eo, cui invidetur. *Scribon. Ep. præfix. Compos.* Crimine invidentiæ flagrare. ¶ 2. Specialim, aliquando invidentia est eadem atque æmulatio. *Cæl. Aurel.* 4. *Tard.* 9. Tribades mulieribus magis, quam viris, misceri festinant, et easdem invidentia pæne virili sectantur, et sui sexus injuria gaudent: illi (*h. e.* viri molles sive subacti) comparatione talium animi passione jactari noscuntur. *h. e.* muliebria pati animo libenti solent.

INVĬDĔO, vides, vidi, visum, videre, a. 2. (in *et* video). Part. *Invidens* I., II. 1. et in fin.; *Invisus* in fin.; *Invidendus* I. — Invidere

I.) Proprie ¶ 1. Est oculos et animum in rem aliquam intentos tenere eamque diligenter inspicere. *Pseudo-Sall. orat.* 2. *ad Cæs. de republ. ordin. circa fin.* Mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine invideri. *Alii leg.* invisi. Huc pertinet et illud ex *Accio* in *Menalippo*, quod affertur a *Cic. loc.* mox afferendo. — At ¶ 2. Fere improprie seu latiori significatione usurpatur, et est ex alicujus rebus secundis dolore affici, quod oculos et animum in eos, quibus invidemus, assidue intentos teneamus, φθονέω (It. *invidiare, avere invidia;* Fr. *porter envie à, jalouser;* Hisp. *envidiar, tener envidia;* Germ. *neidisch, missgünstig auf etwas sehen, missgönnen, beneiden;* Angl. *to envy, grudge*). Suapte natura activum est primi ordinis, et Accusativum postulat vel personæ, vel rei, ut simplex video, unde factum est. Ex consuetudine fere usurpatur in 3. ordine neutrorum, aliquando in 3. activorum. *Quintil.* 9. 3. 1. Pæne jam quidquid loquimur, figura est, ut *huic rei* (optimæ edit. habent *hac re*) *invidere:* non, ut omnes veteres, et Cicero præcipue, *hanc rem. Cic.* 3. *Tusc.* 9. 20. Ut effugiamus ambiguum nomen invidiæ, quod verbum ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Menalippo: Florem quisnam liberûm invidit meûm? Male Latine videtur. Sed præclare Accius. Ut enim videre, sic invidere florem rectius, quam flori dicitur. Nos consuetudine prohibemur; poeta jus suum tenuit, et dixit audacius. Ceterum occurrit — *a*) Cum Dativo personæ, aut rei tantum. *Plaut. Truc.* 4. 2. 30. Mavelim mihi inimicos invidere, quam me inimicis meis. Adde *eumd. Bacch.* 3. 6. 14. Sic *Cic.* 2. *Orat.* 52. 209. Invident autem homines maxime paribus, aut inferioribus. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 2. 7. Invidere mortuis. *Ovid.* 2. *Fast.* 591. Invidet ipsa sibi. *Vellej.* 2. 731. Speciosis invidens. *Plaut. Most.* 1. 3. 119. Invidere commodis alicujus. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 37. 103. Qui honori inviderunt meo. Adde *Virg.* 5. *Æn.* 541. Rursus *Cic. Balb.* 6. 15. Invidere virtuti. *Id.* 2. *Orat.* 51. 209. gloriæ. *Id.* 1. *Fam.* 7. novitati. *Sall. Jug.* 85. *circa med.* Invident honori meo; ergo invideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hæc illum cepi. — *b*) Cum Dativo personæ et Ablativo vel ac præpos. *in. Cic. Flacc.* 29. 70. In qua tibi invideo, quod unis vestimentis tamdiu lautus es. *Id.* 2. *Orat.* 56. 228. Nisi interdum in hoc, Crasso non inviderem. — *c*) Cum Dativo personæ et Ablativo rei sine præpos. *V.* locum *Quintiliani* 9. 3. 1. cit. sub init. — *d*) Cum Dativo personæ et Genitivo rei. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 84. neque illi Sepositi ciceris, neque longæ invidit avenæ. *Al. tamen leg.* ille. — *e*) Cum Dativo personæ et Accusativo rei. *Cic.* 3. *Tusc.* 2. 3. Ut nobis optimam naturam invidisse videantur. *Al. leg.* optimæ naturæ. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 50. Invidere honorem alicui. *Liv.* 2. 40. laudem mulieribus. *Nepos Thrasyb.* 4. Nolite mihi dare quod multi invideant, plures etiam concupiscant. *Val. Flacc.* 5. 508. Tu modo ne claros Minyis invideris actus. — *f*) Cum Dativo personæ et Infinito, quod Accusativi vicem præstat. *Plaut. Truc.* 4. 2. 31. Invidere alii bene esse, tibi male esse, miseria est. — *g*) Passive. *Horat. Art. P.* 56. ego cur, acquirere pauca Si possum, invideor? *h. e.* cur mihi invidetur? — Huc et Part. *Invidendus* referri potest. *Horat.* 2. *Od.* 10. 7. caret invidenda Sobrius aula. *Id.* 3. *ibid.* 1. 45. Cur invidendis postibus et novo Sublime ritu moliar atrium? — *h*) Passive impersonaliter. *Plaut. Truc.* 4. 2. 32. Qui invident, egent: illi, quibus invidetur, rem habent. *Cic.* 2. *Orat.* 51. 207. Invidetur enim commodis hominum ipsorum. *Id.* 2. *Off.* 13. 45. Non modo non invidetur illi ætati, verum etiam favetur. Adde *eumd.* 4. *Tusc.* 7. 16. et 3. *ibid.* 9. 20. Sic *Justin.* 2. 15. 4. Themistocles ut vidit spei urbis invideri. — *i*) Absolute. *Plaut. Most.* 1. 3. 148. Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo suo semper bono: qui invident, ne unquam eorum quisquam invideat prorsus commodis. *Cic.* 4. *Tusc.* 8. 17. Nocere invidenti. Adde *eumd. Planc.* 3. 7. Sic *Plin.* 6. *Ep.* 17. Disertior ipse es? Tanto magis ne invideris. Nam qui invidet, minor est.

II.) Figurate. ¶ 1. Reperitur pro invitus sum, nolo. — *a*) Cum Infinito. *Horat.* 1. *Od.* 37. *in fin. de Cleopatra.* Sævis Liburnis scilicet invidens Privata deduci superbo Non humilis mulier triumpho. Confer *Lucan.* 2. 550. his quoque te jungere, Cæsar, invideo. *h. e.* invitus te his jungo: nolim te his jungere. — *b*) Cum Ablativo. *Lucan.* 7. 798. Invidet igne rogi miseris. *h. e.* comburi et sepeliri prohibet. *Tac.* 1. *Ann.* 22. Responde, ubi cadaver abjeceris? ne hostes quidem sepulturâ invident. *Ita optimæ edit. habent: aliæ* sepulturæ. ¶ 2. Item pro impedio, aufero, habere non sino. — *a*) Cum Infinito est impedire, vetare. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 100. Plurima, quæ invideant pure apparere tibi rem. Cf. *Inscript.* apud *Henzen.* 7381. QVOD A TE MIHI FIERI, CVRILLE, INIQVA FORTVNA INVIDET, HOC EGO TIBI FECI MATER INFELICISSIMA. — *b*) Cum Conjunctivo et part. *ne* vel *ut* eodem sensu. *Virg.* 11. *Æn.* 42. Te ne, inquit, miserande puer, quum læta veniret, Invidit Fortuna mihi, ne regna videres Nostra? *Id. ibid.* 269. Invidisse deos, patriis ut redditus aris Conjugium optatum et pulcram Calydona viderem? — *c*) Absolute. *Ovid.* 1. *Trist.* 1. 1. Parve, nec invideo, sine me, liber, ibis in Urbem. Adde *eumd.* 4. *Met.* 157. — *d*) *Invidere cuipiam aliquid* dicitur is, qui ab illo aufert et habere non sinit. *Virg.* 7. *Ecl.* 57. Liber pampineas invidit collibus umbras. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 2. 3. (8). Africæ solo oleum et vinum Natura invidit. *Sillig.* scribendum putat *non invidit,* eodem sensu. — Hinc Part. præter. pass.

Invisus, a, um, adjective usurpatur, unde Comp. *Invisior* et Sup. *Invisissimus;* et est odiosus, displicens, quem æquo animo videre non possumus, *odioso, odiato, spiacevole, mal visto,* μισητός. — *a*) De personis. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 48. Invisos omnes nos esse illis sentio. *Cic.* 2. *Off.* 9. 34. Quo quis versutior et callidior est, hoc invisior et suspectior. *Sueton. Tib.* 13. Contemptior in dies et invisior. *Quintil.* 3. 7. 19. Quosdam claritas ipsa notiores circa vitia et invisos magis fecit. *Tac.* 4. *Hist.* 70. Invisus avunculo infensusque. *Justin.* 36. 2. 15. Ne eadem causa invisi apud incolas forent. *Plin.* 2. *Ep.* 20. Cujus marito inimicissimus, ipsi invisissimus fuerat. Adde *Ammian.* 31. 4. Similiter *Cic. Rosc. com.* 7. 20. Persona lutulenta, impura, invisa. *Martial.* 7. 21. O Nero crudelis nullaque invisior umbra. *h. e.* nulla re magis invisus, quam cæde Lucani, de qua est epigramma. — *b*) De rebus physicis et abstractis. *Virg.* 9. *Æn.* 496. invisum caput. *Ovid.* 3. *Pont.* 4. 74. dens. *Propert.* 3. 5. 3. aurum. *Horat.* 2. *Od.* 14. 23. cupressus. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 13. 15. (31). Urtica quid esse invisius potest? *Ter. Adelph.* 5. 9. 34. Si ob eam rem vobis mea vita invisa est. *Cic. pro leg. Manil.* 16. 47. Ne aut

invisa diis oratio nostra, aut ingrata esse videatur. *Horat.* 1. *Ep.* 14. 17. invisa negotia me trahunt Romam. *Seneca Ep.* 51. *extr.* Voluptates præcipue exturba et invisissimas habe.

INVĬDĔO, vides, vidi, videre, a. 3. (in *privat.* et video) non videre. *Apul. de Mag.* Qui quum adversum me eas litteras promeret, invidit profecto, cupiditate lædendi, si quid mihi ex illis fieret criminosum, id mihi secum esse commune. *certamente non vide, che se etc.* Recentiores tamen corrigendum putant et legendum *non vidit.*

INVĬDĬA, æ, f. 1. (invidus) mæror ex aliena prosperitate; ab *in*, quod hic auget, et *video*, id est a nimis intuendo fortunam alterius, ut eam definit *Cic.* 3. *Tusc.* 9. 20., φθόνος, βασκανία (It. *astio, invidia, odio*; Fr. *jalousie, envie, haine*; Hisp. *envidia, zelo, aversion, odio*; Germ. *d. Beneiden, d. Missgunst, Neid*; Angl. *envy, hatred, ill-will, spite, grudging, malice*). Occurrit ¶ 1. Active pro invidentia, id est quum dicitur de eo, qui invidet. *Cic.* 14. *Phil.* 6. 17. Digna imitatione, non invidia, excellentium hominum virtus est. *Nepos Eumen.* 10. Invidia ducum, cum quibus erat, perfidiaque militum Antigono est deditus. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 58. Invidia Siculi non invenere tyranni Tormentum majus. γνώμη. *Vellej.* 2. 92. Præsentia invidia, præterita veneratione prosequimur. *Firmic.* 5. *Mathes.* 1. A multis tamen invidiæ stridore pulsabitur. — *Sine invidia* est libenti animo, et non invidente aut repugnante. *Ter. Andr.* 1. 1. 35. Facile omnes perferre ac pati, – eorum obsequi studiis; advorsus nemini; numquam præponens se illis: ita facillume sine invidia laudem invenias et amicos pares. *Martial.* 3. 65. Quid, si tota dares illa (*basia*) sine invidia? ¶ 2. Passive sæpius usurpatur pro odio et malevolentia, scilicet de eo, cui invidetur: hac autem significatione plurimis jungitur Verbis, quorum præcipua, servato litterarum ordine, subjicimus. *Nepos Chabr.* 3. Abesse ab invidia. *Sueton. Tib.* 75. et *Ner.* 45. Accrevit invidia. Sic *Horat.* 1. *Sat.* 6. 26. Invidia accrevit, privato quæ minor esset. *Cic.* 1. *Fam.* 1. *sub fin.* Adducere aliquem in summam invidiam. *Id.* 1. *Cat.* 9. 23. Conflare invidiam alicui. *Justin.* 5. 2. 4. Contrahere plus invidiæ quam gratiæ apud aliquos. *Liv.* 3. 12. *sub fin.* Cumulare alicui invidiam. *Sueton. Cæs.* 4.; et *Justin.* 3. 7. 9. Declinare invidiam. *Nepos Hann.* 1. Debilitare civium invidia. *Sueton. Cal.* 9. Deprecari invidiam. *Ovid. Heroid.* 7. 108.; et *Seneca Troad.* 20. Detrahere invidiam. *Nepos Chabr.* 3. Effugere invidiam vulgi. *Cic.* 2. *Att.* 9.; et *Sall. Jug.* 25. Esse in invidia. *essere odioso.* (Utroque loco alii tollunt *in.* Sic *Cic. ibid.* 21. *a med.* Bibulus admirabili gloria est. et *Plin. præfat. Hist. nat.* § 27. Ob id magna invidia fuere omnia ea.). Ceterum *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (41). In invidia me ne esse. *Liv.* 4. 49. *a med.*; et *Nepos Dion.* 4. Esse invidiæ alicui. *apportare odiosità.* Sic *Nepos Eumen.* 7. Invidiæ minori esse. *Id. Datam.* 5. Excipere invidiam. *Martial.* 9. 88. Exonerare aliquem invidia. *Cic. Balb.* 8. 16. Extinguere invidiam. *D. Brutus ad M. Brut.* apud *Cic.* 11. *Fam. in fin.*; *Ovid.* 4. *Met.* 517.; *Sueton. Cal.* 9.; *Seneca Herc. Œt.* 1863.; et *Justin.* 12. 6. 12. Facere invidiam alicui. *farlo odioso. Sueton. Aug.* 27. et *Galb.* 16. Flagrare invidia. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 26. 69. Habere invidiam. *h. e.* invidia laborare. *Nepos Cim.* 3. Incidere in invidiam. *Sall. Cat.* 23. *extr.*; *Nepos Dion.* 6.; et *Sueton. Domit.* 11. Lenire invidiam. *Lucret.* 3. 75. Macerat me invidia. *Sueton. Ner.* 34. et *Oth.* 6. Onerare invidia quamquam. *Quintil.* 7. 2. 30. Opprimi invidia. *Ovid. Heroid.* 20. 67. Pati invidiam. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 13. Placare invidiam. *Cic. Rabir. Post.* 17. 46. Quærere invidiam in aliquem. *Nepos Alcib.* 7. Recidere in invidiam. *Cic.* 1. *Cat.* 12. 29. Redundare invidia. *Ovid.* 12. *Met.* 626. Removere a se invidiam. *Martial.* 9. 98. Rumpi invidia. *crepar di rabbia. Cic.* 2. *Verr.* 1. 1. Sedare invidiam. *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 11. 46. Subire invidiam. *soggiacere all' altrui odio. Id.* 11. *Fam.* 6.; *Nepos Epam.* 7.; et *Sueton. Tib.* 8. Venire in invidiam. *Nepos Eumen.* 7. Vereri invidiam. — *Absit verbo invidia,* formula est, qua deprecamur invidiam, quum aliquid dicturi sumus, quod superbiam jactationemque sapiat: ne scil. laudatio fraudi esset illis, qui laudabantur; veteres enim putabant, invidendo malum aliquod afferri posse iis, quibus invidemus. *Liv.* 9. 19. *ad fin.* Absit verbo invidia: numquam ab equite hoste, numquam a pedite laborasimus. *Al. leg.* vero. *Id.* 36. 7. Hoc ego adjuncto (absit verbo invidia) qui dubitare de eventu possim? — Γνώμη est illud *Liv.* 45. 35. Intacta invidiâ media sunt: ad summa ferme tendit. — In plur. numero. *Cic. Cluent.* 56. 153. Vita remota a procellis invidiarum. *Vatinius* apud *Cic.* 5. *Fam.* 9. Malevolorum obtrectationes et invidias prosternere. Adde *Ammian.* 17. 5. ¶ 3. In fabulis Invidia dea est, filia Stygis et Pallantis gigantis. *Hygin. præfat. fabul.*

INVĬDĬŎLA, æ, f. 1. *deminut.* ab invidia, *invidietta. Cicero:* Quum nescio quid invidiolæ inter eos exortum fuisset. Ita *Sipontin.* in *Cornucop.* nullo designato loco. In *Thesaur. Nizol.* designatur *Cic. ad Att.* Mihi adhuc hæc verba incomperta sunt.

INVĬDĬŌSE, adverb. (invidiosus). Comp. *Invidiosius* 1. — Invidiose ¶ 1. Active est odiose, *odiosamente*, ἀπεχθῶς, ut invidiose aliquid dicere, vel facere, id est, eo animo quippiam dicere, vel facere, ut aliquem in invidiam, hoc est in odium adducamus. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 116. Num minus hæc invidiose dicuntur? *Id. Mil.* 5. 12. Contiones illæ, quibus invidiose potentiam meam criminabatur. *Sueton. Aug.* 43. Queri graviter invidioseque. *Vellej.* 2. 45. *de Ciceronis exsilio.* Neque quisquam aut expulsus invidiosius, aut restitutus lætius. *Justin.* 12. 3. 9. Quæ (*ornamenta*) ne invidiosius in se uno conspicerentur, amicos quoque suos longam vestem auratam purpureamque sumere (*Alexander*) jubet. ¶ 2. Passive. *Cic.* 4. *Herenn.* 20. 28. Invidiose vivere. *Seneca Ep.* 87. Tantum suburbani agri possidet, quantum invidiose in desertis Apuliæ possideret.

INVĬDĬŌSUS, a, um, adject. (invidia). Comp. *Invidiosior* et Sup. *Invidiosissimus* 3. — Invidiosus ¶ 1. Est qui invidet, invidus, *invidioso*, φθονερός. *Propert.* 2. 21. 12. illa peræque Præ se formosis invidiosa dea est. *Ovid.* 15. *Met.* 231. Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas, Omnia destruitis. *Justin.* 2. 8. 9. Adduntur vocibus lacrimæ et invidiosa oratione multitudo credula accenditur. ¶ 2. Item cui invidetur, *invidiato*, ἐπίφθονος. — a) In malam partem. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 26. 68. Qui possessiones invidiosas tenebant. *Id. Balb.* 25. 56. Pecunia non invidiosa. — b) In bonam partem. *Propert.* 2. 1. 83. Mæcenas nostræ spes invidiosa juventæ, Et vitæ et morti gloria justa meæ. *invidiabile.* Sic *Ovid.* 4. *Met.* 795. et 9. *ibid.* 10. Multorumque (*illa*) fuit spes invidiosa procorum. *Id.* 3. *Fast.* 431. Turba vetus (*Romanorum*) quam non invidiosa fuit! *Juvenal.* 13. 179. Invidiosa dabit minimus solatia sanguis. ¶ 3. Item invisus, odium creans, *odiato, mal visto.* — a) De hominibus. *Cic. Cluent.* 58. 158. Etiam si is invidiosus ac multis offensus esse videatur. Adde eumd. 8. *Fam.* 14. Sic *Q. Cic. Petit. cons.* 3. 10. Qui ex eo judicio tam invidiosus discessit, ut aliud in eum judicium quotidie flagitetur. *Justin.* 12. 14. 2. Se magnis rebus in Græcia gestis, non tam gratum apud regem, quam invidiosum esse. *Plin.* 2. *Ep.* 11. Sive quia miserabiliorem, sive quia invidiosiorem fore arbitrabatur. — b) De rebus et abstractis. *Cic.* 4. *Verr.* 17. 42. Putabant absentis damnationem multo invidiosiorem fore, quam si etc. *Id. Cluent.* 37. 103. Quod fuit in illo judicio invidiosissimum. *Id. Cœl.* 9. 21. Neque id ego dico, ut invidiosum sit in eos, quibus gloriosum esse debet. *renda odiosi coloro, a' quali* etc. Adde *Propert.* 2. 23. 102. — *Invidiosum* est cum Infinito apud *Cic.* 8. *Att.* 3. *ad fin.* Triumphum accipere. invidiosum ad bonos. *è cosa odiosa appresso i buoni.* Adde *Liv.* 3. 9.

INVĬDUS, a, um, adject. *Invidum* pro invidorum est *Varron.* apud *Non. p.* 495. 30. *Merc.* Invidûm tabes. — Invidus est qui invidet, hoc est ex alterius prosperitate tristatur et dolet, φθονερός, βάσκανος (It. *invidioso, invido*; Fr. *envieux, jaloux, qui porte envie*; Hisp. *envidioso, zeloso*; Germ. *neidisch*; Angl. *envious, invidious, malignant, spiteful*). Occurrit — a) De personis; et quidem — Sine additis. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 57. Invidus alterius macrescit rebus opimis. γνώμη. Sic *Curt.* 8. 12. *in fin.* Invidos homines nihil aliud, quam ipsorum esse tormenta. *Cic.* 4. *Tusc.* 12. 28. Invidi, malevoli et lividi. — Cum Dativo. *Seneca Herc. fur.* 524. O Fortuna viris invida fortibus! — Cum Genitivo. *Cic. Flacc.* 1. 2. Si forte aut beneficii obtrectator, aut virtutis hostis, aut laudis invidus exstitisset. *Nepos Timoth.* 3. Populus acer, suspicax, invidus etiam potentiæ. — Interdum substantivi more usurpatur, ut *amicus. Cic.* 7. *Fam.* 2. *a med.* Persuaserat nonnullis invidis meis. *Id.* 1. *ibid.* A. A tuis invidis et obtrectatoribus. — b) De rebus et abstractis. *Horat.* 4. *Od.* 3. 16. Et jam dente minus mordeor invido. — Sæpius *invida* (translate juxta *Forcellinum*) dicuntur, quæcumque quidpiam nobis auferunt, aut habere non sinunt. *Lucret.* 1. 320. Sed quæ corpora decedant in tempore quoque, Invida præclusit speciem natura videndi. *Phædr.* 5. 6. Invidum fatum. Sic *Stat.* 10. *Theb.* 341. Invida fata piis. et *Lucan.* 1. 70. Invida fatorum series. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 18. Est ubi divellat somnos minus invida cura? *Id.* 4. *Od.* 8. 21. Invida taciturnitas. *h. e.* quæ silet res præclare gestas, ne veniant ad posteros et famam extendant. *Id.* 1. *ibid.* 11. 7. dum loquimur, fugerit invida Ætas. *h. e.* tempus cito præteriens et voluptatibus diu frui non sinens. *Ovid.* 9. *Met.* 485. Nosque fuit præceps et cœptis invida nostris. *Id.* 10. *ibid.* 310. et quod natura remittit, invida jura negant. *Calpurn.* 4. *Ecl.* 154. Invida paupertas.

INVĬGĬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INVĬGĬLO, as, âvi, âtum, are, n. 1. (in et vigilo). Part. *Invigilans* sub a.; *Invigilatus* in fin. — Invigilare est in aliqua re vigilare; et translate curam in aliqua re ponere, diligenter incumbere, *vegliare, invigilare, attendere*, ἐπαγρυπνέω. — a) Cum Dativo. *Ovid.* 4. *Fast.* 530. Nec capiat somnos, invigiletque malis. *Val. Flacc.* 2. 371. Invigilans vati Hercules. — Poetice *Sil. It.* 10. 331. Sed mens invigilat curis, noctisque quietem Ferre nequit. *Stat.* 8. *Theb.* 621. Cura invigilat quieti. *si fa sentire nel sonno.* et 5. *ibid.* 4. Curæ invigilant animo. — Similiter pro curam ponere *Virg.* 4. *G.* 158. *de apib.* Namque aliæ victu invigilant. *h. e.* victui. Sic *Id.* 9. *Æn.* 605. Venatu invigilant pueri silvasque fatigant. *Sil. It.* 4. 18. Invigilare arcu. *h. e.* arcubus fabricandis operam dare. — b) Cum Ablativo et præpos. pro. *Ovid.* 1. *Trist.* 5. 43. Invigiles igitur nostris pro casibus oro, Diminui si qua numinis ira potest. — c) Absolute. *Colum.* 10. *R. R.* 159. Invigilate, viri, tacito nam tempora gressu Diffugiunt. — d) Cum Infinito. *Val. Flacc.* 5. 257. Ergo omnes prohibere minas prædictaque Phrixi Invigilat. — Hinc Part. præter. pass.

Invigilatus, a, um, est evigilatus, elucubratus. *Cinna* apud *Isid.* 6. *Orig.* 12. Hæc tibi Arateis multa invigilata lucernis Carmina. At *Burmannus* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 410. probat legendum *vigilata* pro *invigilata.*

INVĪLESCO, vilescis, vilui, vilescere, n. 3. (in *privat.* et vilesco) non vilescere. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 68.

INVĪLĪTO, as, are, a. 1. (in et vilito) valde vilitare. *Gloss. Philox.* Invilitat, εὐτελίζει.

INVINCĪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et vincibilis) qui vinci non potest, invictus, *invincibile*, ἀνίκητος. *Tertull. advers. Hermog.* 11. Invincibile et insuperabile malum. *Apul. de Mag.* Quum hæc ab illis quasi gravia et invincibilia dicerentur. *h. e.* quibus responderi non posset.

INVINCĪBĬLĬTER, adverb. (invincibilis) invicte, *invincibilmente. Apul. Florid. n.* 18. Ratio conclusa acriter et invincibiliter videbatur.

INVINCTUS, a, um, adject. (in et vinctus) valde vinctus: nam præposit. in interdum negat, interdum auget. *Callistrat. Dig.* 48. 15. 6. Qui hominem ingenuum invitum celaverit, invinctum habuerit. Ita *Torrentin.*; at *Haloander* habet *in vinculis.*

INVĪNĬUS, a, um, adject. (in *privat.* et vinum) abstemius, *chi non bee vino*, ἄοινος. *Apul.* 11. *Met.* Præcipit, neque ullum animal essem, et invinius essem. Adde *Gloss. Philox.*

INVĬŌ, adverb. V. INVIUS in fin.

INVĬO, as, âvi, âtum, are, a. 1. (in et vio) viam facere, vel viam ingredi, calcare, ὁδίζω. *Solin.* 2. Parcius depavita levibus vestigiis inviare.

INVĬŎLĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et violabilis) qui violari non potest, *inviolabile. Lucret.* 5.

316. Inviolabile hæc ne credas forte vigere. *Sil. It.* 16. 16. caput inviolabile tellis. *Prudent. Hymn. exseq.* 119. Inviolabile iter. *Cod. Theod.* 6. 4. 18. et *alibi*. Inviolabilis lex.

INVĬŎLĀBĬLĬTER, adverb. (inviolabilis) inviolate, *inviolabilmente*, ἀνεκβιάστως. *Marcellin. et Faustin. in libello ad Imppp. Valentin., Theodos. et Arcad.* p. 46. *edition. Sirmondi.* Fidem integram inviolabiliter possidere. Adde *Cod.* 2. 17. 1. § 1. *Boeth.* 3. *pros.* 10. *ante med.* Vide, quam id sancte atque inviolabiliter probes.

INVĬŎLĀTĒ, adverb. (inviolatus) integre, *inviolabilmente*. *Cic. Senect.* 22. 81. Memoriam nostri pie inviolateque servabitis. *Gell.* 7. 18. Jusjurandum apud Romanos inviolate sancteque habitum servatumque.

INVĬŎLĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* violatus). ¶ 1. Est non violatus, illæsus, integer, incorruptus, *inviolato, illeso*, ἀνεκβίαστος. *Varro* 2. *R. R.* 1. 4. Quum viverent homines ex iis rebus, quas inviolata ultro ferret terra. *h. e.* nullo ferramento exculta. *Cic. Rabir. perduell.* 4. 11. Inviolatum corpus. *Nepos Epam.* 4. Ut (*ille*) inviolatus in navem ascenderet, per Chabriam Atheniensem – effecit. Sic *Vellej.* 2. 74. 4. Aliquem inviolatum dimittere. *Cic. Sext.* 67. 140. Invulnerati inviolatique vixerunt. *Id. Cæl.* 5. 11. Præstare aliquid integrum atque inviolatum. *Liv.* 28. 28. *a med.* Nihil divinarum humanarumque rerum inviolatum vobis est. *Cic. Sull.* 17. 49. Inviolata amicitia. *Sall. Jug.* 47. fama. *Id. ibid.* 33. fides. *Justin.* 8. 3. 13. jus. *Ammian.* 25. 4. castitas. *Ovid. de nuce* 52. quæ longius absunt, Nativum retinent inviolata decus. *Sil. It.* 13. 875. Vita inviolata. *h. e.* felix, prospera. *Id.* 11. 300. Mens inviolata mero. ¶ 2. Item inviolabilis, quem violare nefas est. *Liv.* 2. 1. Pastorum convenarumque plebs – sub tutela inviolati templi (*h. e.* asyli) aut libertatem, aut certe impunitatem adepta. *Id.* 3. 55. Quum religione inviolatos eos (*plebis tribunos*), tum lege etiam fecerunt. Adde *eumd.* 3. 65. et 45. 5.

INVĬŎLENTUS, a, um, adject. (in *privat. et* violentus) non violentus. *Cassiod. Instit. div. litt.* 20. Ambrosius cum gravitate acutus, inviolenta persuasione dulcissimus. Juxta cl. *Quicherat. inviolentus* (pro quo alii leg. *perviolentus*) est hoc loco vehementissimus, cui resisti non potest; *in* enim auget: quo sensu aptius convenit *loc. cit.*, cum quo facit et illud *Horat.* 3. *Od.* 21. 13. Tu lene tormentum ingenio admoves etc. Ceterum *inviolentus* occurrit etiam in *Not. Tir.* p. 88.

INVĬŎLO, as, are, a. 1. (in *privat.* et violo) non violare. Vox e Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 88.

INVISCĔRĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INVISCĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* viscero). Part. *Invisceratus* II. — Inviscerare est in viscera immittere, indere, intus gignere.

I.) Proprie. *Nemesian. Cyneg.* 214. hoc canibus blandis inviscerat æstus.

II.) Translate. *Augustin. serm.* 24. *edition. recent.* Ejus sanctam caritatem invisceratam sentimus in cordibus nostris. Adde *eumd. Ep.* 57. *sub fin.*

INVISCO, as, are, a. 1. (in *et* viscus) visco obliinere, *invischiare*. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 160.

INVĪSĒ, adverb. (invisus, secundo loco) invisibiliter, *invisibilmente*. *Fulgent.* 3. *Mythol.* 6. Ut invise vespertinus advenerat, ita in crepusculo incognitus etiam discedebat. *Fulgentius* h. l. loquitur de Cupidine, qui ad Psychen vesperi invisus se conferebat. Sunt qui legendum putant *invisus*; sed *V.* INVIDEO et INVISUS secundo loco.

INVĪSĬBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* visibilis) qui videri non potest, *invisibile*, ἀόρατος. *Cels. præf.* 7. 9. Deus incorporalis, invisibilis, æternus. Adde *Tertull. Carn. Christ.* 12.; et *Augustin. Tract.* 24. *in Johann.* Sic *Paulin. Nolan. carm.* 38. 207. Quique invisibilem incomprensibilemque fatetur.

INVĪSĬBĬLĬTAS, ātis, f. 3. (invisibilis) abstracta qualitas, qua quis vel quid videri nequit, *invisibilità*. Est *Tertull. advers. Prax.* 14.

INVĪSĬBĬLĬTER, adverb. (invisibilis) ita ut videre nemo possit, *invisibilmente*, ἀθεωρήτως. *Tertull. advers. Valentinian.* 14.; *Augustin.* 6. *de Gen.* 6.; et *Paulin. Nolan. Ep.* 20. 3. *loc. cit.* in VISIBILITER.

INVĪSĬO, ōnis, f. 3. (in *privat.* et visio) privatio visionis. V. *Boethii loc. cit.* in INAUDITIO.

INVĪSĬTĀTUS, a, um, adject. (in *privat. et* visitatus). Comp. *Invisitatior*. — Invisitatus est non visitatus, *non visitato, non veduto spesso*. *Liv.* 27. 39. Galli invisitati ante alienigenis, nec videre ipsi advenam in sua terra assueti. Adde *eumd.* 4. 33., 5. 17. et 34.; et alibi. *Curt.* 5. 5. 7.; et *Sueton. Aug.* 43. quibus loc. *invisitatus* al. leg., quod criticis plerisque minus placet, et præcipue *Baumgartenio* ad *Sueton. Aug.* 43. *Vitruv.* 9. 4. Omnia visitata et invisitata, temporum necessitudine sunt constituta. *Quintil.* 12. *Declam.* 18. Nulla celebris civitas invisitata transitur. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 3. 23. Hominum nescias invisitatius, ac inauditius genus.

INVĪSĬTO, as, are, a. 1. (in et visito) sæpius invisere, *visitare spesso*. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *A. Maio*) 1. 50. Sed inter hæc jam Alexandrum juxtim posuisse castra noscit, propterque vicinum fluvium invisitare.

INVĪSO, visis, visi, visum, visere, a. 3. (in *et* viso). Part. *Invisens* 1. — Invisere ¶ 1. Stricto sensu est idem quod visere, nisi si quid addit præpositio vehementiæ, ἐπισκέπτομαι (It. *andare a vedere, visitare*; Fr. *aller voir, venir voir, visiter*; Hisp. *ir ó andar á ver, visitar*; Germ. *Jemanden oft sehen, ihn besuchen*; Angl. *to visit, go to see*). *Plaut. Stich.* 1. 2. 9. Ad meam majorem filiam inviso domum. *vado a vedere a casa da mia figliuola.* et *Id. Men.* 1. 1. 32. Nunc ad eum inviso. *vado da lui.* et *Id. Merc.* 3. 2. 12. Huc intro ad me invisam domum. *Cic.* 1. *Orat.* 58. 249. Cui nostrum non licet fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa, vel delectationis invisere? *Id.* 5. *Fin.* 2. 5. An eum locum libenter invisit, ubi Demosthenes et Æschines inter se decertare soliti sunt? *Id.* 4. *Att.* 6. Invisere domum. *Id.* 1. *ibid.* 20. *extr.* Ut jam invisas nos, non rogo. *Id. Dom.* 40. 105. Quid tibi necesse fuit sacrificium, quod alienæ domi fieret, invisere? *Virg.* 4. *Æn.* 144. Delum maternam invisit Apollo. *Catull.* 68. 20. Invisente nova prælia torva viro. ¶ 2. Latiori sensu pro visere, perlustrare inspiciendi causa et imperii administrandi, quod Græcis est ἐφορᾷν. *Plaut. Capt.* 2. 3. 98. Ad fratrem modo captivos alios inviso meos. *Virg.* 1. *G.* 25. urbesne invisere, Cæsar, Terrarumque velis curam. ¶ 3. Pro simplici videre, cernere. *Catull.* 64. 333. simul ac nostros invisent lumina colles. *Apul. de Mag.* Speculum invisere. *Pseudo-Sall. orat.* 2. *ad Cæs. de republ. ordin. circa fin.* Mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine invisi. *Alii tamen leg.* invideri.

INVĪSOR, ōris, m. 3. (invideo) invidens, invidus, *invidioso*. *Apul. Florid.* n. 9. Si quis forte in hoc pulcherrimo cœtu ex illis invisoribus meis malignus sedet.

INVĪSUS, a, um, particip. *V.* INVIDEO primo loco in fin.

INVĪSUS, a, um, adject. (in *privat.* et visus) non visus, *non veduto*, ἀόρατος. *Cato R. R.* 141. Uti tu morbos visos invisosque prohibessis. *Cic. Harusp. resp.* 27. 57. Sacra occulta, et maribus non invisa solum, sed etiam inaudita. *Cæs.* 2. *B. C.* 4. Communi fit vitio naturæ, ut invisis, latitantibus atque incognitis rebus magis confidamus. Adde *Virg.* 2. *Æn.* 574.; et *Apul.* 5. *Met.*

INVĪTĀBĬLIS, e, adject. (invito) qui invitat, et translate qui allicit, blandus, delectabilis, jucundus, *dilettevole*, ἐπαγωγός. *Gell.* 13. 11. Sermones jucundi et invitabiles, et cum quadam illecebra et voluptate utiles. Legitur hæc vox et in *Not. Tir.* p. 50.

INVĪTĀLIS, e, adject. (in *privat. et* vitalis) non vitalis. *Boeth. de syllog. hypothet.* 1. p. 619. Si non sit animatum, statim consequitur, ut sit insensibile; invitale autem potest esse, si sit insensibile, ut lapis: potest vero non esse invitale, si sit insensibile, ut sunt arbores. Adde *eumd. ibid.* p. 621., 622. et alibi.

INVĪTĀMENTUM, i, n. 2. (invito) idem atque invitatio, *invito*.

I.) Proprie. *Apul. de Mag.* Filia autem per adolescentulos ditiores invitamento matris suæ circumlata, quibusdam etiam procis ad experiundum permissa.

II.) Translate est illecebra, *allettamento*. *Cic. Hortens.* apud *Non.* p. 321. 16. *Merc.* Voluptates nulla ad res necessarias invitamenta afferunt senibus. *Id.* 5. *Fin.* 6. 17. Fons reperiendus est, in quo sint prima invitamenta naturæ. Adde *eumd.* 10. *Fam.* 10. *Aurel. Vict. Cæsar.* 41. Invitamento esse ad imitandum. *Liv.* 2. 42. Invitamenta temeritatis. *Al. leg.* incitamenta, ut etiam apud *Curt.* 4. 10. 24.; et *Vellej.* 2. 67. 3.

INVĪTĀTĬO, ōnis, f. 3. (invito) invitandi actus, invitamentum, πρόκλησις (It. *invito*; Fr. *invitation*; Hisp. *cita, llamamiento*; Germ. *d. Einladung*; Angl. *an invitation, incitement, encouragement*). Occurrit — *a*) Cum Accusativo et præpos. *in* vel *ad*. *Cic.* 9. *Att.* 12. In Epirum vero invitatio quam suavis, quam liberalis, quam fraterna! *Id.* 3. *Tusc.* 34. 82. Ægritudo non natura exoritur, sed judicio, sed opinione, sed quadam invitatione ad dolendum. — *b*) Absolute. *Cic.* 4. *Verr.* 34. 83. Quæ studiose compararat, non tam suæ delectationis causa, quam ad invitationes adventusque nostrorum hominum, amicorum suorum atque hospitum. *Id.* 3. *ibid.* 26. 66. Fit sermo inter eos et invitatio, ut Græco more biberetur. *Liv.* 40. 7. Festo die invitatio benigna et hilaritas juvenalis utrosque in vinum traxit. Adde *eumd.* 37. 39. — *c*) Cum Genitivo rei, ad quam fit invitatio. *Gell.* 15. 2. Largior paullo jucundiorque vini invitatio, quæ fit etc.

INVĪTĀTĬUNCŬLA, æ, f. 1. *deminut.* ab invitatio, levis aut brevis invitatio. *Gell.* 15. 2. *in lemmate*. Largiores lætioresque in conviviis invitatiunculæ vini.

INVĪTĀTOR, ōris, m. 3. (invito) qui invitat, præsertim ad cœnam, *invitatore*. *Martial.* 9. 92. Ad cœnam si me diversa vocaret in astra Hinc invitatoris Cæsaris, inde Jovis. *Sidon.* 9. *Ep.* 13. Quos undique ascitos invitator in unam cœnam contraxerat. Adde *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 25. — Fuisse inter officia domus Augustæ etiam invitatores, colligitur tum ex allato loco *Martial.*, tum ex *Cod. Justin.* 12. 60. 10., tum ex *Inscript.* apud *Viscont. Op. var. T.* 1. p. 182. *edit. Mediol.* r. AELIVS AVG. LIB. MELITINVS INVITATOR FECIT SIBI etc., et ex *alia* apud *Gruter.* 596. 6. AGATHOPVS AVGG. LIB. INVITATOR ET IVNIA EPICVESIS etc. *V.* VOCATOR.

INVĪTĀTŌRĬUS, a, um, adject. (invitator) ad invitandum pertinens. *Hieronym. Ep.* 14. n. 1. Invitatoria scripta transmittere ad aliquem. *h. e.* epistolas, quæ aliquem invitant. *Tertull. Anim.* 57. Invitatoria operatio.

INVĪTĀTRIX, īcis, f. 3. (invitator) quæ invitat, *invitatrice*. *Symmach.* 1. *Ep.* 59. *init.* Placet hortatio invitatrix religionis. *Cassiod.* 1. *Variar.* 38. Invitatrix pulcritudo chartarum.

INVĪTĀTUS, a, um. *V.* INVITO.

INVĪTĀTUS, us, m. 4. (invito) invitatio, *invito*. *Cic.* 7. *Fam.* 5. Ut initio mea sponte, postea invitatu tuo mittendum duxerim.

INVĪTĒ, adverb. (invitus). Comp. *Invitius*. — Invite est non libenter, coacte, *contro voglia, mal volentieri*, ἀκουσίως. *Cic.* 8. *Att.* 3. *circa med.* Invite cepi Capuam. *Id.* 2. *Orat.* 89. 364. Quem ego paullo sciebam vel pudentius, vel invitius ad hoc genus sermonis accedere. *Id.* 3. *Fam.* 10. Qui cum maximis rebus suis coactus a me invitissime discessisset. *Melius tamen legitur* invitissimo.

INVĪTĬĀBĬLIS, e, adject. (in *privat. et* vitiabilis) qui vitiari et corrumpi non potest. *Prudent. Psychom.* 626. spes invitiabilis ævi.

INVĪTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Invitassitis* ἀρχαϊκῶς pro *invitaveritis* est *Plauti Rud.* 3. 5. 31. — Part. *Invitans* II. 2.; *Invitatus* in omnibus paragr.; *Invitaturus* 1.; *Invitandus* II. 1. — Invitare est vocare, advocare; et fere ad hospitalitatem refertur et convivia, προσκαλέω (It. *invitare*; Fr. *engager, convier, inviter*; Hisp. *convidar, rogar*; Germ. *einladen, bewirthen*; Angl. *to invite, ask, bid, desire to come*).

I.) Proprie occurrit — *a*) Cum Accusativo et præpos. *ad*. *Cic.* 7. *Fam.* 9. Is me crebro ad cœnam invitat. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 48. et 3. *Off.* 14. 58. et *Sueton. Claud.* 4. Sic *Curt.* 9. 14. 4. Invitatus ad epulas. Similiter *Liv.* 45. 8. Invitatus ad consulem. *h. e.* ad cœnam apud consulem. Sic *Sueton. Claud.* 32. Quum multos e litore invitasset ad se.

— *b*) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Liv.* 28. 18. Utrumque in hospitium invitat. *Sueton. Cal.* 22. *extr.* Invitatus in contubernium. Similiter *Cic.* 4. *Verr.* 36. 89. Eum domum suam statim invitant. *Nepos Att.* 13. Non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitabat. Adde *Liv.* 3. 14. — Sic cum Adverbio *Cic.* 3. *Off.* 14. 58. Dictitabat se hortulos emere velle, quo invitare amicos posset. — *c*) Cum Ablativo. *Cic.* 12. *Phil.* 9. 23. Tota familia occurret, hospitio invitabit. *Id.* 4. *Verr.* 11. 25. Ecquis est, qui senatorem tecto ac domo non invitet? — *d*) *Per domos* dixit *Liv.* 1. 9. Invitati hospitaliter per domos. — *e*) Sequente part. *ut*. *Cic.* 13. *Att.* 2. Invito eum per litteras, ut apud me diversetur. *Sueton. Vit. Terent.* 2. Ad cœnantem quum venisset, adductus est initium quidem fabulæ – juxta lectulum residens legere, post paucos vero versus invitatus ut accumberet. — *f*) Absolute. *Cic. fragm.* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 12. Quum Scipio unum et alterum invitasset, et plures invitaturus esset. *Cæs.* 1. *B. C.* 74. Alii suos in castra, invitandi causa, adducunt. *h. e.* cœna excipiendi. Sic *Liv.* 23. 4. Plebem adulari, salutare, benigne invitare, apparatis accipere epulis. Adde *eumd.* 1. 57.; et *Sueton. Cæs.* 27. et *Cal.* 55. — *g*) *Invitare aliquem poculis* est præbibere et ad bibendum provocare, *provocare a bere*. *Plaut. Rud.* 2. 3. 31. Periit potando, opinor. Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit. Huc referri potest et illud *Justin.* 1. 6. 5. Eosdem postero die apparatis epulis invitat. — *h*) Hinc *invitare se* est ad bibendum se excitare. *Plaut. Amph.* 1. 1. 126. Credo edepol dormire solem, atque appotum probe. Mira sunt, nisi invitavit sese in cœna plusculum. *Sall. fragm.* apud *Non.* p. 321. 26. *Merc.* Quum se ibi cibo vinoque læti invitarent. Adde *Turpilium, Lucilium* et *Varron.* apud *eumd. ibid.* Similiter *Sueton. Aug.* 77. Quoties largissime se invitaret, senos sextantes non excessit. — *i*) Pro vita privare, ut *evitare* (*V.* EVITO) est illud *Plauti Cas.* 3. 6. 21. Gladium ancilla Casinam intus habere ait, qui me atque te invitet. Alii minus recte putant, allusisse *Plaut.* ad cœnam, de qua antea verba fecerat: vel potius ad illud *invitare aliquem poculis*, quod supra sub *g.* ex eodem attulimus: sed prior interpretatio (joculariter tamen sumpta) unice vera est; nam hæc habet *Id. ibid.* 3. 5. 49. Casina gladium habet. PA. Et duos: altero te occisurum ait, altero villicum. Sic *invitare aliquem clava* dixit, quasi in eodem ambiguo ludens, *Rud.* 3. 5. 31., quod nos dicimus *fare un invito di bastonate*.

II.) Translate. ¶ 1. Refertur ad alia, præter convivium et hospitium. — *a*) Cum Accusativo et præpos. *ad*. *Cic. Ligar.* 4. 12. Præmiis invitare ad quippiam agendum. *Auct. B. G.* 8. 19. Invitare hostes ad deditionem. *Auct. B. Afr.* 73. ad dimicandum. *provocare*. *Sueton. Cal.* 53. *extr.* aliquem ad audiendum. *Id. Ner.* 12. ad spectaculum. *Petron. Satyr.* 111. ad humanitatem. — *b*) Cum Accusativo et præpos. in. *Cic.* 2. *Att.* 18. *a med.* A Cæsare liberaliter invitor in legationem illam, sibi ut sim legatus. *Id. ibid.* 19. *ad fin.* Cosconio mortuo, sum in ejus locum invitatus. *Cæs.* 1. *B. G.* 35. Invitare aliquem in colloquium. *Sueton. Cal.* 22. lunam in amplexus. *Id. ibid.* 41. Misit circum fora et basilicas nomenclatores ad invitandos in libidinem juvenes senesque. — *c*) Cum part. *ut*. *Cæs.* 4. *B. G.* 6. Invitati, ut ab Rheno discederent. — d) Absolute. *Sueton. Cæs.* 3. Lepidi societate, quamquam magnis conditionibus invitaretur, abstinuit. *Cic.* 8. *Att.* 11. Hæc a te invitatus breviter exposui. ¶ 2. Hinc est allicere, attrahere, invitare. — *a*) Cum Accusativo et præpos. *ad*. *Cic. Senect.* 16. 57. Ad agrum fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 2. 8. Jucunditate quadam ad legendum invitati. *allettati, tirati*. — *b*) Cum part. *ut*. *Plaut. Trin.* 1. 1. 5. Ni me id invitet, ut faciam, fides. *non mi eccitò a farlo*. — *c*) Cum Infinito. *Virg.* 4. *G.* 23. Vicina invitet decedere ripa calori. *Id.* 5. *Æn.* 486. Protinus Æneas celeri certare sagitta invitat, qui forte velint; et præmia ponit. *Liv.* 22. 31. Reliquum sanguinem invitantes haurire. *Al. leg.* jubentes. — *d*) Absolute. *Cic.* 1. *ad Brut.* 15. *a med.* Præclara illa quidem ingenia, quæ gloria invitantur. *Cæs.* 6. *B. G.* 31. Invitati præda longius procedunt. *Sueton. Cal.* 59. Invitatus lucro. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 17. 23. (62). Feras dulcedine invitatas corripiunt. *Inscript.* apud *Henzen.* 6473., quæ pertinet ad ann. post Chr. n. 441. AD REMVNERATIONEM TITVLOSQVE VIRTVTVM QVIBVS CIRCA REMPVBLICAM EXIMIA SEMPER PROBITAS INVITATVR. *Cic. Amic.* 26. 99. Assentationem ipsi allectant et invitant. *Id.* 5. *Fin.* 6. 16. Invitare et allicere appetitum animi. *Vellej.* 2. 129. Invitare luxuriam. *svegliare il lusso*. *Virg.* 1. *G.* 302. Invitat genialis hiems curasque resolvit. *Ovid.* 11. *Met.* 601. Invitat somnos crepitantibus unda lapillis. Cf. *Horat. Epod.* 2. 28. Rursus *Ovid. Heroid.* 17. 183. Invitant omnia culpam. *h. e.* ut culpam admittam. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 4. 22. (79). Spes invitat. *Id.* 23. *ibid.* 1. 22. (38). Invitatur vino appetentia ciborum. *si eccita l'appetito*. *Id.* 22. *ibid.* 21. 52. (112). Aqua mulsa invitat vomitiones. *provoca*. Sic *Scribon. Compos.* 10. Invitare sternutationem. *Plin.* 8. *Ep.* 17. Anio, delicatissimus amnium, ideoque adjacentibus villis velut invitatus retentusque. *Sil. It.* 8. 327. si qua interea invitaverit aura Annueritque deus. *velis accede secundis*. *Solin.* 2. *sub fin.* Marius factis manu fossis invitavit mare. *h. e.* viam fecit, ut posset influere, adduxit.

INVĪTŌ, adverb. (invitus) idem atque invite. *Charis.* 2. p. 182. *Putsch.* I n v i t o, ut f a l s o. Plautus in Cæco, aut in Prædonibus: Neque eam invito a me unquam abduces.

INVITTĀTUS, a, um, adject. (in *intent.* et vittatus) vitta redimitus, idem ac vittatus. *Hieronym. Reg. S. Pachom.* n. 101. Nullus vadat ad collectam, vel ad vescendum habens gallicula in pedibus, vel palliolo lineo invittatus.

INVĪTŬPĔRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et vituperabilis) non vituperabilis. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 10. et 4. *ibid.* 1.

INVĪTUS, a, um, adject. Comp. *Invitior* et Sup. *Invitissimus*. — Invitus est non libens, repugnans, recusans, iniquo animo faciens, ἀκούσιος (It. *chi contro voglia fa qualche cosa*; Fr. *qui agit à contre-cœur, qui est contraint, à regret*; Hisp. *el que obra contra la voluntad, a pesar, de mala gana*; Germ. *ungern, wider Willen*; Angl. *unwilling, against one's will, whether one be willing or not, involuntary*). Occurrit — *a*) De personis. — Fere absolute. *Plaut. Cas.* 2. 4. 23. Invitus me vides. *Ter. Heaut.* 4. 6. 1.; et *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 2. Diis hominibusque invitis. *a dispetto degli uomini e degli dei*. *Cic.* 5. *Parad.* 1. 34. Soli hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. *a suo mal grado*. *Id.* 13. *Fam.* 63. Ego eum a me invitissimus dimisi. *molto di mala voglia*. Cf. *Sueton. Tit.* 7. Invitus invitam dimisit. Rursus *Cic.* 5. *Att.* 21. *a med.* Contendam a Q. fratre, ut se præfici patiatur: quod et illo et me invitissimo fiet. *contro ogni suo e mio genio*. et *Id. Senect.* 12. 42. Invitus feci, ut L. Flamininum e senatu ejicerem. *di mala voglia m'indussi a cacciare* etc. *Id.* 4. *Verr.* 62. 153. Pecunia coacta ab invitissimis. *Id. ibid.* 67. 161. Statuas inviti per vim atque imperium dejecerunt. *contro voglia, a dispetto*. et *Id.* 2. *Orat.* 4. 18. Hoc nos ab istis adolescentibus facere, inviti et recusantes, heri coacti sumus. *Id. Rosc. com.* 13. 37. Fannium invitum, et huc atque illuc tergiversantem, testimonium contra se dicere cogo. *Id. Quinct.* 14. 47. Extorquendum est invito atque ingratiis, quod non debet. *Id.* 7. *Att.* 13. Delectus adhuc quidem invitorum est et a pugnando abhorrentium. *d'involontarii*. *Nepos Eumen.* 4. Exercitus in ea loca erat deductus, ut invito Eumene elabi non posset. *Cæs.* 1. *B. G.* 8. Si, se invito, transire conarentur. *a suo dispetto*. et *Id.* 3. *B. C. in fin.* Ne pugnare invitus cogeretur. *Auct. B. G.* 8. *in proœm.* Utinam scire possent, quam invitus susceperim etc. *Ovid.* 4. *Met.* 239. Vim tulit invitæ. *Sueton. Tit.* 6. Invitis omnibus. *Inscript.* apud *Garrucci, Ant. de Lig. Beb.* p. 41. D. M. C. OFILII GEMELLI HOMINI INCOMPARABILI OCTAVIA RVFINA ET FILII INVITI FECERVNT PARENTI. — Comp. *Invitior* legitur in *fragm. Plaut. Cistell.* (edente *A. Maio*) p. 19. Nam sola nulla invitior solet esse. — *Invita Minerva*. *V.* MINERVA in LEXIC. — Præcedente negativa particula. *Cic.* 1. *Fin.* 2. 4. Quum iidem fabellas Latinas non inviti legant. *Id. Amic.* 1. 4. Itaque feci non invitus, ut prodessem multis tuo rogatu. *molto volentieri*. — Cum Genitivo. *Ulp. Dig.* 16. 3. 11. Credidit, dominum non invitum fore hujus solutionis. *h. e.* se non facturum hanc solutionem invito domino. — *b*) De rebus inanimis et abstractis. *Ovid.* 2. *Art. am.* 449. Quæ, simul invitas crimen pervenit ad aures, Excidit. *Id. Heroid.* 9. 123. mediam captiva per urbem Invitis oculis aspicienda venit. *Val. Flacc.* 3. 391. invito maduerunt sanguine dextræ. *h. e.* quem fundere noluissent, qui cædem fato casuve admiserunt. *Ovid.* 2. *Pont.* 1. 16. Invita sæpe juvamur ope. *h. e.* quæ proficiscitur ab eo, qui juvare nollet. *Cic.* 3. *Nat. D.* 35. 85. Invite in hoc loco versatur oratio: videtur enim auctoritatem afferre peccandi. — Et præcedente negativa particula. *Horat. Art. P.* 311. Verbaque provisam rem non invita sequentur.

INVĪA, n. plur. et

INVĪO, adverb. et

INVĪUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq.

INVĪUS, a, um, adject. (in *privat.* et via) qui est sine via, qui adiri non potest, ἄβατος (It. *senza via, dove non si può andare*; Fr. *inaccessible, inabordable, impraticable*; Hisp. *inaccessible, impracticable*; Germ. *unwegsam, ungangbar*; Angl. *not to be passed, impassible, invious*).

I.) Proprie. *Liv.* 9. 11. Invii saltus. *Virg.* 6. *Æn.* 154. lucos Stygios, regna invia vivis. *Id.* 9. *ibid.* 130. maria invia Teucris, Nec spes ulla fugæ. *Id.* 4. *ibid.* 151. altos ventum in montes atque invia lustra. *Ovid.* 5. *Fast.* 582. Gens circumfusis invia fluminibus. *chiusa, inaccessibile*. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 14. 30. (52). Regio rupibus invia. *Flor.* 3. 20. Invius exitus. *Ovid.* 14. *Met.* 113. Invia virtuti nulla est via. γνώμη. Sic *Tac. Agric.* 27. Nil virtuti invium. Apud *Ovid.* 11. *Met.* 414. facere locum aliquem invium, est aditus præcludere, qua ad illum accedi potest, *chiudere i passi*. — Cum Infinito. *Seneca Herc. fur.* 715. Acheron invius renavigari. — *V.* in fin.

II.) Translate. *Sil. It.* 14. 639. tot bellis invia tecta. *h. e.* urbe non expugnata. *Martial.* 7. 2. Invia Sarmaticis domini lorica sagittis. *impenetrabile*. — Hinc

Invia, n. plur. absolute, substantivorum more, sunt loca invia. *Liv.* 21. 35. In jugum Alpium perventum est, per invia pleraque et errores. *per luoghi impraticabili*. et *Id.* 35. 23. Ruunt cæci per vias, per invia. *Lucan.* 9. 365. tentare invia. *Sil. It.* 4. 306. Dimittit passim dumosa per invia pestem.

Invium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, occurrit tantum apud *Vulgat. interpr. Psalm.* 106. 40. Errare fecit eos in invio. et *Job.* 12. 24. Et decipit eos, ut frustra incedant per invium.

Inviō, adverbii more. *Fronto de oration.* (edente iterum *A. Maio*) ep. 1. *ad fin.* Ut, ubi quæsitis (*verbis*) opus sit, pervium potius ad vestigandum, quam invio progrediamur. *h. e.* eo, ubi nulla via est.

INVŎCĀTĪO, ōnis, f. 3. (invoco) actus invocandi, nominatio, appellatio, *invocazione, nomina*, ἀνάκλησις. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 13. 41. Incipiebant veteres ab invocatione deorum. *Quintil.* 10. 1. 33. Benevolum auditorem facit invocatione dearum, quas etc. Adde *eumd.* 6. 1. 33.; *Macrob.* 1. *Saturn.* 16.; et *Vulgat. interpr.* 2. *Machab.* 8. 14.

INVŎCĀTĪVUS, a, um, adject. (invoco) qui invocat, aptus ad invocandum, *invocativo*. *Boeth. Introd. ad syllog.* p. 561. Orationis species sunt quinque; interrogativa, ut: Quo te, Mœri, pedes? an quo via ducit, in urbem? imperativa, ut: Suggere tela mihi; invocativa, ut: Dii maris et terræ, tempestatumque potentes; deprecativa, ut: Ferte viam vento facilem, et spirate secundi; enunciativa, ut: Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula. Adde *Servium* ad *Virg.* 1. *Æn.* 1.

INVŎCĀTUS, a, um, particip. *V.* INVOCO.

INVŎCĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et vocatus) non vocatus, *non chiamato*, ἄκλητος. *Plaut. Capt.* 1. 1. 1. Juventus nomen indidit scorto mihi, eo quia invocatus soleo esse in convivio. *Nepos Cim.* 4. Quotidie sic ei cœna coquebatur, ut quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret. Adde *Ter. Eun.* 5. 9. 29.; *Cælium* apud *Cic.* 8. *Fam.* 8.; et *Vitruv.* 6. 8. Sic *Cic.* 1. *Nat. D.* 39. 109. Quid, quod imagines rerum etiam ad dormientem veniunt invocatæ?

INVŎCĀTUS, us, m. 4. (in *privat.* et vocatus, us) sine vocatu, *senza chiamata*, ἀκλητεί. *Fronto ad Verum* (edente iterum *A. Maio*) ep. 1. Au ver-

be, si ultro, si injussu atque invocatu meo venerint, quidem recipi jubes?

INVŎCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in et voco). Part. *Invocans* 1. et 2.; *Invocatus* et *Invocaturus* 1. — Invocare ¶ 1. Stricto sensu est idem quod vocare, aut intro vocare, at sæpius appellare aliquem testem, aut aliquem ad auxilium ferendum, εἰσκαλέω, ἐπικαλέω (It. *chiamare, invitare, invocare, implorare*; Fr. *appeler, invoquer*; Hisp. *llamar, invocar, llamar á otro en su auxilio*; Germ. *hereinrufen, anrufen, zu Hülfe rufen*; Angl. *to call, to call to for help, invoke, implore*). Occurrit — a) Raro admodum pro intro vocare, aut advocare. *Nævius* apud *Isid.* 1. *Orig.* 26. Alium invocat, cum alio cantat. *Pseudo-Sall. orat.* 1. *ad Cæs. de republ. ordinand.* a *med.* Neque quisquam te ad crudeles pœnas, aut acerba judicia invocat. — b) Pro vocare, appellare. Mos fuit Græcorum, ut talis ludentes scorta invocarent, fausti ominis et jactus causa. Hinc parasitus apud *Plaut. Capt.* 1. 1. 1. (Juventus nomen indidit scorto mihi, eo quia invocatus soleo esse in convivio.) sibi scorto nomen impositum ait, quod *invocatus* esset in convivio: alio tamen sensu. Nam scorta invocata quidem erant et appellata; parasiti vero vel non vocati aderant ultro, aliena quadra viventes. *Id. ibid.* 4. In convivio sibi amator, talos quum jacit, scortum invocat. Estne invocatum, an non est? est planissime. Verum, hercle, verum nos parasiti planius, quos numquam quisquam neque vocat, neque invocat. *Id.* hunc eumdem morem tangit *Asin.* 4. 1. 36. et 5. 2. 60. et *Curc.* 2. 3. 77. Ceterum *Cœlius* apud *Quintil.* 4. 2. 24. Blandius ad aurem invocabat. *Justin.* 16. 6. 5. Diu viri nomine cum multis lacrimis invocato. — c) Sæpius est appellare deos vel aliquem testem. *Liv.* 35. 31. Invocare deos testes. Sic *Curt.* 4. 10. 33. Ille quæstioni corpus offerre, deos testes invocare etc. *Id.* 5. 12. 3. Deos patrios testes fidei suæ invocanti etc. *Seneca Hippol.* 888. Te, te, creator cælitum, testem invoco. *Liv.* 2. 45. *ad fin.* Si fallat, Jovem patrem, Gradivumque Martem, aliosque iratos invocat deos. *Seneca Hippol.* 944. Et invocata munus hoc sanxit Styge. *chiamata in testimonio.* Similiter *Sueton. Rhet.* 6. *extr.* Quum M. Brutum invocaret, legum ac libertatis auctorem et vindicem. — d) Item sæpius est appellare ad auxilium ferendum. *Plaut. Merc.* 5. 2. 23. Invoco vos, Lares viales, ut me bene juvetis. *Id. Amph.* 5. 1. 9. Ubi parturit, deos sibi invocat. *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 68. Junonem Lucinam in pariendo invocant. *Quintil. Declam.* 321. *a med.* Quem deorum hominumque invocaturus? *Tac.* 16. *Ann.* 31. Invocare deos precibus. *Quintil.* 4. *procem.* 4. Musas. *Liv.* 22. 14. opem deorum. *Quintil.* 4. *procem.* 5. deos in auxilium. Sic *Justin.* 25. 2. 11. aliquem in auxilium. *Cic.* 2. *Orat.* 47. 196. aliquem ad communem fortunam defendendam. *Mamertin. Paneg. ad Maximian.* 3. Ad restituendam rempublicam invocatus. *Tac.* 2. *Ann.* 46. arma alicujus adversus alium. *Id.* 15. *ibid.* 56. auxilia libertati. *Id.* 2. *ibid.* 71. leges. *Id.* 2. *Hist.* 9.; et *Sueton. Cæs.* 33. fidem suorum militum. — Cum Conjunctivo, omissa ut particula. *Tac.* 4. *Hist.* 79. Justæ preces invocantium, ad ultionem accingerentur. ¶ 2. Latiori sensu pro nominare, appellare, *nominare*. *Ennius* apud *Cic.* 2. *Nat. D.* 2. 4. Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem. Apud *Festum* p. 306. 17. *Müllerus* leg. *vocant*. *Curt.* 10. 8. 3. Persæ justissimum ac mitissimum dominum, Macedones optimum ac fortissimum regem invocantes, certamen quoddam mœroris edebant. Adde *eumd.* 3. 11. 25. Sic *Apul.* 11. *Met. sub init.* Quoquo nomine, quoquo ritu, quaqua facie te fas est invocare.

INVŎLĀTOR, ōris, m. 3. (involo) fur. *Gloss. Philox.* Κλέπτης, fur, involator.

INVŎLĀTUS, us, m. 4. (involo) idem ac volatus, verbum est augurum ex avium volatu omen captantium. *Cic.* 6. *Fam.* 6. *circa med.* Non igitur ex alitis involatu, nec a cantu oscinis etc.

INVŎLENTĬA, æ, f. 1. (in *privat.* et volo, vis) involuntas. *Salvian.* 7. *Gub. D.* 23. Etsi involentia non carent, malevolentia carent.

INVŎLĬTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. *frequentat.* ab involo, aliquo in loco frequenter volare.

I.) Proprie. *Prudent.* 13. περὶ στεφ. 100. Nec minus involitat terris.

II.) Translate. *Horat.* 4. *Od.* 10. 3. Et quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ. *Paulin. Nolan. Epist.* 32. (*al.* 12.) n. 6. *in carm.* Involitare Superis.

INVŎLO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (in et volo, as) intro volare, *volare dentro*, ἐμπέτομαι.

I.) Proprie. *Varro* 3. *R. R.* 7. 1. At in villam ultro involant columbæ. *Colum.* 8. *R. R.* 3. 5. Neque enim debent ipsis nidis involare, ne pedibus ova confringant.

II.) Translate. ¶ 1. Sumitur pro irruere in aliquem, manus violenter alicui injicere, cædendi, aut auferendi causa: translatione ab avibus in escam irruentibus. — a) Cum Accusativo et præpos. *in.* *Ter. Eun.* 5. 2. 20. Vix me contineo, quin involem in capillum. *Id. ibid.* 4. 3. 6. Involare in oculos. *Apul.* 6. *Met.* in Psychen. *Cic.* 3. *Orat.* 31. 122. Nostra est omnis ista prudentiæ doctrinæque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis involaverunt. — b) Cum Accusativo et præpos. *ad.* *Auct. B. Alex.* 52. *extr.* Involare ad aliquem eumque sauciare. — c) Cum Accusativo sine præpos. *Ovid.* 13. *Met.* 560. Atque ita correptum captivarum agmine matrum Involat, et digitos in perfida lumina condit. *Tac.* 4. *Hist.* 33. Adeo improvisi castra involavere, ut etc. *Ammian.* 16. 12. Involat equitum turmas. Adde *eumd.* 21. 4. et 24. 2. Sic *Plin.* 9. *Hist. nat.* 59. 85. (181). Piscator singulos involat verius, quam capit. Et figurate *Tac.* 1. *Ann.* 49. Truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem. *h. e.* incessit. — d) Cum Dativo. *Lucilius* apud *Non.* p. 33. 2. *Merc.* Involare oculis. — e) Absolute. *Plaut. Amph.* 1. 1. 89. Equites parent citi: ab dextera maxumo cum clamore involant impetu alacri. *si spingono, si lanciano.* ¶ 2. Hinc *involare aliquid* est auferre, furari, *involare*: qua significatione *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 233. et 2. *G.* 88. ducit a *vola* manus. *Catull.* 25. 6. Remitte pallium mihi meum, quod involasti. *Petron. Satyr.* 43. Hereditatem accepit, et qua plus involavit, quam illi relictum est. *Id. fragm. Tragur.* 58. *Burmann.* Anuli, quos amicæ tuæ involasti. *Callistrat. Dig.* 47. 9. 6. Ancoræ involantur de mari.

INVŎLŪBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et volubilis) qui non volvitur, aut vertitur. *Ambros.* 1. *Hexæm.* 6. Nam hoc ipso, quod diversæ eadem sint elementa naturæ, simplicem et involubilem motum habere non possunt.

INVŎLŪCRE, is, n. 3. (involvo) ὠμόλινον, linteum illud, quo tonsores humeros tondendorum involvunt, ne vestes capillorum segmentis sordidentur. Ita *Turneb. l.* 28. *advers. c.* 38. et *l.* 14. *c.* 7. interpretatur. *Plaut. Capt.* 2. 2. 16. Nunc senex est in tonstrina: nunc jam cultros attinet. Ne id quidem, involucre injicere, voluit, vestem ut ne inquinet. *Al. melius leg.* involucrum: cf. *Alciphr.* 3. *epist.* 66. de tonsore: Καὶ ἐφ' ὑψηλοῦ θρόνου καθίσας, σινδόνα καινὴν περιθεὶς etc.

INVŎLŪCRIS, e, adject. (in *privat.* et volucris a volo, as) qui volare non potest, *che non può volare*, ἄπτερος. *Gell.* 2. 29. Pulli etiam tunc involucres erant.

INVŎLŪCRUM, i, n. 2. (involvo). Male corripuit penultimam *Prudent.* 5. *Cathemer.* 36., *Hamartig.* 929. et *præf. l.* 1. *advers. Symmach.* 54. — Involucrum est quidquid aliquid involvendo tegit ac circumplectitur, *invoglio, invoglia, cartoccio*, εἴλημα.

I.) Proprie. *Cic.* 6. *Verr.* 28. 65. Candelabrum involutum attulerunt, involucrisque rejectis constituerunt. *Id.* 2. *Nat. D.* 14. 37. Ut clipei causa involucrum, vaginam autem gladii, sic præter mundum cetera omnia aliorum causa esse generata. *Plin.* 13. *Hist. nat.* 12. 23. (76). Emporetica inutilis scribendo involucris chartarum usum præbet. *Ulp. Dig.* 47. 2. 21. Involucrum solvere.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Orat.* 35. 161. Divitias atque ornamenta ejus ingenii per quædam involucra atque integumenta perspexi. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 5. Multis simulationum involucris et quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura.

INVŎLŪMEN, inis, n. 3. (involvo) idem atque involumentum. *Gloss. Philox.* Involumen, ἐνείλημα.

INVŎLŪMENTUM, i, n. 2. (involvo) involucrum. *Augustin.* 4. *Civ. D.* 8. Geniculis nodisque culmorum præfecerunt deum Nodotum, involumentis folliculorum deam Volutinam. *Vulgat. interpr. Sap.* 7. 4. In involumentis nutritus sum, et curis magnis.

INVŎLUNTĀRĬĒ, adverb. (involuntarius) non voluntarie, *involontariamente*. *Boeth. Aristot. Topic.* 4. 2. p. 688. In iis, quæ involuntarie locum ex loco permutant, dicitur latio.

INVŎLUNTĀRĬUS, a, um, adject. (in *privat.* et voluntarius) non voluntarius, *involontario*. *Cæl. Aurel.* 2. *Acut.* 3. Urinæ involuntaria emissio. *Id.* 3. *Acut.* 5. Involuntaria lacrimatio.

INVŎLUNTAS, ātis, f. 3. (in *privat.* et voluntas) non voluntas. *Tertull. Apolog.* 45. Ex involuntate vel necessitate delinquere. *involontariamente, o necessariamente.*

INVŎLŪTĒ, adverb. (involutus) occurrit translate tantum et est obscure. *Spartian. Caracall.* 2. Questus est de fratris insidiis involute et incondite.

INVŎLŪTĬO, ōnis, f. 3. (involvo) actus involvendi, vel res involuta, εἴλιγμα. *Vitruv.* 10. 11. Tabulæ pertegant etiam involutionem. *il raggiramento della vite o chiocciola.* *Cæl. Aurel.* 3. *Acut.* 11. Obtinente passione hydrophobica, tremor atque conductio nervorum, vox obtusa et velut latrabilis, corporis spiræ similis, sive canina involutio. *ravvolgimento tortuoso del cane quando si corica.*

INVŎLŪTO, as, are, a. 1. *frequentat.* ab involvo. *Apic.* 2. 1. Singula involutentur foliis lauri.

INVŎLŪTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INVOLVO, volvis, volvi, vŏlūtum, volvere, a. 3. (in et volvo). Part. *Involvens* in omnibus paragr.; *Involutus* in omnibus paragr. et in fin.; *Involvendus* II. 1. — Involvere est in aliquo loco, vel super aliquid volvere, volutare, convolvere, volvendo injicere, ἐνειλέω (It. *volgere, avvoltare*; Fr. *rouler sur, enrouler autour*; Hisp. *rodar, arrollar, envolver*; Germ. *dahin –, darauf rollen, wälzen*; Angl. *to tumble or roll upon*).

I.) Proprie. *Cæs.* 2. *B. G.* 11. Cupas de muro in musculum devolvunt: involutæ labuntur. *Virg.* 1. *G.* 281. Ter sunt conati imponere Pelio Ossam Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum. *Ovid.* 12. *Met.* 507. Saxa trabesque super totosque involvite montes. *Virg.* 12. *Æn.* 687. Fertur in abruptum mons, silvas armenta virosque Involvens secum. *seco traendo.* et *Id. ibid.* 291. ruit ille recedens, Et miser oppositis a tergo involvitur aris In caput inque humeros. *inciampa, intoppa e voltolandosi cade etc.* *Seneca Herc. fur.* 683. flexibus multis gravem involvit amnem. *raggira.* *Id. Herc. Œt.* 731. Involutos fluctus frangit Leucas opposita.

II.) Translate. ¶ 1. Est circumvolvere, circumplicare, volvendo contegere, *involgere, ravvolgere, inviluppare*. — a) Absolute. *Cic.* 6. *Verr.* 28. 65. Ut candelabrum id involutum quam occultissime deferrent. *Id.* 7. *ibid.* 60. 156. Qui capitibus involutis in piratarum numero producebantur, ut securi ferirentur. *incappucciati.* — b) Sæpissime occurrit *involvere aliquid aliqua re*, ut apud *Cæs.* 1. *C.* 75. Sinistras sagis involvunt gladiosque destringunt. *Petron. Satyr.* 26. Caput flammeolo involverat. *Justin.* 15. 3. 4. Manum amiculo involutam in os leonis immersit. *Scribon. Compos.* 180. Involvere manus linteo. Poetice *Sil. It.* 7. 460. assurgentem casside crinem involvere. *Cels.* 2. 17. Curiose involvendus vestimentis is est. *Sueton. Aug.* 83. Lodicula involutus. *Phædr.* 4. 1. mustela Involvit se farina, et obscuro loco Abjecit negligenter. *Ovid.* 4. *Fast.* 705. Captivam vulpem stipula fœnoque involvit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 24. 28. (84). *de araneis.* Namque et lacertarum catulos venantur, os primum tela involventes. *Tibull.* 3. 1. 9. Lutea sed niveum involvat membrana libellum. *Scribon. Compos.* 230. Auriscalpium lana involvere. Sic *Plin.* 28. *Hist. nat.* 4. 11. (46). Clavus lana involutus. *Paul. Dig.* 33. 10. 5. Pelles, quibus involvuntur vestimenta. *Seneca Thyest.* 624. Nube aliquem involvere. Sic *Sil. It.* 1. 311. mœnia nube. *Ovid.* 2. *Met.* 232. Involvi fumo. *Virg.* 2. *G.* 308. Ignis totum involvit flammis nemus. Sic *Sil. It.* 16. 120. Involvere comam flammā. et 5. 511. æstuius involvitur igni. Rursus *Virg.* 2. *Æn.* 251. nox Involvens umbra magna terramque polumque. Cf. *eumd.* 3. *ibid.* 198. Involvere diem nimbi. *copersero.* *Tac.* 1. *Ann.* 70. *de obruto exercitu vi tempestatis.* Nihil strenuus ab ignavo, consultus a casu differre: cuncta pari violentia involvebantur. Sic *Virg.* 6. *Æn.* 336. quos Obruit auster, aqua involvens navesque virosque. *Ammian.* 16. 12.

Floribus involuti. *Sil. It.* 12. 622. Involvere campos undis. Et poetice *Id.* 3. 312. Italiam bello. — c) Cum Ablativo et præpos. *in*. *Plin.* 31. *Hist. nat.* 9. 45. (100). Sal in linteolo involutus. — d) *Involvere aliquid alicui rei* raro admodum occurrit. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 23. 27. (77). Involvere aliquid corpori. *Sil. It.* 8. 637. apium examina se involvunt aquilis (*Romanis*). ¶ 2. Metaphorâ sumptâ e paragr. proxime superiore. *Cic.* 9. *Fam.* 20. *ad fin.* Ubi salutatio defluxit, litteris me involvo. *Horat.* 3. *Od.* 29. 54. mea Virtute me involvo. *Tac.* 16. *Ann.* 32. *extr.* Homo involutus fraudibus. *pieno di frodi.* *Plin.* 7. *Ep.* 3. Involvere se otio. *Id.* 1. *ibid.* 5. se laqueis insidiosæ interrogationis. *Cic.* 7. *Phil.* 6. 19. Pacis nomine bellum involutum reformido. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 15. 13. (62). Res multis involuta miraculis. *Id.* 2. *ibid.* 7. 5. (25). Quæ singula improvidam mortalitatem involvunt. *imbrogliano, imbarazzano, confondono.* *Lucan.* 7. 80. Involvet populos una Fortuna ruina. *h. e.* simul opprimat. ¶ 3. Hinc interdum est etiam tegere, obscurare. *Virg.* 6. *Æn.* 99. horrendas canit ambages, Obscuris vera involvens. *Ovid. Ib.* 57. historiis involvam carmina cæcis. *Tac.* 3. *Ann.* 63. Ut perspecto jure, et si qua iniquitas involveretur etc. *h. e.* lateret. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima superius exempla retulimus,

Involutus, a, um, adjective quoque usurpatur, unde Sup. *Involutissimus*, et est intricatus, obscurus. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 15. Res occultæ et ab ipsa natura involutæ. *Id.* 1. *Fin.* 9. 30. Occulta quædam et quasi involuta aperire. *Id. Orat.* 29. 102. Res involutas definiendo explicare. *Seneca* 6. *Quæst. nat.* 5. Res omnium maxima atque involutissima. — *Forcellinus* huc addit etiam illud *ejusd. Senec.* 2. *ibid.* 41. Adhibitis in consilium diis, quos superiores et involutos vocant. *nempe* antiquitus deorum simulacra vestibus circumvolvebantur, ut Diana Ephesia et plures Ægyptiorum dii, quin et ipsa Venus; eam enim primus Praxiteles nudam, teste *Plin.* 36. *Hist. nat.* 5. 4. (20)., exsculpsit.

INVOLVŎLUS *vel*

INVOLVŬLUS, i, m. 2. (involvo) vermiculus, qui et *convolvulus* dicitur, qui sese foliis arborum et vitium involvit et implicat, teste *Paul. Diac.* p. 112. 8. *Müll.* (qui leg. *involvus*), *punteruolo Bacco*, ἴψ, ἴουλος. *Plaut. Cist.* 4. 2. 63. L. Imitator bestiam nequam et damnificam. P. Quamnam, amabo? L. Involvulum, quæ in pampini folio intorta implicat sese. *V.* VOLUCRA.

INVULGĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

INVULGO *vel* involgo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* vulgo.) Part. *Invulgatus* in fin.; *Invulgandus* infr. — Invulgare est idem ac vulgare, divulgare, *divolgare*. — a) Cum Accusativo. *Gell.* 20. 5. Non recte eum fecisse, quod disciplinas ἀκροατικὰς, libris foras editis, invulgasset. *Id.* 4. 9. *a med.* Reformidanda sunt magis, quam invulganda. — b) Absolute et antique *involgo*. *Cic.* 2. *Att.* 1. Septima oratio, qua Catilinam emisi: octava, quam habui ad populum postridie quam Catilina profugit: nona in contione, quo die Allobroges invulgarunt. *h. e.* conjurationem in vulgus ediderunt, patefecerunt: alii minus recte leg. *invocarunt*, vel *indicarunt*. Consule *Cic.* 3. *Cat.* 4. — Hinc Part. prætor. pass.

Invulgatus, a, um, adjective occurrit, et est vulgatus, vulgaris, *pubblicato, volgare, basso.* *Gell.* 11. 7. Culpatius esse arbitror, verba nova, incognita, inaudita dicere, quam invulgata et sordentia. *Id. præfat. a med.* Non aspernentur, quasi nova invulgataque.

INVULNĔRĀBĬLIS, e, adject. (in *privat.* et vulnerabilis) qui vulnerari non potest, *invulnerabile*, ἀτραυμάτιστος. *Seneca Ep.* 9. et *Consol. ad Helv.* 13. Virtus animum undique invulnerabilem præstat. *Id.* 5. *Benef.* 5. Hostis invulnerabilis. *Vulgat. interpr.* 2. *Machab.* 8. 36. Prædicabat omne protectorem Deum habere Judæos, et ob ipsum invulnerabiles esse.

INVULNĔRĀTUS, a, um, adject. (in *privat.* et vulneratus) non vulneratus, *non ferito*, ἄτρωτος. *Cic. Sext.* 67. 140. Aut omnino invulnerati inviolatique vixerunt.

IO

IO, *iò, oh, ah*, interjectio exclamantis in aliquo affectu. — Raro monosyllabon est. *Martial.* 11. 2. Clamant ecce mei, Io Saturnalia! versus. Rectius fortasse dixeris, omissa ultimæ vocalis in *mei* elisione, eademque more Græcorum correpta, anapæstum pro dactylo fuisse usurpatum, sic *mĕī, ĭō*. *V.* FLUVIUS. — Occurrit ¶ 1. In vocando: hinc — a) Est instanter vocantis. *Ovid.* 5. *Met.* 625. Et bis, Io Arethusa, Io Arethusa, vocavit. — b) Usurpatur in invocatione. *Plaut. Cas.* 4. 3. 3. Io hymen hymenæe, io hymen. *Tibull.* 1. 1. 27. Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes Clamet io, messes et bona vina date. — c) Item in admonendo, de re magni momenti. *Ovid. Heroid.* 5. 118. Io, prohibe! Graja juvenca venit. *Virg.* 7. *Æn.* 400. Clamat, io matres, audite, ubicumque Latinæ. *olà.* Ubi *Servius* adscribit, vocem esse Bacchantium propriam. *Martial.* 5. 25. Ecquis, io, revocet? *V.* IOBACCHUS in ONOM. — d) Similiter in jubendo. *M. Aurel.* ad *Fronton.* 4. *ad M. Cæs. ep.* 5. Io, inquis puero tuo, vade quantum potes, de Apollinis bibliotheca has mihi orationes apporta. — Hinc derivata videtur interjectio illa *chiò*, qua utuntur vulgo nostrates homines, quum servum aliquem aut sodalem ad se compellant. ¶ 2. Usurpatur etiam in lætitia et plausu. *Tibull.* 2. 5. 121. lauro devinctus agresti Miles, io, magna voce, triumphe, canet. et 83. Laurus, io, bona signa dedit: gaudete coloni. *Ovid.* 2. *Art. am.* 1. Dicite, io Pæan, et io, bis dicite, Pæan. *Plin.* 3. *Ep.* 9. Io, io, liber ad te venio. ¶ 3. Item in admiratione. *Martial.* 8. 4. Quantus, io, Latias mundi conventus ad aras Suscipit, et solvit pro duce vota suo. ¶ 4. Interdum etiam in dolore. *Tibull.* 2. 4. 6. Uror! io, remove sæva puella faces! *Ovid.* 3. *Met.* 442. Ecquis, io silvæ, crudelius, inquit, amavit? — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

IŌHIĀ, interjectio renuentis, aut negantis. *Plaut. Merc.* 4. 3. 31. LY. Illa quidem est. DO. Quæ illa est? LY. Ille. DO. Iohia, illa! *Bothe* monstrum verbi esse putat, ideoque edidit *io, hias?* h. e. eja, quid hias? senex enim Lysimachus os subinde aperiens ad loquendum, nec quidquam proferens, recte *hiare* dicitur.

ION, ii, n. 2. ἴον. ¶ 1. Stricto sensu est viola, *violetta*. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 6. 14. (27). Ex iis (*violis*), quæ sponte apricis et macris locis proveniunt, purpureæ, latiore folio, statim ab radice carnoso, exeunt, solæque Græco nomine a ceteris discernuntur, appellatæ ia, et ab his ianthina vestis. *Id. ibid.* 11. 38. (64). Florum prima ver nunciantium viola alba: postea quæ ion appellatur. et purpurea: proxima flammea. *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 284. n. 186. HIC IACET OPTATVS PIETATIS NOBILIS INFANS, CVI PRECOR VT CINERES SINT IA SINTQVE ROSAE. ¶ 2. Latiori sensu est gemmæ violacei coloris, sed dilutioris. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 10. 61. (170). Ion apud Indos violacea est; rarum ut saturo colore luceat. *V.* IONIA.

ION, ōnis, m. 3. est pes ionicus. *Terentian.* p. 2428. *Putsch.* Est unus ion hic datus, at quinque trochæi, Vel quatuor insunt. et *ibid.* p. 2447. Quando Varro versus illos, ut diximus, ex ione natos Distinguat numero pedum minores.

IŌNĬA, æ, f. 1. subaudi *gemma*, est in genere ardentium gemmarum et sic appellatur a colore: *V.* ION, ii, 2. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 7. 29. (103). Secunda bonitate similis est Ionia, appellata a prætatis floribus. Ita Codices multi; alii vero habent *ionia*, alii *ionis*: *Ianus* legendum putat ἴοις; *Sillig.* denique ex duobus optimæ notæ Codicibus legit: *Secunda bonitate, quæ similis esset Jovis appellatis floribus.* *V.* et ibid. adnotata.

IŌNĬCĒ, adverb. (Ionicus) Ἰωνικῶς, more, vel lingua Ionum. *Gell.* 6. 15. Ἔσχον καὶ ἔσχον Ionice, a verbo ἔχω.

IŌTĂ, n. indeclin. nomen Græcum ejus litteræ, a qua ipsa hæc vox incipit, ἰῶτα. Vox est trisyllaba, sed Latino more aliquando disyllaba fit. *Cic.* 3. *Orat.* 12. 46. Ut iota litteram tollas et E plenissimum dicas. *Martial.* 2. 93. Unum de titulo tollere iota potes. — Si quando feminino genere effertur, littera subintelligitur. *Auson. Eidyll.* 20. *in monosyllab. de litteris*, 23. Ansis cincta duabus erit quum iota, leges Θ. — *Id.* declinavit etiam in casus *ibid.* 7. Littera sum iotæ similis, vox plena jubens I. — Iota longum apud *eumd. epigr.* 125. est mentula. Quid, imperite, tho putas ibi scriptum, Ubi locari iota convenit longum? — Iota est etiam nota musica. *Capell.* 9. p. 319. In Lydio modo rectum iota medio notat. Adde *eumd. ibid.* p. 321. et 325.

IŌTĂCISMUS, i, m. 2. Græca vox, et Græce melius adhibetur, ἰωτακισμός, et significat vitium sermonis, quum I litteram supra justum decorem in dictionibus pronunciando extenditur: vitium oris et linguæ, quod demonstrari scripto non potest. *Quintil.* 1. 5. 32.; *Diomed.* 2. p. 448. *Putsch.*; et *Isid.* 1. *Orig.* 31. — Apud *Capell.* 5. p. 167. est, quum in oratione sæpius, quam par est, I littera recurrit, ut si dicas Junio Juno Jovi jure irascitur.

IP

IPSE, a, um, pronomen demonstrativum. — *Ipsus* in recto casu est Comicis frequens. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 43. Te is ipsus coram præsens præsentem videt. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 5. Ipsus est, de quo hic agebam tecum. *Cato R. R.* 70. et 71. Bos ipsus sublimiter stet. *Cic.* quoque usurpavit, si *Diomedi* credimus, qui 1. p. 318. *Putsch.* Ipsus, inquit, quod est in comœdiis, est et apud Tullium. — Hinc neutrum *ipsud* legitur in *Gloss. Philox.* Ipsud, αὐτό. Adde *Pompej. comment. art. Donat.* p. 10., 29., 38. et alibi. — Et *ipsi* pro *ipsius*. *Afranius* apud *Priscian.* 6. p. 694. Ipsi me velle vestimenta dicito. *Sever. Ætn.* 218. in promptu est operis natura, solique Unde ipsi, et venti. — Genitivus *ipsius* in prosa oratione penultimam producit: poetice interdum corripit. *Virg.* 1. *G.* 452. Ipsius in vultu varios errare colores. *Id.* 1. *Æn.* 118. Ipsius ante oculos. — Particula *ce* addita vim addit demonstrandi. *Macrob.* 5. *Saturn.* 22. Quod epitheton ipsiusce legerat, sociæ ejus imposuit. — Superlat. *ipsissimus*, ut Græce αὐτότατος, est *Plauti Trin.* 4. 2. 146. Ergo ipsus ne es? CHAR. Ipsissimus. *stessissimo.* — Ceterum *ipse* ab *is* et enclitica *pse*. ¶ 1. Stricto sensu est pronomen demonstrativum primæ, secundæ et tertiæ personæ, quod cum alio pronomine junctum, ejus vim ac significationem accipit, et vicissim majorem demonstrandi vim addit, αὐτός (*It. esso, desso, egli*; *Fr. même, en personne, lui-même etc.*; *Hisp. él mismo, ella misma*; *Germ. selbst, eben er*; *Angl. himself, itself*). Occurrit — a) Generatim cum alio pronomine junctum; scilicet — Cum pron. *ego, tu, ille*, ut apud *Ter. Andr.* 1. 1. 121. Tute ipse his rebus finem præscripsisti pater. *Cic.* 1. *Tusc.* 17. 40. Ego ipse cum eodem ipso non invitus erraverim. *Id.* 2. *Att.* 1. *sub fin.* Me, illum ipsum vindicem æris alieni, ære circumforaneo obruerunt. *Id.* 2. *Divinat.* 28. 61. Quorum causas si a Chrysippo quæram, ipse ille divinationis auctor numquam illa dicet facta fortuito. *Id.* 3. *Orat.* 32. 129. Ipse ille Gorgias in illo ipso Platonis libro profitetur etc. *Id. post redit. in senat.* 2. 3. Illo ipso tempore. *in quel tempo appunto.* *Id.* 4. *Att.* 1. Illo ipso die, quo lex est lata. *in quello stesso dì.* Confer *eumd. ibid. ante med.* Natali suo ipso die. — Cum pron. *is*, ut apud *Cic. pro leg. Manil.* 12. 33. Ejus ipsius liberos, qui cum prædonibus bellum gesserat, a prædonibus esse sublatos. *Id. ibid.* 11. 30. Africa, quæ magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit. *Id.* 7. *Fam.* 23. *a med.* Ea ipsa hora. *Id.* 1. *Divinat.* 46. 101. Id ipsum est deos non putare, quæ ab iis significantur, contemnere. *è appunto lo stesso, che etc.* *Ter. Adelph.* 4. 4. 17. Ipsum id metuo ut credant. — Cum pron. *iste*, ut apud *Cic.* 7. *Att.* 3. *ante med.* Cur respublica, consule isto ipso, defensa non est? — Cum pron. *hic*, ut apud *Plaut. Bacch.* 5. 2. *in fin.* Lepide ipsi hi sunt capti. *Cic.* 1. *Orat.* 16. 73. In orationibus hisce ipsis. *Id.* 5. *Tusc.* 9. 26. Nisi idem hoc ipsum ad voluptatem referret. *Id.* 1. *Fin.* 16. 50. Hoc ipso, quod adest. *per questo appunto, che etc.* *Id.* 2. *Orat.* 6. 24. Meque, quum huc veni, hoc ipsum nihil agere et plane cessare, delectat. Nota et illud *ejusd.* 1. *Acad.* (*post.*) 1. 2. Ad hunc

eum ipsum quemdam instituit, quem etc. At *Orellius* bonis fretus Codicibus *eum* omittit. — *b*) Jungitur passim ipsis nominibus, atque emphasin addit. *Ter. Eun.* 5. 2. 66. Adest optime ipse frater. *Cic. Amic.* 23. 23. A multis ipsa virtus contemnitur. *Id.* 6. *Fam.* 10. Neque enim ipse Cæsar est alienus a nobis. *Horat.* 1. *Od.* 16. 12. nec tremendo Juppiter ipse ruens tumultu. *Liv.* 21. 11. Ipse Hannibal hortator aderat. Sic *Sil. It.* 9. 234. *de Hannibale.* celsus media ipse coercet Agmina. *Ovid.* 13. *Met.* 394. telum Expulit ipse cruor. *Sall. Jug.* 94. Natura serpentium, ipsa perniciosa, siti magis, quam alia re, accenditur. *per se stessa.* *Virg.* 3. *G.* 239. fluctus immane sonat per saxa neque ipso Monte minor. *minore d'un grande intero monte.* — *c*) Cum pronominibus *me, te, se,* sed fere in alio casu. *Ter. Adelph. prol.* 4. Indicio de se ipse erit. *Varro* 2. *R. R.* 4. 12. Ut se ipsa stans sustinere non possit. *Cic.* 6. *Fam.* 10. Agam per me ipse et moliar. *Id.* 3. *ibid.* 11. Mihi ipse assentor fortasse. *Sulpicius* apud *Cic.* 4. *Fam.* 5. Medici ipsi se curare non possunt. *Nepos Pausan.* 4. Priusquam se ipse indicasset. *Id. ibid.* 3. Dum se ipsa res aperiret. *Seneca* 3. *Benef.* 23. Illos quoque ad suos rediisse, et dominam sibi ipsos dedisse. — Interdum tamen et pronomen personæ et *ipse* in uno eodemque casu occurrunt. *Cic. Mur.* 3. 5. Ut eam (*legem*), quam mihimet ipsi jampridem tulerim de civium periculis defendendis, non abrogarem. Adde *eumd.* 1. *Orat.* 26. 121. *Forcellinus* huc retulit et illud *Plin.* 3. *Ep.* 4. Factum S. C., ut daret provincialibus patronus, si ab ipso me impetrassent. — *Per se ipsum* est ipsum solum. *Cic. Harusp. resp.* 17. 36. Hoc quid sit, per se ipsum non facile interpretor; sed ex eo, quod sequitur, suspicor, etc. *da se solo.* — *d*) Cum relativo *qui, quæ, quod.* *Cic. Mur.* 25. 50. Quum miserorum fidelem defensorem negasset inveniri posse, nisi eum, qui ipse miser esset. *Id.* 12. *Att.* 21. *sub fin.* Quod ipsum erat fortis ægroti, accipere medicinam. *Sueton. Tib.* 23. Quo et ipso aucta est suspicio opinantium etc. *Justin.* 1. 9. 19. Quibus ne ipsis quidem animus defuit. — *e*) Absolute. — Generatim. *Cic. Amic.* 22. 82. Amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt: quæque ipsi non tribuunt amicis, hæc ab eis desiderant. Par est autem, primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quærere. *che uno sia uomo da bene, e poi etc.* *Id.* 2. *Divinat.* 40. 83. Hoc est ipsum esse contra se copiosum et disertum. — Specialim, ita et *ipse* ad eamdem personam aut rem referuntur, et *ipse* absolute secundo loco ponitur. *Liv.* 5. 43. Obsidionem parant: cujus ad id tempus immemores, et, quod in urbe fuerat, frumentum incendiis urbis absumpserant, et ex agris per ipsos dies raptum omne Vejos erat. *plenius foret per eos ipsos dies.* *Curt.* 3. 10. 15. Inesperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem ejus (*Alexandri*), etiam a latere ipsius, pecunia sollicitaret hostis. *Sueton. Gramm.* 7. Cetera scripta discipulorum ejus esse, non ipsius, etc. *Id. Rhet.* 3. Cn. Pompejum Magnum (*Voltacilius Plotus*) docuit, patrisque ejus res gestas, nec minus ipsius compluribus libris exposuit. ¶ 2. Latiori sensu *ipse* est sponte, per se. *Cic.* 1. *Divinat.* 34. 74. In templo Herculis valvæ clausæ repagulis subito se ipsæ aperuerunt. *Id.* 1. *Off.* 22. 77. Consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. ¶ 3. Pro *ego, me, nos* aliquando ponitur et aliquid emphasis habet. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. *extr.* Urbanam expolitionem urget illam quidem et Philotimus et Cincius; sed etiam ipse crebro interviso. *io in persona.* *Ovid.* 8. *Met.* 620. Quoque minus dubites; tiliæ contermina quercus Collibus et Phrygiis, modico circumdata muro. Ipse locum vidi. Cf. *Virg.* 12. *Æn.* 638. Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem Murranum etc. *Id.* 1. *Ecl.* 10. et ipsum Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti. *h. e.* me. *Quintil.* 11. 1. 12. Ipsos erubescere, etiam quum ab aliis laudabimur, decet. ¶ 4. Eleganter adhibetur ad designandum determinatum tempus, aut numerum. *Ter. Andr.* 5. 6. 10. O Charine, in tempore ipso mihi advenis! *appunto quando io ti voleva.* *Cic. Sext.* 63. 131. Quum ipsis Nonis Sext. idem dies adventus mei fuisset, natalis idem carissimæ filiæ. *appunto ai cinque d'agosto.* et *Id.* 3. *Att.* 21. Triginta dies erant ipsi, quum has dabam litteras, per quos nullas a vobis acceperam. *erano trenta dì intieri.* et *Id. Cæcin.* 10. 28. Quum dixisset, minus abesse LIII., populus cum risu acclamavit, ipsa esse. *tanti essere per l'appunto.* et *Id. Brut.* 15. 61. Qui L. Marcio, M. Manilio coss. mortuus est, annis octoginta tribus ipsis ante me consulem. *ottanta tre in punto.* et *Id.* 6. *Fam.* 18. Ipsas undecim esse legiones. ¶ 5. Interdum *ipse* (quemadmodum et *ille*) dicitur de eo, qui satis notus est, et licet non nominetur, statim tamen, quis sit, intelligitur. — Sic ancillæ et servi de hero vel hera usurpant. *Plaut. Cas.* 4. 2. 10. Quid tu hic agis? ANCILLA. Ego eo, quo me ipsa misit. *h. e.* hera. Cf. *Catull.* 3. 6. Nam (*passer*) mellitus erat, suamque norat Ipsam tam bene, quam puella matrem. *h. e.* Lesbiam heram suam. — Huc pertinet illud *ipse dixit*, αὐτὸς ἔφα, quod de Pythagora magistro suo discipuli usurpabant, apud *Quintil.* 11. 1. 27. Cf. *Cic.* 1. *Nat. D.* 5. 10. Nec vero probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus, quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, quum ex iis quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, *ipse dixit*: ipse autem erat Pythagoras. — Similiter *ipsi* de remigibus ratione habita navis dixit *Liv.* 30. 25. Navis tantum jactura facta, incolumes ipsi evaserunt. *V.* integr. locum. ¶ 6. Interdum vim relativi habet. *Ter. Eun.* 2. 2. 32. Tamquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis vocabula. *h. e.* ex ipsis philosophis. ¶ 7. Et reciproci. *Nepos Hann.* 2. Ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tamquam ab ipsis corruptum. *h. e.* a se. Sic *Seneca* 3. *Benef.* 23. Quærentibus, quænam esset, dominam, et quidem crudelissimam, ad supplicium ab ipsis duci, professi sunt. *Curt.* 8. 12. *in fin.* Invidos homines nihil aliud, quam ipsorum esse tormenta. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (196). Medicinam Ægyptii apud ipsos volunt repertam.

IPSĔPLEX, icis, m. 3. (ipse et plico) qui ipse per se plicatur: ut *multiplex*, qui multum plicatur. *Gloss. Philox.* ipsiplices, αὐτόπτυκτα φύλλα.

IPSILLES. *V.* IPSULLICES.

IPSIPPE, ipsi, neque alii. *Paul. Diac.* p. 105. 9. *Müll.*, ubi notant critici, *ipsipte* legi posse, ut *mihipte, eopte.* At *Nic. Ignarra* in *Opusc.* p. 65. putat legendum *ipsipse*, atque etiam in *Gloss. Philox.* pro mendosa *Iosipse*, αὐτός, reponendum *ipsipse*, αὐταυτός. Hæc enim vox in Græca inscriptione ibidem ab eodem allata legitur.

IPSŬLÆ. *V.* SALISUBSULUS.

IPSULLĬCES vel ipsilices bracteæ in virilem muliebremque speciem expressæ. *Paul. Diac.* p. 105. 14. *Müll.*, ubi quidam suspicantur, intelligi imagunculas, quibus magi in amatoriis sacrificiis utebantur, ut eos, quos referebant, ad amandum illicerent: ab *ipse* et *illex.* Dicuntur et *ipsilles*, et *subsilles.* De quibus *Festus* p. 306. 23. *Müll.* Subsilles sunt, quas aliter ipsilles vocant, lamellæ necessariæ sacris, quæ ad rem divinam conferre dicuntur maxime, specie virum ac mulierum.

IPSUS, a, um. *V.* IPSE init.

IR

IR. *V.* HIR.

ĪRA, æ, f. 1. *Irai* pro *iræ* more suo dixit *Lucret.* 3.° 304. — Ira est dolor animi vehemens ob injuriam, unde est cupido vindictæ. De ea scripsit *Seneca* libris tribus; in quorum 1.° c. 1., 2.° c. 35. et 3.° c. 4. irati hominis habitum ipse depingit. Gr. ὀργή (It. *ira, sdegno, collera*; Fr. *colère, courroux, ressentiment, rage, fureur*; Hisp. *colera, ira, rabia*; Germ. d. *Zorn*; Angl. *anger, displeasure, wrath, passion, choler, ire, rage, resentment, pique*).

I.) Proprie. — *a*) In singulari, et aliquando in plurali num. præcipue apud Poetas. *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 21. Ira est libido puniendi ejus, qui videatur læsisse injuria. *Horat.* 1. *Ep.* 2. 62. Ira furor brevis est. *Cic.* 4. *Tusc.* 23. 52. Quam bene Ennius iram initium esse dixit insaniæ. *Id.* 1. *Off.* 38. 136. Ira procul absit, cum qua nihil recte fieri potest. *Id.* 4. *Tusc.* 37. 79. Facere aliquid per iram. *Auct. B. Afr.* 46. Ira percitus. *Id. ibid.* 85.; et *Nepos Pelop. sub fin.* Ira et dolore incensus. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 35. Quibus iris impulsus etc. *Justin.* 9. 7. 8. His stimulis irarum utrique Pausaniam – ad tantum facinus impulisse creduntur. *Cic.* vertens *Homeri* locum 3. *Tusc.* 9. 18. Corque meum penitus turgescit tristibus iris. *Sall. Cat.* 32. Ira commotus. *Liv.* 29. 15. Ira irritata est. *Virg.* 2. *Æn.* 594. quis indomitas tantus dolor excitat iras? *Stat.* 4. *Theb.* 230. iras alicui ingenerare. *Ammian.* 19. 11. Iras parare in aliquem. *Virg.* 2. *Æn.* 316. furor iraque mentem Præcipitant. *Id.* 12. *ibid.* 590. Iram acuere. *Sil. It.* 11. 7. iras servare repostas. *Id.* 1. 38. cunctas sibi induere. *Id.* 17. 443. accendere. *Tac.* 2. *Hist.* 48. asperare. *Virg.* 2. *Æn.* 381. attollere. *Ter. Hecyr.* 3. 1. 33. concire. *Id. ibid.* 4. 1. 47. Ira incendi. *Val. Flacc.* 7. 294. æstuare. *Justin.* 5. 10. *in fin.* Iram concipere. *Val. Flacc.* 6. 556. caussa ira frendere. *Id.* 3. 637. Irâ fluctuare. *Id.* 1. 748. Irarum ignes concipere. *Ovid.* 4. *Pont.* 14. 41. Iram concitare. *Ter. Adelph.* 3. 2. 14. evomere in aliquem. *Horat. Epod.* 5. 54. vertere in aliquem. *Petron. Satyr.* 139. satiare. *Liv.* 23. 3. indulgere iræ. *Val. Flacc.* 1. 673. consurgere in iras. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Nat. D.* 25. 65. iram omnem recludere. *Id.* apud *Servium* ad *Virg.* 12. *Æn.* 499. irarumque effunde quadrigas. *Virg.* 12. *Æn.* 499. irarumque omnes effundit habenas. *Id. ibid.* 314. Iram cohibere. *Petron. Satyr.* 94. exstinguere. *Seneca Med.* 381. comprimere. *Id. ibid.* 866. frenare. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 4. contundere. *Tibull.* 1. 7. 64.; et *Justin.* 9. 8. 9. vincere. *Val. Flacc.* 2. 315.; et *Quintil.* 6. 3. 9. frangere. *Quintil.* 3. 8. 12. lenire. *Virg.* 1. *Æn.* 61. temperare. *Horat. Art. P.* 160. ponere. *Id.* 1. *Ep.* 2. 59. moderari iræ. *Cic.* 4. *Tusc.* 36. 78. Ira defervescit. *Liv.* 40. 8. deflagrat. *Ter. Hecyr.* 3. 5. 55. decedit. *Id. Andr.* 3. 3. 20. Iræ sunt inter aliquos. *Id. Hecyr.* 3. 1. 25. Ira inter eas intercessit. *Val. Flacc.* 7. 34. talique effunditur ira. *h. e.* hujusmodi voces iratas profert. *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 81. Sed numquam dederis spatiosum tempus in iram. — *Iræ esse alicui* est iram movere. *Virg.* 10. *Æn.* 714. Haud aliter justæ quibus est Mezentius iræ. *Macrob.* 6. *Saturn.* 6. Odio esse aliquem, usitatum: iræ esse, inventum Maronis est. — *b*) Cum Infinito. *Virg.* 2. *Æn.* 575. subit ira cadentem Ulcisci patriam. — *c*) *Ira alicujus rei*, seu cum Genitivo rei, est quæ ob rem aliquam oritur. *Liv.* 27. 7. *ad fin.* Qui ex prætoris exercitu ob similis iram fugæ missi eo ab senatu fuerant. Sic *Id.* 1. 5. Ira prædæ amissæ. *Id.* 21. 2. domini interfecti. *Id.* 37. 51. provinciæ ereptæ. *Id.* 4. 50. quæstionis. *Id.* 4. 58. dictatoris creati. — Hinc passive *Id. Liv.* 2. 61. Numquam ante tam invisus plebi reus ad judicium vocatus populi est: plenus suarum, plenus paternarum irarum. *odiosità.*

II.) Translate. ¶ 1. Tribuitur abstractis et rebus physicis. *Sall. fragm.* apud *Priscian.* 10. p. 887. *Putsch.* Nisi quum ira belli desenuisset. *Val. Flacc.* 7. 149. ipsum horrisoni quatit ira flagelli. *Id.* 1. 37. Ira maris. *Sil. It.* 17. 254. ventorum. *Grat. Cyneg.* 418. morbi. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 25. tunc fulva Leonis Ira perit. *h. e.* splendor, aut calor sideris Leonis. *Id.* 1. *Rapt. Pros.* 146. caput inde Pachyni Respuit Ionias prætentis rupibus iras. *h. e.* fluctus et procellas. ¶ 2. Metonymia est in illo *Ovidii* 4. *Pont.* 3. 21. dic aliquam, quæ te mutaverit, iram. et *Grat. Cyneg.* 374. commissam ulciscitur iram. *h. e.* injuriam, ex qua ira orta est. et *Sil. It.* 7. 344. renovant tela – et dant mucronibus iras. *h. e.* saxo asperant. Similiter *Virg.* 3. 214. Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla Pestis et ira deûm Stygiis sese extulit undis. *h. e.* pœna, *pena, gastigo, punizione.*

ĪRĂCUNDĒ, adverb. (iracundus). Comp. *Iracundius.* — Iracunde est cum iracundia, irate, *con isdegno, sdegnosamente,* ὀργίλως. *Cic.* 8. *Phil.* 5. 16. Vehementer me tecum agere fateor; iracunde nego. *Id. Rosc. com.* 11. 31. Quo quisque est ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius. *Justin.* 12. 6. 6. Iracunde accipere aliquid. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 51. (143). Iracunde ferre aliquid.

ĪRĂCUNDĬA, æ, f. 1. (iracundus) proclivitas in iram, ὀργιλότης (It. *iracondia, sdegno, collera*; Fr. *penchant à la colère, humeur irascible, irascibilité*; Hisp. *irascibilidad*; Germ. d. *Neigung z. Zorn, d. Jähzorn, Hitze, hitziges Temperament, heftiger Zorn*; Angl. *a readiness or natural inclination to be angry, hastiness of temper, choleriness, irascibility*). *Verrius*, sive *Festus*, sive

Paulus (*Diac.* p. 106. 6. *Müll.*) dicit iracundiam dictam esse, quod iram incendat, quasi conflata sit ex *ira* et veteri *cando*, unde *accendo* et *incendo*. Sed hoc ineptum videtur. Quid enim fiet *facundia*? — Differt ab ira, quia iracundia est vitium, ira est motus animi ad tempus. *Cic.* 4. *Tusc.* 12. 27. Ex quo in aliis anxietas, unde anxii; in aliis iracundia dicitur, quæ ab ira differt: estque aliud iracundum esse, aliud iratum; ut differt anxietas ab angore. Neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando; neque anxii semper anguntur: ut inter ebrietatem et ebriositatem interest; aliudque est esse amatorem, aliud amantem. Hæc *Cic.* Adde *Sueton.* qui ait *Claud.* 38. Iræ atque iracundiæ conscius sibi, utrumque excusavit edicto. Sed hæc differentia non observatur: ac sæpe pro ira ponitur. — *a*) In singulari num. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 44. 135. Ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant. *Id. Harusp. resp.* 2. 3. Qui hesterno die dolore me elatum, et iracundia longius prope digressum arbitrabantur, quam sapientis hominis progitata ratio postularet. *Ter. Adelph.* 3. 2. 12. Ardere iracundiâ. *Id. Heaut.* 5. 1. 47. Præ iracundia vix sum apud me. *Id. Adelph.* 5. 3. 8. Iracundiam reprimere. *Id. ibid.* 4. 7. 37. omittere. *Cic.* 8. *Phil.* 6. 19. remittere. *Id. Marcell.* 3. 8. cohibere. *Cæs.* 1. *B. C.* 8. suam reipublicæ dimittere. *Id.* 3. *ibid.* 16. Esse summa iracundia. *Cic.* 2. *Orat.* 75. 305. Iracundia efferri. *Id.* 4. *Verr.* 20. 48. exardescere et stomacho. *Id.* 4. *Tusc.* 22. 50. inflammari. *Id.* 10. *Fam.* 23. Iracundiam habere. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. iracundiam excipere. *Id. Prov. cons.* 1. 2. Iracundiæ servire. *Macrob.* 4. *Saturn.* 2. Fluctuare inter æstus iracundiæ. *Curt.* 10. 5. *ad fin.* Iracundiam irritare, aut mitigare. *Petron. Satyr.* 97. sedare. *Sall. Cat.* 50. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. — *b*) In plurali num. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Iracundias domitas habere. *Ammian.* 29. 2. Resistere cupiditati omnium rerum et implacabilibus iracundiis.

ĪRĀCUNDĬTER, adverb. (iracundus) idem atque iracunde. *Cæcilius* apud *Non.* p. 511. 33. *Merc.* Temere rem agere et iracunditer. Adde *Ennium* apud *Priscian.* 15. p. 1010. *Putsch.*

ĪRĀCUNDUS, a, um, adject. (ira). Comp. *Iracundior* et Sup. *Iracundissimus.* — Iracundus est qui natura ad iram proclivis est, et ex parva, vel nulla causa irascitur. Differt ab *iratus*: quia *iratus* dicitur, qui ira concitatus est; *iracundus*, qui facilis est ad iram, etiamsi tunc nulla ira movetur: *V.* IRACUNDIA sub init. Gr. ὀργίλος (It. *collerico, iracondo*; Fr. *enclin à la colère, irascible, irritable, colère*; Hisp. *irascible, colérico, iracundo*; Germ. z. *Zorn geneigt, jähzornig, rachsüchtig, hitzig, heftig, im Zorn*; Angl. *choleric, irascible, angry, raging*). Occurrit — *a*) De hominibus et brutis. — Absolute. *Cic. Senect.* 18. 65. Sunt morosi et anxii et iracundi et difficiles senes. *Id.* 5. *Phil.* 9. 24. impotens, iracundus, contumeliosus, superbus. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Homo barbarus, iracundus, temerarius. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 29. iracundior est paullo. *Seneca* 2. *Ira* 6. *extr.* Aut iniquus erit sapiens, si æqualiter irascetur delictis inæqualibus; aut iracundissimus, si etc. *Ovid.* 15. *Met.* 86. Armeniæque tigres iracundique leones. — Cum additis. *Cic. Planc.* 26. 63. Iracundum esse in aliquem. *Justin.* 7. 6. *in fin.* adversus aliquem. — *b*) De abstractis et rebus physicis. *Lucret.* 3. 295. quibus acria corda iracundaque mens facile effervescit in ira. *Ammian.* 14. 5. Accedebant iracundæ suspicionum quantitati proximorum cruentæ blanditiæ. *Horat.* 1. *Od.* 15. 33. Iracunda diem proferet Ilio Matronisque Phrygum classis Achillei. *Id. ibid.* 3. *in fin.* neque Per nostrum patimur scelus Iracunda Jovem ponere fulmina.

ĪRASCENTĬA, æ, f. 1. (irascor) iracundia. *Apul.* 1. *Dogm. Plat.* Irascentiam ad domicilium cordis deductam esse. *et ibid. sub fin.* Irascentiam subigere.

ĪRASCĬBĬLIS, e, adject. (irascor) qui facile irascitur, iracundus. *Firmic.* 5. *Mathes.* 9. Irascibilem effici. Adde *Boeth.* p. 691.

ĪRASCĪTĪVUS, a, um, adject. (irascor) idem atque irascibilis. *Hieronym.* 1. *in Ezech.* 1. 7. Plerique, juxta Platonem, rationale animæ et irascitivum et concupiscitivum, quod ille λογικὸν et θυμικὸν et ἐπιθυμητικὸν vocat, ad hominem et leonem ac vitulum referunt. Quod *Hieronym. loc. cit.* vocat *irascitivum*, id *Tertull. Anim.* 16. appellat *indignativum*; *Cic.* vero 1. *Divinat.* 29. 61. vocat *eam animi partem, in qua irarum exsistit ardor.*

ĪRASCOR, irascĕris, īrātus sum, irasci, dep. 3. (ira). Primam syllabam male corripuit *Alex. Sev.* in *carm.* hendecasyllabo apud *Lamprid. Alex. Sev.* 38. Si verum putas esse, non irascor. — *Irascere* activa forma, pro *irasci*, usi sunt *Pomponius* et *Nigidius* apud *Non.* p. 127. 8. *Merc.* — Hinc etiam passive *M. Aurel.* apud *Fronton.* 5. *ad M. Cæs.* 23. Diutius laborandum est, ut factum credatur, quam ut irascatur. — Part. *Irascens* I. et II.; *Iratus* in fin. — Irasci est iram concipere, ira incendi, succensere, ὀργίζομαι (It. *adirarsi, corrucciarsi, andare in collera*; Fr. *se mettre en colère, s'indigner, s'emporter, s'irriter*; Hisp. *indignarse, irritarse, enfadarse*; Germ. *zürnen*; Angl. *to be angry or enraged, be in a rage, be hot with anger*).

I.) Proprie usurpatur de hominibus et brutis animantibus; et quidem — *a*) Absolute. *Plaut. Capt.* 4. 2. 60. Noli irascier. *paragoge.* Adde *Ter. Adelph.* 1. 2. 86. *Cic.* 3. *Tusc.* 9. 19. Numquam sapiens irascitur: nam si irascitur, etiam concupiscit. *Id. Brut.* 93. 326. Sæpe videbam quum irridentem, tum etiam irascentem et stomachantem Philippum. *Propert.* 3. 22. 12. Irascor, quoniam es, lente, moratus heri. *Ovid.* 6. *Met.* 269. Mirantem potuisse; irascentemque, quod ausi Hoc essent Superi. *Petron. Satyr.* 139. *extr.* Vix fieri posse, ut rabies irascentis sine verbere considat. *Quintil. Declam.* 9. 3. Hic irascendo pertinax erit; ille incendendo contumax. *Gell.* 1. 26. Hæc super irascendo sentio. — *b*) Cum Dativo, et quidem — Personæ. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 30. Irasci alicui. *Id. Merc. prol.* 37. alicui ob multiloquium. *Cic.* 8. *Phil.* 5. 16. Omnino irasci amicis non temere soleo. *Id.* 15. *Att.* 17. Arabioni de Sitio nihil irascor. *Cæs.* 1. *B. C.* 8. Graviter irasci inimicis. *Cic. Rosc. com.* 16. 46. Ex perfidia et malitia dii immortales hominibus irasci et succensere consuerunt. Adde *Nepot. Att.* 17.; *Sueton. Aug.* 66.; et *Tac.* 1. *Ann.* 13. — Cum Dativo rei. *Nepos Epam.* 7. Se patriæ irasci nefas esse ducebat. *Quintil.* 2. 6. 3. Admonitioni alicujus irasci. Adde *eumd.* 8. 2. 23. *Ovid. Heroid.* 1. 68. Irascor votis heu! levis ipsa meis. *Id.* 9. *Met.* 209. Sternentemque trabes irascentemque videres Montibus. *Al. leg.* incursantemque. — *c*) Cum Accusativo rei et præpos. in. *Virg.* 12. *Æn.* 104. taurus irasci in cornua tentat, Arboris obnixus trunco. — *d*) Cum Ablativo rei et præpos. de. *Plaut. Truc.* 4. 2. 56. Irasci de nihilo. — *e*) Cum Accusativo rei. *Cato* apud *Gell.* 7. 3. *a med.* Id ne irasciminì, si quis superbior est, quam vos? *Gell.* 19. 12. *extr.* Nihil dolent, nihil irascuntur. *Liv.* 34. 32. Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascaris. *In Suppositis Mercatoris Plautini, Scæna, quæ incipit*: Syra non redit; v. 15. Istuc dictum tibi non amplius irascor.

II.) Figurate tribuitur inanimis. *Petron. Satyr.* 101. *extr.* Quum pelago ventus irascitur. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 36. 60. (128). Color irascenti similis mari. — Hinc Part.

Iratus, a, um, adjective usurpatur, unde Comp. *Iratior* et Sup. *Iratissimus* I.; et est ira commotus, *irato, adirato, corrucciato, adegnato*, ὀργισθείς.

I.) Proprie de hominibus. Irati descriptionem habes apud *Senec.* 1. *Ira* 1., 2. *ibid.* 35. et 3. *ibid.* 4. Hinc *Cic.* 4. *Tusc.* 36. 78. Archytas quum villico factus esset iratior, Quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem? *Ennius* apud *Non.* p. 505. 25. *Merc.* Nam neque irati, neque blandi quidquam sincere sonunt. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 30. Numquid iratus es mihi propter has res? *Cic.* 8. *Phil.* 6. 19. Cæsar illis fuerat iratissimus. *Id.* 1. *Orat.* 51. 220. Iratum adversario judicem facere. *Id.* 14. *Att.* 19. Habere aliquem iratum. *Id. Flacc.* 4. 11. Quam iratus de judicio et de villico! *Varro* apud *Non.* p. 82. 12. *Merc.* Neque irato mihi habenas dedi numquam, neque cupiditati non imposui frenos. *Nepos Cat.* 2. Neque hoc per senatum efficere potuit: qua ex re iratus etc. *Plin.* 3. *Ep.* 9. *a med.* Iratus, quod avocatus esset invitus. *Phædr.* 4. 19. *extr.* Diis iratis natus. — Huc referri possunt et illa *Propert.* 4. 8. 57. Iratos ungues in vultum alicujus conjicere. et 3. 23. 30. Irata janua fracta manu.

II.) Figurate de inanimis. *Horat. Epod.* 2. 6. Iratum mare. *tempestoso, in furia.* Sic *Propert.* 4. 6. 28. Irati venti. *Petron. Satyr.* 114. fluctus. *Horat.* 1. *Sat.* 8. 5. Quæ prima iratum ventrem placaverit esca. *affamato.* *Propert.* 4. 9. 62. Irata sitis. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 426. Irati vultus Lunæ. *h. e.* rubentes.

ĪRĀTĒ, adverb. (iratus). Comp. *Iratius.* — Irate est cum ira, *iratamente, con ira*, χαλεπῶς, ἐπικότως. *Phædr.* 4. 24. ne irate dimissum te sentiam, Ad cœnam mihi promitte. *Al. aliter leg.* Certa est lectio apud *Colum.* 7. *R. R.* 12. 5. Ut nonnumquam etiam conservos iratius intueantur.

ĪRĀTUS, a, um. *V.* IRASCOR in fin.

IRCENS. *V.* voc. seq.

IRCĒUS, genus farciminis in sacrificiis. *Paul. Diac.* p. 114. 1. *Müll.* et *Id.* p. 105. 4. Ircens, genus farciminis, ubi *Dac.* legendum jubet *irceus*. Putant autem esse ab *hircus*, omissa aspiratione, et farcimen ex hircino sanguine significare.

IRCUS, i, m. 2. pro *hircus*, omissa aspiratione, dixerunt veteres Latini, teste *Quintil.* 1. 5. 20. *V.* HIRCUS.

ĪRĒNARCHA *vel* irenarches, æ, m. 1. εἰρηνάρχης, *paciere*, magistratus ad id constitutus, ut, ad provincialium tutelam, quietis et pacis per singula territoria concordiam stare faciat, ut habetur in *Cod.* 10. 75. ab εἰρήνη *pax* et ἀρχὸς *princeps.* Sic *Arcad. Dig.* 50. 4. 18. Irenarchæ, qui disciplinæ publicæ et corrigendis moribus (*al. leg.* motibus) præficiuntur. *Martian. ibid.* 48. 3. 6. Ut irenarchæ, quum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis et receptoribus etc. — *Irenarcha* dicitur *præfectus pacis* ab *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 8. 8. 9. Si quis intercessor, aut creditor, aut præfectus pacis, aut decurio in hac re fuerit detectus, a rectoribus provinciarum capitali sententia subjugetur.

IRI et IRIER. *V.* EO, is.

ĪRĬCŎLOR, ōris, adject. (iris et color) iridis colores referens. *Auson. Epist.* 3. 15. Iricolor pluma columbæ.

ĪRĬNUS, a, um, adject. ἴρινος, ad iridem herbam pertinens, ut *irinum oleum*, seu *unguentum*, et *irinum* absolute, quod ex ejus radice fit. *Plin.* 30. *Hist. nat.* 14. 43. (127). Irino succo perunctus. Adde *eumd.* 13. *ibid.* 1. 2. (5)., 20. *ibid.* 17. 71. (183). et 21. *ibid.* 7. 19. (42).; *Cels.* 2. 33. *sub fin.*; et *Scribon. Compos.* 189. *V.* IRIS II. 1.

ĪRĬO, ōnis, m. 3. genus frugis sesamæ simile, fruticosum, foliis erucæ, semine nasturtii, ut *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 75. (158). describit. *Id.* 18. *ibid.* 7. 10. (58). et 10. 22. (96). enumerat inter æstiva frumenta, *h. e.* quæ æstate seruntur. Dicitur etiam *erysimum*, ἐρύσιμον, quam voc. V.

ĪRIS, is, *sæpius quam* idis, f. 3. ἶρις, colores varii in nubibus impressi, et in modum ingentis arcus conformati, qui ex radiis solis uvidis nubibus impressis fiunt (It. *arco celeste, iride*; Fr. *l'arc-en-ciel*; Hisp. *arco iris, arco celeste*; Germ. *d. Regenbogen*; Angl. *the rainbow*).

I.) Proprie. De iri multa *Seneca* 1. *Quæst. nat.* 3. et *seqq.*; *Plin.* 2. *Hist. nat.* 59. 60. (150).; et *Ammian.* 20. 11. *a med.* — In fabulis est filia Thaumantis et Electræ, ut est apud *Hygin. præf.*, nuncia non solum Junonis et dearum, sed etiam Jovis et ceterorum deorum, ut docet *Servius* ad 5. *Æn.* 606., ubi *Virg.* Irim de cælo misit Saturnia Juno Iliacam ad classem. et ad 9. *Æn.* 16., ubi *Virg.* 803. aeriam cælo nam Juppiter Irim Demisit. et 18. Iri, decus cæli, quis te mihi nubibus actam Detulit in terras? *Id.* 4. *ibid. in fin.* Iris croceis per cælum roscida pennis, Mille trahens varios adverso sole colores Devolat. *Ovid.* 1. *Met.* 270. varios induta colores Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert. *et* 14. *ibid.* 830. Iris ad Hersiliam descendere limite curvo Imperat. *Auson. in perioch.* 2. *Iliad.* Iride ita monente. *et perioch.* 15. Minaciter per Iridem conterritus. — De Iride habes XII. epigrammata, tribus quæque versibus exarata, in *Anthol. Lat. Burmann. T.* 2. p. 308. et seq.

II.) Figurate. ¶ 1. Iris est herba (Italice *ghiag-*

giuolo), gladioli foliis, sed majoribus, radice odorata (ex qua irinum unguentum fit), flore colorum varietatem cœlestem arcum referente. *Plin.* multa de ea 21. *Hist. nat.* 7. 19. (40)., item *ibid.* 20. 83. (140)., ubi varios ejus usus tradit in medicina. *Pallad.* 1. *R. R.* 37. Hyacinthus, qui iris, vel gladiolus dicitur similitudine foliorum. *Cato R. R.* 107. Iris aridæ contusæ heminam infundito, et sertam Campanicam una cum iri contundas. *Colum.* 12. *R. R.* 27. 2. Irim bene pinsitam addito. *Id. ibid.* 53. 2. Junci radicis, tum etiam iridis Græcæ pari pondere. Adde *Isid.* 17. *Orig.* 9. 9. ¶ 2. Item gemma (*cristallo iridata o ad iride*), quæ sub tecto percussa sole, species et colores arcus cœlestis in proximos parietes ejaculatur, subinde mutans, magnaque varietate admirationem sui augens. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 52. (136). Confer *Solin.* 46. — *V.* et ONOM.

IRĪTIS, is, f. 3. gemma, similis iri (*V.* voc. præced. 2.), sed prædura. *Plin.* 37. *Hist. nat.* 9. 52. (138)., ubi *Silliq.* ex Codice Bamberg. leg. *iritis*; vulgati vero libri habent *iris*; alii Codices alia.

IRNEA et

IRNEUS, IRNELLA, IRNULA. *V.* HIRNEA, HIRNEUS, HIRNELLA, HIRNULA.

ĪRŌNIA, æ, f. 1. εἰρωνεία, *ironia*, Latine *inversio*, *dissimulatio* et *illusio*, figura est rhetorum, allegoriæ species, qua non solum aliud verbis, aliud sensu ostenditur, ut in allegoria, sed omnino contrarium significatur. Duplex est, alia tropi, seu verborum; alia schematis, seu sententiarum, ut *Quintil.* 9. 1. 3. et 2. 97. docet. Illa in paucis verbis, hæc in tota sententia conspicitur. Plures ejus species enumerat *Id. cit. cap.* 2. *ante med.*, monetque, et jocos, et totam interdum causæ conformationem, tum etiam vitam alicujus universam, ironiam habere, qualis est visa Socratis, qui ideo dictus εἴρων, id est agens imperitum, et admirator aliorum tamquam sapientium. *Fronto* 3. *ad M. Cæs.* 15. Quo ex homine (*scil.* Socrate) nata inversa oratio videtur, quam Græci εἰρωνείαν appellant. *Cic.* 2. *Orat.* 67. 270. Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus præstitisse. *Id. Brut.* 85. 292. Ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse, facetam et elegantem puto. *Id. ibid.* 87. 293. Nec in hoc ironiam duxeris esse, quod eam orationem mihi magistram fuisse dixerim. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 4. Sine ulla mehercule ironia loquor. Adde *Capell.* 5. p. 171. — Triplex est ratio detegendæ ironiæ: nam aut pronunciatione intelligitur, aut persona, aut rei natura. Si qua enim illorum dissentit verbis, apparet, diversam esse orationi voluntatem. *Quintil.* 8. 6. 54.

ĪRŌNĬCĒ, adverb. εἰρωνικῶς, *ironicamente*, per ironiam. *Pseudo-Ascon.* in *Cic.* 2. *Verr.* 13. 38. Et *honeste* ironice dictum est.

ĪRŌNĬCUS, a, um, adject. εἰρωνικός, ad ironiam pertinens, ironiam sapiens, *ironico*. *Fulgent.* 1. *Mythol. præf.* Cujus (*virguncula*) ironicum lumen tam rimabunda vernulitate carrebat, quo mentes etiam penitus abstrusas temulentis inscriptionibus depinxisset.

IRPEX, icis, m. 3. ἅρπαξ, ἁρπάγη, genus rastri ferrei, plures dentes habentis, ad exstirpandas herbas in agris, ut *Paul. Diac.* p. 105. 16. *Müll.* docet (It. *erpice*, *treggia*; Fr. *espèce de grand râteau*, *herse*; Hisp. *rastrillo*; Germ. *eine Art Egge*; Angl. *a rake*, *or harrow*, *to pull up weeds with*). *Varro* 5. *L. L.* 136. *Müll.* Irpices, regula compluribus dentibus, quam item ut plaustrum boves trahunt, ut eruant quæ in terra serpunt. *Cato R. R.* 10. Irpicem unum, crates stercorarias quatuor. *Servius* ad illud *Virg.* 1. *G.* 95. Vimineasque trahit crates etc. Instrumenta rustica, ad agrorum scilicet exæquationem, quam rustici irpicem vocant. Apud *Caton.* alii leg. *urpicem*: alii mallent aspirationem *h* appingere, quod sit a Græca voce allata. *Varro loc. cit.* videtur a *serpo* (Gr. ἕρπω) deducere.

IRPUS. *V.* HIRPUS.

IRQUĪTALLUS. *V.* HIRQUITALLUS.

IRRĂDĬĀTĬO *vel* inradiatio, ōnis, f. 3. (irradio) irradiandi actus, illustratio. *Servius* ad *Virg.* 10. *Æn.* 18. Bona Jovis irradiatio honores hominibus tribuit. *Id. ibid.* ad v. 625. Ostendit supra hoc breve spatium ulterius bonam stellarum irradiationem Turni fata differre non posse.

IRRĂDĬĀTUS *vel* inradiatus, a, um. *V.* voc. seq.

IRRĂDĬO *vel* inradio, as, āvi, ātum, are, 1. (in et radio). Part. *Irradiatus* sub *A.* I. — Irradiare occurrit *A*) Active; et *B*) Neutrorum more.

A) Active est radiis illustrare, *irraggiare*, *illustrare*, ἀκτιβολέω.

I.) Proprie. *Stat.* 6. *Theb.* 64. teretes hoc undique gemmæ irradiant. *Capell.* 8. p. 273. Candore luminis propinquantis plures irradiati refulsere divi.

II.) Translate. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 84. Grajorum obscuras Romanis floribus artes Irradias. *h. e.* Latino eloquio illustras.

B) Neutra significatione est resplendere, radios emittere, *risplendere*. *Sedul.* 5. 315. in *Matth.* c. 28. Cœperat interea post tristia sabbata felix Irradiare dies.

IRRĀDO *vel* inrado, rādis, rāsi, rāsum, rādere, a. 3. (in et rado). Part. *Irrasus* 1. et 2. — Irradere ¶ 1. Stricto sensu est aliquid in aliquam rem radere. *Cato R. R.* 157. Eodem silphium irradito: bonum est. *h. e.* rade et insperge. *Id. ibid.* Sic et laserpitium inrasum cum brassica ex oxymeli. *h. e.* rasus et immixtus. ¶ 2. Latiori sensu pro simpliciter radere. *Plaut. Rud.* 5. 2. 16. Dii te ament cum irraso capite. *Plaut.* de naufrago loquitur. Mos enim erat, ut post naufragii periculum caput raderent. Hinc *Juvenal.* 12. 81. gaudent ibi vertice raso Garrula securi narrare pericula nautæ. Est tamen, qui putat, hoc *Plauti* loco non rasum significare, ut in IRRASUS secundo loc., crispum nempe.

IRRĀSUS *vel* inrasus, a, um, particip. *V.* voc. præced.

IRRĀSUS *vel* inrasus, a, um, adject. (in *privat.* et rasus) rudis, non rasus, ἄξοος, αὐτοφυής. *Sil. It.* 8. 584. Aptabat dextris irrasæ robora clavæ. *h. e.* ferro non polita, sed ut a silva decisa fuerat. *V.* et IRRADO 2.

IRRĀTĬO *vel* inratio, ōnis, f. 3. (in *privat.* et ratio) rationis defectus, stultitia. Legitur apud *Tertull. advers. Prax.* 15.

IRRĀTĬŌNĀBĬLIS vel inrationabilis, e, adject. (in *privat.* et rationabilis). Comp. *Irrationabilior.* — Irrationabilis est ratione, aut causa carens, *irragionevole*, *senza ragione*, ἄλογος. *Cels. præf. a med.* irrationabile animal hanc artem posse præstare. Sic *Lactant. Ira D.* 7. Rationale animal cum mutis et irrationabilibus comparare. Similiter *Quintil.* 2. 16. 17.; et *Capell.* 9. p. 321. irrationabilia (*scil.* animalia) absolute usurparunt. *Quintil. Declam.* 325. *a med.* Sunt quidam irrationabiles impetus animorum. *Apul. Dogm. Plat.* Irrationabilis error. *Ammian.* 31. 12. motus. *Ambros.* 5. *Hexaem.* 10. Sed vide, ne tu tibi magis incipias esse contemptui, si irrationabili irrationabilior deprehenderis. *Capell.* 9. p. 329. Alios vero (*pedes metricos*) alogos, hoc est irrationabiles nominamus, quorumque ratio nulla præstatur, sed incondita quædam compositio profertur. *Al. leg.* irrationales.

IRRĀTĬŌNĀBĬLĬTAS *vel* inrationabilitas, ātis, f. 3. (irrationabilis) irratio. *Apul. Trismeg.* Talis senectus veniet mundi, irreligio, inordinatio, irrationabilitas bonorum omnium. *Al. leg.* hominum. Adde *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 14. *circa med.*

IRRĀTĬŌNĀBĬLĬTER *vel* inrationabiliter, adverb. (irrationabilis) sine ratione, *irragionevolmente*, ἀλόγως. *Tertull. Pœnit.* 1. In pœnitentiæ actu irrationabiliter deversari. Adde *Hieronym. Ep.* 150. *n.* 2.; et *Charis* 1. p. 41. *Putsch.*

IRRĀTĬŌNĀLIS, *vel* inrationalis, e, adject. (in *privat.* et rationalis) ratione carens, *irragionevole*, ἄλογος. *Seneca Ep.* 92. Bonum rationalis animi ex irrationalibus nectere. Sic *Quintil.* 8. 6. 13. Secantur hæc in plures, ut a rationali ad rationale, et idem de irrationalibus. Rursus *Seneca Ep.* 113. Animalia irrationalia. *Quintil.* 10. 7. 11. Irrationalis usus. *Tertull. Pœnit.* 12. anima. *Capell.* 9. p. 329. Pedes (*metrici*) irrationales. *V.* IRRATIONABILIS.

IRRĀTĬŌNĀLĬTER vel inrationaliter, adverb. (irrationalis) sine ratione, *irragionevolmente*, ἀλόγως. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 6. Irrationaliter bonum. *Id. advers. Prax.* 3. Unitas irrationaliter collecta.

IRRAUCĒO *vel* inrauceo, rauces, rausi, raucere, n. 2. (in et rauceo) raucus sum, aut fio, *divenir roco*, βραγχιάω. *Cic.* 1. *Orat.* 61. 259. At Æsopum, si paullum irrauserit, explodi. Ita legit etiam *Priscian.* 10. p. 904. *Putsch.* Sunt tamen qui minus recte malunt *irraucuerit*.

IRRAUCUS *vel* inraucus, a, um, adject. (in *intent.* et raucus) idem ac raucus, vel multum raucus. *Plin. Valer.* 1. 2. Irrauca vox.

IRRĔCĪTĀBĬLĬTER *vel* inrecitabiliter, adverb. (in *privat.* et recito) ineffabiliter, *indicibilmente*. *Venant.* 3. *carm.* 9. 49. Irrecitabiliter manans de corde Parentis.

IRRĔCŌGĬTĀTĬO *vel* inrecogitatio, ōnis, f. 3. (in *privat.* et recogitatio) incogitantia. *Tertull. Exhort. ad cast.* 4. Irrecogitationem [illegible]ssus sui passa. *Alii minus recte leg.* reco[illegible]nem. *V.* voc. seq.

IRRĔCŌGĬTĀTUS *vel* inrecogitatus, a, um, adject. (in *privat.* et recogitatus) incogitatus. *Gloss. Cyrill.* Ἀνεπιλόγιστος, Irrecogitatus.

IRRĔCORDĀBĬLIS *vel* inrecordabilis, e, adject. (in *privat.* et recordabilis) cujus meminisse quis nequit. *Arnob.* 2. 28. Aliquid irrecordabili oblitteratione deperdere.

IRRĔCŬPĔRĀBĬLIS *vel* inrecuperabilis, e, adject. (in *privat.* et recupero) irreparabilis, ἀνεπισκεύαστος. *Tertull. Pudic.* 14. Immunditia irrecuperabili tabiosum cadaver. *h. e.* quæ eluï non potest.

IRRĔCŬPĔRĀBĬLĬTER *vel* inrecuperabiliter, adverb. (irrecuperabilis) irremisse, *irremissibilmente*. *Acro* ad *Horat. Art. P.* 452. Mali poetæ carmina contraria ab omnibus excipiuntur et irrecuperabiliter deridentur.

IRRĔCŪSĀBĬLIS *vel* inrecusabilis, e, adject. (in *privat.* et recusabilis) qui recusari non potest. *Imp. Justin. Cod.* 3. 1. 13. *a med.* Irrecusabilis occasio.

IRRĔDDĬBĬLIS *vel* inreddibilis, e, adject. (in *privat.* et reddo) qui reddi non potest, ἀναπόδοτος. *Boeth. Aristot. Topic.* 4. 4. p. 690. Donum est datio irreddibilis.

IRRĔDĪVĪVUS *vel* inredivivus, a, um, adject. (in *privat.* et redivivus) non redivivus, qui reviviscere non potest. *Catull.* 17. 2. sed vereris inepta Crura ponticuli adsulitantis, inredivivus Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat. *h. e.* irreparabilis.

IRRĔDUX *vel* inredux, dŭcis, adject. omn. gen. (in *privat.* et redux) qui redux esse non potest. *Lucan.* 9. 408. Irreducemque viam deserto limite carpit. *h. e.* qua non erat rediturus.

IRRĔFLEXUS *vel* inreflexus, a, um, adject. (in *privat.* et reflexus) non reflexus. *Boeth.* 4. *metr.* 7. Ultimus cælum labor (*Herculis*) irreflexo Sustulit collo. *h. e.* quin collum flecteret ob laborem sustinendi cœli.

IRRĔFORMĀBĬLIS *vel* inreformabilis, e, adject. (in *privat.* et reformo) qui reformari et in melius mutari non potest. *Tertull. Virgin. veland.* 1. Regula Fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis. *Id. advers. Valentinian.* 29. Immutabilis et irreformabilis natura.

IRRĔFŪTĀBĬLIS *vel* inrefutabilis, e, adject. (in *privat.* et refuto) qui refutari non potest. *Arnob.* 4. 18. Si mendaces illi, vos, veritas quæ sit, exponite, et irrefutabile aperite secretum.

IRRĔFŪTĀTUS *vel* inrefutatus, a, um, adject. (in *privat.* et refutatus) non refutatus. *Lactant.* 5. 16. *in fin.* Irrefutata hæc, tamquam forcam, prætergressus est.

IRRĔGĪBĬLIS *vel* inregibilis, e, adject. (in *privat.* et rego) qui se regere, vel regi ab alio non potest. *Veget.* 2. *Veterin.* 3. Animal freneticum repente salit, et velut effugere velit, parietibus se tamquam irregibile impingit. *Cæl. Aurel.* 1. *Acut.* 14. Corporis fluxa et irregibilis laxitas. *h. e.* immoderata.

IRRĔGRESSĬBĬLIS vel inregressibilis, e, adject. (in *privat.* et regressio) qui regredi non potest. *Irregressibilis transgressio* apud *Augustin.* 8. *Civ. Dei* 22. est a qua regredi quis non potest.

IRRĔLĬGĀTUS *vel* inreligatus, a, um, adject. (in *privat.* et religatus) non religatus, solutus, *sciolto*. *Ovid.* 1. *Art. am.* 530. Nuda pedem, croceas irreligata comas. *Albinov.* 2. 5. Irreligata ratis. *h. e.* non ligata ripæ.

IRRĔLĬGĬO *vel* inreligio, ōnis, f. 3. (in *privat.* et religio) irreligiositas, *irreligiosità*. *Apul. Trismeg.* Irreligio, inordinatio, irrationabilitas.

IRRĔLĬGĬŌSĒ *vel* inreligiose, adverb. (irreli-

giosus). Comp. *Irreligiosius.* — Irreligiose est sine religione, *irreligiosamente, empiamente,* ἀσεβῶς. *Tac.* 2. *Ann.* 50. Si qua de Augusto irreligiose dixisset. *Arnob.* 1. 24. Vestra sunt hæc, vestra sunt irreligiose opinata et irreligiosius credita. Adde *Quintil. Declam.* 8.

IRRĔLĬGĬŌSĬTAS *vel* inreligiositas, ātis, f. 3. (irreligiosus) religionis defectus, impietas, *irreligiosità, empietà,* ἀσέβεια. *Tertull. Apolog.* 24. Committis crimen veræ irreligiositatis. *Salvian.* 6. *Gub. D.* 15. Quis æstimare possit, quid primum in his accusandum sit, irreligiositas, an stultitia, an luxuria, an amentia? Totum quippe in illis est. Quid enim irreligiosius, quam petere aliquid in injuriam Dei?

IRRĔLĬGĬŌSUS *vel* inreligiosus, a, um, adject. (in *privat. et* religiosus). Comp. *Irreligiosior* et Sup. *Irreligiosissimus.* — Irreligiosus est religionis expers, impius, *irreligioso, empio,* ἀσεβής. *Liv.* 5. 4. *sub fin.* Irreligiosum ratus, sacerdotes sacraque populi Romani pedibus ire ferrique; se ac suos in vehiculo conspici. *Plin.* 4. *Ep.* 1. Templi dedicationem differre, irreligiosum est. *Id.* 9. *ibid.* 35. Sumere illa (*scripta*), nisi vacuo animo, irreligiosum putem. *Tertull.* 1. *ad Nat.* 17. Homines irreligiosi in Cæsares. *Arnob.* 5. 40. Potest irreligiosius quidpiam existimari? *Tertull. Orat.* 12. *extr.* Factum istud irreligiosissimum est. Adde *Salvian.* in voc. præced. allatum.

IRRĔMĔĀBĬLIS vel inremeabilis, e, adject. (in *privat. et* remeabilis) unde remeare non licet, *d'onde non si può tornare a dietro.* *Virg.* 5. *Æn.* 590. *de labyrintho.* qua signa sequendi Falleret indeprensus et irremeabilis error. *Id.* 6. *ibid.* 425. ripam irremeabilis undæ. *h. e.* Stygis. *Seneca Herc. fur.* 548. ire vias irremeabiles. *Sil. It.* 5. 41. Irremeabile litus.

IRRĔMĔDĬĀBĬLIS *vel* inremediabilis, e, adject. (in *privat. et* remediabilis) cui remedium adhiberi non potest, *irremediabile, insanabile,* ἀνήκεστος.

I.) Proprie. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 95. (152). Cicuta in vino pota irremediabilis existit. *Id.* 11. *ibid.* 53. 115. (279). Irremediabile scelus. *Salvian.* 4. *Gub. D.* 8. Irremediabilis malorum summa. *Id.* 7. *ibid.* 1. Pecudes et jumenta irremediabiles morbos ferunt.

II.) Translate. *Mæcenas* apud *Senec. Ep.* 114. Irremediabilis factio. *h. e.* implacabilis.

IRRĔMĔDĬĀBĬLĬTER *vel* inremediabiliter, adverb. (irremediabilis) sine remedio. Figurate *Ambros. in Evang. Luc.* Ostendit divitem purpuratum irremediabiliter apud inferos tortum.

IRRĔMISSĒ *vel* inremisse, adverb. (in *privat. et* remisse) translata tantum occurrit, et est sine indulgentia, *senza remissione.* *Ammian.* 29. 2. *ante med.* Inremisse ab extremis regionum intervallis exhibitis omnibus, quos accusator perduci debere mandarat, suscipi quæstionem criminose præcepit.

IRRĔMISSĬBĬLIS *vel* inremissibilis, e, adject. (in *privat. et* remissibilis) translate est qui remitti, seu condonari non potest, *irremissibile.* *Tertull. Pudic.* 2. et 13. Irremissibilia peccata. *Hieronym. Ep.* 41. n. 1. Irremissibilis blasphemia. *Cassiod.* 12. *Variar.* 10. Irremissibilis exactio.

IRRĔMŌTUS *vel* inremotus, a, um, adject. (in *privat. et* remotus) non remotus. *Prudent.* 5. περὶ στεφ. 407. Hoc munus implet sedule, Et inremotus excubat.

IRRĔMŪNĔRĀBĬLIS *vel* inremunerabilis, e, adject. (in *privat.* et remuneror) quem remunerari non possumus, *che non si può rimunerare,* ἀνανταλλακτος. *Apul.* 3. et 11. *Met.* Irremunerabile beneficium.

IRRĔMŪNĔRĀTUS *vel* inremuneratus, a, um, adject. (in *privat. et* remuneratus) cui nihil repensum est, *non rimunerato.* *Cassiod.* 2. *Variar.* 16. *extr.* Soboles irremunerata. *Id. ibid.* 28. Irremunerata militia. *Id.* 6. *ibid.* 10. Fit plerumque, ut sapientes irremunerati jaceant.

IRRĔPĂRĀBĬLIS *vel* inreparabilis, e, adject. (in *privat. et* reparo) qui reparari, seu recuperari non potest, *irreparabile, irrecuperabile,* ἀνεπανόρθωτος. *Virg.* 3. *G.* 284. et 10. *Æn.* 467. breve et irreparabile tempus Omnibus est vitæ. *Seneca Ep.* 123. *a med.* Fluunt dies et irreparabilis vita decurrit. *Colum.* 11. *R. R.* 1. 29. Temporis fuga irreparabilis.

IRRĔPERCUSSUS *vel* inrepercussus, a, um, adject. (in *privat. et* repercussus) non repercussus. Translate *Tertull. Apolog.* 16. *extr.* Ne quid rumoris irrepercussum præterissemus. *h. e.* irrefutatum. *Al. leg.* impercussum.

IRRĔPERTUS *vel* inrepertus, a, um, adject. (in *privat. et* repertus) non repertus, *non trovato,* ἀνεύρετος. *Horat.* 3. *Od.* 3. 49. Aurum irrepertum, et sic melius situm Quum terra celat, spernere fortior. *Seneca Med.* 648. Herculi magno puer irrepertus.

IRRĔPLĒTUS *vel* inrepletus, a, um, adject. (in *privat. et* repletus) non repletus. *Paulin. Nolan. carm.* 17. 60. Cogimur vicio, licet irrepleti, Cedere voto.

IRRĔPO *vel* inrepo, rēpis, repsi, reptum, rēpere, n. 3. (in *et* repo). Part. *Irrepens* I. et II. — Irrepere est rependo introire, illabi, sensim, aut clam se inferre, προσέρπω, ὑπεισέρχομαι (It. *entrare strisciando, introdursi a poco a poco,* o *di nascosto*; Fr. *se glisser dans, s'introduire furtivement*; Hisp. *entrar deslizando, insinuarse furtivamente*; Germ. *hinein* –, *in*, *auf etwas kriechen*, *schleichen*; Angl. *to creep into, get into by little and little, enter by stealth*).

I.) Proprie dicitur de iis, quæ repunt: tum de aliis. — *a*) De iis, quæ repunt. — Cum Accusativo et præpos. *ad*, vel cum Dativo. *Sueton. Aug.* 94. Draconem repente irrepsisse ad eam. *h. e.* irrependo eam compressisse. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 4. 23. (74). Salamandra si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno. — Absolute. *Colum.* 3. *R. R.* 18. 5. Irrepentibus aquis prædictisque animalibus, celeriter senescunt. Cf. *eumd.* 4. *ibid.* 1. 2. Ut sit inferior tenera terra, quæ non arceat, nec duritie sua repellat novas irrepentes radiculas. — *b*) De aliis: cum Accusativo sine præpos., quæ inest in ipso verbo. *Flor.* 2. 121. 7. Per alias vias Macedonia deprensa est, summa quidem arte et industria ducis, quum alia minatus, alia irrepsisset. *Alii leg.* alias. Ipsum *alia* etiam pro *alia parte* accipi potest. *Apul.* 3. et 8. *Met.* Summa cum trepidatione irrepit cubiculum. *Id.* 4. *ibid.* Caveam festinus irrepsit. *Id.* 9. *ibid.* Latenter irrepit hospitium. Sic *Ammian.* 27. 10. Moguntiacum latenter irrepit.

II.) Translate. — *a*) Generatim. — Sæpe cum Accusativo et præpos. *in*. *Pomponius* apud *Non. p.* 500. 26. *Merc.* Quot lætitias insperatas mihi irrepsere in sinum! ἑλληνισμός. *Cic. Orat.* 28. 97. Eloquentia modo perfringit, modo irrepit in sensus. *Id.* 3. *Orat.* 53. 203. Irrepere in mentes hominum. *Id. Harusp. resp.* 24. 52. in opinionem gratiæ. *Id. Arch.* 5. 10. in tabulas municipiorum. *Id.* 3. *Off.* 19. 75. in testamenta locupletium. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 1. 3. (3). Irrepsit hæc lues in Italiam. — Cum Dativo. *Seneca Consol. ad Polyb.* 26. *ad fin.* Dolor requiescenti animo paullatim irrepet. *Colum.* 12. *R. R. præfat.* § 10. Quum in totum exoleverit vetus ille matrum familiarum mos, necessaria irrepsit villicæ cura, quæ tueretur officia matronæ. *Plin.* 3. *Ep.* 20. Est enim periculum, ne tacitis suffragiis impudentia irrepat. — Absolute. *Gell.* 1. 6. Ad movendos animos hominum qualicumque astu irrepere. *Stat.* 5. *Theb.* 60. lentoque irrepunt agmine pœnæ. — *b*) Speciatim, et absolute, de iis, qui paullatim et clam ad alicujus familiaritatem perveniunt. *Tac.* 13. *Ann.* 12. Adolescentuli, ignara matre, dein frustra obnitente, penitus irrepserant per luxum et ambigua secreta. *Id.* 2. *Hist.* 63. Vitellius, irrepentibus dominationis magistris, superbior et atrocior.

IRRĔPOSCĬBĬLIS *vel* inreposcibilis, e, adject. (in *privat. et* reposco) qui reposci non potest. *Apul. de Mag.* Vidua nihil affert irreposcibile, jam ab alio præflorata. *Sidon. Epist.* 8. 15. Quod mihi insolubile videtur, tibi quoque videatur irreposcibile.

IRRĔPRĔHENSĬBĬLIS *vel* inreprehensibilis, e, adject. (in *privat. et* reprehendo) qui reprehendi non potest, *irreprensibile.* Translate *Tertull. Resurr. carn.* 23. *sub fin.* et 1. *Timoth.* 6. Mandatum immaculatum, irreprehensibile. *Firmic.* 1. *Mathes.* 3. *a med.* Post dictaturæ irreprehensibiles actus. *Arnob.* 2. 15. Inculpabiles, et ideo irreprehensibiles vivimus. Adde *Hieronym. Ep.* 18.; et *Lactant.* 4. 6.

IRRĔPRĔHENSĬBĬLĬTER *vel* inreprehensibiliter, adverb. (irreprehensibilis) sine reprehensione, *irreprensibilmente,* ἀμέμπτως. *Claud. Mamert.* 1. *Stat. an.* 3. *a med.* Quum affici Deum, irreprehensibiliter te dixisse arbitreris etc.

IRRĔPRĔHENSUS *vel* inreprehensus, a, um, adject. (in *privat. et* reprehensus) non reprehensus, irreprehensibilis, *irreprensibile,* ἀνέλεγκτος. Translate *Ovid.* 5. *Trist.* 14. 22. Et laudem probitas irreprehensa tulit. *Id.* 3. *Met.* 340. Irreprehensa dabat populo responsa petenti. *h. e.* vera, et non simulata.

IRREPTĬO *vel* inreptio, ōnis, f. 3. (irrepo) irrependi actus. Est *Augustini Ep.* 107.

IRREPTO *vel* inrepto, as, are, n. 1. *frequentativ.* ab irrepo, et ejusdem fere significationis. — Cum Dativo. *Stat.* 3. *Silv.* 1. 177. gregesque protervus Nunc humeris irreptet avi. *Id.* 4. *Theb.* 386. Pampineumque jubes nemus irreptare Lycurgo. *h. e.* circumfundi et circumvincire. — Cum Accusativo sine præpos., quæ inest in ipso verbo. *Id.* 11. *Theb.* 731. Argos eat, hostilesque Mycenas Squalidus irreptet.

IRREPTOR *vel* inreptor, ōris, m. 3. (irrepo) qui irrepit. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 2. 26. 2. Irreptor agrorum. *h. e.* qui alienos agros sine jure invasit.

IRRĔQUĬĒBĬLIS *vel* inrequiebilis, e, adject. (in *privat. et* requiesco) irrequietus. *Scribon. Compos.* 105. Stomachi vitium, quod cum siccitate, et irrequiebili, ut ita dicam, et inextinguibili siti consistit. Eadem verba habet *Marcell. Empir.* 20.

IRRĔQUĬES *vel* inrequies, ētis adject. (in *privat. et* requies) irrequietus. *Auson. Edyll.* 12. *de membr.* 5. Palpitat irrequies, vegetum, teres, arrecalens cor. *et de inconnex.* 11. pervigil, irrequies gens. *Paulin. Nolan. carm.* 5. 16. Irrequies cuncta ipse movens.

IRRĔQUĬĒTUS *vel* inrequietus, a, um, adject. (in *privat. et* requiesco) qui requiem non habet, qui numquam cessat, *chi non istà in quiete, incessante,* ἄπαυστος. *Ovid.* 13. *Met.* 730. Irrequieta Charybdis. *Id.* 2. *ibid.* 386. ab ævi Sors mea principiis fuit irrequieta. *Id.* 2. *Trist.* 236. Bellaque cum multis irrequieta geris. *Seneca Brevit. vit.* 10. Irrequieta agitatio. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 5. 4. (11). Irrequietus mundi circuitus. *Ammian.* 14. 2. motus. *Id.* 22. 16. labores. Adde *Stat.* 5. *Silv.* 1. 187.; et *Martial.* 4. 31.

IRRĔQUĪSĪTUS *vel* inrequisitus, a, um, adject. (in *privat.* et requiro) non quæsitus, *non ricercato.* *Sidon.* 9. *Ep.* 3. Custodias aggerum publicorum nequaquam tabellarius transit irrequisitus.

IRRĔSECTUS *vel* inresectus, a, um, adject. (in *privat. et* resectus) non resectus, *non tagliato.* *Horat. Epod.* 5. 47. Hic irresectum sæva dente livido Canidia rodens pollicem.

IRRĔSŎLŪBĬLIS vel inresolubilis, e, adject. (in *privat.* et resolubilis) non resolubilis, qui solvi nequit. *Apul.* 2. *Dogm. Plat.* Pares paribus irresolubili nexu junguntur. *Ammian.* 30. 4. Irresolubili nexu vincire negotia.

IRRĔSŎLŪTUS *vel* inresolutus, a, um, adject. (in *privat. et* resolutus) non resolutus, contentus. *Ovid.* 1. *Pont.* 2. 21. At semel intentus nervo levis arcus equino, Vincula semper habens irresoluta, manet. Adde *Boeth.* 3. *Metr.* 2.

IRRESPĪRĀBĬLIS *vel* inrespirabilis, e, adject. (in *privat.* et respiro) qui respirari non potest. *Tertull. Idolol.* 24. Innatabile excussis profundum est, inextricabile impactis naufragium, irrespirabile devoratis hypobrychium.

IRRESTINCTUS *vel* inrestinctus, a, um, adject. (in *privat. et* restinguo) inexstinctus, *non estinto.* *Sil. It.* 3. 29. Irrestincta focis servant altaria flammæ. *Capell.* 9. *p.* 310. nivalibusque irrestinctus aquis triumphat ardor. *Alii male leg.* interstinctus.

IRRĔTĬO *vel* inretio, is, ivi, itum, ire, a. 4. (in et rete). Part. *Irretiens* I.; *Irretitus* I. et II. — Irretire est reti involvere, circumretire, implicare, illaqueare, σαγηνεύω, πεδάω (It. *involgere nelle reti, inviluppare*; Fr. *prendre dans un filet, embarrasser*; *enlacer*; Hisp. *enredar, enlazar, embarazar*; Germ. *im Netze fangen, verstricken*; Angl. *to ensnare, entangle*).

I.) Proprie. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 29. 94. Quid enim ad illum, qui te captare vult, utrum tacentem irretiat, an loquentem? *Colum.* 4. *R. R.* 2. 2. Vitis toto prostrata corpore inferius solum quasi cancellavit atque irretivit. Sic *Id.* 3. *ibid.* 11. 2. Solum pluribus radicibus impeditum et quasi irretitum. *Ammian.* 19. 6. Festinandi studio aliis irretientibus alios.

II.) Translate. *Lucilius* apud *Non.* p. 350. 25. *Merc.* Sic laqueis, manicis, pedicis mens irretita est. *Cic.* 1. *Orat.* 10. 43. Stoici disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. *Id.* 1. *Cat.* 6. 13. Quem adolescentulum corruptelarum illecebris irretisses. *Id.* 5. *Tusc.* 21. 62. Iis enim se adolescens irretierat erratis, ut etc. *Id. Vatin.* 5. 12. Quum homines negotia gerentes judiciis nequissimis irretires. *Id.* 5. *Fin.* 18. 49. Si cantiunculis tantus vir irretitus teneretur. *Id. Vatin.* 1. 2. Ut istam loquacitatem paucissimis interrogationibus irretitam retardarem. *Id. Harusp. resp.* 4. 7. Illaqueatus omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, exspectatione supplicii implicatus.

IRRĔTORTUS *vel* inretortus, a, um, adject. (in *privat. et* retortus) non retortus, non reflexus, rectus. *Horat.* 2. *Od.* 2. 23. Quisquis ingentes oculo irretorto Spectat acervos. *h. e.* rectis et nil curantibus oculis: sapiens enim divitias securus spectat, neque iis capitur, sed contemnit; contra insipiens aurum videns, cupide miratur, et etiam si prætereat, retorquet vultum et visu fruitur, quamdiu licet. Alii interpretantur, oculo recto, non limo, ut invidi solent. Adde *Quintil.* 8. *Declam.* 9.

IRRĔTRACTĀBĬLIS vel inretractabilis, e, adject. (in *privat.* et retracto) translate occurrit, et est qui retractari, seu revocari non potest. *Augustin.* 10. *Confess.* 33. *a med.* Magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens etc.

IRRĔVĔRENS vel inreverens, entis, adject. (in *privat. et* revereor) qui non veretur, aut metuit, *irriverente, troppo ardito, senza rispetto,* ἀνευλαβής. *Plin.* 8. *Ep.* 21. Sum deprecatus, ne quis ut irreverentem operis argueret, quod etc. *Spartian. Caracall.* 2. Matri irreverentem esse. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 14. *extr.* Immisit pueris ursos irreverentibus in prophetam. *Id. Orat.* 12. *in fin.* Irreverens est assidere sub conspectu ejus, quem maxime reverearis. Adde *Symmach.* 8. *Ep.* 23.

IRRĔVĔRENTER *vel* inreverenter, adverb. (irreverens) sine reverentia, aut metu, *irriverentemente, senza timore o rispetto,* ἀναιδημόνως. *Plin.* 2. *Ep.* 14. Audaces huc transeunt tam irreverenter et temere, ut etc. *Id.* 6. *ibid.* 13. Egit Claudius Capito irreverenter magis, quam constanter, ut qui ipsum senatusconsultum apud senatum accusaret.

IRRĔVĔRENTĬA vel inreverentia, æ, f. 1. (irreverens) defectus reverentiæ, quæ Deo, dominis, legibus, magistratibus et majoribus debetur, *irriverenza, arditezza, sfacciataggine,* ἀναίδεια. *Tac.* 13. *Ann.* 26. Quibusdam, coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse, frementibus. *Id.* 3. *ibid.* 31. Majores juventutis irreverentiam gravibus decretis notaverunt. *Id.* 3. *Hist.* 51. Tantam victoribus adversus fas nefasque irreverentiam fuisse, ut gregarius eques, occisum a se proxima acie fratrem professus, præmium a ducibus petierit. Adde *Vulgat. interpr. Eccli.* 23. 29. et alibi.

IRRĔVŌCĀBĬLIS vel inrevocabilis, e, adject. (in *privat. et* revoco). Comp. *Irrevocabilior* II. 2. — Irrevocabilis est qui revocari non potest, *irrevocabile,* ἀναπότρεπτος.

I.) Proprie. *Lucret.* 1. 468. Ætas præterita irrevocabilis. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 71. semel emissum volat irrevocabile verbum. *Liv.* 42. 62. Ut secunda fortuna in conditione honestæ pacis uteretur, potius quam spe vana evectus in casum irrevocabilem se daret. *irrimediabile.* Cf. *Ammian.* 23. 6. Exitium irrevocabile. *Lucan.* 1. 509. ruit irrevocabile vulgus. *Ammian.* 14. 1. Impetus irrevocabilis. *Plin.* 3. *Ep.* 7. Morbi tædio ad mortem irrevocabili constantia decucurrit. *Paul. Dig.* 39. 6. 35. Donatio irrevocabilis. *Capell.* 1. p. 17. Irrevocabilis raptus.

II.) Translate. ¶ 1. De rebus physicis, irrevocabile dicitur, quod reduci et retrahi non potest. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Ancoræ pondere irrevocabili jactæ. *h. e.* quæ propter pondus reduci et retrahi vix possunt, quum semel jactæ sunt. *Id.* 16. *ibid.* 36. 65. (159). Hamus irrevocabilis. ¶ 2. De animo, pro implacabili, dixit *Tac. Agric.* 42. Domitiani natura præceps in iram, et quo obscurior, eo irrevocabilior. *h. e.* implacabilior.

IRRĔVŌCĀBĬLĬTER *vel* inrevocabiliter, adverb. (irrevocabilis) ita ut non sit revocandi locus, *irrevocabilmente.* *Augustin. Ep.* 120. 24. Superbia, qua diabolus irrevocabiliter progressus est. Adde *eumd.* 22. *Civ. D.* 20.

IRRĔVŌCANDUS vel inrevocandus, a, um, particip. ab inusit. *irrevoco,* irrevocabilis. *Claudian. B. Get.* 122. ferro ne largius acto, Irrevocandus eat sectis vitalibus error.

IRRĔVŌCĀTUS vel inrevocatus, a, um, adject. (in *privat. et* revocatus) non revocatus, *non richiamato.* *Horat.* 2. *Ep.* 1. 223. Quum loca jam recitata revolvimus irrevocati. *V.* REVOCO. *Ovid.* 11. *Met.* 401. sed enim irrevocatus ab acri Cæde lupus perstat. *Bach.* mavult legi *revocatus.*

IRRĪDENTER vel inridenter, adverb. (irrideo). Comp. *Irridentius.* — Irridenter est irridendo, *burlando.* *Laberius* apud *Charis.* 1. p. 181. *Putsch.* Irridenter petit. *Fronto de eloq.* (edente iterum *A. Maio*) p. 235. Irridentius aliquem contemnere. *Augustin. Ep.* 5. *a med.* Irridenter admonere.

IRRĪDĔO vel inrideo, rides, risi, risum, ridere, 2. (in *et* rideo). Olim fuit *irrido, is.* *M. Brutus* apud *Diomed.* 1. p. 378. *Putsch.* Irridunt horum lacrimas. — Part. *Irridens* sub *A.* et *B.*; *Irrisus* et *Irridendus* sub *B.* — Irridere occurrit *A*) Neutrorum more; et *B*) Active, seu cum Accusativo.

A) Neutrorum more irridere est in, seu super aliqua re ridere, καταγελάω (It. *ridere su qualche cosa*; Fr. *se rire de, se moquer, railler*; Hisp. *reirse de, zumbarse de*; Germ. *über, bei etwas lachen, spotten*; Angl. *to laugh at*). *Ter. Heaut.* 5. 2. 29. Irrides in re tanta, neque me quidquam consilio adjuvas? *Cic.* 12. *Att.* 6. Cæsar mihi irridere visus est. *Phædr.* 5. 3. Calvi momordit musca nudatum caput: Quam opprimere captans, alapam sibi duxit gravem. Tunc illa irridens etc. *Tac.* 1. *Ann.* 8. Multum irridentibus, qui ipsi viderant etc.

B) Active, seu cum Accusativo est deridere, ridendo contemnere, ludibrio habere, *beffare, dileggiare, ridere di qualche cosa.* — *a*) Cum Accusativo personæ. *Plaut. Epid.* 3. 4. 81. Perdam potius, quam sinam, me impune irrisum esse habitum. *Id. Amph.* 2. 1. 40. Venis ultro irrisum dominum. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 123. Vos ab illo irridemini, et ipsi illum vicissim eluditis. *Id.* 2. *Nat. D.* 3. 8. Per jocum deos irridens. Adde *Nepot. Hann.* 11.; et *Sueton. Aug.* 88., *Vesp.* 12. et *Domit.* 14. — *b*) Cum Accusativo rei. *Plaut. Trin.* 2. 4. 45. Bonis tuis rebus meas res irrides malas. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 35. 96. Irridere aliquid et contemnere. *Virg.* 5. *Æn.* 272. Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat. *Tac.* 4. *Ann.* 9. Ad vana et toties irrisa revolutus. *Plin. Paneg.* 63. Perpessus es non irridendam moram. Adde *Sueton. Cal.* 51. et *Claud.* 21. — Apud *Cic.* 9. *Fam.* 26. An tu id melius, qui etiam in philosophum irriseris? *Est qui omittit in.*

IRRĪDĬCŪLĒ *vel* inridicule, adverb. (in *privat. et* ridicule) non ridicule, infacete, *senza riso.* *Cæs.* 1. *B. G.* 42. Non irridicule quidam ex militibus dixit etc.

IRRĪDĬCŬLUM *vel* inridiculum, i, n. 2. (irrideo) idem ac derididiculum, irrisio. *Irridiculo habere* est irridere. *Plaut. Pœn.* 5. 4. 8. Præpotentes, pulcræ pacisque petentes, soror, fuimus, neque ab juventute ibi irridiculo habitæ. — *Irridiculo esse* est irrideri. ludibrio seu irrisui esse. *Id. Cas.* 5. 2. 3. Atque ita irridiculo sumus ambo. *Al. leg.* ridiculo.

IRRĬGĀTĬO vel inrigatio, ōnis, f. 3. (irrigo) actus irrigandi, *innaffiamento, innacquamento,* ἄρδευσις. — *a*) Cum Genitivo rei, quæ irrigatur. *Cic.* 2. *Off.* 4. 14. Ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes. Adde *eumd. Senect.* 15. 53. — *b*) Cum Genitivo rei, qua quid irrigatur. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 12. 17. (81). Irrigatione fluminis diluere aliquid. Cf. *Varro* 1. *R. R.* 35. 2. Pulvinos irrigationes et pluviæ tempestates abluunt.

IRRĬGĀTOR *vel* inrigator, ōris, m. 3. (irrigo) qui irrigat, *irrigatore.* *Augustin. Ep.* 95. *ante med.* Plantator et irrigator extrinsecus.

IRRĬGĀTUS vel inrigatus, a, um. *V.* voc. seq.

IRRĬGO vel inrigo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* rigo). Part. *Irrigatus* I. 2. et II; *Irrigaturus* et *Irrigandus* I. 2. — Irrigare aquam vel aliud simile est derivare et diducere in agrum, in aliquem locum rivos deducere.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu, cum Accusativo aquæ, est, ut diximus, rivos deducere. *Cato R. R.* 151. Si quando non pluet, aquam irrigato leniter in areas. Sic *Id. ibid.* 36. Amurcam sparges, vel irriges ad arbores. *Virg.* 4. *G.* 115. et amicos irriget imbres. *Liv.* 5. 16. Emissam (*aquam Albanam*) per agros, irrigabis, dissipatamque rivis exstingues. *Ita nonnulli leg.; vulgati libri habent* rigabis. *Hygin. fab.* 164. At Neptunus iratus in eam terram mare cœpit irrigare velle. Cf. *Claudian. Nupt. Honor. et Mar.* 101. largos hæc nectaris imbres Irriget. ¶ 2. Latiori sensu, cum Accusativo loci, est inundare, aquâ operire vel inspergere. *Cic.* 2. *Nat. D.* 52. 130. Ægyptum Nilus irrigat. *Liv.* 7. 3. Quum medios forte ludos circus Tiberi superfuso irrigatus impedisset. *inondato.* *Colum.* 2. *R. R.* 17. 3. Melius habetur fœnum, quod suapte natura succoso gignitur solo, quam quod irrigatum aquis elicitur. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. *ante med.* Jugera quinquaginta prati Cæsius irrigaturum facile te arbitrabatur. *Id.* 1. *Nat. D.* 43. 121. Fontibus irrigare hortulos. *Justin.* 11. 10. 7. Quum operam oblocare ad puteos exhauriendos hortosque irrigandos solitus esset.

II.) Translate. *Seneca Thyest.* 44. Irrigat terram cruor. *h. e.* madefacit, *bagna.* Sic *Id. Phœniss.* 441. Irrigare fletu genas. *Phædr.* 4. 14. Ubi irrigatus multo venas nectare. *Plaut. Pœn.* 3. 3. 86. Cum vino edentulo ætatem irriges. *h. e.* madefacias, foveas et quasi virides reddas annos tuos. *Lucilius* apud *Non.* p. 497. 30. *Merc.* Si voles per aures pectus irrigarier. *Lucret.* 5. 282. Largus item liquidi fons luminis ætherius sol Irrigat assidue cœlum candore recenti. *Id.* 4. 905. somnus per membra quietem Irriget. (Hinc *irriguus* somnus apud *Pers.* 5. 56.). Cf. *Virg.* 3. *Æn.* 511. fessos sopor irrigat artus. *Id.* 1. *ibid.* 695. At Venus Ascanio placidam per membra quietem Irrigat. *Accius* apud *Servium* ad *Virg.* 12. *Æn.* 605. Et lanugo flora nunc genas demum irrigat. — Jocularite *Plaut. Epid.* 1. 2. 18. Quem quidem ego hominem irrigatum plagis pistori dabo.

IRRĬGŬĒ vel inrigue, adverb. (irriguus) irrigando. *Venant. Vit. S. Mart.* 4. 70. Ac postquam irrigue fluviali more cucurrit.

IRRĬGŬĬTAS *vel* inriguitas, ātis, f. 3. (irrigo) irrigatio, humor. *Ennod.* 3. *Ep.* 12. Et siccitatem tabis æstuante animo irriguitas vivi fluminis gignit.

IRRĬGŬUS vel inriguus, a, um, adject. (irrigo) qui ad irrigationem pertinet: hinc

I.) Proprie. ¶ 1. Passive est aquis abundans, unde facile irrigari potest, *innaffiato, innacquato, abbondante d'acque,* κατάρρυτος. *Plaut. Trin.* 1. 1. 9. Herba irrigua. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 16. Irriguus hortus. *Propert.* 1. 20. 37. pratum. *Lucan.* 4. 296. campi. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 11. 15. (70). Regio irrigua fontibus. *Sillig.* legit *rigua.* V. et subsequent. paragr. in fin. ¶ 2. Active *irrigua aqua* est quæ irrigat. *Virg.* 4. *G.* 32. Irriguumque bibant violaria fontem. *Ovid.* 2. *Amor.* 16. 2. Irriguis ora salubris aquis. Adde *Tibull.* 2. 1. 44. Apud *Plin.* 5. *Hist. nat.* 4. 3. (23). et 6. *ibid.* 26. 30. (124). Irrigua aquarum. *sunt* aquæ irriguæ: plerique tamen leg. *rigua.*

II.) Translate. ¶ 1. Passive. *Horat.* 2. *Sat.* 1. 9. Irriguumque mero sub noctem corpus habento. *h. e.* madens, perfusum. *V.* IRRIGO II. — *Irriguum carmen* dixit *Sever. Ætn.* 295. significans sonos, qui per organa hydraulica ope aquæ eduntur. Addit *Scalig.* similem locum *Manilii* 3. 4., ubi alii aliter leg. ¶ 2. Active. *Pers.* 5. 56. Hic satur irriguo mavult turgescere somno. Sic *Lucret.* 4. 905. somnus per membra quietem irrigat. — *Irriguos ignes* dixit *Sever. Ætn.* 28. qui per occultos terræ meatus more aquæ manant et discurrunt. *lave.*

IRRĪMOR vel inrimor, āris, ari, dep. 1. (in et rimor) idem quod rimari, investigare, *investigare.* *Pacuvius* apud *Non.* p. 332. 9. *Merc.* Quum inculitos pervestigans inrimarer sinus.

IRRIO. *V.* HIRRIO.

IRRĪSĪBĬLIS *vel* Inrisibilis, e, adject. (irrideo) qui irrideri potest, vel irrideri dignus. Est *Augustini Serm.* 87. n. 9. (*al.* c. 7.).

IRRĪSĬO *vel* Inrisio, ōnis, f. 3. (irrideo) actus irridendi, derisio, ludibrium, *irrisione, derisione, dileggiamento*, καταγέλως, μυκτηρισμός. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 39. 123. Liber igitur a tali irrisione Socrates. *Id.* 1. *Orat.* 12. 50. Hæc oratio omnium irrisione luditur. *Id.* 1. *Off.* 39. 137. Deforme est, de se ipso prædicare, et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum. *h. e.* ut ab audientibus irridearis. Adde eumd. 1. *Herenn.* 6. 10.

IRRISIVE, irridendo. *V.* INJURIE.

IRRĪSOR *vel* Inrisor, ōris, m. 3. (irrideo) qui irridet, *dileggiatore, beffatore*, χλευαστής. *Cic.* 1. *Parad.* 3. 13. Veniant igitur isti irrisores hujus orationis ac sententiæ. *Propert.* 1. 9. 1. Dicebam tibi venturos, irrisor, amores. Adde *Aurel. Vict. Epit.* 41.

IRRĪSŌRĬE *vel* Inrisorie, adverb. (irrisorius) per irrisionem, ironice. *Servius* ad *Virg.* 7. *Ecl.* 27. Ultra placitum, id est nimie: irrisorie.

IRRĪSŌRĬUS *vel* Inrisorius, a, um, adject. (irrideo) ad irridendum pertinens. *Capell.* 8. p. 273. Irrisoria lepidaque versutia inter insana semper deridebas.

IRRĪSUS *vel* Inrisus a, um. *V.* IRRIDEO.

IRRĪSUS vel Inrisus, us, m. 4. (irrideo) irrisio, *irrisione, dileggiamento*. *Cæs.* 2. *B. C.* 15. Suam virtutem irrisui fore, perdoluerunt. *Liv.* 7. 10. Gallus linguam ab irrisu exserens. *Apul.* 5. *Met. ad fin.* Ego nunc irrisui habita quid agam? *Tac.* 13. *Ann.* 15. Nero Britannico jussit, exsurgeret, et cantum aliquem inciperet: irrisum ex eo sperans pueri sobrios convictus ignorantis. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 8. 29. (114). Irrisu coarguere aliquid. *Id.* 37. *ibid.* 9. 40. (124). Non sine contemptu et irrisu generis humani.

IRRĪTĀBĬLIS *vel* Inritabilis, e, adject. (irrito). ¶ 1. Passive est qui facile irritatur, *che facilmente s'irrita*, ὀργιστικός, ἐρεθιστικός. *Cic.* 1. *Att.* 17. *ante med.* Irritabiles animos esse optimorum sæpe hominum, et eosdem placabiles. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 102. Multa fero, ut placem genus irritabile vatum. *Ammian.* 18. 6. Suopte ingenio irritabilis et asper visitur. ¶ 2. Active est qui facile irritat et provocat. *Lactant.* 6. 23. Diabolus objicit oculis irritabiles formas suggeritque fomenta.

IRRĪTĀBĬLĬTAS vel Inritabilitas, ātis, f. 3. (irritabilis) vis irascendi, *l'irascibile*. *V.* EXCANDESCENTIA.

IRRĪTĀMEN *vel* Inritamen, ĭnis, n. 3. (irrito) irritamentum. *Ovid.* 13. *Met.* 434. opes, animi irritamen avari. *Id.* 12. *ibid.* 102. Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto Quum sua terribili petit irritamina cornu, Puniceas vestes. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 133.; et *Prudent. Hamartig.* 523.

IRRĪTĀMENTUM *vel* Inritamentum, i, n. 2. (irrito) id, quo quisquam irritatur, lacessitur, provocatur, *aizzamento, irritamento*, ἐρέθισμα.

I.) Proprie. *Liv.* 40. 27. Quibuscumque irritamentis poterat, iras militum acuebat. *Id.* 30. 11. Quod irritamentum certaminum equestrium est. *Ovid.* 1. *Met.* 140. Effodiuntur opes, irritamenta malorum. *Sall. Jug.* 94. Irritamenta gulæ. *Val. Max.* 2. 6. n. 1. luxuriæ. *Tac.* 3. *Ann.* 9. invidiæ. *Juvenal.* 11. 165. Veneris. *Plin. Paneg.* 8. irarum. *Lactant.* 6. 20. vitiorum. *Ammian.* 38. 6. sanguinis. *Tac. Agric.* 20. pacis. *Justin.* 31. 6. *extr.* belli.

II.) Translate est impedimentum fluvio oppositum, quod ille quasi irritatus superare conatur. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (54). Sic quoque Nilus, Siris nominatus per aliquot millia, subinde insolis impactus, totidem incitatus irritamentis non fluere immenso fragore creditur (*al.* queritur), sed ruere. *V.* INDIGNOR II.

IRRĪTĀTE *vel* Inritate, adverb. (irritatus) cum frequenti irritatione. Occurrit tantum Comp. *Irritatius* apud *Ammian.* 22. 15. *a med.* Trochilus, avicula brevis, dum escarum minutias captat, circa cubantem feram (*crocodilum*) volitans blande, genasque ejus irritatius titillando pervenit adusque ipsam viciniam gutturis.

IRRĪTĀTĬO *vel* Inritatio, ōnis, f. 3. (irrito) actus irritandi, *irritamento, istigazione, provoca*, ἐρεθισμός. *Liv.* 31. 14. *a med.* Et irritatio animorum ea prima fuit. *Seneca Ep.* 9. *a med.* Ad amicitiam fert illum sapientem nulla sua utilitas, sed naturalis irritatio. *inclinazione, prurito*. Sic *Id. Consol. ad Helv.* 6. Irritatio sedes commutandi. *Gell.* 7. 16. Reperire irritationes edendi. *h. e.* gulæ irritamenta. Cf. *Tac. Germ.* 19. Feminæ nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ. — In re medica *Scribon. Compos.* 142. Tenesmos est irritatio ultimæ partis directi intestini.

IRRĪTĀTOR vel Inritator, ōris, m. 3. (irrito) qui irritat, provocat, lacessit, *irritatore, provocatore*, ἐρεθιστής. *Seneca Ep.* 108. Omnibus natura fundamenta dedit semenque virtutum: omnes ad ista nati sumus: quum irritator accessit, tunc illa animi bona, velut sopita, excitantur. *Vulgat. interpr. Ezech.* 2. 7. Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant et quiescant; quoniam irritatores sunt.

IRRĪTĀTRIX *vel* Inritatrix, īcis, f. 3. (irrito) quæ irritat, *irritatrice*. *Vulgat. interpr. Ezech.* 24. 3. Et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam.

IRRĪTĀTUS *vel* Inritatus, a, um. *V.* IRRĪTO.

IRRĪTĀTUS vel Inritatus, us, m. 4. (irrito) idem atque irritatio. *Paul. Sentent. recept.* 1. 15. 3. Ei qui irritatu suo feram bestiam, vel quamcumque aliam quadrupedem in se proritaverit, eaque damnum dederit, neque in ejus dominum, neque in custodem actio datur.

IRRĪTE *vel* Inrite, adverb. (irritus) incassum, *indarno*. *Cassiod.* 1. *Variar.* 4. *a med.* Ad Atticum armorum potentem legationis est officio non irrite destinatus. Adde *eumd.* 12. *ibid.* 2. *a med.*

IRRĪTO vel Inrito, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Irritassis* antique pro *irritaveris* apud *Plaut. Amph.* 1. 1. 298. Num si me irritassis, hodie lumbifragium hinc auferes? — Part. *Irritans* 1. et 2.; *Irritatus* in fin.; *Irritaturus* et *Irritandus* 1. — *Irritari*, inquit *Non.* p. 31. 22. *Merc.* et *Donatus* ad *Ter. Adelph.* 2. 4. 18. et *Andr.* 3. 4. 18., proprie dicuntur canes, qui ante latratum, restrictis dentibus, R litteram sono asperiore imitantur. Hinc *Lucilius de littera R.* Irritata canes quod, homo quam, planiu' dicit. Verum, quidquid sit de etymo, irritare ¶ 1. Stricto sensu est ad iram provocare, lacessere, incendere, ἐρεθίζω, παροργίζω, παροξύνω (It. *irritare, provocare a sdegno, aizzare, stimolare*; Fr. *irriter, provoquer, stimuler*; Hisp. *irritar, provocar, excitar*; Germ. *reizen, anreizen, erregen*; Angl. *to irritate, provoke, anger, enrage, rouse, stimulate, stir up*). *Cic. Mil.* 31. 84. Ut vi irritare ferroque lacessere fortissimum virum auderet. Cf. *Virg.* 10. *Æn.* 644. Irritatque virum telis et voce lacessit. *Ovid.* 8. *Met.* 418. Irritare hostem ad iram. *Liv. fragm. l.* 91. (edente Romæ *Niebhurio*) p. 91. Eadem virtus, quæ irritantes oppugnaverat, victorem placabiliorem fecit. *Vellej.* 2. 66. Irritare aliquem ad necem cujuspiam. *Liv.* 31. 5. Opportune irritandis ad bellum animis litteræ allatæ. Sic *Justin.* 9. 2. 14. Irritare animos. *Liv.* 29. 15.; et *Stat.* 11. *Theb.* 716. Irritare iram alicujus. *Seneca* 3. *Ira* 8. Fugere debebit omnes, quos irritaturos iracundiam sciet. *Liv.* 33. 46. Irritare sibi simultates. *Varro* apud *Non. l. c.* ventos et procellas. — *Irritare crabrones*, proverb. *V.* CRABRO. — Poetice *Horat.* 3. *Od.* 29. 40. Quum fera diluvies quietos Irritat amnes. ¶ 2. Latiori sensu, vel generatim, est excitare, commovere, *incitare, commuovere*. *Sall. fragm.* apud *Non.* p. 31. 26. *Merc.* Tum vero Etrusci – maximo gaudio bellum irritare. *h. e.* ad bellum sumendum se stimulare, vel belli ardorem incitare. *Lucret.* 1. 70. Irritare virtutem animi. *Propert.* 4. 6. 75. Ingenium potis irritat Musa poetis. *Horat. Art. P.* 180. Segnius irritant animos demissa per aurem, Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus. *h. e.* tardius, lentius, minus movent, afficiunt excitantque. *fanno minore impressione*. *Seneca* 6. *Benef.* 29. Irritare ac provocare naturam per se pronam ad humanitatem. *Sil. It.* 13. 355. Poculaque Eoa luxum irritantia gemma. *Sueton. Domit.* 9. Principes, qui delatores non castigant, irritant. *Id. Ner.* 39. Irritare ingenia. *Quintil.* 1. 1. 26. infantiam ad discendum. *Ovid.* 2. *Fast.* 649. sicco cortice irritare flammas. *Id.* 2. *Amor.* 4. 9. forma meos irritat amores. *Id.* 3. *ibid.* 4. 11. vitia irritare vetando. *Tac.* 3. *Hist.* 4. suspiciones. *Seneca Ep.* 7. *a med.* cupiditatem. *Tac.* 3. *Ann. init.* Ingenii violentia exitum (*al. leg.* exitium) irritarit. *Simplic.* p. 88. *Goes.* Nisi et memoria sit recens, et loci natura irritetur, et cultura nihil impediet, secundum formas non est irritum decernere. — Hinc Part. præter. pass.

Irritatus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Irritatior* 1.; et ¶ 1. Est provocatus, lacessitus, ad iram incitatus, commotus, *irritato, provocato, aizzato*. *Plaut. Capt.* 3. 1. 25. Canis irritata. *Ter. Phorm.* 2. 1. 10. Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere. *Justin.* 12. 6. *sub fin.* Infestæ et irritatæ bello gentes. *Ovid.* 13. *Met.* 867. furit ille, irritatusque repulsa etc. *Gell.* 19. 9. Animo irritato indignabundus. *Id.* 15. 9. Atque ego bis ejus verbis irritatior, Audi, inquam, etc. ¶ 2. Item excitatus, stimulatus. *Sueton. Galb.* 21. Maxime irritati ad talem jocorum petulantiam, quod etc. *h. e.* stimulati, invitati. *Seneca Ep.* 97. *a med.* Lætatur ille adulterio, in quod irritatus est ipsa difficultate. *h. e.* invitatus, *eccitato*.

IRRĪTO *vel* Inrito, as, are, a. 1. (irritus) irritum reddere. *Imp. Theodos. Cod.* 3. 12. 2. *extr.* Et quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritetur.

IRRĪTO, adverb. *et*

IRRĪTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. sub I. 2. in fin.

IRRĪTUS *vel* Inritus, a, um, adject. (in privat. et ratus) non ratus, effectu carens, ἄθετος (It. *nullo, di nessun valore*; Fr. *mis à néant, non valable, nul*; Hisp. *non valedero, nulo*; Germ. *ohne Geltung*; Angl. *of no effect, fruitless, invalid, nothing*).

I.) Proprie de rebus usurpatur. ¶ 1. Stricto sensu. *Ter. Phorm.* 5. 7. 58. Quod dictum, indictum est: quod modo erat ratum, irritum est. *Cic.* 2. *Phil.* 42. 109. Testamentum irritum faceret. Cf. *Sueton. Tib.* 51. Testamentum pro irrito habere. et *Cal.* 38. Testamenta ut irrita rescidit. Rursus *Cic.* 2. *Legg.* 8. 21. Quæ augur injusta, vitiosa, dira defixerit, irrita infectaque sunto. *Id.* 4. *Verr.* 57. 140. Ea, quæ in magistratu gessisti, sustulit atque irrita jussit esse. *Id. ibid.* 26. 63. Ut omnes istius injurias, quas modo posset, rescinderet et irritas faceret. *Cels.* 13. 14. Remur aves irritas habuit. — Irritus contractus, irrita emptio, venditio, solutio, partio et hujusmodi, *h. e.* nullius valoris, aut roboris, frequentissima sunt apud JCtos. ¶ 2. Latiori sensu est vanus, inanis, inutilis, *vano*, ἄκυρος. *Plaut. Asin.* 1. 2. 10. Ingrata atque irrita esse omnia intelligo, quæ dedi, et quod bene feci. *Liv.* 29. 35. *ad fin.* Ab irrito incepto abscedere. *Ovid.* 1. *Met.* 273.; et *Quintil.* 12. 1. 13. Irritus labor. *Ovid.* 5. *Met.* 38. cuspis non irrita adhæsit. *Tac.* 4. *Hist.* 81. irritum remedium. *Stat.* 10. *Theb.* 45. spes. *Virg.* 4. *G.* 519. dona. *Id.* 2. *Æn.* 459. tela. *Tac.* 3. *Hist.* 34. irrita præda. *h. e.* quæ nullum emolumentum affert. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 58. 79. (158). et *ibid.* 60. 80. (166), irrita ova. *h. e.* quæ Græce cynosura, hypenemia et zephyria, ex quibus incubando nihil gignitur, quæ nempe citra maris coitum nascuntur, quæque *chiari* Itali dicunt. *Propert.* 3. 11. *extr.* de *Cassandra*. irrita lingua. *h. e.* quæ in cassum loquitur. *Virg.* 10. *Æn.* 95. jurgia. *Catull.* 30. 9. tua dicta omnia factaque Venti irrita ferunt. *Id.* 64. 142. Quæ cuncta aerii discerpunt irrita venti. *Id. ibid.* 59. irrita promissa. *Ovid. Rem. am.* 286. irrita verba. — Et *irrita* absolute. *Ovid.* 11. *Met.* 39. Tendentemque manus, atque illo tempore primum irrita dicentem, nec quidquam voce moventem (*Orphea*), Sacrilegæ perimunt. — Hinc etiam *irritum*, i, n. 2. absolute, in formulis *ad irritum, in irritum* occurrit apud *Liv.* 28. 31. Spes ad irritum redacta. *svanita*. Al. leg. *in irritum*. *Id.* 2. 6. Incensus dolore tantæ ad irritum cadentis spei. *Tac.* 3. *Hist.* 26. Victoria ad irritum revolvebatur. *si risolvera in nulla*. et *ibid.* 53. *extr.* In irritum cecidere labores. — Hinc et *irrito* videtur adverbii ritu usurpari in illo *Eumen. Gratiar. act.* ad *Constatin.* 11. In eo quod irrito petebatur.

II.) Translate de hominibus dicitur, qui frustra et sine effectu quippiam egerunt. — *a*) Cum Genitivo rei. *Tac.* 4. *Hist.* 32. *extr.* Irritus legationis. *Vellej.* 2. 63. 2. consilii. *Curt.* 6. 5. 6. spei. *Sil. It.* 7. 131. incepti. *Nazar. Paneg. Constant.* 2. cupito-

rum. *Ammian.* 20. *sub fin.* propositi. — *b)* Absolute. *Virg.* 5. *Æn.* 441. Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat Arte locum, et variis adsultibus irritus urget. *senza potere far nulla. Tibull.* 2. 3. 22. Venit et a templis irrita turba domum. *h. e.* sine ullo oraculi responso, inconsulta. *Seneca* 6. *Benef.* 11. Domum non minus lassus, quam irritus redit. *senza aver fatto nulla.* Sic *Curt.* 4. 4. 2. Tam discedere (*ab urbe, quam obsidebat*) irritum, quam morari pudebat. *Tac.* 15. *Ann.* 25. Irriti legati remittuntur, cum donis tamen. *senz'avere ottenuto nulla.* Cf. *Sueton. Domit.* 9. Legatum irritum facere. — Hinc *Cato* apud *Gell.* 11. 2. Sumptuosus, cupidus, vitiosus, irritus qui habebatur, is laudabatur. *h. e.* inutilis, nequam. *buon da nulla.* — Hinc

Irritum, i, n. 2. absolute, et

Irrito, adverb. *V.* supra sub I. 2. in fin.

IRRŌBŎRASCO, is, *vel*

IRRŌBŎRO *vel* inroboro, as, āvi, are, a. 1. (in *et* robur) robur addere, vires addere. Neutrorum more adhibetur a *Gell.* 1. 22. Irroboravit inveteravitque falsa atque aliena verbi significatio. *s'è fortificata, ha preso piede.* Subintelligitur autem Accus. se.

IRRŌGĀTĬO vel inrogatio, ōnis, f. 3. (irrogo) actus irrogandi, constitutio, impositio, inflictio, *imposizione, condanna. Cic. Rabir. perduell.* 3. 8. Quod est in eadem mulctæ irrogatione perscriptum. *Plin. Paneg.* 40. *sub fin.* Tarditatem solvendi dupli vel quadrupli irrogatione multare.

IRRŎGĀTUS *vel* inrogatus, a, um. *V.* voc. seq.

IRRŎGO *vel* inrogo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* rogo). *Irrogassit* pro *irrogaverit* est apud *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. QVVM MAGISTRATVS IVDICASSIT, INROGASSITVE, PER POPVLVM MVLTAS, POENAS CERTATIO ESTO. — Part. *Irrogatus* et *Irrogandus* 2. — Irrogare ¶ 1. Stricto sensu est legem contra aliquem rogare. *V.* paragr. seq. 2. *Cic. Dom.* 17. 43. Leges privatis hominibus irrogare. *Id. ibid.* 42. 110. privilegia tyrannica. Sic *Id. Sext.* 30. 65. privilegium alicui. *et* 3. *Legg.* 4. 11. PRIVILEGIA NE INROGANTO. ¶ 2. Latiori sensu, seu generatim est constituere, imponere, infligere, *imporre, dare,* ὑποτιμάω: nam in irrogandis alicui legibus, mulcta, tributo, rogabatur populus contra eos, in quos leges ferebantur, mulcta dicebatur, tributum imponebatur, rogabatur, inquam, ut suo suffragio ea confirmaret. *Cic. Mil.* 14. 36. et *Dom.* 22. 58. Irrogare mulctam alicui. Sic *Gell.* 7. 19. *in fin.* Multa irrogata Scipioni. Adde *Liv.* 5. 11. et 37. 58.; et *Sueton. Tib.* 3. Sic *Auct. B. Afr.* 97.; et *Plin. Paneg.* 37. Irrogare alicui tributum. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 118.; et *Tac.* 13. *Ann.* 28. pœnas. *Tac.* 16. *Ann.* 5. Tenuioribus irrogata supplicia. *Id.* 13. *ibid.* 23. Irrogatum accusatori exsilium. *Apul.* 9. *Met.* Irrogare alicui plagas. *Tac.* 4. *Ann.* 10. *extr.* sibi mortem. *Quintil.* 10. 3. 26. Labori non plus irrogandum est, quam quod somno supererit. *h. e.* assignandum, tribuendum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (20). Irrogare imperium in aliquem. *h. e.* imponere, tribuere. *Quintil. Declam.* 10. 15. Religionem alicui irrogare. *h. e.* injicere, imponere. ¶ 3. Pro rogare, petere. *Eumen. Restaur. Schol.* (si sanus est locus) 4. Quum obsessa civitas auxilium Romani principis irrogaret.

IRRŌRĀTĬO *vel* inroratio, ōnis, f. 3. (irroro) roris aspersio. *Cassiod.* 12. *Variar.* 14. Olus illic (*in agro Rhegiensium Calabriæ*) omne saporum est marina irroratione respersum.

IRRŌRĀTUS *vel* inroratus, a, um. *V.* voc. seq.

IRRŌRO *vel* inroro, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* ros). Part. *Irrorans* I. 1.; *Irroratus* I. 1. et 2.; *Irrorandus* I. 2. — Irrorare

I.) Proprie ¶ 1. Stricto sensu est rore aspergere, rore perfundere, δροσίζω (It. *inrugiadare, bagnar di rugiada*; Fr. *couvrir de rosée, arroser*; Hisp. *regar de rocio, rociar*; Germ. *mit Thau benetzen, bethauen*; Angl. *to sprinkle or wet with dew or moisture, bedew, besprinkle*). Occurrit — *a)* Cum Accusativo. *Colum.* 12. *R. R.* 24. 2. Noctibus vas tegendum erit, ne irroretur. *Id.* 9. *ibid.* 14. 10. Irroratis floribus apes mella conficiunt. *Cels.* 5. 26. n. 8. Sudores tenues, mistique odoris, tamquam irrorato corpore oriuntur. — *b)* Absolute et impersonalium more. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 93. Africus, interdum Auster irrorat. *Id.* 10. *ibid.* 331. de *Jove.* Sæpe etiam gravidis irrorat pestifer undis. ¶ 2. Latiori sensu, aut translate ut aliis placet, est madefacere, perfundere. — 1.°) Pro madefacere liquore. — *a)* Cum Accusativo. *Colum.* 10. *R. R.* 117. Primitiis plantæ modicos tum præbeat imbres Sedulus irrorans olitor. *innaffiando. Ovid.* 7. *Met.* 189. ter sumptis flumine crinem Irroravit aquis. *Id.* 1. *ibid.* 371. Irrorare liquores Vestibus et capiti. *Sil. It.* 11. 303. Bacchi liquorem mensis. *Id.* 2. 123. oculos lacrimis. *Cels.* 7. 19. *a med.* Bis die tantum aceto irroranda lana, vel spongia. *Colum.* 12. *R. R.* 49. 5. Pluseulum mellis adjiciunt, oleoque viridi irrorant. *h. e.* guttatim perfundunt. — *b)* Absolute et impersonalium more. *Virg.* 3. *G.* 303. quum frigidus olim Jam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno. *h. e.* pluvias demittit. *Ovid.* 9. *Met.* 369. Lacrimæ irrorant foliis. *Val. Flacc.* 7. 359. quum viscere vultur adeso Tollitur e scopulis, et rostro irrorat aperto. *h. e.* stillat guttas sanguinis. — 2.°) Pro perfundere, de solidis. *Pers.* 6. 21. irrorans patinæ piper.

II.) Translate. *Sil. It.* 10. 355. *de Somno.* quatit inde soporas Devexo capiti pennas, oculisque quietem Irrorat, tangens Lethæa tempora virga. *Claudian.* 2. *Rapt. Pros.* 75. Zephyrus assiduis irrorat flatibus annum.

IRRŌSUS *vel* inrosus, a, um, adject. (in *privat. et* rosus) non rosus. *Gloss. Cyrill.* Ἄβρωτος, inrosus, inesus.

IRRŌTO vel inroto, as, are, a. 1. (in *et* roto) rotando, seu circumagendo impetere. *Minuc. Fel. Octav.* 3. *de puerili lusu,* qui Græce dicitur ἐποστρακισμός, Gallice *ricochet.* Testam super undas irrotare. *h. e.* libratam manu ita projicere, ut summam aquam stringat, et in ea velut rotetur.

IRRŪBESCO *vel* inrubesco, rŭbescis, rŭbŭi, rŭbescere, n. inchoat. 3. (in *et* rubesco) ruber fio, *rosseggiare,* ἐρυθριάω. *Stat.* 6. *Theb.* 230. nec sanguine ferrum Irrubuit. Cf. *Solin.* 5. *extr.* Hæmachates sanguineis maculis irrubescit. Rursus *Stat.* 5. *Silv.* 3. 31. tuus ut mihi vultibus ignis Irrubuit. Sic *Id.* 9. *Theb.* 647. cœli plaga sidere mixto Irrubuit.

IRRUCTO vel inructo, as, are, a. 1. (in *et* ructo) ructu afflare, *ruttare,* ἐνερεύγομαι. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 6. Quid tu, malum, ergo mihi in os ebrius irructas?

IRRŪDIS, e, adject. (in *privat. et* rudis) non rudis, *dirozzato.* Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir.* p. 123.

IRRŪFĀTUS *vel* inrufatus, a, um. *V.* voc. seq.

IRRŪFO *vel* inrufo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* rufus). Part. *Irrufatus.* — Irrufare est rufum facere, *far rosso,* ἐρυθραίνω. *Hieronym. Ep.* 107. n. 5. Nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes. *Tertull. Apolog.* 22. *extr.* Barba tactu irrufata. *V.* AENOBARBUS in ONOM. *Id. Jejun.* 17. Lenticula defruto irrufata.

IRRŪGĀTĬO vel inrugatio, ōnis, f. 3. (irrugo) rugarum contractio, *increspamento.* Est *Servii* ad *Virg.* 1. *Æn.* 652.

IRRŪGĀTUS *vel* inrugatus, a, um. *V.* IRRUGO.

IRRŪGIO *vel* inrugio, is, ivi, *vel* ii, itum, ire, n. 4. (in *et* rugio) valde rugio, ut leo, ἐκβρυχάομαι. *Vulgat. interpr. Genes.* 27. 34. Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno.

IRRŪGO *vel* inrugo, as, āvi, ātum, are, a. 1. (in *et* ruga). Part. *Irrugatus* I. — Irrugare est in rugas contrahere, corrugare, *increspare,* ῥυτιδόω.

I.) Proprie. *Gell.* 12. 1. *ante med.* Ne æquor illud ventris corrugetur. *Hieronym.* in *Ep. ad Galat.* c. 5. Fronte severis moribus irrugata.

II.) Figurate. *Stat.* 4. *Theb.* 276. Undantemque sinum nodis irrugat Iberis. *h. e.* vestem laxam fibula contrahit, vel balthei fascia.

IRRŪMĀTĬO *vel* inrumatio, ōnis, f. 3. (irrumo) actus irrumandi. *Catull.* 21. 8. Tangam te prior irrumatione.

IRRŪMĀTOR vel inrumator, ōris, m. 3. (irrumo) qui irrumat.

I.) Proprie. *Firmic.* 8. *Mathes.* 20. Prima pars Tauri irrumatores faciet et cinædus.

II.) Translate est qui alios pecunia et bonis defraudant. *Catull.* 10. 12. Præsertim quibus esset irrumator Prætor, nec faceret pili cohortem. *V.* IRRUMO II. 1.

IRRŪMĀTUS *vel* inrumatus, a, um. *V.* voc. seq.

IRRŪMO *vel* inrumo, as, āvi ātum, are, a. 1. (in *et* ruma). Penultima brevis est, licet sit longa in *ruma.* — Part. *Irrumatus* I. et II. 2. — Irrumare proprie est rumam, seu mammam præbere: hinc translato et obscœno sensu est mentulam alicui fellitandam præbere, ὑβρίζομαι.

I.) Proprie. *Catull.* 16. 1. Pædicabo ego vos, et irrumabo. Sic *Auct. Priap.* 36. 5. Pædicaberis irrumaberisque. Rursus *Catull.* 21. 13. Ne finem facias, sed irrumatus. Adde *Martial.* 2. 47. et 83. *V.* SUMMUS.

II.) Translate. ¶ 1. Est ludibrio habere, contumelia afficere, bonis aliquem defraudare. *Catull.* 29. 9. O Memmi, bene me ac diu supinum Tota ista trabe lentus irrumasti. *h. e.* sordide et illiberaliter mecum egisti; verbis enim obscœnis et imagine impudica ex trivio et lupanari petita rem non obscœnam, sed turpem et inhonestam expressit. Adde *eumd.* 37. 8. et 74. 5. *V.* IRRUMATOR II. ¶ 2. *Irrumata unda* est aqua publici balinei a lavantium mentulis polluta. *Martial.* 2. 70. Undis ne fovearis irrumatis.

IRRUMPĬBĬLIS vel inrumpibilis, e, adject. (in *privat. et* rumpo) qui rumpi non potest. *Gloss. Philox.* Irrumpibilis, ἄρρηκτος. Adde *Gloss. Cyrill.*

IRRUMPO *vel* inrumpo, rumpis, rūpi, ruptum, rumpere, a. 3. (in *et* rumpo). Part. *Irrumpens* I. et II. 1.; *Irruptus* et *Irrupturus* I. — Irrumpere est introrumpere, irruere, vi atque impetu ingredi, invadere, irruptionem facere, εἰσπίπτω (It. *entrare a forza, cacciarsi dentro con violenza, introdursi con impeto*; Fr. *se précipiter vers ou dans, entrer précipitamment, fondre sur*; Hisp. *precipitarse en, entrar violentamente*; Germ. *hinein –, einbrechen, – stürmen, – fallen, – dringen, e. Einfall, Einbruch machen*; Angl. *to break in violently, rush furiously into, burst into*).

I.) Proprie. — 1.°) De hominibus occurrit — *a)* Cum Adverbiis motus in locum, aut cum Accusativo et præpos. *in,* raro *intra. Ter. Eun.* 5. 7. 26. Cesso huc intro irrumpere? *Cic.* 1. *Divinat.* 24. 50. Syracusanos improviso in castra irrupisse. Similiter *Cæs.* 4. *B. G.* 14.; et *Justin.* 2. 4. 15. Irrumpere in castra. Rursus *Cic.* 15. *Fam.* 2. Irrumpere in provinciam. *Sueton. Cal.* 14. in curiam. *Cæs.* 5. *B. G.* 43. Et quæ pars hostium confertissima visa est, in eam irrumpit. *Seneca Octav.* 732. Irrumpere intra tecta. — *b)* Cum Accusativo et præpos. ad. *Sall. Cat.* 49. *ad fin.* Cethegus libertos suos orabat, uti, grege facto, cum telis ad sese irrumperent. — *c)* Cum Accusativo sine præpos., quæ inest in ipso verbo. *Sall. Jug.* 62. Portam irrumpit. Sic *Ovid.* 15. *Met.* 598. His quidem potuit portas irrumpere apertas. *Cæs.* 3. *B. C.* 111. Primo impetu domum ejus irrumpere conatus est. *Id.* 1. *ibid.* 27. Irrumpere oppidum. *Virg.* 4. *Æn.* 645. limina domus. *Sueton. Claud.* 37. cubiculum. *Lucan.* 5. 127. fores. Sic *Venant. Vit. S. Mart.* 4. 529. donec male Brictio motus Irruptis foribus, sancto et convicia vergit. *h. e.* cum impetu superatis. *Sil. It.* 2. 692. Irrumpere arcem. *Id.* 13. 79. mœnia Romæ. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 4. 7. (23). Carthaginem. *Tac.* 4. *Hist.* 13. Italiam. *Id.* 5. *ibid.* 20. pontem. *Id.* 1. *ibid.* 82. convivium. *Id.* 3. *ibid.* 9. Repentino incursu stationes hostium irrumpit. *Sil. It.* 5. 185. Irrumpere globos. — *d)* Poetice cum Dativo. *Virg.* 6. *Æn.* 528. Irrumpunt thalamo. *Sil. It.* 2. 378. attoniti, ceu templo irrumperet hostis. *Id.* 10. 368. sacris irrumpere muris. *Id.* 9. 365. irrupit trepidis hostis. — *e)* *Irrumpere se* est impetu ferri. *Varro* apud *Non.* p. 263. 21. *Merc.* Quidam navicularios irrupit se in curiam. Sic *erumpere se,* dixere *Cæs., Virg.* et alii. — *f)* Absolute. *Virg.* 9. *Æn.* 728. qui Rutulum in medio non agmine regem Viderit irrumpentem. *Sueton. Oth.* 11. Irrumpentibus ad primum gemitum. *Id. Domit.* 1. Irrumpentibus adversariis. *Id. Vitell.* 17. Irruperant jam agminis antecessores. *Tac. Agric.* 25. interim cognoscit, hostes plurimis agminibus irrupturos. — 2.°) De brutis. *Sueton. Vesp.* 5. Bos arator triclinium irrupit. — 3.°) De inanimis. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 28. (107). Mare in terras irrumpit. *Id. ibid.* 13. 15. (36). Mare irrumpit e Scythico oceano in aversa Asiæ. *Sil. It.* 5. 518. gravis humili cum turbine costas Fraxinus irrupit. *h. e.* hasta. *Id.* 14. 609. Irrupit ratis. *h. e.* celerrime ad litus appulit. — Immanis hyperbole est in illo *ejusd.* 15. 167. Tellurem

procul irrumpentem in sidera cernunt, Aerias Alpes. h. e. se ettollentem.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a paragr. superiore, — a) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 41. 136. Atrocitas ista quo modo in Academiam irruperit, nescio. *Id. ibid.* 40. 125. Imagines extrinsecus in animos nostros per corpus irrumpunt. *Id.* 3. *Orat.* 27. 108. Qui in nostrum patrimonium irruperunt. *Id. ibid.* 42. 168. Luxuries in domum irrupit. — b) Cum Accusativo et præpos. *ad*. *Seneca Ep.* 117. *a med.* Quomodo istas calamitates removeam, quæ ad me irruperunt, quomodo illas, ad quas ego irrupi. *Quintil.* 2. 1. 2. Grammatici ad prosopopœias usque et ad suasorias irrumpunt. *h. e.* accedunt ad ea tradenda, quæ non sunt artis suæ, quasi in alienam provinciam irrumpentes. — c) Cum Accusativo sine præpos. *Lucan.* 1. 470. Fama irrupit animos populi. — d) Absolute. *Ovid.* 5. *Trist.* 1. 78. Irrumpunt curæ, quoque vetantur, eunt. *Tac.* 1. *Hist.* 15. Irrumpet adulatio. ¶ 2. Prægnante, uti ajunt, significatione. *Stat.* 1. *Achill.* 508. Eja, irrumpe deos. *h. e.* scrutare, explora deorum mentem. *intrare mentes Superum*, hoc sensu dixit *Sil. It.* 1. 124. Rursus *Stat.* 10. *Theb.* 341. Phœbe, veni: sæpe hanc dignare irrumpere mentem. *h. e.* numine et afflatu invadere. ¶ 3. *Irrumpere legem* apud *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 20. est violare.

IRRUO *vel* inruo, rŭis, rŭi, rŭere, n. 3. (in *et* ruo). Part. *Irruens* I. — Irruere est in aliquid ruere, impetu se inferre, vel se immittere, invadere, irrumpere, ἐφορμάω (It. *entrare con furia, avventarsi, lanciarsi*; Fr. *fondre sur, jeter sur, se précipiter*; Hisp. *entrar precipitadamente, cargar, embestir con impetuosidad*; Germ. *hineinstürzen*; Angl. *to rush in or on furiously, rush impetuously, force one's way, run headlong into*).

I.) Proprie. — 1.°) De hominibus occurrit — a) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Ter. Adelph.* 1. 2. 8. Fores effregit, atque in ædes irruit alienas. *Cic.* 2. *Fin.* 19. 61. Et equo admisso, in mediam aciem Latinorum irruebant. V. *Donatum* ad *Ter.* infra sub d. Rursus *Cic. Dom.* 45. 119. Omni impetu furoris irruere in aliquem. — b) Poetice cum Dativo. *Claudian. Cons. Mall. Theod.* 194. Irruet intrepidus flammis. *si caccierà nel fuoco.* — c) *Irruere se* dicitur, ut *irrumpere*, aut *erumpere se*. *Ter. Adelph.* 4. 2. 11. Vide, ne ille huc prorsus se irruat. *si cacci qua dentro.* — d) Absolute. *Ter. Eun.* 4. 7. 18. Quam mox irruimus? *quanto stiamo ad assaltarli?* Ubi *Donatus*: Irruere proprie dicuntur, qui cum furore prælium ineunt. Adde *Plaut. Amph.* 1. 1. 88. Sic *Virg.* 3. *Æn.* 222. Irruimus ferro. *colla spada alla mano.* et *Id.* 10. *ibid.* 578. Haud tulit Æneas tanto fervore furentes: Irruit, adversaque ingens apparuit hasta. *Curt.* 10. 6. 22. Ut non modo nullus ex omnibus irruenti regi restiterit. Adde *Sueton. Cæs.* 82.; et *Ammian.* 23. 1. — 2.°) De inanimis. *Ammian.* 17. 13. Has enim terras Parthiscus (*amnis*) irruens obliquatis meatibus Istro miscetur.

II.) Translate. — a) Cum Accusativo et præpos. *in*. *Cic.* 1. *Orat.* 10. 41. In alienas possessiones temere irruere. *Id.* 3. *ibid.* 41. 165. Verecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irruisse videatur. *Id.* 2. *Verr.* 12. 35. De industria in odium alicujus et offensionem irruere. — b) Cum Dativo. *Lucan.* 7. 60. Cladibus irruimus, nocituraque poscimus arma. — c) Absolute pro offendere, cadere dixit *Cic.* 2. *Orat.* 74. 301. Permulta sunt in causis, in omni parte orationis circumspicienda, ne quid offendas, ne quo irruas.

IRRUPTIO *vel* inruptio, ōnis, f. 3. (irrumpo) actus irrumpendi, incursio, *irruzione, scorreria*, ἐπιδρομή, εἰσβολή. *Plaut. Pœn. prol.* 42. Irruptionem facere in popinam. *Cic. pro leg. Manil.* 6. 15. Quum hostium copiæ non longe absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur. *Sueton. Tib.* 6. Hostis irruptio. *Plin. Paneg.* 81. Submovere campis irruptionem ferarum. *Flor.* 2. 12. 5. Regem securum subita belli irruptione terruit. *Pallad.* 10. *R. R.* 17. Botryones in loco obscuro sine luminis irruptione suspendere.

IRRUPTUS *vel* inruptus, a, um, particip. *V.* IRRUMPO.

IRRUPTUS *vel* inruptus, a, um, adject. (in *privat. et* ruptus) non ruptus, *non rotto*, ἄρρηκτος. *Horat.* 1. *Od.* 13. 17. Felices ter et amplius, Quos irrupta tenet copula. *Paulin. Nolan.* 28. 572. aram Vidimus irrupta solii compage manentem.

IRRŬTĬLO *vel* inrutilo, as, are, n. 1. (in *et* rutilo) idem quod rutilare. *Ambros. de Fide Resurr. sub init.* Non semper ortu lucis albescit, radiis solis irrutilat. *Id. Ep.* 5. 31. Clari splendore fulgoris (*luna*) irrutilat. Adde *eumd.* 3. *Hexæm.* 11. et *in Luc.* 8. 17.

IRTĬŎLA *vel* irciola, æ, f. 1. genus est vitis atque uvæ, Umbriæ, Mevanatique et Piceno agro peculiaris. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 3. 4. (37). — Hanc nuper sibi cognitam ait *Colum.* 3. *R. R.* 2. 28.; nobis vero prorsus incognita est; etsi non desunt, qui uvam passam esse putant.

IS

IS, ĕa, id, pronomen. — Plurima præmittenda sunt de antiquis hujusce pronominis formis, de ejusdem usu apud Poetas, et de syllabica adjectione. — 1.°) Antiquæ formæ sunt, quæ sequuntur. — a) In Genitivo sing. num. *eiius* primo, deinde *ejus* fuisse usurpatum, docet *Priscian.* 1. p. 515. *Putsch.*, qua ratione prima producitur. — *Id.* 6. p. 691. vetustissimos solitos fuisse omnium in *ius* terminantium Genitivum etiam in *i* proferre, ut Dativum in *o*. Id vero confirmat *Vet. Inscript.*, quæ pertinet ad ann. U. C. DCLX., mendose apud *Murat.* 290. 2., emendata apud *Orell.* 3793. ARBITRATV CN. LAETORII CN. F. MAGISTREI PAGEI EI. *h. e.* magistri pagi ejus. — b) In Dativo sing. num. *eii* pro *ei* scriptum. *Plaut. Curc.* 4. 3. 12. Eii reddidi. *at Cas. prol.* 35. Eii est filius. *et* 37. Est eii quidam servus. *Lucret.* 2. 1134. Nec facile in venas cibus omnis diditur eii. — c) *Eæ* pro *ei*. *Cato R. R.* 46. Quam simillimum genus terræ eæ, ubi semina positurus eris. Sic *ea* pro *ei* in *vet. Tab.* mox citanda sub *e*. EAM SEMITAM EO AEDIFICIO CONTINENTEM CONSTRATAM RECTE HABETO. *h. e.* ædificio adhærentem. — d) Accusativus sing. num. *im* pro *eum* occurrit in *Legg. XII. Tab.* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 4., quocum cf. *Cic.* 2. *Legg.* 29. 60., in vet. *Lege* apud *Festum* p. 246. 13. *Müll.* et apud *Paul. Diac.* p. 47. 3. et p. 103. 10. *Müll.* *V.* IM loco suo et infra sub *l.* — Item *em* pro *eum* habent *Legg. XII. Tab.* apud *Gell.* 20. 1., quocum cf. *Paul. Diac.* p. 76. 12. et p. 77. 8. *Müll.* *V.* EM. loco suo. — e) In recto plurali *ei*, *iei*, *ieis* et *is* dictum est olim pro *ii*. *Cic. Brut.* 51. 199. Ut ex nervorum sono in fidibus, quam scienter ei pulsi sunt, intelligi solet. *Al. leg.* ii. *Ennius* apud *Festum* p. 301. 17. *Müll.* ex lectione *Scaliq.* hortantur ei sos. *Vet. Inscript.* apud *Murat.* 582. 1. *lin.* 8. QVEIVE AES IEIS PROGNATI EVNT, ERVNT, IEI OMNES POSTEREIQVE EORVM etc. *Alia* apud *Gruter.* 207. *col.* 3. QVOD IEIS IMPROBARINT, IMPROBVM ESTO. *Alia* apud *Murat.* 318. 1. IS LIBERTI LIBERTORVM, AD QVOS EA RES PERTINEBAT, HOC MONVMENTVM NEGLEGENTIAE CVRATVM POST MVLTIS ANNIS RESTITVERVNT. *h. e.* ii liberti libertorum. — f) Pro *eorum* antiqui dixerunt *eum*, teste *Paul. Diac.* p. 77. 8. *Müll.*; et habetur in *vet. Tab. æn.* apud *Murat.* 582. 2. *lin.* 11. — g) Dativus et Ablativus pluralis est *eis* et *iis*; at hoc est illo usitatius: item *ieis*, *V.* supra sub *e*. *Plaut. Amph. prol.* 92. Auxilio eis fuit. *Id. Asin.* 2. 2. 3. Triumphum eis affero. Adde *eumd. Capt.* 4. 2. 36.; *Curc.* 2. 1. 35. et alibi. Sic *Plin.* 23. *Hist. nat.* 7. 67. (132). Nec est alius eis pomis innocentior cibus. *Silliq.* leg. *Qui alius ejus* etc. per interrogationem. — h) *Iis* frequentius est, quam ut exemplis firmari oporteat. Pro quo *iibus* et *ibus* apud antiquos invenitur. *Plaut. Curc.* 4. 2. 20. Parissimi estis iibus. *Al. leg.* hibus *pro* ibus. *Id. Mil. glor.* 1. 1. 71. Ibus dinumerem stipendium. *Non.* quoque ita legit p. 486. 20. *Merc.*, ubi *Pomponius*. Fac, voluptati sies ibus. *Titinius* apud *eumd. ibid.* Si moratæ sitis ambæ ibus. Adde *Plaut. Truc.* 1. 2. 14. et *Rud. prol.* 73. — i) *Eabus* pro *eis* dixit *Cato R. R.* 152. Facito scopas virgeas ulmeas: eabus latera doliis perfricato. — l) Putant aliqui ita olim declinatum fuisse: *Is, is, i, im*: unde in plur. num. *ii*, *iis* et *ibus*. *Plaut. fragm.* apud *Non.* p. 138. 29. *Merc.* Boni im miserantur, irrident mali. Alii aliter leg. *V.* supra sub d. In vet. epitaph. anno 1739. Romæ via Salaria effosso, apud *Mazzoch.* in *epist. de Ascia*, p. 130. AMPLEXVS VITAE I REDDERE POST OBITVM. — 2.°) Apud Poetas — a) *Ei* monosyllabum occurrit apud *Catull.* 82. 3. Eripere ei noli, multo quod carius illi Est oculis. — b) *Eum, eam, eos* in fine versus pentametri improbari solet: non caret tamen exemplis. *Propert.* 2. 22. 8. Arripite hunc, inquit: nam bene nostis eum. *Martial.* 5. 47. Non cœnat, quoties nemo vocavit eum. *Auson. Epigr.* 104. Te tamen et cultus damnat, et actus eam. — In medio versu tolerari potest. *Ovid.* 1. *Fast.* 721. Utque domus, quæ præstat eam, cum pace perennet. *Id.* 4. *ibid.* 521. Terque manu permulsit eam, tria carmina dixit. Adde *eumd.* 5. *Met.* 521. et 10. *ibid.* 235. — c) Ne *ejus* quidem in medio, aut fine versus caret exemplis. *Horat.* 3. *Od.* 11. 17. quamvis furiale centum Muniant angues caput ejus, atque etc. *Propert.* 4. 2. 35. Est etiam aurigæ species Vertumnus, et ejus etc. *et ibid.* 6. 67. Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus etc. *Tibull.* 1. 7. 25. Sæpe velut gemmas ejus signumve probarem. *Ovid.* 8. *Met.* 16. saxo sonus ejus inhæsit. *Id.* 3. *Trist.* 4. 27. Non foret Eurymedon orbus, si filius ejus etc. *Grat. Cyneg.* 221. si qua est, qua fallitur ejus Turba loci. Ceterum illud *ejus* languidos reddit versus et prosæ orationis similiores: quare in toto *Virgilio* nusquam legitur. V. *Bentlej.* ad *Horat. loc. cit.*, et *G. Ph. E. Wagner. Quæst. Virg.* XVII. *vol.* IV. p. 451. et seqq. — 3.°) Aliquando assumit syllabicam adjectionem. *Plaut. Merc. prol.* 91. Iisce confectis, navim solvimus. *Id. Truc.* 2. 6. 15. Alios collaudat, eapse se vero non potest. *Id. Curc.* 4. 3. 2. eapse illa, quæ etc. *et ibid.* 6. eopse illo, quo etc. et *Cist.* 1. 3. 22. Eampse vos audistis. — Ratione habita etymi, vult *Vossius* esse a Græco ὅς, quamvis usu differat, o in *i* converso. Rectius tamen *Schneidius* in *Animadv.* ad *Sanctii Minerv.* p. 43. putat, esse ab antiquissimo pronomine *i*, ac terminatione adjecta *us*, ex Græco ος derivata, factum fuisse *ius*; deinde per syncopen scriptum *is* masc., *ea* fem. pro *ia*, et *id* neutr. pro *ide*, ex *i* oempe et Gr. δέ. *V.* ibi reliqua huc spectantia. Recentiores vero malunt derivatum a Gr. ἴς, ἶ. Quidquid sit de etymo, *is, ea, id*, est pronomen demonstrativum, et relativum, tertiæ personæ, mediam vim habens inter *hic* et *ille*; nam pro utroque ponitur, οὗτος, ἐκεῖνος, αὐτός (It. *quegli, quello, questi, questo, egli, colui*; Fr. *lui, il, elle, ce, cet, cette*; Hisp. *él, ella*; Germ. *er, sie, es, der, die, das, derjenige, diejenige, dasjenige*; Angl. *he, this or that person, the same*). Occurrit ¶ 1. Absolute, hoc est nulla prorsus conjunctione cum aliis pronominibus vel particulis. — a) Generatim expresso nomine, ad quod *is* pertinet. *Plaut. Mil. glor.* 2. 1. 26. Erat herus Athenis mihi adolescens optimus. Is amabat meretricem indidem Athenis Atticis et illa illum contra. *Id. ibid.* 1. 1. 59. AR. Vel illæ quæ heri pallio me reprehenderunt. — PY. Quid eæ dixerunt tibi? AR. Rogitabant: Hiccine Achilles est? *Ter. Andr.* 4. 5. 6. Obsecro, quem video? Estne hic Crito consobrinus Chrysidis? Is est. *Id. Eun.* 3. 4. 7. Quisnam hinc a Thaide exit? Is est, an non est? ipsus est. *è egli desso, o no?* *Id. Andr.* 1. 3. 16. Fuit quidam senex mercator: navem is fregit apud Andrum insulam: is obiit mortem. *Cic.* 2. *Att.* 1. Venit mihi obviam tuus puer: is mihi litteras abs te reddidit. *Id.* 1. *Tusc.* 2. 3. Oratio Catonis, in qua objecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset. *Id. Cæcin.* 5. 14. Hanc personam imponite Æbutio. Is enim Cæsenniæ fuit Æbutius. *h. e.* talis. *Id. ibid.* 10. 28. Meminerant enim omnes quantum in Albiano judicio accepisset. In eum quid dicam, nisi id quod negare non possit? *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Flumen est Arar —: id Helvetii ratibus ac lintribus junctis transibant. — b) Specietim, interdum nomen, ad quod *is* et præcipue neutr. *id* pertinet, latet et ex ipso contextu orationis eruendum est. *Virg.* 4. *Æn.* 478. Inveni, germana, viam, gratare sorori, Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem. *eum* Æneam esse, Anna soror facile intelligebat. — Hinc *ejus* aliquando pro *ejus uxor* usurpetur. *Inscript.* apud *Orell.* 418. TI. CLAVDIO HYMNO MEDICO LEG. XXI., CLAVDIAE QVIETAE EIVS ATTICVS PATRONVS. *Cato R. R.* 5. Scabiem pecori et jumentis caveto. Id ex fame, et si impluit, fieri solet. *h. e.* id, ut fiat scabies, fieri solet ex fame etc. *Cic.* 1. *Tusc.* 2. 4.

Ergo in Græcia musici floruerunt discebantque id omnes. *h. e.* artem musicam. *Id.* 7. *Att.* 7. Alexim, humanissimum puerum, nisi forte, dum ego absum, adolescens factus est, id enim agere videbatur –, salvere jubeas velim. *h. e.* id enim agere videbatur, ut adolescens fieret. — Aliquando *id* jungitur cum *ipsum*. *Cic.* 1. *Fam.* 2. Multi rogabantur: atque id ipsum consulibus invitis. Sic alia ratione *Id.* 4. *Att.* 16. *a med.* Id ne igitur, inquies, facile fers? id ipsum. *questo appunto.* — c) Item *is* non modo ad tertiam personam, ut in locis hucusque allatis, sed etiam ad primam et secundam refertur. *Plaut. Merc.* 3. 4. 47. Egomet credidi homini docto rem mandare: is lapidi mando maximo. *Cic.* 12. *Fam.* 14. *ad fin.* Atque hæc omnia is feci, qui sodalis Dolabellæ eram. Adde *Senec. Ep.* 63. *ad fin.* — *Cic.* 2. *Phil.* 30. 76. Qui magister equitum fuisse tibi viderere, in proximum annum consulatum peteres, – is per municipia coloniasque Galliæ cum gallicis et lacerna cucurristi. *h. e.* quum talis esses. — d) Item, interdum vim habet reciproci. *Cic.* 1. *Orat.* 54. 232. Socrates respondit sese meruisse, ut amplissimis honoribus et præmiis decoraretur, et ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice præberetur. *Id.* 6. *Verr.* 39. 84. Audistis nuper dicere legatos Tyndaritanos Mercurium, qui sacris anniversariis apud eos coleretur – esse sublatum. Sic *Cæs.* 1. *B. G.* 5. Helvetii persuadent Rauracis, ut una cum iis proficiscantur. *h. e.* secum. et 12. *in fin.* Cæsar etiam privatas injurias ultus est, quod ejus soceri avum Tigurini interfecerant. Sic 11. Liberi eorum. *h. e.* sui. Alia congessit *Baumgarten.* ad *Sueton. Cal.* 34. — e) Interdum etiam pro relativo pronomine ponitur. *Cic. Brut.* 74. 258. Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaria domestica infuscaverat, recte loquebantur. *Id. Orat.* 2. 9. Species pulcritudinis eximia quædam, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigebat. Adde *eumd.* 1. *Acad.* (*post.*) 7. 29. et 18. *Att.* 16. — f) Aliquando redundare videtur. *Plaut. Trin.* 4. 3. 16. Quorum eorum unus surripuit currenti cursori solum. *Id. Men.* 1. 2. 32. Id enim quod tu vis, id ajo atque id nego. *Id. Rud.* 2. 3. 1. Nunc id est, quum omnium copiarum nuditas nos tenet. *h. e.* nunc est, quum etc. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 25. 79. Quod ne id facere posses, idcirco etc. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 4. 5. (14). de *corona civica*. Quatuordecim eas accepit Siccius Dentatus. *quattordici di quelle ne riportò.* Confer *Cic.* 4. *Tusc.* 36. 77. Quid est enim, quo non progrediatur eodem ira, quo furor? — Quamquam pronomen *is* aliquando et inservit colligendo ea quæ dicta sunt, et majore in luce eadem collocat. *Cato R. R.* 8. Ficos mariscas in loco cretoso et aperto serito: Africanas, – Telanas atras pediculo longo, eas in loco crasso aut stercorato serito. *Id. ibid.* 6. Idem ager si nebulosus est, rapa, raphanos, milium, panicum, id maxime, seri oportet. Cf. *Cic. Senect.* 15. 52. Malleoli, plantæ, sarmenta, viviradices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent? *Liv.* 1. 19. Urbem novam, conditam vi et armis, jure eam legibusque ac moribus de integro condere parat. *Al. omitt.* eam. — g) Interdum emphasin habet, et rei definiendæ quam maxime inservit, præcipue et *is*, *atque is*, *isque*, *nec is*, ut apud *Sall. Cat.* 50. Silanum certe scio, quæ dixerit, studio reipublicæ dixisse, neque illum in tanta re gratiam, aut inimicitias exercere: eos mores, eam modestiam viri cognovi. *tali sono i costumi, tanta la moderazione* etc. *Cic.* 3. *Phil.* 12. 31. Antonius cum una legione, eaque vacillante. *Id.* 5. *Att.* 1. In primis nobis sermo, isque multus, de te fuit. *Id.* 4. *Cat.* 4. 7. Vincula, et ea sempiterna. *Liv.* 4. 57. Uno atque eo facili prælio cæsi ad Antium hostes. *Cic.* 12. *Att.* 10. Tuus dolor, humanus is quidem, sed magnopere moderandus. *Id.* 2. *Phil.* 18. 44. Certa flagitii merces, nec ea parva. *Liv.* 2. 3. Erant in Romana juventute adolescentes aliquot, nec ii tenui loco orti etc. — Interdum adverbii more neutrum effertur. *Cic.* 13. *Fam.* 10. Apollonium doctum hominem cognovi et studiis optimis deditum, idque a puero. Cf. *eumd.* 11. *Phil.* 2. 5. Quæstionem habuit pecuniæ publicæ: idque per biduum. — Nonnumquam hoc sensu *is* effertur præcedente adversativa particula *sed*, ut apud *Cic. Senect.* 18. 65. Severitatem in senectute probo, sed eam, sicut alia, modicam. — h) Adjective quoque ponitur, h. e. cum ipso nomine jungitur. *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Ea res ut est Helvetiis enunciata etc. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 21. (61). Quam orbem is rex condidit. — Huc adde usitatissimas formulas *ob eam rem*, *propter eam rem*, *ea re*, *ob eam causam*, *propter eam causam*, etc. quas *V.* in v. CAUSA et RES, et infra sub 2. — *Id genus.* *V.* GENUS. ¶ 2. Pronomen *is* jungitur etiam particulis eidem respondentibus, quæ alteri propositionis membro inserviunt. — a) Sequente, vel præcedente pronomine relat. *qui*, aut *quicumque*, *si quis*, *si quisquam*, *quo*, *unde*, *ubi* et similibus. — Cum pron. *qui*, ut apud *Caton. R. R.* 1. Siet (*prædium*) in iis agris, qui non sæpe dominos mutant. *Plaut. Amph. prol.* 9. Ea adferam, ea uti nunciem, quæ maxime in rem vestram communem sient. *Ter. Adelph.* 5. 6. 5. Is mihi profecto est servus spectatus satis, cui dominus curæ est. *Id. Adelph.* 2. 1. 52. Cogito id, quod res est. *h. e.* quod verum est. *Cic.* 1. *Tusc.* 1. 1. Retuli me ad ea studia, quæ – longo intervallo intermissa revocavi. *Id. ibid.* 3. 6. Fieri potest, ut recte quis sentiat et id, quod sentit, polite eloqui non possit. *Id. Mil.* 37. 101. Sit hic ea mente, qua natus est. *Cæs.* 1. *B. G.* 1. Aquitania – ad Pyrenæos montes et eam partem Oceani, quæ est ad Hispaniam, pertinet. *Id. ibid.* 3. Constituerunt ea, quæ ad proficiscendum pertinerent, comparare. *Varro* 1. *R. R.* 1. 7. Ego referam sermones eos, quos de agri cultura habuimus nuper. *Nepos Att.* 3. Quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii. — Cum pron. *quicumque*, ut apud *Cic. Mil.* 36. 100. Quid faciam, – nisi ut eam fortunam, quæcumque erit tua, ducam meam? *Id.* 1. *Orat.* 32. 145. Quo – ab eo, quodcumque sibi proposuerit, minus aberret orator. *Id. ibid.* 37. 212. Non est difficile oratori ejus partis, quamcumque defendet, auctorem aliquem invenire. — Cum *si quis*, ut apud *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 13. § 38. Mutare animum, et si quid est penitus insitum moribus, id subito evellere. Adde *eumd. Divin. in Q. Cæcil.* 15. 19. — Cum *si quisquam*, ut apud *Cic.* 6. *Fam.* 14. Si quisquam est timidus in magnis periculosisque rebus –, is ego sum. *Id.* 15. *ibid.* 4. 13. Si quisquam fuit unquam remotus – ab inani laude et sermonibus vulgi, ego profecto is sum. — Cum adverb. *quo*, ut apud *Cic.* 6. *Verr.* 13. 38. Homo et domi nobilis et apud eos, quo se contulit, propter virtutem splendidus et gratiosus. *Id.* 3. *Fam.* 5. Ut dicerem me libenter ad eam partem provinciæ primum esse venturum, quo te maxime velle arbitrarer. *Cæs.* 2. *B. G* 16. Mulieres, – in eum locum conjecisse, quo propter paludes exercitui aditus non esset. — Cum adverb. *unde*, ut apud *Cic. Cæcin.* 27. 80. Ex eo certe (*loco*), unde fugit. *Cæs.* 1. *B. G.* 28. Quod noluit eum locum, unde Helvetii discesserant, vacare. — Cum adverb. *ubi*, ut apud *Cic.* 7. *Fam.* 22. Tamen id caput, ubi controversia est, notavi. *Cæs.* 1. *B. G.* 13. Ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate populi Romani nomen caperet. — *NB.* Hac in re tria præterea sunt animadvertenda: scil. — α) *Is* cum pron. relat. *qui* est etiam *talis*, *hujusmodi*, *tale*. *Cic.* 5. *Fam.* 12. Neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias. *tu non se' tale, tu non se' l'uomo che* etc. *Id.* 7. *Att.* 8. Itaque ego is in illum sum, quem tu me esse vis. *Id.* 3. *Fam.* 10. 6. Quod si essem ea perfidia, qua sunt ii, qui etc. *Id.* 7. *ibid.* 23. 3. Ea enim signa ego emere soleo, quæ ad similitudinem gymnasiorum exornent – mihi locum. *V.* alia sub *b.* — β) Haud raro *is* post propositionem relativam satis longam, quasi per pleonasmum, ponitur, quo facilius oratio intelligatur. *Cic.* 6. *Verr.* 55. 123. Verres, qui non Honori, neque Virtuti –, sed Veneri et Cupidini vota deberet, is Minervæ templum spoliare conatus est. *Id.* 1. *Nat. D.* 22. 61. Itaque ego ipse pontifex, qui cæremonias – tuendas arbitror, is hoc persuaderi mihi velim. *Id.* 13. *Fam.* 28. Illud, quod supra scripsi, id tibi confirmo. *Id. Cæcin.* 25. 75. Iste vester testis, qui ausus est dicere –, is ipse numquam auderet judicare. *Liv.* 1. 26. Huncine, quem modo decoratum – vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum – videre potestis? — γ) Sæpissime *is qui* conjunctim usurpatur ad rem et præcipue personam aliquam clare ac definite indicandam. *Cic.* 1. *Nat. D.* 13. 35. Nec audiendus ejus auditor Strabo, is qui physicus appellatur. *Id.* 2. *Off.* 11. 40. Quem C. Lælius, is qui sapiens usurpatur, prætor fregit. *Id.* 1. *Orat.* 14. 62. Neque vero Asclepiades, is quo nos medico – usi sumus. *Id. Senect.* 21. 78. Demonstrabantur mihi, quæ Socrates – disseruisset, is qui esset omnium sapientissimus Apollinis oraculo judicatus. — Speciatim *id quod* fortuitam aliquam observationem interserit. *Cic.* 7. *Fam.* 14. Sed mehercule mallem, id quod erat æquius, de tuis rebus ex tuis litteris quam sæpissime cognoscere. *Id.* 9. *ibid.* 18. Primum, id quod maxime nunc opus est, munio me ad hæc tempora. *Id.* 1. *Orat.* 44. 196. Ac si nos, id quod debet, nostra patria delectat. *Id. ibid.* 20. 89. Sive ille hoc ingenio potuit, sive, id quod constat, Platonis studiosus audiendi fuit. *Nepos Timol.* 1. Non simplici fortuna conflictatus est; et, id quod difficilius putatur, sapientius tulit secundam, quam adversam. *Id. Reg.* 2. Nam peritus belli fuit et, id quod in tyranno non facile reperitur, minime libidinosus. — Interdum *id quod* additur uti appendix vel causa eorum quæ dicta sunt. *Cic.* 1. *Fam.* 2. Diem consumi volebant: id quod fecerunt. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 7. Illico omnes simul lætæ exclamant: Venit, id quod me repente aspexerant. *h. e.* ideo, propter id. Cf. *eumd. Heaut.* 5. 3. 15.; et *V.* infra sub 3. — b) Sequente part. *ut*, *ne*, *quo*, *quin* etc. *Ter. Heaut.* 2. 3. 118. In eum jam res rediit locum, ut sit necessum. *Cic. Flacc.* 15. 34. Est enim, credo, is vir iste, ut civitatis nomen sua auctoritate sustineat. *Id.* 1. *Cat.* 9. 22. Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam a turpitudine –, aut ratio a furore revocarit. *Id. Cluent.* 70. 199. Cujus (*matris*) ea stultitia est, ut eam nemo hominem, ea vis, ut nemo feminam, ea crudelitas, ut nemo matrem appellare possit. *Id. Fontej.* 16. 35. Quæ non solum ob eam causam laborat, ut huic – videatur; sed etiam, quod ea conditione atque eo fato se in his terris collocatam esse arbitratur, ne – possint. *Id.* 1. *Divinat.* 16. 30. Illa obnunciatio si valuit, id valuit, ut etc. — Speciatim *in eo, ut* etc. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 1. Totum in eo est –, tectorium ut sit concinnum. *Id.* 1. *Orat.* 67. 244. Nempe ejus omnis oratio versata est in eo, ut scriptum plurimum valere debere defenderet. *Nepos Miltiad.* 7. Quum jam in eo esset, ut oppido potiretur. *Liv.* 28. 22. Si viderent in eo jam esse, ut urbs caperetur. *Id.* 2. 17. Quum jam in eo res esset, ut in murum evaderet miles. *h. e.* in eo statu. *Al. leg.* Quum jam in eo esset, ut etc. — Item *ab eo, ut* etc. *Cic.* 1. *Tusc.* 31. 76. Tantum abest ab eo, ut malum mors sit, – ut verear ne etc. *Liv.* 28. 82. Tamen tantum abfuit ab eo, ut ulla ignominia iis exercitibus quæreretur etc. Cf. *Cæs.* 5. *B. G.* 2. Naves – invenit constructas, neque multum abesse ab eo, quin paucis diebus deduci possent. — Et *cum eo, ut* etc. *Liv.* 8. 14. Lanuvinis civitas data sacraque sua reddita, cum eo, ut ædes lucusque Sospitæ Junonis communis – cum populo Romano esset. — *Cic.* 8. *Phil.* 11. 32. Redeat ad imperatorem suum Varius, sed ea lege, ne unquam Romam revertatur. *Id.* 10. *ibid.* 10. 22. Qui ob eam causam natus videtur, ne – turpissimus esset M. Antonius. *Id. Sull.* 31. 88. Ne hanc labem tanti sceleris in familia relinquat, id laborat, id metuit. Cf. *Ter. Eun.* 1. 2. 70. Id amabo adjuta me, quo id fiat facilius. *Cic. Quinct.* 2. 5. Non eo dico, quo mihi veniat in dubium etc. *V.* EO adverb. loco suo. — Sequente *quasi* apud *Cic.* 1. *Att.* 10. 6. Proinde eo animo te velim esse, quasi mei negotii causa in ista loca missus esses. — Et sequente *ac si* apud *Liv.* 37. 54. Massilienses – in ea merito dignitate audimus apud vos esse, ac si medium umbilicum Græciæ tenerent. — c) Cum particulis causalibus *quod*, *quia* etc. *Cic.* 13. *Fam.* 26. L. Mescinius ea mecum necessitudine conjunctus est, quod mihi quæstor fuit. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 2. 2. § 7. Atque is dolor est, quod – vincunt. *Id.* 2. *Fin.* 9. 28. Sed tamen ex eo, quod eam voluptatem videtur amplexari etc. *Id.* 3. *Off.* 13. 53. Ea re, quia turpe sit, faciendum non esse. *h. e.* ob eam rem. *V.* alia in EO adverb. — d) Neutrum *id* jungitur insolite cum Accusativo. *Plaut. Capt.* 2. 1. 1. Si dii immortales id voluere, vos hanc ærumnam exsequi. *Ter. Eun.* 4. 4. 56. Id modo dic, abiisse Dorum. *di' sol questo.* *Cic. Orat.* 34. 120. Nescire, quid antea quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. Cæsari quum id nunciatum esset, eos per provinciam iter facere. *Sall. Jug.* 81. Callidus id festinabat, Bocchi pacem

imminuere. ¶ 3. Speciatim neutrum sing. *id* absolute usurpatur — *a*) In formula *id est*, quæ ita scribitur melius, quam conjunctim *idest*, et explicandi vim habet, *cioe, cioè dire*, hoc est, nulla prorsus generis ratione habita. *Cic.* 1. *Tusc.* 8. 16. Ita ne moriendum quidem esse malum est: id est enim perveniendum esse ad id, quod etc. *Id.* 2. *leg. Agr.* 28. 76. Maximam multitudinem, id est totam Italiam, suis opibus obsidebunt. *Id.* 4. *Att.* 16. *circa med.* Senatus hodie fuerat futurus, id est Kal. Octobr. *Id.* 7. *ibid.* 7. *extr.* Assentior Cn. Pompejo, id est T. Pomponio. — *b*) Post se habet aliquando Genitivum et indicat gradum, mensuram et statum rei. *Ter. Phorm.* 5. 8. 86. Io id redactus sum loci. *a tal punto io sono ridotto.* *Liv.* 22. 4. Id tantum hostium, quod ex averso erat, aspexit. *Tac.* 13. *Ann.* 41. Id virium. *Id. ibid.* 54. honoris. *Id.* 12. *ibid.* 18. auctoritatis. *Sall. Cat.* 45. Postquam ad id loci legati cum Volturcio venere. *Liv.* 9. 45. Quando verba vana ad id locorum sint. *sino allora.* Sic *Id.* 43. 5. Nec se ad id locorum scire, propter quam causam consuli pro hostibus fuerint. Similiter *Gell.* 17. 8. Accipiebat nos cœna plerumque ad id diei, ubi jam advesperaverat. *a un'ora tale del dì.* — Hinc *id temporis, id ætatis* adverbiorum ritu apud optimos occurrunt. *Cic. Mil.* 10. 28. Deinde profectus id temporis, quum jam Clodius redire potuisset. *Id.* 13. *Att.* 33. Venit ad me, et quidem id temporis, ut retinendus esset. *a un'ora tale.* *Id.* 5. *Fin.* 1. 1. Maxime quod is locus ab omni turba id temporis vacuus esset. *Id.* 2. *Orat.* 90. 367. Sed nunc, quoniam est id temporis, surgendum censeo. *Id.* 6. *Fam.* 20. Ita viximus et id ætatis jam sumus, ut omnia – fortiter ferre debeamus. *Id. Flacc.* 42. 106. Qui vos, quoniam est id ætatis, ut – possit etc., orat etc. — Adjectivorum more Substantivis quoque aliquando jungitur. *Cic.* 1. *Orat.* 47. 107. Quoniam id nobis, hominibus id ætatis, oneris imponitur. Adde *eumd. Rosc. Am.* 23. 64., *Cluent.* 51. 141. et 4. *Att.* 15. — *c*) Aliquando id est ideo, propter id, *per ciò, per questo, a tal fine, con tale intendimento* etc. *Ter. Andr.* 2. 5. 3. Id propterea nunc hunc sequor. *Id. Eun.* 5. 7. 4. Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem. *Id. Andr.* 1. 1. 130. Nunc id operam do, ut etc. *Plaut. Rud.* 2. 3. 66. Id misera mœsta est, sibi eorum evenisse inopiam. — Jungitur hoc sensu et Verbis, quæ alioquin Accusativum non regunt. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. Id ego ex parte gaudeo. *perciò.* Cf. *Plaut. Asin.* 1. 1. 61. Et id ego percupio obsequi gnato meo. *pro in eo, in questo rapporto.* — *Forcellinus* addit etiam illud *Varron.* 2. *R. R.* 9. 16. *de canib.* Villatico gregi satis esse duo, et id marem et feminam. *pro eosque.* — *d*) *Idque*, id quoque, ut *hodieque*, hodie quoque. *Tac.* 4. *Ann.* 74. Donec idque vetitum. *Al. melius* id quoque *leg.* — Hinc

Ea, adverb. et

Eo, adverb. *V.* loco suo.

ĪSĀGŌGĒ, es, et Isagoga, æ, f. 1. εἰσαγωγή *introduzione*, ab εἰσάγω *introduco*, introductio, prima scientiæ artisve alicujus rudimenta, quæ ad majora altioraque veluti introducunt. *Gell.* 1. 2. Se in theorematibus tantum nugalibus et puerilium isagogarum commentationibus oblectantes.

ĪSĀGŌGĬCUS, a, um, adject. εἰσαγωγικός, *introduttivo*, ad isagogen pertinens. Græce legitur apud *Gell.* 14. 7.; at in lemmate ejus capitis, Latine: Dedit commentarium, quem appellavit isagogicum.

ĪSĀTIS, is vel idis, f. 3. ἰσάτις, genus herbæ silvestris, lacteo succo prævalens, cujus folia trita cum polenta prosunt vulneribus. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 7. 25. (59). De synonymia, *V.* in LACTUCA. — Alias est sativa, alio nomine glastum et vitrum, cujus usus est lanis cæruleo colore tingendis, *guado*. *Id. ibid.* et 22. *ibid.* 1. 2. (2). *V.* GLASTUM.

ISCHÆMON, ŏnis, n. 3. ἴσχαιμον, ab ἴσχω *sisto* et αἷμα *sanguis*, herba a Thracibus primum inventa, qua ferunt sanguinem sisti, non aperta modo vena, verum etiam præcisa. Serpit a terra milio similis, foliis asperis et lanuginosis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 45. (83). et 26. *ibid.* 12. 82. (131).

ISCHĬĂCUS et

ISCHĬĂDĬCUS, a, um, adject. ἰσχιακός et ἰσχιαδικός, *sciatico*, ad ischiada morbum pertinens. Hinc *ischiadici dolores* sunt *dolori di sciatica*. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 7. 27. (42). Ischiadicos dolores et spinæ levat agaricum potum. — Hinc

Ischiacus vel *ischiadicus*, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, est qui ischiadis morbo laborat. *Cato R. R.* 123. Vinum ad ischiacos sic facito. *Gell.* 4. 13. Ischiaci quum maxime doleant etc. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (21). Carmine ischiadicos sanari. *Id.* 30. *ibid.* 8. 22. (71). Ischiadicis cochleas crudas tritas prodesse. *Id.* 25. *ibid.* 13. 106. (169). Ischiadicis drachmam (*senecionis*) cum oxymelite ab ambulatione propinavere.

ISCHĬAS, ădis, f. 3. ἰσχιάς. ¶ 1. Est morbus coxendicum, ad caput ossis ejus, quod ἴσχιον dicitur, Latine a *Celso* 8. 1. femur, *sciatica*. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 5. 16. (33). Arction bibitur propter ischiada et stranguriam. *Capell.* 9. p. 314. Ischiadas quis nesciat expelli aulica suavitate? Adde *Theod. Priscian.* 4. 1. ¶ 2. Item herba, quæ et leucacantha, radice cyperi. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 16. 18. (40). De synonymia, *V.* in LEUCACANTHA.

ISCHNON ĔRŌMĔNĬON, ἰσχνὸν ἐρωμένιον, h. e. gracilis amicula. Græcæ voces in quibusdam editionibus Latine scriptæ. *Lucret.* 4. 1159. Ischnon eromenium tum fit, quum vivere non quit Præ macie.

ISCHŪRĬA, æ, f. 1. ἰσχουρία, *ritenzione d'urina*, integra urinæ in vesica suppressio. Vox Græca ab ἴσχω *reprimo, sisto*, et οὖρον *urina*. Est *Veget.* 5. *Veterin.* 142.; et *Pelagon.*, cujus locum *V.* in STRANGURIA.

ISCORPĬO. *V.* SCORPIO.

ISCURRA, æ, m. 1. fuit plebeja, ut videtur, vocabuli depravatio pro scurra. Legitur apud *Isid.* 10. *Orig. litt. I.*

ISCUS, i, m. 2. pro discus, legitur apud *Isid.* 20. *Orig.* 4.

ISĔLASTĬCUS, a, um, adject. εἰσελαστικός, ab εἰσελαύνω *invehor, ingredior*: ut *iselastica certamina*, in quibus victores cum magna pompa coronati quadrigis, diruta murorum parte, introducebantur quisque in patriam suam. *Plin.* 10. *Ep.* 119. Quæ pro iselasticis certaminibus constituisti. — Hæc autem certamina erant Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea, quibus qui vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerant, uti non modo in conventu, stantes cum palma et corona, ferrent laudes, sed etiam quum revertebantur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia et in patrias veherentur, e reque publica, perpetua vita, constitutis vectigalibus fruerentur: quæ sunt verba *Vitruvii* in *præfat. l.* 9. *init.* Sic *Inscript.* apud *Gruter.* 251. 4. T. AELIO HADRIANO ANTONINO AVG. PIO CONSTITVTORI SACRI CERTAMINIS SELASTICI (*lege* ISELASTICI) SOCII LICTORES POPVLARES DENVNTIATORES PVTEOLANI. *V.* ŒCUMENICUS. — Hinc

Iselasticum, *i*, n. 2. absolute, substantivorum more, (subaudi *præmium*), usurpatus pro eo quod iselasticis victoriæ nomine dabatur. *Trajanus* apud *Plin.* 10. *Ep.* 120. Iselasticum tunc primum mihi videtur incipere debere, quum quis in civitatem suam εἰσήλασεν.

ISĒUM vel Isium, i, n. 2. Ἴσειον, templum Isidis. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 9. 10. (51). Crocodilus Cæsarem in Iseo dicatus. *Eutrop.* 7. 23. narrat, Domitianum Romæ Iseum et Serapeum fecisse, *h. e.* instaurasse; nam *Dio l.* 66. *c.* 21. affirmat, utrumque incendio fuisse dirutum, Tito imperante. *P. Victor. de region. Urb. Romæ* ibidem Iseum ponit in regione nona. *Lamprid. Alex. Sev.* 26. Isium et Serapium decenter ornavit, additis signis et deliacis et omnibus mysticis. *V.* GERUSIA.

ĪSĬĂCUS, a, um, adject. Ἰσιακός, ad Isim pertinens: *V.* hanc vocem in ONOM. — Hinc

Isiacus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, est sacerdos Isidis. *Sueton. Domit.* 1. Isiaci celatus habitu, interque sacrificulos vanæ superstitionis ita latuit, ut etc. *h. e.* linteo amictu, quo illi utebantur. *Inscript.* Pompejis reperta, apud *Rosin. Dissert. isag.* p. 63. *tab.* 7. *n.* 7., quæ est apud *Henzen.* 6028. CN. HELVIVM SABINVM AEdilem ISIACI VNIVERSI ROGANT. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 7. 29. (53). Seriphi ramum Isiaci præferre solemne habent. *Val. Max.* 7. 3. *n.* 8. M. Volusius ædil. pleb. proscriptus, assumpto Isiaci habitu, per itinera viasque publicas stipem petens. *V. Tertull. carm. ad senat.* 22. *de Isiacis*. caligaque remota, Gallica sit pedibus molli redimita papyro. Cf. *Herodot.* 2. 37. οἱ ἱρέες Αἰγύπτιοι φορέουσι ὑποδήματα βύβλινα.

ISICIUM, etc. *V.* INSICIA.

ĪSIS, is vel idis, f. 3. Ἶσις, dea Ægyptiorum, de qua *V.* in ONOM. — Hinc ¶ 1. *Isidis crinis* arbor est peregrina et ignota, de qua *Juba* apud *Plin.* 13. *Hist. nat.* 25. 52. (142). ¶ 2. *Isidis sidus* a quibusdam appellatur stella Veneris. *Id.* 2. *ibid.* 8. 6. (37).

ISITIA. *V.* INSICIA.

ĪSĪUM. *V.* ISEUM.

ISMIRUS, i, m. 2. *V.* SMYRIS.

ĪSŎCINNĂMON, i, n. 2. ἰσοκίνναμον, frutex, al. daphnois, præstantissimi odoris, in iisdem fere locis nascens, in quibus cinnamomum et casia, ita dictus, quod cinnami præstantiam adæquare videtur; nempe ab ἴσος *par, æqualis*. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 20. 43. (98). De synonymia., *V.* in DAPHNOIS.

ĪSŎCHRȲSON, *i*, n. 2. ab ἴσος æqualis et χρυσός *aurum*, est collyrium a *Galeno de compos. pharm. l.* 4. memoratum. *Inscript.* apud *Tôchon. Cach. des ocul. p.* 31. IVNII TAVRI ISOCHRYSON AD SCABRITIAS ET CLARITATEM. *Alia* apud *eumd. ibid.* p. 62. M. IVL. CHARITONIS ISOCHRYS. AD CLAR.

ĪSŎCŌLON, i, n. 2. ἰσόκωλον, Latinis *compar*, figura verborum per similitudinem, per quam membra periodi ex pari ferme numero vocabulorum constant; ab ἴσος *æqualis* et κῶλον *membrum*. *Quintil.* 9. 3. 80.; et *Capell.* 5. p. 174. Græce scribunt. At *Koppius* in sua *Capellæ* editione Latinis litteris exhibet. Item Latinis litteris legitur apud *Rutil. Lup. de fig. sent. et eloc.* 15.; et *Aquil. Rom.* 23. *V.* COMPAR.

ĪSŎDŎMOS, on, adject. ἰσόδομος, Græca vox, ab ἴσος *par, æqualis* et δομέω, δέμω *struo, ædifico*. A *Forcellino* effertur *Isodomon*, *i*, n. 2. ἰσόδομον. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 22. 51. (171). Græci e lapide duro, aut silice æquato struunt veluti latericios parietes. Quum ita fecerunt, isodomon vocant genus structuræ: at quum inæquali crassitudine structa sunt coria, pseudisodomon. Tertium est emplecton, tantummodo frontibus politis: reliqua fortuito collocant. Hæc *Plin.*, cui similia habet *Vitruv.* 2. 8. — Structuræ genus *isodomon* appellatum, simile est illi, quod Romani vocabant *reticulatum*, quia nempe retis quodammodo speciem exhibebat; quadratis enim, nec ideo jacentibus, sed in latus stantibus lapidibus construebatur. *Pseudisodomon* vero, quod Romani *opus incertum* appellabant; hoc non ordinatim dispositis, sed fortuito collocatis lapidibus struebant, ita ut impares et inæquales choriorum ordines exhiberet. Tertium vero genus, quod et *emplecton* et *diamicton* vocitabant (*V.* EMPLECTON et DIAMICTON), erat hujusmodi, ut in frontibus tantum politis saxis, reliqua, ita ut nata erant, cum materia, *h. e.* calce collocata alternis alligarent in muri crassitudinem coagmentis, nec ullum intrinsecus cavum facerent, sed in unam crassitudinem murum consolidarent.

ĪSŎĔTES, is, n. 3. ἰσοετές, ab ἴσος *par* et ἔτος *annus*. Ita dicitur aizoi genus minusculum, quod semper vireat ac toto sit anno sui simile. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 13. 102. (160) De synonymia, *V.* in AIZOUM.

ĪSŎPLEURŎS, on, adject. ἰσόπλευρον (hinc a *Forcellino* effertur *isopleuron*, *i*, n. 2.) ab ἴσος *æqualis* et πλευρά *latus*, adjunctum trianguli tria latera æqualia habentis. *Auson. præf. ad Edyll.* 13. *qui est cento nuptialis*. Ossicula ea sunt isoscela, vel isopleura, orthogonia quoque vel scalena. *Var. auct. de limit.* p. 312. *Goes.* Ager si fuerit trigonus isopleurus, habens tria latera, per quæ (*lege* peræqua, quæ) sexagenas perticas habeant, duco unum latus per alterius lateris medietatem, id est LX. per XXX. fiunt perticæ MDCCC., quæ faciunt jugera VI., tabulam unam. *Boeth. Aristot. Anal. post.* 2. 4. p. 525. Et par et impar numero et primum et compositum, et isopleurum et altera parte longius. *et ibid.* p. 526. Isopleuron triangulum. Adde *eumd.* 2. *Geom.* p. 1521.

ĪSŎPȲRON, i, n. 2. ἰσόπυρον, herba, quam aliqui vocant phasiolum, quoniam ejus folium, quod est aniso simile, in pampinos torquetur. Capitula habet in summo caule tenuia, plena seminis melanthii. *Plin.* 27. *Hist. nat.* 11. 70. (94). De synonymia, *V.* in PHASIOLUS.

ĪSOSCĔLES, is, m. 3. ἰσοσκελής, ab ἴσος æqua-

lis et σκέλος *crus*, adjunctum est trianguli duo tantum latera æqualia habentis. *Auson. cit.* in voce ISOPLEUROS.

ISŌSYLLĂBUS, a, um, adject. ἰσοσύλλαβος, qui parem syllabarum numerum habet. *Servius* ad *Virg.* 1. *Æn.* 156. Nominativus pluralis – isosyllabus esse debet.

ĪSOX, ŏcis, m. 3. ἴσοξ, idem atque esox. *Isid.* 20. *Orig.* 2. Isocem piscem quemdam vocant, ex quo primum isicia facta sunt.

ISPORTŬLA *pro* sportula legitur in *Inscript.* apud *Rénier. n.* 1867. *V.* ISCURRA.

ISTĀTŬA *pro* statua legitur in *Inscript.* apud *Orell.* 1120. *V.* ISCURRA.

ISTĪPENDIUM *pro* stipendium legitur in *Inscript.* apud *Rénier. n.* 3742. *V.* ISCURRA.

ISSŬLUS. *V.* voc. seq.

ISSUS *et deminut.* issulus, a, um, adject. videtur esse vox derivata ab *ipsus* pro *ipse* et *ipsulus*, quibus efferendis quum frustra laborarent apud Romanos pupi pupulæque, eorum parentes ita eosdem blandimenti causa appellasse recte putat *Fabrett.* ad hanc *Inscript. p.* 45. *n.* 255. CINERIBVS TERENTIAE MELITINAE: ISSA HAVE. *Alia* apud *Cardinali, Iscriz. Velit. p.* 119. *n.* 55. CLAVDIAE VENERIAE GELLIVS VALENS ET FVLVIVS SECVNDVS FECERVNT ET GELLIVS ZOILUS ISSAE SVAE B. M. *Alia* apud *Fabrett. loc. cit. n.* 254. L. APONIUS ABASCANTVS VIXIT ANNOS III. MENSES VI. T. FLAVIVS ANICETVS ET APONIA SVTILLA ISSVLO ET DELICIO SVO FECERUNT. — *NB.* *Issa* est etiam nomen catellæ apud *Martial.* 1. 110. Issa est deliciæ catella Pubii.

ISTAC, adverb. (iste) per istum locum, *per costà*, τῇδε. *Ter. Heaut.* 3. 3. 27. Abi sane istac, istorsum, quovis.

ISTACTĔNUS, adverb. (istac et tenus) usque ad istum locum, aut terminum, *sino a cotesto segno o luogo*. *Plaut. Bacch.* 1. 2. 58. Istactenus tibi, Lyde, libertas data est.

ISTÆC. *V.* ISTIC primo loco.

ISTE, a, od, pronom. Genitivus *istius* a Poetis interdum in penultima corripitur. *Virg.* 12. *Æn.* 648. Sancta ad vos anima atque istius inscia culpæ. — Olim *isti* pro *istius* dictum fuit. *Cato* apud *Priscian.* 6. *p.* 691. Pecunia mea reipublicæ profuit, quam isti modi, uti tu es. *subaudi* magis. *Plaut. Truc. a.* 5. *v.* 38. Quæ amas hominem istimodi? — In Dativo *isto* pro *isti* est qui legit apud *Apul.* 7. *Met. sub fin.* Caput pessimo isto asino demere. *Sed plerique omnes* isti *agnoscunt.* — Reperitur et *istæ* in feminino. *Plaut. Truc.* 4. 3. 16. Istæ dedi. — Aliquando recipit et syllabicam adjectionem. *Plaut. Rud.* 3. 4. 40. Argentum pro istisce ambabus dedi. — Ceterum *iste* videtur esse compositum ex *is* et syllaba *te*, sicut Græci ex pronom. ὁ et δὲ componunt ὅδε, ἥδε, τόδε; et est pronomen demonstrativum ad ea ostendenda, quæ ad eum quoquo modo pertinent, quocum loquimur, οὗτος (It. *cotesti, cotesto*; Fr. *celui-ci, celle-ci, celui-là, celle-là*; Hisp. *este, esta, aqueste*; Germ. *der, die, das dort*; Angl. *he, this man, this, that*). Usurpatur ¶ 1. In bonam partem, et — *a*) Absolute. *Seneca Ep.* 43. Non est quod te ad hunc locum respiciens metiaris: ad istum respice, in quo moraris. *Ter. Eun.* 4. 4. 44. Mirum ni credas quod iste dicat. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 26. 106. Quibus (*oculis*) iste vester cœlum intuebitur. *Id. Quinct.* 5. 19. Tum iste vir optimus, qui etc. *Id.* 7. *Att.* 3. Ut jam ne istius quidem rei culpam sustineam. *Nepos Epam.* 5. Istud faciam, neque tua causa, sed mea. *h. e.* hoc quod tu petis. Sic *Cic. Amic.* 2. 8. Nec enim ab isto officio abduci debui. *h. e.* hoc, quod tu dicis. Adde *eumd.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 14. — *b*) Jungitur et aliis pronominibus. *Plaut. Amph.* 2. 2. 125. Scio ista hæc facta, proinde ut proloquor. *Cic.* 2. *Orat.* 29. 128. Istius ipsius in dicendo facultatis. *Id.* 5. *Tusc.* 25. 72. Transeat idem iste sapiens ad rempublicam tuendam. *Id. Rabir. Post.* 9. 23. In eodem isto Ægypti regno. — Post relativum *qui*. *Cic.* 4. *Herenn.* 16. 23. Necesse est, eam, quæ suum corpus addixerit turpissimæ cupiditati, timere permultos. Quos istos? virum, parentes, ceteros, ad quos etc. — *c*) Discrimen inter *hic* et *iste* in voce HIC posuimus. Interdum tamen *iste* pro *hic* ponitur. *Quintil.* 11. 1. 5. Nos institutionem professi, non solum scientibus ista, sed etiam discentibus tradimus. *Cic.* non semel *hic* pro *iste* posuit; ut 3. *Fam.* 10. *circa med.* Ni purgare me tibi hoc tuo tempore, quam accusare te mallem. Adde *eumd.* 10. *ibid.* 25. et *Cœlium* apud *Cic.* 8. *ibid.* 10., quæ loca congessit *Manut. ad cit. l.* 3. *Fam.* *V.* HIC. ¶ 2. Aliquando pertinet ad augendum, et vim habet τοῦ *tantus*, aut *talis*. *Ter. Eun.* 1. 2. 73. Ego quidquam cum istis factis tibi respondeam? *Cic. Mur.* 6. 13. Quare quum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex trivio. ¶ 3. Aliquando ad contemptum; et sæpissime adversarius hoc pronomine significatur. *Ter. Andr. prol.* 20. Quorum (*h. e.* Nævii, Plauti, Ennii) æmulari exoptat negligentiam potius, quam istorum (*scil.* malevolorum) obscuram diligentiam. *Cic. Dom.* 26. 69. Quio ab isto nihil legibus, nihil religionibus, nihil jure esset actum. *et mox.* Scripto illo istius, sententiam dicere vetabitur. *et mox.* Lex, quam idem iste tulerat. *Id.* 4. *Verr.* 54. 134. Qua ratione hic tantum apud istum valuerit. *Stat.* 1. *Theb.* 455. tecto prohibere quis iste Arcuit? Adde *Ovid.* 1. *Amor.* 8. 57.; *Petron. Satyr.* 9.; et *Stat.* 11. *Theb.* 287. Similiter de rebus *Curt.* 3. 2. 16. Argentum istud atque aurum ad conducendum militem mitte. *Id.* 4. 1. 22. Habitus hic (*regius*), quem cernis in meis manibus, cum isto squalore permutandus tibi est. Ablue corpus illuvie æternisque sordibus squallidum; cape regis animum etc. — *O isti*, quemadmodum apud Græcos ὦ οὗτοι, appellatio est urgentis, irridentis et contemnentis, frequens apud *Arnob.* 1. 41. et 59., 2. 13. et 35., 4. 17., 5. 2., 6. 11. et 20., et 7. 16. Exemplum unum sit ex *cit. lib.* 4. Quid dicitis, o isti, qui ad deorum nos cultus membrorum tania tibus invitatis? — Hinc Ablat. neutr. gen.

Isto, adverbii ritu occurrit et est propter istam causam, *per questo*. *Plaut. Rud.* 4. 7. 8. Isto tu pauper es, quum nimis sancte pius. Cf. *eumd. Amph.* 1. 1. 222. allatum in ISTIS sub *a*.

Isto, adverb. motus. *V.* loco suo.

ISTERCŎRIUS. *V.* STERCORIUS.

ISTHMĬA, ōrum, n. plur. 2. τὰ Ἴσθμια certamina ac ludi solemnes, in Græcia celebrati, in Isthmo Corinthiaco, prope Neptuni templum, pari dignitate cum Olympiis, Nemeæis et Pythiis: instituti a Sisypho Corinthi rege, Athamantis fratre, vel ab ipso Athamante, quum Melicerta filius in mare sese projiciens, deus factus est et Palæmon appellatus, ut in ATHAMANTEUS in ONOM. dictum est. Hos ludos, diu intermissos, instauravit et Neptuno dicavit Theseus, ut est apud *Plutarch.* in ejus vita. *Pindari* ævo, tertio quoque anno incipiente fiebant, ut ex ipso constat *Nemeor. od.* 6. *v.* 69. et Græco ibi Scholiaste. Quinquennales tamen fuisse, tradunt *Plin.* 4. *Hist. nat.* 5. 9. (18).; *Solin.* 7.; et *Auson. Eclogar. sub fin.* Forlasse ab initio trium, postea quinque annorum intervallo celebrati sunt. In iis victores pinu coronabantur, teste *Plin.* 15. *Hist. nat.* 10. 9. (36). illa, opinor, de causa, quod ex ea arbore maxime naves fiunt, in quas Neptunus summum jus habet. *Liv.* 33. 32. Isthmiorum statum ludicrum aderat, semper quidem et alias frequens, quum propter spectaculi studium insitum genti, quo certamina omnis generis artium viriumque ac pernicitatis visuntur; tum quia propter opportunitatem loci, per duo diversa maria, omnium Græcorum undique conventus erat. Sic *Curt.* 4. 5. 11. Iisdem fere diebus solenne erat ludicrum Isthmiorum, quod conventu totius Græciæ celebratur.

ISTHMIONICES, æ, m. 1. victor in ludis Isthmiis, ab Ἴσθμιος et νίκη *victoria*, ut *Olympionices*, qui victor fuit in ludis Olympiis. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 171.

ISTHMUS *et Græca positione* isthmos, i, m. 2. ἰσθμός. *Apul.* 1. *Met. sub init.* feminino genere extulit, *Isthmos Ephiræa*: videturque ad ipsam circa regionem respexisse. Eadem est ratio de *Hymettos Attica*, et *Tænaros Spartiaca*, quæ *ibid.* leguntur: et *aperta Tænaros* apud *Lucan.* 9. 36. — Ἰσθμός proprie apud Græcos *collum* significat: a cujus similitudine terra oblonga et angusta inter duo maria, duas continentes jungens, *isthmus* dicitur (It. *istmo, lingua di terra*; Fr. *isthme*; Hisp. *isthmo*; Germ. d. *Landenge*; Angl. *an isthmus*).

I.) Proprie. — *a*) Isthmi multi numerantur. Primus est Peloponnesi, qui et Corinthiacus et Achaicus vocatur, et Peloponnesum reliquæ Græciæ connectit. De hoc speciatim Latini loquuntur. *Ovid.* 7. *Met.* 405. bimarem pacaverat isthmon. Adde *Cic. Fat.* 4. 7.; *Liv.* 32. 21. et 45. 28.; et *Melam* 2. 3. In hujus isthmi faucibus Corinthus sita est, totius Peloponnesi urbs clarissima. Hunc multi perfodere tentarunt, Demetrius rex Asiæ, cognomento Poliorcetes, C. Cæsar dictator, Cajus princeps, et Nero, nefasto, ut omnium patuit exitu, incepto. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 4. 5 (10).; et *Sueton. Ner.* 19. *V.* ISTHMIA. — *b*) Alius isthmus est in Thracia Chersoneso: tertius in Ægypto, inter mare Mediterraneum et sinum Arabicum: quartus Tauricæ Chersonesi: quintus in Macedonia etc., de quibus consulendi geographi. V. *Plin.* 4. *Hist. nat.* 11. 18. (48).; et *Melam* 2. 2.

II.) Translate est angustum fretum inter duas terras. *Propert.* 3. 21. 1. Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos, Tulle, Propontiaca qua fluit isthmos aqua. *lo stretto de' Dardanelli.* Aliter *Passerat.*, qui et peccare aliquid videtur in geographia. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

ISTIC, æc, oc, *et* uc, pronom. Sunt quibus placet aspirationem inserere, *isthic*, *isthæc*, *isthuc* etc., quod ab *iste* et *hic* conflata sint. Opponit *Manut.* in *Orthogr.* libros veteres et Virgilium Carpensem: cui favere videtur *Dausq.* Si quis tamen sic scribat, ne damnaveris. — *Istic* est idem quod *iste, a, ud*, οὗτος (It. *cotesti, cotesto*; Fr. *celui-là, celle-là*; Hisp. *este, esta, aquese, aqueste*; Germ. *dieser dort, dieser, derselbe*; Angl. *the self-same, this same, this person, he*). Occurrit præcipue apud Comicos — *a*) Absolute. — Nominat. sing. num. *Plaut. Capt.* 5. 3. 10. Is ne istic fuit, quem vendidisti? *Ter. Phorm.* 5. 8. 6. Quid istic narrat? Rursus *Plaut. Pseud.* 2. 4. 47. Istic servus. *Id. Truc.* 2. 6. 40. Istic labor. *Id. Amph.* 2. 1. 43. Miserrima istæc miseria est servo bono. *Id. Merc.* 3. 1. 25. Istæc res. *Id. Bacch.* 3. 1. 15. Priusquam malum istoc addis, dicam patri. *Varro* 1. *R. R.* 2. 18. Vide, ne istuc sit etc. *Cic.* 1. *Acad.* (*post.*) 4. 13. Istuc quidem considerabo. *Id.* 3. *Nat. D.* 28. 70. Quisquam istuc negat? — Ablat. sing. num. *Plaut. Curc.* 1. 1. 2. Cum istoc ornatu. *Id. Truc.* 1. 2. 60 Istoc modo. *Id. Trin.* 5. 2. 38. Istac lege. *Ter. Heaut.* 4. 3. 35. Istoc pacto. *Plaut. Amph.* 1. 1. 322. Ergo istoc magis, quia vaniloquus es, vapulabis. *h. e.* hoc magis. — Nominat. et Accus. plur. num. *Ter. Hecyr.* 4. 2. 17. Nihil mihi istæc res voluptatis ferunt. *Pompejus* ad *Domit.* 2. *post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Si ille circum istæc loca commoraretur. *Cic.* 14. *Att.* 1. Non posse istæc sic abire. *Sueton Cæs.* 49. Remove istæc. — *b*) Recipit syllabicam adjectionem. *Ter. Eun.* 5. 1. 14. Istuccine interminata sum hinc abiens tibi? *Cato R. R.* 132. Macte istacce dape. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 58. Istaccine causa tibi hodie nummum dabo? *Id. ibid.* 1. 1. 81. Istoccine pacto me adjutas? *Id. Asin.* 5. 2. 82. Istoscine patrem æquum mores est liberis largirier? *Id. Truc.* 3. 2. 16. Istæcce ridicularia. — *c*) Cum Genitivo. *Plaut. Curc.* 1. 1. 32. Quid istuc est verbi? *Id. Mil. glor.* 3. 1. 24.; et *Ter. Heaut.* 1. 1. 58. Istuc ætatis homo. — Hinc

Istac et

Istic et

Istoc et

Istuc, adverb. *V.* loco suo.

ISTIC, adverb. Scribitur et *isthic*: *V.* voc. præced. init. — Istic est in isto loco; et refertur ad locum, in quo tu es, αὐτόθι (It. *costì*; Fr. *là, ici*; Hisp. *acá, allá, allí*; Germ. *dort, da, hier*; Angl. *in that place, there*).

I.) Proprie de loco. — *a*) Cum aliis Adverbiis huic respondentibus. *Cic.* 3. *Att.* 12. Intelligo, te istic prodesse: hic ne verbo quidem levare me posse. *Id.* 1. *Fam.* 10. Ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare. — *b*) Absolute. *Ter. Andr.* 5. 2. 8. Quid istic tibi negotii est? *Id. Eun.* 5. 2. *in fin.* Tu istic mane, ut Chremem introducas. *Id. Eun.* 4. 6. 27. Jam istic adero. *Cic.* 14. *Fam.* 14. Scribite, quid istic agatur. *h. e.* Romæ. Adde *eumd.* 7. *ibid.* 13. Sic *Liv.* 7. 40. Quocumque istuc loco constitisti. — *c*) Cum adjectione syllabica. *Plaut. Rud.* 1. 2. 22. Isticcine vos habitatis?

II.) Translate pro in ista re. *Ter. Andr.* 2. 5. 9. Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. *Id. Eun.* 2. 3. 96. Quid istic? *h. e.* quid ista in re agendum est? — Urbane *Cic.* 5. *Fin.* 26. 78.

Istic sum, inquit, exspectoque, quid respondeas. *h. e.* sum animo in ista re, quam tu dicis: istud ago. Sic *Ter. Hecyr.* 5. 2. 39. Ausculta. PH. Istic sum.

ISTIM pro istinc. *V.* ILLIM.

ISTĪMŎDI, istiusmodi. *V.* ISTE init.

ISTINC, adverb. Scribitur et *isthinc*: *V.* ISTIC, *æ*, init. — Istinc est ex isto loco, *αὐτόθεν* (It. *di costì, da cotesta parte*; Fr. *d'ici, de là*; Hisp. *de acá*; Germ. *von dort, von da her*; Angl. *thence, from thence*).

I.) Proprie de loco. *Plaut. Rud.* 3. 5. 28. Age, alter istinc, alter hinc assistite. *Id. Capt.* 3. 4. 71. Istinc loquere, si quid vis: procul tamen audiam. *Id. Mil. glor.* 2. 3. 72. Serva istas fores, ne tibi clam se subterducat istinc. Adde *Ter. Hecyr.* 3. 2. 4. *Cic.* 1. *Fam.* 10. Qui istinc veniunt, superbum te esse dicunt. *Virg.* 6. *Æn.* Fare, age, quid venias; jam istinc et comprime gressum.

II.) Translate est ex ista re. *Plaut. Pseud.* 4. 7. 68. Memento dimidium istinc mihi de præda dare. *h. e.* de ista præda. Sic *Id. Rud.* 4. 4. 33. Neque ego partem posco mihi istinc de istoc vidulo.

ISTĪUSMŎDI, *quod et divisim scribitur*, istius modi, formæ, generis, *di cotesta sorte, tale*. *Plaut. Epid.* 1. 2. 16. Istiusmodi amicos. *Id. Rud.* 2. 2. 15. Cum istiusmodi virtutibus. *Ter. Heaut.* 2. 4. 7. Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile est. *Cic.* 2. *Verr.* 11. 33. Necesse est istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere. *Id.* 6. *ibid.* 5. 9. Nihil dum istiusmodi suspicari. — Alio verbo dividitur apud *Plaut. Trin.* 2. 4. 15. Qui quidem istius sint modi.

ISTO, adverb. motus, versus istum locum, ubi tu es, *δεῦρο* (It. *costà*; Fr. *là*; Hisp. *acá, por allá*; Germ. *dorthin*; Angl. *thither, to that place*).

I.) Proprie de loco. *Cic.* 9. *Fam.* 16. *sub fin.* Liceat modo isto venire. *Cœlius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 15. Si minima causa est properandi isto mihi. Adde *Plancum* apud *eumd.* 10. *ibid.* 17. Sic *Plin.* 3. *Ep.* 6. Ego signum – mittam tibi; vel ipse, quod malis, afferam mecum. Destino enim, si tamen officii ratio permiserit, excurrere isto. *Id.* 4. *ibid.* 13. *extr.* Si cognoverit, factum suum isto usque penetrare.

II.) Translate est in istam rem. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 3. Trebatium meum quod isto admisceas, nihil est. — *NB.* Alio sensu *V.* ISTE in fin.

ISTOC, adverb. ¶ 1. Est idem quod isto, *costà*, *Plaut. Truc.* 4. 2. 6. Nec quemquam interim istoc ad vos intromittam. *Id. Mil. glor.* 2. 5. 45. Do fidem, istoc me intro ituram. ¶ 2. Item ab isto loco, istinc. *Ter. Adelph.* 2. 1. 15. Accede illoc, Parmeno: nimium istuc abisti. — *NB.* Pro *istuc*, *V.* ISTIC, *æc*.

ISTORSUM, adverb. (isto et versum) motus versus locum, id est versus eum locum, ubi tu es, *verso costà*, *πρὸς τόνδε τὸν τόπον*. *Ter. Phorm.* 5. 1. 14. Concede hinc a foribus paullulum istorsum, sodes, Sophrona. Adde *eumd. Heaut.* 3. 3. 27.

ISTUC, adverb. Scribitur et *isthuc*: *V.* ISTIC, *æc*, init. — Istuc est in, vel ad istum locum, *costà*, *δεῦρο*. *Plaut. Asin.* 3. 3. 56. Concedite istuc. *Id. Merc.* 4. 1. 25. Istuc eo, quantum potest. *Id. Pœn.* 3. 3. 1. Jam istuc ego revortar. Adde *Ter. Eun.* 4. 4. 39., *Heaut.* 2. 2. 33. et *Adelph.* 5. 3. 35.; *Cic.* 7. *Fam.* 14.; et *Sueton. Cal.* 55. — Pro *istud*, *V.* ISTIC, *æc*.

ISTUCCINE. *V.* ISTIC, *æc*.

IT

ITĂ, adverb. Primitiva vox est, teste *Prisciano* 15. *p.* 1007. *Putsch.*, non composita. Est adverbium similitudinis, et significat sic, *οὕτως*, *οὕτω* (It. *a questo modo, in tale maniera*; Fr. *de cette manière, de la sorte, comme cela, ainsi*; Hisp. *de este modo, de esta suerte, asi*; Germ. *so, also*; Angl. *so, evenso, thus, in this manner, after this fasion, in such sort*). Occurrit ¶ 1. In affirmationibus, interrogationibus et comparationibus. — 1.°) In affirmationibus. — *a*) Generatim. *Ter. Andr.* 3. 3. 18. Jono ita volo. *Cic.* 9. *Att.* 13. Est ita. Sic *Id.* 6. *Verr.* 52. 117. Est, judices, ita, ut dicitur. *Id.* 1. *Off.* 41. 158. Non est ita. *Id.* 12. *Att.* 17. Des operam, ut investiges, sit ne ita. *Id.* 7. *ibid.* 8. Quod putesti fore, ut Pompejum viderem, factum est ita. *Id. Rabir. perduell.* 2. 5. Quæ quum ita sint. *Nepos Eumen.* 6. Si ita fors tulisset. *Sueton. Galb.* 20. Quando ita videretur. *Id. Claud.* 4. Ut ita dicam. — *b*) Speciatim poni videtur pro talis, *tale, così fatto*. *Plaut. Trin.* 3. 2. 42. Ita est amor. *Ter. Adelph.* 1. 2. 63. Nam ita est homo. *Id. Phorm.* 1. 3. 20. Ita plerique ingenio sumus omnes. *Id. Adelph.* 4. 7. 21. Ita est vita hominum, quasi quum ludas tesseris. — *c*) Item est respondentis cum affirmatione. *Plaut. Men.* 5. 9. 37. Menæchmum, opinor, te vocari dixeras. ME. Ita vero. *si certamente*. *Ter. Andr.* 1. 1. 37. Nam antea qui scire posses, dum ætas, metus prohibebant? SO. Ita est. *Id. ibid.* 5. 2. 9. SI. Quid istic tibi negotii est? DA. Mihin' SI. Ita. SI. *Plaut. Most.* 4. 2. 31. PHA. Herus hic noster potat. THEU. Herus hic vester potat? PHA. Ita loquor. *Ter. Andr.* 1. 2. 20. Omnes, qui amant, graviter, sibi dari uxorem, ferunt. DA. Ita ajunt. — *d*) Servit conjunctioni et complexioni. *Cic.* 2. *Divinat.* 39. 82. Ita nobis sinistra videntur, Grajis dextra, meliora. *Id.* 1. *Orat.* 25. 116. Ita quidquid est, in quo offenditur, id etiam illa, quæ laudanda sunt, obruit. *Id.* 1. *Off.* 45. 160. Ita fit, ut agere considerate pluris sit, quam cogitare prudenter. *Id.* 1. *Nat. D.* 40. 110. Virtus actuosa est; et deus vester nihil agens: expers virtutis igitur: ita ne beatus quidem. — 2.°) In interrogationibus. *Ter. Eun.* 5. 9. 27. CH. Ita ne? TH. Sic erit. *Cic.* 1. *Divinat.* 13. 23. Casu, inquis: itane vero? *credi tu, che la cosa stia così?* Sic *Id.* 2. *ibid.* 32. 68. Ita ne? censes, ante coronam herbæ exstitisse, quam conceptum esse semen? *hai tu forse quest'opinione, che etc.* — *Quid ita* est cur, *perchè così?* *Cic. Rosc. Am.* 12. 34. Accusatis Sex. Roscium: quid ita? quia de manibus vestris effugit. *Liv.* 32. 21. Quid ita passus est, Eretriam capi? quid ita tot Thessaliæ urbes? quid Locridem etc.? Adde *eumd.* 27. 31. — 3.°) In comparationibus — *a*) Sequente part. *ut* cum Indicativo, aut cum Conjunctivo. *Ter. Eun.* 1. 2. 36. Cœpit studiose edocere, ita uti si esset filia. *come se*. *Cf. Cic.* 13. *Fam.* 21. Mihi ita benevole præsto fuit, ut si a me manumissus esset. *come se*, vel *tanto come se*. Rursus *Ter. Eun.* 4. 2. 1. Cœpi egomet mecum inter vias, ita ut fit, aliam rem ex alia cogitare. *come si suole*. *Id. Heaut.* 4. 3. 21. Aperte, ita ut res sese habet, narrato. *Id. Andr.* 3. 3. 10. Oro te, ut me adjuves in re hac, atque ita ut nuptiæ fuerant futuræ, fiant. *e come, così*. *Cic.* 5. *Att.* 9. *a med.* Hoc tibi ita mando, ut dubitem etc. *di maniera che etc.* *Id.* 1. *Fam.* 7. *ante med.* Ita fore, ut per te restituatur. *così avverrà, che etc.* *Cæs.* 1. *B. G.* 12. Arar influit incredibili lenitate, ita ut, in utram partem fluat, judicari non possit. *così che*. *Sueton. Aug.* 78. Post cibum meridianum, ita ut vestitus calceatusque erat, retectis pedibus paullisper conquiescebat. Adde *eumd. Galb.* 20. — *Ita* aliquando redundat. *Cato R. R.* 144. Scalæ ita uti datæ erunt, ita reddito. *Cic.* 3. *Herenn.* 10. 15. Nam ita ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur sæpe; ita gravis oratio sæpe imperitis videtur. Aliquando pro *ita* secundo loco ponitur *item*, ut apud *eumd. ibid.* 48. 61. Ita ut hirundines –, item falsi amici. — Interdum, pro *ita ut*, in comparationibus *ut – ita* occurrit. *Ter. Andr.* 2. 1. 3. Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit, ita, postquam adempta est, lassus, cura confectus stupet. *Cic.* 1. *ad Q. fr.* 1. 4. Ut quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur. Adde *Cassium* apud *Cic.* 12. *Fam.* 23.; et *Liv.* 3. 65. — *b*) Sequente *prout, veluti*, ut apud *Cic.* 5. *Phil.* 17. 46. Senatui placere, ejus rationem ita haberi, prout etc. *Justin.* 12. 2. 1. Ita cupide profectus est, veluti sibi Occidens sorte contigisset. — *c*) Sequente *quemadmodum, quomodo*, ut apud *Cic.* 13. *Fam.* 4. *a med.* Ut ita defendere possem Volaterranos, quemadmodum consuevi tueri meos. *in quella maniera, con cui etc.* *Id.* 2. *leg. Agr.* 1. 3. Me consulem ita fecistis, quomodo pauci facti sunt. — *d*) Sequente *tamquam, quasi*, ut apud *Cic.* 6. *Verr.* 22. 49. Neque enim ita se gessit in his rebus, tamquam rationem aliquando esset redditurus, sed ita, quasi reus numquam esset futurus. *Cajus Dig.* 35. 2. 1. *circa med.* Aut ita ratio habeatur, tamquam pure debeatur; aut ita, tamquam nihil debeatur. — *e*) Sequente *quam*, ut apud *Propert.* 2. 4. 11. Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ, Quam facile irati verbo mutantur amantes. *non così, come*; vel *non tanto, quanto*. Adde *Lucret.* 2. 1035. — *f*) Sequente *atque, atque si*, ut apud *Ulp. Dig.* 29. 1. 1. Ita judicandum, atque in propriis servis, senatus censuit. *Paul. ibid.* 5. 3. 36. *ad fin.* Ita condemnatur, atque si possideret. — *g*) Sequente infinito. *Cic.* 6. *Fam.* 2. Velim ita statutum habeas, me tui memoriam cum summa benevolentia tenere. *Id. Cluent.* 19. 51. Collegi me aliquando, et ita constitui, fortiter esse agendum. *Liv.* 1. 55. Id omen ita acceptum est, non motam Termini sedem firma stabiliaque cuncta portendere. Adde *eumd.* 2. 45.; et *Sueton. Cæs.* 30. — *h*) *Ita* absolute, h. e. rebus ita comparatis. *Sall. in orat. Cottæ* 7. Macedonia plena hostium est, nec minus Italiæ maritima et provinciarum, quum interim vectigalia parva et bellis incerta vix partem sumptuum sustinent; ita classe, quæ commeatus tuebatur, minore quam antea navigamus. ¶ 2. Speciatim *ita si* et *ita ut* cum Conjunctivo est ea conditione, eo pacto ut. *Cic.* 15. *Fam.* 20. Crebris nos litteris appellato: atque ita, si idem fiat a nobis. *e con tal patto, che etc.* *Id.* 1. *Off.* 9. 28. Nam hoc ipsum ita justum est, quod recte fit, si est voluntarium. *Sueton. Claud.* 25. Recitata epistola senatus populique Romani Seleuco regi amicitiam et societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset. Adde *eumd. Tib.* 2. et *Vitell.* 14. *Liv.* 22. 61. Ita admissi sunt, ne tamen iis senatus daretur. *furono ammessi, si però, che etc.* et *Justin.* 11. 4. 10. Bellum deprecantibus ita demum remisit, ut duces sibi dederentur. *con questo patto, che etc.* ¶ 3. Item speciatim *ita ut* cum Conjunctivo circumscriptioni inservit et est eatenus, quatenus, *in tanto in quanto*. *Cic.* 13. *Fam.* 56. Ego quoque tibi (*onus*) imponam pro tuis in me summis officiis: ita tamen, ut tibi nolim molestus esse. *Liv.* 1. 17. Ita gratiam (*Patres*) ineunt, summa potestate populo permissa, ut non plus darent juris, quam detinerent. *Id.* 4. 7. Legati ab Ardea Romam venerunt, ita de injuria querentes, ut, si demeretur ea, in fœdere atque amicitia mansuros, restituto agro, appareret. Adde *eumd.* 26. 19. et alibi. *Sueton. Aug.* 55. Amicos ita magnos et potentes in civitate esse voluit, ut tamen pari jure essent quo ceteri, legibusque judiciariis æque tenerentur. *Ammian.* 21. 3. Nec enim ita vixi, ut non possim aliquando esse privatus. ¶ 4. Item *ita* ponitur pro adeo, *a tal segno, così*: et servit epiphonemati. *Plaut. Amph.* 5. 1. 46. Uxorem tuam neque gementem, neque plorantem nostrum quisquam audivimus: ita profecto sine dolore peperit. *Cic.* 2. *Fam.* 5. Non quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat; sed ne quum veneris, non habeas jam, quod cures: ita sunt omnia debilitata et jam prope exstincta. ¶ 5. Item ponitur pro valde, multum, vel tam, *molto, tanto*: idque fere post negationem. *Cic. Orat.* 8. 25. Non ita lato interjecto mari. *Id.* 2. *Orat.* 19. 77. Mihi quidem non ita molesti sunt: facile omnes perpetior. *Id.* 2. *Fin.* 13. 42. Accessione utuntur non ita probabili. *Id.* 6. *Verr.* 49. 109. Simulacra præclara, sed non ita antiqua. *Nepos Pelop.* 2. Non ita magnæ copiæ. *Id. Pausan.* 1. Non ita magna cum manu. *Liv.* 5. 19. Prædæ pars maxima ad quæstorem redacta est: haud ita multum militi datum. *Id.* 3. 20. *in fin.* Non ita civitatem ægram esse, ut consuetis remediis sisti possit. *non così poco*. *Cic.* 1. *Nat. D.* 31. 86. Quibus homines non ita valde moventur. *Nepos Ages.* 4. Haud ita longe abesse. *Cic. Brut.* 66. 233. C. Fimbria non ita diu jactare se potuit. *Id. Quinct.* 4. 15. Nec ita multo post in Galliam proficiscitur Quinctius. *Nepos Cim.* 3. Post, neque ita multo, Cyprum missus. *Cic.* 4. *Fam.* 7. *a med.* Quum ita late pateat ejus potestas. ¶ 6. *Ita* est etiam optantis et jurantis, *tanto è cid vero, quanto io desidero che etc.* — *a*) Cum Conjunctivo. *Ter. Eun.* 4. 1. 1. Ita me dii bene ament, non nihil timeo. *sal mi sia*. Sic *Plaut. Curc.* 1. 3. 52. Ita me Venus amet etc. *Cic.* 1. *Att.* 16. Ita me dii juvent etc. *Ter. Heaut.* 5. 4. 7. Ita mihi superstes sis etc. *Sueton. Aug.* 69. Ita valeas etc. *Cic.* 5. *Att.* 15. Ita vivam, ut maximos sumptus facio. *Id.* 16. *Fam.* 20. Sollicitat, ita vivam, me tua, mi Tiro, valetudo. *Balbus* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Ita, incolumi Cæsare, moriar. *Quidam disertus* apud *Senec. Ep.* 117. *a med.* Ita quam primum

morier. *Propert.* 1. 7. 3. Atque, ita sim felix, primo contendis Homero. Sic *Augustus* apud *Sueton. Tib.* 21. Jucundissime, et, ita sim felix, vir fortissime. *Cic.* 4. *Cat.* 6. 11. Ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut etc. *così, come* etc. *Sueton. Aug.* 28. Ita mihi salvam ac sospitem rempublicam sistere in sua sede liceat, ut etc. — *b*) Cum futuro Indicativi. *Plaut. Merc.* 4. 4. 23. Ita me amabit Juppiter. *Ter. Heaut.* 4. 5. 1. Ita me dii amabunt. — *NB.* Pro deinde usurpari putat *Brisson. de V. S.* congestis pluribus JCtorum locis: sed non est necesse a prima ejus notione discedere.

ITÆŎMĔLIS, is *vel* itis, m. 3. vini facticii species, cujus nominis ratio ignoratur. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 16. 19. (111). Vocarunt et scyzinum et itæomelin et lectisphagiten, quorum jam obliterata ratio est.

ĪTĂLĪCĒ, adverb. (Italicus) Italorum more, *alla Italiana. Messala Corvin.* incertæ et fortasse nullius auctoritatis scriptor *de progen. Aug.* 11. Troja namque vulgo Italice, Latineque *serola* vel *sua* dicitur.

ĪTĂQUĔ, conjunctio. ¶ 1. Non raro valet simpliciter *et ita*, ex quibus conflatur, et connectendæ tantummodo orationi inservit, *e così:* accentumque transfert in secundam syllabam. — *a*) Generatim. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 1. 2. Quum quæstor in Sicilia fuissem, itaque ex ea provincia decessissem, ut Siculis jucundam memoriam nominis mei relinquerem. etc. *ed essendo partito da quella provincia di maniera, che* etc. *Id. fragm. pro Fontej.* (*edente Niebhur.*) 1. Nam ita ego defendo M. Fontejum, judices, itaque contendo etc. *Cæs.* 1. *B. G.* 52. Ita nostri acriter in hostes, signo dato, impetum fecerunt: itaque hostes repente celeriterque procurrerunt, ut spatium pila in hostes conjiciendi non daretur. *Cic. Cluent.* 19. 51. Collegi me aliquando, et ita constitui, fortiter esse agendum. itaque feci: sic pugnavi etc. *e così feci.* Sic *Id. Dejot.* 7. 19. Eodem te quum cœnavisses, rediturum dixeras; itaque fecisti. Adde *eumd.* 15. *Att.* 20.; *Liv.* 3. 30. et *Nepot. Alcib.* 4. et *Att.* 11. — *b*) Speciatim, quum *ita* præcedit, est optantis. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 10. Ita me dii ament, itaque una inter nos agere ætatem liceat etc. Adde *ibid.* 4. 2. 3. et 28. ¶ 2. Sæpe est conjunctio similem vim habens τοῦ *ergo* et *igitur*; item τοῦ *quamobrem*. Concludentis enim est, et ex præcedentibus deducentis continuantisque sermonem. — *a*) Absolute occurrit — In ipso periodi initio. *Cic. Amic.* 1. 4. Itaque ipse mea legens, sic afficior interdum, ut etc. *Nepos Miltiad.* 7. Itaque quoniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo facit frater ejus. *Cæs.* 1. *B. G.* 9. Itaque rem suscipit, et a Sequanis impetrat etc. Adde *Curt.* 3. 4. 9. et 7. 10. 11.; et *Suetan. Cæs.* 66. et *Aug.* 29. et 31. — Interdum secundo loco ponitur. *Cic. Partit. orat.* 7. 23 Est itaque id genus totum situm in commutatione verborum. *Forcellinus* ad h. l. ait, *itaque* poni in ipso ingressu orationis. *Curt.* 7. 10. 7. Tum rex: Quum itaque, inquit, an vivere relitis non inimici mihi, cujus beneficio victuri estis? Adde *Liv.* 2. 6., 6. 31. et alibi sæpe; et *Sueton. Aug.* 10. et 25. — Quarto loco ponitur apud *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (13). Omnium sententiis absolutus itaque est. — *b*) *Itaque ergo* est atque ita igitur, *e così dunque. Ter. Eun.* 2. 3. 21. Tametsi bona natura est, reddunt curatura junceas. Itaque ergo amantur. *Liv.* 9. 31. *sub fin.* Loca difficilia hosti quæsita, ipsos tum sua fraude impediebant. Itaque ergo perpaucis effugium patuit. Adde *eumd.* 39. 25. et alibi.

ĪTĀTĔNUS, adverb. (ita et tenus) adeo, *fino a tal segno. Claud. Mamert. Stat. anim.* 10. Duoque ista itatenus uniuntur, ut sint indiscriminabilia. *Itatenus* perperam hic legitur, ut ait *Schellerus*, quum potius *eatenus* ibidem sit. Legitur tamen alibi, ut 2. *ibid.* 12. *a med.* Ac per hoc itatenus corporeum cœlum, quia videlicet hominibus datum est, terra dicitur. — Sæpius utitur hac voce hic auctor, cujus loco rectius quispiam usurpaverit *illatenus* vel *illactenus*.

ĬTEM, adverb. (ab *itidem* per syncop., vel ab ἔτι *insuper*, vel ab *ita*, vel denique ab *is, ea, id*) similiter, eodem modo, etiam, quoque, ὁμοίως (It. *similmente, parimente, così pure*; Fr. *de même, aussi, également, pareillement, ainsi*; Hisp. *lo mismo, tambien, igualmente, semejantemente*; Germ. *ebenso, auf eben d. Art oder Weise, ebenfalls, auch*; Angl. *also, likewise, in like manner, as well*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu. — *a*) Absolute. *Plaut. Pœn.* 1. 2. 33. Nisi (*salsa muriatica*) multâ aquâ usque et diu macerantur, olent, salsa sunt, tangere ut non velis: item nos sumus ejus seminis mulieres: sunt insulsæ admodum atque invenustæ sine munditia et sumptu. *Ter. Andr.* 1. 1. 49. Postquam amans accessit unus, et item alter. *uno, e poi un altro. Id. Adelph.* 1. 1. 21. Solum id est carum mihi: ille ut item contra me habeat, facio sedulo. *faccia il simile vicendevolmente. Vet. Tab. æn.* apud *Mural.* 582. *initio.* IS EADEM OMNIA ITEM EISDEMQVE DIEBVS AD COS. PROFITEMINO. *Varro* 6. *L. L.* 39. *Müll.* Democritus, Epicurus, item alii, qui infinita principia dixerunt. *Cic.* 1. *Divinat.* 48. 107. Romulus augur cum fratre item augure. *Id. ibid.* 32. 71. Item igitur, si sine divinatione non potest etc. *Id.* 2. *ibid.* 6. 17. Solis defectiones, itemque lunæ prædicuntur in multos annos. *Id.* 2. *Legg.* 21. 52. Placuit Scævolæ, et Coruncanio, itemque ceteris, qui etc. *Id.* 9. *Fam.* 13. Qui est item Calenus Leptæ nostris familiarissimus. *Sall. Jug.* 105. Ipse armatus intentusque, item milites cogebat. *h. e.* ut similiter armati essent milites et intenti. *Varro* 2. *R. R.* 5. 16. Hi lapides substernendi, aut quid item. *o cosa simile.* Sic *Id. ibid.* 9. 12. Substernitur eis acus, aut quid item aliud. *Cic.* 2. *Att.* 21. Spectaculum uni Crasso jucundum, ceteris non item. *non così.* Sic *Id.* 4. *Tusc.* 14. 31. Corporum offensiones sine culpa accidere possunt, animorum non item. Adde *eumd.* 2. *Nat. D.* 24. 62. et *Orat.* 43. 167. Similiter *Varro* 2. *R. R.* 7. 15. Equi quod alii sunt ad rem militarem idonei, alii ad vecturam, — alii ad cursuram, alii ad rhedam, non item sunt spectandi atque habendi. — *b*) Habet post se particulas *ut, atque, quasi, quemadmodum. Plaut. Truc.* 2. 1. 40. Qui (*servus*) ubi quamque nostrarum videt prope ædes, item ut in frumento anseres, clamore absterret, abigit. *Cic. Orat.* 60. Ita fit, ut non item in oratione, ut in versu, numerus exstet. *Id.* 6. *Verr.* 9. 21. Fecisti item, uti prædones solent. *Varro* 10. *L. L.* 74. *Müll.* Analogiæ non item ea definienda, quæ dirigitur ad naturam verborum, atque illa, quæ ad usum loquendi. *nel medesimo modo, che* etc. Adde *eumd.* 9. *ibid.* 67. *Müll. Liv.* 39. 19. *a med.* Uti Feceniæ tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset. *come se. Cic.* 4. *Verr.* 22. 54. Ut item palæstritæ Bidenses peterent ab Epicrate hereditatem, quemadmodum palæstritæ Syracusani ab Heraclio petissent. ¶ 2. Latiori sensu pro iterum. *Sueton. Tib.* 6. Parentes vagitu suo pæne bis prodidit: semel, quum a nutricis ubere; item, quum a sinu matris raptim auferretur. *Id. Claud.* 4. Capita ex ipsius epistolis posui. *Collocutus sum cum Tiberio* etc. Rursus alteris litteris: *Tiberium adolescentem* etc. Item tertiis litteris: *Tiberium nepotem* etc.

ĬTER, itinĕris, n. 3. (eo, itum, ire). *Itiner* integer est casus, a quo *iter* per syncopen factum videtur. *Plaut. Merc.* 5. 2. 72. Inceptum hoc itiner perficere exsequar. *Lucret.* 6. 338. Obvia discutiat plagis, itinerque sequatur. *Varro* apud *Non. p.* 489. 20. *Merc.* Itiner longum sermone levare. *Manil.* 1. 88. Fecit et ignotis itiner commercia terris. Adde *Accium* et *Turpilium* apud *Non. loc. cit.*; item *Ennium* et *Pacuvium* apud *eumd. p.* 490. 12. *Merc.*; et *Juvenc.* 2. 23. — In obliquis pro *itineris* reperitur *iteris*, et pro *itinere* reperitur *itere*. Genit. *Nævius* apud *Non. p.* 485. 6. et *p.* 124. 28. *Merc.* et apud *Priscian.* 6. *p.* 695. *Putsch.* Ignotæ iteris sumus. Adde *Jul. Hygin.* apud *Charis.* 1. *p.* 108. *Putsch.* Ablat. *Accius* apud *Non. p.* 485. 8. *Merc.* Te longo itere cerno vedere. *Varro* apud *eumd. ibid.* Properans citus itere. *Lucret.* 5. 652. Convussos itere et labefactus aere multo. *Propert.* 2. 10. 40. memento Hoc itere ad cineres cana venire meos. *Al. tamen aliter leg.* — In plur. num. *itinera* semper habet, non *itera*. *Charis.* 1. *p.* 63. *Putsch.* — Ceterum iter est actus eundi, profectio (It. *l'andare, l'atto dell'andare*; Fr. *marche, trajet*; Hisp. *marcha, la accion de marchar*; Germ. *das Gehen, der Gang, Weg*; Angl. *a going along, journey, way, march*).

I.) Proprie. ¶ 1. Dicitur de brevi ambulatione. *Ter. Phorm.* 3. 3. 34. Dicam in itinere. *h. e.* dum ad Phormionem imus. Sic *Id. Eun.* 5. 9. 35. Iter hac habui. *Plin. Paneg.* 77. Iter illi sæpius in forum, frequenter tamen et in campum. *Liv.* 1. 28. *sub fin.* In diversum iter equi concitati. ¶ 2. Sæpius de profectione in longinquas regiones, quæ vel a privatis hominibus, vel ab exercitu fiat, *viaggio, marcia. Cic.* 13. *Att.* 23. Quum illi iter instaret et subitum et longum. *Sall. Cat.* 35. Catilina ex itinere plerisque consularibus litteras mittit. *in viaggio:* postquam ex urbe discesserat. *Cæs.* 1. *B. G.* 3. Ut in itinere copia frumenti suppeteret. *Sueton. Cæs.* 60. Prælia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat, ac sæpe ab itinere statim. *Ammian.* 16. 12. Itineris lassitudine fatigati. *Nepos Alcib.* 10. Iter comparare. *allestirsi al viaggio.* Sic *Claudian.* 2. *in Eutrop.* 67. parare. *Cic.* 12. *Phil.* 10. 25. Committere se itineri infesto et periculoso. *Id. Senect.* 10. 34. Iter ingredi pedibus. Sic *Sueton. Cæs.* 31., *Galb.* 18 et. *Vesp.* 6. Iter ingredi. *Id. Vitell.* 10. inchoare. *Cic. Mil.* 10. 27. Iter est mihi Lanuvium. *Id. Planc.* 40. 96. Iter a Vibone Brundisium terra petere contendi. *Id. ad Pompej.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Confestim cum Q. fratre iter ad te in Apuliam facere cœpi. Sic *Id.* 5. *Att.* 9.; *Cæs.* 1. *B. G.* 10.; *Nepos Themist.* 5., *Datam.* 9. et alibi sæpe; et *Sueton. Aug.* 64. et *Cal.* 51. Iter facere. *Nepos Datam.* 4. dies noctesque facere. *Id. Pelop.* 1. per Thebas facere. *Cic. ad Pompej.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Cæsarem iter habere Capuam. Sic *Id.* 2. *ad Q. fr.* 6. 1.; *Cæs.* 1. *B. C.* 14. et 3. *ibid.* 106.; et *Nepos Eumen.* 8. Iter habere. *Ovid.* 2. *Met.* 715. et 8. *ibid.* 226.; et *Ammian.* 25. 9. agere in aliquam partem. Sic *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 5. § 6. Iter agentes. *viandanti. Horat.* 1. *Sat.* 5. 95. Iter carpere. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. Esse in itinere. *Cic.* 5. *Att.* 14. Iter conficere pulverulenta via. *Id. Rosc. Am.* 34. 97. Iter contendere. *h. e.* quod dixit *Liv.* 21. 29. intendere. *h. e.* celerare. *Cæs.* 1. *B. C.* 63. maturare. *Tac.* 15. *Ann.* 12. properare. *Virg.* 8. *Æn.* 90.; et *Tac.* 4. *Hist.* 24. celerare. *Ovid.* 6. *Fast.* 520. urgere. *Cæs.* 3. *B. C.* 36. continuare die ac nocte. *Plancus* apud *Cic.* 10. *Fam.* 11. dirigere ad Mutinam. *Cic.* 3. *Att.* 1.; *Cæs.* 7. *B. G.* 56.; *Lucan.* 3. 373.; et *Sueton. Cæs.* 34. convertere in aliquem locum. *Ovid. Ib.* 620. vertere. *Virg.* 7. *Æn.* 35.; et *Nepos Eumen.* 9. flectere. *Stat.* 12. *Theb.* 232. frangere. *h. e.* minuere vel deflectere. *Id.* 1. *ibid.* 326. ferre Inachias urbes. *h. e.* ad Inachias urbes. Cf. *Virg.* 7. *Æn.* 810. ferre per medium mare. *camminare. Ter. Hecyr.* 1. 2. 119.; et *Tac.* 4. *Ann.* 20. pergere. *continuare, seguitare.* Sic *Sall. Jug.* 81.; et *Auct. B. Afr.* 69. Maturavere iter pergere. *Virg.* 6. *Æn.* 384. Inceptum peragere. Sic *Horat.* 2. *Od.* 6. 99.; et *Ovid.* 1. *Fast.* 188. peragere. *Virg.* 7. *Æn.* 160. Iter emensi. *Stat.* 3. *Theb.* 324. remensus. *Ovid.* 2. *Met.* 578. cœptum iter dimittere. *Cæs.* 5. *B. G.* 11. Desistere itinere. *Id.* 1. *B. C.* 46. Iter supprimere. *Ovid.* 11. *Met.* 232. remorari. *Cæs.* 1. *B. G.* 9. Itinere prohibere aliquem. *impedire il passo.* et *Ovid. Heroid.* 21. 71. Iter impedire. *Id.* 14. *Met.* 790. præcludere. *Id.* 3. *Amor.* 6. 88.; et *Horat.* 3. *Od.* 27. 5. institutum rumpere. *Cic. Planc.* 41. 97. præstare tutum alicui. *Liv.* 38. 2. expedire. *Cic.* 15. *Att.* 21. Ex itinere redire. *Id.* 1. *Invent.* 30. 47. venire. *Id.* 1. *Divinat.* 15. 26. revertere. *Ter. Hecyr.* 3. 4. 1. Ain' tu, tibi hoc in commodum evenisse iter? *h. e.* navigationem. — Itinerum securitatem aucupari solitos Romanos narrat *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 4. (21). carmine ter repetito, ut primum quis vehiculo consedisset. V. *Sueton. Cæs.* 37.; et *Dion.* 43. 21. ¶ 3. Notat aliquando modum itineris faciendi, vel itineris mensuram. *Cic.* 15. *Fam.* 4. Quum abessem ab Amano iter unius diei. *una giornata.* Cf. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 23. 26. (102). Prima (*mansio*) appellatur Hydreuma XXII. mill.; secunda in monte, diei itinere; tertia etc. Sic *Cæs.* 6. *B. G.* 24. Quum dierum iter quadraginta processerit. *Id.* 1. *ibid.* 7. Quam maximis itineribus potest, in Galliam contendit. *affrettando più che potè il viaggio.* et *ibid.* 38. Magnis diurnis nocturnisque itineribus contendere. *Brutus* apud *Cic.* 11. *Fam.* 13. Biduo me antecessit, itinera multo majora fugiens, quam ego sequens. *Ovid.* 4. *Pont.* 5. 8. Ut festinatum non faciatis iter. — *Justum iter diei* non est, ut aliqui tradunt ex *Veget.* 1. *Milit.* 9.,

viginti, vel viginti quatuor milli. pass., sed satis magnum viæ spatium pro diei longitudine. *Cæs.* 3. *B. C.* 76. Confecto justo itinere ejus diei, quod proposuerat Cæsar. V. *Oberlin.* in *not.* ad *loc. cit.*; sed tamen *V.* GRADUS. ¶ 4. Sæpe sumitur pro via, *strada.* — a) Universim. *Varro* 5. *L. L.* 35. *Müll.* Qua ibant, ab itu iter appellarunt. *Cæs.* 1. *B. G.* 6. Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent. *Id.* 3. *ibid.* 9. Pedestria itinera concisa æstuariis. *Id.* 1. *B. C.* 27. Aditus atque itinera duo, quæ extra murum ad portum ferebant, defixis trabibus præsepit. *Id.* 1. *B. G.* 8. Dare iter alicui per provinciam. *dare il passo.* et *Cic. pro leg. Manil.* 11. 30. Patefacere alicui iter in aliquem locum. *Sall. Cat.* 61. Ferro iter aperire. *aprire la strada. Ovid. Heroid.* 20. 144. Ad sepem alterius quis tibi fecit iter? Cf. *eumd.* 15. *Met.* 106. Facere iter sceleri. *fare strada.* et *Cels. Dig.* 8. 1. 10. Fodiendo, substruendo, iter facere. *fare la strada,* viam munire. *Cic.* 11. *Att.* 10. Itineribus deviis proficisci in provinciam. *per istrade fuori di mano.* et *Ulp. Dig.* 9. 3. 1. Sine metu et periculo per itinera commeare. — b) Speciatim et proprie in re agraria significat viam angustiorem, qua pedes, vel eques tantummodo ire quis potest: unde ab actu differt, quo etiam jumentum et vacuum vehiculum, et a *via,* qua etiam vehiculum onustum agitur, ut in VIA dicetur. Hinc *Plin. præfat. Hist. nat.* § 13. Præterea iter est, non trita auctoribus via. *Inscript.* in *Giorn. Arcad. T.* 18. *p.* 100. ITER PRIVATVM ANNII LARGI: PRECARIO ADITVR ANTONIVS AVSTRALIS. — c) In ædibus iter est locus, per quem ex uno in alium domus membrum transitur. Hoc sensu adhibetur a *Vitruv.* 6. 9. *sub fin.* — d) De quocumque meatu et via. *Cels.* 7. 25. et 26. Iter urinæ. *Virg.* 7. *Æn.* 734. vocis. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 3. Itinera aquæ. Sic de amnium alveo *Curt.* 5. 1. 13. Ipsi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno deinde aquarum divortio iter, quod cepere, percurrunt. Alio sensu *Id.* 9. 4. 9. Iter qua meant navigia, in tenuem alveum cogitur. ¶ 5. Item jus, quod quis habet, ut pedes ire aliqua possit. *Cic. Cæcin.* 26. 74. Aquæductus, haustus, iter, actus a patre sumitur. *Paul. Dig.* 8. 3. 7. Qui sella aut lectica vehitur, ire, non agere dicitur; jumentum vero ducere non potest, qui iter tantum habet.

II.) Translate. ¶ 1. Est via, ratio, institutum. *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 3. *in fin.* Ipse puer declamatorio illo genere delectari videtur: in quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus. *Id.* 2. *Nat. D.* 13. 35. Ut enim in vite, ut in pecude — videmus naturam suo quodam itinere ad ultimum pervenire etc. *Tac.* 4. *Ann.* 20. Inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum. Rursus *Cic.* 4. *Att.* 2. Nulla occupatio esse potest tanta, ut interrumpat iter amoris nostri et officii mei. *Ovid.* 15. *Met.* 227. Labitur occiduæ per iter declive senectæ. *Virg.* 2. *Æn.* 387. fortuna salutis Monstrat iter. Adde *Propert.* 2. 24. 22. Sic *Tac.* 4. *Hist.* 49. Unam in audacia spem salutis, sed duo itinera audendi. *Auson.* 15. *Edyll.* 1. Vitæ iter sectari. *Plin.* 8. *Ep.* 10. Iter pronum ad honores. ¶ 2. *Iter* inscriptum fuit poema C. J. Cæsaris, teste *Sueton. Cæs.* 56.

ĬTĔRĀBĬLIS, e, adject. (itero) quod iterari potest, *che si può replicare. Patricii Epithal.* v. 21. (in *Anthol. Lat. T.* 2. *p.* 639. *Burmann.*). ducitque canendo Ætherias Siren iterabile carmen ad aures. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 28. Iterabilem injuriam facere.

ĬTĔRĀTĬO, ōnis, f. 3. (itero) repetitio, resumptio, redintegratio, geminatio, *replica, ripetizione, replicamento,* ἀνάληψις. — a) Generatim. *Cic. Orat.* 25. 85. Itemque si quæ verborum iterationes contentionem aliquam et clamorem requirent. *Id.* 3. *Orat.* 53. 203. Et reditus ad propositum, et iteratio, et rationis apta conclusio. *h. e.* repetitio, figura rhetorum, late sumpta, quæ et ἐπανάληψις dicitur. *Quintil.* 10. 1. 19. Lectio multa iteratione mollita. *Petron. Satyr.* 87. Sed non fuit contentus iteratione ephebus plenæ maturitatis. *h. e.* iteratione stupri. — b) Speciatim pertinet ad rem rusticam. *Colum.* 11. *R. R.* 2. 64. Iterationem arationis peragere. *Id.* 2. *ibid.* 12. 9. Iteratio sarritionis. *Id. ibid.* 4. 4. Compluribus iterationibus resolvatur vervactum in pulverem. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 20. 49. (180). Aratione per transversum iterata, occatio sequitur, ubi res poscit, crate vel rastro, et sato semine iteratio. *h. e.* occationis repetitio operiendorum seminum gratia. *Colum.* 12. *R. R.* 52. 11. Plurimum refert non miscere iterationem cum prima pressura. *h. e.* secundam olei pressuram. — c) Latini, inquit *Ulp. tit.* 4. *Regular. de Latinis,* jus Quiritium consequuntur his modis: beneficio principali, liberis, iteratione, militia etc. et *paullo post.* Iteratione fit civis Romanus, qui post Latinitatem, quam acceperat major triginta annorum, iterum juste manumissus est ab eo, cujus ex jure Quiritium servus fuit.

ĬTĔRĀTĪVUS, a, um, adject. (itero) qui iterat, vel iterationem significat. Hinc *iterativum verbum* est frequentativum apud *Diomed.* 1. p. 335. et 336.; et *Charis.* 3. *p.* 226. *Putsch.* Sic *Diomed.* 1. p. 331. hæc habet: *Hio, hias,* ex quo iterativum figuratur *hieto, hietas,* inchoativum vero figuratur *hisco, hiscis* quum dicimus.

ĬTĔRĀTŌ, adverb. (itero) iterum, *la seconda volta,* αὖθις. *Justin.* 43. 4. 4. Iterato petiit. *Id.* 22. 7. 5. Iterato Carthaginienses superat. *Id.* 16. 3. 3. Iterato ad oraculum decurrunt. *Modestin. Dig.* 49. 16. 3. *circa med.* Si iterato hoc admiserint. Adde *Tertull. advers. Jud.* 13.; et *Vulgat. interpr. Johann.* 3. 4.

ĬTĔRĀTUS, a, um. *V.* ITERO, as.

ĬTĔRDŬCA, æ, f. 1. (iter et duco) quæ iter facientes ducit: est epitheton Junonis apud *Augustin.* 7. *Civ. D.* 3. *Alii leg.* Interduca. *V.* DOMIDUCUS.

ĬTĔRĬTAS, ātis, f. 3. Idem atque iteratio. *Boeth.* 2. *Geom. p.* 1217. Aliam normam hujus trigoni proponere curamus, quatenus hanc caute indagantes cautissima ad id, ad quod desiderant accedere, iteritatis linea absque dubio perducat.

ĬTĔRO, adverb. (itero, as) idem atque iterum. *Inscript.* apud *Fea, Framm. di Fast. cons. tav.* 10. *n.* 26. CONSVLIBVS TVNC NATVS EBAM, ITERVQVE SEVERO ET FVLVO PARITER, QVO COEPI DVLCIS HABERI. *h. e.* ann. a Chr. n. CXX C. Catilio Severo II. et T. Aurelio Fulvo II. cos. *Nummus* Hadriani Aug. apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. *p.* 477. AVG. GER. DAC. PAR. P. M. TR. P. COS. ITERO.

ĬTĔRO, as, āvi, ātum, are, a. 1. Volunt etymologi esse ab *iter;* quasi eadem via rursum incatur: fortasse est ab *idem* vel *item.* — Part. *Iteratus* et *Iterandus* 1. — Iterare est iterum aliquid facere, repetere, δευτερόω (It. *replicare, reiterare, ripetere;* Fr. *faire une seconde fois, commencer, reprendre, répéter;* Hisp. *volver á empezar, repetir;* Germ. *zweitenmale thun, wiederholen;* Angl. *to repeat, do a second time, do over again, begin again, renew, iterate*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu. — a) Generatim. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 27. 88. et 2. *Tusc.* 19. 44. et 14. *Att.* 14. Itera dum eadem ista mihi: non enim satis intelligo etc. *tornami a dire. Plaut. Pœn.* 4. 2. 99. Quæ audistis, si eadem hic iterem, inscitia est. *Bis iterare* pleonasmus est apud *eumd. Plaut. Pseud.* 1. 3. 151. Sic iterum iterare apud *eumd. Rud.* 4. 8. 1. Ceterum *Cic. Orat.* 39. 135. Quum duplicantur iteranturque verba. *h. e.* per figuram repetitionis. Sic *Id. Partit. orat.* 15. 54. Augent etiam relata verba, iterata, duplicata, et ea quæ ascendunt gradatim. et *ibid.* 6. 21. Verba geminata atque duplicata, vel etiam sæpius iterata ponantur. *Ovid.* 3. *Met.* 495. quotiesque puer miserabilis eheu Dixerat, hæc resonis iterabat vocibus eheu. *ripeteva. Horat.* 2. *Od.* 19. 11. truncis Lapsa cavis iterare mella. *h. e.* semel et iterum cantare. *Lamprid. Alex. Sev.* 22. Iterare causas. *trattare di nuovo. Horat.* 1. *Od.* 34. 3. nunc retrorsum Vela dare, atque iterare cursus Cogor relictos. Sic *Id.* 1. *ibid.* 7. 32. Cras ingens iterabimus æquor. *h. e.* rursus navigabimus. *Id. Epod.* 12. 21. Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ. *h. e.* bis tinctæ. *Ovid.* 6. *Fast.* 199. Mane ubi bis fuerit, Phœbusque iteraverit ortus. *h. e.* iterum retulerit diem. *Id.* 8. *Met.* 172. *de labyrintho.* Utque ope virginea, nullis iterata priorum Janua difficilis, filo est inventa relicto. *h. e.* quæ ingredientibus reperta fuerat, uno reperta iterum egredi volentibus. *Liv.* 6. 32. Iterare pugnam. *Justin.* 29. 4. 1. Iterato prælio victi. *nella seconda battaglia. Sueton. Ner.* 23. Iterata certamina. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 84. Iterare vulnera. *Tac.* 2. *Ann.* 7. tumultum. *Justin.* 18. 1. 1. legationem. *Sueton. Claud.* 17. honorem. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 55. 56. (190). vitam morte. *h. e.* post mortem iterum vivere. Cf. *Tertull. Anim.* 35. *extr.* Iterare animam in aliud corpus. *farla passare.* — *Iterare calceamentum, anulos* apud *Lamprid. Elagab.* 32. est bis gestare: et *iterare mulierem* apud *eumd. ibid.* 24. est iterum inire. *V.* ITERATIO sub *a* et AMO. — *Stat.* 12. *Theb.* 775. Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ. *h. e.* duplicant et densiorem faciunt. — b) Speciatim est rusticorum verbum. *Cic.* 2. *Orat.* 30. 131. Ager non semel aratus, sed novatus et iteratus. *arato la seconda volta.* Sic *Colum.* 2. *R. R.* 4. 4. Siccitatibus censeo, quod jam proscissum est, iterare, pluviamque opperiri. *arare la seconda volta.* et *Id. ibid.* 80. Colles pinguis soli Februario statim proscindendi sunt, deinde ab Aprili medio iterandi, tertiandique Septembri. *Id.* 11. *ibid.* 3. 12. Locus exherbandus, stercorandus, et diligenter fossione iterandus. *Id. ibid.* 2. 7. Iterare sarrituram. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 27. 37. (254). segetes. *h. e.* iterum sarrire. — c) *Iteratus* dicitur miles, qui honesta missione dimissus, iterum ad militiam revocatur. *Inscript.* apud *Gruter.* 538. 9. C. CORNELIVS MEMOR Q. MIL. COH. III. PR. 7. PATROILI MILITAVIT AN. XXVIII. ITERATVS VIXIT AN. LXXX. — Similiter *iterata* dicitur ea sacerdos, quæ iterum taurobolium fecit. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv. p.* 358. SERONIA FORTVNATA PER TI. CLAVDIVM FELICEM SACERDOTEM ITERATA EST. ¶ 2. Latiori sensu est interdum simpliciter referre, memorare, narrare, *riferire, raccontare. Plaut. Amph.* 1. 1. 56. Hæc ubi Telebois ordine iterarunt etc. *Id. Cas.* 5. 2. 5. Operam date, dum mea facta itero. Est operæ auribus percipere: ita ridicula auditu, iteratu ea sunt. *Sempron. Asell.* apud *Gell.* 5. 18. Scribere bellum, et quæ in eo gesta sunt, iterare.

ĬTĔRUM, adverb. (itero). Aliam formam ITERO, *V.* loco suo. ¶ 1. Proprie est secunda vice, rursus, denuo, αὖθις (It. *la seconda volta, di nuovo;* Fr. de nouveau, *de rechef, une seconde fois;* Hisp. de nuevo; Germ. *wiederum, z. zweitenmale, obermals;* Angl. *again, a second time, anew*). Occurrit — a) Absolute. *Plaut. Pœn.* 5. 2. 117. Iterum mihi natus videor. *Cic.* 1. *Divinat.* 35. 77. C. Flaminius consul iterum. *V.* BIS; et adde *Liv.* 4. 30.; et *Nepot. Hann.* 5. Sic *Horat.* 1. *Ep.* 5. 4. Vina bibes, iterum Tauro diffusa. *h. e.* iterum consule. *Cic. Brut.* 18. 71. Livianæ fabulæ non satis dignæ, quæ iterum legantur. *Liv.* 2. 21. Iterum reducere. *Sueton. Aug.* 16. Iterum ire. *Id. Tib.* 31. Iterum censere. — b) *Semel atque iterum* apud *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Cum his Æduos semel atque iterum armis contendisse. *una e due volte.* Cf. *Cic. Fontej.* 8. 16. Pecuniam semel atque iterum ac sæpius dare coacti sunt. *una, due e più volte. Id.* 1. *Divinat.* 25. 54. Quod semel illa iterumque neglexit. Adde et *Sueton. Cæs.* 36. et *Aug.* 25. — c) *Semel, iterum* apud *Cic. Dom.* 52. 134. Se a me bis salutem accepisse, separatim semel, iterum cum universis. — d) *Primo* vel *primum, iterum, tertio* vel *tertium* dixit *Cato* apud *Charis.* 2. p. 196. *Putsch.* Id ego primo minus animadverti: veniunt iterum atque tertium tumultuosius. *Cic.* 1. *Invent.* 39. 71. Primo quidem decipi, incommodum est: iterum, stultum: tertio, turpe. *Nepos Hann.* 6. Bellum gessit adversus P. Scipionis filium, quem ipse primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugaverat. — e) *Iterum, tertium* vel *tertio* apud *Plaut. Men.* 2. 3. 58. In Sicilia, ubi rex Agathocles regnator fuit, et iterum Phintias, tertium Liparo. *Cic.* 2. *Divinat.* 59. 121. Nemo est, quin sæpe talos jactans, Venerium jaciat aliquando, nonnunquam etiam iterum ac tertium. *due e tre volte.* et *Id. Rosc. Am.* 22. 60. Iterum ac tertio nominari. *Liv.* 3. 19. Seditiosi homines iterum atque tertium tribuni. *Cels.* 4. 4. *ad fin.* Iterum tertioque. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (139). Iterum tertiumque. *Varro* 1. *R. R.* 18. 8.; et *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 27. Iterum et tertio. — f) *Iterum ac sæpius* apud *Cic.* 13. *Fam.* 42. Iterum ac sæpius te rogo. Adde *eumd. Fontej. loc. cit.* supra sub *b.* — g) *Iterum,* rursus apud *Sueton. Aug.* 76. Verba ipsius ex epistolis sunt: *Nos in essedo etc.* Et iterum: *Dum lectica etc.* Et rursus: *Ne Judæus quidem etc.* —

h) *Iterum iterumque, iterum atque iterum* apud *Virg.* 3. *Æn.* 435. præque omnibus unum Prædicam, et repetens iterumque iterumque monebo. *Quintil.* 2. 13. 8. Id maxime præcipiam, ac repetens iterumque iterumque monebo. *Virg.* 8. *Æn.* 527. Suspiciunt: iterum atque iterum fragor increpat ingens. *Horat.* 1. *Sat.* 10. 39. iterum atque iterum spectanda. ¶ 2. Latiori sensu pro vicissim, vel itidem. *Cæs.* 1. *B. G.* 44. *a med.* Ut sibi concedi non oporteret, si in nostros fines impetum faceret; sic iterum nos esse iniquos, quod in suo jure se interpellaremus. *Al. leg.* item. ¶ 3. Item pro insuper, præterea. *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 8. (16). Templum extra urbem fecisse iterumque in insula traduntur.

ITHYPHALLĬCUS, a, um, adject. ἰθυφαλλικός. ad ithyphallum pertinens. *Ithyphallicum carmen* (dictum, quod eo Athenis in mysteriis utebantur, rectum stipitem in modum fascini tenentes) ἰθυφαλλικὸν μέτρον, constat dimetro brachycatalecto, ut *Bacche junge tigres. Servius in Centim.* p. 1819. et *Atil. Fortunatian.* p. 2698. *Putsch.* Sic *Terentian.* p. 2423. v. 1845. Ithyphallica porro dicarunt musici poetæ, Qui ludicra carmina Baccho, versibus petulcis, Grajo cum cortice phallo, tres dabant trochæos, Ut nomine fit sonus ipso Bacche, Bacche, Bacche. — *Forcellinus* addidit: Etiam phalæcium aliquando ithyphallicum appellatur. *Mar. Victor.* 3. p. 2566. *Putsch.* At hæc delenda sunt; nam hic at alibi pro *phalæcium* legendum *phallicum*

ITHYPHALLUS, i, m. 2. ἰθύφαλλος, ab ἰθύς pro εὐθύς *rectus* et φαλλός *veretrum*.

I.) Proprie est lignum effictum in modum fascini, h. e. τοῦ αἰδοίου ἐντεταμένου. *Arnob.* 5. 28. In Liberi honorem patris ithyphallos subrigit Græcia, et simulacris virilium fascinorum territoria cuncta florescunt.

II.) Figurate. ¶ 1. Est ipse Priapus talium turpitudinum turpissimus deus. *Colum.* 10. *R. R.* 31. truncum forte dolatum Arboris antiquæ, numen venerare Ithyphalli. *Cf. Inscript.* apud *Gruter.* 95. 5. Ἰθυφάλλῳ χαρμηφόρῳ, κηποφύλακι, κλεπτομάχετιγι etc. ¶ 2. *Ithyphallus* etiam videtur significare versum ithyphallicum. *V. Mar. Victorini loc. cit.* in TETRAPODIA.

ITĬDEM. adverb. (ab *ita* et *dem* adjectione syllabica; vel ab *iterum* et *idem*) similiter, eodem modo, pariter, item, *similmente, parimente*, παραπλησίως. Occurrit — *a)* Sequente *quasi* apud *Plaut. Most.* 1. 3. 119. Ubi se sudor cum unguentis consociavit, illico itidem olent, quasi cum una multa jura confundit coquus. — *b)* Sequente *ut* apud eumd. *Curc.* 5. 3. 12. Ita te nervo torquebo itidem, uti catapultæ solent. *Ter. Eun.* 1. 2. 13. Utinam hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet. Adde *Sueton. Aug.* 21. — Et præcedente *ut* apud *Lucret.* 3. 10. tuisque ex, inclute, chartis, Floriferis ut apes in saltibus omnia libant, Omnia nos itidem depascimur aurea dicta. — *c)* Sequente *et* apud *Cic. Partit. orat.* 22. 77. Temperantia in suas itidem res et in communes distributa est. — *d)* Absolute. *Ter. Eun.* 2. 2. 3. Conveni hodie adveniens quemdam mei loci hinc atque ordinis hominem haud impurum, itidem patria qui abligurrierat bona. *Cic.* 2. *Legg.* 3. 7. M. *A Jove Musarum primordia*, sicut in Aratio carmine orsi sumus. Q. Quorsum istud? M. Quia nunc itidem ab eodem et a ceteris diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. *Cæs.* 1. *B. G.* 36. Itidem populum Romanum victis ad suum arbitrium imperare. *Varro* 9. *L. L.* 55. *Müll.* Nullius nostrum filium et filiam non apte discerni marem ac feminam: contra deorum liberos non itidem.

ĬTĬNER. *V.* ITER init.

ĬTĬNĔRANS, antis, particip. ab inusit. *itineror*, iter faciens. *Salvian.* 1. *Gub. D.* 9. Adde illatos itinerantium castris altuum greges Dei pietate indulgentissime. Cf. *Valerian. Homil.* 3. Quæcumque sunt in excelsis posita, non dubie fit, ut in apertum campum veniant, si itinerantibus nihil desperationis occurrat.

ĬTĬNĔRĀRĬUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

ĬTĬNĔRĀRĬUS, a, um, adject. (iter) ad iter pertinens, *da viaggio*, ὁδοιπορικός. *Lamprid. Commod.* 9. Sumptus itinerarius. *Id. Alex. Sev.* 27. Vestimenti genus itinerarium. *Ammian.* 21. 15. Itemque, itinerario motu imminutæ valetudinis ascuti posse discrimen. *Id.* 19. 8. Tamquam itinerario aggere, vel superposito ponte complanatum spatium. *h. e.* summo viæ dorso, media viæ eminentia. — Hinc

Itinerarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more. ¶ 1. Est descriptio itineris. *itinerario*, ὁδοιπορικόν: *V.* HODŒPORICON. *Veget.* 3. *Milit.* 6. *init.* Primum itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, plenissime dux habere debet perscripta; usque eo, ut solertiores duces itineraria provinciarum, in quibus necessitas geritur, non tantum adnotata, sed etiam picta habuisse firmentur, ut non solum consilio mentis, verum adspectu oculorum viam profecturis eligerent. *Itineraria perscripta* et *adnotata* sunt ea, quæ loca eorumque distantia habent notata, ut *Itinerarium Antonini* et *Hierosolymitanum*: sunt autem *picta*, quæ ipsa loca oculis repræsentent, Itali dicunt *carte topografiche*, ut *Tabula Peutingeriana*. Adde *Ambros.* in *Psalm.* 118. — Itineraria, quæ edicta dicebantur, imperatoris jussu fiebant a metatoribus, et militibus distribuebantur, ut quisque viarum intervalla nosceret. V. *Lamprid. Alex. Sev.* 45. Confer *Atti dell' Accad. Archeol. Rom. T.* 3. p. 138. ¶ 2. Item itineris signum. *Ammian.* 21. 1. Itinerarium sonare lituos jubet. *suonare la marcia*.

ĬTĬO, ōnis, f. 3. (eo, is, itum) profectio, actus eundi, *andata, partita*, πορεία. — *a)* In sing. num. *Cic.* 11. *Att.* 16. De obviam itione ita faciam, ut suades. Adde eumd. 13. *ibid.* 50. — *b)* In plur. num. *Ter. Phorm.* 5. 8. 23. Hæccine erant itiones crebræ et mansiones diutinæ Lemni? Adde *Symmach.* 1. *Ep.* 11.

ĬTIS, is. f. 3. vox Tusca, de qua sic *Macrob.* 1. *Saturn.* 15. Idnum nomen a Tuscis, apud quos is dies *itis* vocatur, sumptum est. *Item* autem illi interpretabantur Jovis fiduciam. Nam quum Jovem accipiamus lucis auctorem, unde et Lucetium Salii in carmine canunt, et Cretenses Δία τὴν ἡμέραν vocant; ipsi quoque Romani Diespitrem appellant, ut diei patrem; jure hic dies Jovis fiducia vocatur.

ĬTĬTO, as, are, n. 1. *frequentat.* ab ito. *Nævius* apud *Calpurn. Pison.* MS. referente *Merula* ad *fragm. Ennii* p. 417. Cæsum funera agitant, exsequias itilant, Temolentiamque tollunt festam.

ĬTO, as, are, n. 1. *frequentat.* ab eo, frequenter ire, *andare spesso*, φοιτάω. In *edicto censorum* apud *Sueton. Rhet.* 1. Et quos in ludos itare vellent. *Cic.* 9. *Fam.* 24. Te ad cœnas itare desisse, moleste fero. *Gell.* 3. 18. Pedibus itare in curiam. — Pro simplici *eo, is*, usurpari videtur a *Plaut. Most.* 1. 2. 48. Ad legionem quum itant, adminiculum eis danunt. *h. e.* quum proficiscuntur in militiam.

ĬTUS, us, m. 4. (eo, is, itum) idem atque itio, *andata*. ¶ 1. Generatim. *Titinius* apud *Non.* p. 123. 10. *Merc.* Itum, gestum, amictum qui videbant ejus. *il passo, l'andatura. Lucret.* 3. 389. Nec repente itum cujusviscumque animantum Sentimus. *h. e.* incessum. — Huc referri potest illud *Ammian.* 27. 10. Per regiones longo itu porrectas sensim gradiens miles. ¶ 2. Speciatim est profectio fere in longinquas regiones. — *a)* In sing. num. *Cic.* 15. *Att.* 5. Quis porro noster itus, reditus, vultus, incessus inter istos? *Sueton. Tib.* 38. Vota pro itu et reditu suo suscipi passus. Sic *Inscript.* apud *Gruter.* 73. 9. PRO SALVTE ITV AC REDITV DD. NN. M. AVR. ANTONINI PII AVG. ET. P. SEPTIMII GETAE. *Alia* apud eumd. 63. 9. PRO SALVTE ITVS AC REDITVS IMP. CAES. DIVI F. AVGVSTI. Adde *Liv.* 7. 36.; *Vitruv.* 10. 3.; et *Ammian.* 23. 2. — *b)* In plur. num. *Pallad.* 7. *R. R.* 2. *extr.* Ita per paucos itus et reditus, brevi horarum spatio, tota messis impletur. ¶ 3. Item est jus eundi in aliquem locum, v. gr. ad sepulcrum. *V.* AMBITUS, us.

IU

ĬŪLIS, idis, f. 3. ἰουλίς, genus piscis saxatilis. *Plin.* 32. *Hist. nat.* 9. 31. (94).

ĬŪLUS, i, m. 2. ἴουλος, *bottone*, lanugo quædam arborum, florem antecedens, vel floris loco. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 29. 52. (120). Ferunt et avellanæ julos compactili callo, ad nihil utiles. — *NB.* Apud *Polluc.* l. 1. c. 1. *sub fin.* ἴουλος est genus cantilenæ, quæ in honorem Cereris canebatur. Huc igitur fortasse pertinet illud *Lactant. carm. de Phœnice* 45. Incipit illic sacra modulamina fundere cantus, Et mira lucem voce ciere novam: Quam nec iuleæ voces, nec tibia possit Musica Cyrrhæis assimilare modis. *Alii rectius leg.* aedoniæ voces.

ĬŪLĒUS, a, um, adject. *V.* voc. præced.

IX

IXĬA, æ, f. 1. ἰξία, herbæ genus, ab ἰξός *viscum*, quod quibusdam in locis circa radicem ejus invenitur, quo pro mastiche utuntur mulieres. Cum terræ colorem mutat. Unde et chamæleon appellatur. Hujus duæ sunt species candido et nigro colore distinctæ. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 18. 21. (45). *V.* CHAMÆLEON.

IXĬON, ŏnis, m. 3. vocatur a *Vulgat. interpr. Deuter.* 14. 13. avis, quæ eadem ac vultur fuisse videtur. V. *Bochart. Hieroz. T.* 2. *l.* 2. c. 9. — *NB.* De nomine proprio *V.* ONOM

IY

ĬYNX, iyngis, f. 3. ἴυγξ, *cutrettola*, avis est linguam serpentibus similem habens, quam longitudine quatuor digitorum exserit, rursumque contrahit intra rostrum. Collum circumagit in adversum se, reliquo quiescente corpore. Ungues ei grandes, ceu graculis. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 47. 107. (256). Ajunt vim habere in amatoriis. Sane *Theocrit.* in *Edyll.* 2. sæpe repetit intercalarem illum versum Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα: ad cujus exemplum *Virg.* 8. *Ecl.* 68. Ducite ab urbe domum etc. *Servius ibid. Lævius* poeta apud *Apul. de Mag.* Philtra omnia undique eruunt: Trochisci, iynges, tæniæ etc.

De littera J

J, j littera — *a)* Tantâ cum littera *i* cognatione jungitur, ut hæ duæ litteræ jam inde ab initio unâ eademque figurâ scriberentur: in posterum tamen a Latinis ipsis figurâ distinctæ sunt, ut docent *Charis.* 1. p. 1. *Putsch*; *Diomed.* 2. p. 416.; *Priscian.* 1. p. 544.; et *Donatus* p. 1735. Ceterum *j* nihil aliud est, nisi littera *i* consonans; quod fit, quoties *i* aliis vocalibus præponitur et cum illis in eamdem syllabam cohæret, tum initio, tum medio dictionis, ut *janua, jecur, jocus, juvenis*, et *conjicio, conjuro, conjungo*: id autem intellige in Latinis vocibus; nam in Græcis semper vocalis est, ut *iambus, iaspis*. Consonans fit etiam *i* quum inter duas vocales sita est, ut *ejicio, major, ajo*. — Ideo vero hac dicendi ratione usi sumus, quia littera *j* apud veteres Grammaticos proprio non gaudet nomine, sed *i consonans* appellatur. — *b)* Efferebatur ut *j* apud nos; sed quum inter duas vocales sita erat, duplex efferebatur: quo factum est, ut duplex quoque ab ipso Cicerone scriberetur (scilicet *aijo, Maija, ejjus, pejjus* etc., testibus *Quintil.* 1. 4. 11.; *Priscian.* 1. p. 515. *Putsch.*; et *Vel. Long.* p. 2219. — *c)* Itaque vis ac natura hujusce litteræ in eo præcipue sita est, ut præcedentem litteram extendat; accipe *bijugue, quadrijugua*, in quibus prior syllaba brevis est. — *d)* In compositis et sæpius in verborum formis in vocalem transit, ut patet in *jam, etiam, quoniam*; *ajo, aibam*; *Pompejus, Pompei*; *Cajus, Cai.* Contra apud Poetas, metri causa, vocalis *i* in consonantem mutatur, ut in *abjete, parjete* pro *abiete, pariete*: V. *Val. Prob.* p. 1432. *Putsch.*; et *Mar. Victorin.* p. 2471. — *e)* In compositis a verbo *jacio*, præcipue apud Poetas, ante *i* extruditur; hinc *abicit, adicit, obicit* etc. pro *abjicit; adjicit, objicit*: similiter de medio tollitur per synæresin et præcedenti vocali jungitur, ut in *eicit, reicit* (quæ duabus tantum syllabis efferuntur) pro *ejicit, rejicit* (*V. Gell.* 4. 17.): demum et per syncopen aufertur, ut in *bigæ, quadrigæ* pro *bijugæ, quadrijugæ*. — *f)* In inscriptionibus J. est *Juppiter, Juno*, aut *Julia*: sic J. O. M. h. e. Jovi o-

ptimo maximo, J. R. *h. e.* Juno regina, J. V. T. *h. e.* Julia victrix togata. Mos tamen fuit etiam *I* longum pro duplici ii aliquando scribere, ut de*I*cio, pro*I*cio, *infer*Is in veterib. Inscriptionib., apud *Pier.* ad *Virg.* 10. *Æn.* 67. et *Cellar.* in *Orthograph.*

JĂCENS, entis, particip. *V.* voc. seq.

JĂCĔO, ces, cŭi, citum, cere, n. 2. Part. *Jacens* in omnibus fere paragr.; *Jaciturus* I. 3. — Jaceo (quod ratione habita etymi cum v. jacĕre conjungendum est) idem est ac cubo, procumbo, prostratus sum, κεῖμαι (It. *giacere, stare coricato* o *prosteso*; Fr. *être couché, être étendu*; Hisp. *estar acostado, extenso*; Germ. *liegen*; Angl. *to lie down, lie at full lenght or prostrate, recline*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de hominibus. — *a)* Generatim. *Cic.* 1. *Cat.* 10. 26. Jacere humi. Cf. *Seneca Thyest.* 450. Capere dapes humi jacentem. *coricato.* Rursus *Cic.* 7. *Verr.* 45. 118. in limine. *Id.* 2. *Phil.* 18. 45. in lecto. *Ovid. Heroid.* 1. 7. lecto. *Id.* 6. *Met.* 100. Jacens saxo. *Val. Flacc.* 5. 210. pater aurato jacet Inachus antro. *Cic. Quinct.* 31. 96. Jacere stratum ad pedes alicujus. *Ovid. Heroid.* 12. 63. Jacens in aversa ora. *boccone.* *Id.* 2. *Fast.* 836. jacere super corpus alicujus. *Horat.* 2. *Od.* 11. 13. Cur non sub alta vel platano, vel hac Pinu jacentes sic temere *etc.* potamus? *sdrajati.* *Auct. B. Alex.* 52. *extr.* Jacentem plagis sauciare. *Petron. Satyr.* 119. Somno jacens. — *b)* Speciatim de mensæ accumbentibus. *Sil. It.* 11. 349. Quid? tanto in casu comitum juxtaque jacentum Torpebunt dextræ? — *c)* Item speciatim de cubantibus in lecto quietis et somni causa. *Horat.* 1. *Sat.* 6. 122. Ad quartam jaceo: post hanc vagor. *Petron. Satyr.* 85. Forte quum in triclinio jaceremus. — *d)* Item de iis, qui συνουσιάζουσι, quod et nos *giacere* dicimus. *Petron. Satyr.* 112. Jacuerunt ergo una etc. ¶ 2. Item de hominibus, sed latiori sensu, hoc est de ægris, *essere ammalato.* *Cic.* 9. *Fam.* 20. *in fin.* Cura, ut valeas, ne ego, te jacente, bona tua comedam. *Tibull.* 1. 5. 9. quum tristi morbo defessa jaceres. *Id.* 2. 5. 109. Saucius jaceo. *Ovid.* 3. *Trist.* Quid mihi nunc animi dira regione jacenti Inter Sauromatas esse Getasque putes? *Plin.* 5. *Ep.* 9. Julius Valens graviter jacet. ¶ 3. Demum de hominibus latiori sensu item usurpatur, quum de mortuis et sepultis agitur. *Liv.* 44. 45. Spolia jacentis hostium exercitus peditibus concessit. *Ovid. Heroid.* 3. 106. Qui bene pro patria, cum patriaque jacent. *Id. ibid.* 14. 2. Cetera nuptarum crimine turba jacet. *Id.* 3. *Fast.* 705. Quicumque nefas ausi, morte jacent merita. Cf. *Phædr.* 1. 14. Rupto jacuit corpore. *Val. Flacc.* 2. 216. fata jacentum. *h. e.* mortuorum. *Stat.* 7. *Theb.* 777. vetito nudus jaciture sepulcro. ¶ 4. De hominibus, et sæpius de inanimis, universim dicitur de iis, quæ diu alicubi sunt. *Cic.* 11. *Att.* 6. Brundisii jacere in omnes partes est molestum. *Plaut. Pseud.* 1. 2. 33. Pernam, callum, glandium sumen, facito, in aqua jaceant. *Virg.* 7. *Ecl.* 54. Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma. *et* 6. *ibid.* 16. serta procul capiti delapsa jacebant. — Huc referri possunt et illa *Ovid.* 7. *Met.* 547. silvisque agrisque viisque Corpora fœda jacent. et *Ib.* 306. Nec tua, quam Pyrrhi, felicius ossa quiescant, Sparsa per Ambracias quæ jacuere vias. ¶ 5. Item de inanimis, in re geographica significat situm esse, positum esse, *stare, essere situato.* *Nepos Agesil.* 8. Portus jacens inter Cyrenas et Ægyptum. Sic *Brutus* ad *Cic.* 11. *Fam.* 13. Qui locus jacet inter Apenninum et Alpes. *Ovid.* 15. *Met.* 830. gentes ab utroque jacentes Oceano. *Nepos Datam.* 4. Quæ gens jacet supra Ciliciam, confinis Cappadociæ. *Ovid.* 4. *Fast.* 491. Alta jacet vasti super ora Typhoeus Ætnæ. *Id.* 4. *Met.* 771. locus gelido sub Atlante jacet. *Id.* 2. *Pont.* 7. 63. tristior ista Terra sub ambobus non jacet ulla polis. *Colum.* 8. *R. R.* 17. 4. Aqua jacens infra libram maris. *Justin.* 22. 5. 5. Urbes non in montibus positæ sunt, sed in planis campis jacent. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 25. 57. (215). Ad Hesperum jacentes terræ. ¶ 6. Præterea *jacere* dicuntur inanima, quæ ima, humilia, aut plana sunt. *Ennius* apud *Cic.* 3. *Tusc.* 19. 44. Cui nec aræ patriæ domi stant, fractæ et disjectæ jacent. *Cic. Orat.* 67. 224. Depressam, cæcam, jacentem domum pluris, quam te, quam fortunas tuas æstimasti. *Virg.* 3. *Æn.* 688. vivo prætervehor ostia saxo Pantagiæ, Megarosque sinus Thapsumque jacentem. *Ovid.* 2. *Fast.* 392. Quaque jacent valles, maxime Circe, tuæ. *Id.* 2. *Met.* 178. summo despexit ab æthere terras Infelix Phaeton penitus penitusque jacentes. *Tac.* 1. *Hist.* 86. Subita inundatione Tiberis non modo jacentia et plana urbis loca, sed secura hujusmodi casuum implevit. *Virg.* 3. *G.* 342. itque pecus longa in deserta sine ullis Hospitiis: tantum campi jacet. *h. e.* late extenditur. *Lucan.* 2. 416. per plana jacens Ægyptus. Hinc jacentes pisces, apud *Colum.* 8. *R. R.* 17. 9. sunt, quos ibidem prostratos cubantesque vocat, et *Plin.* 9. *Hist. nat.* 20. 36. (72). planos: quos saxatilibus et longis et erectis opponunt, qui rotundiore, crassiore ac longiore sunt corpore. Sunt itaque jacentes pisces, qui corpus habent latum, planum et gracile, ut rhombi, soleæ ac passeres, ut est apud *Plin. ibid.* — Mare quoque planum ac tranquillum, nullisque ventis se attollens, *jacere* dicitur. *Lucan.* 3. 523. Et posito Borea, pacemque tenentibus Austris, Servatum bello jacuit mare. *Juvenal.* 12. 62. postquam jacuit planum mare. *Val. Flacc.* 4. 712. jacens pontus. *Stat.* 2. *Silv.* 2. 29. nulloque tumultu Stagna modesta jacent, dominique imitantia morem. Sic apud *Sil. It.* 5. 583. stagna jacentia. ¶ 7. Item *jacere* dicuntur capilli, qui collecti non sunt in nodum, sed lapsi sparguntur per humeros; item vestes, quæ humi trahuntur; et generatim quæ fusa, diffluentia, aut remissa sunt. *Ovid.* 2. *Met.* 673. vagi crines per colla jacebant. *Id.* 3. *Art. am.* 236. capilli Ut jaceant fusi per tua terga. *Id. Heroid.* 15. 140. Crinis in collo jacens. *Propert.* 2. 7. 22. Sparsas cæde jacere comas. *Seneca Hippol.* 804. Coma nulla lege jacens. *h. e.* nescia colligi, perfundens humeros, ut *ibid.* 801. loquitur. *Ovid.* 3. *Amor.* 25. Sed nimium demissa jacent tua pallia terræ: Collige. *et ibid.* 13. 74. Præverrunt latas veste jacente vias. *Id.* 2. *Met.* 201. Lora jacentia. *h. e.* remissa et equorum tergis sedentia. ¶ 8. Demum *jacere* dicuntur, quæ sunt demissa, dejecta. *Ovid.* 4. *Met.* 144. vultusque attolle jacentes. *abbassati.* Sic *Seneca Agam.* 238. Jacensque vultus languido obtutu stupet. Rursus *Ovid.* 11. *Met.* 618. de *Somno.* tardaque deus gravitate jacentes Vix oculos tollens.

II.) Translate. ¶ 1. *Jacere* opponitur verbo *stare*; et primo dicitur de iis, qui perculsi animo sunt, abjecti, de mentis statu dejecti, cui opponitur erecto animo esse. *Cic.* 12. *Phil.* 2. 4. Si jacens vobiscum aliquid ageret, audirem fortasse: stanti resistendum est. *Id.* 7. *Att.* 21. Cnæus autem noster (o rem miseram et incredibilem!) ut totus jacet! non animus est, non consilium, non copiæ, non diligentia. *Id. Harusp. resp.* 24. 50. Homo afflictus et jacens. *Id. Amic.* 16. 59. Amici jacentem animum excitare. Cf. *Liv.* 10. 35. Se quidem omnia expertos, sed militum jacere animos. Rursus *Cic. Pis.* 36. 89. Quid, quod tu toties diffidens ac desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis luctuque jacuisti? *Id.* 12. *Att.* 40. Ne doleam? qui potest? Ne jaceam? quis unquam minus? *h. e.* dolori non succumbam. *et* 10. *ibid.* 4. *ante med.* Jacet in mærore meus frater: neque tam de sua vita, quam de mea metuit. *Ovid.* 1. *Pont.* 3. 7. mente jacens et acerbo saucius ictu. *Id.* 4. *ibid.* 3. 27. insultare jacenti. *Id.* 1. *Trist.* 8. 13. jacentem solari. — Huc referri possunt et illa *Gell.* 1. 7. *sub fin.* Surda et jacenti aure esse. *h. e.* non erecta, non attenta. *et* 11. *ad fin.* Demissam jacentemque orationem erigere. *languida, bassa.* ¶ 2. Item *jacere* opponitur verbo *stare*; et secundo dicitur de iis, quæ inferiora sunt, et ab alio superantur, opprimuntur. *Ovid. Heroid.* 4. 161. Nobilitas sub amore jacet. *Plin.* 8. *Ep.* 6. Africani, Marii, Sullæ, Pompeji infra Pallantis laudes jacebunt. *Ovid.* 1. *Met.* 149. Victa jacet pietas. Cf. *Virg.* 3. *G.* 354. Sed jacet aggeribus niveis informis et alto Terra gelu late. *h. e.* oppleta, onerata stat tellus. ¶ 3. *Jacere* opponitur etiam verbo *vigere*; et primo est desidere, otiosum esse, nihil posse. *Ovid.* 4. *Trist.* 3. 77. Ars tua, Tiphy, jacet, si non sit in æquore fluctus: Si valeant homines, ars tua, Phœbe, jacet. — Sic de his dicitur, qui neglecti in republica nullo munere funguntur, aut auctoritatem amiserunt, cui non modo *vigere*, verum etiam *florere* contrarium est. *Cic.* 10. *Phil.* 7. 14. In pace jacere, quam in bello vigere maluit. Quamquam ille quidem nunquam jacuit: nec hoc cadere verbum in tantam virtutis præstantiam potest. Erat enim in desiderio civitatis, in ore, in sermone omnium. *Id.* 3. *Off.* 20. 79. C. Marius quum a spe consulatus longe abesset, et jam septimum annum post præturam jaceret. *Id.* 3. *Verr.* 39. 101. Jacere in oblivione. ¶ 4. Item verbo *vigere* opponitur; et secundo de iis dicitur, quæ vim amisere, quæ exerceri desierunt, quæ negliguntur. *Cic. Parad.* 4. 1. §. 27. Non erat illa tum civitas, quum leges in ea nihil valebant, quum judicia jacebant. *Id.* 2. *Orat.* 15. 64. In eodem silentio multa alia oratorum officia jacuerunt. *Id.* 1. *Tusc.* 2. 4. Jacent ea semper, quæ apud quosque improbantur. *Id.* 7. *Att.* 22. Tota Capua et omnis hic delectus jacet. *Id.* 4. *Fam.* 4. Perculsa et prostrata fœdissimo bello jacent omnia. Sic *Cælius* apud *Cic.* 8. *Fam.* 6. Dici non potest, quomodo hic omnia jaceant. *Cic.* 2. *Fin.* 35. 117. Maximas virtutes jacere omnes necesse est, voluptate dominante. *Id.* 3. *Off.* 33. 118. Justitia vacillat, vel jacet potius. *Id.* 2. *Divinat.* 51. 106. Ex falsis verum effici non potest: jacet igitur tota conclusio. *Id.* 5. *Fin.* 28. 86. Jacet omnis ratio Peripateticorum. (Sic *jacent rationes*, h. e. quid dicam non habeo, rationes nullæ sunt. *In suppos. Amph. scæna*, Quis tam, *in fin.*). *Quintil.* 9. 2. 4. *de figuris sententiar.* Motus est in his orationis atque actus: quibus detractis jacet et velut agitante corpus spiritu caret. *h. e.* languet, non assurgit, cadit, quasi exanimis. ¶ 5. Item verbo *vigere* opponitur: et tertio ponitur pro vilescere. *Cic. Rosc. com.* 12. 33. Accepit agrum temporibus iis, quum jacerent pretia prædiorum. *Ovid.* 1. *Fast.* 217. In pretio pretium nunc est: dat census honores, Census amicitias: pauper ubique jacet. *Id.* 3. *Art. am.* 411. Nunc hederæ sine honore jacent: operataque doctis Cura vigil Musis nomen inertis habet. *Id. Remed. am.* 139. Otia si tolles, periere Cupidinis arcus, Contemptæque jacent et sine luce faces. ¶ 6. Hinc *jacentia verba* sunt vulgaria, omnibus nota et usurpata. *Cic.* 3. *Orat.* 45. 177. Non enim sunt alia sermonis, alia contentionis verba: neque ex alio genere ad usum quotidianum, alio ad scenam pompamque sumuntur: sed ea nos quum jacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram, ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. ¶ 7. Demum *jacere* opponitur τῷ *in usu esse*; et — *a)* Dicitur de iis, quæ non proferuntur. *Cic. Rosc. com.* 3. 8. Cur tamdiu jacet hoc nomen in adversariis? *Id. ibid.* 1. 4. Quomodo tibi tanta pecunia extraordinaria jacet? *Plin.* 1. *Ep.* 1. Ita fiet, ut eas (*epistolas*) quæ neglectæ jacent, requiram, et si quas addidero, non supprimam. — *b)* *Jacere* etiam pecunia dicitur, quæ non collocatur, ut usuras pariat: quam nos dicimus *danaro morto.* *Plin.* 10. *Ep.* 62. Pecuniæ publicæ exactæ sunt et exiguntur: quæ vereor, ne otiosæ jaceant. — *c)* *Jacent bona*, quæ possessore carent. *Papinian. Dig.* 37. 3. 1. Nonne justius erit proximo cuique bonorum possessionem dari, ne bona jaceant?

JĂCIO, jăcis, jēci, jactum, jăcere, a. 3. Part. *Jaciens* I. 1.; *Jactus* I. 1. et 3. et II. 1.; *Jacturus* I. 4.; *Jaciendus* I. 1. et 3. — Jacere (quod ratione habita etymi cum Gr. ἴω conjungi posse videtur) generatim est ita movere, ut aliquid vel a jacendi (cf. verbum *jaceo*) statu tollatur, vel in jacendi statum transferatur: hinc significat mittere, emittere, jaculari, conjicere, βάλλω, ῥίπτω (It. *tirare, gettare, scagliare, lanciare*; Fr. *jeter, lancer*; Hisp. *echar, tirar, arrojar, lanzar*; Germ. *werfen, schleudern, stossen*; Angl. *to throw, cast, fling, hurl*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — *a)* Cum Accusativo et præpos. *ad.* *Plaut. Capt.* 4. 2. 17. Tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo. *h. e.* quemcumque genu percussero. *Auct. B. G.* 8. 41. Jacere tela tormentis ad aliquem locum. — *b)* Cum Accus. et præpos. *in.* *Cic.* 6. *Verr.* 10. 24. In quem scyphum de manu jacere conatus est. Sic *Plin.* 9. *Hist. nat.* 15. 20. (51). Tridens jactus in thynnos. Rursus *Cic.* 2. *Divinat.* 19. 45. Jacere fulmen in medium mare. *Cæs.* 7. *B. G.* 24. aridam materiem de muro in aggerem. *Sall. fragm.* apud *A. Maium* in *Class. Auct. T.* 1. *p.* 417. Alii in tecta jaciebant ignes. Similiter *Ovid.* 4. *Fast.* 821. fruges jaciuntur in ima, Et de vicino terra petita solo. *Cic. Sext.* 20. 45. Jecissem me potius in profundum. Cf. *Lucan.* 7. 166. taurus præceps se jecit in agros. *h. e.* proruppit, diffugit. Huc referri potest et illud *Tac.* 4. *Ann.* 22. Plautius incertis causis Apronium conjugem in præceps jecit. *buttò giù da un precipizio.* — *c)* Cum Accus. et præpos. *super, ante.* *Ovid.* 3. *Fast.* 643. humili super arva fenestra Se jacit.

Plin. 10. *Hist. nat.* 38. 54. (111). Aves aliquæ ante se pedes jaciunt, ut ciconiæ, grues. *h. e.* celeriter promovent. — *d*) Cum Dativo. *Virg.* 10. *Æn.* 683. ensem jacere mediis fluctibus. *Id.* 7. *ibid.* 712. saxeam pilam ponto. — *e*) Nullo addito termino, quo quid jacitur. *Ennius* apud *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 28. 89. Intendit crinitus Apollo Arcum auratum, luna innixus; Diana facem jacit a læva. *Cic. Mil.* 15. 41. Lapides jaciendos curavit. Sic *Virg.* 6. *Ecl.* 41. Jacti lapides. *Id.* 5. *Æn.* 613. Jacere ignem. *Id.* 10. *ibid.* 886.; et *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 3. Tela manu jaciens. *Ovid.* 2. *Met.* 727. quum balearica plumbum Funda jacit, volat illud et incandescit eundo. *Quintil.* 7. 2. 21. Præcipitata esset ab eo uxor, an se ipsa sua sponte jecisset. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 36. 54. (130). Ursi præcipitaturi se ex aliqua rupe, manibus capite operto jaciuntur. *si gettano.* *Virg.* 6. *Æn.* 902. Ancora de prora jacitur. Sic *Plin.* 32. *Hist. nat.* 1. 1. (2). Jactæ ancoræ. Rursus *Virg.* 4. *Æn.* 79. jacere flores. *spargere.* Sic *Id.* 2. *G.* 57. Jacta semina. *la semente sparsa.* et *Plin.* 3. *Hist. nat.* 16. 20. (118). Tanarus Apennini latere jactus. *h. e.* effusus. *Forcellinus* ita legit; at *Sillig.* Iactum, *atque ibi hæc adnotat:* Iactum, ita nos scripsimus, quum vulgo ederetur *jactum*, quod quum de flumine aut omnino dici non possit, aut certe h. l. ineptissime dicatur, nomen fluminis aliunde nobis non magis notum, quam sunt multa amnium h. l. commemoratorum, restituendum putavi. *Id.* 2. *ibid.* 11. 8. (50). Sol arborum umbras jacit paribus intervallis. *Tac.* 1. *Hist.* 36. Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula. *h. e.* digitos ori admovens et exosculans, deinde in vulgum extendens, φιλήματα διὰ τῶν δακτύλων ἔπεμπε, inquit *Xiphilin.* Sic jactare basia. *Phædr.* 5. 7.; et *Juvenal.* 4. 118. — Est nonnunquam verbum aleatorum, quum talos mittunt. *Plaut. Asin.* 4. 1. 35. Talos quum jaciet, te, ne dicat: nomen nominet. et 5. 2. 54. Jace, pater, talos, ut porro nos jacimus. DE. Maxime. Te, Philenium mihi, atque uxori mortem: hoc Venerium est. Adde *Cic.* 3. *Fin.* 16. 51. ¶ 2. Speciatim est verbum militare. Nam *jacere vallum, aggerem* est materiam congerendo, aggerem, vallum struere. *Lucilius* apud *Non.* p. 327. 25. *Merc.* Aggere in jaciendo, si quo est vineis actis opus. *Cæs.* 2. *B. G.* 12. Aggere jacto turribusque constitutis. *Liv.* 30. 10. Quum maxime vallum Romani jacerent, conspecta classis hostium est. Simile est *molem jacere*, h. e. congesta materia excitare, *Cæs.* apud *Cic.* 9. *Att.* 14. Sic *Horat.* 3. *Od.* 1. 33. Contracta pisces æquora sentiunt, Jactis in altum molibus. *fondate in mare.* et *Curt.* 4. 7. 2. Sed ante jacienda moles erat, quæ urbem continenti committeret. Similiter *Liv.* 1. 12. Hic prima urbi fundamenta jeci. *Virg.* 5. *Æn.* 631. Muros jacere. *h. e.* exstruere. et *Plin.* 3. *Hist. nat.* 11. 16. (101). Jacti pontes. ¶ 3. Item speciatim est emittere. *Lucret.* 2. 845. Nec jaciunt ullum proprio de corpore odorem. *h. e.* fundunt, emittunt. *Ovid.* 1. *Art. am.* 747. jacturas poma myricas. *h. e.* producturas. ¶ 4. Aliquando jacere est abjicere, projicere, *gettar via.* *Plaut. Trin.* 4. 3. 27. Scuta jacere, fugereque hostes.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 1. *Cic.* 1. *Fam.* 9. *ante med.* Jecit quidem casus caput meum, quasi certaminis causa, in mediam contentionem dissensionemque civitem. *Id. Sull.* 7. 23. Jacere contumeliam in aliquem. *Id. Parad.* 4. 1. § 28. Jacere et immittere injuriam in quempiam. *Tac.* 11. *Ann.* 13. probra in feminas illustres. *Cic. Planc.* 12. 30. adulteria. *rinfacciare.* *Id. Partit. orat.* 13. 46. Illa argumentatio prius sumit, quæ vult, eaque confirmat: deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis, jacit ad extremum. *Id. Orat.* 26. 87. Salium duo sunt genera, unum facetiarum, alterum dicacitatis; utetur utroque: sed altero in narrando aliquid venuste, altero in jaciendo mittendoque ridiculo. *h. e.* subito et paucis ridiculo. *h. e.* subito et paucis ridiculum quippiam proferendo. *Stat.* 1. *Theb.* 411. jactis sermonibus iræ Intumuere satis. *h. e.* dictis mordacibus ultro citroque conjectis. *Cic.* 2. *Att.* 23. Non mediocres terrores jacere atque denunciare. *h. e.* spargere, objicere. ¶ 2. Speciatim, metaphorâ sumptâ a superiori paragr. 3., est ponere, collocare. *Cic. Flacc.* 2. 4. Causæ fundamenta jacere. τὸ *causæ* est Dativus. *Id.* 1. *Phil.* 1. 1. In quo templo, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis. *Id.* 2. *leg. Agr.* 15. 38. Hunc quasi gradum quemdam atque aditum ad cetera jactum intelligetis. *Alii, quos inter* Orell., *leg.* factum. Cf. *Virg.* 4. *G.* 294. Omnis in hac certam regio jacit arte salutem. *pone, fonda.* et *Tac.* 1. *Ann.* 69. *extr.* Odia in longum jacere. *seminare.* ¶ 3. Item speciatim significat scriptis vel voce enunciare, et spargere in vulgus, obiter attingere, mentionem facere. *disseminare, pubblicare, toccare, menzionare.* *Tac.* 3. *Hist.* 73. Edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium jecerat. *Id.* 3. *Ann.* 8. Si vera forent, quæ jacerentur. *Propert.* 2. 1. 87. Taliaque illacrimans mutæ jace verba favillæ. *Cic. Prognost.* 1. *Divinat.* 8. 14. assiduas jacit ore querelas. *Id. Flacc.* 3. 6. Quæ est unquam jacta non suspicio, sed iracundiæ vox aut doloris? *ubi jacere suspicionem est dare un motto di sospetto.* *Sueton. Ner.* 37. Multas, nec dubias significationes sæpe jecit, ne reliquis quidem se parsurum senatoribus. *Sall. Jug.* 11. Quum multa de administrando imperio dissererent, Jugurtha inter alias res jacit, oportere etc. *muove parola, getta una parola, dice, propone.* Sic *Liv.* 5. 15. Quisnam esset is, qui per ambages de lacu Albano jaceret. *avesse toccato.* Cf. *Tac.* 1. *Ann.* 11. Quædam de habitu cultuque et institutis ejus jecerat. *avea toccato.* Rursus *Liv.* 6. 14. *ad fin.* Omisso discrimine vera an falsa jaceret. *se dicesse il vero o 'l falso.* *Tac.* 6. *Ann.* 31. Seque invasurum possessa Cyro, et post Alexandro, per vaniloquentiam ac minas jaciebat. *publicava, diceva con jattanza e minaccie.* *Id.* 4. *ibid.* 68. Fortuitos jacere sermones. *entrare in discorsi.* *Vellej.* 2. 65. 1. Jacta mentio conditionum. *Ruhkopf.* et alii leg. *facta.*

JACTĀBĬLIS, e, adject. (jacto) qui jactari potest. *Cassiod.* 7. *Hist. Eccl.* 2. de *Juliano Aug.* Cervix inflexibilis, humeri jactabiles, oculi currentes, huc illucque directi et furiose respicientes etc.

JACTĀBUNDUS, a, um, adject. (jacto) jactationis plenus, *agitato, fluttuante.*

I.) Proprie. *Gell.* 19. 1. *init.* Mare Ionium violentum et vastum et jactabundum.

II.) Figurate est jactantiæ plenus, *pieno di jattanza.* *Gell.* 15. 2. Homo in Græcæ facundiæ gloria jactabundus.

JACTANS, antis. *V.* JACTO.

JACTANTER, adverb. Comp. *Jactantius.* — Jactanter translate tantum occurrit, et est cum jactantia, seu ostentatione, superbe, gloriose, *con jattanza e ostentazione,* ἀλαζονικῶς. *Tac.* 2. *Ann.* 77. *extr.* Periisse Germanicum, nulli jactantius mœrent, quam qui maxime lætantur. *Id.* 3. *Hist.* 53. Litteras ad Vespasianum composuit, jactantius, quam ad principem. *Ammian.* 27. 2. Minæ jactanter sonantes. Adde *Prudent. Hamartig.* 170.

JACTANTĬA, æ, f. 1. (jacto) translate tantum occurrit, et est jactatio, ostentatio, *jattanza, ostentazione, millanteria, vanto,* ἀλαζονεία. *Tac.* 2. *Ann.* 46. Neque Maroboduus jactantia sui, aut probris in hostem abstinebat. *Id. Agric.* 25. Militari jactantia. *Quintil.* 1. 6. 20. Abolita atque abrogata retinere, insolentiæ cujusdam est et frivolæ in parvis jactantiæ. *Id.* 1. 8. 18. Persequi quod quisque unquam vel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiæ miseriæ, aut inanis jactantiæ est. *Id.* 9. 2. 74. Opinionem jactantiæ vereri. *Plin.* 1. *Ep.* 8. *a med.* Communibus magis commodis, quam privatæ jactantiæ studebamus. *Sidon.* 1. *Ep.* 11. *post versic.* Nisi, quod dico, jactantia est.

JACTANTĬCŬLUS, a, um, adject. *deminut. a* jactans, aliquantisper jactans. *Augustin.* 3. *advers. Academ.* 8. Quum se ille Academicus jactanticulus quasi discipulum singulis dederit. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 11. 34. Jactanticuli, qui tantum buccas inflant, et nihil dicunt.

JACTĀTĬO, ōnis, f. 3. (jacto) agitatio, concussio, σεισμός (It. *scotimento, agitazione;* Fr. *action d'agiter, mouvement, secoùment;* Hisp. *movimiento, sacudimiento, sacudidura;* Germ. d. *Hin-und Herwerfen, Schütteln, d. gewaltsame Bewegung;* Angl. *a tossing, shaking, moving violently*).

I.) Proprie. ¶ 1. Est, ut diximus, agitatio, concussio; et occurrit modo active, modo passive. *Cic. Orat.* 25. 86. Actio non tragica, nec scenæ, sed modica jactatione corporis. *Quintil.* 10. 7. 26. Jactatio manus, pedis supplosio. *Curt.* 4. 15. Equi crebra jactatione cervicum jugum excusserant. *Liv.* 29. 32. *a med.* Ubi primum ducta cicatrix, patique posse visa jactationem, pergit ire etc. *Cic. Mur.* 2. 4. Quo tandem me animo esse oportet, prope jam ex magna jactatione terram videntem? ¶ 2. Item jaculatio, *scagliamento,* βολή. *Hygin.* 2. *Astron.* 28. Quod maritimis conchyliis hostes sit jaculatus pro lapidum jactatione. *Al. leg.* jactione.

II.) Translate. ¶ 1. Jactatio est voluptas gestiens et se efferens insolentius, ut *Cic.* 4. *Tusc.* 9. 20. definit, *vana e smoderata esultazione.* Ex enim non solum animus, sed etiam corpus jactatur. Hinc est jactantia, ostentatio, *ostentazione, vana mostra, pompa, jattanza.* *Brutus* ad *Cic.* 11. *Fam.* 20. Jactatione verborum et denunciatione periculi pertimefactus. *Tac. Germ.* 6. Nudi aut sagulo leves: nulla cultus jactatio. *Quintil.* 1. 5. 3. Quidam in jactationem eruditionis sumere illa ex poetis solent. *Id.* 2. 4. 15. Extemporalis garrulitas circulatoriæ jactationis est. *Id.* 4. 1. 9. Hinc illa veterum circa occultandam eloquentiam simulatio, multum ab hac nostrorum temporum jactatione diversa. *Cœlius* ad *Cic. post ep.* 9. *l.* 10. *ad Att. sub fin.* Nonnullorum hominum jactationem et insolentiam ferre non potes. *Curt.* 4. 10. In unius hominis jactationem tot militum sanguinem impendi. *per la vanità ed ambizione.* *Ulp. Dig.* 28. 3. 6. § 7. Si quis tædio vitæ, vel valetudinis adversæ impatientia, vel jactatione, ut quidam philosophi, in ea causa sunt, ut testamenta eorum valeant. h. e. *per jattanza*, ut Peregrinus apud *Lucian.* de morte Peregrini § 36. *Charis.* 1. *p.* 141. *Putsch.* Jactatio sciendi. h. e. *jattanza.* ¶ 2. *Jactatio popularis* est, qua quis se dat populo, ejusque auram captat, ostentando ingenium industriamque suam; unde favor et gratia nascitur: sumptâ metaphorâ a mari et fluctibus, nam qui populo student, variis veluti fluctibus agitantur. *Cic. Cluent.* 35. 95. Quum homines se non jactatione populari, sed dignitate atque innocentia tuebantur. *Id. Harusp. resp.* 20. 43. Atque hic primus est aditus ad popularem jactationem atque ascensus. *Id. Orat.* 3. 13. Eloquentia forensis spreta a philosophis, tamen ornata verbis atque sententiis, jactationem habuit in populo, nec paucorum judicium reprehensionemque pertimuit.

JACTĀTOR, ōris, m. 3. (jacto) translate tantum occurrit, et est qui se jactat atque ostentat, *ostentatore, millantatore,* ἀλαζονικός. — *a*) Cum Genitivo rei, quam quis ostentat. *Quintil.* 11. 1. 17. de *Cicerone.* Is quidem rerum a se gestarum major, quam eloquentiæ fuit, in orationibus utique, jactator. *Sueton. Claud.* 35. Jactator civilitatis. *Stat.* 6. *Theb.* 837. Cleonææ stirpis jactator Agylleus. *Gell.* 18. 4. Jactator et venditator Sallustianæ lectionis. — *b*) Sequente Infinito, Græcorum more. *Sil. It.* 11. 403 Ille sub hiberno somnos educere cœlo Jactatur. *h. e.* qui jactat, se sub dio somnos ducere hiberno tempore. Sunt qui aliter leg.

JACTĀTRIX, icis, f. 3. (jacto) translate est quæ se jactat atque ostentat. A *Klotz.* tribuitur *Sidonio*, sed loco non laudato.

JACTĀTUS, a, um. *V.* JACTO.

JACTĀTUS, us, m. 4. (jacto) idem ac jactatio. *Ovid.* 6. *Met.* 703. Excussit pennas, quarum jactatibus omnis Afflata est tellus. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 18. 22. (118). Jactatus maris vetustatem vinis adjicit. *Id.* 33. *ibid.* 6. 32. (99). Argentum vivum auri sordes exspuens crebro jactatu fictilibus in vasis.

JACTĬO, ōnis, f. 3. (jacio) idem ac jactus. *Gloss. Cyrill.* Ῥιπτασμός, jactio. *V.* et JACTATIO I. 2.

JACTĬTĀBUNDUS, a, um, adject. (jactito) *frequentat.* jactabundi. *Sidon.* 3. *Ep.* 13. *in fin.* Contra nitorem honestatis jactitabundus.

JACTĬTĀTOR, ōris, m. 3. (jactito) frequens jactator. *Alcim. Ep.* 4. *a med.* Si baptizatus, aut etiam translatus ab hæresi qualibet parvulus, vel forsitan ævo longiore provectus, celeri post lavacrum fine rapiatur, nec ipse operis jactitator abnuerit, hominem sola fide salvatum, Christianorum rudimenta testantur.

JACTĬTO, as, are, a. 1. *frequentat. a* jacto, θρυλλέω. Part. *Jactitans.* — Jactitare translate tantum occurrit, et est magna voce, vel publice enunciare. *Liv.* 7. 2. *a med.* Ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare cœpit. *Phædr.* 2. 5. Come officium jactitans.

JACTO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *frequentat. a* ja-

cio. Quidam putant deponentis forma adhiberi in illo *Severi Ætn.* 23. Quidquid in antiquum jactata est fabula crimen. *Alii leg.* Quidquid item etc. ita ut antiquum crimen sit *appositum.* — Part. *Jactans* I. 1., II. 4. et in fin.; *Jactatus* I. 1. 2. 3. et II. 1. 3.; *Jactaturus* II. 1.; *Jactandus* II. 6. — Jactare est sæpe jacere, emittere, conjicere, βαλλω (It. *gettare, scagliare*; Fr. *jeter souvent ou précipitamment, lancer*; Hisp. *echar, arrojar, lanzar con violencia*; Germ. *werfen, schleudern, hin-und herwerfen*; Angl. *to throw, cast, fling, hurl, discharge*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. — a) Cum Accusativo termini, quo quid jactatur, et præpos. *in.* *Cic. Harusp. resp.* 18. 39. Ardentes faces in vicinorum tecta jactare. *Virg.* 1. *G.* 62. jactare lapides in aliquem locum. *Curt.* 5. 6. Semetipsos cum conjugibus ac liberis e muris in præceps jactantes. *Ovid.* 3. *Met.* 11. jactare lumina in vultum. *gettare lo sguardo.* — b) Cum Accus. et præpos. *per, post.* *Virg.* 1. *G.* 81. jactare cinerem per agros. *spargere.* Sic *Ovid.* 4. *Met.* 748. semina jactata per undas. *Id.* 1. *ibid.* 383. ossa post tergum. — c) Nullo addito termino, quod quid jactatur. *Ennius* apud *Cic.* 1. *Tusc.* 44. 105. Vidi — Hectoris natum de muro jactarier. Sic *Cæs.* 7. *B. G.* 47. Jactare vestem argentumque de muro. *Ennius* apud *Non. p.* 134. 13. *Merc.* Pars ludicre saxa jactant. *Ovid.* 4. *Trist.* 2. 50. Undique jactato flore tegente vias. *Varro* 1. *R. R.* 42. 1. Jactare semen. *seminare.* *Cic.* 2. *Orat.* 78. 316. Illas primas hastas ita jactare leniter, ut etc. *Ovid.* 2. *Met.* 308. jactare fulmina. *Cels. Dig.* 19. 1. 12. rete. — Est nonnunquam verbum aleatorum, quum talos mittunt. *Plaut. Curc.* 2. 3. 79. Talos arripio, invoco Herculem: jacto basilicum. Sic *Ovid.* 2. *Art. am.* 203. numerosque manu jactabit eburnos. *h. e.* talos. ¶ 2. Speciatim est frequenter movere, *dimenare, dibattere, scuotere.* *Lucret.* 4. 989. Jactare crura. *Id.* 4. 770. brachia in numerum. *Cæs.* 1. *B. G.* 25. Diu jactatum brachium. *Cic.* 5. *Verr.* 19. 49. Jactare cerviculam. *Ovid.* 3. *Trist.* 8. 5. pennas. Sic *Id. ibid.* 10. 45. Boreas jactatis insonat alis. *Id.* 4. *Fast.* 244. Jactare comæ. *Id.* 10. *Met.* 721. Jactare corpus in suo sanguine. *Id.* 1. *Art. am.* 22. Jactatas faces excutere. *Id.* 1. *Pont.* 1. 38. Jactare manu sistra tinnula. *Virg.* 2. *G.* 249. Pinguis tellus haud unquam manibus jactata fatiscit. *h. e.* tractata, *maneggiata.* *Id. ibid.* 355. jactare duros bidentes. *menare la zappa.* *Cic. Brut.* 60. 217. Nisi se suo more jactavisset, hodie te istic muscæ comedissent. *Id.* 1. *Divinat.* 29. 60. Exsultare immoderateque jactari. *Juvenal.* 3. 106. a facie jactare manus. *h. e.* oscula jacere. *V.* JACIO 1. 1. ad fin. *Id.* 13. 22. Jactare jugum. *scuotere il giogo.* ¶ 3. Item speciatim est huc illuc impellere, agitare, *sbattere, spingere qua e là.* *Varro* 1. *R. R.* 55. 6. Olea lecta si nimium diu fuit in acervis, caldore fracescit, et oleum fœtidum fit. Itaque si nequeas mature conficere, in acervis jactando ventilare oportet. Sic *Colum.* 2. *R. R.* 10. 14. Quum acervus paleis granisque mixtus in unum fuerit congestus, paullatim ex eo ventilabris per longius spatium jactetur. *Plaut. Rud.* 2. 3. 39. Ventis fluctibusque jactatæ, exemplis plurimis, miseræ perpetuam noctem. Cf. *Ovid.* 3. *Trist.* 2. 15. ventis dubius jactabar et undis. *Nepos Att.* 6. Maritimis fluctibus jactari. *Cic.* 2. *Invent.* 31. 95. Quum nautæ adversa tempestate in alto jactarentur. *Virg.* 1. *Æn.* 671. jactari pelago circum omnia litora. Cf. *eumd. ibid.* 7. multum ille et terris jactatus et alto, Vi superum. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 31. Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto Captus hiet? pontesne inter jactatus, an amnis Ostia sub Tusci? *Cic. Planc.* 7. 17. Si quando, ut fit, jactor in turba, non illum accuso, qui est in summa sacra via, quum ego ad Fabium fornicem impellor; sed etc. *Id.* 3. *Verr.* 26. 67. Jactatur domi suæ homo honestissimus: pro se quisque manus affert. *Id.* 1. *Cat.* 13. 31. Æstu febrique jactari. ¶ 4. Item speciatim est edere, *mandar fuori.* *Lucret.* 5. 576. suum proprio jactat de corpore lucem. *Virg.* 2. *Æn.* 768. voces jactare per umbram. Cf. *eumd.* 2. *G.* 132. late odorem. ¶ 5. Item projicere, abjicere, jacturam facere. *Plaut. Rud.* 2. 3. 43. Si quæ improbæ sunt merces, jactat omnes. *Seneca* 1. *Clem.* 3. Consensus est populis sic protegendi amandique reges, et se suaque jactandi, quocumque desideraverit imperantis salus. *Paul. Dig.* 22. 3. 25. Jactare suas pecunias et effundere.

II.) Translate. ¶ 1. Est vexare, *agitare, malmenare, travagliare.* — a) De hominibus et de abstractis: et fere passive. *Plaut. Cist.* 3. 1. 4. Jactor, crucior, agitor, stimulor. *Lucret.* 3. 508. Jactari morbis. *Cic.* 1. *Fam.* 5. *a med.* Jactatus est clamore et convicio. *Id. Quinct.* 31. 98. Multis vexatus contumeliis, plurimis jactatus injuriis. *Curt.* 4. 14. *a med.* Jactari varietate fortunæ. *Justin.* 41. 6. 2. Jactari per varia bella. *Id.* 3. 4. 4. Diu et per varios casus jactati. Similiter *Cic. Quinct.* 2. 10. Ut multis injuriis jactatam atque agitatam æquitatem, in hoc tandem loco consistere atque confirmari patiamini. — Et active *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 14. 45. *de Hortensio.* Te vero, Cæcili, quemadmodum sit elusurus, quam omni ratione jactaturus, videre jam videor. *Lactant.* 5. 5. *a med.* Patrem regno expulit, bello persecutus est, exsulem toto orbe jactavit. — b) Speciatim *jactari pecunia* dicitur, quæ certum pretium non habet, sed subitis frequentibusque incrementis aut decrementis varium et inconstans. *Cic.* 2. *Off.* 20. 80. Jactabatur temporibus illis nummus sic, ut nemo posset scire, quid haberet. ¶ 2. *Jactari* occurrit etiam eodem sensu ac *versari*, sed majori quadam vi. *Cic.* 1. *Orat.* 16. 73. Utrum is tantummodo in hoc declamatorio sit opere jactatus. ¶ 3. Jactare est etiam considerare, animo agitare, versare sermonibus, aut cogitando, *trattare, ventilare, rivolgere, discorrere.* *Virg.* 1. *Æn.* 231. tales jactantem pectore curas Tristior alloquitur Venus. *Cæs.* 1. *B. G.* 18. Pluribus præsentibus ea res jactari nolebat. *Liv.* 22. 23. Sæpius jactata in senatu res. *h. e.* tractata consultatione. *Ovid.* 3. *Amor.* 1. 21. Fabula (nec sentis) tota jactaris in urbe. *sei divenuto la favola del volgo.* *Liv.* 10. 46. *extr.* Magis jactari, quam peragi accusatio ejus potuit. *si potè ben discorrerne, ma non si potè finire.* ¶ 4. Item sæpe dicere, memorare, enunciare: ad rem *Cic. Mur.* 12. 26. Quæ dum erant occulta, necessario ab eis, qui ea tenebant, petebantur: postea vero pervulgata, atque in manibus jactata et excussa, inanissima prudentiæ reperta sunt. *Liv.* 38. 28. *a med.* et 8. 29. Rem jactare sermonibus. *Cælius* ad *Cic.* 8. *Fam.* 1. *a med.* Neque hæc incerta tamen vulgo jactantur, sed inter paucos palam secreto narrantur. *Horat.* 1. *Ep.* 16. 18. Jactamus jampridem omnis te Roma beatum. *h. e.* prædicamus. *Virg.* 1. *Æn.* 106. Talia jactanti. *h. e.* nequidquam vociferanti. *Liv.* 7. 9. Jactare querimonias ultro citroque. *Virg.* 10. *Æn.* 95. jurgia. *Liv.* 2. 13. Jactatum est in conditionibus. ¶ 5. Item intentare, jacere in aliquem. *Cic. Sext.* 23. 52. Jactare et opponere terrorem. *Id. Quinct.* 14. 47. minas. *Propert.* 3. 6. 11. convicia rabida lingua. *Liv.* 29. 9. probra in quempiam. ¶ 6. Item cum ostentatione dicere, *millantare, vantare, spacciare, ostentare.* *Cæs.* 3. *B. C.* 83. Ostentare honorem ætatis, jactare urbanam gratiam et dignitatem, affinitate alicujus confidere. *Quintil.* 3. 1. 3. Admiscere tentavimus aliquid victoris, non jactandi ingenii gratia, sed etc. *Curt.* 8. 1. *a med.* Superbe jactare aliquid. *Horat.* 1. *Od.* 14. 33. genus et nomen jactare. *Ovid. Heroid.* 16. 81. regna et virtutem. *Curt.* 3. 8. Hæc magnificentius jactata, quam verius. *h. e.* dicta cum jactantia. Sic *Id.* 9. 2. Multa, quæ terrere vos possent, de industria esse jactata. ¶ 7. Hinc *jactare se* est se insolentius efferre, *vantarsi, gloriarsi*: et occurrit — a) Cum addito Dativo personæ. *Ovid. Heroid.* 12. 17. Jactare se alicui. *h. e.* apud aliquem. Cf. *Horat.* 1. *Od.* 2. 17. Iliæ dum se nimium querenti Jactat ultorem. — b) Cum Ablativo rei et præpos. *in*, aut *de*, aut sine ulla præpos.: et est *vantarsi, gloriarsi, tenersi di qualche cosa.* *Cic.* 2. *Att.* 1. Quum in eo se in concione jactavisset. *Id.* 6. *Verr.* 21. 46. Jactat se jamdudum de Callidio: narrat omnibus, se emisse. *Virg.* 6. *Ecl.* 73. Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo. — c) Cum Infinito. *Curt.* 8. 1. *circa med.* Nobilem apud Chæroneam victoriam sui operis fuisse, jactavit. — d) Absolute. *Cic.* 2. *Orat.* 52. 209. Intolerantius se jactare, et æquabilitatem communis juris transire. *Id.* 4. *Herenn.* 21. 29. Se magnifice jactare atque ostentare. *Virg.* 1. *Æn.* 144. illa se jactet in aula Æolus, et clauso ventorum carcere regnet. ¶ 8. In illo *Cic.* 2. *Att.* 21. Vidi de edictis Bibuli concionantem, qui antea solitus esset jactare se magnificentissime in illo loco, summo cum amore populi, cunctis faventibus; *jactare se* est fidenter, libere et cum auctoritate agere: eodem sensu, quo usurpatur in paragr. proxime sequenti; nisi quod hoc in loco addita inest significatio fidenter et libere agendi. ¶ 9. Interdum *jactare se* vel *jactari* est satagere, cum labore exerceri, totis viribus incumbere, *esercitarsi, affaticarsi, impiegarsi tutto.* Confer paragr. proxime antecad. et seq. *Cic.* 1. *Orat.* 38. 173. Jactare se in causis centumviralibus. *Id.* 2. *Fam.* 15. Republica nihil mihi est carius; in qua tu non valde te jactas. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 5. *a med.* Nostrum hoc tempus ætatis forensi labore jactari. *Liv.* 3. 1. Jactare se actionibus tribuniciis. *Cælius* ad *Cic.* 8. *Fam.* 10. *a med.* Curionem video se dupliciter jactaturum: primum, ut aliquid Cæsari adimat; inde, ut aliquid Pompejo tribuat. *h. e.* adnisurum, omni ope tentaturum. ¶ 10. *Jactare se in pecuniis* est in his insumendis nihil parcere, *allargarsi troppo nello spendere*: eodem nimirum sensu, quo et in paragr. proxime antecedenti, nisi quod hic significatio accedit rei sive pecuniæ insumendæ. *Cic.* 2. *Cat.* 9. 20. Hi sunt coloni, qui se in insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque jactarunt. *Forcellinus* et alii omittunt *in.* — Hinc Part. præs., cujus exempla et supra retulimus,

Jactans, antis, adjective quoque usurpatur, unde Comp. *Jactantior* in omnibus paragr.; at Sup. *Jactantissimus* I. 1.

I.) Proprie est jactationem faciens, *che agita e scuote.* *Liv.* 21. 18. Nec vexationem vulneris in via jactanti ultra patiens. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 6. Austri jactantis navem. *M. Cælius* apud *Quintil.* 11. 1. 51. Vox immoderatior, aut jactantior gestus. *Alii leg.* jactatior.

II.) Translate. ¶ 1. In malam partem est qui jactat et gloriatur, *pieno di jattanza, millantatore*, ἀλαζών. *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 322. 13. *Merc.* Insolens, arrogans, jactans. *Quintil.* apud *eumd. ibid.* Tumidus ac sui jactans et ambitiosus institor eloquentiæ. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 49. ineptus Et jactantior hic paullo est. *Plin.* 9. *Ep.* 23. *in fin.* Neque vereor, ne jactantior videar, quum de me aliorum judicium profero. *Spartian. Hadrian.* 17. Plebis jactantissimus amator. *Plin.* 3. *Ep.* 9. *ante med.* Miserat epistolas jactantes et gloriosas. ¶ 2. In bonam partem, ut *superbus*, de eo qui juste se jactat. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 1. Auspiciis iterum sese regalibus annus Induit, et nota fruitur jactantior aula. *Stat.* 4. *Silv.* 1. 6. Et septemgemino jactantior æthera pulset Roma jugo.

JACTŪŌSUS, a, um, adject. jactans, jactabundus. Affert *Non. p.* 130. 15. et 132. 20. *Merc.* locum *Cic. Orat.* 36. 125., ubi plerique omnes rectius leg. *actuosæ.*

JACTŪRA, æ, f. 1. (jacio) quod ex navi in mare jacitur in tempestate, ejus exonerandæ causa, ἀποβολή (It. *getto*; Fr. *action de jeter, et princ. de jeter à la mer des marchandises*; Hisp. *el acto de echar, arrojar*; Germ. *das Werfen, das Wegwerfen*; Angl. *the throwing of goods overboard in a storm*).

I.) Proprie. *Cic.* 3. *Off.* 23. 89. Si in mari jactura facienda sit, equi ne pretiosi potius jacturam faciat, an servuli vilis? *Pseudo-Sall. orat.* 2. *ad Cæs. med.* De istis potissimum jactura fit, quia pretii minimi sunt.

II.) Figurate. ¶ 1. Est rei damnum, amissio, *perdita, danno, scapito.* Itaque *jacturam facere* est subire et quidpiam amittere, *scapitare, perdere.* *Cic.* 12. *Att.* 29. Si qua etiam jactura facienda sit in repræsentando. *Id.* 3. *Fin.* 21. 79. Jacturæ rei familiaris erunt faciendæ, labores suscipiendi, adeundum vitæ periculum. *Auct. B. Alex.* 49. Jacturæ et detrimenta rei familiaris. *Colum.* 1. *R. R.* 1. 2. In agricultura voluntas facultasque citra scientiam sæpe magnam dominis afferunt jacturam. *Vellej.* 2. 130. 2. Qua liberalitate quum alias, tum proxime, incenso monte Cælio, omnis ordinis hominum jacturæ patrimonio succurrit suo! *V.* DAMNUM. — *Jacturam pati* est jacturam facere. *Colum. præfat.* 1. *R. R.* § 11. Cujus præcepta si antiquo more administrarentur, minus jacturæ paterentur res rusticæ. ¶ 2. De impensis et largitionibus, *spese.* *Cæs.* 3. *B. C.* 29. Magnis jacturis sibi quorumdam animos conciliare. et 6. *B.*

G. 11. Aliquem magnis jacturis et pollicitationibus ad se perducere. *Cic.* 6. *Att.* 1. Provincia sumptibus et jacturis exhausta. *Id. Cluent.* 8. 23. Ipsum Aurium, non magna jactura facta, interficiendum curavit. ¶ 3. Transfertur ad alia. *Cic.* 2. *Divinat.* 15. 34. Concedam hoc ipsum, si vis: etsi magnam jacturam causæ fecero. *Id.* 3. *Verr.* 12. 33. Jacturam criminum facere, h. e. crimina in accusatione omittere. *Id. Planc.* 22. 54. Jacturam facere suarum tribuum. *Id. ibid.* 2. 6. dignitatis. *Cæs.* 1. *B. C.* 32. honoris et dignitatis. *Liv.* 39. 4. temporis. *Virg.* 2. *Æn.* 617. facilis jactura sepulcri. *Sulpicius* ad *Cic.* 4. *Fam.* 5. In unius mulierculæ animula jactura facta est. *Justin.* 2. 5. *ad fin.* Amissis octoginta millibus hominum: quæ jactura, abundante multitudine, inter damna numerata non est. *Cf. Liv.* 4. 3. Parva jactura accepta. h. e. levi clade. *Ovid.* 2. *Amor.* 14. 32. Jactura socii sanguinis ulta virum. h. e. natos suos occidendo. *Id.* 1. *ibid.* 15. 15. Nulla Sophocleo veniet jactura cothurno. h. e. nulla temporis injuria. *Id.* 2. *Art. am.* 252. Nomine quemque suo (nulla est jactura) saluta. *Martial.* 5. 80. Durum est perdere ferias: rogamus, Jacturam patiaris hanc ferasque.

JACTŪRĀLIS, e, adject. (jactura) damnosus. *Gloss. Philox.* Jacturalis, ἐπιζήμιος.

JACTŪRĀRIUS, ii, m. 2. *Gloss. Isid.* Jacturarius, qui frequenter jacturam patitur, id est damnum.

JACTUS, a, um. *V.* JACIO.

JACTUS, us, m. 4. (jacio) actus jaciendi, conjectus, βολή (It. *getto, tiro*; Fr. *action de jeter, de lancer, jet*; Hisp. *el acto de echar, tiro*; Germ. *d. Werfen, d. Wurf*; Angl. *a throw, cast*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est actus jaciendi. *Cic.* 3. *Cat.* 8. 18. Jactus fulminum. *Virg.* 11. *Æn.* 608. Intra teli jactum progressus. *a tiro.* Contra *Curt.* 3. 10. Extra teli jactum esse. *et* 11. Jam ad teli jactum pervenerant. *Virg.* 2. *G.* 123. ubi aera vincere summum Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 2. 1. (4). *de tauris.* Truces in sublime jactus. — Dicitur etiam de talis. *Liv.* 4. 17. In prospero tesserarum jactu. *Ovid.* 3. *Art. am.* 353. talorum ducere jactus. ¶ 2. Latiori sensu, vel translate ut aliis placet, est actus spargendi, diffundendi. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 45. 44. (116). Disparili errantium siderum ictu radiorumque multiformi jactu flagellatus aer. *Cf. Virg.* 4. *G.* 87. pulveris exigui jactus. ¶ 3. Item latiori sensu, vel translate ut aliis placet, est actus abjiciendi, projiciendi. *Paul. Dig.* 14. 2. 1. Jactum mercium facere levandæ navis gratia. *Seneca Troad.* 1037. Facere jactum in medio ponto. *far getto. Lucret.* 3. 1030. horribilis de saxo jactu' deorsum. *Cf. Virg.* 4. *G.* 528. se jactu dedit æquor in altum. *di lancio si gettò.*

II.) Translate. ¶ 1. *Jactus retis* et *jactus* absolute est quidquid uno retis jactu capi potest. *Cels. Dig.* 19. 1. 11. § 18. Quum futurum jactum retis a piscatore emimus. *Val. Max.* 4. 1. n. 7. *extern.* A piscatoribus verriculum trahentibus quidam jactum emerat. Adde *Apul. de Mag.* p. 461. *Oudendorp.* ¶ 2. De actu loquendi. *Val. Max.* 1. 5. n. 9. Fortuitus vocis jactus.

JĂCŪLĀBILIS, e, adject. (jaculor) quem jaculari possumus, *che si può lanciare*, βλητός. *Ovid.* 7. *Met.* 679. sed non formosius isto Viderunt oculi telum jaculabile nostri. *Stat.* 6. *Theb.* 658. ast illud cui non jaculabile dextræ Pondus? *chi è che non possa lanciarlo?*

JĂCŪLĀMENTUM, i, n. 3. idem ac jaculum. *Non.* p. 556. 24. *Merc.* Ansatæ, jaculamenta cum ansis. *V.* ANSATUS.

JĂCŪLĀTIO, ōnis, f. 3. (jaculor) actus jaculandi, jactus, conjectus, *scagliamento, lanciamento*, ἀκοντισμός.

I.) Proprie. *Seneca* 2. *Quæst. nat.* 12. Fulminatio est jaculatio cum ictu. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 42. 65. (162). Diximus in libro de jaculatione equestri condito. (*Plin. alter* 3. *Ep.* 5. narrat, hunc librum ab avunculo compositum fuisse, quum præfectus alæ militaret). *Apul. de Mundo.* Jaculatio fulgoris. *Id.* 1. *Met.* Jaculationes saxorum.

II.) Translate. *Quintil.* 6. 3. 43. Genus illud facetiarum, positum non in hac veluti jaculatione verborum et inclusa breviter urbanitate, sed in quodam longiore actu.

JĂCŪLĀTOR, ōris, m. 3. qui jaculatur, *lanciatore, traggitore*, ἀκοντιστής. ¶ 1. Universim. *Horat.* 3. *Od.* 4. 56. evulsisque truncis Enceladus jaculator audax. *Stat.* 12. *Theb.* 562. Jaculator fulminis. ¶ 2. Specialim in re militari jaculatores sunt, qui hastas, seu jacula conjiciunt: hi erant milites levis armaturæ. *Liv.* 36. 18. Jaculatorum sagittariorumque et funditorum manum sub ipsis radicibus montis posuit. *Id.* 21. 21. Supplementum ex Africa, maxime jaculatorum, petiit. *Seneca Brevit. vit.* 13. § 5. Ad conficiendos eos (*leones*) missis a rege Boccho jaculatoribus. ¶ 3. Item specialim est qui rete jaculo piscatur. *Plaut.* apud *Isid.* 19. *Orig.* 5. Probus quidem antea jaculator eras. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

JĂCŪLĀTŌRIUS, a, um, adject. (jaculor) ad jaculandum inserviens, ut Jaculatorius campus, *Ulp. Dig.* 9. 2. 9. *extr.*, h. e. in quo jaculandi exercitatio habetur.

JĂCŪLĀTRIX, īcis, f. 3. mulier, quæ jaculatur. *Ovid.* 5. *Met.* 375. Pallada nonne vides jaculatricemque Dianam Abscessisse mihi?

JĂCŪLĀTUS, a, um. *V.* JACULOR.

JĂCŪLĀTUS, us, m. 4. (jaculor) jaculatio, jactus. *Tertull. Spectac.* 18. Non probabis usquam vanos cursus et jaculatus et saltus vaniores.

JACULO, as. *V.* voc. seq. init.

JĂCŬLOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. (jaculum, jacio). *Jaculo, as* pro *jaculor, aris*, afferunt plerique Lexicographi, confirmantque exemplo *Claudiani*, Latis jaculabat in arvis. Sed nos exemplum hoc invenire non potuimus. Cl. vero *Quicherat.* hæc addit: *Venant. Fort. Vit. S. Mart.* 2. 139. Prensus in arte, ferox jaculabat probra beato. *Isid.* 13. *Orig.* 7. Virgilius ait Turnum falaricam jaculasse. Ceterum compositum *ejaculo* certiori auctoritate nititur. *V.* EJACULO. Occurrit tamen Part. *Jaculatus* passive. *Lucan.* 3. 568. Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro. *Tertull. Spectac.* 30. Xystici in igne jaculati. *Arnob.* 5. 10. Jaculatam combibisse sementem. — Part. *Jaculans* I. 2.; *Jaculatus* active I. 1. et 3. — Jaculari est jaculum, vel aliud telum emittere, conjicere, jacere, βάλλω, ἀκοντίζω (It. *lanciare, tirare, gittare*; Fr. *lancer, jeter*; Hisp. *lanzar, echar*; Germ. *werfen, schleudern*; Angl. *throw, dart, cast, fling, hurl*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim et stricto sensu. *Virg.* 2. *Æn.* 276. Hector Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes. *Tac.* 2. *Hist.* 21. Missilem ignem in obsessos jaculantur. *Ovid.* 7. *Met.* 139. medios silicem jaculatus in hostes. *Id.* 14. *ibid.* 181. Giganteo jaculari saxa lacerto. *Colum.* 10. *R. R.* 329. duros jaculatur Juppiter imbres. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 27. 41. (100). Panthera jaculando se deficit. *lanciandosi di salto.* Sic *Flor.* 1. 14. In confertissima se hostium tela jaculatus. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 23. (92). In quas partes sese jaculetur cometes, h. e. feratur. ¶ 2. Specialim et stricto sensu in re militari de iis dicitur qui hastas, seu jacula conjiciunt: *V.* JACULATOR 2. *Cic.* 2. *Off.* 13. 45. Magnam laudem consequebare equitando, jaculando, omni militari labore tolerando. *col giocar la picca.* et *Id.* 2. *Divinat.* 59. 121. Quis est enim, qui totum diem jaculans, non aliquando collineet? *Ulp.* in *Collat. Mos. et Rom. leg.* tit. 9. § 2. Quive bestias depugnare locavit, locaverit; præterquam qui jaculandi causa ad Urbem missus est, erit. *V. Senec.* loc. cit. in JACULATOR 2. ¶ 3. Latiori sensu est emittere, *vibrare*. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 55. (151). Oculi lupo splendent, lucemque jaculantur. *Id.* 36. *ibid.* 10. 15. (72). Jaculari umbram. ¶ 4. Item latiori sensu, seu cum Accusativo non teli, sed hominis, animantis etc., est jaculando ferire, *colpire, ferire*. *Horat.* 3. *Od.* 12. 12. Jaculari cervos. *Id.* 1. *ibid.* 2. 2. rubente Dextera sacras jaculatus arces. *Ovid. Ib.* 49. Ferro acuto jaculari aliquem. et 569. Jaculari aera disco.

II.) Translate. *Liv.* 42. 54. Probris procacibus jaculari in aliquem. *Al. leg.* joculari, *alii* jocari. *Quintil.* 9. 2. 79. Jaculari in uxorem obliquis sententiis. h. e. dicta dicere, verbo perstringere. Sic *Petron. Satyr.* 109. Jaculari dicta in calvos. Rursus *Quintil.* 11. 3. *med.* Sententias vibratis digitis jaculari. *Id.* 2. 11. 6. Abrupta quædam (*declamantes*) jaculantur. *Horat.* 2. *Od.* 16. 17. Quid brevi fortes jaculamur ævo Multa? h. e. concupiscimus, quasique jaculo, quæ procul sunt, petimus?

JĂCŬLUM, i, n. 2. (jacio) ¶ 1. Est quidquid jaci in longum potest (*V.* voc. seq.): specialim telum, sive hastile, quod manu jaculari possumus, ἀκόντιον (It. *dardo*; Fr. *javelot*; Hisp. *flecha, dardo*; Germ. *d. Wurfspiess*; Angl. *a javelin, dart*). *Cic.* 4. *Fin.* 9. 22. Si Hannibal ad portas venisset, murumque jaculo trajecisset. *Id.* 1. *Tusc.* 42. 101. Solem præ jaculorum multitudine et sagittarum non videbitis. *Liv.* 26. 4. Eis parmæ breviores, quam equestres, et septena jacula, quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest. *Cæs.* 5. *B. G.* 44. Persuadet, ut litteras ad Cæsarem deferat: has ille in jaculo illigatas affert. et 42. Fervefacta jacula in casas, quæ stramentis erant tectæ, jacere cœperunt. *Sall. Jug.* 61. *extr.* Plerosque jacula, tormentis aut manu emissa, vulnerabant. — Jaculum cum amentio Ætolus Martis filius invenisse dicitur a *Plin.* 7. *Hist. nat.* 56. 57. (201). — Ceterum *V.* voc. seq. ¶ 2. Pro jaculatione dixit *Apul.* 10. *Met.* p. 743. *Oudendorp.* Hinc Gratiæ gratissimæ, inde Horæ pulcerrimæ jaculis floris serti et soluti deam suam (*Venerem*) propitiantes, scitissimum construxerant chorum, dominæ voluptatis veris coma blandientes.

JĂCŬLUS, a, um, adject. a. v. *jacio*, quod fere absolute, substantivorum more usurpatur, subaudito nomine: sic *jaculum*, i (*V.* voc. præced.) est pro *jaculum telum*. Hinc — a) *Rete jaculum*, vel *jaculum* absolute subaudito nom. *rete*, est genus retis piscatorii, quod contra pisces jacitur, *giacchio*: alio nomine est *funda*. Hoc *Plautus Asin.* 1. 1. 86. appellat *rete jaculum*, vel conjuncte *retejaculum*. Sic *Id. Truc.* 1. 1. 14. Quasi in piscinam rete qui jaculum parat. Hic *rete jaculum* idem est ac δίκτυον rete a δίκω *jacio*. Et absolute *Ovid.* 1. *Art. am.* 763. Hi jaculo pisces, illi capiuntur ab hamis. Adde *Auson. epist.* 4. 56. — Est etiam genus retis, quo gladiator retiarius utebatur, ut adversarii caput subito jaciendo implicaret. *Isid.* 18. *Orig.* 54. — b) *Jaculus*, subintellige *serpens*, est anguis genus, ita dicti, quod in arbores repens, inde se in obvios jaculatur, *jaculo*. *Lucan.* 9. 822. Ecce procul sævus sterilis se robore trunci Torsit, et immisit (jaculum vocat Africa) serpens, Perque caput Pauli transactaque tempora fugit. *Id. ibid.* 720. Et natrix violator aquæ, jaculique volucres. Adde *Plin.* 8. *Hist. nat.* 23. 35. (85).; et *Isid.* 12. *Orig.* 4. — c) *Jaculi*, subaudi *nodi*, sunt nodi ex fune, qui cornibus boum injiciuntur, *lacci, nodi*. *Colum.* 6. *R. R.* 2. 4. Cannabinis funibus cornua juvencorum ligato: sed jaculi, quibus copulantur, lanatis pellibus involuti sint, ne tenera fronte sub cornua lædantur. In vet. libris tum MSS., tum excusis leg. *laquei*, teste *Ponted. ep.* 60.; ideoque hanc lectionem *Schneiderus* in textum recepit. — d) Demum *jaculum* vocat *Minuc. Fel. Octav.* 3. testam seu conchulam teretem et planam, quam super undas maris pueri ludentes intorquent. Hujusmodi ludum Græci ἐποστρακισμόν vocant.

JAM, adverb. Apud veteres Poetas interdum vox est disyllaba, ut apud *Ter. Andr.* 1. 1. 144. so. Curabo; eamus jam nunc intro. si. I præ, sequor. — Ratione habita etymi, volunt nonnulli esse Accusativum feminini generis a Nom. is; alii autem a verbo ire deducunt. Quidquid vero sit de etymo, *jam* est adverbium multiplicis significationis ususque plurimi, quod non tempus proprie significat, sed distincte et exacte designat rem demonstratione definitiva; sed usu factum est, ut *jam* maximopere referretur ad tempus, idque vel ipsum, vel cum alio tempore comparatum distinctius designaretur, ἤδη (It. *già, ormai, ora*; Fr. *maintenant, déjà, à présent*; Hisp. *ya, de este-punto*; Germ. *nun, von jetzt an, nunmehr, bereits*; Angl. *now, immediately, presently*). ¶ 1. Quemadmodum supra diximus, usu factum est, ut *jam* tum ad præsens, tum ad præteritum, tum ad futurum tempus referretur. Itaque — 1.°) Refertur *jam* ad tempus, et certum punctum temporis, in quo aliquid fit aut factum est, ita designat ex alius temporis ratione, ut dicatur *eo ipso tempore, suo tempore*. Sic *Liv.* 24. 47. Tum demum hostes excitati sunt jam et imbre conquiescente et propinqua luce. *Horat. Art. P.* 158. Reddere qui voces jam scit puer et pede certo Signat humum, gestit paribus colludere. h. e. tum quidem, quum etc. *Cic. Brut.* 46. 171. Id tu, Brute, jam

intelliges, quum in Galliam veneris. *Id. ibid.* 25. 96. De quibus jam dicendi locus erit, quum de senioribus pauca dixero. *allora*. *Id. Arch.* 5. 11. Sed quoniam census non jus civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive etc. *Sall. Cat.* 18. Jam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur. *Virg.* 7. *Æn.* 736. patriis sed non et filius arvis Contentus, late jam tum ditione premebat Sarrastes populos. — Præcipue id apparet in conditionata sententia, ubi præmisso si vel *ubi* vel ut, in apodosi ponitur *jam*. *Ter. Andr.* 5. 1. 6. Vide, quam iniquus sis præ studio: dum id efficias quod cupis, neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogites. Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis. *Cic.* 3. *Off.* 19. 76. At vero si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, jam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit, quibus possit. *Id.* 1. *Cat.* 8. 21. At si hoc idem huic adolescenti optimo P. Sextio – dixissem, jam mihi consuli hoc ipso in templo jure optimo senatus vim et manus intulisset. *Liv.* 29. 27. Si jubeat eo dirigi, jam in portu fore omnem classem. *Sall. Cat.* 52. Si paulululum modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt. — Hinc fit, ut *jam* affirmandæ rei inserviat, et significet rem fieri, vel fore suo tempore certo. *Ter. Andr.* 4. 5. 17. Simul arbitror, jam esse aliquem amicum et defensorem ei. *Ovid. Heroid.* 18. 15. felix i, littera, dixi: Jam tibi formosam porriget illa manum. — 2.°) Usurpatur *jam* in denotando eodem temporis puncto, in quo duæ res incidunt una: qua ratione et *jam tum* pro *simul* ponitur. *Cic. Cluent.* 38. 107. Qui omnes in judiciis publicis jam tum florente republica floruerunt. *Plin.* 6. *Ep.* 6. Hinc (*h. e.* ob salubritatem regionis villæ) senes multos videas, avos proavosque jam juvenum. *h. e.* videas avos vivere una cum juvenibus. *Tibull.* 1. 4. 33. Vidi ego jam juvenem, premeret quum serior ætas, Mœrentem stultos prætериisse dies. *Forcellinus* hoc loco *jam* pro *antea* usurpatum sit: sed *Handius*, a quo hæc hausimus, ita locum interpretatur: Quem juvenem vidi, vidi etiam, quum juventutis serius tempus instaret, mœrere, quod juvenilis ætatis gaudia absumpta fuissent. — Similiter usurpatur, quando aliquid factum esse dicitur, postquam aliud quid factum esset, ut transitus rerum indicetur certus. *Plaut. Truc.* 3. 2. 14. Heus tu, jam, postquam in urbem crebro commoveo, dicax sum factus. *Quintil.* 4. 3. 2. Quod quidem natum ab ostentatione declamatoria, jam in forum venit, postquam agere causas non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum jactationem repertum est. — Hinc *jam* ponitur, ubi res dicuntur certo evenire, vel eventuræ esse, si quid antea factum sit: quod Grammatici ad celerem subitumve eventum referre solent. *Ter. Eun.* 1. 2. 25. Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis. *Cic.* 4. *Tusc.* 24. 54. Remove perturbationes maximeque iracundiam: jam videbuntur (*Stoici*) monstra dicere. *Id.* 4. *Verr.* 62. 151. Da mihi hoc: jam tibi maximam partem defensionem præcideris. *Id. Brut.* 17. 68. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros, et, ut aptior sit oratio, ipsa verba compone et quasi coagmenta –: jam neminem antepones Catoni. *Id. Harusp. resp.* 25. 55. Tollatur hæc e civitate discordia: jam omnes isti, qui portenduntur, metus extinguentur. *Liv.* 2. 29. Agedum, inquit, dictatorem, a quo provocatio non est, creemus. Jam hic, quo nunc omnia ardent, conticescet furor. — Eadem de causa *jam* usurpatur, quum aliquid nullo interjecto temporis intervallo, sed *illico* sive *statim* fieri vel futurum esse dicitur; quod etiam ad eventus celeritatem Grammatici referunt. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 25. Occlude sis fores ambobus pessulis: jam ego hic ero. *Ter. Eun.* 4. 6. 26. Omitte: jam adero. *Id. Heaut.* 4. 6. 18. Bono animo es: jam argentum ad eam deferes, quod ei es pollicitus. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 16. Jam faciam quod vultis. *Plaut. Asin.* 1. 1. 76. Viginti jam usust filio argenti minis: face id ut paratum jam sit. *Ter. Eun.* 4. 6. 1. Credo equidem illum jam adfuturum, ut illam a me eripiat. *Id. Andr.* 1. 2. 9. Id voluit, nos sic nec opinantes duci falso gaudio, sperantes jam amoto metu, interea oscitantes opprimi. *h. e.* amoto metu etiam sperantes statim. *Cic.* 1. *Fin.* 23. 64. Catuli, qui jam dispecturi sunt, cæci æque et ii, qui modo nati. — De re proxime futura et de tempore instante usurpatur, ut indicet rem fore proximo tempore post aliud. *Ter. Andr.* 4. 4. 38. Nisi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam provolvam. *Id. Adelph.* 4. 1. 10. Nunc ubi me illic non videbit, jam huc recurret. *Cic.* 4. *Tusc.* 31. 67. Quam hæc pulcra patet, ipsa jam dicet. *Id. Flacc.* 23. 66. Hanc te, inquit, capere non licuit. Jam id videro, sed primum illud tenebo. — Item dicitur de re suo tempore certe futura, ideoque confidenter exspectata vel exspectanda; confirmatio enim additur rei. *Horat.* 1. *Od.* 4. 16. Jam te premet nox. *Tibull.* 1. 1. 70. Jam veniet tenebris mors adoperta caput, Jam subrepet iners ætas, nec amare decebit. *Virg.* 6. *Æn.* 676. Hoc superate jugum et facili jam tramite sistam. *Id.* 11. *ibid.* 707. pugnæque accinge pedestri: Jam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem. — Hinc in designanda re certo eventura *jam* exprimit eventum haud dubium, sed certum; quare etiam præsens verbi ponitur. *Tibull.* 2. 5. 39. Impiger Ænea – Jam tibi Laurentes designat Juppiter agros: Jam vocat errantes hospita terra lares. *Propert.* 4. 6. 39. Vince mari; jam terra tua est. — Utrumque tempus est in illo *Plaut. Epid.* 2. 2. 72. Ilis quidem aut jam hic aderit, aut jam adest. — 3.°) Distinctior temporis designatio per adverbium *jam* efficitur duorum temporum oppositione. Porro ex oppositis alia quoque cognoscuntur: scilicet — *a*) Significatur enim per *jam* et id quod exspectatum fuit adeoque sero evenit (quapropter additur interdum *aliquando, tandem*), et id quod non exspectatum, sed præmature vel ex improviso factum est. Cum addito *aliquando* vel *tandem*, ut apud *Cic.* 1. *Att.* 4. Putamus enim utile esse te aliquando jam rem transigere. Huc referri potest et illud *Tac.* 2. *Ann.* 21. Jamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris. *Plaut. Mil. glor.* 4. 2. 39. Jam tandem ades illico. *Liv.* 22. 12. Minus jam tandem aut virtutis, aut fortunæ pœnitere suæ. *Virg.* 6. *Æn.* 61. Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras. — Et sine addito. *Ter. Heaut.* 5. 1. 8. Ohe jam desine deos uxor gratulando obtundere. *Apul.* 2. *Met. p.* 185. Et tu, Fortuna, durior jam sævire desiste. *Ter. Andr.* 1. 2. 19. Dehinc postulo, sive æquumst, te oro, Dave, ut redeat jam in viam. *Lucan.* 2. 214. jam sanguinis alti Vis sibi fecit iter. *Cæs.* 1. *B. G.* 11. Jam per fines Sequanorum copias transduxerant. — Et de re non exspectata, vel de improviso facta. *Cic.* 6. *Fam.* 2. Gravitate valetudinis, qua tamen jam paululum videor levari. *Id.* 3. *Fam.* 8. 16. Quum enim Laodiceæ, quum Apameæ, quum Synnadis essem, omnes jam istius generis legationes erant constitutæ. *Cels.* 3. 18. Neque credendum est, si vinctus aliquis, dum levari vinculis cupit, sanum jam se fingat. — Formula *jamne abis?* utuntur ii, qui aliquem abeuntem retinere cupiunt. *Plaut. Men.* 2. 3. 86. et *Rud.* 2. 7. 26. — *b*) *Quum jam* et *jam quum* sæpe junguntur. *Cic.* 1. *Att.* 4. Nuper quidem quum jam te adventare arbitraremur, repente a te in mensem Quintilem rejecti sumus. *Virg.* 3. *G.* 336. Solis ad occasum, quum frigidus aera vesper Temperat et saltus reficit jam roscida luna. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 401. *Cic.* 5. *Att.* 19. Obsignaram jam epistolam eam, quam puto te modo perlegisse, – quum subito Appii tabellarius – mihi tuas litteras reddidit. *Id. Orat.* 51. 171. Et apud Græcos quidem jam anni prope quadringenti sunt, quum hoc probatur: nos nuper agnovimus. *Cæs.* 6. *B. G.* 6. Jamque ab eo non longius bidui aberant, quum, duas venisse legiones, cognoscunt. — Comici *jam ut* pro simulac, statim ut, tantum quod, usurparunt. *Plaut. Curc.* 5. 2. 46. Postquam illo ventum est, jam ut me collocaverat, exoritur ventus, turbo etc. *Ter. Hecyr.* 3. 3. 18. Jam ut limen exirem, ad genua accidit. — *c*) Adverbio *jam* opponitur *nondum* vel alia negatio, ubi quis narrat, rem ad certum terminum processisse, qui comparetur cum altiore. *Cic. Cluent.* 20. 56. Atque hoc tum judicio facto, et Oppianico re et existimatione jam, lege et pronunciatione nondum condemnato, tamen Avitus Oppianicum reum statim non fecit. *Liv.* 1. 25. Ad quorum casum quum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat. *Cæs.* 3. *B. C.* 25. Multi jam menses transierant, et hiems jam præcipitaverat, neque Brundisio naves legionesque ad Cæsarem veniebant. *Curt.* 9. 6. 23. Nondum feminam æquavimus gloria, et jam nos laudis satietas cepit? — *d*) Additur *jam* aliis Nominibus temporis, ut ipsum tempus opponatur alii tempori, præsertim præsenti; atque ut longinquum tempus et ante transactum ab ipso principio significetur: sic dicitur *jam a prima juventute*, ut sit proprie *ab ipsa juventute prima*; hinc idem valet, quod usque, *sino*: quemadmodum apud *Cic.* 1. *Fam.* 9. *ad fin.* Quæ (*Musæ*) me maxime, sicuti jam a prima adolescentia, delectarunt. *Id.* 4. *ibid.* 7. Benevolentia, quæ mihi jam a pueritia tua cognita est. *Id. Mil.* 8. 22. Dederas enim, quam contemneres populares insanias, jam ab adolescentia documenta. *Id.* 2. *Fam.* 16. Sententiam meam perspicere potuisti jam ab illo tempore, quum in Cumanum mihi obviam venisti. *Id.* 1. *ibid.* 9. Etsi jam primis temporibus illis, multis rebus offendebatur animus. *Liv.* 42. 11. Jam ex quo ipse accepisset regnum, multa admiranda rerum successu tenuisse. *Cic.* 1. *Orat.* 10. 42. Urgerent philosophorum greges, jam ab illo fonte et capite Socrate. — Hac eadem significatione sæpe JAM INDE, raro admodum JAM USQUE occurrit; quæ *V.* loco suo. — *e*) Jungitur *jam* Nominibus numeralibus temporis admodum magni, et quibuscumque nominibus temporis longe transacti. *Cic. Cluent.* 3. 7. Ego me, judices, ad eam causam accedere, quæ jam per annos octo continuos ex contraria parte audiatur –, facile intelligo. *Id. Flacc.* 26. 63. Qui soli toto orbe terrarum septingentos jam annos amplius unis moribus et nunquam mutatis legibus vivunt. *Id.* 2. *Fam.* 10. 6. Ibi quintum et vigesimum jam diem aggeribus, vineis, turribus, oppugnabam oppidum. *Id.* 7. *ibid.* 26. Quum decimum jam diem graviter ex intestinis laborarem –, fugi in Tusculanum. *Id.* 5. *Att.* 8. Me et incommoda valetudo et Pomtini exspectatio tenebat duodecimum jam diem Brundisii. *Id. pro leg. Manil.* 3. 7. Ab illo tempore annum jam tertium et vicesimum regnat. *Id.* 2. *Fin.* 29. 94. Et jam decimum annum in spelunca jacet. — Huc pertinent JAM ANTE, JAM ALIQUOTIES, JAM OLIM, JAM PRIDEM, JAM TANDEM, JAM DENIQUE, JAM TUM, JAM PRIMUM; quæ omnia *V.* infra suis locis. — Huc referri possunt et illa, in quibus *jam* notat tempus longius productum et acceleratum vel anticipatum, sicque designat rem in tempora, præter opinionem, progressam vel absolutam. *Plaut. Curc.* 1. 1. 14. Plus jam anno scio. *Ter. Andr.* 3. 4. 2. Cur uxor non arcessitur? jam advesperascit. *Plaut. Mil. glor.* 1. 1. 36. Hem, scio jam, quid vis dicere. *Cels.* 7. 10. Polypum vero, qui in naribus nascitur, præcipue ferro curari jam alias posui. Similiter *Cic. pro leg. Manil.* 17. 52. Obsolevit jam ista oratio, re multo magis, quam verbis refutata. *Id. Senect.* 19. 68. Quum id, quod ille sperat, hic jam consequutus est. *Cels.* 2. 6. Ad ultima vero jam ventum esse testantur nares acutæ. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 139. ipsam jam cedere sensi. ¶ 2. Particula *jam* non solum ad tempus indicandum, sed etiam ad res designandas usurpatur, quoties per ipsam aut rem arctius comprehendimus et distinctius constituimus, aut rem affirmamus, aut progredimur vel ad certum terminum vel ad altiorem gradum. Quæ omnia sæpe ita coeunt, ut in singulis exemplis non possint discerni. — 1.°) *Jam* jungitur Pronominibus ita, ut fere idem sit quod adeo, *appunto, per l'appunto, precisamente*. Sic *Cic. Cluent.* 21. 57. Jam hoc quoque prope iniquissime comparatum est, quod in morbis corporis, ut quisque est difficillimus, ita medicus nobilissimus atque optimus quæritur, in periculis capitis ut quæque causa difficillima est, ita deterrimus obscurissimusque patronus adhibetur. *Id.* 1. *Acad.* (*post.*) 6. 24. Sed quod ex utroque, id jam corpus et quasi qualitatem quamdam nominabant. *Id.* 2. *Off.* 19. 68. Jam illud non sunt admonendi –, ut animum advertant. *Liv.* 22. 34. Nam plebejos nobiles jam iisdem initiatos esse sacris et contemnere plebem, ex quo contemni desierint a patribus, cœpisse. *Id.* 40. 35. Quæ quum ita sint, ego jam hinc prædico, P. C., me exercitu eo, qui nunc est, rempublicam administraturum. *Alii minus recte leg.* ego tamen hæc prædico. *Tac.* 1. *Hist.* 13. Eoque jam Poppæam Sabinam principale scortum ut apud conscium libidinum deposuerat, do-

nec Octaviam uxorem amoliretur. *Cels.* 8. 1. Quod valens ac durum e faucibus incipit, ab utroque latere iunatum et e præcordiis, jam ipsum quoque cartilagine munitum, terminatur. — 2.°) Jungitur Adjectivis et Adverbiis, iisque distinctionem atque lumen addit, et idem valet, ac quidem, scilicet, nimirum. *Cic. Cluent.* 9. 28. Itaque nubit Oppianico continuo Sassia lætanti jam animo et spe optima confirmato. *h. e.* lætanti quidem animo, vel lætanti nimirum animo. *Id. Orat.* 48. 161. Quod jam subrusticum videtur. *Id.* 1. *Orat.* 13. 58. Dicant Græci, si volunt, Lycurgum aut Solonem – scisse melius quam Hyperidem aut Demosthenem, perfectos jam homines in dicendo et perpolitos. *Cels.* 7. 20. Donec ante oculos tota jam tunica sit. *Liv.* 21. 61. Atque urbe eorum obsessa, Lacetanos auxilium finitimis ferentes nocte, haud procul jam urbe, quum intrare vellent, excepit insidiis. *precisamente non lungi dalla città. Martial.* 2. 14. Nil intentatum Selius, nil linquit inausum, Cœnandum quoties jam videt esse domi. Confer *quum jam*, de quo supra dictum est. — 3.°) Comparativis additum significat idem, quod *etiam* in notando majore gradu. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 24. Hic jam plura non dicam. *Liv.* 21. 60. Inde conciliata clementiæ fama non ad maritimos modo populos, sed in mediterraneis quoque ac montanis ad ferociores jam gentes valuit. *Quintil.* 2. 7. 3. Nam et exercebitur acrius memoria, aliena complectendo, quam sua: et qui erunt in difficiliore hujus laboris genere versati, sine molestia, quæ ipsi composuerint, jam familiarius animo suo affigent. *Virg.* 12. *Æn.* 238. Talibus incensa est juvenum sententia dictis Jam magis atque magis. — 4.°) Conjunguntur *jam prope, prope jam, jam ferme, jam pæne* sive de numero magno, sive de longinquo termino, ut rem adeo productam vel auctam esse indicemus. *Ter. Heaut.* 1. 1. 45. Ejus filiam ille amare cœpit virginem, prope jam ut pro uxore haberet. *Cic.* 1. *Fam.* 5. Nec ad eum deferri, ad quem prope jam delatum existimatur. *Cæs.* 1. *B. C.* 81. Quæ (seges) prope jam matura erat. *Cic.* 3. *Fam.* 6. 9. Et annua provincia, quæ mihi longa videtur, prope jam undecim mensium provinciam factam esse gaudebam. *Liv.* 2. 23. Jam prope erat, ut ne consulum quidem majestas coerceret iras hominum. *Ter. Andr.* 1. 5. 49. Jam ferme moriens me vocat. *Cic.* 1. *Off.* 1. 3. Hos etiam de philosophia libros, qui jam illos fere æquarunt, studiose legas. *Quintil.* 8. 4. 29. Demus ergo breviter hoc desiderio jam pæne publico. *Id.* 9. 3. 1. Pæne jam quidquid loquimur, figura est. — 5.°) Videtur *jam* pro *etiam* poni sive intelligas accessionem, sive ascensum ad majora: certe utrumque vocabulum attingit significationem particulæ *adeo*, ut apud *Cic.* 14. *Fam.* 14. Vestrum jam consilium est, non solum meum, quod sit vobis faciendum. *Quintil.* 11. 3. 177. Unum jam his adjiciendum est. *Tac. Agric.* 10. Sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo jam litore terrarum, velut in cuneum tenuatur. *h. e.* terræ etiam extremo litore procurrentes in cuneum tenuantur. — Gradatio illa in formulis *et jam* (pro *et adeo*), *jamque*, *jam etiam* clarius elucet. *Cic. Brut.* 25. 96. Hoc in oratore Latino primum mihi videtur et lenitas apparuisse illa Græcorum et verborum comprehensio et jam artifex, ut ita dicam, stilus. *Alii minus recte leg.* etiam. *Id. ibid.* 18. 70. Pulcriora etiam Polycleti et jam plane perfecta, ut mihi quidem videri solet. *Id.* 4. *Fam.* 6. 9. Sed quum cogitarem hæc mihi tecum et cum quibusdam esse communia, et quum frangerem jamque ipse me cogerem illa ferre toleranter, habebam quo confugerem. *Id.* 1. *Tusc.* 4. 7. In quam exercitationem ita nos studiose dedimus, ut jam etiam scholas Græcorum more habere auderemus. *Id. Brut.* 76. 263. C. Sicinius – probabilis orator; jam vero etiam probatus. *Liv.* 34. 2. Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt; in manu esse parentum, fratrum, virorum: nos, si diis placet, jam etiam rempublicam capessere eas patimur. *Justin.* 2. 4. 6. Singulare omnium sæculorum exemplum ausæ agere rempublicam sine viris: jam etiam cum contemptu virorum se tuentur. — *Jam et* est idem ac *jam etiam*, aut *adeoque*. *Suelon. Ner.* 47. Verum clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit: unde jam et custodes diffugerant, direptis etiam stragulis. *Tac.* 1. *Hist.* 23. Nec deerat Ptolemæus, jam et sceleris instinctor, ad quod facillime ab ejusmodi voto transitur. Adde *eumd. ibid.* 21. — 6.°) In numero enunciando et in magnitudine significanda indicat *jam* magnitudinem completam vel extremam partem, quousque processerit res, et numerum in serie rerum admodum magnum. *Cic. Rosc. com.* 3. 8. Quam pridem hoc nomen, Fanni, in adversariam retulisti? Erubescit: quid respondeat, nescit: quid fingat extemplo, non habet. Sunt duo menses jam, dices. *Id.* 1. *Orat.* 7. 24. Quum Drusi tribunatus pro senatus auctoritate susceptus infringi jam debilitarique videretur. *Virg.* 3. *G.* 360. Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ, Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes. *Cic.* 1. *Off.* 15. 46. De qua jam multa dicta sunt. *h. e.* quæ dicta sunt, multa sunt, nec dicenda adhuc. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 5. Sed sæpe jam scribendi totum consilium rationemque mutavi. — Præcipue jungitur Nominibus ætatis. *Cic. Senect.* 20. 76. Sunt et ineuntis ætatis: num ea constans jam requirit ætas, quæ media dicitur? *Id. ibid.* 10. 33. Gravitas jam constantis ætatis. *Virg.* 6. *Æn.* 302. Ipse ratem conto subigit – Jam senior. *Cic. Cæl.* 18. 43. Quorum eximiæ virtutes, firmata jam ætate, exstiterunt. *Liv.* 3. 58. Is magno natu quum ad periculum ejus rediisset etc. *Id.* 5. 34. Ille magno natu ipse jam. *Sueton. Aug.* 89. Jam grandis natu. — 7.°) *Donec jam* non modo de extremo aliquo termino usurpatur, sed etiam designat rem certe ad aliquem finem productam. *Cels.* 8. 4. *extr.* Illa utique capite fracto servanda sunt, ut donec jam valida cicatrix erit, vitentur sol, ventus. *Id.* 8. 2. Radere, donec jam aliquid cruoris ostendatur. *Id.* 8. 9. Ergo quotidie quoque resolvetur, donec jam cerato aut malagmate possimus esse contenti. — 8.°) Inest in hac particula aliqua affirmandi vis, quæ proficiscitur ex demonstratione apertæ vel conspicuæ rei: dicimus enim *jam*, ubi rem ipsam distincte eloquimur. *Cic.* 5. *Fin.* 5. 14. Præterea multos, in his doctum hominem et suavem, Hieronymum: quem jam cur Peripateticum appellem, nescio. *Plaut. Capt.* 2. 2. 107. Hoc quidem haud molestum est jam, quod collus collari caret. *Cic. Amic.* 21. 77. Loquor enim jam, ut paullo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiis. *Id. Mil.* 28. 76. Quæ vero aderant jam et impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre? *Id.* 2. *Fin.* 22. 74. Quid enim mereret velis jam, quum magistratum inieris? — Interdum *et jam* componuntur, quasi dicatur *et ergo*: immo ipsum *ergo* additur, ut apud *Cic. Cluent.* 41. 113. Esto: putuit esse innocens Falcula. Jam ergo aliquis Oppianicum gratis condemnavit: jam non eos Junius subsortitus est, qui pecunia accepta condemnarent. *Tac. Germ.* 45. Illuc usque et fama vera: tantum natura. Ergo jam dextro Suevici maris litore Æstyorum gentes alluuntur. *Handius* ad h. l.: Opponit Tacitus veram rerum naturam iis, quæ fama percipiuntur, et illuc usque, inquit, ad extremum terrarum orbem pertinet fama vera: tantum vero, quod ego teneo, natura ipsa docet. Ergo jam, id est aperte in dextro maris litore Æstyi (vel Æstyones) conspiciuntur. *Forcellinus* in hoc Taciti loco *jam* abundare affirmavit, quemadmodum et in illo *Ter. Heaut.* 4. 3. 1. quod *V.* in paragr. proxime sequenti. — 9.°) *Jam* quum locum habeat in sententiis, quæ verum rei successum atque effectum significant, cum *ut* jungitur. *Cic.* 1. *Legg.* 7. 23. Pareat autem huic cælesti descriptioni mentique divinæ et præpotenti Deo: ut jam universus hic mundus una civitas sit communis deorum atque hominum existimanda. *Id. Orat.* 17. 56. Diserti deformitate agendi multi infantes putati sunt, ut jam non sine causa Demosthenes tribuerit et primas et secundas et tertias actioni. ¶ 3. *Jam* negationi junctum — 1.°) Ad tempus pertinet. — *a*) Si negatio præfigitur ipsi *jam*, ut fiat *non jam*, indicat rem in tempore, quod posthac sequitur, non locum habere, nec recurrere, aut significat exspectationem nimis longinquam. In verbis *jam nullus*, *nullus jam* ordo verborum ambiguus est; sed adjecto *amplius*, præcedit *jam*, ut fiat *jam nihil amplius*. Sic *Propert.* 1. 5. 11. Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos. *Cic. Quinct.* 1. 5. Profecto nihil est jam sanctum atque sincerum in civitate. *Ter. Heaut.* 4. 3. 1. Nulla mihi res posthac potest jam intervenire tanta, quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hæc lætitia oborta est. *V.* paragr. proxime præced. sub 9. in fin. *Val. Flacc.* 8. 426. Ac prior ipsa dolos et quamlibet intima sensit Non fidi jam signa viri nimiumque silentes Uos omnes. *Nepos Eumen.* 12. Quum plerique omnes primo perturbati admirarentur, non jam de eo sumptum esse supplicium. *Forcellinus* interpretatus est *nondum*, cui non *jam* certe respondet, significat enim exspectationem nimis longinquam, ut diximus. *Quintil.* 6. 1. 10. In epilogo vero est, qualem animum judex in consilium ferat, et jam nihil amplius dicturi sumus, nec restat, quo reservemus. — *b*) *Jam* non significat, rem non esse ut erat ante, h. e. haud amplius, amplius non, *non più*; vel in præcipiti re est id quod Italice dicimus *ormai no*, Germ. vero *schon nicht*. Sic *Liv.* 10. 43. Postquam jam non ex intervallo, nec missilibus, sed comminus gerebatur res. *Ovid.* 4. *Met.* 382. manus tendens, sed jam non voce virili Hermaphroditus ait. *Lactant.* 6. 20. Adhærentibus vitiis ad cubicula revertuntur, ne pueri modo, quos præmaturis vitiis imbui non oportet, sed etiam senes, quos peccare jam non decet. *Id.* 3. 17. Est tempus, quo et nos jam non sumus. *Cels.* 7. 7. Exspectandum igitur est, donec jam non fluere, sed duritie quadam concrevisse videatur. — *c*) *Nec jam* pro *et jam* non ponitur; et ordo verborum semper unus idemque est. *Varro* 2. *R. R.* 4. 16. Quum porci depulsi sunt e mamma, a quibusdam delici appellantur, neque jam lactentes dicuntur. *Virg.* 3. *G.* 252. ec neque eos jam frena virum – retardant. *Ovid.* 4. *Fast.* 131. Vere monet curvas materna per æquora puppes Ire, nec hibernas jam timuisse minas. *Id.* 2. *Art. am.* 93. At pater infelix, nec jam pater, Icare, clamat. *Lucan.* 2. 217. nec jam alveus amnem, Nec retinent ripæ. — *d*) *Nemo jam* est idem ac *nemo amplius*, Ital. *nessuno più*; sed *jam nemo* reddere possumus *precisamente nessuno*. *Cic.* 2. *Legg.* 23. 59. Discebamus pueri duodecim, ut carmen necessarium; quas jam nemo discit. *Id.* 1. *Cat.* 2. 5. Tum denique interficiam, quum jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non jure factum esse fateatur. *Quintil.* 6. *proœm.* 5. Ego vel hoc uno malo sic eram afflictus, ut me jam nulla fortuna posset efficere felicem. *Virg.* 5. *Æn.* 633. Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? — 2.°) *Jam* etiam judicio deflniendo inservit; et quidem *a*) *Non jam* et *jam non* usurpatur, et indicat id, quod quis dicere aut arbitrari possit, non venire in considerationem, aut non totum valere. Eidem opponitur sæpe *sed*, *tamen*: et fere idem est quod *non modo – sed*, quasi sit sententia *non dicam hoc – sed illud*. Sic *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 1. 3. Venisse tempus ajebant, non jam ut commoda sua, sed ut vitam salutemque totius provinciæ defenderem. *Id.* 2. *Verr.* 16. 49. Hic si quid erit offensum, omnes homines non jam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest, sed alium omnino ordinem ad res judicandas quærendum arbitrabuntur. *Tac.* 11. *Ann.* 28. Non jam secretis colloquiis, sed aperte fremere. *Sueton. Tib.* 13. Quo præcipue, non jam metu, sed discrimine coactus est etc. *Cic.* 6. *Verr.* 27. 60. Venio nunc non jam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed ejusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse videantur. *Seneca* 1. *Clem.* 9. Et quum defixum videret, nec ex conventione jam, sed ex conscientia tacentem etc. *Cic.* 7. *Verr.* 6. 13. O præclarum imperatorem, nec jam cum M'. Aquilio fortissimo viro, sed vero cum Paulis, Scipionibus, Mariis conferendum! *Id. Divin. in Q. Cæcil.* 3. 7. Sucii stipendiariique populi R. afflicti, miseri, jam non salutis spem, sed solatium exitii quærunt. *Id.* 4. *Acad.* (2. pr.) 47. 144. Deinde ad illa veniam, quæ jam non ad multitudinem, sed ad vosmetipsos, qui adestis, pertinent. *Quintil.* 6. *proœm.* 16. Quod in nullum jam proprium usum perseveramus, sed omnis hæc cura ad alienas utilitates spectat. *Cic.* 5. *Fam.* 2. 26. Addam et illud etiam, quod jam ego curare non debui, sed tamen fieri non moleste tuli, atque etiam, ut ita fieret, pro mea parte adjuvi, ut etc. — Partic. sed subintelligitur in illo *Virg.* 4. *Æn.* 431. Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro: Nec pulcro

ut Latio careat regnumque relinquat. Tempus inane peto, requiem spatiumque furori. Cf. *Minuc. Fel. Octav.* 21. Hæc jam non sunt sacra: tormenta sunt. — *b*) Eadem ratione additur *jam* in formulis *non solum – sed, non modo – sed.* Sic *Liv.* 7. 18. Relinquendumque non campum jam solum, sed etiam urbem captam atque oppressam regno patriciorum. *Nepos Miltiad.* 1. Quum ea esset ætate, ut jam non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui etc. *Liv.* 21. 7. Deinde jam non pro mœnibus modo atque turri tela micare, sed ad erumpendum etiam in stationes operaque hominum animus erat. *Quintil.* 1. 1. 19. Quæ non modo jam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est. — *c*) *Jam non* et *non jam*, quum significent rem non fieri aut non esse, affirmationis formam conficiunt, et in colloquiis præcipue usurpantur. *Cic.* 2. *Legg.* 6. 13. Præclare intelligo: nec vero jam aliam esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appellandam quidem. *Phædr.* 1. 8. Qui pretium meriti ab improbis desiderat, Bis peccat; primum quoniam indignos adjuvat, Impune abire deinde quia jam non potest. *Forcellinus* interpretatus est: amplius non. *Lucret.* 3. 776. At non sunt jam immortali ulla pericla. *Ter. Heaut.* 4. 6. 16. SYR. Jam non sum iratus. h. e. vide, non sum iratus; simulaverat antea iram Syrus. — Et præmissa sententia conditionali *Lactant.* 3. 7. Si eligere possumus, quod est melius: jam non est philosophia nobis necessaria, quia sapientes jam sumus, qui de sapientum sententiis judicemus. *Id.* 5. 19. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur. ¶ 4. Sæpissime conjungendi orationem vim habet, et transitionibus inservit. — *a*) In narrationibus particula *jam* consequentiam significat, h. e. indicat id, quod dicitur, in ordine rerum consequi. *Liv.* 10. 43. Conspecta et ex muris Aquiloniæ ea multitudo erat: jamque etiam legionariæ cohortes sequebantur. *et ibid.* Prima luce – corona cinxit urbem: subsidiaque firma, ne qua eruptio fieret, portis opposuit. Jam signum dantem eum nuncius a collega trepidus – moratus est. *Virg.* 2. *Æn.* 615. Jam summas arces Tritonia, respice, Pallas Insedit nimbo effulgens. *Servius* explicat *præterea*, sed male; nam *jam* antecedenti *hic* respondet. — Poetæ utuntur ad lumen, quo legentium oculi quasi in res præsentes vertantur. *Virg.* 11. *Æn.* 182. Aurora interea miseris mortalibus almam Extulerat lucem, referens opera atque labores. Jam pater Æneas, jam curvo in litore Tarchon Constituere pyras. *Id.* 1. *ibid.* 422. Corripuere viam interea, qua semita monstrat. Jamque ascendebant collem. — *b*) Item usurpatur in rebus singulis enarrandis, ubi ab aliis ad aliam gradus fit, sive alia aliis additur. *Cic.* 2. *Nat. D.* 56. 141. *sensus percenses.* Et aures –: itemque nares – jam gustatus –: tactus autem. *Plin.* 1. *Ep.* 6. Mirum est, ut animus agitatione motuque corporis excitetur. Jam undique silvæ et solitudo ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. *Tac.* 15. *Ann.* 41. Domuum et insularum et templorum, quæ amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissima religione – exusta. Jam opes tot victoriis quæsitæ et Græcarum artium decora: exin monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta. — Hinc *jam – jam* pro *modo – modo* ponitur. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 20. Qui jam contento, jam laxo fune laborat. *Virg.* 4. *Æn.* 246. acri Gaudet equo, jamque hos cursu, jam præterit illos. *Flor.* 2. 17. 8. Itaque per partes jam huc, jam illuc missi duces, qui ferocissimas gentes servire docuerunt. — Interdum idem fere est quod *et – et*, præcipue apud Poetas. *Ovid.* 1. *Met.* 111. Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant. *Tibull.* 1. 2. 49. Jam tenet infernas magico stridore catervas, Jam jubet aspersas lacte referre pedem. — *c*) Per *jam* procedit oratio ad aliam rem ejusdem rationis, quæ cum reliquis conjungatur novumque adjiciat argumentum, ut sit pro *item*, vel *ad hæc, adde, porro.* *Cic. pro leg. Manil.* 14. 41. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompejum, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de cœlo delapsum intuentur; – nunc intelligunt, non sine causa majores suos – servire populo R., quam imperare aliis maluisse. Jam vero ita facilis aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis esse dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. Jam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat, hoc ipso in loco sæpe cognostis. *Id.* 2. *Phil.* 8. 19. Jam illud cujus est, non dico audaciæ, sed stultitiæ? In illo *Cic.*, quod a *Forcellino* affertur, 3. *Nat. D.* 34. 83. et 84. Dionysius aureum Jovi detraxit amiculum grandi pondere etc. Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri. *Orellius* legit *Idemque*, et quidem recte. Adde *Liv.* 40. 12. et 3. 31.; *Quintil.* 10. 1. 110.; *Justin.* 41. 5. 3.; et *Tac.* 15. *Ann.* 43. — Interdum et *porro* additur. *Cic.* 5. *Verr.* 50. 118. Jam id porro utrum libentes, an inviti dabant? *Id. Rosc. Am.* 40. 116. Videte jam porro cetera, judices, ut intelligatis etc. — *d*) Etiam in argumentatione *jam* habet proprium locum; et modo pro *atqui, at vero,* modo pro *igitur, itaque, quum hoc sit* usurpatur. *Cic.* 2. *Fin.* 26. 84. Satis est tibi in te, satis in legibus, satis in mediocribus amicitiis præsidii: jam contemni non poteris. *Id.* expositis legibus, quæ ornamenta mortuorum vetant, 2. *Legg.* 24. 60. Illa jam significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere. h. e. atqui ex his legibus hæc sententia colligitur. *Id. Cluent.* 16. 46. His Fabriciis semper usus est Oppianicus familiarissime. Jam hoc fere scitis omnes, quantam vim habeat ad conjungendas amicitias studiorum ac naturæ similitudo. *Id.* 1. *Off.* 10. 32. Nec promissa igitur servanda sunt ea, quæ sunt iis, quibus promiseris, inutilia. – Jam illis promissis standum non esse, quis non videt, quæ coactus quis metu, quæ deceptus dolo promiserit? *Id.* 2. *Orat.* 51. 176. Jam illud videmus, nequaquam satis esse, reperire quid dicas, nisi id inventum tractare possis. — *e*) Demum ponitur *jam*, ubi oratio pergit ad aliam partem expositionis novamque rem declarandam. *Cic.* 1. *Off.* 42. 150. Jam de artificiis et quæstibus, qui liberales habendi, qui sordidi sint, hæc fere accepimus. *Virg.* 2. *G.* 57. Jam quæ seminibus jactis se sustulit arbos, Tarda venit etc. h. e. quum dixisset arbores sponte sua germinantes cultu posse emendari, pergit ad arbores satas, easque docet transplantatione colendas. *Servius* explicat *præterea*; quo sensu *jam* etiam a *Forcellino* accipitur. ¶ 5. Particula *jam* singularem vim ex motu animi, h. e. ex iræ velocitate et indignationis vehementia adquirit: quod præcipue fit in interrogatione de re odiosa, vel certe non exspectanda. *Tibull.* 2. 5. 48. Jam tibi prædico, barbare Turne, necem. *Plaut. Aulul.* a. 5. v. 11. Jamne autem, ut soles, deludis? *Id. Epid.* 1. 1. 23. TH. Jus dicis. EP. Me decet. TH. Jam tu autem nobis præturam geris? *Id. Bacch.* 2. 2. 25. Jamne, ut soles? *Ter. Eun.* 3. 2. 39. Jamne imus? *Id. Adelph.* 4. 5. 65. MI. Abi, ut uxorem arcessas. AESCH. Quid? Jam uxorem? MI. Jam. AESCH. Jam? MI. Jam quantum potest. *adesso adesso?* — *NB*) *Jam* interdum geminatur: sæpe etiam variis particulis jungitur: quæ deinceps omnia ordine subtexam.

Homonym. *Jam* et *nunc* in eo differunt, quod *jam* indicat progressum vel transitum ex alia actione in aliam factum, et in consequentiam; ideoque non modo cum præsenti, sed cum omnibus temporibus verbi componitur. Hinc vero fit, ut *jam* sit ex hoc tempore, vel etiam tandem, vel tertius indicet exspectationem. Præterea *nunc* et *jam* inter se opponuntur hac quidem ratione, ut *nunc* præsentiam significet, *jam* autem punctum temporis aliquo modo certum designet. Sic opponuntur apud *Cic. Orat.* 63. 212. Quo pacto deceat incise membratimque dici, j a m videbimus: n u n c, quot modis mutentur comprehensiones conclusionesque, dicendum est. Sed *Plin.* 2. *Ep.* 11. *circa med.* Stabat modo consularis, modo septemvir epulonum, jam neutrum. h. e. nunc; Italice *poco fa consolare* etc. *ora all' improvviso nè l' uno, nè l' altro.*

JAM ĂLĬQUŎTĬES, *già altre volte per lo innanzi*; designatio enim fit per oppositionem præsentis temporis. *Cic.* 3. *Att.* 22. Me adhuc Plancius liberalitate sua retinet, jam aliquoties conatum ire in Epirum. Cf. *eund.* 2. *Verr.* 16. 49. Vos aliquot jam per annos conceptam huic ordini turpitudinem atque infamiam delere ac tollere potestis.

JAM ANTĔ, JAM ANTĔĀ, *già per l' avanti*: in his quoque designatio fit per oppositionem brevioris vel præsentis temporis. *Cic.* 15. *Fam.* 16. Quæ ille Gargettius et jam ante Democritus εἴδωλα, hic spectra nominat. *Id. Brut.* 17. 66. Amatores huic desunt, sicuti multis jam ante sæculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. *Id.* 7. *Att.* 4. Quod mihi jam ante erat notum. Adde *Liv.* 27. 47. Rursus *Cic.* 3. *Fam.* 10. Cujus sermo stultus et puerilis erat jam antea ad me a M. Cœlio – perscriptus. *Id.* 2. *Off.* 8. 27. Sensim hanc consuetudinem jam antea minuebamus. *Sall. Cat.* 20. Sed ego quæ mente agitavi, omnes jam antea diversi audistis.

JAM DĔNĬQUĔ, *ormai finalmente. Virg.* 2. *Æn.* 70. quid jam misero mihi denique restat. *V.* Jam tandem in voc. JAM.

JAMDĬU. *V.* DIU.

JAMDŪDUM. *V.* DUDUM.

JAM JAM, a simplici *jam*, nonnisi gravitate differt et distinctiore significatione. Itaque ¶ 1. Ubi præsens tempus designat, idem fere est quod *nunc*, statim, sine mora, *or ora, giusto adesso, già già,* παραυτίκα; ubi de re futura dicitur, proxime futuram sive imminentem significat; ubi tempus ante actum denotat, intelligitur longinquum tempus. *Ter. Adelph.* 5. 6. 37. MI. Pergis ne? DE. Jam jam desino. *Cic.* 3. *Orat.* 24. 90. Jam jam intelligo, Crasse, quid dicas. *Id.* 2. *Phil.* 34. 87. Jam jam minime miror, te otium perturbare. *Catull.* 63. 73. Jam jam dolet, quod egi, jam jamque pœnitet. *Virg.* 2. *Æn.* 701. Jam jam nulla mora est: sequor, et qua ducitis, adsum. *Id.* 12. *ibid.* 875. Jam jam linquo acies. *Id. ibid.* 753. at vividus Umber Hæret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti Increpuit malis. *Plaut. Curc.* 5. 3. 29. Jam jam faciam, ut jusseris. *Horat. Epod.* 2. *sub fin.* fenerator Alphius Jam jam futurus rusticus. *Virg.* 6. *Æn.* 602. Quos super atra silex jam jam lapsura cadentique Imminet assimilis. *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 19. quanti montes volvuntur aquarum! Jam jam tacturos sidera summa putes. *Plaut. Most.* 2. 1. 72. Jam jam optimo præceptis paruisti. *Cic. Brut.* 14. 55. Possumus Appium Claudium suspicari disertum, quia senatum jam jam inclinatum a Pyrrhi pace revocaverit. ¶ 2. Interdum *jamjam* sententiam confirmat, ubi is, qui loquitur, vel affirmans veritatem, vel indignationem aut miserationem declarans, vel alium exhortaturus ad rem provocat ante oculos ponendam. — *a*) Sic rem affirmat apud *Cic.* 2. *Verr.* 30. 77. Jam jam, Dolabella, neque me tui, neque tuorum liberum – misereri potest. *Liv.* 26. 33. Affinitatibus plerosque et propinquis jam jam cognationibus ex connubio vetusto junctos. — *b*) Ex *Forcellini* sententia, figurate indignationem apud *Virg.* 4. *Æn.* 371. jam jam nec maxima Juno, Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis. — *c*) Et miserationem. *Sall. Jug.* 17. Jam jam, frater animo meo carissume, – lætandum magis, quam dolendum puto casum tuum. — *d*) Et exhortationem. *Quintil.* 3. *Declam.* 17. Jam jam, commilito, quicumque casus maneat, etiam si te imperator damnaturus est, habes solatium: Satius est, quam a patre occidi. ¶ 3. *Jam jamque* de eo dicitur, quod proxime eventurum est, vel exspectatur, vel hoc ipso tempore statim adest: hinc est celeriter, quamprimum, *presto, quanto prima. Cic.* 1. *Tusc.* 7. 14. Quæ enim potest in vita esse jucunditas, quum dies et noctes cogitandum sit, jam jamque esse moriendum. *Id.* 12. *Att.* 5. Quum Romæ essem et te jam jamque visurum me putarem. *Id.* 14. *ibid.* 22. Quamquam ipse jam jamque adero. *Id.* 16. *ibid.* 9. Jam jamque video bellum. *Tac.* 1. *Ann.* 47. Ceterum ut jam jamque iturus, legit comites. *Cic.* 7. *Att.* 20. At illum ruere nunciant et jam jamque adesse. *Id.* 12. *Fam.* 10. 8. Persuade tibi – vos exspectari: Brutum quidem jam jamque. *Id.* 7. *Att.* 21. Mihi dubium non erat, quin ille jam jamque foret in Apulia. *Cæs.* 1. *B. C.* 14. Cæsar enim adventare jam jamque et adesse ejus equites falso nunciabantur.

JAM INDĔ, longinquum tempus et ante transactum ab ipso principio significat, et est usque ab, inde usque, jam ab hoc vel illo tempore, *sino da.* — *a*) Majorem quamdam habet vim, quam *jam ab*, ut apud *Ter. Adelph.* 1. 1. 16. Jam inde ab adolescentia ego hanc clementem vitam urbanam atque otium secutus sum. *Id. ibid.* 3. 4. 76. Homo amicus nobis jam inde a puero. *Cic.* 2. *Nat. D.* 48. 124. Jam inde ab ortu naturæ. *Id. Prov. cons.* 13.

33. Jam inde a principio hujus imperii. *Id. Balb.* 13. 31. Jam inde a principio Romani nominis. *Id.* 14. *Phil.* 6. 16. Jam inde a consulatu meo. *Id. Orat.* 36. 127. Exercitatio jam inde ab Aristotele constituta. *Liv.* 9. 29. Appius jam inde antiquitus insitam pertinaciam familiæ gerendo solus censuram obtinuit. *Id.* 27. 47. *a med.* In destinatis jam inde ante animo latebris subsedit. *Alii rectius omittunt* inde. *Sueton. Tib.* 11. Salubritate insulæ Rhodi jam inde captus, quum ad eam ab Armenia rediens appulisset. *sin da quando aveva approdato* etc. — *b*) Absolute. *Cic. Vatin.* 5. 13. Ac tibi jam inde præscribo, ne tuas sordes cum clarissimorum virorum splendore permisceas. *sin da ora. Liv.* 27. 51. Ut jam inde, haud secus quam in pace, etc. *sin d'allora.* Sic *Id.* 3. 36. Ille finis Appio alienæ personæ ferendæ fuit. Suo jam inde vivere ingenio cœpit. *et* 9. 16. Convenit, jam inde per consules reliqua belli perfecta. — *c*) Additur et *usque. Ter. Heaut.* 1. 2. 9. Nam mihi magna cum eo, jam inde usque a pueritia, fuit semper familiaritas. *V.* infra et JAM USQUE.

JAM NUNC, ἤδη νῦν, νῦν δή — *a*) Est jam ex hoc ipso tempore, ex hoc ipso temporis puncto, *precisamente adesso, precisamente da questo punto, fin d'ora. Cic.* 1. *Att.* 8. Hermæ tui pentelici cum capitibus æneis, de quibus ad me scripsisti, jam nunc me admodum delectant. *h. e.* antequam eos vidi. *Liv.* 22. 38. Mirari se, quomodo quis dux, priusquam aut suum aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosset, jam nunc locatus in urbe sciret, quæ sibi agenda armato forent. Opponitur *mox* apud *Horat.* 2. *Ep.* 1. 127. Os tenerum pueri balbumque poeta figurat, Torquet ab obscœnis jam nunc sermonibus aurem, Mox etiam pectus præceptis format amicis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 59. Venturæ memores jam nunc estote senectæ. *Liv.* 40. 15. *extr.* Quid eum, quum regnum tradideris, facturum credis in me esse, qui jam nunc sanguine meo sibi indulgeri æquum censet? Adde *Phædr.* 4. 20.; et *Virg.* 1. *G.* 42. — *b*) Sæpe *jam nunc* pro *jam* usurpatur cum graviori consequutionis vi, ut intelligamus *in his rebus, quum ita sit, quum hæc præcesserint.* Sed etiam pro *nunc* accipi potest: namque in vitæ communis sermone duplicabant notionem ad vim orationis augendam. *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 13. 42. Jam nunc mente et cogitatione prospicio, quæ tum studia hominum, qui consensus futuri sint. *et mox.* Quæ quum cogito, jam nunc timeo, quidnam etc. *Liv.* 2. 54. Quod si consulatus tanta dulcedo sit, jam nunc ita in animum inducant consulatum captum esse. *Id.* 3. 40. Et jam nunc ita se parare Appium Claudium, ut etc. *Plaut. Amph.* 3. 2. 65. Jam nunc irata non es? *Ter. Heaut.* 2. 3. 165. Jam nunc hæc non est tua. — *c*) *Nunc jam* dicitur ita, ut oppositio inter præsens et præteritum vel futurum tempus distinctior fiat, et τῷ *nunc* vis gravior accedat. *Plaut. Capt.* 2. 1. 23. Secede huc nunc jam, si videtur, procul. *Ter. Adelph.* 2. 1. 21. I nunc jam. *Cassius* apud *Cic.* 12. *Fam.* 12. Nunc jam eum expeditus. *Cic.* 5. *Verr.* 2. 5. Patior, non moleste fero, judices, eam vitam, quæ mihi sua sponte antea jucunda fuerit, nunc jam mea lege et conditione necessariam quoque futuram. *Liv.* 7. 32. Nunc jam nobis patribus vobisque plebejis promiscuus consulatus patet. *Id.* 5. 2. Nunc jam octojuges ad imperia obtinenda ire. Adde *eumd.* 10. 19. et 5. 17.

JAM ŎLIM, *già gran tempo fa,* jam a longo tempore. *Ter. Eun.* 3. 5. 39. *de Jove.* Quia consimilem luserat jam olim ille lusum. *Virg.* 2. *G.* 403. Ac jam olim seras posuit quum vinea frondes, Frigidus et silvis aquilo decussit honorem, Jam tum acer curas venientem extendit in annum Rusticus. *e sin da quando, sin da quel tempo molto più lontano in cui* etc.

JAM PORRO. *V.* JAM VERO.

JAMPRĪDEM *vel* jam pridem, *già da gran tempo,* πάλαι, fere de longiore tempore dicitur, quam *pridem,* atque etiam quam *jamdudum*; dicitur*que* de re incepta ac nondum desita. *Ter. Hecyr.* 2. 1. 22. Jampridem equidem audivi, cepisse odium tui Philumenam. *Cic.* 2. *Att.* 5. Jam pridem cupio Alexandriam visere. *è gran tempo che desidero* etc. *Id. Prov. cons.* 14. 35. Quum ille jam pridem gloriæ suæ, reipublicæ nondum satisfecerit. *Id.* 3. *Fam.* 11. *circa med.* Brutus princeps jam pridem juventutis; celeriter, ut spero, civitatis. *Id.* 12. *Att.* 23. Occidimus, occidimus, Attice, jam pridem nos quidem; sed nunc fatemur, postquam unum, quo tenebamur, amisimus. *Virg.* 1. *Æn.* 722. Jam pridem resides animos desuetaque corda etc. Adde *eumd.* alibi pluries. *V.* et PRIDEM.

JAM PRĪMUM, (vel mutato ordine, ut *Ter. Heaut.* 3. 1. 43. et *Andr.* 1. 3. 6. dixit, *primum jam*) — *a*) Exactum tempus designat, et significat ab ipso statim principio; et usurpatur maxime in enarrandis rebus, ut narratio a re omnium prima incipiat; addito *enim jam* verborum vis augetur. *Ter. Andr.* 3. 2. 32. Jam primum hæc se e Pamphilo gravidam dixit esse: inventum est falsum: nunc, postquam videt nuptias domi apparari etc. *Id. Heaut.* 4. 1. 21. Tot peccata in hac re ostendis. Nam jam primum, si meum imperium exsequi voluisses, interemptam oportuit. et *ibid.* 3. 1. 42. Primum jam ancillas secum adduxit plus decem. *Sall. Cat.* 7. Jam primum juventus simul laboris ac belli patiens erat. *h. e.*, quemadmodum *Kritz.* explicat, ut causam ab ipsis rei initiis referam. Similiter *Id. ibid.* 15. Jam primum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat. et *Liv.* 9. 17. Jam primum, ut ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo egregium fuisse Alexandrum; sed clariorem tamen eum facit, quod unus fuit. *Nonnulli verba* jam primum *male conjunxerunt cum v.* haud abnuo. *Id.* 40. 3. Jam primum omnem fere multitudinem civium ex maritimis civitatibus — traduxit. *h. e.* in ipsis rebellionis initiis. — *Jam primum omnium* majori quadam vi pollet, quum agitur de narratione incipienda. *Liv.* 1. 1. Jam primum omnium satis constat, Troja capta, in ceteros sævitum esse Trojanos. *a partire dal principio, innanzi tutto* etc. Sic *Id.* 44. 18. Jam omnium primum a senatu petiit etc. *h. e.* quum dicerim me recogniturum res olim actas, statim ab initio ante omnia etc. Cf. *eumd.* 5. 51. et 21. 62. — Eadem ratione *jam jam primum* dicit *Liv.* 42. 11. Itaque Perses hæreditarium a patre relictum bellum et simul cum imperio traditum jam jam primum alere ac fovere omnibus consiliis. *h. e.* ab ipso imperii principio aluit ac fovit. — Adverbium in adjectivum transiit apud *Virg.* 3. *G.* 187. Atque hæc jam primo depulsæ ab ubere matris Audeat. — *b*) *Jam primum* Poetæ interdum ponunt pro primum, *innanzi tutto, per primo, primieramente. Virg.* 8. *Æn.* 190. Jam primum saxis suspensam hanc adspice molem. Cf. *Ter. Adelph.* 3. 2. 40. Jam primum illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat. — *c*) Pro jam dudum dicit *Ter. Andr.* 1. 3. 6. Primum jam de amore hoc comperit.

JAM TANDEM, *pur una volta, finalmente,* tandem aliquando. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 27. 103. Polliceor, me esse perfecturum, ut jam tandem illi, qui honori inviderunt meo, tamen vos universos in consule deligendo plurimum vidisse fateantur. *V.* alia in v. JAM sub 1. 3.° *a.*

JAM TUM et

JAM TUNC, opponitur posteriori vel recentiori tempori, et est jam ex eo tempore, jam inde, *sin d'allora*; quare ex adverso ponitur *post, postmodo*; et additur temporis definitio verbis *quum, dum*; nec raro subintelligitur tempus præteritum, ex quo aliquid fieri soleat. Ceterum *jam tum* scripserunt antiquiores; *jam tunc* recentiores: quamquam in his rebus non magna est editionum auctoritas. — Itaque *jam tum* — *a*) Cum opposito postmodo legitur apud *Liv.* 29. 1. Si qui ita animati essent, malle eos sibi jam tum fateri, quam postmodo querentes, segnes atque inutiles milites reipublicæ esse. *Forcellinus* legebat *postmodum.* — *b*) Cum addita temporis definitione per partic. *quum, dum,* ut apud *Cic.* 13. *Fam.* 17. Ejus libertum Apollonium jam tum equidem, quum ille viveret, et magni faciebam et probabam. *Id.* 1. *Att.* 9. Quæ jam tum, quum aderas, offendere ejus animum intelligebam. *Id.* 7. *Fam.* 12. Jam tum mihi non placebas, quum idem intuebare, quod et Sejus familiaris tuus. *Liv.* 10. 21. Jam tum, quum ipse ibi cum collega rem pariter gesserit, fuisse tantum bellum, ut etc. *Id.* 45. 6. Oroandes jam tum, dum pecunia deferretur, primis tenebris solverunt navem. *Alii male leg.* tunc. — *c*) Sine respondentibus partic. *Cic. Arch.* 12. 30. Ego vero omnia, quæ gerebam, jam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terræ memoriam sempiternam. *Nepos Thrasyb.* 2. Jam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant. *Sall. Cat.* 18. Jam tum non consulibus modo, sed plerique senatoribus perniciem machinabantur. — *d*) *Jam tunc* occurrit apud *Nepot. Timoth.* 3. Philippus jam tunc valens, multa moliebatur. *Al. leg.* tum. *Sueton. Ner.* 7. Undecimo ætatis anno a Claudio adoptatus est, Annæoque Senecæ, jam tunc senatori, in disciplinam traditus. *Justin.* 13. 5. Palam jam tunc multæ civitates, libertatem bello vindicandam, fremebant. *Tac.* 4. *Hist.* 50. Namque aderat qui nosceret, Bæbius Massa e procuratoribus Africæ, jam tunc optimo cuique exitiosus. *Stat.* 2. *Theb.* 467. hæc audax etiamnum in limine retro Vociferans, jam tunc impulsa per agmina præceps Evolat. *Jam tunc* apud *Cic.* legitur tantum 3. *Fam.* 12. 9.; at de integritate scripturæ valde dubitandum. — *e*) Singulare est illud *Virg.* 1. *G.* 43. Vere novo, gelidus canis quum montibus humor Liquitur —, Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere. *h. e.* jam primum vere novo.

JAM USQUE, *sino da,* usque, jam inde, μέχρι. *Cic.* 1. *Divinat.* 1. 1. Vetus opinio est, jam usque ab heroicis ducta temporibus, eaque et populi Romani et omnium gentium firmata consensu etc. — *Jam inde usque* legitur apud *Ter. V.* JAM INDE sub *c.*

JAM VĒRO, *ora poi, già poi,* — *a*) Transitionibus inservit et lectorem attentum reddit ad novum argumentum vel ad aliam rem veram. *Cic.* 5. *Tusc.* 38. 110. Jam vero motus animi, sollicitudines ægritudinesque oblivione leniuntur. *Id.* 1. *Orat.* 3. 8. Jam vero consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rem publicam possent, multi — exstiterunt. *Id.* 3. *Cat.* 9. 22. Jam vero illa Allobrogum sollicitatio, sic etc. *Id. pro leg. Manil.* 11. 29. Jam vero virtuti Cn. Pompeji quæ potest par oratio inveniri? — *Jam porro* eumdem usum ac vim habere, *Forcellinus* affirmat: sed per *jam porro* procedit oratio ad aliam rem ejusdem generis, quæ cum reliquis conjungitur novumque adjicit argumentum. *V.* JAM sub 4. *c. Cic. Rosc. Am.* 40. 116. Videte jam porro cetera, judices, ut intelligatis etc. — *b*) Quemadmodum per *jam,* Poetæ et per *jam vero* solent novum sensum inchoare, præsertim quum ea, quæ narraturi sunt, interea acciderint. *Virg.* 12. *Æn.* 704. Jam vero et Rutuli certatim et Troes et omnes Convertere oculos Itali. *Id.* 11. *ibid.* 213. Jam vero in tectis prædivitis urbe Latini Præcipuus fragor. — *c*) *Jam vero* pro *immo vero,* vel *nunc vero,* correctioni servit. *Cic. Brut.* 76. 263. C. Sicinius probabilis orator: jam vero etiam probatus, ex hac inopi Hermagoræ disciplina. — *d*) Pro jam tandem, *ormai. Ter. Adelph.* 4. 7. 36. Jam vero omitte, Demea, tuam istanc iracundiam.

JĀNEUS, janitor. *Paul. Diac. p.* 103. 11. *Müll.*

JĀNĬGĔNA, æ, m. et f. 1. (Janus et gigno) a Jano genitus. *Ovid.* 14. *Met.* 381. Dum mihi Janigenam servabant fata Canentem. *V.* CANENS in ONOM.

JĀNĬTOR, ōris, m. 3. (janua). Olim *janitos* dictum fuit, teste *Varron.* 7. *L. L.* 27. *Müll.* — Janitor est januæ custos, *portinajo, usciere,* θυρωρός. *Plaut. Men.* 4. 2. 110. Heus, ecquis hic est janitor? aperite. *Cic.* 5. *Verr.* 4. 8. Hunc vestri janitores, hunc cubicularii diligunt. *Id.* 7. *ibid.* 45. 118. Janitor carceris. *carceriere.* — Romani quoe habebant servos ad januam, catenatos prope ipsam habere solebant: unde janitores inter vilissima mancipia habebantur. *Ovid.* 1. *Amor.* 6. 1. Janitor (indignum!) dura religate catena. *Colum.* 1. *R. R. præfat.* 10. An putem fortunatius a catenato repulsum janitore sæpe nocte sera foribus ingratis adjacere? — Cœli janitor est Janus. *Ovid.* 1. *Fast.* 125. et 139. — Inferorum Cerberus. *Virg.* 6. *Æn.* 400. et 8. *ibid.* 296.

JĀNĬTRĪCES dicebantur duorum fratrum uxores, quasi eamdem januam terentes, vel per eamdem januam iter habentes. Hæc *Isid.* 9. *Orig.* 7. Alii putant, ita esse appellatas, quod pariter adversum lectum januæ sibi sternerent, inque eo tamquam custodiæ causa cubare solerent. Nam apud Romanos ea consuetudo fuit, ut quæ uxor primum in manum viri convenisset, ea sibi in atrio domus, ante ipsam januam, lectum sterneret, qui idcirco *adversus* dictus est, ut habetur apud *Propert.* 4. 11.

83. Seu tamen adversum mutarit janua lectum. et *Ascon.* ad *Cic. Mil.* 5. 13. Omni vi janua expugnata, et imagines majorum dejecerunt, et lectulum adversum uxoris ejus Corneliæ. Sunt tamen qui rectius arbitrantur, *janitrices* esse vocem corruptam ex εἰνατέρες, uxores fratrum, quod fortasse est pro συνατέρες, etenim συνάτειρα *conjugem* significat, ex εὐνή *cubile*: ita αἴαλοι vocantur, qui duas sorores in matrimonio habent. *V.* ENATER in LEXIC. et *Inater* in *Verb. Barb. Modestin. Dig.* 38. 10. 4. § 6. Duorum fratrum uxores janitrices dicuntur, apud Græcos εἰνατέρες, quod uno versu idem Homerus (*Iliad. l.* 6. *v.* 378.) significat: Ἠέ πῃ ἐς γαλόων, ἢ εἰνατέρων εὐπέπλων.

JĀNĬTRIX, icis, f. 3. (janus) mulier, cui januæ custodia est commissa, *portinajo*, θυρωρός.

I.) Proprie. *Plaut. Curc.* 1. 1. 76. Anus hic solet cubitare, janitrix.

II.) Translate. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 30. 39. (127). Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus, janitrix Cæsarum pontificumque. *h. e.* quæ solet plantari ante domos Cæsarum et pontificum. *Tertull. Anim.* 55. Rhomphæa Paradisi janitrix. *Id. contra Gnost.* 10. Quas mihi potestates janitrices adfirmas juxta Romanam superstitionem, Carneam quamdam et Forculum et Limentinum.

JĀNŬA, æ, f. 1. primus ingressus ad interiora domus: a *Jano*, qui januis præesse creditus est; *V.* locum *Cic.* sub I. 1. init. θύρα (It. *porta*; Fr. *porte de maison, porte*; Hisp. *puerta, puertecita*; Germ. *d. Thüre*; Angl. *a gate, door,* entrance).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 67. Principem in sacrificando Janum esse voluerunt; quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones perviæ, jani; foresque in liminibus profanarum ædium, januæ nominantur. *Vetus commentor.* apud *Varron.* 6. *L. L.* 91. *Müll.* Mittere cornicinem ad januam privati. *Phædr.* 4. 24. Nec olli juvenes reperti sunt ad januam. *Ovid.* 2. *Art. am.* 244. Atque erit apposita janua fulta sera. *Id.* 1. *Amor.* 6. 28. Roboribus duris janua fulta riget. *Scævola Dig.* 8. 2. 41. Januam aperire. *fare una porta,* aperto pariete januam facere. *Plaut. Aulul.* 1. 2. 11. occludere. *Id. Asin.* 2. 2. 7. indiligenter observare. *Id. Pœn.* 3. 4. 30. pultare. *battere alla porta.* Cf. *Ovid.* 3. *Trist.* 2. 23. pulsare sepulcri. *Horat.* 1. *Sat.* 2. 128. frangere. *Ovid. Heroid.* 4. 141. reserare. *Petron. Satyr.* 139. intrare. ¶ 2. Latiori sensu, vel translate ut aliis placet, dicitur et de quocumque aditu, *ingresso, entrata. Virg.* 6. *Æn.* 106. quando hic inferni janua regis etc. et 127. Noctes atque dies patet atri janua Ditis. Cf. *Arnob.* 5. 28. Idem *Arnob.* 2. 30. Si animæ isti adeunt januas, Epicuri ut sententiis definitur etc.

II.) Translate. *Cic.* 1. *Orat.* 47. 104. Si in hæc, quæ patefecit oratione sua Crassus, intrare volueritis; facillime vos ad ea, quæ cupitis, perventuros, ab hoc aditu januaque patefacta. *Id. Planc.* 3. 8. Qua nolui janua sum ingressus in causam. *Plin.* 1. *Ep.* 18. Illa actio mihi januam famæ patefecit. *Val. Flacc.* 4. 231. reclusaque janua leti. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. *med.* Janua animi frons est.

Homonym. *Janua* ab *ostio* differre quidam arbitrantur, quod hoc sit interiorum domi cubiculorum. Sed confunduntur. *Cic.* enim. 2. *Orat.* 68. 276. primo dixit *aliquem ab ostio quærere*; et mox *quærere aliquem a janua,* quæ significant *dimandare di qualcuno stando alla porta. Plaut.* quoque ubi utrumque conjunxit, duo synonyma conjunxit, *Pers.* 5. 1. 6. His volo ante ostium et januam meos participes bene accipere. — A *porta* vero certe differt, quæ est castrorum, mœnium et urbis. Tametsi ne hoc quidem est perpetuum.

JĀNŪAL, libi genus, quod Jano tantummodo libatur. *Paul. Diac. p.* 104. 18. *Müll.* — Hoc libum *Ovid.* 1. *Fast.* 127. Cereale dicit, quod ex frumento erat, non quod Cereri simul dicatum esset: *V.* CEREALIS. Calendis Januariis oblatum esse, docet *Varro* apud *Jo. Laur. Lydum de mens.* 4. 2., ubi Janus cognominatur ποπανεὺς a πόπανον *libum.*

JĀNŬĀRIUS, a, um, adject. ad Janum pertinens. *Januarius mensis,* et *Januarius* absolute, *Gennaro, Gennajo,* olim undecimus, deinde primus anni mensis, Jano sacer: additus anno Romano ab Numa Pompilio, quum antea decem tantummodo mensibus constaret. V. *Ovid.* 1. *Fast.* 64. et seqq. *Cic.* 1. *leg. Agr.* 2. 4. Auctio constituta in mensem Januarium. *Id.* 1. *Att.* 2. Januario mense cura, ut Romæ sis. *Cæs.* 1. *B. C.* 5. A. d. VII. Id. Januarii. Similiter *Kalend., Non., Id. Jan.* apud *Caton. R. R.* 147. et 148.; *Cic.* 1. *leg. Agr.* 8. 26. et 2. *ibid.* 3. 6. et 8. et 5. *Fam.* 2.; et alios. — Primus dies hujus mensis Romanis lætissimus celeberrimusque fuit. Illo enim die, qui designati fuerant, magistratum inibant, et quidem qui curuli fuerant ornati magistratu, curribus, in quibus sellæ erant eburneæ, in Tarpejam arcem, seu in Capitolium, universo populo sequente, novis induto vestibus, vehebantur, ad sacrificium in Ja[illegible]i honorem peragendum. Illo die ab amicis felicitatis auguria dabantur, et accipiebantur. Prima enim in omnibus rebus maximam vim habere censebant. Ceterum hoc ipso die mos fuit singulos aliquid attingere in ea arte, quam exercebant. *Ovid. loc. cit.* 169. etc.; et *Colum.* 11. *R. R.* 2. 98., quibuscum confer *Horat.* 2. *Sat.* 6. 20. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM. — Hinc

Januaria, ōrum, n. pl. 2. absolute, substantivorum more, est dies festus calendarum Januarii. *Aurel. Vict. Cæsar.* 17. Senatus ob festa Januariorum frequens primo luci convenerat.

JĀNUS, i, m. 2. deus a Romanis habitus, de quo *V.* multa in ONOM. — Hinc translate ¶ 1. *Jani* — a) Generatim dicebantur omnes transitiones perviæ, sive ædificia fornicata et pervia, aut arcus, cujusmodi plures per omnes urbis regiones Domitianum exstruxisse, scribit *Sueton. Domit.* 13., *volte, o portici fatti a volta.* Ita autem appellabantur, quia Janus omnibus januis et viis præesse credebatur. *Id. Aug.* 31. Pompeji statuam contra theatri ejus regiam marmoreo Jano supposuit. *Liv.* 41. 27. *extr.* Forum porticibus tabernisque claudendum, et Janos tres faciendos locavit. *Id.* 2. 49. Infelici via dextro Jano portæ Carmentalis profecti. Adde *Cic.* 2. *Nat. D.* 27. 67. — Hoc sensu etiam *Janus,* us, occurrit in *Inscript.* apud *Matth. Zona, Raccolta d'iscriz. ant. trovate a Calvi* p. 4. VIAM AB ANGIPORTV AD IVNONIS LVCINAE VSQVE AD AEDEM MATVTAE ET CLIVOM AB IANV AD CISIARIOS PORTAE STELLATINAE ET VIAM PATVLAM AD PORTAM LAEVAM ET AB *foro* AD PORTAM DOMESTICAM SVA PECVNIA STRAVIT. — b) Speciatim Janus fuit Romæ locus tectus in foro, quatuor aut certe tribus fornicibus pervius, in quo mercatores et fœneratores frequentissime habitabant. *Ovid. Remed. am.* 561. Qui puteal Janumque timet celeresque Kalendas. Prima vici pars huic Jano proxima, ubi pecunia fœnori dabatur, *summus Janus,* ultima *imus,* media *medius Janus* dicebatur. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 54. Hæc Janus summus ab imo Perdocet. *Id.* 2. *Sat.* 3. 18. postquam omnis res mea Janum Ad medium fracta est. Adde *Cic.* 2. *Off.* 25. 90., 7. *Phil.* 6. 16. et 6. *ibid.* 5. 15. Similiter *Inscript.* apud *Lup. Epit. Q. Sev. p.* 129. SVB IANO MEDIO. — *A Jano primo,* vel *a Jano medio* dicebatur artifex, qui prope ea loca officinam, vel tabernam habebat. *Inscript.* apud *Gruter.* 576. 9. C. IVLIVS C. L. NICOMACHVS A IANO PRIMO. *Alia* apud *eumd.* 577. 2. C. LEPIDVS C. L. ANICATVS A IANO MEDIO. ¶ 2. *Mensis Jani* est Januarius, qui et *Janus* poetice dicitur. *Ovid.* 2. *Fast.* 1. Janus habet finem: cum carmine crescit et annus. Cf. *eumd. ibid.* 48. Primus ut est, Jani mensis, et ante fuit. ¶ 3. In illo *Ausonii epist.* 20. *extr.* Vive, vale, et totidem venturos congere Janos, Quot etc. *Janos* intellige calendas Januarii, quæ Jano sacræ: et per synecdochen annos.

JE

JĔCĬNĔRŌSUS, a, um, et

JĔCŎRĀLIS, e, et

JĔCŎRĬTĬCUS, a, um, et

JĔCŎRŌSUS, a, um, adject. (jecur) qui jecinoris vitio laborat, hepaticus, ἡπατικός. *Marcell. Empir.* 22. *ante med.* Hircinus sanguis adhuc calens supra prunas excoctus, et libatui datus jejuno, jecineroso medetur. *Scribon. Compos.* 105. et 169. pro *jecineroso* habet *jocinoroso. Gloss. Philox.* Jecoralis, ἡπατικός. *Marcell. Empir. loc. cit. a med.* Jecoritico jejuno per triduum bibendum dabis. *Sidon.* 5. *Ep.* 14. Jecorosis et phthisiscentibus languidis medicabilis piscina.

JECTŪRA, æ, f. 1. (jacio) actus jaciendi. *Veget.* 3. *Veterin.* 46. 18. *Schneid.* Si ea jectura fuerit, prius locis suis reponenda. *Alii tamen rectius leg.* ejectura.

JĔCUR, jĕcŏris *et* jĕcĭnŏris *et* jŏcĭnŏris, n. 3. Olim in recto dictum fuisse *jocinor,* seu *jecinor,* a nonnullis, testatur *Charis.* 1. p. 34. *Putsch.* — Gen. *jecinoris* est *Liv.* 8. 9. et al.; *jocinoris* vero *Cels.* 2. 8. — Jecur est viscus maximum in dextra parte, sub præcordiis situm: cujus inspiciendi plurimus fuit in haruspicina usus, ἧπαρ (It. *fegato;* Fr. *le foie;* Hisp. *higado;* Germ. *d. Leber;* Angl. *the liver*). Occurrit — a) Generatim. *Cic.* 1. *Nat. D.* 35. 99. Cerebrum, cor, pulmones, jecur: hæc enim sunt domicilia vitæ. *Id.* 2. *ibid.* 55. 137. Ex intestinis et alvo secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad jecur, per quasdam a medio intestino usque ad portas jecoris (sic enim appellant) ductas et directas vias, q[illegible] pertinent ad jecur eique adhærent. *Id.* 1. *Divinat.* 52. 118. Non placet Stoicis, singulis jecorum fissis interesse Deum. *V.* FISSUS. *Liv.* 8. 9. Decio caput jecinoris a familiari parte cæsum haruspex dicitur ostendisse. *Cels.* 2. 8. Alterius quoque visceris morbus, id est jocinoris etc. — b) Speciatim in deliciis ciborum fuit jecur anseris. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 22. 27. (52).; *Martial.* 13. 58.; et *Juvenal.* 5. 114. *V.* ANSER. Item suum. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 51. 77. (209). — c) De capite jecoris, *V.* in CAPUT. — d) Creditum est olim esse principium omnium venarum, et sanguinis officinam. Hinc in eo posuerunt sedem animi et affectuum, quia pro eorum varietate sanguis movetur. *Horat.* 1. *Ep.* 18. 72. Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve. Cf. *Seneca Herc. Œt.* 574. Jecur alicujus merendo flectere. *h. e.* cor vincere et amorem captare. Rursus *Horat.* 1. *Od.* 13. 4. Fervens difficili bile tumet jecur. *Juvenal.* 1. 45. quanta siccum jecur ardeat ira. *Id.* 6. 647. rabie jecur incendente feruntur. *Pers.* 5. 129. intus et in jecore ægro Nascuntur domini. *Seneca Herc. Œt.* 708. cor attonitum salit, Pavidumque trepidis palpitat venis jecur. et 1677. Contine infirmum jecur, mater. *h. e.* dolorem frena. *Bibaculus* apud *Sueton. Gramm.* 11. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis. *h. e.* prudentia, sapientia. Huc pertinet illud *Pers.* 1. 47. neque enim mihi cornea fibra est. *V.* FIBRA. — e) *Rumpere tensum jecur,* apud *Juvenal.* 7. 117., est immane vociferantis.

JĔCUSCŬLUM, i, n. 2. deminut. a jecur, parvum jecur, *fegatello,* ἡπάτιον. *Cic.* 2. *Divinat.* 14. 33. Musculorum jecuscula bruma dicuntur augeri. *Plin.* 11. *Hist. nat.* 37. 76. (196). Murium jecuscula ad numerum lunæ in mense congruere dicuntur. *Apic.* 4. 2. Jecuscula pullorum. *Sidon.* 5. *Ep.* 17. Namque et jecusculi fibra tumente pungebant exercitatum crebri dolores. *Arnob.* 4. 12. Aut eadem hæc possunt in pulmonibus, aut jecusculis conspici?

JĒJŪNĀTĬO, ōnis, f. 3. (jejuno) jejunium, actus jejunandi, *digiuno. Tertull. Jejun.* 13. Jejunationibus operari. *Vulgat. interpr. Act.* 14. 22. Et quum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros et orassent cum jejunationibus etc. et *ibid.* 27. 21. Et quum multa jejunatio fuisset etc.

JĒJŪNĀTOR, ōris, m. 3. (jejuno) qui jejunat, *digiunatore. Augustin. Ep.* 86. *ad Casulan. ante med.* Qui ventricolas tamquam magnus jejunator accusat. Adde *Hieronym.* 2. *in Jovinian. n.* 16.

JĒJŪNĒ, adverb. (jejunus). Comp. *Jejunius.* — Jejune proprie est cum jejunio, *a stomaco digiuno,* ἀπαστί: sed occurrit translate tantum pro tenuiter, exiliter, aride, insulsis admodum. *Cic.* 1. *Orat.* 11. 50. Iisdem de rebus jejune quosdam et exiliter disputavisse. *Id.* 3. *Fin.* 5. 19. Hæc dicuntur fortasse jejunius. *Id.* 12. *Att.* 21. Quis jejunius dixit inimicus. *Gell.* 19. 3. Infecunde atque jejune laudare. *Plin.* 1. *Ep.* 20. *a med.* Ut illud immodice et redundanter, ita hoc jejune et infirme.

JĒJŪNĬŌSUS, a, um, adject. (jejunus) idem ac jejunus, *digiuno.* Occurrit tantum Comp. *Jejuniosior* apud *Plaut. Capt.* 3. 1. 6. Neque jejuniosiorem, neque magis effertum fame vidi.

JĒJŪNĬTAS, ātis, f. 3. (jejunus) inanitas, vacuitas, venter jejunus, νηστεία (It. *fame;* Fr. *faim;* Hisp. *hambre;* Germ. *d. Nüchternheit, d. Trockenheit;* Angl. *emptiness, jejuneness*).

I.) Proprie. *Plaut. Merc.* 3. 3. 13. Jejunitatis plenus, anima fœtida. Ita leg. *Non.* p. 233. 7. *Merc.* Alii minus recte *Jam plenus ætatis* leg.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim est inanitas, ariditas. *Vitruv.* 2. 6. Calida humoris jejunitas aqua repente satiata confervescit. *Id.* 7. 4. Jejunitas, quæ est a fornacibus excocta. *secchezza, aridità.* ¶ 2. Item est imperitia, inscitia rei alicujus. *Cic.* 2. *Orat.* 3. 10. Jejunitas bonarum artium. ¶ 3. Speciatim et sæpius transfertur ad orationem, et significat tenuitatem, exilitatem, inopiam: cui contraria est ubertas et copia. *Cic. Brut.* 55. 203. Sed cavendum est presso illi oratori inopia et jejunitas: amplo autem inflatum et corruptum orationis genus. *Id. ibid.* 82. 285. Si jejunitatem et siccitatem et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit, hoc recte dumtaxat. *Id.* 2. *Tusc.* 1. 3. Qui quum obruerunt copia sententiarum atque verborum, jejunitatem et famem se malle, quam ubertatem et copiam dicerent.

JEJŪNĬUM, ii, n. 2. (jejunus) abstinentia a cibo, νηστεία (It. *digiuno*; Fr. *privation de nourriture, diète*; Hisp. *ayuno, dieta*; Germ. *d. Fasten*; Angl. *a fast, abstinence from food*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Liv.* 36. 37. Jejunium Cereri instituere. *Horat.* 2. *Sat.* 3. 291. Indicere jejunia. *Ovid.* 1. *Met.* 312. illos longa domant inopi jejunia victu. *Id.* 5. *ibid.* 534. solvere. *Id.* 4. *Fast.* 535. ponere. *Cels.* 3. 18. *a med.* Jejunio ægrum vexare. *colla dieta.* Augustus apud *Sueton. Aug.* 76. Ne Judæus quidem tam diligenter sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi. *Nigidius* apud *Isid.* 20. *Orig.* 1. Nos ipsi jejunia jentaculis levibus polluimus. *Fronto* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 10. Nec aliter Kal. Sept. exspecto, quam superstitiosi stellam, qua visa jejunium polluant. *guastino il digiuno.* — De jejuno in quadragesima apud Christianos *V. Cassiod.* 9. *Hist. Eccl.* 38. ¶ 2. Latiori sensu, vel poetice per catachresin, *jejunia undæ* apud *Lucan.* 4. 332. sunt ipsa sitis.

II.) Translate. ¶ 1. Metonymice est ipsa fames. *Ovid.* 8. *Met.* 820. faucesque et pectus et ora Afflat, et in vacuis spargit jejunia venis. *Id.* 4. *ibid.* 263. pascere jejunia. *Id.* 11. *ibid.* 371. satiare. *Id.* 5. *ibid.* 534. solvere. *Id.* 15. *ibid.* 83. sedare. *et* 95. placare voracis jejunia ventris. — Hinc *Colum.* 10. *R. R.* 81. Rudere tum pingui, solido vel stercore aselli, Armentive fimo saturet jejunia terræ. ¶ 2. Item est macies, aut infirmitas, quæ ex jejunio sequitur. *Virg.* 3. *G.* 127. ne blando nequeat superesse labori, Invalidique patrum referant jejunia nati. ¶ 3. Transfertur etiam ad terræ sterilitatem. *Colum.* 3. *R. R.* 12. 3. Macram ac tenuem terram jejunio laborare. *h. e.* sterilitate.

JEJŪNO, as, āvi, ātum, are, n. 1. (jejunus) cibo se abstinere, *digiunare*, νηστεύω. *Tertull. Hieronym. Augustin.* etc.; neque extra hujusmodi Ecclesiasticos Scriptores facile inveneris. *Cassiod.* 11. *Hist. Eccl.* 17. Plerumque Theodosius jejunabat, et maxime quarta feria et sexta studio Christianitatis. Part. *Jejunaturus* apud *Hieronym. Ep.* 66. n. 11. Abraham peregrinis prandentibus cibos jejunaturus apposuit. — Cum Dativo junxit *Tertull. Jejun.* 3. Adam manducavit et periit, salvus alioquin, si uni arbusculæ jejunare maluisset. *h. e.* si una abstinuisset arbuscula.

JEJŪNUS, a, um, adject. Comp. *Jejunior* II. 2. et 6. — Jejunus dicitur et est, qui cibum a nocturno somno nondum gustavit, a cibo vacuus, νῆστις, ἄσιτος (It. *digiuno*; Fr. *qui est à jeun, qui n'a rien mangé ni bu*; Hisp. *el que ayuna*; Germ. *nüchtern, hungrig*; Angl. *fasting*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Cic.* 7. *Fam.* 26. Quum quidem biduum ita jejunus fuissem, ut ne aquam quidem gustarem. *Id.* 1. *Att.* 12. *a med.* Misera ac jejuna plebecula. *affamata.* *Liv.* 21. 55. Jejuna fessaque corpora Romanis et rigentia gelu torpebant. *Cæcilius* apud *Gell.* 2. 23. Mihi (*uxor*) extemplo savium dat jejuna anima. *a stomaco digiuno.* *Lucret.* 4. 874. sic expletur jejuna cupido. *h. e.* fames. Sic *Plin.* 10. *Hist. nat.* 3. 3. (8). Jejuna aviditas. *Ovid.* 8. *Met.* 790. Tremorque Pallorque Et jejuna Fames. *Horat.* 2. *Ep.* 2. 29. lupus jejunis dentibus acer. *h. e.* lupus jejunus. Sic *Plin.* 22. *Hist. nat.* 25. 69. (140). Faba jejuno ore commanducata. *h. e.* ore hominis jejuni. *et* 28. *ibid.* 4. 7. (36). Jejuna saliva. *h. e.* hominis jejuni. *Id.* 11. *ibid.* 25. 30. (86). Scorpiones jejunum venenum egerunt. *h. e.* jejuno ore emissum. *Propert.* 4. 5. 4. Cerberus jejuno sono. *h. e.* latratu famelico. ¶ 2. Latiori sensu, vel poetice dicitur etiam de sitiente. *Propert.* 3. 13. 18. Vilem jejuna sæpe negavit aquam. Sic *Lucan.* 4. 332. de *siti* dixit *jejunia*.

II.) Translate. ¶ 1. Est inanis, vacuus, *vuoto, privo.* Hinc intestinum jejunum dicitur a *Cels.* 4. 1. quod semper est inane, acceptumque cibum non continet, sed protinus transmittit: estque inter intestina hominis ordine tertium. *Lucret.* 2. 844. corpora succo jejuna. — Huc referri potest et illud *Varron.* apud *Non. p.* 452. 3. *Merc.* Consurgimus jejunis oculis. *h. e.* qui nihil, aut parum admodum viderunt. ¶ 2. Item siccus, humore carens, atque adeo sterilis, quum de terra sermo est. *Virg.* 2. *G.* 212. jejuna glarea. *Cic.* 5. *Verr.* 47. 84. Agri miseri atque jejuni. *Colum.* 2. *R. R.* 4. 7. Omnis humus, quamvis lætissima, tamen inferiorem partem jejuniorem habet. *Seneca Consol. ad Helv.* 6. Quid tam nudum inveniri potest, quam hoc saxum? quid ad copias respicienti jejunius? quid ad homines immansuetius? ¶ 3. Item exiguus, tenuis, *scarso, poco.* *Virg.* 3. *G.* 493. Summaque jejuna sanie infuscatur arena. ¶ 4. Refertur ad animum, et est angustus, pusillus, inanis. *Cic.* 14. *Phil.* 6. 17. Ut quosdam nimis jejuno animo et angusto monerem, uti excellentium civium virtutem imitatione dignam, non invidia, putarent. *h. e.* exili, tenui, minuto, magnum nihil sentiente. *Id.* 2. *Fam.* 17. *sub fin.* Pusillus animus, atque ipsa malevolentia jejunus atque inanis. ¶ 5. Item ad res alias, et per contemptum dicitur de re misera, vili, humili. *Cic.* 1. *Off.* 44. 157. Solivaga cognitio et jejuna. *h. e.* sterilis, infructuosa. *Id. Cæcin.* 21. 61. Frigida et jejuna calumnia. *h. e.* infirma et nullis viribus. *Id.* 15. *Fam.* 17. *a med.* Si non jejunum hoc nescio quid, quod ego gessi, et contemnendum videbitur, sed tale ac tantum, ut multi, nequaquam paribus rebus, summos honores a senatu consecuti sint. *Id.* 3. *ibid.* 10. *a med.* Nihil in me, non modo perfidiosum et insidiosum et fallax in amicitia, sed ne humile quidem aut jejunum debes agnoscere. ¶ 6. Speciatim refertur ad orationem: et copiosæ plenæque opponitur. *Cic.* 3. *Orat.* 4. 16. Si quis aut Antonium jejuniorem, aut Crassum fuisse pleniorem putet. Sic *Quintil.* 12. 10. 3. Qui jejunos a quibusdam atque aridus habetur, non aliter ab ipsis inimicis male audire, quam nimiis floribus et ingenii affluentia, potuit. *Id.* 2. 5. 21. Fient horridi atque jejuni. Adde *eumd.* 10. 2. 17. Rursus *Cic.* 2. *Orat.* 16. 68. Jejuna concertatio verborum. *Quintil.* 1. 4. 5. Artem eloquentiæ, ut tenuem ac jejunam, cavillari. *Id.* 10. 5. 17. Neque adeo jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici, nisi semel, non possit.

JĔNTĀCŬLUM, i, n. 2. (jento) gustatio, comestio, quæ jejunis ante prandium fit, ut a pueris et intemperantibus: item ipse cibus, qui eo tempore sumitur, *colezione*, ἀκράτισμα. *Isid.* 20. *Orig.* 2. Jentaculum est primus cibus, quo jejunium solvitur, unde et nuncupatum. *Nigidius*: Nos ipsi jejunia jentaculis levibus polluimus. *Sueton. Vitell.* 13. Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat: in jentacula et prandia et cœnas comessationesque: facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine. *Martial.* 14. 223. Surgite: jam vendit pueris jentacula pistor. *Apul.* 1. *Met.* En paratum tibi jentaculum; et cum dicto caseum cum pane ei porrigo. — Jentaculum diis offerre, mos fuit. *Plaut. Curc.* 1. 1. 72. Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.

JĔNTĀTĬO, ōnis, f. 3. (jento) actus jentandi, jentaculum. *Firmic.* 2. *Mathes.* 10. Significat etiam convivia, jentationes dulciaque tragemata.

JĔNTĀTOR, oris, m. 3. qui jentaculum parat, vel gustat. Vox a Lexico expungenda; occurrit enim tantummodo in *Not. Tir. p.* 166.

JĔNTO, as, āvi, ātum, are, n. 1. aliquid ante prandium gustare. *far colezione*, ἀκρατίζομαι. *Varro* apud *Non. p.* 126. 11. *Merc.* Quod pulli jentent. *Afranius* apud *eumd. ibid.* Jentare nulla invitat. *et mox.* Hæc jejuna jentasit. *Sueton. Vitell.* 7. *extr.* Ut mane singulos jam ne jentassent, aclaritaretur; seque fecisse, ructu quoque ostenderet. *Martial.* 8. 67. Ut jentes, sero, Cæciliane, venis.

JO

JŎCĀBUNDUS, a, um, adject. (jocor) joci plenus, jocans, ludibundus, *scherzante.* *Val. Max.* 9. 4. n. 4. Juventus eudi atque incomposito motu corporis jocabunda. *Id.* 1. 8. *extern.* 8. Inde quum jocabundus, quasi delusa sacrarum sortium fide, reverteretur etc. *Id.* 3. 2. *extern.* 6. Veneni potionem non dubitanter hausit, quodque ex ea superfuerat, jocabundus illisum humo clarum edere sonum coegit. *per ischerzo.* *Lactant.* 2. 7. Quum jocabundus ac ludens interrogaret. *Capell.* 6. *p.* 189. Satyra jocabunda, ni fallor, inquit etc.

JŎCĀLĬTER, adverb. (jocus) jocose, jculariter. *Ammian.* 15. 12. Quos jocaliter murcos appellant. *Al. leg.* jucylariter, *alii rectius* localiter. *V.* MURCUS.

JŎCĀTĬO, ōnis, f. 3. (jocor) actus jocandi, jocosum dictum, jocus. *Cic.* 9. *Fam.* 16. *a med.* Nunc venio ad jocationes tuas. Adde *eumd.* 2. *Att.* 8.

JŎCĬNOR, ŏris. *V.* JECUR *init.*

JŎCĬNŎRŌSUS, a, um. *V.* JECINEROSUS.

JŎCISTA, æ, m. 1. (jocus) qui jocatur. *Gloss. Isid.* Jocista, qui verbum (*lege* verbis) jocatur.

JŎCO, as. *V.* voc. seq. init.

JŎCOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. *Jocare* active forma legitur apud *Plaut. Cas.* 4. 4. 10. Quasi jocabo. — Part. *Jocans* et *Jocatus.* — Jocari est joco uti, venuste et facete aliquid dicere ac per ludum, risus causa, παίζομαι (It. *scherzare, motteggiare*; Fr. *plaisanter, badiner*; Hisp. *alegrar, chocarrear, retozar*; Germ. *scherzen*; Angl. *to speak in jest, speak jocosely or merrily, speak humorously, joke, jest*). Occurrit — a) Absolute. *Ter. Heaut.* 4. 4. 7. Tu hunc jocari credis? faciet, nisi caveo. *credi tu, che costei parli da scherzo?* Sic *Cic.* 16. *Att.* 5. Jocari me putas? moriar, si quisquam me tenet, præter te. *Id.* 2. *Fam.* 4. Jocari cum aliquo per litteras. *Id.* 2. *Att.* 1. *ante med.* Familiariter cum aliquo cavillari ac jocari. *Id.* 7. *Fam.* 11. Jocari cum aliquo de re gravissima. *Id.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 19. 63. Me quoque (jocans ne, an ita sentiens) cœpit hortari etc. *Id.* 2. *Nat. D.* 17. 46. Hic quam volet, Epicurus jocetur, homo non aptissimus ad jocandum. *Id.* 1. *Off.* 29. 104. Duplex jocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. *Id.* 1. *Orat.* 7. 27. Eaque esset in homine jucunditas et tantus in jocando lepos, ut etc. *Quintil.* 6. 3. 31. Nec accusatorem atroci in causa, patronum in miserabili jocantem feret quisquam. — b) Cum Accus. communi. *Cic.* 9. *Fam.* 14. Quamquam, mi Dolabella, (hæc enim jocatus sum) libentius omnes meas laudes ad te transfuderim. *Horat.* 1. *Sat.* 5. 62. Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus. *Ovid.* 2. *Trist.* 497. Quid, si scripsissem mimos obscœna jocantes? — c) Dicitur etiam de facete et ridicule factis, et pro *ludo*, *is* ponitur. *Juvenal.* 3. 39. Quales ex humili magna ad fastigia rerum Extollit, quoties voluit Fortuna jocari. — Sic *ludere* de festive dictis, pro *jocari.* *Cic.* 3. *Nat. D.* 1. 3. Quum vero, deos nihil agere, nihil curare confirmat, ludere videtur. *Id.* 3. *Orat.* 43. 171. In me quidem lusit ille, ut solet. *Plin.* 1. *Ep.* 11. Ludere me putas? serio peto. *V.* JOCUS.

JŎCŌSĒ, adverb. (jocosus). Comp. *Jocosius.* — Jocose est cum joco, per jocum et risum, joco, festive, *piacevolmente, da gioco, scherzevolmente*, παιδικῶς. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 12. 2. Eumque lusi jocose satis. *Id.* 9. *Fam.* 24. *sub fin.* Cave, existimes, me, quod jocosius scribam, abjecisse curam reipublicæ. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 104. liberius si Dixero quid, si forte jocosius, hoc mihi juris Dabis. *Nepos Alcib.* 2. *extr.* Odiosa multa jocoseque fecit. *ridicolosamente.*

JŎCŌSUS, a, um, adject. (jocus) ad jocum pertinens, ludens, ludicrus, per jocum facetus εὐτράπελος (It. *giocoso, scherzevole, burlesco, piacevole, faceto*; Fr. *qui aime à plaisanter, enjoué, badin, gai, plaisant, agréable, amusant*; Hisp. *alegre, festivo, bizarro, retozador, retozon, juguetou*; Germ. *voll Scherz, scherzahft, schalkhaft, launig*; Angl. *merry, sportive, frolicsome, jocose, humorous, witty, pleasant, ludicrous*). Occurrit

— g) De personis; jocosus est qui jocis abundat et delectatur. *Varro* 2. *R. R.* 5. 1. Q. Lucienus homo quamvis humanus et jocosus. *Horat. Epod.* 3. 20. si quid unquam tale concupiveris, Jocose Mæcenas. Cf. *Ovid.* 2. *Trist.* 354. Vita verecunda est, Musa jocosa mihi. — b) De rebus. *Cic.* 1. *Off.* 37. 134. Si seriis de rebus loquatur, severitatem adhibeat; si jocosis, leporem. *Quintil.* 6. 3. 106. Dictorum urbanorum alia seria, alia jocosa, alia media. *Ovid.* 3. *Met.* 332. arbiter sumptus de lite jocosa. *Id.* 5. *Fast.* 183. Mater ades florum, ludis celebranda jocosis. *Id.* 6. *ibid.* 692. Jocosa verba. *Horat.* 1. *Od.* 10. 7. Jocosum furtum. *Id.* 1. *Sat.* 10. 11. Jocosus sermo. — *Jocosa imago* dicitur ab *Horatio* 1. *Od.* 12. 3. Echo, quæ veluti per jocum verba reddere videtur. — *Jocosum Nilum* dixit *Ovid.* 1. *Trist.* 2. 80. propter mores Alexandrinorum, quos otio et luxui, hilarique ac delicatæ vitæ deditos fuisse legimus.

JŎCŬLANS, antis, particip. ab inusit. *joculor*, jocos agens, ludens, jocabundus, *scherzante*. *Liv.* 7. 10. *sub fin.* Inter carminum prope modum incondita quædam militariter joculantes.

JŎCŬLANTER, adverb. (joculans) jocose. *Sidon.* 1. *Ep.* 2. *a med.* Joculanter compellare.

JŎCŬLĀRIS, e, adject. (joculus) per jocum dictus, aut factus, joco, aut risu dignus, *scherzevole, ridicolo*, γελωτοποιός. *Ter. Phorm.* 1. 2. 84. Jocularis audacia. *Cic. Fat.* 8. 15. O licentiam jocularem! Adde *Capell.* 8. p. 272. Rursus *Cic.* 1. *Legg.* 20. 53. Joculare istuc quidem, et a multis sæpe derisum. *Quintil.* 8. 6. 73. In quodam joculari libello. *Seneca Constant. sap.* 12. Joculare convivium. *Gell.* 12. 12. Joculari responso quippiam eludere. — *Jocularia* absolute sunt joci, facetiæ. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 23. ut qui jocularia ridens Percurram. *Liv.* 7. 2. Inconditis versibus jocularia fundere.

JŎCŬLĀRĬTAS, ātis, f. 3. (jocularis) idem ac scurrilitas apud *Hieronym. Comment.* in *ep. ad Ephes.* 5. Scurrilitas de prudenti mente descendit —; quam nos jocularitatem alio verbo possumus appellare.

JŎCŬLĀRĬTER, adverb. (jocularis) per jocum, jocose, *scherzevolmente, in burla*, γελωτοποιῶς. *Plin.* 22. *Hist. nat.* 22. 38. (81). Aristophanes Euripidi objicit joculariter, matrem ejus ne olus quidem legitimum venditasse. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic. Divin. in Q. Cæcil.* 11. Joculariter irridere. *Sueton. Aug.* 75. Festos dies joculariter celebrare. *Id. Cæs.* 49. Carmina joculariter canere.

JŎCŬLĀRĬUS, a, um, adject. (joculus) idem ac jocularis. *Ter. Andr.* 4. 4. 43. Jocularium in malum insciens pæne incidi.

JŎCŬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (ab *inus.* joculor) jocus, facetiæ, festivitas. *Firmic.* 5. *Mathes.* 5. Joculationes cantusque exercebunt.

JŎCŬLĀTOR, ōris, m. 3. (*ab inus.* joculor) qui jocos facit. *Cic.* 4. *Att.* 16. *ante med.* Reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut scis. Huic joculatorem senem illum, ut nores, interesse sane nolui. Ita recte *Schutzius*, alii aliter leg. *V.* voc. seq.

JŎCŬLĀTŌRĬUS, a, um, adject. (joculator) idem ac jocularis. *Cic.* 4. *Att.* 16. *ante med.* Huic joculatoriæ disputationi senem illum, ut noras, interesse sane nolui. *Alii aliter leg. V.* voc. præced. — *Joculatoria* absolute sunt joci, facetiæ. *Diomed.* 3. *p.* 486. *Putsch.* Ili (*primi poetæ comici*) veteris disciplinæ joculatoria quædam minus scite et venuste pronunciabant.

JŎCŬLUS, i, m. 2. *deminut. a jocus.* ¶ 1. Abstracte est brevis jocus, *scherzetto*. *Plaut. Truc.* 1. 2. 11. Per joculum et ludum oblectare aliquem. *Id. Most.* 3. 3. 20. Ego ne te joculo modo ausim, dicto aut facto fallere? *Id. Rud.* 3. 4. 24. Occipito modo illis afferre vim joculo pausillulum: ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipsus te ut non noveris. *Id. Merc.* 5. 4. 33. Joculo dicere aliquid. ¶ 2. Concreto, uti ajunt, sensu est res, quibus ad jocum pueri et puellæ utuntur, ludicra. *Vitruv.* 4. 1. Post sepulturam ejus (*virginis*), quibus ea viva joculis delectabatur, nutrix collecta et composita in calatho pertulit ad monumentum, et ad summum collocavit. Ita leg. *Salmas.* in *Solin.* p. 790. Alii minus recte *poculis*.

JŎCUNDUS. *V.* JUCUNDUS.

JŎCUS, i, m. *et in plur. num. etiam* joca, ōrum, n. 2. Ratione habita etymi, derivent alii ab ἴακχος vel ἰαχὴ *clamor*: alii e *juvo*. Jocus est dictum, aut factum non serium, sed ludicrum et risu dignum, ludus, lepor, facetia, παιδιά (It. *scherzo, barzelletta, burla, facezia, giuoco, beffa*; Fr. *plaisanterie, badinage, raillerie, moquerie, jeu, amusement*; Hisp. *chocorreria, chanza, burla, chasco, juego*; Germ. *d. Scherz, Spass*; Angl. *a joke, jest, humorous or merry saying, wit, raillery, humour, pleasantry*). Occurrit — a) Generatim. *Quintil.* 6. 3. 21. Jocum accipimus, quod est contrarium serio. Nam et fingere, et terrere, et promittere interim jocus est. *Cic.* 2. *Orat.* 54. 216. Suavis est et vehementer sæpe utilis jocus et facetiæ. *Id.* 2. *Fin.* 26. 85. Quicum joca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia. *et ibid.* 20. 65. Risus et jocus comes levitatis. *Id.* 14. *Att.* 15. Joca tua plena facetiarum. *Cato* apud *Macrob.* 3. *Saturn.* 14. Præterea cantat, ubi collibuit, interdum Græcos versus agit, jocos dicit, voces demutat. *Colum.* 10. *R. R.* 280. Omnia plena jocis, securo plena cachinno, Plena mero. *Ovid.* 2. *Trist.* 444. Historiæ turpes inseruisse jocos. *Sall. Jug.* 101. Joca atque seria cum humillimis agere. *Ovid.* 3. *Met.* 320. agitare jocos cum aliquo. *Cic.* 1. *Phil.* 17. 42. Joci causa magistrum adhibes. *Sall. Cat.* 26. *extr.*; et *Horat.* 1. *Ep.* 19. 20. Movere alicui jocum. *far da ridere*. *Sueton. Cal.* 27. Provocare aliquem ad hilaritatem et jocos. *Id. Aug.* 99. Cachinnum sustulit, atque in jocos effusus est. *Id. ibid.* 67. Rem non minimi periculi in jocum vertit. *voltò in ischerzo*. et *Claud.* 21. Immiscere frigidos et arcessitos jocos. *Id. Ner.* 28. Non inscitus jocus. *Id. Cal.* 26. ambiguus. *Id. Aug.* 56. Lacessere aliquem invidiosis ac petulantibus jocis. *Inscript.* Patavina apud *Orell.* 4852. HAEC (*corrige* HAC) EGO SIS DENOS NONDVM MATVRA PER ANNOS CONDOR HVMO, MVLTIS NOTA TORBVMA IOCIS. *Alia* apud *Gruter.* 304. 1. *de puero annor. XVI.* PRO NEQVITIIS IOCISQVE, QVIBVS COAEVOS CAPIENS ME OBLECTARE SOLEBAT, OPTO etc. *Petron. Satyr.* 17. *extr.* Religionem risum jocumque facere. *et fragm. Tragur.* 57. *Burmann.* Spero me sic vivere, ut nemini jocus sim. *che non sia lo spasso di veruno*. Sic *Propert.* 2. 18. 64. Fallaci dominæ jam pudet esse jocum. et *Horat.* 2. *Sat.* 5. 36. hæc mea cura est, Ne quid tu perdas, neu sis jocus. *h. e.* ne fabula fias, ut *Id.* ait 1. *Ep.* 13. 9. Rursus *Id.* 1. *Sat.* 5. 98. Dare alicui risus et jocos. *dare occasione di ridere e motteggiare*. *Catull.* 42. 3. Jocum me putat esse mœcha turpis. — b) Speciatim *joco* et *per jocum* est cum joco, jocose, festive. *Ter. Heaut.* 3. 2. 30. Jocon' an serio illæc dicat, nescio. *da scherzo*. et *Nepos Epam.* 3. Adeo veritatis amator, ut ne joco quidem mentiretur. *in burla*. *Fronto* 1. *ad M. Cæs.* 2. Solet parens tua interdum joco dicere etc. *h. e. dire scherzando*. at *Plaut. Amph.* 3. 2. 39. Si quid dictum est per jocum, non æquum est, id te serio prævortier. *Cic.* 4. *Fam.* 4. Quem tu per jocum (sic enim accipio) divitias orationis habere dicis. — c) *Extra jocum*, *remoto joco*, est sine joco, serio, *fuori di burla*. *Cic.* 7. *Fam.* 16. Sed mehercules, extra jocum, homo bellus est. *Id. ibid.* 11. Remoto joco, tibi hoc amicissimo animo præcipio, ut etc. — d) *Ludus* et *jocus* hoc differunt, quod ille in factis, hic in verbis est. *Cic.* 1. *Off.* 29. 103. Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur. *et mox.* Ludo et joco uti licet, sed sicut somno et quietibus ceteris. — Interdum tamen sic in oratione junguntur, ut nulla ejus discriminis ratio habeatur. *Ter. Eun.* 2. 3. 8. Hic vero si occeperit, ludum jocumque dices fuisse illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit. *Cic.* 3. *Verr.* 60. 155. Paucos homines, hoc adjutore, Q. Opimium per ludum et jocum fortunis omnibus evertisse. *Plin.* 5. *Ep.* 14. *extr.* Quum alii divinum me; alii meis rapinis occursum, per ludum ac jocum dictitant. Adde *Liv.* 28. 42.; et *Martial.* 4. 49. — Aliquando *ludus* pro *joco* ponitur. *Horat.* 1. *Sat.* 1. 27. Sed tamen amoto quæremus seria ludo. — Sic *ludere* pro *jocari*. *V.* JOCOR sub b. in fin. — Contra *jocus* pro *ludo*. *Ovid.* 3. *Art. am.* 367. Mille facesse jocos: turpe est nescire puellam Ludere. — e) Hinc *jocus* pro turpi actu et lascivo. *Ovid.* 3. *Art. am.* 796.; *Justin.* 7. 3. 4; et *Plin.* 8. *Hist. nat.* 40. 61. (144). — Jocum Veneri comitem addidit *Horat.* 1. *Od.* 2. 34. Quam Jocus circum volat et Cupido. Similiter *Capell.* 6. p. 227. Confer *eumd.* 8. p. 271. — *NB.* de cogn. Rom. *V.* ONOM.

Homonym. Vide paullo supra sub d.

JŎGĀLIS. *V.* JUGALIS.

JŎVIS, is. *V.* JUPPITER.

JŎVISJŪRANDUM, juramentum per Jovem. *Ennius* apud *Apul. de deo Socrat.*

JŎVISTÆ compositum e Jove et justæ. Ita *Paul. Diac.* p. 103. 6. *Müll.*

JU

JŪBA, æ, f. 1. Ratione habita etymi, *Forcellinus* deducit e φόβη *crinis*; *Döderlein.* vero (*Latein. Synonym.* vol. 6. p. 182.) ab ἴουλος. Ceterum jubæ sunt crines, qui a collo animalium pendent, ut leonum et equorum, χαίτη (It. *chioma, crine*; Fr. *crinière*; Hisp. *el crin ó cerda de lo caballo y leon*; Germ. *die herabhängenden Haare am Halse der Thiere, die Mähne*; Angl. *the mane of a horse or other beast*).

I.) Proprie. *Ennius* apud *Macrob.* 6. *Saturn.* 3. Et tum sic ut equus qui de præsepibu' fartus — Celso pectore, sæpe jubam quassat simul altam. *Cic.* 1. *Divinat.* 33. 73. Et equum alacrem lætus aspexit, cujus in juba examen apum consederat. *Virg.* 11. *Æn.* 497. luduntque jubæ per colla, per armos. — Qualis equorum jubæ esse debeat, docet *Varro* 2. *R. R.* 7. 5.

II.) Translate. ¶ 1. Ad alia refertur animalia. Sic de coma et capillis humanis usurpat *Seneca Brevit. vit.* 12. Quomodo excandescunt, si ex juba sua decisum est. Adde *Martial.* 1. 32. — *Val. Flacc.* 6. 111. usurpat de villosis canum collis. — *Virg.* 2. *Æn.* 206. de serpentum cristis. — *Val. Flacc.* 8. 88. de dracone vellus aureum servante. — *Colum.* 8. *R. R.* 2. 9. de longioribus plumis in collo gallorum. — *Val. Flacc.* 4. 196.; et *Virg.* 2. *Æn.* 412. et 7. *ibid.* 785. de coma, seu crista galeæ. — *Plin.* 2. *Hist. nat.* 25. 22. (89). de crinibus cometæ, qui pogonias dicitur. — *Id.* 6. *ibid.* 22. 21. (87). de frondibus arborum. ¶ 2. Ad orationem modeste transtulit *Plin.* 5. *Ep.* 8. *a med.* Hanc (*historiam*) sæpius ossa, musculi, nervi, illam (*orationem*) tori quidam et quasi jubæ deceant. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

JŪBAR, ăris, n., *raro* m. 3. In masc. genere. *Ennius* apud *Priscian.* 5. p. 658. *Putsch.* Interea fugit albu' jubar Hyperioni' cursum. *h. e.* luna, vel lucifer. *Sever. Ætn.* 332. Purpureoque rubens surgat jubar aureus ostro. *h. e.* sol. — Jubar e *juba*, ut vult *Varro* et *Paul. Diac.* infra cit. sub I., vel e *Jove* (V. *Döderlein. Latein. Synonym.* vol. 2. p. 68.), est radii et splendor stellarum, jubæ quamdam similitudinem referens, adeoque lux, lumen.

I.) Proprie. — a) Primo dici cœptum est de radiis luciferi, ut docet *Varro* 7. *L. L.* 76. *Müll.* Jubar dicitur stella lucifer, — quod habet lumen diffusum, ut leo in capite jubam. *Id.* 6. *ibid.* 6. Id tempus dictum a Græcis ἑσπέρα, Latine vesper: ut ante solem ortum, quod eadem stella vocatur jubar, quod jubata, Pacuvianus dicit pastor: *Exorto jubare, noctis decurso itinere.* Ennius: *Ajax, quod lumen, jubarne in cœlo cerno?* Inter vesperuginem et jubar dicta nox intempesta. *Paul. Diac.* p. 101. 2. *Müll.* Jubar stella, quam Græci appellant φωσφόρον vel ἕσπερον, hoc est lucifer, quod splendor ejus diffunditur in modum jubæ leonis. Eadem habet *Servius* ad illud *Virg.* 4. *Æn.* 130. It portis, jubare exorto, delecta juventus. *Ovid.* 2. *Fast.* 149. Quintus ab æquoreis nitidum jubar extulit undis Lucifer. *Calvus* apud *Priscian.* 5. p. 658. *Putsch.* Hesperium ante jubar quatiens. — b) Deinde de splendore ac radiis cujusvis sideris, aut alterius rei fulgorem habentis. De sole *Lucret.* 5. 696. Sub terris ideo tremulum jubar hæsitat ignis. De luna *Ovid.* 4. *Fast.* 944. Sustulit immenso ter jubar orbe suum. De astro quolibet *Id.* 15. *Met.* 840. Hanc animam interea, cæso de corpore raptam, Fac jubar. *Id.* 1. *Fast.* 77. Flamma nitore suo templorum verberet aurum, Et tremulum summa spargit in æde jubar. *Val. Flacc.* 5. 411. Tale jubar per tecta micat. *h. e.* auri splendor. *Stat.* 3. *Theb.* 223. cristarum galeæ jubar.

II.) Translate refertur ad majestatem hominis.

Seneca Troad. 448. de *Hectore.* Non ille vultus flammeum intendens jubar, Sed fessus ac dejectus et fletu gravis. *Martial.* 9. 65. Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.

JŪBĀTUS, a, um, adject. (juba) jubam, aut cristam habens, *chi ha chioma, cresluto,* χαιτήεις. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 20. (53). Jubati leones. *et ibid.* 31. 52. (123). Jubata cervix. *Plaut. Amph.* 5. 1. 56.; et *Liv.* 41. 21. *extr.* Jubati angues. *Varro* 6. *L. L.* 6. *Müll.* Jubata stella. *h. e.* radios, seu jubar habens: *V.* JUBAR I. *a.*

JŬBĔO, jŭbes, jussi, jussum, jŭbere, a. 2. *Jusit* olim pro *jussit* scriptum fuisse affirmat *Quintil.* 1. 7. 21. Atqui paullum superiores etiam illud, quod nos gemina s dicimus, *jussi*, una dixerunt. — *Jusso* syncope est τοῦ *jussero*, poetis concedenda. *Virg.* 11. *Æn.* 467. Cetera, qua jusso, mecum manus inferat arma. Adde *Sil. It.* 12. 175. Sic *justi* pro *jussisti. Ter. Eun.* 5. 1. 55. Ita ut tu justi, soli credita est. Adde *Capell.* 2. *p.* 32., quem locum *V.* infra sub I. 1. *d.* — *Jussitur* antiquum est pro *jubetur. Cato R. R.* 14. Faber hæc faciat, oportet: parietes omnes, ut jussitur, calce et cæmentis, pilas ex lapide etc. — Part. *Jubens* I. 1. et II. 2.; *Jussus* I. 1. II. et 1. et 2.; *Jussurus* I. 1.; *Jubendus* I. 3. — Jubere est imperare, mandare, præcipere, κελεύω (It. *comandare*; Fr. *ordonner, commander*; Hisp. *ordenar, mandar, prescribir*; Germ. *heissen, aussprechen, dass etwas geschehen möge, auffordern, befehlen, anordnen*; Angl. to *order, bid, command, charge, enjoin*).

I.) Proprie. ¶ 1. Generatim. Occurrit — *a*) Cum Accusativo personæ et Infinito. *Ter. Eun.* 2. 3. 16. Jubeto istos foras exire. *Cæs.* 1. *B. G.* 27. Eos in eo loco suum adventum exspectare jussit. — Hinc passive. *Liv.* 3. 30. Consules jubentur scribere exercitum. *Horat.* 1. *Ep.* 7. 75. jubetur Rura suburbana indictis comes ire Latinis. *Justin.* 19. 1. 4. Pœni mortuorum corpora cremare a rege jubebantur. *Ovid.* 11. *Met.* 347. dare vela jubemur. *Plin.* 28. *Hist. nat.* 2. 5. (25). Pollices, quum faveamus, premere, etiam proverbio jubemur. Cf. *Petron. Satyr.* 120. Inferni manes cælum sperare jubentur. — Similiter Part. *Jussus*, ut apud *Cæs.* 5. *B. G.* 36. Jussus arma abjicere, imperatum facit. *Liv.* 1. 5. Aliis alio itinere jussis ad regiam venire pastoribus. *Id.* 36. 1. Alter consul cum Bojis jussus bellum gerere. Cf. *Sueton. Tib.* 11. Jussi sunt ægri deferri. — *b*) Cum Infinito tantum activo, omisso Accusativo personæ, quod tamen facile subintelligitur. *Sall. Cat.* 59. Signa canere jubet. *Cic. Brut.* 4. 15. Illud Hesiodum eadem mensura reddere jubet, qua acceperis. *Id.* 1. *Legg.* 6. 19. Lex recte facere jubet. *Virg.* 2. *Æn.* 3. Infandum, regina, jubes renovare dolorem. *Horat.* 2. *Od.* 3. 14. Flores amœnæ ferre jube rosæ. *Tac.* 1. *Hist.* 38. Aperire deinde armamentarium jussit. — *c*) Hinc cum Infinito passivo. *Liv.* 4. 31. Signa cani jubet. *Cic.* 2. *Legg.* 22. 56. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari jussit. *Cæs.* 1. *B. G.* 7. Cæsar jubet pontem rescindi. *Sall. Cat.* 40. Filium necari jussit. — *d*) Cum Dativo personæ et Infinito. *Cic.* 9. *Att.* 13. Quamquam hæ mihi litteræ Dolabellæ jubent ad pristinas cogitationes reverti. *Liv.* 27. 16. Interroganti scribæ, quid signis fieri vellet, deos iratos Tarquiniis relinqui jussit. *Capell.* 2. *p.* 32. Tuque caducis Mortalibusque, Nube remota, Cernere justi (*h. e.* jussisti) Numina cæli. — *e*) Sequente Conjunctivo, cum, vel sine particula *ut*, aut *ne. Plaut. Amph.* 1. 1. 50. Jubet, sententiam ut dicant suam. *Horat.* 1. *Sat.* 4. 121. sive jubebat, Ut facerem quid. *Liv.* 32. 16. Jussitque, ut quæ venissent naves, Eubœam peterent. — *Auct. B. G.* 8. 52. *extr.* Quod ne fieret, consules jusserunt. *Al. leg.* intercesserunt. — *Ter. Eun.* 4. 4. 24. Juba, mihi denuo respondeat. *Id. Heaut.* 4. 4. 15. Jube, maneat. *Ovid.* 1. *Amor.* 11. 19. rescribat multa, jubeto. — *f*) Sequente Conjunctivo, cum, vel sine particula *ut*, aut *ne*, et addito Dativo personæ. *Tac.* 13. *Ann.* 40. Quibus jusserat, ut instantibus resisterent. *Cæs.* 3. *B. C.* 98. Militibus suis jussit, ne qui eorum violarentur, neu quid sui desiderarent. *Tac.* 13. *Ann.* 15. Britannico jussit, exsurgeret, et canticum aliquem inciperet. — *g*) Cum Accusativo personæ et sequente Conjunctivo. *Plaut. Stich.* 2. 2. 71. Jube famulos, rem divinam mihi apparent. *Apul. Florid. n.* 22. Ægrum jubet, uti sit animo bono. *Sueton. Vesp.* 23. Nunciantes legatos, decretam ei publice statuam, jussit, ut continuo ponerent. *Al. leg.* nunciantibus. — *h*) Cum Accusativo et personæ et rei. *Cic.* 13. *Fam.* 26. *a med.* Litteræ, non quæ te aliquid juberent, sed quodam modo commendaticiæ. — Hinc passive *Cæs.* 3. *B. G.* 6. Quod jussi sunt, faciunt. *Plin.* 6. *Ep.* 29. *in fin.* Opto, ut ea potissimum jubear, quæ me deceat vel sponte fecisse. — *i*) Cum Accusativo personæ tantum, quum res, quæ jubetur, facile subauditur. *Martial.* 9. 65. Sed tu jussisses Euristhea. — Et passive *Tac.* 4. *Hist.* 76. Germanos non juberi, non regi; sed cuncta ex libidine agere. Similiter *Virg.* 3. *Æn.* 236. Haud secus ac jussi faciunt. *Val. Flacc.* 5. 482. cui non jusso tot adire voluptas Monstra maris? *Id.* 4. 423. agnoscunt monitus, jussæque recedunt. — *l*) Cum Dativo personæ tantum. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 16. Sulla mihi jussit. *Claudian.* 2. *in Rufin.* 154. regit Italiam, Lybianque coercet, Hispanis Gallisque jubet. *dà legge.* Adde *eumd. II. Cons. Stilich.* 85. — *m*) Cum Accusativo rei et Dativo personæ. *Tac.* 4. *Ann.* 72. Tributum iis Drusus jusserat modicum. *avea imposto.* et *Stat.* 7. *Theb.* 373. Jubere silentia alicui. *intimare.* Sic *Lucan.* 2. 528. securo jussurus classica Phœbo. Rursus *Stat.* 7. *Theb.* 32. aspiciam terras, pacemque jubebo Omnibus. *h. e.* cogam pacem servare. — *n*) Cum Accusativo rei tantum. *Horat.* 3. *Od.* 3. 2. ardor civium prava jubentium. *Tac.* 13. *Ann.* 15. Neque jubere cædem fratris palam audebat. *Id. Agric.* 45. Nero jussit scelera, non spectavit. *Lucan.* 8. 684. Jubere bella. — Et passive. *Horat. Epod.* 17. 37. Jussas cum fide pœnas luam. *Ovid.* 4. *Trist.* 10. 90. Errorem jussæ, non scelus, esse fugæ. *Val. Flacc.* 3. 508. Obsequitur tamen, et jussas petit ocius oras. *Tac.* 16. *Ann.* 17. Accepto jussæ mortis nuncio, semet interfecit. *Sil. It.* 14. 395. Puppes jussam proram incurrunt. *Ovid. Heroid.* 16. 362. Figitur in jusso nostra sagitta loco. *nel destinato segno.* *V.* et infra sub II. 1. — *o*) Absolute. *Ter. Eun.* 2. 3. 97. Jubes ne? CH. Jubeo, cogo atque impero. *Juvenal.* 6. 222. Hoc volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas. — *NB*) Negant celebres critici et grammatici, apud aureæ ætatis Scriptores *jubeo* Dativum, aut Accusativum per se regere, sed usurpari solum cum Infinito. Itaque in iis, quæ adduximus exemplis aut ad ellipsim confugiunt, infinitivum aliquod verbum subintelligentes, aut lectionem sollicitant. Contra alii sentiunt acriterque defendunt. Latine studiosus a prioribus quidem steterit; sed nec posteriores damnaverit. ¶ 2. Speciatim elegantem habet usum pro firmo aliquid velle, aut serio et intente hortari. — *a*) Cum Infinito. *Plaut. Pers.* 2. 5. 2. Jubeto, habere bonum animum. *digli che stia di buon animo.* et *Cic.* 14. *Fam.* 1. Sperare nos amici jubent. *Id.* 7. *ibid.* 2. *ad fin.* Valde jubeo, gaudere te. *voglio.* et *Id.* 12. *Att.* 16. *ad fin.* Cæsar te sine cura esse jussit. *Id.* 4. *ibid.* 14. Dionysium jube salvere. *saluta da mia parte.* et 5. *ibid.* 2. Illum salutavi, postea jussi valere. *gli diedi l'addio, lo lasciai andare.* Cf. *Horat.* 1. *Ep.* 10. 1. Fuscum salvere jubemus. *h. e.* Fusco salutem plurimam dicimus. — *b*) Et omisso Infinito, qui facile subintelligitur. *Ter. Andr.* 3. 3. 1. Jubeo Chremetem. *saluto, riverisco.* ¶ 3. Item speciatim, *jubere legem, magistratum, pacem, fœdera* ad eum pertinet, quem penes suprema auctoritas, jus ac potestas est: et significat sciscere, creare, firmare. Romæ mos fuit, ut magistratus quidem (in rebus gravioribus) ac senatus censerent decernerentque; at populus juberet, quo jubente, tum demum rata et firma erant, quæ proponebantur. — *a*) Cum Accusativo rei. — Verbo *jubere* hoc sensu contrarium est *vetare*, ut apud *Cic.* 1. *Orat.* 11. 60. Dicere apud populum de legibus jubendis, aut vetandis. — Populus *jubere*, plebs vero *sciscere* dicitur, ut apud *Cic. Flacc.* 7. 15. Quæ sciscerat plebs, aut quæ populus juberet. (Latiori tamen sensu *Sall. Jug.* 44. Sed plebs, incredibile memoratu est, quanta vi rogationem jusserit, decreverit, voluerit). — Ceterum *Cic. Balb.* 17. 38. Legem populus Romanus jussit de civitate tribuenda. *Sall. Jug.* 85. Postquam ei provinciam Numidiam populus jussit. *Liv.* 1. 22. Tullum Hostilium regem populus jussit. *Id.* 3. 30. Id modo excepere, ne postea eosdem tribunos juberent. — *b*) Cum Conjunctivo et part. ut. *Cic.* 4. *Verr.* 67. 161. Senatus decrevit populusque jussit, ut statuas Verris quæstores demoliendas locarent. — Hinc illa *velitis, jubeatis*, quibus rogabat populum magistratus, quum perferri quippiam volebat. In *formula arrogationis* apud *Gell.* 5. 19. Velitis, jubeatis, Quirites, uti L. Valerius L. Titio jure legeque filius siet. — *c*) Hac eadem formula cum Infinito occurrit apud *Liv.* 31. 6. Rogationem promulgavit: vellent, juberent, Philippo regi bellum indici. — *d*) Absolute, cum Ablativo rei et præpos. *de. Liv.* 38. 45. Populus jussit de bello. *deliberò la guerra.* ¶ 4. *Jubere fide*, V. in FIDEJUBEO.

II.) Translate. ¶ 1. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 1., Part. præteritum eleganter a Poetis refertur ad res inanimas, quæ non sponte, sed artificio et industria cogantur præter naturam quippiam efficere. *Propert.* 4. 1. 144. Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet. *Colum.* 10. *R. R.* 48. Tum jussi veniant declivi tramite rivi. *Laurea Tullius* apud *Plin.* 31. *Hist. nat.* 2. 3. (8). Silva loco melius surgere jussa viret. *Plin. alter* 7. *Ep.* 9. *in carm.* Ut laus est ceræ, mollis cedensque sequatur Si doctos digitos, jussaque fiat opus. ¶ 2. Metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 3. *Ovid.* 5. *Fast.* 461. *ex persona Remi.* Qui modo, si volucres habuissem regna jubentes, In populo poteram maximus esse meo. *h. e.* bono auspicio regnum mihi portendentes. Similiter, quamquam in malam partem, *Lucan.* 8. 832. sistra jubentia luctus.

JŪBĬLÆUS *vel* jūbēlæus, i, m. 2. apud Hebræos dicebatur annus quinquagesimus exclusive, scilicet quadragesimus nonus, quo fiebat remissio a servitute, et fundi redibant ad veterem dominum, et servi fiebant sui juris: hinc et annus remissionis vocatus. Est dictus ab Hebr. יוֹבֵל *jobèl* buccina, seu cornu arietinum, cujus clangore hujus anni initium populo Hebraico nunciabatur. *Vulgat. interpr. Levit.* 25. 9. Et clanges buccina decimo die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque redibit ad familiam pristinam: quia jubilæus est et quinquagesimus annus. Adde *ibid.* 31. 33. et alibi. *Ibid.* 25. 28., 31. 40. et 54. Annus jubilæus. et *ibid. Josue* 6. 6. Septem alii sacerdotes tollant septem jubilæorum buccinas. *Arat.* 2. *Act. Apost.* 677. quinquagesimus annus Quum jubilæus adest, proprii distractio ruris Antiquo donatur hero, etc. Græce est ἰωβηλαῖος vel ἰωβιλαῖος: quare medias rectius syllabas *Arator* produxisset. Sed non est is valde sollicitus de prosodiæ legibus.

JŪBĬLĀTĬO, ōnis, f. 3. (jubilo) clamor inconditus pastorum, jubilum, ὀλολυγμός. *Apul.* 8. *Met.* Pastores canes rabidos et immanes, quos ad tutelæ præsidia curiose fuerant alumnati, jubilationibus solitis et cujuscemodi vocibus nobis inhortantur. *h. e.* contra nos incitant. Adde *Vulgat. interpr. Ps.* 88. 16. et 150. 5.

JŪBĬLĀTUS, us, m. 4. (jubilo) idem ac jubilatio, et jubilum. *Gloss. Philox.* Jubilatus, ὀλολυγμός, κραυγὴ ἀγροίκων.

JŪBĬLO, as, āvi, ātum, are, n. et a. 1. (jubilum). jubilare est rustica voce inclamare, ut ait *Paul. Diac. p.* 104. 9. *Müll.*: ab ἰού, ἰώ rusticorum inclamatione. *Varro* 6. *L. L.* 68. *Müll.* Vicina horum quiritare, jubilare. Quiritare dicitur is, qui Quiritum fidem clamans implorat. *et mox.* Ut quiritare urbanorum, sic jubilare rusticorum; itaque hoc imitans Accius ait in Bacchis: *quis me jubilat? Vicinus tuus antiquus.* Pro *Accius ait in Bacchis* alii aliter leg.: ceterum nota v. *jubilare* cum Accus. (Cf. *Vulgat. interpr. Isai.* 49. 13. Laudate cæli, et exsulta terra, jubilate montes laudem. *Ibid.* sæpe occurrit absolute.). *M. Aurel.* apud *Fronton.* 4. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 6. Deinde uvis metendis operam dedimus et consudavimus et jubilavimus.

JŪBĬLUM, i, n. 2. clamor inconditus rusticorum, cantus pastoralis (*V.* voc. præced.), *grido, canto,* κραυγή. *Sil. It.* 14. 475. Et lætus scopulis audivit jubila Cyclops. *h. e.* cantus Daphnidis pastoris. *Cal-*

gurn. 1. *Ecl.* 30. nihil armentale resultat: Non montana sacros distinguunt jubila voces. et 7. *ibid.* 3. Et tua mœrentes exspectant jubila tauri. *M. Aurel.* apud *Fronton.* 4. ad *M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 5. Venator, aut vindemiator, qui jubilis suis cubiculum meum perstrepant. *Ammian.* 22. 4. Accessere flagitia disciplinæ castrensis, quum miles cantilenas meditaretur pro jubilo molliores. *Auct. Epithal. Laur. et Mar.* apud *Wernsdorf. T.* 4. *p.* 495. Jubila folligeris exclamant organa votis. *Wernsdorf.* ita emendavit: *V. eumd. loc. cit.* — Hinc pro magna lætitia *Vulgat. interpr. Job* 8. 21. Donec impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo. Adde *ibid.* 33. 6.

JŪCUNDĒ, adverb. (jucundus). Comp. *Jucundius* et Sup. *Jucundissime.* — Jucunde est suaviter, dulciter, læte, *giocondamente, dilettevolmente*, ἡδέως, ἀλύπως. *Cic. Cæl.* 6. 13. Cum tristibus severe, cum remissis jucunde vivere. Sic *Id.* 2. *Fin.* 22. 70. Jucundissime vivere. *Augustus in ep.* apud *Sueton. Aug.* 71. Quinquatrus satis jucunde egimus. *assai allegramente. Horat.* 1. *Sat.* 5. 70. jucunde cœnam illam produximus. *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 97. Darius in fuga, quum aquam turbidam bibisset, negavit, unquam se bibisse jucundius. *Plin.* 20. *Hist. nat.* 17. 69. (177). Herba jucunde olet. *ha un odor grato. Cic. Amic.* 1. 1. Multa narrare memoriter et jucunde solebat. *Val. Max.* 7. 2. *extern.* 8. Jucundissime loqui. *Quintil.* 6. 2. 19. Jucunde dicere. *Id.* 9. 3. 73. Jucunde consonat sox. *Sueton. Tit.* 3. Cantare et psallere jucunde et scienter. *Gell.* 20. 9. Jucunde lepideque fictum.

JŪCUNDĬTAS, ātis, f. 3. (jucundus) suavitas, voluptas, res grata sensum aut animum movens et voluptate afficiens, ἡδονή (It. *diletto, piacere, giocondità*; Fr. *agrément, charme, joie, plaisir, gaieté, bonheur*; Hisp. *agrado, hechizo, gozo, placer, dicha, felicidad*; Germ. d. *Annehmlichkeit*, d. *angenehme Wesen*, d. *Anmuth, Heiterkeit, Ergötzlichkeit*, d. *Vergnügen*; Angl. *plesantness, agreeableness, sweetness, mirth, jollity, jucundity*). Occurrit — *a*) In sing. num. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 29. 79. Quibus isto agri spes et jucunditas ostenditur. *Tac. Dial. de orat.* 9. Jucunditas urbis. *Quintil.* 6. *procem.* 11. Vocis jucunditas et claritas. *voce grata e chiara.* Ceterum *Cic.* 3. *Orat.* 38. 155. Delectatio et jucunditas audiendi. *Id.* 2. *ad Q. fr.* 10. 2. Epistola plena jucunditatis. Sic *Quintil.* 10. 1. 96. Horatius plenus est jucunditatis. Rursus *Cic. fragm.* apud *Gell.* 12. 2. Suaviloquens jucunditas. *Id.* 1. *Orat.* 7. 27. Ea est in homine jucunditas et tantus in jocando lepos, ut etc. *piacevolezza. Id.* 1. *Fin.* 18. 59. Corporis morbis vitæ jucunditas impeditur. *Id.* 1. *Off.* 3. 9. Vitæ commoditas et jucunditas. *Id. ibid.* 33. 122. Relaxare animum et dare se jucunditati. *Id.* 2. *Fin.* 3. 9. Jucunditate perfundi. *Id. Marcell.* 6. 19. Ex quo quidem maximus est fructus jucunditasque sapienti. *Id. Amic.* 22. 84. Hæc est societas, in qua omnia insunt quæ putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi atque jucunditas. — *b*) In plur. num. *Cic.* 10. *Att.* 8. *ad fin.* Nihil mihi ex plurimis tuis jucunditatibus gratius accidit, quam quod meam Tulliam suavissime diligentissimeque voluisti. *h. e.* jucundis officiis, *servigi, piaceri.*

JŪCUNDO, as, are, a. 2. *et* Jucundor, āris, ari, dep. 1. (jucundus). Part. *Jucundans.* — Jucundare est jucunditatem afferre, voluptate afficere, gaudio perfundere, *dar piacere, dilettare*, ἡδύνω. *Augustin.* 12. *de Gen. ad litt.* 34. et *Psalm.* 94. 19. Consolationes Dei jucundant animam. *Lactant.* 4. 6. ex *Proverb.* 8. 30. Quotidie autem jucundabar ante faciem ejus. Adde *Vulgat. interpr. Eccli.* 3. 6., 14. 5. et alibi; et *Apoc.* 11. 10. et *Cassiod.* 2. *Variar.* 40. *ante med.* Harmonia tristitiam onxiam jucundat. *Commodian.* 58. 6. Tu qui jucundaris, eris jam exterus illi. *h. e.* Deo: hic vero *jucundari* est *giocondarsi, darsi bel tempo*, jucunde vivere. *Oros. præf. c.* 4. Infantes jucundantes. *h. e.* ludentes.

JŪCUNDUS, a, um, adject. Legitur et *jocundus* tum in nonnullis libris non malis, tum in lapidib. apud *Gruter.* 331. 7. et 881. 2. etc., et defenditur ab his, qui a *jocus* deducunt. Jure tamen improbant *Manut., Dausq., Cellar.* — Comp. *Jucundior* et Sup. *Jucundissimus.* — Quod ad etymon spectat, potius quam e *jŏcus* (*V.* supra init.) ratione quoque habita quantitatis, a *juvo* deducendum est (ut *jucundus* sit quasi *juvicundus*), ut *Cic.* docet 2. *Fin.* 4. 14., est enim id omne jucundum, quod sensum aut animum movet et juvat; præsertim vero quod tristitiæ opponitur, et hilaritatem in eo ac lætitiam gignit. Itaque jucundus est suavis, gratus, dulcis, ἡδύς, τερπνός (It. *piacevole, grato, giocondo, dilettevole, caro*; Fr. *agréable, qui plait, qui réjouit, qui fait plaisir*; Hisp. *agradable, que gusta*; Germ. *förderlich, enfreulich, angenehm*; Angl. *pleasant, agreeable, delightful, grateful, pleasing, joyful, jovial, merry, jocund*). *Cic.* 5. *Tusc.* 34. 97. Nihil visum est illo pane jucundius. *più gustoso. Horat. Epod.* 2. 53. Non Afra avis descendat in ventrem meum Jucundior. *Quintil.* 9. 3. 27. In cibis acor ipse jucundus est. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 32. 37. (203). Aqua potui jucunda. Cf. *Cels.* 3. 26. *n.* 27. Aqua sic temperanda est, ut manu contingenti jucunda sit. *tepida. Cic.* 2. *leg. Agr.* 16. 40. Agri jucundi et fertiles. *ameni. Id.* 5. *Verr.* 9. 23. Odor suavis et jucundus. *grato. Catull.* 46. 3. Jucundæ auræ Zephyri. *aure soavi. Virg.* 6. *Æn.* 363. cœli jucundum lumen. *Plaut. Pœn.* 1. 1. 78. Jucundissimi ludi. *Justin.* 2. 10. Jucunda convivia habere. *lieti. Ovid.* 3. *Trist.* 3. 24. Jucundum tempus agere. *passarsela lietamente. Val. Flacc.* 7. 236. O nimium jucunda dies. *Horat. Epod.* 1. 5. Quid nos, quibus te vita si superstite, Jucunda; si contra, gravis? *Id.* 1. *Ep.* 6. 66. sine amore jocisque Nil est jucundum. *Cic.* 1. *Orat.* 49. 213. Verba ad audiendum jucunda. *Tac. Dial. de orat.* 9. Versus pulcri quidem et jucundi. *Gell.* 19. 9. Jucundum in modum canere. *Horat. Epod.* 2. 36. jucunda præmia captare. *Cæs.* 1. *B. C.* 86. Id vero militibus fuit pergratum et jucundum. *Cic.* 4. *Cat.* 7. 16. Commune patriæ solum quum sit carum, tum vero est dulce et jucundum. *Id. pro leg. Manil.* 1. 1. Conspectus vester est mihi multo jucundissimus. *Id.* 5. *Fam.* 15. Amor tuus est mihi gratus et optatus: dicerem jucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem. *Horat.* 2. *Ep.* 6. 62. Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ. Rursus *Cic.* 4. *Fam.* 6. Cujus officia jucundiora scilicet mihi semper fuerunt, nunquam tamen gratiora. *Id.* 3. *Cat.* 6. 11. Comes alicui carus atque jucundus. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 93. jucundus amicus. *Cic. Arch.* 3. 6.; et *Nepos Att.* 16. Homo alteri jucundissimus. *di cara e aggradevole conversazione.* — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

Homonym. Differt a *gratus*, quia *grata* accepta sunt, *jucunda* etiam delectabilia. Omne jucundum est gratum, sed non contra, ut medicina ægro grata quidem est, sed non jucunda. *Cic.* 3. *Att.* 11. *in fin.* Ista veritas, etiamsi jucunda non est, mihi tamen grata est. *Id.* 4. *Cat.* 1. 1. Est mihi jucunda in malis et grata in dolore vestra erga me voluntas.

JŪDAĪCĒ, adverb. (Judaicus) Judæorum more, vel superstitione. *V.* APOSTATICE. Sic *Cassiod.* 1. *Hist. Eccl.* 11. *ante med.* Judaice vivere.

JŪDAĪDIO. *V.* JUDAIZO.

JŪDAĪSMUS, i, m. 2. Judæorum religio, *Giudaismo.* Est *Tertull.* 1. *advers. Marcion.* 20. et 4. *ibid.* 11.; et *Vulgat. interpr.* 2. *Machab.* 8. 1. et 14. 38. et *Galat.* 1. 13. et 14.

JŪDAĪZO vel judaidio. as, are, n. 1. ἰουδαΐζω, Judæorum mores sequi, Judæorum ritus et mores imitari. *Commodian.* 37. *in lemmate.* Qui judaidiant fanatici. *Vulgat. interpr. Galat.* 2. 14. Si tu, quum Judæus sis, gentiliter vivis et non Judaice; quomodo gentes cogis judaizare?

JŪDEX, dĭcis, m. et f. 3. Est a *jus* et *dico*, ut docet *Varro* 6. *L. L.* 61. *Müll.* Hinc judicare, quod tunc jus dicatur; hinc judex, quod judicat (*Forcellinus* et *al.* jus dicat) accepta potestate, id est quibusdam verbis dicendo finit. — Itaque judex est qui, accepta potestate, litigantium causas ex jure cognoscit et sententiam fert, κριτής (It. *giudice*; Fr. *juge*; Hisp. *juez*; Germ. *der Richter*; Angl. *a judge*).

I.) Proprie — *a*) Universim. *Cic. Rosc. Am.* 30. 84. Verissimus et sapientissimus judex. *Id.* 2. *Verr.* 10. 30. Severissimi atque integerrimi judices. *Id. Planc.* 13. 32. Plurimarum rerum judex sanctissimus et justissimus. *Id.* 4. *Verr.* 12. 30. Judex nequam et levis. *Brutus* ad *Cic. inter ep.* 1. *ad Brut.* 6. Sumere aliquem judicem de controversia hereditaria. *Cic.* 2. *Orat.* 48. 199. Apud judicem causam agere. *Id. Cæcin.* 17. 48. Habere aliquem judicem de re quapiam. *Id. Cluent.* 38. 105. Sedere judicem in aliquem. *Id. ibid.* 43. 120. Esse judicem de re pecuniaria. et 9. *Fam.* 10. inter aliquos. *et Dom.* 13. 33. Judicem de quaque re constituere. *Petron. Satyr.* 80. Judici litem committere. Cf. *Phædr.* 3. 13. Lis ad forum deducta est, vespa judice. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 13. 14. (90). Judex pronunciavit, videri etc. *sentenziò. Cassiod.* 3. *Variar.* 27. Tamdiu judex dicitur, quamdiu justus putatur. — De *judicum decuriis*, *V.* in DECURIA. Eodem pertinet illud *Senec.* 3. *Ira* 33. Fremitu judiciorum basilicæ resonant, evocati ex longinquis regionibus judices sedent, judicaturi, utrius justior avaritia sit. Confer *Plin.* 33. *Hist. nat.* 1. 7. (30). — *b*) Speciatim *judicem ferre alicui* dicebatur accusator reum citans ad judicium subeundum; aut ipse nominando judicem, aut jubendo reum nominare, quem sumeret. *Cic.* 2. *Orat.* 70. 285. Quum ei M. Flaccus, multis probris objectis, P. Mucium judicem tulisset. Adde *eumd. ibid.* 63. 263. et *Rosc. com.* 15. 45.; et *Liv.* 8. 33. Et cum ne particula *Liv.* 3. 24. Ni ita esset, multi privati ferebant Volscio judicem. et *ibid.* 57. Proinde ut ille iterum ac sæpius provocet, sic se iterum ac sæpius judicem illi ferre, ni vindicias ab libertate in servitutem dederit. — *c*) *Judicem dicere* erat ipsius rei judicium se subire profitentis. *Liv.* 3. 56. Omnium tibi, quæ impie per biennium et ausus, gratiam facio, unius tantum criminis ni judicem dices, te ab libertate in servitutem, contra leges vindicias non dedisse, in vincula te duci jubeo. Ita *Gronov.*, alii aliter leg. — *d*) *Dare judicem* est prætoris, quum causæ cognitionem cuipiam committit. Nam Romæ non erant certi causis cognoscendis assignati judices, sed certus ordo solummodo (modo senatorius, modo equestris etc.), ex quo a prætore deligebantur, vel sorte ducebantur, qui res disceptarent judicarentque, quum prætor præ copia causarum non omnia per se posset cognoscere. Licebat autem tum actoribus, tum reis hunc, vel illum ejerare, rejicere, excludere. Etiam senatus, aut princeps judices dabat, quum suæ cognitionis res non esse censebat. Horum omnium exempla habes apud *Cic.* 4. *Verr.* 12. 30. et 2. *Orat.* 70. 285.; *Plin.* 2. *Ep.* 11. et *Paneg.* 36.; *Ulp. Dig.* 4. 4. 18. etc. — *e*) Hinc *judices petere* apud *Plin.* mox *cit. l.* 2. est postulare, ut causa non in senatu, sed apud ordinarios judices agatur. — *f*) *Judices* aliquando dicti sunt ipsi consules. In *commentariis consularib.* apud *Varron.* 6. *L. L.* 88. *Müll.* Accensus dicit sic: Omnes Quirites, inlicium visite huc ad judices. Cos. dicit: Voca ad conventionem omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: Omnes Quirites, ite ad conventionem huc ad judices. *Forcellinus* addidit etiam locum *Liv.* 3. 55. *ad fin.*; quem tamen huc minime pertinere contendit *Göttl., Röm. Staatsr. p.* 269. in nota. — *g*) De *judice quæstionis*, *V.* QUÆSTIO. — *Judex quæstionum causarumque* videtur esse duumvir juri dicundo in *Inscript.* apud *Orell.* 3826. — *h*) *Judex morum* est censor. *V.* adnotata ad PRÆFECTUS. — *i*) *Lusus ad judices* est ludus puerilis, quo pueri inter se ludentes, unum aliquem judicem constituebant, qui medius inter eos incederet, et fictam jurisdictionem exerceret. *Spartian. Sever.* 1.; et *Vopisc. Proc.* 13. Simile est illud *Sueton. Ner.* 35. Ducatus et imperia ludere.

II.) Figurate, extra rem forensem, judex dicitur qui sententiam suam aliqua de re profert. *Ter. Adelph. prol.* 4. Vos eritis judices, laudin', an vitio duci id factum oporteat. *Cic.* 3. *Fin.* 2. 6. Æquissimus eorum studiorum æstimator et judex. *Id.* 5. *Fam.* 2. *sub fin.* Æquum te judicem dolori meo præbeas. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 8. male verum examinat omnis Corruptus judex. *Id. ibid.* 7. 101. Subtilis veterum judex et callidus audis. *Id.* 1. *Ep.* 4. 1. candide sermonum judex. *Quintil.* 8. 3. 33. Iniqui judices adversus nos sumus. *Ovid.* 4. *Fast.* 322. Morte luam pœnas, judice victa dea. *Lucan.* 10. 368. Et sumus, ut fatear, tam sævo judice, sontes. Hinc *me judice, te judice*, h. e. mea, tua sententia. *Ovid.* 2. *Met.* 427. de cæspite virgo Se levat, et, salve numen, me judice, dixit, Audiat ipse licet, majus Jove. *Horat.* 1. *Od.* 28. 14. judice te, non

sordidus auctor Naturæ verique. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

JŪDĬCĀBĬLIS, e, adject. (judico) qui judicio est subjectus, *quegli di cui si può giudicare. Capell.* 5. p. 140. Hic illud judicabile posse versari etc.

JŪDĬCĀTIO, ōnis, f. 3. (judico). ¶ 1. Generatim est actus judicandi, cognitio, disceptatio, *giudicatura, giudicazione*, κρίσις. *Cic.* 3. *Fam.* 9. Longi subsellii (ut noster Pompejus appellat) judicatio et mora si quem tibi item unum alterumve diem abstulerit, tamen etc. *Vet. tabula ænea sub Vespas.* apud *Gruter.* 242. *in fin.* NEVE CVI DE EA RE ACTIO, NEVE IVDICATIO ESTO. *Quintil.* 6. 5. 11. Consilium est ratio quædam alte petita, et plerumque plura perpendens et comparans, habensque in se et inventionem et judicationem. ¶ 2. Specialim apud Rhetores *judicatio*, τὸ κρινόμενον, est quæstio nata ex conflictione et quasi concursu inter rationem rei et infirmationem accusatoris: in qua quæritur, quid veniat in judicium, et de quo disceptetur, *il punto della causa*: v. gr. Orestes matrem occidit, et se juste fecisse dicit: status est qualitatis: quæstio, an juste fecerit: ratio illa, quod patrem Orestis occiderit: judicatio, an oportuerit vel nocentem matrem a filio occidi. Quod si Orestes alteram afferat matris necatæ causam, quod responsis sit impulsus, altera ratio erit, indeque judicatio altera, an responsis parere debuerit. Quot enim causæ faciendi afferuntur, tot sunt judicationes. *Cic.* 1. *Herenn.* 16. 26.; et *Quintil.* 3. 11. 1. — *Cic. Partit. orat.* 30. 104. *disceptationem* vocat; et *Topic.* 24. 92. *quæstionem juridicialem*; et *ibid.* 25. 95. *qua de re agitur*, JCtorum more; et 1. *Invent.* 13. 18. *quæstionem.*

JŪDĬCĀTĪVUS, a, um, adject. (judico) aptus ad judicandum, *giudicativo*, κριτικός. *Boeth. Aristot. Analyt. post.* 2. 18. p. 557. Habent animalia connaturalem potentiam judicativam, quam vocant sensum.

JŪDĬCĀTŌ. *V.* JUDICO in fin.

JŪDĬCĀTŌRĬUM, ii. *V.* voc. seq. in fin.

JŪDĬCĀTŌRĬUS, a, um, adject. (judico) ad judicandum pertinens, *giudicatorio*, δικαστικός. *Augustin. Ep.* 54. *ante med.* Judicatorius rigor. *h. e.* severitas judicum. — Hinc

Judicatorium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est judicii locus. *Gloss. Philox.* Judicatorium, δικαστήριον.

JŪDĬCĀTRIX, icis, f. 3. (judico) quæ judicat. *Quintil.* afferens verba eorum, qui *Theodori Gadarei* definitionem rhetoricæ ex Græco transtulerunt, 2. 15. 21. Ars inventrix, et judicatrix, et enunciatrix, decenti ornatu etc.

JŪDĬCĀTŪRA, æ, f. 1. (judico) officium judicis, *giudicatura. Inscript.* apud *Gruter.* 1090. 13., quæ est apud *Orell.* 3174. OB SINGVLAREM ABSTINENTIAM INDVSTRIAMQVE EXHIBITAE IVDIC. *h. e.* judicaturæ. Hanc inscriptionem ad tempora Gallieni Aug. (qui ab ann. a Chr. n. CCLIII. ad CCLXVIII. imperavit) pertinere putat *B. Borghesius* in *Mem. dell' Instit. archeol. T.* 1. p. 165.: at *Oliver. loc. cit.* ab *Orell.* ad tempora Gordiani Aug., qui ann. CCXXXVIII. imperium adeptus est. Huc usque et. *Furlanetto.* At *Henzenio, Inscript. Lat.* p. 291., illud IVDIC. corrigendum videtur ac mutandum in IVRIDICAT., ex collatione *Inscript.* apud *Orell.* 3177., ubi legitur IVRIDICATVS: *V.* hanc vocem.

JŪDĬCĀTUS, a, um. *V.* JUDICO.

JŪDĬCĀTUS, us, m. 4. (judico) facultas judicandi, judicatio, judicis munus, *giudicatura, giudicazione*, κρίσις. *Cic.* 1. *Phil.* 8. 20. Isti ordini judicatus lege Julia patebat. *Gell.* 14. 2. Juravi, mihi non liquere: atque ita judicatu illo solutus sum. *V.* DECURIA.

JŪDĬCĬĀLIS, e, adject. (judicium) ad judicium pertinens, *attenente a giudizio, giudiziale*, δικαστικός. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 6. *Verr.* 47. 104. Legibus et judiciali jure aliquem persequi. *Lambino* et *Orellio* verbum *judiciali* suspectum est, tamquam supervacaneum et a glossatore adscriptum: at *Id. Cic.* ait *Cæcin.* 21. 61. Juris judicium quum erit et æquitatis. Ceterum *Id. Brut.* 69. 243. Illius judicialis anni severitatem non tulit. *Id. Arch.* 12. 32. Judicialis consuetudo. *Id.* 13. *Att.* 6. Judiciali molestia carere. *Id.* 1. *Att.* 1. Regnum judiciale. Cf. *eumd.* 2. *Verr.* 12. 35. Regnum judiciorum. *Ammian.* 15. 7. Judiciale secretum. ¶ 2. Specialim *judiciale genus* apud Rhetores est, in quo accusatur et defenditur, vel petitur et negatur. *Cic.* 1. *Invent.* 5. 7. Judiciale (*genus*) est, quod positum in judicio, habet in se accusationem et defensionem, aut petitionem et recusationem. *Id.* 2. *Divinat.* 26. 55. Judiciales causæ. Adde *Quintil.* 3. 4. 16., 4. *proœm.* 6. et alibi.

JŪDĬCĬĀLĬTER, adverb. (judicialis) cum judicio. *Sidon.* 5. *Ep.* 156. Bibliopolam vestrum non gratiose, sed judicialiter experius insinuo. *V.* SYNODICE.

JŪDĬCĬĀRĬUS, a, um, adject. (judicium) ad judicium, vel ad judicem pertinens, *giudiziario, giudiziale*, δικαστικός. *Cic. Pis.* 39. 94. Ecquid sentis, lege judiciaria ista, quos posthac judices simus habituri? Cf. *Sueton. Aug.* 56. et *Quintil.* 4. 5. 20. Judiciariæ leges. Rursus *Cic.* 3. *Verr.* 2. 5. Judiciariæ controversiæ finem constituere. *Id. Cluent.* 26. 72. Quæstu judiciario pastus. *Capitolin. M. Aurel.* 10. Judiciarii dies. *h. e.* quibus judicia exercentur, dies actui rerum accommodati, ut *Sueton. Aug.* 32. loquitur. *Salvian.* 3. *Gub. D.* 2. Quum apud Hebræos judiciarius homo in potestatem regiam transcendisset. *h. e.* quum qui prius judices, dein reges constituerentur.

JŪDĬCĬŎLUM, i, n. 2. *deminut. a* judicium, parvum judicium. *Ammian.* 27. 11. Juste, an secus, non judicioli est nostri. Adde *eumd.* 28. 4. Cf. JUDICIUM sub II. 5.

JŪDĬCĬUM, ii, n. 2. (judex) legitima causæ seu rei controversæ, apud judicem inter duos aut plures litigantes, contentio et disceptatio (*V.* JURIDICIUM), κρίσις, κρίμα (It. *giudizio*; Fr. *jugement, instruction judiciaire*; Hisp. *juicio, sentencia*: Germ. *d. Urtheil, d. gerichtliche Untersuchung, d. Gericht*; Angl. *judgment, a trial, sentence*).

I.) Proprie. — *a*) Universim. *Cic. Cæcin.* 2. 6. Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt. *Id. Quinct.* 2. 9. Prætor judicium prius de probro, quam de re fieri maluit. *Id. Flacc.* 38. 94. Gravia judicia pro reipublicæ dignitate, multa de conjuratorum scelere fecistis. *Id. Rosc. Am.* 4. 11. Judicium inter sicarios (*h. e.* de homicidio) hoc primum committitur. *Id. Cæl.* 1. 1. Crimen, quod versatur in judicio. *Id. Opt. gen. orat.* 7. 18. Deducere causam aliquam in judicium. *Id. fragm. contra C. Anton.* apud *Pseudo-Ascon.* Judicio æquo certare cum aliquo. *Id. Quinct.* 20. 63. Judicio defendere aliquem. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 58. (120). Judicium agere. *Cic.* 2. *ad Q. fr.* 16. 3. exercere. *h. e.* agere, facere. *Id. fragm. in tog. cand.* ferre. *Id. Balb.* 28. 64. et *Cæl.* 1. 1. Vocare aliquem in judicium. *Id. Flacc.* 6. 14. Judicio quempiam arcessere. *Id. Rosc. Am.* 39. 113. condemnare. *Ulp. Dig.* 2. 6. 1. sistere. et *ibid.* 5. 4. sistere in judicium. — *b*) Specialim *judicium dare* dicitur prætor, quum agendi potestatem facit, et in eam rem dat actionem et judices. *Id. Flacc.* 35. 88. In Lurconia libertum judicium ex edicto dedit. Adde *eumd.* 4. *Verr.* 12. 30. — *c*) Etiam *exercere judicium* aliquando ad prætorem pertinet. *Cic. Arch.* 12. 32. Ea, judices, a vobis spero esse in bonam partem accepta: ab eo, qui judicium exercet, certe scio. — *d*) *Accipere* et *suscipere judicium* est litigatorum: quod fit litis contestatione. *Cic. Quinct.* 20. 63. Judicium quin acciperet, non recusavit. *Ulp. Dig.* 5. 3. 7. Nolebat ad liberale judicium ire, dicens, suscepturum se de inofficioso testamento judicium. — *e*) *Judicium pati* est rei, ὑπομένειν δίκην. *Cic. Quinct.* 20. 63. — *f*) Formulam *jus judiciumque*, V. in JUS sub *B.* I. 2.

II.) Translate. ¶ 1. Accipitur pro loco, ubi judicium fit. *Nepos Epam.* 8. At ille in judicium venit: nihil eorum negavit, quæ etc. *Quintil.* 4. 2. 25. Pompejus judicium militibus armatis clauserat. ¶ 2. Item pro ipsa causæ actione, quæ in judicio fit. *Cic.* 9. *Fam.* 21. Quid enim simile habet epistola aut judicio aut contioni? ¶ 3. Item pro ipsis judicibus. *Val. Max.* 2. 10. 1. Quum tabulæ ad nomen inspiciendum circa judicium ferrentur. *Quintil.* 12. 5. 6. Quum in basilica Julia diceret primo tribunali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur etc. ¶ 4. Extra rem forensem est mens, sententia, existimatio, opinio, *giudizio, opinione, stima, parere, avviso.* — *a*) Generatim. *Quintil.* 5. 11. 36. Judicia aut judicationes vocant, non de quibus ex causa dicta sententia est, sed, si quid ita visum gentibus, populis *etc.* referri potest. *Cic.* 1. *Tusc.* 1. 1. Meum semper judicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius, quam Græcos; aut accepta ab illis fecisse meliora. *Antonius* ad *Cic. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* Si bonitas tua respondebit judicio meo, quod semper habui de te. *Auct. B. Alex.* 15. Nos prælium sustinebimus, neque tuum judicium fallemus. *Cæs.* 1. *B. G.* 41. Decima legio per tribunos militum ei gratias egit, quod de se optimum judicium fecisset. *Cic.* 13. *Fam.* 29. Ut primum per ætatem judicium facere potueris, quanti quisque sibi faciendus esset. *Id.* 1. *ibid.* 7. *circa med.* Facti tui judicium non tam ex consilio tuo, quam ex eventu homines esse facturos. *Ter. Phorm.* 5. 8. 56. Ejus judicio permitto omnia: quod is jubebit, faciam. *Cic.* 1. *Orat.* 27. 125. Grave judicium in dicendo subire. *Id.* 1. *ad Q. fr.* 1. 15. Non est tibi his solis utendum existimationibus ac judiciis, qui nunc sunt hominum, sed iis etiam, qui futuri sunt. *Id.* 3. *Off.* 30. 110. Non enim suo judicio stetit, sed suscepit causam, ut esset judicium senatus. *Quintil.* 10. 3. 1. Judicium suum cum illius auctoritate conjunxit. *Id.* 10. 1. 130. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno judicio. Rursus *Cic. fragm.* apud *Augustin.* 3. *contra Acad.* 7. Eum recte primum esse judicio tuo, qui omnium ceterorum judicio sit secundus. *Id. Brut.* 8. 32. Intra parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem, meo judicio, est postea consecutus. *per mio avviso, a mio parere*: ut ego sentio. Sic *Quintil.* 9. 3. 50. Similia sunt illis, meo quidem judicio, in quibus etc. *Nepos Att.* 9. *extr.* Ille autem sui judicii, potius quid se facere par esset, intuebatur, quam quid alii laudaturi forent. *che non si lasciava aggirare, o guidare pel naso*: semper sui arbitrii, contentusque se uno, ut *Sueton. Tib.* 18. loquitur. *Tac.* 6. *Ann.* 22. Mihi hæc audienti in incerto judicium est, fato ne res mortalium, an forte volvantur. *non so quel che mi abbia da giudicare.* — *b*) Specialim est deliberatio, *deliberazione, decisione. Cic.* 4. *Cat.* 3. 5. Hæc omnia judices detulerunt, rei confessi sunt; vos multis jam judiciis judicastis: primum, quod mihi gratias egistis singularibus verbis —: deinde, quod P. Lentulum, ut se abdicaret prætura, coegistis: tum quod etc. *Virg.* 1. *Æn.* 30. manet alta mente repostum Judicium Paridis spretæque injuria formæ. *Justin.* 1. 10. 3. Viam invenerunt, qua de se judicium religioni et fortunæ committerent. *Id.* 2. 9. 14. Ut, cujus laus prima esset, difficile judicium videretur. — *c*) Item specialim de testamento usurpatur: quia ibi testator judicium facit de iis, quos dignos aut indignos bonis suis existimat. *Val. Max.* 7. 7. n. 4. Testamento utrumque filium præteriit, a quibus aditus D. Augustus et nuptias mulieris et suprema judicia improbavit. *Plin.* 7. *Ep.* 20. Tot vinculis nos suprema hominum judicia constringunt. *Id. ibid.* 31. Quam fideliter amicos colat, multorum supremis judiciis credere potes. Adde *Sueton. Aug.* 66.; *Senec.* 4. *Benef.* 11. *ad fin.*; *Justin.* 5. 11. 2.; et *Quintil.* 6. 3. 92. ¶ 5. Item vis et facultas discernendi et solertia judicandi de re qualibet, *giudizio, discernimento, perspicacia. Lucret.* 2. 1040. Acri judicio perpendere aliquid. *Cic. Orat.* 7. 24. Sed tamen eos, studio optimo, judicio minus firmo præditos, docere, quæ sit propria laus Atticorum, non alienum puto. *Id. Opt. gen. orat.* 4. 11. Qui teretes aures habent intelligensque judicium. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 242. Judicium subtile videndis artibus. *gusto fino. Cic.* 2. *Fin.* 12. 36. Si quid mei judicii est. *h. e.* si quid ego video et judicare possum. *Cæs.* 1. *B. C.* 35. Neque sui judicii, neque suarum esse virium discernere, utra pars justiorem habeat causam. (Hinc formula *si quid mei judicii est*, qua utebantur judices, quum sententiam pronunciabant, teste *Cic.* 2. *Fin. loc. cit.*). *Nepos Att.* 15. *extr.* Ex quo judicari poterat non inertia, sed judicio fugisse reipublicæ procurationem. *pensatamente e con giudizio.* Sic *Cic.* 3. *ad Q. fr.* 1. 5. *extr.* Videur id judicio facere. *Tac.* 1. *Hist.* 83. Sæpe honestas rerum causas, ni judicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur.

JŪDĬCO, as, āvi, ātum, are, a. 1. *Judicassit* ἀρχαϊκῶς pro *judicaverit* legitur apud *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. ubi XII. Tabularum more loquitur. — Part. *Judicans* II. 2. et 4.; *Judicatus* in omnibus fere paragr. et in fin.; *Judicaturus* II. 4.; *Judicandus* I. 1. — Judicare est jus dicere, judicium exercere, statuere, decernere, sententiam ferre: a *jure dicendo*, ut docet *Varro* 6. *L. L.* 61. *Müll.* (*V.* tamen Homonym. in fine hujus voc.) κρίνω (It. *giudicare, sentenziare*; Fr. *juger, faire l'office de juge, prononcer une sentence judiciaire, déclarer juridiquement*; Hisp. *juzgar, dar sentencia como juez en alguna cosa*; Germ. *urtheilen, gerichtlich untersuchen, entscheiden, Recht sprechen, Richter sein*; Angl. *to judge, give judgment, pass sentence, determine, decide*).

I.) Proprie in re forensi. *Cic.* 2. *Verr.* 10. 30. Illi homines non judicabunt. *h. e.* non erunt judices, judicis officium non exercebunt. Adde *Quintil.* 4. 1. 18. et 4. 2. 86. — Ceterum generatim occurrit — *a*) Cum Accusativo rei. *Cic. Flacc.* 21. 49. Recuperatores, vi Flacci coacti et metu, falsum inviti judicarunt. *pronunziarono un giudizio contrario alla giustizia.* et *Id. ibid.* 20. 48. Itaque recuperatores contra istum rem minime dubiam prima actione judicarunt. Cf. *Quintil.* 5. 2. 3. Contra quas (*personas*) erit judicatum. Rursus *Cic.* 2. *Verr.* 10. 29. Homo in rebus judicandis spectatus et cognitus. *Id.* 11. *Phil.* 5. 11. Ut intelligamus, illos, quorum res judicatas irritas fecimus, bene et e republica judicavisse. *Id.* 4. *Verr.* 48. 118. Ut aliquando de rebus ab isto cognitis judicatisque dicere desistamus. *Id. Flacc.* 21. 49. Re judicata stari ostendit placere. (De re judicata est *tit.* 1. *l.* 42. *Dig.*). *Quintil.* 5. 10. 87. Ob rem judicandam. *Cic. Rabir. Post.* 4. 8. Causa judicata atque damnata. — *b*) Cum Ablativo rei et præpos. *de*. *Quintil.* 3. 11. 24. De eo judicatur, de quo quæstio est. *Id.* 5. 13. 55. Ut in causis multa dicantur, de paucis judicetur. Adde *eumd.* 7. 1. 49. — *c*) Cum Accusativo rei et Infinito. *Cic. Cæcin.* 25. 73. Numquam auderet judicare, deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset. — *d*) Cum Accusativo personæ. *Cic.* 3. *Nat. D.* 30. 74. Veniamus in forum; sessum it prætor. Quid ut judicetur? Qui tabularium incenderit. — Hinc *judicatus* est damnatus, *condannato*. *Plaut. Asin.* 5. 2. 87. Judicatum me uxor adducit domum. *Liv.* 6. 14. Centurionem judicatum pecuniæ quum duci vidisset. *condannato per debiti*. Adde *Legg. XII. Tab.* apud *Gell.* 20. 1. *ad fin.* et *Gell. ibid.* Quanto pecuniæ judicati essent. Rursus *Liv.* 6. 31. Fama et corpore judicati atque addicti creditoribus satisfaciebant. — *e*) Absolute. *Cic. Rosc. Am.* 48. 138. Si recte et ordine judicaris. *Id.* 3. *Verr.* 8. 22. Si vobis ideo levius videtur, quod putatis onus esse grave et incommodum judicare: intelligere debetis, utrum *etc.*, an eo vobis judicandi potestas erepta sit, quod *etc.* *Id. ibid.* 11. 29. Itaque non modo vos, quibus est judicandum, nostra crimina tenetis, sed etiam populus Romanus totam accusationem causamque cognovit. — *f*) Cum Dativo personæ et Genitivo *capitis, pecuniæ*, est judicium intendere, dicam impingere. *Liv.* 26. 3. Seu legibus, seu moribus mallet, anquireret, quoad vel capitis, vel pecuniæ judicasset privato. Tum Sempronius, perduellionis se se judicare Cn. Fulvio, dixit.

II.) Translate, h. e. extra rem forensem. ¶ 1. Interdum est æstimare. *Cic.* 2. *Off.* 22. 79. Non enim numero hæc judicantur, sed pondere. ¶ 2. Sæpe est existimare, putare, judicium facere. — *a*) Cum Accusativo rei. *Cic.* 2. *Divinat.* 43. 91. Oculorum fallacissimo sensu judicant ea, quæ ratione et animo videre debebant. *Id.* 2. *Orat.* 42. 178. Plura homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, quam veritate, aut præscripto, aut legibus. *Id.* 3. *Fam.* 4. Quod egomet multis argumentis jam antea judicaram. *Id. Amic.* 20. 74. Omnino amicitiæ corroboratis jam confirmatisque et ingeniis et ætatibus judicandæ sunt. *Justin.* 5. 7. 4. Miseriorem incolumium, quam amissarum fortunam judicantes. Huc referri potest et illud *Ennii* apud *Cic.* 1. *Divinat.* 50. 114. Judicabit inclitum judicium inter deas tres aliquis: Quo judicio Lacedæmonia mulier, Furiarum una, adveniet. — *b*) Cum Relativo et Conjunctivo. *Cic. Amic.* 25. 95. Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare solet, quid intersit inter popularem et inter constantem. *Cæs.* 7. *B. G.* 52. Temeritatem militum reprehendit, quod sibi ipsi judicavissent, quo procedendum, aut quid agendum videretur. *Cic.* 12. *Fam.* 3. Cetera cujusmodi sint, ex hoc judica, quod etc. *Id.* 5. *Tusc.* 20. 61. Quamquam hic quidem tyrannus judicavit, quam esset beatus. *Orellius* leg. *indicavit*. Sic apud *eumd. Amic.* 3. 11. Quam civitati carus fuerit, mœrore funeris judicatum est. *Madvigius* leg. *indicatum*. — *c*) Cum Infinito. *Cic.* 2. *Orat.* 28. 122. Sic statuo et judico, neminem omnium tot et tanta habuisse ornamenta dicendi. *Quintil.* 10. 1. 37. Quum tantum esse utilitatis in legendo judicemus. *Id.* 4. 2. 128. Id esse raro faciendum judico. *Id.* 10. 5. 2. Vertere Græca in Latinum veteres nostri oratores optimum judicabant. — *d*) Absolute. *Quintil.* 5. 11. 28. Judicandi partem, quam κριτικὴν vocant. *Id.* 12. 1. 20. Fere sic docti judicaverunt. *Id.* 6. 3. 3. Sive id recte judico, sive amore præcipui civi. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 68. Et sapit et mecum facit et Jove judicat æquo. *h. e.* ita judicat, ut Jovem non iratum pateat, sed favere videatur; namque, ut ait *Porphyr.* ad *h. l.*, Jove irato fit, ut errent homines ac delirent. Hinc est recte judicare: quod proverbialiter dictum videtur. — *e*) Cum Accusativo personæ, vel Ablativo et præpos. *de*. *Ter. Eun.* 1. 2. 118. Ex aliorum ingeniis judicare aliquem. *Brutus* ad *Cic.* 11. *Fam.* 10. Exploratum habea, malle me tuum judicium, quam ex altera parte omnium istorum, tu enim e certo sensu et vero judicas de nobis. ¶ 3. Hinc de persona est etiam declarare et in numero habere. *Cic.* 3. *Phil.* 6. 14. Judicetur non verbo, sed re, non modo non consul, sed etiam hostis, Antonius. Cf. *Nepos Hann.* 7. *extr.* Bona ejus publicarunt, ipsum exsulem judicarunt. Rursus *Cic. Senect.* 21. 78. Socrates omnium sapientissimus oraculo Apollinis judicatus. *Quintil.* 9. 3. 100. Qui summos se judicent artifices. *Id.* 9. 3. 68. Quem supplicatione dignum judicaris. — Similiter de rebus. *Quintil.* 12. 1. 32. Facultas dicendi – et ipsa judicanda est malum. Nota et illa *ejusd.* 8. 3. 44. Quam culpam non scribentium quidem judico sed legentium. *et* 9. 4. 6. Neque, si parvi pedes vim detrahunt rebus, compositionis est judicandum. ¶ 4. Item cum Ablativo rei et præp. *de*, vel absolute, est statuere, deliberare, *deliberare*. *Cæs.* 1. *B. G.* 40. De itinere ipsos brevi tempore judicaturos. *Cic.* 4. *Cat.* 5. 10. Jam hoc nemini dubium est, qui reo custodiam, quæsitori gratulationem, judici præmium decrevit, quid de tota re et causa judicarit. *Justin.* 11. 15. 2. Credo, ita diis immortalibus judicantibus. Et cum præpos. *inter*. *Tac.* 3. *Hist.* 70. Inter Vespasianum et Vitellium præliis legionum judicatur. ¶ 5. Interdum est adjudicare, addicere. *Plaut. Men.* 1. 1. 20. Nam ego ad Menæchmum nunc eo, cui jam diu sum judicatus. *Alii leg.* quo, *h. e.* in quam domum. V. *Plauti loc.* supra *cit.* I. d. ¶ 6. Judicare inedia de se ipso apud *Tertull. Apolog.* 4. est inedia sibi mortem consciscere. — Hinc Part. præter. pass.

Judicatus, a, um, est disceptatus, cognitus, dijudicatus, sententia judicis constitutus, *giudicato*, κρινόμενος, atque certus, decretus, constitutus. *Cic.* 7. *Fam.* 33. Mihi judicatum est deponere illam personam. *h. e.* certum est deliberatumque. — De *re judicata*, *V.* infra *Judicatum* 1. — Hinc

Judicatum, i, n. 2. absolute, substantivorum more ¶ 1. Est res judicata, ut docet *Cic.* 2. *Herenn.* 13. 19. Judicatum est id, de quo sententia lata est, aut decretum interpositum. *Id.* 1. *Invent.* 30. 48. Judicatum est res assensione, aut auctoritate, aut judicio alicujus, aut aliquorum comprobata. et *ibid.* 41. 83. Solitarium aliquod, aut rarum judicatum afferre. *Id. Flacc.* 21. 49. Decrevit, ut, si judicatum negaret, in duplum iret. *h. e.* negaret rem judicatam esse, vel se debere id, quod ex sententia judicis debebat: atque adeo sententiæ judicis non pareret. *Id. ibid.* 20. 48. Quum judicatum non faceret, addictus Hermippo, et ab hoc ductus est. *h. e.* non præstaret id, quod ex sententia judicis præstare debuit. *Papinian. Dig.* 27. 3. 21. Quamvis postea judicatum fiat, tamen actio data non intercidit. *Id. ibid.* 31. 1. 80. Qui post dictam sententiam judicatum solvere supersederunt. *judicatum solvere* est æstimationem litis solvere, aut rem, quæ actione petita est, restituere. Porro quicumque in rem actione conveniebatur, cavere cogebatur actori, *judicatum solvi*: qua stipulatione tres clausulæ continentur, ut docet *Ulp. ibid.* 46. *tit.* 7. *qui inscribitur* Judicatum solvi, *l.* 6. h. e. de re judicata, de re defendenda, et de dolo malo. *Cic. Quinct.* 8. 30. Postulat a prætore, ut sibi Quinctius judicatum solvi satisdet. *h. e.* sponsores det, a quibus quod judicatum fuerit, solvatur, si Quinctius damnetur. Hinc illa apud JCtos, *stipulari, promittere, spondere, cavere, judicatum solvi*; *teneri ex stipulatu judicatum solvi*; *satisdare stipulatione judicatum solvi*: quæ habentur apud *Ulpian., Cajum, Paul., Modestin.* et *alios cit. tit.* 7. Sic *judicatum solvi satisaccipere* apud *Ulp. Dig.* 3. 3. 28. — *Judicati actio* est, quæ ex sententia datur. *Ulp. Dig.* 3. 3. 28. et 31. etc. Hinc *judicati agere*, *Id. cit. l.* 28.; et *judicati convenire*, *Modestin. ibid.* 46. 1. 41. — Hinc *judicatum* vel *res judicata* inter juris civilis partes numerabatur, tamquam regula in similibus habebatur, atque adeo præjudicium constituebat. *Cic. Topic.* 5. 28. Ut si quis jus civile dicat esse, quod in legibus, senatus consultis, rebus judicatis, jurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistat. *Quintil.* 7. 4. 6. Constitutio est in lege, more, judicatu, pacto. et *Id.* 5. 2. 1. Res, quæ aliquando ex paribus causis sunt judicatæ. ¶ 2. *Judicatum* pro judicatione. *Gell.* 14. 2. *sub fin.* Juravi, mihi non liquere: atque ita judicato illo solutus sum. *Alii leg.* judicatu. *Capell.* 5. p. 184. Post rem loci sunt duo: ab eventu et a judicato. A judicato est, ut ait *Fortunatian.* p. 65. *Pith.* quum aut omnium hominum judicio nitimur, aut eminentium ex his, aut eorum qui in unaquaque arte et scientia versati sunt. Est judicatum et religiosum, quod ad deos pertinet. Hucusque *Fortunatian.* — Hinc

Judicato, adverbii ritu, ponitur pro considerate, maturo judicio, *maturamente, consideratamente*, κεκριμένως. *Gell.* 14. 1. Exercendi ne gratia ingenii, an quod ita serio judicatoque existimaret, non habeo dicere.

Homonym. Proprie loquendo aliud est *judicare*, aliud *jus dicere* (*V.* DICO, as et DICO, is). Nam judex pedaneus proprie *jus* non *dicit*, quamquam cognoscendi habet judicandique facultatem: at prætor aliusve magistratus *jus dicere*, non *judicare* dicendus est, quando judici a se dato jus quasi constituit, et formulam juris atque æquitatis præscribit, a qua in cognoscendo judicandoque recedere non possit. Hoc discrimen valide firmat, quod interdum ut diversa conjunguntur, quomodo titulus est in *Cod. Just.* 3. *tit.* 5. Ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat. — Argumento quoque est, quod, quum possit quis in sua causa judicare, jus tamen dicere non possit. *African. Dig.* 5. 1. 77. In privatis negotiis pater filium, vel filius patrem judicem habere potest. at *Ulp. ibid.* 2. 1. 10. Qui jurisdictioni præest, neque sibi jus dicere debet, neque uxori, vel liberis suis, neque libertis, vel ceteris, quos secum habet.

JŪGĀ JUNO. *V.* JUGARIUS et JUGALIS. sub II. 2.

JŪGĀBĬLIS, e, adject. (jugum) qui est jugo habilis, *atto al giogo*; atque adeo figurate, qui conjungi potest. *Macrob.* 1. *Somn. Scip.* 6. *ante med.* Per jugabilem competentiam fœderari. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 2.

JŪGĀLIS, e, adject. (jugum) ad jugum pertinens, *da giogo*, ζύγιος.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Jumentum jugale* est aptum jugo et trahendo currui. *Curt.* 9. 10. 22. Quum equorum jumentorumque jugalium vim ingentem misissent. — Hinc *jugales* absolute apud Poetas sunt equi jugales. *Virg.* 7. *Æn.* 280. Absenti Æneæ currum geminosque jugales. *Sil. It.* 16. 401. sociosque trahit prior ipse jugales. Sic *Ovid.* 5. *Met.* 661. rursusque per aera misit Mopsopium juvenem sacros agitare jugales. *h. e.* dracones Cereris jugo subjectos. ¶ 2. Latiori sensu, *jugale os*, ζυγῶδες, appellari potest os illud capitis supra aures, quod transversum a genis tendens, ab inferioribus ossibus sustinetur, inquit *Cels.* 8. 1. *ante med.* Habet enim jugi figuram.

II.) Translate. ¶ 1. *Cato R. R.* 10. et 11. in instrumento villici recenset *telam jugalem* (seu potius, ut habent libri, *jogalem*) *unam*, *telas jugales duas*: ubi *Popma* intelligit ipsum jugum textorium, cui tela imponitur. At *Schneiderus* in *Indice* ad *Script. R. R.* in V. *Tela* recte putat, *telam jugalem*, quæ et plana dicitur, opponi *telæ rectæ* seu *pendulæ*. *V.* RECTA in fin v. RECTUS, et TELA.

¶ 2. Sæpe transfertur ad conjugii vinculum, *conjugale*. *Catull.* 64. 302. tædas celebrare jugales. *Virg.* 4. *Æn.* 16. Ne cui me vinclo vellem sociare jugali. *et ibid.* 496. Jugalis lectus. *Ovid.* 3. *Met.* 309. Jugalia dona. *Seneca Agamemn.* 239. Jugalis amor. *Val. Flacc.* 8. 222. Jugale fœdus. *Martial.* 10. 38. Jugales anni. *h. e.* in conjugio transacti. *Virg.* 7. *Æn.* 319. nec face tantum Cisseis prægnans ignes enixa jugales. *h. e.* Paridem, ex cujus conjugio incendium Trojæ exstitit. — Unde etiam Juno jugalis dicitur, ut ait *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 16. Latine enim *pronuba* et *juga*, Græce ζυγίη (*Nonn.* 13. p. 805. *Falk.*) sive ζυγία ἀπὸ τοῦ ζευγνῦναι τὸ θῆλυ τῷ ἄρσενι (*Dion. Hal.* τέχνη, *Opp.* II. *p.* 35. *Sylb.*). *Capell.* 1. p. 12. Jugalis (*Juno*) ergo blanda nutus præstrue. Adde *eumd. ibid.* p. 14. et *Inscript.* apud *Gruter.* 24. 15. IVNONI IVGALI. — Hinc *jugalis* absolute usurpatur pro marito. *Venant.* 6. *carm.* 2. 76. O virgo miranda mihi, placitura jugali! *h. l.* loquitur Venus de Brunichilde regina nuptias jam jam initura. Cf. *Cassiod.* 10. *Variar.* 21. Per legatum domni jugalis nostri salutiferos apices curavimus destinari. Et absolute pro conjuge, *Capell.* 1. *p.* 9. Ut stent ardua magno, Alterutrum cumulat parilem meruisse jugalem. h. e. Philologiam et Mercurium. *V.* JUGUM. sub II. 10. 6. — Hinc

Jugales et *Jugalis* absolute, substantivorum more, *V.* sub I. 1. et II. 2.

JŬGĀLĬTAS, ātis, f. 3. (jugalis) figurate tantum occurrit, et est conjunctio, *unione*. *Fulgent.* 1. *Mythol.* 15. Quæ una eademque fervoris humorisque jugalitate gignuntur. Adde *eumd.* 3. *ibid.* 7.

JŬGĀMENTO. *V.* JUGUMENTO.

JŬGĀMENTUM. *V.* JUGUMENTUM.

JŬGĀRIS, e, adject. (jugum) idem ac jugarius et jugalis. *Inscript.*, quæ pertinet ad ann. a Chr. n. CCXXXIV., apud *Gruter.* 35. 12. T. POMPONIVS RE-PENTINVS NOMENCLATOR TESSAR. IVGARIS. *Gloss. Philox.* Jugaris, ζευγηλάτης.

JŬGĀRĬUS, a, um, adject. (jugum) idem ac jugalis. *Hygin. fab.* 183. *de Solis equis.* Feminæ jugariæ: Bronte, quæ nos tonitrua appellamus; Sterope, quæ fulgitrua. — Sic est qui equos currui jungit. *Capell.* 9. *p.* 336. Jugariorum marcidam viciniam Parvo obsidentem. *etc.* Hic videtur mentio haberi de equis jugalibus, qui plerumque ad urbium portas stabulabantur. *V.* JANUS, JOVIUS in ONOM., et JUMENTARIUS. — *Jugarius vicus* fuit Romæ in regione octava, ita dictus, ut ait *Paul. Diac.* p. 104. 13., quia ibi Junonis Jugæ ara erat, quam putabant matrimonia conjungere. At *Nibbyus, del Foro Rom. p.* 103., putat, ita fuisse appellatum, quia prope jugum montis Capitolini erat: hæc enim narrat *Liv.* 35. 21. Saxum ingens sive imbribus, sive motu terræ labefactatum in vicum Jugarium ex Capitolio procidit et multos oppressit. — Hinc

Jugarius, ii, m. 2. absolute, substantivorum more, est bubulcus, Italice *bifolco*, qui boves jugales curat et jungit. *Colum.* 1. *R. R.* 6. 6. Lata bubilia esse oportebit ad procumbendum pecori, et jugario ad circumeundum.

JŬGĀTĪNUS, i, m. 2. (jugo) deus conjugii præses apud veteres Ethnicos. *Augustin.* 6. *Civ. D.* 9. Quum mas et femina conjunguntur, adhibetur deus Jugatinus.

JŬGĀTĬO, ōnis, f. 3. (jugo). ¶ 1. Est in modum jugi alligatio. *Varro* 1. *R. R.* 8. 2. *de vitibus.* Jugationis species duæ, una directa, altera compluviata, in longitudinem et latitudinem jugata. Adde *Cic. Senect.* 15. 53. ¶ 2. Item jugum, seu par boum, *un pajo di buoi.* Hinc sumitur pro mensura agrorum et possessionum, a jugis boum, quibus exercentur. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod.* 10. 48. 1. Universi pro portione suæ possessionis jugationisque ad hæc munia coercentur. Adde *Cod. Theod.* 11. 28. 4. ¶ 3. *De Savigny* (*Sur le système des impots des Romains sous les empereurs. Mémoire lu à l'Acad. des science de Berlin le* 27. *Fevr.* 1823.) docet, jam inde ab Imp. Constantino tributum, quod in agros vel prædia imponebatur, appellatum esse *capitationem*, vel *jugationem*, vel etiam *terrenam jugationem*. Hinc *cæspitis jugatio* est tributum certæ agri mensuræ seu modo impositum. *Cassiod.* 5. *Variar.* 14. et 7. *ibid.* 45. Sic *Papyr.* n. 116. (quod pertinet ad ann. post Chr. n. DXL.) apud *Marin. Papyr. diplom.* Admonere curabitis, ut cæspitis jugationem memorati loci designari præcipiatis.

JŬGĀTOR, ōris, m. 3. (jugo) qui jugo jungit. *Arnob.* 5. 25. Boum jugator Triptolemus. *V.* JUGARIUS in fin.

JŬGĀTŌRĬUS, a, um, adject. (jugo) pertinens ad jugum, *da giogo*, ὑποζυγιώδης, ut *jugatorius bos*, qui jugo subditur. *Varro* 2. *R. R.* 5. 9. Boni enim generis in Italia, plerique Gallici ad opus, contra jugatorii Ligustici. *Alii rectius leg.* nugatorii. *V.* NUGATORIUS.

JŬGĀTUS, a, um. *V.* JUGO.

JŬGĒ, adverb. (jugis) jugiter. *Prudent.* 10. περὶ στεφ. 472. Sed juge durans (*anima*) dispares casus subit.

JŬGĔRĀLIS, e, adject. ad jugerum pertinens. *Pallad.* 3. *R. R.* 9. *a med.* et 2. *ibid.* 12. Jugeralis tabula. *h. e.* quæris area quadrata, jugeri modum explens.

JŬGĔRĀTIM, adverb. (jugerum) per singula jugera, *a campo per campo*, κατὰ πλέθρα. *Colum.* 3. *R. R.* 3. 3. Ut primæ vineæ centenas amphoras jugeratim præberent.

JŬGĔRĀTĬO. ōnis, f. 3. (jugerum). ¶ 1. Divisio et assignatio agrorum per jugera. *Frontin. colon.* p. 146. ¶ 2. Item modus et mensura agrorum, ut *jugatio*. *Impp. Constantin. et Constans Cod. Theod.* 12. 1. 33. Minorem jugerationis modum studio cultionis exercet.

JŬGĔRUM, i, n. 2. in num. sing. frequentius est 2. decl., in plurali sæpius per 3. inflectitur, ab antiquo Nominativo *juger*, vel potius *jugus, eris*. Reperitur tamen in singulari Ablat. *jugere*, et in plur. legitur *jugeris* (quemadmodum et apud *Caton.* teste *Charis.* 2. p. 108. *Putsch.*) pro *jugeribus*. — Jugerum est mensura ex ducentis et quadraginta pedibus in longitudinem, centum et viginti in latitudinem. Nam fit ex duobus actibus quadratis, seu ex actu quadrato duplicato in longitudinem; actus autem quadratus centum et viginti pedes ex omni parte continet. Ita describunt *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (9).; *Varro* 5. *L. L.* 35. *Müll.* et 1. *R. R.* 10. 1.; *Colum.* 5. *R. R.* 1. 5. et 9.; et *Quintil.* 1. 10. 42. Dictum est, quod sit e duobus actibus quadratis simul junctis, ut *Varro* et *Colum. loc. cit.* docent. Nam quod quidam afferunt ex *Plin. loc. cit. Jugerum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset*: alii pleri que non *jugerum*, sed *jugum* legendum putant. Sic enim et apud *Varron.* 1. *R. R.* 10. 1. habetur. *V.* JUGUM. Gr. πλέθρον (It. *campo*; Fr. *champ, arpent*; Hisp. *campo, medida de tierra*; Germ. *e. Morgen Landes, Juchert*; Angl. *an acre of land*). *Varro* 1. *R. R.* 10. 1. In Hispania ulteriore metiuntur jugis, in Campania versibus, apud nos in agro Romano ac Latino jugeris. *Tibull.* 2. 6. 21. Ut multo innumeram jugere pascat ovem. *Cic.* 5. *Verr.* 47. 113. Medimnum ex jugere decumano dari poterat. *Id.* 12. *Att.* 33. Is partes fecit in ripa nescio quotenorum jugerum. *Id.* 3. *ad Q. fr.* 1. 2. Jugera quinquaginta prati facile irrigabis. *Plaut. Men.* 5. 5. 15. Non potest hæc res ellebori jugere obtinarier. *h. e.* tanta ellebori copia, quanta ex agri jugere meti potest. *Juvenal.* 9. 60 donare clientem Jugeribus paucis. — Aliter definitur spatium jugeri in *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 223. n. 595. IN FR. P. CCC. IN AGR. P. XCVI. Q. F. IVG. *h. e.* qui faciunt jugerum, nam $300 \times 96 = 28800$ pedes faciunt, quemadmodum idem pedum numerus constat ex 240×120. — Ex *Colum.* 3. *R. R.* 3. 8. jugerum soli ad vineas conserendas emebatur mille sestertiis.

JŬGES ejusdem jugi pares. Unde et conjuges et sejuges. Hæc *Paul. Diac.* p. 104. 8. *Müll.* et *Gloss. Labb.* Juges, ὁμόζυγες.

JŬGĬFLŬUS, a, um, adject. (jugis *et* fluo) jugiter fluens. *Paulin. Nolan. carm.* 35. 439. Jugifluus semper biberis.

JŬGIS, e, adject. Corripuit primam syllabam *Sedul.* 1. 18. et 2. 255. at alibi, non imitandus. — In Genitivo plur. habet *jugium*, pro quo *jugerum* dixit *Lucilius* apud *Charis.* 1. p. 40. *Putsch.* — Jugis (quam vocem alii deducunt a *jugum* quasi simul junctus; *Döderlein.* vero *Latein. Synonym. vol.* 6. p. 182. a Gr. ζωόχος, h. e. ζωὴν ἔχων vitam habens) est perpetuus, continuus, perennis, συνεχής, διηνεκής (It. *continuo, perenne, perpetuo*; Fr. *qui dure toujours, perpétuel, continuel*; Hisp. *perpetuo, continuo*; Germ. *beständig, fortwährend*; Angl. *perpetual, continual, never-failing, perennial*). Occurrit — *a*) Generatim. — De aquis dicitur, et est idem ac perennis; cui *torrens* contrarium est. *Cic.* 2. *Nat. D.* 9. 25. Ex puteis jugibus aquam calidam trahi. *Horat.* 2. *Sat.* 6. 2. Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquæ fons. *Sall. Jug.* 94. Capsenses una modo jugi aqua, cetera pluvia utebantur. *avendo una sola fontana.* — De aliis. *Plaut. Pseud.* 1. 1. 82. Is mihi thesaurus jugis in nostra est domo. *Gell.* 12. 8. *extr.* Postea jugi concordia fidissime amicissimeque vixerunt. *Impp. Valentinian.* et *Valens Cod. Theod.* 12. 6. 11. Biennio jugi. *due anni continui.* Sic *Eutrop.* 8. 13. Juge triennium. *Arnob.* 1. 13. Perpetuæ et juges calamitates. — *b*) Specialim in re sacra, *juge auspicium*, inquit *Paul. Diac.* p. 104. 1. *Müll.*, est quum junctum jumentum stercus fecit. Hinc *Cic.* 2. *Divinat.* 36. 77. Huic simile est, quod nos augures præcipimus, ne juge auspicium obveniat, ut jumenta jubeant disjungere. *Servius* ad *Virg.* 3. *Æn.* 537. Juge auguribus dicitur augurium, quod ex junctis jumentis fiat. Observant enim, ne prodituro magistratui disjunctis bobus plaustrum obviam veniat. *Hoc loco* sunt qui recte legendum putant *nisi disjunctis*. *Id. loc. cit.* mox habet Genitivum *jugetis*, quasi sit *juges, etis*, sed fortasse legendum *jugitis*: etenim legitur in *Gloss. Philox.* Jugites, συνεζευγμένοι.

JŬGĪTAS, ātis, f. 3. (jugis) perpetuitas, diuturnitas, *continuanza*. *Marcell. Empir.* 8. § 5. *ante med.* Lacrimarum jugitatem sedare. *Imp. Constantin. Cod.* 5. 17. 7. Post tam magni temporis jugitatem. *Capell.* 5. *p.* 150. Dum heres esto mi distinguit qui Lesius dicebatur, alius vero continuo nominis jugitate Milesium dicit heredem.

JŬGĬTER, adverb. (jugis). ¶ 1. Est assidue, continue, *continuamente*, διηνεκῶς. *Apul. de Mundo.* Machina jugiter per circuitum suis legibus terminata. *Mamertin. Genethl. Maxim.* 15. Exinde salutares spiritus jugiter manant. *Auson. Parental.* 19. 4. Conjugium sancti jugiter hæc habuit. *Imppp. Gratian., Valentinian.* et *Theodos. Cod. Theod.* 16. 7. 3. Jugiter atque perpetuo. Adde *Prudent.* 4. *Cathemer.* 51. — Qui *Plauto* quoque hanc vocem tribuunt, *Mil. glor.* 3. 1. 63., frustra faciunt. ¶ 2. Item continenter, *subito*. *Auson. epist.* 19. 9. Et nonas decimas ab se nox longa calendas Jugiter accirì celebranda ad festa jubebat.

JŪGLANS, andis, f. 3. (*per syncopen pro Jovis glans*: *V.* infra sub *a.*) fructus nucis arboris, gemino protectus operimento, pulvinati primum calycis, mox lignei putaminis, quod compactile est ex bifidis veluti carinis; nucleus vero quadripartita distinctione divisus, lignea intercursante membrana. Dicitur tum de fructu, tum de arbore. Gr. κάρυον (It. *noce*; Fr. *noix*; Hisp. *nuez*; Germ. *d. Wallnuss, welsche Nuss*; Angl. *a walnut or walnut-tree*). Occurrit — *a*) Absolute. *Varro* 5. *L. L.* 102. *Müll.* Juglans, quod quum hæc nux antequam purgatur similis glandis, hæc glans optima et maxima ab Jove et glande juglans est appellata. *Gabius Bassus* apud *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. Juglans arbor proinde dicta est, ac Jovis glans. Nam quia id arboris genus nuces habet, quæ sunt suaviore sapore, quam glans est, hunc fructum antiqui illi, qui egregium glandique similem, ipsamque arborem deo dignam existimabant, Jovis glandem appellaverunt: quæ nunc, litteris interlisis, juglans nominatur. *Cloatius Verus ibid.* a Græcis trahit. Juglans, inquit, di prætermissum est, quasi dijuglans, id est Διὸς βάλανος. Hanc Græci etiam basilicam nominant. Ipse *Macrob. ibid.* addit, secundum nonnulliorum opinionem a *juvando* et *glande* dictam existimari. Sed primum etymon verius est. *Cic.* 5. *Tusc.* 20. 58. Ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 12. 18. (89). Juglandium umbra gravis et noxia, etiam capiti humano, omnibusque juxta satis. *Varro* 1. *R. R.* 16. 6. Juglandes magnæ et crebræ finitimæ, fundi oram faciunt sterilem. — De juglandium satione et cultura *V. Colum.* 5. *R. R.* 10. 4.; et *Pallad.* 2. *R. R.* 15. 14. — *b*) Dicitur et *nux juglans*. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 22. 24. (86). Ab his locum amplitudine vindicaverunt nuces juglandes. *Id.* 14. *ibid.* 21. 27. (136). Defruta coquere, nucibus juglandibus additis. Cf. *Fee* (*Op. cit. vol.* 1. *p.* 254.) hanc exhibet synonymiam: Καρύα *Theophr.* 3. 15.; Καρύα βασιλική *Dioscor.* 1. 179. et *Diocl.* apud *Athen.* 2. 42.; *Juglans* Varron. loc. cit. et Colum. 5. R. R. 10. 4.; et

Nux Virg., Ovid. etc. sunt *Juglans regia* L. Spec. plant. 1415.

JŬGO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (jugum). Part. *Jugans* II. 1.; *Jugatus* in omnibus fere paragr.; *Jugandus* II. 2. — Jugare est in modum jugi conjungere et colligare; *congiungere, legare,* ζευγνυμι.

I.) Proprie. — *a*) Locum habet in re rustica, et *jugatæ vites* dicuntur, quæ pedamentis, quibus stant, transversæ alligantur. *Varro* 1. *R. R.* 8. 2., cujus verba *V.* in JUGATIO 1. *Colum. Arbor.* 4. 4. Vinearum genera tria, jugata, humi projecta, et quæ est a terra subrecta, more arborum in se consistens. *Id.* 4. *R. R.* 2ó. 1. Adminiculare et jugare vineam. *tirare in pergola.* Similiter *Id.* 12. *ibid.* 39. 1. Furcas, vel palos, qui cannas sustineant, inter quaternos pedes figere et perticis jugare. — *b*) De equis dixit *Isid.* 18. *Orig.* 35. Primus Clisteoes Sicyonius tantum medios equos jugavit.

II.) Translate. ¶ 1. Pro simplici *jungo*. *Nævius* apud *Macrob.* 1. *Saturn.* 18. Sol vagus igneas habenas immittit propius jugatque terræ. *Terentian. de syllab.* p. 2392. *Putsch.* Y sibi tantum jugantes. ¶ 2. Item pro conjungere generatim. *Cic.* 3. *Tusc.* 8. 17. Omnes enim (*virtutes*) inter se nexæ et jugatæ sunt. — *Jugata verba* apud *Quintil.* 6. 3. 66. sunt conjugata, ut *justus, justitia, juste. V.* CONJUGATIO II. ¶ 3. Item pro matrimonio jungere. *Catull.* 64. 21. Tum Thetidi pater ipse jugandum Theseo sensit. *Virg.* 1. *Æn.* 349. Cui pater intactam dederat, primisque jugarat Ominibus. *Seneca Herc. fur.* 852. Virgines nondum thalamis jugatæ. Adde *eumd. Troad.* 362. *Stat.* 1. *Silv.* 2. 183. Quas ego non gentes, quas non face corda jugavi?

JŬGO, is, ere, n. 3. *Paul. Diac.* p. 104. 7. *Müll.* Jugere milvi dicuntur, quum vocem emittunt. *Varro* apud *Non.* p. 179. 2. *Merc.* Jugere volitans milvus visus, aquam e nubibus tortam indicat fore. Ita leg. *Scaliger* ex conjectura. *Gloss. Philox.* Jugit, ἰκτὶν βοᾷ. h. e. milvus clamat. V. LIPIO. — Tribuitur et aliis. *Apul.* 5. *Met.* Jubet tibias jugere, sonatur. *Alii rectius leg.* agere. — Ceterum, ratione habita etymi, juxta *Döderlein. Latein. Synonym.* vol. 6. p. 182., hæc vox conjungenda est cum Gr. ἰύξαι, ἰυγή, unde ἴυγξ.

JŬGŌSUS, a, um, adject. (jugum) acclivis, jugis abundans, *ripido*. *Ovid.* 1. *Amor.* 1. 9. Quis probet, in silvis Cererem regnare jugosis?

JŬGŬLA, æ, et

JŬGŬLÆ, ārum, f. 1. (jugum) Ὠρίων, signum cæleste, quod et Orion vocatur. *Varro* 7. *L. L.* 50. *Müll.* Jugula signum, quod Accius appellat Oriona, quum ait: *citius Orion patescit*; hujus signi caput dicitur ex tribus stellis, quas infra duæ claræ, quas appellant humeros; inter quas quod videtur jugulum, jugula dicta. Hactenus *Varro*. Alii dicunt, hoc nomen esse Orioni a gladio, quo armatus fingitur, quasi jugulum petens. Alii a jugi aqua, quia Orion aquosus est (*Voss.* in *Etymol.*). *Paul. Diac.* p. 104. 4. *Müll.* nominis rationem hanc affert, quod hoc signum sit amplius ceteris, quasi nux juglandis. Sed hoc futile est. *Plaut. Amph.* 1. 1. 119. Nec Jugulæ, neque Vesperugo, neque Vergiliæ occidunt. *Alii leg.* Jugula *sing. num.* — *Manil.* 5. 175. Nunc Cancro vicina canam, cui parte sinistra Consurgunt Jugulæ. Sed *Manilio* Jugulæ dicuntur, quos alii Asellos in signo Cancri interpretantur.

JŬGŬLĀTIO, ōnis, f. 3. (jugulo) actus jugulandi, *scannamento, uccisione,* ἀποσφαξις. *Auct. B. Hisp.* 15. Jugulatione oppidanorum facta. Adde *eumd. ibid.* 18. *extr.*

JŬGŬLĀTOR, ōris, m. 3. (jugulo) qui jugulat, *scannatore*. *Gloss. Philox.* Jugulator, φονεύς, σφάκτης. *Salvian.* 3. *advers. Avar.* 20. Non respicias adulationes eorum: gladii sunt jugulatores tui, et quidem ferreis atque hostilibus tetriores. *Hieronym. Ep.* 2. 22. Julianus, proditor animæ suæ, et christiani jugulator exercitus.

JŬGŬLĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

JŬGŬLO, as, āvi, ātum, are, a. 1. (jugulum). Part. *Jugulatus* I. et II.; *Jugulandus* I. — Jugulare est jugulum præcidere, incidere, et generatim obtruncare, trucidare, interficere, σφάττω (It. *scannare, uccidere*; Fr. *égorger, massacrer, tuer*; Hisp. *degollar, asesinar, matar*; Germ. d. *Kehle zudrücken, erwürgen, erstechen, erdolchen, abschlachten, ermorden*; Angl. *to cut the throat, butcher, kill, slay*).

I.) Proprie. *Cic.* 5. *Tusc.* 40. 116. Ne stridorem quidem serræ tum audiunt, quum acuitur, aut grunnitum, quum jugulatur sus. *Id.* 3. *Phil.* 2. 4. In hospitis tectis Brundisii fortissimos viros, cives optimos jugulari jussit. *Id. Mil.* 11. 31. Jugulari a vobis, quia se illi non jugulandum tradidisset. *Nepos Eumen.* 12. *extr.* Insciente Antigono jugulatus est a custodibus. *Val. Flacc.* 7. 277. totque ora simul jugulata procorum Respiciens. *Cels.* 3. 15. *extr.* Quartana neminem jugulat. *Forcellinus* hunc *Cels.* locum inter translata retulit.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. *Cic.* 4. *Verr.* 26. 67. Posteaquam tam multis eum factis decretis que jugulasset. *Id.* 5. *ibid.* 54. 126. His te litteris, homo audacissime, jugulatum esse non sentis? *M. Anton.* apud *Cic.* 13. *Phil.* 18. 38. Quo facilius reviviscat Pompejanorum causa toties jugulata. — Jugulare hominem est convincere. *Ter. Eun.* 3. 1. 27. Pulcre mehercle dictum et sapienter! papæ! jugularas hominem. *Cic.* 7. *Verr.* 64. 155. Jugulari sua confessione. — *Jugulari suo gladio suoque telo* dicitur, qui suis verbis, suo invento, dolove capitur. *Ter. Adelph.* 5. 8. *in fin.* — *Jugulare gladio plumbeo* est futili levique argumento et nullo negotio aliquem convincere. *Cic.* 1. *Att.* 16. 2. Quum illum plumbeo gladio jugulatum iri tamen diceret. — *Jugulare Falernum* apud *Martial.* 1. 19. est depravare, corrumpere, deteriore vino immisto. — *Jugulare curas* apud *eumd.* 8. 51. est conficere, abstergere. *V.* BIBO II. ¶ 2. Specialim usurpatur ad significandam alicujus damnationem, quæ per summam vim extorta sit. *Cic. Rosc. Am.* 10. 29. Hac amentia impulsi, quem ipsi quum cuperent non potuerunt occidere, eum jugulandum vobis tradiderunt. Cf. *ejusd. locum Mil.* 11. 31. allatum supra 1. Hinc jocalariter *Horat.* 1. *Sat.* 7. 33. per magnos, Brute, deos te Oro, qui reges consueris tollere, cur non Hunc Regem jugulas?

JŬGŬLUM, i, n. *et raro admodum*

JŬGŬLUS, i, m. 2. (*a jungo ut plerique volunt, vel a jugum ut nonnulli putant*). *Arnob.* 1. 59. Non item apud vos est positum hoc pane et hic panis, hic sanguinis, hoc sanguen? candelabrum et jugulum, ratione eadem jugulus et candelaber? — Ceterum jugulum est pars colli anterior supra pectus, ad gulam. Hoc nomine veniunt tum duo illa ossa, quæ sunt supra summas costas, unde collum incipit, ut est apud *Cels.* 8. 1. *a med.*, et *claviculæ* dicuntur ab anatomicis: tum vero, et quidem sæpius, cavum illud, quod circa gulam, supra illa duo ossa, utrimque conspicitur: unde et *jugula* plurali numero sæpe vocantur. Item universim tota ipsa gula. σφαγή, λαιμός (It. *gola, strozza*; Fr. *gorge*; Hisp. *garganta*; Germ. d. *Kehle*; Angl. *the throat or neck*). Occurrit — *a*) Generatim. Dicitur proprie de homine, teste *Plin.* 11. *Hist. nat.* 43. 98. (243). Uni homini juguli, humeri: ceteris armi. — Ceterum *Cic. Fat.* 5. 10. Zopyrus stupidum esse Socratem dixit, quod jugula concava non haberet. *Plaut. Merc.* 3. 4. 28. Demittere gladium in jugulum. *Ovid.* 13. *Met.* 458. jugulo ferrum condere. *Seneca Agam.* 973. mergere. *Ovid.* 1. *Met.* 227. Jugulum resolvere. *Tac.* 3. *Ann.* 15. perfodere. — *b*) Specialim et sæpe refertur ad vitam et sanguinem. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 22. 28. (141). Alii mortifera loquuntur, redituræque per jugulum voces non continent. *Juvenal.* 4. 110. tenui jugulos aperire susurro. *Lucan.* 2. 317. Hic dabit, h... pacem jugulus finemque laborum. *Quintil.* 9. *Declam.* 21. Jam præbendus erat jugulus et fundenda vita cum sanguine. *Cic. Mil.* 11. 31. Optabilius fuit Miloni dare jugulum P. Clodio, non semel ab illo petitum, quam jugulari a vobis, quia se illi non jugulandum tradidisset. *Id.* 1. *Att.* 16. *ante med.* Ut aperte jugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. *Tac.* 1. *Hist.* 41. Offerre alicui jugulum. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 89. amaras Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit. *Cic.* 14. *Phil.* 9. 25. Qui Antonii immanem crudelitatem non solum a jugulis nostris, sed etiam a membris et visceribus avertit. *Manil.* 4. 123. In jugulumque dabit fructus. h. e. in necem, vel exitium. — *c*) Eleganter dicitur orator *jugulum petere*, quando, quod est in causa potissimum, id invadit, ac premit adversarium videturque illum jugulare argumentis. *Quintil.* 8. 6. 51. Nam illa in agendis causis jam detrita, pedem conferre, et jugulum petere, et sanguinem mittere, inde sunt, nec offendunt tamen.

JŬGUM, i, n. 2. ligneum instrumentum recurvum, quod duorum boum collo transversum impositum, eos simul jungit et colligat; a voce Græca ζυγός quæ idem significat, quæque ratione habita etymi ad v. *jungo* pertinet (It. *giogo*; Fr. *joug des bœufs et autres animaux*; Hisp. *yuga de bueyes*; Germ. *Joch der Rinder*; Angl. *a yoke*).

I.) Proprie. — *a*) De bubus et similibus. *Cic.* 2. *Nat. D.* 60. 151. Nos onera quibusdam bestiis, nos juga imponimus. *Virg.* 3. *G.* 57. Bos juga detrectans. *Tibull.* 4. 1. 170. colla jugo didicit submittere taurus. *Ovid. Heroid.* 6. 97. taurus juga ferre coegit. *Virg.* 4. *Ecl.* 41. Solvere juga tauris. *Horat.* 3. *Od.* 6. 42. Demere juga bobus fatigatis. *Quintil.* 11. 3. 55. Jumenta onere et jugo laborantia. *Ovid.* 4. *Fast.* 216. leones Præbent insolitas ad juga curva jubas. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 16. 21. (55). Leones jugo subdere et ad currum jungere. *Id.* 10. *ibid.* 45. 62. (128). Leones jugum subeunt. *Horat.* 3. *Od.* 3. 14. Collo tigres jugum trahentes. — *b*) Non bubus solum, sed equis etiam, mulis, asinis sub currum junctis jugum imponebatur. Et in quadrigis quidem, ubi equi quaterni æqua fronte juncti erant, duo medii jugum habebant, duo reliqui funibus ac loris alligabantur. Hinc illi *jugales*, hi *funales* dicti. Est tamen discrimen inter boum et equorum juga. In bobus enim, quorum cervix ad trahendum apta est, tria sunt jugi officia, ipsos inter se jungendi; temonis sustinendi regendique; et plaustri trahendi: in equis, qui non cervice, sed pectore trahunt, duo priora tantum: quare præter jugum helcia quoque habebant, queis axi currus alligarentur. De asinorum mulorumque jugo testes *Cato*, qui *R. R.* 11. jugum asinarium memorat: et *Martial.* 9. 58. Nec ruptæ recutita colla mulæ. *scil.* jugo ferendo. Adde *Phædr.* 3. 6. De equis vero poetæ passim, et alii. *Virg.* de his loquens 3. *Æn.* 541. Iidem olim curru succedere sueti Quadrupedes, et frena jugo concordia ferre. *Ovid.* 12. *Met.* 77. tum colla jugo candentia pressos Exhortatur equos. et 2. *ibid.* 314. Consternantur equi, et saltu in contraria facto, Colla jugo eripiunt. *Curt.* 3. 11. Equi jugum quatere et regem curru excutere cœperant. *Id.* 4. 15. Equi jactatione cervicum jugum excusserant. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 81. hic sub juga ferrea mittit Cornipedes. — Ad equos itidem pertinet illud *Stat.* 6. *Theb.* 416. nunc avidi prono juga pectore tangunt. h. e. aurigæ proni et prope tangentes pectore jugum equorum decurrentium.

II.) Translate. ¶ 1. Interdum accipitur — *a*) Pro pari boum, *un pajo di buoi*. *Cic.* 5. *Verr.* 51. 120. Ager decumanus propter istius avaritiam desertus est; neque id solum accidit, uti minus multis jugis ararent, si qui in agris remanserunt, sed etiam etc. Adde *eumd. ibid.* 52. 121.; et *Ovid.* 1. *Fast.* 564. Sic *Plin.* 33. *Hist. nat.* 10. 47. (135) Juga boum tria millia. — *b*) Juga pro equis jugalibus sunt in illo *Virg.* 5. *Æn.* 146. Nec sic immissis aurigæ undantia lora Concussere jugis. — *c*) Immo jugum accipitur et pro pari cujuscumque generis rerum, *un pajo*. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 4. 5. (15). Jugum aquilarum. *Val. Max.* 5. 5. n. 3. Fraternum jugum Claudiæ gentis. *un pajo di fratelli*. ¶ 2. Hinc pro modo et mensura agri. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 3. 3. (9). Jugum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset. *Al. leg.* jugerum; sed Harduin. tuetur jugum. Nam et *Varro* 1. *R. R.* 10. 1. In Hispania ulteriore metiuntur juga, in Campania versibus, apud nos in agro Romano ac Latino jugeris. Jugum vocant, quod juncti boves uno die exarari possunt. Hinc apud *Colum.* 2. *R. R.* 13. 7. uno jugo aliquid facere, est una opera unius bubulci cum jugo boum. Hæc *Forcellinus*. Ceterum *Schneiderus* apud *Varron. loc. cit.* legit *jugerum* pro *jugum*; ejusque auctoritate fretus *Sillig.* apud *Plin. loc. cit.* similiter leg. ¶ 3. A similitudine est jugum in vitibus, quum duobus, aut pluribus pedamentis transversa earum brachia alligantur; vel pluribus perticis terræ fixis, aliæ super eas transversæ imponuntur, super quas ipsæ vites flexæ alligantur. *Varro* 1. *R. R.* 8. 2. quatuor jugorum genera enumerat, perticam, arundinem, restes, vites: jugationis duo, directum et compluviatum: et singula describit. *Colum.* quoque multa disputat hac de re 4. *R. R.* 16. *ad fin.* et *ibid.* 17. et 19. Adde *Plin.* 17. *Hist. nat.* 21. 35.

(164). Hinc illa *Colum.* 4. *R. R.* 22. 1. Vineam sub jugum mittere. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (165). Palmes in jugum insilit. *et mox.* Vineam ad jugum perducere. — Ex allatis *Varron.* et *Colum.* locis satis patet, *jugum* dici tum ipsam jugatam vitem, tum perticam transversam, qua jugum fit. Sunt qui putant, ab hoc vineatico jugo ad militare (de quo in paragr. proxime seq.) deductam appellationem: alii contra. ¶ 4. Præterea a similitudine *jugum* dicitur in re militari quum, transversa hasta duabus stantibus imponitur (uti docent *Liv.* mox citandus; et *Festus* p. 305. 18. *Müll.* quocum cf. *Paul. Diac.* p. 104. 5. Hinc *Auson. Technopægn. de litt. monosyllab.* 15. Hostilis quæ forma jugi est, hanc efficiet II.), ita tamen demissa, ut qui subter transire velit, curvare se et corpus duplicare necesse sit. Sub hoc jugum victos hostes a victoribus mitti ignominiæ causa mos fuit, demptis armis et veste detracta. *Cic.* 3. *Off.* 30. 109. Quum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub jugum missis, etc. V. *Liv.* 3. 28. *extr.* et 9. 4. et *seqq.* et *ibid.* 15. et 10. 36. — Metaphorâ hinc sumptâ *Seneca Provid.* 4. Calamitates terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est. ¶ 5. Etiam scapus stateræ, vel libræ transversus, *jugum* dicitur, *il braccio della stadiera, o bilancia.* Hinc de Libra, signo cælesti, *Cic.* 2. *Divinat.* 47. 98. Romam, in jugo quum esset luna, natam esse dicebat. *Solin.* enim c. 1. Romulus fundamenta murorum jecit, Jove in Piscibus, Luna in Libra constitutis. *Manil.* 1. 609. Et juga Chelarum medio volitantia cælo. *h. e.* extrema Scorpii brachia, quæ adeo extenta sunt, ut Libræ signum occupent. ¶ 6. Item lignum teres transversum in textorio instrumento, cui tela imponitur et circumvolvitur, *subbio.* *Ovid.* 6. *Met.* 55. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo. *V.* JUGALIS II. ¶ 7. Item baculos incurvos, quem rustici collo seu humeris imponunt ad singulas utrimque corbes, seu sirpiculos, sustinendos: Græci ἀνάφορον et ἀσίλλαν, Itali *arconcello*, nostrates vulgo *bigòlo*, fortasse a *bis* et *collum*, Galli vero *palanche* vocant. *Varro* 2. *R. R.* 2. 9. Quum inter hæc bina loca, ut jugum continet sirpiculos, sic calles publicæ distantes pastiones. ¶ 8. Item transtrum, quo transverso remiges sedent, *panca, trasto:* quod et Græci ζυγὸν appellant, teste *Servio* ad illud *Virg.* 6. *Æn.* 411. Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant, Deturbat, laxatque foros. ¶ 9. Denique sæpissime est cacumen, vertex, *sommità, cima d'un monte:* et universim ipse mons. *Virg.* 5. *Ecl.* 76. Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit. *Cic.* 3. *Orat.* 19. 69. Ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientum jugo sunt doctrinarum facta divortia. *Ovid. Heroid.* 5. 138. In immensis qua tumet Ida jugis. *Id. Remed. am.* 202. Nunc tua frondosis retia tende jugis. — Præcipue vero dici videtur de continuo montis cacumine. *Cæs.* 1. *B. C.* 70. Ut mutato itinere, jugis Octogesam perveniret. — Neque tamen summum verticem proprie significat, sed dorsum montis vertice inferius, et colles minus assurgentes. *Ovid.* 4. *Met.* 656. Quantus erat, mons factus Atlas. Jam barba comæque in silvas abeunt: juga sunt humerique manusque: Quod caput ante fuit, summo est in monte cacumen. *Propert.* 2. 25. 78. Quo seges in campo, quo viret uva jugo. ¶ 10. Translate a jugo boum — *a)* Universim est alienum imperium, servitus, tyrannis, *giogo, soggezione, oppressione.* *Cic.* 1. *Phil.* 2. 6. Cujus a cervicibus jugum servile dejecerant. *Horat.* 2. *Sat.* 7. 91. eripe turpi Colla jugo: liber, liber sum, dic age. *Id.* 3. *Od.* 9. 18. Venus diductos jugo cogit aeneo. *Justin.* 44. 5. 8. Nec prius, perdomita provincia, jugum Hispani accipere potuerunt, quam etc. *Tac. Agric.* 31. Exuere jugum, *sottrarsi dal dominio.* *Ovid. Remed. am.* 90. Colla jugo subtrahere. *Plin. Paneg.* 11. Hostes sustulerant animos, et jugum excusserant. *Seneca Octav.* 250. Orbem turpi jugo premere, *tiranneggiare.* et *Agam.* 134. Animum jugo premit Cupido turpi. *Id. Herc. fur.* 432. Servire et jugum pati. *Stat.* 1. *Theb.* 19. Rhenus jugo adactus, *assoggettato.* — *b)* Specialim de conjugii vinculo. *Horat.* 2. *Od.* 5. 1. Nondum subacta ferre jugum valet Cervice. Ait enim *Isid.* 9. *Orig.* 7. Jugo in nuptiis conjuges copulantur, ne resolvi, aut separari possint. *Servius* ad *Virg.* 4. *Æn.* 16. Jugali autem, propter jugum, quod imponebatur matrimonio conjungendis. — *c)* Item de calamitate et incommodis. *Horat.* 1. *Od.* 35. 26. diffugiunt, cadis Cum fæce siccatis, amici, Ferre jugum pariter dolosi. *Juvenal.* 13. 21. felices, qui ferre incommoda vitæ, Nec jactare jugum vita didicere magistra. — *d) Pari jugo niti* est æquali contentione ac studio una cum altero quippiam agere, *con eguale studio e sforzo.* *Seneca Ep.* 100. *ad fin.*; et *Plin.* 3. *Ep.* 9.

JŬGŪMENTO, as, are a. 1. (jugo) est transversa materia aliquid munire et colligare, ut in jugo vineatico et militari fit. Occurrit tantum Part. *Jugumentans* apud *Vitruv.* 2. 1. Luteas glebas arefacientes, struebant parietes, materia eos jugumentantes. *et paullo post.* Alternis trabibus angulos jugumentantes. *Al. leg.* jugamentantes.

JŬGŪMENTUM, i, n. 2. (jugo) colligatio in modum jugi vineatici, aut militaris. *Cato R. R.* 14. Limina, postes, jugumenta. *et paullo post.* Jugumenta et antepagmenta. *h. e.* limina superiora januarum, fenestrarum, et hujusmodi, quæ transversa arrectos postes continent ac firmant. *Al. leg.* jugamenta *eod. sensu.* *Inscript.* apud *Henzen.* 7312. IVGMENTVM (sic) ET PARIES INSVPER PRIVATVS AEDIVM PRAEDI L. PONTI ASYLLI ET ACILIAE THEOCRITAE.

JŬGUS, a, um, adject. jugo conjunctus. *Cato R. R.* 10. Vasa juga quinque. *Varro* 1. *R. R.* 22. 3. hæc eadem *Catonis* verba repetit.

JŪMENTĀLIS, e, adject. (jumentum) ad jumenta pertinens, jumentarius. *Ambros.* 5. *Hexæm.* 3. Et homo ista procuras, interpres adulterii jumentalis.

JŪMENTĀRĬUM, ii, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

JŪMENTĀRIUS, a, um, adject. (jumentum) ad jumenta pertinens. *Jabolen. Dig.* 33. 7. 27. Molas manuarias supellectilis, jumentarias instrumenti esse, Ofilius ait. *Apul.* 9. *Met.* Jumentarium contubernium. *Gloss. Cyrill.* Κτηνοτρόφος, jumentarius. *h. e.* qui jumenta educat. *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 62. AP. QVINTIVS AP. L. NICEPHORVS MEDICVS IVMENTARIVS. *veterinario, maniscalco.* — *Collegii jumentariorum* mentio fit in *Inscript.* apud *Fabrett.* p. 707. n. 276. LOCVM SEPVLTVRAE DONAVIT C. VALGIVS FVSCVS CONLEGIO IVMENTARIORVM PORTAE GALLICAE POSTERISQVE EORVM. *h. e.* eorum, qui jumenta curant: fortasse *vetturali*, vel *mulattieri.* Adde *aliam* apud *eumd.* p. 91. n. 179. et apud *Murat.* 525. 5. — Hinc

Jumentarium, ii, n. 2. absolute, substantivorum more, est equile, stabulum. *Gloss. Cyrill.* Κτηνοστάσιον, jumentarium.

JŪMENTUM, i, n. 2. ¶ 1. Est quadrupes majus, ex eorum genere, quibus utimur ad gerendum, trahendumve, ut equi, muli, boves, asini, cameli etc., a *jungo*, ut docet *Gell.* mox citandus, per syncop. a *jugumentum* (eadem forma qua ζεῦγμα, et eodem sensu quo ζεῦγος): vel a *juvo*, quasi *juvamentum*, quod nostrum laborem vel onera subvectando, vel arando juvant, ut *Colum. præfat. l.* 6. *R. R.* 3. loquitur. Gr. ὑποζύγιον (It. *giumento*; Fr. *bête de trait ou de somme*, Hisp. *bestia caballar*; Germ. d. *Zugvieh*, *Lastvieh*, *Lastthier*; Angl. *a beast of burden packhorse, jument*). Occurrit — *a)* Universim. *Cato R. R.* 5. *ad fin.* Scabiem pecori et jumentis caveto. *Cic.* 1. *Tusc.* 47. 113. Quum illam curru vehi jus esset, morarenturque jumenta. *Nepos Timol.* 5. Vectus jumentis junctis, de vehiculo ea, quæ videbantur, dicebat. *Cæs.* 1. *B. C.* 60. Undique conquisitis jumentis, frumentum in castra deportant. *Sall. Jug.* 78. Jumenta sarcinis levare. *Nepos Hann.* 5. Sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit. — *b)* Servus a jumentis est qui jumenta curat, *capo di stalla.* *Inscript.* apud *Spon. Miscell.* p. 209. v. SALLVSTIO EVTYCHO A IVMENTIS CAESARIS S. FLAVIA NOBABA CONIVGI B. M. *Alia* apud *Henzen.* 6320. DIS MANIBVS ADIVTORIS. VIXIT ANNIS XI. ATHENAIS EPAPHRODITI NERONIS CAESARIS AVGVSTI A IVMENTIS FILIO CARISSIMO FECIT. Etiam *supra jumenta*, vel *superjumentarius* dicebatur, qui eorumdem curam habebat. *V.* SUPERJUMENTARIUS. — *c) Malam rem jumento suo arcessere*, proverb. apud *Plaut. Amph.* 1. 1. 171. *h. e.* sui mali ipsum sibi auctorem ac fabrum fore. — *d)* Interdum *jumentum* sic usurpatur, ut equos, mulos, asinosve significet, boves non significet. In vet. *Tab. æn.* apud *Murat.* 582. *sub fin.* PLOSTRA BVBVS IVMENTISQVE IVNCTA. *Colum.* 6. *R. R.* 19. 1. Machina fabricanda est, qua clausa jumenta bovesque curentur. et *ibid.* § 2. Firmum jugum, ad quod jumenta capistrentur, vel boum cornua religentur. *Ulp. Dig.* 21. 1. 38. *ante med.* Jumentorum appellatione non contineri boves, verius est: sed pecoris appellatione continebuntur. Hinc *Martian. Dig.* 32. 1. 63. *sub fin.* Jumentis legatis, boves non continentur. — *e)* Interdum dicitur de solis curru junctis. *Plin.* 2. *Ep.* 17. Iter arenosum jumentis paullo gravius et longius, equo breve et molle. *Alii melius leg.* junctis *pro* jumentis. ¶ 2. Præterea etiam ipsum vectabulum, quod adjunctis pecoribus trahitur, jumentum veteres a jungendo dixerunt, inquit *Gell.* 21. 1. *circa med.* exponens illud *ex Legib. XII. Tab.* SI IN IVS VOCAT; SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT, QVI IN IVS VOCABIT, IVMENTVM DATO.

JUNCĒTUM, i, n. 2. (juncus) locus junci consitus, *giuncajo, giuncheto*, σχοινών. *Varro* 1. *R. R.* 8. 3. Primum genus maxime quærit salicta, secundum arundineta, tertium junceta.

JUNCĔUS, a, um, adject. (juncus) ad juncum pertinens.

I.) Proprie. ¶ 1. Junceus est et dicitur qui est ex junco, *di giunco*, σχοινώδης. *Ovid.* 4. *Fast.* 870. juncea vincula. *Colum.* 12. *R. R.* 6. 1. Sporta juncea, vel spartea. *Plin.* 21. *Hist. nat.* 14. 49. (81). Juncea cratis. *Id.* 11. *ibid.* 23. 27. (78). Junceus focus. ¶ 2. Item junco similis. *Plin.* 25. *Hist. nat.* 8. 47. (85). Herba caule junceo pedali. *Ter. Eun.* 2. 3. 23. si qua est habitior paullo, pugilem esse ajunt: deducunt cibum: tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas. *h. e.* graciles, tenues, macras: *magre, disfatte.* Sic *Prudent.* 9. περὶ στεφ. 132. juncea pectora. *V.* LIGNEUS. *Auson. epist.* 4. 46. Pectore sic tenero, plana sic junceus alvo Per teretes feminum gyros surasque nitentes Descendis, talos a vertice pulcher ad imos. *h. e.* alvo ita depresso, ut junceus esse videaris; summæ enim pulcritudinis laus est in alvi depressione, qualis adolescentulorum et puellarum virginum esse solet. *Cassiod.* 7. *Variar.* 15. Columnarum juncea proceritas.

II.) Translate et jocose *Plaut. Stich.* 4. 2. 56. Nam mihi lotus potione juncea onerabo gulam. *h. e.* laqueo junceo mihi gulam frangam. Ita habet *Cod. Ambros.* apud *A. Maium, Plaut. fragm.* p. 30.: editiones minus recte vincea.

JUNCĬDUS. *V.* EJUNCIDUS.

JUNCĪNUS, a, um, adject. (juncus) junceus. *Plin.* 15. *Hist. nat.* 7. 7. (30). Juncinum oleum. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM.

JUNCŌSUS, a, um, adject. (juncus) junci abundans, *pieno di giunchi.* *Ovid.* 7. *Met.* 231. Juncosa litora. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 6. 8. (46). Juncosus ager.

JUNCTIM, adverb. (jungo) conjunctim, contigue, *unitamente, vicino*, ζυγαδην. — *a)* Refertur ad locum. *Gell.* 12. 8. Ut apud eamdem mensam duo illi junctim locarentur. *Mamertin. Genethl. Maxim.* 11. Junctim sedere. — *b)* Refertur ad tempus, *continuamente.* *Sueton. Claud.* 14. Consulatus quatuor gessit: ex quibus duos primos junctim, sequentes per intervallum.

JUNCTĬO, ōnis, f. 3. (jungo) conjunctio, junctura, *congiunzione, unione*, ζεῦξις. *Cic.* 1. *Tusc.* 29. 71. Est enim interitus quasi discessus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur. Adde *Cassiod.* 12. *Variar.* 19.

JUNCTĪVUS, a, um, adject. (jungo) idem ac conjunctivus. *Probus* apud *A. Maium* in *Class. auct. T.* 5. p. 289. Modo conjunctivo, sive junctivo, tempore præsenti, sive instanti. *Id.* alibi sæpe eodem adjectivo utitur.

JUNCTOR, ōris, m. 3. (jungo) qui mulas jungit ad rhedam, vel mulio tantum, et lecticarius. *Alfen. Dig.* 50. 16. 203. Quo in genere junctores, cubicularii, coci numerantur. Alii leg. *unctores*; sed quum voces *adjunctor* et *junctura* recte usurpentur, quippini etiam *junctores?* *Gloss. Philox.* Junctor, ζευκτής. Pro hujusmodi voce pugnat etiam *Marin. Frat. Arv.* p. 824. *V.* ZEUNITOR.

JUNCTŪRA, æ, f. 1. (jungo) junctio, conjun-

ctio, ζεῦξις (It. *congiungimento, unione, giuntura*; Fr. *liaison, jointure, joint, assemblage*; Hisp. *ligazon, union, conjuncion*; Germ. d. *Verbindung, Zusammenfügung, Fuge*; Angl. *a joining, uniting, union, conjuntion*).

I.) Proprie. *Colum.* 2. *R. R.* 2. 22. In opere boves arcte junctos habere convenit, quo speciosius ingrediantur *etc.* hoc enim genus juncturæ maxime probatum est. *Ovid.* 2. *Met.* 823. Genuum juncturæ. *Id.* 12. *ibid.* 288. Terque quaterque gravi juncturas verticis ictu Rupit (*le suture del cranio*), et in liquido sederunt ossa cerebro. *Id.* 2. *ibid.* 375. digitosque ligat junctura rubentes. *h. e.* pellis, quæ pedes ligat avium aquaticarum. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 40. 79. (214). Ut humor teneat juncturas. *le commissure.* Sic *Id.* 13. *ibid.* 15. 29. (93). Mensa commissa ex orbibus dimidiatis duobus latente junctura. *Virg.* 12. *Æn.* 273. tertius qua sutilis alvo Balteus, et laterum junctura fibula mordet. *h. e.* oras, quibus balteus committitur. *Vitruv.* 5. 12. Quadrato saxo murus ducatur juncturis quam longissimis, uti maxime medii lapides coagmentis contineantur. *h. e.* lapidibus transversis longioribus, qui alios minores per muri crassitudinem jungunt et continent; *calettature* dicunt Itali, nostrates vulgo *immorsature*.

II.) Figurate. ¶ 1. Juncturæ dicuntur copulæ, habenæ, lora, vel juga, quibus jumenta currui junguntur. *Capitolin. Ver.* 5. Data et vehicula cum mulabus, et mulionibus, cum juncturis argenteis. ¶ 2. Item ipsa jugalia jumenta. *Paul.* 3. *Sentent. tit.* 6. § 91. Carruca cum junctura legata, mulæ quoque legatæ, nec non et mulio videtur, propter quotidianam loquendi consuetudinem. ¶ 3. Transfertur et ad sanguinis conjunctionem. *Ovid. Heroid.* 4. 135. Junctura generis. *parentela.* ¶ 4. Item sæpe dicitur de compositione oratoria verborum. *Quintil.* 9. 4. 32. In omni compositione tria sunt necessaria, ordo, junctura, numerus. *et paullo post.* Junctura est in verbis, incisis, membris, periodis. *Horat. Art. P.* 242. tantum series juncturaque pollet. *Pers.* 1. 64. carmina molli Nunc demum numero fluere, ut per leve severos Effundat junctura ungues. ¶ 5. Et de compositione grammatica. *Horat. Art. P.* 47. Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit junctura novum. Hinc verba *juncta* apud *Cic.* sunt composita. V. *Junctus* in fin. v. JUNGO.

JUNCTUS, a, um. *V.* JUNGO.

JUNCTUS, us, m. 4. (jungo) junctio. In Ablat. *Varro* 5. *L. L.* 47. *Müll.* Cerolienis a carinarum junctu dictus Carinæ.

JUNCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* dulciariæ placentæ genus, ad similitudinem junci effictum. *Apul.* 10. *Met.* Hic panes, crustula, junculos, hamos etc. Ita legit et explicat *Beroaldus*. Alii melius leg. *lucunculos*.

JUNCUS, i, m. 2. ¶ 1. Est frutex longi viminis, texendo vinciendoque utilis: unde et nomen traxisse putent, nempe a *jungendo*; *giunco*, σχοῖνος. Varia ejus genera, varios item in medicina usus *Plin.* 21. *Hist. nat.* 18. 69. (112). recenset. *Plaut. Rud.* 3. 4. 27. Quasi murteta juncis, item ego vos virgis circumvinciam. *Tibull.* 2. 3. 15. Tum fiscella levi detexta est vimine junci. Cf. *Colum.* 10. *R. R.* 306. contorti stamine junci. *h. e.* calathum e junco. *Virg.* 1. *Ecl.* 49. Limosoque palus obducat pascua junco. *Ovid.* 8. *Met.* 336. juncique palustres. *Id.* 4. *ibid.* 299. Nec steriles ulvæ, nec acuta cuspide junci, ὀξύσχοινος. V. *Plin. loc. cit. Cassiod.* 3. *Variar.* 53. Juncus aquatilis. ¶ 2. Est etiam nomen commune virgis flexilibus cujusque plantæ, junci similibus. *Plin.* 26. *Hist. nat.* 8. 46. (72). Apios ischas juncos duos sive tres spargit in terra rubentes. — Cf. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. *p.* 72.) juncorum, quos *Plinius* memorat, hanc exhibet synonymiam: I. *Juncus mariscus.* Ὁλόσχοινος Theophr. Hist. plant. 4. 13. et Dioscor. 4. 52?; et *Juncus mariscus seu holeschœnos* Plin. loc. cit. sunt *Schœnus Mariscus* L. Spec. plant. 63. — II. *Juncus marinus.* Ὀξύσχοινος Græcor.; et *Juncus marinus* Plin. loc. cit. sunt *Schœnus nigricans* L. Spec. plant. 64. — α) *Juncus acutus.* Σχοῖνος ὀξύς Theophr. Hist. plant. loc. cit.; Ὀξύσχοινος Dioscor. 4. 52. (*qui in mucronem fastigintur*); et *Juncus acutus* Plin. loc. cit. sunt *Schœnus mucronatus* L. Spec. plant. 63. — β) *Juncus femineus, semine nigro.* Μελαγκρανίς Theophr. loc. cit.; Σχοῖνος μέλας Dioscor. 4. 52.; et *Juncus marinus femineus* Plin. loc. cit. sunt *Juncus acumine reflexo major* C. Bauh. Pin. p. 12. — γ) *Juncus holoschœnus* est *Scirpus Holoschœnus* L. loc. cit. — III. *Juncus triangularis.* Κύπειρος ὁ ἄτερος Theophr. Hist. plant.; Σχοῖνος ejusd. 9. 19.; Κύπειρος Dioscor. 1. 4.; et *Juncus dictus cyperus* Plin. loc. cit. sunt *Cyperus longus* L. Spec. plant. 67. — IV. *Juncus radice bulbosa seu cypirus* est idem quod GLADIOLUS, quem vor. *V.* — V. *Juncus euripice dictus.* Εὐριπική, al. Αἰθιοπική Dioscor. 4. 52. De hoc nihil certe statui potest. — VI. *Juncus odoratus.* Σχοῖνος εὔοσμος Dioscor. 1. 16.; et *Juncus odoratus* Plin. loc. cit. vel *Juncus* sine addito sunt *Andropogon Schœnanthus* L. Spec. plant. 1481. — VII. *Calamus aromaticus.* Κάλαμος μυρεψικὸς Hippocr. Morb. Muller. 2. 651.; Κάλαμος εὔοσμος Theophr. Hist. plant. 9. 7.; Κάλαμος ἀρωματικὸς Dioscor. 1. 17.; et *Calamus aromaticus* Plin. 12. Hist. nat. 22. 48. (105). et Cels. 3. 31. sunt *Acorus Calamus* L. Spec. plant. 462. var. β. *Asiaticus?* — VIII. *Acorus.* Ἄκορον Dioscor. 1. 2.; Ἄκορος Græcor. recentior.; et *Acoron* Plin. 25. Hist. nat. 13. 100. (157). sunt *Acorus Calamus* L. loc. cit. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

JUNGO, gis, xi, ctum, gere, a. 3. Part. *Jungens* I. 8.; *Junctus* in omnibus peragr. et in fin. *Juncturus* I. 2.; *Jungendus* II. 5. — Jungere (quod ratione habita etymi pertinet ad *jugum* et Gr. ΖΥΓ verbi ζεύγνυμι) est jugo copulare, nectere, conjungere (It. *aggiogare, attaccare, unire, mettere insieme, congiungere*; Fr. *atteler, joindre, lier, unir, assembler, attacher*; Hisp. *atar al yugo, unir, juntar, ligar*; Germ. *anspannen, verknüpfen, vereinigen, verbinden*; Angl. *to join, couple, yoke*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu est jumenta sub currum plaustrumve jugo copulare, *aggiogare, giugnere, metter sotto.* *Virg.* 3. *G.* 169. Junge pares, et coge gradum conferre juvencos. et *ibid.* 113. Primus Erichthonius currus, et quatuor ausus Jungere equos. *Id.* 7. *Æn.* 724. curru jungere equos. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 3. 15. (52). ad currum. Rursus *Virg.* 12. *Æn.* 735. quum prima in prælia junctos Conscendebat equos. *h. e.* currum equis junctis tractum. Cf. *eumd.* 3. *ibid.* 113. Et juncti currum dominæ subiere leones. et 3. *Ecl.* 91. Atque idem jungat vulpes et mulgeat hircos. *de re impossibili.* — Hinc etiam *Id.* 4. *G.* 388. Proteus, magnum qui piscibus æquor Et juncto bipedum curru metitur equorum. Similiter *Cic.* 6. *Att.* 1. *ad fin.* Rheda equis juncta. *Liv.* 42. 65. Juncta vehicula mille capiuntur. *carra co' cavalli sotto.* ¶ 2. Universim est duo vel plura simul unire, nectere, committere, conjungere, *unire, attaccare, mettere insieme, congiungere.* *Virg.* 1. *Æn.* 408. dextræ jungere dextram. *darsi la mano.* et 3. *ibid.* 83. Jungimus hospitio dextras. *Quintil.* 11. 3. 99. Junctæ manus. *h. e.* quæ simul ambæ gestum faciunt. *Lucan.* 4. 209. Juncti amplexibus. Cf. *Petron. Satyr.* 86. *extr.* Cervicem alicujus amplexui jungere. *Virg.* 8. *Æn.* 485. Mortua quin etiam jungebat corpora vivis. *stringeva insieme.* *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 115. Maxime autem corpora inter se juncta permanent, quum quodam quasi vinculo circumdato colligantur. *Cæs.* 4. *B. G.* 17. Tigna bina sesquipedalia intervallo pedum duorum inter se jungebat. *Id.* 1. *B. C.* 54. Naves carris junctis devehere. *h. e.* binis carris inter se junctis. et *ibid.* 61. Navibus junctis pontem imperat fieri. *h. e.* binis navibus inter se colligatis. *Claudian. B. Get.* 17. Jungere robora. *scil.* exstruendæ navi. *Horat.* 1. *Od.* 25. 1. Fenestræ junctæ. *chiuse.* Sic *Juvenal.* 9. 105. junge ostia. *chiudi le porte.* *Auct. B. G.* 8. 48. *a med.* Incensum calcaribus equum jungit equo Quadrati. *accosta, avvicina.* *Calpurn.* 6. *Ecl.* 4. hædos Juncta matre dedit. *h. e.* simul cum matre. Ceterum — Cum præpos. *inter.* *Cic.* 5. *Tusc.* 2. 5. Philosophia homines inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum et vocum communione junxit. *Id.* 1. *Orat.* 51. 222. Quædam inter se jungere et copulare. — Raro cum præpos. *ad.* *Cic.* 5. *Fin.* 14. 40. Ad illa, quæ semper habuit, jungat ea, quæ postea accesserint. — Cum præpos. *cum.* *Liv.* 29. 5. Satis scire, Sp. Lucretium se cum M. Livio juncturum. *Cic.* 2. *Nat. D.* 11. 29. Natura cum alio juncta atque connexa. — Cum Dativo. *Horat.* 1. *Od.* 4. 6. Junctæque Nymphis Gratiæ decentes. *accompagnate, unite.* Sic *Cic.* 2. *Nat. D.* 45. 117. Aer mari continuatus et junctus est. V. et infra sub II. 1. — Huc referri possunt et illa, quæ absolute usurpantur, quæque translatis proxime accedunt, *Sil. It.* 4. 374. Jungere gradus. *h. e.* ire pariter, *andare insieme.* *Val. Flacc.* 1. 163.; et *Quintil.* 10. *Declam.* 5. amplexus. *h. e.* mutuo amplecti. *Ovid.* 2. *Met.* 357. oscula. *h. e.* mutuo osculari. ¶ 3. Speciatim jungere pontem, *gettare un ponte*, quia sic altera alteri ripæ conjungitur; vel quia ex pluribus trabibus aut navibus junctis fit. *Virg.* 9. *Æn.* 170. pontesque et propugnacula jungunt. *Tac.* 1. *Ann.* 49. Junctoque ponte, milites transmittit. — Dicimus etiam jungere ponte urbem, ut *Plin.* 5. *Hist. nat.* 24. 21. (86). et amnem ponte jungere, ut *Curt.* 4. 9. Simile est illud *Stat.* 2. *Achill.* 423. ingenti saltu jungere fossas. *h. e.* superare. Et *Plin. Paneg.* 12. Quum Danubius ripas gelu jungit. ¶ 4. Item speciatim *jungere vulnera* est conducere, obducere, claudere et sanare. *Stat.* 10. *Theb.* 732. ego vulnera doctum Jungere, supremique fugam revocare cruoris Æstiona petam. ¶ 5. Item *jungere verba* — a) Est grammatice componere. *Quintil.* 1. 5. 68. Junguntur autem aut ex duobus Latinis integris, ut *superfui*; aut ex corrupto et integro, ut *malevolus* etc. Adde *eumd.* 8. 6. 63. Sic verba *juncta* apud *Cic. Partit. orat.* 15. 53. sunt composita. — b) Item oratorie compositione collocare. *Quintil.* 9. 4. 15. Tantum interest, verba eadem qua compositione vel in exitu jungantur, vel fine claudantur. — c) Pro loqui. *Martial.* 6. 51. jungat vix tria verba miser. — d) *Jungere colloquium* est habere apud *Sil. It.* 13. 734. ¶ 6. Item pro adjungere usurpatur. *Cic. Rosc. Am.* 47. 136. Se ad aliquem jungere. *Virg.* 8. *Æn.* 476. Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis Jungere castra paro. ¶ 7. Aliquando significat continuare, *continuare*; et proprie de spatio seu loco dicitur. *Lucan.* 1. 167. longos jungere fines agrorum. Sic *Vellej.* 2. 110. *ad fin.* Italia Dalmatia juncta. *Ovid.* 1. *Fast.* 258. juncta foris templa duobus habes. *Id.* 2. *Met.* 132. juncta Aquilonibus Arctos. ¶ 8. Metaphorâ hinc sumptâ dicitur et de iis, quæ tempore continuantur. *Justin.* 12. 13. *a med.* Quum diei noctem pervigilem junxisset. *Plin.* 1. *Ep.* 9. Mirum est, quam singulis diebus in urbe ratio constet, pluribus junctisque non constet. *Alii tamen leg.* cunctisque. *Petron. Satyr.* 79. *a med.* Somnum morti jungere. *Vellej.* 2. 65. *extr.* Jungere consularem prætextam prætoriâ. *h. e.* a prætura ad consulatum continuo gradum facere. *Id.* 2. 110. *extr.* consilio belli bellum. *Ovid.* 12. *Met.* 316. junctis sine fine jacebat Sopitus vinis et inexperrectus Aphidas. *Alii rectius leg.* ductis. *Stat.* 1. *Silv.* 5. 10. Junge puer cyathos: sed ne numerare labora. *Id.* 2. *ibid.* 6. 11. cui major stemmate juncto Libertas ex mente fuit. *Id.* 7. *Theb.* 81. nec longa moratus, Sicut anhelabant, juncto sudore, volantes Mars impellit equos. *Sil. It.* 5. 252. urgebat jungens convicia pugnæ. *Plin.* 4. *Ep.* 9. *circa med.* Difficilius est laborem repetere, quam jungere.

II.) Translate. ¶ 1. Generatim. — Cum præpos. *cum.* *Cic. Brut.* 97. 331. Decus omne virtutis cum summa eloquentiæ laude junxisses. *Id.* 2. *Divinat.* 72. 149. Religio, quæ est juncta cum cognitione naturæ. — Et cum solo Ablativo. *Cic.* 2. *Orat.* 58. 237. Insignis improbitas et scelere juncta. *Id. Brut.* 44. 162. Defensione juncta laudatio. — Cum Dativo. *Cic.* 3. *Orat.* 35. 142. Sapientia juncta eloquentiæ. *Id.* 2. *Invent.* 11. 36. Indignatio juncta conquestioni. ¶ 2. Speciatim refertur eleganter ad conjugium, *unire in matrimonio.* *Virg.* 4. *Æn.* 192. Cui se pulcra viro dignetur jungere Dido. *Id.* 1. *ibid.* 77. Connubio jungam stabili. *Liv.* 30. 14. Puellam matrimonio junctam accipere. *Curt.* 5. 3. Jungere aliquam secum matrimonio. *Id.* 10. 3. *a med.* in matrimonio. *Stat.* 3. *Silv.* 4. 54. Jungere tædae. ¶ 3. Item speciatim refertur ad conjunctionem sanguinis. *Ovid.* 2. *Fast.* 738. Comiter excipitur, sanguine junctus erat. *Id.* 2. *Met.* 368. materno a sanguine junctus alicui. *Liv.* 1. 1. Latinum pacem cum Ænea, deinde affinitatem junxisse. ¶ 4. Item ad conjunctionem amicitiæ, et amoris. *Horat.*

1. *Sat.* 3. 54. Hæc res et jungit, junctos et servat amicos. *Sueton. Aug.* 66. Arcte junctus alicui. *Plaut. Cist.* 1. 1. 28. Amicitiam bene junctam inter se habere. *Cic. Dejot.* 9. 27. Cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res, rationesque jungebat. *Id. Amic.* 5. 20. Ita contracta res est, ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos jungeretur. *Ovid.* 1. *Pont.* 7. 31. frater tanto tibi junctus amore. *Id.* 4. *Trist.* 10. 46. Jure sodalitii qui mihi junctus erat. *Plin.* 10. *Ep.* 11. Rosianum Geminum arctissimo vinculo mecum tua in me beneficia junxerunt. ¶ 5. Item ad societatem et fœdera. *Liv.* 26. 24. Fœdere jungi alicui. *Virg.* 10. *Æn.* 154. Tarchon jungit opes, fœdusque ferit. *Id.* 4. *ibid.* 312.; et *Liv.* 7. 30. Jungere fœdera. *Liv.* 1. 2. Socia arma alicui jungere. *Id.* 24. 6. Per hos juncta societas Hannibali ac Syracusano tyranno. *Justin.* 29. 4. 2. Jungendæ societatis gratia. — Hinc Part. præter. pass., cujus plurima supra exempla retulimus,

Junctus, a, um, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Junctior* et Sup. *Junctissimus.* Translate et generatim (*V.* sub II. 1.). *Cic. Fat.* 16. 36. Causa fuit propior et cum exitu junctior. — Specialim de amicitiæ et amoris conjunctione (*V.* sub II. 4.). *Ovid.* 5. *Met.* 60. junctissimus illi Et comes et veri non dissimulator amoris. *Id.* 10. *ibid.* 70. Junctissima pectora. *Tac.* 4. *Hist.* 52. Principum prosperis et alii fruuntur: adversa ad junctissimos pertinent.

JŪNĬCŬLUS, i, m. 2. palmes vetus in magnam longitudinem et ad quartum usque pedamentum porrectus, quem alio nomine draconem vocant, ad masculeta conficienda idoneum. *Plin.* 17. *Hist. nat.* 22. 35. (182). Nec veterem placet palmitem in longum et ad quartum usque pedamentum emitti, quod alii dracones, alii juniculos vocant, ut faciant, quæ masculeta appellant. Alii leg. *funiculos;* etenim *juniculus* videtur esse deminut. a *junior,* quo quidem nomine minus recte appellaveris palmitem veterem: qui tamen *juniculus* appellari posse aliis videtur, quia ex eo vitis renovatur, seu juvenescit.

JŪNĬLĬCĬA, ōrum. n. plur. 2. festum Junio mense celebratum. *Inscript.* Narbonensis apud *Orell.* 4016. Q. AKANIVS Q. F. RVFVS TER DICTATOR IN IVNICILIIS. *Id. ibid.* addit: Quid sit *dictator in Junilicis* nescio. *Lafontius* asserit mense Junio Narbone nundinas celebratas, dictatoremque iis præfectum fuisse.

JŪNIOR. *V.* JUVENIS.

JŪNĬPĔRĔUS, a, um, adject. (juniperus) qui ex junipero est, *di ginepro. Sicul. Flacc. de condit. agr.* p. 4. *Goes.* In quibusdam regionibus palos pro terminis observant, alii iliceos, alii oleaginos, alii vero junipereos. *Alii leg.* juniperos.

JŪNĬPĔRUS, i, f. 2. *ginepro, ἄρκευθος,* arbuscula, quæ in locis arenosis frequens nascitur, pro foliis spinas habens perpetuo virentes, unde et topiario operi idonea est: a *junior* et *pario*, quod juniores et novellos fructus pariat antiquis maturescentibus. Parit enim usque ad tertium annum, arbori suæ inhærente fructu. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 21. 25. et 26. (80). etc. *Virg.* 10. *Ecl.* 76. Juniperi gravis umbra: nocent et frugibus umbræ. Adde eumd. 7. *ibid.* 53. Cl. *Fée* (*Op. cit. vol.* 3. p. 241.) hanc exhibet synonymiam: I. *Juniperus major* Plin. 24. Hist. nat. 8. 36. (54).; Ἄρκευθος Theophr. Hist. plant. 3. 4.; Ἄρκευθος μεγάλη Dioscor. 1. 104.; et *Juniperus* Virg. 7. Ecl. 53. et 10. ibid. 76. sunt *Juniperus vulgaris fruticosa* C. Bauh. Pin. 488., *Juniperus communis* L. Spec. plant. 1470., *Juniperus communis* Lamrk. Encycl. var. α. — II. *Juniperus minor* Plin. loc. cit.; Κέδρις Theophr. Hist. plant. 1. 15. et 16.; et Ἄρκευθος μικρὰ Dioscor. loc. cit. sunt *Juniperus nana* Willd. Arb. 159., *Juniperus communis var.* β. *Humilior* Lamrk. Encycl. — III. *Juniperus in Hispania nata* Plin. 16. Hist. nat. 39. 76. (198).; et Ἄρκευθος Græcor. sunt *Juniperus hispanica* Lamrk. Encycl., *Juniperus turifera* L. Spec. plant. 1470.

JŪNIUS, ii, m. 2. *Giugno, ἰούνιος,* sextus ex mensibus anni, a *junioribus* (*V. Varron.* 6. *L. L.* 33.; et *Censorin. de die nat.* 9.), quos Romulus voluit regio corpori adesse, at armis rempubl. defendere. Aliqui censent vocatum esse a Juventute, seu Hebe, filia Junonis, uxore Herculis, quam Romani in deorum numero venerati sunt. Alii volunt, a Junone esse appellatum, et primo dictum fuisse Junonalem, vel Junonium, deinde Junium, per syncop. Alii a L. Junio Bruto, qui primus consul fuit et civitatem a regio dominatu liberavit, vel simpliciter in ejus honorem, vel etiam quod die prima hujus mensis, pulso Tarquinio, sacrum Carnæ deæ in Cœlio monte voti reus fecerit. Alii a *jungo* extrito *g*, in memoriam illius unionis, qua Romulus et T. Tatius rex Sabinorum regnum et populum junxerunt. V. *Ovid.* 6. *Fast. init.*; *Macrob.* 1. *Saturn.* 12. *a med.* e *Cincio*; quocum consentit *Paul. Diac.* p. 103. 14. *Müll.* — Dicimus, *Calendis Junii*, *Idibus Junii* etc. et adjective *Calendis Juniis*, *Idus Junias* etc. Utramque loquendi rationem leges apud *Colum.* 11. *R. R.* 2. 48. Sic *Cic.* 6. *Att.* 2. Ibi quum Junium mensem consumpsissem. Et omisso *mensis* nomine *Id.* 5. *ibid.* 21. 9. Ex Idibus Mai. in Ciliciam (*me conferam*), ut ibi Junius consumatur. Adde *Ovid.* 6. *Fast.* 88.

JŪNIX, icis, f. 3. (*syncop. pro juvenix*) juvenca ætate viridior, quæ jam vitula esse desiit, necdum tamen ad summam magnitudinem pervenit: unde Galli nunc *génisse*, nostrates vulgo *soranella* vocant, h. e. quæ supra annum est, seu annicula major, δάμαλις; (It. *sopranna;* Fr. *génisse, jeune vache;* Hisp. *becerra;* Germ. *d. junge Ku, Färse, d. Kalb;* Angl. *a heifer*).

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu. *Pers.* 2. 47. Tot tibi quum in flamma junicum omenta liquescant. *Paulin. Nolan. carm.* 27. 18. geminos dedit una Cum junice *sues*. *Ennod. Dict.* 2. p. 1012. Hic junicum exta semivivis palpitant; e motibus misero inquisitori futura cecinerunt. *Inscript.* mendosa quidem apud *Murat.* 21. 5., quæ, ut affirmat *J. R. Carli* in *Antiq. Ital.* *T.* 1. p. 75. et 2. 135. Piquentii, nunc *Pinguente*, in Histria reperta, nunc vero prope Patavium exstat in *Mus. Obiciano.* SALVTI AVG. PRO INCOLVMITATE PIQVENT. L. VENTINARIS LVCVMO ADIECT. IVNIC. V. S. L. M. *Alia* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 212. FELIX PVBLICVS PONTIFICVM BONAE DEAE AGRESTI FELICI VOTVM SOLVIT IVNICEM ALBAM LIBENS ANIMO. Hinc *Inscript.* apud *Marin. Frat. Arv.* n. *XV.* SALVTI PVBL. VACCAM. V. *eumd.* p. 91. et 99. et *Lucian.* περὶ θυσιῶν 2. Ἔνεστι πρίασθαι παρ' αὐτῶν (τῶν θεῶν), τὸ μὲν ὑγιαίνειν, εἰ τύχοι, βοϊδίου, τὸ δὲ πλουτεῖν βοῶν τεττάρων, τὸ δὲ βασιλεύειν ἑκατόμβης. ¶ 2. Latiori sensu usurpatur de vacca provectioris ætatis. *Sever. Sanct. de cura boum* 62. vidi ego cernuam Junicem gravidam.

II.) Translate de meretricula. *Plaut. Mil. glor.* 2. 3. 32. Hic te opperiar; eâdem (*opera*) illi insidias dabo, quum mox horsum ad stabulum junix recipiat se a pabulo. *h. e.* tamquam juvenca Io ab Argo custodita ad stabulum a pabulo, ad fornicem ab amatore redeat. — *NB.* De cognom. Rom. *V.* ONOM.

JŪNŌNĬCŎLA, æ, m. et f. 1. qui Junonem colit. *Ovid.* 6. *Fast.* 49. Adde senem Tatium Junonicolasque Faliscos.

JŪNŌNĬGĔNA, æ, m. 1. Vulcanus, filius Junonis. *Ovid.* 4. *Met.* 173. Junonigenæque marito Furta tori furtique locum monstravit.

JUPPĬTER et Jŭpiter, Jŏvis, Jŏvi, Jŏvem, Jŏve, m. 3. rex deorum et hominum, secundum fabulas; ab antiquo Nominativo *Jovis* et *pater*, quasi Jovis pater: de quo *V.* multa in ONOM. — Hinc ¶ 1. Jovis nomine æther significatur, cælum, aer. *Cic.* 1. *Nat. D.* 15. 40. Chrysippus disputat, æthera esse eum, quem homines Jovem appellarent. et *Ennius* apud *eumd.* 2. *ibid.* 25. 54. Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem. — Hinc per metonymiam *Horat.* 1. *Od.* 1. 25. manet sub Jove frigido Venator, teneræ conjugis immemor. *Id. ibid.* 22. 19. Quod latus mundi nebulæ malusque Juppiter urget. *Claudian.* 1. *in Eutrop.* 4. nimboque minacem Sanguineo rubuisse Jovem. *Virg.* 2. *G.* 419. Et jam maturis metuendus Juppiter uvis. *h. e.* pluvium cælum. et 1. *ibid.* 418. uvidus. *Juvenal.* 5. 78. vernus. *Stat.* 3. *Theb.* 26. hibernus. — Hinc *sub Jove* est sub dio, *alto coperto*. *Ovid.* 2. *Fast.* 299. Sub Jove durabant et corpora nuda gerebant. *et* 3. *ibid.* 527. Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt. Adde *eumd.* 4. *Met.* 260. ¶ 2. *Juppiter!* exclamatio est admirantis, *poffare il mondo*. *Plaut. Merc.* 5. 2. 24. Juppiter! estne illic Charinus? *Catull.* 1. 7. Doctis Juppiter! et laboriosis. Adde *eumd.* 66. 30. et 48. — *Pro Juppiter! V.* PRO interject. ¶ 3. *Jovem lapidem* (proprie *Jovem et lapidem*) *jurare* dicebantur, qui (uti docet *Paul. Diac.* p. 115. 4. *Müll.*) juraturi per Jovem, tenebant silicem, hæc verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem. *Cic.* 7. *Fam.* 12. Quomodo autem tibi placebit Jovem lapidem jurare, quum scias, Jovem iratum esse nemini posse? *Gell.* 1. 21. Jovem lapidem, quod sanctissimum jusjurandum est habitum, paratus sum ego jurare, Virgilium hoc numquam scripsisse. ¶ 4. Hoc nomine est etiam unus ex planetis, secundus ordine. *Cic.* 2. *Nat. D.* 20. 52. Infra hanc (*Saturni stellam*) Jovis stella fertur, quæ φαέθων dicitur, eaque eumdem XII. signorum orbem annis XII. conficit; easdemque, quas Saturni stella, efficit in cursu varietates. *Lucan.* 10. 207. Sub Jove temperies et numquam turbidus aer. ¶ 5. *Jovis dies* est appellatus, quem nunc Itali *Giovedì* dicunt. *V.* DIES. *Inscript.* apud *Labus.* in *Monum. epigr. Crist.* p. 6. MATRONA RESTVTA *decessit* III. KAL. IVLIAS *die* IOVIS CONS. D. N. MAGNO *Maximo Aug.* h. e. ann. a Chr. n. CCCLXXXVIII., quo nempe III. Kal. Jul. in diem Jovis concurrebat. *Alia* apud *Fabrett.* p. 329. n. 485. DEPOSITVS V. IDVS IVLIAS DIE IOVIS, QVO ET NATVS EST.

JŪRĀMENTUM, i, n. 2. (juro) sacramentum, jusjurandum, *giuramento*, ὅρκος. *Paul. Dig.* 22. 3. 25. *a med.* Judex juramenti fidem secutus (*Cujac.* et al. putant, hæc inserta a *Triboniano* esse, qui fuit *Justiniani* æqualis.). *Ammian.* 21. 5. Juramento, quæso, concordiam spondete mansuram. *Sulpic. Sever.* 1. *Hist. sacr.* 8. ex *Genes.* 21. 32. Pulsus apud puteum juramenti consedit. *Imp. Justinian. Cod.* 2. 56. 4. Quod et ipse arbiter juramentum præstiterit super lite dirimenda. Adde *ibid.* 59. 1. et alibi. Usi sunt etiam *Hieronym.* et *Augustin.* Latiniores qui usurpaverint, non facile invenies: nam illud *Senecæ* 2. *Clem.* 1. suspectum merito criticis est: *in cujus verba principes regesque juramentum faciant.* legendum est enim *jurarent*, vel *jurent*.

JŪRANDUM, i, n. 2. (juro) idem ac jusjurandum, *giuramento*. *Plaut. Cist.* 2. 1. 26. Abi quærere, ubi jurando tuo satis sit subsidii.

JŪRĀTĪCUS, i, m. 2. (jus). *Gloss. Isid.* Juraticus, scholasticus, jurisperitus.

JŪRĀTĬO, ōnis, f. 3. (juro) actus jurandi, juramentum, *giurazione*. *Macrob.* 1. *Saturn.* 6. *extr.* Verba jurationis concipit, nullam esse in villa sua scropham. Adde *Augustin. Ep.* 154.; et *Tertull. Idolol.* 21. Sic *Vulgat. interpr. Eccli.* 23. 9. Jurationi non assuescat os tuum.

JŪRĀTĪVUS, a, um, adject. (juro) ad jurandum pertinens, *giurativo*. *Priscian.* 15. p. 1020. *Putsch.* Jurativa adverbia. *h. e.* per quæ juramus.

JŪRĀTŌ, adverb. *V. Juratus* in fin. v. JURO.

JŪRĀTOR, ōris, m. 3. (juro) qui jurat, *giuratore*. ¶ 1. Generatim. *Macrob.* 5. *Saturn.* 19. *a med.* Mox in locu amittebat vitam falsus jurator. ¶ 2. Specialim juratores dicuntur testes jurati. *Seneca Apocoloc. init.* Quis unquam ab historico juratores exegit? Ita legit et tuetur *Lips. ibid.* et *l.* 2. *epistolic. quæst. ep.* 24. Sic *Plaut. Pœn. prol.* 58. Vos juratores estis: quæso, operam date. Ubi *Turneb. Advers. l.* 19. *c.* 12. per translationem interpretatur spectatores, veluti arbitros et censores Fabulæ. Proprie autem dicit intelligi censores, qui eum, quem censebant, jurejurando adigebant. Quo trahit illud *ejusd. Trin.* 4. 2. 30. Census quum sum, juratori recte rationem dedi etc. Confirmat hæc erudite *Gronov. l.* 4. *Observat.* c. 1. Ceterum apud *Senec.* al. leg. *juratores exegit*; quod est multo planius: et posteriorem quoque *Plauti* locum non desunt qui sollicitent. *Symmach. orat. pro Synes.* 1. Precator potius, quam testis adsum. *et mox.* Dum juratoribus (*Synesius*) abundat, dum meriti sui certus est, adhibuit petitorem, quem testem sibi alius reservasset. ¶ 3. Item specialim pro censore. *V.* paragr. proxime preced.

JŪRĀTŌRĬUS, a, um, adject. (juro) ad jurandum pertinens, *giuratorio*. *Imp. Anastas. Cod.* 12. 19. 12. Juratoriæ cautioni committatur.

JŪRĀTUS, a, um. *V.* JURO.

JŪRE. *V.* JUS secundo loco.

JŪRĔCONSULTUS. *V.* JURISCONSULTUS.

JŪRĔJŪRO, as, āvi, are, a. 1. (jus *et* juro) idem ac juro. *Liv.* 41. 15. *sub fin.* Prætores ambo in eadem verba jurejurarunt. *Suspecta alicui critico hæc lectio est, minime vero Ernesto.*

JŪRĔPĔRĪTUS. *V.* JURISPERITUS.

JŪRĔUS, a, um, adject. (jus *prim. loc.*) jurulentus. *Plaut. Pers.* 1. 3. 15. Quasi juream esse jus decet collyricum. *Subintellige* placentam.

JURGĀTĬO, ōnis, f. 3. juris actio, ut *Paul. Diac.* exponit p. 103. 16. *Müll. V.* JURGO.

JURGĀTŌRĬUS, a, um, adject. (jurgo) ad jurgium pertinens. *Ammian.* 27. 1. Vocis jurgatorio sono.

JURGĀTRIX, īcis, f. 3. (jurgo) quæ jurgat. *Hieronym. Ep.* 117. *n.* 4. Illa jurgatrix: ergo iste placabilis.

JURGĬŌSĒ, adverb. (jurgiosus) contentiose, *contenziosamente. Jul. Vict. art. rhet.* (edente *A. Maio*). 26. Sermonum argumenta, quæ semper esse vix seria possunt, plerumque se jocis inserentibus, tamen semper honesta sint; at non inepte, neque jurgiose.

JURGĬŌSUS, a, um, adject. (jurgium) contentiosus, seu contumeliosus, *contenzioso*, φιλόνεικος. *Gell.* 1. 17. *de Xantippe Socratis uxore.* Mulier morosa admodum fuisse fertur et jurgiosa. *Id.* 19. 9. Jurgiosa facundia. *Fronto* 4. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 12. Accipe aliud rixatorium jam hoc et jurgiosum.

JURGĬUM, ii, n. 2. (jurgo). *Jurgîs* disyllab. pro *jurgiis* usus est *Capell.* 9. *p.* 336. Jurgis caulinos blateratus pendere. — Jurgium est contentio, concertatio, dissensio, et levior quædam lis, qualis nonnunquam etiam inter propinquos et amicos solet accidere: aliquando et inter infensos, φιλονεικία, ἔρις (It. *contesa*; Fr. *querelle*, *contestation*, *altercation*; Hisp. *riña*, *contestacion*, *altercacion*, *contienda*; Germ. *d. Wortwechsel*, *Hader*, *Zank*, *Streit*; Angl. *a dispute*, *quarrel*, *altercation*, *brawling*, *chiding*, *scolding*, *strife*). Occurrit ¶ 1. Generatim. *Plaut. Men.* 1. 2. 18. Jurgio tandem uxorem abegi ab janua. *Id. Merc.* 3. 2. 14. Uxor me jurgio enicabit, si intro rediero. *Id. Pers.* 5. 2. 19. Jurgium hinc auferas, si sapias. *Cic.* 4. *de republ.* apud *Non. p.* 431. 2. *Merc.* Si jurgant, benevolorum concertatio, non lis inimicorum, jurgium dicitur. *Id. Senect.* 3. 8. Ut Themistoclem ferunt Seriphio cuidam in jurgio respondisse. *Id. Amic.* 21. 78. Ex inimicitiis jurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur. *Id. Brut.* 70. 246. Ut non cum adversario solum, sed etiam (quod mirabile) cum judice ipso, cujus delinitor esse debet orator, jurgio sæpe contenderet. *Id. Cæl.* 13. 30. Non crimina, sed maledicta jurgii petulantis. *Id.* 1. *Divinat.* 45. 102. Litibus et jurgiis se abstinere. *Sall. Cat.* 32.; et *Tac.* 14. *Ann.* 49. Optimum quemque jurgio lacessere. *Tac.* 2. *Hist.* 53 quempiam invadere. et 3. *ibid.* 32. Petulantibus jurgiis illudere. *Virg.* 10. *Æn.* 95. irrita jurgia jactare. *Ovid.* 2. *Amor.* 2. 35. certare cum aliquo. *Id.* 5. *Trist.* 11. 1. per jurgia dicere aliquid. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 44. 89. (239). Jurgia facere. *Val. Flacc.* 3. 638. sævisque furens in jurgia dictis. *Justin.* 10. 2. 5. Erumpere in jurgia. *Suelon. Galb.* 5. Jurgio aliquem corripere. *sgridare*, *bravare*. *Tac.* 1. *Hist.* 64. Jurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios, prope in prælium exarsere. *Id.* 4. *ibid.* 6. Acre jurgium. *Seneca Herc. fur.* 172. clamosi rabiosa fori jurgia vendere. *Plin.* 8. *Ep.* 5. Vixit cum uxore XXXIX. annis, sine jurgio, sine offensa. *h. e.* sine querela. ¶ 2. Speciatim, seu latiori sensu, pro lite inter propinquos, vel etiam inter extraneos, *lite*, *differenza*. *Papinian. Dig.* 10. 2. 57. Licet arbiter sententiam, jurgio perempto, non dixerit. *Pseudo-Ascon.* ad *Cic.* 3. *Verr.* 45. Nihil se deterius in possessione facturum, de qua jurgium esset. *Seneca* in *fragm.* (edente Romæ *Niebhurio*) p. 100. Familiare jurgium non judicem, sed arbitrum quærit.

JURGO, as, āvi, ātum, are, n. et a. 1. *et*

JURGOR, āris, ātus sum, ari, dep. 1. Part. *Jurgans* 1. et 2.; *Jurgaturus* 2. — Ratione habita etymi, si *Varronis* sententia placeat 7. *L. L.* 93. *Müll.*, est a *jure* et *ago*, et proprie significat jure litigare. Unde et *Paul. Diac. p.* 103. 16. *Müll.* jurgationem, *juris actionem* interpretatur. Et *Cic. fragm.* apud *Non. p.* 431. 2. *Merc.* docet, quum vicini inter se de re aliqua judicio contendunt, non *litigare* dici, sed *jurgare*. V. JURGIUM 1. et 2. Ceterum ¶ 1. Fere significat verbis contendere, concertare, vicissim queri, verbis lacessere, ἐρίζω, ζυγομαχέω (It. *contendere con parole*, *contrastare*; Fr. *quereller*, *disputer*, *être en différend*; Hisp. *reñir*, *contender*, *reprehender*, *disputar*; Germ. *zanken*, *Wortwechsel führen*, *streiten*, *schelten*, *hadern*; Angl. *to quarrel*, *brawl*, *chide*, *scold*). Occurrit — a) Neutrorum more. *Ter. Andr.* 2. 3. 15. Credo, quid, jurgabit tecum? *Horat.* 2. *Ep.* 2. 22. ne mea sævus jurgares ad te quod epistola nulla veniret. *Suelon. Ner.* 5. Equiti Romano liberius jurganti oculum eruit. *Apul. de Mag.* Utrum putas, majorem curam decoris in asseveranda oratione suscipiendam rhetori jurganti, an philosopho objurganti. — Et depon. forma. *Horat.* 2. *Sat.* 2. 100. Trausius istis jurgatur verbis. — b) Cum Accusativo communi. *Liv.* 8. 33. *in fin.* Hæc simul jurgans, querens, deum hominumque fidem implorans, plurimis cum lacrimis agebat. ¶ 2. Pro litigare, *litigare*. *Justin.* 21. 5. 3. Apud ædiles adversus lenones jurgari. *Imppp. Gratian.*, *Valentinian. et Theodos. Cod. Theod.* 2. 1. 6. Omnes jacturam litis incurrant, qui non ante in proprio foro jurgaverint. *Impp. Arcad.* et *Honor. ibid.* 11. *tit.* 33. Ne ætates jurgantium veternosis litibus consenescant. *Fragm. Cod. Theod.* (edente *Clossio*) 1. 16. 6. Jurgaturus conveniendi eos (*præsides*), nisi pretio, facultatem impetrare non posset.

JŪRĬDĬCĀTUS, us, m. 4. (juridicus) juridici auctoritas et dignitas. *Inscript.* apud *Gruter.* 1093. 3., quæ est apud *Orell.* 3177. C. CORNELIO C. F. QVIRIN. FELICI THALLO IVRIDICO PER FLAM. ET VMBR. VICANI VICORVM VII. ET COLLEG. FAB. CENT. DENDR. VRB. IVRIDICATVS EIVS OB EXIMIAM MODERATIONEM ET IN STERILITATE ANNONAE LABORIOSAM ERGA IPSOS FIDEM etc. *V.* JUDICATURA.

JŪRĬDĬCĬĀLIS, e, adject. (juridicus). *Juridicialis constitutio*, seu *quæstio* est, in qua quæritur, jure ne, an injuria quippiam sit factum. *Cic.* 1. *Herenn.* 14. 24. Juridicialis constitutio est, quum factum convenit, sed jure, an injuria factum sit, quæritur. *Id.* 1. *Invent.* 11. 14. et 2 *ibid.* 23. 69. Juridicialis constitutio est, in qua æqui et iniqui natura, et præmii aut pœnæ ratio quæritur. *Id. Topic.* 24. 92. Accusator personam arguat facti: defensor aliquod opponat de tribus, aut non esse factum: aut si sit factum, aliud ejus facti nomen esse: aut jure esse factum. Itaque aut infitialis, aut conjecturalis prima appelletur: definitiva, altera: tertia, quamvis molestum nomen hoc sit, juridicialis vocetur. Adde *Quintil.* 3. 6. 57. et alibi.

JŪRĬDĬCĪNA, æ, f. 1. (juridicus) ipsa jurisdictio. *Tertull. Pall.* 3. *in fin.* Cato juridicinæ suæ in tempore humerum assertus haud minus palliato habitu Græcis favit. *h. e.* quum prætor esset et jus diceret.

JURIDICIUM, ii, n. 2. (juridicus). *Cassiod.* 11. *Variar.* 9. *circa med.* Judicium, quasi juridicium, cognoscite vocitatum, *Juridicium* ergo non nisi vocabuli forma est ad vocabulum *judicium* illustrandum.

JŪRĬDĬCUS, a, um, adject. (jus *et* dico *secund. loc.*) ad jus dicendum pertinens. *Juridicus conventus* est locus, in quo magistratus in provinciis jus dicunt, quoque provinciales conveniunt, jure experturi. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 1. 3. (7). *de Bœtica provincia.* Juridici conventus ei quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis. — *Juridicus dies* est, quo jus dicere licet. *Imppp. Valentinian.*, *Theodos. et Arcad. Cod.* 3. 12. 7. Omnes dies jubemus esse juridicos: illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus excepit; æstivos fervoribus mitigandis, et auctumnos fructibus decerpendis etc. — Hine

Juridicus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Est qui juri dicundo præest, judex, *giudice*, *giudicante*. *Seneca Herc. Fur.* 581. Flentes Eurydicem juridici sedent. *Capitolin. M. Aurel.* 11. Datis juridicis Italiæ consuluit, ad id exemplum, quo Hadrianus consulares viros reddere jura præceperat. Hinc *Inscript.* apud *Henzen.* 6485. ARRIO., QVIR. ANTONINO PRAEF. AERARI SATVRNI IVRIDICO PER ITALIAM REGIONIS TRANSPADANAE PRIMO FRATRI ARVALI PRAETORI CVI PRIMO IVRISDICTIO PVPILLARIS A SANCTISSIMIS IMP. MANDATA EST. Arrius Antoninus fuit et e juridicis a M. Aurelio institutis, et primus *prætor tutelaris* a M. Aurelio (V. *Capitolin. M. Aurel.* 10.) et L. Vero institutus. Adde *Ulp. Dig.* 1. *tit.* 20. *qui est* De officio juridici, *l.* 1. *et* 2., ubi præcipue sermo est de eo, qui principis nomine Alexandriæ Ægypti jus dicebat. *Inscript.* apud *Gruter.* 373. 4. L. BAEBIVS L. F. GAL. IVNCINVS IVRIDICVS AEGYPTI. *h. e.* qui in Ægypto judicibus, ut Romæ prætor, præerat, quique a *Strabone l.* 17. δικαιοδότης dicitur, et distinguitur a præfecto: hic enim ibidem erat loco Cæsaris, qui tamen ab *Eutrop.* 7. 7. minus proprie *judex*, et ab *Ammian.* 17. 4. *procurator*, ejusque administratio *procuratio* a *Sueton. Ner.* 35. appellatur; at ab *eod. Vesp.* 6. *præfectus*, et ab *Ulp. Dig.* 1. *tit.* 17. *præfectus Augustalis*, ejusque administratio a *Sueton. Aug.* 66. et *Ner.* 47. *præfectura*: suberant porro illi primum *juridicus*, deinde *procurator*, qui fiscum Cæsaris in Ægypto procurabat, tum ceteri ministri. V. *Morcell. de Stil. Inscript. Lat. T.* 1. p. 272. *edit. Pat.*; *Marin. Frat. Arv.* p. 779.; et *Lebas Inscript. Gr. et Lat. de la mer Égée cah.* 5. p. 81. — *Juridicus de infinito* is dicebatur, cui licebat judicare de quacumque pecuniæ summa: nam in *Tab. legisl. Gall. Cisalp.* a *P. De-Lama* edita, judici municipali potestas non est judicandi ultra HS. XV. milI. N. *Inscript.* apud *Gruter.* 1090. 13. M. AELIO AVRELIO THEONI AVG. IVRIDICO DE INFINITO PER FLAM. ET VMBRIAM PICENVM etc. ORDO ARIMINENSIVM PATRONO. ¶ 2. Est etiam idem ac jurisconsultus. *Consultat. vet. JCt.* a *Schulting.* edit. in *Jurispr. Antejustin.* p. 821. Secundum sententiam Pauli juridici, cujus sententias sacratissimorum principum scita semper valituras, ac divalis constitutio declarat.

JŪRISCONSULTUS *et* jureconsultus *vel etiam divisim* juris consultus, i, m. 2. (jus *et* consulo). Scribitur et *consultus juris*: *V.* CONSULTUS. — Jurisconsultus est juris et legum consultus: qui legum, et consuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, et ad respondendum, et ad agendum, et ad cavendum peritus est, ut *Cic.* 1. *Orat.* 48. 212. definit. νομικός (It. *dottore di leggi*, *giureconsulto*; Fr. *jurisconsulte*, *légiste*; Hisp. *jurisconsulto*, *legista*; Germ. *e. Rechtskundiger*, *Rechtsgelehrter*; Angl. *a lawyer*, *counsellor*, *jurisconsult*). *Cic. Mur.* 11. 25. Ab ipsis cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilavit. *et ibid.* 12. 27. Ea jureconsultorum ingeniis corrupta ac depravata sunt. *et ibid.* 13. 28. Triduo me jurisconsultum esse profitebor. *Quintil.* 5. 14. 34. Jurisconsultorum summus circa verborum proprietatem labor est. *Gell.* 4. 2. Jureconsulti veteres. — Quum vero jurisconsultorum cavillationes et fraudes plurimum molestiæ afferrent etiam priscis Romanis, hinc in suis ipsi sepulcralibus titulis, ut eæ longe abessent, sibi precabantur. *Inscript.* apud *Gruter.* 662. 5. et fidelius ex ipso lapide apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 63. HVIVS (*pro* huic) MONVM. DOLVS MALVS ABESTO ET IVRIS CONSVLT. Huic formulæ gemina est ea, quæ legitur in alio lapide apud *eumd. ibid.* AB HIS OMNIBVS DOLVS MALVS ABESTO ET IVS CIVILE. In alio vero apud *Gruter.* 903. 12. LIS ABEAT.

JŪRISDICTĬO, ōnis, f. 3. (jus *et* dico). Per tmesin aliquando dividitur. *Liv.* 41. 9. *extr.* Hæc causa jurisque dictio consuli decreta est. Ita etiam in *Inscript.* apud *Murat.* 683. 6. AEDILI CVI ET CVRVLIS I. D. ET PLEBEIA MANDATA EST. — Jurisdictio

I.) Proprie est ipse actus juris dicundi, *giurisdizione*, δικαιολογία. *Cic. Harusp. resp.* 26. 55. Justitium edici oportere, jurisdictionem intermitti. *Sulpicius* ad *Cic.* 4. *Fam.* 12. Ut ab Athenis in Bœotiam irem, reliquamque jurisdictionem absolverem. *Cic.* 2. *Fam.* 13. *ad fin.* Mihi erat in animo, quoniam jurisdictionem confeceram, proficisci in Ciliciam. Edictum prætoris apud *Gell.* 10. 15. *extr.* Flaminem Dialem in omni mea jurisdictione jurare non cogam. *h. e.* toto tempore, quo mea jurisdictio exercebitur. *Colum.* 12. *R. R.* 3. 11. Assidua jurisdictione vim legum custodire.

II.) Translate ¶ 1. Est facultas seu potestas jurisdictionis exercendæ. *Cic.* 2. *leg. Agr.* 36. 98. Ut sub vestrum jus, jurisdictionem, potestatem, urbes, nationes, provincias subjungeretis. *Inscript.* apud *Henzen.* 6485. Jurisdictio pupillaris. *V.* JURIDI-

CUS in fin. *Seneca* 1. *Clem.* 1. Quas nationes funditus excidi, quibus libertatem dari, quibus eripi, quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea jurisdictio est. *Sueton. Cal.* 16. Magistratibus liberam jurisdictionem et sine sui appellatione concessit. ¶ 2. Item ipse locus, ubi jurisdictio exercetur. *Plin.* 5. *Hist. nat.* 28. 29. (105). Sed prius mediterraneas jurisdictiones indicasse conveniat. ¶ 3. Item ipse magistratus, qui jurisdictionem exerceat, ut *potestas*; quam vocem V. *Sicul. Flacc. de condit. agr.* p. 21. *Goes.* Agri ex vicinis territoriis alicui urbi assignati præfecturæ appellantur ex eo, quod in diversis regionibus magistratus coloniarum jurisdictionem mittere soliti sunt. V. *Mazoch. in tit. Camp. amph.* p. 49.

JŪRĬSŎNUS, a, um, adject. (jus *et* sono) jura sonans, leges crepans. *Sulpic. Luperc.* in *Anthol. Lat. T.* 1. *p.* 515. Ut post jurisonæ famosa stipendia linguæ etc.

JŪRISPĔRĪTĬA, æ, f. 1. (jus *et* peritia) idem ac jurisprudentia. *Boeth.* in *Cic. Topic.* 4. p. 807. Nescio, an quisquam jurisperitiæ professor tales tutelæ partes ediderit.

JŪRISPĔRĪTUS *et* jūrĕpĕrītus, *vel etiam* juris *et* jure peritus, i, m. 2. (jus *et* peritus). Comp. *Jure peritior* et Sup. *Jurisperitissimus.* — Jurisperitus est idem ac jurisconsultus. — a) Divisim. *Cic. Brut.* 21. 81. Fabius Pictor et juris et litterarum et antiquitatis bene peritus. *Id. Cluent.* 38. 108. Quis jure peritior. Adde *Lucilium* apud *Charis.* 1. p. 62. *Putsch.* — b) Conjunctim. *Cic. Brut.* 39. 145. Ut eloquentium jurisperitissimus Crassus, jurisperitorum eloquentissimus Scævola putaretur. *Quintil.* 2. 4. 24. Jurisperiti, an militaris viri laus major? *Gell.* 4. 2. *ad fin.* In libris jurisperitorum scriptum est. *Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 143. ..... ADSVMPTO IN CONSILIVM AD HS. LX. M. N. IVRISPERITO ANTIATES PVBLICE. *Alia* apud *Henzen.* 7234. MARINVS EQ. R. IVRISPERITISSIMVS V. A. XXV. M. XI. H. S. E.

JŪRISPRŪDENS, entis, m. 3. (jus *et* prudens) idem ac jurisperitus, qui jurisprudentiam callet, *giurisprudente. Inscript.* apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 143. n. 149. .....NVS IVRISPRVDENS SCRIBA AEDILIVM CVRVLIVM. V. A. LIIII. M. IIII. D. X.

JŪRISPRŪDENTĬA *et rectius divisim* juris prudentia, æ, f. 1. (jus *et* prudentia) juris ac legum scientia, *giurisprudenza*, νομικὴ τέχνη. *Ulp. Dig.* 1. 1. 10. Jurisprudentia est divinarum humanarumque rerum notitia, justi atque injusti scientia.

JŪRO, as, āvi (*et deponent. forma* ātus sum), ātum, are, neutr. et a. 1. Part. *Jurans* 1. 1°. *a.*; *Juratus* in fin.; *Juraturus* 1. 1°. *b.*; *Jurandus* 1. 3°. *f.* — Ratione habita etymi, videtur esse a *jure*, quia qui jurat, inquit *Voss.*, religiose spondet, se aliquid, ceu jus sit, servaturum: nonnullis etiam videtur esse intensivum a *jungere, jugum*, quia jurare est semet alligare, obligare, ὅρκοις ἐνζευγνυσθαι. Ceterum jurare est jurejurando confirmare, jusjurandum dare, ὄμνυμι (It. *giurare*; Fr. *jurer, faire serment, affirmer avec serment*; Hisp. *jurar, affirmar con juramento*; Germ. *schwören, e. Schwur ablegen*; Angl. *to swear, take an oath, make oath, swear by*). Occurrit ¶ 1. Stricto sensu et quidem — 1.°) Neutrorum more, — a) Absolute. *Cic. Flacc.* 36. 90. Qui si aram tenens juraret, crederet nemo. *Id.* 5. *Fam.* 2. *circa med.* Jurare vera. *Id.* 3. *Off.* 29. 108. *vertens Euripidem.* Juravi lingua, mentem injuratam gero. *Ovid.* 3. *Art. am.* 457. Parcite, Cecropidæ, juranti credere Theseo. — b) Cum Accusativo et Infinito. *Cato R. R.* 144. Oleam qui legerint, omnes juranto ad dominum, aut ad custodem, sese oleam non surripuisse. *Cæs.* 3. *B. C.* 13. Jurat, se eum non deserturum. *et ibid.* 87. Juravit, se, nisi victorem, in castra non reversurum. Cf. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 114. Bœotum in crasso jurares aere natum. *Fronto* 2. *ad M. Cæs.* (edente iterum *A. Maio*) ep. 11. Quid est autem, quod juraturus sum me consulatu abire? *Sil. It.* 2. 351. flammis urere gentem Jurabat Phrygiam. — Notandum illud *Propertii* 3. 4. *extr.* Jurabo bis sex integer esse dies. Simile est illud *Horatii* 1. *Ep.* 7. 22. dignis ait esse paratus. Et *Catulli* 4. 2. Ait fuisse navium celerrimus. Quæ poetica sunt, et Græcorum propria. Etenim *Homer. Iliad. l.* 18. v. 364. Ἡ φημι θεάων ἔμμεν ἀρίστη. — c) Sequente part. ut. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 47. 146.; et *Liv.* 22. 53. *ad fin.* Ex mei animi sententia, inquit, juro, ut ego rempublicam populi Romani non deseram etc. *Alii omittunt* τὸ juro. — d) *Jurare per Jovem, per deos* etc. frequentissimum est apud quosque scriptores. *Cic.* 4. *Acad.* (2. *pr.*) 20. 65. Jurarem per Jovem deosque Penates, me ea sentire, quæ dicerem. — Sæpius tamen præpos. *per* omittitur; *Servius* enim ad *Virg.* 12. *Æn.* 197. ait: Et ornatior elocutio, et crebra, apud majores, quam si velis addere præpositionem, ut dicas *juro per maria, per terras* etc. *Cic.* 7. *Fam.* 12. Quomodo tibi placebit Jovem lapidem jurare, quum scias etc.? (*V.* JUPPITER 3.). *Ovid. Heroid.* 21. 2. Juraret ne quos inscia lingua deos. *et ibid.* 16. 319. Tunc ego jurabo quævis tibi numina. Sic *Virg.* 12. *Æn.* 197. Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro, Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem, Vimque deum infernam et duri sacraria Ditis. *Id.* 6. *ibid.* 323. Stygiamque paludem, Di cujus jurare timent et fallere numen. et *ibid.* 351. maria aspera juro. Adde *Tibull.* 4. 13. 15.; *Propert.* 1. 15. 35.; et *Sil. It.* 8. 105. Similiter *Calpurn.* 6. *Ecl.* 58. Hunc dare, si vincar, cælestia numina juro. *Claudian. B. Get.* 81. patrii numen juraverat Istri, Non nisi calcatis loricam ponere rostris. — e) *Jurare calumniam.* V. CALUMNIA. — f) *Jurare conceptis verbis.* V. CONCEPTUS, a, um. — g) *Jurare in verba alicujus* est ad præscriptam ab aliquo jurisjurandi formulam jurare, quod *jurare alio præeunte*, h. e. dictante verba, *Plin. Paneg.* 64. *extr.* dixit. *Cæs.* 1. *B. C.* 76. Petrejus princeps in hæc verba jurat. *Liv.* 28. 29. Milites in verba P. Scipionis jurarunt. *Horat.* 1. *Ep.* 1. 14. Nullius addictus jurare in verba magistri. *h. e.* credere ea certa ac vera habere quæ a magistro dicta sunt. Adde *Senec. Ep.* 12. *in fin.* — h) *Jurare in se* est jurando sibi mala imprecari, *farsi delle imprecazioni. Liv.* 2. 45. *sub fin.* Idem deinceps omnis exercitus in se quisque jurat. — i) *Jurare in litem* est jurare ad litem obtinendam. *Cic. Rosc. com.* 1. 4. Quod nomen in codicem injuratus referre noluit, id jurare in litem non dubitet? *h. e.* jurare, nomen illud revera exstare, pecuniamque illam sibi jure deberi, ut judex secundum hoc jusjurandum sententiam ferat. — l) *Jurare in litem* apud JCtos (de quo toto *tit.* 3. *l.* 12. *Dig.* et alibi) est, jurejurando interposito, æstimationem facere ejus rei, de qua lis est: quod jusjurandum fere a judice defertur actori rem suam repetenti, quando ob dolum, aut contumaciam adversarii difficilis est probatio, quanti res æstimari oporteat: tunc enim ratio exigit, ut jurejurando actoris lis æstimetur. Habet autem locum præcipue in bonæ fidei judiciis. Sed de his fusius JCti. *Paul. Dig.* 4. 3. 18. Ut possit per contumaciam suam tanti reus condemnari, quanti actor in litem juraverit. — m) *Jurare in rem* est de re jurare, quæ in judicium deducta est. *Ulp. Dig.* 44. 5. 1. Si fidejussor de persona sua tantum juravit, quasi non esset ipse obligatus, nihil reo proderit: si vero in rem juravit, dabitur exceptio reo quoque. — n) *Jurare in legem*, est secundum legem, eam ratam habendo. *Cic. Sext.* 16. 37. Quum unus in legem per vim latam jurare noluit. — o) *Jurare in nomen alicujus*, jurare alicui, *dar giuramento di fedeltà. Sueton. Claud.* 10. *extr.* Armatos pro contione jurare in nomen suum passus est. — p) *Jurare alicui*, est jurejurando fidem alicui polliceri, *dare giuramento di fedeltà. Plin. Paneg.* 68. Scis, tibi ubique jurari, quum ipse juraveris omnibus. — q) Passive impersonaliter. *Sueton. Tib.* 26. et 67. Ne in acta sua juraretur. Adde *Plinii* loc. mox cit. sub *p.* — 2.°) Deponentium formâ. *Plaut. Rud.* 5. 3. 16. Non tu juratus mihi es? LA. Juratus sum, et nunc jurabo. *Id. Pers.* 3. 2. 2. Qui mihi juratus est sese hodie argentum dare. *Cic.* 2. *Invent.* 43. 126. Judici demonstrandum est, quid juratus sit, quid sequi debeat. *et ibid.* 45. 131. Ex lege, in quam jurati sitis. — 3.°) Active. — a) Universim. *Cic.* 3. *Off.* 29. 108. Jurare falsum. — *Id.* 5. *Fam.* 2. 7. Jurare verissimum pulcherrimumque jusjurandum. *Petron. Satyr.* 117.; *Sil. It.* 10. 448.; et *Lucan.* 4. 228. sacramentum in verba alicujus. — b) Speciatim *jurare aliquid alicui* est jurejurando promittere. *Stat.* 4. *Theb.* 396. alium tibi, Bacche, furorem Juravi. *Sil. It.* 8. 83. Et cineri juret patrio Laurentia bella. — c) *Jurare bonam copiam. V.* EJURO. — d) *Jurare morbum* est jurare, se morbo laborare; jurejurando morbum excusare. *Cic.* 12. *Att.* 13. Venium, et ipse perpetuum morbum jurabo. Adde *eumd.* 1. *ibid.* 1. — e) *Jurare deos.* V. supra sub 1.° d. — f) Passive. *Gell.* 5. 19. Jusjurandum, quod in arrogando juraretur. *Lucan.* 5. 396. Et lætæ jurantur aves, bubone sinistro. *h. e.* jurant augures, aves esse lætas, quum tamen solus bubo sinister et mali ominis visus sit. *Ovid.* 2. *Met.* 46. Dis juranda palus. *Stat.* 7. *Theb.* 102. Inachias nec tantum culta per urbes Numina: captivis etiam jurabere Thebis. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 447. juratur Honorius absens. ¶ 2. Latiori sensu est conjurare, *congiurare. Cato* apud *Plin.* 29. *Hist. nat.* 1. 7. (14). Jurarunt inter se, barbaros necare omnes medicina. *Ovid. Heroid.* 10. 117. In me jurarunt somnus ventusque fidesque. *Id.* 1. *Met.* 242. In facinus jurasse putes. Similiter *Lucan.* 9. 850. In gladios jurata manus. *h. e.* devota, addicta, conjurata. — Hinc Part. præter.

Juratus, a, um, quod adjective quoque occurrit, unde Sup. *Juratissimus* 2., usurpatur ¶ 1. Passive; et — a) Quum de re sermo est, idem est ac jurejurando firmatus. *Cic.* 3. *Off.* 20. 107. Quod enim ita juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est. *Lucan.* 4. 228. Sacramenta sceleri jurata nefando. *Sil. It.* 11. 145. Juratum bellum. *Id.* 1. 9. Jovis fœdus. *Stat.* 2. *Silv.* 1. 53. jurataque multum Barba tibi. *h. e.* dis promissa. — b) Quum de diis sermo est, idem est ac jurando invocatus, testis jurisjurandi adhibitus. *Ovid. Heroid.* 2. 23. nec te jurata reducunt Numina. *Seneca Agam.* 755. Jurata Superis unda. *h. e.* Styx. ¶ 2. Active de personis usurpatur et — a) Est qui juravit, *chi ha giurato. Cic. Sull.* 11. 34. An me existimasti hæc injuratum in judicio non esse dicturum, quæ juratus in maxima contione dixi? *Liv.* 32. 22. Juratus, se eum sua manu interempturum, pervicit, ut etc. *Horat.* 1. *Ep.* 17. 60. per sanctum juratus dicat Osirim. *Stat.* 3. *Silv.* 2. 98. tumidoque nihil juratur Atridæ. *Ovid.* 13. *Met.* 50. illa eadem nobis juratus in arma. — b) Hinc est etiam jurejurando adstrictus, obligatus. *Cic.* 3. *Off.* 26. 99. Regulus juratus missus est ad senatum, ut etc. *Sil. It.* 6. 346. At nova Elissæi jurato fœdera patres Consultant mandare duci. — *Juratus ad sacra Etruriæ* in *Inscript.* apud *Gruter.* 479. 1. et *Orell.* 2182. est, qui secundo gradu iis sacris initiatus jusjurandum præstiterat, nemini se arcana enunciaturum. — c) *Juratissimi auctores* apud *Plin. præfat. Hist. nat.* § 22. sunt fidelissimi, et qui, tamquam jurati sint, se vera scripturos, numquam mentiuntur. — Hinc Ablativus

Juratō, adverbii more est jurejurando dato, *con giuramento. Paul. Dig.* 2. 8. 16. Qui jurato promisit judicio sisti, non videtur pejerasse, si etc.

JŪRŬLENTĬA, æ, f. 1. (jurulentus) liquor eorum, quæ coquuntur. *Tertull. Jejun.* 1. Siccantes cibum ab omni carne et omni jurulentia.

JŪRŬLENTUS, a, um, adject. (jus *primo loc.*) cum jure coctus, juris plenus, *cotto con brodo, allesso*, ζωμώδης. *Cels.* 2. 18. *a med.* Tum res eadem magis alit jurulenta, quam assa; magis assa, quam frixa. *V.* JUSSULENTUS.

JUS, jūris, n. 3. (quod ratione habita etymi sunt qui dictum putant a *juvo*, quod alimonia sua juvat corpus humanum, ut *pus* est a *puteo*: etenim *Plaut. Capt.* 1. 2. 33. Neque unquam quicquam me juvat, quod edo domi.: ceterum conjungi potest cum Gr. ζῦθος et ζύμη, et cum Germ. *Jauche*) est liquor eorum, quæ coquuntur, ζωμός (It. *brodo*; Fr. *jus, suc, sauce, bouillon*; Hisp. *zumo, suco, caldo*; Germ. *die Brühe, Suppe*; Angl. *broth, liquor*).

I.) Proprie. *Plaut. Most.* 1. 3. 120. Itidem (*mulieres*) olent, quasi quum una multa jura confundit cocus: quid oleant, nescias; nisi id unum, ut male olere intelligas. *Ter. Eun.* 5. 4. 17. Ex jure hesterno panem atrum vorare. *h. e.* sordidum et atro jure diei hesternæ maceratum. *Varro* 3. *R. R.* 17. 5. In jus vocat pisces cocus. *Cic.* 9. *Fam.* 20. *a med.* Hirtio cœnam dedi; sine pavone tamen; in ea cœna cocus meus præter jus fervens nihil potuit imitari. *Id.* 5. *Tusc.* 34. 98. Negavit, se jure illo nigro delectatum. *Seren. Sammon.* 46. 847. gallinæ jura vetustæ. Adde *eumd.* 48. 902. — *Jus Verrinum* dixit *Cic.* 3. *Verr.* 46. 120. ludens in ambiguo, ut Verrem jus dicentem irrideret; est enim verres porcus masculus. Negabant, *inquit*,

mirandum esse, jus tam nequam esse Verrinum.

II.) Translate dicitur de liquore, qui non sit cibus, ζέμα. *Plin.* 35. *Hist. nat.* 6. 26. (44). de *purpuræ sanie*. Addita creta in jus idem.

JUS, jūris, n. 3. In Genitivo plur. pro *jurium* dixit *jurum* apud *Charis.* 1. *p.* 72. et *p.* 109. *Putsch. Cato* in 7. *Orig.* Iisdem locis *Charis. juribus* dici negat: quod tamen ex *Ulpiano lib.* 27. *ad Edict.* asserit *Voss. l.* 3. *de Grammat. c.* 46. *ad fin.* — Ratione habita etymi, *jus* est a *jubeo*, quia jubetur ab eo, qui summam habet potestatem: jus enim apud Romanos fuit, quod a populo jussum fuerat, cujus proprium erat jubere; porro antiquissimi *jousa* dixerunt (quippe *jous* per diphthongum pluries scribitur in vetusto marmore apud *Murat.* 582. et alibi), nec litteras geminabant, nec utebantur littera canina R; postea abjecta diphthongo et sibilante littera in caninam versa *jura* dixerunt. Juxta *Döderlein.* (*Latein. Synonym. vol.* 6. *p.* 183.) conjungi potest etiam cum Gr. voce ἴστης. — Ceterum jus occurrit *A*) Objective, ut in scholis ajunt; aut *B*) Subjective.

A) Objective, et quidem

I.) Proprie. ¶ 1. Universim — *a*) Primo jus significat omnes cujuscumque generis leges simul sumptas; hinc est id quod legibus constitutum est sive naturalibus, sive divinis, vel gentium, vel civilibus. Alio nomine vocatur æquitas communis, æquum universale, legitimum, id est adæquatum legi, tamquam norma ac regula actionum humanarum. *Cic.* 1. *Legg.* 5. 17. Nobis ita complectenda in hac disputatione tota causa est universi juris ac legum, ut hoc civile quod dicimus in parvum quemdam et angustum locum concludatur. et *ibid. paullo supra.* Iis enim explicatis, fons legum et juris inveniri potest. Non ergo a prætoris edicto, ut plerique nunc, neque a XII. tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam putas. Cf. *ibid.* 10. 28. Omnium, quæ in doctorum hominum disputatione versantur, nihil est profecto præstabilius, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse jus. *Plaut. Epid.* 3. 4. 85. Omnium legum atque jurium fictor, conditor cluet. *Ter. Heaut.* 4. 1. 29. Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, neque æquum sciunt. *Ennius* apud *Non. p.* 399. 8. *Merc.* Melius est virtute jus: nam sæpe virtutem mali Nanciscuntur: jus atque æquum se a malis spernit (*h. e.* segregat) procul. *Cic.* 1. *Tusc.* 26. 64. Jus hominum situm est in generis humani societate. Cf. *Vetus Scholiast.* ad *Lucan.* 1. 175. Ut Sallustius in Historia: Et relatus inconditæ olim sitæ mos, ut omne jus in viribus esset. *Horat.* 2. *Sat.* 5. 34. Jus anceps novi, causas defendere possum. *h. e.* novi, in utramque partem arte detorqueri jus posse. — Hinc sæpe cum *fas* jungitur. *Cic.* 1. *Att.* 16. 6. Jus ac fas omne delere. *Virg.* 1. *G.* 260. festis quædam exercere diebus, Fas et jura sinunt: rivos deducere nulla Religio vetuit. *Plaut. Cist.* 1. 1. 22. GY. Amabo, hiccine istud decet? LE. Jusque fasque est. et *Ter. Hecyr.* 3. 3. 27. Si jus, si fas est. et *Liv.* 7. 13. Legatos, sicut fas jusque est, ad socios precatum mittemus, ne quo vobis vis fiat. — *Liv.* 3. 33. Condere nova jura. *Horat. Art. P.* 398. Concubitu prohibere vago, dare jura maritis. *h. e.* leges. Sic *Id.* 3. *Od.* 3. 42. stet Capitolium Fulgens, triumphatisque possit Roma ferox dare jura Medis. — *b*) Atque hæc est notio juris universalis. Est enim jus etiam particulare seu privatum, quod collectum est ex naturalibus præceptis aut gentium, aut civilibus, ut ait *Justinian.* 1. *Institut. tit.* 1. § 4. Hinc *Cic.* 3. *Off.* 5. 23. Nec vero hoc solum natura et jure gentium, sed etiam legibus populorum – eodem modo constitutum est, ut non liceat, sui commodi causa nocere alteri. *Id.* 1. *de republ.* 2. Ut jus gentium, aut hoc ipsum civile quod dicitur. — De variis juris divisionibus in civile, naturale etc. V. JCtos *Dig.* 1. toto *tit.* 1. — Jus Latium. *V.* in LATIUS in ONOM. — Jus Quiritium *V.* QUIRITES in ONOM. — Similiter *Cic. Dom.* 14. 36. Nego, istam adoptionem pontificio jure esse factam. *Id. Balb.* 20. 45. Q. Scævola ille augur, quum de jure prædiatorio consuleretur etc. — Huc referri possunt et illa, in quibus jus, juxta *Forcellinum*, pro necessitudine, aut conjunctione ponitur. *Ovid.* 6. *Met.* 536. conjugalia jura. *Sueton. Cal.* 26. Jus necessitudinis. *Pompon. Dig.* 50. 17. 8. sanguinis. — *c*) Item speciatim pro formulis juris, quibus veteres jurisperiti usi sunt. *Pompon. Dig.* 1. 2. 2. § 7. Jus Flavianum. *V.* FLAVIANUS in ONOM. ¶ 2. Speciatim sumitur jus pro justitia legali, seu pro ipsis legibus, *le leggi.* Hinc — *a*) *Jus summum* dicitur, quum leges severe et sine ulla mitigatione observantur. *Cic.* 7. *Verr.* 2. 4. Non agam summo jure tecum. *Id.* 1. *Off.* 10. 33. Ex quo illud, *Summum jus, summa injuria*, factum est jam tritum sermone proverbium. Cf. *Ter. Heaut.* 4. 5. 48. Jus summum sæpe summa est malitia. et *Colum.* 1. *R. R.* 7. 2. Jus summum antiqui summam putabant crucem. — Contra *æquo jure agere, disceptare*, est ex æquo et bono, leniter, remisse. *Cic.* 4. *Verr.* 15. 38. — *b*) *Ipso jure* est per se, citra aliud factum vel pactum, vi sola legis, stricto et solo jure. Passim occurrit apud JCtos in *Digestor.* libris. — *c*) Jus pro ipsis legibus. *Cic.* 2. *Orat.* 33. 142. De jure alicui respondere. et 1. *Legg.* 4. 12. Respondere jus. Italice *dare consulti in materia legale.* Sic *Id. ibid.* Adjungatur hæc juris interpretatio. — *d*) Item pro eo, quod vim habet sanctionis et legis. *Cic.* 3. *Legg.* 3. 6. Quod is, qui bellum geret, imperassit, jus ratumque esto. *Ulp. Dig.* 1. 1. 9. Non ambigitur, senatum jus facere posse. — *e*) Item pro sententia a judice prolata. Hinc prætor, quum sententiam pronunciat, jus dicere, aut reddere dicitur. *Cic.* 13. *Fam.* 14. Ea res a Volcatio, qui Romæ jus dicit, rejecta in Galliam est. *Paul. Dig.* 1. 1. 11. Prætor quoque jus reddere dicitur, etiam quum inique decernit.

II.) Translate. ¶ 1. Jus ponitur pro loco, in quo jus redditur. *Plaut. Pœn.* 5. 5. 56.; et *Horat.* 1. *Sat.* 9. 77. Rapere aliquem in jus. *trascinarlo davanti ai tribunali*, sive, ut ait *Acro* ad *Horat. loc. cit.*, per injectionem manus adversarium suum in judicium trahere. *Ter. Phorm.* 5. 7. 43. In jus ambula. *Nepos Att.* 6. In jus de sua re numquam ivit. *Cic. Quinct.* 19. 61. Vadari vis: promittit. In jus vocas: sequitur. Judicium postulas: non recusat. *Id. ibid.* 25. 79. Ut statim de jure aliquis recurrerit. ¶ 2. Pro justitia, seu cum legibus ac jure convenientia. *Liv.* 1. 26. *sub fin.* Absolverunt admiratione magis virtutis, quam jure causæ. *pel merito della causa.* — Hinc jus petere, orare, postulare, est rem justam petere. *Plaut. Pseud.* 5. 2. 16. Quid dubitas dare mihi argentum? S. Jus petis, fateor. Adde eumd. *Trin.* 5. 2. 37. — *Jus est* pro justum est, vel licet. *Plaut. Pers.* 1. 3. 26. Jus est apponi pernam frigidam. ¶ 3. Hinc Ablativus *jure* eleganter ponitur more Adverbii, et significat juste, *giustamente, con ragione. Cic.* 7. *Verr.* 8. 19. Quamobrem jure in eum animadverteretur. *Virg.* 9. *Æn.* 423. Jure omnia bella Gente sub Assaraci fato ventura resident. *Cic.* 3. *Cat.* 6. 14. Prætores merito ac jure laudantur. *Juvenal.* 2. 34. Nonne igitur jure ac merito vitia ultima fictos Contemnunt Scauros? *Seneca* 1. *Clem.* 12. Jure meritoque præferri multis potest. *Plaut. Most.* 3. 2. 24. Te ipse, jure optimo, merito incuses licet. Ubi nota pleonasmum. — Huic opponitur *injuria. Cic.* 4. *Verr.* 61. 150. Non quæro, jure, an injuria sint inimici. *se con ragione, o a torto. Ter. Andr.* 1. 3. 9. Quo jure, quaque injuria me in pistrinum dabit. Ubi *Donatus*: Proverbiale hoc est, qualia sunt *fas et nefas, nolis velis.* Al. leg. cum *Priscian.* 18. *p.* 1190. *Putsch.* (non tamen in omnibus editionibus). Quo jure, quave injuria. — Nihil tamen obstat, quominus Ablativi *jure* et *injuria* etiam propria significatione usurpentur.

B) Subjective, hoc est ratione habita hominis

I.) Proprie ¶ 1. Universim jus sumitur pro eo, quod natura vel legibus vel consuetudine ad aliquem pertinet; item pro æquo et justo, quod alicui ex justitia debetur. *Sall. orat. Cottæ* § 5. Pro quibus beneficiis vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim; nam vita et mors jura naturæ sunt. *h. e.* nequeo, nam in vitam et mortem jus omne ad naturam, non ad hominem, pertinet. V. *Kritz.* ad h. l. *Cic.* 1. *Off.* 11. 37. Monet igitur, ut caveat, ne prælium ineat: negat enim jus esse, qui miles non sit, cum hoste pugnare. *Id. Cæcin.* 11. 32. Ut per interdictum jus meum teneam. *Id. Quinct.* 9. 34. Ubi nostrum jus contra ipsos obtineremus. *Ter. Adelph.* 1. 2. 9. Crede hoc, ego meum jus persequar. Sic *Cic. Cæcin.* 3. 8. Si mihi præscribat, quemadmodum meum jus persequar. *Cæs.* 1. *B. G.* 4. Jus suum armis exsequi. *Cic.* 2. *Off.* 18. 64. Multa multis de jure cedens. Sic *Id. Rosc. Am.* 27. 73. Tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo jure decedam, et tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam. Adde eumd. 16. *Att.* 2. — Contra, *jure suo agere* est libere agere, nemine impediente. *Flor.* 3. 17. Equites Romani tanta potestate subnixi pecolabantur suo jure rempubl. *V.* alio sensu paragr. 3. infra. ¶ 2. Speciatim est prærogativa seu privilegium alicujus ordinis aut hominis proprium. *Liv.* 9. 34. Qui optimo jure rex Romæ creatus est. *avendovi pieno diritto.* Sic *Id.* 9. 31. Optimo jure censor creatus. *Id.* 34. 3. Muliebria jura. *i privilegi delle donne.* — Jus trium, vel quatuor, vel quinque liberorum quid sit, *V.* LIBERI. — *Æquum jus civitatis* apud *Liv.* 26. 24. est ἰσοπολιτεία. V. *Spanhem. Orb. Rom. p.* 23. et 25. ¶ 3. Item speciatim et sæpius est auctoritas seu potestas a legibus seu jure concessa in aliquem aut in aliquid. *Cic.* 2. *Legg.* 12. 31. Cum plebe agendi jus aut dare, aut non dare, augurum est. *Liv.* 5. 55. *in fin.* Materiæ cædendæ unde quisque vellet, jus factum. *Cic. Topic.* 3. 12. Si compascuus est ager, jus est compascere. Confer quæ afferuntur infra sub II. 1. *Sall. orat. Lepid.* § 34. Neque aliter rempublicam et belli finem (*Sulla*) ait, nisi maneat expulsa agris plebes, — jus judiciumque omnium rerum penes se, quod populi Romani fuit. *Jus judiciumque* conjunctim summam rerum potestatem atque imperium designat; ea formula ita dici observavit *Gronov.* ad *Liv.* 36. 39., quorum cf. eumd. 39. 24. et 41. 22. — *Plaut. Cas.* 2. 2. 20. Nam viri jus suum ad mulieres obtinere haud queunt. *Liv.* 1. 26. Jus patrium. *il diritto paterno*, jus vitæ necisque. Sic *Id.* 2. 29. Jus de tergo vitaque. *Id.* 21. 61. Ilergetes in jus ditionemque recepit. *Sall. Cat.* 20. Postquam respublica in paucorum potentium jus atque ditionem concessit. — Hinc sui *juris facere*, Italice *far suo. Vellej.* 2. 69. Decem legiones in eo tractu sui juris fecerat. et *ibid.* 108. *extr.* Finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus sui juris fecit. — *Sui juris esse*, est liberum esse suique arbitrii. *Cic.* 3. *Verr.* 7. 18. Eos in judicando nimium sui juris sententiæque cognovit. Cf. *Brutus* ad *Cic. inter ep.* 1. *ad Brut.* 16. *ante med.* Ut esset sui juris ac mancipii respublica. et *Seneca Ep.* 11. Nihil adversus hæc sapientia promittit: sui juris sunt, injussa veniunt. Adde *Vellej.* 2. 40. 1. — *Suo jure agere* est auctoritate et facultate, seu potestate a legibus seu jure concessa agere. *Ter. Adelph.* 1. 1. 27. Non necesse habeo omnia pro meo jure agere.

II.) Translate, h. e. metaphorâ ductâ a paragr. proxime superiore, ¶ 1. Jus ponitur pro licentia, facultate. *Ovid.* 2. *Met.* 47. currus rogat ille paternos, Inque diem alipedum jus et moderamen equorum. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (27). Nullum Deus habet in præterita jus, præterquam oblivionis. *Lucan. init.* Jusque datum sceleri. *Plin.* 18. *Hist. nat.* 34. 77. (337). Zephyrus vites putandi, fruges curandi, arbores serendi jus dabit. ¶ 2. Item pro conditione seu statu. *Cic.* 5. *Verr.* 6. 12. Ut eodem jure essent, quo fuissent. *Id.* 2. *Off.* 8. 27. Universas provincias uno calamitatis jure comprehenderet.

JUSCELLĀRĬUS, ii, m. 2. qui juscellum parat. *Gloss. Philox.* Juscellarius, ζωμευτής. *V.* JUSCULARIUS.

JUSCELLUM, i, n. 2. *deminut. duplex a jus*, jusculum. *Theod. Priscian.* 2. 13. Juscellum gallinarum. *Venant.* 6. *carm.* 10. 18. Plus juscella coci, quam mea jura, valent. Adde *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 4. 273. — *Cœl. Aurel.* sæpius utitur voce *viscellum*, teste *Hallero* in sua editione; at in voce INNUTRĬBILIS, ubi *viscello* habet *Hallerus*, in hoc Lexico legitur *juscello.* Tu videris.

JUSCŬLĀRĬUS, ii, m. 2. (jusculum) jurulenti cibi, seu jusculi opifex, ζωμοποιός, apud *Murat.* 305. FELIX AVG. L. IVSCVLARIVS.

JUSCŬLUM, i, n. 2. *deminut. a jus* (*primo loc.*), liquor eorum, quæ coquuntur, et quilibet liquidior cibus. *Cato R. R.* 156. *in fin.* Postea inde jusculum frigidum sorbere, et ipsam brassicam esse oportet.

JUSJURANDUM, jurisjurandi, jurijurando, jusjurandum, jurejurando, n. 2. (jus *secundo loc. et* juro). *Jusjurandi* in Genitivo pro *jurisjurandi*, qui *Cæsari* et *Tacito* tribuunt, non probant. — *Jurajuranda* dixit *Pacuvius* apud *Festum* p. 133. 30. *Müll.* — Divisim. *Cic. Cæl.* 22. 54. Socius vestræ religionis jurisque jurandi. *Ovid. Heroid.* 21. 133. quid prodest jurandi formula juris? — Invertit et *Plaut. Pseud.* 1. 2. 63. Qui jurando jure malo quærunt rem. — Ceterum jusjurandum est juramentum, sacramentum, ὅρκος (It. *giuramento*; Fr. *serment*, *protestation avec serment*; Hisp. *juramento*; Germ. *Eid*, *Schwur*; Angl. *an oath*). *Ennius* apud *Cic.* 3. *Off.* 29. 104. O Fides alma apta pinnis, at jusjurandum Jovis. *Cato* apud *Festum* p. 153. 32. (2). *Müll.* Neque fidem, neque jusjurandum, neque pudicitiam multifacit. *Plaut. Most.* 5. 1. 36. Jusjurandum pollicitus est dare mihi, neque se hasce ædes vendidisse, neque sibi esse argentum datum. *Cic.* 3. *Off.* 29. 104. Est enim jusjurandum affirmatio religiosa. *Id.* 5. *Fam.* 2. *circa med.* Maxima voce juravi verissimum pulcherrimumque jusjurandum. *Id.* 3. *Off.* 31. 112. Juravit, se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. *Liv.* 22. 38. Milites tunc, quod numquam antea factum erat, jurejurando ab tribunis militum adacti jussu consulum conventuros, neque injussu abituros; nam ad eam diem nihil præter sacramentum fuerat. *Id.* 35. 19. Pater me jurejurando adegit, numquam amicum fore populi Romani. *Cæs.* 3. *B. C.* 28. Tirones jurejurando accepto, nihil iis nocituros hostes, se Otacilio dediderunt. *Id.* 1. *B. G.* 3. *in fin.* Inter se fidem et jusjurandum dant. *Quintil.* 5. 6. 4. Deferre jusjurandum alicui. *V.* DEFERO. *Id. ibid.* § 1. offerre. *et ibid.* recipere. *et*, exigere ab aliquo. *et ibid.* § 4. jurejurando stare. *Paul. Dig.* 12. 2. 6. Jusjurandum remittere. *h. e.* gratiam facere. *Ulp. ibid.* 3. 4. *a med.* Jurijurando modum statuere. *et mox.* Taxationem jurijurando dicere. *Tac.* 4. *Hist.* 41. Jusjurandum concipere. *Liv.* 34. 25. interponere. *Cic.* 3. *Off.* 27. 100. et 28. 103. conservare. *et ibid.* 29. 104. violare. *Id.* 1. *Invent.* 29. 46. negligere. *Cæs.* 1. *B. G.* 31. Jurejurando civitatem obstringere. *et ibid.* 30. *extr.* sancire, ne quis enunciet. *et* 7. *ibid.* 2. ac fide sancire. *Cic.* 2. *Legg.* 7. 16. firmare aliquid. *Id.* 3. *Off.* 27. 100. teneri. *Cæs.* 4. *B. G.* 11. alicui fidem facere. *Cic. Flacc.* 6. 15. Psephismata jurejurando constricta. *Id. Cæl.* 22. 55. Jurejurando devincta auctoritas. *Cæs.* 3. *B. C.* 28. Contra religionem jurisjurandi crudelissime interficiuntur.

JUSQUIAMUS, corrupta vox ex HYOSCIAMUS, quam vocem *V.*

JUSSĬO, ōnis, f. 3. (jubeo) actus jubendi, jussum, *comando*, πρόσταγμα. *In Epit. Livii* 67. Secundum populi Romani jussionem Cæpionis bona publicata sunt. Al. aliter leg. *Modestin. Dig.* 40. 4. 44. *extr.* Testatricis jussioni parere. *Lactant.* 4. 15. *ante med.* Hæc omnia verbo ac jussione faciebat. *Arnob.* 2. 11. Unius imperii jussione maris insanias compescere. *V.* et FIDEJUSSIO; et adde *Vulgat. interpr. Genes.* 27. 5., *Exod.* 40. 21. et alibi.

JUSSĬTŌR *et*

JUSSO. *V.* JUBEO.

JUSSOR, ōris, m. 3. qui jubet. *Gloss. Philox.* Jussor, κελευτής.

JUSSŪLENTUS, a, um, adject. (jus *primo loc.*) idem ac jurulentus. *Apul. de Mag.* Qualiter quisque piscium assus, aut jussulentus optime sapiat.

JUSSUM, i, n. 2. (jubeo, jussus) idem ac jussio, vel jussus (It. *comando*; Fr. *ordre*, *commandement*; Hisp. *orden*, *mando*, *mandato*; Germ. *d. Geheiss*, *Gebot*, *Gesetz*, *d. Befehl*; Angl. *an order*, *command*, *charge*, *mandate*). ¶ 1. Generatim. — *a*) De more in plurali numero. *Cic. Rosc. Am.* 24. 66. Quum præsertim deorum immortalium jussis atque oraculis id fecisse dicantur. *Sall. Jug.* 25. *extr.* Jussa efficere. *eseguire*. *Id. ibid.* 35. Jussis alicujus obedientem esse. *Tac.* 3. *Ann.* 17. Jussa alicujus detrectare. *et* 11. *ibid.* 19. exuere. *et* 14. *ibid.* 3. spernere. *et ibid.* 37. *extr.* abnuere. *et* 4. *Hist.* 81. exsequi. *et ibid.* 83. patrare. *Virg.* 1. *Æn.* 81. capessere. *et ibid.* 308. facere. *et* 4. *ibid.* 295. facessere. *et ibid.* 538. sequi. *h. e.* exsequi. *Val. Flacc.* 5. 660. dira tyranni subire. *Id.* 7. 61. perficere *et ibid.* 95. pati. *Ovid.* 2. *Met.* 119. peragere. *et* 1. *ibid.* 385. jussis parere. — *b*) Raro admodum in singulari numero. *Ovid.* 4. *Met.* 509. Sic victrix, jussique potens, ad inania magni Regna redit Ditis. *V.* POTENS. *Sil. It.* 9. 602. nec jusso more. ¶ 2. Speciatim aliquando ponitur pro lege. — *a*) In plur. num. *Cic.* 2. *Legg.* 5. 11. Perniciosa et injusta jussa populis describere. *Id. ibid.* 4. 9. Alia jussa ac vetita populorum. *Id. Balb.* 18. 42. Quum scita ac jussa nostra sua sententia comprobat. Huc pertinet quod *Paul. Diac.* p. 103. 12. *Müll.* *jussa* exponit, *jura*: ubi tamen plerique scribendum putant *jusa* ex more veteri ponendi *s* pro *r*, ut *Fusius*, *Furius*: *Lases*, *Lares* etc. — *b*) In sing. num. *Sisenna* apud *Non.* p. 130. 12. *Merc.* Tudertibus populi jusso dat civitatem. Cf. *Cic. Cæcin.* 33. 96. Putasne, si populus jusserit, id jussum ratum atque firmum futurum? et *Gell.* 11. 19. Ejus leges non decreto jussoque, sed tacito consensu obliteratæ sunt.

JUSSUS, a, um. *V.* JUBEO.

JUSSUS, us, m. 4. (jubeo) jussum, jussio, *comandamento*. — *a*) Extra Ablativum casum non facile invenies. *Plaut. Curc.* 2. 3. 50. Tuo jussu profectus sum. *Cic. pro leg. Manil.* 9. 26. Vestro jussu coactus, partem militum dimisit. *Nepos Timoth.* 4. Populi jussu bellum gessit. *Sall. Jug.* 120. Uti jussu populi Romani fœdus fieret. — *b*) Pro *jussui* in Dativo *Augustus de Vita sua* apud *Servium* ad *Virg.* 8. *Æn.* 696. Antonium jussisse, ut legiones suæ apud Cleopatram excubarent, ejusque nutu et jussu parerent.

JUSTĒ, adverb. (justus). Comp. *Justius* et Sup. *Justissime*. — Juste est jure, recte, legitime, *giustamente*, *con ragione*, δικαίως. *Cic.* 1. *Off.* 4. 13. Juste et legitime imperare. *Id. pro Marcell.* 3. 9. Clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter facere. *Tac. Agric.* 9. Agricola naturali prudentia facile justeque agebat. *Curt.* 10. 5. *a med.* Juste æstimare aliquid. *Auct. B. Alex.* 25. postulare. *Ovid. Heroid.* 17. 168. timere. *Phædr.* 4. 25. Sæpe impetravit veniam confessus reus: Quanto innocenti justius debet dari? *Horat.* 2. *Sat.* 4. 86. Justius reprehendi. *Plin.* 8. *Ep.* 14. *ante med.* Quo justius peto, ut errori tribuas veniam. *Brutus* ad *Cic.* inter *ep.* 1. *ad Brut.* 4. At hoc ipsum, inquies, inique facis: immo justissime. *Quintil.* 10. 1. 82. In hunc transferri justissime possit.

JUSTĬFĬCĀTĬO, ōnis, f. 3. (justifico) actus justificandi, *giustificazione*. *Salvian.* 3. *advers. Avar.* 2. Unusquisque hominum aut sua justificatione salvandus, aut sua iniquitate periturus. *Gloss. Philox.* Justificatio, δικαίωσις. Adde *Vulgat. interpr. Num.* 9. 3., 2. *Par.* 19. 10. et alibi sæpe.

JUSTĬFĬCĀTŌR, ōris, m. 3. (justifico) qui justificat. *Augustin. de spirit. et litt.* 26. Indigere se gratia Justificatoris. *et ibid.* 29. Sed per fidem concilians Justificatorem.

JUSTĬFĬCĀTRIX, īcis, f. 3. (justifico) quæ justum facit. *Tertull.* 4. *advers. Marcion.* 36. Disciplina justificatrix humilitatis.

JUSTĬFĬCĀTUS, a, um. *V.* voc. seq.

JUSTĬFĬCO, as, ātum, are, a. 1. (justus *et* facio). Part. *Justificans* 2. et *Justificatus* in fin. — Justificare ¶ 1. Est juste facere, *fare giustizia*. *Tertull.* 2. *advers. Marcion.* 19. et 4. *ibid.* 17. et 29. *ad fin.* ex *Isaj.* 1. 17. Judicate pupillo, et justificate viduam. *Id. Tertull.* hunc ipsum locum ita refert 1. *ad Uxor.* 8. Juste facite viduæ. et 4. *advers. Marcion.* 14. Juste tractate viduam. ¶ 2. Item justum reddere, *giustificare*. *Coripp.* 2. *Laud. Justini jun. sub fin.* Deus est, cui verbo competit uno Justificare malos. *Vulgat. interpr. Rom.* 3. 26. Ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi. Adde *ibid. Job* 4. 17. et alibi sæpe. — Hinc Part. præter. pass.

Justificatus, *a*, *um*, adjective quoque occurrit, unde Comp. *Justificatior*, et est justus factus, *giustificato*. *Prudent. Apotheos.* 881. Baptismate justificatus. *Tertull. Orat.* 13. Publicanus Pharisæo justificatior discessit.

JUSTĬFĬCUS, a, um, adject. (justus *et* facio) justitiam faciens, *chi fa giustizia*, δίκαιος. *Catull.* 64. 407. Justifica mens deorum.

JUSTĬTĬA, æ, f. 1. (justus) virtus, qua suum cuique tribuimus, quæ et particularis dicitur. Est enim et universalis, quæ obedientia est erga leges, et virtutes omnes morales complectitur, δίκη, δικαιοσύνη (It. *giustizia*; Fr. *la justice*; Hisp. *justicia*; Germ. *d. Gerechtigkeit*; Angl. *justice*).

I.) Proprie, seu stricto sensu. *Cic.* 5. *Fin.* 23. 65. Quæ animi affectio suum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, societatem conjunctionis humanæ munifice et æque tuens, justitia dicitur: cui adjuncta sunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quæque sunt generis ejusdem. *Id.* 2. *Off.* 11. 38. Justitia, ex qua una virtute boni viri appellantur. *Id. Partit. orat.* 22. 78. Justitia erga deos religio, erga parentes pietas, vulgo autem bonitas, creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia nominatur. *Flor.* 1. 2. *extr.* Ut quod vi et injuria occupaverat imperium, religione atque justitia gubernaret. *Virg.* 1. *Æn.* 527. Justitiaque dedit gentes frenare superbas. — A Romanis *Justitia*, ut dea, culta fuit: ejus imaginem affabre descriptam habes apud *Gell.* 14. 4. et passim exsculptam in antiquis Romanorum nummis. Hinc *Inscript.* apud *Murat.* 154. 1. P. AELIO TIMARO SACERDOTI IVSTITIAE P. AELIVS STRATONICVS PATER DVLCISS. *Capell.* 2. p. 33. Hujus (*Prudentiæ*) germana sua cunctis attribuens, nullumque eo, quo non merebatur, afficiens Justitiæ ferebatur sortita vocabulum. Ceterum V. *Ovid.* 1. *Fast.* 249.; *Virg.* 2. *G.* 474.; *Sil. It.* 2. 486.; et *Claudian.* 1. *in Rufin.* 56. et 356.: et quod ad nummos attinet, V. *Rasche Lex. numm.* 2. 2. p. 1241. et seqq. *et* 7. 2. p. 287.

II.) Figurate, seu latiori sensu ponitur ¶ 1. Pro bonitate vitæ, lenitate, mansuetudine. *Ter. Heaut.* 4. 1. 32. Nunc hoc te obsecro, quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior: ut meæ stultitiæ in justitia tua sit aliquid præsidii. *Cæs.* 5. *B. G.* 4. Legatos ad Cæsarem mittunt: sperare se, pro ejus justitia, quæ petierint, impetraturos. *Ovid.* 3. *Pont.* 6. 23. Principe nec nostro deus est moderatior ullus: Justitia vires temperat ille suas. ¶ 2. Pro æquitate civilis animi, et nihil se supra alios efferentis. *Nepos Arist.* 2. Tum autem et intemperantia Pausaniæ, et justitia factum est Aristidis, ut etc. Dixerat *paullo sup.* Ejus æquitate factum est, ut summa imperii etc. Adde *Cæs.* 1. *B. C.* 32. *extr.*, ubi justitiam et æquitatem conjungit; et *Cic. Marcell.* 4. 12., ubi justitiam et lenitatem. ¶ 3. Pro ipsis legibus. *Flor.* 1. 24. Ordinataque erat in duodecim tabulis tota justitia.

JUSTĬTĬĀLE, is, n. 3. *Inscript* apud *Henzen.* (quæ pertinet ad ann. ab U. C. 766. – 778.) 7419. d β. CARISIANENSIS D. F., SCIRTVS AGITATOR FACTION. ALBAE SVMMAE SVMMARVM QVADRIGA VICIT VII. REVOCATVS III. SECVNDAS (*tulit*) XXXIX. TERTIAS (*tulit*) LX. ET IVSTITIALE I. SEIVGES II. *Justitiale* quid sit, nondum constat.

JUSTĬTĬUM, ii, n. 2. *per syncop. pro* jurisstitium *a* jus et sisto,

I.) Proprie est juris dicendi intermissio, quæ fieri solet in publico luctu et reipublicæ calamitatibus: quasi *juris statio*, hoc est silentium, per translationem, *ferie*, ἀπραξία. *Gell.* 20. 1. Velut quoddam justitium, id est juris inter eos quasi interstitionem quamdam et cessationem, quibus diebus nihil agi cum his jure posset. *Cic.* 5. *Phil.* 12. 31. Justitium indici, saga sumi dico oportere. *Id. Harusp. resp.* 26. 55. Justitium edici oportere, jurisdictionem intermitti, claudi ærarium, judicia tolli. *Liv.* 3. 5. Justitium per aliquot dies servatum est. *Tac.* 2. *Ann.* 82. Justitium sumere. — *Justitium remittere* est pristinam facultatem tractandarum litium publice restituere. *Liv.* 10. 21. — Justitii tempore non juris solum administrandi, sed aliorum etiam publicorum munerum cessatio erat, ut ex *Tac.* 1. *Ann.* 16. et 50. et 2. *ibid.* 82. aperte colligitur. *Vide* etiam *Sueton. Cal.* 24.; et *Liv.* 26. 26.

II.) Figurate. ¶ 1. Generatim ponitur pro cessatione, impedimento. *Liv.* 26. 26. Consul senatum dimisit; ac prope justitium omnium rerum futurum videbatur, donec alter consul ad urbem venisset. ¶ 2. Speciatim pro luctu publico. *Sidon.* 2. *Ep.* 8. Decessit nudius tertius, non absque justitio, matrona Philimatia, morigera conjux, domina clemens, utilis mater, pia filia.

JUSTUM, i, n. 2. *V.* voc. seq. in fin.

JUSTUS, a, um, adject. (jus *secundo loc.*). Comp.

Justior II. 3.; Sup. *Justissimus* I. 1. et II. 1.; — Justus est qui juste facit, qui cum jure convenit, δίκαιος (It. *giusto*; Fr. *juste, conforme à la justice*; Hisp. *justo, lo que es conforme à justicia*; Germ. *gerecht, rechtmässig, recht*; Angl. *just, upright*).

I.) Proprie. — *a*) Si de homine agitur, justus dicitur et est, qui jus servat, qui juste facit, qui justitia præditus est, æquus, innocens. *Cic.* 2. *Off.* 12. 42. Justus et bonus vir. *Id. Planc.* 26. 63. Liberalis in publicanos, justus in socios. *Id. Sext.* 67. 141. Qui omnium justissimus fuisse traditur. *Vellej.* 2. 48. 1. Belli civilis exarserunt incendia, quum justissimus quisque et a Cæsare et a Pompejo vellet dimitti exercitus. *h. e.* omnes a partium studio alieni et abhorrentes. — *b*) Si de rebus agitur, justus est debitus, meritus, *giusto, dovuto, conveniente*. *Cic.* 1. *Cat.* 8. 20. Dubitas vitam istam, multis suppliciis justis debitisque ereptam, fugæ mandare? *Id.* 2. *Phil.* 29. 72. Propemodum æqua et justa dicebas. *Ovid.* 4. *Pont.* 3. 22. Nam nisi justa tua est, justa querela mea est. *Auct. B. G.* 8. 48. *extr.* Quam postulationem quum judicaret ab justo nasci timore, veniam petenti dedit. *Ovid.* 8. *Met.* 58. Justa bella facere.

II.) Translate. ¶ 1. Justus est legitimus, *legittimo*. *Cæs.* 4. *B. G.* 16. Justissima causa faciendi aliquid. *Id.* 1. *ibid.* 45. Populi Romani justissimum esse in Gallia imperium. *Sall.* in *epist. Mithrid. sub fin.* Pauci libertatem, pars magna justos dominos volunt. *Cic.* 1. *Tusc.* 35. 85. Septem et decem filii justa uxore nati. *Liv.* 39. 53. Hunc justa matrefamilias, illam pellice ortum esse. *Justin.* 15. 2. *ad fin.* Justus heres. — De justa libertate, *V.* MANUMISSIO. — *Justi dies* universim sunt statuti ac certi, quos ab omnibus servari, justum est. *Cic.* 2. *Legg.* 9. 22. Præter Ideæ matris famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito. — In re civili *justi* dicebantur triginta dies, qui dabantur confessi æris ac debiti judicatis, conquirendæ pecuniæ causa, quam dissolverent: eos decemviri *justos* appellaverunt, velut quoddam justitium, id est juris inter eos quasi interstitionem quamdem et cessationem, quibus diebus nihil cum his agi jure posset. Post deinde ad prætorem vocabantur, et ab eo addicebantur, etc. *Lex XII. Tab.* apud *Gell.* ex quo hæc sumpta sunt, 20. 1. AERIS CONFESSI AC DEBITI IVDICATIS TRIGINTA DIES IVSTI SVNTO: POST DEINDE MANVS INIECTIO ESTO, IN IVS DVCITO etc. — Demum *justi dies*, inquit *Paul. Diac.* p. 103. 17. *Müll.* et *Macrob.* 1. *Saturn.* 16., dicebantur triginta continui dies, quum exercitus esset imperatus, et vexillum russi coloris in arce positum. Hos dies eosdem esse ait *Macrob.* ac præliales, quibus fas est res repetere, vel hostem lacessere: quam postremam *Forcellini* sententiam falsam esse ait *Müllerus* ad *Paul. Diac. loc. cit.* Hinc *Justa, orum*, V. in fin. ¶ 2. Est etiam *justus* integer, plenus, perfectus, cui ad naturalem magnitudinem, aut quantitatem nihil deest. *Plaut. Rud.* 5. 3. 23. Si vidulum justum redegissem in potestatem ejus, juratus dare mihi talentum. *h. e.* cum omnibus quæ infuere. *Liv.* 39. 2. *a med.* Eos primo levibus præliis fatigavit: postremo coactos in aciem descendere justo prælio devicit. Adde eumd. 5. 49. et *Id.* 22. 28. Justa pugna. *Cic.* 2. *Fam.* 10. *a med.* Justa victoria imperator appellatus. *piena*. *Id. Brut.* 90. 309. Justa eloquentia. *h. e.* vera, absoluta, perfecta. *Ovid.* 2. *Met.* 732. Forma justa. *perfetta bellezza*. *Cæs.* 1. *B. C.* 23. et 3. *ibid.* 76. Justum iter conficere. *h. e.* quantum a militibus agmine euntibus uno die confici potest, quæ fere viginti millia pass. sunt, ut ex *Veget.* 1. *Milit.* 9. *Lipsius l.* 5. *de milit. R. dial.* 14. docet. Sed vide ITER I. *Liv.* 1. 4. Ad justi cursum amnis. *Cæs.* 7. *B. G.* 23. Dum justa muri altitudo expleatur. *Vellej.* 2. 119. Ordinem atrocissimæ calamitatis justis voluminibus conabimur exponere: nunc summa deflenda est. *Auct. B. Alex.* 44. Magnitudo navium non satis justa ad præliandum. *Ovid. Medic. fac.* 76. Sed justum tritis uncia pondus erit. *Sueton. Tib.* 68. Justa statura. *ordinaria*. et *Nerat. Dig.* 12. 4. 8. Si inter eas personas, quarum altera nondum justam ætatem habeat, nuptiæ factæ sint. *Ovid.* 10. *Met.* 36. quum justos matura peregerit annos. — *Justum vadem* interpretatur *Paul. Diac.* p. 113. 11. *Müll.* idoneum sponsorem. — In illo *Tac.* 2. *Ann.* 5. Fundi Germanos acie et justis locis; juvari silvis, paludibus: *justa loca* sunt æqua, et in quibus neuter exercitus habet subsidii quidquam præter virtutem: quibus *iniqua* opponuntur. ¶ 3. Interdum est æquus, facilis, humanus, lenis. *Ter. Andr.* 1. 1. 9. Ut semper tibi apud me justa et clemens fuerit servitus. *Cic.* 1. *Fin.* 1. 2. Ut propemodum justioribus utamur iis, qui omnino avocent a philosophia, quam iis, qui etc. *Vellej.* 2. 25. 3. Adeo enim Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut, dum vincit alios, justissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior. — *NB.* De cogn. Rom. *V.* ONOM. — Hinc

Justum, i, n. 2. absolute, substantivorum more, est ipsum jus, justitia, *il giusto*. *Cic.* 2. *Legg.* 5. 11. Justum ac jus colere. *Horat.* 1. *Sat.* 3. 98. utilitas justi prope mater et æqui. *Lucret.* 4. 1234. Semen liquidum præter justum. *Horat.* 3. *Od.* 7. 24. Ne vicinus Enipeus Plus justo placeat, cave. *più del dovere*. et *Ovid.* 6. *Met.* 470. rogare ulterius justo. et 3. *ibid.* 333. gravius justo dolere. *Quintil.* 9. 4. 125. Justo longior. *Vellej.* 2. 49. ferocior.

Justa, ōrum, n. plur. 2. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Stricto sensu usurpantur de cibariis et de mensa servorum. *Cic.* 1. *Off.* 13. 41. Servis justa præbere. *Colum.* 1. *R. R.* 8. 18. Diligens dominus ab ipsis vinctis quærat, an ex sua constitutione justa percipiant. ¶ 2. Generatim *justa* sunt, quæ in quoque genere debita sunt, quæ secundum leges, aut morem fieri debent. *Cic. Harusp. resp.* 10. 21. Omnia solemnia ac justa ludorum, omnibus rebus observatis, summa cum cæremonia esse servata. *tutti i requisiti*. *Liv.* 9. 8. Justis omnibus hospitalibus, privatisque et publicis funguntur officiis. et *ibid.* 8. Nec prius ingredi hostium fines, quam omnia justa in deditionem nostram perfecta erant. *Colum.* 6. *R. R.* 14. 4. et 30. 5. Jumentum ad justa perducere. *h. e.* ad solitum et debitum opus præstandum. Sic *Id.* 1. *ibid.* 8. 11. Justa reddere. *opera piena, pien lavoro*. — Ad vitem quoque transtulit *Id.* 4. *ibid.* 3. 5. Novella vitis, dum adolescit, nisi omnia justa perceperit, ad ultimam redigitur maciem. *tutta la coltura bisognevole*. Similiter *Plin. Valerian.* 4. 50. Justa familiarum. *h. e.* menstrua, quod *Colum.* dixit 10. *R. R.* 359. Femina, quæ justis tum demum operata juventæ Legibus etc. ¶ 3. Præcipue vero dicuntur de parentalibus et exsequiis, *funerali, esequie*: quia hæc maxime defunctis debentur. *Sall. Jug.* 11. Postquam illi more regio justa magnifice fecerant. *Cæs.* 6. *B. G.* 18. *extr.* Justis funebribus confectis. *Cic. Rosc. Am.* 8. 23. Paterno funeri justa solvere. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 109. 112. (248). Justa peragere. *Curt.* 10. 8. *a med.* præstare. *Id.* 6. 6. persolvere. Sic *Sidon.* 2. *Ep.* 8. *in carm.* Atque in temporibus vigentis ævi Injuste tibi justa persoluta. *Flor.* 4. 2. *a med.* Justa dare Manibus alicujus. *Ovid.* 5. *Fast.* 480. ferre aris positis. *Fragment. Inscript.* effossum anno 1830. in *Giorn. Arcad. T.* 18. p. 100. Et memores nostris semper date justa sepulcris.

JŪSUM. *V.* SUSUM.

JŪTURNĀLĬA, ium, n. plur. 3. sacra in honorem Nymphæ Juturnæ. *Virg.* 12. *Æn.* 139.; et *Servius* ad *h. l. V.* JUTURNA in ONOM.

JŪTUS, a, um. *V.* JUVO.

JŬVĀBĬLIS, e, adject. (juvo) utilis, *giovevole*, ὠφελούμενος. *Boeth. Aristot. Topic.* 6. 4. p. 714. Si delectatio est juvantia, et delectabile (*est*) juvabile.

JŬVĀMEN, inis, n. 3. (juvo) auxilium, *giovamento*, ὠφέλημα. *Æmil. Macer, c. de Betonica.* Fert hæmophthisicis cum posca sumpta juvamen. *Cassiod.* 3. *Variar.* 7. Nullus ingemiscat, illata sibi per vos fuisse dispendia, quos decet potius præstare juvamina. *Id.* 12. *ibid.* 2. Quod feliciter dictum sit, te officiumque tuum, cum Dei juvamine, possessorem præcipimus admonere, ut etc. *h. e. coll'ajuto di Dio*. Sic *Boeth. Cic. Topic.* 5. p. 835. Quæsiti extrinsecus juvamine indigentia. *Gloss. Cyrill.* Ὄνησις, juvamen.

JŬVĀMENTUM, i, n. 2. (juvo) juvamen. Tribuunt *Vegetio* 4. *Veterin.* 25. 3. *Schneid.*, sed rectius ibi *jumentum* leges. *Schneiderus* tamen *juvamentum* in textum recepit.

JŬVANTĬA, æ, f. 1. (juvo) utilitas, *giovevolezza*, ὠφέλημα. V. *Boethii loc. cit.* in JUVABILIS.

JŬVĔNA, æ, f. 1. juvenis, *ragazza*. Legitur in *Inscript.* apud *Maff. Mus. Ver.* 369. 3. QVOD SI IVVENAE NON FECERINT, RESTITVERE DEBEB. Agitur de donatione in puellæ octennis honorem a parentibus facta.

JŬVĔNĀLĬA, ium, n. plur. 3. *V.* voc. seq.

JŬVĔNĀLIS, e, adject. (juvenis) idem ac juvenilis, *giovanile*. *Apul. de Mundo.* Valenti habitudine, pubertate juvenali. *Auson. Profess. Burdigal.* 15. Animo juvenali senex. *Virgilio* quoque et *Ovidio* tribuunt non uno in loco ex probatis MSS., ut videre est apud *Pier.* ad illud 5. *Æn.* 475. *juvenali in corpore vires*; quod in *juvenili* passim mutatum fuit: sed *juvenali* legit etiam *Charis.* 1. p. 108. *Putsch.*, assignatque discrimen inter hoc adjectivum, et nomen viri proprium, quod adject. in sexto casu in *i* desinat, nomen vero proprium in *e*. Præterea *Priscian.* 4. p. 631. ita ponit *juvenalis* et *juvenilis* a *juvenis* deducta, ut satis significet *juvenalis* esse usitatius. *Plin.* 33. *Hist. nat.* 2. 8. (32). Dum juvenalem famam apud principem aucupatur. Ita ex omnibus suis MSS. *Harduin.* et *Sillig.*; alii leg. *juvenilem*. Sic *Capell.* 1. p. 13. Totum certe complacitum est, quidquid comit decorem juvenalium gratiarum. Ita *Kopp.* ex optimis Codicib. — Hujus vocis frequentem usum satis probant et quæ sequuntur. Nam *Juvenalis* dictus fuit festus dies a Caligula institutus et Saturnalibus adjectus, a juvenibus præcipue celebrandus, unde et nomen. *Sueton. Cal.* 17. Ut lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adjecit diem Saturnalibus, appellavitque Juvenalem. — *Juvenales ludi* a Nerone instituti, quum primum barbam deposuit et Jovi Capitolino dicavit, ut *Dio l.* 59. c. 16. et *Xiphilin. l.* 61. c. 19. scripsere, scenici fuerunt, et imperativi, non etaliivi, privatimque per domos aut in hortis agitabantur. In hisce Nero primum suæ vocis tirocinium posuit. *Tac.* 14. *Ann.* 15. Ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, instituit ludos, Juvenalium vocabulo, in quos passim nomina data. *Id.* 15. *ibid.* 33. Acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi: nam adhuc per domos aut hortos cecinerat juvenalibus ludis, quos ut parum celebres et tantæ voci angustos spernebat. *Sueton. Ner.* 11. Juvenalibus senes quoque consulares anusque matronas recepit ad lusum. — Progressu vero temporis eorum ludorum solemnitatem recepisse Italiæ provincias apparet ex vetustis monumentis et scriptoribus, apud quos etiam *lusus Juvenalis* et *collegii Juvenum* mentio est. *Capitolin. Gordian.* 4. Cordus dicit, in omnibus civitatibus Campaniæ, Etruriæ, Umbriæ, Flaminiæ, Piceni de proprio illum per quatriduum ludos scenicos et Juvenalia edidisse. *Inscript.* apud *Cardinali, Iscriz. Velit.* p. 20. IVVENALIA VELITERNA FELICITER. *Alia* apud eumd. *ibid.* p. 13. CVRATOR LVSVS IVVENALIS. *Alia* apud *Maff. Mus. Ver.* 321. 2. SODALES LVSVS IVVENALIS. *Alia* apud eumd. *ibid.* 321. 1., emendatior vero apud *Oderic. Dissert.* p. 88. P. IVLIAE A. F. OLYMPIADI SODALI IVVENVM L. D. D. D. et p. 104. COLLEGIA IVVENVM BRIXIANORUM et *ibid.* MAGISTER IVVENUM. et *ibid.* SACERDOS COLLEGII IVVENVM BRIXIAN. et *ibid.* 106. M. SILIO EPAPHRODITO MAGISTRO ITERVM IVVENVM IVVENES LVCOFERONENSES PATRONO. *Alia* apud *Fabrett.* p. 685. n. 88. COLLEGIVM IVVENVM PVTEOLANORVM. *Alia* apud *Gruter.* 263. 2. IVVENES NEPESINI DIANENSES. — Alii fuerunt ludi eodem nomine nuncupati, quos Kalendis Januarii privatim in palatio celebrabant imperatores, qui tamen circenses, non scenici fuerunt. *Sidon. carm.* 23. 307. Janus forte sua bifrons Kalendas Sumendas referebat ad curules. Mos est Cæsaribus die bis uno, Privatos vocitant, parare ludos. Tunc cœtus juvenum sed aulicorum Elei simulacra torva campi Exercet spatiantibus quadrigis. et *mox* 428. Jam vero Juvenalibus peractis. — *Juvenalia*, inquit *Paul. Diac.* p. 104. 12. *Müll.* (alii leg. *juvenilia*), fingebantur Dianæ simulacra, quia ea ætas fortis est ad tolerandam viam. Diana enim viarum putabatur dea. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

JŬVENCA, æ, f. 1. *V.* JUVENCUS.

JŬVENCŬLA, æ, f. 1. deminut. juvencæ, quatenus puellam significat, *giovanetta*. *Tertull. Monogam.* 13. Vult, juvenculas nubere, filios suscipere, matres familiæ agere. et *mox.* Juvenculas viduas,

quæ in viduitate etc. *Hieronym.* 3. in *Isaj.* 7. 14. Sin autem juvencula, vel puella, et non virgo pariat. *Vulgat. interpr. Ps.* 67. 26. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum. Adde *ibid. Eccli.* 20. 3.

JŬVENCŬLUS, i, m. 2. *deminut.* juvenci, quatenus puerum significat, *giovanetto*. *Catull.* 24. 1. O qui flosculus es juvenculorum! Sed plerique omnes rectius leg. *Juventiorum*, ut qui ex nobili gente Juventia esset, cujus mentio est apud *Cic. Planc.* 8. 19. Ceterum *Hieronym. Ep.* 2. 16. Numquam juvenculos, numquam cincinnatos videat. *Ambros. Apol. Dav.* 3. Quæ figura in illis juvenculis, nisi animarum, quæ triumphalem psalmum concinunt Christo? *Porphir.* ad *Horat.* 2. *Od.* 8. 21. Juvenci ergo non tantum boves dicuntur, sed homines, quamvis in usu sit, ut non nisi per deminutionem juvenculos dicamus. *Vulgat. interpr. Jerem.* 31. 18. Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus.

JŬVENCUS, a, um, adject. (*per syncop. pro juvenicus a juvenis*) idem ac junior: sed raro admodum occurrit. *Lucret.* 5. 1073. ubi equus florenti ætate juvencus etc. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 53. 74. (146). *de gallinis.* Ex iis juvencæ plura, quam veteres pariunt. — Hinc

Juvencus, *i*, m. 2. absolute, substantivorum more. *Juvencum* pro *juvencorum* est *Virg.* 9. *Æn.* 609. et *Stat.* 4. *Theb.* 409. — Ceterum

I.) Proprie ¶ 1. Est bos juvenis, qui jam vitulus esse desiit, nondum tamen ad justam magnitudinem pervenit, μόσχος, πόρταξ (It. *bue giovane*, *giovenco*; Fr. *jeune taureau*; Hisp. *toro joven*; Germ. d. *junge Stier*; Angl. *a bullock*, *steer*). *Varro* enim 2. *R. R.* 5. 6. quatuor ætatis gradus in bubulo genere distinguit: primus est vitulorum, secundus juvencorum, tertius boum novellorum, quartus vitulorum. Dictus est autem, si ei credimus 5. *L. L.* 96. *Müll.*, a *juvando*, quia jam juvare ad agrum colendum posset. Alii rectius a *juvenis* derivant. *Virg.* 2. *Ecl.* 66. Aspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci. *Id.* 3. *G.* 50. fortes ad aratra juvenci. — De iis ad jugum domandis præclare *Colum.* 6. *R. R.* 2. 2. ¶ 2. De vitulo marino dixit *Sil. It.* 5. 132. Ære atque æquorei tergo flaventis juvenci Cassis erat munita viro. *h. e.* cassis ærea erat tecta pelle vituli marini, seu phocæ. ¶ 3. Dicitur et de hominibus adolescentibus. *Horat.* 2. *Od.* 8. 21. Te suis matres metuunt juvencis, Te senes parci etc.

II.) Figurate, h. e. per synecdochen est corium bubulum. *Stat.* 3. *Theb.* 591. Nec pudor emerito clipeum vestisse juvenco. — *NB.* De nom. propr. *V.* ONOM.

Juvenca, *æ*, f. 1. absolute, substantivorum more, ¶ 1. Est vacca junior, quæ jam vitulam esse desiit, nondum tamen in justam magnitudinem excrevit, *giovenca*, *vacca giovine*, δαμάλης, πόρτις. *Virg.* 3. *G.* 219. Pascitur in magna silva formosa juvenca. ¶ 2. Dicitur etiam de puella, vel florentis ætatis muliere. *Ovid. Heroid.* 5. 117. Graja juvenca venit, quæ te patriamque domumque Perdat: io prohibe, Graja juvenca venit.

JŬVĔNESCO, nescis, nui, nescere, n. inchoat. 3. (juvenis). Part. *Juvenescens* I. 2. — Præteritum *juvenui* est *Tertull. Exhort. ad Castit.* 6. *sub fin.* — Juvenesco est juvenis fio, juventutem acquiro, *ingiovanire*, νεανίζω.

I.) Proprie. ¶ 1. Stricto sensu de eo, qui juvenis fit. *Horat.* 4. *Od.* 2. 54. Me tener solvet vitulus, relicta Matre qui largis juvenescit herbis. ¶ 2. Latiori sensu est idem ac rursus juvenis fio, ad juventutem redeo, *ringiovanire*. *Ovid.* 3. *Amor.* 7. 41. Pylius juvenescere posset. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 57. 82. (224). Glires ætate juvenescunt. *Id.* 21. *ibid.* 11. 40. (69). Rosa recisa juvenescit. *Id.* 17. *ibid.* 18. 30. (129). Alia arbore ex eadem juvenescente.

II.) Translate, metaphorâ sumptâ a superiore paragr. 2. *Stat.* 3. *Theb.* 583. Horrentesque situ gladios in sæva recurvant Vulnera, et attrito cogunt juvenescere saxo. *Claudian.* 2. *Laud. Stilich.* 20. te sospite fas est Vexatum laceri corpus juvenescere regni. *Cassiod.* 8. *Variar.* 21. Senescis quidem corpore, sed laude juvenescis. *Claudian. VI. Cons. Honor.* 534. Quam pax intulerat, bello discussa senectus, Erexit subitas turres, cinctosque coegit Septem continuo montes juvenescere muro.

JŬVĔNĪLE, adverbii ritu. *V.* voc. seq. in fin.

JŬVĔNĪLIS, e, adject. (juvenis). Comp. *Juvenilior* II. — Juvenilis est ad juvenem pertinens, νεανικός (It. *giovanile*, *da giovane*; Fr. *juvénile*, *du jeune âge*, *de jeune homme*; Hisp. *joven*; Germ. *jugendlich*; Angl. *youthful*, *juvenile*).

I.) Proprie. *Cic. Brut.* 91. 316. Superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia. *Id. Orat.* 30. 108. Juvenilis redundantia. *Ovid.* 2. *Trist.* 339. Juvenilia carmina. *Al. leg.* juvenalia. *V.* JUVENALIS. *Id.* 8. *Met.* 632. Juveniles anni. et 1. *ibid.* 564. Juvenile signum. *statua d'un giovine.* et 1. *Amor.* 5. 22. femur. et 2. *Trist.* 167. Utque tui faciunt, sidus juvenile, nepotes. *h. e.* juvenes, Augusti nepotes, instar sideris inter Romanam juventutem fulgentes.

II.) Translate. *Ovid.* 14. *Met.* 639. Silvanusque suis semper juvenilior annis. *h. e.* qui quamvis sit senex, tamen amoribus et lascivia ætatem vincit. Sic *Id.* 5. *Trist.* 1. 7. Integer et lætus læta et juvenilia lusi. — Ut Græcum νεανικός magnum aliquando, vehementem, validum significat; sic videtur accipi posse *juvenilis* in illo *Stat.* 1. *Silv.* 4. 50. Ipsa etiam cunctos gravis inclementia fati Terruit, et subiti præceps juvenile pericli. *h. e.* magnum præcipitium, ingens periculum. — Hinc

Juvenile, adverbii ritu pro *juveniliter* adhibet *Stat.* 3. *Silv.* 5. 25. et adhuc juvenile vagantem.

JŬVĔNĪLĬTAS, ātis, f. 3. (juvenilis) ætas juvenilis, *giovanezza*, νεότης. *Varro* apud *Non.* p. 123. 8. et p. 433. 24. *Merc.* Quam dereliquit multicupida juvenilitas.

JŬVĔNĪLĬTER, adverb. (juvenilis). Comp. *Juvenilius.* — Juveniliter est more juvenum, *giovanilmente*, *da giovine*, νεανικῶς. *Cic. Senect.* 4. 10. Et Hannibalem juveniliter exsultantem patientia sua molliebat. *h. e.* juvenili audacia et inconsiderantia. *Ovid.* 7. *Met.* 804. Sole fere radiis feriente cacumina primis Venatum in silvas juveniliter ire solebam. *h. e.* alacritate juvenili. *Id.* 2. *Trist.* 117. Ingenio videor nimium juveniliter usus. *h. e.* inconsiderate, more juvenum. Hic alii *juvenaliter* leg. Rursus *Id.* 10. *Met.* 675. Jecit ab obliquo nitidum juveniliter aurum. *h. e.* vi magna atque impetu. Quædam MSS. habent *juvenaliter* teste *Burmanno*. *Jul. Rufinian. de Schem. dian.* § 1. *in fin.* edente *Frotscher*. Sed ejusmodi figuræ, quæ juvenilius in schola lasciviunt, ut Cornutus ait, etc. Ita *Jac. Frid. Heusinger.* emendavit editionis veteris lectionem: *quæ juvenibus in schola lasciviuntur.*

JŬVĔNIS, is, adject. Comp. *Juvenior* et *Junior*. — Juvenis est qui ad eam ætatem, seu statum pervenit, ut juvare possit: a *juvando* enim *Varro* apud *Censorin. de die nat.* 14. derivat, νέος (It. *giovine*; Fr. *jeune*; Hisp. *joven*; Germ. *jung*, *jugendlich*; Angl. *young*, *youthful*). *Ovid.* 7. *Met.* 295. juvenes nutricibus annos Posse suis reddi. *Colum.* 7. *R. R.* 3. 6. Ovis juvenis habetur, quinquennis. *Calpurn.* 7. *Ecl.* 6. juvenis deus. *Apul.* 8. *Met.* Unus præ ceteris et animo fortior, et ætate juvenior, et corpore validior. *Plin.* 4. *Ep.* 8. Multo etiam juvenior, quam ille. Al. hic legunt *junior*; quod certe est usitatius: et *juvenior* pæne obsolevit. *Liv.* 3. 4. In hanc sententiam ut discederetur, juniores patrum evincebant. *Horat.* 2. *Ep.* 1. 44. Qui vel mense brevi, vel toto est junior anno. — Hinc

Juvenis, *is*, m. et f. 3. absolute, substantivorum more — *a*) De homine dicitur, qui ad eos annos pervenit, qui sunt inter adolescentiam et virilem ætatem: qua de re *V.* ÆTAS I. Femin. gen. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 36. 36. (122). Cornelia juvenis est, et parere adhuc potest. — *d*) Sæpe cum adolescente confunditur. Femin. gen. *Phædr.* 2. 2. Animosque ejus pulcra juvenis ceperat. *una bella giovine.* — Masc. gen. *Catull.* 62. 6. Cernitis, innuptæ, juvenes? consurgite contra. *Cic. Senect.* 10. 33. Infirmitas puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis ætatis etc. *Id.* 2. *Off.* 13. 45. Quorum prima ætas in hominum ignoratione versatur, hi simul ac juvenes esse cœperunt, magna spectare debent. *Id.* 2. *Att.* 12. juvenem appellat Curionem, cujus ætatem 2. *Fam.* 1. *extr.* adolescentiam vocat; quum tamen, ut adnotavit *Manut.*, trigesimum annum excederet. V. *Cavedoni*, *Marm. Moden.* p. 237. *Liv.* 3. 41. Edicitur delectus: juniores ad nomina respondent. *Quintil.* 2. 2. 3. Adulti fere pueri ad hos præceptores transferuntur, et apud eos, juvenes etiam facti, perseverant. *Claudian. IV. Cons. Honor.* 385. sed prœlia differ in juvenem. *h. e.* in juventutis tuæ tempus. — *c*) *Juvenis* pro *juventus*, h. e. juvenum manus. *Sil. It.* 4. 219. consul trahit undique lectam Divitis Ausoniæ juvenem, Marsosque, Corasque etc.

JŬVĔNOR, āris, ari, dep. 1. (juvenis) temere et inconsiderate et juvenum more aliquid dicere, vel facere, *parlare inconsideratamente*, *parlare od operare da giovine*, νεανίζω. *Horat. Art. P.* 246. Aut nimium teneris juvenentur versibus unquam. *juvenari* hoc loco respondet Græco νεανιεύεσθαι, h. e. amori vinoque se dare. *Gloss. Philox.* Juvenor, νεωτερίζω.

JŬVENTA, æ, f. 1. (juvenis) ætas juvenilis, adolescentia, florens ætas, νεότης (It. *età giovanile*, *gioventù*; Fr. *jeunesse*, *jeune âge*; Hisp. *juventud*; Germ. *die Jugend*, *das jugendliche Alter*; Angl. *youth*, *the age of youth*).

I.) Proprie. — *a*) De hominibus. *Liv.* 35. 42. Non ita se a juventâ eum gessisse. *Plin.* 10. *Hist. nat.* 55. 76. (154). Livia, prima sua juventa ex Nerone gravida. *Id.* 7. *ibid.* 2. 2. (28). In juventa candido capillo, qui in senectute nigrescat. *Inscript.* apud *Murat.* 185. 1. A PRIMA IVVENTA IN SAC. MINERV. ADSCRIPTVS. — *b*) De brutis animalibus. *Virg.* 3. *G.* 437. *de angue.* Quum positis novus exuviis nitidusque juventa etc. *Plin.* 8. *Hist. nat.* 10. 10. (28). Elephantorum juventa a sexagesimo anno incipit. — *c*) De plantis. *Plin.* 16. *Hist. nat.* 23. 35. (86). Huic arbori in juventa folia circinatæ rotunditatis sunt. — *d*) Differt a *juventate* et *juventute*. Nam *juventa* est ætas, *Juventas* dea (quæ tamen et *Juventa* dicitur: *V.* voc. seq. 2.), *juventus* multitudo juvenum, uti præter alios *Non.* p. 433. 15. *Merc.* docet. Sed hoc discrimen non observatur.

II.) Figurate ponitur pro juventute, seu multitudine juvenum. *Martial.* 2. 90. Quintiliane, vagæ moderator summe juventæ.

JŬVENTAS, ātis, f. 3. (juvenis) idem ac juventa. ¶ 1. Pro ætate juvenili, *gioventù*, νεότης. *Virg.* 5. *Æn.* 398. si nunc foret illa juventas. *Horat.* 2. *Od.* 11. 6. fugit retro levis juventas et decor. Adde *Lucret.* 5. 886. ¶ 2. *Forcellinus* proxime superiora metonymice accepit: ipsi enim Juventas propria significatione erat dea (*V.* JUVENTA 1. *d.*), quæ juventuti seu florenti ætati præesse putabatur: illi ædem in Circo maximo (teste *Liv.* 36. 36.) dedicavit L. Licinius Lucullus, quam sexdecim annis ante, h. e. ann. U. C. 547., voverat M. Livius Salinator consul, quo die Hasdrubalem exercitumque ejus cecidit. *Cic.* 1. *Nat. D.* 40. 112. At poetæ quidem nectar, ambrosiam, epulas comparant, et aut Juventatem, aut Ganymedem pocula ministrantem. Hinc *Ovid.* 1. *Pont.* 10. 11. Nectar et ambrosiam latices epulasque deorum Det mihi formosa nave Juventa manu. Adde *Liv.* 5. 54. et 21. 62.; *V.* voc. seq. in fin.; item *V.* HEBE in ONOM.

JŬVENTUS, ūtis, f. 3. (juvenis). ¶ 1. Est multitudo juvenum, *gioventù*, νεολαία. *Ennius* apud *Donatum* ad *Ter. Phorm.* 3. 1. 1. Optima cum pulcris animis Romana juventus. *Cic.* 3. *Orat.* 24. 93. Ob eamque causam juventus nostra dedisceret pæne discendo. *Cæs.* 3. *B. G.* 16. Omnis juventus, omnes etiam gravioris ætatis — eo convenerant. *Liv.* 35. 38. Robur in juventute. *Virg.* 2. *Æn.* 63. Undique visendi studio Trojana juventus Circumfusa ruit. *Horat.* 3. *Od.* 6. 33. Non his juventus orta parentibus Infecit æquor sanguine Punico. *Vellej.* 2. 106. Juventus infinita numero, immensa corporibus. — Hinc *princeps juventutis* florente Romana republica primus erat inter equites Rom., *Cic. Vatin.* 10. 24. et 3. *Fam.* 11. 3.; extincta deinde republ. *princeps civitatis* ipse Romæ imperator dictus est, ut docet *Tac.* 1. *Ann.* 3. ¶ 2. Sæpe sumitur pro ætate juvenili. *Cic. Senect.* 6. 15. An iis, quæ geruntur juventute et viribus? ¶ 3. Pro dea, quæ præesse putabatur ætati juvenili. *Cic.* 1. *Tusc.* 26. 65. Non enim ambrosia deos, aut nectare, aut Juventute pocula ministrante lætari arbitror. *Liv.* 36. 36. Juventatis ædem in Circo maximo C. Licinius Lucullus duumvir dedicavit. *V.* voc. præced. 2. Adde *Plin.* 35. *Hist. nat.* 10. 36. (108). Sed his tribus locis alii legunt *juventatis*. At *Inscript.* apud *Orell.* 2213. D. M. SEX. IVL. CONDIANI DEF. ANN. XXV. FLAMINIS IVVENTVTIS etc. — Hoc sensu et cum Jo-

ve jungitur. *Inscript.* apud *Henzen.* 56. 34. IOVI IVVENTVTI SACRVM CN. DOMITIVS AFRI LIBERT. INGENVVS ACCENSVS. Adde *aliam* apud *eumd.* 5635.

JŬVO, jŭvas, jūvi, jūtum, jŭvare, a. 1. Primam in *juvi* corripuit *Catull.* 66. 18. Non, ita me divi, vera gemunt, juverint! At potius cum *Dœringio* aliisque legendum *juerint*, extrita nempe *v* consonante, ut *Ennius* apud *Cic. Senect. initio.* O Tite, si quid ego adjuero. *h. e.* adjuvero. — *Juvari* pro *juvi* certo caret idonei scriptoris exemplo. Nam quod afferunt ex *Pallad.* 13. *R. R.* 6., incertæ lectionis est. *Voss.* quoque ex *Manilio* citat *juvavi*, sed neque locum designat, neque ego invenire adhuc potui. Legitur tamen a quibusdam *Juvaturus* apud *Sall. Jug.* 51. et *Plin.* 4. *Ep.* 15. *sub fin.*, fortasse quia *juturus* non ita juvaret aures: quod tamen nonnulli Critici legunt *Colum.* 10. *R. R.* 121. Rutaque Palladiæ baccæ jutura saporem. Cui addatur *Juvenc.* 1. 58. Salve progenie terras jutura salubri. *Ita* Angelus alloquitur Mariam Virginem, quæ Iesum Christum erat paritura. — Part. *Juvans* 1. et 2.; *Jutus* et *Juvandus* 1.; *Juvaturus* et *Juturus* paullo supra. — *Juvare*, quod ratione habita etymi cum Gr. ἰάομαι, *mederi*, conjungi potest, ¶ 1. Stricto sensu est prodesse, adjuvare, opem ferre, auxiliari, ὠφελέω, βοηθέω (It. *ajutare, giovare*; Fr. *aider, assister, sécourir, être utile, servir*; Hisp. *ayudar, asistar, socorrer, estar util*; Germ. *helfen, fördern, nützen, unterstützen*; Angl. *to holp, aid, assist, succour, profit, benefit*). Occurrit — *a*) Universim. *Cic.* ad *Capiton.* 16. *Att. in fin.* Multum potes nos apud Plancum juvare. *Id.* 1. *Tusc.* 14. 32. Qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur. *Id.* 1. *Fin.* 21. 71. Nullam eruditionem esse duxit, nisi quæ beatæ vitæ disciplinam juvaret. *Ovid.* 7. *Met.* 505. juvit facundia causam. *Id.* 1. *Art. am.* 617. imbres arva juvantes. *Id.* 3. *Amor.* 6. 23.; et *Catull.* 68. 41. Juvare aliquem in re aliqua. *Cic.* 11. *Fam.* 17. Si omnibus tuis opibus, omni studio Lamiam in petitione juveris. *Id.* 13. *ibid.* 22. Juvare aliquem quibuscumque rebus honeste possis. *Id. Balb.* 9. 23. Qui nostros duces auxilio laboris, commeatus, periculo suo juverit. *Ovid.* 9. *Met.* 780. auxilio juvare aliquem. *Id. Heroid.* 2. 55. portuque locoque. *h. e.* portu et domo excipiendo. *Id.* 1. *Pont.* 6. 18. pectora alloquio. *consolare, confortare. Cæs.* 1. *B. G.* 26. hostes frumento. *Id.* 3. *B. C.* 35. opibus enixe aliquem. *Id.* 1. *ibid.* 15. exercitum Cæsaris omnibus rebus. *Id.* 7. *B. G.* 78. aliquem cibo. *Auct. B. Afr.* 97. armis, militibus, pecunia. *Ter. Heaut.* 1. 1. 34. aut consolando, aut consilio, aut re. — *b*) Speciatim refertur ad medicum et medicinam. *Horat. Carm. sæcul.* 63. *de Phœbo.* Qui salutari juvat arte fessos. *Ovid.* 2. *Amor.* 9. 8. medica ope juvare aliquem. *Id.* 2. *Trist.* 270. Quæque juvans, monstrat (*medicina*), quæque sit herba nocens. *Plin.* 23. *Hist. nat.* 1. 10. (14). Decoctum vinaceorum dysentericos et cœliacos juvat et potione et fotu. *Id.* 28. *ibid.* 12. 53. (194). Graveolentiam halitus butyrum efficacissime juvat. *Inscript.* apud *Henzen.* 6185. QVI PROVIDENTIA MAXIMORVM IMPERAT. (*h. e.* M. Aurelii et L. Veri) MISSVS VRGENTIS ANNONAE DIFFICVLTATES (*sic*) IVVIT. — *c*) *Diis juvantibus*, σὺν θεῷ, *coll'ajuto di Dio. Cic.* 7. *Fam.* 20. Meque, diis juvantibus, ante brumam exspecta. *Liv.* 25. 38. *sub fin.* Ite, diis bene juvantibus, corpora curate, ut etc. *Cic.* 2. *Nat. D.* 66. 165. Quorum neminem, nisi juvante Deo, talem fuisse credendum est. — *d*) Impersonaliter. *Virg.* 2. *G.* 37. juvat Ismara Baccho Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum. — *e*) Passive. *Cic.* 3. *Verr.* 47. 123. Lex Cornelia proscriptum juvari vetat. *Ovid.* 2. *Pont.* 7. 71. Temperie cœli corpusque animusque juvantur. *Id.* 4. *ibid.* 12. *extr.* precor, quæras, qua sim tibi parte juvandus. *Liv.* 44. 22. Viatico a me juvabitur. *Vellej.* 2. 84. Dellius exemplo sui tenax, juti a Dolabella. *Tac.* 14. *Ann.* 4. Solertia tempore juta. *Pallad.* 4. *R. R.* 10. *sub fin.* Rami stercorati et humoribus juti. ¶ 2. Latiori sensu est delectare, placere, *dilettare, dar piacere*: quia quæ prosunt, eadem fere voluptati sunt (cf. Gr. ἰαίνειν): hinc *Cic.* 2. *Fin.* 4. 14. Juvare in sensu et in animo dicitur: ex eoque jucundum. Occurrit — *a*) Cum Nominativo rei et Accusativo personæ. *Phædr.* 4. 6. Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ. *Liv.* 28. 27. Nec me vita juvaret, invisa civibus et militibus meis. *Ovid.* 3. *Art. am.* 159. suremque juvantia verba. *Horat.* 1. *Od.* 1. 23. Multos castra juvant et lituo tubæ Permixtus sonitus, bellaque matribus Detestata. — *b*) Passive. *Cic. Orat.* 48. 159. Refer ad aures, probabunt: quære, cur? ita se dicent juvari. — *c*) Sæpe impersonaliter ponitur, sequente Infinito. *Cic.* 5. *Fam.* 21. Juvit me, tibi tuas litteras profuisse. *Virg.* 1. *Æn.* 207. forsan et hæc olim meminisse juvabit. *et* 9. *ibid.* 615. juvat indulgere choreis. *et* 3. *ibid.* 606. Si pereo, manibus hominum periisse juvabit. *avrò questo consolazione di* etc. *Seneca Ep.* 106. Quæ sint hæc interrogas? quum scire magis juvat, quam prodest. *V.* PROSUM. — *d*) Et sequente *quod. Plin.* 8. *Ep.* 6. *in fin.* Quam juvat, quod in illa tempora non incidi! *quanto piacere ho* etc. — *e*) Similiter sequente *si. Horat.* 1. *Od.* 1. 7. Hunc (*juvat*), si mobilium turba Quiritium Certat tergeminis tollere honoribus; Illum, si proprio condidit horreo Quicquid de Lybicis verritur areis. — *f*) Cum Dativo perrarum est et incertum. *Plaut. Cist.* 1. 1. 118. Quando ita tibi juvat, vale et salve. *Al. leg.* lubet.

JUXTĀ, adverb. et præpos. Ultima syllaba longa est. *Virg.* 4. *Æn.* 480.; *Ovid.* 12. *Met.* 235. etc. Corripuit *Catull.* 66. 66. Callisto juxta Lycaonida. *ubi juxta antiquo ritu in multis libr. scriptum est*: *alii melius leg.* juncta Lycaonidi *vel* Lycaoniæ. — Ratione habita etymi, a *jugo* pro *jungo* esse volunt, ita ut *juxta* sit pro *junxta*: idcirco de iis dici, quæ juncta aut vicina sunt. — Ceterum juxta est *A*) Adverbium; et *B*) Præpositio regens Accusativum.

A) Adverbium juxta est prope (It. *da presso, da vicino*; Fr. *tout proche, tout près, à côté*; Hisp. *cerca, junto, al lado*; Germ. *daneben, nahe bei, dicht an etwas, an der Seite von etwas*; Angl. *nigh, near to, by, hard by*).

I.) Proprie de loco. — *a*) De rebus inter se junctis. *Plin.* 36. *Hist. nat.* 15. 24. (117). Theatra duo juxta fecit amplissima e ligno. *h. e.* alterum alteri junctum. — *b*) Item de iis, quæ continuo nexu se invicem attingunt. *Cæs.* 2. *B. G.* 26. Cæsar quum septimam legionem, quæ juxta constiterat, item urgeri ab hoste vidisset etc. *Nepos Timoth.* 2. Sic juxta posita recens filii (*statua*), veterem patris renovavit memoriam. *Virg.* 6. *Æn.* 605. Furiarum maxima juxta Accubat. *Id.* 3. *ibid.* 22. Forte fuit juxta tumulus. Adde *eumd. ibid.* 571. et *Sall. Jug.* 65. Cui Metellus petenti more regum uti sellam juxta poneret, negaverat. *Colum.* 8. *R. R.* 13. 3. Sicubi vero flumen aut lacus est, herbæque copia, nec nimis juxta satæ fruges etc. *Plin.* 3. *Hist. nat.* 16. 20. (122). Adest oppidum juxta Industria. — Similiter *Tac.* 11. *Ann.* 31. Ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens; juxtaque Silius hedera vinctus gerere cothurnos. *h. e.* juxta eam. *Plin.* 6. *Hist. nat.* 17. 19. (51). Talem perlatum Pompejo juxta res gerenti Mithridatico bello. *h. e.* in illa regione. *Id.* 9. *ibid.* 62. 88. (185). Polypum in tantum locusta pavet, ut, si juxta vidit, omnino moriatur. — *c*) Interdum etiam cum verbis motum significantibus componitur, ut vicinia loci intelligatur. *Ovid.* 8. *Met.* 809. neque enim est accedere juxta Ausa.

II.) Translate. ¶ 1. Vicinitatis notio transfertur ad alias res inter se contingentes, veluti ad orationis propinquitatem, ad proximam sanguinis cognationem etc. *Gell.* 7. 3. *ante med.* Quæ deinde Cato juxta dixit, ea confessionem faciunt, non defensionem. *quelle cose che dice subito dopo, immediatamente dopo.* et *Sueton. Cal.* 10. Tanti fuit in avum, et qui juxta erant, obsequii, ut etc. *h. e.* qui cognationis jure avum prope contingebant: vel qui circa avum erant, puta amici, liberti et hujusmodi, οἱ περὶ αὐτόν. ¶ 2. Sæpius æqualitatem rerum designat, et est æque, similiter, pari modo, *egualmente, del pari*: et occurrit — 1.°) Absolute, cum Adjectivis. *Liv.* 24. 5. *sub fin.* Adjectique pœnæ ceteri juxta insontes. *Id.* 38. 29. Interiorem semper juxta validum pro diruto novum obstruentes murum. *Id.* 23. 28. Per dubios infestosque populos juxta intentus ad Hasdrubalem pervenit. *h. e.* semper æquo modo intentus. *Tac.* 1. *Ann.* 6. Juxta periculosum, seu ficta, seu vera promeret. Sic *Id.* 11. *ibid.* 33. Getæ prætorii præfecto haud satis fidebat, ad honesta seu prava juxta levi. — 2.°) Ut *æque ac, pariter ac* dicitur, sic *juxta* cum similibus particulis usurpatur: scil. — *a*) Cum part. *ac. Varro* 2. *R. R.* 6. 1. E queis feminas Q. Modius Æquicolus – juxta se mares habere solebat. *Sall. Cat.* 37. Quo minus mirandum est, homines egentes – reipublicæ juxta ac sibi consuluisse. *Varro* apud *Non.* p. 322. 8. *Merc.* Nequissimus ibis juxta ac P. Africanus. *Liv.* 37. 54. Genus humanum – vestrum nomen imperiumque juxta ac deos immortales jampridem intuetur. *h. e.* non aliter ac si essetis dii. *Id.* 21. 33. Juxta invia ac devia assueti decurrunt. *Tac.* 1. *Ann.* 48. Ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxta cadere. — *b*) Cum part. *atque. Sall. Jug.* 100. Litteris Græcis atque Latinis juxta atque doctissume eruditus. *Liv.* 1. 54. *sub fin.* Absentium bona juxta atque interemptorum divisa (*al.* divisui) fuere. *Id.* 5. 6. Se juxta hieme atque æstate bella gerere posse. *Id.* 3. 37. In re juxta manifesta atque atroci. — *c*) Cum part. *et. Sall. Cat.* 51. Juxta bonos et malos interficere. *Tac.* 4. *Ann.* 1. Juxta adulatio et superbia. *Sall. Jug.* 85. Hiemem et æstatem juxta pati. *Tac.* 12. *Ann.* 17. Quum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci amnesque et urbes juxta perrumperentur. Adde *eumd.* 4. *ibid.* 59. et 3. *Hist.* 58. — *d*) Cum encl. *que. Liv.* 9. 13. *a med.* Juxta obsidentes obsessosque inopia vexavit. *Plin.* 9. *Hist. nat.* 35. 53. (105). Margaritæ nisi manibus, auribus, capite totoque corpore a feminis juxta virisque gestarentur. *Sall. Cat.* 2. Eorum ego vitam mortemque juxta æstumo. *et ibid.* 61. Ita cuncti suæ hostiumque vitæ juxta pepercerant. *Id. Jug.* 88. Plebi patribusque, postquam invidia decesserat, juxta carus. *Tac.* 1. *Hist.* 10. Vir secundis adversisque juxta famosus. *Id.* 5. *ibid.* 7. Solo cæloque juxta gravi. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 3. 3. (7). Nobis, qui intus agimus, juxta diebus noctibusque tacitus labitur mundus. — *e*) Cum part. *que* et *et* conjunxit *Sall. Jug.* 67. Juxta boni malique, strenui et imbelles inulti obtruncantur. — *f*) Cum part. *ac si. Sall. Jug.* 45. Præterea transversis itineribus quotidie castra movere, juxta ac si hostes adessent, vallo sique fossa munire. *Liv.* 22. 31. Navalesque socii juxta effusi ac si insulis cultorum egentibus prædarentur. *Cic. post redit. in senat.* 8. 20. Qui me omnibus rebus, juxta ac si meus frater esset, sustentavit. — *g*) Cum part. *quam. Liv.* 10. 6. *ad fin.* Juxta eam rem ægre passi patres, quam quum consulatum vulgari viderent. — *h*) Cum præpos. *cum. Plaut. Trin.* 1. 2. 160. Juxta eam curo cum mea. *Id. Pers.* 4. 3. 75. Juxta tecum æque scio. *Id. Pseud.* 4. 7. 62. An nescis, quæ sit hæc res? sr. Juxta cum ignarissimis. *Sall. Cat.* 60. *extr.* Quo in loco res nostræ sint, juxta mecum omnes intelligitis. — *i*) Cum Dativo. *Liv.* 24. 19. Fabius omittendam rem parvam ac juxta magnis difficilem censebat. Cf. *Lucret.* 1. 445. Quare in utraque mihi pariter ratione videtur Errasse, atque aliis juxta, quos diximus ante.

B) Præpositio *juxta* regit Accusativum: et suo casui postponitur apud poetas et, qui eos imitati sunt, historicos. *Virg.* 4. *Æn.* 255. humilis volat æquora juxta. *Tac.* 13. *Ann.* 15. Cubiculum Cæsaris juxta decoquitur virus. Adde *eumd.* alibi sæpe. Post pronomen *Nepos Pausan.* 4. Hanc juxta locum fecerunt sub terra etc. *Plin.* 14. *Hist. nat.* 19. 23. (119). Quamque (*vitem*) juxta hominis more laqueo pependerit. — Ceterum

I.) Proprie ¶ 1. Est simul, conjunctim, insieme, quum sermo est de hominibus, qui collocati idem cum aliis faciunt. *Varro* apud *Non.* p. 322. 8. *Merc.* Quum interea lucubrando faceret juxta ancillas lanam. *h. e.* cum ancillis. *Tac.* 2. *Hist.* 13. Occursantes domini juxta conjuges et liberos. ¶ 2. Propinquitatem significat, et de rebus prope positis usurpatur, quarum altera continuo nexu alteram attingit; et est apud, prope: quo sensu et de hominibus adhibetur. *Cæs.* 1. *B. C.* 16. Ad oppidum constitit, juxtaque murum castra posuit. *Nepos Datam.* 1. Habuit provinciam partem Ciliciæ juxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri. *Virg.* 7. *Æn.* 72. juxta genitorem adstat Lavinia virgo. *Quintil.* 8. 4. 22. Eam filiam appellans juxta se locat. *Colum.* 4. *R. R.* 8. 2. Si juxta truncum radicem præcideris. *Tac. Germ.* 17. Totos dies juxta focum atque ignem agunt. *h. e.* ad focum. *Plin.* 12. *Hist. nat.* 19. 43. (95). Frutex et casia est juxtaque cinnami campos nascitur. *Id.* 17. *ibid.* 21. 35. (213). Alia culpa juxta urbem Varracinis. *h. e.* in regione urbis. *Id.* 34. *ibid.* 8. 19. (93). Juxta rostra. *h. e.* in foro romano. — Hoc sensu etiam cum verbis motum significanti-

bus componitur. *Virg.* 3. *Æn.* 506. Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta. — Huc referri potest et illud *Tac.* 2. *Hist.* 89. Ceteri juxta suam quisque centuriam armis donisque fulgentes. *a fianco della propria centuria.*

II.) Translate. ¶ 1. *Juxta* ad temporis propinquitatem, item ad proximam rerum cognationem vel similitudinem transfertur. *Tac. Dial.* de orat. 22. Quas (*orationes*) senior jam et juxta finem vitæ composuit. *Id.* 6. *Ann.* 42. Nam populi imperium juxta libertatem: paucorum dominatio regiæ libidini propior est. Sic *Id. Germ.* 30. Velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiæ est. *h. e.* similis formidini, vel parum abest a formidine. *et* 6. *Ann.* 13. Gravitate annonæ juxta seditionem ventum. *quasi.* Occurrit etiam in *Sall. fragm.* ex *Bibliotheca Vatican. n.* 77. § 11. edente *Kritz.* Atque illi certamine consilii inter se juxta seditionem erant. *h. e.* haud procul seditione aberant, ut loquitur *Liv.* 8. 32. — Huc pertinet et illud *Tac. Germ.* 21. Periculosiores sunt inimicitiæ juxta libertatem. *h. e.* quæ geruntur inter eos, qui liberi sunt. ¶ 2. Significat etiam conjunctionem rerum ex ordine proximam et id quod continuo factum est: hinc significat statim post, *subito dopo*; quia quæ statim post sunt, prope ac vicina sunt. *Liv.* 9. 9. Neque ego inficias eo, tam sponsiones quam fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur. *Plin.* 2. *Hist. nat.* 7. 5. (26). Nec ideo proximum illi genitum hominem, ut vilitate juxta belluas esset. *Tac.* 2. *Hist.* 76. Juxta deos in tua manu (*imperium*) positum est. *Gell.* 4. 9. Nigidius Figulus, homo, ut ego arbitror, juxta M. Varronem doctissimus. *Cels.* 2. 16. Neque enim convenit, juxta inediam protinus satietatem esse. *Plin.* 7. *Hist. nat.* 45. 46. (150). Juxta hæc Variana clades. ¶ 3. Apud sequioris ævi scriptores juxta ponitur etiam pro secundum, *conforme, secondo*: ex eo enim, quod *juxta* conjunctionem significat, facilis gradus factus est ad regulam alicujus rei, cui quis se adjungit quamque sequitur. *Justin.* 1. 7. 1. Quem juxta nocturnum visum ergastulo liberaverat. *Id.* 36. 1. 6. Benigne et juxta cultum pristinæ fortunæ habetur. *Nazar. Paneg. Constantin.* 23. Virius juxta magnitudinem exantlandi laboris erigitur. *Justin.* 2. 12. 25. Iones juxta præceptum Themistoclis pugnæ se paulatim subtrahere cœperunt. *Ulp. Dig.* 29. 5. 1. § 8. Juxta hoc tamen videtur et divus Hadrianus rescripsisse. *Solin.* 9. Juxta responsum dictum Deo. *Cod. Theod.* 12. 6. 8. Juxta inveteratas leges. *Hieronym. Ep.* 125. *n.* 18. Juxta illud poeticum: Prima leo etc. *Id. Ep.* 2. Juxta prophetam Zachariam. et *Ep.* 82. Juxta inclitum oratorem, silent inter arma leges. ¶ 4. *Juxta* pro circa usurpatur in *Inscript.* apud *Murat.* 1057. 7. OB ILLVSTRIA IPSIVS MERITA ET AMOREM IVXTA CIVES. *Alia* apud *Reines. cl.* 3. *n.* 43. DIVO CLAVDIO GOTHICO OB ILLVSTRIA IPSIVS GESTA ET AMOREM IVXTA CIVES ORDO INTERAMNATIVM.

JUXTIM, idem quod juxta, prope, *appresso, vicino*, πλησίον.

A) Adverbium *juxtim* usurpat *Livius* apud *Non.* p. 127. 32. *Merc.* In sedes collocat se regias: Clytæmnestra juxtim: tertias natæ occupant. *Lucret.* 4. 503. Cur ea, quæ fuerint juxtim quadrata, procul sint Visa rotunda. Adde *eumd.* 4. 1210. *Sueton. Tib.* 33. Assidebatque juxtim. *Editi libri habent* mistim. *Apul. Florid. p.* 364. *Oudend.* Ubi juxtim consedit.

B) Præpositio *juxtim* cum Accusativo usurpat *Sisenna* apud *Non. p.* 127. 30. *Merc.* Juxtim Numicium flumen obtruncatur. *Apul.* 3. *Met.* Juxtim se ut assideret, effecit.

De littera K

K, κ Græcorum littera est, non Latinorum, qui ejus loco *c* habent ejusdem potestatis. *V.* CALUMNIA. *Isid.* 1. *Orig.* 27. 13. K litteram antiqui præponebant, quoties *a* sequebatur, ut *kaput, kanna, kalamus.* Nunc autem *Karthago* et *kalendæ* per eamdem tantum scribuntur. Omnia autem Græca nomina qualicumque sequente vocali per *k* sunt scribenda. At *Diomed.* 2. *p.* 419. *Putsch.* K consonans muta supervacua, qua utimur, quando *a* correpta sequitur, ut *kalendæ, kaput, kalumniæ.* Hinc *Auson. edyll.* 12. *technopægn. de litt. monosyll.* Hæc tribus in Latio tantum addita nominibus K. — In Inscriptionibus frequentius occurrit: sic KA. pro *capitalis*, KK. pro *castrorum*, K. S. pro *carus suis.*

KĂLENDÆ. *V.* CALENDÆ.

KĂLO. *V.* CALO.

KOPPA, n. indeclin. nomen litteræ Q. *Quintil.* 1. 4. 9. Et K, quæ et ipsa quorumdam nominum nota; et Q, cujus similis effectu specieque, nisi quod paulium a nostris obliquatur, Koppa apud Græcos nunc tantum in numero manet. Ita *Quintil.* Hæc porro nonaginta significat, quemadmodum et ק apud Hebræos, quæ non solum potestate, sed etiam sono perquam simillima est.

FINIS TOMI SECUNDI

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCLXVII.